UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Totius Latinitatis lexicon

secundum tertiam editionem, ..., correctum et auctum labore variorum

Forcellini, Egidio

Schneebergae, 1831

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1615

Visual Library

de J. v. E


EX LIBRIS
HERMANNI HEUSER
* 7. JUNI 1870.
† 21 FEBRUAR 1901.

D 6
519

TOTIUS LATINITATIS

LEXICON

CONSILIO ET CURA

JACOBI FACCIOLATI

OPERA ET STUDIO

AEGIDII FORCELLINI

ALUMNI SEMINARII PATAVINI LUCUBRATUM.

SECUNDUM TERTIAM EDITIONEM,

CUJUS CURAM GESSIT

JOSEPHUS FURLANETTO

ALUMNUS EJUSDEM SEMINARII,

CORRECTUM ET AUCTUM

LABORE VARIORUM.

EDITIO IN GERMANIA PRIMA

CUM PRIVIL. REG. SAXON.

TOMUS PRIMUS.



SCHNEEBERGAE

SUMPTIBUS ET TYPIS C. SCHUMANNI.

MDCCCXXXI.

AEGIDII FORCELLINI

OPERA ET STUDIO

JACOBI FACCIOLATI

CONSILIO ET CURA

LEXICON

TOTIUS LATINITATIS

NICOLAO I

AUGUSTISSIMO RUSSORUM IMPERATORI

ET

GUILIELMO III

AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI

CELSISSIMIS ARTIUM LITTERARUMQUE

FAUTORIBUS

HUIUS OPERIS

PATRONIS CLEMENTISSIMIS LIBERALISSIMIS MUNIFICENTISSIMIS

GRATI ANIMI SIGNUM

D. D. D.

EDITOR.

PRAEFATIO

CAROLI SCHUMANNI.

Quod ante hos septem annos edere institui Totius Latinitatis Lexicon ab Aegidio Forcellinio conditum, id quum iam expletum omnibus numeris suis et partibus in lucem prodeat, facere non possum, quin Lectores Benevolos paucis edoceam, quae fuerit instituti mei ratio, quoque modo quod laetissimis auspiciis inchoaveram opus, multis deinceps rebus morantibus ac retardantibus, tandem ad finem adduxerim. Non enim dubito, quin docti harum rerum arbitri, si intellexerint, quot quantaque impedimenta quum adversa fortuna tum hominum obiecta iniuriis in exsequendo consilio meo mihi fuerint superanda, aequius de opera mea laturi sint iudicium. Decreveram autem praeclarum hunc Latinae linguae thesaurum, cuius usum a multis vehementer desiderari audieram, ita typis repetere, ut non solum vilissimo pretio quam plurimis esset parabilis, sed expolitus etiam locupletatusque hominum eruditorum industria ac diligentia novam quandam adsciscerent commendationem. Nec defuit qui adornandae et regendae huius novae editionis magnum sane munus et negotium cum ingenti doctorum approbatione susciperet, susceptumque tanto studio tantaque cura administraret, ut optimam de incepto meo spem excitaret. Fuit is Augustus Voigtlaenderus, illustris Lycei Schneebergensis Rector, multis ille florens ingenii, eruditionis, industriae laudibus. Sed vixdum absoluto primae literae indice vir praestantissimus praematurae morti succubuit. Qui casus dici vix potest quantum rebus meis attulerit detrimentum. Etsi enim Voigtlaenderus eam augendi et perficiendi huius lexici rationem inierat, ut magnopere verendum esset, ne, si eadem via pergeret, nunquam illud in lucem proditurum esset, tamen audita eius morte multi de prospero incepti mei eventu dubitare adeoque desperare coeperunt. Neque fieri poterat, quin res tam improvisa operam meam aliquantum impediret ac retardaret. Restabat tamen is, quem Voigtlaenderus laborum suorum socium assumserat, Godofredus Hertelius, doctissimus Lycei Zwiccaviensis Rector. Huic quum iam soli absolvendi operis modo inchoati cura demandata esset, eruditissimos ille quosque in muneris sui partem vocavit, singulisque singularum literarum indices conficiendos attribuit. Sed tantum abfuit, ut qui haec munia susceperant promissis suis starent numerosque suos implerent, ut nonnulli operam suam in diem ex die differentes cunctandi atque cessandi neque modum unquam facerent neque finem, inceptumque meum de industria impedire adeoque irritum reddere velle viderentur. Quumque ancipiti iam malo me circumventum viderem, hinc deserentibus qui operam mihi suam polliciti erant, illinc urgentibus emtoribus, qui opus nuper demum intermissum maturari flagitabant: exstiterunt insuper qui me inceptumque meum palam calumniarentur, rebusque meis ingens detrimentum inferrent. Qui si reputassent, quantum ego ex iterata hac operae meae intermissione caperem damnum, certe non mihi eius rei culpam imputassent, conviciisque suis aut omnino supersedissent, aut in eos ista probra iactassent, qui fidem identidem datam ac renovatam tam turpiter fefellerant. Neque vero ego hac tanta rerum hominumque iniquitate adduci potui, ut a proposito meo desisterem. Sed quod hac non successe-

rat alia aggrediendum ratus via, totius operis curam uni demandavi viro, qui ab omni negotiorum genere vacuus huic potissimum muneri totum se dederet. Neque eius consilii me poenituit. Etenim Carolus Lehmannus, vir doctissimus pariter atque promtissimus, tanta constantia ac perseverantia operam suam mihi commodavit, ut quantum restabat operis nulla officii sui intermissione prosperrimo cum successu absolveret. Eaque in re ita ille versatus est, ut, quum probe intelligeret, non novum quendam Latinae linguae thesaurum, sed eum quem Aegidius Forcellinius eximia industria ac diligentia condidisset, ab emtoribus desiderari, in expoliendo et locupletando hoc libro intra iustos fines se contineret, nec corrigeret, nisi quae aperte emendatione egere viderentur, nec adderet, nisi quae omnibus prabatum iri manifestum esset. Atque ita spero, fore, ut ex hoc bonae frugis plenissimo libro nova in dies utilitas ad Latinarum literarum studia sit redundatura.

Chartae typorumque munditiae et elegantiae quanta cura a me prospectum sit, evolventibus librum sponte patebit. Pretium autem, quod aucto paginarum numero in triginta thalerorum summam augendum fuit, non facile cuiquam in nimium auctum videbitur, praesertim si meminerit, novissimam huius lexici editionem Patavinam amplius quinquaginta thaleris constare. Scr. Schneebergae Cal. Feb. MDCCCXXXV.

LECTORI BENIGNO

JOSEPHUS FURLANETTUS

S.

Alius alio plura invenire potest, nemo omnia.

Ausonius.

I.

Cum Appendicem ad hoc Lexicon, typis hujus Seminarii ann. MDCCCXVI., evulgarem, in fine ejusdem praefationis pollicitus sum, si liberum mihi fuisset et vacuum tempus, multa alia me imposterum adjecturum fore novae hujus Lexici editioni, quae quidem praestare me posse sperabam et citius et cumulatius, quam modo concessum tandem mihi est. Sed tum gravissima onera mihi imposita, tum minime quaesiti honores attributi, tum frequentes invaletudines in causa fuerunt, cur vel invitus ab hujusmodi studiis avocarer. Unusquisque porro per se videt, tantum laboris exantlandum illi esse, qui totius Latinae linguae Lexici corrigendi augendique curam susceperit, ut, nisi is pluribus auxiliis fretus, virorum principum hortamentis incitatus, et spe praemiorum illectus fuerit, nihil, aut parum admodum in re tam ardua sibi proficiendum esse speret. Haec cum mihi defuerint, iis, quae unius ingenii mei, quod quam debile et infirmum sit, optime sentio, vires suppeditarunt, contentus ut sis, benigne Lector, oro obtestorque. Quare illud nunc tantummodo manifestandum tibi censeo, quid praestitum a me fuerit in hac tertia Lexici editione, ut eadem, licet adhuc imperfecta, saltem duabus prioribus aliquantisper emendatior et locupletior prodiret.

II.

Novi enimvero, quid in tanta saeculi nostri luce, tamque propagato antiquitatum Latinarum studio, tum ab Italis, tum ab exteris eruditissimis viris harum disciplinarum cultoribus actum fuerit. Veterum nempe auctorum opera, quae jam edita fuerant, accuratiore interpretandi ratione illustrata sunt; alia etiam eorundem scripta, quae praecipue in palimpsestis codicibus obsita et prorsus incognita jacebant, ope artis chemicae, et industria doctissimi cujusdam viri (1) e tenebris emersere; veneranda denique Romanae vetustatis monumenta marmore exarata, metallisque flata vel insculpta, quae negligentius, quam oportebat, vulgata fuerant, iterum fidelioribus oculis subjecta sunt, quaeque ex terrae visceribus recens effossa bonus eventus in dias luminis oras emiserat, doctis commentariis instructa scriptorum veterum locis explicandis mirificam lucem attulerunt. Haec omnia, quantum homini privato, et necessariis auxiliis opibusque destituto licuit, mihi comparavi, ex iisque vel nova vocabula

(1) Scilicet *A. Maii*, philologi eximii, et ad prolatandas totius antiquitatis litteras tum Graecas, tum Latinas apprime nati, cujus quidem insigni fortunae, et strenuae sedulitati gratuletur tota eruditorum natio, necesse est. Tot enim ille novis operibus ex Ambrosianae, Vaticanae, Neapolitanae et Veronensis Canonicorum bibliothecae codicibus ipsius opera editis hactenus orbi litterato inclaruit, ut vix ullus ad gloriam cumulus accedere queat. Ejus itaque mentio plurima est in novis vocabulis huic Lexico insertis, et in Indice alphabetico scriptorum Latinorum, quem alteri a *Forcellino* per aetates digesto praemisimus.

improbo labore excerpta, Lexico addenda, vel, quae ab aliis fuerant jam recensita, dubiae tamen adhuc significationis, confirmanda curavi.

III.

Nolim tamen, quemquam arbitrari, me ideo nimis confidenter affirmasse, ea omnia, quibus emendandum augendumve Lexicon esset, mihi explorata, collecta atque in ordinem digesta suis quaeque locis reposita fuisse. Quod ut omnibus magis innotescat, inquirendum mihi esse existimo, quaenam Lexicographi officia sint, ut Latinae linguae Lexicon omni ex parte perfectum, quantum quidem humana patitur conditio, exornet, cumque orbe erudito communicet.

IV.

Primum itaque Lexicographi officium est, omnes voces, quae apud quoscumque scriptores, et in omnigenis monumentis, a pueritia Latinae linguae ad ultimam ejusdem senectutem, reperiuntur, colligere; *deinde* earum originem, sive etymologiam vel ab eadem lingua, vel ab aliis quibuscumque derivandam ostendere; *tertio* denique earundem notiones, non quidem per tempora, sed ex diversa significatione, quae vel propria et primaria, vel translata et derivata esse solet, ita apte disponere, et idoneis auctorum locis allatis confirmare, ut uniuscujusque vocabuli quasi quaedam historia legentium oculis repraesentetur. Omnes vero voces cum dico, ea etiam nomina intelligo tum propria virorum feminarumque, et geographica urbium, fluminum, montium hisque similia, tum ab utrisque derivata adjectiva, quae in veterum auctorum operibus plurima quidem exstant, et negotium saepe facessunt lectoribus, nisi breviter quidem, sed uno tenore explicata reperiantur in Lexico, quin iidem ad historicos vel geographos, qui nullibi opportune eadem nomina quaerentibus occurrunt, frustra amandentur. Minus autem recte asserit *Forcellinus* in sua praefatione §. VI., se ea omnia geographica vocabula urbium, fluminum, montium, aliorumque locorum admisisse, ex quibus adjectiva formantur, ut *Tiburtinus*, *Brixianus*, et sexcenta hujusmodi, quae non intelligerentur non explicatis iis vocibus, unde ducuntur; experientia enim didici, non modo pleraque ex propriis, sed etiam sexcenta ex adjectivis inde formata illum omisisse, quorum maximum numerum de industria a me adjectum fuisse, passim reperies.

V.

Quae vero tria proxime proposui, an in *Forcellini* Lexico reapse exstent, quaerendum in praesentia mihi est. Quoad primum, tam procul a vero est, quod *Cognolatus* in sua praefatione §. I. affirmat, illum „id operis, in quo Latinae voces omnes, ac multiplices earum significationes atque usus continentur, lucubrasse," ut arbitrer, perperam omnino praemissum eidem fuisse hujusmodi titulum, *Lexicon totius Latinitatis;* cum plures auctores Latini levi quadam manu fuerint hactenus expensi, quidam alii inexplorati omnino sint, nec ii tantum ex infima, sed ex aurea et argentea Latinitate; ita ut quaedam vocabula ex *Plauto*, *Terentio*, *Cicerone*, *Varrone*, aliisque hujus aetatis scriptoribus a me fuerint in civitatem Romanam primum recepta, nonnulla etiam supersint, quae *Appendici* propediem evulgandae inserenda esse profiteor. Adde, scriptoribus inferioris Latinitatis adeo multa praetermissa esse vocabula, ut pro certo affirmare minime dubitem, si omnes omnino scriptores ab ortu Latinae linguae ad finem saeculi octavi a Christi nativitate, quos *Forcellinus* se admisisse in suo *Indice auctorum per aetates digesto* confessus est, iterum attenteque a perito aliquo lectore percurrantur, decem et amplius vocabulorum millia, praeter nomina propria ad geographiam et historiam pertinentia, et adjectiva inde derivata, hactenus non recensita repertum iri. Quod ne jactantius aequo quibusdam dictum esse videatur, testor, decies circiter centenas novas voces suis quasque locis in meo exemplari hujusce editionis marginibus adscriptas a me jam exstare, quae ideo in Lexico omissae sunt, quia aliis incompertae, et mihi veterum auctorum opera pervolventi sero nimis et extra alphabeti ordinem fortuito occurrerunt.

VI.

Quoad vero etymologiam, perfunctorie quidem *Forcellinus* illi operam suam adhibuit, et magnam vocabulorum partem hoc adminiculo destitutam reliquit, suosque lectores ad etymologos saepenumero remisit; aut, quem-

admodum *E. Kaercherus*(2) affirmat: „Sic cl. *Forcellinus*, qui vir, Herculis instar, laborem vere stupendum adiit, „in eruendo singularum vocum ἐτύμῳ praeter Graecam linguam, raro quidquam curavit; nisi quod miros Varronum, „Festorum et aliorum errores nobis justo saepius obtrudit.“ Ego equidem cum id ipsum factitatum a nostro Lexicographo viderem, saepe novas vel ex Latina, vel ex Graeca, vel pauculas quasdam etiam ex Hebraica et Syriaca et Arabica lingua petitas iis vocibus adjeci etymologias, quae iisdem carebant, plures adjecturus, si ob causas initio statim hujus praefationis a me expositas id mihi perficere licuisset.

VII.

Quod autem ad postremam muneris partem a Lexigrapho praestandam pertinet, jam vetus querela est, in Lexicis plerumque primas vocabulorum notiones minime suo loco positas fuisse, nec proprias inde derivatas significationes, nec proxime translatas eis esse subjunctas, et scriptorum multis quidem, sed non semper necessariis aut idoneis auctoritatibus confirmatas. Videtur enim, mathematicorum more nihil, quod praeponendum fuerat, posterius adducendum, omnesque vocum notiones ita secum invicem conjungendae, ut nihil admittant, nisi quod certum et rationum legibus confirmatum antea fuerit. Quapropter ut quid adhuc hac super re in Lexico Latino perficiendum supersit, probe noscas, benigne Lector, quid sentiat jam supra citatus auctor, ipsissimis ejus verbis hic tibi legendum propono (3)

VIII.

Donec igitur omnia veterum Latinorum auctorum scripta iterum perlecta et excussa, atque inde reperta vocabula in ordinem digesta atque illustrata non fuerint, mancum et imperfectum sit Latinum Lexicon, necesse est: sed hoc opus, hic labor est, quem unus homo, licet hujusmodi studiis idoneus assiduam operam dederit, perficere plene ac cumulate nunquam per se poterit. Quae cum ita sint, quaeso, benigne Lector, ne mihi culpae vertas, si plura et meliora iis, quae tibi nunc offero, praestare minime potui. Restat igitur, ut, qua cura collegerim, et qua ratione digesserim ea, quae huic Lexico opportuna mihi videbantur, nunc breviter tibi ob oculos ponam.

IX.

Cum veterum Latinorum scriptorum opera hactenus inedita, et eruditorum virorum cura publici juris facta mihi undecumque comparavissem, ac sedulo perlegissem; aliaque etiam plurimorum auctorum scripta jam edita attentis oculis perlustrassem, nova inde mihi inventa vocabula, quae *Forcellini* diligentiam effugerant, suis quaeque locis, hoc signo * praeposito, collocavi: saepius etiam accidit, ut novi vocabulorum significatus mihi legenti sese offerrent, quos item suis locis inserendos curavi, nullo tamen signo praenotato.

X.

Quoniam vero exploratum inter eruditos tandem est, Italam inguam, qua modo nos utimur, derivandam maxima ex parte esse a vulgari sermone, quem olim Romani passim vulgo usurpabant, nemo eat infitias, homini Italo non modo eas Latinas voces, quae aureae et argenteae dicuntur aetatis, sed ferreae etiam atque luteae esse plurimi habendas, ut nempe recentioris Italici idiomatis originem et vim probe noscat et calleat. Hinc nulla mihi fuit religio, ea etiam vocabula recensere, quibus labentis Latinitatis tempore auctores in scriptis suis usi sunt, praecipue cum multa eorum, quae aut nullius aut obscurae antiquitatis ab eruditis diu habita, quaeque infimae et barbarae aetati adscripta fuerant, diligenti inquisitione in antiquissimorum libris semel atque iterum inventa sint.

XI.

Sed cum *Forcellinus* in praefatione sua §. III. professus fuerit, se duobus studiosorum generibus satisfecisse, Latine scilicet et intelligere, et scribere volentibus; ego autem satisfaciendum esse ratus etiam Latinorum scripta

(2) *In opusculo, cui titulus:* De optima Latini Lexici conficiendi ratione disputat E. KAERCHER Badensis, Lycei Carolsruhensis professor. Carolsruhae, typis Müllerianis, MDCCCXXVI. 8.° pag. 6.

(3) *In opusc. superius citato* pag. 32. (not.) 44. Novissimo tempore a *Furlanetto* Lexicon *Forcellini* denuo edendum curari, comperimus. Cui id praesertim agendum erit, non ut novam et phrasium et animadversionum vim undique congestam in istum librum inferciat, sed ut et etymologiae, saepius quam par est, jacenti medeatur, et in adumbrandis singularum vocum notionibus veras vel logices, vel omnino linguae leges religiosius observet, quam *Forcellinus*, qui nonnunquam, tanquam alter Typhoeus, ingenti mole oppressus fuisse videtur.

in Italicam linguam vertere cupientibus, saepissime Italicam vocibus Latinis interpretationem, quoties haec deesset, adjeci, aut, si ea mihi praesto non fuerat, saltem vernaculam nostratium indicavi, quo facilius quispiam me doctior Italicam aliquando posset extundere. Cumque itidem ille, ubi saepe vernaculam aliquam vocem recentiorum Venetorum retulisset, quos minus recte aliquoties meo quidem judicio Langobardos vocat, minime curasset admonere, num ea ab Etruscis, hoc est ab omnibus recentioribus Italis jure communi usurpetur, an vernacula tantummodo Venetorum esset; ipse e contrario, quoties id mihi distinguendum fuerat, curavi addendum, illam quidem ab Italis, hanc a nostratibus vulgo adhiberi.

XII.

Plurima etiam 1.° auctorum testimonia perperam citata, quo reapse loco essent quaerenda, indicavi. 2.° Verborum participia tum activae, tum passivae significationis atque formae, et gradus tum nominum, tum adverbiorum saepissime adjunxi, et in calce vocabuli, lectorum commodo consulens, iterum indicandos putavi, propterea quod experientia cognoveram, eos, qui apud nos Latine scribunt, ab iis participiis, et gradibus nominum atque adverbiorum caute abstinere, quorum nulla apud idoneum scriptorem ipsis suppetit auctoritas; quamvis nemo non putet, cuilibet usitato verbo sua participia, cuilibet nomini et adverbio suos gradus minime denegandos esse, praecipue cum non omnia omnium Latinorum scriptorum vocabula, ut antea dixi, conquisita hactenus et in censu habita fuerint. 3.° Eadem de causa quoties vocabulorum exempla tum ex soluta, tum ex ligata numeris oratione deessent, toties addere non dubitavi, ubi eorum reperiendorum occasio se mihi obtulisset. 4.° Incertae auctoritatis voces notavi, ab iis usurpandis, qui vellet Latine scribere, caveret; atque contra nonnullas, quas *Forcellinus* aut dubiae aut nullius esse affirmaverat auctoritatis, cum nova mihi occurrerent loca, ipsi minus cognita, nullamque dubitationem admittentia, his adductis, earum αὐθεντίαν probavi: ita saepe accidit, ut ea vocabula, quae ille inter barbara amandaverat, ego inter Latina recensuerim; aliaque non pauca ab eodem et in barbaris, simulque in Lexico inserta, ex barbarorum numero eximenda curaverim. 5.° Ejus quantitatis syllabarum ratio, qua tantummodo vocum pronunciationi consulitur, a *Forcellino* habita fuerat; ego vero non modo paenultimae aut antepaenultimae, a quibus apud Latinos pendet vocum pronunciatio, sed omnium omnino syllabarum quantitatem mihi indicandam improbo ac pertinaci labore proposui; ita ut, usitato quantitatis vel longae, vel brevis, vel ancipitis apice vocalibus quibusque superposito, Lexicon nostrum esset loco etiam libri illius, qui in scholis *Gradus ad Parnassum*, vel *Regia Parnassi* vulgo appellatur. Fateor tamen, in quibusdam vocabulis non omnium syllabarum quantitatem mihi innotuisse, cum eorum plura aut a poetis Latinis non fuerint usurpata, aut eorundem etymon incognitum adhuc sit, aut eadem a Graeca lingua, in qua quaedam vocales ancipiti gaudent quantitate, deriventur: quoties id mihi contigit, toties vocales sine apice reliqui, ut alius me experientior, qua tandem quantitate eaedem notandae sint, nobis imposterum ostendat.

XIII.

Cognominum etiam rationem saepissime habui, ea nimirum de causa, quod vidissem, *Forcellinum* quidem eorum nonnulla singillatim memorasse, quoties illorum vocabulorum nulla alia apud Latinos auctores illi suppeteret auctoritas; alia vero plura, quae sunt nomina jam usitata vel substantiva, vel adjectiva, in fine eorum nominum subjungenda curasse. Sed cum ille eorum pleraque omisisset, quae quidem apud Romanos vel a dote quapiam, vel ab aliquo vitio animi corporisve, vel a cujusque patria et natione, vel ab arte praecipue rustica, vel a bestiis plerisque, vel a devictis gentibus et urbibus, vel denique a fortuitis quibuscumque causis derivantur, quaeque aliquam semper habent significationem, atque interdum singularia ac nova vocabula Latine scribentibus suppeditant, quaedam vero aliis dubiae aut significationis aut lectionis confirmandis valde inserviunt; quanta potui diligentia colligenda ea esse putavi, praecipue cum modo eruditae antiquitatis cultores maximam in iisdem interpretandis curam ponere perviderem, quia nimirum plura vocabula, quae nunc ab Italis usurpantur, nec in veterum auctorum scriptis leguntur, ope cognominum apud Romanos a primis usque reipublicae temporibus jam usitata fuisse, tandem cognoverint.

XIV.

In his porro colligendis aut interpretandis, et in aliis etiam vocabulis aut novis huic Lexico addendis, aut jam editis, dubiis tamen, confirmandis, vel obscuris accuratius illustrandis saepissime usus sum opera et consilio viri praeclarissimi, mihique amicissimi, *Barpt. Borghesii*, cujus doctrinam et eruditionem, an urbanitatem et unius veritatis cognoscendae amorem magis suspiciam, prorsus ignoro. Etiam *Jo. Labusius*, cujus familiaritate a plurimis annis utor plenissima, multa mecum communicasset pro sua, qua pollet in veterum monumentis explicandis, vi mentis et ingenii acumine maximi facienda, nisi pluribus distentus litterariis occupationibus id reliquum mihi fere tantum fecerit, ut tot ab eodem editis operibus, ad Romanam antiquitatem penitus illustrandam opportunis, uterer in tocis quamplurimis; cujus etiam in quibusdam auctoritatem mihi citandam putavi. Sunt quoque non pauca, quae *Jos. Trivellati* diligentiae me debere profiteor, qui, cum in hoc Seminario adolescentes sublimioris Latinae eruditionis studiis deditos doceat, et ideo Latinos praecipue poetas diurna nocturnaque manu verset, horum quaedam loca immerito antea omissa, vel quorundam verborum et locutionum vim solertius explicandam mihi perhumaniter indicavit.

XV.

Curavi denique, ut Lexicon, quam fieri posset, emendatissimum prodiret, ac propterea molestum sane ac prope illiberalem plagulas a typothetarum erroribus corrigendi laborem ultro suscepi. Qui autem eo usuri sunt, si alicujus per me utilitatis adjectione gavisi fuerint, amplissimum me multi sudoris fructum retulisse gloriabor. Nihil enim optabilius homini duco, quam ut ingenii, si quas habet, et industriae suae vires ad aliorum commoda convertat.

XVI.

Nunc restat, ut quid scriptor quidam Florentiae paucis abhinc annis a me peragendum postulaverit, ex ipsius verbis infra afferendis (4), benigne Lector, cognoscas; cur vero ejusdem postulatibus minime satisfecerim, ex iis, quae superius dixi de difficultatibus, quibus obluctandum mihi fuit, cuilibet perspicuum esse existimo. Quae autem satis acerbe mihi exprobrarunt nuperi editores Germani, hic itidem inferius (5) relata habeas, velim. Hi

(4) *Ex* Antologia, Giornale di Firenze, ann. 1831. Gennajo p. 57. — 69.

„Totius Latinitatis Lexicon consilio et cura *Jacobi Facciolati*, opera et studio *Aegidii Forcellini* Semin., Patav. alumni lucubratum, in hac „tertia editione auctum et emendatum a *Josepho Furlanetto* alumno ejusd. Seminarii. Patavii 1831. 4.°“

Nelle più felici e sudate, nelle più belle e mirabili opere dell' ingegno, basta volersi attaccare a' difetti, e i pregi tacere, per toglier loro ogni lode, per ricoprirle di derisione e di dispregio nell' opinione degl' inconsiderati e degl' inesperti: molto più ove si tratti di dizionarj e di simili opere filologiche, dove le omissioni o le superfluità, gli sbagli di dichiarazione o di citazione, i falli d' ordine o di metodo sono inevitabili alla più solida scienza, alla diligenza più sollecita e più sofferente. Ma e ne' dizionarj e in tutte le opere dell' ingegno e della mano il men fallace criterio a misurarne l'intrinseco pregio consiste nel porre in bilancia le bellezze e le utilità dall' una parte, dall' altra i danni e i difetti. Se quelle prevalgono, la questione è decisa. Sarà lecito sempre, anzi dovere, notar nel lavoro le parti manchevoli e additare il rimedio; ma ciò senza spregio, senz' ira, con riverenza e con gratitudine. E infatti perchè mai dovrò io inalberarmi, irritarmi contro chi mi porge un bel dono per la sola ragione ch' egli potea porgermelo ancora più ricco? Questa pretensione tiranna basterebbe a togliere ogni riconoscenza, ogni vincolo d'obbligazione dal mondo.

Con questa norma considerato il lavoro del sig. *Furlanetto* non può meritare che i ringraziamenti e le lodi de' dotti e degli eruditi. In questa terza edizione del lessico Forcelliniano egli ci porge un' aggiunta di 5000 vocaboli nuovi, e di 10000 corrizioni almeno: e il valore di questa novella ricchezza non è punto scemata da quante rimangono ancora cose da aggiungere e da emendare. *Omissis.*

E però ci fa maraviglia insieme e dispiacere il sentirei nuovi editori del lessico latino in Germania, con sì dure parole avvilire e l'opera del buon Padovano, e le giunte di cui l'ha arricchito il ch. *Furlanetto. (V. infra adnotationem sequentem).*

Per criticare il miglior dizionario che cura umana dar possa, basta volerlo. Potevano que' dotti Tedeschi compiere l'uffizio loro con dignità, senz' abbassare l'opera altrui: potevan anco notare i difetti dell' Italiano lavoro, ma con parole men dure.

Innanzi di finire rendiamo al sig. *Furlanetto* sincere le lodi e i ringraziamenti che merita il suo bel dono. Ma non tacciamo, che un mezzo facile a lui rimaneva di grandemente arricchire il suo Forcellini, approfittando dell' opera non solo di que' tanti maestri del Seminario, dov' egli vive, molti de' quali d'altro non s'occupano se non di Latino, ma e de' più maturi ed intelligenti tra gli alunni, i quali, o con lievissima ricompensa, o pel solo premio dell' onore, o meglio per esercizio scolastico potevano essere chiamati a parte degli spogli de' classici, e potevano, quanto a frasi degli aurei, porgere una serie incredibile di belle ed utili giunte. Che se i lavori di codesti giovani fossero riusciti troppo meccanici, e bisognosi di correzioni e di ordinazione migliore, tali difetti potevano poi facilmente, raccolti i materiali, essere dall' editore medesimo riparati. Bastava dare agli alunni un libro intero da spogliare, da notar tutto quello che manca nel Forcellini, le aggiunte inutili era ben facile dipoi rigettarle. Ordinar poi questi spogli, scegliere, dichiarare, mostrare il vincolo delle idee, e la relazione delle idee colle voci, è opera propria solo d'un lessicista filosofo, o d'uomo almeno dalla natura dotato di più che mediocre accorgimento e criterio.

(5) *Ex programmate* „Aug. Voigtlaenderi et Godofr. Hertelii de Lexico totius Latinitntis Aegidii Forcellini secundum tertiam editionem, cujus „curam gessit Jos. Furlanettus, correcto et aucto labore variorum. Schneebergae 1831. et seqq. T. 4. fol.“

Interim cupide exspectamus tertiam editionem Patavinam, curae *Furlanetti* mandatam, quam locupletissimam fore exspectare et debebamus et jubebamur. Affertur tandem libri particula prima; inspicimus, legimus, relegimus, singula accurate consideramus; quid putas, nihil usquam reperimus, quo nostra inutilis reddatur opera: verba quidem videmus addita permulta, maximam partem non nimis bonae notae, locos scriptorum additos paucos.

siquidem verbis homine liberaliter educato plane indignis, quibusque uti solent ii tantummodo qui causae suae viribus diffisi, adversarii, nomine tantum sibi cogniti, existimationem elevare student, contumeliis me lacessivere, quasi vero ego omnia, quae huic Lexico deerant, addere, et emendanda corrigere pollicitus essem, et promissis non steterim. Sed ut tibi, benigne Lector, constet, ipsos maria et montes promittendo, solito editorum more emptorem suum magnificis verbis invitasse, non eos quidem mordicus reprehendam: mortalium enim nemo irreprehensus vivit: sed quaedam tantummodo, quae illi censores hac illac peccaverint, paucis habeto.

XVII.

Quid *Forcellinus*, quid *Jac. Baileyus* (6), quid ego, quid ipsi tandem, ab eruditorum cohorte adjuti, in Lexico augendo et emendando praestiterint, quibusdam signis aut initialibus litteris distinguendum sibi proposuerunt: quam vero oscitanter id illi fecerint, paucis contentus exemplis ex innumeris, quae tibi possem exhibere, haec sunto. Verbo CATOMIDIO, cujus interpretatio a me allata ab ea, quam dederat *Forcellinus*, toto coelo distat, et multis praeterea auctorum locis, ab eodem omissis, et a me adductis, est confirmata, cum nullum Germani editores signum apposuerint, in eum errorem lectores suos inducunt, ut credant, ita illud exstare etiam in priore *Forcellini* editione. Cum in V. CLARUS ego §. 3. 4. et 5., in PUTEUS §. 2. et 3. addiderim, cum voces IDUARIUS, et PYCTA, et RUDUS aliasque permultas novis significationibus, novisque exemplis ampliaverim, nihil hujusmodi indicarunt illi Aristarchi. Hinc factum est, ut lectores, quid cuique tribuendum sit, minime dignoscant, et unius esse existiment, quod alterius reapse labor extuderat.

XVIII.

Duo tamen praecipue sunt, quae ego a Germanis editoribus expostulem, necesse est: *primum* nempe, cur, in toto Lexico omiserint in vocabulorum paragraphis, uti vocant grammatici, numeros apponere, quod et *Io. Matth. Gesnerus* in suo *Thesauro linguae et eruditionis Romanae* fecerat, et *Emm. Io. Schellerus* in *Lateinisch-Deutsch Lexico* retinuerat(7), quodque ad varias vocabulorum significationes distinguendas et facillime quaerentibus inveniendas multum prodesse, ego equidem, cui saepissime hujusmodi paragraphi in prioribus *Forcellini* editionibus maximo cum labore temporisque dispendio quaerendi fuerunt, experientia doctus didiceram: ideoque in tertia hac editione admittendum existimavi. Hoc enimvero mihi videtur esse, *inventis frugibus, glande vesci*, quod

nonnulla suo loco mota, correcta pauca. Quod maxime quaerendum esse putaveramus, ut quae de verborum significationibus non semper accurate, saepius minus dilucide, saepe sine ullo ordine *Forcellinus* tradidisset, quas verborum significationes omisisset, quos insignes locos neglexisset, quos minus recte intellexisset, aut ubi minus rectam scripturam secutus esset, quae in particularum maxime doctrina confuse atque adeo inepte fere ubique proposuisset, ea auctiora, accuratiora, clariora, emendatiora prodirent, in his tantum abest, ut ad spem nostram accesserit Italus editor, ut gravissimam et difficillimam operis partem intactam, et rem integram esse facile intelligeremus. Verum haec non ita dixi, ac si aut ille nihil, quod frugi esset, attulisset (neque enim aliorum bonis spernendis gloriam quaerimus), aut nos omnes illas officii partes expleturos, omnibusque satisfacturos putarem, quod scio quam sit difficile et arduum; sed tamen speramus, fore, ut aequi judices de iis, quae supersunt in hoc opere addenda et elimanda, assentiantur, nostramque in hac re industriam non defuisse, concedant. *Omissis.*

Non incongruum videtur, his subjungere, quae eisdem adversari maxime videntur, quaeque leguntur in Bibliothèque universelle des sciences, belles lettres et arts redigée à Genève. Novembr. 1833. p. 248.

C'est ce lexicon de *Forcellini*, dont on publie actuellement deux nouvelles éditions, l'une en Italie, sous la direction et avec les additions et les corrections de M. Joseph Furlanetto; l'autre en Allemagne par les soins de MM. Woigtlaender et Hertel, et avec des additions nombreuses, empruntées aux commentaires les plus estimables des auteurs classiques latins, ou fornies par les philologues, qui s'intéressent à cette entreprise. Nous n'avons eu sous les yeux, que quelques livraisons de l'édition Italienne, et elles nous ont pleinement satisfait par la netteté de l'impression, l'heureuse disposition des matériaux, et la facilité des recherches. Quant à la seconde, nous ne la connaissons que par les critiques qui en ont été faites dans quelques journaux, et desquelles il résulte, que les matériaux recueillis n'ont pas toujours été choisis avec soin, ni coordonnés entre eux de manière à concourir au même but dans les questions controversées, et qu'on pourrait désirer une correction plus complète des passages qui font autorité: toutefois on rend justice à l'utilité de l'entreprise, aux peines que prennent les éditeurs pour mettre ce lexicon à la hauteur de la science en Allemagne, et aux efforts qu'ils ont déjà faits pour éviter quelques-uns de écueils qu'on leur a signalé.

(6) *En titulus novae editionis Londinensis:* Totius Latinitatis Lexicon consilio et cura *Jacobi Facciolati*, opera et studio *Aegidii Forcellini* alumni Seminarii Patavini lucubratum edidit, Anglicam interpretationem in locum Italicae substituit, Appendicem Patavinam Lexico passim intertexuit, pauca de suo, distinctione per obelos facta, huc atque illuc sparsit, Auctarium denique adjecit *Jacobus Bailley* A. M. Regiae societatis litterarum socius. Londini, 1826. T. 2. 4.

(7) Imm. Joh. G. Scheller's ausführliches und möglichst vollständiges Lateinisch-Deutsches Lexicon oder Wörterbuch zum Behufe der Erklärung per Alten und Uebung in der Lateinischen Sprache, in fünf Bänden; dritte von neuem verbesserte und sehr vermehrte Auflage. (*h. e.* Schelleri copiosum et in quantum fieri potuit plenissimum Latino-Germanicum Lexicon, explicandis veteribus auctoribus, et exercitationibus Latinae linguae inserviens; tertia emendatior multoque auctior editio) Lipsiae 1804. T. 4. 8.°

Is Totius Latinitatis Lexicon *Aegidii Forcellini* adhibuit quidem in suos usus, quanquam nuspiam laudatum, verum non ita, quin multa omiserit ex eo utiliter repetenda.

Ita legitur in Act. Semin. et Soc. philolog. Lipsiensis. T. 1. p. 173.

veteri proverbio usurpatum fuit. *Alterum* est, cur, cum praecipua quaedam praesto sit utilitas *Forcellini* Lexico utentibus, ut non modo cuilibet paene vocabulo, sed cujuscumque fere locutioni imprimis notandae, Italicam ipse brevem quidem, propriam tamen, interpretationem adjecerit, quod *Jac. Baileyus* adeo probavit, ut non modo omnibus Italicis *Forcellini* interpretationibus Anglicas ipse suffecerit, sed longe etiam plures de proprio addiderit, quo nempe Anglis suis, ut Italis *Forcellinus*, inserviret; e contrario Germani editores, ne gravem quidem illam ferrent molestiam, quae toleranda est cuicumque propriam suae gentis interpretationem Latinis vocibus apponere conanti, quod ipse quoque sexcenties verum esse comperi, in re perdifficili more Alexandri M., qui Gordii nodum cum solvere nequiverit, illum gladio incidisse perhibetur, Italicas quidem interpretationes veluti Germanis inutiles omittere, Germanicas vero nullas addere, suis viribus parum fortasse confisi, satius esse existimarint: qua quidem in re cum triplex dos sit, ut vidimus, Lexicorum, ut ea aliquam veterem linguam intelligere, et scribere, et in propriam vertere cupientibus opem ferant, hanc postremam, nec facile cuivis contemnendam, iidem ipsi omnino neglexerunt.

XIX.

Sunt tamen, ingenue fateor, quaedam ex iis, quae Germani editores hac illac Lexico adjecerunt, non vulgaria, et alicujus etiam momenti habenda, non vero tanti, quanti ex ipsorum programmate eruditis fuerant exspectanda. Hinc illud quoque tibi, benigne Lector, fatear, necesse est, cum Germanorum editorum programma perlegissem, mecum reputasse, millies me in Lexico ab iisdem edendo objurgandum esse in iis, quae ego addideram aut emendaveram, eisque me propterea gratias acturum habiturumque fore, ubi tot me tantisque lapsum erroribus iidem liberassent; sed Germanica Lexici Latini editione attentius perlustrata, ne millesimam quidem mearum additionum aut emendationum partem in dubium revocatam ab iis fuisse cognovi: ita ut, cum toties ipsissimis quidem verbis iidem, quae ego edideram, retulerint, laudatorum potius mei, quam censorum personam egisse existimandi sint.

XX.

Liceat itaque mihi nostro Seminario atque adeo huic urbi, et Italiae vehementer gratulari quod, licet modo Latinarum disciplinarum studia, et Romanae eruditionis monumenta apud Transalpinos homines tanto sint in honore, ut infinita propemodum opera huc spectantia in Germaniae finibus elaborentur, et typis assidue edantur, optimum tamen Latini Lexici conficiendi exemplum a nostro *Forcellino* mutuati fuerint paucis abhinc annis et *Ruhnkenius* apud Batavos (8), et *Schellerus* apud Germanos (9), et nuperrime *Baileyus* apud Anglos, atque iterum apud Germanos *Aug. Voigtlaenderus* et *Godofr. Hertelius*, qui idem ipsum a me novissime auctum emendatumque edendum curarunt. Sed potissimum laudes maximae sint, et grates immortales habeantur *Gregorio Barbadico* S. R. E. Cardinali, Episcopo olim Patavino, et munificentissimo hujusce Seminarii Institutori ac Patri, qui praeter assiduum litterarum scientiarumque omnium studium Latinam praecipue linguam ab alumnis excoli voluit, ut inde ejusdem cognitio et usus latissime propagaretur. Votis tanti Viri res optime cessit. Inter plures enim germanae Latinitatis cultores scriptoresque elegantes Aegidius *Forcellinus*, duce *Facciolato*, illud tam laboriosum, tam difficile, tam utile opus confecit, cujus laudem neque injuria temporum, neque invidorum obtrectatio unquam imminuet.

(8) Lexicon Latinum auctorum classicorum, curante *D. Ruhnkenio*, Lugd. Bat. 1799. T. 2. 4.°

(9) *V. supra* adnotat. (7).

EMINENTISS. AC REVERENDISS.

ANTONIO MARINO
CARDINALI PRIOLO
EPISCOPO PATAVINO

SEMINARIUM

Opus hoc, princeps eminentissime, jussu olim avunculi tui Georgii Cardinalis Corneli civitatis hujus episcopi designatum atque susceptum, te vero ad eandem sedem rerumque nostrarum regimen evecto typis postea commissum, te demum auspice ac patrono feliciter evulgamus. Ac si quis rei hujus amplitudinem animo complecti potest, et haec volumina non tam oculis quam ingenio metiri, is certe eximiam quandam mentis animique magnitudinem in eo mirabitur, qui de hoc opere primum cogitans praesidia maxima ad illud contexendum liberaliter comparavit; eum vero, quo potissimum auctore e tenebris est erutum, et cum eruditis viris opinione citius communicatum, de Latinis litteris optime meritum profecto existimabit. Nos vero, qui eam tibi rem nuncupamus, quae tuorum voluntate incoepta est, tuis in aedibus lucubrata, tuo demum jussu atque opera per typographum absoluta, nemini certe officiose facere videri possumus, nec veterem consuetudinem sequi, ut magnis voluminibus magna nomina praeponantur. Sed quamvis non aliis auspiciis quam tuis ornari ac muniri hujusmodi opus a nobis poterat, muneris tamen loco Aegidii Forcellini recordationem accipies; cum et hominem probe noveris, et multas magnasque ejus animi dotes plurimi semper feceris, et apertum simplexqne optimi senis ingenium prae ceteris adamaveris. Quamquam ea ipsa, quae libris hisce continentur, quaeque Latinae linguae usibus, dignitati ac splendori maxime inserviunt, ad te afferri, tibique nuncupari ita debuerant, ut, quamvis aliter facere ne liberum quidem nobis fuerit, ratione tamen atque consilio id omnino fecisse existimemus. Latina lingua Religionis ipsius veluti administra, ejus sacra ac caeremonias complexa, latius ab ea, quam ab ipsa olim principe terrarum gente propagata, Romanae Ecclesiae gravissima nuncia, ejusque nota quaedam, qua mores ritusque a ceteris discerni possint, haec, inquam, lingua in eorum tutela esse profecto debet, quibus amplissima munera, ac splendidissimae dignitates Religionis, et Ecclesiae praesidia quaelibet ac decora sanctissime commendata esse testantur. Superi faxint, ut, quemadmodum haec urbs Latinarum litterarum domicilium semper olim est habita, ac nostris etiam temporibus apud Italas exterasque gentes haberi solet, ita nos ad verissimam existimationem alendam atque corroborandam, tum labore ac sollertia nostra, tum hoc ipso opere a nobis edito contulisse aliquid videamur.

CAJETANI COGNOLATI

IN SEMINARIO PATAVINO STUDIORUM PRAEFECTI

PRAEFATIO

PRIMAE HUJUS LEXICI EDITIONI, ANN. MDCCLXXI. EVULGATAE, PRAEPOSITA,
ET AB AUCTORE IN SECUNDA EDITIONE, ANN. MDCCCV., RECOGNITA

I.

Qui olim, florentibus Romanorum opibus, bene loquendi laude celebrabantur, ii non jam populi consuetudine, sed multis litteris, et iis quidem reconditis et exquisitis, sunt hoc assequuti; fuitque scientiae cujusdam ac rationis ea oratio, quae non modo a pervagato sermone longe dissonaret, sed elegans quoque esset ac splendida, majestatem quandam haberet, et imperium consulare. Nos vero, qui eam linguam, quae Romanorum fuit, neque a nutrice hausimus, neque a populi consuetudine arripuimus, illam tamen vel in veterum libris omnino agnoscere, vel puram ac sinceram in nostra ipsi scripta transferre contendimus, summo studio ac labore niti necesse est; cumque plurimi ad haec studia sese conferant, paucos tamen esse scimus rerum harum intelligentes ac doctos, paucissimos vero, qui germanam Latinitatem optima imitatione assequantur, et ornatae factaeque orationis laude commendentur. Cum vero plurima parare sibi adjumenta debeant Latinae consuetudinis adsequendae cupidi, tum illud in primis, ut uberem ac dissipatam verborum copiam complectantur, ut nitidissima quaeque internoscant, ut propriam nativamque singulorum significationem maxime intelligant: hoc enim totius rei veluti solum et fundamentum; his veluti ex radicibus optimus sermo coalescit; et ipse C. Julius Caesar, cum de ratione Latine loquendi ad Ciceronem accuratissime scriberet, *verborum delectum originem* dixit *esse eloquentiae (a)*. Quemadmodum enim jurisperiti, quos interpretandi studium atque necessitas in illa veterum vocum investigatione detinuit, priscam verborum proprietatem dignitatemque retinuerunt, optimumque loquendi morem cultu hoc atque delectu corroborarunt; ita illud inclinatae jam Latinitatis argumentum semper fuit, cum ipsa verba a nativa significatione prava loquentium consuetudine detorquerentur. *Animadvertere est*, inquit A. Gellius (1), qui post Hadriani tempora florere coepit, *pleraque verborum Latinorum ex ea significatione, in qua nata sunt, decessisse vel in aliam longe, vel in proximam; eamque decessionem factam esse consuetudine et inscitia temere dicentium, quae cuimodi sint, non didicerint.* Quare vix quisquam est Romanae linguae et eloquentiae studiosus, qui carere Lexicis sine sua fraude possit; est enim percommodum optimas quasque totius Latii veluti exsuvias aliorum labore ac studio collectas explicatasque intueri. Atque hactenus quidem hisce praesidiis non omnino caruimus; erat tamen adhuc locus aliquis iis omnibus, de quibus olim in suo *De Lexicorum Latinorum jejunitate* libello Olaus Borrichius querebatur. Hac vero aetate, qua optimi quique Latinae linguae auctores pristinae integritati criticorum opera sunt restituti, eosque docti homines commentariis ornarunt, laboriosis vero verborum indicibus locupletarunt; qua plurima Romanarum antiquitatum monumenta in lucem edita, explicata, illustrata; collecti inscripti lapides; numismata demum, ac litterata quaeque rudera ab eruditissimis viris ad omnem usum congesta; hujusmodi certe opus conscribi poterat, in quo, non dicam jam studiosorum vota ac posteritatis judicia conquiescerent, sed eorum saltem, qui in hoc ipso rerum genere antea laborarunt, diligentia ac laus vinceretur. Quare cum vetus illud Ambrosii Calepini Lexicon scholas teneret, essetque illud, ut de eo loquitur Morhofius (2), *sacra studiorum anchora, ad quam confugiebant qui in Latina lingua se exercere volebant*, idem tamen, quamvis expurgatum, auctum, perpolitum, ad explicandam comparandamque Latinitatem minime satis esse iis ipsis videretur, qui in eo interpolando saepius laboraverant, de novo condendo cogitari coeptum est; quod jam olim inchoatum, paucis demum abhinc annis absolutum atque descriptum, nunc jam, quod bene vertat, per typographum evulgamus. Ac profecto si quis rei hujus amplitudinem animo complecti potest, et quam difficile Latini sermonis regulae atque praesidia constituantur, intelligit; si quis cetera hujusmodi syntagmata per do-

(a) Haec nempe verba ex ejus lib. I. *de Analogia* affert *Cic. ad Brut. c.* 72.
(1) Noct. Att. lib. XIII. c. 29. De auctoris hujus aetate vide Fabricii Biblioth. Lat. l. 3. c. 1. ab Ernesti auctam
(2) Polyhist. Litterar. Tom. I. lib. IV. cap. IX. §. 9.

ctissimos viros toties edita cum nostris hisce conferre voluerit, is de Aegidio Forcellino optime judicabit, qui per annos ferme quadraginta idem saxum volvens, opus hoc, in quo Latinae voces omnes, ac multiplices earum significationes atque usus continentur, lucubravit. Fuit in illo ingenium, litterae, cura, cogitatio, diligentia; erat ille Romanarum rerum scientissimus, et earum artium, quae Latinis olim placuerant, rudimenta attigerat; Graece doctus; in veterum Latinorum libris versatus, volutatus. Illum ego cum vivum colerem, tum etiam nuper exstinctum maxime dolui; neque unquam ejus hominis memoriam dimittam, qui cum litterarum studiis eos mores conjunxit, ad quos formandos litterae ipsae sunt inventae. Atque ipse quidem in eo sermone, qui nostrum hunc proxime sequetur, operi suo praefabitur: ego interim ea persequar, quae de se ipse poterat verissime dicere, sed ab omni specie ac pompa remotissimus omnino reliquit.

II.

Id igitur ipse praestitit, quod sane in hoc opere potissimum est, ut in afferendis scriptorum locis, quae exemplo et auctoritati esse debent, ea non jam e suis sedibus avulsa ac solitaria spectaret, ut fere solent alienarum rerum descriptores, sed in ipso contextu et continuatione sermonis apud auctores legeret, et ipsa loci comprehensione verissimum sensum interpretando extunderet; quod quidem, praesertim si quid rarius atque insolens in verborum significatione occurreret, esse maxime necessarium existimavit. Eum itaque, qui aetatum omnium scriptores tractare debeat, et in opus transferre, in eas etiam artes, quae minus liberales habentur, invadere necesse est; resque variis conjecturis implicatas, et abditum plurimorum verborum sensum explicare; antiquis rebus, ac jam deperditis, afferre lucem; historiam omnem, eruditionemque complecti. *Quod sunt*, inquit Carolus Du Fresne (3), *in mechanicis artibus, quae Latine reddi non possunt, cum et forte non noverit Latium ipsum, vel, si novit, ad nos vocabula ista non pervenerint: aut certe si alicubi exstant, horum vim non omnino percipiamus; quod in unica Vitruviana architectura licet observare, in cujus vocabulorum notionibus investigandis insudarunt tot viri eruditi; adeo ut de unica* Scamillus *voce integri exstent commentarii?* Haec omnia feliciter evolvit Forcellinus; iisque, uti debuerant, explicatis, copiam commendationemque Lexico suo comparavit: qui etiam cum in ea incideret, quae, ut recte exponantur, penitioris cujusdam scientiae aut artis praesidia postulant, ea, ne sibi a viris, in sua quibusque re, doctissimis unquam deessent; diligentissime cavit. Nam et ex Julio Pontedera, totius antiquitatis et eruditionis peritissimo, multa quaesivit; et de Frontino, Vegetio, Vitruvio saepe est cum celeberrimo Joanne Poleno colloquutus; et Joannis Baptistae Morgagni uti voluntatem ac studium, ita ingenium quoque ac doctrinam suis usibus paratam habuit. Hunc enim virum non ipsa tantum anatomica studia commendant, in quibus plane regnat, et artis ipsius prope nomen est; sed ipsa quoque critice principem habet, ac jactat: qui et multa in A. Cornelio Celso emendavit; scripsitque plurima sane doctissima (4) in eos auctores, qui rustica praecepta, et rem veterinariam Latina consuetudine tradiderunt; pulcherrimis demum epistolis Aemiliam suam illustravit *(b)*. Atque ille quidem postremis hisce mensibus multa mihi de hoc opere, multa de Forcellino commemoravit; illud magnis laudibus, hunc vero lacrimis prosequutus. Virum egregium, sibique multorum consiliorum societate conjunctissimum exstinctum doluit; triste sibi magnarum virtutum desiderium relictum dixit; alterum ab altero adjutum saepe communicando, et monendo. Quem ille sermonem cum mecum habuisset, ejus voce post semper carui; carebo etiam quamdiu ero: hujus quippe anni exitus fuit huic Gymnasio, huic Urbi, Italiae toti ex ejus morte luctuosissimus. Sed nostra jam persequamur.

III.

Haec igitur in hoc Forcellini Lexico, quae certe nusquam alibi; uti etiam illa exemplorum copia, quam in unius vocis, aut ejusdem sententiae explicatione ubique affectavit; quam quidem cum multis ipse rationibus excuset *(c)* ego multis commendandam existimo. Pluribus enim scriptorum locis in unam vocem sententiamque congestis, varios ejusdem vocis veluti nexus, ac multiplices, quas veluti explet, commissuras facile animadvertimus; ex quo verbi ipsius potestas, sensus, usus, explicatio magis elucescit. Habet praeterea unaquaeque verborum significatio suos veluti gradus, quasique vanescentia discrimina ex varia cum aliis vocibus compositione nata; quae profecto impercepta lateant necesse est, si illa desit exemplorum copia: haec autem qui non animadvertat, aut sibi negligenda esse ducat, is certe de Latina lingua existimare aut leviter, aut nihil potest. Hanc demum exemplorum varietatem si quis attendat, is etiam duarum vocum, quarum tanta videtur esse similitudo, ut eundem praestare usum ubique possint, varios veluti significationis gradus ac differentiam facile intelliget. Duae enim voces, in quibus est significationis communio, tunc solummodo indistincte atque promiscue adhiberi possunt, cum generalem quandam rei ipsius notionem explicamus; at, si quos habet res ipsa gradus, exponendi sint, tunc illa significationis communio evanescit, et ad alias voces confugiendum est, quibus isti veluti gradus exprimantur. Magna profecto esset ejus sermonis egestas, ac magna in eo elegantiae inopia, in quo verbum verbo supponi ubique posset; tunc enim generalem tantummodo sensum, nunquam vero illos, de quibus ajebam, unius ejusdemque rei multiplices gradus loquendo scribendoque significaremus (5). Haec itaque ex ipsa exemplorum copia unusquisque intelliget, ac verissimam Latini sermonis indolem, copiam, elegantiam assequetur; nisi forte pollutas lue quadam aures habet, ac nondum ex grammaticorum faece enatavit.

(3) In Praefatione ad Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis §. XIV.

(4) Vide Epistolam Julii Pontederae ad hunc ipsum Morgagnum in Scriptoribus Rei Rusticae editis a Jo Matthia Gesnero Lipsiae an. 1735. pag. 1195.

(b) Nempe iis XIV. epistolis, quae inter ejus opera editae, Aemilianae appellantur.

(c) Vide ejus epistolam Clericis Seminarii Patavini huic praefationi subjunctam §. IV.

(5) D'Alembert, Mélanges etc. Tom. IV. p. 149. Nullam esse vocem alteri omnino geminam definitionibus et exemplis demonstratum est a *Girard* in ea lingua, qua nunc utuntur Galli. Multo rectius et uberius id ipsum praestitit *Stosch* in lingua Germanorum, tribus editis voluminibus ann. 1770. 1772. 1773. Horum tamen aliorumque industriam vicit nuper Gallus alter *Roubaud* quatuor voluminibus, quae Parisiis prodierunt ann. 1786. sub titulo: *Nouveaux Synonymes* etc. [*Utriusque Galli scriptoris *Girard*, et *Roubaud* elucubrationes, novis additis exemplis ex *Beauzée*, *d' Alembert*, *Diderot*, *Marmontel* etc., melius digestae, et tribus voluminibus comprehensae editae postea sunt Burdigalae ann. 1802. in 12.°] Quod igitur in vernacula lingua scriptogenitum et amplificatum rursus edidit sub titulo: *Synonymes Latins et leurs différentes significations* etc. [*Tertiam vero hujus operis editionem iterum recognitam, emendatam et auctam curavit *Jannet* Parisiis ann. 1813. in 8.°]

IV.

Variae porro, et quadam saepe similitudine inter se conjunctae, aliquando etiam sibi dissidentes unius ejusdemque vocis significationes sedibus et explicatione in hoc Lexico distinguuntur; aliquibus passim adjectis, atque idoneis testibus comprobatis, quae in aliis id genus operibus non apparent. Atque illud quidem rerum harum scriptoribus commune est, ut proprium ac nativum verbi sensum primo exponant, deinde figuratas significationes subjiciant; at non eam ubique rationem tenent, quae in hac significationum serie maxime esset, ut quidam ajunt, adhibenda. Qui enim sensus a primo illo ac naturali minus deflectit, is, ex illorum sententia, proximum tenere locum debet, qui vero magis, is minus proximum; ceteri vero qui ab illo descendunt, et figurati dicuntur, per deductos originis veluti gradus exponendi. Quod quidem praestare optime posset et probe expensa linguae ipsius progressio, et idearum sese ordine in humana mente evolventium certissima scientia, et rerum, quae alieno verbo ponuntur, probe intellecta ac per gradus notata similitudo; atque ii primum transferendi modi explicandi essent, quos necessitas genuit inopia coacta et angustiis; illi deinde, qui, confirmata jam ac celebrata lingua, ideo sunt adhibiti, ut orationi splendoris aliquid arcesserent. Hunc itaque exponendarum significationum ordinem nonnulli docent; qui tamen a philosophis potius, quam a grammaticis est expetendus; quique etiam in hujusmodi operibus constanter adhibitus, et res aliquando perturbaret, et arbitrio plus aequo tribueret. Ego satis illustri ordine ea prosequutum Forcellinum existimo, ex quibus omnis exsistit singulorum verborum virtus atque laus.

V.

Jam illud sequitur, ex quo maxima fieri debet huic operi commendationis accessio; plura enim in eo, quam in ceteris, vocabula; nonnullis enim vocibus Romanae civitatis possessionem Forcellinus vindicavit. Idonei rei hujus testes fuerunt grammatici veteres, scriptoresque Latini non pauci, quos, cum verborum indicibus carerent, diligenter ille percurrit; ac praeterea numismata vetera, ac tandem litterati lapides. Horum ille collectiones omnes in oculis habuit; vidit aeneas tabulas Heracleenses (6); eos etiam vidit, quos in *Antiquitatibus Beneventanis* (7) vel emendavit, vel protulit omnium primus *Joannes De Vita;* fecitque magna, quae in eo erat, antiquitatis notitia, diuturna in Latinis rebus exercitatio, collecta et expleta undique eruditio, ut iis, qui probae notae essent, utendum sibi existimaret. Gavisus ille vehementer esset, si ex clarissimi viri Scipionis Maffeji *Arte Critica Lapidaria* proficere potuisset; at editum est postumum illud opus anno tantum MDCCLXV. (8), quo tempore a nobis Forcellinus discesserat, domique vivens et immortalitati jam proximus, aeterna solummodo cogitabat. Eo in opere Maffejus inscriptiones ab eruditorum ferme consensu ad hanc diem receptas, et commenticias tamen, sedulo perquirit, inque redintegratum judicium, novis tabulis, novisque testibus adhibitis, pertrahit (9); et cum infinito paene hostilium lapidum numero bellum sibi gerendum suscipit; ut disjecta attritaque ubique gentium ficticia marmora jaceant, informibusque et vulgaribus saxis, ut antequam inscriberentur, rursus tandem accenseantnr (10). Multa quippe ex simulatis istis antiquitatis exsuviis rebus omnibns illata damna; perturbata temporum ratio, imminuta litterarum dignitas, inusta historiae labes, populorum ac gentium jura temerata; verba demum, quae toto Latio exsulare debuerant, minime idoneis testibus in Latium invecta. *In grammaticis itidem*, inquit Maffejus (11), *et tn rhetoricis, ut minora quoque attingamus, qui titulis acquiescet omnibus, fallacias hauriet quamplurimas: hinc verba videas tanquam Latina et prisca a Lexicis etiam quandoque recensita, quae Romana frui civitate minime possunt, quippe quae iniquis tabulis, hoc est captione inscriptionis fide adscita.* Hinc Lexicon Patavinum saepe nominat, vetus illud nostrum Ambrosii Calepini; ac nimiam eorum fidem reprehendit, qui quaedam illi vocabula ex falsa lapidum auctoritate adjecerunt. Quare cum Forcellinus ipsas illas voces a Maffejo in veteri Calepini Lexico notatas in suum transtulerit, iisdemque lapideis testibus firmaverit; fuit certe nobis in hoc sermone de *Arte Critica Lapidaria* dicendum, ne viri antiquitatum omnium peritissimi sententiam atque judicium aut ignorasse, aut neglexisse videremur. Ac de toto quidem Maffeji opere videant eruditi; ex quibus ille qui nuper Venetiis obiit, quique alias cum Maffejo certaverat (12), Michael Lazari, plura in scriptis reliquit, quae *Artem* illam *Criticam Lapidariam* impugnant; multarum vero rerum scriptor Franciscus Antonius Zacharias jam illud existimavit, futurum profecto, ut multa Maffejus in eo opere aut immutaret, aut lenius ageret, si post editum Museum Veronense manum illi rursus admovisset (13). Eas ego tantum collegi voces, quas Cl. Maffejus vel dubias habet, vel omnino rejicit, prout illi la-

(6) Alex. Symmachi Mazochii Commentariorum in Regii Herculanensis Musei Aeneas Tabulas Heracleenses Pars I. et II. Neapoli, 1754. fol.

(7) Thesaurus Antiquitatum Beneventanarum. Romae. 1754. fol.

(8) Cl. viri Scipionis Maffeji Marchionis Artis Criticae Lapidariae Quae exstant ..... edita a Sebastiano Donato. Opus postumum Lucae, 1765. Ex Typographia Leonardi Venturini, fol. Praemittitur hoc opus Tomo I. supplementi ad Novum Thesaurum Veterum Inscriptionum cl viri Lud. Ant. Muratorii.

(9) Artis Criticae Lapidariae lib. III. cap. III. col. 188.

(10) Ibid. col. 189.

(11) Ibid. col. 158.

(12) De Equestri Ordine Constantiniano Inquisitio in Epistolam Scip. Maffeji etc. Venetiis 1725. 4.°

(13) Pag. 490. *Istituzione Antiquario-Lapidaria o sia Introduzione allo studio delle antiche Latine Iscrizioni in tre libri proposta.* In Roma, 1770. 8.°

Questo troppo rigido scrittore (Maffei) *ha sparso il Pirronismo sopra troppe Iscrizioni, onde ha meritato, che il poco fa defunto chiarissimo letterato Veneziano* Michele Lazari *distendesse contro il medesimo varie Dissertazioni, le quali sono tuttavia inedite; e che a pag.* 490. *il predetto nostro Autore* (P. Zaccaria) *si dichiari di credere, che s' egli alla sua opera avesse rimesse le mani dopo la pubblicazione del* Museo Veronese, *avrebbe molti suoi giudizj ritrattati, o mitigati.* Novelle Letterarie pubblicate in Firence l' anno MDCCLXX. col. 616.

Citari etiam debet eruditissima *Joann. Amadutii ad Janum Plancum* (Bianchi) *archiatrum Ariminensem epistola, in qua Inscriptiones nonnullae Ariminenses a falsitatis nota, qua Scipio Maffejus inusserat, vindicantur.* Lucae. 1767. 12.°

Exstat itidem egregium opus Petri Laurentii *Del Signore*, cui titulus, *I. Marmi Riccardiani difesi dalle censure del Marchese Maffei. Firenze* 1781. 4.°

[*Tandem *Jo: Casp. Orellius* in opere, cui titulus: *Inscriptionum Latinarum selectarum amplissima collectio. Turici* 1828. 8.°, ad pag. 55. haec habentur: „Maffeji Scipionis utilissima sane est ad ingenium acuendum, multasque obscuriores saepe fraudes detegendas ejus *Ars critica lapidaria.* Sed a tumultuaria ejus iniquiore censura permultos lapides jam vindicarunt *Zacharia, Del Signore, Marinius* (Fratelli Arvali), et *Vermigliolius* (Iscrizioni antiche Perugine); idemque nos frequenter per totum hunc librum fecimus, etsi omnes, quorum fides ab eo praecipitanter impugnata est, data opera defendere nostri officii minime duximus. Nam ut in quarta circiter parte eorum, quos in suspicionem vocat, verum fortasse viderit, longe tamen plurimi manent

pides ipsi, ex quibus desumptae sunt, aut dubiae aut damnatae fidei videntur esse; Forcellinus vero et Latii jure carere minime putat, et ea litterata marmora idoneos rei hujus testes existimat. Has ego nunc ob oculos ponam, remque omnem fideliter peragam; ipsas plerumque tabulas in conspectum adducam, ut ipsae quodammodo pro se loquantur; dicam ego aliquid aliquando, verecunde tameu ac dubitanter. Quamquam id maxime animos addit, quod est a doctissimis viris Joanne Francisco Seguierio, et Sebastiano Donato (quorum alter Maffeji opus exscripsit, alter edidit et illustravit) de eodem opere judicatum. *Equidem nos*, inquit Donatus (14), *non omnia epigrammata, quae in* Arte Critica Lapidaria *censoria virgula notantur, rejicienda esse putamus. Nam neque ipse Cl. auctor ea omnia rejecit, et ad spuria et suppositicia amandavit. De nonnullis enim tilulis subdubitat, alios ad examen revocandos vult, alios interpolatos, non paucos quadratariorum vel exscriptorum oscitantia vitiatos credit, (vel ita monstrosi et exesi sunt, ut sensus percipi non possit) nonnullos obiter attigit, alios in* Museo Veronensi *pro genuinis evulgare minime dubitavit, (ut aliquando in nostris adnotationibus ad hoc opus observabis) plerosque eruditorum judicio reliquit, de aliis vero cur dubitet, rationem non adfert. Nam istiusmodi disputatio ob mortem ejusdem auctoris infecta remansit.* Et revera multa quidem *(ut ad me scripsit Cl. Seguierius immortalis nostri Maffeji laborum, studiorum, et itinerum tot annos comes, amicus in paucis, et contubernalis)* erat retractaturus, si operi ultimam manum adhibuisset. *Nam cum anno* 1749. Museum Veronense *edidisset, videtur quasi animum retraxisse ab* Artis Criticae Lapidariae *evulgatione* (15) . . . . *Quis credat* (16) *in absolutissimum* Gruterianum *Corpus, in* Reinesianum *Syntagma, in* Sponii *Miscellanea, in* Fabretti *Collectionem tot lapides spurios irrepsisse? Quot obelo notavit noster auctor, quum eos pro sinceris admiserint hi celeberrimi collectores? Esto, aliquando peccaverint; an fieri potest, ut in plerisque marmoribus emendentur?*

VI.

Ac mihi quidem earum vocum, quas modo proferam, ac Forcellini ipsius, qui Latii jura iisdem tribuit, facilis et in medio posita defensio esset, si quos lapides Maffejus minime probat, nihilque habere ait antiquae majestatis et elegantiae, eos tunc temporis inscriptos putaret, atque etiam ad fallendum propositos, cum veteris libertatis obliti demisere animum Romani, ac fortunae suae similia facere atque scribere coeperunt; iis, inquam, temporibus, quibus nobilissima eorum lingua una cum imperio ad senium properabat. In hoc enim opere iis quoque auctoribus locum aliquando esse voluit Forcellinus, qui ferream ac luteam etiam Latinae linguae aetatem attigerunt; quod eos in optimis Lexicis admissos receptosque viderit; quodque verborum quorundam, quibus utuntur, explicatio, sin minus Latine scribere, Latina saltem intelligere cupientibus maxime sit opportuna. Quare inscriptiones etiam, in quibus aut insolens verbum est, aut inurbana dictio, aut sermo non omnino purus ac nitidus, in Lexicis stare possunt, et ad illa cadentis Latinitatis tempora referri; nisi cetera rei falsitatem prodant, vulgares indoctasque manus, ac posteriorum aetatum sive stilum, sive scalprum. At rei lapidariae detrimenti aliquid Maffejus timuit, si ita sensisset; ideoque inscriptiones plurimas novitiis marmoribus vetusta specie afflictas esse arbitratur; cumque *his vetustatis spoliis* (17) *jam a decimosexto ineunte saeculo atria, horti, villae in Italia exornari coepissent, videreturque non omnibus elegantiae et magnificentiae numeris satisfecisse, qui istiusmodi cimeliis careret,* fuisse tunc *qui, cum sincera non essent ad manus, eorum imitatione spuria confingi paterentur, vel saltem ad loculos omnes venuste complendos fictitia cum legitimis admisceri.* Hinc ad res patrias illustrandas, ad civitatum, et municipiorum tuenda jura, ad rerum antiquarum, Latinitatis, doctrinaeque laudem ostentandam, ad augenda splendideque ornanda volumina, ad explendum denique fallendi, mentiendi, novandique studium vetera monumenta plurima recentiorum hominum sive scalpro, sive calamo simulata fuisse arbitratur; idque per ea tempora, quibus Latinae litterae ab Italis excitatae ad auream illam Augusti aetatem proxime tandem accesserunt. Ego vero, et quosdam esse lapides, quorum fides ex toto non constat, alios etiam, quos corrigi et emendari oporteat, nonnullos demum, quos docti viri probare minime debeant, omnino existimo; at vix crediderim, per ea saecula, quae proxime sunt elapsa, ita rem lapidariam dolo malo vitiatam fuisse, ut paene singula suspicionem movere debeant, plurima vero negligi omnino atque damnari. Ex illis potius litteratorum marmorum fodinis, quae Romae sunt, rerum harum supellex aucta est. *Innumera monumenta*, inquit Cl. Muratorius (18), *ex pomoerio Urbis, praecipueque ex suburbanis cryptis et locis, per tria proxime praeterita saecula in lucem prodiere. Neque facile enumeres tot alia, quae ante paucos annos, et nuper etiam ibi eruderata fuerunt.* Quis Cyriaci Anconitani egregium opus ineunte saeculo quintodecimo susceptum ignorat? Quis Fratris Joannis Jucundi Veronensis vetustas inscriptiones eodem labente saeculo collectas non audivit? Utinam eruditissimis viris, qui in hoc rerum genere postea laborarunt, ipsa marmora licuisset inspicere! Emendassent illi plurima, ac rei lapidariae melius consuluissent. *At indocti homines* (19) *nihili facientes veneranda antiquitatis frusta, aut a majoribus suis collecta, aut in effossionibus sibi oblata, nullo negotio ipsa distrahunt, dilacerant, atque in omnem usum, praecipue aedificiorum, sine ullo discrimine disperdunt. Alia deferuntur ad marmorarios atque statuarios, inhumanos videlices antiquitatis lanios, qui, expunctis omnibus vetustatis notis, eadem ad nova quaeque opera, prout utilitas poscit, reformant, seu potius deformant. Denique non levis eorum pars ad calcarias translata, atque igne soluta, calcem marmorariis et caementariis artificibus utilem praebet.* Quoniam igitur primo illo indiciorum genere, quod ex ipsis inspectis lapidibus peti debet, uti plerumque criticae artis periti minime possunt, ad alterum confugiunt, quod ex ipsa verborum consideratione haberi solet: atque hoc nimirum in iis, quae modo exponam, fere semper Maffejus adhibuit.

inconcussi, ut viderunt jam imperfecti operis editor *Seb. Donatus*, et *Klotzius* in *Actis litterar.* vol. 4. p. 405. egregie hac de re disputans. V. ibid. quae sequuntur.]

(14) Monitum editoris *Artis Criticae Lapidariae* pag. IV.
(15) Vide Museum Veronense pag. CLXXV.
(16) Pag. V. citati Moniti.
(17) Artis Crit. Lap. lib. III. cap. II. col. 158.
(18) In Praefatione ad Thesaurum Novum Veterum Inscriptionum. Mediolani, 1739.
(19) Cl. Muratorius in eadem Praefatione.

VII.

Per usitatam litterarum seriem eas, de quibus ajebam, voces enumerantibus occurrit primum verbum *Aedituo*, de quo ita in *Arte Critica Lapidaria* (20): *Inauditum verbum* Aedituare *recens Glossarii Calepiniani editio recensuit et recepit, Lucretium memorans, qui* aedituentes *dixit, non* aedituantes; *sed vere a duobus hisce epigrammatis decepta* (21), *quibus inanius nihil. Ligorii munere utrumque habemus, quem et alia duo a Grutero descripta effudisse non dubito, eadem prorsus forma,* Vixit Annos *totidem,* Aedituavit Annos *totidem.* Ac Lucretii quidem locus lib. VI. de Rer. nat. v. 1273. ita allatus est in nostro illo Calepini Lexico: AEDITUO.

Hospitibus loca, quae complerant aedituentes;

ita nimirum ut Maffejus legendum putat; at cum ibi verbum *Aedituo* duplici efferatur modo, legaturque *Aedituo, as,* et *is,* idcirco post citata Reinesii epigrammata, in puibus est *Aedituavit*, Lucretii versus citatus est, ut alterius quoque modi, quo verbum hoc inflecti potest, exemplum esset. Forcellinus vero et *Aedituens* posuit, et *Aedituo, as;* ac primae quidem voci Lucretii auctoritatem apposuit: alteram vero duabus illis, quae sunt apud Reinesium, inscriptionibus, ea etiam quae est apud Gruterum pag. MLXXXVIII. num. 5. confirmavit. Hanc ego proponam:

C · CICVRINO · ASIA
TICO · AEDITVO · SVL *
VANI · LITTORALIS
PARENTI · SANCTISS
T · CICVRINVS · DIMA
RVS · POSVIT
AEDITVAVIT · ANN
$\overline{XVI}$ · VIX · $\overline{LXX}$
MENS · $\overline{IX}$ · D · $\overline{VII}$

* apud Montfaucon. SVL.

Duos Reinesii lapides Muffejus rejicit; erratumque esse ait in *Aedituo Sepulcri*, in *Sacerdote Sergiae Familiae* et in clausula *Fecit Sibi, Et Suis Amicis*, quae ridicule, inquit, excogitata sunt et inepte. Duo vero, quos affert Gruterus, quorum primus habetur pag. CCCXII. n. 5., alter vero a Forcellino citatus est, a nobis descriptus, ideo tantum suspicionem Maffejo movent, quod eos ex Ligorii fodinis erutos putet; huic enim sponsori non ita facile credendum esse doctissimi viri jamdudum monuerunt (22). Verum apud Gruterum nihil omnino de Ligorio. Primum quippe lapidem (quod a Sebastiano Donato notatum est, et in postrema Gruteri editione, qua nos utimur, quaeque Amstelaedami prodiit an. MDCCVII., legi potest) primum, inquam, lapidem ponit *In villa Julia extra Portam Flumentanam, ad viam Flam. ara marm. grandis: litera bona, sed incorrecta*, eidemque lapidi subscriptum est, *Exscripsit Smetius; vidit Pighius, et habet Boiss. VI. antiq.* 59. Alterum vero, qui certe Latine loquitur, et est a Forcellino adhibitus, *Romae* esse ait *ad horrea Diocletiani;* legiturque post ipsum, *Grutero Boissardus T. VI.* 126. Ne igitur de duobus illis Reinesii epigrammatis longo sermone disseramus, hoc unum dicimus, voci *Aedituare* satis jam consultum esse in hoc Lexico eo Gruteri lapide, qui citatus est. Vidi ego hujus C. Cicurini Asiatici magnae formae monumentum aere expressum apud Cel. Montfauconium, a quo ita describitur, quique de eo ita loquitur (23): *De Silvano litorali egimus Tomo primo: quid autem esset aedituus, secundo Tomo diximus. In supremo lapide repraesentantur Cicurini pater atque filius: in laterali autem facie arbor atque delphinus: arbor meo judicio Silvanum subindicat, qui semper cum arbore conspicitur; delphinus vero Silphanum litoralem, qui, ut ipsum nomen sonat, in litore maris colebatur.* Huic scilicet monumento vox *Aedituavit* iuscripta est. Meminerit Maffejus id se docuisse (24): *Inter veritatis argumenta, id praecipue computo, cum ingentibus lapidibus insculptae occurrunt epigraphae; animadverti scilicet, noluisse ut plurimum epigrammatum adulteratores multo impendio naenias suas proferre: difficilius etiam, ubi multae molis saxa fuissent incidenda, clam, et in abdito peragi opus potuisset: eapropter sumptuosas arcas, et magnas istas quadratasque bases, priscas et genuinas deprehendi fere semper.* Vox illa tandem et nitida est, et nihil omnino a Latina consuetudine abhorret. *Aedituor* enim Nonii testimonium habet, qui c. 2. n. 52. Pomponii verba referens apud Gellium lib. 12. c. 10., *Qui postquam tibi appareo, atque aeditumor in templo tuo*, legit *aedituor*; utramque vero terminationem huic verbo factam esse, omnino dicendum est.

VIII.

Eum quoque lapidem Maffejus subruit, qui est apud Reinesium Cl. I. pag. 3. n. 2. cujus auctoritate tres illae voces *Arithmeticus*, *Fistularius*, *Imaginarius* a Lexicorum scriptoribus allatae sunt et explicatae. Ecce lapidem ex eodem Reinesio: ARITHMETICUS. FISTULARIUS. IMAGINARIUS

DIIS OMNIBVS COELESTIBVS
P· GAISIDIO * Q· F· SABINIANO
FISTVLARIO · CANTORI · IMAGI
NARIO · ARITHMETR * · VIXIT · A· XLIII *
M · X · D · III · IN · FR · P · XXX · RETRO
XL · CVIVS INGENIVM ELOQVI NEMO

C· TIPHERNIVS C· F· SACERDOS

* apud Fabrettum Q. GRISIDIO
* apud eundem ARISMETR.
* apud eundem XLIV.

(20) Lib. III. cap. IV. col. 410.
(21) Syntagma Inscriptionum antiquarum Reinesii. Lipsiae et Francofurti, 1682. pag. 388. n. 53. et 54. e MSS. Antiq. Ligorii Langermannus.
(22) Vide Muratorium in Praefatione al. citata; sed praecipue pag. I. et II. Novi Thesauri.
(23) Antiquitas explanatione et schematibus illustrata. Gallice et Lat. Parisiis, 1722. T. V. P. I. Lib. II. cap. VIII. pag. 66.
(24) Artis Crit. Lap. lib. III. cap. II. col. 161. 162.

Latinarum prima, inquit Maffejus (25), *quam Fabrettus quoque ex aliis sibi schedis adoptavit*, Diis omnibus Coelestibus *insueta formula inscribitur*, *et nunquam auditis gentibus* Gaisidia *ac* Tiphernia *insignitur: in ea orationis elegantiam et connexionem observes velim.* In Fronte Pedes XXX. Retro XL. * Cujus ingenium Eloqui Nemo: *sed magis quae per se fallaciam satis indicat*, *votivae et sepulcralis formae commixtionem*, *depravationemque. Ex hac tamen tabula tria ab eruditis viris et a quibusdam quoque Lexicographis arrepta vocabula*, *et Latinitatis jure sine alia auctoritate ulla donata videas*; Imaginarius *pro pictore*, Fistularius *pro fistulatore*, Arithmeticus *pro calculatore.* Monuerat jam Reinesius ipse (26) ab hoc sepulcrali cippo separanda esse quae praescripta sunt, *Diis Omnibus Coelestibus*, et esse illa loco non suo; atque ita Maffejo *insuetam formulam*, *et sepulcralis formae commixtionem*, *depravationemque* objiciendi jamdudum satisfactum est. Sed illud ego etiam animadvertam, Coelestes quoque Deos sepulcrorum patronos a veteribus fuisse habitos, Inferosque cum Superis in sepulcrorum titulis aliquando commixtos. Multa de re hac apud celeberrimum Montfauconium (27). Urnam ille commemorat, quam Parisiensi Litteratorum Academiae miserat P. de la Chaize; ejus inscriptio insolens visa est:

* apud Maffejum I.X.

D. M.
SVLPICIO
NOTO ADESTE
SUPERI

Invocari videntur Dii illi coelestes pro Sulpicio Noto, *qui*, *cum sit defunctus*, *ideoque sub ditione Inferorum Deorum*, *ex coelesti providentia nihil sperare poterat.* Id scilicet Academicis explicandum erat; explicarunt autem alii aliter. Eorum opiniones (quas omnes Maffejus et rejecit et irrisit Artis Crit. Lap. l. 3. c. 4. col. 477. 478.) Montfauconius recenset; haec demum ipse (28). *Deos coeli precatur*, (Sulpicius Notus) *ut urnam suam tutam praestent ab injuriis*, *quae inferri poterant*; *verbi caussa*, *ossa cineresque ejiciendo*, *id quod tunc magnum scelus existimabatur*, *ingensque defunctis infortunium . . . . . Etsi vero defunctorum anima sub potestate esset Deorum Inferorum*, *urna et ossa*, *quae in terra erant*, *sub potestate et jurisdictione Coelestium*, *atque etiam sub ditione Inferorum Deorum esse arbitrabantur*, *ob affinitatem animae et corporis.* Vide cetera apud eundem. Vidit hujus urnae titulum etiam Muratorius; a Maffejo enim acceperat (29). Atque haec quidem, quae modo diximus, ab eo quod agimus, omnino aliena iis videri debent, qui illud potius a *Sulpicio Noto* peti arbitrantur, ut quod vitam in terris adhuc degunt, ii sibi faveant, tumulum suum tueantur, cineres et ossa ne inquietent: ajunt enim, et exemplis probant *Superos*, ex Latina consuetudine, ab iis, qui infra nos sunt, eos recte vocari qui adhuc vivunt. Horum ego opinionem commemoro, et in medio relinquo. Venio nunc ad gentem Gaisidiam, atque Tipherniam, quas nunquam Maffejus audiit. De P. Gaisidio, quem Fabrettus (30) Q. Grisidium esse voluit, multa docuit idem Reinesius, eumque Caesidium fuisse probat, et a gente Caesia profectum; idemque Tiferniam gentem eam esse dicit, quae a Cicerone (31) Titurnia dicitur, primo illo nomine ex quodam Umbriae oppido appellatam. Ego certe C. Tifernium apud Gruterum invenio pag. CMXXIV. n. 12. Lapis esse dicitur Tiferni in Umbria; *in Città di Castello.* C. Tifernius est etiam apud Muratorium pag. CMLXXXIV. n. 7. in eo epigrammate, quod perperam Donius alterius cujusdam marmoris partem fecerat. Ea porro, de qua loquimur, inscriptio pedes primum habet *in Fronte* et *Retro* assignatos; tum ad P. Gaisidium redit verbis illis, *Cujus Ingenium Eloqui Nemo.* Nullus hic verborum nexus. Sed in hoc quadratarios vel descriptores accuso. De hoc enim lapide illud etiam habet Reinesius (32): *In uno hoc marmore duas vel etiam tres epigraphas a descriptoribus*, *qui chartae parcerent*, *et disjunctas junctim exhiberent*, *deformatas una esse*, *non vana suspicio est.* Maffejus ipse plures lapides ita a descriptoribus aliquando consutos fuisse in *Arte Critica Lapidaria* animadvertit. Quae igitur in eo lapide, de quo hactenus diximus, habentur verba, ab iis notari possunt, qui Lexicon scribunt, et non aurum modo argentumque, sed ferrum etiam lutumque tractant; neque lapides tantum, sed litterata etiam rudera in opus congerunt. Nihil de voce *Arithmeticus* in Calepino; admisit illam operis hujusce scriptor, explicuitque *qui arithmetica callet*, testimonio usus ejus lapidis, de quo dictum est. Recte hoc: quis enim et grammaticum et mathematicum a Latinis non audivit? Vocem vero *Imaginarius*, *ii*, quae in veteri Lexico legebatur, in suum quoque transtulit; pictoremque esse dixit, vel statuarium, qui imagines facit; ex eodem Reinesii lapide, et ejusdem Reinesii explicatione. Voci tandem *Fistularius* in utroque Lexico locus est; is esse dicitur, qui fistula canit; citata est Fabretti inscriptio; illa scilicet, quam dederat Reinesius (*d*).

IX.

CELTIS. *Celtis*, teste Plinio lib. XIII. H. N. cap. XVII., arbor est de genere lotorum, in Africa. Hac voce genus quoque scalpri, quo lapides inciduntur, significari nonnulli existimarunt. Citatus a Vossio (33) Gruteri lapis (34), et Vossium ipsum et ceteros fefellit, FORCELLINUM quoque. Est in eo lapide, lin. 23. *Malleolo et celte litteratus silex.* At inscriptio tota *fabulosa est*, *et ridicula*, ut inquit Antonius Augustinius (35). Ridiculam esse, qui eam legerit, fateri debet; fabulosam esse ex Maffejo scimus; neque eam

(25) Ibid. cap. IV. col. 391. 392.
(26) In nota, seu Comment. ad hunc lapidem.
(27) Supplément au Livre de l' Antiquité expliquée. Tom. V. livr. III. chap. III. pag. 72. Parisiis, 1724. Gallice et Latine.
(28) Pag. 74.
(29) Novus Thesaurus Veterum Inscriptionum, pag. MDCCL. n. 4.
(30) Inscriptionum Antiquarum cap. IX. pag. 625. n. 218. Romae, 1699.
(31) Epist. Famil. lib. XIII. epist. XXIX.
(32) In Nota citata.
(*d*) Licet de hoc lapide *Orellius* in *Collect. Inscr. Lat. n.* 2613. dixerit, *suspectissimum est hoc epigramma*, tamen in V. IMAGINARIUS § 3. ejusdem lapidis interpretationem non improbandam mihi videor attulisse, quam tu confirmare aliquantisper possis ex loco *Gellii* in SUBITARIUS *in fin.*, et alio *Sidonii* in V. TUMULTUARIUS §. 2. *in fin.*
(33) Lib. I. de Arte Grammatica cap. XXXV.
(34) Apud Gruterum pag. CCCXXIX.
(35) Dialogo XI.

certe pro antiqua haberi quisquam voluit. *Prolixam*, inquit (36), *Gruteri paginam Sergii, e Pola Istriae civitate histrionis, epitaphium implet. Pro antiquo acceperunt multi, et ob ea verba* malleolo et celte litteratus silex *in gravissima de versiculo Job* (37) *legendo atque explicando quaestione attulerunt: utitur eo testimonio Vossius quoque in Grammaticis, nec de auctoritate quidquam ambigit: contra explodunt alii tanquam commenticium, quibus Antonius Augustinius olim se ducem praebuit. At lepida illa inscriptio nec inter antiquas, nec inter spurias recenseri debet: composita enim et incisa fuit XV. saeculo, Veneti praefecti, festivo ingenio viri, jussu, neque Deorum Manium praemisso nomine, neque clausula ulla adjecta, quae vetusta tempora mentiretur, Rem didici a Feliciano Veronensi, qui in MS. Collectione, de qua suo loco verba feci, eam inscriptionem in lapide vidisse narrat, quam* Jacobus Baduarius Sergio Polensi parasito, et histrioni posuit. Haec Maffejus. Lepidum sane errorem! Parasitus hic veluti a gente Sergia profectus FORCELLINUM quoque decepit, et in ejus Lexico, tanquam in coena lautissima, locum sibi esse voluit. Queror de Grutero, qui hanc umbram adduxit. Nullum est igitur probati lapidis, aut idonei scriptoris testimonium, ex quo *Celtis* scalpri genus significet *(e)*.

X.

Vocem *Contiro* et veteri Calepini Lexico FORCELLINUS addidit, et in suo quoque esse voluit. Sic illam explicuit, *simul tiro, ut commilito, simul miles.* Habet hanc vocem inscriptus lapis apud Reinesium Cl. VIII. pag. 517. n. 19. Est idem lapis apud Fabrettum pag. 138. n. 131., exstare dicitur, *Via Nomentana prope Templ. D. Agnetis in pariete.* Est etiam apud Muratorium pag. DCCCV. n. 4. Romae ponitur in Museo Albano. Lapidem hunc esse notae satis bonae existimat FORCELLINUS (38). Maffejum audiamus. *Inauditam* (39) *vocem* Contiro *in Latinitatis sacrarium invexit recens Lexicon Patavinum ex titulo hic recensito* (40), *qui mihi nequaquam probatur; nam isthuc nominis* Cladi, *sive* Claud. Caro *quid est? et quomodo inter tirones adhuc censebatur, qui annos XXXVII. exegerat, et stipendia jam confecerat VII., imo ex Fabretto XVII? nec placet monumentum ab* Heredibus *positum* et Contironibus: *comperendinare attamen oportet, usque dum lapidem visam, quem exstare affirmat Fabrettus; eoque magis, quo vocem* Contiro *nequaquam improbo, qui* Concivem *in Museo videam (f).* Addam ego vocem quoque *Commanipulo*, et *Commanipulus*, h. e. simul miles in eodem manipulo, a veteribus usurpatam; qua certe longe nitidior *Contiro;* cui illa opponitur, quae est apud Gruterum pag. DCXXIIII. n. 7., *Conveteranus.* Gratum igitur fecisset Maffejus, si lapidem quoque ipsum non improbasset. Ego illum ex Muratorio describam: CONTIRO

D· M·
CLAVDIO CARO
MIL· COH· VIII *
PR· STIP· XVII·
VIXIT ANNIS
XXXVII
HEREDES ET
CONTIRONES
BENEMERENTI
FECERVNT

* sic etiam apud Fabrettum; sed apud Reinesium VII.

Quaerit Maffejus, quid istuc nominis sit *Cladi*, sive *Claud. Caro?* nomen militis, inquam ego, qui magnis rebus non claruerat, cujus quoque patriam ignoramus, quamvis patriae nomen raro omittatur in iis inscriptionibus quae ad milites pertinent, quod hi non modo ex omni Italia, sed etiam ex provinciis legerentur, nec eorum nomina illustria essent, populisque nota. Mirum fortasse hoc, et insuetum; at docuit ipse *Artis Criticae Lapidariae* auctor celeberrimus, *ubi de nominibus agitur* (41), *mira quaeque et insueta occurrere aliquando posse. Plura certe semel, aut bis deprehendas praenominum vice fungentia vocabula, quae vix alias videris: Nero et Paullus modo cognomenti loco, modo praenominis cui non occurrerunt (g)?* etc. At quomodo inter tirones censebatur adhuc miles annorum triginta septem, qui stipendia septem promeruerat, h. e. totidem annos in armis exegerat? quia nondum veteranus, non evocatus, non centurio, non tribunus, non alarum aut cohortium praefectus, non alio in castris honestiore loco. Verum si annos decem supra septem inter milites fuit, ut ex Fabretto et Muratorio, adhucne inter tirones? adhuc certe. Eorum enim, qui communi militum nomine censebantur, duo fuerunt veluti genera; tirones, et veterani; horum alterum semper alteri opponitur; qui non veteranus, is, etsi miles non novus, tiro. Erat autem veteranus, qui legitima stipendia vel omnia, vel certe plurima confecerat (42): stipendia haec, stante republica, fuere viginti quinque. Servius ad illud Virgilii Aeneid. l. II. v. 157. *Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura*, haec habet. *Plerumque dicuntur sacramento rogati qui post electionem in rempublicam jurant: et hi sunt, qui habent plenam militiam; nam et viginti quinque annis tenentur.* Fuere postea viginti; eaque contraxit Augustus. Hoc docet Suidas: Βετεράνος παρὰ Ῥωμαίοις, ὁ ἀπολυθεὶς τῆς στρατείας· ἐπὶ εἰκοσαετίαν δὲ οὗτοι ἐδούλευον, h. e. *Veteranus apud Romanos vocatur, qui militia liberatus est:*

(36) Artis Crit. Lap. lib. III. cap. II. col. 185. et seq.

(37) Job c. XIX. v. 23. 24. *Quis mihi det, ut exarentur in libro stilo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* Neque ignoro in multis etiam MSStis legi *certe:* item in Complutensibus, Stephanicis, Regiis, et Hentenianis seu Lovaniensibus. Verum non dubium, quin *celte* scripserit interpres. Vossius in A. G. lib. I. cap. XXXV.

(e) Hanc vocem ut spuriam ex verbis hic a *Cognolato* allatis e Lexico expungendam curavi. V. CELTIS §. 2.

(38) Vid. voc. CONTIRO.

(39) Artis Crit. Lap. lib. III. cap. IV. col. 415.

(40) Apud Reinesium citata pag. 517. Cl. VIII. n. 19.

(f) V. infra adnotata in nota *(i)*.

(41) Lib. III. cap. IV. col. 441.

(g) Vide tamen quae hac de re dixi in Lexico ad NERO §. 2. et ad PAULUS §.

(42) Sigonius de Antiq. Jure Civil. Rom. lib. I. cap. XV. Vide Sertorium Ursatum in Comment. de Notis Romanorum pag. 339. Patavii, 1672. fol.

hi autem ad annos viginti militabant. Haec demum de veteranis in Romanis legibus (43): *qui in legione, vel vexillatione militantes, post vicesima stipendia honestam vel causariam missionem consecuti erant.* Novi equidem *veteranos milites in exercitu, veteranorum legiones* saepe a scriptoribus nominari; at qui honestam vel causariam missionem consecuti erant, militiae aliquando rursus nomen dabant, rursus legionibus adscribebantur. Vide cetera apud Eq. Sertorium Ursatum (44) Romanae antiquitatis peritissimum; et in hoc ipso Lexico vocem EVOCATUS §. 2. Jam ad id redeo, cujus causa tam multa disserui. Nondum ergo e tironibus excesserat Claudius Carus, qui vicesimum militiae annum nondum expleverat, qui nondum erat veteranus. Quare, conspirantibus animis, aere conlato, heredes et contirones monumentum illi posuerunt; in quo sane quid tandem est, quod jure displiceat? Sed illud fortasse de re hac tota dici tandem potest; Claudium Carum, qui tot stipendia promeruerat, e tironibus tunc jam excessisse, monumentum tamen illi positum ab iis, qui erant in octava illa cohorte contirones. Atque haec quidem de voce *Contiro (h).* Ea, uti vidimus, non omnino Maffejo displicet, quod vocem *Concivis* in Museo Veronensi observaverit. Inscriptio est ejusdem Musei pag. LXXXVII. n. 5., ac de ea ita Maffejus. *Dolendum quidem, non inscriptionem, sed miserabile fragmen heic ostendi; magnifaciendum tamen, quod Augusteis litteris* concivis *vocem nobis servarit, qua ante hoc marmor visum aureae Latinitatis cultores uti horruissent.* Hanc tamen vocem *minus Latinam* ait esse Forcellinus (45), qui et lapidem vidit *(i)*, et cetera, quae ad hanc vocem spectant, diligenter collegit. Lapidem hunc, et hanc vocem Latio movit Comes Rezzonico in *Plinianis Disquisitionibus* Parmae editis ann. 1763. P. I. pag. 208. Est ea vox in hoc ipso Lexici hujus volumine primo. Qui eam legerit, is certe animadvertet, inscriptorum lapidum fidem a Forcellino exploratam fuisse; nihilque ab eo omissum, quo illorum auctoritas aut minui posset, aut confirmari. Delectum quoque prudensque judicium ea indicant, quae sunt in voce *Patraster.* Vocem hanc Latinis Lexicis addendam esse monuerat Maffejus ex quodam lapide (46), quem ipse exscripserat prope Perusiam, ex quo etiam male compositum eum fuisse dicit, quem dederat Muratorius in Novo Thesauro pag. MDCXXXII. n. 9. At ea vox ex duabus aliis apud eundem Muratorium inscriptionibus sese antea Latinis oculis ostenderat, neque Maffeji lapidem exspectabat. Vidit haec omnia Forcellinus (47); vocem tamen ipsam *minus Latinam* esse putat; et eas inscriptiones omnes ad cadentis Latinitatis tempora referendas.

XI.

COXA. Jam ad illud antiquitatis monumentum accedimus, quod omnium primus Eq. Sertorius Ursatus, postea Fabrettus illustravit. Res ipsa, in quo modo versamur, et criticae Maffeji animadversiones nos etiam huc vocant; idque eo libentius agendum nobis esse ducimus, quod est monumentum ipsum Patavinum. Fuit illud in hac Urbe, in domo Bernardini Scardeonii rerum nostrarum historici, a quo primum est editum (48); illudque Gruterus ex eodem Scardeonio descripsit, ceterisque inseruit (49). Dedit illud Ursatus postea, sed paullo aliter, in *Monumentis Patavinis* (50), et Vicetiam asportatum esse dixit ab Hieronymo Gualdo, et in ea urbe apud eam gentem, una cum aliis antiquitatis exsuviis, in domestico Museo aeternitati dicatum. Haec Ursatus anno MDCLII., eo scilicet, quo *Monumenta Patavina* evulgavit. Anno vero MDCLXIX. eandem inscriptionem ex litterato saxo fideliter exscriptam, atque eam omnino, quae est apud Scardeonium, Vicetia accepit idem Ursatus, rursusque dedit, et eruditissima epistola illustravit (51). Per ea tempora saxum hoc cuidam Dianae signo basis erat. Dixit etiam de hoc lapide Raphael Fabrettus, neque ea probans quae Ursatus attulerat, nova addidit, ut in eo quaedam explicaret (52). Haec vero a P. Montfauconio commemorata postea sunt (53). Muratorius demum monumentum attulit (54) ex Ursato in *Monumentis Patavinis*; nihil adnotavit. Vides testium nubem; judicium tamen hic lapis non evasit, et Maffeji sententia damnatus est. Liceat judicium ipsum redintegrare. Lapidem igitur sistimus, uti est a Scardeonio, et in ea epistola ab Ursato descriptus:

D. M.
T. CAPELLI . T. F.
VINDICIS
IN . F. P. XXXVII
A . T. COX. S. P. XXVII
INTRA COX. P. XXXVII

Ita vero legendum esse Ursatus docuit: *Dis Manibus Titi Capelli Titi Filii Vindicis In Fronte Pedes Triginta Septem A Tergo Coxae Sepulcrum Pedes Viginti Septem Intra Coxam Pedes Triginta Septem.* Nihil ex hac lectione a Fabretto mutatum: Montfauconius, nojam S quae est in paenultimo lapidis versu, non *Sepulcrum*, sed *Supra* significare existimavit (55). Monumentum hoc ob inusitatam vocem *Coxa*, quae in eo est, novumque sepulcrorum spatia designandi modum ab ea inductum, Ursati ac Fabretti labo-

(43) Cod. lib. VII. Tit. 64. leg. 9.
(44) *Discorso sopra una Stanza Sepolcrale* etc. in opere postumo cui titulus, *Marmi Eruditi* etc. Patavii apud J. Cominum, 1719. pag. 305. et sqq. 4.
(h) Hanc eandem inscriptionem attulit etiam *Orellius* in *Collect. Inscr. Lat. n.* 3559., et vocem *Contiro* probavit ex comparatione cum similibus *commanipularis*, *contubernalis*, et *convicanus.*
(45) V. CONCIVIS.
(i) At non vidisse arguunt ea, quae de hoc lapide dixi in V. CONCIVIS.
(46) Musei Veronensis pag. CCCLX. n. 7.
(47) Vide in V. PATRASTER, i. e. vitricus, *patrigno.*
(48) Bernardini Scardeonii Canonici Patavini De Antiquitate Urbis Patavii, pag. 76. Basileae, 1560. fol.
(49) Pag. DCCCCV. n. 11.
(50) Monument. Patav. pag. 276. 277. Patavii, 1652. in fol.
(51) Undecima et ultima est ejus Operis, cui titulus: *Li Marmi Eruditi, ovvero Lettere sopra alcune antiche Iscrizioni* etc. Padova, 1669. 4.°
(52) Pag. 180. n. 377.
(53) L'Antiquité expliquée etc. à Paris, 1722. Tome V. P. I. liv. III. chapit. VI. pag. 112.
(54) In Nov. Thes. Veterum Inscript. pag. MDCLI. n. 14.
(55) Cit. loco et pag. 112.

res postulavit. *Sed operam perdidere viri docti*, inquit Maffejus (56); *commentationes enim suas in fallaci aedificarunt solo. Ea tabula pusilla est, cujusmodi funebres hic loci non occurrunt, nisi e subterraneis Romae monumentis arcessitae sint, quas e tam longinquo in has regiones ante me nemo merces advexit: petrae color et facies vetustum aevum non redolent; puncta ad imum literarum, non ad medium. Singularia* S *in quinto versu importune posita quid sibi velit, nemo dixit.* T *pro* tergo *in lapide quis viderat?* Haec Maffejus, qui lapidem ipsum antea proposuerat, designatis pedibus in quarto versu XXXVI. tantummodo, in quinto solum XXII. Ego vero ea omnia mihi animadvertenda existimo, quae ad hunc lapidem illustrandum Ursatus attulit, et ex iis de hoc monumento judicandum. Eum ergo lapidem Patavii inscriptum, Patavii positum Ursatus existimat: duos ex gente Capellia, Grutero teste, commemorat, eosque ex tribu Sucusana, sive Suburbana, proindeque cives Romanos; eam gentem Patavium migrasse putat, ex quo Romani rempublicam cum Patavinis communicarunt (57); Titum Capellium, de quo in eo monumento, sub C. Julio Vindice fuisse eo tempore, quo praetor hic sub ipsum finem imperii Neronis, has etiam regiones, quae communi tunc Transpadanae Galliae nomine censebantur, armato milite excurrit, motus excitavit, interfectus tandem est, vel ipse sibi necem intulit; hinc T. Capellio, ut aliis etiam praetoris hujus militibus, cognomen Vindicis; vixisse illum Patavii cum gente sua, neque ideo civium Romanorum jura amisisse. Fuit sane monumentum illud longissimo tempore in domo Scardeonii; cui etiam rerum harum non ignaro petrae color ac facies vetusta visa est duobus abhinc saeculis. Quis porro neget in his quoque regionibus, in quibus multa erant ex Romana consuetudine, eas etiam tabulas fuisse, quae veterum monumenta e subterraneis Romae locis postea saepe eruta imitentur? Lapides porro eruditae aetatis puncta quidem habent non ad litterae basim, sed ad latus, medioque fere in spatio, quod vocabula discriminat, insculpta; at quis verissimae antiquitatis lapides aliquando non vidit, in quibus puncta ad imum paene essent litterarum? Ex iis, qui veteres inscriptos lapides collegerunt, quique sunt a nobis in hoc sermone commemorati, unus fuit Raphael Fabrettus, qui, dum suos ederet, puncta, quae versuum verba, sive litteras, quibus verba contrahuntur, distinguunt, altiora esse et in medio spatio posita voluerit, et hoc et certum antiquitatis indicium esse, et ad omnium temporum antiquitatem omnino pertinere visus sit existimare. Notam S in quinto monumenti hujusce nostri versu positam ab Ursato explicatam esse Maffejus non animadvertit. Singulare monumentum est; potest ergo solitaria littera T verbo *tergo* explicari; res ipsa postulat, postulare videtur certe, ut ita explicetur. Licuit Maffejo antiquariis oculis saxum istud inspicere, nobis videre nostris non licuit; sed cum Vicetiae adhuc sit, omnia per litteras de eo cognovimus, de quo quidem dicemus postea. Licuit interim nobis ita agere, uti agendum esse Maffejus ipse docuit; qui multa praecipiens in eo lapidum examine, quod oculorum opera peragitur, nihil eorum certum omnino, et ubique esse voluit, sed omnia prudenti inquisitioni temperanda aut excipienda commisit. Sunt haec in ejus arte Critica (58): *Nec monere praetermittamus, quadratarios veteres puncta intermedia non inferius ad literarum pedem, ut nunc mos est, sed pauto superius, et ad mediam altitudinis literarum imprimere consuevisse, quod multi ex veteratoribus nostris non animadverterunt, neque imitati sunt . . . . At illa nunquam nobis excidat consideratio, has observationes omnes, tanquam certos et indubitatos canones, minime usurpandas, sed cum moderamine inculpatae prudentiae adhibendas, et cum quibusque disscussionibus ceteris conjungendas.* Id certe optime est a Maffejo in Arte Critica constitutum. Quid enim est in re lapidaria tam certum, cui certissimum aliquod exemplum exceptionem non faciat? *Interpungebatur*, inquit idem Maffejus (59), *ut plurimum verbis singulis in Latinis marmoribus: at cum ea puncta dictionibus tantummodo distinguendis inservirent, non solebant ad finem versuum incidi, ubi finis ipse distinguebat.* Quis hoc neget? At marmor Musei Taurinensis puncta habet in fine versuum. Hoc ipse Maffejus voluit animadverti. *In hoc*, inquit (60), *pyramidato marmore puncta, ut vides, extremis versibus adjiciuntur.* Sed jam ea, quorum causa de hoc T. Capellii monumento dicere instituimus, persequamur. Aliqua tamen praemittenda, quae ad veterum sepulcrorum ritus spectant; in iis non evagabor intemperanter.

XII.

Ea fuit lex in XII. Tabulis: *Hominem mortuum in Urbe ne sepelito, neve urito.* Qui post hanc legem in urbe sepulti sunt, fuerunt aut ii, quibus hoc ante hanc legem virtutis causa tributum est, ut Publicolae, ut Tuderto, quod eorum posteri jure tenuerunt; aut ii, si qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis causa, soluti legibus, consecuti sunt. Haec Cicero lib. II. de Legibus c. XXIII. Imperatorum quoque leges in Urbe sepeliri saepe vetarunt (61). Extra urbem igitur, prope illam tamen, sepulcris locus erat. Horti, agri, ossa ac cineres excipiebant:

Ante urbem exsequiae, tumulique, ignesque, rogique (62).

Suo quisque in agro partem aliquam sepulturae destinabat. Qui fundum viae publicae proximum haberet, in ea parte, quae viam spectabat, sepulcrum condere jubebatur, ut viatores mortalitatis admonerentur. Est hoc in lege Sempronia: *Sepulcra extremis finibus circa decumanos et cardines, qui vicem itineris publici teneant, collocantor:* hoc vero in lege Julia, quae est de Agrorum divisione: *Monumenta, sepulcrave, quae post haec in agris hac lege divisis assignatis constituentur, juxta decumanos ei cardines, qui centurias terminabunt, vicemque viae publicae obtinent, collocantor.* Hinc Appia, Aurelia, Flaminia sepulcris celebres; hinc saepe viatores in hisce inscriptis lapidibus appellati. Haec quidem de honestis ac locupletibus viris: pauperes enim, quibus nulla agri pars, proindeque nullum proprium privatumque monumentum, neque satis pecuniae ad illud comparandum, communi et publico loco sepeliebantur:

(56) Artis Crit. Lap. lib. III. cap. III. col. 200.

(57) Cicero Philippica XII. cap. IV. *Et ut omittam reliquas partes Galliae, (nam sunt omnes pares) Patavini alios excluserunt, alios ejecerunt, missos ab Antonio: pecunia, militibus, et, quod maxime deerat, armis nostros duces adjuverunt. Fecerunt idem reliqui, qui quondam in eadem causa erant, et propter multorum annorum injurias alienati a senatu putabantur. Quos minime mirum est, communicata cum his republica, fideles esse, qui etiam expertes ejus, fidem suam semper praestiterunt.*

(58) Lib. III. cap. II. col. 176.

(59) Artis Crit. Lapid. col. 176.

(60) In Museo Veronensi pag. CCXXI. n. 4.

(61) Vid. Samuelem Pitiscum in Lex. Rom. Antiq. V. *Sepulchrum.*

(62) Ovidius Metam. lib. XIII. v. 688.

Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum (63).

Quae terrae pars sepultum, aut humatum acceperat, ea multa religiosa jura complectebatur; ea erat omnino sacra: non eo falx, non arater ibat; non verti, non subigi, non coli poterat. Ne igitur sepulcrorum magnificentia, ne religio totum solum, in quo monumentum erat, occuparet; ne terram, quae viventibus fruges suppeditare potest, mortui minuerent (64); ne quis demum alterius sepulturae partem usurparet, definiri plerumque solebat spatium, quod sepulcro destinatum erat, spatium scilicet loci religiosi; ut sua Manibus, Gentibus, Familiis, exstinctis hominibus jura intemerata essent; ut etiam sciretur, quid puri loci, h. e. neque sacri, neque religiosi, relinqueretur. Excitatus et impositus lapis, cippus, columella, cui mortui nomen ac laus incisa erat, solemnes idcirco formulas habebat verbis sive notis expressas, *In Fronte Pedes . . . . In Agro pedes . . . .* quibus latitudinem longitudinemque soli ad sepulcrum spectantis veteres significabant. Latitudo enim, quae pars anterior erat, et viam plerumque respiciebat, verbis illis, *In Fronte*, designabatur; longitudo vero, quae posterior erat, et in campos excurrebat, illis, *In Agro*, sive *Retro*. Plena exemplorum vetustas. Neque tamen *Frontis* nomine latitudinem semper veteres significabant, spatiumque viae conterminum; neque longitudo ea semper apud eos pars erat, quae in agro spectabatur. *Aliquando enim*, inquit Cl. Montfauconius (65), *occurrunt sepulturae loca, ubi longitudo illa facies esse intelligitur, quae viam respicit; sic quippe legitur*, in agro pedes sex, in longo pedes octo; *alibi vero sic*, in fronte pedes sexdecim, introsus pedes decem, *ubi* introsus *pro* introrsus *legitur, significatque intra agrum;* optimeque animadversum est a P. Joanne Antonio Ursato (66), majorem spatii partem, sive anterior esset, sive posterior, pro longitudine assignatam fuisse, minorem vero pro latitudine. *Aliqua autem*, pergit idem Montfauconius, *inscriptio frontis spatium limitesque denotat, per monumenta hinc et inde a lateribus secus viam posita*: In Fronte Inter Monumentum Titi Rustici, et Lucii Gellii, In Agro Pedes Duodecim. *Hic, qua viam respicit, locus qua sit mensura non notatur, quia sufficiebat hinc et inde terminos adscribere.* Hic igitur veterum mos indesignandis sepulcrorum limitibus.

Quid igitur in nostro hoc Titi Capellii monumento, post designatos in fronte pedes, nomen *Coxae, Pedes a Tergo Coxae, Pedes intra Coxam?* Dum Romae esset Montfauconius anno MDCXCIX., familiae Caesenniae amplissimum monumentum in Portu Romano detectum est. Mirae antiquitatis exsuviae jussu atque opera Cardinalis de Bouillon luci redditae. Ad Caesenniam gentem inscriptiones omnes spectabant. Harum maxima totum loci sepulturae spatium ostendebat: en postremi versus, qui nobis describendi sunt, ut, quae ex Montfauconio subjiciemus, optime intelligantur:

SEPVLCRVM · MACEREIS · CIRCVMCLVSVM
IN · F· P· CCC· IN · AGRO · P· XCVI
Q· F· IVG

In Fronte pedes trecentos, in agro pedes nonaginta sex, qui faciunt jugerum (67). Est hoc maximum totius antiquitatis sepulcrum. Eas inter inscriptiones una fuit, cujus occasione nostram hanc T. Capellii Montfauconius citavit; et alteram altera illustravit. Ea fuit in urna marmorea; ecce illam:

D· M·
L· FABRICI · L· F· PAL
CAESENNI · GALLI · EQ. ROM.
PONTIF· L· L· SCRIB· AEDILIC
OMNIBVS · HONOR · IN · COST· F·
ITALICVS · P· DIGNISSIMO

Haec ita legitur, inquit Montfauconius: *Dis Manibus Lucii Fabricii Lucii Filii Palatina* (tribu) *Caesennii Galli Equitis Romani, Pontificis, Lucii liberti, Scribae Aedilicii, Omnibus Honorati: In Costa Fecit Italicus Patri dignissimo. Videmus hic*, pergit ille (68), *libertum equitem Romanum, eundemque pontificem, et scribam aedilicium; nescio an uspiam alibi libertus reperiatur tot tantisque honoribus insignitus.* Haec tandem addit. *Vox* In Costa Fecit *significat, ut quidem verisimile est, Italicum hunc sarcophagum posuisse ad latus illius magni loci macereis circumclusi, qui ad gentem Caesenniam pertinebat:* ejus scilicet loci, cujus inscriptionis postrema verba paullo antea descripsimus. Titi Capellii monumentum hic affert Montfauconius, et Fabretti in vocem *Coxa* interpretationem, de qua nobis postea dicendum erit; ac rursus ad *Costam* redit, et haec scribit (69). *Vox* in Costa *significat, ut quidem videtur, alterum ex duobus angustioribus lateribus, quae pedum nonaginta sex erant.* Sed quae spes ex hoc Montfauconii monumento exorta erat, ut illi etiam, de quo nos agimus, auctoritas aliqua accederet, et opportuna explicatio per quandam similitudinem adhiberi posset, ea omnis evanuit. Eam enim inscriptionem aliter omnino legendam esse verissime docuit Cl. Muratorius (70); ita scilicet: *Lucii Fabricii Lucii filii Palatina* (tribu) *Caesennii Galli, Equitis Romani, Pontificis Laurentis Lavinatis, Scribae Aedilicii, Omnibus Honoribus In Colonia Ostia Functi: Italicus* (Libertus) *Patrono dignissimo.* Cui lectioni haec addit: *Jam alibi monui, quum* Laurens Lavinas *occurrit, respicere hoc nomen pontificem, aut sacerdotem, templo celeberrimo addictum, quod in oppido ejus nominis*

(63) Horatius lib. I. Serm. VIII. v. 10.
(64) Cicero ex Platone lib. II. de Legibus cap. XXVII.
(65) Citati Operis pag. 114. T. V. P. I.
(66) Adnotatione c in Epist XIII. Eq. Sertorii Ursati. *Marmi eruditi. Opera Postuma.* Podava, 1719. 4.
(67) V. Montfauconium in toto Capite VI. lib. III. Primae partis ejus voluminis atque operis, quod alias citavimus.
(68) Pag. 112.
(69) Pag. 114.
(70) In Novo Thesauro pag. DCXCIX. n. 8.

situm describit Virgilius Lib. 7. *Aeneidos. Denique pro* IN COST. *lego* IN C. OST. *idest* in colonia Ostia, *quae est in aliis saxis, atque a Plinio* colonia *nuncupatur, eratque oppido Laurento contermina.* Eundem lapidem antea dederat idem Muratorius (71), et haec adnotaverat: *Idest* Pontifici Laurentum Lavinatium. *Pro* IN COST. *legendum suspicor* In Colonia Functi. Sed posteriores cogitationes sapientiores habuit. Jam igitur de Patavino Titi Capellii monumento, quod prorsus singulare est, Ursati sententia afferenda. Is in ea Epistola, quam alias citavimus, voce *Coxae* aliquid significari, quod ad agrorum limites pertineret, optime existimavit; cumque limites isti apud veteres, *rivis, fossis, arboribus antemissis, tumore terrae, collectione petrarum, naturalibus, et signatis lapidibus, viis, sepulcris, arboribus peregrinis, et aliis signis* (72) constituerentur, elatam terram, aggerem, *Coxae* nomine indicari ex quadam Hadriani Turnebi interpretatione opinari se dixit. Verbum enim *Cossigerare*, quod apud Accium est, explicuit Turnebus, *in Coxam aggerare et attollere. Cossigerare*, inquit (73), *dicit Accius pro in coxam aggerare et attollere; nam cossam etiam pro coxa dicebant; testimonio est cossim pro coxim: Verba Accii; Bene proscissas cossigerare ordine porcas, bidenti ferro rectas* deruere.* *aliis tectas. Haec ex Turnebo Ursatus, qui cetera deinde persequitur, quibus notatae in eo monumento dimensiones explicentur. Aggerem hunc *planae, atque uniusmodi superficiei mensurae veluti per machinam dureque admodum accommodari*, dixit Eabrettus (74); cujus interpretationem antequam damus, in eam, quam Ursatus attulit, aliquid animadvertimus. Verba Accii, *bene proscissas cossigerare ordine porcas*, sunt apud Nonium Marcellum c. 1. n: 305. in voce *Porcae.* At lectio est valde dubia; nam manu exarati Codices habent *Possigerare;* alii ita legunt, *prosit aggerare;* alii etiam *Cossimgirare* (75). Vocem *cossigerare* recensuit Forcellinus, ac Turnebi interpretationem adjecit; de lectionis tamen varietate monuit. At, sit certa lectio *cossigerare;* certane Turnebi interpretatio? Vereor equidem: in agro enim *porca* est quod in arando exstat, seu terra elata inter duos sulcos, ut ex Varrone et Columella didicimus (76), cujus postremi auctoris haec verba damus ex lib. II. c. IV. *Liras rustici vocant easdem porcas, cum sic aratum est, ut inter duos latius distantes sulcos medius cumulus siccam sedem frumentis praebeat.* Cum igitur terrae elatio, terrae cumulus *porcae* nomine denotetur, vix crediderim vocem aliam fuisse in eo Accii loco, quae idem omnino significaret; iisque libenter accederem, qut ibi legunt *prosit aggerare;* hoc enim verbo satis monemur, ut porcae bene attollantur; vocem demum illam *Cossigerare* ex hoc ipso Lexico expungerem. Sed illud etiam est, quod apud *Varios Auctores de Limitibus*, quos Wilelmus Goesius edidit et illustravit, in hanc rem legimus. Faustus et Valerius VV. PP. per Gallias, et per Africam limites assignarunt; hoc inter cetera se fecisse dicunt: *Trifinium* (77) *quam maxime aliquando constituimus cum signis, id est cineribus aut carbonibus, et calce ibidem construximus, et superduximus, et super* Coxam *monticellum constituimus.* Hinc scilicet suspicio oritur, elatam terram, aggerem, *Coxae* nomine minime significari; non enim agger aggeri ab iis, qui limites constituerunt, fuit imponendus. His moveor, ut de Ursati aggere vehementer dubitem; quem ille ejusmodi fuisse in ea Epistola conjecit, ut non modo T. Capellii sepulcrum clauderet ac tueretur, sed a conterminis etiam agris immoderatam aquarum violentiam prohiberet. Sed jam ad alteram Fabretti interpretationem accedimus. *Ipse*, inquit (78), *Siculus Flaccus . . . . haud obscure quid* Coxa *sit in agrorum mensura docet, et ad inscriptionem* (Titi Capellii) *simplici facilique via enucleandam conducit. Coxa igitur quemadmodum in humano corpore est os femoris ossi sacro per vertebram adstrictum, angulum internum in sui flexura constituens, ita in agris angulum internum signat; unde per Siculum angulo opponitur pag.* 6. possessorum termini, qui omnibus angulis coxisque positi esse debent. *Qua etiam naturali similitudine retenta, externus angulus Coxam claudens* cubitus *vocatur ab incerto inter* Var. Auctor. de Limit. pag. 266. Pentagonum, quod interpretatur cubitos quinque. Haec Fabrettus, qui etiam adjecto schemate tres illas dimensiones *In Fronte A Tergo Coxae, Intra Coxam*, nullo aggere inducto, explicat atque designat. Fabrettum secuti sunt, qui vetus Calepini Lexicon interpolarunt: haec enim in eo legimus (79): *Quemadmodum in corpore humano coxa ossi sacro adjuncta angulum internum facit; ita in agris angulum limitaneum notat:* citatur locus, quem ex Siculo Flacco Fabrettus attulit; exemplum additur ex hac Titi Capellii inscriptione; in qua tamen bis typographus peccavit. Pedes enim A Tergo Coxae ponuntur LXVII.; additur postea Infra Coxam. Eandem interpretationem secutus est Forcellinus, eadem auctoritate usus, eodemque exemplo. Sed quae sunt ex anatome, ea melius intellexit; dixit enim; *Quemadmodum in corpore humano femur coxae adjunctum, angulum internum facit; ita in agris* coxa *angulum internum limitaneum notat:* in rotundos enim sinus, sive acetabula ejus ossis, quod Coxa dicitur, capita ossis femorum hinc et inde conjiciuntur. Titi Capellii inscriptionem fideliter Forcellinus descripsit; Fabrettum et Ursatum de ea locutos indicavit. *Eradatur*, inquit Maffejus (80), *ficticius hic titulus ab eximia, quae paucis abhinc annis Patavii adornata est, Latini Lexisi editione, simul cum doctrina de voce* Coxae *angulum agrorum* internum *significante.* Lapidem igitur, quem ipsis oculis falsum deprehenderat, ex iis etiam quae continet, omnino damnat. *Sed falsitas* inquit (81), *praecipue patet ex inauditis ipsis dimensionibus* Intra Coxam, *et* A Tergo Coxae. *Id cogitavit qui cofinxit; ubi formulam nunquam visam minime intelligere faterentur omnes, proditurum ipsum, et Siculi (Siculii, vel Seculei enuntiandum opinor) auctoris parum triti loco, ut arbitror, unico in medium producto, non sine populi acclamatione explicaturum. At* Coxam *Siculius dixit*, intra Coxam, *et* A Tergo Coxae *non dixit. Is de agrorum terminis sermonem habens*, omnibus angulis coxisque *positos esse debere monet: Fabrettus, coxam* in agris angulum internum signare *tradit*, et ea similitudine *externum angulum vocari* cubitum *notat. Ego, quid interni et externi anguli sint, ubi de agris agitur, vix intelligo; multo minus, quid anguli tergum. Externum angulum mathematici vocant,*

(71) Pag. CLIV. n. 4.
(72) Var. Auct. de Limitibus Agrorum.
(73) Adversariorum Turnebi lib. XXIX. c. XIX
(74) Pag. 180.
(75) Vide Notas in Nonium pag. 1840. Auctorum Latinae Linguae cum notis Gothofredi. Coloniae Allobrogum, 1622.
(76) Vide in hoc Lexico V. PORCA §. 6., et V. LIRA §. I.
(77) Rei Agrariae Auctores Legesque Variae cura Wilelmi Goesii Amstelaedami, 1674. 4.° pag. 306.
(78) Alias cit. pag. 180.
(79) V. *Coxa.*
(80) Artis Crit. Lapid. lib. III. cap. III col. 202.
(81) Col. 200.

quem trianguli latus efficit, si producatur: constat ex Euclidis Propos. XXXII. *Lib. primi, qua docet omnis trianguli* μιᾶς τῶν πλευρῶν προσεκβληθείσης uno laterum producto, τὴν ἐκτὸς γωνίαν externum angulum, *hoc est, qui extra triangulum fit, duobus internis aequalem esse; at in re limitanea, qui extra agrum anguli concipi gossint, nemo considerat, et internos ab externis distinguit nemo.* Coxa *flexus seu flexura est, cum scilicet campus rectis lineis non circumscribitur, sed flexuosis: tunc enim necesse est, non extremos angulos tantum, sed locos etiam, ubi inflectitur fundus, et procurrit, terminis designare:* versuras *itidem Flaccus appellat, et, ubi habet* in flexis versuris, *putavit Rigaltius (nulla tamen necessitate)* in coxis *legendum esse;* nam, *inquit,* in arte ista mensoria, Coxae dicuntur flexus et versurae terminorum. *Poterat eapropter, et in sepulcri area, ac religioso loco Coxa fortasse memorari; at vocabuli vim non intellexit, qui Pedes* intra coxam, *et* a tergo coxae *commentus est.* Haec ex Maffejo continenter descripsimus; ea modo afferemus, quae nobis videntur probabilia. Ac primo quidem illud monemus, ne de Siculi Flacci auctoritate quis dubitet. *Auctor,* inquit Maffejus, *parum tritus;* scilicet, ut ii omnes qui penitiorem agrariarum antiquitatum notitiam continent. Sed vetus auctor; sed is, qui consulendus omnino est, cum de agrorum conditione, ac limitibus agitur. *Auctorem esse,* inquit Nicolaus Rigaltius (82), *inter veteres censendum, ex Boethiano agrimensorum catalogo satis constat. Sed nec ante Domitiani aevum, neque item post Nervae tempora vixisse, ex eo fit verisimile, quod Domitiani de subsecivis edictum laudaverit, non item Nervae: quem tamem etiam de subsecivis aliquid edixisse, notavimus.* Ad postrema igitur Latinitatis tempora referendum est opus Siculi Flacci *De Conditione Agrorum:* ejusque testimoniis in Latino Lexico locus esse debet. Illud deinde animadvertimus, vocem *Coxa* bis apud Siculum Flaccum occurrere; semel apud alios Rei Agrariae Auctores. Primus locus in Siculo Flacco is est, quem Fabrettus citavii: *Ergo* (83) *convenientia, ut supra diximus, possessoram terminos consecrat, qui, ut ante dixeramus, omnibus angulis* coxisque *positi esse debent.* Alter vero apud eundem Flaccum sic est: *Nam* (84) *et in ipsis generibus sicubi* coxae *sunt, terminos invenimus frequenter. Sed et petras naturales, quae in finibus incedunt, saepe notatas invenimus.* Tertium locum ex Fausto et Valerio ipsi nos jam adduximus; hoc etiam ibi legitur: *Super* Coxam *monticellum constituimus.* Illud igitur certum jam est, esse in hac voce sensum quendam alium omnino ab eo, quem omnes vident; vocem hanc ad agrariam antiquitatem pertinere; habere demum significationem, quae ad agrorum limites spectat. Verum, angulumne internum limitaneum notat? Hoc vero ne ipse quidem probo; in hoc ego quoque a Fabretto ceterisque dissentio. Et ne geometras huc vocem, quod sibi Maffejus faciendum esse duxit, unum hoc animadverto, ideo hanc explicationem Fabretto placuisse, quod apud Siculum Flaccum ea legerit *possessorum termini, qui omnibus angulis coxisque positi esse debent;* ideoque *coxas* angulis opponi, et hos quidem externos esse, illas vero internos angulos existimaverit. Hoc vero ex illis Flacci verbis quomodo deduci possit, certe non video: diversi enim limites, et ad diversam agrorum figuram pertinentes ibi certe a Siculo Flacco, qui generatim loquitur, significantur. *Coxam* ergo, ut Maffejus quoque ait, flexuram esse, versuram omnino existimo; cum scilicet ager recturam, ut Frontinus loquitur, non servat, sed flexis lineis circumscribitur, In versuris enim termini ponebantur. Figura Graecae litterae Γ versuram exhibet. *Hinc illa,* inquit Rigaltius (85), *apud hosce scriptores* (Rei Agrariae) *terminus in Gamma jacet. Et termini transversi Gammam faciunt; et similia.* Coxam vero flexam versuram esse idem Rigaltius existimat, et in iis ejusdem Flacci verbis, *Alii* (86) *tantummodo inflexis versuris* etc. legi vult ac retineri, *Coxis* (87). Id quidem *nulla necessitate* ab eo factum esse dicit Maffejus; at fecit id Rigaltius auctoritate pervetusti codicis Joannis Arcerii; ex quo codice Josephus Scaliger libellum Siculi Flacci *De Conditionibus Agrorum* describi antea curaverat. Nicolai Rigaltii adnotationem integram subjicio. In Flexis Versuris) *Liber Arc. In coxis vel in rivis. Omnino retinenda vox, coxis. Quod autem sequitur, vel in rivis, irrepsit in aurem describentis, pro, versuris, quod est glossema praecedentis vocabuli, coxis. Nam in arte ista mensoria Coxae dicuntur flexus et versurae terminorum: quando scilicet rigores sive recturas et rectos linearum cursus non servant.* Hujus vero significationis prompta et aperta ratio est. Rotundi enim coxae sinus, quibus capita ossis femorum inserta sunt, totius humani corporis flexionibus et conversionibus inserviunt (88). Ita ergo in hoc Lexico ad hujus vocis significationem scribendum esset: „Quemadmodum circa coxas praecipuae humani corporis flexiones conversionesque fiunt, ita in re Agraria flexus et versurae camporum dicuntur *Coxae.*“ Redeo jam ad Patavinum Titi Capellii monumentum. Si quid ego possem conjicere, si quid ex Ursati lectione mutare, quintum ejus Tituli versum ita legerem, *A Termino Coxae Sepulcrum Pedes XXVII.* In versuris enim, quod jam vidimus, termini ponebantur, ideoque et in coxis; *necesse* enim *est,* ut ajebat Maffejus, *non extremos angulos tantum, sed locos etiam, ubi inflectitur fundus et procurrit, terminis designare.* Voluit ergo Titus Capellius sepulcri sui latitudinem esse pedum triginta septem, qui in anteriore parte per solemnia verba *In Fronte* designatur. Antequam vero religiosi loci longitudinem praescriberet, notari voluit distantiam a termino coxae, pedes nimirum viginti septem, quos puros reliquit, post quos religiosi loci sive sepulcri longitudinem voluit incipere; quam demum longitudinem esse jussit pedum triginta septem intra coxam, hoc est citra coxam. Distantiam vero a termino coxae ideo definitam fuisse existimo, ut extra fundi flexionem atque versuram commodius designari posset sepulcri longitudo, quae et aequabiliter excurreret, et ad pedes septem supra triginta sese extenderet. Haec certe probabiliter admodum videntur dici; in quibus tamen afferendis, et explicandis adjutum me fateor ab iis, quae Ursatus scripsit in postrema ejus Epistolae parte, qua monumentum hoc illustravit. Aliam quoque explicationem subjiciam, neque illi deerit auctoritas. Dicam igitur, Titi Capellii fundum in trifinio fuisse, hoc est, in loco quem tres possessores attingebant (89); solitariam litteram T fuisse litteram limitaneam; per eam litteram trifinium significari consuevisse. Quintus igitur Tituli hujusce versus ita fortasse legendus; *A Trifinio Coxae Sepulcrum Pedes viginti septem.* Apud *Varios Auctores de Limitibus* a Goesio collectos pag. 269. est grandissima littera T, in cujus capite notatum est T *sola:* pagina vero 272. ita explicatur; T.

(82) In Observationibus et Notis in Rei Agrariae Auctores editos a Goesio, ann. 1674. pag. 210. secundae numerationis.
(83) Pag. 6. apud Goesium.
(84) Pag. 13.
(85) Pag. 216. secundae numerationis apud Goesium.
(86) Pag. 4. Goesii.
(87) Cit. pag. 216. secundae numerationis.
(88) Helsterus in Compendio Anatomico, n. 164.
(89) Siculus Flaccus pag. 6. apud Goesium.

si in termino inveneris, trifinium ostendit. Hanc quoque lectionem subjeci, quam si quis probat, explicationem quinti ejus versus eandem esse sciat, quam antea dedi. Quae spectant ad agros, eorumque limites, varia fuerunt apud veteres ac diversis in locis omnino diversa; ac si quid insolens hac in re occurrit, quod tamen idoneo antiquitatis testimonio comprobetur, suspicionem movere criticis minime debet. Quare, si *coxa* legitima rei agrariae vox est; si in *coxis* fuere limites, cur non dici potuit, *A Tergo*, *a Termino*, *a Trifinio Coxae*, *et intra Coxam?* Dixi igitur de iis, ex quibus praecipue monumenti hujus falsitatem probare Cl. Maffejus conatus est. Hoc unum de hujus sepulcri titulo jure dici potest; singularem illum esse, et quandam habere veluti Patavinitatem. Ego ejus exemplar postremis hisce diebus Vicetia accepi; ac de eo, ut dixi, omnia per litteras cognovi. Saxum hoc dominum, non locum, mutavit. In horto conspicitur ad aedem D. Francisci; isque locus ad Gualdios primum, tum ad Zoppios pertinuit; nunc honesti cujusdam viri posessio est. Caementis ac lateribus adjunctis, signum sustinet ex Etrusco marmore; signum est nudi juvenis, cujus dextera leonis, ut videtur, caput habet; laeva, uvae racemo innititur, Exsurgit lapis ad duos pedes, et plusquam tertiam pedis partem, ejus latitudo vix ab unius pedis mensura deficit; crassitudo, semissis est. Veteris monumenti formam possis agnoscere. Lapidis genus certe non durissimum; at molliores quoque lapides, in hisce nostris praesertim regionibus, adhibitos a veteribus omnino scimus; duos certe, quos nos vulgo dicimus *di Nanto*, paucis abhinc annis in agro Patavino repertos testari possum: habent ambo sepulcrorum titulos: spectant ambo ad gentem Liviam. De hoc saxo, ita, ut vidimus, Maffejus; *Petrae color et facies vetustum aevum non redolent.* Petrae color, inquam ego, plumbum refert; qui certe color in lapide non durissimo, utrum vetustatis larva, an vetustatis indicium sit, non ita facile dici potest. De punctis ad litterarum pedes notatis jam diximus. Puncta quae verba litterasque distinguunt, non ita quidem in Romanis inscriptionibus notabantur; erant tamen aliquando modo in imo paene spatii loco, modo etiam in eo, in quo a nobis poni solent. Dicam demum, in secundo inscriptionis hujusce versu duas illas notas T. F. amplius non exstare, et *Capelli* inscriptum esse, non *Capeli*, ut edidit Maffejus; in quarto versu pedes esse XXXVII., a quibus unum idem Maffejus detraxit; in quinto demum, pedes modo legi XXII., ut descripsit Maffejus, sed alteram denarii numeri notam vix conspici, primosque tantum duarum unitatum ductus apparere, qui profecto vestigia sunt notae numeri quinarii, cum Scardeonii et Ursati temporibus pedes essent in hoc versu XXVII. Haec ego dubitanter respondi viro celeberrimo; cujus tamen non modo ingenio, sed oculis etiam *insculptis antiquo scalpro litteris diutissime assuetis* permitto omnia atque concedo Scripseram haec, et jam seposueram, cum *Specimen* quoddam allatum est *Observationum in Insulam Crexae et Auxeri.* Recens opus cum evolverem, quasdam etiam inscriptiones animadverti, quarum undecima atque postrema haec est.

SEX . IVLIVS . C. F. NIGER .
AED . IIVIR . V. F. SIBI .
ET . IVL. . . . . ET. FR.
IN . FR. . . . . .A.
TERGO . . . . . .M.

Sepulcri titulum habet, et in parva quadam Adriatici maris insula, cui nomen *Sansego*, detecta est (90). In quarto versu religiosi loci dimensiones notari incipiunt; legitur enim *In Fronte;* quae igitur sequuntur, ad easdem dimensiones spectant. Omnia fere evanuerunt; relicta est integra vox *Tergo*, quae certe videtur a postrema quarti versus littera pendere. Verba igitur *A Tergo* ad sepulcri spatium designandum adhibentur. Quaenam vox in quinto hujusce tituli versu vocem *Tergo* sequeretur, ne divinando quidem dicere possumus; sed jam est aliquid in hoc lapide, quod ejus, de quo antea diximus, novitatem et insolentiam minuit; aliquid etiam, quod Ursato, qui notam T. in Capellii monumento pro *Tergo* explicuit, fortasse favet. Hic demum consistimus *(k)*.

XIII.

Rem aliam aggredimur ab eruditis varie jactatam. Spectat illa ad vocem *Iduaria.* Est apud Gruterum (91) inscriptus lapis, IDUARIA.

(90) *Saggio d' Osservationi sopra l' Isola di Cherso ed Ossero d' Alberto Fortis* etc. *Venezia*, 1771. Pag. 242.

Pag. 121. Sansego *è un' isoletta lontana da Lossin picciolo sette in otto miglia all' Ovest, quindici da Ossero, trentacinque da Cherso, e poco più dalle foci dell' Arsia, alle quali giace dirimpetto.*

Pag. 122. *Quest' isola, a cui non trovo che alcuno scrittore abbia determinato un particolar nome antico, fu però anticamente, e dell' isole vicine. Alcune tavole di marmo Greco, e qualche lavoro di scalpello non affatto rude vi si vedono ancora. L' iscrizione occerata più sopra* (pag. 121.), *e che sarà riferita più sotto* (pag. 242), *appartiene a non del tutto ignobile famiglia; e sarebbe una stravaganza il credere, che d' altronde vi fosse stata portata. Quel povero contadino che ha fabbricata la capanna, in cui ella si ritrova, l' ha scoperta nello scavare il terreno per prepararlo ad uso di meschina abitazione; e uno si è nemmeno dato il pensiere di dissotterarla del tutto.*

(k) Post tot *Cognolati* verba de hoc lapide, qui olim Patavii, nunc Vicetiae adhuc exstat in domo *Com. Tornieri*, non incongruum videtur illum iterum adamussim lectorum oculis repraesentare, qualis reapse nunc ibidem legitur:

D . M .
T . Capelli
Vindicis
In . F . P . xxxvii
A . T . Cox . S . P . xxi
Intra . Cox . P . xxxvii

In secundo itaque versu nunc non apparent vestigia litterarum T. et F., sed spatium tamen iisdem continendis remanet; in quinto nec XXII, nec XXVII, sed XXI tantummodo, quin imo ibique, lapide attentius inspecto, nullum aliud notarum vestigium apparet, quibus ob lapidis angustiam spatium praeterea deest. Illud denique notandum etiam est, litteras initiales aliis longiores esse, nempe T., Capelli, Vindicis, In, F., P., A., T., Cox., S., P., Intra, Cox., P., quod quidem fraudis alicujus suspicionem inducit. Quidquid tamen sit, *Orellius* in *Collect. Inscr. Lat. n.* 4564. hunc lapidem partim ex *Grutero*, partim ex *Fabretto*, partim etiam ex *Ursato* retulit, et *Scip. Maffeji* opinionem secutus est, qui spurium et ad eludendos viros doctos confictum pronunciat, cui quidem sententiae me quoque subscripturum esse, ingenue fateor.

(91) p. CCCCLXXVIII. n. 1.

quem Forcellinus in V. CALENDARIS §. 2. descripsit. Hunc ego primum legentium oculis subjiciam; ea deinceps addam, quae de illo sunt apud Maffejum; dicam demum ipse aliquid, remque edisseram, ut potero. Ecce lapidem Aesonae in Catalaunia;

L · VAL · L · FIL ·
GAL · FAVENTINO
II · VIRALI
QVI · ANNONA
FRVMENTARIA
EMPTA · PLEBEM
ADIVVIT · ET · OB
ALIA · MERITA · EIVS
COLLEGIA · KA
LENDARIVM · ET · IDVARIA · DVO
CIVI · GRATISSIMO
POSVERVNT

Prima lapidis hujusce verba ita legenda: *Lucio Valerio Lucii Filio Galeria* (tribu) *Faventino Duovirali* etc. *Faventiam* hanc ad citeriorem Hispaniam pertinere, ac *Barcinonem* coloniam fuisse *juris Italici*, dictamque esse *coloniam Barcinonem Faventiam* egregie *(l)* probat Ursatus (92). Nobis alia sunt modo agenda. Quoniam igitur Calendis cujusque mensis pecunia fenebris apud Romanos collocari solebat, et Calendis itidem ejus usura solvi, idcirco eum librum, in quo feneratores eorum nomina perscribebant, quibus pecuniam fenori dabant, ac solvendae etiam pensionis quantitatem, Calendarium dicebant: *Libro de' crediti*, *Registro de' censi*. Id jam antiquae leges, Latini auctores non pauci, lapides etiam testantur (93). Qui has tabulas servabat, is dicebatur *Calendaris Curator*, vel *Curator Calendarii*. Horum curatorum collegia etiam fuisse ex descripti lapidis auctoritate existimat Forcellinus. At quod Calendis cujusque mensis fieri solebat, id quoque Idibus factum esse, nonnulli existimant; ut nempe is quoque dies pro usurarum solutione definiretur: hinc eas tabulas, in quibus fenori locatas pecunias, et Idibus receptas vel recipiendas Romani perscribebant, vel in quibus apochae receptae pecuniae condebantur, *Iduarias* dictas fuisse; qui eas scribebant, *Iduarios*. Rem probant eodem Gruteri lapide, ejusque testimonio eam vocem Latinitate donant (94). Hanc itaque sententiam, hanc vocem, hunc lapidem damnat Maffejus. Ecce illum (95). *In hac charta est, quae sic loquitur.* Collegia Kalendarium Et Iduaria Duo Civi Gratissimo posuerunt: *in* Iduariis *explicandis viri docti disputant, et ex hoc titulo Lexicographi vocem recensent: at civitatum* Kalendaria *cum marmora, tum antiquae leges nobis ostendunt,* Iduaria *monumento comprobantur nullo.* Kalendarium *quid esset, facile intelligimus, tabulae scilicet rationum publicarum, et proventuum ex pecunia fenori data, cujus usurae cum antiquitus singulis mensibus penderentur, et quidem ineuntibus,*

quum tristes misero venere Kalendae (96),

Kalendarii *nomen ejusmodi codicibus inditum: at* Iduarium *quid esset, non intelligimus; neque enim* Idibus usurae colligebantur, *ut Pithoeus cogitavit* (97) *neque ex Horatii joco* (98),

Omnem relegit Idibus pecuniam:
Quaerit Kalendis ponere

Iduaria *confestim eruuntur. Anxium feneratorem eo loco a poeta vellicari puto, quod ante diem exigere conaretur, et rursus statim collocare; ceteroquin ipsis tantum Kalendis* Mercedem, aut nummos unde unde *extricasse aeris debitores ipsemet Horatius docet loco citato* (99), *itemque Ovidius* (100),

Qui puteal, Janumque timet, celeresque Kalendas.

Scaliger Curatorem Iduarii *excudit ex* G. ID. *in* Laziana (101) *nullius frugis, quae ubi primum affertur* (102), *habet* IV. *Verum fuerint* Iduaria: *posuerunt* Collegia; *quaenam? Apianus, et ex eo in Hispanicarum collectione Occo, ut aliquid dicere viderentur,* Collegia Kalendariorum *scripsere. Quid autem* Posuerunt Civi Gratissimo? Kalendarium Et Iduaria Duo: *mirum plane est, ex novo hujusmodi honorificentiae genere commentum quibuscumque non patefactum. Kalendarias siquidem et Iduarias tabulas honesto probatoque civi tradi par erat quidem, ut eas diligenter curaret atque integre; at in ejus honorem tamquam marmorea signa, vel monumentum perpetuum quoddam, publice statui certe illae non poterant.* Ego vero exigendarum usurarum duo maxime fuisse tempora, Calendas, et Idus, prout in contractu convenisset, omnino existimo; et quae de Alphio feneratore a Maffejo dicuntur, certe non probo. Haec enim apud Ciceronem lego Orat. I. in Catilinam c. VI. *Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties:* neque unquam existimaverim, haec ideo a Cicerone dicta, quod Catilina, qui multa tam multis debebat, ita

(*l*) Imo perperam; nam Barcino quidem etiam Faventia colonia dicta fuit, ut habet *Plin.* 3, 3, 4., minime vero absolute Faventia appellatur: adde quod Aesonenses, qui hunc lapidem posuerunt, civem suum gratissimum vocant ob ejus merita, ita ut vel ex ipso lapide manifestum sit, illum non Barcinonensem fuisse, sed Aesonensem civem: restat igitur, ut *Faventino* cognomen sit L. Valerii, cum certissime constet, saepe veteres Latinos cognomina sibi adscivisse ex urbibus, aut provinciis, unde iidem, vel eorundem progenitores oriundi fuerant. V. CALENUS §. 6., COLLATINUS §. 3., ROMANUS §. 7., SABINUS §. 2.

(92) Epistola VII. pag. 135. *Marmi Eruditi.* Padova, 1669.
(93) Vid. VV. CALENDAE §. 8. CALENDARIS §. 2. CALENDARIUM §. 2. in hoc Lexico.
(94) Vid. V. IDUARIUS §. 1.
(95) Artis Crit. Lapid. lib. III. cap. IV. col. 342. et seq.
(96) Horatius Serm. lib. I. Sat. III. v. 87.
(97) Advers. II. 4.
(98) Epod. II. v. 67.
(99) Serm. lib. I. Sat. III. v. 87.
(100) De Remed. Amor. v. 561.
(101) Gruterus pag. DXVII. n. 1.
(102) Apud eundem pag. CCCXLV. n. 10. v. 6.

cum singulis simili prorsus ratione privatim convenisset, ut dies pecuniae et usurae essent Idus. Haec etiam apud eundem Ciceronem lib. XIV. Epist. ad Atticum ep. XX. *Jam vel sibi habeat nummos, modo numeret Idibus.* Hisce testibus rem agit Forcellinus (103): huc certe spectat Horatii jocus, ita eum locum probatissimi interpretes acceperunt: neque profecto is esset in jocando lepos, qui in Horatio esse solet, si Calendae, atque Idus communem feneratorum consuetudinem statim non objicerent. Hisce vero testimoniis Ciceronis locum Epist. ad Attic. lib. X. ep. V. addiderunt nonnulli: *Rogavi, ut, si quid posset, ex ea summa detraheret: promisit: ad me nuper, H-S XXX emisse: ut scriberem, cui vellem addici: diem pecuniae Id. Novemb. esse.* Sed alienum hoc ab eo quod agitur. Cicero de emptione loquitur diversorii cujusdam; nihil de usuris. Iis porro qui aere alieno premebantur, tristes fuisse Calendas alibi ait Horatius, celeres vero Ovidius; at quod Calendas nominent, de Idibus vero taceant, has quoque tristes celeresque non fuisse pecuniam soluturis dicendum est? Quare, si Calendis cujusque mensis accipi pecunia fenebris, Calendis vero atque Idibus usurae solvi solebant, quemadmodum libri erant, qui ad Calendas spectabant, ita etiam fuisse tabulas, quae ad Idus pertinerent, *Calendaria* scilicet et *Iduaria*, eruditi viri opinati sunt; et quemadmodum curatores Calendares, seu Calendariorum curatores fuisse certum est, ita Iduarios quoque, seu curatores Iduarii aut Iduariorum fuisse existimarunt. In iis quae Lazius habet lib. 12. c. 9., quaeque sunt apud Gruterum p. DXVII. n. 1. v. 6.,

DEC. G. ID. COLONIAE
AQVILEIENSIS,

Scaliger legit *Curator Iduarii;* id quidem ex conjecturis, sed quae probari possint: nam ubi apud eundem Gruterum pag. scilicet CCCXLV. n. 10. v. 6. ejusdem lapidis verba ita sunt, DECC. IV, legunturque, *Decurionibus Junioribus*, magis certe arbitrium valuit, quam ratio. Scaligeri explicationem attulit etiam rerum harum doctissimus Eq. Ursatus in suo *de Notis Romanorum* Commentario; illudque addidit; *erant namque* Iduarii, *ut ex Bulengero, in sua Amalthea Onomastica observat Laurentius, qui pecuniam fenebrem* Idibus *relegebant.* In *Breviario* vero et *Mantissa* ejusdem Commentarii notam ID. Idibus. Iduariis. Idus. explicuit. Porro cum harum tabularum curatores publico munere fungerentur, idque agerent in coloniis etiam et municipiis, et proquaestoribus coloniarum fortasse successerint; cum de his titulus exstet in Codice Theodosiano; cum demum inter Officia Domus Augustae censerentur, quis unquam horum curatorum collegia fuisse negaverit? *Jus nomenque collegii*, inquit Joannes de Vita (104), *in omni personarum statu, omnique de re, qua Resp. privatim publiceque componebatur, olim obtinuit.* Lege cetera apud eundem in ea de veteribus collegiis Beneventanorum Dissertatione; aut saltem quaestorum collegia a Suetonio (105) commemorata animadverte. Hinc quemadmodum Calendarium curatorum collegia apud veteres, ita etiam collegia Iduariorum sive Iduaria; et hoc demum responderi Maffejo potest a nobis sciscitanti, Quodnam hoc tandem honoris genus? Calendarium et Iduaria Duo Civi Gratissimo posita? haecne marmorea signa? haecne monumenta? Iratus equidem huic lapidi vehementer essem, si ejus verba hoc modo composita vellem interpretari. Ita potius; Collegia Calendarium, curatorum scilicet, et Collegia Iduaria Duo L. Valerio Faventino Posuerunt. Ita lapidis hujusce fides ex toto constat; optimeque factum video, ut collegia eorum, qui publicas rationes, coloniarum et municipiorum expensas reditusque in tabulis descriptos custodiebant, titulum Faventino posuerint, qui annona frumentaria empta plebem adjuverat. Vide enim quae de curatoribus Calendarii sunt apud Norisium in Cenotaph. Pisanis Dissert. I. c. III., apud Gruterum pag. CCCCXLIV. n. 5. et alibi; et hujusmodi curatorum officium valde simile, idem etiam fortasse, ut ait Forcellinus (106), fuisse invenies cum officio proquaestorum coloniarum. Ubi vero Calendarium curatorum collegia fuerunt, ibi Iduariorum quoque fuisse, *Collegia* scilicet *Iduaria*, sive unum, sive uno plura, ex iis quae hactenus disseruimus, unusquisque conjiciet. Samuel Pitiscus in suo Antiquitatum Romanarum Lexico in V. *Collegium* citat hunc lapidem, et in eo mutat aliquid: *Collegia Calendariorum, et Iduaria suo Civi Gratissimo Posuerunt:* hocne recte, alii dixerint; explicationem ibi allatam ego certe rejicio. Idem tamen eruditissimus auctor in V. *Idus* eundem lapidem rursus describit, neque a Grutero quidquam discedit; haec tandem addit: *Quae sunt duo collegia Iduaria, nec ipse intelligo. Quod si suspicioni locus sit in re obscura, quia laudatur Faventinus praesertim, quod annona frumentaria plebem adjuvit, forsan videri possint ea collegia esse eorum, qui in municipio habebant curam pecuniae alimentorum infirmae aetatis ex plebe, aut annonae populo praebitae: quorum munerum meminit inscriptio apud Gruterum* pag. 386. n. 4. . . . . *Illa tamen collegia* Iduaria *dici non liquet:* neque vero possunt, inquam ego. Nos igitur probabilia secuti sumus; Forcellinum certe defendimus, qui diem quoque Iduum exigendis usuris communi Romanorum more statutam fuisse dixit; qui primum hoc lapide est usus, ut curatorum Calendarium, seu Calendarii, collegia fuisse ostenderet; tum ejus testimonium voci *Iduarius, a, um*, apposuit; in eaque explicuit quid *Iduaria* fuisse putentur, quid *Iduarii, orum.* Verbum igitur *Iduaria* ad *Collegia* referri ipse etiam existimavit *(m).* Nova itaque collegia in Romanam antiquitatem induximus; idque unius lapidis testimonio, cui tamen si satis fidei per ea quae diximus, conciliavimus, severe nimium is aget, qui de re ipsa dubitet, et lapidem e chartaceis fodinis erutum putet. Plura quidem antiquitatis exempla rem hanc testari nobis deberent; at, quod unum superest, quod unum proferri potest, ideo ne legitimum illud esse quisquam negabit: Templorum omnium, Deorum, Dearumque omnium sacerdotes in antiquis monumentis saepissime memorantur; fuisse vero *sacerdotes justitiae* ex uno quidem, sed tamen verissimae antiquitatis lapide cognoscimus. Dedit illum Muratorius (107), et haec adnotavit, quae libenter transcribimus. *Rara Inscriptio, utpote quae nobis exhibet nusquam antea visum* sacerdotem justitiae, *sive Astreae. Si hanc protu-*

(103) Vid. V. IDUS §. 4.

(104) Dissert. V. in Thesauro Antiquit. Benevent. pag. 159.

(105) In Claudio cap. XXIV.

(106) In V. CALENDARIUM §. 4.

(m) Vide, quae ipse in V. IDUARIUS de hujus vocabuli interpretatione attuli; ex quibus patet, eam Hispaniae urbem, cui olim Aesona fuit, nunc *Isona* nomen est, opulentam fuisse, et negotiationi apprime deditam, utpote quae duo habuisset collegia feneratorum, unum Calendis, alterum Idibus fenebrem pecuniam exercere solitum. *Iduarius* autem vox Latina fuisse etiam arguitur ex cognomine Romano in veteri inscriptione, quae in ejus vocis §. 2. citatur ex collectione *Seb. Donati*, quamque ipse ex Museo *Bened. Passionei* transcripsit. Haec omnia si animadvertisset *Jo. Casp. Orellius*, fortasse in sua *Collect. Inscr. Lat. n.* 4053. pro sincero antiquitatis monumento eam inscriptionem habuisset, et *Maffejo*, qui eam primus improbavit, minime obsecutus esset.

(107) Pag. CLIV. n. 1.

lisset Ligorius, eam protinus rigidus quisquam censor ad imposturas amandasset. Atqui marmor antiquum, vividum, Romae apud clarissimum Ficoronium adhuc spectandum se praebet (n). Sed jam ad alia properamus.

XIV.

INASSERO Marmoream tabulam in agro Puteolano repertam, quaeque Neapoli esse dicitur a Grutero (108), *in domo Hadriani Guilielmi*; quae legem continet *parieti faciundo* a II. Viris Puteolanae coloniae latam; quam Morillonius et Pighius, aliique non pauci oculata manu exscripserunt, Capaccius vero, Fabricius, Smetius, Brissonius, Scaliger (109), Salmasius, Gudius probarunt; hanc, inquam, tabulam antiquitatis consultissimus Maffejus, antiquitati abjudicat, valde certe suspectam habet (110). Aeneis quippe tabulis leges et acta consignari solebant; hanc vero marmoream videt; hinc illi primum suspicio. Ego vero cupreas laminas egregie perscriptas, aptissima litterarum figuratione, lato profundoque vestigio, certum fere antiquitatis argumentum esse, in iisque acta, et minantia legum verba exarari et ligari consuivisse, jamdudum didici, et ab ipso Maffejo (111) intellexi; at vero nunquam in provinciis marmoreas tabulas fuisse adhibitas ad eas praesertim leges, quae neque agrariae essent, neque finium regundorum, sed minorum veluti operum, hoc, inquam, nemo certe me docuit. Quamquam in ea tabula legis nomine, conditionem, pactum, normam, regulam significari libentius dixerim. Continet enim descriptionem faciendi operis; est, ut ipse Maffejus ait, instrumentum pacta, quibus standum erat, constituens. Ita *Lex dedicationis arae* est in quodam lapide, quem refert Ursatus in *Monumentis Patavinis* pag. 222. Ea enim marmorea tabula Salonae in Dalmatia inventa fuit, Patavium postea asportata, ibique sita *in pariete fornicis prope pontem Divi Benedicti.* Ejus pars plus quam dimidia recens lucubratio est; Maffejus tamen optime editam ab Ursato fatetur (112), qui nova a veteribus sejunxit. Hoc in ea et certum et vetus; *Cn. Domitius Valens II. Vir I. D. (coloniae Martiae Juliae Salonae) Legem Dixit In Ea Verba* etc. Decreti etiam ab Aesculapii Hygiaeque sodalibus olim lati initium hoc est; (113). *Lex Collegi Aesculapi et Hygiae.* Multarum rerum series *Lex* appellatur, quod has sibi partes collegium imponeret, ne quid in posterum negligeretur.

Sed cetera jam de hac tabula Puteolana dicamus. Auget enim Maffejo suspicionem *epocha quae praefigitur omnino insueta* Ab Colonia Deducta Anno XC (114). *Nihil frequentius canerent monumenta municipalia, ubi deductis coloniis epochas condendi mos in Italia viguisset. Alia etiam quae superadditur temporis nota mire prolata, nempe a Romanis consulibus, simulque a duoviris municipalibus, et his quidem primo loco positis.* At vero cum natales coloniarum dies celebrari antiquitus consueverint, quod certe de Brundusina colonia apud Ciceronem legimus (115); cumque natalis sui diem publicis etiam monumentis coloniae inscriberent, quod certe antiquus lapis Beneventanus testari potest (116), nemo unquam mirari debet, si quando in ipsis publicis tabulis annos ab colonia deducta numerarent. Duumviri porro Romanorum consulum imaginem prae se ferebant; eligebantur ex decurionum ordine; bini ad consulum exemplum creabantur; summus utrisque magistratus erat; ipsi quoque ad annum plerumque illum obtinebant, iisdemque fere insignibus, quibus Romani consules, utebantur, toga praetexta (117), bacillis primum, tum fascibus, licet non eodem numero, lictoribus, virgarum jure (118). Magna horum magistratuum in coloniis municipiisque arrogantia fuit atque superbia, non semel ab urbe principe castigata, quam tamen fere nunquem abjecerunt: efferebantur enim coloni, ubi paullum assumpserant vetustatis ac roboris. Vide quae sunt apud Ciceronem Orat. II. de Lege Agraria cap. XXXIV. ac passim alibi. Hinc factum arbitror, ut consulum etiam nominibus in publicis monumentis aliquando signatis, duumvirum nomina illis praescriberentur. Duumviri enim consulum quoque nomen affectarunt (119); quod jam Cicero, in ea, quam citavimus, oratione, de Capuae duumviris loquens, fore aliquando praedixerat. *Nonne arbitramini paucis annis fuisse nomen consulis appetituros (o)?* At quae nobis supersunt antiquarum legum actorumque veluti ex naufragio tabulae, non omnia nos docere possunt; ac si quid insolens in earum aliqua occurrit, cum in tanta monumentorum paucitate conferri cum aliis non possit, non idcirco antiquitati abjudicanda; sed ea potius, quae peculiaria habet, diligentius animadvertenda. Neque hoc exemplis indiget atque testibus. Suspiciones ceteras demum congerit Meffejus. Tabulam hanc Rutilio et Mallio Coss. inscriptam, anno scilicet ab U. C. DCXLIX., diversam esse ait ab iis, quas paullo ante ex Sigonio Gruterus (120) attulit:

(n) Hunc eundem lapidem, qui talis est:

P · AELIO · TIMAEO
SACERDOTI · IVSTITIAE
P · AELIVS · STRATONICVS
PATER · DULCISS

attulit etiam *Orellius* in *Collect. Inscr. Lat. n.* 2164., nihilque ibi adnotavit, quo ejusdem fidem et auctoritatem infirmaret.

(108) Pag. CCVII. *in tres paginas divisa, litera satis bona, sed alicubi incorrecta.*

(109) Vide Notas apud Gruterum.

(110) Artis Crit. Lapid. lib. III. cap. IV. col. 304.

(111) Artis Crit. Lapid. col. 159. et Tomo V. *Osservazioni Letterarie* pag. 333. *Mi persuadeva bensi da una parte, che fosser vere* (Tabulae Eugubinae) *il non aver mai trovato iscrizioni false di metallo se non in pez piccioli* etc., et in Museo Veronensi pag. CLXXV. *ementitas aeneas non reperisse me aliquando dixi, sed addidi*, nisi exiguis tabulis: vide Oss. Lett. t. 5. pag. 333.; *quod si alicubi non addidi, incaute egi.*

(112) Col. 208. Artis Criticae Lapidariae. *Morcellus De stilo Inscript. Latin.* pag. 46. 47. (in edit. Patav. T. I. pag. 62. — 64.) integram tabulam describit, ac per singulas ejus partes optime explicat.

(113) Apud Fabrettum *Inscript.* pag. 724. n. 443.

(114) In tab. cit. v. 1.

(115) Epist. ad Attic. l. IV. ep. I.

(116) Apud Joannem De Vita Dissert. I. pag. 31.

(117) Livius lib. XXXIV. c. VII.

(118) Vide notam *a* apud Joannem de Vita Dissert. pag. IV. 129. Norisium in Cenotaph. Pisanis Dissert. I. c. III. pag. 67.

(119) Rei hujus exempla plurima ex antiquis lapidibus ac scriptoribus desumpta vide in opere per hos dies edito, cui titulus: *Discorso Accademico sopra un' antica iscrizione trovata nell' antico Teatro della Città di Catania, recitato dal Principe di Baschari* etc. *In Catania*, 1771. *fol.*

(o) Ita quidem olim putarunt viri ceteroquin doctissimi, at *Cajet. Marinius* in *Frat. Arv.* p. 278. et 430. probavit, eos, qui in antiquis monumentis consulum nomine appellantur, non duumviros coloniarum, sed reapse Romae consules fuisse, eosque praeterea suffectos, quorum quia ignotus quondam fuerat viris eruditis consulatus annus, ideo eos consules appellatos esse pro duumviris iidem arbitrabantur.

(120) Pag. CCII. CCIII.

alium in ea esse loquendi scribendique modum, qui certe florentissimis illis Romanorum temporibus nequaquam respondet. At nemo unquam in tanta Romanarum provinciarum diversitate parem ubique loquendi scribendique modum quaesivit; nemo in antiquis ejusdem temporis monumentis diversum aliquid non animadvertit. Sunt in ea tabula rata verba, solemnes formulae; est Romanae consuetudinis, legumque vox: qui eam legerit, hunc aliae, quas praetereo, Maffeji suspiciones nequaquam movebunt. SerapI, inquit ille (121), *in lapidibus pro* Serapidi *est*, *nunquam pro* Serapidis: Duovirates *quis unquam audiit? non magis certe quam verbum* inasserare, *quod ab hoc titulo recens Calepini editio sibi sumpsit.* Verba legis haec sunt. *Lex . Parieti . Faciundo . In . Area . Quae . Est . Ante . Aedem . SerapI . Trans . Viam* , etc. Lege *Serapidi*, si placet; intellige dicatam; eam intellige, cui titulus inscriptus, *Serapidi.* Quamquam, quid vetat per contractam vocem *SerapI* significari *Serapidis?* Tria sunt quatuorve marmora, in quibus est pro *Serapidi*; in hoc vero pro *Serapidis.* *Duovirates* quis unquam audiit? In ea vero tabula pag. 3. v. 8. alii duoviralium legunt, alii duoviratium a recto *duovirates.* Forcellinus (122) duoviralium retinuit; de lectionis tamen varietate monuit. Est in antiquis monumentis et duovir, et duoviri pro duumvir, et duumviri; vide exempla neque pauca, neque dubia in hoc ipso Lexico (123): quis non igitur et duoviralis probet pro duumviralis *(p)?* Id scilicet tabulae hujusce testimonio probavit Forcellinus; eodemque vocem etiam *inassero* (124) Latinitate donavit, quod et in veteri Calepino factum erat; explicuit demum quid in ea tabula significet *antas projicere* (125); et alia etiam quae in ea sunt, quaeque certe Latii jure carere minime debent. Quod vero in aversa marmoreae hujusce tabulae parte legebatur (126), *de M. Conjuncto*, qui *Iter Texit Et Tectum*, *id*, inquit Maffejus, *meras nugas agi confirmat* (127); mihi vero indicio est, aut eam tabulam primo adhibitam ut aliquid aliud inscriberetur, quod minime perfectum est; aut postquam illa inscripta jam fuit, scalpro aliquando lusisse rerum harum artifices, litteris verbisque ex arbitrio compositis *(q)*. Quae in altera marmoris hujusce parte leguntur, ea non omnia Maffejus retulit: sunt enim haec:

M · AVIANVS · M · F·
CONIVNCTVS · II·
VIR · ITER · TE
XIT · ET · TECTVM *(dedit)*
S · P · *(r)*

XV.

Vocem *Officialis* absolute positam, ut grammatici ajunt, pro ministro magistratus vetus Calepini Lexicon explicuit. Exemplum dedit Gruteri lapis (128), qui ita allatus est; *Officiales Ejus* (consulis) *Provinciae Aquitaniae.* Male hunc lapidem explicatum esse animadvertit Maffejus (129): *Index* Gruterianus (130), *et ex eo recens Calepini editio* Officiales Consulis *memorant*, *sed inscriptione male accepta*, *quam non consulis*, *sed* Provinciae Praesidis Officiales *ponunt.* Vidi ego optimae notae lapidem apud Gruterum; erratumque esse fateor in Indice ejusdem Gruteri, in quo *Officiales Consulis Provinciae Aquitaniae* memorantur; erratum etiam in nostro Calepini Lexico, erratum demum in hoc a Forcellino: Officiales enim praesidis provinciae, non consulis, titulum posuerunt *(s)*. Quae huc spectant, ex eo epigrammate attulit Sebastianus Donatus in adnotationibus: sunt autem haec: OFFICIALIS.

L · IVLIO · etc.

v. 10.

PRO · PR · PROVINCI
AE · AQVITANIAE · CON
SVLI · OFFICIALES
EIVS · PROVINCIAE · AQVITA
NIAE · OPTIMO · PRAESIDI
HOMINI · BONO

Ceterum in ipsa vocis significatione nihil erratum est: magistratus enim ministri officiales dicebantur. Ulpianus Dig. lib. 36. tit. 4.

(121) Col. 306. Art. Crit. Lap.

(122) In V. DUUMVIRALIS §. 3.

(123) In V. DUUMVIR §. 6. et 7.

(p) At cum lapidem hunc *R. Guarinius*, et *J. B. Zannonius* attente inspexerint, diligenter transcripserint, et alter Neapoli ann. 1824., alter Florentiae ann. 1826. editis opusculis docte illustraverint, *duoviratium*, minime vero *duoviratium* ibidem legendum esse perspexere, quos ego secutus novam vocem *duovirates* Lexico addendam putavi.

(124) Est in pag. 2. v. 1. hujus tabulae.

(125) Vid. V. ANTAE §. 2.

(126) In notis ad hanc tabulam apud Gruterum loc. cit.

(127) Col. 305.

(q) De hoc eximio lapide Puteolano, praeter *R. Guarinium*, et *J. B. Zannonium*, de quibus dixi in nota praecedenti *(q)*, etiam *Hieron. Amatius* accurate postea disseruit in *Giorn. Arcad.* T. 33. p. 323 — 343, ubi nonnulla addidit, quibus ejus monumenti *αὐθεντίαν* evinceret, et quaedam ejusdem verba recte interpretatus est. Hoc cum faceret, licet in quibusdam cum *Cognolato* sentiat, illius tamen sententiam in aliis improbavit; his enim duriusculis quidem usus est verbis p. 341. *Il Cognolato*, *che ammise in questa lapida ed altre non sostenibili supposizioni*, *preconizza e contesta esuberantemente la sua non intelligenza in queste cose.*

(r) Hanc inscriptionem olim in aversa lapidis parte exstitisse, idem *J. B. Zannonius* autumat, cum vestigia serrae, quae eandem secuerit, aperte appareant, *Hier.* vero *Amatius* putat, pro *Avianus* in lapide insculptum fuisse *Avianius*, altius nempe producta litterae N postrema linea, ut saepe in antiquis monumentis factitatum fuisse, norunt eruditi; etenim apud *Mazochium* in *Tab. Heracl.* p. 259. habetur inscriptio prope Neapolin reperta his verbis: *D. Avianius Sp. F. Rufus;* unde patet, gentem *Avianiam* ibidem natales sedesque suas habuisse.

(128) Pag. CCCCXXII n. 7.

(129) Artis Crit. Lapid. lib. III. c. IV. col. 412. 413.

(130) Pag. XX.

(s) Cum *Maffeji* correctionem, utpote non improbabilem, admiserit *Cognolatus*, ideo in V. OFFICIALIS §. 2., ubi citatur eadem inscriptio, locum ita interpunxi, ut nihil futuris criticis emendandum hic reliquerim.

leg. 5. *Aut per viatorem, aut per officialem praefecti introducendus est in possessionem* (131). Neque hoc sane Maffejus improbat: *Officiales enim*, inquit, *pro apparitoribus habeo* (132): quo certe nomine ii omnes significabantur, qui alicui magistratui apparere, ejusque imperio praesto esse apud Romanos solebant. *Apparitores* dicebantur etiam *viatores*. Lapis est apud Muratorium pag. DCC. n. 2. *Prosdecio Viatori Qui Cos. Et Praetoribus Apparuit* etc., quem ita illustrat idem Muratorius. *Quamquam* Viatores *et* Apparitores *diversa fuisse officia credantur, ex ista inscriptione tamen deduci posse videtur, unum idemque sub duobus nominibus fuisse. Tam isti, quam illi magistratibus praesto erant ad eorum officia exsequenda. Adhibebantur etiam ad reos capiendos, et in custodiam mittendos.* Prosdecius *iste eo nomine* Officialis, *et minister fuit consulum et praetorum Urbis.* Haec iis addenda esse ducimus, quae docte admodum scripsit Forcellinus in V. VIATOR §. 2. et 3. Qui ea legerit, haec quoque non importune a nobis addita existimabit.

XVI.

QUIETORIUM. Duo sunt apud Gruterum litterata marmora, in quibus insolens quaedam occurrit vox, qua sepulcrum, in quo vita functi quiescunt, significatur. Ea est *Quietorium*. Recensuit hanc vocem vetus Calepini Lexicon: citati ab eo testes duo, scilicet inscripti lapides; at cujus notae essent, minime animadversum. Forcellinus vocem non omisit; easdem inscriptiones adhibuit; esse illas *notae non quidem optimae, sed probabilis* admonuit. Ecce primam (133).

M · AVRELIVS · MVTIVS · NOLANVS
ANN · NAT · LXVI · FATVM
COMMVNE
PRAEVENIENS · QVIETORI
VM · HOC · SIBI · VIVENS · PA
RAVIT · etc.

Alteram, quae lato lapide quadratae formae continetur, integram dabo (134).

D · M ·
QVIETORIVM
CLYMENES
ET
LIBERTORVM
ET · RAPHIS

De his vero ita Cl. Maffejus (135): *Vocabulo* Quietorium *Christianismum sonanti civitatem dedit recens Calepini editio ex duum Gruterianorum lapidum auctoritate, quae apud me nulla est; nam utrumque Boissardus protulit, et priorem* Mutii *cognomentum,* Nolani *additio, annorum profitendorum modus, locutio nequaquam lapidaria* Fatum Commune Praeveniens, *accusant; posteriorem incongrua forma, et servili capiti liberti adtributi dehonestant.* Neutrum Boissardus protulit, neutrum scilicet dedit omnium primus: alterum enim ex inscriptionibus sumpsit Julii Roscii (136); alterum Romae fuisse scimus *in vinea Caesarini* (137). Sepulcri hujus, seu potius urnae optimam formam aere expressam vide apud Montfauconium, qui eam ita describit (138). *Quae hunc excipit urna,* quietorium Clymenes et libertorum et Raphis *appellatur. Clymene in latere urnae stat, manumque capiti imponit, quod est securitatis signum, ut diximus Tomo primo, et hic cum illa voce* quietorium *consensit. In latere opposito est Genius facem contra terram exstinguens, symbolum frequentissimum in urnis sepulcralibus.* Satis haec contra Maffejum, cujus verba, *posteriorem incongrua forma, et servili capiti liberti adtributi dehonestant,* etiamsi vellem reprehendere, certe non possem; vix enim intelligo. Sed Raphin servi fortasse nomen existimat; ac turpe esse ait, servum cum domino, ejusque libertis fuisse compositum. At liberti, quos patronus testamento honoraverat, eo inferebantur, quo idem patronus; servi etiam aliquando quo dominus, ejusque liberti. Docuit hoc ipse etiam Maffejus (139). Quae vero de primo illo lapide ab eo dicuntur, ea probant, optimis R. reipublicae temporibus inscriptum illum non fuisse; pertinere illum ad posteriora tempora, ad ea scilicet, quibus divina Christi religio sese extulerat, quibus tamen Latina lingua non interierat. Veteres quidem dixere aliquando eos, qui jam obiissent, *quiescere:* sunt illa apud Ciceronem (140) ex veteri quodam poeta:

Neque sepulcrum, quo recipiat, habeat, portum corporis:
Ubi, remissa humana vita, corpus requiescat malis:

Vides, inquit ille, qui apud Ciceronem loquitur, *quanto haec in errore versentur. Portum esse corporis, et requiescere in sepulcro putat mortuum. Magna culpa Pelopis, qui non erudierit filium, nec docuerit, quatenus esset quidque curandum:* Veteres, inquam, dixere hoc aliquando; Christiani vero sublimioribus eruditi principiis *quietis* vocem, ubi de mortuis ageretur, frequentissime usurparunt.

(131) Vid. V. OFFICIALIS §. 2. in hoc Lexico.
(132) Col. cit.
(133) Apud Gruterum pag. DCCCX. n. 2.
(134) Pag. MCXXXI. n. 11.
(135) Artis Crit. Lapid. lib. III. c. IV. col. 367.
(136) In nota apud Gruterum.
(137) V. Gruterum pag. ad hunc Lap. citata.
(138) Antiquitas explanatione et schematibus illustrata. Tom. V. P. I. lib. II. c. IX. pag. 67.
(139) Art. Crit. Lap. col. 218. Vide infra quae a nobis dicuntur ad V. *Tabernaclarius.*
(140) Tuscul. QQ. lib. I. c. XLIV.

Dicuntur illi a Christianis scriptoribus modo *Quieti*, modo *Quiescentes; Sacra Defunctorum Quies* saepe commemoratur. Vide Carolum Du Fresne in Glossario Mediae et Infimae Latinitatis V. *Quietorium;* Samuelem Pitiscum in Lexico Romanarum Antiquitatum V. *Requietorium.* Per ea igitur tempora vocem *Quietorium* in Latium adscitam existimo; et ex iis, quae antea dixi, fluxisse postea solemnia verba sepulcrorum titulis inscripta, *Heic adquiescit.* Recte demum de duabus hisce inscriptionibus judicatum est a FORCELLINO, qui eas esse dixit notae non optimae quidem, sed probabilis. Est apud Gruterum pag. CMLIV. n. 1., et pag. MXXX. n. 8. vox *Requietorium:* his tamen lapidibus, et huic voci Maffejus pepercit.

XVII.

Graecam vocem Σωτῆρα uno latino verbo exprimi non posse ipse Cicero docuit (141); vertit itaque, *qui salutem dedit.* Probati Latini scriptores voce *Salvator* nunquam usi sunt. Id in postremis Calepiniani Lexici editionibus notatum est. Quae septima fuit anno MDCCLII., id certe habet: ea utimur, dum haec scribimus. Antiquiorem profecto adhibuit Maffejus, cum illa scripsit (142): *cujus novitatem vincit Lazius* Quirino Salvatori *aliam dedicans* (143)*: hanc vocem hujus tabulae fide recenset inter Romanas Patavina Calepini editio, et adsciscit; sed quae Lazius mittit, non id habent auctoritatis epigrammata.* In adnotationibus Sebastiani Donati editionem anni 1736 citatam video: sola fortasse ejus epigrammatis auctoritas voci *Salvator* tunc apponebatur. Ea igitur vox a probatis Latinae linguae auctoribus non usurpata, adhiberi postea coepit a Christianis scriptoribus; a quibus eam sibi fortasse sumpsit, qui lapidi inscripsit, *Quirino Salvatori:* is quippe titulus pro salute Caesaris Nervae Trajani Aug. est positus; neque est sane probabilis. Plura dabit de hac voce FORCELLINUS; remque omnem satis illustrant, quae ipse affert ex D. Augustino lib. XIII. de Trinit. c. X. sub fin. *Qui Hebraice Jesus, Graece* Σωτὴρ, *nostra autem locutione* Salvator. *Quod verbum Latina lingua antea non habebat, sed habere poterat; sicut potuit, quando voluit.* De duabus vero vocibus *Servator* et *Salvator* docte admodum et erudite disserit V. C. Joannes Lamius in Libro *De eruditione Apostolorum pag.* 101. et seq. editionis anni 1766., qui locus omnino consulendus. SALVATOR.

XVIII.

Vox etiam *Sodalitiarius*, vel *Sodaliciarius* visa est FORCELLINO ex illo barbararum vocum sodalitio posse emergere, nixa lapide, quem Sponius (144), ac Fabrettus (145) attulerunt. Id illi visum cum vetus Calepini Lexicon interpolaret, visum etiam cum suum contexeret. Inscriptionem primum dabo: Sodaliciarius.

IVLIVS · BALERIANVS
QVI · VIXIT · ANNIS · N· XX
NATALI · SVO · D
SODALICIARIVS
BONVS · AMORATVS
FILETIVS · VSQUE · AT FOTSA

Ea nunc subjiciam quae de illa sunt apud Cl. Maffejum (146), qui eandem Florentiam apud Riccardios per somnium transtulit. *Vocabulum* Sodalitiarius *nulli aut scriptori, aut veteri monumento adhibitum recens et accurata Calepini editio consecravit Fabrettianae inscriptionis testimonio, quae itidem apud Sponium est* . . . . . Ipsum lapidem postea describit; haec tandem addit. *Summam mihi admirationem incuteret, viros doctissimos id genus nugas amplecti potuisse, nisi jam omnino comperissem, et in dies ulterius comperirem, in re lapidaria fascino, ut ita dicam, in incantatione quadam rempublicam literariam universam alligatam hactenus et detentam. Ut fidem liberem, en tibi* Balerianus *ab eodem scalpro, quod* Bolumnius, Seberus, Flabio, Bela, Inbicto *in his lapidibus protulit; en* Annis Numero XX. *ab eadem manu, quae nuper* Vela Numero IIII. et Cippos Numero IIII. *edidit: en* FOTSA *ab eodem stylo, quo antea* COIITBERTO, et CARISSIMO. *Eundem aenigmaticum Genium adhuc certius ea demonstrant,* Amoratus Filetius Usque At Fotsa, *ex quibus tantundem significationis eruas, quantum ex illis,* QVINQVE PEROVATVOR ETSICINT, *et ex* Aria Farascinta. Amoratus cum Filetio *(inscite pro* Philaetio) *jocose junctus, ut e contraria significatione mirum quid eliceretur, et cum Latina perverterentur verba, tum Graeca ex eadem cognatione judico, qua* Latterninus, Minna, Italicenes, Buccio, Suffenatia Sancta *a Fabretto* (147) *perhumaniter excepta, aliaque plura ejusdem novitatis nomina in haec saxa prodiere. Quovis pignore contenderem,* Amoratus usque ad fossam *ex vernaculo* fino alle ceneri *prodiisse. Illa,* Die natali suo decessit *e genuina alia decerpta sunt, sed perperam expressa; neque enim* D *pro* decessit *Romana est nota. Ipsissimum denique auctorem singularis vox* Sodaliciarius *prodit, de qua sermo erat, et quam alibi nequaquam reperias,* Vidi ego inscriptos lapides, quos antea Maffejus rejecerat, et quibuscum eum contulit, quem ego antea descripsi; me quoque ejus suspiciones nonnihil movent; nihil modo habeo, quo huic lapidi succurram; Oedipum conjectorem exspecto, qui postremum ejus versum mihi ceterisque explicet: erratum in eo fortasse a quadratariis ac lapidariis; verum de integro esset, conjecturis adhibitis, reficiendus: divinandi artem aliis relinquo. Quare donec litterato huic saxo melius beneficio temporis doctorumque hominum labore consulatur, vocem *Sodaliciarius* inter dubias rejicio. Videant eruditi viri, quid lapidis hujus interpolatoribus tribuere possint. Eam certe, inter ceteras, artis criticae legem Maffejus dedit (148): *Quid de interpolationibus di-*

(141) Verr. IV. c. LXIII.
(142) Artis Crit. Lap. lib. III. c. IV. col. 273.
(143) Est apud Gruterum pag. XIX. n. 5.
(144) Miscellan. Erud. Antiquit. pag. 296.
(145) Pag. 329. n. 481.
(146) Artis Crit. Lapid. lib. III. c. III. col. 242. et seqq.
(147) Pag. 649. n. 422.
(148) Artis Crit. Lapid. lib. III. c. II. col. 182.

cam? quanto nobis studio ab ea fraude prospiciendum est, qua legitimae quidem, sed, versu, verbo, numero, intruso, dempto, vitiato, productae sunt inscriptiones haud infrequenter! Sed ex ea etiam marmorea tabula, quae olim Romae erat apud Colotios, postea vero Florentiam deportata est, spes aliqua voci *Sodaliciarius* potest esse, fore ut inter Latinas aliquando recenseatur. Legitur ea tabula apud Gruterum pag. DCII. n. 5. Exstat Florentiae apud Riccardios. Ejus auctoritate minime est usus Forcellinus, quod aut non viderit, aut Fabretti lapidem maluerit. Vidit illam Smetius, edidit Mazochius, emendavit Gudius. Sed quaedam adhuc in eo marmore corrigenda, illustranda omnia, ea demum refellenda, quae Maffejus objecit. Neque hic fortasse labor inanis esset; quem ideo nos non suscipimus, quod in Forcellini Lexico tabulae hujus testimonium minime legimus. Tabulam tamen ipsam, et Maffeji animadversiones describemus; sunt enim ex arte critica:

C · F
D 9 M
C · VERGILIVS · MARTA
NVS · COLONVS · AGRI · CAE-
LI · AENEI · *(t)* ANVLENAE · CER
TAE · COLONAE · AGRI · SS· ANO
RVM · XXII · COIVGI · COIVGALI ·
CASTAE · CARAE · BONE · PIAE .
FIDELI · DVLCI · CARE · AMAN
TISSIMAE · DESIDERATISSIME

SODALICIARIA · CONSILI · BONI · B · M·
C · F

Ad eam ita Maffejus (149). C. Vergilium Martanum *ducentis abhinc annis Mazochius edidit, comprobavit exinde Smetius. Ab inspectione non arguitur, sed a conceptis verbis.* C. F. *praefiguntur, hoc est* Cajus Fecit; *nove et inconsiderate; nam recepta formula,* Vivens Fecit. *Miri nominis* Ager Caeli Aenei *fuerit, quem Martanus coleret; idcircone conjux ejusdem agri* Colona *diceretur? nostratis linguae mos apud Latinos non obtinebat, ut fabri conjux fabra, et coloni colona vocaretur. Ecquid sibi vult* cojugi cojugali? *haeccine vetus locutio? Naenia sequitur inficeta,* Castae Carae Bone Piae Fideli Dulci Care Amantissimae Desideratissime; *at non ita ineptiunt prisci lapides, neque ita desipiunt. Post undecies dandi casu enunciatam,* Colona *nostra casu recto* Sodaliciaria *praedicatur, et additur eodem lepore* Consili Boni. Addam ego, illud etiam ab Eduardo Holtheno (150) observatum esse, postremam epigrammatis hujusce lineam ita esse in Codice Palatino; CONSILI · BONVM, cetera desiderari. Vox igitur *Sodaliciaria* non legitur in eo Codice. Multa igitur apud Romanos sodalitatum et sodalitii genera animadverti, multa sodalium nomina, collegia multa; at, qui ejusdem collegii erant, ii sodales dicebantur, qui in aliquo sodalitio, ii etiam sodales: ii demum sodales, qui imperatoribus in Divos relatis sacra faciebant. Ne ego quidem vocem *Sodaliciarius* unquam offendi: Romana nota est SOD., ea sodalis explicatur; uti illa SOD. HADRIA. Sodalis Hadrianalis. Vide Ursatum in Notis Romanorum. *(u).*

XIX.

TABERNACLARIUS.

Bononiae, inquit Maffejus (151), *quae multis veteribus laudibus Marsilianum Institutum in summum scientiavum bonum nuper adjecit, apocryphas inscriptiones nequaquam offendi: sed in eximia Marchionum Bevilaquarum, tertio ab ea urbe lapide Tusculana Villa plures inspexi nitidissimas, quarum, etiamsi in Felsineis* (152) *valde ostententur et probentur communiter, paucis admodum fidendum arbitror.* Ex his ea mihi seligenda est, quam Gruterus (153) exhibuit, et ipse etiam Felsineorum marmorum descriptor dedit (154). Ea parva tabella est:

EX · DOMO · CAESARVM
LIBERTOR · ET · SERVOR
QVOD · EST · COLLEG
TABERNACLARIORVM

Vocem *Tabernaclarius* hinc sibi sumpsit Calepini Lexicon; significari dixit eum qui tabernas conficit Maffejus haec contra (155). *Collegium nugatorium et imaginarium; quis enim* Tabernaclarios *audivit? pro iis, qui tabernas conficiebant, doctus ac recens Calepiniani Lexici editor accipit, qui hujus lapidis testimonio eam vocem Romana civitate donat: ego potius pro artificibus tabernaculorum*

(t) Pro CAELI legendum videtur C. AELI, ita ut C. Vergilius Martanus colonus fuerit agri C. Aelii Aenei.

(149) Col. 242.

(150) Variorum Corrigenda et Animadvertenda, pag. CCCXLI. P. II. T. II. ejusdem Gruteri.

(u) Nimis liberaliter hic *Maffejo* concessisse videtur *Cognolatus*, ut nihili facienda sit auctoritas utriusque hujus lapidis, in quo *sodaliciaria*, et *sodaliciarius* legitur, quasi vero istud a Latina lingua adjectivum repudiandum esset omnino; nam utrumque lapidem in suam *Collect. Inscr. Lat. n.* 4614. et 4794. nuper recepit *Jo. Casp. Orellius*, cum ipse viderit a *Petr. Laur. Del-Signore* in *Marmi Riccardiani p.* 268-280. satis superque utrumque lapidem a censura Maffejana vindicatum fuisse.

(151) Artis Crit. Lap. lib. III. cap. III. col. 216.

(152) Vid. Malvasiam *Marmora Felsinea* etc. Bononiae, 1690. 4.°

(153) Pag. DCXLII. n. 8.

(154) Malvasia, pag. 616.

(155) Col. 217.

acciperrm, quam artem D. Paulus σκηνοποιὸς *nobilitat*, etc. At si fabros a tabernaculis ea voce intelligi Maffejus velit, dicat oportet contractam eam esse a voce *tabernacularius*, aut legat in eo lapide *tabernaculariorum*. Neque lectio auctoritate caret. Nam apud Gruterum eadem tabella eodem in loco est aliter a Pighio citata atque descripta: ita scilicet:

EX · DOMO · CAESARVM ·
LIRERTORVM · ET ·
sic
SERVORVM · COT · EST ·
COLLEG I ·
TABERNACVLARIORVM

Hujus lectionis varietas omissa est in veteri Calepini Lexico; de ea monuit Forcellinus, qui tamen vocem *Tabernaclarius*, ejusque explicationem ex Calepino retinuit. Ego igitur *Tabernaculariorum* legi malim: vocem *Tabernaclarius* ab hoc lapide minime accipio. Tabernarios (cujus quidem vocis alia est significatio) legi aliquando apud principes Latinae linguae auctores; vidi etiam in quodam lapide apud Muratorium pag. CMLXV. n. 7., *Tabernaclarios* vero ne ipse quidem unquam audivi. Collegia buidem *Tabernaculariorum* a viris Romanarum antiquitatum eruditis memorantur. Samuel Pitiscus in V. *Collegium*, *Passim*, inquit; *in antiquis lapidibas leguntur* collegia *fabrorum ferrariorum*, *tignariorum*, *dendrophororum*, *centonariorum*, *sagariorum*, *tabernaculariorum*, *tabulariorum*, *foenariorum*. In ea vero, de qua agimus, tabella, ita omnino videtur legendum. Nam inter Officia Domus Augustae fabros a tabernaculis invenio, a tabernis nunquam. Montfauconius (156) enim columbaria duo Romae ad Portam Capenam reperta exhibet, atque describit. Plerique eorum, quorum nomina cinerariis illis ollis inscripta sunt, Augustales artifices atque ministri videntur esse; *unus venator Caesaris esse dicitur: alius tonsor, ui comae ejus curam haberet; alius unctor, qui corpus ejus ungeret. Hic duo oculares medici occurrunt, quorum alter* medicus ocularis, *alter* medicus ab oculis *esse dicitur. C. Julius Phronimus custos bibliothecae Graecae vocatur* a bibliotheca Graeca. *Est quidam scriba* ab epistulis Latinis; *alter* ab epistulis Graecis. . . . . *Alius dicitur esse Augusti* faber a tabernaculis, *qui scilicet tabernacula*, *sive tentoria ejus fabricaret.* Ecce titulum ex aere ejusdem Montfauconii (157). *Ti. Claudius . Amiantus . Aug . Faber . A . Tabernac.* Hunc ipsum, ceterosque titulos vide etiam apud Cl. Muratorium pag. CMXXVI. n. 15. Utrum vero *Tabernacularii* eam omnino artem exercuerint, quam D. Paulus nobilitavit, id ex ipsius vocis σκηνοποιὸς (158), quae habetur in Actis Apostolorum cap. XVIII. v. 3., explicatione peti debet. Ego interpretem optimum D. Joannem Chrysostomum existimo. *At*, inquit (159), *tabernaculorum texendorum artifex hic* (D. Paulus) *non Siciliam modo*, *atque Italiam*, *verum universum terrarum orbem verbum Dei praedicans peragravit*, *cum interim artem non intermitteret*, *sed vel tum quoque* pelles consueret, *officinaeque suae praeesset.* Ego vero quaecumque subitaria tecta sive ex pellibus, sive ex stragulis, sive etiam ex frondibus, sive ex velis modo in castris, modo in via, modo in domesticis hortis, modo alibi excitabantur, ea ad artem *tabernaculariorum* apud veteres Romanos pertinuisse dixerim; quicumque vero ea parabant, ex quibus fieri tabernacula consueverant, eos fuisse fabros a tabernaculis. Horum collegia certe Romae fuerunt; fuerunt enim artium paene omnium quae manu exercentur; *tabernacularii* vero eam profitebantur, quae et antiquissima erat, et insignes habebat usus. Veteres enim et voluptatis causa in tabernaculis saepe habitabant, et iis in itiuere utebantur, ut, ubi diversorium non esset, aut urbs attingi non posset, in illis noctu manerent. *Multis locis ne tectum quidem accipio, et in tabernaculo maneo plerumque* (160). Dabantur publice tabernacula legatis ac magistratibus in provincias ituris, imperatoribus etiam ad castra proficiscentibus: ipso demum comitiorum die, is qui comitiis praeerat, tabernaculum extra Urbem rite capiebat. Ego igitur a *tabernaculariis* non discedo; lapidem illum, de quo agimus, ita lego, uti est a Pighio citatus; lectionemque hanc ipsius etiam Muffeji explicatio probat. Lapides praeterea quos in ea villa, quae prope Bononiam est, Maffejus vidit (quos inter is etiam est, quem nos primo loco descripsimus) *negotium illi facessere coeperunt statim ac tam bene sibi invicem respondere vidit*, *et idem ferme petrae genus*, *coronas*, *seu parerga propemodum eadem*, *literas eadem mensura*, *verbaque in variis uniformiter exarata*, *ut ab eodem marmorario videri possint; eamdem denique ubique fere incorruptionem atque elegantiam*, *qua renident canditi isti lapides usquequaque* (161). Quare, si qua illi ex ea re suspicio fuit, ac de tam pulcris vetustatis exsuviis dubitavit, tabellam hane ita legere Maffejus debuerat, non ut est apud Gruterum primo loco descripta, non ut in Bononiensi villa inscripta est; sed ut est a Pighio citata, allata vero apud Gruterum secundo loco. Utramque ejus formam nos attulimus; dedimus illam utroque modo: tam varie a Pighio citata est, ut certe ab ea, quae prope Bononiam nunc legitur, descripta minime videatur. Sed jam tabellam hanc totam, quocumque demum legatur modo, Maffejus damnat. Quare nec *tabernaclariis*, neque *tabernaculariis*, quos ego malo, ullus per Maffejum in Latina civitate locus. Fabretto irascitur quodammodo Maffejus, quod hanc inter ceteras e Grutero inscriptionem protulerit, ut probaret servilia capita dominorum sepulcris aliquando illata (162). Hanc ego causam minime attingo, quam jamdudum viri antiquitatum peritissimi ex Fabretti sententia judicarunt (163): ipse demum Maffejus, quod jam diximus, comprobavit. Lapidem ipsum defendo. *Idne sibi persuaderi* (inquit Maffejus (164) *vir doctus* (Fabrettus) *potuit*, *antiquum titulum fuisse*, *cujus sententia nulla?* . . . .

(156) In Opere al. citato Tom. V. P. I. lib. II. c. V. pag. 54, 55.
(157) Tome V. P. I. Planche XVII. à la pag. 54.
(158) In Vulgata *Scenofactoriae artis.*
(159) In Epist. ad Rom. Hom. II.
(160) Cic. lib. V. ad Attic. epist. XVI.
(161) Loc. cit. in Art. Crit. Lapid. col. 216.
(162) Vid. Fabretti Inscriptiones, pag. 42. n. 231.
(163) Vid. Montfauconium T. V. P. I. Antiq. explan. et schem. illustratae, pag. 55.
(164) Artis Crit. Lapid. col 217.

Quod si etiam verba coalescerent, qui fieri poterat, ut monumentum libertorum et servorum Caesareae domus externo item collegio pateret? Mihi vero ejus tituli verba ita videntur explicanda: *Ex domo Caesarum Libertorum Et Servorum Quod Est Collegii Tabernaculariorum*, h. e. ex numero libertorum ac servorum Caesareae domus, ii, qui sunt ex collegio *tabernaculariorum*, qui spectant ad illud collegium, qui collegium illud constituunt: quae quidem explicatio et Latinae consuetudini, et veterum lapidum stilo optime nobis videtur convenire. Non unus aut alter ex libertis ac servis fuit in Caesarea domo faber a tabernaculis; plures certe huic muneri atque artificio addictos fuisse omnino dicendum est: ii corpus, collegium quoddam, ex eorum quae in Urbe fuisse diximus similitudine, constituebant. Servus aliquis a lectica, quoniam plures erant, qui hoc servitii genus praestabant, dicebatur ex corpore lecticariorum, quorum *decurio* legitur apud Gruterum pag. DC. n. 1. Pulcherrimae antiquitatis lapis apud eundem Gruterum (165):

DIS · M
TI · CLAVDIO
AVG · LIB
TIGRANO
EX · CORPORE
LECTICARIORVM
CAESARIS
VIXIT · ANNIS
LXXXV
etc.

Cum vero lecticarii vilissimum essent hominum genus, in Caesarea tamen domo libertos etiam a lectica fuisse ex hoc monumento intelligimus; quod tamen illi domui peculiare minime fuit: verum hoc ideo animadvertimus, ne quis unquam miretur, ejus domus libertos fuisse etiam tabernaculorum artifices. Cum vero plures ex libertis ac servis Augustanae domus idem munus atque artificium exercerent, unus erat qui ceteris praeesset; is dicebatur *praefectus*, sive, ut alii malunt, *praepositus:* ex quo sane corporis seu privati collegii formam agnoscis. Collegia haec in decurias dividebantur; ac *Magister In Familia* (fabrorum) *Praefectus Decuriae* occurrit in quodam lapide Musei Kirkeriani (166). Est etiam apud Suetonium in Domit. cap. XVII. *Decurio cubiculariorum*; sed ecce tibi aliam ex Grutero tabulam (167):

D · M
TI · CL · THALLVS
PRAEPOSITVS · VELARIORVM
DOMVS · AVGVSTANAE (168)
etc.

Cubiculariorum etiam collegium videtur fuisse in domo Caesarea. Apud Gruterum enim titulum legimus (169):

D . M
ZMARAGDI
L · DOMITIA · POLLIN
CVBICVLAR
EX · COLLEG
CVRANTE · NICOSTRATO
AMICO
B ♀ M

Sed rem hanc turbat Index Gruterianus, qui ad vocem *Cubicular. ex colleg.* Fabrettum citat pag. 184. in Columna Trajana; addam ego antiquas ejusdem Fabretti inscriptiones pag. 440., ex quibus locis intelligimus, collegium Concordiae, cui servilis turba Augustanae domus adscripta erat, in eo lapide, quem modo descripsimus, posse significari. *Collegium Quod Est In Domu Sergiae Paullinae* legitur in Museo Veronensi pag. CCLVI. 4. Verum hoc praetermitto; ad Maffejum redeo, cujus mihi suspiciones omnes evellendae sunt. Illud igitur *Tabernaculariorum* collegium eorum erat solummodo, qui in domo Caesarum fabri erant a tabernaculis: non ergo monumentum *Externo Collegio* patebat; neque tam multi in illud inferebantur, ut non jam *parva tabella*, sed *magnus lapis*, quod Maffejus ait, ejus titulum prae se ferre debuerit. Alia est inscriptio apud Gruterum (170), quae ad nostram hanc proxime accedit: *Ex Domo Caesarum Et Liviae Libertorum Et Servorum*; sed ne haec quidem Maffejo placet. Ego id primum animadverto; ex ipsa linearum positione atque figura suspicionem facile oriri posse, verba quaedam in hoc lapide desiderari. Vacua linearum spatia nullis quidem apud Gruterum punctis notantur; lineae tamen ita exhibentur, uti certe in integro lapide, quamvis parva tabella fuerit et ob-

(165) Pag. DXCIX. n. 11.
(166) Apud Murator. pag. CMXXXVI. n. 9.
(167) Pag. DXCIX. n. 7.
(168) Varior. Lectiones vide in notis apud eundem Gruterum.
(169) Pag. DLXXVI. n. 5. Variorum Corrigenda, et Animadvertenda, quae collegit Eduardus Holthenus pag. CCCXL. Part. II. Tom. II. ejusdem Gruteri. *Videtur ead. Inscript. quae sic mutila aut decurtata apud Pier. Valer. in notis ad Virg. Aeneid. lib. VII.* pag. 137. DIS · MANIBVS · OSSVIS · ZMARAGDI ·
(170) Pag. CMXXXIV. n. 12.

longa, minime esse debuerunt. Ecce illas, uti sunt apud Gruterum; nam Fabrettus (171), qui lapidem certe non vidit, sed ex eodem Grutero descripsit, eas quidem retinuit, sed ex arbitrio melius concinnavit.

EX · DOMO
CAESARVM ET
LIVIAE
LIBERTORVM ET SERVORVM

Ceteris deinde respondeo quae Maffejus objecit, quaeque sunt utrique harum inscriptionum communia. *Quaenam*, inquit (172), *haec obscura et detruncata funerarii tituli formula? . . . . Dis Manibus non praelaudatis, nec ullo nomine, quo sententia constet, et verba regantur, proposito?* Ego Deos Manes, ac solemnes notas, quibus illi significabantur, in sepulcrorum titulis neque vidi, neque legi aliquando; idque etiam testari poterit quicumque veterum monumenta sive inquirit, sive tractat. Ludet operam quisquis exemplis uti voluerit (173). Neque vero praeponi quidpiam duobus hisce titulis necesse erat quo sententia constaret, ac verba regerentur: cum enim tituli eo modo inscribuntur, duo illa verba *Locus Monumenti*, seu *Locus Sepulturae*, *Monimentum*, *Memoriae*, *Bonae memoriae*, adesse semper intelligimus. Inscriptionem hanc dedit etiam Gorius; attulit, probavit, explicuit, integram existimavit Morcellus *de Stilo Lat. Inscript.* pag. 125. Ita denique Maffejus: Servos ex domo *audivimus*, *non ita* libertos ex domo: *formula*, *qua servis et libertis monumentum parabatur*, *haec est:* Libertorum Et Familiae, *domini et patroni nomine statim adjecto.* Ego haec contra: Qui *libertos ex domo* nunquam audivit; audiat primum ex hisce, de quibus agimus, inscriptis titulis; nihil enim audiet, quod Latinae aures fastidiant. Illud etiam rei insolentiam minuet, quod liberti servis adjungantur, qui certe *ex domo* dici solent. Libertis quidem ac servis ita monumentum inscribebatur, *Libertorum et Familiae* (174); at rata verba, solemnesque formulae in omni ferme monumentorum genere varietatem aliquam, exceptionemque habuerunt; ac si lapidem proferre licet, qui ad sepulcrales minime spectat, ipsos tum libertos, tum servos communi familiae nomine comprehensos intelligemus. Dedit illum ex Donio Muratorius (175).

A · OSTIENSIS
ASCLEPIADES
AEDITVS · CAPITOLI
SIGNVM MARTIS
CORPORI FAMILIAE
PVBLICE
LIBERTORVM
ET SERVORVM
D · D

Quicumque in veteris eruditionis, linguarumque studio versamur, non id semper aut emendandum aut rejiciendum esse credimus, quod in aliquo monumento, sive scriptoris loco occurrit, et insolens est. Quantas id clades ederet! Diligentius illud animadvertimus, nova extundimus, multa illustramus; seponimus illud aliquando, lucem ac testes exspectamus. *Tam rara est*, inquit Cl. Muratorius (176), *apud Latinos praerogativa* Sacerdotum Coronatorum, *ut hoc unum exemplum hactenus emerserit;* lapidis scilicet, quem illi integrum emendatumque misit Vir Cl. Apostolus Zeno; quem postea dedit etiam Maffejus in Museo Veronensi pag. CCXLVIII. 5. Eadem tamen vox est etiam in Hispellate marmore (177), quod sane legitimum est; at cum illud protulisset Fabrettus (178), miratus fortasse vocis insolentiam, vitiatumque nomen suspicatus, pro *Coronato* posuit *Correctori. Attamen certum certissimumque deinceps futurum est*, inquit rursus Muratorius (179), *in Hispellate marmore, quod sine dubitatione legitimum est, scriptum fuisse* Coronatus; *uti praeter exemplum accuratissimi Abbatis Ferdinandi Passerini Hispallatis ad me missum, monuit me Cl. Vir Hyacinthus Vinciolus, qui inscriptionem hanc ex autographo describendam, me rogante, curavit. Itaque* Coronatus, *tum* Daciae, *ut supra vidimus* (180), *tum hic* Tusciae *et* Umbriae, *nihil aliud mihi creditur fuisse, nisi* Stephanephorus *Graecorum, in eorum monumentis saepe recurrens. Non ii vulgares sacerdotes, neque in uno templo conclusa eorum auctoritas, sed per universam provinciam extendebatur. Non in sacrificiis tantum, sacrisque aedibus coronam deferebant (quod cuncti, aut plerique sacerdotes facere consueverunt), sed etiam extra templa, et in reliquis publicis actibus. Eorum quoque, ut opinor, fuit, solemnibus provinciae ludis praeesse. Eorundem ludorum mentionem habes in hac ipsa inscriptione.* Haec itaque attulimus, non ideo tantum, ut ejus veluti criticae legis, quam antea proposuimus, exemplum esset, verum ut id etiam animadverteremus, quod de *Sacerdotibus Coronatus* Maffejus dixit (181), et ex Maffejo in hoc ipso Lexico Forcellinus (182); intelligi scilicet sacerdotes quosdam *sacrorum privatorum*, quibus mos esset coronatos incedere; Graece dictos στεφανηφόρους. Ego Muratorii explicationem potiorem habeo, neque *Coronatos* privatorum sacrorum sacerdotes fuisse unquam existimaverim: qui enim coronati ubique incedebant, ac totius provinciae, uti vidimus, sacerdotes dicebantur, ii privata tantum-

(171) Pag. 42. n. 232.
(172) Col. 217. 218.
(173) *Forse alcune iscrizioni, che pur cominciano dal nome del defunto in genitivo, ne sono senza, perchè quando furono ricopiate, la cornice ove quelle sigle* (D. M.) *erano incise, trovavasi rotta e mancante.* P. Zaccaria, Instituzione Antiquario-lapidaria, pag. 249.
(174) Vid. Fabrettum pag. 42. 43.
(175) Pag. CLXXVII. n. 7.
(176) In Novo Thes. Veterum Inscript. pag. CLV. n. 2.
(177) Apud eundem Muratorium pag. eadem, n. 3.
(178) Pag. 105. n. 250.
(179) In nota ad hoc marmor, pag. cit. CLV. n. 3.
(180) In Lapide, de quo diximus, quemque Muratorio misit Apostolus Zeno.
(181) *Osservazioni Letterarie* Tom. I. Artic. IX. pag. 233.
(182) In V. CORONATUS §. 2.

modo sacra facere et curare minime debuerunt. Sed in Museo Veronensi, ea lapidis verba, *Ter coronatus Daciae* explicuit Maffejus, *hoc est, praecipuo sacerdotio ter in Dacia functus (x).* Non haec sane iis respondent, quae in Epistola ad Cardinalem de Polignac (183) Parisiensem anaglypticam tabulam illustrans ex Dionysio Halicarnasseo docuerat, quaeque nos antea exposuimus. In aliam ergo opinionem postea venit, ac Muratorio accessit. Rem tandem rursus turbavit Musei Veronensis pag. CCCCXXI., eandem enim Parisiensem tabulam exhibens, coronas communia sacerdotum insignia visus est existimare: *Tres*, inquit, *togatos vides* coronam sacerdotalem *gestantes; Deorum enim* ministri et sacerdotes coronantur, *inquit Tertullianus*, De Cor. Milit. c. 10. Nimis multa jam diximus, neque ea sane omnia, ut uni voculae *tabernacularius* consuleremus. *Tabernaclarius* id ipsum fortasse est quod *Tabernacularius*; quemadmodum servus a cubiculo *Cubicularius* absolute dicebatur, apud Donium vero Class. VII. n. 119. legitur per syncopen in quodam lapide *Cubiclarius;* et *Vascularius* apud Reinesium, et Gruterum, *Vasclarius* est apud Muratorium pag. DCCCXIV. Nunquam tamen ea vox illum significat, qui tabernas conficit; explicationem ipsi dedimus. Neque id probo, quod a Carolo Du Fresne dictum est (184), *tabernacularios* eos fuisse *qui tabernacula curabant in castris*: *Gall. fourriers.* Exemplum attulit ex Epist. XIV. Petri Blesensis; scripsit ille saeculo a Christi nato undecimo. *Curritur ad meretrices et tabernacularios curiales, ut inquiratur ab eis, quo princeps profecturus sit.* Ego eos ipsos intelligi puto, qui principi tabernacula conficiebant, et excitabant, sive in castris, sive in litore, sive in agro, sive alio demum quocumque in loco; neque eos esse existimo, quos Galli dicunt *fourriers*, sed quos ego Italice, si liceret, libenter dicerem *padiglionieri.*

XX.

Licet jam e sepulcris, in quibus hactenus commorati sumus, efferre pedem, ac lucem aspicere. Quin imo, cum eorum quae in hoc opere Forcellinus praestitit, multa a nobis sermonis hujus initio dicta sint, cetera vero sit ipse dicturus in suo, licet etiam praefandi finem aliquando facere. Huic igitur operi in lucem prodeunti felicia omnia tanta nunc voluntate precamus, quanto olim studio ejus auctorem coluimus, quanta ille benevolentia nos ipsos est prosecutus. Eos omnes appello, in quibus est Latinarum litterarum amor, qui Romanae linguae et eloquentiae ingenium intelligunt, qui ejus difficultates legendo scribendoque experti sunt, qui non modo optimorum temporum, sed mediae quoque et infimae Latinitatis auctores tractant: nemo certe Lexici hujus volumina tanquam frigida adjumenta contemnet, nemo sibi aliquando saltem consulenda esse non existimabit. *Ita* enim *sumus omnes*, ajebat olim Muretus (185), *etiam qui paulo melius Latine loqui putamur, quam vulgus solet. Dum confidimus, nos jam eam facultatem consecutos, ut vel aliud agentes emendate loquamur, multa inepta, et ne in pueris quidem ferenda, effundimus. Isti praecipue delicati, qui omnia sibi praeter Ciceronem putere ajunt; qui, si sine Nizolio possint unam aut alteram epistolam scribere, germanos se esse Ciceronis putant; qui Senecam contemnunt, Plinium irrident, Tacitum damnant, ad inferiorum vero temporum scriptores etiam nauseant; qui me aut mirantur, aut miserantur, aut irrident, quod ex Apulejo ipso aut Sidonio quaedam petenda esse dicam ad usum Latini sermonis: illi igitur ipsi saepe ita et loquuntur, et scribunt, ut non eos modo, quos ipsi tantopere abjiciunt, quos prae se contemnunt, sed eorum pistores ac coquos multo Latinius locutos fuisse constet.* Quandoquidem vero nullum opus est, cui melius beneficio temporis consuli ab hominibus non possit, et haec ipsa verborum cura nunquam fortasse ita erit consummata, ut nihil sit reliquum; ideo nos, de hoc Lexico in posterum etiam cogitantes, ea seponemus, quibus aut ipsum ditescere, aut ejus pars aliqua emendari possit; neque eorum, ad quos volumina ista pervenient, monitiones effugiemus, modo ne sapientia careant atque benevolentia. Atque hanc quidem ab honestis viris facile nobis pollicemur, minimeque ab iis fuisse praestitam, qui leve aliquid, neque ad Latina pertinens, in veteri Calepini Lexico notarunt, jure conquerimur: nisi forte liberaliter nobiscum egisse sibi videntur, cum opus illud octies tantum ad haec usque tempora nobis editum, tricies vulgatum fuisse crediderunt. Aequiores illi nobiscum erunt, dum ea ipsa quae tam severe sunt in veteri Lexico animadversa, expulsa modo et emendata a Forcellino intelligent; nos vero nemini unquam molesti erimus, quod Lucani versum, qui est libro tertio Pharsaliae (v. 190.), in quintum transtulerit. Si quis vero Latinae linguae fatum nostris hisce temporibus animo volvens, opus hoc, quod nunc ratione et consilio vulgamus, serius quam oporteat, in lucem prodire existimaverit, hujus ego vocibus tantum profecto tribuam, quantum illis tribuendum est, qui ea tantummodo Latina studia attigerunt, quae prima illa puerili institutione continentur. Eos porro ex nostris Italis qui vernaculam linguam unice amant et colunt, Latinam vero in hoc solo natam, et commune olim nationum vinculum, nostrorum hominum ingeniis excitatam postea et excultam, vel intermittendam vel ablegandam esse putant, eos, inquam, admoneo, ne ita popularis sermonis amore ac studio detineri velint, ut eum negligant, sine quo Italica lingua retineri, augeri, ornari, restitui nunquam potuisset. Iis tandem, qui fasces jamdiu Transalpinis hominibus submittendos esse ajunt, et quendam ex eorum linguis eruditionis universae campum aperire existimant, multa quidem responderem, si, quam facile error ipse ostendi posset, possent etiam judicia hominum ad nova saeculi exempla in omnibus viventium Latinis verbis emendari. Verum, non praefabor rursus; praefandi potius, ut antea ajebam, finem faciam, auctoremque hujus operis prodire sinam. Ipsam igitur optimi senis modestiae plenissimam vocem excipite.

(x) Imo potius *in tribus Daciis praecipuo sacerdotio functus.* V. DACIA in Lexico.

(183) Citato Artic. *Osservazioni Letterarie.*

(184) In Gloss. Mediae et Infimae Latinitatis, V. *Tabernacularia.*

(185) Lib. II. Epist. XXXVI.

CLERICIS
SEMINARII PATAVINI
LATINAE CONSUETUDINIS ADSEQUENDAE CUPIDIS
AEGIDIUS FORCELLINUS

I.

Jacobus Facciolatus magister meus, in litteraria republica illustre nomen, cum studiis vestris in hoc Seminario praeesset, et, ut quam rectissime procederent, sedula cogitatione atque ope niteretur, inter alia, quae utiliter suscepit, Latinum et Graecum Λεξικὸν in manus sumpsit, et de utroque purgando et amplificando deliberavit. Et Graecum quidem, aliqua mea opera usus, plurima vero aliorum, quos longe major doctrina commendabat, ita auxit et adornavit, ut quanto vobis adjumento sit, qui in ejus linguae studio versamini, testes locupletissimi esse possitis. Latinum vero, quod majore cura indigere videbatur, uni mihi reficiendum imposuit, non quidem id secutus, quod satis in me ingenii esse putaret (novit enim ipse, et ego plane sentio, esse perexiguum), sed quod videret satis firmam meam valetudinem, et longissimi laboris patientem arbitraretur. Itaque me praebente manum, illo consilium atque opem, tandem post annos prope quadraginta, finis operi paene immenso impositus est. Nunc restat, ut doceamini, quid illo duce et auctore praestiterim, et quam rationem novi Latini *Dictionarii* conficiendi, post tot hujusmodi syntagmata toties edita, secutus sim.

II.

Prima cura fuit omnes Latinas voces diligenter describere, et exacte disponere, per usitatam litterarum seriem, ut quaerentibus facile occurrerent. Nec satis habui descriptas ab aliis sumere, quin auctores Latinos non paucos, qui indicibus verborum carebant, attente percurri, et praeterea veteres grammaticos, et sex aut septem inscriptorum lapidum collectiones, et numismata vetera, ex quibus plura decerpsi vocabula, quae in aliis Λεξικοῖς non habentur. Orthographiae accuratam rationem habui, secutus auctores probatissimos, qui de ea professi scripserunt, et probae notae lapides, et numismata: et quotiescumque ea duplex esset, priore loco proposita est, quae probatior videbatur: et causas, cur ita videretur, in fine cujusque vocis semper adjunxi. Subjeci fere omnibus tum Graecam, tum Italicam interpretationem: alias enim linguas, quae hucusque addi consueverunt, ut speciosus titulus *Septem linguarum* inscriberetur, omnino neglexi. Notationem vocis, seu etymologiam non omisi, modo esset probabilis, et nimis longe petita non videretur: qua in re saepe Varronem ipsum peccasse, jampridem eruditi animadverterunt. Quod ad Italicas voces attinet, nulla mihi religio fuit iis etiam uti, quae ab Etruscis non probantur, id unice spectans, ut Latinam sententiam nostris luculenter exprimerent.

III.

Sequebatur potissima cura, et maxime necessarius labor illa duo persequendi, quorum causa hujus generis libri sumuntur in manus, Latinarum vocum vim, et usum. Cum enim duo sint studiosorum genera, qui hoc opere indigent, et qui Latina intelligere, et qui Latine scribere volunt; illis satisfit, cum apte et plane sensus verbi exponitur tum proprius, et, ut ita dicam, nativus, tum figura

tus, qui ab illo descendit. Ego id fere semper servavi, ut primo loco indicarem, quae sententia cuique vocabulo proprie accepto subesset: cui rei maxime servit notatio, cum aperta et conveniens est: deinde figuratas significationes subjeci tum solutae, tum ligatae orationis, quod sufficere existimavi intelligere cupientibus: neque tamen omisi singularia multa edisserere, quae peculiarem animadversionem requirere visa sunt. Habenda fuit etiam ratio quantitatis syllabarum, quam prosodiam dicitis; ne qui legunt, aut recitant, voces perperam enuntient, et dum in eo peccant, ne intelligere quidem videantur. Hac de causa, ubicumque licuit, et opus fuit, versum aliquem Latini poetae inserere optimum duxi, et initio vocum accentus notam appingere. Multo plura postulant ii, qui scribendo verba componere, et sensa sua Latine explicare aggrediuntur. Docendi sunt enim, cuique voci quis sit locus in prorsa aut vorsa oratione, ut Apuleji verbis utar; qua ratione unumquodque verbum aut nomen inflectatur; quae antiqua vel obsoleta sint, quae usitata; quae nomina aut verba plena sint, quae deficientia; qui casus verbis tribuendi sint, quae nominibus genera. Ut prisca ab usitatis discernere per se quivis vestrum possit, consulat seriem scriptorum; quam a magistro meo mox dabo. *(a)*.

IV.

Confirmanda erant haec omnia afferendis scriptorum locis, quae exemplo et auctoritati essent lucubrantibus: qua in re praestanda nimius fortasse alicui videbor, et multa in eandem sententiam congesta omittere potuisse. Sed non una me ratio movit, ut copiam affectarem. Quidam enim dicendi modi rariores non unius auctoritate contenti sunt, ut libere adhibeantur: quaedam obscura, pluribus firmata exemplis planiora fiunt: quaedam vulgo male accepta, pluribus indigent, ut de vera ipsorum sententia, qui prave acceperant, persuadeantur. Illud vero me maxime impulit, ut copiosus essem, quod vobis adolescentibus laborabam, qui cum in scribendo saepe inopiam queramini, nihil impensius quaeritis, quam abundantiam. Itaque in animo habui tale vobis opus conficere, quo in uno haberetis quae in Calepino, Doleto, Nizolio, Scoto, Manutio, aliisque multis phrasium atque elegantiarum collectoribus continentur. Utinam vero faxit Deus, ut, si in hac re peccavi, nihil aliud praeterea mihi objicere possint docti homines: unum hoc libenter agnovero, si in aliis longe gravioribus mihi parsum iri confidam.

V.

In laudandis designandisque auctorum locis hanc legem mihi imposui, ut nullum admodum afferem testimonium, quod non prius ipse meis oculis in ipso auctore vidissem: ac si fragmenta veterum afferenda essent, quorum libri perierunt, indicarem sollicite, unde hausissem; appellaremque fideliter veteres grammaticos, qui ea nobis servata tradiderunt. Eaque lege adeo me obstrinxisse profiteor, ut maluerim omittere exemplum aliquod, etsi maxime ad rem faceret, quam incerta pro certis venditare. Indicavi autem per libros, capita, sectiones, et in poetis per poematum et versuum numerum; in quibusdam etiam per paginas, ut in Arnobio, Apulejo, Grammaticis Eliae Putschii, Capella, et Inscriptionum collectoribus. Sed quia non omnes editiones iisdem divisionibus scriptorum opera secuerunt, post seriem scriptorum, de qua supra dixi, habebitis catalogum editionum, quibus usus sum *(b)*: ut non statim mihi culpae vertatis, si quis locus in libro dissimili, quem vos versatis, indicationi meae non responderit. Non ideirco tamen in designando non erravi, cum longa experientia didicerim, saepe in opere longo menti somnum obrepere, et manum aliud scribere, aliud in cogitatione fuisse.

VI.

Id etiam vere semper custodivi, ut primo loco auctores afferrem aureae, aut argenteae aetatis: antiquiores quoque adderem, qui ostenderent, vocem illam de qua agitur, jamdiu esse in possessione civitatis Romanae: post hos ad ferreos descenderem, quando meliores non occurrebant. Fateor equidem quosdam citasse, qui ad luteam aetatem pertinent, et cadente Latinitate vixerunt: sed hoc ideo feci, quod factitatum videram a doctissimis illis viris, qui in Germania in Thesauro Basilii Fabri summa cum laude laborarunt. Movit me horum auctoritas: movit etiam illa ratio, ne in meo opere deesset aliquid, quod in editis aliorum hoc genus operibus legeretur. Neque tamen hoc vobis, puram atque emendatam orationem sectantibus, officere quidquam poterit, qui et auctoris aetatem ac stilum indidem (hoc est ex hoc ipso opere) cognoscere potestis; et verbum, quod usurpare vultis, ipsum per sese prodet, qua nota sit, et saepe etiam me monente innotescet. Hoc idem eo facilius assequemini, quo libentius habitabitis in lectione optimorum scriptorum, Caesaris, Ciceronis, Nepotis, Livii, Virgilii, Horatii, Phaedri, Ovidii, qui in scholis nostris proponuntur: quorum nitor loquendi ac puritas aures vestras ita imbuet, ut insolens verbum, et inurbanam dictionem, nullo monstrante, deprehendatis. Quaeretis ex me fortasse, cur geographica vocabula urbium, fluminum, montium, aliorumque locorum magnam partem omiserim. Ego vero admisi ea

(a) *Forcellinus* post hanc epistolam, et sequentem ipsius adnotationem de suscepti perfectique operis sui tempore, addiderat *Indicem scriptorum Latinorum per aetates, ex commentario Jac. Facciolati de ortu, interitu et instauratione linguae Latinae*, quod una cum oratione habita in Semin. Patav pro studiorum instauratione editum Patavii fuit ann. MDCCXIII. Sed cum ille Index vix quartam scriptorum partem contineret, quorum auctoritate prius *Forcellinus*, deinceps ego usi fuerimus in Latinis vocibus confirmandis, ideo alium, illo praetermisso, et pleniorem meliorique ordine digestum subjungendum putavi.

(b) Hunc editionum catalogum ideo omisi, quia post Forcellini a Seminario Patavino discessionem, ejusdemque obitum *Facciolatus* et *Cognolatus* plura Lexico, quod ineditum per plures annos in bibliotheca ejusdem Seminarii jacuit, addiderant scriptorum loca ex recentissimis editionibus, quas Forcellinus nec viderat, nec consuluerat, qua de re V. *Leon. Targae* verba in adnot. 2. pag. 80. ad Cornelii Celsi editionem Veronensem ann. MDCCCX ab eodem curatam. Attamen praecipuam editionem, qua Forcellinus, aut ego usi sumus, post brevissimam auctoris vitam in Indice auctorum eorumque operum citandam curavi, ut varietatis lectionum, diversaeque capitum divisionis ratio lectoribus constaret.

omnia, ex quibus adjectiva formantur, ut *Tiburtinus*, *Brixianus*, *Fertinus*, *Aetnaeus*, *Erymanthaeus*, *Pactolis*, *Padanus*, et sexcenta hujusmodi, quae non intelligerentur non explicatis iis vocibus, unde ducuntur. Cetera si requiratis, vos remitto ad geographos, quorum res si meo operi inseruissem, crevisset profecto in duplum, et sua mole ab utendo deterruisset. Vidi ego, et quis non? Graeca Ἀξιακά, Etrusca, Gallica, Hispanica, etc. in quibus aut prorsus nulla, aut permodica geographiae ratio habita est. Latina sum persecutus quanta maxima diligentia potui: in hoc unum industriam, vires, tempus collocavi: adolescens manum admovi, senex, dum perficerem, factus sum, ut videtis. Utrum nihil aliud, quam ab aliis descripserim, conferendo cum aliis intelligetis. Macti igitur animis, studiosi Clerici: Romanam eloquentiam amate, quae vobis olim sanctae Ecclesiae inservientibus magnopere est profutura: et praeter assiduam curam, qua bene merentur de studiis vestris magistri seduli, haec etiam a me subsidia habete.

EPISTOLA EDITA

VENETIIS ANNO MDCCLVI.

INTER MENSTRUAS HISTORIAE LITTERARIAE MEMORIAS

APUD PETRUM VALVASENSEM T. VII. P. II. ARTIC. X.

JACOBUS FACCIOLATUS

JOSEPHO LASTAE

VENETAE PISANORUM BIBLIOTHECAE PRAEFECTO

S. D.

Quid ais, o bone? Mene Calepini Lexicum fecisse? Ego vero nec feci, nec fecisse velim. Hujus libri auctor Fr. Ambrosius est, patria Calepinus, instituto coenobita Eremitanus; qui tantum operae in eum contulit, quantum industrii coenobitae vires et tempora patiebantur. Laudandus hominis conatus, qui omnium ante se famam obscuravit, solusque grammaticas scholas diutissime tenuit. Auctus subinde a multis est, iterumque ac saepius editus; jamque ita creverat, praesertim Passeratii sive opera, sive nomine, ut vix quippiam ad hoc studii genus addi posse videretur. Itaque cum ego Patavini Seminarii scholis praefectus excutere illum coepi, et palam profiteri, velle me millia multa expellere, quae barbara essent, atque alia sufficere, crabrones excitavi, a quorum aculeis vix me servavit Apollo: Georgium dico Card. Cornelium, Episcopum Patavinum, qui mihi uni credere maluit, totiusque rei arbitrium concessit. Illud quoque permisit, ut unum aliquem ex meis discipulis (nam eodem tempore Academiae scholam regebam) deligerem ingenio moribusque spectatum, isque Aegidius forcellinus fuit, qui zothecula mea inclusus mihi uni auscultaret, operamque fideliter praeberet. Sed cui haec? Tu ipse circa tempora illa alumnus Seminarii eras, et omnia recte nosti. Quatuor admodum annis expurgatus, auctus et perpolitus liber est, non quidem ut debuit, sed ut potuit, urgente quotidie typographo. Placuit Latinitatis studiosis, et invidiam exstinxit. Hinc crevit audacia, et majus aliquid cogitare coepi. Scilicet ne ipse quidem mihi Caroli Stephani Thesaurus probabatur. Quid quaeris? Novum condere Latinae linguae Lexicum aggressus sum, quod voces omnes, variosque earum usus complecteretur, ejusdem adhibita Forcellini opera, huic studiorum generi jam Assueti, planeque dicati. Vix sex volumina apud me scripserat, cum Card. Cornelius fato cessit, percussoque pastore dispersae sunt oves usque ad annum saeculi tricesimum. Tunc ego Seminarii curam denuo suscipere jussus, quantum publicae Universitatis ratio pateretur, pristini operis cogitationem revocavi, eundemque ad-

jutorem accivi, qui jam satis superque instructus, ipse per se, acceptis praesidiis, lucubraret. Tandem per varios casus, quos nihil attinet commemorare, ad calcem ventum est, vixque ego in plerasque litteras quippiam contuli praeter consilium. Princeps hujus operis conditor atque adeo unus FORCELLINUS est (*).

Jam habes de toto Calepini negotio, quo pertinet pars litterarum tuarum prima, etc.

Patavio Idib. Januar. ann. MDCCLVI.

(*) Edidit iterum hanc epistolam Facciolatus an. MDCCLIX. in calce libri, cui titulus: *Animadversiones Criticae in magnum Petri Danetii Dictionarium.* Locum hunc ita mutavit: *Tandem per varios casus, quos nihil attinet commemorare, ad calcem ventum est; vixque ego in plerasque voces quippiam contuli praeter consilium, in multas autem ne consilium quidem. Jam habes de toto Calepini negotio* etc. Eandem epistolam tertio edidit, anno scilicet MDCCLXV., et est CLXX. inter ejus Epistolas Latinas (pag. 296.) Locum hunc ita mutavit: *Tandem per varios casus, quos nihil attinet commemorare, ad calcem ventum est; nondum tamen ad typographum, qui latet in fatis. Jam habes de toto Calepini negotio etc.* Erat ille adhuc in vivis, cum typographus in hoc opere laborare jam coeperat. Haec itaque in scriptis reliquit, quae huic epistolae post ea verba, *latet in fatis*, adderentur. *Tandem fata cessere Marino Card. Priolo Episcopo Patavino, qui pro animi sui magnitudine et litterarum amore diutius ferre non potuit scholarum Latinarum voces jure querentium deesse sibi adhuc satis copiosum Latinitatis Lexicum. Superi faxint, ut omnia illi bene vertant, quae ad typographiae hujus, totiusque Seminarii felicitatem summo consilio et providentia jam instituit.*

IX. CAL. MART. ANN. MDCCLIII.

AEGIDIUS FORCELLINUS

BERNARDINI FILIUS

SEMINARII ALUMNUS ET SACERDOS

ANNOS NATUS LXIV. M. V. D. XXVI.

Phoebus utrumque polum decies quater axe revisit,
Hoc nostra immensum dum manus urget opus.

Veteri Calepino interpolando manus admovi ann. MDCCXV. prid. I. April. Quae interpolatio et quatuor fere annos absumpsit; et illud simul docuit, tot ac tanta esse in toto illo opere corrigenda, mutanda, et addenda, ut nihil probabile emitti posset, nisi de integro recuderetur. Itaque sub finem ann. MDCCXVIII. jussu Card. Cornelii Episc. Pat., et ductu Jacobi Facciolati Studiorum Praefecti animose aggressus tam vastum opus, tres annos cum dimidio in prima A littera insumpsi. Dumque pergerem alacriter, accidit ut ann. MDCCXXIV. Seminarium relinquere cogerer, et opus omnino intermittere. Sed revocatus post annos fere septem illud resumpsi Idib. April. ann. MDCCXXXI. strenue progrediens usque ad ann. MDCCXLII. Quo anno cum esset novum mihi onus impositum Confessarii Clericorum, lente admodum necesse fuit progredi, cum fere quotidie ab opere ad alia agenda avocarer. Novem ferme annos, quasi claudus, et subinde insistens, processi: tandemque ann. MDCCLI. gravissimo illo munere liberatus, jubente Card. Rezzonico Episc. Pat., ad qualemcumque finem, Deo favente, perveni IX. Cal. Mart. ann. MDCCLIII. Reliquum est, ut relegam, si vita suppetet, et alia manu describendum tradam.

Relegere incoepi prid. Non Junii ann MDCCLIII.: finem imposui V. Id. April. ann. MDCCLV.

Descriptio inchoata est III. Non. Decbr. ejusdem anni MDCCLIII. a Ludovico Violato: confecta Idib. Novbr. ann. MDCCLXI.

Haec ex autographo ipsius Forcellini; *qui tandem obiit Prid. Non. April. ann.* MDCCLXVIII. *Eritque bonis doctisque viris illustre nomen.*

MONITUM.

Habes opus hoc absolutum serius quam promiseram, et exspectabas. Ne hoc typographo vitio vertas. Nosti conditionem rerum humanarum. Multa saepe accidunt, quae non sinunt nos ad amussim cogitata perficere.

ERSTES VERZEICHNISS
DER
SUBSCRIBENTEN
AUF
FORCELLINI LEXICON.

S. P. T. Exempl.

AACHEN.

Herrn *Kaatzer*, sel. Frau Wittwe . . 21
Herren Buchhändler *La Ruelle & Destez* . 2

AARAU.

Herr Buchhändler *H. R. Sauerländer* . . 2
und für: Herrn Professor *Kaiser* 1

ALTENBURG.

Die *Schnuphase*'sche Buchhandlung . . . 2

ALTONA.

Herr *K. Busch* 4
u. für: Herrn Rector Dr. *Bjoern* in Nyborg 1
- - - *Friedrichsen* in Husum 1
- - Kaufmann *L. Hesse* . . . 1
- - Pastor *Luebker* in Husum . 1
- - Dr. *Prahm* in Meldorf . . 1
- - Ober-Präsidial-Secretär *Olde* 1
- die *Schulbibliothek* in Haversleben 1
- die *Schulbibliothek* in Husum . . 1

AMSTERDAM.

Herren *J. Müller & Comp.* 21
- *C. G. Sülpke* 2

ANSBACH.

Herr Buchhändler *W. G. Gassert* . . . 4

ARNSTADT.

Die *Hildebrandt*'sche Buchhandlung
für: Herrn Professor Dr. *Bürwinkel* . . . 1
- - Regierungs-Rath *Franke* . . . 1
- - Director und Professor Dr. *Töpfer* 1

AUGSBURG.

Herren *v. Jenisch & Stage*'sche Buchhandlung 1

BAMBERG.

Herr Buchhändler *J. C. Dresch* . . . 1

BAYREUTH.

Die *Grau*'sche Buchhandlung 2

BERLIN.

Herr Buchhändler *C. F. Amelang* . . . 1
- - *Ferdinand Dümmler* . 1
u. für: Herrn Dr. *Böcking* 1
- - Referendar *Hermes* 1
- - Student *Jonas* 1
- d. Herrn wirkl. geheim. Rath *Nicolovius* 1
- Herrn Candidat *Otto* 1
- - Professor *Wiegand*. 1
Herren Buchhändler *Duncker & Humblot* . 3
u. für: Herrn Dr. *Lange*, Privat-Docent an der Universität 1

S. P. T. Exempl.

Für: Herrn *v. Stosch*, Leibarzt Ihrer Königl. Hoh. der Frau Kron-Prinzessin v. Preussen 1
- Herrn Studiosus philos. *Wiese* . . . 1
Herr Buchhändler *Theod. Christ. Friedrich Enslin* 4
- Buchhändler *August Hirschwald* . . 1
- - *Friedrich Laue* . . . 3
- - *Wilhelm Logier* . . . 10
u. für: Herrn Antiquar *Zellmer* 6
Herr *Ernst Siegfried Mittler* 1
u. für: Herrn Doctor *Benecke* 1
- - Professor *Jacob* 1
- - Consistorial- und Schulrath *Jacob* in Posen 1
- Herrn Lehrer *Schönborn* 1
- - Conrector Dr. *Starke* . . . 1
- - Professor *Trojanski* 1
Die *Nauck*'sche Buchhandlung 2
- *Nicolai*'sche Buchhandlung 2
Herr Buchhändler *Ludwig Oehmigke*
für: Herrn Candidat *Klaeden* 1
- - - Theologiae *Lehnert* . 1
Herr Buchhändler *Carl Friedrich Plahn* . 2
- - *Theodor Heinrich Riemann* 6
- - *Stuhr* 3
Die *Trautwein*'sche Buchhandlung 1

BONN.

Herr Buchhändler *Tobias Habicht* . . . 9
u. für: Herrn Lehrer *Arnden* am Gymnasium zu Gladbach. 1
- Herrn Studios. phil. *H. Beyda* . . 1
- - Candid. phil. *A. Deterich* . . 1
- - Religionslehrer *Elshoff* . . . 1
- - Studios. phil. *Jos. Halbfas* . 1
- - - - *Anton Hüser* . 1
- - - - *B. Juny* . . . 1
- - - - *Lander* . . . 1
- - - - *J. W. Meckel* 1
- Herrn Studios. philos. *C. Menn* . . 1
- - - - *Mohr* 1
- - - - *Ch. Müller* . . 1
- - - - *Niedermann* . 1
- - Lehrer *E. C. Noever* in Gladbach 1
- - Studios. phil. *Pet. Pierung* . . 1
- - Lehrer *Rospalt* am Gymnasio zu Münstereifel 1
- Herrn Lehrer *Scheben* am Gymnasio zu Münstereifel 1
- Herrn Studios. theol. et phil. *Lorenz Weinrich* 2
- Herrn Studios. juris *Wenner* . . . 1
- - - phil. *Joh. Jacob Werner* 1
- - - - *Friedrich Windischmann* 1
Herr Buchhändler *Adolph Marcus* . . . 21
- - *E. Weber* 6
u. für: Herrn Professor *Achterfeldt* . . . 1
- Herrn Professor *d'Alton* 1

S. P. T. Exempl.

Für: Herrn Privat-Docent bei der Juristen-Facultät Dr. *Ludwig Arndts* . . . 1
- Herrn Oberconsistorial-Rath und Professor *Augusti* 1
- Herrn Professor Dr. *Brandis* . . . 1
- - Professor *Calcker* 1
- - Studiosus phil. *J. Classen* . . 1
- - Dr. *Deycks* in Düsseldorf . . 1
- - Studios. phil. *E. L. Doll* aus Boppard 1
- - - - *Driesch* 1
- - - Theologiae cat. & math. *Nicol. Druckenmüller* 1
- Herrn Professor *Elvenich* 1
- - - *Gieseler* 1
- - - *W. H. Grauert* i. Münster 1
- - Studiosus phil. *Güntzer* . . . 1
- die Königl. *Gymnasial-Bibliothek* . . 1
- Herrn Professor *Hasse* 1
- - Lehrer *Joh. Hennes* am Jesuiter-Gymnasium in Cöln 1
- Herrn Studiosus phil. *Isler* 1
- - - *H. Kalthof* 1
- - Conrector *Knebel* in Mörs . . 1
- - Studios. phil. *Knickenberg* . . . 1
- - Dr. *Christian Lassen* 1
- - Lehrer *Friedrich Ley* am Jesuiter-Gymnasium in Cöln 1
- Herrn Professor Dr. *Lücke* in Göttingen 1
- - - *Lucas* 1
- - Professor *v. Münchow* 1
- - Studiosus *Nöggerath* 1
- - - *Ostwald* 1
- - Geheimen Regierungsrath u. ausserordentlichen Bevollmächtigten *v. Rehfues* 1
- Herrn Lehrer *Rindfleisch* 1
- - Dr. *Friedr. Ritter* 1
- - Studiosus phil. *Saal* 1
- - - - *Schneider* . . . 1
- - Lehrer *Schnitz* am Jesuit.-Gymnasium in Cöln 1
- Herrn Pfarrer Mag. *Sebastiany* in Sinzig 1
- - Gymnasiallehrer *Joseph Zirkel* . 1

BRANDENBURG.

Herr Buchhändler *J. J. Wiesike*
für: die *Bibliothek* des Brandenb. Gymnasiums 1

BRAUNSCHWEIG.

Herr Buchhändler *Ludwig Lucius* . . . 2
- - *Alexander Plüchart* . 1
Die *Schulbuchhandlung* 1

BREMEN.

Herr Buchhändler *Wilhelm Kaiser* . . . 2

S. P. T. Exempl.

BRESLAU.

Herr Buchhändler *G. P. Aderholz* . . . 1
und für: Herrn Studios. phil. *Mendelssohn* . 1
- - - - *Stridde* . . . 1
Herr Buchhändler *A. Gosohorsky* 5
Herren Buchhändler *Grüson & Comp.* . . 1
- - *Joh. Friedr. Korn* d. ältere 1
u. für: Herrn Studios. philologiae *Franke* . 1
- - Consistorial-Rath Prof. Dr. *Gass* 1
- die *Hruzik*'sche Bibliothek in Oppeln . 1
- Herrn Professor Dr. *Huschke* . . . 1
- - Director und Profess. Dr. *Körner* in Oels 1
- Herrn Studiosus philolog. *Krüger* . 1
- - Dr. *Melzer* 1
- - Prorector Dr. *G. Pinzger* . . 1
- - Studiosus philologiae *Platz* . . 1
Herr Buchhändler *W. Gottl. Korn* . . . 1
u. für: Herrn *J. E. Scholz* in Landshut . . 1
Herr Buchhändler *E. C. Leuckart*
für: das Königliche *Gymnasium* zu Gleiwitz 1
- - - - zu Leobschütz 1
- - - - zu Neisse . 1
- - - - zu Oppeln . 1
- Herrn Professor *Heimbrodt* in Gleiwitz 1
Herren Buchhändler *Joseph Max & Comp.* 16
Herr Buchhändler *E. Neubourg* 3

BRÜSSEL.

Herr Buchhändler *J. Frank* 4

CARLSRUHE.

Herr Buchhändler *C. T. Gross* 1
u. für: Herrn Professor *Vierordt* 1

CELLE.

Die *Schulz*'sche Buchhandlung 1

CLEVE.

Herr Buchhändler *F. Char* 1

COBLENZ.

Herr Buchhändler *Carl Baedeker* . . . 4
Die *Gelehrten - Buchhandlung* 1
Herr Buchhändler *J. Hölscher* 9

COBURG.

Herren Buchhändler *Meusel & Sohn* . . 1

CÖLN.

Herr Buchhändler *J. P. Bachem* 1
- - *Dü-Mont-Schauberg* . . 7

COPENHAGEN.

H. J. Bing'sche Schulbuchhandlung . . . 2
Herr Buchhändler *Friedrich Brummer* . 7
Die *Gyldendal*'sche Buchhandlung . . . 3
u. für: d. *Bibliothek* des adel. Stiftes Herlufsholm 1
- Herrn Justiz-Rath Ritter *Brorson*, Rector an der gelehrten Schule dieses Stiftes 1
- Herrn Coadjutor *Dichmann* an eben diesem Stifte 1
- Herrn Capitain u. Divisions-Adjutant bei Sr. Majest. dem Könige Ritter *v. Hausen* 1
- Herrn Profess. *Nülsen*, Vorsteher der Gelehrten- und Realschule, Borgerdydsskolen genannt 1
- die *Universitäts-Bibliothek* 1
Herr Buchhändler *C. A. Reitzel* 1
u. für Herrn Candid. *P. W. Becker* . . . 1
- - - *W. Borgen* 1
- - Dr. *Hennichsen* 1
- - Candidat *Hiort* 1
- - Secretair *Hiort* 1
- - Candidat *Kiür* 1
- - Dr. *Rudelbach* 1
- - Geheimen Legations-Rath *Skrike* 1

S. P. T. Exempl.

CÖSLIN.

Herr Buchhändler *C. H. Hendess* . . . 1
u. für: Herrn Dr. *Grieben* 1
- - - *Kienert* 1

DANZIG.

Herr Buchhändler *S. Gerhard*
für: Se. Excellenz Herrn *v. Hatten*, Weih-Bischof von Ermeland in Frauenburg . 1
- Herrn Professor *Herbst* 1
- - - *Pflugk* 1
- - Director Dr. *Schaub* 1
- - Professor *Schöler* 1
- - Regiments-Arzt Dr. *Wache* . . 1

DARMSTADT.

Herr Buchhändler *C. W. Leske* 1
u. für: Herrn Kirchenrath Dr. *Wagner* . 1
- - Professor Dr. *Zimmermann* . 1
- - Conrector Dr. *Zimmermann* . 1

DESSAU.

Herr Buchhändler *C. G. Ackermann* . . 1

DRESDEN.

Die *Arnold*'sche Buchhandlung 4
- *Wagner*'sche desgleichen 6
- *Walther*'sche desgl. 2

DÜSSELDORF.

Herr *J. H. Schreiner* 1

EISENACH.

Herr Buchhändler *J. F. Baerecke* . . . 2

ELBERFELD.

Herr Buchhändler *J. E. Schaub*
für: Herrn *C. Bley* in Lennep 1
- - Professor *Brewer* in Düsseldorf . 1
- - Dr. *Crome* daselbst 1
- - Staats-Procurator *Hoffmann* das. 1
- - Professor *Holl* daselbst 1
- - Candidat *Kunz* in Ehringhausen . 1
- - Director *Seelbach* 1

ERFURT.

Die *Keyser*'sche Buchhandlung
für: Herrn Oberlehrer Dr. *Kritz* 1
- - Past. Mag. *Küttner* in Krannichborn 1

ERLANGEN.

Herr Buchhändler *Carl Heyder* 2
Herren Buchhändler *Palm & Enke* . . . 1

ESSEN.

Herr Buchhändl. *Gotts. Diedr. Baedeker* . 2

FRANKFURT a. Main.

Herr Buchhändler *H. L. Brönner* . . . 6
Die *Hermann*'sche Buchhandlung . . . 5

FRANKFURT a. d. Oder.

Herr Buchhändler *F. J. Tempel*
für: die *Westermann*'sche Gymnasial-Bibliothek 1
Herr Buchhändler *H. Hoffmann* 1

St. GALLEN.

Herren Buchhändler *Huber & Comp.* . . 1

GIESSEN.

Herr Buchhändler *Balthas. Christ. Ferber* 6
- - *Heyer*, Sohn 12

GLOGAU.

Die neue *Günter*'sche Buchhandlung . . . 1
u. für: Herrn Cantor *Bretzel* 1
- - Candidat *Bretzel* in Deutsch-Wartenberg 1
- das Königl. kathol. *Gymnasium* . . . 1
- - Königl. kathol. *Gymnasium* in Lissa 1

S. P. T. Exempl.

GÖRLITZ.

Herr Buchhändler *C. G. Zobel* 1

GOTHA.

Herr Buchhändler *Carl Gläser* 2

GÖTTINGEN.

Herr Buchhändler *Rudolph Deuerlich*
für: Herrn Studios. phil. *Bollensen* . . . 1
- - theologiae *Krische* . 1
Die *Dieterich*'sche Buchhandlung 3
u. für: Herrn *Erdmann* in Holzminden . . 2
- - Professor *Frank* 1
- - Student *Leonhard* 1
- die Königl. *Universitäts-Bibliothek* . 1
Herren Buchhändler *Vandenhöck & Ruprecht* 8

GRÄTZ.

Die *Ferstl*'sche Buchhandlung 2
- *Miller*'sche Buchhandlung 1

GREIFSWALD.

Herr Buchhändler *C. A. Koch* 2
- - *E. Mauritius* 1
u. für: Herrn Professor Dr. *C. W. Ahlwardt* 1
- - Studiosus philol. *Drogan* . . 1
- - Hofrath *Fabricius* 1
- - Candid. *Fischer* zu Philippshof bei Demmin 1
- Herrn M. *Hasert* 1
- - Past. *Heckermann* i. Neuenkirchen 1
- - Professor *P. S. Kanngiesser* 1
- Herrn Candidat *A. Kreck* 1

HALBERSTADT.

Herr Buchhändler *Carl Brüggemann* . . . 6
- - *Friedrich August Helm*
für: Herrn Rector und Prediger *Müller* i. Blankenburg 1
- Herrn Oberlehrer Dr. *Nalop* 1

HALLE.

Herr Buchhändler *Eduard Anton* 21
Herren - *Hemmerde & Schwetschke* 2
u. für: Herrn Rector *Danneil* in Salzwedel . 1
- - Studiosus *Jacobi* aus Schötmar 1
- - - *Haushahn* a. Quedlinburg 1
- - - *Klaffenbach* aus Naumb. 2
- - Prediger Dr. *Schincke* in Wedlitz 1
- - Professor *Schmieder* in Brieg 2
- - Dr. *Steinhart* in Schulpforte 1
Herr Buchhändler *C. A. Kümmel* 1
- - *Friedrich Ruff* 2
Die *Waisenhausbuchhandlung* 9

HAMBURG.

Herr Buchhändler *J. G. Herold* junior . . 1
- - *F. H. Nestler* 21
Herren - *Perthes & Besser* . . . 6

HANNOVER.

Die *Hahn*'sche Hofbuchhandlung 2
u. für: die *Bibliothek* des Königl. Pädagogiums in Ilefeld 1
- Herrn Conrector *Grotefend* in Ilefeld 1
- - Director *Hüpeden* in Celle . 1
- - Hofr. Ritter *Kaufmann* . . . 1
- - Professor Doctor *Nitzsch* in Kiel 1
- - Candidat *Noeldeke* 1
- - Pastor *Plantaenius* in Wehningen 1
- - Candidat. theologiae *Schmidt* in Breselenz 1
- Herrn Prorector *Werther* in Herford 2

S. P. T. Exempl.

HEIDELBERG.

Herr Buchhändler *Carl Groos* 2
- - *J. C. B. Mohr* . . . 1
- - *August Osswald* . . . 2
- - *C. F. Winter* . . . 1

HEILBRONN.

Herr Buchhändler *Carl Drechsler* . . . 7

HELMSTÄDT.

Die *Fleckeisen*'sche Buchhandlung . . . 1
u. für: Herrn Professor *Hess* in Helmstädt . 1
- - Past. *Nolte* i. Rätzlingen b. Oebisfelde 1

HERMANNSTADT.

Herr Buchhändler *W. H. Thierry* . . . 2

HILDESHEIM.

Die *Gerstenberg*'sche Buchhandlung . . . 2
u. für: Herrn Gymnasiast *Arnemann* . . . 1
- die Bibliothek des Gymnasii *Andreani* . 1
- Herrn Studiosus *Muhlert* in Göttingen . 1
- - Präfect *Wandt* 1
- - Schul-Inspector *Wiederholt* . . 1

JENA.

Die *Cröcker*'sche Buchhandlung
für: Herrn Studios. philol. *Eberhard* aus Coburg 1
- - Professor *Göttling* 1
- - Professor *Hoffmann* 1
- - Geheim. Justiz-Rath *Martin* . . 1
- - Geheim. Kirchen-Rath *Schott* . 1
Herr Buchhändler *August Schmid* . . . 4

KASCHAU.

Herr Buchhändler *Otto Wigand* 6

KIEL.

Die *Universitäts-Buchhandlung* . . . 1
u. für: Herrn Etats-Rath Oberbibliothekar Dr. *Cramer* 1
- Herrn Professor *Falck* 1
- - Studiosus *Möller* aus Glücksburg 1
- - Professor *Schultz* 1

KÖNIGSBERG in Preussen.

Herren Buchhändler Gebrüder *Borntträger* . 3
u. für: Herrn Dr. *C. Biester* in Braunsberg . 1
- - - *Büttner* 1
- - Oberlehrer Dr. *Bumbke* i. Braunsberg 1
- - Religionslehrer *Ditki* daselbst . 1
- - Oberlehrer *Fabian* 1
- - - *Fabian* in Lyk . . 1
- - Studiosus *Glogau* 1
- - Director *Gotthold* 1
- - Studiosus *Haub* 1
- - Hauslehrer *Hoffmann* 1
- - Conrector *Hutzler* 1
- - Studiosus *Kollberg* 1
- - - *Loginsky* 1
- - Candidat *Penner* 1
- - *Röhl* 1
- - Oberlehrer *Saage* in Braunsberg 1
- - Director *Struve* 1
- - *Wehmeyer* in Tilsit 1
Herr Buchhändler *A. W. Unzer* 25

LANDSHUT.

Herr Buchhändler *Joseph Thomann* . . . 1

LEER.

Die *Vogler*'sche Buchhandlung
für: Herrn Studiosus *Buck* 1
- - - *Dirksen* 1
- das Königl. *Lyceum* in Aurich . . . 1
- Herrn Conrector *Siedhof* 1

S. P. T. Exempl.

LEIPZIG.

Herr Buchhändler *Carl Andrä* 1
- - *Johann Ambrosius Barth* 3
u. für: Herrn Actuarius *Arnold* 1
- - Professor Dr. *Otto* 1
- - - *Rosenmüller* . . 1
Herr Buchhändler *Carl Cnobloch*
für: Herrn Dr. *Steuber* in Dortmund . . 1
Herr Buchhändler *Wilh. Engelmann*
für: Herrn Cammer-Assess. *Dahl* in Wernigerode 1
- - Dr. Juris *Moritz Thiele* in Dresden 1
Die *Expedition* des europäischen Aufsehers . 1
Herr Buchhändler *C. H. F. Hartmann* . . 5
u. für: Herrn Professor *Jacobi* in Schulpforte 2
- - Subrector *Rückert* in Zittau . 1
- - Adjunct *Wilbrandt* in Schulpforte 1
- - Studiosus *Willkomm* in Leipzig 1
Herr Buchhändler *Christian Gottlob Kayser* 1
- Buchhändler *Aug. G. Liebeskind* . . 1
- - *C. H. Reclam*
für: Herrn Professor *Füsi* in Zürich . . 1
- - M. *Forbiger* 1
- - Professor Dr. *Heimbach* in Jena 1
- - Conrector *Hessler* in Rossleben 1
- - Geh.-Fin.-Rath *v. Oppel* auf Krebs 1
- - Schuldir. *Rossbach* i. Schmalkalden 1
- - Professor *Theile* 1
- - Oberschöppenschreib. *Winter* . 1
Herr Buchhändler *E. B. Schwickert* . . . 1
- - *J. P. V. Sühring* . . . 12
- - *F. Chr. Wilh. Vogel*
für: Herrn Professor *Neue* in Schulpforte . 1
- - Prorector Dr. *Schönborn* in Guben 1
- - Domherrn Dr. *Winzer* 1
- - Studios. phil. *Wolff* aus Altenburg 1
Herr Buchhändler *Leopold Voss* 1

LEMBERG.

Herren Buchhändler *Kuhn & Millikowski*
für: Herrn Professor *Michael v. Canaval* am Lyceo zu Przemysl 1
- Herrn Domherr Dr. der Theologie, Consistorialrath und emeritirter Rector, zugleich Provincial-Gymnasial-Studien-Director *Franz Xaver v. Zachariasiewiez* in Gallizien 1

LEMGO.

Die *Meyer*'sche Hof-Buchhandlung
für: Herrn Vice-Rector Dr. *Harless* in Herford 1
- - Conrector *Rothert* daselbst . . 1
- - Collaborator *Wilms* daselbst . . 1

LIEGNITZ.

Herr Buchhändler *J. F. Kuhlmey* . . . 1

LINGEN.

Herr Buchhändler *Fr. A. Jülicher* . . . 1
u. für: Herrn Rector *Jüngst* in Tecklenburg 1
- die *Schulbibliothek* 1
- Herrn Dr. *W. H. D. Süringer* in Leyden 1

LONDON.

Herren Buchhändler *Black, Young & Young* 100
Herr - *W. H. Koller* . . . 6

LÜBBEN in der Niederlausitz.

Herr Buchhändler *Christian Traug. Gotsch* 1

LÜBECK.

Herr Buchhändler *Friedrich Asschenfeldt.* 1

LÜNEBURG.

Herren Buchhändler *Herold & Wahlstab* . 3

MAGDEBURG.

Herr Buchhändler *Wilhelm Heinrichshofen* 1
- - *Ferdinand Rubach* . . 2

S. P. T. Exempl.

MAINZ.

Herr Buchhändler *Kilian Diemer*
für: Herrn Director *Reiter* 1
Herr Buchhändler *Florian Kupferberg*
für: Herrn Stadtrath *Hermes* in Trier . . 1
- die *Stadt-Bibliothek* 1
Die *Müller*'sche Buchhandlung 1

MANNHEIM.

Herr Buchhändler *Tobias Löffler* 2

MARBURG.

Herren Buchhändler *Krieger & Comp.* . . 1

MEININGEN.

Herr Buchhändler *Friedemann Keyssner* . 2

MEISSEN.

Herr Buchhändler *Friedrich Wilh. Goedsche* 2

MITAU.

Herr Buchhändler *Gustav Adolph Reyher* . 1
u. für: Herrn Collegien-Assess. *v. Braunschweig*, stellvertretender Kurländis. Gouvernem. Schulen-Director . . . 1
- Herrn Candidat *J. K. Strauss* . . 1
- - Collegien-Rath und Ritter des St. Wladimir-Ordens 2r Classe *v. Twerdowsky* in Pinsk 1

MÜHLHAUSEN.

Herr Buchhändler *J. Heinrichshofen*
für: Herrn Professor *J. C. Burchard* in Heiligenstadt, ... 1
- Herrn Professor *Franz Richter* daselbst 1
- - Subconrector *Schreiber* . . . 1
- die *Schulbibliothek* 1

MÜNCHEN.

Die *Lindauer*'sche Buchhandlung
für: Herrn Professor *Schwartz* 1
Herr Buchhändler *F. W. Michaelis* . . . 2

MÜNDEN.

Herr Buchhändler *J. A. Kersting* . . . 1

MÜNSTER.

Die *Coppenrath*'sche Buchhandlung . . . 3
- *Theissing*'sche - 2

NEUBRANDENBURG.

Herr Buchhändler *Ludwig Dümmler* . . 12

NORDHAUSEN.

Herr Buchhändler *W. Köhne* 1

NÜRNBERG.

Herren Buchhändler *Bauer & Raspe* . . 2
Herr - *Georg Eichhorn* . . 1
Herren - *Riegel & Wiessner* . 2

OSTERODE.

Herr Buchhändler *Carl August Hirsch* . 1

PADERBORN.

Herr Buchhändler *Joseph Wesener* . . . 3

PESTH.

Herr Buchhändler *Joseph Eggenberger* . 4
- - *G. Kilian* 21

St. PETERSBURG.

Herr Buchhändler *W. Gräff* 2

POTSDAM.

Herr Buchhändler *C. C. Horvath* . . . 1
- - *Ferdinand Riegel* . . 3

S. P. T.	Exempl.
PRAG.	
Die *Borrosch*'sche Buchhandlung	1
- *Calve*'sche -	3
Herren Buchhändler *Kronberger & Weber* für: Herrn Dr. Medicinae *J. E. Ryba*	1
Herr Buchhändler *Franz Xaver Widtmann*	1
PRENZLAU.	
Die *Ragoczy*'sche Buchhandlung	4
PRESSBURG.	
Herr Buchhändler *Joseph Landes*	8
- - *Carl Friedrich Wigand*	2
QUEDLINBURG.	
Herr Buchhändler *Gottfried Basse* für: Herrn Rector *Johann Friedrich Sachse*	1
- Herrn Collaborator Dr. *Adalbert Schmidt*	1
REGENSBURG.	
Herr Buchhändler *Friedrich Pustet*	5
RIGA.	
Herr Buchhändler *Johann Jacob Deubner* für: Herrn Hofrath und Prof. Dr. *v. Francke* in Dorpat	1
- Herrn Oberlehrer *v. Freymann*	1
- - Rath *Freytag* in Dorpat	1
- - Studiosus theologiae *Lösevitz* das.	2
- - Candidat *Stender* auf Audern	1
SCHNEEBERG.	
Durch *C. Schumann*	
Herr Actuar. *Aster* in Grünhayn	1
- Stadtschreiber *Beck*	1
- Stadtrichter *Biel*	1
- Professor *Bornemann* in Meissen	1
- Gymnasiast *Corradin*	1
- Advocat *Friedrich*	1
- Studiosus *Funkhänel* in Johanngeorgenstadt	1
- Dr. *Geitner*	1
- Studiosus *Haase* in Greitz	1
- *August Hänel*, Erb - Lehn - und Gerichtsherr auf Rauenstein	1
- Professor *Hasse* in Dresden	1
- M. *Jacobi* in Leipzig	1
- Conrector *Klemm* in Chemnitz	1
- Diaconus *Körner*	1
- Cantor *Kurzwelly* in Chemnitz	1
- Prof. u. Director *Lindemann* in Zittau	1
- Conrector *Lindemann* in Zwickau	1
- Candidat *Lotichius* in Hohenstein	1
- Diaconus *Richter* in Zwickau	2
- Tertius *Schödel*	1
- Studios. philolog. *Sintenis* in Leipzig	1
Herr Kaufmann *Straube*	1
Die *Schulbibliothek* in Chemnitz	1
Herr Professor Dr. *Witte* in Breslau	1
SONDERSHAUSEN.	
Herr Buchhändler *August Eupel*	1
STETTIN.	
Herr Buchhändler *Friedrich Heinr. Morin*	10
STRALSUND.	
Die *Löffler*'sche Buchhandlung für: Herrn Director *Hasenbalg*	1
- - Hülfsprediger *Illies*	1
- - Director Doctor *Kirchner*	1
- - Consistorial-Rath *Mohnicke*	1
- - Professor *Nizze*	1
- die *Rathsbibliothek*	1
STRASBURG.	
Herr Buchhändler *Franz Georg Levrault*	1
STUTTGARD.	
Herren Buchhändler *Löflund & Sohn*	3
Die *Metzler*'sche Buchhandlung	1
TILSIT.	
Herr Buchhändler *Glöckner*	1
TRIER.	
Herr Buchhändler *Jacob Lintz* für: die *Stadtbibliothek*	1
- Herrn Professor *Schneemann*	1
TÜBINGEN.	
Herr Buchhändler *Heinrich Laupp*	2
- - *Chr. Friedrich Osiander*	7
ULM.	
Die *Stettin*'sche Buchhandlung	1
UPSALA.	
Herren Buchhändler *Palmblad & Comp.*	21
WARSCHAU.	
Herr Buchhändler *Nathan Glücksberg*	4
WIEN.	
Die *Beck*'sche Buchhandlung	6
Herr Buchhändler *Carl Gerold*	10
Herren - *Mörschner & Jasper*	1
- - *C. Schaumburg & Comp.* für: Herrn *Franz Mezger*	1
Herr Buchhändler *Joh. Baptist Wallishausser*	2
WITTENBERG.	
Die *Zimmermann*'sche Buchhandlung	15
WÜRZBURG.	
Die *Etlinger*'sche Buchhandlung	2
ZEITZ.	
Die *Webel*'sche Buchhandlung für: Herrn Prorector Dr. *Dähne*	1
- - Quintus *Hornikel*	1
- - Subconrector *Kahnt*	1
- - Conrector *Schmidt*	1
- - Dr. *Töpelmann*	1
ZWICKAU.	
Herren Buchhändler Gebrüder *Schumann* für: Herrn Professor Dr. *Abegg* in Breslau	1
- - Studiosus philol. *Dirlam* in Breslau	1
- - Buchbinder *Dürr*	1
- - Professor *Eiselen* in Breslau	1
- - Actuarius *Flechsig*	1
- - Studiosus theol. *Flechsig*	1
- - Professor Dr. *Gass* in Breslau	1
- - - *Herzog* in Gera	1
- - Studiosus philol. *Hilbig* in Breslau	1
- - Postsecretair *Hövelt* in Delitzsch	2
- - Cand. *Junker* in Mannichswalde	1
- - Professor *Kannegiesser* in Breslau	1
- - Studiosus philol. *Aug. Keller* daselbst	1
- Herrn Studiosus philol. *Gust. Keller* das.	1
- - Candidat *Kirchhof*	1
- die *Königl. u. Univers. Bibliothek* in Breslau	1
- Herrn Steuer-Procur. *Lischke* in Oschatz	1
- - Superint. Dr. *Lorenz*	1
- - Studios. philol. *Marx* in Breslau	1
- - Superint. Dr. *Meissner* in Waldenburg	1
- Herrn Secretair *Meyer* in Freyberg	1
- - Stadtschreiber *Meyer* in Jöhstadt	1
- - Studiosus philol. *Mücke* in Breslau	1
- - - - *Nowack* i. Bresl.	1
- - Actuarius *Oberländer*	1
- - Professor Dr. *Passow* in Breslau	1
- - Candidat *Prasser*	1
- - Studiosus philol. *Rhode* in Breslau	1
- - - - *Richter* i. Bresl.	1
- - Professor Dr. *Rohovsky* in Breslau	1
- - - Dr. *Schulz* in Breslau	1
- - Candidat *Schumann*	1
- - Studios. *Schumann*	1
- - Kaufmann *Trinks* in Waldenburg	1
- - Professor Dr. *Ullrich* in Breslau	1
- - Advocat *Vogel* in Reichenbach	1
- - Studios. *Walther* aus Chursdorf	1
- - Dr. *Wehrmann*	1
- - Actuarius *Wenzel* in Chemnitz	1
- - Dr. *Wentzel* in Breslau	1

A

A Littera prima est alphabeti in omnibus linguis. *Insuavissimam litteram* ob sonum vocat *Cic. Or.* 49. [Is dicit: Proximus (versus) inquinatus insuavissima littera [finitus]: *Frugifera et ferta arva Asiae tenet.* Sed hic nec litt. T, ut putat *Gesnerus* propter *finitus*, quod *Schütz.* delevit et in *sonitu* mutandum putavit, nec *S*, ut alii, nec *A*, utpote quae omnium prima facillime exprimatur ab infantibus, et, ut ait *Martianus Capella*, sub hiatu oris congruo solo spiritu memoretur, sed litt. *R*, quae ob asperitatem vulgo canina appellatur, intelligendam esse apparet. *F.* *Ceterum quod idem *Mart.* V. p. 167. improbat frequentiorem hujus litterae usum, credibile est, Romanos tantum afuisse, ut a conjungendis propter frequentiorem vocalem verbis ubique abstinerent, ut interdum de industria quaererent ad rem amplam et grandem ipso verborum sono exprimendam.] ℙ Interdum est litt. numeralis, quae quingenta designat, ut ceterae alphabeti litt. alios numeros, de quibus suis locis. V. antiquum codicem de Notis numerorum adjectum *Probo p.* 1683. *Putsch.* Porro eidem litterae A si recta linea superaddatur, quinque millia significat. ℙ *A.* puncto postposito praenomen significat, ut *A. Caecina*, *Aulus Caecina.* [*In *Cic. Tusc. qu.* persona, quae litt. A designatur, est *Auditor.* Sic rectius Turneb. Lambino, qui *Adolescentem*, aut Lactant., qui *Div. inst.* 1, 15. *Atticum* designari putat.] ℙ *A.* item, sicut reliquae litterae, ponitur interdum sola pro tota dictione, cujus est initium, ut *A. A. A.* Auro, Argento, Aere. [*v. *Triumvir.*] ℙ Sed multa praeterea significare potest sive sola est, sive aliis litteris adjecta, ut est apud *Ursatum de Notis Roman.* Illud tamen hoc loco omittendum non est, *A.* in judiciis usurpatam fuisse pro *Absolvo.* Itaque *Ascon. in Cic. Divin.* 7. In causis majoribus, inquit, universi judices in cistam tabulas conjiciebant suas, easque insculptas litteras habentes A. *Absolutionis*, C. *Condemnationis*, N. L. *Ampliationis.* Qua de re latius *Brisson. de form.* 5. *n.* 214. [*cf. *Ascon. ad Verr.* 2, 1, 9.] Hinc dicitur *littera salutaris* a *Cic. Mil.* 6., C. vero *tristis.* In Comitiis autem legum, in quibus suae cuique de populo tabellae tradebantur insculptas litteras habentes A. et U. R., A. Antiquo, h. e. *respuo*, *abrogo*, et U. R. Uti rogas, h. e. *consentio*, *approbo* significabant.

A, AB, ABS, praepositiones, quae cum sexto casu adhibentur, Graece ἀπό. [*unde factum *ab.* Vid. *Schneid. gr. lat.* I. p. 217.] Significatione nihil differunt, differunt autem solummodo in modo adjiciendi. *A* enim adjicitur iis vocibus tantum, quae incipiunt a consonante, ut a Pompejo, a milite; *Abs* iis fere, quae incipiunt a litteris T et Q, ut abs te, abs quolibet. *Ter. Andr.* 1, 5, 56. et Ad. 2, 3, 1. *Ab* plerumque iis, quae incipiunt a vocali, aliquando tamen etiam a consonante incipientibus, ut *ab re* apud *Liv.* 1, 17. [*At hoc latius patet. V. *Rudd. inst. lat. gr.* II. p. 337. *Tursell. d. part. h. v. Ab* non dubium est quin fere ante omnes consonantes dictum sit. Qua in re primum Codd. audiendi sunt (v. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 3, 5, 43. 16, 22. *Epod.* 17, 24.) quamquam librarios, regularum tenaces, saepe *ab* in *a* mutasse credibile est (*Oud. ad Hirt. B. A.* 25). Tum suam quemque scriptorem hac in re rationem secutum esse illud ostendit, quod *Livius* prae ceteris *ab* amare videtur. Porro aurium judicio permultum tribuisse veteres certum est, ex quo genere illud est, quod *Cicero* scribere solet *ea ab*, *ista ab* et similia simili modo, non *ea a* etc. de quo dicit *Goer. ad Leg.* 3, 16, 35. *Ac.* 1, 2, 8. cf. *Gernh. ad Off.* 1, 19, 63. *Nep. Dion.* 1. multa alia ab natura. V. *Bremi.* Denique in quibusdam communis usus spectandus est, ut in illo, de quo praecipit *Cic. Or.* 47. loco memorabili, ubi tamen alii: una est praepos. *ab*, al. *abs* exhibent (cf. *Ramsh. gr. l. m.* p. 284). Sic porro non videntur dixisse *ab te* (*Goer. ad Fin.* 5, 6, 15), praetulisse vero *ab re*, sicubi id esset *praeter rem.* Ferunt igitur, ut paucis complectamur, formam asperiorem consonantes c, (*Cic. R. P.* 3, 8. ab Chrysippo) d (*Goer. ad Fin.* 5, 1, 1), f, g, l, m, n (*Gernh. l. c.*) q, v, z, inprimis j (*Burm.* ad *Ov. Fast.* 1, 236. *Gernh. l. l.*) r, s (*Goer. F.* 2, 24, 78. *Davis. ad Hirt.* b. A. 25) et t, respuunt fere b et p, quamquam hujus quoque ex *Liv.* (1, 53. 4, 32. 31, 25. 39, 2.) et *Caes.* (*b. g.* 6, 21.) exempla afferuntur. Sed nullo modo probari posse videtur eorum sententia, qui etiam significatione differre ajunt *ab* et *a*, de quo v. *Ramsh. l. c.* Ei enim sententiae cum alia multa obstant, velut locorum, quos afferunt, nonnulli, tum hoc maxime adversatur, quod Romanos, graves et severos homines, in ejusmodi minutiis, quarum fere omnis ratio ad aurium judicium referri videatur et ad uniuscujusque scriptoris arbitrium, tantum momenti posuisse non facile demonstraveris. Ad *Caesarem*, ut unum certe locum afferamus, illi provocant *b. c.* 3, 10. conditiones pacis Romae *ab Senatu* et *a populo* peti debere. Enimvero ibi et Codd. dissentiunt et Caes. aures secutus *a populo* videtur scripsisse; ceterum ne illud quidem spernendum, quod *Oud. b. g.* 5, 34. docet, Caesarem ita solere *ab* et *a* conjungere. Utut haec sunt, cum hoc modo in pace petenda majorem esse Senatus, quam populi auctoritatem indicare quis est qui credat?] ℙ 2. [*Quae de vi praepos. in sqq. tradit *Forc.* sine ordine ex *Tursellino* aliisque sunt deprompta. Verum quum uniuscujusque particulae certa quaedam ac definita debeat esse ratio, quam ille non attulit, ea hic supplevimus, ad quae singula illa videntur referri posse. Vera igitur praep. ratio haec est, ut id significet, *a quo proficiscitur aliquid*, ad quod tanquam ad *originem* (largoque satos Curetas ab imbre *Ov. Met.* 4, 282.), *caput*, *fontem*, *causam* aliquid pertinet et redit, et a quo tanquam *initio* proficiscimur in rebus spectandis (*Ov. Met.* 6, 316. a facto propiore priora renarrant. *Caes. b. g.* 1, 22. cognoscere a. *Brut.* ap. *Cic. Fam.* 11, 10. a certo sensu judicare). Hinc est, quod *personam agentem* et *causam efficientem* (ὑπό) ea partic. indicari dicunt Grammatici; hinc ubi de *tempore* sermo est, tempus illud sign., a quo initium alicujus rei fit (*Hirt. b. g.* 8, 1. quum a superiore aestate nullum bellandi tempus intermisisset); ubi *de loco*, *terminum* sign., a quo proficiscimur, ad quem reliquorum locorum ratio dirigitur; hinc illud quoque, quod sign. *a parte* (ut *Caes.* loquitur *b. c.* 1, 23.) i. e. quod proficiscitur ab aliquo, et *quod attinet ad*, h. e. quod spectamus in judicando. Ad haec quomodo singula sint applicanda, partim ipsi infra monstravimus, partim facile dijudicabitur.] *A* et *Ab* cum verbis passivis significant *personam agentem*, ut Eratosthenes a Serapione et ab Hipparcho reprehenditur *Cic. Att.* 2, 6. [*Qua cautione opus sit in ambiguis quibusdam locis, partim ipsorum lectorum judicium, partim *Vorstius d. Lat. m. susp. c.* 13. aliique Grammatici docebunt. Nos exempli causa afferimus *Val. Max.* 2, 4. Atellani ab Oscis (ex Oscorum populo) acciti sunt. Cf. *Caes. b. c.* 1, 6.] ℙ 3. Significant *remotionem* quoque seu *vacuitatem* ab aliqua re, ut *vacatio a causis Cic. Leg.* 1, 4. [*cf. *Caes. b. c.* 3, 25. Sed in his, ubi *vacationem* sign. dicit *Forc.*, *a* potius sign. *quod attinet ad.* Sic *Ter. Ad.* 5, 3, 44. ab re-omissiores. *Ph.* 2, 2, 26. otiosus ab animo (cf. *Heaut.* 1, 1, 23.). A culpa castae (i. e. liberae, et hinc castae) *Pl. Poen.* 5, 4, 13. *Cic. Att.* 8, 14. tempus mutum a litteris. Neque aliter expl. *inops*, *copiosus a* etc. de quibus suo dicetur loco. Sic infra n. 8. imparatus, firmus etc. Sic etiam ponitur, ubi non ab adject., sed a substant. et verbis pendet. *Cic. Brut.* 63. erat ab oratoribus quaedam in foro solitudo. *Att.* 1, 1. quum Romae a judiciis forum refrixerit. *Rab. P.* 10. quorum impunitas fuit, non modo a judicio, sed etiam a sermone. — Sed quod *remotionem* quoque sign. ait *Forc.*, per se apparet, eam rem, quae ab alia proficiscitur et quasi exit, quodammodo ab ea sejungi et removeri. *Ov. Met.* 3, 310. eripitur ab alvo. cf. 7, 423. *Caes. b. c.* 3, 33. a fano tollere. *Oud. ad b. g.* 1, 53. Eo pertinet *ab re* (v. mox) et verborum c. hac praep. frequentissima copulatio, qualia sunt *separare*, *liberare*, *repellere*, *removere*, *prohibere*, *arcere* etc., et in quibus horum vis inest, *defendere*, *munire*, *custodire*, *tutus* etc. de quibus hic dicendi non est locus. Interim v. *Sanct. Min.* 1. p. 559. sqq. ubi magnus verbb. c. *a* junctorum recensetur numerus. Hinc conjungitur etiam cum verbb. *mutationem* et *diversitatem* sign. *Virg. A.* 2, 274. quantum mutatus ab illo Hectore. Inde dicitur *diversus*, *alienus*, *alius ab* i. q. *aliter atque.* V. *Rudd.* II. p. 216. *Mela* 1, 9. multo aliter a ceteris agunt, ubi tamen *ac ceteri* fuerunt quibus placeret. Huc denique nescimus an referendi sint comparativi c. hac partic. conjuncti, (ubi falso abundare putant praepos.) de quo egit *Salmas. ad Vopisc. Car.* 19. defendens illud *Varr.* r. r. 1, 2. inferior a dextra.] ℙ 4. Significant aliquando *praeter*, ut *ab re*, *Suet. Aug.* 94. [**Pl. Trin.* 2, 1, 17. consulere *ab re*, opp. consulere in rem; v. *Lindem.* et in *Res.*] ℙ 5. Item *per*, ut *ab se* cantat cuja sit, *h. e. per se*, *sua sponte. Pl. Rud.* 2, 5, 21. [*Eodem redeunt, quae n. 28. afferuntur. *A* et *Per* interdum in eadem sententia conjunguntur, ut *Cic. Fam.* 3, 11, 9. *Att.* 9, 9. v. *Rudd.* II. p. 212. Quae quomodo differant et quando promiscue usurpentur, nonnulla disputantur ap. *Sanct.* 1. p. 548. sq. *Cic. Rosc. Am.* 29. Occidebantur per quos (quorum ope, ministerio, manu)? A quibus (quorum jussu)? Cf. *d. univ.* 6. per se et a se et pateretur et faceret omnia.] ℙ 6. Cum adjunguntur verbis *sto*, *sum*, *dico*, [**Cic. Inv.* 2, 48. dicere a scripto. cf. id. *Her.* 2, 6. 7. 27. *Cluent.* 34.] *facio*, *ago*, [v. haec vv.] et similibus [*Sentire Pl. *Rud.* 4, 4, 56.] idem significant ac *favere*, ut stare a mendacio *Cic. Inv.* 1, 3. [**Nep. Dat.* 6. Aliud est, quod Acron dicit ad *Hor. Od.* 1, 9, 4. flumina concreta a cursu suo stetisse.] Critolaus erat ab Aristotele *Id. Or.* 2, 38. [*Proprie dicitur *stare ab*, unde quae origo sit ejus locutionis, apparet. Nam a vicinia loci, quoniam ejusdem exercitus milites inter se vicini sunt, traducitur ad partes, quas defendimus, quibus favemus. Quod secundum exemplum affert *Forc.*, in eo praep., quis auctor fuerit illius disciplinae, significat (cf. *Tusc.* 2, 3. *Fin.* 4, 3, 7. ubi v. *Goer. Off.* 3, 33. ab Aristippo Cyrenaici i. e. Aristippei. *or.* 4. *Mur.* 30. ita gr. ἀπό). Sed commemorandum erat illud *Cic. d. Or.* 1, 13, 55. vide, ne hoc-totum sit a me, i. e. meae faveat sententiae, et *Off.* 2, 16, 56. ipsaque illa delectatio multitudinis sit — eaque a levissimo quoque, i. e. in commodum levissimi cujusque. Aliter tamen istam formulam explicat *Müllerus.*] ℙ 7. Ponuntur etiam ad significandam *proximitatem* et *distantiam locorum. Caes. b. g.* 1, 49. Passus sexcentos ab his castris. [*Notandum hic erat, quod *Caes.* dicit *b. g.* 6, 7. positis castris a milibus passuum XV. coll. 4, 22. ubi al. praep. omittunt.] ℙ 8. *A* vel *Ab* pro eo quod dicimus: *quod pertinet ad. Cic. Att.* 7, 15. Sumus imparati cum a militibus, tum a pecunia. [*v. *Rudd.* II. p. 264. *Cort. ad Cic. Fam.* 10, 8. *Gernh. ad Off.* 2, 6, 19. Huc nescimus an non referendum sit, quod *Cic.* dicit *Fam.* 5, 20. a quo (i. e. ad quem quod attinet) mihi exploratum est — nihil eum fecisse etc. ubi *Ern. de* placuit. Nos per anacoluthiam dictum putamus, cum *Cic.* pergere vellet: a quo — nihil factum esse. Sed aperte huc pertinent *Pl. Aul.* 2, 2, 9. male valere a pecunia. *Curc.* 1, 1, 51. a me pudica est coll. *Ter. Hec.* 1, 2, 70. *Pl. Truc.* 1, 1, 19. periit ab animo et re. *Epid.* 1, 2, 26. ab animo aeger fui. *Caes. b. g.* 7, 10. ab re frumentaria laborare (quocum tamen conferre nolumus, quod ap. *Hor.* ediderunt Sat. 1, 4, 26. ab avaritia — laborat. *Plin.* 30, 10. laborare a frigore). *Pl. Cist.* 1, 1, 51. doleo ab animo — oculis. Addatur, quod id. paulo aliter dixit *Capt.* 2, 3, 11. tu tibi prodes a tuo ingenio, ubi v. *Lindem.* — Addimus hic locos, in quibus *ab* est *a parte. Cic. Mil.* 35. honori fuerit a civibus suis. *d. Or.* 3, 35. a ceteris silentium fuit, ubi tamen in al. praep. deest. *Vop. Aurel.* 42. ab omnibus (prorsus) infelix. Quod ap. *Cic. Divin.* 2, 21. legitur: a nobilitate igitur periculum, *Markl.* in *nobilitati* mutandum censuit. (Differt certe hic locus ab illo *Ter. Heaut.* 5, 2, 27. a fame periculum). Huc porro refer illa: *a patre*, *a matre*, *timere a*, *audire* (bene) *a* et similia, de qui-

bus v. suo loco.]* ℙ 9. Pro *circa* vel *versus*. *Liv.* 45. 28. Duo maria ab occasu et ortu solis finitima. [*Cic. *Fam.* 15, 4. (Cappadocia) patet a Syria. Apparet, neque hic neque in illo loco praep. idem quod *circa* vel *versus* sign. eodemque modo haec explicanda, ut illud *Lucan.* 8, 204. a litore — occurrit. *Cic. Verr.* 2, 5, 13. denudetur a pectore. *Cels.* 3, 6. a capite aegri residere. *Pl. Rud.* 1, 5, 22. a genibus exsurgite. *Cic. Inv.* 2, 51. funiculus a puppi religatus. *Q. d. pet. Cons.* 3. capillum a vertice tenere. Cf. *Liv.* 31, 20. *Caes. b. g.* 6, 28. *Virg. G.* 1, 20. a radice (funditus) ubi v. *Voss. Pl. Trin.* 1, 2, 180. usque ab stirpe. Huc pertinent *a fronte, a tergo.*] ℙ 10. Interdum *locum* vel *personam*, *apud quam aliquid fit*, significant. [*Non opus his ambagibus; idem sign. praep. quod in superiore exemplo.] *Caes. b. g.* 2, 23. a fronte et a sinistra parte. [*Praetercea *ab* de loco dictam *ante* sign. narrant. Male. *Pl. Merc.* 2, 4, 9. auscultavi ab ostio. cf. *Cic. de or.* 2, 68. *Stat. Silv.* 1, 2, 23. dominae niveis a vultibus obstas. Quod *Pl. Cist.* 4, 1, 7. dicit: ab ostio jacentem sustuli, cum attractione quadam dictum est.] ℙ 11. Verbis juncta interdum significat *causam per quam* res efficitur. *Cic. Acad.* 1, 7. Ratio sempiterna est, nihil enim est valentius, a quo intereat, *h. e. per quod.* ℙ 12. Nonnunquam causam designant, *propter quam res est. Id. ib.* 2, 33. Mare quia [*rectius *Goer. qua*] nunc a sole collucet, albescit et vibrat, *h. e. propter solem.* [*Male haec interpretatur; eadem est hujus ac superioris loci ratio. Nam etiam verba quae dicuntur neutra saepissime conjunguntur c. pr. *a*, cum *causa efficiens* sign. Cf. *Cic. N. D.* 2, 55. *Nep. Reg.* 3. ubi v. *Stav. Plin.* 24, 8. *Ov. Her.* 9, 36. (Modo non prorsus dissimili *Cic. Ac.* 1, 11. esse a quadam impulsione dicit). Respondet eo modo graeco usui, *ὀνήσειν ὑπό τινος*, cf. *Matth.* gr. gr. p. 1185. et *Burmann. ad Ov. Met.* 13, 597. coll. 5, 192. *Rudd.* II. p. 210 sq. 264. 267. Itidem adjectiva conjunguntur c. pr., veluti lassus ab equo *Hor.* Sat. 2, 2, 10. cf. *Ov. A. A.* 1, 724. *Sall.* hist. fr. 1. Gallia a paludibus invia. *Add. Sanct. Min.* 1. p. 556. (Aliud est ab orno pendulus ap. *Hor. Od.* 3, 17, 58.) — Ceterum *ab* omnino interdum est *propter*, ut causam significet, ex qua aliquid proficiscitur. Nota sunt illa ab ira *Liv.* 29, 4. odio id. 6, 4. desperatione *ib.* 3., alia. Ejusdemmodi est ab longinqua obsidione *ib.* 2, 14. ab inopia 1, 34. Adde 3, 61. 29, 4. init. *Curt.* 5, 4, 1. *Cic. Att.* 9, 8. scribere ab singulari amore. Sed quid plura? Cf. *Gron. ad Sen. de clem.* 1, 20. *Cort. ad Cic. Fam.* 13, 10. *Rudd.* II. p. 301.] ℙ 13. Conjunctae cum nomine loci *incolam ejus loci* significant et pro adjectivo ponuntur. *Liv.* 1, 50. Turnus ab Aricia, *h. e.* Aricinus civis. [*Cf. *id.* 2, 22. 6, 17. 31, 22. *Virg. G.* 3, 2. *Drak. ad Liv.* IV, 7. Sine praep. *Pl. Merc.* V, 2, 99. hospes Zacyntho. cf. *Ov. Tr.* 3, 9, 12. Ceterum ut praep. in urbium, unde quis proficiscitur, nominibus plerumque reticetur, ita interdum, maxime a *Livio*, additur. V. 21, 15. 29, 5. *Cic. Att.* 6, 1. *Curt.* 4, 7. 5, 6. *Tac. A.* 15, 6. Additur vero saepe nullo sententiae discrimine, nisi ubi aut diserte prospiciendi ex aliquo loco signif. urgetur (*Caes. b. g.* 7, 45.) aut oppositionis ratio pr. flagitat (*Liv.* 3, 2.) aut denique non ex ipsa urbe, sed ex ejus tantum regione proficisci aliquis dicitur. (*Caes. b. c.* 3, 24. a Brundusio). Ab domo dixit *Liv.* 29, 5. *Caes. b. g.* 1, 53. Denique constat, nomm. terrarum et insularum a prosaicis scriptoribus plerumque praep. addi, raro ab his (*Liv.* 45, 13. *Caes. b. c.* 3, 58. quamquam utrobique al. addunt), saepissime a poetis omitti. V. *Ramsh.* p. 276. sq. de nonnullis tamen non recte disputantem.] ℙ 14. Diversis praepositae ablativis locutiones bonas atque elegantes [*singularis quaedam elegantia in istis nulla est] efficere solent ut *a puero*, *a pueritia*, *ab ineunte aetate*, *ab adolescentia*, *a pueris*, [*ἀπὸ (ἐκ) παιδός, παίδων. Plur. de pluribus dicitur, de uno soloecus] *a prima aetate*, *a teneris unguiculis*, [*ἐξ ὀνύχων, ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων. V. *Cic. Fam.* 1, 6. Ceterum rarius hoc eoque caute utendum, nec minus rarum a parvo *Liv.* 1, 39. parvulo *Ter. An.* 1, 1, 8. — is *Cic. Leg.* 2, 4. *Caes. b. g.* 6, 21. tenero *Quintil.* 1, 2. — is *Col. r. r.* 5, 17. a puero parvulo *Pl. Merc. prol.* 89. a pauxillo puero *id. Stich.* 1, 3, 21. Similiter *Varr. r. r.* 2, 1, 13. a bima aut trima fructum ferre incipit sc. vacca.] et similia [*ab adolescentulo, a prima adolescentia, ab ineunte a., a parvula aetate *Just.* 12, 4. ab initio pubertatis *id.* 23, 1. prima ab infantia *Tac. An.* 2, 56. a primis temporibus aetatis *Cic. Fam.* 4, 3. ab initio aetatis *ib.* 12. ab incunabulis *Liv.* 4, 36. a juventa *id.* 35, 46. a prima lanugine *Suet. Oth.* 12. ab aevo viridi *Ov. Tr.* 4, 10, 17. etc.] apud *Cic.* passim et apud al. ℙ 15. *A principio. Cic. Q. Fr.* 1, 2, 3. Haec a principio tibi praecipiens. [*Ab initio *Cic. R. Am.* 5.] ℙ 16. *A primo* pro *primum. Cic. Att.* 11, 7. Utinam *a primo* ita tibi esset visum. [*Ter. *Ph.* 4, 3, 37. *Cic. Phil.* 2, 30. cf. *Primus.* Mutatur a librariis *a primo* in *a principio.* V. *Goer. Fin.* 4, 13, 34.] ℙ 17. *Ab unguiculo ad capillum summum* pro *re tota* [penitus] *Plaut. Ep.* 5, 1, 17. [*A capillo usque ad ungues Petr. Sat.* 102. *Ab imis unguibus ad summos capillos Apul.* 3. *Met. A vestigio ad verticem Plin.* 7, 17, 17. *F.*] *A vertice ad talos* idem significat. *Hor. Ep.* 2, 2, 4. Talos a vertice pulcher ad imos. Sic dicimus: Ab imis unguibus usque ad verticem summum. *Cic. Rosc. C.* 7. [*Hieron. *ad Domn.* a vertice, ut ajunt, ad extremum unguem. Gr. *εἰς πόδας ἐκ κεφαλῆς. Hom. Il. ψ*, 169. A capite ad calcem non videntur boni scriptores dixisse. Nota etiam haec: ab ovo usque ad mala (per totam coenam) *Hor. Sat.* 1, 3, 6. a minimo ad maximum *Pl. Ps.* 3, 1, 10. a terra ad coelum *id. Pers.* 4, 4, 54. ab imo ad summum *Hor. Sat.* 2, 3, 308. sq. Ab saeculo ad saeculum *Pl. M. gl.* 4, 2, 87.] Ab saeculo ad saeculum *Pl. M. gl.* 4, 2, 87.] ℙ 18. Saepe ad tempus referuntur, et significant *post* vel incipiendo ab illo tempore. *Cic. Ph.* 2, 41. Ab hora tertia bibebatur. [*Rudd. II. p. 301. a meridie *Liv.* 29, 27. cf. *Ov. M.* 4, 329. 464. *Suet. Caes.* 60. ab itinere statim male explicant *in itinere.* Mire *Pallad. r. r.* 7, 5. dicit ab uno et viginti diebus exactis. Ceterum initium temporis triplici modo notat, a) aetatis b) dierum, mensium, annorum (*Cic. Rull.* 2, 56. ab Sulla et Pompejo Css.) c) certorum eventorum, quibus tempus notatur. *Cic. d. or.* 3, 2. annus ab honorum perfunctione primus. Cf. *Acad.* 1, 12.] *Vell.* 2, 104. Protinus ab adoptione. *Cic. Verr.* 2, 4, 13. Ab illo tempore. *Liv.* 44, 34. Ab his praeceptis concionem dimisit consul. *Prop.* 3, 23, 26. Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles. ℙ 19. Item ad ordinem et significant *post* vel *apud. Hirt. B. Al.* 66. Secundus a rege, *h. e.* primus post regem. *Cic. Or.* 64. Proximus a postremo, *h. e.* postremo vicinus. *Plin.* 17, 9, 6. Proximum est caprarum stercus ab hoc ovium, *h. e.* post hoc. ℙ 20. *A cura*, *Suet. Tib.* 70. Morositate nimia obscurabat stilum, ut aliquando ex tempore, quam a cura praestantior haberetur. [*i. e. si ex tempore, quam si cura adhibita (profectus quasi a cura) diceret.] ℙ 21. Videntur etiam veteres saepe his praep. fuisse usi, cum vellent circumloqui adjectiva. *Virg. G.* 2, 243. Dulcesque a fontibus undae, *h. e.* fontanae undae. *Mart. Spect.* 18. Tigris ab Hircano gloria clara jugo, *h. e.* tigris Hircana. [*Lucret.* 2, 50. neque fulgorem reverentur ab auro. Conferri possunt graecae locutiones *ἀπὸ γλώσσης* s. *ἀπὸ στόματος εἰπεῖν*, quae *Matth. gr. gr.* p. 726. explicat per adverbia; ita tamen, ut unde aliquid proficiscatur, in his quoque exemplis vera significatio sit. Sic etiam *Soph. Ant.* 408. *ὁσμὴν ἀπ' αὐτοῦ*. Vid. *Erfurdt.* Cf. *Jahn. ad. Virg. Ecl.* 1, 53. V. mox ad n. 26.] ℙ 22. Aliquando videntur abundare, ut in illo *Ov. Am.* 2, 4, 30. Et tenerum molli torquet ab arte latus. *Prop.* 3, 9, 24. Ne possent (*currus*) tacto stringere ab axe latus. Adde *Tib.* 1, 5, 3. [*In his non abundare praep., sed iis, quos supra posuimus, modis explicandam esse nemo non videt. Neque enim quae possent abesse, si adduntur, supervacanea sunt habenda. Praeterea talia multis possunt augeri, a poetis enim saepe pr. ponitur, ubi vulgo omitti solet. *Ov. M.* 3, 221. nigram medio distinctus ab albo frontem. cf. *ib.* 183. 6, 420. clauduntur ab Isthmo. *Rudd.* II. p. 267. Alio ex genere est: redeat superato victor ab hoste *Ov. Tr.* 2, 177. (*Delectari ab* recte dici ostendit *Goer. ad Cic. Fin.* 1, 5, 14.) Contra non desunt exempla, in quibus praep. omissa est, ut *Ov. Her.* 5, 75. desertaque conjuge ploret. *Rudd.* p. 212. quamquam in his qua cautione opus sit docet *Bauer.* ad *Sanct.* I. p. 544.]. Sic *A peregre*, pro peregre, *Vitruv.* 5, 7. [*a foras *Aggen. Urb. d. lim. agr.* p. 53. A modo, a nunc, ab invicem, a longe ex Hieronymo, Cypriano et aequalibus afferunt.]. ℙ 23. Significant etiam *initium. Plin. prooem. l.* 7. A suppliciis vitam auspicatur animal ceteris imperaturum. ℙ 24. Sunt elegantes et hae locutiones: *Ab aliquo solvere*, *dare*, *numerare*, *h. e.* de alicujus pecunia [*sive per attributionem de mensa argentarii. v. *Matth.* ad *Cic. R. Am.* §. 74. Sic *Pl. Most.* 3, 3, 14. argentum ab danista sumere.] *Cic. Att.* 5, 21. Non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se a me solvere. Quod enim praetori dare consuessent, quoniam ego non acceperam, se a me quodammodo dare, *h. e. quasi de meo* vel *de mea pecunia.* [*ib.* 7, 18.] Sic *repraesentare pecuniam ab aliquo Cic. Att.* 12, 25. Suppeditare ab aliquo *Id. Agr.* 2, 13. [*Huc refer, quod n. 27. attulit *Forc.* Cf. *Sanct.* I. p. 562. 573. Eodem pertinent *Cic. Cluent.* 12. legare ab aliquo pecuniam. *Top.* 4. legare a filio. *Flacc.* 19. numerare ab. — (*Sanct.* p. 571). Similiter dicitur habere, possidere ab al. (possidere, quod alterius est. V. *Müll. ad Cic. d. or.* p. 41.)] ℙ 25. Elephanti nuper *a silva Flor.* 4. 2. *h. e.* recentes a silva. ℙ 26. *A matre pulli*, *Col.* 8, 5. *h. e.* recenter a nido accepti. [*Videbantur hic addenda esse alia quaedam similis brevitatis exempla. *Cic. Att.* 5, 3. literae redditae sunt tertio abs te die i. e. postquam a te scriptae sunt. *ib.* 16, 7. Antonii dictum legi a Bruto i. e. communicante mecum Bruto. — Ita dicunt *hoc est a Terentio*, *Platone* etc. (cf. *Cic. Fam.* 9, 21.) ubi nolimus suppleri *dictum*, cum *ab* originem suapte vi denotet. *Ter. Hec.* 2. *prol.* 10. ab eodem alias (fabulas) discerem. *Heaut.* 1, 1, 106. peccatum a me maximum (al. maxime) est. Sed exempla satis multa ap. *Ter.* V. *Ruhnk. ad Andr.* 1, 1, 129. Similiter interpr. *Cic. Fin.* 5, 16. quod praeceptum quia majus erat, quam ut ab homine videretur, ubi v. *Goer.* Neque magis c. ellipsi dicuntur illa *Caes. b. c.* 1, 1. literae a Caesare, coll. *Cic. Fam.* 2, 17. vox ab iis *Caes. b. g.* 7, 17. a pop. *R.* imperia 5, 54. De his genitivorum loco saepissime positis v. *Cort.* ad *Cic. Fam.* 3, 13. *Oud.* ad l. c. et ad *Hirt. b. A.* 29. et quos laudat, inprimis *Gronov.* et *Drakenb. ad Liv.* 4, 7. 27, 5. Praeterea hic addere placuit illud *Caes. b. g.* 28, 9. Praeterea hic addere placuit illud *Caes. b. g.* 2, 25. ab novissimis nonnulli (ubi al. *e* maluerunt, sed male, v. *ib.* 2, 11. ab extremo agmine.) Cf. *Liv.* 42, 60. *Oud. l. c.* et interpp. *Liv. ad* 37, 23. 42, 48.] ℙ 27. *A se aliquid facere*, *h. e.* de suo. *Suet. A.* 40. Singula millia nummum a se dividebat. ℙ 28. *A se aliquid facere*, *h. e.* per se et ex sua voluntate. *Cic. Or.* 1, 24. Non ipse aliquid a me prompsisse, sed fortuito in vestrum sermonem incidisse videar. [*Recte nunc ibi legitur a me (a mea parte) *promisisse.* Sed afferri poterat *Colum.* 11, 1. utrumne — mercari villicum — an *a se* instituere consueverit; ego — *ipse* instituo.] *Id. Fin.* 2, 24. Ipsum a se oritur et sua sponte nascitur. ℙ 29. A me salutem dic Ciceroni i. e verbis meis seu nomine meo. [*Sic salvere aliquis dicitur ab al.] *Cic. Att.* 6, 2. Salvebis a meo Cicerone. ℙ 30. Domicilium aliquando significant. *Ter. An.* 4, 4, 15. Unde est? dic clare. *My.* a vobis, *h. e.* a domo vestra. *Pl. Cist.* 4, 1, 6. Haec cistella numnam hinc ab nobis domo est? [*Ter. Heaut. 3, 3, 52. *Pl. M. Gl.* 2, 2, 5. aliquis a milite i. e. de familia militis. *Ps.* 2, 2, 69. qui amant a lenone, i. e. puellam e domo lenonis.] ℙ 31. Aliquando conjunctionem. *Lucr.* 4. 1161. Ceres est ipsa ab Iaccho, *h. e.* Iacchi amica. [v. n. 6.] ℙ 32. Cum certis nominibus adjunguntur, quae munera denotant, significant eum, qui praecst alicui muneri; ut *a commentariis*, *h. e.* qui in commentarium refert et veluti diarium conficit. *Ab epistolis*, *h. e.* qui praecst epistolis, Gr. *ὁ ἐπὶ τῶν ἐπιστολῶν. A rationibus*, *h. e.* qui praecst rationibus. *A studiis*, *h. e.* qui praecst studiis alicujus, puta principis, *Suet. Cl.* 28. *Tac. An.* 15, 35. *Suet. N.* 49. et *Vesp.* 3. [*Caes. Tib.* 74, 42.] ℙ 33. *A pedibus* aut *servus a pedibus.* [*Cic. Att.* 8, 5. Servum a pedibus (meis. al. meum) Romam misi. Est is, cui coenantis domini calceamentorum cura est demandata. Al. *cursorem* intelligunt. *Vid. Pignor.* d. serv. p. 71. sq. ed. Aug. Ceterum male huc referunt Corn. *Hann.* 12. puer ab janua (quem *janitorem* expl.) prospiciens.] ℙ 34. Sic *a manu*, *a pugione*, *a libellis*, et similia, quae passim apud Scriptores leguntur. [*a memoria *Lamprid. Al. S.* 31. a potione *Grut.* 578, 1. Integras locutiones habes ib. 25. 12. Claudii ab marmoribus magister. 583. 9. Caesaris servus a supellectile. 598. 4. libertus a cura amicorum. 577. 8. magister ab bibliotheca. Alia plurima v. ap. *Pignor.*] Usurpantur autem fere cum genit. *Inscr.* ap. *Grut.* 584. 2. Alexio Caesaris Augusti a bibliotheca. Adde 578. 1. et 61. 4. Reperitur tamen etiam dativus. *Vop. Carin.* 18. qui Diocletiano ab epistolis fuit. *Sen. Apocoloc.* 15. ut a cognitionibus ei esset. Hoc Sen. l. alii aliter legunt. [Par est ratio eorum locorum, ubi artis peritia praep. *ab* exprimitur. Faber a Corinthiis (vasorum Corinthiorum fabricator) *Murat. Inscr.* 969. 1. figulus ab imbricibus ib. 2. medicus ab oculis ib. 927. 14. *F.*] ℙ 35. Est elegans usus praepositionum *A* et *Ab* cum particulis *usque* et *prope. Cic. Vat.* 8. Quod augures omnes usque a Romulo decreverunt. [*id. *Sext.* 58. plausus usque a Capitolio excitatus.] ℙ 36. Legitur etiam *ab ante* sequente ablativo in *Inscr.* ap. *Grut.* 717. 11. [*A pro *prae* pessimae est latinitatis. *Hieron. epp. ad Damas.* 146. qui prima hora conductus est, plus meretur ab eo, qui hora tertia missus est. Sic etiam alii ejus aetatis. — Disjunctae a nomine particulae exempla insigniora habes *Oc. Pont.* 3, 3, 46. *Her.* 9, 96. ubi v. *Heins. Cic. Arch.* 6. Interponere praep. subst. et adj. solet inter pedestris sermonis scriptores *Tacitus*, non, ut videtur, *Cicero. Heind. ad Cic. d. N. D.* 2, 55. — Quid discriminis sit inter A et De, dicetur in h. v. — A et E discernit *Cic. Fam.* 10, 28, 6. 13, 22, 5. v. sub *E.* — Praeterea saepe *Ab* et *Ad*, *A* et *E*, *Ab* et *Ob* aliaque similia esse a librariis confusa, v. *Drakenb. ad Sil.* 4, 318. 6, 394. 10, 18. 11, 14. 13, 268. *Broukhus.* ad *Tib.* 1, 2, 21. (a et an, *id.* ad 1, 16, 13.) ipsam autem praep. ab iisdem frequenter omissam (*Goer. ad Cic. Fin.* p. 518) certatim ostenderunt VV. DD.] ℙ 37. Haec de significatione. Cum vero alicui voci conjunguntur, separationem significant et privationem. Neque tamen cum quibusvis litteris componuntur. Nam *A* cum *M* et *V* consonante solum connectitur, ut *Amoveo*, *Amens*, *Avello*; *Ab* cum *A*, *D*, *E*, *F*, *J*, *L*, *N*, *O*, *R*, *U*, ut *Abactor*, *Abduco*, *Aberro*, *Abfore*, *Abjuro*, *Ablacto*, *Abnuo*, *Aborior*, *Abrogo*, *Abundo.* ℙ 38. Duo sunt ex *Ab* praepositione composita, quae euphoniae gratia *B* mutant in *U*, *Aufero* videlicet et *Aufugio.* Efficiunt autem, ut diximus, hae praepositiones in compositione fere privationem, ut *Absimilis*, non similis: nonnunquam separationem, ut *Ablacto*, *Aufugio.* ℙ 39. Abs vero componitur cum *C*, *T*, *Q*, *ut Abscondo*, *Abstineo*, *Absque.* [*Mutatur in *as* in aspello. V. Abspello.] Significat autem

retractionem in partem posteriorem, sicut in *Abstraho*, et aliquando privationem, ut in *Abstemius*, quasi sine temeto. P 40. De *Abs* V. etiam infra suo loco. P 41. De A interjectione V. AH.

AARON, m. 3. Hebr. אַהֲרֹן *Ἀαρών*, frater Moysis, primus summus Sacerdos Hebraeorum. Paenultima brevis est natura atque ideo corripitur a *Tertull. carm.* 4. *adv. Marc.* 117. Hic Aaron est virga, crucis quae germina profert. *Prud.* tamen *in Psychom.* 884. produxit. Hujus forma fuit sceptri gestamen Aaron. P Dicitur et *Aron* extrita secunda syllaba: unde ARONEUS, quod V. suo loco.

AB. V. A, AB.

ABA, m. 1. *Ἄβα*, mons Armeniae, ex quo Domitius Corbulo Euphratem nasci putavit, referente *Plin.* 5, 24, 20. [**Salmas. Exerc.* p. 439.] P *Aba*, *h. e.* frater V. infra in ABO.

ABABUS pro Abavus legitur in quadam Inscript. apud *Reines. cl.* 6. n. 71. Creperejus Amantius ababo suo. Non est autem singulare hoc monumentum, in quo *B* pro *V* positum sit; nam multa alia tum idem *Reines. cl.* 1. *n.* 10., tum *Grut.* hujus generis afferunt. V. initium litterae B.

[ABACTĬUS, a, um, i. q. abactus. *Inscr.* apud *Mur.* 606. Eo quod in transitu jumenta et pastores, quos conductores habent, dicentes stationarii fugitivos esse et jumenta abactia habere, *h. e.* per vim ablata. *F.*]

ABACTOR, oris, m. 3. *ἐλατὴρ βοῶν*, a v. *abigo. Isid.* 10. *Orig. in A.* Est fur jumentorum et pecorum, quem vulgo abigeum vocant, scilicet ab abigendo. *Paul. Sent.* 5, 18, 1. Abactores sunt, qui unum equum, duas equas totidemque boves, vel capras decem aut porcos quinque abegerint. *Apul. Met.* 7. p. 407. Abactorem indubitatum cruentumque percussorem criminantes. *Minuc. Octav.* 5. Abactor boum. [*Firmic. Mathes.* 6, 36. Pecorum abactores. *F.*]

ABACTUS, us, m. actus abigendi. *Plin. Pan.* 20. Cum abactus hospitum exerceret. [*Sed de hoc loco dubitatur. V. *Gierig.*].

ABACTUS, a, um, particip. verbi *abigo*, ablatus furto, aut per vim abductus. *Cic. Verr.* 2, 27. Greges nobilissimarum equarum abactos. P Additur aliquando abl. *furto. Plin.* 8, 51, 78. *de suibus.* Agnitam vocem suarii furto abactis. P Exactus, expulsus. *Hor. Sat.* 2, 2, 44. Necdum omnis abacta Pauperies epulis regum. *Prop.* 3, 13, 30. stabulis mater abacta suis, *h. e.* prohibita, non admissa. *Hor. Epod.* 5, 29. Abacta nulla Veja conscientia, *h. e.* non deterrita. P *Abacta nox* est exacta. *Virg. A.* 8, 407. Medio jam noctis abactae Curriculo. Adde *Stat. Theb.* 1, 231. P *Abacti magistratus* dicuntur *Festo*, qui coacti deponunt magistratus imperium. P *Abacti oculi*, enecti et intus recedentes. *Stat. Th.* 1, 104. *de Tisiphone.* Sedet intus abactis Ferrea lux oculis. P *Abactus venter* ap. *Paul. Sent.* 4, 9, 6. est fetus medicamentis ejectus.

ABACŬLUS, i, m. Abaculos *Pl.* 36, 26, 67. calculos vitreos dici a quibusdam indicat vario colore tinctos, qui vel lusorii erant, ut *Harduinus* existimat, vel ut alii, in supputationibus usurpati. [*Plin.* verba haec sunt: Veluti cum calculi fiunt, quos quidam abaculos appellant, aliquos etiam pluribus modis versicolores. — Sed sunt potius intell. tessellae vitreae, ex quibus pavimenta operis musivi fiebant. *Athen. Deipn.* 5, 10. *ταῦτα δὲ πάντα δάπεδον εἶχεν ἐν ἀβακίσκοις, συγκείμενον ἐκ παντοίων λίθων.* Cf. *Eust. ad Odyss.* 22. p. 786. *F. *Casaub. ad. Suet. Caes.* 46.]

ABACUS, i, m. *ἄβαξ, ακος*, [*a quo genit. lat. vox facta est; propr. sine basi repositorium. *B.*] mensa est vel tabula, in qua aliquid [*maxime vasa] deponitur ad usum [*veluti conviviorum; et erat eorum usus etiam in re rustica. *V. Cat. r. r.* 10, 4. cf. *Apul. Met.* 2. p. 117. Elm.] vel ad pompam, quales sunt mensae coquorum, in quibus receptacula eduliorum exponi solent. *Cic. Verr.* 2, 4, 16. Abaci vasa omnia, ut exposita fuerant, abstulit. [cf. ib. 25. *Tusc.* 5, 21. *F. *Varr. L. L.* 8, 33. Idem *Furl. Cn.* Manlium Vulsonem ex Asia primum Romam abacos invexisse testes affert *Liv.* 39, 6. *Plin.* 34, 5, 8.] *Juv.* 3, 203. Lectus erat Codro Procula minor urceoli sex, Ornamentum abaci. P Item tabula, in qua Arithmetici numeros ducunt subinde delendos, [*hanc primam sign. ponit *Furl.*, monens, nomen fieri ab elementis *ABI* et addens, in gemma quadam conspici calculatorem cum tabella s. abaco, in quo numerorum notae sint, supra autem literis etruscis insculptum esse *APCAD* h. e. abacad, abecedarius seu qui abaco utitur; literam vero *P* esse loco lit. *B*, qua careant Etrusci; de qua gemma conferri jubet librum, quem scr. *F. Oriolius:* Spiegazione d'una gemma Etrusca del Museo R. di Parigi. Bologn. 1825.] et Geometrae figuras designant. *Pers.* 1, 132. Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas Scit risisse vafer. *Apul. Apolog.* p. 426. Si non modo campo et glebis, verum etiam abaco et pulvisculo te dedisses, *h. e.* Geometriae studio: addit autem *pulvisculo*, quia Geometrae hujusmodi abacum pulvere conspergebant, quo facilius figuras notarent delerentque, si opus esset. [*Cf. *Voss.* ad *Virg. Ecl.* 3, 40.] P Veteres hujusmodi abacum mensam Pythagoricam appellabant. Hinc pro supputandi peritia, quae Platoni *λογιστικὴ* dicitur, vulgus abuti solet. P Est etiam alveolus aleatorius, *Macrob. Sat.* 1, 5. Diem sequentem abaco et latrunculis conterunt. *Suet. N.* 22. Cum inter initia imperii eburneis quadrigis in abaco luderet. *h. e.* parvis quadrigis ex ebore factis in alveolo lusorio Circensia certamina ludendo repraesentaret. P Item tabula, in qua Geometrae et Geographi terrae mensuras et regiones describunt. *Mart. Cap. in.* 7. [*Sic abacum perstare jubet (Arithmetica), sic tegmine glauco Pandere pulvereum formarum ductibus aequor. — Refer autem haec ad superiora.] P Praeterea abaci dicuntur crustae tabulaeve quadratae e marmore, vitro aut simili materia, quae parietum ornamenta erant, iis tectorii vice insertae; a similitudine dictae ligneorum abacorum. *Vitr.* 7, 3. Itaque veteribus parietibus nonnulli crustas excidentes pro abacis utuntur. [*Cf. c. 4. et *Bald.* d. vv. *Vitruv. sign.* p. 3.] *Plin.* 33, 12. *de sile.* Attico ad lumina utuntur, ad abacos non nisi marmoroso. Adde 35, 1. et 6. P Denique abacus in architectura est quadrata planities in summis columnarum capitulis, *Vitr.* 4, 1. Abaci latitudo. [*Cf. *Bald. Turneb. Adv.* 2, 3. *Salmas. de Jur. Att. et Rom. c.* 23.]

ABADIR seu Abaddir seu Abdir, nom. masc. [ab Hebr. אָב pater, et אַדִּיר, magnificus *F.*]; de quo *Prisc.* 5. *p.* 647. *P.* Abadir, inquit, Deus est: dicitur et hoc nomine lapis ille, quem Saturnus dicitur devorasse pro Jove, quem Graeci *βαίτυλον* [hoc gr. voc. recte derivari videtur ab hebr. בֵּית־אֵל i. e. domus Dei. cf. *lex. myth.* ed. *Klopfer.*] vocant. [*Augustin. ep.* 17. *ad Max. Madaur.* Miror, quod nominum absurditate commoto in mentem tibi non venerit, habere tuos et in sacerdotibus Eucaddires, et in numinibus Abaddires. V. *Zoega de orig. et usu obelisc. p.* 201. *F. Sanch. ap. Euseb. p.* 37. *D. Etym. M. Gud. Phavor. Hesych. et Zon.* in *Βαίτυλος. Hes. Theog.* 485 sqq. *Prisc.* 1. p. 564. 6. p. 698. 7. p. 747. *Marsh. C. Chron.* p. 56. sqq. *Voss. Op. T.* V. p. 714. *Boch. d. Phoen.* col. 2, 2. *Phot. Bibl. Cod.* 242. p. 1048. et 1061. *Hist. d' Acad. d' Inscr.* T. I. p. 34. b. *Bayl. *Salm. Exerc.* p. 809.]

ABAESTŪO, as, n. aestuo, ferveo. Translate *Tertull.* (seu quicunque alius auctor est) *de Judic. Dom.* 21. Laetis ut vitis abaestuet uvis.

ABAGIO, onis, f. Vox obsoleta, idem quod adagium. *Varr.* 6. *L. L.* 3. Adagio, et littera commutata abagio, dicta ab eo, quod ambit orationem.

ABAGMENTUM, i, n. remedium abigens, vox a verbo *ago* deducta, et a *Theod. Prisciano* usurpata 2. 34. [*Adjutoriis abagmentis aliquid prohibere (*v. Reines. Var.* 3, 12.)] ubi tamen quidam pro *abagmentis* legunt ab *augmentis.*

*ABALI, orum, Indiae populus, haud longe a Gange. *Plin.* 6, 19, 22.

ABALIENĀTĬO, onis, f. *ἀπαλλοτρίωσις. Cic. Top.* 5. Abalienatio est ejus rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio, *h. e.* abalienatio est ejus rei, quae in nostra est potestate, traditio alteri, addita obligatione ipsam rem praestandi, aut in jure cessio. [*cf. *Paul. Ict.* l. abalienationis 28. sqq. d. V. S. *Brisson. d. form.* 6, 63.]

ABALIENĀTUS, a, um, particip. verbi *abalieno*, *ἀπηλλοτριωμένος*, alteri traditus, venditus. *Cic. Agr.* 2, 27. Vectigalibus abalienatis, sociis vexatis. P Item disjunctus [**Cic. Verr.* 2, 4, 27. abalienati — a nobis omnes reges amicissimi.] *Liv.* 22, 60. Diminuti capite, abalienati jure civium, servi Carthaginensium facti. *Quintil.* 8, 3. Medici abalienata morbis membra praecidunt, *h. e.* emortua, et quae amplius non habent cum reliquo corpore vigoris communicationem. Eadem hac ratione usurpatur *abalienatus* a *Scribon. Comp.* 227. P Saepius translate dicitur de eo, qui suam in nos voluntatem mutavit et alio avertit propter offensam aut suspicionem. *Cic. Fam.* 1, 7. Virum excellentum, nonnihil suspicantem te ab se abalienatum, illa epistola retinuisti. (v. *Cort.*) *Id. Att.* 1, 3. Esse animo abalienato. P *Abalienatus* dicitur, inquit *Festus*, quem quis a se removerit, *alienatus* qui alienus est factus. *Sallust.* tamen *alienatum* pro *abalienato* posuit *Cat.* 36. V. ALIENATUS.

ABALIENO, as, avi, atum, a. *ἀπαλλοτριόω*, quod meum erat, alienum facio, vendo. Est autem vetus verbum Civilis Juris, *h. e.* Civium R. proprium, peregrinis hominibus non commune, quo perfecta rei alicujus alienatio significabatur, hoc est rei, quae mancipi esset, alteri traditio, aut in jure cessio, ut in *Abalienatio* dictum est. *Paul. Dig.* 10, 3, 14. Igitur etsi abalienavero praedium, danda mihi erit negotiorum gestorum actio. Adde *Fragm. legis Thoriae* in edit. *Goesiana Scriptor. rei Agrar.* p. 329. P Ponitur etiam pro quacumque ratione vendere et alteri tradere. *Cic. Agr.* 2, 24. Hujuscemodi res commissa est nemini, ut idem agros populi Rom. abalienaret. Adde *Pl. Trin.* 2, 4, 112. P Translate est alicujus voluntatem seu benevolentiam avertere et amicitiam disjungere. *Cic. Fam.* 1, 7. Quos favendo in communi causa retinere potuerunt, invidendo abalienarunt. *Id. Phil.* 2, 15. Alicujus voluntatem a se abalienare. *Liv.* 26, 38. Abalienantur animi. *Nepos Ham.* 2. Totam Africam abalienarunt. P Cum ablativo sine praep. *Nep. Ag.* 2. Quod Tissaphernes — homines suis rebus abalienaret. *Cic. fr. or. pro C. Cornel.* Ut omnino ne illius potestate abalienemur. P Pro separare, disjungere absolute. *Pl. Curc.* 1, 3, 18. Nisi mors meum animum abs te abalienaverit. [**Ter. Heaut.* 5, 2, 26. nos abalienavit i. e. dimisit, rejecit. Sic *Bentl.* pro *alienavit.*] P *Abalienare sensus* aut *mentem* apud *Scribon. Comp.* 180. et 192. est.

*ABALITES s. AVALITES (ae, m.) sinus (*Ἀβαλίτης κόλπος Ptol.* et *Steph. Byz.*) sinus Aethiopiae trans mare rubrum. *Plin.* 6, 2, 34. —

*ABALUS, i, insula orae septentrionalis veteris Germaniae, ad quam electron reperiebatur. *Plin.* 37, 2, 11.

ABAMBŬLANTĒS, abscedentes, *ἀπερχόμενοι. Paul.* ex *Festo.*

ABAMĪTA, ae, f. *ἡ θεία πρὸς πατρὸς μεγάλη*, soror abavi mei ex parte paterna; quae et *amita maxima* dicitur. *Cajus Dig.* 38, 10, 3. et *Paul. ibid. l.* 10.

ABANTE, idem quod ante. *Inscr.* apud *Grut.* 717, 11. Abante oculis. [Alii leg. disjunctim *ab ante oculis. F.*] Adde aliam Aquilae apud Alexandros et in *T.* 2. *dissertat. Cortonens.* [V. et *Mazochi de Ascia.* p. 119. *F.*]

ABANTEUS, a, um, adject. ad Abantem Argivorum regem pertinens. *Ov. Met.* 15, 164.

ABANTĬADES, ae, m. patron. masc. *Ov. Met.* 5, 138. Ultor Abantiades, *h. e.* Perseus pronepos Abantis. Fuit enim filius Danaes filiae Acrisii filii Abantis. [**Ov. Met.* 4, 606. Abantiades dicitur Acrisius.]

ABANTĬAS, adis, f. patronymicum est a nomine *Abas*, quo significatur vel filia vel neptis Abantis. Apud poetas fere pro Danae ponitur, Abantis ex Acrisio nepte, vel pro Atalanta nepte ejusdem ex Iasio Argivorum rege. P Hoc nomine appellata est etiam Euboea, quae nunc *Negroponte*, teste *Plin.* 4, 12, 21. de qua *Priscian.* (seu quicunque alius auctor est) *Perieg.* 544. Europes Macris contingit Abantias oram. [*Al.* leg. *agnoscit. F.*]

ABANTĬUS, a, um, adject. Euboicus. V. vocem praec. *Stat. Silv.* 4, 8, 45. Abantia classis, *h. e.* ab Euboea veniens.

*ABAORTAE, arum, Indiae populus ad Indum fluvium. *Plin.* 6, 20, 23.

*ABAPTISTUS, a, um, mergi nescius, neutr. abaptistum, i. A *Celso* 8, 3. describitur terebra, qua chirurgi in excidendis vitiosis ossibus utuntur, et haec *abaptista terebella* vocatur ab interprete *Galeni de morb. cur.* 6. v. *Morgagni* ep. 3. *in Celsum* p. 595. cf. *Schneideri* lex. gr. s. v. *τρυπανον.*

ABARCĒRE est prohibere: ex *ab* et *arceo.* Paul. ex *Festo. Abarcet, prohibet.* Ubi al. leg. *abercet*, ut *coercet.* Nam et *coerceo* ab *arceo* est. [*Ex *Plauto* afferunt: atque eam abercet domo.]

*ABARIMON, regio Scythiae. *Plin.* 7, 2, 2. in quadam convalle magna Imai montis regio est, quae vocatur *Abarimon.* Schellerus putat esse genit. plur. *Ἀβαρίμων*, ut populi nomen significetur.

*ABARIS, is et idis, m. Scytha hyperboreus, sortilegus s. hariolus, ut ab Hieron. in Chron. appellatur. Hic ab Apolline donatus sagitta memoratur, quam simul misisset nervo, simul et ipse auferretur una volans: eaque ratione innumeros peragrasse populos, responsa reddens. [*Plat. Charm.* p. 158. b. p. 70. *Heind.*] Quod omne pro fabula habet *Herodotus* 4, 36. De eo et *Harpocr.* in lex. *Malchus* et *Jamblichus de vita Pythagorae l.* p. 128., e cujus disciplina fuisse fertur: *Orig. contra Cels.* 3. et alii. Palladium Trojanum ab hoc Abaride confectum fuisse *Jul. Firmicus de errore profan. religg.* auctor est. v. *Scaliger* ad h. l. et in *animadverss.* ad *Euseb.* Plura vide in lexico mythol. ed. a *Nitsch.* et repetito a *Klopfero.* P Virgilius hoc nomen cuidam ex Rutulis ex Turni exercitu tribuit, quem ab *Euryalo* occissum 9, 344. praedicat.

ABARĪTĀNUS, a, um, adject. *Plin.* 16, 36, 66. inter alia arundinum genera *Abaritanam* recenset, quae scilicet in Africa nascebatur circa oppidum *Abaris* et piscatui aptissima erat.

ABAS, antis, m. Metanirae fil. a Cerere in lacertam conversus, quod a matre susceptam hospitio moleste tulisset et irrisisset. *Ov. Met.* 5, 448. P Item rex duodecimus Argivorum, Lyncei ex Hypermnestra conjuge filius (sunt tamen qui Beli filium faciunt) vir bellicosus et acerrimi ingenii. Pater fuit Proeti et Acrisii, et avus Persei, a quo postea Argivorum reges *Abantiadae* dicti sunt. Regnavit ann. 23. Vide *Pausan. Phoc.* 39. [*Hygin. fab.* 273.] P Est et comes Aeneae. *Virg. A.* 1, 124. P Est et dux Thuscus, qui Aeneae suppetias tulit a Lauso interfectus. *Virg. Aen.* 10, 170. P Est et quidam Graecus cum Androgeo ea nocte, qua incendebatur Troja, occisus a Trojanis. Ejus clypeum Aeneas in agro hostili Ambraciae epigrammate addito consecravit. *Virg. A.* 1, 286. P Est et centaurus Ixionis et Nubis filius, venator insignis. *Ov. Met.* 12, 306.

[ABASCANTUS, i, m. *Ἀβάσκαντος*, fascino vacuus, non fascinatus, ab *α* privat. et *βάσκανον*, fascinum. Cognomen in inscriptis lapidibus frequentissimum, et P. Aelii apud *Grut.* 208. *F.* [*Est etiam Aeon (v. h. v.) haereticorum. Tertull. adv. Gnost. 10. et alibi.]

*ABASGI, populus in Colchide, *Steph. Byz.* et *Justinian. Novell.* 28. praef. extr.

ABATON, n. 2. *ἄβατον*, aedificium erectum a

Rhodiis ad protegendum Artemisiae tropaeum, quod religione impediti diruere non poterant. *Vitruv.* 2, 8. [*non quod, ut hic significare videtur, adspectum impediret, sic dictus, sed ideo, quod is locus factus esset *inaccessus* et nulli pervius ab *ἀ* et *βατόν*. *Bald.* de *vv. Vitruv. sign.* p. 3. *B.*]

ABĀTOS, i, f. locus ultra Aegyptum et Aethiopas juxta paludem Stygem, ab *α* priv. et *βαίνω*, vado s. ascendo: quae loca Graeci *Abata*, Latini *Invia* sive *Avia* vocant. *Sen. n. quaest.* 4, 6. Primum incrementum Nili circa insulam, quam modo retuli, Philas, noscitur. Exiguo ab hac spatio terra dividitur, *ἄβατον* Graeci vocant, nec illam nisi Antistites calcant; illa primum saxa auctum fluminis sentiunt. ℙ Abatos, f. Petra Aegypti in palude Memphitica, sic dicta, quia inaccessa. Ibi Osiris Rex sepultus fuerat. Cf. *Luc.* 10, 323. [In hac re quid erraverit *Forc.*, disce ex *Serv. ad Aen.* 6, 154. Hic (Seneca) dicit circa Sienem, extremam Aegypti partem, esse locum, quem Philas, hoc est, amicas vocant, ideo quod illic est placata ab Aegyptiis Isis; quibus irascebatur, quod membra mariti Osiridis non inveniebat, quem frater Typhon occiderat. Quae inventa postea quum sepelire vellet, elegit vicinae paludis tutissimum locum, quem transitu constat esse difficilem: limosa enim est et papyris referta. Ultra hanc est brevis insula inaccessa hominibus: unde *ἄβατος* appellata est. Haec palus Styx vocatur, quod tristitiam transeuntibus gignit. Sane ad illam insulam ab his, qui sacris imbuti sunt, certis transitur diebus. Lectum est etiam, quod vicini populi cadavera suorum ad alteram regionem transferunt; sed si quis forte in fluvio pereat, nec ejus inveniatur cadaver, post centum ei annos ultima persolvuntur. *F.* *Cf. et de *Senec.* et de *Lucani* loco *Salm. Exerc.* p. 312.]

ABAVIA, ae, f. *ἀπόμαμμα*, mater proavi vel proaviae tam ex parte paterna, quam materna. *Caj. Dig.* 38, 10. 1. et *Paul. ibid. l.* 10.

ABAVUNCULUS, li, m. frater abaviae ex parte materna; qui et *avunculus maximus* appellatur. *Caj. Dig. ib.* 3. et *Paul. ib.*

ABAVUS, i, m. *ἀπόπαππος*, proavi paterni aut materni et proaviae paternae aut maternae pater, ut *Paul. ib.* 10. docet. *Cic. Brut.* 58. Duorum abavorum illustre nomen. [A *Virg. A.* 10, 619. dicitur *quartus pater. F.*] ℙ Interdum latiore sign. sumitur pro tritavo aut uno aliquo ex majoribus. *Cic.* enim *Har. resp.* 18. Appium Claudium Caecum abavum P. Clodii appellat, cum tritavus fuerit aut fortasse etiam superior. [*Legitur etiam ap. *Pl. M. gl.* 2, 4, 25. Pater, avus, proavus, abavus. *Plin.* 18, 8, 1. apud quem abavi sunt *majores.*]

ABAX, acis, f. *ἄβαξ*, idem quod abacus seu potius fulcrum ad vasa collocanda: quales sunt orbiculi illi, in quibus vasa in mensa collocantur, ne mantelia inquinentur. *Jabolen. Dig.* 32. 100. §. 3. Cui Corinthia vasa legata essent, huic abaces quoque eorum vasorum collocandorum causa paratas deberi, Trebatius respondit: Labeo autem id non probat, si eas abaces vasorum numero testator habuit: Proculus vero recte ait, si aeneae quidem sint abaces, non autem Corinthiae, non deberi. In ed. *Torrentini* pro *abaces* ubique legitur *βάσεις*, in quibusdam aliis etiam Latine *bases*. *Haloander* in sua *abaces* edidit. Affertur etiam a *Prisc.* 7. *p.* 752. *P.* et quidem masc. genere, nullo tamen exemplo Latini Scriptoris ab eo confirmatur.

ABAZEA, orum, n. sacra instituta in honorem Dionysii, Caprii filii, Asiae regis, quorum meminit *Cic. N. D.* 3, 23. ℙ Dicta sunt Abazea a taciturnitate, qua celebrabantur: ab *α* privativa, et *βάζω*, loquor. Sed multo rectius al. leg. *Sabazia.* [Sic *Hdf.*] V. suo loco.

*ABBA, ae, urbs Africae prope Andam. v. Intpp. ad *Liv.* 30, 7. circa urbem, nomine Abbam.

ABBAS, atis, m. *κοινοβιάρχης*, moderator et rector collegii et societatis monachorum primus et antistes. Sunt qui per unicum *b* scribant. Est autem Syra vox ab ܐܒܐ, pater. *Sidon.* [ap. quem saepius etiam legitur] 16, 114. Urbem tu cujus monachosque antistes et Abbas Bis successor agis. ℙ Est etiam cognomen M. Helvii ap. *Vignol. Inscr. sel. p.* 206. *F.* [*ABBATIA ex Hieron. affert Gesnerus.]

*ABBASSUS, i, f. oppidum Phrygiae majoris. *Liv.* 38, 15. tertio ad Abbassum posuit castra.

[ABBĀTISSA, ae, f. moderatrix et rectrix collegii et societatis sanctimonialium. *Inscr.* ap. *Mur.* 429. 3. Hic requiescit in somno pacis Justina Abbatissa fundatrix sancti loci hujus etc. Pertinet haec Inscriptio ad annum 569 post Chr. n. *F.*]

ABBRĔVIO, as, a. *βραχύνω*. *Veg. prol.* 3. *de re mil.* Quae me per diversos auctores librosque dispersa, Imperator invicte, abbreviare jussisti. [*Hieron. in Jes.* 9, 28, 22. Ultimum judicii diem abbreviaturus est. *F.* *ABBREVIATUS habet vulg. interpr. *Jes.* 10, 22. *Dan.* 9, 24. ABBREVIATIO *ib. Jes.* 10, 23. 28, 22.]

ABCĪDO, ABCĪDI, praeter. ex *ab* et *caedo*, in multis MSS. legisse se testatur *Gron.* ap. *Senec. Phoen.* 194. Projecit atque abcidit. *Oc. Met.* 12, 362. Abcidit jugulo. *Martial.* 3, 66. Abcidit vulnus. Et *Luc.* 4, 503. Abcidit nostrae multum etc., quibus locis alii *abscidit* legunt tanquam non ex *ab*, sed ex *abs* et *caedo*. [Vid. infr. *abscido.*]

ABCISE V. ABSCISSE. ABCISIO V. ABSCISSIO.

ABDĒRA, ae, f. *Ἄβδηρα*, urbs est Thraciae maritima non procul a Nessi fluminis ostio, a Teiis condita. Hinc natum Gr. prov. ap. *Strab.* 14. p. 443. *Ἄβδηρα καλὴ Τηΐων ἀποικία*, *Abdera pulcra Teiorum colonia*; quo significamus non deesse, quo confugiamus, si quis praeter modum pergat esse molestus. *Voss. ad Mel.* 2, 2, 108. Dicta est ab *Abdero* Herculis delicio a Diomedis equis dilacerato ibique humato, in cujus honorem Hercules, posteaquam pugnasset cum Diomede, *Abderam* condidit, quae postea *Clazomene* a Clazomeniis ex Asia venientibus, qui eam in meliorem formam redegerunt, vocata est. *Solin.* 10, 9. ab *Abdera* Diomedis sorore conditam scribit, ejusque nomine donatam. Idem asserit *Mela* l. c. Turris, quam Diomedis vocant, signum fabulae remanet, et urbs, quam soror ejus suo nomine nominavit, Abdera. [*V. *Salm. Exerc.* p. 113. sq.] Dicitur etiam *Abdera*, *orum*, n. pl. quod et Graecorum quidam *τὰ Ἄβδηρα* usurparunt. *Liv.* 45, 29. Patria fuit Protagorae et Democriti philosophorum. *Cic. Brut.* 8. *Mel. l. c.* ℙ *Vervecum patriam* eam appellat *Juv.* 10, 50. propter Thraces incolas rudes, stultos et stupidos. Hinc *Cic. Att.* 4, 16. Consules rem ad senatum detulerunt: hic Abdera, non tacente me, *h. e.* summa stupiditas. ℙ *Plin.* 25, 53, 42. scribit, circa eam urbem pascua esse, quibus pasti equi inflammentur ad rabiem. Mos fuit in ea urbe, ut si calamitates ingruerent, certum hominem deligerent, diris imprecationibus devoverent et mox lapidibus obruerent. Hinc *Ov. Ib.* 469. Aut te devoveat certis Abdera diebus. ℙ Abdera altera urbs est Hispaniae Baeticae a Carthaginiensibus condita. *Plin.* 3, 1, 3. [*Mela* 2, 6.]

ABDĒRĪTA, ae, et ABDĒRĪTES, ae, m. Abderae incola. *Cic. Or.* 3, 32. *N. D.* 1, 23. Abderitae ranarum et murium multitudine coacti quondam sunt, relicto patrio solo novas sedes quaerere. *Just.* 15, 2.

ABDĒRĪTĀNUS, a, um, adj. ad Abderitas pertinens. *Mart.* 10, 25. Abderitanae pectora plebis habes, *h. e.* stultus es. Abderitae enim stolidae stupidaeque mentis fuere. V. ABDERA.

ABDĒRĪTICUS, a, um, Abderitanus. *Cic. Att.* 7, 7. Audio constitutum esse Pompejo in Siciliam me mittere, quod imperium habeam; id est *Ἀβδηριτικόν*: (quaedam *Edit. Lat. litt. exhibent.*) [*Parum recte, ut videtur.]

ABDĪCĀTIO, onis, f. *ἀποκήρυξις*, ejectio filii ex paterna domo et familia cum hereditatis privatione. Fieri autem consuevit a patre injuria aliqua aut inobedientia filii laeso, quem in judicium, ut quidam putant, vocatum probata causa abdicabat, eumque abdicatum alere non tenebatur, imo egenum vestibusque ipsis spoliatum dimittebat, nec defuncto patri succedebat in hereditatem. *Quint.* 7, 4. Abdicationum formae sunt duae: altera criminis perfecti, ut si abdicetur raptor, adulter; altera imperfecti, velut pendentis, et adhuc in conditione positi, quales sunt in quibus abdicatur filius, quia non pareat patri: illa semper asperam abdicantis actionem habet, (immutabile est enim, quod factum est) haec ex parte blandam et suadenti similem. [*Vid. ibi *Burm.* p. 630. ubi an et quatenus abdicatio Romano jure aut consuetudine recepta fuerit, docet.] *Plin.* 7, 45, 46. Abdicatio Postumi Agrippae post adoptionem. [*In abdicatione solemni formula utebantur, ut *abire e conspectu* juberent filium. *Cic. Fin.* 1, 7. *Briss. d. Form.* 8. n. 35.] ℙ Est etiam idem ac recusatio aut dimissio. *Liv.* 6, 16. Amotus abdicatione dictaturae terror et linguam et animos liberaverat hominum. *Imp. Justinian. Cod.* 6, 31, 6. Hereditatis abdicationem revocare.

ABDĪCĀTĪVE, adv. (negative), ut Abd. concludere ap. *Capell.* 4. p. 128.

ABDĪCĀTĪVUS, a, um, verbal., ut *Abd. propositio*, quae eadem est antiquis philosophis, atque ea, quae a recentibus negativa appellatur: cui opponitur *dedicativa. Apul. dogm. Plat.* 3. p. 266. et *Capell.* 4. p. 121.

[ABDĪCATRIX, icis, f. quae abdicat. *Salvian. de avarit.* 2. p. 76. Abdicatrix misericordiae inhumanitas. *F.*]

ABDĪCĀTUS, a, um, part. ab abdico, *ἀποκήρυκτος*. *Quintil.* 3, 6. Abdicatus ne quid de bonis patris capiat. *Et mox:* Quaeretur an possit esse heres abdicatus. [*Id.* 7, 4. Quae in scholis abdicatorum, haec in foro exheredatorum a parentibus et bona apud Centumviros repetentium ratio est. *F.*] ℙ Item dimissus, depositus. *Sall. Cat.* 47. Senatus decernit, ut abdicato magistratu Lentulus itemque ceteri in liberis custodiis habeantur. ℙ Item rejectus, abjectus. *Plin.* 5, 17, 15. Gens sola sine ulla femina, omni Venere abdicata. *Id.* 25, 13, 94. Aliqui et mandragora utebantur: postea abdicatus *(succus)* in hac curatione est. ℙ Translate *Prud. περὶ στεφ.* 13, 52. Antra Conscia Tartareae caliginis, abdicata soli, *h. e.* veluti a sole abdicata, ut quae ab eo nunquam illustrentur.

ABDĪCO, as, avi, atum, a. *ἀποκηρύττω*, est familia abjicere, [ex *ab* et *dico*,] quasi *non dicere*, i. e. negare filium, a se rejicere, et tanquam non suum declarare: quod extremum est patriae potestatis fulmen. V. ABDICATIO. *Plin.* 6, 22, 24. Eligi regem liberos non habentem; et si postea gignat, abdicari, ne fiat hereditarium regnum. ℙ Idem non est *abdicare* et *exheredare*. Abdicamus enim filios vivi, *h. e.* privamus omni jure filii: exheredamus, *h. e.* submovemus tantum ab hereditate post mortem. Itaque quisquis abdicatus est, idem est et exheredatus, non contra. [*Ceterum gr. filii abdicati dicebantur *ἐκπίπτειν τοῦ γένους*, cui oppon. *ἀναλαμβάνεσθαι εἰς γένος*. V. *Casaub.* ad *Diog. L.* 1, 94.] ℙ Est etiam *abdicare* idem quod rejicere, deponere. Hinc *abdicare se magistratu* est ante tempus magistratum deponere. Differunt autem inter se *abdicare se magistratu* et *deponere magistratum*. Moris enim erat, ut quibus imperium certa de causa abrogandum erat, hi dignitati et existimationi suae consulentes per se et quasi sua sponte magistratum deponerent seseque privatos redderent. Quod in P. Lentulo praetore factum videmus. *Cic. Cat.* 3, 6. de quo senatus censuit, ut cum se praetura abdicasset, tum in custodiam traderetur. Sed *deponere magistratum* dicebantur, qui eum, confecto tempore, populo Romano tradebant. ℙ Dicimus etiam *abdicare magistratum* eodem sensu. [*Prius hoc erat commemorandum]. *Sall. Cat.* 47. Uti abdicato magistratu Lentulus itemque ceteri in liberis custodiis haberentur. *Liv.* 6, 18. Abdicare dictaturam. ℙ *Abdicare* absolute, eodem sensu. *Cic. N. D.* 2, 4. Augures rem ad senatum, senatus ut abdicarent consules; abdicaverunt. [*vel abdicare se, ut *Dig.* 2. §. 24. *de off. Praesidis:* legatus Caesaris - abdicando se non amittit magistratum, v. *Burmann.* ad *Vellej.* 2, 22]. ℙ *Abdicare se tutela* est tutelam deponere. *Cic. Att.* 1, 6. Itaque tutela me abdicare cogito. ℙ Abdicat se statu suo homo liber, qui se ipsum vendit. *Modestin. Dig.* 1, 5, 21. ℙ Universim est rejicere. *Plin.* 7, 30, 31. *de Cicerone*: Te dicente legem agrariam, hoc est alimenta sua, abdicaverunt tribus. *Id.* 20, 3, 9. *de rapis*: Democritus in totum ea abdicavit in cibis. *Id.* 33, 1, 3. Utinam posset e vita — abdicari aurum, *h. e.* tolli ex usu humanae vitae. *Id.* 4, 8, 15. *de Peneo flurio.* Accipit amnem Orcon, nec recipit, sed olei modo supernatantem, brevi spatio portatum, abdicat, *h. e.* a se rejicit et alio impellit. [*Alium *Cic.* locum v. infra in *Abjudico.*] ℙ *Abdicare patrem* dicitur filius, qui patrem suum rejicit. *Curt.* 4, 10. et *Liv.* 40, 11. ℙ Cum infinito pro negare. *Pacuv.* ap. *Non.* 6, 14. Mortem ostentant, regno expellunt, consanguineam esse abdicant. ℙ [Particip. *abdicans* ap. *Quintil.* 7, 4. Illa forma asperam abdicantis actionem habet. *Abdicaturus* ap. *Liv.* 39, 39. Ubi designatus praetor esset, extemplo aedilitate se abdicaturum. *Abdicandus* ap. *eund.* 5, 49. Ea causa fuit non abdicandae post triumphum dictaturae. *F.*]

ABDĪCO, is, ixi, ctum, a. *ἀποτίθεμαι*, *ἀναιτίθεμαι*, aversari, rejicere. Invenitur usurpatum in judiciis et in scientia augurali. In judiciis *abdicere vindicias abjudicare significat*, ut notat *Briss. l.* 2. vel decreto recusare ac denegare, ut notat *Hotom.* [Locum *Pomponii Dig.* 1. 2. §. 24. v. infr.] Cui ibidem opponitur *dicere vindicias*, seu, ut *Liv.* 3, 56. loquitur, *dare vindicias.* Cum enim olim tribus verbis in decretis suis magistratus uterentur, *Do*, *Dico*, *Abdico* aut *Addico*, sicubi secundum aliquem vindiciae dicerentur, ab altero *Abdici* dicebantur. Sicut dicere, dare, decernere vindicias secundum aliquem a *Pompon. l. cit.* et *Liv.* dicitur magistratus, qui cuipiam litis vindiciarum victoriam decernit: sic abdicere vindicias ab aliquo *Pomp.* dixit pro *abnegare* et *recusare.* Ejus verba sunt: Virginius cum animadvertisset, Appium Claudium contra jus vindicias filiae suae a se abdixisse et secundum eum, qui ab eo suppositus in servitutem petierat, dixisse etc. ℙ Ceterum *abdixisse aves* in auguriis dicebantur, quae tristis et sinistri eventus significationem aliquam dederant; ut ex contrario *addixisse* vel *admisisse*, cum laetum et prosperum aliquid portenderant. *Cic. Div.* 1, 17. Cumque in quatuor partes vineam divisisset, tresque partes aves abdixissent, etc. Igitur aves in auguriis *abdicere regionem* dicuntur, quam improbant ac sequi tenerique vetant, ut notat *Hotom.* ℙ Translate *abdicere* pro abdicare, alienare et recusare usurpatur. *Ov. Met.* 1, 617. *de Io*, *quam sibi ab Jove dari petit Juno.* Quid faciat? crudele, suos abdicere amores. Alii [rectius] leg. *addicere*, quasi in servitutem dare.

ABDĪTĀMENTUM, i, n. *Apul. Met.* 9. *p.* 603. Strenuum negotiatorem nacta sum, qui rem, quam ego jamdudum septem denariis vendidi, minoris distraxit abditamento pretii. Laetus maritus etc. Ita referunt quidam Lexicographi: ast alii rectius reponunt ex opt. Cod. *minoris distraxit. Additamento pretii laetus maritus etc.*

ABDĪTE, adv., occulte, latenter, secreto, *κρύβδην*, *λάθρα*. *Cic. Verr.* 2, 2, 74. Ita abdite latuisse, ut etc.

ABDĪTĪVUS, a, um, qui latuit, qui abductus amotusque fuit. *Pl. Poen. prol.* 65. Illi seni filius, unicus qui fuerat, olim abditivus a patre, puer septuennis surripitur Carthagine. ℙ *Paul.* ex *Festo abditivos* exponit *abortivos*, sed nullo id exemplo confirmat.

ABDĪTUS, a, um, partic. ab *abdo*, *Hor. Ep.* 1, 1, 5. Latet abditus agro. [**Ov. Met.* 8, 458.] *Liv.* 1, 58. Cultrum, quem sub veste abditum habebat, etc. *Id.* 2, 12. Abdito intra vestem ferro. *Cic. Inv.* 1, 2. Homines in tectis silvestribus abditos. *Id. Tusc.* 2, 25. ex *poeta*. Amphiarae, sub terram abdite. *Liv.* 10, 14. Ascensus abditus a conspectu. ℙ Item (adj.) occultus. *Cic. N. D.* 1, 18. Res occultae et penitus abditae. *Q. Cic. pet. c.* 11. Voluntas abdita ac retrusa. ℙ Gradus *abditior* et *abditissimus* leguntur apud *August. Confess.* 5, 5. et *Enchir.* 16. ℙ Substantive. *Plin.* 8, 5, 5. Elephanti nunquam nisi in abdito coeunt. *Hor. A. P.* 49. abdita rerum. [*i. e. abditas res. Sic enim loquuntur. V. *Hdf.* ad *Hor. Sat.* 2, 2, 25. vanis rerum et, quem laudat, *Heusing.* ad *Vechner. Hellenolex.* p. 208.] Et *Lucr.* 6, 809. Terrai abdita.

ABDO, is, didi, itum, a. 3. [ab, do] κρύπτω, celare, occultare, tegere. [*Vera verbi vis, quam secundo loco noster commemorat, est *removere*, *amandare* (e conspectu hominum, ut *Pl. Pseud.* 4, 7, 5. abdere se e conspectu heri), tum *occultare*. (v. *Gronov. d. Sestert.* 4, 8.) Sic *Tac.* abdere in insulam, i. e. removere, relegare in insulam desertam et ab hominum consuetudine remotam. Sic *Ov. Met.* 4, 776. abdita longe saxa. *Caes. b. g.* 7, 79. copias paulum ab eo loco abditas. Ubi v. *Oud.* et *Herz.*] *Cic. Pis.* 17. An amici tui tabulas abdiderint. *Id. Off.* 1, 35. contexit atque abdidit. *Plaut. Merc.* 2, 3, 25. Abdere, abscondere, abstrusum habere. *Plin.* 9, 8, 7. *de delphinis*. Abduntur tricenis diebus circa Canis ortum occultanturque. *Cic. Fam.* 13, 29. Abdidit se in intimam Macedoniam. [*Sic solent de iis dicere, qui ex luce forensis vitae et negotiorum recedunt in aedes suas privati aut rus migrant, ibique in otio tanquam in portu quodam delitescunt. Vid. exempla nonnulla in sqq. Nam non recte singula hic disposuit *Forc. Nep. Alc.* 9. penitus in Thraciam se abdidit, sperans ibi facillime suam fortunam occuli posse. Cf. *Caes. b. g.* 6, 5. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 3, 4, 38. quem ibi eo magis miramur *reddidit* scripsisse. *Voss.* ad *Virg. G.* 3, 96.] *Ov. Met.* 10, 715. totosque sub inguine dentes Abdidit. *Tac. A.* 5, 7. Gladio, quem sinu abdiderat, incubuit. *Flor.* 4, 12. Consulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat. *Virg. Aen.* 2, 553. lateri abdidit ensem. *Ter. Hec.* 1, 2, 100. Senex rus abdidit se. [*Abdere sensus i. q. occultare animi sententiam *Tac. A.* 1, 11. *ib.* 6, 64. idque ille credebatur — abdidisse i. e. alta mente reposuisse.] ℙ Significat etiam removere, amovere, rejicere. *Virg. G.* 3, 95. *de equo sene*. Hunc quoque abde domo, (*Servius* aliter exponit, sed minus recte.) [*cf. *Voss.* ad *h. l.*] *Nemesian. Cyn.* 140. Sin vero haec cura est, melior ne forte necetur, Abdaturque domo. *Tib.* 2, 1, 82. Et procul ardentes hinc precor abde faces. *Lucr.* 4, 469. Res dubias animus ab se protinus abdit. *Pl. Ps.* 4, 7, 5. E conspectu heri sui se abdiderunt. ℙ Translate *abdere se litteris* vel *in litteras* est incumbere. *Cic. Arch.* 6. Qui ita se litteris abdiderunt. *Id. Fam.* 7, 33. Me totum in litteras abdere. [*Significatur ita ardens studium, quod nullo salutantium hominum strepitu interrumpitur. Cf. *Cic. Fam.* 7, 28. abdo me in bibliothecam.] ℙ *Abdere aliquem in insulam* ap. *Tac. A.* 2, 85. est deportare, relegare. ℙ [Particip. *Abdendus* ap. *Liv.* 2, 45. *F.*] [*Ad constructionem quod attinet, levi discrimine dicitur *abdere in loco* et *in locum;* ubi removendi notio subest, additur *accus.;* additur vero etiam abl. sine praep. Horum omnium in superioribus exempla habes. Denique adjungitur *dativo*, ut (praeter *Virg. Aen.* 2, 553. v. supra) ap. *Vell.* 2, 91. carceri abditus. Nimirum inest hic *tradendi* notio. Nolumus tamen huc referre *Cic. Arch.* 6. Cf. *Oud.* ad *Caes. b. g.* 6, 5. et *Herz.* ad 7, 79. — Ceterum *abdere* et *addere* saepe a librariis permutantur, cf. e. g. *Heins.* et *Drakenb.* ad *Sil.* 6, 21. maxime vero, quos plurimos laudant ad 6, 394. et *Drak.* ad *Liv.* 2, 45, 7.]

[*ABDOLONIMUS, i, (scrib. etiam Abdalonimus. V. *Freinsh.* ad *Curt.* 4, 1, 19.) rex ab Alexandro M. Sidoniae constitutus, *Justin.* 2, 10, 8. cujus aequanimitatem, qua Al. dixisse fertur: *nihil habenti nihil defuit*, laudat *Curt.* 4, 1, 25.]

ABDŌMEN, inis, n. περιτόναιον (-ος), ἐπιγάστριον, extima pars ventris circa umbilicum, ita dicta, quod abdi et tegi soleat, aut quod alimenta in ea abdantur, aut intestina ibi sint abdita. [*De h. v. etymo v. *Ballhorn - Rosen* in libro *de Dominio* p. 153. *B.*] *Cels.* 4, 1. Ipsa autem ilia inter coxas et pubem imo ventre posita sunt, a quibus ac pube abdomen sursum versus ad praecordia pervenit, ab exteriori parte evidenti cute, ab interiori levi membrana inclusum, quae omento jungitur; περιτόναιος a Graecis appellatur. *Juv.* 4, 107. Montani quoque venter adest abdomine tardus. ℙ Accipitur praeterea pro ima ventris suilli parte, quae alio nomine *sumen* appellatur summisque in deliciis habebatur apud Romanos. *Plin.* 11, 37, 84. Porcae sumen optimum, si modo fetus non hauserit: antiqui abdomen vocabant. [*V. *Ruperti* ad *Juv.* 2, 86. abdomen porcae tenerae. *Pl. Curc.* 2, 3, 44. sumen et abdomen conjungit. *Gifan.* in *Obss. L. L.* abdomen marium, sumen feminarum esse putat.] *Id.* 8, 51, 77. Interdicta coenis abdomina. ℙ Nec solum de suillo ventre dicitur, sed etiam thynni. *Id.* 9, 15, 18. *de thynnis*. Hi membratim caesi cervice et abdomine commendantur. Adde *Lucil.* ap. *Gell.* 10, 20. ℙ Pro pudendis, quae in imo ventre sunt. *Pl. Mil.* 5, 5. Quin jamdudum gestit (*culter*) moecho hoc abdomen adimere. V. integr. loc. ℙ Per translationem positum invenitur pro gula et ventris ingluvie, quod γαστριμαργίαν et πολυφαγίαν Graeci dicunt. *Cic. Sext.* 51. Libelli etiam pro vino oppignerabantur; manebat insaturabile abdomen, copiae deficiebant. *Id. Pis.* 17. Ille gurges atque helluo natus abdomini suo, non laudi atque gloriae. *Id. ib.* 27. Abdominis voluptates [*h. e.* ut ait *Gell.* 19, 2. comedendi atque coeundi voluptates. *F. *Trebell. Gall.* 17. natus abdomini et voluptatibus dies ac noctes vino et stupris perdidit orbem terrarum. Et sic ap. *Ter. Eun.* 3, 2, 7. edid. *Bentl. Abdomini* hunc natum dicas pro *ex homine*.]

ABDŪCO, is, xi, ctum, a. 3. removeo, abstraho, averto, ἀπάγω. *Virg. Aen.* 5, 428. Abduxere retro longe capita ardua ab ictu. *Don.* ad *Ter. Ad.* 3, 3, 4. habet: *Ducimus volentes*, *sed abducimus invitos*. [*Rejice ad nugas Grammaticorum.] Nihilominus dicimus *abducere* sine vi aut per vim. Sine vi *Ter. Eun.* 3, 1, 17. Tum me convivam solum abducebat sibi. [*Frequens est de coenaturis. Cf. *Heaut.* 1, 2, 9.] ℙ Per vim abduci proprie mulier dicitur a marito, cum divortium fit. *Don.* in illud *Ter. Hec.* 5, 1, 21. Et filiam abduxit suam. Abduxit, inquit, proprie; arcessi enim dicitur *ad maritum*, abduci *a marito* ad divortium. *Virg. Aen.* 10, 79. gremiis abducere pactas. [*Vid. mox et *abductus*. *Suet. A.* 62. Liviam matrimonio Tiberii Neronis — abduxit. Cf. *Cal.* 25. *Dom.* 1. Dicitur vero etiam de servis, qui a dominis abstrahuntur. *Cic.* pr. *Quint.* 6. et de exercitu *Phil.* 10, 4.] *Cic. Verr.* 2, 5, 56. in latomias abduci imperabat. *Caes. b. g.* 1, 11. Abducere in servitutem. ℙ Dicimus etiam *abducere vi* et *abducere per vim*. *Cic. Verr.* 2, 3, 34. Deduxerat Tertiam Isidori mimi filiam, vi abductam ab Rhodio milite. *Liv.* 2, 56. Ut collegam per vim a foro abducerent. ℙ Dicimus etiam *abducere* cum praep. *ad*, ut abducere aliquem ad nequitiam *Ter. Ad.* 3, 3, 4. [*Additur saepissime haec praep., cum non solum locus, *a quo*, sed etiam *in quem* quis deducitur, notandus est. Verum in *Ter.* loco *Bentl.* edid. *adducere*.]. ℙ Item cum praepositione *de*, *ex* aut *extra*. *Liv.* 23, 23. Homines de foro abducere. *Cic. Brut.* 62. Q. Catulum abducamus ex acie [*i. e. eximamus ex oratorum forensium numero.] *Sen. Controv.* 4, 25. Abducere extra convivium. ℙ De iis qui libidinis causa aliquem alio ducunt, ut patet ex allatis exemplis *Cic. Verr.* 2, 3. *Ter. Ad.* et *Virg. Aen.* 10. Hinc satyrice *Verr.* 2, 5, 13. Cum iste e foro abduci, non, ut ipse praedicat, perduci solebat. [*Male utitur hoc loco *Forc. Abduci* dicitur ibi de aere nexo, *perduci* de libidine. V. *Ern.* Ceterum abducere ab urbe *Tib.* 2, 3, 61.] ℙ Translate est avertere, abstrahere, avocare. *Cic. N. D.* 2, 17. A consuetudine oculorum aciem mentis abducere. *Id. Fam.* 4, 4. Abduci a studio negotiis. [*Ter. *Prol. Hec.* 2, 11. *Cic. Verr.* 2, 4, 6. magnitudine pecuniae ab institutis.] *Id. Q. Fr.* 3, 5. abducere se ab omni reipubl. cura. [*Cf. *d. R. P.* 5, 2.] *Id. Fam.* 4, 3. animum a sollicitudine. *Id. Or.* 2, 72. animos a contraria defensione, et ad nostram traducere. *Id. Divin.* 1, 41. artem aliquam a religionis auctoritate ad mercedem et quaestum. *Id. Flacc.* 33. aliquem a fide, *h. e.* a fide servanda avocare. [*Addimus *Claud. r. Pros.* 3, 19. Abduxere meas iterum mortalia curas. — 1d. q. *sejungere* et sic *distinguere Cic. Divin.* 2, 5. abducere divinationem a conjecturis. cf. locum *Val. Fl.* in abductus]. ℙ Ponitur et pro auferre. *Pl. Cas.* 5, 2, 8. Ubi intus novam nuptam deduxi, clavem abduxi. *Cic. Quint.* 27. Auferre et abducere. ℙ Abducere gradum in terga *Sil.* 10, 18. [*Heins. *adduxere*, i. q. contraxere.] ℙ Abducere somnos *Ov. Fast.* 5, 477. ℙ *Abduxit* pro funere extulit, sepelivit, legitur in vet. Inscript. ap. *Grut.* 765, 1. ℙ *Abducere potionem* apud *Scribon. Comp.* 122. est sumere, bibere. Potio datur abducenda. [*Dicitur abduci de litore recessus habente, i. q. retrahi. V. *Mel.* 1, 3. — Dicitur etiam de iis, qui judici vel poenae traduntur. *Ter. Ad.* 3, 4, 36. *Curt.* 6, 8. ubi tamen al. *adducunt*. — De constr. praeterea nota add. *sibi* ap. *Suet. A.* 91. Cum accus. s. praep. *Virg. A.* 3, 601. quascunque abducite terras.] ℙ *Abduce* in imperativo habet *Ter. Ad.* 3, 4, 36. et *Ph.* 2, 3, 63. ℙ *Abduxti* syncope pro *abduxisti*. *Pl. Curc.* 5, 2, 16. ℙ [Particip. *Abducturus* ap. *Pl. Ps.* 3, 2, 112. *F. *Abducere* et *adducere* saepe in libris permutantur, v. quos laudat *Drakenb.* ad *Sil.* 10, 18. 11, 14. *Abduci* et *adjici* conf. vid. *Caes. b. g.* 2, 21.]

ABDUCTĒ. V. ADDUCTE.

ABDUCTĬO, onis, f. Legitur apud Interp. *Daretis Phryg.* 4. qui dubiae est in lingua latina auctoritatis scriptor. [*Vulg. interpr. *Sirac.* 38, 18. In abductione permanet tristitia.]

ABDUCTUS, a, um, part. v. *abduco*, ἀπαχθείς. *Ov. Her.* 16, 357. Abducta armenta recipere. [*Unde apparet, falso praecipi de discrimine vv. *abigere* et *abducere*, quorum illud de pecore, hoc de hominibus dici narrant.] *Pl. Capt.* 3, 5, 93. Abductus recta in phylacam. Suet. A. 69. Feminam consularem in cubiculum abductam. *Id. O.* 3. Poppaeam Sabinam abductam marito nuptiarum specie recepit. Sic *Claud. B. Get.* 161. bos abductus aratro. *Liv.* 30, 14. Abductum in secretum sic alloquitur. *Id.* 1, 26. Exercitus inde domos abducti. *Val. Fl.* 4, 677. Coeperat incedens abductis montibus unda Ferre ratem, *h. e.* montibus recedentibus. *Plin.* 11, 37, 54. Magna cogitatio obcaecat, abducto intus visu.

ĂBE pro Ave legitur in vet. Inscr. ap. *Grut.* 786, 3. Furi, abe. ℙ Multa alia hujus generis, in quibus B pro V positum est, affert *Reines.* v. *ejus Ind. c.* 19. eorum, quae ad rem grammat. pertinent. [**Schneid.* Gr. I, 1. p. 226. sqq.] V. etiam in. litt. B. in hoc opere.

*ĂBĒA, ae, Ἄβεα *Ptol.* Ἄβλα *Polyb.* et *Paus.*, unde *Abeates Plin.* 4, 6, 10. incolae hujus oppidi in Messenia siti.

ĂBĔCĔDĂRĬUS, a, um, adj. Vox haec comp. ex nominibus quatuor priorum litterarum *a be ce de*, est *Augustini*, *Hieron.* et *Fulgentii* scriptorum cadentis Latinitatis. Et *Aug.* quidem *Retract.* 1, 20. scribit, *Abecedarios Psalmos* dici, in quibus versus signati sunt, vel incipiunt secundum alphabeti litteras. ℙ *Abecedarii*, *orum* dicuntur ab *Hieron.*, teste *Coel. Rhod. l.* 26. (al. l. 14.) *c.* 28., pueri, qui prima litterarum elementa discunt. ℙ *Abecedaria*, *ae* (subaudi ars) est, quae primas litteras docet, *Fulg. Myth.* 3, 10. In omnibus artibus sunt primae, sunt secundae; ut in puerilibus litteris prima Abecedaria, secunda Notaria. ℙ *Abecedarium*, *ii*, ordo litterarum, quem pueri primo condiscunt: ita *Aug.*, si *Coel. Rh.* credimus *l. c.*

ĂBĔDO, edis, a. ex *ab* et *edo*, est consumere, edere. Tribuitur *Cic.* a *Danetio*, sed certe nusquam apud illum invenire adhuc potuimus: ab aliis quibusdam dicitur esse *Taciti*, cujus verba in *Ambedo* referemus. ℙ Part. *Abesus* v. infra. s. l.

ĂBĔL, elis et Ăbelus, li, m. Ἄβηλ et Ἄβηλος, filius Adae primi omnium parentis, a Caino fratre per dolum occisus. *Tert.* (seu quicunque alius auctor est) *c. in Gen. fin.* Quonam terrarum degat Abelus. *Id. c.* 3. *adv. Marc.* 14. Hujus Abel justus pastor.

ABELLA, ae, oppidum Campaniae, in ejus provinciae angulo situm excelso loco, quod et *Avella* dicitur [nunc *Avella vecchia*.] *Sil.* 8, 545. *Virg. Aen.* 7, 740. Et quos maliferae despectant moenia Abellae; maliferam appellat, quia in ejus agro magna est earum nucum copia, quae *Abellinae* et *Avellanae* dicuntur.

ĂBELLĂNA nux. V. AVELLANA. [ABELLANI, incolae Abellae. *Justin.* 20, 1. *F.*]

ĂBELLĪNAE nuces, eaedem, quae Avellanae, ita appellatae ab Abella vel ab Abellino [*minime] Campaniae oppido. *Plin.* 15, 22, 24. V. AVELLANA.

ĂBELLĪNUM, i, [*ABELLINAS*, *ABELLINUS*, nom. gentile] oppidum Campaniae [Apuliae *F.*] *Plin.* 3, 5, 9. ℙ Item aliud in Hirpinis prope Aquiloniam. [**Plin. ib.* 11, 16. commemorat *Abellinates* cognomine *Protropos* (quorum nunc oppidum vocari *Tripalda* ait *Furlan.*) et *Abellinates* cognomine *Marsos*. Nomen gentile *Abellinas* est etiam in inscr. ap. *Murator.* 1019, 2. (populus Abellinatium) et *Abellinus* ap. *Grut.* 1099, 2. (Populus Abellinus.)]

ĂBELLĬO, onis, m. nomen Dei cujusdam a Gallis culti, quem alii Martem fuisse putant, alii Solem: alii generatim *Dominum* aut *Regem* hac voce significari arbitrantur. Hujus mentio fit in inscr. ap. *Grut.* 37, 4. 5. et 6.

ĂBĔMĔRĔ, pro adimere, verbum obsoletum, olim usurpatum, ut testatur *Festus:* nam, *inquit*, emere antiqui dicebant pro accipere. [**Al.* scrib. *abimere*.]

ĂBĔO, is, ivi, et ii, itum, n. 4. ἀπέρχομαι, ἄπειμι, discedo: [*Significationes huj. v. ita putamus in ordinem esse redigendas: 1) *discedere (praeterire);* 2) (*discedere e conspectu*, ut *Liv.* 25, 16. abire ex oculis) ergo *evanescere (mori).* 3) *(discedere in aliam partem)* ergo *transire (mutari)*] ex *ab* et *eo*, *is. Liv.* 1, 16. Haec locutus sublimis abiit. *Ter. An.* 1, 1, 1. Vos isthaec intro auferte, abite. *Id. E.* 4, 4, 35. Abire foras. *Id. ib.* 4, 7, 29. Non tu hinc abis? *Id. Ph.* 5, 8, 30. E medio abiit, qui fuit in hac re scrupulus. [**Bentl. e medio abiit* adjunxit antecedd.] *Id. An.* 1, 5, 20. Abire domum. *Id. ib.* 64. Abire ab aliquo, *h. e.* ab alicujus aedibus discedere. *Id. Ad.* 5, 2, 10. In angulum aliquo abire. *Tac. A.* 2, 19. Abire sedibus, *h. e.* a patria discedere. [*Sine praep. etiam *Virg. Ecl.* 7, 56.] *Pl. Merc.* 3, 4, 69. urbe. *Id. Men.* 3, 3, 29. ab his locis. *Cic. Tusc.* 1, 14. ad Deos. *Liv.* 25, 16. ex oculis. *Id.* 3, 28. sub jugum. *Ulp. Dig.* 3, 3, 31. In provinciam de Roma abire. *Virg. Aen.* 4, 281. Ardet abire fuga, *h. e.* fugere. [*Nota illud *Plin.* ep. 3, 19. pretium retro abiit, i. e. imminutum est et *Lactant. Div. Inst.* 7, 3. Quoties demersae fluctibus et urbes et insulae abierint in profundum.] ℙ Cum accus. *Virg. Aen.* 6, 375. ripamve injussus abibis. *Al.* [*rectius*] *leg.* adibis [*v. obibis. Etiam ap. *Pl. Amph. Prol.* 125. abivit hinc exercitum — libri dissentiunt.] ℙ Cum supinis. *Ter. Heaut.* 3, 3, 26. Abire deambulatum. [**Heaut.* 1, 1, 65.] *Liv.* 2, 15. exulatum. ℙ Cum infin. *Id. Cist.* 2, 1,

26. Abi quaerere, ubi jurando tuo satis sit subsidii. ℙ Abire viam. *Id. Rud.* 4, 3, 88. Sine me hinc abire; tu abi tacitus tuam viam. [*gr. *ἴεναι ὁδόν.*] ℙ In illo *Cic. Fam.* 14, 1. De loco nunc quidem jam abiit pestilentia: illud *de loco* ita commode explicari potest, ut significet, *quod ad locum attinet.* [*Quorsum hoc? Minime.] Accipitur et pro effluere, praeterire. *Cic. Mur.* 3. Abiit illud tempus. *Ter. E.* 2, 3, 49. Dum haec dicit, abiit hora. *Id. Ad.* 4, 5, 57. Menses abierunt decem. [*Tota abit hora *Hor. Sat.* 1, 5, 14.] ℙ Item pro vanescere, desinere. *Cic. Fam.* 9, 20. Illa mea, quae solebas antea laudare, abierunt. *Id. Att.* 14, 10. Nausea jam plane abiit. *Lucan.* 3, 509. Spes abit. [*Ov. *Met.* 7, 565.] *Sen. ep.* 94. *ante med.* Alioquin abibunt in vanum monentium verba. [*Haec multis possent augeri. *Ov. Met.* 7, 290. Abeunt pallorque situsque (cf. *Tib.* 1, 6, 13.) 11, 4. modus abiit. *Tib.* 2, 1, 43. Victus abiere feri. *Plin. Paneg.* 2. abeant ac recedant (desinant) voces illae.] ℙ Item pro mutari, converti. *Ov. Her.* 15, 83. Sive abeunt studia in mores. *Plin.* 31, 7, 39. Totum stagnum abiit in salem. *Id.* 3, 5, 9. Oppidum delevit, quod nunc in villam abiit. *Cic. Att.* 11, 2. Fructus praediorum abeunt in sumptus. [*Cf. *Ov. Met.* 1, 236. 4, 396. 10, 701. 11, 653. Pertinet huc, quod ex *Priap.* 78, 16. affert *Furl.* in semen abeo, i. e. diffluo semine. Nimirum *abire* est i. q. *transire. Nep. Thras.* 1. In proelii concursu abit res a consilio ad vires vimque pugnantium. *Hor. Sat.* 2, 3, 218. ad sanos abeat tutela propinquos. *Ov. Met.* 9, 161. Incaluit vis illa mali resolutaque flammis Herculeos abiit (i. e. meavit, transiit, penetravit) late diffusa per artus. *Virg.* A. 9, 700. stomachoque infixa (cornus, i. e. jaculum) per altum pectus abit. *Liv.* 2, 36. ne in ora hominum pro ludibrio abiret. *Id.* 1, 32. Facta spes in avi mores atque instituta regem abiturum. Vid. ibi *Gebhard.* Hinc *serpere* nonnunquam interpreteris. *Ov. Met.* 15, 111. Longius inde nefas abiit; et *tendere, spectare. Sen. ep.* 10. Vide quo judicium meum abeat (quid mihi velim.) Ita factum, ut sit mutari.] ℙ Item pro elabi, effugere. *Cic. Verr.* 2, 1, 54. si res abiret ab eo mancipe, quem ipse apposuisset, sibi nullam praedam esse. [*Cf. *Verr.* 2, 3, 64. ne res abiret ab Apronio. Videlicet utuntur hoc v. in auctionibus, quum ad eum, qui pretio vincitur ab alio, res non pervenit.] ℙ Item pro discedere, deserere. *Cic. Verr.* 2, 1, 44. Ab jure abire. *Pompon. Dig.* 18, 1, 6. Potest abiri ab emptione. *Tac. A.* 6, 22. Incepto longius abire. [*Deserendi vim habet *Ter. Ph.* 3, 3, 9. Etiam tu hinc abis? i. e. etiam tu hanc causam et me deseris?] ℙ Item pro dicendo transire ab una in aliam rem [vel finem facere dicendi de aliqua re.] *Cic. Rosc. A.* 16. Quid ad istas ineptias abis? *Id. Acad.* 2, 28. Sed abeo a sensibus. ℙ *Abire magistratu* est magistratum deponere. *Tac. A.* 5, 11. Ponerent odia, donec magistratu abirent. *Gell.* 6, 7. Abire sacerdotio. *Liv.* 26, 23. flaminio. *Suet. Aug.* 26. honore. [*v. *Gron.* et *Drak.* ad *Liv.* 30, 39, 5. Ap. *Eutrop.* 10, 1. dubium est, *abeuntibus ab reip. administratione* verius sit an *ab. admin.* om. praep.] Eodem sensu legitur *Abire tutela, Ab. cura* apud *Ulp. Dig.* 26, 10. *l.* 3. et 4. [*Briss. 5, 98.] ℙ *Abire in creditum* apud JCtos quid sit, v. CREDITUM. ℙ *Abire in diem* est in aliud tempus differri. *Ter. Ph.* 5, 2, 16. Praesens quod fuerat malum, in diem abiit. [*Bentl. ed. Praesens quod fuerat, in diem malum abiit.] ℙ Eleganter successum vel impunitatem significat. *Cic. Att.* 14, 1. Ad summam non posse isthaec sic abire. *Catull.* 14, 16. Non hoc tibi, salse, sic abibit. *Ter. An.* 1, 2, 4. Mirabar hoc si sic abiret. *Sen. ep.* 3. Hoc abierit. [*Abire non potest per se *impunitatem* significare, sed *eventum* tantum rei. Hinc saepe adjicitur *impune. Curt.* 4, 16. impune abeuntem hostem. Cf. *Lact. d. m. pers.* 2, 30. Similia sunt illaesus abibit *Tib.* 4, 3, 18. abeunt integri *Sall. Jug.* 57. hostes inultos abire sinere *ib.* 62. *Non sic abibit* cum dicunt, per ellipsin intell. *sic, ut tu putas, speras, optas.* — Addenda ceterum hic putavimus exempla, in quibus *abire* jungitur adj. et subst. Notum est illud *Hor. Sat.* 2, 1. *fin.* tu missus abibis. *Virg.* A. 5, 305. Nemo — non donatus abibit. *ib.* 314. contentus abito. *Georg.* 3, 225. abit victus (cf. *Sall. Jug.* 81.), *Virg.* A. 10, 859. abibat victor. *Sall. Jug.* 118. haud repulsus abibit. *Virg.* A. 7, 733. Nec tu carminibus nostris indictus abibis. *Suet. Cal.* 46. abite laeti, abite locupletes. *Sall. Cat.* 26. luxuria atque inopia praeceps abierat, i. e. praecipitata, pessumdata erat. cf. *Jug.* 63. Singularem hanc vim in h. v. inesse notavit *Burm.* ad *Qu. Decl.* 9, 5. ubi affert *Liv.* 2, 46. praeceps in vulnus abiit. v. ibi *Drak.* et cf. *Ov. Met.* 1, 495.] ℙ *Abire e vita* idem est ac mori [decedere]. *Cic. Tusc.* 1, 30. Cato autem sic abiit e vita. Et absolute *Lucil.* ap. *Non.* 1, 150. Insperato abiit, quem una angina abstulit hora. ℙ Libenter autem hoc eodem sensu *abire* veteres usurpabant vitandae *δυσφημίας* causa ominoso *moriendi* verbo abstinendo. [*Sic gr. *ἀπέρχεσθαι, οἴχεσθαι.*] *Paul. ex Festo:* Abiisse pro obiisse dicebant. *Al. leg.* pro adiisse. *Pl. Cas. prol.* 18. Ea tempestate flos poetarum fuit, qui nunc abierunt hinc in communem locum. *Phaedr.* 4, 19. Abiturus illuc, quo priores abierunt. *Tert. ad Uxor.* 1, 6. Cujus maritus de rebus abiit. *Id. de Testim. anim.* 4. Si de aliquo jampridem defuncto quis requirat, prae manu occurrit dicere, abiit jam et reverti debet. Adde *Lucret.* 2, 960. V. ABITIO. [*Aliter *Cic. Caec.* 8. abiturum eum non esse, i. e. non salvum evasurum, periturum esse. Ibi enim *abiturum* sq. opponitur *si accessisset.*] Huc pertinet *vixit*, de quo in VIVO. ℙ *Abi* imperativum varios elegantesque habet usus. Interdum enim est blandientis aut laudantis. *Pl. Most.* 5, 1, 32. Abi, ludis me, credo. *Ter. Ad.* 4, 2, 25. Laudo, Ctesipho; patrissas: abi: virum te judico. [*cf. *Hor. Ep.* 2, 2, 205. Notemus hic formulas: *abito, quo voles Pl. Men.* 5, 7, 40. *abito quo lubet Stich.* 3, 1, 23. quibus in servis manu mittendis usi videntur esse. *Briss.* 8, 37.] Interdum est contemnentis, indignantis, a se abjicientis. *Ter. Ad.* 2, 2, 12. Abi, nescis inescare homines. [*Ph. 1, 2, 9.] *Pl. Poen.* 1, 3, 20. Abi modo. *Huc pertinent illae execrationes:* Abi in malam rem, *ap. Pl. Pers.* 2, 4, 17. Abi in malam pestem, *ap. Cic. Phil.* 13, 21. et similia multa. [v. *crux, cruciatus.*] ℙ *Abin'* pro *abisne?* est *Pl. Amph.* 2, 2, 227. [*Ter. *An.* 2, 1, 17.] ℙ Impersonaliter. *Liv.* 24, 19. Tenuit, ne incepto abiretur. *Pl. Merc.* 4. 4, 36. Abire me vis: abibitur. ℙ Praeteritum *abiisti, abiistis, abiisse* interdum metri causa alterum *i* abjicit. *Ov. Her.* 2, 99. Exspectem, qui me nunquam visurus abisti? *Claud. in Eutr. proem.* 2, 4. In dominos vanas luget abisse minas. [*Abiit disyll. ap. *Pl. Asin.* 2, 3, 15. V. *Herm. El. doctr. metr.* p. 153. — In libris confunduntur *abii* et *habui*, *abeamus* et *habeamus* etc. V. *Drak.* ad *Liv.* 22, 59, 19. 37, 59, 6. 1, 32, 2.]

ABĒONA, ae, f. Dea ab antiquis culta, quod abeundi facultatem praestaret, ut refert *August. de Civ. Dei* 4, 21.

ABĒQUĪTO, as, avi, n. *ἀφιππάζω*, equo abeo vel aufugio. *Liv.* 24, 31. Ut praetores inter tumultum pavidi abequitaverint Syracusas. Al. *adequitaverint.* [*Al. obequitaverint. Illud ed. *Drakenb.* quem vide ad 1, 14.]

ABERRĀTĬO, onis, f. *ἀποτροπή*, actus aberrandi, et translate avocamentum, declinatio. *Cic. Att.* 12, 38. Sive hanc aberrationem a dolore delegerim. *Id. Fam.* 15, 18. Veruntamen aliam aberrationem a molestiis nullam habemus.

ABERRO, as, avi, n. 1. *ἁμαρτάνω*, erro, digredior, recedo, via deflecto. *Pl. Men. prol.* 31. Puer aberravit inter homines a patre. *Petr. Sat.* 57. Puer in balneo paulo ante aberravit: si quis eum reddere aut commonstrare voluerit, accipiet nummos mille. ℙ Translate *Ov. R. Am.* 662. Admonitu liber aberrat amor, *h. e.* recedit. *Gell.* 12, 14. Videntur verba ista a significatione voculae hujus non aberrare. *Cic. Caec.* 19. Ne ab eo, quod propositum est, longius aberret oratio. *Id. Off.* 1, 37. Si aberrare ad alia coeperit, ad haec revocetur oratio. *Id. Ac.* 2, 46. Aberrare a regula et praescriptione naturae. *Id. Tusc.* 1, 33. Dicentem aberrare proposito facile patiebar. *Al. leg.* a proposito. [*Addita est praep. in ista locutione etiam *Fin.* 5, 28, 83 et 85. *Lig.* 6. a communi utilitate.] *Id. Har. resp.* 11. Si aedilis verbo aut simpulo aberravit, *h. e.* erraverit in verbo aliquo proferendo aut in simpulo tractando. *Id. Att.* 14, 22. Vereor ne nihil conjectura aberrem. Et *N. D.* 1, 36. Etiam si aberrant a conjectura, videO, quid sequantur. [*Phil. 12, 9. Nunc quaeso attendite, num aberret a conjectura suspicio periculi mei. Ita ibi est in libris, delevit praep. *Schütz.* praeeuntibus aliis; in loco *d. N. D.* eandem delevit *Ernest.* Ac sane conjectura potius *aberrat ab eo*, quod res est vel nos *conjectura aberrare* videmur. Nihilominus post *Wopkens. Lect. Tull.* 2, 3. praep. defendit etiam *Hdf.* l. c. (quo invito praep. excidit in edit.), quum conjecturam non suspicionem solum, sed effectum etiam, h. e. ut aliquid conjectura assequaris, significare dicunt. Ceterum *aberrare* est etiam *discrepare.* Nonnulla ex hoc genere v. supra. *Cic. Fin.* 4, 15. non multum ab Herili levitate aberrabimus i. e. aeque leves erimus.] ℙ Significat etiam avocari, devitare aliud cogitando. *Cic. Att.* 12, 38. At ego hic scribendo dies totos, nihil equidem levor, sed tamen aberro. *Ib.* 45. Ego hic duo magna *συντάγματα* absolvi, nullo enim alio modo a miseria quasi aberrare possum. ℙ *Aberrare in rem aliquam* etiam dicitur. *Claud. Nupt. Hon. et M.* 6. mens omnis aberrat in vulnus, quod fixit amor, *h. e.* tota est extra se, et nihil cogitat nisi amores suos. ℙ *Aberrare in melius. Plin. ep.* 4, 28. Rogo, ut artificem, *(pictorem)* quem elegeris, ne in melius quidem sinas aberrare, *h. e.* ne permittas eum a prototypo discedere, etiamsi melius pingere velit.

ABĒSUS, a, um, part. ab *abedo. Prudent. Cath.* 10, 111. Macies neque sicca lacertos Succo tenuabit abeso. *Alii rectius* adeso.

ABFORĔ, *ἀπέσεσθαι*, abfuturum esse, ex *ab* et *fore:* retinetur autem, quemadmodum et in *Abfuturus*, litera *b* nec mutatur in *f*, quia *affore* et *affuturus* contrariam habent significationem. *Virg. Aen.* 8, 147. nihil abfore credunt, quin omnem Hesperiam penitus sua sub juga mittant. ℙ In quibusdam antiquis optimisque Codicibus non uno in loco legitur *afore* et *afuturus*, unico *f*, ut apud *Cic. Att.* 13, 2. et *Nep. Chab.* 3. qui sane scribendi modus a Latinarum litterarum naturali cohaerentia et complexione non abhorret. [*Afore nunc edunt etiam ap. *Virg.* l. c. *V. Hdf.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 101. a quo qui laudatur *Drakenb.* ad *Liv.* 4, 12. et 26, 41. in integerrimis Livii libris sic legi testatur.] V. ABSUM.

ABFŪTŪRUS, a, um, part. fut. v. *Absum*, de cujus scribendi ratione diximus in v. praec. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 11. Nullam a se calamitatem abfuturam fuisse, si hoc imperio non teneretur.

*ABGĀRUS, i, m. arabica vox est, *magnum* vel *potentem* significans. Et sic Edessenorum reguli appellati in Mesopotamia, v. *Spanhem. de usu et praest. numismm. diss.* 2. p. 125. et *diss.* 8. p. 534. — Epistolam cujusdam Abgari ad Christum scriptam refert *Euseb. hist. eccl.* 1. *cap. ult.* ℙ De Abgaro quodam rege Orientis v. *Capitol. Anton. Pium c.* 9. et ibi *Casaub.* ℙ Persarum regem Abgarum subactum a Severo memorat *Spartian. in vita Severi* 18. et *Aurel. Vict. de Caes.* 20.

ABGRĒGĀRĔ, inquit *Festus*, est ab grege ducere, Adgregare, ad gregem ducere: Segregare, ex pluribus gregibus partes seducere: unde egregius dicitur egrege lectus, etc.

ABHIĒMAT, abat, n. id. quod *hiemat. Plin.* 18, 35, 81. Cum sereno caelo fulgetrae erunt et tonitrua, abhiemabit. *Ita Harduin. ex MSS. Al.* cum fulget, pluviae erunt et hiemabit.

ABHINC et Ab hinc, *ἤδη, ἀπὸ τοῦδε*, adv. temporis praeteriti, quod significat ante hoc tempus. *Cic. Verr.* 2, 1, 12. Quaestor fuisti abhinc annos quatuordecim. *Id. Verr.* 2, 2, 52. Comitiis jam abhinc triginta diebus habitis. [*Utriusque constr. exempla plura suppeditant Grammatici (v. modo *Rudd.* II. *p.* 292. et *Tursell.*) falsi in eo, quod ad acc. pr. *ante*, ad abl. *in* supplent. Quam illi praep. supplerent in graecis *τρίτον ἔτος τουτὶ* et similibus?] ℙ Respicit quodammodo tempus futurum. *Pallad.* 4, 13. Septimo anno omnes dentes equi explentur: latent abhinc aetatis notae. *Pacuv.* ap. *Charis.* 2. p. 175. *Putsch.* Seque ad ludos jam inde abhinc exerceant. ℙ Quidam putant etiam *Cic.* usurpasse *abhinc* cum accus. de fut. tempore *pr. Rosc. Com.* 13. ubi ait: *repromittis tu abhinc triennium Roscio.* Verum eo loco narrat *Cic.* rem jam praeteritam, atque ideo illud *repromittis* idem est ac *repromisisti.* [*De usu partic. *abhinc* in rebus futuris acriter olim disputatum est a VV. DD. Vid. *Rudd.* l. c. et *Vorst. d. Lat. m. susp. c.* II. et XVIII.] ℙ Usurpatur etiam de loco et significat ex hoc loco. *Lucret.* 3, 968. Aufer abhinc lacrumas, barde, et compesce querelas.

ABHORRENS, tis, part. v. *abhorreo*, alienus, dissimilis. *Liv.* 22, 13. Punicum abhorrens os ab Latinorum nominum prolatione. *Id.* 30, 44. Absurdae et abhorrentes [intempestivae] lacrimae. *Id.* 4, 44. Abhorrens famam. *Al. aliter.* [*Uterque *Liv.* locus hic erat omittendus. Alter displicuit *Gronov.* et *Drakenb.*, quos vide, et *Dukero* loco statim afferendo. Quamquam *Gronov.* dicendi hoc genere non offenditur, laudans *Liv.* 40, 57. nec enim lingua aut moribus aequales abhorrere, de quibus tamen rursus dubitat *Duker.*, *aequales* suspectum habens. Ceterum v. *abhorrere.*] *Cic. Or.* 3, 18. Genus orationis abhorrens ab auribus vulgi [cf. *Parad. in.*]. *Ter. An.* 5, 1, 10. Adolescentulo abhorrenti ab re uxoria. *Curt.* 3, 6. Cultus habitusque paululum a privato abhorrens. [*Spes ab effectu non abhorrens. *Liv.* 29, 6.] ℙ Cum dativo. *Liv.* 2, 14. Huic tam pacatae profectioni ab urbe regis Etrusci abhorrens mos traditus ab antiquis, etc.

ABHORRĒO, es, rui, a. 2. *μυσάττομαι*, alienus sum, fugio, aspernor. *Cic. Cluent.* 14. Omnes aspernabantur, omnes abhorrebant. *Titin.* ap. *Non.* 2, 681. Postquam factus maritus hanc domum abhorres. *Suet. A.* 83. Pumilos atque distortos ut ludibria naturae malique ominis abhorruit. [*abhorrere mortem *Porphyr.* ad *Hor.* 1, 3, 17.] *Cic. Fat.* 4. Alii talibus vitiis abhorreant. *Id. Sext.* 52. Cum ipse nihil ab horum turpitudine, audacia, sordibus abhorreret. *Id. Phil.* 7, 2. Animo abhorrere ab optimo statu civitatis. [*Cf. *Coel.* 4. Quod Catilinae familiaritas objecta Coelio est, longe ab ista suspicione abhorrere debet i. e. abesse, vacare. *Att.* 2, 6. a scribendo abhorret animus. *Curt.* 5, 8. consilium fugae, a qua abhorret animus. Retro abhorrere. *Lucr.* 1, 944. 4, 20. retroque Volgus abhorret ab hac (ratione).] ℙ Cum dat. v. ABHORRENS. [*Gronovii si vera est conjectura, *Liv.* 22, 13. genit. usus dixit: sed Punicum abhorrens os latinorum nominum. Sed partim ibi magna est in libb. mss. dissensio, partim, si ita scripsit *Liv.* genit. sic videtur intelligendus, ut dicunt *metuens belli* et simil. (v. *Drakenb.*) propter subst., quae subest, notionem. Cf. *Rudd.* II. p. 119. — Dativi certa exempla alia non sunt in promptu. Nam *Curt.* 7, 8. abhorrent forsitan moribus nostris, coll. 6, 2. 8, 6. *Flor.* 1, 7. nemo facile pro dat. habuerit, cum id. *Curt.* 6, 7. animum tanto facinore procul abhorrentem dixerit. — Ceterum omnino *Cic.* aliique probi scriptores ut raro vel nunquam dat. usi videntur, ita praep. quoque fere semper addidisse sunt putandi. — Denique c. infin. jungit *Porphyr.* ad *Hor. Od.* 1, 1, 17. abhorret navigare.] ℙ Cum accus. jungitur, idem est fere quod *horreo*, et significat rem praesentem vel absentem, quam audire

aut aspicere pertimescimus, aversari: cum ablativo, procul nos esse ab eo, quod non placet vel quod refugimus. ℙ Translate est discrepare, dissidere, remotum esse. *Liv.* 38, 56. Abhorrent inter se orationes. *Cic. Rosc. A.* 24. Temeritas tanta, ut non procul abhorreat ab insania. *Id. Or.* 1, 52. Illa, quae dicenda de justitia putabat, a vitae consuetudine et a civitatum moribus abhorrebant. *Id. ibid.* 18. Spinosa et exilis oratio longe a nostris sensibus abhorrebat. *Id. d. opt. g. Or.* 7. Causa ipsa abhorret a formula consuetudinis nostrae. *Liv.* 9, 36. Abhorrebat a fide [fidem excedebat. *Tac. Hist.* 5, 24. non abhorret vero.] *Curt.* 7, 8. Quae locutos esse apud regem memoriae proditum est, abhorrent moribus nostris [*Cf. *id.* 5, 6. 8, 9. *Cic. Fam.* 1, 9, 67. abhorrent (libri de oratore) a communibus praeceptis. *Verr.* 2, 2, 3. a quo mea longissime ratio voluntasque abhorrebat. *Att.* 1, 20. a meis consiliis tua ratio non abhorret. Cf. *Nep. Milt.* 3.] ℙ De eo, qui minime idoneus est ad aliquid faciendum. *Cic. Or.* 2, 20. Sin plane abhorrebit et erit absurdus, ut se contineat, aut ad aliud studium transferat, admonebo. [*Nostram aetatem a castris abhorrere *Cic. Att.* 14, 19. — Ceterum confunduntur a librariis *abhorrere* et *aberrare*. V. *Drakenb.* ad *Liv.* 22, 13. 38, 56.].

ĂBHORRESCO, is, n. horresco, ἐκφρίττω. Legitur in quibusdam edit. *Lactant. de Ira D.* 23. neque tamen est *Lactantii*, sed Interpretis cujusdam vertentis quoddam Apollinis oraculum, quod ibi Graeco carmine a Lactantio affertur: *δαίμονες ἐκφρίττουσιν, abhorrescunt.*

[ĂBHORRĬDĒ, adv. id. fere ac horride. *Charis. Instit.* 1, p. 40. *Putsch.* Canitia nec irrationabiliter nec abhorride dicitur. *F.*]

ABJECTĒ, adv. *Cic. Tusc.* 2, 22. Hoc in dolore maxime est providendum, ne quid abjecte, ne quid timide faciamus. ℙ Comp. *Abjectius* ap. *Auct. Dial. de orat.* 8. Quo sordidius et abjectius nati sunt. [*Ammian.* 15, 2. Se abjectius projicere. *F.*]

ABJECTĬO, onis, f. verbale ab *abjicio*. *Auct. ad Herenn.* 1, 6. Abjectio, adjectio, litterarum mutatio. *Quintil.* 9, 3. Figurarum additio et abjectio. ℙ Translate [desperatio] *Cic. Pis.* 36. Quid debilitatio atque abjectio animi tui?

ABJECTUS, a, um, part. ab *abjicio*, rejectus [potius conjectus], projectus. *Varr. L. L.* 4, 4. In sepulcrum ejus abjecta gleba non est. *Flor.* 1, 1. Abjectus in profluentem. *Ov. Her.* 7, 1. Abjectus in herbis olor. [*De constr. dicetur in *abjicio*.] *Tac. A.* 1, 29. Abjecta extra vallum corpora ostentui. [*Ov. *Am.* 1, 7, 58. qualiter abjecta de nive manat aqua. V. ibi *Burm. Curt.* 8, 1. ne positis quidem sed abjectis poculis. — Dicitur vero etiam de iis rebus, quae non revera projiciuntur, i. q. remotus, depositus. *Hor. Sat.* 1, 3, 131. omni abjecto instrumento artis clausaque taberna. *Id. ep.* 2, 2, 141. sapere est abjectis utile nugis.] ℙ Item dejectus, prostratus. *Cic. Verr.* 2, 5, 54. Ad tribunal ante pedes tuos ad terram virgis et verberibus abjectum. *Sen. Ben.* 5, 3. Luctator ter abjectus perdidit palmam. *Val. M.* 3, 2. *ext.* 5. Fortis et animosa civitas Spartana jacet armis nostris abjecta. *Cic. Mur.* 28. Noluerunt ita quemquam cadere in judicio, ut nimis adversarii viribus abjectus videretur. Adde *Mil.* 21. [*Virg. *A.* 10, 736.] ℙ Ponitur et pro vili, neglecto. [*Nimirum quae vilia sunt et contempta, foras projicimus.] *Cic. Fin.* 3, 20. Cum ipsi inter nos abjecti neglectique simus. *Ib.* 5, 22. Nihil abjectum, nihil humile cogitare. [*Add. *or. de l. agr.* 2, 34. contemptum atque abjectum. *id. Dej.* 11. familiam abjectam atque obscuram.] *Val. M.* 3, 7. *ext.* 5. Abjectissimum negotium. [*Quintil.* 11, 1. Abjectissimus animus. *F.*] ℙ Item pro humili, demisso. *Cic. Or.* 57. Neque humilem nec abjectam orationem, nec nimis altam et exaggeratam probat. *Id. ib.* 55. Comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic saepe sunt abjecti, ut nonnunquam vix in his numerus et versus intelligi possit. ℙ Item pro debilitato, fracto. [*Cic. *Cat.* 3, 5. recitatis litteris debilitatus atque abjectus (desperans). *Ib.* 2, 1. Jacet ille nunc prostratus et se perculsum atque abjectum esse sentit (i. e. ita fractum, ut metuendus non sit. *Ern. Clav.* 4, 10. Sed eam (inimicorum multitudinem) esse judico turpem et infirmam, contemptam et abjectam. Add. *Att.* 3, 2. *ib.* 1, 16. abjectum (timiditate et ignavia) excitare. *Fam.* 2, 7. *Curt.* 6, 2.] *Cic. Am.* 16. In quibusdam animus abjectior est [*qui paulo post *jacens* dr. i. q. a spe alienus]. *Id. Fam.* 1, 9. Abjectiore animo esse. *Id. Catil.* 4, 2. Exanimata uxor, abjecta metu filia. [*Memorabile est, quod *Nep.* dicit *Att.* 8. qui pecuniam — conferre noluerat *florenti* illi parti, *abjecto* Bruto Italiaque cedenti — misit. Ibi *abjecto* est *afflicto, in angustiis versanti*. V. interpp. Confunduntur *abjectus, adjectus, objectus*. V. *Plin. Pan.* 52.]

ĂBĬĔGĬNĔUS, a, um, *id. q. abiegnus*. In vet. marmore ap. *Grut.* p. 207. legitur *abiegineas trabiculas* et abigeneis sectilibus et opercula abieginea. [Sed Furl. testibus Guarinio et Zannonio, quos lapidem attente inspexisse affirmat, legi ibi ait *abiegneis* sectilibus, opercula abiegnea, antepagmenta abiegnea, unde *abiegneus* addendum putavit. Ceterum cf. *Hessel. ad Enn.* p. 199.]

ĂBĬEGNUS, a, um, qui est ex abiete, ἐλάτινος. *Enn.* ap. *Cic. Top.* 16. Abiegna trabes. *Colum.* 12, 43. Populnea vel abiegna scobe virides uvas custodiunt. Adde *Liv.* 21, 8. ubi al. *oblongo*. [*v. *I. Gron. Prop.* 3, 1, 25. abiegnus equus i. e. equus Trojanus. Cf. *Virg. A.* 2, 16.] ℙ Dictio est quadrisyllaba, sed interdum apud poetas trisyllaba. *Prop.* 3, 17, 12. Induit abjegnae cornua falsa bovis. [*Cf. Abies. Hinc in libris etiam scribitur abjegnus. V. *Gron.* l. c.]

ĂBĬENS, euntis, part. verbi *abeo*, ἀπερχόμενος, discedens. *Ter. An.* 1, 1, 57. Observabam servulos venientes aut abeuntes. *Cic. Att.* 1, 16. Abiens magistratu. *Ov. Her.* 5, 55. Abeuntia vela. *Stat. Theb.* 4, 39. Abeuntibus annis. [*Hor. *Od.* 3, 6, 44. Sol — amicum tempus agens abeunte curru.]

ĂBĬES, etis, f. ἐλάτη, [*Pinus picea Linn. v. *Voss.* ad *Virg. Ecl.* 7, 66.] arbor altissima rectissimaque [sic appellata, ut ait *Isid. Or.* 17, 7. quod prae ceteris arboribus longe eat et in excelsum promineat: *F.*] cujus pars inferior enodis *sapinus* vocatur, [*Ov. *Met.* 10, 94. enodis abies] superior vero nodosa duriorque *fusterna*, ut *Plin.* 16, 39, 50. docet. Id tamen intelligendum de materie jam caesa, non de ipsa viva arbore. [*Errare *Plin.*, cum *sapinum* appellari dicit partem inferiorem, eamque *sapineam* potius vocandam fuisse, *Vitruvii* loco, ex quo sua hausit *Plin.*, ostendit *Salm. Exerc.* p. 357. et 727. ubi vid. Dicit *Vitruvius:* Ima autem quum excisa quadrifluviis disparatur, ejecto torulo ex eadem arbore ad intestina opera comparatur et *sappinea* vocatur. V. in v. *fluviatus*. De alio *Plin.* loco 16, 42, 82. firmissima in rectum (al. ad tectum) abies — vid. id. *Salm.* p. 727. — Alium denique *Plinii*, qui de abiete copiose dicit l. 16., in hac re errorem tangit *id. d. Homon. hyl. iatr.* p. 9.] Duo autem sunt ejus genera: alterum femina, quae proceritate dignoscitur, qua alterum, quod mas vocant, longe superat: quod *id. Plin.* 16, 10, 19. tradit. Est praeterea aliud discrimen, quod in femina pucumenta seu nuces deorsum pendent, in mare vero sursum tendunt. Atque hoc genus est, quod magis proprie *abies* dicitur. Crispa abies appellatur a veteri poeta ap. *Cic. Tusc.* 3, 19. propter crispantes venarum flexus in eo ligno: nigra vocatur a *Virg. Aen.* 8, 599. ob densitatem foliorum, quibus umbrosissima est. ℙ Quia vero aptissima navigiis est, hinc a poetis per metonym. saepe pro navi ponitur. [*Hinc abies casus visura marinos *Virg. G.* 2, 68.] *Virg. Aen.* 8, 91. Labitur uncta vadis abies. [*cf. 5, 663.] ℙ Item pro alia quapiam re ex abiete facta. *Id. A.* 11, 667. longa transverberat abiete pectus, *h. e.* hasta abiegna. [*Sil. *Ital.* 4, 256.] *Pl. Pers.* 2, 2. 66. Obsignata abies, *h. e.* tabellae abiegnae perscriptae. Libet hic referre *Quintil.* verba 8, 6. ubi de tropis, quae in prosa admitti possunt aut in versu, *Prosa*, inquit, *ut* mucronem *pro gladio*, *et* tectum *pro domo recipiet; ita non* puppim *pro navi*, *nec* abietem *pro tabellis*. [*ℙ Dicebatur abies etiam frutex marinus cubitalis magnitudinis, πρόσγειος secundum *Theophr. Plin.* h. n. 13, 25, 49. V. *Salm. Ex.* p. 805. sq.] ℙ Poetae in obliquis casibus *abietis*, *abiete*, *abietibus* duas vocales *i* et *e* in unam contrahunt primamque syllabam producunt metri causa. *Virg. Aen.* 9, 674. Abietibus juvenes patriis et montibus aequos. Add. alterum loc. modo allatum ex 11 *Aen.* [*8, 599.]

ĂBĬĔTĂRĬA negotia. *inquit Paul.* ex *Festo*, dicebantur, quam materiam nunc dicimus, videlicet ab abietibus coemendis. [*ABIETARIUS, mensarum fabricator. Sic *Vulg. Interpr.* Exod. 35, 35.]

ĂBĬĔTĪNUS, a, um, adj. abiegnus. *Apul. Herb.* 29. Abietinum vas. *Humelberg.* tamen legendum contendit *argenteum*.

ĂBĬGĂ, ae, f. alio [graeco] nomine chamaepitys, herba est, quae vim partus abigendi habet, unde nomen accepit. *Plin.* 24, 6, 20. Chamaepitys Latine abiga vocatur propter abortus. [*V. CHAMAEPITYS. *Salm.* Exerc. p. 198.] ℙ Legitur et *ajuga:* quo pacto usurpavit *Scrib. Comp.* 167.

ĂBĬGĔĂTOR, oris, m. id. q. abigeus. *Paul. ICtus Sent.* 5, 18. Qui bovem vel equum errantem abduxerit, furem magis eum quam abigeatorem constitui placuit. Et abigeatores sunt, qui unum equum abegerint etc. Ita referuntur haec verba in titulis quibusdam, qui inscribuntur *Lex Dei sive Mosaicarum et Romanarum legum vetus Collatio* adjecta in fine *Cod. Theod.* additurque ibi, eum *Pauli* titulum esse *de Abigeatoribus;* verum ea in omnibus fere Codd. *Sent. Pauli* desunt isque titulus non *de Abigeatoribus*, sed *de Abactoribus* inscribitur.

ĂBĬGĔĂTUS, us, m. ipsum abigei crimen, ἐπελασία. *Macer Dig.* 47, 14, 1. Abigeatus crimen publici judicii non est. Adde *Arr. Menand. Dig.* 49, 16, 5.

ĂBĬGĔĬUS, in vet. inscr. ap. *Grut.* 337. et 341. nomen est equi Circensis.

[ĂBĬGĔNĬUS, a, um, id. q. abiegineus, ex abiete factus, ni tamen sit quadratarii mendum. *Edict. Dioclet.* p. 26. Materia avigenia (*leg.* abigenia) cubitorum N. quinquaginta, latitudinis in quadratum cubitorum quatuor, X quinquaginta milibus. *F.*]

ĂBĬGĔUS, i, m. ἐλατηρὸς βοῶν, ab *abigo*, qui pecora de pascuis vel ex armentis subtrahit et depraedatur. *Ulp. Dig.* 47, 14, 1. Abigei proprie hi habentur, qui pecora ex pascuis vel ex armentis subi trahunt et quodammodo depraedantur, et abigend studium quasi artem exercent. *Claud. Saturn. Dig.* 48, 19, 16. §. 7. Quantitas discernit furem ab abigeo: nam qui unum suem subripuerit, ut fur coercebitur, qui gregem, ut abigeus.

ĂBĬGO, is, egi, actum, a. 3. ἀπελαύνω, pellere, expellere: ex *ab* et *ago*. *Plin.* 2, 47, 48. Venti nubes abigunt. [*Ov. *Met.* 7, 202.] *Cic. Or.* 2, 60. Puer abige muscas. *Pl. Amph. prol.* 150. Abigam advenientem ab aedibus. *Id. Truc.* 2, 1, 41. Abigere anseres de frumento. *Ov. Fast.* 3, 344. O vir colloquio non abigende meo. [*Virg. *Cul.* 124. de loto herba: impia, quae socios Ithaci moerentis abegit. *Suet. Vesp.* 8. sine responso abegisse. *Plin. Paneg.* 41. delatores abegisse.] ℙ Cum dat. *Sil.* 8, 124. Quae dum abigo menti. ℙ Cum casibus motus. *Ter. Ad.* 3, 3, 47. Abigam hunc rus. ℙ Saepe ponitur pro *pecudes furari:* ex quo *abigeus*, *abactor* etc. *Cic. Pis.* 34. Familias abripuerunt, pecus abegerunt. [*Curt. 5, 13. 7, 9. sed ap. *Caes. b. g.* 7, 17. rectius legitur pecore *adacto*, quod mutatum iverunt in *abacto*. V. *Oud.* et *Herz.*] *Callistrat. Dig.* 47, 14, 3. A stabulo abigere domitum pecus. *Id. ib.* Qui saepius abegerunt, licet semper unum vel alterum pecus subripuerint, tamen abigei sunt. ℙ Significat etiam sine vi aut dolo abducere, agere. *Varr. R. R.* 2, 1. Greges ovium longe abiguntur ab Apulia in Samnium aestivatum. ℙ *Abigere fetum* ap. *Colum.* 6, 27. est immaturum fetum ejicere. [*Suet. *Dom.* 22. conceptum a se abigere.] Sic *Cic. Cluent.* 11. *abigere partum medicamentis.* [*ℙ De divortio utitur *Suet. Tib.* 7. Agrippinam abegisse post divortium doluit.] ℙ *Abigere aliquem a cibo* est prohibere. *Pl. Curc.* 1, 3, 30. [*Hor. *Od.* 3, 24, 40. Si neque fervidis pars inclusa caloribus mundi — durataeque gelu nives mercatorem abigunt, i. e. faciunt, ut mari abstineat, a se prohibent.] ℙ Translate *Plin.* 12, 17, 40. abigere fastidium. *Id.* 30, 11, 30. febres [*Hor. *Ep.* 1, 15, 19. quod curas abigat.] *Pl. Merc.* 1, 2, 3. lassitudinem. *Enn.* apud *Cic. Ac.* 2, 28. pestem. [*Plin. *Pan.* 76. consularia officia abigere, negligere, contemnere. Fuit, qui conjiceret scrib. esse *abjicere*. Recte defendit *Gierig.*]

*ABII, orum, Scythicus Asiae, fortasse etiam Europae, populus. *Curt.* 7, 6, 11. legati Abiorum Scytharum. *Ammian.* 23, 25.

ABJĬCĬO, isi, jeci, jectum, a. 3. ἀποβάλλω, rejicio, jacio, projicio: ex *ab* et *jacio*. *Cic. Tusc.* 2, 23. Abjicere scutum. *Id. Sext.* 27. Insigne regium de suo capite abjecerat. *Id. Fin.* 5, 30. annulum in mare abjicere. [vide mox.] *Id. Tusc.* 1, 34. se e muro in mare. *Caes. b. g.* 5, 46. tragulam intra munitiones castrorum. [*Ita dicere solet *Caes.* Cf. *b. c.* 3, 56. b. g. 5, 48. *Hirt. b. Afr.* 56. *Hisp.* 18. quamquam in his locis, ut libri, ita interpp. fluctuant inter *abjicere*, *adjicere* et *objicere*. In *Hirtii* quidem loco non videmus quid *Oud.* moverit, ut *abjici* ferri non posse existimaret. Certe quam affert causam vana est.] *Nep. Hann.* 9. statuas in propatulo. ℙ Est etiam dejicere, sternere. *Cic. vertens carmina Soph. in Trachin. Tusc.* 2, 9. Erymanthiam haec *(dextera)* vastificam abjecit beluam. *Id. Leg.* 1, 9. Natura cum ceteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit. *Id. Or.* 1, 7. Abjicere se in herbam. [v. mox] *Plin.* 21, 13, 44. se humi. *Cic. Att.* 4, 2. se ad pedes alicujus. *Id. Mil.* 36. se supplicem alicui pro aliquo. [*Non debebat omittere eam v. significationem, quae est *dimittere*, *removere*, sed ita, ut cum vi quadam id fiat, fere ut sit *repellere*, *abigere*. *Ter. Ad.* 4, 7, 26. Psaltria — aliquo abjicienda est.] ℙ Translate est deponere, rejicere [*vel potius: negligere aliquid, quod jam obtineri nequit. *Cic. Att.* 13, 31. abjiciamus ista. *ib.* 7, 3. rem tantam (triumphum).] *Cic. Fam.* 9, 24. Abjicere curam reipublicae. [*Cic. *Fam.* 9, 16. fama ingenii mihi est abjicienda. Sic fere *Plin. Pan.* 65. consulatum abjicere, i. e. deponere cum indignatione et contemptu tanquam rem vilem.] *Id. Catil.* 2, 7. consilium belli faciundi. [*Brevius *Cic. Fam.* 9, 15. domum Syllanam desperabam jam — sed tamen non abjeci (consilium emendi). *ib.* 13, 1. abjicere aedificationem.]. *Id. Phil.* 8, 11. memoriam beneficiorum. *Id. Lig.* 6. humanitatem. *Id. Tusc.* 3, 27. dolorem. *Id. Off.* 1, 29. obedientiam. *Id. Fam.* 11, 21. timorem. [*cf. *Fam.* 4, 7. *Att.* 16, 5. abjicere vitam *ib.* 3, 19.] ℙ Item dejicere, demittere, [*infringere, imminuere] *Cic. Att.* 1, 18. hic annus — senatus auctoritatem abjecit et ordinum concordiam disjunxit. [*Imminuit, *contemptui exposuit*, *delecit*. Sic h. l. jam *Manutius* explicavit, neque recte de eo dubitat *Ernest.* — Omnino vero *contemptus* signif. non abest ab h. v. V. supra in *abjectus*. cf. *Bremi* ad *Nep. Hann.* 9, 3. Sic *Cic. Tusc.* 3, 18. Quid prohibet, Xenocratem extenuantem cetera et abjicientem (i. q. spernentem, non appetentem) in virtute beatissimam vitam ponere? Et *Virg. Mor.* 95. Contempta spargit humi atque abicit. — Hinc fit, ut *abjicere* usurpetur de rebus vilibus et contemptis, quas minimo pretio vendimus. *Phaedr.* 4, 4, 42. Agros abjiciet moecha, ut ornatum paret, ubi et ad *Quintil. Declam.* 16, 8. p. 329. v. *Burm. Pl. Most.* 3,

3, 3. nunquam edepol ego me scio vidisse usquam abjectas aedes, nisi modo hasce. Praegreditur: Num nimio emptae tibi videntur? Al. tamen *ablectas*. V. *Gronov.*] *Id. Amic.* 9. Cogitationes suas in rem tam humilem tamque contemptam abjicere. *Id. Par.* 1, 4. Abjicere se. [*Conjunguntur ibi *abjicere se* et *prosternere*. Dicitur de eo, qui humana natura et dignitate exuta ad pecoris humilitatem descendit.] *Id. Fam.* 10, 12. Magna contentione intercessorem abjicere, *h. e.* oratione percellere. *Id. d. Or.* 3, 26. et *Or.* 36. Non solum augere aliquid et tollere altius dicendo, sed etiam extenuare atque abjicere. *Catull.* 24, 9. Abjicere atque elevare aliquid. ℙ *Abjicere versum*, *h. e.* submisse et minime actuose [negligenter] pronuntiare [*sive: nunquam agit hunc versum Roscius eo quo potest gestu, sed abjicit prorsus (negligit) ut in proximos incidat.] *Cic. Or.* 3, 26. [*Non multum differt, quod *id.* dicit *Or.* 59. *Ponendus* est enim ille ambitus (verborum), non *abjiciendus*, i. e. periodus a principio ad exitum ferri eique numeris accomodatus esse, non finiri tantum numerose debet. V. sqq.] ℙ Abjicere animum. Haec phrasis inde nata est, quod a *Cicerone* et aliis dictum est *abjectus animus*; licetque eam sine ullo scrupulo usurpare. Ceterum nondum ejus exempla vidimus. [*Quintil.* 1, 3. Pudor refringit animum et abjicit. *F.*] ℙ Prima syllaba longa est propter duplex *ii*. *Hor. Ep.* 1, 13. 7. Abjicito potius, quam quo proferre juberis. ℙ Interdum tamen corripitur, altero *i* poetica licentia extrito. *Ov. Pont.* 2, 3, 37. Turpe putas abici, quia sit miserandus, amicum. *Heins. leg. abigi. Juven.* 15, 17. in mare nemo Hunc abicit saeva dignum vera que Charybdi. [*Virg. Mor.* 95. cf. *Broukh. ad Tib.* 1, 9, 54.] ℙ Particip. *Abjiciens* et *Abjiciendus* v. supra. *Abjecturus Cic. Att.* 10, 8. Ad constructionem quod attinet, dicitur *abjicere* et *in locum* et *in loco*, neque est, quod aut ablat. pro accus. positum putes, aut cum VV. DD. ablativo accusativum substituas. Quae sic differunt, ut abl. dicatur de iis, qui sunt in loco in eoque aut se aut aliquid abjiciunt; illud de iis, qui eo ipso, quod se abjiciunt, in locum demum perveniunt. Hinc ap. *Cic. Fin.* 5, 30. recte sane videtur scribi *in mari*, erat enim in mari Polycrates, cum annulum abjiceret, non in terra. Disputavit ibi de ea re *Goer.* et attulit *d. Or.* 1, 7. ubi praefert cum aliis *abjiceret in herba*. Cf. etiam *Curt.* 10, 9. Quamquam haec nolimus sic intelligi, ac si non potuisset dici in *Fin.* loco *in mare*, si quidem accus. nunquam non recte additur. Sed ablat. aut ea, quam diximus, ratione aut sic explicandus est, ut simul et *motum* in locum, et *quietem* in loco significet, qualia plurima suppeditat sermo graecus, ut in illo *Arriani Exp. A.* 1, 19. *ῥιπτοῦντες σφᾶς ἐν τῇ θαλάσσῃ.*]

ABILA, ae, [ABILENUS] f. *Ἄβιλη*, opp. nomen est ad Jordanem fluvium. [*Salm. Exerc.* p. 406.] Est et *Abila*, hod. *Bellinas*, *Ἄβιλα*, opp. in regione Decapolitana, Diogenis sophistae patria, cujus meminit *Plin.* 5, 18, 16. [*Inde interdum *Abilenus* dicitur.] ℙ Item mons Mauritaniae in faucibus freti Gaditani e regione Calpes Hispaniae montis, *Ἀβιλὺξ* Suidae. [Al. scr. *Abyla*.] *Plin. prooem. l.* 3. Proxima autem faucibus utrinque impositi montes coercent claustra Abila Africae, Europae Calpe, laborum Herculis metae. [*Avien. Perieg.* 111. Maura Abila, et dorso consurgit Iberica Calpe. *F.* **Mel.* 1, 5. affert *Bail.* cf. *Salm. ib.* p. 203.]

ABINVICEM pro invicem quidam legunt ap. *Apul. Herb.* 112. ubi al. aliter. [*Abinvicem sunt divisae dixit *Apulej.* etiam in *lib. de diphth.* p. 121. ed. *Os. B.*] Habet tamen *Cyprian. ep.* 63. *n.* 9. et *Hieron. ep.* 18. ℙ Scribitur etiam *ab invicem* divisim.

ABITIO, onis, f. *ἀπέλευσις*, discessio. *Ter. Heaut.* 1, 2, 16. Eam misere amat: propter eam haec turba atque abitio evenit. [*Pl. Rud.* 2, 6, 19.] ℙ Antiqui *abitionem* dicebant pro morte, teste *Festo*, nempe ad evitandum mali ominis verbum. V. ABEO.

ABITO, is, n. frequentat. ab *abeo*. *Pl. Rud.* 3, 4, 72. Hunc quoque asserva ipsum, ne quo abitat. [*Sed ibi al. *habitat*, al. *abiat*. Certe *abitat* rejiciendum videtur.]

ABITUS, us, m. *ἀπέλευσις*, abitio, discessus. *Cic. Verr.* 2, 3, 54. Ne post abitum quidem hujus importunissimae pestis. [*Ter. Heaut.* 3, 1, 4. Cum videam hunc tam cruciarier ejus abitu. *F.*] *Sil.* 7, 136. Assimulare abitum retro. [*Lucr.* 1, 458. opp. adventus; *ib.* 1, 678. opp. aditus.] ℙ Interdum significat locum, per quem abire possumus. *Tac. A.* 14, 37. Ceteri terga praebuere difficili effugio, quia circumjecta vehicula sepserant abitus. [*Virg. A.* 9, 380. Abitum custode coronant. *F.*]

ABJŪDICĀTUS, a, um, part. ab *abjudico*. *Liv.* 4, 1. Ardeatium populum ob injuriam agri abjudicati descisse.

ABJŪDĪCO, as, avi, a. 1. *ἀποδικάζω*. Proprie significat judicio auferre, et per sententiam alteri addicere; cui opponitur *adjudicare*. *Cic. Agr.* 2, 16. Judicabit, Alexandriam regis esse; a populo Romano abjudicabit. [*Pl. Rud.* 5, 1, 3.] ℙ Translate est auferre, adimere. *Id. Caec.* 34. Eum, qui, cum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abjudicasse. *Id.* Verr. 2, 1, 1. Rationem veritatis, integritatis, fidei ab hoc ordine abjudicari. *Pl. Asin.* 3, 3, 17. Equidem me a vita abjudicabo, *h. e.* vita me privabo. [*Cf. *Rud.* 4, 3, 100.] ℙ Interdum est respuere, rejicere. *Cic. Or.* 2, 24. Ubi plus mali quam boni reperio, id totum abjudico atque ejicio. [*Illic ex libris nunc editur *abdico*.]

ABJŪGO, as, a. 1. *ἀποζεύγνυμι*, proprie est a jugo removere, per translationem est *separare*, *ἀποχωρίζειν*. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 37. Quae res te ab stabulis abjugat.

ABJUNCTUS, a, um, part. ab *abjungo*. *Prop.* 2, 14, 12. Quam prius abjunctos sedula lavit equos. *Quidam minus recte leg.* adjunctos. [*v. *Parei* Lex. cr. p. 8. Eadem scripturae discrepantia *Sil.* 8, 642. At sine diversitate mss. *Stat. Th.* 5, 390. abjunctis regemunt tabulata cavernis.] *Arnob.* 3. p. 105. Ab omni turpitudinis labe disparata atque abjuncta divinitas. [*Dubitatur de loco *Caes. b. g.* 7, 56. tum maxime, quod *abjuncto* Labieno atque iis legionibus, quas una miserat, vehementer timebat. Magna est enim isto in loco scripturae diversitas. Vid. *Oud.* Abjuncto tamen tuentur *Herz.* et *Kreyssig.*]

ABJUNGO, is, nxi, nctum, a. 3. *ἀποζεύγνυμι*, jumentum curru solvo, jugum aufero. *Virg. G.* 3, 518. it tristis arator Moerentem abjungens fraterna caede juvencum. ℙ Translate est separare, removere, *ἀποχωρίζω*. *Cic. Att.* 2, 1. Quod se ab hoc refractariolo judiciali dicendi genere abjunxerit [i. e. illud reliquerit].

ABJŪRĀTIO onis, f. rei creditae abnegatio cum perjurio. Legitur ap. *Isid. Orig.* 5, 26. Quidam Lexicographi *Plauto* tribuunt, sed nihil tale apud illum invenitur. [Fraudi videtur fuisse *Forc. Parei* Lex. Pl. in v. *abjurare*, quem locum minus bene intellexit. *Bail.*]

ABJŪRĀTUS, a, um, perjurio negatus. *Virg. A.* 8, 263. Abstractaeque boves abjurataeque rapinae Caelo ostenduntur. Ubi *Servius*: Abjurare est rem creditam negare perjurio: sed hoc isti loco non congruit, unde modo abjuratas rapinas, contra jus retentas intelligamus. Alii abductas atque alieni juris factas: alii fraude et furto abductas tradunt. *Claud. Cons.* VI. *Hon.* 110. Abjurata palam Libyae possederat arva.

ABJURGO, as, a. 1. est jurgio seu litigio abjudicare. *Hyg. f.* 107. Ajax postulavit a Danais, ut arma sibi Achillis darent: quae ei ira Minervae abjurgata sunt ab Agamemnone.

ABJŪRO, as, avi, a. 1. *ἀτόμνυμι*, rem mihi creditam vel quocumque modo a me debitam perjurio nego. *Pl. Curc.* 4, 2, 10. Abjurant, si quid creditum est. *Id. Rud. prol.* 14. Quique in jure abjurant pecuniam. *Sall. Cat.* 25. abjurare creditum. *Cic. Att.* 1, 8. Mihi autem abjurare certius est, quam dependere. *Pl. Pers.* 4, 3, 9. Nec metuo, quibus credidi hodie, ne quis abjurassit mihi. *ἀρχαϊκῶς* pro *abjuraverit*. [*De discrimine vv. *abjurare* et *ejurare* dicetur in h. v.] ℙ [Partic. *Abjurandus ap. Quintil. in declam.* cui titulus *Trib. Marian.* 7. Abjurandus est non esse sanguis tuus. *F.*]

ABLACTĀTUS, a, um, a lacte depulsus. *Hieron. ep.* 27. *ad Eustoch. epitaph. Paulae a med.* [*Vulg. *interpr. Gen.* 21, 8. puer ablactatus. ABLACTO *ib.* 1. *Sam.* 1, 22. ABLACTATIO *ib. Gen.* 21, 8.]

ABLAQUĒĀTIO, onis, f. [**σκαπάνην* appellat simul cum accumulatione *Theophrastus*, quo usus est *Plin.* 17, 26, 39.] fossio circa radices arborum, ut amoveantur, quae illas illigant aut impediunt. [*Virg. G.* 2, 354. circumscribit ita: diducere terram ad capita (sc. vitium), ad quem locum cf. *Col.* 4, 3, 2. *Pallad.* 2, 1. *Voss.* p. 394. et p. 407.] *Col.* 4, 17. Autumnalis ablaqueatio sedulo facienda. *Plin.* 12, 15, 33. Myrrha gaudet rastris et ablaqueationibus, melior radice refrigerata. [*Ponitur etiam pro fossa ipsa, quae facta est s. pro lacusculis. *Colum. de arb.* 24. obruta ablaqueatione; cf. *id.* 5, 10, 17. *ed. Schneider.*] V. ABLAQUEO.

ABLAQUĒĀTUS, a, um, part. ab *ablaqueo*, circa radices effossus. *Cato R. R.* 29. Circum oleas ablaqueatas stercus addito. *Plin.* 19, 8, 39. Seri etiam radices illitas fimo interest et repleri ablaqueata humo. V. voc. seq.

ABLAQUĒO, as, avi, atum, a. 1. [**περισκάπτειν*] est circum arborum imum truncum terram effodere, inutiles radices amputare; item lacusculos circa radices excavare, ut solis teporibus, imbribus, et immisso stercore laetius proveniant: cui contrarium est *accumulare*. Itaque potius a *lacu*, [*lacusculi ablaqueationis *Col.* 4, 8. Assentitur *Salm. Exerc.* p. 365. sq. quem vid. Ceterum cf. *Schneid. gr.* I. 1. p. 325. sqq.] quam a *laqueo* [*ubi significaret liberare arbores laqueis radicum] deducendum est. *Cato R. R.* 5. Circum oleas autumnitate ablaqueato et stercus addito. *Col.* 4, 29. Sed antiquissimum est et ante haec ablaqueari vitem radicesque summas, vel soboles amputari et post haec adobrui truncum. ℙ Sunt alii loci, in quibus *Cato et Col.* hoc verbum usurpant, nempe ille *R. R.* 29., hic 2, 15. et *de Arb.* 5, 6. et 10. quibus locis vett. edd. e MSS. habent *oblaqueo*, *oblaqueatus*: quod legitur etiam ap. *Isid. Or.* 17, 5. Oblaqueare, *inquit*, est circa radicem terram aperire et velut lacus efficere. [Et *Kalendarium rusticum* a *Grut.* 138. editum mense septembri *oblaqueationem* nominat. *F.* In *Kalendar. rust.*, quod *Columellae* subjecit *Gesnerus*, m. Sept. p. 854. legitur *Oblaquiatio*. Recte vero *Gesnerus* in *ind. scr. r. rust.* p. 96. formam *oblaq.*, lacum (fossam) *circum* vel *versus* radices facere, videtur praeferre.]

ABLĀTIO, onis, f. auferendi actus. *Tertull.* adv. *Marc.* 4, 19. Quoquo tamen nomine comminatur ablationem. Adde *Hier.* in *Jovin.* 2, 11.

ABLĀTĪVUS casus, *ἀφαιρετικὴ πτῶσις*, Grammaticis dicitur, qui sextus est apud Latinos et alio nomine, teste *Prisc.*, comparativus appellatur, eo quod per eum non minus comparatio quam ablatio significetur. Servit enim comparationi, ut *fortior Hectore*: ablationi vero, ut cum dicimus *aufero ab Hectore*. *Diomed.* 1., *Prisc.* 5. *c. de Casibus*, et *Quintil.* 1, 4. [*26. 1, 5, 59. 7, 9, 10.]

ABLĀTOR, oris, m. qui aufert. *Sedul. de Resurr. hist.* 5, 344. Beati corporis ablator. *Augustin. de C. D.* 19, 13. Bonorum ablator.

ABLĀTUS, a, um, part. ab *aufero*. *Ter. E. prol.* 26. Parasiti persona inde ablata. *Tac. Hist.* 4, 39. Juliano praetura ablata. *Ib.* 2, 50. Avis ablata ex oculis. [*Flor. 1, 1.] *Plin.* 8, 55, 81. Fetus uberibus ablati. *Id.* 28, 9, 33. Lac ablatum igni. Et *Ov. Her.* 6, 131. o demens Colchisque ablate venenis, *h. e.* veneficiis alienate [*qui passus es, venenis Colchicis tibi mentem eripi et in amorem furibundum praecipitatus es. Ceterum adde *Pl. Amph.* 2, 2, 175. mensa ablata est (*Xen. Symp.* 2, 1. *ὡς δ' ἀφῃρήθησαν αἱ τράπεζαι*).] ℙ Cum infin. *Stat. Th.* 9, 254. ni fata vetent et stamine primo Ablatum tellure mori, *h. e.* cui fata negarunt mori in terra. [*Hic locus, a *F.* omnino non intellectus, hic omittendus erat; non enim est partic., sed v. finitum et hic sensus, ni ablatum (sc. sit) mori (sc. eum) in terra]. ℙ De iis, qui externa vi transferuntur alio. [*Ridiculum, quod haec distinguit a superioribus. Neque vero *per vim* aliquid fieri in ipso verbo inest.] *Ov. Met.* 2, 873. *de Europa*. pavet haec litusque ablata relictum Respicit. Et 7, 52. Et natale solum ventis ablata relinquam. Et 4, 625. *de Perseo*. Saepe sub occasus, saepe est ablatus in ortus. Et 1, 306. Crura nec ablato prosunt velocia cervo, *h. e.* aquis diluvii abrepto. [*Sil. 6, 257. ablato ni Regulus — instantem elusisset equo i. e. fugiente. Sic *Val. Fl.* 3, 635. sese Martia tigris abstulit. cf. de hac signif. *Gronov.* ad *Liv.* 35, 11.] *Liv.* 3, 13. Inter manus domum ablatus. (*Al. leg.* adlatus) [*v. *Drakenb.* qui *Cic. Verr.* 2, 5, 11. affert: inter manus — auferretur. Cf. *Pl. Men.* 5, 7, 3. In libris confunduntur *ablatus*, *adlatus*, *oblatus*.]

ABLECTUS, a, um, adject. *Pl. Most.* 3, 3, 3. Num nimio emptae tibi videntur? *Theur.* Nunquam me scio vidisse usquam ablectas aedes, nisi modo hasce. Ablectae aedes sunt quasi neglectae et projectae atque adeo vili pretio emptae; *ablegere* enim in sacris est separare a reliqua visceratione et diis porrigere, unde *ablegmina*. [v. h. v.] Legit *Turneb. Adv.* 16, 10. eadem sententia *abjectas*, quod praeter illum et *Lambinum* placet nemini. [*Placuit tamen etiam *Gronovio* aliisque, jure, quamvis defendat *Scal.* ad *Fest.* Nam *ablectae aedes*, si illorum vera esset interpretatio, contrarium significaret ejus, quod debet. Et omnino perversa est et contorta ista ratio. Tollendum igitur est h. v. ex lat. sermone. Ceterum cf. supra *abjectus*.].

ABLĒGĀTIO, onis, f. *ἀπόπεμψις*, *ἀποπομπή*, missio in alium locum, relegatio. *Liv.* 6, 39. Ablegatio juventutis ad Veliternum bellum. *Plin.* 7, 45, 46. Pudenda Agrippae ablegatio. ℙ Quidam afferunt etiam locum *Cic. Leg.* 1, 3., sed ibi *legatio* legitur.

ABLĒGĀTUS, a, um, part. ab *ablego*, dimissus, alio missus. *Cic. Verr.* 2, 2, 30. Dimisso atque ablegato consilio. *Flor.* 4, 2. *prope fin.* Itaque ablegato equo similis furenti primam in aciem procurrit. Et *Justin.* 1, 5. Ablegatus in Persas ab avo h. e. amandatus.

ABLEGMINA, um, n. plur. *ἀπολεγμοί*, vocantur a *Festo* partes extorum, quae Diis immolabant: dicebantur etiam *prosegmina*, item *prosiciae* et *prosecta*, tanquam separata et resecta a reliqua visceratione: id enim, inquit *Scalig.*, est *ablegere*, imitatione Graecorum, qui dicunt *ἀπολέγειν*. In quibusdam codicibus corrupte legitur *albegmina*. De his intelligendus *Tertull. Apol.* 13. cum de opimis et integris supervacua quaeque truncatis, capitula et ungulas, quae domi pueris vel canibus quoque destinassetis.

ABLĒGO, as, avi, a. 1. *ἀποπέμπω*, *ἀποστέλλω*, amandare, alio mittere, removere. *Liv.* 1, 35. Pueros venatum ablegavit. *Cic. Verr.* 2, 2, 32. Honestos homines, qui causam norint, ableget a consilioque dimittat. *Ter. Hec.* 3, 3, 54. Aliquo mihi est hinc ablegandus. *Pl. Mil.* 3, 2, 54. Hunc subcustodem suum foris ablegavit. Quidam legunt *foras*. [*Sic recte *Bothius* et *Lindemann*. — Intelligitur ex his locis, *ableg.* dici fere de dimittendis iis, quorum praesentiam aegre ferimus. Cf. *Pl. Cas. prol.* 62.] *Varr. R. R.* 1, 47. Pecus a prato ablegandum. ℙ *Cic. Att.* 2, 18. Legatio a fratris adventu me ablegat, *h. e.* impedit, quominus advenienti fratri adsim. [*Commutantur *abl.*, *adlegare*, *obligare*. *Drak.* ad *Liv.* 7, 13, 8.]

*ABLEPSIA, animi caecitas s. inconsiderantia. Teste *Casaub.* ad *Suet. Claud.* 39. (ubi gr. scribitur *ἀβλεψία*) *Servius* (ad *Aen.* 7, 647.) hoc voc. tanquam latino usus est.

*ABLĔVO, l. i. q. sublevo, e. g. moestitiam, *Ambros.* apud quem saepius reperitur. Cf. *Gronovii observ.* ad *scriptt. eccles.* 1. p. 18.

ABLĪGŪRIO, is, ire, a. 4. καταλιχνεύω, liguriendo absumo. [*gula et ventre consumo]. *Ter. E.* 2, 2, 4. Patria abligurierat bona. [**Cic. Cat.* 2, 5. fortunas suas abligurierunt.] *Apul. Apolog.* Patrimonium omne jampridem abligurivit. ℙ Obscoenum sensum habet ap. *Suet. de ill. Gram.* 23. *extr.* [*cf. de hoc usu *Burm.* ad *Suet. Tib.* 45. et quos ibi laudat.] ℙ Scribitur et *abligurrio* duplici *rr.* V. LIGURIO.

ABLĪGŪRĪTIO, onis, f. actus abliguriendi. *Capitolin. Macrin.* 5. Heliogabalus imperium dedecoravit vitiis ingentibus, luxuria, turpitudine, abliguritione, etc.

[ABLĪGŪRĪTOR, oris, m. qui abligurit. *Ambros. ep.* 42. *ad Sab.* Unusquisque se eviscerat luxuriosius, heluo internecat, abliguritor perimit. *F.*]

*ABLINGO, 3. *Marc. Emp.* ablingere oculos.

ABLŌCO, as, a. 1. alteri loco, v. gr. domum, quam ipse habitabam; agrum, quem ipse colebam, desero, et alteri locando concedo. *Suet. Vit.* 7. Tanta egestate rei familiaris, ut uxore et liberis, quos Romae relinquebat, meritorio coenaculo abditis domum in reliquam partem anni ablocaret.

ABLŪDO, is, n. 3. ἀπεμφαίνω, dissimilis aut absonus sum. *Hor. Sat.* 2, 3, 320. haec a te non multum abludit imago [*ἀπᾴδει].

ABLŪO, is, ui, utum, a. 3. ἀπονίπτω, lavando sordes aufero, eluo, purgo. [Quid differat *abluere* ab *eluere*, *colluere* ceterisque v. in LAVO.] *Cic. Tusc.* 5, 16. Ulyssi pedes abluens. *Virg. A.* 2, 719. donec me flumine vivo Abluero. [**Briss. d. Form.* I. n. 5.] *Plin.* 28, 7, 23. Maculas e veste abluere. *Val. Max.* 1, 8, 1. Abluere sudorem, [**Tib.* 2, 5, 60. et qua fluitantibus undis solis anhelantes abluit amnis (Oceanus) equos.] ℙ Abluere etiam dicitur aqua decurrens terramque secum trahens. *Varr. R. R.* 1, 35. Irrigationes et pluviae tempestates pulvinos abluunt et agrum faciunt macriorem. *Senec. Qu. nat.* 3, 27. Torrens abluit villas et intermixtos ovium greges devehit. ℙ Putabant veteres externa corporis ablutione [*cf. *Juv.* 6, 523. ipsis vorticibus (Tiberis) timidum caput abluet, qui de hac lustratione intelligendus est] etiam admissa scelera expiari: hinc saepe *abluere* ponitur pro purgare, expiare. *Ov. Fast.* 5, 681. Ablue praeteriti perjuria temporis, inquit: Ablue praeterita perfida verba fide. ℙ *Abluere sitim* pro extinguere, siccas fauces abluendo seu madefaciendo, dictum est a *Lucr.* 4, 874. Et *abluere sibi umbras*, pro auferre, se ab umbris expedire, *ib.* 378. ℙ Translate. *Plin. ep.* 3, 7. Maculam veteris industriae laudabili otio abluerat. *Cic. Tusc.* 4, 28. Sed omnis ejusmodi perturbatio animi placatione abluatur. ℙ Part. *Abluturus* ap. *August. Conf.* 6, 16. et *Prud. Apoth.* 752., ubi al. leg. *abluiturus*, quia *luiturus* dictum a *Claudiano* est *de* VI. *Cons. Hon.* 140. V. LUO. [*Abluendus* ap. *Plin.* 33, 6, 35. *F.*]

ABLŪTIO, onis, f. ἔκνιψις. *Macrob. Sat.* 3, 1. Constat, Diis superis sacra facturum corporis ablutione purgari. *Plin.* 13, 12, 23. *de charta.* Hieratica appellabatur antiquitus, quae ablutione Augusti nomen accepit, *h. e.* diligenter abluta et candidior facta. Ita legunt et explicant *Harduin.* ex MSS. et *Turneb.* 7, 2. Alii [minus recte. *F.*] *ab adulatione.*

ABLŪTOR, oris, m. qui abluit. *Tertull. seu Cyprian. carm. adv. Marc.* 7, 155. Ablutor carnis, Domini praecursor apertus, Ablutor Christi etc.

ABLŪTUS, a, um, part. ab *abluo*, lotus, ἀπονιφθείς. *Varr. R. R.* 3, 9. Ova perfricant sale minuto eaque abluta condunt in furfures. *Curt.* 4, 1. Squalor ablutus. *Virg. A.* 9, 818. Abluta caede.

ABLŪVĬUM, ii, n. diluvium, universalis inundatio, κατακλυσμός. Vox est obsoleta a *Laberio* usurpata ap. *Gell.* 16, 7. ℙ *Aggenus Urbic.* pro alluvione usurpavit: dicit enim *de Controv. agror. p.* 69. *Goes.* Apud agrum arenae, lapides, limus abluvio invectus, etc.

ABMĀTERTĔRĂ, ae, f. abaviae soror ex parte paterna, quae et matertera maxima appellatur. *Caj. Dig.* 38, 10, 3. et *Paul. ib. l.* 10.

ABMITTO, is, a. 3. *Pl. Truc.* 2, 7, 33. Dic, ob haec dona, quae ad me abmiserit, me illum amare. *Ita leg. in quibusdam Codd., at rectius in plerisque aliis*, quae ad me miserit.

ABNĀTO, as, n. 1. ἀπονήχομαι, alicunde natando recedo. *Stat. Ach.* 1, 383. Tunc excepta freto longe cervice reflexa Abnatat.

ABNĔCO, as, a. 1. i. q. *neco*, ἀναιρέω, ἀποκτείνω. *Pl. Truc.* 1, 2, 98. Ut abortioni operam daret puerumque ut abnecaret. *Al.* [*rectius. F.*] enecaret.

ABNĔGĀTĬO, onis, f. negatio. *Arnob.* 1. *p.* 18. Cum in eadem culpa sit et assertio talis rei et abnegatio refutatoris increduli.

ABNĔGĀTĪVUS, a, um, adj. *Prisc.* 15. p. 1020. *Putsch.* Abnegativum (*adverbium*) est, ut *non, haud, nequaquam. Id.* 16. *p.* 1031. Abnegativae (*conjunctiones*) sunt apud Graecos etc.

ABNĔGĀTOR, oris, m. *Tertull. d. fuga in pers.* 12. Quis talem abnegatorem spernat? Est qui leg. *obnegatorem.*

ABNĔGO, as, a. 1. ἀπαρνέομαι, nego, [*fortius illud esse dicunt] abnuo [recuso]. *Col.* 10, 51. si Juppiter abnegat imbrem. *Virg. A.* 7, 423. Rex tibi conjugium abnegat. *Hor. Od.* 1, 35, 22. Comitem abnegat. *Plin. ep.* 10, 97. Abnegare depositum. *Virg. A.* 2, 637. Abnegat excisa vitam producere Troja. [**Georg.* 3, 456. Nota *Lactant. div. Inst.* 6, 20. animis abnegant lucem non a se datam, i. e. non patiuntur ad lucem accedere, occidunt. Praeterea *Virg. A.* 2, 654. absolute dixit *abnegat.*]

ABNĒPOS, otis, m. filius pronepotis vel proneptis; et refertur ad abavum, διογγονος. *Suet. Tib.* 3. Ejus abnepos patronus senatus dictus. [**Cl.* 24.] Adde *Caj. Dig.* 38, 10, 1. et *Paul. ibid. l.* 10. et V. ADNEPOS.

ABNEPTIS, is, f. filia pronepotis vel proneptis. *Suet. Ner.* 35. Messalinam Tauri bis consulis abneptem.

ABNĪTOR. V. ABNUTO.

ABNOBA, ae, m. mons Germaniae, e cujus jugis *Plin.* 4, 12, 24. Danubium oriri docet. [*cf. *Salm. Exerc.* p. 131.] *Avien. Per.* 437. Abnoba mons Istro pater est; cadit Abnobae hiatu Flumen. Hinc Abnobanum Danubium olim dixere. Sic enim corrigit *Dacerius* illud *Pauli* ex *Festo:* Addubanum, Danubium. [*V. *Tac. Germ.* 1, 4. Danubius, molli et clementer edito montis Abnobae jugo effusus; hodieque dicitur *Abenauer Gebirge.*] ℙ Fuit etiam cognomen Dianae a monte Abnoba, in quo colebatur. *Inscr.* ap. *Guattan. Mon. ined. T.* 2. *p.* 16. Dianae Abnobae. Haec reperta est ann. 1785. prope *Baden Baden* in Germania. *F.*]

ABNOCTO, as, n. 1. ἀπονυκτερεύω, foris pernocto, noctu domo absum. *Sen. vit. beat.* 26. *de Jove*: Alius adulterum illum induxit et abnoctantem. *Gell.* 13, 12. *extr.* Tribunis pleb. jus abnoctandi ademptum. *Martian. Dig.* 1, 18, 15. Dum tamen abnoctare ei non liceat.

ABNODĀTUS, a, um, part. ab *abnodo*, a nodis purgatus. *Col.* 4, 22. Pampinus non abnodatus neque abrasus.

ABNODO, as, a. 1. ἀποδεσμεύω, δεσμοὺς ἐλύω, κλαδῶ τὰ δένδρα, enodo arbores, et vites nodis repurgo. *Col.* 4, 24. Diligenter amputant et abnodant, priusquam corroboretur. [*add. c. 22. et saepius etiam legitur ap. *Col.* Sed cum in libb. mss. magna sit in h. v. dissensio, al. *annotare*, al. *adnodare* pro eo exhibentibus, *Schneid.* ubique *adnod.* scrib. esse censuit, auctoritate maxime Cod. Sangerm., significatione eadem. Ex App. *Furl.*]

ABNORMIS, e, adj. sine norma aut lege. *Hor. Sat.* 2, 2, 3. Rusticus, abnormis sapiens crassaque Minerva, *h. e.* sapiens ille quidem, sed non alicui sapientum seu philosophorum sectae addictus, *non ad aliorum normam sapiens*, ut loquitur *Cic. Am.* 5. [*Ap. *Hor.* al. abnormi sapiens crassaque Minerva. Pejus. V. *Bentl.*] ℙ Legitur et *anormis*, sed minus recte. Sapit enim Graecam compositionem.

ABNŪĔO, es, a. 2. pro *abnuo* veteres dixisse annotavit *Diom.* 1. *p.* 378. *Putsch.*, et affert *Ennii* versum *Ann.* 8. Certare abnueo, metuo legionibu' labem. *Item ejusd. in Telamone:* Ex eo futurum abnueant. Sed haec jam obsoleverunt.

ABNŪĪTĬO, onis, f. *Fest. in voce* In. *In* non semper abnuitionem significat, sed interdum etiam pro adnuendo ponitur.

ABNŪĪTŪRUS, a, um, part. fut. ab *abnuo. Sall. fr. hist.* 1. [20. p. 36. T. II. ed. *Hav.*] ap. *Arus. Messum vet. interp.* Nihil ob tantam mercedem sibi abnuituros.

ABNŪMĔRO, as, a. 1. Affertur a *Gellio* 15, 3. videturque significare *totum numero*, omnino numero, ut ex ipsis *Gellii* verbis ex *Nigidii* commentario depromptis colligere videmur.

ABNŪO, is, ui, a. 3. ἀπονεύω, capitis nutu [retracto capite] vel manus significo, me nolle aut non assentiri: cui contrarium est *adnuo* [*polliceri *Sall. Jug.* 51. probare *ib.* 85.] *Nigid.* ap. *Gell.* 10, 4. Cum adnuimus et abnuimus, motus ille vel capitis vel oculorum a natura rei, quam significat, non abhorret. *Liv.* 36, 34. Manu tamen abnuit, quicquam opis in se esse. ℙ Saepius ponitur pro nolle, recusare, negare [*improbare *Col.* 3, 3. abnuente Saserna genus id ruris] a praeposit. *ab* et inusitato *nuo*, unde *nutus. Pl. Truc. prol.* 6. Quid si de vestro quidpiam orem? abnuunt. *Cic. Mil.* 36. Non recuso, non abnuo. *Id. Fin.* 2, 1. Intelligas, quid quisque concedat, quid abnuat. [*Distinguendi erant loci, in quibus absolute utuntur h. v. et in quibus addunt aut accus. aut infin. Illis add. *Hor. Sat.* 2, 5, 52. *Flor.* 3, 16. Ita dicuntur *abnuere* ii, qui viribus desperant neque amplius laborare volunt (gr. ἀπειρηκέναι). *Liv.* 27, 49. Ille pugnantes hortando — sustinuit; ille fessos abnuentesque taedio et labore — accendit. De iisdem *Sall. Jug.* 71. milites fessos — et jam abnuentes omnia. Vid. *Wass.* ad h. l. — Construitur etiam cum praep. *de. Sall. Jug.* 84. Neque illi senatus — de ullo negotio abnuere audebat; sic idem docere de re, indicare de re, *Cat.* 48. *Jug.* 13.] *Id. Leg.* 1, 14. Abnuere a se commissum facinus. *Tac. A.* 6, 8. Abnuere crimen. *Cic. Fat.* 2. Nihil enim unquam abnuit studio meo voluntas tua. *Tac. A.* 4, 26. Dolabellae petenti abnuit triumphalia Tiberius. *Ib.* 2, 78. Quanquam suscipiendum bellum abnuisset. ℙ Cum infin. *Liv.* 22, 13. *extr.* Nec abnuebant melioribus parere. *Virg. Aen.* 10, 8. Abnueram bello Italiam concurrere Teucris. *Sil.* 14, 599. descendere fauces Abnuerant siccae jussorum alimenta ciborum. [*cf. *Suet. Caes.* 19. *Curt.* 6, 7. *Sen. Troad.* 576. *Claud. r. Pros.* 2, 80. Non abn. *quin Tac. A.* 13, 14.] ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 3, 72. Nec abnuitur ita fuisse. ℙ Ponitur etiam pro detrectare, abjicere, repudiare [*nihil haec differunt a supp.] *Col. prooem. l.* 6. Abnuere curam pecoris. *Tac. A.* 14, 37. jussa ducis. *Liv.* 28, 27. imperium. [*3, 66.] *Virg. Aen.* 5, 531. omen. [**Liv.* 30, 23. Censebat, nullius consilio accipiendam abnuendamque pacem esse. *Sil.* 3, 110. mene — abnuis inceptis comitem? *Tac. Agr.* 21. linguam Romanam abnuere]. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Tib.* 4, 1, 25. Seu tibi par poterunt, seu quod spes abnuit, ultra, *h. e.* quod sperare non licet. *Tac. Hist.* 5, 13. Hanc adversus urbem Titus, quando impetus et subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit. *Plin.* 37, 10, 54. Arabica (*gemma*) ebori simillima est; et hoc videretur, nisi abnueret duritia, *h. e.* nisi obstaret. ℙ Supinum *Abnutum*, quod plerique huic verbo tribuunt, et particip. *Abnutus* nullo adhuc, quod sciam, exemplo latino confirmantur. [*De perfecti forma *abnuvi* v. *Drak.* ad *Liv.* 5, 33, 4. et 1, 31, 1.]

*ABNŪRUS *Gloss. gr. lat.* ἐκγόνου νυός, i. e. abnepotis mulier.

ABNŪTĪVUS, a, um, adj. ἀποφατικός, qui negandi vim habet [negativus]. *Paul. Dig.* 45, 1, 83. Qui spondet dolum malum abesse abfuturumve esse, non simplex abnutivum spondet, sed curaturum se, ut dolus malus absit. *Gloss.* Abnutivum, ἀπωμοτικόν. [*Usi sunt h. v. etiam alii Grammatici. V. *Duk.* de *Lat. ICt. vet. p.* 349. ed. Lips. 1773.]

ABNŪTO, as, a. 1. saepe abnuere, ut ait *Festus:* frequentativum ab *abnuo. Pl. Capt.* 3, 4, 79. Quid mi abnutas? *Ty.* Tibi ego abnuto? *Arnob.* 2. *in fin.* Dum ipsi nobis argumenta conquirimus, quibus esse videatur falsum id, quod esse nolimus, atque abnutemus verum. *Ubi quidam minus recte leg.* abnitimur, *tanquam sit ab* abnitor, eris. ℙ Tanquam angustum et humile damnat *Cic. Or.* 3, 40. in illo veteris cujusdam poetae: *Quidnam est, obsecro? Quid te adiri abnutas?* Melius esset, inquit, *vetas, prohibes, absterres.* [*Ne male haec intelligas, ipsum adi *Cicer.* Non enim omnino tanquam angustum et humile damnat illud v. *Cic.*, sed in isto *Ennii* ex *Thyeste* loco graviore voc. utendum fuisse dicit; *Bentl.* ad *Tusc.* 3, 12. metri causa *renutas* reponi jussit.]

ĂBO, as, a. 1. verbum est fratris blande fratrem compellantis ab *Aba*, (quod ab Ἄπφα) frater, ἀδελφίζειν. *Auson. ep. ad patrem* 1, 13. nam supparis aevi sum tibi ego, et possum fratris abare vicem, *h. e.* possum tecum nomen fratris usurpare. *Scalig. lect. in Aus. c.* 1, 29. satis ingeniose hanc lectionem interpretationemque tuetur: editi tamen libri habent *fratris habere vice* vel *habere vicem.* ℙ Quidquid est de lectionis veritate, ipsum verbum neque ab origine (*Aba* enim non est vox latina) neque ab auctoritate scriptoris satis habet, ut usurpandum sit. [*Vid. *Scriverii Anecd. p.* 88. sq. *Hand.*]

*ABOBRĪCA *Mel.* 3, 1, 5. Abobriga *Plin.* 4, 20, 34. oppidum Hispaniae Tarracon. in Artabrorum agro.

*ABŌCCIS oppidum Aethiopiae. *Plin.* 6, 29. p. m.

*ABODIĀCUM, oppidum Vindeliciae. *Tab. Peut.* alii, ut *Ptol.*, *Abudiacum* habent.

*ABOLĀNI, orum, incolae oppidi, (f. Abola) quod olim in Latio fuisse putatur. *Plin.* 3, 5, 9.

ĂBOLĔFĂCIO, is, a. 3. i. q. aboleo. *Tertull. Apol.* 35. Civitatem tabernae habitu abolefacere, *h. e.* deformare, dehonestare. ℙ Hinc particip. *Abolefactus Id. d. Habit. mul.* 3. Scriptura abolefacta violentia cataclysmi.

ĂBOLĔO, es, evi, olitum, a. 2. ἐξαλείφω, ἀφανίζω, ἀμαυρόω, deleo, tollo, destruo. [*Derivant ab *olendo*, ut sit: ipsum etiam odorem alicujus rei extinguere. Alii ad gr. referunt ἀπόλλυμι (ἀπολέω). Cf. *Sanct. Min.* II. *p.* 445.] *Quintil.* 1, 5. Si consuetudo vicerit, vetus lex sermonis abolebitur. [**Suet. Cl.* 6. decretum abolitum est] *Virg. A.* 4, 497. abolere nefandi Cuncta viri monimenta jubet. *Vellej.* 2, 58. Cum Cassius censuisset abolendum Caesaris testamentum. *Tac. A.* 4, 35. Abolere imagines. *Id. A.* 16, 6. Abolitum est corpus igni. *Id. Hist.* 4, 39. Abolere vires. [*i. e. adimere] *Ib.* 1, 84. memoriam. *Ib.* 47. convicia et probra. *Ib.* 3, 24. labem ignominiae. *Ib.* 2, 5. Prava certamina communi utilitate. *Liv.* 3, 38. Abolere alicui magistratum. *Plin.* 28, 18, 75. scabiem. *Id.* 21, 21, 91. tristitiam. [**Tac. Agr.* 2. vocem, libertatem, conscientiam. *Suet. Aug.* 32. reorum — nomina abolevit i. e. ex numero reorum expungere. V. *Abolitio. ib.* 85. Tragoediam magno impetu exorsus — abolevit. *Cal.* 34. Cogitavit etiam de Homeri carminibus abolendis. *ib.* quasi scientiae eorum (ICtorum) omnem usum aboliturus. *Eutrop.*

7, 15. de Domitiano: tantum in se odium concitavit, ut merita et patris et fratris aboleret.] ℙ Ap. *Virg. G.* 3, 559. *abolere viscera unda* est tabida animalium viscera ita aqua purgare, ut omnis inde tabes eluatur. ℙ In Jure *abolere accusationem* est eam penitus omittere: *abolere crimen* est delere, extinguere. *Martian. Dig.* 48, 16, 2. §. 10. et *Modestin. ibid. l.* 17. V. ABOLITIO. ℙ Aboleri absolute pro extingui, mori. *Plin. prooem. l.* 7. Multi extitere, qui non nasci optimum censerent, aut quam ocissime aboleri. [*De pass. v. *Gron.* ad *Liv.* 25, 1, 7.] ℙ Neutrorum more. *Liv.* 9, 36. Aliis omnibus cladis Caudinae nondum memoria aboleverat. [*extincta erat. Cf. 1, 123. donec cum cum re nomen quoque vetustate abolevit. Al. *vetustas.* Illud defendunt *Duk.* et *Drakenb.*, quos vide et *Burm.* ad *Anth. L.* 1. p. 133.] (Adde 3, 55.) *Gell.* 20, 1. Si non illa etiam ex duodecim tabulis de testimoniis falsis poena abolevisset. ℙ *Abolesset* pro *abolevisset* habet *Flor.* 4, 9. ℙ Praeteritum *abolui* pro *abolevi* affert quidem *Prisc.* 9. *prope fin.*, sed nullo auctore confirmat. ℙ Part. *Aboliturus* ap. *Suet. Cal.* 34. *F.*]

ĂBOLESCO, is, n. 3. *ἀφανίζομαι*, ad nihilum redigor. *Col.* 3, 2. Vinea siccitatibus non abolescit. *Virg. A.* 7, 232. tantique abolescet gratia facti. ℙ Pro *decrescere* affert *Lamb.* ex *Lucr.* 5, 732. ubi alii aliter legunt. V. ABORISCOR.

ĂBOLĬTIO, onis, f. *ἀφανισμός*, actus abolendi. *Suet. Aug.* 34. Postulare pertinaciter abolitionem legis. *Tac. A.* 13, 5. Abolitio tributorum. *Ib.* 6, 2. Abolitio sententiae. [*ib. 13, 51. abolitio quadragesimae. Notandum illud, quod *Flor.* dixit 4, 7. in abolitione animarum, h. e. in extinguenda vita.] ℙ In Jure *abolitio* est criminis aut accusationis institutae extinctio, qua reorum numero reus eximitur, res praeteritae oblivioni mandantur, accusatio omittitur, accusandi necessitas accusatori remittitur etc. Qua de re multa *Dig.* 48. *toto titulo* 16., qui est *ad S. C. Turpil. et de abolitionibus crimin.* et alibi. *Quintil.* 9, 2. *ad fin.* Tyrannus, qui sub pacto abolitionis dominationem deposuerat, *h. e. ἀμνηστίας.* [*Non debebat omitti *Suet. Tib.* 4. Caesare occiso, cunctis turbarum metu abolitionem facti decernentibus. Dicit eam rem, quam graeco nomine, exemplo Atheniensium, Cicero *ἀμνηστίαν* appellaverat. Recte *abolitionem* contra *Lips. oblivionem* suadentem defendit *Ernest.* et idem latet in corrupto loco *Flor.* 4, 7. ubi v. *interpp.*]

ĂBOLĬTOR, oris, m. qui abolet. *Tert. Hab. mul.* 3. Omnium rerum abolitorem. *Auson. grat. act.* 2. Somnus omnium abolitor.

ĂBŌLĬTUS, a, um, part. ab *aboleo. Tac. A.* 2, 49. Deum aedes vetustate aut igni abolitae. [*Abolitus honor *Suet. Cl.* 45. Effigies Silii abolita i. e. ex atrio remota, dempta *Tac. A.* 11, 35.] *Pallad.* 2, 13. Abolitae radices prioris vineae. *Plin.* 14, 4, 5. Abolita nomina. [*Suet. *Dom.* 15.] *Plin. ep.* 7, 6. Abolita accusatio. (V. ABOLEO et ABOLITIO) *Quintil.* 1, 6. Abolita atque abrogata retinere. [*Suet. *Aug.* 31. abolita restituit.] *Gell.* 12, 1. Oblitterata atque abolita elementa. *In num. Hadrian.* apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. *p.* 478. Reliqua vetera HS novies mill. (*h.* e. millies) abolita.

ĂBOLLA, ae, f. *ἱμάτιον*, genus pallii duplici panno consuti, quo militiae utebantur: itaque togae opponitur, quae pacis erat: videtur autem esse ab *ἀμβολὴ* pro *ἀναβολή*, amictus, ab *ἀναβάλλω*, circumdo, vestio. *Varr.* ap. *Non.* 14, 9. Toga detracta est, et abolla data ad turbam mihi, fera militiai munera belli ut praestarem. *Serv.* ad illud *Aen.* 5, 421. *duplicem ex humeris dejecit amictum*, duplicem, *inquit*, amictum, id est abollam, quae duplex est, sicut chlamys. [*Purpuream abollam habes ap. *Suet. Cal.* 35. ubi v. *Torrent.*, qui affert *Martial. Ep.* 8, 48. Tyria abolla.] ℙ Hoc pallii genere etiam philosophi aliquando usi sunt, longiore tamen, fusiore et ex viliore materia confecto. *Martial.* 4, 53. *de falso Cynico.* Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati: *cereum* vocat, quia valde trita erat, et praeterea sudore et collectis sordibus quasi cera infecta: *uxorem*, quia simul cum ea etiam in lecto cubabat, et pro lodice adhibebat. *Juven.* 3, 115. audi facinus maioris abollae: Stoicus occidit Baream, *h. e.* sanctioris severiorisque philosophiae, qualis fuit Stoicorum. *Id.* 4, 76. abollam Pegaso Praefecto Urbis tribuit Urbe proficiscenti Albam: ex quo quidam putarunt, abollam fuisse etiam vestem senatoriam; (sane *Prudent. advers. Symmach.* 1, 557. dixit, *palmata insignis abolla*, togam intelligens) eam tamen opinionem probe refellit *Ferrar. de re vestiar. part.* 1. *l.* 2. *c.* 12.

*ABOLLARIS, e, adj. Si vera est V. D. in *eph. Jen.* 1817. N. 22. p. 175 sq. conjectura, augeri hoc verbo possunt Lexica. *Fronto in ep. d. orat. p.* 244. (122. *Nieb.*) sic scribit: Confusam ego eloquentiam catachannae ritu partim igneis nucibus Catonis, partim Senecae mollibus et febriculosis prunuleis insitam, subvertendam censeo radicitus, imo vero Plautino irato verbo exradicitus. Neque ignoro copiosum et redundantem hominem esse (Senecam). Verum sententias ejus tolutares video, quamquam quadripedo concito cursu, tenere nusquam, pugnare nusquam: majestatem studere (et) ut *Laberius* ait, *dictabolaria*, imo dicteria potius eum quam dicta continere. — Jam ex his *Majus* dictabolaria addi Lexicis jussit; sed ille V. D. *Juvenal.* locum 3, 115. (v. *Abolla*) conferens, *dicta abollaria* scrib. et totum locum sic corrigendum esse censuit: pugnare plus quam majestatem (v. potestatem) ostendere; ut Laberius ait, dicta abollaria, imo etc. comparat id. *verba contorta et fidicularia* ap. eund. *Front. p.* 218. (86. *Nieb.*)

AB OLOES pro *ab illis* usurparunt antiqui. *Fest.*

ĂBOMĬNĂBILIS, e, adj. *βδελυρός.* Vox est *Hieron. in Jerem.* 22, 30. Legitur etiam in Declam. quae inscribitur *Tribunus Marianus*, quam quidam falso tribuunt *Quintiliano.*

ĂBOMĬNĂMENTUM, i, n. *βδελυρία*, res abominanda. *Tertull. adv. Jud.* 13. Projecit homo abominamenta sua aurea et argentea.

ĂBOMĬNANTER, adv. abominandum in modum. *Impp. Constantin.* et *Constans Cod. Theod.* 3, 12, 1. Si quis filiam fratris faciendam crediderit abominanter uxorem. *Cassiod. ep.* 3, 23. Consuetudines abominanter inditae.

ĂBOMĬNĂTIO, onis, f. *ἀποτροπιασμός*, actus abominandi. *Lact.* 1, 17. *in fin.* Quid sibi vult equorum tam pertinax abominatio? ℙ Item res abominanda, *βδέλυγμα. Tert. adv. Jud.* 5. *ex Isaj.* 1, 13. Incensum abominatio est mihi.

ĂBOMĬNĂTUS, a, um, part. ab *abominor*, *Liv.* 40, 4. Abominatus mentionem facinoris. ℙ Passive *Hor. Epod.* 16, 8. Parentibusque abominatus Annibal. *Liv.* 31, 12. Abominati (sunt) semimares jussique in mare deportari.

ĂBOMĬNO, as, a. 1. Hac voce activa usus est *Pl. Trin.* 3, 2, 82. Mulctam abomina.

ĂBOMĬNOR, aris, dep. 1. *ἀποτρέπομαι*, malum omen abjicio, averto, deprecor. *Plin.* 28, 2, 5. Incendia inter epulas nominata, aquis sub mensas profusis, abominamur. *Liv.* 30, 25. Cum dixisset, sepulcrum dirutum proram spectare, abominatus, praetervehi jusso gubernatore, ad Leptim appulit classem. *Suet. Cl.* 46. Pro tribunali, accessisse se ad finem mortalitatis, quanquam abominantibus qui audiebant, semel atque iterum pronuntiavit. *Liv.* 6, 18. Bene facitis, quod abominamini. ℙ Hinc formula illa, *quod abominor*, [quod deus avertat] quae eleganter sermoni interseritur. *Ov. Pont.* 3, 1, 104. Si mea mors redimenda tua (quod abominor) esset [*Met.* 9, 676.] *Plin. ep.* 6, 22. Scias, si quis forte, quod abominor, fallat, paratam ultionem. [*Curt. 7, 4.] ℙ Generatim accipitur pro detestari, exsecrari, *βδελύττομαι.* [*Posuerat *Forc. σιχαίζομαι.* Certe *σιχαίνομαι* erat dicendum. V. *Phryn. Ecl. p.* 226. ibique *Lobeck.*] *Liv.* 30, 30. Quod igitur nos maxime abominaremur, vos ante omnia optaretis, in meliore vestra fortuna de pace agitur. [*Eadem verba opponit *Colum. praef. l.* 6.] *Prud. π. στεφ.* 2. *d. S. Vincent.* 179. Pulvinar ut nostrum manu Abomineris tangere. [*Laudant nonnulli h. v. *optandi* significatione, afferentes *Apul. Met.* 9. *p.* 225. uxor crurum ei fragium abominata; sed *Oud.* scripsit *obominata.*] ℙ Passive *Verrius* ap. *Prisc.* 8. *p.* 791. P. Saevitiaque eorum abominaretur ab omnibus. [*Quibus usi sint formulis, cum abominarentur, ut illis: dii meliora, dii prohibeant (*Liv.* 6, 18), tradit *Brisson. de form.* 1, 84.] ℙ Part. *Abominandus* ap. *Liv.* 9, 38. Licinius tertia clade abominandam eam curiam facit. [*Lact. D. I.* 7, 25.]

ĂBOMĬNOSUS, a, um. *Solin.* 1, 40. Propter pares dies Februarius, quasi abominosus, Diis inferis deputatur. *Salm.* legit *ominosus* ex quibusdam probatis edd., quod certe latinius est, et idem significat. [At eandem vocem usurpat *Diomed.* 3. p. 472. *P.* Vox abominosa. *F.*]

[ĂBORENSIS, e. ad Aboram pertinens, urbem episcopalem et mediterraneam Africae proconsularis a *Suida* [*apud quem legitur *Ἄβωρα ὄνομα τόπου*] memoratam. *Plin.* 5, 4, 4. Oppida civium Romanorum, Aboriense, (l. Aborense) Canopicum, etc. *F.*]

ĂBORĪGĬNES, um, m. sunt conditores auctoresque originis [gentis], *γενάρχαι* et *πρωτόγονοι* a Graecis appellati. [*Conferunt eos cum iis, quos Graeci *ἀυτόχθονας* appellaverunt.] Ita adhibetur haec vox a *Plin.* 4, 22, 36. Erythia dicta est, quoniam Tyrii, aborigines eorum, orti ab Erythraeo mari ferebantur. [*v. *Salmas. exerc. p.* 201.] *Est qui legit* ab origine. ℙ Peculiariter Aborigines dicti antiquissimi Italiae populi in Latio, quorum reges Saturnus et Janus. *Justin.* 43, 1. Italiae cultores primi Aborigines fuere, quorum rex Saturnus. *Tac. A.* 11, 14. Etrusci litteras ab Corinthio Demarato, Aborigines Arcade ab Evandro didicerunt. *Sall. Cat.* 6. [ubi v. *Cort.*] Cum Trojanis Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum, in una moenia convenere. *Liv.* 1, 2. Aeneas, ut animos Aboriginum sibi conciliaret, ne sub eodem jure solum, sed etiam nomine omnes essent, Latinos utramque gentem appellavit. *Alii leg.* Aboriginensium. *Aurel. Vict. Or. g. Rom.* 4. Quidam tradunt, terris diluvio coopertis, passim multos diversarum regionum in montibus, ad quos confugerant, constitisse: ex quibus quosdam sedem quaerentes, pervectos in Italiam, Aborigines appellatos, Graeca scilicet appellatione, a cacuminibus montium, quae illi *ὄρη* vocant. Alii volunt eos, quod errantes illo venerint, primo Aberrigines, post mutata una littera, altera dempta, Aborigines cognominatos. Hactenus *Aur. V.* Hujus postremae notationis auctor est etiam *Festus.* ℙ Graeci Scriptores *Dion. Hal. l.* 1. *Strabo* 5., *Stephan.* [*Suid. cf. *Meurs. ad Lycophr. l.* 315. ubi tria genera recenset] et alii scribunt *Ἀβωριγῖνες*, aut *Ἀβοριγῖνες*, et *Ἀβωριγῖνοι*, unde colligitur, producendam esse paenultimam: tametsi et *Ἀβωριγῖνες* scriptum legitur. ℙ [Aborigines, *περὶ ἀνθρώπου φύσεως*: sic appellatur liber *Varronis* passim laudatus a *Nonio. F.*]

[ĂBORĪGĬNĔUS, a, um, adj. ad Aborigines pertinens. *Septim.* apud *Terentian. p.* 2425. *Putsch.* Jane pater, Tibi vetus ara caluit Aborigineo sacello, *h. e.* tibi Aborigines tura et hostias obtulerunt. *F.*]

ĂBORĬOR, eris, rtus sum, dep. 3. *ἀπείπομαι*, [*monstrum vocabuli hoc apposuit *Furl.* Debebat *ἀπειπεῖν*, *ἀπαγορεύειν*, *ἀπείπασθαι* et similia. Sed omnino haec cum lat. voce non satis recte conferuntur], idem ac morior, pereo; est enim contrarium *τῷ orior:* praepositio *ab* hic privationem vel vitium significat, ut in *absimilis*, *abrogo*, etc. *Varr. L. L.* 4, 10. Idem hic Diespiter dicitur, infimus aer, qui est conjunctus terrae, ubi omnia oriuntur, ubi aboriuntur. *Id. in fragm.* ap. *Non.* 2, 24. Vinum, quod ibi natum sit, si praegnans biberit, fieri ut aboriatur. Subintellige *fetus*, *h. e.* ut fetus aboriatur. *Gell.* 12, 1. Ut fetus quoque ipsi in corpore suo concepti aboriantur. [*Vavass. *Antib. p.* 468.] ℙ Translate. *Lucr.* 3, 155. pallorem existere toto Corpore, et infringi linguam vocemque aboriri, *h. e.* intercludi, deficere: quod in magnis tiriri, *h. e.* intercludi, deficere: quod in magnis tiroribus evenire solet. ℙ Aboriri fetum pro immaturum et mortuum edere, legitur ap. *Arnob.* 3. *p.* 105. Fastidiosos ducere atque habere conceptus, aboriri, perferre, et praepropero partu septimanas edere aliquando feturas.

ĂBORĪSCOR, eris, dep. 3. i. q. aborior, pereo. *Lucr.* 5, 732. Inque dies privos aborisci quaeque creata. Ita leg. quidam [ut *Eichst.*] cum *Pareo:* alii *aboriri:* alii *abolescere.*

*ĂBORĪTĬCIUM, i, et ĂBORTĬCIOSUM, i, n. in antiquis glossis leguntur, in iisque vertuntur *ἐκτρωματικόν*, *ἐκτρωματιαῖον*, ut idem sit quod *abortivum.*

*ĂBORRAS s. ĂBORAS s. ĂBORRHOAS, etiam ĂBURAS et CHĂBORAS. Est satis magnum Mesopotamiae flumen, quod Euphrati miscetur. h. Khabur. *Ammian.* 23, 11. Cercusium, cujus moenia Aborras et Euphrates ambiunt. *id.* 14, 3.

ĂBORSĪVUS pro *abortivus* legitur a quibusdam ap. *Tertull. adv. Marc.* 3, 8. [*Nisi est vitium operarum].

ĂBORSUS, a, um. Aborsus venter dicitur a *Paulo Sent.* 4, 9, 6. (si salva est lectio) cum fetus venenis et medicamentis ejectus est. Aborsus, *inquit*, vel abactus venter partum efficere non videtur.

ĂBORSUS, us, m. idem fere, quod abortus. Differt tamen, quia aborsus est in primis mensibus, cum conceptui exordium factum est, abortus prope tempus pariendi. Haec *Nonius* 5, 509. [*At sunt merae nugae].

ĂBORTĬO, onis, f. *ἐκτρωσμός*, actus abortiendi, seu emittendi fetum mortuum ante tempus. *Cic. Cluent.* 12. Si haec solutio legatorum, et non merces abortionis appellanda est. *Pl. Truc.* 1, 2, 98. Ut abortioni operam daret, puerumque ut enecaret. *Paul. Dig.* 48, 19, 38. §. 5. Abortionis, aut amatorium poculum dare. [*Lact. d. Opif. D.* 12, 6.]

ĂBORTĬO, is, īvi, a. 4. *ἐξαμβλῶ.* Tribuitur *Plin.* 8, 51, 77. Propter facilitatem abortiendi. *Hard.* leg. *aboriendi* tueturque consensu MSS. [At *Vulgata Job* 21, 10. Bos eorum concepit et non abortivit. *F.*]

ĂBORTĬUM, ii, n. pro abortu vel abortione, vox est *Hieron. ep.* 66. *ad Pammach. de obitu Paulinae n.* 3. Dum crebris abortiis et experta fecunditate conceptuum non desperat liberos. *ep.* 22. ad *Eustoch. c.* 5.

ĂBORTĪVUS, a, um, *ἐκτρωτικός*, abortum faciendi vim habens. *Plin.* 20, 21, 84. *de malvis.* Abortivas esse cum capite anseris. *Id.* 24, 5, 11. *de cedri succo.* Tradunt abortivum fieri in Venere. *Id.* 7, 6, 5. Sternuisse a coitu abortivum. [*Fluxus abortivi *Solin. Polyh.* 37. V. *Salm. Ex. p.* 504.] ℙ Abortivus est fetus, qui imperfectus ante legitimum tempus natus est. *Horat. Sat.* 1, 3, 46. ut abortivus fuit olim Sisyphus. *Juv.* 2, 32. Cum tot abortivis fecundam Julia vulvam Solveret. Sunt qui putent hic *abortivis* sumendum esse pro medicamentis, quae abortum faciunt. ℙ *Mart.* 6, 93. Pullus abortivo nec cum putrescit in ovo. Ovum abortivum dixit, in quo pullus ante tempus formatus, atque adeo ibi corruptus est. ℙ Subst. *Juv.* 6, 367. Et quod abortivo non est opus, *h. e.* medicamento abortum faciente. ℙ Pro abortu, translate. *Plin.* 18, 17, 46. Est aliud avenae vitium, cum granum af-

flatu noxio cassum et inane in spica evanescit quodam abortivo.

ĂBORTO, as, n. 1. abortum facere. *Varr. R. R.* 2, 4. Haram facere oportet ea altitudine abs terra, ne dum exilire velit (*sus*) praegnans, abortet. [*Schneid.* legendum probat *aboriatur. F.*] Usus est et *Firmicus Math.* 3, 7, 6.

ĂBORTUS, a, um, ἀναφανείς, exortus. *Stat. Th.* 8, 32. Nec solitus sentire metus expavit aborta Sidera, jucundaque offensus luce profatur. *Al. leg.* oborta *et sane rectius.* Sic *abortae lacrimae* legitur a nonnullis in *Liv.* 1, 58. et 40, 8. *extr.* [*ubi v. *Drak.*] item in *Ov. Met.* 1, 350., sed *obortae* ubique retinendum.

ĂBORTUS, us, m. ἔκτρωμα, fetus immature editus et mortuus. *Cic. Att.* 14, 20. Tertullae nollem abortum. [**Ter. Hec.* 3, 3, 38. dicam abortum esse] *Plin.* 21, 18, 69. Feminis quidem abortus facere non dubitat, *h. e.* inferre. [*Abortuum insidiae *Plin.* 30, 12, 44. De hoc v. *Salm. l. c.*] *Plin. ep.* 8, 10. Audies neptem tuam abortum fecisse, *h. e.* passam esse. ℙ In arboribus dicitur, cum a prima origine degenerant, et infeliciter nec justa mensura proveniunt. *Plin.* 12, 2, 6. Namque et chamaeplatani vocantur coactae brevitatis: quoniam arborum etiam abortus invenimus. ℙ Translate. *Plin. prooem. hist. nat. prope fin.* Quoniam audio et Stoicos, et Dialecticos, Epicureos quoque parturire adversus libellos, quos de Grammatica edidi, et subinde abortus facere, etc. *h. e.* libros edere imperfectos. ℙ *Abortus* et *Aborsus* quomodo differant V. ABORSUS, us. [**Manil.* 1, 140. abortum pro occasu stellarum posuit.] ℙ Abortum, i, n. 2. *Ulp. Dig.* 29, 2, 30. Mox abortum factum est. *Paul.* ex *Festo:* Abortum gravidae mulieris dicitur quod non sit tempestive ortum. *Glossae:* Abortum, ἔκτρωμα. [*v. *Duk.* de *Lat. ICt. vet. p.* 307.]

ABPATRŪUS, i, m. frater abavi mei ex parte paterna, qui et *patruus maximus* dicitur. *Caj. Dig.* 38, 10, 3. et *Paul. ibid. l.* 10.

[ABRACADABRA, monstrum verbi, quod hemitritaeo depellendo chartae inscriptum, ita ut ordine retrogrado littera deficiat, et lino inclusum collo suspendere jubet *Seren. Sammon.* 52, 941. Inscribis chartae quod dicitur Abracadabra, Saepius et subter repetis, sed detrahe summae. Et magis atque magis desint elementa figuris Singula, quae semper rapies, et cetera figes, Donec in angustum redigatur littera conum: His lino nexis collum redimire memento. Est ergo haec figura:

A b r a c a d a b r a
a b r a c a d a b r
a b r a c a d a b
a b r a c a d a
a b r a c a d
a b r a c a
a b r a c
a b r a
a b r
a b
a

Haec protulit *Furl. C. Steph. Dict. hist. p.* 8. *ed. Lloyd. Voss. Op.* V. *p.* 24. *Vertue, Epitr. pt.* 2. *p.* 69. addidit *Bail.*]

ABRĂDO, dis, si, sum, a. 3. radendo demere, ἀποξύρω. *Varr. L. L.* 4, 31. Itaque homo in pratis per foenisecia eo *(rastello)* festucas abradit. [**Col. de arb.* 10. acuta dolabra abradito] *Plin.* 6, 28, 32. Abradere barbam. *Id.* 17, 11, 15. Est innoxium abradi partes *(radicum)*, quae se nudaverint. ℙ Translate est auferre, demere. *Plin. Pan.* 37. Destringi aliquid et abradi bonis, quae sanguine meruissent. [*Vid. ibi *Schwarz. p.* 148. et de alio *Plin. ep.* 2, 12. loco in *Adrasus.*] *Cic. Caec.* 7. Posteaquam videt, nihil se ab Caecina posse litium terrore abradere. [*cf. *Ter. Phorm.* 2, 2, 19.]

ABRAM, Abrae, m. אַבְרָם, nomen primi Patriarchae, Latine *pater excelsus:* qui postquam a Deo promissionem accepit, nasciturum ex gente sua Jesum Christum, *Abraham, ahae* אַבְרָהָם appellatus est, quod est *pater multarum gentium.* Genitivus *Abrae* legitur ap. *Prud. Apoth.* 441. et *Abrahae* ap. *Tertull. adv. Marc.* 4, 13. ℙ Potest etiam *Abraham* tanquam indeclinabile usurpari, ut docet *Charis.* 1. *p.* 94. *P.* ℙ Paenultima in *Abraham* a Christianis poetis modo corripitur, modo producitur. *Tertull.* (*seu quicunque alius auctor est*) *in carm. adv. Marc.* 3, 29. Est Abraham, cujus gnatos vos esse negatis. *Prud. Apoth.* 431. Eripit Abraham cum stirpe et gente fideli. ℙ Si hebraicae vocalis quantitatem spectes, rectius producitur; quod praeter *Prud.* fecere etiam *Arator Act. Apostol.* 2, 283. et *Sidon. ep.* 7, 17. *in carm.*

ĂBRĂMĒUS, et Abramius, a, um, Ἀβράμειος, ad Abram pertinens. *Paulin. Nol. carm* 32, (al. 15.) 581. Aut illum gremio exceptum fovet Abramio.

ABRĂSOR. V. ARROSOR.

ABRĂSUS, a, um, part. ab *abrado*, ἀπεξυσμένος, radendo ablatus. *Cic. Rosc. C.* 7. Supercilia penitus abrasa. *Lucan.* 6, 115. Abrasae fauces, *h. e.* esculentorum asperitate exulceratae.

ABRAXAS, ae, m. Ἀβράξας, nomen summi, omnipotentis, et conditoris Dei, fictum a Basilide haeretico et ejus asseclis, sub quo Mithran, *h. e.* Solem, Gentilium numen, colebant. Hujus nominis litterae secundum Graecam supputationem conficiunt numerum CCCLXV. quo numero dies totius anni includuntur; totidemque caeli significantur, quot Basilides esse dicebat: qua de re v. *Augustin. lib. de Haeresib. ad Quodvultdeum.* Meminere hujus Dei etiam *Tert. de Praescript.* 46. et *Hieron. in Abd.* 1. et *in Amos* 3. [De hoc nomine docte disseruit *P. E. Jablonskius Opusc. T.* 4. *p.* 80. *F.* cf. *Voss.* in l. c. ad Abracadabra. *Zoeg. d. Orig. et us. Obel. p.* 203. et in *Corrig. p.* 646. *Bail.*]

ABRĒLICTUS, a, um, derelictus. *Tert. adv. Jud.* 1. Populus Judaeorum divinitate abrelicta simulacris fuit deditus.

*ABRENUNTIO, 1. i. q. renuntio, e. g. diabolo, in formula baptismatis. *Salvian. de gub. Dei* 6. *p.* 208. *ed. Rittersh.*

ABREPTUS, a, um, part. ab *abripio. Cic. Verr.* 2, 1, 3. E complexu parentum abreptos filios ad necem ducere. *Liv.* 3, 57. Virgo a complexu patris abrepta. *Ter. E.* 1, 2, 30. Puella ex Attica hinc abrepta. *Tac. H.* 3, 22. Occisi centuriones, abrepta signa. *Id. A.* 15, 35. Intimus quisque vincti abreptique. *Liv.* 26, 39. Naves in terram remis abreptae. *Plin.* 8, 7, 7. Abrepta scuta jaciens in sublime. ℙ Cum ablat. sine praep. *Suet. A.* 17. Antonium juvenem simulacro D. Julii abreptum interemit.

*ABRETTENA, ae (Ἀβρεττηνὴ *Strab.* sc. γῆ sive *Μυσία*) est pars Mysiae. Hinc ABRETTENI (Abrettini) *Plin.* 5, 30, 34. incolae ejus regionis.

*ABRINCATUI, orum, pop. Galliae Celt. vel Lugd. *Plin.* 4, 18, 32. Oppidum eorum *Jugena.* Etiam *Abrincatae* appellabantur, *Notit. Imper.*, unde h. *Avranches.*

ABRĬPIO, is, ipui, eptum, a. 3. ἁρπάζω, vi rapio, vi traho, abstraho: ex *ab* et *rapio. Cic. Lig.* 12. Voluntate omnes tecum fuerunt, tempestate abreptus est unus. [*Infra demum hic locus poterat commemorari. Sermo est de Ligario turbis belli civilis ut tempestate quadam abrepto et in partem a Caesare dissentientem delato. Sic etiam *Corn. Nep. Fragm.* 7. II. p. 356. *ed. Bard.* vi tempestatum ex Indicis aequoribus abreptos. Cf. ultimum quod ex *Cic.* affert exemplum *Forc.* et *Virg. A.* 1, 108. — Primitivae h. v. significationis clarissimum exemplum est apud *Stat. Silv.* 3, 1, 77. abripere vina de mensis, quem locum nobis suppeditavit *Handius.*] *Id. Verr.* 2, 4, 50. Non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur. *Id. ib.* 10. Abripere aliquem de convivio in vincula. *Stat. Th.* 1, 602. animasque a stirpe recentes Abripere altricum gremiis. *Cic. Cluent.* 33. Abripere aliquem ad quaestionem. *Ter. An.* 4, 4, 47. in cruciatum. *Hirt. B. Afr.* 26. Abripi in servitutem. [**Cic. de R. P.* 1, 16. ad humanum exitum abr.] *Prop.* 4, 8, 5. Qua sacer abripitur caeco descensus hiatu, *h. e.* in abruptum desinit, patet in praeceps. ℙ Significat etiam corripere, vi prehendere. [*Minime; certe, quae sequuntur, nihil differunt a superioribus]. *Pl. Most.* 2, 1, 38. Abripite hunc intro actutum inter manus. *Val. M.* 2, 7, 6. Abripi a lictore et mactari jussisti. [*Abripi sign. sejungi de morientibus. *Curt.* 3, 5. illum (Alexandrum) — divelli a se et abripi. Al. *abrumpi.*] ℙ Abripere se, est se subducere. *Pl. Mil.* 2, 2, 21. Ita abripuit repente sese subito. *Id. Curc.* 5, 1, 8. Vix foras me abripui atque effugi. [*Ap. *Ter. Ph.* 1, 1, 11. abrip. dicitur de auferenda pecunia: quod ille compersit miser, id illa universum abripiet. — Ita interdum explicari potest per *intercipere*, ut ap. *Nep. Dat.* 4. et quae regi portarentur, abripiebat. V. ibi *Bos.* (Al. *arripiebat*, frequentissimo errore librariorum. V. *Oud.* ad *Caes. b. g.* 5, 33. Quorum verborum tam leve est discrimen, ut saepe promiscue dici posse videantur. Abripere tamen ibi videtur scribendum esse, ubi *rapiendi* sign. cum notione *auferendi, abducendi* conjuncta urgetur. — Itidem dicitur de iis, qui e patria abiguntur in servitutem. *Nep. Milt.* 4. omnes ejus gentis cives abreptos in Asiam ad regem miserunt.] ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 5, 12. Ut eum etiamsi natura a parentis similitudine abriperet [*i. e. etiamsi natura non propensus esset ad patris vitia], consuetudo tamen patri similem esse cogeret. *Id. Or.* 3, 36. Repente te quidam quasi aestus ingenii tui procul a terra abripuit. [*Omnino h. v. sic utuntur, ut studium, quo quis fertur in aliquam rem pronus, significet. *Sil.* 5, 229. Abreptus pulchro caedum — amore. (Cf. *Burm.* ad *Propert.* 1, 13, 2.) 6, 332. Abripuit traxitque virum fax mentis honestae Gloria. *Claud. cons. Prob. et Olybr.* 153. nec tanta licentia vitae Abripit.]

ABRODIAETUS, i, m. ἁβροδίαιτος, cognomen fuit Parrhasii pictoris nobilissimi, quod latine significat delicatum atque elegantem, ab ἁβρός, mollis, delicatus, et δίαιτα, vivendi ratio. *Plin.* 35, 9, 36. *n.* 6. Namque et cognomina usurpavit Abrodiaetum se appellando; aliisque verbis principem artis, et eam ab se consummatam.

ABRŌDO, is, si, sum, a. 3. ἀποτραλῶ, est rodendo abscindo. *Plin.* 10, 62, 82. Viperae mas caput inserit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. [*Varr. R. R.* 2, 9. *de canibus*: quae vincla si abrodere conantur. ℙ Particip. *Abrodens* ap. *Pers.* 5, 162. Crudum Chaerestratus unguem Abrodens. *F.*]

ABRŌGĀTIO, onis, f. actus abrogandi, ἀποχειροτονία, ἀποκύρωσις. *Cic. Att.* 3, 23. Neque enim ulla est lex, quae non se sepiat difficultate abrogationis.

ABRŌGĀTOR, oris, m. qui abrogat. *Arnob.* 1. *p.* 30. Divini operis abrogatores.

ABRŌGĀTUS, a, um, part. ab *abrogo. Cic. p. Dom.* 31. Imperium abrogatum. *Id. fr. pro C. Corn.* Lex abrogata. *Tac. H.* 4, 46. Abrogati consulatus, quos Vitellius dederat. [**Flor.* 1, 9. fasces abrogati].

ABRŌGO, as, avi, a. 1. ἀποκυρόω, ἀναιρέω, rescindo, dissolvo, antiquo, infirmo, irritum facio. Proprie est *rogatum tollo*, cum de legibus sermo est. *Rogare* enim *legem* est legem ferre, rogata, *h. e.* interrogata plebe, an velit aliquid ratum habere. [**Briss. d. Form.* 2, 8.] Unde *abrogatur legi*, cum lex prorsus tollitur: *derogatur* autem *legi* vel *exrogatur*, cum pars detrahitur: *subrogatur legi*, cum aliquid adjicitur: *obrogatur*, cum alia lex fertur prioris infirmandae causa. *Cic. de Rep.* 3, 22. ap. *Lact.* 6, 8. Huic legi neque obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. *Id. Att.* 3, 23. *cujusdam legis caput referens.* Quod per legem Clodiam promulgare, abrogare, derogare, obrogare sine fraude sua non liceat; quodve ei qui promulgavit, abrogavit, derogavit, obrogavit, etc. Hinc *abrogare* idem fere est atque *antiquare.* Haec tamen differentia intercedit, quod proprie *antiquabatur* lex, quae promulgata non recipiebatur, *abrogabatur* vero ea, quae postquam perlata erat, retractabatur. Utrumque conjungit *Liv.* 22, 30. Plebiscitum, quo oneratus magis, quam honoratus sum, primus antiquo abrogoque. Sed late et oratorio more loquitur. ℙ Dicimus autem *abrogare legem* et *abrogare legi.* [**Gifan. Obss.* in L. L. p. 5.] *Cic. Brut.* 62. Tantum dicendo valuit, ut legem frumentariam abrogaverit. *Modestin. Dig.* 50, 16, 102. Derogatur legi, cum pars detrahitur: abrogatur legi, cum prorsus tollitur. Alia quae afferuntur ex *Auct. ad Her.* 2, 10., ex *Liv.* 9, 34. ex *Aur. Vict. de Vir. ill.* 73. et ex *Cic. Phil.* 1, 9., omnia dubiae sunt lectionis. [*Abrogare legi nos quidem valde dubitamus an nusquam dixerint probi scriptores et dubitare videtur etiam *Drakenb.* ad *Liv. l. c.* Certe libb. mss. ubique alteram scripturam exhibent. Atque in primo quidem loco *Auct. ad Her.* demonstravit jam *Ernest.*, *obrogatio aut derogatio, cui legi obrogatum vel derogatum sit* scribendum esse. Ap. *Liv.* ostendit *Drakenb.*, verum unice esse *obrogare*, quoniam non tota antiqua lex, sed pars tantum ejus lege Aemilia sublata esse dicatur; in *or. Phil.* 1. nunc editur *obrogatur legibus;* in *Suetonii* loco aliis etiam de causis dubio *Caes.* 28.: quando et plebiscito Pompejus postea abrogasset, *Casaubono*, abrogare et derogare legi perinde dici existimanti, fidem abrogaverunt *J. F. Gronovius*, *Burmannus*, alii, et ediderunt *obrogasset.* Cf. *Duker.* ad *Flor.* 1, 9, 3. Denique ap. *Aurel. Vict.* 73. et 65. *Arntzenius* quidem defendit *abrog.*, ad *Pithoeum* provocans *ad Coll. leg. Mosaic.* et *Rom. tit.* IV. §. 2., sed ibi quoque in libris nonnullis *obrog.* legi testatur *Schottus.* Postremo, ut *obrogare legi* quo jure dicatur, facile intelligitur, ita *abrog. l.* quomodo per sermonis leges dici potuerit, nos quidem non satis fatemur perspicere. — Ap. *Flor.* 3, 17. editur: Ausus tamen abrogare de legibus consul Philippus. Al. *obrogare.* Nos, quin *Florus* praep. omiserit (cf. *ib.* 15.), non dubitamus.] ℙ *Abrogare alicui magistratum* est eum publica auctoritate magistratu privare. *Cic. Verr.* 2, 2, 56. Si tibi magistratum abrogasset. *Id. Off.* 3, 10. Abrogare collegae imperium. *Id. Leg.* 3, 10. Potestatem intercedendi collegae abrogare. *Val. M.* 7, 7, 6. Abrogare jurisdictionem. [*Si fides est libb. mss., dixerunt etiam abrogare alicujus imperium. V. *Duk.* et *Drakenb.* ad *Liv.* 22, 25, 10. et 27, 20, 11. *Gronovius c.* aliis in hac locutione genit. improbaverat.] ℙ Generatim *abrogare* ponitur pro auferre, detrahere. *Auct. ad Her.* 1, 10. Quae res fidem abrogat oratori. *Cic. Rosc. C.* 15. Abrogare fidem jurisjurandi. [**Suet. Tib.* 61.] *Plin.* 2, 53, 54. Abrogare vires beneficiis. *Ov. Trist.* 2, 278. Et nimium scriptis abrogat ille meis, *h. e.* nimium detrahit. ℙ *Nemo nocens sibi ipse poenas abrogat* i. e. conscientia nemini poenas abr. i. e. neminem absolvit, ut expl. *Gronov.* quem v., affertur a quibusdam ex *Sen. Herc. Oet.* 898., sed alii leg. *irrogat.* ℙ *Abrogare aliquem Italia* itidem a quibusdam citatur ex *Aur. Vict. de Vir. ill.* 77., sed ibi legendum *fugare* ex MSS.

ABROICUS. *Non.* 3, 43. citat locum *Plauti* in *Abroico*, qui est titulus comoediae Plautinae deperditae; sed legendum videtur *Agroico*, *h. e.* Ἀγροϊκῳ, agresti, rusticano.

ABRŌNUS Silo, poeta Lat. tempore Augusti, discipulus Porcii Latronis, qui obiit Olymp. 194. Scripsit fabulas aliquot versibus. *Sen. Suasor.* 2. ℙ [Duos fuisse Silones, patrem et filium notat *Voss. de poet. lat.* 2. *Bail.*]

ABRŌSUS, a, um, part. ab *abrodo. Plin.* 37, 6, 21. Abrosae corporis partes. *Id. ib.* 2, 7. Abrosus calicis margo.

ABRŌTŌNĪTĒS, ae, est gen. m. et 1. decl., sed figurate neutro generi jungitur, ut *vinum abrotoni-*

tes: eâque a quibusdam recentioribus Grammaticis *appositio* dicitur; Graece est ἐπεξήγησις et πρόσθεσις, ut docet *Voss. de Arte Gramm.* 7. c. 2. Est autem a graeco ἀβροτονίτης, ου, ὁ, quod primae est declinationis: estque substantivum adj. vim habens, et jungitur cum altero subst. *vinum* ea ratione, qua dicimus *urbs Philippi, urbs Athenae, urbs Lugdunum*, etc. Sic *myrtites vinum, abstinthites, scyllites*, et alia quamplurima, quae genitivum habent in *ae*, accusativum in *en*. Quodsi malis, hujusmodi voces *abrotonites, scyllites*, etc. esse adjectiva, dicendum erit, latinos scriptores latine haec vertendo graecam loquendi rationem omnino retinuisse. [*Hoc verius]. Graece autem ἀβροτονίτης οἶνος dicitur, cum οἶνος sit masculinum. Est autem *abrotonites vinum* abrotono herba conditum. Ejus meminit *Col.* 12, 35. Eadem ratione *Mareotis lacus* dicitur a *Plin.* 5, 10, 11. qui Graece Μαρεῶτις λίμνη.

ABRŌTONUM, i, n. et Abrotonus, i, m. ἀβρότονον, herba est odoris jucunde gravis, flore aurei coloris, semine calidae virtutis. Duo ejus genera commemorantur, campestre, quod mas et Galaticum dicitur; et montanum, quod femina esse creditur et Siculum etiam vocatur. Mas quoque aliud est campestre, quod sponte sua provenit et cacumine suo se propagat; et hortense. Quod femineo adscribitur generi, vulgo cupressus dicitur. [*Lucr.* 4, 124. Abrotonique graves. *Bail.*] *Lucan.* 9, 920. fumoque gravem serpentibus urunt Abrotonum. *Plin.* 21, 10, 34. Abrotonum odore jucunde gravi floret aestate. ℙ Varios habet in medicina usus, quos recenset *Plin. ibid.* 21, 92. [*Cf. *Col.* 6, 7. *Veget. A. V.* 3, 3. *Hor. Ep.* 2, 1, 114.] ℙ Legitur et Abrotanum. ℙ [Abrotonum est etiam oppidum Africae ap. *Plin.* 5, 3, 4. *F.*]

ABRUMPO, is, upi, uptum, a. 3. ἀποῤῥήγνυμι, rumpo, frango, perrumpo. [*Quae in h. v. et in *abruptus* proponuntur a *Forc.*, rudis sunt indigestaque moles. Vera et una v. sign. est solvere vi aliquid et disjungere (divellere, demere, separare) ab altero, cui adhaesit. Sic *Ov. Met.* 8, 764. abrupta cervice. *ib.* 4, 494. duos mediis abrumpit crinibus angues. *Curt.* 6, 9. Videbar mihi partem viscerum meorum abrumpere. Sic ap. eundem *Ovid. M.* 2, 359. et teneros manibus ramos abrumpere (decerpere), ubi praegressum est avellere. Hoc modo facile explicantur omnia, ut illud abr. vincula, h. e. frangere, abjicere vincula, solvere se vinculis (hic dicitur de removenda ea re, qua continetur aliquid, ut ap. *Senec. Herc. F.* 237. abrupto objice); abrumpere vitam et similia, i. e. vitae cursum discindere; abr. sermonem, i. e. facere, ut sermo non amplius progrediatur; abr. fas, i. e. discindere, dissolvere, tollere, migrare leges, eodemque modo dicitur abr. fidem, foedus, spem, simulationem etc. Abruptum sermonis genus ap. *Quintil.* (v. in *abruptus*) est, ut explicat *Burm.*, quod sine ambagibus et sine circuitione rem ipsam breviter indicat, ut solet esse hominibus fervidis. Denique *abrupta loca* sunt quasi discissa (veluti montes, qui si in duas partes disrumpuntur, invii redduntur et iter praeceps praebent) igitur ardua, praecipitia, in quibus aut nullum aut difficile est iter.] *Liv.* 6, 6. Fuga abrumpentium vincula jumentorum. [*Hor. Od.* 4, 7, 27. Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro Vincula Pirithoo. Adde *Virg. A.* 9, 118. *Ov. M.* 2, 315. et cf. in *abruptus.*] *Tac. A.* 5, 63. Crurum et poplitum venas abrumpit [*i. e. incidit, sed cum vi. Cf. 15, 59. 16, 9. Et sic *abscindere venas ib.* 15, 69. 16, 11.] ℙ Saepius ponitur pro rumpendo dividere et a reliquo separare. *Tac. H.* 3, 25. Abrumpuntur laxati ordines: nec restitui quivere, etc. [*Curt. 3, 11. 10, 7. alibi] *Plin.* 2, 92, 94. Ex insula Cea amplius triginta millia passuum abrupta. *Id.* 5, 32, 40. Donec mare Asiam abrumpat Europae. ℙ Translate. *Sen. Herc. Oet.* 893. Fata sua abrumpere, *h. e.* vitam sibi adimere. *Virg. A.* 8, 579. et 9, 497. Abrumpere vitam. [*cf. 4, 631. Est haec solemnis poëtarum formula de αὐτοχειρία, de qua pluribus egerunt *Heins. et Drakenb.* ad *Sil.* 7, 33. Sed aliter *Tac. A.* 16, 28. Abrumperet vitam ab ea civitate, i. e. vivere desineret in ea civ., discederet.] *Sen. Troad.* 939. ense lucis invisae moras. *Lucan.* 6, 610. herbis medios abrumpimus annos. [*Cf. *Sil.* 9, 649. abrumpere cuncta jamdudum cum luce libet.] *Virg. A.* 3, 55. abrumpere fas, *l. e.* violare. *Tac. H.* 4, 60. fidem per scelus. *Id. A.* 4, 50. Abrumpendas pariter spes ac metus clamitans. [*Cf. *Curt.* 10, 8. Addatur hic, quod *Liv.* dicit 21, 44. Omnibus inter victoriam mortemve certa desperatione abruptis, i. e. cum aut vincendum nobis aut moriendum sit, neque usquam alia pateat via et ratio, qua ex his difficultatibus nos expediamus.] *Id. A.* 11, 26. simulationem. [*Suet. Aug.* 17. abrumpere societatem. *Tac. A.* 12, 50. quamvis servitio sueti, abrumpunt patientiam. *Id. Hist.* 4, 64. abrumpere voluptates (i. e. negligere, spernere. Al. *vectigalibus.*) *Ib.* 2, 53. abr. blandimenta vitae.] ℙ Est etiam ita rumpere, ut ad finem non perducatur. *Virg. A.* 4, 388. Medium sermonem abrumpere. [*Suet. *Tib.* 21. *Sil.* 2, 328. mediamque loquentis Bis conatus erat turbando abrumpere vocem. *Id.* 15, 48. Haud unquam trepidos abrumpet buccina somnos. Cf. *Virg. G.* 3, 530.] *Luc.* 5, 659. ingentes actus abrumpere. [*Sil. 3, 79. Si quis forte deum tantos inciderit actus, ut nostro abrumpat leto primordia rerum, i. e. res gestas in ipso exordio perturbet et interrumpat.] *Plin. ep.* 5, 5. Inchoatum aliquid abrumpere. *Id. ep.* 7, 3. Otium non abrumpere, sed intermittere. [*Curt. 5, 5. abrumpere iter. *Flor. praef.* §. 3. rerum diversitas aciem intentionis abrumpit, i. e. non concedit, ut unam rem diu et acriter intueamur.] ℙ *Abrumpere se* est se veluti abruptis vinculis liberare [separare]. *Cic. Phil.* 14, 12. Legio Martia se prima latrocinio Antonii abrupit. [*Abrupturus Claud. Rufin.* 1, 212. Herba Sollicitum curis non abruptura soporem. *F.*]

*ABRUMUS, adj. Abrumi agni i. e. a matre depulsi. *Varr. ap. Non.* 2, 756. Vid. in SUBRUMUS.

ABRUPTA, ae, f. Locus abruptus, ἀποῤῥωγάς [ἀποῤῥώξ]. Affertur tum *Justin.* 4, 1. tum *Oros.* 7, 9. exemplum, sed utrumque dubiae est lectionis. [*Vox nihili est *abrupta*, *ae. Just.* 4, 1. Proximum Italiae promontorium Rhegium dicitur, ideo quia graece abrupta hoc nomine pronunciantur. Est igitur abrupta plur. subst. loco positus. V. supra et *Parei lex. crit.* p. 11.].

ABRUPTĒ, adv. *Quint.* 3, 8, 6. Nec abrupte nec unde libuit incipiendum, *h. e.* sine exordio aut insinuatione. *Id.* 4, 1. *fin.* Abrupte cadere in narrationem. *Justin.* 2, 15. Abrupte agere, *h. e.* temere, praecipitanter, sine praevia consultatione. ℙ *Ammian.* 20, 5. Velut incitatos torrentes, hostes abruptius inundantes, *h. e.* liberius et effusius. *Id.* 17, 7. Palantes abrupte flammarum ardores. ℙ Item absolute. *Macrob. Somn. Scip.* 1, 19. *c. med.* Non abrupte *medium solem*, sed *fere medium* dixit.

ABRUPTIO, onis, f. actus abrumpendi, ἀπόῤῥηξις. *Cic. Div.* 2, 40. Pedis offensio nobis et abruptio corrigiae et sternutamenta erunt observanda. ℙ Translate *Id. Att.* 11, 3. abruptionem pro divortio posuit, ut exponit *Manut.* ℙ Pro interruptione usurpat *Fest.* in *Rumentum.*

ABRUPTUS, a, um, part. ab *abrumpo*, perruptus, fractus. [*Proprie rumpendo avulsus, disjunctus. Sic *Suet. Aug.* 25. abruptus hamus.] *Tac. A.* 1, 66. Equus abruptis vinculis vagus. *Virg. A.* 3, 199. ingeminant abruptis [divisis, disjectis] nubibus ignes. *Id. Aen.* 12, 451. ubi ad terras abrupto sidere nimbus It mare per medium, *h. e.* effusa tempestate. V. SIDUS. [*Cf. *Georg.* 3, 259. et *Heyn.* ad illum l. *Sil.* 6, 608. abrupto coelo, i. e. disrupto, discisso.] *Apul. de Mundo pr. fin.* Abrupti imbres. *Flor.* 4, 12. Torrentes abrupti [*qui non leni tractu, sed praecipiti cursu labuntur.] ℙ Item divisus, separatus. *Liv.* 3, 19. Plebs veluti abrupta a cetero populo. *Id.* 40, 2. Fastigia aliquot templorum a culminibus abrupta. ℙ Item interruptus. *Sil.* 7, 156. abrupta vigil iret ad arma quiete. *Stat. Th.* 1, 325. Et caligantes abrupto Sole Mycenas, *h. e.* cum Sol ad coenam Thyestis radios lumenque condidit et diem velut interrupit. ℙ Item praeruptus, divulsus, atque adeo praeceps et invius. *Liv.* 21, 36. Locus in pedum mille altitudinem abruptus. *Curt.* 7, 11. Petra undique abscissa et abrupta. *Id.* 8, 11. Rupes undique praeceps et abrupta. *Plin.* 11, 37, 51. Nihil altius abruptiusque. *Plin. ep.* 9, 39. Abruptissimae ripae. [*Virg. *Cic.* 465. abruptae arres]. ℙ Absolute more substantivi. *Stat. Th.* 3, 262. Jamque iter extremum caelique abrupta tenebat, *h. e.* altissimas caeli partes. [*id. *Th.* 10, 516. immane abruptum; cf. *Barth.* et *Quintil. Decl.* 18, 11.] *Flor.* 2, 12. Positis per abrupta castris. *Virg. A.* 3, 422. Sorbet in abruptum fluctus, *h. e.* in sinum profundum. *Stat. Th.* 10, 523. *equi* immane paventes Abruptum mirantur agi. [*Cf. *Virg. A.* 12, 687. Absolute *Tac. Agr.* 42. per abrupta — ambitiosa morte inclarescere, i. e. per contumaciam et inanem jactationem libertatis. *Ammian.* 16, 8. in abrupto necessitatis. *Quint. decl.* 4, 5. in novissimo fati stamus abrupto, ubi v. *Burm.*] ℙ Translate. *Albinovan.* 3, 4. Abrupta [violata] fides. [*Sil. 1, 296. abrupto foedere.] Et *Tac. H.* 3, 63. Abrupta spes. [*cf. *Sil.* 8, 51.] *Id.* 1, 48. Galbae amicitia in abruptum tractus, *h. e.* in praeceps. *Id. A.* 4, 20. Abrupta contumacia, *h. e.* praeceps et extrema. [*Sil. 7, 219. sq. Fervida si nobis corda abruptumque putassent Ingenium patres i. e. praeceps, temerarium. Cf. hoc c. *Tertulliani* verbis, quae infra afferuntur.] *Plin.* 11, 51, 112. Sibilus serpentibus longus, testudini abruptus. Sic *Stat. Th.* 6, 185. abruptis obmutuit ore querelis. *Quint. prooem. l.* 6. Studia abrupta. *Id.* 4, 2. Sallustiana brevitas et abruptum sermonis genus, *h. e.* concisum, truncatum, vel non cohaerens et veluti interruptum. *Id.* 3, 8. Abrupta initia, *h. e.* orationes abrupte inceptae. *Macr. Sat.* 4, 2. Oratio pathetica necesse est initium abruptum habeat, *h. e.* sine exordio. [*Ammian. 14, 5. abruptum exitium i. e. subitum. cf. 15, 7. 16, 2.] ℙ *Abruptus homo* dicitur a *Tertull. Cor. mil.* 1. qui praeceps est, [atrox, trux] intractabilis, praefractus. [*Juvenc. *Evang.* 4, 57. abrupta pondera, i. e. quae in abruptum agunt.] ℙ [*Obruta et abrupta conf. ap. *Curt.* 4, 15. cf. *Drakenb.* ad *Liv.* 21, 36, 44].

ABS, ἀπό, praep. ablativo serviens, id. q. *a* et *ab*, neque tamen adeo frequentis usus ap. lat. scriptores, si Comicos excipias: nam saepissime legitur apud *Plautum.* Praeponitur dictionibus incipientibus a *q* et *t. Ter. Ad.* 2, 3, 1. Abs quivis homine. *Cic. Fam.* 7, 31. Vincam te vel vincar abs te. [*d. *Or.* 1, 18, 82. *Cicero*, et sic fere etiam *Plaut.* et *Terent.*, hac forma nonnisi in *abs te* usus est, idque maxime in epistolis. V. *Ramsh.* gr. m. §. 150. p. 284. Praeterea *Pl. Pers.* 1, 3, 79. abs chorago et ap. *Liv.* 28, 37. ed. abs conscendentibus *Drak.*, ubi al. ab consc.] ℙ Sunt qui putant praeponi etiam verbis incipientibus ab *r* et *s* confirmantque exemplis a *Plauto*, *Ter.*, *Sall.*, *Caes.* [*ut *b. g.* 1, 44.] et *Liv.* petitis, sed non antiquas optimas eorum editiones consuluisse videntur, in quibus *ab* vel *a* legitur, non *abs.* [*Ap. *Aurel. Vict.* 20, 22. editur *abs se* sine diversitate scripturae.] Idem dicendum de loco *Gellii* 18, 14. ubi veter. opt. editiones habent *ab re*, non *abs re:* quod etiam *Cellar.* adverterat in *Antibarb.* [*et in *cur. posterior.* Cf. *Vorst.* de *L. mer. susp. c.* 8.] ℙ Docet *Cic. Or.* 47. hanc praepositionem *abs* (ita enim ibi legendum videtur, non *ab*) suo tempore parum admodum in usu fuisse solumque in accepti tabulis mansisse, et ne his quidem omnium: in reliquo sermone mutatum esse in *ab* vel in *a.* [cf. in *A*, *Ab.*]

*ABSARUS sc. fluvius vel Absarum, in Colchide fluens, cum castello cognomine. *Plin.* 6, 4, 4. Alii etiam *Apsorrum* appellant.

ABSCĒDENS, tis, part. ab *abscedo*, ἀφιστάμενος. *Plin.* 2, 99, 102. Quod luna accedens corpora impleat, abscedens inaniat. ℙ *Abscedentia* dicuntur a medicis collectiones humorum in aliqua parte corporis, et inde pure facto erumpentium, ἀποστήματα. *Cels.* 5, 18, *n.* 21. Satisque omnia abscendentia digerit murex combustus. ℙ In picturis *abscedentia* dicuntur, quae colorum temperamento remotiora repraesentantur, sicut *prominentia*, quae spectanti propius extare videntur. *Vitr. praef. l.* 7. Et quae in planis frontibus sunt figurata, alia abscedentia, alia prominentia esse videantur.

ABSCĒDO, is, essi, essum, n. 3. ἀφίσταμαι, ἄπειμι, cedo, discedo, recedo. *Cic. Divin.* 2, 16. Cor est in extis: jam abscedet, simul ac molam inspexeris. *Liv.* 27, 50. Nunquam senator a curia abscessit, aut populus e foro. *Plin.* 2, 17, 14. Longius a sole abscedere. *Pl. Capt.* 2, 3, 74. Abscedere extemplo e conspectu. *Ov. Met.* 6, 362. Procul abscedere. *Nep. Iph.* 2. Thebani Sparta abscessissent. *Tac. A.* 1, 53. Rhodum abscedere. *Pl. Rud. prol.* 66. Navis in altum abscessit. [*Suet. *Cl.* 33. triclinio abscedere. Ceterum *ab* modo additur, modo omittitur. V. *Drak.* ad *Liv.* 45, 11.] ℙ A Medicis abscedere dicuntur humores, qui in aliqua corporis parte collecti corrumpuntur et in ulcus eunt. *Cels.* 7, 12, *n.* 5. Sub lingua quoque interdum aliquid abscedit. V. ABSCEDENS. ℙ Translate. *Liv.* 26, 7. Abscedere incepto. [*Cf. *Nep. Ep.* 9. universi in unum impetum fecerunt neque prius abscesserunt i. e. destiterunt.] *Id.* 9, 3. Civilibus muneribus abscedere. *Ter. Hec.* 5, 2, 15. Cito ab eo haec ira abscedet. *Pl. Merc.* 1, 2, 29. Aegritudo abscedit. [*Cum his cf. *Sil.* 17, 209. Auster abscedens reddit mare i. e. quietum reddit.] *Sil.* 12, 560. credens abscedere vitae, Quod sopor eripiat, tempus. [*Suet. *Ner.* 34. Suppresso testamento, ne quid abscederet, i. e. ex hereditate perderet.] ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 29, 2. Nec ante abscessum est, quam etc. *Id.* 27, 4. Negat e republica esse, vestigium abscedi ab Annibale. [*Tac. Ann.* 1, 63. manibus aequis sc. e proelio.] ℙ *Abscessem* pro *abscessissem* syncope. *Sil.* 8, 109. nec abscessem thalamo. ℙ *Abscessit*, *h. e.* mortuus est. *Inscr.* ap. *Grut.* 578, 1. [*ℙ Quod *Ov. Met.* 5, 375. Venerem dicentem facit: Pallada nonne vides jaculatricemque Dianam Abscessisse mihi, sic intell.: mihi non favere, non stare a meis partibus, non subjectas esse meo imperio. — ℙ Abscedere est *evadere* in illo *Ter. Heaut.* 2, 4, 5. triumpho, si licet me latere tecto abscedere, i. e. salvum ex his rebus evadere. Cf. *Bentl. ad Eun.* 4, 4, 48.] ℙ [Part. *Abscessurus* ap. *Liv.* 25, 11. Dixit, extemplo aut abscessuros aut dedituros se hostes. *F.*]

ABSCESSIO, onis, f. ἀπόστασις. *Cic. Univ.* 12. Cum ad corpora necessitate accessio fieret, tum abscessio. *Dictys B. Tr.* 1, 5. Alexander abreptis quae cupierat, abscessionem properabat.

ABSCESSUS, us, m. abscessio, recessus. *Cic. N. D.* 1, 10. Quod pars terrae appulsu solis exarserit, pars obriguerit longinquo solis abscessu. [*cf. *Lact. d. ir. D.* 13.] *Virg. A.* 10, 445. Rutulum abscessu. [*Tac. Ann.* 4, 57. causa abscessus i. q. secessus. *ib.* 6, 38. abscessus continuus i. q. absentia.] ℙ A medicis dicitur concursus mali humoris in aliquam corporis partem, ex quo suppuratio et ulcus fit, ἀπόστημα. *Cels.* 5, 18, *n.* 2. Si materia extrahenda est, ut in incipiente abscessu, in suppuratione etc. Et *n.* 5. Prodest impositum minutis majoribusque abscessibus. ℙ *Solin.* 32, *n.* 12. *de Nilo* loquens abscessum posuit pro aquarum incremento et exuberantia, si vera est ea lectio, quam tuetur *Salmas.* [*Exerc.* p. 303. absc. explicans excessum]: Affirmant, omnem abscessus originem de sole concipi.

ABSCĪDO, is, īdi, isum, a. 3. ἀποτέμνω, idem quod abscindo [*minime vero]: ex *abs* et *caedo.* Differunt in quantitate praeteriti, quae brevis est in

penultima ab *abscindo*, longa ab *abscido*. *Pallad.* 7. *Jun. tit.* 2. Mense postremo tritici messis absciditur. *Ammian.* 30, 5. (*al.* 21.) *s. fin.* Dexteram militis jussit abscidi. *Arnob. s. fin. l.* 6. Neque ullis remediis audacia possit abscidi. *Ov. Met.* 12, 362. Abscidit jugulo pectusque humerumque sinistrum. ℙ In aliis temporibus extra praeteritum alia exempla congessere *Jo. Rhod. in Scribon. Larg. compos.* 100. *et Pareus in Lex. Plaut.* ex *Virgil., Plauto, Celso, Quintil., Claudian.* et al. quae omnia fere dubiae sunt lectionis, et facile ad *abscindo* trahi possunt. V. *Abscissus.* [*Valde impedita verborum *abscidere* et *abscindere*, *abscisus* et *abscissus* est ratio, quam si non plane expedire licet, at periculum certe faciendum est, ubi si v. *abscido*, nimis diu spretum, quasi postliminio in jus suum restituisse videbimur, operae pretium fecisse putabimus. Ac primum quidem in libb. mss. perpetua haec est discrepantia, aliis abscindere, aliis abscidere exhibentibus. Quantum tamen observare potuimus, plures iique meliores hanc formam saepius quam illam tuentur, quod apud *Livium*, si quis, quae de scripturae diversitate ibi enotata sunt, conferre voluerit, testabuntur hi loci: 4, 10, 4. 19, 5. 28, 8. 8, 25, 5. 9, 23, 12. 24, 30, 12. 25, 26, 6. 31, 34, 4. 32, 4, 5. 5, 12. 35, 32, 6. 44, 6. 37, 41, 7. 41, 11, 4. 44, 5, 5. 45, 25, 9. 37, 9. Porro certatim VV. DD. de his verbis dixerunt, e quibus nos afferimus *Oud.* ad *Caes. b. g.* 3, 14. et *b. Hisp.* 20. ad *Suet. Caes.* 68. ad *Cal.* 27 et 32. *B. Crusius* in *clavi Suet. Davis.* ad *Caes. b. g.* 7, 73. *Bentl.* et *Feam* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 303. *Feam* in obss. ad *Virg.* p. 37 sqq. *Drakenb.* ad *Liv.* 31, 4. ad *Sil.* 15, 473. *eund.* et *Gronov.* ad 44, 5. *Intpp.* ad *Vell.* 2, 77. *Burm.* ad *Anthol. lat. T.* II. p. 64. *eund.* et *Heins.* ad *Virg. G.* 2, 23. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 33. 6, 503. (*ed. Weberi*) quibus adde, quos hi laudaverunt et *Rudd.* I. p. 234. Horum partim *abscindere* et *abscidere* perinde dici, partim differre inter se censuerunt. Et *Arntzen.* quidem ad *Aurel. Vict. Epit.* 23, 3. *abscidere* dici existimat, ubi de parte aliqua corporis humani detruncata sermo sit, *abscindere*, si de aliis rebus, quae vi aliqua abrumpantur (ut abscindere, a gr. *σχίζειν*, id. sit quod abrumpere, avellere). Cum hoc sentit *Voss. ad Virg. Georg.* 2, 23. *Fea l. c.* et *Herzog.* ad *Caes. b. g.* 3, 14., quorum hic *abscidere* de instrumentis praeacutis (ut ap. *Caes.* de falcibus) usurpandum esse judicat. Horum nos sententiam non possumus quin probemus. Primum enim, cum in reliquis formis nulla sit diversitas, quae praeteriti ap. poetas supersunt exempla, ante omnia putamus esse consideranda. Ea vero attulit noster; abscīdit *Ov. Met.* 12, 362. *Lucan.* 6, 563. *Vet. epigr.*, (quod editum est in *Catalect. Virg. Scal.* et *Lindenbr.* Lugd. 1695. ibique sermo est de glacie) quibus adde *Martial.* 3, 66, 2. abscidit vultus ensis uterque sacros. Horum locorum nullus ita comparatus est, quin confirmet illud, quod supra proposuimus, discrimen. Nam quod *Ovid.* l. c. de arbore jacta dixit abscīdit, ubi non negamus etiam dici potuisse abscīdit, tamen arbor illa, quam *telum* ipse paulo ante appellat, erat instar lanceae. Porro vi translata *Lucan.* 4, 503. abscīdit nostrae multum sors invida laudi, et *Senec. Phoen.* 194. Qui fata proculcavit ac vitae bona projecit atque abscīdit etc. De his dicetur infra. Abscidi est ap. *Hor. Od.* 1, 3, 21. nequidquam deus abscidit Prudens Oceano dissociabili Terras. *Ov. Met.* 1, 22. coelo terras et terris abscidit undas. *Virg. A.* 3, 418. Hesperium Siculo latus abscidit. Nec adversatur *Senec. Thyest.* 1062. membra nervosque abscidi Viventibus, si conferas v. 1038. Abscissa cerno capita et *avulsas* manus, et *rupta fractis* cruribus vestigia. Vides, *Horat. Ovid. Virgil.* de eadem re dixisse abscīdi. Id casu an justa de causa factum putes, ipse videris; nos ibi recte abscindere pro abrumpere, avellere, separare dictum existimamus. Neque adversatur *Stat. Theb.* 10, 863. jam saxa fatiscunt Emotaeque trabes: tanto violentior ille (Saevit enim majore salo) quassatque trahitque Molem aegram; nexus donec celer alveus omnes Abscīdit. Recte *Barth.* expl. disrupit, perfregit. Denique *Valer. Fl.* 1, 489. carinae Ille ut se mediae per scuta virosque Intulit; ardenti Aesonides retinacula ferro Abscīdit, quem non negamus dicere potuisse abscīdit; sed falsum tamen non est abscīdit de retinaculis abrumpendis et solvendis. Ceterum is expressit *Virg. A.* 4, 580. strictoque ferit retinacula ferro. Utimur vero etiam *analogia*, quam dicunt, ad discrimen illud stabiliendum. Nam, ut his utamur, *abscidere caput*, *abscidere spem* et per se credibilius est veteres dixisse, quam *abscindere cap.*, *spem*, et confirmari videtur eo, quod *amputare caput* (*Justin.* 24, 5), *incidere* et *praecidere spem* dixerunt. Vid. *Duk.* ad *Liv.* 35, 32, 6. Contra vero *abscissae rupes* et similia rectius dici, quam *abscisae r.*, si non per se satis probabile sit, at nonne probatur eo, quod *praerupta loca* dixerunt? Quare ut ex immensa locorum multitudine nonnullos exempli causa proponamus, *abscidere*, *abscisum caput* (quamquam ap. *Hor. Sat.* 3, 3, 303. recte praefert *Fea* abscissum caput, i. e. discerptum. Cf. *Eurip. Bacch.* 1117. sqq. *ed. Herm.* *ἀπεσπάραξεν ὦμον*. *Pl. Merc.* 2, 4, 1. *Ov. Met.* 3, 732. Ceterum ap. *Hor. manibus portat* putamus esse conjungenda, cf. *Senec. Phoen.* 363. sq.), *manus* etc. ubique scribendum esse putamus (ut ap. *Sil.* 10, 52. abscidere caput *Heins.* coll. *Virg. A.* 12, 511. *Curt.* 8, 3. *Liv.* 4, 19, 28. 31, 34.) *Virg. A.* 4, 590. Flaventes abscisa comas. *Suet. Caes.* 68. abscisa dextra. *Cal.* 27. lingua (*προαποτέμνειν* *Dio Cass.* de eadem re) *ib.* 32. manus. *Liv.* 37, 41. in extremis jugis binae circa eminebant falces — illae, ut quidquid ab latere objiceretur, absciderent. Ap. *Pallad.* 6. *Maj. tit.* 4. quin recte scribatur: ut optimus operarius in alta silva modii spatium, mediocris vero tertia minus possit abscidere — cum praecedat: *caedendi* autem hic modus est — quis dubitat? Et ap. *eund.* 4. *Mart. tit.* 10. recte cod. Lugd. nisi quae arida sunt, rarissime debemus abscidere. Ap. *Liv.* 24, 30. spe undique abscisa scribimus, coll. 35, 44. 45, 25. et 4, 10. Volsci exiguam spem in armis, alia undique abscisa quum tentassent, quae egregie defendit *Gron.*, quem v. et *Drakenb.*, et ad horum similitudinem 45, 37. illa enim tibi tota abscisa oratio esset et 9, 23. nos omnium rerum respectum, praeterquam victoriae, nobis abscidamus, et 35, 32. quamquam prope abscisa res erat, ubi tamen *Gron. spes* conjecit. Contra rupes abscissae ap. eund. *Liv.* 44, 5. coll. 32, 4. 6. 25, 36. Recte porro *Virg. A.* 5, 685. humeris abscindere vestem coll. *Curt.* 3, 11. *Flor.* 2, 8. Euboeam — reciprocantibus aquis Euripus abscīdit (*Plin.* 4, 12, 21. Euboea — avulsa Boeotiae; cf. *Valer. Fl.* 2, 619.) et *ib.* 2. praedam quodammodo Italiae suae abscissam. *Valer. Fl.* 2, 161. sic fata querelas Abscidit (abrupit). *Liv.* 41, 11. abscisa an abscissa aqua, et 8, 25. interseptis munimentis hostium pars parti abscisa an abscissa erat, scripserit, dubitamus, cum non propria verborum vis hic valeat, translata autem esse possit eadem, ut sint omnino *separare*, *sejungere*, *dividere*, *eripere*, *adimere*. Magis tamen probamus *abscissa*, si cum altero loco comparamus *c.* 23. diremerat hostibus societatem auxilii mutui, et in altero, quod paulo ante dixit: amnem — avertit. Ac (non enim diffitemur) nonnunquam nihil fere interest, sive abscisus et abscido, sive abscissus et abscindo probas. Ut ap. *Virg. G.* 2, 23. Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum Deposuit sulcis — tantum abest, ut c. *Vossio* abscidens fortius dictum videatur, ut utrumque recte dici putemus, prouti aut de *secandis* aut de *decerpendis* plantis intelligi malis. Cf. *Plauti* locum ap. nostrum in *abscindo*. Denique perlustremus locum *Lactant. D. I.* 1, 12. De Saturno sermo est, de eoque §. 2. scribit: cujus (patris) dicitur abscīdisse genitalia (sicut 13, 2. genitalia amputare). §. 7. Vulcano quoque id potuit adscribi — et tamen eum poetae non abscīderunt. §. 8. Qui magis abscisum (vulg. abscissum; sed cf. *Augustini* locum, quem affert *Forc.* in *abscissus*. Sic dixerunt *exsectus*; v. *Cic. N. D.* 3, 24. exsectum a filio Coelum) esse Coelum putamus, quam omnino sine genitalibus natum? — si vero habuit et a filio abscisa (vulg. abscissa) sunt. §. 10. Quomodo potuit — Coelum a tempore abscīdi? c. 13. §. 1. hominem ab homine abscisum. — Ceterum de nonnullis, quos *Forc.* citat, locis nostrum interposuimus judicium suo loco idque interdum signis ˘ et ¯ usi.].

ABSCINDO, is, īdi, issum, ĕre, a. 3. *ἀποκόπτω*, scindo, lacero, divido: ex *ab* et *scindo*. *Cic. Verr.* 2, 5, 1. Tunicam ejus a pectore abscīdit. *Virg. Georg.* 2, 23. Plantas abscindere de corpore matrum. *Tac. A.* 16, 11. Abscindere venas [*sic *id.* abrumpere venas. V. h. v.] *Pl. Amph.* 2, 1, 7. Abscindere linguam alicui. [*Et abscindi (avelli, evelli manu) et abscidi (ferro) dici videtur posse lingua.] *Luc.* 6, 563. Illa comam laeva morienti abscidit ephebo. *In vet. epigr.* (quod alii *C. Jul. Caesari*, *alii Germanico* tribuunt.) Abscidit tenerum lubrica testa caput. [*Et hoc et *Lucani* loco hic erat abstinendum. Pertinent enim aperte ad abscido.] *Cic. Phil.* 11, 2. Cervicibus caput abscīdit. Al. aliter leg. [*sed in *abscidit* consentiunt omnes.] *Virg. A.* 5, 685. humeris abscindere vestem. *Ib.* 3, 418. Pontus Hesperium Siculo latus abscidit. *Plin.* 4, 10, 17. Athon Xerxes continenti abscīdit. ℙ Translate *Liv.* 9, 23. Nos omnium rerum respectum, praeterquam victoriae, nobis abscindamus. Et 35, 45. Abscindere spem. *Petron. sat.* 108. causam miseriarum. *Hor. ep.* 16, 35. Abscindere reditus dulces, *h. e.* intercludere, impedire. *Id. Sat.* 1, 2, 113. inane abscindere soldo. *h. e.* separare. [**Schol. Cruq.* explicat praecidere et separare.] *Luc.* 4, 503. Abscidit nostrae multum sors invida laudi. [*Omittendus erat hic locus et supra ponendus, ut recte *Cort.* demonstravit, laudans *Gronov.* ad *Sen. Phoen.* 194. *Gifan. collect. in Lucr. v. Vitalia* et *Bernegger.* ad *Justin.* 15, 3, 4.]

ABSCĪSE } V. Abscissus.
ABSCĪSIO }

ABSCISSE, adv. *ἀποτόμως*, breviter, concise, velut abscindendo superflua. *Val. M.* 3, 7. ext. 6. Si verba numeres, breviter et abscisse; si sensum aestimes, copiose et valenter. *Callistrat. Dig.* 50, 6, 5. Demonstratur varie nec abscisse. [**Abscisse* et *Abscissio* unice probamus. Sic enim dicebatur abruptus sermo et similia. Quamquam *concisa* oratio nos non fugit.]

ABSCISSĬO, onis, f. *ἀποκοπή*, actus abscindendi. Translate *Scrib. comp.* 100. Facit bene haec compositio ad suspirium et ad vocis abscissionem. ℙ Est etiam schema rhetoricum. *Auct. ad Her.* 4, 53. Significatio est, quae plus in suspicione relinquit, quam positum est in oratione: ea fit per exuberationem, ambiguum, consequentiam, abscissionem, similitudinem. Et 54. Per abscissionem, si, cum incipimus aliquid dicere, praecidimus; et ex eo, quod jam diximus, satis relinquitur suspicionis, sic: Qui ista forma et aetate nuper alienae domui: nolo plura dicere.

ABSCISSUS, a, um, part. ab *abscindo*. *Hor. Sat.* 2, 3, 303. Caput abscissum. *Plin.* 4, 1. Insula abscissa a continenti. *Caes. b. c.* 3, 72. Abscissus in duas partes exercitus. *Id. b. g.* 3, 14. Funes abscissi [abscisi]. Ap. *August. l. de civ. Dei c.* 7. *ad fin.* est exsectus, eviratus. ℙ Item abruptus, praeruptus. *Liv.* 25, 36. Nec quicquam satis arduum aut abscissum erat, quod hosti ascensum difficilem praeberet. *Id.* 32, 4. Saxum undique abscissum. ℙ Translate *Liv.* 35, 45. Abscissa [abscisa] spes. *Cic. de prov. cons.* 14. Res abscisae [*abscisae. Cf. hoc cum *Liv. l.* 35, 32. quem supra laudavimus. Sed verior scriptura ibi sane videtur *accisae.*] *h. e.* afflictae, imminutae. Al. leg. accisae. *Quint.* 9, 4. Cur alia paucioribus verbis satis plena, vel nimium, alia pluribus brevia et abscissa sunt? *h. e.* trunca, manca, non cohaerentia. *Scrib. comp.* 74. Abscissus sonus vocis, *h. e.* interruptus, impeditus. ℙ Interdum ponitur pro rigido, severo, duro. *Val. M.* 2, 7, 14. Abscissum castigationis genus. *Id.* 6, 5, 4. *ext.* Abscissior justitia. Et 3, 10. Abscissa sententia. ℙ *Abscisus* uno *s* pro abscissus, item *abscise* et *abscisio* leguntur in multis opt. codicib. probatorum scriptorum, quos in his vocibus allegavimus: et sunt *Drakenb.* ad *Liv.* 31, 34. et *Joann. Rhod. ad Scrib. comp.* 100. qui exempla quamplurima ad hanc lectionem confirmandam large suppeditabunt.

ABSCONDĬTĒ, adv. latenter, obscure, *κρυφίως*. *Cic. Inv.* 2, 23. Non implicite et abscondite, sed patentius et expeditius. *Id. Fin.* 3, 1. Abscondite disserere.

ABSCONDĬTOR, oris, m. qui abscondit. *Firmic. Math.* 5, 15. Rerum humanarum absconditores. *Tert. adv. Marc.* 4, 25. Qui absconditor non fuit.

ABSCONDĬTUS, a, um, part. ab *abscondo*, *ἀπόκρυφος*. *Cic. Cat.* 3, 1. Insidiae absconditae. *Id. Phil.* 2, 42. Absconditi gladii. *Lucr.* 1, 902. Silvis abscondita flamma. *Cic. Dom.* 54. Absconditum jus pontificum. [**Curt.* 7, 10. cursus absconditi.]

ABSCONDO, is, ondi, et ondĭdi, ondĭtum, (rarius onsum) [*de formis *abscondidi* (qua usus etiam *Pl. Merc.* 2, 3, 25.) et *absconsum* (*Quintil. Decl.* 17, 15. venenum — absconsum) *absconsus*, *absconse*, quibus abstinendum est, v. *Rudd.* I. p. 236.] a. 3. *κρύπτω*, celo, abdo, occulto: ex *abs* et *condo*. *Cic. R. Am.* 41. Quo studiosius absconditur, eo magis apparet. *Curt.* 6, 6. Fumus absconderat caelum. *Pompon.* ap. *Non.* 2, 59. Numquid abscondisti inter nates? *Pl. fragm.* ap. *Prisc.* 10. *p.* 890. *P.* Secundum aram aurum abscondidi. *Sil.* 8, 191. vitreisque abscondidit antris. *Caecil.* ap. *Non. l. c.* Hic in tenebris intus sese abscondidit. *Virg. A.* 4, 337. Abscondere fugam furto, *h. e.* furtim fugere. *Col. de arb.* 7. Abscondi in terram. *Pl. Cist.* 1, 1, 65. Abscondere in latebras. *Flor.* 4, 2. Sextum fortuna in Celtiberiam abscondit. [**Curt.* 5, 5. abscondere miserias.] *Sen. Thyest.* 721. In vulnere ensem abscondere. [**Sil.* 1, 316. permissum ventis abscondit in aere telum (altissime jaculatur). *Id.* 16, 636. galeis abscondunt ora, i. e. imponunt capiti, ut os fere obtegant.] ℙ *Abscondi* dicuntur sidera, quae occidunt et a nobis non conspiciuntur. *Virg. G.* 1, 221. Ante tibi Eoae Atlantides abscondantur. [*Stellas absconsas ap. *Firm.* expl. *Salm. Exerc. p.* 507.] ℙ Abscondere locum aliquem dicuntur, qui recedendo ejus conspectum amittunt. *Virg. A.* 3, 291. aerias Phaeacum abscondimus arces. *Claud. Rapt. P.* 3, 140. Sicaniam quaerit, cum necdum absconderit Iden. [*Commemorandum erat, quod *Sil.* dicit 11, 522. Hic fluvium et campos abscondit caede virorum Ductor i. e. implet, ut cerni vix possint. *Id.* 17, 49. Scipio — abscondit late propulsis puppibus aequor. Ejusdem generis est *Tib.* 4, 1, 154. densa tellus absconditur (tegitur) umbra. Cf. *Curt.* 6, 6.] ℙ Translate *Sen. ep.* 70. in hoc cursu rapidissimi temporis primum pueritiam abscondimus, [*conspectum amittimus pueritiae et praeterimus eam. Praegressum est: praenavigamus vitam] deinde adolescentiam etc. [*Commutantur passim in libris *abscondere* et *accendere*; v. *Drakenb.* ad *Sil.* 1, 316. 11, 522.]

ABSCONSĒ, adv. clam. *Hyg. fab.* 184. Filium infantem mater absconse ad hospitem mandavit. *Firm. Math.* 2, 2. Vides quam apte, quam absconse.

ABSCONSĬO, onis, f. *ἀπόκρυψις*. Affertur a Lexicographis quibusdam ex *Plin.* 8, 16, 19., sed ibi legitur rectius *abscondente* pro *absconsione*.

ABSCONSOR, oris, m. *ἀποκρύπτης* [*verbum nihili] *Firm. Math.* 3, 8. et 11. Absconsores auri et divitiarum faciet.

ABSCONSUS, a, um, part. ab *abscondo*, sed minus usitatum, quam absconditus. *Fulg. Myth.* 1, 21. Negotium absconsum. *Firm. Math.* 3, 8. Absconsae artes.

[ABSECTUS, a, um. part. ab inusit. *abseco*, resecatus. *Imp. Justinian. Cod.* 12, 34, 5. His, quibus indultum, quo pluribus mereantur cingulis, non conjunctis ex prisca consuetudine, sed absectis atque discrepantibus, detur electio etc. Alii perperam leg. *abjectis. F.*]

ABSEGMEN, inis, n. frustum ab aliqua re desectum. *Fest.* in *Penitam.* Penitam offam Naevius appellat absegmen carnis cum coda.

ABSENS, tis, ἀπών, part. ab *absum*. Dicitur tum de personis, tum de rebus. *Cic. Off.* 3, 33. Et praesens tecum propediem et, dum aberis, absens loquar. *Id. Verr.* 2, 2, 17. De absente secundum praesentem judicare. [*Cf. *Suet. Cl.* 15. Absentibus secundum praesentes facillime dabat, i. e. saepe temere judicabat ab iis, qui praesentes erant in judicio, contra absentes. V. *Torrent.*] *Id. ad Brut.* 1, 16. Habere rationem absentium. *Pl. Stich.* 1, 1, 5. Quorum nos negotiis absentum sollicitae sumus. *Martial.* 9, 77. Absens rogus. *Hor. Ep.* 1, 11, 21. Rhodos absens. [*cf. *Sat.* 2, 7, 28.] *Gell.* 20, 10. Hos versus ex octavo Annali absentes dixi, *h. e.* memoriter recitavi, cum liber abesset. [**Cic. d. rep.* 6, 11. (*Somn. Sc.* 2.) deligere consul absens i. e. non petens honorem consulatus. Constat enim Scipionem Afr., de quo sermo est, tum comitiis interfuisse. Ita *Liv.* 4, 42. plebs tribunos plebi absentes fecit, ubi v. *Drakenb.* Alio modo *absentes* dicuntur ii, qui reip. causa absunt, munere quodam fungentes; v. *Bernegger.* ad *Suet. Caes.* 23. — *Tib.* 1, 6, 35. Te tenet, absentes alios suspirat amores, i. e. amores absentium, absentes amatores.] ℙ *Absente nobis* pro *absente me* vel *absentibus nobis* ἀρχαϊσμὸς est seu antiqua loquendi ratio, qua Comici interdum usi sunt. *Ter. Eun.* 4, 3, 7. Nescio quid profecto absente nobis turbatum est domi. Adde *Afran.* ap. *Non.* 2, 66. Et v. PRAESENS [**Rudd.* II. *p.* 299.] ℙ Absentes interdum dicebant mortuos, leniori vocabulo ominosam rem significantes. *Pl. Cas. prol.* 20. ℙ [*Absentes comae* sunt fictitiae ap. *Martial.* 9, 38. Fiant absentes et tibi, Galla, comae. *F.*] ℙ Sup. *Absentissimus* legitur ap. *Augustin. Conf.* 4, 4. [*mente atque sensu i. e. moriturus.]

ABSENTANS. V. ABSENTO.

ABSENTĀTUS. V. ABSINTHIATUS.

ABSENTĬA, ae, f. ἀπουσία. *Cic. Pis.* 16. Confer nunc absentiam tuam cum mea. *Suet. Caes.* 23. Propugnare absentiam alicujus. Adde *Anton.* ad *Cic. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.*

ABSENTĪVUS, a, um, diutius absens. *Petr. Sat.* 33. Ne absentivus morae vobis essem, omnem voluptatem mihi negavi. Alii tamen aliter legunt.

ABSENTO, as, avi, a. ablego, absentem facio. *Claud. r. Pros.* 3, 213. vetitamque dearum Colloquio patriis procul absentaverit astris. Alii leg. patriisque procul mandaverit: *alii* patriis procul amandaverit. [**Claudiano* absentare indignum esse censuerunt ad h. l. *Heins.*, *Barth.* et alii, *Cellar.* in *Antib.* et *Cur. post. Id.* ex *Cod. Theod.* affert: quos crimen desertionis absentat.] ℙ Hinc participium *Absentans* pro *absens. Sidon.* 9, 13. *fin.* Pari tempore absentans Ulysses. ℙ Afferri solet etiam locus *Petron. Sat.*, sed dubia est ibi lectio [*v. de h. l. *Borrich. Vind.* p. 3.] item locus *Messalae Corvini*, qui dicitur auctor cujusdam libelli *de progenie Augusti*, sed auctoritatis omnino incertae.

ABSĬDA, ae, f. idem qu. absis. *Paulin. Nolan. ep.* 12. *ad Sever. n.* 17. Sed de hac absida an abside dicere magis debuerim, tu videris. Ego nescire me fateor, quia hoc verbi genus nec legisse reminiscor. Tutius igitur absis usurpabitur.

ABSĬDĀTUS, a, um, adj. curvatus in absidem, fornicatus, ut *absidata porticus* ap. *P. Victor. de reg. Urb. Rom. reg.* 4.

ABSĬDES. V. ABSIS.

ABSĬLĬO, is, ii, et ui, a. 4. ἀποπηδάω, saltu fugio: ex *ab* et *salio*. Lucr. 6, 1215. Aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem. *Stat. Th.* 6, 97. fugere ferae nidosque tepentes Absiliunt (metus urget) aves.

ABSĪMĬLIS, le, dissimilis, ἀνόμοιος. Fere usurpatur praecedente negativa particula. *Suet. O.* 1. Non absimilis facie Tiberio principi fuit. [**Dom.* 10.] *Plin.* 8, 33, 51. Rostrum haud absimile suillo. *Col.* 6, 17. Odoris gravis neque absimilis bitumini.

ABSINTHĬĀTUS, a, um. *Sen. Suas.* 6. *in elog. de morte Cicer.* Decipere vos cogar, veluti salutarem pueris daturus potionem absinthiati poculi. ℙ *Absinthiatum* absolute vinum absinthii succo conditum. [**Pallad.* 3. *Febr. tit.* 32. Conditum vel absinthiatum vel rosatum vel violatum procedere sponte fertur ex vitibus etc.] *Lampr. Heliog.* 21. Rosato et absinthiato vulgus ad bibendum invitavit. *Salm.* in optimo quodam cod. legisse se ait *absentato*, additque, circa Heliogabali tempora Latinos et *absentum* pro *absinthium*, et *absentatum* pro *absinthiatum* usurpasse, idque ex recentiorum Graecorum consuetudine, qui ἀψινθιατον scribant. [*cf. *id.* ad *Jul. Capit. Gord.* 19.]

ABSINTHĪTES, ae, m. vinum absinthio conditum. *Col.* 12, 35. et *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 5., ubi et ejus conficiendi rationem docent. [A *Scrib. Comp.* 192. dicitur absinthium potum cum vino. *F.*] V. ABROTONITES.

ABSINTHĬUM, ii, n. [*al. male scr. *absynthium*] ita appellatum ab α privat. et ψίνθος, delectatio, quippe quod ob insignem amaritiem non facile bibatur. Al. ab ἅπτεσθαι, i. e. contrectare per antiphrasin, quod nullum animal ob eximiam amaritudinem hanc herbam attingat. Stephanus docet etiam per y ἀψίνθιον scribi, tanquam gentile ab Ἄψινθος, quae est urbs Thraciae, circa quam copiose proveniat. Verum sine y scribitur passim a Graecis. Scribi etiam potest *apsinthium*. V. *Absis*. Est autem herba notissima, foliis incanis, multipliciter fissis, insigni amaritie praedita, ut dictum est, odore gravi. Ejus plura genera recenset *Plin.* 27, 7, 28. Santonicum appellatum a Galliae civitate; Ponticum a Ponto, omnium praestantissimum [*cf. *Pl. Trin.* 4, 2, 90. *Veget. A. V.* 3, 28. *Cat. R. R.* 159]; Italicum omnium amarissimum. Multi est usus in medicina: quod pluribus persequitur *Id. ibid.* Dari autem praecipue solet pueris, qui vermibus infestantur: et ne propter amaritiem respuant, folia ejus dantur ficu latentia, aut succus poculo melle illito: quam rem praeter *Plin. l. c.* docet etiam *Lucr.* 1, 935. ℙ Apud Romanos Latinarum feriis quadrigae certare solebant in Capitolio, et qui vicisset, absinthium bibebat: *credo*, inquit *Plin. l. c. sanitatem praemio dari honorifice arbitratis majoribus.* ℙ Est etiam absinthium marinum, quod et Seriphium dicitur, angustius priore minusque amarum: cujus ramum Isiaci sacerdotes praeferunt in sacris. *Plin. l. c.* ℙ Translate ponitur pro re molesta quidem, sed tamen salutari. *Quintil.* 3, 1. Sed nos veremur, ne parum hic liber mellis, et absinthii multum habere videatur, sitque salubrior studiis, quam dulcior.

ABSINTHĬUS, ii, m. id. qu. absinthium. *Varr.* ap. *Non.* 3, 4. et 4, 279. Quid medico mihi est opus, absinthium ut bibam gravem? ℙ [Absinthium, ii, absolute est idem quod absinthites vinum, absinthio medicatum, ejusque conficiendi rationem docet *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 5. *Edict. Dioclet. p.* 13. Absinthii Ital. sextarium unum X viginti. *F.*]

ABSIS vel APSIS [*rectius hoc], idis, f. 3. ἁψὶς et ἁψίς, ῖδος, ἡ, ab ἅπτω, necto, connecto (ἅψις, εως est tactus, tactio, ab ἅπτομαι, tango) latine scribitur sine *h*, quia nec graece semper aspiratio adhibetur: recte etiam scribitur cum *b*: nam graecum ψ in *bs* non in *ps* verti consuevit, ut ἀψίνθιον, *absinthium;* et praeterea apud nos eadem ferme vi pronuntiari solent. Graece primo significat connexionem: deinde curvaturam rotae, *h. e.* ligneum illum circulum, quo infiguntur radii: sed harum notionum apud Graecos tantum adhuc exempla vidimus. Latine interdum accipitur pro curvatura fornicis seu arcu, aut camera, quia hujusmodi substructio unam cum altera partem connectit et ligat. *Plin. ep.* 2, 17. Adnectitur angulo cubiculum in absida curvatum, quod ambitum solis fenestris omnibus sequitur. *Absida* accusativus est graecae positionis pro *absidem.* Sunt qui leg. *aspida curvatum*, *h. e.* in formam aspidis circumactum, quod minus placet. *Plin.* 36, 12, 17. describens unam ex pyramidibus Aegypti, quae Sphingem repraesentabat, *absidem* vocat summum capitis verticem, qui curvatus in modum fornicis est. *Altitudo*, inquit, *a ventre ad summam absidem in capite*, *pedum* LXII. Ita legit *Hard.* Alii rectius *ad summum apicem.* ℙ Praeterea *absis* interdum ponitur pro interiori sacrarum aedium parte, quae plerumque arcuato opere superius construi solet. *Isid. Orig.* 15, 8. interpretatur *lucidam*, eo quod lumine accepto per arcum resplendeat; nempe fortasse ab ἅπτω, accendo. In hujusmodi cellis SS. Martyrum reliquiae condebantur. Earum figuram conatur verbis describere *Salmas.* in *Solin.* 55. [p. 852 sqq.] Absidum sacrarum mentio fit ap. *Augustin. ep.* 203. et *Paul. Nol. ep.* 12. ℙ Praeterea *absides* sunt lances escariae rotundae et concavae instar arcuati operis. *Ulp. Dig.* 34, 2, 19. §. 6. Sed nec aurea emblemata, quae in absidibus argenteis essent. ℙ Denique *absis stellarum* dicitur ab Astrologis curvatura circuli, quem stella motu suo proprio describit: quae arabico vocabulo in scholis usitato *aux* dicitur. Est autem duplex; nam quae altior est et a terra remotior, dicitur *summa absis*, quae inferius posita et terrae proprior, *ima absis.* Hoc sensu saepe usurpatur a *Plin.* 2, 15, 16. et 17. Harum absidum figuram exhibent Astrologi, cujus auxilio multo sane facilius haec intelligi poterunt. Idem *Plin. ib.* 18, 16. *commissuras absidum* vocat, quas Astrologi *nodos*, ubi scilicet unius sideris orbita alterius orbitam intersecat. ℙ Graece in penultimis aliquorum circumflectitur atque adeo producitur, quod fecit *Hom. Il.* ε, 487. et alii. Quare etiam latine producenda est.

ABSISTO, is, stĭti, n. 3. ἀφίστασθαι, discedere, recedere: ex *ab* et *sisto*. *Pl. Truc.* 2, 6, 32. Ubi illa est, quae me hic reliquit atque abstitit? *Virg. A.* 7, 610. nec custos absistit limine Janus. *Ib.* 6, 259. totoque absistite luco. [**Sil.* 2, 568. nec adhuc absistit imago i. e. adhuc obversatur oculis imago.] *Plin.* 2, 8, 6. Ab sole nunquam absistens partibus XLVI. longius. [**Caes. b. g.* 5, 17. ab signis legionibusque absistere. V. *Gronov.* ad *Liv.* 27, 45.] *Virg. A.* 12, 101. totoque ardentis ab ore Scintillae absistunt, *h. e.* erumpunt [*exeunt. Non differt hoc a superioribus, nam hic quoque absistere est discedere, exire; sed tamen hoc cum reliquis non erat commiscendum.] ℙ Saepe ponitur pro desistere, relinquere, διαλείπειν. *Liv.* 32, 4. Absistere incoepto. [**Drak.* ad *Liv.* 31, 26.] *Id.* 9, 34. Nec ante continuando abstitit magistratu, quam etc. *Hor. Sat.* 1, 3, 104. Absistere bello. [**Drakenb.* ad *Liv.* 21, 6.] *Liv.* 9, 15. obsidione. [*Vid. ibi *Drakenb.* et ad 36, 25. 37, 17.] *Id.* 24, 20. *ad fin.* spe quippiam faciendi. [**Sil.* 2, 371. ponto. *Id.* 13, 512. cura. Cf. *Drak.* ad *Liv. l.*] ℙ Cum inf. *Id.* 36, 35. Ne ingratis quidem benefacere absistam. *Virg. A.* 6, 399. Absiste moveri. *Ib.* 8, 403. absiste precando Viribus indubitare tuis. [*cf. 12, 676. *Sil.* 6, 449. Omnino frequens ista est constr. etiam in pros. oratione. *Drak.* ad *Liv.* 32, 35.] ℙ Cum dat. *Sil.* 15, 190. absiste labori Ancipiti. Al. leg. *labore* [rectius.] ℙ Cum gerundio. *Liv.* 29, 33. Verminam prope vestigiis instantem absistere sequendo coegit. Nisi malis esse ablativum a *sequendus:* quod rectius videtur. [*Nos, quid hoc sit, non intelligimus. Imo gerundium est infinitivus.] ℙ Impersonaliter. *Liv.* 21, 6. Si non absisteretur bello. ℙ Sine casu est cessare, desinere. *Tac. A.* 2, 31. Caede visa miles abstitit [*rectius h. l. alii dictum intelligunt pro discessit. Poterat autem laudare eundem 2, 34. accusator abstitit sc. ab accusatione.] *Virg. A.* 1, 196. Nec prius absistit, quam etc. [*non poterant haec disjungi a superioribus. Quo quis absistat (quid quis omittat), e nexu ubique est intelligendum. Ceterum cf. *ib.* 9, 355. *Curt.* 8, 11. et *Drak.* ad *Liv.* 9, 15. 22, 18. 36, 45.] ℙ *Abstit* pro *abstitit* putat *Priscian.* 9. p. 862. *P.* usurpatum fuisse ab *Ov. Met.* 11, 473. et quae pars admonet, abstit. Ubi tamen alii passim leg. *absit.* [*recte; v. *Heins.* — *Cicero* hoc v. non videtur usus esse. V. *Goer.* ad *Leg.* 1, 13, 39. — Ad constr. quod attinet, dicitur absistere et cum praep. et cum solo abl. *Livium* praep. abstinere ostendit *Drakenb.* ad 9, 15. 21, 6. 24, 20. — Denique absistere, obsistere, adsistere, abstinere (*Drak.* ad *Liv.* 31, 17.) frequentissime confunduntur a librariis.]

ABSĪTUS, a, um, adject. longe situs, dissitus. *Paul. Nol. in Nat.* XIII. *S. Fel. ed. Murat.* 352. alio procul absitus orbe.

ABSŌCER, eri, m. uxoris meae vel viri mei proavus, *h. e.* pater avi uxoris meae vel viri mei. Socer enim est pater viri vel uxoris, prosocer avus, absocer proavus. *Capitol. Gord.* 2. Socero, prosocero, et duobus absoceris consulibus ipse consul.

ABSŌCRUS, us, f. uxor absoceri. V. vocem praeced. Quemadmodum a *socer* fit *socrus*, a *prosocer prosocrus*, ita ab *absocer absocrus.* Quam quidem vocem tamesti nullo adhuc latino exemplo confirmare potuimus, amandare nihilominus inter barbaras nequimus, cum adeo firmo genuinae analogiae fundamento nitatur.

ABSŌLESCO, is, n. 3. ἀπαρχαιοῦμαι, obsolescere, insolitum fieri. *Tert. Exhort. castit.* 6. Utique continentiam indicens, et compescens concubitum absolescit illud, Crescite et multiplicamini. *Quidam putant usurpari hic active pro* obsolefacere.

ABSOLVO, is, olvi, utum, a. 3. ἀπολύω, solvo, vinculis libero: ex *ab* et *solvo*. *Apul. Met.* 1. Heus tu, ubi es? inquam: valvas stabuli absolve, *h. e.* pessulorum sublatis retinaculis resera. *Pl. Mil.* 4, 7, 17. Navim cupimus absolvere. Alii rectius [*metro jubente] leg. solvere. Adde *Sever. Aetn.* 346. ubi pro *dissolvere* positum est [*ut fere ap. *Ammian.* 29, 3. canem ante tempus absolvit. *id.* 23, 4. Stilus ictu volucri absolutus.] ℙ Translate est liberare quocumque modo. *Cic. R. Com.* 12. Cur de fundo decidit et judicio non absolvitur? Cur tam imperite facit, ut nec Roscium stipulatione alliget, neque a Fannio judicio se absolvat? *h. e.* ex parte Fannii se liberet a litibus. [**ib.* 14. ab aliquo judicio absolvi i. e. liberari alicujus judicii molestia.] *Tac. A.* 4, 23. Is annus populum R. longo bello absolvit. *Sall. fragm. orat. Macri Licinii trib. pleb.* [*Hist.* 3, 10. T. II. p. 77. *ed. Hav.*] Sic nec absolvit cura familiari tam parva res. *Apul. Dogm. Plat.* 1. Animam non perituram, cum corpore fuerit absoluta. *Prud. Cathem.* 12, 146. Quo non liceret matribus Cum pondus alvi absolverent etc. *h. e.* cum fetum veluti constrictum alvi vinculis ederent in lucem. *Ulp. Dig.* 4, 8, 3. Absolvi tutelae, *h. e.* tutelae onere liberari. Et intelligitur ablat. *cura*, *onere*, aut quid simile. [**Tac. Germ.* 31. caede hostis se absolvere (ignominia se liberare.)] ℙ In re judiciali est innocentem declarare, crimine liberare. [**Ov. Met.* 15, 303. reos absolvere culpae.] *Liv.* 2, 8. Latae deinde leges, quae regni suspicione consulem absolverent. *Cic. Q. Fr.* 2, 16. Drusus erat de praevaricatione a tribunis aerariis absolutus. [*de constr. c. pr. *de* v.

Rudd. 1. mox c.] *Auct. ad Her.* 2, 13. Coelius judex absolvit injuriarum eum, qui Lucilium poetam laeserat. Subaudi *crimine. Cic. Verr.* 2, 2, 8. Iste Dionem Veneri absolvit, sibi condemnat [*haec sic intell. Dionem Veneri hereditatem non debere et ea in re absolvendum esse Verres judicat. Ceterum hoc non debebat reliquis immisceri.] *Ib.* 2, 45. Servus ille innocens omnibus sententiis absolvitur. [**Nep. Iphicr.* 3. eoque judicio est absolutus. *Ammian.* 16, 11. hi soli innoxii absoluti sunt i. e. non intercepti, feliciter evaserunt.] ℙ Est etiam dimittere, expedire. *Pl. Epid.* 3, 4, 30. Te absolvam brevi. *Id. Most.* 3, 2, 153. Omnino ut te absolvam, nullam conspicio avem. *Id. Amph.* 5, 1, 45. Quaeso absolvito hinc me. [*In pedestri oratione apud *Ammian.* 17, 8. legatos muneratos absolvit; cf. 20, 9. 17, 20. Mire *id.* 15, 4. (Rhenus) vocabulo et viribus absolvitur integris (sc. postquam permeavit paludem pigram) i. e. eodem nomine retento eademque magnitudine fluens progreditur ex ea.] ℙ *Absolvere creditorem* est soluto, quod debetur, pretio creditorem dimittere. *Ulp. Dig.* 22, 1, 37. Si mutuatus sim pecuniam, ut creditorem tuum absolvam. *Ter. Ad.* 2, 4, 13. Ad forum ibo, ut hunc absolvam [*cf. *ib.* 18. et *Pl. Most.* 3, 1, 119.] ℙ Absolvere et liberare ex pignoribus domum et possessionem, *Modestin. Dig.* 34, 3, 20., *h. e.* solutis pignoribus liberam reddere. ℙ Saepe est perficere, ad exitum perducere, complere. *Cic. Off.* 3, 2. Ut nemo pictor esset inventus, qui Coae Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret. *Id. Leg.* 1, 3. Neque tam facile interrupta contexo, quam absolvo instituta. ℙ Est autem discrimen inter haec: nam *absolvere* est rem ad finem quoquo modo perducere; *perficere* est ita rei finem imponere, nihil ut desit. [*Verum an falsum hoc sit, non audemus decernere. Nos locis comparatis illis, quos affert ipse *Forc.*, discrimen illud non confirmari persuasum habemus. *Cic.* quum utrumque conjungit, eam verborum copiam et sermonis numerum spectavit, quo constat eum ceteris excellere.] *Cic. Fin.* 4, 13. Quid est quod a natura absolvi et perfici debeat? *Id. Nat. D.* 2, 36. In omni natura necesse est absolvi aliquid ac perfici. ℙ *Absolvere rem paucis*, breviter narrare, expedire. *Sall. Cat.* 4. *s. fin.* De Catilinae conjuratione paucis absolvam [*cf. *ib.* 38.] *Id. Jug.* 19. *extr.* Cetera quam paucissimis absolvam. ℙ Absolvere promissum, [stare promissis]. *Varr. R. R.* 2, 11. ℙ Absolvere fidem, *h. e.* liberare, cui contrarium est *fidem obligare*, *Tac. H.* 2, 60. [*In isto l. fidem absolvere est fidei veniam dare, condonare. Vid. *Ernest.*] ℙ Absolvere diem est vitam finire. *Avien. Perieg.* 544. [*Pari modo vita absolvi *Ammian.* 25, 3.] ℙ Absolvere litem est dirimere. *Terentian. de Metr. de pentametro versu* p. 2422. *Putsch.* ℙ *Solinus* usurpavit pro evincere, demonstrare. Sic enim habet c. 2. Bacchus absolvit, Gallorum veterum propaginem Umbros esse. [*Absolvere pr. *solvere* simpl. est *Sulpicii Sev.* Is *h. sacr.* 1, 11. Quod (aenigma) cum a prudentibus Aegyptiorum non posset absolvi. *ib.* 2, 42. absolutis omnium animis. *Id. v. b. Mart.* 6, 11. absolvere (liberare) errore.] ℙ [Particip. *Absolvens* apud *Claud. L. Seren.* 30. Absolvens puppisque moras crimenque pudoris. *F.* *De constr. cf. *Rudd.* 11. p. 165. sq. Abs. et exsolvere confundi a librariis docet *Drakenb.* ad *Liv. Epit.* 6.]

ABSŌLŪTĒ, adv. τελέως, perfecte. *Auct.* ad *Her.* 1, 10. Cum adjumenta nostra exposuerimus, contrariaque dissolverimus, absolute nimirum munus oratorium confecerimus. *Id.* 2, 19. Hisce igitur quinque partibus ut absolutissime utamur, hoc modo tractabimus etc. *Sen. ep.* 52. Fluctuamus inter varia consilia: nihil libere volumus, nihil absolute, nihil semper. *Suet. de Gramm.* 4. Ut illum quidem absolute, hunc mediocriter doctum existiment. *Macrob. Somn. Sc.* 2, 15. Ut absolutius liqueat. *Cic. Top.* 8. In oratoriis artibus, quaestionis genere proposito, quot sint ejus formae, subjungitur absolute [*hoc est: definite]. Et *Tusc.* 5, 18. *ad fin.* Omnia profluenter, absolute, [*i. e. ut nihil desit. Sic infra: vita absoluta] prospere. [*Hoc loco defenditur alius ejusdem *Cic. Fin.* 3, 7, 26. semper feliciter, absolute, (recte de philosophorum αὐταρχείᾳ expl. *Schütz.*) fortunate. Non recte scripsit *Goer.* feliciter, absolute fortunate. Ceterum ex *Cic.* accedat locus *Acad.* 2, 17. perfecte et absolute ita pares.] *Scaevola Dig.* 33, 1, 13. *ad fin.* Respondi, non posse absolute responderi, cum multa oriri possint etc. Et *Plin. praef. hist. nat.* de pictoribus. Quos in libellis his invenies absoluta opera et illa quoque, quae mirando non satiamur, pendenti titulo inscripsisse, ut: *Apelles faciebat* aut *Polycletus*, tanquam inchoata semper arte et imperfecta: — tria non amplius, ut opinor, absolute (definite, tanquam ad finem perducta) traduntur inscripta: *Ille fecit* — quo apparuit, summam artis securitatem auctori placuisse. ℙ Item breviter. *Auson. ep. ad Prob.* 16, 7. Possum absolute dicere, sed dulcius circumloquar. [**Ammian.* 23, 6. utque absolute dicatur. cf. *id.* 29, 1.] ℙ Absolute proferre seu construere verbum aliquod est illud usurpare sine casu. *Prisc.* 18. p. 1160. *P.* et 8. p. 795. Ceterum cf. *absolutus.*

ABSŌLŪTĬO, onis, f. ἀπόλυσις, liberatio a crimine. *Cic. Cluent.* 27. Sententiis decem et sex absolutio confici poterat. *Id. Cat.* 3, 4. Absolutio virginum. *Id. Fam.* 3, 11. Absolutio majestatis. *Suet. V.* 16. Reis absolutiones venditare. *Just.* 9, 4. Absolutionem dare. ℙ Item perfectio, τελέωσις. *Cic. Or.* 1, 28. Hanc absolutionem perfectionemque in oratore desiderans. *Id. Inv.* 2, 9. Habitus in perfecta et constanti aut animi corporis absolutione consistit. [**ib.* 1, 30. ut ad inventionem argumenti absolutio etiam argumentandi adjungeretur.] ℙ Pertinet etiam ad rem oratoriam. *Id. Inv.* 1, 22. Partitio debet habere brevitatem, absolutionem, paucitatem etc. Absolutio est, per quam omnia, quae incidunt in causam, genera, de quibus dicendum est, amplectimur. ℙ Pro debiti liberatione. *Modestin. Dig.* 46, 4, 1. Acceptilatio est liberatio per mutuam interrogationem, qua utriusque contingit ab eodem nexu absolutio. *Pallad.* 1, 6. *a. med.* Gravem creditorem patitur, cui sine spe absolutionis adstrictus est.

ABSŌLŪTŌRĬUS, a, um, adj. ad absolvendum a crimine et liberandum pertinens. *Suet. Aug.* 33. Duas tabellas, damnatoriam et absolutoriam, cognoscentibus dedit. *Ascon. in fine commentar. pro Mil.* Absolutoriae sententiae. [*Caj. Inst.* 4, 114. Absolutoria judicia. *F.*] Adde *Sen. Excerpt.* 6. *controv.* 5. ℙ Item pertinens ad liberandum quocumque modo. *Plin.* 28, 6, 17. Clavum ferreum defigere, in quo loco primum caput defixerit corruens morbo comitiali, absolutorium ejus mali dicitur. *Intell.* remedium.

ABSŌLŪTUS, a, um, part. ab *absolvo*, solutus, ἀπολελυμένος. *Plin.* 11, 37, 65. Ranis prima (*lingua*) cohaeret, intima absoluta a gutture. *Id.* 36, 22, 45. *de lapide speculari.* Sed majori parte fossili natura, absolutus segmenti modo, *h. e.* divisus, separatus. *Prud. in Romano* 1110. Absolutus vinculis. ℙ Item judicio liberatus, ἀπόλυτος, ἄφετος. *Cic. Verr.* 2, 1, 29. Absolutus improbitatis. *Id. Cluent.* 24. Unius sententia absolutus. *Nep. Milt.* 7. Capitis absolutus. [*Hoc quomodo intelligendum sit, disce ex ejusd. *Paus.* 2.] ℙ Item completus, ad finem perductus, [*opp. inchoato. *Suet. Caes.* 4. *Cl.* 3.] *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 4. Absolutum offendi in aedibus tuis tectum. [**Suet. Caes.* 46. absoluta villa. *Varr. R. R.* 2, 8. liba absoluta (parata). *Suet. Tit.* 10. absolutis spectaculis.] *Martial.* 1, 83. *de porticu.* En quanto jacet absoluta casu! *h. e.* dejecta, diruta atque adeo finita. [*Huc referendum fortasse, quod *Cic.* dicit *pr. Planc.* 31. nihil in Cispio profecisti; absolutae jam sunt preces tuae. Sed ibi auctore *Manutio*, suasore *Graevio*, *Ernest.* reposuit *obsoletae.* Sed ap. *Lucan.* 7, 869. quum verba: quid totum premitis, quid totum absolvitis orbem, sic nonnulli explicant, ut abs. sit *funditus diruere*, non probamus. Est hoc potius totum orbem malis urgere, ut nulla ejus pars integra maneat et intacta.] ℙ Item perfectus, εὐτελής. *Cic. de Fin.* 2, 27. Neque appellatur vita beata, nisi confecta et absoluta. [**Id. d. Or.* 3, 49. conversiones absolutas dicit periodos numerosas et omni ratione perfectas. Cf. *Or.* 51. absolute concludere orationem h. e. perfecte, numerose.] *Plin. ep.* 9, 38. Legi librum numeris omnibus absolutum. [**Cic.* omisso hoc verbo varium et elegans omni fere numero poema dicit *Acad.* 1, 3, 9.] *Quintil.* 1, 1. *in fin.* Quo sit absolutius os et expressior sermo. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 6. Pinxit et heroa absolutissimi operis. *Id.* 9, 5, 4. Absoluta similitudo. *Id.* 10, 22, 29. Absoluta nigritia. [*Absoluta ingenia *Aurel. Caes.* 15, 3. v. *Lindenbr.* ad *Ammian.* 14, 10.] ℙ Item simplex sine adjunctione. *Cic. Inv.* 2, 57. Hoc mihi videor videre, esse quasdam cum adjunctione necessitudines, quasdam simplices et absolutas [*opponitur h. l. necess. absoluta necessitati quam vulgo *hypotheticam* appellamus. — Est vero etiam *simplex* alia ratione, i. e. non fucatus. *Ammian.* 14, 10. veritatis sermo absolutus et simplex; *id.* 21, 16. 30, 2. responsum absolutum et unius modi. ℙ Absolutus i. q. liber. *Pallad. d. r. r.* 1, 3. loca ab infimis vallibus libera et nebularum noctibus absoluta. *Id.* 4. *Nov. tit.* 12. absoluta tempestatibus et impedimentis omnibus dies.] ℙ Absoluta causa *Ulpiano Dig.* 37, 10, 3. *a. med.* est certa et aperta, et opponitur ambiguae. [*Simile est ap. *Cic. de inv.* 1, 11. Absoluta (constitutio) est, quae ipsa in se continet juris et injuriae quaestionem; assumtiva, quae ipsa ex se nihil firmi dat ad recusationem, foris autem aliquid defensionis assumit. Cf. *ib.* 2, 23. *Herenn.* 1, 14. 2, 13. Et *id. Part. or.* 26, 94. Conficiens autem causa alia est absoluta et perfecta per se, alia aliquid adjuvans et efficiendi socia quaedam. Ap. eundem *Inv.* 1, 12. absoluta quaestio est ea, quae tantum unum habet oppositum, ut si quaeratur a Corinthiis bellum indicendum sit an non.] ℙ Vera et absoluta donatio *Paulo Dig.* 39, 6, 34. est simplex et sine ulla conditione, quaeque ita proficiscitur, ut nullo casu revocetur. ℙ Absolutus creditor est, qui soluta pecunia dimittitur. *Pl. Aul.* 3, 5, 43. Jam hosce absolutos censeas; cedunt, petunt. [*ℙ In absoluto dicebatur remansisse ager, qui non erat limitatus neque assignatus, alibi in soluto. V. *Salm. Exerc.* p. 480.] ℙ Absolutum verbum dicitur a Grammaticis, quod, ut ait *Prisc.* 8. p. 795. *P.*, per se profertur et sine casu. Adde 18. p. 1165. Praeterea *Diomed.* 1. *p.* 333. vocat *absoluta* ea verba, quae perfectae actionis significationem habent, ut *caleo*, *horreo*, quemadmodum *inchoativa* vocantur, quae imperfectum aliquid significant, ut *calesco*, *horresco.* ℙ *Absoluta nomina* aut *pronomina* ap. eosdem Grammaticos sunt ea, quae per se aliquid significant, nec egent alterius nominis conjunctione, ut *deus*, *ratio. Prisc.* 2. *p.* 581. *P.* et 17. *p.* 1062. ℙ Praeterea *absoluta* adjectiva sunt, quae positiva dicuntur ab iisdem Grammaticis. *Quintil.* 9, 3. Utimur vulgo et comparativis pro absolutis, ut cum se quis infirmiorem esse dixerit. ℙ [Sup. *Absolutissimus* ap. *Auct. ad Her.* 2, 28. Absolutissima et perfectissima argumentatio. *F.* *cf. *ib.* 24. *Plin. ep.* 1, 20. actio absolutissima 6, 17. liber absolutissimus.]

ABSŌNANS, tis, part. ab inusit. *absono*, idem quod absonus vel abhorrens. *Justinian. Institut.* 2, 25. Nec absonans a juris ratione codicillorum usus esset.

ABSŌNĒ, adv. absona voce, insuaviter, prave. *Apul. Apolog.* Versus absone et indocte pronuntiare. ℙ Translate *Gell.* 15, 25. Cn. Martius in mimiambis suis non absurde neque absone finxit *recentatur*, pro eo quod Graeci dicunt ἀναπεύονται. *Arnob.* 2. *p.* 52. Non est absone suspicatus.

ABSŌNUS, a, um, adj. a recto sono alienus, discrepans, ἄηχος. *Cic. Or.* 3, 11. Vox extra modum absona atque absurda. Et 1, 25. Sunt quidam aut ita lingua haesitantes, aut ita voce absoni, ut etc. *Nonius* 2, 27. hoc loco *absonum* interpretatur *sine sono*, quod non placet. ℙ Translate est disconveniens, alienus. *Hor. A. P.* 112. Si dicentis erunt fortunis absona dicta. *Liv.* 1, 15. Haec ferme, Romulo regnante, domi militiaeque gesta; quorum nihil absonum fidei divinae originis fuit. *Id.* 7, 2. Nec absoni a voce motus erant. *Lucr.* 4, 518. Prava, cubantia, prona, supina atque absona tecta, *h. e.* non respondentia ceteris aedium partibus. [*De constr. dicit *Drakenb.* ad *Liv.* 7, 2.]

ABSORBĔO, bes, bui, usitatius quam absorpsi, absorptum, a. 2. καταπίνω, sorbendo absumo; proprie de rebus liquidis dicitur. *Plin.* 22, 25, 70. Lens optima, quae maxime aquam absorbet. [**Curt.* 7, 5.] *Id.* 9, 35, 51. de Cleopatra. Detractum alterum (*unionem*) mersit ac liquefactum absorbuit. [*Eodem verbo de eadem re utitur *Macrob. Sat.* 2, 13. et *Hor. Sat.* 2, 3, 240. quamquam ibi al. exsorberet, al. obsorberet exhibent. V. *Bentl.* et *Fea* ad *h. l.* Sic etiam in altero *Horat.* loco nunc editur *obsorberet.* V. *Hdf.*] *Hor. Sat.* 2, 8, 24. Absorbere placentas. ℙ Dicitur etiam de aliis rebus, ut de aquarum inundatione. *Luc.* 4, 100. Absorpsit penitus rupes, *h. e.* undis contexit, demersit. De mari *Cic. Phil.* 2, 27. Oceanus vix videtur tot res tam cito absorbere potuisse. [*cf. *Curt.* 4, 2.] ℙ Translate. [**Pl. Bach.* 3, 3, 67. de meretrice: quae acerrime atque aestuose absorbet, ubi quemque attigit. Imaginis eadem est ratio, ut in sqq. Cf. *Catull.* 68, 107. tanto te absorbens vortice amoris Aestus, quem attulit *Furl.*] *Cic. Brut.* 81. Hunc quoque absorbuit aestus quidam non insolitae adolescentibus gloriae. [*cf. *Abripio.*] *Id. Leg.* 2, 4. Ne aestus nos consuetudinis absorbeat et ad sermonis morem usitati trahat. *Id. Sext.* 6. Quodammodo absorbet orationem meam [*ita ad se trahit, ut reliqua non possim absolvere. — Insignis est locus *Cic. de rep.* 2, 5. ubi sermo est de Roma in Tiberis ripa posita: urbem perennis amnis — posuit in ripa, quo posset urbs et accipere ex mari, quo egeret, et reddere, quo redundaret; eodemque ut flumine res ad victum cultumque maxime necessarias non solum mari *absorberet*, sed etiam invectas acciperet ex terra. Ubi quum, an non recte scribatur *absorberet*, non pauci dubitent, *Moserus* autem *arcesseret* ediderit, egregie *Beierus* in *Jahn. Annal. phil. T.* III. *F.* III. *p.* 26. sq. illud defendit, urbem cordi, fluvium cavae venae in corpore humano res ad victum et cultum necessarias urbi advehentem, quae sicut cor succum quo alimur, absorbeat (cf. *d. nat. D.* 2, 55.) comparari docet, dativumque ex analogia verbi *demere* aliorumque recte se habere ostendit.]

ABSORPTĬO vel Absortio, onis, f. sorbitio. *Suet. Ner.* 27. Quorum uni mellita quadragies HS constitit, alteri pluris aliquanto absorptio rosaria. Ita legitur in quibusdam codicib., in aliis omnino aliter. Est enim locus non unis interpretum conjecturis valde vexatus. [*In aliis libris deest hoc verbum, in aliis scribitur absirtio (absyrtio). Al. exhibent ab Syrtio. *Casaub.* et *Torrent. aspersio* rosaria conjecerunt. Pro mellita libri mitellita praebent, idque tuetur *Salm.*]

ABSPELLO *et rectius* Aspello, is, uli, ulsum, a. 3. repello, arceo, removeo, ἀπωθῶ. *Cic. vertens e graeco versus Aeschyli Tusc.* 2, 10. Sed longe a leto numine aspellor Jovis. *Pl. Merc.* 1, 2, 5. Eos qui adversum eunt, aspellito, detrude, deturba in viam. *Id. Capt.* 3, 3, 4. Aspellere metum alicui. Adde *Trin.* 3, 2, 46. ℙ Hinc est part. *Abspulsus*, quod affert *Fronto de different. vocabul.*, sed nullo confirmat latini scriptoris exemplo. ℙ Legitur etiam *Abspello* in quibusdam *Cic.* et *Plauti* codicib.

ABSQUE, χωρίς, ἄνευ, sine: praep. ablat. casui serviens: ex *abs* et *que*, adjectione syllabica, ut *Prisc.* 14. *p.* 999. *P.* docet. *Cic. Inv.* 1, 36. Est quaedam argumentatio, in qua propositio nihil valet absque approbatione. [*At hic optimi libri praebent *sine appr.*, idque dedit jam *Ernest.* V. *Oudend.* ad *h. l.* Ceterum e *Quintil.* 7, 2. addi poterat absque sententia.] *Id. Att.* 1, 19. Nullam a me epistolam ad te sino absque argumento ac sententia pervenire. *Pl. Most.* 3, 2, 78. Absque sole perpetuus dies. *Gell.* 2, 2. Absque praejudicio. Adde *Apul. Met.* 9. [*Ex *Lucan.* 6, 151. quem afferunt versum: O famuli turpes, servum pecus, absque cruore Terga datis morti — non est Lucani.] ℙ Interdum ponitur pro *praeter* [ita a Graecis quoque χωρὶς adhibetur. *F.*] *Gell.* 13, 18. Eundem esse versum absque [exceptis] paucis syllabis. *Claud. Mamertin. in Genethliac. Maxim.* 8. Absque paucissimis ceteri homines fortasse crediderint. *Solin.* 33, 11. *de Phoenice.* Postera parte purpureus absque cauda. [*Laudant alii *Ammian.* 18, 10. opertam (conjugem Craugasii) absque labra ipsa atro velamine i. e. praeter. Sed, quoniam nullo in loco cum accusativo reperitur, valde arridet *Grouovii* conj. *adusque* scribentis.] ℙ A Comicis ponitur pro nisi, cum, vel sine casu. *Ter. Ph.* 1, 4, 11. Nam absque eo esset, recte ego mihi vidissem. *Id. Hec.* 4, 2, 25. Quam fortunatus sum ceteris rebus, absque haec una foret! Al. rectius leg. hac subintellecto re. [*Bentl. edidit hac. Alterum si verum esset, conjungenda forent absque esset i. e abesset.] *Pl. Pers.* 5, 2, 55. Nam absque me esset et meo praesidio, hic faceret te prostibilem propediem. [*Id. Bacch.* 3, 3, 8. Nam absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum. *Id. Trin.* 4, 1, 13. Nam absque foret te, sat scio, in alto distraxissent. *Men.* 5, 8, 33. *Capt.* 3, 5, 96. quod absque hoc esset (ubi v. *Lindemann*; *quod* enim in hac formula additur, ut in similibus: *quod* nisi, quodsi, quod utinam.) *Trin.* 5, 2, 3. Hos locos addidit *Bail.* et cf. *Vorst. d. Lat. m. susp.* c. 9. *Cellar.* in *Antib.* et *cur. post. Nolten. Antib. p.* 784. et 1244. *Ruhnk.* ad *Mur. T.* II. *p.* 599. *Burmann.* ad *Cic. Inv.* 1, 36. Ceterum multi eorum, qui hodie latine scribunt, abutuntur hac particula singularem nescimus quam elegantiam aucupantes. Nam veteres quidem scriptores ea rarissime usos esse apparet, nec fere nisi in illo comicorum: *absque eo esset*, pro quo ipso pedestris oratio *si* et *nisi esset* (idque nobis nunc imitandum) praetulit. Vide *Vorst. l. c. Cic.* autem quod *absque argumento* scripsit in epist. ad *Att.*, duplicem habet et ab v. praegresso et ab epistolarum majore licentia excusationem. Jam vero posterioris aevi scriptores ut erant studiosi eorum, quae rara vidissent apud veteres, venatores, non solum saepius usi sunt ea partic., sed novam etiam tribuerunt significationem. Quod ipsum accidisse putamus etiam librariis, ut, quod sua aetate usitatius esset, *absque* nonnunquam pro *sine* scriberent. — Aliud est absque in vetusta evocationis formula ap *Macrob. Sat.* 3, 9. ut vos populum civitatemque Karthaginem deseratis, loca, templa, sacra urbemque eorum relinquatis absque his abeatis. V. *Drakenb.* ad *Liv.* 3, 30.]

ABSTĂBŬLA. Ap. *Non.* 8, 54. legitur hic locus *Pacuvii: Delphos venum pecus secundae abstabula, ac itiner contuli.* Sed est plane corruptus et ita corrigendus videtur: *Delphos venum pecus egi, unde ad stabula ac itiner contuli.* Ita *Gothofredus.*

ABSTANTIA, ae, f. *Vitruv.* 9, 4. *circa med.* Sol cum longius absit abstantia quadam.

ABSTĒMĬUS, a, um, adj. Vox haec ab abstinentia temeti derivata est, ut docent *Quintil.* 1, 7. et *Gell.* 10, 23. et significat eum, quem Graeci ἄοινον, *Apulejus* graecum quasi interpretatus *invinium* vocat *Met.* 11. p. 286. Abstemius igitur est, qui vinum non bibit, vel ex disciplinae quadam lege, vel quod natura aut ex morbi vitio a vino abhorret [*qui caret temeto, ut ait *Pl. Truc.* 4, 359.] *Ov. Met.* 15, 323. Vina fugit gaudetque meris abstemius undis. *Plin.* 22, 24, 54. Mulieres vini abstemiae. Adde *Lucil.* et *Varr.* ap. *Non.* 2, 3. ℙ Generatim de eo, qui abstinet a quacumque re. *Hor.* Ep. 1, 12, 7. Si forte in medio positorum abstemius herbis Vivis et urtica. ℙ Item pro temperante. *Auson.* in *Professor. de Attio Pat.* 20. Vini cibique abstemius, laetus, pudicus, pulcher. ℙ Interdum de eo, qui eo die nondum vinum gustavit. *Apul. Apol.* Dicitur ante horam secundam diei jejunus adhuc et abstemius testimonium vendidisse. ℙ Et simpliciter pro jejuno. *Auson. praef. Idyll.* 11. *qui est Griphus.* Comparet occupatum cum otioso, pransum cum abstemio. ℙ *Prandium abstemium* dixit *Gell.* 13, 30. in quo nihil vini potatur. Quo pertinet illud *Pl. Aul.* 2, 6, 5. Cererin', Strobile, has facturi nuptias? quia temeti nihil allatum intellego. ℙ *Abstemium nomen*, nomen abstinentiae a vino. *Rabirius* seu *Rubrius* seu *Rutilius in Satira* ap. *Fulgent. Planc. de prisco sermone s. f.* Abstemium merulenta fugit Methenia nomen. Ubi secunda syllaba *ste* corripitur. Quis autem hic poeta fuerit, et quo tempore vixerit, incertum est.

ABSTENTUS, a, um, part. ab *abstineo.* Ap. ICtos *abstentus* dicitur heres, qui ab hereditate sibi propria adeunda vel per se vel alterius consilio aut auctoritate abstinuit. *Scaev. Dig.* 26, 8, 21. Curator dixit: abstineo pupillum, procurator dixit: responsum habes; scis quid agere debeas. Quaesitum est, an secundum haec acta adolescens bonis patris abstentus sit? respondi, proponi abstentum. *Ulp. Dig.* 36, 4, 1. §. 4. Si certum sit repudiatam, vel omissam hereditatem, vel abstentos necessarios heredes, frustra hoc edictum imploratur. Adde *Paul.* 26, 7, 46. et *Ulp.* 2, 11, 15. V. ABSTINEO. [*Duk. d. Lat. ICt. p.* 369.] Sic *Coel. Aur. Acut.* 2, 5. *abstentas egestiones* dixit, *h. e.* impeditas, suppressas: quibus opponit *largius effluentes.* ℙ *Cyprian. ep.* 38. posuit *abstentum* pro excommunicato, nam is ecclesia et convictu Christianorum abstinet.

ABSTERGĔO, es, ersi, ersum, a. 2. ἐκπορίζω, tergeo, diluo, purgo. *Pl. Asin.* 4, 1, 52. Tu labellum abstergeas. [*Id. Merc.* 2, 1, 17. absterge sudorem tibi. *Poen.* 5, 2, 10. absterserunt omnem sortitudinem.] *Curt.* 6, 9. Abstergere oculos amiculo. *Plin.* 17, 27, 43. Si circumfosso stipite defluens pituita abstergeatur. *Ter. Eun.* 4, 7, 9. Abstergere vulnera [cf. *Abstersus*]. Est etiam frangere, cum de remis sermo est, quemadmodum *detergeo. Curt.* 9, 9. Collidi inter se naves abstergerique invicem remi [*v. *Freinsh. ind. Curt.* et *Parei Lex. crit. p.* 343. s. v. *detergo.*] ℙ Translate est auferre vel fugare [*maxime de animi affectibus, qui tolluntur.] *Cic. Q. Fr.* 2, 10. *fin.* Consolabor te et omnem abstergebo dolorem. *Id. Sen.* 1. Ita jucunda hujus libri confectio fuit, ut omnes absterserit senectutis molestias. *Id. Fam.* 9, 16. *fin.* Abstergere metum. [*cf. 11, 24.] *Id. Phil.* 14, 13. fletum. *Plin.* 20, 5, 17. fastidium. ℙ Apud *Lucretium* quoque usurpatum legitur pro fugare, depellere, ut 4, 1060. abstergere sibi pabula amoris; et 1230. abstergere satum genitalem. Adde 5, 844. ubi *absterguit* positum est in praeterito pro *abstersit.* Quamquam omnibus his *Lucretii* locis alii codices habent *absterreo* [v. h. v.] ℙ *Abstersti* syncope pro *abstersisti* quidam afferunt ex *Catull. ad Juvent.* 98, 8., sed alii habent *abstersisti*, neque minus recte constat versus: *Guttis abstersisti omnibus articulis.* ℙ [Part. *Abstergens* ap. *Cic. Top.* 86. Oratio aegritudinem abstergens. *Abstergendus* apud *Plin.* 31, 11, 47. Penicilli abstergendae lippitudini utilissimi. *F.*]

ABSTERGO, is, rsi, rsum, a. 3. id. quod abstergeo. *Titinn.* ap. *Non.* 4, 491. Everrite aedes, abstergite araneas. [*Si non fallimur, *Titinn.* scripsit et scribere debuit *abstergete*, nullum ut certum v. *abstergo* hic saltem supersit exemplum.] *Plin.* 26, 7, 25. *n.* 4. Abstergunt fastidia cruditatesque digerunt. Ita *Hard.* Al. leg. abstergent. *Plin. ep.* 5, 6. In proximo puteus, ex quo possis rursus abstergi. Al. adstringi [*idque haud dubie praeferendum.] *Apul.* 1. de *dogm. Plat. pr. fin.* Ut ejus redundantiam relevet abstergatque ea, quae sordium sunt. ℙ De praeterito *abstergui* v. vocem praec.

ABSTERRĔO, es, ui, erritum, a. 2. ἐκφοβέω, ἀποτρέπω, terrore injecto averto, repello, removeo. *Ter. Andr.* 3, 1, 14. Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant. [*Sic absolute etiam *Tac. A.* 13, 44. accurrentem ancillam vulnere absterret (repellit)] *Liv.* 27, 28. Alii e turribus portae saxis, sudibus, pilis absterrent hostes. [*cf. *ib.* 23, 1. ibique *Gron.* et *Drak.* et 5, 41. ibique *Drak.*] *Cic. Verr.* 2, 2, 58. A pecuniis capiundis homines absterrere. *Id. Planc.* 27. Neminem a congressu meo neque janitor meus neque somnus absterruit. [*Praep. addit etiam *Hor. Sat.* 2, 5, 83.] *Tac. A.* 12, 45. Nisi Pharasmanem bello absterruisset. *Titinn.* ap. *Non.* 2, 198. Absterrere lenonem aedibus. *Hor. Sat.* 1, 4, 128. Sic teneros animos aliena opprobria saepe Absterrent vitiis. *Plin.* 8, 16, 18. Quia ceteri metu poenae similis absterrentur eadem noxa. *Pl. Truc.* 2, 1, 41. Ubi quamque nostrarum videt prope aedes, item ut de frumento anseres clamore absterret, abigit. ℙ *Absterrere aliquid alicui*, hoc est alicui auferre, vel ab aliquo depellere [*sive a se arcere, vitare] quidam afferunt ex *Lucret.* 4, 1060. et 1230. item 5, 844. Alii autem ubique *abstergere* substituunt. [*Duos priores locos v. supra in *abstergeo.* Postremus ita se habet: natura absterruit auctum. — In omnibus his locis haec vera videtur esse scriptura neque scribendum vel *abstergere* vel *absterguit.* — Confunduntur a librariis *absterrere* et *abstinere* (v. *Drak.* ad *Liv.* 23, 1. et *abstrahere* (*id.* ad 2, 35. 27, 9.)].

ABSTERRĬTUS, a, um, part. ab *absterreo*, deterritus. *Liv.* 5, 41. Milites inde ipsa solitudine absterriti. [*Suet. Caes.* 20. *Ner.* 43. et add. praep. *Caes.* 59.]

ABSTERSUS, a, um, part. ab *abstergeo. Cic. Phil.* 2, 36. Fuligine abstersa. *Curt.* 5, 5. Abstersis, quas profuderat, lacrimis.

ABSTĬNAX, acis, adj., idem quod abstinens. *Petron. fr. Tragur.* 42. *Burm.* Et quid, si non abstinax fuisset? *h. e.* cibi abstinens. [*Symmach. 1, 47.]

ABSTĬNENS, tis, part. ab *abstineo*, ἐγκρατής, moderatus, continens circa pecuniam, alieni minime cupidus, in cibo et potu aliisque ad victum et vitam necessariis temperans et parcus. *Cic. Q. Fr.* 1, 11. Esse abstinentem, continere omnes cupiditates, praeclarum est. *Id. Off.* 1, 40. Praetorem decet non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere. *Hor. Od.* 4, 9, 37. animus abstinens Ducentis ad se cuncta pecuniae. [*Id. 3, 7, 18. abstinentem absolute appellat Peleum libidinum illecebras fugientem. — Comp. *Abstinentior* ap. *Auson. gratiar. act.* 28. In cibis autem cujus sacerdotis abstinentior caeremonia? *F.*] Sup. ap. *Plin. ep.* 6, 8. Homo est alieni abstinentissimus. *Col.* 12, 4. Abstinentissimus rebus Venereis. [*id. 11, 1. somni et vini abstinentissimus.]

ABSTĬNENTER, adv. ἐγκρατῶς, cum abstinentia, moderate. *Cic. Sext.* 16. Saturninus tribunus plebis, vigilans homo, et in causa populari, si non moderate, at certe populariter abstinenterque versatus. *August. d. mor. Manich.* 2, 13. Abstinentius vitam ducere.

ABSTĬNENTĬA, ae, f. ἐγκράτεια, virtus ab illis rebus abstinens, quas perperam appetimus. [*At id proprie non significat neque hoc v. neque v. abstinens. V. mox.] Praecipue vero opponitur avaritiae et alieni cupiditati, (v. *Cic. Off.* 2, 22.) et moderationem animi circa pecunias maxime significat. Quare differt a *continentia*, quae vetitas voluptates moderatur. *Cic. l. c.* Nulla re facilius conciliare benevolentiam multitudinis possunt ii, qui reipublicae praesunt, quam abstinentia et continentia. [*Sermo ibi in antecc. est de avaritia. Abst. et cont. complectuntur eas virtutes omnes, quibus moderatum et aequum efficitur imperium, quod *Suet. Dom.* 23. dicit abstinentia et moderatione insequentium principum.] *Id. Sext.* 3. Possum multa dicere de provinciali in eo magistratu abstinentia. *Sall. C.* 3. Pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, avaritia, largitio vigebant. *Nep. Ep.* 4. Tentata ejus est abstinentia a Diomedonte: namque is Epaminondam pecunia corrumpendum susceperat. ℙ *Val.* tamen *Max.* promiscue continentiam pro abstinentia posuit 4, 3. *n.* 6. 7. 11. et 14., et abstinentiam pro continentia *ib. n.* 3. *ext.*, quod facit etiam *Sen. Contr.* 1, 2. *s. f.* Etiam *Quint.* 1, 2. dum in praeceptore abstinentiam laudat, continentiam et universim morum sanctitatem intelligit. Adde *Nep. Arist.* 1. [*At ibi abst. maxime de rebus alienis intelligenda. Cf. *ib.* 3.] Etiam *Cic.* aliquando continentiam pro abstinentia ponit, ut ad *Q. Fr. ep.* 1, 1. [*Verba haec sunt: nam esse abstinentem, continere omnes cupiditates — praeclarum magis est, quam difficile. Discrimen utriusque verbi ita constituit *Ausonius Popma*: Abstinere est inhibere manus et animum a rebus alienis. Continere est temperare a cupiditatibus et illecebris voluptatum. Unde abstinentia est virtus, qua ab alieno abstinemus, continentia est, quae cupiditates refrenat ac rationis imperio subjicit. Haec in viro temperante est, illa in innocente (huc facit locus *Sallust. Cat.* 57. ubi de Catone: cum innocente abstinentia certabat). Cujus discriminis (quod, si tanti esset, confirmari posset aliis etiam locis; cf. modo de v. *abst. Suet. Caes.* 54. *Oth.* 3. *Tit.* 7. *Dom.* 9. *Cic. Att.* 5, 17.), si quid utrumque verbum proprie significaret, quaerere voluisset, rationem facile expedivisset *Forcellinus.* Debebat igitur hanc primam v. *abstinere* commemorare significationem, quae est *aliquam rem non attingere.* Contra *continere se* est *coercere se, cupiditates, affectus.* Hinc pronum erat, *abstin.* eam maxime significare virtutem, qua non attingimus aliena; *contin.*, quum cupiditates frenamus neque libidinibus indulgemus. Verum quum *abstin.* etiam ad alias res plurimas referatur (v. in *Abstineo*), *continentia* vero, quum alienarum quoque rerum sit quaedam cupiditas, etiam ad hanc referri et recte avaritiae opponi possit, nil mirum, quod promiscue usurpantur, ut nihil concedi possit, nisi alterum de hoc, alterum de illo fuisse usitatius. De quo conferri possunt etiam ea, quae noster in v. *continentia* attulit. Ac primum quidem latius patet vis v. *abstinentia* omninoque significat eam virtutem, qua vitatur sumptus nimius, ut ap. *Nep. Ages.* 7. (in Agesilai domo) plurima (signa) patientiae (vitae durae, modicae, sobriae, καρτερίας) et abstinentiae (ἐγκρατείας). Quamquam fuerunt, qui abstin. hic pro contin. dictam opponi vellent antec. v. *libidinis.* V. *Bremi.* Tum *abstin.* et *abstinere* dicitur etiam de libidinibus, ut ap. *Suet. Cal.* 36. *Ter. Hec.* 1, 2, 64. et v. *abstineo.* Denique *continentia* de rebus aliorum est explicandum ap. *Cic. ad Q. Fr. l. c.* Sic ut nullum te signum, nulla pictura — nulla conditio pecuniae — ab summa integritate continentiaque deduxerit (continentia et integritas etiam alio in loco ejusdem epistolae conjunguntur). Et cf. *Caes. b. c.* 1, 23.] ℙ Pro temperantia in cibo et potu. *Plin.* 27, 9, 55. Radix ejus post unius diei abstinentiam bibitur. *Quint.* 2, 17. Febrem quiete et abstinentia mitigavit. Sic *Sen. de Ira* 2, 27. Scalpellum, abstinentia, et alia, quae profutura torquent. *Plin.* 25, 5, 24. Corpus praeparandum cibis acribus, abstinentia vini, pridie coenae abstinentia. *August. de mor. Man.* 2, 13. Abstinentia a vino et carnibus. ℙ Item pro inedia. *Tac. A.* 4, 35. Egressus senatu vitam abstinentia finivit. *Cels.* 2, 16. Abstinentiae duo genera sunt: alterum, ubi nihil assumit aeger; alterum, ubi non nisi quod oportet. ℙ De aliis rebus. *Sen. Contr.* 2, 9. *a med.* Qui sibi abstinentiam conviciorum imperaverunt. *Quint.* 11, 3. Abstinentia Veneris.

ABSTĪNĔO, es, ui, entum, a. 2. ἀπέχομαι, cohibeo, contineo, tempero: ex *abs* et *teneo*. *Cic. Brut.* 1, 17. Ut se maledictis non abstineat. *Id. Fin.* 3, 11. Quo minus homines nullo dedecore se abstineant. *Id. Fam.* 7, 26. Qui me ostreis et muraenis facile abstinebam. *Hor. A. P.* 414. Abstinuit Venere et vino. [*Eutrop.* 3, 3. bello.] *Suet. Tit.* 7. Abstinuit alieno, ut si quis unquam. *Id. Tib.* 71. Sermone Graeco abstinuit. *Tac. A.* 3, 3. Tiberius et Augusta publico abstinuere. [*Suet. Aug.* 65.] *Cic. Acad.* 2, 17, 55. A quibus ne tu quidem jam te abstinebis. *Auct. dial. de or.* (qui a quibusdam *Quintil.* ab aliis *Tacito* tribuitur) 40. Cum plurimi ne a P. quidem Scipione aut Sulla abstinuerint. [*His, si opus esset, multa possent addi. Varia enim omnino hujus verbi est ratio. Cf. *Suet. Caes.* 14, 24. *Aug.* 52. *Cl.* 12. *Justin.* 1, 1. imperio abst. V. *Drak.* ad *Liv.* 38, 16. *Ovid. Met.* 10, 532. abstinet coelo i. e. non adest in coelo (de Venere). *Liv.* 29, 25. abstinere numero, i. e. numerum non afferre. Sic abst. nominibus (reticere nomina) *Curt.* 6, 9. *Tac. A.* 13, 14. principis auribus abstinere i. e. parcere. Commemorandus erat *Virgilii* quoque locus *Aen.* 2, 534. Non tamen abstinuit nec voci iraeque pepercit, ubi quod absolute dixit *abstinuit*, significat: non potuit a se impetrare, se continere, quin loqueretur.] ℙ Cum infin. *Suet. Tib.* 23. Quando ita praefari non abstinuerit. *Pl. Curc.* 1, 3, 24. Dum mihi abstineant invidere. [*cf. *Sil.* 12, 44.] ℙ Cum particula *quo minus* et conjunctivo. *Suet. de Gramm.* 3. Ut ne clarissimi quidem viri abstinuerint, quo minus et ipsi aliquid scriberent. [*Cum partic. *quin. Liv.* 2, 45. aegre abstinent, quin castra oppugnent. Cum partic. *ne. Id.* 3, 11. multum — se abstinebant, ne — offerrent.] ℙ Poetice cum genitivo, more Graecorum. *Hor. Od.* 3, 27, 69. Abstineto irarum calidaeque rixae. [*Ter. Heaut.* 2, 3, 132. gemitus, screatus, tussis, risus abstine. At hic est accus. Cf. antecc. Sed similia vid. ap. *Rudd.* II. p. 120.] ℙ Cum accus. rei [*est enim v. activum, atque hoc prius a *Forc.* commemorandum erat; tum demum ii poterant loci afferri, in quibus vim habet neutralem] significat arcere, cohibere, avertere. *Cic. d. Or.* 1, 43. Ab alienis mentes, oculos, manus abstinere. *Liv.* 1, 1. Duobus, Aenea Antenoreque, omne jus belli Achivos abstinuisse. [*Ita sine praepos. etiam *Hor. Sat.* 2, 3, 202. abstinuit vim uxore. Cf. *Ovid. Met.* 8, 751. *Ter. Hec.* 1, 2, 64. et v. *Drak.* ad *Liv.* 5, 43. *Burm.* ad *Petron.* 112. p. 519.] *Id.* 7, 27. Ab aede tantum Matris Matutae abstinuere ignem. *Id.* 42, 26. Non aequum eum facere, qui ab sociis suis non abstineret injuriam. *Pl. Rud.* 2, 4, 11. Potin' ut me abstineas manum? *Id. Most.* 4, 2, 17. Abstine jam sermonem de istis rebus. ℙ Etiam cum accus. personae [*exempla nonnulla jam supra attulit]. *Liv.* 8, 24. de Alexandro Epiri rege: Quamquam Romano bello fortuna eum abstinuit. [*Pl. *Amph.* 3, 2, 45.] *Id.* 2, 22. Recens accepta clades Latinos ne ab legatis quidem violandis abstinuit. [*Id.* 2, 16. Ne ab obsidibus quidem iram belli hostis abstinuit. *F.* *cf. *Caes. b. g.* 7, 47.] *Mart.* 9, 86. Non se, convivas abstinet ille suos, *h. e.* ipse non abstinet a conviviis, sed convivas non vocat. [*Sic optimi quique scriptores, cf. *Davis. Oudend.* et *Herz.* ad *Caes. b. g.* 8, 44. *Drak.* ad *Liv.* 2, 22, 45. *Burm.* ad *Quintil. Decl.* 12, 10. Hinc etiam pass. *Liv.* 5, 50. ut auro abstineretur. *Sall. fr. hist.* 3, 11. p. 78. tergis abstinetur. cf. infra. Ceterum nota, quod *Pallad.* dixit 3. *Febr. tit.* 24. si se imber abstineat, i. e. si non pluat.] ℙ Cum solo accusativo [*at ita etiam in *Ter.* loco quem supra affert] pro coercere, cohibere, continere. *Cato* ap. *Festum* in *Repastinari*. Ego jam a principio in parsimonia atque in duritia atque industria omnem adolescentiam meam abstinui. ℙ *Abstinere manus a se* vel *ab aliquo* saepe refertur ad necem. *Cic. Tusc.* 4, 37. Alexander cum interemisset Clitum, vix a se manus abstinuit. [*Cf. *Vatin.* 4. *Tibull.* 1, 3, 4. Abstineas avidas, Mors — manus. Sed ap. *Tac. H.* 2, 44. non abstinere manibus est i. q. alicui vim inferre.] ℙ Ap. JCtos *abstinere hereditate* dicitur heres, qui sibi jure debitam hereditatem adire recusat. *Pomp. Dig.* 29, 2, 11. Impuberibus liberis omnimodo abstinendi potestas sit. *Julian. ib. l.* 44. Quoties pupillus patri heres extitit et abstinuit se hereditate. ℙ Dicitur etiam tutor *pupillum abstinere hereditate*, cum ab ea adeunda revocat. *Papin. Dig.* 27, 3, 18. Cum tutor pupillum paterna hereditate abstineat. *Scaev. Dig.* 12, 6, 61. Tutores pupillum abstinuerunt. ℙ Hinc Part. *Abstentus*, quod v. supra suo loco. ℙ *Abstinere*, inediam pati. *Cels.* 2, 12. *med.* Pridie abstinere debet aeger, ut aptus tali curationi sit. *Col.* 8, 5. Pulli abstineri debent, dum concoquant [*quod *id. ibid.* dicit pullos — aqua ciboque abstinere. Cf. *id.* 6, 7, 26. 8, 5. *Pallad.* 6. *Maj. tit.* 7.] ℙ *Abstinere*, carere, immunem esse. *Pl. Aul.* 4, 1, 15. Qui ea curabit, abstinebit censione bubula. ℙ Abstinere aliquem, ab ecclesia separare, est *Cypr. ep.* 39. ℙ Et impersonaliter. *Liv.* 5, 50. Ut sacro auro abstineretur. *Id. ib.* 21. Ut ab inermi abstineatur. ℙ Part. *Abstinendus* ap. *Col.* 6, 7. Bos primo die cibo abstinendus. *Sen. ep.* 75. Urendus, secandus, abstinendus sum. *Pl. Trin.* 2, 1, 30. Amor procul adhibendus est atque abstinendus. [*Confunduntur in libris *abst.* et *absterrere* (v. h. v.) et *absistere* (*Drak.* ad *Liv.* 31, 17, 10.)]

ABSTO, as, stiti, n. 1. ἀφίσταμαι, longe sto. *Hor. Art. P.* 361. Ut pictura poesis erit, quae, si propius stes, Te capiet magis, et quaedam, si longius abstes. Adde *Ep.* 1, 18, 58. [*At ibi *abstes* mera est *Bentleji* conjectura nullo apto confirmata argumento. Vulg. *absis* rectissime se habet. Ap. *Pl.* quoque *Epid.* 5, 2, 9. fuerunt, qui *prope abstes* scribendum esse conjicerent.]

ABSTOLLO. V. in ABSTULO.

ABSTRACTĬO, onis, f. Legitur ap. *Dictyn Cretens.* 1, 4. abstractio conjugis animum permoverat, sed is in latina lingua dubiae admodum est auctoritatis.

ABSTRACTUS, a, um, part. ab *abstraho*. *Cic. Tusc.* 4, 17. Animus abstractus ab integra certaque ratione. *Id. Divin.* 1, 31. A corpore animus abstractus. [*Sermo ibi est de vatibus, quorum animus divina quadam vi incitatus corporis vinculis solutus ad altiora evehitur.] ℙ Item vi abductus. *Stat. Achill.* 1, 152. ipsi mihi saepe queruntur Centauri raptasque domos abstractaque coram Armenta. *Virg. A.* 8, 263. Abstractae boves. [*Ov. *Met.* 3, 696. — *Tac. A.* 4, 13. paternis adversis foret abstractus i. e. in perniciem datus. Cf. *Hist.* 4, 2.] ℙ Abstracta quantitas dicitur ab *Isid. Orig.* 2, 24. quam intellectus ut a materia separatam considerat: quae loquendi ratio valde est scholis philosophorum familiaris.

ABSTRAHO, is, axi, actum, a. 3. avello, abduco, abripio, ἀποχωρίζω, ἁφαιρέω. *Plin.* 9, 45, 69. Spongiae ubi avulsorem sensere, contractae multo difficilius abstrahuntur. *Liv.* 3, 44. Sequi se jubebat cunctantem vi abstracturus. *Ter. Andr.* 3, 2, 39. Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego? [*cf. 1, 5, 8.] *Cic. Coel.* 24. Cum Metellus abstraheretur e sinu gremioque patriae [*s. praep. *Ov. Met.* 13, 658.] *Id. Font.* 17. De matris conspectu avellere et abstrahere. *Liv.* 39, 49. Abstrahere aliquem ex oculis hominum. *Id.* 37, 27. *med.* Abstrahere naves e portu. Al. leg. a portu. [*Sic recte *Drak.* Sed idem ostendit, recte dici posse abstrahere ex, afferens 39, 49. abstr. ex oculis hominum.] *Ov. Her.* 16, 154. Quam tu de thalamis abstraherere meis. *Pl. Men. prol.* 66. Abstraxit hominem in malam crucem. [*Liv. 29, 6. Rhegium abstracti fuerant. Cf. *Ter. Ad.* 5, 3, 57.] *Caes. b. g.* 7, 14. Abstrahere liberos in servitutem. *Curt.* 3, 2. Abstrahere aliquem ad supplicium capitale. [*Cic. *Fam.* 10, 18. si quos milites a Lepido abstraxissent i. e. a Lepido in suas partes traduxissent.] Et translate *Cic. Brut.* 68. Nisi eum majoris gloriae cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. [*Nep. *Dat.* 4. Datames etsi a majore re abstrahebatur (a majore re, quam moliebatur, avocabatur)]. ℙ Cum ablativo sine praeposit. *Tac. A.* 2, 5. Ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret. ℙ Translate *Cic. Dejot.* 14. Abstrahere a sollicitudine. *Id. Divin.* 1, 37. A sensu mentis abstrahere. *Id. Or.* 1, 18. Abstrahi a consuetudine. [*cf. *Arch.* 6.] *Sall. Jug.* 31. A bono honestoque in pravum abstrahi. [*Non omittendus erat locus *Sall. Jug.* 45. omnia in duas partes abstracta erant. — Cum pron. person. *Cic. Brut.* 74. Cotta se valde dilatandis literis a similitudine graecae locutionis abstraxerat (ab ea recesserat). *Somn. Scip.* 9. animus quam maxime se a corpore abstrahit. *Ter. Hec.* 3, 1, 17. vix me hinc abstraxi (explicui, evasi) atque impeditum in eo expedivi animum — hem nova res orta est, porro ab hac quae me abstrahat.] ℙ *Abstraxe* pro *abstraxisse* dixit *Lucret.* 3, 65.

ABSTRICTUS, a, um, part. ab inusit. *abstringo*. Quidam afferunt locum *Livii* 24, 7. Tanquam laxaret elatum pedem abstricto nodo. [*Volunt esse abstringo id. q. *solvo*.] Sed rectius leg. alii *ab stricto nodo*.

ABSTRĪTUS, a, um, part. ab inusit. *abstĕro*, detritus: ab *abs* et *tritus*. *Hieron. ep.* 22. *Eustoch. n.* 29. Viduae otiosae et curiosae, quae rubore frontis abstrito parasitos vincunt mimorum, *h. e.* perfricta fronte. [Alii leg. *attrito*. *F.*]

ABSTRŪDO, is, usi, usum, a. 3. ἀπωθέω, ἀποκρύπτω, abscondo, intus abdo, de industria celo, ut *Serv.* ad *Aen.* 6, 7. exponit. *Pl. Aul.* 4, 6, 13. Aurum ubi abstrudat senex. [*4, 5, 3. 8, 7.] *Cic. Acad.* 2, 10. Naturam accusa, quae in profundo veritatem penitus abstruserit. *Id. Att.* 12, 15. Mane me in silvam abstrusi densam et asperam. *Tac. A.* 4, 69. Tectum inter et laquearia tres senatores ses eabstrudunt. *Ib.* 3, 6. Abstrudere tristitiam. [*ib. 15, 5. metum.] ℙ Joculariter *Pl. Rud.* 4, 3, 68. Jam in cerebro colaphos abstrudam tuo [*i. e. colaphos tibi infringam, qui quasi usque ad cerebrum propter vehementiam penetrent.].

ABSTRŪO, is, a. 3. ἀποκρύπτω. *Tertull. adv. Marc.* 4, 27. Negat lucernam abstruendam, sed confirmat super candelabrum proponendam. *Id. de Praescr.* 26. Ipse docebat lucernam non sub modio abstrui solere, sed in candelabrum constitui. *Al. leg.* obstrui.

ABSTRŪSĬO, onis, f. *Arnob.* 5. *p.* 183. Seminis abstrusio.

ABSTRŪSĬUS, adv. plus abdite. *Ammian.* 28, 1. *prope fin.* (*al.* c. 11.) Inter reos recepti vocatique edictis semet abstrusius amandarunt.

ABSTRŪSUS, a, um, part. ab *abstrudo*, abditus, reconditus, ἀπόκρυφος. *Cic. Agr.* 2, 18. Penitus abstrusas insidias alicui ponere. [*cf. *ib.* 1, 4. *Id. Dom.* 10. reconditus et penitus abstrusus dolor. *Ov. Her.* 7, 147. abstrusa terra.] *Plin. Pan.* 45. Otio aut situ abstrusus et quasi sepultus. *Id. ib.* 63. Abstrusus atque abditus. *Suet. Vit.* 16. Abstrusus gestatoria sella. *Virg. A.* 6, 7. semina flammae Abstrusa in venis silicis. [*cf. *Georg.* 1, 135.] *Vellej.* 2, 129. Serpens abstrusa terrae. *Apul. Met.* 3. Propter invisos mores in solitudinem semper abstrusa. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 2, 10. Disputatio copiosa illa quidem, sed paulo abstrusior [*h. e.* paulo altius petita, reconditior. Addimus *Claud. de Mall. Theod. Cons.* 148. melius magnoque petendum Credis in abstrusa rerum ratione morari? Dicitur de eo, qui remotus a publica luce literis et rerum contemplationi operatur.] ℙ *Abstrusus homo* dicitur, qui consilia sua magnopere tegit. *Tac. A.* 1, 24. Abstrusus et tristissima quaeque maxime dissimulans Tiberius. ℙ *Esse in abstruso* ap. *Ammian.* 17, 7. (*al.* 15.) est ignotum esse. *In abstruso situm esse*, absconditum tectumque esse, *Pl. Poen.* 1, 2, 129.

ABSTŬLO, is, pro *aufero*, ab obsoleto *tulo*, [quod v.] et ipsum obsoletum est. *Pl. fragm.* ap. *Diom.* 1. *p.* 376. *P.* Aulas abstulas. Al. leg. *abstollas:* ut sit *abstollo, is*, ut *contollo, attollo*. Sic *Pacuv. ib. p.* 378. Custodite hunc vos, ne quis eum abstollat neve attigat. Sed *Charis.* legit *vim attulat:* et *Non.* 4, 35. *ne eum quis attollat.*

ABSUĒTŪDO, inis, f. desuetudo. *Apul. Apol.* Mulier sancte pudica, absuetudine conjugis torpens.

ABSUM, ăbĕs, abfui, anom. ἄπειμι, remotus sum, disjunctus sum, ex *ab* et *sum:* significat distantiam tum personae, tum rei. *Ter. E.* 3, 5, 53. Ita ut fit, domini ubi absunt. *Cic. Fam.* 2, 1. Te abfuisse tamdiu a nobis dolui. *Id. Fam.* 4, 6. Et domo absum et foro. [*Acad.* 1, 1. quum villa abessemus.] *Id. Planc.* 27. Nunquam ex urbe abfuit, nisi forte necessitate. *Pl. Epid.* 5, 2, 16. Abesse ab domo. *Ov. Rem. amor.* 773. ibas sine conjuge Creten, Et poteras nupta lentus abesse tua. [*In multis horum locorum abesse est *peregre esse* et *proficiscendi* vim in se habet (ἀποδημεῖν). Hinc *Suet. Tib.* 38. praeterquam in propinqua oppida nusquam afuit. — Praeterea addimus *Ovid. Met.* 3, 563. jussis mora abesto. 9, 632. mox ubi finis abest i. e. non desinit idem facere. Cf. *ib.* 12, 87. *Curt.* 3, 2. ratus pluribus curam, omnibus afuisse fortunam (destitutos fuisse). Denique *Pl. Trin.* 4, 3, 5. si aberis ab heri quaestione i. e. si non aderis, cum herus te quaeret. Sed ibi al. *abieris.*] ℙ Cum casibus temporis et distantiae. *Cic. Fam.* 4, 3. Etsi abfui magnam partem consulatus tui. *Id. Sext.* 12. Edixit, ut ab urbe abesset millia passuum ducenta. *Id. Att.* 5, 16. Castra, quae aberant bidui. *Ib.* 8, 14. Loca quae absunt biduum aut triduum. [*Virg. A.* 11, 907. nec longis inter se passibus absunt. — Accuratius notanda erat v. *abesse* cum dat. constructio, ubi *abesse* est *disjunctum esse, non adesse in aliquo* vel *apud aliquem*, cujus nonnulla exempla reliquis immixta infra attulit noster. Vid. *Cic. Leg.* 1, 2, 5. *Brut.* 80. et ap. eund. *Offic.* 1, 14, 43. cum vulgo legeretur tantum abest *ab* officio, *Gernh.* cum plurimis libris omisit praepositionem, *officio* pro dativo habens. Saepissime ita poetae. *Tib.* 1, 5, 2. at mihi nunc longe gloria fortis abest. Cf. *Hor. Od.* 1, 9, 17. 3, 24, 64. *Ov. Met.* 14, 371. ubi vulg. *regis;* ut abstineamus iis locis, in quibus etiam ablativi potest esse forma, nos tamen dativum putamus esse.] ℙ Cum adv. *longe, prope, procul, multum, parum* [*at male et barbare dicunt *parum abest quin*. Parum est *non satis*. Ex *Suet. Ner.* 28. quod afferunt: parum abfuit quin — recte ibi legitur *paulum*. Dicendum est igitur *non multum, paulum* (*Caes. b. c.* 2, 35. *minimum ab. Suet. Aug.* 14.) *abest*, vel *prope est ut* (*Liv.* 2, 65.)] et similibus. *Id. Att.* 6, 3. Tu autem abes longe gentium. *Id. ibid.* 1, 1. Quoniam propius abes. *Id. Fam.* 3, 5. Procul enim aberam ab re ipsa et locis. [*Ter. Heaut.* 4, 2, 1. haud multum (permultum *Bentl.*) a me aberit infortunium.] ℙ Translate *Caes. ad Cic. post ep.* 16. *l.* 9. *ad Att.* Nihil a me abesse longius [*i. e. nullo me minus vitio laborare] crudelitate. *Cic. Acad.* 1, 36. Longe aberit, ut argumentis credat philosophorum. [*pr. *R. Dejot.* 13. Quod abest longissime i. e. omnium minime fit.] *Id. Fam.* 6, 2. Abesse [*liberum esse] a culpa. *Id. ibid.* 12, 22. Quidquid acciderit, a quo mea culpa absit, animo forti feram. *Id. Or.* 1, 60. Abesse a sententia aliqua [*non probare]. *Id. Divin.* 1, 21. a consuetudine [*somniorum, i. e. *abhorrere*, ut *Att.* 8, 23. a consilio fugiendi; et sic saepe apud *Ciceronem*. Cf. *Fin.* 3, 2, 6. ab eo plurimum absum (minime volo). Similia v. ap. *Nep. Ages.* 5. *Tim. Att.* 1, 12. Itidem *abhorrere* explices ap. eundem *Epam.* 1. abesse ab principis persona. *Sallust.*

Cat. 6. aberant a periculis i. e. nolebant adire pericula. *Liv.* 8, 32. Nec procul seditione aberant. V. *Drak.* ad 6, 16. Denique *Tac. A.* 1, 23. haud multum ab exitio legati aberant, i. e. prope in eo erant, ut interficerentur. Diversum est, quod *Nep.* dicit *Chabr.* 3. tantum se ab invidia putabant afuturos, ut recte ediderunt pro *futuros*, quocum loco compara *Liv.* 3, 38.] ℙ Significat aliquando deesse. *Varr. r. r.* 2, 2. Si cui vetustate dentes absunt. *Cic. Brut.* 80. Aberat tertia illa laus, quae permoveret atque incitaret animos. *Id. Or.* 1, 11. Quid huic abesse poterit de maximarum rerum scientia? *Id. Leg.* 1, 2. Abest historia litteris nostris. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 22, 60.] ℙ Est tamen aliquod discrimen inter *abesse* et *deesse:* nam *abesse* dicuntur ea, quae non multum aut nihil interest habere: *deesse*, quae habere oportet. *Cic. Brut.* 80. de M. Calidio summo oratore: Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit: si opus erat, defuit. [*Sed hoc discrimen non ubique observari, ostendunt ipsi illi, quos noster affert, loci.] ℙ *Abesse ab aliquo* interdum est inferiorem esse. *Cic. Brut.* 62. Multum ab iis aberat L. Fufius. [**Id. fr. or. in Clod.* ap. *Ascon. et Non.* longe te a pulchris abesse sensisti. *Hor. A. P.* 370. Abest virtute diserti Messalae, nec scit quantum Cascellius Aulus. Sed cum *Cic. Off.* 1, 16. dicat: nulla re longius absumus a natura ferarum — ubi abesse explicari possit *superiorem esse* — apparet, hoc verbum in his locis omnino significare *distare*, idque quomodo intelligendum sit, ex cujusque loci ratione ipsa petendum esse.] ℙ *Aliquem abesse alicui* significat non navare illi operam suam. *Cic. Sull.* 5. Mirari desinat, me, qui Autronio abfuerim, Sullam defendere. [*Opponitur *alicui adesse*, quod v. Omnino frequentius est *deesse alicui* (deserere aliquem); sed dicitur etiam abesse, ut *Ovid. Met.* 4, 649. ne longe tibi Jupiter absit. Cf. *Virg. A.* 2, 620. 7, 498. *Stat. Theb.* 3, 666. procul haec tibi mollis Infula terrificique aberit dementia Phoebi. Eodem pertinet *Caes. b. g.* 1, 36. nomen P. R. longe iis afuturum i. e. nihil iis auxilii laturum, ad quem locum *Oudend.* plura collegit. Apud *Ciceronem Acad.* 2, 11, 36. verba: facile, etiam absentibus nobis, veritas se ipsa defendet — contra eos, qui *tacentibus nobis* scribebant, eodem modo defendit *Goer.*] ℙ *Tantum abest ut*, elegans loquendi formula, altero *ut* sequente, vel etiam non sequente: *Cic. Phil.* 11, 14. Ego vero istos tantum abest ut ornem, ut effici non possit, quin eos oderim. *Id. Off.* 1, 14. Id tantum abest ab officio, ut nihil magis officio possit esse contrarium. *Id. Brut.* 80. Tantum abfuit, ut inflammares nostros animos; somnum vix tenebamus. *Id. Att.* 13, 21. tantum porro aberat, ut binos scriberent; vix singulos confecerunt. *Id. Fin.* 2, 17. Qui occultus et tectus dicitur, tantum abest, ut se indicet, perficiet etiam, ut etc. [*cf. *ib.* 5, 20. ubi ante *etiam* edd. nonn. addunt *ut*. Sed v. ibi *Goer.*] ℙ Effertur etiam per epiphonema, sine membro consequente. *Cic. Att.* 6, 2. Dixerim, me vel plurima vincula tecum summae conjunctionis optare: tantum abest, ut ego ex eo, quo adstricti sumus, laxari aliquid velim. ℙ Dicimus etiam *tantum abest ab eo, ut*, eodem sensu. *Cic. Tusc.* 1, 31. Tantum abest ab eo, ut malum mors sit, ut verear, ne etc. [**Caes. b. g.* 5, 2. neque multum abesse ab eo, quin — deduci possent. *Liv.* 25, 6.] ℙ *Ne* pro *ut* addidit *Cic. Or.* 68. *fin.* Tantumque abest, ne enervetur oratio compositione verborum, ut aliter in ea nec impetus ullus, nec vis esse possit. Nisi Cic. forte lapsus est in *ἀνακόλουθον*, quod alibi fecisse scimus. V. in Ut. [*Videri possit *Cic.* dicturus fuisse: tantumque abest, ne — enervetur oratio ut verendum sit. At nobis hoc non valde probatur, et omnino suspectus videtur esse locus. *Schütz., Ernest.* praeeunte, dedit *ut.*] ℙ *Tantum absum* pro *tantum abest. Hirt. b. Al.* 22. Milites nostri tantum abfuerunt, ut perturbarentur, ut incensi potius etc. [*Hoc loco ne quis putet defendi posse quod multi hodie barbare dicunt, tantum abest, ut — ut *potius* — bene docet *Ramsh.* in *gr. l.* p. 602. eum huc trahi non posse; *potius* pertinet tantum ad *incensi*. Sed in isto loco permulti libri omittunt *potius* ac videtur librariis deberi. V. *Oudend.* Nonnulla in hanc rem disputavit *Bardili* in *Scebod. bibl. crit.* 1822. *Fasc.* IV. p. 412. Nobis quidem neque dixisse Romani unquam videntur tantum abest, ut — ut potius — neque dicere potuisse. Ubicunque enim ista formula utuntur, res contrarias opponunt, ubi parum apta ista est particula. Hinc est, quod *Liv.* bis dixit tantum ab. ut — ut *contra* 6, 15. et 36. (*etiam* addit *Val. Max.* 6, 2, 2. tantum a poenitentia dicti abfuit, ut etiam L. Crasso in curia graviter ferenti manum injici juberet. *Suet. Vesp.* 14. addit *insuper.*) Neminem vero speramus aut *Cic.* locum nescimus quem nobis oppositurum allatum a *Noltenio Lex. Antib.* l. p. 1843. tantum abest, ut te odio prosequar, ut te potius amem mirifice (quem nos data opera reperire non potuimus) aut locos tales, qualis hic est apud eundem *Phil.* 10, 6. tantum autem aberat a bello, ut quum cupiditate libertatis Italia arderet, defuerit civium studiis *potius quam* eos in armorum discrimen adduceret, quibuscum cf. *Tusc.* 1, 31. — Ceterum in *Hirtii* loco aliud etiam notandum. Valde inusitatum est illud *tantum absum*, quod nos an *Hirt.* dixerit non disputamus, verum quum alii semper dixerint tantum *abest*, ut scribam etc. — ap. *Hirt.* vide ne verum perspexerit *Clark.*, cui quod in nonnullis libb. reperit milites — *absunt* pr. *abfuerunt*, in *abfuit* mutandum esse videbatur.] ℙ Eleganter post se habet particulam *quin. Liv.* 42, 44. Haud multum abfuit, quin ab exulibus interficeretur. *Cic. Att.* 9, 9. Aberit non longe, quin hoc a me decerni velit. *Gracchus* ap. *eund. Or.* 70. Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit probos improbare, qui improbos probet. Similem *Gracchi* locum refert *Gell.* 11, 13. [*Virg. A.* 8, 147. nihil afore credunt, Quin etc. — Ceterum non omittendum, quod *Ovid.* dixit *Met.* 7, 179. tres aberant noctes, ut cornua tota coirent.] ℙ *Absit*, ne Dii siverint. *Stat. Silv.* 3, 4, 33. tu sordida tecta jugumque Servitii vulgare feres? procul absit. [**Procul absit* et *absit* est vox abominantis, detrectantis, improbantis. Cf. *Tib.* 1, 6, 39. 2, 1, 11. 4, 13, 7. *Hor. Ep.* 2, 2, 199. *Virg. G.* 3, 385. 4, 13. *Cic. Rab. P.* 5. *Curt.* 10, 2. et 9. Sed omnino hoc frequentissimum.] Et *Apul. Met.* 2. Absit, ut Milonem hospitem deseram. Et *ib.* 8. Absit, ut velim. *Sulpic. Sev. Dial.* 1, 2. Absit te ista quaerere. *Apul. Met.* 5. Si divini puelli, quod absit, haec mater audierit. [*Vid. *Vorst.* ad locum *Sulpic. Sev.* Ceterum probi scriptores non videntur dixisse *absit* nullo addito *nominativo* sq. *ut* vel *infin.*] ℙ *Praesens abest*, *παρὼν ἀποδημεῖ*, proverbium de iis, qui cum praesentes corpore sint, non tamen advertunt ad ea, quae dicuntur aut fiunt, cogitatione alio distracta. *Pl. Amph.* 3, 3, 22. Audis quae dico, tamesti praesens non ades. *Ter. E.* 1, 2, 112. Cum milite isto praesens, absens ut sies. ℙ Praeteritum *abfui* etiam *afui* scribi potest uno *f* extrita *b* littera, et ita scriptum legitur in Torrentini Editione *Dig.* 22, 1, 17. et 26, 8, 14. et 50, 1, 13., tametsi in aliis fere omnibus est *abfui*. Alia exempla multa ex probatis MSS. *Cic. Caes. Ov. Gell.* etc. affert *Pareus in Lex. Crit. p.* 61., item ex *Liv.* 26, 41. aliisque locis ibi citatis *Gron.* [*et *Drak.* quem cf. ad 4, 12. V. supra in *afore*. *Afui* ubique scribendum esse *Lambinus* contendit et ad *Hor. Sat.* 1, 4, 101. et ad *Nep. Con.* 1, 2. et ad *Cic. Acad.* 2, 1, 3. ubi quae contra eum disputata sunt a *Goer.*, nobis quidem non possunt placere.] ℙ Futurum infiniti *Abfore* et Partic. *Abfuturus* v. suis locis. [*Commutantur in libb. mss. *abesse* et *esse*, *abisse*, *adesse*. V. *Drak.* ad *Liv.* 6, 36. 27, 44. 23, 8.]

ABSUMEDO, edinis, f. consumptio, *δαπάνη*. *Pl. Capt.* 4, 3, 3. Quanta pernis pestis veniet! quanda labes larido! quanta sumini absumedo! [*Fictum hoc v. esse a *Plauto* ad similitudinem v. praegressi et per se apparet et reliqua ostendunt.]

ABSŪMO, is, mpsi, mptum, a. 3. *δαπανάω*, *διαφθείρω*, consumo [perdo]. *Ter. Heaut.* 3, 1, 48. Pitissando modo mihi quid vini absumpsit! [*cf. *Hor. Od.* 2, 14, 25.] *Cic. Quint.* 10. Dicendo tempus absumere. [*De *tempore* saepissime *Livius.* Vid. exempli causa 27, 15. 22. 34. quae laudat *Gifan.* in *Obss. l. l.* et cf. *Drak.* ad 27, 13.] *Plin.* 2, 9, 6. Solis radii absumant humorem. *Id. ep.* 10, 42. Incendium domos absumpsit. *Liv.* 30, 7. Absumere flammis urbem. *P. Africanus* ap. *Gell.* 7, 11. Absumere pecuniam in scortis. *Suet. Aug.* 98. Pecuniam in emptionem mercium absumpturus. [**ib.* 101. in rempublicam absumere.] *Flor.* 4, 9. Absumere spatium jactus, *h. e.* ita progredi hostes pati, ut jaciendorum missilium facultas adimatur. [*Catull.* 63, 243. Anxia in assiduos absumens lumina fletus. *F. *Virg. A.* 3, 257. absumere mensas (coll. *Georg.* 3, 268.) Notabile etiam illud *Suet. Caes.* 25. Classe vi tempestatis prope absumpta. Quod apud *Terent. Phorm.* 5, 6, 6. ex antiquissimis et plurimis libb. ediderunt: quo pacto satietatem amoris ait se velle absumere (al. sumere), sic intell.: quomodo ait se velle amore frui, ut satietur? — Mire *Ov. Met.* 1, 742. Ungulaque in quinos dilapsa absumitur (dilabitur et minuitur) ungues.] ℙ *Absumi umbrae solis* dicuntur a *Plin.* 2, 73, 75. et 5, 9, 10. cum sol ita alicui regioni ad perpendiculum imminet, ut nullas umbras faciat. ℙ Significat etiam conficere ad mortem usque. *Virg. A.* 9, 494. Me primam absumite ferro. [*cf. 3, 654.] *Just.* 2, 6. Illuvies aquarum populos absumpsit. *Liv.* 22, 39. *med.* Plures fames, quam ferrum, absumpsit [*v. *Drak.*]. *Tac. A.* 2, 24. Absumi fame. *Ib.* 6, 32. morbo. *Liv.* 8, 18. veneno. *Ter. Ph.* 2, 1, 26. cura. [*Non poterat hoc exemplum hic afferri. Omnino non semper de morte cogitandum. *Ovid. Met.* 5, 427. lacrimis absumitur (tabescit fletu). Rectius attulisset *Suet. Ner.* 37. polyphago — vivos homines laniandos absumendosque objicere, quem l. debemus *Furl.* Cf. *id. Tib.* 53. Et *Senec. Troad.* 1179. non hostis aut ruina, non ignis meos absumpsit artus i. e. me interfecit.] Absolute *Pl. Most.* 2, 1, 18. Absumpti [mortui] sumus. [**Id. Mil. gl.* 2, 4, 55. absumptus pene es. *Amph.* 5, 1, 6. *Epid.* 1, 1, 76. nisi quid tibi in tete auxili est, absumptus es (periisti, *ὄλωλας*). Cf. *Tac. A.* 15, 44.] ℙ Pro finem imponere. *Col.* 5, 10. *med.* Deinde absumpta ablaqueatione cinerem supra terram injicito. [*Dubitat de h. l. *Ponted.* ad *Col. d. arb.* 24. et scribendum putat *absoluta*. Cod. Goes. praebet *adobruta*. — Ceterum permutantur in libris *abs.* et *adsumere*].

ABSUMPTIO, onis, f. absumedo, *δαπάνη*. *Ulp. Dig.* 7, 5, 5. Res, quae in absumptione sunt.

ABSUMPTUS, a, um, part. ab *absumo*, consumptus. *Hor. Ep.* 1, 15, 27. Res absumptae [profusae]. *Virg. A.* 7, 301. Absumptae vires. [*Cf. *Ovid. Met.* 1, 543. 15, 353. et 3, 693. *Colum.* 2, 14.] *Ib.* 1, 559. Absumpta salus. *Val. M.* 4, 6. *ext.* 1. Absumptus fato.

ABSURDĒ, adv. *ἀτόπως*, inepte, ab re. *Cic. Att.* 5, 1. Absurde respondere. [*Sic *Liv.* quoque 35, 50. et cf. *Tac. A.* 13, 14. *Xenoph. Symp.* 2, 10. *οὗτος ὁ λόγος οὐκ ἀπὸ τοῦ σοφοῦ ἔδοξεν εἰρῆσθαι.*] *Id. Tusc.* 2, 4. canere. *Id. Divin.* 2, 58. aliquid dicere. *Id. Agr.* 2, 11. imperare. *Pl. Epid.* 3, 1, 6. facere. [**Vell.* 2, 77. qui *haud absurdo* dixit. In eadem formula *ib.* 83. legitur *haud* absurde. Sed illud priori loco probat *Ruhnken.* — Ceterum *haud absurde placere* dixit is, qui *Sallustii* nomen prae se fert, in *Or.* 2. *ad Caes. p.* 192. *ed. Haverc.*] ℙ Comp. *Absurdius* ap. *Julian. Dig.* 9, 2, 51. Longe absurdius constituere. Sup. *Absurdissime* ap. *Augustin. de Trin.* 4. *fin.* Absurdissime dicere.

ABSURDĪTAS, atis, f. *ἀτοπία. Claud. Mam. de statu anim.* 3, 11. Hanc absurditatem sententia sana respuit.

*ABSURDO, adv. V. ABSURDE.

ABSURDUS, a, um, adj. *ἄτοπος*, *ἄλογος*, *ἀνόητος*, inconveniens, ineptus, absonus, ab re alienus. Proprie videtur dici de sono aut voce incondita et absona, quae surdis auribus audiri digna est. *Cic. Or.* 3, 11. Vox absona et absurda. *Id. Divin.* 1, 9. ex poeta de ranis: Absurdoque sono fontes et stagna cietis. ℙ Sed frequentior ejus usus est translatus, de quacumque re inconvenienti, inepta, ab eo, quod agitur, aliena. *Cic. Sull.* 20. Jam vero illud quam incredibile, quam absurdum! *Id. Prov. Cons.* 15. Non sortiri absurdum est. *Id. Rosc. C.* 7. Est hoc auribus animisque hominum absurdum. [*cf. *Tac. A.* 12, 9.] *Id. Nat. D.* 1, 16. Multo absurdiora sunt ea, quae etc. *Id. Att.* 7, 13. Absurdissima mandata. [**Sall. Cat.* 3. pulchrum est, bene facere reipublicae; etiam bene dicere haud absurdum. Ubi v. *Wass. Cic. Att.* 16, 13. tempus discessus absurdum. *Tac. A.* 3, 47. absurda adulatio. Non praetereundum, quod *id.* dicit *Hist.* 4, 48. Ea de caede quam verissime expediam, si pauca supra repetiero ab initio causisque talium facinorum non absurda i. e. non abhorrentia. *id. A.* 6, 28. cognitu non absurda i. e. digna. Cf. 12, 24.] ℙ *Absurdus homo* dicitur, qui ad aliquam artem ineptus est. *Cic. Or.* 2, 20. Si videbitur ad mediocres oratores esse venturus, permittam ipsi quid velit: sin plane abhorrebit, et erit absurdus, ut se contineat aut ad aliud studium transferat, admonebo. ℙ *Haud absurdum ingenium*, non omnino ineptum, mediocre [*imo bonum]. *Sall. Cat.* 26. Verum ingenium ejus haud absurdum: posse versus facere, jocum movere, sermone uti vel modesto vel molli etc. *Tac. A.* 13, 45. Sermo comis, nec absurdum ingenium. *Id. H.* 3, 62. Procax moribus Valens, nec absurdus ingenio. ℙ *Absurdus* et *ineptus* in eo differunt, quod *ineptus* est tantum non aptus, non idoneus ad aliquid: *absurdus* repugnans, abhorrens. Itaque *absurdus* majus quiddam significat. [*Hujus discriminis nullam nos quidem aptam rationem perspicimus.] *Ter. Ad.* 3, 3, 22. Ratio inepta atque absurda. *Ib.* 5, 8, 21. Etsi hoc pravum, ineptum, absurdum atque alienum a vita mea videtur.

ABSYNTHĬUM. V. ABSINTHIUM.

ABSYRTIS, idis, f. et in plur. num. Absyrtides, idum, *Ἀψυρτίδες*, insulae sunt maris Adriatici, ita dictae ab Absyrto fratre Medeae ibi interfecto, ut olim creditum est. *Plin.* 3, 26, 30. Juxta Istrorum agrum Cissa, Pullariae et Absyrtides. *Lucan.* 3, 190. Colchis et Adriacas spumans Absyrtis in undas. Al. leg. *Absyrtos* pro *Absyrtus* graeca positione. Putant etiam, loqui ibi *Lucanum* de quodam fluvio, non de insula. V. voc. seq.

ABSYRTUS, i, m. *Ἄψυρτος*, Aeetae regis Colchorum et Hypseae filius, alio nomine Aegialeus dictus, [*sic *Pacuv.* ap. *Cic. N. D.* 3, 19. et *Justin.* 42, 3.] quem soror Medea cum Iasone discedens membratim discerptum circumquaque disjecit, ut sequentem se patrem in colligendis membris occupatum tardaret, ne eam fugientem assequeretur; unde locus ille dictus est *Tomos*, *h. e.* dissectio; et fluvius, juxta quem id perpetravit, *Absyrtus* vocatus. V. *Ov. Tr.* 3, 9. et *Hyg. fab.* 23. ubi aliter rem narrat.

ABTORQUĔO, es, orsi, ortum, a. 2. detorqueo, deflecto, *ἀποστρέφω*. *Accius* ap. *Non.* 3, 66. Abtorque proram.

ABVECTUS, a, um, part. ab *abveho*, avectus. *Catull. nupt. Pel.* 63, 132. Siccine me patriis abvectam perfide ab oris. Alii leg. avectam, alii abductam.

ABVĔHO. V. AVEHO.

ABVERTO, is, a. 3. averto, ἀποτρέπω. *Pl. Rud.* 1, 2, 76. Ab saxo abvertit fluctus ad litus scapham. *Hirt. B. Hisp.* 41. Ut ipse locus ad oppugnandum hostes abverteret. Ita quidam codices *Plauti* et *Hirtii* (si modo *Hirtius* est ejus libri auctor): verum plures et meliores habent *avertit* et *averteret* [*quod quidem multo rectius; nam ex analogia ubique *ab* ante *m* et *v* transit in *a*. V. *Grotefend. gr.* II. p. 183.]

*ABUDIACUM. V. ABODIACUM.

ĂBUNDANS, antis, part. ab *abundo*, affluens, copiosus, εὔπορος. Proprie de aquis exundantibus dicitur *abundans*. Hinc *Virg. Georg.* 1, 115. incertis si mensibus amnis abundans Exit. [**Cic. d. R. P.* 2, 19. abundantissimus amnis.] Sic *Plin.* 22, 25, 71. *abundantes menses* vocat mulierum menstrua largius profluentia. Et *Vitr.* 5, 9. *loca abundantia, h. e.* aquis plena dixit. ℙ Saepissime tamen dicitur de re quacumque affluenti. *Cic. Brut.* 67. Non erat abundans, non inops tamen; non valde nitens, non plane horrida oratio. *Id. Quint.* 12. Non adesa jam, sed abundanti etiam pecunia. *Id. Or.* 1, 6. Graeci homines non solum ingenio et doctrina, sed etiam otio studioque abundantes. *Id. Pis.* 26. Tu abundantior consilio, ingenio, prudentia quam Crassus. *Id. Or.* 2, 14. Timaeus et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus. [**Suet. Cal.* 17. *Ner.* 42. — *Hieron. adv. Jovin.* 1, 4. abundantior tristitia.] ℙ Speciatim ponitur pro divite. *Cic. Par.* 6, 1. Haec utrum abundantis, an egentis signa sunt? *Id. Phil.* 2, 27. Multa et lauta supellex, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. [**Suet. Aug.* 2. abundans patrimonium.] ℙ Cum genitivo *Nep. Eum.* 8. Via omnium rerum abundans. *Virg. Ecl.* 2, 20. Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans. *Claud. in Eutrop.* 2, 380. abundans corporis [*vasto corpore. cf. *id. Cons. Hon.* IV. 113]. ℙ Ex abundanti, supra id quod necesse est. *Quint.* 4, 5. Egregie vero Cicero pro Milone insidiatorem primo Clodium ostendit; tum addit ex abundanti, etiamsi id non fuisset, talem tamen civem cum summa virtute interfectoris necari potuisse. Adde *Paul. Dig.* 33, 10, 9. [*Abundans viri est nomen apud *Claud. in Eutrop.* 1, 154. et ap. alios.]

ĂBUNDANTĔR, adv. copiose, large, περισσῶς. *Plin.* 24, 9, 42. Fructum abundanter ferre. *Suet. Aug.* 74. Coenam abundantissime praebere. [**Plin.* 5, 9, 10. abundantissime crescere.] *Cic. Or.* 2, 35. Copiose et abundanter loqui. [*cf. 3, 14. *Her.* 3. *init.* satis abundanter demonstratum est.] *Id. Top.* 10. Aliis disputationibus abundantius occurrunt (*loci Topici*), aliis angustius. *Sil.* 5, 453. abundanter defusus sanguis. [**Col.* 8, 8. abundantius alere.]

ĂBUNDANTĬA, ae, f. εὐπορία, περιουσία. Proprie dici videtur de humoris aut aquae copia aut fluxu. *Plin.* 24, 18, 104. Abundantia lactis. Et 20, 23, 96. genitalurae. Et 27, 12, 79. feminarum, *h. e.* menstruorum nimius effluxus. *ib.* 27, 5, 15. Abundantia sanguinis ex vulneribus. [**Plin. Pan.* 30.] *Vitruv.* 5, 9. Abundantia palustris, *h. e.* copia aquae palustris. ℙ Saepissime usurpatur de qualibet affluentia, ubertate, copia. *Plin.* 33, 10, 48. Abundantia pecuniae. *Tac. Agr.* 33. commeatuum. [**Suet. Cl.* 40. tabernarum] *Cic. Am.* 23. Omnium rerum, quas natura desiderat, abundantia et copia. *Id. Fam.* 7, 1. Abundantia otii. *Id. Fam.* 1, 9. Abundantia amoris erga me tui. *Id. Fin.* 3, 20. voluptatum. [**Flor.* 3, 12. Abund. familiarum (servorum). *Suet. Cl.* 44. abundantiam de cibis nimium sumptis dicit.] ℙ Absolute de divitiarum copia. *Tac. H.* 2, 94. Tanquam in summa abundantia, pecuniae illudere. *Id. Agr.* 6. Ludos et inania honoris, moderationis atque abundantiae duxit.

ĂBUNDĀTĬO, onis, f. aquae abundantia. *Plin.* 3, 16, 20. Omnia ex Philistinae fossae abundatione nascentia, *scil.* flumina.

*ABUNDATURA, ae. Laudant ex *Tertull. adv. Marc.* 4, 24. per civitates abundaturam circuiens (*Fr. Junius* circumcidens) sicut et egituram per solitudinem struxerat.

ĂBUNDĒ, adv. εὐπόρως, abundanter, copiose, affatim, large: ab adj. *abundus*, ex quo intelligitur ultimam vocalem in versu producendam esse. *Cic. Divin.* 2, 1. Erit abunde satisfactum toti huic quaestioni. [**Sall. Jug.* 90. abunde dictum puto.] *Sall. Jug.* 102. Parentes abunde habemus; amicorum neque nobis, neque cuiquam omnium satis fuit. [*Cum h. l. cf. ejusd. *Cat.* 22. mala abunde omnia erant. *Id. hist. fr.* III. p. 78. *ed. Hav.* abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur, quod recte contra eos, qui *libertatem* abesse voluerunt (ut ap. *Tac. H.* 2, 95. abunde ratus si) defendit *Wass. Hor. Ep.* 1, 4, 10. Gratia, fama, valetudo contingat abunde. Cf. *Ramsh.* §. 115. N. 1. — *Abunde satis* conjunxit *Hor. Sat.* 1, 2, 59.] ℙ Regit et genitivum. *Suet. Caes.* 86. Se jampridem potentiae gloriaeque abunde adeptum. *Virg. A.* 7, 552. Terrorum et fraudis abunde est. ℙ Jungitur etiam adjectivis. Quint. 10, 1. Se abunde similes putent. *Sall. Jug.* 14. Abunde magna praesidia. [*cf. *ib.* 1. *Plin. praef.* voluisse, abunde pulchrum atque magnificum est. *Curt.* 6, 7. abunde constans animus.] ℙ *Abunde* est *alicui* est satis superque est [*sufficit.] *Cels.* 1, 3. Huic abunde est, demittere se in aquam calidam. *Plin. ep.* 4, 30. Mihi abunde est, si satis expressi, quod efficitur. *Id.* 5, 8. Utrumque tam magnum est, ut abunde sit alterum efficere. [*cf. *Colum.* 5, 3.] ℙ Gradus Comp. et Sup. adhuc desunt exempla.

ĂBUNDO, as, avi, atum, n. 1. εὐπορέω, περισσεύω. Proprie dicitur de aquis aut humoribus large aut nimis exundantibus et superfluentibus [*unde non raro conjungitur cum vv. affluere, circumfluere etc.] ab *undo*, *as. Tib.* 1, 8, 21. Qualis et, arentes cum findit Sirius agros, Fertilis aestiva Nilus abundet aqua. *Liv.* 5, 15. *fin.* Quando aqua Albana abundasset. *Plin.* 18, 22, 51. Ternis fere millibus passuum in omnem partem fons abundat. *Lucr.* 6, 266. Flumina abundare ut faceret camposque natare. *Virg. Georg.* 3, 484. Rursus abundabat fluidus liquor. *Frontin. Aquaed.* 94. Quae ex lacu abundavit, eam nos caducam vocamus. [*Sic etiam *Suet. Cal.* 57. cruore scena abundavit. — Interdum simpliciter est *effluere*. Sic *Veget. A. V.* 3, 4. si parum cruoris abundaverit (ex renibus). Afferunt ad h. l. *Scrib. d. comp.* 47. abundavit sanguis per nares. — *Apul. Met.* 7. p. 144. vestis abundat in sinus.] ℙ Saepius de quibuscumque rebus copiosis. *Cic. Divin.* 1, 29. Sive naturae deest quidpiam, sive abundat atque affluit. *Id. Sen.* 16. Villa abundat porco, haedo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. *Id. Fam.* 10, 10. Abundare honoribus. *Id. ib.* 16. consilio. *Id. Or.* 2, 35. copia orationis. *Id. Off.* 1, 1. praeceptis philosophiae. *Id. Fam.* 4, 8. ingenio. *Ter. Ph.* 1, 3, 11. amore. [**Ov. Met.* 2, 764. caligine. *Pl. Stich.* 2, 1, 6. ripas superat mihi atque abundat pectus laetitia.] *Cic. Leg.* 3, 6. Theophrastus abundavit in eo genere rerum. Alii (*Goer.*) rectius *habitavit*. ℙ Olim habuit etiam genitivum. *Lucil.* ap. *Non.* 9, 6. Quarum et abundemus rerum et quarum indigeamus. ℙ Habet praeterea alios casus vi praepositionis. *Cic. Att.* 15, 15. Cum ex reliquis, quae nonis April. fecit, vel abundare debeam, cogor mutuari. *Lucr.* 5, 918. quae de terris nunc quoque abundant Herbarum genera ac fruges arbustaque laeta, *h. e.* erumpunt, enascuntur, et velut exundantes aquae e terra exiliunt. [*Quo consilio hos locos noster attulerit, non satis intelligimus. Hoc enim certe apparet, in iis *abund. ex*, *de* non dici pro *abundare aliqua re*. Neque vero probat hoc *Livii* locus 5, 34. quod ejus ex populis abundabat, de quo variae sunt VV. DD. sententiae.] ℙ Absolute est divitem esse. *Cic. Am.* 7. Et absentes adsunt, et egentes abundant, et imbecilles valent. [**Att.* 1, 4.] ℙ Inter *abundare* et *redundare* hoc interest, quod *abundare* dicuntur quae multa sunt, *redundare* quae supervacanea. Quamquam haec differentia non semper servatur. *Ascon. in illud Cic. Verr.* 2, 1, 44. *Hoc populus R. non manu vindicasset:* confusa locutio: abundare enim videtur *non* h. e. redundare. ℙ Pro superare, excedere sensu activo. *Nerat. Dig.* 17, 1, 35. Sic et tua pars artabitur, ut non abundet mandati quantitatem. [*V. *Duk. d. Lat. ICt.* p. 309.] ℙ In antiquis quibusdam codicib. teste *Vossio in Etymol. in Unda*, legitur scriptum *habundo* cum aspiratione ad augendum vocis sonum, ut idem *Voss.* advertit: quae tamen scribendi ratio non obtinuit.

ĂBUNDUS, a, um, abundans, copiosus, εὔπορος. Hinc adv. *abunde* formatum est. *Accius* ap. *Non.* 4, 192. Neque tam abundis fortunis ferox. Al. leg. abundans. *Gell.* 1, 2. Lavacris nitidis et abundis et collucentibus. *Paulin. Nol. in Nat. XIII. S. Fel. ed. Murat.* 734. Fluxit abunda tuis aqua potibus atque lavacris.

ĂBVŌLO, as, avi, atum, n. 1. volando abeo. *Maximian. Gall.* 1, 249. Ipse etiam, cunctis requies gratissima, somnus Abvolat. *Cic. Fin.* 2, 32. Fluit corporis voluptas, et prima quaeque abvolat. Ita h. l. quidam codd.: at meliores et plures *avolat.*

*ABURIUS, nomen gentile Rom. *Liv.* 41, 15. cf. *Drak.* ad 39, 4.

ĂBŪRO, is, a. 3. uro, comburo. *Prud. Hamartig.* 787. Ruth dum per stipulas agrestis aburitur aestu. Al. rectius agresti amburitur aestu.

*ABUSINA, oppidum Vindeliciae ad Oenum et Licum. *Antonin. Itin.*

ĂBŪSĬO, onis, f. καταχρήσις. Hoc nomine designatur figura rhetorica, quam ita describit *Auct. ad Her.* 4, 33. Abusio est, quae verbo simili et propinquo pro certo et proprio abutitur, hoc modo: Vires hominis breves sunt, *aut* Parva statura, *aut* Longum in homine consilium, etc. Et *Cic. Or.* 27. Abusio, quam καταχρῆσιν vocant, ut cum minutum dicimus animum pro parvo, et abutimur verbis propinquis, si opus est, vel quod delectat, vel quod decet. ℙ Hinc *dicere per abusionem*, figura abusionis uti. *Quint.* 10, 1. Per abusionem sicarios etiam omnes vocamus, qui caedem telo quocumque commiserint. [*cf. 3, 3.] ℙ Abusio pro malo usu raro admodum invenitur. *Salv. Gub. Dei* 8. *in.* Deum inertiae et abusionis et iniquitatis accusant. ℙ Quod autem quidam afferunt ex *Cic. Att.* 11, 22. *vini abusio*, neque ibi neque alibi adhuc inveni.

ĂBŪSĪVĒ, adv. per figuram abusionis, καταχρηστικῶς. *Quint.* 8, 6. Poetae solent abusive etiam in his rebus, quibus nomina sua sunt, vicinis potius uti: quod rarum in prosa est. [*Sic etiam *Acron* ad *Hor. Od.* 1, 1, 13.] *Ulp. Dig.* 29, 3, 2. Testamentum proprie illud dicitur, quod jure perfectum est: sed abusive ea quoque testamenta appellamus, quae falsa sunt vel injusta. *Id.* 47, 10, 15. §. 40. Verberasse dicitur abusive et qui pugnis ceciderit. ℙ Sumitur etiam pro perfunctorie, dicis causa, extra ordinem. *Ammian.* 24, 4. Cum enim discessurae partes levius concertarent, abusive incusso ariete, sternitur omnibus altior turris.

ĂBŪSĪVUS, a, um, adj. per abusionem dictus, καταχρηστικός. *Auct. Paneg. ad Constantin.* 4. Nomen ipsum abusiva appellatione mutilatum.

[ĂBŪSOR, oris, m. qui rebus suis male utitur. *Salv. Gub. Dei* 8. p. 296. Perditorum hoc adolescentum speciale convicium est, ut abusores scilicet et incuriosi ac negligentes rerum suarum esse dicantur. *F.*]

ĂBŪSQUE, usque ab, praepositio ablativum casum regens, poetica magis quam oratorum propria. Scribi potest etiam divisim *ab usque* [non]. *Virg. A.* 7, 288. classemque ex aethere longo Dardaniam Siculo prospexit abusque Pachyno. [*Add. *Pl. Amph.* 1, 1, 97. abusque mane ad vesperam. *Claud. in Eutrop.* 2, 103. Sic etiam *Solin.* de quo v. *Salm. Exerc.* p. 833. et omnino posterioris aevi scriptores. Cf. *Rudd.* II. p. 286. et in praep. *A, Adusque, Inusque.*] *Apul. Apol.* Abusque Oeensium finibus. *Tac. A.* 15, 37. Animalia maris Oceano abusque petiverat.

ĂBŪSUS, a, um, part. passivae significationis. V. ABUTOR.

ĂBŪSUS, us, m. δαπάνη, absumedo, absumptio, quae utendo fit. *Cic. Top.* 3. Non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum usumfructum legavit, cellis vinariis et olearis plenis relictis, putare id ad se pertinere: usus enim, non abusus legatus est; ad quem locum v. Intpp. Hinc ab JCtis *res esse in abusu* dicuntur, quae usu omnino consumuntur et pereunt. *Ulp. Dig.* 7. 5, 5. Quae in usufructu pecuniae diximus vel ceterarum rerum, quae sunt in abusu, eadem et in usu dicenda sunt. *Id. ib. l.* 7. Idem de ceteris rebus, quae abusu continentur, intelligimus. Adde *ib.* 8, 12. et 12, 2, 11. v. ABUTOR.

[ABUTA, ae, f. nomen muliebre. *Inscr.* ap. *Grut.* 718, 6. Abutae matri Appianus Severus. *F.*]

ĂBŪTOR, ĕris, abusus sum, dep. 3. καταχράομαι, παραχράομαι, male utor, perperam adhibeo. Cic. Cat. 1, 1. Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? *Id. R. Am.* 19. Judicio ac legibus ac majestate abuti ad quaestum et libidinem. *Id. Quint.* 31. Ornamentis alicujus abuti pro spoliis. *Ter. Ph.* 2, 3, 66. Abuti muliere, *h. e.* eam vitiare. [**Suet. Tib.* 43. palamque jam et vulgo nomine insulae abutentes (alludentes ad insulae nomen) Caprineum vocabant]. ℙ Cum accusativo maxime ap. Comicos. *Pl. Poen.* 5, 4, 29. Jamdiu aedepol sapientiam tuam abusa est haec. *Ter. Andr. prol.* 5. Nam in prologis scribundis operam abutitur. *Lucr.* 5, 1032. Sentit enim vim quisque suam, quam possit abuti. [*Ita persaepe *Plautus*. V. *Rudd.* II. p. 195. Add. *Ter. Ph.* 2, 3, 66.] ℙ Interdum accipitur in bonam partem pro uti, ita tamen ut dicatur de iis rebus, quibus aliter utimur, quam a natura comparatae sunt [*minime; certe hoc non de omnibus locis valet. Et omnino abuti proprie videtur significare *in usum convertere quemcunque et plane uti* (utendo consumere), tum in usum *nimium, pravum*. Facilius enim explices, qui factum sit, ut, cum illud proprie significaret, referretur ad usum pravum, quam inversam rationem. Deinde obtinuit sign. usus immoderati, inepti et perversi. In hanc sententiam prope inclinat *Perizon.* ad *Sanct. Min.* I. p. 406. coll. p. 415. Consumendi notio est etiam ap. *Sall. Cat.* 13. *Curt.* 8, 7, 11.] *Cic. N. D.* 2, 60. Nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur. *Liv.* 27, 46. Abuti errore hostium absentium praesentiumque, *h. e.* alienum errorem per se malum ad proprium usum traducere. Adde *Cic. Fam.* 9, 6. [*studiis abuti, quem locum recte *Manut.* in bonam partem intelligit, quasi dictum sit: iis utamur pro arbitratu nostro. *ib.* 10, 5. ab. obsequio. Sed quem huc trahunt ejusd. locum *Mil.* 3. T. Annii tribunatu — non abutemur, minus huc pertinet] et *Ulp. Dig.* 7, 1, 7. [*nam imitati sunt hoc etiam pejores scriptores, ut, cujus verba affert *Furl.*, *Hier. adv. Jovin.* 1, 47. Certior hereditas est, dum advivis, bene abuti substantia tua, quam tuo labore quaesita in incertos usus relinquere, ubi abuti est *utendo consumere. Symmach. ep.* 3, 46. indulgentius abutere magnificentia.] ℙ Est etiam large et plene uti. *Cic. Verr.* 2, 5, 43. Libertate, quam vos sociis dedistis, hac ille in acerbissimo supplicio miserrimae servitutis abusus est. *Id. Att.* 16, 6. *fin.* Qui non meminissem, me abusum illo prooemio. *Ib.* 12, 6. *Col.* 7, 9. Rimari paludes, ut porci aquis abuti possint. *Quintil.* 5, 10. Potest videri hoc nomine recte abusus. *Nazar. Paneg. Constant.* 30. Adhiberem omnes flosculos et abuterer exquisito quodam lepore ac venustate dicendi. ℙ Item consumere, utendo absumere. *Cato R. R.* 76. Linito usque adeo, donec omne caseum cum melle abusus eris. Al. leg. *adusus. Cic. Verr.*

2, 2, 9. Nisi omni tempore, quod mihi lege concessum est, abusus ero, *h. e.* nisi omne tempus dicendo absumpsero. [*id. de R. P.* 1, 9. Sumus multi parati — abuti tecum hoc otio i. e. his feriis. *B.*] *Pl. Trin.* 3, 2, 56. Qui abusus sum tantam rem patriam. ℙ Hinc pass. eadem consumendi significatione. *Varr.* ap. *Prisc.* 8. p. 702. p. Utile utamur potius, quam ab rege abutamur. *Q. Hortens. ib.* Abusis jam ab omnibus locis, καταχρηοθέντων. *Pl. Asin.* 1, 3, 44. Ubi illa, quae dedi ante? *Le.* abusa sunt. (*v. Non.* 2, 69.) ℙ Ad hanc consumendi significationem pertinent notata a *Don. in Ter. Andr. prol.* 5. Utimur, inquit, fructibus rei, quae salvo usu nobis subministratur: abutimur, quando deperdimus et rem et fructum. Nam usui est ager, domus: abusui vinum, oleum et cetera hujusmodi. Et *Boeth. in Cic. Top.* 3. Utimur his, quae nobis utentibus permanent: his vero abutimur, quae nobis utentibus pereunt. ℙ Particip. *Abutens* ap. *Vellej.* 2, 105. Virum navum, agilem, providum, sed eundem, ubi negotia fecissent locum, otio liberaliter abutentem. *Abutendus* ap. *Cic. ad Brut.* 1, 3. Tibi persuadeas, non fore illi abutendum gloria tua. Et pass. signific. ap. *Suet. Galb.* 14. His adeo se abutendum permisit, ut vix sibi ipse constaret.

[ABUTUCENSIS, e, ad Abutucam vel Aptucam pertinens, urbem Africae in reg. Zeugitana. *Plin.* 5, 4, 3. Oppida civium Romanorum, Abutucense, Canopicum etc. *F.*]

ABYDĒNUS, a, um, adj. Ἀβυδηνός, ad Abydum oppidum pertinens. *Ov. Ib.* 690. Omnis Abydena sit tibi pejor aqua. *Id. Tr.* 1, 9, 28. Sestion Abydena separat urbe fretum. ℙ *Abydenus, i*, incola Abydi. *Ov. Her.* 19, 1. Mittit Abydenus, quam mallet ferre, salutem, *h. e.* Leander. *Liv.* 31, 16.

ABYDUS et Abydos. [*In libris scribitur etiam Aboedus. Vid. *Salm. Exerc.* p. 337.] f. et m. Ἄβυδος, oppidum Asiae non longe positum ab ostiis Simoentis amnis, in ora Hellesponti, cui Sestos in Europa opponitur, angusto maris freto intercedente (*Dardanellen*). *Plin.* 5, 32, 40, Oppidum appellavimus Abydum, ubi angustiae septem stadiorum. *Ov. Her.* 18, 127. Vel tua me Sestos, vel te mea sumat Abydos. *Ib.* 19, 30. aut quaero, si quis Abydon eat. *Virg. G.* 1, 207. ostriferi fauces tentantur Abydi. ℙ [Fuit etiam Abydus Aegypti oppidum, Memnonis regia, et Osiridis templo inclytum, septem millibus passuum et quingentis in Lybiam remotum a flumine Nilo. *Plin.* 5, 9, 11. *F.*]

ABYLA. V. ABILA.

ABYSSUS, i, f. ἄβυσσος. Abyssus, inquit *Isid. Or.* 13, 20., est profunditas aquarum impenetrabilis, sive speluncae aquarum latentium, de quibus fontes et flumina procedunt, vel quae occulte subter eunt: a graeco *a* intensivo et βυσσὸς ion. pro βυθός, profunditas. *Alcim. Avit.* 4, 534. Quaeque prius vomuit lethali ex ore fluenta, Objicibus propriis constricta resorbet abyssus. ℙ Ab ecclesiasticis scriptoribus sumitur etiam pro loco inferorum. *Prud. Hamart.* 835. Mersandam penitus puteo ferventis abyssi. [**Psychom.* 91.]

[ABZIRITĀNUS, a, um, ad Abziram pertinens urbem Africae in reg. Zeugitana, quae Abdera dicitur a *Ptolemaeo* 4, 3. *Plin.* 5, 4, 3. oppida libera, Abziritanum, Canopitanum, etc. *F.*]

[ABZŌAE, arum, m. populi ad sinum Scythicum. *Plin.* 6, 13, 15. *F.*]

AC

AC, καί, et, atque. Conjunctio copulativa, quae in media periodo raro vocali, saepius consonanti praeponitur, excepta *c* et *q*, tunc enim pro *ac* ponitur *et*, *atque* ad evitandum duriorem concursum. *Ter. Andr.* 1, 1, 47. Vitam parce ac duriter agebat, lana ac tela victum quaeritans. *Suet. Aug.* 19. Tumultus ac etiam rerum novarum initia. *Id. Caes.* 26. et 55. *Cic. Dom.* 50. Si illa lex est, ac non vox sceleris et crudelitatis tuae. [**Ac* seq. voc. vel lit. *h* poni a veteribus certatim negarunt antiquiores ac recentiores critici, ut *Nolten.* in *Lex. antib. Hor. Tursell. Ruhnk.* ad *Muret. T.* I. p. 9. *Spalding.* ad *Quintil.* 5, 2, 3. *Drakenb.* ad *Liv.* 10, 36, 17. 22, 2, 3. et quem laudat *Torrent.* ad *Suet. Aug.* 96. *Oudend.* ad *Caes. b. g.* 6, 38. *Tzschuck.* ad *Mel.* 2, 3, 10. *nott. critt. p.* 253. *Wolf.* ad *Suet. Caes.* 26. et in *Anal. litterar.* II. p. 288. *Bremi* ad *Nep. Ages.* 2. *Heindorf.* ad *Cic. N. D.* 1, 1. p. 4. *Held.* ad *Caes. b. c.* 1, 48. p. 60. *Herzog.* ad *b. g.* 4, 25. *B. Crusius ind. latin. Suet.* p. 95. *et* 160. *Hess.* ad *Tac. Germ.* 41. *Stallb.* ad *Rudd.* II. p. 343. *Goer.* ad *Cic. Acad.* II. p. 98. *Zumpt. gr. lat.* §. 67. Disputavit quidem contra hanc cohortem *Ramsh.* in *gr. l. p.* 516. (cf. *eph. lit. Jen.* 1818. *N.* 73. p. 126): ita autem fractus est a *Frotschero* in *exc.* V. ad *Quintil.* 10. p. 257. ut omnino dubitari amplius non posse videatur, quin ubique vel invitis libris *ac* in *atque* mutandum sit, ubi ante voc. vel *h* reperiatur. Librarii enim eo facilius in hac vocula scribenda errare poterant, quia saepenumero *atque* scribebatur ADQ. vel ACQ. — *Nec*, quod haud raro ante vocalem positum nonnulli conferebant, multo facilius pronunciatu est, quam ut possit comparari cum *ac*. — Recte vero apud optimum quemque scriptorem *ac* ponitur ante *c* et *q*, et ap. Ciceronem *ac con* adeo saepe reperitur (cf. *Caes. b. g.* 1, 44. *b. c.* 3, 75. *Cic. Tusc.* 2, 21. quae infra inepto loco protulerat *Forcell.*), apud alios etiam *ac ca; j* autem ubique consonantis loco est. Propriam tamen partic. *ac* sedem esse ante *s* narrat *Goer.* ad *Acad.* II. p. 199. *Id.* ad *Leg.* 1, 3, 8. p. 11. docet, *ac* inter *s* et *l* poni solere, ut *solutus ac liber*.] ℙ [*Plerumque conjungit haec particula notiones sibi affines omninoque synonyma, quam significationem primitivam esse apparet ex formulis *juxta, par, perinde, pro eo, pariter, aeque ac.* Vid. infra et *Herz.* ad *Caes. b. g.* 4, 25. —] Eleganter ponitur in principiis periodorum servitque transitionibus. *Cic. Div. in Verr.* 19. *Id. Mur.* 3. *Fam.* 5, 12. [*Saepe habet ab initio, maxime praegressa negatione, vim adversativam. Vid. *Herz.* ad *Caes. l. c.* et, quos laudat, *Cort.* ad *Sallust. Cat.* 3. *Bremi* ad *Nep. Dat.* 6, 4. *id.* ad *Suet. Tit.* 8. Sic *ac potius* i. q. *sed (vel) potius Cic. Att.* 3, 15, 7. si quid peccavi ac potius quoniam peccavi, ubi *Ern. aut* potius malebat. *id. Leg.* 1, 6, 18. non est ita — ac potius ignoratio juris litigiosa est, ubi al. *at.* Cf. *Heusinger* ad *Off.* 3, 6, 16. Sic etiam simpl. *ac* dici videtur pro *sed potius Cic. Fam.* 5, 12, 5. quiddam interest, non te expectare, dum ad locum venias, ac statim causam illam arripere. Eodem modo interdum id. quod *vel potius. Cic. Man.* 18, 54. ac multo maxima parte, i. e. imo, atque adeo m. m. p. *id. Or.* 16, 52. rem difficilem — atque omnium difficillimam. Vid. *Goerenz.* ad *Leg.* 3, 14, 32. — Eadem est ratio particulis negativis adjectis: *ac non* i. q. *ac non potius Cic. Att.* 1, 16, 9. nemo erat, qui illum reum ac non millies condemnatum arbitraretur. Cf. *Rosc. Am.* 33, 92. ibique *Matth.* et *Ramsh. gr. l.* §. 179. §. 522. Tenendum autem est, in omnibus his locis retinere *ac* primitivam vim suam, scriptoresque maluisse per particulam explicativam conjungere ea, quae proprie adversativam postulare viderentur (cf. *Tac. A.* 6, 40. 12, 65. 14, 64. ubi idem videtur esse quod *at*), ut e contrario graeci scriptores saepe δὲ posuerunt, ubi καὶ et γὰρ expectaveris. V. *Schaef.* ad *Dem. pr. cor.* p. 254. Item sentiendum de iis locis, ubi explicant per *itaque*, ut *Tac. A.* 11, 29. *in.*; per *nam ib.* 3, 54. ubi verum vidit *Oberlin.*, cum *Ernest. nam* scrib. esse videretur; porro ubi idem quod *et sane* esse volunt, v. *Goer.* ad *Cic. Fin.* 2, 35, 118. et ad *Acad.* II. p. 13. ubi in ejusdem *Or.* 55, 184. cum uno cod. *ac* comicorum senarii — scribi jubet. Porro ubi *explicativam* vim tribuunt particulae, ut *id.* ad *Fin.* 1, 9, 31. coll. 5, 12, 35., et *vim comprehendi*, v. *id.* ad *Acad.* II, p. 158. Horum enim nihil per se in hac particula potest inesse. Cui quod toties (animi causa afferimus *Caes. b. g.* 5, 56. 6, 41.) sine ulla causa vim adversativam tribuerint, profecto mirum videretur, nisi alia ineptius etiam in utroque sermone, ac maxime de particulis, excogitata videremus ab iis, qui patrio sermone decepti aliorumque locorum similitudine sanam spreverunt rationem. Illud non negamus, *at* saepe potuisse dici, ubi *ac* scriptum est, sed inde tantum abest ut sequatur, eandem esse utriusque particulae significationem, ut, prouti alterutra ponitur, diversam scribentis cogitationem fuisse appareat. Ut apud *Horat. Od.* 1, 18, 7. utrumque recte scribi poterat, sed suo quodque modo, quod de *Virg.* loco *Georg.* 2, 362. demonstravit *Jahnius.*] ℙ Post adverbia *aeque, aliter, contra, juxta, pariter, perinde, secus, similiter* et alia id genus, *ac* ponitur et significat *quam* vel *ut*. [*Sic gr. ὅμοιος καί, ὁ αὐτὸς καὶ et alia plurima. Recte harum locutionum rationem explicuisse nobis videtur *Kaercherus* in *ephem. scholast.* 1828. II. N. 24. p. 187. Veluti cum dicunt: aliud respondes ac rogo, est hoc proprie appositum hoc modo: aliud respondes, ac rogo aliud. Id quod omnino probari videtur particula *simulac*, quae hic debebat commemorari; sic enim graece dicitur ἅμα τε — καί. Ut duobus locis defungamur, *Xenoph. Anab.* 5, 2, 14. ἅμα τε τῷ Ἐνυαλίῳ ἡλάλαξαν καὶ ἔθεον δρόμῳ. 7, 6, 20. ἐγὼ δὲ ἅμα ὁρῶ αὐτὸν εὖ πράττοντα καὶ γιγνώσκω δὴ αὐτοῦ τὴν γνώμην. Postea invaluit hic usus, ut *ac* inserviret comparationi, ubi tamen quid intersit inter *ac* et *quam*, ostenderunt *Herzog.* ad *Caes. b. g.* 4, 25. et 2, 6. et *Ramsh.* §. 179. p. 520. Rarius in hoc genere est, quod Cassius scribit in *Cic. Fam.* 12, 13. digne ac mereor. Cf. illud *Horat. Ep.* 1, 16, 32. Vir bonus ac prudens dici delector ego ac tu.] *Cic. Am.* 6. Qui illis aeque, ac tu ipse, gauderet. *Liv.* 44, 22. Aeque enixe parabit, ac si ipse id bellum gesturus esset. *Cic. Att.* 16, 13. Si aliter scribo, ac sentio. *Id. Balb.* 3. Quod non contra, ac liceret, factum diceretur. *Liv.* 37, 54. Vestrum nomen juxta ac deos immortales intuetur. *Ter Ph.* 5, 3, 3. Pariter me adjuves ac dudum opitulata es. *Liv.* 28, 38. Perinde ac debellatum in Italia foret. *Cic. Planc.* 1. Cujus ego salutem non secus, ac meam, tueri debeo. *Id. N. D.* 3, 3. Similiter facis, ac si me roges. ℙ Eadem significatione ponitur post adjectiva *contrarius, similis, dissimilis, par, alius*, et his affinia. *Cic. Verr.* 2, 1, 46. Contrarium decernebat, ac paulo ante decreverat. *Liv.* 5, 5. Consilia vestra non dissimilia, ac si quis aegro etc. *Cic. Rab. perduell.* 5. Par desiderium sui reliquit, ac T. Gracchus reliquerat. *Id. Or.* 71. Aliud mihi ac tibi videri potest. ℙ Item post comparativa. *Cic. Att.* 13, 2. Diutius abfuturus, ac nollem. [*De h. l. disputat *Ramsh.* §. 179. p. 521. Intell. autem sic: ac nollem, eum diutius abesse. Sed *ac* post comparativ. frequentius poetae, ut *Hor. Sat.* 1, 1, 46. ubi v. *Bentl.* et *Heindorf.* coll. 6, 130. 10, 34. 59. 2, 3, 270. 7, 19. (quamquam de h. l. levis quaedam est dubitatio). *Atque* compar. sequitur ap. *Ter. Andr.* 4, 2, 15. non Apollinis magis verum atque hoc responsum est. *Hor. Epod.* 15, 5. arctius atque hedera procera adstringitur ilex. V. *Matth. exempl. eloq. lat.* p. 206. *Rudd.* II. p. 101.] ℙ Interdum significat *contra quam* aut *secus ac*, monente *Donato* ad illud *Ter. Andr.* 5, 1, 22. Nescio, qui tibi sum oblitus hodie, ac volui, dicere. Alii exponunt *ut*, sicut. [**Ac* significare nequit *contra quam*, ut *Bentl.* demonstravit ad h. l. Idem scribit *ut volui*, referens illud ad *dicere*. *Ac* et *ut* confusa sunt etiam ap. *Curt.* 5, 1, 33 ubi al. *ac si*, al. *ut si* praebent. ℙ Ponitur item pro *et quidem. Ter. Heaut.* 4, 5, 15. Faciam boni tibi aliquid pro ista re ac lubens. Potest etiam verti *idque.* [*Haud raro *quidem* additur, ut ap. *Sall. Cat.* 3. sed significatione diversa, in oratione continuanda, cui tamen ipsi inservit *ac* simplex apud poetas, ut ap. *Virg. A.* 1, 174. Ac primum silici scintillam excudit Achates, in cujusmodi locis sermo pedestris modo *ac-quidem* (*Ramsh.* p. 523. sq.), modo simplex *atque* usurpat. V. *Bremi* ad *Nep. Eum.* 10. *Cort.* ad *Sallust.* 51. et qui hos laudat, *Herzog.* l. c. — Sed cum *Terentii* loco, quem noster affert, cf. *Andr.* 2, 1, 37. *Eun.* 3, 5, 43. 5, 3, 6. 8, 56. *Phorm.* 5, 3, 8. Additur *quidem Andr.* 2, 2, 33. ubi al. scrib. *at.* Sic Graeci ad augendum id, quod praecedit, dicunt καὶ — γε. Nec desunt exempla, in quibus καὶ simplex eodem modo dicitur. — Persaepe conjunguntur particulae *ac tamen*, quorum loco librarii saepe exhibent *attamen.* Vid. *Goer.* ad *Fin.* 2, 27, 85. Est earum frequens usus in argumentando (gr. καί τοι), quum ex concessis adversarium refutamus, ut ap. *Cic. d. rep.* 1, 7. *Fin.* 5, 31, 94. cf. *Tac. A.* 3, 29. 12, 11. — Denique quamquam saepe *ac* et *et* promiscue usurpantur (v. *Hor. Od.* 1, 7, 13. si verum est, quod ibi ex plurimis codd. edidit *Bentl. ac* Tiburni lucus), tamen non negligendi sunt hujusmodi loci, qualis est *Cic. Off.* 3, 1, 1. magnifica vero vox *et* magno viro *ac* sapiente digna, et *Fin.* 4, 22, 61. leges etiam *et* instituta *ac* mores civitatum perscripsimus, ubi v. *Goer.* et *Dölek. gr. l.* p. 139. sq. E quibus facile colligas, *et* ad id, quod primarium est, *ac* ad partem tantum ejus rei significandam adhiberi.] ℙ *Ac si* pro *non secus ac si*, legitur in antiqua *Inscr.* ap. *Grut.* 475, 3. Commodisque publicis, ac si decurio, frueretur. [*Quod ap. *Cic. Fam.* 15, 11. legitur: cum studiose ac libenter, non sanum putamus cum *Cortio.* — In libb. mss. saepissime confunduntur *ac, at (Drak.* ad *Sil.* 6, 191. et saepe ad *Liv.*) *et, aut, ad (Drak.* ad *Liv.* 21, 32, 2. unde non improbabilis est ap. *Nep. Them.* 2. conjectura nonneminis: ad sacra procuranda, ubi si *ac sacra proc.* scripsisset Nepos, alio, putamus, verborum ordine usus esset) et *hac.* V. id. *Drak.* ad *Liv.* 35, 26, 7.]

ACĀCIA, ae, f. ἀκακία, frutex spinosus, semine lenticulae simili, minore tantum et grano et folliculo. Exprimitur ex eo succus eodem nomine, varios usus habens in medicina. *Plin.* 24, 12, 67. et *Cels.* 6, 6. *n.* 1, 5, 6, 7. etc. [*Accurate describitur a *Dioscoride* c. 134. *Plin.* 13, 9, 9. sua hausit ex *Theophr.* Putatur esse *Mimosa nilotica* Linn. (Acacienbaum, aegyptischer Schotendorn), unde gummi colligitur. Cf. *Voss.* ad *Virg. G.* 2, 119. et *Salmas. Exerc.* p. 368. sqq. et *d. homon. hyl. iatr.* p. 1. sqq. ubi de acantha, quae eadem putatur esse, et acacia fuse exponit.] ℙ Hujusmodi succo olim utebantur pro fuco. *Petron. Satyr.* 23. Perfluebant per frontem sudantis acaciae rivi, et inter rugas malarum tantum erat cretae, ut putares detectum parietem nimbo laborare [*h. e.* qua capillos tinxerat, nam *Plin. l. c.* ait acacia capillos tingere solitos esse veteres. *F.*]

ACADĒMIA, ae, f. ἀκαδήμια *Suidae*, ἀκαδήμεια [*haec forma ap. *Theocr. Chium* falsa est, teste *Schneidero* in *lex. gr. l.*] et ἑκαδήμεια *Stephano* [*vel potius *Plutarcho* in *Thes.* ex quo sua hausit *Steph.*]. Locus nemorosus, ab Athenis mille passus distans, ab Academo heroe [*vel Echedemo, ut alii volunt, unde altera scriptura per *E.* Vid. *Academus.* Nugas, quas statim addit, etymologicas melius sibi habuisset.] Vide *Laert. in Platon.* Duci potest ab ἄκος, medela, et δῆμος, populus, quod ibi sit officina sanandi animos: vel ab ἑκάς et δῆμος, seorsim a populo. Ibi commoratus est Plato et philosophiam magna discipulorum frequentia professus est. Unde et ejus sectatores Academici vocati sunt, sicut a Stoa Stoici. ℙ Erat autem Academia gymnasium inferius, cum superiori gymnasio nomen esset Lyceum, quae et inferior ambulatio et superior dicebantur. Lyceum vero nomen fuit Scholae Aristotelicae. ℙ Per metonym. ponitur pro philosophia Academica et secta philo-

sophorum. *Cic. Or.* 1, 10. Instaret Academia, quae quidquid dixisses, id te ipsum scire negaret. *Ib.* 18. Hic erat mos patrius Academiae, adversari semper omnibus in disputando. [*Goer. ad *Cic. Acad.* 1. p. 13.] ℙ Varia porro est Academiarum, hoc est sectarum, divisio. Nam *Laertius* tres nominat, veterem, mediam, novam: veteris Platonem, mediae Arcesilam, novae Lacydem auctorem et principem appellat. *Sextus Empiricus* quinque enumerat. Primae auctorem facit Platonem, secundae Arcesilam, tertiae Carneadem, quartae Philonem et Charmidam, quintae Antiochum. *Cicero* duas tantum agnoscit, *veterem* primam, *novam* alteram appellans: (et *adolescentiorem Fam.* 9, 8.) [*Goer. ad *Acad.* p. 204. *Fin.* p. 537. et alibi] in vetere floruisse scribit Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, Parmenidem, Xenophanem, Socratem, Platonem, Speusippum, Xenocratem, Polemonem, Cratetem, Crantorem: in nova Arcesilam, qui negabat esse quidquam, quod sciri posset; post eum Lacydem, Evandrum, Egesimum, Carneadem, Clitomachum et Philonem: qui Arcesilam secuti contra omnium sententias disputabant: in quo modestiores fuerant veteris Academiae philosophi. V. *eund.* 1. et 2. *Acad.*, ubi de utriusque Academiae placitis et philosophis disserit. V. etiam *Manut. in comm. ad Cic. Fam.* 9, 8. ℙ Fuit etiam Academia villa Ciceronis memoratu digna, ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita littori, celebrata porticu et nemore, quam ille *Academiam* vocabat exemplo Athenarum, ibique composuit libros, qui Academici inscribuntur. *Plin.* 31, 2, 3. ℙ Habuisse Ciceronem suam Academiam etiam in Tusculano apparet ex *ejusd. Tusc.* 2, 3. et 3, 3. tum ex *Or.* 1, 21. [*Appellat *Cic.* nunc Academiam, nunc gymnasium, nunc palaestram; cogitanda est porticus, xystis et exedris circumdata. Vid. *Wieland.* ad *Cic. ep.* 1. p. 242.] ℙ Penultima modo longa est, modo brevis. Producitur in illo carmine ap. *Cic. Divin.* 1, 13. Inque Academia umbrifera nitidoque Lyceo. Adde *Lauream Tullium* ap. *Plin. l. c.* Extrita priore diphthongi vocali *Claudianus* corripuit *de Cons. Mall. Theod.* 94. In Latium spretis Academia migrat Athenis. Adde *Sidon.* 15, 120. Putant aliqui penultima longa locum significari, brevi sectam. [*Cf. *Burm.* ad *Anthol.* I. p. 341. *Jahn.* Producta penultima dici a probae notae poetis observat et locis nonnullis graecorum poetarum allatis (ut. *Aristoph. Nub.* 1005. *ed. Reisig.*) probat *Bailey.*]

ĂCĂDĒMĪCĒ, es, adj. fem. graecae positionis pro *Academica*, Ἀκαδημική. *Cic. Att.* 13, 16. Illam Academicen σύνταξιν totam ad Varronem traduximus, *h. e.* libros Academicorum.

ĂCĂDĒMĪCUS, a, um, ἀκαδημικός, ad Academiam pertinens. Hinc Cicero libros suos in ea villa compositos, quam Academiam vocabat, Academicas quaestiones inscripsit. ℙ *Academici, orum*, fuere certa philosophantium familia, et duplicis quidem generis, veteres et novi. Veterum princeps fuit Plato; recentiorum Arcesilas, ut *Cic.* docet in *Academ. quaest.* 1, 49. V. ACADEMIA. Novasse autem videbatur Arcesilas institutum, quod nihil comprehendi et doceri de quaquam re posse incertaque esse omnia pronunciaret. Id faciendum putavit, quod Socratem quoque, et Platonem in utramque partem disputasse et nihil affirmasse animadverterat. Quam ob causam Cicero nihil putat inter veterem et novam sectam interesse. Alii tamen plura afferunt Academiae genera. Vide supra et *Plutarch. in Lucull.*

ĂCĂDĒMUS, i, m. Ἀκάδημος, heros quidam, quem nonnulli eundem ac Cadmum fuisse putant, a quo Academia nomen habuit. Hic primus Castori et Polluci Helenam a Theseo raptam et Aphidnis occultatam indicasse dicitur, magno ob id in honore a Lacedaemoniis habitus. Ejus fuit villa mille passus ab Athenis distans, in qua postea Plato docuit Academiamque appellavit. *Hor. Ep.* 2, 2, 45. Atque inter silvas Academi quaerere verum. Alii scripsere *Ecademus*, et hinc *Ecademia:* ut *Suid.* in v. Ἑκαδημία. [*Formam Hecademus probat *Meurs. Exerc. crit.* P. II. c. 12. p. 213. sqq. in *Critic. Arnob.* IV, 1. ad *Hesych. Mil.* p. 184. in *Ceramic. Gemin. c.* 27. p. 94. Cf. *Burm.* ad *Anthol. l. c.* p. 340. *Jahn.*]

*ĂCĂDĒRA s. ACADĪRA, ut *Zumpt.* scribit, orum, oppidum Indiae. *Curt.* 8, 10, 19.

*ĂCĂDĪNUS, i, Siciliae fons, ad quem lacus Delos. Si juramentum tabulis inscriptum huic fonti supernataret, verum censebatur; secus falsum. v. *Alex. ab Alex.* 5, 10.

*ĂCĂLANDRUM sc. flumen. *Plin.* 3, 11, 15. sive Acalander et Acalandrus (*Strabo* Ἀκάλανδρος) fluvius Italiae inferioris, qui in sinum Tarentinum influit; h. Salandrella.

ĂCĂLANTHIS, idis, f. ἀκαλανθίς, avis minima, colore viridi obscuro. *Virg. G.* 3, 338. Littoraque halcyonen resonant, acalanthida dumi. [*Docet *Voss.* ad h. l. esse intelligendam carduelem (Stieglitz, Distelfink, Rothfink, Goldfink). Luscinia enim, quae ap. *Calp.* 6, 7. simul cum acanthide appellatur, esse nequit. Ceterum etiam gr. ἀκανθίς et ἀκαλανθίς dicitur. V. *Heins.* ad *l. Virg.*] Alii legunt *et acanthida dumi.*

*ĂCĂLĒPHE, es, f. ἀκαλήφη, urtica. *Macer* 2, 2.

*ĂCĂMANTIS, idis, f. Ἀκαμαντίς. Sic Cyprus olim dicta; *Plin.* 5, 31, 35. dicta ita vel ab Acamante promontorio vel ab Acamante, Thesei filio.

[ĂCĂMAS, antis, m. Ἀκάμας, *h. e.* indefessus: ab α priv. et κάμνω, laboro. Thesei ex Phaedra filius una cum fratre ad bellum Trojanum missus. *Virg. Aen.* 2, 262. *Hyg. fab.* 108. ℙ *Promontorium in Cypro insula. *Plin.* 5, 31, 35. ℙ Unus ex ministris Vulcani ap. *Val. Fl.* 1, 583. *F.*]

*ĂCAMPSIS, is, Ἄκαμψις, ap. *Arrian.*, fluvius in Colchide. *Plin.* 6, 4, 4.

ĂCĂNON, i, [*scr. Acanos] ἄκανον, [*imo ἄκανος, ὁ, neutr. nusquam reperitur. Est cognatum cum ἄκανθα et a *Sprengel. hist. rei herb.* p. 100. habetur *Onopordon Acanthium* Linn. (Krebsdistel). Cf. *Schneid. L. gr. h. v.*] herba spinosa et brevis. *Plin.* 22, 9, 10.

ĂCĂNTHĪCĒ, es, f. lacryma helxines herbae. *Plin.* 21, 16, 56. Helxines hujus vertex summus lacrymam continet jucundi saporis, acanthicen mastichen appellatam.

ĂCĂNTHILLIS, idis, f. ἀκανθιλλίς, herba, latine asparagus agrestis appellata. *Apul. Herb.* 84.

ĂCĂNTHĪNUS, a, um, adj. ἀκανθώδης, qui est acanthi vel acantho similis. *Plin.* 25, 7, 38. Euphorbia specie thyrsi, foliis acanthinis. *Colum.* 9, 4. Caules acanthini. *Isid. Or.* 17, 9. Acanthina vestis, *h. e.* acanthi foliis intexta, ut idem exponit. *Salm. ad Vopisc. in Aurel.* 46. acanthinas vestes fuisse ait, quae texebantur ex lanugine, qua acanthii folia sunt obducta. Harum meminit etiam *Varro.* V. voc. seq. [*et *Salm. Exerc.* p. 212.].

ĂCĂNTHĬON, ii, n. ἀκάνθιον, frutex est spinae albae similis, minoribus tamen multo foliis, aculeatis per extremitates, et araneosa lanugine obductis: qua collecta etiam vestes quaedam bombycinis similes fiunt in Oriente. *Plin.* 24, 12, 66. Paulo aliter *Varr.* ap. *Serv.* ad *Aen.* 1, 649. Ctesias ait in India esse arbores, quae lanam ferant. Item Epicadus in Sicilia, quarum floribus cum dempti sunt aculei, ex his implicitis mulieres multiplicem conficere vestem. Hinc vestimenta acanthina appellata. Haec *Varro.* [*Haec aliena ab h. l.] Neque vero hinc colligas, ap. *Virg. l. c.* ubi ait *circumtextum croceo velamen acantho*, intelligi debere vestem hujusmodi lanugine confectam. Nam *acantho* dixit *Virg.* non *acanthio.* [*sic est explicandum. Est enim praetextum acanthi foliis, vestis oram ambientibus, ut supra s. v. *acanthinus.* cf. *Stat. Silv.* 3, 1, 37. Hic tibi (Hercules) Sidonio celsum pulvinar acantho texitur. Plura v. apud *Heyn.* et *Salm. l. c.*].

ĂCĂNTHIS, idis, f. ἀκανθίς, avis minima stridulo cantu, colore viridi obscuro, quae inter spinas et carduos degit et pascitur, unde et nomen traxit: nam ἄκανθα graece spinam significat. [*Cf. *Aristot. hist. anim.* 9, 2, 10. et *Schneid. annot.* T. IV. p. 19. sq. *Beier.* Adde *Salm. Exerc.* p. 316.] Perpetuas cum asinis inimicitias gerere dicitur spinarum flores devorantibus. Uno partu duodenos parit. Ita eam *Plin.* 10, 63, 83. describit. Quidam putant, eandem esse, quae alio nomine carduelis dicitur. Alii eam, quae a *Gaza* ligurinus vocatur, fortasse διὰ τὸ λιγυρὸν τῆς φωνῆς, ab argutia vocis. Atque hujus posterioris sententiae auctor praecipuus est *Gesnerus.* Sed difficile est in re tam obscura rem ipsam attingere. *Plin.* 10, 74, 95. Et acanthis in spinis vivit. *Virg. G.* 3, 338. Littoraque halcyonen resonant et acanthida dumi. (v. supra) *Calpurn.* 6, 6. credibile est, ut vincat acanthida cornix. ℙ Est etiam nomen herbae, quae alio graeco nomine Erigeron, latino autem *Senecio* appellatur [n. Kreuzwurz]. *Plin.* 25, 13, 106.

ĂCĂNTHĬUS, a, um, adj. *Acanthius sal* (sic appellatus ab Acantho Macedoniae oppido, circa quod nascitur) dicitur a *Plin.* 31, 7, 41. in ignem conjectus nec crepitare, nec exilire.

ĂCĂNTHUS, i, m. ἄκανθος, [*ächte Bärenklau, Acanthus mollis et spinosus Linn. v. *Voss.* ad *Virg. G.* 4. p. 771. et ad *Ecl.* 3, 45. p. 125.] herba folio, quam lactucae, latiore multo et longiore erucae modo incisuris divisa et laciniosa, radice pedes ursi anteriores referente, in hortis nascens et locis humentibus. Ejus duo sunt genera: alterum silvestre, aculeatum et crispum, quod brevius et carduo simile; cui proprie hoc nomen convenit, scil. ab ἄκανθα, spina, quia spinosum est: alterum genus sativum, leve et glabrum, de quo intelligendus *Virg.* cum acanthum modo *flexum* appellat, ut *G.* 4, 123. [*torti acanthi *Colum.* 10, 241] modo *mollem*, ut *ib.* 137. [*v. *Salm. Exerc.* p. 378.] modo *ridentem*, ut *Ecl.* 4, 20. Hujus varios in medicina usus refert *Plin.* 22, 22, 34. qui sesundum hoc genus urbanum appellat et topiarium, quia scilicet satu et cultu laetatur, et praeterea topiariis operibus aptissimum est: habet enim caulem binum fere cubitorum altitudine, crassitudine digiti, maxime sequacem. Hinc ejus formam tum in columnarum capitulis ordinis Corinthii, ut est ap. *Vitruv.* 4, 1., tum in caelatis vasis insculpebant, et in elaboratis vestibus intexebant. *Virg. Ecl.* 3, 44. duo pocula fecit, Et molli circum est ansas amplexus acantho. [*Ov. *Met.* 13, 701.] *Prop.* 3, 7, 14. At Myos exiguum flectit acanthus iter, *h. e.* Myos caelatura flexuoso opere in acanthi formam elaborata. *Virg. Aen.* 1, 649. et 715. Et circumtextum croceo velamen acantho. ℙ Est praeterea *acanthus*, *i*, f. arbor quaedam spinosa, nobis incognita, in Aegypto maxime proveniens, semper frondens, florem candidum baccasque ferens seu siliquas, et in iis semina, ex quibus succus exprimitur variis usibus in medicina aptus, odore suavi. Quidam eam esse putant, quam *Plin.* 24, 12, 67. Spinam Aegyptiam, et acaciam ejus succum appellat. *Virg. G.* 2, 118. Quid tibi odorato referam sudantia ligno Balsamaque, et baccas semper frondentis acanthi? [*cf. *Voss.* ad *h. l.* et supra v. *acacia* et *Salm.* locum ibi allatum. Describitur a *Theophr.* 4, 3.] *Vellej.* 2, 56. ubi quinque Julii Caesaris triumphos refert, eorum apparatus, h. e. statuas et imagines caesorum imperatorum, urbium captarum, fluminum, montium, regionum, in quibus pugnatum erat, ex variis materiis fuisse narrat, ut in Gallico triumpho omnia ex citro, in Pontico omnia ex acantho, in Alexandrino ex testudine, in Africo ex ebore, in Hispaniensi ex argento. Ex quo satis liquet, acanthum etiam inter arbores esse numerandam. ℙ Item acanthus nomen est oppidi in Macedonia. *Plin.* 4, 10, 17. ℙ Item insulae in Propontide. *Id.* 5, 32, 44. ℙ [Item mons Acanthon in Aetolia. *Id.* 4, 2, 3. *F.*] ℙ Ponunt hoc loco quidam Lexicographi fabulam de quodam Acantho, regio puero in florem sui nominis converso: cujus nullum adhuc latinum auctorem invenimus. [*Reperitur tantummodo apud *Antonin. Liber.* 7.]

[ĂCĂNTHYLLIS, idis, f. ἀκανθυλλίς. *Plin.* 10, 33, 50. In genere vitiparrarum est, cui nidus ex musco arido ita absoluta efficitur pila, ut inveniri non possit aditus: acanthyllis appellatur, eadem figura ex lino intexens. Haec fere *Plin.* mutuatus est ex *Aristot. Histor. animal.* 9, 10. In edd. *Plin.* ante *Hard.* perperam legebatur *Argatilis. F.*]

ĂCĂPNUS, a, um, adj. ἄκαπνος. Vox graeca ab α priv. et καπνός, fumus. *Ligna acapna* dicuntur, quae vel cocta sunt vel adeo sicca, ut ardendo fumum non emittant. Legitur in titulo *Epigr. Martialis* 15, 13. [*cf. *interpp. Cat. r. r.* §. 130.] ℙ *Acapnon mel* dicitur a *Plin.* 11, 16, 15. et *Colum.* 6, 33. quod a favis citra fumum eximitur. Nam in castrandis favis fumus seu suffitus ad apes abigendas adhiberi solet, quo nonnihil mel vitiatur. [*v. *interpp.* ad *Colum.*]

ĂCĂRNĀN, anis, adj. qui est ex Acarnania. *Virg. Aen.* 5, 298. quorum alter Acarnan, Alter ab Arcadia. *Liv.* 37, 45. acc. *Acarnana* habet. v. *Drak. Sil.* 3, 42. amnis Acarnan *h. e.* Achelous. ℙ [Est etiam mons Atticae admodum lapidosus, de quo *Sen. Hippol.* 22. Subditus austris frigora mollit Durus Acarnan. *F.*]

ĂCĂRNĀNES, um, populi sunt Acarnaniae. *Liv.* 36, 24. 25. [*De accus. Acarnanas vid. interpp. ad *Liv. Epit.* 33.]

ĂCĂRNĀNĬĂ, ae, f. Ἀκαρνανία, hod. *Carnia*, pars Epiri, quam Achelous fluvius ab Aetolia dividit. *Plin.* 4, 1, 2.

ĂCĂRNĀNĬCUS, a, um, adj. ad Acarnaniam pertinens. *Liv.* 26, 25.

ĂCĂRNĒ. V. ACHARNE.

*ACARON. v. in ACORON.

ACASTUS, i, m. Ἄκαστος, Magnesiae rex, Peliae Thessalorum regis filius, uxorem duxit Creteidem sive Atalantam, quae cum Peleum deperiret ab eoque sperneretur, ultro illum apud maritum de stupro accusavit. Acastus igitur Peleum venationis praetextu in saltum abductum feris lacerandum objecit: sed ille Chironis vel Mercurii ope liberatus Acastum cum uxore interfecit. *Ov. Met.* 8, 306. Idem fuit Laodamiae pater. *Id. Her.* 13, 25. [*Val. Fl.* 1, 164. *Apollod.* 1, 9, 10. 28. 3, 13, 3. 7. *Hygin. fab.* 104. et 273.] ℙ [Est etiam cognomen Romanum in gente Novia. *Inscr.* ap. *Fabrett. p.* 219. *n.* 575. C. Novius Acastus ungentarius. *F.* *Etiam servus Ciceronis fuit; *Fam.* 14, 5, 3. *Att.* 7, 1.]

ĂCĂTĂLECTĪCUS et Acatalectus, a, um, adj. cui nihil deest, ἀκατάληκτος. Itaque acatalecticus versus dicitur a Grammaticis, cui nulla deest syllaba, [*i. e. qui pedem ultimum habet integrum] quemadmodum *catalecticus*, qui est una [*aut duabus, ut in versibus dactylicis] syllaba brevior. Prior vox legitur ap. *Diomed.* 3. p. 501. *P.* Posterior ap. *Prisc. in princip. partit. versuum Virg.* p. 1216. Utraque graeca est ab α priv. et καταλήγω, desino.

ĂCĂTĂLEPTOS, ἀκατάληπτος, *h. e.* qui comprehendi seu percipi non potest, ab α priv. et καταλαμβάνω, comprehendo: unus est ex aeonibus Valentini ap. *Tertull. adv. Valent.* 35.

ĂCĂTĬUM, ii, n. ἀκάτιον, diminutivum ab *acatus*, ut videtur, est genus navis apud Graecos, cujus forma ignoratur. *Plin.* 9, 30, 49. Prodidit Mucianus concham esse acatii modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata. *Gellius* quoque 10, 25. inter navigiorum genera enumerat: ponit autem *Acatia*, f. si modo vera est ea lectio, quae varie in variis codicibus legitur. [*Suet. Caes.* 64. narrat, illum Alexandriae subita hostium eruptione compulsum fuisse in scapham, sed nando evasisse ad proximam navim. *Plutarch.* in *Caes.*

idem narrans navigium illud ἀκάτιον vocat; ergo *acatium* idem est ac *scapha*. *F.*] ℙ *Isid. Orig.* 19, 3. (et fortasse etiam *Festus* post *Sic.*) acatium ait esse maximum in navi velum, in media navi constitutum. Quod descripsisse videtur a *Polluce*, qui 1, 9. idem docet et ἀκάτιος masculino genere usurpat. Alii putant, acatium dictam fuisse ipsam navim, quod eo majore velo uteretur.

ACATUS, i, f. ἄκατος, idem quod acatium. *Tertull. adv. Marc.* 5, 1. Quamobrem, Pontice nauclere, si nunquam furtivas merces in acatos tuas recepisti etc. Quidam intelligunt hic navim, quae solis velis, non remis agitur.

ACAUNUMARGA, ae, f. (sc. argilla) genus terrae arenosae, coloris rufi, intermixto lapide terrae minutae. *Plin.* 17, 7, 4. ut quidem legit *Harduin.* ex MSS. Nam alii leg. *capnumargos*. Est autem *acaunumarga* ab *α* priv. et καυνός, malus vel amarus, *h. e.* marga sine amaritie. [*Alii originem repetunt a celtico vocabulo *agaunum*, i. e. lapis.]

ACAUSTUS, a, um, adj. ignem non sentiens; vox graeca ab *α* priv. et καίω, uro. *Plin.* 37, 7, 25. Principatum habent carbunculi, a similitudine ignium appellati, cum ipsi non sentiant ignes; ob id a quibusdam acausti vocati. *Apyroti* legitur in quibusdam codd., quae vox idem significat: ab *α* priv. et πυρόω, uro, inflammo.

*ACBARUS, i, Ἄκβαρος vel Ἄγβαρος, solenne regibus Arabum nomen, ut Ptolemaeus Aegyptiis. Alteram scripturam *Abgarus* defendit *Spanhem. de V. et P. N.* I. p. 126. 534; et exhibetur in numis; illa vero apud scriptores latinos et graecos est usitatior. v. ad *Tac. A.* 12, 12.

ACCA LAURENTIA, Faustuli uxor, quae Romulum et Remum lactavit et aluit, Lupa dicta, quod nobile scortum fuerit. Tales enim nuncupantur *lupae*, ob avaritiam, cujus causa pudicitiam prostituerunt, et cellae earum *lupanaria*. In hujus Accae honorem Romani testamento ejus locupletati Laurentalia quotannis mense Decembri celebrarunt. Neque tamen inter Deas collocanda est, ut scribit *Minuc. Octav.* 25. Qua de re v. *Norisium Cenotaph. Pis. Dissert.* 3. *c.* 5. ℙ De hac Acca verba faciunt *Gell.* 6, 7., *Aurel. Vict. de Vir. illustr.* 1., *Liv.* 1, 4., *Varr. L. L.* 5, 3. *med.* et omnium copiosissime *Macrob. Sat.* 1, 10. Illud modo advertendum, quibusdam *Laurentiam* appellari, a plerisque *Larentiam*. *Ov. Fast.* 3, 55. Non ego te, tantae nutrix Larentia gentis etc. [*cf. *Creuzer, Briefe über Homer u. Hesiod.* p. 136.] ℙ Fuit praeterea alia Acca Tarratia vel Taruntia vel Tarrutia, cui et ipsi sacrificare quotannis solebant mense Aprili, quae eadem ac Flora a nonnullis existimata est. *Varr. l. c.* et *Scaliger in Conjectan.* et *Gell. l. c.* ℙ [Acca fuit etiam soror et aequalis Camillae, Volscorum reginae ap. *Virg. A.* 11, 820. *F.*]

ACCĀLIA, ium, n. pl. festi dies a Romanis instituti in honorem Accae Laurentiae. *Varr. L. L.* 5, 3.

ACCANTO vel Adcanto, as, a. 1. juxta vel simul cano, προσᾄδω. *Stat. Silv.* 4, 4, 55. Maroneique sedens in margine templi Sumo animum et magni tumulis accanto magistri.

ACCANTUS vel Adcantus, us, m. verbale ab accanto. *Capell.* 3, 60. Accentus quasi accantus dictus est.

*ACCEDENTER, adv. prope. Afferunt auctoritatem *Cassiodori*.

ACCĔDO, is, essi, essum, n. 3. παραγίγνομαι, ὑπέρχομαι, advenio, appropinquo, proximus fio: ex *ad* et *cedo*, qua ire significat. *Cic. Verr.* 2, 5, 49. Cum ego ad Heracleam noctu accederem. *Id. Fam.* 4, 4. Cum senatus ad Caesarem supplex accederet. *Id. Caec.* 16. Neque illum si eo accessisset, abiturum. *Cn. Pompejus ad Domit. post ep. ad Att.* 8, 12. Te ei, si propius accessisset, resistere velle. *Cic. Phil.* 10, 6. Homo verecundus in Macedoniam non accedit. *Id. Att.* 2, 1. Digito se caelum putant attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant. Et 7, 4. Accedere in senatum. [*id. *Pis.* 21. in regnum]. *Id. Leg.* 2, 26. Accedere in funus aliorum. *Id. Phil.* 12, 9. Poterone Ariminum tuto accedere? *Virg.* A. 1, 205. penitusque sonantes Accestis scopulos. *Accestis* syncope pro *accessistis*. *Enn. ap. Gell.* 10, 29. accedit muros Romana juventus. *Sil.* 14, 3. Sicanios accedere portus. [*Sic *Liv.* 29, 5. de navibus: naves — Ligures Genuamque accesserunt. *Tac. Hist.* 3, 24. ut quosque accesserat. Cf. *Sallust. Jug.* 66. Dativum *Liv.* addit 24, 20, 11. De constr. v. cum accus. dixerunt *Drakenb.* ad *Liv.* 9, 40, 19. *Burm.* ad *Phaedr.* 1, 25, 6. et de constr. in universum disputavit *Rudd.* II. p. 134.] ℙ *Accedere in aliquem*, invadere, irruere. *Val. Fl.* 3, 186. Accessere (nefas!) tenebris fallacibus acti Tyndaridae in sese. [*Saepe accedere cum solo accus. junctum explicari potest *adoriri*, *impetum facere*. Exempla jam in superioribus latent nonnulla. Adde *Cic. Att.* 8, 12. ut has XIV cohortes, quas ego dubio animo habeo, hostis accedere possit. *Sall. Jug.* 23. Dat. addit *Sil.* 15, 571. quaenam te silvis accedere causa subegit Armatum nostris. Quamquam, quod ipsi hi loci demonstrant, accedere veram ubique sign. *adeundi* retinet, quod cum fit hostili animo, commutari sane potest cum *invadere*. Cf. *Cic. Qu. Fr.* 3, 2.] ℙ Cum infinitivo. *Apul. Met.* 4. p. 240. Dum cunctanter accedo decerpere rosas. ℙ De iis, qui in auctionibus licentur. *Cic. Phil.* 2, 26. Qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo. *Nep. Att.* 6. Ad hastam publicam nunquam accessit. *Liv.* 43, 16. Ne quis eorum ad hastam suam accederet. [*Apparet etiam his in locis accedere esse *adire*.] ℙ Significat etiam adjungi, addi, adjici. *Quintil.* 2, 3. Illa quae in ornamentum operis accedunt. *Ov. Fast.* 3, 165. in lustrum accedere debet, quae consummatur partibus, una dies. [*cf. *id. Trist.* 1, 8, 47.] *Cic. Fin.* 4, 24. Ad virtutis summam accedere nihil potest. *Id. Q. Fr.* 1, 1. *in.* Annus tertius accessit desiderio nostro et labori tuo. *Id. Att.* 7, 3. Quibus nihil ad dignitatem possit accedere. *Id. Cluent.* 60. Ut de causa ejus periculi nihil decederet, ad causam novum crimen accederet. *Id. Fam.* 11, 10. Huc accessit manus Ventidii, quae etc. *Tac. A.* 12, 31. Societatem nostram volentes accesserant. [*id. *Hist.* 1, 70. alam Silanam — sacramento Vitellii accessisse. *Hor. Sat.* 2, 5, 72. illis accedas (adjungas te) socius. *Nep. Eum.* 1. accedere ad amicitiam alicujus.] *Liv.* 26, 50. Haec tibi a me dotalia dona accedent. [*Ter. *Hec.* 3, 5, 56. quia paulum vobis accessit pecuniae. Sic in *or.* II. ad *Caes. d. rep. ord.*, quae Sallustio tribuitur, c. 1. dum quid tibi ex eo gloriae accederet. *Plin. Paneg.* 19. quin plerisque ex eo reverentia accesserat, quod tu quoque illos reverebare. Ceterum in hujusmodi locis interdum haeserunt VV. DD., velut in *Cic. or. p. Quint.* 1. illud quoque nobis accedit incommodum, ubi al. *accidit* maluerunt, non recte, ut videtur. De aliis enim incommodis dicit in antecc. Quamquam de isto loco dubitat etiam *Ruhnk.* ad *Rutil. L.* 1, 1. p. 3. ubi hanc proponit regulam, *accedere* dici, ubi quid priori addatur, *accidere*, ubi quid eveniat nullo praecedente, atque ex hoc praecepto *Cic. Verr.* 2, 1, 1. scribit: neque tanta fortunis omnium pernicies potest accidere (vulg. accedere), quod nos omnino probamus. Sed quod idem in *Macrob. Sat.* 2, 2. scribendum esse conjecit: Mucio nescio quid incommodi accidit (vulg. accessit), de eo ambigimus, quoniam simili modo dictum est *incedere*, quod v. Et sic emendandus foret etiam *Cic. Att.* 1, 16. p. 536. *Ern.* dolor accessit bonis viris. *Id. Cluent.* 4. huic autem, pro quo dicitur, nihil possit offensionis accedere sine acerbissimo animi sensu. *Sall. Jug.* 48. imperatori novo plus ex malis moribus sollicitudinis, quam ex copia militum auxilii aut bonae spei accedebat.] Hoc modo saepe usurpatur a Jurisconsultis. *Julian. Dig.* 6, 1, 34. Si per alluvionem pars fundo accesserit. *Paul. Dig.* 23, 3, 4. Si proprietati nudae usufructus accesserit. *Ulp. Dig.* 42, 1, 4. Cum accesserit aliquid rei judicatae. *Cajus Dig.* 21, 1, 32. Si omnia mancipia accedant venditioni. [*Vid. *Brisson. d. form.* 6, 41.] ℙ Speciatim vero *accedere* dicuntur ea, quae tanquam honorarium solvuntur reipublicae ultra consueta vectigalia, aut dominis praeter solitas pensiones. *Cic. Verr.* 2, 3, 49. V. ACCESSIO. ℙ Ponitur in principiis periodorum et connectendae orationi inservit. *Cic. Or.* 2, 48. Accedebat, ut tu adolescens existimarere, ego etc. *Id. Fam.* 10, 21. Accessit eo, ut milites etc. *Id. Att.* 13, 21. Accedit enim, quod patrem amo etc. [*Cic. Fam.* 8, 2. *Rosc. Am.* 6. *F.* *Dicitur etiam *accedit hoc, quod Cic. Att.* 1, 12. *init.* Sed hic quoque al. accidit quod. Multum tamen interest, utrum dicatur *accedit ut* an *accedit quod*. De quo discrimine permulti dixerunt, ut hi Grammatici: *Ramshorn.* §. 183. p. 546. *Zumpt.* §. 80, 13. *Schulz.* §. 87. p. 499. *Dölek.* §. XVII. p. 258. praeterea *Herz.* ad *Caes. b. g.* 3, 13. et *Wunder.* in egregia disputatione de vi partic. *ut*, quae inserta est censurae *or. Cic. Sext.* ed. a *Müllero* in *Jahn. Annal.* T. V. Fasc. II. p. 161. Nonnulla de hac re habet jam *Bauerus* ad *Sanct.* I. p. 715. *Accedit quod* dicunt, quum rationibus jam allatis novum quiddam additur, quasi dicas: praeterea rationibus supra commemoratis haec quoque annumerari potest, quod etc.; *accedit ut*, quum in narratione novum quoddam factum commemoratur, quasi dicas: praeterea fit, factum est, fieri solet, fieri potest. Est igitur accedit quod *logicum*, et ratiocinationi inservit, accedit ut *historicum*, et inservit narrationi. Et illius quidem exempla tam multa sunt, ut uno *Sall. Catil.* 11. defungi posse videamur; hujus quae sunt allata a VV. DD., quorum auctoritate supra usi sumus, exempla hic proponere placuit. *Cic. Sen.* 6. *Fam.* 5, 12. *Tusc.* 1, 19. *in. Att.* 3, 8. *in.* 14, 13. p. 971. *Ern. Rosc. A.* 31, 86. *Verr.* 2, 2, 12. *Mur.* 22, 45. *Dejot.* 1. *Phil.* 2, 25. *Caes. b. g.* 3, 13. 5, 16. *b. c.* 3, 24. *Liv.* 1, 49, 4. 8, 29, 1. 23, 4, 6. 28, 12, 7. Jam vero quamquam res ita se omnino habet, tamen quin in quibusdam locis utrumque recte dici potuerit, non dubitamus. Sic in or. pr. reg. Dejot. loco recte videtur Cicero dicere potuisse: accedit, quod accusatorum alterius crudelitate, alterius indignitate conturbor, quamquam hoc foret alio modo dictum. Illud vero apparet, qui factum sit, ut cum saepe dicerent *accedit ut* — nusquam, quantum nobis constat, dicerent *adde ut*. Nimirum *adde* plane est logicum. — Interdum nulla omnino sequitur particula, ut ap. *Terent. Andr.* 1, 3, 10. ad haec mala hoc mihi accedit etiam: haec Andria — gravida est. Cf. *Cic. Att.* 8, 3. p. 755. *Ern.*] ℙ Interdum est assentiri. *Quintil.* 9, 4. *in.* Accedam in plerisque Ciceroni. *Nep. Milt.* 3. Ad hoc consilium cum plerique accederent. *Vell.* 1, 8. Libenter his, qui ita prodiderunt, accesserim. [*Tac. *H.* 1, 34. Galba speciosiora suadentibus accessit. *Quintil.* 1, 5. p. 61. *Burm.* huic opinioni neque omnino accedo, neque plane dissentio. Cf. *id.* 2, 15. 3, 4. 7, 3. p. 617. et saepius.] Adde *Stat. Ach.* 1, 363. [*Pl. *Aulul.* 2, 8, 13. accessit animus ad meam sententiam. Sed *Plin. epist.* 4, 10. accessurum te sententiae meae. V. *Rudd.* II. p. 134. Poterat etiam afferri *Cic. Verr.* 2, 3, 28. ad ejus conditiones pactionesque accedere i. e. probare, accipere eas. Adde *pr. Quint.* 24, 76. Ceterum v. *Burm.* ad *Quintil.* 6, 4. p. 590. sq. ubi docet, adeo *obediendi* quandam vim inesse in h. v. ut ap. *Stat. Theb.* 8, 366. necdum accessere regenti, et laudat *Barth. ib.* ad 10, 180.] ℙ Nonnunquam similitudinem significat. *Cic. Lig.* 12. Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. *Id. Att.* 7, 2. Accedere prope ad similitudinem alicujus. [*His verbis, a quibus non valde abhorret *d. N. D.* 1, 34, 96., certe hoc loco fuisse abstinendum, apparet. Aptiora sunt *Brut.* 47. Crasso et Antonio Philippus accedebat, sed longo intervallo tamen proximus. *Quintil.* 10, 1. p. 904. *Burm.* quem Homero crederet maxime accedere. *Cic. Verr.* 2, 2, 3. proxime ad nostram disciplinam illam veterem — videantur accedere.] *Plin.* 16, 40, 76. n. 3. quae proxime accedere ebenum videtur. [*Sine praep. etiam *Sil.* 14, 26. nectare Cecropias Hyblaeo accedere ceras. Non facile in hujusmodi locutione praepos. a Cicerone omitti annotavit jam *Ruhnk.* ad *Muret. T.* I. p. 78. Ceterum hic poterat afferri, quod *Cic.* dicit *Or.* 1, 62, 263. utrius oratio propius ad veritatem videretur accedere. cf. *Acad.* 2, 11, 36.] ℙ Ponitur etiam pro favere, ab alicujus partibus stare. [*Cohaerere hoc videri possit cum sign. *assentiri*, quam modo commemoravit. Verumtamen haec nihil differunt a nonnullis eorum locorum, qui supra allati sunt, ut *Tac. A.* 12, 31. Est hic quoque *se adjungere*.] *Suet. Galb.* 12. Civitates, quae cunctantius sibi accesserant, puniit. *Id. Oth.* 4. Conatibus Galbae primus accessit. [*Non pertinet huc locus *Terent. Phorm. prol.* 29. Voluntas vostra si ad poetam (i. e. ad poetae studium) accesserit.] ℙ *Accedere ad rempublicam* est ad magistratus capessendos et rempublicam gerendam se conferre. *Cic. Rosc. Am.* 1. [*Fiebat hoc ap. Romanos in quaestura petenda. Sed ubi de Graecis sermo est, significat aut primum belli ducem fieri, aut initium facere apud populum de republica dicendi. *Ern. Clav.* Sed acc. ad rempublicam est etiam simpliciter ad remp. gerendam se conferre, ut *Off.* 1, 9, 28. et ap. *Eutrop.* 9, 11. Probus imperator ad administrationem reip. accesisse dicitur. — Similia sunt: accedere ad vectigalia *Cic. Verr.* 2, 3, 40. de publicanis (v. *Gronov.* ad *Sen. ep.* 101. quem id. *Ernest.* laudavit); ad causam *Cic. Verr.* 2, 2, 38. *Caecil.* 5. i. e. eam suscipere, — de actore; ad periculum *id. ib.* 19. i. q. suscipere defensionem et quae cum ea conjuncta sunt pericula. *id. Balb.* 10. accedere ad bellorum pericula. Cf. *Curt.* 4, 14. *Cic. Off.* 1, 25, 89. iratus qui accedet ad poenam i. e. punire aggredietur. *Id. Verr.* 2, 1, 2. accessi ad invidiam. *Pl. Trin.* 1, 2, 84. in eandem tute accederes infamiam.] ℙ *Accedere alicui animum* dicimus, cum is animos sumit. *Cic. Att.* 5, 20. Rumore adventus nostri Cassio animus accessit. *Nep. Milt.* 4. Id si factum esset, et civibus animum accessurum, et hostes fore tardiores. ℙ *Accedit pretium* vel *Accedit pretio*, *h. e.* pretium augetur. *Plin. ep.* 6, 19. Scis tu, accessisse pretium agris. *Colum.* 3, 21. Plurimum pretio accedit, si venditio in annum differri possit. ℙ Apud inferioris aevi scriptores *accedere ad manum* est adorandi gratia ad manum osculandam accedere. *Capitolin. Maximin.* 5. Nunquam ad manum ejus accessit, nunquam illum salutavit. *Vopisc. Aurelian.* 14. Post haec Aurelianus surrexit, atque ad manus accessit agens gratias. [*v. *Lips. Elect.* 2, 6. Simile illud, quod in libera civitate dixit *Cic. Fam.* 4, 4, 10. ad Caesarem supplex accederet. — Longe differt, quod *Nep. Eum.* 5. dicit: accedere ad manus, i. e. pugnare, gr. ἐς χεῖρας ἐλθεῖν. — Sed his quae Forcellinus de rationibus hujus verbi proposuit, quaeque nos addidimus, si quis putaret, rem absolutam esse, nae is vehementer erraret. Non quo plures etiam significationes verbi esse dicamus, quam unam esse ad eamque reliquas omnes redire jam supra indicavimus; sed tam multiplex visus est verbi usus, ut non possimus, quin alias quasdam loquendi formulas, quas collegimus, hic adjiciamus, cum non videantur superioribus satis apto modo interponi posse. ℙ *Sall. Jug.* 16. quo potissimum infelix accedam i. e. me convertam auxilii petendi causa. Male al. *accidam*. ℙ *Hor. Ep.* 2, 2, 211. accedente senecta. *id. Sat.* 2, 2, 85. accedent anni. *Cic. Or.* 1, 60, 254. quo plus sibi aetatis accederet. ℙ *Cic. Brut.* 33, 126. manus extrema non accessit operibus ejus. ℙ *Pl. Amph.* 2, 2,

77. Num tibi aut stultitia accessit aut superat superbia? ℙ *Virg. Georg.* 2, 483. Has ne possim naturae accedere partes, i. e. explorare, cognoscere. ℙ *Sil.* 8, 328. Si qua interea invitaverit aura, Annueritque deus, velox accede secundis i. e. utere, arripe opportunitatem oblatam. ℙ *Ter. Hec.* 3, 5, 32. Haud invito ad aures sermo mi accessit tuus. Dubitant tamen de ista locutione VV. DD., ut interpp. *Livii*, in quibus *Dukerus*, ad 10, 41, 7. ita ut vox etiam ad hostes accederet, ad 27, 15, 17. et ad 21, 10, 11. ablegandumque eo, unde nec ad nos nomen famaque ejus accedere — possit, ubi *Gronov.* quamvis libris contradicentibus *accidere* (v. *Drak.* ad 40, 32, 2. et ad *Sil.* 13, 153. et infra h. v.) scribendum putavit. Nobis utrumque recte videtur dici, nec videmus, quid, quominus dicatur *accedit* ad aures vox, fama etc., impediat, cum dixerint Romani venire, pervenire ad aures. In Terentii certe loco audacior fuerit, qui *accessit* in *accidit* mutandum putet, licet *Palmerius* ita scribi jubeat ex uno, ut ait, codice. Et ap. *Cic.* quoque *Vatin.* 2. plurium librorum auctoritate confirmatur *accedat.* ℙ Dicitur *accedere* de quartanae paroxysmo, quem medici vocant (opp. discedere, ut ap. *Cic. Att.* 8, 6.) *Cic. Att.* 7, 2. Paulo aliter *Nep. Att.* 21. ℙ Quod *Eutrop.* 10, 2. paulo insolentius dixit: Constantinus — in locum patris exoptatissimus moderator accessit — tantum abest, ut mutandum sit in *successit*, ut ne id quidem significet. V. *Verheyk.*] ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Caecin.* 8. Ad eas cum accederetur. [**Tac. A.* 12, 33. accedi clementer loca poterant.] ℙ Praeteritum *accederat* pro *accesserat* legitur in *Pandect. Florentin. Dig.* 29, 2, 99., et ita edidit *Torrentinus:* Haloander tamen *accesserat.* [*Similia non raro apud ICtos. Temere fuerunt qui ad Plautum et Tacitum provocarent. V. *Duk. d. Lat. ICt.* p. 334. sq. — Frequentissime confunditur hoc v. cum *accidere*, *accendere;* nonnunquam cum *ascendere* (*Drakenb.* ad *Sil.* 13, 182. Quod *ib.* 6, 604. ediderunt: Tarpejum accedere collem, non improbamus, sed hoc pro *ascendere* dictum esse ne Drakenborchio quidem credimus), *advenire* (*id.* ad *Liv.* 7, 12, 2.), *arcere* (*id. ib.* 27, 15, 17.), et *accepisse* atque *accessisse* (*id.* ad 25, 31, 3. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 20, 3.)]

ACCĔLĔBRO, as, a. 1. id. q. *accelero.* Nam antiqui hoc verbum in velocitate ponebant, ut ait *Servius* ad *Aen.* 4, 641., ubi affert illud *Accii:* Celeri gradu gressum accelebrasse decet. Alii leg. *accelerasse*, quod aptius videtur. *Capell.* quoque 9. p. 304. Neque defugiam vestrum crebrius accelebrare consilium. Hic quoque alii leg. *accelerare.*

ACCĔLĔRĀTIO, onis, f. σπουδή, festinatio, properatio. *Auct. ad Her.* 3, 13. Continuatio est orationis enuntiandae acceleratio clamosa.

ACCĔLĔRO et Adcelero, as, avi, atum, a. 1. σπουδάζω, καταπείδω, festino, propero. *Caes. b. c.* 2, 39. Accelerare iter. *Lucr.* 6, 772. mortem. *Stat. Th.* 6, 242. opus. *Tac. A.* 12, 46. oppugnationem. *Ib.* 3, 75. consulatum alicui. ℙ Usurpatur etiam absolute sine accusativo. [*Habet enim hoc et verba *properare* et *festinare* vim transitivam et intransitivam. Vid. *Vechner. Hellenolex.* p. 91. *Sanct. Min.* 1. p. 513. *Drakenb.* ad *Sil.* 8, 52. Sed mire dicit *Nep. Att.* 22. ne ad id, quod natura cogeret, ipse quoque sibi acceleraret, in quibus quamquam reliquam Heusingeri defensionem probamus, pronomen tamen *sibi* haud putamus ferri posse.] *Cic. Cat.* 2, 4. Si accelerare volent, ad vesperam consequentur. *Virg. A.* 5, 675. Accelerat simul Aeneas, simul agmina Teucrum. [*Sic saepius *Virgilius.* — *Tac. H.* 2, 100. accelerare legiones Cremonam jussae. Ap. *Liv.* 3, 27. accelera, signifer — verba sunt militum se cohortantium.] ℙ Passive *Tac. A.* 1, 50. Detecta longiore via cetera accelerantur. [**Id. Agric.* 43. nullo credente, sic accelerari, quae tristis audiret i. e. cito nuntiari. *Id. H.* 2, 85. Accelerata interim coepta. *Quintil.* 1, 1. In lectione non properare ad continuandam eam vel accelerandam. Postremos duos locos addidit Furl.]

ACCENDĬUM, ii, n. ἔγκαυσις. *Solin.* 5. *fin.* Sarmenta licet viridia sponte concipiunt, et ab ipso numine fit accendium. *Salmasius* [**Exerc.* p. 91.] monet, male a quibusdam editum esse *incendium.*

ACCENDO, dis, ndi, nsum, a. 3. ἅπτω, ex *ad* et *candeo* [*potius obsoleto *cando.* Sic *Periz.* ad *Sanct.* 1. p. 435.] significat ignem excitare. *Cic. Univ.* 9. Deus ipse solem, quasi lumen, accendit. *Phaedr.* 3, 20. Accendere lucernam. *Virg. A.* 5, 4. quae tantum accenderit ignem Causa latet. ℙ Item urere. *Hor. Ep.* 14, 14. ignis accendit obsessam Ilion. *Ov. Tr.* 4, 10, 67. accendi igni. *Id. Fast.* 4, 411. accendere taedas. *Id. Met.* 3, 691. aras, *h. e.* in aris ignem excitare. ℙ *Accendi*, candefieri. *Plin.* 33, 3, 19. de auro: primum bonitatis argumentum est, quam difficillime accendi. [*Est etiam fervefacere, torrefacere, opp. *gelare*, ut ap. *Curt.* 3, 5. Tunc aestas erat, cujus calor non aliam magis quam Giliciae oram vapore solis accendit. Cf. *ib.* 4, 7. 7, 5. ubi de arena torrida dicitur. Adde *Colum.* 9, 6, 2.] ℙ *Accendere*, illustrare. *Sil.* 15, 681. Et gemmis galeam clypeumque accenderat auro [*i. e. splendidum reddiderat]. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 78. sol diem accendit. [**v. Drakenb.* ad *Sil.* 3, 671. Medius cum sol accendit Olympum, de quo loco diversae sunt interpp. sententiae, al. *ascendit*, al. *accedit* scribentibus. *Cic. d. rep.* 6, 17. luna radiis solis accensa. Ita intelligendum foret ap. eund. *Arch.* 6. quae jacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accenderet, si vera haec esset scriptura nonnullorum libb. pro *accederet.* Huc denique fortasse referendus locus *Quintil. Decl.* 4. p. 98. *Burm.* placida conceptum stella signavit — ardens nascentis horam sidus accendit.] ℙ Incitare, inflammare, metaph. [*velut ad res venereas. *Pl. Stich.* 4, 1, 66. Nota etiam *Stat. Silv.* 1, 1, 39. acc. equum stimulis.] *Virg. A.* 10, 368. Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris. Et 8, 500. Quos justus in hostem Fert dolor, et merita accendit Mezentius ira. [*Distinguendi erant ii loci, in quibus abl. additur, ab iis, in quibus praepos. aut accus. simplex sequitur. Dicebatur enim *accendere ira*, *ad iram*, *in iram*, *iram.* Aliud in sqq. ex *Virg.* affert exemplum. Cf. *Aen.* 7, 482. belloque animos accendit agrestes, qui tamen etiam potest dativus esse. Adde *Tac. A.* 1, 53. traditum Tiberio pervicax adulter contumacia et odiis (id. fere, quod ad contumaciam et odia) in maritum accendebat. Cf. *Drakenb.* ad *Liv.* 2, 12, 12. et 29, 8.] *Vell.* 1, 17. Ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur. *Virg. A.* 7, 550. Accendamque animos insani Martis amore. [*cf. *Sall. Jug.* 4. 8. *Cat.* 20.] *Sall. Jug.* 68. Quae res Marium contra Metellum vehementer accenderat. *Curt.* 7, 6. Accendere iram. [*Vid. *Drak.* ad *Liv.* 36, 29, 2.] *Liv.* 2, 29. *med.* magis discordiam, quam sedare. [**v.* ibi interpp. et ad 35, 10, 6.] Et 23. invidiam. *Virg. A.* 12, 804. infandum bellum. *Tac. A.* 1, 53. uxorem in maritum. *Et* 2, 57. offensiones. *Sil.* 4, 169. mentes in proelia. [**Flor.* 3, 18. Eadem fax — socios in arma et oppugnationem Urbis accendit. *Sil.* 1, 185. Hinc studia accendit patriae virtutis imago. Cf. *Sall. Jug.* 6. et de his et similibus plurimis *Heins.* ad *Claud. Rufin.* 2, 296. Paulo insolentius *Sil.* 12, 351. accendere dextras (militum). Cf. 5, 258.] *Liv.* 35, 10. certamen. [**Flor.* 3, 14. Certaminum facem T. Gracchus accendit.] *Et* 29, 9. Accendi in rabiem. [*Cf. *Sil.* 5, 558. et *Drak.* ad *Liv. l. c.*] *Cels.* 3, 9. Accendere febrem. *Lucr.* 2, 957. paene amissos accendere sensus, *h. e.* excitare. [**Cic. Fin.* 5, 15, 43. Non sine causa eas, quas dixi, in pueris virtutum quasi scintillulas videmus, e quibus accendi (tanquam lumen) philosophi ratio debet. Vid. ibi *Goer.* — *Sall. Jug.* 35. Ad dominationem accensi sunt, i. e. cupiditate domin. tenentur (flagrant). — *Quintil. Decl.* 19. p. 367. *Burm.* Materiam novi rumoris accendis.] V. etiam ACCENSUS, a, um. ℙ Item pro augere. [**Cic. Or.* 1, 25, 114. Praeclare se res habeat, si haec accendi aut commoveri arte possint.] *Curt.* 4, 2. Accendere fiduciam. *Id. ib.* alacritatem. *Id.* 7, 5. sitim. *Tac. A.* 12, 34. spem. [**Id. ib.* 54. delicta. 15, 1. dolorem. 1, 69. Accendebat haec (Agrippinae res gestas in majorem invidiam vocabat) onerabatque Sejanus, quibuscum compone *Agric.* 15. conferre injurias et interpretando accendere.] *Liv.* 28, 46. curam ingentem alicui. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 3. desiderium. *Ov. Rem. Am.* 133. Quin etiam accendas vitia irritesque vetando. [*Paulum diversa ratione *Sil.* 11, 518. late fulgentibus armis Accendunt (splendorem addunt) ultro lucem surgentis Eoi.] ℙ *Accendere pretium* est augere pr. *Sen. Benef.* 7, 9. Crystallina, quorum accendit fragilitas pretium. *Plin.* 18, 25, 60. Nubilo occasu pluviosam hiemem denuntiant, statimque augent lacernarum pretia; sereno asperam, et reliquarum vestium accendunt. *Incendo* quoque hoc modo usurpatur. ℙ Neutrorum more. *Grat. Cyneg.* 57. linorum tangere messes Ante vetant, quam maturis accenderit annus Ignibus, *h. e.* accensus fuerit: quod media aestate fit. Al. leg. *annum*, et jungunt cum sequentibus, et claro Plejas se prompserit ortu [*hoc rectius; imitatus est enim *Virg. G.* 1, 66. aestas maturis solibus coquit glebas.] ℙ *Accendier* paragoge pro *accendi Lucr.* 6, 901. [*In libris frequentissime confunduntur *accendere* et *accedere*, tum *incendere; ascensus* et *accensus.* Vid. *Drak.* ad *Liv.* 3, 68, 2.]

ACCENDONES, id est instigatores. *Salm. ap. Tert. de Pall.* 6. ex veter. lib. restituit, pro quo vulgo est *cerdones.* Is autem lanistas ibi intelligit, qui gladiatores ad pugnam excitant.

ACCENSĔO et Adcenseo, es, sui, nsitum et nsum, a. 2. συναριθμέω, adscribere, adnumerare. *Non.* 12, 8. Accensi, qui his (decurionibus) accensebantur, id est attribuebantur. *Lact.* 5, 2. Religionis, cui fuerat accensus, proditor factus est. Al. leg. *assensus. Sen. ep.* 90. Lycurgum si eadem aetas tulisset, sacro illi numero accensuisset octavum. Alii *accessisset* octavus. *Ov. Met.* 15, 546. atque accenseor illi [*ejus sum comes, παρεδρος. Al. male *assentior.* — Abuntuntur hoc verbo, qui in prosa oratione dicunt pro *attribuere.*] ℙ Part. *Accensitus. Varr.* ap. *Non.* 1, 289. Consules et praetores qui sequuntur castra, accensi dicti, quod ad necessarias res saepius acciantur, veluti accensiti.

*ACCENSIBILIS, e. adj. *Vulg. Hebr.* 12, 18. ad accensibilem ignem (πῦρ κεκαυμένον). Ejusdem notae verba ACCENSIO et ACCENSIUNCULA de febris aestu reperiuntur in vet. Gl.

ACCENSOR, oris, m. i. q. accensus, hoc est magistratus alicujus minister. *Val. Max.* 5, 7, 1. Nec accensor gloriosae illius pompae, sed auctor spectatus est. Ita quidam leg. ex conjectura, sed al. *accessor*, plerique *accessio.* [rectius. *Furl.* *idque probat *Gronov.* ad *Liv.* 45, 7, 2.]

ACCENSUS et Adcensus, (quidquid dicit *Manut. in Orthogr.* [*qui negat in libris et lapidibus *adcensus* reperiri. V. *Cellar. Orthogr. lat.* p. 31. *Bail.* Cf. infra.]) i, m. ὑπηρέτης [*viator, apparitor]. Accensi fuere ministri publici eorum magistratuum, qui vocationis jus habebant. Eos *Varro L. L.* 5, 3. *ad fin.* et 9. ab *acciendo*, hoc est vocando dictos fuisse scribit: alii vero a *censendo* vel *accensendo.* [**Varro* ipse multis in locis hoc facit. Nam 3, 6. ita scribit. „Accensos ministratores Cato esse scribit. Potest id ab arbitrio; nam inde (i. e. ex quo minister esse coepit) ad arbitrium ejus, cujus minister.“ *Censere* autem saepe interpretatur *Varro* per arbitrari, ut *censio* per arbitrium; v. 4, 14. Itaque sibi ipse repugnat, utrumque statuens.] Posterior haec etymologia ad rationem nominis propius accedit: prior ad rationem officii. Nam accensi erat munus vocare populum ad concionem, ad delectum, in jus etc. eamque vocandi formulam tradit idem *Varro ib.* ex antiquis commentariis consularibus, cujus particulam hic ponimus: *Qui exercitum imperaturus erat, accenso dicit: Calpurni, voca inlicium omnes Quirites huc ad me. Accensus dicit sic: Omnes Quirites inlicium visite huc ad judices* (h. e. ad consules). *C. Calpurnius dicit: voca ad conventionem omnes Quirites huc ad me. Accensus dicit: Omnes Quirites ite ad conventionem huc ad judices* etc. Praeterea ad accensum pertinebat, jussu praetoris vel consulis inclamare horam esse tertiam, nonam, meridiem esse etc., quae inclamatio ante publica horologia inventa eorum locum tenuisse videtur. *Varr. l. c. Plin.* 7, 60, 60. ℙ Accenso usi sunt non consules modo et praetores in Urbe, sed etiam extra Urbem proconsules et praetores. *Cic. ad Q. Fr.* Asiae proconsulem *ep.* 1, 1, 4. Accensus sit eo numero, quo eum majores nostri esse voluerunt, qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris et muneris non temere nisi libertis suis deferebant, quibus illi quidem non multo secus ac servis imperabant. Et 7. His rebus nuper Cn. Octavius jucundissimus fuit, apud quem primus lictor quievit, tacuit accensus, quoties quisque voluit, dixit, et quam voluit diu. Ex posteriore hoc *Cic.* loco intelligimus, accensi officium fuisse non solum vocare jussu magistratus, sed etiam obstrepentibus et importune clamantibus aut diutius, quam oporteret, coram magistratu agentibus silentium indicere. [*Adde *Cic. Att.* 4, 16. p. 646. *Ern. Fam.* 3, 7. *Suet. Caes.* 20. Antiquum etiam retulit morem, ut quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur. — Utebantur iis etiam in pompis funebribus. *Cic. Leg.* 2, 24, 61. dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus. Cf. *Liv.* 3, 33.] ℙ Cum exprimitur nomen magistratus, cujus aliquis est accensus, dativo ponitur; interdum etiam genitivo. *Cic. Verr.* 2, 1, 28. P. Tettius, qui tum accensus C. Neroni fuit. *Inscr.* ap. *Grut.* 94, 11. T. Tettienus Felix Augustalis, Scriba Librar. Aedil. Curul. Viator Aedil. Plebis Accensus Consuli. Alia *Inscr.* ap. *eund.* 598, 8. M. Livius Aug. L. Secundio Accensus Drusi Caesaris etc. ℙ Accensus et praeco in quibusdam rebus conveniebant. V. PRAECO. ℙ *Adcensus* scriptum est in multis vet. lapidib. ap. *Grut.* 68, 3., 403, 5., 446, 4., 485, 5. et alibi. ℙ In militia quoque Accensi fuere, et quidem in aliquo militaris dignitatis gradu constituti, ut scribit *Ascon.* in *Verr. l. c. Accensus*, inquit, *est nomen ordinis et promotionis in militia: ut nunc dicitur princeps vel commentariensis aut cornicularius.* [*Cf. ad h. l. Asconii nota *Graevii*, qui recte observat, confundi et ab Asconio et ab aliis viris doctis *accensos veteris militiae*, in quorum numerum postea *velites* successerint (v. mox), et eos accensos, qui sint *consulum*, *praetorum*, *centurionum ministri*, diversissimi ab illis. Prioris generis accensi Ciceronis et Varronis tempore nulli erant in militia romana. Plura collegit *Salmas. d. r. milit. Rom.* c. 14.] Accensum itaque, praeter superiores magistratus, habebant etiam decuriones et centuriones, non ut servum, sed adjutorem seu ministratorem, ut vocat *Varro L. L.* 6, 3. *med.* Hic alio nomine *Optio* appellatus est. ℙ Praeterea *Accensi* dicti sunt genus quoddam militum, qui exercitum sequebantur, in morientium locum subrogandi. *Festus:* Adcensi dicebantur, qui in locum mortuorum militum subrogabantur: ita appellati, quia ad censum adjiciebantur. Hos *Adscriptivos* appellat *Varro L. L.* 6, 3 *med.* et *Id. Accensos* ap. *Non.* 12, 8., quo ex loco apparet, eos armis usos non propriis, sed missilibus tantum: unde et *Ferentarii* dicti. [*Vid. *Lips. Anal. ad milit. Rom. l.* III. *dial.* 1.] *Liv.* 1, 43. Quinta classis aucta, centuriae triginta factae: fundas lapidesque missiles hi secum gerebant: his accensi cornicines tibicinesque, *h. e.* adjecti, adscripti. Al. leg. *in his accensi.* [*Per-

incommode hunc locum hic affert. Nam si vera est *Perizonii* conjectura, quam jure probat *Drak.*, praep. *in* hic esse omittendam (vulgo enim sic legitur: In his accensi, cornicines etc.), accensi est *adjecti, attributi*, ut ipse recte explicat Forc. Tum vero hoc non pertinet ad hanc rem.] Ceterum militare munus non valde honorificum exercebant; quod constat non tantum ex armorum genere, sed etiam ex iis, quae habent *Veg. de re mil.* 2, 19. et *Liv.* 8, 8. Verba *Vegetii* sunt: Ad obsequia judicum vel tribunorum, nec non etiam principalium deputabantur milites, qui vocantur Accensi, hoc est postea additi, quam fuisset legio completa; quos nunc supernumerarios vocant. Haec *Vegetius*, qui per *obsequia* privatum ministerium et quoddam veluti servitium intelligit. *Liv.* sic: Primum vexillum triarios ducebat, veteranum militem spectatae virtutis: secundum rorarios, minus roboris aetate factisque: tertium accensos, minimae fiduciae manum: eo et in postremam aciem rejiciebantur. [*Adde *ib.* 10. deinde melius ratus integros eos (triarios) ad ultimum discrimen servari, accensos ab novissima acie ante signa procederc jubet. Accurate de his accensis disputavit *Walch.* in *melett. critt.*, quorum summam proposuit Editorum alter in sua edit. *Tac. Agr.* 19. Cf. *Non.* in vv. *legio* et *optio.*] ℙ Denique alius fuit *Accensorum* ordo, qui dicebantur *velati*, quos *Festus* in voce *Adscriptitii* eosdem fuisse putat, quos modo diximus, milites adscriptos ad supplendas legiones, et dictos esse *velatos*, quia *vestiti inermes exercitum sequebantur.* Sed *Festi* sententia et eorum, qui *Festum* sequuti sunt, non probatur *Fabretto Inscr. c.* 6. *p.* 433., ubi contendit, *Accensi velati* nomen ad sacra ministeria pertinuisse, et quidem in titulis honestissimis habitum: quod apparet etiam in antiquis monumentis. *Vet. Inscr.* ap. *eund. Fabrett. l. c.* T. Velatius Accensorum Velatorum L. Ganymedes sibi etc. Alia ap. *Grut.* 479, 1. L. Valerio L. F. Pom. juniori Eq. R. Jurat. ad sacra Etr. Pont. Q. Aed. II. Vir. Accenso Velato Plebs Urbana L. D. D. D. Adde 483, 3. 485, 6. et 624, 2. *Reines. cl.* 16, *n.* 68. et *Murat.* 1067, 4. [*De *accensis velatis* v. interpp. ad *Cic. d. rep.* 2, 22. *Reisig.* in *Diar. lit. Jen.* 1824. *Suppl.* N. 41. et cf. in v. *velatus.*]

ACCENSUS et Adcensus, a, um, partic. et adj. διαπεπυμένος, inflammatus. *Cic. Pis.* 2. Accensae faces. *Virg. A.* 11, 188. Accensi rogi. [*Ovid. *Met.* 3, 691. accensae arae, i. e. in quibus ignis ad sacra facienda accensus est. Ita *Sil.* 3, 641. accensus flammis scopulus. *Id.* 7, 333. accensa armenta dicit, quorum cornibus ligna ardentia imposita erant.] ℙ Item vehementer calefactus [*candefactus]. *Sen. Med.* 666. Ustus accenso Pelias aheno. *Sil.* 5, 605. Ut multo accensis fervore exuberat undis, Clausus ubi exusto liquor indignatur aheno. *Plin.* 34, 15, 43. Ferrum accensum igni. ℙ Translate *Virg. A.* 4, 364. totumque pererrat Luminibus tacitis, et sic accensa profatur. *Liv.* 4, 9. accensus injuria. Et 32, 40. odio. *Tac. A.* 12, 4. Accensi hostes stimulante ignominia, ne feminae imperio subderentur. *Ib.* 3, 4. Studia hominum accensa in Agrippinam. *Id. H.* 2, 68. Accensus ad certamen. *Vell.* 2, 98. in arma. *Lucan.* 3, 133. in iram. *Virg. A.* 5, 183. Spes accensa, *h. e.* aucta. [*Ov. *Met.* 9, 28. accensa ira. *Sil.* 1, 285. accensa sole venena i. e. aucta et vehementiora reddita.] ℙ *Accensi sensus* ap. *Lucr.* 2, 941. et 3, 337. sunt excitati, vivi ac sentientes. ℙ *Accensus* praeterea vel *Adcensus, a, um*, part. ab accenseo, ut accensi milites, de quibus in v. praeced. Adde locum *Lactantii* in *Accenseo.*

ACCENSUS, us, m. accendendi actus. *Symmach. ep.* 3, 48. Accensu luminum claritudinem diei adjuvare. Al. accessu. *Plin.* 37, 7, 29. Lychnis appellata a lucernarum accensu. Ita legit *Hard.* Al. *lucernarum accensarum.*

ACCENTĬUNCŬLA, ae, f. accentus. *Gell.* 13, 6. Quas Graeci προσῳδίας dicunt, eas veteres docti tum notas vocum, tum moderamenta, tum accentiunculas, tum voculationes appellabant.

ACCENTOR, oris, m. ab *ad* et *cantor*, *h. e.* qui ad alium seu cum alio canit: qui et dicitur ab *Isid. Orig.* 7, 12. quia cum alio canendo consonat. Est autem quoddam clericorum in choro divinas laudes canentium officium. *Id.* 6, 19. Tres gradus sunt in cantando: primus succentoris, secundus incentoris, tertius accentoris.

ACCENTUS, us, m. i. q. cantus, ab *ad* et *cantus*, προσῳδία. *Capell.* 3. p. 60. Accentus quasi accantus dictus est. *Solin.* 5. *fin.* Tibiae milvinae, quae in accentus exeunt acutissimos. *Ammian.* 16, 12. *n.* 36. *med.* Dato aeneatorum accentu solemniter signo ad pugnandum. Adde 24, 4. *n.* 22. Sed utroque *Ammiani* loco alii legunt *centum* [*quod nihil significat]. ℙ A Grammaticis accentus dicitur intentio vel inclinatio vocis, quae in quolibet verbo pronuntiando fit. Nam quemadmodum nulla vox est sine vocali, ita nulla est sine accentu. *Cic.* appellat *sonum Orat.* 17. *extr.* et *vocem ib.* 18. Alii dixere *tenorem* et tonum et *fastigium* teste *Diomed.* 2. p. 425. *P.* Antiqui etiam tonorem a τόνος, ut ait *Quintil.* mox citandus. Dictus est ab accinendo, quod sit quasi quidam cujusque syllabae cantus, ut ait *Diom. ib.* Est autem triplex, acutus, qui acuit seu erigit syllabam, gravis, qui deprimit, et circumflexus, qui ex acuto et gravi constat. *Quint.* 1, 5. Adhuc difficilior est observatio per tenores, (quos quidem ab antiquis dictos *tonores* comperi, ut videlicet declinato a Graecis verbo, qui τόνους dicunt) vel accentus, quos Graeci προσῳδίας vocant. [*Pompej. comment. artis Don.* p. 65. *ed. Lindemann.* Graeci προσῳδίας dicunt accentus hac ratione. πρὸς dicunt *ad*, cantum dicunt ᾠδήν. Verbum de verbo Latini expresserunt, ut dicerent prosodias accentus. Nihil interest, sive *accentum* dicamus sive *tonum* sive *tenorem.* Praeter haec nomina et ea, quae *F.* h. l. et in v. *accentiuncula* affert, reperiuntur etiam: *apices, acumina, cacumina.* — *Id. Pompej.* p. 67. Accentus est quasi anima vocis, id est, accentus est anima verborum et anima vocis uniuscujusque.] ℙ *Accentum hiemis* pro augmento dixit *Sidon. ep.* 4, 6. Atque hoc, inquit, in maximo hiemis accentu summisque cumulis nivium crustisque glacierum. Sic *accentum doloris*, augmentum et intensionem, cui *declinatio* opponitur, dixit *Marcell. Empir. c.* 36.

ACCEPSO. V. ACCIPIO in fine.

ACCEPTA, ae, f. portio agri, quae alicui assignatione aut sortito data est. *Sicul. Flacc. de condit. agror.* p. 22. *Goes.* Saepe unius ejusdemque hominis duo domini acceptam sibi defendunt. [*Id. ib.* p. 17. Manipulus singulas acceptas accipiet, aliqui gradus singulas et dimidias, aliqui binas. *F.*] *Auct. de Limit.* p. 300. Modus jugerationum secundum acceptam uniuscujusque separetur. [*Hygin. *d. lim. const.* p. 190. *ed. Goes.* acceptum et accepta distinguit. V. *Rigalt. gloss. agrimens.* p. 290.]

ACCEPTĀBĬLIS, e, adj. accipi dignus, εὐπρόσδεκτος. *Lact. Epit.* 58. Haec acceptabilis victima est, quam de se ipso animus immolat. *Tertull. de Orat.* 7. Poenitentia acceptabilis Deo.

ACCEPTĀBŬLUM. V. ACETABULUM.

ACCEPTĀTIO. V. ACCEPTIO.

ACCEPTĀTOR, oris, m. qui acceptat, qui aliquid ut sibi gratum accipit. *Tertull. de poenit.* 2. Quorum cum auctor et defensor sit, necesse est proinde et acceptator: si acceptator, etiam remunerator. Adde *adv. Psych.* 11. [*Glossar. *Voss.* ineditum: *Acceptar, auctor*, ubi *Burm.* ad *Anth. lat.* T. II. p. 586. legit *acceptator.* Duo glossaria mss. bibl. Leid. acceptator, auctor, conscriptor. *Jahn.*] ℙ [Significat etiam aditum, ingressum in aliquem locum. *Inscr.* ap. *Fea Relaz. d' un viaggio ad Ostia* p. 53. Pro salute Imperatoris Caes. Aug. Nostri L. Septimii Severi Pertinacis Herculi Numini Sancto cum basi marmorata, acceptatoribus et terraris C. Sentius Portesis S. P. D. D. (*sua pecunia dedicavit*) *h. e.* aditibus, per quos populus intus accipiebatur, seu in aream, quae circa monumentum erat, ingrediebatur. *F.*]

ACCEPTĬLĀTĬO, onis, f. ἄποχή, nomen ex *accipio* et supino *latum* compositum, est ipsa relatio in acceptum [*opp. *expensilatio* ap. *Gell.* 14, 2.] Apud JCtos est ficta quaedam et imaginaria solutio et liberatio, ut docet *Modestin. Dig.* 46, 4, 1., quae fit per interrogationem et responsionem, qua utrisque contingit ab eodem nexu absolutio. Dicenti enim, *Quicquid tibi per stipulationem promisi, vel ex stipulatu debeo, habesne acceptum?* tu respondes, *Habeo acceptumque fero;* quasi dicas, *Perinde habeo, ac si accepissem abs te per veram solutionem.* [Adde *Cajum Institut.* 3, 169. *ed. Goeschen. F.*] ℙ Dividitur interdum interjecto verb. *Caj. Dig.* 39, 6, 30. Per accepti quoque lationem debitor liberatus etc. *Paul. Dig.* 23, 3, 41. Accepti quoque latione dos constituitur. Utroque loco al. aliter leg. [*cf. *Voss. de Vit. L. L.* 1, 3.]

ACCEPTĬO, onis, f. accipiendi actio, πρόσληψις. *Cic. Top.* 8. *extr.* Neque deditionem, neque donationem sine acceptione intelligi posse. [*Sall. *Jug.* 29, 4. acc. frumenti.] ℙ A philosophis vocatur propositio, quae conceditur a respondente, ut si quis ita proponat: *Estne omne honestum bonum?* propositio est, et, si assentire se dicet, fit acceptio. Ita definit et explicat *Apul. Dogm. Plat.* 3. *p.* 271. ubi saepissime hanc vocem eo sensu usurpat. Quidam substituunt *acceptatio*, sed invitis plerisque optimis codicibus. [*Id. *d. Syll.* p. 382. huic junge alteram acceptationem. Add. *ib.* p. 389.] ℙ *Acceptio vocis* est ejus interpretatio ex mente ejus, qui eam audit et excipit. *Sicul. Fl. de Condit. agror.* p. 18. *Goes.* [*Ibi haec leguntur: acceptiones in centuriis explicandae sunt. Al. putant *acceptiones* significare h. l. id. quod *acceptae* (V. *accepta*). — ℙ Acceptio personarum i. e. προσωπολημψία, discrimen s. contemplatio personarum, dignitas. *Vulg. interpr. Paralip.* 19, 7. non est apud deum — nec personarum acceptio nec cupido munerum (*Valer. Max.* 3, 3. personarum discrimen). Vid. *Günther. Lat. restit.* p. 440. *Jani Lex. philol.* p. 34.]

ACCEPTĬTO, as, avi, a. l. i. q. accepto. *Pl.* ap. *Non.* 2, 508. Qui apud regem in latrocinio fuisti, stipendium acceptitasti.

ACCEPTO, as, avi, a. l. frequentat. ab *accipio*, sed ejusdem fere significationis. *Pl. Ps.* 2, 2, 31. Qui res rationesque heri curo, argentum accepto, expenso, et cui debet, dato. *Quint.* 12, 7. *fin.* Zeno, Cleanthes, Chrysippus mercedes a discipulis acceptaverunt. *Papin. Dig.* 34, 1, 9. Annuos aureos et menstruum frumentum acceptare. *Sil.* 7, 41. Acceptare jugum. [*Plin. 36, 25, 64. Lithostrota acceptavere (Romani) jam sub Sylla i. e. usurpari coepta sunt. *Mel.* 1, 1. Alia aliis locis cognomina acceptat. Vid. *Drak.* ad *Liv. epit. l.* 128.] ℙ Ap. eccl. scriptores significat tanquam gratum recipere: unde *acceptabilis* et *acceptator. Tertull. adv. Psych.* 11. Votum cum a Deo acceptatum est. *Id. de Anim.* 17. Unguentum, quod in sepulturam suam acceptavit.

ACCEPTOR, oris, m. qui accipit, λῃπτής. *Pl. Trin.* 1, 2, 167. Qui illorum verbis falsis acceptor fui, *h. e.* approbator. *Augustin. ep.* 7. Videbunt homines, quam non sim acceptor personae meae. [*Vulg. *Act. Apost.* 10, 34. non est personarum acceptor (προσωπολήπτης) deus. Cf. *Hieron. ep.* 89. et in v. *Acceptio.*] ℙ *Acceptor* pro *accipiter* est *Lucilii* ap. *Charis.* 1. p. 76. *P.* ℙ [*Acceptores* dicti etiam fuerunt quidam homines, qui Ostiae merces navibus advectas accipiebant et servabant. V. *Inscr.* allatam in V. *Puteus. F.*]

ACCEPTORĬUS, a, um, adj. ut acceptorius modulus, qui opponitur *erogatorio*, ap. *Frontin. Aquaed.* 34. *Acceptorium* enim vocat, qui aquam haurit, *erogatorium* vero, qui refundit. [*Nimirum fraudulenti aquarii alia mensura ex aquaeductibus ipsi accipiebant aquas, alia (minore) erogabant, ut imputare plus possent, quam ipsi accepissent.]

ACCEPTRICA. V. v. seq.

ACCEPTRIX, icis, f. quae accipit, δέκτρια. *Pl. Truc.* 2, 7, 18. Nusquam apparet neque datori, neque acceptrici. Quaedam antiquae edd. et mss. habent *acceptricae*, ut nominativus sit *acceptrica*, quod minime probandum.

ACCEPTUS, a, um, adj. δεκτός, part. ab *accipio. Cic. Pis.* 37. Accepta et devorata pecunia. *Id. Planc.* 21. Offensiuncula accepta. [*Cum praepos. *Suet. Ner.* 35. Poppaea accepta in matrimonium. ℙ Absolute de iis dicitur, quae a majoribus tradita sunt. *Lucret.* 5, 1407. unde etiam vigiles nunc haec accepta tuentur.] ℙ Saepe idem est qu. carus, gratus, jucundus, χαρίεις. *Cic. Tusc.* 5, 15. Quod vero approbaris, id gratum acceptumque habendum. [*Sall. *Jug.* 7. acc. popularibus. Cf. 12. 73.] In veteri formula ap. *Macrob. Sat.* 3, 9. Urbs acceptior probatiorque sit. *Tac. A.* 6, 45. Millies sestertium ea munificentia collocatum, tanto acceptius in vulgus, quanto etc. *Cic. Somn. Sc.* 3. Nihil est deo acceptius, quam coetus hominum. *Liv.* 1, 15. Longe ante alios acceptissimus militum animis. *Pl. Capt.* 3, 5, 56. Acceptissimus apud te servus. [*Haec significatio a seq. derivari debebat; quae enim bene accipimus, probamus, diligimus, ea cara sunt, grata, jucunda. *Vellej.* 2, 33. accepta est lex i. e. populi consensu rata habita est, igitur placuit.] ℙ Cum adverbiis *bene* vel *male* aut similibus significat exceptum, tractatum. *Cic. Somn. Sc.* 1. Post autem regio apparatu accepti sermonem in multam noctem produximus. *Id. Att.* 13, 52. Tribus tricliniis accepti valde copiose. [*Pl. *Merc.* 1, 1, 98. acceptus hilare atque ampliter, quibuscum cf. *Cic. Or.* 2, 71, 290. *Att.* 16, 3.] *Cic. Verr.* 2, 2, 23. Homines multis verbis a se male acceptos dimisit. *Brut.* ap. *eund. Fam.* 11, 13. Copiolae meae inopia omnium rerum pessime acceptae [i. e. male habitae, in miserrima conditione. Vid. *Cort. Hirt. b. Afr.* 18. itemque adversarii male accepti (i. e. detrimento affecti, repulsi) — se ad sua praesidia retulerunt. Cf. *ib.* 41. *Nep. Eum.* 8. *Lentul.* ap. *Cic. Fam.* 12, 14. quos ad Hirtii locum attulit *Oudendorp.* Cf. in *Accipio.*] ℙ Praeterea locum habet maxime in rationibus, in quibus *acceptum* dicitur quidquid ab aliis accipimus seu dono, seu mutuo, seu alio quovis modo, cui opponitur *expensum.* Itaque in rationum libris alterum caput est *accepti*, alterum *expensi* [*sive *dati.* Cf. loc. sq. et *or. pr. Fontej. fr.*] *Cic. Rosc. C.* 2. Non habere se hoc nomen in codice accepti et expensi relatum confitetur, sed in adversariis patere contendit. [*Dicitur, ut hic, codex accepti (acceptorum *ib.* 3.), etiam tabulae accepti et expensi. *Verr.* 2, 1, 76. cf. *Or.* 47, 158.] *Id. Am.* 16. Ut par sit ratio acceptorum et datorum. ℙ Hinc *acceptum referre* (et interdum *acceptum ferre*) est scribere in tabulis, te accepisse, quemadmodum *expensum ferre* est scribere, te dedisse vel expendisse. [*Cic. *Phil.* 2, 16. ego amplius HS. ducenties acceptum hereditatibus retuli.] *Verr.* 2, 1, 39. Satis te elapsurum arbitrabare, si, quibus pecuniam credebas, iis expensum non ferres, cum tot tibi nominibus acceptum Curtii referrent? [*cf. *Caec.* 7. se autem habere argentarii tabulas, in quibus sibi expensa pecunia lata sit acceptaque relata. *Verr.* 2, 2, 70.] *Venulej. Dig.* 42, 9, 25. Si fraudator fidejussori suo scienti acceptum tulerit. ℙ *Accepto ferre* et *in acceptum ferre* aut *referre* idem significant. *Ulp. Dig.* 39, 6, 30. Licet solvendo non sit debitum, cui accepto latum est. *Cic. Verr.* 2, 1, 57. Negabat, opus in acceptum referre posse. Et mox: si in acceptum non retulisset, putabat se aliquid defensionum habiturum. *Marcell. Dig.* 48, 11, 7. Illud quoque cavetur, ne in acceptum feratur opus

publicum faciendum. Est autem *referre in acceptum opus*, scribere opus perfectum fuisse ea ratione et lege, qua locatum est. [*Ex hoc genere nonnullos JCtorum locos attulit *Gifan.* in *Obss. L. L.*] ℙ Hae locutiones etiam translate accipiuntur. Itaque *acceptum referre* aut *ferre alicui aliquid* est fateri, se ei debere, et tum in bonam, tum in malam partem sumitur. *Cic. Phil.* 2, 5. Ut esset nemo, qui non mihi vitam suam, liberos, rempublicam referret acceptam. *ib.* 22. Omnia mala, quae postea vidimus, uni accepta referemus Antonio. [*Cf. *Gronov.* ad *Liv.* 22, 25, 12. ubi pro vulg.: bienniique clades per temeritatem atque inscientiam ducum acceptas referret (i. e. diceret) sic scr. esse conjecit: temeritati atque inscientiae ducum acceptas referret. Par est ratio loci ap. *Hirt. b. g.* 8, 38. qui ei omnia pericula et detrimenta belli a Gutruato accepta referebant (exponebant). Hic cum vulgo desit *ei*, quod addidit *Oud.*, *Davis.* delendam esse praep. *a* ante *Gutruato* censuit.] *Sen. ep.* 78. Philosophiae acceptum fero, quod surrexi. *Hor. Ep.* 2, 1, 233. Choerilus, incultis qui versibus et male natis Rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos. *Ov. Tr.* 2, 10. Acceptum refero versibus, esse nocens. [*Memoratu dignus est locus in *Cic. Parad. praef.* 5. Hoc tamen opus in acceptum ut referas nihil postulo, i. e. non postulo, ut hoc munus, parvum et non nimis magni pretii, valde pretiosum esse putes. Male ibi al. *in apertum.* Addantur etiam hi loci: *Valer. Max.* 2, 7. *extr.* Futurum, ut spiritum poenae impenderent, quem pugnae acceptum ferre dubitassent, i. e. si vitae, quam pugnae deberent, parcere vellent. Ap. *Hirt. b. Alex.* 50. vulgo legebatur: sibique quod rapuerant, acceptum ferebant. *Oudend.* edidit *referebant* ex libris antiquioribus. Idem notat, in aliorum locis, ubi *ferri* legatur, libros plerumque exhibere *fieri*, ut ap. *Plin. ep.* 2, 4. quidquid mihi pater tuus debuit, acceptum tibi ferri jubeo, ubi v. *Cort.* Omnino autem aureae aetatis scriptores praetulisse videntur *referre*, quod observavit jam *Cellar.* in *Cur. poster.* ostendens, Valer. M., Senecam, Plinium utrumque et Gellium altero verbo esse usos. Denique *Tertull. Apolog.* 13. Accepto ferent dii vestri, imo gratulabuntur.] ℙ Ab JCtis *acceptum* vel *accepto facere* et *acceptum habere* dicitur is, qui scribit vel fatetur, se accepisse et debitorem liberat. *Ulp. Dig.* 46, 4, 6. Quod ego tibi promisi, habesne acceptum? *ib.* 7. Accepta facis decem? ille respondit, facio. *Ib.* 1, 13. Qui enim accepto facit, vel totum vel partem ejus, quod stipulatus est, debet accepto facere. ℙ Translate *Cic. Verr.* 2, 3, 60. Sponsionem acceptam facere, *h. e.* remittere, a sponsione facta discedere. Hoc loco vide, ne te fallat *Manutii* interpretatio. *Plin.* 34, 14. Quamobrem culpa ejus non naturae fiat accepta [*tribuatur.] *Catull.* 36, 16. Acceptum face redditumque votum [*i. e. fac, ut ratum sit.] ℙ *Acceptum rogare* vel *accepto rogare* dicitur is, qui a creditore petit, ut acceptum ferat, quod vel a se vel ab alio debetur. *Ulp. Dig.* 46, 4, 8. Servus communis sicut uni ex dominis stipulari potest, ita etiam acceptum rogare uni ex dominis potest eumque in solidum liberat. *ib. l.* 6. Si promissor ita accepto rogasset: quod ego tibi promisi, habesne acceptum? Et mox: illud sciamus, si ego aliud accepto tuli, aliud tu rogasti, nihil valere acceptilationem. [*Sic etiam accepto ferre i. q. pro accepto ferre. *Vulg. ad Rom.* 4, 6. Deus homini accepto fert justitiam.] ℙ *Accepto liberare* est acceptum rogando liberare debitorem a creditore, quando nimirum creditor interrogatus, an id, quod sibi debebatur, acceperit, respondet, se accepisse: *accepto liberari* dicitur debitor, cum ita liberatur, ut creditor confiteatur, se ab eo accepisse. *Ulp. l. c. l.* 8. Accepto liberare servus communis alterum ex dominis etiam ab altero domino potest. *ib. l.* 13. *fin.* Heres quoque et liberare et liberari accepto potest. ℙ Est vero advertendum, has omnes locutiones usurpari ab JCtis fere in imaginariis solutionibus, in quibus scilicet, nulla interveniente pecunia, *acceptilationes* peraguntur. ℙ Translate *accepto facere delicta* ap. *Tertull. de Pudic.* 16. est remittere. ℙ *Satis acceptum est.* V. SATIS ACCEPTUS.

ACCERSO cum derivatis. V. ARCESSO etc.

ACCESSĪBĬLIS, le, ad quem accedi potest, εὐπρόσιτος. *Tert. adv. Prax.* 15. Per accessibilem lucem.

ACCESSIBĬLĬTĀS, atis, f. facilitas accedendi. *Ib.* 15. Ascriberemus mortalitatem, accessibilitatem.

ACCESSĬO, onis, f. actus accedendi, πρόσοδος. *Cic. Univ.* 12. Cum ad corpora necessitate tum accessio fieret, tum abscessio. *Pl. Trin.* 3, 2, 83. Quid tibi in consilium huc accessio est? *Id. Truc.* 2, 2, 3. Quid tibi ad hasce accessio est aedes? [**Cic. Verr.* 2, 2, 53. suis accessionibus i. e. saepe adeundo]. ℙ Speciatim dicitur de accessu febris aut alius morbi [*ἐπισημασία, ut explicatur in gloss. gr. V. *Salm. Exerc.* p. 516.] cui opponitur *decessio* et *remissio. Cels.* 2, 12. *fin.* Cibus plenior an exiguus sit dandus, ex ratione ejus accessionis, quae expectabitur, aut in metu non erit, aestimari oportebit. Adde *c.* 3, 4 et 8. et *Suet. Vesp.* 23. (Cf. in *accedo* et *accessus.*) ℙ Ponitur saepe pro additamento seu incremento, ἐπίδοσις, πρόσθεσις. [**Cic. Fin.* 3, 10, 34. non accessione neque crescendo. Sed hic recte *accessione* explicat *Goer. usu*, quo in antecc. usus erat, *περιπτώσει* apud philosophos graecos, quorum verba novis vocabulis et novis vocc. significationibus reddidit *Cic. Ib.* 14, 45. *extr.* crescendi accessionem nullam habet.] *Cic. Off.* 1, 39. Accessionem adjungere aedibus, *h. e.* aedes ampliare addita parte aliqua. *Id. Am.* 3. Paucorum annorum accessio. [**Cic. Att.* 16, 16. Ad paternas — necessitudines magnam attulit accessionem tua voluntas erga me. Nili accessionem de crescente Nilo dixit *Seneca.* Vid. *Salmas. Exerc.* p. 310.] *Sen. ep.* 87. *med.* Venire in accessionem [**ἐν προσθήκης μέρει εἶναι*]. *Ib.* Accessiones et appendices. [*Uterque *Senecae* locus infra potius erat commemorandus post *Livii* locum.] ℙ Peculiari ratione *accessio* dicitur de iis, quae tanquam honoraria adjiciuntur ad vectigalia, decumas, pensiones et similia, quae vel reipublicae vel dominis pensitantur, cui opponitur *decessio. Cic. Rab. Post.* 11. Non intelligo, hoc quale sit; utrum accessionem decumae, ut nostri facere coactores solent centesima, an decessionem de summa fecerit. Si accessionem, undecim millia talentum ad Sabinium pervenerunt etc. *Id. Verr.* 2, 3, 32. Populus publice coactus est ei conferre lucri tritici medimnum XXVI., et accessionem HS CIↃ CIↃ. *Ib.* 49. Ad singula medimnum multi HS duo, multi HS quinque accessionis cogebantur dare. [**ib.* 50. accessiones numorum, quod paulo post corollarium numorum dicitur. Et ita saepius in his orationibus.] *Colum.* 1, 7. Ligna et ceteras parvas accessiones exigere. [*Accessionem pecuniae simpliciter de auctis opibus dixit *Nep. Att.* 14.] ℙ Translate *Cic. Fam.* 7, 6. In omnibus meis epistolis, quas ad Caesarem mitto, legitima quaedam est accessio commendationis tuae. *Id. Fam.* 2, 1. Accessio fortunae et dignitatis. [**Planc.* in *Cic. Fam.* 10, 9. accessiones meritorum fieri. *id. ib.* 18. magnam etiam perditi hostes accessionem sibi fecissent. *Cic. de rep.* 2, 21. perspicuum est, quanta in singulos reges rerum bonarum et utilium fiat accessio i. e. quot bonas res P. R. singuli reges pepererint. *Id. Acad.* 2, 35. Accessio definitionis, i. e. quod additur, ut absoluta fiat definitio. Cf. *Fin.* 2, 13, 42. accessione utuntur non ita probabili, ubi antea dixerat: nam qui ad virtutem adjungunt vel voluptatem etc.] *Liv.* 45, 7. Syphax accessio Punici belli fuerat, sicut Gentius Macedonici: Perseus caput belli erat. [*Permulta hujus significationis exempla ex *Livio* aliisque congessit ad h. l. *Gronovius*, quibus adde, quae *Heins.* ad *Vellej.* 2, 26. et *Burm.* ad *Quintil. Decl.* 9, 21. p. 209. attulerunt. *Cic. Pis.* 34, 84. Cum quidem tibi etiam accessio fuit ad necem Platoris Pleuratus, ejus comes. *ib.* 37, 91. cum tibi ad pristinas clades accessio fuisset Aetoliae repentinus interitus. *Plin.* 29, 1, 17. Hinc illae circa aegros miserae concertationes, nullo idem censente, ne videatur accessio alterius, i. e. ejus quasi appendix, ei assentiri ideoque supervacaneus videatur. Cf. *Flor.* 2, 9, 4. acc. belli. 3, 1, 16. cladis. 6, 7. provinciae. *Gell.* 18, 1. Virtus non accessio neque supplementum, sed sola ipsa vitae beatae instar est.] ℙ Pro re ipsa, quae additur. *Plin.* 33. *in prooem.* Turba gemmarum potamus, et smaragdis teximus calices, et aurum jam accessio est [*i. e. vilius longe reliquis rebus est et minus pretiosum habetur. Pertinet autem aperte hic locus ad eos, quos modo attulit.] *Ulp. Dig.* 34, 2, 20. Accessio cedit principali. Adde *Dig.* 22, 1. *de usur. et fructib. et causis et omnib. accessionib.*, ubi accessionum nomine intelliguntur ea omnia, quae tum ex re, de qua agitur, orta sunt, ut fructus, partus, usura; tum extrinsecus ei accedunt, veluti id quod per alluvionem accrevit etc. ut docet *Hotoman. in Lex. Jur.* ℙ Praeterea apud JCtos *accessio* in obligatione est, quoties aut res aut persona adjungitur. Hinc fidejussores, sponsores, adpromissores et omnes, qui obligationi accedunt, *accessiones* dicuntur. *Paul. Dig.* 44, 7, 44. Accessio in obligatione aut personae aut rei fit: personae, cum mihi aut Titio stipulor; rei, cum mihi decem aut Titio hominem stipulor. *Ib.* 45, 1, 91. §. 4. Utique principalis debitor perpetuat obligationem; accessiones autem an perpetuent, dubium est. Hinc *accessionis loco promittere* idem est ac fidejubere, *Paul. Dig.* 46, 1, 34.

ACCESSĪTO, as, avi, n. frequentativum ab *accedo. Cato in Orig.* ap. *Gell.* 18, 12. Eodem convenae complures ex agro accessitavere.

*ACCESSĪVUS, a, um, adj. Sic vertitur in glossar. vet. gr. lat. v. πρόσθετος.

ACCESSOR, oris, m. qui accedit vel additur. V. ACCENSOR.

*ACCESSUS, part. v. accedo. *Ov. Fast.* 5, 582. gens non accessis invia fluminibus. Al. *circumfusis inv. fl.*

ACCESSUS, us, m. πρόσοδος, accessio. *Cic. N. D.* 2, 7. Solis accessus discessusque. [**Or.* 3, 45. *Div.* 2, 42.] *Id. Divin.* 2, 14. Quid de marinis aestibus dicam? quorum accessus et recessus lunae motu gubernantur. [*Cf. *Mel.* 3, 1. — De ventis *Virg. Aen.* 3, 570. portus ab accessu ventorum immotus.] *Id. Mil.* 19. Accessus nocturnus ad urbem. *Id. N. D.* 2, 12. Accessus ad res salutares, recessus a pestiferis. *Ov. Pont.* 2, 2, 41. Dare accessum alicui. *Id. Her.* 10, 64. Accessum negare. [*Cf. *Met.* 14, 636.] *Gell.* 4, 2. Accessus morbi et discessus. [*ℙ Dicitur etiam de febribus. *Plin.* 28, 4, 11. reliquum dant in tertianis accessu (i. e. paroxysmo) febrium bibendum. *Sulp. Sev. vit. b. Mart.* 19. accessus ardoris. V. supra in v. *accessio.*] ℙ Translate *Cic.* ad *Dolabell. post. ep.* 17. *l.* 14. *ad Att.* Tum accessus a te ad causam facti, tum recessus. [*Acc. ad causam ratio est, qua in oratione sensim aggredimur agere id, cujus causa suscepta est. *Ernest. Clav.*] ℙ Interdum sumitur pro loco, per quem aliquo acceditur. *Suet. Caes.* 58. Explorare accessum ad insulam. *Virg. A.* 8, 229. Omnem accessum lustrare. Adde *Flor.* 2, 12. ℙ Ap. *Vitruv.* 10, 19. *accessus, qui ἐπιβάθρα graece dicitur*, videtur significare machinam, quae occulto artificio in sublime cresceret, ut ait *Philander*, vel eam machinam, quae alio nomine *tolleno* dicitur: aliis videtur notare scalarem machinam ad scandendos muros: alii denique lectionem ipsam sollicitant et *ascensus* legunt. [*Quod ab antiquis *accessus aestus* dictum est, id a posterioris aevi scriptoribus *Accessa*, ac, sicut *remissa* pro *remissione* et similia, dici ostendit *Salm. Exerc.* p. 203. sq. coll. p. 277. Sic *Serv.* ad *Aen.* 1. Ita intelligi volunt, quod tanta est in illis locis accessa, quae dicitur mare, ut per ora Timavi, id est, usque ad initium fontis mare ascendat. Et paulo post: constat autem et in illo loco accessam maris usque ad montem pervenire.]

ACCĬĀNUS, a, um, adj. ad Accium poetam pertinens. *Cic. Fam.* 9, 16. Posuisti versus Accianos. *Gell.* 14, 1. Item Accianum illud: nihil credo auguribus, qui etc.

ACCĬDENS, tis, part. ab *accido*, προσπίπτων. *Cic. Att.* 1, 14. Ad pedes omnium accidente Clodio. *Tac. A.* 15, 53. Deprecabundus et genibus principis accidens. (Cf. *accido*) ℙ Substantivi more ponitur pro re adversa, quae necopinantibus accidit. *Auct. Declam.* 5. *cui titulus est* Aeger redemptus, *quae a quibusdam Quintiliano tribuitur:* quamvis judices, in tanta malorum continuatione jam poteram nihil ex accidentium meorum novitate mirari. Et paulo post: Non molliri prosperis facile, non accidentibus frangi. [*Cf. *id. Decl.* 5. p. 112. 126. 17. p. 342. et vid. *Burm.* p. 104. eleganter sic dici recte negantem.] ℙ Item pro circumstantia, quae rei accidit, hoc est extrinsecus advenit, (*Cicero* adjunctum vocat) συμβεβηκός. *Quintil.* 5, 10. Causa, tempus, locus, occasio, instrumentum, modus, cetera, rerum sunt accidentia. *Id.* 3, 6. Hermagoras quatuor putat (status), conjecturam, proprietatem, translationem, qualitatem, quam per accidentia, id est *κατὰ συμβεβηκότα* vocat. *Id.* 4, 2. *fin.* Personae cum suis accidentibus ponendae. [*cf. *id.* 8, 3. p. 704.] *Apul. de syllog. categor.* Quidquid de homine dixeris, aut genus significaveris, ut animal; aut differentiam, ut rationale; aut accidens, ut orator. *Tert. adv. Prax.* 26. Haec enim substantiae non sunt, sed accidentia uniuscujusque substantiae. [*Cf. *Sen. de Const. Sap.* 9.] ℙ Apud *Macrob. Sat.* 1, 4. ponitur pro nomine adjectivo, sicut *positivum* pro substantivo. ℙ *Ex accidente*, ex eo quod accidit. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. Sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adjecerunt, et ita ex accidente appellatae sunt leges duodecim tabularum. *Julian. Dig.* 235, 2, 51. Nec interest, utrum ab initio quasi inutile fuerit, an ex accidente postea in eum casum pervenerit. ℙ Per accidens. *Firm. Math.* 5, 4. Erunt etiam duorum patrum aut duarum matrum filii, unius scilicet per naturam, alterius vero per accidens.

ACCĬDENTĬA, ae, f. σύμπτωσις, id quod accidit. *Plin.* 32, 2, 9. Esse vero illam naturae accidentiam, etiam in locis quibusdam, apposito occurrit exemplo. *Tertull.* quoque *de Anim.* 11. et 21. *accidentiam* usurpavit de re, quae alteri accidit, et advenit extrinsecus.

ACCĪDO, is, ĭdi, isum, a. 3. ex *ad* et *caedo*, περικόπτω. *Caes. b. g.* 6, 27. Accidunt arbores tantum, ut summa species earum stantium relinquatur. Quidam codex [minus recte. *F.*] habet *abscidunt* [*imo multi libri sic exhibent scriptum, sed male. Vid. *Oud.* qui recte explicat: ita caedunt, ut levi motu procumbant.] *Arnob.* 1. p. 4. Ab locustis genus omne acciditur atque adroditur frugum. ℙ Translate est omnino concidere, evertere, prorsus extenuare. *Liv.* 8, 29. Hostes in aciem invitos extraxit; et ita praelio uno accidit Vestinorum res. V. alia in ACCISUS.

ACCĬDO et ADCĬDO, is, ĭdi, n. 3. προσπίπτω, cado vel juxta cado: ex *ad* et *cado. Caes. b. g.* 3, 14. Tantum tamen has altitudo puppium ex barbaris navibus superabat, ut neque ex inferiore loco satis commode tela adjici possent, et missa a Gallis gravius acciderent. *Pl. Poen.* 2, 38. Tam crebri ad terram accidebant, quam pyra. [*Cum his cf. locum *Ennii* ap. *Cic. N. D.* 3, 30, 75. ubi *accidisset — ad terram* scribendum esse ostendit *Hdf.*] *Ter. Hec.* 3, 3, 18. Accidere ad genua. Et *Liv.* 44, 31. Genibus alicujus accidere. *Cic. Att.* 1, 14. Ad pedes alicujus accidere. *Varr.* ap. *Non.* 8, 94. Trabes

pronis in humum accidens. [*Similia plurima sunt apud scriptores, diligentissime collecta a *Nic. Heinsio* ad *Ovid. Fast.* 5, 360. quem laudat *Drak.* ad *Liv.* 2, 50, 7. tela ab omni parte accidebant. *Sen. Hipp.* 588. Terrae repente corpus exanimum accidit, ubi ita ex *Cod. Med.* scribi jubet *Heins. l. c. Lucret.* 4, 216. Aetheris ex oris in terrarum accidere oras. *Sil.* 4, 238. Frontem in mediam gravis accidit ensis; al. *incidit.* Vid. *Heins. l. c.* Cf. etiam *Herz.* ad *Caes. b. g.* 3, 14.] P Ponitur etiam pro pervenire. *Liv.* 27, 29. Repente fama accidit, classem Punicam adventare. [*Vid. *Drak.* ad 21, 10, 12.] *Id.* 8, 24. Quod ubi ad aures accidit regis. *Plin. Pan.* 92. Clamor accidit auribus nostris. [*Cf. *Liv.* 29, 6.] *Cic. Att.* 3, 20. Quod me vetas quidquam suspicari accidisse ad animum tuum. [**Gell.* 19, 10. Res animum accidens.] *Id. Verr.* 2, 4, 1. Quod ad oculos animumque acciderit. [*Cf. *id. Sext.* 50. Ad populi romani aures accidisse. Gr. ita dicitur προσπίπτειν. Ceterum cf. de hoc usu *Heins.* ad *Ovid. Fast. l. c. Drak.* ad *Liv.* 10, 41, 7. 40, 32, 2. ad *Epit. l.* 55. *Brem.* ad *Suet. Caes.* 20. *Ruhnk.* ad *Rutil. L.* 1. p. 58. *Herz.* ad *Caes. b. g.* 8, 8. et quae supra in v. *Accedo* notavimus.] P Cum accusativo sine praepositione, quae inest in ipso verbo. *Pl. Stich.* 1, 2, 31. Mihi paternae vocis sonitus aures accidit. [**Valer. Fl.* 2, 452. Vox accidit aures.] *Sall. Jug.* 16. Quos accidam, aut quos appellem? *h. e.* ad quorum pedes accidam orandi causa? Ita legunt quidam cum *Donato*: plerique alii *accedam.* [*Donati locus est ad *Ter. Hec.* 3, 3, 18. Sed ap. *Sall.* recte legitur *accedam.* Sed ap. eund. *Sall. Jug.* 93. *Cortius* defendit, quod in nonn. libb. est: quo improvisus gravior accideret, et *ib.* 115. quia de improviso acciderant, quod multi libb. habent, pro *accesserant.* Cf. *Rudd.* II. p. 135. et *Vorst. d. Lat. f. susp.* c. XVI.] P Cum accusativo et praepositione *in*, pro quadrare, convenire posuit *Ter. An.* 5, 3, 14. Istuc verbum vere in te accidit. P Saepissime ponitur pro evenire, contingere, συμβαίνειν, cum dativo et fere in tertiis personis. [**Hor. Ep.* 5, 61. Quid accidit?] *Cic. Planc.* 6. Accidit praeter opinionem. *Id. Fam.* 3, 10. Nollem accidisset tempus, in quo etc. [*Cf. *id. Div. in Caec.* 1. ibique *Ernest. Tac. A.* 2, 5. Usitatius est *tempus incidit.*] *Id. Verr.* 2, 3, 55. Si qua calamitas accidisset. [**ib.* 2, 1, 1. Neque tanta fortunis omnium pernicies potest accidere. Sic ibi ediderunt jubente *Ruhnk.* ad *Rutil. L. de fig.* p. 3. Vulg. *accedere. Caes. b. g.* 7, 52. Ne parvum modo detrimentum — accideret. Al. *acciperet.* Et omnino cum permultis substantivis conjungitur hoc verbum. *Cic. Off.* 3, 4, 18. Accidit dubitatio. *Id. Caecin.* 5. Ut negotia mulieris, si qua acciderent, — susciperet. *Id. Inv.* 2, 2. Quod quoniam nobis quoque voluntatis accidit, ut artem dicendi perscriberemus. *Plin. Paneg.* 54. Quibuscunque censendi necessitas accidisset. Cf. *Cic. d. R.* 1, 6. *Virg. A.* 12, 593. Accidit haec fessis etiam fortuna Latinis. Sed quod *Cic.* dicit *Off.* 1, 10, 32. potest enim accidere promissum aliquod et conventum etc., graeca ratione explicandum esse demonstravit *Gernh.*] *Id. Fam.* 6, 22. Timebam enim, ne evenirent ea, quae acciderunt [*i. e. ne fierent ea, quae nunc vere facta sunt. Sic *Sall. Cat.* 54. Hoc (maleficium) nisi provideris ne accidat, ubi evenit, frustra judicia implores. *ib.* 50. Illis merito accidet, quidquid evenerit. *Cic. Div.* 1, 28, 58. Mihique — praedictum est, fore eos eventus rerum, qui postea acciderunt. *Ammian.* 20, 2. Pertinaci ignavia accidisse, quae contigerunt. Cf. *Nep. Hann.* 12. et interpp. ad *Hirt. b. g.* 8, 3. accidit, quod imparatis disjectisque accidere fuit necesse.] Et 21. Ut omnia, quae non nostra culpa nobis accidant, fortiter ferre debeamus. *Id. Rosc. Am.* 34. Casu accidit, ut id quod Romae audierat, primus nuntiaret. *Id. Fam.* 15, 10. Cum ita accidit, ut omnium vestrum studio tuus consulatus satisfacere posset. [**Sall. or.* II. *ad Caes. d. rep. ord.* p. 200. *ed. Hav.* Quod in certamine dubium est quorsum accidat (quem eventum habiturum sit), id per inertiam in se, quasi victi, recipiunt. Cf. *Ter. Andr.* 1, 5, 29.] *Nep. Con.* 5. Accidit huic, quod ceteris mortalibus, ut inconsideratior in secunda, quam in adversa fortuna esset. [*Commemorari hic poterant ii loci, in quibus acc. explicant *esse*, adjuncta tamen fortuiti notione, gr. τυγχάνειν. *Cic. Fam.* 3, 1. Omnia tibi accidisse gratissima. *Ib.* 11, 15. Concordia vestra senatui gratissima accidit. *Ammian.* 21, 1. Sapienti viro haud leve accidere poterit hoc doctrinae genus (praenoscendi futura). Alia infra afferemus, ubi de discr. verborum *acc.* et *contingere* dicemus.] P Et cum particula *quod. Cic. Att.* 1, 17. Sed accidit perincommode, quod eum nusquam vidisti. P Cum aliis casibus vi alicujus praepositionis. *Cic. Att.* 1, 4. Nam mihi omnia, quae jucunda ex humanitate alterius homini accidere possunt, ex illo accidebant. *Ib.* 16. Quaeris ex me, quid acciderit de judicio, quod etc. *Quintil.* 2, 17. Adeo ut vix ex admirabili quodam casu possit accidere, ut etc. P Cum infinitivo, sed rarius. *Cic. Fam.* 6, 11. Nec enim acciderat, mihi opus esse. P *Si quid alicui accidat*, et *si quid humanitus accidat*, formulae sunt loquendi, quibus significatur futura mors alicujus: illis autem libenter utebantur veteres praecipue in testamentis, ut *mortis* vocabulo aut alio ominoso verbo abstinerent. *Pompon. Dig.* 50, 16, 163. Si quis ita in testamento scripserit, *si quid filio meo acciderit, Dama servus meus liber esto*, mortuo filio Dama liber erit; licet enim aliqua accidant et vivis, sed tamen vulgi sermone etiam mors significatur. *Cic. Inv.* 2, 21. Cujus heres non in testamento quisquam scriptus erat, si quid pupillo accidisset. *Id. Phil.* 1, 4. Si quid mihi humanitus accidisset. *Suet. A.* 101. Filiam neptemque, si quid his accidisset, vetuit sepulcro suo inferri. [*Cf. *id. Cal.* 3. 23. *Claud.* 18. Cave tamen semper accipias de morte; dicitur de quovis casu graviore per euphemismum, ut *Cic. Mil.* 22, 36. Si quid ei accidat i. e. si condemnetur. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. Nunquam — me poenitebit maxima pericula pro patria subire, dum, si quid acciderit mihi, a reprehensione temeritatis absim. Cf. *Caes. b. g.* 1, 18. ibique *Herz.* et, quem laudat, *Ruhnk.* ad *Vellej.* 2, 32. Sic gr. dicitur εἴ τι πάθοι.] *Contingo* et *evenio* eadem ratione usurpantur. [*Notanda etiam formula satis trita: *si secus* (*aliter*) *accidat*, *acciderit*, i. e. si aliter, quam voluimus, evenerit, si quid mali inciderit. *Cic. Fam.* 6, 22. ibique *Cort. Sall. or. ad Caes.* II. p. 204.] P Inter *accidere* et *contingere* hoc esse discrimen videtur, quod illud saepius de adversis dicatur, hoc de prosperis eventibus. Saepius, inquam, non semper. Nam et *accido* de bonis dicitur, et *contingo* de malis, ut ex allatis patet exemplis, et confirmat *Donat.* ad illud *Ter. An.* 2, 3, 24. Interea aliquid acciderit boni. [*Sic etiam *Nep. Dat.* 8. Nisi quum adversarios locorum angustiis clausisset, quod perito regionum callideque cogitanti saepe accidebat, aperte de re bona. Cf. *id. Alc.* 6. Adversatur etiam *Cic.* locus *Phil.* 2, 7. Qualis si qui nunc esset, tibi idem, quod illis accidit, contigisset, ubi de eadem fortuna utroque utitur verbo. Adde *Att.* 1, 5. 8, 6. *Fam.* 3, 1. et 10. *Planc.* 24, 58. *Tac. A.* 2, 5. et saepe alibi. Omnino vero illud discrimen, de quo dixit etiam *Bremi* ad *Nep. Milt.* 1, 1. et *Herz.* ad *Caes. b. g.* 7, 3., in ipsorum verborum propria ratione non videtur esse positum, et *accidere* cum factum sit a *cadendo* (v. *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 1, 5, 29), res ab utraque fortuna profectas recte videtur significare posse. Invaluit tamen hic usus, ut raro *accidere* de secundis, raro *contingere* de adversis rebus, raro utrumque de rebus nec bonis nec malis, *evenire* de his omnibus promiscue diceretur. Ceterum dignus, qui commemoretur, locus *Cic.* videtur *Div.* 2, 7, 19. Si enim nihil fieri potest, nihil accidere, nihil evenire.] P Aliam etiam assignant differentiam, quod *accidant* ea, quae fortuito atque improviso eveniunt: *contingant*, quae ex praecedentibus causis, quamvis improvisis, fiunt. *Sen. ep.* 110. Intuere, quid sint res nostrae, non quid vocentur, et scies, plura mala contingere nobis, quam accidere; quoties enim felicitatis causa et initium fuit, quod calamitas videbatur. [*Sed Senecae locus quid hic sibi velit, non perspicimus. Potius is illud, quod supra propositum est, discrimen confirmat.] Verum ne hoc quidem perpetuum est. [*Sic *Ammian.* 23, 1. Alia quoque signa, quid accideret (futurum esset), ostendebant. Et omnino vanum est illud discrimen. Quod si verum esset, non potuisset *Cic. Div.* 2, 8, 21. dicere: nihil autem est pro certo futurum, quod potest aliqua procuratione accidere ne fiat, neque *Att.* 1, 16. id autem ut accideret, commissum est Hortensii consilio. — Frequens est in libb. mss. permutatio verborum *accidere* et *accedere*, sed ita tamen, ut accidere frequentius in accedere mutetur, teste *Goer.* ad *Cic. Fin.* p. 56.]

ACCIĒO, es, a. 2. id. q. *Accio*, sed minus usitatum. *Pl. Mil.* 3, 3, 60. Ego illum probe oneratum huc acciebo. Ita quidam leg. ex vet. quibusdam codd., et quod ratio carminis ita legi postulet: sed ea maxime incerta est, et praeterea plerique alii leg. *accibo*, quod erit futurum anomalum ab *Accio*, *is*, quemadmodum ab *Audio* olim dictum est *audibo.* [**Lindemann.* edidit, quod metrum requirit, *acciebo*, nihil tamen monito lectore. Quidquid tamen est de *Plauti* loco, hoc certe verbum ponitur a *Diomed. l.* 1. p. 363. *P.* in secunda conjugatione. H. l. add. *F.*]

ACCINCTUS et Adcinctus, a, um, part. ab *accingo*, praecinctus, succinctus. *Tac. A.* 11, 31. Feminae pellibus accinctae assultabant. *Ib.* 6, 2. Accinctus ferro. *Liv.* 40, 13. gladiis adcincti. *Stat. Th.* 1, 428. Forsan et accincto lateri (sic ira ferebat) Nudassent enses. P *Accinctus miles* idem est qu. armatus. *Tac. A.* 11, 18. Ferunt, militem, quia vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitos. [*Prius illud accinctus non simpliciter est *armatus*, sed, quod oppos. *pugione* docet, dicitur miles *gladio* non succinctus fuisse, ut mos erat.] P Hinc translate munitus, tectus. *Tac. A.* 12, 44. Juvenis potentiae promptae, et studio popularium accinctus. [**Ammian.* 18, 4. Ferarum gentium adjumentis accinctus. *Id.* 17, 5. totis viribus accinctus.] P Item expeditus, paratus, promptus, quia qui cinctus est, habilior est ad agendum, εὐζωνος. *Stat. Silv.* 4, 4, 48. magnos accinctus in usus Fert animus quascumque vices. *Plin. Pan.* 30. In omnia intenta bonitas et accincta. P Item parcus, moderatus, quo sensu ei opponitur *discinctus. Id. ib.* 20. Ad hoc comitatus accinctus et parens. [*Alii legunt *accinctus ac parcus. Commeatus accinctus* recte explicatur expeditus, sine multis impedimentis neque diu in ullo loco haerens.] *Auson. grat. act.* 27. Cujus aut familiaris habitus condecentior, aut militaris accinctior? P Item instructus, ornatus. *Val. Fl.* 5, 514. accinctus gemmis fulgentibus ensis. *Eumen. Paneg. ad Constant.* 11. Britannia tot vectigalibus quaestuosa, tot accincta portubus. *Id. Paneg. ad Constantin.* 19. Massilia munitissimo accincta portu.

ACCINGO et Adcingo, is, nxi, nctum, a. 3. περιζώννυμι, cingo, praecingo, ex *ad* et *cingo. Virg. A.* 11, 489. laterique accinxerat ensem. *Ib.* 7, 640. Loricam induitur fidoque accingitur ense. P Latius etiam sumitur pro instruere, ornare. *Ib.* 6, 184. paribusque accingitur armis. *Ib.* 9, 74. Atque omnis facibus pubes accingitur atris. [**ib.* 6, 570. Tisiphone accincta flagello. Et active *Tac. A.* 6, 32. Ornat Phraaten accingitque paternum ad fastigium, i. e. spem ejus accipiendi injicit.] P Translate est parare, instruere, ἐπιχειρέω, ἑτοιμάζω, παρασκευάζω. Ducta est translatio ex eo, quod qui aliquid facere aggreditur, alte cingi solet, quo habilior expeditiorque sit. [**Ter. Phorm.* 2, 2, 4. Tibi omne est exedendum; accingere. (Cf. *Ov. Met.* 7, 47. *Liv.* 2, 12. in hoc discrimen accingere). *Id. Eun.* 5, 8, 30. Accingar. Sed probe notandum, hanc loquendi rationem nonnisi apud poetas et inferioris aevi scriptores reperiri; nusquam *Cic. accingi* aut *accingere se ad aliquid* dixit.] *Tac. H.* 4, 68. Simul Domitianus Mucianusque accingebantur, dispari animo etc. *Virg. A.* 1, 214. Illi se praedae accingunt. [*Cf. 11, 707.] *Liv.* 4, 2. Accingi ad consulatum. *Id.* 2, 12. in discrimen. *Tac. A.* 12, 31. Turmas peditum ad munia accingere. *Id. H.* 4, 79. Accingi ad ultionem. *Id. A.* 11, 28. ad spem majorem. [**ib.* 3, 66. in audaciam]. *Liv.* 6, 35. Adcingi ad cogitationem. *Val. Fl.* 4, 593. Accingere animos futuris. *Tac. A.* 12, 25. Se quoque accingeret juvene, partem curarum capessituro, *h. e.* muniret se [*sc. eum adoptando. — *Tibull.* 4, 1, 179. Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus Valgius. *F.*] P Cum infinito. *Virg. G.* 3, 46. ardentes accingar dicere pugnas Caesaris. P Cum accusativo sine praepositione, quae inest in ipso verbo. [*Aliam esse accusativi rationem, norunt ii, qui graece sciunt. Cf. *id. Cir.* 6. Aliud studium atque alios accincta labores. V. *Rudd.* II. p. 163.] *Id. A.* 4, 493. magicas invitam accingier artes. P More neutrorum. *Id. ib.* 2, 235. Accingunt omnes operi. [*Non defuit, qui *accingunt se operi* scribendum esse existimaret. Sed omitti posse pronomen docet Virgilii usus saepe observatus VV. DD., ut *Heinsio* ad *Georg.* 2, 287. Cf. *Jahn.* ad *Georg. l. Vorst. d. Lat. f. susp.* c. XIV. et, quem laudat, *Vechner. Hellenol.* 1, 6.] *Pompon.* ap. *Non.* 7, 10. Dum ego revortor, age, accinge ad molas. In hoc et similibus exemplis semper intelligitur accusativus *te* aut *se.*

ACCĪNO et Adcino, is, n. 3. idem quod accanto, ἐπάδω. Verbum est perrari usus. *Diomed.* 2. *p.* 425. *P.* Accentus dictus est ab accinendo, quod sit quasi quidam cujusque syllabae cantus. V. ODICUS et EPODOS. P Quidam afferunt ex *Sedulio* versum, quem nos in toto ejus opere non invenimus.

ACCĬO, is, ivi, et ii, itum, a. 4. [*Grammaticos olim *arcire* scribere solitos esse ait *Drak.* ad *Liv.* 5, 8, 12. provocans ad *Dausquej. Orthogr.* part. II. in *v. arcessere*, et *Voss. Etym. v. eod.* Atque ita saepe in libb. mss.] προσκαλέω, evoco, advoco, arcesso. *Cic. Att.* 5, 1. Tu invita mulieres, ego accivero pueros. Quidam ex vet. quibusdam lib. leg. arcivero [*nemo probat]. *Id. ib.* 13, 48. Si acciderit, accurram. *Id. Har. resp.* 12. Haruspices acciendos Etruria putaremus. [**Id. Or.* 3, 35. Qui hunc Alexandro filio doctorem accierit.] *Sil.* 8, 337. e Tyrio consortem accite senatu. *Tac. A.* 1, 5. Accire aliquem properis litteris. *Liv.* 2, 6. aliquem peregre in regnum. *Vell.* 2, 38. [*cf *Ruhnken.*] et *Flor.* 4, 2. mortem, *h. e.* sibi consciscere. *Tac. H.* 4, 83. Ut fidissimis amicorum in Pontum missis effigiem suam acciret. [*Utitur h. v. etiam *Sall. Jug.* 86. 108. 116. et saepe *Liv.*, apud quem confunduntur a scribis *accitus* (evocatus) et *adscitus* (cooptatus) et omnino formae nonnullae verborum *accire* et *adsciscere.* V. *Drak.* ad 6, 40, 4. et maxime ad 45, 25, 13. Nos in hujusmodi locis, qualis hic est, et 4, 31, 6. voluntarios undique ad spem praedae adsciverunt, *accire* non multum absumus quin solum probemus. Cf. quae a *Gronov.* et *Drak.* ad 28, 24, 4. 45, 4, 3. et alibi notantur.] P Translate *Cic. Fin.* 5, 31. Qui se fatentur virtutis causa, nisi ea voluptatem acciret, [*i. e. afferret, efficeret] ne manum quidem versuros fuisse. [*Quae in isto loco scripturae sunt diversitates, eas librariorum deberi ignorantiae judicat *Goer.*] P Futurum *accibo.* V. supra in *Accieo.* P [Part. *Acciturus* ap. *Liv.* 24, 19. Se T. Gracchum proconsulem a Benevento acciturum. *F.* *Confunduntur saepissime in libb. *accire* et *accipere*, *acciri* et *accipi*, *acciendum* et *accipien-*

dum, *acciti* et *accepti*. V. *Drak.* ad *Liv.* 10, 19, 1. et saepe alibi.]

ACCĬPENSER. V. ACIPENSER.

ACCĬPĬO, is, epi, ptum, a. 3. λαμβάνω, δέχομαι, ex *ad* et *capio*. *Quum multa noster, ut solet, in h. v. rationibus explicandis sine ullo justo ordine congesserit, multa et in his non spernenda omiserit, non speramus viros harum rerum peritos nobis iratos fore, si relicta illa quidem, sed paulo aliter disposita nostrisque additamentis interposita videbunt. Est igitur *accipere* id. q. capere, sumere, recipere, et dicitur primum de iis rebus, quas *manibus* prehendimus. *Cic. Har. resp.* 11. Manibus accepta. *Justin.* 1, 4. in manus. *Pl. Amph.* 2, 2, 132. Ex tua accepi manu pateram. *Hor. Sat.* 1, 4, 14. Accipe, si vis; Accipiam tabulas. *Ovid. Met.* 4, 584. Manum accipe. Inde explicanda est locutio *fidem accipere et dare* (πιστὰ δοῦναι καὶ λαβεῖν), quod fit junctis dextris. *Sall. Cat.* 45. Refertur porro ad alias corporis partes, quibus aliquid capimus. Sic *Virg. A.* 1, 685. Gremio accipiet. 4, 531. Neque — oculis aut pectore noctem Accipit (non dormit, non tranquilla est). *Cic. N. D.* 2, 63. Accipere onus. ℙ Tum in universum dicitur de quibuscunque, quas quocunque modo assequimur, quae quocunque modo traduntur nobis et contingunt, rebus. Qui verbi usus tam varius est et multiplex, ut magno exemplorum numero proposito nondum videamur nobis satisfecisse. *Cic. Verr.* 2, 2, 9. Accipere pecuniam. *Ib.* 3, 30, 71. Imperat Agyrinensibus, ut decumas ipsi publice accipiant. Cf. 36. et saepius ista in orat. ita legitur. Plerumque hoc dicunt *exigere*. Vid. *Orell. Excurs.* p. 272. *Nep. Epam.* 4. Divitias accipere nolo pro patriae caritate. *Id. Att.* 1, 1. Rebus, quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret. *Liv.* 37, 52. Acc. hereditatem. *Cic. Att.* 7, 23. literas ab aliquo. *Id. Fam.* 1, 1. Quod dat, accipimus. *Quintil.* 7, 8. Accipere pignori. Vid. *Burm. Id.* 10, 1. et 6. vires. *Id.* 9, 2. Urbes etiam populique vocem accipiunt, i. e. loquentes inducuntur. *Sil.* 5, 529. Manantem in viscera mortem accipit. *Id.* 10, 7. Pectoribus ferrum accipite. 7, 626. Accepit lateri (ferrum, i. e. vulneratus est). *Id.* 17, 418. Accepere tuba spatium i. e. tubae sono dato intravere, occupavere spatium. *Cic. N. D.* 2, 61, 153. (Homo) accipit ab his cognitionem deorum (imbuitur). *Id. Q. Fr.* 1, 1, 9. Humanitatem iis tribuere debemus, a quibus accepimus. *Id. Fam.* 5, 2. Cum par voluntas accipitur et redditur. *Virg. A.* 1, 304. Regina quietum Accipit in Teucros animum. 8, 389. Ille repente Accepit solitam flammam. Cf. *Ov. Met.* 2, 410. *Virg. Ecl.* 4, 15. Ille deum vitam accipiet i. e. deus erit. *Ovid. Met.* 15, 844. coelum accepisse fatebor, i. e. putabo me felicissimam. V. *Gierig. Justin.* 5, 4. Accipere pacem. *Id.* 12, 8. veniam. *Cic. d. Rep.* 3, 14. Aut facere injuriam, nec accipere, aut et facere et accipere. In sqq. pro eo utitur verbo *pati*. Cf. *Cic. Flacc.* 1. *Off.* 1, 11. *Sall. Cat.* 9. *Senec. ep.* 95. *Cic. Dom.* 36. Accipere (i. e. percipere, ut alibi dicunt) dolorem. Cf. *Fam.* 15, 21. *Att.* 6, 1. *Q. Fr.* 3, 8. Magnam ex epistola tua accepi voluptatem. *Id. Sull.* 1. Accipere calamitatem. Cf. *Nep. Con.* 1. *Att.* 5, 20. vulnus et *ib.* plagam odiosam (cf. *Virg. A.* 3, 242. *Justin.* 5, 5.) *Quintil.* 9, 2. cladem. De his et similibus v. *Vorst. de L. f. susp.* c. XI. *Cic. Att.* 9, 2. Accipere honorem ab aliquo. *Id. Sext.* 49. plausum. *Id. Brut.* 47. palmam. *Id. Offic.* 3, 10, 44. Praeclarum accepimus a majoribus morem. Porro *Suet. Aug.* 10. Accipere consulatum. Et ita saepe de munere sive provincia, quae alicui traditur. Sic *id. Caes.* 22. Galliam. *Nep. Hann.* 3. imperium. *Virg. A.* 6, 770. Si unquam regnandam acceperit Albam. *Ovid. Met.* 8, 655. Artus fovendos accipit. *Eutrop.* 9, 21. Pacandum mare accipere. *Liv.* 32, 1. Accipere exercitum ab aliquo. Vid. *Gron.* et *Drak.* ad 42, 22, 1. *Accipere pugnam* dicuntur ii, qui fessis succedunt. *Liv.* 30, 18, 9. ibique *Drak. Id.* 38, 25, 12. Initium pugnae accipere i. e. inire. *Id.* 8, 27, 10. praesidium, de urbe, cui praesidium imponitur. Vid. *Drak.* Al. enim ibi exhibent *recipere*. *Suet. Claud.* 43. Rationem a se omnium factorum acciperet (ἀπολαμβάνειν). *Lucan.* 8, 97. Nunc accipe poenas, sed quas sponte luam. Alibi hoc dicitur *sumere* poenam. *Suet. Ner.* 33. In quo cibi genere venenum is acceperat. Hanc dicendi rationem illustrat *Burm.* ad illud *Quintil. Decl.* 15. p. 312. Odium accepi (in potu), afferens *Justin.* 12, 10. *Ovid. Met.* 7, 287. E contrario medicamenta *dare* dicuntur medici. — *Accipere censum* dicitur censor instituens censum. Vid. *Liv.* 39, 44. et ad 29, 37, 7. *Gron.* et *Drak. Tac. A.* 1, 33. Dicitur etiam de magistro, cui discipuli in disciplinam traduntur. *Cic. Fat.* 2. Quamquam flagrantissimum acceperam. Et sic fortasse *Virg. G.* 2, 477. Me vero — Musae — accipiant, coelique vias et sidera monstrent. ℙ *Cic. N. D.* 2, 54. Alvus omne, quod accipit, cogit et confundit. *Virg. A.* 8, 449. Ventosis follibus auras Accipiunt (concipiunt) redduntque. Cf. *Georg.* 4, 171. *Ovid. Met.* 3, 121. *Quintil.* 11, 3. Nam ut tibiae eodem spiritu accepto — sonum reddunt. *Cic. Or.* 3, 45. Luna lumen solis accipit. *Hor. Ep.* 1, 10, 17. Ubi mitior aura Leniat et rabiem Canis et momenta Leonis, Cum semel accepit solem. *Virg. G.* 1, 170. Formam accipit ulmus aratri. Cf. *ib.* 2, 450. *Aen.* 10, 138. Fusos cervix cui lactea crines Accipit (cui defluunt crines). *Ib.* 5, 491. Dejectam aerea sortem Accipit galea. *ib.* 1, 123. (Naves) accipiunt imbrem. *Sil.* 17, 624. (Rates) flammiferam accepere facem (incensae sunt). *Ovid. Met.* 12, 37. Accipient ventos a tergo mille carinae. *Virg. A.* 6, 414. (Cymba) multam accepit (hausit) paludem. *Sil.* 14, 13. (Tellus) accepit freta, i. e. inundata est. Quod *id.* 4, 141. insolentius dicit: Caedem accepit ab hoste Cornus, sic intellige: hostis occurrens vulnerandi se opportunitatem hastae praebuit, vulneratus est. *Id.* 11, 386. Accepit tellus ossa — sepulcro. *Virg. G.* 1, 216. Tum te quoque, Medica, putres Accipiunt sulci. *Ammian.* 22, 7. de mari fluvium excipiente: per quas (regiones) in mare accipitur Phasis. Hinc facile ad explicandum, cum locus, urbs, terra etc. dicuntur accipere eum, qui in eum locum venit, intrat etc., ubi *accipere* id. est quod *excipere*. *Virg. G.* 4, 362. (Unda) accepit sinu. *Id. Aen.* 3, 210. Strophadum me litora primum Accipiunt. *ib.* 7, 210. Aurea nunc solio stellantis regia coeli Accipit. Cf. 2, 69. *Ovid. Met.* 6, 334. *Sil.* 16, 2. Bruttia — Hannibalem accepit tellus. *Liv.* 1, 60. Accepere castra. Al. *excepere*. Vid. ib. *Drak.* et cf. *id.* ad 5, 21, 3. 21, 44, 8. et 22, 39, 13. Add. *ib.* 29, 32, 8. 38, 21. *fin. Plin. Pan.* 16. Accipiet ergo aliquando Capitolium non mimicos currus etc. *ib.* 92. Nos — currus accipiet. — *Tac. A.* 1, 54. Annus novas caerimonias accepit i. e. eo anno institutae sunt. *Quint.* 9, 3. p. 820. Accipit venustatem (sensus vehemens et acer). *Id.* 12, 11. Quantum enim poesis ab Homero et Virgilio, tantum fastigium accepit eloquentia ab Demosthene atque Cicerone. *Id.* 5, 11. (Fabulae) quae etiamsi originem non ab Aesopo acceperunt (nam videtur earum primus auctor Hesiodus). *Id.* 8, 2. Interim autem, quae sunt in quoque genere praecipua, proprii locum accipiunt. ℙ Saepissime dicitur *accipere* de sensibus humani corporis et de mente ipsa, cujus ope aliquid cognoscimus. *Cic. Div.* 2, 3, 9. Rerum, quae sensu accipiuntur. Cf. *Fin.* 2, 3. *Id. Or.* 1, 50. Accipere aliquid auribus. *Ovid. P.* 2, 8, 43. Accipe non dura supplicis aure preces. *Sen. Suas.* 1. Propitiis auribus accipitur. *Quintil. Decl.* 337. Aversis auribus accipere. *Cic. Verr.* 2, 3, 18. Quem accepi ipse oculis animoque sensum. *Virg. A.* 10, 104. Accipite ergo animis. Et sic saepe Virgilius. *Cic. Acad.* 2, 20, 66. Visa enim ista quum acriter mentem sensumve pepulerunt, accipio, hisque interdum etiam assentior, nec percipio tamen, in quo loco vides plus significare *percipere*, quam *accipere*. ℙ Hinc factum est, ut *accipere* omnino significaret *audire*, et maxime diceretur de iis rebus, quae nobis ab aliis traduntur et quas *fando* s. *fama* cognoscimus; v. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 6. *Cic. Sen.* 21. Eas non tum primum accipere, sed reminisci et recordari. *Sall. Jug.* 25. Accepta oratione, h. e. audita. Ap. *Caes. b. g.* 5, 1. utrum *accepta oratione* simpliciter sit *audita*, an *probata*, ambigunt interpp. Hoc magis probamus. *Ovid. Met.* 14, 11. dicta acceptaque salute. Cf. v. 271. Sed hoc omnino frequentissimum. *Cic. Or.* 2, 27, 114. Accepto causae genere et cognito, i. e. postquam nobis a cliente causae genus expositum est et cognitum. cf. 87, 355. *Virg. A.* 1, 676. Nostram nunc accipe mentem. Et est haec usitatissima transitionis formula apud *Lucretium* et *Virgilium* aliosque, *Accipe nunc*. Cf. *Hor. Sat.* 2, 3, 46. 233. 307. 1, 4, 38. *Cic. Verr.* 2, 3, 30. *Vellej.* 2, 113. *Cic. Fam.* 1, 6. Quae gerantur, accipies ex Pollione. *Id. N. D.* 2, 37. Accepissent fama et auditione, esse quoddam numen et vim deorum. (Quod ap. *Cic. Fam.* 7, 1. Coelius scribit: ne tenuissimam quidem auditionem de eo accepi, durius et insolentius dictum est. Vid. interpp.) *Id. Fin.* 3, 20. Quod de Hercule et Libero accepimus. *Liv.* 3, 70. fin. Triumphum nec ipsos postulasse nec delatum iis ab senatu accipio. *Plin.* 8, 48, 74. Trabeis usos accipio reges. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 3, 69, 8. 4, 41, 7. ℙ Porro facile apparet, quomodo nostrum verbum significationem acceperit *discendi*, *cognoscendi*, *intelligendi*, *interpretandi*. *Cels.* 8. *init.* Superest ea pars, quae ad ossa pertinet. Quae quo facilius accipi possit, prius positus figurasque eorum indicabo. Neque aliter *Cic. Or.* 1, 25, 114. Et si quis est, qui haec putet arte accipi posse. Cf. *Mel. prooem. fin. Nep. Att.* 1. Ut non solum celeriter acciperet, quae tradebantur. Al. *arriperet*, quod jure improbat *Bremi*. Cf. not. *Staver. Quintil.* 10, 5. Juvenis, qui rationem inveniendi eloquendique a praeceptoribus diligenter acceperit. — *Plaut. Cas.* 1, 3, 18. Haud satis meo corde accepi (intellexi) querelas tuas. *Ter. Andr.* 2, 2, 30. Non recte accipis. *Hor. Ep.* 1, 7, 53. laeve jussa accipere. *Cic. N. D.* 3, 1. Quae parum accepi (paulo ante: quae minus intellexi). *Quintil.* 6, 3. Postquam Urbis appellationem, etiamsi nomen proprium non adjiceretur, Romam tamen accipi sit receptum. Cf. 8, 2. *Id.* 1, 5. Barbarismum pluribus modis accipimus. *Auct. ad Her.* 4, 53. Cum verbum potest in duas pluresve sententias accipi. *Quintil.* 6, 3. Dictis aliter accipiendis. *Auct. ad Her.* 2, 26. Quod in aliam partem, ac dictum sit, potest accipi. *Ter. Eun.* 1, 2, 2. Aliorsum, atque ego feci, acceperit. Cf. *Heaut.* 2, 3, 23. *Id. Eun.* 5, 2, 37. Equidem pol in eam partem accipio (sic interpretor, sic volo intelligi). *Phaedr. prol.* 2, 11. Bonas in partes, lector, accipias velim (aequo et benevolo animo accipias). *Cic. Att.* 11, 7. *fin.* Quod rogas, ut in bonam partem accipiam, ego vero in optimam. *Quintil. Decl.* 314. Reus ergo suspectus et in eam partem accipiendus, ut fecerit. *Ter. Ad.* 4, 3, 15. Ad contumeliam omnia accipiunt magis. Cf. *Suet. Aug.* 68. *Tac. A.* 1, 14. In deminutionem sui accipiens. *Liv.* 29, 3. Omnia in majus — accipiebant, i. e. omnia sic interpretabantur, ut majora viderentur, quam erant. Cf. *Tac. H.* 1, 52. *Ib.* 2, 91. Indecora et vilia accipiebantur (pro ind. et vilibus habebantur.) *Cic. Fam.* 10, 1. Quidquid in eum contuleris, ita me accipere, ut in me ipsum te putem contulisse. Cf. *Att.* 3, 25. *pr. R. Dej.* 5. et saepe alibi. ℙ Jam vero his valde affinis est notio *excipiendi* et *recipiendi*, quibus verbis in nonnullis eorum, quae supra allata sunt, exemplorum jam uti licebat. Hic quoque multiplicem habet usum. Ac primum quidem saepissime ita dicitur de hospitiis et conviviis, sic tamen, ut *excipere* magis de primo congressu et mutuis salutationibus intelligendum videatur. *Cic. Att.* 2, 16. *fin.* Accipere aliquem hospitio agresti. *Fer. Eun.* 5, 8, 52. Accipit homo nemo melius neque prolixius, h. e. coenam dat, convivio excipit. *Pl. Cist.* 1, 1, 12. In prandio nos lepide atque nitide accepisti apud te. Cf. *ib.* 18. *Stich.* 5, 4, 3. et 12. *Bacchid.* 4, 9, 106. Accipientur mulso milites. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 29, 11, 6. ubi al. *excipere*, al. *recipere* praebent. *Burm.* ad *Vellej.* 2, 77. p. 1032. *ed. R. Heins.* ad *Sil.* 17, 5. et ad *Virg. A.* 3, 351. Pertinet huc etiam *Arnob.* 7. p. 235. Frequentissimo irrigant accipiuntque se vino, quod alibi solet *invitare se vino* dici. Hinc facile putamus explicari posse eos locos, in quibus de ratione et animo, quo quis aliquid sive alterum excipit deque eo sentit, et tum de ratione, qua cum eo versatur eumque tractat, sermo est. *Nep. Alc.* 6. Lacrimans talem benevolentiam civium suorum accipiebat. *Cic. Fam.* 15, 16. Quo animo accipias. *Sall. Cat.* 3. Acc. aequo animo. *Quint.* 4, 2. Placidioribus animis. *Cic. Att.* 15, 26. Ludi quemadmodum accipiantur. *Tac. A.* 3, 76. Accipere civiliter. *ib.* 68. excusatius. 6, 10. laetius. 2, 37. superbius. 2, 75. intemperanter. *Cic. Att.* 1, 1. durius. *ib.* 9, 2. aspere. *Id. Coel.* 22. severe. *Id. Amic.* 25. Patienter accipere admonitionem. *Att.* 15, 20. Fortiter accipere. *Liv.* 2, 3. A quibus placide oratio accepta est, nisi malis explicare *audita est*. *Tac. A.* 15, 23. Ultra gaudium mortale accepit, i. e. gaudio plus quam humano. *Tractare* explicari potest in his locis. *Cic. Verr.* 2, 4, 40. Leniter hominem clementerque accipit. (Cf. *Liv.* 27, 14, 2. clementer accepti, ubi al. *recepti*). *Id. Att.* 10, 7. Quintum puerum accepi vehementer. *Id. Tusc.* 2, 14. Accipere aliquem verberibus ad necem. Cf. *ib.* 4, 36, 78. *Id. Verr.* 2, 1, 54. Verbis male accipere. *Ter. Ad.* 2, 1, 12. Indignis cum egomet sim acceptus modis. *Plaut. Aul.* 4, 4, 3. Te — miseris jam accipiam modis. Cum his cf. ea, quae in *Acceptus* allata sunt et *Vorst. l. c.* — Porro huc pertinent hae locutiones: *Cic. Att.* 2, 20. Accipere aliquem in amicitiam. *Id. Arch.* 12. in fidem. *Liv.* 7, 19. in societatem. De his et similibus (ut *accipere in civitatem*), ubi saepissime libri dissentiunt inter *accipere*, *recipere*, *suscipere*, v. *Gronov.* ad *Liv.* 7, 30, 4. et *Drak.* ad 2, 5, 10. et 4, 3, 14. Alibi ablativum pro accus. exhibent codd., ut in illo *accipere in urbem*, de quo v. *Drak. ib.* ad 4, 15, 3. et maxime ad 9, 16, 2. (Huc refer etiam *Virg. A.* 8, 647. Tarquinium ejectum Porsena jubebat Accipere, sc. in urbem.) *Liv.* 7, 16. Acc. urbem in deditionem (libb. mss. praebent interdum *ditionem*). Vid. *Drak. ib.* ad 33, 20, 5. *Sall. Jug.* 10. Parvum ego te, Jugurtha, in meum regnum accepi. Sed de isto loco dubitatur, aliis *suscepi* exhibentibus, al. *ascivi* conjicientibus. Videtur autem *accipere* dictum de adoptione, ut gr. λαμβάνειν. V. *Cort. Liv.* 30, 8, 6. Accipere in mediam aciem. Vid. *Drak.* ad 21, 46, 9. ubi accus. recte defendit. *Justin.* 28, 3. Acc. in matrimonium. (Hoc *Eutrop.* 9, 22. simpliciter dixit: Constantius privignam Heraclii accepit.) *Tac. A.* 1, 1. Acc. cuncta sub imperium. ℙ Porro *accipere* est *suscipere*. *Ter. Hec. prol.* 2, 47. Mea causa hanc causam accipite. *Pl. Most.* 5, 2, 23. Accipito hanc ad te litem. *Ter. Heaut.* 2, 3, 96. Nihil satis firmi video, quamobrem accipere hunc mihi expediat metum. ℙ Denique *accipere* est *admittere*, et, quod inde sequitur, *probare*. Quippe qui quod ipsi porrigitur, non rejicit, sed accipit et admittit, significat, id sibi probari et placere. (Sic *Ter. Andr.* 5, 4, 47. Dos, Pamphile, est decem talenta. P. Accipio. Et eodem putamus spectare, quod *Liv.* dicit 42, 30, 8. Preces suas acceptas ab dis immortalibus ominati, ubi *Drak.* laudat *Briss. Form.* 1, 33. Quibus enim dii precibus non sunt satisfacturi quasque non probant, eas spernunt ac ne audiunt quidem.) *Ter. Eun.* 4, 7, 1. Hanccine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam (feram)! *Virg. A.* 12, 568. Ni frenum accipere et victi

parere fatentur. *Ovid. Met.* 4, 2. Non orgia censet Accipienda dei. *Tac. A.* 15, 43. Ea, ex utilitate accepta (probata et instituta), decorem novae urbi addidere. *Cic. Verr.* 2, 3, 22. Accipere judicium, i. e. velle cum eo, qui nos provocat et adducit in judicium, experiri et suam causam defendere, ut explicat *Ern.* in *Clav.* Cf. *Quint.* 20. Ita absolute *Hor. Sat.* 1, 5, 58. Accipio (provocationem). *Liv.* 38, 18, 10. Accipere omen. Est haec valde usitata formula eorum, qui, maxime in rebus laetis, quod signum divinae voluntatis accepisse se putant, id admittunt et pro omine habent, gr. *δέχεσθαι τὸν οἰωνόν*. Cf. *Liv.* 1, 7, 11. *Cic. Div.* 1, 46, 103. *Tac. H.* 1, 62. *Ann.* 1, 28. 2, 13. *Plin. Pan.* 5. *Flor.* 4, 12. et *Briss. Form.* 1, 153. Eodem modo explicandum *Virg. A.* 12, 260. Accipio agnoscoque deos. Cf. *Ovid. Met.* 7, 620. Ap. *Liv.* 21, 63, 14. quod legitur *acceptum in omen*, *Gron.* et *Drak.* aut in *ut omen* mutandum, aut praep. delendam esse ajunt. Paulo aliter *Tac. Hist.* 4, 26. Prodigii loco accipiebatur. Cf. *ib.* 2, 91. et supra. — *Nep. Hann.* 2. Libenter accipere. *Ter. Andr.* 1, 1, 52. Accepit (admisit, probavit) conditionem. Cf. *Pl. Aul.* 2, 2, 60. *Nep. Dat.* 8. *Cic. Fam.* 16, 12. *Cic. Brut.* 14, 55. (Appius) de plebe consulem non accipiebat, i. e. non admittebat. Sic *accipi nomina* dicebantur candidatorum, qui ad petitionem honorum admittebantur, quorum ratio habebatur. Vid. *Liv.* 9, 46, 2. et *Briss. Form.* 2, 13. *Cic. Fam.* 12, 21. Acc. excusationem (probare). *ib.* 16, 19. causam. *Liv.* 23, 42, 3. pacem. Vid. ibi *Drak.* et differt hic locus ab eo, quem ex Justino supra attulimus, ubi pacem acc. est *consequi*. Sic *id. Liv.* 30, 23. Nullius alterius consilio accipiendam abnuendamve pacem esse. *Cic. Att.* 1, 14. Accipere rogationem. *Ovid. Met.* 4, 704. legem. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 6, 39, 11. *Sall. Jug.* 17. Societates, foedera accipere. *Tac. Hist.* 4, 26. societatem. Eodem modo intell. *ib.* 2, 6. Sacramentum Othonis acceperat uterque exercitus i. e. sacramento Othonis accesserat, adjunxerat sese. Pertinet huc denique locus in *Virg. Cir.* 415. Tamen haec, etsi non accipis, audis (audis certe, etsi non admittis, probas). Hinc igitur in disputationibus *accipere* dicuntur, qui aliquid tanquam verum admittunt et concedunt. *Gell.* 18, 1. Hoc ubi accepit Stoicus etc. Denique alia hujus quoque sign. exempla v. supra in *Acceptus*. ℙ Fuit, qui *accipere* pro *decipere* dictum esse existimaret ap. *Tac. A.* 14, 4. Acciperetque Agrippinam, facili feminarum credulitate ad gaudia, atque adeo *Lucilii* verba afferret a *Nonio* 4, 15. servata: Sic veteratorem illum vetulum lupum Annibalem acceptum. At hoc fieri nullo modo potest. In *Tac.* loco magna est de scriptura dubitatio, ubi, si vera est conjectura *Freinsh. acciperetque Aggrippina*, acc. expl. *admittere*, *fidem habere*. ℙ *Accipere*, *nancisci*, *adipisci* sic solent distingui, ut *accipere* dicamur ea, quae alio dante vel consentiente in nostram potestatem perveniunt; *nancisci* ea, in quae felici quodam casu incidimus; *adipisci* ea, ad quae nonnisi data opera nec sine quodam labore pervenimus. ℙ Apud JCtos hoc est discriminis inter *accipere* et *capere*, quod *capere* cum effectu intelligitur; *accipere*, etiam si quis non sic accepit, ut habeat: ideoque non videtur quis capere, quod est restituturus. Haec *Ulp. Dig.* 50, 16, 71. ℙ *Accepso* pro *acceperim* aut *accepero*, vel ut exponit *Nonius* 2, 51. pro *accipio*, antiquum est. *Pacuv. ib.* Haud sinam quidquam profari, priusquam accepso, quod peto. ℙ Etiam *adcipio* scriptum reperitur in quibusdam *Virgil.* antiquis codicibus, teste *Pier. ad Ecl.* 8, 39. [*Confunduntur a librariis *accipere* et *accire*. *Drak.* ad *Liv.* 10, 19, 1. 23, 17, 7. *acciendum* et *accipiendum*, *accitum* et *acceptum*. *Id.* ad *epit. l.* 48. *accipere* et *arripere*, *acceptus* et *arreptus Duk.* ad *Liv.* 3, 70, 10. *Drak.* ad 5, 47, 4. *eripere*. Vid. varr. lectt. ad *Liv.* 5, 50, 6. *Occipere Drak.* ad 31, 50, 6. *recipere id.* ad 26, 32, 8. *aspicere id.* ad *Sil.* 5, 573. et *Burm.* ad *Quint. Decl.* 15, 14. p. 321. Saepissime *accip.* et *excipere*. *Accepi* et *accessi Drak.* ad *Liv.* 25, 32, 3.

ACCĬPĬTER, cipitris, m. *ἱέραξ*, *ἱέρακος*, nomen est generale omnium avium rapacium et aliarum avium praeda viventium, et aduncum ad hoc rostrum unguesque habentium. [*Nostrum Habicht, Falke; maxime intelligitur ea avis, quae ap. *Linn.* est Falco palumbarius.] Accipitrem ab accipiendis, hoc est, capiendis avibus dictam scribit *Isid. Orig.* 12, 7. *Plin.* 10, 8, 9. Accipitrum genera sedecim invenimus etc. *Ov. Met.* 11, 344. Et nunc accipiter nulli satis aequus in omnes Saevit aves. ℙ Speciatim hoc nomine vocatur avis quaedam rapax, quae a quibusdam etiam corrupto vocabulo *accipiter fringillarius* dicitur [*Falco Nisus *Linn.* nobis *Sperber*], cujus perutilis est in aucupiis opera, cum facile aucupis pugno sedere, in monstratam praedam ejus nutu involare, et, cum eidem libuerit, ad vincula redire assuescat: de qua *Martial.* 14, 216. Praedo fuit volucrum, famulus nunc aucupis, idem Decipit, et captas non sibi moeret aves. ℙ Difficile tamen est definire, quodnam potissimum ex tot accipitrum generibus hisce nominibus designetur. V. *Gesner.* et *Aldrovandum*, qui ingentibus voluminibus de hujusmodi rebus ex professo scripsere. *Budaeus* quoque *Annot. prior. in Pandect.* multa scripsit de accipitribus, professus se adolescentem eo aucupii genere maxime delectatum. ℙ Accipitrem sacrum vocat *Virg. A.* 11, 722. vel quia, ut ait *Servius*, ea avis Marti sacra est, vel quia est ceteris avibus exsecrabilis, ut *Auri sacra fames*, vel quia graecum nomen expressit, quo accipiter *ἱέραξ* dicitur, ab *ἱερός*, *sacer*; [vel potius, quia augurium ex accipitre capiebatur, ut ap. *Hom. Od.* 15, 524.; (ita explicat *Heynius*. Ex loco Homerico intelligitur, eum Apollini sacrum ejusque nuntium fuisse. Vid. *Gonsal.* ad *Petron.* p 206.) imo *Cic. N. D.* 3, 19. accipitres inter barbarorum deos refert, eosque *Lucr. l. infra cit.* in somno metuere ait homines superstitiosos. *F.*] ℙ Translate ponitur pro rapaci seu fure. *Pl. Pers.* 3, 3, 5. Impure, labes popli, pecuniae accipiter. [*Modo non prorsus dissimili *Ter. Phorm.* 2, 2, 16. Quia non rete accipitri tenditur neque milvio, qui male faciunt nobis. Intell. de hominibus dolosis et metuendis, quos nemo facile impune aggrediatur. Cf. *Hor. Ep.* 1, 16, 50.] ℙ In genere fem. *Lucr.* 4, 1003. Accipitres somno in leni si praelia pugnasque Edere sunt persectantes visaeque volantes. ℙ Olim a vetustissimis dictum esse *accipiteris* in genitivo pro *accipitris*, testatur *Prisc.* 6. *p.* 695. *P.*, sed nullum affert exemplum.

*ACCIPITRINA, ae, herba ap. *Apul.* 30. lactuca silvatica; aliis hieracium.

ACCĬPĬTRO, as, a. 1. obsoletum verbum usurpatum a *Laevio*, vel ut alii leg. *Naevio*, veteri poeta, qui, teste *Gell.* 19, 7., *accipitret* posuit pro *laceret*. Alii leg. *jaceret*, a *jacio*, [alii *raperet*, sed prius praestat. *F.*]

*ACCISI, orum. Populus Scythicus ad paludem Maeotidem. *Plin.* 6, 7, 7.

ACCĪSUS, a, um, part. ab *accido*, *περιχοπείς*, caesus. *Tac. Germ.* 19. Accisis crinibus nudatam expellit domo maritus. *Virg. A.* 2, 626. Accisa ornus ferro. ℙ Translate imminutus, afflictus, extenuatus, consumptus. *Id. A.* 7, 125. fames Accisis coget dapibus consumere mensas. *Liv.* 3, 10. Hernici nuntiant Volscos, etsi accisae res sint, reficere exercitus. [*Accisae res dixit etiam *Cic. prov. cons.* 14. Cf. *interpp. Liv.*] *Id.* 8, 11. Accisae Latinorum copiae. [*In h. l. al. *abscissae*, al. *caesae*, al. aliter. V. *Drak.*, qui *Sil.* 2, 392. accisis populis (vulg. hic leg. *accitis*. Accisis est ex conjectura; al. *attritis*. Cf. 8, 590. accisae gentes) et *Tac. A.* 1, 61. accisae reliquiae affert. Idem *Livius* 7, 29. *fin.* Robore juventutis suae acciso. Al. *occiso*, al. *abscisso*. V. *Drak.* et *Oud.* et *Herz.* ad *Hirt. b. g.* 8, 31. ubi eadem est scripturae varietas. *Herz.* comparat *attonsam laudem* ap. *Cic. Tusc.* 5, 17.] *Horat. Sat.* 2, 113. Integris opibus novi non latius usum, Quam non accisis.

[ACCĪTĀNUS, a, um, ad urbem pertinens, quae Acci appellabatur in Hispania Tarraconensi, nunc *Guadix el viejo*. *Inscr.* ap. *Grut.* 271, 6. Colonia Julia Gemella Accitana. Alia ap. *eund.* 452, 4. In agro Accitano. *F.*]

ACCĪTĬO, onis, f. actus acciendi, accitus, *παράκλησις*. *Arnob.* 4. *p.* 134. Magi in suis accitionibus memorant, antitheos saepius obrepere pro accitis, *h. e.* in suis deorum evocationibus.

ACCĪTO, as, a. 1. Probant quidam hoc verbum auctoritate *Lucretii* 5, 945. Clarior accitat etc. sed alii rectius leg. *Claricitat*.

ACCĪTUS, a, um, part. ab *accio*, evocatus, arcessitus, *προσκεκλημένος*. *Sall. Jug.* 108. Acciti ibant. *Tac. H.* 4, 72. Convertit animos accitarum legionum miserabilis aspectus. *Ib.* 13. Accita a Vitellio auxilia. *Curt.* 4, 1. Classis Macedonum ex Graecia accita. [**Tac. A.* 14, 20. Funditus everti (patrios mores) per accitam (i. e. externam s. ab aliis populis petitam) lasciviam. Cf. *Hist.* 2, 3. *Ib.* 2, 1. In adoptionem accitus. *Ann.* 3, 27. Accita, quae usquam egregia.]

ACCĪTUS, us, m. evocatio, accitio, *παράκλησις*. In sexto casu singulari. *Cic. Verr.* 2, 3, 28. Magistratus accitu istius evocantur. *Virg. A.* 1, 677. accitu cari genitoris. [*Videtur nonnisi in sexto casu reperiri].

ACCĪUS, ii, m. nomen proprium plurium poetarum apud Romanos. L. Accius senior, L. Accius junior, et T. Accius. Primus natus fuisse videtur a. U. C. 560. qui sex annorum puer cum P. Claudio Pulcro et L. Porcio Licinio Coss. Pisaurum colonia deduceretur, illuc migravit. Fuit hic poeta comicus, cujus mentionem facit *Auctor vetus operis de Tragoedia et Comoedia*; hujus comoediarum fragmenta leguntur inter carmina Accii. Hic iisdem Aedilibus una cum Pacuvio fabulam docuit, cum ipse triginta, Pacuvius vero octoginta annos natus esset. A. U. C. 650. nonagenario major obiit. ℙ L. Accius alter, de quo *Acron Hor. schol.* ait: Accius poeta junior suo ingenio praecelluit Euripidem, qui fuit altus et ingenio sublimis. Hic praecedentis filius fuisse videtur; nam, teste *Euseb.* in *Chron. Olymp. CLX. ann. II.*, ortus est Mancino et Serrano Coss., *h. e. a.* U. C. 580. [*583] parentibus libertinis; fuit etiam familiaris D. Bruti et aequalis M. Tullii Ciceronis; hujus tragoediarum fragmenta adhuc extant. Scripsit etiam hexametris Annales, quorum fragmentum affert *Macr. Sat.* 1, 7. et versibus ornavit D. Bruti monumenta: obiit autem a. U. C. 667. [*Hunc appellat *atrocem Ov. Tr.* 2, 359. *Amor.* 1, 15, 19. *animosum os* ei tribuitur. Cf. *Hor. Ep.* 2, 1, 56. *A. P.* 258. *Quint.* 10, 1. *Gell.* 13, 2. Ejus imaginem v. ap. *Visconti* in *Iconogr. Rom. tab.* XIII. 3.] ℙ T. Accius L. filius L. nepos, natus a. U. C. circiter 630, orator eximius, Ciceronis aemulus et aequalis, de quo ita ille in *Bruto* 78. T. Accius Pisaurensis, cujus accusationi respondi pro A. Cluentio; qui et accurate dicebat, et satis copiose, eratque praeterea doctus Hermagorae praeceptis .... studio autem neminem nec industria majore cognovi. Mortuus fuisse videtur a. U. C. 706 circiter, cum illum *Cicero* dicat nuper mortuum in *Bruto* 78., qui liber scriptus creditur a. 707. Tres igitur fuere Accii, nimirum L. Accius poeta comicus pater, L. Accius poeta tragicus, et annalium poeticus scriptor filius, et T. Accius orator nepos. ℙ Accium historicum afferunt ex *Cic. Leg.* 1, 2, 6. Sed ibi magna est in libb. mss. dissensio et nunc ex *Sigonii* conjectura editur *Macrum*. ℙ Fuit etiam Accius Naevius (*Attius*, item *Actius Navius* habent libri etiam optimi) augur celeberrimus, qui jussu Tarquinii Prisci Romanorum regis novacula cotem discidit, quam historiam vel potius fabulam narrant *Liv.* 1, 36. *Val. Max.* 1, 4. *n.* 1. Hanc *Cic. Div.* 1, 17. defendit, sed 2, 38. Contemne, inquit, cotem Accii Navii; nihil debet esse in philosophia commentitiis fabulis loci. ℙ Alter fuit Accius Priscus pictor nobilis, qui Honoris et Virtutis aedes Vespasiano restituenti una cum Cornelio Pino pinxit. *Plin.* 35, 10, 37. ℙ Alius omnino fuit Accius Labeo, poeta epicus, qui Iliada et Odysseam transtulit verbum ex verbo, ridicule satis, quod verba potius, quam sensum secutus sit. Ejus est ille versus: Crudum manduces Priamum Priamique pisinnos. *Pers. Sat.* 1, 50. Non est hic Ilias Accî Ebria veratro. ℙ Quaedam edd. habent *Actius*, aliae *Attius*, quod *Manut.* in *Orthogr.* auctoritate *Mar. Victorini l.* 1. *art. Gramm.* veterum librorum et multorum lapidum probat. Sunt etiam, qui *Atius* una *t* scribendum putant, ut *Dausq.* in *Orthogr.* afferens illud *Virg. A.* 5, 568. *Alter Atys*, *genus unde Atii duxere Latini*: ubi tamen *Pier.* monet scribendum esse *Atti* cum antiquis codd., vel etiam *Attii* ex *Vel. Longi* sententia duobus *ii* per synaeresin in unum coeuntibus. [*At contra *Pierium* disputat *Heins.* et retenta est in Virg. loco scriptura *Atii* ab *Heynio* aliisque.] Quare rectius *Accius* vel *Attius* scribendum videtur. [*Sunt haec, prouti scribuntur, diversarum gentium nomina, ut Sestiorum, qui patricii, et Sextiorum, qui plebeji erant. Sed ubique fere fluctuat scriptura, ut in Natta, Nacca, Nacta.] ℙ Ab hoc nomine fit adject. *Accianus*, quod v. suo loco. [*Quae de Acciis hic prolata sunt, maximam partem auctorem habent Furlanettonem, quem hic secuti sumus.]

ACCLĀMĀTĬO et Adclamatio, onis, f. *ἐπιφώνησις*, clamor. *Col.* 7, 3. *fin.* In cogendis recipiendisque ovibus acclamatione ac baculo minetur. Adde 6, 2. *ad fin.* ℙ Item vox et clamor multitudinis assentientis, laudantis, probantis. *Liv* 31, 15. *fin.* Acclamationes multitudinis assentatione immodica pudorem onerantis. *Suet. Oth.* 6. Inter faustas acclamationes. [*Cf. *id. Caes.* 79. *Aug.* 58.] *Plin. Pan.* 73. Comprobasti acclamationum nostrarum fidem lacrimarum nostrarum veritate. ℙ Hoc sensu differt a plausu in eo maxime, quod acclamatio voce, plausus manibus fit. *Quintil.* 8, 3. Ut populus Romanus admirationem suam non acclamatione tantum, sed etiam plausu confiteretur. ℙ Acclamationum usus frequens fuit apud Romanos in foro, in theatro, principibus viris advenientibus, in scholis et auditoriis recitantibus opera sua, in nuptiis etiam boni ominis causa etc. Sed praecipue obtinuit earum mos Imperatorum temporibus, quibus in Principum laudes et adulationem effusi non vocibus modo singulis, sed longis etiam ominandi formulis et ad cantum interdum conformatis acclamabant. Cujus rei exempla leguntur ap. *Capitolin.* in *Maximinis* 16. et 25. et in *Gordianis* 11. *Vopisc.* in *Tac.* 4. 5. et 7. *Vulcat. Gallican.* in *Avid. Cass.* 13. et *Lamprid.* in *Alex. Sev.* 6. etc. [*Adde *Plin. Paneg.* 3. 71. 72. ubi plurimi libri *exclamationes*. Plura habes ap. *Briss. Form.* 1, 145. 2, 66. 4, 30. 8, 24.] Quae quidem acclamationes in Acta publica aliquando relatae sunt, ut colligitur ex *Lampr. l. c.* et ex *Plin. Pan.* 75. Plura hac de re *Lips. Elect. l.* 2. c. 10. et *Casaubon. ad Vulc. Gall. l. c.* [*et integro libro *Ferrar. de veterum acclamationibus et plausu*, in T. VI. *Antiq. Graev.*] ℙ Accipitur etiam in malam partem pro clamore et strepitu adversantium, exsibilantium, maledicentium, *ἀντιφώνησις*, *διαφώνησις* [*ita fere semper apud *Cic.*] *Cic. Q. Fr.* 2, 3. Non modo ut acclamatione, sed convicio et maledictis impediretur. *Id. Or.* 2, 83. Vitanda est acclamatio adversa populi, quae aut orationis peccato aliquo excitatur vel invidia. [**Att.* 1, 16.] *Suet. Domit.* 23. Contumeliosissimum acclamationum genus. Exemplum adversae acclamationis habetur apud *Lamprid.* in *Comm.* 10. [et praecipue apud *Cic. pro C. Ra-*

bir. 6. *F.*] ℙ [*Acclamatio, id. q. simplex *clamor*, ap. *Auct. ad Her.* 3, 12. acuta atque attenuata nimis acclamatio.] ℙ Denique acclamatio figura est rhetorica, eadem nimirum, quae epiphonema, *ἐπιφώνημα. Quintil.* 8, 5. Est enim epiphonema rei narratae vel probatae summa acclamatio. Tantae molis erat Romanam condere gentem! (*Virg. A.* 1, 33.)

ACCLĀMĬTO, as, n. 1. frequentat. ab *acclamo. Pl. Amph.* 3, 2, 3. Ea quae sunt facta, infecta esse acclamitat. Sed optimae edd. habent *refert ac clamitat.* [*Gronov.* conj. *occlamitat.*]

ACCLĀMO et Adclamo, as, avi, atum, n. 1. idem quod clamo: et dicitur fere de multitudine, *ἐπιφωνέω, ἐπιχράζω. Cic. Caecin.* 10. Populus cum risu acclamavit ipsa esse. [*Pertinet huc *Justini* locus 24, 5. a *Furl.* allatus. Adde *Suet. Galb.* 20.] *Liv.* 34, 50. *fin.* Prosequentibus cunctis, servatorem liberatoremque acclamantibus [**ἀνακαλεῖν*]. *Tac. A.* 1, 44. Si nocentem acclamaverant, praeceps datus trucidabatur. Et 19. Acclamavere, ut tribunus legatione ea fungeretur. ℙ Saepe est voce assentiri, clamando laudare, plaudere, *προσφωνέω, εὐφημέω. Capitolin.* in *Maxim.* 16. Lectis litteris statim senatus acclamavit, Gordiane Auguste, Dii te servent. *Tac. H.* 1, 78. Populus et miles tanquam nobilitatem astruerent, Neroni Othoni acclamavit. [*Cf. *Suet. Claud.* 7. 27.] ℙ Passive impersonaliter. *Suet. Dom.* 13. Acclamari etiam in amphitheatro libenter audiit, Domino et Dominae feliciter. [**Eutr.* 8, 5.] *Lampr. Al. Sev.* 7. Cum egisset gratias, acclamatum est. Et 9. Et cum diceret, acclamatum est. Sic ibi saepe. [*Cf. *Suet. Aug.* 70. *Tib.* 52.] ℙ De acclamandi ritu diximus in ACCLAMATIO. ℙ In malam partem pro clamore obstrepere, contra dicere, *διαφωνέω. Cic. Brut.* 73. Non metuo, ne mihi acclametis. *Sen. ep.* 47. Hoc loco acclamabit mihi tota manus delicatorum. Adde *Vell.* 2, 4. [**Cic. Mur.* 8. Cf. *Misc. obs.* 5, 8. p. 456. Praeterea vid. ad locum *Vell.* quae afferunt *Acidal.* et *Heins.*, et ad *Senecam Heinsius.* Male multi *occlamare* mutatum iverunt.]

ACCLARO. V. ADCLARO.

ACCLĪNĀTUS et Adclinatus, a, um, part. ab *acclino*, inclinatus, *προσκλινθείς. Petron. Satyr.* 103. Adclinatus lateri navis exonerabat stomachum nausea gravem. *Ov. Met.* 10, 268. acclinataque colla Mollibus in plumis tanquam sensura reponit. *Liv.* 44, 3. Castra acclinata tumulo. *Stat. Silv.* 5, 4, 5. occidit horror Aequoris, et terris maria acclinata quiescunt, *h. e.* quasi reclinata et jacentia littoribus, atque adeo tranquilla. [*Ap. *Caes. b. g.* 6, 27. nunc legitur *reclinatae.* Vulg. *acclinatae.*]

ACCLĪNIS, et Adclinis, e, adj. acclinatus, *πρόσκλινων. Virg. A.* 10, 834. corpusque levabat Arboris acclinis trunco. *Claud. Cons. Probi et Olybr.* 114. arbore fultus Acclines humeros. *Just.* 28, 4. Non humi consedit, non armorum pondus deposuit, sed acclinis parieti etc. *Stat. Th.* 10, 288. Acclines clypeis alios. Adde *Silv.* 5, 3, 36. et *ib.* 5, 25. [**Sulp. Sever. v. Mart.* 13, 5. Cum unam in partem pinus illa esset acclinis (prona), ut non esset dubium, quam in partem succisa corrueret.] ℙ Translate *Hor. Sat.* 2, 2, 6. Acclinis falsis animus meliora recusat, *h. e.* addictus, innixus, vel etiam propensus. ℙ Porro omnibus hisce exemplis alii codices habent *acclivis* vel *adclivis.* Verum praeterquam quod *acclivis* non ita apte his locis accommodari potest, in quibus omnibus status quidam significatur hominis rei alicui innitentis; textus, qui *acclinis* habent, acriter constanterque tuentur primae notae interpretes et Critici (partim ex mss. et antiquis libris impressis, partim ex analogia, cum et *reclinis* dicatur eadem forma et *inclinis*) *Turneb. l.* 3. *c.* 19. *Pierius*, *Servius* in *Virg.*, *Berneccer.* in *Justin.*, in *Stat. Morell.*, in *Horat. Lambin.*, in omnibus *Pareus* in *Lex. Crit.* Est enim inter alia illud quoque discrimen, quod *acclivis* proprie de rebus inanimis usurpatur, et fere ad situm locorum refertur; *acclinis* vero de animatis, quaeque ita moveri possunt, ut acclinentur sive inclinentur, ut adnotavit *Gifan.* in *Observ. L. L.* [*h. e. *acclivia* (clivus) dicuntur edita et ascensum habentia, *acclinia*, quae innituntur alicui. Ita igitur inter se differunt significatione, ut ne comparari quidem possint. Ita rectius judicabitur de iis locis, quos ex Ammiano et Claudiano noster affert statim. Hinc etiam apparet, *Columellam* 12, 15. non scripsisse de cratibus: inter se *acclives* testudineato tecto, sed scribere debuisse *acclines*, quod jam *Barthio* ad *Claud.* p. 25. visum est. Neque vero *Ovid. Met.* 15, 737. *adclivia* malo colla potuit scribere, quae vulgaris est scriptura. Ceterum cf. interpp. *Virg.* ad *Aen.* 10, 835. *Henr. Steph. diatr.* II. *Hor.* p. 44. *Stewech.* ad *Arnob. adv. g.* 7. p. 145. *Barth.* ad *Stat. Th.* 1, 388. *Heins.* ad *Val. Fl.* 2, 92.] Hoc tamen discrimen non servarunt (si constans est lectio) *Ammian.* 29, 5., ubi scripsit *Municipium Sugabarritanum monti accline.* [**Id.* 14, 8. Libano monti Phoenice]. Et *Claudian. de Phoen.* 90. centumque accline columnis Templum.

ACCLĪNO et Adclino, as, avi, atum, a. 1. ad aliquid flecto, inclino, *προσκλίνω*: ex *ad* et *clino. Ov. Met.* 5, 72. Circumspexit Atyn seque acclinavit in illum. Alii leg. *inclinavit ad illum. Stat. Silv.* 4, 2, 50. gravis Alcides, post horrida jussa reversus. Gaudebat strato latus acclinare leoni. ℙ Translate *Liv.* 4, 48. Haud gravate acclinaturos se ad causam senatus, *h. e.* fauturos causae senatus.

ACCLĪVIS et Adclivis, e, adj. erectus, arduus, ascensum habens erectum, cui contrarium est *declivis*, *ἀνωφερής, προσάντης.* [**Col.* 3, 15. habet loca plana, acclivia, praecipitia, ex quo apparet, loca acclivia esse leniter edita.] *Cic. Q. Fr.* 3, 1. Ea viae pars valde acclivis est. *Virg. G.* 2, 276. tumulis acclive solum collesque supinos. *Caes. b. g.* 2, 29. Una ex parte leniter acclivis aditus. [*cf. de h. v. *Heindorf.* ad *Cic. N. D.* p. 258. sq.]

ACCLĪVĪTAS et Adclivitas, atis, f. *ἀνωφέρεια*, ascensus terrae erectus. *Caes. b. g.* 2, 18. Ab eo flumine pari acclivitate collis nascebatur. [**Ammian.* 14, 2. Neque acclivitas ipsa adiri poterat.] *Colum.* 2, 4. in arando observandum, ut transversus mons sulcetur: nam hac ratione difficultas acclivitatis infringitur et labor minuitur.

ACCLĪVUS et Adclivus, a, um, adj. idem quod acclivis. *Ov. Met.* 2, 19. acclivo Clymeneia limite proles Venit. *Id. ib.* 10, 53. Carpitur acclivus per muta silentia trames. [**Id. ib.* 9, 334. litus, ubi *acclivi* ex uno cod. edidit *Heins.* pro *acclivis.*] Adde *Liv.* 38, 20. et *Manil.* 1, 232., sed ubique inconstans est lectio.

ACCOGNOSCO et Adcognosco, is, a. 3. probe cognosco: praep. enim *ad* vim verbo addit. *Petron. Fragm. Trag.* 69. *Burm.* Adcognosco, inquit, Cappadocem. [*Tertull. ad Uxor.* 2, 6. Non hinc praejudicium damnationis suae adcognoscet. *F.* *Add. *id. adv. Marc.* 4, 20. Etiam *Senecae* tribuunt *Benef.* 2, 13. ex mss. nonnullorum auctoritate.]

ACCŌLA, ae, m. *πάροικος. Liv.* 1, 7. Pastor accola ejus loci nomine Cacus. *Id.* 37, 53. Nullos accolas nec finitimos habere, quam vos, malo. *Tac. A.* 2, 68. Ad amnem Pyramum contendit, cujus pontes accolae ruperant. *Virg. A.* 7, 729. Accola Vulturni. [**Ammian.* 14, 10. Accolae plagarum extimarum. *Curt.* 3, 2. Accolae rubri maris. Dativum addit *Sil.* 1, 414. Fatidicis accola lucis.] ℙ Differunt *accola* et *incola* in eo, quod *accola* est qui juxta vel circa locum aliquem habitat: hinc dicitur accola montis, fluminis, littoris etc.; *incola* est qui in ipso loco habitat, ut incola pagi, urbis, oppidi etc. *Pl. Aul.* 3, 1, 1. Cives, populares, incolae, accolae, advenae. ℙ Per catachresin *Tac. A.* 1, 79. Quin ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluviis orbatum minore gloria fluere, *h. e.* fluviis in ipsum influentibus. [*Loquitur enim *Tac.*, ut bene *Ernest.*, de fluviis ut de diis.] ℙ In singulari numero de pluribus aliquando dicitur more nominis collectivi. *Sil.* 11, 25. Jam vero Eridani tumidissimus accola Celtae Incubuere malis Italum. ℙ Quidam putant *Ciceronem* usurpasse hanc vocem pro cive seu populari, cum *accolas Cereris* dixit *Verr.* 2, 4, 50. Sed non est eo loco a propria hujus vocis significatione recedendum. Verba *Ciceronis* sunt: *Habitare apud sese Cererem Ennenses arbitrantur: ut mihi non cives illius civitatis, sed omnes sacerdotes, omnes accolae atque antistites Cereris esse videantur.* Sensus est, Ennenses adeo Cereris cultui addictos esse, ut non tam Ennam incolere, sed Cereris templum accolere videantur.

ACCŌLO, is, a. 3. *παροικέω, προσοικέω*, juxta vel circa colo: ex *ad* et *colo. Plin.* 36, 12, 17. *n.* 2. Quasi silvestre numen accolentium. *Pl. Bacch.* 2, 1, 4. Qui aedibus propinquus nostris accolis. *Liv.* 28, 13. Ab sociis, qui accolunt viam, contrahendo auxilia. *Cic. Somn. Sc.* 5. Gens, quae illum locum accolit, sensu audiendi caret. [**Liv.* 39, 46. Gentes, quae Macedoniam accolunt.] *Tac. H.* 1, 51. Accolere Rhenum. *Ib.* 3, 47. Accolere Pontum. [**Ov. Fast.* 1, 390. nives Haemi]. ℙ Passive *Plin.* 3, 1, 3. Baetis fluvius crebris dextra laevaque accolitur oppidis. ℙ Cum dativo quoque usurpari scribit *Prisc.* 18. p. 1203. P., sed nullum affert exemplum. ℙ [**Catull.* 62, 53. accolere dicit pro *colere:* hanc (vitem) nulli agricolae, nulli accoluere juvenci, si vera est scriptura.]

ACCOMMŌDĀTĒ, adv. *ἐπιτηδείως*, apte, apposite. *Cic. Or.* 1, 33. Dicere quam maxime ad veritatem accommodate. *Id. Or.* 33. Definire rem uberius et ad popularem intelligentiam accommodatius. *Id. Fin.* 5, 9. Vivere ad naturam accommodatissime.

ACCOMMŌDĀTĬO, onis, f. apta dispositio, *ἐπιτηδειότης. Cic. Inv.* 1, 7. Elocutio est idoneorum verborum et sententiarum ad inventionem accommodatio. ℙ Translate *id. Verr.* 2, 3, 81. Ex liberalitate atque accommodatione magistratuum consuetudo aestimationis introducta est, *h. e.* ex indulgentia magistratuum sese ad aratorum indulgentiam accommodantium.

ACCOMMŌDĀTOR, oris, m. qui accommodat. *Inscr.* ap. *Grut.* 789, 4. Herma accommodator vixit an. XLVIII. Hoc loco significari videtur speciale aliquod munus vel artificium, quod adhuc, quale sit, definire non possumus. [*Longam seriem rariorum hujus generis substantivorum in — *or* v., si lubet, ap. *Barth.* ad *Stat. Th.* 3, 79.]

ACCOMMODĀTUS, a, um, part. ab *accommodo*, *ἁρμοστός*, aptatus. *Hortens. fr.* ap. *Augustin. contra Julian. Pelag.* 4, 15. Corpora viva cum mortuis, adversis adversa accommodata, quam aptissime colligabantur. *Plin.* 10, 33, 50. In his avibus, quarum digiti non sunt accommodati complectendis transferendisque ovis. ℙ Saepius est aptus, idoneus, appositus, utilis, *ἐπιτήδειος.* [**Caes. b. g.* 3, 13. conjungit aptiora et accommodatiora.] *Cic. Or.* 1, 49. Sententiae ad probandum accommodatae. *Id. Fam.* 5, 16. Ad consolandum accommodatus. [**Id. Fin.* 5, 11, 33. Res ad naturum accommodatae; et sic saepius. Sed *ib.* 9, 24. Quod naturae est accommodatum. *Id. Div.* 1, 53, 121. Res ad tranquillitatem accommodatae. *Suet. Caes.* 84. Cantata sunt quaedam ad miserationem et invidiam ejus accommodata. *Quintil.* 10, 5. Ad veritatem accommodatus.] *Cic. Agr.* 2, 6. Lex vobis accommodata atque utilis. [**Id. Fam.* 3, 3. Quae mihi intelliges maxime esse accommodata. Cf. *ib.* 5. *Her.* 4, 12, 17. *Quintil.* 12, 2. Ethice tota oratori est accommodata.] *Id. Cluent.* 1. (Orationis pars) concionibus seditiose concitatis accommodatior. *Id. fr. pro Cornel.* ap. *Ascon.* Exemplum temporibus suis accommodatissimum. [**Plin. Pan.* 83. Tibi, Caesar, nihil accommodatius fuerit ad gloriam.] *Quintil.* 4, 2. Ipsa etiam pronuntiatione in hoc accommodata, ut judex, quae dicuntur, facillime accipiat. [**Quintil.* 11, 3. (Vox) ad auditum accommodata.] *Cels.* 5, 19. *n.* 20. Accommodata adversus morsus emplastra. [**Suet. Ner.* 8. Tempus accommodatius. *Plin.* 13, 3, 6. Terrarum omnium Aegyptus accommodatissima unguentis. *Col.* 3, 11. Res alendo surculo accommodatissimae. Dicitur praeterea etiam de hominibus. *Quintil.* 6, 3. p. 566. Asinius Pollio fuit seriis jocisque pariter accommodatus. *Id.* 10, 1. p. 898. de Menandro: ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus. Cf. p. 902. *Id. prooem. lib.* 1. p. 7. Vir publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus.]

ACCOMMŌDĒ, adv. Affertur in Lexicis quibusdam ejus superlativus ex *Quint.* 4, 1. *fin.* Cui accommodissime jungi initium sequentium poterit; sed meliores edd. habent *commodissime.*

ACCOMMŌDO, as, avi, atum, a. 1. *ἁρμόζω*, apto. *Cic. Or.* 2, 61. Africano coronam sibi in convivio ad caput accommodanti. [**Id. Or. in Clod. et Cur. Fr.* V. Quum calantica capiti accommodaretur.] *Virg. A.* 2, 393. Laterique accommodat ensem. [*Cf. *Sil.* 5, 146. *Pl. Trin.* 3, 2, 93. Accommodare clypeum ad dorsum.] *Vitruv.* 10, 2. Quorum dentes in saxa forata accommodantur. *Plin.* 36, 21, 41. Arabus lapis ebori similis dentifriciis accommodatur crematus. *Curt.* 4, 7. Non eandem effigiem habet, quam vulgo diis artifices accommodaverunt, *h. e.* tribuerunt, aptarunt. [**Sil.* 9, 219. Aciemque locorum Consilio curvis accommodat ordine ripis.] ℙ Translate *Cic. Fam.* 9, 7. Meum consilium accommodabo ad tuum. [*Cf. *id. Manil.* 20. *Id. N. D.* 2, 17, 45. Ad hanc praesensionem notionemque vestram nihil video quod potius accommodem, i. e. quod magis in ea inesse putem et ex ea sequi, quasi magis cum ea conjunctum. Sic etiam *Herenn.* 1, 1. Ut intelligas, hanc rationem praeceptionis ad exercitationem accommodari debere.] *Id. Off.* 1, 21. Accommodare se ad rempublicam et ad res magnas gerendas. [**Id. Rull.* 3, 3. Num quis vestrum ad vim, ad facinus, ad caedem accommodatus est? *Id. Or.* 7. Demosthenem, qui vim accommodarit ad eam, quam sentiam, eloquentiam, i. e. ei eloquentiae operam dederit, studuerit.] *Id. ib.* 8. Ad alicujus arbitrium et nutum totum se fingere et accommodare. [**Id. Rosc. A.* 35, 101. Ut ad ejus testimonium vestrum jusjurandum accommodetis, i. e. sententiam vestram, quae ea vobis fide ferenda est, quam dedistis in jurejurando, dirigere ad hujus testimonium. Similiter *Suet. Dom.* 8.] *Id. Or.* 2, 38. orationem auribus multitudinis, ad oblectandos animos, ad impellendos etc. [**Or.* 9. se ad aures teretes Atticorum. *Id. Fam.* 4, 6. Tempus, quod est ad unius voluntatem accommodandum.] *Id. N. D.* 1, 15. fabellas poetarum ad ea, quae dicimus. *Id. Verr.* 1, 1, 18. testes ad crimen, *h. e.* adhibere, adjungere. *Suet. Aug.* 98. animum negotio. [*Alibi dicere solent *adjicere animum negotio. Suet. Caes.* 40. Annum ad cursum solis accommodavit. *Aug.* 32. Dies actui rerum.] *Quint.* 1, 12. curam pratis, pecoribus et hortis. [**Id.* 1, 10. Sapientum aliquos nonnullam operam his studiis accommodaturos i. e. daturos.] *Cic. Att.* 12, 32. Ut sumptus peregrinationis accommodet ad mercedes Argileti et Aventini, *h. e.* tantum insumat in peregrinatione, quantum ex Argileto et Aventino percipitur. [**Id. Off.* 2, 18. (Ratio largitionum) ad facultates accommodanda est. *Id. Att.* 10, 8. Accommodare rationes suas ad casum.] *Id. Div.* 2, 54. Ut iidem versus in aliam rem posse accommodari viderentur.

Id. Inv. 1, 18. Vulgare exordium est, quod in plures causas potest accommodari. ℙ Praeterea ponitur pro commodare, praebere, utendum dare. *Cic. Verr.* 2, 4, 57. Si quid iste suorum aedilibus accommodavit. *Id. Fam.* 13, 2. Peto a te, quod sine tua molestia fiat, ut ei de habitatione accommodes [*i. e. gratificeris. Pertinet huc etiam locus *Off.* 3, 10, 43. Ut orandae litis tempus — accommodet. — Praeterea cf. *Quint.* 11, 1. p. 969. Dandique sunt iis, quibus vocem accommodamus, sui mores. Cf. *id.* 9, 4. p. 856. *Id.* 6, 1. p. 507. Accommodavit ei verba et — conquestiones, i. e. fecit eum dicentem et querentem.] ℙ Huc et illa pertinent *ejusd. Coel.* 7. Dum illi placere vultis, ad tempus ei mendacium vestrum accommodavistis. Et *Suet. Tib.* 48. Singula millia denariorum praetorianis largitus est, quod Sejano se non accommodassent, *h. e.* non se fautores praebuissent. *Ulp. Dig.* 47, 2, 53. Accommodare opem et consilium alicui. *Plin. ep.* 2, 5. His tu, rogo, intentionem scribentis accommodes, *h. e.* curam et studium idem legendis his adhibeas, quod is, qui scripsit, adhibuit. [*Sic fere *Quintil.* 6, 1. p. 510. Se dicenti accommodare, i. e. imitari vultum et gestus oratoris. Cf. 6, 2. p. 523.] *Suet. Galb.* 9. Supervenerunt Vindicis litterae hortantis, ut humano generi assertorem ducemque se accommodaret, *h. e.* praeberet. [*Phaedr.* 3, 16, 1. Humanitati qui se non accommodat.] ℙ Apud JCtos saepe usurpatur pro *interponere*, ut accommodare auctoritatem *Ulp. Dig.* 26, 8, 1. et 27, 6, 7. et accommodare fidem, *Cajus Dig.* 34, 9, 10. ℙ Praeterea apud eosdem interdum ponitur pro benigne interpretari, benigne supplere, quod deest in verbis, et aptare ex quadam aequitate legem aut decretum aliquod ei, cui ceteroquin non conveniret. *Ulp. Dig.* 40, 5, 30. Accommodabimus mentem senatusconsulti, quae etiam ad heredem infantem trahenda est. ℙ Denique saepe apud eosdem JCtos pertinet ad eas actiones, quas praetor supplendarum legitimarum actionum causa dat, qui tum *accommodare* dicitur. *Pompon. Dig.* 39, 3, 22. et alibi saepius. ℙ [Partic. *Accommodandus* apud *Caes. b. g.* 2, 2. Tempus defuit ad insignia accommodanda. *F.*]

ACCOMMODUS et Adcommodus, a, um, adj. idoneus, aptus, ἐπιτήδειος. *Virg. A.* 11, 522. Est curvo anfractu valles, accommoda fraudi. *Stat. Silv.* 4, 4, 65. sunt membra accommoda bellis. [*Id. Th.* 10, 186. nox pulchrae fraudi accommoda. *Veget. Veter.* 3, 2. Accommodum labori animal bos. *Pallad.* 8, 8. Acetum saluti et digestioni accommodum. Utrumque locum addidit *Furl.*]

ACCONGERO et Adcongero, is, essi, estum, a. 3. idem quod congero, συμφέρω. *Pl. True.* 1, 2, 17. Nam ego huic dona accongessi. [*In mss. quibusdam est *concessi*, in aliis *adecessi*. *Bail.*]

ACCORPORO et Adcorporo, as, a. 1. adjungo, admisceo, ἐνσωματόω. *Ammian.* 16. (8.) Ut damnatorum petita bona suis accorporarent. *Solin.* 37. Carinis ita tenaciter accorporatur, ut nisi abrasa parte ligni aegre separetur, προσφυεται etc.

ACCRĔDO et Adcredo, is, didi, ditum, a. 3. idem quod credo, credendo assentior, πίστιν ἔχω. [*Hoc verbum sic usurpari, ut dicatur de rebus ad credendum difficilibus, auctor est *Bremi* ad loc. *Nep.*] *Nep. Dat.* 3. Fuit nemo non, qui regi nuntiaret. Primo non accredidit. *Pl. Asin.* 3, 3, 37. Quisnam istuc accredat tibi? *Hor. Ep.* 1, 15, 25. Tibi nos accredere par est. Adde *Lucret.* 3, 869. Part. *Accredens* ap. *Cic. Att.* 6, 2. *med.* Vix accredens communicari cum Dionysio.

ACCREDŬO et Adcreduo, is, a. 3. idem quod accredo. Veteres enim *creduo* pro *credo* dixerunt. *Pl. Asin.* 5, 2, 4. Neque mi posthac quicquam accreduas, si hujus rei me esse mendacem inveneris.

ACCRĔMENTUM, i, n. incrementum, ἐπαύξησις. *Plin.* 9, 2, 1. Mollique ac fertili accremento. Ita habetur in vulgatis plerisque, sed rectius Harduinus ex mss. legit *nutrimento*.

ACCRESCO et Adcresco, scis, crevi, etum, n. 3. ἐπιγίγνομαι, ἐπαυξάνομαι, cresco, augeor: ex *ad* et *cresco*; videtur praepositio *ad* vim quamdam addere significationi. [*Hoc fere in omnibus verbis cum hac praepos. compositis repetit *Forc.*, sed plerumque melius omisisset. Est enim falsissimum. Sic *accrescere* nisi ubi de re sermo est, ad quam aliquid crescit, i. e. cui aliquid accedit, additur, idem est quod *crescere*, unde tum significat *augeri*. Utriusque generis locos non satis noster distinxit. *Quintil.* 1, 2. *in.* Sed nobis jam paulatim accrescere puer — incipiat. *Ammian.* 27, 6. Ut accrescentem imperatorem — servetis. *Cic. Inv.* 2, 31. Flumen subito accrevit, et ea re hostiae traduci non potuerunt. *Tac. A.* 1, 19. Aggerebatur nihilominus caespes, jamque pectori usque accreverat. *Nep. Att.* 21. Postquam dolores accrescere sensit. *Ter. Andr.* 3, 3, 7. Amicitia quae cum aetate adcrevit simul. *Hor. Sat.* 1, 6, 26. Invidia accrevit.] ℙ Est etiam adjungi, addi. *Stat. Th.* 4, 355. gremio miseros accrescere natos, *h.* e. augeri numerum. *Plin. ep.* 2, 8. Veteribus negotiis nova accrescunt. *Liv.* 1, 54. Cum dictis factisque omnibus vana accresceret fides. [*Hor. *A. P.* 252. Trimetris accrescere jussit Nomen iambeis, i. e. addidit sibi (iambus) nomen trimetri.] ℙ *Accrescere aliquid alicui* dicitur, quod ei adjungitur, addicitur, seu quod ab eo aliqua ratione acquiritur. *Paul. Dig.* 5, 2, 23. Si cum duo filii exheredati ambo de inofficioso testamento egerunt, et unus postea constituit non agere, pars ejus alteri adcrescit. *Id. Dig.* 43, 3, 2. Si pars legato adcreverit. *Ulp. Dig.* 9, 2, 35. Adcrevisse dominium ei videtur. [*Ita usus videtur h. v. auctor *Decl. in Cic.*, quae *Sallustio* tribuitur, p. 208. *ed. Hav.* Quid tibi litibus accreverit.] ℙ *Jus accrescendi* est, quo hereditatis vel rei legatae pars, quae in quopiam de heredibus legatariisve deficit, alteri attribuitur. *Ulp. Dig.* 37, 1, 3. et *Paul. ib. l.* 6. ℙ [Part. *Accrescens* ap. *Tac. A.* 2, 8. Nondum adcrescente unda. *F.* **Ammian.* 14, 10. Fama excellenter accrescens.]

ACCRĒTIO, onis, f. verbal. ab *accresco*, incrementum, ipse actus accrescendi. *Cic. Tusc.* 1, 28. Luna accretione et deminutione luminis quasi fastorum notis signans dies.

ACCRĒTUS et Adcretus, a, um, part. ab *accresco*, qui per additionem crevit. *Sever. Aetn.* 433. Et lapis adcretus regerendis ignibus aptus. *Jos. Scalig.* putat *adcretum* hic poni pro concreto seu spisso, πυκνόν, cui opponitur spongiosus et pumici similis. *Plin.* 11, 32, 37. Eruca araneo accreta, quam chrysallidem appellant, *h. e.* crescens araneoso textu involuta.

[ACCŪAEUS, a, um, ad Accuam pertinens, Pelignorum oppidum, de quo *Liv.* 24, 20. Cognomen est Vibii praefecti Pelignae cohortis apud *Val. Max.* 3, 2, *n.* 20. *F.* *Cf. *Liv.* 25, 14, 4.]

ACCŪBĀTIO, onis, f. ἀνάκλισις, actus accumbendi, et usurpatur fere in re tricliniari. *Cic. Off.* 1, 35, 128. Status, incessus, sessio, accubatio tenent decorum. *Id. Sen.* 13. Accubatio epularis amicorum. [**Id. N. D.* 1, 34.] ℙ Sumitur interdum pro stibadio vel lecto, in quo accumbitur. *Spartian. Ael. Ver.* 5. Jam illa frequentantur a nonnullis, quod accubationes et mensas de rosis ac liliis fecerit, et quidem purgatis. Al. leg. *accubitationes* cod. sensu. [Vid. ibi *Salmas.*] *Nonius* autem 3, 22. et alii, teste *Grut.*, ex multis mss. legunt *accubitio* in allatis *Cic.* locis, maxime *de Sen.*, cui lectioni etiam analogia suffragatur: nam verbale est ab *accubo* vel *accumbo*, quorum utrumque *accubitum* facit in supino, non *accubatum*. [*Sola probanda est apud *Cic.* scriptura *accubitio*. Vid. *Beier.* ad *Off. l. l.*]

ACCŪBĪTĀLĬA, ium, n. ἀνακλιντήρια, stragula, quibus accubita seu stibadia insternebantur. *Trebell. Claud.* 14. Accubitalium Cypriorum paria duo. [*Vid. *Salm.* ad h. l.]

ACCŪBĪTĀTĬO, ACCŪBĪTĬO } V. ACCUBATIO.

ACCŪBĪTO, as, n. 1. freq. ab *accubo*. *Sedul. prol. carm. pasch.* 1. Paschales quicumque dapes conviva requiris, Dignatus nostris accubitare toris.

ACCŪBĪTŌRĬUS, a, um, adj. ad accumbendum pertinens, coenatorius, ἀνακλιντήριος. *Petron. Sat.* 30. Vestimenta mea accubitoria perdidit. Alii leg. *cubitoria* cod. sensu, sed improbat praeter ceteros *Lips. Sat. l.* 1. *c.* 2.

ACCŪBĪTUM, i, n. ἀνακλιντήριον, stibadium, sedes coenatoria triclinio similis, quae, postquam tricliniares lecti in desuetudinem abierunt, ad accumbendum mensae adhibita est stragulis et pulvillis instrata, quae inde *accubitalia* dicta sunt. In eo autem a triclinio differebat, quod erat continuus et perpetuus quasi lectus plures capiens, triclinium vero tribus fere constabat lectis inter se divisis. Ita *Casaub.* et *Salm. ad Lamprid. Elagab.* 19. docent. *Vet. Interpr. Juven. Sat.* 5, 17. Apud veteres accubitorum usus non erat, sed in lectulis discumbentes manducabant. *Lampr. l. c.* Nec accubuit in accubitis facile, nisi iis, quae pilum leporinum haberent aut plumas perdicum. *Id. Al. Sev.* 34. Numerus accubitorum crescebat et multitudo convivarum.

ACCŪBĬTUS, us, m. actus accumbendi, accubatio, ἀνάκλισις. *Stat. Ach.* 1, 109. Signa tamen divumque tori et quem quisque sacrarat Accubitu genioque locus, monstrantur, *h. e.* quem locum deus aliquis mensae accumbendo sacraverat. *Id. Th.* 1, 713. Jejunum Phlegyan subter cava saxa jacentem Aeterno premit accubitu, *h. e.* super incumbendo opprimendoque. ℙ *Isid. Or.* 20, 11. Apud veteres Romanos non erat usus accumbendi: postea, ut Varro ait de vita populi R., viri discumbere coeperunt, mulieres sedere, quia turpis est in muliere accubitus. Ex his verbis colligitur etiam *Varronem* fortasse hac voce usum fuisse. *Plin.* 8, 2, 2. de elephantis: plenis hominum tricliniis accubitu, iere per lectos. *Hard.* ex mss. leg. *plenis homine tricliniis, accubitum iere per lectos.*

ACCŪBO et Adcubo, as, ubui, cubitum, n. 1. jaceo, juxta cubo, adjaceo, παράκειμαι: ex *ad* et *cubo*. *Plin.* 35, 6, 19. Accubantes effodiunt. *Hor. Od.* 4, 12, 18. cadus, Qui nunc Sulpiciis accubat horreis, *h. e.* jacet repositus. *Virg. G.* 3, 334. sicubi nigrum Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra, *h. e.* sicubi umbra jaceat sub nigro nemore: et est hypallage. [*Hoc vero est ridiculum.] *Id. A.* 6, 606. Furiarum maxima juxta Accubat. *Suet. Caes.* 44. Theatrum Tarpejo monti accubans. *Pl. Mil.* 2, 2, 57. Cui bini custodes semper totis horis accubant. ℙ Est etiam tricliniare verbum et saepissime ponitur pro ad mensam discumbere, ἀνάκειμαι, κατάκειμαι. *Cic. Tusc.* 4, 2. Morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent, canerent ad tibiam. *Id. Cat.* 2, 5. Accubantes in conviviis, complexi mulieres impudicas, vino languidi. *Id. Att.* 14, 12. Haec conscripsi accubans apud Vestorium. *Pl. Most.* 1, 4, 32. Accuba, Callidamates. [*Est in hoc loco notanda vis verbi reciproca s. reflexiva, quae non facile reperitur, nisi huc traxeris *Apul. Met.* p. 161. Maritus lectum maturius accubans.] *Id. Men.* 2, 3, 16. Prandium, ut jussisti, hic curatum est: ubi lubet, ire licet accubitum. *Liv.* 28, 18. Coenatum simul apud regem est: eodem etiam lecto Scipio atque Hasdrubal accubuerunt. ℙ Cum accusativo sine praep., quae inest in ipso verbo. *Pl. Men.* 3, 2, 11. Prandi, potavi, scortum accubui. ℙ De eo, qui in lecto se componit somni causa. *Prop.* 1, 3, 3. Qualis et accubuit primo Cepheia somno. [**Accubuit*, quod alii h. l. ab *accumbo* derivant, est simpl. *jacuit*, quo in antecc. utitur. Cf. 2, 23, 32.] ℙ Et de concubitu. *Id.* 3, 13, 12. Nycteos Antiopen accubuisse Lyco. *Tib.* 1, 9, 75. Huic tamen accubuit noster puer. [*Etiam *Suet. Vesp.* 21. quieti vacabat, accubante aliqua pallacarum. Ceterum, quod ad constructionem attinet, construitur hoc verb. cum dat., accus. et ponitur etiam sine casu, ut exempla allata docent; adduntur interdum praepp. *cum* (*Pl. Asin.* 5, 1, 3. 5.), *apud*, aliae.]

ACCŪBŬO, adverb. a *Plauto* effictum ad similitudinem adverbii *assiduo*. Verba ejus sunt *Truc.* 1, 4, 67. Postidea ego tota tecum, mea voluptas, usque ero assiduo. *Di.* Imo hercle vero accubuo mavelim, *h. e.* malim te mecum accubare. Simul alludit ad vim vocis *assiduo*, cujus origo est a *sedendo*.

ACCŪDO et Adcudo, is, a. 3. proprie idem est, quod cudere, hoc est nummos: cujus notionis nullum adhuc exemplum vidimus. Translate *Pl. Merc.* 2, 3, 96. Tres minas accudere etiam possum, ut triginta sient, *h. e.* adjicere, addere. [*Olim edebatur h. v. etiam ap. *Cic. Att.* 1, 1. Sane facile eum [liberi] θεμιὸν ciceri [consuli] accuderint. Sic *Ernest.* Sed longe aliter nunc legitur. Al. edunt: Thermum Caesari consulem accedere viderim; al. sic: sane facile et libenter tunc ceteri consuli accesserint.]

[ACCUMBĬTŌRĬUM sive Adcumbitorium, ii, n. idem quod apparatorium, quam vocem v. infra. Aedificium sepulcro junctum ad coenas ferales paratum. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. p.* 616. C. Plarius Privatus Sen. se vibo (*h. e.* vivo) cessit Plariae Privatae libertae suae de se bene merenti adcumbitorium cum conditibum (*h. e.* conditivo) *F.*]

ACCŪMBO, bis, cubui, cubitum, n. ἀνάκειμαι, mensae accubo, discumbo, [sic tamen, ut proprie *accumbere* sit incipientis *accubare*, ut *sidere* est incipientis *sedere*. *F.* *Hoc tamen discrimen non semper observatur a veteribus, ut *Suet. Vesp.* 5. procidit (bos) ad ipsos accumbentis pedes.] Praeter significationem commune habet cum *accubo* praeteritum et supinum: significat autem eam corporis conformationem, qua veteres mensae assidebant cibum capturi: nimirum in lectis tricliniaribus neque sedebant, neque omnino jacebant, sed ita se componebant, ut inferiore corporis parte porrecta ac jacente, superiorem sinistro cubito aliquantum sublevarent, pulvillis suffulcientibus, erecto paululum capite, et dextera manu libera ad cibum capiendum, sinistra etiam aliquando, cum opus esset, reclinato corpore, exserta. Hoc est *accumbere* et *accubare*; qua de re fusius ii, qui de triclinio et conviviis veterum integris commentariis disseruere *Ciaccon.*, *Fulv. Ursin.*, *Mercurial.*, *Stuck.*, *Manut. de quaest. per epist.* et alii. Antiquissimi tamen non accumbebant, sed sedebant, ut docet *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 79. et 214. et ad 7, 176., quem morem, etiam post inductum accubitus usum, feminae pudoris causa retinuere, ut est apud *Isid.*, cujus verba vide in *Accubitus*. Verum ipsae quoque procedente luxu aliquando accubuisse leguntur. V. *Val. Max.* 2, 1. *n.* 2. *Cic. Verr.* 2, 5, 31. Sic vixit, ut mulièbria quotidie convivia essent, vir accumberet nemo. *Id. Mur.* 35. Lacedaemonii quotidianis epulis in robore accumbunt. *Virg. A.* 1, 79. epulis accumbere Divum. *Pl. Most.* 1, 3, 150. Age, accumbe igitur. *Id. Stich.* 3, 2, 32. In lecto accumbere. *Liv.* 28, 18. Eodem lecto Scipio atque Hasdrubal adcubuerunt. *Martial.* 8, 50. Accubuit genitor cum plebe Deorum. ℙ *Accumbere in summo*, *superiorem accumbere*, *infra*, *supra accumbere* etc. notant locum, quem in tricliniari lecto quis occupat. *Summus accumbere* et *supra* vel *superior accumbere* dicebatur, qui primus et ad caput lecti accumbebat, qui post ipsum *medius*, qui tertio loco *infra*. Si quartus conviva adesset, dicebatur *imus:* et quia accumbentes in cubitum sinistrum se reponebant, accumbendi ordo a sinistra parte incipiebatur, ita ut *summus* idem esset, ac sinister, *infra* dexter. Inter tres lectos medius erat honoratior. In eodem lecto si tres essent convivae, medius locus dignior habebatur, deinde summus: si quatuor, honoratior erat sum-

mo proximus, hoc est secundus: si quando accumberent feminae, *infra* accumbebant, ut in sinu *medii* capite recumberent; atque hoc intelligendum de privatorum conviviis. Quod si consul aut alius publicus magistratus in convivio esset, ejus locus erat infra *seu* ultimus medii lecti, ea praecipue de causa, ne, si aut subscribendum aliquid, aut nuntius admittendus, aut tale quidpiam agendum esset, ipse aut ab alio impediretur, aut alium impediret: [*inde *consularis* dictus; v. *Salmas.* ad *Solin.* p. 886.] quod etiam de domino convivii dicendum videtur, ut ea, quae ad convivium pertinent, facilius expediret, et cum convivis miscere sermonem posset. Medius enim lectus ita cum tertio cohaerebat, ut angularem intercapedinem flexu suo faceret, quo in spatio ultimus medii lecti dextram et vocem liberam et expeditam habebat, ut ait *Plut. l.* 1. *Symp.* His rebus facile intelligentur scriptorum loci, quos subjicimus, et alii his similes. *Cic. Fam.* 9, 26. Accubueram apud Volumnium, et quidem supra me Atticus, infra Verrius. Et paulo post: Infra Eutrapelum Cytheris accubuit. Quo in loco cave credas *P. Manutio*, qui Atticum putat accubuisse a dextra, Verrium a sinistra. *Pl. Pers.* 5, 1, 15. Tu Sagaristio, accumbe in summo. *Id. Most.* 1, 1, 42. Superior accumbere. Huc pertinet et illud *Horat. Sat.* 2, 8, 20. Summus ego, et prope me Viscus Turinus, et infra, Si memini, Varius. Et 23. Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra. [*Cf. *Heind.*] *Sall. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 702. Igitur discubuere, Sertorius inferior in medio (*lecto*); super eum (*in eodem lecto*) L. Fabius Hispaniensis, senator ex proscriptis: in summo (*lecto*) Antonius, et infra (*in eodem lecto*) scriba Sertorii Versius: et alter scriba Maecenas in imo (*lecto*) medius inter Tarquitium et dominum Perpernam. Ubi vides *medium*, *summum*, *imum* ad lectum referri, *super*, *infra* etc. ad locum lecti. Disserit fuse de hoc *Sall.* loco *Salmas.* [*ad *Solin. l. c.* Ceterum res optime declaratur hac figura (cujus imaginem proposuit primus *Salmas.*, duce *Plut.* in *Symp.*), in qua sextus locus est *consularis*, septimus *domini*:

Ultimus locus medius summus



℗ Cum accus. sine praep., quae inest in ipso verbo. *Pl. Bacch.* 5, 2, 71. Potes, et scortum accumbas. Et *Accius* ap. *Non.* 4, 478. Ne cum tyranno quisquam epulandi gratia mensam accumbat. [*Apul. Met. p. 119. 33. mensulam; *id.* p. 227. 31. coenam.] ℗ Pro jacere simpliciter. *Manil.* 5, 426. de natante: Non onerabit aquas summisque accumbet in undis, *h. e.* super undas stratus jacebit. [*Nep. *Ag.* 8, 2. in acta cum suis accubuisset. *Pl. Most.* 1, 4, 13. in via (de temulento) accumbere. Vid. supra in ACCUBO.]

ACCŪMŪLĀTĒ, adv. σωρηδόν. *Apul. Met.* 10. Omnia prolixe accumulateque pollicetur. *Auct. ad Her.* 1. *fin.* Ut munus hoc accumulatissime tuae largiamur voluntati. ℗ Addunt quidam etiam ex *Cic.* exemplum *Fam.* 13, 42., sed ibi pro *accumulatissime* legitur *cumulatissime* in optimis quibusque libris.

ACCŪMŪLĀTĬO, onis, ἐπισώρευσις, aggeratio terrae circa arborum radices ad eas tutandas contra aeris injurias. *Plin.* 17, 26, 39. Communia arborum morbis remedia ablaqueatio, accumulatio, afflari radices aut cooperiri. V. ACCUMULO.

ACCŪMŪLĀTOR et Adcumulator, oris, m. qui accumulat, ἐπισωρεύων. *Tac. A.* 3, 30. Opum, queis domus illa viguit, primus accumulator.

ACCŪMŪLO et Adcumulo, as, avi, atum, a. 1. ἐπισωρεύω, ἀθροίζω, ad cumulum addo, augeo, coacervo. *Plin.* 4, 1, 2. Venti accumulantes arenae congeriem. *Cic. Agr.* 2, 23. Vix jam videtur locus esse, qui tantos acervos pecuniae capiat: auget, addit, accumulat. *Prud. Psych.* 183. Accumulare caput crinibus, *h. e.* crines accumulando et in tutulum componendo ornare. ℗ Speciatim est circa arborum radices terram aggerere et veluti circummunire, ne nimio calore exarescant, περιτρέω: cui contrarium est *ablaquea-re. Plin.* 17, 19, 31. Ferventibus locis accumulant aestate radices operiuntque, ne solis ardor exurat: aliubi ablaqueant perflatusque admittunt. *Id.* 18, 29, 71. Arbores circumfodere; ubi aestuosa regio poscat, accumulare. *Id.* 19, 5, 26. *n.* 4. Accumulare raphanos. *Id.* 18, 26, 62. vineas. *Id.* 17, 17, 28. Accumuletur germinatio terra, donec robur planta capiat. ℗ Translate est addere, congerere. *Gell.* 17, 10. Item quod ait, *sidera lambit*, vacanter hoc etiam, inquit, accumulavit et inaniter. *Lucr.* 3, 71. Accumulare caedem caedi. [*Id.* 6, 1262. accumulat mors confertos.] *Ov. Fast.* 2, 122. alicui honorem. *Id. Her.* 15, 70. curas. *Virg. A.* 6, 885. Purpureos spargam flores animamque nepotis His saltem accumulem donis, *h. e.* haec dona accumulem animae nepotis. *Hypallage.* [*Sil. 2, 336. Tanta accumulat praeconia leto Vulneribusque virum, i. e. tantis laudibus auget fortitudinem virorum. *Id.* 11, 256. Perge, ac primordia tanta Accumula paribus factis, et eodem modo 15, 657. Nunc accumula coepta ardua dextra.]

ACCŪRĀTĒ, adv. ἀκριβῶς. ἐπιμελῶς, summa cura, studiose. *Cic. Brut.* 22. Studiose accurateque aliquid facere. *Id. ib.* 80. Accurate et exquisite disputare. *Id. Parad.* 1, 4. Arcte tenere atque accurate defendere aliquid. *Id. Att.* 16, 5. Accurate agere. [*Nep. *Alc.* 10. *Id. de R.* 1, 13. sermone aliquid.] *Ib.* 8, 12. Accuratius mihi perscribas velim. [*Id. *Fam.* 13, 10. Meas de se accurate scriptas literas maximum apud te pondus habituras. Paulo post eadem vi *diligentissime scribere.* Cf. in v. *accuratus* et *Cort.* ad *ep.* 8. *ejusd. lib.*] *Id. Fam.* 5, 17. Accuratissime tutari aliquem. *Nep. Lys. fin.* Accuratissime accusare. [*Suet. *Dom.* 16. acc. sepelire]. *Sall. Jug.* 111. Accurate et liberaliter habere aliquem. *Ter. Andr.* 3, 2, 14. Fallere aliquem saltem accurate [*i. e. caute et prudenter. *Cic. Fr. or. in Clod. et Cur.* V. Cum strophio accurate praecingerere.]

ACCŪRĀTĬO, onis, f. cura, diligentia, actus ipse accurandi, ἐπιμέλεια. *Cic. Brut.* 67. In inveniendis componendisque rebus mira accuratio. [*Est ap. *Cic.* ἅπαξ λεγόμενον. *Furl.* addit *Veg. Vet.* 1, 56. Ad omnem accurationem, *h. e.* accuratissime.]

ACCŪRĀTOR, oris, m. qui rem aliquam curat. In *Decl.* 377. ex iis, quas quidam *Quintil.* olim tribuerunt: Accuratorem ipsum? accusatorem dabo: nunquam abdicavit. Alii rectius leg. *Accusatorem ipsum laudatorem dabo.*

ACCŪRĀTUS, a, um, part. ab *accuro*, tum adj., ἐπιμελής, cum cura factus, elaboratus. *Pl. Truc.* 2, 5, 20. Eam nunc malitiam accuratam (fraudem perfectam) miles inveniat volo. *Cic. Or.* 1, 9. Accurata orationis copia. Et *ib.* 2, 57. Accuratus sermo. *Id. Brut.* 82. Accuratius quoddam et exquisitius dicendi genus. *Ib.* 8. Accurata et facta quodammodo oratio. [*Id. *Or.* 1, 60. Accuratae et meditatae orationes. *Brut.* 95. accurata et polita oratio.] *Id. Att.* 7, 3. Accuratissima diligentia. *Id. Fam.* 13, 17. Accurata commendatio. [*Id. *Att.* 13, 45. accuratissimae literae, i. e. in quibus omnia sunt diligenter perscripta et mandata.] *Gell.* 1, 5. Cultus corporis nimis accuratus. [*Plin. *Pan.* 3. Dii non laetantur accuratis precibus. *Apic. d. a. coq.* 1, 25. accuratae rapae, i. e. praeparatae. Addidit in append. *Furl.*] ℗ Absolute *Id. Bacch.* 3, 6, 21. Ille, quod in se fuit, accuratum habuit, quod posset mali facere, *h. e.* accuravit. *Id. Mil.* 3, 1, 210. Accurato et properato opus est. ℗ [*Accuratum* pro eo, *quod curae est*, dixit *Tertull. Apolog.* 22. accuratior pascua, i. e. pastus, qui magis curae est, quo magis delectantur. Ceterum non negligendum est, *accuratus* nonnisi de rebus, non de personis dici, qua in re saepe peccant, qui hodie latine scribunt.]

ACCŪRO et Adcuro, as, avi, atum, a. 1. idem quod *curo*, *as*, addita vi aliqua significationi a praepositione *ad*, a qua componitur [*minime.] *Cic. Inv.* 1, 34. Melius accurantur, quae consilio geruntur. *Pl. Bacch.* 5, 2, 33. Pensum meum lepide accurabo. *Id. Men.* 5, 2, 107. Illud praecavendum atque accurandum est mihi. *Id. Cas.* 3, 3, 30. Quod facto opus est, volo accurare. [*Mil. 3, 1, 207.] *Id. Pers.* 4, 1, 1. Accurare aliquam rem sobrie ac frugaliter. *Id. Men.* 1, 3, 25. Accurare prandium alicui. *Id. Trin.* 1, 2, 41. Accurare omnes addecet, suspicionem et culpam ut ab se segregent. *Ter. Hec.* 5, 1, 12. Omnes res cautius, ne temere faciam, accuro. [*Andr. 3, 2, 14. Ceterum *Lamprid. Heliog.* 31. accurare barbam dicit, quod vulgo dicebatur *curare*. Vid. *Salm.*] ℗ *Accurare hospites* est eorum curam habere, ut bene tractentur. *Pl. Epid.* 5, 1, 55. Remeabo intus, ut accurentur advenientes hospites. ℗ *Accurare victum et cultum humanum Cic. fr. Oecon.* ap. *Colum. praef. l.* 12. est comparare. ℗ *Accurasso*, *is*, *it*, pro *accuravero*, *is*, *it*, antiquum est et poeticum. *Pl. Ps.* 4, 1, 29. Si hanc rem sobrie accurassis. Adde *Pers.* 3, 1, 65.

ACCURRO et Adcurro, is, accurri et accucurri, ursum, n. 3. προστρέχω, ad aliquem locum curro. *Cic. Att.* 13, 48. Is igitur si accierit, accurram. *Id. Off.* 3, 31. Accurrisse Romam dicitur. *Id. Att.* 12, 18. Propter praedes suos accucurrisse. *Id. ib.* 15, 3. Accurres in Tusculanum, ut scribis. *Suet. Cal.* 58. Accurrere in auxilium. [*Sall. *Jug.* 107.] *Id. Ner.* 34. ad visendum. Sil. 14, 404. ad opem. *Caes. b. g.* 1, 22. Considius equo admisso ad eum accurrit. *Cic. Verr.* 2, 5, 3. Cupide ad praetorem accurrit. *Tac. H.* 3, 12. Qui propere accucurrit. *Petron. Sat.* 139. Unus ex servulis accucurrit. ℗ Cum accusativo sine praep. *Apul. Met.* 3. Percita ac satis trepida me accurrit. *Paulin. Nol. in Natal. S. Fel.* 10, 112. Contiguam paribus votis accurrimus aulam. ℗ Passive impersonaliter. *Tac. A.* 1, 21. Accurritur ab universis. ℗ Translate *Cic. Div.* 2, 67. Istae imagines ita nobis dicto audientes sunt, ut simul atque velimus accurrant, *h. e.* occurrant animo. [*Multo gravius est illud, ut quod majorem celeritatem significet. Saepe inter se permutantur *accurrere* et *occurrere*. Vid. *Drak.* et *Heins.* ad *Sil.* 10, 201. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 2, 372. et *Heyn.* ad *Tibull. Obss.* 1, 2, 25.]

ACCURSORIUS. V. ANTECURSORIUS.

ACCURSUS et Adcursus, us, m. actus accurrendi, προσδρομή. Tac. A. 4, 41. Accursus populi. *Val. M.* 6, 8, 6. Ante oculos ponere subitum militum accursum. *Sen. Hipp.* 894. Civium accursum timens. *Stat. Th.* 6, 511. Erigit accursu comitum caput. Adde *Sil.* 15, 607. [*et properi signum accursus. Vid. quae de hoc v. notavit *Heins.* ad *Sil.* 10, 201. et ad *Ovid. Fast.* 3, 757. Permutatur interdum in mss. cum *ad cursum*; v. *Drak.* ad priorem *Silii* locum.]

ACCŪSĀBĬLIS, le, accusatione dignus. *Cic. Tusc.* 4, 35. Quorum accusabilis est turpitudo.

ACCŪSĀTĬO, onis, f. κατηγορία. Inter accusationem et maledictionem hoc interest, quod, ut ait *Cic. Coel.* 3. accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet; maledictio autem nihil habet propositi praeter contumeliam. *Id. Off.* 2, 14. Ratio judiciorum ex accusatione et defensione constat. Et mox: Sulpicii eloquentiam accusatio illustravit. *Id. Brut.* 34. Factitare accusationem. *Id. fr. pro Corn.* ap. *Ascon.* Desistere accusatione. *Id. Cluent.* 3. Accusationi respondere. *Id. ib.* 6. Accusationem instruere. [*Cf. *Tac. A.* 2, 74. *Verr.* 2, 1, 1. Accusationem comparare et constituere.] *Tac. A.* 6, 4. intentare. *Ib.* 4, 52. capessere. *Id. H.* 2, 10. exercere. [*Id. *A.* 4, 29. exsequi. *Aurel. V. Ill.* 28, 2. dimittere.] ℗ Ipsa oratio, qua aliquis accusatur. *Cic. Or.* 29. In septem accusationum libris. *Plin.* 7, 30, 31. *init.* Cum accusationem legisset, qua fuerat usus etc. ℗ Passive *Liv.* 33, 46. Subscribere odiis et accusationibus Annibalis, *h. e.* quibus Annibal accusatur. [*Confunduntur inter se *accusatio* et *actio*, sic fere, ut illud tanquam interpretamentum hujus apponatur. Vid. var. lect. ap. *Quintil. Decl.* 12, 1. et *Drak.* ad *Liv. ep. l.* 7. Potuit tamen, ut idem docet, *actio* oriri ex compendio verbi *accusatio*.]

ACCŪSĀTĪVUS, a, um, adj. ad accusandum pertinens, ut *accusativus casus* ap. Grammaticos, qui et *accusativus* absolute dicitur, αἰτιατικὴ πτῶσις, quia per eum aliquem accusamus, ut ait *Isid. Orig.* 1, 6. Sane etiam *Varro L. L.* 7, 37. appellat *casum accusandi*. *Quint.* 7, 9. Accusativi geminatione facta amphibolia solvitur ablativo. *Isid. l. c.* 12. et *Serv. ad A.* 1, 28. praepositiones *accusativas* vocant, quae accusativum casum regunt, ut *ad*, *erga*, *per*.

ACCŪSĀTOR, oris, m. κατήγορος, qui accusat et reum alicujus criminis in judicio agit. [*Discernendi sunt *accusator* et *petitor*; hujus enim propriae partes sunt in civilibus actionibus, illius in judiciis publicis. Nonnunquam tamen, ut *Cic. Part.* 32. accusator pro omni et actore et petitore dicitur.] *Cic. Brut.* 34. Accusator vehemens et molestus. *Ib.* 36. Accusatores acres atque acerbi. *Id. Div. in Verr.* 9. Accusator firmus et verus. *Id. Fam.* 8, 12. Ponere accusatorem alicui. *Id. Verr.* 2, 1, 29. alicui apponere. *Tac. A.* 4, 59. Sustinere nomen accusatoris. [*De accusatore publico v. interpp. ad *Suet. Tib.* 35.] ℗ Item delator. *Juv.* 1, 161. Cum veniet contra, digito compesce labellum: Accusator erit etc. [*Suet. *Aug.* 66. conjungit: accusatorum denunciationes.]

ACCŪSĀTORĬĒ, adverb. κατηγορικῶς, accusatorio modo. *Cic. Verr.* 2, 2, 72. Accusatorie dicere. *Ib.* 2, 3, 70. Agere accusatorie cum aliquo. *Liv.* 40, 12. Jam illud quam accusatorie, quod etc. [*Ascon. in Divin.* 5. Accusatorie vociferari. *F.*]

ACCŪSĀTORĬUS, a, um, adj. κατηγορικός, ad accusatorem vel ad accusationem pertinens. *Cic. Mur.* 5. Accusatoria lex. *Id. Flacc.* 6. Accusatorio jure et more aliquid facere. *Id. Rosc. Am.* 17. Accusatorium artificium. *Id. Cluent.* 4. Accusatorius animus. *Liv.* 45, 10. Vultu truci et accusatoria voce. [*Id.* 2, 61. Semel Appius causam dixit accusatorio spiritu. *F.*] *Quint.* 12, 7. Accusatoriam vitam vivere, *h. e.* accusationes factitare. [*Id. *Decl.* 15, 4. Accusatoria fronte terribilis *ib.* Accusatoria firmitate robustum corpus.]

ACCŪSĀTRIX, icis, f. ἡ κατήγορος. *Plin. ep.* 10, 67. Ut notum accusatrici ejus facerem. Et in *ep. seq. Trajanus:* Libellos Furiae accusatricis legi. ℗ Item, quae objurgat et reprehendit. *Pl. Asin.* 3, 1, 10. Ego te volui castigare, tu mi accusatrix ades.

ACCŪSĀTUS, a, um, part. ab *accuso*, in judicio

reus actus, in judicium ob crimen vocatus, *κατηγορηθείς*. *Cic. Verr.* 2, 2, 28. Accusatus apud praetorem rei capitalis. *Nep. Lys.* 3. Accusatus crimine. *Id. Milt.* 7. proditionis. ℙ Item reprehensus. *Cic. fr. pro Corn.* ap. *Ascon.* Africanus a se ipso saepe accusatus, quod passus esset etc.

ACCŪSĪTO, as, a, 1. frequentativum ab *accuso*. *Pl. Most.* 3, 2, 22. Si abitus tuus tibi fecerit male, nihil erit, quod deorum ullum accusites.

ACCŪSO, as, avi, atum, a. 1. *κατηγορέω*, judiciale verbum, est aliquem criminis cujuspiam reum in judicio facere, crimen ipsum exponere, argumentis et testibus probare etc.: ex *ad* et *causa*. *Cic. Rosc. Am.* 5. Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt; causam dicit is, cui nihil reliquerunt. *Id. ib.* 32. Ut omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio defendere. *Id. Coel.* 7. Nunquam si se ambitu commaculasset, ambitus alterum accusaret; intell. *crimine*. *Nep. Thras.* 3. Ne quis anteactarum rerum accusaretur neve mulctaretur. *Id. Alc.* 4. Absens invidiae crimine accusaretur. *Cic. Verr.* 1, 16. Suis eum propriisque criminibus accusabo. *Id. Rosc. Am.* 32. Sexcenti sunt, qui inter sicarios et de veneficiis accusabant. ℙ Extra judicia significat incusare, arguere, culpam transferre, vituperare. *Cic. Q. Fr.* 2, 2. Me tibi excuso in eo ipso, in quo te accuso. *Id. Att.* 1, 6. Ut me accusare de epistolarum negligentia possis. *Id. Fam.* 6, 1. Me esse eum, cujus tu desperationem accusare solitus esses. *Sall. Jug.* 73. Mollitiem socordiamque alicujus accusare. *Id. ib.* 1. Ubi per socordiam vires defluxere, naturae infirmitas accusatur. *Id. Cat.* 41. Accusare senatum, quod in eo auxilii nihil esset. [**Id. Jug.* 89. consilia.] *Cic. Fam.* 1, 1. Hortari et orare et liberius accusare aliquem. *Quint.* 5, 5. Accusare tabulas, *h. e.* falsas esse ostendere. *Pl. Merc.* 2, 3, 85. fidem alicujus [i. e. desiderare in aliquo fidem. Sic *Cic. Fam.* 2, 1. accusare officium.] *Plin.* 2, 7, 5. fortunam. *Pl. Trin.* 1, 2, 59. Si id me non accusas, tu ipse objurgandus es. [**Ter. Andr. prol.* 18. Qui cum hunc accusant, Naevium, Plautum, Ennium accusant. Paulo ante usus est v. *vituperare*. Et sic saepissime *Terent.* aliique scriptores. — Ad constructionem quod attinet, nota sunt fere omnia et ex antecc. apparent. Construitur igitur cum genitivo ejus rei, ob quam quis reus fit; dicitur etiam accusare *capitis*, ut *Nep. Paus.* 2. Praeterea adduntur praepp. *in* (cf. *Cic. Sull.* 22.) et *de* (cf. *id. Att.* 1, 3.), et sic fere ubique dicunt *accusare de vi, de veneficiis*. Notandum etiam *accusare inter sicarios*, quod eadem brevitate dicitur, ut *damnare inter sicarios* (*Cic. Cluent.* 7.) et *defendere inter sic.* (*Id. Phil.* 2, 4.) Porro dicitur *accusare nomine* avaritiae, ut est scriptum in *epit. Liv. l.* 47. Illud vero disputatur, *accusare criminis* num recte dicatur. Negat id *Sanctius Min.* 1. p. 196. contra quem disputat *Perizonius*. Cf. *Rudd.* 11. p. 168. Nos ea in re Sanctio assentimur. Cum *reprehendere* significat, jungitur, ut par est, cum acc. rei. Denique sequitur partic. *quod*, ut ap. *Nep. Lys.* 3. et saepius, et *acc. cum infin.* ut ap. *Tac. A.* 14, 18.] ℙ *Casus accusandi* ap. *Varr. L. L.* 7, 37. et 38. est casus accusativus. ℙ Inter *postulo*, *defero* et *accuso*, si proprie accipiantur, hoc interest, quod *postulare* est petere, ut accusare aliquem liceat: *deferre* est ejus nomen denunciare: *accusare* est crimen exponere et probare, ut dictum est. [**Plura v. apud *Vales.* ad *Ammian.* 14, 5. et in *clav. Cic.* v. *deferre*.] ℙ Inter *accusare* et *incusare* hoc tantum interest, quod *incuso* non solet in judiciis adhiberi, sicut *accuso:* ceterum idem omnino significant. ℙ Olim *accusso* scriptum fuisse ex quibusdam antiquis mss. testantur *Pareus in Lex. crit.* et *Beda de Orthograph.* Ex quo colligitur aptius hoc verbum deduci a *causo, as*, quod a *causa*, (hae enim voces duplici *s* scriptae saepissime reperiuntur) ut docet *Voss. in Etymol.*, quam a *cuso*, quod *Priscian.* 10. *p.* 890. *P.* et *Velius Long. de Orthograph.* scripsere.

*ACDEI, orum, populus Scythicus pone paludem Maeotidem. *Plin.* 6, 7, 7. inter Acdeos, Carnas. Sic *Harduin.*

ACDESTIS, is, m. Jovis filius ex petra genitus, quam Juppiter, casu effuso semine, polluerat. *Arnob.* 5. p. 158. [**Rectius hoc nomen scribi videtur vel *Agdestis* vel *Agdistis*. Aliter atque ab *Arnob.* res narratur ap. *Pausan.* 7, 17. *Hesychio* et *Strab.* (10, 3, 35. 12, 2, 161.) auctoribus ipsa Cybele dicta fuit *Agdistis* (cf. *Casaub.* ad *Strab.* p. 195.), quae colebatur Pessinunte in templo nobilissimo. Plura v. sub AGDUS.]

ACDESTĬUS, a, um, adj. ad Acdestim pertinens, ut Acdestia ferocitas *Arnob.* 5. p. 163., et Acdestius furor *ib.* p. 165.

*ACE, es, f. *Ἄκη* (etiam Aco, Accho, ut *Vulg. Judd.* 1, 31.) oppidum Phoeniciae vel Galilaeae, deinde Ptolemais dicta. *Plin.* 5, 19, 17. h. *Acre*. cf. interpp. *Nep.* ad *Dat.* 5.]

ĂCĔDĂRĬA. V. ACETARIA.

*ĂCĔDIOR, ari, dep. 1. gr. *ἀκηδιάω* (ab *ἀκηδία*, quod legitur *Cic. Att.* 12, 45.) i. q. aegre ferre, morosum esse. *Vulg. Interpr. Sirac.* 6, 26. 22, 6.

ĂCĔDON. V. ACĔTUM mel.

*ĂCĔLUM, *Ἄκελον* ap. *Ptol.*, oppidum est Italiae superioris in agro Veneto, inter fluvios Plavim (h. *Piave*) et Silin (h. *Asolo*). *Plin.* 3, 19, 23. Idem opp. *Acilium* ap. *Paul. Diac.*

ĂCENTĒTĂ, orum, n. plur. *ἀκέντητα*, hoc est sine punctis seu puncturis. Vox graeca ab *α* privativa et *κεντητός*, punctus seu punctis distinctus. *Plin.* 37, 2, 10. Infestantur crystalli plurimis vitiis; scabro ferrumine, maculosa nube, occulta aliqua vomica, praeduro fragilique centro, item sale appellato. Quae vero sine vitio sunt, puras esse malunt, acenteta appellantes *h. e.* sine centris. [*Front. de fer. Als.* 3. Calicem vero sine delatoria nota cum dico, sine puncto dico. Neque enim me decet, volgi verbis Falernum vinum aut calicem acentetum appellare. V. CENTRUM. *F.*]

ĂCĔO, es, acui, n. 2. *ὀξίζω*, acidum esse; et fere de vino dicitur. *Cato R. R.* 148. Vinum, quod neque aceat, neque muceat. *Ulp. Dig.* 18, 1, 9. Eadem prope *οὐσία* est, si modo vinum acuit. Ceterum si vinum non acuit, sed ab initio acetum fuit etc. [**Recte *Scheller.* posteriorem locum ad *acesco* referendum esse censet.]

ĂCĔPHĂLUS, i, m. *ἀκέφαλος*, sine capite. Vox graeca ab *a* privativa et *κεφαλή*, caput. Acephali dicti sunt quidam haeretici, qui unam in Christo naturam agnoscebant. Ita autem appellati sunt, quia, ut scribit *Isid. Orig.* 8, 6. quis eorum fuerit auctor et caput, prorsus ignoratur.

ĂCER, ĕris, n. *σφένδαμνος*, arbor ejusdem fere amplitudinis ac tilia, operum elegantia ac subtilitate cedro secunda. Ejus plura genera recenset *Plin.* 16, 15, 26., album, quod praecipuo candore est, crispum a vario macularum discursu [**hinc, ut videtur, *Ov. Met.* 10, 95. acer coloribus impar], crassivenium a venarum crassitie, campestre, montanum etc. [**Etiam Graeci praeter *σφένδαμνον* norunt *ζυγίαν* et *γλεῖνον* (*γλῖνον*). — Acer pseudoplatanus, campestre et creticum *Linnaei*, n. *Ahorn.* Sed de diversis aceris generibus disputat *Salmas.* ad *Solin.* p. 359. sq.] Ex eo olim scriptoriae tabellae conficiebantur, eo quod ob materiei duritiem et tenacitatem in laminas facile findebatur. *Ov. Am.* 1, 11, 28. Veneri fidas sibi Naso ministras Dedicat: at nuper vile fuistis acer. ℙ *Prisc.* 6. p. 698. *P.* docet esse feminini generis, nullo id tamen latino exemplo probat.

ĂCER, acris, acre, (*ἄκρος*) adj. *δριμύς, ὀξύς*, acrimoniam habens saporemque mordacem, qualis est in aceto, caepa, allio, acerbis pomis et hujusmodi. *Cic. N. D.* 2, 23. Humores nimis acres. *Hor. Sat.* 2, 8, 7. acria circum Rapula, lactucae, radices, qualia lassum Pervellunt stomachum. *Cels.* 4, 4. n. 3. Acetum acerrimum. *Plin. ep.* 7, 3. Dulcibus cibis acres acutosque miscere. *Plin.* 11, 15, 15. Mel ex dulci acre, *γλυκύπικρον, γλυκύτερον καὶ δριμύ*. (V. MEL) *Id.* 15, 27, 32. Sapor austerus, acer, acutus, acidus, salsus. (V. ACUTUS) *Id.* 27, 4, 7. Acer gustatu cauliculus. *Id.* 19, 5, 26. *n.* 4. Raphanos crudos medici suadent ad colligenda acria viscerum, *h. e.* acres humores. *Hor. Sat.* 2, 4, 59. lactuca innatat acri Post vinum stomacho, *h. e.* acoris pleno. ℙ Translate latissimum habet usum. [**Nam a gustu et sapore transfertur primum ad alios sensus, visum, auditum, olfactum (cf. *Ov. Met.* 7, 806.); deinde vero ad animum. Dicitur igitur de iis rebus, quae gravius vel sensus vel animum afficiunt et excitant eosque quasi penetrant (sic intell. *Cic. Or.* 2, 87. utendum est imaginibus agentibus, acribus, insignitis); hinc explicari potest *vehemens* (*magnum, vigens, asperum, mordax*, et porro *durum, saevum, crudele, severum;* denique ubi de ipsis sensibus, de animo, de ingenio dicitur, opp. debili, leni (cf. *Cic. Ac.* 2, 4, 12.) tardo, inerti, et similibus, et significat sensus *acutos* et *firmos*, animum et ingenium *calidum, fervidum, ardens, alacre* et *promptum, strenuum, severum, rigidum.* (*Serv.* ad *Virg. A.* 8, 614. *acrem* i. e. fortem, et proprie apud nos *acer* est, qui apud Graecos *δεινὸς* dicitur. Nam fortem et vehementem et asperum et amarum potest significare.) Ex his facile singulorum locorum ratio explicatur. Apud nostrum hic quoque justus et idoneus ordo desideratur.] *Hor. Od.* 1, 4, 1. Solvitur acris hiems. *Lucr.* 5, 904. Acrem flammam efflare. [**Col.* 12, 19. Acrior ignis. Et omnino saepe ita dixerunt. Sic etiam *acri favilla* dicit *Ovid. Met.* 8, 667. *Tac. H.* 2, 86. Acerrimam facem praeferre bello, i. e. acerrimum belli auctorem esse. Eodem refer *acriores* ad studia dicendi *faces* ap. *Quintil.* 1, 2. p. 31.] *Plin.* 14, 8, 10. Acri sole siccare. [**Heind.* ad *Hor. Sat.* 1, 6, 125. Adde *Virg. G.* 1, 93. et quem locum nobis indicavit *Handius*, *Rutil. Itin.* 1, 483. acer Phoebus. *Burm.* ad *Ov. Met.* 1, 592.] *Id.* 12, 17, 40. Acer odor. [**Ad olfactum refer etiam *Cic. Or.* 3, 25, 99. unguenta — summa et acerrima (quae sensum vehementer afficit) suavitate condita. — *Lucr.* 4, 330. splendor.] *Cic. Or.* 2, 87. Acerrimus sensus videndi. [***Id. Planc.* 27. acres oculi.] *Hor. Od.* 1, 12, 1. Acris tibia, *h. e.* quae acutum habet sonum [**aures gravius perstringentem, ferientem, *λιγύν*. Sic *Sil.* 9, 362. acri clamore, ubi v. *Drak. Id.* 4, 96. acrem appellat equorum hinnitum. *Virg. G.* 4, 409. acrem flammae sonitum. *Quintil.* 11, 3. opponit jucundiorem et acriorem vocem (v. totum locum)]. De coloribus. *Sen. Qu. nat.* 1, 14. Quidam colores ruboris acerrimi, quidam evanidae ac levis flammae. ℙ Item pro saevo, aspero, crudeli. [***Hor. Od.* 1, 2, 39. Acer et Marsi peditis cruentum Vultus in hostem, i. e. trux, torvus.] *Tac. A.* 12, 40. Acre proelium facere. [**Sic *Nep. Eum. A.* 12, 40. Acre proelium facere. [**Sic *Nep. Eum.* 4. acerrimus concursus.] *Lucr.* 5, 400. Acri ira percitus. (V. mox) *Cic. Balb.* 6. Acerrimum bellum. [***Id. Sull.* 18. Quae nox omnium temporum conjurationis acerrima fuit atque acerbissima. Explicatur sqq.: Hoc tempore cum arderet acerrime conjuratio.] *Id. Cat.* 1, 1. Acrius supplicium. *Lucr.* 3, 65. Acris egestas, *h. e.* dura. [**Cf. *Tac. A.* 4, 6. 6, 48.] *Varr.* ap. *Non.* 4, 17. et 87. Acres curae, luctus. [***Virg. A.* 7, 291. Acer dolor. *Tac. A.* 15, 68. Acrem (i. e. cum dolore conjunctam, ingratam) sui memoriam relinquunt. Ab hoc igitur differt *acris memoria* (i. e. vegeta et firma) ap. *Cic. l.* infra *c. Id. Tac. H.* 3, 51. Tanto acrior apud majores, sicut virtutibus gloria, ita flagitiis poenitentia fuit.] ℙ Item pro severo, [**utrumque conjungit *Cic. Rosc. A.* 5. acria ac severa judicia] rigido. *Ter. Ph.* 2, 1, 32. Nunc sua culpa sciat, lenem patrem illum factum me esse acerrimum. *Cic. Or.* 3, 27. Acris vitiorum incusatio. [**Ex eodem genere est *acerrimus delectus* ap. *Liv.* 2, 28. Alibi dicunt *acerbus del.* Vid. h. v.] *Id. Off.* 1, 38. Utendum verborum gravitate acriore. [**Cf. *Suet. Caes.* 67. *Cal.* 44. *Galb.* 9.] ℙ Item pro strenuo, forti. [**Eodem fere modo v. gr. *δριμὺς* usurpatur. Videlicet haec significatio, ut et sequentes, inde est derivanda, quod hoc verbo usi sunt ad designandam hominis naturam fervidam et celeres ingeniorum motus, ex quibus illae virtutes existunt, sicut e tarditate ingenii ignavia et stupor. Sic *Vell.* 2, 41. vigore animi acerrimus. *Ov. Met.* 3, 540. juvenilem aetatem appellat *acriorem*. Conferas *Hor. Sat.* 1, 10, 43. ubi Varium, poetam epicum, *acrem* praedicat; et *id. ib.* 1, 4, 46. simili modo *acrem spiritum et vim* deesse ait comoediae. Add. *ib.* 1, 3, 53. Hinc fit, ut non raro etiam ad iram referatur. Vid. supra. Ita *Quintil.* 11, 3. p. 1039. *ed. Burm.* acres senes vocat *iracundos*. Sic fere etiam *Pl. Merc.* 4, 4, 56. uxor acerrima, quae paulo post dicitur *irata*. Eodem modo intelligendus est *Nep. Tim.* 3. Populus acer, suspicax, mobilis etc. ubi *acer* explicant irritabilis, *ὀξύθυμος*. Cf. *Cic. Or.* 2, 43, 182.] *Hor. Sat.* 2, 8, 36. Acres potores. [***Id. Sat.* 2, 6, 69. dicit acria pocula, quibus acriter potatur, ideoque magna et capacia.] *Cic. Cat.* 2, 10. Acres milites. *Virg. A.* 8, 614. acrem in poelia poscere Turnum. [**Hujus generis permulta laudat *Drakenb.* ad *l. Sil.* supra *cit. Ov.* ad *Liv.* 17. Suevos, acre genus. Cf. *Liv.* 37, 7. *Hor.* 4, 4, 1. *Nep. Alc.* 5. vir acerrimus, i. e. vir in obeundis negotiis strenuus et diligens, fortis et constans. Vid. ibi *Bremi.* Adde *Sall. Jug.* 23. 29. 47. *Cic. Sext.* 20. Vir fortis et acris animi magnique.] *Id. ib.* 4, 156. Acer equus. [**Nimirum frequentissimum est etiam de belluis, *praesertim de canibus vigilantibus et fortiter latrantibus (*Hor. Ep.* 12, 6. *Burm.* ad *Phaedr.* 3, 7.) de apris (*Hor. ib.* 2, 31.) leonibus (*Nep. Eum.* 11.) lupis etc.] ℙ Cum genit. *Vell.* 1, 3. Acer belli juvenis. *Tac. H.* 2, 5. Vespasianus acer militiae. [**Nihil apud *Tac.* frequentius his genitt. cf. *Ramshorn. gr. lat.* p. 179.] ℙ Cum ablat. et praep. *in. Coel. ad Cic. Fam.* 8, 15. Acer in rebus gerendis. [**Cf. *Quintil.* 11, 3. p. 1018.] Et omissa praepositione *Virg. A.* 10, 411. Bellis acer Halesus. [**cf. *Georg.* 3, 8. et *Aen.* 9, 176.] *Vell.* 2, 18. Mithridates bello acerrimus. [***Tac. H.* 4, 1. Acer accendendo bello. Interdum etiam cum praep. *ad* construitur. V. infra.] ℙ Cum infin. *Sil.* 3, 338. juga Pyrenes venatibus acer Metiri. [**Ita plane graecum usurpatur *δεινός*, quod multis modis lat. voc. cognatum est. — Non vidimus locum hoc aptiorem, ubi alia quaedam, quae ad illustrandum usum h. v. facere videbantur, exempla proponeremus. *Tib.* 1, 3, 77. acris sitis. *Id.* 2, 6, 15. acer amor, quod omnino satis frequens. V. ibi *Heyn. Curt.* 6, 5. Acrior ad Venerem cupido. Cf. *Cic. Phil.* 12, 3. *Virg. A.* 1, 362. acer metus. De flumine rapido utitur hoc adj. *Hor. Sat.* 1, 1, 58. de mari *Od.* 1, 2, 39. Cf. *Ov. Met.* 11, 529. *Curt.* 4, 2. Acrior flatus. *Pl. Men.* 5, 2, 121. acer morbus. *Virg. A.* 7, 164. 9, 665. acres arcus, i. e. qui magnam habent in nervo vim. *Hor. Epod.* 7, 13. vis acrior, i. e. major. Vid. *Bentl.* et cf. *Tac. H.* 3, 71. *Sil.* 4, 450. acris moles. *Id.* 3, 92. labor acrior. *Tac. A.* 15, 3. acre discrimen. *Id. ib.* 11, 11. favor plebis acrior in Domitium. *ib.* 14, 28. acrior (i. e. valentior, frequentior) ambitus. *ib.* 13, 50. acri etiam pop. rom. tum libertate, i. e. florenti, vigenti, cum strenue ea a civibus defenderetur. (Paulo aliter *id. Germ.* 37. regno Arsacis acrior est Germanorum libertas, i. e. libertas Germanis ad pugnandum acrior stimulus est, quam etc.) *Id. H.* 2, 72. Mendacium acribus initiis coeptum, i. e. strenue et fortiter.] ℙ Item diligens, intentus, sedulus. *Cic. Fam.* 1, 1. Acerrimus defensor. [***Quint.* 1, 4. Scrutabitur prae-

ceptor acer atque subtilis. *Cic. Or.* 1, 21. studio acriore esse, i. e. intentiore.] *Id. Or.* 3, 48. Acris cura et diligentia. *Id. ib.* 5. Acerrima et attentissima cogitatio. *Id. ib.* 2, 87. Acri memoria esse. [*cf. *Flacc.* 41.] *Virg. G.* 2, 405. acer curas venientem extendit in annum Rusticus, *h. e.* providus. [**Virg. G.* 3, 141. acrem fugam dicit *intentam, celerem. Tac. A.* 1, 5. acres custodiae, i. e. diligenter, accurate et sedulo dispositae. *Heins.* ibi emendabat *artioribus*, quo cum verbo etiam alibi *acrior* confunditur; sed recte defendunt interpp., comparantes *Liv.* 39, 19. custodia intentior. Idem *Tac. A.* 3, 28. acriora ex eo vincula, quod tamen aliter explicari posse non nescimus. Referimus huc etiam locum *Horat. Sat.* 1, 3, 60. acris invidia, i. e. semper vigilans et intenta, laborans in reperiendis aliorum vitiis. Possis tamen etiam *acutam, perspicacem* explicare. Ceterum *Cic.* conjungit *acer* et *diligens*, quorum hoc discrimen statuit *Ernest.* ad *or. pr. Flacc.* 19. ut diligens magis de labore et cautione, acer etiam de studio dicatur.] ℙ Item acutus, perspicax. *Cic. Or.* 3, 31. Acris acies in naturis hominum et ingeniis. *Id. N. D.* 2, 6. Acerrimo ingenio vir. [**Id. Or.* 2, 20, 84. Animus acer et praesens. Cf. *Quint.* 6, 4.] *Id. Or.* 3, 47. Acre judicium. [**Flor.* 2, 17. Vir calliditatis acerrimae.] *Id. Brut.* 72. Acerrimus aestimator. *Id. Or.* 51. In rebus inveniendis acer. *Id. Or.* 3, 24. Acerrimus ad perdiscendum. [**Curt.* 7, 2. acer consilio.] ℙ Acerrima consilia, quibus opponuntur inertissima. *Hirt. ad Cic. post ep.* 6. *l.* 15. *ad Att.* [*Intell. consilia *strenua.* Pertinet igitur hic locus ad eos, quos supra recensuit. Nos tamen auctoris exemplum secuti, etiam hic nonnulla ex Quintiliano deprompta subjicimus, cum supra idoneo loco non viderentur interponi posse; quamquam ea contineri in superioribus probe novimus. *Quintil.* 9, 4. p. 870. argumenta acria dicit *graviora*, quae majore cum vi et vehementius proferuntur. Cf. 11, 3. p. 1036. *Id.* 9, 4. p. 858. *acres syllabas* vocat, quae ex brevibus ad longas insurgunt. *Id.* 1, 11. literas acriores habet, ubi vid. *Burm.*] ℙ Acre adverbii more pro *acriter. Pers.* 4, 34. acre Despuat in mores. *Sall. fr.* ap. *Non.* 2, 492. Omnes, ut in secunda re, pariter acre invadunt. *Apul. Met.* 10. Acre comminari. ℙ Olim *acris* femininum singulare usurpatum est etiam in masc. genere. *Enn.* ap. *Prisc.* 5. *p.* 647. *P.* Somnus acris. [*cf. ALACER.] Sic contra *acer* in feminino. *Id. ib.* et ap. *Serv.* ad *A.* 6, 685. Acer hiems. *Naevius ib.* Acer fames augescit hostibus. Sic *volucer* et *silvester* in feminino usurpata leguntur [*cf. *Serv. ars gramm.* p. 489. *(ed. a Lindem. cum Pompejo)*]. ℙ Reperitur etiam *acrus* in recto casu, et *acra* pro *acri* in sexto. *Pallad.* 9, 5. Si ex nimis acra dulcem fieri velis. *Plin. Valer.* 2, 45. Teres diligenter cum pipere, ita ut acrum sit. [*Add. *Veg.* 4, 28. apud quem etiam 2, 7. libri nonnulli hanc formam exhibent.] Sic *acrum* pro *acrem* dictum est a *Cn. Matio*, teste *Charis.* 1. *p.* 93. *P.* Hinc superlativ. *acrissimus* legitur a quibusdam ap. *Impp. Valent. Theodos.* et *Arcad. Cod.* 5, 5, 4., ubi tamen alii *acerrimus.* ℙ *Acra* etiam in plurali numero neutro genere putant quidam dixisse *Pl. Bacch.* 4, 3, 15. *multa mala, acra, atque acerba eveniunt.* Sed ibi *acria* omnino legendum est cum plerisque optimis codd. [*Quid differat *acre* ab *acerbo*, v. in h. v. — In codd. passim *acer* et *ater* confunduntur. Vid. *Drak.* ad *Sil.* 5, 154. 17, 250. *Burm.* ad *Ov. Met.* 15, 579. *Acer* et *aeger* commutata vides ap. *Virg. A.* 9, 814. Idem accidit in *acrius* et *carius. Drak.* ad *Liv.* 3, 11. et 26, 4.]

ĂCĔRĀTUS, a, um, adj. paleis mixtus, ab *Acus, eris*, ut *Aceratum lutum*, quo utuntur laterarii. *Fest.* et *Lucil.* ap. *Non.* 5, 97. ubi al. leg. *acerosum.* [**Glossae Balbi*: aceratus, sordidus, instar aceris, ἀχυρώδης.] ℙ Aceratae cochleae, quarum *Plin.* meminit 30, 6, 15. sic dictae videntur nonnullis, quod lineolis distinctam testam tanquam paleis habeant: sed aptius ad *Plinii* verba *Hard.* ducit a graeco ἀκήρατος, quod est integer, perfectus.

ĂCERBĀTUS, a, um, part. ab *acerbo*, acerbus factus. *Tertull. Apol.* 50. Laconum flagella sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata [*i. e. duplicata, aucta.]

ĂCERBĔ, adv. dure, severe, aspere, [*opp. *leniter. Gron.* ad *Liv.* 3, 50, 12.] πικρῶς, χαλεπῶς. *Tac. A.* 2, 87. Acerbe increpare aliquem. *Cic. Fam.* 1, 5. Acerbe accusare. *Id. Am.* 16. Acerbius invehi in aliquem. *Suet. Cal.* 43. Delectus acerbissime agere. [*Vid. *Drak.* ad *Liv.* 7, 3, 9. Cum his compara *Cic. Verr.* 2, 2, 19. acerbe diripere bona (i. e. sic ut nihil relinquatur. *Clav. Ern.*) *Tusc.* 1, 39. *Suet. Ner.* 34. *Vit.* 7. *Dom.* 12. *Quintil.* 1, 1. acerbe instare. *Cic. Phil.* 1, 4. acerbe (i. e. iniquo modo, cum vi, minis) cogebar in senatum. *Suet. Tib.* 25. Ne quid in novitate acerbius fieret, i. e. ne severius puniretur.] *Caes. b. c.* 1, 2. Acerbissime dicere. [*Cf. *Suet. Caes.* 75. *Cic. Att.* 11, 1. acerbissime afflictari.] ℙ Item crudeliter. [*Atqui hoc non differt ab antecc.] *Cic. N. D.* 2, 33. Acerbe necare. *Suet. Aug.* 27. Proscriptionem acerbius exercere. ℙ *Acerbe ferre aliquid* est impatienter, graviter ferre. *Cic. Planc.* 1. dolebam et acerbe ferebam et *Div. in Verr.* 2. tuli graviter et acerbe.

ĂCERBĪTAS, atis, f. austeritas asperitasque saporis in fructibus immaturis. *Cic. Planc.* 38. Fructus non laetos et uberes, sed magna acerbitate permixtos tulissem. [**Pallad. Febr.* 9, 12. Nec parvo constabit, si legatur maturitas cum acerbitate, i. e. maturae uvae simul cum immaturis. Ad odorem retulit *Ammian.* 23, 6. Quae lues — terras circumsitas inhabitabiles acerbitate (i. e. gravi odore) fecisset.] ℙ Translate sumitur pro molestia, asperitate, duritie. *Cic. Off.* 1, 38. Atque etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet objurgatio etc. *Id. Am.* 24. Ut monitio acerbitate careat. [*Cf. *id. Fin.* 4, 28. Nec acerbitatem sententiarum nec disserendi spinas probavit. *Suet. Caes.* 72. *Quint.* 10, 1, §. 117. acerbitas mira, quod ipse explicat per *sales amaros.*] ℙ Item pro calamitate, luctu [**Cic. Fam.* 5, 16. acerbitas summi luctus], aegritudine. [*Haec significatio ultima esse debebat; quae enim sequuntur, rectius superioribus adjunxisset, ut quae prope ejusdem generis sint.] *Cic. Planc.* 42. Lacrimas, quas tu in meis acerbitatibus plurimas effudisti. *Id. Catil.* 4, 1. Omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque perferre. [*Cf. *id. Fam.* 2, 16. 6, 10. (acerbitas et imperia) *Att.* 9, 6. *Dom.* 43. acerbitas Sullani temporis. Cf. *Nep. Alc.* 6. *Ammian.* 14, 6. morborum acerbitates celsius dominantur. (Plurali utuntur etiam *Tac. A.* 2, 71. et *Suet. Cal.* 2.)] ℙ Item pro nimia severitate, pertinacia, morum duritia, cui opponitur lenitas, comitas, morum suavitas [*obsequium *(Nep. Dion.* 6.)*, ea virtus, quam Aristoteles φιλίαν appellat, cui opp. αὐθάδεια (arrogantia, pertinacia, contumacia), de qua v. *Casaub.* ad *Theophr. Char.*] *Suet. Caes.* 12. Ut ad populum provocanti nihil aeque ac judicis acerbitas profuerit. [**Id. Ner.* 44. Exegit ingenti fastidio et acerbitate aurum. *Cic. Sen.* 18. Severitatem probo — acerbitatem nullo modo. *Ammian.* 19, 13. Qui minis potius quam acerbitate pleraque correxit.] *Cic. Phil.* 12, 11. Acerbitas morum immanitasque naturae [*ut *Suet. Tib.* 51. acerbitas et intolerantia morum i. e. tristitia, ea quidem ratione qua dicitur *tristia poma* etc.] *Id. Q. Fr.* 1, 1, 13. Acerbitas naturae. Et mox: Si implacabiles sunt iracundiae, summa est acerbitas; sin autem exorabiles, summa lenitas; quae tamen, ut in malis, acerbitati anteponenda est. [*Dicitur enim, ut *acerbus* et gr. πικρία, h. v. etiam de *ira* et *odio. Cic. Lael.* 23. Virus acerbitatis in aliquem evomere. *Id. Off.* 1, 25. Dissensio sine acerbitate. Cf. *Suet. Cal.* 48. *Cic. Cluent.* 55. Acerbitas proscriptionis. *Suet. Tib.* 67. Quanta se quandoque acerbitas et infamia maneret, i. e. odium aliorum, quo loco passiva v. significatio notanda est, quam videre licet ap. *Cic.* quoque *Verr.* 2, 4, 30. Nomen vestrum — odio atque acerbitati scitote nationibus exteris futurum.] ℙ V. ARIDITAS.

ĂCERBĪTŪDO, inis, f. idem atque acerbitas. *Gell.* 13, 3. Sicut autem nihil quicquam interest, suavitudo dicas, an suavitas, sanctitudo, an sanctitas, acerbitudo, an acerbitas etc.

ĂCERBO, as, avi, atum, a. 1. πικραίνω, acerbum facio, exaspero, significatione translata. *Stat. Th.* 12, 75. venientia qui nunc Gaudia, et ingratum regni mihi munus acerbas. *Val. Fl.* 6, 655. mortemque cadentis acerbat. *Claud. Ruf.* 1, 182. stimulando vulnus acerbat. ℙ *Acerbare crimen* vel *scelus* est exaggerando amplificandoque majus graviusque facere. *Virg. A.* 11, 407. formidine crimen acerbat. *Stat. Th.* 3, 214. multumque nefas Eteoclis acerbat, Crudelem infandumque vocans. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 208. crimenque feri raptoris acerbat. ℙ Praeter secundam et tertiam personam *acerbas, acerbat*, nullam aliam adhuc invenimus: quod etiam *Servius* adnotavit ad *Virg. l. c.* [*Part. *acerbans* habet *Sil.* 6, 117. quem attulit *Furl.* Plura de h. v. vide apud *Daum. de amiss. radic. l. l.* c. 13. et *Barth.* ad *Stat. Th.* 3, 214. Saepe in codd. pro eo reperitur *acervare*; v. quos laudat *Drak.* ad *Sil. l. l.* et *Weichert.* in *ep. ad Eichstad.* p. 61.]

ĂCERBUS, a, um, adj. πικρός, στρυφνός, quod gustu asperum est, quod sapore vehementer astringente praeditum est, linguamque gustatum contrahit et exsiccat [*opp. *dulci*, ut ap. *Cic. Am.* 24.] et proprie de fructibus immaturis dicitur [*v. *Non.* 4, 41. Opp. *mitis.*] Differt ab *austero*, ut majus a minore. Nam quae vehementer astringunt, *acerba* dicuntur; quae mediocriter, *austera*: quae acerba sunt, ita gustatu misere fauces afficiunt, ut iterum gustare nolimus. *Plin.* 15, 27, 32. Interim quae sunt communia et pomis omnibusque succis, saporum genera tredecim reperiuntur, dulcis, suavis, pinguis, amarus, austerus, acer, acutus, acerbus, acidus, salsus etc. *Id. ib.* 6, 6. Oleum quam acerbissima oliva optimum fieri. *Id.* 27, 9, 50. Elatine acerba gustu. [**Phaedr.* 4, 2, 4. Nondum matura (uva) est; nolo acerbam sumere.] *Lucr.* 2, 471. Neptuni corpus acerbum, *h. e.* amarum, salsum. Idem a sensu gustus ad auditum transtulit *ib.* 410. serrae stridentis acerbum Horrorem. ℙ Transfertur ad alia multa. Sumitur enim saepe pro omni eo, quod ante tempus contingit, seu quod nondum ad suam perfectionem pervenit. *Nep. Cim.* 4. Vita ejus fuit secura et mors acerba. [*Ita ibi plurimi interpp. acerbam mortem explicant *immaturam.* Sed rectius *Brem.* interpretatur *luctuosam.* Non apta enim de sene Cimone mors immatura. Neque in *Cic. l.* aliter potest explicari; sed ap. *Curt.* 9, 6, 19. mors acerba quominus intelligatur *immatura* non intercedimus, ubi opponitur vita diuturna. (Eodem modo *Tib.* 1, 3, 55. mors immitis, et *Stat. Th.* 9, 380. 716. cruda. De *Virg. l. A.* 6, 429. ambigimus, coll. 11, 28. Adde *Plin. ep.* 5, 5. et *Pareus* ad *Quintil. prooem. l.* 6. p. 493. *ed. Burm.* Ceterum ad Nepot. VV. DD. attulerunt locum *Liv.* 7, 1. mors quam matura, tam acerba. Cf. *Cic. Verr.* 2, 5, 57.] *Cic. Dom.* 16. Funus acerbum [*ut *Eurip. Or.* 1030. θάνατος ἄωρος.] *Ov. Fast.* 4, 647. ante diem edere partus acerbos. *Auson. Parental.* 14. Indole maturus, funere acerbus obis. *Varr.* ap. *Non.* 4, 41. Virgo acerba, *h. e.* nondum matura viro. *Cic. Prov. cons.* 14. Impolitae res et acerbae, *h. e.* imperfectae [*nondum plane compositae, v. *Parei lex. critic.* p. 580.] ℙ Item pro crudeli, saevo. *Id. Agr.* 2, 34. Acerbissimae impiorum poenae. *Id. Cat.* 4, 6. Acerbissimum supplicium. [**Sall. d. Rep. ord.* 1, 6. Judicia acerba. *Cic. Cat.* 4, 1. acerbissima vexatio. Atque sic intell. ap. *Virg. A.* 5, 462. acerbis animis saevire. *Sil.* 6, 60. hasta acerba. *Hor. Sat.* 2, 6, 19. Libitina.] ℙ Item infensus, inimicus, infestus, iratus. *Cic. Fam.* 1, 4. Eo die acerbum habuimus Curionem. *Id. Cat.* 4, 6. *fin.* Acerbissimus hostis. [**Tib.* 1, 6, 84. Infidis quam sit acerba monet. *Eutrop.* 8, 4. acerbus nulli. Huc pertinet etiam locus *Hor. Sat.* 1, 3, 85. acerbus Odisti et fugis. Ita enim ibi interpungendum esse dudum viderunt interpp. Sin acerbus cum antec. *insuavis*, cui nostra interpunctione probata quodammodo oppositum est (v. *Hdf.*), esset conjunctum, potius foret *morosus, severus.*] *Virg. A.* 10, 904. Acerba odia. [*Haec, ut plurima, quae sequuntur, pertinent ad unam eandemque primariam significationem, quae a sapore ad alia similia transfertur. Omnino hic quoque noster idoneo ordine abstinuit; nos nonnulla, non omnia, transpositis quos affert locis, in ordinem redigere studuimus.] ℙ Item pro molesto, gravi, duro, aspero, tristi. *Cic. Fam.* 15, 4. Civitates acerbissimis tributis liberare. *Id. Or.* 1, 51. Mala majora et acerbiora verbis facere. *Id. Quint.* 31. Acerbum est ab aliquo circumveniri: acerbius a propinquo. *Lucr.* 3, 53. In rebus acerbis, *h. e.* in adversis. *Nep. Eum.* 6. Acerbiore imperio uti. *Liv.* 4, 12. *fin.* Acerba inquisitio fruenti. [*Cic. Fam.* 3, 8, 17. acerbissima exactio. *Id. Balb.* 5. acerba diligentia, i. e. nimis severa et dura. Vid. ad priorem *l. Cort.* et ad 15, 4.] *Pl. Poen.* 5, 2, 136. Acerba amatio. *Hor. Ep.* 1, 17, 53. Acerbum frigus. *Cic. Brut.* 17. Acerbus in vituperando. *Hor. A. P.* 474. Recitator acerbus [*i. e. molestus, quod sqq. docent: quem vero arripuit, tenet occiditque legendo. Alii ad *vocem* referunt. V. infra. *Cic. Mur.* 41. componit *acerba*, misera, luctuosa. *Tib.* 4, 14, 4. acerbus rumor i. e. qui animum pungit, ut *id.* 2, 6, 41. luctus. *Quintil.* 6, 3. acerba crimina. *Ovid. Met.* 5, 62. acerbum vulnus. *Flor.* 3, 10. Quod acerbissimum fuit Caesari. *Tac. Agr.* 22. acerbior in conviciis. *Id. A.* 5, 2. acerbae facetiae, i. e. sales amari ac mordaces. Cf. *Suet. Tib.* 57. *Claud.* 3. *Dom.* 23. acerbissimum acclamationum genus, ubi jungitur *contumeliosissimum.*] ℙ Cum de homine dicitur, saepe significat nimis severum, rigidum, tristem, moribus durum, voluptatibus inimicum. V. ACERBITAS. *Suet. Gramm.* 9. Naturae acerbae vir. *Id. Galb.* 14. Modo acerbior et parcior, modo remissior ac negligentior. *Cic. N. D.* 3, 31. Posse asotos ex Aristippi, acerbos ex Zenonis schola exire. V. ASOTUS. *Ov. Fast.* 2, 624. Mater acerba in suos partus. ℙ De voce *Sen. ep.* 56. *med.* Audire pausarium voce acerbissima remigibus modos dantem. Et *ib.* Sibili et acerbissimae respirationes. [*Erat h. l. commemorandus usus h. v. apud rhetores, ut *Quintil.* 11, 3, 32. vox tenuis, inanis, acerba, pusilla, mollis, effeminata. coll. *ib.* §. 169. Est his diversa vox et pene extra organum, cui Graeci nomen amaritudinis dederunt, super modum ac paene naturam vocis humanae acerba, quod *Ernest.* in *technol. gr.* sic explicat: esse vocem *acerbam* i. e. *amaram*, cum quis indignatione vel alio affectu abreptus ita faucium et vocis veluti terminos excedat, ut sonus oriatur absonus, puerriliter clamosus atque exilitate sua pessime aures afficiens. Cf. *id.* in *technol. lat.* p. 5., ubi comparat locum *Val. M.* 8, 7, 1. (Demosthenes) propter nimiam exilitatem *acerbam* auditu vocem suam exercitatione continua ad *maturum* et gratum auribus sonum perduxit. Ita etiam *A. ad Her.* 4, 47., ubi vox acerbissima componitur cum turpissimo corporis motu. Referenda est igitur haec sign. ad eas, quas noster secundo loco posuit.] ℙ Absolute *Auct. ad Her.* 4, 36. Aliquid quotidie acerbi nunciatur. *Ov. Trist.* 5, 2, 21. Multum restabit acerbi. [*Cf. *Ter. Hec.* 3, 1, 1. *Virg. A.* 12, 678. *Sil.* 14, 559. fessus acerbis i. e. rebus adversis.] ℙ *Acerbum in-*

cendium, pro damnoso, exitiali, *Cic. Leg.* 2, 24. [*Insolentius *Quintil. Decl.* 10, 5. *acerbus languor.*] ℙ *Acerbos dubiosque tumulos* dixit *Flor.* 2, 12. qui superari non nisi magna molestia et labore possunt. ℙ Sunt alii hujus vocis usus, qui tamen possunt satis commode ad ea, quae dicta sunt, reduci. ℙ *Acerba* neutr. plur. poetice adverbii more pro *acerbe. Virg. A.* 12, 398. Acerba fremens. *Ov. Her.* 8, 107. Acerba gemens. *Lucr.* 5, 34. Acerba tuens; *h. e.* torve, infensis oculis. [*Sic gr. *γοργὸν βλέπειν.* Cf. *Virg. G.* 3, 149. *A.* 9, 794. — Ceterum *acer, asper, acerbus,* sibi cognata, sic distinguntur a *Kirchero: acre* est id, quod hominis sensus vehementius afficit eosque quasi pungit et mordet; *asperum* pertinet ad tactum maxime et refertur ad materiam rudiorem; *acerbum* in sapore cernitur et dicitur de iis, quae palatum adstringunt.]

[ACERMUS, i, m. *ἄκερμος,* ex *α* priv. et *κέρμα,* nummulus aeneus: pecunia vacuus, teruncium non habens. Cognomen C. Julii ap. *Mur. Inscr.* 1615, 25. *F.*]

ACERNĒUS, a, um, adj. idem atque acernus. *Venant. ep.* 1. *ad. Gregor. Pap.* Acernea pocula.

ACERNUS, a, um, adj. ex acere confectus, *σφενδάμινος. Virg. A.* 2, 112. trabibus contextus acernis. *Hor. Sat.* 2, 8, 10. Mensa acerna. [*Ov. *Met.* 12, 254. 4, 486.]

ACĔROSUS, a, um, adj. aceribus, hoc est paleis plenus. *Acerosum far* dixit *Lucil.* ap. *Non.* 5, 97. minus purgatum, sed paleis aliisque sordibus immixtum. *Paul.* ex *Festo* in *Obacerare.* Frumentum et panis non sine paleis acerosus dicitur. V. ACERATUS. ℙ *Acerosum coenum,* lutum aceratum. *Lucil.* ap. *Non. l. c.*

ACERRA, ae, f. arcula seu vasculum, in quo tus ponitur incendendum in sacrificiis, *θυμιατήριον, λιβανωτρίς.* [*De etymologia disputat *Voss.* in *Etymol.* s. h. v. Non improbabile est derivare a materia, unde plerumque fiebat, ab *acere*, unde *acernus.* Alii ex hebraica lingua derivant.] *Hor. Od.* 3, 8, 2. Quid velint flores et acerra turis Plena, miraris. [*Schol. male explicat *thuribulum.* Est arcula turaria. Vid. interpp. *Ovid. Fast.* 4, 934. Cumque meri patera turis acerra fuit. *Met.* 13, 703. acerra, turis custos.] *Virg. A.* 5, 744. canae penetralia Vestae Farre pio et plena supplex veneratur acerra. [*cf. *Briss.* 1, 38.] ℙ Festus aliam hujus vocis notionem affert, qua significatur ara, quae ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur. *Cic.* quoque *Leg.* 2, 24. acerrae meminit in funeribus adhibitae: in quibus cum sacrificia maxime locum haberent, ad quae acerra adhibebatur, videtur funebris haec acerra aut omnino eadem atque illa altera fuisse, aut sola forma dissimilis. ℙ Plerique putant incensum ipsum non in acerra accensum, sed ex acerra depromptum super altaris focum sparsum fuisse. Quibus favet locus *Ov. Pont.* 4, 8, 39. de parva pauper libat acerra. Et *Pers.* 2, 5. libat acerra. Nam *libare* in hisce est de acerra extrahere et effundere. ℙ [Est etiam nomen virile apud *Martial.* 1, 29. In lucem semper Acerra bibit. *F.*]

ACERRAE, arum, f. oppidum Campaniae, Neapoli proximum, ad Clanium amnem. *Virg. G.* 2, 225. vacuis Clanius non aequus Acerris. *Vacuas* vocat, *h. e.* infrequentes propter Clanii inundationes, inquit *Servius.* ℙ [Fuit etiam ejusdem nominis oppidum in Umbria, quod Acerrae Vatriae cognominabatur, fortasse ad distinguendas Acerras in Campania positas. *Plin.* 3, 14, 19. *F.* *De utraque cf. *Drak.* ad *Sil.* 8, 537.]

ACERRĀNUS, a, um, adj. ad Acerras oppidum pertinens. *Liv.* 23, 17. Acerranis plus animi quam virium erat.

ACERSĔCŌMĒS, ae, m. capillatus, intonsus, *ἀκερσεκόμης*: ab *α* priv. *κείρω* tondeo, et *κόμη*, coma. Apud Graecos epitheton est Apollinis et Bacchi. *Juvenalis* pro puero catamito (nam hi intonsi erant) posuit 8, 128. si nemo tribunal Vendit acersecomes.

ACERVĀLIS, e, adj. quod ad acervum spectat, quod congregat vel congregatur in acervum, ut argumentatio acervalis, qua multa simul argumenta acervantur, quae graece *σωρείτης* dicitur, qua Chrysippus utebatur. *Cic. Div.* 2, 4. Aut quemadmodum soriti resistas? quem, si necesse sit, latino verbo liceat acervalem appellare.

ACERVĀTIM, adv. *σωρηδόν, ἀθρόως,* per acervos, acervando. *Lucr.* 6, 1261. Confertos ita acervatim mors accumulabat. *Varr. R. R.* 1, 38. Stercus aspergi oportere in agro, non acervatim poni. *Colum.* 9, 13. Apes sub favis acervatim enectae reperiuntur. *Hirt. B. Al.* 31. Plerique acervatim se de vallo praecipitaverunt. ℙ Translate *Cic. Cluent.* 10. Acervatim jam reliqua, judices, dicam, ut ad ea, quae propiora causae sunt, perveniam, *h. e.* summatim, promiscue. *Id. Or.* 25. *med.* Nec acervatim multa frequentans [*i. e. permulta incisa in primariam enuntiationem inferciens] una complexione devinciet. [*Flor.* 1, 17. Hactenus pop. rom. cum singulis gentium; mox acervatim.]

ACERVĀTĬO, onis, f. actus acervandi, accumulatio, *σώρευσις. Plin.* 11, 53, 117. Homini cibus utilissimus simplex, acervatio saporum pestifera.

ACERVĀTUS, a, um, part. verbi *acervo*, accumulatus, aggeratus, *σωρευθείς. Plin.* 21, 17, 68. Acervati bulbi. *Id.* 36, 15, 24. Acervata universitas et in quendam unum cumulum conjecta. ℙ Translate *Liv.* 3, 34. In immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo.

*ACERVETIS, is, nomen antiquius oppidi Calatis ad Pontum Euxinum. *Plin.* 4, 11, 18. dummodo certa est scriptura. In mss. legitur etiam *Cerbatis.*

ACERVO, as, avi, atum, a. 1. *σωρεύω*, in acervum congero, accumulo. *Plin.* 32, 9, 31. Acervantur muricum modo vivuntque in algosis. [*Videtur h. l. significare i. q. gr. *κηρώζειν* apud *Aristot. H. A.* 5, 13, 8. *Beier.*] *Id.* 18, 7, 10. n. 3. Panicum a paniculis dictum praedensis acervatur granis. ℙ Translate *Quintil.* 9, 3. Nec verba modo, sed sensus quoque idem facientes acervantur. *Plin.* 26, 4, 10. Plura undique acervabimus.

ACERVUS, i, m. *σωρός, ὄγκος, θῆμων*, cumulus rerum acervatarum, fortasse ab *ἀκίς*, acies, cacumen, ut proprie sit rerum minutarum congeries fastigiata. [*Alii derivant ab acus, aceris, ut sit palearum congeries, tum omnino rerum minutarum; alii a gr. *ἄχερμος* (*ἀχείρειν*) quod *Hesych.* interpretatur *ἄθροισις.*] *Cic. Tusc.* 5, 15. Videamus, ne, ut acervus ex sui generis granis, sic beata vita ex sui similibus partibus effici debeat. *Id. Cat.* 3, 10. Acervi corporum. [*Virg. A.* 10, 245. caedis acervi, i. e. caesorum hominum. Cf. 11, 207. *Id.* acervos stragis dixit 6, 504. coll. 11, 384.] *Id. Agr.* 2, 22. pecuniae. [*Cf. *Suet. Aug.* 57. *Cal.* 42. Omnino saepissime acervus dicitur de ingenti pecunia.] *Id. Ac.* 2, 29. tritici. *Virg. G.* 1, 185. farris. [*Non absolute acervum de frugum acervo dici auctor est *Ling. Qu. Plaut.* l. p. 19. *Hand.*] *Virg. A.* 8, 562. scutorum. ℙ Translate *Cic. Sull.* 27. Acervi facinorum. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 8. officiorum negotiorumque. [*Ammian. 14, 1. In his malorum acervis. *Id.* 26, 2. curarum acervi. 28, 1. aerumnarum. *Ovid. Met.* 1, 24. caecus acervus est *chaos.*] ℙ *Acervus* praeterea est sorites, hoc est genus argumenti constans plurium rationum coacervatarum complexione et propositionum in infinitum prope abeuntium congerie, quibus facile capiuntur disputantes, quod nesciant, in quanam potissimum sistendum sit. *Pers.* 6, 80. Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi. *Hor. Ep.* 2, 1, 47. Dum cadat elusus ratione ruentis acervi.

ACESCO, is, n. 3. *ὀξίζω*, acidus fio. *Hor. Ep.* 1, 2, 54. Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit. *Plin.* 7, 15, 13. Acescunt musta. *Id.* 20, 14, 53. Lac acescit. [*Id.* 11, 35, 41. Acescens natura culices gignit. *F.* *Salse *Tertull. Apol.* 39. Tot tribubus et curiis et decuriis ructantibus acescit aer, ubi *Gronov.* affert *Sid. Apoll. ep.* 3, 12. Alarum specubus hircosis atque acescentibus latera captiva circumvallatus.]

[ACESIAS, cognomen virile in *Inscr.* ap. *Gud.* 216, 4. A. Herio A. L. Acesiae grammatico. *F.*]

*ACESINES, ae, *Ἀκεσίνης*, fluvius Indiae, qui miscetur Indo. *Mel.* 3, 7. *Plin.* 6, 20, 23. *Curt.* 9, 3, 20. *Justin.* 12, 9.

*ACESINUS, i, fluvius Sarmatiae in Chersoneso Taurica. *Plin.* 4, 12, 26. Inde ACESINUS, a, um, adj. *Val. Fl.* 6, 69. Acesina agmina.

ACĒSIS, is, f. *ἄκεσις*, ab *ἀκέομαι*, curo: genus chrysocollae aridae, exsiccandi et contrahendi vim habens. *Plin.* 33, 5, 28. [*Verba *Plinii* sunt haec: hanc chrysocollam medici acesin appellant, quae non est orobitis.]

ACESTA, ae, f. urbs Siciliae, ab Aceste rege dicta. *Virg. A.* 5, 718. Urbem appellabunt permisso nomine Acestam. ℙ Monet *Pierius*, in quibusdam antiquis codd. *Acesten* legi; graece enim tum *Ἄκεστα* dicitur, tum *Ἀκέστη*. ℙ Haec urbs antea *Egesta* dicta fuerat, postea *Segesta* appellata est, teste *Serv.* ad *A.* 1, 550. Quamquam *Salmas. in Exerc. Plin.* p. 112. [p. 78. sq.] aliam *Egestam*, aliam *Acestam* fuisse putat. [At *Heynius* in *Excurs.* 1. ad 5. *Aen.* eandem fuisse probat. *F.*]

ACESTAEUS, vel

ACESTĒUS, a, um, adj. *Ἀκεσταῖος*, ad *Acestam* urbem pertinens. Hinc *Acestaei, orum*, ejus urbis incolae. *Plin.* 3, 8, 14. [*cf. *Salm. l. c.*]

ACESTĒS, ae, m. (ab *ἀκέσης*, medicus) filius Crimisi fluminis Siciliae et Egestae mulieris Trojanae. *Virg. A.* 1, 550. Trojanoque a sanguine clarus Acestes. ℙ *Servius* ad hunc locum narrat in fabulis esse, cum Laomedon pactam pro aedificandis Trojae muris mercedem Neptuno et Apollini denegasset, iratum Neptunum cetos ad Trojanum agrum vastandum immisisse, Apollinem vero de ratione ejus monstri expiandi consultum respondisse, objiciendas puellas nobiles beluae devorandas: ob eam rem plurimas virgines procul a patria profugisse, in his Segestam Hippotis filiam, quae navi in Siciliam delata a Crimiso fluvio in ursum, vel, ut alii volunt, in canem verso compressa Egestum ediderit, qui Acestes a *Virgilio* appellatus est. [ℙ Est etiam cognomen virile. *Inscr.* ap. *Grut.* 1042. 6. Q. Flavio Aceste Helena Veneria. *F.*]

ACĒTĀBŪLUM, i, n. *ὀξύβαφον* [*et *ὀξίς*. Vid. *Salm. Ex. Plin.* p. 265 sq.] Proprie est vas, in quo acetum ponitur, ut docet *Isid. Orig.* 20, 4. Est enim ab *aceto* deducta vox, teste *Voss.* in *Etym.* in *Acidus:* quamquam alii ab *accipiendo* derivant, et ob id *acceptabulum* scripsere in *Plin.* 9, 29, 46., cujus verba mox referemus: quae scriptio reperitur etiam apud *Cat. R. R.* 102. in edit. *Nic. Jenson.* 1472., sed nihilominus contra communiorem usum est. Neque minus est refutandum etymon *Isidori* l. c. scribentis *acetabulum* dici, quasi *acetaferum, quod acetum ferat.* Eam porro acetabuli significationem probant etiam, quae scripsit *Quintil.* 8, 6. ubi docet, per catachresin *acetabulum* dici *quidquid habet*, hoc est, *continet*, et *pyxides* vasa *cujuscumque materiae.* Quibus verbis illud aperte indicat, quemadmodum pyxis proprie significat vas e buxo confectum, quae graece est *πύξος*, per catachresin autem de quocumque vase dicitur; ita *acetabulum* proprie notare aceti vas, et per catachresin de quocumque continente vase usurpari. [*Alteram illam derivationem dubitanter praefert *Scheller.*, comparans analogiam verborum *pabulum, venabulum, pulsabulum* a supinis derivatorum. Sed veram, quam sequitur noster, egregie et defendit et explicat *Voss. Etymol.* p. 5. sub v. *acidus*, quem vide.] *Ulp.* quoque *Dig.* 34, 2, 20. acetabula recenset inter vasa domesticae supellectilis. [Adde *Apic.* 8, 7. *F.* *et 2, 2.] ℙ Hujus vasis figura est rotunda, nulla marginis latitudine, paulatim se undique contrahens, calicis instar, usque ad imum. Itaque ab ejus similitudine *acetabula* dictae sunt cavitates quaedam in polyporum brachiis dispersae, cavam decrescentis paulatim rotunditatis speciem repraesentantes, quibus veluti hauriunt suguntque ea, quibus adhaeserint. *Plin.* 9, 29, 46. Cetero per brachia velut acetabulis dispersis haustu quodam adhaerescunt. Et *ib.* 30, 48. L. Lucullus negat ullum esse atrocius animal ad conficiendum hominem. Luctatur enim complexu, et sorbet acetabulis, ac numeroso suctu, dum trahit. Et mox: Acetabulis, sive caliculis urnalibus, pelvium modo. Omnibus hisce locis *Plin.* de polyporum brachiis loquitur. ℙ Ab eadem similitudine *acetabulum* dicitur ab Anatomicis cavitas ossis, quae alterius caput insertum excipit, qualis est in osse coxendicis, *κοτύλη, κοτυληδών* (n. Hüftpfanne). *Plin.* 28, 11, 49. Ossa ex acetabulis pernarum, circa quae coxendices vertuntur. ℙ Eadem ratione *acetabula* dicuntur caliculi seu cavitates in floribus aut herbis. *Plin.* 26, 8, 37. Polypodii radix pilosa, crassitudine digiti minimi, acetabulis cavernosa. *Id.* 18, 26, 65. *n.* 3. Cum folia pauca in cacumine acetabuli modo germinent, tunc serendas ficus. *Id.* 21, 15, 55. Acetabulis in flore purpuream lanuginem fundentibus. ℙ Praeterea *acetabula* sunt vascula, quibus circulatores et praestigiatores, *ψηφοπαῖκται*, utuntur in ludis, cum pluribus acetabulis inversis in mensa positis calculum aut globulum subjiciunt, et manuum dexteritate ita tractant, ut, cum credis sub uno acetabulo esse, sub alio reperiatur. *Sen. ep.* 45. *n.* 7. Ista sine noxa decipiunt, quomodo praestigiatorum acetabula, et calculi, in quibus fallacia ipsa delectat. ℙ Denique *acetabulum* est mensura aridorum et liquidorum, quae heminae seu cotylae quartam partem continet, pondere vero drachmas Atticas quindecim habet. Ita *Plin.* 21, 34, 109. describit. *Cels.* 5, 24. Acetabulum mellis. *Id.* 5, 18. cumini. *Plin.* 18, 7, 14. salis. *Cato R. R.* 102. Melanthii acetabulum conterito in vini veteris hemina. Quaedam edd. h. l. habent *coetabulum*, sed mendum est. [*Addatur *Veget. A. V.* 1, 17, 7. 2, 53.] ℙ *Acetabula, ae*, fem. gen. invenitur ap. *Varr. R. R.* 3, 5. *ad fin.*, si *Scaligeri* emendationem sequimur, qui ita legit: *Ut ad extremum, ubi orbile solet esse, acetabula cavata sit* etc. Hoc autem loco significare videtur foramen, in quod convenit modius rotae, de qua ibi sermo est, instar acetabuli ossis coxendicis. Impressi autem libri habent: *Ut ad extremum, ubi orbile solet esse acutum, tabula cavata sit* etc. Quae verba *Turneb. l.* 21. *c.* 23. explicare conatur.

ACĒTĀRIA, orum, n. plur. *ὀξύβαφα, τρώξιμα*, olera, quae cruda ex aceto, oleo et sale eduntur, cujusmodi sunt lactucae, nasturtium, menta, intubus etc. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 3. Horti maxime placebant, quia non egerent igni parcerentque ligno, expedita res et parata semper: unde et acetaria appellantur, facilia concoqui etc. *Id.* 20, 20, 81. Portulaca stomachum in acetariis sumpta corroborat. [*cf. *Salmas. Ex. Plin.* p. 898. et 265.] ℙ Sunt qui priore *Plinii* loco pro *acetaria* substituant *acedaria* a graeco *ἀκηδής*, sine *cura* aut *opera*, quia olera nulla, aut certe parva impensa et cura in cibos parantur. [*Prorsus haec ratio abjicienda.] Eadem ratione *acedon mel* legunt pro *acetum* ap. *eund.* 11, 15, 15., de quo infra in ACETUM mel. Subtilis quidem conjectura, sed non temere admittenda contra mss. et editorum librorum fidem et consensum.

ACĒTASCO, is, avi, n. 3. idem qu. acesco. *Apul. Herb.* 3. Herbae verbenacae ramulos ex vino decoctos et contritos, deinde quod acetaverit, plagae impones, et adaperiet.

ACĒTO, as, a. 1. A veteribus acetare dictum

est pro agitare, inquit *Paulus* ex *Festo*. Alii legunt *acitare*.

ĂCĒTUM, i, n. ὄξος, vinum acidum. [Est proprie part. pass. mox substantivum nomen a verbo *aceo*, ut *deletus* a *deleo*. *Hoc modo supplendum est *vinume* stque ea ratio maxime probabilis.] *Hor. Sat.* 2, 3, 117. Acre acetum. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 3. generosum. *Id.* 34, 18, 54. asperrimum. [**Pl. Truc.* 1, 2, 77. acerbum. *id. Pseud.* 2, 4, 49. acidissimum. (Cf. *Salm. Exerc.* p. 244.) *Cato R. R.* 157. mulsum acetum i. e. melle temperatum, ut *Plin.* 27, 13. *fin.*] *Martial.* 7, 24. Nec cibus ipse juvat morsu fraudatus aceti. *Liv.* 21, 37. Saxa aceto putrefacere. *Plin.* 10, 60, 80. Ova aceto macerata. *Id.* 9, 35, 58. Aceti asperitas visque in tabem margaritas resolvit. [*cf. *Hor. Sat.* 2, 3, 240. Inde etiam de aliis, quae aceto similia sunt. *Tac. H.* 5, 6. ater liquor et sparso aceto concretus; sermo est de mari mortuo.] ℙ Optimum et laudatissimum acetum a Romanis habebatur Aegyptium, quod acrimoniam quidem habebat multam, sed mixtam tamen dulcedine aliqua, quae asperitatem tolleret, nec horrorem gustanti injiceret. Hinc acetum Pharium ap. *Juvenal.* 13, 85. et Niliacum ap. *Martial.* 13, 122. laudantur. *Cic. Hortens.* ap. *Non.* 4, 17. Alterius ingenium sic dulce, ut acetum Aegyptium, alterius sic acre, ut mel Hymettium dicimus. V. MEL. ℙ Translate *Hor. Sat.* 1, 7, 32. Ast Graecus postquam est Italo perfusus aceto, *h. e.* salibus Romanis mordacibus et conviciis aspersus et lacessitus. *Pers.* 5, 86. Mendose colligis, inquit Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto, *h. e.* acri judicio et ingenii perspicacia in dialecticis praestans. *Pl. Ps.* 2, 4, 49. Ecquid habet is homo aceti in pectore? *h. e.* acuminis, prudentiae. Adde *Bacch.* 3, 3, 1. ℙ Negat *Varr. L. L.* 8, 40. aceta dici in plur. num.

ĂCĒTUM mel, ἄκητον μέλι, hoc est optimum: sic dicitur portio mellis purior, quae sine expressione ulla sua sponte defluit; ἄκητον enim *Hesychius* interpretatur κράτιστον, hoc est optimum. *Plin.* 11, 15, 15. In omni melle, quod per se fluxit, ut mustum oleumque, appellatur acetum. Ita legunt nonnulli cum *Hard.* ex mss. Alii *acoeton* habent eadem fere sententia, ab ἄκοιτος, purus, sine sedimento aut faece. [*Sunt haec omnino dubia propter scripturae discrepantiam. *Schneider.* ad *Colum.* 12, 7. pariter de *Plinii* loco atque de *Hesychii* glossa dubitat.] Alii *acedon*, ἄκηδον, hoc est citra hominum operam sponte purgatum: ab α privativa et κῆδος, cura, opera. [*Hoc minus etiam probabile.] V. ACETARIA et MEL.

ĂCHAEI. V. ACHAEUS.

ĂCHAEĬAS, iados, f. quae ex Achaia est. V. ACHAIAS.

ĂCHAEMĔNĒS, is, m. primus Persarum rex, Cyri avus, a quo nomen in sequentes postea reges ad Darium usque derivatum est, quemadmodum Pharao in Aegyptiis regibus. Crudelissimum fuisse ferunt, et non nisi humano sanguine satiabilem. Hinc Achaemenia ira ap. *Sedul.* 1, 184. *Horat. Od.* 2, 12, 21. [**Plato Alcib.* 2, 16.] Num tu, quae tenuit dives Achaemenes etc. [*de divitiis Asiaticis et omnino maximis in universum.]

ĂCHAEMĔNĬDAE, arum, m. Ἀχαιμενίδαι, a quibusdam dicuntur populi Persidis prope Carmaniam, qui ibi eam regionem incoluerunt, quae inde Achaemenia dicta est: *Salmas.* vero *in Exerc. Plin. p.* 1183. non populos, sed familiam tribumve fuisse dicit ex regio Persarum genere; sic denominatam ab Achaemene primo Persarum rege. Eorum meminit *Plin.* 6, 23, 26. [**Herod.* 1, 125. *Strab.* 15, 3.] ℙ *Solin.* 54. (al. 67.) Achaemenides dixit in recto pluralis numeri, tanquam a singulari *Achaemenis, idis.*

ĂCHAEMĔNĬDĒS, is, m. unus ex Ulyssis sociis, de quo *Ovid. Met.* 14, 161. [**id. Pont.* 2, 2, 25.] et *Virg. A.* 3, 614.

ĂCHAEMĔNIS, idis, f. ἀχαιμενίς, herba colore electri, sine folio, in India nascens, cui magicas mirasque virtutes inesse tradidit Democritus apud *Plin.* 24, 17, 102. [*planta, cujus radix pota in vino efficit, ut noxii per cruciatus nocte confiteantur omnia, per varias numinum imaginationes] et 26, 4, 9. [*herba magica, hac vi praestans, ut conjecta in aciem hostium trepidationem illis incutiat et terga vertere cogat. Cf. *Apul. herb.* 57.] ℙ Cf. ACHAEMENIDAE.

ĂCHAEMĔNĬUS, a, um, adj. ab Achaemene vel ab Achaemenia Persidis regione, ponitur pro Persico, Ἀχαιμένιος. *Lucan.* 2, 49. Achaemeniae Susae. *Propert.* 2, 10, 1. sagittae. *Ovid. Met.* 4, 212. urbes. *Sedul.* 1, 184. Achaemenia ira. ℙ Achaemenia unguenta laudabantur, quia apud Persas maximus erat eorum usus, ipsique Persae primi auctores institutoresque habiti sunt, ut *Plin.* 13, 1. *in.* docet. *Hor. Od.* 3, 1, 44. Costum Achaemenium. *Id. Ep.* 13, 8. Achaemenia nardus.

*ACHAETUS. V. ACHETUS.

ĂCHAEUS, i, m. rex Lydiae, qui cum nova tributa a populo vellet extorquere, in factione populari suspensus est, pedibus sursum erectis et capite in aquas Pactoli demisso. *Ovid. Ib.* 301. More vel intereas capti suspensus Achaei, Qui miser aurifera reste pependit aqua. *Polybius* eam historiam aliter narrat, sed simili exitu. ℙ Item Achaeus Xuthi fil. homicidio per imprudentiam perpetrato in Laconiam profugit, et effecit, ut ejus loci incolae Achaei dicerentur. [**Apollod.* 1, 7, 9.] *Strabo lib.* 8. 9. ℙ Item alius Jovis et Pithiae filius: et ab hoc denominatos Achaeos vult *Serv.* ad *A.* 1, 242.

ĂCHAEUS, a, um, adj. Ἀχαιός, ad Achaiam pertinens. *Lucr.* 6, 1114. Achaeis in finibus. ℙ Generatim significat ad Graeciam pertinens. *Juven.* 3, 61. Achaea faex, *h. e.* Graeculi homines. *Stat. Th.* 2, 164. Achaea oppida. *Id. Silv.* 5, 3, 141. Achaea praemia, *h. e.* corona ex olea, quae dabatur victori in ludis Olympicis. [*cf. *Hor. Od.* 4, 3, 5.] ℙ *Achaei, orum*, sunt Achaiae incolae. *Plin.* 4, 7, 14. *Liv.* 35, 13. [*Hoc nomen valebat maxime de iis, qui Peloponnesi partem superiorem et Graeciam propriam habitabant; cf. *Plin.* 4, 7, 14.] ℙ Achaei praeterea dicti sunt populi Scythiae circa Pontum, qui Graecorum olim colonia fuerant, unde et nomen traxere. *Ov. Pont.* 4, 10, 27. Nec potes infestis conferre Charybdin Achaeis. Adde *Plin.* 6, 5, 5. [**Mela* 1, 2, 19. ℙ *Portus Achaeorum* dictus est portus Troadis, in quo Graeci quondam naves appulerant. *Plin.* 4, 12, 26. 5, 30, 33. — *Achaeorum statio* locus Thraciae ad Hellespontum. *Plin.* 4, 11, 18.]

ĂCHAĬA, ae, f. Ἀχαΐα, regio Peloponnesi ad sinum Corinthiacum, ab Isthmo incipiens, cujus urbes enumerat *Plin.* 4, 5, 6. Haec dicitur Achaia propria. ℙ Ita dicta est etiam ipsa Hellas seu Graecia, nunc *Livadia*, inter Thessaliam et Peloponnesum, continens Boeotiam, Atticam, Phocidem etc. Unde *Achaei* universim dicti sunt Graeci. [Porro Romani post bellum Corinthiacum universam Graeciam in duas provincias diviserunt, Achaiam, cujus caput erat Corinthus, et Macedoniam. *F.* Interdum tamen provincia Achaia etiam Graecia dicitur, ut *Cic. Fam.* 6, 6. Sulpicium Graeciae praefecit Caesar, quae *ib.* 13, 26. 27. 28. Achaia dicitur.] ℙ Apud poetas hoc nomen est quadrisyllabum. *Prop.* 2, 21, 53. Et quot Troja tulit, vetus et quot Achaia formas. *Ov. Met.* 8, 268. et populi, quos dives Achaia cepit. Hunc locum add. *F.*]

ĂCHAĬAS, ăĭădis, adj. fem. *Graeca*, Achaea, Ἀχαΐας. *Ov. Her.* 3, 71. Inter Achaiadas longe pulcherrima matres. [Sunt qui perperam leg. *Achaeiadas. F.*]

ĂCHAĬCUS, a, um, Ἀχαϊκός, ad Achaiam pertinens. *Cic. Brut.* 1, 15. In medio Achaico cursu. *Id. Att.* 1, 13. Achaici homines et Epirotici. *Hor. Od.* 1, 15. *extr.* Achaicus ignis, *h. e.* graecus. Sic *Virg. A.* 2, 462. Achaica castra. [**Colum.* 10, 173. Achaica myrrha.] ℙ *Achaicus* dictus est L. Mummius ob eversam Corinthum et Achaiam devictam. *Plin.* 35, 4, 8. et *Vellej.* 1, 13. [*Hinc Mummia Achaica, mulieris nomen ap. *Suet. Galb.* 3.]

ĂCHAĬS, ĭdis, adj. f. Ἀχαΐς, Achaea. *Ov. Met.* 5, 306. Per tot et Haemonias et per tot Achaidas urbes. ℙ Substantive est ipsa Achaia vel Graecia. *Ov. Met.* 5, 577. Pars ego Nympharum, quae sunt in Achaide, dixit. *Id. ib.* 7, 504. Imperiumque peti totius Achaidos addit. ℙ [*Sic etiam dicitur oppidum Asiae in agro Cadusiorum. *Plin.* 6, 16, 18.]

ĂCHAĬUS, a, um, adject. quadrisyllab. id. qu. Achaeus et Achaicus. *Virg. A.* 5, 623. Achaia manus. *Pier.* ad *A.* 2, 462. testatur in antiq. cod. ita legi: plerique tamen *Achaica.* [*Sic *Heyn.*] *Sil.* 14, 5. Achaia rura. *Id.* 15, 306. Achaia moenia. Alii utroque loco *Achaica.* [*v. de illa forma *Heins.* ad *Ovid. Her.* 1, 28. *Met.* 2, 727. *ib.* 3, 517.]

ACHAMOTHIANUS, a, um, adj. deductum ab *Achamoth*, quod erat unus ex Diis vel Aeonibus a Valentiniano haeretico inventis, Ἀχαμώθ. Haec autem hebraea est vox, *supernam sapientiam* significans. Hinc *Achamothiana substantia* ap. *Tertull. adv. Valentin.* 27.

*ACHANTO, us, (*Heindorf. Acantho*, et omnino magna est ibi scripturae diversitas), Rhodia, Solis mater. *Cic. N. D.* 3, 21. *Arnob.* 4. p. 169.

*ACHANTUM, i. *Veget. R. Vet.* 1, 20. achanti uncias sex. Quid sit, dubitatur a VV. DD. Ap. *Veget.* materia est, ex qua suffimentum paratur.

*ACHANUS, i, vel ACHANUM, i, morbus quidam armentorum. *Veget. R. Vet.* 3, 2. Quem (morbum) plerumque vulgus appellat achanum. Ita *ed. Sambuc.* In aliis edd., ut *Gesner.*, hoc v. deest.

ĂCHARNAE, arum, f. aliis vicus, aliis urbs Atticae, aliis vicus in ipsis Athenis, ubi primum Dionysia inventa et celebrata dicuntur. *Stat. Th.* 12, 623. Quaeque rudes thyrsos hederis vestistis Acharnae.

ĂCHARNĂNUS, a, um, adj. ad Acharnas pertinens. *Nep. Them.* 1. Is uxorem Acharnanam civem duxit. Ita legitur in quibusdam mss. Alii leg. *Acarnanam* sine aspiratione, nempe ex Acarnania; [sed qui est ex Acarnania appellatur Acarnan: *F.* *fem. Acarnanis.] alii *Halicarnassiam.* [*Al. conj. *Carinam.* Plurimis placuit *Acharnanam.*]

ACHARNĒ, es, f. genus piscis marini, qui praestantissimus capitur apud Aenum Thraciae. *Athenaeo l.* 7. ἄχαρνος est, et *l.* 8. ἀχαρνᾶν. Ejus meminit *Plin.* 32, 11, 53. Item *Lucil.* ap. *Gell.* 10, 20. et *Enn.* ap. *Apul. Apol.* ut quidem legitur a quibusdam. Nam alii aliter. ℙ Eum describit *Rondeletius* ex conjectura, colore albo, squamis argenteis, ore mediocri, rostro aquilino, oculis magnis aureisque, omnino pagri vel erythrini adeo similem, ut pro eis interdum vendatur. V. *Gesner.* et *Aldrovand.* Quidam putant, eundem esse, qui Venetiis *álboro* dicitur, nimirum a colore albo carnis ejus. ℙ Legitur et *Acarne.* ℙ [Est Acharne etiam oppidum Magnesiae regionis Thessaliae. *Plin.* 4, 9, 16. *F.*]

ACHARMIDES. V. ATARNITES.

*ACHARRAE, arum, oppidum Thessaliae. *Liv.* 32, 13.

ĂCHĂTĒS, ae, m. et f. ἀχάτης, ου, ὁ, gemmae nomen deductum ab Achate Siciliae fluvio, juxta quem primum reperta est. Ea variis appellationibus nominatur pro varia coloris aut figurae differentia, ut *Iaspachates*, quae iaspidi similis, *Cerachates*, quae cereum habet colorem, *Haemachates*, quae sanguineis rubescit maculis, *Leucachates*, quae albicat etc. Vide *Plin.* 37, 10, 54. ubi plura de ea. *Id. ib.* 1, 3. Pyrrhus (Epirotarum rex) habuisse traditur achaten, in qua novem Musae et Apollo citharam tenens spectarentur. Haec eadem narrat *Solin.* 5. *ad fin.* qui masculino genere usurpat, intellecto *lapide*, cum e contrario *Plin.* eandem *gemmam* appellet. ℙ De fluvio *Sil.* 14, 228. Et perlucentem splendenti gurgite Achaten. Adde *Plin.* 3, 8, 14. [*37, 10, 54.] ℙ Fuit praeterea Achates fidissimus Aeneae comes, quem scribit *Serv.* ad *A.* 1, 178. et 316. sic appellatum ab ἄχος, cura, sollicitudo, quae principum perpetuae comites sunt. [*Mira etymologia!]

ĂCHĔLŌĬAS, ŏĭădis, adj. f. ab Acheloo, Ἀχελωϊάς, est epithetum Sirenum Acheloi filiarum. *Ov. Met.* 14, 87. Acheloiadumque relinquit Sirenum scopulos. *Sil.* 12, 33. Parthenope Acheloias.

ĂCHĔLŌĬS, ĭdis, f. adj. Ἀχελωΐς, ad Acheloum pertinens. Acheloides sunt Sirenes, quae Acheloi filiae dicuntur. *Ov. Met.* 5, 552. vobis, Acheloides, unde Pluma pedesque avium cum virginis ora geratis? [**Claud. R. Pr.* 3, 254.] ℙ [*Acheloides* dicuntur etiam proprie Nymphae Acheloi, sed metonymice omnes Najades seu Nymphae fontanae vel amnicolae, ut una earum *Achelois* dicitur ab *Auct. Copae* 15. *Colum.* 10, 263. Nunc vos Pegasidum comites Acheloidas oro, *h. e.* Nymphas fontis Hippocrenes, Musarum socias; nam Achelous pro omni aqua accipitur, ut dicitur in v. ACHELOUS. *F.*]

ĂCHĔLŌĬUS, a, um, adj. quinquesyllab. Ἀχελωΐος, ad Acheloum pertinens. *Ov. Her.* 16, 265. Ut ferus Alcides Acheloia cornua fregit. ℙ *Acheloius heros*, ap. *Stat. Th.* 2, 142. et 8, 523. est Tydeus Oenei filius regis Aetoliae, in qua Achelous fluvius est. ℙ Acheloia Callirrhoe. *Ov. Met.* 9, 413. *h. e.* filia Acheloi. ℙ *Acheloia pocula* pro quavis aqua posuit *Virg. G.* 1, 9. V. ACHELOUS.

ĂCHĔLŌUS, i, m. *Aspropotamo*, Ἀχελῶος, fluvius Acarnanum, a Pindo oriens Aetoliam ab Acarnania dividens, et in Ionium mare sese exonerans contra Echinadas insulas, inter Halyziam opp. et Evenum fluvium. *Plin.* 4, 1, 2. ℙ In fabulis est, Acheloum fuisse Terrae filium (quod de omnibus dici solet, quorum per antiquitatem latent parentes) [*cf. *Hesiod. Theog.* 340. *Dion. Perieg.* 433. *Callim. hymn. in Cer.* 13. *Tzetz. Schol. in Lycophr.* v. 712.] qui cum ex Melpomene, vel, ut alii dicunt, ex Calliope tres filias Sirenas suscepisset, easque aliquando amisisset, atque ob id moerore conficeretur, matris auxilium oravit, quae miserans filium dolore animi tabescentem patefactis antris intra se obruit, eoque loci fluvium cognominem oriri fecit, vel potius ipsum Acheloum in fluvium transformavit. Hic cum aliquando Dejaniram deperiret, quam Alcides quoque diligebat, cum illo lucta congressus est, sed ter victus, cum in draconem quoque et in taurum se vertisset (qua forma cornu amisit ab illo vi avulsum) ad vires Alcidis eludendas, amores suos illi cedere coactus est. Haec ex *Servio* in *G.* 1, 9. et *A.* 8, 300. et *Ov. Met.* 9. *fab.* 1. Hinc *id. ib.* 96. vultus Achelous agrestes Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis. Subest autem huic fabulae vera historia. Narrant enim Acheloum amnem incerto cursu, modo pluribus derivatum alveis, modo uno impetu oblique circumactum, diu de agro adjacente belli causam Aetolis et Acarnanibus praebuisse, donec eum Hercules aggeribus coercuit; quo facto Dejaniram Oenei Aetolorum regis filiam in matrimonium impetravit. [*Ita hunc mythum interpretatur *Strab.* 10, 2, 21. coll. *Diod. Sic.* 4, 35. At sunt etiam aliae hujus mythi explicationes, alia historica, alia physica, alia denique astronomica, de quibus exponitur in *lex. mythol.* ed. a *Klopfer.* p. 13.] Ut ad fabulas redeamus, alii dicunt Acheloum non a Terra matre in fluvium fuisse mutatum, sed cum victum se et Dejanirae nuptiis frustratum vidisset, adeo prae amore in lacrimas effudisse sese, ut in amnem liquatus sit. Hinc *Prop.* 2, 25, 33. Nam rursus licet Aetoli referas Acheloi Fluxerit ut magno factus amore liquor. *Ov. Am.* 3, 6, 103. Nescio quid spectans, Acheloon et Inachon amnes. ℙ Veteres Acheloum pro omni aqua [*maxime in re sacra. Vid. *Macrob.*] posuerunt propter antiquitatem fluminis, tota Graecia celeberrimi, ut ait *Serv. l. c.* et variis allatis graecorum scriptorum exemplis

fusius ostendit *Macrob. Sat.* 5, 18. [*Hesych. I. p. 657. *Artemidor. Oneirocr.* 2, 43. et *Voss.* ad *Virg. l. l. Bail.* addit *Eustath.* ad *Il. B. p.* 267. *ed. Basil. Eurip. Andr.* 167. *Bacch.* 625. *Achaeum* ap. *Athen. χ. p.* 427, D. *ed. Casaub.*; neque ab re esse ait *Eurip. Bacch.* 519. *Propert.* 2, 25, 33. Ad *Eurip. Bacch.* v. *Elmslej.*] Hinc *Virg. G.* 1, 9. ait, Acheloiam aquam uvis inventis mixtam fuisse. Cujus rei altera quoque ratio reddi ex fabulis potest. Scribit enim *Serv. ib.* juxta Acheloi ripas inventam primum fuisse uvam a quodam pastore, cui nomen Staphylus, qui eam Oeneo Aetolorum regi obtulit, atque inde vinum fieri coeptum et aquis temperari. Hinc et uvam σταφυλὴν dictam, et vinum οἶνον a Graecis. *Ov. Fast.* 5, 343. Donec eras mixtus nullis, Acheloe, racemis. [*De ejus imaginibus cf. *Paus.* 3, 18. 6, 19. *Eckhel. doctr. numm.* II. p. 183. sqq. *Spanhem. de usu et pr. numm.* 1. p. 395. *d'Orville Sic.* T. XI. n. 1. 2. *Winkelmann. monum. ined.* II, 22. *Heyne, antiq. Aufsätze* 1, 57.]

*ACHERINI, Siciliae civitas. *Cic. Verr.* 2, 3, 43. v. ACRINUS.

ĀCHĔRON, ontis, m. Ἀχέρων, οντος, h. *Acri*, fluvius Brutiorum in Calabria citeriori apud Pandosiam urbem excisam fluens et in sinum Terinaeum desinens. *Plin.* 3, 5, 10. ℙ Item fluvius Epiri, *Velichi* seu *Verlichi*, [*al. *Delika*] ex Acherusia palude in sinum Ambracium influens. *Plin.* 4, 1, 2. *Capell.* 6. *p.* 209. et *Liv.* 8, 24. ℙ [*Item fluvius in Peloponneso ad Pylum in Elide, ubi Alpheo miscebatur; item Acheron Ponticus prope Heracleam]. ℙ A poetis dicitur fluvius inferorum, Ἀχέρων, hoc est *sine gaudio*, ut docet *Serv.* ad *A.* 6, 107. ab α privat. et χαρὰ gaudium: [*alii aliter, ut *Tzetz. ad Lycophr.* v. 705. ῥεῦσαι καὶ χυσὶ τῶν ἀχέων, τῶν διὰ τοὺς τεθνηκότας. Cf. *Apollod.* p. 391. *Macrob. Somn. Scip.* 1, 10.] qui nascitur ex Tartaro (qui est profundissimus inferorum locus) indeque per infernos campos magno impetu ruens et exaestuans Stygem paludem creat, a qua demum exit Cocytus. Ex quo patet, tria haec, Acherontem, Stygem, Cocytum juncta esse, quoniam alterum ex altero nascitur: atque ideo a poetis interdum promiscue ponuntur. *Virg. A.* 6, 295. Hinc via, Tartarei quae fert Acherontis ad undas: Turbidus hic coeno vastaque voragine gurges Aestuat, atque omnem Cocyto eructat arenam. Sententia est: Acherontem turbidum et aestuantem fluere, (ex quo Styx palus) et in Cocytum arenas eructare. Latet autem hoc loco allegoria. Nam Acheron *sine gaudio* significat, ut dictum est: qui gaudio caret, sine dubio tristis est, quod significat *Styx* a στυγερός, tristis: ex tristitia luctus nascitur, qui significatur per Cocytum, a κωκυτός, luctus. *Serv. ib.* ℙ Illud addendum est, *Servium* ipsum, a quo haec sumpsimus, ad *A.* 6, 107. Avernum cum Acheronte confundere et cum Styge. Scribit enim Avernum ex Acherontis aestuariis nasci, quod alio loco de Styge ipsa posuit, ut modo diximus. Praeterea addit, Acherontem esse lacum non longe a Baiis, undique montibus septum, et perpetua umbra opacum: quod de Averno docuit *G.* 2, 161. et *A.* 3, 386. et 442. ℙ Saepe Acheron ponitur pro ipsis inferis. *Virg. A.* 7, 312. Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo. *Cic. in Senat.* 10. Ut haberet et fratrem ab inferis, et omnes Metellos praestantissimos cives paene ex Acheronte excitatos. *Nep. Dion.* 10. Ut eum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere. [*Fuit etiam Deus Gallorum, qui hoc nomine dictus est. *Inscr. Grut. p.* 1074., quanquam *Keyssler.* in *antiq. celt. p.* 276. eum deum maris fuisse putat.] ℙ In recto casu singulari. *Cic. Nat. D.* 3, 17. Et illi, qui fluere apud inferos dicuntur, Acheron, Cocytus etc. ℙ Dicitur et *Acherunus*, *untis.* V. suo loco.

ĀCHĔRONTĔUS, a, um, adj., Ἀχερόντειος, ad Acheronta pertinens. *Claud. R. Pr.* 2, 351. Tunc Acheronteos mutato gurgite fontes Lacte novo manasse ferunt.

ĀCHĔRONTĬA, ae, f. h. *Acerenza*, urbs parva Apulae Dauniae in Lucaniae confinio, edito loco sita. *Hor. Od.* 3, 4, 14. Quicumque celsae nidum Acherontiae etc. [*Lucan. 9, 183.] [ℙ Eadem appellatur *Acheruntum* a *Liv.* 9, 20. *F.* *Sed apud hunc est incertissima scriptura. Vid. *Gron.*]

ĀCHĔRONTĬCUS, a, um, adj. Acheronteus. *Prud. Cath.* 5, 127. Illa nocte, sacer qua rediit deus Stagnis ad superos ex Acheronticis. ℙ *Acherontici libri* ap. *Arnob.* 2. *p.* 87. sunt quos de sacris Acheronticis et caeremoniis scripsisse credebatur Tages Etruscus, [de quibus *Serv. ad A.* 8, 399. Sciendum, secundum artis aruspicinae libros, et sacra Acherontia, quae Tages composuisse dicitur, fata decem annis quadam ratione differri. *F.*] ℙ Dicitur et *Acheruntícus.* V. suo loco.

ĀCHĔRONTĪNI, orum, m. populi sunt in agro Brutio juxta Acherontem fluvium. *Plin.* 3, 5, 10.

ĀCHĔRONTĬUS. V. ACHERUNTIUS.

ĀCHĔROS, idem atque Acheron Brutiorum fluvius. Ita enim quoque appellatum fuisse, legitur ap. *Liv.* 8, 24.

ĀCHĔRUNS, untis, m. id. qu. Acheron. [*Docet *Lindem.* ad *Pl. Capt.* 3, 5, 31. primam syll. apud priscos poëtas fere produci, laudans *Herm.* ad *Eurip. Hec.* v. 1.] Hac ratione usurpatur semper a *Plauto* et aliis veteribus scriptoribus, prisco more, ut *Prisc.* 1. p. 554. *P.* docet. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 16. Adsum atque advenio Acherunte. *Lucr.* 3, 992. quaecumque Acherunte profundo etc. *Pl. Amph.* 5, 1, 26. Non secus est, quam si ab Acherunte veniam. ℙ *Acherunti* adverbialiter ponitur pro in Acherunte [*potius ad Acheruntem, quasi loci, non fluvii nomen esset, ut Carthagini, ruri. cf. *Pompeji Gramm.* 13. p. 353 sq. et quos ibi laudat *Lindem.* Adde *Serv. Gr.* p. 520. *ed. Lindem.*] hoc est apud inferos. *Pl. Merc.* 3, 4, 21. Si neque hic, neque Acherunti sum, ubi sum? *Id. Capt.* 5, 4, 1. Vidi ego multa picta, quae Acherunti fierent, cruciamenta. ℙ *Acheruns ulmorum* jocularíter dicitur ab eodem *Amph.* 4, 2, 10. de servo vapulante virgis ulmeis, scilicet in cujus tergo moriuntur virgae, ut idem loquitur *Capt.* 3, 4, 117. [*Id. Cas.* 2, 1, 12. Acheruntis pabulum (de homine perdito et abjecto). *Id. Trin.* 2, 4, 124. Acheruntis ostium in nostro est agro (de loco pestilenti). *Id. Truc.* 4, 2, 35. Itidem ut Acherunti hic ratio accepti scribitur. Intro accipimus; quando acceptum est, non potest ferri foras.] ℙ *Mittere aliquem Acheruntem* est interficere ap. eund. *Pl. Cas.* 2, 8, 11. [*Id. Poen. prol.* 71. abire ad Acheruntem, i. e. mori.] ℙ Feminino genere *Id. Capt.* 5, 4, 1. Nulla adaeque est Acheruns etc. Ita legit cum nonnullis aliis *Non.* 3, 10. [*Voss. de anal.* 1, 10. p. 413. quem laudat *Lindem.* ad h. l. ait Acheruntem masc. genere semper esse fluvium intelligendum; femin. genere significari locum, qui quasi regio habeatur.] Alii *nullus.* ℙ In quibusdam *Plauti* codd. editum est *Acheron*, *Acherontis* etc. pro *Acheruns* etc. [*Male].

ĀCHĔRUNTĪCUS, a, um, adj. ad Acheruntem pertinens. *Pl. Bacch.* 2, 2, 21. Acherunticae regiones. *Id. Mil.* 3, 1, 33. Itane tibi ego videor oppido Acherunticus, tam capularis etc.? *h. e.* morti proximus. *Id. Merc.* 2, 2, 19. Quid tibi ego aetatis videor? *Ly.* Acherunticus senex, vetus, decrepitus.

[ĀCHĔRUNTĪNUS, a, um, ad Acheruntem pertinens, flumen Brutiorum in Campania citeriore. *Inscr.* ap. *Romanelli Topograf. Napol. T.* 1. *p.* 258. Numini Herculis Acheruntini Vitalis C. L. Severus C. V. Sir. Reg. V. L. S. *F.* *Cf. *Osann.* in *Epimetr.* 11. *ad Auctar. Lex. gr.* p. 181.]

ĀCHĔRUNTĬUS, a, um, adj. Ἀχερόντιος, Acherunticus. *Vetus poeta* ap. *Cic. Tusc.* 1, 21. Acheruntia templa, alta, Orci, pallida, *h. e.* inferorum loca. In quibusdam edd. legitur *Acherontia.* [*Recentiores edd. omnes h. l. *Acherusia.* cf. Lucretii locum in *Acherusius.*] ℙ *Acherontia sacra.* V. ACHERONTICUS.

ĀCHĔRŪSĬĀ, ae, f. Ἀχερουσία λίμνη, *Lago della Collucia*, palus est Campaniae inter Misenum et Cumas. *Plin.* 3, 5, 9. ℙ Item Acherusia palus Epiri est, in Thesprotia, quae ad Chimerium port. et opp. exit in mare, ex qua Acheron fl. emittitur. *Plin.* 4, 1, 1. ℙ Item Acherusia specus est Bithyniae, apud Heracleam Ponti, unde Cerberum extractum fabulantur, ut scribit [*Plin.* 6, 1, 1. *F.*] et *Mela* 1, 19.

ĀCHĔRŪSĬS, ĭdis, f. Ἀχερουσίς, eadem atque Acherusia, qua specum Bithyniae significat. *Val. Fl.* 5, 73. Inde premente noto tristes Acherusidos oras Praeterit.

ĀCHĔRŪSĬUS, a, um, adj. ad Acherontem pertinens, Ἀχερούσιος. *Liv.* 8, 24. Caveret Acherusiam aquam Pandosiamque urbem. ℙ *Acherusia templa* sunt inferi. *Lucr.* 1, 120. Etsi praeterea tamen esse Acherusia templa Ennius aeternis exponit versibus edens. Quo neque permanent animae, neque corpora nostra, sed quaedam simulacra modis pallentia miris. ℙ *Acherusia vita* est tristis, aerumnosa, cruciatibus obnoxia, quales apud inferos ab impiis perferuntur. *Lucr.* 3, 1037. Hinc Acherusia fit stultorum denique vita. ℙ *Acherusius humor* est ipsa Acherontis unda. *Sil.* 13, 398.

ĀCHĔTA, ae, m. ἀχέτα, dorice, mutato η in α, cicada arguta et canora, a verbo ἠχέω, quod est sono et crepito. [*Hesiod. Op.* 565. citat *Bail.*] *Plin.* 11, 26, 32. Cicadarum duo genera: minores, quae primae proveniunt, sunt mutae. Quae canunt, vocantur achetae, et quae minores ex his sunt, tettigoniae, sed illae sunt magis canorae. [Mares canunt in utroque genere, feminae silent. Pectus ipsum fistulosum, hoc canunt achetae. *F.*]

*ĀCHĒTUS, i, al. ACHAETUS, vel ACHAETUM, vel oppidum vel fluvius Siciliae; non enim satis constat. *Sil.* 14, 268. pubesque liquentis Acheti. *Heins.* mavult *ingentis.* cf. *Drakenb.*

*ĀCHILLA, ae, oppidum in Africa propria s. Byzacena. *Auct. b. Afr.* 33. Ante *Oudend. Acilla.* Inde *Achillitani*, quod v. suo loco. Alii malunt ACHOLLA et sic scribitur apud *Justin.* 31, 2. et gr. Ἄχολλα; inde *Plin.* 5, 4. *fin.* oppidum Acolitanum. Cf. ad Caes. l. *Oud.* et interpp. *Liv.* ad 33, 48, 1.

*ĀCHILLAS, ae, percussor Pompeji. *Caes. B. C.* 3, 104 sqq. *Hirt. B. Al.* 4. *Lucan.* 8, 538.

[ĀCHILLEA, ae, f. herba *Plin.* laudata 26, 15, 90. Menses nimios sistit Achillea imposita. Videtur fuisse eadem atque Achilleos, quam v. suo loco. *F.*]

ĀCHILLĒA insula. V. ACHILLEUS.

ĀCHILLEIDĒS, eidae, m. patronym. masc. quadrisyllabum, retento etiam in latinis literis graeco ει, Ἀχιλλείδης, Achillis filius. *Ov. Her.* 8, 3. Pyrrhus Achilleides animosus imagine patris. *Id. Ib.* 303. Aut ut Achilleidae cognato nomine clarum, *h. e.* Pyrrhum regem Epirotarum, qui eodem erat nomine et Achillis filius: vel Achilleiden vocat, quia nepos erat Achillis materno genere. Alii leg. *Achilleiden* eadem manente sententia. ℙ Scribitur etiam *Achillides.* [*Prorsus hoc voc. hac quidem scriptura, quam Latinorum pronuntiandi ratio omnino respuit, tollendum h. l. et sub *Achillides* ponendum est, ut recte et codd. et edd. hoc voc. scribunt.]

ĀCHILLĒIS, eidis et eidos, f. titulus est poematis *Papinii Statii*, cujus duo tantum libri exstant, in quibus de vita Achillis agit ante bellum Trojanum.

ĀCHILLĒOS, ἀχίλλειος, herba sic appellata, quod eam Achilles invenisse traditur et adhibuisse in curando vulnere Telephi [*n. Schaafgarbe]. *Plin.* 25, 5, 19.

ĀCHILLES, is, m. Ἀχιλλεύς, heros graecus, filius Pelei et Thetidis, Chironi centauro nutriendus datus est. Inter filias Lycomedis regis Scyri, a matre, ne ad bellum Trojanum ire cogeretur, ex quo sciebat non reversurum, sub habitu muliebri absconditus (V. PYRRHA) ex Deidamia generavit Pyrrhum. Ab Ulysse habitu mercatoris detectus ad bellum Trojanum ductus est. Fuit fortissimus totius graeci exercitus. Occidit Hectorem fortissimum Trojanorum, ejusque cadaver ter circum moenia Ilii traxit bigis alligatum. Patroclum enim ulcisci voluit, sibi amicissimum, qui indutus armis Achillis ab Hectore interfectus fuerat. Vulneravit regem Mysiae Telephum, ejusdemque hastae rubigine sanavit. Dissensit ab Agamemnone odio implacabili, quod sibi Briseidem puellam eripuisset. Captus est amore Polyxenae, tempore induciarum. Invitatus per fraudem specie nuptiarum a Deiphobo in templum Apollinis Thymbraei, a Paride post simulacrum latitante, sagittis Herculis, quae a Philocteta acceptae fuerant, in calcaneo transfixus, qua sola parte vulnerabilis erat, interfectus est. Mater enim, ut invulnerabilem redderet, infantem Stygis aqua totum tinxerat, excepto calcaneo, qua manu prehenderat. Sepultus est ad Sigeum promontorium. De armis Achillis ingens dissensio nata est inter Ulyssem, qui solus ausus est ea petere, et Ajacem fil. Telamonis. Arma Ulyssi data fuerunt. Ajax ex indignatione incidit in furorem, et ensi incumbens sibi ipse mortem conscivit. *Ov. in fin. Met.* 12. et *Ib.* 13., *Servius in variis locis Aeneidos*, *Statius tota Achilleide*, et alii. *Cic. Fam.* 5, 12. Praeconium, quod, cum in Sigeum venisset Alexander, ab Homero Achilli tributum esse dixit. *Id. Nat. D.* 3, 18. Achillem Astypalenses colunt. ℙ [Etymon nominis nonnulli veteres inepte deducunt ab α privat. et χεῖλος, *labium. Tertull. Pall.* 4. Larissaeus heros ferarum medullis educatus, unde et nominis consilium, quandoquidem labiis usus non erat ad uberum gustum *F.* *His et accuratiora et uberiora v. in *Lexic. myth. Klopferi.*] ℙ Poetae metri causa saepe hoc nomen graeca declinatione usurpant. Itaque legitur in accusativo *Achillea* pro *Achillem*, τὸν Ἀχιλλέα. *Lucan.* 10, 523. Terribilem justo transegit Achillea ferro. In vocativo *Achille* pro *Achilles* a graeco Ἀχιλλεῦ, abjecta posteriore diphthongi syllaba. *Prop.* 4, 11, 40. Quique tuas proavus fregit, Achille, domos. Et *Achillei* in genitivo pro *Achillis*, a graeco Ἀχιλλέος, mutato *o* in *i*. *Hor. Od.* 1, 15, 34. Matronisque Phrygum classis Achillei. [*Epod.* 17, 14.] *Achillei* hic est quadrisyllabum: potest autem etiam trisyllabum esse. *Virg. A.* 3, 87. Pergama reliquias Danaum atque immitis Achillei. *Achilli* etiam scribitur in hoc casu, quod etiam *Quintil.* 1, 5. habet. Porro genitivus *Achillei* duci potest a recto *Achilleus*, quo pro *Achilles* usi sunt aliquando veteres. *Inscr.* ap. *Grut.* 669, 6. Achilleus et Cleopatra parent. fil. dulcissi. ℙ In ablativo reperitur etiam *Achilli* pro *Achille*. *Ov. Pont.* 3, 3, 43. Praemia nec Chiron ab Achilli talia cepit. Ita *Heinsius* cum aliis. Tres tamen editiones principes, quas habemus, *Aldus*, et alii multi habent *Achille.* Hic autem abl. ductus est a dativo τῷ Ἀχίλλῃ, primae declinationis. Dores enim, ut *Priscian.* docet *sub fin. l.* 6. pro Ὀρφεὺς dixere Ὄρφης, pro Τυδεὺς Τύδης, pro Ἀχιλλεὺς Ἀχίλλης, sic in accusativo Ὄρφην, Τύδην, Ἀχίλλην, a quo est *Achille* ultima producta. Latini enim poetae modo hanc, modo illam declinationem in hujusmodi graecis nominibus sequi solent, prout metri ratio fert. [*De his formis diligentius et rectius agunt nostri Grammatici, quorum unum citamus *Schneiderum*, quem vid. de accus. disputantem P. II. T. 1. p. 296 sq., ubi de *Lucani* loco dubitatio movetur; de accus. *Achillen* (Ἀχίλλην) *ib.* p. 41 sqq.; de vocat. (Ἀχίλλη) *ib.* p. 302. sq. et maxime p. 42 sqq. et quos ibi p. 167. laudat alios VV. DD., quibus addatur *Goer.* ad *Cic. Acad.* 11,

6. p. 36. et *Bremi* ad *Nep. Them.* 1.; denique de abl. in *i*, *qui ex dat. graec. ortus putatur, *ib.* p. 289. sq. De his semel dixisse sufficiat.] ℙ Interdum Achilles dicitur de quocumque homine pulcro aut forti. *Pl. Mil.* 4, 2, 63. Age, mi Achilles, fiat quod te oro. *Gell.* 2, 11. Nomen ei factum ob ingentem fortitudinem appellatumque Achillem Romanum. [**Val. Max.* 3, 2, 21. et *Virg. A.* 6, 89. alius Latio quaeretur Achilles, ubi tamen alludit ad Turnum, Trojanorum hostem]. ℙ Denique *Achilles* titulus est tragoediae *Aristarchi* graeci poetae, quam *Ennius* in latinum transtulit imitatusque est *Plautus* in *Poenulo*. *Fest.* in v. Prolato aere, *Gell.* 4, 17. et *Pl. Poen. prol.* 1.

ĀCHILLĒUM, i, n. *ἀχίλλειον*, genus spongiarum tenue densumque, ex quo penicilli fiunt. *Plin.* 9, 45, 69. [*Item oppidum *Ἀχίλλειον* in agro Trojano prope Sigeum, exstructum a Mitylenaeis propter Achillis sepulchrum. *Plin.* 5, 30, 33. *Solin.* 53. (40) qui male Rhoeteum promontorium pro Sigeo ponit. V. *Salm. Exerc.* p. 610.]

ĀCHILLĒUS, a, um, adj. *Ἀχίλλειος*, ad Achillem pertinens. *Virg. A.* 3, 326. Stirpis Achilleae factus. *Martial.* 12, 84. Achilleae comae. *Ov. Met.* 13, 448. Achillei manes. ℙ *Achilleas statuas* dixere nudas hastam tenentes. Nobilis enim fuit hasta Achillis, vel quia eo habitu Achilles a Graecis effingebatur. *Plin.* 34, 5, 10. ℙ *Achilleus cothurnus* de stilo tragico, epico, sublimi. *Prop.* 2, 25, 41. Desine Achilleo componere verba cothurno, Desine, et ad molles verba resolve choros. ℙ *Achillea insula* ad ostia Borysthenis sita, alio nomine Leuce, ita appellata est, quod ibi situs est Achilles. *Mela* 1, 7. et *Plin.* 4, 12, 26. ℙ Alia eodem nomine juxta Samon est. *Plin.* 5, 31, 37. ℙ *Achilleus cursus*, *Ἀχίλλειος δρόμος*, est peninsula, ab ea, quae ad Borysthenem est, XXV. M. passuum distans, ad formam gladii in transversum porrecta, in qua Achilles cum infesta classe mare Ponticum ingressus esset, ludicro certamine celebrasse victoriam et se ac suos cursu exercitavisse dicitur. *Mela* 2, 1. et *Plin.* 4, 12, 26.

ĀCHILLĒUS, ĕi, m. idem atque Achilles. V. ACHILLES.

ĀCHILLĬĀCUS, a, um, Achilleus, ut Achilliaca lyra. *Venant.* 7, 8, 63. Romanusque lyra plaudat tibi barbarus harpa, Graecus Achilliaca.

*ACHILLIDES v. ACHILLEIDES.

[ĀCHILLĬTĀNI, orum, incolae Achillae urbis maritimae in Africa provinciae Byzacenae. *Hirt. B. Afr.* 33. Iidem videntur qui in *vet. Inscr.* ap. *Grut. p.* 512. *lin.* 28. vocantur *Aquillitani*, eorum vero urbs in numis ap. *Eckhel. D. N. V. T. p.* 133. *Achulla* appellatur. *F.*]

*ACHISARMI, orum, Aethiopiae populus. *Plin.* 5, 30, 35.

ĀCHĪVUS, a, um, idem quod Achaeus. *Ov. Fast.* 5, 645. Achiva turba. *Id. Pont.* 1, 4, 33. Achiva tellus. *Id. Her.* 1, 21. Achiva castra. ℙ *Achivi*, *orum*, proprie sunt Achaiae populi, sed pro omnibus Graecis ponuntur, *Ἀχαιοί*. *Cic. Divin.* 1, 16. Cum Achivi coepissent etc. *Hor. Ep.* 1, 2, 14. Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi. Hic *Horatii* versus in proverbium abiit, cujus ea est sententia, si quid a principibus peccetur, ejus peccati noxam in plebem miseram cadere eamque poenas dare. ℙ *Achivum* pro *Achivorum* ap. *Virg. A.* 11, 266.

ACHLIS, is, f. ferae cujusdam genus in septentrionalibus regionibus, de qua sic *Plin.* 8, 15, 16. Item natam in Scandinavia insula, nec unquam visam in hoc orbe, multis tamen narratam, achlin, haud dissimilem illi (*alci*) sed nullo suffraginum flexu: ideoque non cubantem, sed acclinem arbori in somno, eaque incisa ad insidias capi: alias velocitatis memoratae. Labrum ei superius praegrande: ob id retrograditur in pascendo, ne in priora tendens involvatur. Alii leg. *machlin*, sed *achlin* ab *Hard.* defenditur. [Recentiores rerum naturalium scriptores errasse putant *Plinium*, dum alcen et achlin diversas esse beluas censuit, cum una eademque sit. *F.*] *Caes. b. g.* 6, 27. narrat de alce eadem fere, quae de achli *Plinius*.

*ACHNE, es, *Ἄχνη*, insula prope Rhodum et Carpathum insulas, deinde *Casos* dicta. *Plin.* 5, 31, 36.

*ACHOLLA V. ACHILLA.

ĀCHORES, um, m. *ἀχῶρες*, ulcera capitis, tenui humore manantia, ita dicta ab *α* privativa et *χῶρος*, spatium, quia non amplum occupant locum [*gr. vox est *ἀχώρ*, *ῶρος*]: pueros autem maxime infestant. Male secundam corripuit *Macer de herb. cap. de Origano*. Pruritus, achoras, maculasque cutis fugat omnes. Et *cap. de malva*. Sic turpes achoras pelles furfurque nocivum. *Acores* sine aspiratione in quibusdam codd. legitur.

*ĀCHOREUS, i, (*eos*) sacerdos quidam Isidis. *Lucan.* 8, 475. 10, 175 et 194.

ACHRADĪNA, pars est urbis Syracusanae, cum reliquis urbis partibus ponte conjuncta. Fortasse ita dicta est, quia eo loco olim silvestris pyrus enata fuerit, quae graece *ἀχράς* dicitur, et inde adj. *ἀχράδινος*. *Liv.* 25, 24. [**Cic. Verr.* 2, 4, 53. altera autem urbs est Syracusis, quae A. dicitur.]

ℙ Scribitur et *Acradina* sine aspiratione. [*Illud recte ubique praeferunt.]

ACHRAS, ădis et ădos, f. arbor pyri silvestris, *ἀχράς*. *Colum.* 7, 9. Cornus, arbutus, prunus, atque achrades pyri. *Id.* 10, 15. Palmitibusque feris laetatur, et aspera silvis Achrados, aut pruni etc. [*cf. *ib.* 250.]

ĀCIA, ae, f. *μίτος*, *ῥάμμα*, filum in acu ad suendum. *Titinn.* ap. *Non.* 1, 10. Phrygio fui primo, beneque id opus scivi: reliqui acus aciasque hero atque herae nostrae. *Cels.* 5, 26. *n.* 23. Utraque (sutura et fibula) optima est ex acia molli, non nimis torta, quo mitius corpori insidat, utraque nimis rara, neque nimis crebra injicienda est. (Hinc discimus, fuisse genus fibulae vulnerariae acia atque acu factae. V. FIBULA) *Marcell. Empir.* 2. *sub fin.* Hedera si in panno rufo, acia rufa, vel lino rufo ligata capiti alligetur etc. De aciae materia et forma agit integro volumine *J. Rhodius*. ℙ *Ab acia et acu omnia exponere* proverb. quod significat vel minutissimas res narrando exponere totamque alicujus facti seriem alte ductis initiis diligenter nihilque prorsus omittendo explicare. Legitur in *fragm. Tragur. Petron.* 76. *Burm.*

*ĀCIĀRIUM, i, theca, qua conduntur acus. *Vet. gloss.* ac., *ῥαφιδοθήκη*. Est etiam *indurata ferri acies*, *στόμωμα*, in gloss. graecolat. V. *Salm. Exerc.* p. 763.

ĀCĬCŬLĂ, ae, f. *βελονίς*, acus parva, qua utuntur mulieres ad ornatum capitis. *Imperat. Constant. Cod. Theod.* 3, 16, 1. Oportet eam usque ad aciculam capitis in domo mariti deponere. Al. leg. *acucula*, ut diminutivum ab *acus:* sed et *anus* facit *anicula*.

ĀCĬDĂLĬĀ, ae, f. *Ἀκιδαλία*, Veneris epithetum, vel quia injicit curas, quas Graeci *ἀκίδας* dicunt, vel a fonte Acidalio, qui est Orchomeni urbe Boeotiae, in quo Gratiae se lavant, quae Veneri sunt sacratae. Ipsius enim et Liberi filiae sunt. Haec *Serv.* ad illud *A.* 1, 720. memor ille Matris Acidaliae.

ĀCĬDĂLĬUS, a, um, adj. ad Venerem pertinens, quae Acidalia dicta est. *Martial.* 6, 13. Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo, *h. e.* baltheo vel cingulo Veneris. *Id.* 9, 14. Nomen, Acidalia meruit quod arundine pingi, *h. e.* calamo ex arundine, quae nascitur circa fontem Acidalium, qui sacer est Gratiis et Veneri. Vel intelligit arundinem Cnidiam, quae aptissima erat calamis scriptoriis. Cnidus autem est Veneri sacra.

[ĀCĬDĔ, adv. cum aciditate. *Petron. Sat.* 92. Negat sibi unquam acidius fuisse, *h. e.* sibi plus molestiarum fuisse. *F.* **Vulg. Sirac.* 4, 9. 30. Cf. *C. Barth. Advers.* 6, 17. ubi ex *Papiae* glossis laudat *acidiari*, stomachari; unde *acidia*, quae est taedium animi vel anxietas vel contra. (*Barth.* emendat *contrarietas*). Idem affert *Plin.-Valer.*, qui verbo *acidia* usus sit. Alios tamen ait scribere *acedia*, *acediari*. Haec vid. et praeterea *Barth. ib.* 21, 7.]

[ĀCĬDĪNUS, a, um, ad acidum pertinens. Cognomen in gente Manlia ap. *Grut.* 293. L. Manlius L. F. M. N. Acidinus Fulvianus. Hic fuit consul ann. V. C. 575. *F.* **Cic. Fam.* 4, 12. *Or.* 2, 64. *Att.* 4, 3.]

ĀCĬDĪTAS, atis, f. humor, vel sapor acidus, *ὀξύνης*. *Marcell. Empir.* 20. Aqualiculi corruptelas vel aciditates consumit, et stomachum marcentem recreat.

ĀCĬDŪLUS, a, um, adj. aliquantum acidus, subacidus. *Plin.* 2, 103, 106. Lyncestis aqua, quae vocatur acidula, vini modo temulentos facit. *Id.* 15, 15, 16. Pyra acidulo sapore jucunda.

ĀCĬDUS, a, um, adj. *ὀξώδης*, aceti saporem vel odorem habens. *Plin.* 15, 27, 32. Sapor acer, acutus, acerbus, acidus, salsus. *Id.* 20, 17, 68. Acida ructans stomachus. *Id.* 28, 9, 36. Oxygala fit acido lacte addito in recens, quod velis inacescere. *Id. ib.* 34. Acidus caseus. *Id.* 30, 4, 9. Acidus halitus. *Pl. Ps.* 2, 4, 49. Acidissimum acetum, *h. e.* acerrimum. Nam *acidus* significat etiam acrem, acrimoniam habentem, mordacem, qui sapor quamquam est acido valde affinis, non est tamen semper gustui injucundus. *Virg. G.* 3, 380. Acida sorba. *Hor. Sat.* 2, 2, 43. cum rapula plenus atque acidas mavult inulas. *Plin.* 26, 8, 56. Acidum olus. ℙ *Acida creta*, *h. e.* aceto macerata, *Martial.* 6, 93. ℙ Translate sumitur pro molesto, insuavi, injucundo. *Hor. Ep.* 2, 2, 64. Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus. *Petron. Sat.* 31. Acidum canticum. Et in *fragm. Tragur.* 68. *Burm.* Nullus sonus unquam acidior percussit aures meas. *Apul. Met.* 5. Acidae et amarae nuptiae. *Sen. Contr.* 5, 34. *fin.* Homo acidae linguae, *h. e.* dictis asper, maledicus. [*cf. *id. ib.* 82.]

*ĀCIENSES, ium, quondam Latii populus. *Plin.* 3, 9, 9. Albenses, Albani, Acienses.

ĀCĬĒRIS, securis aerea, qua in sacrificiis utebantur sacerdotes. *Paul.* ex *Festo*. ℙ In Gloss. Philox. habetur: *Ἀξίνη ἱεροφάντου*, *ὡς Ἰλιεῦσι*, acieris, *h. e.* securis sacerdotis, ut Plautus. Sed in *Plauto* non reperi.

ĀCĬĒS, ei, f. *ἀκίς*, *ἀκμή*, pars acuta ferri, aut alius rei, qua secatur aut pungitur. [*De sign. h. v. disputat *Kärcher.* in *eph. schol.* 1828. P. II. N. 24. Cf. *Herz.* ad *Caes. b. g.* 1, 39.] *Cic. Verr.* 5, 43. Quod jam ante aciem securium tuarum vidisset. *Virg. G.* 2, 365. Acies falcis. *Ov. Met.* 3, 107. hastae. *Plin.* 11, 37, 68. rostri. [**Ammian.* 18, 3. linguae] *Id.* 8, 16, 17. unguium. *Id.* 17, 10, 11. lateris in amygdalis. *Id.* 36, 26, 66. vitri. *Id. ib.* 22, 47. Aciem trahere, i. e. acuere. Et 18, 28, 67. *n.* 5. excitare, eodem signif. *Id.* 37, 11, 73. Securium hebetari. *Id.* 7, 15, 13. ferri praestringere, *h. e.* hebetare. ℙ *Acies ferri* significat etiam ferrum purgatius duriusque, quo utimur ad indurandam aciem et ad densandas incudes, malleorum rostra, scalpellos lapicidarum etc. *χάλυψ. Plin.* 34, 14, 41. Neque alia genera ferri ex mera acie temperantur. *Id. ib.* paulo supra *nucleum ferri* appellat. ℙ Saepe acies dicitur de oculorum pupula, qua visus perficitur; itemque de ipso oculo. [*Proprie tamen dicitur de visu acri. *Caes. b. g.* 1, 39. ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse. Tum demum dicitur de pupilla, in qua haec vis inest, et de visu oculisque. Deinde refertur etiam ad mentem, quem nexum significationum egregie demonstrat *Quintil.* 11, 2, 10. mentis intentio et velut acies luminum a prospectu rerum, quas intuetur, non aversa. Cf. *Cic. Leg.* 1, 23, 60. *Id. fr. Hortens.* Intelligentia est mentis acies.] Absolute. *Cic. N. D.* 2, 57. Acies ipsa, qua cernimus, quae pupilla vocatur, ita parva est etc. *Id. Fin.* 5, 28. Bonum incolumis acies, misera caecitas. *Id. Tusc.* 1, 22. Tanta tenuitas, ut fugiat aciem. [**Ov. Met.* 4, 463. acies torva.] *Virg. A.* 6, 789. Huc geminas nunc flecte acies. *Lact. Opif. Dei* 10. Visus in duas acies et odoratio in duas nares divisa est. *Catull.* 63, 56. Dirigere aciem ad aliquem. [*Hinc *Ov. Met.* 2, 776. nusquam recta acies.] *Id.* 64, 127. Aciem protendere in pelagus. [**Virg. A.* 12, 558. aciem circumferre. *Pl. Mil.* 4, 2, 37. Ad eam rem habeo omnem aciem. Cf. *Ov. Met.* 3, 381. *Id. Her.* 18, 32. Lumina — Aut videt aut acies nostra videre putat.] Addito subst. *Cic. Fin.* 4, 24. Hebes acies oculorum. *Sen. Herc. fur.* 1042. Acies luminum. *Ammian.* 16, 10. rectam aciem luminum tendens]. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 18. Ne colorum claritas oculorum aciem offenderet [*obesset ei.] *Pl. Mil.* 1, 1, 4. Oculorum praestringat aciem in acie hostibus. *Plin.* 20, 23, 95. reficere. *Cic. Leg.* 1, 23. exacuere. ℙ Deinde pro acumine ingenii, ducta translatione ab acie oculorum. *Cic. Acad.* 2, 39. Nulla acies ingenii tanta, quae penetrare in caelum, terram intrare possit. *Id. Sen.* 23. Animi acies obtusior. [*Cf. *Tusc.* 1, 30.] *Id. Div.* 1, 29. Praestringere aciem mentis. [**Flor. prooem. fin.* Rerum diversitas aciem intentionis abrumpit.] *Id. Tusc.* 5, 13. Aciem animi curare, ut non caecetur erroribus. [*Eodem modo usurpantur *acutus*, *acumen*. Quamquam usus v. *acumen* latius patet, quum *acies* nusquam nisi add. genit. *animi*, *ingenii* etc. dici posse videatur. ℙ Ceterum refertur etiam ad alias res. Sic ab acie *armorum* petitum est, quod habet *Cic. Cat.* 1, 2. At nos vicesimum jam diem patimur hebescere aciem (i. e. vim) horum auctoritatis. Insignis hic est locus ad imaginis rationem explicandam. Indidem explica *Ammian.* 14, 7. destricta dentium acie stridens, i. e. dentibus frendens. Sic *Virg. A.* 2, 333. ferri acies stricta. Ab acie *oculorum* petiit *Virg. G.* 1, 395. Nam neque tum stellis acies (splendor) obtusa videtur. Utrumque locum noster alibi non satis opportune commemoraverat.] ℙ In re militari modo ponitur pro parte exercitus instructa. [*Inepte distinguit inter *partem* exercitus et exercitum *totum*. Pars ubique indicatur addita voce aliqua. *Acies* significat *exercitum instructum*, (*Veget.* 3, 14.) qui sane partibus constat. Tum vero etiam *ordinem* ipsum, quo exercitus collocatur et disponitur (ut ap. *Tac. A.* 2, 16. in aciem assistit agminis ordo. Vid. ibi *Gron.*); id quod noster non satis accurate explicuit. Sed *acies* quomodo *exercitum instructum* possit significare, alii aliter explicant; velut fuerunt, qui *aciem* proprie de iis militibus dictum existimarent, qui in fronte collocati sunt et cum acie ferrei alicujus instrumenti comparantur. Quae ratio nobis non prorsus videtur inepta.] *Liv.* 8, 8. Prima acies hastati erant. *Vell.* 2, 112. Fugata equestris acies, fugatae alae. [**Liv.* 8, 39. Equitum acies. Potissimum tamen videtur dici de peditatu. *Hirt. b. g.* 8, 30. Quibus visis perculsae barbarorum turmae, perterritae acies hostium; quibuscum *Herz.* comparat *Tac. H.* 3, 18.] *Caes. b. g.* 1, 52. Tertiam aciem laborantibus subsidio mittere. *Id. ib.* 51. Triplici instructa acie. *Sall. Cat.* 63. In prima acie versari. *Liv.* 8, 10. Ab novissima acie ante signa procedere. Et mox: ad extremam aciem pervenire. [**Liv.* 27, 48. media. *Ib.* 45. dextra. *Caes. b. c.* 3, 93. quarta. Sed haec sunt frequentissima.] ℙ Modo pro integro exercitu instructo et ad proelium parato, *τάγμα*. *Sall. Jug.* 58. Statuit non proeliis, neque acie, sed alio more bellum gerendum. *Id. ib.* 102. Non acie, neque more proelii, sed catervatim. *Liv.* 25, 34. Agmina magis, quam acies pugnabant. [**Agmina*, *aciei* opposita, *proelium* significant *tumultuarium*. — Ceterum de plurali v.

Oud. ad *Caes. b. g.* 7, 62. Eo usus est *Caes. b. c.* 1, 82. 83. *Ovid. Met.* 12, 75. et de pugna *id. ib.* 13, 207.] Et *Cic. Cat.* 2, 3. Quibus ego si aciem exercitus nostri ostendero etc. *Id. Fam.* 10, 30. Aciem instruere. *Tac. Germ.* 6. componere. *Caes. b. c.* 3, 93. instituere. *Liv.* 29, 2. turbare. *Id. ib.* restituere. [**Id.* 6, 24. inclinare.] *Id.* 31, 35. Tota acie dimicare. *Tac. H.* 3, 7. Aciem disjicere. [**Liv.* 4, 27. *Curt.* 4, 14. explicare. *Caes. b. c.* 3, 92. distendere et distrahere. *Id. ib.* 1, 83. continere (i. e. exercitum ad proelium instructum a dimicando retinere). *Liv.* 31, 21. amplecti — dilatare, aciem. *ib.* 27. dirigere. *Curt.* 3, 9. extendere. *Virg. A.* 9, 42. struere. *Flor.* 4, 7. committere aciem (manum conserere). *Tac. A.* 2, 17. acies infertur. *Id. Germ.* 3. prout sonuit acies. Cf. *id. H.* 4, 18. Sed sunt etiam alia, quae cum h. v. conjunguntur, verba. De quibus v. suo loco. Ceterum ita ponitur etiam collective. V. *Drak.* ad *Liv.* 5, 38. 27, 12, 15. 28, 15, 6.] ℙ De navium classe instructa. *Nep. Annib.* 11. Classis ab utrisque in proelium deducitur: quarum acie constituta etc. *Frontin. Strat.* 2, 5. Navali acie decertaturus. [*Ab acie militari transfertur ad alias res similes. *Lucr.* 2, 448. In quo jam genere in primis adamantina saxa Prima acie constant (i. e. in primo ordine, principi loco). *Virg. A.* 10, 408. Extenditur una Horrida per latos acies Vulcania campos. Male noster *aciem Vulc.* explicat *vim Vulc.* Praeterea haec quoque verba loco non apto attulerat. Simili modo *Plin.* 8, 30, 45. explicat *Salmas. Exerc.* p. 239.] ℙ Modo pro ipso proelio et conflictu. [*Comparandus erat hac in re sermo graecus, in quo *ἀχμή*, *αἰχμή* et *μάχη* ut forma, ita significatione cognata sunt. Vid. *B. Crus. Clav. Suet.* Acies igitur est *proelium*, quia, ut dicere solent, *acie certatur*, *decernitur* in pugna.] *Cic. Lig.* 3. Quid districtus ille tuus in acie Pharsalica gladius agebat? [*Sic *Suet.* acies Mutinensis, Philippensis, Bedriacensis.] *Id. Opt. gen. or.* 6. In acie et ferro versari. *Id. Fam.* 6, 3. Etsi quem exitum acies habitura sit, divinare nemo potest, tamen belli exitum video. [**Stat. Th.* 3, 71. Bellum infandum omnibusque negatam Movisti, funeste, aciem. Utroque in loco fuerunt qui *aciem* de *expeditione bellica* explicandam censerent. Male.] *Nep. Milt.* 4. Acie decernere. *Tac. H.* 4, 27. certare. *Id. ib.* 4, 17. Batavos arma contra dominos cepisse; prima acie fusum fugatumque Romanum. *Id. ib.* 67. Sequanorum prospera acie belli impetus stetit. *Liv.* 29, 2. Cadere in acie. *Ov. Met.* 7, 142. Cadere acie. [**Curt.* 4, 1. vincere acie. Dicitur etiam confligere acie. V. *Drak.* ad *Liv. epit. l.* 73. et ad 36, 17, 16. *Caes. b. c.* 3, 95. acie refugere. *Liv.* 22, 60. stare in acie. Al. praep. omittunt. V. *Drak. Id.* 2, 52. abstinere. *Virg. A.* 10, 543. instaurare aciem. *Sil.* 12, 680. integrare.] ℙ Modo pro loco proelii. *Nep. Milt.* 5. Producere militem in aciem. *Liv.* 31, 17. Excedere acie. *Id. ib.* 34. Copias in aciem educere. Et 36. Omnibus copiis in aciem descendere. [*Hi loci commode aut de ipso proelio aut de ordine militari intelligi possunt. Quod *Liv.* dicit, *in aciem descendere*, videtur ad similitudinem compositum esse illius *in arenam descendere.*] ℙ Praeterea pro contentione et disputatione dicitur ducta translatione ab acie militari. *Cic. Tusc.* 2, 25. Ad philosophos me revocas, qui in aciem non saepe prodeunt. *Id. Or.* 14. Nos autem jam in aciem dimicationemque veniamus. *Pl. Epid.* 4, 1, 20. Orationis aciem contra conferam, *h. e.* verba tanquam aciem militum contra disponam. ℙ In genit. singulari legitur usurpatum a *Cn. Matio* ap. *Gell.* 9, 14. *acii* pro *aciei: Altera pars acii vitassent fluminis undas:* ea ratione, qua et *dii* pro *diei*, et *specii* pro *speciei* olim dictum est. Alii reponunt *acie*, nam et *hujus die* et *hujus specie* dicendum putabat *C. Caesar* 2. *de Analog.* eodem *Gell.* loco. Et *Sall. H.* 1. ap. *Prisc.* 7. *prope fin.* Dubitavit acie pars. V. DIES *in fin.* [*Vid. plura de his formis apud *Oud.* ad *Caes. b. g.* 2, 23. et quos laudat, ut *Heins.* et *Burm.* ad *Ov. Met.* 3, 341. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 52. et *Plin. ep.* 8, 6, 6. *Rudd.* I. p. 105. sq. et *Schneid. Gr.* P. II. T. I. p. 356. sqq. — ℙ Confunduntur interdum *acies* ac *facies.* Vid. *Burm.* ad *Grat. Cyneg.* 97.]

*ACILA, ae, emporium Arabiae, in agro Scenitarum et Sabaeorum. *Plin.* 6, 28, 32.

ĂCĪLĬA gens plebeja fuit a Trojanis oriunda: ex qua fuit M' Acilius Glabrio, cui, devicto Antiocho, statua in foro posita est aureis bracteis incrustata. *Liv.* 40, 34. ℙ Fuit et alter M' Acilius, apud quem Verrem accusavit *Cicero.* Ejus pater Aciliae legis auctor fuit. [**Cic. Off.* 3, 32, 115. Acilius, qui graece scripsit historiam. Is putatur fuisse C. Acilius, senator, qui vixit aetate Catonis Censorii (A. U. 598.) Vide *Heusinger.* ad *Macrob.* 1, 5. *extr.* et *Beier.* ad *Cic. l. l.*] ℙ [Et alter consul a. U. C. 844. a Domitiano occisus. *Juvenal.* 4, 94. Proximus ejusdem properabat Acilius aevi. ℙ Acilii Glabrionis grammatici, junioris, Burdigalensis elogium est inter *Auson. Profess. n.* 24. *F.* *Confunduntur *Acilius* et *Attilius.* V. *Drak.* ad *Liv. epit. l.* 36.]

ĂCĪLĬUS lex repetundarum, lata est a M' Acilio Glabrione, [*A. U. 652.] ut repetundarum causae una actione absolverentur, id est, ut neque reum comperendinari, neque causam ampliari liceret. *Cic. Verr. act.* 1, 17. Fac tibi paternae legis Aciliae veniat in mentem, qua lege populus R. de pecuniis repetundis optimis judiciis severissimisque judicibus usus est. *Et ibid.* 1, 9. Acilia lex, qua multi semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus, condemnati sunt. [*De utroque loco uberrime disputatur ab *Ernest.* in indice legum in *cl. Cic.* s. v. *Acilia.*]

[ĂCĪLĬĀNUS, a, um, adj. ad Acilium pertinens. *Liv.* 35, 14. Claudius secutus graecos Acilianos libros P. Africanum in ea fuisse legatione tradit. *Id.* 25, 39. Claudius annales Acilianos ex graeco in latinum sermonem vertit. *F.*]

ĂCĪLĬUM compitum fuit Romae, sed qua regione locove adhuc incertum. *Plin.* 29, 1, 6. Archagatho medico tabernam in compito Acilio emptam ob id publice.

ĂCĪLĬUS, ii, nomen fontis seu fluvii in Sicilia. V. ACIS.

*ACIMINCUM, i, oppidum Pannoniae inferioris. *Ammian.* 19, 11. et *Anton. Itin.*

ĂCĪNĂ, ae, f. V. ACINUS.

ĂCĪNĂCĒS, is, m. *ἀκινάκης*, gladius Persarum sive Medorum et Scytharum proprius, brevior (*ξιφίδιον* vocat *Pollux* 1, 10.) et Romanorum pugioni similis, retro tamen aliquantum curvatus, qui aptabatur femori, et fortasse etiam dextero, non sinistro, quae *Lips. Anal. ad Milit. Rom. Dial.* 3, 1. sententia videtur. Hinc *Val. Fl.* 6, 701. Insignis manicis, insignis acinace dextro. *Curt.* 3, 3, 18. Vaginam acinacis Persicam mutari jussisse in eam formam, qua Graeci uterentur. *Hor. Od.* 1, 27, 5. Vino et lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat! ℙ [Acinacem coluisse tanquam Deum Scythicas nationes narrat *Arnob.* 6. *p.* 196. *F.*]

ACINACEUS. V. ACINATICIUS.

ĂCĪNĂRĬUS, a, um, adj. ab acino deductum. *Acinaria vasa*, quae inter instrumenta ad vindemiam seu vinum pertinentia recenset *Varro R. R.* 1, 22. sunt vasa servandis uvis apta, antequam praelo exprimantur. Verba *Varronis* sunt: Habere oportere vasa torcularia trina, dolia cum operculis cullorum octingentorum, acinaria XX etc.

ĂCĪNĂTĪCĬUS, a, um, adj. Acinaticium, vinum ex passis uvae acinis confectum, pretiosum valde et in deliciis habitum. Describitur fuse a *Cassiod. Variar.* 12, 4. Meminit etiam *Pallad.* 1, 6. his verbis: nigras vites omnino repudies, nisi in provinciis, in quibus ejus generis, quo acinaticium fieri consuevit. *Cassiod. l. c.* Veronensem agrum huic vino aptissimum esse scribit. *Ulp. Dig.* 33, 6, 9. docet acinaticium plane vini nomine contineri. ℙ Apud *Cassiodor.* quidam legunt *acinaceum*, alii *acinaticum.* [*Hae formae recte improbantur. Illam praefert etiam *Gloss. gr. lat. ὀξῶδες*, acinaticium.]

*ACINCUM, i, oppidum Pannoniae inferioris, *Ammian.* 30, 10. *Anton. Itin.* Interdum *Aquincum* scribitur. Putatur esse eadem quae h. *Buda* (Altofen) dicitur.

[ĂCĪNDYNUS, i, m. *ἀκίνδυνος*, periculo vacuus, tutus: ab *α* priv. et *κίνδυνος*, periculum. Cognomen gentis Volusiae ap. *Grut.* 109, 6. et *Murat.* 140, 1. *F.*]

ĂCĪNĒTOS, *ἀκίνητος*, immobilis. Vox graeca ab *α* priv. et *κινέω*, moveo. Fuit hoc nomine unus ex Aeonibus Valentiniani apud *Tertull. adv. Valentin.* 8.

*ACINIPPO, opp. Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1, 3. Scribitur etiam ACENIPPO, *Ptol.*

*ACĪNOS, v. ACINUS.

ĂCĪNOSUS, a, um, adj. acinis abundans. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 8. Columbinae uvae acinosissimae. *Hard.* ex mss. legit *racemosissimae.* ℙ Item acino similis. *Plin.* 12, 13, 27. Semen asari acinosum. *Id.* 21, 17, 68. Acinosus caulis, *h. e.* semen ferens acino simile.

ĂCĪNUS, i, m. Acinum, i, n. et *raro* Acina, ae, f. [*v. *Voss. de Anal.* 1, 6. p. 391. *Hand.*] *ῥάξ*, fructus arboris, qui sub tenui pellicula humorem continet, cujus partes sunt folliculus, succus, caro, et granum sive vinaceus: et dicitur non de granis uvae solum, sed de aliis quoque arborum fructibus. *Cic. Sen.* 15. Ex acino vinaceo, aut ex ceterarum frugum seminibus etc. [*Col. 11, 2, 69. cum expresseris vinacea, quae acinis celantur.] *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 17. Si justo saepius fodiatur vinea, in tantum tenerescere acinos, ut rumpantur. *Colum.* 12, 39. Uvam bene maturam legere, acina arida aut vitiosa rejicere. [*Cf. *id. ib.* §. 3. *c.* 42. et 43. acina crassa.] *Cato R. R.* 117. Si qua acina corrupta erunt. *Catull.* 37, 3. Ut lex Postumiae jubet magistrae, Ebriosa acina ebriosioris. (Cum dicere, inquit *Gell.* 7, 20., *ebrioso* posset, et quod erat usitatius, *acinum* in neutro genere appellare; amans tamen hiatus illius Homerici suavitatem, *ebriosa* dixit propter insequentis *a* litterae concentum.) *Plin.* 23, 1, 9. Acinorum nucleus [*in hoc et nonnullis aliis locis, quos laudatos vides, maxime in *Cic. Senect.* de dura illa, quae in acinis inest, parte s. grano intelligendum est.] *Id.* 24, 10, 45. Acini ligustri. Et paulo post: hederae. *Id. ib.* 8, 35. sambuci. *Id.* 15, 1, 11. mali Punici. [*Varr. R. R.* 1, 54. Acinorum folliculi. F. *cf. *Casaub.* ad *Suet. Aug.* 76.] ℙ Differunt *acini* et *baccae* in eo, quod *acini* densius nascuntur et magis conglomerati, ideo vitibus tribuuntur, sambuco, hederae, malis Punicis et similibus, granorum veluti uvam ferentibus: *baccae* vero dispersae et rariores, ut sunt lauro, olivae, cornis, myrtis, lentisco. Hoc satis intelligitur ex *Plin.* 15, 24., ubi tum acinorum inter se, tum baccarum differentias exponit. Aliquando tamen hae confunduntur. Nam idem *Plin.*, qui hederae tribuit acinos, tum *l. c.*, tum 15, 24., eidem tribuit baccas 24, 10, 47. ℙ *Acinus* vel graeca terminatione *Acinos*, *ἄκινος*, herba est ocimo silvestri similis, hirsutior tamen ramis ac foliis, et admodum odorata, quam et coronarum causa et ciborum Aegyptii serunt, inquit *Plin.* 21, 27, 101. [*Ei herbae similis, quam dicimus *Basilicum.*]

ĂCĬPENSER, ĕris et Acipensis, is, m. [**ἀκιπήσιος*, *Athen.* VII. p. 295. (75. *Schweigh.*) *Beier.* cf. *Salm. l. c. infra.* h. v. gr. Lexicis addendum] piscis nobilissimus apud antiquos magnoque in pretio et honore habitus, adeo ut a coronatis ministris, tibicine etiam concinente, eum in mensam inferre mos fuerit, ut scribit *Macrob. Sat.* 2, 12. afferens in testimonium ejus rei verba *Sereni Sammonici. Plinii* tamen temporibus nullo in pretio habebatur, quod miratur ipse 9, 17, 27. Postea rediit ejus gratia ad epulas quasi postliminio, eodem *Sammonico l. c.* teste. *Cic. fr. de Fato* ap. *Macrob. ib.* Acipenser iste paucorum hominum est. *Id. Tusc.* 3, 18. Huic acipenserem potius, quam libellum dabis. *Hor. Sat.* 2, 2, 47. Haud ita pridem Galloni praeconis erat acipensere mensa Infamis. [**Cic. Fin.* 2, 8.] *Ov. Halieut. fin.* Tuque peregrinis acipenser nobilis undis. *Martial.* 13, 91. Ad Palatinas acipensem mittite mensas. (*Acipensis* legitur etiam in titulo ejus epigrammatis.) *Manut.* conj. *acipensera*, quae graeca est positio, nec locum habere videtur in voce latina. [*Recte se habet forma *acipensis.* V. *Schneid. Gr.* P. II. T. I. p. 294. sq. coll. p. 170. sq.] Qui *accipenser* vel *accipensis* scripserunt duplici *cc*, male scripserunt. Apud *Festum* scriptum legitur *aquipenser* [*gr. voc. commendat scripturam receptam]. ℙ Haec ad usum vocis dicta sint. Quodnam vero piscis genus hoc nomine significetur, nihil certi affirmare possumus. Qui eundem ac helopem seu elopem esse putarunt, refelluntur auctoritate *Ovidii Hal.*, ubi alterum ab altero secernit, et *Columellae*, qui 8, 16. scribit, solo Pamphylio mari helopem pasci. [*cf. *Salm. l.* mox *c.*] *Plin.* 9, 17, 27. ita describit: apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser unus omnium squamis ad os versis: contra aquam nando meat. *Hard.* ex mss. legit *contra quam in nando meant*, hoc est: contra quam in natando ceteri pisces omnes meant; nam illi quia squamas habent ad caudam versas, secunda squama nare dicuntur: at adversa acipenser, quia ad os versas squamas habet. [*cf. *l. Macrob.*] *Rondeletius l.* 14. *c. ult.* cum *Scaligero* et *Aldrovando l.* 4. *c.* 9. arbitratur esse *sturionem* [nobis Stör, sed hic etiam fluviatilis est, nec solum marinus; [*atqui acipenserem maximum esse tradit *Plin.* 32, 11.] nec squamas habet ad os versas. *Salm.* quoque *Exerc. Plin. p.* 1316. diserte negat, acipenserem esse sturionem. Alii silurum esse putant, alii tursionem. Viderint Ichthyographi. [*Ne hodie quidem quidquam de hujus piscis genere definitum est. De etymol. haec tradit *Salm. l. c.* p. 941. „De acipensere non est dubium, nomen hoc ab acumine rostri factum esse. Antiqui teste Festo *pesnas* dicebant pro *pennis*, et *pennam* pro quacunque re in acumen desinente. Unde *pennatae agnae* pro *spicis aristatis. Aquipesner* igitur primo dicebatur, postea aquipenser et acipenser. Sic *aquipes* et *acuipes*, *ὀξύπους*, *acimanus*, *ὀξύχειρ*, *aquifolium*, *ὀξύφυλλον*, *aquifolia ilex*, *τοῖς φύλλοις ἐπαχανθίζουσα.*]

ĂCĪRIS, fluvius Italiae inferioris prope Heracleam. *Plin.* 3, 11, 15. *Agri* s. *Acri.*

[ĂCĪRIS, idis, et ĂCĪRUS, i, m. *ἀκιρός*, debilis, ignavus. Nomen servile ap. *Murat. Inscr.* 883, 2, 5. Aciris Caesaris Aug. L. ministrat. *h. e.* liberta ministratrix. Et *ib.* 909, 5. Livia Secunda Aciri soror. *F.*]

ĂCIS, cis, et idis, m. *Ἄκις*, fluvius est Siciliae; ex Aetna monte in mare decurrit, prope pagum, cui nunc est nomen *Jaci.* [*In edit. sec. haec habet Forcell.: „nunc *Freddo*, ob ejus frigiditatem, fons est vel fluvius Siciliae in valle Nemorensi. Procedit ex Aetna, et haud procul ab Acesine fl. medio itinere inter Cataniam et Taurominum in mare Ionium influit. Cf. *Salm. Exerc.* p. 80.] In fabulis est, Acin Siculum, filium Fauni et Simethidis Nymphae, hoc est Simethi fluvii filiae, formosissimum pastorem fuisse, cujus amore ardens Galatea cum aliquando una cum ipso sub rupe Aetnae prope littus jaceret, deprehensos Polyphemum rivalem territosque fugasse, et Galateam quidem in mare se mergendo Cyclopis furorem evasisse, Acin vero in medio cursu ingenti saxo ictum obrutum-

que in fluvium sui nominis mutatum fuisse. *Ov. Met.* 13., 8., qui *ib.* 624. Acis erat Fauno Nymphaque Simethide cretus. Et 661. Acidis in gremio residens procul auribus hausi. Et 735. Acin amas praefersque meis amplexibus Acin. De fluvio *id. Fast.* 4, 468. Praeterit et ripas, herbifer Aci, tuas. Adde *Sil.* 14, 221. [**Claud. R. Pr.* 3, 332.] *Servius* tamen ad *Virg. Ecl.* 9, 39. hunc non fluvium, sed fontem, et *Acilium* non *Acin* vocat. ℙ Praeterea Acis insula est una ex Cycladibus, *Plin.* 4, 12, 22. [*deinde Seriphus dicta]. ℙ Quidam scribunt *Acys.* ℙ [Est etiam nomen servile fem. ap. *Murat.* 892, 7. Homerus Drusi Caesar. cubicularius dat Acidi conservae. *F.*]

ĂCISCŬLUS, i, m. parva ascia, ut est in *Glossis Isid.* vel potius parvus malleus, cujus et figura et nomen habetur in veteri nummo ap. *Morell. Thes. numism. familiar. R.* T. 2. tab. 1. in *gent. Valeria.* Habet enim ex altera parte caput mallei, ex altera in cuspidem desinit aliquantum curvatam. Dici autem putant per metathesin pro *asciculus* dimin. ab *ascia.* Fuit autem cognomen L. Valerii: ex cujus gente fortasse fuit Martyr ille Cordubensis, quem *Prudent. περὶ στεφ.* 4, 19. Acisclum vocat per syncopen. V. *Philipp. a Turre de monum. Ant. c.* 2. *p.* 22. [*Etiam apud *Quint.* 6, 3, 53. legitur hoc nomen]. ℙ [In *Gloss. Philoxeni*: Aciscularius, *λατόμος, h. e.* lapicida. *F.*]

ACITARE. V. ACETO.

*ĂCITANONES, um, populus quidam Alpes inhabitans. *Plin.* 3, 20, 24.

ACLASSIS, tunica ab humeris non consuta. *Festus.*

ACLYS, ydis, f. ab *ἀγκύλη, ἀγκυλίς,* jaculum, genus antiqui jaculi exigui et teretis, quod flagello seu loro longissime jaciebatur. Earum binas saltem aut plures etiam ferebant milites in proelio, ut ex *Val. Fl.* loco colligit *Lips. Poliorcet. l.* 4. *dial.* 4. Addit *Salmas.* ad *Trebellii Claud.* 14. ex *Serv.* ad *A.* 7, 730. ita fuisse loro illigatas, ut peracto vulnere ad jacientis manum redirent, cujus quidem rei penes *Servium* sit fides. *Val. Fl.* 6, 99. albentes gemina ferit aclyde parmas. *Virg. A.* 7, 730. teretes sunt aclydes illis Tela: sed haec lento mos est aptare flagello. *Sil.* 3, 362. movet Arbacus arma, Aclyde vel tenui pugnax instare veruto. [*Eadem esse videtur, quae *Caesari b. g.* 5, 46. *tragula.* Sic *Salmas. l. l.* et *Drakenb.* ad *Sil. l. l.* et *Turneb. Adv.* 30, 21.] ℙ Legitur etiam *aclis, aclidis* in quibusdam edd. et mss., sed minus recte. V. *Heyn.* ad *Virg. l. c. F.* *At graeca scribendi ratio non demonstrat, scr. esse *aclys.* Vid. in *Silva* et cf. *Schneid. Gr.* P. I. T. 1. p. 43. sq.]

[ACMAEUS, i, m. *ἀκμαῖος,* florens aetate. Cognomen L. Valerii ap. *Grut. Inscr.* 662, 1. *F.*]

[ACMAZON, ontis, m. *ἀκμάζων,* adolescens, florens aetate. Cognomen Q. Audasii ap. *Grut. Inscr.*368, 7. *F.*]

[ACMĒ, es, f. *ἀκμή,* flos aetatis. Cognomen muliebre ap. *Grut.* 983, 3. Saufeja L. L. Acme uxor. *F.* *Etiam ap. *Catull.* 45, 1. legitur.]

*ACMODAE, arum, septem insulae sunt pone Hiberniam et Scotiam, quae fortasse ad Orcades pertinuerunt, *Plin.* 4, 16, 30. *Mela* 3, 6. ubi Acmodae appellantur.

[ACMŌNENSIS, e, ad Acmoniam pertinens Phrygiae magnae urbem, in cujus numis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 128. *ΑΚΜΟΝΕΩΝ. Cic. Flacc.* 15. Sane nobis prima civitas Acmonensis. *F.* **Plin.* 5, 29, 29.]

ACMŌNĬDĒS, is, m. unus ex Vulcani ministris, *ἀπὸ τοῦ ἄκμονος,* ab incude. *Ov. Fast.* 4, 288. ubi fingere ferrum Brontes et Steropes Acmonidesque solent, *h. e.* Pyracmon.

ACNŪA vel ACNA, ae, f. modus seu mensura agrorum, continens pedes CXX. Videtur esse a graeco *ἄκενα* vel *ἄκαινα* (per syncop.) quae idem significant. *Varr. R. R.* 1, 10. Actus quadratus, qui latus est pedes CXX, et longus totidem, is modus acnua latine appellatur. *Colum.* 5, 1. Actus quadratus undique finitur pedibus CXX., sed hunc actum provinciae Baeticae rustici acnuam vocant. Alii leg. *agnam*, alii utroque loco aliter. [*Vid. interpp. ad *Varr.*]

ĂCOBUM. V. ACOPUM.

[ĂCOEMĒTUS, i, m. *ἀκοίμητος,* ab *α* priv. et *κοιμάω,* dormio; vigil, insomnis. Cognomen A. Postumii ap. *Murat.* 2019, 6. A. Postumus Acoemitus (*leg.* Postumius Acoemetus) doctor Myrmillonum. Hinc Acoemeti appellati fuerunt monachi, qui diu noctuque sacris et in tres ordines divisi, defatigatis integri succederent. *F.*]

*ĂCOENITUS. V. ACOENONOETUS.

ĂCOENŌNOĒTUS, i, m. *ἀκοινονόητος,* vox graeca ab *α* priv., *κοινός,* communis, et *νοητὸς* nom. verbal. a *νοέω,* cogito, h. e. communi sensu carens. [*Sic haec edi curavit *Furl.* Sed *Forcell.* ita scripserat: „ACOENONĒTUS, *ἀκοινώνητος,* vox a gr. *ἄκοινος* (*ἀκοινώνητος*) derivata."] Haec legitur apud *Juvenal.* 7, 218. Discipuli custos praemordet Acoenonoetus. Designat poeta eo nomine hominem paedagogum privatae tantum suae utilitati studentem, et ob id mercedis, quae magistro tota debetur, partem sibi per fraudem retinentem. Ita quidam interpretes. Alii leg. *Acoenitus ipse.* [*Illud verum] Sunt etiam, qui putant ea voce tacite designari *Anicetum*, Neronis paedagogum infamem et scelestissimum, de quo *Suet. Ner.* 35. et *Tac. A.* 14, 3. 7. 8. et 62.

[ĂCOETĒS, ae, m. nomen viri pauperis, ab *α* priv. et *κοίτη* cubile, de quo mentio est ap. *Ov. Met.* 3, 582. *F.* ex app. *Bail.*]

ĂCOETON. V. ACETUM mel.

ĂCŌLYTHUS, Acolutus, et Acolĭtus, i, m. *ἀκόλουθος.* Nomen est ministerii in ecclesia, et dicitur de eo, qui subdiacono inservit in sacrosancto missae sacrificio. *Isid. Orig.* 7, 12. Clericorum gradus et nomina haec sunt: Ostiarius, psalmista, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus etc. *Augustin. ep.* 104. Per dilectissimum filium nostrum Albinum acoluthum. ℙ Triplici ratione scribi potest in penultima: per y, *acolythus*, abjecta priore graecae diphthongi vocali *o:* per *u*, *acoluthus* eadem *y* in *u* conversa, quod Latinis familiare est: et per *i*, *acolithus*, nam et hoc Latini solent aliquando, ut in *silva.*

ĂCŌNE, es, f. *ἀκόνη,* cos. V. Aconitum.

ĂCŌNĪTI, *ἀκονιτί,* adv. gr., quod compositum ab *α* priv. et *κόνις,* pulvis, significat sine pulvere, et translate sine labore, citra negotium: ducta metaphora vel ab athletis, qui pugnantes corpora pulvere inspergebant vel ex eo quod qui pugnant, corporis exercitatione et contentione pulverem excitant eoque resperguntur. Quare vincere sine pulvere est citra laborem vincere: quod *Hor. Ep.* 1, 1, 51. *palmam sine pulvere* dixit, et *Gell.* 5, 6. *impulvereram incruentamque victoriam.* Adverbio *aconiti* opponitur *coniti*, *κονιτί,* quod est cum pulvere, contentione et labore. Graecam vocem utramque latinis litteris scripsit *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 32. Qui pancratio Olympia citra pulveris tactum me (quod vocant aconiti) vicit: coniti Nemaea. [*Nos valde dubitamus, an latinis literis *Plin.* haec verba non scripserit.]

ĂCŌNĪTUM, i, n. *ἀκόνιτον* (n. Wolfswurz, Sturmhut; Aconitum Linn. et maxime Acon. Napellus) herba venenata foliis cyclaminis, aut cucumeris, non pluribus quatuor, ab radice leniter hirsuta: radice modica, cammaro marino simili: quare quidam et cammarum appellavere. Radix incurvatur paulum scorpionum modo, ex quo et scorpion dixere quidam. Fuere etiam, qui myoctonon appellare mallent, quoniam odore mures necat, etiam e longinquo. Nascitur in nudis cautibus, quas aconas (*ἀκόναι*) nominant, unde et nomen habet [*cf. *Ov. l. l.*] nullo juxta, ne pulvere quidem nutriente, ab *α* priv. et *κόνις,* pulvis. Alii ita dictum putant, quod eadem vis ei sit ad mortem inferendam, quae cotibus ad ferri aciem deterendam, statimque admota velocitas sentiatur: cos enim graece *ἀκόνη* dicitur: alii denique ab Acone (*Ἀκόναι*) deducunt, qui locus est circa Heracleam Ponticam, ubi plurimum et praestantissimum nasci dicitur. [*Hanc etymologiam improbat *Salm. Exerc.* p. 619. ubi copiose de aconito dicit et effigiem duplicis aconiti generis exhibet p. 622. sq.] Hanc descriptionem ex *Plin.* 27, 3, 2. desumpsimus. [*cf. *id.* 8, 27. aconitum venenum, quod quidam pardalianches vocant. V. *Schneid.* ad *Aristot. H. A.* 9, 7, 2. T. IV. p. 41. sq. *Beier.* Add. *Voss.* ad *Virg. l. c.*] *Ov. Met.* 7, 418. Quae quia nascuntur dura vivacia caute, Agrestes aconita vocant. ℙ In fabulis est, aconitum natum esse ex spuma canis Cerberi, quo tempore eum ab inferis Hercules vi extraxit. *Ov. l. c.* et *Serv.* ad *Virg. G.* 2, 152. Alii dicunt natum esse ex sanguine Promethei in Caucaso monte vincti et a vulture lacerati. *Auson. Idyll.* 12. *cap. de histor. v.* 10. Sicca inter rupes Scythicas stetit alitibus crux. Unde Prometheo de corpore sanguineus ros Aspergit cautes et dira aconita creat cos. ℙ [*Dicitur etiam omnino de veneno. *Ov. Met.* 1, 147. Lurida terribiles miscent aconita novercae.]

*ĂCONTEUS, i, trisyll. nomen proprium viri, venatoris et militis, gr. *Ἀκοντεύς* (ab *ἀκόντιον*), jaculator. *Virg. A.* 11, 612. *Sil.* 16, 564. *Stat. Th.* 7, 590.

ĂCONTĬAE, arum, m. *ἀκοντίαι,* stellae crinitae [*melius appellabis meteoron] jaculi modo velocissime volantes; nam *ἀκοντίας, ὁ,* jaculum significat. *Plin.* 2, 25, 22. Acontiae jaculi modo vibrantur ocissimo significatu. [Ita legit *Hard.*: at alii rectius *ocissime significantes. F.*]

*ĂCONTISME (Acontisma), oppidum Macedoniae. *Antonin. Itin. Ammian. l.* 26. *Bail. Auctar.*

ĂCONTĬUS, *ἀκόντιος,* Ceus fuit, ex Cea Aegaei maris insula, cujus ad Cydippen et Cydippes ad eum epistolas habet *Ov. Her.* 20. et 21. [*Has epistolas constat esse suspectae fidei neque ad Ovidium auctorem referri. Pluribus rem narrat *Aristaenetus* in *epp. am.*] ℙ Item Acontius Magnesiae vel Boeotiae mons. *Plin.* 4, 7, 12.

ĂCONTĬZO, as, a. 1. *ἀκοντίζω,* proprie est jaculari, graece. Translate *Veg. Veter.* 1, 26. [*et 27.] Ut possit sanguis acontizare per venam.

ĂCONTIZŌMĒNUS, i, m. *ἀκοντιζόμενος,* titulus est cujusdam *Naevii* fabulae, cujus fragmenta aliquot affert *Charis. l.* 2., ut p. 188. *Putsch. Acontizomenus fabula est prime proba* etc. Est autem graeca vox, ab *ἀκοντίζω,* iaculor, et significat jaculo vulneratum.

ĂCŌPOS, i. f. gemma nitro similis, pumicosa, aureis guttis stellata, *ἄκοπος*; ab *α* priv. et *κόπος,* lassitudo, quia cum ea oleum subfervefactum perunctis lassitudinem (si credimus) solvit, inquit *Plin.* 37, 10, 54. [*Aliae *Plin.* edd. *acopis* (*-idis*) habent, sed minus recte.] ℙ Item genus est herbae, alio nomine anagyros, gravis odore, flore brassicae, fruticosa, semen in corniculis non brevibus gerens simile renibus, quod sub vindemiae tempus durescit. *Plin.* 27, 4, 13. [*Erat ejus, teste *Plinio*, in partu usus et in morbis nonnullis.]

ĂCŌPĪCUM, medicamentum, id est acopum, legitur a quibusdam ap. *Plin.* 31, 7, 42., ubi *Hard.* ex mss. *acopum.* [*Recte *Hard.* et est *acopicum* ex Lexicis removendum.]

ĂCŌPUM, i, n. *ἄκοπον,* medicamentum ad levandam lassitudinem reficiendosque nervos laborantes utile: ab *α* priv. et *κόπος,* lassitudo. [*Non erat hoc v. sejungendum ab isto *acopos*, cujus est neutrum.] *Cels.* 4, 31. Ut etiam cum acopo vel liquido cerato cyprino articuli perfricentur. *Plin.* 23, 8, 80. Oleum ex Delphica lauro ad cerata acopumque utile est. *Id.* 29, 6, 37. Murini catuli triti in vino vetere ad crassitudinem acopi. *Cels.* 5, 24. Acopa quoque utilia nervis sunt. Hoc loco *Cels.* acopi compositiones duas tradit. Adde *Scribon. Compos.* 268. et *sqq.* [*et *Veget. A. V.* 2, 11. 54. *Id. ib.* 1, 43. acopo Thermantico renes eorum totumque corpus perunges.] ℙ [In *Not. Tir.* p. 160. legitur mendose *Acobum pro Acopum. F.*]

ĂCOR, ōris, m. aceti sapor, *ὀξύτης. Ulp. Dig.* 18, 6, 4. Periculum acoris et mucoris vini praestare. *Colum.* 3, 21. de vitibus: ut serum fructum cum praecoque elevet, quae res mox acorem facit. [*Id.* 7, 8. Lac celeriter acorem concipit. *F.* *Cf. *ib.* 12, 13. acore vitiari. *Id. ib.* 18. acorem redolere.] *Plin.* 18, 11, 26. Palam est, naturam acore fermentari. De fermento panis loquitur. ℙ Dicitur etiam de sapore acido, qui gustui ingratus non est. *Quintil.* 9, 3. Et habent quandam ex illa vitii similitudine gratiam, ut in cibis interim acor ipse jucundus est. *Plin.* 11, 41, 96. Mirum, barbaras gentes, quae lacte vivant, ignorare casei dotem, densantes id (lac) alioqui in acorem jucundum et pingue butirum etc. [*h. e.* in oxygalam, (Matten) V. OXYGALA. ℙ Translate. *Plin. ep.* 7, 3. Hortor, ut jucundissimum genus vitae nonnullis interdum quasi acoribus condias. *F.*]

ĂCŌRES. V. ACHORES.

ĂCORNA, ae, f. *ἄκορνα,* genus cardui, colore rufo, et succo pingui. *Plin.* 21, 16, 56.

ĂCŌRUS, i, f. et Acorum, n. et graeca terminatione *Acoros* et *Acoron*, *ἄκορος* et *ἄκορον,* herba foliis iridis, angustioribus tamen et longiore pediculo, radice nigra et minus venosa, gustu acri, odore non ingrata et ructum facile ciente. Ita eam *Plin.* 25, 13, 100. describit. Putatur autem eadem esse, quae in officinis calamus aromaticus dicitur. [*n. Calmus. Sed hoc ab aliis negatur. Dixit de ea *Salm. Exerc.* p. 738. et *Hyl. iatr.* p. 35. sq., negans, eandem esse, quae *galanga major* ab aliis dicitur.] *Apul. Herb.* 6. tradit, acoron ab Italis vocari veneriam, et radicem nauticam, si modo de eadem herba loquitur, de qua *Plinius. Cels.* 3, 21. Rosae folia, acorum, amarae nuces etc. *Plin.* 26, 5, 15. Acorum antidotis miscetur. [*Commemoratur etiam a *Veg. Vet.* 3, 57. et *id. ib.* 79. acori Pontici facit mentionem. ℙ Praeterea apud *Plin.* 15, 7, 7. haec leguntur: eadem ratio et in sativa myrto: sed praefertur silvestris minore semine, quam quidam oxymyrsinen vocant, alii chamaemyrsinen (de his v. *Plin. l.* 23. *extr.*): aliqui acoron a similitudine, est enim brevis, fruticosa. Sic ibi *Hard.* Alii *acaron.* Ita igitur significat *ruscum*, n. Mäusedorn.]

ĂCOSMOS, *ἄκοσμος,* vox graeca, qua utitur *Lucr.* 4, 1153. ubi ait puellas sordidas, immundas et foetidas ab amatoribus excusandi causa vocari negligentes in cultu corporis et ornatus parum studiosas: Nigra melichrus est immunda et foetida acosmos. [*Tollendum hoc quoque voc. e Lexicis; in *Lucretii* enim loco, ut reliqua isto in loco, graecis literis scribendum est.]

ACQUĪESCO et Adquiesco, is, evi, etum, n. 3. *ἐπαναπαύομαι,* ex *ad* et *quiesco*, [*est quieti se dare, quietem recipere, quietum fieri, quiescere. Ac primum dicitur de quiete corporis, de somno, et per euphemismum de somno aeterno. Inde transfertur ad res alias, et maxime ad animi tranquillitatem, quum is a cupiditatibus non agitatur (sic in *Cic. l. de fin.*) et omnino affectibus liber est, velut metu (sic in *or. Mil.*) Praecipue vero hoc verbo utuntur, quum dicitur aliquis sive dubitatione exempta nihil amplius quaerere, disputare, desiderare, sive, dum aliquid animum vehementius perturbat, ad aliquam rem confugere in eaque solatium quaerere, avocato a rebus injucundis animo; unde tum omnino significat *consolari se, contentum esse aliqua re.* Hinc putamus satis apparere, neque *gaudere*, neque *assentiri* simpliciter hoc verbum posse explicari. Sed eodem plane modo Graeci

usi sunt v. ἀγαπᾶν. — In ordine locorum afferendorum deserendus nobis fuit auctor.] *Pl. Epid.* 2, 2, 20. Sine respirem, quaeso. *Pe.* Imo acquiesce. *Cic. Att.* 13, 34. Vitandi caloris causa Lanuvii tres horas acquieveram. *Id. Or.* 2, 71. Qui hoc diversorio libenter te acquieturum esse dixisti. *Catull.* 31, 10. Desiderato acquiescere lecto. *Curt.* 9, 8. in lecto. [*Non erat praetereundus locus *Columellae* 4, 12. Teneram vineam melius adminiculo modico, quam vehementi palo acquiescere (niti, sustineri)]. *Id. ib.* 5. *fin.* Acquiescere somno. [*Absolute pro *dormire id.* 8, 6, Cf. 4, 13.] *Nep. Dat.* 11. a lassitudine. [*In aliis libris deest praep., quam tamen defendit *Cellar.* et *Cort.* ad *Sall. Cat.* 4.] *Vell.* 2, 99. a continuatione laborum. *Gell.* 19, 9. Ut interea labor hic vigiliarum suavitate paulisper vocum acquiesceret, *h. e.* cessaret et recrearetur. [*Dicitur etiam de sensu aurium in clausulis periodorum. *Cic. Or.* 59. Quum aures extremum semper expectent in eoque acquiescant.] ℙ Eleganter pro *mori* posuit *Nepos*, hoc est, a laboriosa vita moriendo requiescere, *Annib.* 13. Sic vir fortissimus, multis variisque perfunctus laboribus, anno acquievit septuagesimo. *Val. Max.* 9, 12. *extr.* 1. Inter ipsas custodum manus exoptata securitate acquievit. ℙ De sepultis. *Inscr.* ap. *Spon. Misc.* p. 171. Julia Adepta hic adquiescit. ℙ Translate *Liv.* 4, 60. Res familiaris acquiescit, *h. e.* cessat ab impensis [*non deteritur s. imminuitur. Variis conjecturis h. l. vexarunt. V. *Gron.* et *Drak. Id.* 5, 23. *fin.* ut fessa tam diuturno bello acquiesceret civitas. V. *Drak.* Cf. *Curt.* 4, 4.] *Cic. Fin.* 1, 16. Cujus in animo improbitas versatur, nunquam sinit eum respirare, nunquam acquiescere. *Id. Mil.* 37. Qui maxime Clodii morte acquierunt, per syncopen pro *acquieverunt* [*i. e. quietem recuperaverunt. Paulo aliter *Tac. A.* 14, 64. morte acquiescere, i. e. moriendo ad quietem redigi.] ℙ Significat etiam in re aliqua cum animi quiete et voluptate consistere. *Cic. Att.* 4, 16. Nulla est respublica, quae delectet, in qua acquiescam [*i. e. quae mihi omni ex parte placeat.] *Id. Att.* 13, 13. Crebro regusto tuas litteras: in his acquiesco [*i. e. his me consolor. Cf. *ib.* 7, 11. acquiesco scribens ad te et legens tua. *Id. Fam.* 4, 3. His temporibus habemus aliud nihil, in quo acquiescamus. Cf. *Att.* 12, 18. *Fam.* 4, 6. Non enim nunc domo maerens ad rempublicam confugere possum, ut in ejus bonis acquiescam. *Suet. Cal.* 51. Uno solatio acquiescens. *Curt.* 6, 10. Noxius quum suo supplicio cruciatur, acquiescit alieno. *Id. ib.* Parentem in unico filio acquiescentem (solatium, spem ponentem). Neque aliter *Sen. ep.* 24., quem noster infra minus commode attulerat: existimas, me suasurum, ut meliora tibi ipsi proponas et acquiescas spei blandae. Eodem pertinent verba auctoris *d. b. Afr.* 10. neque quidquam solatii — animum advertebant, nisi in ipsius Imperatoris vultu — huic acquiescebant homines etc.] *Id. Am.* 27. Senes in adolescentium caritate acquiescimus [*i. e. contenti sumus eaque delectamur. *Id. Div.* 2, 2, 5. Qui jam aetate provecti in nostris libris acquiescunt, i. e. his contenti alia non desiderant.] *Id. Dejot.* 2. In tuis oculis, in tuo ore vultuque acquiesco [*i. e. ad te solum dirigitur oratio mea, alios, quos alloquar, non quaero. Similiter *id. Fin.* 3, 2, 6. Facillime in nomine tuo acquiesco, i. e. tuo si possum nomine uti, sufficit hoc mihi eoque delector.] *Suet. Tib.* 56. Nihilo lenior in convictores Graeculos, quibus vel maxime acquiescebat [*i. e. quorum consuetudine plurimum delectabatur, aliorum societatem non nimis expetens. Cf. *Tit.* 7. Simile est, licet non omni ex parte, quod comparant Suetonii interpp., gr. σχολάζειν, ut illud *Xenoph. Cyr.* 7, 5, 39. τοῖς φίλοις σχολάσαι καὶ συγγενέσθαι. Huic magis convenit, quod *id. Tib.* 37. dicit: honori acquiescere. Id vero nobis insolenter dictum videtur. Sic etiam *Sulp. Sev. h. s.* 1, 11. Cumque amore ipsius deperiret, appetitum saepius nec acquiescentem sibi — ubi in re venerea est idem quod *gratificari.* Cf. *ib.* 2, 1.] Sic *id. Vit.* 14. Vaticinante Catta muliere, cui velut oraculo acquiescebat [*i. e. de cujus effatis non dubitabat, ita ut alia non desideraret.] ℙ Item assentiri, fidem habere. *Ulp. Dig.* 38, 1, 7. Et ego acquiesco Celso. *Id. ib.* 27, 4, 1. Sed si reprobata est haec reputatio et adquievit. Huc pertinet et illud *Cic. Ac.* 2, 46. Tu, cum es commotus, acquiescis, assentiris, approbas. [*Indicavimus supra, quo jure *acquiescere* dici possit pro *assentiri*; est contentum esse argumentis allatis, neque addere quidquam ad refutandum adversarium. Non igitur simpliciter potest significare *assentiri*, et abutuntur hoc verbo inferioris aevi scriptores, velut *Hieron. adv. Jovin.* 2. T. 3. f. 36. de Diogene: volentibus eum amicis aut in jumentum aut in vehiculum tollere, non acquievit.]

ACQUĪRO et Adquiro, is, quisivi, quisitum, a. 3. ex *ad* et *quaero* [*significat id. q. parare (propr. sic, ut iis, quae adsunt, aliquid accedat; verum praep. vis paulatim evanuit), comparare, lucrari, gr. προσκτᾶσθαι, ἐπιποιεῖσθαι.] *Cic. Cat.* 3, 12. Mihi quidem ipsi quid est quod ad vitae fructum possit acquiri? [**Id. ib.* 2, 8. de possessione detrahere, acquirere ad fidem. *Tusc.* 1, 45. Nihil enim jam acquirebatur (i. e. poterat adjici, accedere. *Att.* 1, 1. Vides — quam omnes gratias non modo retinendas, sed etiam acquirendas (novas) putemus. Hunc l. addidit *F.*] *Id. Off.* 3, 5. Sibi ut quisque malit, quod ad usum vitae pertineat, quam alteri acquirere concessum est. *Id. Fam.* 10, 3. Omnem tibi reliquae vitae dignitatem ex optimo reipublicae statu acquires. *Suet. Caes.* 60. Nihil se tantum aequisiturum victoria, quantum auferre calamitas posset. *Virg. A.* 4, 175. viresque acquirit eundo (ubi testatur *Pierius*, in omnibus antiquis exemplaribus *adquirit* legi: additque, ita scribi solitum usque ad Antonini Pii tempora, integras fere semper praepositiones in compositis servando: quod aliorum etiam VV. DD. consensu comprobatur. V. quae dicemus in fine *Ad* praep.) *Phaedr.* 1, 14. Acquirere sibi famam. *Tac. H.* 2, 76. summum decus. *Id. ib.* 1, 17. favorem largitione. [**Quintil.* 3, 8. benevolentiam. *Flor.* 3, 13. dignitatem sibi. *Quintil.* 9, 13. gratiam dicendi. *Cic. Caec.* 2. moram.] *Id. A.* 16, 17. pecuniam. *Id. ib.* 15, 37. fidem. *Ib.* 12, 21. triumphos de populis. *Flor.* 3, 12. Galliam, Thraciam, Britannos [*i. e. in potestatem redigens.] In nummo Trajani ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 6. *p.* 420. Arab. adquis. S. P. Q. R. Optimo Principi. [*In nummis antiquis regio *acquisita* non *capta* dicitur, sed *foederata facta* pop. rom., si vera est sententia *Hard.* ad *Plin.* 2, 28. n. 17. — Ceterum addatur locus *Hor. A. P.* 55. Ego cur acquirere pauca, si possum, invideor. Sermo ibi est de fingendis novis verbis.] ℙ Interdum ponitur pro conciliare. [*Non videmus, quid haec differant ab antecc. Est in his quoque locis *parare.*] *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 4. Acquirere odorem vino. *Just.* 4, 4. Legati omni squaloris habitu ad misericordiam movendam acquisito [*fuerunt, qui *ascito* vel *accito* scribendum putarent, quos refutat *Burm. l.* mox *cit.*] concionem deformes adeunt. *Quintil.* 2, 16. Videmus corpora minus egere acquisitae extrinsecus opis. [*Utrumque locum addidit *F.*] *Justin.* 3, 6. Dummodo inimicis suis hostes acquirerent. [**Ov. Met.* 7, 459. Ante tamen bello (ad bellum) vires acquirit (sibi comparat) amicas. Vid. *Burm.* ad *Quintil.* 2, 16. p. 188. sq.] *Id. ib.* 7. Sperantes acquirere se illi posse aut periculum ex invidia, aut ex suspicione proditionis infamiam. [*Eadem ratione *Suet. Cl.* 36. Quum Silio imperium acquiri credidisset. Addatur locus *Quintil.* 1, 1. p. 18. Quantum in infantia praesumptum est temporis, adolescentiae acquiritur i. e. in usum adolescentiae vertitur.] ℙ Absolute positum interdum est divitias acquirere. *Juven.* 14, 125. Mox acquirendi docet insatiabile votum. [**Suet. Cl.* 28.] *Apul. Apolog.* Omnis cupido acquirendi ex opinione inopiae venit. [*Ita etiam *Quintil.* 12, 7. *Decl.* 6, 15. et 302. Quomodo postea vixit? quam frugaliter acquisivit (sc. rem)? Cf. *Burm.* ad 1, 12.] ℙ In praeterito pro *acquisivi* dicitur etiam *acquisii. Ulp. Dig.* 29, 4, 1. Si non acquisiit hereditatem. Adde 22, 1, 11. et 23, 3, 5. et 38, 5, 1. ℙ In aliis etiam praeteritis crebrius leges *acquisieram*, *acquisiero*, *acquisissem*, quam *acquisiveram* etc., licet et hoc recte dicatur. V. in fine *Audio.* [*Permutantur a librariis *acquirere* et *anquirere.* Vid. *Gernh.* ad *Cic. Off.* 1, 3, 9.]

ACQUISĪTIO, onis, f. ἔκτησις, [*imo προσκτησις; illud graecum non est] actus acquirendi. *Tertull. Exhort. ad cast.* 12. Temperantissimus in acquisitionibus. *Justinian. Instit. l.* 3. *t.* 10. Acquisitio, quae per adrogationem fit. ℙ De aquarum collectione *Front. Aquaed.* 10. Adjuvatur fons ex compluribus aliis acquisitionibus. Adde 69, 70. et 77.

ACRA, orum, n. plur. τὰ ἄκρα, graeca vox *cacumen* significans. *Apul. de mundo p.* 285. Nysae juga, et penetralia Coryci, et Olympi acra, et Ossae ardua extollunt: at mss. et praestantiores edd. habent *Olympi sacra. F.*] Est etiam *acra*, *ae*, f., a graeco ἡ ἄκρα. Hinc Salentinum promontorium, quod nunc *Capo di S. Maria di Leuca* dicitur, olim magnae Graeciae incolae *Acran Iapygiam* vocabant, inquit *Plin.* 3, 11, 16. [*Sic *Lepte Acra* (Lepteacra), promontorium in sinu Arabico. *Plin.* 6, 29, 34. *Solin.* 56. V. *Salm. Exerc.* p. 875.] ℙ Et *Acrae*, *arum*, urbs est Siciliae excisa, in finibus Syracusanorum, ita dicta, quod edito loco sita sit. *Sil.* 14, 206. Non Thapsos, non e tumulis glacialibus Acrae Defuerunt. [Adde *Liv.* 24, 36. *F.* ℙ *Item oppidum in Chersoneso Taurica. *Plin.* 4, 12, 26.]

*ACRABATĒNA, ae, sc. regio, Ἀκραβατηνὴ (χώρα) in provincia Syria. *Plin.* 5, 14.

*ACRAEPHIA, ae, Ἀκραιφία, oppidum Boeotiae. *Liv.* 33, 29. *Plin.* 4, 8, 12.

[ACRAEUS, a, um, qui est in acra seu summitate. Ita appellantur Juppiter et Juno ap. *Liv.* 38, 2. Circa templum Jovis Acraei posuit castra. Et 32, 23. Promontorium est adversus Sicyonem Junonis, quam vocant Acraeam, in altum excurrens. *Addiderunt *Bail.* et *Furl.* Fuit etiam *Fortuna Acraea.* Vid. interpp. *Liv.* Cognomen videntur traxisse a templis alto loco aedificatis.]

ĀCRĀGANTĪNUS, a, um, adj. ad Acragantem pertinens, ut Acragantinus Empedocles, ap. *Lucr.* 1, 716. ubi alii plerique legunt *Agrigentinus*, quod idem est. [**Plin.* 35, 15, 51. Acr. fons].

ĀCRĀGAS, antis, m. Ἀκράγας, mons Siciliae, non procul a Pachyno promont. cum oppido ejusdem nominis, quod Agrigentum alias dicitur, nunc *Gergenti*, *Agrigento. Virg. A.* 3, 703. Arduus inde Acragas ostentat maxima longe Moenia. *Ov. Fast.* 4, 475. Himeraque, et Didymen, Acragantaque, Tauromenonque. Acraganta *acc. gr.* [*Acragas etiam fluvius prope Agrigentum; item nobilissimi caelatoris nomen. *Plin.* 33, 12, 55.].

ĀCRĀTOPHŌRUM, i, n. ἀκρατοφόρον, parvum vas ad merum vinum continendum: ab ἄκρατος, merus, et φέρω, fero, contineo. Meminit *Pollux* 6, 16. et 10, 20., additque priore loco fundum habuisse astragali figura. [*Haec ejus verba: ψυκτὴρ πολυθρύλλητος, ὃν καὶ δῖνον καλοῦσιν, ἐν ᾧ ἦν ὁ ἄκρατος. Οἱ πολλοὶ δὲ ἀκρατοφόρον αὐτὸν καλοῦσιν.] Tametsi vox graeca est, tempore *Ciceronis* in latinam linguam irrepserat obtinebatque, ut idem aperte indicat *Fin.* 3, 4. V. EPHIPPIUM. ℙ An vero eundem apud Latinos usum formamque eandem habuerit, difficile est definire. *Varr. R. R.* 1, 8. Ea minus sumptuosa vinea, quae sine jugo ministrat acratophoro vinum, *h. e.* ea vinea (vitis) minus est sumptuosa, quae sine jugo tantum vini suppeditat, quantum implendo acratophoro satis est. Alii leg. *ministrat acratophoron vinum.*

[ĀCRĀTUS, i, m. ἄκρατος, merus, purus. Cognomen L. Valerii apud *Oderic. Syllog. p.* 238. *n.* 79. *F.*]

ĀCRE, adv. V. ACER adj.

ĀCRĔDO, inis, f. acer et mordax sapor, acrimonia, ὀξύτης. *Pallad.* 2. *Jan.* 15, 19. Nuces servantur vel paleis obrutae, vel arena — vel caepis mixtae, quibus hanc vicissitudinem — reddunt, ut eis acredinem tollant. [**Plin. Val.* 1, 25. acredinem habere.]

ĀCRĔDŬLA, ae, f. avis quaedam, quam alii lusciniam putant esse, ut *Isid. Or.* 12, 7.: alii ululam (quod maxime probandum) quam avem solitariam esse *Theon* adnotavit ap. *Aratum*, cujus verba mox referemus: [*ululam esse maxime defendit *Salmas.* ad *Solin.* p. 942., ὀλολυγόνα etiam a Graecis dici ab *acri* et acuta voce quam edat, observans] alii alaudam, alii ravarinum. *Auct. carm. de Philom.* 15. Vere calente novos componit acredula cantus, Matutinali tempore tunc mitilans. ℙ Sunt qui putent, non avis, sed loquacis et stridulae ranae [*rana arborea esse putatur] genus esse, quod versum illum Arati, Ἦ τρύζει ὀρθριόν ἐρημαίη ὀλολυγών, ita vertit *Cic. Div.* 1, 8. Et matutinis acredula vocibus instat; ὀλωλυγών autem inter alia etiam ranam significat et ranae cantum. Sed hoc videtur ineptum. ℙ Legitur et *agredula.*

ĀCRĔMENTUM, i, n. idem quod acredo. Legitur in quibusd. codd. ap. *Plin.* 20, 7, 26. *Acrementum aceti temperantes.* Ubi plerique alii melioresque habent *ad intinctum aceti temperantes.*

[ACRENSIS. V. ACRINUS *F.*]

[ĀCRĔOPHĀGIA, ae, f. dapis genus sine carne, cui unus inest seri gustus lacte admixto: ab α priv., κρέας, caro, et φάγω, comedo. *Petron. fragm. Trag.* 16. *Burm.* Serisapia, et contumelia; acreophagiae adlatae sunt, et contus cum malo. Ita legit et interpretatur vocem *Franc. Oriolius* in *Opusc. letter. di Bologna T.* 1. p. 114. In *cod. Tragur.* est *aecrophagiae. F.* *Haec *Oriolii* explicatio non magis quam ejus scriptura ferri potest. Gr. enim voc. nullum est ac minus etiam illud significare potest, quod Italus vult. Omnino locum pessime attulit, qui in recentioribus edd. ita exhibetur: „allata est *seria sapae*, et contumelia aerophagiae (i. e. volatilium); simul datae sunt et *cenchrites* cum malo, porri et persica, flagellum et cultrum.“ Sequitur statim: accepit *passeres*, quod referendum esse videtur ad *aerophagiam.* Praeterea hoc voc. propius ad vestigia cod. accedit.]

ĀCRESCO, is, n. 3. acrem acidumque saporem sumere. *Veg. Vet.* 4, 8. Ova quoque trita cum hemina vini veteris optimi faucibus infundes, ut per ovi refrigerium vini virtus acescat. [Ita perperam quaedam edd., cum *Gesn.* et *Schneid.* ex codd. legant *accrescat*, quod unice probandum. *F.*]

*ACRIAE, plur. oppidi nomen in Laconica, ad sinum Laconicum in regione Helia. *Liv.* 35, 27. ubi v. interpp.

ĀCRĬCŬLUS, a, um, adj. aliquantum acer et vehemens. *Cic. Tusc.* 3, 17. Et hoc ille acriculus, me audiente, Athenis senex Zeno contendere solebat. Ita *Turneb. Gebhardus* aliique depravatum locum feliciter restituerunt.

ĀCRĬDIA, ae, f. vel Acridium, ii, n. herba eadem, quae scammonia, ita dicta fortasse ab acrimonia succi. *Isid. Or.* 17, 9. Scammonia, quam Latini acridiam vocant. Alii leg. *acridium.*

ĀCRĬFŎLIUM, ii, n. arbor quaedam, quam inter infelices enumerat *Tarquitius Priscus* ap. *Macr. Sat.* 2, 16. Infelices autem arbores eas dici ait, quae inferum deorumque avertentium in tutela sunt. ℙ Scribitur et *agrifolium*, et *acrufolium*, et *aqui-*

folium [*et *acuifolium.*] V. in AQUIFOLIUS. [At *acrifolium* legitur in *Not. Tir.* p. 170. *F.*]

ĀCRĬFOLĬUS, a, um, adj. V. AQUIFOLIUS.

*ACRILLAE, arum, opp. Siciliae. *Liv.* 24, 35, 8. Vid. ibi *Drak.*

ĀCRĬMŌNĬA, ae, f. δριμύτης, vis acris et mordax saporis, acritas, gustus asperitas. *Plin.* 12, 19, 42. Acrimonia origani. *Id.* 18, 13, 34. sinapis. *Id.* 24, 14, 78. Dulcis cum quadam acrimonia. *Colum.* 12, 14. Foetentes acrimoniae allii vel caeparum. *Plin.* 23, 8, 74. Nuclei nucis pineae sitim sedant et acrimoniam stomachi rosionesque. Et 22, 25, 78. acrimonias discutere. ℙ Dicitur etiam de rei alicujus acerbitate mordaci, quae tactu percipitur. *Cato R. R.* 157. Si ulcus acrimoniam brassicae ferre non poterit, farinam hordeaceam misceto. ℙ Translate ponitur pro severitate, acerbitate, vehementia, [*δεινότης, in oratore est vehementia cum gravitate composita.] *Cic. Verr.* 1, 17. Si Glabrionis patris vim et acrimoniam ceperis ad resistendum hominibus audacissimis. *Auct. ad Her.* 4, 13. Haec exornatio cum multum venustatis habet, tum gravitatis et acrimoniae plurimum [*cf. *ib.* 24. In pronuntiando opp. *sermoni ib.* 4, 42.] ℙ *Nonius* acrimoniam *animi vivacitatem* exponit (2, 36.), ubi *Naevius*: Feri ingenii atque animi acris acrimonia. *Auct. ad Her.* 3, 15. Convenit igitur in vultu pudorem et acrimoniam esse [*V. quae in v. *Acer* commemoravimus. Ceterum *acrimonia* sic differt ab *acerbitate*, ut hoc in malam semper dicatur partem, illud autem acerbitatem cum jucunditate quadam mixtam significet, ut monstrant exempla.]

*ĀCRĬMŌNĬUM, ii. Ἀποτομία, acerbitas, acrimonium. *Gl. gr. lat.* (Ex *Bail. Auctar.*)

[ĀCRĪNUS, a, um, ad Acras pertinens, urbem inter Syracusas et Pachynum a Syracusanis conditam, teste *Thuc.* 4, 5., nunc *Pallazzurlo*, in cujus nummis ΑΚΡΑΙΩΝ. De ea *Sil.* 14, 207. *Cic. Verr.* 2, 3, 43. Citarinos, Acrinos, parvarum civitatum homines (male in editionibus *Acherinos*) [*libri ita habent; et exhibuit *Orelli.*] ℙ *Plin.* 3, 8, 14. eos appellat Acrenses. *F.*]

ĀCRIS. V. ACER.

*ĀCRĪSĬŌNE, es, f. Ἀκρισιώνη, patronym. h. e. Danae Acrisii Argivorum regis filia. *Virg. Catal.* 11, 33. Regia non Semele, non Inachis Acrisione, Immiti expertae fulmine et imbre Jovem. *Bail. Auctar.*

ĀCRĪSĬŌNĒIS, idis, f. adj. patron. *h. e.* Danae Acrisii filia. *Virg. A.* 7, 409. Dea tollitur alis Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem Acrisioneis Danae fundasse colonis. *Servius* recte monet, *Acrisioneis* non cum *colonis*, sed cum *Danae* convenire: sermo enim est de Ardea urbe, quam Danae cum filio Perseo in ea loca casu delata condidit, non Argivis hominibus, quorum neminem secum adduxerat (nec ulli tunc ibi Argivi erant) sed accolis Italis, qui proinde *Acrisionei coloni* vocari non possunt. V. DANAE. [*Jure, ut videtur, *Heynius* aliique *Servii* improbant sententiam. Ceterum diversae sunt de isto loco VV. DD. sententiae. V. *Heyn.*]

ĀCRĪSĬŌNĒUS, a, um, adj. Ἀκρισιώνειος, ad Acrisium pertinens. *Ov. Met.* 5, 238. Nam fratre per arma fugato Acrisioneas Proetus possederat arces, h. e. Argos, Acrisii Argivorum regis urbem. *Colum.* 10, 205. Acrisionei amores, *h. e.* amores Danaes Acrisii filiae. *Sil.* 1, 661. Acrisionei muri, *h. e.* Ardea a Danae condita.

ĀCRĪSĬŌNĬĀDĒS, adis, m. Ἀκρισιωνιάδης, patron. *h. e.* Perseus Danaes filius, Acrisii nepos. *Ov. Met.* 5, 69. Vertit in hunc harpen spectatam caede Medusae Acrisioniades.

ĀCRĪSĬUS, ii, m. Ἀκρίσιος, Abantis Argivorum regis filius et pater Danaes. Hic cum apud Argos annis uno et triginta regnasset, a Perseo nepote suo, licet non sponte, occisus est. *Ov. Met.* 4, 606. ℙ Acrisius alter pater fuisse creditur Laertae patris Ulyssis, Jovis filius. *Ov. Met.* 13, 144. Sed ibi leg. *Arcesius.* V. h. v.

ĀCRĪTĀS, atis, f. idem quod acritudo. *Gell.* 13, 3. Nihil quicquam interest suavitudo dicas an suavitas, acerbitudo an acerbitas, acritudo an, quod Accius scripsit in Neoptolemo, acritas. *Accius* autem ap. *Non.* 8, 80. translate usurpavit pro vehementia: vis veritatis atque acritas.

ĀCRĪTĀS, gr. Ἀκρίτας, duplex promontorium, alterum Bithyniae ad Bosporum Thracium, nunc *Capo Acria;* alterum Messeniae, confinis Methones, nunc *Capo di Gallo*, aliis *Capo Venetico*, de quo *Plin.* 4, 5, 7. et *Mela* 2, 3, 8. [*7, 10.]

ĀCRĪTER, adv. δριμέως, ἐντόνως, σφόδρα, vehementer, strenue, alacriter, fortiter, intento animo aut viribus: ab *acer*, *acris* [*de quo quae supra diximus, valent etiam de adverbio. Dicitur primum de *visus* acie. *Cic. Tusc.* 1, 30. acriter intueri. *Flacc.* 11. acerrime contemplari. Inde refertur ad aciem *mentis. Cic. Pis.* 28. Adolescens non acriter intelligens. *Quintil.* 1, 5. Acriter se in illud tenue discrimen grammaticus intendat. *Id.* 10, 1. acriter argumentari. *Suet. v. Pers.* acriter philosophari.] *Ov. Rem. am.* 651. Flumine perpetuo torrens solet acrius ire. *Cic. Or.* 2, 43. Acrius persequi aliquid. *Id. Fam.* 10, 28. Acerrime agere aliquid. *Liv. prooem.* Acriter animum intendere. [*Sil. 1, 333. vires.] *Id.* 27, 1. pugnam inire. *Cic. Fam.* 10, 30. acriter (fortiter) pugnare. [*Cf. *Tac. A.* 13, 25. *Sall. Jug.* 107. in perculsos Romanos acrius incedere. *ib.* 30. acriter Numidiam ingressus est. V. *Wass. ib.* 62. acerrime rem gerere (fortissime pugnare). *Tac. A.* 13, 34. acriter sumere bellum. Sed haec sunt satis frequentia. Ejusdem generis sunt *Cic. Fl.* 10. acriter et vehementer dicere. *Quintil.* 9, 4. acriter dicere (addit *instanter pugnaciterque*)]. *Cic. Mil.* 34. Acriter se morti offerens. *Sall. Jug.* 26. urgere. Et 99. instare. [*Id. *Jug.* 64. niti. *Tac. A.* 13, 13. Acrius accendere (aliquem). Similiter *Sil.* 9, 55. Quo verteret acrius (i. e. citius et fortius) aegras Ad Tyrios mentes.] *Cic. Fam.* 15, 4. *med.* Acerrime exspectare. *Hor. Sat.* 2, 3, 92. acrius (diligentius, studiosius) cavere. *Tac. A.* 6, 45. Gratiam Caesaris acrius fovere. [*His adde *Sil.* 6, 624. acriter (diligenter et sedulo) parcere. *Cic. Att.* 10, 16. acerrime asservare consilium. *Tac. A.* 6, 45. acriter fovere spem. *ib.* 4, 54. Id quo acrius (accuratius) experiretur. *Curt.* 7, 8. acrius cupere. *Tac. H.* 1, 13. acriter (cupide, avide) rapere spem. *Nep. Ann.* 7, 1. acerrime occupatus. *Claud. l. Stil.* 2, 134. acriter effeminare.] *Pl. Pseud.* 1, 3, 39. Acriter egere. *Plin.* 37, 5, 18. Smaragdi acriter virides. In mss. teste *Hard.* habetur *alacriter.* ℙ Item severe, crudeliter, rigide, aspere. *Cic. Verr.* 2, 5, 54. Virgis acerrime caedere. *Tac. A.* 3, 51. Acriter ulcisci injurias. [*Sall. Jug. 19. acerrume exercere victoriam.] *Pl. Cist.* 1, 1, 100. Acriter inclamare aliquem. [*Cic. Att. 7, 5. acerrime vituperare. *Curt.* 4, 13. acrius increpare. *Quintil.* 6, 4. propulsare.] ℙ [*Confunduntur *acriter* et *alacriter*. V. etiam varr. lectt. ap. *Liv.* 27, 1, 7.]

ĀCRĪTŪDO, inis, f. δριμύτης, ὀξύτης, vis admordendi dissolvendique, qualis in aceto est. *Vitr.* 2, 9. de cupressu et pinu: liquor, qui inest, habet amarum saporem, qui propter acritudinem non patitur cariem penetrare. *Id.* 8, 3. Propter acritudinem succi. ℙ Translate *Gell.* 10, 27. Par fuit quondam vigor et acritudo amplitudoque R. populi et Poeni, *h. e.* vis, fortitudo. [*Cf. Taciti locus similis supra in v. *Acer*. *Actius Neopt.* Haut quisquam potens est, tolerare acritudinem. *Apul. Met.* 9. Nosti quendam barbarum, nostrae civitatis decurionem, quem Scorpionem prae morum acritudine (i. e. austeritate) vulgus appellat.]

ĀCRĪZYMUS, leviter fermentatus, quasi acroazymus, *h. e.* de pane, qui in summo tantum fuit fermento imbutus. Sunt haec *Isidori Or.* 20, 2.

ĀCRŌĀMA, atis, n. ἀκρόαμα, vox graeca est, et quidem apud Graecos variae significationis. Apud Latinos generatim significat quidquid auditu jucundum est. Speciatim vero significat musicam tibicinum symphoniam, quae olim apud veteres in agendis fabulis adhibebatur, ut non solum histrionum voce et gestu delectarentur spectatores, sed sono etiam immixto musicorum instrumentorum: item in conviviis, praesertim solemnioribus. *Suet. Vesp.* 19. Ludis, per quos scena Marcelliani theatri restituta dedicabatur, vetera quoque acroamata revocaverat. Hinc in glossis Isidori legitur: Acroama, auditio lyrarum et tibiarum. Adde *Plin. ep.* 6, 31. [*Dubitatum est a VV. DD., an nusquam de *re*, sed semper de *persona* hoc verbum usurpaverint. Extat de ea re *Ernestii* disputatio in *Exc.* VIII. ad *Suet.* Certe in iis locis, qui afferuntur, nullus est, qui clare ostendat, acroama de *auditione*, ut explicat *Isidorus*, de re, quae auditur (ut nonnunquam in graeco sermone; v. *Xenoph. Symp.* 2, 2.) intelligendum esse. Nam certe *Suetonii* et *Plinii* verba, quae noster attulit, illud non probant. Unus est locus, de quo ambigi possit, *Cic. Arch.* 9. Themistoclem dixisse ajunt, cum ex eo quaereretur, quod acroama aut cujus vocem libentissime audiret, ejus, a quo sua virtus optime praedicaretur. Provocavit ad h. l. etiam *Manut.* ad *or. Sext.* Certe quae de h. l. disputavit *Ern.*, nobis non ab omni parte probantur. Videtur ibi de poemate intell. esse, quod lyra concinente recitabatur. Ceterum cf., quae ad *Ern. exc.* attulit *Wolf.*, *Schaef.* ad *Plin. ep.* 6, 31, 13. et 9, 17. *Rupertus* ad *Juven.* 11, 177. *Wernsdorf.* ad *Poet. lat. min.* IV. p. 567. sq.] ℙ Dicitur etiam de ipso tibicine aut symphoniaco puero, qui ad tibia lyrave canendum adhibetur, metonymice. *Suet. Aug.* 74. Et aut acroamata, aut histriones, aut etiam triviales ex circo ludios (conviviis) interponebat. *Cic. Sext.* 54. Ipse ille maxime ludius, non solum spectator, sed actor et acroama. Ubi *Cicero* aperte significat tibicinem, qui histrioni fabulas agenti adstat musico sono. *Macr. Sat.* 2, 4. Delectatus inter coenam erat symphoniacis Toronii Flacci mangonis, atque eos frumento donaverat, cum in alia acroamata fuisset nummis liberalis. *Lamprid. Al. Sev.* 34. Nanos, et moriones, et vocales exoletos, et omnia acroamata, et pantomimos populo donavit. Huc et illa pertinent: *Nep. Att.* 14. Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit, quam anagnosten. Quaedam edd. hoc loco habent ἀκρόαμα graecis litteris. [*Inscr.* ap. *Passionei* p. 150, 3. Demetriae Actes Aug. L. Ser. acroamat. Graecae, *h. e.* servae acroamati. *F.*] ℙ Item pro festivo narratore vel recitatore jocorum ad risum movendum [*scurrae, γελωτοποιοί. Appellabantur acroamata non solum, qui cantu tibiarum et voce, sed etiam facetis dictis convivas oblectabant. De Cic. loco assentitur nostro *Ernest.* Eodem putant referendum esse *Valer. Max.* 1, 7, 4., ubi tamen scriptura dubia est.] Hujusmodi autem homines (quemadmodum et tibicines) in conviviis divitum interesse solebant, ut coenantes oblectarent, donabanturque munere aliquo post coenam. *Cic. Verr.* 2, 4, 22. Hic quasi festivum acroama, ne sine corollario de convivio discederet, ibidem convivis spectantibus, emblemata evellenda curavit. *Manut.* hunc locum de tibicine intelligit, sed cum *Cic.* addat festivum, aptius de recitatore exponi videtur. ℙ *Prudent. περὶ στεφ.* 3, 323. *acroma* dixit per syncopen metri causa: egon cachinnis venditus Acroma festivum fui? Quod etiam extra carmen legisse se in quadam veteri editione *Lampr. Al. Sev.* 34. testatur *Salmasius.* ℙ [In *Inscr.* ap. *Gud.* 106, 1. bis legitur *acruama* pro *acroama. F.*]

ĀCROĀMĀTĬCUS. V. ACROATICUS.

ĀCRŌĀSIS, is, f. ἀκρόασις, vox graeca, quae auditionem significat, et a Latinis usurpatur pro erudito sermone seu disputatione (schola), quae a magistro alicujus artis coram multis audientibus habetur, et (ut vim vocis exprimamus) audiendo percipitur; nam ἀκροάομαι *audire* significat. Hinc et ipsa latine *auditio* appellatur. *Vitr.* 10, 22. Eo tempore quidam architectus nomine Callias, Rhodum cum venisset, acroasim fecit, exemplumque protulit muri etc. *h. e.* disseruit, disputavit, docuit multos audientes. *Suet. Gramm.* 2. Per omne legationis tempus plurimas acroases subinde fecit assidueque disseruit. *Senec. excerpt. Controv.* 4. *praef.* Acroases suas nunquam populo commisit. In multis tum *Suet.* tum *Sen.* edd. ἀκροάσεις legitur graece scriptum. ℙ Sumi etiam videtur pro ipso loco, in quo disputatur aut disseritur, quemadmodum et *auditio* et *concio. Cic. Att.* 15, 17. Et mehercule ipsius litterae sic et φιλοστόργως et εὐπινῶς scriptae, ut eas vel in acroasi audeam legere. [*Etiam h. l. videtur de conventu doctorum hominum, de schola intelligi posse. Praeterea ne scriptura quidem satis certa est. V. *Wieland.*]

*ACROATHON. V. ACROTHOON.

ĀCROĀTĬCUS, et Acroamaticus, a, um, adj. ἀκροαματικὸς et ἀκροατικός, qui auditur, *h. e.* auscultatorius, vox graeca ab ἀκροάομαι, audio. *Gell.* 20, 5. docet, Aristotelem commentationes suas in duo genera divisisse, alias vocando *acroamaticas*, in quibus subtilior remotiorque a vulgi captu philosophia continebatur, ad cujus auditionem eos solos admittebat, quorum antea ingenium et sciendi studium explorasset: alias *exotericas* appellando, in quibus ea, quae ad rhetoricam pertinent civiliumque rerum notitiam, ad omnium captum accommodata complexus est: ad quae audienda omnes vulgo nullo adhibito delectu admittebat. Hanc vocem *Gell.* eo loco modo graecis litteris scribit, modo latinis. Praeterea in multis ejus edd. tum graece ἀκροατικὸς legitur, tum latine *acroaticus*, quod idem significat [*non sane prorsus idem, ut lexica gr. docent; usu differunt.] Ideo autem *Aristoteles* acroamatica vel acroatica dixit ea, quae nobiliorem difficilioremque philosophiae partem continebant, quia, ut intelligi possent, necesse erat a viva praeceptoris voce audiri et percipi. Exoterica autem, ἐξωτερικά, nominavit faciliora et vulgo exposita, quia veluti extra posita et sola lectione sine praeceptoris adjumento a quolibet intelligebantur. ℙ [In *Not. Tir.* p. 172. legitur *acromaticus* pro *acroamaticus.* V. ACROAMA. *F.*]

ĀCROBĀTĬCUS, a, um, adj. ad ascendendum aptus, scansorius, ἀκροβατικός, vox graeca a βατέω, vado et ἄκρον, summitas. Acrobaticae machinae, de quibus *Vitr.* 10, 1., dicuntur, quae erectis transversisque tignis inter se colligatis praebent ascensum ad altiora: quales sunt, quas fabri murarii in aedificando adhibent, et quas pictores, dum in edito pingunt; item pegmata etc. [*Cf. *Bald.* ad *h. l.* qui intelligit de pegmatibus, quae vulgo *castella* appellant. Ceterum Vitr. has scansorias inter bellicasne machinas an alias rejiciat, non liquet. Verba enim: *ut sine periculo scandatur ad apparatus spectationem* ambigua sunt, nec scias, utrum de bellicis an theatralibus intelligenda. *Beier.*] In multis Vitruvii edd. graece scribitur.

ĀCROCĔRAUNĬA, orum, n. plur. Ἀκροκεραύνια, montes altissimi inter Albaniam et Epirum, qui Epirum a Macedonia separant et vulgo dicuntur montes Diaboli et *Monti della Chimera*, a Chimaera urbe illis insidente. Dicti sunt quasi ignitas habentes a fulminibus summitates, quia crebro fulminibus infestantur, ut docet *Serv.* ad *A.* 3, 506.; κεραυνὸς enim fulmen significat et ἄκρον summitatem. [*Isidor. Or. 4, 8. Acroc. montes propter altitudinem et fulminum jactus vocati sunt.] Iidem etiam *Ceraunia* a *Virg. l. c.* et *Ceraunii montes* a *Mela* 2,

3. et aliis dicuntur. *Plin.* 3, 23, 26. Inde initium Epiri, montes Acroceraunia, quibus hunc Europae determinavimus sinum. ℙ Horum ima pars in mare Ionium porrigitur et promontorium efficit, quod Acroceraunium dicitur a *Plin.* 3, 11, 15. et *ib.* 26, 29., circa quod mare procellosum est et navigantibus infestum. *Hor. Od.* 1, 3, 20. Infames scopulos Acroceraunia. [*Vid. ibi *Bentl.*] ℙ Translate ponitur pro quovis loco periculoso. *Ovid. Rem. am.* 739. Haec tibi sint Syrtes: haec Acroceraunia vita.

ACROCERAUNIUM, ii, n. *Capo della Chimera* vel *della Lenguetta*, promontorium Epiri prope Aulonem, pars Acrocerauniorum. V. v. pr.

ACROCERAUNIUS, a, um, adj. ad Acroceraunia pertinens, ut Acroceraunii montes *Plin.* 4, 1, 1.

ACROCHORDON, ōnis, f. *ἀκροχορδών*, verrucae genus, ubi sub cute coit aliquid durius et interdum paulo asperius, coloris ejusdem, infra tenue, ad cutem latius, idque modicum est, quia raro fabae magnitudinem excedit: vix unum tantum eodem tempore nascitur, sed fere plura, maximeque in pueris: eaque nonnunquam subito desinunt, nonnunquam mediocrem inflammationem excitant: sunt etiam quae in pus convertuntur. Ita *Celsus* 5, 28. *n.* 14. Dictum autem videtur ab *ἄκρον*, summitas et *χορδή*, chorda, quia in summitate simile est chordae resectae. Huic contrarium est, quod ad figuram attinet, aliud, quod dicitur *thymium*, *θύμιον*, quod super corpus quasi verrucula eminet, ad cutem tenue, supra latius, subdurum et in summo perasperum idque summum colorem floris thymi repraesentat, unde ei nomen est. *Cels. l. c.* Acrochordon et thymium saepe etiam per se finiuntur, et quo minora sunt, eo magis. Et mox: Acrochordon, si excisa est, nullam radiculam relinquit.

[ACROCOLIUM, ii, n. *ἀκροκώλιον*, ex *ἄκρος*, summus et *κῶλον*, membrum, trunculus. *Coel. Aur. Acut.* 1, 11. Crura porcina, quae Graeci acrocolia vocant. *Bail. Auct.* *Ap. *Veget. A. V.* 2, 47. quod legitur: si coxam fregerit aut *acroceria* — alii mutaverunt in *acroteria*, gr. *ἀκρωτήρια*, al. in *acrocolia*.]

ACROCORINTHUS, et graeca terminatione Acrocorinthos, i, f. *Ἀκροκόρινθος*, mons et arx Corintho urbi imminens, ut Ithome Messenae imminebat, in Peloponneso, inter duo maria Aegeum et Ionium, stadiorum trium et dimidiati. Sub ejus radice in plano Corinthus instar mensae jacet. Vertex Acrocorinthi Veneri sacram habuit aediculam, infra verticem Pirene fons effluebat. Hae duae arces, Acrocorinthus et Ithome, Bovis cornua appellatae sunt, hoc est Peloponnesi. Hinc quidam Philippo Macedoni suadebat, ut Bovem cornibus teneret, occupatis nimirum his duabus arcibus. *Mela* 2, 3. Ex summa arce, quam Acrocorinthon appellant. *Plin.* 4, 4, 5. Corinthus ex summa sua arce, quae vocatur Acrocorinthus, in qua fons Pirene, diversa duo maria prospectans. *Stat. Th.* 7, 106. Littora, qua summas caput Acrocorinthus in auras Tollit, et alterna geminum mare protegit umbra.

[ACROCŎRĬUM, *ii*, n. bulbi species est ap. *Plin.* 19, 5, 30. *Hard.* conjicit legendum *acrescorodon*, nulla tamen fretus auctoritate. *F.*]

ACROLĪTHUS, a, um, adj. *ἀκρόλιθος*. Si vocis vim spectes, idem est, qu. in summitate lapidis positus vel lapis summus: ab *ἄκρον*, summitas et *λίθος*, lapis. Videtur tamen poni etiam pro lapideo. *Treb. Poll.* XXX. *Tyrann.* 32. Cujus statuam in templo Veneris adhuc videmus acrolitham, sed auratam. *Salmas.* notat, perperam in quibusdam mss. legi *acrolicam:* alii vero leg. *Argolicam*, hoc est, Argivarum matronarum seu heroinarum habitu vestitam, ut *Casaub.* exponit. *Vitruv.* quoque vocem *acrolithus* habet 2, 8. sed graecis literis scriptam. ℙ [Doctissimus *Winckelmannus Hist. Art. l.* 1. *c.* 2. eas statuas *acrolithas* a Graecis appellatas fuisse dicit, quarum extremae solummodo partes marmoreae erant, ceterae ligneae. Signa enim a Graecis ita facta aliquando scimus, quemadmodum postea ex ebore et auro. *F.* *Ab altitudine ipsius colossi *Bald.* arbitratur statuam ita dictam. *Beier.*]

ACROMA. V. ACROAMA.

ACRON, ōnis, m. Rex Caeninensium, qui cum ob raptas Sabinas bellum cum Romulo Romanisque suscepisset, a Romulo singulari certamine victus est ejusque arma Jovi Feretrio dicata primum fuerunt. *Prop.* 4, 10, 7. Tempore quo portas Caeninum Acrona petentem Victor in eversum cuspide fundis equum: Acron Herculeus Caenina ductor ab arce etc. Al. leg. *Acronta*, ut sit *Acron, ontis. Herculeum* vocat, quia ab Hercule descendebat; Sancus enim, *h. e.* Hercules Curium conditor, primus Sabinorum rex fuit, ut constat ex *Sil.* 8, 420. ℙ [Alius fuit Acron a Mezentio prostratus. *Virg. A.* 10, 719. *F.*] ℙ Fuit etiam *Helenius Acron* nobilis Grammaticus, qui Horatium (et, ut quidam putant, etiam Persium) notis et scholiis illustravit. Ejus aetatem definire perdifficile est. ℙ Ap. *Apic.* 4, 4. ubi legitur, *Colas in cacabo supra acronem colocasium*, est *acron* graeca vox, *ἄκρον*, (quae significat summitatem, verticem) latina inflexione declinata: intelligit autem fortasse summum colocasii caulis verticem, et in eo emergentem multiplicem fabam, quam *ciborium* appellari dicit *Dioscorides*, [*vel, ut alii malunt, tenerum et immaturum ciborium.] *Veget.* quoque *A. Vet.* 1, 56. ponit *acronem salsum porci pinguis*, et significat truncum suis, qui *ἄκρων χοίρειος* graece dicitur. [*Cf. *id. ib.* 3, 66. 4, 8.]

[ACRŌNIUS lacus, *ἀκρωνία λίμνη*, est apud *Melam* 3, 2. Rhenus ab Alpibus decidens prope a capite duos lacus efficit, Venetum et Acronium. *F.* *Putatur esse idem, quem hodie dicimus *See von Uberlingen* (Uberlinger See), pars lacus Brigantini (Bodensee)].

*ACRONOMA SAXA. *Cic. Att.* 13, 40. locus quidam ignobilis in Italia inferiori. Alii malunt *Acherontia.*

ACRONYCTAE stellae, *ἀκρονύκτιαι*, hoc est vespertinae, dicuntur a *Firmic. Math.* 2, 8., quae tunc oriuntur, cum sol occidit: ab *ἀκρόννξ*, quod significat vespertinum crepusculum. Alii leg. *Acronychae* ab *ἀκρόνυχος*, eadem significatione.

ACROPODIUM, ii, n. *ἀκροπόδιον*, basis statuae: ab *ἄκρον*, summitas et *πούς*, *ποδός*, pes, quod summa pedum sustineat. *Hyg. fab.* 88. Gladium de vagina ei extraxit Pelopia, et rediens in templum sub acropodio Minervae abscondit. [*Barth. *Advers.* 8, 6.] *Falsterus* ex conjectura exponit *extremitatem mensae.*

[ACROPOLIS, is, f. *ἀκρόπολις*, summitas urbis, arx summa urbis: cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 308, 6. Claudia Acropolis Aug. Lib. sacerdos Matris Deum. *F.*]

ACROR, ōris, m. *πικρία*, acor, acritas. Translate *Fulgent. Contin. Virg. in.* Ego vero Chrysippi hellebori rancidulo acrore postposito cum Musis aliquid blandius fabulabor.

ACROSTICHIS, ichidis, f. *ἀκροστιχίς*, vox graeca graece scribenda et usurpanda. Est autem genus carminis, in quo primae singulorum versuum litterae aut nomen aliquod aut sententiam exprimunt, si a prima ad ultimam simul compositae legantur [*cum deinceps ex primis versuum litteris aliquid connectitur. Sic *Cic. l. mox c.*] ab *ἄκρον*, summitas, caput, et *στίχος*, versus. Talia sunt argumenta praefixa Plautinis fabulis, quae plerique *Sidonio* tribuunt, in quibus primae versuum litterae nomen ejus fabulae continent, cujus argumentum enarratur. [*Lingius de hiatu in vers. Plaut.* opinatus est ad ipsum Plautum haec argumenta referenda esse. Negat hoc *Lindemannus*, quamquam antiquiora esse Prisciano et fortasse ad ipsa aurei aevi tempora pertinere concedit. Vid. V. D. ad *Arg. Acrostich. Capt.* Ceterum de hujusmodi nugis cf., quae tradidit *Barth. Adv.* 53, 5. *Bail.* affert, quae ipse disputavit de Acrostichidum antiquitate, quibus usus fuerit vel Epicharmus, in lib. periodico: *The Sale-Room.* Edinb. 1817. p. 124.] Adde *Inscr.* ap. *Fabrett. c.* 9. *n.* 290. Tale aliquid etiam ab *Ennio* fuisse compositum, indicat *Cic. Div.* 2, 54., et Sibyllinos versus consimili forma exaratos. Huc reducenda sunt etiam ea, in quibus stropharum initia per totum alphabetum discurrunt, quorum exempla dabunt *Sedul.* hymno, qui incipit *A solis ortus cardine*, itemque *Venant. carm.* 16. cujus initium est *Agnoscat omne saeculum.*

ACROTA, ae, m. filius Tiberini Albae regis, frater Remuli, post quem etiam regnavit. *Ov. Met.* 14, 616. de quo Remulusque feroxque Acrota sunt geniti. Hunc *Liv.* 1, 3. Agrippam nominare videtur.

*ACROTADUS, i, f. insula in sinu Persico. *Plin.* 6, 23, 26. Sed hanc scripturam sollicitat *Salm. Exerc.* p. 831.

ACROTĒRIA, orum, n. plur. *ἀκρωτήρια*, vox graeca, quae significat summitates, extremitates, vertices cujuscumque rei. *Vitruv.* latine usurpavit, et *sub fin. l.* 3. enumeravit inter membra ea seu ornamenta, quae supra capitula columnarum ponuntur, ut sunt *epistylia*, *zophori*, *coronae*, *tympana*, *fastigia*, *acroteria* etc. *Baldus* in *Lex. Vitruv.* docet, intelligendas esse stylobatas, quae supra fastigia columnarum ponuntur, et parvas statuas sustinent. Alii intelligunt ipsas parvas statuas seu sigilla, quae iisdem fastigiis imponuntur, ut capita leonina aut humana, item integrae imagunculae, et alia hujusmodi ornatus gratia. *Salm.* ad *Spartiani Pescenn.* 12. ℙ Eodem loco *Vitruv.* cum *angularia acroteria* dixit, videtur significasse hujusmodi imagunculas seu ornamenta in angulis fastigii posita, eaque tam alta esse jubet, quantum et tympanum medium: cum vero *mediana* appellavit, notasse creditur ea, quae in medio ejusdem fastigii sunt collocata, quaeque octava parte altiora esse debere ait, quam sunt angularia. Praeterea *id.* 5, 12. Portus naturaliter si sint positi habeantque acroteria sive promontoria procurrentia, *h. e.* prominentias, cornua. [*Cf. ACROCOLIUM.]

*ACROTHOON, i, *Ἀκρόθοον*, contr. *Acrothon*, (quod vitiosum tamen videtur *Salm. Exerc.* p. 129.) *Plin.* 4, 10, 17. et *Acroathon Mela* 3, 2. oppidum in Chalcidice, parte Macedoniae, in summo monte Atho. Incolae *Acrothoi.*

ACROTHYMIUM, ii, n. *ἀκροθύμιον*. In quibusdam edd. legitur haec vox ap. *Cels.* 5, 28. *n.* 14. [Sed *Leon. Targa in edit. sec. p.* 290. contendit, *thymium* legendum, fretus auctoritate codd. V. THYMIUM. *F.* *Celsus* interpretatur de verrucis ita dictis propter similitudinem floris thymi. Cf. in ACROCHORDON.]

ACRUAMA. V. ACROAMA.

ACRUFOLIUS. V. AQUIFOLIUS.

ACRUMAERUMA, utensilia ampliora, ap. *Paul.* ex *Festo*, ubi al. leg. *aerumaeruma: Scaliger* conjicit *aerumina* vel *aeramina*, *h. e.* vasa aerea majora, *χαλκώματα.*

ACRUS. V. ACER.

ACTA, ae, f. *ἀκτή*, litus maris vel secessus in litore: vox graeca, sed quam usus in latinum sermonem invexit. *Nep. Ages.* 8. Cum annorum octoginta subsidio Thaco in Aegyptum ivisset et in acta cum suis accubuisset. *Cic. Verr.* 2, 5, 25. In acta cum mulieribus jacebat ebrius. Et 31. Uxorem ejus poterat tot in acta dies secum habere. *Virg. A.* 5, 613. At procul in sola secretae Troades acta Amissum Anchisen flebant. [*Adde *Val. Fl.* 1, 742. 5, 96. et quos alios maxime recentiores poetas commemorant interpp. *Nep.* et *Barth. Adv.* 44, 11.] ℙ [Significat etiam litoris secessum amoenum et deliciarum causa excultum. *Cic. Coel.* 15. Accusatores adulteria, bajas, actas, convivia, comissationes jactant. *Id. Att.* 14, 8. Tu me jam rebare, cum scribebas, in actis [*i. e. villis ad oram sitis] esse nostris, at ego accepi XVII. Kal. in diversoriolo Sinuessano tuas litteras. *F.* *Adde *id. Fam.* 9, 6. delectatio omnibus et actis et voluptatibus anteponenda. Atque haec signif., de qua dubitaverat Forc. in ed. sec., omnino videtur praevaluisse. Delectabantur enim veteres amoenis litorum recessibus latum adspectum praebentibus, eaque loca comissaturi sibi eligere solebant (*ἀκτάζειν*). Cf. praeter eos, quos supra citavimus, *Muret. V. Lect.* 1, 3. *Turneb. Adv.* 3, 1. *Burm.* ad *Quintil.* 7, 3. p. 622. quosque alios VV. DD. ad *Nepot.* laudant.]

ACTA, orum, n. plur. *τὰ πραχθέντα*, res gestae, actiones, actus. *Ov. Trist.* 1, 2, 97. Si tamen acta Deos nunquam mortalia fallunt. [*Virg. Cul.* 275. acta vitae.] *Id. A. A.* 2, 572. Cognita Vulcano conjugis acta suae. [*Saepissime ita *Ov.* Cf. modo *Met.* 11, 714.] *Tac. Germ.* 34. Sanctius et reverentius visum, de actis deorum credere, quam scire. ℙ Saepissime dicuntur de magnorum virorum praeclare gestis. *Ov. Trist.* 2, 335. Divitis ingenii est immania Caesaris acta condere. [*cf. *Met.* 9, 247.] *Id. Her.* 8, 43. Ille licet patriis sine fine superbiat actis. *Stat. Th.* 2, 706. Ingentia acta recensere. [**Tib.* 4, 1, 4. 38. Rarius est, ut de rebus bellicis dicant *acta;* solent *res gestas* appellare. V. tamen *Sall. Jug.* 57. 98. acta edocere. *Ov. Met.* 9, 134. acta Herculis. Cf. *ib.* 11, 222. Conferri etiam possunt, quae *Sall. ib.* 70. dicit: acta consiliumque ignorantibus. *Ib.* 88. acta majorum. *Lucan.* 1, 120. Ne veteres obscurent acta triumphos. Quin ipse *Cic. Or.* 2, 15, 63. ita h. v. usus est. Pertinet huc etiam *Suet. Caes.* 37. acta belli, quem l. infra incommode attulerat noster.] ℙ Item de rebus publice gestis a senatu, a magistratibus, ab imperatoribus, et significant tum leges, decreta et jussa, tum ea omnia, quae ad rempublicam pertinentia quocumque modo ab iis aguntur, [*maxime tamen, quae a togatis gerebantur] *πράγματα.* In singulari num. *Cic. Phil.* 1, 7. Quid est quod tam proprie dici possit actum ejus, qui in republ. cum imperio versatus sit, quam lex? *Suet. Caes.* 19. Pompejum offensum patribus, quod Mithridate rege victo cunctantius confirmarentur acta sua. *Cic. Dom.* 31. Ut acta tui praeclari tribunatus hominis dignitate cohonestes. *Id. Phil.* 1, 7. An in commentariolis, et chirographis, et libellis se uno auctore prolatis acta Caesaris firma erunt; quae ille in aes incidit, in quo populi jussa perpetuasque leges esse voluit, pro nihilo habebuntur? (Lege integrum illud caput, et deinceps aliquot, ubi multa de actis.) *Id. ib.* Acta Caesaris servanda censeo. Et *ib.* dissolvi ferendum non puto. *Id. Prov. cons.* 19. irrita esse. *Suet. Cl.* 11. Caji acta omnia rescidit. [*Sic etiam *Ov. Met.* 14, 785. et est hoc valde frequens. Opponitur praeter alia (v. paulo ante) *acta tueri* ap. *Suet. Aug.* 10.] *Id. Caes.* 23. Acta anni. *Id. Tib.* 26. In acta alicujus jurare, quod fiebat, quoties alicujus acta tam sancta habebantur, ut numinis instar essent. [*cf. *ib.* 67. Nimirum quum antea tempore reipubl. jurassent *per leges*, sub imperatoribus paulatim more receptum est, ut per *horum acta*, i. e. quaecunque jussissent, jurarent.] ℙ *Acta forensia* sunt causae et lites. *Auct. Paneg. ad Pison.* 34. Armorumque decus praecede forensibus actis. *Scaev. Dig.* 26, 8, 21. Inter quem et creditorem acta facta sunt apud procuratorem Caesaris. Et mox: an secundum haec acta adolescens bonis patris abstentus sit. ℙ *Acta publica* et *Acta* absolute sunt etiam commentarii, in quibus acta populi, senatus etc. perscribebantur ad memoriam posterorum, *ὑπομνήματα, ἀναγραφαί.* In actis populi continebantur res rationesque populi, judicia, supplicia, comitia, aedificia, nativitates et mortes, matrimonia et similia his. [*Exemplum de matrimoniis habes ap. *Suet. Cal.* 36. *Coel.* ap. *Cic.*

Fam. 8, 7. *Sen. Benef.* 3, 16. *Juvenal.* 2, 136. de judiciis suppliciisque ap. *Ammian.* 22, 3. de aedificiis ap. *Tac. A.* 13, 31. de nativitatibus saepe ap. *Sueton.* De his cf. etiam *Casaub.* ad *Capitolin. Anton. Phil.* 9.] In actis senatus erat perscriptum, quidquid in senatu agebatur decernebaturque. [**Acta publica* (*γράμματα δημόσια*, ut appellat *Dio Cass.*), ut videtur, dicta sunt maxime acta populi. De actis senatus cf. *Cic. Catil.* 3, 1. *Suet. Aug.* 5. *Tib.* 73. *Lips.* in *Exc.* ad *Tac. A.* 5, 4. *Briss. Form.* 2, 68. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 75. interpp. *Vell.* 2, 60. De actis populi copiose disputat *Ernestius* in *Exc.* ad *Suet. Caes.* 20. Quum enim *Annales maximi*, in quibus res domi forisque gestas litteris mandabat Pontifex maximus, medio fere sec. septimo U. C. confici desiissent, postea in horum locum substituit Caesar haec *acta diurna*, hoc quidem discrimine, ut quum illi paucorum tantum fuissent, horum inspiciendorum fere omnibus fieret potestas. Respondent quodammodo haec acta nostris novellis s. ephemeridibus. Dicta sunt etiam *Acta populi*, *A. urbana* (*Cic. Att.* 6, 2.), *Acta urbis* (*Lamprid. Comm.* 15.), *A. rerum urbanarum* (*Cic. Fam.* 12, 23.), *Diurna* om. *acta* (*Tac. A.* 16, 22.) et *diurna urbis acta* (*ib.* 13, 31.) *diurni commentarii* (*Suet. Aug.* 64.) Sed quae fragmenta Actorum urbanorum veterum pop. R., alterum ad a. 586. U. C., ad a. 692. alterum pertinens, longe igitur istis Caesaris actis antiquiora, circumferuntur, edita praeter alios a *Dodwello* in *App. Praelect. Camdenian.*, ea fide antiquitatis carere et *Wesselingius Probabil.* 2, 39. cui assentitur *Duker.* ad *Liv.* 44, 18, 6. et *Ernestius* in *Exc. l.* satis demonstraverunt. Ceterum de actis populi v. etiam *Lips.* in *Exc. l. Rupert.* ad *Juven. l. c.* Asservabantur autem cum reliquis in atrio Libertatis.] *Suet. Caes.* 20. Primus omnium instituit, ut tam senatus, quam populi diurna acta conficerentur et publicarentur. *Id. Tib.* 5. Natus est XVI. Kal. Decembr. Sic enim in fastos actaque publica relatum est. *Id. Cal.* 8. Ego in actis Antii invenio editum. *Tac. A.* 12, 24. Et quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu et publicis actis perscriptum. *Plin. Pan.* 75. In publica acta mittere. (Sic *Sen. Ben.* 2, 10. Beneficium in acta non mitto, *h. e.* non divulgo. [*Hoc intellige de *diario*; nam privati quoque in suum usum acta perscribebant. Cf. *Vopisc. Aurel.* 1., ubi etiam *ephemerides* appellantur.]) *Juven.* 2, 136. In acta referre. *Tac. A.* 5, 4. Acta patrum componere, *h. e.* perscribere. *Spartian. Hadrian.* 3. Acta senatus curare. ℙ Differunt *acta* ab *annalibus* et *fastis*: ab *annalibus* quidem, quia in his res tantum maximae et illustres memoriae mandantur: in *actis* vero res minoris momenti, ut aperte docet *Tac. A.* 13, 31. A *fastis* etiam propter eandem rationem, et quia hi continent ea, quae ad consules dictatoresque pertinent, item bella, victorias, triumphos, praeterea fastos nefastosque dies, sacra, ludos, ferias: quorum nihil tale in acta referebatur. ℙ Praeterea *acta* sunt tabulae, in quibus acta forensia litium causarumque perscripta sunt. *Paul. Dig.* 42, 1, 45. Acta circumducere, *h. e.* delere. Et *ib.* 46. Actorum verba emendare. *Id.* 49, 14, 45. Actorum exempla. Et paulo post: Actorum recitatio. *Ulp. Dig.* 27, 7, 4. Referre in acta publica nomen alicujus. ℙ Fuere etiam *Acta militaria*, quibus continebantur ea, quae in militia gerebantur. *Veg. Mil.* 2, 19. Totius enim legionis ratio, sive obsequiorum, sive militarium numerorum, sive pecuniae quotidie adscribitur actis. ℙ *Ab actis* dicitur is, qui actorum publicorum conficiendorum curam habet. *Inscr.* ap. *Grut.* 389, 6. Ti. Claud. Quir. Frontino ab actis senatus. *Ib.* 445, 10. C. Oppio C. F. Vel. Basso ab actis fori. [Alia ap. *Marin. Inscr. Alb.* p. 54. C. Julio Proculo ab actis Imp. Trajani Aug. *Ib.* p. 55. Adjutor ab actis. *F.*]

ACTAEA, ae f. herba gravi foliorum odore, caulibus asperis geniculatis, semine nigro, ut hederae, baccis mollibus: nascitur in opacis et asperis aquosisque. Haec *Plin.* 17, 7, 26. [Ita appellata fortasse, quod in litore sive in acta nascebatur, sive in Attica regione. *F.* *Actaea spicata Linn. n. Christophskrant.]

ACTAEON, onis, *Ἀκταίων, ονος*, filius Aristaei et Autonoes Cadmi filiae, nobilis venator, qui cum imprudens Dianam nudam cum Nymphis in silva lavantem vidisset, ab ea in cervum mutatus est, et a suis canibus discerptus. Fabulam narrant *Ov. Met.* 3, 138. et *Hygin. fab.* 180. qui addit voluisse Dianam violare. Subest fabulae vera historia. Dicitur enim Actaeon studiosissimus fuisse venationis, adeo ut in canes quam plurimos pascendos patrimonium omne absumpserit, teste *Fulgent. Mythol.* 3, 3.

ACTAEUS, a, um, adj. *ἀκταῖος*, litoreus, ab *ἀκτή*, litus. *Virg. Ecl.* 2, 24. Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho. *Serv.* ad h. l.: Aracynthos, inquit, mons est Thebanus, unde Actaeo *litorali* debemus accipere: quamquam alii pro *Atheniensi* accipiant, ut ostendatur rusticae simplicitatis in Corydone pastore ibi loquente imperitia. [*At enim hoc nimis stultum foret. Neque vero Actaeus est *litoralis*. Rectius istum l. explicant ii, qui montem Aracynthum ita in confinibus Atticae et Boeotiae situm docent, ut jure videatur Actaeus, i. e. atticus, appellari.] ℙ Actaeus est etiam *Atheniensis*, ab *Acte*, de qua v. infra, vel ab Actaeo primo Atticae rege. *Ov. Her.* 2, 6. Nec vehit Actaeas Sithonis unda rates. Et 18, 42. Actaei ignes, *h. e.* amores Boreae in Orithyiam puellam Atheniensem. *Id. Met.* 1, 313. Actaea arva. *Colum.* 10, 386. Actaeum mel Hymetti. *Stat. Th.* 4, 453. imbres Actaei, *h. e.* sparsio mellis. *Id. Silv.* 5, 2, 128. Actaea virgo, *h. e.* Minerva Athenarum Dea. [*Etiam ap. *Nep. Thras.* 2. restituerunt interpp. hanc vocem ex codd. nonnullis pro *Atticorum*, quod librariis deberi videatur. Nos de hac re dubitamus; nam ut habeat ille locus poeticum colorem, quae fuit quorundam sententia, at quomodo ex *Atticorum* fieri potuerit *Actaeorum*, docebit *Goer.* ad *Cic. Leg.* 2, 2, 5. quem laudat *Bremi* (scribere solent librarii *Actici*), quamquam hic V. D. comparans, quod in *praef.* est *Grajorum*, quin *Actaeorum* probet, non multum abest. Ceterum cf. de h. v. interpp. *Nep.*]

*ACTANIA, ae, insula oceani borealis, fortasse una ex Glessariis. *Plin.* 4, 13, 27.

ACTĀRĬUS, ii, m. id. qu. actuarius. Probatur haec vox quadam *Inscr.* ap. *Grut.* 260, 1. scripta temporibus M. Aurelii Antonini Pii, his verbis: *In his Actarius Leg.* VII. *Gem. Ant. P. Fel.* etc., ubi significatur scriptor actorum militarium. *Velius* quoque *Longus de Orthogr.* docet, *Actarios* dici scriptores Actorum.

ACTE, es, f. *Ἀκτή*, Attica ita quondam appellata, quia maxima ejus pars in litore posita est; litus autem *ἀκτή* graece dicitur. *Plin.* 4, 7, 11. In Graecia prima Attica, antiquitus Acte vocata. Adde *Gell.* 14, 6. ℙ Est etiam hoc nomine frutex quidam, quem nonnulli ebulum esse putant, *ἀκτὴ ἀγρία*. Ejus radicem in vino maceratam prodesse hydropicis scribit *Plin.* 26, 11, 73. [**Appul. de herb.* 91.] ℙ [Item Neronis liberta. *Suet. Ner.* 28. et 50. *Tac. A.* 13, 12. ℙ Fuit et Horarum una sic appellata. *Hyg. fab.* 183. *Bail.*]

*ACTIA, mater Augusti Caesaris. *Suet. Aug.* 94. *Bail. Auctar.* Sed ibi al. *Atia* exhibent.

ACTĬĀCUS, a, um, adj. ad Actium promontorium et urbem pertinens, apud quam Augustus Caesar ingenti navali proelio Antonium et Cleopatram fudit. *Vell.* 2, 86. Actiacum bellum. *Suet. Aug.* 18. Actiaca victoria. *Plin.* 7, 45, 46. Sollicitudo Martis Actiaci, *h. e.* proelii apud Actium habiti. *Ov. Her.* 15, 185. Cur tamen Actiacas miseram me mittis ad oras. Alii leg. *undas*. *Suet. Tib.* 6. Actiaci ludi, *h. e.* quos Augustus in honorem Apollinis dicavit. Nam Actiacus etiam dictus Apollo, quia apud Actium templum habuit, quod Augustus ob victoriam reportatam amplificavit, ludosque quinquennales in ejus honorem constituit, ut *Suet. Aug.* 18. narrat. *Ov. Met.* 13, 589. Actiaco quae nunc sub Apolline nota. *Id. Fast.* 1, 711. Actiacae frondes, *h. e.* laurea Apollini sacra. ℙ [Fuit etiam cognomen Romanum militibus datum, qui in bello Actiaco strenue pugnarunt. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 6. *n.* 14. M. Billienus M. F. Rom. Actiacus legione XI. proelio navali facto in coloniam deductus ab ordine decurio allect. Haec inscr. pertinet ad coloniam Ateste, nunc *Este*, quae Romiliae tribui adscripta erat, in cujus finibus lapis repertus est. *F.*]

ACTĬĀNUS, a, um, adj. V. ATTIANUS.

ACTĬAS, ădis, adj. f. mulier Atheniensis. Ab *Ακτή*, Acte (v. h. v.) fit *Ἀκτιος* et *Ἀκτιάς, άδος*. *Virg. G.* 4, 463. Atque Getae, atque Hebrus, atque Actias Orithyia. ℙ Item ad Actium promontorium pertinens, ut *Actias Cleopatra* ap. *Stat. Silv.* 3, 2, 120., *h. e.* ab Augusto ad Actium devicta.

[ACTĬNOPHŌRA, ae, f. *ἀκτινοφόρος*, genus conchae ita vocatae, quod radiata apparet. *Plin.* 32, 11, 53. Cochleae, quarum generis pentadactyli, melicembales, echinophorae dicuntur. At *Schneid.* in *ind. Scr. R. R.* ad v. *Cochlea* ita legendum probavit: Pentadactyli, item helices, ab aliis actinophorae dicuntur. Hic enim *Plin.* vertit graeca verba *Xenocratis de alim. ex aquatil. c.* 24. *Οἱ δὲ πενταδάκτυλοι, ἕλικες, ἢ ἀκτινοφόροι ἀσαρκώτεροι μέν εἰσι παρὰ τοὺς ἄλλους κοχλίας. F.*]

*ACTĬNOSUS, adj. splendens, coruscans, gr. *ἀκτινωτός*. *Ambros. in Psalm.* 41. ecclesia actinosa (i. e. fide et operibus splendens.) *Bail. Auctar.*

ACTĬO, onis, f. *πρᾶξις*, ab *actus* verbi *ago*. Propria vis verbi est motus, circumactio, conversio. *Vitr.* 3, 3. Tunc ab summo sub abaco inceptum in singulis tetrantorum actionibus dimidiatum oculi spatium minuatur. ℙ Hinc primum refertur ad oratores et histriones, et significat motum corporis arte temperatum ab oratore et histrione in dicendo [*conjunctum cum vocis apta conformatione. *Cic. Brut.* 68, 239. Actio ejus habebat et in *voce* magnum splendorem et in *motu* summam dignitatem. Quamquam haec etiam discernuntur, ut ap. *Quint.* 10, 1, 17. praeter haec vox et actio decora, commoda — pronuntiandi — ratio. Cf. *id.* 11, 3. *in.*] *ὑπόκρισις. Cic. Or.* 17. Est enim actio quasi corporis quaedam eloquentia, cum constet e voce atque motu. [**Id. Or.* 3, 59. Est actio quasi sermo corporis.] *Id. Brut.* 38. Demosthenem ferunt ei, qui quaesivisset, quid primum esset in dicendo, actionem; quid secundum, idem; et idem tertium respondisse. *Id. Or.* 2, 17. Accedat oportet actio varia, vehemens, plena animi, plena spiritus, plena doloris, plena veritatis. *Id. Or.* 25. Accedit actio non tragica, nec scenae, sed modica jactatione corporis, vultu tamen multa conficiens: non hoc, quo dicuntur os ducere, sed illo, quo significant ingenue, quo sensu quidque pronuntient. [*De histrionibus *id. Or.* 3, 26. In quo tanta commoveri actio non posset. *Vitruv.* 5, 7, 2. Artifices suas praestant actiones. Huc refer locum *Cic. Fam.* 5, 12, 19. Secernas hanc quasi fabulam rerum eventorumque nostrorum. Habet enim varios actus multasque actiones et consiliorum et temporum. *Actionibus* continentur *actus*, et intellige variorum consiliorum et eventorum descriptionem. ℙ A motu et gestu corporis transfertur ad eam omnino rationem, qua orator rem gerit. Sic saepe *Quintil.*, ut 11, 1. actio impudens, iracunda, tumultuosa. 7, 4. aspera — blanda. *Cic. R. Dej.* 2. actio causae.] ℙ A primaria *motus* significatione derivari eam, qua de *agendi facultate*, tum de *facto* et *opere* omnino dicitur (hanc noster primam posuerat, cujus rationem quod hic prorsus deseruimus, veniam facile impetrabimus), clarissime ostendunt verba *Cic. N. D.* 1, 37. Non modo deos spoliat motu et actione divina, sed etiam homines inertes efficit. [*Cf. *ib.* 2, 16. *Fin.* 5, 19, 54. *Id. Div.* 1, 32. Humani animi eam partem, quae sensum, quae motum, quae appetitum habeat, non esse ab actione corporis sejugatam. Cf. *Heind.* ad *N. D.* 1, 17, 45.] *Id. Off.* 1, 5. Ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur, *h. e.* vita, quae in actione consistit. *Id. N. D.* 2, 22. Actiones appetitionibus consentaneae. *Id. Off.* 1, 39. In omni autem actione suscipienda tria sunt tenenda. *Sen. ep.* 95. Actiones rectae et act. honestae. [**Cic. Acad.* 2, 34. Maximam actionem puto, repugnare visis etc. i. e. rem difficillimam in agendo. Sed addendum hic erat, saepe conjungi hanc vocem, ubi activam vim habeat, cum genitivis, sicut dicitur *agere aliquid*. Sic *Cic. Acad.* 2, 33, 108. Negatis actionem ullius rei posse in eo esse etc. i. e. agere ullam rem posse. Cf. 2, 19, 62. ubi *Goerenzium* nos quidem non satis intelligimus, multoque minus in loco simillimo *ib.* 12, 39. *Id. Off.* 1, 35. Itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat. cf. *ib.* 43. Eodem refer, quod toties dicitur, *actio gratiarum*. *Cic. Fam.* 11, 19.] ℙ Sumitur etiam pro tractatione, procuratione, negotio [*et quidem de omni negotio, etiam *privato;* (v. supra; est enim, ut diximus, actio omnino *opus*) verum maxime tamen de *publico*. *Cic. Fam.* 9, 8. Aliae rationes honestas nobis et curas et actiones darent. *Id. ib.* 10, 18. sententiam suam in Senatu dictam vocat *actionem*.] *Cic. Att.* 9, 9. Discessu enim consulum actio de pace sublata est. Hinc *actiones tribunorum* dicuntur ea omnia, quibus tribuni cum populo agunt [*eorum rogationes, leges ad populum latae.] *Liv.* 5, 11. et 24. Adde *Cic. Dom.* 13. Videsne, me non radicitus evellere omnes actiones tuas? [**Sall. Jug.* 46. Gracchorum actiones. Hic al. praebent *factiones*. Ac de trib. pl. est omnino frequentissimum. Dicitur tamen etiam de aliis magistratibus. Sic *Liv.* 4, 55. *actio consularis*, i. e. quae pertinet ad consulem ejusque magistratus propria est. Cf. *Sall. Cat.* 44. *Cic. Att.* 14, 20. Hinc pronum erat, actiones de *rebus gestis* in republica administranda dici. *Cic. Off.* 2, 1. Scriptis non ea, quae nunc, sed actiones nostras mandaremus.] ℙ Frequentissimus hujus verbi est usus forensis. Hic primum ab JCtis usurpatur pro *jure persequendi in judicio*, *quod sibi debetur*, ut definit *Cels. Dig.* 44, 7, 50. Hinc *actio injuriarum*, qua quis injurias sibi illatas judicio persequitur [**Cic. Caec.* 12.]: *actio furti*, qua res furto ablatas judicio repetit: *actio de arboribus succisis* est in eum, qui alienas arbores succiderit. [*Ejusdem generis est *Cic. Caec.* 11. Ejus rei jus actionemque quaeramus, coll. 13. *extr.* et saepius ista in oratione.] Sed innumera sunt actionum genera apud JCtos. Vide Lexica *Hotomanni*, *Brissonii* et *Pitisci* [*ac de juris publici et privati actionibus universim *Salm. d. mod. usur. c.* 3. p. 108. ssq.] ℙ Tum porro de *accusatione* ipsa, quaestione, lite, judicio forensi. [**Liv.* 39, 18. Multis actiones (lites) et res (de quibus litigabant) peribant (quippe absentibus)]. *Cic. Phil.* 9, 5. Neque constituere litium actiones malebat, quam controversias tollere. *Id. Caec.* 11. Hanc puto me habere actionem, ut per interdictum meum jus teneam, atque injuriam tuam persequar. *Id. ib.* 19. Actio est in actorem praesentem his verbis etc. *Id. Verr.* 2, 2, 27. Dare alicui actionem alicujus rei, *h. e.* dare alicui potestatem agendi in judicio de re aliqua: quod est praetoris aut judicis. *Id. ib.* 25. Actionem postulare. [*cf. *Fam.* 5, 10.] *Id. Div. in Verr.* 5. Civili actione aliquid repetere. *Id. Mur.* 9. Actionem instituere. *Id. Mil.* 14. Actionem alicui

intendere. *Quintil.* 3, 6. Actio competit in aliquem, *h. e.* potest aliquis in judicium vocari. *Dictare actionem.* V. DICTO. *Paul. Dig.* 15, 1, 52. *in fin.* Inferre actionem cum aliquo, i. e. judicio cum aliquo experiri. *Suet. Cl.* 14. Restituere actionem iis, qui formula exciderunt [*i. e. dare potestatem causam denuo instituendi iis, qui apud alios judices causa ceciderunt.] *Ulp.* 3, 3, 39. Agere actione aliqua. *Id.* 7, 6, 5. *med.* In his actionibus, quae de usufructu aguntur. [*v. *Duker. d. Lat. JCt.* p. 299.] *Sall. fr.* 2. *hist.* ap. *Arusian.* Actione desistere. [*Eodem modo dicitur *actionem deponere. Suet. Caes.* 15. *Liv.* 4, 48. Quamquam in his alia est v. *actio* significatio. Ceterum *actionem* ab *accusatione* sic solent distinguere, ut actio dicatur in personam, accusatio in crimen.] ℙ Porro *actio* ponitur pro formula seu ratione agendi in judicio seu litis exercendae. *Cic. Or.* 1, 41. Veteres illi, qui huic scientiae (juris) praefuerunt, pervulgari artem suam noluerunt: deinde postquam est editum, expositis a Cn. Flavio primum actionibus etc. Adde *Att.* 6, 6, 1. [**Actionem edere* dicebatur actor, qui formulam juris persequendi reo proponebat. *Ulpianus:* Qua quisque actione agere vellet, eam edere debebat, ut proinde sciret reus, utrum cedere an contendere deberet. Cujusmodi formulae exemplum habes ap. *Cic. N. D.* 3, 30. Cf. *Or.* 1, 36, 167. Plus secum agi, quam esset in actione.] ℙ Denique dicitur de administratione causae atque adeo pro ipsa oratione, quam habet orator, *γραφή, δίκη.* Hinc Cicero suas in Verrem orationes *Actiones* appellavit, [*quas in duas partes divisit. Hujus rei haec est ratio: in actione prima testes dabantur in singula causae capita; in secunda continuas habuit orationes, nullis interpositis testibus. V. *Verr.* 1, 18. Dixit autem *Suet. Ner.* 15. continuas actiones, quas *Cic. l. c.* perpetuam orationem appellat. Vid. ad *Suet.* interpp. et cf. *Vell.* 2, 64.] *Suet. Cal.* 53. Solebat etiam prosperis oratorum actionibus rescribere, *h. e.* oratorum orationibus, quibus reum aliquem peragere illis feliciter contigisset, contraria scribere. [**Quintil.* 10, 1, 20. In prima parte actionis. Cf. *Plin. ep.* 2, 19. (qui tamen orationem ab actione distinguit 1, 20.) *Spalding.* ad *Quint.* 4, 1, 32. ℙ Addenda hic pauca videbantur de *actionibus Manilianis* s. ut apud Varronem scriptum est, *Mamilianis.* Hae dicebantur formulae quaedam in vendendo et emendo, quibus non adhibitis accusari non poterat, si quis deceptum se sentiebat, exhibitae a M' Manilio, cons. a. U. C. 605. Leges Manilias venalium vendendorum appellat *Cic. Or.* 1, 58. Exempla habes ap. *Varr.* 2, 3, 5. 5, 11. 7, 6. Similiter *Hostilianas actiones Cic. l. c.* 57. appellat, quibus ii, qui ex legibus agere vellent, sibi cavere poterant. Vid. *Clav. Cic. ind. histor. h. v.* ℙ A librariis confunduntur *actio* et *accusatio* (v. h. v.), et *factio* (v. supra) *sanctio* (ap. *Quint.* 7, 4. al. legunt *actionibus*, al. *sanctionibus* exhibent; simili modo turbatum est ap. *Liv.* 39, 18.) et *ratio.* Vid. *Goer.* ad *Cic. Acad.* 2, 19, 62.]

[ACTIONALIS, e, adj. ad actum pertinens. Actionalia sunt instrumenta et tabulae ab servis actoribus confectae, *h. e.* eorum actus. *Ulp. Dig.* 27, 3, 1. §. 3. Officio tutoris incumbit etiam rationes actus sui conficere .... nam Divus Severus decrevit, cum neque inventaria, neque actionalia proferentur, remedio eo uti debere, ut rationes a servis, qui rem gesserant, proferantur. Quaedam edd. habent perperam *auctionalia*, quibus nullus hic locus; at *Pandectae Florentinae* recte nostram lectionem tuentur. V. ACTOR. *F.*]

[ACTIONICES, ae, m. ab Actio promontorio et *νίκη*, victoria; ita appellabatur, qui in ludis quinquennalibus, quos (teste *Suet. Aug.* 18.) Augustus Nicopoli, urbe a se ibi condita, constituerat, victor fuisset. *Inscr.* ap. *Gutherleth.* in *Polen. Antiq. T.* 4. p. 350. et ap. *Morcell. de stil. Inscr. lat. n.* 169. Heriae Thisbe Monodiariae T. Claudi Glaphyri choraulae Actionicae et Sebastionicae (uxori) terrenum sacrum etc. *F.*]

ACTIOSUS, a, um, adj. ut *actiosae mulieres*, quod bis habet *Plaut.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *fin.* [*in *Astraba:* Actiosa annonam caram e vili concinnat viris. *Id. Sitelitergo:* mulieres uxorculani; ego scio; novi actiosas] ubi *Varro* ab *agendo* dictas esse *actiosas* monet. Alii tamen aliter leg. [*v. n. *Gothofr.*]

ACTITO, as, a. 1. frequentativum ab *ago*, *is. Cic. Brut.* 70. M. Pontidius municeps noster multas privatas causas actitavit. *Tac. H.* 3, 62. Actitare mimos. [**Cic. d. Rep.* 4, 35. (*Augustin. Civ. D.* 2, 10.) actitare tragoedias. *Beier. Suet. Galb.* 3. causas. Plura de h. v., ejus vi et pronuntiatione v. ap. *Gell.* 9, 6.]

ACTIVE, adv. activo modo, *ἐνεργητικῶς*, et dicitur de verbis, quae activo modo usurpantur. *Prisc.* 8. *p.* 794. et 799. *P.*

ACTIUM, ii, n. *Capo Figalo*, *Ἄκτιον*, prom. cum urbe Epiri, ad os sinus Ambracii, contra Nicopolim urbem proximam, vix M. P. distantem, a Buthroto et Corcyra 50. in Mer. Leucadem versus 30. Olim clarum fuit templo Apollinis. Hic Augustus devicit navali proelio Antonium et Cleopatram, et procul M. P. urbem condidit, quam Nicopolim a victoria nominavit. *Plin.* 4, 1, 2. et *Suet. Aug.* 18. ℙ [*Aliud Actium est Corcyrae, portus Corcyraeorum. *Cic. Att.* 7, 2.]

ACTIUNCULA, ae, f. dimin. ab *actio*, sumitur pro brevi oratione vel accusatione. *Plin. ep.* 9, 15. Retracto actiunculas quasdam.

ACTIUS, a, um, adj. *Ἄκτιος*, ad Actium promontorium et urbem pertinens. *Virg. A.* 3, 280. Actia litora. *Id. ib.* 8, 675. Actia bella, *h. e.* quae Augustus cum Antonio gessit apud Actium. Lege ibi ap. *Virg.*, quae sequuntur. [*cf. *Hor. Ep.* 1, 18, 61.] *Prop.* 4, 6, 67. Actius Phoebus, *h. e.* qui magnifico templo ab Augusto amplificato apud Actium colebatur, qui *Actius* absolute dicitur ab *Albinov.* 2, 51. Actius ipse lyram plectro percussit eburno.

ACTIUS, nomen viri proprium. V. ACCIUS.

ACTIVUS, a, um, adj. *ἐνεργητικός, πρακτικός*, qui agit seu in actione consistit, et opponitur *contemplativo*, qui solam rerum meditationem importat sine actione. *Sen. ep.* 95. *med.* Philosophia tat sine actione. *Sen. ep.* 95. *med.* Philosophia autem et contemplativa est et activa: spectat simulque agit. *Quint.* 3, 5. Hi thesin a causa sic distinguunt, ut illa sit spectativae partis, haec activae. ℙ Activa verba dicuntur a Grammaticis, quae actionem important, ut *amo*, *verbero*, *doceo. Charis.* 2. *p.* 138. *Diom.* 1. *p.* 326. et *Prisc.* 8. *p.* 786.

ACTOR, ōris, m. qui movet, agit. *Stat. Ach.* 2, 419. flexae Balearicus actor habenae, *h. e.* fundam in gyrum agens, antequam lapidem jaciat. ℙ Item qui pecus agit. Afferuntur loci ex *Ov. Her.* 1, 95. et *Fast.* 1, 547., sed uterque incertae lectionis. [*Al. *auctor.* Sed in priore loco recte se habet *actor;* in altero nunc edunt *Tirynthius hospes.* Frequentissime confunduntur *actor* et *auctor.* V. *Heins.* ad *Ovid.*, *Drak.* ad *Sil.* 17, 490. ad *Liv.* 1, 26, 5. 40, 11, 2. *Arntz.* ad *Aurel. Vict. Caes.* 20, 3. et 40, 11, 2. *Arntz.* ad *Aurel. Vict. Caes.* 20, 3. et ad *Cat. distich.* 1, 12. *Barth.* ad *Stat. Th.* 9, 752. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 2. et interpp. *Nep. Att.* 3.] ℙ Saepe dicitur de eo, qui fabulas agit. *Hor. Ep.* 2, 1, 205. actor Cum stetit in scena, concurrit dextera laevae. *Cic. Or.* 1, 26. Sicut in foro non bonos oratores, ita in theatro actores malos perpeti. Et 28. Gestus summorum actorum. *Ib.* 2, 47. Actor alienae personae. [**Suet. Cal.* 57. mimi. *Cic. Or.* 3, 56. Oratores sunt veritatis ipsius actores — imitatores veritatis histriones. Videtur huc pertinere etiam locus *Pl. Bacch.* 2, 2, 35. Non herus, sed actor (i. e. qui rem narrat, exponit) cor odio sauciat.] ℙ Item, qui facit, *ὁ πράττων*, [*hoc est, *qui opus facit*, *negotium tractat*, unde illae, quae sequuntur, prodeunt significationes. Valent de h. v. eadem fere, quae supra in *actio* protulimus.] *Cic. Sext.* 28. Dux, auctor, actor rerum illarum fuit. [*Sic *Nep. Att.* 3. Hunc enim in omni procuratione reipublicae actorem auctoremque habebant, ubi interpp. afferunt *Caes. b. c.* 1, 26. illo auctore atque agente. Est igitur *auctor* is, qui consilium dat, et *actor*, qui exsequitur. Ap. *Nep.* tamen et de scriptura dubitant et de explicatione dissentiunt.] *Val. Max.* 8, 12. Suae artis actor. [**Cic. Or.* 3, 15. Oratorem verborum actoremque rerum. Vertit graeca *Homeri Il.* ι, 443. *Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων.*] ℙ Item de eo, qui causas agit. [*Proprie igitur de oratore.] *Quint.* 6, 1. Quae enim est actoris infantia, qui etc.? *Cic. Brut.* 89. *fin.* Moloni Rhodio et actori summo causarum et magistro. [**Hor. A. P.* 369. jurisconsultus et actor causarum.] ℙ Item de eo, qui alterum ad judicium provocat, cui competit causae probandae onus, sive accusat aliquem, sive aliud quidpiam in judicio postulat. *Ulp. Dig.* 40, 12, 7. *fin.* Is, qui dominum se dicit, actoris partes sustinebit et necesse habebit servum suum probare. *Cic. Part.* 32. Sed accusatorem pro omni actore et petitore appello. [*cf. *id. Caecil.* 1., ubi dicitur de eo, qui aliorum nomine in jus vocat. *Plin. ep.* 9, 13, 18.] ℙ Item de eo, qui alienas res rationesque curat et administrat, *διοικητής, πραγματευτής.* Erat autem hic plerumque e servorum numero, honestiore tamen prae ceteris loco et gradu. *Ulp. Dig.* 30, 37. Qui rescripserunt, homine legato, actorem non posse eligi. *Colum.* 1, 7. Ita fit, ut et actor et familia peccent et ager saepius infametur. *Plin. ep.* 3, 19. Non minus utile, quam voluptuosum posse utraque eadem opera, eodem viatico invisere, sub eodem procuratore, ac pene iisdem actoribus habere. *Actor* hoc et *Colum.* loco pro villico ponitur; tametsi differunt inter se actor et villicus, ut aperte colligitur ex *Scaev. Dig.* 33, 7, 20., ubi utrumque inter instructi fundi officia enumerat. [*cf. *Pignor. de servis* p. 270.] Differunt autem in eo, quod *villicus* servis rusticis praeest, operasque et alia ad agrum colendum curat: *actor* pecunias maxime et fundi reditus administrat. *Scaev. l. c.* praedia, ut instructa sunt, cum dotibus et reliquis colonorum, et villicorum mancipiis, et pecore omni legavit, et cum peculiis, et actore etc. *Actor* praeterea urbanus etiam est: [*de hoc vid. *Lips.* ad *Tac. A.* 2, 30. et *Pignor.* p. 154.] *villicus* ruri tantum degit, ut *ib. paulo post* monstratur. *Actores* ruri degentes dicuntur etiam *actores praediorum et fundorum. Scaev. Dig.* 34, 4, 31. et saepius in *Cod.* ℙ *Actor summarum* pecuniam tantum et ejus rationes tractabat; in quo nihil fortasse a *dispensatore* differt. *Suet. Dom.* 11. Actorem summarum, pridie quam cruci suffigeret, in cubiculum vocavit etc. [*Hic cadente sermone *rationalis* et *rationarius* dictus est. Vid. *B. Crus.* ad *Suet. l.*] ℙ *Actor rerum* rebus omnibus domini curandis praeerat. De eo mentio fit a *Paulo Dig.* 1, 18, 21. ℙ *Actor publicus* erat servus seu libertus publicus, qui rem principis curabat. *Tac. A.* 2, 30. Novi juris repertor Tiberius, mancipari singulos actori publico jubet. [*v. *Lips.*] Adde 3, 67. ℙ *Actor* differt a *procuratore*, quod *actor* sine jurisdictione erat, et quod procuratori ipsi subjiciebatur; quamquam hoc discrimen non est perpetuum. *Plin. Pan.* 36. Dicitur actori atque adeo procuratori tuo, in jus veni. [*V. ibi interpp.] Adde *eund. ep.* 3, 19.; cujus verba supra retulimus. ℙ *Actores* municipiorum, civitatum, collegiorum et similium corporum erant liberi homines, qui eorum causas, lites movendas excipiendasque suscipiebant. Hi et syndici (*σύνδικοι*) dicti sunt. *Ulp. Dig.* 37, 1, 3. A municipibus, et societatibus, et decuriis, et corporibus bonorum possessio agnosci potest: proinde sive actor eorum nomine admittat, sive quis alius etc. *Caj. Dig.* 3, 4, 1. Quibus permissum est corpus habere collegii, societatis, sive cujuscumque alterius nomine, eorum proprium est, ad exemplum reipublicae habere res communes, arcam communem, et actorem sive syndicum, per quem tanquam in rempublicam, quod communiter agi, fieri oporteat, agatur, fiat. *Ulp. ib.* 3, 3, 74. Actor civitatis. [*Actor est etiam *tutor*, in alius locum substitutus. *Cod. Justin.* 5, 61. *in titulo.* ℙ *Actor* et *auctor* conf. v. supra. ℙ Est etiam nom. propr. Neptuni filius. *Hyg.* 157. Unus ex Argonautis. *ib.* 14. Rex quidam Lemnius. *ib.* 102. Adde *Virg. A.* 12, 94. Ex *Bail. Auctar.*]

ACTORIDES, ae, m. Patroclus, Actoris nepos, *Ἀκτορίδης.* Actor enim ex Aegina, quam ei Jupiter a se vitiatam uxorem dederat, Menoetium genuit: Menoetius pater Patrocli fuit. Alii dicunt Actorem Patrocli patrem fuisse, sed *Serv. in A.* 1, 100. Menoetium facit. *Ov. Tr.* 1, 9, 29. Quae fuit Actoridae cum magno semper Achille, Laudari solita est Hectoris ore fides. ℙ Erithus quoque unus ex comitibus Phinei, qui a Perseo occisus est ingentis crateris ictu, *Actorides* dicitur ab eodem *Ov. Met.* 5, 80. Hic fortasse Actoris filius fuit, sive illius, de quo diximus, sive alius cujuspiam. V. catalogum Argonautarum praefixum ed. *Val. Fl. Burm.*

ACTORIUS, a, um, adj. *πρακτικός*, activus, ad agendum aptus. *Tertull. Anim.* 14. Non enim membra sunt substantiae animalis, sed ingenia, ut motorium, ut actorium, ut cogitatorium. ℙ [*Nom. pr. M. Actorius Naso, scriptor historiarum, qui Caesaris vel Augusti temporibus vixit. *Suet. Caes.* 9. et 52.]

*ACTRIDA, opp. Arabiae felicis. *Plin.* 6, 28, 32.

ACTRIX, icis, f., quae actionem in judicio intendit, vel accusans, vel aliquid postulans. *Impp. Constantin. et Licin. Cod.* 7, 16, 41. Jubemus, omnes epistolas actricis, quas ad Aelium fecerat, inanes ac vacuas esse. ℙ Actrix est etiam inter officia domus Augustae. *Inscr.* ap. *Mur.* 913, 6. Prastina Maximina actrix C. domus, *h. e.* Caesareae domus. V. ACTOR.

ACTUALIS, e, adj. *πρακτικός*, [*δραστικός*] activus, actuosus. *Macr. Somn. Sc.* 2, 17. Hic a feriatis remotus, eminet tamen actualium vigore virtutum. *Actualibus* opponit ibidem *otiosas*, quae in sola contemplatione versantur. *Isid. Or.* 2, 24. Philosophia dividitur in duas partes, prima in spectativam, secunda in actualem. ℙ *Actualia nomina* dicuntur ab eodem *ib.* 1, 6., quae ab actu descendunt, hoc est actum significant, ut *rex*, *dux*, *cursor*, quae actum notant regendi, ducendi, currendi.

ACTUARIOLUM, i, n. *ἐπακτρίς*, parva navis actuaria. *Cic. Att.* 16, 3. Haec ego conscendens e Pompejano tribus actuariolis decem scalmis. Adde *ib.* 10, 11. V. v. seq.

ACTUARIUS, a, um, adj. [**Gl. vet. πρακτικός*, actuarius, efficax, agilis] agilis, levis, qui facile agi et impelli potest. *Actuaria navis*, quae mole parva cito agitur, ideoque humilior ceteris est, et tum velis, tum remis instruitur. *Caes. b. g.* 5, 1. Has omnes (naves) actuarias imperat fieri: quam ad rem humilitas multum adjuvat. *Liv.* 25, 30. In hoc tumultu actuariae naves instructae jam ante circumvectaeque armatos exponunt. *Caes. b. c.* 1, 27. Actuaria navigia. Adde *Sall. fr.* et *Sisenn.* ap. *Non.* 13, 9. [*In *Sall. l.* actuariis opponuntur *onerariae.* Ap. *Sisenn.* sunt piratica actuaria navigia.] ℙ Dicitur etiam *actuaria* absolute, intellecto nomine *navis*, vel *actuarium*, intell. *navigium. Cic. Att.* 5, 9. Actuariis autem minutis Patras accedere sine impedimentis non satis visum est decorum. *Gell.* 10, 25. Navium autem appellationes hae sunt, celoces, lembi, actuariae etc. [*Ceterum de hoc navigiorum genere, quod duplex fuit, majus et

minus, v. *Scheff. Mil. Nav.* 2, 2.] ℙ Actuarii limites in re agraria sunt, qui post decumanos et cardines (quae sunt limitum majorum nomina) maximi sunt, per quos iter populo debetur, sicut per viam publicam. Latitudinem fere habent pedum duodecim: sed si per viam aliquam militarem agantur, latiores etiam esse solent. Dicti esse videntur *actuarii*, vel quia primi post decumanos et cardines acti seu designati sunt, vel quia per eos non solum iter, sed etiam *actus* est, hoc est via vehiculum capiens. *Hyg. lim. constit.* p. 151. *Goes.* Actuarius limes est, qui primus actus est, et ab eo quintus quisque etc. [**Salmas. Exerc.* p. 476 sqq., ubi copiose de his rebus exponit, *actuarios* ab *actu* mensura dictos putat. V. h. v.] ℙ *Actuariis* limitibus respondent ex altera parte et veluti contrarii sunt *linearii* vel *lineales*, qui angustiores multo sunt, et mensurae tantum uniuscujusque agri disterminandae causa constituti. Hi *subruncivi* etiam appellantur. *Id. ib.* p. 152.

ACTUARIUS, ii, m. *γραφεύς, ὑπομνηματογράφος*, [**ταχυγράφος*] scriba, notarius, qui acta perscribit. Varia sunt actuariorum genera pro varia temporum ratione. Nam primo actuarii dicti sunt *notarii*, qui brevioribus et compendiariis notis usi citissime verba dictantis aut dicentis excipiebant. *Suet. Caes.* 55. Orationes aliquas reliquit, inter quas temere quaedam feruntur, ut pro Q. Metello; quam non immerito Augustus existimat magis ab actuariis exceptam, male subsequentibus verba dicentis, quam ab ipso editam. *Sen. ep.* 33. Multum viva vox facit: non quidem haec, quae alienis verbis commodatur et actuarii vice fungitur, *h. e.* tantummodo ab aliis dicta profert, nihil de suo addit: quemadmodum *actuarius* tantummodo scribit ab aliis dictata. [*Cf. *Lips.* ad *Tac. Ann.* 5, 4. *Heins.* et *Burm.* ad *Petron. Tragur.* 53. *p.* 251. *Gesner.* ad *Plin. ep.* 3, 5, 15.] ℙ *Actuarios* etiam dictos fuisse, qui publica senatus aut populi *acta* perscriberent, et de his commentarios conficerent, est quorundam sententia: sed hujus rei latinus scriptor qui meminerit adhuc desideratur, nisi forte de his intelligendum est, quod dicitur in *Cod.* 12, 50, 7. ubi nominantur *Actuarii urbis Constantinopolitanae et aliarum quarumcumque curialium civitatum*, quos tamen rectius ad militiam pertinuisse dicendum est. Fuere enim postea et *militiae actuarii*, qui acta belli exscribebant rationesque militum, annonam a susceptoribus accipiebant, iisque pittacia dabant, in quibus continebatur quantum a susceptoribus accepissent et militibus erogassent, videnturque fuisse ministri Quaestorum militarium. *Aurel. V. Caesar.* 33. Tantum actuariorum in exercitu factiones vigent: genus hominum, praesertim hac tempestate, nequam, venale etc. annonae dominans, prudens in tempore his largiendi, quorum vecordia damnoque opes contraxerit. Adde *Ammian.* 20, 5. et in *Cod.* 12, 38, 5. et 16., et *tit.* 50. non semel. [*Adde *Ammian.* 25, 10. ibique *Vales.* et *Eutrop.* 9, 9. ibique *Tzschuck. Id. Ammian.* 25, 15. Actuarius sarcinalium principis jumentorum i. e. qui curam gerebat describendi equos sarcinales principes. Vid. *Casaub.* ad *Scr. H. A.* T. II. p. 266.] ℙ Hos et *Actarios* dictos fuisse, colligitur ex quadam inscriptione. V. ACTARIUS. ℙ Actuarium, qui acta privati domini et rationes villaticas perscribit, habes ap. *Petron. fr. Trag.* 53. *Burm.*

ACTUM, i, n. V. ACTA, orum.

ACTUM EST et Acta res est, *πέπραχται*, modus dicendi, qui in malam semper partem usurpatur, in desperata re: ductum, ut docet *Donat.* ad *Ter. Andr.* 3, 1, 7. a jure civili, in quo cavetur, ne quis rem actam apud judices repetat. [*Aptissimus est locus *Ter. Heaut.* 3, 3, 3. Acta haec res est: perii. Desperantis igitur haec vox idem fere est, quod *perii*, *ὄλωλα*, quocum etiam componitur.] *Pl. Ps.* 1, 1, 63. Actum hodie est de me. [**Id. Trin.* 2, 4, 194. Actum est de collo meo.] *Liv.* 1, 47. Novitate ac miraculo attoniti et jam de Servio actum rati. *Cic. Att.* 12, 25. Actum jam de isto est; alia magis quaero. [*Non posse dici *actum est mecum*, satis constat. Sed absolute *actum est Cic. Att.* 5, 15. *Flor.* 1, 18, 8. et saepius. — Dicebatur etiam *peractum est.* V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 8, 16. p. 181 sq. qui *Senec. Agam.* 901. affert. — ℙ *Actum est* solebat etiam subscribi tabulis, quibus, quae super aliqua re tractata constitutave sunt, comprehenduntur. In testamento Galli Favonii Jucundi, sculpto in lapide: Actum VI. K. Quintiles etc. Atque ita saepius. Cf. *Suet. Caes.* 20. Julio et Caesare actum est.]

ACTŬOSE, adv. *πρακτικῶς*, [*cum actu vehementi] cui contrarium est *remisse. Cic. Or.* 3, 26. Quam leniter! quam remisse! quam non actuose!

ACTŬOSUS, a, um, adj., activus, ab agendo non cessans, *πρακτικός*. [*Proprie hoc quoque dicitur de motu.] Actuosi dicuntur histriones et saltatores, quorum tota ars et solertia in actu seu motu corporis versatur. *Paul. ex Festo:* Actus modo significat motum corporis, ut histrionum et saltatorum, qui etiam ex hoc ipso actuosi dicuntur. ℙ *Actuosa* etiam *scena* dicta est a *Donato*, in qua histrioni valde est laborandum. ℙ [*Tum refertur ad omnem animi actionem.] *Cic. N. D.* 1, 40. Virtus actuosa, et deus vester nihil agens: expers virtutis igitur. *Id. Or.* 36. Pars actuosa orationis. *Sen. ep.* 39. Noster animus in motu est, eo mobilior et actuosior, quo vehementior fuerit. *Id. Tranquill.* 3. *med.* Optimum miscere otium rebus, quoties actuosa vita impedimentis fortuitis prohibetur. [**Lact. D. I.* 6, 17, 23. vita actuosa, mors quieta.]

ACTUS, us, m. [*Pessime hic, ut in superioribus ejusdem generis verbis, versatus est Forc., jure reprehensus eam ob causam a *Koelero* in *Wolf. Anal.* IV. p. 327. Is intellexit, actum (ab *agendo*) primum de *motu corporis* dictum esse et omnino de motu quocunque *rerum*. Vid. quae supra in v. *Actio* dicta sunt. Ad hanc igitur rationem auctoris molem in ordinem ausi sumus redigere. Motus igitur signif. habes primum in *Petron. Sat.* 135. (al. 95.) Pocula, quae facili vilis rota finxerat actu. Ubi sign. *circumactum*. Refer huc etiam *Prudent. Cathem.* 4, 77. Tu — mundi scilicet impotentis actu conclusos regis. His nunc accedant exempla a nosto minus apto loco allata.] *Lucr.* 3, 194. Mellis pigri latices et cunctantior actus. *Lucan.* 9, 471. Pilaque contorsit violento spiritus actu [*de vehementi venti flatu. *Sen. Agam.* 432. Unda vix actu levi — tremit.] *Virg. A.* 12, 687. Fertur in abruptum magno mons improbus actu (i. e. impetu). *Cic. d. Rep.* 2, 40. Quocunque vult, levi admonitu, non actu inflectit illam feram, h. e. elephantum ducit non impulsu (*ἐλάσει*) sed voce. [*H. l. addidit Furl. Similiter *Claud.* IV. *cons. Hon.* 481. Aquas — alio Stilicho deflexerat actu. *Ovid. Hal.* 72. Quam tumidus quantove venit spectabilis actu. Hic de *ingressu* intell. ℙ Translate *Lucan.* 9, 30. Quas (partes) ne per litora fusas Colligeret rapido victoria Caesaris actu, i. e. Caesar victor huc illuc reliquias Pompejanorum celeriter persequens. Ex his fortasse explicari possunt verba *Taciti H.* 1, 12. In T. Vinii odium, qui in dies quanto potentior, eodem actu invisior erat; ut hoc dicat: eodem ad majorem potentiam impetu, progressu inv. factus est. Sed ista verba VV. DD. valde displicuerunt variisque conjecturis tentata sunt.] ℙ Jam porro, ut v. *actio*, transfertur ad gestus et motus corporis histrionum et saltatorum [*etiam oratorum] qui proinde *actuosi* dicti sunt. V. verba *Festi* in ACTUOSUS. [**Liv.* 7, 2. Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu — ubi tum paulo post: haud indecoros motus dabant. *Quintil.* 9, 2. Motus est in his orationis atque actus. ℙ Inde sequitur, ut etiam id significet, quod cum gestu et motu agunt in scena histriones, actionem ipsam rei, fabulae. *Quintil.* 6. 2. Vidi histriones, cum ex aliquo graviore actu personam deposuissent, flentes adhuc egredi. *Suet. Ner.* 24. In quodam tragico actu, cum elapsum baculum cito resumpsisset etc. *Cic. Sen.* 19. Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda est fabula, modo, in quocunque fuerit actu, probetur. ℙ Hinc patet, quo jure partes majores comoediae et tragoediae *actus* dicantur. *Hor. A. P.* 189. Neve minor quinto, neu sit productior actu Fabula. ℙ [*Ex scena transfertur ad vitae actiones. *Cic. Qu. Fr.* 1, 1. *extr.* Ut hic tertius annus imperii tui, tanquam tertius actus, perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur.] *Cic. Marc.* 9. Haec igitur tibi reliqua pars, hic restat actus, ut rempublicam constituas. *Id. Sen.* 2. Extremus actus aetatis. *Id. Verr.* 2, 2, 6. Quartus actus improbitatis. [*Non debebat omitti locus *Cic.*, quem supra in v. *Actio* explicuimus, *Fam.* 5, 12, 19. Praeterea cf. *Cic. Phil.* 2, 14. Si meus stilus ille fuisset, ut dicitur, mihi crede, non solum unum actum, sed totam fabulam confecissem i. e. si ego inter conjuratos fuissem, non Caesarem solum, sed te quoque tuique similes occidendos curavissem.] Similiter *Varro* partes disputationis et doctrinae de re rustica *actus* vocat, *R. R.* 1, 26. 2, 8. [*et 10. *in.*] et 3, 11. [*Ejusdem coloris videtur esse ap. *Claud. Laud. Ser.* 19. Anne aliud toto molitur carminis actu Maconii mens alta senis.] ℙ Ad eandem porro *motus* notionem spectat, quum significat spatium inter agros ductum, quo armenta et vehicula vacua agi, hoc est duci possunt, [*per quod igitur *actus* (*ἐλάσις*) est jumentorum et vehiculorum.] Differt ab *itinere* inter agros posito, quia *iter* est, quo quis pedes vel eques commeare potest: *actus* vero ubi et armenta trajicere et vehiculum ducere licet. Ita *Modest. Dig.* 8, 3, 12. Sed vide quae dicentur in VIA [*cf. *Bynkershoek.* in *Obss. juris Rom.* 4, 7. et *Menag. Amoen. jur. c.* 36.] ℙ Accipitur etiam pro jure, quod quis habet vehiculum agendi per vicinos agros: et est genus quoddam servitutis in praediis rusticis. *Ulp. ib.* 1. Actus est jus agendi vel jumentum vel vehiculum: ita qui iter habet, actum non habet: qui actum habet, et iter habet. *Cic. Caec.* 26. Aquaeductus, haustus, iter, actus. [**Brisson. Form.* 6, 137.] ℙ Item *actus* est spatium seu modus agri, et quidem triplex: minimus, quadratus, et duplicatus. *Actus minimus* continet latitudinis pedes quatuor, longitudinis centum et viginti. *Actus quadratus* centum viginti pedibus quaquaversum protenditur. *Actus duplicatus* ducentos quadraginta pedes longitudinis, et centum viginti latitudinis habet, qui et *jugerum* [*gr. *πλέθρον*] appellatur. Dictus est *actus*, quia, ut ait *Plin.* 18, 3, 3. in eo boves aguntur, cum aratur, uno impetu justo. *Varr. L. L.* 4, 4. et *R. R.* 1, 10. *Plin. l. c.*, *Colum.* 5, 1., *Fest.* in voce *Actus*, et *Isid. Or.* 15, 15. [*Cf. *Salm. Exerc.* p. 477. sqq. — ℙ Transtulit hanc significationem, qua agri certa spatia et partes *actus* dicuntur, ad partes alvearium *Plin.* 11, 10, 10. Limitibus binis circa singulos actus, ut aliis intrent, aliis exeant. Al. *arcus.*] ℙ Denique ad istam *motus* s. *circumactus* signif., de qua supra diximus, haud scimus an pertineat ea ratio, qua h. v. utitur *Varr. L. L.* 8, 49. ubi actus est certus quidam et determinatus progressus ab uno numero ad alium numerum, ut ab uno ad nongenta est unus *actus*, per quem reditur ad unum: a mille ad nongenta millia est alius actus. V. integrum locum. [*Hic igitur ordinem quendam significat, quo idem numerus, quasi in orbe actus, redit.] ℙ [*Jam porro actus significat *πρᾶξιν*, i. e. eam hominis conditionem, qua rem agit, gerit, perficit (hinc add. genit. *Sil.* 1, 581. rerum omnes pendent actus; cf. infra), in negotio est, (opp. *otio*, *quieti*; cf. *Claud. Eutrop.* 2, 120.) *occupationem*, *opus*, *factum*, *res gestas. Suet. Cl.* 30. Caput — in quantulocunque actu tremulum.] *Sen. ep.* 8. in actu mori. *Suet. Aug.* 78. Ibi, donec residua diurni actus conficeret, ad multam noctem permanebat. *Quintil.* 10, 1, 27. Attrita quotidiano actu forensi ingenia. [**Lact. D. I.* 3, 16, 2. Sapientia, nisi in aliquo actu fuerit, quo vim suam exerceat etc. Cf. *Valer. Max.* 3, 2. *in.* et §. 20. virtutis actus.] *Cic. Leg.* 1, 11. Non solum in rectis, sed etiam in pravis actibus insignis est humani generis dissimilitudo. [*Apparet ex h. l., ne Cic. quidem abstinuisse hoc v. usu, quae fuit *Parei* in *Lex. cr. s. h. v.* sententia. Aliud tamen ex Cic. exemplum non novimus. Compara *Lact. D. I.* 6, 24, 26. boni actus. Add. *Claud. Ruf.* 2, 481.] *Just.* 31, 2. Senatus ad speculandos actus Annibalis legatum in Africam mittit. *Quintil.* 11, 1. In ceteris actibus vitae. *Lucan.* 8, 807. Adde actus tantos etc. *Claud. Ruf.* 1, 284. Actus Herculei. [*His haec possunt addi: *Sil.* 3, 78. Si quis forte deum tantos inciderit actus. *Id.* 10, 136. Omnes comes ibat in actus. Cf. *Val. Fl.* 4, 162. *Claud. B. Gild.* 291. *Capitol. v. Max. et Balb.* 4. Priusquam de actibus eorum loquar.] ℙ Ex his patet, quo jure ab JCtis interdum actus ita usurpetur, ut *rem* significet, et opponatur *verbis* aut *voci. Ulp. Dig.* 49, 1, 12. Si constat nullo actu ex lege habito duumvirum creatum, sed tantum vocibus popularium postulatum. *Paul. Dig.* 46, 8, 5. Non verbis tantum ratum haberi posse, sed etiam actu. ℙ Cum his cohaeret, quod actus dicitur pro *munere*, *officio*, *administratione*, *dispensatione*, *πραγματεία. Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 37. Cum ad pristinum actum reversus fuerit, sufficient ei etc. [*Paulo ante dixerat *munus.*] *Vopisc. Car.* 6. Felix esset nostra respublica, si qualis est Carus, plures haberem in actibus collocatos. ℙ Et speciatim dicitur de administratione censuum ac rationum [*de munere actoris.] *Martian. Dig.* 39, 4, 16. Actum gerere, *h. e.* actorem esse. *Scaev. ib.* 40, 5, 41. Actum alicujus agere. Sic *Ulp. ib.* 47, 4, 1. Actum administrare. *Callistrat. ib.* 50, 6, 5. In actu esse. *Ulp. ib.* 26, 7, 18. Actus sui rationem reddere. ℙ *Actus rerum* sunt negotia forensia [*jurisdictio.] *Suet. Aug.* 32. Ne quod maleficium negotiumve impunitate vel mora elaberetur, triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodavit, *h. e.* judiciis exercendis. *Id. Cl.* 15. Cum decurias rerum actu [*i. e. actui, nisi potius ita legendum est, ut censet *B. Crus.* quem vide] expungeret, *h. e.* designaret destinaretque, quinam in judicum numero essent, et quinam rejiciendi. [**Id. ib.* 23. Rerum actum conjunxit, i. e. judicia conjunctis mensibus, feriis non interrupta, fieri jussit. Vid. *Bremi* ad h. l.] Adde *Plin. ep.* 9, 25, 3. et *Ulp. Dig.* 1, 16, 4., ubi *actus* absolute ponitur pro *actu rerum.* [*Huc pertinet quodammodo etiam locus *Quintil.* 10, 1, 31., ubi orationes dicit scribi ad actum rei et ad pugnam, i. e. ad causam in judicio agendam.] ℙ Dicitur etiam de tempore, quo judicia exercentur, de diebus fastis. *Suet. Ner.* 17. Cautum, ut rerum actu causae ab aerario ad forum ac recuperatores transferrentur. [*De tempore judiciorum habendorum et diebus fastis (*ἡμέραι ἀγοραῖοι*) ut haec intelligamus non possumus perspicere quid cogat.] ℙ *Actus* ea signific., qua usurpatur in scholis et *potestati* [*i. e. ei, quod fieri potest] opponitur, barbarum est. Afferunt quidam locum *Cic. Dom.* 24., sed ibi verba illa *erumpebat in actum*, *tam audaces duces*, ita corrigenda sunt ex antiq. lib. et quibusdam mss. *erumpebat nacta tam audaces duces*, ut *Mur. V. Lect.* jubet 6, 19. Quamquam retenta etiam priore

lectione nihil inde confici potest: nam *erumpere in actum* nihil est aliud, quam *erumpere in actionem*, hoc est *agere*, quod longe distat ab *actu* philosophorum, quo ipsi *actualem*, ut loquuntur, *existentiam* significant. Nihilominus *Apul.* hoc modo usurpasse videtur *Dogm. Plat.* 1., sed facile concedi potest homini semibarbaro et praeterea de philosophicis rebus disputanti. ℙ [*Confunduntur in libris *actus* et *arcus*. V. supra. Ceterum quae de hac re in fin. v. seq. a nobis commemorabuntur, maximam partem valent etiam de substantivo.]

ACTUS, a, um, part. v. *ago*, varias habens significationes. [*Has quoque ad primariam *motus* significationem referendas esse, inde ad *opus*, apparet. Sed hic quae auctor dedit, intacta reliquimus, cum facilia sint intellectu nosque infra ipsi ea, quae hic carptim tanguntur, accuratius tractaturi simus in v. AGO.] Primo enim est idem ac ductus. *Liv.* 1, 7. Cum actae boves ad desiderium relictarum mugissent. ℙ Item impulsus *Virg. A.* 6, 532. pelagine venis erroribus actus, An monitu divum? *Hor. Od.* 3, 7, 5. Ille Notis actus ad Oricum. ℙ Item admotus. *Virg. A.* 9, 505. Accelerant pariter acta testudine Volsci. ℙ Item infixus, immissus. *Colum.* 8, 3. Pali in parietes vehementer acti. *Virg. A.* 11, 644. Hasta acta per armos. ℙ Item sparsus, diffusus. *Virg. G.* 3, 483. Ignea venis omnibus acta sitis. ℙ Item agitatus. *Virg. A.* 1, 240. Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos insequitur. ℙ Item coactus, compulsus. *Virg. A.* 2, 128. magnis Ithaci clamoribus actus Composito rumpit vocem. *Id. A.* 6, 379. Prodigiis acti caelestibus. ℙ Item factus, perfectus. *Sall. Jug.* 71. Postquam de rebus Vaccae actis comperit. *Auct. ad Her.* 2, 26. Quasi sero atque acto negotio dici videtur. *Cic. Fin.* 2, 32. Jucundi acti labores. ℙ Item transactus. *Virg. A.* 9, 156. melior quoniam pars acta diei. *Pl. Amph.* 1, 3, 2. Menses jam tibi esse actos vides. Alii leg. *tibi exactos. Phaedr.* 1, 18. Instante partu mulier actis mensibus. ℙ Acta *vita* est praeterita. *Cic. Fam.* 6, 4. Adjuvat etiam aetas et acta jam vita. *Id. Sen.* 3. Conscientia bene actae vitae. [*Hinc *Tac. A.* 6, 48. acta et instantia opponit.] ℙ *Actum* vel *Acta agere*, et *Actam rem agere* est rem jam actam rursus agere, atque adeo frustra laborare, praepostere agere, ut cum de re cogitamus, quae jam confecta est: quod prius facere oportuit: estque vetus tritumque proverbium. *Don.* ad *Ter. Andr.* 3, 1, 7, sumptum esse ait ex jure civili, in quo cavetur, ne quis rem actam apud judices repetat. *Cic. Att.* 9, 18. Tu, malum inquies, actum ne agas. *Id. Am.* 22. Praeposteris enim utimur consiliis et acta agimus: quod vetamur veteri proverbio. *Ter. Ph.* 2, 3, 72. Ohe, actum, ajunt, ne agas. *Liv.* 28, 40. Scio multis videri, rem actam hodierno die agi. [*cf. *Pl. Pseud.* 1, 3, 28. *Cist.* 4, 2, 36.] ℙ *Actum habere quod egeris* est ratum habere, approbare. *Cic. Tusc.* 3, 21. Ego sum is, qui dicam, me non laborare, actum habiturum quod egerint. Alii leg. *ratum habiturum.* ℙ *Actum est.* V. supra suo loco. [*Commutantur in libris *actus* et *auctus*, *Drak.* ad *Sil.* 17, 490. ad *Liv.* 21, 61, 4. *Heins.* ad *Ov. Her.* 1, 95. *Met.* 4, 659. *actus* et *factus*, *Drak.* ad *Liv.* 6, 28, 2. *actus* et *ictus*, *Sil.* 10, 530. *Luc.* 3, 469. *Davis.* ad *Hist. B. Afr.* 18. *Pier.* ad *Virg.* 12, 687. *Heins.* ad *Val. Fl.* 8, 35. *Broukh.* ad *Prop.* 3, 6, 14. item *actus* et *jactus*, interpp. ad *Vell.* 2, 80, 4. *Gronov.* ad *Sen. Agam.* 432.]

ACTŪTUM, *αὐτίκα*, adv. temporis, quod significat confestim, sine dilatione [*ab *ago*, *actus*. Est igitur *cum actu*, *celeriter*.] *Cic. Phil.* 12, 11. Ego mortem actutum futuram puto. *Liv.* 29, 14. Quam actutum in Italia fore nuntiaverat. *Virg. A.* 9, 255. tum cetera reddet Actutum. Adde *Ter. Ad.* 4, 4, 25. [**Phorm.* 5, 6, 12. *Ovid. Met.* 3, 557. Est tamen ap. Comicos, ut apud *Plaut.*, frequentissimum.]

ACŪA pro Aqua legitur in quadam *Inscr.* ap. *Grut.* 593, 5.

ACŪĀRIUS, ii, m., qui acus facit, *βελοποιός*. Quidam putant esse sartorem, qui lacera vestimenta resarcit, vel etiam nova conficit. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 308. Syntropho Attiani acuario.

ACŪCŪLA. V. ACICULA.

ACŪLA, ae, f. parva acus. Sola adhuc nititur auctoritate *Cledonii Gramm.* p. 1896. *Putsch.*

*ACULANUM. *Cic. Att.* 16, 2. In Pompejanum inde cogitabam Aculanum. *Manut.* conjicit *Herculaneum*. Alii putant esse idem, atque *Aeculanum* in Hirpinis, pro quo etiam *Eclanum* reperitur. V. *Wesseling.* ad *Anton. Itin.* et *Goes. ind. in Script. R. Agr.*

ACULĔĀTUS, a, um, adj. *κεντρωτός*, aculeum habens: et dicitur de apibus, vespis, scorpionibus, et aliis animalibus cauda ferientibus. *Plin.* 20, 22, 91. Utrumque efficax adversus aculeata animalia, ut crabrones et similia. *Id.* 23, 1, 27. Contra omnium aculeatorum venena. ℙ De aliis rebus spinas seu aculeos habentibus. *Plin.* 22, 6, 7. Aculeatae herbae. *Id.* 24, 19, 119. Aculeatum gramen. *Id.* 16, 10, 16. Aculeatum mucrone folium. ℙ Aculeati etiam dicuntur quidam pisces, qui rostrum vel spinas aculeatas habent. *Plin.* 32, 11, 50. Sic *id.* 10, 32, 47. de nidis halcyonum: nec unde configantur invenitur: putant ex spinis aculeatis: piscibus enim vivunt, *h. e.* ex spinis piscium aculeatis. ℙ *Aculeatus ictus*, qui aculeo fit. *Plin.* 20, 21, 84. Huic contra omnes aculeatos ictus efficax vis, praecipue scorpionum etc. ℙ Translate *Cic. Ac.* 2, 24. Quorum sunt contorta quaedam et aculeata sophismata. Sic enim appellantur fallaces conclusiunculae. *Id. Att.* 14, 18. Satis aculeatas ad Dolabellam epistolas dedi: quae si nihil profecerint, puto fore, ut me praesentem non sustineat. *Pl. Bacch.* 1, 1, 29. Aculeata sunt: animum fodicant.

*ACULEIUS. Varronis esse dicitur *aculeia cura*, nescio qua fide. Ex *Bail. Auctar.*

ACULĔO, onis, m. Cognomen Romanum in gente Furia ap. *Liv.* 38, 55. C. Furius Aculeo.

ACULĔOLUS, i, m. *Martial.* 8, 71. Nonus aculeolos in cochleare tulit, *h. e.* parvas acus. Al. leg.: Nonus acu levius vix cochleare tulit. Alii: Nonus permodicum vix cochleare tulit. Secunda lectio probabilior videtur.

ACULĔUS, i, m. *κέντρον*, [*si Prisciano fides, est diminutivum v. *acus*, cf. *Sanct. Min.* 1. p. 78 sq. Alii malunt a gr. *ἀχή* derivare, a quo tamen fit etiam *acus*] spiculum tenuissimum in caudis vesparum, apum, crabronum et similium. *Cic. Tusc.* 2, 22. Apis aculeum sine clamore ferre non possumus. *Id. Fin.* 5, 15. Cornibus ut videmus boves, nepas aculeis. ℙ Dicitur etiam de quocumque spiculo seu spina pungente in setis animalium, in herbis, in ferramentis et similibus. *Plin.* 8, 35, 53. Hystrici longiores aculei et cum intendit cutem, missiles. *Id.* 13, 9, 19. Aculeus spinarum. *Id.* 20, 23, 99. carduorum. *Liv.* 38, 21. sagittae, quod idem dixit *Justin.* 9, 2. [*Calcis aculeos in gallinis habet *Colum.* 8, 2, 8.] ℙ Translate varios habet usus. *Cic. Cluent.* 55. *s. fin.* Aculeos severitatis judicum evellere. *Id. Att.* 1, 18. Domesticarum sollicitudinum aculei. [**Pl. Trin.* 4, 2, 158. Jamdudum meum ille pectus pungit aculeus, i. e. animi scrupulus.] *Id. Coel.* 12. Erigere et emittere aculeos severitatis in aliquem. *Id. Brut.* 9. Relinquere aculeos in animis audientium [**h. e.* quibus illi excitarentur, neque prius, quam fecerint, quod orator suasit, acquiescerent.] ℙ Ponitur saepe pro subtili acutaque sententia aut dicto. [**Cic. Fin.* 4, 3. Pungunt, quasi aculeis, interrogatiunculis.] *Cic. Ac.* 2, 31. Omnes istos aculeos et totum tortuosum genus disputandi relinquamus. *Id. Or.* 19. Philosophorum oratio neque nervos, neque aculeos oratorios ac forenses habet. *Id. Sull.* 16. Noli aculeos orationis meae, qui reconditi sunt, excussos arbitrari. [*Aculeos orationis dixit *id. Planc.* 24. Aptus hic est locus, quo illud *Livii* 23, 42, 5. commemoremus: Te ad unum modo ictum vigentem velut aculeo emisso torpere. Hic vulgo leg. *jaculo*. Cf. *Gron.* et *Drakenb.*, qui *Curtium* 4, 14. comparant et *Cic. Flacc.* 17. Inde explicandum proverbium, quod sine auctoritate afferunt: *aculeo infixo fugere*, i. e. post convicium dictum statim se subducere. Ceterum imaginem ab apibus sumptam esse non est, quod dicamus.] ℙ Item pro acuto dicterio in aliquem. *Cic. Brut.* 47. In altercando cum aliquo aculeo et maledicto facetus. *Id. Or.* 2, 55. Aculei contumeliarum. *Id. Q. Fr.* 2, 1. Fuerunt nonnulli aculei in C. Caesarem, contumeliae in Gellium. ℙ [*Conf. *aculeus* et *jaculum*. Vid. supra.]

ACŪMEN, inis, n. *ἀκωκή*, pars summa alicujus rei in acutum desinens, mucro, acies. [*Haec quid inter se differant, v. in *Acies*. Acies maxime videtur dici de *secando*, acumen nonnisi de *pungendo* et de instrumentis praecacutis.] *Cic. Or.* 1, 33. Acumen stili [**ἀκμὴ τοῦ γραφίου*. Cf. *Suet. Rhet.* 5. ibique interpp.] *Id. Arat.* 34. Acumen scorpii, *h. e.* aculeus. *Lucr.* 4, 432. coni. *Id.* 6, 1191. nasi. [*In h. l. est signum instantis mortis. Vid. *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 1, 3, 29.] *Plin.* 10, 71, 91. rostri. [**Ov. Met.* 2, 376.] *Palladius.* 2, 15. *med.* Acumina amygdalorum. [*Hic alii habent *cacumina*. Cf. 12, 7, 1. Adde *Ov. Met.* 3, 84. 8, 354. ubi de *hasta* dicitur. De extrema et tenui parte corporis anguium *id. ib.* 4, 579. radicum *id. ib.* 11, 72. Cuneatus acumine longo collis *id. ib.* 13, 778. *Ammian.* 18, 9. contra acumina calcitrare (*πρὸς κέντρα λακτίζειν.*) ℙ In *Virg. Cul.* 182. intelligunt *acumen* de *ictu* aculei. Sed ibi valde dubia est scriptura. ℙ Dicitur etiam, ut gr. *ἀκμή*, de eo, quod extremum et summum est in aliqua re, de flore ac robore. Sic *Arnob.* 6. p. 198. Phryne illa Thespiaca, quum in acumine ipso esset pulchritudinis.] ℙ *Auspicium ex acuminibus* fuit militare, de quo mentionem facit *Cic. Div.* 2, 36. et *N. D.* 2, 3. et videtur fuisse illud, quod captabatur ex acuminibus pilorum, hastarum aliorumque telorum, si splendide emicarent, si non retusa, non hebetia, si horrorem quendam videntibus incuterent etc. *Arnob.* 2. p. 91. Martium discrimen obeuntes spem proelii sumitis et ex acuminibus auspicatis. *Cic. Div. l. c.* Nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, jam M. Marcellus totum omisit, idem imperator, idem augur optimus. Haec ex *Turnebo Adv. l.* 23. *c.* 12. cui *Dion. Halic. l.* 5. adstipulatur et alii plerique assentiuntur. Sunt tamen qui aliter statuant [*in his *Cerda* ad *Virg. A.* 6, 199. p. 627. et *Meurs. Exerc. crit.* ad *Pl. Epid.* 1, 3. Sed sola vera illa interpretatio, quam confirmat *Liv.* 22, 1. in Sicilia militibus aliquot spifias equiti scipionem — arsisse. Cf. 43, 13.] ℙ Ap. *Diomed.* 2. p. 428. *P.* est *acumen* acutus accentus. ℙ Translate *acumen saporis* est sapor acer et jucundus. *Plin.* 14, 20, 25. Ratio condiendi musta aspersu picis, ut odor vino contingat et saporis quaedam acumina. Hinc translate *Arnob.* 5. p. 106. Dolorum acuminibus tortari. ℙ Saepe dicitur de ingenii perspicacia et vi, *δεινότης*. [*Cf. in *Acies.*] *Cic. Tusc.* 1, 6. Quem esse negas, eundem esse dicis: ubi est acumen tuum? *Id. Flacc.* 4. Sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam. *Id. Fam.* 5, 14. Propter acumen occultissima perspicere. *Juven.* 4, 102. Quis priscum illud miretur acumen, Brute, tuum? [*Plurali utitur eadem significatione *Hor. Ep.* 2, 1, 161. *Colum.* 1, 9, 4. acuminis strenui ministrum dicit servum prudentem et in negotio administrando acrem.] ℙ Item de subtili dicto, invento aut argumento. *Cic. Or.* 1, 28. Acumen dialecticorum, sententiae philosophorum. *Id. Or.* 2, 38. Dialectici ipsi se compungunt suis acuminibus. *Id. Or.* 31. Demosthenes nihil cedit argutiis et acumine Hyperidi. *Id. Or.* 2, 63. Etiam interpretatio nominis habet acumen, cum ad ridiculum convertas, quamobrem ita quis vocetur. [**Quintil.* 10, 1. acumen dissererendi. *Hor. A. P.* 364. Judicis argutum — acumen. *Id. ep.* 1, 12, 20. acumen Stertinium.] *Hor. Ep.* 1, 17, 55. Meretricis acumina [*i. e. fraudes callide excogitatas. Adde praeterea *Nep. Alc.* 11. ingenii acumini inservire i. e. operam dare excolendo ingenio.] ℙ Usurpatur et pro tenuitate stili [*imo de subtilitate disserendi.] *Cic. Or.* 2, 29. Meae totius orationis et istius ipsius in dicendo facultatis tres sunt rationes: una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia vim desiderat. V. *eund. Or.* 6.

*ACUMINARIUS, a, um, adj. Mola acuminaria (armis acuendis) *vet. interpr.* ad *Stat. Th.* 3.

ACŪMĬNATUS, a, um, quod acumen habet. *Plin.* 18, 35, 79. Acuminatum cornu Lunae. *Id.* 11, 2, 1. Telum (culicis) fodiendo acuminatum. ℙ Translate *Sidon.* 8, 1. Linguas cote livoris acuminatas.

ACŪMĬNO, as, a, 1. *ὀξύνω*, acutum facio. *Lactant Opif.* 7. Contextum spinae a summo capite deductum acuminavit in caudam.

ACŪO, is, cui, utum, a. 3. *ἀκονάω*, *ὀξύνω*, proprie de falce, cultro et hujusmodi, quae aciem habent: cui contrarium est *obtundo*, *hebeto*. *Cic. Tusc.* 5, 40. Ne stridorem quidem serrae audiunt, cum acuitur. *Hor. Od.* 1, 2, 21. Acuere ferrum. *Id. Od.* 3, 20, 10. dentes. [*cf. *Tib.* 4, 3, 3.] *Ov. Met.* 15, 776. enses. [**Curt.* 6, 9. acuere gladios in aliquem dicit de auctore conjurationis. *Colum.* 11, 2, 12. acuere palos.] ℙ Translate est exacuere, perspicacem reddere. [*Patet, hic primum eos locos afferendos fuisse, in quibus dicitur acui *lingua*, sicut instrumentum ferreum cote. Hujusmodi locum attulit noster infra demum. *Cic. Brut.* 97. acuere linguam exercitatione dicendi. Aptior etiam *Hor. Ep.* 1, 3, 23. Seu linguam causis acuis. Jam cum his conf. *Cic. Att.* 2, 7. Acueram me ad exagitandam hanc ejus legationem,] *Ov. Rem. am.* 801. acuentes lumina rutae. *Cic. Tusc.* 1, 33. Multa e corpore existunt, quae acuant mentem; multa, quae obtundant. *Id. Brut.* 33. Non solum acuere, sed etiam alere ingenium. *Id. Or.* 1, 20. intelligendi prudentiam. [*Eodem spectat *Cic. R. Amer.* 38. Illum acuere, hos — fallere, quae ipse statim explicat: illum monere, ut caveret etc.] ℙ Item excitare, [*utrumque v. conjungit *Cic. Fam.* 15, 21.] incitare, exhortari, impellere. *Virg. A.* 12, 590. et *Liv.* 22, 4. iras. [*v. *Drak.* ad 9, 9, 18.] *Virg. A.* 7, 330. aliquem verbis. *Ter. Ad.* 5, 3, 49. Quod illos aetas sat acuet [*nisi h. l. potius est *docebit*, *prudentes reddet.*] *Cic. Lig.* 4. Acuere aliquem ad crudelitatem. *Plin. ep.* 2, 7. juventutem ad bonas artes et viros ad liberos suscipiendos. *Sen. ep.* 10 audaciam. [**Virg. A.* 12, 108. acuere Martem. *Flor.* 1, 8. acuere ratione virtutem. Huc pertinet etiam, quem minus apto loco Forc. citat, *Auct. ad Her.* 4, 1. acuere industriam. Porro adde *Sil.* 5, 228. Hos laeto victoria vultu Arridens acuit i. e. stimulat, ad fortitudinem exhortatur. Cf. 1, 113. 559. 10, 606.] *Virg. A.* 7, 406. Postquam visa satis primos acuisse furores, *h. e.* accendisse. *Id. G.* 4, 435. Auditisque lupos acuunt balatibus agni, *h. e.* eorum famem excitant. *Id. A.* 12, 850. acuuntque metum mortalibus aegris, *h. e.* augent. *Id. G.* 1, 123. curis acuens mortalia corda, *h. e.* exercens et operosos reddens. *Liv.* 10, 13. Acuere studia, *h. e.* vulgi favorem augere. Alia ratione *Val. Max.* 2, 2. *n.* 3. acuere studia,

h. e. excitare studia litterarum. *Val. Fl.* 2, 172. Acuere fletus, *h. e.* augere. [*Non ut par erat noster eos distinxit locos, in quibus *acuere* simpliciter est *excitare* ad aliquid, et in quibus *augendi* simul subest significatio. Quam cautionem adhibendam esse poterat docere locus *Curt.* 5, 4. Ignaviam quoque necessitas acuit. Illa vero *augendi* significatio confirmatur insigni loco *Sil.* 1, 325. Spicula — patrio gaudens acuisse veneno, quocum cf. *ib.* 12, 52. acuebat (i. e. addebat) fraudibus enses.] ℙ Apud Grammaticos *acuere syllabam* est acutum accentum appingere [*et sic pronuntiare.] *Quint.* 1, 5. Ut in hoc *Camillus*, si acuitur prima etc. Adde *Arnob.* 1. p. 35. ℙ [Partic. *Acuturus* non est in usu. *F.*]

ĂCŪPĔDĬUS, ὀξύπους, cui praecipuum est in currendo pedum acumen, hoc est pernicitas. *Festus.* Quidam leg. *aquipedius.* [*Etiam ἀρχαϊκῶς *agupedius. Pomp. gloss.* agupedium, ὀξυποδία.] V. *Voss.* in *Etymol.* v. *Aquifolium.*

ĂCUS, i, m. βελόνη, genus piscis marini, longi, laevis, longo, tenui acutoque rostro instar acus praediti, unde et nomen illi tum a Latinis inditum, tum a Graecis, nam βελόνη *acum* significat. Hinc a *Plin.* 32, 11, 53. inter *aculeatos* adnumeratur. Cf. de eodem *Plin.* 9, 51, 76. *Martial.* 10, 37. Et satius tenues ducere credis acos. [*Videtur idem esse piscis, quem nos vocamus Hornhecht, Esox Belone Linn.]

ĂCUS, ĕris, n. purgamentum tritici aut alius frumenti, levius ac tenuius (glumam, aristam et spicae scapum complectens) quod e tritis spicis evolat, ἄχυς, [*ex h. v. latina orta videtur, quae est sententia *Casaub.* ad *Athen.*] ἄχνον, ὀχύβαλον. *Varr. R. R.* 1, 52. Iis tritis oportet e terra subjactari vallis aut ventilabris, cum ventus spirat lenis: ita fit, ut quod levissimum est in eo, atque appellatur acus, evannatur foras extra aream, ac frumentum, quod est ponderosum, purum veniat ad corbem. *Id. ib.* 57. Mixto acere e frumento. *Id.* 3, 9. In cubilibus, cum parturient (gallinae), acus substernendum. *Cato R. R.* 54. Paleas triticeas et hordeaceas, acus fabaginum, viciam. ℙ In femin. genere et 4. declin. *Colum.* 2, 10. Durissimae acus rejectae separataeque erunt a cudentibus: minutae vero, quae de siliquis cum faba resederunt etc.

ĂCUS, us, f. ἀκέστρα, βελόνη, [*ῥαφίς] instrumentum, quo vestes consuuntur: item quo capilli mulierum compti capiti adfiguntur vel discriminantur. *Cic. Mil.* 24. Mirabar vulnus, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris probari. *Cels.* 7, 16. In duas acus fila conjicere. *Ib.* Pars acuum, quae acuta est. *Ib.* Permutatis inter manus acubus. *Ib.* 17. Immittere lina per acum. *Ib.* 7. *n.* 8. Acu transuere. *Ib.* acum transmittere. ℙ De acu crinali. [*Dicitur eadem *comatoria Petron.* 21. *Acum crinibus distinguendis* appellat *Tertull. de poen.* 10. *discriminalem* vocat *Hieron. adv. Rufin.* 3, 11. Plura de his v. ap. *Salmas. Exerc.* p. 534 sqq.] *Martial.* 2, 66. Unus de toto peccaverat orbe comarum Annulus, incerta non bene fixus acu. *Juven.* 2, 93. Ille supercilium madida fuligine tinctum Obliqua producit acu, *h. e.* calamistro. [*Melius recentissimi interpp. expl. h. l. quos consule.] ℙ Acu non consuuntur tantum, sed et ornantur vestes et vario opere intexuntur: quod a Phrygibus inventum fuisse *Plin.* 8, 48, 73. scribit. Maeonii etiam scu Lydi hujusmodi texendi arte claruere. *Martial.* 8, 28. Babylonica picta superbe Texta Semiramia quae variantur acu. *Sen. Herc. Oet.* 665. Nec Maeonia distinguit acu, quae legit Eois Ser arboribus. ℙ Hinc *acu pingere* est figuras vestibus inserere. *Ov. Met.* 6, 23. Seu pingebat acu, scires a Pallade doctam. *Virg. A.* 9, 582. Pictus acu chlamydem. [*Addatur hic, quod ex *Isid. Or.* 19, 22. conjunctis vocibus scriptum supra exhibuerat *Furl.*, acu picta vestis, quam acu textilem vel ornatam explicat. *Bail.* in *Auctar.* citat *Cramer.* ad *Comment. vet.* in *Juvenal.* 6, 516. Ceterum cf. gr. κεστός, ut κεστὸς ἱμάς, cujus eadem est ratio.] ℙ Acus in fibula est pars extrema, tenuis acutaque, qua pars fibulae una alteri infigitur et adnectitur. *Trebell. Claud.* 14. Fibulam auream cum acu Cypria unam. ℙ [*Est etiam id, quod gr. dicitur μήλη (n. Sonde), quo instrumento in vulneribus explorandis utuntur. V. interpp. *Appulej. Met.* 8. p. 543. *Böttig. Sab.* I. p. 147. et 170. *Foes.* in *Oec. Hipp.* v. μήλη. Haec nobiscum communicavit *Jahn.*] ℙ Est etiam acumen pastini. *Pallad.* 1, 43. Acus per quas in pastinis sarmenta merguntur. ℙ *Acus* pro *acere* usurpavit *Colum.* 2, 10. V. v. praeced. ℙ *Acu rem tangere* est ipsam rem divinare, accuratissime conjicere. *Pl. Rud.* 5, 2, 17. Num medicus, quaeso, es? *La.* Imo una littera plus sum quam medicus. *Gr.* Tu mendicus es? *La.* Tetigisti acu. ℙ *Si acum, credo, quaereres, acum invenisses*, proverbialis locutio apud eund. *Men.* 2, 1, 13. de diligenti et prospera inquisitione. [*Idem fere significat locutio, quae ap. *Cic.* in *fragm.* est *acu enucleare.*] ℙ *Paul. in Epit. Festi* addit *acum* dici etiam exercitum instructum, quod paratus sit ad hostem vulnerandum acumine telorum. De *acu* dixit, quod *aciei* convenit. ℙ De acu Matris Deum v. in ANCILIA.

ĂCŪTĀLIS, le, adj. in acumen desinens. *Frontin. Colon.* p. 132. *Goes.* Terminus crassus acutalis.

ĂCŪTĀTUS, a, um, part. ab inusit. *acuto*, acutus. *Veg. Vet.* 1, 22. Sagittae cotibus bene acutatae.

ĂCŪTĔ, adv. ὀξέως, λιγέως. Convenit ex parte cum adv. *acriter.* Dicitur igitur de visu. *Lucr.* 4, 808. acute cernere. De sono *Cic. Somn. Scip.* 5. Ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent. Item de auditu *Solin.* 19. Cervi rectis auribus acutissime audiunt, submissis nihil. ℙ Translate est ingeniose, subtiliter. *Cic. Coel.* 8. Acute arguteque respondere. *Id. Brut.* 14. Acute arguteque conjicere. *Id. Off.* 1, 44. Acutissime cogitare. *Id. Att.* 10. 8. Acutissime perspicere aliquid. [*Cic. Fam.* 15, 21. acute moveri, i. e. ingenio excellere et crebris et acutis sententiis abundare. *Id. Or.* 1, 21. acute dicere. *Suet. Gramm.* 4. Diligenter et acute scienterque dicere aut scribere.] ℙ De tenui et subtili dicendi genere. *Id. Inv.* 2, 16. *s. fin.* Illae tenuius et acutius et usbtilius tractantur; hi autem gravius et ornatius.

*ĂCŪTIA, nom. muliebre, P. Vitellii uxoris. *Tac. A.* 6, 47. *Bail. Auctar.*

*ĂCŪTIATOR, is, m. qui acutum reddit. *Vet. Gloss.* ἀκονητής, samiarius, cotiarius, acutiator. Cf. ACUTOR.

[ĂCŪTOR, oris, m. qui acuit, idem ac samiarius vel samiator. Legitur vox haec in *Not. Tir.* p. 120. *F.*]

ĂCŪTŪLĔ, adv. ab acutulus. *August. Conf.* 3, 7. Quasi acutule movebar.

ĂCŪTŪLUS, a, um, adj. diminutivum ab *acutus.* Translate *Cic. N. D.* 3, 7. Zenonis breves et acutulae conclusiones. *Gell.* 17, 5. Acutulus et minutus doctor.

ĂCŪTUS, a, um, part. ab *acuo*, *acuto*, ὀξύς, τμητικός, proprie de ferro dicitur, quod aciem habet, pungit, penetrat, aut secat. [*Opp. *hebeti*, ut ap. *Cic. Inv.* 1, 24.] *Pl. Mil.* 5. v. 4. Vide, ut sit acutus culter probe. *Ov. Her.* 14, 45. ter acutum sustulit ensem. *Hor. A. P.* 304. fungar vice cotis, acutum Reddere quae ferrum valet. *Virg. Ecl.* 5, 39. Acutae spinae. [*cf. *Georg.* 3, 231. *Aen.* 5, 205.] *Id. A.* 5, 208. et acuta cuspide contos. *Hor. Epod.* 17, 10. Acuta tela. *Ov. Met.* 5, 380. de mille sagitis Unam seposuit, sed qua nec acutior ulla etc. *Plin.* 8, 26, 40. Uti acutissimum videt stirpem. [*Ita sign. substantiv. dicitur om. *clavus.* Sic *acutus Cyprinus Veg. A. V.* 1, 12, 3. 3, 2, 27. *Salm. Exerc.* p. 770.] ℙ De quibuscumque rebus in acumen desinentibus. *Pl. Capt.* 3, 4, 114. Acutus nasus. [*Hor. Od.* 2, 19, 4. aures acutae, quod intell. de arrectis ad audiendum auribus. Sed de subtili judicio aures acutas dicit *Calpurn. Ecl.* 1. Silvestre licet videatur acutis Auribus et nostro tantum memorabile pago.] *Ov. A. A.* 1, 383. Acuta cacumina. [*Hor. Od.* 3, 27, 61. acuta saxa. *Virg. A.* 1, 45. scopulus acutus. 8, 233. acuta silex. *Ov. Met.* 1, 699. pinus acuta. Cf. 3, 155.] *Plin.* 12, 13, 29. Acuti anguli. *Pl. Ps.* 4, 7, 121. Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo; ubi non *aciem visus*, ut quidam putant, sed *figuram* notat. [*Virg. Cir.* 507. ac. ungues. *Quintil.* 7, 2. acuta luna, opp. *globosae* et *plenae. Cic. fr. Acad. lib.* 2. Cur ejus (lunae) nascentis alias hebetiora, alias acutiora videantur cornua. Denique *acuta elementa* ap. *Lucr.* 2, 462. sunt atomi, h. e. particulae acuta figura, ex quibus constare corpora dicuntur. H. l. noster ipse attulit.] ℙ De visu et oculis acie valentibus. *Hor. Sat.* 1, 3, 26. in amicorum vitiis tam cernis acutum. ℙ De odoribus acribus. *Plin.* 21, 7, 18. Acutus odor. *Id.* 13, 1, 2. Acutiora unguenta fiunt costo, amomo, quae maxime nares feriunt. ℙ Item de saporibus. *Id.* 15, 27, 32. Sapor austerus, acer, acutus. *Id. ib.* In vinis et austerus et acutus sapor sentitur. [*Id. 27, 12, 97, Semen gustu acuto et odorato.] *Plin. ep.* 7, 3. Cibos acres acutosque miscere. *Acutus* sapor aut cibus ab *acri* differre in eo videtur, quod *acutus* sit qui facile sentitur et altius palatum afficit: *acer* autem praeterea addat salsitudinem quandam et acorem linguam vellicantem. ℙ [*Dicitur etiam de coloribus, ut ap. *Solin.* 27. viridi colore et non ita acuto. V. *Salm. Exerc.* p. 244.] ℙ Item de frigore aut calore vehementi et penetranti. *Hor. Ep.* 1, 10, 17. Cum semel accepit solem furibundus acutum. *Id. Od.* 1, 9, 4. geluque Flumina constiterint acuto. [*Sic *Lucr.* 1, 495. frigus penetrale. *Virg. G.* 1, 93. penetrabile. *Pind. Pyth.* 1, 39. χιὼν ὀξεῖα.] ℙ Item de voce et sono. [*Cic. *Somn. Scip.* 5. acutus et excitatus sonus.] *Id. Or.* 1, 59. Vocem ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipiunt. *Hor. Od.* 3, 4, 3. Vox acuta [*opp. *vox gravis.* Ap. *auctor. ad Herenn.* 3, 12. *acuta exclamatio* est, quae ad muliebrem potius vociferationem, quam ad virilem dignitatem in dicendo accommodata est.] *Id. Od.* 1, 34, 15. Acutus stridor. Et *ib.* 16, 8. Aera acuta, *h. e.* acute sonantia. *Virg. G.* 3, 94. Acutus hinnitus. ℙ Apud Grammaticos *acutus accentus* dicitur, qui syllabam attollit, et ejus tonum sonantiorem et quodammodo acutiorem reddit: ejus autem nota est lineola oblique ducta super syllabam a dextera ad sinistram partem vergens hoc modo(ˊ). Et acuta syllaba dicitur, quae accentum acutum habet. *Diomed.* 2. p. 425. *P.* et *Quint.* 1, 5. ℙ Dicitur etiam *acutus* de febri ac morbis. *Cels.* 3, 1. Alios ex his (morbis) acutos, alios longos esse dixerunt. *Ib.* quidam enim breves acutique sunt, qui cito vel tollunt hominem, vel ipsi cito finiuntur: quidam longi, sub quibus neque sanitas in propinquo, neque exitium est. [*Opponit idem in *praef.* morbos *acutos* et *vetustos.*] *Id.* 2, 4. Acuta febris. *Plin.* 23, 1, 24. Acuta pericula. [*Hor. Sat.* 2, 3, 163. Eodem refer, quod idem dicit *Horat. Od.* 4, 4. *extr.* acuta belli, ubi summa belli pericula, non στρατηγήματα significat, quae nostri fuit sententia, qui infra demum h. l. attulerat.] ℙ Saepissime vero usurpatur de animo, ingenio et significat *subtilem*, *ingeniosum. Cic. Fam.* 6, 6. Homo valde est acutus et multum providens. *Id. Att.* 12, 38. *fin.* Homo acutus magis quam eruditus. *Id. Or.* 1, 25. Acutus ad excogitandum. *Id. ib.* 39. Vir ingenio prudentiaque acutissimus. *Nep. Dion.* 8. Callidus et acutus ad fraudem. [*cf. *Dat.* 6.] *Hor. Sat.* 1, 3, 29. minus aptus acutis Naribus horum hominum, *h. e.* acribus et sagacibus ad judicandum: cui opponitur *obesa* naris [*ut est *Epod.* 12, 3. V. *Bentl. h. l.* Sed *acutae nares* etiam *mortis* instantis signum, ut ap. *Cels.* 2, 6. gr. ῥὶς ὀξεῖα. Quin ap. *Auson. praef. ad Griph.* nares acutas de *ira* explicari posse id. *Bentl.* dicit. Verba Ausonii haec sunt: neque me fallit fore aliquem, qui hunc jocum acutis naribus et caperata fronte condemnet. At hic potius de *irrisione* videtur esse intelligendum (v. *aduncus*); apud *Hor.* acutae nares tribui videntur hominibus quodvis vel leve vitium facile odorantibus.] *Stat. Th.* 6, 792. motu Spartanus acuto Mille cavet lapsas circum cava tempora mortes, *h. e.* pleno artis, callido, subdolo. *Cic. Sen.* 14. *med.* Acuta studia. ℙ *Acutus* etiam dicitur, qui subtili ac tenui stilo utitur in dicendo [*omnemque ornatum contemnit.] *Cic. Or.* 25. Illa huic acuto fugienda sunt, paria paribus relata, et similiter conclusa, et immutatione litterae quasi quaesitae venustates. V. ACUMEN. ℙ [*Acutus et *argutus* quomodo differant, docet *Vavassor.* de *epigr. c.* 6. Ipse *Cic. de opt. gen. or.* 2. ad docendum adhiberi vult sententias *acutas*, ad delectandum *argutas.*] ℙ *Acutum* adv. more pro *acute* ponitur *Hor. Sat.* 1, 8, 41. Resonarint triste et acutum. Adde 3, 26. [*Confunduntur in lib. mss. *acutus* et *aduncus.* V. *Bentl.* ad *Hor. l. c.*]

ACYROLOGIA, ae, f. ἀκυρολογία, impropria dictio: et per se quidem vitium est, sed figurae rationem induit ap. *Virg. Ecl.* 7, 7. Vir gregis ipse caper. Et *A.* 4, 419. Hunc ego si potui tantum sperare dolorem. Eadem ferme est, quae abusio. Est autem graeca vox, ab ἄκυρος, *improprius*, et λόγος, *sermo. Serv.* ad *Virg. l. c.* Sperare pro timere, et est acyrologia. *Isid. Or.* 1, 33. Acyrologia non propria dictio etc. *Hieron. in Ruf.* 2, 1. Istiusmodi nugis et acyrologiis omnis ejus scatet oratio. ℙ Rectius tamen graece usurpatur, quemadmodum usurpant *Charis.* 4. p. 242. *P.*, *Diom.* 2. p. 444. et *Donat. de Barbar.* p. 1770. latine enim *Improprium* dicitur, teste *Quint.* 8, 2.

ACYS. V. ACIS.

*ACYTOS, i, f. eadem quae Melos insula, ab Heraclide dicta Acytos. *Plin.* 4, 12, 23.

AD

AD, praepositio accusativo serviens. [*In hac praepositione praeter eos locos, quos affert, nihil fere retinuimus eorum, quae Forc. disputavit. Restituere enim eum ordinem, qui aptior nobis videretur, quam retento pristino, qualis esse deberet, indicare, satius duximus.] Scribebatur haec praep. olim etiam *at*, de qua re v. *Quintil.* 1, 7, 5. *Terent. Scaur.* p. 2250. *Vel. Long.* p. 2230. *id.* ap. *Cassiod.* p. 2287. *Mar. Victor.* p. 2457. *Charis.* p. 203. et, qui hos laudat deque hac re accuratius disputat, *Schneid. Gr. l.* I. 1. p. 251. sqq. De aliis orthographicis v. in fine h. v. et de *Ad* pro At posito in v. AT. ℙ Alii praepos. derivant a praep. *a*; *Kürcherus in Eph. schol.* 1828. F. II. N. 24. ab *ago*, ut ex obsoleto partic. *aged*, *agd*, extrusa *g*, ortum sit *ad*, quo facto appropinquationis notionem primariam fuisse in hac praep. colligit. Ad originem quod attinet, putamus in ambiguo relinqui posse; de significatione nobis paulo aliter videtur. Putamus enim, primitivam notionem esse hanc, ut *ad* omnino *directionem* aliquam significet, exclusa *appropinquandi* notione; inde demum jure derivari illam, quam primam *Kürcherus* posuit, significationem *appropinquandi.*

ℙ Ista igitur *directionis* notio generalis praecipue conspicitur in iis locis, in quibus *ad* significat *versus*, gr. πρός, cum de situ *locorum* sermo est. *Virg. G.* 3, 303. Ad medium conversa diem. *Cic. Div.* 1, 17. Ad meridiem spectans. *Id. Phil.* 12,

11. Quid ad dexteram, quid ad sinistram. Interdum utrumque conjungitur, ut ap. *Cic. Fam.* 8, 15. ad Alpes versus, ubi nubem aliorum locorum ex *Caes.*, *Liv.*, *Sallust.* collegit *Manut.* Adde *Davis.* et *Oud.* ad *Caes. b. g.* 6, 33. et ad *Hirt. b. Afr.* 62. Eodem pertinent loci, qualis hic est *Virg.* G. 1, 398. Non tepidum ad solem pennas in litore pandunt. *Id. A.* 6, 741. Aliae panduntur inanes Suspensae ad ventos. *Id. ib.* 3, 177. Tendoque supinas Ad coelum cum voce manus. (Ita persaepe poetae; rarius scriptores, ut *Caes. b. g.* 2, 13. manus ad Caesarem tendere — coeperunt. V. ibi *Herz.*) *Auct. Cir.* 402. Ad coelum infelix ardentia lumina tendens. Sed talia omnino sunt frequentissima.

P Porro vero directionem significat eam, quae cum *appropinquatione* conjuncta est, ut igitur de *motu ad terminum* dicatur, cui sive appropinquamus plus minusve, sive ad eum pervenimus et subsistimus, nihil interest. Dicitur igitur proprie de *loco*, tum, quod perinde est, de *persona*, quae est in loco, ad quem accedimus, ut dicunt *ad me*, *ad te* pro *in meam*, *tuam domum*. Vid. *Cic. Att.* 16, 10. *Verr.* 2, 5, 49. Cum ego ad Heracleam accederem, i. e. appropinquarem urbi. *Virg. A.* 4, 665. It clamor (tendit, proficiscitur, pervenit) ad alta atria. (Eodem pertinet *Virg. A.* 2, 348. sublatus ad aethera clamor, et *Ecl.* 1, 57. canere ad auras. *Aen.* 5, 547. fari ad aures, quod compara cum *Ter. Ph.* 5, 9, 41. et *Ov. Met.* 4, 41.) *Cic. Fam.* 4, 4. Cum senatus ad Caesarem supplex accederet. *Virg. A.* 6, 108. Ire ad conspectum cari genitoris et ora, i. e. tendere in eum locum, ubi conspectus patris datur. Plures locos afferre nihil attinet. Ita vero apparet, quid sit discriminis inter praepositiones *ad* et *in*. Haec enim notat *ingressum* in locum, illa *accessum*, ut *venire ad Urbem* est Romam accedere, *venire in urbem*, Romam ingredi. Ac non dicimus, nusquam promiscue his praepp. usos esse scriptores. *Cic. Fam.* 15, 3. Quum ad me venissent *in castra* ad Iconium. Idem vero *Lig.* 9. In Macedoniam *ad castra* Pompeji venit. Sic, quod alibi dicitur *penetrare in*, *Quintil.* 11, 3. dixit omnis *ad* animum penetrat affectus. Pariter *Suet. Tit.* 6. recipere *ad se* dixit pro *in se*. Non differunt haec in his locis, si sententiam spectamus; differunt, si propriam vim particularum, ut etiam distingui possint: venit *ad* castra, non *in* castra. Verum *Eutropius* dicitur *ad* cum verbis *motum* significantibus pro *in* ponere, ut, quos locos noster attulit, 2, 12. (22) Consules ad Africam profecti sunt, et *ib.* 14. (25) Regressus ad Africam etc. Poterat addere ex *eodem lib.* 2. (5) Gallos, qui ad Italiam venerant, et 8. (14) Ad Siciliam profectus est, ubi al. *in*. Add. *ib.* 6. (11.) et 5, 2. *Spartian. Hadr.* 2. Ad patriam rediit. Haec ut insolentius dicta videantur et a dicendi ratione optimorum scriptorum discrepent, tamen hoc certum est, *ad* in hujusmodi locis non dici pro *in*, ac proinde *proficisci ad Africam* non esse *intrare Africam*, sed aut hoc significare, iter aliquem facere *Africam versus*, aut subsistere velle *prope Africam*, in vicinia Africae, neque eo consilio proficisci, ut in Africam ipsam perveniat. Sic ap. *Eutrop. l.* 2, 12. consules dicuntur non accessisse in Africam, sed tantummodo prope eam classem tenuisse. Id quod sequentia clarissime docent. (Quod vero idem dicit: Gallos, qui ad Italiam venerant — de Gallis in Italiam ingressis, putamus sic explicandum esse: qui ad Italiae fines pervenerant. Sic fere jam *Tac. H*, 1, 79. Rhoxolani ad Moesiam irruperant.) Atque haec est illa ipsa ratio, qua cum nominibus urbium praep. *ad* persaepe conjungitur. Sic *Sall. Jug.* 91. tendere ad Capsam. *Liv.* 25, 19. Ad Capuam rediit. *Cic. Fam.* 3, 6. Si ad Sidam navigassem. Cf. *Sen.* 4. *Caes. b. g.* 1, 7. Ad Genevam pervenit. *Suet. Tib.* 4. Antonium consulem — ad Perusiam secutus. Vid. interpp. *Caes. l. l.* et ad *b. c.* 3, 40. et 41. et *Bremi* ad *Suet. Cl.* 1. Librarii in hujusmodi locis persaepe erraverunt. Ceterum similia de praep. *a* supra disputavimus. Cf. *Rudd.* II. p. 280. Par est ratio aliarum locutionum. Sic *Liv.* 35, 39, 5. Villius quinqueremi nave ad ostium portus est invectus. Vid. *Gron.* ad 37, 15, 9. Regillum tota classe evehi ad portum Ephesi ad inferendum hostibus terrorem. Neque *Suetonius* quod dicit *Caes.* 32. prosiluit ad flumen, temere quisquam pro *in flumen* dictum esse existimaverit. P *Accedendi* notionem *ad* etiam in iis locis habet, in quibus expl. *contra*, *adversus*. Nulla enim per se infesti animi significatio in ea inesse potest, ne praepos. *adversus* quidem propria, ac nonnisi e nexu intelligitur; et eadem ratio est v. *aggredi*, et gr. partice. πρὸς et ἐπί. *Ter. Andr.* 1, 5, 16. Itur ad me. Hoc dicit Pamphilus: illos ad se tendere et venire, cui puellam obtrudant. Id vero cum displiceat adolescenti, inde fit, ut hostili animo eos ad se venire dicat. Cf. *Pl. Pseud.* 1, 5, 38. *Phaedr.* 1, 21, 5. Aper fulmineis ad eum venit dentibus. *Caes. b. g.* 2, 1. Ut — ad eos exercitus noster adduceretur. Cf. *ib.* 5. et 10. 7, 70. *Liv.* 1, 5. Ad regem impetum fecit. In his omnibus *ad* de *accedentibus* dicitur, neque aliter ap. *Catull.* 68, 88. Raro ac nonnisi apud poetas putamus inveniri tales locos, qualis hic est *Prop.* 2, 19, 9. Lernaeas pugnet ad hydras, quamquam ne hic quidem vera sign. prorsus evanuit. Paulum diversi coloris haec sunt: *Ter. Heaut.* 3, 2, 34. Ad senem aliquam fabricam fingit, et *vet. Poet.* ap. *Cic. N. D.* 3, 29. Nec quem dolum ad eum aut machinam commoliar. Hoc intell. de dolis, qui ad aliquem quasi diriguntur, ad eum pertinent. Ceterum cf. *Burm.* ad *l. Phaedr.* et *Prop.*, *Herz.* ad *Caes.* 2, 1. et 7, 70. et *Bremi* ad *Nep. Dion.* 5.

P Sequitur ea significatio, qua praep. *ad* simplex idem est, quod *usque ad*. Nimirum, ut supra vidimus, *ad* non solum dicitur de *motu* in terminum, sed etiam de *adventu* ad eum, cum quis ad eum subsistit. *Caes. b. g.* 3, 66. Ab angulo castrorum munitionem ad flumen perduxerat. *Liv.* 42, 3. Aedem ad partem dimidiam detegere. *Sall. Jug.* 98. Prope ad summum montis egressus est. *Colum.* 12, 47. Cum ad fauces vas repleveris. *Suet. Aug.* 72. Ad solum diruere. Sed hoc nullam habet difficultatem. P Denique *ad* sign. *apud*, *prope*, *juxta*, (*Rudd.* p. 287. coll. p. 282.) ut etiam cum verbis *quietem* notantibus conjungatur; cujus significationis ratio per se intelligitur ex antecc. Dicitur ita et de *loco*, et de *persona*; illud tamen frequentius. 1. De *loco Virg. A.* 7, 347. Inque sinum praecordia ad intima subdit. *Cic. Fam.* 15, 2. Castra ad Cybistra — locavi. *Liv.* 2, 31. Dum ad Antium haec geruntur. V. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 20, 1. In hujusmodi locis saepe librarii exhibent *apud*. *Cic. Caec.* 8. Ad omnes introitus armatos opponit. (Cf. *Suet. Aug.* 78.) *Cic. Fr. or. pr. Tull.* 20. Dominum esse ad villam. *Id. Or.* 2, 14. ad Misenum, i. e. in villa ad Mis. Cf. *Att.* 1, 16, 23. Et sic dicebantur *esse ad urbem* magistratus, qui aut nondum in provincias abiissent, aut reversi triumphi causa extra urbis pomoerium manerent, cum in ipsam urbem ingredi *cum imperio* lege non concessum esset. V. *Ascon.* in *prooem.* ad *Cic. Verr.* et *Manut.* ad *Fam.* 3, 8, 1. *Cic. Sext.* 18. ad portam esse. Cf. *Vell.* 2, 27. et v. *Drak.* ad *Liv. epit.* 88. *Suet. Ner.* 39. Ignominia ad Orientem i. e. in regione Orientis. *Cic. Verr.* 2, 4, 2. Cum Thespiis ea, quae ad aedem Felicitatis sunt, ceteraque ex illo oppido signa tolleret. Notanda hic frequentissima illa ellipsis, quum dicunt *ad Opis*, *ad Vestae*, *ad Apollinis* etc. intellecto *aedem*, *templum* s. *aram* (*statuam*). *Cic. Fam.* 8, 4. Cum senatus ad Apollinis habitus esset. V. *Manut.* Adde *Phil.* 1, 7. *Hor. Sat.* 1, 9, 35. et cf. *Drak.* ad *Liv.* 10, 23, 12. *Salmas.* ad *Tertull. de Pall.* p. 355. *Heind.* ad *Hor. l. l. Rudd.* p. 334. Graece eodem modo dicitur: εἰς Ἀπόλλωνος, παρὰ τὸ τῆς Χλόης, ἐν Δυσνόου. Vid. *Lamb. B. Ell.* p. 202. sq. *Schaef.* Librarii in hujusmodi locis persaepe suam ostentaverunt sive doctrinam sive imperitiam. Ceterum alia nonnulla hujus sign. exempla si desideras, adi *Virg. A.* 5, 55. 12, 372. *Cic. Mil.* 10. *Suet. Caes.* 84. Quidquid ad manum aderat. Huc refer etiam *Cic. Coel.* 28. ad vinum disertum esse. Alibi dicunt *inter pocula*, *in vino*. Denique hoc modo dicitur etiam de eo, quod alicui rei adhaeret, ut ap. *Virg. G.* 2, 250. Picis in morem ad digitos lentescit habendo. 2. De *persona* (ut gr. πρὸς et παρά). De hoc, quoniam insolentius est, paulo accuratius dicemus. Ac primum certum nobis videtur, in plerisque eorum locorum, qui huc referendi sunt, *ad* motus quandam significationem retinere. Veluti quum *Caesar* dicit *b. c.* 3, 60. magnam haec res illis offensionem et contemptionem ad omnes attulit, apparet, hoc sic intelligendum esse, ut offensio illa dicatur quasi ad omnes pervenisse, omnes accessisse. Quam brevitatem loquendi uterque sermo mire amat. Ad eandem normam explicari potest, quod habet *id. b. g.* 4, 16. Tantum esse nomen atque opinionem ejus exercitus — etiam ad ultimas Gallorum nationes. *Liv.* 2, 10. *extr.* Rem ausus plus famae habituram ad posteros, quam fidei i. e. unde plus famae redundaturum, perventurum sit ad posteros. Sed tum ita coepta est haec praep. usurpari, ut, nisi argutari velis, non aliter quam pro *apud* dicta videri possit, qua quidem praep. et alibi scriptores in istiusmodi locis saepissime usi et librarii ad corrumpendam veram scripturam abusi sunt. *Sen. Herc. Oet. fin.* Vadis inermis, gnate, per umbras, Ad quas semper mansurus eris. *Liv.* 10, 35. Minus cladis, ceterum non plus animorum ad hostes erat. *Ter. Heaut.* 5, 2, 26. Tibi jam esse (cibum) ad sororem intelligo. *Cic. Att.* 10, 16. Ad me — fuit. (Cf. *Fam.* 9, 1. *Or.* 2, 7.) *Liv.* 24, 48. Qui ad regem mansit. *Caes. b. g.* 6, 38. Baculus, qui primum pilum ad Caesarem duxerat. *Id. ib.* 3, 9. Quod nomen ad omnes nationes sanctum — fuisset. 5, 53. ad exercitum manere. *P. Syrus:* Bonum ad virum cito moritur iracundia. Sic persaepe dicitur *accusare*, *criminari*, *reum esse ad al.*, *causam agere* et *defendere*, *damnare ad al.*, porro *favor ad vulgum*, *gratia ad plebem etc.* in quibus omnibus alibi *apud* solent dicere. Vid. *Liv.* 3, 9. 10, 31. 38, 55. 40, 24. *Cic. Fam.* 5, 10. Itidem *Ov. Trist.* 2, 470. Haec est ad nostros non leve crimen avos. Eodem spectat *ad arbitrum Cic. Rosc. C.* 4. et saepe *ad judicem*. Sed quid plura? Largam aliorum locorum copiam v. ap. *Par. Lex. cr.* p. 29. *Vechner. Hellenol.* p. 433. *Gron.* et *Drak.* ad *Liv.* 7, 7, 4. coll. ad 3, 10, 3. 4, 53, 4. 24, 48, 9. 28, 18, 2. 29, 20, 8. (ubi miris modis librarios haec ratio dicendi elusit) 30, 14, 2. 38, 35, 1. 55, 44. (ex quibus intelligitur, Livium ita prae ceteris dicere solere; adde etiam Caesarem) *Drak.* ad *Sil.* 13, 606. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 4, 310. interpp. *Caes.* ad *b. g.* 1, 31. 3, 9. 6, 38. *b. c.* 3, 60. *Walch. Emend. Liv.* p. 24. sq. *Passov.* ad *Tac. G.* 20. (ibi sic scriptum est: sororum filiis idem apud avunculum, qui ad patrem, honos.) P Hactenus diximus de proprio praep. usu, quum de *loco* dicitur. Ex his putamus facile explicatum iri reliquas rationes, in quibus vis ejus a loco ad alias res transfertur. A. Ac primum quidem frequens ejus usus est in *numero* afferendo. Hic interdum est *usque ad*, ut ap. *Cels.* 5, 28. *n.* 16. Amurca ad tertiam partem decocta. Quum dicunt: omnes ad unum (v. *Cic. Am.* 23. *Lentulus* ap. *Cic. Fam.* 12, 14.) simul includunt sive complectuntur illum *unum*, quasi dicas: omnes, ne uno quidem excepto. Sed de ea re alibi dicetur. Ex eodem genere est *ad nummum*, i. e. sic ut nihil plane desit. *Cic. Att.* 5, 21. *med.* Rationes conferatis. Assidunt, subducunt: ad nummum convenit. *Id. Rosc. Com.* 4. ad libellam sibi deberi. Cf. AS. Verum longe usitatius est, ut dicatur de numero non plane definito, quum quid tantum plus minusve accedit ad certum quendam numerum, quo facto *ad* significat *circiter*, *fere*, *prope*, gr. εἰς, ὡς, ὅσον. Cf. *Gronov. d. Pec. V.* 1, 7. *Hirt. b. Afr.* 21. Ad ternas cohortes habere in statione. *Liv.* 44, 5. Tigni ad tricenos pedes longi. *Suet. Caes.* 25. Ad bis et tricies centum millia passuum. At hoc minime rarum nec difficile. Illud accurate notandum, in hujusmodi locis *ad* adverbii modo usurpari; quamquam ita negant Ciceronem locutum esse. *Caes. b. g.* 2, 33. Occisis ad hominum milibus quatuor. *Liv.* 8, 18, Ad viginti matronis per viatorem accitis. *Suet. Caes.* 20. Agrum — divisit extra sortem, ad viginti milibus civium. Hic al. *ac* praebent, al. praep. omittunt. V. *Graev.* et *Oud.* Nimirum librarii, quos, ut alia multa, haec quoque ratio fugeret, pro ingenii captu tales locos mutaverunt. De qua omnium diligentissime egerunt *Gron.* et *Drak.* ad *Liv.* 10, 17, 8. ad duo milia et trecenti occisi (sic enim ibi libri optimi) et cf. eosdem aliosque VV. DD. ad 3, 15, 5. (ubi al. *quingentos*) 4, 59, 7. 8, 18, 8. 10, 14. *fin.* 43, 8. 22, 15, 11. 27, 12, 16. 41, 18, 2. *Oud.* ad *Hirt. b. g.* 8, 4. et *eund.* ac *Davis.* ad *Caes. b. c.* 3, 53. *Rudd.* p. 334. ubi sat exemplorum habes. P B. Dicitur *ad* etiam de *tempore*. Haec ratio est tripartita: modo enim significat *versus* (terminum), et, quod idem fere est, *circa*, *circiter;* modo *usque ad;* modo denique ipsum illum terminum complectitur diciturque aliquid in eo fieri. 1. *Suet. Dom.* 21. Ad horam somni nihil aliud — quam deambulabat. *Varr. R. R.* 3, 5. Turdi trans mare in Italiam advolant circiter aequinoctium autumnale, et eodem revolant ad aequinoctium vernale. *Cic. Att.* 1, 3. Nos hic te ad mensem Januarium expectamus. 2. Cf. *ib.* 13, 9. *Fam.* 4, 10. *Virg. G.* 1, 435. Totus et ille dies et qui nascentur ab illo Exactum ad mensem. Cf. 3, 336. 1, 230. Ad medias sementem extende pruinas. *Liv.* 40, 50. A prima luce ad sextam horam diei pugnare. *Id.* 3, 28. Pugnatum ad lucem est. Cf. *Gron.* et *Drak.* ad 8, 38, 10. *Id.* 42, 43. Experiendo omnia ad ultimum. Cf. 44, 4. *Cic. Sen.* 7. Sophocles ad summam senectutem tragoedias scripsit. *Suet. Aug.* 78. Ad multam noctem permanebat. *Cic. Att.* 2, 17. Solebat me pungere, ne Sampsicerami merita in patriam ad annos DC majora viderentur. Sic dicitur *ad tempus*, i. e. per aliquod tempus, aliquamdiu. *Cic. Am.* 15. Coluntur simulatione amicitiae dumtaxat ad tempus. *Liv.* 23, 48. Ut reipublicae — ad tempus commodarent, ubi v. *Duker. Cic. Off.* 2, 16. Ipsaque illa delectatio multitudinis sit ad breve exiguumque tempus. Eodem modo explicant ap. *Suet. Tib.* 67. ad breve. *Liv.* 8, 7. ad hanc diem. *Sall. Jug.* 85. Quae ad hoc tempus Jugurtham tuta sunt. V. ibi *Cort.* et cf. *Cic. Leg.* 2, 13. *Liv.* 4, 43. ad id tempus. Cf. *Drak.* ad *Epit. l.* 102. *Flor.* 3, 10. ad id temporis. *Tac. A.* 12, 38. Censentur Ostorio triumphi insignia, prosperis ad id rebus ejus, mox ambiguis. *ib.* 11. Spectatae ad id virtutis homo. Cf. *Liv.* 3, 22. *fin.* Ejusdem notae est ap. *Liv.* 7, 21. Ad undecimum interregem seditionibus certatum est. *Id.* 6, 1. Ab condita urbe Roma ad captam eandem urbem. Denique notatu dignum est, quod ap. *Liv.* et *Sallust.* legitur, *ad id locorum*, pro *ad hoc usque tempus*. V. *Gron.* ad *Liv.* 27, 7, 17. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 63. et infra in LOCUS. 3. Usitatissima est formula dicendi *ad diem* (adesse, solvere etc.) *Caes. b. c.* 2, 19. Quin ad diem (die praestituto) conveniret. *Tac. A.* 15, 60. Is — ad eum diem ex Campania remeaverat. (Tenendum tamen, *ad diem* saepe illatum esse a librariis pro eo, quod scribi debebat *a. d.* i. e. *ante* diem. V. *Malaspina* ad *Cic. Att.* 7, 16.) *Cic. Fam.* 9, 5. Mihi ad Nonas bene matu-

rum videtur fore. *Id. Att.* 13, 45. Ad tempus (justo tempore) redire. *Liv.* 38, 25. venire. *Suet. Dom.* 17. Ad ipsam horam dolonem interjecit. *Id. Caes.* 31. ad lucem, i. e. cum ipsa luce. Differt hoc igitur ab eo, quod dicunt, *sub lucem.* V. ibi *Bremi.* Inepti sunt, qui in hujusmodi locis *ad* dictum existimant pro *post*, quorum in numero est *Forc.*, afferens *Cic. Att.* 12, 46. Nescio quid intersit, utrum illuc nunc veniam an ad decem annos, et *ib.* 5, 2. Confirmavi Furnium, quem ad annum tribunum plebis videbam fore. Eodem pertinet, quod *Caes.* dicit *b. g.* 7, 53. Hac habita concione et ad extremam orationem (in extrema oratione) confirmatis militibus etc. *Cic. Att.* 2, 16. Ad extremum omnes — clamare coeperunt. Ita dicebatur etiam *ad postremum*, *ad ultimum.* (*Liv.* 1, 53. 5, 10. 26, 27.) De his v. *Vorst. L. f. susp. c.* 20. ℙ Ex his speramus fore ut rectius judicetur de quibusdam loquendi formulis, in quibus explicandis saepe et a multis erratum est. Quum enim *ad* ipsum illud temporis punctum significet, quo quid fit, in promptu est videre, etiam ibi huic praep. locum esse, ubi duae res in unum tempus dicuntur convenire (sive, ut *Cic.* dicit *Fin.* 2, 31, 102. ad unum tempus fieri i. e. uno eodemque temporis momento), aut altera alteram excipere; neque quidquam ab hoc *Cic. Fam.* 3, 5, 9. *te Laodiceae fore ad meum adventum* (cf. *Nep. Att.* 10.) differre illud *Liv.* 6, 27. *ad Praenestini famam belli novas legiones scribendas censuerunt*, quem locum noster afferens nonnihil a vero recedit, quum *ad* interpretatur *propter.* Est potius: quum fama Pr. belli veniret; vere igitur in hujusmodi locis *ad* inservit *tempori*, et eodem modo Graeci utuntur praep. παρὰ cum acc. juncta. Ex magna locorum copia nonnullos addamus. *Pollio* ap. *Cic. Fam.* 10, 32. Ad singulos nuncios turpissime consilia mutat. V. ibi *Cort. Suet. Tib.* 75. Ad primum nuncium — clamitarent. *Liv.* 21, 61. Tanquam ad primum adventum Romanorum obcursurus. V. *Gron.* ad *Sen. Ben.* 4, 6. *Id.* 2, 45, 12. Ad crescentem tumultu jam metum collega concedente, ubi nonnulla annotavit *Drak. Id.* 9, 22, 7. Nec ad ducis casum perculsa magis quam irritata est multitudo. *Tac. H.* 2, 36. Laeto milite ad mutationem ducum. Cf. *id. A.* 2, 2. Etiam in his explicant *propter.* Certe rectius dixissent, *ad* esse *quod attinet ad*, de quo v. infra. *Suet. Aug.* 90. Ad omnem majoris tempestatis suspicionem in abditum — locum se reciperet. *Id. Dom.* 7. Ad summam quondam ubertatem vini, frumenti vero inopiam edixit, ne etc. ubi per ablat. explicant alii, recte, siquidem de tempore saepe isto casu utuntur. *Liv.* 22, 7. Ad primum conspectum redeuntis filii gaudio exanimatam. *Tac. H.* 2, 64. Dixisse quin etiam, ad primas filii sui epistolas, ferebatur. *Id. A.* 4, 50. Ne ad ambigua sonitus aut simulationem quietis casum insidiantibus aperirent; quo tamen in loco potest explicari *secundum*, cujus partic. affinis est significatio. V. infra. Neque non putamus huc referenda verba ejusdem *A.* 16, 23. Ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur, i. e. dum externa sermonibus populi frequentarentur. *Id. H.* 2, 87. Ad omnes municipiorum villarumque amoenitates resistens i. e. ubicuhque offerrentur. Simili modo *Virg. G.* 3, 502. Aret pellis et ad tactum (cum tangitur) tractanti dura resistit. *Id. ib.* 134. Quum surgentem ad Zephyrum paleae jactantur inanes. *Suet. Caes.* 37. Ascendit Capitolium ad lumina i. e. quum nox esset et lumina accensa essent, interlucentibus facibus. Sed satis haec sunto de his; nam de formula *ad haec* et similibus, quae et ipsa huc possent referri, dicetur infra. ℙ C. Porro *ad* dicitur de cujuscunque rei termino s. de quacunque re, ad quam quis fertur, inclinat, aut ad quam pervenit (usque ad). *Tac. A.* 4, 67. Intentus ad publicas curas. *Ter. Eun.* 1, 2, 63. Ad virginem animum adjecit. *Id. Andr.* 1, 2, 17. Dum tempus ad eam rem tulit. *Cic. Verr.* 2, 2, 35. Haec iste ad insaniam concupierat. *Liv.* 24, 38. Incautos ad satietatem trucidabitis.

ℙ D. Latissima est in hac particula vis (liceat enim hoc verbo hic uti) *relationis* rerum inter se, quae nemo non videt quam facile ab illa primaria *directionis* notione repetatur. Sic gr. dicitur πρός, εἰς, παρά, κατά. Ea vero significatio communis est multasque quasi partes habet et varias rationes, de quibus deinceps sigillatim exponemus. ℙ 1. Nullam habet difficultatem, quum dicunt *nihil ad rem* et similia plurima. His igitur supersedeamus, nisi quod afferendum putamus locum *Ter. Andr.* 3, 2, 12. quae adsolent quaeque oportet signa esse ad salutem, i. e. quae ad salutem referuntur, salutis sunt indicia, et *Plauti Aul.* 3, 5, 23. nimis lepide fecit verba ad parsimoniam (cf. *Symmach. ep.* 4, 16.) Sed pertinent huc ii loci, in quibus, ut Grammatici dicunt, *ad* inservit *comparationibus* (gr. πρός, εἰς). Sic *Ter. Heaut.* 4, 4, 14. Ne comparandus hic quidem ad illum est. *Id. Eun.* 2, 3, 69. Estne ut fertur forma? Pa. Sane. Ch. At nihil ad nostram hanc. *Cic. Leg.* 1, 2, 6. Nihil ad Coelium (hi comparandi sunt — v. ibi *Goer.*) *Id. Tusc.* 1, 17. Terram in medio mundo sitam ad universi coeli complexum (i. e. si referatur, spectetur, comparetur) quasi puncti instar obtinere. *Nep. Epam.* 2. Haec ad nostram consuetudinem sunt levia. *Liv.* 22, 22. Homini non ad cetera Punica ingenia callido. *Tac. H.* 1, 6. Non enim ad hanc formam cetera erant. *Cic. Quint.* 4. Quid iis ad denarium solveretur i. e. si compararetur cum denario. Sic certe hoc explicat *Ern.* in *Clav.* Cf. *Pl. Capt.* 2, 2, 25. *Mil.* 4, 1, 21. *Par. Lex. crit.* p. 30. *Drak.* ad *Liv.* 38, 53, 10. *Heusing.* ad *Cic. Off.* 3, 21, 10. ℙ 2. Apte cum his videntur ii loci conjungi, in quibus *ad* est *secundum*, πρός, κατά, ubi igitur rem significat, quae quasi ad alius rei rationem dirigitur. *Cic. Fin.* 1, 6, 18. Corpora ferri — ad lineam. *Id. ib.* 9, 30. Quid aut ad naturam, aut contra sit (πρὸς φύσιν. In h. l. alii libri ex glossa praebent *secundum.*) *Pl. Cist.* 1, 1, 73. Ad istam faciem est amor. Cf. *Merc.* 2, 3, 91. *Trin.* 4, 2, 76. *Ter. Ad.* 3, 3, 70. Ad eundem — praecipio modum. *Caes. b. g.* 2, 31. Ad hunc modum locuti. Cf. *Oud.* ad 5, 27. et *Cic. Tusc.* 2, 4. (Alibi in hujusmodi locis utuntur ablativo.) Sic dicunt etiam *ad morem*, *ad consuetudinem. Cic. Quint.* 30. Non ad voluntatem loqui posse. *Caes. Suet.* 76. ad libidinem i. e. prout lubebat. (*Hor. Sat.* 1, 6, 95. *Cic. Or.* 2, 16.) *Sall. Fr. H.* 3, 13. nomina rerum ad ignaviam mutantes. *Liv.* 8, 34. Convenire ad edictum. *Flor.* 1, 2. Ad simulacrum coelestium siderum. Cf. *Suet. Caes.* 84. *Cic. Am.* 5. esse sapientem ad normam alicujus. *Auson.* in *prof. Burdig.* 16. Disputator ad Cleanthem Stoicum. *Id. ib. epigr.* 20, 7. Grammatice ad Scaurum atque Probum promptissime rhetor. Vid. *Gron. Obss.* 4, 6. p. 87. et cf. *Cic. de Or.* 1, 34. *Or.* 14. *Fam.* 6, 7. Plurima scribere ad alieni sensus conjecturam, non ad suum judicium. *Tusc.* 4, 2. canere ad tibiam (ὑπ' αὐλῶν, ὑπὸ φορμίγγων). *Liv.* 7, 2. saltare ad tibicinis modos, i. e. secundum modos et numeros tibiae. Quod *ib.* dicit *Liv.*: ad manum cantare histrionibus, ab aliis aliter explicatum, est *gesticulationi histrionum cantando respondere.* Vid. *Gron.* Paulo aliter dictum est a *Cic. Agr.* 2, 34. ad tibicinem immolare, i. e. praesente et canente tibicine. Denique huc referendus esse videtur locus *Caes. b. c.* 3, 51. alter omnia agere ad praescriptum, alter libere ad summam rerum (secundum res, ut res postulant) consulere debet, male tentatus ab editoribus. V. ibi *Voss.* et adde *ib.* 3, 11. *Cic. Att.* 9, 6. *Fam.* 2, 3.

ℙ 3. Porro saepe simplex *ad* dicitur pro *quod attinet ad*, (in qua ipsa locutione haud pauci eorum, qui hodie latine scribunt, praepos. male omittunt) *si spectas* et quae sunt similia. Saepe etiam ad hoc explicandum uti licet praep. *in* c. abl. aut abl. simpl. aut aliis etiam casibus. Gr. ita dicitur εἰς et πρός. Ac primum ita saepe cum adjectivis jungitur. *Ter. Eun.* 1, 2, 51. Ad rem (rei) avidior. *Id. Heaut.* 2, 3, 129. Ad has res quam sit perspicax. *Cic. Fontej.* 15. Vir ad usum ac disciplinam peritus, ad casum fortunamque felix. *Id. N. D.* 2, 62. Ad rationem sollertiamque praestantior. *Id. Fam.* 3, 11. Viri insignes ad laudem. *Id. Cat.* 1, 5. Quod est lenius ad severitatem. *Id. Leg.* 2, 13. Nisi hi omnes multa ad veritatem admirabilia dixissent. *Id. Or.* 68. Quidquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam, item ad adspectum etiam sit venustum. *Mel.* 2, 1. *fin.* Terrae — ad pabulum fertiles. *Plin. Paneg.* 43. Feracius ad laudem, ad pecuniam. *Tac. A.* 6, 8. ad Caesaris amicitiam validus. 15, 50. Natalis particeps ad omne secretum Pisoni erat. — Dicitur ita etiam, si *substantivis* additur. *Tac. A.* 14, 4. Credulitas ad gaudia. — Huc fortasse referendum *Ter. Andr.* 2, 3, 4, Tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit. Denique non aliter in constructione *verborum. Planc.* ap. *Cic. Fam.* 10, 8. Provinciam — summa contentione ad officia certantem, ubi v. *Cort.* Cf. *Tac. H.* 1, 71. et *ib.* 2, 97. Legati certaturi ad obsequium. *Cic. Fam.* 2, 16. Nisi jam — animus obdurasset ad dolorem novum. *Id. Fin.* 4, 25. Ad virtutes et ad vitia nihil interesse. Cf. *Caes. b. g.* 6, 1. *Ter. Ad.* 5, 3, 46. Ad omnia alia aetate sapimus rectius. Confer omnino, si placet, *Cic. Verr.* 2, 5, 27. *Flacc.* 3. *Vatin.* 3. *Dic.* 1, 39. *Off.* 2, 13. 14. *Tusc.* 3, 5. Sed in nonnullis horum locorum *ad* etiam de *consilio* et *fine* potest explicari; atque omnino haec multis exemplis augeri possent (maxime ubi *ad* cum adjectivis jungitur, quod saepissime fit apud *Cic.* et alios) si vera esset Grammaticorum sententia, in his omnibus *ad* significare *quod attinet ad.* Ac res quidem eodem redit, neque vero a *consilii* notione potest sejungi hoc *quod attinet ad*, quandoquidem in omni consilio aliquid spectamus; sed tamen hoc certum, illa Ciceronis in *or. pr. Font.*: ad casum fortunamque felix — multum differre ab his, quae *id. N. D.* 1, 1. dicit: ad agnitionem animi pulcherrima, in quibus aperta est consilii significatio. Et sic res se habet in aliis quamplurimis, quorum nonnulla hic subjiciemus. *Cic. Fin.* 2, 20, 63. Non timidus ad mortem. *Liv.* 10, 22. Ad verborum linguaeque certamina rudes. *Id.* 38, 14. Homo ad omnia infidus atque importunus. *Id.* 37, 7, 15. Vir ad cetera egregius, ubi sine jure *Gron.* praep. deleri jussit. V. *Drak.* (Ap. *Hor. ep.* 1, 10, 3. *ad cetera* pene gemellus, mutavit *Bentl.* in *at cetera* librorum auctoritate, quod nescimus quam recte factum sit.) *Tac. A.* 12, 37. Aemulus ad deterrima. *Id. ib.* 1, 40. Ad pericula degener, et 14, 58. ad pericula praecipuus. *Justin.* 25, 4. Ad devincenda regna invictus. *Oc. Met.* 12, 167. Invictum ad vulnera corpus, ubi v. *Heins. Prop.* 2, 8, 7. Fortes ad proelia turmae, quocum compara *Virg. G.* 3, 50. fortes ad aratra juvenci. Addi potest *Cic. Prov. cons.* 3. *Cat.* 4, 7. *Phil.* 5, 17. Sed haec, si tanti esset, ad immensum augeri possent. Adjiciamus potius aliquot *Caesaris* locos, in quibus praep. mire posita eodem modo explicanda esse videtur. Sic enim ille *b. g.* 7, 26. Palus — ad insequendum tardabat. *Id. b. c.* 2, 39. Ne haec quidem res Curionem ad spem morabatur. In his aperte est brevitas quaedam sermonis sic enodanda: palus tardabat, quominus consilium hostes insequendi strenue persequerentur, et: ne haec quidem res morabatur Curionem, quin spem caperet. In quo loco non erat: quod haererent VV. DD. Eadem brevitate *Auct. b. Hisp.* 30. Caesaris copias timore impediri ad committendum proelium, ubi *Davisium* miramur. Cum his confer *Caes. b. g.* 5, 11. ne nocturnis quidem temporibus ad laborem militum intermissis, coll. 40. Nulla pars nocturni temporis ad laborem intermittitur, et *ib.* ne nocturnum quidem sibi tempus ad quietem relinquebat. Utrobique *ad* cum *a* commutatum iverunt, sed explica sic: quin adhiberent ad laborem, quin laborarent. Dixit de his etiam *Herz.* ad 4, 26. 5, 11. 7, 10. (Minus recte *Goer.* explicat illa *Cic. Fin.* 3, 16. Quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad regium principatum, dicens *ad* esse *quoad*, et comparans 2, 20, 63. qui locus supra a nobis allatus est. Hic *ad* est: si conferas cum regio principatu — cujusmodi locos supra positos vides.)

ℙ E. *Ad* dicitur etiam de *consilio s. fine*, quem in agendo sequimur. Quippe sicut in via facienda *terminum*, ad quem perveniamus, sic in factis *finem* et *consilium*, quod assequamur, spectamus. Potest in his locis particula explicari *eo consilio ut*, ac saepe simpl. *ut*, cui respondet ap. *Suet. Caes.* 4. ad declinandam invidiam et ut — operam daret. *Cic. Qu. Fr.* 1, 1, 3. Ut ea potestate, quam tu ad dignitatem permisisses, ad quaestum uteretur. *Id. ib.* 9. Ne ad ludos pecuniae decernerentur. *Ter. Andr.* 1, 1, 30. Alere canes ad venandum. Haec dedit *Forc.*; similia multa collegit *Vorst. d. Lat. f. susp. c.* 27. et 20. Nos ex ingenti locorum copia addemus, quae notatu digniora videntur. *Ter. Heaut.* 1, 2, 33. Haec sunt ad virtutem omnia, i. e. haec ferunt ad virtutem eoque consilio praecipiuntur. *Id. Hec.* 2, 1, 6. Doctae ad malitiam. *Id. ib.* 3, 3, 47. Ad hanc rem exercitatum. *ib.* 4, 4, 71. Confingis falsas causas ad discordiam. (*Virg. G.* 2, 455. Causas ad culpam dare i. e. quibus culpa efficiatur). *Id. Ph.* 1, 2, 55. Adjumentum ad pulchritudinem. Sic etiam dicitur *adjuvare ad. Cic. Arch.* 7. Si nihil ad percipiendam colendamque virtutem literis adjuvarentur. *Id. Am.* 10. Adjutores ad injuriam. Cf. *Off.* 2, 15. *Rosc. Am.* 11. et v. *Gron.* et *Drak.* ad *Liv.* 29, 1, 18. Simile est ap. *Tac. A.* 3, 36. Subsidium ad flagitia. *Liv.* 26, 47. Ad ministeria belli enixe operam navare. *Liv.* 8, 7. Equitibus ceteris quasi ad spectaculum (eo consilio, ut spectarent) summotis. V. *Drak. Liv.* 2, 11. Navibus accitis ad custodiam. V. *Duk.*, qui affert 26, 14. ad ludibrium i. e. ludibrii causa. *Hirt. b. g.* 8, 52. Quantum satis esse ad mutationem locorum — existimabat. V. *Herz. Cic. Agr.* 3, 3. Quum ad paucorum dominationem scripta sit lex. *Virg. A.* 5, 346. venire ad praemia (accipienda). *Id. ib.* 4, 368. Quae me ad majora reservo. *ib.* 8, 509. Serae ad fortia vires. 12, 41. ad mortem (eo consilio, ut interficiatur) prodere. Sic *Tac. A.* 3, 49. arguere ad perniciem, i. e. eo fine, ut interficerentur. *Id. H.* 2, 91. legere ad exemplar gloriae, i. e. quo tanquam ex. gl. uterètur. *Caes. b. c.* 2, 41. peditatu — ad speciem utitur, h. e. eo fine, ut hostes fallat. Eodem spectant hae locutiones: *facere*, *conferre*, *valere ad* (*Cic. Att.* 4, 16. *fin.*) i. e. ad hoc consilium, ad hunc finem. *Cic. Qu. Fr.* 1, 1, 8. Cyrus ille a Xenophonte non ad historiae fidem scriptus, sed ad effigiem justi imperii. *Id. Sext.* 5. Vestigia non pressa leviter ad exigui praedicationem temporis, sed fixa ad memoriam — sempiternam. Ex eodem genere est ap. *Ter. Ad.* 4, 3, 15. accipere ad contumeliam i. e. dictum factumve ad contumeliam afferendam. *Cic. fr. or. pr. Scaur.* §. 30. Non ad perniciem, verum ad salutem interpretamur. Cf. *Caes. b. c.* 2, 32. *extr.* Porro haud raro sic utuntur hac praep., ut conjungant cum accus. gerundii, cujus loco alibi gerund. genitivum usurpant. Talia collegit *Vorst. l. l. c.* 20. et *Rudd.* II. p. 245. Sic dicunt *causa ad objurgandum*, *voluntas ad nocendum*, *facultas*, *potestas*, *occasio ad faciendum*, *occasio ad se proferendum*, *cupiditas ad venandum*, *studium ad pugnandum*, et quae sunt

similia, de quibus hic non est disputandi locus. Vide modo *Ter. Andr.* 1, 1, 111. *Cic. Att.* 9, 6. *Sen. Tranq. an.* 3. *Curt.* 9, 1. *Caes. b. c.* 2, 41. *Liv.* 8, 13, 18. 37, 26, 7. et ad utrumque locum *Drak.* Ne plura (nam ex his facile judicabitur de aliis), hoc unum accedat, quod dicit *Tac. H.* 1, 48. ad hoc tantum majori fratri praelatus est, ut prior occidatur, i. e. eo fine, ut etc., quocum confer *Hor. Sat.* 2, 6, 42. dumtaxat ad hoc, quem tollere rheda vellet. Adde *Liv.* 37, 27, 5. 45, 39, 8. et ad illum locum, ubi al. *ob* exhibent, *Drak.* — Jam noli aliter explicare eos locos, in quibus Grammatici ajunt, *ad* esse *adversus*, quum *remedium* significatur morbis curandis aut aliud quodcunque, quo pericula et damna a nobis defendimus, gr. πρός. Forc. primum affert *Cic. Div.* 1, 7. Quae sint animadversa a medicis morborum genera, quae radicum ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad vulnera. Cum hoc cf. *Off.* 3, 24. et *Suet. Cl.* 16. *fin.* ibique *Bremi.* Porro affert *Virg. A.* 2, 443. clypeosque ad tela sinistris Protecti objiciunt, i. e. protecti eo consilio, ut arcerent tela hostium. Huic adde *Virg. G.* 2, 352. munimen ad imbres (arcendos), et *Cic. Rosc. Am.* 40. Tecti esse ad alienos possumus. Neque differt ap. *Caes. b. g.* 7, 65. Ad hos omnes casus provisa erant praesidia, ubi v. *Herz.* — ℙ F. Jam vero sicut consilium sequitur *eventus*, certe consiliis nostris eo tendimus, ut aliquid efficiamus, sic *ad* etiam ad exprimendum id adhibetur, quod efficitur, atque ita prorsus idem significat, quod part. *ut.* Ex hoc largissimo fonte magna locutionum copia emanat, quas hic nonnullis exemplis adumbrasse sufficiat. Amat talia inprimis *Tac.* Sic *A.* 3, 49. Ad dicendum testimonium exterritis, i. e. ita territis, ut testimonium diceret. *Id. ib.* 2, 62. Corruptis primoribus ad societatem. 11, 37. ad miserationem evinci. 13, 9. Spes mutare ad metum, et 11, 33. mutari ad poenitentiam (de homine). Similiter 15, 22. imaginem ad aes informe liquefacere. *Id. H.* 2, 27. Ad modestiam eos composuit damnum. *Id. ib.* 2, 17. Longa pax ad servitium omne fregerat, i. e. ita, eo usque fregerat, ut omne servitium subirent. Eodem putamus referendas esse locutiones, qualis haec est *Cic. Leg.* 2, 14. exculti ad humanitatem, i. e. qui eo consilio exculti sunt et ad hunc finem pervenerunt. ℙ G. Dicendum nunc porro est de iis locis, in quibus hanc praep. interpretantur *ob, propter.* Quod si quis in hanc partem accipere velit, ac si eadem esset utriusque particulae significatio, is vehementer erraverit, ac supra jam vidimus, quam perversa sit illa opinio. Sed videamus locos ipsos, quos quidem maxime ex *Caesaris* commentariis petitos nobis offerunt. Quorum longe ineptissimus est *b. g.* 5, 40. Quaecunque ad proximi diei oppugnationem opus sunt, ubi *Davis.* et *Oud.* explicant *propter opp.*, nec aptior, quem ad h. l. affert *Oud., b. c.* 3, 11. mutatis ad celeritatem (i. e. celeritatis causa, non *propter celeritatem*, jumentis.) Non aliter statuendum de *Hirt. b. g.* 8, 50. et *Caes. b. c.* 3, 84. expeditos ex antesignanis electos milites ad pernicitatem, quod explica *secundum* pern., i. e. ut quisque erat celerrimus, ad quem modum ap. *Hirt. b. Al.* 16. scripserunt: electi ad virtutem ex tanta multitudine viri. Tum ap. *Caes. b. c.* 3, 88. paucorum haec est librorum scriptura: *quam ad causam.* Plurimi *ob* praebent. Denique ap. *Liv.* 1, 7. quod legitur: quum actae boves quaedam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent, quin ea ratione explicandum sit, de qua supra diximus: quum in iis desiderium excitaretur, noli dubitare. Ceterum ad istum l. *Drak.* laudat *Cort.* ad *Sall. Fr. hist.* 3. p. 971. Neque vero hoc probari potest iis locis, de quibus exponit *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 1, 6, 87. ubi sic edidit: ad haec nunc Laus illi debetur et a me gratia major. Ea vero valde incerta scriptura est, aliis libris aliam exhibentibus; quae etiamsi vera sit, aperte tamen praep. hic est *quod attinet ad*, ut gr. πρὸς ταῦτα. Idem judicium ferendum de *ep.* 1, 19, 45., quem l. ibi affert *Bentl.* nisi malis explicare, ut ipse explicuit *Bentl.* ad *epod.* 9, 17. ad haec verba, quum haec audio, collato *Ov. Pont.* 1, 3, 9. ad tua verba revixi. Denique in loco *epod.* non minus vexato rursus ille aliam ac similem proposuit interpretationem, eaque haud dubie vera. Dicit enim *Hor.*, si verum est, quod *B.* conjecit: *ad hoc*, i. e. ad hoc spectaculum, cum hoc viderent. Quod vulgo ibi legitur: *ad hunc*, veremur ut defendi possit. Ita igitur nec dicitur, nec vero potest dici *ad* pro *propter.*

ℙ H. Praeterea *ad* saepe est *id. q. praeter.* Idque non mirum. Nam sicut *accedere* dicitur pro *addere*, sic *ad*, in quo, ut vidimus, *accessus* est significatio, id. est qu. *praeter. Cic. Vatin.* 8. Si ad cetera vulnera hanc quoque mortiferam plagam inflixisses. *Id. Leg.* 2, 21. Quaero a vobis, quid sit, quod ad jus pontificium civile appetatis. *Liv.* 24, 45. Ad Faleriorum Pyrrhive proditorem tertium transfugis documentum esset. Vid. *Drak.* 30, 1. Bello quoque bonus habitus ad cetera. 26, 5. Ad alium virorum, equorum armorumque sonum — multitudo — edidit clamorem. V. ibi *Drak.* et ad 3, 42, 7. Frequens est in hoc genere *ad id, ad hoc*, i. e. insuper, praeterea, gr. πρὸς τούτοις, maxime apud *Sallustium, Livium, Tacitum.* Vid. *Sall. Cat.* 32. *Liv.* 1, 6. Ad id pastores quoque accesserant. 2, 23. Ad hoc promissa barba et capilli efferaverant speciem oris. 29, 4. Ad hoc magna pecunia ad conducenda auxilia. 28, 14. Cum ternis cohortibus ternisque turmis, ad hoc velitibus. Adde *Tac. Hist.* 1, 6. Dixit ita etiam *Cic. Flacc.* 32. Ad hoc praedia etiam in censu dedicavisti. Si vera est multorum librorum scriptura a *Gronovio* defensa ap. *Liv.* 35, 32. ad omnia — tantum advehi auri etc., hic quoque locus in hunc numerum est referendus. Sed ibi al. *ante omnia*, idque tuitus est *Drak.* Praeterea dicitur etiam *ad id quod* pro *praeterquam quod. Liv.* 44, 37. Consul ad id, quod pridie praetermisisse pugnandi occasionem videbatur — tunc quoque per speciem immolandi terere videbatur tempus. Adde 3, 62. 26, 45. 32, 40. Praeterea cf. *Cort.* ad *Sall.* p. 63. et 267. *interpp. Flor.* ad 3, 9, 2. *Arntz.* ad *Plin. Pan.* p. 25. et *ib. Schwarz.* p. 383. — Ceterum cum, ut modo diximus, diceretur *accedere ad aliquid* pro *addi*, inde explicandum videtur esse, quod et alii dixerunt et *Caes. b. g.* 4, 26. dicit: hoc unum ad pristinam fortunam defuit. Hoc enim sic intellige: hoc unum ut accederet ad pristinam fortunam opus fuit. Vid. ibi *Herzog.*

ℙ Superest, ut de quibusdam loquendi formulis seorsim dicatur. Illas primum tractabimus, in quibus *ministerium, munus, officium* significatur hac particula, ubi frequentius utuntur praep. *a*, quam vide. Primum locos ipsos afferamus. *Cic. Or.* 3, 60. Quem servum sibi ille habuit ad manum. Explicant *amanuensem. Prop.* 4, 8, 37. Lygdamus ad cyathos; ajunt esse pincernam. Neuter locus satis est aptus; utrobique enim adest verbum (ap. *Prop.* supple *erat*), ad quod cum referatur *ad*, praep. explicanda est *apud*, et sic *Suet. Caes.* 49. ad cyathum et vinum Nicomedi stetisse ajebat. Aptior tamen est locus, quem *Furl.* addidit, *Martial.* 12, 88. Bis Cotta soleas perdidisse se questus. Dum negligentem ducit ad pedes vernam, i. e. servum a pedibus, qui soleas coenantis domini custodire solebat. Addi poterant etiam haec: *Liv.* 34, 6. Servos ad remum — dabamus, ubi v. *Duk.* et cf. *Sueton. Aug.* 16. Porro *Liv.* 22, 19. Delecto milite ad naves imposito. Al. *in.* Illud tuetur *Gron.* et explicat *milites nauticos. Id.* 7, 5. Tribunos militum ad legiones suffragio fieri. *Catull.* 10, 16. Comparasti ad lecticam homines. *Lactant.* 6, 12, 39. Ad gladium homines comparare. Quamquam horum locorum paulo diversa est ratio; hic enim *consilii* et *finis* quaedam subest significatio. Non putamus ad hoc genus referenda esse verba *Virg. A.* 9, 648. Hic Dardanio Anchisae Armiger ante fuit fidusque ad limina custos, et *ib.* 10, 253. bijugi ad frena leones, neque illud *Ter.* in *Andr.* canes ad venandum alere, quod nonnulli, ut *Turneb. Adv.* 3, 23. 23, 6. interpretantur *canes venaticos*; nobis hoc non aliter dictum videtur, quam illud *Liv.* 22, 61. servos emere ad militiam. V. ad *Ter. l. Ruhnk.* Ceterum ab his multum differt ap. *Cic. Fam.* 12, 29. Qui omnino consulibus illis nunquam fuit ad scribendum i. e. nunquam, quum SC. fieret, affuit nec suum nomen apponendum curavit, ut in suam quoque sententiam factum videretur. Hoc apparet ad *praescriptionem*, quae dicebatur, et *auctoritates praescriptas* referendum esse. Cf. cum his *ib.* 9, 15. 15, 6. *Att.* 1, 19. ℙ Trita locutio est *ad haec* et similia, ubi alterius sermone absoluto alter respondet, gr. πρὸς ταῦτα. Ita et poetae et scriptores, v. *Virg. A.* 9, 207. 12, 631. et saepissime ita *Cicero*, ut *N. D.* 2, 1. Hoc, ut in *respondere ad*, proprie sic intelligendum est, ut dicatur is qui respondet orationem suam accommodare sermoni alterius, ut aperte hic quoque *relationis* sit notio; differt igitur a partic. *tum*, quae non minus frequens est in hujusmodi locis. Neque aliter res se habet, ubi Grammatici *ad haec* refutantis et reprehendentis esse ajunt, quae quidem vis in istis non potest inesse. Ceterum similis fere ratio est locorum *Tac. A.* 1, 44. 12, 37. *Plin. Paneg.* 2.

ℙ Commemorandi sunt etiam ii loci, in quibus VV. DD. praep. *ad* cum acc. junctam pro alio casu positam esse existimaverunt. Hic noster affert *Liv.* 2, 13. et 49. Sospites omnes Romam ad parentes restituit. *Id.* 24, 47. Arpi sine clade ullius restituti ad Romanos. V. ad *h. l. Gron.* In his pro dativo praep. ait ille positam esse, minus accurate. Patet enim, in prioribus locis vi praepositionis simul significari iter et adventum apud parentes, prorsus ut ap. *Ter. Ph.* 4, 3, 48. in servitutem — ad ditem dari; in tertio loco dicitur urbs *redíisse* ad Romanorum imperium. Ejusdem generis sunt *Liv.* 28, 22. nec deditio tuta ad tam infestos videbatur, et 27, 15. ad A. Fabium Hirpini — dediderunt sese. In talibus librarii non semel haeserunt. *Caes. b. g.* 7, 85. Utrisque ad animum occurrit, de cogitatione, quae quasi ad mentem accedit. *Pl. Truc.* 4, 1, 4. Ad me magna nuntiavit — gaudia. — Porro dicunt, *ad* saepe poni pro ablativo. Quo ex genere quos locos affert *Cort.* ad *Cic. Fam.* 7, 23. ii quomodo explicandi sint, partim per se patet, partim ex superioribus; unum afferamus *Prop.* 2, 13, 21. Nunquam venales essent ad munus amicae, quod intell. *accepto munere* eo quidem modo, quem supra indicavimus. Porro quod dicit *Hor. A. P.* 294. praesectum decies non castigavit ad unguem, ductum a marmorariis, ut docent interpp., explica de digito marmori admoto, quo quis marmor tangit. Eodem modo explicare possis *Veg. Vet.* 3, 4, 2. ad spongiam detergere pro *spongia detergere. ib.* 3, 3, 12. si ad acutam cannam exseces ranulam. Sed ex hujusmodi loquendi formulis, quae non quidem pro exemplo esse, sed defendi tamen possunt et idoneam rationem habent, factum esse putamus, ut ingruente barbarie praep. uterentur pro *ablativo instrumenti.* Sic idem *Veg.* 1, 47. stercora ejicies ad manum. Et habet is alia etiam non melioris notae, quae singula afferre nihil attinet. Ita dixit *jacere ad fundas*, de quo vid. *Stewech.* ad 4, 8. et 18. Et sic alii *ludere ad aleam, ad latrunculos, pugnare ad digitum* etc., ut *Vopisc. Procul.* 13. ubi v. *Salmas.* et *id.* ad *Vop. Carin.* 19. *Drak.* ad *Liv.* 7, 2, 10. ℙ Fuerunt quoque, qui praep. *ad* pro *a* dici posse arbitrarentur. Quod fieri nullo modo posse ipsi, quos afferunt, loci ostendunt. *Plin.* 36, 6, 9. Accessit, ut ad Aethiopas usque peteretur. Hoc est genus quoddam breviloquentiae pro: proficisci usque ad Aethiopas indeque petere. *Id.* 12, 15. myrrham petere ad Troglodytas. Ceterum de *ad usque* dicetur in *Usque.* ℙ Notandae videntur etiam hae locutiones: *Virg. G.* 2, 134. Flos ad prima tenax, i. e. inprimis. *Id. ib.* 294. et *Hor. Od.* 1, 17, 14. ad plenum i. e. affatim. *Liv.* 35, 8. ad liquidum, i. e. liquide. *Censorin.* 17. ad subtile. *Id.* 19. ad certum. *ib.* ad perfectum. *Appul. de diphth.* §. 3. Paucis patet ad integrum, i. e. ad verum. Hunc locum debemus *Beiero.*

ℙ *Ad quo* antiqua loquendi ratione significat *in quantum*, ut *Non.* 2, 63. exponit. *Afran. ib.* Ut scire possis, ad quo te expediat loqui. — Sed de aliis loquendi generibus, ut: *ad aliquid, ad praesens, ad magnitudinem, ad verbum, ad numerum* etc. v. in his vv. ℙ Interdum *ad* suo casui postponitur, vel interponitur inter substantivum et adj., quemadmodum *in, post, ab. Ter. Ph.* 3, 2, 38. Tibi quidem est olim dies, quam ad dares huic, praestituta. Verum hic *Bentl.*, metro etiam jubente, edidit ex uno libro *quoad. Tac. A.* 12, 8. augendam ad invidiam. Et *ib.* 51. ripam ad Araxis. Amat talia Tacitus, ut vidimus in praep. *A.* ℙ Interdum *ad* bis deinceps ponitur, nulla interposita particula. *Liv.* 5, 47. Vocatis classico ad concilium militibus ad tribunos. Cf. 8, 7. et *Drak.* ad 21, 31, 2. 31, 42, 6. ℙ Saepissime conjungi *ad* cum verbis ab hac praepos. compositis docet *Drak.* ad *Liv. praef.* §. 11. et ad 2, 36, 6. ℙ Haec praepositio cum quamplurimis dictionibus componitur, et vel motum aliquem significat, ut in *adeo, adduco*, vel vim verbo addit, ut in *adamo.* Vid. h. v. Si dictiones, quibus componitur, incipiunt a litteris C, F, G, L, N, P, R, S, T, saepe *d* mutatur in litteram sequentem, ut *accurro, affero, aggero, alligo, annumero, apporto, arrogo, assumo, attineo;* saepe etiam *d* retinetur. Praeterquam quod enim quodam tempore moris fuit in scribendo integras praepp. litteras in compositionibus servare, ut docet *Pierius* ad *Virg. A.* 4, 175., legitur etiam passim in antiquis monumentis *accurro* et *adcurro, afferro* et *adfero, alligo* et *adligo, assumo* et *adsumo* etc. [*Omnino cf. de hac scribendi ratione, quae disputavit *B. Crus.* in *praef.* ad *Cl. Suet.* p. IX. cui plerique omnes hoc tempore VV. DD. assentiuntur. Neque enim in graeca lingua, neque in aliis fieri videmus, quod plerumque etiamnum in una latina fit, ut assimilationis, quam dicunt, leges negligant et respuant. Romani quin scripserint *ascribere, astare* etc., vix est quod dubitemus; cur igitur ad putidam nonnullorum posterioris aevi librariorum rationem in aliis sequimur pronuntiationis leges, negligimus in aliis? Quamquam, quod idem *B. Crus.* eodem loco docet, in nonnullis fortasse pro eo ac pronuntiabantur, discrimen quoddam fuit, ut *submittere* esset i. q. ὑποπέμπειν, summittere i. q. dejicere, demittere. De his autem adhuc sub judice lis est.] Excipe *agnosco*, in quo *d* vel abjicitur vel in *g* mutatur (quamquam etiam *adgnosco* interdum legitur). Si *ad* jungatur vocibus incipientibus a vocali vel a consonantibus B, D et M, semper integra remanet, ut *adamo, adhibeo, addo, adeo, admitto, adoro, aduro, advoco.* Denique si *ad* sequitur *A* vel *D*, retinetur, vel in *c* vertitur, ut *acquiesco et adquiesco, acquiro* et *adquiro.* [*Olim pro *ad* etiam *ac* dicebatur, ut monumenta testantur antiquissima. *Appul. de orthogr. fr.* 12. *Beier.* Dicebatur etiam *ar* pro *ad* (*Pl. Truc.* 2, 2, 17.) et in compositione maxime ante F et V, ut *arfinis, arvolare, arvehere* (*Cat. R. R.* 138.), et etiam ante alias consonantes, ut *arger* pro *agger, arbiter* (ad, bito), *arcesso* (ad, cio). De his adi *Prisc.* p. 559. *Vel. Long.* p. 2232. *Fest.* in *arferia*, et *Schneid. Gr.* 1. 1. p. 257. — Confunduntur in libb. mss. *ad* et *ab*, maxime in compositis, v. *Drak.* ad *Sil.* 4, 318. et

alibi, ad *Liv.* 40, 55, 5. *Broukh.* ad *Tib.* 1, 2, 21. *ad* et *ac*, *Drak.* ad *Liv.* 21, 32, 2. *ante*, *Sigon.* ad *Liv.* 21, 5, 10. *apud*, *Drak.* ad 3, 10, 3. et *at*, *id.* ad 3, 17, 3. et *aut*, *id.* ad 6, 3, 6. 39, 18, 8. et *haud*, *Heins.* ad *Ov. Fast.* 3, 238. et *id*, *Drak.* ad *Liv.* 21, 10, 12. et *ob*, etiam in compositis, *id.* ad 37, 27, 5. *ad ea* et *adeo*, *id.* ad 4, 54, 4. *ad hoc*, *ad haec* et *adhuc*, *id.* ad 21, 52, 10. *Oud.* et *B. Crus.* ad *Suet. Aug.* 25. *ad quae* et *atque*. *Goer.* ad *Cic. Fin.* p. 538.]

ĂDACTIO, onis, f. actus adigendi, ἐπαγωγή. *Liv.* 22, 38. Id ex voluntario inter ipsos foedere a tribunis ad legitimam jurisjurandi adactionem translatum.

ĂDACTUS, us, m. actus adigendi. *Lucr.* 5, 1329. feros exibant dentis adactus, *h. e.* morsus.

ĂDACTUS, a, um, part. v. *adigo*, ἐμπεχθείς, vi impulsus, infixus, immissus. *Virg. A.* 9, 431. viribus ensis adactus Transabiit costas. *Id. ib.* 10, 850. alte vulnus adactum, *h. e.* impressum. *Plin.* 25, 2, 5. Cuneus arbori adactus. *Caes. b. g.* 5, 43. Flamma turri adacta. *Ov. Met.* 6, 271. ferro per pectus adacto. *Plin.* 34, 11, 27. Aerugo collyrii modo in fistulas adacta. *Tac. H.* 4, 23. Adactae tormentis ardentes hastae crates parentibus. *Virg. A.* 11, 260. diversum ad litus adacti. *Plin.* 8, 7, 7. Pilum sub oculo adactum in vitalia capitis venerat. ℙ Est etiam impulsus, coactus. *Caes. b. g.* 7, 67. Adactus ad jusjurandum. *Tac. H.* 1, 55. Adactus sacramento. *Id. ib.* 2, 14. Adactus in verba Vitellii. Et cum infinito *Sen. de Ira* 2. *fin.* Ira adacta opes suas spargere. *Tac. A.* 14, 24. Carne pecudum propulsare famem adacti. Et *ib.* 12, 4. Adactus ejurare magistratum. *Stat. Th.* 3, 619. tandem prorumpere adactus. ℙ Cum solo accus. *Sen. ep.* 95. *med.* Facile cetera exiguntur jusjurandum adactis. ℙ Item subactus. *Stat. Th.* 1, 19. Bisque jugo Rhenum, bis adactum legibus Istrum. ℙ *Adactum tempus* ap. *Lucr.* 5, 1224. est tempus, quod advenit seu vicinum est. V. integrum locum. ℙ Ap. *Propert.* 3, 21, 14. In faciem prorae pinus adacta novae idem est atque *exstructa in faciem novae navis.* Sic *Hyg.* 14. Truncis arborum in cuneum adactis, *h. e.* in formam cunei acuminatis. Quamquam alii hoc loco lectionem sollicitant. Cf. in ADIGO.

ADAD, sive Adadus, Assyriorum summus deus, cui etiam deam Atargatim uxorem assignabant, per Adad Solem, per Atargatim Terram intelligentes. Ex his enim duobus potissimum cuncta credebant procreari. Vox *Adad* (pro qua *Scaliger* scribendum censet *Ahad*) Assyriorum lingua *unum* significat. Haec ex *Macrob. Sat.* 1, 23. [*cf. *Selten.* de *diis Syr.* 1, 6.]

ADADUNĒPHROS, graeca vox, Ἀδάδου νεφρός, hoc est renes Adadi, νεφρὸς enim renes significat: Adadus autem deus fuit Syrorum, qui quondam in Syria regnavit et ob praeclara merita inter deos est relatus. Fortasse autem *Adadus* idem fuerit, qui *Adad* (v. v. praeced.) alio atque alio titulo a variis gentibus cultus. ℙ *Adadunephros* nomen est gemmae ap. *Plin.* 37, 11, 71. et inter eas refertur, quae ab aliquibus corporis membris nomen sortiuntur. [*v. not. *Dalechamp.*]

ĂDAEQUĀTĬO, onis, f. actus adaequandi, aequatio. *Tertull. ad Nat.* 1, 1. Deficit adaequatio comparationis istius. Adde *ib.* 15. et *Solin.* 1. *n.* 42., ubi alii rectius leg. *peraequatio.*

ĂDAEQUĒ, adv. ἐπίσως, peraeque, pariter. *Pl. Cas.* 3, 5, 45. Neque est quisquam amator adaeque miser. [**Id. Most.* 1, 1, 29. Nemo inventus est adaeque parcus nec magis continens. Cf. *Cas.* 3, 5, 45. et 5, 1, 3.] *Liv.* 4, 43. Ut quemadmodum in tribunis creandis usi sunt, adaeque in quaestoribus liberum esset arbitrium populi. Al. leg. *id aeque.* ℙ Habet, ut *aeque*, post se particulas *atque*, *ut. Pl. Capt.* 5, 4, 2. Nulla adaeque est Acheruns, atque ubi ego fui. *Id. Cist.* 1, 1, 57. Neque munda adaeque es, ut soles. ℙ Jungitur etiam comparativis, sed raro admodum. *Pl. Capt.* 4, 2, 48. Qui homine adaeque nemo vivit fortunatior. [*Haec est brevitas quaedam dicendi explicatu non difficilis.]

ĂDAEQUO, as, avi, atum, a. 1. ὁμαλίζω, aequo, aequale facio, [*exaequo, comparo.] *Liv.* 1, 29. *fin.* Omnia tecta solo adaequare. [*Absolute om. *solo Flor.* 3, 10, 23. Alesiam — flammis adaequavit. *Caes. b. g.* 3, 12. Molibus — ferme oppidi moenibus adaequatis.] ℙ Translate *Cic. Arch.* 10. Adaequare virtutem cum fortuna [*i. e. non magis felicem, quam virtute praeditum esse.] *Id. ib.* 11. Admonet, commemorationem nominis nostri cum omni posteritate esse adaequandam [*i. e. ad remotissimos posteros nomen nostrum cum laude perferri debere.] *Id. Balb.* 28. In summa amicorum copia cum familiarissimis ejus est adaequatus [*i. e. par habitus.] *Tac. A.* 12, 60. Cum Claudius libertos — sibique et legibus adaequaverit. [**Suet. Aug.* 46. Colonias jure ac dignatione Urbi adaequavit. Cf. *id. Dom.* 2. *Liv.* 1, 56. Quibus duobus operibus vix nova haec magnificentia quidquam adaequare potuit. Notandus praeterea locus *Plin. Paneg.* 72. Arduum erat, has precationes tuas laudibus adaequare. Similiter *Tac. A.* 15, 9. In quos saxa et hastae longius permeabant, quam ut contrario sagittarum jactu adaequarentur. Hic igitur *adaeq.* est id. qu. *exaequare. Id. ib.* 2, 73. Qui formam, aetatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum — magni Alexandri fatis adaequarent, i. e. compararent.] ℙ Est vero etiam (intrans.) aequalis fio (assequor), aequalis sum. [**Caes. b. g.* 2, 32. Ut muri — altitudinem acervi armorum adaequarent, ubi ex glossa al. *adaequarentur.* Eodem ex genere est locus *Hirt. b. g.* 8, 41. Turris — non quidem quae moenibus adaequaret. Sic edidit *Oudend.* quem vid. Al. *adaequaretur*, al. *aequaretur*, al. denique *aequaret*, quod probat *Frotscherus* ap. *Herzog.* comparans *Cic. Off.* 1, 1, 3. ibique *Beier.*] ℙ Translate *Caes. b. g.* 5, 8. Longarum navium cursum adaequarent. [**Caes. b. g.* 6, 12. Quos quod adaequare apud Caesarem gratia intelligebatur (hic suppleri potest ex antecc. *Aeduos.*) Fuit hic quoque, cui *adaequari* scrib. videretur.] *Cic. Univ.* 11. Adaequare vitam deorum [*i. e. assequi deorum aeternam vitam.] *Sall. Jug.* 4. Virtus eorum (majorum) famam atque gloriam adaequaverit. *Caes. b. c.* 2, 16. Virtute se nostris adaequare non posse intelligunt. [*At hic alii accus. *nostros* exhibent. V. *Held. Auct. b. Alex.* 16. Viri virtuti nostrorum possent adaequare. Ita ibi nonnulli libri. Vulg. *adaequari.* — Praeterea memoratu dignum videtur, quod Acron, Horatii commentator, dixit, verba poetae: sublimi feriam sidera vertice — explicans: astra adaequare.] ℙ [Absolute sine accusativo *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Senatorum urna copiose absolvit, equitum adaequavit, tribuni aerarii condemnarunt, *h. e.* equites numero pari absolverunt et condemnarunt. *F.* **Adaequare* et *aequare* confunduntur etiam ap. *Liv.* 10, 19.]

ĂDAERĀTĬO, onis, f. ἐξαργυρισμός, aestimatio alicujus rei ad aes seu pecuniam. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod.* 12, 40, 4. Militaris adaeratio vestis a collatoribus exigatur etc. Et *ib.* 38, 13. Si quis adaerationes statutas ausus fuerit immutare. *Impp. Hon.* et *Theod. Cod. Theodos.* 7, 4, 32. Adaerationis aestimatio.

ĂDAERĀTUS, a, um, part. v. *adaero.* Nam *adaerata praedia* dicuntur in *Cod.* 10, 28, 1. quae pensionem aliquam non frumenti, aut vini, aut alius speciei fructuum, sed aeris, hoc est pecuniae solvere quotannis debent. Alii *adaerata* exponunt ad aeris, h. e. pecuniae pretium redacta: quo sensu *adaeratae annonae* leguntur in *Cod. Theodos.* 7, 4, 31. V. ADAERO. ℙ *Adaeratum salarium* ap. *Eumen. pro Restaur. schol.* 11. est in rationes relatum. Alii tamen [rectius. *F.*] leg. *adoratum* [*ita *Livinej.* et *Gruter.*; illud defendit *Scalig. d. emend. temp.* 5. p. 420.]

ĂDAERO, as, avi, atum, a. ἐξαργυρόω, aere, hoc est pecunia aestimare seu taxare. *In epist. Imp. Valeriani* ap. *Treb. Claud.* 14. Jam cetera, quae propter minutias suas scribi nequeunt, pro moderatione praestabis, sed ita ut nihil adaeretur, *h. e.* ita ut nihil in pecunia praestetur, sed omnia in specie ea, quae ibi exprimitur, exhibeantur. V. integrum loc. [*ibique *Salm.*] *Ammian.* 31, 14. In adaerandis reliquorum debitis non molestus, *h. e.* in taxando ad pecuniam pretio specierum, quae debebantur. *Impp. Arcad. Honor.* et *Theod. Cod. Theod.* 7, 4, 28. Species non aliter adaerentur, nisi ut in foro rerum venalium distrahuntur. ℙ Est etiam per aera et calculos summam alicujus rei colligere. *Frontin. fr. Agrar.* ap. *Rigalt.* et *Salm. exerc. Plin.* p. 686. Subjectas deinde extremitatium partes ad rectum angulum, nostra postulatione, podismis suis adaeramus, *h. e.* ejus areae (de qua ibi est sermo) mensuram per aera et calculos colligimus. V. *Salm. l. l.* ubi plura hac de re. ℙ In quibusdam libris legitur *adero* sine diphthongo; sed ea scriptio temporum est cadentis Latinitatis.

ĂDAESTŪO, as, n. circa aliquid aestuo, σαλεύομαι, προσκυμαίνω. *Stat. Th.* 5, 517. squamisque incisus adaestuat amnis.

[ĂDAEUS, i, adj. a gr. ἀδαῖος, abundus, largus. Est cognomen Rom. in *Inscr.* ap. *Grut.* 40, 14. Q. Avillius Adaeus magister vici. *F.*]

ĂDAGGĔRĀTUS, a, um, part. v. *adaggero*, cumulatus. *Plin.* 13, 11, 21. Ne terra quidem ipsa, quae nunc Aegyptus intelligitur, postea adaggerata Nilo, *h. e.* Nilo arenam limumque subinde cumulante velut aggere facto e mari emersa, quae olim tota sub aquis maris fuit. *Id.* 36, 12, 17. *n.* 3. Nitro et sale adaggeratis.

ĂDAGGĔRO, as, a. προσεπιχωννύω, aggerem facio, terram accumulo. *Cato R. R.* 94. Cum ver adpetet, terram adaggerato bene. *Plin.* 17, 11, 15. Pedes terni undique e solido adaggerantur, *h. e.* ulmi ad trium pedum altitudinem terra aggesta operiuntur. *Colum.* 5, 11. Terram circa arborem adaggerare.

ĂDĂGĬO, onis, f. adagium, παροιμία. *Varr. L. L.* 6, 3. ex *Valerio Sorano:* vetus adagio est, o P. Scipio. Addit *Varro*, hoc verbum usque adeo evanuisse, ut graecum παροιμία pro eo positum magis sit apertum. ℙ Nihilominus usurpatum est postea ab *Auson. in praef. Monosyll.* Ut quod per adagionem coepimus, proverbio finiamus. ℙ Vocis originem ita deducit *Varr. ib.* Adagio, et littera commutata abagio, dicta ab eo, quod ambit orationem, neque in aliqua una re consistit sola.

ĂDĂGIUM, ii, n. παροιμία. *Adagia*, inquit *Festus*, *ad agendum apta*, hoc est adagia dicuntur dicta, quibus continetur aliqua sententia aut praeceptum utile ad actiones vitae recte componendas. [*cf. de vocis etymo *Ballhorn-Rosen de Dominio* p. 60. *B.*] *Pl. in suppositis Amph. scena*, quae incipit: Dii vostram fidem, *v.* 40. Vetus est adagium, Fames et mora bilem in nasum conciunt. *Gell. in praef. l.* 1. *extr.* Vetus adagium est, Nihil cum fidibus graculo. [*Apparet, hoc verbo, si quis pure scribere vult, abstinendum esse; quo tamen hodie nonnulli abutuntur.]

ĂDAGNĪTĬO, onis, f. ἐπίγνωσις, cognitio. *Tertull. adv. Marc.* 4, 28. Dei ignoti adagnitionem intentare.

*ĂDAGNOSCO, 3. i. q. agnosco. Reperitur h. v. in nonnullis *Lipsii* codd. apud *Senec. Benef.* 2, 13. Sed a *Gron.* et aliis editum est *agnoscere.*

ĂDALLĪGĀTUS, a, um, part. ligatus ad aliquid. *Plin.* 24, 19, 107. Herbae adalligatae gravidis partus accelerant. *Id.* 20, 21, 84. Radices juxta adalligatae.

ĂDALLĪGO, as, avi, atum, a. περιάπτω, [*προσάπτω] ad aliquam rem ligo, vincio. *Plin.* 27, 10, 38. Vermiculos adalligari brachio, ad eam partem, qua dens doleat. *Id.* 32, 10, 38. Adalligare aliquid clam.

ĂDAM, indecl. (ut docet *Charis.* 1. p. 94. *P.*) et Adamus, Adami, et Adae, m. אָדָם Ἀδάμ, primus homo a deo creatus, totius humani generis parens et origo. Vox hebraea est, et *terrenum* significat vel *terram rubeam*, ut interpretatur *Hieron.* ap. *Isid. Or.* 7, 6. Ex terra enim a deo factus est. Prima syllaba communis est quantitatis. *Prud. Apoth.* 1078. Fitque Dei summi per Christum filius Adam. *Id. ib.* 759. Adjecisse novo, quem primum finxerat, Adae. *Auson. Idyll.* 1, 14. Deceptum miseratus Adam etc. ℙ Secunda quoque in *Adamus* modo corripitur, modo (et quidem saepius) producitur. *Auct. carm. de Genes.* 2. Hic positus custos Adamus cum conjuge fida. Et 3. Tum dominus caeli moestum compellat Adamum. Et 4. Ergo ubi conjugio sese jam fidus Adamus etc.

*ĂDAMABĬLIS, e. *Gloss. gr. lat.* ἐράσμιος, adamabilis. Ex *auctar. Bail.*

ĂDĂMANTĒUS, a, um, adj. adamantinus, ἀδαμάντινος, et translate durus, qui frangi non potest. *Ov. Met.* 7, 104. Ecce adamanteis spirant e naribus ignem. *Manil.* 1, 921. Atque adamanteis discordia vincta catenis. ℙ Quidam scribunt *adamantaeus* cum diphthongo ab ἀδαμαντάιος, quam graecam vocem nos in graecis Lexicis nondum vidimus.

ĂDĂMANTĪNUS, a, um, adj. ἀδαμάντινος, qui est ex adamante vel ad adamantem pertinens. *Lucr.* 2, 447. adamantina saxa Prima acie constant, ictus contemnere sueta. *Plin.* 37, 11, 73. Adamantina duritia. ℙ Translate pro durissimo ponitur, et qui frangi aut expugnari nullo modo potest. *Hor. Od.* 3, 24, 5. Si figit adamantinos Summis verticibus dira necessitas Clavos. [**Id. Od.* 1, 6, 13. Martem tunica tectum adamantina.] *Prop.* 3, 9, 9. Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros Egit.

ĂDĂMANTĬS, ĭdis, f. herba quaedam prodigiosa, ita dicta, quod nulla vi teri queat: a δαμάζω, domo, et *a* priv. [*Credat hoc qui volet. Melius exponit *Gesner.*, dicens esse herbam magicam, cujus vis superari nequeat. Hoc etiam demonstrat locus *Plin.*, cui add. *Appul. herb.* 4.] *Plin.* 24, 17, 102. Tradidere Magi, hac admota resupinari leones cum hiatu laxo.

ĂDĂMAS, antis, m. ἀδάμας, lapis maximi inter gemmas pretii insignisque supra ceteros duritiae, quippe qui ferro percussus adeo ictum respuit, ut ferrum utrinque dissultet incudesque etiam ipsae interdum dissiliant: simul etiam natura ignium victrice nunquam incalescens. Is tamen hircorum calido et recenti sanguine perfusus facile frangitur. Haec ex *Plin.* 37, 4, 15. ubi alia plura ad hanc rem. Ab hac duritia nomen est ei, *h. e.* ab *a* priv., et δαμάζω, domo. Sex ejus genera enumerat *Plin. ib.* inter quae est siderites ferrei coloris, natura etiam ceteris dissimile: nam et ictibus frangi et alio adamante perforari potest. Ceterum experientia multorum artis conatuum jam compertum est, omnem adamantem ferro frangi et deteri in scobem: quod et *Lips. in Sen. de Const. Sap.* 3. et *Voss. in Etym.* ex *Garcia Hispano* adnotarunt. *Plin.* 20, 1. Adamantem, infragilem omni cetera vi, sanguine hircino rumpente. *Virg. A.* 6, 552. Porta adversa ingens solidoque adamante columnae. *Martial.* 5, 11. Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno etc. ℙ Translate ponitur pro durissimo, inexorabili, invicto. *Id.* 7, 99. Pontice, voce tua posses adamanta movere. *Prop.* 4, 12, 6. Ut semel infernas intrarunt funera leges, Non exorato stant adamante viae, *h. e.* viae clausae sunt portis nunquam postea aperiendis. [*Cf. *Ov. Met.* 4, 452. 7, 412. 15, 813.] *Ov. Trist.* 4, 8, 45. Nil adeo validum est, adamas licet alliget

illud, Ut maneat rapido firmius igne Jovis. *Stat. Silv.* 1, 2, 69. duro nec enim ex adamante creati, Sed tua turba sumus. [*Ov. *Met.* 9, 614. Nec rigidas silices solidumve in pectore ferrum Aut adamanta gerit. Simili imagine *Lucian. Philops.* 29. hominem *ad credendum durum* appellat ἀδαμάντινον.] *Sen. Herc. f.* 807. adamante texto [*i. e. catenis] vincire. V. TEXTUS, a, um. [*Videntur poetae adamanta dixisse de *metallo* durissimo. Vid. *Mich. Heusinger.* in *Act. scholast.* T. VI. p. 128.] ℙ *Adamas Cyprius*, de quo *Plin.* 37, 4, 15., videtur fuisse gemma, quam nunc Itali vocant *Zaffiro* [Saphir.]

ĂDAMĂTOR, oris, m. qui amat. *Tertull. Hab. mul.* 2. Nihil ad castitatem adamatores potuerunt praestare. [*Gloss. gr. lat.* ἐρωτικός, adamator.]

*ADAMATRIX, icis, f. *Pl. Poen.* 5, 5, 25. ubi al. legunt *ad amatricem Africam.*

ĂDĂMĀTUS, a, um, amatus vel valde amatus. *Ov. Art. am.* 2, 109. Sis licet antiquo Nireus adamatus Homero. *Suet. Vesp.* 22. Admonente dispensatore, quemadmodum summam rationibus vellet inferri, Vespasiano, inquit, adamato [*sc. summa expensa est.] *Plin.* 8, 42, 64. Equus adamatus a Semiramide. V. ADAMO.

ĂDAMBŪLO, as, n. 1. προσβαίνω, ad vel juxta aliquem locum ambulo. *Pl. Bacch.* 4, 5, 8. Adambulabo ad ostium. *Appul. Met.* 3. Adambulabam lateri ejus. *Id. ib.* 11. Asinus adambulans seni.

[ADAMĒNON, herba hyoscyamus dicta. *Appul. herb.* 4. *Furl. in app.*]

ĂDAMĪTĀNI, orum, m. haeretici ab Adam dicti, cujus nuditatem imitantur in paradiso, quae fuit ante peccatum. Credebant enim nuptias futuras non fuisse, si nemo peccasset. Nudi itaque mares feminaeque conveniunt, nudi lectiones audiunt, nudi celebrant sacramenta. *Isid. Or.* 8, 5.

ĂDĂMO, as, avi, atum, a. 1. ὑπερφιλέω, valde amo, deamo. [*De Senecae quidem et, si placet, de Ovidii loco concedimus; sed mirum profecto, quod Forcellinus eam noluit commemorare h. v. significationem, quae vera est et plurimis Ciceronis locis confirmatur, qua est *amare incipere.* Probant hoc *Cic.* loci, deinceps afferendi, quorum tres noster habet.] *Cic. Verr.* 2, 2, 34. Cum signa quaedam pulcherrima vidisset, adamavit. *Fam.* 2, 4. Quarum laudum gloriam adamaris — in iis esse laborandum. *Or.* 3, 17. Antisthene, qui patientiam et duritiam in Socratico sermone maxime adamarat. [*Ib.* 19. Si — Demosthenem sequi vultis et si illam praeclaram et eximiam speciem oratoris — adamastis. *Acad.* 2, 3, 9. Eam sententiam, quam adamaverunt, pugnacissime defendunt. *Mil.* 32. Nihil erat cujusquam, quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret. *Verr.* 2, 4, 45. Id adamasti, quod antea non adspexeras. *Flacc.* 11. Laudem patriae in libertatem vindicandae praetor adamavit.] *Sen. ep.* 71. Si virtutem adamaveris: amare enim parum est. [*Eadem est v. significatio in h. l., ut ap. *Cic.*, (neque aliter res se habet in Ovid. loco) nisi quod Seneca majorem quandam vim tribuit huic verbo, quam tamen alienam putamus esse ab optimorum scriptorum dicendi ratione.] *Ov. Trist.* 3, 4, 28. Stultus Achilleos non adamasset equos. Addidit *F.* ℙ De turpi amore *Quint. Decl.* 18, 10. Omnes matres liberos suos tanquam adamaverint, amant. [*Cf. *ib. init.* Ad incestum opus est, ut adamet et filius, non ut adametur tantum.] *Petron. Sat.* 110. Multa in muliebrem levitatem coepit jactare: quam facile adamarent, quam cito etiam obliviscerentur. Adde *Plin.* 36, 5., et v. ADAMATUS.

ĂDAMPLĬĀTUS, a, um, part. amplificatus. *Inscr.* ap. *Grut.* 884, 8. Adjecto podismo et adampliato.

ĂDAMPLĬO, as, avi, atum, a. 1. amplio, amplifico. *Inscr.* ap. *Grut.* 128, 5. Aediculam vetustate corruptam adampliavit. Adde 323, 1.

ĂDĂMUSSIM. V. AMUSSIS.

*ADANA, orum (τὰ Ἄδανα *Appian. Ptol.*) oppidum Ciliciae. *Plin.* 5, 27, 22.

ĂDĂPĔRIO, is, erui, ertum, a. 4. ἀνοίγω, idem quod aperio vel prorsus aperio; *ad* enim auget. [*Certe hoc non de omnibus locis valet.] *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. Ut adaperientibus fores tonitruum intus terribile existat. *Id.* 32, 9, 31. Horum jus traditur alvum exinanire, interanea destringere, omnia adaperire, renes purgare. ℙ Item detegere. *Sen. ep.* 64. Equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam. *Plin.* 2, 47, 48. Discussae nubes adaperuere caelum. ℙ Pro *ex parte aperire*, ὑπανοίγειν, exempla nondum vidimus.

ĂDĂPĔRTĬLIS, le, adj. qui aperiri potest, προσανοικτός. *Ov. Trist.* 3, 11, 46. Aspicis a dextra latus hoc adapertile tauri? Huc tibi, quem perdes, conjiciendus erit.

ĂDĂPĔRTIO, onis, f. Translate *Augustin. lib.* LXXXIII. QQ. *quaest.* 61. Legis adapertio et disputatio.

ĂDĂPĔRTUS, a, um, part. apertus, ἀνεῳγμένος. *Ov. Am.* 1, 5, 3. Pars adaperta fuit, pars altera clausa fenestrae. *Liv.* 25, 30. Adapertae fores portae. *Suet. Ner.* 12. Adaperto podio spectare. [*Id. *Aug.* 53. adaperta sella. V. *Bremi* ad h. l. et, qui plures affert Livii et Columellae locos, *Drak.* ad *Liv.* 25, 30. *Add. Ovid. Met.* 5, 193. *Curt.* 9, 7, 24.] ℙ Item detectus. *Colum.* 5, 5. Locis, quibus clementia hiemis permittit, adapertas vites relinquere et tota hieme ablaqueatas habere conveniet. *Lucr.* 4, 146. Adaperta rerum simulacra. *Stat. Th.* 1, 396. Adaperta fides, *h. e.* manifesta. [*Confunditur *adap.* cum *adopertus*, et cum *adactus.* Vid. varr. lectt. ap. *Liv.* 5, 21, 8.]

ĂDAPTĀTUS, a, um, part. aptus, ἐφαρμοσθείς. *Suet. Cl.* 33. Solitus etiam in gestatione ludere: ita essedo alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur. *Id. Oth.* 12. Galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato et annexo.

ĂDAPTO, as, a. 1. apto, accommodo, ἐφαρμόζω. Duo hujus verbi exempla afferuntur in *Thes. Fabri* ex *Modestin. Dig.* 27, 1, 10. et 13., sed eo loco *Modestinus* graece scripsit: latina autem interpretatio incertae admodum atque adeo nullius est in latina lingua auctoritatis. Supersunt itaque pro hac voce ea solum, quae attulimus in voce praeced. [*Etiam in *Onomast. vet.* est: adapto, προσάπτω.]

ĂDĂQUO, as, a. 1. ποτίζω, aqua perfundo, irrigo. *Plin.* 17, 10, 11. Amygdalas mucrone defigi: ternas simul serendas: denis diebus adaquari, donec grandescant. *Pall.* 3, 33. Vites interjectis ternis diebus adaquare. ℙ Item aquae potum dare jumentis. *Suet. Galb.* 7. Decrevit ut jumentum ad locum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto. Sunt qui legant *adaquare.* ℙ *Adaquor, aris* deponenti forma, est militare verbum et significat idem, quod *aquari*, hoc est aquam haurire et ferre ad usum militum, ὑδρεύω. *Hirt. B. G.* 8, 41. Cum tela tormentis jacerentur ad fontis aditus. nec sine periculo possent adaquari oppidani. [*Hic in aliis libris est *aquari.* Eadem diversitas in paucis libris ap. *Caes. b. c.* 1, 66. Contra unus liber *b. Afr.* 24. praebet *adaquandi*, et plures *ib.* 41. Etiam ap. *Liv.* 27, 46. *adaquari* unus exhibet liber, quod Livii aetati non convenire putat *Drak. Vulg. Gen.* 29, 11. addit *Bail.* in *Auctar.*] Huc pertinere potest etiam locus allatus Suetonii.

ĂDARCĂ, ae et Adarcē, es, f. salsilago quaedam seu spuma salsuginosa, concreta et velut gelata, in locis humidis palustribusque et circa arundines concrescens: quae καλαμόχνους graece vocatur, a κάλαμος, arundo, et χνόος, χνοῦς, spuma, lanugo. Ipsa autem *adarca* latina vox esse videtur *Plinio*, licet ἀδάρκης, ὁ, a *Dioscoride l.* 5. *c.* 137. et ἀδάρκη, ἡ, ab aliis graecis scriptoribus appelletur. *Plin.* 32, 10, 52. Inter aquatilia dici debet et calamochnus, latine adarca appellata. Nascitur circa arundines tenues e spuma aquae dulcis ac marinae, ubi se miscent. Vim habet causticam: ideo acopis additur contra perfrictionum vitia. Tollit et mulierum lentigines in facie. *Id.* 20, 22, 88. Adarca in cortice calamorum sub ipsa coma nascens. Adde 16, 36, 66. et *Coel. Aurel. Chron.* 1, 1., ubi *adarce*, *es* legitur. [*Est etiam bis apud *Veg. A. V.* 3, 48, 2. et 4, 28, 15. Cf. *Salm. Exerc.* p. 917. sq. et *Reines. V. L.* 3, 18.]

[ĂDARCTO, as, a. 1. idem atque arcto. Legitur in *Not. Tir.* p. 114. Adarctat. *F.*]

ĂDĂRĒO, es, ui, n. 2. *Cato R. R.* 98. Ubi amurca adaruerit, vestimenta condito.

ADARGĂTIS. V. in ADAD et in ATARGATIS.

*ADARIARIUS, i. incertae significationis. Lapis Romae repertus, apud *Ed. Burtonum Roms Alterthh. u. Merkwürdigkeiten, übers. v. Sickler, p.* 587. memoratus fert: MAGISTER ADARIARIUS A MINERVA MEDICA. Ex mentione *Minervae medicae*, cujus templi rudera etiamnunc Romae visuntur, quum certo liquere videatur, magisterium illud ex genere officiorum sacrorum fuisse, vide vocabulo isto an minister victimarius significetur (*victimariorum collegium* sistit titulus in *Fabretti Inscr. ant. cap.* 16, 13. p. 450.) Etenim *Festus* p. 244, 11. Adasia, ovis vetulae recens partus. *Isidori Gl.* p. 2, a. Adasia, ovis major nata. Forma autem *adasia* antiquior esse videtur pro seriori adaria. — Haec transscripsimus ex *Osanni Auctar. Lex. Gr. Epimetr.* II. p. 181. sq.

ĂDĂRO, as, a. 1. idem quod aro. *Plin. prooem. l.* 23. ex persona Pomonae loquens: ex me parata omnia nec curvo adaranda aratro, nec cura laboranda, sed se porrigentia ultro. Al. leg. *adoranda* minus recte: *Hard.* ex vett. edd. legit: ex me parata omnia, nec curvo laboranda, sed se porrigentia etc. *h. e.* nec ab homine curvato aranda.

ĂDASĬĂ, ovis vetula recentis partus. *Festus.* [*Vid. ADARIARIUS.]

ĂDAUCTO, as, avi, a. 1. frequentat. ab *adaugeo* et ejusdem signif. *Accius* ap. *Non.* 2, 52. Quibus rem summam et patriam nostram quondam adauctavit pater.

ĂDAUCTOR legitur a quibusdam ap. *Tertull. Test. an.* 2. ubi alii *auctor.*

ĂDAUCTUS, us, m. incrementum, αὔξησις. *Lucr.* 2, 1120. quaecumque vides hilari grandescere adauctu. *Solin.* 23. *fin.* de maris aestu: adeo ut vicissitudines inter maciem aquarum et plenitudinem respiciant adauctus ejus vel eliquia.

ĂDAUGĔO, es, auxi, auctum, a. 2. αὐξάνω, ἐπαύξω, idem quod augeo vel addendo augeo. *Cic. Rosc. Am.* 11. Haec maleficia aliis nefariis cumulant atque adaugent. *Id. Inv.* 2, 18. Facti honestas adaugetur. [*Ciceroni restituit *Goer.* etiam *Acad.* 1, 5, 21. ubi ait esse idem quod gr. ἐπαύξειν.] *Auct. ad. Her.* 2, 25. Haec signa adaugent suspicionem. *Ter. Heaut.* 3, 1, 26. Timet, ne tua duritia adaucta sit. *Plin. Pan.* 22. Laetitia cum ingressu tuo crevit ac prope in singulos gradus adaucta est. *Cels.* 4, 6. *med.* Adaucta vel levata febris. [*Legitur etiam ap. *Caes. b. g.* 6, 1. ubi tamen alii codd. *augeri*, et ap. *Hirt. b. Al.* 12. et ap. auctorem *b. Afr.* 1.] ℙ Interdum adhibetur in sacrificiis, quemadmodum et *augeo. Pl. Stich.* 2, 2, 62. Hercules, decimam esse adauctam, tibi quam vovi, gratulor.

ĂDAUGESCO, is, n. 3. ἐπαυξάνομαι, cresco, adaugeor. *Cic. Div.* 1, 7. *extr.* Aut densus stridor cum celso e vertice montis Ortus adaugescit scopulorum saepe repulsu. *Lucr.* 2, 296. Nam neque adaugescit quidquam nec deperit inde.

ĂDAXINT pro *adegerint*, ut docet *Festus*, vel pro *adigant*, ut exponit *Non.* 2, 53. dictum est veteri declinandi ratione, ut *axit* et *faxit*, quae v. suis locis *Pl. Aul.* 1, 1, 11. Utinam me Divi adaxint ad suspendium, potius quam hoc pacto apud te serviam.

ADBELLARE pro *debellare* quidam leg. ap. *Ammian.* 16, 9., ubi alii *advolare.*

ADBĪBO, is, bibi, a. 3. idem quod bibo, προσπίνω. *Ter. Heaut.* 2, 1, 8. Is mihi, ubi adbibit plus paulo, sua quae narrat facinora! *Pl. Stich.* 2, 2, 58. Quando adbibero, alludiabo: tum sum ridiculissimus. ℙ Translate *Hor. Ep.* 1, 2. *fin.* nunc adbibè puro Pectore verba puer: nunc te melioribus offer.

ADBĪTO, is, n. 3. idem quod *bito*, hoc est eo, προσβαίνω. *Pl. Capt.* 3, 4, 72. Aedepol si adbites propius, os denasabit tibi. ℙ Quidam olim legebant *adites*, quod esset ab *adito*, *as*, frequentativum verbi *adeo*, *is*, sed profecto sanus est locus. V. BETO, PERBITO, PRAETERBITO, REBITO suis locis.

ADBLATERANS, antis, blaterans. *Apul. Met.* 9. Has et alias similes affanias frustra adblaterantes eos retrorsum abducunt. Alii leg. *his et aliis similibus affaniis frustra oblateratis.*

ADCANTO. V. ACCANTO.

ADCENSUS. V. ACCENSUS.

ADCERSO. V. ARCESSO.

ADCĬDO. V. ACCIDO.

ADCLĀMO. V. ACCLAMO.

ADCLĀRO, et Acclaro, as, a. 1. declaro, ostendo. *Liv.* 1, 18. referens prisca verba auguris de caelo servantis: Juppiter pater, si est fas hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, regem Romae esse, uti tua signa nobis certa adclarassis inter eos fines, quos feci. *Adclarassis* antique pro *adclaraveris.* V. ad h. l. interpp.

ADCLĪNIS, ADCLĪVIS, ADCOGNOSCO. V. ACC.

ADCONDŪCO, is, a. 3. idem quod conduco. *Pl. Mil.* 1, 1, 76. Rex Seleucus me opere oravit maximo, ut ei adconducerem latrones et conscriberem. Ita legit *Serv.* ad *A.* 12, 7. Alii *ut sibi latrones cogerem et conscriberem* [*idque haud dubie verum.]

ADCORPŌRO, ADCRĒDO, ADCRESCO, ADCURRO. V. ACC.

ADDAX, acis, m. nomen est ferae cujusdam in Africa erecta cornua habentis et rugarum ambitu contorta atque in leve fastigium exacuta, quae alio nomine strepsiceros dicitur, ἀπὸ τῆς στρέψεως τῶν κεράτων, a contortione cornuum. Ipsa vox *Addax* Africana est teste *Plin.* 11, 37, 45. [*Capra cervicapra Linn.]

ADDĔCET, ebat, impers. 2. πρέπει, convenit, decet, praep. *ad* nonnihil addente significationi [*non.] *Pl. Cas.* 2, 2, 26. Nam peculii probum nihil habere addecet clam virum. *Id. Bacch.* 1, 2, 20. Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet. *Id. Rud.* 1, 2, 27. Impudentem hominem addecet, molestum ultro advenire.

*ADDECIMO, as, 1. decimam partem detraho. *Vulg. Sam.* 1, 8, 14.

ADDENSĔO, es, a. 2. densum facio, addenso: ἐπιπυκνόω. *Virg. A.* 10, 432. Extremi addensent acies, nec turba moveri Tela manusque sinit. [*Ita ibi aliquot codd., quod, sicut *densere*, familiarius Virgilio esse ajunt. Al. *addensant*, idque praefert *Jahn.* ad *Georg.* 1, 340.]

ADDENSO, as, a. 1. ἐπιπυκνόω, denso, condenso. *Plin.* 20, 21, 84. Mirum, aquam radice ea addita addensari sub dio atque lactescere.

ADDĪCO, is, ixi, ictum, a. 3. [*Hujus verbi prima vis ea nobis videtur esse, quam translatam ab usu forensi existimans noster inepte reliquis interposuit. Etenim *addicere* proprie, ut videtur, est *approbare* dicendo (sic *Festus* explicat) aut alio quocunque modo, *assensum suum significare;* id vero nobis prius in re augurali, quam in rebus

forensibus sic dictum videtur. Itaque ordinem a nostro institutum mutavimus.] Dicuntur igitur in re augurali aves *addicere*, quae augurium prosperum faciunt et ratum, quae approbant rem, de qua augurium capitur, *admittunt* eam (hoc enim verbo alibi utuntur). *Liv.* 1, 55. Cum omnium sacellorum exaugurationes admitterent aves, in Termini fano non addixere. *Id.* 27, 16. Fabio auspicanti aves semel atque iterum non addixerunt. *Tac. A.* 2, 14. Addicentibus auspiciis vocat concionem. [*Hoc insolentius dictum pro *avibus*. Apparet igitur, fuisse in h. v. simplicem *assentiendi* et *concedendi* notionem. Ceterum cf. *Briss. Form.* 1, 206. *Drak.* ad *Liv.* 1, 36, 3. 27, 16, 15. *Duk.* ad 22, 42, 8.] ℙ Cum accusativo. *Appul. d. deo Socr.:* Actio Navio auguria miraculum cotis addicant. *Fest. v. Praetor:* illum, quem aves addixerant etc. ℙ Tritissimus est h. v. usus in rebus forensibus [*de quo v. *Ballhorn-Rosen de dominio* p. 28. 172. *Beier.*], ubi sign. concedere, adjudicare, attribuere, tradere alicui aliquid, gr. καταδικάζειν, ἀποκηρύττειν, ἀπεμπολᾶν [*quamquam horum verborum nullum prorsus respondet latino; longe aptius προοδικάζειν] estque unum e tribus solemnibus verbis, quibus universa praetoris potestas judicialis continebatur, *Do*, *Dico*, *Addico:* necesse est enim, ut ait *Varr. L. L.* 5, 4. aliquo eorum uti verbo, cum lege quid peragitur. De his *Ov. Fast.* 1, 47. Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur etc. *Dabat* itaque praetor judicem, recuperatores, arbitros (quod etiam *addicere* aliquando dicitur) judicia, actiones, possessiones: *dicebat* vero jus, multam, tutores, viam in vindiciarum litibus: *addicebat* autem, in bonis controversis, in cessionibus, in vindiciis, cum statu controversiae cognito adjudicabat rem controversam ei, qui meliore jure esset, item quandoque ipsos homines in servitutem creditoribus. *Pl. Poen.* 1, 1, 57. Ubi in jus venerit, addicet praetor familiam totam tibi. *Cic. Verr.* 2, 1, 52. bona alicui. *Liv.* 3, 56. liberum hominem in servitutem. [*Cf. 6, 15, 9. Dat. utitur *Caes. l.* infra *l. Cic. Rosc. C.* 14. Addictus erat tibi? i. e. num condemnatus, ut pecuniam tibi solveret, quam petieras. (*Ern. Clav.*)] Facete *Cic. Pis.* 35. Fufidium — creditorem debitoribus suis addixisti [*de injusto judice, qui debitoribus, pecunia corruptus, concedit, ut, quod debent, non solvant.] ℙ *Addicere judicem* vel *arbitrum* dicitur praetor aut quivis alius jus habens, qui judicem *dat* (*dare* est verbum hujus loci magis proprium) seu destinat causae cognoscendae, ex formula vel ex litigatorum conventione. Legitur in *Dig.* 5, 1, 39, 46. et 80. secundum *Florentin.* et alias quasdam editiones, testibus *Hotom.*, *Briss.* et *Pareo* in *Lex. crit.*, quibus adde *Sen. ep.* 65., sed ubique alii pro *addicere* leg. *addere*, aut *adire*, aut *adjicere*, *aut adigere*. [*Recte defendit *addicere judicem Gifan.* in *Obss. L. L.*] ℙ *Addicere judicium* ap. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* est judicium dare, hoc est litigandi vel apud se vel apud alium potestatem facere. Quod etiam *Macrob. Sat.* 1, 16. usurpavit: quamquam alii ibi *adjicere* reponunt [*male. V. infra.] Eodem modo explicanda videntur verba illa ex *Leg.* XII. *Tab.* ap. *Gell.* 17, 2. Post meridiem praesenti litem addicito, *h. e.* actionem dato, agendi potestatem facito; tametsi alii ita exponunt: secundum praesentem sententiam fer, et ei rem, de qua lis est, adjudicato. V. integrum loc. ℙ *Addicere aliquid in diem* est ita alteri adjudicare, ut si intra certum tempus melior conditio afferatur, habeatur tanquam non adjudicatum et tota lis in integrum restituatur. Hac de re multa habentur toto *tit.* 2. *l.* 18. *Dig.* et praeterea *Dig.* 6, 1, 41. et 39, 3, 9. [*Briss. Form.* 6, 45.] ℙ In auctionibus et venditionibus publicis, itemque in locationibus *res alicui addici* dicebatur, quae plus offerenti attribuebatur: additur hac significatione saepe ablativus pretii. *Cic. Verr.* 2, 3, 63. *fin.* Si doceo pluris aliquanto potuisse te vendere, neque his voluisse addicere, qui contra Apronium licerentur. *Id. Rab. P.* 17. Ecquis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Postumi nummo sestertio sibi addici velit? *Suet. Caes.* 50. Cui amplissima praedia in auctionibus hastae minimo addixit. *Caes. B. C.* 2, 18. Addicere bona alicujus in publicum, *h. e.* publicare. Rursus *Cic. Verr.* 2, 1, 55. Addicitur id opus HS. DLX millibus; cum tutores HS. LXXX millibus id opus ad illius hominis iniquissimi arbitrium se effecturos esse clamarent, *h. e.* locatur. ℙ Est etiam promittere et obligare rem in privatis venditionibus, et eandem fere habet, ac *vendo*, significationem. *Cic. Dom.* 41. Hominem invenire neminem potuit, cui aedes meas addiceret, traderet, donaret. *Id. Phil.* 7, 5. Antonius regna addixit pecunia. *Hor. Sat.* 2, 5, 109. huic tu Dic, ex parte tua seu fundi, sive domus sit Emptor, gaudentem nummo te addicere. [*Cf. *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 14. Nummo s. nummo sestertio addicere de iis venditionibus dicebant, quae instar donationis essent, ut ostendit *Salm. de Usur. c.* 13. p. 360. coll. *c.* 18.] Et *Julian. Dig.* 41, 4, 7. §. 6. Procurator tuus si fundum, quem centum aureis vendere poterat, addixerit triginta aureis etc. ℙ Ex his facile intelligitur, quomodo exstiterit translata h. v. significatio, ubi addicere id. est qu. tradere; cujus signif. variae sunt rationes. 1. [*Virg. A.* 3, 653. Huic (classi) me, quaecunque fuisset, Addixi; satis est gentem effugisse nefandam. Addixi, i. e. decrevi me tradere, committere, etiam cum summo mortis aut servitutis discrimine, duram sortem aequo animo laturus, dum gentem Cyclopum effugerem. Recte igitur *Servius:* signato verbo exprimit desperationem, quem hic quidem non recte vituperat *Heyn. Val. M.* 7, 7, 4. Neque erubescis, ei patrimonium totum addicere. Hic fere id. est qu. *donare.*] 2. *Cic. Planc.* 39. Senatus, cui me semper addixi [*i. e. cujus partibus, cujus auctoritati semper deditus fui. *Id. Inv.* 2, 2. Si in ceteris quoque studiis a multis eligere homines commodissimum quodque, quam sese uni alicui certo vellent addicere, i. e. unius auctoritati se dedere eamque amplecti. *Quintil.* 10, 2. addicere se alicui proprie, de eo, qui aliquem, quasi ejus esset servus, imitatur.] *Val. M.* 8, 7. *n.* 5. *ext.* addicere se operibus naturae, i. e. operam dare iis cognoscendis. [*Cf. *Suet. Tib.* 69.] Adde hic *Eumen. Pan. Const.* 17., ubi addicere alicui victoriam est *tribuere* et propriam ac veluti obnoxiam facere. In his dicitur in partem bonam. Dicitur vero etiam in malam. *Auct. ad Her.* 4, 27. addicere pueritiam suam omni intemperantiae, [*i. e. dedere se et plane obstringere intemperantiae. Cf. *ib.* 16. quae suum corpus addixerit turpissimae cupiditati. *Lactant.* 2, 1, 3.] *Cic. Pis.* 34. Accepta pecunia a Dyrrhachinis ob necem hospitis tui ejus domum evertisti, cujus sanguinem addixeras, i. e. cujus vitam iis dedideras et quasi obstrinxeras. *Id. ib.* 24. Cum addicebas tribuno pl. consulatum tuum, [*i. e. in ejus potestatem dabas, ut eo pro arbitrio suo uteretur.] *Id. Phil.* 5, 12. Libidini cujusque nos addixit. [*Id. Mil.* 32. Incidebantur jam domi leges, quae nos nostris servis addicerent. *Id. Sext.* 17. Quos egestas, quos aeris alieni magnitudo, quos levitas, quos improbitas trib. pl. constrictos addixerat. *Id. Quint.* 30. Parsimonia — nuda cupiditati petulantiaeque addicatur, i. e. condemnetur pro lubidine accusatoris. *Curt.* 7, 7. Aristandrum, cui credulitatem suam addixerat, i. e. cui propter credulitatem, tanquam servus, obnoxius erat. *Suet. Cl.* 29. His uxoribusque addictus non principem, sed ministrum egit. Cf. *Vit.* 2. Eodem refer *Cic. Phil.* 2, 21. Vendita atque addicta sententia. Denique ex his explicantur ii loci, in quibus *add.* id. videtur esse qu. *prodere.* Huc refer *Ov. Met.* 1, 617., qui locus Forc. non fugit: crudele, suos addicere amores i. e. tradere in arbitrium alius. Alii male leg. *abdicere. Auct. Cir.* 420. addicere patriam hostibus. *Quintil. Decl.* 12, 4. Salus publica addicitur; cf. *ib.* 11, 7. Et ejusdem notae est ap. *Sil.* 15, 247. populumque addixit inermem, ubi v. quos plurimos laudat *Drak.* coll. *Arntzen.* ad *Aur. Vict.* 21, 3. Adde *Justin.* 22, 3.] 3. Porro est etiam vovere, dicare, consecrare. *Vell.* 2, 25. Agros omnes addixit deae. 4. Simili modo *morti addicere* est capitis damnare et quasi morti devovere. *Cic. Off.* 3, 10, 45. Et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies postulavisset. *Caes. B. G.* 7, 77. Nolite hos — perpetuae servituti addicere (obnoxios reddere.) Haud aliter intell., quod dicit *Cic. Mil.* 21. Vitam suam quam maximis praemiis propositam et pene addictam (devotam) sciebat. Alia horum omnium similia v. in ADDICTUS. 5. Non imitandum est, quod dicit *Gell.* 3, 3. Fabulae, quae scriptae a Plauto non videntur et nomini ejus addicuntur, i. e. tribuuntur, adscribuntur. ℙ Non potest addicere id. significare qu. cogere. Nam ap. *Sall. Cat.* 22. certe pro *addicere* leg. est *adigere*; [*cf. ad h. l. *Cort.* et, quem laudat, *Drak.* ad *Sil.* 1, 642.] Nihil curandi sunt, qui pro *cogere* dixerunt et cum infin. construxerunt, *Impp. Valens*, *Gratian.* et *Valentin. Cod.* 12, 38, 5. Species de propriis facultatibus fiscalibus horreis addicantur inferre. [*Aeque inepte h. v. obtrusum est a librariis *Cic. Par.* 4. *in.* Ego vero te non stultum, ut saepe, non improbum, ut semper, sed dementem et insanum rebus addicam necessariis, h. e. necessariis argumentis convincam, te esse dementem et insanum. De his noster sic scribit: hoc loco videtur allusisse *Cic.* ad illam legem XII. Tab., qua furiosi et dementes addicebantur agnatis et gentilibus, hoc est sub eorum curam potestatemque tradebantur, ut est ap. eundem *Inv.* 2, 50. Ita commodius explicatur hic locus, quam varias variorum lectiones sectando, quorum alii pro *addicam* legunt *adigam*, alii *adducam*, alii novum commenti verbum *advincam.* Enimvero hoc si ita dixisset *Cicero*, balbutiisset. *Gernh.* edidit: sed dementem et insanum rebus vincam necessariis, idque explicat *rebus in facto positis probabo.* Quoquo modo iste locus aut corrigitur aut explicatur, illud certum videtur, *addicam* ineptum esse. Dubitatur etiam de loco *Cic. Leg.* 3, 10, 25., quem noster affert: (libertas plebi) sic data est, ut multis praeclarissimis addiceretur. Cujus quam proposuit *Goer.* interpretationem, ea nobis valde displicet.] ℙ *Addice* pro *addic* in imperativo *Pl. Poen.* 2, 50. Addice tuam mihi meretricem, *h. e.* vende, trade. *Addixti* per syncopen pro *addixisti Martial.* 12, 16. [*Confunduntur in libb. mss. *addicere* et *adjicere* (h. e. adicere; sic enim solebant scribere); v. *Drak.* ad *Liv.* 4, 8, 5. et alibi. Porro *addictus*, *adjectus*, *additus*, *abductus*; v. *id.* ad 6, 15, 9. 20, 6. et *Arntz.* ad *Aur. Vict.* 21, 3. *Addixit* et *addidit* confusa vides ap. *Suet. Aug.* 32. *addictus* et *adjutus* ap. *Curt.* 4, 1, 16.]

ADDICTĒ. V. ADDUCTE.

ADDICTĬO, onis, f. actus addicendi, hoc est sententia s. decretum, quo praetor rem aliquam alicui addicit et adjudicat. *Cic. Verr.* 1, 4. Cujus praetura urbana aedium sacrarum fuit depopulatio, simul in jure dicundo bonorum possessionumque, contra omnium instituta, addictio et condonatio. *Paul. Dig.* 18, 2, 1. Addictio in diem. Quid sit autem *addicere in diem*, diximus in ADDICO. ℙ *Addictio judicis* est ejus assignatio ad causam aliquam cognoscendam. V. ADDICO. In *Lege Manilia de limitib.* ap. *Frontin.* p. 340. *Goes.* Judicis datio addictio esto.

ADDICTUS, a, um, part. adjudicatus sententia praetoris, ἀποκηρυχθείς, προόδετος, *Ulp. Dig.* 43, 23, 11. Addictus fundus alicui. *Id.* 6, 1, 41. Addictum praedium. *Claud. Cons. Mall.* 131. Addicto censu cumulare aeraria. ℙ Item venditus. *Pl. Merc.* 3, 4, 31. Mulier addicta atque adducta. ℙ Item locatus. *Cic. Verr.* 2, 1, 57. Addictum opus, accepti praedes. ℙ *Addictus judex* est, qui a praetore vel alio jus habente assignatus est alicui causae cognoscendae judicioque exercendo. Afferuntur exempla hujus rei a *Briss.* et aliis ex *Dig.* 10, 2, 30. et 13, 4, 4. et 36, 1, 59. itemque *Val. M.* 8, 2. *n.* 2., sed ubique variat lectio: nam pro *addictus* alii leg. *aditus*, vel *adductus*, vel *additus.* [*Certum tamen est ex iis, quae in v. ADDICO disputata sunt, recte dici *addictus judex.*] ℙ Praeterea *addictus* dicitur, qui ob aes alienum, cum solvendo non sit, ex praetoris sententia traditur creditori, qui in corpus ejus jus habeat, et tanquam servo utatur, donec solvat. Est autem inter *addictos* et *servos* multiplex discrimen, ut docet *Quintil.* 7, 3, 27. nam *addicti* cum manumittuntur, fiunt ingenui, *servi* fiunt libertini: *addicti* etiam invito domino libertatem consequi possunt, si debita solvant, *servi* non possunt: *addicti* habent ea, quae sunt liberorum hominum propria, nomen, cognomen, tribum; quibus *servi* carent. [*Cf. *id.* 5, 10. et *Duk.* ad *l. Liv.*] *Liv.* 6, 14. Ne quem vestrum judicatum addictumque duci patiar. *Cic. Flacc.* 20. Cum judicatum non faceret, addictus Hermippo et ab hoc ductus est. *Addictum ducere* in his et aliis exemplis ap. *Liv.* 6, 15. et 20. etc. est in servitutem et vincula ducere. [*Hinc *Pl. Bacch.* 5, 2, 87. Ducite nos, quo lubet, tanquam quidem addictos.] *Cic. Fam.* 7, 24. Eumque addictum jam tum puto Calvi Licinii Hipponacteo praeconio, *h. e.* jam tum venditum fuisse inter Sardos venales famoso Calvi Licinii carmine: quod carmen *praeconium* hic dicitur, quia praeco servos venales addicebat. Nisi malis *addictum* explicare Furiis atque Erebo a Calvo Licinio: quemadmodum Hipponax devovit carminibus suis eos, qui se derisui habuerant. [*Est simpliciter: infamiae traditum a Calvo, altero quasi Hipponacte.] V. HIPPONACTEUS. ℙ De jure ac modo addicendi liberos homines creditoribus exstat lex XII. *Tab.* ap. *Quintil.* 3, 6, 25. et *Gell.* 20, 1. ubi additur, si plures fuissent creditores, quibus debitor aliquis addicendus esset, permissum fuisse iis ejus corpus in frusta secare atque partiri inter se: tametsi ad poenam tam atrocem nunquam deventum est. [*Vid. ad *h. l. Burm.* et *Par. Lex. cr.* p. 33.] ℙ Translate *addictus* est obstrictus, devinctus, obnoxius. *Cic. Coel. fin.* Quem si vobis, si suis, si reipublicae conservatis, addictum, debitum, obstrictum vobis ac liberis vestris habebitis. *Id. Tusc.* 2, 2. Certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt. *Id. Verr.* 2, 2, 32. Habere fidem et religionem alteri addictam pecunia accepta [*i. e. corruptum esse.] ℙ Item coactus. *Hor.* cum infin. jungit *Ep.* 1, 1, 14. Nullius addictus jurare in verba magistri. [*Add. non potest esse *coactus.* Expl. *deditus*, ut mox ap. *Suet.* et *Petron.*] ℙ Item damnatus vel destinatus, devotus. *Id. Epod.* 17, 11. Addictus feris, alitibus atque canibus. *Cic. Att.* 9, 9. *fin.* Addictus vastitati. *Id. Phil.* 11, 7. Gladiatorio generi mortis addictus. ℙ Item deditus, propensus. *Petr. Sat.* 5. Addictus histrioniae. *Suet. Cal.* 55. Prasinae factioni addictus et deditus. ℙ *Addictus* denique titulus est cujusdam Plautinae comoediae deperditae, cujus meminit *Gell.* 3, 3. ita fortasse inscriptae, quod ibi aliquis ob aes alienum addictus inducatur. Ceterum cf. ADDICO.

ADDISCO, iscis, didici, a. 3. προσμανθάνω, id. fere qu. disco, aut, si attendere velis vim praepositionis *ad*, ad ea, quae didici, aliquid addo. *Cic. Sen.* 8. Quid quod etiam addiscunt aliquid? ut Solonem versibus gloriantem videmus, qui se quotidie aliquid addiscentem senem fieri dicit. [*Ov.*

Am. 2, 5, 56. Et quiddam visa est addidicisse novi. *F.* *Vis verbi propria conspicitur etiam ap. *Ov. Met.* 3, 593. *Cic. Fin.* 5, 29. *Or.* 3, 36. De talibus locis, qualis hic est ap. *Suet. Cal.* 47. addiscere sermonem germanicum, anceps est judicium.] *Cic. Or.* 3, 23. A. Velocius puer addidicerat (artem). ℙ Est etiam intelligere, audire. *Just.* 2, 3. Quos cum tanta celeritate venire rex addidicisset, in fugam vertitur.

ADDĪTĀMENTUM, ti, n. προσθήκη, accessio, appendix. *Appul. Met.* 9. Additamentum pretii. *Paul. Dig. l.* 32. *leg.* 89. Aedium additamentum hortus fuit. *Jabolen. Dig.* 50, 16, 242. Artemon magis additamentum, quam pars navis est. ℙ Translate *Cic. Sext.* 31. Intercessit Ligus iste nescio qui, additamentum amicorum meorum. *Sen. ep.* 17. Sapientia erit ultimum vitae instrumentum, et, ut ita dicam, additamentum. *Sall. ad Caes. de Rep. ord.* 2, 55. In quibus, sicut in statua, praeter nomen nihil est additamenti. [*Cf. *ib.* 58.]

ADDĪTĬO, onis, f. πρόσθεσις, προσθήκη, adjunctio, accessio. *Quintil.* 9, 3, 18. Figurarum additio et abjectio. *Prisc.* 14. p. 975. et 978. Absque: additio magis putatur *que.*

ADDĪTĪCIUS et Addititius, a, um, adj. qui additur. *Cels. Dig.* 50, 16, 98. Cato putat mensem intercalarem additicium esse, omnesque dies ejus pro momento temporis observat, *h. e.* ita inseri et addi ceteris mensibus anni, ut tamen in eorum numero, civili more, non computetur. *Tertull. Res. carn.* 52. Additicium corpus.

ADDĪTĪVUS, a, um, adj. additicius. *Prisc.* 17. p. 1095. pronomen *ipse* vocat *additivum*, quod non solum aliis pronominibus additur seu apponitur, sed etiam frequentius quam alia. Graece ταυταμματικός.

ADDĪTUS, a, um, part. προστεθειμένος, adjunctus, adjectus. *Tac. A.* 4, 38. Additus numero deorum. *Hor. Od.* 2, 9, 21. Medumque flumen gentibus additum victis. [*Tac. H.* 3, 25. additus legioni miles i. e. in eam conscriptus]. ℙ Item datus, appositus. *Hor. Od.* 3, 4. *extr.* custos nequitiae additus. *Sil.* 2, 595. Agit addita Erinnys. *Virg. A.* 6, 90. nec Teucris addita Juno Usquam aberit, *h. e.* assidue praesens et veluti adfixa, atque adeo molesta, infesta, inimica. Sic *Lucil.* ap. *Macrob. Sat.* 6, 4. Si mihi non praetor siet additus, atque agitet me etc. [*In his igitur locis *additus* est is, qui custos appositus et quasi perpetuus comes et insidiator molestias facessit. Eatenus *additus* potest explicari *odiosus*, *inimicus*, quamquam haec vis per se huic v. non inest, ac dicebatur etiam *addere alicui custodem.* Ceterum cf. *Heins.* ad *l. Sil.*] ℙ Item inditus, injectus. *Cels.* 6, 8. *n.* 2. Interdum polypus inarescit, si addita in narem per linamentum aut penicillum ea compositio sit. *Plin.* 23, 7, 64. Succus caprifici additus in cava dentium. *Id.* 8, 25, 38. Addita in os clava. ℙ *Addito tempore*, *addita aetate* est tempore vel aetate procedente. *Plin.* 11, 48, 108. In infantia scabunt aures posterioribus pedibus, quod addita aetate non queunt. *Tac. A.* 12, 6. Conjugia sobrinarum diu ignorata addito tempore percrebuisse. Vid. mox in v. ADDO.

ADDĪVĪNO, as, 1. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 14. Quendam ex facie hominum addivinantem ex his dixisse futurae mortis annos. [*Quid differat a *divino*, vid. in ADDUBITO.]

ADDO, as, pro *do*, *das*, προσδίδωμι, affertur a nonnullis ex *Pl. Truc.* 5, 19.: tuo arbitratu, quod jubebis, addabitur: sed scr. *id dabitur.*

ADDO, is, didi, ditum, a. 3. ex *ad* et *do*, *das.* In h. v. summa imis miscuit Forc. Qui cum *addere* diceret esse *adjungere*, *adjicere*, non intellexit, ita non posse explicari, cum ista quomodo reliquae, quas affert, significationes cohaereant. Res ita se habet: *addere* proprie est *admovere* ad aliquid; ex hoc fonte et reliquae derivantur, et vero etiam illa ipsa, quam primam noster posuit, significatio. Ad hanc rationem singula ordinavimus et nostra addidimus, quorum nonnulla debemus Beiero. ℙ Est igitur *addere* i. q. admovere, immittere, injicere, imponere, inserere, indere, ἐπιτιθέναι, ἐντιθέναι. Haec enim omnia ad propriam rationem referuntur. *Tib.* 2, 4, 42. Nec quisquam flammae sedulus addat aquam. *Sil.* 7, 161. Addunt frugiferis inimica incendia ramis. *Id.* 5, 442. Propiorem addere (propius admovere, inferre) Martem. *Hor. Ep.* 2, 1, 217. Vatibus addere calcar. (Nihil ad rem, quod addere calcar hic de hominibus dicitur et significat excitare; attamen *add. calcar* est admovere calcar equo.) *Virg. A.* 5, 818. addere frena equis. *Liv.* 26, 16. Viro forti adde virgas. *Virg. G.* 1, 286. licia telae addere. *Id. ib.* 2, 161. Lucrino addita claustra. *Hor. Epod.* 8, 10. Femur tumentibus Exile suris additum, i. e. superimpositum. Miro modo haec explicat *Mitsch. Sil.* 17, 142. vincla addita. *Id.* 15, 722. addere tergo hastas, i. e. immittere, petere hastis tergum. *Virg. A.* 3, 336. jugis addidit arcem, h. e. imposuit. *Ov. Met.* 12, 45. Innumeros aditus — tectis addidit. *Pl. Mil.* 2, 6, 69. addere custodem alicui. Cf. *Aul.* 3, 6, 20. *Tac. A.* 13, 18. *Ov. Am.* 1, 7, 1. Adde manus in vincla meas. *Id. A. A.* 2, 672. Aut fera belligeras addite in arma manus. *Plin.* 13, 3, 5. addere unguenta in potu. *Hard.* rectius *in potus.* *Id.* 23, 7, 64. succum in cava dentium. *Id.* 16, 11, 22. in vinum picem. *Id.* 20, 22, 89. Succum marrobii in ovum inane. *Id.* 25, 11, 84. herbam in nares. Cf. 20, 23, 96. 37, 11, 73. et *Gron.* ad *Liv.* 4, 25, 13. *Virg. G.* 1, 129. Virus serpentibus addidit atris. Cf. 4, 150. *Suet. Cal.* 55. Columbo — venenum in plagam addidit. *Col.* 6, 27, 11. Filicula trita et aqua tepida permixta additaque per cornu. Sic ibi ex nonn. codd. scribendum videtur pro *data;* ita enim saepe *Colum.* et *Veget. Sil.* 3, 350. addere sulco semina. V. ad h. l. *Heins. Liv.* 4, 25. album addere in vestimentum, ubi v. *Gron. Cic. Att.* 12, 53. Eas epistolas in eundem fasciculum velim addas. Denique huc referimus *Ov. Pont.* 4, 8, 63. Avum, quem virtus addidit astris, i. e. inseruit deorum numero. Quamquam hoc concedimus etiam aliter posse explicari. ℙ Jam vero haec significatio transfertur ad eas res, quae non proprie dici possunt admoveri. Haec ratio quamquam admodum varia est, videntur tamen haec omnia ad unam et communem *impertiendi*, *attribuendi*, *conciliandi* notionem restringi posse. *Tac. A.* 2, 81. Inermes legati regebant, nondum additis Cappadociae legionibus. *Pl. Amph.* 2, 2, 176. addere (inferre) vitium pudicitiae. *Id. Cist.* 1, 1, 54. addere i. e. navare, adhibere operam. Cf. *id. Pers.* 4, 4, 77. (Simili modo usurpatur *adjicere.*) *Claud.* VI. *Cons. Hon.* 58. Se melioribus addens exemplis. *Sil.* 10, 233. addere bello dextram. *Virg. A.* 7, 315. moras rebus. *Ov. Met.* 5, 525. nomina rebus vera (sicut dicunt *indere*, *imponere nomen.*) Cf. 9, 357. *Plin. Pan.* 12. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 10. *Tac. G.* 2., ad quem l. v. *Gron.*, quamquam non omnia, quae affert, exempla satis sunt apta, ut *Virg. A.* 1, 267. puer Ascanius, cui nunc cognomen Julo additur. *Ter. Heaut.* 3, 2, 31. Mihi addit (indit, conciliat) animum. *Ov. Met.* 8, 388. addere animos. Eodem utitur *Cic. Att.* 7, 2. *Sil.* 12, 320. spem. *Virg.* 9, 184. ardorem. Cf. *ib.* 788. *Cic. Att.* 16, 3. alacritatem scribendi. *Sall. Cat.* 60. Verba virtutem non addere. *Id. Jug.* 99. audaciam. *ib.* 41. formidinem. *Tac. H.* 1, 62. metum. *Val. Fl.* 6, 181. Necdum clara, quibus sese fuga mentibus addat, i. e. in quorum mentes et pectora se injiciat metus et fugiendi cupiditas. Cf. de h. l. et aliis similibus *Burm.* ad *Quintil.* 8, 3. p 706. *Ov. Met.* 12, 532. Dolor addidit iram. *Quintil. Decl.* 4, 7. Pessime additae pectoribus humanis infirmitates. Cf. de his et similibus *Gron.* ad *Sen. Ag.* 589. Non fugit nos, in nonnullis horum locorum *addere* posse explicari de *accessione.* Sed quum longe in pluribus additamenti nulla sit significatio, in reliquis etiam *add.* putamus explicandum esse *indere.* (Consulto tamen abstinuimus locis, qualis hic est *Sil.* 9, 454. addebant mentibus iras. Hic enim de *aucta* ira aperte sermo est. Neque poterat afferri *Curt.* 8, 3. addito metu mortis, de cujusmodi locis infra dicetur.) *Sall. Cat.* 57. Severitas dignitatem addiderat, i. e. conciliaverat. *Id. ib.* 21. nomen gloriamque. *Jug.* 76. Illi generis humilitas favorem addiderat. Cf. *Virg. A.* 5, 249. *Hirt. b. Afr.* 48. *Tac. H.* 2, 31. 3, 6. *Flor.* 1, 8. *Tac. A.* 3, 22. et *Gron.* ad *Liv.* 2, 2. Quirinus — quamvis infami ac nocenti miserationem addiderat, i. e. conciliaverat, excitaverat. Eodem pertinet *addere fidem*, i. e. conciliare, facere. Sic *Liv.* 2, 24. ubi v. *Drak.* (Ab hoc longe differt *Ov. Met.* 15, 361. si modo sana ibi scriptura, quod non putamus.] *Sil.* 11, 277. Posuisse dapes his addita (tradita, delata, mandata) cura. *Tac. A.* 14, 3. Additurum (tributurum, consecraturum) Principem defunctae templum et aras. *Claud.* IV. *Cons. Hon.* 510. addere finem litibus. *Sil.* 4, 668. Adde modum dextrae i. e. fac finem caedis. (Sic dicebatur *imponere finem*, *modum.* V. IMPONO.) Denique huc referenda putamus esse verba *Sil.* 12, 45. Nescire addere cursum fatis, i. e. regere, dirigere cursum fatorum, nescire fortunae favore uti. ℙ Postremo *addere* est adjungere et dicitur de additamento, eodem modo, ut v. *accedere*, προστιθέναι. *Cic. Off.* 1, 18. Addendo deducendoque videre, quae reliqui summa fiat. *Id. Or.* 2, 12. *extr.* Addidit historiae majorem sonum vocis. *Caes. b. c.* 3, 49. Hunc laborem ad quotidiana opera addebant. *Cic. Fam.* 15, 20. Ad amorem meum aliquantum addidisti. *Id. Att.* 1, 13. In illam orationem Metellinam addidi quaedam. *Ov. Met.* 8, 484. In scelus addendum scelus est, in funera funus. *Nep. Cat.* 2. Multas res novas in edictum addidit, qua re luxuria reprimeretur. *Id. Att.* 4. Pronuntiabat graece sic, ut nihil supra posset addi. *Quintil.* 4, 5. *med.* Addere ex abundanti. *Cic. Har. resp.* 19. Addere aliquid de suo. *Pl. Epid.* 3, 4, 37. Addere aliquid dono alicui. *Lucr.* 3, 914. Illud in rebus non addunt. [*His addantur haec: *Cic. Acad.* 2, 16, 49. Acervum efficiunt uno addito grano; ubi nota, non additum esse *semper*, quod aliarum linguarum ratio flagitare videtur. V. ibi *Goer.* *Virg. Ecl.* 6, 20. Addit se sociam. *Id. A.* 2, 660. Perituraे addere Trojae Teque tuosque juvat, i. e. si placet, comitem te adjungere Trojae ruinis. *Sil.* 4, 398. Felices leti, pietas quos addidit (associavit) umbris. Cf. *id.* 6, 21. Simili fere modo explicant *Ov. Met.* 10, 208. Tempus erit, quo se fortissimus heros Addat in hunc florem, i. e. addat se quasi socium et comitem in florem, et ipse mutabitur. Nobis hoc potius sic explicandum videtur, ut dicunt *induere in rem*, ut igitur hoc quoque pertineat ad ea, quae supra attulimus. *Virg. A.* 8, 411. Noctem addens operi, i. e. praeter diem etiam noctem tribuens operi. *Sen. Troad.* 422. Tempus aerumnae addidit, i. e. fecit, ut diutius duraret. Cf. *Ter. Andr.* 4, 2, 27. *Tac. A.* 11, 14. addere reos, i. e. augere reorum numerum. *Sall. Jug.* 78. Eaque res multum animis eorum addidit, i. e. longe animosiores reddidit. *Id. ib.* 46. Quorum majores — multum reip. addiderant i. e. auxerant eam potentia et auctoritate. *Quintil.* 12, 10. Plurimum arti addiderunt (eam excoluerunt). *Ter. Ph.* 1, 1, 8. Semper aliquid addant divitioribus. Cf. 2, 1, 47. *Liv.* 2, 2. Addita est alia insuper injuria i. e. praeterea facta. Cf. *Tac. A.* 15, 44. *Id. ib.* 4, 43. addere sibi cives, i. e. recipere inter cives. Sed de aliis dicetur suo loco, ut de locutione *addere cornu.* V. h. v. Non est tamen praetereundum illud *Virg. G.* 1, 513., quo etiam Forc. usus est: ut quum carceribus sese effudere quadrigae, Addunt in spatia. De h. l. cum alii aliter sentiant (ita olim vulgo legebatur *addunt se in spatia*), egregie *Voss.* nobis videtur litem diremisse, *in spatia addere* explicans *spatia spatiis addere* (replicare gyros, ut dicit *Arnobius*). Comparat *addere gradum*, quod est ap. *Pl. Trin.* 4, 3, 3. *Liv.* 3, 27. 26, 9. *Plin. ep.* 6, 20., i. e. addere gradum gradui, accelerare gradus. Accedit auctoritas *Silii* 16, 374. Jamque, fere medium evecti certamine campum, In spatia addebant, de cursu, qui fit ad metam usque et inde retro. Minus tamen apte idem utitur verbis *Pallad.* 1, 19. herba conyza — substrata frumentis addit aetati, i. e. facit, ut bene et diu conservetur frumentum. — *Hor. Sat.* 1, 1, 125. Verbum non amplius addam. Hoc minantis est ap. *Pl. Rud.* 4, 3, 68. Verbum adde etiam unum. *Ter. Andr.* 5, 2, 19. Verbum si addideris. *Cic. R. Dej.* 8. Addidit etiam illud. Eodem modo intell., quod supra e *Curtio* protulimus: addito metu mortis, i. e. in extrema oratione dicens talia, quae metum mortis injicerent. *Suet. Tib.* 18. addita monitione. Cf. *Cal.* 28. Sed haec minime sunt rara. Forcell. addit *Sil.* 8, 550. Ille viris pila, et ferro circumdare pectus Addiderat i. e. docuerat eos. Ubi nota infin. In nullo vero loco *addere* ita pro simpl. *dare* ponitur, omnium minime in talibus, qualis hic est *Hor. ep.* 1, 14, 29. Addit opus pigro rivus, si decidit imber; qui labor dicitur accedere ad eos, de quibus modo dixerat.] ℙ *Addito* particip. absolute positum in ablativo usurpatur saepe ab historicis. *Tac. A.* 2, 28. Et vocantur patres, addito, consultandum super re magna et atroci. *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 4. Similiter deligi et ex locis siccis et ante perfectam maturitatem, addito, ut luna infra terram sit. ℙ Frequens est in transitionibus, cum prioribus rationibus nova accedit, *adde*, *adde huc*, *adde quod* et alia similia. *Cic. Off.* 1, 42. Adde his, si placet, unguentarios, saltatores etc. [*Cf. *Hor. Sat.* 2, 8, 71. et dicitur hoc etiam ubi ad plures verba fiunt, ut ap. *Liv.* 26, 41, 12.] *Liv.* 7, 30, 15. Adde huc populationem agrorum etc. [*Vid. *Drak.* et cf. *Plin. ep.* 9, 40. *Ov. Met.* 3, 133.] *Adde quod* habes ap. *Ov. Pont.* 2, 9, 49. Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes Emollit mores. [*Cf. *Hor. Od.* 2, 8, 17. *Id. Sat.* 1, 2, 83. adde huc quod, et *ib.* 2, 7, 78. Adde super dictis, ubi v. *Bentl.*] ℙ [*Ad constructionem quod attinet, satis ea apparet ex iis, qui hic allati sunt, locis. De constr. cum praep. *in* cf. *Gron.* ad *Liv.* 4, 25, 13., cum praep. *ad* (*Suet. Cal.* 40. *Flor.* 1, 13, 17.) *Burm.* ad *Suet. Aug.* 32. et *Drak.* ad *Liv.* 3, 11, 6. ℙ Formam *adduis* v. suo loco. ℙ In libris permutantur *addere* et *abdere*; v. *Drak.* ad *Liv.* 2, 45, 7. (sic ap. *Tib.* 2, 4, 36. *abdidit* et *addidit*, quorum hoc verius esse non potuit nobis contra *Vossium* persuadere *Huschkius*). Porro confunduntur *addere* et *adjicere*; *Drak.* ad *Sil.* 17, 529. et ad *Liv.* 36, 40, 9. *edere*, *id.* ad 43, 13, 7. *additus* et *aditus*, *id.* ad 4, 57, 11. denique *additus*, *adjectus* et *addictus.* Vid. h. v.

ADDŌCĔO, es, a. 2. προσδιδάσκω. *Hor. Ep.* 1, 5, 18. Sollicitis animis onus eximit, addocet artes. Al. leg. *ac docet.* [*Non ineptum est h. l. v. *addocet.*] *Cic. Cluent.* 37. Addocti judices. Ita receperunt *Ern.* et *Schütz.* ex quibusd. mss., at vulgo *adducti* [*minus bene.]

ADDORMĪO, is, n. 4. id. qu. dormio. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 11. Rursus addormiunt atque difficile expergiscuntur.

ADDORMISCO, is, n. 3. ἐπικοιμάομαι, dormio, obdormisco. *Suet. Cl.* 8. Quoties post cibum addormisceret. Alii leg. *obdormisceret.* [*B. Crus. significatione haec verba nihil differre censet. Certe

subtilius, ut videtur, *Oud.* explicat *addormiscere:* ex somno rupto rursus in illum incidere.]

ADDUA, ae, m. hod. *Adda*, fluvius Insubriae, qui in Rhaetiae Alpibus oritur et per Larium lacum fluens Pado miscetur non longe a Cremona. Quidam scripsere *Adua* simpl. *d*, propterea quod *Strabo* Ἀδούας graece dixit. A scriptoribus caerulus appellatur ab aquarum colore. *Sidon.* 1. *ep.* 5. Caerulum Adduam, velocem Athesim, pigrum Mincium inspexi. *Claud.* VI. *Cons. Hon.* 196. pulcher Ticinus, et Addua visu Caerulus, et velox Athesis, tardusque meatu Mincius.

ADDŪBĬTĀTĬO, onis, f. dubitatio, ἐνδοίασις. *Capell.* 5. p. 171. Diaporesis est addubitatio: qua figura utimur cum veluti dubitantes ab ipsis judicibus inchoamenti consilium postulamus, ut pro Cluent. (*c.* 1.): equidem quo me vertam, nescio etc. [*cf. *Macrob. Sat.* 4, 6.] *Cic. Off.* 3, 4. Quid est ergo, quod addubitationem afferre soleat? Ita quidam libri: sed plerique et meliores *dubitationem.*

ADDŪBĬTĀTUS, a, um, part. de quo dubitatur. *Cic. Div.* 1, 47. Tibi augur nuntiavit, addubitato Salutis augurio, bellum domesticum triste fore. *Id. Off.* 1, 24. Si plus adipiscare re explicata boni, quam addubitata mali [*lenius hic est *addubitata*, quam *desperata.*]

ADDŪBĬTO, as, avi, atum, n. I. id. fere qu. dubito, ἀμφισβητέω. [*Non negamus, *addubitare* interdum dici pro simplici verbo. Proprie tamen differunt, ut *addub.* sit *ad dubitationem quasi accedere*, i. e. *inclinare*, *aliquantulum dubitare.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 3, 4, 18. Similis est ratio v. *addivinare*, quod non de vatibus, sed de metoposcopo dicit Plinius major, homine non vere divino neque, ut graeco verbo utamur, *θεολήπτῳ.*] *Cic. Or.* 40. Ut addubitet, quid potius aut quomodo dicat. *Id. N. D.* 2, 46. De quo Panaetium addubitare dicebant. [*cf. *ib.* 1, 6.] *Id. Fam.* 7, 32. Addubitavi, num a Volumnio senatore esset. *Id. Off.* 3, 4. Haec inter se comparare et in his addubitare turpissimum est. *Liv.* 8, 10. Paulisper addubitavit, an consurgendi triariis tempus esset. [*Alios Livii locos v. ap. *Drak.* ad 2, 4, 7.] *Hor. Sat.* 1, 4, 125. an hoc inhonestum et inutile factu, nec ne sit, addubites. *Sil.* 14, 358. Nec contra Ausonius tonsis aptare lacertos Addubitat. *Front.* de Arione: rex nemini credere, miraculo addubitare. *Nep. Con.* 5. Illud addubitat, utrum Teribazo sciente an imprudente sit factum. [*In h. l. *Brem. addub.* ait explicandum esse *in medio relinquere, non dirimere.* V. DUBITO. Ceterum hoc verbo utuntur etiam *Curt.* 10, 9. *Col.* 3, 8.] ℙ Passive impers. *Liv.* 2, 4. De legatis paululum addubitatum est. Adde *Accium* ap. *Non.* 2, 808.

ADDŪCO, is, uxi, uctum, a. 3. παράγω. [*Supplevimus hic quoque de signif. ea, quibus opus videbatur, pleraque tacite; ordinem singulorum mutavimus.] Significat hoc v., maxime ubi de *rebus* sermo est, *attrahere* et hinc *contrahere. Petron. Sat.* 94. Adducere ostium i. e. adducendo in locum debitum claudere. *Cic. Am.* 13. Habenas quam laxissimas habere amicitiae, quas vel adducas vel remittas. [*cf. *Virg. A.* 9, 587.] *Virg. A.* 5, 507. add. arcum [*i. e. nervum adducere eo, ut adstrictus sit, non laxus, adstringere, ἕλκειν τὰς νευράς. Eodem modo *Virg. A.* 9, 632. adducta sagitta. *Caes. B. C.* 3, 14. adducti funes. Cf. *Lucan.* 3, 699. et *Oud.* ad *Caes. b. c.* 3, 40. ubi est: navem — funibus adduxit i. e. navem mersam funibus ad litus traxit. *Curt.* 8, 10, 32. Tantas moles nulla, quae cerneretur, ope adductas i. e. muro admotas, ut §. 31.] *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 9. Aquam cuniculis per montem actis adduxit. [*cf. *Liv.* 41, 27. *Ov. Met.* 6, 625. Parvis adduxit (ad se traxit) colla lacertis. *Quint.* 11, 3. Ab imo pulmone pituitam adducere (ad os). *Liv.* 9, 10. Cum apparitor Postumium laxe vinciret, quin tu, inquit, adducis lorum? [*i. e. ad membra arctius adstringis, contrahis. *Virg. Cir.* 450. adducti nodi.] *Ov. Met.* 3, 397. Attenuant vigiles corpus miserabile curae, Adducitque cutem macies [*contrahit cutem, ut rugosa fiat.] *Virg. G.* 3, 483. Ignea venis Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus, h. e. contraxerat et macie confecerat erecta membra, atque adeo exiliora et quodammodo longiora reddiderat, extenderat. *Sen. ep.* 57. adducere vultum ad tristitiam. *Id. Ben.* 1, 1. adducere frontem. [*Sic dicunt *contracta frons.* Cf. *Quintil.* 10, 3. ubi al. *obducta* frons, ibique *Burm.* et, quem laudat, *Heins.* ad *Ov. Her.* 21, 165. Opponitur vultus *diffusus;* v. *Oberlin.* ad *Tac. H.* 3, 7. Sententia eadem, sed alio modo dicitur *frons obducta* et *subducta.* Plura tamen harum locutionum exempla v. infra in ADDUCTUS.] ℙ Est porro *ducere in aliquem locum*, *terminum*, *ad aliquem*, et, quod eodem redit, (secum) *afferre* (inducere, efficere). *Cic. Att.* 7, 9. adducere exercitum [*noli explicare: contrahere exercitum.] *Id. ib.* 8, 11. gentes armatas in Italiam adducere. [*Saepe in talibus locis libri praebent *in.* V. *Oud.* ad *Caes. B. G.* 4, 22. et ad *Hirt.* 8, 35. Adde *Sall. Jug.* 8., ubi tamen al. *abduxit* in praetorium.] *Ter. Andr.* 5, 3, 29. Illum huc coram adducam. *Id. Heaut.* 5, 4, 18. Adducere ante oculos. [*Et utroque conjuncto *id. Eun.* 4, 7, 24. add. ante oculos coram; *id. ib.* 4, 4, 27. secum aliquem. *Beier.*] *Id. Hec.* 5, 2, 4. Puero nutricem adducit. *Cic. Quint.* 6. Qui ex Gallia pueros venales isti adducebat. *Id. Fam.* 16, 21. Quos secum Mitylenis Cratippus adduxit. *Nep. Ep.* 3. Adducebat eum, qui quaerebat, ad eos qui conferebant. — *Cic. Cluent.* 17. adducere in judicium. *Id. Agr.* 2, 36. ad populum, i. e. in judicium populi vocare. [*Verba haec sunt: ut nemo ad pop. Rom. vos adducere, nemo producere — posset. *Ern.* sic distinguit, ut *adducere* pertineat ad judicium pop., *producere* intelligatur in concionem, quod faciebat tribunus, cujus erat interrogare audiente pop. Adde *Liv.* 33, 42. Hinc *adduci* absolute rei dicuntur. *Cic. Verr.* 1, 2. Ceterum adde, quod *Varr.* dixit *R. R.* 2. *praef.* §. 6. te — in campos macros ad mercatam adducunt crebro pedes.] — Speciatim interdum accipitur pro conciliare mulierem vel scortum alicui, alibi *perducere* [*et *deducere;* gr. προαγωγεύειν. Cf. ABDUCO.] *Nep. Dion.* 5. Puero scorta adducebantur. *Ov. Fast.* 3, 483. Adducere pellicem. [*Ne in his quidem locis veram significationem exuit. Ceterum cf. *Tib.* 1, 6, 59. ubi cum *adjungere* et *abducere* conf. *Pl. Mil.* 3, 1, 193. *Rud.* 4, 4, 3. *Ov. Met.* 10, 441. et ad *h. l. Gierig.*, *Huschk.* et *Broukh.* ad *Tib.* 1, 7, 55. *Burm.* ad *Ov. Her.* 9, 121. *Drak.* ad *Liv.* 26, 50, 4. Est etiam afferre, inducere [*efficere. *Liv.* 44, 26. Ecquid aurum secum adduxisset. *Gron.* conj. *advexisset*, quorum verborum frequens est in libb. mss. permutatio. V. *Liv.* 32, 2. *Drak.* ad 27, 38, 12. *Arntz.* ad *Aurel. V. Ill.* 3, 19. *Burm.* ad *Suet. Gr.* 20. Confunduntur etiam ap. *Hor. Sat.* 2, 2, 83. Sive diem festum rediens adduxerit annus. Nunc editur *advexerit.*] *Hor. Ep.* 1, 7, 8. Opella forensis Adducit febres. *Id. Od.* 4, 12, 13. Adducere sitim. *Plin.* 30, 15, 51. Ova noctuae taedium vini adducunt. [*Longe ab his differunt verba *Modest. Dig.* 27, 1, 6. alibi a nostro apposita: potest quis illam rationem adducere, quoniam etc. Abhorret vero aeque hoc a sermonis elegantia, atque illud, quo non satis abstinetur nostra aetate, *adducere locum scriptoris*, cujusmodi locutionem fuit qui adeo *Liv.* 2, 17. obtruderet, ubi *adjiciunt* legendum est. Haec autem verba saepe miscentur a librariis. V. *Drak.* Ceterum *afferre* et *adducere* quid differant, disce ex *Pl. Pseud.* 2, 4, 21. Attuli hunc. Ps. Quid? attulisti? Ca. Adduxi, volui dicere.] ℙ Refertur denique *adducere* ad alium quemcunque finem, ad quem quis aut aliqua res ducitur et pervenit. Hic variis modis potest explicari, inprimis vero est *compellere*, *permovere*, i. e. eo aliquem adigere, ut aliquid faciat. *Cic. Fam.* 5, 21. In eum locum res adducta est, ut etc. *Liv.* 33, 33. adducere ad effectum. [*Varr. R. R.* 1, 20. (Boves) creber crepitus — ad utilitatem adducit. *Cic. Att.* 7, 9. Rem adduci ad interregnum. Cf. *Qu. Fr.* 3, 9.] *Id. Univ.* 3. add. in ordinem. [*Quintil.* 12, 2. Utinam — orator hanc partem — in corpus eloquentiae adducat, i. e. redigat. *Nep. Ep.* 3. quam ad finem sermo esset adductus. Al. *deductus; Lambin.* maluit *perductus.* Sed *Hor. Epod.* 14, 8. Jambos ad umbilicum adducere.] *Cic. Fam.* 7, 26. Terra nata in honorem adducere [*i. e. facere, ut in honore et pretio sint, conciliare honorem. *Ter. Hec.* 5, 3, 38. animum ad malas partes. *Id. ib.* 4, 4, 61. Aliquando tandem huc animum ut adducas tuum. Al. *adjungas.*] *Cic. Quint.* 5. add. aliquem in summas angustias, i. e. redigere. *Nep. Eum.* 12. ad desperationem [*ut *Justin.* 28, 7, 6.] *Cic. Fam.* 5, 20. ad arbitrium alterius. *Liv.* 8, 7. in necessitatem. *Id.* 45, 8. regnum ad ultimum discrimen. [*Cic. Phil.* 6, 7. in discrimen extremum. Cf. *Plin. Pan.* 10, 1. *Liv.* 35, 81. in periculum. (*Id.* 41, 25. ad internecionem.) *Beier.* V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 17, 10. *Curt.* 10, 8. Perdiccam ad periculum mortis adductum. Cf. *id.* 6, 8.] *Tac. A.* 14, 61. add. vitam in extremum. *Cic. Off.* 3, 20. Adducere aliquem in invidiam falso crimine. (Sic *Sen. Ben.* 2, 4. Beneficia in odium adducere asperitate verborum et supercilio. *Id. Verr.* 2, 3, 61. adduci in sermonem [*i. e. vituperationem, invidiam.] *Nep. Iph.* 2. Exercitum in eam consuetudinem adduxit (al. *induxit.*) *Id. Ann.* 2. aliquem in suspicionem alicui. [*Cf. *Cic. Att.* 2, 24. *Justin.* 18, 7, 10. His adde haec: *Cic. p. red. in Sen.* 7. add. in cogitationem. *Att.* 7, 3. in concordiam. *Verr.* 1, 1, 54. in oblivionem. (cf. *Liv.* 3, 41. *Quintil.* 9, 2. in memoriam adductus; al. *inductus.*) *Liv.* 11, 8. in suam sententiam i. e. conciliare. *Beier. Ter. Ad.* 3, 3. 4. ad nequitiam. *Liv.* 1, 21. in verecundiam. *Cic. R. Dej.* 10. ad suam auctoritatem. *Id. Or.* 1, 40. Mediocrisne res in controversiam adducta est? *Liv.* 1, 34. Notitiamque eam brevi — in familiaris amicitiae adduxerat jura, i. e. effecerat, ut ex noto familiaris esset. Sed de isto l. dubitatur ac nonnulli libri praebent *notitiaque ea* et *eum.*] *Ter. Heaut.* 5, 2. 42. add. ad misericordiam. [*Cic. Brut.* 93. ad fletum, ad iracundiam. *B.*] *Cic. Tusc.* 1, 17. in summam expectationem. *Cic. Mur.* 24. in metum. *Id. Fam.* 1, 1. in opinionem, ut etc. [*Nep. Dat.* 6. *Pelop.* 6.] *Id. Att.* 2, 22. Adduci in eam spem, ut etc. [*Sall. Jug.* 41.] *Cic. Att.* 13, 33. *fin.* Ista enim me res adducebat, i. e. movebat, impellebat, persuadebat. *Id. Pr. cons.* 16. Adduci ad suspicandum nullo modo possum. [*Nep. Con.* 3. ad credendum. *Cic. Rosc. Am.* 31. Quae causa — ad facinus adduxit? *Sall. Cat.* 41. Facile eos ad tale consilium adduci posse. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 5, 48, 7.] *Id. Sen.* 10. Nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit. *Id. Fam.* 13, 54. Adduci commendatione. *Id. Att.* 14, 20. precibus. *Id. Verr.* 2, 4, 7. Neque voluntate, neque difficultate aliqua, neque magnitudine pecuniae adduci ut etc. [*Caes. B. G.* 6, 12. necessitate add. *Cic. Fam.* 3, 9. auctoritate. Alia v. in *Adductus.* Sed de his v. inprimis *Oud.* ad *Caes. b. g.* 4, 6. et 6, 10., ubi al. *afflictos*, quod rejicit *Herz.*, quem cf. etiam ad 1, 17.] *Id. Fam.* 6, 10. Ex eorum sermonibus adducor, ut sperem. *Id. Cat.* 1, 2. Hoc certa de causa nondum adducor ut faciam. *Liv.* 4, 49. Adducor, ut credam. [*Cf. *id.* 5, 48. et *Cic. Fam.* 2, 10.] *Suet. Tib.* 21. Adduci nequeo, quin existimem etc. *Val. Max.* 2, 9. *n.* 6. Neque honorum magnitudine adduci potuit, quo se blandiorem gereret. In his vides additam partic. *ut* aut similes, eaque vulgaris est constructio. Sed cum infin. *Afran.* ap. *Non.* 11, 40. Facilius adducor ferre humana humanitus. [*Hic valde miramur, quid sit, quod tales locos omiserit noster, qualis hic est *Cic. Leg.* 2, 3. ut jam videar adduci, hanc quoque, quae te procreavit, esse patriam. V. ibi *Goer. Att.* 11, 16. Ego non adducor, quemquam bonum ullam salutem putare mihi tanti fuisse. (Utroque loco usus erat jam *Vavass.* in *Antibarb.* p. 470. sq.) Adde *Curt.* 10, 2. non potest fieri, ut adducar — causam esse, et *Col.* 2, 1, 4. In his igitur per brevitatem quandam sermonis *adduci* est id. q. persuaderi sibi pati, putare, gr. πείθεσθαι. — Ceterum *adducere* et *inducere* in hujusmodi locis sic differunt, ut hoc in malam partem dici soleat. V. *Brem.* ad *Nep. Con.* 3.] ℙ *Adduce* in imperativo pro *adduc* est *Ter. Ph.* 2, 1, 79., item *Pl. Poen.* 1, 3, 15. et alibi. *Adduxti* pro *adduxisti* est ejusdem *Heaut.* 4, 6, 15. *Adducituram* pro *adducturam* quidam legunt ap. *Pl. Truc.* 1, 2, 31., sed varia ibi est lectio. [*Adduxe *Pl. Rud.* 4, 4, 3. — Confunduntur a librariis *adducere* et *agere* ap. *Hirt. B. G.* 8, 7. Alia vide in superioribus.]

ADDUCTĒ, adv. cujus comparativi *adductius* adhuc tantummodo exempla vidimus. *Auson. Grat. act.* 27. Nemo adductius jacula contorsit, nemo spicula crebrius jecit, *h. e.* magis arcum adducendo atque adeo majore impetu. Sunt qui legant *abductius*, sed minus recte. ℙ Translate est severe, cui *remisse* opponitur. *Tac. Germ.* 43. Gothones regnantur paulo jam adductius, quam ceterae Germanorum gentes: nondum tamen supra libertatem. Alii perperam leg. *addictius. Id. H.* 3, 7. Quia adductius, quam civili bello, imperitabat.

ADDUCTOR, oris, m. qui adducit. In vet. epigr. *Petron. Afranii*: Graecule consueta lenandi callidus arte, Coepisti adductor conjugis esse tuae, h. e. ejus pudicitiae prostrator, conciliator, perductor. V. LENO, as.

ADDUCTUS, a, um, part. v. adduco. Significat *attractus*, *tractus. Ov. Met.* 8, 776. Adductaque funibus arbor Corruit. *Id. Fast.* 6, 586. Nos tamen adductos intus agemus equos, *h. e.* habenis adducendis cohibitos. *Cic. Div.* 1, 54. In agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum recidisse. *Id. Tusc.* 2, 24. Balistae eo graviores emissiones habent, quo sunt contenta atque adducta vehementius. *Ov. Met.* 1, 455. adducto flectentem cornua nervo. *Virg. A.* 9, 402. adducto torquens hastile lacerto, *h. e.* retracto et postea vibrato brachio. [*cf. *ib.* 11, 561.] Sic *Ov. Tr.* 4, 2, 5. adducta collum percussa securi Victima. ℙ Item contractus. *Claud. Rufin.* 2, 439. adductis digitos inflectere nervis. *Capitol.* in *Vero* 10. Frons in supercilia adductior, *h. e.* contractam cutem et rugosam habens supercilia versus. *Suet. Tib.* 68. Adductus vultus, qui gravitatis, vel etiam tristitiae signum est. Transfertur hoc etiam ad alias res. *Plin. ep.* 1, 16. In concionibus idem, qui in orationibus est, pressior tamen et circumscriptior et adductior. ℙ Hinc sequitur, ut sit id. qu. *rigidus*, *severus. Tac. A.* 14, 4. Modo familiaritate juvenili Nero, et rursus adductus, quasi seria consociaret. [*cf. *Lips.* ad *h. l.*] Eodem refer ap. eund. *ib.* 12, 7. adductum et quasi virile servitium. [*Sic enim ibi est legendum, non *addictum.*] ℙ Porro est ductus in aliquem locum. *Sall. Jug.* 66. Eorum magna pars, uti jussum erat, adducti. *Id. Cat.* 49. Adductus ad senatum. *Curt.* 8, 6. in regiam. ℙ Hinc translate est perductus, redactus, impulsus, commotus. *Cic. Brut.* 18. Signa Myronis satis ad veritatem adducta, i. e satis exprimentia veritatem. *Sall. Jug.* 31. Adductus in spem. *Cic. Am.* 5. Adductus in angustum. *Sen. Ben.* 2, 5. Animus adductus in taedium. *Cic. Par.* 14. Praemio, gratia adductus. *Caes. B. G.* 1, 3. His rebus adducti.

ADDŪIS, adduit, pro addideris, addiderit, dictum olim est a veteribus, teste *Festo*, ubi al. leg. *addues* eodem significatu.

ADDŪPLĬCO, as, a. 1. id. qu. duplico. *Pl. Poen.*

3, 1, 61. Adduplicabit omne furtum. Alii leg. *id duplicabit* [*idque haud dubie praeferendum.]

ADĒDO, is, ēdi, esum, a. 3. in totum edo, consumo. Nam *ad* auget. [*Minime vero; v. in ADESUS.] *Virg. G.* 4, 242. Saepe favos ignotus adedit Stellio. ℙ Translate *Ov. Am.* 1, 15, 41. cum me supremus adederit ignis. Alii leg. *adusserit* [*quod friget. V. egregiam *Heins.* ad h. l. notam, qui etiam *Col.* 2, 10. restituendum esse ait: vermes — simul atque oscilla lupinorum adederunt. Vulg. *ederunt.* Affert idem praeterea *Nemes. Ecl.* 4. Quos lusus adederat ignis.] *Petr. Sat.* 109. Vernantesque comas tristis adedit hiems. Alii leg. *abegit*, alii *ademit. Prop.* 4, 7, 9. Et solitum digito beryllon adederat ignis. V. alia in ADESUS. ℙ Ut *edo*, *est* dicitur, sic *adest* pro *adedit. Lucan.* 6, 265. cum se tollentibus Euris Frangentem fluctus scopulum ferit, aut latus alti Montis adest. Similia sunt *exest*, *comest.*

ADELPHIS, idis, f. ἀδελφίς, vox graeca [*quae apud Schneid. nusquam reperitur] sororem significans. Hinc genus quoddam palmarum, quod earum nuces sapore ad caryotas maxime accedant, veluti earum sorores adelphides dictae sunt, teste *Plin.* 13, 4, 9.

[ADELPHUS, i, m. ἀδελφός. Cognomen Rom. in *Inscr.* ap. *Mur.* 204, 3. T. Rustius Adelphus VI. vir Aug. frater. *F.*]

ADEMPSIT. V. ADIMO.

ADEMPTIO et Ademtio, onis, f. ἀφαίρεσις, actus adimendi, ablatio. *Cic. Dom.* 30. Non ademptione civitatis, sed tecti et aquae et ignis interdictione. *Tac. A.* 4, 6. Ademptiones bonorum. [*Cf. *ib.* 2, 76.]

ADEMPTOR, oris, m. qui adimit, ablator. *Augst. Tract.* 116. *in Joann.* Non datorem vitae, sed ademptorem.

ADEMPTUS et Ademtus, a, um, part. ab *adimo*, ἀφῃρημένος, ablatus, ereptus. *Liv.* 22, 27. Ademptum imperium. *Tac. A.* 1, 15. jus. *Id. H.* 1, 87. Ademptus tribunatus. *Hor. Od.* 2, 4, 10. Hector, *h. e.* e medio sublatus, mortuus. *Ov. Pont.* 1, 9, 41. lacrimas Celso libamus adempto. *Plin. praef. nat. hist.* Fato ademptus. *Id.* 35, 11, 38. Ademptus somnus. *Hor. Ep.* 17, 4. Adempta lumina. ℙ De ratione scribendi v. in EMPTUS.

ADEO, adv. τοσοῦτον, οὕτως, composita ex *ad* et *eo*, non quidem secundum rationem, quia *ad* accus. habet, sed ex loquendi consuetudine, ut ait *Festus.* [*Talia multa sunt in utraque lingua. Quae vero de hujus partic. usu praecepit Forc., inepta sunt, ut erat aetas illa in particularum ratione explicanda negligens. Sic, ut unum afferamus, noster eam interdum otiosam esse tradit. Meliorem viam praeivit *Frotscherus* ad *Quintil.* 10, 5, 17. secutus *Lindem.* ad *vit. Hemsterh. et Ruhnk.* p. 5. Nos hic quoque nostram qualemcunque rationem proponemus.] Videtur autem de hac partic. similem in modum praecipiendum esse, ut de praep. *ad.* Significat enim *terminum*, (usque ad eum terminum) ac dicitur primum de *loco*, tum de *tempore.* 1. De *loco. Cat. R. R.* 40, 3. Actito (surculum) usque adeo, quo praeaccueris. Rem illustrant etiam hi loci: *Ter. Ph.* 1, 2, 5. Adeo res redit: (ad hunc locum, in hunc statum adducitur) si quis quid reddit, magna habenda est gratia. *Id. Heaut.* 5, 2, 27. Adeon' rem rediisse, ut periculum etiam a fame sit! Addi potest locus *Liv.* 22, 32. si vera ibi est *Schaeferi* in *Gloss. Liv.* conjectura: adeoque inopiae est coactus Hannibal, ut etc. 2. De *tempore. Pl. Merc.* 3, 4, 71. Quanto te satius est rus aliquo abire, ibi esse, — adeo dum (donec) illius te cupiditas atque amor missum facit! Cf. *ib. prol.* 75. Ejusdem generis sunt *adeo donicum* et *adeo usque ut* ap. eundem *Pseud.* 4, 7, 72. et *Bacch.* 3, 4, 11., et *usque adeo donec Ter. Andr.* 4, 1, 38. *Ph.* 4, 1, 23. ℙ Hinc primum translatum ad alias res significat omnino *accessionem* et *intensionem*, et est 1. *in tantum* (ad hunc usque locum). Hic plerumque excipitur a partic. *ut*, quae comparativa est ap. *Ter. Andr.* 1, 5, 10. Adeon' hominem esse — infelicem quemquam, ut ego sum! (Cf. *Heaut.* 5, 1, 12. gaudere adeo occepit, quasi qui cupiunt nuptias.) *Cic. Q. Fr.* 2, 5. Rempublicam funditus amisimus, adeo ut Cato vix vivus effugeret. *Id. Fam.* 10, 31. Adeo mihi invisus est, ut nihil non acerbum putem etc. *Id. Cluent.* 61. Adeone erat stultus, ut illam vitam esse arbitraretur! *Tac. A.* 2, 34. Adeo nimia potentia, ut etc. *Tac. H.* 1, 3. Non adeo virtutum sterile seculum, ut non etc. *Liv.* 8, 5. Adeo non tenuit iram, ut gladio cinctum in senatum se venturum diceret. *Liv.* 3, 2. Haec dicta adeo nihil moverunt quemquam, ut etc. Cf. *Sall. fr. hist.* (in or. Lepidi) 1, 9. *Vell.* 2, 66, 4. *Suet. Vesp.* 8. et 12. *Col.* 2, 12. In his, ubi negatio sequitur, apparet, potuisse etiam dici *tantum abest*, *ut* etc. Ciceronem ita locutum esse negant; potuit tamen certe. Similia infra addentur. — Eandem vim partic. habet etiam in iis locis, ubi *ut* non sequitur; nimirum talis sententia ubique facile ex praegressis suppletur. Sic ap. *Ter. Ph.* 5, 8, 39. quum dicit Demipho: etiamnum credis te ignorarier aut tua facta adeo, intell. ex antecc.: ut verbis magnificis tibi uti licere putes. In hujusmodi locis Grammatici epiphonemati inservire ajunt particulam, alii ridicule explicant *enim. Cic. Off.* 1, 11. Adeo summa erat observatio in bello movendo. *Plin.* 35, 17, 57. Adeo omnia majoribus curae erant. *Liv. praef. l.* 1. Adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Cf. *Tac. A.* 1, 81. *Agr.* 1. *Ter. Eun.* 2, 1, 19. et multos locos collegit *Drak.* ad *Liv.* 2, 43, 10. Gr. eodem modo usurpatur οὕτως, et ap. Romanos convenit usus v. *tantus*, de quo v. *Sanct. Min.* 1. p. 270. 2. Porro *adeo*, ubi intendit, id. est qu. *imo* et *valde.* Neque hoc mirum. Nam si est *in tantum*, per se intelligitur, omnino hac partic. magnum alicujus rei gradum significari posse. *Cic. Cat.* 1, 2. Ducem hostium intra moenia atque adeo in senatu videmus. *Id. Verr.* 2, 3, 8. Cum maximo detrimento atque adeo exitio vectigalium. Cf. *ib.* 46. ubi est *sive adeo. Id. Fam.* 4, 3. Aliquid atque adeo multa addunt. *Id. Planc.* 19. Posco atque adeo flagito. *Liv.* 10, 5, 14. Non petentem atque adeo etiam absentem creatum credidere quidam, ubi v. *Drak. Auct. ad Her.* 4, 26. Postquam isti vicerunt, atque adeo victi sunt. Eam enim quomodo victoriam appellem, quae victoribus plus calamitatis, quam boni, dedit? *Cic. Pis.* 18. Tune etiam, atque adeo vos, meam fortunam deprimitis? *Id. Fam.* 12, 16. Adolescens tuus, atque adeo noster. In his omnibus *atque adeo* explicant *imo*, *vel potius;* recte, modo ut teneas, propriam vim harum partice. hanc esse: atque etiam eo progredi, i. e. etiam hoc addere possumus. Paulo diversa est aliorum locorum ratio, de quibus deinde dicetur. Sed huc referenda praeterea sunt haec: *Pl. Most.* 3, 1, 101. Adeo etiam fenus creditum audio. *Ter. Eun.* 1, 2, 124. Nam me ejus spero fratrem propemodum jam reperisse, adolescentem adeo nobilem (i. e. non satis, quod reperi, addi potest, eum nobilem esse.) Cf. *Hec.* 4, 4, 68. *Suet. Aug.* 65. Non adeo (i. e. non valde, non nimis) fractus. *Id. ib.* 88. Orthographiam non adeo custodiit. Cf. *Ter. Ph.* 5, 4, 26. *Id. Andr.* 2, 6, 9. Nihil hercle (molestae sunt nuptiae); aut, si adeo, bidui est aut tridui haec sollicitudo. Hic explica sic: si tamen res eo procedit (si tamen molestae sunt) i. e. ad summum. *Ter. Andr.* 2, 5, 4. Ipsum adeo praesto video, i. e. modo de eo loquebamur, nunc ipse venit, gr. καὶ μήν. Cf. *ib.* 3, 2, 52. 3. Denique *adeo*, si intensionem significat, etiam aliis quibusdam modis potest explicari. Ac redditur primum *multo minus*, ut ap. *Tac. A.* 3, 34. Quae ne conjugum quidem penates, adeo socios non onerent, i. e. multo minus (nedum, ne dicam) socios onerent. *Id. ib.* 6, 15. Ne tecta quidem urbis, adeo publicum consilium nunquam adiit. *Id. H.* 3, 39. Sanctus, inturbidus, nullius repentini honoris, adeo non principatus appetens. Adde *Curt.* 7, 5, 35. Ab his propter defectum negationis differunt hi loci: *ib.* 1, 9. Ne quieto quidem milite regimen, adeo furentes infirmitate retinentis ultro accendebantur; *ib.* 3, 64. Vitellium ne prosperis quidem parem, adeo ruentibus debilitatum, et 4, 80. Anxius superbia viri, aequalium quoque, adeo superiorum, intolerantis. In his explicatur *multo magis*, nimirum quia negatio non accedit; ceterum par est horum locorum omnium ratio. Etenim utrobique *adeo* significat quendam majorem gradum, ad quem res perducta aut fuerit aut non fuerit. Est hic etiam commemorandus locus *Plin.* 26, 10, 63. Venerem etiam si omnino manu teneatur radix, stimulari, adeo si bibatur in vino austero. Non potest hic satis commode explicari *praesertim*, quae *Vossii* videtur esse sententia ad *Virg. G.* 2, 323. p. 385. de quo loco statim dicetur. Et sic *id. Plin.* 17, 22, 35. *n.* 12. Minimum id esse debebit intervallum, ut attingat jugum speretque, non teneat; adeo non recumbat in eo. Jam vero talem loquendi rationem a Cicerone putamus abjudicandam esse. ℙ Denique latissime patet ea vis particulae, qua transitionibus, ut ajunt Grammatici, inservit. Huc pertinent omnes illi loci, in quibus aut abundare volunt particulam, aut *ideo* explicant. (Cf. *Spalding.* ad *Quintil.* 12, 11, 16.) Afferamus primum locos nonnullos. *Pl. Aul.* 4, 9, 8. Fateor me peccavisse; id adeo te oratum advenio, ut ignoscas mihi. Hic noster *adeo* pro *ideo* dictum arbitratur. *Virg. G.* 1, 24. Tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum Concilia, incertum est — da facilem cursum atque audacibus annue coeptis. (Aliorum in antecc. deorum auxilium imploraverat.) *Servius* explicat *praecipue*, noster ait aut redundare, aut, si quid significet, pro *certe* poni, quod longe ineptissimum est. Addit praeterea *Virg. Ecl.* 9, 59. Hinc adeo media est nobis via. *Cic. Or.* 2, 4. Nunquam mihi minus, quam hesterno die, placui; magis adeo id facilitate, quam alia ulla culpa mea contigit. Aliis in locis explicat *vero*, ut ap. *Cic. Verr.* 2, 4, 64. Id adeo ex ipso SC. cognoscite. *Caec.* 30. Id adeo, si placet, considerate. Talia sunt frequentissima ap. *Cic.* Ab his non debebat sejungi *Verr.* 2, 2, 1. Atque adeo antequam de incommodis Siciliae dico, pauca mihi videntur de provinciae dignitate dicenda. Verum in his quis est qui non intelligat, partic. *adeo* ea lege ad continuandam orationem adhiberi, ut sit proprie: res quum *in eum locum* deducta sit, quum res ita se habeat, ad hunc locum quum pervenerimus et quae sunt similia? Ita igitur ne hic quidem naturam suam abjicit. Graece ita dicitur δή, quae et ipsa hoc significat, usque ad terminum aliquem orationem pervenisse; ut quod Plautus dicit *id adeo*, ex asse graecum est τοῦτο δή. Jam vero haec ingenti locorum copia augeri possent; sufficiant hi: *Ter. Andr.* 4, 5, 20. Propera adeo (δή) puerum tollere hinc ab janua. *Sall. Cat.* 38. Cuncta plebes — Catilinae incoepta probabat. Id adeo more suo videbatur facere, et in *extr. cap.*: id adeo malum multos post annos in civitatem reverterat. Hic al. *ideo.* Cf. *Jug.* 69. 118. 119. *Liv.* 2, 29. Id adeo malum ex provocatione natum. Cf. 4, 2. et *Suet. Galb.* 14. Prae ceteris ita *Virgilius*, ex quo hos praeterea locos collectos habemus: *Georg.* 1, 323. *Aen.* 3, 203. 4, 96. 533. 5, 268. (jamque adeo donati omnes, οὕτω μὲν δὴ πάντες etc.) 864. 6, 498. 7, 427. 629. 8, 585. 9, 156. 11, 275. 314. 487. Praeterea cf. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 38. et *Drak.* ad *Sil.* 8, 550. Neque vero secludendi sunt ab hac disputatione loci, quos Forc. affert ex *Ter. Andr.* 5, 6, 12. Tuus est nunc Chremes, facturum, quae voles, scio esse omnia. Pa. Memini, atque adeo longum est illum expectare, et *Eun.* 5, 4, 42. Atque adeo autem cur non egomet intro eo, ubi ille *atque adeo* expl. *atque etiam* vel *atque ideo.* Ita denique interpretamur *Cic. Fin.* 2, 12, 37. quarum adeo omnium (ὧν δὴ πασῶν) sententia pronuntiabit, ubi dissentiendum nobis est a *Goer.* ℙ Denique, ut supra vidimus praep. *ad* de *consilio* dici, ita *adeo* est *eo fine*, *eo consilio*, *ideo. Ter. Andr.* 1, 1, 135. Quem ego credo — obnixe omnia facturum, magis id adeo, mihi ut incommodet, quam ut obsequatur gnato. *Coel.* in *Cic. Fam.* 8, 15. Quodnam ob scelus iter mihi — incidit? Adeo quod Intemelii in armis sunt. ℙ Permutantur inter se in libb. mss. *adeo* et *ideo*, v. *Drak.* ad *Liv.* 10, 5, 14. et *ad ea*, v. *id.* ad 4, 54, 4.

ADĔO, ădis, adīvi vel adii, adĭtum, a. 4. προσβαίνω, προσέρχομαι, accedo ad aliquem, vel ad aliquid eo: ex *ad* et *eo*, *is.* Dicitur tum de loco, tum de persona. De loco *Suet. Tib.* 52. Quod Alexandriam se inconsulto adisset. *Id. Aug.* 47. Adire provinciam. *Cic. Verr.* 2, 4, 11. *med.* Priusquam Romam atque in horum conspectum adiretis. *Id. Caec.* 29. Sum ex proximo vicini fundo dejectus, qua adibam ad istum fundum. *Sil.* 6, 253. Voces — aetherias adiere domos. *Ov. Met.* 13, 465. Stygios adire manes. *Tib.* 3, 5, 2. undam adire. *Curt.* 4, 4. mare. Sed haec et similia sunt frequentissima.] *Sall. Jug.* 16. An quoquam mihi adire licet? — Cum de persona usurpatur, significat convenire, visere, [*etiam consulendi causa et auxilium ab al. petendi.] *Pl. Aul.* 1, 2, 38. Adeunt, consistunt, copulantur dexteras. *Cic. Fam.* 3, 10. Ad me adire quosdam memini, qui dicerent etc. *Id. ib.* 9. Te adeunt fere omnes, si quid velis. *Ter. Hec.* 2, 2, 9. Adii te heri de filia. *Curt.* 10, 8. Adire propius et colloqui. *Tac. H.* 4, 65. Coram adire et alloqui. *Pl. Pseud.* 1, 5, 35. aliquem blandis verbis. [**Suet. Aug.* 53. *Tib.* 40. *Virg. A.* 3, 456. adire vates.] *Tac. A.* 4, 39. Adire aliquem scripto, *h. e.* alloqui per litteras. *Id. H.* 1, 9. aliquem legationibus. *Pl. Mil.* 4, 6, 10. aliquem per epistolam aut per nuntium. Non differunt ab his ii loci, in quibus explicant *venire.* [*Pravo consilio hos noster ab illis secreverat.] *Pl. Rud.* 1, 4, 22. Accede ad me atque adi contra. *Id. Truc.* 2, 7, 60. Adi huc modo. [**Tac. A.* 1, 43. Quoquo adisset. Cf. *Suet. Vit.* 10.] Neque alia est ratio eorum locorum, in quibus pro *obire*, *circumire visendi gratia* positum putatur. *Sall. Jug.* 94. Consul oppida castellaque munita adire. *Tac. H.* 1, 52. adire hiberna. *Id. A.* 3, 45. Inter primores equo insigni adire [*singulos. Cf. *ib.* 2, 13. et 39.] Porro quod dicunt, *adire* esse *contra ire*, *aggredi*, non aliam habet rationem. Nam hic quoque est *accedere. Ter. Ph.* 1, 4, 52. Nunc prior adito tu, ego in insidiis hic ero. *Virg. A.* 5, 379. Nec quisquam ex agmine tanto Audet adire virum. [**Sil.* 9, 272. Servilius obvia adire Arma — jubetur.] ℙ Notandae sunt quaedam singulares loquendi formulae, quae ad hoc genus pertinent. *Adire deos* vel ad deos est orandi causa accedere. *Cic. N. D.* 1, 27. Ut essent simulacra, quae venerantes deos ipsos se adire crederent. *Albinov.* 1, 290. Cur adeo fratres, heu! sine fratre deos? Similiter *Tib.* 1, 5, 39. Num feror incestus sedes adiisse deorum? [*cf. *ib.* 6, 22.] *Cic. Phil.* 14, 1. adire aras. *Lucr.* 5, 1228. Non divum pacem votis adit. [*Sic dicunt etiam *adire oracula* aliaque similia minime rara. Sed ab *Ov. Met.* 15, 63. quum Pythagoras dicitur *mente deos adiisse*, intellige philosophum res divinas perscrutantem. Ceterum cf. *Broukh.* ad *Tib. l. l.* et *Heins.* ad *Albinov.* — *Adire in jus* est accedere ad causam agendam (ad tribunal praetoris). *Cic. Att.* 11, 24. Ibi se eum de suis controversiis in jus adeuntem vidisse nuntiant. *Id. Verr.* 2, 4, 65. Cum ad praetorem in jus adissemus.

[*V. *interpp.* ad *Caes. B. C.* 1, 87. Refer huc etiam *Tac. A.* 4, 36. Drusum — adierit Calpurnius Salvianus in Sex. Marium. (*Suet. Tib.* 31.) *Ter. Ph.* 2, 3, 56. magistratus adi. Cf. *Briss. d. Verb. Sign.* in *Adire.*] ℙ Translate est suscipere, subire, [*aggredi, et dicitur de omni omnino opere, quod quis aggreditur, et fortuna, quam experitur; eodem fere modo dicitur *accedere*. Gr. ὑποδύεσθαι.] *Caes. B. C.* 2, 7. adire ad extremum periculum. *Cic. Rosc. Am.* 38. periculum capitis. *Id. Sext.* 66. inimicitias. *Liv.* 25, 10. omnem fortunam. *Nep. Tim.* 5. maximos labores et summa pericula. *Tac. A.* 1, 39. dedecus. *Id. G.* 24. servitutem voluntariam. [*id. A.* 4, 70. invidiam.] *Cic. Brut.* 90. Tum primum nos ad causas et privatas et publicas adire coepimus, *h. e.* accedere ad agendas causas. *Id. Manil.* 24. Adire ad rempublicam h. e. capessere. *Sil.* 8, 263. Lingua sperabat adire Ad dextrae decus, h. e. ad decus, quod armis acquiri solet, facundia linguae pervenire. [*Adde *Tac. A.* 15, 36. adire iter. *Id. ib.* 13, 36. pugnam, ubi al. *audirent*, al. *auderent*. Vulgo dicunt *inire pugnam*. *Tib.* 1, 5, 39. Sed jam quum gaudia adirem, i. e. in eo essem, ut etc. Refer huc etiam *Pl. Aul.* 2, 2, 25. Nunc eam rem vult, scio, mecum adire ad pactionem, i. e. tentare, num mecum possit pacisci. H. l. noster alibi minus apte attulerat. Memorabile praeterea, quod est in *Virg. Catal.* 11, 62. Si patrio Grajos carmine adire sales possumus, i. e. accedere ad similitudinem.] ℙ Tenendae sunt hae locutiones: adire hereditatem est agnoscere tanquam suam et sibi attribuere. Notant vero JCti, proprium esse alieni seu extranei heredis *adire*, cum suus ac necessarius immiscere se dicatur. *Ulp. Dig.* 4, 4, 7. Restitutus autem, ut se hereditati misceat, vel ut eam adeat etc. Adde *eund.* 42, 4, 3. et 4. Hoc tamen discrimen non servant scriptores. *Cic. Phil.* 2, 16. Cum ipse hereditatem patris non adisses. [*cf. *Arch.* 5. *Suet. Aug.* 8. V. CERNO. Inde igitur *adire nomen alicujus* ap. *Vell.* 2, 60. est suscipere: loquitur autem de Octavio, cui C. Caesar simul cum bonis nomen suum testamento reliquerat.] — *Adire libros* est eos evolvere. *Tac. A.* 1, 76. et *Liv.* 34, 55. — *Adire manum alicui* dicitur is, qui alterum frustratur et decipit, velut si aliquid ei ostentet tanquam daturus in manum, deinde retro trahat et captantem deludat. [*Haec fere est *Mureti* explicatio *V. L.* 19, 16. Alii aliter explicant. Veluti *Barth. Adv.* 23, 23. putat a ludo puerili petitum esse proverbium, quum unus e grege obvolutis oculis ad reliquos comprehendendos in mediam planitiem deducitur ejusque circumpalantis manus singuli adeunt, ut prope gregem esse sentiat, jamjam vero comprehendendi elabantur.] *Pl. Aul.* 2, 8, 3. Venio ad macellum: rogito pisces: indicant caros, abeo illinc iratus: ita illis impuris omnibus adii manum. *Id. Poen.* 2, 11. Avarae Veneri pulcre adii manum. Adde *Cas.* 5, 2, 46. et *Pers.* 5, 2, 18. ℙ Passive et impersonaliter. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 5. Cum praetores diebus aliquot adiri non possent. *Sen. Herc. F.* 733. Aditur illo Gnossius Minos foro. [*Tac. *H.* 3, 52. Juga clementius adirentur.] *Cic. Verr.* 2, 2, 23. Antequam in jus aditum esset. [*Passivam formam *Livio* restituit *Gron.* 42, 54. Utraque oppida in faucibus sunt, quae Tempe adeunt. Quod cum sane insolentius dictum videatur, ille conjecit scrib. esse: *qua Tempe adeuntur.*] ℙ Part. *Aditus* ap. *Cic. Off.* 1, 19. Laboribus susceptis periculisque aditis. *Liv.* 37. *fin.* Aditus consul idem illud responsum retulit, quo etc. *Vell.* 2, 5. Aditis, quae vix audita erant. [*Curt. 10, 5. adito Oceano. Et omnino satis frequens est usus hujus partic., ut apud *Sueton.*] *Adeundus* ap. *Cic. Off.* 1, 24. In adeundis periculis. Cf. *Ov. Tr.* 3, 1, 70. [*De forma *adissent* v. *Drak.* ad *Liv.* 8, 2, 9. coll. 7, 20, 3. et 27, 19, 10. ℙ Ad constructionem quod attinet, e superioribus intelligitur, dici et *adire aliquid* et *adire ad aliquid*. Cf. *Ter. Andr.* 2, 1, 15. 4, 1, 15. et *Oud.* ad *Caes. B. G.* 2, 7. 4, 20. *Sanct. Min.* 1. p. 409. *Broukh.* ad *Tib.* 1, 5, 39. quem qui laudat *Drak.* ad 40, 29, 12., ubi haec leguntur: scriba ad trib. pl. adit, affirmat se non meminisse, ubi *Liv. adire ad aliquem* dixerit. Certe *Cic. Verr.* 2, 1, 47. dixit: ceteri heredes adeunt ad Verrem. ℙ In libris confunduntur *adire*, *audire*, *audere*. V. supra et *Drak.* ad *Liv.* 10, 12, 2. *adimus*, *addimus*, *aditus*, *additus*, *id.* ad 4, 57, 11. *aditus* et *adjutus*, *id.* ad 24, 35, 4. *adeant* et *videant* ap. *Cic. Acad.* 2, 30, 97. ubi v. *Goer.*]

ĂDĔONA, ae, f. Dea Gentilium, in cujus tutela erant adeuntes, hoc est advenientes, quemadmodum *Abeonam* abeuntes invocabant. *August. Civ. D.* 4, 21. Quid necesse erat commendare Deae Adeonae adeuntes, Abeonae abeuntes?

ĂDEPS, adĭpis, gen. comm. στέαρ, pinguedo liquida sine sensu, [*cf. *Macrob. Sat.* 7, 9.] quae nequeat facile durari; nam quae concrescit, sevum dicitur. *Plin.* 11, 37, 85. Cornigera, inquit, una parte dentata, et quae in pedibus talos habent, sevo pinguescunt: bisulca scissisque in digitos pedibus et non cornigera, adipe. Concretus hic, et cum refrixit, fragilis: semperque in fine carnis etc. *Id. ib.* Detracti adipes L. Apronii filio. *Id.* 28, 9, 37. et *Varr. R. R.* 2, 11. Adeps suillus. [*Plin. 28, 11, 46. ursinus. *ib.* vulpinus. *ib.* 47. aprugnus. *ib.* 48. anseris s. anserinus. *ib.* lupinus. *Veg. R. V.* 4, 22. leoninus. *Apic.* 2, 2. adipes Phasiani recentes praeduras.] *Cels.* 3, 7. *n.* 2. Oryzae cremor, cum quo recens adeps cocta sit. *Marsus* ap. *Prisc.* 5. p. 657. Adipis pondo viginti vetustae. *Quintil.* 2, 10. Sibi quoque tenuandas adipes etc. *h. e.* corpus ad moderatam maciem esse redigendum. *Col.* 8, 14. Quae res ad creandas adipes multum conferunt. *Id.* 6, 2. *fin.* Corporatura pecudis adipibus obesa. [*Veg. 3, 47. adeps cocta. *Col.* 6, 2, 7. offas in praesulsae adipis liquamine tinctas. Fem. genere utitur etiam *Pallad.* in *Mart.* 12, 3. ed. *Schneid.*, *Gesneri* habebat masc. Notat *Rudd.* 1. p. 34. Plinio, Sereno et Palladio h. v. semper virile esse, Celso frequentius femininum, Columellae promiscuum.] ℙ Videtur poni etiam pro sevo. *August. de mor. Manich.* 2, 16. *med.*: quid de adipe respondebitis, qui prope omnes Italas lucernas illuminat? [*Quod ap. *Aug.*, quo nemo latinae linguae imperitior erat, non mirum videri debet.] ℙ Translate de obeso [*molli, ignavo] homine. *Cic. Cat.* 3, 7. Nec mihi esse Lentuli somnum, nec Cassii adipem, nec Cethegi temeritatem pertimescendam. ℙ Arboribus quoque tribuitur, estque pars ligni pessima, albo colore, mollior, et succo plenior, quae et *alburnum* dicitur, etiam in robore facile putrescens teredinique maxime obnoxia. *Plin.* 16, 38, 72. ℙ Terrae etiam pars quaedam pinguis, quae a Britannis *marl*, a Gallis *marne*, ab Italis *marna*, [*a nostratibus *Mergel*] ab antiquis Latinis *marga* appellatur, *adeps* dicitur ob similitudinem. *Id.* 17, 6, 4. ℙ Olim etiam in recto singulari usurpatum fuisse *adipes*, bis affirmat *Prisc.* 5. p. 657. et 7. p. 752. *P.*, et affert *adipes illa* ex *Varr. R. R.* 2.; sed fallitur *Prisc.*, nam etiamnum haec leguntur ap. *Varr. R. R.* 2, 11. Tonsas recentes (oves) eodem die perungunt vino et oleo: non nemo admixta cera alba et adipe suilla. [Ita *Schneid.* recte ad *Varr. l. c. F.*]

ĂDEPTIO, onis, f. ἐπιτυχία, verbal. ab *adipiscor*. *Cic. Fin.* 2, 13. Nos beatam vitam non depulsione mali, sed adeptione boni judicemus. *Id. Partit.* 32. Adeptio alicujus commodi. [*Quint. 5, 10, 33. bonorum.]

ĂDEPTUS, us, m. id. qu. adeptio. *Paulin. Nol. ep.* 32. *ad Sever. Sect.* 18. Haec aedificantes in Domino ex adeptu fidei aedificamur ipsi a Domino. Quidam hanc vocem leg. etiam ap. *Cic. Fin.* 3, 14. *fin.* qui processit aliquantum ad virtutis adeptum: sed ibi leg. *aditum*. [*Plutarch. adv. Stoic. p. 1063. πελάζοντες τῇ ἀρετῇ, quem l. laudat *Goer.*]

ĂDEPTUS, a, um, part. ab *adipiscor*, ἐπιτυχών. *Plin.* 7, 24, 24. Tam multis gloriam ejus adeptis. Cf. *Tac. A.* 11, 14. *Sen. ep.* 95. Non contingit tranquillitas nisi certum judicium adeptis. [*Tac. *A.* 1, 53. imperium. *Id. ib.* 3, 55. adeptus rerum, de qua constructione v. sub ADIPISCOR. *Plin.* 35, 10. palmam i. e. victoriae praemium consecutus.] ℙ Passiva signif. *Cic. Sen.* 2. Senectus, quam ut adipiscantur, omnes optant; eandem accusant adeptam. Al. leg. *adepti*. [*Passivam hujus partic. significationem negat apud bonos scriptores reperiri *Lagomarsin.* ad epp. *Pogiani* IV. p. 167. (v. *Miscell. crit.* ed. a *Seebod.* II. 11. p. 474.), cui assentitur *Ruhnk.* in *praef. ad Schell. Lex.* s. v. *adeptus*. In Cic. loco, qui proxime laudatus est, plurimi et optimi libri, teste *Lagomars.*, habent *adepti;* quamquam, quibus rationibus in isto l. *adeptam* defendi posse videatur, v. ap. *Gernh.*, qui *adeptam* retinuit; ap. *Ov. Tr.* 4, 8, 19. palmas inhonestet adeptas, ob vocc. *inhonestet* et *adeptas* nonnulli dubitant de toto disticho, nisi quis, ut facit ipse *Lagom.*, referre malit haec vv. inter *barbara* illa, quae *Ovidio* in his libris interdum exciderunt; v. ipsum *ib.* 5, 7. Minus dubitari posse videtur de locis *Sallust.* (quae est sententia *Ruhnk.*) atque, ut nobis videtur, *Suet.* et *Tac.*] *Tac. A.* 1, 7. Litteras ad exercitus, tanquam adepto principatu, misit. [*ib.* 9. adepti imperii primus dies.] *Sall. Jug.* 107. Adeptam victoriam retinere. [*Id. Cat.* 7. adepta libertate, ubi v. *Cort.*, qui plura collegit. Cf. *Suet. Tib.* 38. *Pallad. de. insit.* 14, 126. ficus — optatos implet adepta (recepta) sinus. — Ceterum v. ADIPISCI. In libb. permutantur *adeptus* et *ademptus*. *Drak.* ad *Liv.* 2, 15, 6.]

ĂDĔQUĪTO, as, avi, atum, n. 1. ad aliquem locum equitare, προσιππάζομαι. *Liv.* 9, 22. Quo tam ferociter adequitasset, inde se fundi fugarique. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 1, 14, 7. ubi plures *Liv.* locos affert. Confunditur autem saepe c. *obequitare.*] *Tac. A.* 6, 34. Adequitare castris. *Plin.* 15, 18, 20. Portae Collinae adequitans Annibal. *Curt.* 7, 4. In primos ordines adequitare. *Suet. Aug.* 64. Vehiculo anteire aut circa adequitare. *Id. Cal.* 25. Adequitare juxta aliquem. Cum accus. sine praep. *Liv.* 24, 31. adeq. Syracusas. *Caes. B. G.* 1, 46. Equites propius tumulum accedere et nostros adequitare. [*At hic *Oud.* et alii cum plurimis libb. scribunt *ad nostros.*] *Curt.* 4. 9. *fin.* Perarmatos adequitare coepit. *Perarmatos* una vox est, et significat *probe armatos.* [*Al. distinguunt: *per armatos.*]

ĂDĔRO. V. ADAERO.

ĂDERRO, as, are, n. prope vel versus aliquem locum errando feror, ex *ad* et *erro*. *Stat. Silv.* 2, 2, 119. et blandi scopulis delphines aderrant. *Id. Th.* 9, 177. victorque ululatus aderrat auribus.

*ĂDESA, ae, s. ADESAS, ae, fluvius Lyciae ad oppidum Choma. *Plin.* 5, 27, 28. Choma praeterfluente Adesa. Ibi in mss. nonn. *Aedesa.*

ĂDESCĂTUS, a, um, nutritus, altus. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 11. *fin.* Volantia, sed non pinguia, neque cibis nutribilibus adescata ob acquirendam pinguedinem.

ĂDESDUM, πρόσιθι, ex *ades*, imper. verbi *adsum*, et particula *dum*, quae hoc loco vim quandam habet excitantis, sicut in *mane dum*, *ehodum* et similibus. *Ter. Andr.* 1, 1, 2. Sosia, adesdum: paucis te volo. [*De vi partic. v. DUM.]

ĂDĒSŪRĬO, ūris, ivi, ire, n. 4. valde esurio, βουλιμιάω. *Pl. Trin.* 1, 2, 132. Adesurivit magis et inhiavit acrius.

ĂDĒSUS, a, um, part. ab *adedo*, comesus, consumptus, absumptus, κατεδηδομένος. [*Non semper est *consumptus.* Certe si vera est *Gronov.* ap. *Liv.* 25, 16. conjectura: angues duo ex occulto adlapsi *adedere* jecur, quo sane ducunt vestigia in libb. mss. (vulg. *edere*), id quod sequitur: libatoque jecinore — ostendit, *adesus* esse ex *parte consumptus.* Neque aliter possunt intelligi *lapis*, *scopulus adesus.*] *Liv.* 1, 7. Pinarii extis adesis ad ceteram venirent dapem. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 19. Adeso frumento i. e. consumpto. ℙ Translate *Hor. Od.* 3, 29, 36. Adesi lapides [*i. e. laeves, cf. 1, 17, 12. et *Theocr.* 22, 50. οὖς ποταμὸς περιέξοε, quem laudat *Mitsch.*] *Virg. A.* 9, 537. Adesi postes [*intellige de igne, ut in seq. loco de aqua.] *Ov. Her.* 10, 26. Adesus scopulus. *Cic. Quint.* 12. Quis tam perditus ac profusus nepos, non adesa jam, sed abundanti etiam pecunia, sic dissolutus fuisset? *Tac. A.* 13, 21. Adesis fortunis omnibus. [*Cf. *Hist.* 1, 4.] *Sil.* 13, 680. Adesus cladibus Asdrubal, *h. e.* fractus, debilitatus.

ĂDEXPĔTO, is, a. 3. *Sen. ep.* 117. *post in.* Coguntur nostri verba torquere et unam syllabam *expetendo* interponere, quam sermo noster inseri non sinit. Ego illam, si pateris, adjungam. Expetendum est, inquiunt, quod bonum est: adexpetendum quod bono contingit. *Expetendum*, αἱρετόν: adexpetendum, προσαιρετόν, *h. e.* insuper expetendum.

ADF. V. in AFF.

ADFILIĂTUS, a, um, adoptatus. *Cajus JCtus Inst. l.* 1. *t.* 4. Quod non solum de personis, quae nobis propinquitate conjunctae sunt, sed etiam de adoptivis, *h. e.* adfiliatis jussum est observari.

ADFRĂCTUS et Affractus, a, um, fractus, confractus. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Fluvius salebratim saxorum obicibus affractus spumoso canescit impulsu.

ADFRĂNGO et Affrango, is, egi, actum, a. 3. id. qu. frango, seu ad aliquid frango, allido. *Stat. Th.* 5, 150. plenisque adfrangere parvos Uberibus. Et 10, 47. duris adfrangunt postibus ungues. *Id. Silv.* 5, 1, 36. hiemes adfrangere bustis. [*Tribus his locis etiam vulgaris scriptura in codd. exstat, ita ut a melioribus libris standum esse videatur. Ceterum h. v. etiam *Solino* 25, restitutum ivit *Salm. Exerc.* p. 216.] *Affringere* vel *adfringere* ubique alii reponunt: quod propius videtur accedere ad Latinorum consuetudinem, qui in compositis verbi *frango* mutant fere *a* in *i*, si littera *n* retineatur, ut *confringo*, *infringo*, *perfringo;* servant autem *a*, si *n* abjiciatur, ut *anfractus*, *refragor*, *suffragor* etc.

ADFRĒMO et Affremo, is, mui, n. 3. id. qu. fremo vel ad aliquid fremo. *Sil.* 14, 124. Boreas stridentibus adfremit alis. *Val. Fl.* 1, 528. Adfremit his quassatque caput.

ADFRINGO. V. ADFRANGO.

ADFRĬO et Affrio, as, a. 1. ἐπιτρίβω, friatum ad aliquid aspergo, seu ad aliquid frio, comminuo, contero. *Varr. R. R.* 1, 57. Item alius aliud adfriat, aut aspergit, ut Chalcidicam, aut caricam cretam, aut absinthium, *h. e.* conterit et tanquam tectorium pavimento et parietibus granarii inducit. *Ursin.* putat *aut aspergit* esse glossam v. *adfriat.*

ADG. V. in AGG.

ADGARRĬO, is, n. 4. id. qu. garrio vel simul cum alio garrio. *Fulgent. Planc. in exposit. antiq. sermon. n.* 19.

ADGAUDĔO, es, gavisus sum, n. 2. cum aliquo gaudeo, συγχαίρω. *Paulin. Nol.* 18. *Nat. Felic.* 6. *v.* 14. Caelicolas Christo quando adgaudere ministros etc. *Lactant.* 4, 6. reddens verba *Proverb.* 8, 30. Ego eram, cui adgaudebat [*ἐγὼ ἤμην, ᾗ προσέχαιρεν.]

ADGĔLO vel Aggelo, as, a. 1. gelu adstringo, induro. Legunt quidam [*minime vero; est *Heinsii* conjectura. Cf. *Cort.* ad *h. l.* et ad 1, 246. *Heins.* ad *Ov. Met.* 1, 548.] ap. *Lucan.* 4, 289. tum frigidus artus Adgelat atque animum subducto robore torpor. Sed plerique alii reponunt *alligat.* [Attamen *adgelat* legitur in *Not. Tir.* p. 178. *F.*]

ADGĔMO vel Aggemo, is, mui, n. 3. id. quod gemo seu ob aliquam rem gemo, προσστενάζω. *Ov. Fast.* 5, 400. Adgemit Alcides. Alii leg. *et gemit.* [*Al. *ingemit.* Recte *Heins.* ad h. l. multis defen-

dit *adgemit*, laudans etiam *Barth.* ad *Stat. Th.* 3, 406.] *Id. Tr.* 1, 3, 112. Aggemit et nostris ipsa carina malis. *Stat. Th.* 11, 245. loquenti adgemit.

ADGĔNĔRO, as, a. 1. *Tertull. adv. Marc.* 4, 19. Dic mihi omnibus natis adgenerantur et fratres? *h. e.* adnascuntur.

ADGĔNĬCŬLOR, aris, pass. 1. flecti in genua. *Tertull. de Poen.* 9. Presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari.

ADGRETTUS pro aggressus antiquissimum et obsoletum dictum est olim ab *Ennio* ap. *Festum*: Adgrettus fari.

ADGŪBERNO, as, avi, atum, a. 1. id. qu. guberno. *Flor.* 3, 5. Pedibus iter adgubernans, utre suspensus. Adde 2, 8.

[ADGYRO, as, n. 1. Legitur in *Not. Tir.* 156. Adgyrat. *F.*]

ADHABITO. V. ADBITO.

ADHAERĔO, es, aesi, n. 2. *πρόσειμι*, ad aliquid haereo, insideo. *Plin.* 11, 37, 65. Lingua crocodilis tota adhaerens. *Hor. Sat.* 2, 4, 80. Sive gravis lateri craterae limus adhaesit. [**Virg. G.* 3, 443.] *Caes. B. G.* 5, 48. Tragula casu ad turrim adhaesit. *Cic. Arat.* 178. Spiniferam subter caudam Pistricis adhaesit. [**Lucr.* 6, 915.] *Ov. Met.* 5, 38. Fronte tamen Rhoeti non irrita cuspis adhaesit. [**Ib.* 4, 693. vinctoque in corpore adhaerent, ut *Cic. Vat.* 13. tela in tuis visceribus adhaerebunt.] *Tertull. Pall.* 5. Pallium, qua humerum adhaeret. Alii leg. *in humerum*. *Lucr.* 3, 558. Connexus corpus adhaeret. Alii leg. *corpore*. [*Alii, ut *Eichstädt.* pro connexus habent *connexu*, al. *corpori*. Ceterum construitur cum accus., sed raro, ut *Cic. Arat.* 292. cratera et corvus adhaeret; deinde cum ablat. et cum praepositione *in*, etiam cum solo abl. et dativ. V. *Burm.* ad *Ov. Met.* 4, 27. coll. 14, 440.] ℙ Translate *Cic. Dom.* 24. In me omnia conjurationis nefaria tela adhaeserunt. *Id. Vat.* 5. Tenesne memoria, cum P. Sextius quaestor sit cunctis suffragiis factus, tum te vix, invitis omnibus, non populi beneficio, sed consulis, extremum adhaesisse? *h. e.* extremo loco quaestorem esse factum. [**Curt.* 10, 5. *extr.* Clarissimique sunt habiti, qui etiam minimae parti tantae fortunae adhaeserunt, i. e. ex tanto imperio vel minimam partem obtinuerunt. Cf. *Gron.* ad *Liv.* 5, 2. *extr.* ubi simplex v. *haerere* eodem modo usurpari ostendit, ut eum significet, cujus in magno numero hominum, quibus aliquid confertur, ultimo loco habetur ratio tanquam appendicis.] *Tac. H.* 2, 25. Vineis modica silva adhaerebat. [**Ammian.* 18, 2. Ejus enim pagi Rheni ripis ulterioribus adhaerebant. In his explica *vicinum esse*.] *Liv.* 39, 25. Lateri adhaerere gravem dominum, *h. e.* valde vicinum esse, imminere. *Suet. Galb.* 14. Regebatur trium arbitrio, quos una habitantes, nec unquam non adhaerentes etc. *Plin.* 10, 22, 26. Comitem perpetuo alicui adhaerere. *Pl. Stich.* 1, 3, 83. Adhaesit homini ad intimum ventrem fames. *Vell.* 1, 9. Adhaeret altissimis invidia. [*V. *Ruhnken.* ad h. l., qui alia addit exempla ac saepius simplex *haerere* hoc modo dictum reperiri docet. *Suet. Oth.* 6. obvio quoque adhaerente i. e. se adjungente.] *Hor. Sat.* 2, 2, 56. Cui Canis ex vero dictum cognomen adhaeret. *Adhaerere jumento* ap. *Gell.* 20, 1. est insidere, vehi. [*V. *Burm. l. l.* qui similia habet. Adde haec: ut *Tac. A.* 2, 23. navis adhaeret ancoris dixit, quum detinetur ancoris, sic *Cic. Fam.* 8, 5. tanquam in quodam incili omnia adhaeserunt. *Tac. A.* 3, 21. stativis castris adhaerebat. *Ammian.* 19, 3. Obsidioni fortiter adhaerentes. *Liv.* 41, 20. Nulli fortunae adhaerebat animus, i. e. inconstans fuit.]

ADHAERESCO, scis, n. 3. adhaereo, inhaereo, proprie devenio in locum ibique haereo. *Plin.* 26, 8, 30. Adhaerescente roscida lanugine. *Id.* 34, 13, 34. Spodos evolat e fornacibus et tectis adhaerescit. [**Caes. B. C.* 2, 9. ubi al. *inhaeresceret*. De insitione utitur h. v. *Pallad. Nov.* 7, 6.] ℙ Translate *Cic. Or.* 2, 53. Argumentum ratio ipsa confirmat, quae simul atque emissa est, adhaerescit [*i. e. sese insinuat in mentem ac penitus insidet.] *Id. Att.* 4, 4. Utique fac venias, si potes in his locis adhaerescere, *h. e.* consistere. *Id. Off.* 1, 25. Justitiae honestatique adhaerescere [*i. e. diligenter et assidue persequi.] *Id. Acad.* 2, 3. ad quamcunque disciplinam, tanquam ad saxum, adhaerescunt. *Id. Dom.* 5. Ne in tantam materiem seditionis ista funesta fax adhaeresceret. *Id. Or.* 1, 61. Non tam ea, quae recta essent, probari, quam quae prava sunt, fastidiis adhaerescere, *h. e.* non tam recta haerere animo probanti, quam prava fastidienti. *Tac. A.* 11, 12. Multo comitatu ventitare domum, egressibus adhaerescere. [**Cic. Or.* 3, 10, 37. Si non omnia — ad id genus, quod quisque vestrum in dicendo probaret, adhaerescerent, i. e. convenirent, consentanea essent.] ℙ Pro haerere, retardari, cessare. *Cic. Brut.* 79. Oratio ita libere fluebat, ut nunquam adhaeresceret. *Id. ib.* 93. In celeritate et continuatione verborum adhaerescens. [*Sumpta est imago ab aqua, quae ad saxum offendens non leniter fluit; et ubi de oratore sermo est, linguam non satis solutam et incitatam significat. ℙ Adhaerescere ad columnam, i. e. solendo non esse. *Id. Sext.* 8. v. COLUMNA et cf. *Liv.* 5, 47. ibique *Drak.*

ADHAESE, adv. haesitando, haerendo. *Gell.* 5, 9. Oris vinculis solutus per omne inde tempus non turbide neque adhaese locutus est, *h. e.* non impedite.

ADHAESĬO s. ADHAESITATIO, onis, f. *προσκόλλησις*, actus adhaerendi. *Cic. Fin.* 1, 6. Complexiones, copulationes et adhaesiones atomorum inter se. Alii leg. *adhaesitationes* ex multis mss., quod retinendum videtur *Goerenzio*.

ADHAESUS, us, m. id. qu. adhaesio. *Lucr.* 5, 840. Membrorum adhaesu. *Id.* 3, 383. Neque pulveris interdum sentimus adhaesum. Adde 4, 1236. et 6, 471.

ADHAESUS, a, um, part. ab *adhaereo*. *Paul.* ex *Festo*: Adhaesum, cohaerens fortiter. *Lucr.* 4, 1236. Tenue (semen) locis quia non potis est adfigi adhaesum. *Non.* 2, 34. legit *adfigere*: qua ratione *adhaesum* nomen esse fortasse videri potest, non participium. [**Adfigere* habet etiam *Eichstaedt.* Rectius omnino videtur nomen subst. intelligendum esse.]

ADHĂLO, as, avi, n. 1. afflo, *προσπνέω*. *Plin.* 22, 22, 46. Si patescentem (fungum) primo (serpens) adhalaverit.

ADHĂMO, as, a. 1. hamo captare. Translate *Cic.* ap. *Non.* 2, 5. Qui serius honores adhamaverunt, vix admittuntur ad eos. Ita *Non.* explicat et ab *hamo* tractum esse docet: alii aspirationem abjiciunt, et ab *adamo* deducunt, quod verisimilius multo est. [*Est hoc voc. omnino suspectum; v. *G. J. Voss. de Vitiis serm.* p. 677.]

ADHĬBĔO, es, bui, ibitum, a. 2. habeo i. e. sumo aliquem vel aliquid ad aliquam rem, admoveo, advoco, assumo, applico (v. *Ruhnk.* in *praef. ad Schell. Lex.* s. h. v., qui nunquam simpliciter esse i. q. *uti* docet) gr. *ἐπέχω*, *προσφέρω*, *προσάγω*, a praep. *ad* et *habeo*. Farraginem exemplorum a nostro temere cumulatorum plurimis locis transposuimus, multis auximus. Refertur h. v. (de quo in universum disputavit *Herz.* ad *Caes. B. G.* 1, 20.) et ad res et ad personas. Ac de rebus quidem quum dicitur, proprie est i. q. habeo aliquid ad aliquam rem. *Pl. Pseud.* 1, 2, 20. Huc adhibete aures, i. e. huc habete aures ad me. *Ov. Am.* 2, 13, 15. Isi, huc adhibe vultus. *Id. ib.* 2, 1, 37. Ad me formosae vultus adhibete puellae. *Gell.* 15, 17. tibias ad os et inflare. *Sen. Herc. Oet.* 1078. manus pomis. *Ov. Met.* 9, 216. manus genibus adhibet i. e. admovet, genua amplexatur, de supplice. *Cic. Brut.* 56. adh. alicui calcaria, frenos. *Ov. Fast.* 3, 293. vincula captis i. e. injicere. *Quint.* 7, 1, 1. manus artificum disponendis (saxis etc.) *Virg. G.* 3, 455. manus medicas ad vulnera. *Cic. Agr.* 2, 18. manus vectigalibus i. e. partem eorum surripere. *Pl. Poen.* 5, 5, 38. Cur non adhibuisti, dum isthaec loquereris, tympanum? *Cic. Tusc.* 5, 34. Quos negat ad panem adhibere quidquam praeter nasturtium. ℙ Translate in his dicitur: *Cic. Arch.* 3. qui aures adhibere (i. e. aurium judicium afferre) posset. *Id. Har. resp.* 10. animum. *Ov. Met.* 15, 238. adhibete animos. Cf. *Virg. A.* 11, 315. *Lucr.* 2, 1033. Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem. Sed aliter *Cic. Fam.* 6, 1. illum animum nunc adhibe, i. e. eo nunc fac sis animo, et *Curt.* 9, 2, 25. Vos modo animos mihi plenos alacritatis ac fiduciae adhibete. ℙ Haec admovendi signif. latius etiam patet, atque ad alia omnia transfertur, ut *Cic. Or.* 3, 13. Ut oratio, quae lumen adhibere rebus debet, ea obscuritatem afferat. *Auct. dial. de caus. c. el.* 35. Sequitur autem, ut materiae abhorrenti a veritate declamatio quoque adhibeatur, i. e. accommodetur. *Cic. Mur.* 35. adhibere alicui voluptates. *Id. Brut.* 96. consolationem alicui. *Liv.* 1, 28. Vivo tibi ea disciplina a me adhibita esset. *Pl. Men.* 5, 6, 20. metum ut mihi adhibeam. *Quint.* 1, 3, 15. adhibere pueris metum. *Gell.* 12, 1. nutrices puero i. e. dare. *Scaev. Dig.* 28, 5, 83. adhibere fratri heredem, i. e. simul cum fratre heredem facere. *Cic. Or.* 2, 45. nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet judici, in ipso oratore impressi esse videbuntur i. e. incutere, inferre. ℙ Maxime vero de hominibus dicitur, qui admoventur alicui loco, aliquo vocantur vel invitantur, ut ad coenam, ad recitationem, in consilium etc., ut eorum vel opera, vel subsidio, vel consilio, vel testimonio ad aliquid utamur. *Cic. Fat.* 12. medicum. *Id. Fin.* 2, 21. testes. *Suet. Gr.* 22. ut litigator suus alium grammaticum adhiberet sc. advocatum. *Id. Oth.* 4. cuidam litiganti adhibitus arbiter. *Cic. Cluent.* 52. leges, ad quas adhibemur sc. defendendas tanquam patroni. *Suet. Caes.* 33. adhibitis tribunis i. e. ad se vocatis iisque in medium productis, ut fere *Hor. ep.* 2, 3, 227. si adhibebitur deus i. e. in scenam producetur. Notae sunt formulae adhibere al. mensae, coenae, epulis, commissationibus. *Suet. Caes.* 73. *Aug.* 74. *Hor. Od.* 4, 5, 32. *Nep. praef.* 7. in convivium. — *Caes. B. G.* 7, 77. Neque hos habendos civium loco, neque ad concilium adhibendos censeo. *Plin. ep.* 6, 11, 1. in consilium. *Curt.* 8, 6, 28. Frequens consilium adhibuit. Pro *adhibere in consilium* absolute dicitur *adhibere*, ut *Cic. Fam.* 4, 7. a tuis reliquis non adhibemur. Cf. *Cic. Fam.* 4, 7. a tuis reliquis non adhibemur. Cf. *ib.* 10, 25. 11, 7. *Off.* 3, 20. *Phil.* 5, 9. *Caes. B. G.* 1, 20. fratrem adhibet. *Suet. Cl.* 35. adhibitis principibus viris. Cf. de hoc usu *Cort.* ad *Sall. Jug.* 113, 3. et ad *Cic. Fam.* 2, 7, 3. 4, 7, 15. *Duk.* ad *Flor.* 1, 1, 6. In re simili *Plin. ep.* 1, 5, 4. quum (Regulus) recitaret librum, non adhibuit i. e. non invitavit. Ratione non nimis dissimili *Curt.* 5, 4. adh. vates, et *Suet. Vit.* 11. Adhibita publicorum sacerdotum frequentia inferias Neroni dedit. *Virg. A.* 8, 56. castris adhibere socios et foedera jungere. *Justin.* 3, 6. aliquem in auxilium. *Ov. Met.* 11, 447. al. in partem periculi. ℙ Jam, ut supra vidimus esse *adhibere* i. q. *admovere*, *advocare*, de contrario dixit per jocum *Pl. Trin.* 2, 1, 30. adhibere aliquem procul i. e. procul a se amovere. ℙ *Adhibere aliquem* simpliciter est i. q. excipere, tractare, quod cur esse possit, ex superioribus (adh. al. coenae etc.) facile intelligitur. *Cic. Qu. Fr.* 1, 5. quos ego universos adhiberi liberaliter, optimum quemque hospitio amicitiaque conjungi dico oportere. *Id. Att.* 10, 12. Quintum filium severius adhibebo. ℙ Ex his illud quoque facile intelligitur, *adhibere se* esse posse i. q. se gerere, versari in al. re (quasi se admovere al. rei hoc illove modo gerendae.) *Cic. Qu. Fr.* 1, 1, 7. Permagni est hominis, sic se adhibere in tanta potestate, ut nulla alia potestas ab iis, quibus ipse praecst, desideretur. *Lucr.* 1, 44. adhibere se remotum a curis veram ad rationem h. e. praebere se liberum a curis ad veram rationem audiendam. ℙ Latissime autem patet ille usus h. v., quo est i. q. *uti aliqua re ad aliquid*. *Cic. Or.* 57. numerus iambicus adhibetur in fabulis. *Id. Sen.* 11. Tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires. *Id. Off.* 1, 28. Adhibere reverentiam adversus homines. [*cf. *ib.* 21, 72. et 73.] *Id. Fam.* 13, 6. Officium quod adhibet erga illos. *Id. Fam.* 16, 9. Adhibere omnem diligentiam ad convalescendum. [**Nep. Att.* 21. in valetudine tuenda. *Cic. Fam.* 16, 6. Quantum me diligis, tantum adhibe in te diligentiae.] *Colum.* 3, 4. diligentiam pastinationi. *Cic. Rab. perd.* 2. misericordiam in fortunis alicujus et sapientiam in salute reipublicae. *Id. Or.* 19. flores in causis. *Id. Rosc. Am.* 11. vim alicui. [**Hor. Od.* 3, 28, 4. Munitaeque adhibe vim sapientiae, i. e. expelle sap. animo. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 36, 10, 7.] *Id. Att.* 2, 4. prudentiam ad omnes res. *Id. Acad.* 2, 10. Cum adhibemus ad eos orationem hujusmodi. [*Cf. *Tusc.* 4, 28. *Fam.* 5, 20. Rationes confectae — ad quas ego nihil adhibui praeter lectionem.] *Id. Att.* 1, 19. Adhibere cautionem privatis rebus suis. *Id. Fin.* 1, 7. severitatem in filio. *Id. Dom.* 23. crudelitatem in aliquem. *Id. ib.* 14. calumniam, fraudem, dolum. *Suet. Dom.* 2. fraudem testamento. [*Adde *Pl. Most.* 1, 3, 79. parsimoniam. *Caes. B. C.* 3, 26. audaciam et virtutem. *Cic. Fam.* 10, 21, 5. (*Nep.* 18, 9, 2.) celeritatem. *Id. ib.* 2, 7, 7. curam. (*Suet. Vesp.* 5. curam viis) *Id. Off.* 1, 6. tempus et diligentiam. *Cels.* 2, 1, 1. auxilium. *id.* 8, 11. frictionem membris. *Cic. Att.* 16, 15. medicinam aegroto. *Id. Tusc.* 4, 27. remedia morbis. *Id. N. D.* 3, 27. aegrotis vinum. *Liv.* 26, 25. ut eos uno tumulo contegerent adhiberentque humatis titulum i. e. hac inscriptione addita. (Non fuisse hunc locum a *Gron.* sollicitandum patet ex iis quoque, quae supra attulimus.) *Tib.* 3, 4, 75. blandas querelas. *Ov. Met.* 10, 259. (*Curt.* 8, 3, 2.) blanditias. Cf. *Heins.* ad. *Ov. Met.* 12, 407. *Ov. ib.* 3, 376. preces, ibique *Heins. et Burm. Id. Pont.* 1, 9, 29. vires. *Cic. Tusc.* 1, 29. Socrates adhibuit liberam contumaciam. *Id. Brut.* 11. Pericles primus adhibuit doctrinam (ad eloquentiam). *Id. Fam.* 4, 6. non mediocrem dolorem in me consolando adhibuisti, i. e. ipse penitus sensisti eum dolorem, de quo me consolatus es. *Curt.* 6, 10. solent rei capitis adhibere vobis parentes, i. e. admovere parentes iisque uti ad deprecandum. Huc referendae etiam hae formulae, quas noster alieno loco posuerat. *Adhibere modum* est statuere, ponere, finem praescribere. *Cic. Tusc.* 4, 17. Adhibere modum vitio. *Suet. Ner.* 16. modum sumptibus. [*Cf. *id. Aug.* 100. *Tib.* 34. *Quint.* 9, 3, 74. voluptati.] *Adhibere fidem* est fide uti, integre et fideliter agere. *Pl. Rud.* 4, 3, 104. Quamquam ad ignotum me appellis, si adhibebit fidem, etsi est ignotus, notus est. *Cic. Cluent.* 42. Adhibere fidem in periculis amicorum. — Est etiam fidem habere, sed raro [*ac nonnisi, ut ipsi loci monstrant, apud scriptores barbarae aetatis. V. *Ruhnken.* in *not.* ad *Muret. opp.* III. p. 544. (*Misc. crit.* ed. *Seebod.* I. I. p. 79.) *Nolten. Lex. antib.* p. 1273. *Vorst. d. Lat. m. susp.* 17. et ad *Sulp. Sev. v. Mart.* 1. et 11. *Drak.* ad *Liv.* 22, 1, 13. *Burm.* ad *Ov. Met.* 15, 361. et *Arntz.* ad *Cat. dist.* 2, 20.] *Auson. ep.* 10. *v.* 1. Si qua fides falsis unquam est adhibenda poetis. *Papin. Dig.* 17, 1, 7. fidem placitis. *Ulp. ib.* 48, 18, 1. fidem quaestioni. *Cic. Div.* 2, 59. Si insanorum visis fides non est adhibenda. *Borrich. in Analect.* hanc lectionem tuetur ex multis probatis codd.; al. *habenda* [*et recte]. *Ad-*

hibere moram est differre. *Pompon. Dig.* 18, 6, 17. *Adhibere memoriam* est servare, memoria tenere. *Nep. Ep.* 7. Nullam adhibuit memoriam contumeliae. *Adhibere patientiam* est patientia uti. *Liv.* 5, 6. Belli necessitatibus eam patientiam non adhibebimus, quam etc. ℙ Haec admovendi significatio etiam his subest, ubi explicant per *exhibere, offerre*. *Cic. N. D.* 1, 2. adhibere cultus, honores, preces Diis immortalibus. *Id. ib.* 40. odores ad Deos. [*Sic *Tac. A.* 14, 53. quid aliud munificentiae tuae adhibere potui, quam studia in umbra educata? i. e. quanam alia re munif. tuam promereri potui? ℙ Denique non alia est ratio eorum locorum, in quibus videri possit explicandum esse *adjungere, addere*. *Cic. Acad.* 1. 11, 39. Ut quatuor initiis rerum illis quintam hanc naturam — non adhiberet. V. *Goer. Id. d. R. P.* 3, 3. Ad domesticorum majorumque morem etiam hanc a Socrate adventitiam doctrinam adhibuerunt. (V. supra.) ℙ In libris confunduntur *adh.* et *inhibere*. V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 38, 1.]

ADHIBITIO, onis, f. actus adhibendi. *Marcell. Empir.* 15. Anginae prodest sanguinis detractio, cucurbitarum adhibitio etc. Et *Capell.* 3. p. 49. Pectus medicaminis adhibitione purgare. *Caj. Inst. l.* 1. *tit.* 1. Liberti Latini sunt, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumittuntur [*i. e. dum mensae patroni adhibentur.]

ĂDHIBĭTUS, a, um, part. v. *adhibeo*. *Cic. N. D.* 2, 60. Adhibitae opificum manus. *Id. Caec.* 15. Adhibita vis. V. ADHIBEO.

ĂDHINNĬO, is, ivi, et ii, n. 4. ad aliquem hinnio, et est proprium equi ad alterius equi conspectum hinnientis, maxime ob coitus desiderium. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 17. Namque (Apelles) ambitu aemulos praevalere sentiens singulorum picturas inductis equis ostendit: Apellis tantum equo adhinnivere. *Ov. Rem. Am.* 634. Fortis equus visae semper adhinnit equae. [*Alii codd. habent *visam equam*. Utriusque constructionis exempla laudavit *Barth. Adv.* 11, 15. quemlaudat *Burm.* Cf. *Ruddim.* II. p. 135.] *Appul. Met.* 6. *fin.* Virginis delicatas voculas adhinnire tentabat (asinus) *h. e.* hinnitu respondere. *Ov. A. am.* 1, 280. Femina cornipedi semper adhinnit equo. ℙ Dicitur etiam de hominibus ad mulieres equorum more accedentes, cum accus. sine praep. *Augustin. Mor. Man.* 2, 19. Vidimus tres electos tres feminas petulanti gestu adhinnire. Cum praep. *in Arnob.* 4. p. 135. Mercurius primus, qui in Proserpinam dicitur genitalibus adhinnivisse subrectis. *Id.* 172. Juppiter etiamne in matrem, etiamne in filiam efferati pectoris appetitionibus adhinnivit? Cum dat. *Pl. fr. Cist. ed.* ab *Maio* p. 19. (inserta haec sunt in nonnullis edd. 4, 2, 83.) Quamquam vetus cantherius sum, mihi nunc, ut ego opinor, adhinniret (muliercula). Equulam possum ego hanc, si detur sola soli. Hinc patet male *Prisc.* 3. p. 617. locum hunc attulisse sic: *adhinnire equulam possim ego hanc* etc. *Prud. in Symm.* 1, 57. Tuscis namque ille (Saturnus) puellis Primus adhinnivit simulato numine moechus. ℙ Translate cum praep. *ad Cic. Pis.* 28. Admissarius iste, simul atque audivit a philosopho voluptatem tantopere laudari, sic suos sensus voluptarios omnes incitavit, sic ad illius orationem adhinnivit, ut etc. *h. e.* sic gavisus est oratione, quae praesidium libidini suae praestaret. [*Multa in his addidit *Furl.*]

AD HOC. V. AD.

ĂDHORRĔO, es, rui, n. 2. id. qu. horreo, ἐκφρίττω. *Albinov.* (vulgo *Ov. ad Liv.*) 1, 221. Ipse pater flavis Tiberinus adhorruit undis. Quidam leg. *inhorruit*. [*Vid. *Burm.* Codd. habent praeter *adh.* et *inhorr.* etiam *abhorruit*. Est igitur vocab. dubiae auctoritatis.]

ĂDHORTĀMEN, inis, n. adhortatio. *Appul. Florid. n.* 18. Multa mihi apud vos adhortamina suppetunt.

ĂDHORTĀTĬO, onis, f. hortatio, incitatio, παραίνεσις, παράκλησις. *Cic. Or.* 2, 3. Omissa nostra adhortatione veniamus ad eorum sermonem. *Plin.* 8, 42, 65. Adhortationis intellectum fatentur equi. [*Suet. Aug.* 94. *Liv.* 4, 38. ubi al. *cohortatio*. 44, 2. *Curt.* 3, 11. 7, 9.]

ĂDHORTĀTOR, oris, m. qui adhortatur. *Liv.* 32, 25. Adhortator a praefecto regio missus. *Id.* 2, 58. Adhortator operis. Adde 9, 13. [*7, 32.]

ĂDHORTĀTUS, a, um, part. v. *adhortor*. *Cic. Rab. perd.* 1. Nam me meae vitae consuetudo ad C. Rabirium defendendum est adhortata. ℙ Pass. προτραπείς. *C. Hemina* ap. *Prisc.* 8. p. 791. Adulatique erant ab amicis et adhortati. [*Non amplius reperitur.]

ĂDHORTĀTUS, us, m. adhortatio. *Apul. Apol. prope fin.* Rem familiarem meo adhortatu filiis condonasset.

ĂDHORTOR, aris, atus sum, dep. 1. παρακαλέω, id. qu. hortor. *Tac. H.* 1, 38. Nullo adhortante, sibi quisque dux et instigator. *Cic. Phil.* 4, 5. Adhortari milites. *Id. Fam.* 1, 7. aliquem ad certam laudem. [*Suet. Cal.* 45. loricatos ad discumbendum adhortatus est. *Id. Ner.* 41. Senatum in ultionem sui. *Tac. H.* 3, 61. in bellum. Gr. παρακαλεῖν, παραινεῖν *ἐπί* et *εἰς*.] *Cic. Phil.* 1, 9. adolescentes, ut turbulenti velint esse. *Suet. Caes.* 81. Tandem Bruto adhortante, ne jam dudum opperientes destitueret, progressus est. [*Suet. Tib.* 50. populumque et milites, quo enixius opem ferrent, adhortatam. *Ter. Eun.* 3, 5, 35. Adhortor, properent. *Adhortari se* id. est ac se excitare. *Catull.* 63, 85. de leone: Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animum. Attulit *F.* Sic *Xen. Symp.* 1, 16. τῇ ψυχῇ παρακελευόμενος θαῤῥεῖν. Cf. *Hor. Sat.* 2, 5, 20. *Ter. Heaut.* 1, 1, 8. Praeter quam res te adhortatur tua, i. e. postulat.]

ĂDHOSPĬTO, as, a. 1. *Dictys* 1, 15. *fin.* Martem atque Concordiam multis immolationibus sibi adhospitavere.

ĂDHUC, adv. hucusque, ad hoc usque tempus, ad hoc temporis, ex *ad* et *huc* conflatum, jungiturque cum verbis tum praeteriti, tum praesentis, tum etiam futuri temporis. [V. infra.] *Cic. Verr.* 2, 3, 84. Facinus fortasse adhuc in nullo vindicatum. *Id. Fam.* 6, 14. Caesari pro te, sicut adhuc feci, libentissime supplicabo. *Id. ibid.* 16, 18. Cui tu adhuc, dum mihi deservis, servisti non satis. *Cels.* 5, 26. *n.* 34. Gangraenam vero, si nondum plane tenet, sed adhuc incipit, curare non difficillimum est. *Nep. Milt.* 5. Qua pugna nihil adhuc est nobilius. *Ter. Ph.* 3, 1, 15. Adhuc tranquilla res est. *Cic. Div. Verr.* 17. Est adhuc non Verres, sed Q. Mutius. [*Adhuc non* habes etiam ap. *Ter. Ad.* 1, 2, 42. *Cic. Att.* 5, 20. Haec adhuc (gesta sunt). *Id. Div.* 2, 2. Adhuc haec erant. *Fin.* 4, 16, 44. adhuc ea dixi etc. Cf. *Goer.* et *Manil.* 17. *Suet. Aug.* 69. familiariter adhuc, necdum plane inimicus. *Tac. G.* 22, 7. gens non astuta nec callida aperit adhuc secreta pectoris licentia joci; nimirum Tacitus cogitat de Romanis, qui ipsius tempore non amplius tales erant.] Saepe ad continuitatem temporis significandam additur *usque*. *Gell.* 2, 4. idcirco, quod adhuc usque deest, divinatione supplendum. *Ter. Ad.* 4, 4, 22. Cessatum usque adhuc est. [*Cf. *Cic. R. P.* 2, 20. *Ter. Andr.* 1, 5, 27. *Ad.* 5, 4, 5. *Hec.* 4, 1, 29. *Suet. Rh.* 1. *Dom.* 18. Opponitur *deinde* ap. *Suet. Tit.* 11. obseratis adhuc foribus, deinde apertis. Liquet ex his exemplis, hanc partic. quae etiam ap. poetas, ut *Horat.* in *Od.*, satis frequens est, semper referendam esse ad certum quoddam ac definitum et proprie quidem praesens tempus. Sed qui minus accurate loquuntur, ea etiam de praeteritis rebus utuntur. Sic *Suet. Aug.* 17. tunc adhuc (i. e. etiam tum) consules. *Id. ib.* 25. eosque servos adhuc, i. e. illo tempore nondum manumissos, ut interpretatur *B. Crus.* Alii, ut *Oudend.*, corrigunt *ad hoc*, quod saepe cum illo confunditur; v. in *Ad* et cf. *Frotsch.* ad *Quint. exc. II.* p. 240. Habet tamen hoc quandam rationem, si *adhuc* de tempore praeterito dicitur; ita enim res significatur tempore praeterito aliquando praesens fuisse. Sed diligentes scriptores in his praeferunt *etiam tum*, *ad id s. illud* (*usque ad id*) *tempus*, *ad id locorum*. V. *Gron.* ad *Liv.* 27, 7, 17. et *Cort.* ad *Sall. Jug.* 63. Nullo vero modo de tempore *futuro* dici potest adhuc. Afferuntur hi loci: *Plin. ep.* 4, 13. Ipse pauculis adhuc diebus in Tusculano commorabor. *Sen. nat. Qu.* 4, 8. Unam rem adhuc adjiciam. In neutro loco pertinet *adhuc* ad futurum, atque omnino temporis nullam habet in his signif. Est enim *praeterea*, de quo v. mox.] Ceterum par est ratio locorum, in quibus per *etiamnum* explicant. *Ov. Her.* 17, 163. Sed nimium properas, et adhuc tua messis in herba est. *Sall. Or. Philippi in Lepid.* 12. Qui hanc urbem, omissa cura, adhuc regitis. *Ulp. Dig.* 27, 3, 16. Si adhuc cum tutore ex stipulatu agatur. *Tac. A.* 1, 17. Novum et nutantem adhuc principem precibus adire. *Pers.* 3, 58. Stertis adhuc? [*Cic. R. P.* 3, 29. qui adhuc voluntate nobis obediunt. *B.* Adde *Liv.* 9, 6. 24, 20. 23, 49. Nec differunt ii loci, in quibus *jam* explicant, ut ap. *Hor. ep.* 2, 1, 206. Dixit adhuc aliquid?] ℙ *Plautus* addidit genitivum *locorum*. *Capt.* 2, 3, 25. Ut adhuc locorum feci, faciam sedulo. ℙ [*Adhuc* ab *hactenus* ita differt, ut illud de tempore (usque ad hunc terminum), hoc nonnisi de loco dicatur. Ap. Cic. hoc discrimen observatur, ap. Tac. et ejus aetatis scriptores non amplius. V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 2, 1. et, ubi plura afferemus, sub HACTENUS.] ℙ Sumitur interdum pro praeterea, insuper. *Cic. Am.* 9. Ortum quidem amicitiae videtis, nisi quid adhuc forte vultis. Alii leg. *ad haec*. [*Ita recentiores edd., ut *Beier.*] *Plin.* 33, 2, 10. Sunt adhuc aliquae non omittendae in auro differentiae. Adde *Varr. R. R.* 3, 3. [*Quintil.* 2, 21, 6. atque adhuc alibi. Hac signif. maxime comparativis addi solet particula, ut *Tac. G.* 19, 7. melius quidem adhuc eae civitates. *ib.* 29, 7. Cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et coelo acrius animantur. *Suet. Ner.* 10. ut certiorem adhuc indolem ostenderet. *Id. Tib.* 17. *Flor.* 1, 13. *Sen. ep.* 57. *Quint.* 11, 16. *Calpurn. Fl. Decl.* 22. Sic Graeci comparativis addunt ἔτι, cf. *Matthiae gr. gr.* p. 852. Bene tamen docet *Tursell.* et *Nolten.* p. 1274. tantummodo homines minus politos ita scribere; Cic. ejusque aequales malle *etiam*. Noli huc referre *Liv.* 21, 18, 4. Quod *Spald.* putat, *adhuc* ea significatione semper praeponi, exemplis allatis refutat *Frotscher.* ad *Quint.* 10, 1, 99.]

ĂDHUCCĬNE, pro *adhucne* cum interrogatione quidam legunt ap. *Appul. Met.* 9. Adhuccine miserum istum asinum jugi furore jactari credimus? Alii leg. *adhucne*, alii [perperam. *F.*] *at huncine*.

*ĂDIABARAE, arum, Aethiopiae populus, etiam Megabari dictus. *Plin.* 6, 30, 35.

*ĂDIABAS, ae, fluvius Assyriae. *Ammian.* 23, 6. Idem esse videtur, qui 18, 6. Anzabas dicitur. V. v. seq.

ADIABĒNA, ae, et gr. Adiabene, es, f. Ἀδιαβηνή, nunc *Botan* dicta, ut quidam putant, regio est Syriae nobilissima, olim et Assyria appellata, ultra Armeniam; ita dicta, quod difficile adiri vado queat, cum inter duos magnos fluvios, Onam et Tigridem, sita sit, ab *a* priv. et διαβαίνω, transeo. Hanc nominis etymologiam [*de qua v. *Suid.* in Ἀδιαβηνή] improbat *Ammian.* 23, 6. ideoque aliam substituit, a nominibus aliorum duorum fluminum, quae in ea sunt, quorum unum *Diabas*, alterum *Adiabas* vocatur. *Id. ib.* Intra hunc circuitum Adiabena est. *Plin.* 5, 12, 13. Ultra Armeniam Adiabene, Assyria ante dicta. [*Cf. *Salm. Exerc.* p. 492. coll. p. 442. et 662., ubi aliam nominis etymologiam proponit.] ℙ Quidam *Adiabaene* scripserunt, ut a βαίνω.

ADIABĒNI, orum, m. plur. Ἀδιαβηνοί, populi Adiabenes. *Plin.* 6, 9, 10. Quod interest spatii, Sopheni tenent: ab his juga: ultra Adiabeni tenent. *Spart. Sever.* 9. Adiabenis in ditionem redactis. ℙ Adjective *Tac. A.* 15, 14. Monobazus Adiabenus testis adhibetur. *Id. ib.* 2. Adiabenum regimen.

ADIABĒNICUS, a, um, adj. ab Adiabene. Severus Imperator post Adiabenen in ditionem redactam *Adiabenicus* cognominatus est, ut narrat *Spart.* 9. [*Sext. Ruf.* 21.] Cujus rei testes exstant etiam *Inscr.* ap. *Grut.* 1, 1. et 11, 4. et 22, 7. et alibi, et nummi ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 172. et 173.

ADIABĒNUS, a, um. V. in ADIABENI.

ADJĂCENS, entis, part. v. *adjaceo*, proximus, vicinus, γείτων. *Tac. A.* 1, 79. Velinum lacum in adjacentia erupturum, intell. loca. *Id. ib.* 13, 55. Adjacentes populi. *Id. H.* 2, 93. Adjacentia Tiberi corpora. [*Plin.* 6, 17, 21. Indorum gens adjacens mari.]

ADJĂCĔO, es, cui, n. 2. πρόσκειμαι, juxta jaceo, adhaereo. *Tac. A.* 4, 48. Cum pars militum munitionibus adjacerent. *Id. ib.* 1, 65. Cum Romani adjacerent vallo. *Colum.* 12, 1. Ne habeamus villicum intra tecta desidem et complexibus adjacentem feminae. Al. male legunt *feminam*. [*Id. praef. l.* 1. §. 10. foribus adjacere. *Ov. Met.* 11, 728. Adjacet undis Facta manu moles. *Quintil.* 1, 6, 22. Recta est haec via — sed adjacet et mollior etc.] ℙ De regionibus *Liv.* 7, 12. Fines Romanos, qua parte Etruria adjacet, peragravere. Al. leg. *Etruriam adjacent*. *Id.* 2, 49. Tuscus ager Romano adjacet. [*Id. 26, 42. mari.] *Nep. Timoth.* 2. Gentes, quae mare illud adjacent. *Mela* 1, 7. Urbes ad Syrtim adjacent. [*Ad constructionem quod attinet cum simpl. accus., v. *Oud.* ad *Caes. B. G.* 6. 33., ubi al. *Aduaticos* adjacet, al. *ad Aduat.*, al. denique *Aduaticis* praeferunt. De *Liv. l.* 7, 12, 6. dubie pronuntiat *Drak.*, sed censet tamen aut *Etruria* aut *Etruriae* leg. esse. Al. *Etruriam*. *Frontin.* 3, 9, 5. Ab ea parte murorum, quae mare adjacebat. Ubi v. *id. Oud.* Apud *Lucr.* 5, 545. quid quae adjaceat res, jam diu emendatum est a VV. DD. Frequens autem est accus. in hac constructione ap. *Avienum.*]

ADJACULĀTUS, a, um, part. pass. sign. ab inusit. *adjaculor*. *Capell.* 2. p. 41. Adjaculati fulgoris radios revibrare.

ĂDIANTUM, ti, n. et Adiantus, i, m. n. *Frauenhaar*, *Venushaar*, ἄδιαντον, herba foliis filicis, semper durantibus, ex quibus inferiora aspera et fusca sunt, radice nulla, certe admodum tenui, ramulis nigro colore nitentibus, duorum generum, candidioris et nigri; ita dicta ab *a* priv. et διαίνομαι, madefio, quod etiam aqua perfusa vel mersa siccae similis sit, ut ait *Plin.* 22, 21, 30. Eandem alio nomine *callitrichon et polytrichon* vocant, quia ad tingendos, crispandos, densandosque capillos et eorum defluvium prohibendum apprime utilis censetur: vel quia radicem habet tenuissimam, et capillis seu fibris similem. Latini *capillum Veneris* et *capillarem herbam* vocant, ut *Appul. Herb.* 47. docet. Nascitur autem circa umbrosas petras et parietum aspergines, fontium specus, et saxa manantia, quamvis aquas non sentiat, ut dictum est. *Plin. l. l.* Adiantum perfusum mersumve sicco simile est. Et paulo infra: in vino decocti (adianti) alvum sistunt. [*Adi *Salm. Exerc.* p. 912. sq.]

ADIAPHOROS, ἀδιάφορος, indifferens: sic enim graecam hanc vocem vertit *Cic. Fin.* 3, 16., hoc est, quod nec bonum nec malum est, ab *a* priv. et διαφέρω, differo. *Varr.* ap. *Non.* 2, 103. Nec dolorem adiaphoron esse.

[ADIAPTOTUS, i, m. ἀδιάπτωτος, ab *a* priv. et διαπίπτω, dilabor, firmus, stabilis. Nomen servile

in *Inscr.* ap. *Grut.* 1046, 2. Flavia Parapsyche et Adiaptotus fratres. *F.*]

[ADIATRON, onis, m. non diffugiens, ab *α* priv. et *διατρέω*, diffugio. Cognomen Rom. in *Inscr.* ap. *Grut.* 1091. 7. T. Attico Adiatroni omnibus honoribus functo. *F.*]

ADJECTAMENTUM, ti, n. adjectio. Quidam legunt ap. *Jabolen. Dig.* 50, 16, 242., ubi alii *additamentum.*

ADJECTIO, onis, f. *προσβολή*, *ἐπιβολή*, additio, verbale ab *adjicio. Liv.* 38, 14. *extr.* Paulatim illiberali adjectione ad centum talenta est perductus. [*Intellige de emptore sordido, qui paulatim minutam pecuniae summam adjiciens ad id pretium accedit, quod venditori satisfaciat. Cf. quae infra noster ex JCtis affert.] *Id.* 1, 30. Romana res adjectione populi Albani aucta. *Sen. ep.* 109. Calor non adjuvatur adjectione caloris. *Julian. Dig.* 18, 2, 17. Adjectio facta pretio. *Quintil.* 1, 5. Adjectio litterarum. *Tac. H.* 1, 78. Hispaliensibus et Emeritensibus familiarum adjectiones dedit, *h. e.* cum Hispalis et Emerita coloniae Romanorum essent, et in colonias certus deduceretur familiarum numerus, quem injussu senatus Romani augeri non licebat, concessum his beneficio singulari, ut adjicerent sibi alios, quo civitas frequentior et potentior fieret. [*cf. ibi *Lips.* Adde *Liv.* 43, 17. *Tac. A.* 13, 31.] ℙ [*Ap. rhetores *adjectio* dicitur ea figura, quum verba eadem geminantur, ut *occidi, occidi* et sim. Cf. *Quint.* 9, 3, 28., qui pluribus explicat.] ℙ In architectura *adjectio per scamillos impares* ap. *Vitr.* 3, 3. in stylobatis videtur esse numerus ille scamillorum, qui adjiciuntur quadratae figurae ipsius stylobatae, quae si simplex esset et sine scamillis, facies ejus viderentur alveolatae, ut *id. ib.* habet. In columnis vero adjectio, quae graece *ἔντασις*, ap. *eund. ib.* 2. est venter in medio columnae scapo turgescens. ℙ Ap. JCtos interdum *adjectio* accipitur pro pretii additione seu augmento. *Hermogenian. Dig.* 4, 4, 35. Si in emptionem penes se collocatam minor adjectione ab alio superetur. *Paul. Dig.* 50, 1, 21. Si civitas nullam propriam legem habet de adjectionibus admittendis. V. ADJICIO. [*sic etiam in auctionibus. *Ulpian. ib.* 18, 2, 11. adjectio prima, secunda, tertia (n. *Gebot*). *Modestin. ib.* 41, 3, 3. usucaptio est adjectio dominii per etc., ubi *Cujac.* et *Schulting.* praeferunt *adeptio*, quod melius videtur.]

ADJECTIVUS, a, um, *προσθετος*, *ἐπίθετος*, qui additur. Ap. Grammaticos *adjectivum nomen* est, quod positivo seu substantivo adjicitur, et significat vel laudem, vel vituperationem, vel medium, vel accidens, ut *justus, impius, magnus, albus*, ut *Prisc.* 2. p. 578. definit. *Macr. Sat.* 1, 4. Ut jam non positivum sit, sed adjectivum, quod Graeci *ἐπίθετον* vocant.

ADJECTO, as, a, 1. addo, frequentativum ab *adjicio. Apic.* 8, 2. Adjectas caryotam, uvam passam et oleum. [*Ita *Hamelberg.* conj., vulg. *adjectum.*]

ADJECTUS, us, m. actus adjiciendi seu immittendi, injectus, conjectus, *ἐπιβολή*. *Vitr.* 9. *ult.* Cuneorum adjectus aut exemptus. ℙ Item appulsus, appropinquatio. *Lucr.* 1, 689. rei, quae corpora mittere possit Sensibus et nostros adjectu tangere tactus. Et 4, 677. Quo pacto nares adjectus odoris tangat.

ADJECTUS, a, um, immissus, additus, *ἐπιβεβλημένος*, *πρόσθετος*, part. ab *adjicio.* [*Cic. *N. D.* 2, 57. Adjectae voces auribus, i. e. quae accidunt, audiuntur. Un. cod. *additae*, quod sane eodem modo dicitur. Cf. in ADJICIO.] *Hor. Od.* 3, 5, 3. Adjecti Britanni imperio. *Tac. H.* 2, 65. Cluvius comitatu (i. e. comitatui) principis adjectus, i. e. adjunctus. [*Id. *ib.* 1, 41. vulnera corpori jam trunco adjecta. *Ovid. Pont.* 2, 1, 35. adjectum plausibus omen. *Caes. B. G.* 5, 10. aggere ad munitiones adjecto.] ℙ [*Adjectus ad numerum* dicitur is, qui in aliquod collegium supra numerum cooptabatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 300, 1. Adlectus ad numerum ex S. C. *Adjectus* legendum probat *Marin. Frat. Arv.* p. 154. ex *Suet. Cl.* 6. Senatus ut ad numerum Sodalium Augustalium extra ordinem adjiceretur, censuit. Et *Plin. ep.* 10, 113. Ii, quos indulgentia tua quibusdam civitatibus super legitimum numerum adjicere permisit. *F.* *Permutantur *adjectus* et *addictus*, quod v.]

ADJĪGO, adigis, adegi, adactum, a. 3. proprie ago s. moveo aliquem vel aliquid ad locum vel rem, idque non semper *vi*, impello, immitto, conjicio, *προσαγω*, ex *ad* et *ago. Plin.* 17, 18, 29. Adigere taleam malleo. *Id.* 16, 10, 20. clavum aereum in arborem. [*Liv. 27, 49. Fabrile scalprum — quanto maximo poterat ictu adigebat. *Cels.* 8, 5. Linamenta — intus adigenda sunt. Al. *adjicienda.* Addidit Furl.] *Tac. A.* 6, 35. vulnus per galeam. *Sil.* 7, 626. ferrum in viscera. [*Ov. *Met.* 5, 70. in pectus.] *Justin.* 1, 9. et *Epit. Liv. l.* 124. ferrum alicui. *Suet. Ner.* 49. Ferrum jugulo. [*V. de his locutionibus *interpp. ad Vell.* 2, 80. et *Gron.* ad *Sen. Agam.* 432. Sic gr. *διελαύνειν*. cf. *Virg. A.* 12, 324. *Tac. A.* 1, 61. Varo vulnus. Alia habes in v. ADACTUS.] *Colum.* 5, 10. In fissuram cuneum adigito. Alii perperam *fissuram cuneo adigito. Pl. Bacch.* 5, 2, 3. Quis has huc oves adegit? *Suet. Galb.* 19. adig. equos per publicum. [*Varr. R. R.* 2, 5, 16. vitulos ad matres. *B. Caes. B. G.* 7, 17. Pecore e longinquioribus vicis adacto, ubi v. interpp.] *Ter. Eun.* 2, 1, 13. Noctu te adigent horsum insomnia. *Virg. A.* 4, 25. Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras. *Tac. A.* 2, 7. Dum adiguntur naves, *h. e.* in mare impelluntur. *Id. H.* 2, 83. Adigere classem e Ponto Byzantium. [*Tac. *A.* 11, 18. triremes alveo Rheni, ceteras navium per fossas et aestuaria adegit. *Aur. Vict. Caes.* 4, 3. adactis toto orbe navigiis. i. e. ad unum locum ex omnibus regionibus actis. Cf. *Gron.* ad *Liv.* 26, 7, 9.] *Virg. A.* 9, 601. Quis Deus Italiam, quae vos clementia adegit? [*Caes. *B. C.* 2, 1. Mare, quod adigit ad ostium Rhodani. Qui hoc defendunt, supplent *se*; sed de isto loco vehementer dubitant VV. DD.] *Caes. B. C.* 3, 51. Tumulum occupavit, qui tantum aberat a nostro castello, ut telum tormento missum adigi non posset. [*V. ad h. l. *Oud.* et ad *B. G.* 4, 23. *Drak.* ad *Liv. ep. l.* 124. In hujusmodi locis confunduntur *adjici* et *adigi* et anceps fere est judicium. Cf. ADJICIO.] *Id. B. G.* 5, 43. Adigere flammam turri. [*Eodem modo *Virg. A.* 6, 594. adigere fulmen, coll. 12, 320. Huc illa quoque pertinent, quae infra posuerat noster: *adigere aliquem arbitrum* vel *ad arbitrum* est aliquem cogere, ut ad arbitrum accedat controversiae finiendae causa estque dictum quasi *ad arbitrum agere*, hoc est adducere vel adire cogere. Nam ap. *Fest.* adigere est *adire cogere*, ut eum locum *Scalig.* et *Passerat.* recte emendant. *Cic. Off.* 3, 16. Itaque Calpurnius arbitrum illum adegit, quidquid sibi dare, facere oporteret ex fide bona. In uno *Manut.* cod. *ad arbitrum* legitur. Rursus *Cic. Top.* 10. Si in urbe de finibus controversia est, quia fines magis agrorum videntur esse, quam urbis, finibus regundis adigere arbitrum non possis. [*V. de utroque loco *Beier.* ad *Off. l. l.*] *Id. Rosc. C.* 9. Cur non arbitrum pro socio adegeris Q. Roscium quaero. Alii leg. *arbitrium* [*male.] ℙ Translate est compellere, cogere. *Ter. Ad.* 1, 2, 31. Tu homo adigis me ad insaniam. *Tac. A.* 15, 33. Acri cupidine adigi. [*Lact. 4, 27, 5. adegerunt in furorem.] *Id. ib.* 12, 22. Adigere aliquem ad mortem. [*Suet. *A.* 17. *Cic. Att.* 10, 9. Adigit ita Postumia. *Tac. Agr.* 28. adactis per vim gubernatoribus i. e. subactis et retentis.] ℙ Adigere aliquem *ad* vel *in jusjurandum*, et *adigere aliquem jurejurando* aut *sacramento*, est aliquem compellere ad juramentum praestandum. *Sall. Cat.* 23. Cum ad jusjurandum populares sceleris sui adigeret. *Cincius* ap. *Gell.* 16, 4. In jusjurandum eos tribunus militaris adigebat in haec verba etc. Quaedam edd. omittunt *in. Tac. H.* 1, 76. Judaicum exercitum Vespasianus, Syriae legiones Mucianus sacramento Othonis adegere. *Suet. Galb.* 16. Adigere aliquem sacramento in nomen senatus. [*Flor. 3, 1.] *Liv.* 10, 38. Adigere aliquem jurejurando, non enuntiaturum etc. Et omissa praep. *Liv.* 43, 15. Censores, cujus nondum justa missio visa esset, ita jusjurandum adigebant: ex tui animi sententia etc. *Caes. B. C.* 1, 76. Ipse idem jusjurandum adigit Afranium. *Gell.* 7, 18. Priusquam proficiscerentur, jusjurandum eos adegit, redituros esse in castra etc. Sunt qui hic aliter legant. *Id.* 4, 20. Censor adigebat de uxoribus solemne jusjurandum. [*V. de his locutionibus *Cort.* ad *Sall. l.*, *Davis.* et *Herz.* ad *Caes. B. G.* 7, 67. *Held.* ad *B. C.* 1, 76. *Drak.* ad *Liv.* 43, 15, 8. Ablativo utitur etiam *Justin.* 8, 4.] ℙ *Adigere in verba* est compellere aliquem ad jurandum iis verbis, quae quis velit. *Liv.* 7, 5. Pavidus tribunus adjurat, in quae adactus est verba. *Suet. Vesp.* 6. Primus in verba Vespasiani legiones adegit. *Caes. B. C.* 2, 18. Provinciam omnem in sua et Pompeji verba jusjurandum adigebat. Quidam leg. *per jusjurandum.* [*Male, et est illa optimorum libb. scriptura. *Tac. H.* 4, 61. neque se neque quemquam Batavum in verba Galliarum adegit (Civilis), ubi *se adigere* notandum est, ut *ib.* 70. legiones — se ipsae in verba Vespasiani adigunt. Cf. *Plin. Pan.* 64.] ℙ Hoc eodem signif. absolute *Tac. H.* 4, 15. Magno cum assensu auditus barbaro ritu et patriis exsecrationibus universos adigit. ℙ Cum infin. *Id. ib.* 15, 35. Silanus mori adigitur. *Et A.* 11, 10. Adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces. [*adde 4, 45.] *Virg. A.* 7, 114. vertere morsus Exiguam in Cererem penuria adegit edendi. [*Cf. 6, 696.] *Sil.* 2, 472. jejunia ventris Insolitis adigunt vesci. Adde *Stat. Th.* 4, 531. [*Adde *Ov. Am.* 3, 6, 3.] Et cum conjunctivo et partic. *ut Latin. Pacat. paneg. ad Theodos.* 2. Quod ut dicerem, nullus adigebat. Et omissa *ut Pl. Rud.* 3, 3, 19. Quae vis, vim mihi afferam ipsa, adigit. Alii aliter leg. [*Etiam cum praepos. *ad. Aur. V. Epit.* 41, 7. adigi ad siccandam lacunis ac fossa urbem patriam.] ℙ Primam syllabam produxit *Lucr.* 3, 936. Nec desiderium nostri nos adigit ullum. Al. leg. *adtigit.* [*Sic etiam *Eichstaedt.* et sententia et metro postulante.] ℙ *Adaxint*, quod huc pertinet, v. supra suo loco. ℙ [*In libb. confunduntur *abigere* et *adig.* V. *Drak.* ad *Sil.* 11, 14.]

ADJICIALIS, e. V. ADITIALIS.

ADJĬCIO, is, jeci, jectum, a. 3. *προσβάλλω*, ex *ad* et *jacio*, *is.* [*Hujus v. usus in multis rebus convenit cum usu v. *addo*, quem supra explicuimus. Ac proprie quidem significat *ad aliquem locum jacio* et *in aliquid conjicio;* tum vero etiam *indo, admoveo, juxta pono.*] *Caes. B. G.* 2, 21. Non longius hostes aberant, quam quo telum adjici posset. *Id. ib.* 4, 23. Sed utrobique alii leg. *adigi.* [*V. h. v. Utrumque recte dici patet etiam ex iis, quae in v. *Adactus* allata sunt. Quamquam hoc videri possit esse discriminis, ut *adjicere* dicatur de telis, quae eminus jaciuntur, *adigere* de iis, quae cominus homine adstante et sua manu vim teli adjuvante. Ceterum cf. *Oud.* ad *Hirt. B. Afr.* 56.] *Cels.* 7, 27. Idemque humor clystere intus adjicietur. Alii leg. *adigetur. Col.* 12, 16. In vini sextarios decem salis tres cyathos adjicere. *Id. ib.* 48. Adjicere in vas. Sic persaepe *Col. Cels.* 4, 3. adjicere sulfur aquae. [*Ov. *Met.* 7, 266. Adjicit (admiscet) extremo lapides Oriente petitos. Cf. 14, 276. *Id. ib.* 7, 291. Adjectoque (i. e. indito) cavae supplentur sanguine venae. *Id. A. A.* 3, 7. Quid virus in angues adjicis? *Curt.* 10, 10. Capiti adjecta fortunae ejus insignia. Cf. 7, 11, 15. *Vell.* 2, 100. Parthus adjecit Armeniae manum i. e. eam armis vindicavit, ut expl. *Ruhnk.*, qui h. l. docet similibus exemplis (imponere manum *Ov. Pont.* 4, 8, 82. et *Sen. contr.* 4, 25. p. 313. apponere manum) quid differant hae formulae a tropicis *adjicere animum* etc. Cf. etiam *Oud.* ad *Appulej. Met.* 4. p. 295.] *Cic. Leg.* 2, 14. adjicere oculos aliquo. [*Cic. dicit: quo ne imprudentiam quidem oculorum adjici fas fuit.] Haec locutio sic transfertur, ut dicatur de eo, qui aliquam rem concupiscit. *Cic. Agr.* 2, 10. Cum ad omnia vestra pauci homines cupiditatis oculos adjecissent. *Id. Verr.* 2, 2, 15. Plane videbant, adjectum esse oculum hereditati. Transfertur hoc etiam ad animum et mentem. [*Ov. *Met.* 14, 319. Tu dictis adjice mentem.] *Ter. Eun.* 1, 2, 63. Ad virginem animum adjecit. *Liv.* 25, 37. Adjecit animum ad consilium. *Id.* 28, 33. Novo etiam consilio animum adjecit. [*Pl. *Mil.* 3, 3, 34. animum militi.] *Lex* XII. *Tab.* ap. *Cic. Leg.* 2, 24. Rogum bustumve novum vetat propius sexaginta pedes adjici aedes alienas; *προστιθέναι.* [*Plin. *ep.* 1, 2. *adjicere album calculum* est approbare.] ℙ Porro vero significat i. q. addere, cum notione accessionis et augmenti, *προστιθέναι*, eaque est frequentissima significatio, cf. *Drak.* ad *Liv.* 3, 33, 10. et 36, 40, 9. Nihil interest, sive ad rem, sive ad verba alicujus, sive ad hominem ipsum dicitur aliquid accedere. Construitur autem promiscue modo c. dat., modo c. accus. et praep. *ad;* ille casus frequentior apud poetas. *Hor. Od.* 3, 6, 11. Adjecisse praedam Torquibus exiguis renidet. *Cic. Off.* 1, 32. ad bellicam laudem ingenii gloriam. *Vell.* 2, 36. decus alicui. [*Liv. 44, 33. Aliquantum ea res duci famae et auctoritatis adjecit.] *Justin.* 1, 2. provinciam imperio. [*Cf. *Hor. Od.* 3, 5, 3. 4, 7, 17. *Ov. Met.* 15, 756. et supra in ADJECTUS. Sic etiam *Curt., Eutrop.*, alii.] *Suet. Cl.* 6. aliquem ad numerum sodalium. *Plin. ep.* 10, 113. aliquem super legitimum numerum. [*Liv. 4, 17. centuriones adjecti, ubi conj. *adlecti.* V. *Drak.* et ad *ep. l.* 6.] *Liv.* 28, 9. auctoritatem alicui rei. [*Placet his nonnulla difficiliora vel rariora adjicere. *Virg. A.* 12, 837. Morem ritusque sacrorum adjiciam. *Ov. Met.* 6, 182. Huc natos adjice (cogita praeterea) septem. *Id. ib.* 11, 285. Adjicis huic animo momenta potentia. *ib.* 10, 656. Adjiciunt animos juveni clamorque favorque, i. e. reddunt eum animosiorem. Cf. 7, 121. *ib.* 1, 245. stimulos furenti. *Id. Pont.* 1, 8, 56. minas. *Id. Rem. Am.* 790. vela remis. *Hor. ep.* 2, 2, 43. Adjecere bonae paulo plus artis Athenae. *Liv.* 10, 7. Eos viros, quos honoraritis — pontificalia atque auguralia insignia adjicere, ubi v. *Gron. Id.* 24, 5. Adjecti poenae ceteri juxta insontes. (Cf. *Suet. Vit.* 14. *Curt.* 10, 5, 23.) *Id.* 40, 19. Praetori — adjecta de Bacchanalibus quaestio est. 41, 15. adj. curam. 21, 35. Fessis taedio tot malorum nivis etiam casus — ingentem terrorem adjecit (quem l. rectissime defendit *Drak.*, nam alii malebant *injecit*). *Suet. Oth.* 11. adj. vitae unum noctem. Cf. *id. Tib.* 67. *Cal.* 15. *Caes.* 38. adj. epulum ad viscerationem, ubi cf. *Burm. Tac. Agr.* 26. Ab universis clamorem adjici jubet. *Id. A.* 15, 55. adj. constantiam dictis, i. e. constanter et intrepide proferre. *Quintil.* 11, 3, 4. Optimis poetarum tantum adjiciunt gratiae scenici actores. *Id.* 1, 1, 32. Incredibile est, quantum morae lectioni festinatione adjicitur (his passivam vim depon. *morari* circumscribit). *Id.* 2, 10. adj. ad consuetudinem. Denique noli ab his sejungere ea, quae infra demum noster attulit: *Quintil. prooem. l.* 4. adj. exspectationem alicui, i. e. addere s. augere. *Tac. A.* 3, 6. Idque et tibi et cunctis egregium, si modus adjiceretur (adhiberetur.) *Id. ib.* 1, 29. adj. metus.] ℙ Interdum *adjicere* absolute est loquendo addere. *Tac. A.* 2, 33. Adjecerat Tiberius, non id tempus censurae. *Id. ib.* 4, 21. Adjecit in domo ejus venenum esse. *Ib.* 4, 70. Secutae insuper litterae grates agentis, quod hominem infensum reip. punivissent; adjecto, trepidam sibi

vitam etc. Hic loquendi modus non semel apud *Tac.* legitur. [**Vell.* 2, 27. quem addit *Furl.*, et v. *addere*, quod hac signif. frequenter usurpari vidimus.] ℙ Ap. JCtos *adjicere* absolute interdum ponitur, addere s. augere pretium alicujus rei in auctionibus et emptionibus. *Pompon. Dig.* 18, 2, 7. Quo pertinet illud quoque *Cic. Verr.* 2, 3, 33. Herbitenses liciti sunt usque eo, quoad se efficere posse arbitrabantur: supra adjecit Aeschrio. Cf. ADJECTIO. ℙ [*Ceterum vero rarissimum est, ut absolute *adjicere* dictum reperiatur pro *addere* (augere), ut *Quintil.* 10, 2, 9. quodsi prioribus adjicere fas non est. Cf. *ib.* 6, 1, 29. *Curt.* 8, 14, 13. Magnitudini Pori adjicere videbatur bellua. Noster laudat *Virg. A.* 10, 182. Tercentum adjiciunt, quod *Serv.* explicat assentiuntur, consentiunt, accedunt. *Probus* expl. adjacent et quasi juxta sunt; alii supplent *se.* Quid? quod laudant *Cic. Fin.* 1, 6. *in.* Democrito adjicit, perpauca mutans. Sed h. l. aliter interpungendum, ut ostendit *Goer.*; idem recte apud *Virg.* supplet *sibi.*] ℙ Poetae alterum *i* saepe abjiciunt, ut primam syllabam corripiant. *Stat. Th.* 7, 4. proclamatque adici cervicibus Atlas, *h. e.* adjici pondus. *Martial.* 10, 82. Si quid nostra tuis adicit vexatio rebus. Adde 4, 54. [*Cf. *Laurenbergii antiquarius* p. 7. qui multa alia laudat et de pronuntiatione *Lindem. ad Pompej. comment. artis Donati* p. 75. ℙ *Adicit* (sic enim scribebant librarii; v. *Par. Lex. cr.* et ADDICO) et *addit* passim in libris permutantur, v. *Drak.* ad *Sil.* 17, 529. qui laudat *Heins.* ad *Sil.* 4, 398. et *Broukh.* ad *Prop.* 4, 5, 76. Porro *adjicere* et *adspicere*, v. *intpp.* ad *Ov. Am.* 3, 9, 25. et frequentissime *abjicere, adigere, addicere, adducere*, de quibus omnibus saepe dixit *Drak.* ad *Liv. Adjeci* et *allegi* confunduntur ap. *eund.* 35, 2, 8. ubi v. *Drak.*]

[ĂDĪMANTUS, i, m. Ἀδάμαντος, ab *α* priv. et δείμα timor, *h. e.* impavidus. Fuit hoc nomine scriptor patria Lampsacenus, cujus meminit *Plin.* in catalogo auctorum *lib.* 1. *Hist. nat.* praefixo. ℙ Item rex Phliasiorum, qui, cum Jovem suis indignum sacrificiis judicaret, ab eo fulmine percussus est. *Ov. Ib.* 337. *F.* *ibique *intpp.*, qui permulta de hoc nomine attulerunt.]

ĂDĪMO, īmis, ēmi, emptum, a. 3. ἀφαιρέω, eripio, aufero, ex *ad* et *emo*, quod antiqui pro accipere, sumere, teste *Festo*, usurparunt. *Cic. Att.* 2, 16. Adimere alicui somnum. *Id. Quint.* 15. alicui pecuniam. *Id. Dom.* 9. libertatem. *Id. Att.* 1, 16. provinciam. *Id. Verr.* 2, 5, 32. Adimere alicui aditum litoris. *Id. Planc.* 42. vitam. *Pl. Mil.* 3, 1, 137. animam. *Id. Capt.* 5, 4, 30. alicui compedes. [*cf. *Ov. Met.* 8, 322.] *Hor. Od.* 3, 22, 3. aliquem leto. *Id. Sat.* 2, 3, 288. dolores. *Ter. Ph.* 5, 6, 47. curam. [*cf. *Hec.* 5, 3, 19.] *Id. Heaut.* 3, 1, 13. Diem adimere aegritudinem hominibus. *Id. Andr.* 2, 2, 2. metum. [**Liv.* 22, 44. arma militibus. *Suet. Caes.* 29. beneficium (i. e. privilegium) populi. *Curt.* 7, 11, 20. conspectum oculorum. *Suet. Dom.* 8. usum lecticarum. *Id. Aug.* 65. usum vini omnemque delicatiorem cultum. *Ov. Pont.* 3, 6, 47. usum rationis. *Curt.* 4, 14, 24. *Eutrop.* 1, 7. imperium. *Tac. A.* 14, 48. praeturam. *Suet. Caes.* 24. exercitus, i. e. imperium. *Justin.* 1, 2. dignitatem regni. *Suet. Cal.* 44. plerisque centurionum primos pilos. *Curt.* 8, 1. gloriam. *Suet. Tib.* 49. jus (ut *Ov. Trist.* 5, 11, 15.) *Cic. Att.* 3, 7. mentem. *Id. Caecil.* 6. potestatem. *Liv.* 10, 32. (*Curt.* 5, 13, 12.) prospectum (ut *id.* 4, 15, 32. auferre prospectum.) *Ter. Andr.* 2, 1, 4. spem. *Plin.* 16, 40, 3. vires (saepius ap. *Ovid.*) *Liv.* 23, 18. vires ad vincendum. *Hor. Sat.* 2, 3, 288. das adimisque dolores. *Tac. H.* 1, 79. pernicitatem. *Ter. Andr.* 4, 2, 14. hanc nisi mors, mihi adimet nemo. Cf. *Phorm.* 1, 3, 9. *Pl. Epid.* 2, 2, 50. nomen. *Quintil.* 11, 1. Quam decenter Sulpicio, cum omnes concessisset virtutes, scientiam petendi consulatus ademit, i. e. abjudicavit. Sed haec, si tanti esset, in immensum augeri possent; cf. etiam ADEMPTUS. Dicitur vero interdum etiam nullo addito subst., ut ap. *Ter. Ph.* 2, 1, 46. adimunt diviti — addunt pauperi. Ubi quid intelligendum sit apparet.] ℙ Cum infin. *Hor. Ep.* 1, 19, 9. Adimam cantare severis, *h. e.* vetabo. [**Ovid. Pont.* 1, 7, 47. ademit posse reverti. Cf. *Sil.* 9, 425.] ℙ *Adempsit* vel *ademsit* pro *ademerit* vel *adimat* dictum est a *Pl. Epid.* 3, 2, 27. ℙ [*A librariis confunduntur *adim.* et *demere.* V. *Drak.* ad *Liv.* 5, 13, 8.]

ĂDIMPLĔO, es, a. 2. ἐμπιπλημι, ex *ad* et *impleo*, significat propr. plenum reddere. *Liv.* 38, 7. *extr.* Cum totum cuniculum adimplesset. [*Sed ibi leg. esse videtur *complesset* cum libris, quamquam *Dukero* minus, quam *Drak.*, displicet hoc v.] Aeque incerta est auctoritas *Plin.* 11, 37, 52. adimplere vicem, i. e. fungi vice. Sed hic quoque al. codd. simplex v. praebent. [**Aethic.* (aut quisquis ille est) *Cosmogr.* p. 709. (*ed. Mel. a Gron. cur.*) Gangem decem fluminibus adimpleri. Ceterum sunt alia quoque verba ad eundem modum composita et suspectae auctoritatis, ut *adinsurgere* (quod nonnullae membranae exhibent ap. *Liv.* 22, 4, 3.) *adinsectari* etc., de quibus v. *Drak. l. l.* Quamquam his longe facilius v. *adimplere* videtur posse ferri.] ℙ Translate est exsequi seu praestare id, quod quis debet. *Paul. Dig.* 26, 7, 42. Adimplere id, quod promisit. *Id.* 18, 1, 57. venditionem. *Tert. ad Nat.* 1, 5. legem. *Justin. Inst. l.* 2, 23. fidem. [**Cod. Justin.* 7, 2, 15. libertates, e. g. servorum ex testamento. *ib.* creditores i. e. solvere iis, quod debetur.]

ĂDIMPLĒTĬO, onis, f. impletio. *Tertull. Marc.* 5, 17. Temporum adimpletiones, et mox: dispensatio sine adimpletione. Adde *de Monogam.* 5. et *Lact.* 4, 20.

ĂDIMPLĒTOR, oris, m. qui adimplet. *Augustin. de Temp. serm.* 144, 3. Filius Dei adimpletor prophetarum.

ĂDIMPLĒTUS, a, um, part. v. *adimpleo. Firm. de err. prof. relig.* p. 10. Adimpleti tibiarum cantu vocant deam suam.

*ĂDINCRESCO, evi, etum, 3. i. q. cresco. *Vulg. Sirac.* 23, 3. ne adincrescant ignorantiae meae.

ĂDINDO, is, indĭdi, inditum, a. 3. immitto, injicio, ἐπιτίθημι. *Cato R. R.* 18. Orbem olearium crassum digitos sex facito, subscudes iligneas adindito.

ĂDINGĔRO, is, essi, estum, a. 3. id. qu. ingero. Translate *Sisenn. Milesiar.* ap. *Serv.* 2., teste *Falstero* (qui loc. *Serv.* non designat), non dignus in quem debeam satiram calente vi adingerere, *h. e.* satiram scribere.

*ĂDINQUĪRO, is, a. 3. id. fere q. inquiro. *Jul. Valer. R. gest. Alex. M.* 1. (*ed. A. Maj.*) Non ausi eorum ultra aliquid adinquirere. *Bail. Auctar.*

ADINSTAR. V. INSTAR.

ADINVENIO, is. a. 4. invenio. *Serv.* ad *A.* 6, 603. testatur *adinvenire* pro *invenire* legi, sed nullum affert exemplum. Nos quoque praeter participium nihil adhuc vidimus, praeter locum *Auct. Vulg. Exod.* 35, 33. Quidquid fabre adinveniri potest.

ADINVENTIO, onis, f. inventum, consilium. *Modest. Dig.* 27, 1, 6. Reliquas excedere hunc numerum quidem non licet, neque sententia senatus, neque alia qua adinventione. Adde *Paul. Nol. ep.* 43. *ad Augustin.*. [*Utitur h. v. etiam *Ambros.*, *Vulg. interpr.* et al.]

ADINVENTOR, oris, m. qui adinvenit. Ita vertit *Cyprian. ep.* 68, 10. graecam vocem ἐφευρετὴς *Rom.* 1, 30.

ADINVENTUM, ti, n. adinventio. *Tert. adv. Gnost.* 1. Haec et si qua alia adinventa haereticorum venenorum.

ADINVENTUS, a, um, part. inventus, excogitatus. *Cic. N. D.* 2, 60. Ex quo intelligitur adinventa animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus, omnia nos consecutos. Plerique leg. divisim *ad inventa* [*recte.] *Pl. Curc.* 1, 3, 34. Jam huic voluptati hoc adinventum est odium. Alii rectius leg. *adjunctum.* [Luculentam vero hujus part. auctoritatem habes in *Inscr.* ap. *Jo. Labus, Epigrafe lat. scoperta in Egitto:* quod primiter felicissimo saeculo DD. NN. invictorum Impp. Severi et Antonini novae lapicaedinae adinventae, tractaeque sunt parastaticae, et columnae grandes et multae. Haec inscr. pertinet ad ann. 203 — 211. a Ch. nat. *F.*]

ĂDINVĪCEM et Ad invicem pro ipso *invicem* est *Augustini d. Trin.* 7, 12. V. INVICEM.

*ĂDJOCOR, ari, dep. 1. *P. Chrysolog. S.* 152. Gladio adjocabatur infantulus. Ex *Bail. Auctar.*

ĂDIPĀLIS, le, adj. ad adipem pertinens vel pinguis, στεατώδης. *Arnob.* 3. p. 115. Nisi postes adipali unguine oblinerentur ab sponsis. Olim et *Cic. Or.* 8. (v. seq. v.) et *Plin.* 10, 20, 23. et *Macr. Sat.* 2, 9. pro hac voce afferri solebant, sed ubique optimae quaeque edd. aliter legunt.

ĂDIPĀTUS, a, um, adj. στεατώδης, pinguis, opimus. *Lucil.* ap. *Charis.* 1. p. 74. Adipata puls. *Char. ib.* Adipatus panis. ℙ Translate *Cic. Or.* 8. Itaque Caria, et Phrygia, et Mysia, quod minime politae minimeque elegantes sunt, adsciverunt aptum suis auribus opimum quoddam et tanquam adipatae dictionis genus, *h. e.* pingue dicendi genus. [*Hic tamen, quod in nonn. libb. est *adipale*, praeferunt *Ernest.*, *Schütz.* aliique propter *opimum*, quod eodem modo conjunctum sit cum *genus.*] ℙ Absolute *Adipatum, ti*, (supple *edulium* aut quippiam simile) dicitur opus quodlibet pistorium, quod immixto adipe conficitur, ut *Charis. l. c.* docet. *Juven.* 6, 630. Livida materno fervent adipata veneno. [*Glossae Balbi: *adipatus*, adipe conditus; *adipatum* quodlibet edulium adipe impinguatum.]

*ADIPEUS, adj. Laudatur *Hieron.* Taurina cervix toris adipeis intumescens.

ĂDIPISCOR, iscĕris, adeptus sum, dep. 3. καταλαμβάνω, ἐπιτυγχάνω, consequor, nanciscor, obtineo, ex *ad* et *apiscor.* [*Proprie est currendo aliquem consequi s. assequi, et construitur hac sign. cum accus. personae. *Pl. Epid.* 1, 1, 13. Curriculo occoepi sequi: vix adipiscendi potestas fuit. *Liv.* 44, 28. Fugientes Gallos Macedones adepti ceciderunt. Saepe ita *Liv.*, ut ostendit *Drak.* ad 2, 30, 14. ℙ Hinc translatum ad alias res, quas assequimur, ita proprie differt a *nancisci*, ut de rebus labore partis dicatur, nancisci de iis, in quas casu incidimus.] *Cic. Sen.* 2. Adipisci senectutem. *Id. Flacc.* 18. ordinem senatorium. *Id. Off.* 1, 19. laudem. *Sall. ad Caes. de Rep. ord.* 2, 45. magistratum malis artibus. *Cic. Cluent.* 42. summos honores a populo Romano. [**Plin.* 35, 4, 7. consulatum. *Id. ib.* 10, 9. regnum. *Cic. Fam.* 10, 6. amplissimos dignitatis gradus. *Suet. Vesp.* 2. latum clavum. *Id. Cal.* 13. imperium. *Id. Dom.* 13. principatum. *Cic. Off.* 1, 21. adipiscendi magistratus sunt, i. e. capessendi, in quo l. errant, qui putant *adipisci* esse id. q. *petere.* Afferunt praeterea *Tac. A.* 11, 22. qui quaesturam adipiscerentur. Sed ne hic quidem videmus quid cogat ut sic intelligamus. *Nep. Chabr.* 2. Qua ex re Athenienses magnam gloriam sunt adepti. *Vell.* 2, 116. Materia adipiscendi triumphalia defectus est. *Caes. B. G.* 5, 28. et *Suet. Aug.* 16. Adipisci victoriam. *Liv.* 1, 32. jus suum. *Ter. Ph.* 2, 3, 59. De eadem causa bis judicium adipiscier, *h. e.* bis jure experiundi facultatem obtinere. [**Bentl.* apiscier. *Plin.* 9, 5, 23. maturitatem. *Cic. Fam.* 12, 22. laudem. *Ter. Andr.* 2, 1, 32. Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier. *Ov. Met.* 8, 151. *Fast.* 4, 420. nomen. *Quint.* 8, 3, 2. virtutem aliquam magnam. *Cic. Leg.* 1, 22. sapientiam. *Nep. Them.* 9. amicitiam. *Liv.* 6, 8. malis consiliis pares eventus.] De rebus malis *Suet. Dom.* 14. *fin.* Nero in adipiscenda morte Epaphroditi manu adjutus existimabatur, *h. e.* consciscenda. [*Sic *Ov. Tr.* 2, 92. nullum crimen adeptus eram. V. *Oud.* ad *Suet. l. l.* et ad *Frontin.* 4, 5, 15. *Gron.* ad *Gell.* 1, 24. Comparat *B. Crus.* gr. ἐπιλαμβάνεσθαι, ἐπιχειρεῖν.] ℙ Translate est assequi, intelligere. *Cic. Rosc. A.* 45. Nisi hoc mirum est, quod vis divina assequi non possit, si id mens humana adepta non sit. ℙ Cum genit. *Tac. A.* 3, 55. Arma queis Galba rerum adeptus est. Alii leg. *rem Romanam. Id. ib.* 6, 45. Dum dominationis adipisceretur. Alii leg. *apisceretur*, alii *dominationem.* [*Hae merae sunt conjecturae. Quod in superiore loco olim *Lips.* conjecerat *rem Romanam*, ipse postea improbavit, comparans illud notissimum *rerum potiri*, quod aperte imitatur *Tac.*] ℙ Pass. *Pl. Trin.* 2, 2, 88. Non aetate, verum ingenio adipiscitur sapientia. *Fab. Max.* ap. *Prisc.* 8. p. 791. Amitti magis, quam adipisci. Adde *C. Fannium ib.* et *Suet. Galb.* 15., nihil non pretio adipisci aut donari gratia passus est. Sed hic alii aliter leg. [*Melior est libr. scriptura *addici.* Cf. *Gron. Burm.* et *Oud.* ad h. l. Omnino, nisi apud Plautum, passivus h. v. usus comprobari non potest in reliquis temporibus; de participio v. ADEPTUS, et *adipiscendus* pass., ut alia multa, *Cic.* dixit *Leg. l. l.*]

*ADIPSATHEON, i, n. *Plin.* 24, 13, 69. frutex humilior, aeque spinosus, quem etiam erysisceptrum s. diacheton appellant.

ĂDIPSOS, i, n. ἄδιψος, glans unguentaria e quodam palmae genere in Aegypto nascens, similem proximumque usum myrobalano habens in unguentis, colore viridi, odore mali cotonei, nullo intus ligno. Colligitur paulo ante quam maturescere incipiat: quod si relinquatur, *phoenicobalanus* vocatur, et nigrescit vescentesque inebriat. Haec a *Plin.* 12, 22, 47. Dicitur autem *adipsos*, quia sumentibus sitim sedat, ab *α* priv. et δίψος, sitis. ℙ Praeterea herba est eadem, quae glycyrrhiza. *Plin.* 22, 9, 11. de glycyrrhiza: hac diximus sitim famemque sedari: ob id quidam adipson appellavere eam et hydropicis dedere, ne sitirent. ℙ [*Etiam Gerrhon, Aegypti oppidum, ob aquarum inopiam cognomen habet Adipson. *Plin.* 6, 29, 33.]

ĂDĪTĬĀLIS, le, adj. *Aditialis coena*, quae multa impensa magnoque exquisiti obsonii apparatu publice indicebatur, cum magistratus aliquis honorem inibat, et praecipue sacerdotes. Hinc et *pontificalis* dicta est, quod maxime pontifices eam praebere solebant, cum primum sua sacerdotia ingrediebantur, cujus moris exemplum ap. *Macr. Sat.* 2, 9. legitur. Hinc pontificales, augurales, saliares, diales celebratae. *Varr. R. R.* 3, 6. *fin.* Primus pavones Q. Hortensius augurali aditiali coena posuisse dicitur. *Sen. ep.* 95. *med.* Et toties tamen sestertio aditiales frugalissimis viris constiterunt. *Plin.* 29, 4, 14. Aditiales epulae. *Id.* 10, 20, 23. Aditialis coena sacerdotii. Adde *Sen. ep.* 123. ℙ Sunt qui in his locis scribendum putent *adjicialis coena*, eo quod in ea semper novi aliquid, lauti et peregrini cibi *adjiceretur.* At *Scalig.* in *Conj. ad Varr.* et *Voss.* in *Etym.* id deducunt ex more loquendi, quo dicebatur *adjicere coenam*, *h. e.* indicere. *Tac. A.* 2, 65. Rhescuporis sanciendo, ut dictitabat, foederi convivium adjicit, tractaque in multam noctem laetitia. [*At hic *adjicere* neutiquam est *indicere.* Ceterum v. ad h. l. *Ern.*] Quibus vero *aditialis* magis placet, ab *aditu* derivant, quod praecipue in ipso honoris aditu hujusmodi epulae celebrarentur, ut dictum est. Ita *Lips. de magn. Rom. l.* 4. *c.* 9. Sane *Hard.* in mss. *Plinii* testatur *aditialis* legi, idque profecto solum probandum [*sic etiam *Gesner.* et *Scheller.*]

*ADITICULA, ae, f. id. q. aditiculus. *Jul. Val. R. gest. Alex. M.* 3, 70. Quo spatio una sit aditicula eaque vix accolis nota. *B. A.*

ADITICULUS, i. m. parvus aditus. *Festus.*

ĂDĪTĬO, onis, f. προσοδος, actus adeundi, aditus, ab *adeo*, *is. Pl. Truc.* 2, 7, 62. Quid tibi huc ventio est? quid tibi hanc aditio est? *h. e.* itio

ad hanc. [*Herm. ad *Vig.* p. 714. sq.] ℙ *Aditio hereditatis* est cretio. *Julian. Dig.* 29, 2, 45. Aditio hereditatis non est in opera servili. Adde *Pomp. Dig.* 50, 17, 77. ℙ Absolute eadem signif. *Ulp. Dig.* 4, 4, 22. In integrum restitutione postulata adversus aditionem a minore factam. Adde *Tryph. Dig.* 37, 4, 20.

ĂDĪTO, as, n. 1. frequentat. v. *adeo, is. Enn.* ap. *Diomed.* 1. p. 336. Ad eum aditavere. *Pl. Capt.* 3, 4, 72. Aedepol si adites propius, os denasabit tibi. Optimae quaeque edd. h. l. habent *adbites.* [v. h. v.]

ĂDĪTUS, a, um, part. V. ADEO, is, in fin.

ĂDĪTUS, us, m. *πρόσοδος*, ingressus, aditio, accessio, ab *adeo, is. Lucr.* 1, 677. Quorum aditu aut abitu mutatoque ordine mutant Naturam res. *Cic. Man.* 8. Urbes permultas uno aditu atque adventu esse captas. *Id. Verr.* 2, 4, 45. Aditus in id sacrarium non est viris. [*Cic. Dom.* 42. in templum. *Id. Fin.* 4, 9. in urbem. *Liv.* 24, 5. aditus in domum familiarior. *Ovid. Fast.* 1, 173. ad deos. *Val. Max.* 6, 9, 15. in coelum. *Cic. Att.* 15, 8. ad Antonium. *Tac. A.* 2, 28. ad Principem. *B.*] *Id. N. D.* 2, 47. *extr.* Elephanti propter magnitudinem corporis difficiles aditus habent ad pastum. [*Virg. G.* 4, 9. Quo neque sit ventis aditus. *Id. A.* 4, 293. sese — tentaturum aditus. Cf. *ib.* 423. *Claud. R. Pros.* 1, 159. Aetnaeos apices — non aditu tentare licet. *Ferre aditum aliquo* est idem ac ferre gradum, accedere. *Catull.* 61, 41. Ut — huc aditum ferat Dux bonae Veneris. Eadem ratione *aditus ad sepulcra* est jus accedendi ad sepulcrum etiam per fundum alterius. *Pompon. Dig.* 47, 12, 5. Legibus praediorum vendendorum cavetur, ut ad sepulcra, quae in fundis sunt, iter ei, aditus, ambitus funeris faciendi causa sint. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 1081, 1. [*et *Briss. Form.* 6, 40. qui affert *Cic. Rosc. Am.* 9.] ℙ Saepe refertur ad personam et significat facultatem conveniendi aliquem, visendi, colloquendi. *Cic. Fam.* 6, 13. Magnis occupationibus ejus, a quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliores fuerunt. *Id. Man.* 14. Faciles aditus ad eum privatorum. [*cf. *Hor. Sat.* 1, 9, 56.] *Id. Rosc. Am.* 38. Omnes aditus ad Sullam intercludere. *Nep. Paus.* 3. Aditum petentibus conveniendi non dare. *Sen. Herc. F.* 164. Superbos aditus regum colere. *Justin.* 21, 6. Obtinere aditum regis. [*Liv.* 41, 23. Qui privatae gratiae aditum apud regem quaerebat. *Cic. Att.* 1, 2. aditus ad me minime provinciales, i. e. non quales esse solent in provincia apud praetorem, per cubicularium. *Liv.* 24, 5. (homo) rari aditus. V. ad h. l. *Drak.*] ℙ [*Dicitur porro de via, qua aditur, et de loco, per quem aditur. *Ov. Her.* 18, 44. de Borea: gaudia rapturo si quis tibi claudere vellet Aerios aditus. *Id. Fast.* 6, 157. Spargit aquis aditus etc.; intell. de aquis lustralibus. Cf. *Ov. Met.* 3, 226. *Liv.* 36, 10. campestris aditus. V. ibi *Duk.* De his vero: *aditus a theatro, a terra*, v. *Oud.* ad *Caes. B. C.* 2, 16.] *Cic. Att.* 4, 16. Aditus insulae muniti mirificis molibus. [*Tac. *Agr.* 24. aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti. *Caes. B. G.* 4, 20. Magno sibi usui fore arbitrabatur, si loca, portus, aditus cognovisset. *Virg. A.* 9, 381. omnem aditum custode coronant.] *Cic. Caec.* 12. primus aditus et vestibulum templi. Cf. *Verr.* 2, 2, 66. *Id. Phil.* 1, 10. claudere omnes aditus. [*Ac de jure aliquo accedendi, fere ut apud JCtos, *Cic. Caec.* 25. non est aditus ad etc. cf. supra *Verr.* 2, 4, 45.] ℙ Ap. JCtos cum de praediorum servitutibus sermo est, *aditus* significat jus adeundi seu transeundi ad proprium fundum per fundum alterius. *Ulp. Dig.* 7, 6, 1. Praestare aditum alicui. *Paul. Dig.* 30, 44. Aditum redimere. ℙ Translate *Cic. Off.* 2, 9. Sed est alius quoque quidam aditus ad multitudinem [*i. e. via, qua quis multitudinis favorem sibi comparet. *id. Manil.* 1. aditus laudis dicuntur rostra, ex quibus ad populum agitur, quia ibi laudem popularem consequi licet. (*Ern. Cl.*)] *Id. Or.* 3, 2. Qui annus — aditum ad summam auctoritatem dabat. *Id. ib.* 1, 21. Patefacere aditum alicujus rei. [*Cf. *ib.* 47.] *Id. Font.* 5. Relinquere veritati aditum difficilem in animos. *Id. Att.* 2, 17. Comparare sibi aditum ad res pestiferas. *Id. Cluent.* 42. Aditus ad honorem. [*Tac. *A.* 3, 30.] *Id. Or.* 15. vestibula honesta aditusque ad causam illustres facere. [*Est in oratione, quum de ipsa causa dicere incipimus. *Id. Lig.* 6. Primus aditus et postulatio Tuberonis haec — fuit, velle se de Q. Ligarii scelere dicere. Cf. *id. Sull.* 2. quamquam hic paulo aliter: qui aditus ad causam Hortensio patuerit.] *Quint.* 4, 1. Facere sibi aditum ad aures. [*Ut *Cic. Dom.* 1. aditum ad aures habere. *Eumen. Paneg.* 4, 1. Jam pridem mihi — divinarum patris tui aurium aditus evenerit.] *Cic. Agr.* 2, 15. Hunc quasi gradum quendam atque aditum ad cetera jactum (al. leg. *factum*) recte intelligetis. *Curt.* 5, 9. Praeparare aditum spei. [*Cic. *Dom.* 47. dare religioni aditum i. e. superstitionis genus probando facere, ut usurpari ab aliis possit et in usum consuetudinemque venire. (*Ern. Cl.*) *Id. Fin.* 3, 14. virtutis.] *Cic. Caec.* 25. Non est aditus ad hujusmodi res neque potentiae neque gloriae [*i. e. ad hujusmodi res fieri non potest ut perveniat pot. et gl. Ab his nihil differunt ii loci, in quibus *aditus* omnino significare videtur facultatem et veniam, ut *Cic. Fam.* 6, 10. Si qui mihi erit aditus de tuis fortunis agendi i. e. si potero agere etc. Sermo est autem de Caesare propter amici exsulis salutem adeundo. *Caes. B. G.* 5, 41. Qui aliquem sermonis aditum causamque amicitiae cum Cicerone habebant. *Id. B. C.* 1, 74. ad commendationis. *Hirt. B. Al.* 30. oppugnationis. *Caes. B. G.* 1, 43. aditus et causa postulandi. *Id. B. C.* 1, 31. nactus aditus ad ea conanda. V. ad hos *Caes.* et *Hirt.* locos *interpp.* ℙ In mss. permutantur *aditus* et *adventus.* V. *Oud.* ad *Caes. B. G.* 4, 4. ubi edidit: tantae multitudinis *aditu.* Vulg. *adventu.* Add. *id.* ad *Hirt. B. G.* 8, 18.]

ADJŬBĔO, es, a. 2. id. qu. jubeo. *Pl. Mil.* 4, 4, 50. Atque adjubeat ferri in navim, si quid imponi velit. Al. codd. *atque ut jubeat.* [*Al. *adjuvet et.* Recte edidit *Lindem.:* atque *ad jubeat* ferri, i. e. jubeat afferri, tmesi, inquit, Plauto non inusitata. V. ipsum, ubi plura reperies.] *Catull.* 32, 4. Quod si jusseris, illud adjubeto, ne etc. Plerique alii leg. *adjuvato, h. e.* da operam, enitere. Sic *Pl. Poen. prol. fin.* Valete atque adjuvate ut vos servet Salus. [*Ap. *Catull.* jam editur *adjuvato;* itaque hoc voc., omni auctoritate destitutum, e Lexicis tollendum esse videtur.]

ADJŪDĪCĀTĬO, onis, f. actus adjudicandi, attributio, addictio, *προσκύρωσις. Ulp. fr. tit.* 19. Adjudicatione dominia nanciscimur. *Id. Dig.* 10, 1, 2. Adjudicatione controversiam dirimere. Et *ib.* 4. Cum fit adjudicatio pluribus. ℙ Pro jure adjudicandi, quod judici competit. *Id. ib.* 50, 16, 131. Multam is dicere potest, cui adjudicatio data est. Alii leg. *judicatio.*

[ADJŪDĪCĀTUS, a, um, part. v. *adjudico. Caj. Instit. l.* 3. §. 189. (*ed. Goeschen.*) Liber verberatus addicebatur ex lege XII. Tab. ei, cui furtum fecerat: utrum autem servus efficeretur ex addictione, an adjudicati loco constitueretur, veteres quaerebant.]

ADJŪDĪCO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπιδικάζω, προσκυρόω*, per sententiam aut judicium aliquid alicui attribuo, addico, assigno, cui contrarium est *abjudico. Cic. Agr.* 2, 17. Qui sunt isti decemviri, quos perspicimus regnum Alexandriae Ptolemaeo gratis adjudicaturos? *Id. Div. in Verr.* 17. Mulierem Veneri in servitutem adjudicat. *Id. Phil.* 10, 6. Si ipsa respublica judicaret, Antonione an Bruto legiones populi Romani adjudicaret? *Id. Or.* 2, 29. Adjudicare causam alicui, *h. e.* in favorem alicujus sententiam dare. [*Ac sic fere *Pl. Men.* 1, 3, 6. adjudicato, cum utro hac nocte sies i. e. fer sententiam; nam *deliberare*, quod dicit Forc., significare non potest. *Cic. Att.* 4, 2. nemo dubitabat, quin domus nobis esset adjudicata (decreto Pontificum). *Liv.* 3, 72. Ut sibi adjudicaret rem controversiosam (i. e. agrum) ut *Cic. Off.* 1, 10. *Caes. B. G.* 7, 37. *in.* Aeduus, cui magistratum adjudicatum a Caesare demonstravimus. Cf. *Hirt. B. Al.* 66. et 78. Hinc explica *Sen. Hipp.* 109. adire precibus adjudicatae praesidem terrae deam.] ℙ Extra rem judiciariam *Hor. Ep.* 1, 18, 57. Si quid abest, Italis adjudicat armis. [*Ad h. l. *Bentl.*, ut fidem faceret conjecturae suae *arvis*, accurate de vi v. *adjudicare* disputavit.] *Cic. Att.* 1, 19. Pompejus saepe hujus mihi salutem imperii atque orbis terrarum adjudicavit i. e. tribuit. *Plin.* 9, 54, 79. Is primus optimum saporem ostreis Lucrinis adjudicavit. [*Lact. 2, 2, 24. Moriatur necesse est, qui se suamque animam mortuis adjudicavit. Sic alibi dicunt *addicere.*]

ADJŪGĀTUS, a, um, adj. in jugum compositus, cum de vitibus sermo est. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 11. Satius pampinos adjugatae detergere, usque quo placeat roborari eam. ℙ Item cum de armentis sermo est in Venerem coeuntibus. *Lact. Op. D.* 6. Quatenus adjugatis corporibus elata soboles universas generatim conservaret animantes.

ADJŪGO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπιζεύγνυμι*, conjungo, ad aliquid jungo, ut fit, cum duo boves ad unum jugum junguntur. *Adjugare vites* est in jugum disponere, quod et *jugare* dicitur: jugum autem hoc loco sumitur pro palis transversim colligatis cum pedamentis vitium in modum jugi, cui vitium rami alligantur. *Colum.* 4, 17. Nihil refert jugum in stellam decussari atque diduci, nisi et palmites adjugentur. ℙ Translate accipitur generatim pro jungere, conjungere. *Pacuv.* ap. *Varr. L. L.* 4, 10., et ap. *Non.* 2, 55. Mater est terra, ea parit corpus, animam aether adjugat. Et *ib.* Blandam hortatricem adjugat voluntatem.

*ADJUGUS, a, um, adj. eodem jugo adjunctus, ut expl. *Barth. Adv.* 6, 13. *in.* Tropice utitur *Venant. Fortun.* 8, 39. Servitio Domini subdenda est adjuga cervix.

ADJŪMENTUM, ti, n. *βοήθεια, ἐπικουρία*, auxilium, subsidium, praesidium, ab *adjuvo*, quasi *adjuvamentum. Cic. ad Brut.* 1, 4. Esse alicui magno adjumento ad victoriam. *Id. Quint.* 1. Esse alicui adjumento in causis. *Id. Off.* 1, 21. Habere a natura adjumenta rerum gerendarum. Et *ib.* 1. Afferre adjumentum. *Sall. Jug.* 49. delicatiores cibos appellat adjumenta ignaviae. [*Cic. *Manil.* 24. neque quo — adjumenta honoribus quaeram. *Ter. Ph.* 1, 2, 55. nihil aderat (in illa puella) adjumenti ad pulchritudinem; capillus passus, nudus pes etc. *Cic. Fin.* 5, 21. adjumentis externis et adventiciis non multum uti: cf. quae ib. mox sequuntur. *Tac. A.* 12, 61. adjumentis nullis extrinsecus velare. *Ov. Pont.* 4, 13, 31. esse duos juvenes, firma adjumenta parentis. *Cic. Mur.* 18. adjumenta et subsidia consulatus. *Id. Fam.* 13, 30. meam commendationem sibi magno adjumento fuisse. *Lact.* 6, 18. Labores hujus vitae mutuis adjumentis perferamus. *Auct. ad Her.* 3, 3. Fortitudini fortuna adjumento esse solet, de rationibus s. argumentis aliisque rebus, causam aliquam firmantibus; cf. *ib.* 1, 1. et 1, 5. ubi *adjumenta* et *detrimenta* opponuntur.]

ADJUNCTĬO, onis, f. Proprie h. v. significat *conjunctionem*, cum aliquid alicui annectitur. Sic *Cic. Part.* 5. verborum adjunctionem dixit de verborum compositione. ℙ Hoc ad societatem humanam potissimum transfertur. *Cic. Att.* 7, 2. Filiola tua te delectari laetor, et probari tibi, *φυσικὴν* esse *τὴν πρὸς τὰ τέκνα.* Etenim si haec non est, nulla potest homini esse ad hominem naturae adjunctio. *Q. Cic. Pet. cons.* 6. Tribus rebus homines maxime ad benevolentiam ducuntur, beneficio, spe, adjunctione animi vel voluntate. ℙ Porro est additio, accessio, *πρόσθεσις. Cic. Fin.* 2, 13. Omnes simplices sententias eorum, in quibus nulla inest virtutis adjunctio, omnino a philosophia semovendas putabo. *Paul. recept. sentent. l.* 3. *tit.* 7. *de Legat.* Adjunctiones, quas fundo legato testator ex diversis emptionibus applicaverat, legatario cedere placuit. ℙ Item exceptio aut conditio adjuncta alicui verbo aut sententiae. *Cic. Inv.* 2, 57. Esse quasdam cum adjunctione necessitudines, quasdam simplices et absolutas etc. Et mox: illic in superiore adjunctio [*i. e. exceptio] est haec: nisi malint etc. ℙ Denique adjunctio apud rhetores, graece *συνεζευγμένον* et *ζεῦγμα*, est figura sententiarum, qua verbum, quo res comprehenditur, non interponimus, sed aut primum aut postremum collocamus: primum hoc pacto: *deflorescit formae dignitas aut morbo aut vetustate:* postremum sic: *aut morbo aut vetustate formae dignitas deflorescit.* Ita *Auct. ad Her.* 4, 27. Adde *Quintil.* 9, 3. *Cicero* autem *Or.* 3, 54. adjunctionem videtur accipere pro iteratione ejusdem verbi. [*Intelligit h. l. *Cic.* eam figuram, quam Gr. *συμπλοκὴν* appellant, in qua anaphora et epiphora conjunguntur; exemplum hujus figurae legitur ap. ipsum *Agr.* 2, 9. quis legem tulit? Rullus. Quis majorem partem populi suffragiis prohibuit? Rullus. Quis comitiis praefuit? quis — quis — etc.? Rullus. Sic *Wolff.* in interpr. *german.* p. 554.]

ADJUNCTĪVUS, a, um, qui adjungitur. *Conjunctiones adjunctivae* dicuntur a *Prisc.* 16. p. 1028. quae verbis subjunctivis adjunguntur, quales sunt *ut, si, cum, dum* etc., ut *si venias, faciam:* et *ut prosit tibi, facio.* ℙ *Adjunctivus modus*, subjunctivus. *Diomed.* 1. p. 331. ℙ [*Inscr.* ap. *Cotugno, Memor. di Venafro* p. 200. Maccio Felicio rectori provinciae Samnii adjunctivae, *h. e.* quae adjuncta fuit Campaniae. Pertinet haec Inscr. ad a. a Chr. n. 460. *F.*]

ADJUNCTOR, oris, m. qui jungit. *Cic. Att.* 8, 3. Ille Galliae citerioris adjunctor, *h. e.* Pompejus, qui curavit, ut Caesari Galliam Cisalpinam regenti Transalpina quoque adjungeretur.

ADJUNCTUS, a, um, part. v. adjungo [*ad s. sub eodem jugo junctus, *ἐπεζευγμένος*, proprie dicitur de animalibus, ut *Ov. Her.* 12, 152. (quo loco in codd. cum *adductus* confunditur). *Id. Am.* 1, 2, 26. adjunctas arte movebis aves, (ubi falso nonn. codd. *admotas*); v. ibi *Heins.*] *Id. A. A.* 1, 552. Tigribus adjunctis aurea lora dabat. *Gell.* 20, 1. Vectabulum, quod adjunctis pecoribus trahebatur. ℙ Translate est i. q. conjunctus, connexus, sic ut modo de vicinitate locorum inter se (continens, proximus), modo de rebus cohaerentibus et nexis aliquo vinculo dicatur; refertur autem eadem vi interdum etiam ad homines. Respondet gr. *συνεχής, ἐχόμενος. Nep. Dion.* 5. Insula adjuncta oppido. [*Cic. *Caec.* 4. huic fundo continentia quaedam praedia et adjuncta mercatur.] *Sil.* 8, 642. Adjunctos vigilis sparserunt membra per agros. [*Curt. 8, 1. Massagetis regionum confinio adjunctus. Cf. *id.* 5, 4.] *Cic. N. D.* 2, 54. Aspera arteria ostium habet adjunctum linguae radicibus. Dicitur ita etiam de tempore. *Cic. N. D.* 2, 19. Duo (anni) tempora, quorum alterum hiemi senescenti, alterum aestati adjunctum est.] *Id. Brut.* 28. M. Drusus vir et oratione gravis et auctoritate, eique proxime adjunctus C. Drusus frater fuit. *Id. Cluent.* 10. Ut ad ea, quae propiora hujus causae et adjunctiora sunt, perveniam. *Hor. A. P.* 178. Semper in adjunctis aevoque morabimur aptis, *h. e.* propioribus, et convenientibus personae, quae inducitur. *Arnob.* 7. p. 243. Ventum est ad veram et adjunctissimam quaestionem, *h. e.* rei, de qua agimus, maxime convenientem. *Cic. Part.* 6. Verba ad nomen adjuncta i. e. epitheta. [*Id. *Caecil.* 4. Marcellorum nomini provincia adjuncta est i. e. in eorum clientela est propter beneficia a Marcellis in eam collata.] *Id. Leg.* 2, 21. *extr.* Hostia autem maxima parentare pietati esse adjunctum putabat i. e. ita ex pietate sequi, ut ab ea disjungi non posset. [*Temere hic Forc. adjunctum subst. loco acceperat, cum legeret *pietatis*,

additionem, *accessionem* interpretatus.] *Id. Caecil.* 7. Ut aliquis metus adjunctus sit ad gratiam (accedat, addatur). Paulo insolentius *Stat. Th.* 1, 244. Superis adjuncta sinistris connubia, i. e. juncta, quibus vir feminae adjungitur. ℙ *Adjunctum* dicitur a dialecticis propositio conditionalis, cum aliqua sententia adjunctum habet aliquid conditionis vel exceptionis loco. *Cic. Acad.* 2, 30. et *Gell.* 16, 8., quorum verba in *Connexus*, *a*, *um* afferemus. [**Cic. Inv.* 1, 12. adjunctum autem negotio id intelligitur, quod majus et quod minus et quod aeque magnum et quod simile erit ei negotio, quo de agitur, et quod contrarium et quod disparatum, et genus et pars et eventus. Cf. *ib.* 2, 12.] ℙ In plur. num. adjuncta dicuntur a rhetoribus, quae rem aliquam circumstant, ut locus, tempus, vestitus, comitatus et cetera ad rem pertinentia. *Cic. Top.* 18. Argumentorum inveniendorum praeceptio a definitione, a conjugatis, a genere, a contrariis, ab adjunctis, a causis, ab effectis etc. V. CONSEQUENS. [**Id. ib.* 12. loci argumentorum ex adjunctis repeti possunt, ut quaeratur, quid ante rem, quid cum re, quid postea evenerit. ℙ In libris confunduntur *adjunctus*, *adductus*, *admotus*, v. supra; *adj.* et *adjutus*, v. *Drak.* ad *Liv.* 10, 14, 11.]

ADJUNGO, ungis, unxi, unctum, a. 3. ex *ad* et *jungo*, est propr. ad idem jugum jungo, *ἐπιζεύγνυμι*, ut jumenta, equos. *Tib.* 1, 10, 7. Habili tauros adjungit aratro. *Hor. Sat.* 2, 3, 247. plostello adjungere mures. [**Lucr.* 2, 605. adjunxere feras. Cf. ADJUNCTUS.] ℙ Translatum ad alia est omnino i. q. annecto, conjungo, concilio, tribuo; interdum potest etiam verti *addo*. Gr. *προσάπτω*, *προστίθημι*. [*In multis convenit c. verbis addo, adjicio. Construitur modo cum dat., modo cum accus. et praep. *ad*, de qua re cf. *Oud.* ad *Hirt. B. Al.* 44.] *Virg. G.* 1, 2. ulmis adjungere vites. [*cf. *Tib.* 1, 7, 33. *Virg. A.* 9, 69. Classem, quae lateri castrorum adjuncta latebat. *Quintil.* 1, 2, 5. Fidelem libertum lateri filii sui adjungere. *Cic. Off.* 1, 39. Scaurus accessionem aedibus adjunxit. *Sil.* 11, 4. adjungere dextras Poeno, i. e. foedus cum P. inire.] *Ter. Hec.* 4, 4, 61. Huc animum ut adjungas tuum. [*Hic ex suis codd. ed. *Bentl. adducas.*] *Id. Andr.* 1, 1, 29. Animum ad aliquod studium adjungant. [*In h. l. est *applicare*. Utrumque v. conjunxit *Cic. Am.* 14. Significatio virtutis, ad quam se similis animus applicet et adjungat. *Id. Cluent.* 1. Diligentia vestra nobis adjungenda est. Pertinet huc etiam locus *or. pr. R. Am.* 31. Suspicionem potius ad praedam, quam ad egestatem adjungerent, i. e. judicarent eum potius, qui praedam habeat, esse caedis auctorem, quam eum, qui egeat.] *Cic. Fin.* 2, 13. adj. voluptatem ad virtutem. [*„Adjungere ponit *Cic.* in philosophia de iis, quae ad rem primariam tanquam secundaria accedunt.“ *Goer.* ad *Fin.* 2, 6, 19. Quamquam id eum non semper facere ostendit *id. ib.* et ad *c.* 5, 16. Ceterum cf. *Acad.* 1, 11, 40. *Tusc.* 5, 30. Porro *Cic. R. P.* 2, 9. Si esset optimi cujusque ad illam vim dominationis adjuncta auctoritas. *Id. Or.* 52. Isocrates verbis solutis numeros primus adjunxit. *Id. Agr.* 2, 5. ad suos coetus occultos noctem adjungere et solitudinem. *Sil.* 5, 115. Has sera ad laudes Servilius arma adjungat. *Id.* 6, 307. astus adjungere ferro.] *Cic. Fam.* 1, 8. se ad rationes alicujus (i. e. sequi, amplecti al. consilia.) *Id. Att.* 9, 10. se socium fugae. [**Virg. A.* 9, 199. *Cic. Man.* 16. Hinc explica ap. *Sil.* 4, 699. Venere adjuncta, i. e. una cum Venere. Praeterea cf. *Cic. Or.* 1, 55. juris scientiam eloquentiae tamquam ancillulam pedissequamque adjunxisti. Pertinet huc etiam illud *Trebon.* in *Cic. Fam.* 12, 16. Adjunges me quam primum ad tuos sermones, i. e. mox me in sermonibus tuis loquentem induces. Cf. *Cic. Att.* 13, 14. *Id. Fam.* 5, 7. et *Mur.* 19. aliquem sibi i. e. amicum reddere. [**Nep. Eum.* 2. *Alc.* 9. Sic *Q. Cic. Pet. cons.* 7. et *Nep. Alc.* 5. sibi al. ad amicitiam. *Ter. Ad.* 1, 1, 47. sibi al. beneficio i. e. devincire, obstringere. [*Cf. *ib.* 5, 8, 4. *Tac. A.* 3, 43. Ut eo pignore parentes propinquosque eorum adjungeret. *Pl. Aul.* 2, 2, 59. Quam ad probos propinquitate proxime te adjunxeris. *Virg. A.* 7, 57. Quem regia conjunx Adjungi generum miro properabat amore.] *Liv.* 37, 15. adj. urbem in societatem. *Cic. Agr.* 1, 2. agros pop. Romano. *Id. Man.* 35. totam ad imperium pop. R. Ciliciam. [*Cf. *Virg. A.* 8, 13. Multas viro se adjungere gentes. Sic *Heins.* ap. *Vell.* 2, 110. recte visus est *Ruhnkenio* conjecisse: omnibusque tractus ejus gentibus in societatem *adjunctis*, pro eo, quod libri exhibent, *adductis*. Utrumque v. confunditur praeter *Ter.* locum supra l. etiam ap. *Ov. Fast.* 6, 799. dicite, Pierides, quis vos adjunxerit isti, ubi al. libri *addixerit*, al. *adduxerit*. Cf. in ADJUNCTUS.] *Cic. Rosc. Am.* 40. adj. sibi auxilium. [**Liv.* 8, 6. adjuncto Samnitium exercitu.] *Id. Div.* 2, 55. auctoritatem et fidem rebus commentitiis [*i. e. applicare, tribuere. *Acad.* 1, 11. adjungebat non omnibus visis fidem.] *Id. Fam.* 2, 6. decus et dignitatem alicui. [**Arch.* 9. magnus honos P. R. rebus adjungitur. Adde etiam *Lucr.* 5, 1194. O genus humanum — talia divis Quom tribuit facta atque iras adjunxit acerbas.] *Ter. Ad.* 1, 1, 42. Imperium — quod amicitia adjungitur, i. e. paratur, acquiritur. *Cic. Mur.* 20. adj. sibi benevolentiam lenitate audiendi. [*Sed ap. *Caes. B. C.* 1, 4. pro vulg.: cum communibus inimicis, quorum ipse maximam partem — *adjunxerat* Caesari — recte videtur legi *injunxerat*. V. *Oud.*] — Dicitur vero etiam, sicut *addere* et *adjicere*, de iis, quae in sermone superioribus accedunt. *Nep. Epam.* 10. Hujus de virtutibus satis erit dictum, si hoc unum adjunxero. [*Cf. *Virg. Ecl.* 6, 44. — Aperta sign. *addendi*, ita ut ad aliquid fiat accessio, est ap. *Ov. Pont.* 3, 1, 83. factis adjunge prioribus unum, et ap. *Tac. A.* 15, 60. Proximam (priori) necem Laterani adjungit Nero. Et sic etiam apud alios, ut apud Ciceronem. — Denique in dialecticis *sequentia adjungere* est, quid ex quoque sequatur, videre vel docere. Sic *Cic. Tusc.* 5, 25. Cf. *id. Inv.* 2, 17.] ℙ [*In libris confunduntur *adjungere*, *adducere*, *addicere*, v. supra; *adj.* et *adsciscere* ap. *Sall. Cat.* 25. *Adjunxisset* et *adjuvisset*, v. *Drak.* ad *Liv.* 21, 49, 9. *adjuncturus* et *adjuturus*, *id.* ad 36, 43, 7. et ad *Sil.* 5, 326.]

*ADJURAMENTUM, i. n. *Vulg. Tob.* 9, 5. v. ADJURO.

ADJŪRĀTĬO, onis, f. actus adjurandi, obtestatio. *Appul. Met.* 2. Sed instantia Byrrhaenae, quae cum adjuratione salutis ingratis cogebat effari, perfecit, ut vellet, *h. e.* adjurando ei per suam salutem. *Lact.* 2, 17. *s. fin.* Daemones adjuratione divini nominis expellere.

ADJŪRĀTOR, oris, m. qui adjurat, hoc est incantationibus evocat. *Alcim.* 2, 312. Interdum perit incantans, si callida surdus Adjuratoris contempsit murmura serpens.

ADJŪRĀTORĬUS, a, um, adj. ad adjurandum sive jurandum pertinens. *Imp. Anastas. Cod.* 12, 22, 8. Adjuratoria cautio, *h. e.* juramento firmata. Adde *ib.* 30, 3.

ADJŪRĀTUS, a, um, adj. *ἐξορκισθείς*, vehementer rogatus, juramento interposito aut invocatione alicujus vel sacrae rei vel cari capitis. *Lact.* 5, 10. Adjuratus per eundem patrem et spes surgentis Iuli, nequaquam pepercit. *Id.* 2, 15. Daemones Dei nomine adjurati de corporibus excedunt.

ADJURGĬUM, ii, n. quidam legunt ap. *Pl. Men.* 5, 2, 21., ubi alii rectius *jurgium*.

ADJURGO, as, a. 1. pro *objurgo* quidam legi ajunt ap. *Pl. Amph.* 2, 2, 74., sed plurimi codd. habent *objurgare*. [*Hoc et praecedens voc. videntur e Lexicis tollenda esse.]

ADJŪRO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπόμνυμι*, id. qu. juro vel valde juro; *ad* enim auget. [*Vix credas. *Adj.* aut est *praeterea jurare*, aut *jurare ad aliquam rem* (jurejurando interposito confirmare), et hinc jurare. Illam vim retinet loco *Liv.* 43, 14. Censores edixerunt, ut praeter commune jusjurandum haec adjurarent etc. i. e. jurarent etiam in haec verba. Noster infra posuerat. Sed plerumque est i. q. jurare.] *Cic. Phil.* 2, 4. Adjurasque, id te, me invito, non esse facturum. *Id. Q. Fr.* 2, 8. Adjurat Procilius, hoc nemini accidisse. *Id. ib.* 3, 5. *fin.* Crebrius-Romae est, et qui omnia adjurant, debere tibi valde renuntiant. Cf. *Att.* 2, 20. 9, 19. [**Ter. Hec.* 2, 2, 26. sancte adj.] *Stat. Th.* 7, 129. hostesque propinquos adjurat, intell. *esse*. *Ov. Her.* 20, 159. Promisit pater hanc, haec adjuravit amanti. [*V. ad h. l. *Heins.* Utitur h. v. etiam *Suet. Aug.* 31. *Ner.* 24. *Tit.* 9. Add. *Liv.* 7, 5.] *Ter. Andr.* 4, 2, 11. Per omnes tibi adjuro Deos, nunquam eam me deserturum. *Pl. Bacch.* 4, 6, 8. Per omnes Deos adjuro, ut tua jam virgis latera lacerentur probe. [**Ov. Met.* 3, 659. Per tibi nunc ipsum — adjuro.] *Virg. A.* 12, 816. Adjuro Stygii caput implacabile fontis. *Catull.* 66, 40. adjuro teque tuumque caput, *h. e.* per te et per tuum caput. [*Ita gr. dicitur *ὄμνυμί σοι τοὺς θεούς*, i. e. juro, deos testes vocans, deorum nomina interponens. — Jam vero patet ex his omnibus, errasse eos, qui, ut narrat *Serv.* ad *Virg. l. l.*, v. *adjurare* tum utendum esse censebant, quum aliquid negaretur.] ℙ Significat etiam vehementer rogare, obtestari, juramento interposito aut invocatione alicujus rei sacrae aut carae, cum accus. *Vop. Florian.* 1. Adjuratum esse in senatu Tacitum, ut optimum aliquem principem faceret. *Lact.* 2, 15. Daemones nec Deo, per quem adjurantur, nec justis, quorum voce torquentur, mentiri possunt. [*Hoc intell. de exorcismo, de quo hoc v. usurpari coeptum est apud patres. V. *Barth.* et *Burm.* ad *Grat.* 405., coll. iis, quae ille tradit *Adv.* 32, 6.] V. etiam ADJURATUS. ℙ *Adjurare* nova insolentique signific. pro jus et succum exprimere quidam putant usurpatum a *Tertull. Scorpiac.* 1. [Sed profecto primariam adjurandi significationem ibi quilibet sanus agnoscat necesse est. *F.*]

ADJŪTĀBĬLIS, le, adj. auxiliaris, *βοηθικός*. *Pl. Mil.* 4, 4, 8. Vos modo porro, ut occepistis, date operam adjutabilem. Al. *amicabilem* [*male.]

ADJŪTO, as, avi, atum, a. 1. *βοηθέω*, auxilior, opem fero, frequentat. ab *adjuvo* et ejusdem signif. *Varr. R. R.* 2, 7. Eo enim adjutante equae celerius admittuntur. *Ter. Andr.* 1, 3, 4. Pamphilumne adjutem an auscultem seni. *Gell.* 1, 3. Ut etiam iniquam voluntatem ejus adjutemus. Cum accus. rei et dat. personae *Ter. Hec.* 3, 2, 24. Tu pueris curre obviam, atque eis onera adjuta, *h. e.* adjuta eos onera portantes: et est hypallage. [*Hoc vero ridiculum. In *adjutare* latet *levandi* notio, et dictum hoc est eadem ratione, ut ap. *Cic.* levare alicui metum. Dativi non eam esse rationem, ut a verbo regatur, ut dicunt, nemo non intelligit. Ceterum *Ter.* saepius etiam h. v. utitur, ut *Eun.* 1, 2, 70. Id, amabo, adjuta me, quo id fiat facilius. *Ph.* 1, 2, 49. Neque quisquam aderat, qui adjutaret funus. *Ibid. prol.* 34. Bonitasque vestra adjutans atque aequanimitas. Cf. *Pl. Cas.* 3, 3, 17. *Truc.* 2, 5, 25.] Et cum solo dat. pers. in nummo Heraclii ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 8. p. 223. Deus adjuta Romanis. *Pacuv.* ap. *Don.* ad *Ter. Ad. prol.* 16. Adjuta mihi. *Petron. fr. Trag.* 62. *Burm.* Saltem nobis adjutasses.

ADJŪTOR, aris, atus sum, 1. auxilior. Verbum commune, quod tum activa tum pass. signif. usurpatur. Pass. *Lucr.* 1, 811. Adjutamur enim dubio procul atque alimur nos Certis ab rebus. Act. *Afran.* ap. *Non.* 7, 83. Haec obsecro igitur agite et me adjutamini. Adde *Lucil. ib.* et *Pacuv.* et *ib.* 2, 41.

ADJŪTOR, oris, m. auxiliator, *βοηθός*, *συνεργός*. *Cic. Flacc.* 1. Sperabam honoris potius L. Flacci me adjutorem futurum, quam miseriarum deprecatorem. [**Ter. Ad.* 1, 2, 66. adj. sim ejus iracundiae. *Cic. Att.* 9, 12. Belli particeps et socius et adjutor. Cf. *Eutrop.* 4, 3.] *Id. Att.* 8, 3. Ille absentis in omnibus adjutor. [**Cic. Tusc.* 1, 12. Tyndaridae adjutores in proeliis. *Ter. Andr.* 5, 9, 9. in psaltria emunda adj. fuit. Cf. *Hec.* 4, 4, 99. *B.*] *Id. Am.* 12. His adjutor contra patriam inventus est nemo. *Id. N. D.* 1, 7. Nolo existimes, me adjutorem huic venisse, sed auditorem. [**Caes. B. C.* 1, 7. Cujus ipse honori et dignitati semper faverit adjutorque fuerit.] *Id. Dom.* 12. Fortissimus adjutor ad rem perficiendam fuit. [**Ter. Ph.* 3, 3, 27. Adj. ad rem mihi datur. *Cic. Off.* 2, 15. esse ad benigne faciendum adjutores. *Id. Rosc. Am.* 2. ad hanc praedam adj. *ib.* 10. ad injuriam. *B.* Cf. *Gron.* et *Drak.* ad *Liv.* 29, 1, 18. et supra in AD. Praeterea adde *Ter. Heaut.* 5, 1, 2. Hic adjutor meus et monitor et praemonstrator. (Cum his compara *Suet. Gr.* 10. Declamantium adjutor atque praeceptor.) *Sall. Jug.* 82. Queis adjutoribus regem aggressus. *Cic. Or.* 1, 59. Oratorem ipsum erudire in jure civili, non ei pragmaticum adjutorem dare. *Plin. ep.* 4, 15, 13. adjutorem accedere precibus.] ℙ Item fautor. [*Modo ne putes, *fautorem* esse eundem et *adjutorem*. *Favere* potest aliquis dici animo, *adjuvare* non nisi dictis factisve. Cf. l. *Caes.* modo allatum.] *Cic. Off.* 3, 33. Epicurus ejus adjutor auctorque sententiae. [**Id. Fin.* 5, 30. In quo adjutores Stoicos habemus.] *Id. Agr.* 2, 5. Auctor et adjutor legis. *Vell.* 2, 63. Plancus nunc adjutor Bruti, nunc proditor. *Id. ib.* 74. Antonianarum adjutor partium. ℙ Item administer alicui subjectus, qui vicariam praebet operam. *Quint.* 2, 5. Scio, id fieri apud Graecos, sed magis per adjutores; quia non videntur tempora suffectura, si legentibus singulis praeire semper ipsi velint, *h. e.* *ὑποδιδασκάλους*. *Gell.* 13, 9. Tiro Ciceronis adjutor in litteris studiorum ejus. [*Sic fere *Cic. Fam.* 16, 17. eundem Tironem vocat scriptorum suorum *κανόνα*, *h. e.* quo utebatur ad libros suos examinandos corrigendosque. *Bail.*] *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 3. Quos tibi comites et adjutores negotiorum publicorum dedit ipsa respublica. *Vell.* 2, 115. Adjutor et legatus. [*Ita *Suet. Tib.* 63. legatos et adjutores tribuit magistratibus provincialibus. *Id. Aug.* 39. habet adjutores in equitibus censendis. *Liv.* 33, 43. Manlius in Hispaniam citeriorem adjutor consuli datur. V. *Duk. Id.* 39, 14. Adjutores triumviris quinqueviri, ubi v. *Gron.*, qui dat. recte defendit. *Nep. Con.* 4. dato adjutore Pharnabazo. Cf. *id. Chabr.* 2. Interdum *adjutores* dicuntur ministri et amici principum, quorum hi consilio et opera utuntur. De qua re inprimis adeundus est *Vell.* 2, 127., ubi v. *Boecler.*, coll. *Suet. Cal.* 26.] *Inscr.* ap. *Fabrett. c.* 4. *n.* 382. Theophilo Aug. adjutori a sacris. Sic *adjutor ab epist.*, *a rationibus*, *ab actis* ap. *eund. c.* 5. *n.* 1, 2, 3. et 4. Et *Adjutor IIVIR.*, *adjutor praefecti annonae*, *adjutor urbicus* ap. *Grut.* 387, 4. 622, 3. et 63, 8. [*Hic demum placuit afferre *inscr.* ap. *Grut.* 567, 1., qua *Furl.* supra usus erat in v. *Accensus* loco minus apto. Est autem haec: A. Vatinio adjutori quondam centur. leg. 11. Adjutr. H. M. V. (honestae memoriae viro) Ael. Diodotus C. V. (clarissimus Vir) heres pius fecit. *Pompon. Dig.* 26, 1, 13. adj. tutelae. Al. leg. *actor*. [*In scena dicebantur *adjutores* ii, qui suis partibus agendis eum, qui primas agebat (*πρωταγωνιστήν*), adjuvabant. De qua re locus insignis est *Cic. Div. in Verr.* 15., quem qui laudat *Heind.* ad *Hor. Sat.* 1, 9, 46., accuratius, hoc quid sit, explicat. Noster hanc rem leviter tractat, nihil afferens praeter locum *Phaedr.* 5, 4, 14. In scena vero postquam solus constitit, Sine apparatu, nullis adjutoribus, (v. ad h. l. *Burm.*) et *Suet. Gramm.* 18. initio circa scenam versatus est, dum mimographos adjuvat, et *Val. M.* 2, 4. *n.* 4. (videtur dicere illa

verba: (Livius) sui operis actor cum saepius a populo revocatus vocem obtudisset, adhibito pueri et tibicinis concentu gesticulationem tacitus peregit.) Hinc igitur fortasse explicanda inepti hominis ap. *Horat. l. l.* verba dicentis: haberes magnum adjutorem, hunc hominem (me) si velles tradere (Maecenati commendare), quorum tum haec est sententia: ego, secundas partes agens, multum te adjuvarem ad partes primas apud Maecenatem excellentius agendas. ℙ In libb. mss. commutantur *adjutor* et *auctor*, v. *Drak.* ad *Liv.* 31, 23, 2.]

ADJŪTORIUM, ii, n. auxilium, βοήθεια. *Cic. Oecon.* ap. *Col.* 12, 1. Ut ex eadem societate mortalibus adjutoria senectutis praepararentur. Videtur tamen *Colum.* h. l. magis sensa *Cic.* quam verba referre. *Reines. cl.* 2. *n.* 82. C. Manilius Firmus, quod potuit huic monumento adjutorium facere, fecit animo libens. *Ascon.* in *argum. or. Scaur.:* Pompejus propensum adjutorium praebuit. *Quint.* 1, 1. Egere adjutorio alicujus. [*Id. 3, 6, 83. adjutorio legis elabi ex crimine.] *Sen. ep.* 31. Sine adjutorio ignis nihil calidum est. *Asin. Poll.* ap. *Suet. Gr.* 10. In eam rem adjutorium ei fecit quidam Attejus. [*In nonnullis libris est *fuit*, hinc *Ernest. adjutor ei fuit* scr. esse censuit.] *Vell.* 2, 112. Magnam Thracum manum in adjutorium belli secum trahebat. [*cf. ad h. l. *Ruhnk. Pallad. Mart.* 1, 3. Calami adjutorio debet annecti. Legitur praeterea h. v. etiam ap. *Quint. Decl.* 6, 20. 9, 9.]

ADJŪTRIX, īcis, f. quae adjuvat. *Cic. Planc.* 1. Quae res Plancio in petitione fuisset adjutrix. *Id. Dom.* 57. Minerva adjutrix consiliorum meorum. *Id. Am.* 24. Assentatio vitiorum adjutrix. *Ter. Heaut.* 5, 2, 39. Matres filiis in peccato adjutrices solent esse. [*Id. *Hec. prol.* 2, 24. Vestra intelligentia si erit adjutrix nostrae industriae. Cf. *ib.* 40. *Eun.* 5, 2, 46. *Hec.* 4, 4, 83. *Pl. Poen.* 5, 2, 13. *Trin. prol.* 13.] *Ov. Met.* 7, 195. Adjutrixque venis. ℙ Adjutrix est epithetum honoris causa saepe datum legionibus, quarum virtute plurimum res bellica adjuta esset. *Inscr.* ap. *Grut.* 193, 3. 414, 8. 564, 6. et alibi. Adde *Tac. H.* 2, 43. Plur. num. *Inscr.* ap. *Grut.* 169, 7. Schola speculatorum legionum I. et II. adjutricum, piarum, fidelium. [Adjutrices cognominatae sunt legiones illae, quae a proconsulibus ex plebe provinciarum conscriptae sunt super exercitum veterem, ut ait *Suet. Galb.* 10. Id certe factum a Galba de leg. 1. adjutrice probavit *Guarnieri Diss. epist.* p. 21., quae quidem ex Hispanis quasi ex auxiliis conscripta. *Plut.* in *Oth. c.* 12. eam Galbae legionem, quam scriptores latini *adjutricem* vocant, βοηθὸν appellat. *F.*]

ADJŪTŪS, us, m. auxilium. In sexto casu singul. *Macr. Sat.* 7, 7. Unius adjutu, quasi natura flammei, cetera flagrabant.

ADJŪTUS, a, um, part. verbi *adjuvo. Nep. Phoc.* 2. Auctus adjutusque a Demosthene. *Id. Milt.* 2. Neque minus in ea re prudentia, quam felicitate adjutus est. *Ov. Met.* 1, 540. pennis adjutus amoris. *Suet. Tib.* 13. Adjutus casu. [*Id. *Vit.* 7. suffragio. *Dom.* 14. manu alicujus.] *Paul. Dig.* 12, 6, 65. Negotia mea adjuta ab eo putavi. *Juven.* 6, 504. breviorque videtur Virgine Pygmaea nullis adjuta cothurnis. *Sil.* 6, 249. Venit in adversam non vano turbine frontem Cuspis, et haud paulum vires adjuta [*i. e. viribus auctis] ruentis Contra ardore ferae capiti tremebunda resedit. [*Simile est ap. eund. *Sil.* 5, 326. Telum — adjutum nisu, ubi al. *admissum*, al. *adjunctum*; sed docte vulg. defendit *Drak.* et 7, 354. Adjutae pinguescere flammae coepere. Ne in hoc quidem l. quidquam mutandum. Cf. *Liv.* l. in ADJUVO. ℙ In libb. permutantur *adjutus*, *adjunctus*, *aditus*. V. ADJUNGO, ADEO.]

ADJŪVO, as, jūvi, jūtum, raro juvavi, juvatum, (v. infra) a. 1. βοηθέω, opem fero, auxilior, ex *ad* et *juvo*. [*V. de usu hujus v. in universum *interpp.* ad *Val. Fl.* 2, 528. Ceterum non eadem prorsus vis est v. *adjuvare* et *auxiliari*. De qua re sic *Manut.* ad *Cic. Fam.* 1, 7. *Auxiliari* est afflicto atque egenti *subvenire* et in adversa tantum fortuna locum habet; *adjuvare* autem etiam de secundis rebus usurpatur, nec aliud est quam simul agere, ut aliquid ad exitum perducatur, quod συνεργεῖν Graecis est.] *Liv.* 34, 37. Antiochum Aetolosque adjuturos pronuntiat. *Id. ib.* Fortes fortuna adjuvat. *Cic. Fam.* 10, 15. Si nos mediocris fortuna reipublicae adjuverit. *Nep. Chabr.* 13. Sua sponte eos adjutum profectus. *Cic. Fam.* 1, 7. Adjuvare aliquem auxiliis et copiis, *h. e.* militibus auxiliariis. *Adjuvare auxiliis* eadem vi *Liv.* 29, 5. dixit. *Cic. Off.* 2, 16. adjuvare aliquem in filiarum collocatione. [*Ter. *Andr.* 3, 3, 10. Me adjuves in hac re. *Suet. V. Ter.* 2. Fama est, adjutum Terentium in scriptis a Laelio et Scipione. *B.*] *Id. Quint.* 23. Non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum auctoritas adjuvat. *Liv.* 29, 1. adjuvare al. ad bellum. [*V. *Gron.* et *Drak. Id.* 27, 15. Leve dictu momentum ad rem ingentem potiundam adjuvit. *Cic. Arch.* 7. Ad colendam virtutem adjuvamur litteris. *Caes. B. G.* 5, 1. Quam ad rem multum humilitas navium adjuvat.] *Quintil.* 11, 3. *fin.* In haec omnia statura et mira specie adjuvabatur. *Ter. Ph.* 5, 3, 3. aliquem opera. *Pl. Rud.* 1, 4, 39. auxilio. *Paul. Dig.* 13, 5, 30. Adjuvari per exceptionem. *Id.* 40, 2, 15. Quod dominum in proelio adjuvaverit. *Ita Torrentinus.* Al. *adjuverit. Petr. Sat.* 18. Adjuvaturos nos divinam providentiam. *Cic. Or.* 2, 47. Moerorem orationis lacrimis suis adjuvare. *Suet. Ner.* 21. preces alicujus. [*Quintil. 9, 2. Mitiores affectus, nisi adjuvantur commendatione etc. *ib.* 4. Virtutes — nisi gratia varietatis adjutae. *Id.* 10, 6. Cogitatio — ipsis noctis tenebris adjuvatur.] — Ita facile intelligitur, quo jure *adjuvare* saepe possit explicari *augere* (alere), *confirmare* (sustentare, corroborare). *Liv.* 34, 39. ignem [*i. e. materiem addere, ut augeatur. V. in ADJUTUS. (Aliter *Ov. Met.* 10, 641. Quos dedit, adjuvet ignes.) *Sil.* 4, 291. adjuvat hastam, i. e. auget ejus impetum. Cf. *Curt.* 7, 4.] *Lucan.* 3, 725. Adjuvitque suo procumbens pectore ferrum. Cf. ADJUTUS. *Id.* 2, 216. Sanguis ruens Tiberina in flumina rivo Haerentes adjuvit aquas, i. e. auxit et propulit. (Sic *Claud.* III. *Cons. Hon.* 101. sanguis pascit flumina.) *Pl. Amph.* 2, 2, 166. insaniam alicujus. [*Cic. Att.* 12, 43. Ferendus error, imo vero etiam adjuvandus. *F.*] *Ov. Met.* 2, 732. formam cura. *Plin.* 20, 7, 26. Stomachi dissoluti utilissime adjuvantur lactucis [*i. e. corroborantur. Similiter jam *Lucr.* 1, 817. nisi nos cibus — adjuvet. Eodem refer *Pallad. Febr.* 17, 8. salices aquationibus adjuvandas, et *ib.* 9, 4. de pingui ad macrum transire non possunt, nisi stercus adjuverit. — Praeterea adde *Curt.* 3, 6. Ut, quae secuta sunt, criminationem Parmenionis adjuverint (confirmaverint. *Liv.* 1, 25. Clamore Romani adjuvant (i. e. confirmant, excitant) militem suum. Pertinet huc etiam locus a nostro alibi allatus *Sall. or. ad Caes. d. rep. ord.* 2. *ad fin.* ut quamprimum respublica adjuvetur.] — Denique potest interdum etiam verti *prodesse*, praesertim quum absolute impers. ponitur. *Pl. Capt.* 2, 1, 8. In re mala animo si bono utere, adjuvat, i. e. bene est, prodest. [*Hor. *Sat.* 2, 5, 73. Adjuvat hoc quoque. *Cic. Att.* 12, 14. Solitudo aliquid adjuvat. Cf. *Vorst. d. Lat. f. susp.* c. 15.] ℙ Cum conj. et partic. *ut Cic. Q. Fr.* 1, 1, 15. Ut amplissimum nomen consequeremur, unus praeter ceteros adjuvisti. Cf. ADJUBEO. [*Catull.* 32, 4. Illud adjuvato, ne quis liminis obseret tabellam.] Cum infin. *Plin.* 11, 24, 29. Phalangia incubant magnum numerum: qui ut emersit, matrem consumit, saepe et patrem: adjuvat enim incubare [*intell. *mas*, συνεπωάζει τῇ θηλείᾳ, simul cum femella ovis incubat.] ℙ Cum accus. rei et dat. personae *Gell.* 2, 29. Operam mutuam dent et messem hanc nobis adjuvent. V. ADJUTO. ℙ Pass. imperson. *Sall.* 1. *ad Caes. de Rep. ord. fin.* A me pro virili parte dictum et adjutum fuerit. ℙ [*De formis *adjuvavi*, *adjuvatum*, *adjuvatus*, *adjuvaturus* v. *Voss. Gr.* 5, 20. *Burm.* ad *Petron.* 18. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 47. quos laudat *Drak.* ad *Liv.* 42, 37, 7. et *Rudd.* 1. p. 211. sq. *Adjuro* pr. *adjuvero* dixit *Ennius* ap. *Cic. Sen.* 1. ubi v. *Gernh.* Al. *adjuero*. Eandem formam *adjurit* restituit *Ter. Ph.* 3, 3, 4. *Bentl.*, ubi pariter *Faern. adjuerit.*] ℙ [*A librariis commutantur *adjuvi* et *adjunxi*. V. *Adjungo.*]

ADL. V. in ALL.

ADLACRĪMANS et Allacrimans, antis, part. ab inusit. *adlacrimo*, id. qu. lacrimans. [*Virg. *A.* 10, 628. Et Juno adlacrumans: quid si etc.] *Appul. Met.* 10. Ubertim adlacrimans.

ADLĀVO, as, a. 1. id. qu. lavo. *Pl.* ap. *Varr. L. L.* 8, 61. Pisces ego credo, qui usque dum vivunt, adlavant, diu minus lavari, quam haec lavat Phronesium. In *Truc. Pl.*, ubi haec verba habentur, 2, 3, 1. legitur *lavant*, idque ratio versus postulat.

ADLĪVESCIT, livere incipit, *h. e.* lividus fieri. *Festus.*

ADLUCTOR et Alluctor, aris, actus sum, dep. 1. id. qu. luctor, vel contra aliquem luctor. *Appul. Met.* 10. Et primum me quidem mensam accumbere suffixo cubito, dein adluctari, et etiam saltare sublatis primoribus pedibus perdocuit. *Id. ib.* 11. Adluctantem mihi saevissimam fortunam superaram.

ADMANDO, as, a. 1. id. qu. mando. Afferunt *Pl. Poen. prol.* 80. Si quid admandare voltis. Sed est prava scriptura pro *mandare*. Al. *amandare.*

[ADMANEO, es, n. 2. prope maneo. *Not. Tir.* p. 50. Admanet. *F.*]

ADMĀTURO, as, a. 1. accelero, maturo, ἐπισπεύδω. *Caes. B. G.* 7, 54. Horum discessu admaturari defectionem civitatis existimabat. [*V. ad h. l. *Herz.*]

[ADMEDERENSIS, is, ad Admederam pertinens, quae fuit urbs Numidiae in Africa. *Inscr.* ap. *Mur.* 1056, 2. Victore de regionem (sic pro *regione*) Admederensium. De hac urbe consule *Marin. Fr. Arv.* p. 405. et *Morcell. Afr. Christ. vol.* 1. p. 74. *F.*]

*ADMEMBRATIM, adv. κατὰ μέλος. Gl. Lat. Gr. (*Bail. A.*)

ADMENSUS, a, um, part. v. *admetior*, quod tum active, tum pass. usurpari potest. Active cum accus. *Caj. Dig.* 18, 1, 35. In singulas metretas aut in singulos modios, quos quasve admensus eris. Pass. *Cato R. R.* 148. Dominus vinum admetietur: quod admensum erit, pro eo dominus resolvito. *Caj. Dig.* 18, 1, 35. Si pro numero corporum pretium fuerit statutum, tunc perfici emptionem existimant, cum adnumerata, admensa, adpensa sint. Adde *Florentin. Dig.* 19, 2, 36.

ADMENTATIO, ADMENTUM. V. AMENT.

ADMĒO, as, a. 1. ad aliquem meo, accedo. *Paul. Nol.* 17, 119. Laeta lascivo procul admeabunt Monstra natatu.

[ADMĒTE, es, f. adj. ἀδμήτη, indomita. Est cognomen Rom. in *Inscr.* ap. *Grut.* 832, 5. Scanlia (fortasse legendum *Scantia*) Admete. *F.*]

ADMĒTIOR, īris, ensus sum, 4. προσμετρέω, id. qu. mensura adhibita praebere, distribuere [*ea est enim vis praep. *ad.*] *Cic. Verr.* 2, 3, 31. Frumentum isti ex area admetiri licebat. *Cato R. R.* 154. Vinum emptoribus admetiri. [*Cf. *id.* 148.] *Suet. Aug.* 41. Frumentum quoque in annonae difficultatibus saepe levissimo, interdum nullo pretio, viritim admensus est. *Curt.* 8, 12. Gratuitum frumentum copiis ejus admensus. *Florentin. Dig.* 19, 2, 36. Si per eum steterit, quo minus opus adprobetur vel admetiatur. *Caj. Dig.* 18, 1, 35. Antequam vinum admetiatur. [*Aethic. *Cosmogr.* p. 705. Senatusconsulto censuit omnem orbem jam Rom. nominis admetiri per prudentissimos viros. Vides, nonnisi apud hos infimae notae scriptores *admetiri* sign. pass. dici et pro simpl. *metiri*. Cf. *Duk. de Lat. JCt.* p. 349.]

*ADMĒTO, us, Ponti filia, h. e. maris. *Hyg. fab. praef.* (*B. A.*)

ADMĒTUS, ti, m. filius Pheretis, Alcestis maritus, Thessaliae rex. In fabulis est, Apollinem ejus amore captum, deposita divinitate ad tempus, armenta ejus pavisse novem annis apud Amphrysum fluvium. Alii narrant, cum Jupiter Aesculapium, quod ausus fuisset Hippolytum ab equis laceratum et occisum ad vitam revocare, interemisset, iratum Apollinem ut aliqua ratione filium ulciscereture, Cyclopas fulminum Jovis fabros sagittis confixisse: ob quam noxam spoliatum ad tempus divinitate et damnatum a Jove fuisse ad pascenda Admeti armenta, vel potius ipsum caeli exulem ad inserviendum Admeto ultro accessisse. Ab eo cum perhumaniter esset tractatus, a Parcis impetravit, ut cum fatale ei moriendi tempus advenisset, mortem posset effugere, si aliquem reperiret, qui pro eo moreretur. Quod cum aliquando accidisset, Alcestis conjux pro eo se obtulit, de qua v. in ALCESTE. *Serv. ad G.* 3, 2. et *A.* 7, 761. [*Adde *Hyg.* 173. *Apollod.* 1, 9, 15. 3, 10, 4. *Val. M.* 4, 6, 1. *Tib.* 2, 3, 11. et 3, 4, 67. *Ov. Pont.* 3, 1, 10. *Tr.* 5, 14, 37. socer Admeti, i. e. Pelias, *Ov. Ib.* 444. Cf. *Burm.* ad *Anth. lat.* T. 1. p. 125.] ℙ Est alia praeterea de eo fabula ap. *Hyg. fab.* 50. et 51. Cum enim Admetus Alcestim deperiret, neque ab ejus patre Pelia impetrare posset, qui eam conditionem procis obtulerat, ut is ejus nuptiis potiretur, qui feras bestias ad currum junxisset, Admetus ope Apollinis aprum et leonem junxit, quibus optatam puellam avexit. ℙ [Fuit etiam hoc nomine Molossorum rex Themistoclis hospes. *Nep. Them.* 8. ℙ Est etiam nomen servile ap. Romanos a graeco ἄδμητος, indomitus. *Inscr.* ap. *Mur.* 972, 11. Privata Admeti vicaria. *F.*]

ADMĪGRO, as, n. 1. accedo, adjungor. *Pl. Pers.* 3, 1, 19. Ad paupertatem admigrant infamiae.

*ADMINICULABUNDUS, a, um, adj. adminiculans, συηρίζων. *Auct. Incert. Itin. Alex.* 21. (*ed. Angel. Maj.*): ubi ordo quippe alvei tot milibus obtentus armatis, incerta soli validitas, divina fortuna vix tamen profundo sese vultu modo liberi dexterisque emersissent mutuo adminiculabundi, h. e. opem sibi invicem ferentes. (*B. A.*)

ADMĪNĪCŪLĀTOR, oris, m. qui opem fert, adjutor, συμβοηθός. *Gell.* 7, 3. Tirone Cicero adminiculatore et quasi administro in studiis litterarum usus est.

ADMĪNĪCŪLĀTUS, a, um, part. v. *adminiculo*, adminiculis fultus. *Plin.* 14, 1, 3. Vites adminiculatae sudibus. ℙ Translate est adjutus, munitus. *Varro* ap. *Prisc.* 8. p. 791. et 11. p. 927. Tribunicio auxilio adminiculati. *Gell. praef. l.* 1. Memoria adminiculatior. (Haec verba descripsit in suo ad Saturn. prooem. *Macrob.*) *Id.* 14, 2. Ex jurisperitorum commentariis commoniti et adminiculati sumus. Cf. ADMINICULO.

ADMĪNĪCŪLO, as, avi, atum, a. 1. adminiculis seu pedamentis fulcio, munio, στηρίζω. *Colum. de arb.* 16. Vitem adminiculato arborique jungito. *Id.* 4, 26. Adminiculandae jugandaeque vitis cura. ℙ Translate est adjuvare. *Varr.* ap. *Non.* 2, 72. Quod petisti, ut ejus educationis fierem tibi socius, quoad potui, adminiculavi voluntatem tuam scribendo. (Adde *eund. ib.* 3, 268.) *Censorin.* 3. Dii vitam hominum adminiculantes. *Gell.* 2, 30. Id ipsum, quod dicimus, ex illis quoque Homericis versibus adminiculari potest, *h. e.* firmari, confirmari. [*Id. 14, 2. Ex ipsa lege Julia et ex aliorum commentariis commoniti et adminiculati sumus. *Augustin. de doctr. Chr.* 1, 3. ad beatitudinem adjuvamur et adminiculamur.] ℙ A *Varrone L. L.* 7, 23. dicuntur adverbia pars *adminiculandi*

orationem, quod quodammodo orationem adjuvant et apposita juxta verba eorum aptius explicant ampliantque significationem.

ADMĬNĬCŬLOR, aris, atus sum, dep. 1. id. qu. *adminiculo*. *Cic. Fin.* 5, 14. Quae sit scientia atque ars agricolarum, quae circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur; ut quo natura ferat, eo possit ire.

ADMĬNĬCŬLUM, i, n. *χάραξ, στήριγμα*, palus, pedamentum, fulcrum ad vites aliasve fructiferas arbores fulciendas. Est a *manicula*, et significat id quod tanquam manus adjuvat; hinc *Cic. N. D.* 2, 47. Vites claviculis adminicula, tanquam manibus, apprehendunt, atque ita se erigunt, ut animantes. [**Kärcherus* h. v. derivat a v. *mineo*, (unde *promineo*, *emineo*) putatque intellig. esse de eo, quod fulciendi causa eminet. Idem *fulcri* signif. communem et primitivam vult esse, inde etiam de *vitium* fulcro dictum; nobis non dissentientibus.] *Id. Sen.* 15. Adminiculorum ordines, capitum jugatio, religatio, et propagatio vitium. *Plin.* 17, 24, 36. Adminicula viti addere. [**Sen. Clem.* 2, 6. Agricolas bonos imitabimur, qui non tantum rectas procerasque arbores colunt, sed illis quoque, quas aliqua depravavit causa, adminicula, quibus regantur, applicant. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 6, 1, 4.] ℙ Dicitur etiam de quacumque re, qua nitimur, sustentamur aut adjuvamur. *Varr. R. R.* 1, 17. Has res alii dividunt in duas partes, in homines et adminicula hominum, sine quibus rebus agros colere non possunt, *h. e.* boves et instrumenta ruralia. *Plin.* 11, 37, 61. Dentes in os vergentes, ne excidant cibi, nullum habentibus retinendi adminiculum. *Id.* 7, 56, 57. Adminicula gubernandi (in navi) invenit Typhis. *Curt.* 7, 3. Jacentes quosdam erigens, et alios, cum aegre sequerentur, adminiculo corporis sui excipiens. *Id.* 8, 2. *fin.* Arboris stipiti se applicuit: deinde ne illo quidem adminiculo sustinente etc. [**cf.* 8, 4. *Liv.* 5, 22. motam (Junonem) sede sua parvi molimenti adminiculo. *Id.* 21, 36. seu manibus in adsurgendo, seu genu se adjuvissent, ipsis adminiculis prolapsi.] ℙ Translate *Cic. Off.* 3, 7. Hanc igitur partem relictam explebimus, nullis adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro. *Id. Am.* 23. *fin.* Natura solitarium nihil amat semperque ad aliquod tanquam adminiculum adnititur. *Tac. A.* 12, 5. Gravissimos principis labores egere adminiculis. *Liv.* 6, 1. Quo primo adminiculo erecta erat (urbs), eodem innisa M. Furio principe stetit. *Id.* 10, 22. Id senectuti suae adminiculum fore. [**Pl. Most.* 1, 2, 48. Ad legionem quum itant, adminiculum eis danunt (i. e. dant) aliquem cognatum. *Tac. A.* 14, 54. Quomodo in militia aut via fessus adminiculum orarem. *Lips.* intelligit de *optione*, *Gron.* autem de *causaria missione*. — Etiam quum translate h. v. utuntur boni scriptores, intelligitur ubique ejusmodi auxilium, cui tanquam innitimur; a deterioribus autem hoc non amplius observatur, ut *Ammian.* 24, 8. nullius externi indigens adminiculi, de *ubertate*. *Id.* 21, 12. formidabat (Julianus), ne provincias et adminicula perderet, quae exinde sperabat in dies i. e. auxilia et commeatus. *Id.* 14, 6. excogitatum est adminiculum sospitale, ne quis amicum perferentem similia videret. Ac saepius ita loquitur.]

ADMĬNĬSTER, i, m. *διάκονος, ὑπηρέτης*, qui ministrat aut alicui opem praebet. *Cic. Leg.* 3, 19. Jovi se consiliarium atque administrum datum. [**Sall. Jug.* 29, 2. socius et administer omnium consiliorum assumitur Scaurus. cf. *Cort.* ad h. l. *Cic. Rosc. Am.* 28. unus puer victus quotidiani administer. *Caes. B. G.* 6, 16. administris ad ea sacra Druidibus utuntur.] *Sall. Jug.* 79. Jubet aggerem jacere, et super aggerem impositis turribus opus et administros tutari, *h. e.* in opere constitutos s. operas. *Id. ib.* 77. Cum neque bellum geri sine administris posset, *h. e.* ducibus, administratoribus. *Cic. Verr.* 2, 2, 54. Administer istius cupiditatum. *Id. Cat.* 1, 3. Satelles atque administer audaciae. Id. Verr. 2, 2, 28. rerum hujusmodi omnium (sc. malarum) transactor et administer. [**Id. Quint.* 25. administri et satellites Sexti Naevii.]

ADMĬNĬSTRA, ae, f. quae ministrat, *ὑπηρέτις*. *Cic. Man.* 13. Multae sunt artes eximiae hujus administrae comitesque virtutis. *Varr. L. L.* 6, 3. Camilla administra in his quae occultiora sunt.

ADMĬNĬSTRĀTĬO, onis, f. actus administrandi, ministerium sive personae sive rei adhibitum. [*Hanc primam, quam Forc. secundam posuerat, h. v. sign. esse probabilius fit, si *ministrum* a *manu* dictum putamus.] *Cic. Off.* 2, 3. Pleraque sunt hominum operis effecta, quae nec haberemus, nisi manus et ars accessissent nec his sine hominum administratione uteremur, i. e. auxilio et ministerio. ℙ Inde est id. q. curatio, procuratio, *διοίκησις, διαχείρησις*. *Cic. Fam.* 15, 1. Administratio belli. *Id. Fam.* 1, 9. *in.* Florere in omni actione et administratione reipublicae. *Id. N. D.* 1, 1. Vacare omni curatione et administratione rerum. *Justin.* 41, 2. Administratio gentis, post defectionem Macedonici imperii, sub regibus fuit. [**Suet. Dom.* 3. adm. imperii. *Cic. N. D.* 2, 34. mundi. *Id. Inv.* 2, 54. magnificentia est rerum magnarum — agitatio atque administratio. *Ulpian. Pand.* 39, 5, 7. filius familias donare non potest, neque si liberam peculii administrationem habet. *Ib.* 5, 17. quia ex superioris temporis administratione nihil amplius — deduci potest, i. e. ex iis, quae superiore tempore facta sunt. *Id. ib.* 27, 3, 13. adm. tutelae. *A. dial. de causs. c. el.* 6. officii administratio, de honore illo tralatitio, qui alicui habetur. *Caes. B. C.* 2, 2. tormentorum i. e. ratio adhibendi ea. *Liv.* 34, 6. navis i. e. modus gubernandi. — *Ammian.* 14, 11. administrationum specie diversarum i. e. negotiorum.] *Tac. Agr.* 19. Officia et administrationes. *Vitr.* 9. *c. ult.* Administratio aquae i. e. distributio. ℙ *Caesar* dicit de simplici *usu:* qua signif. ipsum verbum *administro* frequens apud eum est. *B. C.* 1, 25. Exitus administrationesque (i. e. usum) Brundusini portus impedire instituit. [*De h. l. fuit qui dubitaret. Apparet autem, adm. non simpliciter nec apud *Caes.* dici pro *usu*, nec ubique dici posse. Conf. cum iis locis, quos modo addidimus.] ℙ *Administrationes* pro ipsis administratoribus dixit *Spart. Pesc.* 7., quemadmodum *dominationem* pro *dominis* posuit *Flor.* 1, 24.

ADMĬNĬSTRĀTĪVUS, a, um, adj. ad administrandum s. agendum aptus. *Quint.* 2, 18. Quia maximus ejus usus actu continetur, atque in eo est frequentissima, dicatur activa vel administrativa; nam et hoc ejusdem rei nomen est.

ADMĬNĬSTRĀTOR, oris, m. qui administrat, *διοικητής*. *Cic. Orat.* 1, 48. Imperator est administrator belli gerendi. *Paul. Dig.* 3, 4, 10. Administrator rerum civitatis. *Ascon.* in *Verr.* 2, 2, 6. Omnis magistratus, qui intramuranus non est, nec urbanus, etiamsi administrator ejus (magistratus) Romae est, ad urbem dicitur. ℙ Item minister, servus. *Cic. Tusc.* 5, 21. Itaque nec pulcros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum. *Ulp. Dig.* 50, 16, 203. *extr.* Cubicularii, coci, administratores, *h. e.* ministri ad mensam. Utrobique tamen rectius legunt *ministratores*.

[ADMĬNĬSTRATORĬUS, a, um, adj. qui administrat. *Hieron.* in *Isaj.* 13, 46, 11. Angeli, qui sunt administratorii spiritus, et mittuntur ob salutem credentium. *F.*]

ADMĬNĬSTRĀTUS, a, um, part. v. *administro*, *διοικηθείς*, curatus, gubernatus. *Tac. A.* 6, 29. Male administrata provincia. *Vell.* 2, 61. Bellum administratum.

ADMĬNĬSTRO, as, avi, atum, a. 1. Proprie est: administrum agere sive esse vel addita re (ad aliquid), vel addita persona. *Pl. Epid.* 3, 3, 37. Conductam esse eam, quae hic administraret ad rem divinam tibi. *Spart. Carac.* 4. Occisi etiam liberti, qui Getae administraverant. ℙ Hinc est id. qu. subministrare, suppeditare. *Cic. Verr.* 2, 5, 47. A nobis omnia pop. R. semper et belli adjumenta et pacis ornamenta administrata sunt. [**Varr.* 3, 16, 5. Mel ad principia convivii et in secundam mensam administratur. Huc fortasse referendus locus a Furl. allatus *Hirt. B. Afr.* 74. se res complures, quae utiles bello sint, administraturos.] ℙ Tum omnino est curare, procurare, curam alicujus rei gerere, gubernare, perficere, *ἐγχειρίζομαι, διοικέω*. *Varr. R. R.* 1, 17, 2. *Colum.* 2, 22, 4. adm. sementem, vindemiam, foenisecium etc. i. e. operam dare. [**Id.* 11, 2, 23. insitionem.] *Cic. Inv.* 1, 25. Administrare rem familiarem. *Id. Fam.* 13, 11. negotium alicujus. *Id. Verr.* 2, 4, 64. provinciam. *Id. Off.* 1, 25. rempublicam. [**Drak.* ad *Liv.* 6, 6, 11.] *Id. Div. in Verr.* 22. leges et judicia. *Id. N. D.* 1, 2. et regere mundum. *Sall. Jug.* 22. oppida et fines alicujus populi. *Nep. Dion.* 1. illustriores legationes. *Inscr.* ap. *Mur.* 2012, 3. horologium. *Val. M.* 9, 2. *n.* 4. Cives jugulatos muris praecipitavit, liberos trucidavit; quae omnia Romano jussu, Lusitanis manibus administrata sunt. *Caes. B. C.* 2, 8. Legionarii, qui dexteram partem operis administrabant i. e. qui a dextera parte oppidum oppugnabant. [*Multis haec augeri possunt. *Suet. Caes.* 76. adm. res urbanas. *Id. Tib.* 8. duplicem curam, annonae et repurgandorum ergastulorum. Cf. *Vit.* 5. *Aug.* 3. honores egregie. Cf. *ib.* 27. *Vesp.* 4. (adm. proconsulatum, triumviratum, principatum, alia.) *Caes. B. G.* 2, 22. Neque ab uno omnia imperia administrari poterant. *Id. ib.* 4, 18. classem. *Id. B. C.* 3, 14. navem, i. e. gubernare. *Justin.* 3, 2. et *Ulp. Pand.* 27, 3, 13. tutelam. *Auct. B. Hisp.* 36. caedem, et *ib.* 39. caedes a nostris undique administrabantur, i. e. edebantur, fiebant, patrabantur. — Jam vero ab his nihil differt *administrare bellum*, quam locutionem noster a reliquis sejunxit.] Adm. b. est bello praeesse, ducem esse, et ea, quae ad bellum gerendum pertinent, disponere et curare. *Cic. Div.* 2, 36. Bella a proconsulibus et propraetoribus administrantur. [*cf. de hoc usu *Cort.* ad *Sall. Jug.* 29, 1. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 2, 20. Similiter *Cic. Inv.* 1, 34. exercitum.] Et hinc saepe simpliciter sign. bellum gerere. *Cic. Man.* 2. Non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum. Adde *Caes. B. C.* 1, 25. et 26. et *B. G.* 5, 50. [**Nep. Chabr.* 2. *Eum.* 5. *Eutrop.* 7, 5. — Denique non alia est ratio locorum, in quibus noster *providere* explicat, afferens *Caes. B. G.* 7, 19. Reliqua, quae ad oppugnationem oppidi pertinebant, administrare instituit.] ℙ Postremo commemorandi sunt ii loci, in quibus absolute *admin.* dicitur, ubi *negotium tractare*, *agere* potest explicari. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 4, 45, 7. *Sall. Jug.* 79. Milites neque pro opere consistere, neque inter vineas sine periculo administrare poterant. [*V. *Cort.*, qui *militare* hoc signif. verbum esse ait.] *Vitruv.* 1, 5. Qui repugnabunt, rescindent (murum), et si celeriter administraverint, non patientur reliquas partes muri hostem penetrare. [*Talibus in locis quin supplendus sit e nexu accusativus, non dubitamus. Sic ap. *Sall.* ex antecc. repeti potest *opus;* in aliis locis facile illius ipsius negotii, quo de agitur, notio intelligitur. Ap. *Hirt. B. Alex.* 21. neque administrandi, neque repellendi facultas dabatur, *navigium* cogitatione addendum esse quis est quem fugiat? Adde *Caes. B. C.* 3, 26. De *Catonis* ap. *Cic. Fam.* 15, 5. verbis: ut tuam virtutem — pari industria administrare (al. *administrari*) gaudeam, dubitatur. Nunquam poterit nobis persuaderi, aliam esse horum locorum rationem atque illorum, in quibus pro simpl. *agere*, *gerere* dici videtur, ut ap. *Auct. B. Afr.* 53. Dum haec ad Uzitam administrantur. *Cic. Inv.* 1, 34. quae sine consilio administrantur. *Caes. B. G.* 7, 60. Caesar cohortatus (milites), ut ea, quae imperasset, diligenter administrarent.]

ADMĪRĀBĬLIS, le, adj. *θαυμαστός*, admiratione dignus, admirandus. *Cic. Div.* 2, 28. Res nova et admirabilis. *Id. ad Caes. post ep.* 11. *l.* 9. *ad Att.* Admirabilis et singularis sapientia. *Id. Or.* 1, 2. Admirabilis in dicendo vir. *Id. Or.* 35. Admirabilior oratio. *Liv.* 22, 37. Magnitudo pop. R. admirabilior adversis rebus, quam secundis. *Phaedr.* 3, 18. Luscinii cantus cunctis auribus admirabilis. Et in malam partem *Cic. Fat.* 16. o admirabilem licentiam et miserabilem inscientiam disserendi. [**Id. Phil.* 3, 7. admirabilis impudentia.] *Juven.* 13, 53. improbitas illo fuit admirabilis aevo. [*Alibi ita dicitur *incredibilis*.] ℙ Speciatim *admirabile* dicitur id, quod est praeter opinionem hominum constitutum, ut *Quint.* 4, 1. definit. [*Nimirum illud ipsum, quod praeter opinionem fit et exspectationem, admirationem excitat.] Hinc *Cic. Fin.* 4, 27. Haec *παράδοξα* illi, nos admirabilia dicamus [*cf. *id. Parad. praef.* et *par.* 4. Simili modo *id. Inv.* 1, 15, 20. admirabile genus (causae), a quo alienatus est animus eorum, qui audituri sunt, ut *Cic.* ipse definit. Eodem referas licet *Flor.* 4, 2, 47. Nec minus admirabilior illius exitus belli (cum nemo posset expectare, talem eum fore. V. sqq.) Cf. *Liv.* 42, 50.]

ADMĪRĀBĬLĪTAS, atis, f. *θαυμασιότης*, id quod admirationem habet, [*excitat, vis ad excitandam admirationem.] *Cic. N. D.* 2, 36. Quanta sit admirabilitas caelestium rerum atque terrestrium. *Id. ib.* 40. Cum admirabilitate maxima igneae formae cursus ordinatos definiunt. *Id. Off.* 2, 11. Haec animi despicientia admirabilitatem magnam facit [*i. e. facit, ut admiratione is dignus videatur, qui habet hanc virtutem. Noli putare pro *admiratione* dictum esse.]

ADMĪRĀBĬLĪTER, adv. *θαυμαστῶς*, cum admirabilitate seu admiratione, mirandum in modum, miro (insolenti) modo. *Cic. N. D.* 2, 53. Omnia in hoc mundo admirabiliter administrari. *Id. Att.* 5, 14. Nos Asia accepit admirabiliter. *Id. opt. gen. Or.* 6. Laudare aliquem admirabiliter. *Id. Tusc.* 4, 16. *fin.* Quod idem cum Stoici de sapiente dicunt, nimis admirabiliter nimisque magnifice dicere videntur, *h. e.* praeter communem hominum sensum, *παραδόξως*.

*ADMĪRĀCŬLUM, i. Ex *Optato Afro* profert *Barth. Adv.* 29, 17.

ADMĪRANDUS, a, um, part. v. *admiror*, *θαυμαστός*, admiratione dignus, admirabilis. [**Virg. G.* 4, 3. Admiranda spectacula. Cf. *Cic. Div.* 2, 72.] *Nep. Ep.* 3. Continens, clemens patiensque admirandum in modum. *Id. Cat. fin.* Exposuit, quae in Italia viderentur admiranda. *Quintil.* 3, 11. Hermagoras vir subtilis et in plurimis admirandus. ℙ Sup. *admirandissimus* usus est *Salvianus ep.* 8. admirandissimi juvenes, sed non est is imitandus. [*Talia si quis plura concupiscit, adeat *Barth. Adv.* 35, 9.]

ADMĪRĀTĬO, onis, f. *θαυμασμός*, actus admirandi, miratio, stupor. [**Liv.* 3, 47. stupor omnes admiratione tam atrocis rei defixit.] *Cic. Dej.* 12. Homines admiratione obstupefacti. *Id. Phil.* 10, 2. Hoc mihi maximam admirationem movet. *Id. Fam.* 5, 12. Viri excellentis varii casus habent admirationem. *Plin.* 7, 12, 10. Admirationem inferre. *Id.* 19, 8, 41. *n.* 3. Folia usque in admirationem crispa. [**Id.* 16, 26, 44. In maxima admiratione pinus est.] *Cic. Off.* 2, 10. Admiratione affici. *Liv.* 7, 34. Consulem admiratio incessit, quod nec pugnam inirent. [**Suet. Cal.* 19. non sine admiratione (passive intell. *hominum*). *Id. Claud.* 37. in admirationem formata h. e. simulans adm. In ma-

lam partem *Cic. Or.* 2, 62. ambiguam admirationem magis, quam risum movet. Hoc fortius etiam in his: *id. Or.* 3. Video hanc primam ingressionem meam — aut reprehensionis aliquid aut certe admirationis habituram. *Id. Inv.* 2, 50. Admiratio per contentionem qui fieri possit, ut qui hoc aequum esse concedat, illud neget, quod aut aequius aut eodem sit genere. *Liv.* 21, 3. adm. incipitis sententiae.] ℙ Saepe significat stuporem conjunctum cum summa aestimatione [*veneratione, reverentia] rei, quam admiramur. *Cic. Off.* 2, 14. Magna est admiratio copiose sapienterque dicentis. *Id. Or.* 1, 33. Haec sunt, quae admirationes in bonis oratoribus efficiunt. *Id. Off.* 2, 1. Admiratione afficiuntur, qui anteire virtute putantur. *Liv.* 9, 8. Tanta simul admiratio miseratioque viri incessit homines, ut etc. *Id.* 7, 34. Admiratione paventibus cunctis. [*Recte hoc defendit *Drak.*] *Nep. Iph.* 3. Fuit et animo magno et corpore, ut ipso aspectu cuivis injiceret admirationem sui. *Curt.* 3, 6. Admirationi regis dediti. [**Suet. Ner.* 52. quo diutius in admiratione sui detineret. *Eutrop.* 8, 6. Tantae admirationis adhuc juvenis. *Cic. Off.* 2, 20. Corrupti mores depravatique sunt admiratione divitiarum. *Curt.* 8, 14. *fin.* Adm. verae laudis et gloriae. Cf. *ib.* 5. §. 10. *Cic. Or.* 3, 26. Habeat illa in dicendo admiratio et summa laus umbram aliquam et recessum. *Id. Brut.* 88. crebrae assensiones, multae admirationes. Plurali usus est etiam *Vitruv.* 7, 13. Non minores sunt quam ceterarum naturae rerum considerantibus admirationes.]

ADMIRĀTOR, oris, m. *θαυμαστής*, qui admiratur. *Sen. ep.* 94. *fin.* Irritamentum est omnium, in quae insanimus, admirator et conscius. [*Id. *Cons. ad Helv.* 8. animus contemplator admiratorque mundi.] ℙ Item aestimator. *Quintil.* 2, 5. Admirator nimius antiquitatis. [*Sic *id.* explicat gr. *εἴρων*, 9, 2, 46. ideo dictus (Socrates) *εἴρων*, agens imperitum, et admirator aliorum tanquamsapientium.] *Phaedr.* 4, 21. Simonidis admirator maximus.

ADMĪROR, aris, atus sum, dep. 1. *θαυμάζω*, id. qu. miror, aut valde miror, stupeo. [*Nullum esse verborum *mirari* et *admirari* discrimen auctor est *Burm.* ad *Phaedr.* 1, 12, 5. quocum sentit *Drak.* ad *Liv.* 26, 22, 14., ubi crebro haec vv. in libb. mss. permutari ostendit. Alii vulgo sic breviter praecipiunt: miramur opera, admiramur virtutes. Nobis sic videtur: *mirari* ut plurimum dicitur de rebus novis, insolentibus, inexspectatis, nimiis; *admirari* de rebus magnificis et praeclaris et de hominibus, qui virtutibus et rebus gestis stuporem cum reverentia nobis incutiunt. Quamquam non semper hoc discrimen a veteribus observatum esse ipsi illi, qui statim proponentur, loci demonstrant. Ceterum cf. *Brem. praef. ad Nep.* 3.] *Cic. Att.* 6, 9. Admiratus sum brevitatem epistolae. Et mox: admiratus sum, quod tua manu scripsisses. Et 10, 17. De diplomate admiraris, quasi nescio cujus te flagitii insimularem, [**Id. Mur.* 19. de multitudine. *Id. Att.* 9, 12. De Dionysio sum admiratus, qui etc.] *Id. Off.* 2, 10. Ne quis sit admiratus, cur etc. [**Ter. Heaut.* 4, 6, 22. Cave quidquam admiratus sis, qua causa id fiat. Perfecti in his locis usum putamus comparandum esse cum graecis illis *ἐγκλωα*, *ἔκλανσα*, *ἐπήνεσα* et aliis, de quibus adi *Herm.* ad *Vig.* p. 746. Cf. *Pl. Amph. prol.* 89.] *Id. Fin.* 1, 2. In quibus hoc primum est, in quo admirer, cur etc. [*V. ad h. l. *Brem.* et *Goer.* Ceterum ut in his locis dicitur *adm. cur, qua causa* etc. sic gr. *θαυμάζειν, τί, ὅπως* etc. hac ratione, ut *adm.* sit cum admiratione quaerere. Eodem modo *Liv.* 29, 24. admirantem, quae tam diuturnae morae sit causa. Cf. *Cic. N. D.* et *Fin.* l. mox l. et *N. D.* 2, 48. in quo admirandum est, congressune aliquo — congregatae sint.] *Id. Nat. D.* 1, 3. Partim admirantium, unde hoc studium extitisset, partim etc. *Id. Fin.* 4, 22. Admirati sumus, quid esset, cur nobis Stoicos anteferres. *Hor. Sat.* 1, 4, 99. Admiror, quo pacto judicium illud fugerit. *Id. Phil.* 2, 16. *fin.* Hoc maxime admiratus sum, mentionem te hereditatum ausum esse facere. [*Cf. *Nep. Alc.* 1.] *Nep. Eum.* 12. Cum admirarentur, non jam de eo sumptum esse supplicium, a quo etc. Ac de iis, quae improbamus *Cic. Prov. cons.* 3, 11. Sed quod in hac causa maxime homines admirentur et reprehendant meum consilium etc.? [*Non multum hoc differt ab nonnullis eorum locorum, qui modo sunt allati. *Cic. Off.* 2, 16. Qui has pecuniarum effusiones non admiremur. Cf. ibi *Gernh.*] ℙ Significat etiam suspicere, magni aestimare. *Cic. Or.* 1, 20. *fin.* Ingenium tuum, Crasse, vehementer admirans. *Id. Fam.* 1, 7. Magnitudinem animi tui semper sum admiratus semperque amavi. [*Cf. *Acad.* 2, 36. *Nep. Dion.* 2.] *Id. Or.* 1, 51. Quorum ego copiam magnitudinemque cognitionis atque artis non modo non contemno, sed etiam vehementer admiror. *Id. Brut.* 94. Admirari res gestas alicujus. [**Nep. Alc.* 11. Ut illi ipsi eum in his — admirarentur. *Virg. G.* 4, 215. illum (regem) admirantur sc. apes, i. e. veneratione prosequuntur, ut *Hor. Od.* 4, 14, 43. mirari; *Eurip. Med.* 1144. *θαυμάζειν*. Attulit ista *Voss.*] ℙ Refertur etiam ad appetitum [*quoniam, quae admiramur quaeque ideo nos tenent, possidendi cupidinem excitant, eoque modo de quavis graviore animi affectione dicitur.] *Cic. Off.* 1, 20. Nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere. *Hor. Ep.* 1, 6, 1. Nil admirari, prope res est una, Numici, Solaque, quae possit facere et servare beatum, i. e. nulla re commoveri, omnia contemnere, quod demum est nulla cupiditate duci: quo modo usurpatur etiam ap. Graecos v. *θαυμάζω*. Habes exemplum in *Epict. Enchir.* 49. [*Adde, quod notavit *Burm.* ad *Prop.* 2, 13, 67., *adm.* dici pro obstupere cum quadam invidia ad alicujus felicitatem (ut *θαυμάζειν*, v. *Casaub.* ad *Theophr. Char.* p. 153.), unde ad adulatores transfertur, qui blandiendo aliquid mirantur, licet animo invideant. *Burm.* ad *Anth.* 1, 456. *Jahn.*] ℙ Passive *Canutius* ap. *Prisc.* 8. p. 792. Turpe est propter venustatem vestimentorum admirari, ut propter turpissimam vitam actam contemni, *θαυμάζεσθαι*.

ADMISCĔO, isces, iscui, istum vel ixtum, a. 2. *προσμιγνύω*, misceo, commisceo. *Plin.* 26, 10, 66. Admixtis in heminam seminis resinae cochlearibus duobus. *Colum.* 12, 15. Admiscere torrefacta sesama cum aniso Aegyptio. *Lucr.* 4, 1240. Aegre admiscetur muliebri semine semen. [*Caes. B. C. 3, 48. admixtum lacte. Al. *lacti*. V. *Oud. Nemes. Cyn.* 206. acidos Bacchi latices Tritonide oliva admiscere. Cf. *Varr. R. R.* 1, 9, 3. *Cic. Tusc.* 1, 29. Quin nihil sit animis admixtum, ubi praep. *in* addi voluit *Ern.*, nullo jure.] ℙ Transfertur hinc ad alias res, et est adjungere, in unum conjungere, confundere. *Cic. Univ.* 3. bonis omnibus explere mundum, nihil mali admiscere. *Id. fr. Hortens.* ap. *Augustin. de Trin.* 14, 19. Quo minus animi se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis atque erroribus, hoc illis faciliorem ascensum in coelum fore. [**Id. R. P.* 2, 4. Admiscentur (urbes) novis sermonibus ac disciplinis. *Id. Att.* 7, 1. Sed hoc tamen — cum iis rationibus, quas ille meas tractat, admisceri nolo.] *Id. Or.* 2, 49. Admiscere huic generi orationis illud alterum — coepi. [*Cf. *Tusc.* 2, 11. *Quintil.* 6, 3. Facto risus concilietur, interim admixta gravitate. *Furl.* addidit *Sil.* 1, 442. Aspera telis dicta admiscentem, et *Ov. A. am.* 3, 609. Venus admiscenda dolori est. *Lucr.* 1, 746. Nec tamen admiscent in eorum corpus Inane. *Virg. A.* 7, 579. Stirpem admisceri Phrygiam. *Liv.* 3, 32. admiscerenturne (i. e. in numerum decemvirorum reciperentur) plebeji. *Curt.* 3, 9. Admixti funditoribus, sagittarii. Ceterum cf. ADMIXTUS. ℙ De hominibus saepe dicitur, qui negotiis se implicant et interponunt, maxime alienis et ad ipsos nihil pertinentibus. *Cic. Phil.* 12, 7. In hac ego legatione sim, aut ad id consilium admiscear? *Id. Q. Fr.* 3, 1, 3. Trebatium vero meum, quod isto admisceas, nihil est, *h. e.* in isto negotio, in hac re. *Ter. Heaut.* 4, 5, 35. Ita tu isthaec tua misceto, ne me admisceas. Et *ib.* 5, 2, 22. Ne te admisce: nemo accusat, Syre, te.

ADMISSĀRIUS equus, et Admissarius, ii, m. absolute, *ἀναβάτης*, equus, qui ad sobolem creandam equabus admittitur. *Varr. R. R.* 2, 7. Equos, quos admissarios habeo singulos in feminas denas. *Plin.* 28, 15, 61. Sanguis equi, praecipue admissarii. *Col.* 6, 27. Ut tam feminis, quam admissariis desiderantibus coeundi fiat potestas. [*Adde *Pallad. Mart.* 13.] ℙ Nec de equis solum, sed et de aliis jumentis admissarius dicitur. *Varr. R. R.* 2, 8. Et asinum admissarium habere volunt. [**Pallad. Mart.* 14, 2.] ℙ De homine valde libidinoso *Cic. Pis.* 28. Admissarius iste simul atque audivit voluptatem tantopere laudari, sic ad illius orationem adhinniit, ut etc. Adde *Pl. Mil.* 4, 3, 19. ℙ De subactore. *Sen. nat. Qu.* 1, 16. Ut cum virum ipse pateretur, aversus omnes admissarii sui motus in speculo videret.

ADMISSIO, onis, f. *εἰσδοχή*, actus admittendi, introductio ad aliquem, aditus: et praecipue facultas adeundi principem salutandi, alloquendi gratia aut petendi. Cf. *Admitto. Plin. Pan.* 47. An quisquam non in primis laudibus ferat admissionum tuarum facilitatem? *Plin. alter* 33, 3, 12. Dare alicui admissionem alicujus. Et *Sen. Ben.* 6, 33. Non sunt isti amici, qui agmine magno januam pulsant, qui in primas et secundas admissiones digeruntur. *Primas* et *secundas* admissiones dicit eorum, qui vel primo loco vel secundo admittuntur: nam honoratiores primi introducebantur, ut hodieque fit. *Id. Clem.* 1, 10. Abavus tuus Sallustium, et Coccejos, et Dellios, et totam cohortem primae admissionis ex adversariorum castris conscripsit, *h. e.* primi loci: honestiores enim amici primi introducebantur. [Ita legit et interpretatur *Ruhkopf. F.*] Cf. *Lips.* ad *Tac. A.* 6, 9. *Suet. Vesp.* 14. Quidam ex officio admissionis simul expellens etc. *Officium admissionis* appellat corpus honoratiorum servorum, qui admittendis advenientibus aderant et admissiones disponebant, qui et *admissionales* et *ab admissione* dicti. *Inscr.* ap. *Mur.* 916, 6. Ser. Sulpicio Aug. L. Fausto ab admissione. His qui praerat, *magister admissionum* dicebatur. *Ammian.* 15, 5. Per admissionum magistrum accito eodem [*sc. in consistorium.] *Proximus admissionum* erat, qui secundum post magistrum locum in admissionum officio tenebat. *Id.* 22, 7. Manumittendis ex more inductis per admissionum proximum. ℙ Idem est atque aditio hereditatis. *Imp. Alex. Cod.* 6, 15, 5. Certum est, cognationis jure citra admissionem bonorum possessionis neminem posse succedere. ℙ Accipitur etiam admissio pro admissura. *Varr. R. R.* 2, 1, 18. Primum videndum de admissione, quo quaeque tempore ut ineant facere oporteat.

ADMISSIONĀLIS, lis, m. *εἰσαγωγεύς*, dicitur is, cujus officium est admittere aulicos in cubiculum ad principem salutandum. *Lampr. Alex. Sev.* 4. Salutaretur quasi unus de senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis. [*V. voc. praec.]

ADMISSĪVUS, a, um, adj. *Admissivae aves* ap. *Festum* sunt, quae in auguriis faustum praebent omen et admittunt, quae consulentem seu jubebant seu vetabant. [*Opp. aves remores, arculae, inebrae. V. haec vv. et *Drak.* ad *Liv.* 4, 18, 6. *Briss. Form.* 1, 207.] V. ADMITTO.

ADMISSOR, oris, m. qui admittit, *h. e.* perpetrat facinus. *Lact. Epit.* 63. Eodem facinore spectator obstrictus est, quo et admissor. *August. Civ. D.* 7, 3. Janus seminis admissor. [*Impp. Diocl. et Maxim. in Coll. Mos. et Rom. leg. tit.* 6. *c.* 4. Admissores istius criminis. *F.*]

ADMISSUM, i, n. scelus admissum, pravum facinus, *ἁμάρτημα*. [**Cic. P. Or.* 35. Judicia, quae etiam nullo admisso consequi possent.] *Liv.* 25, 23. Multorum animi suspecti omnium oculos converterant, ne quid falleret tale admissum. [*Ov. Met.* 14, 92. Perjuria quondam Cercopum exosus gentisque admissa dolosae. *F.*] *Tac. A.* 11, 4. Cum idem de admissis Poppaeae sentiam, quod omnes. *Papin. Dig.* 46, 3, 95. Quoniam impunita non debent esse admissa.

ADMISSŪRA, ae, f. *ὀχεία*, actio qua mares gregum admittuntur ad feminas propagandae sobolis gratia. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Ante admissuram arietibus ac tauris datur plus cibi, ut vires habeant. [Et 2, 4. de suibus: admissuras cum faciunt, *h. e.* mares feminis admittunt. *F.*] *Col.* 6, 24. Prohibere tauros admissura. *Id. ib.* 27. adhibere equum trimum admissurae. *Plin.* 8, 42, 66. dare equum admissurae. *Stat. Silv.* 5, 2, 23. de equo: cujus de stemmate longo Felix emeritos habet admissura parentes. [*Cf. *Glossar. ad leges Regum et Princ. Barb. ed. Lindenbrog.* p. 1348.]

ADMISSUS, us, m. actus admittendi, *εἰσοδοχή*. *Pall.* 6. 2. Haec res uvas efficit pinguiores et maturitati consulit solis admissu. [*Cf. *id. Mart.* 9, 4.] ℙ [Id. significat qu. admissura. *Veg. Vet.* 4, 7. Admissariis eo anno, quo admissum faciunt, non est vena laxanda. *F.*]

ADMISSUS, a, um, part. v. *admitto*, introductus, *προσδεχθείς*. *Hor. A. P.* 5. Spectatum admissi risum teneatis, amici. *Ter. Hec.* 2, 1, 41. Ad eam non admissa sum. *Suet. Tib.* 4. Admissus in conspectum. *Tac. H.* 4, 60. Admissae preces. *Martial.* 12, 57. quies nullis Offensa linguis, nec dies, nisi admissus. ℙ Item commissus, cum de pravis facinoribus sermo est. *Suet. Tib.* 2. Multa Claudiorum egregia merita, multa etiam secus admissa in rempublicam exstant. *Id. Caes.* 75. Admissa perfidia. *Nep. Ep.* 6. Admissum scelus. *Sall. Jug.* 96. Admissum facinus. *Cic. Fam.* 3, 10. Commissum facinus et admissum dedecus. [**Prop.* 2, 22, 38. admissum adulterium; v. quos laudat ad h. l. *Santen.*] ℙ Item incitatus, immissus. *Caes. B. C.* 2, 34. Equites impetum hostium non tulerunt, sed admissis equis ad suos refugerunt. Cf. *Cic. Fin.* 2, 19. *Ov. A. A.* 1, 40. Haec erit admissa meta terenda rota. *Id. Am.* 3, 6, 86. Nec capit admissas alveus altus aquas, *h. e.* ruentes cum impetu. *Id. Met.* 1, 532. admisso sequitur vestigia passu, *h. e.* celeri. ℙ Item femina pecudis mari subjecta. *Varr. R. R.* 2, 2. Oves non meliores, quam trimae admissae. [*V. alia in ADMITTO. In libris confunduntur *admissus* et *admixtus*. V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 57, 9. et *aduisus*, *id. ib.* ad 4, 43, 5.]

ADMISTUS. V. ADMIXTUS.

ADMITTO, is, isi, issum, a. 3. ex *ad* et *mitto*, jubeo vel concedo, ut aliquis vel aliquid accedat ad aliquem vel ad aliquid, aditum concedo, do, recipio, excipio, *εἰσάγω*, *προσάγω*, *εἰσδέχομαι*, ac dicitur promiscue de rebus et de personis. [**Eutrop.* 7, 4. (7) Cleopatra sibi aspidem admisit. *Curt.* 6, 3. Darius in sedem Cyri — admissus. *Claud. R. Pr.* 3, 399. Stridunt admisso sulfure rami.] *Plin.* 9, 25, 41. Echeneis piscis in cibos non admittitur (inditur). *Id.* 20, 11, 44. adm. apium ad cibos. *Id.* 21, 9, 27. Flos ejus in coronas admittitur. *Sever. Aetn.* 8. Nec metuunt oculos alieno admittere (adjicere, conjicere, convertere) coelo. Huc pertinet etiam *admittere equum*, i. e. immittere (in locum, hominem) et laxatis habenis ad cursum incitare. *Liv.* 2, 19. In Postumium Tarquinius equum infestum admisit. [*Cf. ADMISSUS. Ab hoc *concitare equum* sic putat differre *Herz.* ad *Caes. B. G.* 1, 22., ut hoc paulo

fortius dicatur. Cf. *ibid. Davis. Drak.* ad *Liv. l. l. interpp. Ovid.* ad *Her.* 1, 36. *Gifan.* in *L. L.* et *Vorst. d. Lat. sel. P.* 1. *c.* 5. Jam vero hoc ipsum transfertur ad alias res. *Ov. Met.* 11, 512. Ubi se ventis admiserat unda coortis, i. e. cum impetu se incitaverat. Al. *commiserat.* Cf. *ib.* 256. *Tib.* 1, 4, 44. Venturam admittat imbrifer arcus aquam, i. e. incitet, impellat, ut recte *Scal.* et *Heyn.*, quem v. in *Obss. Ov. Am.* 2, 16, 50. admissae jubae, i. e. effusae. *Id. A. A.* 3, 312. Sirenes detinent quamlibet admissas rates. Ap. *eund. Met.* 6, 237. fluctuant codd. inter admissa *crura* et *colla*, plurimi posterius praeferunt. Valde incertum est ap. *Virg. A.* 11, 272. admissis pennis; plurimis placuit *amissi.* Sed ap. *Cic. Fin.* 1, 1. miramur, *Goerenzium* noluisse accedere sententiae *Ern. et Brem.* in explicandis verbis: qui — moderatius id (studium) volunt fieri, — temperantiam postulant in eo, quod semel admissum coerceri — non potest. Aperte enim ab *admisso equo* hoc petitum est.] Porro *adm.* eadem sign. dicitur pro *marem* pecudis feminae admovere. *Plin.* 8, 43, 68. Asinus solstitio admittitur. *Id.* 10, 63, 83. Verrem subantis voce audita, nisi admittatur, cibum non capere. *Colum.* 6, 37. Admissarius veneri modestior admittitur. *Id.* 7, 2. Arietes ovibus admittere. *Justin.* 1, 10. Admittere equum equae. *Ulp. Dig.* 47, 2, 53. Si quis asinum meum in equas suas τῆς γονῆς dumtaxat χάριν captum admisisset. [*De gallinis *Varr. R. R.* 3, 9, 22. de anseribus *id.* 3, 10, 3. de canibus *id.* 2, 9, 11.] Dicitur etiam femina pecudis admitti. *Plin.* 10, 63, 83. Equas autem post tertium diem, aut post unum ab enixu utiliter admitti putant. *Varr. R. R.* 2, 7. Eo adjutante equae celerius admittuntur. *Id. in fr.* ap. *Non.* 2, 9. Si equam emisses, ut meo asino Reatino admitteres. Inde translate dicitur de inserendi ratione s. insitione, ab admittendis pecudibus ad sobolem. *Plin.* 17, 18, 30. *n.* 5. Qui ver probant, ab aequinoctio statim admittunt, praedicantes, germina parturire i. e. surculum adigunt, inserunt. — *Plin.* 12, 1, 15. Solem aestate arcere, hieme admittere. *Id.* 2, 63, 63. In mare jacitur, aut, ut freta admittamus, eroditur aquis. *Id. praef. l.* 3. *fin.* Metas Herculis perfossas exclusa antea admisisse maria. *Cels.* 7, 26. *n.* 5. Ut neque frigus ad vesicam admittat etc. *Plin.* 37, 5, 16. Smaragdi admittentes visum, i. e. pellucidi. *Liv.* 34, 49. Pacis mentionem admittere auribus. [*cf. 25, 21. 30, 3. *Pl. Mil. gl.* 4, 1, 10. Postquam admisere aures meae tuae moram orationis.] *Quintil.* 4, 3. Quo facilius aures judicum, quae post dicturi erimus, admittant. Et om. *auribus* translate pr. *exaudire Petron. Sat.* 133. preces. [*Liv. 31, 5. adm. precationem, ubi v. *Gron. Sil.* 4, 698. Tum demum admissae voces et vota precantis, quam ibi scripturam praetulit *Drak.* probatam etiam *Gron. l. l.* Vulgo: *vires et voce pr.* Ceterum haud aliter dictum est *adm. ad animum* ap. *Liv.* 7, 9. in cogitationem *Lact.* 6, 13, 8. ubi multi *cogitatione.*] — *Suet. Ner.* 10. adm. plebem ad campestres exercitationes. *Petr. Sat.* 79. aliquem per fenestram. [*Cf. *Ov. A. A.* 3, 605.] *Cic. Div. in Verr.* 16. Quam multis custodibus opus erit, si te semel ad meas [capsas admisero. [*Ov. *Met.* 13, 881. vestris admittite regnis. *Flor.* 1, 1, admissis intra moenia hostibus.] *Id. Phil.* 8, 10. domum recipere legatum hostium, in cubiculum admittere. *Nep. Timol.* 1. Neque domum ad se filium admisit. *Suet. Ner.* 13. adm. ad genua, [h. e. ut ille in genua se demitteret. *F.*] Persaepe ita dicitur de iis, qui aut officii, aut negotii causa aliquem ad se recipiunt, et maxime de principibus viris, qui se adeundi copiam faciunt, colloquium dant, [*gr. προσίεσθαι, opp. *excludere*, ut ap. *Plin. Pan.* 48. Cf. *Schwarz.* ad *eund.* 47, 3.] *Cic. Att.* 13, 52. Caesar tertiis Saturnalibus apud Philippum, nec quemquam admisit. [*Id. *Off.* 1, 39. Domus clari hominis, in quam et hospites multi recipiendi et admittenda hominum cujusque modi multitudo. *Suet. Aug.* 79. Per simulationem colloquii propius admissus. Cf. *ib.* 99. *Ner.* 22. *Vesp.* 21. *Nep. Con.* 3. *Dat.* 3. *Suet. Aug.* 52. Promiscuis salutationibus admittebat et plebem. *Id. Tib.* 4. Indigne ferens, nec statim se in conspectum Sex. Pompeji admissum.] *Justin.* 12, 15. adm. milites ad conspectum suum. *Suet. Tib.* 27. ad lecticam. [*Quintil. *Decl.* 3. adudie antiam.] Om. praep. *Petron. fr. Trag.* 51. admissus Caesarem. [*Cf. ADMISSIO. Itidem saepe dicitur de amantibus, qui a meretricibus intro recipiuntur. *Prop.* 3, 20, 7. Vix tamen aut semel admittit, quum saepe negavit. Cf. 1, 16, 19. 2, 13, 68. V. ad h. l. *Burm.*, qui recte *Broukh.* ab augurandi arte s. avibus admittentibus id loquendi genus repetentem refutat.] — Porro in hunc numerum referendae sunt hae locutiones: *admittere aliquem in* vel *ad consilium* (perraro *in consilio*) est ad consulendum assumere. *Cic. Marc.* 2. *fin.* Nec ad consilium casus admittitur. *Auct. Decl. in Cic. pr. fin.* Quem Jupiter in consilio Deorum admisit. Al. leg. *in consilium. Petr.* tamen *Sat.* 19. dixit *admittere aliquem in diversorio.* [*Sic etiam ap. *Nep. Lys.* 1. al. *in numero* praebent in verbis: horum in numerum nemo admittebatur.] *Admittere aliquem ad honores, ad officium, in numerum imperantium, h. e.* aditum ei dare, assumere, eligere. *Suet. Caes.* 41. *Nep. Eum.* 1. et *Lys.* 1. etc. [**Suet. Ner.* 15. in curiam i. e. senatoriam dignitatem concedere.] Sic *Sen. Herc. Oet.* 535. Admittere aliquem arcanis. *Prop.* 2, 34, 16. Te dominum admitto rebus, amice, meis. *Petr. Sat.* 127. Admittere aliquem inter cultores etc. [*Add. *Liv.* 4, 3. ad fastos, ad commentarios pontificum admitti. *Claud.* IV. *Cons. Hon.* 581. Socios gaudes admittere patres. *Just.* 15, 1. negavit, se in ejus belli praemia socios admissurum, add. Furl.] ℙ Translate dicitur etiam de aliis rebus, quibus aut locus datur aut quae locum dant aliquid agendi, et est accipere, concedere, permittere, approbare. *Plin. ep.* 6, 16. *fin.* Placuit egredi in litus et e proximo aspicere, ecquid jam mare admitteret, quod adhuc vastum et adversum permanebat. *Cels.* 3, 12. Febres curationes admittunt, *h. e.* curari possunt. *Claud.* VI. *Cons. Hon.* 503. Mons — admittit viam sectae per viscera rupis, i. e. concedit viam. *Ter. Eun.* 4, 6, 23. Tu quod cavere possis, stultum est admittere. *Id. Ad.* 5, 7, 15. Sumptum admittet, [*ubi quin Ter. scripserit *admittet*, nemo hodie dubitat; noster valde dubiam scripturam pronunciaverat.] *Cic. Cluent.* 41. Judices — si qua lis capitis illata est, non admittunt. *Suet. Aug.* 66. adm. amicitias. *Claud. Eutrop.* 2, 70. fidem, i. e. credere. [**Sen. Troad.* 590. Animosa nullos mater admittit metus. Sic dicunt *locum dare amicitiae, fidei, metui.*] *Martian. Dig.* 48, 16, 1. Admittere excusationem. *Ulp. Dig.* 37, 1, 1. et 3. Admittere bonorum possessionem, *h. e.* agnoscere, ratam habere. *Papin. Dig.* 35, 2, 11. Admittere opinionem. Hoc modo in auguriis *aves admittere* dicuntur, quae faustum praebent auspicium et addicunt ratumve faciunt, quod quis cupit. *Pl. Asin.* 2, 1, 11. Impetritum, inauguratum est: quovis admittunt aves. *Liv.* 4, 18. Ut ab auguribus, simul aves rite admisissent, [**Plutarch.* vertit: ὅρνιθες ἐπέρρψαν] tolleretur signum. Adde 1, 36. Hinc *admissivae aves*, de quibus v. ADMISSIVUS. [*Cf. *Broukhus.* ad *Prop.* 3, 20, 7. et *Drak.* ad *Liv.* 4, 18, 6.] ℙ Denique translate est committere, patrare, cum de pravis facinoribus sermo est, estque ex eo translatum, quod qui peccat, scelus in animum recipit seu introducit. [**Committere* igitur simpliciter est i. q. patrare, facere; *admittere* adjunctam habet notionem licentiae cujusdam, quae jus fasque migrat. Cf. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 3, 9. et omnino de hoc v. usu *Drak.* ad *Liv.* 2, 37, 3.] *Cic. Mil.* 23. *fin.* Si Milo admisisset aliquid, quod non posset honeste vereque defendere. *Suet. Cal.* 15. Nihil sibi admissum, cur cuiquam invisus esset, *h. e.* nihil a se commissum. *Pl. Men.* 5, 1, 12. Quid tandem admisi in te, ut loqui non audeam? [*Curt. 7, 6. adm. facinus in populares.] *Cic. Off.* 3, 25. Admittere tetrum facinus. *Id. Rosc. Am.* 22. maleficium. *Id. Verr.* 1, 17. dedecus. *Id. Rab. perd.* 9. fraudem capitalem. *Suet. Cal.* 23. praedicabat, matrem ex incesto, quod Augustus cum Julia filia admisisset, procreatam. Sic *Oudend.* quem v.; antea male *commisisset.* Cf. ADMISSUS. *Hor. Sat.* 2, 3, 212. scelus. *Ter. Eun.* 5, 2, 14. noxiam. *Ad.* 3, 3, 54. indigna. *Quint. Decl.* 12. p. 249. admissum monstrum i. e. nefas patratum. Absolute *Tib.* 1, 6, 56. si tamen admittas, sc. tale facinus, ut a fide recedas. V. *Heyn.*] *Admittere aliquid in se* eodem signif. dicitur, ubi *in se* accus. est, non abl. *Cic. Leg.* 2, 7. Qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat. *Id. Mil.* 37. Quod in me tantum facinus admisi? *Id. Phil.* 2, 19. Ea in te admisisti, quae a verecundo inimico audire non posses. [**Ter. Ph.* 2, 1, 40. adm. culpam in se. *Id. Ad.* 4, 5, 48. delictum. *Hor. ep.* 1, 16, 53. Tu nihil admittes in te. — Ceterum rarius est in hoc genere, quod *Tac. H.* 2, 40. dicit: abnuunt militem — objicere hosti, non admissuro (i. e. commissuro), quo minus — aggrederetur.] ℙ *Admittere alicui aliquid* pro simplici *mittere* dixit *Hyg. Astronom.* 2, 13. non imitandus. [*Dicit noster, *adm.* esse id. q. suscipere, afferens locum *Nep. Att.* 15. in nitendo, quod semel admisisset, tanta erat cura. Sed ibi nunc rectius legitur *annuisset.* — Tum dicit etiam esse id. q. *condonare.* Quem vero affert locum *Pl. Poen.* 1, 2, 191. tibi hanc admittam noxiam unam, ibi legendum est *amittam.* Cf. *Ter. Eun.* 5, 2, 14.] *Admisse* per syncopen pro *admisisse* dictum est a *Pl. Mil.* 4, 7, 4. [*Conf. in libris *adm.* et *committere*; v. *Burm.* ad *Ov. Met.* 1, 210. et 9, 478. *id.* ad *A. A.* 2, 365. *Drak.* ad *Liv.* 40, 8, 7. item *admittere* et *amittere*, v. *Drak.* ad *Sil.* 4, 698. 11, 14.]

ADMIXTĬO et Admistio, onis, f. πρόσμιξις, actus admiscendi, mixtio. *Cic. Sen.* 22. Animus omni admixtione corporis liberatus, purus et integer. Adde *Varr. R. R* 1, 1, 9.

ADMIXTUS et Admistus, us, m. admixtio. In sexto casu singul. *Macr. Sat.* 2, 1. Nos honorem Dei, cujus hoc festum est, nullo admixtu voluptatis augemus.

ADMIXTUS et Admistus, a, um, part. v. *admisceo*, mixtus, adjunctus, πρόσμικτος. *Cic. N. D.* 2, 10. Aer multo calore admixtus. Et *ib.* Aquae admixtus calor. *Plin.* 36, 17, 28. Flos lapidis Assii admixtus aeri. [**Lucr.* 4, 1083. voluptas. *Id.* 1, 370. adm. rebus inane. *Tac. H.* 1, 49. caput — cremato jam corpori admixtum est.] ℙ Absolute est non sincerus, non simplex, non purus. *Cic. Sen.* 21. Simplex animi natura est, nec habet in se quidquam admixtum. *Id. Tusc.* 1, 29. Nihil est animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. ℙ [*De orthographia v. MISTUS. *Drak.* ad *Liv.* 3, 57, 9. in pluribus libb. mss. et marmoribus *admixtus*, non *admistus*, testatur reperiri.]

ADMODĔROR, aris, atus sum, dep. 1. id. qu. moderor, tempero, προσευθύνω, κατέχω. *Pl. Mil.* 4, 2, 81. Nequeo hercle risu me admoderarier.

ADMODŬLOR, aris, atus sum, dep. 1. simul modulor, accino, προσᾴδω. *Claud. carm. Fesc. in nupt. Hon. et Mar.* 11. Athesis strepat choreis, Calamisque flexuosus Leve Mincius susurret. Et Padus electriferis Admoduletur alnis.

ADMODUM, adv. μάλα, παντελῶς, πάνυ, id. qu. omnino, prorsus, plane, certe [*valde, satis]: ex *ad* et *modus*, diciturque quasi *ad modum*, hoc est ad mensuram seu rationem plenam perfectamque ejus rei, de qua est sermo. [*Juvat hic inserere ea, quae verissime de hujus particulae vi disputavit *B. Crusius* in *clavi Suet.* Admodum, inquit, pr. ad modum, quantum sufficit ad modum implendum; ubi quum sufficientia vel plenitas modi considerari potest, ubi *admodum* est *usque ad modum*, poniturque pro *valde, satis* (gr. μάλα, μάλα δή), tum intelligi *quod ad modum accedit*, paucis vel deficientibus vel abundantibus, unde saepissime *admodum* est *fere.* Sic ille. Apparet autem, admodum non semper dici de ipso eo, quod *summum* est in aliqua re (valde), sed etiam, quod ad summum accedit (satis). Ceterum conferri possunt de hujus partic. vi *Sanct. Min.* II. p. 11. sq. et *Herz.* ad *Caes. B. G.* 5, 40.] Jungitur tum adjectivis nominibus, tum verbis, tum adverbiis. *Cic. Verr.* 2, 4, 34. Signum admodum amplum et excellens. *Id. Brut.* 85. Forma quaedam ingenii admodum impolita et plane rudis. *Cic. Am.* 4. *fin.* Utrique gratum admodum feceris. [**Cic. Phil.* 5, 17. Majores nostri, veteres illi, admodum antiqui. *Eutrop.* 8, 1. adm. senex. *Id.* 9, 2. puer. *Nep. Ham.* 1. adolescentulus. *Cic. Sen.* 4. Non admodum (alibi in hujusmodi locis dicunt *nimis*) grandis natu, sed tamen aetate provectus). *Id. Fam.* 4, 13. *med.* Qui me admodum diligunt. *Id. Att.* 7, 24. Philotimi litterae eos admodum delectarunt. [**Cic. Off.* 1, 42. Nihil proficiant, nisi admodum mentiantur. *Liv.* 1, 10. admodum mitigati animi raptis erant.] *Id. fr. Acad.* 2. ap. *Non.* 7, 57. Aut nihil, aut obscure admodum cernere. *Id. fr. Fat.* ap. *Macr. Sat.* 2, 12. Acipenser admodum raro capitur. [**Eutrop.* 7, 12. adm. clare natus.] *Ter. Heaut.* 1, 1, 1. Quamquam haec inter nos nuper notitia admodum est. — Item cum adjectivis et adverbiis quantitatem significantibus. *Cic. N. D.* 3, 27. Ratio admodum paucis salutaris. [**Ammian.* 21, 14. admodum paucissimis visa numina. *Adm. nimius* conjunxit *Colum.* 4, 21, 2.] *Id. ib.* 2, 55. In totum corpus distribuitur per venas admodum multas. *Cic. Fin.* 5, 5. In quo multum admodum fortunae datur. *Flor.* 3, 1, 13. Marius auctis admodum copiis regem adortus etc. *Salmas.* legit *in modum*, eodem signif. [*praeter necessitatem.] *Liv.* 34, 13. Ubi satis admodum (i. e. quantum satis, opus) et suorum et hostium animos est expertus etc. [*Sic *Pl. Merc.* 2, 3, 65. Rem tibi jam elocutus omnem, atque admodum meorum moerorum summam edictavi tibi.] *Auct. ad Her.* 4, 12. Quae maxime admodum oratori accommodata est. Ut in his *satis* et *maxime* adjecta vides, ita additur *quam* ap. *Pl. Amph.* 1, 3, 43. Ex amore hic admodum quam saevus est. *Gell.* 19, 9. Voce admodum quam suavi. [*Ita ap. Graecos ὡς et ὅσον dicuntur. Cf. similia apud *Rudd.* II. p. 305. sq.] — Jungitur cum adv. *nihil. Cic. Brut.* 58. Curio litterarum admodum nihil sciebat. *Id. ib.* 9. Oratorem plane quidem perfectum, et cui nihil admodum desit, Demosthenem facile dixeris. *Id. Or.* 2, 2. Alter non multum, alter nihil admodum scripti reliquit. Loquitur de Antonio oratore, qui quamvis reliquisset libellum de ratione dicendi, ut habetur *Brut.* 44., nullam tamen omnino reliquerat orationem, ex qua cognosci ejus eloquentia posset, quod confirmat idem *Cic. Or.* 38. et *Cluent.* 50. Refer huc illos quoque locos, in quibus jungitur c. *nullus. Liv.* 23, 29. Equestris pugna nulla admodum fuit. [**Id.* 40, 59. Armorum magnam vim transtulit, nullam pecuniam admodum. In utroque locorum genere, nec minus in *admodum satis, admodum maxime*, explicari potest *omnino, plane*, gr. μάλα, πάνυ, ac significat rem, quae ad ipsum modum constitit, neque ultra, neque citra, i. e. hoc ipso modo comparata est, ut dicitur. Adde 43, 13.] ℙ Usurpatur porro in responsionibus, maxime Comicis, [*et significat *recte, omnino*, rectam rationem (modum) tenes; gr. μάλιστά γε, πάνυ γε.] *Ter. Hec.* 3, 5, 8. Ad-

venis modo? *Pa.* Admodum. *Pl. Rud.* 4, 4, 36. Nempe tu hanc dicis, quam esse ajebas dudum popularem meam. *Tr.* Admodum. *Id. Bacch.* 5, 1, 24. Numquidnam ad filium haec aegritudo attinet? *Ni.* admodum. In dialogis servit transitionibus, quod significat, satis de re aliqua et admodum disputatum esse. *Cic. Leg.* 3, 11. *extr.* Scis, solere, frater, in hujusmodi sermone, ut transiri alio possit, admodum dici. [**Admodum* nihil aliud est h. l. quam in superioribus exemplis. Locus enim ex *Goerenz.* emendatione ita legendus est: ut transiri alio possit, *Admodum* dici, aut *Prorsus ita est.*] ℙ Saepe etiam usurpatur cum adjectivis numerum significantibus, prope, fere. V. supra. *Id.* 44, 43. Secuti sunt eum admodum quingenti equites. *Curt.* 4, 9. Mille admodum equites praemiserat: quorum paucitate contempta etc. *Id. ib.* 12. In laevo cornu Bactriani ibant mille admodum, Dahae totidem. *Liv.* 22, 24. Sex millia hostium caesa, quinque admodum Romanorum. *Id.* 42, 65. Mille admodum capiuntur. *Justin.* 17, 2. Post menses admodum septem. *Id.* 24, 1. Congregati admodum quingenti sparsos hostes consectantur, trucidatisque admodum novem millibus. [**In nonnullis horum locorum potest etiam explicari *ad summum.* Neque vero in his tantum locis ita usurpatur, in quibus cum numeralibus conjungitur, sed etiam in aliis. Sic ap. *Flor.* 2, 6. cujus verba noster attulit: filius adm. praetextatus, i. e. fere praetextatus. *Liv.* 43, 11. exacto admodum mense Februario, i. e. prope, ad summum. *Mel.* 2, 7, 18. In Media admodum natus (amnis). Ceterum cf. *Davis.* ad *Caes. B. G.* 5, 40. Gr. eodem modo dicitur *μάλιστα.* V. *Vig.* p. 416.] ℙ Interdum habet post se genitivum, more substantivi. *Colum.* 4, 1. Admodum exigui pulveris viviradici subjicimus, *h. e.* omnino exigui. [At *Gesn.* et *Schneid.* *exiguum* probant legendum. *F.*]

ADMOENĬO, is, ivi, itum, a. 4. operibus moenia cingo, obsideo, *πολιορκέω*: ex *ad* et *moenio.* *Pl. Pseud.* 1, 3, 150. Hoc ego oppidum admoenire, ut hodie capiatur, volo. De loco *ejusd.* in *Cist.* 2, 2, 5. v. in ADMOVEO.

ADMOLĬOR, īris, ītus sum, dep. 4. niti, conari, *ἐπιχειρέω*, ex praep. *ad* et *molior.* *Pl. Rud.* 3, 1, 6. Ad hirundininum nidum visa est simia, ascensionem ut faceret, admolirier. ℙ Item exstruere apud aliquem locum, et dicitur de operibus magnis et magno conatu perficiendis. *Curt.* 8, 10. Urbs qua spectat orientem, cingitur amne: ad occidentem velut de industria rupes praealtas admolita natura est. ℙ *Admoliri manus alicui rei* est admovere. *Pl. Asin.* 3, 2, 24. Ubi sacro manus sis admolitus. *Appul. Met.* 1. Dejerantes, sese neque ei manus admolituros etc. *h. e.* vim illaturos.

[ADMONEFACIO, is, a. 3. id. q. admoneo. *Cic. Planc.* 34. Admonefecisti etiam, quod in Creta fuisses. Pleraeque edd. legunt *admonuisti*: primum tamen habet *Cod. Ambros.* ap. *Maium* in *fr. Cic. ed.* 2. p. 176. *F.* *Dubium igitur vocab. quod tamen est etiam in *Gl. gr. lat.* admonefacio, *ὑπομνηματίζω.*]

ADMONĔO, es, ui, onitum, a. 2. *ἀναμιμνήσκω*, in memoriam redigo, moneo, [*amice et leniter aliquem meminisse jubeo, v. *Cic. Fin.* 1, 9. Quamquam non abesse ab h. v. gravioris castigationis notionem, infra demonstrabitur.] *Cic. N. D.* 1, 3. Qui admonent amice, docendi sunt; qui inimice insectantur, repellendi. [**Virg. A.* 10, 153. Humanis quae sit fiducia rebus, admonet. *Cic. Fam.* 5, 2. Meus enim me sensus, quanta vis fraterni sit amoris, admonet.] Construitur porro cum genit. *Sall. Cat.* 22. Admonere alium egestatis, alium cupiditatis suae. *Liv.* 35, 13. Admonere aliquem foederis. [**Suet. Tib.* 33. judices legum et religionis admonebat. *Id. Dom.* 2. quo magis et aetatis et conditionis admoneretur. Cf. *Ov. Met.* 7, 480. 15, 543. *Liv.* 5, 46. *Curt.* 4, 14. 6, 7. *Drak.* ad *Liv.* 2, 36, 6.] Cum praep. *de Cic. Q. Fr.* 3, 1, 4. Epistola, in qua de aede Telluris et de porticu Catuli me admones. [**Sall. Cat.* 5. Quoniam de moribus civitatis tempus admonuit. *Cic. d. Rep.* 1, 9. Ut aliquid aliquando de doctrinae studiis admoneamur.] Construitur porro et cum accus. rei et cum dupl. accus. [*more Graecorum; verum tenendum, id quod ipsa, quae sequuntur, exempla docent, nonnisi accuss. pronominum, *id*, *illud*, *quod*, praeterea *multa* aliaque horum similia sic usurpari, nisi quod *Sall. Jug.* 79., qui locus nostrum non fugit, dixit: eam rem nos locus admonuit, ubi *Cort. nos* delendum esse censuit. Cf. etiam *Liv.* 5, 51. quae verba statim afferentur. De loco *Tib.* 4, 1, 189. dicetur infra.] *Cic. N. D.* 2, 66. Multa praeterea ostentis, multa extis admonemur. [*Dicitur ita interdum h. v., ut *monere*, de vaticiniis, ominibus etc. V. *Broukh.* ad *Tib.* 1, 7, 56. *Heyn.* ad *eund.* 2, 5, 68. Ita *Quintil. Decl.* 10. admoneri nocturnis praeceptis. Cf. *Virg. A.* 4, 353. — Ad constructionem quod attinet, adde *Quint.* 12, 2, 31. tantumque non cognatis id e rebus admoneri sciet.] *Id. Coel.* 3. Illud te esse admonitum volo. *Id. Att.* 9, 9. Illud me praeclare admones, cum illum videro, ne nimis indulgenter, et ut cum gravitate potius loquar. [*Adde *Ter. Heaut.* 2, 3, 112.] Cum solo conjunctivo. *Nep. Phoc.* 1. Simulque admonerent, si ipse his facile careret, liberis tamen suis prospiceret. *Tac. A.* 13, 5. Nisi Seneca admonuisset, venienti matri occurreret. *Suet. Tib.* 50. Admonuit, negotiis abstineret. [*Ut in his cum *ut* (cf. *Phaedr.* 1, 11, 4.) et *ne* (add. *Ov. Met.* 2, 565.) ac saepius cum simplici conjunct., omissa partic. *ut* (cf. *Oud.* ad *Suet. Tib.* 11.) construitur, ita sequitur etiam *quasi*, prorsus ut gr. *ὡς*. *Suet. Tit.* 8. Admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur. Et seq. *quemadmodum id. Vesp.* 22. Admonente dispensatore, quemadmodum summam rationibus vellet inferri? Notandum est, utroque loco *admonere* de servis dici, quod rarius esse dicit *Bremi.*] Cum infin. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 10. Admonent aeditui parcere oculis. *Phaedr.* 3, 17. *extr.* Nihil agere, quod non prosit, fabella admonet. *Hor. Sat.* 1, 6, 125. Sol acrior ire lavatum Admonuit. *Virg. G.* 4, 186. decedere campis Admonuit. [**Id.* 9, 109. Admonuit ratibus sacras depellere taedas. Cf. *Ov. Met.* 3, 601. 6, 150. *Liv.* 24, 9. 40., 56. *Suet. Ner.* 23. quum praesentia ejus urbicas res egere a liberto Helio admoneretur. *id. Cal.* 22. *Vesp.* 22.] Item cum gerundivis, addita etiam interdum praep. *ad. Tac. Agr.* 25. Excedendum potius ignavi admonebant. [*Est potius h. l. accus. cum inf.] *Cic. Div.* 2, 65. Quam multi inopes nullo somnio ad thesaurum reperiendum admonentur! — *Admonere debitorem* est debita ab eo, in memoriam reducendo, reposcere. *Cic. Quint.* 12. Cum tibi quotidie potestas hominis fuisset admonendi, verbum nullum facis: biennio jam confecto fere appellas. Adde *Top.* 1. *ad fin.* ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Liv.* 5, 51. Adversae res admonuerunt religionum. *Tac. A.* 15, 45. *fin.* Si sitis admoneret, aqua vitam tolerat. *Id. A.* 3, 25. Ea res admonet, ut de principiis juris altius disseram. ℙ Ponitur etiam pro hortari, incitare, castigare. Nimirum quum aliquem hortamur, officii admonemus. *Spart. Sever.* 11. *fin.* Equum expavescentem admonere. *Virg. A.* 10, 586. pendens in verbera telo Admonuit bijugos. *Sen. Clem.* 1, 14. Admonere liberos verberibus. *Id. Const. Sap.* 12. *fin.* Malo poenaque aliquem admonere et afficere. [*Cf. *Salm. Exerc.* p. 21. Notandum hic, eorum praecipue nos dici admoneri, quae aliquo cum aculeo teloque in memoriam redeunt et, ut Tullius ait, animum memoria refricant. Verba sunt *Gronov.* in *Diatr. c.* 49. p. 322. Cf. *Burm.* ad *Anth.* 1. p. 226. Ita *Tib.* 1, 5, 40. admonuit dominae deseruitque Venus. v. *Broukh.* ad h. l. *Id.* 4, 1, 189. Quum memor anteactos semper dolor admonet annos, ubi al. *admovet.* V. *Huschk. Curt.* 4, 10. Recenti malo priorum admonita. Hoc modo absolute dicitur pro: calamitate aliqua admoneri. *Tac. G.* 37, 5. Non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonuere, sc. cladibus. Laudat ibi *Hess.* similia, al. enim exhibent *admovere*, ubi intelligunt *exercitus.*] ℙ Inter *admoneo* et *commoneo* hoc statuit discrimen *Agroetius de Orthogr.* p. 2271. *P.*, ut illud de rebus praesentibus, hoc de praeteritis usurpetur. Sed usus loquendi hoc non servat. ℙ [**Adm.* et *monere*, ajunt Grammatici, hoc differunt, quod *monemus* futura, gr. *παραινεῖν*, *admonemus* praeterita, *ὑπομιμνήσκειν*, illo ut caveamus et discamus, hoc ut recordemur. Verum hoc est, quatenus *admonere* dicitur de rebus praeteritis, quarum in nobis memoria excitatur, quae significatio abest a v. *monere.* Ceterum *adm.* pro simplici verbo, ut superiora demonstrant, haud raro dicitur. ℙ Confunduntur a librariis *admonere* et *admovere.* V. supra et de loco *Suet. Cl.* 39. in ADMOVEO.]

ADMONĬTĬO, onis, f. *ὑπόμνησις*, actus admonendi s. in memoriam revocandi. *Cic. Fin.* 5, 1. Tanta vis admonitionis inest in locis, ut non sine causa ex his memoriae ducta sit disciplina. *Quint.* 6, 1. *med.* Illud ne indignum quidem admonitione, ingens in epilogis verti discrimen. *Plin.* 19, 1, 1. *n.* 1. Qua admonitione succurrit, quod Varro tradit etc. [**Quintil.* 11, 2. Unius admonitione verbi.] *Admonitio debitoris* est ejus interpellatio, ut solvat. *Ulp. Dig.* 5, 1, 2. In omnibus causis, in quibus protelatur admonitio, hoc procedere sine temporali damno creditorum oportet. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. [**Cic. Tusc.* 5, 7. Propriis enim et suis argumentis et admonitionibus tractanda quaeque res est, i. e. signis et indiciis.] Hinc *admonitio morbi* aut *doloris* est sensus doloris certis temporibus repetitus in ea corporis parte, quae aliquando laboravit. *Plin.* 24, 17, 101. Admonitionem morbi sentire. *Id.* 25, 8, 49. Si qua admonitio doloris supersit. ℙ Est etiam idem ac monitum, hortatio, objurgatio, castigatio, [*quamquam lenior quaedam; nam *Cic.* ipse *Or.* 2, 83. admonitio, inquit, quasi lenior objurgatio] *παραίνεσις. Cic. Or.* 2, 70. Admonitio in consilio dando familiaris. *Id. Fam.* 1, 1. Admonitiones et preces. *Id. Off.* 1, 40. *fin.* Admonitio et praeceptum. *Id. Fam.* 10, 4. Si aut aliter sentirem, certe admonitio tua me reprimere, aut si dubitarem, hortatio impellere posset. *Quint.* 2, 6. Admonitioni irasci. [**Vell.* 2, 114. admonitio frequens inerat et castigatio, vindicta rarissima, quo loco et *adm.* et *cast.* de verbis, *vindicta* de vitibus aut fustibus intelligenda est.] *Suet. Aug.* 39. Alios poena, alios ignominia notavit, plures admonitione, sed varia. Lenissimum genus admonitionis fuit etc. *Callistrat. Dig.* 48, 19, 7. Admonitio fustium.

ADMONĬTOR, oris, m. qui admonet s. in memoriam revocat. *Cic. Top.* 1. *fin.* Ut mea diligentia mandatorum tuorum te quoque, etsi admonitore non eges, ad memoriam nostrarum rerum excitarem. *Id. Fam.* 9, 8. Exspectatione promissi tui moveor, ut admoneam te, non ut flagitem. Misi autem ad te quatuor admonitores non nimis verecundos. [**Claud. L. Stil.* 2, 155. Admonitor facti.] ℙ Item hortator, *παραινέτης. Ov. Met.* 4, 664. Admonitorque operum caelo clarissimus alto Lucifer ortus erat.

ADMONĪTORIUM, ii, n. admonitio. *Justinian. ep. ad Trebonian. praefixa Dig. pr. fin.* Quaedam admonitoria ejus facere.

ADMONĪTRIX, īcis, f. quae admonet. *Pl. Truc.* 2, 6, 20. Quid adhuc egeo tui, malum, admonitricis? In multis codd., in quibus haec verba leguntur, (neque enim in omnibus reperiuntur) scriptum est *ammonitricis.*

ADMONĪTUM, i, n. admonitio, *παραίνεσις. Cic. Or.* 2, 15. Cohortationes, consolationes, praecepta, admonita. [**In h. l. fuit, qui scr. esse diceret *aut monita. Admonita* in nonnullis edd. legitur *ib.* 41.]

ADMONĪTUS, us, m. *ὑπόμνησις*, admonitio. In sexto casu singulari *Cic. Fam.* 10, 12. Oblata religio Cornuto est pullariorum admonitu, non satis diligenter cum auspiciis operam dedisse. *Id. Cat.* 3, 3. Interea admonitu Allobrogum praetorem misi, qui ex aedibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret. *Ov. Fast.* 3, 612. Flet tamen admonitu mortis, Elisa, tuae. *Id. Rem. am.* 729. Admonitu recreatur amor. Et *Cic. Fin.* 5, 2. usu hoc evenit, ut acrius et attentius de claris viris locorum admonitu cogitemus. ℙ Item hortatus, *παραίνεσις. Cic. Att.* 13, 18. Admonitu tuo perfeci libros ad Varronem. *Nep. Att.* 20. Ut Attici admonitu eam reficiendam curaret. [**Liv.* 1, 48.] ℙ Item castigatio, objurgatio. *Ov. Met.* 3, 564. Hunc avus, hunc Athamas, hunc cetera turba suorum Corripiunt dictis frustraque inhibere laborant: Acrior admonitu est etc. [**Vid. interpp.* ad *Ov. Her.* 15, 104. ℙ Confunduntur in libris *admonitu* et *a monitu.* V. *eosdem* ad *Fast.* 3, 36.]

ADMONĪTUS, a, um, part. v. *admoneo. Cic. Top.* 1. Admonitus hujus aeris alieni nolui deesse etc. *Curt.* 6, 8. Rex admonitos, ut consilium silentio premerent, dimittit. *Tac. A.* 15, 67. Admonitus fortiter protendere cervicem.

ADMORDĔO, ordes, admordi, orsum, a. 2. id. qu. mordeo vel mordendo abrodo, *ἐπιδάκνω.* V. ADMORSUS. ℙ Translate *Pl. Pers.* 2, 3, 14. Nam id demum lepidum est, triparcos homines, vetulos, avidos, aridos bene admordere, qui allium servo obsignant cum sale, *h. e.* auferre ab avaris hominibus rem et insigni damno eos afficere. *Id. Pseud.* 4, 7, 24. Praeda haec mea est: scortum quaerit, habet argentum. Jam admordere hunc mihi lubet, *h. e.* aggredi et ab eo aliquid corradere. [**Cf. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* 1, 5. *ed. Ang. Maj.* Ex *B. Auct.*] ℙ Praeteritum est *admordi* et *admomordi.* Verba enim, quae in praeteritis primam geminant, si componantur, modo geminationem habent, modo abjiciunt, ut *accurro*, *accurri* et *accucurri* etc. At pro *admomordi Pl. fr. Aul.* ap. *Gell.* 7, 9. *admemordi* dixit, nam etiam *memordi* quondam a veteribus dictum est. Verba Pl. sunt: *admemordit hominem*, vel, ut alii referunt, *ut admemordi hominem*, *h. e.* dictis pupugi, laceravi.

ADMORSUS, a. um, part. ab *admordeo*, *ἐπιδηχθείς*, morsus seu morsu abrosus. *Virg. G.* 2, 378. durique venenum Dentis et admorso signata in stirpe cicatrix. *Prop.* 3, 9, 53. de Cleopatra: brachia spectavi sacris admorsa colubris.

ADMORSUS, us, m. morsus. Translate *Symmach. ep.* 1, 31. An vereris aemuli venena lectoris, ne libellus tuus admorsu duri dentis uratur?

ADMOTĬO, onis, f. actus admovendi, *πρόσαψις, πρόσθεσις. Cic. N. D.* 2, 60. Itaque ad pingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos apta manus est admotione digitorum. [*Nostri musici appellant: Applicatur, Fingersetzung.]

ADMOTUS, us, m. admotio. *Plin.* 24, 11, 50. Arundo, quae in Judaea nascitur odorum causa, ciet menstrua admotu. *Hard.* leg. *admota.* [*Hoc verius.]

ADMOTUS, a, um, part. ab *admoveo*, *προσαχθείς. Cic. Or.* 2, 45. *fin.* Quae, nisi admoto igni, ignem concipere possit. [**Id. Cluent.* 13. Sperare coepit, hoc se Avilio, tanquam aliqua machina admota, capere Asinii adolescentiam et fortunas ejus patrias expugnare posse.] *Id. Rab. Post.* 9. Aspide ad corpus admota. *Plin.* 2, 9, 6. Luna alias admota caelo, alias contigua montibus. *Suet. Tib.* 10. Ad publica munera admotus. *Ov. A. A.* 3, 133. non sint sine lege capilli: Admotae formam dantque negantque manus. [**Sil.* 8, 457. (Flu-

vius) admota perstringit moenia ripa. *Tib.* 2, 3, 56. Solis et admotis inficit ignis equis, i. e. prope accedentibus. *Varr. R. R.* 1, 13, 2. (Culina) ut sit admota, i. e. propinqua.] *Sil.* 8, 295. genus admotum Superis, *h. e.* Superos affinitate contingens.

ADMOVĔO, es, movi, otum, a. 2. *προσκινέω, προσάγω, προστίθημι*, ad s. prope aliquem moveo, adhibeo, juxta pono, ex *ad* et *moveo*. *Tac. A.* 13, 39. Scalas moenibus admovere. *Cic. Or.* 2, 36. Admovere aures et subauscultando excipere voces. [*Cf. *Ter. Ph.* 5, 6, 28. Aliter *Hor. ep.* 1, 20, 19. Cum tibi sol tepidus plures admoverit aures.] *Id. Tusc.* 3, 18. *fin.* fasciculum ad nares. *Id. Phil.* 6, 3. exercitum propius urbem. *Liv.* 27, 25. et *ib.* 28. *fin.* Exercitum admovere Ariminum. [**Flor.* 3, 23. arma et exercitum. *Id.* 1, 24. signa. *Sil.* 1, 296. castra. *Liv.* 42, 57. in locum copias. *Id.* 25, 24. signa Achradinae. Al. *Achradinam*. V. *Jac. Gron.* ad h. l. et *Drak.* ad 34, 6, 11. Dicitur sic etiam absolute; *Curt.* 9, 4. jam admovebat rex.] *Virg. Ecl.* 3, 43. labra poculis. *Id. A.* 3, 410. Ventus admoverit te orae Siculae. *Cels.* 5, 26. *n.* 21. admovere cucurbitulam. [**Suet. Aug.* 17. Cleopatrae psyllos admovit. Similiter *Ov. Met.* 10, 188. Animam admotis fugientem sustinet herbis.] *Tac. A.* 11, 38. ferrum jugulo admovens. *Plin.* 11, 43, 99. cibum ad os. *Ov. Met.* 10, 344. oscula. [*Adde *Suet. Caes.* 79. capiti diadema. *Id. Aug.* 80. digitum scripturae. *Tib.* 44. infantes papillae. (Cf. *Flor.* 1, 1.) *Curt.* 3, 12. filium collo. *Id.* 8, 10. admoto filio genibus regis. 6, 5. juvenes dextrae regis. 8, 4. se stipitibus arborum. *Plin. Pan.* 61. Corpora quamlibet ardua et excelsa procerioribus admota decrescunt. *Tib.* 3, 5, 11. ignes templis. *Cic. Verr.* 2, 5, 63. Quid quum ignes ardentesque laminae ceterique cruciatus admovebantur (intell. civi R.)? *Sil.* 7, 651. (Arundo) ferrum admovit (adegit) tepefacta palato. *Ov. Met.* 1, 135. (opes) Stygiis admoverat umbris. *Id. ib.* 5, 643. admovere angues curribus i. e. jungere.] *Tac. A.* 2, 69. admotae hostiae int. *aris*. Ita persaepe de victimis, cf. *Suet. Cal.* 32. *Lucan.* 7, 165. [**Virg. A.* 12, 171.] et v. *Briss. Form.* 1, 25. et *Drak.* ad *Liv.* 45, 27, 9. Eodem modo *Liv.* 21, 1. Hannibalem admotum, i. e. adductum dicit altaribus. Recte porro ap. *Ov. Met.* 6, 512. admotum fretum remis explicant *admissum*, opp. seq. *tellusque repulsa*.] *Admovere gressum* s. *gressus* est i. q. propius accedere. Ita *Stat. Th.* 11, 560. [*Adde *Sen. Tr.* 521.] *Admovere vultum ad auditores* est convertere et inclinare. *Auct. ad Her.* 3, 15. [*Aliter *Sil.* 17, 600. Apparent admota oculis vestigia pugnae, i. e. propius accedentia.] *Admovere manus operi* ap. *Ov. Met.* 10, 254. est tangere opus manibus. [**Quint.* 11, 3. *med.* manum pectori. *Prop.* 1, 3, 16. admota ad ora manu, ubi v. *interpp.* De opere faciendo *Ov. ib.* 15, 218. artifices natura manus admovit; gr. *ἐπιχειρεῖν*. Cf. *Liv.* 5, 22, 4. Eodem pertinet locus a nostro allatus *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 28. de quo (Nicia) dicebat Praxiteles interrogatus, quae maxime opera sua probaret in marmoribus: quibus Nicias manum admovisset, i. e. in quibus perficiendis perpoliendisque Nic. elaborasset. Ita translate *Curt.* 6, 7. Plurimum referre, quales viri tam memorabili operi admoturi manus essent, i. e. aggressuri. *Suet. Vesp.* 8. Ruderibus purgandis manus primus admovit. *Cic. Agr.* 1, 4. Admovent manus vectigalibus P. R. Denique *adm. manus* est *manus*, *vim inferre*, ut ap. *Liv.* 5, 11. Utrumque locum noster attulit.] ℙ Translate ponitur pro afferre, adhibere, admittere. *Cic. Sext.* 5. Admovere stimulos alicui, *h. e.* excitare, incitare. *Id. Har. resp.* 10. mentem ad voces alicujus, *h. e.* attendere. [**Hor. ep.* 2, 1, 161. Graecis admovit acumina chartis, i. e. operam dedit.] *Id. Or.* 1, 14. orationem ad sensus animorum atque motus vel inflammandos, vel etiam exstinguendos. [**Id. Brut.* 54. orationem sensibus, i. e. facere, ut ejus vim sentiant auditores. Cf. *ib.* 17.] *Id. Tusc.* 4, 28. curationem ad aliquem. *Suet. Ner.* 37. medicos alicui. *Curt.* 6, 9. aliquem in fastigium (dignitatis) *h. e.* promovere. *Suet. Tib.* 14. aliquem contubernio. [**Curt.* 9, 2. admotus in propiorem amicitiae locum.] *Id. Aug.* 64. aliquem ad curam reipublicae. [**Id. Tib.* 10. ad publica munera.] *Id. Cal.* 12. ad spem successionis. [**Quintil.* 6. *prooem.* admotus ad spes honorum. *Tac. A.* 14, 53. Ex quo spei tuae admotus sum (de praeceptore.)] *Ov. Pont.* 3, 7, 36. et *Curt.* 5, 10. preces. [*Cf. *Ov. Met.* 6, 689. et *interpp. ib.* ad v. 214. et ad *Phaedr.* 1, 19, 6.] *Cels.* 7, 26. *n.* 2. *fin.* vim. [**Curt.* 9, 4.] *Admovere diem leti* ap. *Curt.* 8, 9. *fin.* et *horas mortis* ap. *Lucan.* 7, 50. est accelerare, praevertere mortem. [**Stat. Th.* 8, 376. fatalem horam admovet atra dies. Cf. *Sen. Tr.* 578.] *Admovere aliquem alicui* interdum est conciliare, intimum reddere. *Vell.* 2, 96. Mors Agrippae admovit propius Neronem Caesari. *Admovere desiderium patriae* est injicere. *Curt.* 6, 2. Eodem modo *admovere terrorem* dictum est a *Liv.* 6, 10. [*Cf. 41, 17. His addantur *Ov. Met.* 11, 454. spes est admota. (*Curt.* 9, 9.) *Liv.* 43, 10. Spes cupiditati admota (quae accedebat ad cupiditatem).

Id. 27, 43. metus admotus. Cf. 40, 55. *Ov. Met.* 6, 631. adm. blanditias. *Sen. ad Helv.* 2. luctus (animo). *Cic. Off.* 2, 10. dolorum faces. *Hor. Od.* 3, 21, 13. ingenio lene tormentum. *Pl. Cist.* 2, 2, 5. Quot admovi illi fabricas! Quot fallacias! Sic ibi leg., nam al. *admoenivi*. *Curt.* 5, 12. Nulla externa ope adhibita. *Id.* 8, 6. occasionem. *Id.* 10, 9. Fatis admovebantur Macedonum genti bella civilia. Talia inprimis frequentia sunt apud hunc scriptorem. *Sil.* 8, 247. Fata admovet urbi. *Quint. Decl.* 281. et 286. scelus propius admovere.] ℙ *Admoram* et *admorim* per omnes personas pro *admoveram*, *admoverim* dicuntur per syncopen a poetis. *Virg. A.* 4, 367. et *Ov. Pont.* 3, 7, 36. ℙ [*In libb. confunduntur *adm.* et *amovere*, v. *Drak.* ad *Liv.* 40, 55, 5. Porro *adm.* et *admonere*, ut ap. *Suet. Cl.* 39. quo in loco nobis omnino praeferendum videtur esse *admoveri*. Nam quod opponit *Crusius*, capite damnatos neminem ulli rei admovere, in eo ipso, ut recte docet *Ern.*, cernitur stupor hominis, quod ad coenam adhiberi *voluit* mortuos. Sed ap. *Curt.* 4, 3, 24. non dubitamus quin scribendum sit *admonuit*. Ap. *Cic. Acad.* 2, 47, 145. *Goer.* vulg. *admoverat* praefert *adverterat*, quem v.]

ADMŪGĬO, is, ii, itum, n. 4. proprie de bubus dicitur, cum aliorum mugitibus respondent. *Ov. A. A.* 1, 279. Mollibus in pratis admugit femina tauro. [**Claud.* IV. *Cons. Hon.* 516. et *R. Pr.* 3, 443.]

ADMULCĔO, es, ulsi, ulsum, a. 2. *καταθέλγω*, palpo, mulceo. *Pall.* 4, 12. de bubus domandis: non a latere, neque a tergo, sed a fronte accedens bubulcus admulceat.

ADMURMŪRĀTĬO, onis, f. murmur et submissae voces multitudinis aut concionis tum applaudentis, tum improbantis. *Cic. Pis.* 14. Qui non admurmuratione, sed voce et clamore abjecti hominis furorem fregistis. *Id. Verr.* 2, 4, 12. Risus populi atque admurmuratio omnium facta est. [*cf. *ib.* 2, 5, 16.] *Id. Verr.* 1, 15. Grata concionis admurmuratio. *Id. Q. Fr.* 2, 1. Secundae admurmurationes senatus. [**Id. Manil.* 13.]

ADMURMŪRO, as, avi, atum, n. 1. submissa voce murmuro; in utramque partem dicitur. *Cic. Att.* 1, 13. Scito praepositum esse nobis pacificatorem Allobrogum, idque admurmurante senatu neque me invito esse factum. *Id. Verr.* 2, 5, 16. Quam valde universi admurmurarint, quam palam principes contradixerint. [Deponentis forma usus est *Front.* ad *M. Caes. Ep.* 2, 1. Ad hoc pauca admurmurati sunt. *F.*]

ADMŪTĪLO, as, avi, atum, a. 1. id. qu. mutilo, sed translate ponitur pro pecuniam, rem alicui auferre, corradere, in re aliqua cum damno decipere, ducta translatione a tonsoribus capillos barbamve attondentibus. *Pl. Capt.* 2, 2, 18. Utrum strictimne attonsurum dicam esse, an per pectinem, nescio: verum si frugi est, usque admutilabit probe. *Id. Mil.* 3, 1, 172. Inveni lepidam sycophantiam, qui admutiletur miles usque caesariatus. *Id. Pers.* 5, 2, 48. Tu es, qui me usque admutilavisti ad cutem. *Ter. Hec.* 1, 1, 7. hac sign. *mutilare* dixit. V. MUTILO.

ADNASCOR, Agnascor, Adgnascor et Annascor, eris, atus sum, dep. 3. *προσφύομαι*, in re aliqua (ad aliq. rem) nascor. *Plin.* 16, 44, 92. Viscum in quercu, robore, pruno adnasci. *Id.* 27, 11, 73. Lycapsos caule longo, hirsuto, adnatis multis cubitalibus, flore parvo. *Id.* 35. *prooem.* Metallorum agnascentiumque eis natura indicata est. *Gell.* 3, 10. Dentes genuinos annasci annis fere bis septenis. ℙ Ab JCtis agnasci dicuntur, qui post testamentum factum heredes sui (ut appellant) nascuntur. *Cic. Or.* 1, 57. Num quis eo testamento, quod paterfamilias ante fecit, quam ei filius natus est, hereditatem petit? Nemo: quia constat, agnascendo rumpi testamentum. *Id. Caec.* 25. Cui filius agnatus sit, ejus testamentum non esse ruptum judica. *Ulp. Dig.* 25, 3, 3. Qui sui heredes adnascuntur. Adde *Dig.* 28, 3, 3, 6. et 13. et 29, 1, 33. et aliis in locis, in quibus optimae quaeque habent *adgnascor*, ceterum etiam *agnascor* saepe legitur, *adnascor* hac significatione non adeo saepe. ℙ Praeterea *adgnasci* quandoque dicuntur ab iisdem JCtis qui per adoptionem alicui agnati fiunt. *Paul. Dig.* 1, 7, 10. Si quis nepotem, quasi ex filio natum, quem in potestatem habet, consentiente filio adoptaverit, non adgnascitur avo, ut suus heres, *h. e.* non consequitur ea jura, quae ii, qui proprie adgnascuntur. *Id. ib.* 23. Qui in adoptionem datur, his quibus adgnascitur, cognatus fit; quibus vero non adgnascitur, nec cognatus fit.

ADNATIO. V. AGNATIO.

ADNĀTO, as, avi, atum, n. 1. ad aliquem locum nato, *προσνήχομαι*. *Plin.* 8, 25, 38. Uni ei insulae crocodili non adnatant. *Id.* 9, 29, 46. Ad manum hominis adnatat. [*Sil.* 10, 610. Litoribus solus vacuis ex aequore sospes Adnatet. ℙ Part. *Adnatans* ap. *Plin.* 9, 29, 46. Adnatantes pisciculi. *F.*]

ADNATUS et Adgnatus. V. AGNATUS.

*ADNAVIGATIO, onis, f. *Ulpian. l.* 4. §. 5. *d. Off. procons. et leg.* Graecia *ἐπιδημίας* accessus ad urbem appellat sive *καπάπλουν*, adnavigationem. *B. A.*

ADNAVĪGO, et Annavigo, as, avi, atum, n. 1. *προσπλέω*, ad aliquem locum navigo. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 11. Rhodi ille vivebat: quo cum Apelles adnavigasset etc. *Id.* 36, 12, 16. Pyramides conspicuae adnavigantibus.

ADNECTO. V. ANNECTO.

ADNEGATUS, a, um, id. qu. negatus, praep. *ad* vim significationi addente. *Ulp. Dig.* 12, 3, 3. Quia deposita ei pecunia adnegata est. Ita legitur in *edit. Torrentini*: ap. *Haloandr.* est *denegata*, in aliis *abnegata*. [*Haec nobis meliora videntur. Nam contra naturam praep. *ad* est, ut significet simpliciter *prorsus*.]

ADNĒPOS, otis, m. *διοέγγονος*, quartus nepos, abnepotis vel abneptis filius, et refertur ad atavum. *Caj. Dig.* 38, 10, 1. Quinto gradu sunt supra atavus, atavia; infra adnepos, adneptis. *Inscr.* ap. *Gud.* 8, 6. Pro salute et victoria Imp. Caesaris M. Aurelii Antonini L. Aurelii Veri F., Divi Pii nep., Divi Hadriani pron., Divi Trajani Parth. abnep., Divi Nervae adnepotis. Adde *Paul. l. l.* 10. et *Inscr.* ap. *Grut.* 253, 3. Imp. Caes. Divi M. Antonini Pii German. Sarmat. filio, Divi Pii nepoti, Divi, Hadriani pronepoti Divi Trajani Parthic. abnepoti, Divi Nervae adnepoti, L. Aelio Aurelio Commodo Aug. et *ib.* 260, 2. et 262, 4. et 5., et ap. *Fabrett. c.* 10. *n.* 86. et 88. In *Inscr.* ap. *Maff. M. V.* p. 427, 1. M. Aurelius Antoninus Caracalla appellatur Trajani et Nervae adnepos, qui tamen Nervae trinepos dicendus erat, (quod in alia item *inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 360. factum est) ideo fortasse, quod vox *trinepos* minus probaretur, quamvis ab JCtis usurpata fuerit). ℙ Scribitur et *atnepos*. Utroque enim modo legitur in *cit. leg.* 10. in edit. *Torrentini*, qui Pandectas Florent. fideliter exscripsisse se profitetur. V. quae dicentur in fine vocis AT.

ADNEPTIS, ptis, f. *διοεγγόη*, quarta neptis, abneptis vel abnepotis filia: et refertur ad ataviam. *Caj. Dig.* 38, 10, 1. et *Paul. ib.* 10.

ADNĪCTO, as, n. 1. *ὀφθαλμάω, ἐποφθαλμάω, σκαφδαμύσσω*, saepe et leviter oculis annuo, ut *Festus* exponit. *Naevius* ap. *eund.* et ap. *Isid. Or.* 1, 25. Alii adnutat, alii adnictat, alium amat, alium tenet.

*ADNIGRATUS. *Cic.* a Grammatico latino laudatus in *Sinneri Catalogo codd. mss. Biblioth. Bernensis* p. 392. Attulit *Osann.* in *Epim.* II. ad *Auctar. Lex. gr.* p. 182.

ADNĪTOR. V. ANNITOR.

ADNO, et Anno, as, avi, atum, n. 1. ad aliquem locum nare, *προσνήχομαι*. *Hor. Sat.* 2, 5, 44. Plures annabunt thynni et cetaria crescent. *Virg. A.* 6, 358. Paulatim adnabam terrae. *Liv.* 28, 36. Adnare navibus. [*In h. l. alii praebent *adnatantes*.] *Gell.* 7, 8. Ubi saepe ad litus solitum adnavit. *Tac. A.* 14, 29. Pedites adnantes equis, *h. e.* prope equos nantes. Cum accus. sine praep. *Caes. B. C.* 2, 44. Pauci milites, qui naves adnare possent. ℙ [*Translate idem atque adnavigo (potius: navibus apportari). *Cic. de R.* 2, 4. illa magna commoditas, ut, quod ubique gentium est ad eam urbem possit adnare. Ex *Bail. A.*]

ADNŌTO. V. ANNOTO.

ADNŌTUS, a, um, valde notus: *ad* enim auget. *Suet. Gramm.* 1. Quos domi forisque docuisse adnotum est. *Gron.* tamen corrigit *adnotatum est*, jure probantibus *Oudend.* et *Wolfio*.

ADNŪBĬLO et Annubilo, as, avi, atum, a. 1. nubes immitto. *Stat. Silv.* 5, 1, 146. sic plena maligno Afflantur vineta Noto: sic alta senescit Imbre seges nimio: rapidae sic obvia puppi Invidet, et velis adnubilat aura secundis, *h. e.* nubila velis objicit. ℙ Translate *Ammian.* 27, 6. *fin.* Qui virtutem ejus adnubilarunt actibus pravis. Alii leg. *obnubilarunt*. [*Ita *Ernesti*, ob usum Ammiani.]

ADNŪMĔRO. V. ANNUMĔRO.

ADNUNTĬO. V. ANNUNTIO.

ADNŪTO et Annuto, as, n. 1. frequentativum ab *annuo* et ejusdem fere signific. gr. *προσνεύω*. Ejus contrarium est *abnuto*. *Pl. Merc.* 2, 3, 100. Ibidem mihi etiam nunc abnutat: addam sex minas. Adde locum *Naevii* in *Adnicto* allatum. [*Part. *Adnutans* ap. *Appul. Met.* 10. Sensim adnutante capite coepit incedere. *B. A.*]

ADNŪTRĬO et Annutrio, is, ivi, itum, a. 4. *nutrire*, id. qu. nutrio vel prope aliquem nutrio. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 22. Singulis (arboribus) denas saepe adnutriunt vites.

ADOBRŪO, is, rui, utum, a. 3. *καταχόω, καταβάλλω*, ex *ad* et *obruo* et ejusdem signif. *Colum.* 4, 15. Alte circum fodere et adobruere. *Id.* 2, 12. Segetes admota terra adobruere. Et 11. Si plus quatuor digitis adobrutum est semen ejus, non facile prodit.

ADOLĂBĬLIS, le, adj. sine dolore, *ἀναλγής*. *Ennius* ap. *Non.* 2, 666. Huic est animus propitiabilis, ita et adolabilis. Alii leg. *adulabilis*. Alii *adolabilis* exponunt *adorabilis*, *h. e.* qui orari potest. V. ADŪLOR.

ADOLĀTĬO, onis, id. qu. adoratio, ducta ab

adoleo, quod in sacrificiis significat deos incensis odoribus propitiare et orare. *Tertull. Apol.* 25. *fin.* ubi alii aliter leg. P Alii *adolationem* ductam putant ab *adolo*, *as*, quod sit ab antiquo *olo*, *as*, pro *colere* olim usurpato. V. ADULOR.

ADOLEFACTUS, a, um, incensus. *In fragm. Inscr. Frat. Arval.* ap. *Grut.* p. 121. Arbores adolefactae.

[ADOLENDA, ae, f. Videtur fuisse nomen deae cujusdam apud Romanos, quae adolendis et cremandis arboribus fulmine attactis praecrat. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 32. Magister operis inchoandi causa immolavit Vestae matri oves II., item Adolendae, Conmolendae, Deferundae oves II. Vide quae habet de hac dea idem *Marin. ib.* p. 380. *F.* *Cf. ap. *Gesner.* ad *Cat. R. R.* p. 127. sq.]

ADOLĔO, oles, ui, (*rarissime* evi, v. in f.) ultum, n. 2. id. qu. cresco, augeor, a praep. *ad* et ὄλω, volvo. [*Ita Forc., qui multa in hac v. falsa, quae ad ADOLESCO referenda erant, posuit. Quae igitur in seqq. reperies, vel prorsus reficta a nobis sunt, vel nova allata.] Ac primum hoc tenendum, esse duplicem hujus v. radicem; altera est *oleo*, i. e. odorem spiro, ὄζω, a cujus perf. ὄδωδα quin latinum voc. factum sit, eo minus dubitari potest, quod etiam subst. *odor* veram notationem retinuit. (Cf. *Schneid. Gr. l.* 1. 1. p. 256.) Inde *adolere* i. q. olere, vel odorem spirare. Hujus autem significationis unus tantum locus exstat *Plaut. Cas.* 2, 3, 19. Unde hic, amabo, unguenta adolent? *Adolere* quod dixit, videtur de odore ad nares accedente intelligendum esse. — Videtur igitur haec hujus voc. signif. nunquam usu recepta fuisse, ut quam altera illa, de qua statim agemus, prorsus obscuraverit. Nam *oleo*, ejusque forma inchoativa *olesco*, significat i. q. augeor, cresco. Hoc signif. putant cohaerere cum *alo* et *alesco*; veteres enim non tantum *oleo*, *olere*, sed etiam *olo*, *olere* dixerunt. Sunt etiam, qui cognatum esse putent cum gr. ἄλδω, ἀλδέω, ἀλδήσκω. V. *Voss. Etym.* in *oleo et Sanct. Min.* II. p. 444 sqq. Alii alia excogitaverunt; illud certum videtur, ab hac significatione verba *adolescere*, *exolescere*, *inolescere*, *obsolescere* ac subst. *proles* et *suboles* derivanda esse, quibus nihil commune est cum priori illa significatione, a qua nullo modo venire possunt. Ejusdem radicis est subst. *olus*, eris. V. *Voss. Etym.* s. h. v. Hanc significationem solam norunt veteres Grammatici, ut *Non.* p. 516. *ed. Gothofr.* Adolere, inquit, verbum proprie sacra reddentium, quod significat votis ac supplicationibus numen auctius facere. *Id.* p. 624. adolere, augere, honorare, propitiare, et est v. sacratum, ut macte i. e. magis aucte. Similia docet *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 794. quibus cura penum struere et flammis adolere penates. Ibi *Servius:* i. e. colere; sed adolere est proprie augere. In sacris autem, addit idem, καὶ εὐφημισμὸν adolere per bonum omen dicitur, nam in aris non adolentur aliqua, sed cremantur. — *Virg. Ecl.* 8, 65. Verbenasque adole pingues et mascula tura, ubi id. *Serv.*: incende; sed κατ' εὐφημισμὸν dicitur; nam *adole* est *auge*. Adde *Virg. A.* 7, 71. castis adolet dum altaria donis, ut *Lucr.* 4, 1230. adolentque altaria donis i. e. cumulant. (cf. *Virg. A.* 8, 284. cumulant oneratis lancibus aras. *Id.* 11, 50. cumulatque altaria donis.) Virgilii imitator *Tac. A.* 14, 30. captivo cruore adolere aras. Huc pertinere videtur etiam *Plin.* 28, 2, 5. in mensa utique id (h. e. cibum e manu prolapsum) reponi adolerique ad Larem, piatio est. Semel tantum hoc signif. reperitur v. *adolescendi* ap. *Virg. G.* 4, 379. Panchaeis adolescunt (i. e. ditescunt, augentur) ignibus arae. V. ADOLESCO. Efficitur autem his exemplis, esse sane primam h. v. significationem, quam ponunt Grammatici: *augere*, *auctius reddere*, i. e. *colere*, *honorare*. P Jam quoniam Dii maxime sacrificiis iisque incensis honorantur colunturque, paullatim usurpari coeptum est activa signif. pro *cremare*, *incendere* (in sacrificiis), quae verba, tanquam quibus malum omen inesset, veteres devitabant; erat praeterea *adolere* in poesi nobilius. Ita id. est qu. θυμιάω. (*Forc.* hanc significationem inde explicat, quod res crematae et exustae maxime oleant. Quae opinio iis, quae supra a nobis disputata sunt, abunde refellitur). Sic *Ov. Her.* 16, 333. quaque feres gressum, adolebunt cinnama flammae. *Id. Fast.* 3, 803. Viscera qui tauri flammis adolenda dedisset. *Id. ib.* 1, 276. haec (ara) adolet flammis cum strue farra suis. *Tac. H.* 2, 3. igni puro altaria adolentur. *Stat. Th.* 1, 514. adolere focos epulasque recentes Instaurare jubet. *Cassius* ap. *Priscian.* 9. *pr. fin.* Sacrificium, ubi integrum anserem adoleverunt. (v. de hac perf. forma in fin.) *Antias ib.* Eo omnes hostiae, vituli viginti septem, conjectae; et ita omnia adulta sunt. *Ennius* ap. *Lactant.* 1, 11. *ad fin.* Eamque hostiam, quam ibi sacravit, totam adolevit. P Hoc transfertur passim ad alia vocabula: *adolere honores* est victimas vel odores offerre, quibus Dii honorantur. *Virg. A.* 3, 547. Junoni Argivae jussos adolemus honores. *Ov. Met.* 8, 741. nullos aris adoleret honores. P Raro est simpliciter i. q. *comburere*. *Ov. Met.* 1, 492. leves stipulae demptis adolentur aristis. *Col.* 12, 31. igne adoleatur. *Eutr.* 10, 9. (18.) Nimietate prunarum, quas gravi frigore adoleri multas jusserat. Cf. *Virg. Mor.* 38. *Petron. Sat.* 115. Et Lycam quidem rogus inimicis collatus manibus adolebat. P De forma perfecti *adolui* et *adolevi* praecipiunt, cum de sacrificiis dicitur, *adolui* facere et *adultum;* cum de aetate *adolevi*. Apud veteres hoc discrimen nondum stabilitum fuisse, monstrant duo loci, quos supra attulimus, si quidem ibi scriptura recte habet. Atque etiam quum loquerentur de aetate dixisse veteres *adolui*, testis est *Prisc.* l. l. qui Varronem libro 3. *Rhetor.* scripsisse affirmat: postquam adoluerit haec juventus. Cf. *Voss. Anal.* III. p. 100. sq. P *Adulesco* pro *adolesco* legitur in quibusdam quorumdam scriptorum codicibus. V. ADOLESCENS subst. *in fin.*

ADOLESCENS, entis, part. v. *adolesco*, qui crescit. *Gell.* 20, 8. Caepe revirescit decedente luna, inarescit adolescente. *Tertull.* ad *Nat.* 1, 1. Adolescens numerus Christianorum. *Ammian.* 22, 8. *med.* Borysthenes concursu multorum amnium adolescens. Cf. ADOLESCO.

ADOLESCENS, entis, subst. m. et f. νεανίας, homo qui pueritiam excessit et nondum ad juventutem pervenit: [*sic enim vulgo distinguunt *adolescentiam* a *juventute*, ut illam haec excipiat, quam volunt anno quadragesimo quinto definiri; v. *Auson. Popma* in v. adolescens et cf. *Flor. praef.* §. 6. 7. Certum tamen est, juvenes, quatenus ita dicebantur, qui stipendia mereri poterant, recte etiam *adolescentes* posse appellari] ita dictus, quod eo maxime tempore crescat. Ejus aetas incipit ab anno decimo et quarto, et usque ad vigesimum octavum protenditur, ut docet *Isid. Or.* 11, 2. vel (quod non multum distat) ab anno decimo et quinto usque ad trigesimum, ut docet *Varro* ap. *Censorin. d. die nat.* 14. [*Eutr. 5, 6. Quem adolescentem Sulla atque annos unum et viginti natum etc. *Id.* 7, 1. Octavianus adolescens, annos octo et decem natus.] Sunt etiam qui incipere ajunt anno duodecimo, et desinere vigesimo secundo, quod eo anno fere homines crescere desinant. Sed haec postrema annorum assignatio aut nunquam, aut certe vix apud latinos scriptores locum habet. Quin ab ipsis interdum *adolescentes* dicuntur, qui annum trigesimum excesserunt, ut a *Cic. Or.* 2, 2. *adolescens* vocatur L. Crassus, qui triginta quatuor annos natus erat; a *Sall. Cat.* 49. C. Caesar, qui triginta tres, vel, ut alii volunt, triginta quinque, *adolescentulus* nominatur: et a *Nep. Att.* 8. et 16., itemque a *Cic. Phil.* 2, 44. Brutus et Cassius, quo anno praeturam gerebant, hoc est aetatis quadragesimo, *adolescentes* nuncupantur. [*Id. Caecil.* 9. M. Caecilium fratrem tuum, lectissimum et ornatissimum adolescentem. Erat autem Praetor designatus. *Liv.* 9, 17. Alexandrum M. adolescentem mortuum esse dixit.] *Id. Phil.* 2, 46. Se adolescentem vocat loquens de suo consulatu, quem gessit aetatis anno quadragesimo quarto. *Id. Cat.* 1, 8. senatorem Sextium adolescentem appellat: quae omnia pluribus ostendit *Manut. ad Fam. ep.* 2, 1. His tamen aliisque locis qui afferri possent, non tam aetatis annos notare voluisse videntur, quam ejus vigorem floremque, vel dicendum, *adolescentes* vocari homines tam grandes natu, ratione seu respectu seniorum, quibuscum loquuntur, vel comparantur. Senum enim mos est juniores se *adolescentes* appellare. [*Cum his fere consentit *B. Crus.* in *Cl. Suet.*, qui eos recte nihil agere dicit, qui annos adolescentiae definire velint. Maturitatis enim togaeque tempus (quod propr. hoc voc. designatur), aeque incertum variumque esse in singulis, atque accessionem ad munera civilia. Omnino autem, inquit, adolescentia est intra annum togae virilis et vitae tricesimum, (complectens robur aetatis humanae, ἀκμήν, cf. *Cic. Top.* 7.) quamquam ultra etiam extenditur usus voc. ob diuturniorem florem aetatis. Cf. locum *Cic.* in ADOLESCENTIA. Nec mirum, si *adolescentes* usque ad senectutem appellabant; *viros* enim Romani non tam *aetate*, quam *sexu* appellabant.] P Nunc ad usum vocis veniamus. *Cic. Fam.* 2, 15. Hominem adolescentem alienare nolui. [*Homo *adolescens* praeter *Cic.* dixerunt *Plaut.*, *Terent.*, *Caes.*, *Liv.*, alii. V. *Oud.* ad *Caes. B. G.* 6, 28. *Drak.* ad *Liv.* 28, 40, 7.] *Id. Sen.* 8. Adolescentes bona indole praediti. *Id. Tusc.* 4, 25. Adolescens perditus et dissolutus. *Id. Fam.* 11, 7. Adolescens vel puer potius. [*Id. *Att.* 7, 7. Puer, nisi forte adolescens factus est, dum ego absum.] *Id. Div.* 1, 18. *fin.* Africani filia adolescens. *Ter. Andr.* 3, 2, 8. optimae adolescenti facere injuriam. *Plin.* 30, 2, 6. Cum adolescentibus nobis Apion prodiderit etc. P In genit. plurali *adolescentium* habet et *adolescentum:* tametsi illud saepius. *Cic. Tusc.* 5, 27. Adolescentium greges. *Pl. Ps.* 1, 3, 130. Pernicies adolescentum. P Habet etiam comparativum. *Sall. fr.* ap. *Prisc.* 10. p. 902. (*Hist.* 1, 11.) Uti adolescentior aetati concederet Mamerci. [*Ter. Hec. prol.* 2, 3. Quo jure sum usus adolescentior. *F.*] P Translate *Cic. Fam.* 9, 8. Adolescentior Academia, *h. e.* recens, nova. V. ACADEMIA. P In multis codd. *Plauti*, *Terentii*, *Livii*, *Petronii* et *Prisciani* scriptum legitur *adulescens*, *adulescentia*, *adulesco* etc., quod minus probatur *Manutio* in *Orthographia*, [*nec magis aliis. V. *Drak.* ad *Liv.* 6, 34, 11.]

ADOLESCENTĬA, ae, f. ἐφηβία, ἡλικία, ἥβη. prima hominis aetas post pueritiam et ante juventutem. V. ADOLESCENS subst. *Cic. Sen.* 2. Qui enim citius adolescentiae senectus, quam pueritiae adolescentia obrepit? *Id. Top.* 7. *fin.* Qui adolescentiam florem aetatis, senectutem occasum vitae velit definire. *Id. Sen.* 9. Adolescentia libidinosa et intemperans. *Id. Off.* 2, 32. Ineunte adolescentia. *Id. Fam.* 1, 9. Cujus dignitatis ab adolescentia fautor exstitissem. *Id. ib. ad fin.* Jam a prima adolescentia. *Id. Fam.* 13, 21. Ab ineunte adolescentia. [*Suet. *Tib.* 7. Virili toga sumta adolescentiam omnem spatiumque insequentis aetatis etc. *Id. Dom.* 1. pubertatis ac primae adolescentiae tempus. *Id. Cl.* 41. Historiam in adolescentia (i. e. adolescens) scribere aggressus est.] P [*Translate *Flor. praef.* 6. Hoc fuit tempus viris armisque incitatissimum, ideo quis adolescentiam dixerit. Cf. 1, 22. *init.*] P [*Praeterea tenendum est, non posse dici *adolescentiam* pro *adolescentibus*, sicut *juventus* dicitur pro *juvenibus*. Cujus rei causam, quam ex iis, quae in v. *adolescens* disputata sunt, facile intelligas, attulit *Vavass.* in *Antibarb.* p. 471. sq. Nimirum *adol.* suam et certam quandam aetatem significat, juventus communem habet significationem. Contrarium non potest probari ejusmodi locis, qualis est ap. *Cic. Arch.* 7.] P *Adulescentia* etiam aliquando scriptum reperitur in quibusdam libris V. ADOLESCENS *fin.*

ADOLESCENTĬOR, aris, dep. 1. adolescentis moribus uti, petulanter juveniliterque agere, luxuriari, νεανιεύομαι. *Varr.* ap. *Non.* 2, 25. Quoniam tu quoque adhuc adolescentiaris. [*Voss. d. *Vit. L. Serm.* affert ex *Gloss.* adolescentiari, νεανιεύεσθαι.]

ADOLESCENTŬLA, lae, f. νεανίσκη, parva adolescens. *Ter. Andr.* 1, 1, 91. Unam aspicio adolescentulam. *Pl. Rud.* 2, 4, 3. Salveto adolescentula.

ADOLESCENTŬLUS, li, m. νεανίσκος, μειράκιον, *Cic. Dom.* 14. Imberbis adolescentulus. *Id. Planc.* 11. Modestissimus adolescentulus. *Id. Or.* 30. *adolescentulum* se appellat, causam dicentem pro Roscio Amerino annos natum viginti septem, ut *Gell.* 15, 28., vel viginti sex, ut *Quintil.* 12, 6. scribit. [*Admodum adolescentulus dicitur tiro militaris *Cic. d. Rep.* 1, 15. *B.* Cf. *Nep. Paus.* 4. et *Ham.* 1. *Brem.* ad *Eum.* 1. — Ceterum interdum *adolescentulus* dicitur cum quodam contemptu pro *adolescente*, ut ap. *Cic. Sen.* 9. ubi v. *Gernh.*]

ADOLESCENTŬRIO, is, ire, n. 4. μειρακιεύομαι, adolescentium more facio. *Laber.* ap. *Non.* 2, 46. Incipio adolescenturire et nescio quid nugarum facere. P Affertur a Lexicographis etiam locus *Quintil.* 2, 2. quem nos nondum invenimus.

ADOLESCO, ēvi, (rarissime *ui*, v. ADOLEO in f.) ultum, n. 3. idem qu. cresco. *Festus* ducit ab ἀδολεσχῶ, quod aliam omnino significationem habet. [*V. ea, quae sub ADOLEO allata sunt. Nam quae adolere i. e. augeri incipiunt, ea crescunt.] Dicitur de omnibus, quae incrementum capere possunt. [*cf. *Burm.* ad *Quint.* 10, 5. p. 944.] *Cic. N. D.* 1, 35. In eo qui natus sit, qui adoleverit, qui didicerit. *Ov. Fast.* 3, 59. Ter senos proles adoleverat annos. [*Id. *Met.* 4, 376. adolescere ramos cernere. *Id. Her.* 6, 11. adolesse segetes.] *Cic. Sen.* 15. Viriditas herbescens nixa fibris stirpium sensim adolescit. *Pl. Cas. prol.* 47. Ad aliquam aetatem adolescere. *Plin.* 9, 3, 2. Ad immobilem magnitudinem beluae adolescunt. Et *ib.* 16, 28. Arundines non sine imbre adolescunt. *Gell.* 17, 9. *sub fin.* Hominem, quoad capillus adolesceret, domo continuit. *Plin.* 7, 16, 17. Euthymenis filium in tria cubita triennio adolevisse. [*id. 12, 1, 3. ad. in amplitudinem. *id.* 13, 7, 15. in crassitudinem. *id.* 16, 34, 62. in longitudinem. *id.* 8, 14, 14. in tantam magnitudinem, ut etc. *Quint.* 8, 5, 26. ad istam magnitudinem. *Plin.* 6, 32, 37. ad centum pedes. *B. Tac. H.* 5, 7. Adolescunt herbae in solitam speciem.] *Hor. Sat.* 1, 9, 34. Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas, ibique *Heindf.* Cf. *Virg. A.* 12, 438. et *G.* 2, 362.] P Translate i. q. potentiorem fieri. *Cic. Fin.* 5, 20. Cupiditas agendi adolescit una cum aetatibus. *Tac. A.* 13, 36. Ver adolescit. *Id. ib.* 2, 50. Adolescebat interea lex majestatis. (Cf. *Adolescens* et *Adultus.*) *Sall. Cat.* 55. Postquam resp. adolevit. *Id. Jug.* 2. Res Persarum brevi adolevit. *ib.* 67. Inter artes bonas ingenium brevi adolevit. [*Ov. *Am.* 2, 19, 23. Adolescit in usus amor. *Id. Fast.* 5, 175. Postquam virtus adolevit annis.] *Tac. H.* 2, 73. Vix credibile est, quantum superbiae socordiaeque Vitellio adoleverit. [*Id. *ib.* 4, 24. non Primi Antonii, neque Muciani ope Vespasianum magis adolevisse.] *Ib.* 3, 34. Cremona numero colonorum ubere agri adolevit floruitque. *Cic. Leg.* 1, 7. Ratio quum adolevit. *Varr.* ap. *Prisc.* 9. p. 872. postquam adoluerit haec juventus (v. ADOLEO.) P In sacrificiis *adolescere* est incendi, cremari. *Virg. G.* 4, 379. Panchaeis adolescunt ignibus arae, *h. e.* ture aliisque

Arabicis odoribus igne incensis fumant: nisi malis hoc quoque loco crescendi significationem retinere, qua de re v. ADOLEO et *Voss.* ad h. l. ℙ Active pro compingere, conjungere. *Sall. fr.* ap. *Serv.* ad *Aen.* 7, 632. Qui de vimine facta scuta recentibus detractis coriis quasi glutino adolescebant. Adde ad *G.* 3, 155. [*De *Sall.* verbis, cum non sint integra, anceps est judicium.]

ĂDOLO, as, pro adoro, oro, legitur a quibusdam apud *Tertull. Apol.* 25. *fin.*, ubi alii aliter. Quin et *adolari* deponentis forma pro *adolare* et cum dativo legunt alii ap. *eund. Resurr. carn.* 8. V. ADOLATIO et ADULOR.

*ADOMINATIO, onis, f. bona ominatio. Est hoc verbum in *Gl. gr. lat.* V. *Barth.* ad *Stat. Th.* 2, 170. *B. Auctar.* Verbum *adominari Tertulliano* restitutum ivit *Haverc.* ad *Apolog.* 34. dictum eodem modo, ut *addivinare.*

[ĂDONERO, as, a. 1. id. qu. onero. Legitur in *Not. Tir.* p. 131. Adonerat. *F.*]

ĂDONEUS, i, m. id. qu. Adonis. *Pl. Men.* 1, 2, 35. Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum. *Appul. Met.* 2. p. 126. In modum superbi juvenis Adonei. [*Sed hic *Heins.* ad *Ov. Met.* 1, 504. recte conjicere videtur *Aonii* i. e. Boeotii s. Thebani, ut Pentheus intelligatur.] Adde *Catull.* 29, 9. Ut albulus columbus aut Adoneus. Alii leg. *idoneus*, vel *Aidoneum*, sed minus recte. [**Auson. epigr.* 30, (al. 39.) 6. Ogygia me Bacchum vocat, Osirin Aegyptus putat, Arabica gens Adoneum, in quo loco est cognomen Bacchi, gr. Ἀδωνεύς, έως. Cf. *id. ep.* 28. et ad utrumque locum *El. Vinetum;* praecipue autem *Hug*, *Untersuchungen über den Mythus der berühmten Völker der alten Welt*, *Freiburg*, 1812. p. 93. sq.]

ĂDONĔUS, a. um, adj. ad Adoneum seu Adonidem pertinens. *Auson. Monosyll. c. de historiis:* caedis Adoneae mala gloria fulmineus sus. *Inscr.* ap. *Grut.* 1123, 7. seu tu turba stipatus Amorum Laetus Adoneis lusibus insereris.

[ĂDONĒUS, a, um, id. qu. idoneus. Legitur in *Not. Tir.* p. 105. Adoneus. *F.*]

ĂDONĬA, orum, n. plur. τὰ Ἄδωνια, festa Adonidi dicata, quae Antiochiae quondam celebrata scribit *Ammian.* 22, 9. Recurrebant autem quotannis mense Junio circa solstitium aestivum, ut ex *Hieron. in Ezech.* 8, 13, 14. notant ibid. *Valesii*, agebanturque maximo luctu propter Adonidem ab apro occisum: quod indicatur ab *Ov. Met.* 10, 725. [*Agebantur Adonia, ut ab aliis multis, veluti Alexandrinis, ita etiam a Romanis, ut *Manso* (Versuche über einige Gegenstände der Mythol.) demonstravit ex *Ov. A. A.* 1, 75. Cf. *Creuzer Symbolik* II. p. 86. sq. et *interpp.* ad *Lamprid. Heliog.* 7.]

ĂDONIS, onis, et onidis, m. Ἄδωνις et Ἄδων, ωνος, filius Cinyrae Cypriorum regis, quem ille ex incesto cum filia sua Smyrna seu Myrrha concubitu suscepit, adolescens pastoralem vitam secutus est: fuit autem mira praeditus pulcritudine, in tantum ut a Venere unice adamaretur vicissimque adamaret: quam consuetudinem cum Mars rivalis [*alii Dianam appellant. *Apollod.* 3, 14, 4.] cognovisset, zelotypia incitatus ferum aprum in Adonidem immisit, a quo, dum venaretur, in inguinibus dente petitus laceratusque est. Venus amasii casum miserata ejus sanguinem in florem vertit, qui Adonium appellatur, colore sanguineo, sed valde caducus, et qui levi vento decutitur. Longo praeterea annuoque luctu ejus mortem prosecuta est. *Ov. Met.* 10, *fab.* 10. et 12., *Macrob. Sat.* 1, 21. et *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 8, 37., qui tamen ad *Ecl.* 10, 18. aliter narrat fabulam. [v. *Voss.* ad h. l.] ℙ Ab Assyriis et Phoenicibus nomine Adonis Sol colebatur, ut refert *Macr. l. c.*, ejusque rei causas ex Physica petitas affert. ℙ *Adonidis horti* laudatissimi fuere veteribus, quemadmodum Alcinoi. *Plin.* 19, 4, 19. [*Graece dicuntur κῆποι Ἀδώνιδος s. Ἀδώνειοι κῆποι. Non autem simpliciter horti intelligendi sunt, sed testae περιφόρητοι seu dolia, in quibus plantae educantur. In his testis triticum, foeniculum, lactuca ac similia serebantur, quae ubi caloris vi cito progerminaverant, non minus cito concidebant, ut hac imagine significaretur, quam celeriter omnia et efflorescerent et deflorescerent. Cf. *Platon. Phaedr.* p. 344. ibique *Heindorf. Siebenkees. Anecd. gr.* p. 70. *Juliani Caes.* p. 329. sq. *Bast. epist. crit.* p. 191. sqq. *Böttigeri Sabina* p. 225. sqq., quos aliosque laudatos vides in *Lex. mythol. Klopfer.* p. 36. sqq.] ℙ Nunc hujus nominis declinationem allatis exemplis confirmemus. *Virg. Ecl.* 10, 18. Et formosus oves ad flumina pavit Adonis. *Prop.* 2, 13, 53. qui niveum quondam percussit Adonim Venantem Idalio vertice durus aper. [*In ed. *Santen.* exhibetur *Adonin.* Idem ait in vocabulario apud *Nestorem* p. 14. *Adonem* reperiri laudatque *Hesych.* s. v. Ἄδωνα ibique *Albert.*] *Ov. Met.* 10, 542. Te quoque ut hos timeas, si quid prodesse monendo Possit, Adoni, monet. *Cic. N. D.* 3, 23. Quarta Venus, quam Adonidi nupsisse proditum est. *Plin.* 19, 4, 19. Hesperidum horti, ac regum Adonis et Alcinoi. *Claud. Fescenn. in nupt. Hon. et Mar.* 16. Venus reversum spernat Adonidem. *Appul. Met.* 8. Cum suo Adone Venus domina. *Serv.* locis citatis *Adonem* dicit in quarto casu. [*Ita etiam *Arnob.* 4. p. 182. *ed. Herald.*] *Venant. carm.* 7, 12. *v.* 18. in recto casu *Adon* usurpavit. ℙ Est etiam *Adonis* piscis quidam, de quo *Plin.* 9, 19, 34. ℙ [*Fuit etiam fluvius Phoeniciae, Ἄδωνιος ap. *Ptolem.*, *Plin.* 5, 20, 17.]

ĂDONĬUM, ii, n. ἄδώνιον, herba quaedam inter abrotoni species connumerata, florem ferens aurei vel sanguinei coloris, quem ex sanguine Adonidis natum poetae fabulantur. *Plin.* 21, 10, 34. [*Atqui *Plin.* ex male intellecto *Theophr.* loco hanc herbam commentum esse et confudisse cum *hortis Adonidis*, auctor est *Salm.* in *Prol. ad Hyl. iatr.* p. 24. sq.] ℙ Apud Grammaticos (*Serv. de metr.* p. 1820. *P.*) adonium est genus carminis constans dactylo et spondeo, ut ap. *Hor. Od.* 1, 4. Terruit urbem, Visere montes etc. Sappho ejus inventrix fuit, putaturque ita dictum, quod maxime adhiberetur in festis Adonidi dicatis, in quibus ejus mors hujusmodi carmine ad flebilia aptissimo lugebatur.

ĂDOPĔRĬO, is, a. 4. operio, tego. *Lact. Op. Dei* 7. Pellem setis adoperuit. [**Colum.* 8, 6. Quidam prius trito sale sex horis adoperiunt.]

[ĂDOPERTE, adv. id. qu. operte. *Capell.* 8. p. 303. Pensa Lachesis adoperte denuntiat Genethliacae, *h. e.* fata obscure significat. *F.*]

ĂDOPERTUS, a, um, part. id. qu. opertus, tectus, clausus, κεκαλυμμένος. *Liv.* 1, 26. Capite adoperto. [**Suet. Ner.* 48.] *Ov. Fast.* 3, 235. Hiems adoperta gelu. [**Ov. Met.* 15, 688. adopertam floribus humum. Cf. *id. ib.* 8, 701.] *Juven.* 8, 145. Tempora adoperta cucullo. [**Virg. A.* 3, 405. ad. amictu.] *Tib.* 1, 1, 84. tenebris mors adoperta caput. *Suet. Oth.* 11. foribus adopertis, ubi male alii *adapertis*, quae scriptura recte habet ap. *eund. Aug.* 53. *Tib.* 1, 9, 44. Latuit clausas post adoperta fores. *Ov. Met.* 1, 714. adoperta lumina somno.] ℙ *Adopertum*, *i*, n. substantive id. qu. mysterium. *Appul. Met.* 2. Miserere, ait sacerdos, per caelestia sidera, per inferna numina, per naturalia elementa, per nocturna silentia, et adoperta Coptica, et per incrementa Nilotica et arcana Memphitica, et sistra Phariaca. ℙ [**Adopertus* et *operatus* in libris confunduntur ap. *Ov. Fast.* 3, 261.]

ĂDOPĪNOR, aris, dep. 1. id. qu. opinor, conjicio. *Lucr.* 4, 814. Deinde adopinamur de signis maxima parvis.

ĂDOPPĔTO, is, n. 3. id. qu. oppeto. Quidam ap. *Appul. Met.* 7. legunt *adoppetisse*, sed ibi omnino legendum *oppetisse.*

ADOPTABILIS, le, adj. *Imp. Leo Cod.* 11, 11, 1. *fin.* Summa severitate sancimus, ut quod in cultu ornatuque nostro sacrum et adoptabile est, id facere temeritas privata non audeat, *h. e.* assumi seu adhiberi potest. Rectius tamen fortasse legas *adorabile.*

*ĂDOPTARIUS, a, um, i. q. adoptaticius, ut adoptarius puer, i. e. ex adoptato natus. *Gloss. Isidori.*

ĂDOPTĀTĬO, onis, f. actus adoptandi, adoptio, υἱοθεσία. *Gell.* 5, 19. Quod per praetorem fit, adoptatio dicitur: quod per populum, arrogatio. Adde *Plin. Pan.* 5, ubi alii rectius leg. *adoptio.* [*V. de utroque verbo *Cort.* ad *Sall. Jug.* 11. quo loco formam iterativam defendit. Aliter statuit *Voss. d. Vit. serm.* p. 365.]

ĂDOPTATĪCIUS et Adoptatitius, a, um, adoptatus υἱόθετος. *Pl. Poen.* 5, 2, 85. Si Antidamae Demarchi quaeris adoptaticium, ego sum ipsus. Et 100. Demarcho item ipse fuit adoptaticius. ℙ Est etiam ex adoptato filio natus, si *Festo* credimus, nullum hac de re exemplum afferenti.

ĂDOPTĀTOR, oris, m. qui adoptat, υἱοθετῶν. *Gell.* 5, 19. Filius adoptivus patri adoptatori prodesset. *Ulp. Dig.* 37, 9, 1. §. 12. *med.* Si adoptator defunctus fuerit.

ĂDOPTĀTUS, a, um. part. v. *adopto* in filium ascitus, εἰσποίητος. *Cic. Att.* 7, 7. Adoptatus patricius a plebejo. *Suet. Tib.* 6. Adoptatus testamento. *Ulp. Dig.* 37, 9, 1. Nepos in locum filii adoptatus. ℙ Hinc, ubi de nomine dicitur, est id. q. assumptus. (V. ADOPTO.) *Plin.* 7, 43, 44. Unus hominum ad hoc aevi Felicis sibi nomen asseruit, civili nempe sanguine ac patriae oppugnatione adoptatum. [*V. de hoc l. *Salm. Exerc.* p. 39.] ℙ Translate *Colum.* 10, 38. aliena stirpe gravata Mitis adoptatis curvetur frugibus arbor. [*Cf. ADOPTIO *in f.* et omnino in v. ADOPTO.] ℙ Item exoptatus. *Cic. Fam.* 16, 21. Quorum mihi fuit adventus adoptatissimus. Alii leg. *optatissimus*, [*ita *Schütz.* et alii, idque solum probandum] alii *exoptatissimus.*

ĂDOPTĬO, onis, f. υἱοθεσία, assumptio alieni filii in suam familiam atque adeo in locum filii naturalis. Ejus duae sunt species, *adoptio* proprie dicta et *arrogatio: adoptio* est, per quam assumitur in filium aliquis, qui suae adhuc familiae filius est et sub proprii patris potestate vivit: *arrogatio* est, qua adsciscitur is, qui est sui juris. Praeterea adoptio fit auctoritate magistratus, seu per praetorem; arrogatio auctoritate principis, aut per populum. V. ARROGATIO et *Dig.* 1, 7, 1. et 2. et *Gell.* 5, 19., ubi hac de re plura. [*Tertium genus *adoptionis* est *per testamentum*; cf. de ea *intpp.* ad *Nep. Att.* 5. ad *Vell.* 2, 59. et ad *Liv. ep. l.* 113. *Heinecc. Ant. Rom.* 1, 11, 18. et quos laudavit *B. Crus.* ad *Suet. Caes.* 83.] *Cic. Dom.* 13. Quod est jus adoptionis? nempe ut is adoptet, qui neque procreare jam liberos possit, et cum potuerit, sit expertus. *Id. Fin.* 1, 7. Emancipare filium alicui in adoptionem. *Suet. Tib.* 2. Dare se alicui in adoptionem. [*Ut *Vell.* 2, 8, 2. cf. *Liv.* 45, 40.] *Id. Cl.* 39. *fin.* Inserere aliquem familiae per adoptionem. *Tac. A.* 1, 3. Adscire aliquem per adoptionem. *Id. H.* 2, 1. Accire aliquem in adoptionem. *Id. A.* 11, 11. Accitus adoptione in imperium et cognomentum. [**Id. ib.* 12, 25. adoptio in Domitium festinatur. *Id. H.* 1, 17. ad. nuncupare i. e. renuntiare. *Quint. prooem. l.* 6, 13. adoptio consularis i. e. quae a viro consulari facta est. Cf. *Spalding.* Plura de *adoptionis* modo habent *intpp.* ad *Ov. Fast.* 1, 10. et *Manut.* ad *Cic. Fam.* 8, 4. *med.* Praeterea lex exstabat, ut is, qui adoptaret, major esset eo, qui adoptaretur. V. *Bremi* ad *Suet. Tib.* 2.] ℙ Neque vero solum in locum filii, sed etiam in locum nepotis adoptare quis alium potest, diciturque qui ita adoptatur, quasi ex filio natus adoptari. Cujus rei exemplum habetur *Dig.* 1, 7, 10. et alibi. ℙ Fiebat porro adoptio trina mancipatione, hoc est ficta venditione per aes et libram coram praetore: qua de re *Gell. l. c.*, [*v. maxime *Conradi exc.* ad h. l.] habeturque exemplum ap. *Suet. Aug.* 64. [*cf. *Heinecc. Ant. Rom.* 1, 11, 15.] V. MANCIPATIO. ℙ Ad arborum insitiones transtulit *Plin. prooem. l.* 16. Pomiferae arbores sive illae ultro, sive ab homine didicere blandos sapores adoptione et connubio.

ĂDOPTĪVUS, a, um, adj. qui per adoptionem assumptus est, υἱόθετος. Hinc *adoptivus filius* ap. *Gell.* 5, 19. ex verbis P. Scipionis dicitur is, qui non natura, sed adoptione talis est: et *pater adoptivus* dicitur, qui adoptavit, non genuit. *Ulp. Dig.* 45, 1, 107. Sic *adoptiva familia*, in quam aliquis per adoptionem adscitus est, *Ulp.* 37, 4, 3. Et *adoptivus frater*, *adoptiva soror*, quos quis per adoptionem nactus est: scilicet qui non natura, sed adoptione tales sunt. *Julian. Dig.* 38, 8, 3. et *Ulp. Dig.* 23, 2, 12. [*Opponitur adoptivo *naturalis*, e. g. filius. *Suet. Tib.* 52. filiorum neque naturalem Drusum, neque adoptivum Germanicum patriae caritate dilexit.] ℙ *Adoptiva sacra* sunt propria ejus familiae, in quam quis adoptatur, et opponuntur paternis. *Cic. Dom.* 13. Neque amissis sacris paternis in haec adoptiva venisti. ℙ *Adoptivum nomen* est, quod quis in adoptione assumit. Nam qui adoptabantur, assumebant nomen adoptantis. *Suet. Ner.* 41. [*Opponitur h. l. *gentile* nomen.] ℙ *Adoptiva nobilitas*, quae alicui advenit ex adoptione. *Ov. Fast.* 4, 22. ℙ Transfertur ad insitionem. *Ov. Medic. fac.* 5. Cultus ut in pomis succos emendat acerbos, fissaque adoptivas accipit arbor opes, *h. e.* fructus alienos insitione producit. *Martial.* 13, 46. Vilia maternis fueramus praecoqua ramis: Nunc in adoptivis Persica cara sumus.

ĂDOPTO, as, avi, atum, a. 1. id. qu. *opto* (qua significat *eligere*) assumo, eligo, adjungo. *Varr. L. L.* 4, 16. Quos hi administros sibi adoptabant, optiones vocari coepti. *Martial.* 4, 31. Aliquod gratum Musis tibi nomen adoptes. *Pl. Cist.* 4, 2, 18. Sociam te mihi adopto ad meam salutem. *Id. Truc.* 4, 4, 6. Qui manstutorem me adoptavit bonis, *h. e.* elegit, assumpsit ad rem familiarem tuendam. *Cic. Div. in Verr.* 16. Quem sibi illa defensorem sui juris, ultorem injuriarum, actorem causae totius adoptavit. *Id. ib.* 20. et alibi saepe [*ut *Fam.* 5, 9.] adoptare sibi aliquem patronum. *Hor. Ep.* 1, 6, 55. Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta, *h. e.* amplectere et tibi concilia. [*Inverso modo dixerunt etiam *adoptare se alicui*, i. e. se adjungere, in alterius ordinem vel societatem se dare. *Plin.* 12, 1, 5. Qui se potentiae causa Caesaris libertis adoptasset.] *Ov. Fast.* 4, 880. Etruscas Turnus adoptat opes, *h. e.* arcessit, sibi quaerit, [*sibi adjungit. V. *Heins.* ad h. l. *Ammian.* 15, 4. nullis aquis externis adoptatis (de Rheno.)] ℙ Speciatim significat aliquem in filii vel nepotis locum atque in familiam assumere, υἱοθετέω. Quomodo differat ab *arrogo*, dictum est in ADOPTIO. *Cic. Dom.* 14. Filium senatorem populi R. sibi velle adoptare. *Nep. Att.* 5. Testamento aliquem adoptare. [*V. de hac adoptione quos supra laudavimus s. v. ADOPTIO.] *Pl. Poen. prol.* 76. Adoptare sibi aliquem pro filio. *Suet. Caes.* 83. Adoptare aliquem in familiam nomenque. *Justin.* 9, 2. in successionem regni. [*Sall. Jug.* 25. in regnum.] *Pl. Men. prol.* 60. Adoptat illum puerum subreptitium sibi filium. [**Suet. Tib.* 21. quum reip. causa adoptare se eum pro concione juraverit i. e. in comitiis curiatis. Legitima enim ea erat adoptio, quae in foro fiebat, lege Curiata. Cf. *id. ib.* 15. *coll. Aug.* 65. Interdum tamen etiam de militari concione intelligendum est. *Tac. H.* 1, 18. apud frequentem militum concionem, impera-

toria brevitate, adoptari a se Pisonem, pronuntiat. Simpliciter *Suet. Galb.* 17. Pisonem perduxit in castra ac pro concione adoptavit. — Adoptati plerumque accipiebant praenomen, nomen et cognomen ejus, a quo adoptati fuerant, vetere nomine ita conformato, ut in *anus* exiret, ut Pomponianus, Aemilianus etc. v. *intpp.* ad *Vell.* 2, 115. ad *Nep.* et *Liv. l. l.* et *Spanhem. de U. et Pr. Num.* 10. p. 77. Id spectat *Cic. Brut.* 68. Et C. Stalenus, qui se ipse adoptavit, et de Staleno Aelium fecerat h. e. licet ex Aelia familia non esset, tamen Aelium se appellaverat. Inest ironia. Addiderat h. l. Furl. alibi.] — *Adoptare aliquem ab aliquo* est ab aliquo concessum sibi in filium adsciscere. *Cic. Brut.* 19. Is, qui hunc minorem Scipionem a Paulo adoptavit. ℙ *Adoptare aliquid* est ei suum nomen imponere, ex eo ductum, quod qui aliquem in filium adsciscit, suum ei nomen impertit. *Plin.* 3, 1, 3. Baetis Oceanum Atlanticum, provinciam adoptans, petit, *h. e.* provinciae nomen dando, quae inde *Baetica* appellatur. *Id.* 25, 7, 36. Mulieres quoque hanc gloriam affectavere, in quibus Artemisia, adoptata herba, quae antea parthenis vocabatur, *h. e.* eam proprio nomine Artemisiam appellando. *Id.* 33, 11, 49. Etenim tabernas mensis adoptavimus, *h. e.* tabernarum nomina mensis imposuimus. Eodem sign. *id.* 5, 29, 31. A Smyrna Hermus campos facit et nomini suo adoptat. Et 25, 3, 7. Nominibus suis herbas adoptare. Et 27, 3, 12. Adoptare aliquid in nomen aliquod. [**Stat. Th.* 7, 259. Jungunt se castris, regisque in nomen adoptant Ocaleae Medeonque. Notanda praeterea haec est locutio ap. *Flor.* 3, 20. *init.* (Servi) in bona libertatis nostrae adoptantur, i. e. admittuntur, quasi adoptati a liberis.] Transfertur ad insitionem. *Ovid. Rem. am.* 195. Venerit insitio: fac ramum ramus adoptet. V. ADOPTATUS, ADOPTIO, ADOPTIVUS. [**Adoptare* et *adorare* in libris confusa, ut *Ov. Fast.* 4, 880. qui locus supra allatus est.]

ĂDOR, ōris, et interdum ōris, n. ζειά, [*n. Dinkel, Spelt, Triticum Spelta Linn.] genus farris, quod et *far vernaculum* appellari scribit *Colum.* 11, 2., ita dictum, ut ait *Festus*, quasi *edor*, quia olim in cibis usitatissimum fuit, cum pop. R. farre tantum e frumento trecentis annis usus fuerit, teste *Verrio* ap. *Plin.* 18, 7, 11. vel quasi *adur*, quia adurebatur, ut fieret tostum, ex quo in sacrificiis mola salsa fiebat. [**Kärcherus* in *Eph. Schol.* 1828. N. 62. cognatam putat hanc vocem, ut gr. ἄθάρα, cum verbo ἄδρέω, *matureseo*, aut c. v. ἄδέω, *saturo*, et hinc etiam cum v. *edo*, ut *ador* proprie significaverit omne edule. *Salm. Hyl. iatr.* p. 69. ador putat esse gr. ὄλυρα, et propr. dictum esse *alor;* affert in hanc rem locum *Herod.* 2, 36. [Ejus quatuor genera enumerat *Col.* 2, 6. [*ubi v. *Schneid.*] V. ADOREUM. *Hor. Sat.* 2, 6, 88. Cum pater ipse domus palea porrectus in horna Esset ador loliumque. *Auson. Monosyll. c. de cibis* [*p. 238. *ed. Manhem.*] Mox ador, atque adoris, de polline pultificum far. *Gannius* ap. *Prisc.* 6. p. 700. Hic adoris dat primitias. Et *ib.* Illam sponte satos adoris stravisse maniplos. *Id. Gannius ib.* eandem penultinam produxit illo carmine: *emicat in nubes nidoribus ardor adoris.* Hinc eadem syllaba producitur in *adoreum* et *adorea. Prisc. ib.* et 4. p. 628. scribit, quemadmodum a *laboro* fit *labor*, a *coloro color*, ita ab *adoro* factum esse *ador*, quia in adorandis Diis, *h. e.* in sacrificiis, adhibebatur: ex quo fieri, ut produci possit ejus penultima in obliquis casibus: quae tamen cum et correpta reperiatur, ad evitandam hanc contrarietatem satius visum esse, indeclinabiliter usurpare. Ejus tamen rei exempla nulla affert. [*Ipse *Prisc.* in superioribus plura genit. exempla proposuit. Ceterum, ubi corripitur penultima, nonnullis, ut *Scaligero* ad *Fest.*, derivandum esse visum est ab obsoleto *adus*, ŏris, ubi producitur, a forma masc. *ador*, ōris, ut *decus*, ŏris, *decor*, ōris, quos tamen refutare studet *Rudd.* I. p. 117. sq. Cf. *Voss. Etym.* s. h. v.]

ĂDORĂBĬLIS, le, adj. adoratione dignus, σεβάσμιος. *Appul. Met.* 11. Deae providentis adorabile beneficium.

ĂDORĀTĬO, onis, f. actus adorandi, itemque precatio manu ad os admota et flexo corpore facta, προσκύνησις, προσευχή. [*v. VV. DD. ad *Appulej.*, qui hunc morem pluribus explicant.] *Liv.* 30, 16. Conveniens oratio tam humili adorationi fuit. *Plin.* 28, 2, 5. Fascinationibus adoratione peculiari occurrimus. Et 29, 4, 20. propitiare Deos adoratione. *Appul. Met.* 4. Venerem religiosis adorationibus venerari.

ĂDORĀTOR, oris, m. qui adorat, προσκυνητής. *Tertull. de Spectac.* 8. Si Serapeum sacrificator et adorator intravero, a Deo excidam.

ĂDORĀTUS, a, um, v. *adoro*, προσκυνηθείς. *Stat. Th.* 6, 663. concessit cetera pubes Sponte, et adorato rediit ingloria disco, *h. e.* salutato: et refertur ad simplicem et etymologicam significationem, quam v. in ADORO. [**Id. ib.* 10, 248. Ipse — ponit adoratas, Phoebea insignia, frondes i. e. eas, quas ori admovit eoque modo veneratus est. Sed ap. *Sil.* 14, 437. adorata puppis dicitur *sancta*, propter dei numen, quod, ut in sqq. narratur, ejus erat insigne.] *Lucan.* 6, 243. Magnus adorato submittat Caesare signa. *Ov. Fast.* 5, 449. Venit adoratus Caducifer, *h. e.* rogatus. *Flor.* 2, 6, 46. de Annibale: itaque fugit et cessit, cum Urbem tantum non adoratam reliquisset, *h. e.* adeo cupitam et exoptatam, ut pene adoraverit. [*Alias interpretationes addiderunt *Graev., Gruter.*, alii; omnes autem tam mirae sunt, vix ut dubitari possit, quin se recte habeat altera scriptura, quae in libris est: *adortam.* Hoc enim poscit nexus sententiarum, quod correxerunt librarii, nescientes quid *tantum non* significaret.]

ĂDORDĬNO, as, a. 1. id. qu. ordino, dispono. *Apic.* 4, 2. Adordinare patellam.

ĂDORDĬOR. V. ADORSUS.

ĂDOREA, ae, f. omnis ex agris proventus. Proprie significat far. Cum autem prisci illi Romani farre ut plurimum vescerentur, ad alia etiam frumenti genera, postea in cibos invecta, hoc *adoreae* nomen transtulerunt. Hinc *Sulpic.* ap. *Varr. L. L.* 4, 4. *extr.* Plebi rura largiuntur adoream. Ita *Scalig.* legendum suspicatur; libri fere habent *ad aream.* ℙ Porro cum de republica bene meriti primis illis temporibus farre aut alio frumento maxime donarentur, hinc factum est, ut *adorea* pro praemio atque adeo pro laude, gloria, aut honore reportato usurpari coepta sit. Quod diserte docet *Plin.* 18, 3, 3. et 8, 19. [*Vix dubitari posse videtur, quin *adorea* elliptice dictum sit, intellecto *donatio* vel simili voce. Est igitur *adorea* proprie adjectiv. Eandem sententiam proponit *Koelerus* in *Wolf. Anal.* IV. p. 359.]. *Festus* autem scribit, ideo *adoream* pro gloria et honore accipi, quia cum olim rustica ars in maximo esset honore, ii quoque honoratissimi haberentur, qui plus aliis farre aut frumento abundarent. *Plin.* 18, 3, 3. Gloriam deniique ipsam a farris honore adoream appellabant. *Id. ib.* 8, 19. Far primus antiquis Latio cibus, magno argumento in adoreae donis. *Pl. Amph.* 1, 1, 38. Praeda atque agro adoreaque affecit populares suos. *Hor. Od.* 4, 4, 39. pulcher fugatis Ille dies Latio tenebris Qui primus alma risit adorea, *h. e.* laetus fuit propter gloriam devicti Asdrubalis. *Claud. d. Laud. Stil.* 1. *fin.* Haec omnes veterum revocavit adorea laudes. [*Vid. ad h. l. *Barth.*] ℙ *Serv.* ad *Aen.* 10, 677. profert *adoria* pro *adorea*, additque ideo pro laude bellica accipi, quod omnes cum congratulatione alloquebantur eum, qui in bello fortiter fecerat: proinde ab *adorare* deduci, quod pro *alloqui* usurpatum est a veteribus. [*Sed pessime.]

ĂDORĔUM, i, n. idem qu. ador seu adoreum far. *Colum.* 2, 6. Adorei genera quatuor: far quod appellatur clusinum, candoris nitidi; far vennuculum rutilum; atque alterum candidum; semen trimestre, quod dicitur halicastrum. *Plin.* 18, 17, 46. In creta et rubrica et aquosiore agro serendum adoreum. Nisi malis utroque loco adjectivum esse et intelligi *far.* [*Omnino ita est, ostendit hoc locus Colum.]

ADORĔUS, a, um, adj. ex adore constans vel ad ador pertinens. *Varr. R. R.* 1, 9, 4. In loco humidiore far adoreum potius serunt, quam triticum. [*Cf. *Colum.* 11, 2, 74.] *Col.* 2, 6, 1. Adoreum semen. [**Cat. R. R.* 34.] *Varr. L. L.* 4, 31. Adoreae falces, *h. e.* secando adoreo aptae. Alii leg. *arboreae. Virg. A.* 7, 109. adorea liba per herbam Subjiciunt epulis, *h. e.* liba ex farre, addito melle et oleo, ut *Serv.* docet. *Stat. Silv.* 1, 6, 10. Jam bellaria adorea pluebant, *h. e.* dona missilia, quibus etiam frumentum quandoque imperatores populo largiebantur. [*Adoreus, i, mons est in Asia minori, de quo Sangarius fluvius in Phrygiam defluit, teste *Liv.* 38, 18.]

ĂDORIA. V. ADOREA.

ĂDORIO. V. ADORIOR.

ĂDORĬOR, oriris, ortus sum, dep. ἐπιτίθεμαι, invado, aggredior: ex *ad* et *orior*, quasi repente orior, quia qui alterum invadit, id ex improviso facit. [*Imo significat proprie: surgo, ut ad aliquem vel ad aliquid accedam. Atque quum de personis dicitur, non solum id hostiliter fiat necesse est, sed saepius bonam in partem dicitur, ut colloquendi causa. Sic *Ter. Heaut.* 4, 5, 9. quem locum noster attulit: cesso hunc adoriri? Cf. *Ph.* 4, 2, 15. Saepissime autem de hostili animo dicitur.] *Cic. Sext.* 37. Inermem tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis septorum et fustibus. *Id. Mil.* 10. adoriri aliquem a tergo. *Id. Verr.* 2, 5, 34. *fin.* adoriri navem. *Liv.* 1, 53. urbem vi. [**Tac. Agr.* 25. castellum adorti.] *Nep. Con.* 4. Hos Conon adortus magno proelio fugat, multas naves capit etc. *Tac. A.* 4, 45. Adoriri aliquem ex improviso in itinere. *Id. ib.* 14, 52. variis criminationibus. *Id. H.* 1, 31. minis. *Ter. Ad.* 3, 3, 50. jurgio. [**Curt.* 10, 2. Regemque ferocius, quam alios, adorti (clamore). *Nep. Lys.* 3. Primum Delphos corrumpere est conatus. Quum id non potuisset, Dodonam adortus est. *Liv.* 21, 28. Parentes — ab tergo adortus clamor. *Id. ib.* 11. Oppugnatio eos aliquanto atrocior, quam ante, adorta est.] ℙ Significat etiam aggredi, conari, ἐπιχειρέω, [*sive se parare (accingi) ad aliquid suscipiendum, ac dicitur fere de rebus difficilibus ac labore plenis. *Glossae Philoxeni:* adortus, ἐπιχειρήσας, ἐπιφυείς. Ideo *Lucr.* 3, 514. conjungit: adoritur et infit. Hinc facile intelligĭtur, cur etiam cum accus. rei et cum infinitivo construatur, quod negarunt *Drak.* ad *Liv.* 35, 51, 8. et *Oudend.* ad *Appul. Met.* 1. *p.* 35., qui ubi perf. *adortus sum* reperiebant, id corrigi volebant in *adorsus* vel *exorsus sum.* Vituperavit hoc jam *Voss. de Vit. serm.* p. 105. et falsissimum esse demonstravit egregie *Bremi* ad *Nep. Thras.* 2, 5. ac docent exempla, quae sequuntur.] *Cic. Att.* 13, 22. Hoc quoque ipsum continuo adoriamur. *Id. Or.* 2, 51. Ne convellere adoriamur ea, quae non possint commoveri. *Nep. Dion.* 6. Fortuna sua mobilitate, quem paulo ante extulerat, demergere est adorta. *Auct. ad Her.* 2, 4. Occasio quaeritur idoneane fuerit ad rem adoriendam. *Ov. Pont.* 2, 2, 16. Majus adorta nefas. [**Virg. A.* 6, 397. Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti. Codd. fere semper variant; at optimi pro *adorti* ubique stant; cf. *ib.* 7, 386. *Nep. Thras.* 2, 5. Hanc (Munychiam) bis tyranni oppugnare sunt adorti. Ac saepius in eadem formula *Liv.*, ut 2, 51. 28, 3. 37, 5. 32. 40, 22. 43, 21. 44, 12. et cf. 3, 44.] *Catull.* 62, 11. Canere hoc suis adorta est moribunda comitibus. *Cic. Att.* 16, 2. Ἡρακλείδιον, si Brundusium salvi, adoriemur, *h. e.* scribere aggrediemur. [*Discrimen, quod *Forc.* ex *Donato* ad *Ter. Ad.* 5, 4, 41. affert: *aggredimur* de longinquo, *adorimur* ex insidiis et ex proximo, quamquam in ipsa horum verbb. ratione positum videri possit, (cf. *Hirt. B. Afr.* 69. 95.) non tamen observatur a veteribus. Vide, si tanti est, *Liv.* 37, 41. ubi dicitur *ad. justa pugna.*] ℙ Grammatici duplicem secundam personam indicativi praes. afferunt *adoreris* et *adorīris*, duplicemque tertiam *adorītur* et *adorĭtur.* Nos *adorītur* adhuc solum legimus ap. *Lucr.* 3, 516. Commutare animum quicumque adoritur et infit; et *Lucil.* ap. *Prisc.* 10. p. 880. Conturbare animam potis est, quicumque adoritur. Ex quo etiam *adorīris* confirmatur, *adoreris* vero et *adoritur* ex analogia probari possunt; nam simplex *orior* habet *oreris* et *oritur*, et compositum *exorior*, *exoritur.* [*Nulla tamen apud poetas exstant exempla, quibus penultima brevis comprobetur.] ℙ Reperitur etiam *adorio* activa terminatione. *Naev.* ap. *Prisc.* 8. p. 801. Hectore proficiscente tunc ipsos adoriant.

*ADORIOSUS, adj. adoream saepe adeptus. *Gloss. Lat. Gr.* adoriosus, ἔνδοξος. *B. Auctar.*

ĂDORNĀTE, id. qu. ornate. *Suet. Rhet.* 6. declamare splendide atque adornate. [*Componitur eo loco cum adv. *splendide*, opp. circumcise et sordide et tantummodo trivialibus verbis.]

ĂDORNĀTUS, a, um, part. v. *adorno*, ornatus, ἐπικοσμηθείς. *Cic. Verr.* 2, 1, 22. Vidi forum comitiumque adornatum ad speciem magnifico ornatu. *Curt.* 3, 3, 13. Tunicae gemmis adornatae. Et infra: hastae argento adornatae. [*Persaepe ita *Curt. Suet. Ner.* 38. Domus hostilibus adhuc spoliis adornatae. *Id. Cal.* 45. truncatis arboribus et in modum tropaeorum adornatis. *Id. Ner.* 12. aurea pyxis et pretiosissimis margaritis adornata.] ℙ Item instructus, paratus, παρασκευασθείς. *Liv.* 7, 10. Juvenem armatum adornatumque adversus Gallum producunt. [*Hic unus cod. exhibet *ordinatumque.* V. ad h. l. *Drak.* et maxime ad 24, 48, 7. Adde ad 10, 40.] *Tac. A.* 12, 13. ℙ Translate *Vell.* 2, 2. Tantis adornatus virtutibus. Et *ib.* 121. Adornati praecipuis donis viri [*i. e. donis militaribus in triumpho.] *Tac. A.* 1, 52. Multaque de virtute ejus memoravit, magis in speciem adornata verbis, quam etc.

ĂDORNO, as, avi, atum, a. 1. ἐπικοσμέω, [*pr. κόσμον προστιθέναι, deinde, ut etiam ἐπικοσμεῖν, pro simplici *ornare*, κοσμεῖν] id. qu. orno. *Liv.* 1, 20. Insigni veste et sella curuli aliquem adornare. *Suet. Aug.* 29. Adornare urbem monumentis. *Curt.* 8, 5. Loricas alias auro, alias argento adornare. [**Suet. Tib.* 43. cubicula tabellis et sigillis adornavit. *Vell.* 2, 122. adornare triumphum summi ducis Germania debuit.] ℙ Translate *Plin. ep.* 1, 8, 15. bene facta sua verbis. *Quintil.* 7, 1. Hanc communem omnium legem leviter adornabit. *Liv.* 28, 42. Si nobilitas ac justi honores (eum) adornarent. ℙ Saepe est instruere, parare, παρασκευάζειν. [*Eodem modo dicitur gr. κοσμεῖν.] *Cic. Manil.* 12. Italiae duo maria maximis classibus firmissimisque praesidiis adornavit. *Liv.* 10, 38. Eodem conatu apparatuque omni opulentia insignium armorum bellum adornaverant. *Caes. B. C.* 1, 26. Pompejus naves magnas onerarias adornabat. *Ter. Eun.* 4, 4, 6. adornare fugam. *Pl. Epid.* 5, 1, 9. adornare viaticum ad fugam. *Id. Cas.* 2, 6, 67. adornare nuptias. *Cic. Mur.* 22. Ut idem accusationem et petitionem consulatus diligenter adornet atque instruat. *Id. Cluent.* 6. adornare testium copiam. Et *ib.* 67. invenire et adornare comparationem criminis. *Ter. Eun.* 3, 5. 34. Continuo haec adornant ut lavet. *Pl. Rud.* 4, 6, 2. Adorna, ut rem divinam faciam. *Id. Epid.*

5, 2, 25. Tragulam in te injicere adornat. ℙ Est etiam honore afficere. *Cic. Fam.* 11, 14. Laetor mea consilia a te probari de adornando adolescente. Plerique alii [*recte] leg. *ornando.*

ĂDORO, as, avi, atum, a. 1. προσκυνέω, veneror: ex *ad* et *ore* factum. Hic enim habitus adorantium erat, ut dexteram ad os referrent et totum corpus circumagerent, ut *Plin.* 28, 2, 5. et *Appul. Apol.* p. 310. docent. Hinc *Liv.* 5, 21. *fin.* Convertentem se inter hanc venerationem traditur memoriae prolapsum cecidisse. [*Cf. *Ov. Met.* 7, 189. quem laudat *Voss.* ad *Virg. Ecl.* 8, 74.] Id autem in hac re summa religione observabant, ne sinistrorsum corpus converterent, erat enim id mali ominis. *Pl. Curc.* 1, 1, 69. Quo me vertam nescio. Pa. Si deos salutas, dextrovorsum censeo. Veteres tamen Galli religiosius putabant, in laevam se convertere, ut notat *Plin.* 28, 2, 5. V. *Suet. Vit. l. l.* [*Intactum reliquimus ordinem significationum a nostro propositum. Quamquam nobis quidem persuasum est, factum hoc v. ab *ad* et *orando* proprie significare *ore*, *orando precari*, unde tum ad omne venerationis genus translatum est. Sic *Voss. Etym.* p. 9. Ea vero ratio, quam noster secutus est, quamque proposuit etiam *Wyttenbachius*, adorare esse propr. *manu ori admota salutare*, quocum hic gr. προσκυνεῖν comparat, de quo cf. *Vorst.* ad *Sulpic. Sev. Hist. S.* 1, 12. et *Eutrop.* 9, 16. (26.) videtur demum inferiore aevo invaluisse. Multa de *adorandi* verbo attulit *Brouerius d. Adorationibus* p. 1 — 7. *ed. Amst.* 1713. *Lips. Elect.* 2, 6. *Briss. Form.* 1, 56. sqq.] ℙ Ab hoc veteri more accipitur etiam generatim pro quocumque modo procumbendo corpusve flectendo venerari. *Suet. Vit.* 2. Primus C. Caesarem adorare ut Deum instituit, cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato circumvertensque se, deinde procumbens. [*cf. *Pitiscus* ad h. l. *Plut. Num.* 14. *Id. Qu. Rom.* p. 79. *ed. Reisk.*, quos laudat *B. Crus.*] *Tac. H.* 1, 36. Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgus, jacere oscula etc. [*Explicatur h. l. alio ap. *eund. A.* 16, 4. Postremo flexus genu et coetum illum manu veneratus sententiam judicum operiebatur.] *Suet. Ner.* 12. Coronam a judicibus ad se delatam adoravit ferrique ad Augusti statuam jussit. Et 41. Exsiluit gaudio caelumque adoravit. [*Id. Cal.* 14. Aquilas et signa Rom. Caesarumque imagines adoravit (Artabanus), quod alibi (*Vit.* 2.) *venerari legionum signa* dicitur.] *Justin.* 12, 7. Non salutari, sed adorari se jubet (*h. e.* Alexander, qui more Persarum regum adorari se voluit. Mos autem is erat, ut genu flexo proni procumberent terramque fronte ferirent, manibus etiam post tergum reductis. V. *Curt.* 6, 6.) *Plin.* 8, 1, 1. Elephanti regem adorant, genua submittunt. *Ammian.* 21, 9. Adorare purpuram principis, *h. e.* principem adire, quod qui faciebant, dextera manu ejus purpuream vestem contingentes ori admovebant. Legitur persaepe in *Codice Theodosiano.* ℙ Translate adorare est id. qu. magni aestimare, admirari, venerari. *Plin.* 27, 1, 1. Quanto major copia herbarum dicenda restat, tanto magis adorare priscorum in inveniendo curam — subit. ℙ Quoniam vero cum deos adoramus, precandi causa facimus, hinc *adorare* saepe ponitur pro orare, rogare, petere, [*v. supra.] *Liv.* 6, 12. Cum hostia caesa pacem deum adorasset. [*V. ad h. l. *Duk.* et *Drak. Id.* 21, 17. adorati dii, ut etc. Cf. 7, 40.] *Prop.* 1, 4, 27. maneat sic semper, adoro. [*Cf. *Broukh.* ad h. l., qui praeter alios locos a nostro laudatos etiam provocat ad *Ov. Pont.* 2, 2, 55. Hanc ego non, ut me defendere tentet, adoro.] *Ov. Her.* 10, 141. Non te per meritum, quoniam male cessit, adoro. *Virg. A.* 3, 437. Junonis magnae primum prece numen adora. *Id. ib.* 10, 677. In rupes, in saxa (volens vos Turnus adoro) Ferte ratem. *Plin.* 12, 14, 32. Adorare deos large, *h. e.* multa impensa victimarum, et iis sacra facere. *Juven.* 13, 148. Veteris qui tollunt grandia templi Pocula adorandae rubiginis. ℙ [*Affert *Furl.* ex *Cic. Arch.* 11, 28. *adoravi* pro *hortatus sum*, quod vulgo ibi legitur, ex cod. Ambros. Ad h. l. *Vet. Schol.* ita: hoc verbum adoravi significat cohortatus sum; adoravi autem orare et petere significat. Verum ob discrepantiam scripturae (v. *Orelli*) hic locus afferri non potest, ac pauci tantum hunc archaismum probant.] ℙ Interdum est compellare, salutare. *Stat. praef. l.* 4. *Silv.* Primo autem septimum Germanici consulatum adoravi. (Adde *praef. l.* 3.) *Appul. Met.* 2. p. 163. *Oud.* Imo cum gemitu populum sic adorat. Adde *ib.* 3. p. 177. *Oud.* [*Ita etiam *Serv.* ad *Virg. A.* 10, 677., qui interpretatur per *alloqui*. Sed h. l. (v. supra) est i. q. oro. Ex hac autem significatione explicant sequentem, quae apud posteriores aetate scriptores denuo in usum venit.] ℙ *Festus* docet, *adorare* pro *agere* a veteribus usurpatum fuisse. *Lex.* XII. *Tab.* ap. *eund.* in *Nec.* Si adorat furto, quod nec manifestum erit. Hinc legati *oratores* dicti, quia mandata populi agunt. V. ORO. [*Cf. *Gravinae origg. juris* p. 350.] ℙ [*Quid discriminis sit inter *adorare* et *supplicare*, docet *Valla Eleg.* 5, 11. Nam *supplicare* tantum homini datur, *adorare* etiam mutis. Unde elephas et phoenix et alia quaedam, quae ratione carent, solem adorare dicuntur. Nosque rebus mutis et sensu carentibus non supplicamus, sed adorationis honorem exhibemus, ut regum statuis, signis, vestibus, litteris aliisque similibus. Ita fere *Voss.* in oratoriis suis.] ℙ [*Adorari dicebatur etiam depon. forma. Certe partic. *adoratus* bis ita legitur ap. *Val. M.* 4, 7. *ext.* 2. et 6, 3. *ext.* 2., ubi quum al. legant *adulata*, illud defendit *Salm. Exerc.* p. 38. aliaque similia affert.]

*ADORSI, orum, populus Scythicus vel Sarmaticus prope mare Caspium. *Tac. A.* 12, 15. Dicuntur etiam *Aorsi.*

ĂDORSUS, a, um, part. activae signif. ab *adordior* inusit. *Gell.* 9, 2. Qui tyrannum interficere adorsi erant. [*Ex analogia locorum, qui supra in ADORIOR allati sunt, etiam h. l. *adorti* scribendum esse videtur.] *Appul. Florid. n.* 9. Id quod facere adorsus sum. *Id. ib. n.* 23. Laudare astu adorsa est. Alia exempla ex *Livio*, *Ovid.*, *Curt.* et *Virg.* afferri solent, in quibus tamen omnibus alii *adortus* legunt, quod ab *adorior* est. ℙ Ipsius quoque *adordior* auctorem quidam faciunt *Appul. Met.* 1. *fin.* et ipsum *Cic. Or.* 2, 51. [*Ita utroque loco scribendum existimat *Drak.* ad *Liv. l. l.* — In libb. confunduntur *adortus* et *adgressus. Drak. ib.* ad 21, 5, 8.]

ĂDORTUS, a, um, part. activae signif. ab *adorior*, quod v. ℙ Item signific. pass., sed rarius. *Aurelius vet. scriptor* ap. *Prisc.* 8. p. 791. Ab his Gallos adortos ex insidiis, plurimos necatos. *Flor.* 2, 6. Adorta urbs. V. ADORATUS.

ĂDOSCŪLOR, aris, dep. 1. id. qu. osculor. *Dictys* 2, 51. Manus adosculari, contingere genua.

ADP. V. APP.

ADPĂRĬO seu Apparo, is, a. 3. [*προσκτᾶσθαι] pro pario, acquiro, comparo, quidam legunt in illo *Lucr.* 2, 1108. Adpareret spatium caeli domus, [*i. e. sibi adjungeret.] Sed alii leg. *aptaret*, alii *apparet* etc. [*Minus recte.]

*ADPASCO. is, a. 3. id. ac pasco. *Auct. Itin. Alex. M.* (*ed. A. Maio*) 75. Silphio facile adpasci oves floris ejus esu et usu frugis et radicium delectatas ajunt. *B. Auctar.*

ADPĂTŪLUS, a, um, adj. id. ac patulus. Legitur ap. *Varr. L. L.* 6, 3., sed locus ille corruptus videtur Criticis. V. *Scalig. in Conjectan.* p. 76.

ADPECTORĀTUS seu Appectoratus, a, um, pectori admotus. *Solin.* 26. de ursis: carnes pauxillulas edunt — has lambendo sensim figurant, et interdum adpectoratas fovent. [*Ita *Salmas.*, quem v. *Exerc.* p. 224. Al. *ad pectora eas fovent. Gl. Lat. Gr.* Adpectora, παράβαλλε, θώρηξον.]

ADPĒRĪRĒ, pro *deperire*, ut *adperire aliquem amore* affertur a quibusdam ex *Plauto.* Verum nobis invenire non datur.

ADPERTĪNĔO, es, n. 2. id. qu. pertineo, ad aliquam rem usque pertineo. *Innocent. de casis liter.* p. 221. *Goes.* Medius fons ad ipsam adpertinet. Et p. 232. Aquam vivam habet, et eidem adpertinet.

ADPL. V. APPL.

ADPLUMBĀTUS et Applumbatus, a, um, part. ab inusit. *adplumbo*, plumbo conglutinatus. *Paul. Dig.* 6, 1, 23. Non idem est in eo, quod adplumbatum sit. *Ulp. Dig.* 19, 1, 17. §. 8. Epistomia fistulis adplumbata. *Id. ib.* 47, 12, 2. Si statua neque adplumbata fuerit, neque adfixa. *Scribon. compos.* 271. Vase operto et adplumbato.

ADPOSCO et Apposco, oscis, a. 3. id. qu. posco, vel plus posco, προσαιτέω. *Hor. Ep.* 2, 2, 100. si plus adposcere visus. *Ter. Heaut.* 4, 7, 10. Talenta dotis adposcent duo.

ADPOSTŪLO, as, a. 1. id. qu. postulo. *Tertull. Monogam.* 10. Et pro anima ejus orat et refrigerium interim adpostulat ei.

ADPR. V. APPR.

ADPRĔCOR et Apprecor, aris, atus sum, dep. 1. id. qu. precor, preces ad deum dirigo. Fere autem dicitur de precationibus, quae diis fiunt. *Hor. Od.* 4, 15, 28. Rite deos prius apprecati. *Appul. Met.* 4. Deam floribus sertis et solutis adprecantur. Et *ib. sub init.* Deam lacrimoso vultu sic adprecabar.

ADPRESSUS et Appressus, a, um, part. v. *adprimo. Tac. A.* 2, 21. Miles, cui scutum pectori adpressum et insidens capulo manus.

ADPRĪMO et Apprimo, is, essi, essum, a. 3. ad aliquam rem premo, adstringo. *Plin.* 24, 9, 41. Virgam sedare ventris dolores impositam ita, ut tunica cinctuque corpori adprimeretur. *Id.* 26, 1, 5. Elephantiasi ad ossa carnes adprimente. Adde 20, 15, 57. *Tib.* in *Priap. carm.* 82, 24. Puella nec jocosa te levi manu Fovebit adprimetve lubricum femur. *M. Aur.* ap. *Front. ad M. Caes.* 5, 5. Dentes adprimamus tamen.

*ADPROPIO s. Appropio, 1. appropinquo. *Sulp. Sev. dial.* 3, 6. Vidi quendam adpropiante Martino in aere raptum.

ADPUGNO et Appugno, as, avi, atum, a. 1. contra pugno, oppugno. *Tac. A.* 4, 48. Adpugnare castra. *Id. ib.* 15, 13. castellum. *Id. ib.* 2, 81. classem. [*In libb. confunditur cum *oppugnare.*]

ADPULSUS. V. APPULSUS.

ADQUE, pro atque, mutato *t* in *d*, saepe scriptum legitur in vet. monumentis, ut in *Cenotaph. Pisano* L. Caesaris, et in *Inscr.* ap. *Grut.* 337. et 412, 3. et 4. V. plura ap. *Noris. in Cenotaph. Pisan. diss.* 4. *c.* 2. §. 2. [*Cf. *Drak.* ad *Liv.* 8, 17, 1.]

ADQUĪRO. V. ACQUIRO.

ADQUO, adv. quoad, quantum. *Afran.* ap. *Non.* 2, 63. Ut scire possis, adquo te expediat loqui. *Id. ib.* Iratus essem, adquo liceret.

ADRACHNE, es, f. ἀδράχνη, [*wilder Erdbeerbaum, arbutus Andrachne Linn.] arbor silvestris, bifera in montibus nascens, similis unedoni, folio tantum minore et nunquam decidente, praesertim in cacumine; cortice non scabro quidem, sed qui circumgelatus videri possit, tam tristis aspectu est. *Plin.* 13, 22, 40. et 16, 21, 33. [*Al. scribunt *andrachne.* V. *Salm. Exerc.* p. 674.]

ADRĂDO, is, asi, asum, a. 3. ἐπιξέω, leviter rado, abrado, radendo aufero aliquid ab aliquo. *Pl.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *sub fin.* Scobina ego illam actutum adrasi. *Colum. de arbor.* 8. Scalpello acuto, ita ne medullam laedas, adradito.

ADRAMYTTĒNUS, a, um, adj. Ἀδραμυττηνός, ad Adramytteon pertinens, ut *Adramyttenus vir* ap. *Cic. Flacc.* 13. ℙ Est autem Adramytteos s. Adramytteum, Ἀδραμύττειον et Ἀδραμύττιον, nunc Andramitti, Landimetri, ap. al. Landramitti, ap. *Danvill.* Edremit, urbs litoralis in Aeolide seu Mysia, juxta Caicum fluvium, prope radices Idae montis, inter Antandrum et Elaeam, olim Pedasus dicta. *Plin.* 5, 30, 32. [*Quam varie hoc nomen in libb. mss. scriptum exhibeatur, v. ap. *Drak.* ad *Liv. ep. l.* 49.]

*ADRANA, ae, fluvius in Hassis, qui Fuldae illabitur. *Tac. A.* 1, 56. Hodie *Eder.* Sed *Tac.* eo in loco eam confudit cum *Logana* (*Lahn*).

ADRĂPĬDUS, a, um, adj. id. qu. rapidus. *Gell.* 12, 5. Febri simul adrapida afflictari, *h. e.* pulsu motuque cordis perquam celeri. Plerique leg. *rapida.*

[ADRARRHIZA, ae, f. herba, quae aliter aristolochia vocatur. *Appul. Herb.* 19. *F.*]

ADRASTĒA et Adrastīa, ae, f. Ἀδράστεια, Jovis ac Necessitatis filia, eadem ac Nemesis, [*apud Gr. semper est epitheton; proprie Nemesis dicitur, quod v. v.] dea bonarum actionum praemiatrix malarumque ultrix, ita dicta ab Adrasto Argivorum rege, qui primus ei templum dedicavisse dicitur, vel ab ἀδραστής, [*potius ἄδραστος] alienus a fuga, quia ultionis malis hominibus ineffugibilis est necessitas, ut *Appul. de Mundo* interpretatur. *Virg. Cir.* 239. Ut scelere in tanto, quod nec sinit Adrastia, Laedere utrumque uno studeas errore parentem. *Appul. l. l.* Adrastea eademque ineffugibilis etc. Adde *Ammian.* 14, 11. ℙ [Fuit etiam regio et civitas ejusdem nominis non longe a Troade Mysiae, ubi Alexander M. pugnavit cum Persarum exercitu juxta Granicum flumen. [*Plin.* 5, 32, 40.] *Justin.* 11, 6. Prima igitur congressio in campis Adrastiae fuit. Quidam leg. *in campis Adrastiis. F.* ex *Bail. Auct.*]

ADRASTĒUS, a, um, adj. ad Adrasteam vel Adrastum pertinens, Ἀδράστειος. *Stat. Silv.* 1, 1, 52. Hunc et Adrasteus visum extimuisset Arion. *Ammian.* 14, 11. Adrasteo pallore perfusus, *h. e.* eo pallore, quo improbi vim Adrasteae ultricis expavescunt, vel eo pallore, quo tristitiam suam indicant infelices; ab Adrasto Argivorum rege, qui infelicissimus fuisse dicitur: vel allusit ad illud *Virg. A.* 6, 480. Adrasti pallentis imago.

ADRASTĪNE. V. in NEPTUNINE.

ADRASTIS, ĭdis, patronym. fem. Ἀδραστίς. *Stat. Th.* 12, 678. Antigonen viduamque Creon Adrastida leto Admovet, *h. e.* Argiam Adrasti filiam, Polynicis uxorem.

ADRASTUS, i, m. Talai seu Talaonis et Eurynomes filius, [*ita dicitur secundum *Hygin. fab.* 69. *Pausan.* appellat Lysianassam, *Apollod.* 1, 9, 13. Lysimachen] Sicyonis primum, (teste *Serv.* ad *A.* 6, 480.) deinde Argivorum rex, socer Tydei et Polynicis, quos ambos in bello Thebano ingenti accepta clade caesos vidit, gravique ob id moerore confectus tota deinceps vita expalluisse dicitur. Alii alia de eo narrant. V. *Stat. in Theb.* [*Cf. *Lex. mythol. Klopfer.* p. 41. Primus ludos Nemeos instituisse dicitur. Pluribus de Adrasto agit *Heyn.* ad *Apollod.* p. 68. 244. 252. sq.] ℙ [Est etiam cognomen Rom. ab ἄδραστος, minime fugitivus. *Inscr.* ap. *Grut.* 991, 14. L. Raecio 3. ↄ. L. Adrasto. *F.*]

ADRĀSUS, a, um, rasus, part. v. *adrado. Hor. Ep.* 1, 7, 50. Adrasum quendam vacua tonsoris in umbra. *Plin.* 17, 19, 30. *n.* 7. Adrasum cacumen. [*Col. Arb.* 8, 2. Surculos in fissuram demittito eatenus, qua adrasi sunt. V. ADRADO. Memorabilis est locus *Plin. ep.* 2, 12. Λειτούργιον illud — nescio an satis, circumcisum tamen et adrasum est, i. e. si non vere confectum, at certe quodammodo ad finem perductum est. Ducta esse videtur imago a statuariis, opera sua radendo po-

lientibus et conficientibus. Alii hic exhibent *abrasum*; de qua scripturae diversitate disputavit *Kreyssig.* in *Diss. de cod. membran. C. Plinii epistolas olim complexi fragmento* — Lips. 1812. et *Hand.* in *Diar. litt. Jen.* 1813. N. 184. p. 479. sq.]

ADRELICTICIUS, a, um adj. *Inscr.* ap. *Grut.* 87, 12. Sacrum adrelicticium ex testamento. Nisi forte aliter legendum est.

ADREMIGO, as, n. 1. remis aliquo feror, προσερέσσω. *Flor.* 1, 18. Adremigantem litori classem vident. *Id.* 3, 7. Cretes portibus suis adremigaverunt. [*Add. *id.* 2, 8.]

ADREPO et Arrepo, epis, epsi, eptum, n. 3. προσέρπω, ad aliquid repo, reptando accedo. [**Varr. R. R.* 3, 7, 3. Ne mus — adrepere ad columbaria possit.] *Plin.* 11, 18, 19. Rubetae adrepentes foribus. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 19. Ad matris mammam adrepens infans. *Val. Max.* 6, 8. *sub fin.* Lateri voluntarius comes adrepsit. ℙ Translate est sensim aut clam se inferre, insinuare. *Cic. Verr.* 2, 3, 68. Quibus rebus non sensim atque moderate ad istius amicitiam adrepserat, sed brevi tempore totum hominem totamque ejus praeturam possederat. *Tac. A.* 1, 74. Occultis libellis saevitiae principis adrepit. *Id. ib.* 3, 50. Non virorum animis, sed muliercularum adrepit. *Hor. Sat.* 2, 5, 47. Leniter in spem Adrepe officiosus.

ADREPTANS et Arreptans, antis, part. sensim adrepens et accedens. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 22. *med.* Pinxit nobiles Bacchas adreptantibus Satyris.

ADRESPONSUM. V. RESPONSUS.

ADRIA etc. V. in litt. H.

ADROGO. V. ARROGO.

ADRORO, as, a. 1. instar roris aspergo. *Marcell. Empir.* 34. Adrorare herbam vino.

ADRUMO, as, n. 1. *Paulus* ex *Festo:* Adrumavit, rumorem fecit sive commurmuratus est: quod verbum quidam a rumine, id est, parte gutturis putant deduci. [**Barth. Adv.* 25, 8.]

ADRUO, is, a. 3. *Adruere terram* est eam versando aliquo impellere et adaggerare. *Varr. R. R.* 1, 35. Violaria in fundo facere non est utile, ideo quod necesse est terra adruenda pulvinos fieri. Al. perperam legunt *e terra ad ea obruenda.* V. *interpp.* ad h. l.

[ADSALUTO, as, a, 1. salutationi respondeo. Legitur in *Not. Tir.* p. 105. Adsalutat. *F.*]

ADSCALPENS, tis, part. ab inusit. *adscalpo. Appul. Met.* 6. p. 176. *Elm.* Adscalpens aurem dexteram.

ADSCENDO. V. ASCENDO.

ADSCIO et Ascio, is, a. 3. adscisco, assumo, arcesso, adjungo. *Virg. A.* 12, 38. Si Turno exstincto socios sum adscire paratus. Al. leg. *adcire* vel *accire.* [*Cf. *Heins. ib.* 11, 308. et v. voc. sq. Etiam ap. *Tac. Agr.* 19. *adscire* vulgo edebatur pro eo, quod nunc legitur, *accire.* V. ibi *interpp.* et in ADSCISCO.]

ADSCISCO, (rectius quam Ascisco [*minime vero; jure commendat hanc scripturam *Lindem.* in *praef. ad sel. carm.* et *Grotefend. Gr. lat.* II. §. 149. *Prisc.* 1. p. 560. Subtrahitur *d*, cum sequens syllaba ab *s* et alia consonante incipit, ut *aspiro, aspicio, ascendo, asto. Vel. Long.* p. 2225. Est etiam, ubi necesse est, *d* litteram interire, nulla alia substituta, ut in eo, quod est *aspicio, ascendo. Passow.* eam recepit *Tac. G.* 22.]) iscis, scivi, scitum, a. 3. προσδέχομαι, ἐπάγομαι, aliunde assumo, adjungo, arcesso, recipio; et vim habet approbantis et ad se recipientis. *Scisco* enim est probare, constituere. *Cic. Balb.* 8. Ut cum jussisset populus R. aliquid, si id adscivissent socii populi ac Latini, ut tum lege eadem is populus teneretur. Et mox: innumerabiles aliae leges sunt latae: quas Latini voluerunt, adsciverunt. *Id. Har. resp.* 13. adsc. sacra ex Phrygia, h. e. ex Phr. sumpta accipere. [*Cf. *Ov. Met.* 15, 625. sacris adsciverit urbis. Al. aliter, sed v. *Heins. Liv.* 1, 20. Negligendo patrios ritus peregrinosque adsciscendo. *Hor. Ep.* 2, 2, 119. asciscet nova. *Cic. Leg.* 2, 5. Ea se scripturos atque laturos, quibus illi adscitis susceptisque honeste — viverent. Vulg. *adscriptis.* Cf. *id. ib.* 2, 8. *Colum. praef.* §. 25. Quoniam et hanc adscivimus quasi agriculturae partem, cum separata sit etc.] *Cic. Acad.* 2, 40. Tu vero ista ne adsciveris, h. e. ne admiseris, probaveris, crediderís. [**Ib.* 45, 138. aliquid adsciscam et comprobem. Idque *Goer.* etiam §. 141. restitui voluit ex libris pro vulg. *acquiescis.*] *Sall. Cat.* 25. Plurimos cujusque generis homines adscivisse sibi dicitur. [*Hic al. exhibent *adjunxisse.*] *Id. ib.* 48. Adsciscere aliquem socium. [**Caes. B. G.* 1, 5. Receptos ad se socios sibi adsciscunt. *Curt.* 4, 13. adscitos in societatem. Cf. *id.* 7, 5. 8, 6. Et sic *Tac. H.* 4, 24. adsciri in societatem, et *ib.* 80. adsciri inter comites. Illo loco al. exhibent *acciri*, et est horum verborum (ut formarum *accitus* et *adscitus*) frequentissima confusio, ac proinde anceps de multis locis judicium; cf. in ACCIO.] *Liv.* 4, 31. *med.* voluntarios ad spem praedae. *Tac. A.* 1, 60. aliquem in commilitium. *Justin.* 38, 8. virginem in matrimonium. [**Tac. H.* 2, 53. adsc. in Senatum. *Id. Agr.* 9. revertentem Vespasianus inter patricios adscivit. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 6, 40, 4.] *Suet. Cl.* 39. Adsciturus in nomen familiae suae Neronem. [*Cf. *Tac. A.* 3, 30. Insolentius *id.* 1, 31. in suum cognomentum adscisci imperatores, ubi v. *interpp.*] *Virg. A.* 11, 472. Adsciscere generum alicui. [*Cf. *Liv.* 21, 2. *Plin. Pan.* 7. adsc. filium. *Suet. Tib.* 23. successorem.] *Cic. Balb.* 11. Adscisci ab aliqua civitate. [**Ib.* 13. adsc. civem.] *Id. Pis.* 11. Adsciscere aliquem patronum. [**Id. d. Rep.* 2, 13. adsc. sibi regem alienigenam. *Hirt. B. Al.* 59. ducem.] *Id. Cat.* 2, 4. *fin.* ad foedus. *Id. Verr.* 2, 4, 10. sibi oppidum [*i. e. conciliare, gr. παρίσασθαι. *Hirt. B. G.* 8, 30. Collectis undique perditis hominibus, servis ad libertatem vocatis, exsulibus omnium civitatum adscitis, receptis latronibus. Hic quoque al. *accitis. Tac. H.* 2, 5. Tribuni — industria, licentia — adsciscebantur. Cf. *ib.* 8. *Germ.* 22. *dial. de Or.* 5. *Plin. Pan.* 28. et *Manut.* ad *Cic. Arch.* 2.] *Id. Brut.* 57. *fin.* consuetudinem. *Id. Dom.* 36. sibi sapientiam. *Id. ad Brut.* 1, 16. sibi nomen tyranni. *Id. Dom.* 36. sibi laudem. [*Cf. *Tac. A.* 14, 52. *Liv.* 4, 25. imperium. *Cic. Pis.* 21. provinciam. Notandum praeterea, quod *Cic. Tusc.* 2, 10. ex graecis Aeschyli versibus latine dixit: Saturnius me sic infixit Jupiter, Jovisque numen Mulcibri ascivit manus. Ceterum dixit de v. *adsciscere Burm.* ad *Phaedr.* 4, 16, 17. et ad *Grat. Cyneg.* 16.] ℙ *Adscisti* sync. pro *adscivisti* usurpat *Front. ad Verum Imp. ep.* 1. [*Formam perfecti *adscivi* et supini *adscitum* repetendam a v. *adscio* putat Furl., cum verba inchoativa in *sco* careant praeteritis et supinis.]

*ADSCITITIUS, adj. *Coma adscititia* fertur dixisse *Plautus.* Locum non afferunt.

ADSCITUS et Ascitus, a, um, part. v. *adscio* s. *adscisco*, ἐπίδακτος, assumptus, acceptus, deductus. *Cic. Verr.* 2, 5, 72. Sacra a Graecis adscita et accepta tueri. *Suet. Galb.* 17. Adscitus testamento in bona et nomen. *Liv.* 6, 40. Adscitus in civitatem et patres. *Ov. Pont.* 4, 9, 127. Tu certe scis haec, Superis adscite, videsque, Caesar. *Id. Fast.* 6, 172. aliturque cibis, quibus ante solebat, nec petit adscitas luxuriosa dapes, *h. e.* longe petitas. *Nep. Att.* 3. Amitti civitatem Romanam alia adscita, *h. e.* acquisita s. accepta. Et 4. Tanta erat suavitas sermonis latini, ut appareret in eo nativum quendam leporem esse, non adscitum, *h. e.* non aliunde aut ab arte, aut a consuetudine acceptum, sed a natura. *Stat. Silv.* 1, 1, 23. adscita proles. [*Curt.* 10, 3. Genitos esse vos mihi, non adscitos milites credite. — *Quintil.* 8, 6. (Metaphora) non vulgaris esse — recte modo adscita, potest.] [*Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 530. In ordinem Equit. Roman. adscitus. Alia ap. *eund. ib.* p. 699. Eodem anno decurionum ordine adscitus. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 377, 8. Marco Salonio a Ti. Claudio Caesare Augusto Germanico Censore adlecto in senatum, et inter tribunicios relato ab eodem, adscito in numerum Saliorum Salonia mater filio pientissimo viva fecit. Ita legenda haec inscriptio, quae mutila habetur ap. *Maff. l. c.*, quaeque integra nunc Vicetiae exstat ap. *Arnaldum Tornieri. F.*]

ADSCITUS et Ascitus, us, m. *Cic. Fin.* 5, 7. Voluptatis alii primum appetitum putant, et primam depulsionem doloris; alii censent primum adscitum, non dolere, et primum declinatum dolorem. [*Sic, *non dolere*, h. l. edidit etiam *Goer.*, aliis *doloris vacuitatem* praebentibus.]

ADSCRIBO cum derivatis. V. ASCRIBO.

ADSELLO et Assello, as, n. 1. ad sellam familiaricam ire alvi exonerandae causa, ἀφοδεύειν. *Veg. Veter.* de jumentis usurpat, ut 1, 12. Deinde sale et melle mixtis in anum infundes, ut adsellandi augeat voluntatem. Et 3, 57. Adsellare stercus durum. ℙ Deponentis forma ap. *eund.* 3, 3. Si jumentum adsellatum fuerit sanguinem. *Schneid.* ait cod. quendam Corbejensem in locis *Vegetii* allatis ubique habere formam verbi deponentis. *F.*] ℙ Hinc part. *adsellatus. Id.* 1, 50. Si multum stercoris adsellatus ediderit.

ADSENESCO, escis, n. 3. senex fio, senesco. *Tertull. Exh. ad castit.* 13. Feminae Cereris, cui sonte abdicato matrimonio adsenescunt.

ADSEPTUM, ti, n. id. qu. septum, sepimentum. *Adsepta Coptica* appellat *Appul. Met.* 2. p. 160. *Oud.* sepimenta ab hirundinibus facta adversus Nili aquas inundantes, ut est ap. *Plin.* 10, 33, 19. [Alii leg. rectius *adoperta.* V. ADOPERTUS et COPTICUS. *F.*]

ADSERO et Assero, eris, situm, a. 3. id. qu. sero vel juxta sero, προσφυτεύω. *Varr. R. R.* 1, 26. Neque propter olus adserunt vites, quod inter se haec inimica. *Cato R. R.* 33. Arbores facito uti bene maritae sint, vitesque uti satis multae adserantur. [*Auct. Priap.* 52, 7. Non mala truncis adserenda Picenis. Alii rectius leg. *inserenda. F.*] ℙ Alia significatione v. in ASSERO.

ADSESSOR, ADSESSUS, etc. V. ASS.

ADSIBILO et Assibilo, as, n. 1. ad aliquid sibilo. *Auson. Mosell.* 258. ut fractis quondam per inane flagellis Aura crepat motoque adsibilat aere ventus. *Stat. Th.* 5, 578. de serpente letaliter vulnerato: implorantem animam dominis adsibilat aris, *h. e.* sibilando emittit. [*Adde *Claud. N. Hon. et Mar.* 68.]

ADSIDĒLAE mensae vocantur, ad quas sedentes Flamines sacra faciunt. *Festus.*

ADSIGNIFICO, as, a. 1. ἐπισημαίνω, id. qu. significo, ostendo. *Varr. R. R.* 2, 11. Olim tongsores non fuisse adsignificant antiquorum statuae, quod etc. [*add. 2, 1, 10.] *Id.* ap. *Gell.* 10, 1. Aliud est *quarto* praetorem fieri et *quartum*; quod *quarto* locum adsignificat et tres ante factos; *quartum* tempus adsignificat et ter ante factum.

ADSIPĒRE, inquit *Festus*, et praesipere dicebant antiqui a *sapiendo:* sicut nos quoque dicimus ab *aequo iniquum*, a *quaerendo inquirere.* Haec *Festus.* Videtur autem idem esse ac sapere, sapientem esse, quemadmodum *desipere* significat amentem esse, *praesipere* vero fortasse valet ante sapere, hoc est praescire et praesagire.

ADSĪTUS et Assitus, a, um, part. v. *adsero*, juxta satus s. plantatus, προσφυτευθείς. *Varr. R. R.* 1, 16. *fin.* Vitis adsita ad olus. *Catull.* 61, 106. Lenta qui velut adsitas Vitis implicat arbores etc. *Hor. Ep.* 2, 2, 170. Populus adsita. ℙ Item juxta positus. *Appul. init. Florid.* Homines neque longule dissita, neque proxime adsita possumus cernere. *Auson. Mosell.* 335. Atria quid memorem viridantibus adsita pratis?

ADSOLO, as, avi, a. 1. *Tertull. ad Nation.* 1, 10. Saepe censores inconsulto populo adsolaverunt. Certe Liberum patrem consules tota Italia eliminaverunt, *h. e.* solum et sine cultu esse deum aliquem jusserunt, vel potius solo ejus templum aequaverunt. [*Id. ib. ad fin.* Majestatis fastigium adsolant, *h. e.* solo allidunt. Hinc apparet, hoc verbum penultima brevi efferendum esse. *F.* *Cf. *Apolog.* 15.]

ADSONO et Assono, as, n. 1. ad sonum cujuspiam rei respondeo, ἠχέω. *Ov. Met.* 3, 507. Planxere et Dryades, plangentibus adsonat Echo. Adde *Pers.* 1, 102. Cum accus. *Appul. Met.* 11. Ut canorae aviculae concentus suaves adsonarent, *h. e.* canerent, ederent.

ADSPŪO et Aspuo, is, a. 3. προσπτύω. *Plin.* 28, 4, 7. Si dormiens spectetur infans, a nutrice terna (precatione) adspui.

*ADSTANTIA, ae. *Gl. gr. lat.* ita explicant gr. παρουσία. *Bail. Auct.*

ADSTĀTUS pro *hastatus* legitur in *Inscr.* optimae notae ap. *Grut.* 347, 1. P. Aelio P. F. Papir. Marcello cent. frum. subprincipi peregrinorum adstato, et principi et primipilo leg. VII. Gem. Piae Fel.

ADSTRANGULATUS, a, um. *Minuc. Octav.* 1, 30. Filios adstrangulatos elidere.

ADSUCTUS, a, um, part. ab inusit. *adsugo*, ab *ad* et *suctus. Lucr.* 4, 1187. Et tenet adsuctis humectans oscula labris.

ADSUM, ades, adfui (affui), adesse, πάρειμι, praesens sum, praesto sum. *Cic. Or.* 2, 10. Cum vos, Catule et Caesar, non adessetis. [**Ter. Eun.* 2, 3, 76. Aderit una in unis aedibus.] *Ter. Ad.* 3, 1, 4. Geta hic non adest. *Cic. Dom.* 15. Adest praesens M. Bibulus. [*Cf. *Ter. Ad.* 3, 3, 39. Ap. *Caes. B. G.* 7, 62. in aliis libb. deest *praesentem. Curt.* 7, 1. adesse praesto. Cf. *Cic. Fam.* 4, 8.] *Id. Att.* 5, 18. Video enim te et, quasi coram adsis, ita cerno etc. [*cf. *Virg. A.* 1, 595.] *Ter. Eun.* 3, 2, 54. domi ad. *Id. ib.* 7, 15. ad. in senatu. [**Virg. A.* 2, 335. ad. portis. *Tac. A.* 4, 55. princeps frequens adesse Senatui. *Suet. Tib.* 61. ad. convivio. *ib.* 62. quaestioni. *Oth.* 7. pugnae. *Aug.* 45. spectaculo. *Nep. Pelop.* 4. omnibus periculis. *Liv.* 10, 40. de pullario: qui auspicio adest, ubi expectaveris *praeest.* Sed *adesse* in sacris usitatum. De his et similibus cf. *Drak.* ad *Liv.* 26, 3, 10. *Hor. Od.* 3, 27, 66. Aderat querenti Perfidum ridens Venus, i. e. adstabat. *Id. Sat.* 1, 6, 82. Ipse mihi custos — circum doctores aderat. Simili ratione *Liv.* 9, 13. Suus cuique animus adhortator aderat, et *Ov. Met.* 5, 467. Os et lingua volenti Dicere non aderant. *Tac. A.* 6, 36. adsunt corpori custodes. *Id. ib.* 12, 69. aderat excubiis cohors. Denique *Tacitus* quod dicit *A.* 4, 72. adesse tributo, intell.: tributo exigendo. V. *Ernest.* Cf. *Hirt.* 3, 55. Aderat vulgus ad magnitudinem beneficiorum, i. e. praesto erat cupide ad ea accipienda. *Cic. Fam.* 9, 25. Nunc ades ad imperandum vel ad parendum potius. *Ter. Ph.* 2, 1, 36. ad. ad defendendum.] *Cic. Div.* 1, 27. ad. ad portam. *Id. Quint.* 6. Ut ad tabulam Sextiam tibi adsint postridie. [**Cat. R. R.* 83. Mulier ad eam rem divinam ne adsit. *Ter. Hec.* 3, 3, 50. Hunc minime est opus in hac re adesse.] Dicitur ita pro *comparere in judicio. Vell.* 2, 10. Persequamur notam severitatem censorum, qui Lepidum augurem adesse jusserunt, i. e. reum causam dicere. *Cic. Verr.* 1, 1. adesse ad judicium. [*Est usitatum h. v. de citatione censorum, v. *interpp. Vell.*, nec Censorum tantum, sed omnino Senatus et judicum.] — Saepe adesse dicuntur, qui non solum praesentia, sed opera etiam et consilio praesto sunt. [*Tales loci sunt iam in superioribus.] *Cic. Quint.* 6. et 25. Obsecro, C. Aquilli, vosque, qui adestis in consilio. *Pl. Amph.* 1, 3, 6. Ubi imperator non adest ad exercitum, citius, quod non facto est usus, fit, quam etc. *Nep. Dion.* 1. Aderat in magnis rebus ejusque consilio multum

movebatur tyrannus. [*Cic. Cat. 2, 9. Me ipsum vigilare, adesse, providere reip. Sall. Jug. 85. Socius periculi vobiscum adero. Id. ib. 45. In agmine modo in primis, modo in postremis aderat. ib. 96. in operibus, in agmine, ad vigilias multus adesse. Cf. ib. 74. 85. Liv. 28, 19. Igitur non militaris modo aetas aut viri tantum, sed feminae puerique supra animi corporisque vires adsunt. Et v. interpp. ad Vell. 2, 85.] Nep. Eum. 1. Utrique in consilio semper adfuit. [*Aliter Cic. d. Rep. 1, 17. ubi simpl. est *auditorem esse.*] Flor. 3, 5. Aderat, instabat, saevitia quasi virtute utebatur. [*Sall. Jug. 50. Numidae infensi adesse et instare, ubi v. Cort. Sen. ep. 53. Domina est, adest et jubet. Pertinet huc etiam Ter. Ad. 3, 1, 3. Jam nunc times, quasi nunquam adfueris (interfueris), nunquam tute pepereris.] — Nec de personis solum, quae rei adsunt, sed etiam de rebus, quae praesto, in promptu sunt, dicitur. Pl. Capt. 2, 3, 63. adest occasio. Tac. Agr. 32. lascivia et virtus. Id. A. 3, 33. aderat ei licentia. Id. ib. 4, 15. modestia. Suet. Cal. 32. Animum remittenti eadem saevitia aderat. Ter. Andr. 4, 1, 6. pudor adest. (Hom. Od. 17, 347. αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ — παρεῖναι.) Tib. 1, 4, 13. adest audacia. Tac. A. 14, 63. Illis robur aetatis adfuerat. Vell. 2, 21. unde spes major affuisset potentiae. Hor. Od. 1, 15, 9. Quantus sudor adest equis. Id. Sat. 2, 2, 28. Cocto num adest honor idem? Ov. Met. 5, 400. Tantaque simplicitas puerilibus affuit annis. Id. ib. 6, 18. Tantus decor affuit arti. Id. ib. 1, 560. Tu ducibus Latiis aderis (de lauro). Cf. 10, 142. Virg. A. 10, 547. Vimque affore verbo. Hor. Epist. 1, 17, 57. uti mox Nulla fides damnis verisque doloribus adsit. Tib. 4, 5, 6. Si tibi de nobis mutuus ignis adest. Mutuus adsit amor etc. Virg. Cul. 88. Illi dulcis adest requies. Hor. Sat. 1, 3, 117. Adsit regula. Talibus in locis explicant dictum pro simpl. *esse*, (cf. etiam Cort. ad Cic. Fam. 4, 8, 3.) cujus sign. exempla noster praeterea haec affert: Pl. Amph. 2, 2, 21. Omnia adsunt bona, quem penes est virtus. Cic. Fin. 2, 30. Tanti aderant morbi vesicae et viscerum, ut etc. Vell. 2, 61. Vis ad resistendum nulli aderat. Subjungit Lucr. 6, 70. Quem vero idem affert locum Pl. Amph. 2, 1, 29. domi sum et apud te adsum, is ipse ostendit, nullo jure dici *adesse* significare id. qu. esse. Non negamus tamen, veteres interdum v. *adesse* usos esse, ubi vulgo dicebant *esse*, ut Cic. Brut. 50, 189. Aderant multi alii (oratores). Cf. Ellendt. ad 89, 304. Eodem fortasse referendus locus Tac. A. 1, 13. quousque patieris, non adesse caput reipublicae? — *Quod adest*, i. e. τὸ παρόν, rerum praesens status et conditio. Hor. Od. 3, 29, 32. Sat. 2, 6, 13. et ad utrumque locum v. interpp. coll. Cic. Sen. 9. Id. Off. 1, 4, 11. Belua ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, ad quem l. Beier. negat quidquam haec differre, sed junctis iis significari: *quod quam maxime adest ac se insinuat illecebris suis.* Cf. Fin. 1, 17.] P [*Cum hac significatione cohaeret vel potius eadem est, qua respondet gr. παραγίγνεσθαι, i. e. advenire. Horum locorum partim ita comparatum est, ut per celeritatem quandam cogitandi, quae accedunt s. appropinquant, *adesse* dicantur, partim attractionem quandam continent; utrobique vero *adesse* suam retinet significationem. Ter. Heaut. 3, 1, 93. Continuo hic adsum. Id. Eun. 3, 2, 11. Dona adsunt tibi a Phaedria. Suet. Cal. 45. adesse hostem. Id. Caes. 35. intra quintum, quam affuerat, diem. Id. Aug. 94. quod serius affuisset (sc. in curia). Tac. A. 4, 25. Concentu tubarum ac truci clamore aderant semisomnos in barbaros. Virg. A. 8, 657. Galli per dumos aderant. Id. ib. 11, 100. Adest ex urbe. Liv. 45, 28. Jussis Amphipolin adesse, quamquam hic Duker. malebat *Amphipoli.*] Cic. Att. 11, 15. Hi ex Africa jam affuturi videntur. Eodem pertinet formula trita, *huc ades*, quam v. ap. Virg. Ecl. 2, 45. et 7, 9. Omittitur in talibus locis interdum praepos. Sic Appul. Met. 2. p. 119. Elm. prima face cubiculum tuum adero. Et ib. 5. p. 160. scopulum istum protinus aderunt. P [*Non alia nobis videtur esse eorum locorum ratio, in quibus *adesse* pro *prope esse*, *imminere* dictum existimant. Noster affert Cic. Quint. 14. quae omnia adesse atque impendere videntur. Addit, sed satis inepte, Ter. Andr. 1, 1, 125. Prope adest, cum alieno more vivendum est mihi. Dicitur vero *adesse* saepe de tempore. Ov. Met. 3, 519. Jamque dies aderit. Liv. 3, 12. Aderat judicio dies. Hinc illa explicanda: Tib. 2, 3, 46. Negligat hibernas piscis adesse minas. Ov. Met. 8, 83. Prima quies aderat. Liv. 3, 10. Ingens aderat certamen. Id. 2, 29. adest seditio, et ib. 55. discrimen. 29, 10. adesse victoriam. De locutione: *adest finis*, v. Drak. ad 44, 22, 17.] P Notandae sunt porro singulares quaedam loquendi formulae. *Adesse animo* saepe significat animo forti esse, non timere, praesenti animo esse. Cic. Somn. Sc. 1. Quem ut agnovi, equidem cohorrui: sed ille, ades, inquit, animo et omitte timorem. Significat vero etiam id. qu. advertere. Id. Caecin. 10. Ut intelligeretis eum non affuisse animo, sed tantisper de aliquo reo cogitasse. Id. Sull. 11. Adestote omnes animis, qui adestis corporibus. [*Id. Phil. 8, 10. vigilare, cogitare, adesse animo.] *Adesse scribendo* dicuntur qui adsunt, cum publice aliquod decretum perscribitur. *Scribendo affuerunt* est formula, quae initio apponi solet. Sic incipiunt ambo *Cenotaphia Pisana* ap. Noris., ejusque rei exempla exstant ap. Cic. Or. 3, 2. Fam. 8, 8. 15, 6. Ex his aliisque quam plurimis locis tum apud latinos scriptores, tum in inscriptionibus colligitur, eos potissimum scribendo affuisse, quorum intererat maxime decretum illud, quod perscribebatur. [*Fiebat etiam, certe in SCsultis, honoris gratia. Dicuntur ea nomina *auctoritates praescriptae* s. simpliciter *praescriptio.* Significabat ea praescriptio, aliquod decretum ex ejus quoque sententia esse factum, qui nomen suum addebat, ut apparet ex Cic. Att. 1, 19., ubi haec formula commutatur cum altera: *esse alicui ad scribendum.* V. in AD.] Plerumque duo tantum aderant, licet interdum etiam plures; nam quinque adsunt scribendo decreto in *inscr.* ap. Mur. 571, 2. At Impp. Arcad. et Hon. Cod. Theod. 12, 1, 151. Municipalia gesta non aliter fieri volumus, quam trium principalium praesentia, excepto magistratu et exceptore publico, semperque hic numerus in actorum testificatione servetur. P Persaepe *adesse* est id. qu. defendere, tueri, patrocinari, ab aliquo stare, favere, et dicitur inprimis de oratore et advocato, qui clientis causam defendit et praesidio est. [*Flor. 4, 2, 56. Aderat puellae forma, i. e. patrocinabatur, auxiliabatur. Id. 2, 9, 3. Aderant Aetolorum precibus Attici, Rhodii etc. Liv. 6, 38. Intercessioni adero (juvabo), ubi v. Drak. et ad 21, 9. in. Pallad. Mart. 15, 1. Nisi affueris celeritate remedii. Plin. Paneg. 78. Quibus apud deos adesse consuesti. Tac. A. 14, 53. adesse rudimentis pueritiae alicujus.] Cic. Att. 1, 1. Rogavit me Caecilius, ut adessem contra Satrium. [*cf. Plin. ep. 1, 7.] Ov. Rem. am. 663. Forte aderam juveni: dominam lectica tenebat etc. Jamque vadaturus etc. Suet. Aug. 56. adesse clientibus. Plin. ep. 5, 4. adesse alicui gratis, et ib. sex millibus nummum. Cic. Fam. 6, 14. Ego tuis rebus sic adero, ut difficillimis. [*Id. Rosc. Am. 1. omnes, quos videtis adesse in hac causa, ibique interpp. Cf. Brut. 54, 200. Ter. Eun. 4, 6, 26. Liv. 3, 14, 44. Suet. Cl. 38. Plin. 2, 65, 65. Cui sententiae adest Dicaearchus. Quintil. 12, 1. Veritati contra calumniam aderit. Liv. 8, 31. Adessent (milites) in sua causa omnium libertati. Id. 30, 32. Si felicitas adesset. V. praeterea Heind. ad Hor. Sat. 1, 9, 38. et Herz. ad Caes. B. G. 7, 62.] — Et eodem modo de diis auxiliantibus dicitur, qui, quia *praesentes* putabantur auxilium ferre, vocabantur. Virg. G. 1, 18. Adsis, o Tegeaee, favens. Id. A. 4, 578. Adsis o, placidusque juves. Hor. Epod. 5, 5. Si vocata partubus Lucina veris affuit. [*Liv. 1, 9. Satis scio, origini Romanae deos adfuisse. Cf. 5, 51. Id. 3, 25. Nostrisque et nunc querelis adsint (dii) et mox armis. Cf. Ov. Met. 3, 613. Tib. 1, 5, 21. 7, 49. et alibi. Nam frequentissimum hoc est. Pertinent huc etiam tales loci, qualis est Ov. Met. 2, 45. Promissis testis adesto Dis juranda palus. — Dicitur vero etiam in partem contrariam, ut ap. Ov. Trist. 4, 1, 46. Ille nec iratos sentit adesse deos, ubi v. Burm. et ad Val. Fl. 4, 34. Cf. Virg. Catal. 5, 6. Lingua, qua adsim tibi (urgeam te) et quae supra allata sunt. Opponitur isto modo v. *deesse* alicui. V. *Bremi* ad Suet. Cl. 38. et interpp. ad Ov. l. l. Synonymum ceterum est hac signif. *superesse causae*, quod verborum lusui occasionem dedit, ut narrat Gell. 1, 22. ubi praetor ad imperitum patronum, qui, se causae superesse, dixisset, tu plane, inquit, superes, non ades. Denique locum, ubi *adesse* sic dictum construitur cum infin., addit noster Sil. 9, 532., ubi Minerva: non Teucros delere aderam.] P *Adesdum.* V. supra suo loco. P *Adsiem*, *ies*, *iet*, etc. dictum est maxime a Comicis pro *adsim*, *is*, *it.* Ter. Ph. 1, 5, 83. Amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient. Id. Ad. 4, 4, 10. Jam partus adsiet. P Partic. praes. nullum est, futuri *adfuturus.* Cic. Leg. 1, 19. Quam diu adfutura sint, certum sciri nullo modo potest. P *Adforem*, *es* imperfectum est conjunctivi modi pro *adessem*, *es*, *et.* Virg. A. 1, 576. Atque utinam rex ipse Noto compulsus eodem Adforet Aeneas. P *Adfore* futurum est infiniti pro *adfuturum.* Cic. Fam. 9, 26. Non suspicatus sum illam adfore. P Cum praepos. sequitur *f*, saepe *d* in *f* mutatur, itaque passim legitur *adfui* et *affui*, *adfore* et *affore*, *adfuturus* et *affuturus:* quod verbo *absum* non est concessum propter ambiguitatem. Etiam sequente *s*, *d* in *s* mutatur legiturque *assum*, *assim* etc. pro *adsum*, *adsim.* In quo jocatur Pl. Poen. 1, 2, 67. Ag. Milphio ubi es? Mi. assum apud te eccum. Ag. Ego, elixus sis volo. Sic *assiem*, *es*, *et*, pro *adsiem* etc. legitur ap. *eund.* Ps. 4, 1, 16. et 4, 7, 13. [*Sic etiam Jul. Val. R. g. Alex. 1, 2. ed. Maj. assis. Ex Bail. Auct. P In libb. frequentissime permutantur *adesse* et *abesse;* tum *adesse* et *id esse*, v. Drak. ad Liv. 6, 15, 2. et ad 10, 7, 5.; porro *ad.* et *adflere*, v. Fea ad Hor. A. P. 101., *affuisse* et *affulsisse*, v. interpp. ad Vell. 2, 21., *affluit* et *affuit*, v. interpp. ad Virg. A. 10, 143., *affluxi* et *affui*, v. Drak. ad Liv. 21, 38, 4. et ad 35, 29, 9.]

*ADSUMENTUM, i, n. Vulg. Interpr. Marc. 2, 21. Assumentum panni rudis (gr. ἐπίβλημα). B. A.

ADSŪO et Assuo, uis, a. 3. ad aliquam rem suo, consuo, προσράπτω. Hor. A. P. 15. Purpureus, late qui splendeat, unus et alter Adsuitur pannus.

ADSUSPĪRANS et Assuspirans, antis, part. v. inusit. *adsuspiro*, suspirans. Appul. Met. 4. p. 155. Sic adsuspirans altius infit. Et paulo post: tunc fletibus ejus adsuspirans anus.

ADTEGRARE, est vinum in sacrificiis augere, ut scribit Paul. ex Festo, hoc est, ut exponit Scalig., vinum libando diminuere, ut eo sacrificium augeatur. *Adtegrare* enim contrarium esse v. *integrare.*

ADTERMĪNO, as, a. 1. terminis circumscribere, definire. Arnob. 3. p. 107. Deos filo adterminatis humano, *h. e.* lineamentis hominis circumscribitis.

ADTERTIARIUS. V. in EPITRITUS.

*ADTORQUEO v. Attorqueo, a. 2. id. qu. torqueo, intorqueo. Edidit Heyn. ap. Virg. A. 9, 52. *adtorquens*, pro quo al. *intorquens*, al. *torquens.* Secuti Heyn. sunt alii. B. A.

*ADTRĪBŪLĀTUS, a, um, adj. tribula comminutus. Macer carm. 4, 6. folliculus bene tritus et adtribulatus. B. A.

ADTUBERNALIS, is, m. habitator continuae tabernae, quod genus domicilii antiquissimum Romanis fuisse testimonio sunt exterae gentes, quae adhuc tabulatis habitant aedificiis. Unde etiam tecta castrensia, quamvis pellibus contegantur, tabernacula tamen dicuntur. Haec Festus.

*ADUATUCA s. Aduatica, oppidum Eburonum ap. Caes. B. G. 6, 32. *Aduaca* ap. Antonin. Itin. et *Atuaca* in Tab. Peut. B. A.

*ADUATUCI (Atuatici) s. Aduatici, Belgarum populi, quorum caput, ut quidam volunt, *Duacum* (hodie *Doway*) dictum (secundum d'Anvill. h. Falais sur la Mehaigne). Caes. B. G. 2, 4. et saepius. V. ad h. l. Oud. B. A.

[ADUBERO, as, n. 1. id. qu. exubero. Not. Tir. p. 129. Aduberat. F.]

ADVECTĬO, onis, f. ἐπαγωγή, actus advehendi. Plin. 9, 54, 79. Famem longae advectionis a Brundisio compascere in Lucrino.

ADVECTĪCIUS, a, um, aliunde advectus, ἐπακτος. Sall. Jug. 48. Pecoris et mancipiorum praedas agere, eaque mutare cum mercatoribus vino advecticio.

ADVECTO, as, a. 1. ἐπάγομαι, frequentat. ab adveho. Tac. A. 6, 13. Rei frumentariae copiam advectare.

ADVECTOR, oris, m. qui advectat vel advehit. Appul. Florid. n. 21. p. 363. Elm. Advectorem sibimet equum deligunt. Pl. Asin. 2, 2, 92. Quomodo argentum intervortam et advectorem. Al. leg. *adventorem* i. e. hospitem. [*De altera scriptura, quam habent 6 *codd. Palat.* ap. Taubmann., v. Gron. de pec. vet. 2, 3. et ad Sen. de tranq. an. 5.]

ADVECTUS, us, m. id. qu. advectio. Tac. H. 4, 84. Haec de origine et advectu Deae celeberrima. Extra ablativum casum singularis numeri nondum exempla reperi.

ADVECTUS, a, um, part. v. *adveho*, aliunde vectus ad locum aliquem, invectus, comportatus, ἐπακτος. Dicitur tum de personis, tum de rebus. Cic. Phil. 2, 31. Cisio celeriter ad urbem advectus domum venit. [*Tusc. 1, 47. Ita sacerdos advecta in fanum (antecedit: curru vehi).] Id. Div. 1, 28. Equo advectus ad fluminis ripam. [*cf. Liv. 9, 31. 28, 2.] Et 2, 40. Caricas Cauno advectas vendens. Virg. A. 5. *prope fin.* Classis advecta. Id. ib. 8, 11. Advectus Aeneas classi. Curt. 6, 2. Commeatus undique advecti. Plin. 35, 17, 57. Venales trans mare advecti. Liv. 2, 47. In eam partem citato equo advectus. [*Confunduntur *advectus*, *adductus* (h. e. aductus) et *aductus.* V. Drak. ad Liv. 2, 47, 3. et 9, 31, 10.; porro *adv.* et *adfectus.* V. *id.* ad 4, 12, 9.]

ADVĔHO, is, exi, ectum, a. 3. aliunde aliquid ad aliquem locum veho, i. e. fero, affero, deduco sive curru, [*sive lectica], sive equo, sive navi, [*etiam humero, ut ap. Val. Fl. 3, 69.] apporto, comporto, importo, εἰσκομίζω, ἐπάγω: tum de personis, tum de rebus. Cic. Verr. 2, 3, 74. Cum ex iisdem agris frumentum ex decumis Romam mancipes advexissent. Liv. 23, 38. Additis quinque navibus, quae advexerant legatos. [*Id. 42, 37. Legati — peditum mille secum advexerunt.] Pl. Mil. 2, 1, 35. Eam huc in Ephesum advehit. [*Curt. 4, 3, 11. advectus in Asiam.] Pers. 5, 134. Saperdas advehe Ponto. Senec. Med. 583. hibernos nebulosus imbres Auster advexit. Ov. Her. 5, 90. Advehit unda rates. P Eleganter passive usurpatur, cum de personis loquimur. [*Haec non est elegantia; imo aliter esse non potest; veho enim et adveho (gr. ὀχῶ) habet transitivam vim, ut ap. Suet. Ner. 45. nuntiatur navis advexisse pulverem; verum, ubi intransitiva esse debet significatio, non potest non passivum poni; ut in seq. exemplo, ubi navi vehitur i. e. fertur aliquis.] Pl. Merc. 2, 1, 35. Ascendi in lembum

atque ad navim advehor. *Id. Trin.* 4, 2, 88. In Pontum advecti ad Arabiam terram sumus. *Sall. Jug.* 91. Marius paucis diebus Uticam advehitur. *Liv.* 28, 2. Mago citato equo ad primum clamorem et tumultum advehitur. *Sulpic. ad Cic. Fam.* 4, 12. Cum ab Epidauro Piraeeum navi advectus essem. [*Tac. G.* 2. Qui nec terra olim, sed classibus advehebantur.] V. ADVECTUS. ℙ Cum accus. sine praeposit. *Tac. A.* 2, 45. Arminius equo collustrans omnia, ut quosque advectus erat, recuperatam libertatem ostentabat. [*cf. *Hist.* 5, 16. *Virg. A.* 8, 136. Advehitur, i. e. venit ad Teucros.] ℙ *Advexe* per syncopen pro *advexisse* dictum est a *Pl. Merc.* 2, 2, 61. et *advexti* pro *advexisti ib.* 2, 3, 56. ℙ [*Permutantur non raro *advehere* et *avehere*, v. *Drak.* ad *Liv.* 9, 4, 1. ad *Sil.* 4, 318. qui laudat *Graev.* ad *Justin.* 20, 11. *Arntz.* ad *Aur. V. Ill.* 35, 9. *Ernest.* ad *Tac. A.* 16, 2. *H.* 4, 53. *Pier.* ad *Virg. A.* 2, 179. Aliorum hujus generis vv. exempla v. ap. *Drak.* ad *Sil.* 11, 14. Permutantur etiam *adv.* et *adducere*, cf. *Advectus* et *Adduco.* Adde *Oud.* ad *Caes. B. C.* 1, 23.]

ADVELITATIO, onis, f. jactatio quaedam verborum, figurate ab hastis velitaribus. *Festus.* V. VELITOR §. 3. et VELITATIO §. 2.

ADVĔLO, as, a. 1. ἐπικαλύπτω, id. qu. velo. *Virg. A.* 5, 246. advelat tempora lauro. *Lamprid. Commod.* 15. Panno purpureo nudos humeros advelans.

ADVĔNA, ae, comm. gen. ἔποικος, qui non est civis, aut inquilinus, sed externus. *Ter. Heaut.* 1, 1, 44. Est e Corintho hic advena anus paupercula. *Cic. Tusc.* 5, 11. *fin.* Zeno Cittieus advena quidam et ignobilis. *Virg. A.* 7, 38. Exercitus advena. [*Id. Ecl.* 9, 2. advena possessor agelli. *Id. A.* 10, 460. Per — mensas, quas advena adisti. *Liv.* 4, 3. quum majores nostri advenas reges (gr. ἐπήλυδας) non fastidierint. *Ov. Her.* 9, 121. pellex. *Id. Art.* 1, 175. amor advena i. e. puellae peregrinae. H. l. attulit Forc.] *Prisc. l.* 6. incunte docet esse quaedam in *a* desinentia etiam neutro generi adjuncta, sed figurate per ἀλλοίωτα (*h. e.* permutationem generis pro genere) ut *advena mancipium.* ℙ Dicitur etiam de bestiis et inanimis. *Varr. R. R.* 3, 5. Volucres partim advenae, ut hirundines, et grues; partim vernaculae, ut gallinae ac columbae. *Plin.* 10, 23, 31. Grues hiemis, ciconiae aestatis advenae. [*Adde *Hor. Epod.* 2, 35. et cf. ADVENTITIUS.] *Ov. Fast.* 2, 68. Tibris advena [*ut quae ex Hetruria Romam venit.] *Claudian.* VI. *Cons. Hon.* 495. ora Padi portusque relinquit Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus aestuat. *Plin.* 17, 14, 24. vocat *advenam* surculum, qui alteri arbori per insitionem immittitur. ℙ Translate ponitur pro ignaro, quia advenae parum sciunt res alieni loci. *Stat. Th.* 8, 556. Tyrii juvenis non advena belli, Quamvis Cirrha domus. Ita *Cic. Or.* 1, 58. et *Agr.* 2, 34. *fin.*, *advenam et peregrinum* conjungit. V. PEREGRINUS. ℙ Inter *advenam* et *convenam* illud statui discrimen potest, ut *advenae* dicantur, qui de uno extraneo loco adveniunt: *convenae*, qui ex pluribus in eundem conveniunt. V. INDIGENA. [*Confunduntur haud raro a librariis haec verba. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 2, 1, 4.]

ADVĔNĔROR, aris, atus sum, dep. 1. σεβάζομαι, veneror. *Varr. R. R.* 1, 1. Adveneror Minervam et Venerem. *Sil.* 13, 704. Prosequiturque oculis puer adveneratus euntes.

ADVĔNIENS, entis, part. v. *advenio*, qui venit ad aliquem locum, προσερχόμενος. *Cic. Att.* 6, 3. Est quiddam, advenientem non esse peregrinum atque hospitem. *Id. Caecin.* 9. in aliquem advenientem cum ferro invadere. *Sen. ep.* 114. Quae advenientibus dabantur, exeuntibus dentur. [*Suet. Ner.* 37. neque adveniens neque proficiscens.] *Cic. Div.* 2, 69. Advenientes et crescentes morbi. [*Liv. 30, 21. Adeo ne advenientem quidem gratiam hominis benigne accepere, nedum ut praeteritae satis memores sint.] *Plin.* 12, 9, 20. Mare adveniens, *h. e.* aestus accessio ad litus.

ADVENIENTIA, ae, f. adventus. V. in PRAESTOLOR.

ADVĔNIO, is, eni, entum, n. 4. ad locum aliquem venio, pervenio, προσέρχομαι. *Ter. Hec.* 3, 5, 8. Advenis modo? *Pa.* admodum. *Cic. N. D.* 3, 23. Quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse. *Id. Phil.* 11, 12. Quamcunque in provinciam advenerit. [*Suet. Cal.* 22. qui officii causa in urbem advenerat.] *Pl. Capt.* 4, 2, 6. Cum ad forum advenero. *Ov. Trist.* 1, 9, 41. ad urbem. *Tac. A.* 1, 18. Properantibus Blaesus advenit. *Val. Fl.* 5, 535. cuperem, haud tali vos tempore tectis Advenisse meis, *h. e.* in mea tecta. [*Cf. *Virg. A.* 10, 346.] *Suet. Vesp.* 7. Advenere literae, i. e. allatae sunt. *Tac. H.* 2, 62. Advenit proficiscendi hora. *Sall. Jug. pr. fin.* Ubi dies advenit. [*Liv. 25, 3. *coll.* 29, 1.] *Lucr.* 6, 164. advenire ad aures. [*Tac. *Agr.* 11. de periculis: ubi advenere, in detrectandis eadem formido. Cf. *Sall. Cat.* 24. *Liv.* 45, 19. Quid attineret vim afferre rei sua sponte mox ad eum adventurae? *Ov. Met.* 7, 155. Somnus in ignotos oculos advenit, ubi v. *Burm.*] Cum solo accus. *Virg. A.* 1, 388. Tyriam qui adveneris urbem. *Stat. Th.* 5, 47. Unde hos advenias regno dejecta labores. Supino jungitur ap. *Ter. Ph.* 2, 3, 13. Me ultro accusatum advenit. Et 41. Tentatum advenis. ℙ Pro simplici venio. [*Minime. In his vera significatio inest. Ita etiam *Suet. Cal.* 4. quoties aliquo adveniret. Duo conjuncta sunt in unum: venire aliquo et ibi esse. Ita saepissime ap. *Terent.*] *Pl. Rud.* 2, 6, 2. Ut rem divinam faciam, cum intro advenero. *Cic. Phil.* 11, 3. Est enim sapientis, quidquid homini accidere possit, id praemeditari, ferendum modice esse, si advenerit. [*In libb. confunduntur *adv.* et *accedere.* V. h. v.]

*ADVENTATIO, onis, subst. f. *Vet. Interpr. Irenaei* 1, 1. Salvatoris adventatio.

ADVENTĬCIUS et Adventitius, a, um, qui aliunde quacunque ratione alicui advenit, et opponitur proprio, innato, insito, [*eique, quod non nostro labore partum est] ἐπείσακτος, ἐξωτικός, συμβεβηκός. *Cic. N. D.* 2, 10. Nec enim ille externus et adventicius habendus est tepor, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus. *Id. Div.* 2, 58. Utrum censemus, animos per se ipsos in somniando moveri, an externa atque adventicia visione pulsari? [*i. e. visione a sensibus profecta.] *Id. Fin.* 5, 21. Adjumentis externis et adventiciis uti. *Id. Or.* 3, 33. Externa doctrina atque adventicia [*i. e. ab alio populo inventa.] *Id. Manil.* 9. Mithridates et eorum, qui se ex ejus regno collegerant, et magnis adventiciis copiis juvabatur. [*Ita *id. Verr.* 2, 5, 34. adventicium auxilium.] *Id. Top.* 18. Innata atque insita anteponuntur assumptis et adventiciis. *Sen. Cons. ad Marc.* 10. Quidquid est hoc, quod circa nos ex adventicio fulget, liberi, honores, opes, ampla atria etc. *Pecunia adventicia* dicitur ea, quae cuipiam advenit non ex propriis bonis, sed vel ex lucro, vel hereditate materna maternive lateris, vel dono aut legato, vel fortuito, vel denique quacunque alia externa ratione. *Cic. Att.* 1, 19. Ut ager hac adventicia pecunia reciperetur, *h. e.* quae redactis in populi R. ditionem nationibus per Pompejum ex novis vectigalibus exigebatur. *Id. Rab. Post.* 17. Si adventicia pecunia petitur ab eo, cui non sua redditur. [*Id. *Inv.* 2, 21. adv. pecunia ea dicitur, quae filio aliunde, quam e patris hereditate venit.] *Liv.* 8, 28. Florem aetatis ejus fructum adventicium crediti ratus, [*i. e. qui praeterea, insuper accedat.] *Adventicia dos* est, quae aliunde, quam a patre, uxori accedit. *Ulp. Dig.* 23, 3, 5. *Adventicius casus*, qui aliunde et extra rei, de qua agitur, naturam advenit. *Scaev. Dig.* 40, 9, 6. Nec adventicii casus computandi sunt. *Adventicia coena*, quae advenientibus peregre, aut cognatis, aut amicis lautior apparabatur, ὑποδεκτικὸν δεῖπνον, ὁδοιπορικόν. *Suet. Vit.* 13. Famosissima super ceteras fuit coena ei data adventicia a fratre. *Adventoria* haec dicitur a *Martial. praef. l.* 12. licet allegorice loquatur. V. ADVENTORIUS. *Adventicius humor* est aqua pluvia. V. CUSPIS. [*Varr. R. R.* 3, 5, 7. *adventitium genus* dicit avium advenarum; v. ADVENA.] ℙ [*Adventicium ii*, n. id. fortasse qu. conventicium. Legitur in *Not. Tir.* p. 148. Adventicium, Conventicium. *F.*]

ADVENTO, as, avi, n. 1. προσέρχομαι, appropinquo, accedo. *Cic. Att.* 4, 17. Tu adventare ac prope adesse jam debes. [*Caes. B. C.* 1, 14. Caesari enim adventare jamque adesse ejus equites falso nuntiabatur. Videtur subesse huic v. celeritatis quaedam notio. V. *Herz.* ad *Hirt. B. G.* 8, 20. Cf. *Claud. Eutr.* 2, 470. Non tamen semper; v. *Virg. A.* 5, 328.] *Id. Fam.* 2, 6. ad Italiam adventare. *Virg. A.* 11, 514. ad urbem. *Sall. Jug.* 28. Romam. *Tac. A.* 16, 23. Tiridates accipiendo Armeniae regno adventabat. *Id. ib.* 6, 33. Adventare Parthis, *h. e.* accedere ad Parthos, jungendi se cum illis gratia. *Stat. Th.* 11, 202. portis. [*Tac. *A.* 14, 32. in subsidium.] *Sall. Jug.* 109. Ubi lux adventabat. *Cic. Or.* 1, 45. Jam tempus adventat. [*Virg. G.* 4, 192. adventantibus Euris.] *Id. Tusc.* 1, 40. Si ante mors adventet. *Id. Sen.* 1. Aut jam urgens, aut certe adventans senectus. *Sall. ad Caes. de rep. ord.* 1. Qua tempestate urbi Romanae fatum excidii adventarit. *Liv.* 5, 33. adventante fatali urbi clade. Cum accus. sine praep. *Tac. A.* 6, 44. Jamque multa manu propinqua Seleuciae adventabat. *Ammian.* 14, 10. Barbaricos pagos adventans.

ADVENTOR, oris, m. quilibet homo externus adveniens. *Pl. Truc.* 1, 2, 2. Asservate aedes, ne quis adventor gravior abeat, quam adveniat. *Id. ib.* 2, 7, 55. Adventores meos non incuses. [*Id. *Asin.* 2, 2, 92. v. ADVECTOR.] *Appul. Met.* 10. p. 248. *Elm.* Basiola adventorum negantinummia. In omnibus hisce locis sermo est de iis, qui meretricum fornices frequentant lucroque eas augent. [Dicitur etiam de iis, qui cauponam aliquam adeunt. *Id. Met.* 1. p. 39. *ed. Oud.* Caupo deformatus in ranam adventores pristinos in faece submissus, officiosis ronchis raucus appellat. *F.*] ℙ Pro advena s. peregrino adveniente. *Inscr.* ap. *Grut.* 181, 1. C. Auruncejus Cotta colonis, incolis, hospitibus, adventoribus, servisque eorum lavationem ex sua pecunia gratuitam in perpetuam dedit. Adde 444, 8. [*V. de h. v. *Barth. Adv.* p. 1487.]

ADVENTORIUS, a, um, adj., quod advenienti cuipiam offertur. *Martial. praef. l.* 12. Ne quid tamen et advenienti tibi ab urbe et exigenti negarem, statui paucissimis diebus, ut familiarissimas mihi aures tuas exciperem adventoria sua. Alludit *Martial.* ad adventiciam coenam, quae amicis advenientibus laute dari solebat. V. ADVENTICIUS. Ipse autem librum epigrammatum intelligit, quem coenae loco advenienti amico offert. *Inscr.* ap. *Mur.* 470, 9. Hospitium adventorium [*in quo advenae recipiuntur. De *epistola adventoria* v. *Scal. Auson. Lect.* 2, 19. et 24.]

ADVENTUS, a, um, part. ab *advenio*, qui advenit. Locos allatos a *Palmerio Tom.* IV. *Facis Crit. seu Lampadis Artium* p. 652. examinat *Voss. de Analog. l.* 4. *seu de Grammatic. l.* 6. *c.* 13. Prior locus est *Ter. Andr.* 5, 2, 3. Ego commodiorem hominem adventum ad tempus non vidi. Sed *Voss.* legit, *ego commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi.* [*Recte, et sic nunc editur.] Alter locus est ejusdem *Ph.* 1, 3, 2. Ubi in mentem ejus adventi venit, *h. e.* patris, qui advenit. Sed *Voss.* ait, *adventi* esse gen. subst. *adventus* secundae declin. pro quarta: quod etiam *Prisc.* docuit 6. p. 712. Tertius locus est *Sall. Jug.* 96. Multo ante lucem adventam. Sed *Voss.* reperit: *multo ante lucis adventum.* [*Sic omnes codd.] ℙ [Fuit etiam cognomen C. Oclatinii Cos. a. U. C. 971. *Inscr.* ap. *Mur.* 354, 2. Dedic. Prid. Id. Mart. Imp. Macrino Aug. et Oclatinio Advento Cos. Ita legendum probavit *Marin. Frat. Arv.* p. 649. Alia ap. *Fabrett.* p. 637. *n.* 315. Antonino Aug. et Advento Cos. (De nomine hoc proprio dixit *Salm. Exerc.* p. 3.) Hinc patet, *adventus, ti*, part. non esse explodendum, nisi putemus esse a nomine *Adventus, i*, pro *Adventus, us. F.* *Tale partic. non potest esse.]

ADVENTUS, us, m. παρουσία, verbale ab *advenio. Cic. Att.* 12, 50. Ut me levarat tuus adventus, sic discessus afflixit. *Id. Pis.* 22. Quid dicam adventus meos? *Tac. Germ.* 2. Aliarum gentium adventibus et hospitiis. [*Cic. *Fam.* 6, 20. adventibus se offerre i. e. advenientibus obviam ire. Alii tamen, ut *Ernest.*, *Mart. Laguna*, praeferunt *advenientibus.*] *Cic. Mil.* 19. Nocturnus ad urbem adventus. *Id. Man.* 5. Adventus in urbes sociorum. *Liv.* 22. *fin.* Consulis Romam adventus. [*V. *Gron.* ad 31, 40, 10.] *Plin.* 18, 25, 58. Adventu solis occultantur stellae. *Sall. Jug.* 96. Multo ante lucis adventum. [*Ov. *Met.* 9, 660. adv. Favoni. *Virg. A.* 11, 911. Adventum pedum audivit.] *Cic. Tusc.* 3, 14. Adventus malorum. *Id. N. D.* 1, 38. Talem conformationem animi ceteri philosophi motum inanem vocant; vos autem adventum in animos et introitum imaginum dicitis. [*Interdum dicitur pro invasione, e. g. hostium. *Cic. R. P.* 2, 3. Gallicus. *ib.* 6. cf. *fragm.* 3. *or. pro Fontejo. Beier. Nep. Iph.* 2. Nisi adventus ejus appropinquasset, ubi v. *Brem.*] Sequente genitivo in sedecim nummis Hadriani ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 492. et seqq. Adventui Aug. (*h. e.* Augusti) Africae, Alexandriae, Arabiae, Asiae, Bithyniae, Britanniae, Ciliciae, Galliae, Italiae, Judaeae, Macedoniae, Mauretaniae, Moesiae, Phrygiae, Siciliae, Thraciae, *h. e.* ex Africa, Arabia etc. ℙ Olim dictum est *adventus, ti*, 2. declin. ut ap. *Ter. Ph.* 1, 3, 2. V. v. praec.

ADVERBĔRO, as, a. 1. μαστιγόω, id. qu. verbero. *Stat. Th.* 9, 686. auratis adverberat unguibus armos.

ADVERBIALITER, more adverbii. *Aruntius Cels.* ap. *Charis.* 2. p. 197. *Diomed.* 1. p. 403., *Prisc.* 16. p. 1012.

ADVERBĬUM, ii, n. ἐπίῤῥημα, pars orationis indeclinabilis, quae verbis adjicitur eorumque vim implet atque explanat, ut *Prisc.* 5. p. 1003. et *Diomed.* 1. p. 398. definiunt: dictumque est adverbium, quod *ad verba* adjungitur, et quod sine verbo adjuncto non potest habere plenam sententiam, ut *Prisc. ibid.* p. 1005. addit. *Gell.* 5, 21. Ab eo quod est *compluria*, adverbium est factum *compluries. Quint.* 11, 3. *med.* Non in demonstrandis locis ac personis adverbiorum atque pronominum obtinent vices?

ADVĔRĔOR, reris, dep. 2. id. qu. vereor. *Accius* ap. *Non.* 4, 121. Advereor, cum te esse Alcmaeonis fratrem factis dedicat. Al. melius *vereor.*

ADVERRENS, entis, partic. inusit. v. *adverro*, ad aliquem locum verrens. *Stat. Th.* 4, 712. de amne praecipiti: adverrensque natantia saxa Charadrus. Al. *advolvensque.*

ADVERSABILIS. V. AVERSABILIS.

ADVERSĀRĬA, orum, n. plur. ἐφημερίδες, diaria, id est tumultuariae quaedam tabulae, quae ante codicis confectionem perscribebantur, ne memoria rerum excideret, ut ex iis postea tabulae justae et aeternae fierent. Exactiores enim rationum tabulas *codicem* appellabant. In adversariis autem breviter et negligenter adnotabantur ea, quae postea accuratius digerenda erant. Dicta putant *adversaria*, quod cum veteres ex altera tantum li-

bri scriberent parte, in his etiam a tergo scribebant; unde et opisthographa, ὀπισθόγραφα dicta sunt ab ὀπισθεν et γράφω. V. *Voss. in Etymol.* in h. v. et in *Opisthographum.* Vel ideo ita appellata sunt, quia assidue scribentibus obversabantur, quasi adversus posita: *adversum* enim dicitur etiam id, quod ante nos est. [*Illa ratione potius dicenda fuissent *Aversaria. Jos. Scalig. contra Guilland. de papyro* p. 45. dicta putat ab usitatiore pagina, quae erat *adversa*, in qua rationes dati et expensi perscribi solebant, in *aversa* accepti. Cf. etiam *Salm. d. usur.* p. 147. De usu adversariorum egit *Coel. Rhodig.* 10, 21.] *Cic. Rosc. Com.* 2. Non habere se hoc nomen in codice accepti et expensi relatum confitetur, sed in adversariis patere contendit. Et mox: quid est, quod negligenter scribamus adversaria? quid est, quod diligenter conficiamus tabulas? qua de causa? Quia haec sunt menstrua, illae sunt aeternae: haec delentur statim, illae servantur etc.

ADVERSĀRIUS, a, um, adj. ἐναντίος, qui adversatur. *Cic. Caecin.* 2. Vis ea, quae juri maxime est adversaria. *Id. Cluent.* 34. Tribunus seditiosis adversarius. [*Nep. Timoth.* 3. Populus acer, suspicax, mobilis, adversarius, invidus etiam potentiae, i. e. semper adversans potentioribus.] *Id. Or.* 2, 37. Opinio oratori adversaria. [*Id. Or.* 35. adversaria avertere, de oratore, qui adversarii argumenta refutat.] *Id. Phil.* 3, 8. Duces adversarii. *Nep. Phoc.* 3. Duces adversariae factionis. ℙ Deinde substantive, gr. ἀνταγωνιστής, qui alicui adversatur, in rep., in bello, in judicio et foro, in quovis certamine artis vel armorum. *Cic. Vatin.* 1. Aut refutandum, ut gravem adversarium, aut rogandum, ut religiosum testem etc. *Id. Quint.* 2. Habet adversarium Quintius Sex. Naevium verbo, re etc. *Id. Mil.* 15. Tribuni plebis illius adversarii, defensores mei. *Id. Har. resp.* 16. Acerrimus adversarius. Et 24. Obtrectatores et adversarii. [*Cf. *Hor. Sat.* 1, 9, 75. *Nep. Dion.* 7. De luctatoribus *Cic. Tusc.* 2, 23. pugiles, etiam quum feriunt adversarium — ingemiscunt. — In auctionibus et emptionibus ii dicuntur adversarii, qui contra nos licentur. *Cic. Att.* 12, 43. Res major est quam facultates nostrae, praesertim adversario et cupido et locuplete et herede. Cf. *ib.* 13, 31. — In artis certamine *Suet. Ner.* 54. Paridem occisum, quasi gravem adversarium. *ib.* 23. quanta adversariorum aemulatione. Cf. *Ter. Ad. prol.* 2. et alibi.] Pro hoste *Suet. Dom.* 1. Bello Vitelliano confugit in Capitolium, sed irrumpentibus adversariis etc. [*Cf. *id. Caes.* 30. 36. 68. *Curt.* 3, 11. *Nep. Them.* 4. adversarios in fuga esse. *Id. Dat.* 6. His locis castra ponit, ut neque circuiri multitudine adversariorum posset etc. ℙ Legitur etiam fem. genere subst. *Cic. Fam.* 2, 4. Est tibi gravis adversaria constituta et parata, incredibilis quaedam exspectatio. ℙ In genitivo plurali fere habet *adversariorum:* dicitur tamen etiam *adversarium*, tametsi rarius. *Ter. Hec. prol.* 2, 14. Poeta prope jam remotus injuria adversarium ab studio. *Pompej. ad Domit. ante ep.* 13. *l.* 8. *Cic. ad Att.* Huc quamprimum venias, antequam omnes copiae adversarium conveniant. [*At hic *Ernest.* ex *ed. Rom.* dedit *adversariorum.* — In libb. permutantur *adversarius* et *adversatus.* V. *Drak.* ad *Liv.* 7, 41, 6.]

ADVERSĀTIO, onis, f. actus adversandi. *Tertull. adv. Gnost.* 5. Quid aliud est adversatio idololatriae atque martyrii, quam mortis et vitae? [*cf. *d. Pudic.* 15.]

ADVERSĀTĪVUS, a, um, adj. Conjunctiones adversativae dicuntur a Grammaticis, quae adversum aliquid seu contrarium significant, ut *tamen, quamvis, etiamsi* etc. *Prisc.* 16. p. 1026.

ADVERSĀTOR, oris, m. ἀντιστάτης, qui adversatur. *Appul. de Deo Socrat.* p. 44. *Elm.* Quem adversatorem malis in omni vita ciebo?

ADVERSĀTRIX, icis, f. quae adversatur. *Pl. Most.* 1, 3, 100. Nunc assentatrix es, dudum adversatrix eras. *Ter. Heaut.* 5, 3, 4. Quin tu in ea re mihi fueris adversatrix.

ADVERSĀTUS, particip. V. ADVERSOR.

ADVERSĒ, adv. contrarie. *Gell.* 3, 16. Id tam obscure atque praecise tamque adverse dictum.

ADVERSIM. V. AVERSIM.

ADVERSIO. V. AVERSIO. ℙ *Adversio animi*, hoc est *animadversio*, legitur a quibusdam ap. *Cic. Arch.* 7. [*Sic *Orelli.*]

*ADVERSIPEDES, Ἀντίποδες. Gl. gr. lat. *B. A.*

ADVERSĪTAS, atis, f. ἐναντίωμα, contrarietas et repugnantia, inimicitia. *Plin.* 11, 25, 30. Magnam adversitatem oleo mersis (scorpionibus) et stellionibus putant esse. [*Abutuntur h. v., qui de *rebus adversis* dicunt.]

ADVERSĪTOR, oris, m. [*i. e. advorsum itor, (ut portitor, portum itor)] qui adversum, hoc est obviam alicui procedit. Hinc servi cum domino advenienti obviam procedunt, *adversitores* dicuntur, ut docet *Donat.* ad illud *Ter. Ad.* 1, 1, 1. non rediit hac nocte a coena Aeschinus, Neque servulorum quisquam, qui advorsum ierant. Hinc *Pl. Most.* 4, 1, 23. Solus nunc eo adversum hero ex plurimis servis. [*Hinc in indice personarum Pha-niscus dicitur *advorsitor.*] *Id. ib.* 4, 2, 32. *Ph.* Ei advorsum venimus. *Th.* quoi homini? *Ph.* hero nostro.

*ADVERSO, adv. Hoc *Plinio* restituendum esse judicavit *Salm. Exerc.* p. 243. comparans *cetero*, quo saepe ille usus est.

ADVERSO, as, avi, n. l. frequent. v. adverto. Itaque *adversare animo* id. est qu. advertere, versare animo, animadvertere. *Pl. Rud.* 2, 2, 1. Animo adversavi sedulo, ne herum usquam praeterirem. Al. *animadversavi*, ut sit ab *animadverso, as*, pro *animadverto*, quemadmodum pro *verto, is* etiam *verso, as* dicimus. [*Appulej.* hoc v. familiare esse et significare id. qu. adversis premere, opp. *prosperare*, ait *Salm. Exerc.* p. 770.]

ADVERSOR, aris, atus sum, dep. l. ἐναντιοῦμαι, adversus s. contrarius sum, resisto, rixor. *Pl. Stich.* 1, 2, 22. Exorando, haud adversando sumendam operam censeo. *Ter. Hec.* 4, 4, 32. Noli adversari mihi. [*Cf. *ib.* 2, 2, 29. et *Bentl.* ad 2, 1, 5.] *Id. ib.* 2, 2, 3. et *Cic. Verr.* 2, 5, 31. adversari libidini alicujus. *Id. Or.* 51. Quis Isocrati est adversatus impensius? *Id. Sull.* 18. adversari ornamentis alicujus. [*Vell. 2, 69. adversantes dignitati, gr. ἀντίτεχνοι, ἀντιπράττοντες.] *Id. Fin.* 3, 20. adversari quominus aliquid fiat. *Tac. A.* 1, 27. commodis. *Cic. Off.* 1, 31. invita Minerva, id est, adversante et repugnante natura. *Tac. H.* 3, 42. Adversante vento. [*Sic etiam *Suet.* in v. *Plin.*] *Id. A.* 13, 12. Adversantibus amicis. [*Suet. *Vit.* 10. verbera et plagas — repraesentantes adversantibus i. e. resistentibus.] *Pl. Asin.* 3, 1, 5. Adversari praeceptis alicujus. *Id. Aul.* 2, 1, 21. alicui de aliqua re. [*Suet. *Caes.* 11. adversans factio. *Curt.* 6, 10. Quid enim me procreabas adversantibus diis. *Virg. A.* 4, 127. Non adversata petenti annuit.] Cum accus. *Tac. H.* 4, 84. adversari regem. *Id. ib.* 1, 1. ambitionem. Adde *ib.* 38. et alibi. Sunt tamen qui ubique *aversari* reponant, [*ut *Ernest.* ad *Tac. H.* 1, 1. et quos laudat, *Bauer.* ad *Sanct.* 1. p. 412. et alii. Accus. qui defendunt, *adversari* interpretantur *adverso animo accipere.* In his *Gesnerus* in *Thes. et Par. Lex. Plaut.*, quibuscum facit ad Tac. *Oberlin.* Etiam ap. *Quintil.* 11, 3, 70. scribitur: ut idem illud vultu videamur adversari, manu repellere. Cf. *Curt.* 4, 7, 31. Abstinendum erat l. *Pl. Trin.* 2, 2, 102. Nobis sic videtur, quoniam perpetua est vv. *adversari* et *aversari* in libb. confusio (v. *Drak.* ad *Liv.* 3, 50, 5. 8, 7, 14. *Burm.* ad *Ov. Fast.* 1, 5. et *Ern. l. l.*), et quoniam in nonnullis locis certum est, scribendum esse *aversari* (ut in l. *Quintil. adv.* falsissimum putamus, neque *Curt.* 6, 7, 10. *adversari scelus* dixisse nobis persuadebitur), Tacitum nec scripsisse, nec scribere potuisse *adversari.*] ℙ *Adversari contra* et *Adversari adversus aliquid* familiari sibi pleonasmo dixit *Pl. Cas.* 2, 3, 35. et *Merc.* 2, 3, 43. ℙ Ap. *Pl. Sall.* et *Ter.* saepe legitur *advorsari* antiquo more.

ADVERSUS, a, um [*propr. est particip. v. *adverto, is;* sed ita dictum rarissime reperitur. Affert noster *Sall. fr.* ap. *Don.* ad *Ter. Eun.* 3, 2, 13. cujus adversa (i. e. cognita) voluntate exercitus Sullae est datus. Cf. ADVERTO.] ℙ Vulgo usurpatur ut adjectivum, gr. ἀντικείμενος, ἐναντίος, ante s. contra positus, objectus, oppositus, cui opponitur *aversus:* ex *ad* et *versus*, quasi *ad nos versus.* [*Haec omnino primaria est significatio.] *Cic. Somn. Sc.* 5. solem adversum intueri. [*Virg. A.* 4, 701. Iris, mille trahens varios adverso sole (e regione posito) colores. *Id. G.* 1, 218. Taurus aperit annum et adverso cedens Canis occidit astro, i. e. Canis cedit adverso (ad s. contra eum verso) astro sc. Tauri. V. *Voss.* ad h. l.] *Cic. ib.* 6. adversum alicui stare (de antipodibus), qui locus explicatur altero *Acad.* 2, 39. antipodes adversis vestigiis stant contra nostra vestigia. [*Tib. 4, 1, 166. Huic adversa solo pars altera nostro. *Caes. B. G.* 5, 35. adversum os, i. e. conversum in hostes. V. ibi *interpp.* et cf. infra. *Quintil.* 2, 13, 9. adversa facies, i. e. opposita videnti. *Claud. R. Pr.* 3, 393. adversa fronte, ubi v. *Heins.* (Translate hoc dixit *Hor. Sat.* 1, 1, 103. Pergis pugnantia secum Frontibus adversis componere?) *Virg. A.* 5, 583. Inde alios ineunt cursus aliosque recursus Adversis spatiis, i. e. ut *Heyn.* explicat: quibus ipsi adversi i. e. obvii invicem sibi facti iterum deflectunt se et in novos gyros discurrunt. *Tac. A.* 3, 42. Legiones — quas Visellius et C. Silius adversis itineribus objecerant, i. e. quibus hostibus debebant occurrere. *Tib.* 4, 1, 8. Adversos hosti defigere cervos. Cf. CERVUS. *Liv.* 30, 8. Celtiberos in mediam aciem in adversa signa legionum accepere, i. e. legionibus opposuerunt. *Tib.* 4, 1, 99. Adversisque parant acies concurrere signis, et *ib.* 148. Nulla tibi adversis regio sese offeret armis. Hinc *Hor. Sat.* 1, 7, 10. adversum bellum. *Liv.* 8, 7. Adversos concitant equos. *Virg. A.* 11, 719. adversa congreditur. *Hirt. B. Al.* 8. Magno negotio impetus hostium adversos ex munitionibus sustineri, quae verba recte expl. *Clark. Suet. Ner.* 48. Sed adverso fulgure pavefactus est Nero, i. e. contra eum, quasi ante pedes ejus decidente. *Liv.* 35, 30. (Hastae) pleraeque adversae cadentes, i. e. cuspide terrae obversae, ut defigerentur. V. ibi *Duk.* et *Drak.* et *Heins.* ad *Sil.* 11, 163. *Ov. Met.* 13, 541. Adversa figit modo lumina terra, i. e. quam intuebatur ex adverso. *Virg. Cul.* 242. Saxum procul adverso qui monte revolvit. *Quintil.* 2, 17, 19. Armenta egit (Hannibal) in adversos montes. *Sall. Jug.* 52. (Romani) adverso colle evadunt, i. e. ita abeunt, ut collis ipsis adversus sit, quo facto necessario in collem perveniunt. Sic *Ov. Am.* 1, 9, 11. Ibit per adversos montes, ubi v. *Burm. Plin.* 8, 3, 3. de elephantis: mirum maxime, — adversis funibus subire, i. e. ascendere in funibus protensis. Sic loca, ad quae iter facimus, dicuntur *adversa.* V. *Burm.* ad *Val. Fl.* 1, 493. Eodem referendum est, quod *Caes. B. G.* 4, 28. dicit *adversa nocte*, siquidem hoc non est *infesta nocte*, sed: cui obviam ire necesse erat. V. ad h. l. *Herzog.*] *Virg. G.* 1, 201. adverso flumine i. e. opposito, contrario, opp. *secundo*, lembum subigere. [*Drak. ad *Liv.* 21, 27, 2. *Plin.* 18, 6, 7. adverso amne (villam ponere). *Sil.* 4, 653. Arduus adversa mole incurrentibus undis Stat ductor. *Liv.* 21, 31. Profectus adversa ripa Rhodani. Ad hos locos referenda videntur esse verba *Tac. G.* 2. immensus ultra, utque sic dixerim, adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur, ubi v. *Gron.* Ab his tamen differunt tales loci, qualis hic est ap. *Sil.* 6, 165. jam caput adversae ponebat margine ripae, i. e. objectae, oppositae. Cf. *Lucan.* 1, 223. *Stat. Th.* 9, 231. *Hor. Sat.* 2, 3, 205. Verum ego ut haerentes adverso litore naves eriperem, quod non est *inimico*, sed opponitur litori ei, quo tendebant Graeci. Ad illud autem genus locorum, quum dicunt: *adverso flumine* et similia, pertinet hic quoque, quem alieno loco noster attulerat, *Caes. B. C.* 3, 107. adversissimi navigantibus venti (i. e. e regione flantes ideoque navem repellentes). *Quint.* 12, 11, 5. Quid secundis flatibus, quid adversis ratis poscat. *Ter. Hec.* 3, 4, 9. et *Suet. Caes.* 58. adv. tempestas. *Nep. Milt.* 1. Hic ventus a septentrionibus oriens adversum tenet Athenis proficiscentibus. V. ibi *interpp.* et *Drak.* ad *epit. Liv. l.* 105. — Jam vero ex his putamus facile intelligi posse, quo jure dicatur *adversum vulnus* etc. Nimirum supra jam e *Caes.* attulimus *adversum os.* Huic primum addantur haec similia: *Liv.* 21, 7. adversum femur tragula ictus, i. e. ubi femur adversum erat hosti. *Cic. Verr.* 2, 5, 1. cicatrices — adverso corpore exceptas. *Virg. A.* 5, 504. (Sagitta) venit adversique infigitur arbore mali. Sic saepe *Virg. Sil.* 6, 249. Venit in adversam non vano turbine frontem cuspis. *Curt.* 4, 15. Resistentium adversa ora fodiebat, fugientium terga. *Hirt. B. Al.* 30. Adversi vulnerantur. Patet igitur, *adversa* (ad nos versa) dici, quorum partes anticas videmus, opp. *aversis* v. iis, quae a tergo sunt. Hinc *Cic. Har. resp.* 19. vulnera adversa accipere, i. e. antica corporis parte, ut in pectore. Hunc locum noster attulit. *Id. Or.* 2, 28. cicatrices adversas ostendere. Et sic etiam in aliis locutionibus, ut ap. *Liv.* 21, 28. jam satis parentes adverso tumultu (qui quasi ante oculos erat) terribilior ab tergo adortus clamor. *Caes. B. G.* 2, 8. Collis — tantum adversus (in fronte) in latitudinem patebat, quantum loci acies instructa capere poterat, atque ex utraque parte dejectus habebat etc. Paulo alia est oppositionis ratio in *Cic.* loco, quem noster habet, *N. D.* 2, 54. dentes adversi acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt. V. ad *Caes. l. Herz.* et ad 1, 26. *Oud.* ad 5, 35.] — *Lectus adversus* quid sit v. in LECTUS. ℙ Translate *adversus* in universum est id. qu. contrarius, quia quae contraria sunt, veluti ex adverso stant et nobis opponuntur. [*Dicitur et de *hominibus*, qui nobis sese opponunt et adversantur (adversarius, inimicus, infestus) et de *rebus*, de quibus quum dicitur, saepe potest explicari *malus, infaustus*, quae quasi nobis obstant, et quoniam talia nobis displicent, *invisus.*] De *personis*: *Ter. Andr.* 1, 1, 37. Adversus nemini, nunquam praeponens se aliis. *Vell.* 2, 63. Adversus Pompejanis, Julianis fidus. *Albinov. ad Liv.* 1, 182. Gentibus adversis forma sit illa precor i. e. hostibus. [*Tib. 1, 10, 30. adversi duces; ut *Quintil.* 9, 3, 22. Piso, adversae partis advocatus (quocum cf. 7, 1, 4. 12, 9, 11. *Suet. Caes.* 75. *Vit.* 18.) *Ammian.* 26, 9. Adversos (hostilem exercitum) facilius oppresserunt.] *Plin.* 32, 4, 14. Neque est testudine aliud salamandrae adversius. [*Virg. A. 9, 283. adversa Fortuna. *Id. ib.* 12, 1. adverso Marte, i. e. adversa proelii fortuna. Cf. *Ov. Fast.* 1, 60. *Id. Her.* 7, 4. Adverso movimus ista deo, ubi v. *Burm.*, et de similibus, ut: *adversis diis, adverso Senatu, adversa Patrum voluntate* etc. *Drak.* ad *Liv.* 1, 46, 2. 7, 3, 2. 21, 62, 3. 38, 33, 11. Frequentissima est in hujusmodi locis confusio vv. *adversus* et *aversus* (cf. etiam *Burm.* ad *Prop.* 1, 1, 8. et *Drak.* ad *Liv.* 2, 31, 6.; sic ap. *Hor. Od.* 2, 4, 19. al. *lucro aversam*, al. *adversam* praebent), nec raro anceps judicium. Videtur tamen nobis rectissime judicare *Drak.*, quum *adversus* gravius esse putat, quam *aversus.* Sic

aversae aures (v. mox) sunt, quae non attendunt ad sermonem, *adversae*, quae etiam adversantur; *aversi dii*, qui audire nolunt, *adv. dii*, qui aliud, quam is, qui precatur, volunt.] De *rebus:* [*Hor. *Epist.* 1, 6, 9. Qui timet his adversa.] *Plin.* 9, 7, 6. esse in adversa opinione. Apud rhetores *adversa* dicuntur ea, quae ex eodem genere contraria sunt, ut *sapientia*, *stultitia*, quibus respondent *privantia*, qualia sunt *humanitas*, *inhumanitas* etc. Ita contraria distinguit *Cic. Top.* 11. — *Cic. Sull.* 10. Mentes improborum mihi infensae et adversae. *Tac. A.* 3, 29. adversis animis aliquid accipere. [*Liv. 6, 40. adversis auribus militum. Cf. 41, 10. et v. supra. *Cic. Or.* 2, 83. acclamatio adversa. *Partes adversae.* V. supra. Hinc explica, quod ap. *Quintil.* 6, 1, 39. est: adversa subsellia, i. e. in quibus adversarii sedent.] *Tac. A.* 14, 11. adverso rumore esse, i. e. male audire. *Vet. poeta* ap. *Cic. Div.* 1, 16. adversa avi aliquid facere, [*i. e. malo omine, abdicentibus avibus. *Suet. Oth.* 8. adversissima auspicia. *Id. Vit.* 8. adv. omen. *Liv.* 4, 12. adversus annus frugibus.] *Caes. ad Cic. ante ep.* 9. *l.* 10. *ad Att.* Omnia secundissima nobis, adversissima illis accidisse. [*Liv. 6, 40. Nisi quae pro universa republica fiant, ea plebi — adversa quis putet.] *Liv.* 10, 32. Valetudo adversa, i. e. morbus. [*Id. 7, 29. adv. proelium, i. e. infelix. Cf. 8, 31.] Sed saepissime *adversae res* dicuntur calamitates, infortunia. *Cic. Off.* 1, 26. Ut adversas res, sic secundas immoderate ferre levitatis est. Sic *adversi casus* ap. *Nep. Dat.* 5. [*Quod *Liv.* 10, 6. dicit, adversae belli res, *Gronovio*, quum in nonnullis libb. *adversa belli res* scriptum sit, videbatur in *adversa belli* mutandum. V. mox. *Horatii* verba *ep.* 1, 2, 22. adversae rerum undae, explicabis ex iis, quae supra attulimus. *Ter. Ph.* 2, 1, 12. pro *rebus adversis* dixit *advorsam aerumnam. Pl. Men.* 5, 5, 1. Hic dies pervorsus atque advorsus mihi obtigit. — Potest igitur, ut diximus, *adversus* interdum explicari *invisus.* Ita *Sall. Jug.* 83. quis omnia regna advorsa sint. Cf. *Bentl.* ad *Lucan.* 2, 229.] ℙ Saepe *adversus* substantivi more usurpatur, [*inprimis numero plur. *adversa*, i. e. tristia, mala, calamitates. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 30, 12, 6.] *Cic. ad Brut.* 1, 4. Nihil adversi accidere potest, in quo etc. [*Cf. *Liv.* 22, 40. 35, 13.] *Plin. Pan.* 31. Secunda felices, adversa magnos probant. *Ter. Hec.* 3, 3, 28. Adversa ejus per te tecta tacitaque apud omnes sient. *Suet. Tit.* 8. Adversa temporum. *Tac. A.* 1, 1. Prospera et adversa P. R. [*Id. ib.* 3, 24. illustrium domuum adversa. *ib.* 45. Quae Romanis adversa intulissent. *ib.* 2, 69. adversa valetudinis. *ib.* 4, 13. paterna adversa. *Id. Agr.* 25. Adversa tempestatum et fluctuum. *Quintil. prooem.* 6, 14. Adversorum solatia literae. *Id.* 12, 1, 2. alio modo subst. hoc v. usus est: natura noverca fuerit, si facultatem dicendi sociam scelerum, adversam innocentiae, hostem veritatis invenit.] ℙ *In adversum* est in contrariam partem. *Prop.* 3, 9, 23. Et duo in adversum immissi per moenia currus. *Gell.* 2, 30. Propulsae in adversum aquae. *Colum.* 4, 25. in adversum pressa manu desecare. [*Cf. *Virg.* 8, 237. 9, 211. *Liv.* 1, 12.] ℙ *Ex adverso* (quod scribitur etiam conjunctim *exadverso*) usurpatur modo adverbii, e regione, gr. ἐκ τοῦ ἐναντίου. *Liv.* 45, 10. Portus exadverso urbi positus. Cum genit. *Plin.* 4, 4, 5. Patrae exadverso Aetoliae et fluminis Eveni. [*Ammian. 21, 6. Exadverso imperatoris ludos spectans.] Nullo addito casu *Justin.* 2, 14. Cum exadverso starent classes. [*Suet. *Caes.* 39. Bina castra exadverso constituta sunt. *Id. Tib.* 33. Adsidebat juxtim vel exadverso. Alia ratione *id. Cal.* 58. exadverso trajicere pectus, opp. a tergo cervicem percutere. V. supra.] ℙ *Exadversus.* V. in voc. seq. ℙ [*In libb. conf. *adversus* et *aversus*, v. supra et add. *Drak.* ad *Sil.* 2, 618. et 7, 595.; *adv.* et *diversus*, *id. ib.* ad 1, 264. et ad *Liv.* 22, 7, 2. *Gron.* ad *eccl. script.* 21. et ad *Senec. d. ir.* 2, 23.; denique adject. cum praep. *adversus*, ubi tum saepe casus mutatur, ut ap. *Liv.* 1, 46, 2. 21, 62, 3.]

ADVERSUS et ADVERSUM (Advorsus, advorsum), praepos. [*Est et adverb. et praepos., ut permultae id genus particulae graecae. Cf. *Perizon.* ad *Sanct. Min.* I. p. 174. sq. *Adversus* propr. partic., (auctore *B. Crus.* in *Cl. Sueton.*) ab initio masculinis, reliquis *adversum*, τοὐναντίον, additum fuisse videtur; mox hoc discrimen cessavit ipsumque *ex adverso* abiit in adverb. *exadversum.* Primum dicamus de adverbio, cujus noster vix verbo mentionem fecit. Affert *Pl. Mil.* 2, 2, 14. Aggrediar hominem. Estne advorsum? Eodem modo dicitur *adversum fieri* pr. obviam ire s. venire. V. *Lindem.* ad *Pl. l. l.* Inprimis hoc usitatum est de servis *advorsitoribus* dictis, v. *Ruhnk.* ad *Ter. Ad.* 1, 1, 2. *Pl. Cas.* 3, 6, 5. Cesso hero meo ire advorsum. *Id. Most.* 1, 4, 1. venire alicui adv. Cf. *Rudd.* II. p. 332. Porro *Virg. A.* 6, 684. Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit. *Nep. Ages.* 4. arma ferre adversus. *Id. Pelop.* 1. qui adversus resistere auderent, ubi v. *interpp.* et *Brem.* ad *Dat.* 6, 1. *Ammian.* 31, 10. horrifico adversum fragore terrente. *Sall.* 1. *ad Caes. de rep. ord.* Neque adversus, neque ab tergo aut lateribus tutus est. Hunc quoque locum noster attulit.] ℙ Ubi praepos. vim habet, primum est id. q. versus s. contra aliquid [*e regione, prorsus ut adj. *adversus.* Ac dicitur propr. de *loco. Cic. Div.* 1, 45. Ara Ajo Loquenti adversus eum locum consecrata est. Al. legunt *exadversus*, *Gell.* 7, 12. Unguentatus adv. speculum ornetur. [*Liv. 43, 16. adv. aedes publicas. *Id.* 45, 7. Introductum in tabernaculum adv. advocatos in consilium considere jussit; ad quem l. v. *Drak. Cels.* 3, 6. Medicus debet residere illustri loco adversus aegrotum. *Hor. Ep.* 1, 1, 75. (Vestigia) omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 7, 14, 9. 31, 46, 9.] Eadem ratione dicitur de *motu* in locum. *Pl. Pers.* 2, 2, 18. Quae me adversum incedit, i. e. obviam venit. [*Liv. 30, 24. Aliae (naves) adversus urbem ipsam — delatae sunt.] Et hoc modo adhibetur ad significandam ascensionem, quemadmodum et *contra. Pl. Asin.* 3, 3, 118. agitare quadrupedem adversum clivum. *Caes. B. C.* 1, 46. Impetum adv. montem in hostes faciunt. [*V. nos supra in adj. ADVERSUS.] — Hinc saepe conjungitur cum verbis *dicendi*, quum sermo dicitur dirigi ad aliquem, ubi est id. qu. aliquo praesente, coram al., ad aliquem. *Pl. Bacch.* 4, 4, 47. Si audias, quae dicta dixit, me advorsum, tibi, i. e. me praesente. [*Id. Mil. 4, 2, 89. Ne censeat, me advorsum se mentiri, et *Aul.* 4, 7, 9. egone ut te advorsum mentiar (quasi dicas: in os mentiri.)] Referendi huc sunt ii loci, in quibus *Nonius* 4. *n.* 1. adv. explicat per *apud*, qua partic. sane ita saepe utuntur. *Titinn.*: mulier, credo, advorsum illum res suas conqueritur. *Ennius*: te ipsum hoc oportet profiteri et proloqui advorsum illam mihi. *Ter. Andr.* 1, 1, 15. Et id gratum fuisse advorsum te (i. e. tibi) habeo gratiam. *Cic. Off.* 2, 19. Utendum est excusatione adv. eos, quos invitus offendas. [*Adde *Pl. Amph.* 3, 2, 55. nam jusjurandum verum te advorsum dedi. *Ter. Andr.* 1, 5, 30. aut hunc cum ipsa, aut de illa me adversum hunc loqui. *Liv.* 22, 39. Nec gloriandi tempus adv. unum est, et paulo post: ne adv. te quidem ego gloriabor. Denique in hunc numerum referenda sunt etiam haec: *Liv.* 4, 10. Adversus ea consul — respondit. *Id.* 8, 32. Adv. quae singula quum respondere haud facile esset, ubi paulo ante: ad haec, quae interrogatus es, responde. Dicitur igitur in his quoque *adversus*, ut alibi *ad.* Adde 4, 41. et *Drak.* ad 3, 57, 1. Ceterum cf. *Lindem.* ad *Pl. Mil. l. l.*] ℙ [*Ex superioribus patet, quo jure *adversus* dicatur pr. *quod attinet ad*, *si spectas.* Quum enim, ut vidimus, omnino directionem quandam significet, eodem modo, ut praep. *ad*, quacum multis in rebus convenit, dicitur deinde omnino de iis, quorum aliqua est inter se relatio. Quam signif. noster ne tetigit quidem. Frequens est ap. *Tac.* Sic *Ann.* 1, 65. lentae adversus imperium aures. *Id. Germ.* 23. adversus sitim — temperantia. Fortasse huc pertinet etiam *Liv.* locus 32, 2. Gaditanis petentibus remissum, ne praefectus Gades mitteretur, adv. quod iis — cum L. Marcio Septimo convenisset.] ℙ [*Hinc fit, ut inserviat comparationibus, quam rationem supra diximus esse praep. *ad. Liv.* 7, 32. Quid esse duo prospera — bella Samnitium adversus (i. e. si comparantur) tot decora pop. romani? *Auct. dial. d. orat.* 33. Differentiam nostrae desidiae adversus acerrima eorum (veterum) studia demonstrasti. — Eadem de causa interdum potest explicari *secundum. Plin. Valer.* 3, 8. Dabisque adversus virtutem patientis integram potionem. Noster attulit *Ulpian. fragm. tit.* 28. *l.* 1. Bonorum possessio datur aut contra tabulas testamenti, aut adversus tabulas.] ℙ Ita vero etiam hoc apparet, *adv.* quomodo et *erga* et *contra* (gr. κατὰ) possit significare, quum priorem signif. a praepos. *contra* exclusam esse voluerint, quo ipso differunt inter se *adversus* et *contra* (cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 9, 22.) Nimirum *adversus*, quum relationis signif. habeat, in utramque potest dici partem. (*Cic. Fam.* 11, 27. Quomodo me gererem adv. Caesarem.) Utriusque nunc afferamus exempla.] *Cic. N. D.* 1, 2. et 41. Pietas est justitia adv. deos. [*Id. Off.* 1, 11. Sunt quaedam officia etiam adv. eos servanda etc. V. ad h. l. *Heusing. Liv.* 5, 35. Adv. Romanos nullum eis jus societatis — erat. V. hic *Drak. Id.* 45, 8. Quam pacem summa fide adv. eum coluimus. (Cf. *Tac. A.* 11, 17.) *Tac. A.* 3, 29. Privignis cum vitrico levior necessitudo, quam avo adv. nepotem. *Cic. Att.* 12, 3. Si uterque nostrum est aliquando (blandus) adversus aliquem. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 29, 8, 2.] — *Cic. Off.* 3, 29. Hostis legitimus, adversus quem totum jus fetiale est. *Id. Verr.* 2, 3, 84. Pecuniae conciliatae adv. leges, adv. rempublicam. [*Liv. 9, 26. coitiones adv. rempublicam.] *Anton. ad Cic. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.* contendere adversus aliquem (aliquo invito). *Cels.* 5, 27. *n.* 12. Remedia propria adv. quaedam venena. [*His haec putamus addenda: *Liv.* 40, 44. adv. senatusconsultum. *Id.* 9, 26. adv. testimonia. *Epit. l.* 57. adv. voluntatem. *Tac. A.* 12, 29. terror adv. victores. *Id. ib.* 2, 71. dolor (i. e. indignatio) adv. deos. 14, 1. ira adv. al. 12, 4. accipiendis adv. generum suspicionibus. *Id. Agr.* 9. Procul ab aemulatione adv. collegas. *Id. H.* 1, 68. proelium adv. *Hor. Epod.* 6, 2. ignavus adv. lupos. *Liv.* 8, 2. Copiis, quibus usi adv. romanum bellum fuerant. *Id.* 9, 19. Experti sunt Romani Macedonem hostem adv. Antiochum, i. e. in bello cum Ant. gesto. V. *Drak. Tac. A.* 11, 24. Adversus externa floruimus. Cf. 15, 36. *Justin.* 3, 6. Athenienses adv. tantam tempestatem belli duo duces eligunt. *Liv.* 24, 8. Adv. veterem ac perpetuum imperatorem comparabitur (dux). Cf. 21, 39. et *Gron.* ad *Liv.* 26, 25, 10. *Id.* 42, 49. Adversus quem ibatur (cui bellum inferebatur). *Nep. Ann.* 4. Scipio — apud Trebiam adv. eum venit. *Suet. Tib.* 29. Si quid adv. te liberius dixero.] ℙ *Exadversum*, quod etiam *ex adversum* scribitur, id. valet qu. *adversum*, e regione. *Nep. Them.* 3. *fin.* Exadversum Athenas classem constituere. Al. legunt *adversum. Ter. Ad.* 4, 2, 45. Apud ipsum lacum est pistrilla et exadversum est fabrica. *Pl. Bacch.* 4, 7, 37. Video exadv. Pistoclerum. *Appul. Flor. n.* 15. Samos Icario in mari — exadv. Mileto. [*Adde *Ter. Ph.* 1, 2, 38. ibique *Bentl.*] ℙ [**Adversum quam* (ut *contra quam*) *Pl. Trin.* 1, 2, 139. V. *Gron.* ad *Liv.* 30, 10, 4.] ℙ [*Non raro *adv.* postponitur casui, cujusmodi exempla jam supra nonnulla attulimus. Usitatum est in formula *hunc adversus*, ut *Pl. Aul.* 4, 7, 9. *Nep. Con.* 2. *Timoth.* 4.] ℙ [*In libb. mss. permutantur *adversus* et *contra.* V. *Drak.* ad *Liv. epit. l.* 57.]

ADVERTO [*s. *Advorto*, de qua forma, quam edunt etiam ap. *Cic. Fam.* 12, 18., v. in *Vortex* et *Schneid. Gr.* I. p. 11. sq.] ertis, erti, ersum, n. 3. ad aliquam partem verto, converto, ἐπιστρέφω. *Gell.* 16, 6. Brundusium navem advertimus. *Virg. A.* 7, 35. terrae advertere proras. *Ov. Her.* 12, 23. Colchos advertere puppim. *Liv.* 37, 9. classem in portum. [*Similia sunt ap. *Virg.* 7, 196. Advertis aequore cursum, et 12, 555. urbique adverteret agmen. *Curt.* 8, 13. Porum quoque agmen suum ei parti — coegit advertere. Al. *obvertere. Virg. A.* 6, 386. adv. pedem ripae. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 37, 9, 8. Denique adde *Sil.* 16, 692. Illum ego ad incensas — advertam patriae sedes, ubi tamen *Heins.* et *Drak. avertam.* V. infra. Interdum tamen poetae, omissis vocc. *prora*, *navis* etc. *advertere* eodem modo absolute ponunt. *Sil.* 1, 288. Mox profugi ducente noto advertere coloni. Sic etiam gr. dicitur: v. *Bosii ell. gr. l.* p. 315. sqq. Nisi mavis dictum esse activum pro medio, quo utitur *Virg. A.* 5, 34. et tandem laeti notae advertuntur arenae i. e. littori. *Ov. Met.* 5, 649. Scythicas advertitur oras. Ita *avertere* dicit *Virg. A.* 1, 104. Cf. de hoc usu *Cort. exc.* VI. *ad Sall. Jug.* 85, 9.] *Ter. Eun.* 2, 3, 51. Illa sese huc adverterat in hanc nostram plateam. *Colum.* 1, 6. Balnearia occidenti aestivo advertantur. [*Id. 3, 12, 6. vineta orienti.] *Ov. Fast.* 1, 180. advertere aures ad vocem. *Ascon.* in *Div. Verr.* 5. advertere vultum et oculos in aliquam partem. [*Ov. Met. 6, 180. In quamcunque domus adverto lumina partem. *Id. ib.* 8, 482. adv. vultus sacris. *Sil.* 16, 213. Huc aures, huc quaeso advertite sensus. *Id.* 6, 105. Tandemque adverte procellis Aequos Iliacis oculos. *Claud. Cons. Prob. et Ol.* 196. Oculos advertere templis. Cf. *Curt.* 5, 11. *Virg. A.* 4, 611. Meritumque malis advertite numen. *Adv. oculos* sign. translata pro *animadvertere* dixit *Plin. Pan.* 34. Praecipue frequens est formula *advertere animum*, *mentem* pro *animadvertere*, *attendere*, quae non uno modo variatur. Dicunt enim absolute *animum advertere*, *an. adv. ad aliquam rem*, *aliquam rem*, *aliquo* et *alicui rei;* deinde, omissis illis, nude *advertere* eadem significatione, cui rarius additur *animo.* De his singulatim.] *Liv.* 4, 45. Adverterent animos, ne quid novi tumultus oriretur. *Cic. Fam.* 9, 9. Quid ille sperare possit, animum adverte. [*Liv. 24, 48. Quam multarum rerum ipse ignarus esset, — animum advertit.] *Ter. Andr. prol.* 8. Nunc, quam rem vitio dent, quaeso, animum advertite. *Id. Ph.* 5, 7, 16. Postquam tantopere id vos velle animum adverteram. *Tac. A.* 13, 49. advertere animum rebus levissimis. *Lucr.* 3, 54. animos ad religionem. *Virg. A.* 8, 440. huc advertite mentem. Dicitur etiam *advertere animum aliquid*, sequente casu communi omissa praepos. *Pl. Ps.* 1, 3, 43. Et hoc animum adverte. *Caes. B. G.* 1, 24. Postquam id animum advertit. *Lucr.* 2, 124. Haec te animum advertere par est. [*Cic. Inv. 2, 51. Naufragum quendam animum adverterunt; sic c mss. *Oudend.* neque improbat *Orelli*, qui laudat *Off.* 2, 19, 68. et *Ruhnk.* ad *Rutil. Lup.* p. 77.] Inde simpliciter *advertere* i. q. attendere, animadvertere. *Cic. Fam.* 1, 1. Advertebantur Pompeji familiares assentire Volcatio. Alii leg. *advertebatur. Tac. A.* 15, 30. Quoties novum aliquid adverterat. *Id. ib.* 14, 43. advertere pericula. [*Id. A. 13, 54. Illic per otium — advertere quosdam cultu externo in sedibus senatorum.] *Virg. A.* 4, 115. Qua ratione quod instat, Confieri possit, paucis, adverte, docebo. *Plin.* 8, 10, 10. Hirudo, quam sanguisugam appellari adverto. [*Idem addit *animo* 25, 2, 3. quo

tempore hanc scientiam ad nostros pervenisse animo adverto. *Virg. A.* 2, 712. Animis advertite vestris. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 4, 27, 8. Saepe a librariis confunduntur *animum* (animom), *animo*, *animos adv.*, v. *Drak. ib.*, scribunt etiam nonnunquam *animis*. Vid. *id.* ad 28, 14, 6.] Ac semel reperitur *advertere alicui rei*, ap. *Tac. A.* 3, 52. ventris et ganeae paratus fecerant curam, ne princeps antiquae parsimoniae durius adverteret [*i. e. ne eam nimis tueretur. Ita *Obert.* Ceterum de his loquendi rationibus certatim dixerunt VV. DD., ut *Burm.* ad *Grat. Cyn.* 148. et ad *Nemes. Ecl.* 1, 41. *Drak.* ad *Liv.* 4, 45, 4. 6, 2, 10. 40, 29, 11. et *id.* et *Gron.* ad 24, 48, 4. *Oud.* ad *Caes. B. G.* 7, 45. et ad *Hirt.* 8, 16., in quibus locis iidem frequentissimam vv. *advertere*, *animum advertere* et *animadvertere* permutationem tractant. Adde *Oud.* ad 4, 26. Eodem modo dicitur partic. *adversus*, ut ap. *Caes. B. C.* 1, 81. adverso vitio castrorum. Notandum praeterea, *animum advertere* dici etiam ubi de pluribus sermo est. V. *Drak.* ad 10, 4, 9.] ℙ De rebus quum dicitur, saepe est id. qu. ad se vertere, convertere. *Tac. A.* 1, 40. Gemitus ac planctus etiam militum aures oraque advertere. *Id. ib.* 4, 21. Atque illic eadem actitando, recentia veteraque odia advertit; bonisque exutus etc. *Plin. ep.* 1, 10. Multa in Euphrate philosopho sic eminent et elucent, ut mediocriter quoque doctos advertant et afficiant. *Id. ep.* 9, 26. Omnes advertit, quod eminet et exstat. [**Liv.* 1, 12. Adverterat ea res Sabinos, quod fuerunt qui explicarent *acciverat*. Sed male. Ap. eundem 10, 21. nonnulli codd. non improbante *Drak.* scriptum exhibent: advertit ab eis curis senatum Etruriae ingravescens bellum. Vulg. *avertit*, quae verba saepissime permutantur a librariis. V. *Drak.* etiam ad 6, 23, 8. et ad 26, 5, 9. et cf. *Lips.* ad *Tac. A.* 2, 17. et 12, 51. Ceterum ex his apparet, qua ratione *advertere* possit dici pro *monere*, *admonere*, cujus sign. noster affert exempla hic subjecta.] *Sen. ep.* 94. Non docet admonitio, sed advertit, sed excitat, sed memoriam continet, nec patitur elabi. *Tac. H.* 3, 48. Advertit ea res Vespasiani animum, ut vexillarios e legionibus deligeret. ℙ Denique cum praep. *in*, ut *animadertere in aliquem*, est i. q. punire. *Tac. A.* 2, 32. In P. Marcium consules more prisco advertere. Et 5, 9. Ut in reliquos Sejani liberos adverteretur [*i. e. ut morte afficerentur. Cf. *id. G.* 7, 3. ℙ Confunduntur a librariis *adv.*, *avertere*, *animadvertere*, v. supra, *adv.* et *admovere*. V. h. v.]

ADVESPĔRASCIT, scebat, avit, impers. 3. ἑσπέρα γίγνεται, vespertinum tempus adventat. *Cic. Verr.* 2, 4, 65. *fin.* Cum jam advesperasceret, discessimus. *Plin.* 7, 52, 53. Cum advesperavisset. *Auct. B. Hisp.* 24. Nisi advesperasset. [*Adde *Ter. Andr.* 3, 4, 2. *Cic. Fin.* 4, 28.]

[ADVESPĔRAT, id. qu. advesperascit. In *Not. Tir.* p. 113. Advesperat. *F.*]

ADVIGILANTIA, ae, f. *Ruric. ep.* 2, 3. Omni advigilantia praecavere.

ADVIGILO, as, avi, atum, n. 1. ἀγρυπνέω, id. quod vigilo, vel diligenter vigilo ad aliquam rem. *Tib.* 2, 5, 93. Nec taedebit avum parvo advigilare nepoti. *Stat. Th.* 1, 147. Impacatis regum advigilantia somnis pila, *h. e.* milites custodes corporis pilis armati, vigiles dormientibus regibus. [**Claud. Eutr.* 2, 419. Vicibus custodia nullis Advigilat vallo.] Impersonaliter *Cic. Leg.* 2, 12. Ut advigiletur ad custodiam ignis. ℙ Translate est curam habere. *Ter. Ph.* 1, 4, 26. Tanto magis te advigilare aequum est. [*Cf. *Andr.* 4, 1, 49.] *Manil.* 1, 81. advigilare sibi. *Q. Cic. Pet. cons. fin.* Si advigilamus pro rei dignitate. [**Claud. I. Stil.* 2, 140. Non prava libido Advigilat stupris.]

ADVĪVO, is, ixi, ictum, n. 3. id. qu. vivo. *Stat. Th.* 12, 424. Hic tenuem nigris etiamnum advivere lucem etc. Al. leg. *vivere*. *Scaev. Dig.* 34, 3, 28. Donec advivet. *Id. ib.* 34, 4, 30. Quamdiu advixerit. *Inscr.* ap. *Grut.* 1145, 8. Conjugi dulcissimo, cum quo advixit sine querela per annos XX. Et 1115, 8. Advivente eo. *Tertull. adv. Marcion.* 4, 19. Dic mihi omnibus natis mater advivit? *h. e.* vivit una cum filiis, vel: omnes filii habentne semper matrem viventem? [*Hoc verbum *Jul. Capitolino* restitutum ivit *Salm.* in *Anton.* 5.]

ĂDŪLĂBĬLIS, le, adj. cum adulatione factus. *Ammian.* 14, 11. Adulabili sermone seriis admixto. *Id.* 31, 12. Adulabilis quorundam sententia. ℙ Item qui adulatione et blanditiis moveri potest. *Enn.* ap. *Non.* 2, 666. Huic est animus propitiabilis, ita et adulabilis. Alii aliter legunt. V. ADOLABILIS.

ĂDŪLANS, antis, part. v. adulor, dicitur de bestiis cauda blandientibus. *Ov. Met.* 14, 45. perque ferarum Agmen adulantum media procedit ab aula. (Adde *ib.* 257.) *Gell.* 5, 14. de leone: caudam more adulantium canum blande movet. ℙ Item de homine assentante, adulante. *Cic. Am.* 26. Aperte adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors. *Tertull. adv. Marc.* 1, 27. Quid adulantius quam delicta non exsequi? [**Plin. Pan.* 26. adulantia verba.] ℙ De adorantibus, more Persarum cum regibus suis. *Liv.* 30, 16. More adulantium (accepto, credo, ritu ex ea regione, ex qua oriundi erant) procubuerunt. Conveniens oratio tam humili adulationi fuit. V. ADULATIO.

ADULANTER adv. adulatorie, κολακευτικῶς. *Fulgent. Contin. Virgil.* Vanae laudis appetitus falsa in se adulanter ingesta velut propria reputat.

ĂDŪLĂTĬO, onis, f. κολακεία, blandimentum canum. *Cic. N. D.* 2, 63. Canum tam fida custodia tamque amans dominorum adulatio. *Colum.* 6, 2. *med.* Ad alligatos boves placide et cum quadam vocis adulatione venito. *Plin.* 10, 34, 52. de columbis: circa Veneris preces crebris pedum orbibus adulatio. V. ADULO et ADULOR. ℙ Item assentatio. [*V. ADULOR.] *Cic. Am.* 25. In amicitiis nullam pestem esse majorem, quam adulationem, blanditias, assentationem. [**Ammian.* 16, 2. ancillari adulatione posthabita. Cf. *ib.* 26, 6. et *Salm.* ad *Script. H. A.* II. p. 360. *Liv.* 42, 30. Pars altera regiae adulationis (i. e. adulatorum) erat etc.] ℙ Item adoratio more Persarum in reges suos. *Liv.* 9, 18. Superbam mutationem vestis et desideratas humi jacentium adulationes. Adde *Curt.* 8, 6. et v. ADULANS. [*Cf. *interpp. Liv.* ad 9, 18, 4. Plurali utitur *Tac. A.* 2, 32. Quorum auctoritates adulationesque retuli. Cf. 4, 20. *Plin. Pan.* 41.]

ĂDŪLĂTOR, oris, m. κόλαξ, assentator. *Auct. ad Her.* 4, 21. Nolo esse laudator, ne videar adulator. *Hieron.* ep. 22. *ad Eustoch. n.* 2. Adulator blandus inimicus est. Adde *Trebell. Claud.* 3. [**Quintil.* 12, 10. *Suet. Vit.* 1.]

ĂDŪLĂTORĬE, adv. κολακευτικῶς. *Augustin. ep.* 148. Si perfunctorie atque adulatorie res agatur.

ĂDŪLĂTORĬUS, a, um, adj. κολακευτικός. *Tac. A.* 6, 32. Exemplar apud posteros dedecoris adulatorii habetur.

ĂDŪLĂTRĬX, īcis, f. ab adulator, κολακίς. *Trebell. Cl.* 3. Adulatrices exterae gentes. *Tertull. Anim.* 51. Non reliquiis animae adulatrix, sed etc.

*ADULE, es, *Ptol.* ADULI, Ἄδουλοι *Arrian.* s. Adulis, Ἄδουλις *Steph. Byz.*, oppidum Aethiopiae in terra troglodytica, ad sinum Arabicum. Etiam oppidum Aduliton (Ἀδουλιτῶν) dicitur a *Plin.* 6, 29, 34. Inde ADULICUS, a, um, ut Ad. sinus; et ADULITAE, ejus incolae. Cf. *Salm. Exerc.* p. 561.

ĂDŪLO, as, avi, atum, a. 1. voce aut gestu blandior, dicitur de bestiis, corporis gesticulatione et caudae motu alicui blandientibus. *Lucr.* 5, 1069. de canibus: longe alio pacto gannitu vocis adulant. *Colum.* 7, 12. Canes mitissimi furem quoque adulant. Alii leg. *adulantur*. *Vetus poeta* ap. *Cic. Tusc.* 2, 10. de Prometheo ab aquila lacerato (vertit autem hos versus ex *Aeschylo*; neque audiendus est *Nonius*, qui 1, 57. *Accio* tribuit): tum jecore opimo farta et satiata affatim Clangorem fundit vastum, et sublime advolans [*l. *avolans*] Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem, *h. e.* laetatur nostro sanguine. *Turneb. l.* 2. *c.* 9. ita exponit: avolans aquila tractu caudae veluti blandiens vulnus perstringendo deterget et quodammodo nostrum sanguinem adulatur: quod et adulantes canes faciunt, ut caudam agitando blande contingant dominum. ℙ Est etiam id. qu. assentari, κολακευειν. *Val. Max.* 4, 3. *fin.* Cum olera ei lavanti Aristippus dixisset: si Dionysium adulare velles, ita non esses: imo, inquit, si tu ita esse velles, non adulares Dionysium. *Appul. Met.* 5. p. 347. *Oud.* Fraudem vultu tegentes sic adulant. Adde *Auson. Grat. act.* 5. et *Mamertin. Gratiar. act. ad Julian.* 19. [*In iis, qui activa forma usi sint, *Barth. Adv.* 32, 15. laudat *Ausonium* et *Avieni* versum in *Perieg.* 338.: loca flumine adulat, idque *ib.* 24, 9. comparat cum Horatiano isto: quae loca fabulosus lambit Hydaspes. Pertinet hoc igitur ad signif. propriam.] ℙ Usurpatur etiam passiva forma, i. q. κολακεύεσθαι. *Cic. Off.* 1. 26. Cavendum, ne assentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus. [*Construunt nonnulli: nec eos nos adulari sinamus. Sed recte improbant recentiores editores, ut *Beier.*] *C. Hemina* ap. *Prisc.* 8. p. 791. Adulatique erant ab amicis et adhortati. *Val. M.* 2, 7. *n.* 15. Quo tempore tam angusto tamque gravi etiam tribunus militum adulandus erat. ℙ *Festus* docet, hoc verbum factum esse per metathesin ab *adludo*: nam canes adulantes accedunt et adludunt dominis. [At *Lennep.* ad *Sanctii Minerv.* p. 409. putat ex ἡδύς, *dulcis*, *placens*, dorice ἁδύς, sive ἀδύς, esse ἄδυλος, hinc *adulo*, vel *adulor*, ut *aemulus* ab αἰμύλος: sed illud videtur obstare huic etymo, quod secunda syllaba in *adulo* longa est, cum in ἀδύλος brevis esse debeat. *F.* *Luserunt in hujus v. etymologia etiam alii, ut *Perizon.* ad *Sanct.* I. p. 411. *ed. Bauer. aulam* et *ollam* et gr. οὐρὰν proferens. Cf. *Voss. Etymolog.* et in *Adulari*. *Kärcherus* in *Diar. Schol.* 1828. N. 62. p. 505. cognata putat germanicum *wedeln*, et angl. *wheedle*, quod utraque significatione latinae voci respondeat. Praeterea recte confert gr. σαίνειν.]

ĂDŪLOR, aris, atus sum, dep. 1. voce et gesticulatione motuque blando corporis et caudae blandior. Est enim proprium canum, (si *Nonio* credimus 1, 57.) aliarumve bestiarum gestientium et blandientium. *Colum.* 7, 12. Canes mitissimi furem quoque adulantur. V. ADULATIO et ADULO. ℙ Saepius ponitur pro assentari, seu, ut ait *Cic. Am.* 25., ad alterius non modo sensum et voluntatem, sed etiam vultum atque nutum converti, praesertimque in laudando nimium esse, κολακεύειν. Monet autem *Quint.* 9, 3, 1. sua aetate usitatius fuisse cum dativo usurpare. *Cic. Pis. fin.* Horrentem, trementem, adulantem omnes videre te volui; vidi. Quidam leg. *omnibus*. [*Illud omnes tuentur codd.; cf. *Zumpt. Gr.* p. 310. et *Burm.* ad *Quint.* p. 799.] *Id. Div.* 2, 2. adulari atque admirari fortunam alicujus. *Justin.* 8, 4. adulari sordidam clientelae suae partem. *Tac. A.* 16, 19. adulari Neronem aut Tigellium. *Liv.* 23, 4. adulari plebem. Alii leg. *affari*. [**Adulari* est *Salmasii* conjectura, probata *Gronovio*. V. ad h. l. *Drak.*] *Id.* 45, 31. Adulando aut Romanorum imperium aut amicitiam regum. [**Tac. H.* 1, 32. Adulandi quemcunque principem. *Senec. d. Ir.* 2, 31. Adulantes dominum. Quid? quod *Solin.* 2. ut civem blandius adulantur. Hoc tuetur *Salm.* librorum auctoritate, nam vulg. edunt *civi*.] *Nep. Att.* 8. adulari Antonio. *Liv.* 36, 7. Praesentibus adulando semper. ℙ De iis, qui ritu Persarum humi prostrati adorant, ut in ADULANS et ADULATIO dictum est. *Val. Max.* 4, 7. *n.* 2. *ext.* Ephaestionem more Persarum adulata. (Adde 6, 3. *n.* 2. *ext.*) *Tertull. Jejun.* 16. *med.* Qui in idolis ad singulas horas salutandis adulantur. [*Cf. *Gron.* ad *Liv.* 9, 18. Est gr. προσκυνεῖν.] ℙ Pro *colere* usurpatur non semel a *Tertulliano*. Hac autem signif. docent Etymologi ductum esse ab antiquo et obsoleto *olo*, *as*, quod olim pro *orare* seu *adorare* usurpatum fuisse putant: ex quo factum esse *adolo* (adulo) et *adulor*. [*Hoc minime necesse esse, facile intelligitur; Tertullianus enim latinis vocc. pro lubitu utitur.] *Tertull. Pall.* 4. *fin.* Adulari Aesculapio. *Id. adv. Psych.* 14. Non tantum obsequi Domino debeo, sed et adulari. Adde 16. Hinc sunt *adolabilis* pro *adorabilis*, *adolatio* et *adolo* pro *adoratio* et *adoro*, quae v. suis locis. [*De discrimine verborum *adulari*, *assentari* et *blandiri* sic breviter praecipiunt Grammatici: adulamur gestu, assentamur verbis, blandimur utroque. Cf. *Kärcher.* l. l.]

ĂDŪLTER, ri, m. μοιχός, alienae conjugis corruptor: ex ἡδυλίζω, hinc ἡδυλισμός, συνουσία, et ἡδύλλομαι, συνουσιάσαι. *Hesych.* Sed praestat etymon *Festi:* Adulter et adultera dicuntur, quia et ille ad alteram, et haec ad alterum se conferunt. *A* igitur in compositione vertitur in *u*. [*Hoc minime rarum, v. *Schneid. Gr. l.* I. p. 11. Alii alia excogitaverunt, ut fieri *adulter* ab *adulere*, quod dictum esse pr. *adulare*. Alia habet *Barth. Adv.* 1, 1. et cf. in ADULTERIUM *init.* Nostri rationem probat *Kaercherus*, ut *adulter* propr. sit, *qui ad alteram accedit*, ac maxime illiciti amoris causa; tum, ubi de rebus dicatur, id, *quod ad alterius similitudinem accedit* s. *factum est*, sed non tamen id ipsum neque aeque bonum est, quod igitur specie fallit, *falsum*, *fictum*, *non genuinum*.] *Cic. Cat.* 2, 4. Quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quae mulier infamis etc. [*Cf. *id. Fin.* 2, 9. *Ov. Her.* 20, 8. ubi *conjux* opponitur.] *Tac. A.* 3, 24. Adulteros filiae ac neptis punivit. Et mox: Silanus in nepte Augusti adulter. [*Ut *adulter filiae* dicitur, ita *adulter nominis* audacius dixit *Ovid. A. A.* 2, 637. cum nominis exstat adulter, i. e. qui per mendacium gloriatur de amoribus feminae.] — Dicitur etiam de brutis animalibus. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 304. Cum forte leaenae Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter. *Grat. Cyneg.* 164. Tunc et mansuetis tuto ferus errat adulter in stabulis. ℙ Interdum latius usurpatur pro quocumque impudico amatore. *Hor. Od.* 3, 16, 1. Inclusam Danaen turris ahenea Robustaeque fores munierant satis Nocturnis ab adulteris. *Id. Od.* 1, 36. *extr.* Nec Damalis novo divelletur adultero. Adde *Ov. Ib.* 338. ℙ [*Proprie h. v. substantive tantum usurpatum fuisse videtur, sed a poetis interdum etiam adjective dictum est, ut respondeat gr. μοιχικός.] *Hor. Od.* 1, 15, 19. Adulteros crines pulvere collines, [*i. e. crines, quales sunt adulteri, eleganter compti.] *Ov. Amor.* 3, 4, 5. adultera mens est [*i. e. quae cogitat amores. Cf. *Lactant.* 6, 23, 34. *Solin.* 27. partus adulteri, i. e. ex adulterio suscepti. Translate hoc dixit de arboribus insitis *Manil.* 2, 22. atque arbusta vagis essent quod adultera pomis.] Saepius autem adjective reperitur dictum pro *adulterinus* i. e. fictus, vitiatus, corruptus. *Ov. A. A.* 3, 643. adultera clavis. Cf. ADULTERINUS. [*E *Tertull.* sapor adulter affert *Salm.* ad *Solin.* l. l.] *Appul. Met.* 10. p. 696. *Oud. adulter nummus*, et *Plin.* 33, 7, 37. *adulterum minium*, hoc est adulteratum. Paullo alia ratione pro *neglectus*, *sterilis*, *perditus* de agris dixit *Prudent. Hamartig.* 217. tunc lolium lappasque leves per adultera [*i. e. adulterata et corrupta illis ipsis, lolio etc.] culta Ferre malignus ager glebis male pinguibus ausus. ℙ Interdum *adulter* sumitur pro adulteratore. *Impp. Valentin. Theodos. et Arcad. Cod.* 1, 7, 3. Adulter monetae. *Imp. Constantin. ibid.* 9, 24, 2. Adulter solidorum.

ĂDŪLTĔRĂ, ae, f. quae cum alieno marito concumbit, μοιχάς, μοιχαλίς. *Hor. Od.* 3, 3, 25. Jam nec Lacaenae splendet adulterae Famosus hospes.

[*Ov. Met.* 10, 347. adultera patris. *Quint.* 5, 10, 104. Adulteram sine adultero occidi. Cf. *id.* 7, 1, 7. *Suet. Cal.* 24. Sorores condemnavit quasi adulteras.] Dicitur hoc quoque de brutis animalibus. *Plin.* 8, 16, 17. Odore pardi coitum sentit in adultera leo.

ĂDULTĔRĀTĬO, onis, f. παραχάραγμα, [*dicitur hoc propr. de nummis] corruptio simplicis et sincerae rei, admixtione deterioris et vilioris. *Plin.* 21, 6, 17. Probatio croci sinceri, si imposita manu crepat, veluti fragile: humidum enim, quod evenit adulteratione, cedit. *Id. in lemmatis ante l.* 2. *ad l.* 12. *n.* 19. In omnibus odoribus aut condimentis dicuntur adulterationes, experimenta, pretia.

ĂDULTĔRĀTOR, oris, m. παραχαράκτης, qui adulterat et corrumpit aliquid. *Claud. Saturnin. Dig.* 48, 19, 16. *sub fin.* Adulteratores monetae.

*ĂDULTERATRIX. *Gl. gr. lat.* μοιχαλίς, adulteratrix.

ĂDULTĔRĀTUS, a, um, partic. v. *adultero*, i. q. adulterio corruptus. *Suet. Caes.* 48. Ob adulteratam equitis Romani uxorem. *Id. ib.* 6. adulteratam opinatus a P. Clodio. *Adulteratus nidus* dicitur a *Plin.* 10, 9, 11. in quo aliena ova aut pulli foventur [*de cuculo loquitur, qui alienis nidis ova sua excludenda committit.] ℙ [*Translate *Flor.* 2, 11. Gallograeci — adulteratae (aliis populis mixtae) reliquiae Gallorum.] Inprimis vero dicitur, ut χιβδηλευθείς, alienae et vilioris rei admixtione corruptus. *Plin.* 31, 10, 46. *n.* 4. Nitrum sincerum facile resolvitur, adulterum pungit. *Id.* 19, 3, 15. Laser adulteratum.

ĂDULTĔRĪNUS, a, um, adj. ex adulterio natus, μοιχικός. *Plin.* 7, 2, 2. Liberi adulterino sanguine nati. Et de brutis animalibus *id.* 10, 3, 3. Pullus adulterinus et degener. ℙ Translate sumitur pro adulterato, aliena et viliore re admixto, corrupto, κίβδηλος. *Cic. Off.* 3, 23. adulterinos nummos pro bonis accipere. *Id. Cluent.* 14. testamentum signis adulterinis obsignare. [*Liv.* 40, 23.] *Sall. Jug.* 12. Adulterinae claves. *Plin.* 26, 8, 38. Scammonium adulterinum. [*Varr. R. R.* 1, 40. Semina propter similitudinem adulterina. *Pl. Bacch.* 2, 3, 32. adulterinum symbolum. *Appul. Met.* 4. adulterinae literae (i. e. fictae). Ap. *eund. ib.* 7. *auctor adulterinus* est Amor sub aliena imagine latens.] *Ulp. Dig.* 47, 11, 6. Staterae adulterinae. *Paul.* ex *Festo*: Adulterina signa dicuntur alienis anulis facta.

ĂDULTĔRĬO, onis, m. Vox est usurpata a *Laberio* pro *adultero*, ut interpretatur *Non.* 2, 12., vel pro *adulterio*, ut exponit *Gell.* 16, 7., qui merito eam damnat, ut nimis licenter noveque fictam. Idem de voce *adulteritas*, quae itidem pro adulterio ab eodem *Laberio* usurpata est, esto judicium.

ĂDULTERITAS, atis, f. V. voc. praeced.

ĂDULTĔRĬUM, ii, n. μοιχεία, alieni tori violatio. *Papin. Dig.* 48, 5, 6. Proprie adulterium in nupta committitur, propter partum ex altero conceptum, composito nomine, *h. e.* adultus ab altero. *Quint.* 7, 3. Adulterium est cum aliena uxore coire. *Cic. Or.* 2, 68. deprehendi in adulterio. *Ulp. Dig.* 1, 12, 1. committere adulterium in uxorem alienam. *Catull.* 67, 36. Cum quibus illa malum fecit adulterium. [*Suet. Aug.* 69. adulteria exercere. *Id. Cal.* 11. ad. obire, quo loco *Bremi* intelligit de locis, in quibus adulteria committuntur. *Adulteria componere* dixit *Tertull. Apol.* 15.] *Vell.* 2, 45. Ob initum adulterium. *Justin.* 5, 2. et 22, 1. adulterio cognoscere alicujus uxorem. [*Suet. Caes.* 52. impudicitiae et adulteriorum flagrare infamia. *Id. Cl.* 1. per adulterii consuetudinem procreatus. *Id. Aug.* 70. poetae verba affert: dum nova divorum coenat adulteria, i. e. inter coenandum adulteria committit. *Adulteria caelata vasis* sunt adulteriorum imagines ap. *Plin.* 14, 22, 28. De adulterii poena in lege Julia constituta v. *Lips. Exc.* ad *Tac. A.* 4, 42. et *Gesner.* ad *Plin. ep.* 6, 31, 6.] — De brutis animalibus *Plin.* 8, 5, 5. adulteria non novere elephanti. *Id.* 10, 34, 52. Columbis non nota adulteria. ℙ Translate *id.* 17, 1, 1. Adulteria arborum, *h. e.* insitiones, quibus arbores alienos surculos accipere et poma non sua gignere coguntur. *Id.* 19, 3, 15. Adulteria mercis, *h. e.* adulterationes. Et 14, 9, 11. Adulterium mellis. *Id.* 9, 40, 65. *adulteria naturae* appellat varia medicamina, seu colores disparatos permixtos una ad conficiendum unum colorem purpureum aut conchylii. Sic *Manil.* 5, 266. Ut sit adulterio succorum gratia major. [*Haereticos *adulteria* appellat *Tertull. Apolog.* 47.]

ĂDULTĔRO, as, avi, atum, a. 1. μοιχεύω, adulterium committo, alienum virum aut feminam corrumpo. *Justin.* 43, 4. Mulier adulterare cum Graeco adolescente solita. *Suet. Aug.* 67. Proculum mori coegit compertum adulterare matronas. [*In h. l. igitur transitiva dicitur signif. pro *corrumpere*. Cf. in ADULTERATUS. Cum *Justini* l. compone *Cic. Leg.* 1, 16.] ℙ Translate est corrumpere et suam rebus simplicitatem adimere admixtione rei deterioris. *Cic. Am.* 25. Simulatio tollit judicium veri idque adulterat. *Id. Partit.* 25. Voluptas boni naturam fallaciter imitando adulterat. *Id. Caecin.* 26. adulterare jus civile pecunia. *Plin.* 12, 12, 26. Nardus adulteratur pseudonardo. *Id.* 16, 40, 76. *n.* 3. adulterare colorem. *Id.* 37, 3, 12. gemmas. *Paul. receptar. Sentent. l.* 5. *tit.* 25. nummos. *Ulp. Dig.* 11, 3, 1. rationes dominicas. *Ov. Fast.* 1, 373. de Proteo: ille suam faciem transformis adulterat arte, *h. e.* vertit, mutat. ℙ *Adulteror, aris*, deponenti forma etiam dici quidam putant afferuntque locum *Cic. Off.* 1, 35. latrocinari, fraudare, adulterari. Sed *adulterare* alii legunt [*ut *Beier.*] Huc etiam trahunt illud *Hor. Epod.* 16, 32. Adulteretur et columba milvio, *h. e.* cum milvio adulteretur. Sed etiam ita exponi potest: *adulteretur*, hoc est *ineatur a milvio*, ut sit passivum [*recte haud dubie. ℙ Ap. *Cic. Rosc. Com.* 4. confunduntur *adulterare* et *annumerare;* quod v. ibi restitutum est ab editoribus.]

ĂDULTĔROR, aris, dep. 1. V. voc. praeced.

ADULTUS, a, um, partic. v. *adoleo*, qui crevit. *Justin.* 43, 2. Adultis inter pastores de virtute quotidiana certamina et vires et pernicitatem auxere. [*Tac. A.* 2, 3. apud Dahas adultus. Cf. 11, 16.] ℙ Saepe est nomen adj., et significat illum, qui jam crevit et ad justam staturae suae magnitudinem pervenit, ἀνδρωθείς, diciturque ita proprie de animalibus et plantis. *Cic. Tusc.* 5, 20. virgines adultae (ὡραῖοι). [*Suet. Tib.* 10. adultis jam Augusti liberis. *Id. Cl.* 39. adulto filio.] *Id. Verr.* 2, 3, 68. adulta aetate puer. [*Suet. A.* 69. cf. *Liv.* 1, 4. et quae supra in ADOLESCO diximus.] *Sall. Cat.* 15. Timens privignum adultum aetate. *Plin.* 9, 8, 7. Adulti catuli delphinorum. *Id.* 10, 33, 49. adultiores pulli hirundinum. *Hor. Epod.* 2, 9. adultae vitium propagines. [*Ammian.* 30, 3. adultae in pastum segetes. Hinc per imaginem *Cic. Tusc.* 2, 4. (Philosophia) ea mandat his (animis) et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant.] — Tum eadem signif. dicitur etiam de aliis rebus. *Stat. Silv.* 2, 1, 122. adultus crinis. [*Ammian.* 16, 12. adultae lanuginis juvenis.] *Catull.* 20, 11. capellae ubera adulta lacte [*i. e. distenta, turgentia.] ℙ [*Translate dicitur omnino de iis, quae ad maturitatem et perfectionem venerunt.] *Cic. Brut.* 7. Non nascentibus Athenis, sed jam adultis. *Tac. H.* 5, 8. Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis. *Vell.* 2, 110. adulta viribus Dalmatia. [*Cic. R. P.* 2, 11. Adultus jam et pene puber populus Rom. a Romulo relictus. *Beier.* Adde *Liv.* 2, 1.] *Cic. Cat.* 1, 12. adulta pestis reipublicae. *Tac. H.* 1, 31. incipiens adhuc et nondum ad. seditio. [*Id. A.* 15, 73. coepta adultaque conjuratio.] *Id. A.* 3, 53. praevalida et adulta vitia. *Id. ib.* 1, 46. auctoritas adolescentium nondum adulta. *Id. H.* 3, 23. adulta nocte [*i. e. media, alta. Cf. *Salmas. Exerc.* p. 506.] *Id. A.* 2, 23. adulta aestate [*i. e. media et jam ad auctumnum vergente. Cf. *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 43., qui ver *novum*, *adultum*, *praeceps* distinguit. *Tac. A.* 11, 31. ad. auctumnus. *Adultus sol.* V. in ADUSTUS.] ℙ *Adultus* pro *crematus*. V. in *Adoleo*.

ĂDUMBRĀTIM, adv. τυπωδῶς. *Lucr.* 4, 362. Non tamen ut coram quae sunt vereque rotunda, Sed quasi adumbratim paulum simulata videntur, *h. e.* non omnino et perfecte rotunda.

ĂDUMBRĀTIO, onis, f. σκιαγραφία, rudis et imperfecta rei descriptio aut imago. *Vitr.* 1, 2. Scenographia est frontis et laterum abscedentium adumbratio. V. ADUMBRO. ℙ Translate *Cic. Or.* 29. Nulla est ullo in genere laus oratoris, cujus in nostris orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at conatus tamen atque adumbratio. ℙ Refertur etiam ad simulationem. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 8. *ext.* Insidiosa beneficii adumbratio.

ĂDUMBRĀTUS, a, um, partic. v. *adumbro*, umbra tectus. *Petr. Sat.* 105. Ut notae quoque litterarum, non adumbratae comarum praesidio, totae ad oculos legentium accederent. ℙ Item descriptus, delineatus, adjectis umbris colorum, non tamen perfecte expressus (v. ADUMBRO) ἐπισκιασθείς. *Id. ib.* 106. adumbrata inscriptio. *Cic. N. D.* 1, 27. Cedo mihi istorum adumbratorum deorum lineamenta atque formas. [*Sic dicuntur dii Epicuri, qui non corpus, sed quasi corpus habent. *Quintil. Decl.* 10, 11. adumbrati artificis manu vultus.] ℙ Translate *Cic. Coel.* 5. Habuit ille permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum. *Id. Leg.* 1, 22. rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo ac mente concipere [*i. e. notiones innatas, quas gr. προλήψεις appellant. V. *Goerenz. Id. Fin.* 5, 24. Quodsi ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam — penitus viderent, quonam gaudio complerentur, quum tantopere ejus adumbrata opinione laetentur? Cf. *Goer.*] *Id. Tusc.* 3, 2. Consectatur nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae. Est enim gloria solida quaedam res et expressa, non adumbrata. *Id. Verr.* 2, 3, 33. Aeschrio, Pippae vir adumbratus [*nam Verri uxorem permittebat. *Id. Agr.* 2, 9. comitia adumbrata, quibus opp. *vera*. Nimirum umbra speciem quidem alicujus rei refert, minime vero res ipsa est. Adde *Sull.* 18. adumbratum indicium filii.] *Tac. A.* 4, 31. Nec occultum est, quando ex veritate, quando adumbrata [*i. e. ficta] laetitia facta imperatorum celebrentur. [*Ammian.* 14, 11. Jam non adumbratis fallaciis res agebatur, sed etc.]

ĂDUMBRO, as, avi, atum, a. 1. ἐπισκιάζω, umbram inducere. *Colum.* 5, 5. Palmeis tegetibus vineas adumbrabat. *Id.* 11, 2, 61. Adumbrantur stramentis uvae, ne caloribus exarescant. [*Cf. 9, 7, 4.] ℙ Est etiam verbum pictorum et significat quadantenus aliquid exprimere, non primis tantum lineis, ut vulgo interpretantur, delineare. Est enim *adumbrare* Latinis, quod Graecis σκιαγραφεῖν, et *adumbratio* σκιαγραφία, lineatio, quae addit umbras, et oculis non modo lineas exhibet, sed explicatiores etiam rerum species subjicit. Primum enim pictores lineamenta ducunt futurae imaginis (quod ἐγγραφα dicitur), deinde inducunt colores, quibus addunt umbras, et sic paulo expressiorem speciem exhibent, non tamen perfectam. Haec igitur *adumbratio* est, cui postea accedit manus ultima, cum omnia ad exactam elegantiam exprimuntur et expoliuntur. *Val. Max.* 8, 11. *fin.* Quod pictor adumbrare non valuit, casus imitatus est. *Quintil.* 7, 10, 9. Quis pictor omnia, quae in rerum natura sunt, adumbrare didicit? ℙ Translate est quocumque modo aliquid persequi, describere, repraesentare. [*Cic. Fin.* 5, 22. A natura adumbrantur honesta, quae intelligimus. V. supra in ADUMBRATUS.] *Cic. Or.* 2, 47. Heroum veteres casus fictosque luctus imitari atque adumbrare dicendo. [*Curt. 10, 3. Nec Persis Macedonum morem adumbrare, nec Macedonibus Persas imitari indecorum est.] *Id. Or.* 14. Eloquentiae speciem et formam adumbrare. *Id. Or.* 3, 4. Quo in genere orationis utrumque oratorem cognoveramus, id ipsum sumus in eorum sermone adumbrare conati. *Ementiendo adumbrare* est fingere, comminisci. *Cic. Dom.* 30. Quid te desperatius, qui ne ementiendo quidem potueris auctorem adumbrare meliorem? [*Adumbro, inumbro, obumbro* in libris confunduntur. *Burm.* ad *Virg. G.* 4, 20. coll. *Aen.* 11, 66.]

[ĂDUMENUS, i, cognomen libertinum in *Inscr.* ap. *Mur.* 1530, 5. Ti. Claudius Robus fecit liberto suo benemerenti Adumeno. *F.*]

*ĂDUNAS s. ADUNA, ae, fluvius in Perside et Susiana, qui in Eulaeum influit. *Plin.* 6, 27, 31.

ĂDUNĀTĬO, onis, f. congregatio, ἕνωσις. Vox est *Cypriani ep.* 57. et 60. (al. 60. et 62.), *Diomed.* 1. et *Cassiod. ep.* 4, 33. et 36.

ĂDUNĀTUS, a, um, part. v. *aduno*, congregatus, collectus, ἑνωθείς. *Justin.* 2, 12. Cum adunata omnis classis esset. Et 7, 1. adunatis gentibus. Et 15, 4. adunatis copiis. Adde *Pallad.* 4, 10. *fin.* et *Lact. Opif. D.* 17. *fin.* Putatur etiam *Cicero* hac voce usus *Off.* 3, 8. Turpitudinem videas adunatam ei rei etc. Ita enim legit *Nonius* 4, 20. Ceteri autem omnes mss. et edd. *adjunctam* habent.

ĂDUNCĬTAS, atis, f. curvitas in acutum desinens, καμπυλότης. *Cic. N. D.* 2, 47. Animalia cibum partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum. Adde *Plin.* 10, 49, 69.

ĂDUNCUS, a, um, adj. καμπύλος, acumen curvum habens unci modo. *Cic. Cluent.* 48. Serrula adunca ex omni parte dentium et tortuosa. [*Id. N. D.* 1, 24. curvata et quasi aduncа.] *Id. Tusc.* 2, 10. vertens carmina Aeschyli: adunci ungues. *Ov. Met.* 13, 808. aduncі hami. [*Ib.* 14, 628. falx. *Plin.* 11, 37, 60. rostra. *ib.* 45. cornua. *Liv.* 1, 18. Dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens, quem lituum appellaverunt.] *Id. Fast.* 2, 295. Aduncus vomer. *Ter. Heaut. sub fin.* aduncus nasus. V. NASUS. *Ov. Fast.* 6, 196. magni praepes adunca Jovis, *h. e.* aquila aduncо rostro. ℙ Gradus hujus adjectivi nondum vidimus.

[ĂDUNDO, as, id. qu. abundo. Legitur in *Not. Tir.* p. 125. Adundat. *F.*]

*ĂDUNICATES, ium, populus in Gallia Narbonensi. *Plin.* 3, 4, 5.

ĂDŪNO, as, a. 1. ἑνόω, congrego. *Lactant. Mort. pers.* 45. *extr.* Sparsi milites per diversas regiones fuerant, et adunari omnes angustiae temporis non sinebant. *Pallad.* 3, 29. Membra divisae partis adunare et vinculo constricta deponere. Adde *Justinum* supra in ADUNATUS. Qui enim *Livio* tribuunt 32, 30., male tribuunt, et verbo *adjungo*, quod legitimum est, injuriam faciunt. [*V. de h. v. *Arntzen.* ad *Aurel. Vict. de V. Ill.* 1, 4.]

ADVOCAMENTUM, ti, n. pro advocatione quidam inepte legunt ap. *Plin. ep.* 5, 8. *veniam advocamenti peto:* sed alii plerique rectius *advocandi*. V. ADVOCO.

ADVOCATIO, onis, f. patrocinium alicui in judicio praestitum, συνηγορία. Significatur autem non quidem causae dictio (quae oratoris est), sed consilium et auxilium quodcumque aut officium in alicujus causa adhibitum. V. ADVOCATUS. *Cic. Fam.* 7, 10. ad Trebat. JCtum: tu in re militari multo es cautior, quam in advocationibus. [*Huc refer *Quint. Decl.* 4, 6. Satis sit, hucusque auctoritatem sacrae legis attingere, ut illam in advocationem sacrae mortis adducam, i. e. ut mihi ad-

jumento sit ad mortem parricidii expertem.] ℙ Etiam causae dictio totumque oratoris officium *advocationis* nomine significari aliquando coeptum est. *Plin. ep.* 5, 14. bis terque hoc modo usurpat. [**Id.* 2, 11, 19. injuncta advocatione. Cf. *Quintil.* 7, 1.] *Suet. Gramm.* 22. M. Pomponius Marcellus in advocatione quadam (nam interdum et causas agebat) soloecismum ab adversario factum etc. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 5. *ext.* Demosthenes, ut in advocationem venit, mulier, inquit, parata est etc. *Ulp. Dig.* 1, 16, 9. Advocationem suscipere adversus aliquem. ℙ Ponitur etiam pro consultatione. *Cic. Verr.* 2, 1, 49. *fin.* In aede Castoris, quo saepenumero senatus convocatur, quo maximarum rerum frequentissimae quotidie advocationes fiunt. Ubi *Asconius:* vel uti consulatur convenientibus advocatis, vel ut alterutri parti apud arbitros adsint, vel ut ipsi judices in rem aliquam capiantur. [*Non pauci h. l. ea significatione intelligunt, quae proxime sequitur, ut advocatio sit *coetus advocatorum.*] ℙ Item pro ipsis *advocatis*, ut *servitia* pro *servis. Liv.* 3, 47. Virginius sordidatus filiam secum cum ingenti advocatione in forum deducit. *Cic. Sext.* 56. Scio quid gravitas vestra, quid haec advocatio, quid illi conventus, quid honos meus postulet. [*Cf. *id. Quint.* 14. *Rosc. Com.* 3. *Caec.* 15. *Sull.* 29.] *Id. Dom.* 21. Cum eos, qui in conventu virorum bonorum verba de salute mea fecerant, adesse jussisti eorumque advocationem manibus, ferro, lapidibus discussisti, tum profecto ostendisti vim tibi maxime displicere. [*Hinc etiam dicitur de ordine advocatorum, ut in aliqua urbe. *Cod. Just.* 2, 3, 30. *init.* advocatio Caesareensis, i. e. ii advocati, qui Caesareae habitant. Et paulo aliter *ib.* 2, 7, 8. advoc. Praetoriana i. e. qui sunt in judiciis praefecti praetorio.] ℙ Item pro mora et dilatione judicii. Nam qui parum instructi sibi videntur ad respondendum, advocationem, i. e. advocandi amicos jus petere a judice solent spatiumque consulendi. *Sen. praef. l.* 3. *excerpt. Controv. pr. fin.* Tanta illi perturbatio fuit, ut advocationem peteret. *Cic. Fam.* 7, 11. Ego omnibus, unde petitur, hoc consilii dederim, ut a singulis interregibus binas advocationes postulent, *h. e.* binas dilationes; quae cum fere in perendinum darentur, totum interregnum, quod quinque dierum spatio finiebatur, absumebant. [*V. *Manut.* et *Graev.* ad h. l. Adde *Burm.* ad *Petron. Sat.* 96. p. 458. *Quint. Decl.* 280. Non meretur advocationem, ubi praecedit: neutra res est, quam differri oporteat. Adde *Vorst.* ad *Valer. M.* 2, 4, 1.] ℙ Hinc translate pro quacumque mora sumitur. *Sen. Cons. ad Marc.* 10. Nimis magnam advocationem dedi: festinandum est. *Id. d. Ira* 1, 16. Ratio etiam advocationem sibi petit, ira festinat. *Id. nat. Qu.* 7, 10. Et ut det eis aliquam advocationem, quid de his cometis dicetur, qui senis mensibus apparuerant? *h. e.* statum seu quietem a cursu. Hoc autem loco nimis audacter, de cometis loquens, *advocationis* verbo usus videtur *Lipsio* ad *c.* 10. *Consol. ad Marc.* ℙ Nova signific. h. v. posuit *Tertull.* pro consolatione, *Patient.* 11. V. ADVOCO. ℙ [*In libb. confunduntur *advoc.* et *invocatio*, ut ap. *Liv.* 3, 47, 1.]

ADVOCATOR, oris, m. id. qu. advocatus. *Tertull. c. Marc.* 4, 15. Deus divitum aspernator, mendicorum advocator. [*At in his non videmus quid impediat, quominus advocatorem explicemus eum *qui advocat.*]

ADVOCATUS, a, um, particip. v. *advoco*, παρακληθείς, προσκληθείς. *Curt.* 4, 11. Quos Alexander, advocato consilio, introduci jussit. *Nep. Alc.* 6. concione advocata. *Liv.* 42, 33. populus in concionem advocatus. *Catull.* 40, 5. Quis deus tibi non bene advocatus? h. e. non rite invocatus. Sic *Liv.* 8, 33. dii haud frustra advocati. Adde *Varr. R. R.* 1, 1. [*2, 5.] *Cic. Caecin.* 9. *fin.* Non solum Aebutium cum armatis venisse compluribus, verum etiam cum advocatis (ad auxilium ferendum) perpaucis eo venisse Caecinam. ℙ Translate *Cic. Tusc.* 4, 23. Non igitur desiderat fortitudo advocatam iracundiam; satis est instructa, armata, parata per sese. *Id. Acad.* 2, 27. Adhibes artem advocatam etiam sensibus. [*Utrumque locum noster posuerat s. v. ADVOCATA, ae, f. quod nobis ineptum videbatur.] *Id. Tusc.* 5, 38. Sapientis autem cogitatio non ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos. [*Immerito hoc displicuit *Ernestio.* Plura v. in *Advoco.*] ℙ Ex his apparet, advocatum dici eum saepe, qui ad auxilium ferendum advocatur. Hinc igitur hoc verbum, cum substantive dicitur, partim omnino eum, qui in quacunque re consilium, auxilium, operam alicui praebet, ut ap. *Petron. Sat.* 110. periclitantium advocatus, partim vero et maxime eum, qui alteri adest in causa apud judicem, συνήγορον, significat. Significabatur autem h. v. temporibus Ciceronis non is, qui causam agebat, sed is tantummodo, qui advocabatur, ut consilio et praesentia aut quacumque alia ratione [*ut laudando reum] in judicio causam juvaret, jus suggereret, et litigandi formulas forique morem doceret. [*Cf. in hanc rem *Ruhnk.* ad *Ter. Eun.* 2, 3, 48.] *Ascon. in Div. Verr.* 4. Qui defendit alterum in judicio, aut patronus dicitur, si orator est; aut advocatus, si jus suggerit (quod erat JCtorum, cum consulentibus de jure respondebant); aut praesentiam suam commodat amico (quod erat cognatorum et amicorum); aut procurator, si negotium suscipit; aut cognitor, si praesentis causam novit et sic tuetur ut suam. [*V. etiam *Heindorf.* ad *Hor. Sat.* 2, 5, 38.] *Cic. Fam.* 7, 14. ad Trebat. JCtum: minus multi jam te advocato causa cadent. [*Cf. *id. Mur.* 4.] *Id. Cluent.* 40. Quis eum unquam non modo in patroni, sed in laudatoris aut advocati loco viderat? *Id. Or.* 2, 74. Orat reus, urgent advocati, ut invehamur etc. *Id. Sull.* 29. advocatum esse alicui reo. [**Id. Phil.* 1, 7. Armatos homines, quos in senatum induxerat, Antonius Consul advocatos appellat; vellem adesset sine advocatis.] *Id. Off.* 1, 10. venire advocatum alicui in rem praesentem. [*Cf. *id. Quint.* 8. *Ter. Eun.* 4, 6, 26. *Ad.* 4, 5, 43. *Pl. Poen.* 3, 6, 11. Bonam dedistis, advocati, operam mihi; cras mane in comitio este obviam; qui iidem antea (3, 4, 1. et 6, 1. *testes* appellantur.) *Liv.* 38, 33. Ierunt alii etiam illustres viri, et advocati privatis etc. *Ter. Eun.* 2, 3, 49. Adv. mane mi esse ut meminerit. *Id. Ad.* 4, 5, 11. advocatum sibi. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 42, 33, 1. Praecipue hanc rem illustrat *Ter. Ph.* 2, 1, 82. Inde ibo ad forum atque aliquot mihi amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient, ut ne imparatus sim, si adveniat Phormio. Ridiculae advocationis exemplum v. *ib.* 2, 4.] ℙ Deinde [*inferiore demum aevo; v. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 7, 10.] translata est haec vox ad significandum etiam ipsum patronum, qui causam dicit et in judicio defendit, causidicum, oratorem. *Auct. dial. de Orat.* 1. Horum temporum diserti, causidici, et advocati, et patroni, et quidvis potius, quam oratores vocantur. *Quintil.* quoque 12, 1, 13. [*cf. *ib.* 25, 5, 6. 9, 3, 22.] *Suet. Cl.* 15. et 33. *Plin. ep.* 7, 23. [*et *Tac. A.* 11, 5. 6.] hoc sign. usurpant. ℙ [*Advocatus populi* est plebis tutor et quasi tribunus, alius a patrono municipii; fortasse idem fuit ac *patronus plebis* (*Inscr.* ap. *Morcell. de stil. T.* 2. p. 62. ed. *Patav.*), nam *populum* pro *plebe* dixit etiam *Martial.* 8, 15. dat populus, dat gratus eques, dat tura senatus. Idem munus videtur significari in *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 88. C. Gallerio C. F. An. Juliano Advocat. Public.; qui idem dicitur *ibid.* Patron*us* Colo*niae* Augu*stae* Arimin*ensium.* Hinc Veneta respublica suum habebat *Avogador*, quod munus ex priscis temporibus profecto repetendum videtur. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 116. 1. C. Calvisio C. F. Pob. Statiano populi advocato Veronen*sium* patrono. *Id. ib.* p. 366. 3. Q. Gellio Villiano II. viro, advocato populi ordo. *F.* **Advocatus fisci* commemoratur ab *Eutrop.* 8, 18 (9) ubi v. *interpp.*]

ADVOCITARE, est saepe advocare. *Festus.*

ADVOCO, as, avi, atum, a. 1. προσκαλέω, id. qu. voco, ad me, ad aliquem locum, aliquo consilio voco. *Sall. Cat.* 60. Ego vos, quo pauca monerem, advocavi. Et 47. Reliquos in aedem Concordiae venire jubet, eo senatum advocat. *Tac. H.* 4, 41. advocare deos testes. *Ov. Rem. am.* 110. advocari aegro, i. e. ad aegrum. [**Quint. Decl.* 8, 14. Medicos advocat alia curatio. V. ibi *Burm.*] *Hor. Od.* 4, 11, 13. advocari (id. qu. invitari) gaudiis i. e. ad gaudia. [**Quintil.* 11, 1. advocari causis.] *Cic. Att.* 12, 18. adv. aliquem ad obsignandum. [**Quint.* 12, 1. ad defendendas causas.] *Virg. A.* 5, 44. socios in coetum advocat Aeneas h. e. in concionem. *Liv.* 4, 1. advocare plebem ad concionem. *Cic. Verr.* 2, 3, 8. viros primarios in consilium. *Id. ib.* 80. adv. concionem. [*Praepos. *in* habes etiam ap. *Liv.* 42, 33. praep. *ad* 1, 39. *adv. consilium* est ap. *eund.* 1, 6. Sed possent haec multis, si tanti esset, augeri, etiam similibus, ut adv. in regiam *Curt.* 10, 6. Perpetua tamen est in hujusmodi locis atque etiam in aliis commutatio verborum *advocare*, *vocare*, *convocare*, de qua, ut omnino de istis locutionibus, adi *Barth.* ad *Stat. Th.* 4, 305. *Burm.* ad *Phaedr.* 1, 14. *Drak.* ad *Liv.* 2, 55, 10. 7, 37, 1. 26, 41, 2. *id.* et *Gron.* ad 26, 48, 13. *Drak.* ad 30, 5, 1. et *Gron.* ad 44, 2, 5. Sic etiam ap. *Cic. Phil.* 2, 39. *quos convocasti* edidit *Orell.* ex libb. melioribus, cum vulgo legeretur *advocasti.* Illud praeterea commemorandum est, in talibus locis interdum *avocare* pr. *advocare* scriptum reperiri, nam haec quoque verba saepissime confunduntur. V. *Burm.* ad *Virg. A.* 5, 44. *Drak.* ad *Liv.* 1, 6, 1. 4, 61, 3. et alibi. Sic ap. *Liv.* 3, 16., ubi haec leguntur: concilium inde legi perferendae habere, avocato populo ab armis, al. praebent *advocato*, quod *Drak.* certe non improbandum esse ait. Recte, nec difficile est ad intelligendum, quando dici possit *advocare aliquem ab al. re* et quando *avocare al. ad rem.* Similia in v. ADVOLARE notabimus.] — Persaepe *advocare* dicitur de iis, qui aliquem auxilii causa ad se arcessunt (cf. supra). *Tac. H.* 2, 91. adv. aliquem in auxilium. [**Liv.* 8, 33. Deosque ab se duobus proeliis haud frustra advocatos.] Hinc est forense verbum et significat vocare ad se seu sibi adjungere aliquem, qui in judicio adsit, instruat, auxilietur, et causam agenti adstet. *Cic. Quint.* 2. In his quos tibi advocasti, viris electissimis civitatis. [*Hic dicitur de iis, qui praetori adsunt in judicio, de judicibus.] Et 21. Viros bonos complures advocat, testatur etc. Et 22. advocare aliquem contra alium. *Pl. Cas.* 3, 3, 6. Quem ego litem perdidisse gaudeo; ne me nequicquam sibi hodie advocaverit. [**Ter. Ph.* 2, 1, 83. Aliquot mihi amicos advocabo. Cf. in ADVOCATIO et ADVOCATUS.] Pertinet huc etiam locus *Plin. ep.* 5, 8. *med.* Ideoque interim veniam — advocandi peto. Hic alludit *Plin.* ad morem petendi dilationem judicii spatiumque consultandi cum amicis, petitque veniam, quod differat longius historiam conscribere. Cf. in ADVOCATIO. ℙ Translate sumitur pro adsciscere, adjungere, admovere, adhibere. *Virg. A.* 8, 249. Desuper Alcides telis premit omniaque arma Advocat, et ramis vastisque molaribus instat. *Sen. Troad.* 613. Nunc advoca astus, anime, nunc fraudes, dolos, et totum Ulyssem. [**Med.* 562.] *Sen. Ben.* 6, 2. Licet omnes in hoc vires suas natura advocet. *Vell.* 2, 108. Quod usu optimum intelligit, id in tutelam securitatis suae libenter advocat. *Auct. Moreti* 24. advocare manus operi. [**Ov. Met.* 7, 138. Secretas advocat artes. *Sil.* 9, 82. Ad conamina noctem advocat. *Id.* 17, 87. enses advocat.] *Plin.* 9, 36, 60. advocare purpuram diis placandis, *h. e.* assumere, adhibere: quod faciebant sacerdotes sacra facturi. *Id.* 15, 26, 31. In alio cibi genere advocatur India, in alio Aegyptus. *Tac. H.* 1, 55. S. P. Q. R. oblitterata jam nomina sacramento advocabant. [*Ita nunc scribitur h. l. quem F. aliter exhibuit; i. e. in sacramento dando S. P. Q. R. nomina appellabant, non alicujus imperatoris, ut tum fieri solebat. Ceterum de usu v. cf. *Gron.* ad *Macrob.* 1, 2. Translate hoc quoque dictum est a *Cic.* ap. *Quintil.* 8, 3, 34. Eum amorem et eum favorem in consilium advocabo. Et hoc *ejusd. Tusc.* 1, 31. Quum a negotio omni sevocamus animum — animum ad se ipsum advocamus. Cf. *Aurel. Victor. Caesar.* 41, 11.] ℙ Pro *invocare* posuit *Petron.* in *fragm.* p. 683. *Burm.* Judaeus licet et porcinum nomen adoret, Et cilli summas advocet auriculas. ℙ Pro *litigare*, *contendere Lucil.* ap. *Non.* 2, 44. Amicos hodie cum improbo illo audivimus Lucilio advocasse. ℙ Pro *consolari Tertull. adv. Marc.* 14. advocare languentes, respiciens ad gr. παρακαλεῖν, quod ita dicitur. ℙ Quidam putant, significare etiam *advocatum agere*, *patrocinari*, *defendere. Lactant.* 3, 16. Apparet eos exercendae linguae causa, advocandi gratia artem philosophiae reperisse. Afferunt etiam illa *Cic. Cluent.* 19. aderat frequens, advocabat omni studio gratiaque pugnabat. [*Haec intellige cum *Ernest.* de amico actoris aut rei, qui convocat eos, quibuscum de causa deliberet, ut juvare partes amici possit.] Et *Sen. Brev. vit.* 2. Hic advocat, hic adest, ille periclitatur, ille defendit. Et *Clement* 9. contra Caesarem advocare. [*Explicanda sunt haec omnia eo, quem modo indicavimus, modo. Cf. *Gron.* ad *Sen. l.*]

ADVOLATUS, us, m. *Cic. Tusc.* 2, 10. vertens e graeco versus Aeschyli: tristi advocatu aduncis lacerans unguibus.

ADVOLITANS, tis, part. ab inusitat. *advolito*, saepe advolans. *Plin.* 11, 19, 21. Papilio luminibus accensis advolitans. *Prudent. adv. Symm.* 2, 573. advolitans noctua.

ADVOLO, as, avi, atum, n. 1. προσπέτομαι, versus, ad aliquem locum volare. *Cic. N. D.* 2, 49. Avis advolans ad eas aves, quae etc. *Plin.* 10, 29, 41. In agrum Volaterranum palumbium vis e mari advolat. *Id.* 28, 10, 45. Papilio luminibus lucernarum advolans. *Id.* 10, 40, 56. Caprimulgi caprarum uberibus advolant. ℙ Translate est accurrere, velociter ire. *Cic. Cluent.* 6. Ipsa nuper Larino Romam advolavit. *Id. Att.* 2, 13. Advola in Formianum. Et *ib.* 4, 4. Advola ad nos. [**Id. ib.* 2, 23. Si dormis expergiscere, si stas ingredere, si ingrederis curre, si curris advola.] *Id. Sext.* 4. Ad urbem confestim incredibili celeritate advolavit. *Plin.* 9, 8, 9. Delphini advolant in auxilium. [**Suet. Galb.* 20.] *Caes. B. G.* 5, 17. Hostes ex omnibus partibus ad pabulatores advolaverunt. Cf. *id. B. C.* 2, 43. *Cic. Fam.* 5, 16. Si insulam Britanniam coepero cogitare, ejus εἴδωλον mihi advolabit ad pectus. *Virg. A.* 10, 511. Fama mali tanti advolat Aeneae. [**Pl. Amph.* 1, 1, 169. vox mihi advolavit ad aures. Cf. *Rud.* 2, 3, 3. *Merc.* 5, 2, 24.] Cum accus. sine praepos. *Cic. Att.* 1, 14. *med.* Rostra Cato advolat. *Val. Fl.* 4, 300. et trucis ultro Advolat ora viri. Adde *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 174. et 111. *Cons. Honor.* 165. ℙ [Advolans fuit nomen nobilis gladiatoris ap. *Martial.* 5, 25. *F.* *In libb. saepe confunduntur *advolare* et *avolare*, v. *Drak.* ad *Liv.* 1, 57, 8. 3, 61, 7. ac saepe in hujusmodi locis non minus dubium est, utrum praeferendum sit, quam in vv. *advocare* et *avocare*, de quo v. in ADVOCO.]

ADVOLVO, is, olvi, olutum, a. 3. προσκυλίω, volvendo adduco. *Virg. G.* 3, 377. congestaque robora totasque Advolvere focis ulmos ignique dedere. [**Aen.* 6, 182.] *Plin.* 11, 37, 70. advolvere se ad ignem. *Liv.* 8, 37. *fin.* Tribus circuit, omnium genibus se advolvens, i. e. ad genua procumbens et

amplexans (supplicum aut adorantium more). *Vell.* 2, 80. Genibus ejus advolutus est. *Curt.* 3, 12. Sisigambis advoluta est pedibus ejus. *Prop.* 3, 15, 1. Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris. [*Cf. *Briss. Form.* 1, 63.] Cum accus. sine praep. *Tac. A.* 1, 13. Cum deprecandi causa palatium introisset ambulantisque Tiberii genua advolveretur. [*6, 49. 15, 71.] *Sall. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 311. Genua patrum advolvuntur. ℙ Translate *Claud.* 1. *Cons. Stil.* 1, 7. si carmen in unum Tantarum sperem cumulos advolvere rerum, *h. e.* congerere, uno carmine complecti. *Stat. Th.* 5, 143. Magnusque advolvitur astris clamor, *h. e.* ascendit, ducta translatione a fumo, qui globatim se volvendo extollitur.

ADVOLŪTUS, a, um, part. ab *advolvo*. *Liv.* 28, 34. advolutus genibus alicujus. *Appul. Met.* 6. *init.* Psyche pedes ejus advoluta. V. ADVOLVO.

ADVORSUM etc. V. ADVERSUM etc.

ADVOSEM, adversarium, hostem dixere veteres. *Paul.* ex *Festo.* [*At Glossae *Philoxeni:* advores, ἐναντίοι, ubi *Cangius* malit *advorses*. Qua de diversitate v. *Voss. Etym.* sub ADVOSIS.]

ADURGĔO, urges, ursi, sine supino, a. 2. id. qu. urgeo, premo, ἐπιπέχω. *Cels.* 7, 1. Dens qui natus est in locum prioris, quotidie digito adurgendus, donec ad justam magnitudinem perveniat. ℙ Translate *Hor. Od.* 1, 37, 16. Caesar ab Italia volantem Remis adurgens, i. e. strenue insequens.

*ADURNI *portus* fuit in Britannia, in comitatu Sussexiae. *Notit. Imper.* Ex *B. Auct.*

ADURO, is, ussi, ustum, a. 3. id. qu. uro, vel valde seu penitus uro: *ad* enim significationem auget. [*Minime *ad* auget, quod jam supra attigimus. *Aduro* igitur proprie significat: uro aliquid ad aliquam rem, ita ut superficies tantum uratur, neque in interiora penetretur. Quodsi dicitur pro: *penitus flamma consumi*, ita hoc intelligendum, ut cum tarditate quadam fiat; quam ipsam vim habet praepos. *Plin.* 33, 7, 40. Ut cera Punica liquefacta candens setis inducatur, iterumque admotis gallae carbonibus aduratur.] *Cic. Tusc.* 5, 20. Ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. *Liv.* 39, 22. Ignes caelestes multifariam orti adussisse complurium vestimenta dicebantur. *Cels.* 8, 2. Os eodem ferramento (candenti) adurendum. [*Cf. *id.* 5, 26, 21. *Id. ib.* §. 33. Si ne haec quidem (erodentia) evincunt, aduri locus debet etc. *Id.* 5, 26, 21., quem locum noster habet, dixit rodentia medicamenta et adurentia.] *Cic. Tusc.* 5, 27. Cum ad flammam se applicaverint, sine gemitu aduruntur. *Hor. Epod.* 5, 24. flammis aduri Colchicis. ℙ Frigus etiam adurere dicitur, item ventus nimius, quia adeo exsiccant, astringunt et indurant, ut urere videantur. *Virg. G.* 1, 92. Ne tenues pluviae rapidive potentia solis Acrior, aut boreae penetrabile frigus adurat. *Curt.* 7, 3. Rigor nivis multorum adussit pedes. *Plin.* 17, 24, 37. aduri arbores fervore aut flatu frigidiore. [*Oc. *Met.* 14, 763. Sic tibi nec vernum nascentia frigus adurat poma. *Pallad. Oct.* 4, 2. glacie adurere. Sed dicitur etiam de aliis rebus. *Colum.* 12, 19, 5. aduritur mustum. *ib.* 20, 4. aduruntur aromata. *Id.* 6, 27, 12. Ne stercore ungulas adurat. *Pallad. Jan.* 15, 16. Ne calore stercoris aduratur (planta). Est etiam usitatum ap. medicos, quum pars aliqua corporis dicitur atteri et erodi, perinde atque admoto igne adusta. Noster affert *Plin.* 28, 15, 61. de intertrigine dicentem: femina atteri adurique (i. e. incendi) equitatu notum est. V. supra et cf. ADUSTUS.] ℙ Translate *Plin.* 11, 29, 35. de locustis messes depascentibus: multa contactu adurentes, nimirum quia non secus depopulantur, ac si ignis absumpsisset. *Hor. Od.* 1, 27, 14. Quae te cumque domat Venus, Non erubescendis adurit ignibus. *Adurere notam* quid sit v. in ADUSTUS.

ADUSQUE, praepos. usque ad; scribi autem potest etiam divisim. Usurpatur saepius a poetis, quam a prosae scriptoribus. [*Usque* ut semper, significat proprie continuationem aliquam; *ad* autem suam vim retinet, quae illo addito augetur.] *Virg. A.* 11, 262. Menelaus adusque columnas exsulat. *Hor. Sat.* 1, 5, 101. Via pejor adusque Bari moenia. Et *ib.* 1, 97. Adusque supremum tempus. *Gell.* 15, 2. Vini libidine adusque ludibria ebriosus. [*Messal. Corv.* p. 20. adusque Julii Caesaris principatum. *Solin.* 56. adusque Gades.] ℙ Adverbii more. *Appul. Met.* 2. p. 127. *Elm.* Juvenem adusque deraso capite producit in medium, *h. e.* penitus: vel supple *adusque cutem*.

ADUSTIO, nis, f. ἐπίκαυσις, actus adurendi, ustio. *Plin.* 14, 20, 25. adustio picis. *Id.* 32, 4, 14. ulcera frigore aut adustione facta. *Id.* 20, 7, 27. Adustiones sanat lactuca. ℙ Adustio etiam dicitur, quae attritu nimio fit. *Plin.* 17, 15, 25. de vitium insitione: nostra aetas correxit, ut Gallica uteretur terebra, quae excavat, nec urit: quoniam adustio omnis hebetat. ℙ Item nimia siccitas. *Id.* 30, 15, 47. Adustio infantium, quae vocatur siriasis. Cf. in ADURO.

ADUSTUS, a, um, part. v. *aduro*, κεκαυμένος, ustus, combustus. *Ov. Fast.* 4, 742. Et crepet in mediis laurus adusta focis. *Plin.* 19, 1, 4. Loca deserta et sole adusta. *Id.* 32, 10, 40. Adusta sanantur cancri cinere. Sic *Cels.* 5, 27. *fin.* adustorum curatio. *Sen. Here. Oet.* 1289. sol adustus, *h. e.* adurens. Al. rectius legunt *adultus*. ℙ Dicitur etiam de frigore. *Ov. Fast.* 4, 918. Nec sic marmoreo pallet adusta gelu. *Plin.* 28, 8, 25. Leonis adipes sanant adusta nivibus. [*Sidon.* 5, 528. Quondam mihi corpus adustum Frigoris igne perit.] V. ADURO. ℙ *Adusti cibi* dicuntur, qui nimis cocti sunt. *Hor. Sat.* 2, 8, 68. panis adunimis cocti sunt. Et *ib.* 90. merulae adusto pectore. *Ter. Ad.* 3, 3, 62. Hoc salsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parum. ℙ *Adusta* etiam dicuntur, quae, velut si igne ambusta sint, exaruere. *Petron. Sat.* 109. Nunc umbra nudata sua jam tempora moerent: Areaque attritis aret adusta pilis, *h. e.* velut exustis pilis glabra facta. ℙ *Adustus color*, qui ad nigrum accedit, qualis rebus ambustis solet esse, aut hominibus multo sole faciem fuscam habentibus. *Plin.* 2, 58, 59. lapis adusto colore. *Liv.* 27, 47. Notari oculis, si qui forte adustioris coloris ex recenti via essent. [*Sil. 8, 269. Adustus corpora Maurus.] ℙ *Nota adusta* est nota seu macula inusta, impressa. *Prop.* 3, 9, 40. Una Philippeo sanguine adusta nota. Al. leg. *inusta*. [*Ita *Scal. Broukh. Burm. Santen. Lucan.* 3, 15. quum Acherontem *adustum* dicit, Pyriphlegethontem in mente habere videtur. Cf. *Bentl.* Addamus locum *Cic. Att.* 5, 20. Incendio Plaetoriano quod Sejus adustus est, minus moleste fero. Sed hic *Ernest.* edidit *ambustus*, usitatum dicens in hac re; quod v.]

ADŪTI, pro abuti, *h. e.* ita aliqua re uti, ut tota consumatur. *Cato R. R.* 67. Linito usque adeo, donec omnem caseum cum melle adusus eris. Al. leg. *abusus*.

*ADYLISUS, i, mons Boeotiae. *Plin.* 4, 7. sed legi jubet *Hard. Hadylius*.

ADYNAMOS, ἀδύναμος, vox graeca, quae significat imbellicum, sine viribus: ab *a* priv. et *δύναμις*, potentia, vires. *Adynamon vinum* dicitur a *Plin.* 14, 16, 19. quod dimidium aquae permixtum habet excoquiturque ad dimidias: inde datur aegris, quibus vini noxiam timent.

*ADYRMĂCHĪDAE, arum, m. plur. populi inferioris Libyae, in litore maris mediterranei, prope Aegyptum, in Marmarica, de quibus *Plin.* 5, 6, 6. *Sil.* 3, 278. Versicolor contra caetra et falcatus ab arte Ensis Adyrmachidis ac laevo tegmina crure. *B. A.*

[ADYTICULUM, i, n. agnoscit *Appul. de Orthogr.* p. 136. [§. 36.] (edente *A. Maio*), sed nullam affert scriptoris auctoritatem. *F.* *V. *Osann. Praef. ad Auctar. Lex. gr.* p. IX.]

ADYTUM, ti, n. ἄδυτον, pars est secretior templi vel alius cujuspiam sacri loci, quam ingredi nemini licebat, nisi sacerdoti, ut docet *Caes. B. C.* 3, 105., ubi graece hanc vocem usurpat, ἄδυτα: [*v. ibi *interpp.*] ab *a* priv. et *δύω*, ingredior. Inde oracula deorum et responsa dabantur consulentibus. *Virg. A.* 2, 296. Et manibus vittas Vestamque potentem Aeternumque adytis effert penetralibus ignem. [*Cf. *Claud. l. Stil.* 1, 60.] Et *ib.* 114. Eurypylum scitatum oracula Phoebi Mittimus, isque adytis haec tristia dicta reportat. *Id. ib.* 6, 98. Talibus ex adyto dictis Cumaea Sybilla Horrendas canit ambages. [*Saepe ita *Virg.* Cf. etiam *Aen.* 5, 84., ubi de sepulchro dicitur. *Juven.* 13, 205. Omnem vocem adyti dignam templo veramque probavit; de specu, cui tripus Pythiae impositus.] *Eumen. orat. pro restaur. Schol.* 6. Ab arcanis sacrorum penetralium ad privata Musarum adyta transferre. [*Colum. praef. l.* 1. §. 30. An Latiae Musae non solos adytis suis Accium et Virgilium recepere.] ℙ Translate *Lucr.* 1, 737. Ex adyto tanquam cordis responsa dedere, *h. e.* ex intimo animi recessu. ℙ Reperitur etiam *adytus*, *us*, m. quartae decl. *Accius* ap. *Non.* 8, 35. Pro certo arbitrabor sorteis, oracla, adytus, augura, *h. e.* auguria. Al. ita distinguunt: pro certo arbitrabor sortis oracla, adytus, auguria.

*ADZELOR, 1. aliquem. *Vulg. Esra* 2, 16, 49. Tanto magis adzelabor eos super peccata sua.

AE

AEĂ, ae, f. *Αἶα*, *Satabella*, peninsula Colchidis cum urbe cognomine circa ostia Phasidis fl. quam Hippos et Cyanos fl. e diversis locis in Phasim influentes efficiunt. Fabulantur poetae, Aeam nomen accepisse a puella ejusdem nominis, quae cum Phasidis amnis vim effugere non posset, miseratione deorum in penisulam est conversa, quam etiam nunc, ut veterem illum amorem adhuc possis agnoscere, magna sui parte ambit et quasi amplectitur. *Val. Fl.* 1, 742. et 5, 426.

AEĂCIDĒIUS, a, um, adj. ad Aeacum pertinens. *Ov. Met.* 7, 472. Oenopiam Minos petit, Aeacideia regna.

AEĂCĪDĒS, idae, m. patronym. ab Aeaco, *Αἰακίδης*. [*Ita appellatur *a*) *Phocus*, Aeaci ex pallaca (Psammathe, quae Nereis fuit, *Anton. Lib.* 38.) filius, *Ov. Met.* 7, 668.; *b*) *Telamon* et *Peleus*, genuini Aeaci filii; *id. ib.* 8, 4. et 12, 365. ubi Peleus solus intell. *c*) nepos Aeaci ex Peleo, i. e. *Achilles.*] *Virg. A.* 1, 99. Saevus ubi Aeacidae telo jacet Hector. [*Sic saepe. *Ov. Met.* 12, 82. 96. 365. *A. A.* 2, 736. *Fast.* 5, 390. *d*) Pronepos Aeaci s. Achillis filius, *Pyrrhus*. *Virg. A.* 3, 296. Conjugio Aeacidae Pyrrhi. *e*) Dicitur etiam de uno aliquo Pyrrhi posterorum. *Ennius* ap. *Cic. Div.* 2, 56. Ajo te, Aeacida, Romanos vincere posse.] *f*) Denique referendum est ad *Perseum* ab Aemilio Paullo devictum; is enim et ipse genus suum (cf. *Prop.* 4, 11, 39.) referebat ad Achillem et Pyrrhum. Ita recte intelligunt [*cf. *Ruhkopf.* in *ed. Heyn. min.*] *Virg. A.* 6, 840. eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas, Ipsumque Aeaciden. *Sil.* 1, 627. Hic spolia Aeacidae, hic Epirotica signa. Cf. totum locum. ℙ In vocativo habet *Aeacida* et *Aeacide*, a graeco *Αἰακίδη*: nam *η* tum in *a*, tum in *e* longum latine verti potest. *Ov. Her.* 8, 7. Quid facis Aeacide? *Id. ib.* 3, 87. Arma cape, Aeacida. Adde *Sil.* 13, 796. Similia sunt *Tydide*, *Anchisa* etc. Interdum illud *a* corripitur, et tum est totum latinum. *Hor. Sat.* 2, 3, 187. Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur? [*cf. *Rudd.* 1. p. 48.] ℙ In plur. numero *Aeacidae*, *idarum* et *idum*. *Justin.* 12, 15. Plerosque Aeacidarum intra trigesimum annum defunctos. *Enn.* apud *Cic. Div.* 2, 56. stolidum genus Aeacidarum. *Ov. Met.* 8, 3. Dant placidi cursum redeuntibus Austri Aeacidis Cephaloque. *Sil.* 15, 292. Aeacidum sceptris proavoque tumebat Achille. [*Rudd. p. 46. coll. p. 326.]

AEACIDINUS, a, um, adj. ab Aeaco deductum. *Pl. Asin.* 2, 3, 25. Aeacidinis minis animisque expletus incedit, *h. e.* plenus minarum et superbiae, qualis Achilles Aeaci nepos fuit, vel Patroclo interfecto vel Briseide rapta.

AEACIUS v. in AI.

AEĂCUS, ci, m. *Αἰακός*, Jovis filius ex Europa, sive potius ex Aegina filia Asopi. Regnasse dicitur apud Oenopiam sive Aenonam, quam ex nomine matris Aeginam nominavit, ut *Ov. Met.* 7, 474. testatur. [*cf. *Heyn.* ad *Apollod.* p. 306.] Hunc tantae justitiae fuisse dicunt, ut apud inferos animarum creditus fuerit a Plutone delectus judex cum Minoe et Rhadamantho fratribus, et sontium peccata discutere et pro meritis poenas inferre. [*V. *eund.* p. 368.] *Hor. Od.* 2, 13, 22. Quam pene furvae regna Proserpinae et judicantem vidimus Aeacum! Adde *Ov. Met.* 13, 25. *Id. ib.* 9, 434. Nec nostrum seri curvarent Aeacon anni. *Aeacon* accusativus gr. est.

AEAEA, ae, vel (retenta graeca terminatione) Aeaeē, ēs, f. *Αἰαίη*, insula fuit in mari Tyrrheno, non modico olim freto ab Italia dirempta, hodie continens, ita tamen, ut paludibus circumquaque cincta insulae speciem prae se ferat. In hac *Homerus* Circes sedem collocavit *l.* 20. *Odyss.* Latini locum hunc a Circes domicilio Circejos appellant, ibidemque antiqui Latii terminum constituunt, ut *Plin.* 3, 5, 9. docet; nunc *Monte Circello* appellatur. ℙ Aeaeen insulam freti Siculi, quam Calypso habitasse dicitur, commemorat *Mela* 2, 7. *med.*

AEAEUS, a, um, adj. ad Circen pertinens, *Αἰαῖος*. Circe sic dicta est vel ab Aea urbe Colchidis (in Colchide enim aliquando Circe fuisse dicitur), vel ab Aeaea insula, ubi diu habitasse fertur. *Virg. A.* 3, 386. Aeaeaeque insula Circes. *Prop.* 2, 23, 42. Aeaei moenia Telegoni, *h. e.* filii Circes [*ita *Cluver. Ital. ant.* III. p. 943. Idem de insula ipsa accurate agit p. 996. sqq.] *Ov. Am.* 2, 15, 10. Aeaeae artes, *h. e.* magicae, quibus Circe maxime delectabatur. *Id. Am.* 1, 8, 5. Aeaea carmina, *h. e.* magicae incantationes. *Servius* putat Circen dictam *Aeaeam* a graeca interjectione *αἲ*, *αἲ*, *h. e. hei* s. *vae*, propter lamentationes et exsecrationes hominum, quos in feras mutaverat. ℙ *Aeaea puella* ap. *Propert.* 3, 10, 31. est Calypso, quae in Aeaea insula freti Siculi habitavit, ut *Mela* 2, 7. docet. [*Hygin. fab.* 125.]

*AEANTION, i, Aegaei maris insula inter Samothracam et Chersonesum Tauricam. *Plin.* 4, 12, 23.

*AEANTIUS vel ĔUS, a, um, adj. a gr. *Αἰαντεῖος* ab *Αἴας*. *a*) Aeanteum sc. oppidum vel monumentum, situm ad Rhoeteum, promontorium Trojanum. *Plin.* 5, 30, 33. Fuit et Aeantium a Rhodiis conditum in altero eorum, Ajace ibi sepulto XXX stad. intervallo a Sigeo. *Mela* 1, 18. idem appellat Ajacis sepulcrum et *Strabo* commemorat nonnisi *Αἰάντειον*, non oppidum in illa regione. *b*) Promontorium Magnesiae. *Plin.* 4, 9, 16. *c*) Mons in Aegypto ad sinum Arabicum. *Id.* 6, 29, 33.; is appellatur a *Ptol. Αἴας*.

AEĂS, antis, m. *Αἴας*, fluvius Epiri, qui et Aous dicitur; oritur ex Pindo monte, et prope Apolloniam decurrens in Ionium mare defertur. *Plin.* 3, 23, 26. *Mela* 2, 3. [*Lucan. 6, 361.] ℙ Graece *Αἴας*, idem est qui Ajax, qui cum se occidisset, in florem mutatus dicitur. *Auson. Idyll.* 6. *de Cupid. crucif.* 12. Et tragico scriptus gemitu Salaminius Aeas, *h. e.* vocibus *ai ai*, de quibus v. suo loco. ℙ [*Est etiam mons Aegypti superioris, non procul a sinu Arabico. *Plin.* 6, 29. Antea legebatur *Eos*. Ex *B. Auct.*]

*AEBURA, ae, (*Ἄβουρα Steph. Byz.*) mons in Hispania Tarraconensi, non longe Toleto. *Liv.* 40, 30. 33.

AEBUTIA lex dicta est ab ejus latore Aebutio trib. plebis, qui ea lege sustulit complura capita Legum XII. Tabularum, in quibus propter antiquitatem temporumque mutationes multa inutilia jam aut etiam perniciosa praecipiebantur: solas autem legis actiones, quae apud centumviros essent agendae, retinuit. [*Quoniam eodem tempore judicium centumvirale institutum est, putat *Pighius* hanc legem latam esse anno U. C. 520., quo anno T. Aebutius Carus et C. Aemilius Carus tribuni pl. erant.] *Cic. Agr.* 2, 8. *Gell.* 16, 10. [*Alia lex aut certe alia legis pars videtur esse ea, quam *Cic.* commemorat. Ea enim cautum est, ne quis sibimet ipsi aut collegis potestatem aut curationem ferret.]

*AECAE, arum, oppidum Italiae inferioris. V. v. sq. Etiam in *Tab. Peuting.* exstat.

[AECĀNUS, a, um, adject. ad Aecas pertinens Apuliae Dauniae mediterraneam civitatem a *Liv.* 24, 20. memoratam, nunc *Troja* vocatur. *Inscr.* apud *Grut.* 444, 5. Curator Reip. Aecanor. Adde *Plin.* 3, 11, 16. *F.* ex *B. A.*]

AECASTOR. V. ECASTOR.

[AECLANENSIS et Aeculanensis, se, adject. ad Aeclanum (*s.* Aeculanum) pertinens, urbem Samnii Hirpini, cujus vestigia exstant prope *Mirabella. Maff. Mus. Ver.* 449, 1. Reipublicae Aeclanensium. *Inscr.* ap. *Pratilli Via App.* p. 456. Aeculanensium patrono. *F.* *Iidem *Aeculani* ap. *Plin.* 3, 11, 16.]

*AECUS. V. AEQUUS.

*AEDEPSUS, i, oppidum Euboeae. *Plin.* 4, 12, 21. Etiam Aedipsos, ut ap. *Ptol.*

AEDĒS et Aedis, is, f. *οἶκος*, domus, in qua habitatur. [*De origine h. v. alia alii commenti sunt, ut *Festus:* Aedis domicilium in edito positum, simplex atque unius aditus; sive ideo aedis dicitur, quod in ea aevum vivatur. Vulgo putant cognatum esse cum verbo Pindarico *αἴτος*, quod pro *τέμενος* dici existimant; alii ad *ἄθουσαν*, alii ad *ἕδος*, *ἕδραν* malint referre. Cf. *Kürcher.* in *Diar. Schol.* 1828. N. 62. p. 506. Et singulari quidem numero, si nude ponitur, semper significat domum deorum, gr. *ναός*, s. templum. Atque hac signif. veteres saepenumero forma singul. numeri *aedis* usi esse videntur.] *Festus* in *Scribas:* publice adtributa est in Aventino aedis Minervae. *Nep. fr.* ap. *Prisc.* 8. p. 792. Aedis Martis est in circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio. *Pl. Asin.* 1, 3, 67. Aedis nobis area est, auceps sum ego. Adde plurimos *Livii* locos, ubi multi probati codd. *aedis* habent, alii *aedes*, argumento, utrumque promiscue in usu fuisse. Ea collegit *Drakenb.* ad *Liv.* 4, 25, 3. [*Vulgo autem usitatior est altera forma *aedes*, sed ea, qua diximus, signif. addito saepe nomine dei vel deae, raro simpliciter.] *Cic. Or. Fr.* 3, 1, 4. De aede Telluris admones. *Liv.* 2, 21. Aedes Mercurii dedicata est. [*Dici utrumque: *aedem deo* et *dei dedicare*, *vovere*, docet *Drak.* ad *Liv.* 5, 23, 7. et 32, 6, 8. *Suet. Caes.* 78. aedes Veneris Genitricis, quae *ib.* 84. dicitur templum Veneris Genitricis. *Cal.* 44. Martis. *Aug.* 29. Saturni; et sic innumeris aliis locis.] *Claud. R. Pr.* 1, 200. Hic aedes angusta deae. Et non addito dei nomine *Varr.* ap. *Non.* 8, 87. haec aedis, quae nunc est etc. *Varro* hic loquitur de sacra aede. *Hor. Sat.* 1, 10, 38. Haec ego ludo, Quae nec in aede sonent etc. *h. e.* in aede Apollinis, ubi latina poemata publice recitabantur: de qua *id. Ep.* 2, 2, 94. spectemus vacuam Romanis vatibus aedem. [*Cf. *Liv.* 26, 19, 5. *Suet. Caes.* 10. geminis fratribus aedes in Foro constituta. *Aug.* 97. vicina aedes. *Dom.* 5. novam aedem excitavit in Capitolio Custodi Jovi. *Galb.* 8. quum sacrificaret intra aedem publicam. *Vell.* 1, 11, 5. Hic (Metellus) primus omnium Romae aedem ex marmore molitus est; ubi *Ruhnk.* pluribus hunc usum confirmat. Cf. etiam *Broukh.* ad *Prop.* 2, 11, 27.] ℙ Ubi numero plurali utuntur veteres de *templis*, addunt fere *sacrae*, *divinae*, *deorum*, alia, ad discrimen a domibus hominum significandum.] *Cic. Dom.* 49. aedes sacrae. [*Cf. *Suet. A.* 30. 100. *Id. Cal.* 21. deorum aedes. Cf. *Ner.* 38. *Cl.* 21. *Cic. Or.* 3, 46. Capitolii fastigium et ceterarum aedium. *Liv.* 35, 41.] ℙ Usitatius autem est num. plurali de *domo privata*. [*Quod sicubi *aedes* num. sing. de *domo privata* dici videtur, cujusmodi locos attulit *Rudd.* I. p. 157., ii aut sunt corrupti (ut *Pl. Most.* 2, 2, 44) aut incerti (ut *Ov. Her.* 14, 24) aut alio modo explicandi, quod de *Hor. Od.* 1, 30, 4. ostendit *Bentl.* ad *Epist.* 2, 2, 92. ducibus veteribus interpp., ubi idem corrigit locum *Gell.* 4, 14. Quos *Curtii* locos noster infra affert, ubi al. *sedem* praebent, ii vide an sic defendi possint, ut *Curt.* de *cubiculo* loquentem consulto sic scripsisse putemus.] Hac appellatione omnes aedificii species continentur, ut *Nerat. Dig.* 47, 9, 9. scribit; unde et villae in censu hoc nomine appellantur, teste *Varr. L. L.* 4, 33. In usu tamen loquendi *aedes* proprie de urbano aedificio, de rustico *villa* dicitur, ut docet *Florentin. Dig.* 50, 16, 211. [*Juven. *Sat.* 7, 40. Musarum et Apollinis aede relicta — Maculonis commodat aedes. *Suet. Tib.* 26. Ne (statuae suae) inter simulacra deorum (intell. de templis), sed inter ornamenta aedium (privatarum) ponerentur.] *Cic. Verr.* 2, 1, 19. Quae cognovi egomet apud istum in aedibus. Et mox: duo signa, quae in mediis aedibus sunt. *Id. Tusc.* 5, 21. aedes regiae. *Pl. Merc.* 5, 2, 60. probae et pulcre aedificatae. *Id. Most.* 1, 2, 18. paratae, expolitae, factae probe, examussim. *Id. Stich.* 1, 2, 8. nitidae. [*Virg. A.* 2, 512. aedibus in mediis, ubi v. *Serv. Id. ib.* 487. penitusque cavae plangoribus aedes Femineis ululant, i. e. domus interior, quod praecedit, s. ut *Serv.* explicat, tecta camerata. *Suet. Caes.* 46. modicae. Cf. *id. Aug.* 72. *Tib.* 11. *Tit.* 1. aedes sordidae. *Ov. Met.* 5, 284. primae aedes. (*Nep. praef.* 6. primus locus aedium.) *Ter. Heaut.* 5, 1, 29. ultimae. *Ammian.* 16, 8. brevissimae. *Aur. Vict. Epit.* 6, 2. Palatinae. *Suet. Ner.* 44. privatae. *Liv.* 30, 17. liberae, i. e. gratis habitandae. De his v. *Turn. Adv.* 30, 32. et *interpp. Liv.* ad 28, 39, 19. 30, 17, 14. et 42, 7, 11.] ℙ Interdum ponitur pro parte domus. *Pl. Cas.* 3, 5, 31. Insectatur omnes domi per aedes. Graeci eadem ratione *οἴκους* appellant cubicula et cellas domus, ex quo *Vitruv.* 6, 5. et 6. et alibi oecos dixit. *Curt.* 8, 6, 1. Excubabant proximi foribus aedis, in qua rex adquiescebat. Et paulo post: stabant ad fores aedis ejus, in qua rex vescebatur. *Virg. G.* 2, 462. ingentem foribus domus alta superbis Mane salutantum totis vomit aedibus undam. [*Cf. *id. A.* 2, 487. v. supra.] ℙ *Ab aedibus esse*, aedibus curandis et custodiendis praepositum esse. *Vet. monum.* ap. *Grut.* 607, 1. Domini N. Imp. Antonini Aug. Matris libertus, cognitus mihi ex longo tempore, cum ab aedibus essem. ℙ Translate dicitur de apum alveis. *Virg. G.* 4, 258. Aut intus clausis cunctantur in aedibus omnes etc. [*Dixit ita ibi *Virg.*, quoniam omnia in isto libro ab hominum moribus et institutis ad apes translata sunt. Non probatur igitur nobis eorum sententia, qui h. l. usi sunt, ut *aedes* omnino de omni genere aedificiorum dici posse ostenderent.] Audaciori multo translatione *Pl. Ps.* 1, 5, 54. Fac, sis, vacivas aedes aurium, i. e. aures, mea ut migrare dicta possint. *Suet. Caes.* 84. appellat *aedem* pegma ligneum auratum et in modum aedis compositum. [*Unus hic esse videtur locus, in quo *aedes* structuram quandam tignorum habitationi non aptam significat. Quamquam, ut ita scriberet, *Sueton.* poterant ea permovere, quae statim sequuntur. Ex h. l. si quis vult probare, primitivam hanc fuisse v. signif., ut omnino de *aedificatione* diceretur, non intercedimus; vulgo tamen id discrimen vv. *aedes* et *aedificium* locum habere videtur, de quo dicetur in v. AEDIFICIUM.] ℙ Ait *Valla l.* 3. *Elegantiar. c.* 7. cum de sacris aedibus sermo est, dici *duas*, *tres*, *quatuor aedes;* cum vero de privatis, *binas*, *ternas* etc., licet distributio nulla fiat. *Scaurus JCtus* ap. *Marcell. Dig.* 8, 2, 9. Binas aedes habeo: alteras tibi lego etc. *Liv.* 27, 23. Capuae duas aedes Fortunae et Martis et sepulcra aliquot de caelo tacta. [*Ubi nomen pluralis numeri ponitur, semper addunt veteres distributiva, dicentes *bina castra*, *binas aedes.* Igitur locus in *Dig.* recte habet, nam intelliguntur duae domus; item *Livii*, ut qui de duobus templis (aedibus) loquatur. Qui sequuntur loci, inferioris sunt temporis, nec illam regulam infringunt. V. *Zumpt. Gr.* p. 96.] Hoc tamen discrimen perpetuum non est. *Ulp. Dig.* 8, 4, 6. Si quis duas aedes habeat et alteras tradat. Et mox: duas autem aedes simul tradendo etc. ℙ *Aedes* et *templum* fere quidem usu loquendi promiscue accipiuntur, differunt tamen. Nam, ut ex *Varrone* docet *Gell.* 14, 7., non omnes aedes sacrae *templa* erant, templa enim non consecrabantur solum, sed etiam inaugurabantur: *aedes* etiam sine inauguratione sacrae esse poterant. [*Hoc ideo fit, quia *templum* proprie significat quodque spatium, quod conspici s. cerni potest. Cf. TEMPLUM. Hinc *templum*, ubi ad religiones refertur, est proprie locus profanus, quem Augures consecrarunt; ita dicta sunt, ut hoc utamur, Rostra, ita palatia Hostilii, Pompeji, Caesaris; exstructa enim erant loco ab Auguribus consecrato. Tabula igitur in aede suspensa, quae *lex aedis* dicta est, indicabat, templumne (i. e. locus auguriis consecratus) esset an non, quod e *Varron.* 4. p. 14. ostendit *Scalig.* ad *Fest.* v. *Opima spolia.* Ceterum cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 4, 7. ubi de discrimine vv. *curia*, *templum*, *aedes sacra* disserit.] ℙ *Aedes inscribere.* V. INSCRIBO. [*Aedes* et *sedes* in libris saepe confunduntur. V. *Drak.* ad *Sil.* 14, 652. ad *Liv.* 5, 42, 1. ad *epit. l.* 11. et alibi. *Burm.* ad *Quint.* 4, 2, 8. ubi ablegat ad *Broukh.* in *Tib.* 1, 11, 18. et *Heins.* ad *Claud. R. Pr.* 1, 200. Adde *Santen.* ad *Prop.* 4, 1, 117.]

[AEDĒSĪUS, ii, m. veneratus, reveritus, ab *αἴδεσις*, veneratio, cognomen Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 28, 2. Sextilius Agesilaus Aedesius. *F.*]

*AEDESSA, ae, sive Edessa, oppidum Macedoniae. *Plin.* 6, 34, 39. Postea eadem Aegae dictae.

*AEDICILIUM, i. q. domicilium, ad cujus rationem formatam istam vocem *Plinio* restituere conatus est *Salmas. Exerc.* p. 667.

AEDĪCŬLA, lae, f. *οἰκίδιον*, parva aedes seu domus et proprie parva aedes sacra, sacellum, *ναΐδιον*, sive ea majori templo juncta aut inclusa est, sive non. *Cic. Dom.* 53. aram et aediculam et pulvinar dedicare. *Liv.* 35, 9. aedicula Victoriae virginis prope aedem Victoriae. *Id. ib.* 41. Quadrigae in Capitolio positae in cella Jovis supra fastigium aediculae. [*V. ad h. l. *interpp.*] *Paul. Dig.* 48, 13, 9. Qui privata sacra vel aediculas incustoditas tentaverint, amplius quam fures, minus quam sacrilegi merentur. ℙ De quavis domo parva, qua signif. fere plurali usurpatur. *Cic. Par.* 6, 3. M. Manilius pauper fuit; habuit enim aediculas in Carinis, et fundum in Labicano. [*Cf. *ib.* 7. *Ter. Ph.* 4, 3, 58.] ℙ Item aediculae pars, cella, cubiculum. *Pl. Epid.* 3, 3, 19. Cave, siris cum filia mea cubulari hanc, neque conspicere: jam tenes? in aediculam istanc seorsum concludi volo. ℙ Est etiam *aedicula* loculamentum simulacri. *Petr. Sat.* 29. *fin.* Grande armarium in angulo vidi, in cujus aedicula erant Lares argentei positi Venerisque signum marmoreum. *Plin.* 33, 1, 6. Aediculam aeream fecit in Graecostasi. Et 36, 13, 19. *n.* 2. Nemeses quindecim aediculis inclusit. *Appul. Met.* 3. Eponae Deae simulacrum residens aediculae, quod coronis roseis erat ornatum. Similiter in *Inscr.* ap. *Fabrett. c.* 1. *n.* 68. aediculae dicuntur in sepulcris loculamenta reponendis urnulis et ollis cinerum. ℙ In *vet. Inscr. Mus. Veron.* 87, 4. legitur *aedicla.*

AEDICULUM, i, n. id. qu. aedicula. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 125. Voto suscepto Bonae Deae Astrapton Caesaris Vilic. aediculum restituit. Sed fortasse error est marmorarii, [vel potius ejus, qui exscripsit. Hinc ap. *Mur.* qui *Inscr.* 133, 2. eandem affert, legitur *aediculam. F.*]

AEDIFACIO, is, eci, actum, a. 1. aedem facio, aedifico, *οἰκοδομέω. Labeo Dig.* 19, 2, 60. Mandavi tibi, ut excuteres, quanti villam aedificare velles. Ita legitur in ed. *Torrentini*: in aliis *aedificare.* [*Similia ex JCtorum scriptis proferuntur *signifacere* et *magnificiebat.* V. *Duk. d. Lat JCt. vet.* p. 321. sq. *ed. Lips.*]

AEDIFEX, ificis, m. aedificator, *οἰκοδόμος. Tertull. Idol.* 12. Ex similitudine providentissimi aedificis illius, qui etc.

AEDĪFĪCĀTIO, onis, f. *οἰκοδομία*, actus aedificandi, substructio. *Cic. Fam.* 5, 6. Domum tuam et aedificationem omnem perspexi et vehementer probavi. *Id. Pis.* 21. immensa et intolerabilis aedificatio. [*Cf. *Q. Fr.* 2, 2.] *Varr. R. R.* 1, 13. Si ad horum luxuriam dirigas aedificationem. [**Cic. Fam.* 13, 1. aedificationem (i. e. aedificandi consilium) abjicere.] ℙ In architectura tres cum sint partes, aedificatio, gnomonice et machinatio: illa definitur a *Vitruv.* 1, 3. ut bipartito divisa sit, una moenium et communium operum in publicis locis collocatio; altera privatorum aedificiorum explicatio. ℙ Pro aedificio. *Cato* ap. *Gell.* 13, 23. Neque mihi aedificatio, neque vasum, nec vestimentum est manupretiosum.

AEDIFICATIUNCULA, ae, f. parva aedificatio. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Ecquid ei de illa aedificatiuncula mandavisses.

AEDĪFĪCĀTOR, oris, m. qui aedificat, aedes condit, *οἰκοδόμος. Flor.* 1, 8. Quid aedificator Ancus? Ut urbem extenderet etc. Dicitur fere sic, ut eum significet, qui aedificandi nimia quadam libidine laborat. *Nep. Att.* 13. Nam cum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus aedificator. *Colum.* 1, 4. Eleganter igitur aedificet agricola, nec sit tamen aedificator. Adde *Juven.* 14, 86. ℙ Translate omnino est i. q. fabricator, [*gr. *δημιουργός.*] *Cic. Univ.* 2. Neque mundo quicquam pulcrius, neque ejus aedificatore praestantius. *Id. N. D.* 1, 9. aedificatores mundi.

AEDIFICATORIUS, a, um, adj. Translate *Tertull. Carn. Christ.* 17. Verbum aedificatorium mortis, *h. e.* quod mortis causa fuit. Adde *Anim.* 47.

AEDĪFĪCĀTUS, a, um, part. v. *aedifico. Cic. Off.* 3, 13. villa bona beneque aedificata, *Id. Verr.* 2, 4, 53. urbs aedificata. *Id. ibid.* 2, 5, 17. navis aedificata. *Id. Att.* 16, 13. praediola belle aedificata, *h. e.* agelli cum villa aliove aedificio bene aedificato.

AEDIFICIALIS, le, adj., ad aedificia seu aedes pertinens. *Aedificialis* dictus est Juppiter Herceus, quia, ut ait *Festus* in *Herceus*, intra conseptum domus cujusque colebatur, quem etiam deum penetralem appellabant. *Dictys* 5, 12. Priamus re cognita ad aram Jovis aedificialis confugit. Alii legunt *ante aedificiale*, *h. e.* ante aedes: aras enim Graeci ante fores aedium internas in impluvio habuisse dicuntur.

AEDIFICIOLUM, li, n. diminut., aedicula. *Vetus lapis* non optimae notae ap. *Grut.* 809, 2. Hic locus cum hortulo suo religioso et aedificiolis suis muro cinctus etc. Adde alium ap. *Donium cl.* 12. *n.* 32., et alium ap. *Mur.* 1013, 5. et 1430. *n.* 6., [et in *Not. Tir.* p. 133. *F.*]

AEDĪFĪCĬUM, ii, n. *οἰκοδόμημα*, significat tum domum, aedes, tum aliam quamcumque exstructionem, etiamsi habitationi apta non sit, ut porticus,

propugnacula etc. [*eoque ipso differt h. v. ab *aedibus*, quod semper aedificia significat, quae habitari possunt, *aedificium* autem quamcunque structuram s. exstructionem (cf. *Nep. Att.* 13.); unde *Liv.* 38, 38. conjungit aedes aedificiaque, ad quem l. v. *Drak.*] *Cic. Q. Fr.* 3, 9. Quid? si caementum bonum non haberem, deturbem aedificium? *Id. Mil.* 27. exstruere aedificium in alieno. *Liv.* 5, 41. Plebis aedificiis obseratis, patentibus atriis principum. *Sall. Jug.* 23. incendere aedificia. [*Suet. Aug.* 30. aedificiorum prolapsiones. *Id. Oth.* 8. ruina.] ℙ Proprie si loquamur, aedificium accipitur pro exstructione, quae habitandi causa fit, et quidem pro urbana; nam a *villis* et *monumentis* aperte distinguit *Martian. Dig.* 1, 8, 4. Ceterum usu latius sumitur, ut dictum est.

AEDĬFICO, as, avi, atum, a. 1. proprie significat aedem seu habitationem facere, aut aliam quamvis e muro aliave materia exstructionem. *Cic. Q. Fr.* 2, 4. aedificare domum. *Id. Dom.* 43. porticum. *Id. Verr.* 2, 4, 53. urbem. *Id. Verr.* 2, 5, 18. navem. [*Cf. *Duk. d. Lat. JCt.* p. 68.] *Id. Manil.* 4. classem. *Id. Att.* 9, 13. *fin.* hortos. *Virg. A.* 2, 16. equum. [*Hor. Sat.* 2, 3, 247. casas. *Aur. Vict. V. Ill.* 5. carcerem. *Id. ib.* 6. circum maximum. *Liv.* 26, 1. hibernacula. *Varr. R. R.* 3, 17, 5. piscinas.] Dicitur etiam absolute. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Tribus locis aedifico. [*Sic saepe; cf. *Hor. Sat.* 2, 3, 308. *Ep.* 1, 1, 100. *Caes. B. G.* 6, 22. *Drak.* ad *Liv.* 6, 4, 5. Inde ludicra oratione *Pl. Mil.* 2, 2, 56. Ecce, aedificat; columnam mento suffulsit suo.] Hinc conjungitur etiam cum accus. loci, qui aedibus frequentatur, et est *aedificium in loco facere. Pompon. Dig.* 41, 1, 30. *extr.* Si insulam in mari aedificaverim, continuo mea fit. [*Cf. *Suet. Vesp.* 8. *Eutr.* 8, 2.] ℙ Translate *Cic. Fam.* 9, 2. aedificare rempublicam, *h. e.* constituere. [*Id. *Tusc.* 1, 25. Qui in Timaeo mundum aedificavit Platonis deus. V. AEDIFICATOR.] *Juven.* 6, 501. tot adhuc compagibus altum Aedificat caput, *h. e.* ornat in tutulum. *Aedificare corpora crescentia nexu* dicuntur a *Claud. Cons. Mall. Theod.* 1, 321. qui alius in alium insilientes veluti aedificium struunt. ℙ [*Ap. *Liv.* 21, 62, 8. confunduntur *aedificaverunt* et *dedicaverunt.*]

AEDĪLĀTUS, us, m. dignitas aedilis, quemadmodum dicitur pontificatus, consulatus. *Festus* in *Aedilis.*

AEDĪLĬCĬUS et aedilitius, [*illud rectius] a, um, adj. ad aediles pertinens, ἀγορανομικός, ἀστυνομικός. *Cic. Off.* 2, 16. aedilicium munus. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 9. vectigal aediliciorum, intell. munerum [*i. e. pecunia, quae in provinciis ad ludos pro Aedilibus exigebatur.]. *Id. Planc.* 21. repulsa aedilicia, *h. e.* in aedilitate petenda. *Id. Vat.* 17. aedilicia praetexta toga. *Id. Cluent.* 45. scriba aedilicius. [*Liv.* 25, 2. aed. largitio, i. e. Aedilium. Cf. *Cic. Off.* 2, 16.] — *Aedilicium edictum* est, quod aediles curules initio magistratus proponebant, et secundum illud dicturos se jus tota sua aedilitate profitebantur, quemadmodum et praetores, de quibus v. in EDICTUM. Jus enim dicebant aediles iis de rebus, quae ad eorum officium pertinebant. Ejus autem edicti exemplum habes *toto titulo* l. *l.* 21. *Dig.*, ubi etiam, quibus de rebus aediles cognoscerent, videri potest. Hinc *aedilitiae actiones*, quae ex aedilicio edicto manant, *Paul. Dig. l. c.* 47. et *toto tit.* 58. l. 4. *Codicis.* [*Dicuntur etiam *aedilitiae edictiones. Pl. Capt.* 4, 2, 43.] — *Aedilicius vir*, qui aedilitate functus est, quemadmodum *consularis*, qui consulatu. *Cic. Brut.* 28. Sed omnia is summa sperans aedilicius est mortuus. Adde *Vat.* 7. — *Aedilicius quaestor* dicitur a *Cic. Pis.* 36. qui aetatem habet ad aedilitatem petendam; nam post quaesturam ea petebatur. Alii tamen aliter explicant [*veluti *Ernest.* quaestorem aedilicium putat dici eum, qui, aedilitate amissa, rursus quaesturam petiit. Sed ipse dubitat, an non vera sit scriptura, pariterque *Orellius* conjicit scribendum esse: *quid? quaestor rejectus? aedilicius praepositus?*] — *Ad aedilicium modum purus* proverbio dicitur de re valde pura, quia aediles maxime curabant, ut munda omnia integraque essent, ut dictum est. Est *Varronis* ap. *Non.* 4, 75., si modo hoc pacto ille locus legendus est. Nam alii aliter.

AEDĪLIS, lis, m. (sc. magistratus s. vir) ἀγορανόμος, ἀστυνόμος, nomen est Romani magistratus, cujus officium erat (v. *Cic. Verr.* 2, 5, 14. et *Varr.* 4, 14.) aedes publicas privatasque procurare (unde et nomen traxit) et aquaeductus [*omnino aquas publicas. V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. *med.*] cloacasque, ut munda omnia integraque essent: item ludos publicos [*Megalesia et Magnos. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 8, 3.] proprio sumptu exhibere, et si quando incendia excitarentur, exstinguenda curare, viarum, funerum, annonae curam habere, merces an sanae essent, mensurae an aequae, cognoscere. [*Omisit, eorum etiam fuisse, ut leges et Senatus consulta ab initio in templo Cereris, deinde in aerario asservarent. Iidem a poetis emebant comoedias, quas deinde ederent. *Ter. Eun. prol.* 20. *Suet. Aug.* 40. Augustus negotium Aedilibus dedit, ne quem posthac paterentur in Foro circave nisi positis lacernis, togatum consistere. *Id. Vesp.* 5. Vespasianum Aedilem C. Caesar, succensens curam verrendis viis non adhibitam, luto jubet oppleri.] Legimus ap. *Liv.* 10, 13. *extr.* aliquando ab iis diem dictam esse plerisque, quia plus, quam quod lege finitum erat, agri possiderent. Fuere autem duplicis generis, plebeji et curules. V. CURULIS, CEREALIS et AEDILICIUS. *Aediles* primum duo tantum fuere [*hi dicti *Aediles plebis*, *Suet. Caes.* 76.]: deinde alii duo additi sunt cum curuli sella, a. U. 389. [*Plerumque hi ab antiquis scriptoribus intelliguntur, ut *Liv.* 6, 42. etc. Cur instituti fuerint narrat *Liv.* 7, 1.] Postremo alios duos *Cereales* nuncupatos adjecit C. Jul. Caesar. Aetas huic magistratui capessendo apta erat annorum triginta septem, ut est ap. *Manut.* et alios. Alii tamen aliter definiunt. *Cic. Leg.* 3, 3. Sunto aediles curatores urbis, annonae ludorumque solemnium: ollisque ad honoris amplioris gradus is primus ascensus esto. *Pl. Rud.* 2, 3, 43. Neptunus aedilis fastidiosus est: si quae improbae sunt merces, jactat omnes. *Pers.* 1, 124. Italo quod honore supinus Fregerit heminas Areti aedilis iniquas. [Ex hoc *Persii* loco, itemque ex *Juven.* 10, 102., et ex *Cic. Fam.* 13, 11. aediles etiam in municipiis fuisse colligimus, ut Aretii, Ulubris, Arpini, neque tamen sella aut purpurea toga utebantur. *Juven.* 3, 179. de aedilibus per Italiam constitutis: sufficiunt tunicae summis aedilibus albae. *Summos* appellat, quod aedilitas erat magistratus summus; etenim hic magistratus in quibusdam municipiis erat solus et unicus, ut constat ex *Cic. l. c. F.* *Erant hi, aediles plebeji dicti, tum in infimis magistratibus, qui jus dicebant, interque alia curam gerebant fornicum, popinarum et scortorum, in quae singularem habebant jurisdictionem. V. *Lips. not.* et *exc.* ad *Tac. A.* 2, 85. et *intpp.* ad *Juven.* l. l. *Suet. Tib.* 34. Dato Aedilibus negotio popinas ganeasque — inhibendi. *Id. Cl.* 38. Haec coercitio popinarum Aedilibus a Claudio rursus adempta dicitur. V. *B. Crus.* ad h. l. et *Everard. Otto: de Aedilibus Coloniarum et Municipiorum.*] ℙ [*Aedilem pr. *aedituo* putatur dixisse *Varro* ap. *Non.* v. *Gallantes.* V. *Salm. Exerc.* p. 765.] ℙ Adjective *Aediles ludi* dictum est a *Pl. Poen.* 5, 2, 52. ℙ In ablativo singulari habet *Aedili* et *Aedile*: quamquam hoc posterius a *Charis.* l. p. 96. allatis exemplis *P. Rutilii*, *Varronis* etc. (sic etiam in plurimis *Liv.* codd. 3, 31.) praeferri videtur. [*Usitatior haud dubie forma est *aedile*, quam edidit ap. *Cic. Sext.* 44. etiam *Orell.* quamquam *aedili* editur ap. *Tac. A.* 12, 64. Cf. *Schneid. Gr.* II. 1. p. 221.]

AEDĪLĪTĀS, atis, f. ἀγορανομία, dignitas seu magistratus aedilium. *Cic. Off.* 2, 17. Mamerco praetermissio aedilitatis consulatus repulsam attulit. *Id. Cluent.* 25. aedilitatem petere. *Id. Off.* 2, 16. aedilitate magnificentissima fungi. *Pl. Stich.* 2, 2, 29. aedilitatem gerere. [*Suet. Caes.* 9. inire. *Id. Vesp.* 2. aedilitatis ac mox praeturae candidatus. Plurali utitur *Cic. Off.* 2, 16.]

AEDIS. V. AEDES.

AEDĪTĪMOR sive Editumor, aris, dep. 1. οἰκουρέω, aedem tueor seu custodio. *Pompon.* ap. *Gell.* 12, 10. Qui postquam tibi appareo, atque aeditumor in templo tuo. *Nonius* 2, 56. haec eadem verba referens *aedituor* legit.

AEDĪTĪMUS et Aeditumus, i, m. qui sacras aedes servat, ἱεροφύλαξ. *Gell.* 12, 10. docet auctoritate *Varronis d. L. L.* hanc vocem latinam esse, et pro ea a plerisque *aedituum* dici, nova et commentitia usurpatione. Itaque ap. *Cic. Verr.* 2, 4, 44. ubi nunc *aeditui custodesque* scriptum est, in exemplaribus fidelissimis legi *aeditumi*, [*quam formam non spernendam judicat.] Sic *Varr. R. R.* 1, 2. In aedem Telluris veneram, rogatus ab aeditimo, ut dicere didicimus a patribus nostris, ut corrigimur a recentibus urbanis, ab aedituo. Adde [*ib.* 1, 69.] et *L. L.* 6, 2. *circa med.* Quidam hujus vocis eam tradunt notationem, ut dicatur quasi *aedis intimus*; sed refelluntur a *Cic.*, qui *Top.* 8. docet, *timus* seu *tumus* meram esse verbi productionem. [*Ut in *finitimus*; cf. *Periz.* ad *Sanct.* II. p. 559.]

AEDĪTŪA, ae, f. mulier templi custos. Legitur in quadam *Inscr.* ap. *Fabrett. c.* 10. *n.* 435. Translate autem *Tertull. Cult. fem.* 1. Cum omnes templum simus Dei, ejus templi aeditua et antistes pudicitia est.

AEDITUALIS, le, adj. ad aedituum pertinens. *Tertull. Pudic.* 16. Non scitis vos templum Dei esse, qui et templo sanciendo, purificandoque aeditualem legem scripsit: si quis templum Dei violaverit etc.

AEDĪTŪENS, entis, part. v. *aedituo*, idem qu. aeditimus. *Lucr.* 6, 1273. Hospitibus loca quae complerant aedituentes.

AEDĪTŪO, as, n. 1. aedituus sum. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 5. *n.* 54. Nonius Avillius N. F. Cl. Novellius Sacerdos Dei Silvani Vixit ann. 37. aedituavit ann. 13. Adde *n.* 53. et ap. *Grut.* 1088, 5.

AEDĪTŪOR, aris, dep. 1. id. qu. aeditimor et aedituo. V. AEDITIMOR.

AEDĬTUUS, ui, m. ἱεροφύλαξ, [νεωκόρος] id. qu. aeditimus, sacrae aedis custos. [*Auctore *Varr.* hoc derivant a *tuendo*, improbante inter alios *Perizon.* l. l. in *Aeditimus.* Verum *I. Fr. Gronov.* ad *Gell.* 7, 1. istam etymologiam probare studet partic. *aedituens.* Cf. *Duk. de Lat. JCt.* p. 25. sq.] *Pl. Curc.* 1, 3, 48. Crepitum claustrorum audio, aedituum aperire fanum. *Suet. Dom.* 1. Ardente templo apud aedituum clam pernoctavit. [*Id. *Aug.* 5. Se esse possessorem ac velut aedituum soli, quod primum D. Augustus nascens attigisset.] Adde *Cic.*, quem retulimus in v. AEDITIMUS, ubi alia quoque sunt huc pertinentia. [*Liv. 25, 7. 30, 17.] ℙ *Servius* ad illud *Virg. A.* 9, 647. *hic Dardanio Anchisae Armiger ante fuit fidusque ad limina custos*, significare videtur etiam atriensem servum, qui privatas aedes servat, aedituum dici: cujus rei exempla nondum vidimus. ℙ Translate *Hor. Ep.* 2, 1, 229. Sed tamen est operae pretium cognoscere, quales Aedituos habeat belli spectata domique Virtus, indigno non committenda poetae, *h. e.* quales habeat poetas, qui versibus eam posteritati commendent, et ab oblivione custodiant. [*Sunt poetae quasi aeditui s. custodes in templis Apollinis vel Musarum. Alii malint poetas dici aedituos, quia, sicut hi in templis circumducunt hospites, monstrantes, quae ibi sunt praeclara, poetae per res gestas quasi ducunt singula enarrantes (περιηγεῖσθαι). Quod addit *Forc.*, id minus probandum est.] Alii putant respexisse *Horatium* ad *Valerium Aedituum* veterem poetam, cujus carmen refert *Gell.* 19, 9. locutumque esse eo pacto, quo *Martial.* 8, 56. *Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones.* Ubi *Marones* per synecdochen pro quocumque optimo poeta dictum est.

AEDON, aëdonis, f. ἀηδών, ἀηδόνος, avis, quam alii carduelem, alii lusciniam esse volunt: ita dicta ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ᾄδειν, ab assiduo cantu. In fabulis fuit Aedon uxor Zethi regis, fratris Amphionis, quae Itylum filium per errorem nocte interfecit, putans eum ex Amanea seu Amandea Amphionis esse filium (invidebat enim uxori Amphionis, quod illi essent sex filii masculi), crimen vero cognoscens optavit mori, sed miseratione deorum in hanc avem versa Itylum deflere dicitur. Est autem vox trisyllaba. *Sen. Agam.* 670. Non quae verno nobile carmen Ramo cantat tristis aedon Ityn in varios modulata sonos. *Petr. Sat.* 131. Dignus amore locus, testis silvestris aedon, Atque urbana Progne. Al. leg. *silvester:* neque tamen masculinum putes; nam *volucer fama* ap. *eund.* 123. legitur. *Calpurn. Ecl.* 6, 8. Vocalem superet si dirus aedona bubo. Adde *Nemes. Ecl.* 2, 61. [*Plura ap. *Anton. Lib. Met.* 2, 17.] ℙ *Aedon*, *Aedonis*, disyllabum, Ἀΐδων, ωνος, mons est Thraciae; sed saepius sine diphthongo *Edon*, Ἤδων scribitur.

AEDONIUS, a, um, adj. quinque syllabar. ad aëdonem pertinens. *Auct. paneg. ad Pison. fin.* Sic et aedonia superantur voce cicadae. ℙ *Aedonius* quadrisyllab. V. EDONUS.

AEDŪI et Hedui, orum, pop. Galliae Celticae inter Ligerim et Ararim, olim quorum tractus hodie *l'Autonois* dicitur, continebatque [*Strabone appellantur Ἄδυοι; a *Ptol.* Αἴδυοι, a *Mela* et *Plin.* Eduo s. Heduo.] majorem partem Duc. Burgundiae, ubi tractus Augustodunensis, Carolensis, Alexiensis et Cabillonensis. [*Hodie hae regiones complectuntur le Departement de la côte d'or, de la Nièvre, de Saône et Loire et du Rhône.] Sed hodie multo minor est. *Auson. Parent.* 4, 6. *Aedues* seu *Hedues* appellat: quaque potentes Aedues Alpino quaque Vienna jugo. *Cic. Att.* 1, 19. Aeduos fratres vocat, quia cum pro Romanis stetissent pugnassentque contra eorum hostes, cognita fide *fratres consanguineosque* eos senatus appellaverat, uti narrat *Caes. B. G.* 1, 33. Eadem ratione Saguntini consanguineam vocant Romam ap. *Sil.* 1, 608. et 655., et praeterea quia eorum civitas ex colonis Ardeatibus creverat et Ardea colonia Romanorum erat.

AEDŪĪCUS, a, um, adj. ad Aeduos pertinens, ut Aeduicus pater *Auson. Par.* 2, 2., Aeduicum stemma *ib.* 4, 3.

AEĒTAEUS et Aeētēus, a, um, adj. ad Aeeten Colchorum regem pertinens. Hinc *Aeetaeos fines* vocat *Catull.* 64, 3. ipsam Colchidis regionem.

AEĒTES, ae et latina terminatione Aeētā, ae, m. Αἰήτης, rex fuit Colchorum, filius Solis ex Persa Oceani filia. Liberos habuit Medeam, Absyrtum et Calciopen. Ad hunc Phryxus Athamantis filius pervenit et aureum vellus detulit, quod cum vigilantissime servaret, ejus causa bellum gessit cum Argonautis. Tandem ab Iasone Medeae filiae proditione et vellere spoliatus et regno pulsus est. Sed tamen jam senex ab eodem in regno restitutus dicitur. V. *Hyg. fab.* 3, 22. et 23., et *Serv.* ad *Virg. G.* 2, 140. et 141. etc. *Cic. N. D.* 3, 21. Sol, qui Colchis fertur Aeetam et Circen procreavisse. *Ov. Her.* 12, 29. Accipit hospitio juvenes Aeeta Pelasgos. Et 51. Dixerat Aeetes: moesti consurgitis omnes. Dicitur etiam *Aeetas* in recto casu singulari. *Serv. l. c.*

AEĒTĬAS, ādis, patron. f. Medea Aeetae Col-

chorum regis filia. *Ov. Met.* 7, 9. Concipit interea validos Aeetias ignes.

AEĒTINE, es, f. Medea Aeetae Colchorum regis filia. Vox haec eo modo ab Aeete deducta est, quo a *Neptunus Neptunine*, a *Nereus Nerine* etc. *Ov. Her.* 6, 103. Non haec Aesonides, sed Phasias Aeetine etc. Alii aliter legunt. [*V. ad h. l. *Heins.*]

AEĒTIS, idos, f. id. qu. Aetias. *Val. Fl.* 8, 233. Suscitat adfixam moestis Aeetida curis. Adde *Albinov.* 2, 110.

AEĒTIUS, a, um, adj. id. qu. Aeetaeus. *Val. Fl.* 8, 379. Illinc Aeetius heros obsidet etc.

*AEGAE, arum, 1) oppidum Achajae. 2) Euboeae; hae apud latinos scriptores non reperiuntur. 3) Oppidum Macedoniae, in cujus scriptura libri valde variant: Aegae, *Αἰγαί*, *Nep. Reg.* 2. Aege, *Αἰγή*, *Plin.* 4, 16, 17. Aegia, *Αἴγεια*, Aegea s. Aegaea (*Justin.* 7, 1. ubi Aegeates incolae s. Aegeades) *Αἰγαία*; eadem, quae ante *Edessa*. 4) Oppidum Aeolidis in Asia minore. *Plin.* 5, 30, 32. 5) Ciliciae, *ib.* 5, 27, 22.

AEGAEON, ōnis, m. *Αἰγαίων*, gigantis nomen, quem centum manus et quinquaginta ventres habuisse fabulantur. *Virg. A.* 10, 565. Aegaeon qualis centum cui brachia dicunt, Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem Pectoribusque arsisse, Jovis cum fulmina contra Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses. *Serv.* addit, eundem esse ac Briareum, Caeli et Terrae filium, affertque versum Homeri, quo significatur Briareum a diis, Aegaeonem ab hominibus appellari consuevisse. Hic cum a Jove victus fuisset, religatus est a Neptuno ad scopulum quendam in una ex insulis Aegaei maris. *Claud. R. Pr.* 3, 345. Haec centumgemini strictos Aegaeonis enses etc. *Stat. Ach.* 1, 209. duros laxantem Aegaeona nexus. ℙ Est etiam deus marinus Ponti et Terrae filius: de quo, et quidem penultima obliquorum producta, *Ov. Met.* 2, 9. Proteaque ambiguum balaenarumque prementem Aegaeona suis immania terga lacertis. ℙ Ponitur etiam pro ipso Aegaeo mari. *Stat. Th.* 5, 288. Diis pelagi ventisque et Cycladas Aegaeoni amplexo. Nisi forte hic quoque deum ipsum intelligit.

AEGAEUM mare, n. [*gr. *Αἰγαῖον πέλαγος* s. *πόντος Αἰγαῖος*, *Xen. Oec.* 28, 27.] amplissimus maris mediterranei sinus, a parte orientali Isthmi Corinthiaci, ut *Plin.* placet, aut certe a Sunio Atticae promontorio, ut tradit *Ptolem.*, ad ipsum usque Hellespontum extensus, alia aliis in locis nomina sortitus a regionibus, quas alluit. *Cic. Manil.* 18. Insula Delos tam procul a nobis in Aegaeo mari posita. Dicitur etiam *Aegaeum* absolute. *Hor. Od.* 2, 16, 1. Otium divos rogat in patenti Prensus Aegaeo. *Pers.* 5, 142. trabe vasta Aegaeum rapias. [*V. de hoc usu *Burm.* ad *Prop.* 3, 5, 51.] ℙ De ratione nominis varia traduntur a scriptoribus. Nonnulli, in quibus est *Suidas*, ad Aegeum Thesei patrem referunt, quem in hoc mare sese praecipitem dedisse ferunt, cum navim filii, qua ille in Cretam ad Minotaurum vectus fuerat, nigro cum velo (quod sibi cum nauclero amissi filii signum convenerat) redeuntem videret. Alii sic dictum volunt, quod Aegea Amazonum regina in eo perierit. Alii, quod crebrae in eo sint insulae, ut procul aspicientibus species caprarum videantur. *Αἶγες* enim sunt caprae. Haec tria etyma referuntur a *Paulo* ex *Festo:* tertium habet etiam *Varro L. L.* 6, 2. *fin. Strabo* ab Aegaeis oppido in Euboea, vel ab Aega promontorio Aeolidis derivat: *Plin.* 4, 11, 18. *fin.* a scopulo inter Tenum et Chium, quem nautae *αἶγα* appellant, quoniam procul visentibus caprae similis creditur.

AEGAEUS, a, um, adj. ad Aegaeum mare pertinens, *Αἰγαῖος*. *Cic. Arat.* 426. Aegaeus gurges. *Stat. Th.* 6, 20. Aegaea stagna. [*Tibull.* 1, 3, 1. undae.] *Hor. Od.* 3, 29. *fin.* Tutum per Aegaeos tumultus aura feret, *h. e.* maris Aegaei tempestates. *Claud. Eutr.* 2, 246. Aegaeos insedit Graecia portus, *h. e.* oram litoralem Aegaei maris. *Ov. Tr.* 1, 11, 8. Cyclades Aegaeae, *sc.* quae in Aegaeo mari positae sunt. *Stat. Th.* 5, 49. Aegaeus Nereus. *Id. ib.* 8, 478. Aegaea Venus, quae Aegaeo mari prognata dicitur. *Virg. A.* 3, 74. Neptunus Aegaeus. V. AEGAEON. ℙ Etiam *Aegaeus, a, um* scriptum reperitur. [*De orthographia h. v. cf. *Dausquej.* in *orthogr.* II. p. 13.]

AEGAN, Aegaeum mare. *Val. Fl.* 1, 629. et 4, 715. [*Ed. *Heins.* Aegon.]

AEGĀTES, um, f. insulae maris mediterranei, ad promontorium Siciliae Lilybaeum, ubi Carthaginienses classe victi ab Romanis bello Punico primo pacem petere coacti sunt et ad foedus venire. [*Nep. *Ham.* 1. *Liv.* 21, 10. Earum tres commemorantur: Phorbantia, Aegusa, Hiera. *Sil.* 6, 684. geminas Aegates dicit, ideoque duas tantum novisse videtur.] *Sil.* 1, 60. Aevi flore virens avet Aegates abolere, parentum Dedecus, ac Siculo demergere foedera ponto.

[AEGĒAS, atis, m. adj. ad Aegas pertinens Aeolidis urbem, nunc *Ghiusel-Hyssar*, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 2. p. 492. *ΑΙΓΑΕΩΝ*. *Tac. A.* 2, 47. Philadelphenos, Aegeates, Apollonidenses. *Vell.* 2, 70. Impetravit a Stratone Aegeate familiari suo. Binae aliae noscuntur hujus nominis urbes, una Ciliciae, hodie *Aias-Kalè*, altera Macedoniae. *F.*]

AEGER, aegra, aegrum, adj. *νοσῶν*, [*ἀῤῥώστος*, *ἀσθενής*] qui morbo correptus est. [*De hujus v. notatione alii aliter, ut solet, senserunt, quae qui cognoscere cupit, adeat *Sanct. Min.* II. p. 554. et *Kärcher.* in *Diar. schol.* 1828. N. 82. p. 506. *Perizonius* quidem ad *Sanct.* reliquis praefert, ut dictum putetur pr. *ἄϊγρος*, ab *ἀ*, *ἄϊ*, *αἰάζω*, *ἄϊαγμα*. Haec nos in medio relinquimus.] *Cic. Div.* 1, 25. Ita graviter aegrum fuisse, ut omnes medici diffiderent. *Id. Cat.* 1, 13. homines aegri morbo gravi. [*Cf. *Liv.* 42, 28. *Tac. H.* 3, 38.] *Id. Brut.* 48. *fin.* infirma atque etiam aegra valetudo. [*Suet. *A.* 13. aeger et invalidus.] *Id. ad Quirit.* 1. *fin.* aegro corpore esse. *Sall. Cat.* 62. aeger pedibus. *Nep. Milt.* 7. vulneribus. *Liv.* 26, 8. ex vulnere. [*Ita etiam *Cic. R. P.* 2, 21. aeger ex vulnere i. e. animi deliquium passus. *Beier.*] Et absolute de vulnerato *Stat. Th.* 1, 517. avidos illidit in aegrum Cornipedem cursus. [*Cf. *Ov. Met.* 12, 373. *Eutrop.* 2, 27 (16). *Sil.* 6, 271. aegra, i. e. saucia spina. Cf. *Virg. A.* 10, 856. Ceterum his adjunge haec: *Virg. G.* 3, 496. sues aegri. *Hor. Sat.* 2, 2, 43. aeger stomachus. *Virg. A.* 5, 432. anhelitus, i. e. qualis esse solet aegrorum; ubi fuerunt, qui *acer* scribendum esse putarent, quos refutavit *Heins.* Cf. 10, 837. *Ov. Met.* 7, 540. aegri balatus.] Et cum genit. *Appul. Met. pr. fin.* Psyche aegra corporis, animi saucia. Et cum accus. *Gell.* 19, 10. Memini me quondam pedes tunc graviter aegrum. [*Et genitivi et accus. rationem explicabis e graeco sermone. Cf. infra.] — Hac significatione usurpatur saepe substantivi more. *Cic. Div.* 2, 3. Ad aegros — medicos solemus adducere. *Id. N. D.* 2, 4. Ne aegri quidem omnes convalescunt. Hinc *servus ab aegris* est, qui aegrorum curam habet. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 91. M. Aurelio Aug. L. Stephano ab aegris cubiculariorum. — Dicitur eadem signif. etiam de rebus inanimis. *Virg. A.* 3, 142. Victum seges aegra negabat. Cui opponitur illud *Georg.* 1, 1. quid faciat laetas segetes etc. [*Pall. Febr.* 25, 23. aegra arbor. *Id. Mart.* 7, 4. vitis.] ℙ [*A corpore transfertur haec vox ad animum, ac tum significat eum, qui aliquo vitio (quasi morbo) laborat, aut sensu aliquo graviter affectus est, denique est id. q. sollicitus, moerens, tristis, miser, afflictus.] *Sall. Jug.* 31. animus aeger avaritia. *Liv.* 30, 11. aeger amore. [*Sil. 7, 726. subitis bonis mens aegra, i. e. sui non compos. Sed ap. *eund.* 9, 36. aegra castra pugnae amore intell. de castris pugnandi cupiditate nimia ardentibus. Eodem refer, quem locum noster attulit, *Claud. N. Hon. et Mar.* 14. incusat spes aegra moras, i. e. ingens, quae animum sollicitat. Nimirum cupiditas et spes modum excedens ipsa est morbus quidam animi.] *Vetus poeta* ap. *Cic. Coel.* 8. Medea animo aegra, amore saevo saucia. *Pl. Epid.* 1, 2, 26. aeger ab animo. *Liv.* 1, 58. 2, 36. 30, 15. aeger animi. *Sall. fr. Hist.* 4. ap. *Arusian.* et *Stat. Th.* 11, 141. aeger consilii i. e. sollicitus de consilio, inops consilii, dubius. *Sil.* 3, 72. timoris, h. e. timore sollicitus. *Id.* 13, 52. aeger delicti. [*Id. 15, 135. pericli, ubi v. *Heins.* et *Burm.*] *Flor.* 3, 17. rerum temere motarum. [*De constr. genit. cf. praeter *Heins. l. l. Drak.* ad *Liv.* 30, 15, 9. et ad *Sil.* 3, 72. et, quem laudat, *Heins.* ad *Val. Fl.* 3, 737. Plurima id genus exempla collegit diligentissimus *Rudd.* II. p. 73. sqq.] *Sall. Jug.* 74. aeger animus. *Val. Fl.* 6, 623. pectora aegra. [*De his, *aeg. an.*, *aegra mens* etc. cf. *Drak.* ad *Liv.* 2, 3, 5.] *Virg. A.* 2, 268. aegri mortales, [*i. e. miseri, gr. *δειλοὶ βροτοί*, *ὀϊζυροί*, *πολύπονοι*. Cf. 10, 274. et *Ov. Met.* 14, 143. aegra senectus.] *Appul. Met.* 6. Psyche aegerrima. [*Adde *Virg. A.* 1, 208. aeger curis. *Sil.* 17, 171. aeger visis, i. e. sollicitus, trepidus. Ap. *Virg. Ecl.* 1, 13. *aeger* recte explicant de *sollicito*, male alii pro *aegre* dictum putant. V. ibi *interpp.* *Sil.* 8, 108. Invitus — respiciens aegerque animi tum regna reliqui vestra. *Id.* 7, 722. de lupo: vacuo fugit aeger (indignabundus, invitus) hiatu.] Ab animo ad oculos transtulit eadem signif. *Tac. H.* 2, 20. aliorum felicitatem aegris oculis introspicere, i. e. animo invido, invide. — Dicitur autem sic etiam de rebus, quae aliquo modo vitiosae, non integrae sunt, aeque ut *sollicitus*, *afflictus*. [*Sil. 7, 395. res aegrae. Cf. *Liv.* 9, 20.] *Cic. Verr.* 1, 1, 2. maxime aegra et prope deposita reipublicae pars. [*Sic non semel *Cicero* civitatis afflictam conditionem cum *morbo* comparat. Et *Liv.* 5, 3. Sic hercule tanquam artifices improbi, opus quaerunt, qui et semper aegri aliquid esse in republica volunt, ut sit, ad cujus curationem a vobis adhibeantur. *Flor.* 3, 23. quasi aegra sauciaque respublica. *Sil.* 9, 543. spes aegrae, i. e. non validae, infirmae, exiguae. (Similiter *id.* 1, 494. aegro nisu, i. e. non satis valido, difficili. Cf. 2, 518. Et *Stat. Th.* 10, 867. qui locus nostrum non fugit: amnis quassatque trahitque molem aegram, h. e. pontem, cujus saxa fatiscunt emotaeque trabes, ut ait *id. ib.*) Eodem modo intell. *ibid.* 2, 392. aegram fidem i. e. incertam. infirmam. Sic etiam *Tac. Agr.* 32. inter male parentes et injuste imperantes aegra municipia et discordantia; *aegra*, quia ambigua fide sunt. *Aur. V. Caes.* 34, 8. Aegra (i. e. luctuosa) asperiorque victoria fuit.] — De rebus quum dicitur, saepe significat id, quod sollicitudinem et moerorem affert [*in quo moeroris causa inest.] *Pl. Amph.* 3, 2, 29. Nunquam quicquam meo animo fuit aegrius. [*Lucr. 3, 918. dolores aegri. *Id. ib.* 946. luctus. Cf. *Ov. Met.* 2, 329. *Virg. G.* 4, 464. aeger amor. *Id. ib.* 3, 512. aegra mors, i. e. miserabilis. *Sil.* 13, 883. aegra servitia. *Id.* 7, 305. noctes aegrae, i. e. insomniis sollicitudinem afferentes.] Et eodem modo substantive *Lucr.* 5, 172. cui nihil aegri accidit. *Pl. Amph.* 2, 2, 11. Plus aegri ex abitu viri, quam ex adventu voluptatis cepi. ℙ Inter *aegrum* et *aegrotum* hoc statuit discrimen *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 1, 13. quod *aeger* tum de corpore, tum de animo dicitur, *aegrotus* de corpore tantum. [*Fuit haec etiam aliorum Grammaticorum sententia, quibus adeo prope displicuit *aeger* de corpore dictum. Quae quam inepta sit sententia, et haec, et quae infra in v. AEGROTUS afferentur, ostendunt, ac v. *Gron.* et *Drak.* ad *Liv.* 39, 9, 4. *Arntz.* ad *Cat. Dist.* 4, 5. Quamquam hoc non negamus, *aegrotus* rarius de animo dici.]

AEGĒRIA et Egeria, ae, f. *Αἰγερία*. [*Ita scribit Forc. Sed Graeci quidem, quantum scimus, semper scribunt *Ἠγερία*, etiam latine usitatior est forma altera *Egeria*, ac nonnisi unum scimus monumentum, in quo exhibetur *Aegeria*. Est apud *Montfauconium* in *Diario Ital.* p. 152. qui in villa Justiniana exstare ait ingentem lapidem quadrum solidum, in quo insculptum est distichon *Ov. Fast.* 3, 275. Aegeria est, quae praebet aquas, Dea grata Camoenis etc. Cf. praeterea *Sigon.* et *Drak.* ad *Liv.* 1, 19, 5. *Schneid. Gr.* 1, 1. p. 52. sqq. — Quae sequuntur, ipsi concinnavimus.] Nympha fuit in mythologia latina longe nobilissima, cui sacrificatum est a praegnantibus, quod eam putabant facile conceptum alvo *egerere*. Inde explicat nomen ipsum *Festus* V. p. 127. Hoc proprie tribuebatur *Porrimae* s. *Prorsae* et *Postvertae*, quae partubus praesentes erant, et futura vaticinari putabantur. Auctore *Dion. Halic.* 2, 7. fuit Egeria una ex Camenis i. e. iis deabus, quae diviua quaedam effata et carmina magica edebant, ideoque jam antiquissimis temporibus cum Graecorum Musis confusae sunt; proprie autem sunt deae Etruscae. Romae ante portam Capenam haud longe luco Egeriae etiam lucus Camenarum olim monstratus est, qui locus hod. dicitur *Caffarelli*. Egeria vero clara est in historia Numae, qui se cum ea noctu colloquia habere simulavit super cultu religionum et legibus, quas Romanis daret. *Liv.* 1, 19. *Val. Max.* 1, 2, 1. Hoc factum esse tradunt in luco vel specu ante portam Capenam. Alii (ut *Virg. A.* 7, 761. ibique *Heyn.*) attribuunt ei fontem et lucum prope Ariciam. Utrumque conjunxit *Ov. Met.* 5, 487. Cf. *Cluver. It. ant.* p. 931. sq. Demonstravit autem *Holdsworth. diss.* IV. Ariciam fontem Egeriae sedem; ante portam Capenam (h. *S. Sebastiano*) specum fuisse, in quo Numa eam conveniebat. Alii eam Numae conjugem fuisse narrant, ut *Ov. Fast.* l. l. et *Dion. Hal.* l. l. *Plut. Num.* 5. *Aur. Vict. V. Ill.* 3. Porro addunt, mortem Numae tanto dolore affecisse Egeriam, ut a Diana in fontem cognominem transmutata sit. *Ov. Met.* 5, 487. 550. Fontem Egeriam describit *Juven.* 3, 10. sqq. eaque descriptio hodieque quadrat, ut docet *Moritz.* in *Anthusa* I. p. 210 sq.

AEGĒRIUS, a, um, adj. *Inscr.* ap. *Grut.* 72, 5. Fortunae simulacra colens et Apollinis aras Aegeriumque Jovem. Al. legendum probarunt *Arcanumque*. V. ARCANUS.

*AEGESTAEUS, a, um, i. e. Thesprotius, ut exponit *Steph. Byz.* *Liv.* 27, 33. in Aegestaeum campum. Sed *Drak.* ibi restitui vult scripturam antiquam *Argestaeum*.

AEGESTANI. V. SEGESTANI.

*AEGETA, ae, opp. in Moesia superiori. *Anton. Itin. Egeta* in *Tab. Peuting.*

AEGEUS, per duas syllabas, *Αἰγεύς*, filius Pandionis fuit, rex Athenarum, qui ex Aethra Pitthei Troezeniorum regis filia Theseum suscepit, ex Medea autem ab Iasone repudiata alterum filium nomine Medium, ut placet *Justino* 2, 6. et 42, 3. Hoc jam ad senium vergente Minos Cretensium rex Atheniensibus ob Androgei filii necem bellum intulit victisque durissimas pacis conditiones imperavit, ut septem quotannis juvenes Athenienses sibi in Cretam mitterent Minotauro monstro objiciendos. Quibus legibus cum triennio paruissent, evenit, ut quarto anno sors inter omnes ex aequo ducta Theseum proderet. Aegeus falso indicio filium interiisse ratus doloris impatientia sese in mare praecipitem dedit. Cui vita functo Athenienses, Thesei opera gravissima servitute liberati, divinos honores instituerunt, deum marinum et adoptivum Neptuni filium appellantes. Mare quoque ipsum nonnulli censent ab eo Aegaeum esse appellatum. *Hyg. fab.* 37. 41. et *Serv.* ad *A.* 3, 74. [*Apollod.* 3, 15,

5. ibique *Heyn.* p. 341 sqq. *Diod. Sic.* 4, 59 — 62. *Paus.* 1, 22. *Plutarch. Thes.* et *Tzetzes* ad *Lycophr.* v. 494 — 498. Sophocles et Euripides fabulas scripserunt ejus nomine inscriptas; sed aetatem non tulerunt.] *Ov. Her.* 10, 136. ubi Ariadne Theseo: nec pater est Aegeus, nec tu Pittheidos Aethrae filius. *Id. Met.* 15, 856. Aegea sic Theseus, sic Pelea vincit Achilles. ℙ *Aegēus, a, um,* adj. V. AEGAEUS. Sic enim rectius scribitur.

AEGIALE, es, f. *Αἰγιάλη*, sive Aegialea, *Αἰγιάλεια*, [*Adrasti filia, *Il.* ε, 412. vel neptis ejus a filio Aegialeo, ut vult *Heyn.* ad *Apollod.* 1, 8, 6. p. 54.] uxor fuit Diomedis, quam Venus a viro ejus in bello Trojano vulnerata [*ita *Mimnerm.* ap. *Schol. Lycophr.* 610.] tanta adulteriorum involvit turpitudine, ut Diomedes ad eam in patriam renire recusarit [*secundum alios rediit, sed quodiam uxor ei insidias struebat, Graecia relicta in Italiam transiit] acceptaque a Dauno agri portione [**Eustath.* ad *Il.* ε, 412.] urbem condiderit in parte Italiae, quae magna Graecia dicitur, quam a nomine relictae patriae Argos Hippium appellavit, quae et Argyripa dicta est. *Serv.* ad *A.* 8, 9., *Stat. Silv.* 3, 5, 48. Questa est Aegiale, questa est Meliboea relinqui. [*Cf. *Verheyk.* ad *Anton. Lib.* 37.]

AEGIALEUS, m. quadrisyllab. *Αἰγιαλεύς*, filius Aeetae fuit et frater Medeae, a qua discerptus est, ut pater membrorum dispersorum collectione ab ea persequenda retardaretur. Alio nomine dictus est Absyrtus. *Cic. N. D.* 3, 19. ℙ Fuit etiam hoc nomine Phoronei regis Argivorum frater, [*Inachi et Nymphae Meliae filius. Sicyon et Achaja ab eo nomen *Aegialea* acceperunt. *Apollod.* 2, 1, 1. Sicyonii tamen eum Autochthonem habuerunt, eumque tanquam gentis et urbis suae conditorem coluerunt. Cf. *Paus.* 2, 5. 7, 1. *Heyn.* ad *Apollod.* l. l. *Tzetz.* ad *Lycophr.* 177. *Steph. Byz.* s. v. *Αἰγιαλός*. ℙ Fuit alius Aegialeus, Adrasti filius in Epigonis interfectus ad Thebas ab Laodamante, Eteoclis filio. *Hyg. fab.* 71. *Apollod.* 3, 7, 2. 3. et p. 256.]

*AEGIALIA, ae, *Αἰγάλεια*, insula prope Aetoliam. *Plin.* 4, 12, 19.

AEGIALOS, *αἰγιαλος*, graece litus dicitur: unde Achaia propter urbes in litore dispositas Aegialos vocata fuit, teste *Plin.* 4, 5, 6. ℙ [Latina terminatione *Aegialus* cognomen fuit Rom. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 519. *n.* 306. P. Rutilii Aegiali. *F.*]

*AEGIDA, ae, f. oppidum Istriae, prope Tergestam, postea Justinopolis, *Capo d'Istria. Plin.* 3, 19, 23.

AEGIDES, ae, patronym. mascul. *Αἰγείδης*, ab Aegeo, significat Theseum Aegei filium. *Ov. Her.* 4, 59. Perfidus Aegides ducentia fila secutus. *Id. ib.* 16, 325. Nam sequar Aegidae factum fratrumque tuorum. *Id. Tr.* 5, 4, 26. Te vocat Aegiden Euryalumque suum. *Id. Her.* 2, 67. Inter et Aegidas media statuaris in urbe, *h. e.* inter Aegei filios et nepotes.

[AEGIENSIS, e, adj. ad Aegium Achaiae urbem pertinens, in Peloponneso inter Patras et Sicyonem, nunc *Vostiza;* in hujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 2. p. 235. *ΑΕΓΙΕΩΝ. Liv.* 38, 30. Consul in Peloponnesum jamdiu arcessentibus Aegiensibus maxime ac Lacedaemoniis trajecit. Adde *Tac. A.* 4, 13. *F.*]

*AEGILIA, ae, f. *Αἰγιλία*, insula Cretam inter et Peloponnesum. *Mela* 2, 7. *Plin.* 4, 12, 22. Etiam Aegila, *ib.* 19. Et *Aegyla, Αἰγύλα, Dionys. Perieg.* 499. Alia Aegilia opp. Atticae est. *Steph. Byz.*

*AEGILIUM, i, sive Igilium, insula prope Hetruriam, h. *l'Oigilio. Plin.* 3, 6, 12.

*AEGILODES, *Αἰγιλώδης*, sc. sinus, in Laconica, ab opp. Aegila (*Paus.*) ita dictus. *Plin.* 4, 5, 8.

AEGILOPIUM, ii, n. *αἰγιλώπιον*, id. qu. aegilops, cujus diminutivum est. *Plin.* 22, 21, 26. Anthemis commanducata aegilopia sanat. *Id.* 20, 14, 56. Nepeta tusa aegilopiis imponitur.

AEGILOPS, ōpis, f. *αἰγίλωψ, ωπος, ὁ*, abscessus ad angulum oculi naribus propiorem, ex quo pituita assidue distillans fistulosum ulcus paulatim facit, quod nonnunquam exeso osse usque ad nares penetrat. Ita *Cels.* 7, 7. *n.* 7. describit. Dicitur *aegilops*, quia caprae huic vitio maxime obnoxiae sunt: ab *αἴξ, αἰγος*, capra, et *ὤψ*, oculus. *Plin.* 35, 6, 14. Rubrica aegilopas manare prohibet. *Id.* 21, 19, 77. Bacchar imponitur aegilopis incipientibus et ignibus sacris. *Plin. Valer.* 1, 23. Ad maturandas aegilopas, ad aperiendas eas etc. — Penultimam in obliquis corripuit contra ejus naturam *Aemil. Macer. c. de malva:* aegilopas pellit succoque medeberis ejus etc. [*Etiam *Nicand. Ther.* 857. corripit h. v. *αἰγίλωπος*, genit.] ℙ Est etiam hoc nomine herba quaedam folio tritici inter hordeum nascens ipsique valde noxia, videturque esse eadem atque *avena* sterilis apud *Virg. G.* 1, 154. [**avena sterilis Linn.* aut *aegilops ovata ejusd. eirunder Walch.*] Dicta autem est aegilops, quod aegilopas imposita sanat. *Plin.* 25, 13, 93. Aegilopas sanat herba eodem nomine etc. *Id.* 18, 17, 44. *n.* 3. Hordeum enecat festuca, quae vocatur aegilops. ℙ Item arbor glandifera, excelsissima, ramosa, in incultis locis maxime proveniens, fago similis, vel potius eadem ac fagus Latinorum, ut vult *Harduin.* (alii inter cerorum genera reponunt, ap. *Aldrovand.*) ferens panos arentes, muscoso villo canos, non in cortice modo, verum et e ramis dependentes, cubitali magnitudine odoratosque. Ita *Plin.* 16, 6, 8. et *ib.* 8, 13. [*Quercus aegilops, *Linn.* Knoppereiche, a *Sprengelio* putatur esse *Αἰγίλωψ Theophrasti h. pl.* 3, 9. Ceterum cf. *Salm. Exerc.* p. 234.] ℙ Est etiam genus bulbi ap. Graecos. *Id.* 19, 5, 30. ℙ Declinatur etiam *Aegilōpā, ae,* f. *Plin. l. l.* aegilopis incipientibus.

*AEGIMURUS, i, insula prope Carthaginem, gr. *Αἰγίμουρος* (*Strab.*) s. *Αἰγίμορος Steph. Byz.* hd. *La Galetta.* Cf. *Liv.* 30, 24. et *Flor.* 2, 2, 30. classem hostium in Africo mari apud Aegimurum cecidit. Adde *Diod. Sic.* 22, 12. *Polyb.* 1, 37, 39. *Plin.* 5, 7, 7. Contra Carthaginem sinum duae Aegimori arae, scopuli verius, quam insulae, inter Siciliam maxime et Sardiniam.

AEGINA, ae, f. *Αἴγινα*, fuit Asopi Boeotiae regis filia et mater Aeaci, [**Apollod.* 1, 9, 3. 3, 12, 6.] a qua urbs, et insula Peloponneso adjacens contra Piraeeum Athenarum Aegina vocata est, cum antea Oenone diceretur, ut ap. *Strabonem* et *Plin.* 4, 12, 19. et *Stephanum* legitur, aut certe *Oenopia,* ut *Ov. Met.* 7, 473. appellat. [*Adde *Cic. Off.* 3, 11. *Sulpic.* in *Cic. Fam.* 4, 5. *Mela* 2, 7.] V. AEACUS.

AEGINENSIS, se, adj. ab Aegina. *Val. Max.* 9, 2. *n.* 8. *ext.* Civitas Atheniensium abscidit pollices Aeginensium juventuti.

AEGINETA, ae, m. Aeginae insulae incola. *Cic. Off.* 3, 11.

AEGINETICUS, a, um, adj. ad Aeginam pertinens, ut *Aegineticum aes* ap. *Plin.* 34, 2, 3. quod ibi optime temperabatur.

[AEGINIENSIS, se, adj. ad Aeginium pertinens Thessaliae oppidum, de quo *Caes. B. C.* 3, 79., *Liv.* 44, 46. *F.*]

*AEGINIUM, ii, opp. Thessaliae. *Liv.* 32, 15. 36, 13. A *Plinio* 4, 10, 77. in Pieria, provincia Macedoniae, ponitur.

AEGIPAN, ānis, vel gr. anos, m. *Αἰγίπαν*, deus quidam silvestris, ut sunt Pan et Satyri, quem fabulantur Jovis filium fuisse ex capra Olenia, quae graece *αἴξ, αἰγὸς* dicitur, vel Jovis collactaneum natumque ex Aega Panis conjuge, unde et nomen conflatum. Juvisse dicitur Jovem in bello adversus Typhonem. [**Apollod.* 1, 6, 3.] Pingebatur caprina facie, hircinis pedibus: et quia cum primus concham marinam invenisset, ea inflata terrorem hostibus injecerat, caudam piscis ei addiderunt. Hujus effigies in caelo est Capricornus. Paulo aliter fabulam narrat *Hyg. Astron.* 2, 28. [**Plut. Symp.* 7. p. 236. comparat Romanorum Silvano.] ℙ Quidam putarunt esse in quibusdam Africae regionibus homines semiferos, qui dimidia parte caprinam, dimidia humanam effigiem cruraque hircina haberent, hosque *Aegipanes* appellarunt. Horum meminere *Mela* 1, 4. et 8., *Plin.* 5, 8, 8. et *Solin.* 31., sed haec fabulosa commenta sunt. [*Cf. *Salm. Exerc.* p. 293. sq.] *Capell.* 6. p. 215. in dativo plur. *Aegipanis* pro *Aegipanibus* dixit.

*AEGIRA, ae, f. *Αἴγειρα*, 1) opp. Achajae hod. *Scolocastro. Mela* 2, 3. *Plin.* 4, 5, 6. 2) Olim *Lesbos* insula ita dicta est. *Plin.* 5, 31, 39.

AEGIS, idis, f. *αἰγίς, ίδος, ἡ*. [*Apud Homerum pro quovis corporis munimento dicitur, neque Jovi tantum, sed etiam Minervae (*Il.* β, 446.) et Apollini, (*ib.* 15, 348. coll. 360 sqq.) tribuitur. *Voss.* ad *Virg. G.* 3, 261. censet, nubes intelligendas esse, quas Jupiter contra tela Gigantum munimenti loco pectori praetenderit. Alii autem, maxime *Ger. Voss.* de *theol. Gentil.* 111, 70. p. 1109. (et jam *Herod.* 5, 189. hoc significavit) explicat originem h. v. e gr. *αἰγίς*, i. e. pellis caprina, ex qua primum vel clypeus vel lorica illa facta sit. Haec etiam *Winkelmanni* est sententia *Monum. ined. T.* I. ad *tab.* IX. — Posteriores scriptores mythorum alia immiscent, ut] *Hyg. Astron.* 2, 13. scribit, hoc nomine significari pellem caprae Amaltheae, a qua lactatus fuit Juppiter, qui ea protectus et Gorgonis capite contra Titanas pugnavit eosque devicit. Hinc *aegis* ponitur pro munimento corporis, vel e pelle caprina (quale sibi tunc confecit Juppiter, sive illud fuit lorica, ut vult *Serv.* ad *Aen.* 8, 435., sive scutum, ut *ex Musaeo* docet *Lactant.* 1, 21.) vel ex alia quapiam materia insculptum, habente in medio Gorgonis caput: quod munimentum, ait *Serv. l. c.*, si sit in pectore hominis, sicut in antiquis statuis videmus, *lorica* dicitur, si in pectore numinis, *aegis* vocatur. *Ov. Met.* 2, 753. de Pallade: et tanto penitus traxit suspiria motu, Ut pariter pectus positamque in pectore forti Aegida concuteret. *Id. Met.* 6, 78. de eadem: at sibi dat clypeum; dat acutae cuspidis hastam; Dat galeam capiti: defenditur aegide pectus. ℙ Neque vero solum de lorica, sed etiam de scuto dicitur; [*cf. de utroque usu Aegidos *Spanhem.* ad *Callimach. H. in Jov.* 49. *Schlichtegroll, Auswahl stoschischer Gemmen* 1, 94. *Böttiger, Kunstmythol. des Zeus* p. 57. sqq.] et inprimis de scuto Palladis, quod Gorgonis seu Medusae caput insculptum habebat, serpentibus cinctum crinium loco, quod si aspicerent homines, horrore trucis imaginis in lapides vertebantur. *Ov. Met.* 5, 46. Bellica Pallas adest, et protegit aegide fratrem. *Virg. A.* 8, 435. Aegidaque horrificam, turbatae Palladis arma. *Hor. Od.* 3, 4, 57. Contra sonantem Palladis aegida. Translate *Ov. Rem. am.* 346. Decipit hac oculos aegide dives amor, *h. e.* perstringit oculos hac arte, velut objecta aegide. ℙ Scribit *Serv.* ad *Aen.* 8, 354. Jovem gestare in sinistra manu aegidem, seu pellem caprae Amaltheae, quam si quando commoveat, tempestates procellasque cieri. [*Saepe ita fingitur Jupiter, cf. *Mus. Pio-Clem. tom.* V. *tab.* X. Nec tam manu gestat, quam humero sinistro. Cf. *Visconti sopra un antico cameo, repres. Giove Egioco.* Padov. 1793. 4. Adeo in dorso interdum et circa utrumque humerum conspicitur Aegis.] *Sil.* 12, 720. aspice quantus Aegida commoveat nimbos flammasque vomentem Juppiter. Et 335. Aegida turbato quatientem in proelia mundo. ℙ *Virg. A.* 8, 354. Credunt se vidisse Jovem, cum saepe nigrantem Aegida concuteret dextra nimbosque cieret. *Aegida* hoc loco intelligere debemus non loricam Jovis aut scutum, quod sinistra geritur, sed *procellam, tempestatem.* Habet enim hanc etiam significationem vox graeca *αἰγὶς* ab *ἀΐσσω*, impetu feror: a qua voce fit verbum *αἰγίζω*, quod significat *divellere, pervellere, lacerare,* quod est procellarum proprium. Quod vero *aegis* etiam latine hanc significationem habere possit, confirmat vox *cataegis*, quae eodem sign. ab *Appul. de Mundo* usurpata est. V. h. v. Sunt tamen, qui nihilominus *aegida* hoc loco pro scuto accipiant: et ne illud *dextra* negotium facessat, ita legunt: *Aegida concuteret, dextra nimbosque cieret.* [*Ita *Heyn.*] Alii ajunt: *dextra* positum esse non ad significandam *dexteram manum*, sed *manum* utcumque: ideo autem *dextram* nominari, quia ea nobilior sit. [*Ap. *Virg.* ut ante *dextra* interpungeretur, auctor fuit *Heyn.*, quocum non consentit *Wakefield.* conferri jubens a se notata ad *Eurip. Jon.* v. 1015. Vulgaris ratio in *Virg.* loco fortasse defendi potest versu Homerico, quem ille videtur expressisse, *Iliad. δ*, 167. *Ζεὺς δέ σφιν Κρονίδης — αὐτὸς ἐπισσείησιν ἐριώλην αἰγίδα πᾶσι.* Ita igitur *αἰγὶς, procellam* significans, fit ab *ἄΐσσειν*, unde etiam *ἐπαιγίζειν* et *καταιγίζειν*. Cf. *Aesch. Choeph.* 584. ibique *Blomf. Gloss.* Atque haec ipsa res, quod Juppiter ab impetu Gigantum tempestate se dicitur defendisse (*Diod. Sic.* 3, 69. coll. *Apollod.* 3, 11, 3. et *Tzetz.* ad *Lycophr.* 355.), putatur causam praebuisse, ut Jupiter aegidis, tanquam clypei, munimento indutus (*αἰγίοχος*) fingeretur.] ℙ Denique *aegis* in larice arbore dicitur a Graecis pars ligni proxima medullae, coloris mellei, quae est veluti cor ipsius, tabellis pictorum conficiendis aptissima, utpote quae nullis rimis fissilis est. [Haec ita vocatur, quia crispa est et contorta, ut caprae cornua. Hinc *Gloss.* ap. *Bekk. Anecd.* p. 354. *αἰγὶς ἡ ἐν ταῖς πεύκαις ὀὐλότης. F.* *Non recte Grammaticus *πεύκαις*, in his enim dicitur *λοῦσσον*, ut est in sqq., et in querca *μελάνδρυον*. V. *Schneid. Lex. gr.* v. *Αἰγίς.*] Hanc eandem in abiete *leuson* (*λοῦσσον Theophrasto*) appellant. *Plin.* 16, 39, 73.

AEGISONUS, a, um, adj. aegide sonans. *Val. Fl.* 3, 88. de Pallade: aegisono fera pectore virgo. V. AEGIS.

*AEGISSUS, i, s. Aegissos, opp. Moesiae inferioris. *Porphyrog.* ap. *Cellar.* In *Anton. Itin. Aegysos* scribitur; ap. *Ov. Pont.* 5, 8, 3. 4, 7, 21. 53. *Aegypsos.* Sed libri etiam his locis *Aegisus* et *Aegissus* exhibent.

*AEGISTHENIENSES, incolae Aegisthenorum, opp. Megaridis, al. nomine Aegicusae. *Plin.* 4, 7, 11. Al. *Aegosth.*

AEGISTHUS, i. m. *Αἴγισθος*, Thyestis filius ex Pelopea ejusdem filia. Hunc infantulum mater causa tegendi sceleris perdendum feris exposuit in silvis. Sed a pastore inventus ejusque beneficio nutritus est. Inde *Αἴγισθος* dictus fuit, quod nutritus esset a capris, quae graece *αἶγες* appellantur. Provectior aetate Atreum avunculum, impellente tamen patre, interfecit, et ejusdem filium Agamemnonem, a Trojano bello reversum, inter epulas, vel, ut alii volunt, in primo navis egressu, adjuvante uxore ejus Clytaemnestra, qua turpissime usus erat, obtruncavit. Postremo ab Oreste Agamemnonis filio patris mortem ulciscente e medio est sublatus cum eadem Clytaemnestra. *Cic. N. D.* 3, 38. Cum Aegisthi libidinem aut Paridis videmus etc. *Ov. Rem. am.* 161. Quaeritur, Aegisthus quare sit factus adulter etc. [**Aegisthus* pro *Aegyptus* in codd. scribitur *Ov. Pont.* 3, 1, 121. ibique v. *interpp.* ℙ Aegisthus dictus est Caesar a Pompejo ob adulterium cum Mucia. *Suet. Caes.* 50.]

AEGITHALUS. V. voc. seq.

AEGITHUS, i, m. *αἴγιθος*, avis minima solo nomine nobis adhuc cognita (ut debiles quorundam conjecturas omittamus) mira fecunditate praedita, altero pede brevior et clauda, teste *Aristot. Hist. anim.* 9, 15. [*Cf. ad h. l. *Schneider.* T. IV. p. 110. sq.] Haec cum asino graves inimicitias ge-

rere dicitur. Is enim spinetis se scabendi causa atterens ejus nidos dissipat: quod ipsa adeo pavet, ut voce omnino rudentis audita ova ejiciat, pulli metu cadant. Igitur advolans ulcera ejus rostro excavat. Haec *Plin.* 10, 74, 95. ubi bis hanc avem nominat: priore autem loco quidam *aegithalus* pro *aegithus* legendum putarunt. [*Nonnulli putant esse *linariam rubram*, *Billerbeck. parum caeruleum*, *Blaumeise.*]

*AEGIUS, a, um, ad Aegium, Achajae opp., (*Plin.* 4, 5, 6. *Mela* 2, 3. *Liv.* 38, 30.) pertinens. *Plin.* 16, 3, 4. *n.* 9. vitis. Substant. *Aegium*, *ii*, *Lucr.* 6, 585. In Syria Sidone quod accidit, et fuit Aegi in Peloponneso.

AEGLE, es, f. nympha, filia Jovis ex Neaera, una Naiadum: sic dicta ab *αἴγλη*, fulgor, splendor. *Virg. Ecl.* 6, 21. Aegle Naiadum pulcherrima. ℙ Item una Hesperidum, Atlantis filia, vel, ut alii volunt, Noctis. *Serv.* ad *A.* 4, 484. [**Apollod.* 2, 5, 11.] ℙ Item filia Solis, Phaetontis soror, cujus lapsum mortemque deflens cum aliis sororibus in electri roborem versa est. *Hyg. fab.* 154. et 156. [*Infamis mulier ap. *Martial.* 1, 95. *B. Auct.*]

[AEGLUS, i, m. ab *αἴγλη* fulgor, cognomen Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 175, 9. M. Ulpius Aug. L. Aeglus. *F.*]

[AEGOBOLIUM, ii, n. V. CRIOBOLIUM. *F.*]

AEGOCEPHALUS, i. m. *αἰγοκέφαλος*, avis quaedam (fortassis eadem quae *Aegolios*) ita dicta, quod capite capram referat. Liene carere scripsit *Plin.* 11, 37, 80.

AEGOCERAS, atis, n. herba est, quam nos foenum graecum [*n. *Bockshorn*, *Trigonella foenum graecum*] appellamus: ita dictum, quod ejus semen corniculis est simile, ut ait *Plin.* 24, 19, 120., nempe ab *αἴξ* et *κέρας*.

AEGOCEROS, ōtis, m. *αἰγόκερως*, animal *capricornus* dictum. V. CAPRICORNUS. Est autem unum e duodecim signis Zodiaci. Graeca vox est, quam latine usurpant *Lucan.* 9, 536. Par geminis Chiron, et idem quod Carcinos ardens, Humidus Aegoceros, nec plus Leo tollitur Urna. Et *Lucr.* 5, 614. Quo pacto aestivis e partibus Aegocerotis etc. ℙ Reperitur etiam *Aegoceros*, *i. C. Caesar Germanic.* in *Arat.* 213. Cum sedem Aegoceri Cythereius attigit ignis. *Lucan.* 10, 313. Aegoceron Cancrumque tenet.

AEGOLETHRON, i, n. *αἰγόλεθρον*, herba quaedam venenata, exitiosissima jumentis, et praecipue capris: ab *αἴξ* et *ὄλεθρος*, pernicies. Hujus flores concipiunt noxium virus, aquoso vere marcescentes: unde et mella inficiunt, si ab apibus insideantur suganturque. *Plin.* 21, 13, 44. [Fortasse est *ranunculus flammula Linn.* quem *Bauhinus Hist. plant. T.* 3. p. 865. ovillo generi perniciosum affirmat. Galli vocant *douve*; Itali *pie' corvino. F.* *n. *Hahnenfuss.* Alii, ut *Jussieu*, *Diction. des Sciences naturelles*, Paris. 1804. putant esse *Azaleam Ponticam Linn.*]

AEGOLIOS, i, m. *αἰγωλιός*, avis quaedam nocturna, quam ex conjectura quidam *ululam* interpretantur, alii caprimulgum. Est enim ab *αἴξ*. Quaternos semper parit, teste *Plin.* 10, 60, 79.

AEGON, ōnis, m. *Αἴγων*, *ωνος*, Aegeum mare: ab *αἴξ*, ea ratione, qua etiam *Aegaeum* dicitur. V. AEGAEUM. *Stat. Th.* 5, 55. Nec illa Samo fama Delove sonanti Pejor et innumeris, quas spumifer adsilit Aegon. *Val. Fl.* 1, 629. quanto fremitu se sustulit Aegon, alii *Aegan.* Est etiam nomen pastoris ap. *Virg. Ecl.* 3, 2. ℙ *Aegon* etiam sive *Aegonus* dictus est collis Romae, qui postea Quirinalis, teste *Festo* in *Agonium*, ubi tamen incerta lectio est.

AEGONENSIS porta dicta est olim Romae, quae postea Quirinalis. *Festus* in *Agonium*, ubi al. legunt *Agonensis.*

AEGONYCHOS, *αἰγόνυχος*, herba eadem, quae lithospermos: ab *αἴξ* et *ὄνυξ*, *ὄνυχος*, unguis, quod caprinum unguem referat. *Plin.* 27, 11, 74.

AEGOPHTHALMOS, *αἰγόφθαλμος*, gemma caprino oculo similis, ab *αἴξ* et *ὀφθαλμός*. *Plin.* 37, 11, 71.

AEGOS FLUMEN, urbs est, non fluvius, in Thraciae Chersoneso juxta Hellespontum, *αἰγὸς πόταμοὶ* Graecis. *Stephanus: Αἰγὸς ποταμοί, πόλις ἐν Ἑλλησπόντῳ*, *h. e.* Aegos fluvii urbs est in Hellesponto et sonat *fluvii caprae.* Ita Graeci semper in plurali numero usurpant. At Latini in singulari *Aegos flumen* vocant (ubi Aegos genitivus casus est, *αἰγός*). *Nep. Lys.* 1., *Alcib.* 8. et *Con.* 1., *Plin.* 2, 58, 50. et 4, 11, 18. et *Mela* 2, 2. Nobile est id oppidum naufragio Atticae classis, ut narrat *Mela l. c.*, vel clade a Lysandro Lacedaemonio ei illata, ut rectius *Nep. Lys. l. l.*

AEGRE, adv. [*Proprie videtur hoc quoque adverb. de *corpore* dictum esse eamque molestiam significasse, quam corpore (morbo) sentimus. Usu invaluit, ut de *animo* diceretur.] Significat primum id. qu. moleste, graviter, *χαλεπῶς*, *βαρέως*, *δυσχερῶς*, [*ac dicitur de animi ea conditione, qua injucunda ratione se affectum sentit sibique displicet.] *Pl. Merc.* 2, 3, 35. Nescio quid meo animo aegre est. *Id. Capt.* 3, 5, 43. Hoc mihi aegre est, me huic dedisse operam malam. *Id. Bacch.* 5, 1, 26. Quid tibi ex filio — aegre est [*quid afflictus es de filio?] *Ter. Hec.* 2, 1, 30. Non te pro his curasse rebus, ne quid aegre esset mihi. [**Id. Ph.* 1, 3, 7. Fuisset tum illos mi aegre aliquot dies, i. e. male me habuissem.] *Id. Ad.* 1, 2, 57. Repeton' quem dedi? Aegre est [*molestum est, displicet consilium.] *Cic. Att.* 7, 2. Nihil vidi melius, itaque careo aegre [*i. e. invito animo, *δυσχερῶς*.] *Pl. Bacch.* 5, 1, 16. Si alibi plus perdiderim, minus aegre habeam (feram). Adde *Liv.* 7, 5. *med.* [*In h. l. al. *aegre tulit* pr. *aegre habuit*, sed ex glossa. Cf. *Gron.* ad h. l. et *Sall. Catil.* 51. multi eas (injurias) gravius aequo habuere.] *Cic. Tusc.* 4, 27. Si quis aegre ferat, se pauperem esse (*βαρέως*, *χαλεπῶς φέρειν*, *ἔχειν*). *Sall. Jug.* 87. aegerrime ferre aliquid. *Pl. Poen.* 5, 2, 111. aegre pati. *Liv.* 7, 13. quod aegrius patimur. [*Cf. *id.* 1, 9. 6, 39. *Ter. Heaut.* 5, 2, 5. *Ad.* 1, 2, 63. *Tac. Agr.* 13. aegre tolerare.] *Pl. Cas.* 3, 4, 17. aegre facere alicui, i. e. molestiam creare. Cf. *Ter. Eun.* 4, 1, 10. [*et *Bentl.* ad 5, 5, 31. *Ter. Hec.* 5, 1, 39. Ne aegre quidquam ex me audias.] ℙ Tum aegre est id. qu. vix, difficulter, *μόγις*. [*Nimirum si quid aegro invitoque animo facimus, non alacriter, non impigre, sed vix, nonnisi multo cum labore perficimus. Atque hic ordo nobis quidem naturae convenientior est visus, quam alter, quo *aegre* primum est *difficulter*, tum *moleste*. *Colum.* 9, 8, 9. non aegre persequi iter i. e. non tarde, impigre.] *Cic. Sen.* 20. Omnis conglutinatio recens aegre, inveterata facile divellitur. *Sall. Jug.* 85. Omne bellum sumi facile, ceterum aegerrime desinere. *Caes. B. G.* 1, 13. aegerrime conficere aliquid. *Cic. Verr.* 2, 4, 65. Nihil aegrius factum est, multo labore meo, quam ut etc. [**Virg. G.* 3, 534. aegre rastris terram rimari. *Pl. Capt.* 3, 1, 1. aegre invenire. *Plin.* 11, 37, 79. parere. *Quintil.* 12, 10. aegre verba vertere. *Liv.* 2, 27. aegre victa pertinacia. *Curt.* 4, 3. haud aegre.] *Cic. Att.* 16, 11. Aegre me tenui. [**Liv.* 2, 45. aegre abstinere, quin. *Tac. Agr.* 36. aegre stantes.] *Ov. Fast.* 1, 365. Caerula quem genitrix aegre solata dolentem. *Aurel. Vict. Caes.* 33. Aliquanti in caelestium numerum referuntur aegre (vix) exsequiis digni. [*Persaepe conjuncta reperiuntur *aegre* et *vix*. *Flor.* 2, 10. Captum se vix et aegre didicit. *Pl. Poen.* 1, 2, 27. vix aegreque. Cf. *Macrob. Somn. Sc.* 1, 7. et *Sat.* 1, 7. *Appul. Met.* 1. *p.* 111, 10. *Elm.* — *Aegerrime* et *acerrime* conf. ap. *Sall. Jug.* 85.]

AEGRĔO, es, n. 2. *νοσέω*, aeger sum. *Lucr.* 3, 836. Praeter enim quam quod morbis cum corporis aegret. Alii legunt: Praeter enim quam quod morbi est cum corpori aegre est. Alii *aegrit.* [*Sic *Eichstaedt.*] *Prisc.* quoque 8. p. 826. hoc verbum agnoscit, sed nullo confirmat exemplo.

AEGRESCO, scis, n. 3. *ἀσθενέω*, aeger fio. *Plin.* 10, 12, 15. aegrescunt corvi. *Lucr.* 5, 350. Morbis aegrescimus iisdem. *Grut.* 208. Pauperes milites classis praetoriae Misenensis donati sint, dum aegrescunt et moriuntur, ne aere conlato curentur sepelianturque. Haec Inscriptio pertinet ad ann. Chr. 79., nam Senecionem memorat subpraefectum ejusdem classis, quo subpraefecto *Plinius* major in Vesuvii eruptione exstinctus est. ℙ Saepe translate sumitur. *Tac. A.* 15, 25. *fin.* Ne tam promptus in pavorem longiore sollicitudine aegresceret. *Virg. A.* 12, 45. Haudquaquam dictis violentia Turni Flectitur; exsuperat magis aegrescitque [*i. e. asperior fit] medendo. *Stat. Th.* 1, 400. In corde sedens aegrescit cura parentis. *Id. ib.* 12, 193. His anxia mentem aegrescit curis, *h. e.* mente tristatur ob has curas. [**Sil.* 8, 213. cura aegrescens.] Et 2, 18. rebusque aegrescere laetis, *h. e.* tristari. *Sidon. ep.* 3, 3. *ad fin.* Exspectationi aegrescenti adventus remedia medicabuntur. Cf. AEGER.

[AEGRILLUS, i, m. diminut. ab *aeger*. Est cognomen Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 521, 4. C. Antonius C. F. Ouf. Aegrillus. *F.*]

AEGRĬMONIA, ae, f. aegritudo animi, moeror, cura, *λύπη*. *Cic. Att.* 12, 38. Ferrem graviter, si novae aegrimoniae locus esset. *Hor. Epod.* 17, 73. fastidiosa tristis aegrimonia. [*Cf. *ib.* 13, 18.] *Pl. Stich.* 3, 1, 5. afficere aliquem aegrimonia. [*Cf. *Rud.* 4, 4, 146.]

AEGRĬO, is, n. 4. aegresco, aegroto. Legitur in quibusdam edd. ap. *Lucr.* 3, 107. corpus, quod cernitur, aegrit. Alii *aegre est.* Adde 3, 836., ubi alii legunt *aegrit.* V. AEGREO.

AEGRISCO, is, n. 3. pro aegresco, quidam legunt ap. *Lucr.* 5, 350. morbis aegriscimus iisdem. Alii *aegrescimus.*

AEGRĪTŪDO, inis, f. morbus corporis, *νόσημα*. *Plin.* 8, 1, 1. de elephantis: visi sunt, fessi aegritudine (quando et illas moles infestant morbi) etc. *Colum.* 7, 7. Quod si ea res aegritudinem (caprarum) non depellit etc. *Tac. A.* 2, 29. Die senatus metu et aegritudine fessus, sive, ut tradidere quidam, simulato morbo etc. Adde 69. *Curt.* 3, 5. et *Flor.* 4, 7. [**Tac. A.* 2, 69. *Colum.* 7, 5, 20. *Veget. A. V.* 3, 23. *Mel.* 3, 7. *Eutrop.* 9, 5. *Ammian.* 14, 6. 19, 4. *Cellar.* in *Antib.* et *Cur. poster.* Incertus est locus *Ter. Ph.* 5, 1, 24. Verumtamen hic quoque *aegritudo* ad animum videtur esse referenda.] ℙ Translate i. q. *λύπη*, perturbatio animi propter impendens aut praesens malum, sollicitudo, cura, molestia, angor. *Cic. Tusc.* 3, 10. Praeclare nostri, ut alia multa, molestiam, sollicitudinem, angorem propter similitudinem corporum aegrorum, aegritudinem nominaverunt. Et mox: ut aegrotatio in corpore, sic aegritudo in animo etc. (Multa habes in eo libro de *aegritudine* dicta). *Id. ib.* 7. aegritudine affici. *Id. ib.* 9. incidere in aegritudinem. 12. *fin.* aegritudine confici. 13. opprimi. 28. premi. 14. aegritudinem efficere. 15. in aegritudine esse. 18. levare aegritudinem. *Fam.* 5, 13. *ad fin.* levare aliquem aegritudine. *Id. Tusc.* 3, 11. aegritudinem depellere. *ib.* 19. maximas aegritudines detrahere. 22. aegritudinem lenire et tollere. 28. *fin.* aegritudini se dedere. 29. aegritudinem suscipere. *Tusc.* 4, 15. aegritudines anxias atque acerbas importare. *Sen. ep.* 50. aegritudines discutere. *Sall. Jug.* 84. Nimis molliter aegritudinem pati. [*Plurali utitur *Ter. Heaut.* 3, 2, 28. ℙ *Aegritudo* et *valetudo* conf. ap. *Liv* 22, 8, 3.]

AEGROR, oris, m. morbus, *νόσημα*. *Lucr.* 6, 1257. Nec minimam partem ex agris aegroris in [**Eichstaedt:* is maeror in] urbem Confluxit, languens quem contulit agricolarum Copia etc. Et 1129. Venit bubus quoque saepe Pestilitas, etiam pecubus balantibus aegror.

AEGROTĀTIO, onis, f. *νόσημα*, proprie in corpore nominatur, sicut aegritudo est animi. *Cic. Tusc.* 3, 10. Ut aegrotatio in corpore, sic aegritudo in animo etc. *Id. ib.* 4, 10. Quemadmodum cum sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis, morbi aegrotationesque nascuntur. ℙ Quomodo differant morbus et aegrotatio, explicat *id. ib.* 13. Morbum, inquit, appellant totius corporis corruptionem: aegrotationem morbum cum imbecillitate: vitium, cum partes corporis inter se dissident, ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas. Itaque illa duo, morbus et aegrotatio, ex totius valetudinis corporis conquassatione et perturbatione gignuntur: vitium autem integra valetudine ipsum per se cernitur. Sed in animo tantummodo cogitatione possumus morbum ab aegrotatione sejungere. ℙ Ex postremis hisce verbis liquet, *aegrotationem* etiam de animo dici pro aegritudine. *Id. Tusc.* 3, 4. Nomen insaniae significat aegrotationem et morbum, id est insanitatem, et aegrotum animum, quam appellarunt insaniam. Et *ib.* 4, 37. Aegrotationes animi, qualis est avaritia, gloriae cupiditas etc. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 7. aegrotationem dicit de morbis arborum.

[AEGROTICIUS, a, um, adj. qui saepe aegrotat. *Not. Tir.* p. 134. Aegroticius. *F.*]

AEGROTO, as, avi, atum, n. 1. *ἀῤῥωστέω*, *ἀσθενέω*, aegro corpore sum, morbo corripior [*correptus sum.] *Cic. Cluent.* 62. vehementer diuque aegrotare. *Id. Att.* 8, 2. periculose aegrotare. *Id. Tusc.* 1, 35. graviter aegrotare. [**Id. Off.* 1, 24. leviter.] *Id. Fin.* 2, 13. gravissime aegrotans. *Plin. ep.* 3, 16. mortifere aegrotare. *Plin.* 17, 24, 37. *n* 6. ad poma transtulit. ℙ Translate *Hor. Sat.* 2, 3, 307. aegrotare vitio aliquo animi. *Cic. Tusc.* 4, 37. Ea res, ex qua animus aegrotat. *Lucr.* 4, 1117. aegrotat fama alicujus, *h. e.* minus bona est, laborat. *Pl. Trin.* 1, 1, 8. Mores boni aegrotant. Et 1, 2, 34. In te aegrotant artes antiquae tuae.

AEGROTUS, a, um, adj. *ἀῤῥωστος*, *ναμνον*, aeger, morbo laborans. *Cic. Fam.* 9, 14. Cum ad eum aegrotum venissem. *Hor. Ep.* 1, 2, 48. aegrotum corpus. Et *ib.* 1, 73. aegrotus leo. ℙ Saepe substantivi more usurpatur. *Cic. Att.* 12, 21. Quod ipsum erat fortis aegroti accipere medicinam. *Id. ib.* 9, 10. Aegroto dum anima est, spes esse dicitur; proverbium, quo admonemur, ne in afflictissimis quidem rebus abjiciendam spem esse. *Ter. Andr.* 2, 1, 9. Facile omnes, cum valemus, recta consilia aegrotis damus. ℙ Translate *Cic. Tusc.* 3, 4. aegrotus animus. [*Noster saepius tutiusque dici existimat *aeger animus*, in *Cic.* enim loco scripturam non esse satis certam. Ita tamen ibi est in optimis edd. Ipse autem in sqq. affert *Ter. Andr.* 1, 2, 22. et 3, 3, 27. ubi itidem legatur *aegrotus animus.* Adde *Heaut.* 1, 1, 48. Unde non videmus, quidni sic dici possit.] *Id. Div. in Verr.* 21. aegrota et prope desperata respublica. *Pl. Trin.* 1, 2, 39. Omnibus amicis morbum injicies gravem, ita ut te videre audireque aegroti sient, *h. e.* tristentur et fastidiant, si te videant audiantque.

*AEGUSA, ae, una ex Aegatibus insulis prope Siciliam, *Polyb.* 1, 44. Eam narrat *Plin.* 3, 8, 14. sua aetate *Aethusam* dici.

*AEGYLA. V. AEGILIA.

*AEGYPSOS. V. AEGISSUS.

*AEGYPTA, ae, servus Ciceronis, deinde libertus. *Fam.* 16, 15. *Att.* 8, 15.

AEGYPTĬACĒ, adv. *Trebell.* XXX. *Tyr.* 30. de Zenobia: loquebatur aegyptiace ad perfectum modum.

AEGYPTĬACUS, a, um, adj. id. qu. Aegyptius. *Plin.* 6, 28, 32. Ad mare nostrum litusque Aegyptiacum. *Gell.* 10, 10. Apion in libris Aegyptiacis dicit etc.

AEGYPTILLA, ae, f. gemma nigri et caerulei coloris, sic vocata, quod frequens in Aegypto reperiatur. *Plin.* 37, 10, 54., *Isid. Or.* 16, 11.

AEGYPTĪNI, Aethiopes sunt ap. *Festum.*

AEGYPTĬUS, a, um, adj. qui est ex Aegypto, vel ad Aegyptum pertinet, *Αἰγύπτιος*. *Cic. Pis.* 21. Aegyptius rex. *Nep. Dat.* 3. Aegyptium bellum. *Plin.* 5, 9, 10. Mare Aegyptium. [*Ib.* 10. navigatio.] *Suet. Caes.* 39. Aegyptiae classes. *Id. Tib.* 36. Aegyptii ritus. — *Aegyptium acetum* laudatissimum erat, cujus meminit *Cic. Hortens.* ap. *Non.* 4, 17. V. ACETUM. ℙ *Aegyptius, ii*, est Aegypti incola. *Cic. N. D.* 1, 29. Ne fando quidem auditum est, crocodilum, aut ibim, aut felem violatum ab Aegytio. Quid igitur censes? Apim illum, sanctum Aegyptiorum bovem, nonne deum videri Aegyptiis? — De Aegyptiorum moribus multa *Vopisc. Saturnin.*

AEGYPTUS, ti, f. *Αἴγυπτος*, est regio amplissima Africae vel Asiae, ut quidam volunt. [*Ita *Mela* 1, 9. Asiae prima pars Aegyptus. *Plin.* 5, 9, 9. Proxima Africae incolitur Aegyptus.] Olim dicta fuit *Aeria*, postea Aegyptus ab Aegypto Danai fratre. Extenditur a septentrione in meridiem a mari mediterraneo, usque ad Syenem. A septentr. habet mare mediterr. seu Aegyptium, a meridie Aethiopiam, ab ortu deserta Arabiae, ab occasu Libyam. Eam Nilus interfluit, cujus ostio Canopico ab Africa, Pelusiaco ab Asia secernitur. Figurae est triangularis, quam efficit Nilus, ita se dividens, ut Δ litteram facere videatur. [*Sed Delta infimam tantum ejus partem complectebatur. Supra eam erat Heptanomis, et suprema pars dicebatur Thebais. Quanquam a nonnullis Gr., ut *Herod.* 2, 15. nomine Aegypti solum Delta intelligitur. Ita passim etiam Latini, *Plin.* 13, 11, 21. et *ib.* 13, 27.] In hac regione nunquam visum est pluere, sed Nili inundatione quotannis statis temporibus recurrente irrigatur et fecundatur. Haec et alia multa *Plin.* 5, 9, 9. [*et *Mela* l. l.] disserit: item *Ammian.* 22, 15. et 16. et sqq., qui tamen in ejus assignandis finibus valde peccat. *Cic. Agr.* 2, 16. Alexandria cunctaque Aegyptus. *Ov. A. A.* 649. Dicitur Aegyptos caruisse juvantibus arva Imbribus atque annos sicca fuisse novem. — Quia tota Aegyptus Nilo circumdatur, alluiturque, ideo eam quidam inter insulas posuerunt, (ut *Plin.* notat l. c.) inter quos est *Hyg. fab.* 276. ℙ Quamvis *Aegyptus* nomen sit regionis seu provinciae, usurpatur nihilominus interdum in accus. sine praepos. cum verbis motus ad locum, contra leges Grammaticorum. [*Non omnino. V. quos larga manu laudavit *Rudd.* II. p. 283. *n.* 36.] *Nep. Dat.* 4. Cum Aegyptum proficisci pararet. *Vopisc. Sat.* 8. Ipse ille cum Aegyptum venerit. V. similia in *Cyprus.* Idem tamen *Nep. Ages.* 8. cum in Aegyptum ivisset. ℙ [*Interdum ad Homeri exemplum (*Od.* δ, 477.) etiam Nilus dicitur Aegyptus, ut ait *Plin.* 5, 9, 10.] ℙ In fabulis est, Aegyptum Beli filium (alii ex Neptuno et Libya ortum dicunt) Danai fratrem fuisse et habuisse quinquaginta filios, qui cum totidem filias Danai uxores duxissent, ab his prima nocte, uno excepto, [*Lynceo, cui pepercit Hypermnestra] omnes interfecti sunt: quam ob rem fuisse ab eo expulsum regno Danaum ac tenuisse ipsum ejus ditionem eique suum nomen dedisse; cum antea *Aeria* vocitaretur, a fusco scilicet et caliginoso aere, ob Nilum circumfluentem. *Hyg. fab.* 168. [*Apollod.* 2, 1, 4.] *Ov.* tamen *Ib.* 177. ipsum Aegyptum a Danao expulsum fuisse significat. [*Aegyptus* et *Aegisthus* in libris conf. V. AEGISTHUS.]

*AELĀNA, oppidum Arabiae Petraeae, ad intimum fere sinus Arabici recessum, vulgo *Eltor. Nigro* est *Aila. Plin.* 5, 11, 12. et 6, 28, 32. Inde fit *Aelaniticus*, ut sinus Ael. *Plin. ib. B. A.*

AELIA tribus numeratur a quibusdam inter Romanas crediturque habuisse nomen ab Hadriano Imperatore, qui ex *Aelia* gente fuit. Fortasse una fuit ex iis, quas duplex nomen habuisse notat *Sigon. Vet. Lap.* ap. *Grut.* 80, 2. P. Aelius P. F. Aelia Pacatus etc. [*In 2*da ed.* hic addita sunt haec: Sigonii opinionem confirmat alius recens erutus Bajis prope Neapolim: M. Aurelio M. F. Aelia Galeria Vivinacio militi Coh. IIII. Praet. Vixit annis XXXXV. mil. annis XXIV. Aurelia Nice marito suo benemer. posuit. *Memorie per serv. all' istor letter. T.* I. §. 2. p. 20.]

AELIA lex de comitiis lata est a Q. Aelio Paeto consule, ann. U. C. 587. [*s. 586. Ex *Pighii* autem rationibus pertinet haec lex ad annum 596. U. C. et lata est a Q. Aelio Paeto, trib. pl., quem refutat *Ern.* in *ind. leg. Clav. Cic.*, ubi v. Semper conjungitur ap. *Cic.* cum lege *Fufia*. (ap. nostrum scriptum erat *Fusia*, quam latam scribit a P. Fusio Philo a. U. C. 618. illud etiam *Orell.* edidit) cujus auctorem id. *Pighius* putat M. Fufium, trib. pl. eodem illo anno. *Schützius* in sua *Cic. edit. T.* XX. p. 223. contra *Ernest. Pighio* adstipulatur. Ceterum de Fufia v. suo loco. Cautum autem erat lege Aelia, ut, quoties comitia essent, 1) de coelo servare liceret; 2) obnuntiare liceret obnuntiationique cedere necesse esset; 3) intercedere magistratus pares et tribuni possent, ut intelligitur ex or. *Sext.* 15. *de Prov. Cons.* 19. Ejus porro mentio *pr. Sext.* 53. *Red. in Sen.* 5. *Har. resp.* 27. *Vatin.* 9. *Pis.* 4. *Att.* 2, 9. Singula hujus legis capita pluribus explicata v. ap. *Schütz. l. l.* p. 224. sq. Ita nos, omissis iis, quae F. minus accurate disputaverat.] ℙ *Lex Aelia Sentia* fuit de manumissionibus. Tulere Sex. Aelius et C. Sentius Coss. [a. U. C. 757.] ut servi, qui vel vincti aliquando poenae causa a dominis fuissent, vel qui bestiis damnati, item quibus nota inusta fuisset, si ii manumitterentur, non civium R., sed deditициorum loco haberentur, *h. e.* privarentur jure connubii, commercii et testamenti; ut minorem 30. annis servum manumittere, nisi probata causa apud consilium, non liceret etc. Multa enim alia omittimus ad hanc legem spectantia, quae habes apud *Ulp. fr. tit.* 1, ubi singula ejus capita collegit, item apud eos, qui ex professo de hujusmodi rebus scripserunt, *Rosin. Hotoman. Pitisc.* et al. Hujus legis mentio saepe fit in *Dig.* et in *Institut. Justin.* ℙ Alterius legis Aeliae Sentiae meminit *Cic. Top.* 2., sed quia non constat, quo anno aut a quo lata fuerit, et praeterea, quia quod ex ea refert *Cic.*, legitur in legibus XII. Tab., ut dicemus in voce ASSIDUUS, corruptam esse eam lectionem putant *Manut.*, *Lambin.*, *Hotoman.* et alii. [*Potuisset addere: omnes. Vocc.: *Aeliam Sentiam* l. l. in edd. nunc omittuntur auctoritate codd. V. *index legum* p. 226. sq. et *Orell.* ad h. l.]

*AELIANA, Ponti urbs. *Not. Imper. B. A.*

AELIANUS, a, um, adj. ut Aelianae oratiunculae, *Cic. Brut.* 56. *fin.*, *h. e.* conscriptae a quodam L. Aelio, qui philosophus fuit, secta Stoicus: scriptitavit enim orationes multas, neque tamen unquam fuit orator, ut *Cic. ib.* scribit. ℙ [*Aelianus Hercules* fuit etiam appellatus P. Aelius Hadrianus imper. *Inscr.* ap. *Grut.* 1069, 10. Herculi Aeliano sacrum. Hinc *Collegium Aelianorum* dicitur *Sodalium Hadrianalium*, in *Inscr.* ap. *Fea Framm. consol.* p. 110. Imp. Caesari Hadriano Aug. N. collegium Aelianorum. Alia ap. *Donium cl.* 1. *n.* 19. M. Popilio M. F. Quir. Fausto Lucilio sodali Aeliano Hadrianali. Hinc in nummo ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 504. vocatur HERC*ules* GADIT*anus*, quia Domitia Paulina ejus mater Gadibus oriunda erat, et ipse Hadrianus provincias omnes Imp. Romani obeundo easque beneficiis afficiendo Herculem est imitatus. *F.*

*AELĪCE, opp. Africae propriae. *Anton. Itin. Λαοιζὴ* est Ptolemaeo, judice *Mercatore. B. A.*

*AELII fuerunt familia Rom. plebeja, virtute quam fortuna (nam pauperrima fuit,) nobilior, cujus cognomina reperiuntur Catus, Paetus, Tubero, Lamia. Hos ab *allio* primum dictos *Allios*, tum *Ailios*, denique *Aelios* putaverat *Noris.* ad *Cenotaph. Pis.* 3, 9. *Pigh.* in *Annal.* ad U. C. 552. p. 236. contra quos disputant ad *Liv.* 32, 7, 12. *Duker.* et *Drak. Ibid.* §. 13. commutantur *Aelius* et *Helvius.*

AELĪNON, nomen est cantus, quo Apollo Linum filium suum morte sublatum flevisse dicitur: ex graeco *αἴ*, hei, heu, et *Λίνος*, Linus, quo pacto legitur in Adonis epitaphio ap. *Bionem*: *Ὧραι πάντα λέγουσι καὶ αἱ δρύες, αἴ τὸν Ἄδωνιν. Ov. Am.* 3, 9, 23. Aelinon in silvis idem pater, Aelinon, altis Dicitur invita concinuisse lyra. Alii aliter legunt. [*V. *Heins.* ad h. l. et, quem laudat *Bail., Eust.* ad *Il. Σ.* p. 1223. et ad *Il. Ω.* p. 1324. *ed. Bas.*]

ĂELLO, us, f. *Ἄελλώ*, nomen unius ex tribus Harpyiis, ita dictae ab *ἄελλα*, procella, quod procellae et turbinis instar cum impetu volando feratur. *Ov. Met.* 13, 710. Strophadumque receptos Portubus infidis exterruit ales Aello. ℙ Est etiam nomen canis cursu fortis apud *eund. Met.* 3, 219.

AELŪRUS, i, m. *αἴλουρος*, feles, vox graeca est, quam quidam deducunt *ἀπὸ τοῦ αἰόλλειν καὶ ἐπείσειν τὴν οὐράν*, a vertenda et movenda cauda: quasi vero soli feles caudam vertant et moveant. *Gell.* 20, 8. Aelurorum oculi ad vices lunae aut ampliores fiunt, aut minores. ℙ [*In specie ita dicitur felis, quae Bubasti Aegyptiorum s. lunae fuit. Cf. *intpp.* ad *Juven.* 15, 7. ubi nonnulli ita legi volunt.]

[AEMA, ae, f. ab *αἷμα*, sanguis, cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 882, 4. Pomponia Aema. *F.*]

AEMATHĬUS. V. EMATHIUS.

AEMĪDUS, a, um, prisca vox et obsoleta, *tumidum* significat, auctore *Festo* [*et *Isidor.* in *gloss.* Est *inflatus* sc. copia sanguinis, a gr. v. *αἷμα*.]

AEMĪLIĀNUS, a, um, adj. *Suet. Cl.* 18. Cum Aemiliana pertinacius arderent, supple *aedificia* vel *loca*. [*Cf. *Lips.* ad *Tac. A.* 15, 40.] *Aemiliana* autem dictus est locus Romae, sed extra portam, in continentibus Urbis aedificiis, non procul a Campo Martio. Nomen habuit a gente Aemiliorum, qui fortasse illic habitaverunt. *Varr. R. R.* 3, 2. Quod extra urbem est aedificium, nihilo magis ideo est villa, quam eorum aedificia, qui habitant extra portam Flumentanam aut in Aemilianis. ℙ Fuit etiam vicus Romae *Aemilianus* dictus in septima Urbis regione. *Sext. Rufus de reg. urb. Rom.* ℙ P. Scipio Africanus minor L. Pauli Aemilii filius, in Corneliam gentem a P. Scipione Africani majoris filio adoptatus, *Aemilianus* postea vocatus est: sicut Q. Fabius Max. ejus frater, adoptatus a Q. Fabio Augure in gentem Fabiam, qui consul fuit cum L. Hostilio U. C. anno 607., ut est in *fragm. Fast. Capitolin.* ap. *Grut.* p. 294. *l.* 11. *Juven.* 8, 3. et stantes in curribus Aemilianos. V. *Vell.* 1, 10. et 12. et *Flor.* 2, 15. ℙ Scribitur etiam Aemylianus. V. v. sq.

AEMĬLIUS, a, um, adj. Aemilia gens patricia majorum gentium clarissima Romae et honestissima fuit, a qua multi clarissimi viri exstiterunt. Dicta est ab *Aemilio* Ascanii filio Aeneae nepote, vel ab *Amulio* Albanorum rege, ut putat *Sil.* 8, 295. Alii dictam putant a Mamerco Pythagorae philosophi filio, cui propter singularem humanitatem *Aemylos* cognomen inditum fuit. Graece enim *αἰμύλος* humanum, comem, et *αἰμυλία* humanitatem, comitatem significant. Quare scribendum censent *Aemylius* et *Aemylianus* per *y*. Sed ut vera sit haec nominis origo, verba tamen, quae a graeca in latinam linguam translata sunt, saepius latinis quoque litteris scribi consuevere. [*Cf. *Sigon.* ad *Liv.* 2, 49, 9.] *Manil.* 1, 794. Aemiliaeque domus proceres. ℙ *Aemilia tribus* rustica nobilissima, omisso antiquo nomine, quo a loco, ubi constituta primum fuit, appellabatur, ab Aemilia gente, quam in se transtulit, denominata est. Ejus meminere *Cic. Att.* 2, 14. et *Liv.* 38, 36. ℙ *Aemilia via* triplex fuit: prima, strata a. U. C. 567. a M. Aemilio Lepido consule cum C. Flaminio, incipiebat ab Placentia, transibat per Parmam, Regium, Mutinam, Bononiam, Forum Cornelii, Faventiam, Forum Livii, Caesenam, et perducebatur Ariminum usque, ubi inserebatur Flaminiae, ut ap. *Liv.* 39, 2. legitur. Altera, strata a. U. C. 645. a M. Aemilio Scauro censore, a Bononia per Pisas et Lunam Dertonam usque ducebat, ut *Strabo l.* 5. docet. Tertia ab Arimino Aquilejam usque tendebat: sed hanc et primam alii eandem esse putant. *Martial.* 3, 4. Romam vade, liber: si, veneris unde, requiret, Aemiliae dices de regione viae. *Aemilia* etiam absolute dicitur. *Galba ad Cic. Fam.* 10, 30. In ipsa Aemilia diu pugnatum est. — Ab hac via dicta est *Aemilia regio* ab Arimino Placentiam usque protensa, quae alio nomine Gallia Cispadana vocatur. *Martial.* 6, 85. Funde tuo lacrimas orbata Bononia Rufo, Et resonet tota planctus in Aemilia. ℙ *Aemilius pons* dictus est a M. Aemilio *Scauro* conditore, de quo *Juven.* 6, 32. V. SUBLICIUS pons. ℙ *Aemilia ratis* dicitur a *Propertio*, qua advecta sunt Romam spolia Macedonici regni a L. Aemilio Paulo post devictum regem Persea, 3, 2, 8. Regiaque Aemilia recta tropaea rate. ℙ *Aemilius ludus* fuit ludus gladiatorius Romae excitatus a L. Aemilio Lepido. *Hor. A. P.* 32.

AEMILIUS MACER, poeta Veronensis, amicus Virgilii, scripsit carmina de virtutibus herbarum, de serpentibus et volucribus: cujus rei testis est *Ov. Tr.* 4, 10, 43., ubi suo aevo eum vixisse indicat. Illud opus ad nos non pervenit. Nam quod circumfertur, et in hoc quoque opere aliquando citatur, non illius *Aemilii*, sed alius, qui longo post tempore vixit, manifesto esse deprehenditur, cum (ut alia argumenta omittamus) quamplurimas voces habeat, et phrases cadentis Latinitatis, vel potius jam prolapsae. Capite de *Ligustico* Strabum Gallum citat, qui saeculo Christi nono floruit. Veronensem fuisse priorem illum testatur etiam *Serv.* ad *Ecl. Virg.* 5, 1. ℙ [*Alius Aem. Macer JCtus fuit, qui paullo post Ulpianum vixit. De eo cf. *Pand.* 49. *tit.* 1.]

*AEMINIUM, ii, *Αἰμινιον Ptol.* fluvius cum oppido cognomine in Lusitania, prope fluvium Mondam. *Plin.* 4, 21, 35. Hodie auctore *Harduin. Agueda.*

AEMOBOLIUM. V. CRIOBOLIUM.

*AEMODAE, arum, *Mel.* 3, 6. Eaedem, quae a *Plin.* 4, 16, 30. dicuntur *Acmodae*, quod v.

AEMON. V. HAEMON.

*AEMONA, ae, opp. Pannoniae superioris in ipsis Pannoniae et Italiae finibus, ubi hodie *Laybach* sita est. *Plin.* 3, 18, 22. *ib.* 25, 28. *Capitol.* in *Maximin.* 21. *Emona* audit *Tab. Peut.* et *Inscr.* ap. *Grut.* p. 556. *n.* 5. *B. A.* Gr. etiam *Emon*, *Ἥμων*, *Zosim.* 5, 29. *Herodian.* 8, 1.

[AEMONENSIS. V. HEMONENSIS. *F.*]

AEMONĬA, ae, f. *Αἰμονία*, regio Macedoniae, quae primum *Pyrrhaea* dicta est a Pyrrha Deucalionis uxore, deinde *Aemonia* ab *Aemo* monte, vel ab *Aemone* Deucalionis filio, denique Thessalia. A nonnullis scribitur *Haemonia* cum aspiratione. *Plin.* 4, 7, 14., *Hor. Od.* 1, 37, 20.

AEMONĬDAE, arum, m. plur. *Αἰμονίδαι*, Thessali. *Val. Fl.* 4, 506., 5, 12. et 6, 371. Aemonidas vocat Argonautas, quia multi ex his a Thessalia, omnes vero sub Iasone duce Thessalo fuere. Scribitur etiam *Haemonidae*, quod etiam de sqq. verbis valet.

AEMŌNĬDES, ae, m. nomen viri proprium apud *Virg. A.* 10, 537. et *Stat. Th.* 2, 692.

AEMŌNIS, ĭdis, f. quae est ex Aemonia seu Thessalia. *Ov. Her.* 13, 2. Aemonis Aemonio Laodamia viro. *Lucan.* 3, 590. O decus Aemonidum.

AEMŌNĬUS, a, um, adj. *Αἰμόνιος*, ad Aemoniam sive Thessaliam pertinens. *Ov. A. A.* 1, 6. Aemonia puppis, *h. e.* navis Argo a Iasone in Thessalia facta. *Id. Met.* 7, 132. Aemonius juvenis, *h. e.* ipse Iason. *Id. A. A.* 2, 99. Aemoniae artes, h. e. magicae, quae plurimum in Thessalia factitatae sunt. *Id. Am.* 2, 9, 7. Aemonius heros, *h.* e. Achilles, qui Thessalus fuit. [**Id. Fast.* 5, 400. Aem. puerum dicit eundem.] *Id. A. A.* 2, 136. Aemonii equi, *h. e.* Achillis. *Id. Met.* 2, 81. Aemonii arcus, *h. e.* Sagittarii, signi caelestis, qui dicitur a quibusdam fuisse Chiron centaurus, Achillis praeceptor. *Prop.* 2, 1, 65. et *Stat. Silv.* 2, 6, 33. Aemonia cuspis, *h. e.* Achillis hasta, quae vulnus infligere eademque sanare dicta est. *Stat. Silv.* 5, 3, 79, Aemonius maritus, *h. e.* Pyrrhus Achillis filius, vir Andromaches. *Sen. Agam.* 640. Aemonio desponsa rogo, *h. e.* Polyxena, quae mactanda erat ad rogum Achillis. [**Ovid. Her.* 13, 2. Aem. vir, i. e. Protesilaus. *Id. Met.* 11, 652. urbs, i. e. Trachin. Sunt etiam alia similia ap. *Ovid.* Inde *Aemonia* sc. terra. V. supra.]

AEMŪLA, ae, f. V. AEMULUS.

AEMULAMENTUM, ti, n. aemulatio. *Tertull. carm. adv. Marc.* 4, 10. Quapropter merito nos aemulamenta locuti. Tertiam syllabam perperam corripit.

AEMULANTER, adv. *Tertull. Praescr.* 40. Tam aemulanter affectavit (diabolus) exprimere in negotiis idololatriae.

AEMŪLĀTIO, onis, f. *ζῆλος*, imitatio honoris, aut virtutis alicujus, studiumque ejus assequendae. [**Debebat potius Ciceronis definitione uti, quam ipse infra proposuit, *Tusc.* 4, 8. aemulatio dupliciter illa quidem dicitur, ut et in laude et in vitio nomen hoc sit; nam et imitatio virtutis aemulatio dicitur — et est aemulatio, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat. Adde *Vell.* 1, 17. Alit aemulatio ingenia; et nunc invidia, nunc admiratio imitationem accendit. Verba *Tac. A.* 13, 54. aemulatio bona, attulit noster. Referenda huc videntur etiam verba *Phaedr.* in *epil. l.* 2. *v.* 7. Nec haec invidia, verum est aemulatio. Sed saepe omnino dicitur de contentione, qua quis alterius exemplum imitatur, neque laudis neque vitii adjuncta notione. Quod nonnulli eorum locorum ostendunt, qui deinceps afferentur et cf. AEMULOR.] *Nep. Att.* 5. Efficiebat, ut inter quos tantae laudis esset aemulatio, nulla intercederet obtrectatio; de Cicerone, et Hortensio loquitur. *Justin. praef.* aemulatio gloriae. [**Tac. A.* 2, 44. *Id. Agr.* 21. honoris. *Suet. Cal.* 19. aemulatione Xerxis. *Id. Tib.* 11. Aemulationis cum Cajo Lucioque suspicionem. Praep. usus videtur esse, ut duplicem genit. vitaret.] ℙ Saepius accipitur pro rivalitate, seu studio alterius aequandi, aut superandi, cum contentione et invidia conjuncto, [**omnino invidia] *δυσζηλία, ζηλοτυπία. Cic. Tusc.* 4, 26. Aemulatio vitiosa, quae rivalitati similis est. *Tac. A.* 13, 19. Inter Agrippinam et Domitiam infensa aemulatio exercebatur. [**Id. H.* 3, 57. municipalis aemulatio, i. e. diversa municipiorum inter se studia, quibus alterum alteri obtrectat. *Suet. Ner.* 23. Quanta adversariorum aemulatione certaverit, i. e. obtrectatione, ut sqq. monstrant. *Id. ib.* 33. aemulatione vocis. V. *Brem.* ad *Nep. Arist.* 1. et ad *Suet. l. l.*] *Flor.* 1, 11. aemulatione et invidia aliquid facere. *Curt.* 9, 7. Infestus alicui ob aemulationem. *Plin. Pan.* 84. Aemulatio nascitur ex conjunctione, alitur aequalitate, exardescit invidia, cujus finis est odium. *Petr. Sat.* 99. Neque enim in amantium potestate esse furiosam aemulationem. ℙ Translate *Plin.* 25, 2, 4. Pictura fallax est praesertim in aemulatione naturae.

AEMŪLĀTOR, oris, m. qui aemulatur et imitari studet, *ζηλωτής*. *Cic. Att.* 2, 1. *ad fin.* Quod Sicyonii te laedunt, Catoni et ejus aemulatori Servilio attribuas. *Sen. ep.* 124. *ad. fin.* Animus emendatus ac purus, aemulator dei etc. *Justin.* 6, 3. Pisandrus pro conjunctione Agesilai etiam virtutum aemulator erat, contendebatque, ne a rebus gestis ejus et gloriae splendore discederet. *Appul. Flor. n.* 15. Homeri hospes et aemulator canendi. *Id. Apolog.* Vir egregie doctus et veterum aemulator. ℙ Si in malam partem pro invido et rivali ponere velis, tutius vocem *aemulus* usurpaveris.

[AEMŪLĀTRIX. īcis, f. quae aemulatur. *Cassiodor. Variar.* 7, 5. Ut quod tantis ac talibus institutionibus inventum est, aemulatrix posteritas in suum commodum custodiret. *F.*]

AEMŪLĀTUS, us, m. aemulatio cum contentione et invidia conjuncta, *δυσζηλία. Tac. H.* 3, 66. Non exercitibus securitatem nisi exstincto aemulatu redituram. *Id. A.* 13, 46. Otho ne in Urbe aemulatus ageret, provinciae Lusitaniae praeficitur.

AEMŪLO, as, a. 1. *ζηλόω*, aemulor, imitor. *Appul. Met.* 1. Si patris tui virtutes aemulaveris.

AEMŪLOR, aris, atus sum, dep. 1. *ζηλόω*, alicujus dotem seu virtutem [**imo vitia quoque] imitor, et adhibita laudabili [**omnino magna contentione; de *laudabili* enim studio non potest, ubi de rebus pravis sermo est, dici; v. infra] contentione et conatu assequi studeo. Ergo plus est quam imitari; nam qui imitatur, satis habet, si aliqua ex parte ei similis esse possit, quem sibi imitandum proposuit: qui vero *aemulatur*, aequare studet, vel etiam si fieri possit, superare. *Plin. ep.* 7, 30. Orationem Demosthenis habui in manibus, non ut aemularer (improbum enim ac paene furiosum), sed tamen imitarer et sequerer. [**Cf. *Gesner.* ad h. l. Jam quia ad illud studium saepius livor atque invidia accedit, idcirco tam in bonam quam in malam partem hoc verbum usurpatur; igitur est etiam i. q. invidere, quo sign. cum dativo construitur. In bonam partem. *Pl. Mil.* 3, 2, 26. Quoniam aemulari non licet, nunc invides. *Cic. Flacc.* 26. Omnes ejus instituta laudare facilius possunt, quam aemulari. *Nep. Epam.* 5. aemulari Agamemnonem. *Hor. Od.* 4, 2, 1. Pindarum. [**Quint.* 10, 1, 62. Homerum.] *Tac. H.* 2, 68. severitatem alicujus. *Id. Agr.* 15. virtutes majorum. [**Curt.* 9, 10. gloriam, famam.] *Id. A.* 6, 29. Labeo per abruptas venas sanguinem effudit, aemulataque est conjux Paxea. *Id. H.* 3, 81. Studium philosophiae et placita Stoicorum aemulatus [*h. e. secutus, amplexus. *Liv.* 1, 18. Quem (Pythagoram) juvenum aemulantium studia coetus habuisse constat. Cf. ad h. l. *Gronov.*] *Id. A.* 3, 55. aemulandi amor. *Id. H.* 2, 81. aemulantium inter se regum paratus. *Quint.* 1, 3. Pueri in scholis, positis invicem cujusque generis quaestiunculis, aemulantur, *h. e.* laudabiliter certant. *Plin. ep.* 5, 5. Una dileximus omnes fere, quos aetas nostra aemulandos tulit. [**Suet. v. Pers.* Quos unice miratus est et aemulatus.] *Tac. A.* 12, 64. Utraque impudica, infamis, violenta, haud minus vitiis aemulabantur etc. [**Id. H.* 2, 62. Pleraque municipia — aemulabantur, corruptissimum quemque adolescentium pretio illicere.] ℙ Malam in partem est i. q. invidere, inimicum esse, invidiose contendere, quanquam interdum lenius, ut gr. *ζηλοτυπεῖν*. Sic *Cic. Tusc.* 1, 19. iis aemulamur, quia ea habent, quae nos habere cupimus. *Justin.* 6, 9. cui aemulari consueverant. [**Construitur, ut hi loci monstrant, ita quum dicitur, cum dativo, quod ubique apud antiquiores scriptores obtinet; Quintiliani demum aetate promiscue, et in bonam et in malam partem, cum dativo construi coeptum est, ut 10, 1, 122. namque et consummati jam patroni veteribus aemulantur. Cf. *Spalding.* ad h. l., qui idem in aliis quoque vv. hoc aevo factum esse monstrat ad 9, 3, 2,] Sed est *aemulari* non raro etiam i. q. *φθονέω*. *Cic. Tusc.* 4, 26. Obtrectare vero alteri, aut illa vitiosa aemulatione, quae rivalitati similis est, aemulari, quid habet utilitatis? cum sit aemulantis angi alieno bono, quod ipse non habeat; obtrectantis autem, angi alieno bono, quod id etiam alius habeat. *Liv.* 28, 43. Tanquam mihi ab infimo quoque periculum sit, ne mecum aemuletur, *h. e.* certet et invidiose contendat. Hoc loco notanda est constructio, qua *aemulari cum aliquo* pro *aemulari alicui* aut *aliquem* dictum est. Cf. AEMULATIO. ℙ *Aemulari umbras* est proverb. locutio de iis, qui nimia zelotypia laborantes sibi a re vana timent. *Prop.* 2, 25, 19. Ipse meas solus, quod nil est, aemulor umbras: Stultus quod stulto saepe timore tremo. [**Comparat *Broukh. Cic. Att.* 15, 20. qui umbras timet.] ℙ Translate tribuitur etiam rebus inanimis. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 4. Basilicae uvae Albanum vinum aemulantur. *Id.* 16, 43, 83. Item aemularetur ulmus, ni etc. [**Pallad. Mart.* 10, 7. Feruntur haec pomis recentibus aemulari. *Plin. Pan.* 3. Neque acceptius genus gratiarum, quam quod illas exclamationes aemuletur, quae fingendi non habent tempus.]

AEMŪLUS, a, um, adj. *ζηλωτής*. [**Mira ratione h. v. Furl. fieri putat a gr. *αἰμύλος*. Ita vero longe probabilior est *Kürcheri* in *Diurnis Schol.* 1828. N. 62. p. 507. sententia v. *aemulari* cum gr. *ἁμιλλάομαι*, nostris *ahmen*, *nachahmen*, *ähmeln* (*ähneln*), atque adeo lat. *imitari* (IMO) cognatum putantis.] Significat h. v. eum, qui alterum in re quapiam imitari et aequare studet, laudabili conatu et cura adhibita. [**Non recte dicit *laudabili*. Perinde est enim, sive in bonis, sive in pravis rebus est aemulatio. Ac notavimus hoc jam supra in vv. AEMULATIO et AEMULARI.] Usurpatur autem modo ut adjectivum, modo ut substantivum. Usurpatur saepe more substantivi. *Cic. Mur.* 29. Zenonis inventorum aemuli Stoici nominantur. [**Cf. in AEMULARI.] *Id. Marcell.* 1. aemulus atque imitator studiorum ac laborum. *Id. fr.* ap. *Non.* 4, 13. Optimatium aemulus doctrina, artibus, studiis. *Gell. praef.* ejusdem musae aemulus, *h. e.* eorundem studiorum sectator, *ὁμότεχνος*, quod in proverbium abiisse notat *Erasm. in Adag. Cic. Phil.* 2, 12. Se aemulum mearum laudum extitisse. *Id. Cael.* 14. mulier aemula domesticae laudis. [**Ita adj. *Virg. A.* 10, 371. spemque meam, patriae quae nunc subit aemula laudi. Cf. *id. ib.* 5, 187 et *Hor. Ep.* 1, 19, 15. *Liv.* 21, 41. aemulus itinerum Herculis. Refer huc etiam, quod dicit auctor *Cul.* 95. aemulus Ascraeo pastor quisque poetae, i. e. ut Hesiodus, Hesiodi exemplo.] ℙ Interdum in malam partem sumitur pro obtrectatore, invido [**i. e. eo, qui alteri, quod ipse assequi studet, invidet eumque variis modis et artibus avertere et removere studet.] *Virg. A.* 6, 173. de Miseno: aemulus exceptum Triton (si credere fas est) Inter saxa virum spumosa immerserat unda. *Tac. A.* 3, 8. Quem, remoto aemulo, aequiorem sibi sperabat. *Suet. Ner.* 6. Qui eum, tanquam Britannici aemulum, strangularent. *Tac. A.* 13, 7. aemulus Vologeso. [**V. infra.] *Plin.* 36, 12, 16. aemuli insidiantes. *Vell.* 2, 1. Remoto Carthaginis metu sublataque imperii aemula. [**Cf. *Sall. Cat.* 10. *Flor.* 2, 15, 5. Similia sunt ap. *Hor. Od.* 3, 16, 14. aemuli reges, et *Epod.* 16, 5. aemula virtus Capuae.] *Justin.* 9, 7. aemulus regni. [**Cf. *Tac. H.* 2, 73. *Curt.* 5, 7.] ℙ Hinc etiam pro rivali accipitur. *Cic. Verr.* 2, 5, 31. Si non tanquam virum, at tanquam aemulum removisset. *Ter. Eun.* 4, 1, 9. Ibi illa cum illo sermonem occipit: Miles vero sibi putare adductum ante oculos aemulum. [**Cf. 2, 1, 8.] *Ov. A. A.* 2, 436. Et, si nulla subest aemula, languet amor. [**Pl. Rud.* 1, 4, 20. Mihi es aemula.] ℙ Translate tribuitur rebus inanimis, [**duplici significatione, primum ut significet eas, quarum est par ratio s. quae inter se comparari possunt, tum eas, quae sibi sunt adversae, oppositae et quasi invidae. Cujus utriusque signif. ex superioribus ratio intelligitur.] *Plin.* 9, 17, 29. Lacus Brigantinus mustelas aemulas marinis generat. *Id.* 2, 8, 6. Sidus Veneris aemulum Solis ac Lunae. [**Id.* 15, 18, 19. Ficus quaedam piris magnitudine aemula.] *Martial.* 4, 42. Paestanis rubeant aemula labra rosis. *Id.* 13, 118. Tuscis aemula vina cadis. *Claud.* VI. *Cons. Hon.* 498. Nudataque litora fluctu Deserit, Oceani lunaribus aemula damnis. [**Hor. A. P.* 203. tibia tubae aemula. *Sil.* 5, 439. Crinibus aemula barba.] — Item pro invido, adverso. *Virg.* A. 5, 415. Dum melior vires sanguis dabat, aemula necdum Temporibus geminis canebat sparsa senectus. *Colum.* 5, 6. Ne aemula umbra viti noceat. [**Tertull. Apol.* 48. aemulae substantiae, i. e. sibi oppositae, ut aqua et ignis etc. — Ad constructionem quod attinet, patet ex superioribus, quando potissimum c. genitivo, quando c. dativo componatur. Cf. *Rudd.* II. p. 70. Rariora sunt haec: *Tac. A.* 13, 3. Caesar summis oratoribus aemulus. Defenditur hoc, licet insolentius dictum, iis locis, qui de rebus inanimis allati sunt; eadem vi enim ap. *Tac. aemulus* dicitur de *aequiparando. Quintil.* 3, 1. Cui maxime par atque aemulus videtur Athenaeus fuisse. (Noli tamen huc referre, quod e *Tac. ib.* 7. noster supra protulit: aemulus Vologeso. Integra verba sunt: exortus in tempore aemulus Vologeso.) Porro Furl. affert *Sall. fr. H.* 3. facta consultaque ejus aemulus, quod nobis eodem modo dictum videtur, ut ap. *Plautum* illud: celatum indagator, et alia longe plura in graeco sermone. Cf. *Cort.* p. 978. Noster addit *Appul. Met.* 1. *init.* in convivas aemulus. Sed ibi alii aliter legunt. *Id. ibid. fin.* Fluvius argento vel vitro aemulus in colorem h. e. colore, quod attinet ad colorem, similis vitro. Quocum ne confundas *Tac. A.* 12, 54. aemulo ad deterrima.

AEMUS. V. HAEMUS.

*AENARE, es, f. insula maris Aegaei, prope Lesbum et Samum. *Plin.* 5, 31, 38.

[AENARIA, ae, f. fortasse officina, ubi aenea vasa fiunt. *Not. Tir.* p. 164. Aenaria. *F.*]

AENĀRĬA, ae, f. insula cum urbe cognomine prope Campaniam in sinu Neapolitano. Dicta est a statione navium Aeneae, ut *Festus* docet, et *Plin.* 3, 6, 12., ubi addit ab *Homero* dictam esse *Inarimen*, a Graecis *Pithecusam:* quae v. suis locis. [**Cf. *Cic. Att.* 10, 12. *Liv.* 8, 22. *Mela* 2, 7. *Vell.* 2, 19.] In ea insula sunt aquae medicam vim habentes contra calculos, ut *Plin.* 31, 2, 5. testatur. Hinc *Stat. Silv.* 3, 5, 104. Aenariaeque lacus medicos.

*AENĒA s. AENĪA, (*Αἴνεια Herod.* 7, 123.) oppidum Macedoniae ad sinum Thermaicum, quod ab Aenea conditum putant. *Liv.* 40, 4. proficiscuntur ab Thessalonica Aeneam ad statum sacrificium, quod conditori Aeneae — quotannis faciunt. *Id.* 44, 10. Aeniam inde petunt. Inde *Aeneates*, v. suo l.]

AENĒĂDĒS, ae, m. [***Αἰνειάδης, Αἰνεάδης*,] est Aeneae filius Ascanius *Virg. A.* 9, 653. restitutum ex cod. Rom. pro *Aenide.* ℙ Aeneadae, arum, latiori sign. ii sunt, qui aliquo modo ad Aeneam pertinent vel ab eo originem ducunt. *Virg. A.* 4, 19. Aeneadasque meo nomen de nomine fingo. Alludit vel ad opp. Aenon in Thracia (Aenos ab Aenea profugo condita, *Mel.* 2, 2.) vel ad Aeneam in Macedonia. ℙ Tum in universum vel *Trojani*, ut *Virg. A.* 7, 616. 1, 565. vel *Romani*, ut *Virg. A.* 8, 648. *Ov. Met.* 15, 682. 695. *Fast.* 4, 161. *Trist.* 2, 261. ℙ De syncope *Aeneadum* pro *Aeneadarum* v. *Prisc.* 7. p. 733. Sic *Ov. Tr.* 2, 261. Aeneadum genitrix i. e. Venus. ℙ In specie Aeneades ad certos quosdam viros refertur. *Ov. Pont.* 1, 35. fert liber Aeneaden, i. e. Augustum. *Sil.* 13, 767. Aenea-

des est Scipio. *Prudent. Apoth.* 447. (*al.* 515.) Aeneadae Rectoris pro *imperatore Romano.*

AENĒAS, ae, m. *Αἰνείας*, Veneris et Anchisae filius, Virgilii carmine notissimus, dictus Aeneas, ut quidam putant, ab *αἰνέω*, quod est laudo. Nam laus a Graecis *αἶνος* dicitur. [Quin potius ab *αἰνός, gravis, asper, angorem afferens.* Venus enim ap. *Hom. Hymn. in caud.* 199. *Τῷ δὲ καὶ Αἰνείας ὀνομ' ἔσσεται, οὕνεκά μ' αἰνὸν Ἔσχεν ἄχος, ἕνεκα βροτοῦ ἀνέρος ἐμπεσον εὐνῇ. F.* *De his etymologiis quid statuendum sit satis jam constat inter VV. DD.] De hujus genealogia vide *Ov. Fast.* 4, 31. Dardanon Electra etc. Ex incendio Trojae navigavit in Italiam ibique Romanae reipublicae fundamenta jecit, quod tota Aeneide narrat *Virgilius.* Ejus naves a Turno incensae in Nymphas mutatae sunt. *Virg. A.* 9, 69. et deinceps, et *Ov. Met. fab.* 15, 12. Post mortem (cum in Numicium fluvium cecidisset) deus factus est, et Juppiter Indiges vocatus. *Serv.* ad *A.* 1, 263., *Ov. Met. fab.* 14, 15. ℙ Saepe in accusativo singulari poetae *Aenean* usurpant a graeco *Αινέαν. Ov. Fast.* 5, 568. Hinc videt Aenean oneratum pondere sacro. *Id. Her.* 7, 36. Aenean animo noxque diesque refert. In vocativo habet *Aenea. Id. ib.* 9. Certus es Aenea etc. [*In genit. interdum *Aenea.* V. *Appulej. d. orthogr.* §. 23. ibique *Osann.* p. 59. *Beier.*] Veteres dixere etiam *Aenea* in recto casu sing., ut notat *Quintil.* 1, 9., et exempio *Varronis* probat *Charis.* 1. p. 50. ℙ [Fuit etiam Aeneas Silvius inter posteros Aeneae Albae reges. *Virg. A.* 6, 769. Et Capys, et Numitor, et, qui te nomine reddet, Silvius Aeneas. Ejus etiam meminit *Liv.* 1, 3. *F.*] ℙ [*Aeneae portus fuit in Macedonia ad promontorium Atho. *Liv.* 45, 30.]

[AENĒATES, atum, m. plur. pop. Aeneam (hod. Moncastro), urbem maritimam Thessalonicae proximam incolentes. *Liv.* 40, 4. Gens Aeneatum. *F.*]

AENĒATOR, oris, m. *σαλπιγκτής*, tubicen, buccinator, ita dictus ab aenea tuba, quam inflat, quamquam generatim, ut *Festus* docet, etiam cornicen, qui cornu canit, *aeneator* dicitur. *Suet. Caes.* 32. Interque eos et aeneatores, rapta ab uno tuba, prosiluit ad flumen, et ingenti spiritu classicum exorsus etc. *Scalig.* ad *Fest.* docet, discrimen esse inter *cornicines* et *aeneatores* seu tubicines Romae et in castris. Romae enim aeneatores comitia tributa convocabant, cornicines centuriata. (*Gell.* 15, 27.) In castris ad tubicinem seu aeneatorem milites tantum movebantur, ad cornicines etiam signa. Praeterea in iisdem castris a tubicine vigiliae committebantur, et finitis horis a cornicine revocabantur, ut *Veget.* docet 3, 8. Collegii aeneatorum mentio fit in *Inscr.* ap. *Grut.* 264, 1. sub Imp. L. Septimio Severo. Etiam in publicis ludis aeneatores adhibebantur, fortasse ut tuba commissionis signum darent, ut colligi videtur ex *Sen. ep.* 84. Apud *Fest.* legitur *aenator.* [*Contractum enim est h. v. ex *ahenator*, ut quidam legi volunt ap. *Ammian.* 24, 4. Ceterum docet *Oud.* ad *Suet. Caes.* 31., hoc voc. apud scriptores aevi aurei nusquam reperiri.]

*AENĒI s. *Aenii.* V. AENUS.

AENĒIDES. V. AENEADES.

AENEIDOMASTIX, igis, *αἰνειδομάστιξ*, liber a *Carvilio Pictore* in *Virgilium* editus, in quo ejus vitia furtaque annotavit, ut sibi quidem persuaserat stultissimus nebulo. Quamquam non desunt, qui eum librum a *Maecenate* suppositum asserant *Donat.* in vita *Virg. c.* 16. Vox haec graeca componitur ab *Αἰνείς* et *μάστιξ*, flagellum.

AENĒIS, ĭdis et ĭdos, f. divinum *Virgilii* opus de Aenea ejusque rebus gestis, *Αἰνείς. Ov. Tr.* 2, 533. Et tamen ille tuae felix Aeneidos auctor etc. *Stat. in fin. Theb.* Nec tu divinam Aeneida tenta, Sed longe sequere et vestigia semper adora. *Gell.* 17, 10. Ut Aeneida, quam nondum satis elimasset, adolerent.

AENĒĬUS, a, um, adj. quadrisyllab. ad Aeneam pertinens. *Virg. A.* 7, 1. Aeneia nutrix. *Ov. Met.* 14, 481. Aeneia virtus. *Id. Fast.* 4, 799. Pietas Aeneia. *Id. Am.* 1, 15, 25. Arma Aeneia. [*Stat. Silv.* 5, 3, 37. Aeneia fata, *h. e.* mors Aeneae. *Auct. carm.* ad *Pison.* 218. Aeneia carmina, *h. e.* Aeneis Virgiliana. *F.*]

AENEOBARBUS. V. AENOBARBUS.

AENĔOLUS, a, um, adj. diminut. ab *aeneus*, de parvis rebus ex aere factis dicitur. *Petron. fr. Trag.* 73. *Burm.* Aeneoli piscatores, *h. e.* parva signa aenea piscatores referentia. Alii pro *piscatores* alia substituunt. *Festus:* Aeneolum, quod ex aere fit, dicimus.

AENESI, dicti sunt Aeneae comites. Ita *Paulus* ex *Festo.*

AENĔUS, a, um, adj. *χάλκεος*, ex aere factus, estque omnino id. qu. *aereus.* Cum autem *aes* non unum tantum metalli genus significet, sed tum illud, quod Itali dicunt *bronzo*, tum illud, quod *rame*, (*Kupfer*) tum illud, quod *ottone* (*Messing*) vocant, (v. AES) eandem significationem adjectiva *aeneus* et *aereus* habere dicendum est. *Cic. Off.* 3, 9. equus aeneus. *Id. Phil.* 9, 6. statua aenea. *Id. Verr.* 2, 4, 26. aenea candelabra. *Nep. Iph.* 1. loricae ferreae atque aeneae. *Plin.* 7, 56, 57. *med.* tuba aenea. *Id.* 27, 10, 66. aeneae fulloniae, *h. e.* aenea vasa, quibus fullones utuntur lavandis poliendisque vestibus. [*At de h. l. valde dubitat *Salm.*, quem v. *Exerc.* p. 278.] *Serv.* ad *A.* 8, 300. Hercules ad Geryonem navi aenea navigavit, tergo leonis velificans, *h. e.* aerata seu aere in prora munita. V. AEREUS. *Plin.* 29, 2, 10. Lento igni in aeneo subfervefactus, intell. *vase:* quamquam sunt, qui aliter legant. *Hor. Sat.* 2, 3, 183. Latus ut in Circo spatiere, aut aeneus ut stes, *h. e.* ut tibi aenea statua habitu stantis ponatur. — *Aenea libra* ap. *Varr. L. L.* 8, 49. dicta est vel quia aeneas lances habebat, vel quia in ea aes appendebatur. *Aeneum frumentum*, de quo fit mentio in *Cod. Theod. l.* 14. *t.* 25. qui est *de frumento Carthaginiensi*, alii putant ita dictum esse, quod ex aeneae tabulae praescripto pensitaretur, vel ex tessera, fortasse aenea: alii, quod in aere penderetur, ut de aerariis annonis in *Aerarius* dicetur: alii aliter: et sunt etiam, qui alio modo legendum putent. ℙ Interdum aeneus dicitur, qui colore est aeris. *Suet. Ner.* 2. de Cn. Domitio Aenobarbo: non esse mirandum, quod aeneam barbam haberet, cui os ferreum, cor plumbeum esset. V. AENOBARBUS. ℙ Poetae diphthongum fere dissolvunt per diaeresin et primam vocalem corripiunt, secundam producunt. *Martial.* 11, 75. Theca tectus aenea lavatur, etc. *h. e.* fibula, qua citharoedi ligabant inguina ad vocem servandam. *Bentl.* ex mss. mutat in loco *Horatii* modo allato, et *aëneus ut stes.* [*Et jure quidem; nusquam enim *aeneus* dicunt poetae trisyllabon, sed semper *aëneus*, *aënus*, nisi ubi pro *aereus* perverse librarii scripserunt *aeneus.* Cf. *Jahn.* in *ind. edit. Metam. Gierig.* in h. v.] Quin etiam inter *a* et *e* interseritur *h*, quo vocalium concurrentium hiatus evitetur earumque pronuntiatio sonantior fiat, ut docet *Gell.* 2, 3. V. AHENEUS. ℙ Translate *aeneus* ponitur pro perpetuo, firmo, indissolubili. V. AHENEUS.

[AENĪĀNES, um, m. plur. populi, qui incolebant Aeniam, urbem Perrhaeborum, positam in sinu Aeniano, ut scribit *Stephanus. Liv.* 28, 5. Maxime in sinu Aenianum segetibus vastatis. *F.* *Etiam *Aenienses* ut ap. *Plin.* 4, 2, 3. dicuntur.]

AENĪDES, ae, m. l. patronym. ab *Aeneas.* V. AENEADES. ℙ Est etiam patronymicum ab *Aeneus*, *Αἰνεύς.* Fuit autem Aeneus Apollinis filius ex Stilbe, pater Cyzici, qui relicta Thessalia, ubi ortus fuerat, in Propontide regnavit. Hinc *Aenidae, arum* dicuntur non solum ejus posteri, sed et Cyziceni omnes, hoc est cives urbis Cyzici, quae a Cyzico conditore nomen habuit. *Val. Fl.* 2, 3. simul urbe profusi Aenidae etc.

AENIGMA, ātis, n. *αἴνιγμα* (vox graeca, ab *αἰνίσσομαι*, obscure significo, loquor) significat obscuram allegoriam seu involutum sermonem, aut quaestionem, in qua aliud verbis, aliud sensu significatur, nec facile, nisi quis interpretetur, intelligi potest: ideoque inter vitia orationis ponitur a *Quintil.* 8, 6. Tale est illud *Virg. Ecl.* 3, 104. *Dic quibus in terris* etc., ubi puteus intelligi videtur: [*minime vero, ac mirum profecto, VV. DD. alia omnia, etiam ineptissima excogitare, quam ipsam Virgil. explicationem, a Grammaticis servatam, sequi maluisse; de qua v., praeter *Vossium*, etiam *Salmas. Exerc.* p. 860.] et illud ap. *Gell.* 12, 6. semel, minusne, an bis minus, non sat scio: An utrumque eorum, ut quondam audivi dicier: Jovi ipsi regi noluit concedere; ubi deus Terminus notatur. [**Barth. Adv.* 16, 23.] Ap. *Charis* 4. p. 247. Mater me genuit eadem mox gignitur ex me, h. e. aqua genuit glaciem, quae postea in aquam solvitur. *Gell. l. c.* Quae Graeci dicunt aenigmata, hoc genus quidam e nostris veteribus sirpos appellaverunt. *Cic.* quoque *Or.* 3, 42. horum aenigmatum meminit, item *Att.* 7, 13. [*Hic locus potius ad sqq. erat referendus.] ℙ Hinc quodvis obscurius dictum *aenigma* appellatur. [**Cic. Div.* 2, 64. obscuritates et aenigmata somniorum.] *Juven.* 8, 50. Qui juris nodos et legum aenigmata solvat. Adde *Quintil.* 6, 3, 98. [**Petron. Sat.* 41. Non aenigma est, sed res aperta.] ℙ Ponitur pro mysterio ab *Arnob.* 3. p. 109. Aegyptiorum ridetis aenigmata, quod mutorum animantium formas divinis inseruerint causis. ℙ Apud *Prudentium* accipitur pro imagine, figura seu lineamentis, per quae cujusque imago intelligitur, ut *Cathem.* 10. *qui est hymn. circa Exseq. v.* 143. non immemor ille requiret Sua munera fictor, et auctor, Propriique aenigmata vultus. Et *περὶ στεφ.* 3. *de pass. Laurent.* 118. Is ipse tantum non habet Argenteorum aenigmatum Augustus, arcem possidens, Cui nummus omnis scribitur, *h. e.* tantum nummorum Augusti imagine cusorum. [Videtur *Prudentius* hanc vocis notionem hausisse ex *Corinth.* 1, 13, 12., ubi inter se opponuntur *videre in aenigmate* et *de facie ad faciem. F.* *Nihil haec a superioribus differunt.] ℙ In dativo plurali habet *aenigmatis*, non *aenigmatibus:* sic enim consuetudo obtinuit in hujusmodi graecis nominibus tertiae declinationis. *Charis.* 1. p. 38. V. EMBLEMA et EPIGRAMMA.

AENIGMATISTĂ et Aenigmātistēs, ae, m. *αἰνιγματιστής*, qui aenigmata proponit seu obscure loquitur. *Sidon. ep.* 8, 6. Veternosus legalium quaestionum aenigmatista. Alii leg. *aenigmatistes* retenta graeca terminatione. *Augustin. Quaest. in Num. quaest.* 4, 45. Quid sint aenigmatistae, ideo non apparet, quia non sunt in consuetudine litteraturae nostrae. Et mox: aenigmatistae sunt, quos poetas nos appellamus, eo quod poetarum est consuetudo miscere carminibus suis aenigmata fabularum.

AENIPES. V. AHENIPES.

[AENĬUS, a. um. adj. ad Aenum pertinens, Thraciae oppidum ad Hebri ostium, nunc *Enos* vel *Eno*, quod plures ab Aenea conditum tradunt, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 2. p. 23. *AINIΩN. Liv.* 45, 27. Ad Aeniorum quoque urbem hostiliter diripiendam C. Postumius misit. *Id.* 31, 31. Eadem Abydenos, Aenios, Maronitas existimatae queri.

*AENNUM, i, (bisyll.) superioris Aegypti oppidum ad sinum Arabicum, ante Philotera dicta. *Plin.* 6, 29, 33. AENNUM (trysyll.) est promontorium ibidem. *Mel.* 3, 8.

AENOBARBUS, i, m. cognomen gentis Domitiae Romanae, de qua *Suet. Ner.* 1. Aenobarbi auctorem originis, itemque cognominis habent L. Domitium, cui rure quondam revertenti juvenes gemini augustiore forma ex occursu imperasse traduntur, nuntiaret senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat: atque in fidem majestatis adeo permulsisse malas, ut e nigro rutilum aerique assimilem capillum redderent. Quod insigne mansit etiam in posteris ejus; ac magna pars rutila barba fuerunt. Hactenus *Suet.* Legitur etiam *Ahenobarbus* in antiquis monumentis, in *Inscr.* ap. *Grut.* 119, 2. et 298, 3., itemque in nummis duobus ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5, p. 202., quod magis probandum videtur. [*Cf. *Oud.* ad *Suet.* l. l.]

*AENONA, ae (*Αἰνῶνα Ptol.*) oppidum maritimum in Liburnia, quae est regio inter Istriam et Dalmatiam, h. Nona. *Plin.* 3, 21, 25.

AENŬLUM, i, n. parvum vas aeneum: diminutivum ab *ahenum*, quod *aenum* quoque scribitur. *Paul.* ex *Festo.*

AENUM, i, n. id. qu. *ahenum*, quod vide. *Paul. Dig.* 33, 7, 18. Nec multum refert inter cacabos et aenum, etc. Ita legitur in *Torrentini* edit. ap. *Haloand.* est *aheneum*, in aliis *ahenum.* Sunt etiam qui legant *Aenum* disyllabum ap. *Hyg. fab.* 14. ℙ [*Fabretti* judicio *Inscr.* p. 678. est quoque id. qu. aeneum frumentum in *Cod. Theodos.* 14, 25, 1. memoratum. V. AENEUS. *Inscr.* ap. *eund. l. c. n.* 40. D. Claudius D. Libert. Patroclus aeni dispensator. Et *n.* 41. L. Junius Domitiani Aug. aeni dispens. Et *n.* 42. Xanthus aeni dispens. *F.* *Hoc voc., quod est neutr. adjectivi, rectius h. l. omitteretur. Genuina forma fuit *aheneus*, inde *aëneus*, quod postremo pronuntiatione trisyllabum factum est.]

AENUS. V. AHENUS.

*AENUS, i, s. Aenos, oppidum Thraciae, e regione Samothraces situm. *Cic. Flacc.* 14. *Liv.* 31, 16. *Plin.* 4, 11, 18. *Mel.* 2, 2. Ejus incolae vel *Aenei* dicuntur, vel *Aenii*, quod v. ℙ Fluvius est in Germania Vindeliciam inter et Noricum (n. *Inn.*) *Tac. H.* 3, 5. Interdum Oenus scribitur, ut ap. *Antonin. Itin.*

AEŌLES, um, m. *Αἰολεῖς*, antiquissimi Thessaliae populi, ita dicti ab Aeolo Hellenis filio, qui postea in Peloponnesum migrarunt et in Asiam usque, et Lesbon insulam colonias deduxerunt. *Cic. Flacc.* 27. ℙ *Aeoli* pro *Aeoles* in recto casu pluralis numeri dixit *Serv.* ad *Virg. A.* 3, 445. [At codices habent *Aeoli* pro *Aeolii. F.*]

AEŌLIA, ae, f. *Αἰολία* sc. *γῆ*, ea Asiae regio, quae etiam *Aestis* dicitur. *Nep. Con.* 5. [**Plin.* 5, 29, 31. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 37, 8, 5.] ℙ Regio Siciliae proxima, septem constans insulis, quarum nomina haec sunt: Lipara, Hiera, Strongyle, Didyme, Eriphusa sive Ericusa, Phoenicusa et Euonymos. Dicta est ab Aeolo Jovis filio, qui Iliacis temporibus in ea regnavit. Dicta etiam est *Lipara* a Liparo Ausonis regis filio, qui eam ante Aeolum rexit. Insulae vero simul sumptae dicuntur a Latinis *Aeoliae*, *Lipareae*, *Vulcaniae*, a Graecis *Hephaestiades*, ab Italis *Merlere*, et *Isole di Lipari. Plin.* 3, 8. et 9. ℙ In fabulis est in ea regione sedem esse ventorum, quibus Aeolus imperet. *Virg. A.* 1, 55. Nimborum in patriam loca feta furentibus Austris, Aeoliam venit etc. V. AEOLUS.

AEOLĬCUS, a, um, adj. *Αἰολικός*, ad Aeolidem pertinens. *Plin.* 6, 2, 2. Aeolica gens. V. AEOLES et AEOLIS. ℙ *Aeolica dialectus*, una ex praecipuis quatuor linguae graecae, ab Aeolibus dicta est. Hinc *Quintil.* 1, 4, 7. aeolicum digamma vocat notam quandam latinae litterae F, seu inversae Ⅎ aut Ɛ similem, qua *Aeoles* pro aspiratione in scribendo utebantur. *Id. ib.* 5. Plurima sunt Aeolica ratione (cui est sermo noster simillimus) declinata. *Id.* 12, 10. Aeolica littera. V. DIGAMMA.

AEOLĬDĒS, ae, m. *Αἰολίδης*, Aeoli filius aut nepos. *Ov. Met.* 13, 26. Aeoliden saxum grave Sisyphon urget. Sisyphus Aeoli filius fuit. *Id. ib.* 9, 506. At non Aeolidae thalamos timuere sororum, *h. e.* Aeoli filii; nam *Hom. Od.* 10, 7. narrat, Aeo-

lum sex filias totidem filiis suis matrimonio junxisse. *Id. ib.* 7, 672. Aspicit Aeoliden ignota ex arbore factum etc. *h. e.* Cephalum Aeoli nepotem; nam Dejo ejus pater inter Aeoli filios numeratur. *Virg. A.* 6, 529. Hortator scelerum Aeolides, *h. e.* Ulysses, cujus mater Anticlea paulo ante nuptias Laertae clam cum Sisypho Aeoli filio concubuisse dicitur. Misenus etiam Aeneae tubicen dicitur *Aeolides* ab *eodem A.* 6, 164., vel quia ad tubam inflandam vento inprimis opus est, qui Aeolo ventorum tyranno subest, vel quia eum fecit filium Aeoli Trojani, quem 12, 542. in Italia manu Turni oppetiisse narrat. *Val. Fl.* 1, 286. Phryxum Aeoliden vocat, quia is fuit Aeoli ex Athamante nepos.

AEOLIPYLAE, arum, f. plur. *αἰολιπύλαι*, vox graeca *ventorum portas* significans, ab *Αἴολος*, Aeolus vel etiam ventus, et *πύλη*, porta. Ap. *Vitruv.* 1, 6. aeolipylae aereae dicuntur vasa ad cognoscendam ventorum rationem facta: haec habent foramen angustissimum, quo aquae infunduntur, collocanturque ad ignem, et antequam calescant, non habent ullum spiritum; simulatque autem fervere coeperint, efficiunt ad ignem vehementem flatum. Ita scire et judicare licet e parvulo brevissimoque spectaculo de magnis et immanibus caeli ventorumque naturae rationibus, nempe ex impetu vel lenitudine flatus erumpentis. Hae in Glossis vocantur *ollae animatoriae.* [*Alii legi volunt *Aeolipilae* a pila (Windkugeln), idque verius videtur. Cf. *Schneid. Ecl. Phys.* p. 208.]

AEOLIS, ĭdis, f. *Αἰολίς*, antea Mysia dicta, regio est Asiae mari Aegaeo exposita, inter Troadem ad Areton et Ioniam ad meridiem, a Troadae divisa Lecto promontorio, ab Ionia Hermo flumine. [**Liv.* 33, 8. 37, 8. 12.] Dicta est ab Aeolibus Thessaliae populis, qui duodecim in ea urbes aedificarunt. Populi igitur regionis *Aeoles* dicuntur, de quibus supra dictum est. Urbes sunt Elaea, Myrina, Cume, Phocaea, flumina Hermus, et Pactolus, ex Lydia fluentes. *Plin.* 5, 30, 32. Promontorium Lecton disterminans Aeolida et Troada. [*Interdum latius posita comprehendit simul Mysiam et Troadem. *Plin.* 5, 30, 32. *Mel.* 1, 18. ℙ Aeolis etiam regio est in Graecia Europaea, quae deinde dicta est Calydon (in Aetolia). Sic *Thucyd.* et *Plin.* 5, 30.]

AEOLIS, ĭdis, f. patronymicum, *Αἰολίς*, filiam aut neptem Aeoli significat. *Ov. Met.* 11, 579. Aeolis interea tantorum ignara malorum, *h. e.* Halcyone Aeoli filia (ut *Ov. ib. fab.* 10. posuit; nam alii aliter tradidere). Et 450. Talibus Aeolidos dictis etc. *Id. Her.* 11, 34. Prima mihi nutrix, Aeoli, dixit, amas. *Canacem* hoc loco intelligit Aeoli filiam,

AEOLIUS, a, um, adj. *Αἰόλιος*, ad Aeolum seu ad Aeoliam pertinens. *Plin.* 36, 21, 42. Aeoliae insulae. V. AEOLIA. *Sil.* 14, 233. Mergitur Himera ponte Aeolio, h. e. Himera fluvius Siciliae influit in mare inferum, in quo sunt insulae Aeoliae. *Ov. Am.* 3, 12, 29. Aeolii Euri. V. AEOLUS. [**Tib.* 4, 1, 58. Aeolii venti, i. e. ab Aeolo accepti.] *Id. Met.* 1, 262. Aeolia antra. *Id. ib.* 4, 485. Aeolii postes, *h. e.* fores domus Athamantis Aeoli filii. *Val. Fl.* 8, 79. Aeolium aurum, *h. e.* aureum vellus arietis, quo vecti sunt Phryxus et Helle filii Athamantis, cujus pater fuit Aeolus. *Ov. Met.* 6, 116. Aeolia virgo, *h. e.* Arne, vel Canace Aeoli filia. In illo *Statii Silv.* 2, 1. 142. editus Aeolia nec si foret iste Creusa, Torvus in hunc Athamas insanos flecteret arcus; tangitur fabula Athamantis Aeoli filii, qui Melicertam filium interfecit: sed ejus uxor fuit Ino, quae cur hic *Creusa* dicatur, non video. *Aeoliam virginem* vocat quidem *Sen. Met.* 105. Creusam, desponsam Iasoni, quae proavum habuit Aeolum Hellenis filium, Corinthi regem. Quo pacto haec conciliandae? [Facillime haec conciliari possunt, si cum *Marklando* (in ed. *Stat. Silv.* Lond. 1728. 4.) ita distinguas *Statii* versus: Nec fera crudeles Colchis durasset in iras, Editus Aeolia nec si foret iste Creusa: Torvus ab hoc Athamas insanos flecteret arcus. Creusa vero a *Statio* Aeolia, et a *Seneca* Aeolia virgo ideo dicitur, quod desponsata fuerit Iasoni Aesonis filio, Crethei nepoti, et Aeoli pronepoti, vel potius, quod ipsa fuerit filia Creontis, neptis Sisyphi, et proneptis Aeoli. *F.*] ℙ Item ad *Aeoles* Graeciae itemque Asiae populos pertinens. *Hor. Od.* 4, 9, 12. Aeolia puella, *h. e.* Sappho, quae ideo *Aeolia* dicitur, quod in carminibus suis Aeolica dialecto est usa, seu quod Lesbos ejus patria, non procul ab *Aeolide* seu Mysia Asiae regione sita, ad eam pertinebat. Adde quod *Aeoles* seu Aeolii Mitylenem primariam ejus insulae urbem condidisse dicuntur, teste *Vell.* 1, 4. Hinc id. *Hor. Od.* 4, 3, 12. Aeolium carmen, *h. e.* Sapphicum aut Alcaicum. Nam *Alcaeus* quoque ex eadem Lesbi insula fuit. Et *Od.* 2, 13, 24. Aeoliis fidibus querentem Sappho etc. [*Ov. Her.* 15, 200. Aeolia lyra. *Prop.* 2, 3, 19. Aeolium plectrum. *F.*] Aeolia Sibylla est Cumana, quia Cumae a colonis Cumes Asiae minoris olim habitatae fuerunt. *Grat. Cyneg.* 35. de lino: bonus Aeoliae de valle Sibyllae fetus. Al. leg. *Aeolia de valle*, *h. e.* regione circa Cumas, Cumanum linum laudat *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 2. V. CUMA. [*Eodem modo *Ov. Met.* 7, 357. Aeolia Pitane i. e. quae in Aeolide sita est.] ℙ *Aeolii*, *liorum* suntpopuli Asiae iidem qui *Aeoles*, qui Mysiae regionem incolentes *Aeolidis* ei nomen indiderunt. *Vell. l. c.* et *Mel.* 1, 18.

AEOLUS, i, m. *Αἴολος*. [*In h. v. multa debentur Furl.] Tres hujus nominis viros fuisse fabularum scriptores narrant. Primus fuit Hellenis et Doreidis filius, Deucalionis nepos, qui ex Enarete septem filios genuit, Cretheum, Sisyphum, Athamantem, Salmoneum, Dejonem, Magnetem, Pisidicen, Calycen et Perimeden. Regnavit (teste *Apollodoro* 1, 7, 2. 3.) in locis circa Thessaliam, et nomen dedit Aeolis, qui etiam Hellenii sunt appellati. *Serv.* ad *A.* 6, 585. ℙ Aeolus alter Jovis seu Hippotae et Melanippae filius, rex insularum inter Italiam et Siciliam, ex quarum nebulis, ut ait *Varro* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 55., et fumo Vulcaniae insulae, praedicens futura flabra ventorum, ab imperitis visus est ventos in sua potestate retinere. Hic in hospites benignus fuisse ac Liparam et *Aeolias*, ab eo nominatas insulas, in ora Siciliae tenuisse perhibetur, et in his *Strongylen*, quae (sicut Lipara) collem habet flammas evomentem: ex cujus fumo, quinam flatus futuri essent in triduum, praedicebat. Unde ventorum rex putatus est, ut ait *Plin.* 3, 9, 14., quod ventorum peritissimus erat. Hinc orta est fabula, Aeolum omnes ventos in profundis antris inclusos continere, eosque emittere ad Jovis nutum et voluntatem, et revocare ubi opus sit. *Virg. A.* 1, 55. Nimborum in patriam, loca feta furentibus Austris, Aeoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro Luctantes ventos tempestatesque sonoras Imperio premit ac vinclis et carcere frenat etc. *Ov. Met.* 14, 224. Aeolon Hippotaden, cohibentem carcere ventos. ℙ Fuisse etiam tertius Aeolus videtur secundi nepos ex Arne illius filia, quam Neptunus compressit. Hanc quidam Melanippen, alii Menalippen vocant. Hujus mentionem facit *Hyg. fab.* 186. ℙ Fuit etiam Aeolus ex Lyrnesso urbe Mysiae sub Ida, a Turno in Italia occisus, cujus meminit *Virg. A.* 12, 542.

AEON, ōnis, m. *αἰών*, vox graeca, seculum aeternitatemve significans. Usurpatur saepe a *Tertull. Praescr. adv. haeret.* 33, 34. et 49. et *adv. Valentin.*, ubi multa de fabula triginta Aeonum, partim marium, partim feminarum, quos *Valentinus* haereticus commentus est deosque esse voluit.

AEPHĪTĬUS, a, um, adj. ut *Aephitii agri* ap. *Stat. Th.* 4, 296., ubi notatur Arcadiae pars Aephitia dicta. Alii aliter scribunt. [*Quia *Hom. Il. β*, 546. *Αἰπύτιος τύμβος* memoratur, putat *Scheller.* fortasse scribendam esse hanc regionem *Aepytiam*, ita dictam ab illo Aepyto, qui fuit heros *ἀρχαιότατος*, ut ibi *Schol.* narrat.]

[AEPODIXIS, is, f. difficilis probatio, ab *αἰπός* difficilis, et *δεῖξις* probatio, contrarium verb. *ἀπόδειξις*, evidens probatio. *Not. Tir.* p. 152. Aepodixis, apodixis, inaepodixis. V. APODIXIS. *F.*]

*AEPOLIUM, i, oppidum Sarmatiae trans Istrum. *Plin.* 3, 12, 26.

[AEPOLUS, i, m. e gr. *ἄπολος*, caprarius. Est nomen servile ap. *Fabrett.* p. 215. *n.* 549. Aepolo Imp. *Tit. Augusti* Dispensatori Galbiano Geminia Felicla conjunx. *Hyg. Astron.* 2, 1. Callisto in ursae speciem conversa a quibusdam Aetolorum (lege *aepolorum*) capta. *F.*]

AEQUĀBĬLIS, le, adj. qui pariter in omnes et aequaliter distribuitur, aequalis, par, *ἴσος*. [*Recte observat *B. Crus.* in *Cl. Suet. aequalis* factum esse ab *aequus*, aequabilis autem ab *aequare* ortum (quod aequat, quod aequum est), magis exprimere significationem comparationis ab hominibus institutae, ut elucet ex loco *Suet. Dom.* 3. mixtura aequabili vitiorum atque virtutum (al. *aequali*) V. *Oud.* ad h. l. et ad *Claud.* 16. *Goer.* ad *Cic. Acad.* 1, 11, 41.] *Pl. Capt.* 2, 2, 52. Vis hostilis cum istoc fecit meas opes aequabiles. *Cic. Inv.* 2, 22. Par est, quod in omnes aequabile est. *Id. Off.* 2, 11. aequabilis praedae partitio. [**Id. Flacc.* 14. Praetoris diligentia requirenda est in descriptione aequabili sumptus.] *Id. N. D.* 1, 19. In qua necesse est eam esse naturam, ut omnia omnibus, paribus paria respondeant: hanc *ἰσονομίαν* appellat Epicurus, id est aequabilem tributionem. *Id. Caec.* 25. Sublato jure civili nihil est, quod aequabile inter omnes atque unum omnibus esse possit. *Id. N. D.* 2, 9. motus certus et aequabilis, *h. e.* qui semper idem durat, nec modo velocius, modo tardius agitur. [**Id. Fin.* 5, 12. moderati aequabilesque habitus, affectiones ususque corporis.] *Sall. Jug.* 57. pulveris vis aequabilis, *h. e.* quae semel exorta diu et aequaliter durat. [**Cic. R. P.* 2, 5. fluvius aequabilis.] *Sen. ep.* 74. Virium illis major est et aequabilior firmitas. [**Lactant.* 2, 11, 2. perpetua temperies et ver aequabile.] ℙ Translate *Cic. Off.* 1, 1. aequabile et temperatum orationis genus [*intell. philosophorum, i. e. nulla colorum et luminum varietate distinctum; nam opp. *vis dicendi major* in orationibus. Minus recte explicat Forc. sine asperitate, sine salebris, quae aures offendant, facile et in facilitate constans. Iliam explicationem recte habere intelligitur ex *Cic. Or.* 2, 53. Caelius Antipater neque distinxit historiam varietate colorum, neque verborum collocatione et tractu orationis laevi et aequabili perpolivit opus.] *Id. Or.* 2, 15. genus orationis fusum atque tractum, et cum lenitate, quadam aequabili profluens. *Tac. H.* 4, 5. Civis, senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitae officiis aequabilis. *Id. A.* 6, 31. Fidus Romanis, aequabilis in suos. *Id. ib.* 4, 20. aequabili auctoritate apud aliquem vigere, *h. e.* moderata et constanti. [**Id. H.* 4, 5. officiis aequabilis.] *Sall. Jug.* 47. vir fama aequabili et inviolata *h. e.* aeque bona apud omnes. [**Cic. Tusc.* 2, 27. Meditemur illud, ut haec patientia dolorum — in omni genere se aequabilem praebeat i. e. ut semper idem sit. Et *paullo post:* nihil enim potest esse aequabile, quod non a certa ratione proficiscatur. *Id. Inv.* 1, 2. jus aequabile, i. e. in quo omnes ejusdem sunt conditionis, nihil gratiae, nihil divitiis etc. tribuitur. Cf. *ib.* 53. *Id. R. P.* 2, 37. Status reipublicae — non in omnes ordines civitatis aequabilis. *Id. p. red. ad Quir.* 1. prospera, aequabilis perpetuaque fortuna.] ℙ [Comp. *aequabilior* est ap. *Cic. Att.* 5, 20. nihil ea jurisdictione aequabilius, nihil lenius, nihil gravius. *F.* ℙ [*Persaepe inter se commutantur *aequabilis* et *aequalis*, *aequabiliter* et *aequaliter*. V. *Heind.* ad *Cic. N. D.* 2, 45.]

AEQUABĬLĬTAS, atis, f. *ἰσότης*, *ἰσορροπία*, constans alicujus rei tenor, certus rerum modus et constantia, sibi constans, nullaque parte in vitium inclinans ratio. *Cic. N. D.* 2, 5. aequabilitas motus. ℙ Translate *Id. Off.* 1, 31. Nihil est profecto magis decorum, quam aequabilitas universae vitae, tum singularum actionum, *h. e.* in qua nulla sit perturbatio, neque varietas aut discrepantia. Et 26. Praeclara est aequabilitas in omni vita et idem semper vultus eademque frons. Et 25. Et *Or.* 2, 52. aequabilitas juris. [*V. in AEQUABILIS. Cf. *ib.* 1, 42. Sit ergo in jure civili finis hic, legitimae atque usitatae in rebus causisque civium aequabilitatis conservatio. Cf. *id. d. R. P.* 1, 34. *Id. Or.* 2, 85. In laude justitiae explicandum est, quid cum fide, quid cum aequabilitate factum sit. *Id. R. P.* 1, 27. Quum omnia per populum geruntur, tamen ipsa aequabilitas est iniqua, quum habeat nullos gradus dignitatis.] *Id. Or.* 16. Elaborant alii in lenitate et aequabilitate et puro quasi quodam et candido genere dicendi. [*Lactant.* 5, 14. Aequitatem se cum ceteris coaequandi Cicero aequabilitatem vocat. *F.*]

AEQUĀBĬLĬTER, adv. *ἴσως*, aeque, cum aequabilitate. *Cic. Off.* 2, 11. aequabiliter praedam dispertire. *Id. N. D.* 2, 45. Mare conglobatur undique aequabiliter. *Id. Mil.* 28. Aequabiliter in rempublicam, in privatos, in alienos, in suos irruebat. *Cato R. R.* 103. Dato aequabiliter quarto quintoque die. [**Varr. R. R.* 1, 6, 6. campester locus is melior, qui totus aequabiliter in unam partem vergit, quam is, qui est ad libellam aequus.] ℙ Translate *Cic. Or.* 2, 54. genus facetiarum aequabiliter in omni sermone fusum. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 8. tolerare aequabiliter sumptus et tributa. *Sall. Cat.* 2. Quod si regum atque imperatorum animi virtus in pace, ut in bello valeret, aequabilius atque constantius sese res humanae haberent, neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres. ℙ [*Confunduntur *aequabiliter* et *aequaliter*. V. AEQUABILIS.]

AEQUAEVUS, a, um, adj. *ὁμῆλιξ*, ejusdem aetatis, ducta vox ab aequalitate aevi et fere poetica. *Virg. A.* 2, 561. subiit cari genitoris imago. Ut regem aequaevum crudeli vulnere vidi Vitam exhalantem. *Id. A.* 5, 452. accurrit Acestes, Aequaevumque ab humo miserans attollit amicum. *Sen. Agam.* 639. Hinc aequaevi gregis Astyanax ducit turmas, *h. e.* juvenum ejusdem aetatis. [**Suet. v. Pers.* Lucanus, aequaevus auditor Cornuti.] ℙ Tribuitur rebus inanimis quoque. *Plin.* 16, 44, 86. lotos aequaeva Urbi. *Claud.* IV. *Cons. Hon.* 121. aequaeva majestas. *Id. B. G.* 54. urbs aequaeva polo. *Id. Epigr.* 2, 16. aequaevum nemus. [*Saepe hoc v. usus est *Claud.*]

AEQUALIS, le, adj. [*In hoc adj. multis in rebus nobis ab auctore discedendum fuit.] Dicitur proprie de loco plano, aut si acclivis sit, eminentias tamen non habente, gr. *ὁμαλός*. *Tac. A.* 4, 47. Mons aequali dorso continuus. *Ov. Met.* 1, 34. Principio terram, ne non aequalis ab omni Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis. *Plin.* 6, 30, 35. Gentes esse sine naribus aequali totius oris planitie. [**Sall. Jug.* 81. loca aequalia.] ℙ Hinc primum transfertur ad res, quarum eadem semper et constans sibi est ratio. *Liv.* 24, 46. Imber somitu primo largioris procellae strepitum demolientium exaudiri prohibuit, lentior deinde aequaliorque accidens auribus magnam partem hominum sopivit. *Colum.* 2, 21. Favonius lenis aequalisque aestivis mensibus perflat. [**Ov. Met.* 11, 463. aequali ictu freta scindere.] *Hor. Sat.* 1, 3, 9. Nil aequale homini fuit illi, i. e. nulla pars ejus vitae constans aequabilisque fuit, sed semper fuit

alius. Adde *Quintil.* 10, 1, 54. Apollonius — edidit opus aequali quadam mediocritate i. e. ut nunquam neque assurgat, neque cadat. *Id.* 3, 8, 60. Verum id quoque (intell. quo suasoriae constant) erit aequalius (i. e. minus varium ut explicat *Spalding.* s. uno quodam constanti et simili tenore), non tumultuosius atque turbidius. Male vulgo interpretantur *sedatius.* Est tamen in omnibus fere his locis non levis de scriptura dubitatio, quum, quod hic *aequalis* significat, alibi dicatur adj. *aequabilis*, quorum, ut supra diximus, perpetua fere est in libb. mss. commutatio. Cf. infra in AEQUALITER. ℙ Porro, et saepissime quidem, *aequales* dicuntur res, quarum par est ratio, forma, conditio, quae igitur aliquo modo inter se comparari possunt, i. q. par, similis, gr. ἴσος, ὅμοιος. [*Liv.* 7, 24. aequales tumuli.] *Cic. Par.* 3, 1. peccata aequalia. *Cic. Or.* 56. Partem pedis esse aequalem alteri parti. *Id. ib.* 64. Creticus — et ejus aequalis Paeon. *Id. Leg.* 2, 10. Paupertatem divitiis etiam inter homines aequalem esse. *Id. Or.* 1, 18. Virtutes sunt inter se aequales et pares. [*cf. *ib.* 3, 14.] *Suet. Tib.* 68. aequalis membris et congruus. [*Sic *Plin. ep.* 2, 5, 11. conjungit congruentiam aequalitatemque. *Quintil.* 9, 3, 80. Ut (sententiae) sint membris aeqnalibus, quod ἰσόζωλον dicitur.] *Liv.* 40, 57. Bastarnis Scordisci lingua et moribus aequales, h. e. similes, congruentes. [*Ap. *Liv.* sic legitur: nec enim aut lingua aut moribus aequales abhorrere, ubi *Dukero* valde suspectum visum est v. *aequales.* Cf. in ABHORREO. Ceterum, quod ad constr. attinet, quae in antecc. exemplis conspicitur, adde eos locos, in quibus jungitur praep. *cum. Sall.* ad *Caes. de ord. rep.* 2, 60. Gloria tua cum multis viris fortibus aequalis est. *Plin.* 16, 44, 86. Fuit cum ea cupressus aequalis (ubi tamen de tempore intell.) *Lact. ir. D.* 7. Nos esse cum pecudibus aequales. Hunc locum jam Forc. notavit.] *Plin.* 35, 11, 37. *n.* 25. Euphranor pictor docilis — in quocunque genere excellens ac sibi aequalis h. e. par, constans in sua excellentia. [*His haec adjungimus: *Ov. Met.* 7, 803. Aequales urebant pectora flammae. *Hor. Od.* 3, 24, 16. aequalis sors. *Quintil.* 1, 1, 14. aequali cura linguam utramque tueri. Paulo insolentius est hoc ap. *eund. Decl.* 13, 5. aequalis morbus, i. e. qui aeque, pariter omnes invadit, quod displicuit *Burmanno.* — Jam vero ab his nihil differunt ii loci, in quibus *aequalis* potest explicari *accommodatus*, ut ap. *Cic. Or.* 36. Oratio rebus ipsis par et aequalis. Neque alia est ratio, ubi *comem*, *civilem* significat. *Eutrop.* 8, 4. Aequalem se omnibus exhibens, i. e. talem, ac si esset iis par, non dignitate longe superior. Nimirum ea conditio rerum publicarum, qua omnes aequo jure fruuntur, nec ullus altero est superior, dicitur *aequalitas*, quod v. Forc. ipse attulit *Vell.* 2, 124. Potius aequalem civem, quam eminentem agere principem, h. e. aequo jure cum aliis viventem. Adde *Curt.* 1, 6. libertatis modicus et aequalis usus, i. e. omnibus aeque concessus; nisi hoc malis ad priorem signif. referre. Cf. *Plin. Pan.* 24. — Denique ex his apparet, *aequalis* quomodo possit de *tempore* dici. Dicuntur enim, quae uno fiunt tempore, una sunt aetate, tempore igitur et aetate paria, *aequalia*, ac pertinet hoc ad communem, quam tertiam posuimus, verbi significationem.] *Liv.* 28, 28. Ne istud Juppiter sierit, urbem in aeternum conditam fragili huic et mortali corpori aequalem esse, h. e. non diutius durare, quam hoc corpus. *Cic. Phil.* 11, 13. Dejotari benevolentia in pop. R. est ipsius aequalis aetati, i. e. ab ineunte aetate benevolus est etc. [*Liv. 5, 52. Sacra, aequalia urbis quaedam vetustiora origine. *Id.* 30, 28. ducere exercitum aequalem stipendiis suis.] *Id. Brut.* 69. In memoriam notam et aequalem incurro, i. e. rem, quae in nostram aetatem incidit. [*Poetarum haec sunt: *Virg.* A. 3, 491. Aequali tecum pubesceret aevo. *Id. Georg.* 4, 460. aequalis chorus, i. e. aequalium Nympharum chorus. Cf. 10. 194. *Cir.* 435. Florentes aequali corpore Nymphae.] *Cic. Brut.* 18. Livius Ennio aequalis fuit. *Id. Div.* 1, 20. Philistus aequalis illorum temporum. [*Id. Leg.* 1, 2. Aequalem suae aetatis memoriam deposcit.] *Liv.* 8, 40. Nec quisquam aequalis temporibus illis scriptor exstat. *Cic. Brut.* 48. P. Orbius, meus fere aequalis. *Ter. Andr.* 2, 6, 22. Quem vocabo ad coenam meorum aequalium? *Sil.* 3, 404. Phorcys et Arauricus aequales aevi (aequaevi). In his vides etiam substantive dici, gr. ἰσηλιξ, ὁμηλιξ, ἡλικιώτης. [*Eadem est vis verbi in iis locis, ubi pro *rivali* videtur dici, ut ap. *Prop.* 3, 6, 21. immorso aequales videant mea vulnera collo. Cf. ad h. l. *interpp.*] Superlativo utitur *Tertull. Anim.* 17. aequalissima porticus.

AEQUALITAS, atis, f. ὁμαλότης. V. AEQUALIS. *Plin.* 30, 13, 39. Oesypum carnes excrescentes ad aequalitatem redigit. Eodem spectat *Sen. ep.* 53. primum aequalitas illa (maris), quae me corruperat, periit, i. e. mare tranquillum, malacia, γαλήνη. ℙ [Dicitur interdum pr. aequabilitate. V. in AEQUALIS. *Quint.* 10, 1, 86. Et quantum eminentibus vincimur, fortasse aequalitate pensamus. Cf. locum supra allatum 10, 1, 54., nam *aequalitas* hic quoque est aequalis illa mediocritas s. constans tenor, qui non assurgit, non cadit.] ℙ Item similitudo, paritas [*at hoc barbarum], ἰσότης, ὁμοιότης. *Cic. Partit.* 6. similitudo aequalitasque verborum. *Id. Leg.* 1, 13. ponere omnia in summa aequalitate [*ἀδιαφορία. V. ad h. l *Goer.*] *Tac. A.* 1, 32. tanta aequalitate et constantia, ut regi crederes i. e. omnibus aeque munere suo fungentibus. *Cic. Lig.* 12. Quis est, qui horum consensum — in hac prope aequalitate fraterna non noverit? [*Addendum hic erat, aequalitatem dici de eo rerum publicarum statu, in quo omnes aequo fruuntur jure, gr. ἰσονομία. *Tac. A.* 1, 4. Omnes exuta aequalitate jussa Principis aspectare. *Id. ib.* 3, 74. Erantque plures simul Imperatores nec super ceterorum aequalitatem. Cf. *ib.* 26. et *Hist.* 2, 28.] — Hinc ad tempus ubi refertur, significat aetatum similitudinem, συνηλικίαν [*barbarum hoc.] *Cic. Brut.* 42. Et aequalitas vestra et pares honorum gradus etc. [Item ipsi *sodales* ita dicuntur. *Phaedr.* in *nov. fab. Neapol.* vulgatis a. 1811. *fab.* 15. Hortante Baccho et Venere dulces perficit, Aequalitatis inter plausus, nuptias. *F.* *Ap. *Cic. Am.* 5. commutantur *aequalitas* et *aequitas.*]

AEQUALITER, adv. primum est id. qu. plane. *Caes. B. G.* 2, 18. Collis aequaliter declivis.] ℙ Tum significat id. qu. aequabiliter. [*Cic. *Or.* 58, 198. Omnis nec claudicans nec quasi fluctuans et aequaliter constanterque ingrediens numerosa habetur oratio. Imago petita est a loco plano, in quo nulla est eminentia, nihil asperum. Verumtamen h. l. edidit *Orell. aequabiliter*, hac addita nota: „*aequabiliter* et *aequabilitas* sexcenties emendatum est in Tullio pro vitiosa medii aevi scriptura *aequaliter* et *aequalitas.*“ Vulgatam autem defendit *Frotscher.* ad *Quintil.* 10, 1, 86.] *Tac. A.* 15, 21. aequalius atque constantius provincias regere. *Id. H.* 2, 27. reverentius et aequalius duci parere, h. e. constantius. [*Hic al. *aequabilius.*] *Colum. arb.* 4. Jugata vinea altius fructum fert et aequalius concoquit. [*Pallad. Maj.* 11, 1. aequaliter aequare.] ℙ Denique est id. qu. similiter, pariter, ἴσως, ὁμοίως. *Cic. Verr.* 2, 3, 70. frumentum civitatibus aequaliter distributum. [*Id. *Acad.* 2, 11. Aequaliter omnibus abrogatur fides.] *Id. Am.* 16. Ut nostra in amicos benevolentia illorum erga nos pariter aequaliterque respondeat. [*Quint. 11, 3, 141. Super quod ora ex toga duplex aequaliter sedeat, i. e. altera togae ora alteri orae respondeat, ut neutra neutri implicetur. *Id. ib.* 2, 34. Continua lectio, ut quae magis et quae minus haerent, aequaliter transit.]

AEQUAMENTUM, i, n. *Varro* ap. *Non.* 1, 28. Amussis est aequamentum laevigatum, et est apud fabros tabula quaedam, qua utuntur ad saxa coaequanda. *Non. ib.* 11. Hostimentum est aequamentum etc. Priore loco *aequamentum* est instrumentum ad aequandum, posteriore aequatio.

*AEQUANIMIS, adj. *Vet. Onomast.* aequanimis, εὐγνώμων.

AEQUĂNĪMĬTAS, atis, f. εὐγνωμοσύνη, aequus animus. *Ter. prol. Ph.* 35. Bonitasque vestra adjutans atque aequanimitas. Adde *eund. prol. Ad.* 24. [*In his locis significat aequitatem judicii cum benevolentia.] *Plin.* 18, 12, 31. Invenio apud auctores aequanimitatem fieri vescentibus lente Aegyptia. [*Addidit h. l. Furl. *Tertull. d. pat.* 2. aequan. canina. Et hic et ap. *Plin.* videtur significare nimiam quandam patientiam. *Lact.* 5, 22, 3. Patientia est malorum — cum aequanimitate perlatio.]

AEQUĂNĪMĬTER, adv. εὐγνωμόνως, moderate, aequo animo. *Sulpic. dial.* 1, 14. Haec tua verba aequanimiter acceperint. *Macrob. Sat.* 2, 4. Augustus aequanimiter aliqua etiam jocis mordaciora pertulit. *Ammian.* 19, 10. Aequanimiter venturam opperiens sortem.

AEQUĂNĪMUS, a, um, adj. εὐγνώμων, qui est animo aequo, moderato et ad utramque parato fortunam. *Auson. sept. Sap.* 3. Aequanimus fiam, te judice, sive legenda, sive tegenda putes carmina, quae dedimus. *Id. Idyll.* 3, 9. Parvum herediolum, fateor: sed nulla fuit res Parva unquam aequanimis; adde etiam unanimis.

*AEQUĀNUS, a, um, adj. ad Aequam pertinens, dirutam urbem prope Surrentum in Campania, nunc *Equa*, illius vicus, qui olim Aequanus, nunc urbs *Vico. Stat. Th.* 5, 464. patriosque sub ipso Quaesivit montes leto, ac felicia Baccho Aequana et Zephyro Surrentum molle salubri. *F.*]

AEQUĀTĬO, onis, f. ἰσότης, ὁμοίωσις, aequamentum, aequalitas. *Cic. Mur.* 23. aequatio gratiae et dignitatis. *Id. Off.* 2, 21. Aequatio bonorum. *Liv.* 8, 4. Si societas est aequatio juris. [*Id. 34, 31. fortunae ac dignitatis.]

AEQUĀTOR, oris, m. qui aequat, ὁ ἰσῶν. *Inscr.* ap. *Grut.* 583, 8. Nobilis Tib. Caesaris Aug. Ser. Aeq. Monet. etc. *h. e.* Augusti Servus Aequator Monetae. Videtur autem fuisse is, qui in officina monetali metallum cudendum cusosque nummos examinabat, ut aequo et justo pondere essent, qui etiam *exactor* dicebatur. ℙ *Aequatorem* astrologi vocant circulum aequinoctialem, quod dies aequat noctibus, cujus tamen sign. latina exempla ignoro. *Varr. L. L.* 8, 18. aequinoctialem circulum appellat.

AEQUĀTUS, a, um, part. v. *aequo.* Est proprie i. q. complanatus, ὁμαλιζόμενος. *Cic. Verr.* 2, 4, 48. aequata agri planities, *Plin.* 17, 10, 14. aequata cylindris area. [*Ov. Met.* 8, 663. aequata mensa; dicit eam, quae antea labaverat.] Tum est id. qu. aequalis, par redditus, ἰωσθείς. *Suet. Cal.* 37. campi montibus aggere aequati. *Caes. B. G.* 1, 25. aequato periculo. [*Liv. 1, 25. aequato Marte. *Id.* 2, 3. aequato jure omnium. (*Ov. Met.* 14, 805. aequata jura). *Id.* 22, 7. aequato imperio. Al. *adaeq.* V. ad h. l. *Drak.*] *Plin.* 2, 19, 17. aequata nox diei. *Virg. A.* 7, 698. Ibant aequati numero, *h. e.* in pares ordines acierum digesti. [*Tib. 4, 1, 102. Quadratum acies consistat in agmen, Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo; ubi v. *Heyn.* et *interpp.* ad *Liv.* 22, 47, 5.] *Id. A.* 4, 587. aequatis classem procedere velis, *h. e.* feliciter plenis sine motu aliquo, ut ait *Servius*, atque adeo prospero cursu: nam cum vela aequaliter extensa sunt, signum est, aequabiliter spirare ventum secundum et constantem. Hinc *id. ib.* 5, 844. aequatae spirant aurae. [*Id. ib.* 5, 232. aequatis rostris i. e. aequato cursu advenientibus. *Cic. R. P.* 1, 45. aequatum et temperatum ex tribus, i. e. aequaliter temperatum. *Beier. Liv.* 22, 27. aequato imperio uti. *Id.* 10, 37. aequata repulsa, i. e. unus et alter eam tulit. Ceterum plura afferentur in v. AEQUO. — In libb. mss. confunduntur *aequus* et *aequatus.* *Drak.* ad *Liv.* 29, 2, 10.]

AEQUE, adv. aequa ratione, pariter, similiter, ἴσως, ὁμοίως. [*In hoc v. multa aliter, atque Forc. proposuerat, disposuimus et conformavimus, additis multis, sed sine nota, locis.] Tribus modis haec partic. usurpatur. Nam cum omnino comparationi inserviat, primum dicitur absolute et ut simplex adverbium, factum ab *aequus* eademque, ut adj., significatione. Tum vero veram et perfectam duorum inter se comparationem efficit, oratione bimembri, respondentibus particulis quibusdam; denique sic dicitur, ut, non absoluta comparatione, ea sententia supplenda sit, quae perfectam reddit comparationem. De his nunc videamus singulatim. ℙ Ac primum quidem dicitur absolute et ut simplex adverbium, nulla sq. particula. *Cic. Inv.* 1, 28, Majus, minus, aeque magnum. *Caes. B. C.* 2, 10. trabes aeque longae. *Cic. Or.* 2, 53. Afferendum est aliquid, quod sit gravius aut aeque grave. *Id. Fam.* 13, 18. Nam (litterae tuae) utrique nostrum prope aeque gratae erant. *Suet. Aug.* 101. Testamentum Vestales cum tribus signatis aeque (i. e. eodem modo) voluminibus protulerunt. *Cic. Off.* 2, 8, 31. Benevolentia civium fortasse non aeque omnes egent. (*Ibid.* §. 30. modo praecesserat: caritate non pariter omnes egemus). *Id. Quint* 28. Procurator aeque utriusque necessarius. *Id. Pis.* 39. Non aeque legetur, quisquis voluerit, i. e. non sine discrimine. Memorandus hic etiam est locus *Pl. Men.* 5, 9, 60. *ME.* Uter eratis, tun' an ille major? M. SU. Aeque ambo pares. ME. Qui id potest? M. SU. Gemini ambo eramus. Non est igitur in his Pleonasmus, ut ait noster, sed est id. qu. plane, omnino pares. De verbis *Sall. Jug.* 101. dicetur infra. ℙ Porro utuntur hac particula in oratione bimembri, ubi perfecta est et justa comparatio. Ita vero respondentes sibi habet alias quasdam particulas et construitur cum his fere: *ac* (s. *atque*), *et*, *que*, *ut*, *quam*, *cum*; interdum sequitur *aeque* alterum aut *ablativus* casus. Haec singula exemplis illustrabimus. Ac frequentissimum est *aeque — ac. Cic. N. D.* 3, 18. Hi coluntur aeque atque illi. *Id. Brut.* 71. Qui tibi sunt aeque noti ac mihi. *Cels.* 6, 15. *fin.* Id aeque adustum atque excisum impleri non potest. *Nep. Eum.* 5. Jumenta aeque nitida — ac si in campestribus locis habuisset. *Suet. Caes.* 12. et alibi. Jam vero quaenam sit ratio partic. *ac* in hujusmodi locis, supra, ubi de ea partic. agebamus, a nobis indicatum est. Nimirum sic dicitur etiam *aeque — et*, ac transitur aperte in his locis ex comparatione in simplicem adjectionem, et quae comparari debebant, ea tanquam paria adjiciuntur. *Cic. Cluent.* 69. Quos tamen ipsos aeque et eos, quos praesentes videtis, hujus exspectatio judicii sollicitat. *Id. Fin.* 1, 20. Nisi aeque amicos et nosmet ipsos diligamus. *ib.* 4, 23. Catuli, qui jam dispecturi sunt, caeci aeque, et ii, qui modo nati sunt. Hic al. *ut*, al. *ac*, sed v. *Goer. Id. Tusc.* 2, 26. Iidem labores non sunt aeque graves imperatori et militi. — Particc. *aeque — que*, conjunctarum unum tantum in promptu est exemplum, *Ter. Hec.* 2, 1, 2. Utin' omnes mulieres eadem aeque studeant nolintque omnia. Horum vides eandem esse, ac superiorum, rationem. — *Aeque — quam.* Haec construendi ratio ap. *Cic.* non reperitur, post ejus demum, ut videtur, tempora recepta; sed ea maxime delectatur *Suetonius.* Tamen jam exstat ap. *Liv.* 28, 26. nihil aeque eos terruit, quam rubor ac color imperatoris. Cf. *id.* 5, 3. 6. et saepius.

Suet. Cal. 35. Nihil aeque quam timidus fuit. Cf. *id. Cl.* 16. *A.* 64. 89. *Galb.* 4. *Plin.* 9, 16, 23. Noctibus aeque quam die cernunt. *Colum.* 8, 10. Turdi locum aeque munitum quam columbi desiderant. Cf. *Plin. ep.* 2, 15, 2. et *Tursell.* p. 50. *ed. Schwarz.* — *Aeque — ut.* Nulla est auctoritas *Cic. Phil.* 12, 12. Possumusne igitur in Antonii latrocinio aeque esse ut hi? At in h. l. nunc editur *tuti*. De loco *Fin.* 4, 23. modo diximus. Certior est locus in *orat. pr. dom.*, quae *Cic.* falso tribuitur, *c.* 11. Cn. Pompejum — aeque ut unumquemque vestrum — pro salute mea laborasse. *Varr.* ap. *Non.* 1, 151. Ut arquatis et veternosis, quae lutea non sunt, aeque, ut quae sunt, lutea videntur, sic etc. Omissam partic. in hac constructione censent ab *Ammian.* 22, 5. nullas (aeque) infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum. — Rarissimum est *aeque — tanquam. Petron. fr. Trag.* Ut aeque me mortuum juvet, tanquam vivum. V. *Heins. Misc. obss.* V. 9. p. 176. *Burm.* ad *Vell.* 2, 121. — *Aeque — cum.* Ita nonnisi ap. Comicos. *Pl. Asin.* 2, 2, 66. Animum adverte, ut aeque mecum haec scias. *Ter. Ph.* 5, 8, 43. Novi aeque omnia tecum. — *Aeque* seq. *ablat. casu. Pl. Amph.* 1, 1, 137. Nullus est hoc meticulosus aeque. *Plin.* 35, 3, 6. Quibus equidem nullas aeque demiror tam longo aevo durantes. *Id.* 24, 8, 32. Gutta aeque propoli ex aqua efficax, i. e. aeque ac propolis. *Plautum* credimus ita dixisse, quum sententiam magis: nullus est hoc meticulosior — quam verba spectaret; *Plinium* non item. Ap. *Plin.* hi nobis videntur esse dativi, ut saepe *idem* construitur c. dat. — Insolens est illud quoque ap. *Ammian.* 23, 6. abundat aeque civitatibus, quibus Media. — Dicunt etiam *aeque — aeque. Hor. Ep.* 1, 1, 25. Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque. *Tac. Agr.* 15. Aeque discordiam, aeque concordiam exitiosam. Utroque loco potuisset *et* sequi; nam in his nulla est comparatio, sed duo tanquam paria proponuntur. ℙ Denique sunt loci plurimi, in quibus non integra est oratio, sed id, quod ad absolvendam comparationem pertinet, e nexu facile intelligitur. *Pl. Asin.* 4, 1, 26. Tecum una aeque (ac tu) pocula potitet. *Ter. Ph.* 3, 3, 32. Nihil est, aeque quod faciam lubens, intell. atque illud, quod me jubes. *Id. Andr.* 2, 6, 3. Quid Davus narrat? DA. Aeque nunc quidem, h. e. aeque nunc narrat aliquid, atque antea narrabat, quod est: nihil omnino narrat. *Sulpic.* in *Cic. Fam.* 4, 5. Vidimus secundam pulcherrime te fortunam, fac intelligamus, adversam quoque te aeque posse ferre, intell. ut illam. *Nep. Hann.* 4. Adeo gravi morbo afficitur oculorum, ut postea nunquam dextro aeque bene usus sit. *Id. Iphicr.* 1. Pondere detracto, quod aeque corpus tegeret et leve esset, curavit. *Cic. Verr.* 2, 2, 54. Non solum erat administer istius cupiditatum, verum etiam ipse sui meminerat aeque. *Id. Fam.* 5, 21. Nemo erat, quicum essem libentius, quam tecum, et pauci, quibuscum essem aeque libenter. *Liv.* 7, 29. aeque facilis victoria. *Id.* 8, 13. Aeque prospero eventu pugnavit. *Suet. Caes.* 51. Disticho jactato aeque (int. ut multa alia) a militibus. *Id. Aug.* 56. Ut tamen pari essent jure, quo ceteri legibusque aeque tenerentur. Cf. *ib.* 27. 85. *Id. Tib.* 2. Exstant et feminarum exempla, diversa aeque (ac virorum). Hujusmodi loci interdum fraudem fecerunt VV. DD., ut ap. *Liv.* 29, 19, 4. Afferendus hic est etiam locus *Pl. Capt.* 3, 5, 42. nec est quisquam mihi, aeque melius cui velim. Ubi duas locutiones confudit hoc modo: nemo est, cui tam bene, nemo, cui melius velim. Corrupta sunt verba ap. *Ter. Heaut.* 4, 3, 7. cui aeque audisti commodius quicquam evenisse; in quibus nunc editur vel *commodi* v. *commode.* Ac nescimus an Sallustius non scripserit, quod editur *Jug.* 101. ita Jugurtham spes frustrata, qui copias in quatuor partes distribuerat, ratus, ex omnibus aeque aliquos ab tergo hostibus venturos. Haec ab aliis alio modo explicantur; nec placet *Cortii* explicatio: aequaliter, juste et directe a tergo; multo minus ea ratio probari videtur posse, quum alii *aeque* sic interpretantur, ac si scriptum esset *saltem* v. *certe.* (Sic *Kärcherus* in *Lex. lat.*) *Gronovio* scribendum videbatur *utique.* Recentissimi editores quid de h. l. statuerint, nunc nos fugit. Nobis valde suspecta est illa vox, cum possit orta videri e seq. voc. litteris.] ℙ *Aeque* pro juste, *δικαίως. Senec. Med.* 198. Qui statuit aliquid parte inaudita altera, Aeque licet statuerit, haud aequus fuit. Sed jam in omnibus fere codd. *aequum* legitur. *Sidon.* tamen *ep.* 15, 11. Judicas, ut qui aequissime. Certius est illud *Pl. Mil. act.* 5. *v.* 22. Sed mihi id aeque factum arbitror, *h. e.* jure ac merito. ℙ Interdum significat aequo animo. *Fragm. Sallust.* apud *Serv.* Sin vis obsistat, ferro, quam fame, aequius perituros.

[AEQUENSIS, is, m. ad Aequum pertinens, dirutum Dalmatiae oppidum prope *Sign.*, in loco, qui modo *Gardum* appellatur. *Inscr.* ap. *Paulovich. Marm. Macarens.* p. 48. Tribuno Laticlavo Leg. X. Fretensis, Triumviro A. A. A. F. F. Aequenses municipes. *F.*]

AEQUI, orum, m. plur. populi antiqui Italiae, Latinis et Volscis finitimi, a Q. Cincinnato dictatore ad internecionem deleti, quorum urbes fuere Alba, Tibur, Praeneste, Carseoli cum aliis. Iidem a *Plin.* 3, 12, 17. 25, 8, 48. et Aequiculani, seu Aequicolani, et Aequiculi, seu Aequicoli nuncupantur. Adde *Liv.* 1, 9. 4, 30. V. AEQUICOLA et AEQUICULUS.

AEQUI BONIQUE FACERE, *εὐγνωμονέω τινί*, in bonam partem accipere, boni consulere, gratum habere, accipere aliquid tanquam aequum et bonum. *Anpul. Met.* 1. Istud quidem quod polliceris, aequi bonique facio. Et. *lib.* 11. Quorum oblationes honestas aequi bonique facio. ℙ Significat etiam aequo animo pati, nihil laborare, non curare. *Liv.* 34, 22. *in fin.* Ceterum si vos nec cura ejus civitatis, nec exemplum, nec periculum movet, ne serpat latius contagio ejus mali; nos aequi bonique facimus. *Cic. Att.* 7, 7. Tranquillissimus animus meus totum istuc aequi boni facit. Ubi notanda omissio particulae *que.* Adde *Ter. Heaut.* 4, 5, 40. ℙ Aequi bonique partem dicere. *Ter. Phorm.* 4, 3, 32. Si tu aliquam partem aequi bonique dixeris, ut est ille bonus vir, tria non commutabitis verba inter vos.

AEQUĪCŌLĂ, ae, m. et Aequicolus, i, qui est ex Aequis Italiae populo in Latio. *Virg. A.* 7, 747. Venatu nemorum, duris Aequicola glebis etc. *Ov. Fast.* 3, 93. Quintum Laurentes, bis quintum Aequicolus asper. [*Liv.* 1, 32. Jus ab antiqua gente, Aequicoli, quod nunc Feciales habent, descripsit. *F.*] Scribitur etiam *Aequicula* et *Aequiculus.* [**Suet. Vit.* 1. Cf. *Cellar. G. A.* 2, 9. p. 782. *Drak.* ad *Liv.* 3, 25, 5. et ad 10, 13, 1.]

AEQUICRURIUS, a, um, adj. aequalia habens crura, *ἰσοσκελής*: est a mathematicis usurpata vox, qua angulum aequalia habentem duo latera significant. *Capell.* 6. p. 230. Aut *ἰσοσκελής*, quod ex tribus lineis duas aequales habet, quibus quasi cruribus insistit, denique aequicrurium vocitatur.

AEQUĪCŪLUS. a, um, adj. ad Aequos seu Aequiculos pertinens, de quibus v. AEQUICOLA. *Sil.* 8, 371. Rastrisque domant Aequicula rura. Scribitur etiam *Aequicolus.*

AEQUĪCUS, a, um, adj. ad Aequos pertinens. *Liv.* 10, 1. redintegratum Aequicum bellum. Adde 3, 4. [**Gron.* ad 2, 58, 3.]

AEQUIDIALE, *ἰσημερία. Festus:* Aequidiale apud antiquos dictum est, quod nunc dicimus aequinoctiale: quia nox diei potius, quam dies nocti adnumerari debet. Graeci quoque in hoc consentiunt, *ἰσημερίαν*, id est aequidiale dicentes. Haec *Festus.* V. AEQUINOCTIUM. [*Aequidialis est etiam in Gl. gr. lat.]

AEQUIDIANUS, a, um, adj. *ἰσημερινός*, aequinoctialis. *Appul. de Mundo* p. 62, 9. Apeliotes vocatur, cum aequidianis exortibus procreatur. [*Alii aliter legunt.]

AEQUĪDICI versus sunt, qui singulis propositionibus *ἀντιθέτους* apparant dictiones, ut (*Virg. Ecl.* 2, 18.) Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur. Albis enim nigra opposuit, ligustris autem vaccinia attribuit, et cadentibus legenda assignavit. Haec *Diomed.* 3. p. 498.

[AEQUĪDĪCUS, i, m. id. q. juridicus. *Inscr.* ap. *Grut.* 904, 9. Caesius aequidicus jam centum clauserat annos, Felices annos tot tulit hora brevis. *F.*]

AEQUIDISTANS, antis, comm. gen. adj. aeque distans. Vox est mathematicorum. *Capell.* 8. p. 276. Circuli paralleli, quos aequidistantes latine possumus memorare. *Aggen. Urbic. comment. in Frontin.* p. 53. *Goes.* ordines vitium aequidistantes. *Frontin. ib.* p. 31. Rectae lineae aequidistantes.

AEQUIFORMES versus dicuntur a *Diomed.* 3. p. 498., qui non composita, sed simplici figura ostentantur, ut in illo *Virg. A.* 7, 171. *Urbe fuit media Laurentis regia Pici;* nusquam enim hic duae partes orationis nectuntur. Haec *Diomed.*

AEQUILANX, ancis, comm. gen. adj. aequas habens lances. *Fulgent. Contin. Virgil.* trutina aequilance ponderare ac disponere. Alii leg. *trutinae aequa lance.* Hinc in Gloss. *Isid. Aequilancium*, aequatio. In edd. male legitur *Aequilatium.*

AEQUILATATIO, onis, f. aequabilis diductio in latitudinem. *Vitr.* 9, 8. Diducto circino ad lineam planitiae aequilatatio signetur.

AEQUILATERALIS, le, adj. *ἰσόπλευρος*, aequilaterus. *Censorin. Natal.* 8. Hexagoni aequilateralis formam in eodem circulo scribere.

AEQUILATERUS, a, um, adj. latera habens aequalia, *ἰσόπλευρος*, vox est mathematicorum. *Capell.* 6. p. 229. Aut *ἰσόπλευρος*, quod latine aequilaterum dicitur, quod tribus paribus lineis lateribusque concurrit. Et p. 230. species aequilatera. [*Firmic. Math.* 2, 11. Cum aequilateri trianguli figura in semet aequa sit et conveniens. *F.*]

AEQUĪLĂTUS, eris, n. *ἰσόπλευρον*, aequilaterum. *Auson. Idyll.* 11, 50. Per trinas species trigonorum regula currit. Aequilatus, vel crure pari, vel in omnibus impar.

AEQUILAVIUM, significat ex toto dimidium, dictum a lavatione lanae, quae dicitur aequilavio redire, cum dimidium decidit sordibus. Haec *Festus.* Quidam male legunt *aequilanium.* [**Aequilotium* est in *Gl. Isidor.*]

AEQUILIBRATUS, a, um, adj. *Tertull. c. Hermog.* 41. Aequilibrato impetu ferebatur.

AEQUILIBRIS, e, adj. aequali libra positus. *Vitruv.* 5, 12. Sesquipedales margines struantur aequilibres ei planitiae.

AEQUILIBRITAS, atis, f. *ἰσορροπία*, aequabilitas. *Cic. N. D.* 1, 39. Confugis ad aequilibritatem: sic enim *ἰσορροπίαν*, si placet, appellemus, *h. e.* aequabilis distributio, qua omnia omnibus, paria paribus respondeant. V. *ib.* 19. ubi quid hac voce significetur, apertius explicatur.

AEQUILIBRIUM, ii, n. *ἰσοστάθμια*, *ἰσορρόπια*, aequatio librae, cum pondere aeque utrinque premente et ponderante ea in neutram partem inclinat, sed recto aequalique statu permanet. Hinc quae aequali rectaque altitudine posita sunt, *ad aequilibrium esse* dicuntur, cum de rebus in plano positis sermo est; quemadmodum *esse* dicuntur *ad perpendiculum*, quae recta alte surgunt. *Sen. Quaest. nat.* 3, 25. Hoc est, cur quaedam tigna supra aquam pene tota efferantur, quaedam ad medium submersa sint ad aequilibrium aquae, quaedam descendant. Adde *Solin.* 1. *in.* cujus verba ideo hic transscribere omittimus, quia subobscura sunt. V. *Salm.* [**Exerc.* p. 11. sq.] ℙ Translate dicitur de aequalitate et compensatione. *Gell.* 20, 1. Nam cui membrum ab alio ruptum est, si ipsi itidem rumpere per talionem velit, quaero an efficere possit rumpendi pariter membri aequilibrium.

AEQUILOTIUM. V. AEQUILAVIUM.

AEQUIMAELIUM, ii, n. locus Romae in vico Jugario, sub Capitolio, portam Carmentalem versus, ita dictus, quod ibi domus Sp. Maelii regnum affectantis publice solo aequata fuit. Duplex affertur a scriptoribus latinis hujus vocis notatio. *Cic.* [*si modo is est Cicero] et *Val. Max.* ex aequo seu justo supplicio Maelii deducunt. *Cic. Dom.* 38. Sp. Maelii regnum appetentis domus est complanata. Ecquid aliud? aequum accidisse Maelio populus Romanus judicavit; nomine ipso Aequimaelii stultitia poena comprobata est. *Val. Max.* 6, 3. *n.* 1. Area domus ejus (Maelii) quo justi supplicii notitia ad posteros perveniret, Aequimaelii appellationem traxit. At rectius *Varro* et *Aurel. Victor* ideo putant locum illum Aequimaelium vocatum fuisse, quod solo aequata sit Maelii domus; hinc a Romanis aream illam aequum Maelii seu Maelii planitiem, deinde junctim Aequimaelium fuisse appellatam. *Varr. L. L.* 4, 32. Aequimaelium, quod aequata Maelii domus publice, quod regnum occupare voluit is. *Aurel. Vict. V. ill.* 17. Sp. Maelium regnum affectantem occidi jussit Quintius Cincinnatus, domum ejus solo aequavit, unde locus ille Aequimaelium dictus. Hanc postremam interpretationem confirmat *Dion. Hal.* 12, 1. *edit.* ab *A. Maio: τὸ ἰσόπεδον Αἰχυμήλιον Ῥωμαῖοι καλοῦσιν· αἶκον γὰρ τὸ μηδεμίαν ἔχον ἐξοχὴν λέγουσι· τόπον οὖν τινὰ μήλιον ἐξ ἀρχῆς κληθέντα, ὕστερον συμφθαρέντων ἀλλήλοις κατὰ τὴν μίαν ἐκφορὰν τῶν ὀνομάτων, Αἰχυμήλιον ἐκάλεσαν.* Id ipsum fortasse probat locus *Liv.* 4, 16. domum deinde, ut monumento area esset oppressae nefariae spei, dirui extemplo jussit; id Aequimaelium appellatum est. [*In his plurima addidit *Furl.* Cf. *Drak.* ad *Liv.* 4, 16, 1. 24, 47, 15. 33, 26, 9. 38, 28, 3. Ceterum videntur in illo loco postero tempore pecudes venales prostitisse. *Cic. Div.* 2, 17. In Aequimelium mittimus, qui afferat agnam.] ℙ Scribitur etiam *Aequimelium*, ut graece *Αἰχυμήλιον* scriptum vidimus.

AEQUĪMĂNUS, a, um, adj. *ἀμφιδέξιος, περιδέξιος*, qui sinistra manu aeque utitur ac dextera, aut qui aeque manu valet, aequali pugnandi arte pollet. *Auson. Idyll.* 12. *c. per interrog. et respons.* Quis Mirmilloni contenditur? aequimanus Thrax. [*Isid. Orig.* 10. *A.* Aequimanus appellatus qui utraque manu gladio incunctanter utitur. *F.*] ℙ Translate *Symmach. ep.* 9, 101. (*al.* 110.) nam pari nitore, atque gravitate senatorias actiones et Romanae rei monumenta limasti, ut plane Homerica relatione usus, *περιδέξιον*, id est aequimanum te pronuntiem.

AEQUĪMENTUM. V. EQUIMENTUM.

AEQUINOCTIĀLIS, le, adj. *ἰσονύκτιος, ἰσημερινός*, ad aequinoctium pertinens. *Sen. Qu. nat.* 3, 28. aestus aequinoctialis, *h. e.* qui circa aequinoctium fit. *Plin.* 2, 97, 99. aequinoctiales horae. *Id. ib.* 47, 46. oriens aequinoctialis: occasus aequinoctialis. [*Colum.* 1, 6. Aequinoctialis meridies. *Id. ib.* meridianus aequinoctialis. V. hic *Schneideri* adnotat. *F.*] *Varr. L. L.* 8, 18. Aequinoctialis circulus, (Aequator) circulus in caelo, quo ubi pervenit sol, aequinoctia facit.

AEQUĪNOCTĬUM, ii, n. *ἰσημερία*, tempus illud, quo dies et noctes horarum spatio aequales sunt. Duo sunt autem aequinoctia: vernum circa VIII. Cal. Apr., quod in signo Arietis conficitur: autumnale X. Cal. Oct in signo Librae. *Cic. Att.* 12, 27. Publilius si aequinoctium exspectat, navigaturus videtur. *Liv.* 31, 47. Jam autumnale aequinoctium instabat. *Plin.* 2, 97, 99. Aestus duobus aequinoctiis maxime tumentes, et autumnali amplius quam verno.

AEQUĪPAR, āris, comm. gen. adj. par, compar, ἴσος. *Auson. Idyll.* 12. *c. per interrog. et respons.* Bis senas partes quis continet aequipares? as. *Appul. Florid. n.* 3. utrobique facundia aequipari. *Sidon. ep.* 8, 6. certare gloria aequipari.

AEQUĪPĂRĂBĬLIS, le, adj. ἀνάλογος, qui aequari cum aliquo potest. *Pl. Curc.* 1, 3, 11. Quid videbis Diis magis aequiparabile? *Id. Trin.* 2, 4, 65. Non esse aequiparabiles vestras cum nostris factiones, atque opes. In quibusd. optimis *Plauti* edd. legitur *aequiperabilis*. V. EQUIPARO.

AEQUĪPĂRĀNTĬA, ae, f. aequiparatio. *Tertull. adv. Valentin.* 16. Pervenire in aemulas aequiparantias.

AEQUĪPĂRĀTĬO, onis, f. comparatio, ἴσωσις. *Gell.* 5, 5. Rex de numero exercitus, ac de aequiparatione aestimanda quaesierat, [*i. e. num suus exercitus cum Romano recte possit comparari s. an ejusmodi comparatio apta esset? *id.* 14, 3. aequiparatio (aequiperatio ed. *Gron.*) et parilitas virtutum inter se consimilium.]

AEQUĪPĂRO, as, avi, atum, a. 1. ἰσόω, aeque parem facio, aequo. *Nep. Them.* 6. Portus moenibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate aequipararet, utilitate superaret. *Id. Alc.* 11. Aequiparare aliquem labore et viribus. [*Utroque loco proprie est neutr. et i. q. aequalem esse; sed quod interdum etiam in aliis vv. fit, cum accus. construitur. Sic etiam alii locorum allatorum intelligi et explicari possunt.] *Liv.* 37, 53. Ut nemo sociorum me aeqniparare posset. *Vetus Poeta* apud *Cic. Tusc.* 5, 17. Nemo est, qui factis aequiparare queat. *Virg. Ecl.* 5, 48. Nec calamis solum aequiparas, sed voce magistrum. *Pacuv.* apud *Gell.* 14, 1. *ad fin.* Nam si qui quae eventura sunt provideant, aequiparent Jovi. *Ulp. Dig.* 50, 17, 104. Ubi aequiparant famosa judicia. Ita in celebri editione *Torrentini:* in aliis quibusdam *aequiparantur*. ℙ Significat etiam comparare, conferre. *Liv.* 5, 23. Jovis, Solisque equis aequiparari dictatorem, in religionem etiam trahebant. *Pl. Mil.* 1, 1, 11. Mars haud ausit dicere, neque aequiparare suas virtutes ad tuas. ℙ Peculiari notione usurpat *Pallad.* 3, 25. *ante med.* Si spissa poma ramos onerabunt, interlegenda sunt quaeque vitiosa, ut alimentum ceteris aequiparet, *h. e.* ut sufficiat succus ceteris alendis. [Particip. *Aequiparans* apud *Ovid. Pont.* 2, 5, 44. Ingenio mores aequiparante places. *Aequiperandus* apud *Front. Princ. hist.* p. 317. *edit Rom.* Hadrianus uni omnium Romanorum principum Numae regi aequiperandus. *F.*] ℙ In multis optimis codicib. *Nepotis*, *Cicer.* et *Virg.* etc. legitur *Aequipero:* sic in *Gloss.* aequiperas, ἐξισοῖς, ἐξισοῦμαι, aequipero.

AEQUIPĒDUS, a, um, adj. et

AEQUIPES, edis, comm. gen. adj. aequos habens pedes. *Appul. de dogm. Plat.* 1, 3. p. 36. 29. *Elm.* Aequipedum vero trigonum efficere ex sese quadratum, ἰσόπους, ἰσοσκελής. *Diomed.* 3. p. 472. Et aequipedi sono tibicen spondalium (leg. spondaulium) canere juberet.

AEQUIPOLLENS, entis, adj. ἰσοδύναμος, vox est dialecticorum. *Appul. de dogm. Plat.* 3. Aequipollentes propositiones dicuntur, quae alia enuntiatione tantundem possunt etc. Saepius *ib.* h. v. usurpat.

AEQUIPONDIUM, ii, n. σταλῶμα, σήκωμα, pondus staterae, scapo appensum, ad cognoscenda rerum momenta, ita dictum, quod aequat pondera. Sic appellatur a *Vitr.* 10, 8., ubi earum quae staterae vocantur, rationem explicat.

AEQUĪTAS, atis, f. ἰσότης, aequalitas. *Senec. Quaest. nat.* 3, 10. Natura partes suas velut in ponderibus constitutas, examinat, ne portionum aequitate turbata, mundus praeponderet. *Suet. Aug.* 79. Commoditas, et aequitas membrorum [*συμμετρία, s. aequabilitas.] ℙ Saepius translate sumitur pro aequalitate inter homines, quae ad justitiam pertinet, ἰσοτιμία, ἐπιείκεια. Differt tamen a justitia proprie dicta, quod haec secundum jura, et leges semper judicat, nec unquam ab iis discedit; *aequitas* autem (quae tribuit cuique quod aequum est, τὸ ἴσον) remittit interdum aliquid, legesque, ubi opus est, benigne interpretatur, estque media inter jus summum, et indulgentiam. Aequitatis hoc sensu duplex est vis, ut docet *Cic. Partit.* 37., cujus altera directi, et veri, et justi, et, ut dicitur, aequi, et boni ratione defenditur: altera ad vicissitudinem referendae gratiae pertinet: quod in beneficio gratia, in injuria ultio nominatur. *Id. Or.* 1, 56. Pro aequitate contra jus dicere. Et 57. Arripere patrocinium aequitatis. *Id. Caecin.* 13. A verbis recedere, et aequitate uti. [*Nep. *Arist.* 2, 2. justitiae et aequitatis et innocentiae multa (ejus facta.) ubi v. n. *Bremii. Suet. Cl.* 15. quasi aequitatem integram ostentans. cf. *ib. Tit.* 8.] ℙ Interdum tamen etiam pro justitia ponitur. *Cic. Off.* 2, 22. *in fin.* Quam autem habet aequitatem, ut agrum qui nullum habuit, habeat; qui autem habuit, amittat? *Id. ad Planc. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Summa bonitas et aequitas causae. ℙ Saepe etiam sumitur pro animi moderatione, qua quis libenter se aequat aliis, nec supra se effert. *Nep. Milt.* 2. Cum virtute militum devicisset hostium exercitus, summa aequitate res constituit, atque ipse ibidem manere decrevit; erat enim inter eos dignitate regia, quamvis carebat nomine. *Caes. B. G.* 6, 22. Ut animi aequitate plebem contineant, cum suas quisque opes cum potentissimis aequari videat. [*Nep. *Arist.* 2. ejus aequitate factum est; deinde: intemperantia Pausaniae et justitia factum est Aristidis. Ubi variandae orationis causa utroque voc. usus esse videtur. *Sall. Cat.* 9. duabus his artibus, audacia in bello: ubi pax evenerat, aequitate seque remque publicam gerebat. Ubi cf. quae sqq.] ℙ Item pro ea moderatione, qua quis mediocria concupiscit, fortunae qualicunque libens acquiescit, atque in omnibus tranquille se gerit, aequo animo ferens quaecumque accidunt. [*i. e. bono sensu: *Gelassenheit* et *Zufriedenheit*; malo *Gleichgültigkeit*, ut *Cic. Pis.* 12. quo in spectaculo mira P. R. aequitas erat.] *Cic. Senect.* 1. Quamquam certo scio, non, ut Flaminium sollicitari te; novi enim moderationem animi tui, et aequitatem. *Id. Agr.* 1, 5. Si ego ejus aequitatem animi probe novi, vendet non invitus. *Nep. Thras.* 4. Ex istis nolo amplius, quam centum jugera, quae et meam animi aequitatem, et vestram voluntatem indicent. *Cic. Tusc.* 1, 40. *ad f.* Quis hanc animi aequitatem in ipsa morte laudaret, si mortem malum judicaret?

AEQUĪTER, adv. aeque, ἴσως. *Liv. Andron.* ap. *Non.* 11, 26. Praeda per participes aequiter partita est. *Accius ib.* Ad populum intelligo referundum, quoniam horum aequiter sententiae fuerunt, *h. e.* aeque eaedem. Adde *Pacuv. ib.* Etiam *Plautum* hanc vocem usurpasse, testis est *Priscian.* 15. p. 1010.

AEQUITERNUS, a, um, adj. ἰσαιώνιος: vox ex *aeque* et *aeternus* conflata. *Claud. Mamert. de statu Anim.* 2, 4. Haec tria (numerus, pondus, mensura) simul aequiterna, semper individua, ubique tota, unus Deus sunt. *Sidon. ep.* 8, 13. Praevidens, se per aeterna saecula aequiterna supplicia passurum.

*AEQUITUS, adv. *Plin. Paneg.* 71. aequitus (vulg. *aequales*) et simul stantes tribui voluit *Gron. Diatr. ad Stat. c.* 32., formatum ad vv. *primitus et planitus*. Ex *Bail. Auctar.*

AEQUIVĂLĔO, es, n. 2. ἰσοδυναμέω, aeque possum. *Auctor. carm. de Philom.* 6. Nulla potest modulis aequivalere tuis. [Alii leg. fortasse rectius *modulos aequiparare tuos. F.*]

[AEQUIVOCUS, a, um, adj. ὁμώνυμος. *Isid. Orig.* 2, 26. Aequivoca sunt, quando multarum rerum nomen unum est, sed non eadem definitio, ut *leo*. Nam quantum ad nomen pertinet, et verus, et pictus, et caelestis leo dicitur: quantum ad definitionem pertinet, aliter verus definitur, aliter pictus, et aliter caelestis. *Capell.* 4. p. 97. Quaeritur, quid sit aequivocum, quid univocum, quid, ut ita dicam, plurivocum. *F.*]

AEQUO, as, avi, atum, a. 1. ὁμαλίζω, aequalem facio, complano. *Justin.* 2, 10. *in fin.* Montes in planum ducere, et convexa vallium aequare. *Virg. G.* 1, 178. Aream aequare cylindro. Hinc translate *Liv.* 6, 18. Solo aequare dictaturas, et consulatus, *h. e.* penitus tollere. ℙ Item aequalem facere. [*Ac primum dicitur hoc sensu de rebus ejusdem generis. *Liv.* 10, 35. ira aequavit vires. *id.* 8, 4. cur non omnia aequantur? *Quint.* 10, 1, 54. neutrius aequare virtutes. *Liv.* 5, 38. frontes. Est verbum militare. V. FRONS. *Cic. Div.* 1, 18. aequare sortes. *Pl. Cas.* 2, 6, 35. conjicite sortes — uxor, aequa (sc. eas). *Fragm. or. Corn.* 1. p. 22. *ed. Schütz.* dum tabellae diribentur, dum sitella defertur, dum aequantur sortes, dum sortitio fit. Explicat hanc formulam *Ernest. in cl. Cic.* ita ut dicat *aequare* esse in his *pares facere*, ut nihil intersit, nec fraus fieri possit in educendo. Hoc non sufficere vidit *Schütz.*, nec tamen ipse rem satis explicavit. Tria enim in censum veniunt: 1) ut justus utrimque sortium sit numerus et idem par numerus sortium affirmativarum, par negativarum; 2) ut materia, qua constant sortes, eadem sit, ut in loco Plauti. Nam urna, in quam conjiciebantur sortes, erat plerumque hydria aqua repleta, et sortes fiebant e ligno durissimo, ut in aqua subsiderent. Hinc illo loco OL. num ista aut populna sors aut abiegna est tua? CH. quid tu id curas? OL. quia enim metuo, ne in aqua summa natet. 3) ut denique, si nomina sortibus inscribuntur, varia illa nomina, non idem pluries vel adeo omnibus sortibus unum inscribatur, cujus rei exemplum exstat apud *Cic. Verr.* 2, 51. de quo cf. *Schütz. in cl.* s. v. SORS. — Difficilior etiam visus est locus *Quint. Decl.* 13, 11. Ubi enim non jam divitum privatum est? Parum est proximos aequare terminos et possessiones suas, velut quasdam gentes, fluminibus montibusque distinguere; i. e. terminos aliorum suis aequales reddere s. suis includere. (Nostri hodie dicunt voc. francogallico: *sich arrondiren.*)] 2) Eodem sensu de rebus diversi generis. *Tac. A.* 1, 51. aequare solo templum. [*Quint.* 3, 7, 20. domum.] *Vell.* 2, 4. urbem, i. e. ad superficiem usque diruere, a fundamentis evertere. *Cic. Leg.* 3, 10. Inventum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus aequari se putarent. *Vell.* 2, 127. Aequare aliquem sibi per omnia. *Virg. A.* 6, 782. Imperium terris, animos aequabit Olympo, *h. e.* Imperium terris, animos aequabit Olympo, *h. e.* aeque extendet. *Liv.* 6, 2. Aequare dicta factis, *h. e.* orationem habere aeque magnificam, ut res gestas. [*Sil. 6, 640. Hannibalem aequare, i. e. non minus magnum sese praebere imperatorem *id.* 13, 722. 16, 425. *Drak.* conferre jubet *Gronov.* ad *Liv.* 10, 19.] Idem est sensus, ubi est i. q. in aequas partes distribuere, *Virg. A.* 1, 508. operumque laborem Partibus aequabat justis. *Id. A.* 10, 755. aequabat luctus, et mutua Mavors Funera, *h. e.* aequalem utrinque stragem edebat. *Colum.* 2, 22. Stercora aequare, *h. e.* aequaliter per agros dissipare. *Aequare ludum nocti* apud eundem *A.* 9, 338. est in totam noctem producere. *Aequare opes regum animis* apud eundem *G.* 4, 132. est animo mediocribus contento aeque divitem esse, ac reges. ℙ Si quid verbis vel dicendo aequamus vel personae vel rei, comparatio instituitur. Est igitur i. q. comparare. *Liv.* 31, 7. Ne aequaveritis Annibali Philippum, ne Carthaginiensibus Macedonas: Pyrrho certe aequabitis. *Cic. Verr.* 1, 1, 8. Aequare et conferre scelera alicujus cum aliis. ℙ Saepe etiam habet vim intransitivam, certe in aliis linguis; sed Latini etiam hoc sensu cum accusativo construunt, quoniam in his quoque primaria verbi notio subest; est autem i. q. assequi, pervenire eo, quo alius pervenit. Cum casu adjecto construitur in his: *Plin.* 35, 11, 40. Eam picturam imitati sunt multi, aequavit nemo. *Curt.* 9, 2. Aequare palma Herculem, et Liberum Patrem. *Suet. Caes.* 55. Aequare gloriam alicujus. *Virg. A.* 10, 248. Sagitta aequans ventos. *Liv.* 1, 53. Ea arte aequasset superiores reges, ni etc. *Id.* 33, 21. Regii nominis magnitudini semper animum aequavit, *h. e.*, ut ait *Flor.* 2, 14., regium nomen animo quoque regio implevit. *Liv.* 31, 36. Aequare cursu aliquem. Sic *Curt.* 4, 1. Aequare cursum alicujus. [*Id. 4, 9, 15. fluminis altitudo summa equorum pectora aequabat. *ib.* 2, 20. opus nondum aquae fastigium aequabat. *id.* 3, 13, 16. argenti facti pondus quingenta millia talentorum aequabat. *Plin.* 19, 1, 4. aequat pretia margaritarum (sc. asbestinum). Sine casu in his: *Cic. Off.* 1, 1. qui (libri de philosophia) jam illis fere aequarunt, et quae ad h. l. affert *Beier. Liv.* 23, 33. triumphus ut fama rerum gestarum inhonoratior fuit, ita signis carpentis et spoliis ferme aequabat. *Quint.* 10, 2, 10. nam qui agit ut prior sit, etiamsi non transierit, aequabit. Plerumque sane in his *accus.* ex reliquis verbis intelligi potest; et ita Romanos fecisse putandum est, quod etiam inde intelligitur, quoniam saepe, ut hunc sensum exprimant, passivo utuntur. Exempla nonnulla in supp. allata sunt, quibus adde *Ov. Met.* 8, 288. dentes aequantur dentibus Indis. *Quint.* 10, 1, 101. neque indignetur sibi Herodotus aequari T. Livium. *Id. ib.* §. 50. nam epilogus quidem quis unquam poterit illis Priami rogantis Achillem precibus aequari? Ubi ex vestigiis codd. *Spalding.* suspicatur scribendum esse *aequare.*] ℙ [*Aequare et *implere* (ex glossa) confunduntur. V. *Heins.* ad *Ovid. Pont.* 2, 3, 1.] ℙ [Particip. *Aequans* apud *Ov. Met.* 6, 21. Vellera mollibas aequantia. *Aequaturus* apud *Claudian. Eutrop.* 2, 378. Quem vix Cyclopia solum Aequatura fames. *Aequandus* apud *Ov. Pont.* 1, 3, 120. Aequandi Superis pectora flecte viri. *F.*]

AEQUOR, ŏris, n. πλάξ, aequus locus, planities: ab *aequus*, qua aequalem significat. Dicitur de quavis planitie, ut *speculorum aequora Lucr.* 4, 105. 290., i. e. specula laevigata et plana. Ac de laevitate ventris *Gell.* 12, 1. ne aequor illud ventris irrugetur. De planitie ceratae tabulae, in qua stilo scribitur, *Auson. Epigr.* 146, 14. Prudent. περὶ στεφ. 12. *de S. Cass.* 53. Hinc de planitie terrae sive agrorum. *Cic. Divin.* 1, 42. Babylonii in camporum patentium aequoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi caeli officere posset: omnem curam in siderum cognitione posuerunt. *Virg. A.* 7, 781. aequore campi exercere equos. Et absolute, hoc est sine addito. *Id. A.* 5, 456. Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto. *Id. G.* 1, 97. Et qui proscisso quae suscitat aequore terga, etc. [*Id. *ib.* 2, 105. Libyci aequoris multae turbantur arenae, non de mari, ut vulgo, sed de desertis illis arenosis recte intelligit *Voss.* ad h. l. *id. ib.* 541. immensum spatiis confecimus aequor, i. e. emensi sumus ingens iter. In universum pro campis saepe apud *Sil.* 4, 143. 275. 5, 375.] *Juven.* 8, 61. de equo. Clara fuga ante alios, et primus in aequore pulvis. ℙ Saepius de mari, et quidem proprie de mari tranquillo, ut docet *Varr. L. L.* 6, 2. *sub fin.* quod vere planum est: sed hoc non semper servant scriptores. *Colum.* 8, 17. Ut in solo piscinae posita libella, sublimius esse maris aequor ostendat. *Cic. Acad.* 2. apud *Non.* 1, 332. Quid tam planum videtur, quam mare? ex quo etiam aequor illud poetae vocant. [*Quapropter saepe adjicitur *maris* vel *ponti Virg. A.* 2, 780. vastum maris aequor arandum. *id. G.* 1, 469. tellus et aequora ponti.

Pluribus de hac formula egerunt *Markland.* ad *Stat. Silv.* p. 144. *Burmann.* ad *Propert.* 3, 5, 51. *Virg. G.* 1, 246. Arctos Oceani metuentes aequore tingi. *Id. A.* 4, 313. Troja per undosum peteretur classibus aequor. *Id. A.* 5, 715. fessas aequore matres. *Hor. Od.* 3, 1, 33. Contracta pisces aequora sentiunt. [**Juven.* 12, 75. aequora inclusa molibus, i. e. portus, artificiose exstructus.] *Id. Od.* 4, 15, 3. Tyrrhenum per aequor vela dare. *Ovid. Her.* 2, 38. Concita ventis aequora mulcere. [**Tibull.* 2, 5, 80. indomitum. *Hor. Od.* 1, 5, 6. asperum. *ib.* 1, 14, 8. imperiosius. *Lucan.* 2, 627. spumosum. *Virg. A.* 3, 196. magna surgunt aequora. *Tibull.* 2, 6, 4. vagum, ob nautas, qui in eo vagantur.] ℙ Etiam sine addito a prosae scriptoribus interdum usurpatur. *Curt.* 4, 7. Profundum aequor ingredi. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 1. Penetrare aequora. *Tac. Ann.* 2, 23. Placidum aequor. Adde *Plin.* 4. *c.* 12. *Mel.* 1, 2. et *Sall. fr.* ap. *Donat.* ad *Ter. Ph.* 2, 1, 13. ℙ De flumine placido. *Virg. A.* 8, 89. de Tiberi: Mitis ut in morem stagni, placidaeque paludis Sterneret aequor aquis. Et 96. viridesque secant placido aequore silvas. ℙ [*Commutantur in libris *aequora* et *littora*. V. *Heins.* ad *Claud. in Rufin.* 2, 242. *id. Cons. Hon.* 3, 209. ad *Ovid. Her.* 2, 122. et *aethera*, *Sil.* 1, 258. *Heins.* ad *Ovid. Met.* 4, 622. *Virg. Ecl.* 1, 160. *A.* 10, 356.]

AEQUOREUS, a, um, adj. πελάγιος, θαλάσσιος, ad aequor maris pertinens, marinus. *Martial.* 10, 51. Aequoreae aquae. *Colum.* 10, 200. Aequoreus pater, *h. e.* Oceanus. *Catull.* 64, 15. Nereides aequoreae. *Virg. G.* 3, 243. Aequoreum genus, *h. e.* pisces. *Ovid. Met.* 8, 604. Aequoreus rex, *h. e.* Neptunus. *Lucan.* 6, 35. Aequoreus Achilles, *h. e.* filius Thetidis aequoreae. *Ovid. Met.* 15, 753. Scilicet aequoreos plus est domuisse Britannos, *h. e.* mari circumdatos, navigationi deditos. ℙ [*Confunduntur *aequoreus* et *aethereus*. V. interpp. ad *Ovid. Fast.* 2, 458. *Met.* 10, 78.]

AEQUUS, a, um. adj. ὁμαλός, planus, aequalis. [*Respondet h. v. in plurimis significationibus nostro *gleich*, quo nostra lingua olim utebatur, ut nunc vv. *gerade*, *recht*. Proprie dr., ut reliqua omnia hujus radicis vv. de loco, in quo nihil nec exstat nec recedit. In seqq. plurima transposuimus.] *Cic. Caecin.* 17. Aequus et planus locus. *Varr. R. R.* 1, 6. Locus ad libellam aequus. *Liv.* 5, 47. Saxum ascensu aequo. [*Opponitur monti: *Sall. Jug.* 42. in aequum locum deducere. Cf. *Cort.* (*Xen. An.* 4, 6, 18. εἰς τὸ ἴσον καταβαίνειν.) *Caes. B. G.* 7, 28. in aequum locum se demittere. *ib.* 51. legio, quae paullo aequiore loco constiterat.] Opponitur vero etiam aliis, significatione translata, ut *Cic. Fam.* 3, 8. Meos multos et ex superiore, et ex aequo loco sermones habitos cum tua summa laude, *h. e.* et pro tribunali, et privatus, seu in locis privatis. *Id. Or.* 3, 6. Sive loquitur ex inferiore loco, sive ex aequo, sive ex superiore, *h. e.* sive alloquitur superiores, sive pares, sive inferiores: oratores enim ex inferiore loco, hoc est in imis subselliis dicebant apud magistratus: ex aequo parique loco in senatu sententiam dicebant: e superiore autem, hoc est e rostris, verba ad populum habebantur. [*Saepe hoc sensu absolute ponitur, more substantivi, i. q. planities.] *Liv.* 5, 38. Facilem in aequo campi victoriam fore. *Tac. Agr.* 35. Ut primum agmen aequo, ceteri per acclive jugum insurgerent. *Id. Hist.* 4, 23. Pars castrorum in collem leniter assurgens, pars aequo adibatur. [**Tac. Agr.* 18. quia in aequum digredi non audebant, ipse ante agmen — erexit aciem, i. e. arduum versus montem duxit. cf. *ib.* 36. in aequo adstare. Sed etiam summus mons, comparatus cum ascensu difficili, recte *aequus* dicitur. *Tac. An.* 2, 80. Non ultra dubitatum, quam dum Romanae cohortes in aequum eniterentur. v. *Ernest.*] ℙ In re militari, quod aequus locus s. planus aptior est ad pugnandum, quam qui collibus aliisque obstaculis iniquus redditur, significat aequus i. q. commodus, opportunus. *Nep. Milt.* 5. etsi non aequum locum videbat suis. [**Caes. B. C.* 3, 73. locum se aequum ad dimicandum dedisse, ibique *Oudend.* Opponitur hoc sensu: locus *alienus*, *iniquus*. cf. *Herzog* ad *Caes. B. G.* 1, 15.] Ac de tempore: *Suet. Caes.* 35. bellum sane difficillimum gessit, neque loco neque tempore aequo, sed hieme anni et intra moenia. *Cic. fr. p. Corn.* ap. *Ascon.* Judicium aequiore tempore fieri oportere. ℙ Hinc latiori etiam sensu i. q. benignus, propitius, facilis, faustus, benevolus, favens. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. *a med.* Populo a se prope alienato, nobilitate inimica, non aequo senatu. *Id. Fam.* 3, 6. *ad fin.* Ego, ut me tibi amicissimum esse, et aequi, et iniqui intelligant, curabo. *Id. Or.* 10. Ut eos ipsos, quos contra statuas, aequos placabilesque dimittas. *Virg. A.* 4, 372. Aequis oculis adspicere. [**Sil.* 6, 106. adverte procellis aequos Iliacis oculos. *Val. Fl.* 4, 1. *Ovid. A. A.* 2, 310. Fiet amatori lenis et aequa suo. *Cic. Fam.* 7, 33. meis aequissimis utuntur auribus. *Sil.* 12, 20. noctes sub Jove non aequo trahere. *ib.* 422. Mars non aequus. Pluribus de hac significatione agit *Drakenb.* ad *Sil.* 3, 2. et 11, 188. Vides, in plerisque locis esse negativam sententiam, quod plerumque fieri monuit *Bremi* ad *Suet. l. l.*; nam *non aequus* est i. q. *iniquus*, hac significatione usitatissimum. Neque tamen semper. *Suet. Aug.* 53. o dominum aequum et bonum. *Tib.* 29. boni et aequi et faciles domini. Quod ad constructionem, plerumque conjungitur cum dativo; interdum sequitur praepositio *in* cum *accus.* *Cic. Quint.* 14. quis hoc statuit, quod aequum sit in Quintium, id iniquum esse in Maevium. Sed poëtae non raro praeferunt *ablativum*, dicentes *aequus in aliquo*. cf. *Broukhus.* ad *Tibull.* 3, 6, 19. *Burmann.* ad *eund.* 3, 17, 28. victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.] Substantive *aequus* hoc sensu est i. q. amicus. *Cic. Fam.* 3, 6. *ad f.* Ego ut me tibi amicissimum esse et aequi et iniqui intelligant, curabo. ℙ Porro *aequus* est i. q. aequalis, i. e. vel aeque magnus, ἴσος, par, (de pondere, altitudine, numero, similibus); vel i. q. aequalis conditionis, status. Ad priorem signif. pertinent haec: *Virg. A.* 2, 724. dextrae se parvus Iulus Implicuit, sequiturque patrem non passibus aequis. *Ovid. Pont.* 4, 7, 24. Urbs erat in summo nubibus aequa jugo. *Senec. ep.* 94. Aequum arcibus aggerem attollere. *Plin.* 2, 9, 6. Aequa portione divisus. *Ter. Eun.* 1, 2, 12. Utinam esset mihi pars aequa amoris tecum, *h. e.* aeque vicissim amaremus, et sequente *quam*. *Vell.* 2, 121. Ut aequum ei jus in omnibus provinciis esset, quam erat ipsi. [*Hic *Vell.* locus suspectus est. *Ruhnken.* putat illa vv. *quam erat ipsi* esse ab aliena manu intrusa. Adde: *Sil.* 3, 192. non aequae Arcti, i. e. ursa major et minor, ibique *Drakenb. ib.* 5, 99. cui par imperium et vires legionibus aequae. *Coll. Virg. A.* 5, 424. *Lucr.* 4, 1227. plus aequa parte. *ib.* 3, 125. *Suet. Tib.* 50. partes sibi aequas potentiae praedicantem. *id. Vesp.* 25. examine aequo (de statera.) *Dig. de re jud.* l. 20. aequa lance, i. e. pari jure. *Senec. Herc. fur.* 843. libra aequa. *id. ep.* 94. aequum arcibus aggerem attollere. *Pl. Trin.* 3, 4, 93. aequo censu censeri. Huc pertinent nota illa: aequo Marte pugnare, contendere, *Curt.* 4, 15, 19. *Liv.* 2, 6. *Flor.* 4, 2, 28., quum neuter exercitus victor est. *Sall. Cat.* 39. aequa manu discedere. *Propert.* 3, 7, 8. Fama non ex aequo ducitur una jugo, quod Gr. ἴσον ζυγὸν appellant. *Ovid. Her.* 9, 78. aequaque famosae pensa rependis herae? i. e. tantum filorum ei rependis, quantum tibi lanae appensum fuerat? *Ovid. Pont.* 4, 5, 3. ite leves elegi — longa via est, nec vos pedibus proceditis aequis, i. e. undecim pedibus, quibus constat distichon. Hexametris contra *aequi pedes* tribuuntur *ib.* 16, 11. quique vel imparibus numeris vel aequis sufficis. *id. Fast.* 3, 565. Nacta ratem comitemque fugae pede labitur aequo, de prospera navigatione, quod etiam dicitur utroque pede navigare, ἀμφοτέροισι πόδεσσιν. V. *Is. Voss.* ad *Catull.* 4. *Salmas. Ex. Plin.* 1. p. 112. *Gronov. Diatr. Stat.* c. 8. cf. PES. et *Schneideri lex. gr.* s. v. ποῦς.] Deinde est i. q. aequalis conditionis. *ad Herenn.* 4, 40. in aequos et pares fastidiosus, in inferiores crudelis. [**Quint. Decl.* 13, 14. in hac aequissima libertate, i. e. quae omnibus ordinibus aequalis s. eadem est. *Phaedr.* 1, 2, 1. Athenae quum florerent aequis legibus, i. e. ἡ ἐν τοῖς ἴσοις καὶ ὁμοίοις πολιτεία, ut loquitur *Xen. Hell.* 7, 1, 45. quum omnes cives eodem parique jure uterentur. *Tac. A.* 2, 42. quia regibus aequa, nedum infima insolita sunt; h. l. aequa sunt ea, quae reges pro ipsorum conditione exspectare possunt; infima, quae multum infra eam sunt.] ℙ Translate hoc sensu *aequus* is dicitur, qui moderatus est, et aequabilis in vitae ratione, omnia in bonam partem accipit, ad quamcumque fortunam aeque paratus, tranquillus, et sibi semper constans. *Hor. Od.* 3, 29, 32. Quod adest, memento componere aequus. *Id. Ep.* 1, 17, 24. Tentantem majora, fere praesentibus aequum. *Id. Od.* 2, 1. Aequam memento rebus in arduis Servare mentem, non secus in bonis, etc. *Cic. Rosc. Am.* 50. Praedia mea tu possides: ego aliena misericordia vivo: concedo, et quod animus aequus est, et quia necesse est. Sic *Pl. Rud.* 2, 3, 71. Animus aequus optimum est aerumnae condimentum. Hinc *aequo animo* idem est, quod animo tranquillo, non turbato. [**Sall. Cat.* 3, 2. accipere. *Id. Jug.* 31. tolerare. Hinc expl. *meliore animo ferre*, *Ov. Met.* 9, 432.] *Cic. Prov. cons.* 7. *ad f.* ut eos quam primum videamus, quos aequo animo videre non possumus. *Id. ad Brut.* 1, 4. aequo animo te moneri patieris. *Id. Brut.* 6. Carere aequo animo aliqua re. *Nep. Dion.* 6. et 7. aequo animo ferre aliquid, [*gr. μὴ ἀθυμεῖν. Opponitur *iniquo an. ferre*, ut *Ter. Eun.* 2, 1, 6. *Suet. Tib.* 25. quo aequiore animo Germanicus celerem successionem opperiretur. *Id. Ner.* 23. *Id. A.* 56. aequissimo animo, opp. commotus, asper. *Ter. Andr. Prol.* 24. adesse aequo animo est i. a quo absit studium partium. Cf. *Ruhnken.*] *Cic. Senect.* 23. Sapientissimus quisque aequissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo. *Id. Att.* 6, 8. Ego, nisi Bibulus adniteretur de triumpho, aequo animo essem, nunc vero αἰσχρὸν σιωπᾶν. ℙ Hic explicandae sunt formulae *ex aequo* et *in aequo*, quae plerumque ad illam, quam diximus, aequalitatis significationem pertinent. Etenim quum adverb. *aeque* particulae potestate accipi coeptum esset, ut ejus usum compensarent, usi sunt formula *ex aequo* ad normam Graecorum, quibus ἐξ ἴσου est pro ἴσως. Cf. *Matthiae gr. gr.* p. 1134. *med.* Pariter de loco et de tempore utuntur his formulis, ut etiam translate, maxime eo sensu, quo aequus est i. q. aequalis. *Tac. H.* 2, 20. insita mortalibus natura, modum fortunae a nullis magis exigere, quam quos in aequo videre, i. e. sui aequales s. eadem secum conditione usos. *Liv.* 36, 37. non solum frenis, sed etiam jugo accepto, quae disceptatio ex aequo, quum imperium patiendum sit, relicta est? i. e. prorsus inaequalis jam est facta disceptatio s. conditio utriusque nostrum; nos enim victores, vos victi. *Tac. A.* 12, 12. industrios aut ignavos pax in aequo tenet. *Id. G.* 36. adversarum rerum ex aequo socii sunt (Fosi Cheruscis), quum in secundis minores fuissent.] *Lucr.* 1, 853. ex aequo res funditus omnis Tam mortalis erit, quam, etc. *Ovid. Met.* 4, 62. Ex aequo captis ardebant mentibus ambo. *Suet. Tib.* 11. Mutua cum Graeculis officia usurpans prope ex aequo, [*i. e. tanquam in eodem gradu constitutis.] *Plin.* 6, 25, 29. Regna pertinent ad Scythas, cum quibus ex aequo degunt, *h. e.* aequo jure et institutis. *In aequo stare*, aequalem esse. *Senec. Benef.* 2, 29. Ut naturam oderint, quod infra Deos sumus, quod non in aequo illis stetimus. *In aequo esse*, idem. *Senec. Phoeniss.* 98. Qui cogit mori nolentem, in aequo est, quique properantem impedit, *h. e.* aeque peccat. Adde *Liv.* 39, 37. *In aequo ponere alicui*, aequare. *Liv.* 39, 50. *in fin.* [*Adde: *Ovid. Her.* 16, 87. 20, 123. *Id. Am.* 1, 10, 33. *A. A.* 2, 682. *Met.* 3, 794. 5, 565. Difficiliora haec videri possint: *Petron.* 74. Itaque Fortunata, ut ex aequo jus firmum approbaret, maledicere etc., i. e. ut monstraret, se cum domino eadem esse conditione et potentia; et simillimus locus ap. *Quint. Decl.* 301. tunc scires, quam erecta ex aequo cervix, i. e. quam pari tecum tua mulier jure sibi esse videretur, i. e. quam parum tibi subjecta. cf. *Schwarz.* ad *Plin.* P. 83, 6. — Ad tempus respicitur in his: *Liv.* 7, 36. qui ex aequo nos venisse in amicitiam meminissemus, i. e. nos semper liberos fuisse. *Tac. Agr.* 20. multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, i. e. quae ita vixerant, ut semper antea, ubi liberi fuerant, igitur imperium detrectaverant. *Id. H.* 4, 6. sincerus et integer et servitutis oblitus populus aut ex aequo agetis (i. e. liberi et vestri, ut antea, juris eritis), aut aliis imperabitis. — Interdum ex aequo est i. q. juste. V. infra. ℙ Aequus translate est i. q. justus, ἐπιεικής, δίκαιος (n. billig.) Est tamen discrimen inter *justum*, et *aequum* hominem: de quo V. in AEQUITAS. *Cic. Verr.* 2, 4, 65. Praetor aequus et sapiens. *Id. ib.* 2, 5, 59. Vide, quam me sis usurus aequo. *Id. Fam.* 2, 1. Praebere se aequum alicui. *Id. Fin.* 3, 2. Aequissimus aestimator, et judex. *Ter. Andr.* 2, 5, 18. Quo aequior sum Pamphilo, si se illam in somnis, quam illum amplecti maluit. [**Vell.* 2, 76. aequum se praestare sc. in judicando. Construitur hoc sensu aequus cum dativo, cum praep. *in* et *accus.* (*Cic. Quint.* 14. quo loco supra usi sumus); rarius cum *genitivo*. *Tac. A.* 6, 36. absentium aequi, praesentibus mobiles. Ita etiam Graeci ἴσος et ὁμοῖος construunt cum eodem casu.] Ac tribuitur *aequus* etiam rebus inanimis, et pro justo, recto, convenienti, decenti, honesto generatim accipitur. *Cic. Quint.* 14. aequa jura. *Vell.* 2, 21. *Cic. Balb.* 27. aequa lex et omnibus utilis.] *Vell.* 2, 15. aequae conditiones, i. e. in quibus aequalitati et justis legibus locus est. *Tac. A.* 2, 82. populum Rom. aequo jure complecti, reddita libertate; opp. dominatio, libertati inimica.] *Cic. Rosc. Am.* 2. Aequa et honesta postulatio. *id. Cluent.* 2. Postulo primum id, quod aequissimum est, ut ne quid huc praejudicati afferatis. *id. Fat.* 4. Posidonium, sic ut aequum est, dimittamus. Ac substantive: *Ter. Heaut.* 1, 1, 39. non aequum facis. *id. Ad.* 5, 3, 17. Non aequum dicis. *id. ib.* 4, 3, 10. si ita aequum censes. *id. Andr.* 5, 3, 30. aequum postulat. *Liv.* 36, 37. legatus postquam nihil aequi in consilio impetrare se censebat. *Sall. Cat.* 50. injurias gravius aequo habere. *Lucr.* 3, 966. lamentari amplius aequo. *Hor. Sat.* 1, 3, 52. plus aequo liber. *id. Ep.* 2, 2, 215. potus largius aequo. Praecipue notanda formula *aequum est*, ejusque constructio. Primum reperitur addito casu: *Lucr.* 5, 1022. aequum est omni misererier. *Cic. Man.* 16. homini. Deinde cum infinitivo. *Ter. Hec.* 4, 5, 14. e medio aequum excedere est. Cum accus. et infinitivo. *Pompejus ap. Cic. Att.* 8, 13. Aequum est, me a te impetrare. *Pl. Rud.* 2, 2, 6. Ut peritis? *Pisc.* Ut piscatorem aequum est (supple: perire), fame, etc. *Ter. Eun.* 3, 2, 25. Quae liberum scire aequum est adolescentem. *Id. Heaut.* 2, 1, 2. Aequum censent, nos a pueris illico nasci senes. — Ad hanc constructionem revocandus esse videtur *ablativus*, qui interdum post *aequum est* apud *Plautum* reperitur; ut *Bacch.* 3, 3, 84. plus vidissem, quam me atque illo aequum foret, i. e. quam me atque illum videre, aeq. foret; et

Rud. prol. 47. leno, ut se aequum est, flocci non fecit fidem. Omnino constructio accusativi cum infin. videtur tribuenda esse sermoni familiari et recte vituperat *Bremi* hoc nomine *Nep. Them.* 7. Nam ubi post aequum est sequitur subjectum, apud bonos scriptores sequitur *ut;* cujus particulae in hac constr. usum explicat *Stallbaum.* ad *Rudd.* II. p. 235. Etiam *quin* olim putabant sequi posse *Pl. Trin.* 2, 4, 187. aequom videtur, quin, quod peccarim, potissimum mihi id obsit. Sed recte correxerunt *qui*, i. e. *ut.* Cf. *Hermann.* et *Lindemann.* ad h. l.] ℙ Frequenter substantivi more usurpatur (apud poetas etiam plurali, *Val. Fl.* 3, 648. haud ullis unquam superabilis aequis Rectorumve memor), ac tum saepe additur *bonum.* Itaque tum *aequum*, tum *aequum* et *bonum* idem sunt q. *aequitas. Cic. Brut.* 38. *in fin.* Cum de jure civili, cum de aequo et bono disputaretur. *Id. Caecin.* 23. Ex aequo et bono, non ex callido versutoque jure rem judicari oportere. Et omissa *et* copula. *Id. Top.* 17. Illi dolum malum, illi fidem bonam, illi aequum bonum tradiderunt. (Aequi bonique facere etc. V. supra suo loco.) *Sall. Jug.* 39. Fit reus magis ex aequo et bono, quam ex jure gentium. *Papin. Dig.* 28, 3, 17. Tueri aliquid ex aequo et bono, licet subtilitas juris refragari videatur. *Cels.* apud *Ulp. Dig.* 1, 1, 1. Jus est ars boni et aequi. Hoc loco *bonum et aequum pro justitia* ponitur: ceterum alias frequentius pro *aequitate*, quae et *aequum* absolute dicitur. *Hor. Sat.* 1, 3, 98. utilitas justi prope mater, et aequi. *Quint.* 6, 5. Jure prius pugnandum, an aequo. ℙ Quemadmodum *aequum et bonum* formula est juris, et fori, ita etiam *aequius melius*, quae maxime in arbitrariis actionibus rei uxoriae adhibebatur, ut *Cic. Offic.* 3, 15. et *Top.* 17. docet, hoc est cum, soluto per divortium matrimonio, dos ab uxore repetebatur: qua in re ita concipiebantur actiones, ut non solum quod *aequum et bonum* esset, sed etiam quod *aequius meliusque*, si fieri posset, quaereretur. Videtur autem etiam in aliis arbitriis haec formula locum habuisse. Lege *Cic. Rosc. Com.* 4.

AER, aĕris, m. *ἀήρ*, vox Graeca ab *ἄημι*, spiro, sed qua utimur pro Latina, ut ait *Cic. Acad.* 1, 7. et *N. D.* 2, 36., significat elementum illud, quod medium spatium complet inter caelum et terram. In accusativo singulari, si Latinam declinandi rationem sequimnr, *aerem* facit: saepius tamen non poetae solum, sed etiam prosae scriptores *aera* Graeca positione usurpant. *Cic. N. D.* 2, 36. Terra sita in media parte mundi, circumfusa undique est hac animabili spirabilique natura, cui nomen est aer: Graecum illud quidem, sed perceptum jam tamen usu a nostris: tritum est enim pro Latino. [*Quint.* 12, 2. ut *aeris* vocabulum evitaret, dixit: circumfusum nobis spiritum.] *Id. ib.* 45. Aer fertur ille quidem levitate sublimi, sed tamen in omnes partes se ipse fundit, et natura fertur ad caelum: cujus tenuitate et calore temperatus, vitalem et salutarem spiritum praebet animantibus. *Id. N. D.* 1, 10. Anaximenes aera Deum statuit. Et 15. Aquam, terram, et aera. *Plin.* 18, 1, 1. Aerem in perniciem vertere. *Lucan.* 1, 89. dum terra fretum, terramque levabit Aer, et longi volvent Titana labores. *Aer nitidus* pro fulgore, seu luce ponitur in illo *Stat. Silv.* 1, 3, 54. nam splendor ab alto Defluus, et nitidum referentes aera testae Monstravere solum. De colore, vel odore. *Lucan.* 4, 438. pavidos formidine cervos Claudat odoratae metuentes aera pinnae. [*Aer neque odorem per se, multo autem minus colorem significare potest; sed aer odoratae pinnae est, quod venatores proprio vocabulo dicunt, *die Witterung.*] *Aer summus arboris*, est arboris cacumen, apud *Virg. G.* 2, 123. ubi aera vincere summum Arboris haud ullae jactu potuere sagittae. [*Adde *Juven.* 6, 99. durum est conscendere navim; tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aer, i. e. vertigine corripitur, summa pars coeli ima esse videtur.] ℙ *Aer* sonus est, interprete *Nonio* 4, 18. in illo *Varronis:* Anima ut conclusa in vesica, quando est arte ligata, si perculeris, aera reddit. [*Non necesse est intelligatur de sono; intelligendum est de aere cum vehementia quadam prorumpente sive de vento. Nam *ventum* quoque voc. aeris significari probat *Gell.* 2, 30. Aquilones venti, quique ex eadem coeli regione aer fluit. Ubi v. *Gronov.*] ℙ *Fistulae aere tenui*, apud *Sen. Quaest. nat.* 3, 24. videntur esse quibusdam, quae cavitates habent tenues, quibus aer attrahitur: sed alii rectius legunt *aere tenui* (ab aes, aeris). [*Sed etiam illud commodum sensum praebet.] ℙ Interdum *aer* poetice pro nebula, aut nube ponitur. *Val. Flacc.* 5, 400. Ille autem inceptum, famula duce, protinus urget Aere septus iter. *Virg. A.* 1, 411. At Venus obscuro gradientes aere sepsit. ℙ *In aere piscari* proverbium est apud *Plaut. Asin.* 1, 1, 86. quod significat vana conari, frustra operam impendere in re aliqua. ℙ Translate de homine levissimi ingenii. *Cic. Att.* 18. Metellus non homo, sed litus, aer, solitudo. [*Sed hic locus non sine gravibus causis multis corruptus visus varie tentatur. *Matthiae* laudat ingeniosam Francogalli cujusdam (*Mem. de l'acad. des Inscr.* etc. Vol. IX. p. 32.) conjecturam, scribentis: Me tellus! non homo, sed litus atque aer et sol. mera sc. habet, ut haec pars sit versus tragici. Alii aliter.] ℙ Saepe de caeli temperie et qualitate dicitur, cum addito tamen. *Cic. Acad.* 4, 25. Aer crassus. *Id. N. D.* 2, 39. fusus et extenuatus. *Id. ibid.* 16. purus et tenuis. *Id. Div.* 2, 42. temperatus. *Ov. Art. am.* 2, 318. Aere non certo corpora languor habet, *h. e.* modo calido, modo frigido. ℙ In feminino genere *Ennius* usurpavit. *Gell.* 13, 20. Ennius in annali duodevicesimo *aere fulva* dixit, non ob id solum, quod Homerus *ἠέρα βαθεῖαν* dicit, sed quod hic sonus, opinor, vocabilior est visus et amoenior. ℙ [*Declinatio plerumque in h. v. graeca est: *Stat. Th.* 2, 693. aeros omina doctus, quod int. de auspice, auguria ex avibus captante. Sunt qui etiam h. l. legant aeris.] Plurali nnmero legitur *Vitr.* 1, 1. *fin.* Aeres locorum salubres aut pestilentes. *Lucr.* 4, 291. aeribus binis. Insolens est aera in accus. plur. neutrius generis. *Auct. Cul.* 164. de angue: Obvia vibranti carpens gravis aera lingua. Alii aliter legunt. Habet tamen etiam *Orient. Commonit.* 1, 114. aera librantur, fluctuat Oceanus. [*Male corripitur prior in h. v. syllaba apud poetas sequiores. V. Voss. de *A. Gramm.* p. 322. sq. ℙ *Aer* et *aether* commutantur in mss. V. *Drakenb.* ad *Sil.* 13, 527. Intpp. ad *Virg. A.* 5, 20. *Ov. Met.* 2, 532 et 835. *Aera* et *aequora* ad *Ov. Pont.* 3, 2, 63.]

AERĂ, ae, f. Vox est ab inferioris aevi scriptoribus usurpata, et significat *numerum datum*, ut loquuntur, in aliquo computo. Hujus rei exemplum affert *Salmas. Exerc. Plin.* p. 686. ex *Vitruvio*, seu *Vetrubio Rufo* et *Epaphrodito*, rei agrimensoriae scriptoribus, his verbis: si fuerit pentagonus, cujus singula latera sint pedum decem, quaero, quot pedum area sit. Sic quaero: facio decem in se: fit centum: hoc semper duco ter, fit CCC: huic adjicio ipsam aeram, fit CCCX. Ubi cum dicit *ipsam aeram*, numerum X intelligit, qui a principio positus seu datus est, fuitque totius supputationis fundamentum. Alia ejusdem farinae exempla ibid. addit *Salm.* Hinc natum videtur quibusdam verbum *Adaero*, quod v. ℙ Praeterea *aera* ab ejusdem aevi scriptoribus quibusdam usurpata est eo signif., quo latini optimi scriptores *aera* in plurali numero neutro genere dixerunt (v. AES) pro nota numerali, brevitatis gratia a calculonibus in supputando adhibita. *Rufus Fest. in Breviar.* init. Morem secutus calculonum, qui ingentes summas aeris brevioribus exprimunt, res gestas signabo, non eloquar. *Nonius* etiam 2, 42. Aera, inquit, est numeri nota: affertque hujusmodi exemplum ex *Lucil.* Haec est ratio? perversa aera, summa subducta improbe. Sed hoc loco potest etiam esse numeri pluralis: immo ita omnino accipiendum est, cum constet, sic semper a veteribus usurpatum. Affertur etiam alius locus *Varronis* ap. eundem *Non.* 1, 95., sed inde nihil certi colligi potest propter variantes conjectantium lectiones. ℙ Item *aera* (*era* etiam sine diphthongo scripta invenitur, sed hoc saeculi vitio, non ratione aliqua factum est) in ratione temporum sumitur pro termino certo et insigni (ut apud nos Christianos est nativitas D. N. J. C.) a quo sequentes anni numerantur, *ἐποχή*. *Isidorus* ita scribit *Orig.* 5, 36. *Aera singulorum annorum constituta est a Caesare Augusto, quando primum censum exegit. Dicta autem* aera *ex eo, quod omnis orbis* aes *reddere professus est reipublicae.* Alii putant hanc vocem conflatam esse ex notis, quae scribi solebant brevitatis causa hoc modo *A. ER. A.*, hoc est *annus erat Augusti.* Sed magis placet ex eo deducere, quod *aera* primum in plurali numero pro nota numeri usurpatum, ut dictum est; deinde factum *aera*, *ae* femininum eodem signif.; tandem ad significandum etiam annorum numerum traductum sit. ℙ Denique *aera* herba est inter triticum nascens eique valde noxia, cujus etiam grana in pane admixta celerrime vertigines faciunt: haec alio nomine et quidem usitatiore *lolium* dicitur, *αἶρα. Plin.* 18, 17, 44. *n.* 3.

[AERĀCĔUS, a, um, adj. fortasse id. qu. aerosus sive aerarius. *Not. Tir.* p. 164. Aeraceum. *F.*]

AERĀMEN, inis, n. *χάλκωμα.* Vox est a deterioribus scriptoribus pro *aere* usurpata. *Theodor. Prisc.* 1, 9. ferri vel aeraminis purgamenta. *Commodian. instruction.* 27. Et deos audetis aeramine dicere fusos. Adde *Cod. Justin.* 8, 12, 13. et *Cod. Theod.* 15, 1, 37., ubi pro aeramento ponitur. [*In priori loco sic habent vv.: vel ex diversis operibus aeramen aut marmora. In altero loco, ubi eadem lex descripta est, legitur: ornamenta aut marmora. Recte igitur nonnulli ex hoc loco alterum corrigi voluerunt.]

AERĀMENTUM, ti, n. *χάλκωμα*, quodcumque opus ex aere factum. *Plin.* 15, 8, 8. Amurca decocta ungi aeramenta contra aeruginem colorisque gratia elegantioris. *Id.* 33, 5, 30. Stannum jungitur aeramentis, stanno argentum. *Id.* 35, 15, 51. Bitumen aeramentis illinitur, firmatque ea contra ignes, *h. e.* vasis culinariis ex *aere.* In singulari numero *supellex et aeramentum* dixit *Paul. rec. Sent.* 3, 6, 44.

AERĀRIA, ae, f. Revera adjectiva vox est: sed interdum absolute usurpatur. *Varr. L. L.* 7, 33. Ubi lavetur aes, aerarias, non aerelavinas nominari, *h. e.* officinas, ubi aes purgetur, *Plin.* 34, 13, 33. Etiamnum in aerariis reperiuntur, quae vocant pompholygem et spodon, *h. e.* in fornacibus, ubi aes percoquitur et purgatur.

AERĀRIUM, ii, n. *ταμεῖον*, [*vel *ταμιεῖον*, *τὸ κοινὸν*,] *τὸ δημόσιον*, locus, in quo publicum aes, *h. e.* publica pecunia reponitur servaturque ad reipublicae usus. [*Est proprie neutr. adjectivi *aerarius, a, um;* supple *stabulum*] *Cic. Agr.* 2, 27. referre pecuniam in aerarium. *Id. Verr.* 2, 3, 70. dare alicui pecuniam ex aerario. *Liv.* 45, 43. ferre aurum argentumque in aerarium. [**Id.* 5, 25. deferre in aerarium. Ita saepe *Liv.* V. h. v.] ℙ Ponitur etiam pro ipsa publica pecunia. *Cic. Har. resp.* 8. aedificare domum ex aerario. *Id. Tusc.* 3, 20. aerarium effundere. *Auct. ep. ad Octav.* exhaurire aerarium. [**Nep. Arist.* 3. commune aerarium. Sed *id. Att.* 8. privatum aerarium Caesaris.] ℙ Imperatorum temporibus differebat *aerarium* a *fisco;* nam illud erat reipublicae, hic principis. *Tac. A.* 6, 2. Bona Sejani ablata aerario, ut in fisco cogerentur. *Plin. Pan.* 36. At fortasse non eadem cura fiscum, qua aerarium cohibes: imo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis. V. FISCUS. [*Fisco praeerant procuratores Principes, illi vero Quaestores vel Praetores. *Suet. Aug.* 101, quantum pecuniae in aerario et fiscis et vectigaliorum residuis. *Id. Vesp.* 16. Summa aerarii fiscique inopia. Cf. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 36. Confert *B. Crus. Spartian. Adrian.* 7. damnatorum bona in fiscum *privatum* redigi vetuit, omni summa in aerario *publico* recepta. V. ad h. l. *Salm. Vulcat. Gallic. Avid. Cass.* 7. Senatus bona ejus proscripsit, quae Antoninus in privatum aerarium congeri noluit, quare senatu praecipiente in aerarium publicum sunt relata. Adde *Ammian.* 20, 11. 28, 1.] ℙ Romae aerarium triplex fuit, ut docet *Manut.* in *commentar.* ad *ep.* 15. *l.* 7. *ad Att.* Primum illud erat, in quod collecta servabatur pecunia in usum Gallici belli: institutumque fuit post Gallorum irruptionem in Urbem, ut si quando rursus id bellum incidisset, ea pecunia geri posset. Eodem postea congestum videtur, quidquid pecuniae ex variis insignibus victoriis reportatum est, ut ab Africanis ex devicta Carthagine, a Mummio et Paulo ex Corintho et Macedonia, a Pompejo ex Mithridate etc. Hoc C. Julius Caesar initio civilis belli effregit universamque pecuniam asportavit. Alterum aerarium constabat ex auro vicesimario, *h. e.* ex vicesima, quam persolvebant ii, qui manumittebantur: de quo *Liv.* 7, 16. Hoc quoque ad ultimos reipublicae casus servabatur. Tertium ex annua vectigalium pensitatione constabat et nunquam non apertum erat: ex eo enim quidquid belli necessitas aut quotidianus reipublicae usus posceret, decernente senatu aut jubente populo, depromebatur. V. *Manut. l. l.* Duo priora aeraria, quod rarius et non nisi cogente necessitate aperiebantur, *sanctiora* dicebantur. De primo *Caes. B. C.* 1, 14. Aperto sanctiore aerario ex Urbe profugit. [*Cf. *Flor.* 4, 2, 21.] De secundo *Liv.* 27, 10. aurum vicesimarium, quod in sanctiore aerario ad ultimos casus servaretur, promi placuit. Adde *Cic. Verr.* 2, 4, 63. et *Att.* 7, 21. [*Translate hoc sensu *Quint.* 10, 3, 3. Illic (in scribendo) opes velut sanctiore quodam aerario reconditae.] Fuere praeterea alia aerarii nomina, ut *militare* [**ταμεῖον στρατιωτικόν* ap. *Dionem* 55, 25.] ab Augusto institutum ad sumptus bellicos, de quo *Tac. A.* 1, 78. [*Cf. ad h. l. *Lips. Suet. A.* 49. Aer. mil. Augustus cum novis vectigalibus instituit, et ad h. l. *B. Crus. Plin. Pan.* 92, 1. ibique *Schwarz.*] Ad haec, *aerarium Junonis Lucinae* ad servandam pecuniam collatam pro natis infantibus; *aerarium Veneris Libitinae* pro defunctis; *aerarium Juventutis* pro iis, qui virilem togam sumerent, memorat *Dion. Hal. l.* 4. a Ser. Tullo instituta, qui eos omnes certam pecuniam pensitare jusserat: sed haec tria aeraria brevi tempore sublata sunt. ℙ Illa vero priora, quae diximus, semper mansere, omniaque distinctis cellis, sed uno eodemque loco, *h. e.* in templo Saturni erant: [*quare saepenumero dicitur *aerarium Saturni*, *ταμεῖον τῶν δημοσίων χρημάτων καὶ φυλακτήριον τῶν συμβολαίων*, cui aedem Saturni primus destinaverat Valerius Publicola. Cf. *Plutarch. Quaest. Rom.* p. 112. ed. *Reisk.* et *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 92, 1. *B. Crus. in Cl. Suet.*] in quo reponebantur etiam leges perlatae et aereis tabulis incisae, ad perpetuam memoriam: ibique semel repositae nec mutari, nec abrogari poterant, nisi per aliam novam legem. *Suet. Caes.* 28. Mox lege in aes incisa et in aerarium condita etc. Item senatusconsulta ceteraque acta senatus promulgata. *Cic. Leg.* 3, 4. Promulgata, proposita, in aeraria condita, agunto. Alii rectius: promulgata, proposita in aere, agunto. [*Locus corruptus est. *Goerenz.* conjicit: promulgata, proposita in aere, cognita agunto.] *Tac. A.* 3, 51. Factum senatusconsultum, ne decreta

patrum ante diem decimum ad aerarium deferrentur. *Id. ib.* 13, 28. Ne multam ab tribunis dictam quaestores aerarii in publicas tabulas ante quatuor menses referrent: medio temporis contradicere liceret. Adde *Suet. Aug.* 94. ne senatusconsultum ad aerarium deferretur. [*Cf. *Plut. l. l.*] Item signa militaria. *Liv.* 4, 22. Signa ex aerario prompta feruntur ad dictatorem. Praeterea omnes publicarum rationum tabulae eodem loco servabantur, ut in quibus perscriptae erant triginta quinque tribus Romanae: quae nomina debitorum aerarii continebant: quae rationes rerum ab imperatoribus bello gestarum et magistratuum in provinciis: legatorum nomina Romam advenientium: nomina et merita beneficiariorum, et alia hujusmodi: quibus excipiendisque perscribendisque *quaestores aerarii* praeerant. *Suet. Aug.* 23. Tabulas veterum aerarii debitorum exussit. [*τὰ παλαιὰ συμβόλαια τῶν κοινῷ τι ὀφειλόντων. Sic *Dio* 53, 2.] *Cic. Pis.* 25. Rationes ad aerarium retuli continuo. *Id. Arch.* 5. In beneficiis ad aerarium delatus est a L. Lucullo praetore et consule. [At non modo *benemeriti* erant, quorum nomina ad aerarium deferebantur, sed etiam mercedem et cibaria a praetoribus aerarii accipiebant, ut intelligimus ex *Senatuscons. in art.* 100. *Frontin. de Aquaed.* Liceret eos ad aerarium, quique ita delati essent, iis praetores aerarii mercedes, cibaria annua darent et attribuerent. *F.* *Aerarium etiam subsellia gratuita in judiciis praebebat. *Suet. Ner.* 17. ibique *B. Crus.*] ℙ Eodem etiam loco agebantur causae eae omnes, quae quomodocumque ad aerarium pertinebant et ad magistratum aerario praesidentem disceptandae deferebantur: quas postea Nero in forum et ad recuperatores transtulit. *Suet. Ner.* 17. Cautum, ut rerum actu ab aerario causae ad forum ac recuperatores transferrentur. [*h. e. ut debitores aerarii non Praefectorum aerario, sed recuperatorum judicio, ut debitores privatorum, subjicerentur. Ita *B. Crus.*] ℙ Si qui erant aerarii debitores, qui solvendo non essent, eorum bona in tabella describebantur et venalia appendebantur ad aerarium, proscribenda et publicanda. *Suet. Claud.* 9. [*Ad eas rei familiaris angustias decidit, ut, quum obligatam aerario fidem liberare non posset, in vacuum lege praediatoria venalis ependerit sub edicto Praefectorum [*h. e. Praef. aerario, Praetorum vel Praetoriorum. Cf. *Crus. Id. Dom.* 9. reos, qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependissent, universos discrimine liberavit. Sed h. l., ut bene docet id. V. D., non simpliciter aerarii debitores intelligendi sunt; sed diuturni illi debitores etiam aerario parte summae obstricti erant, ideoque eorum nomina in aerario proscripta exstabant.] ℙ Aerario praefuerunt reipublicae temporibus *quaestores aerarii* (v. QUAESTOR) qui cum anno U. C. 709. absente Julio Caesare nulli creati fuissent, ejus cura duobus aedilibus commissa fuit, qui per annos fere decem et septem praefuerunt: donec Augustus duos praetorios viros seu praetores (ut ait *Suet. Aug.* 36. et *Tac. A.* 13, 29.) substituit. Claudius rursus quaestores praefecit: ut *Id.* scribit *Cl.* 24. Nero autem praetura functos, ut testatur *Tac. A.* 13, 28. et 29., nec eos toto suo principatu: nam etiam quaestores aliquando habuit. At sub Vespasiano praetores rursus administrarunt, ut est ap. *eund. H.* 4, 9. Postea Domitiani et Trajani aliorumque succedentium temporibus denuo mutati sunt. Postquam autem *quaestorum aerarii* nomen abolitum fuit, quicumque aerarii administrationem gessere, *praefecti aerarii* et *aerario* sunt appellati. V. PRAEFECTUS. [*Uberius his de rebus exposuit, sed eodem prorsus modo et ordine, *Gron.* ad *Gell.* 13, 24.] ℙ Fuere etiam *tribuni aerarii*, [**tribunos aeris* dicit *Plin.* 33, 2.] qui curabant pecuniam ex aerario acceptam et quaestoribus imperatorum dandam in expensas militares. V. TRIBUNUS aerarius. [*Neque tamen illud h. l. omittendum est, fuisse tribunos aerarios tertium quoddam judicum genus de plebe praeter senatores et equites, institutum lege judiciaria L. Aurelii Cottae. Sustulit eos Caesar. *Suet. Caes.* 41.] ℙ Etiam minora aeraria in provinciis fuisse colligitur ex veteri *Inscr.* optimae notae ap. *Grut.* 43, 11. L. Messius L. F. Geminus VI. Vir Curator Aerari Mediol. Hercul. V. S. L. M. Adde *ib.* 12., ubi idem officium indicatur. ℙ [Aerarium dicebatur etiam arca pontificum, quamvis neque apud scriptores, neque in antiquis Lapidibus, quorum certa omnino sit fides, id nominis inveniri putet *Maffej. Art. Crit. Lap. col.* 208., ac Patavinam quandam inscriptionem ex eo praecipue suspectam habeat, quod in ea legatur *Curator aerarii pontificum.* At nihil certe suspicionis in iis monumentis, quae leguntur ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 1. et *cl.* 12. *n.* 12. Certissima item illa ap. *Murat.* 1049, 5. et ap. *Donat.* 89, 2., ubi *Praefectus aerarii* et *IV vir ab aerario pontificum* legitur. In hanc autem pontificum arcam sive aerarium inferebatur plerumque pecunia, quam poenae nomine solvebant ii, qui sepulcra vel donarent, vel alienarent, vel eorum religionem quocumque alio modo polluerent, quod legibus et inscriptis sepulcrorum titulis vetabatur. Haec vero multa aliquando aerario P. R., aliquando fisco principis, collegio cuicumque legitime constituto, Vestalibus, populo solvi jubebatur; qua de re saepe antiqui lapides. V. *Guther. l.* 3. *de Jur. man. c.* 6. *F.*]

AERĀRIUS, a, um, adj. *χαλκευτικός*, ad aes pertinens. V. AES. *Plin.* 7, 56, 57. aeraria fabrica, *h. e.* ars fundendi aeris, et ex eo vasa et alia fabricandi. *Id.* 11, 36, 42. aerariae fornaces, *h. e.* in quibus aes percoquitur et purgatur. *Id.* 18, 10, 19. *n.* 2. aerariae, officinae, *h. e.* ubi aes laboratur. *Id.* 33, 5, 26. aeraria metalla, *h. e.* in quibus aes effoditur. [**Caes. B. G.* 3, 21. aerariae secturae, qui tamen locus dubius est. V. *Herzog.*, cui placet aerariae secturaeque. *Vitruv.* 7, 9. aerarium metallum. *Petron. Sat.* 57. aerarium assem nemini debeo.] *Id.* 34, 13, 34. aerarius lapis, *h. e.* cadmia vel chalcitis, ex quibus fit aes, ut *id. ib.* 12, 29. docet. *Id. ib.* 1, 1. et *ib.* 8, 19. *n.* 6. aerarius faber, *h. e.* qui opera ex aere facit: qui etiam *aerarius* absolute dicitur. *Id.* 16, 6, 6. in aerariorum officinis. *Martial.* 12, 57. aerariorum marculi. ℙ [*Aerarius* absolute dicitur non modo, qui ex aere, sed etiam qui ex aliis metallis plura facit. *Dioclet. edict.* p. 20. Aerario in orichalco mercedis in pondo l. ℵ octo, in cupri in pondo l. X sex, in vasculis diversi generis in pondo l. ℵ sex, in sigillis vel statuis ℵ quatuor, in ductilis aeramenti ℵ sex. *F.*] ℙ Item ad *aes* pertinens, qua pecuniam significat. *Cic. Quint.* 4. Propter aerariam rationem non satis erat in tabulis inspexisse quantum deberetur, nisi etc., *h. e.* propter naturam valoremque pecuniarum. [*Nos *Münzfuss*, *Curs.*] ℙ Ultimus missus in Circensibus ludis (qui erat olim vigesimus quintus: nam postea usque ad centum crevere) dicebatur *aerarius*, quia fiebat ex aere, *h. e.* pecunia a populo collata. Qui desiit esse, postquam conferendae pecuniae consuetudo sublata est. *Serv.* ad *G.* 3, 18. ex *Varrone.* — *Aerariae annonae* erant pensiones annuae vel menstruae, quae in pecunia distribuebantur: ad differentiam aliarum, quae in frumento, pane aliisque speciebus annonariis dabantur. (V. ANNONA.) De his *Impp Hon. et Theod. Cod. Theod.* 7, 4, 34. 35. et 36. Ac de hominibus. *Cic. Cat.* 4, 7. tribuni aerarii, *h. e.* qui publicam pecuniam in militares usus quaestoribus suppeditabant. V. TRIBUNUS aerarius et in AERARIUM et in AERATUS. Dicuntur etiam milites *aerarii* ab *aere*, *h. e.* pecunia, quam in stipendium accipiunt. *Varr. L. L.* 4. *ad f.* ℙ Denique *aerarii* dicebantur, qui ob noxam aliquam privabantur jure suffragii et foris stipendia faciendi tribu etiam quandoque movebantur, atque ad hoc solum inter cives retinebantur, ut pro suo capite tributi nomine *aera* penderent, unde et nomen accepere. Ita *Ascon. in Divin. Cic. Verr.* 3., ubi hoc refert inter praecipuas et graviores censorum notas. Qui hujusmodi poena afficiebatur, dignitates, si quas haberet, amittebat: senator movebatur senatu, eques equo, miles stipendiis militaribus spoliabatur. [*Fiebat a Censoribus. Cf. *Gell.* 4, 12. et 29. *Petrus Crinit. de honesta discipl.* 4, 3. *Beier.*] *Liv.* 24, 18. His equi adempti, qui publicum equum habebant; tribuque moti, aerarii omnes facti. [*Cf. *Gronov. de pecun. vet.* IV, 1.] *Cic. Cluent.* 43. referre aliquem in aerarios. *Id. Or.* 2, 66. eximere aliquem ex aerariis. *Val. Max.* 2, 9. *n.* 6. referre aliquem inter aerarios. Et *n.* 7. Referre in numerum aerariorum. Adde *Varr.* ap. *Non.* 3, 5. [**Liv.* 29, 37. relinquere aliquem aerarium, de censoribus, magistratu se abdicantibus. — Durius erat aerarium fieri, quam in Caeritum tabulas referri. Cf. *Gell.* l. l. ibique *interpp.* Sed omnino de *aerariis* non omnes idem sentiunt. Cf. praeter eos, quos jam laudavimus, *Duk.* ad *Liv.* 4, 24, 7. et *Drak.* ad 24, 18, 6. ubi etiam de aliorum sententiis expositum videbis.]

AERĀTUS, a, um, part. v. *aero*, aere tectus aut ornatus, *κεχαλκευμένος*. *Cic. Verr.* 2, 4, 26. lectos aeratos et candelabra aenea. [*Lecti aerati non toti constant aere, sed tantummodo pedibus aeneis sunt. Cf. *Gron.* ad *Liv.* 39, 6. *Morus* in *ind.* ad *Cic. Verr.* et *Manut. l. l.*] *Hor. Od.* 2, 16, 21. aeratae naves. [**Sil.* 11, 589. carinae.] *Virg. A.* 8, 675. classis. *Stat. Th.* 5, 335. prora. *Aerata navis* dicitur, quae aereo rostro munita est, vel quae utcumque proram habet aere obductam non tam ad ornatum, quam ad munimentum, ut si in scopulos aut aras illidatur, facilius ictum toleret, vel, si in hostilem feratur navem, gravius feriat. [**Ov. Fast.* 2, 785. aer. porta. *Tib.* 1, 3, 72. aeratae fores.] ℙ Est etiam id. qu. *aereus*, *h. e.* ex *aere* factus. *Prop.* 4, 1, 78. aerata pila, *h. e.* sphaera Archimedis ex aere. *Id.* 2, 16, 11. aeratae catenae. ℙ Ponitur etiam aliquando ad significandas res ex ferro aut chalybe. Hinc a poetis *aerata* etiam dicuntur arma et ferramenta ad caedendum. *Virg. A.* 11, 656. aeratam quatiens Tarpeja securem. *Tib.* 1, 10, 25. tela aerata, i. e. aere praefixa. *Ov. Met.* 5, 9. hasta aeratae cuspidis etc. [*Cf. *id. ib.* 8, 408.] V. AES. Hinc *aeratae acies* sunt armis instructae. *Virg. A.* 9, 462. Aeratasque acies in proelia cogit. Hinc translate a poetis *aeratus* ponitur etiam pro forti, munito, impenetrabili. *Prop.* 2, 23, 115. Aerato Danae circumdata muro. ℙ Praeterea *aeratus* dicitur, qui pecunia abundat. *Pl. Most.* 4, 2, 9. Ferocem facis, quia te aeratus amat. Ita legunt quidam: alii plerique *quia te herus tam amat. Cic. Att.* 1, 16, 8. Maculosi senatores, nudi equites, tribuni non tam aerati, quam, ut appellantur, aerarii, *h. e.* non tam aerati, qui nempe pecuniosi essent, quam pauperrimi, quique ideo inter aerarios essent referendi et facile corrumpendi, quia infima et pauperrima civium classis vocabantur aerarii. [*Cf. de utroque loco *Malaspina* ad *Cic.*] ℙ [*Confunduntur a librariis *aeratus* et *auratus*. V. ad *Ov. Met.* 15, 621. *Fast.* 6, 363. et *Drak.* ad *Liv.* 38, 35, 5. ubi scribit *aurata* clipea.]

AERĒLĀVINĀ. V. AERARIA.

AERĒNERVUS, i, m. chorda musica ex aere. Quidam hanc vocem legunt ap. *Firmic. Math.* 6, 31. sed locus videtur depravatus et pro *aerenervos* legendum *citharae nervos.*

AERESCRIPTŪRA, ae, f. tabula aerea, in qua forma alicujus agri colonis assignati descripta est. *Aggen. comm. in Frontin. p.* 54. *Goes.* In aerescriptura modus comprehensus est. *Hyg. de lim. constit.* p. 193. vocat *aeris libros*, aeris tabulas.

AERĒUS, a, um, adj. *χάλκεος*, ex aere factus. V. AENEUS et AES. *Suet. Aug.* 7. imaguncula aerea. [**Id. Vesp.* 8. aereae tabulae.] *Plin.* 16, 10, 20. aereus clavus. [**Veg. A. V.* 3, 4, 36. acus aerea.] *Id.* 33, 8, 41. mortaria et pistilla aerea. *Plin. Pan.* 52. statuae aereae. *Virg. A.* 5, 198. aerea puppis, *h. e.* aerata. V. AERATUS. In fabulis de Hercule narratur, eum, cum ad Geryonem interficiendum transveheretur, *aerea olla* navigasse: quod similiter intelligendum est de navi aerata, ut docet *Serv.* ad *A.* 7, 682. [*Cf. *Virg. A.* 1, 448. *Id.* 7, 615. aerea cornua.] ℙ Usurpatur etiam ad significandas res ex ferro confectas aut ferro munitas. *Virg. A.* 7, 743. Micat aereus ensis. *Id. ib.* 5, 274. aerea rota. [**Virg. A.* 12, 541. aereus clipeus.] V. AES. ℙ Translate *aereum saeculum* est tertia illa aetas hominum, quae *argenteae* successit. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 452. V. AETAS. ℙ *Aereus*, *i*, interdum substantive pro aereo nummo usurpatur. *Vitruv.* 3, 1. aereos signatos constituere. ℙ *Aereus* [*sc. color, sive, ut alii volunt, aereum, i] dicitur de colore aeris. *Plin.* 8, 52, 78. Pilus aprorum aereo similis agrestibus, ceteris niger. ℙ [*Confunduntur *aereus* et *aureus*. V. ad *Virg. A.* 10, 271. 884.]

AĒRĒUS, a, um, adj. ab *aëre* deductum. V. AĒRIUS.

AĒRIA, ae, f. sc. Dea, *ἀερία*. Ita Juno dicta, quod aeris regina sit. *Capell.* 2. p. 38. Hic ego te (Juno) Aeriam potius ab aeris regno nuncupatam voco. ℙ [*Oppidum Galliae Narbonensis. *Plin.* 3, 4, 5. Putatur esse h. *Vaison*, ab aliis *Aire*, ab aliis *l'Oriol.* ℙ Etiam insula Thasus quondam Aeria vel Aethria dicta est. *Id.* 4, 12, 23. ℙ Etiam Aegyptus quondam ita appellata esse dicitur. *Gell.* 14, 6. ℙ Itidem Creta; *ib.* et *Plin.* 4, 12, 20. Auctore *Hesych.* etiam Aethiopia.]

AERĪFER, a, um, adj. aera ferens, *χαλκοφόρος*. *Ov. Fast.* 3, 740. Aeriferae comitum concrepuere manus, *h. e.* cymbala et alia tintinnabula aerea ferentes.

*AERIFEX, icis, m. *Gl. gr. lat. χαλκότυπος. B. A.*

AERĪFĪCE, adv. *Varr.* ap. *Non.* 4, 130. (si lectio proba est) nihil sunt Musae policis vestrae, quas aerifice duxti. Quem locum varie tentarunt viri docti. *Lips. l.* 2. *Var. lect. c.* 24. emendat: *Nihil sunt Musae Polyclis vestri*, *quas aerifice duxit*, hoc est, Musarum statuae, quas Polycles artificiose ex aere duxit. Hujus statuarii ex aere meminit *Plin.* 34, 8, 19.

AERĪFĪCIUM, ii, n. opus ex aere factum. Affert pro hac voce *Non.* 2, 10. eadem verba *Varronis*, quae in *Aerifice* attulit, sed nihil certi inde erui potest.

AERĪFŌDĪNA, ae, f. aeris fodina. *Varr. L. L.* 4, 1. Quis non videt, unde aerifodinae?

AERĪMEN, iminis, n. in Auguralibus libris idem est atque *aes*, ut quidem legit *Scalig.* verba *Festi* in voce *Rumentum.*

AERĪNUS, a, um, adj. *ἄρινος*. *Aerina farina* ap. *Plin.* 22, 25, 58. et 24, 11, 59. est farina facta ex lolio, quod, a Graecis sumpto vocabulo, *aera* dicitur. ℙ Item ex aere factus. *Varr.* ap. *Non.* 1, 113. Corpori aerinas compedes impositas video.

AĒRĪNUS, a, um, adj. *Tertull. Hab. mul.* 8. aerinas oves dixit, quae lanam ferrent coloris caerulei dilutioris et ad aeris colorem vergentis. [*Cf. *Salmas. Ex. Plin.* p. 143. et p. 399. et *intpp.* ad *Ov. A. A.* 3, 173. aeris ecce color.] Alii *earinas* legunt, hoc est virides; nam *earinus*, graeca vox, *ἠαρινός*, vernum seu vernantem significat: tempore autem verno omnia virescunt.

AERĪPES, ĕdis, comm. gen. adj. *χαλκόπους*, aereos pedes habens. *Ov. Her.* 12, 93. Jungis et aeripedes inadusto corpore tauros. *Virg. A.* 6, 803. Fixerit aeripedem cervam licet etc. [**Sil.* 3, 39.] *Serv.* ait (itemque *Charis.* 4. p. 249. et *Diomed.* 2. p. 437. [*et *Pompej.* p. 449. *ed. Lindem.*]) hoc loco dictum esse a *Virgilio aeripedem* pro aë-

ripedem per synaloephen: *aeripedem* autem significare velocem, quasi *aerios pedes habentem*, ἀερίποδα. [*Homeri ποδήνεμος, quamquam ne hoc quidem prorsus simile.] Sed hoc est contra fabulam. Nam *Virg.* loquitur de cerva ab Hercule occisa, quam omnes mythologi tum graeci, tum latini χαλκόποδα, *h. e.* aereis pedibus fuisse fingunt. ℙ Aliquando tamen accipitur pro veloci, more Graecorum, apud quos χαλκόπους interdum exponitur ἰσχυρόπους, *h. e.* pedibus et cursu valens, *Hesychio* teste. *Auson. Idyll.* 11, 14. Vincunt aeripedes ter terno Nestore cervi.

AERISŌNUS, a, um, adj. aeris dans sonum, χαλκεόφωνος. *Sil.* 2, 93. aerisona antra, *h. e.* in quibus Curetes aera pulsabant. *Claud. B. G.* 234. aerisonae urbes, *h. e.* in quibus aerea crepitacula pulsantur in lunae defectu. *Val. Fl.* 3, 28. aerisonus mons, *h. e.* Dindymus, ubi Corybantes aera ingeminabant. [*In *append.* addiderat Furl. *Stat. Th.* 1, 265. aerisoni tugentia flumina Nili, i. e. propter sistra, quibus in Isidis sacris utebantur.]

AĔRĬUS et Aĕrĕus, prius tamen usitatius [*cf. *Voss. de A. Gr.* p. 152. aerius nititur graeca auctoritate, ubi ἄϱιος dicitur; qui *aereus* dicunt, sequuntur analogiam, quae est in *igneus*, *melleus* etc. Ceterum cf. *Schneid. Gr.* I. 1. p. 13. sqq.] a, um, adj. ad aera pertinens, vel qui in aere fit, est. *Cic. Univ.* 10. Animantium genera quatuor, quorum unum divinum atque caeleste, alterum pennigerum et aerium, tertium aquatile, terrestre quartum. *Id. Top.* 20. aerii volatus avium. [*Ov. *Met.* 6, 709. cursus. *Ammian.* 18, 16. tramites. *Virg. Cir.* 487. alae.] *Lucr.* 5, 823. aeriae volucres. *Ov. A. A.* 2, 44. aerias vias carpere, i. e. volare. *Val. Fl.* 1, 67. nunc aerii plantaria vellet Perseos, *h. e.* qui Pegaso alato equo per aera volavit. *Hor. Od.* 1, 28, 5. aeriae domus, h. e. caeli stellarumque sedes. [*Ov. *Met.* 9, 219. aeriae aurae. *Virg. A.* 7, 704. nubes. 9, 813. Iris. *Ammian.* 15, 5. Aeria quaedam antevolans prodiderat fama.] *Aerium mel* dixit *Virg. G.* 4, 1. ex opinione eorum, qui putant, apes mel non conficere, sed ex rore, qui ex aere decidit et in floribus desidet, colligere. Hinc *spes aeria* est spes vana et nullo nixa fundamento. *Arnob.* 2. p. 86. Blandiri alicui aeria spe. ℙ Translate a poetis ponitur pro alto, in aera se extollente. *Virg. G.* 3, 474. aeriae Alpes. [*Frequentissimum est de montibus. *Tib.* 1, 7, 15. aerio vertice Taurus, ad quem l. v. *Huschk.* Hic alii *aetherio* praebent.] *Id. A.* 3, 291. arces. Et 680. quercus. Et *Ecl.* 1, 59. Aeria ulmus. [*V. *Heins.* ad *A.* 8, 221. *Barth.* ad *Stat. Th.* 8, 408. *Jahn. Virg. Ecl.* 3, 69. aeriae palumbes, i. e. altos nidos habentes. Quamquam hoc potest etiam ad superiora referri.] *Catull.* 64, 240. aerium cacumen. *Ov. Fast.* 5, 119. capra cornibus aeriis. *Prud. Symm.* 1, 449. Aerias volitans phantasma per auras.

AĔRIZŪSA. Vox graeca, ἀεϱίζουσα, hoc est aerem imitans, aeri similis. Hoc nomine appellatur genus quoddam iaspidis aerii coloris, *h. e.* caeruleo similis. *Plin.* 37, 8, 37. [**Salmas.* ad *Solin.* p. 795. eam esse gemmam putat, quam h. appellamus *Türkiss.*]

AERO, onis, m. κόϱξ, cophinus vel aliud quodpiam vas ex vimine, sparto, vel ulva, storeae aut tegetis modo confectum, ac tollendo ferendoque aliquid idoneum: dictumque videtur ab ἄϱω, quod tollere et bajulare etiam significat. *Donat.* ad *Ter. Ph.* 1, 2, 72. Phormio non a formula, sed phormione dicitur sparteo, quem nos aeronem dicimus trivialiter. *Plin.* 36, 14, 21. aerones arena pleni. *Vitr.* 5, 12. aerones ex ulva palustri facti. *Alfen. Dig.* 19, 2, 31. Quod si separatim tabulis, aut aeronibus, aut in alia cupa clusum triticum fuisset etc. In edit. *Torrentini* legitur *heronibus.* Alii etiam *ero* scribunt pro *aero.* Praeterea *merones*, *perones* substituere alii in locis *Plinii* et *Vitruvii*, sed prior scriptura magis probatur. [*Cf. *Salm. Exerc.* p. 574 sq.]

AERO, as, a. 1. aere tego vel orno, χαλκεύω, χαλκόω. *Prisc.* 8. p. 828. A metallorum quoque nominibus solent nasci verba, ut ab auro, auro, as, ab aere, aero, as, unde auratus et aeratus.

AĔRŌĪDES, ae, m. ἀεϱοειδής, vox graeca, quae significat *aeri similem*, ab ἀήϱ, aer, et εἶδος, species, similitudo. Aeroides berylli dicuntur, qui colorem habent aeri affinem. *Plin.* 37, 5, 20.

[AĔRŌMANTĬA, ae, f. ἀεϱομαντεία, divinatio ex aere. *Isid. Orig.* 8, 9. Divinationis quatuor esse genera constat, terram, aquam, aerem, ignem: hinc geomantiam, hydromantiam, aeromantiam, pyromantiam. *F.*]

AĔRŌPE, es, f. Ἀεϱόπη, Catrei Cretensis filia. [**Apollod.* 3, 2, 1. primum uxor Plisthenis, ex quo procreavit Agamemnonem et Menelaum; deinde Atrei, qui illos adoptavit] a Thyeste ejus fratre adulterio corrupta. [**Apollod. ib. Schol. Il. β*, 249. *Hyg. fab.* 86. 88.] Gr. significat *aerios habens oculos* ab ἀήϱ et ὤψ, ὀπός, oculus, visus. *Ov. Tr.* 2, 391. Si non Aeropen frater sceleratus amasset, Aversos solis non legeremus equos. *Aeropa*, *ae*, latina terminatione usurpatur ab *Hyg. fab.* 86. Quidam scribunt *Aerope* juncta diphthongo.

AĔRŌPĔTĒS, ἀεϱοπετής, per aera volans: ab ἀήϱ et πέτομαι. Hac voce inscriptus est liber *Apicii* sextus, in quo agitur de volatilium conditura.

AĔRŌPHĂGĬA, ae, f. ἀεϱοφαγία, ab ἀήϱ et φάγομαι, edo: videtur significare esum volatilium vel edulium ex avibus. Legitur a quibusdam ap. *Petron. fr. Tragur.* 56. *Burm.* Aerophagiae simul allatae sunt. Al. aliter. V. ACREOPHAGIA [*et quae ibi notavimus.]

AĔRŌPHOBUS, i, m. aerem timens, ἀεϱοφόβος, ab ἀήϱ et φοβοῦμαι, timeo. *Coel. Aurelian. Acut.* 3, 12. Aerophobos similes esse ajunt phreneticis.

*AERŌPUS, mons Illyrici v. Macedoniae. *Liv.* 32, 5. *B. A.*

AERŌSUS, a, um, adj. χαλκώδης, aere abundans. *Festus:* Aerosam appellaverunt antiqui insulam Cyprum, quod in ea plurimum aeris nascatur. ℙ *Aerosus lapis* ap. *Plin.* 34, 1, 2. est cadmia, ex qua aes fit. Hinc *vet. Schol.* ad *Juven.* 9, 31. tenue argentum venaeque secundae, interpretatur modicum aut leve, aerosum. [*Ad *Schol.* v. *Crameri* notam p. 359. *B. A.* λίθος χαλκῖτις gr. v. *Salm. Hyl. iatr.* p. 226.] ℙ Item aere mixtus. *Plin.* 33, 5, 29. aurum aerosum. *Id.* 34, 14, 41. aerosum ferrum. *Scaevola Dig.* 46, 3, 102. Pecunia, qua illa respublica utebatur, quasi aerosa, jussu praetoris sublata est.

AERŪCA, ae, f. color quidam factitius viridis, qui fit lamellis aereis supra acre acetum suspensis, ita ut non attingant, et post octo aut decem dies derasis. (*Grünspan.*) Ita *Vitruv.* 7, 12. Sunt tamen aliae quoque ejus conficiendae rationes, quas *Plin.* 34, 11, 26. persequitur, eamque *aeruginem* vocat. V. AERUGO. *Vitruv. l. l.* Eadem ratione lamellas aereas collocantes efficiunt aeruginem, quae aeruca appellatur.

*AERŪGINO, 1. aerugine consumi. *Vulg. Jacob.* 5, 3. Usi sunt hac voce etiam *Fulgent. ep. ad Ven.* et *Salvian. d. avar.* 1. p. 31. *B. A.*

AERŪGĬNOSUS, a, um, adj. ἰώδης, aerugine plenus. *Sen. Br. vit.* 12. Majorem dierum partem in aeruginosis lamellis consumit. *Id. Controv.* 1, 2. aeruginosa manus, *h. e.* quae aera deposcit.

AERŪGO, ūginis, f. aeris rubigo, et proprie in aere cum viridescit, ἰὸς χαλκοῦ; *rubigo* vero in ferro, ἰὸς σιδήϱου. *Cic. Tusc.* 4, 14. Aes Corinthium in aeruginem incidit. *Plin.* 15, 8, 8. Ungi aeramenta amurca decocta contra aeruginem. *Id.* 34, 17, 48. Stannum illitum aeneis vasis compescit aeruginis virus. *Colum.* 7, 5. Superfuso aceto vel aeris aerugine. ℙ Ex aeris aerugine fit color viridis, qui nobis dicitur *Grünspan*, qui non in pictura modo, sed et in medicina multi est usus, praesertim in collyriis. Est autem duplicis generis, alius naturalis, qui e lapide, ex quo coquitur aes, deraditur; alius facticius, cum adhibito aceto cogitur aes aeruginem contrahere, quae deinde raditur: cujus rei rationem omnem docet *Plin.* 34, 11, 26. [*et *ib.* 17, 48. *id.* 15, 8, 8. *Cato R. R.* 98. *Colum.* 7, 5, 12. aeris aerugines; quo loco, quoniam *aeris* redundat, *Schneider.* e cod. Sang. *rubigine* scripsit. *Ib.* 22. aerugo Cypria.] ℙ Translate, quoniam quemadmodum aerugo aes, ita invidia, aliorum res secundas arrodit, et invidus alterius rebus opimis macrescit, est i. q. invidia, livor. *Martial.* 10, 33. versus tincti viridi aerugine. *Id.* 2, 61. nimiaque aerugine captus Adlatras nomen quod tibi cumque datur. *Hor. Sat.* 1, 4, 100. hic nigrae succus loliginis, haec est Aerugo mera. [*Altera ratio, qua putant aeruginem pro livore poni ita ut dixit *Cic. Amic.* 23. evomere virus acerbitatis: ea minus probabilis est. Fortasse autem putet aliquis metaphoram e colore ductam esse.] ℙ Per contemtum *aerugo* ponitur pro ipso aere, seu pecunia. *Juven.* 13, 60. Nunc si depositum non inficietur amicus: Si reddat veterem cum tota aerugine follem, Prodigiosa fides. ℙ Item pro cupiditate habendi, [*quoniam sicut aerugo aeri, ita avaritia tam tenaciter insidet animis, ut inde eradi et avelli nequeat. *Döring.* ad l. *Hor.*] *Hor. Art. P.* 330. animos aerugo, et cura peculi Cum semel imbuerit. *Appul. Met.* 1. p. 112, 4. *Elm.* Homo aerugini semper intentus.

AERUMNĂ, ae, f. μέϱιμνα, ὀΐζύς, ταλαιπωϱία, labor quilibet onerosus, laboriosa aegritudo, qua animus angitur, et veluti pondere quodam pressus laborat. De etymol. cf. *Festum* sub AERUMNULA. [*Voss. etym.* derivari vult a μέϱιμνα. *Scheller.* putat derivandum esse ab *aes*, ut primum significarit laborem illum molestissimum in fodinis, vel inopiam aeris. Utrumque parum probabile.] *Quint.* 8, 3, 26. improbat, ut nimis antiquam, et mallet dici *laborem*, sed frustra. Nam frequentissimi est usus. [*Cf. de auctoritate h. v. *Gell.* 2, 23. in versibus Caecilii.] *Cic. Tusc.* 4, 8. Moeror est aegritūdo flebilis: aerumna aegritudo laboriosa: dolor aegritudo crucians. *Id. Fin.* 2, 35. Herculis aerumnas perpeti. Sic enim majores nostri labores non fugiendos, tristissimo tamen verbo aerumnas etiam in Deo nominaverunt. *Pl. Pers.* 1, 1, 1. Qui amans ingressus est in amoris vias, superavit aerumnis is suis aerumnas Herculis. [**Id. Capt.* 5, 4, 12. et tu, quojus causa hanc aerumnam exigo, i. e. exantlo.] *Hor. Ep.* 2, 2, 26. Luculli miles collecta viatica multis Aerumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem Perdiderat. *Lucr.* 3, 50. Omnibus aerumnis affectum vivere. ℙ Universim etiam accipitur pro quacumque calamitate, miseria, re adversa. *Vetus Poeta* apud *Cic. Tusc.* 3, 14. Quo pacto adversam aerumnam ferant. *Cic. Parad.* 2. Te miseriae, te aerumnae premunt. *Sall. Jug.* 26. Deprecari aerumnas, et mortem. *Id. Cat.* 50. Mors est aerumnarum requies. *Id. Jug.* 15. Deformatus aerumnis. *Ter. Hec.* 3, 1, 8. Expedire se aerumnis. *Id. ib.* 5, 4, 36. Extrahere aliquem ex aerumnis. *Pl. Rud.* 2, 3, 71. Animus aequus optimum est aerumnae condimentum. [*Pro clade bellica dixit *Ammian.* 15, 4. recentis aerumnae documenta. Cf. *ib.* 8. Amant hac signif. scriptores sequioris aevi h. v. uti.] ℙ Quidam sequioris aevi scriptores *erumna* sine diphthongo scripsere, et primam vocalem in carmine corripuere. *Paulin. Petricord.* 1. *de vita D. Martini* 66. et linguae partes proclamat erumna. Et 2, 24. tristem miseretur erumnam. *Ennius* etiam (juniorem intellige, de quo *Suet. Grammat.* 1. *in f.*) ap. *Charis.* 1. p. 76. *Putsch.* ait, erumnam per *e* solum scribi posse, quod mentem eruat, vel per *oe*, quod moerorem nutriat. ℙ Apud *Arnob.* 7. p. 230. aerumnae, vel erumnae *sunt prima in gurgulionibus capita*, *qua dejicere cibos*, *et referre natura est ruminatoribus saeculis.* Est qui legit *rumae.* V. RUMA.

AERUMNĂBĬLIS, le, adj. aerumnis plenus, ὀϊζυϱός. *Lucr.* 6, 1128. Illud in his rebus miserandum et magnopere unum Aerumnabile erat, quod, etc. *Appul. Met.* 1. *in.* Quiritium sermonem aerumnabili sermone aggressus excolui. Alii leg. *aerumnali.* *Id. ib.* 8. p. 205. 19. *Elm.* Aerumnabilis vita.

AERUMNĀLIS, le, adject. idem quod aerumnabilis. V. AERUMNABILIS.

AERUMNĀTUS, a, um, adj. aerumnis affectus. *Pl. Capt.* 3, 4, 108., ubi tamen rectius *deruncinatus.* [*Omnino.]

AERUMNOSUS, a, um, adj. proprie dicitur de iis, qui plurimis laboribus pressi sunt, (V. AERUMNA) late vero significat miserum, calamitosum, ὀϊζυϱός. *Cic. Tusc.* 3, 28. *vertens carmen Euripidis.* Nec tam aerumnoso navigavissem salo. *Id. Tusc.* 4, 38. Miseros, afflictos, aerumnosos, calamitosos. *Id. Parad.* 2. et *Verr.* 2, 5, 62. Aerumnosus, et infelix. *Id. Att.* 3, 23. *in f.* Terentia una omnium aerumnosissima. *Senec. de Ira* 2, 7. Si irasci sapiens debet, et contristari, nihil est aerumnosius sapiente.

AERUMNŪLA, ae, f. diminutivum. *Festus*: Aerumnulas Plautus refert furcillas, quibus religatas sarcinas viatores gerebant: quarum usum quia C. Marius retulit, muli Mariani postea appellabantur. Itaque aerumnae labores onerosos significant: sive a Graeco sermone deducuntur; nam αἴϱειν Graece, Latine tollere dicitur. Haec *Festus.*

AERUSCĀTOR, oris, m. χαλκολόγος, [*melius ἀγύϱτης] qui circulatoriis artibus aera, *h. e.* pecuniam victumque sibi quaeritat. *Gell.* 14, 1. Id praestigiarum atque offuciarum genus commentos esse homines aeruscatores, et cibum quaestumque ex mendaciis captantes.

AERUSCO, as, n. χαλκολογῶ, aera, *h. e.* pecuniam undique colligere, ut *Festus* interpretatur: et dicitur de iis, qui victum sibi ostiatim quaeritant: et de iis praesertim, qui variis artibus ac mendaciis stipem captant. *Sen. Clem.* 2, 6. Vultum quidem non dejiciet, nec animum ob aeruscantis civis aridam ac pannosam maciem, et innixam baculo senectutem. *Gell.* 9, 2. Musonius aeruscanti cuipiam id genus, et philosophum sese ostentanti dari jussit mille nummum.

AES, aeris, n. χαλκός. [*Etymologia h. v. incerta est; ii videntur optime facere, qui derivant ab αἴθω, ardeo; inde αἴσος, et lat. *aes*, propter splendorem. *Beiero* videtur *aes*, *aesis* et *aisis* (ut scribitur *aidis* in tab. Scipioni Barbato posita pro *aedis*) idem esse voc. cum nostro *Eisen*, cui cognatum est *Eis*, quasi dicas aqua aenea. Quae sequuntur in commodiorem ordinem redegimus.] Significat autem aes omne metallum (praeter aurum et argentum), quod rude effoditur (*Erz*), praecipue tamen cuprum (proprie *aes Cyprium*, unde nomen nostrum *Kupfer*). *Plin.* 34, 11, 24. Scoria aeris (*Kupferschlacken*); *ib.* flos aeris (*Kupferblüthe*); *Cels.* 2, 12. *init.* squama aeris (*Kupferschlag*); *Plin.* 33, 5, 30. aes fundere. *Id.* 7, 56, 57. aes conflare et temperare. ℙ Praecipue tamen *aes* id metallum est, vel quod constat ex aere et cadmia (*n. Messing*) vel eo, quod constat aere, stanno aliisque rebus admixtis (n. *Erz s. Bronze.*) *Cic. Phil.* 9, 6. Statua pedestris ex aere. *Plin.* 34, 4, 9. Simulacrum ex aere factum Cereri. Et *ib.* 3, 7. Valvas ex aere factitavere. *Hor. Ep.* 2, 1, 240. ne alius Lysippo duceret aera Fortis Alexandri vultum simulantia. *Plin.* 7, 37, 38. Ducere aliquem ex aere, *h. e.* ejus effigiem ex aere facere. [**Suet. Caes.* 54. aes inauratum.] Ceterum de aere utroque, et fossili et factitio ejusque mixturis diserte agit *Plin.* 34. c. 8 et 9. De singulis aeris generibus, aere CYPRIO, CORINTHIO;

porro ALBO, CORONARIO, CALDARIO v. suis locis. ℙ Porro aes ponitur pro omnibus iis operibus et instrumentis, quae ex aere fiunt. Nam multiplex et antiquus fuit aeris usus apud Romanos: ex eo enim vasa, statuae, pecunia, ornamenta tricliniorum, et abacorum, templorum limina, et valvae etiam, cortinae, lychnuchi pensiles, aliaque multa fiebant. Leges etiam, et senatusconsulta, ac plebiscita in aes, *h. e.* in aerea tabula incidere mos fuit. [**Plin.* 8, 6, 14. hoc sensu habet: aere signari, i. e. in aes incidere.] *Cic. Phil.* 1, 15. Quae ille in aes incidit, in quo populi jussa, perpetuasque leges esse voluit, etc. *Tac. Hist.* 4, 40. Qui aera legum vetustate delapsa noscerent, etc. Adde *A.* 11, 14. et 12, 53. Arma quoque ad muniendum apta, ut galeae, loricae, ocreae, ex aere aliquando fuerunt: immo vero etiam olim, quae ad feriendum adhibentur, ut enses, hastae, pila, etc., item instrumenta rustica ad terram colendam. *Lucr.* 5, 1285. Et prior aeris erat quam ferri cognitus usus. Aere solum terrae tractabant, aereque belli Miscebant fluctus, et volnera vasta serebant. Inde minutatim processit ferreus ensis, Versaque in opprobrium species est falcis ahenae, etc. V. alia huc pertinentia in AERATUS, AEREUS, et AHENUS. Denique etiam columnas, earumque capitula, et porticus ex aere aliquando fuisse legimus, et integra quoque aedificia, quale fuit Spartae templum Minervae, cujus meminit *Liv.* 35, 36. *in f.* Haec singulis illustremus. *Cic. Fam.* 12, 1. Cujus aera refigere debebamus, *h. e.* tabulas aereas, in quibus incisae erant leges. *Vell.* 1, 4. Nocturnus aeris sonus, *h. e.* aerei crepitaculi. Sic *Hor. Od.* 1, 16, 8. Aera acuta. *Prop.* 4, 7, 61. aera rotunda Cybebes, *h. e.* tympana. [**Tibull.* 1, 3, 24. 1, 8, 22. aera repulsa, i. e. sistra. *Id.* 4, 1, 173. aere pontus confinditur, i. e. aeratis navibus. *Prop.* 3, 12, 12. virgineumque cavo praetegit aere caput, ibique *Burmann. Id.* 3, 16, 25. Ille licet ferro cautus se condat et aere — de casside vel galea, ut ap.] *Ov. Met.* 8, 32. cum vero faciem dempto nudaverat aere. [**Hor. Sat.* 2, 3, 21. quo aere lavisset Sisyphus pedes. Cf. *Fea.* Omnino aera *κατ' ἐξοχήν* de operibus Corinthiis intelliguntur. *Junius* de *pict. vet.* 3, 11. §. 3. *Hor. Od.* 1, 3, 9. triplex aes circa pectus erat, pro thorace.] *Ennius:* Aere prolato adstitit, *h. e.* scuto, ut *Festus* in *Prolato* exponit. *Virg. A.* 2, 734. Ardentes clypeos, atque aera micantia cerno, *h. e.* arma aerea, ut supra diximus. *Id. A.* 6, 165. Aere ciere viros, *h. e.* aerea tuba. (Eod. sensu *rectum aes* dixit *Juven.* 2, 118. tubam intelligens, quae recta est: ad differentiam cornu seu buccinae, quae recurva et tortilis. *Ov. Met.* 1, 98. Non tuba directi, non aeris cornua flexi. *Lucan.* tamen hoc discrimen non servat, cum ait 1, 431. Batavique truces, quos aere recurvo Stridentes acuere tubae.) *Id. ib.* 843. Aera spirantia, *h. e.* statuas aereas. Sic *Hor. Ep.* 1, 6, 17. Argentum et marmor vetus, aeraque et artes Suspice. *Claudian. Cons. Probi et Olybr.* 18. aere vetusto florere, *h. e.* antiquis avorum imaginibus nobilem esse. *Ov. Pont.* 2, 7, 10. aera unca, *h. e.* hami aerei. ℙ Saepe etiam pro pecunia sumitur. Nam cum prima Romae pecunia aerea facta sit, quam primus signavit Ser. Tullus, ut *Plin.* 33, 3, 13. testatur, mansit id ei nomen etiam post argenteam, et auream invectam. *Ulp. Dig.* 50, 16, 159. Etiam aureos nummos aes dicimus. *Virg. Ecl.* 1, 36. gravis aere domum mihi dextra redibat. *Ter. Ph.* 3, 2, 26. Ancilla aere suo empta. *Hor. A. P.* 345. Hic meret aera liber, *h. e.* pretium habet. *Id. Od.* 4, 8, 2. Donare aera alicui. [**Cic. Att.* 2, 1. aes circumforaneum, i. e. quod circa forum apud argentarios foenori datur.] *Id. Ep.* 1, 7, 23. Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis; proverb. de eo, qui scit pretiosas res et viles dignoscere. *Inscr.* ap. *Grut.* 332, 3. Statuam aere collato decrevit, *h. e.* collata pecunia; qui dicendi modus saepissime in antiquis monumentis occurrit. [**Cf. *Suet. Aug.* 59.] ℙ *Per aes, et libram*, etc. V. in MANCIPIUM. ℙ *Aes alienum.* V. ALIENUS. [**Interdum *aes* absolute de quavis pecunia debita, imo etiam de quavis re, quae pecunia aestimatur, intelligendum est. V. *Gronov.* ad vv. legis XII. tabb. apud *Gell.* 15, 13.] ℙ Speciatim *aes* sumitur pro *asse*, et pro aliis monetis asse minoribus, ut sunt quadrans, triens, etc. idque ex eo ortum est, quod initio, antequam moneta cuderetur, aes libra appensum dabatur (V. GRAVIS) numerabaturque per libras: postmodum *asses* signati sunt librae pondo: itaque cum dicitur *mille aeris*, idem est ac mille aeris librae, quae sunt mille asses. *Varr. L. L.* 8, 49. Pro assibus nonnunquam aes dicebant antiqui: a quo dicimus assem tenentes: Hoc ab aere, aeneaque libra, et, Mille aeris legasse, etc. *Liv.* 24, 11. Qui millibus aeris quinquaginta census fuisset. Et mox: Qui supra trecenta millia usque ad decies aeris, etc. [**Cic. Rep.* 3, 10. aeris millies tricies.] *Martial.* 12, 77. Amphora vigessis modius datur aere quaterno. *Id.* 11, 28. Aut centum aureolos sic, velut aera roget. *Juven.* 2, 152. Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere [**i. e. quadrante; nam qui lavabantur, quadrantem solvebant.] lavantur. ℙ Item pro stipendio aut mercede. *Liv.* 5, 4. Negabant danda esse aera militibus. Et paulo post. Annua aera habes: annuam operam ede. Et 7. *sub fin.* aera procedunt. [**Et eod. sensu *aera* pro ipsis militiae annis. *Lex Servilia c.* 14. *lin.* 83. de praemiis accusatorum: Militiae vocatio esto. Aera stipendiaque omnia merita sunto. *Beier.* Ita, proprio quidem sensu, intellig. *Cic. Verr.* 2, 5, 13. Cognoscentur omnia illius aera illa vetera, ut non solum, in imperio, verum etiam in stipendiis, qualis fuerit intelligatis. Sed ludit *Cic.* in h. l. et intelligit simul vetera Verris crimina, quorum poena nondum persoluta est; ut *aera* absolute pro *aere*, non tamen proprio sensu intelligi debeat.] Hinc *aere dirutus miles* est, cui stipendium ademptum est. [**Cf. *Sigon.* ad *Liv.* 40, 42. *Bud.* ad *Pand.* p. m. 130. Ludit in hac formula *Cic. Verr.* 2, 5, 13. Aleatoris Placentini castra commemorabuntur: in quibus quum frequens fuisset, tamen aere dirutus est; i. e. non est amplius solvendo; sed quum *castra* dixisset, pergit in eadem metaphora et dicit *aere dirutum.* (V. DIRUTUS) [*Cajus Institut.* 4, 27. (edente *Goeschenio*) Ea pecunia, quae stipendii nomine dabatur, aes militare dicebatur; ex qua equus emendus erat, aes equestre; ex qua hordeum equis erat comparandum, aes hordiarium. *F.*] *Sen. ep.* 88. De liberalibus studiis quid sentiam, scire desideras. Nullum in bonis numero, quod ad aes exit, *h. e.* quod mercedem et lucrum quaerit. Ita *Lipsius. Juven.* 6, 125. Excepit blanda intrantes, atque aera poposcit. ℙ Translate *in aere meo esse* aliquis dicitur, qui meus est, seu inter meos amicos et necessarios censetur: ducta similitudine a possessione pecuniae. *Cic. Fam.* 13, 62. In animo habui, te in aere meo esse, propter Lamiae nostri conjunctionem. Adde *ib.* 15, 14. multi anni sunt, cum ille in meo aere est. *Alicujus aeris esse*, alicujus aestimationis. *Gell.* 18, 5. Si magistrum praelectoremque habuisset alicujus aeris. *Aere suo censeri* est in se aestimabilem esse, nec aliunde egere commendatione. *Sen. ep.* 87. Virtus super ista consistit, suo aere censetur. ℙ *Aera* dicebantur etiam nummi, quibus calculones in subducendis rationibus utebantur: unde et singula rationum capita, et breves quaeda mnotae, quae multas ingentesque summas significabant, aera appellatae sunt. V. AERA. *Cic. Hort.* ap. *Non.* 3, 18. Quid tu, inquam, soles, cum rationem a dispensatore accipis, si aera singula probasti, summam, quae ex his confecta sit, non probare? ℙ In plurali numero habet nominativum et accusativum in frequenti usu. Reperiuntur tamen et alii casus. *Lucr.* 2, 636. pulsarent aeribus aera. *Cato* etiam apud *Fest.* posuit *aeribus* pro aeramento, *h. e.* aereis vasis. *Inscr.* optimae notae ap. *Grut.* 565, 6. Mil. aer. XII., *h. e.* miles aerum duodenum, seu stipendiorum. Hinc passim in antiquis Inscriptionibus dicitur *Aera meruit* X. XV., etc. V. MEREO.

AESĂCUS, et Graeca terminatione Aesacos, ci, m. *Αἴσακος*, filius Priami ex nympha Alyxothoe, seu Alexirhoe, qui cum Hesperies amore captus, eam per avia fugientem insequeretur, evenit, ut serpens a puella calcatus ejus pedem mordicus apprehenderet, quo ex vulnere cum illa interiisset, Aesacus doloris impatientia sese in mare praecipitavit, quem Tethys miserata in mergum avem convertit. *Ov. Met.* 11, 762. Aesacon umbrosa furtim peperisse sub Ida Fertur Alexirhoe Granico nata bicorni. [**Hunc *Aesacum* fuisse filium Priami tradit Apollod. 3, 12, 5. Sed *Appulej. de orthogr. fr.* 31. Aesacus, inquit, *pater* Priami, auctoribus Callimacho, Porphyrio, Nasone ejusque interprete. *Beier.* Haec unde hauserit ille, nos quidem fugit.]

AESĂLON, onis, f. *αἰσάλων*, vocatur parva avis, ova corvi frangens: cujus pulli infestantur a vulpibus. *Plin.* 10, 74, 95. [**Cf. *Aristot. H. A.* 9, 1. al. 36. *Aelian. H. A.* 2, 51. ex quibus locis apparet esse non parvam avem, ut Noster dicit, sed accipitrem.]

AESĂPĬUS vel Aesēpĭus, a, um, adj. ad Aesapum pertinens. Est autem Aesāpus, vel potius Aesēpus, *Αἴσηπος*, nunc *Spiga*, fluvius Mysiae, ex Ida monte profluens, et in Hellespontum decurrens apud Cyzicum urbem. *Plin.* 5, 32, 40. teste. *Val. Fl.* 3, 420. petit adversis Aesepia silvis Flumina. [**Flor.* 3, 5, 17. Granicus et Aesapus.]

AESAR, Etruscorum lingua nomen est Dei, ut est apud *Suet. Aug.* 97. ℙ Praeterea *Aesar, aris*, *Αἴσαρος*, fluvius est magnae Graeciae in Calabria ultima apud Crotonem. *Ov. Met.* 15, 22. I, pete diversi lapidosas Aesaris undas. Hinc AESĂREUS, a, um, *Ov. Met.* 15, 54. Invenit Aesarei fatalia fluminis ora.

*AESCHINES, is, m. *Αἰσχίνης* nobilissimus orator Atheniensis, adversarius Demosthenis. A quo quum victus esset, Rhodum concessit et exstitit auctor eloquentiae, quae deinde Rhodi floruit. *Cic. or.* 2, 23. 3, 56. *Quint.* 2, 1, 17. 10, 1, 22. et 77. Accus. graecus Aeschinen ap. *Plin. ep.* 11, 20. ℙ Aeschines, Socraticus cognomine. Tribuuntur ei nonnulli dialogi, qui hodieque exstant. *Cic. Inv.* 1, 31. *Quint.* 5, 11, 27. ℙ Medicus quidam et scriptor Atheniensis. *Plin.* 28, 4, 10.

*AESCHRION, ōnis, *Αἰσχρίων* nomen scriptoris de re rustica. *Varr. R. R.* 1, 1, 9.

AESCHROLŎGĬA, ae, f. *αἰσχρολογία*, est oratio inverecunda ex compositione verborum obscenam significationem habentium, ut *cum nobis, cum Numerio, cum navibus;* vel ex usu alicujus verbi duplicem habentis significationem, honestam unam, turpem alteram, ut *patrare, ductare, arrigere.* Vox Graeca est, et Graece usurpanda ab *αἰσχρός*, turpis, et *λόγος*, sermo. *Diomed.* 2. p. 445.

AESCHYLĔUS, a, um, adject. ad Aeschylum pertinens. *Propert.* 2, 25, 41. Desine et Aeschyleo componere verba cothurno. Al. leg. *Desine Achilleo*, etc. [**Male. Cf. *Burm.* ad h. l.]

AESHYLUS, i, m. *Αἰσχύλος*, nomen poetae Graeci tragici. Hic cum esset calvus, et in aprico forte quiesceret, testudo ab aquila in altum delata cum decidisset, caput ejus confregit, interemitque, ut *Plin.* 10, 3, 3. et *Val. Max.* 9, 12. *n.* 2. extern. [**hanc fabulam] narrant. *Quintil.* 10, 1, 66. Tragoedias primum in lucem Aeschylus protulit, sublimis et gravis et grandiloquus saepe usque ad vitium, sed rudis in plerisque et incompositus. *Hor. A. P.* 278. Post hunc (*Thespin*) personae, pallaeque repertor honestae Aeschylus, et modicis instravit pulpita tignis, Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno. [**Cic. Tusc.* 2, 10.] ℙ Nomen Rhetoris Cnidii, qui Ciceronis tempore florebat. *Cic. Brut.* 95.]

AESCHYNŌMĒNE, *αἰσχυνομένη*, hoc est erubescens, herba est, *Plin.* 24, 17, 102. ita dicta, quod appropinquante manu folia contrahat, quasi pudeat se tangi: ab *αἰσχύνομαι* pudore afficior.

AESCHYNUS, i, m. verecundus, *ἀπὸ τῆς αἰσχύνης*, hoc est a verecundia. Est nomen proprium apud *Ter. in Adelph.*

AESCŪLĀNUS et Argentinus Dii habiti sunt aeris, et argenti, id est hominum ditandorum potestatem habentes. *Augustin Civ. Dei* 4, 21. Deo Aesculano, et ejus filio Argentino, ut habeant aeream, argenteamque pecuniam: nam ideo patrem Argentini Aesculanum posuerunt, quia prius aerea pecunia in usu esse coepit, post argentea. Miror autem, quod Argentinus non genuit Aurinum, quia et aurea subsecuta est.

AESCŪLĀPĬUS, ii, m. *Ἀσκληπιός*, nomen est Apollinis filii ex Coronide, e cujus interfectae secto utero prodiit, qui medicinam artem ampliavit, ob eamque rem in Deorum numerum receptus fertur: cujus duo filii Podalirius et Machaon, bello Trojano Agamemnonem secuti, non mediocrem opem commilitonibus attulere, ut narrat *Cels. praef. l.* 1. A *Cic. N. D.* 3, 22. tres numerantur Aesculapii: primus est Apollinis filius, quem Arcades colunt; qui specillum invenisse, primusque vulnus obligavisse dicitur: secundus secundi Mercurii frater: is fulmine percussus, dicitur humatus esse Cynosuris: tertius Arsippi et Arsinoae filius, qui primus alvi purgationem, dentiumque evulsionem invenisse traditur. Ceterum scriptores promiscue appellant et confundunt alterum cum altero. Porro Aesculapius aegrorum Deus fuit, eorumque votis et precibus fatigabatur: cui capram immolabant, ob contrarietatem scilicet, ut *Servius* loquitur *G.* 2, 380.; quia capra nunquam sine febri esse dicitur: gallinas etiam caedebant, contraria ratione, quia gallinae maxime sanae putantur, et quia earum esus maxime aegrotis accommodatus est: gallum quoque ob vigilantiam, quae curandis aegrotis maxime est necessaria. [**Juven.* 13, 233.] Epidauri amplum Aesculapii templum fuit, qui ex eo *Epidaurius* est appellatus. Narrat *Hyg. fab.* 49. Hippolytum ab equis discerptum, jussu Dianae ab Aesculapio fuisse ad vitam revocatum: ob id factum illum a Jove ictum fulmine interisse, quod jura mortis violare ausus esset; at Apollinis patris ope immortalitatem fuisse consecutum. Alii scribunt, Glaucum Minois filium fuisse revocatum ad vitam, alii Tyndareum, alii Capanea, Androgeum alii, quod significat *Propert.* 2, 1, 64. Addit *Ov. Met.* 15, 50. cum Romae dira pestis grassaretur, missos ad consulendum Apollinem Delphicum legatos, ex eo retulisse responsum, ut Romam Aesculapii simulacrum Epidauri cultum adveherent: ii cum Epidaurum appulissent, Aesculapium ipsum in draconem versum sponte navem ascendisse, et Romam venisse, resumptaque caelesti specie in insula Tiberis consedisse, ubi magnificum ei templum dedicatum est; isque locus inde *Aesculapii insula* est dictus, ut apud *Suet. Claud.* 25. legitur. Ob id factum, et quia serpenti inesse remedia multa creduntur, ut ait *Plin.* 29, 4, 22., serpens Aesculapio dicatus est, et ipse pingi consuevit laurea coronatus cum baculo nodoso in laeva manu, cui circumvolutus anguis innititur; dextera barbae admota, cum pallio et crepidis, quia Graecus fuit. Hanc fabulam serpentis Romam advecti narrant etiam *Plin. loc. cit.* et *Epitome Livii* 11. et alii. Custodes templo Aesculapii canes addebantur, quia, ut ait *Festus*, is canino lacte nutritus fuit: ser-

pens autem baculo circumvolutus significat vigilantiam: baculus nodosus difficultatem artis. Haec *Festus* ad vocem *In insula*, etc. *Ter. Hec.* 3, 2, 2. Metuo, ne Philumenae magis morbus adgravescat: Quod te, Aesculapi, teque, Salus, ne quid sit hujus, oro. ℙ Adjective *Plin.* 29, 4, 22. Anguis Aesculapius Epidauro Romam advectus est. ℙ *Aesculapium*, *ii*, neut. gen. est templum Aesculapii, apud *Vitruv. praef. l.* 7. quod ea ratione est dictum, qua et *Dianium*, et *Minervium* Dianae, et Minervae templa.

AESCŪLĔTUM, i, n. locus aesculis consitus. *Hor. Od.* 1, 22, 14. Quale portentum neque militaris Daunia in latis alit aesculetis.

AESCŪLĔUS, adj. πλατυφύλλινος, qui est ex aesculo arbore. *Ov. Met.* 1, 449. Aesculeae capiebat frondis honorem, *h. e.* coronam ex aesculo. *Pallad.* 1, 9. Axes quernae cum aesculeis non misceantur.

AESCŪLĪNUS, adj. id. q. aesculeus. *Vitr.* 7, 1. Ne commisceantur axes aesculini cum quernis.

[AESCULNIĔUS, a, um, adj. per metathesin pro *aesculineus*, id. q. aesculeus: legitur in *Vet. Inscript.* apud *Grut.* 207. Fores clatratas duas cum postibus aesculneieis facito. Ita legitur in lapide, testantibus id *Guarinio*, et *Zannonio VV. CC.* Cave ne adhibeas. *F.*]

AESCŪLUS et Esculus, i, f. 2. arbor glandifera, Jovi sacra, praeduro ligno, folio lato, unde et πλατυφύλλος Graece dicitur, frondosa, et vivide virens, glande carnosa, qua olim vesci homines consuevisse traditur: ex quo sine diphthongo quidam scribere malunt, tanquam ab *esca* ducta sit. *Servius* (cui pleraque vetera exemplaria favent) [*cf. *Fea* ad *Hor. od.* 3, 10, 17. *Drakenb.* ad *Sil.* 5, 481.] diphthongum tuetur, ad illud *Virg. G.* 2, 291. Aesculus in primis, quae quantum vertice ad auras Aetherias, tantum radice in Tartara tendit. *Hor. Od.* 3, 10, 17. nec rigida mollior aesculo, Nec Mauris animum mitior anguibus. [*De aesculo et aliis quercuum speciebus accurate agit *Voss.* ad *Virg. G.* 2, 16.]

AESĔPUS. V. AESAPIUS.

AESERNIA et Esernia, ae, f. *Isernia*, *Sergna*, urbs Samnii apud Vulturnum fluvium. *Straboni* est Ἐσερνία, Ptolemaeo *Αἰσερνία:* praeterea in nummo apud *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 101. legitur *Aesernino. Manut.* quoque *in Orthogr.* diphthongum probat. *Cic. ad Pompej. post. ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* [*Sil.* 8, 568. *Vell.* 1, 14. *Liv. epit.* 72. 73.]

AESERNĪNUS et Eserninus, a, um, adj. ad Aeserniam pertinens. [*Liv.* 10, 31. ager. *id.* 44, 40. turma.] Hinc *Aeserninus* dictus est M. Marcellus, qui Aeserniae captus fuit, ut est in *Epitom. Liv.* 13. ℙ Praeterea *Aesernini*, *orum* sunt populi Aeserniae incolae, *Plin.* 3, 12, 17. *Liv.* 27, 10. ℙ Fuit et gladiator quidam *Aeserninus* dictus, qui cum Pacidiano, vel Placidejano, altero non minoris famae gladiatore congressus, proverbio locum fecit, *Aeserninus cum Pacidiano:* quo uti solemus cum duos in eodem genere artifices optimos comparamus. *Lucil.* apud *Non.* 4, 425. Aeserninu' fuit Flaccorum munere quidam Samnis, spurcus homo, vita illa digu' locoque: Cum Pacidiano hic componitur, optumu' longe Post homines natos gladiator qui fuit unus. *Cic. ad Q. Fr.* 3, 4. Ad inimicitias res venisset: cum Aesernino Samnite Pacidianus comparatus viderer. *Id. opt. Gen. Orat.* 6. A me autem gladiatorum par nobilissimum inducitur: Aeschines, tanquam Aeserninus, etc.

[AESĪMUS, i, m. 2. αἴσιμος, fatalis. Cognomen virile Romanum. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 155. *n.* 242. Q. Magius Aesimus. *F.*]

AESĪNĀS, atis, m. adj. qui est ex Aesi oppido. Hinc *Aesinates* dicuntur a *Plin.* 3, 14, 19. ejus oppidi incolae. ℙ *Aesinas caseus* olim est in pretio habitus. *Plin.* 11, 42, 97.

AESIS, sis, m. *Fiumesino*, *Αἶσις*, fl. Piceni, qui inter Anconam, et Senogalliam in mare Adriaticum influit. Olim Italiam a Gallia dividebat. *Plin.* 3, 14, 19. ℙ *Aesis* item, *Jesi*, col. et urbs est ejusdem provinciae ad Aesim fl. [*Inscript.* apud *Grut.* 446, 1. Patrono Col. Auxim. et Col. Aesis. *F.*]

*AESIUS, i, fluvius Bithyniae. *Plin.* 5, 32, 43.

AESON, ōnis, m. 3. *Αἴσων*, *ονος*, Cretei filius, frater Peliae regis Thessaliae et pater Iasonis [*Apollod.* 1, 9, 11.]. Fabulantur hunc, cum ad extremam pervenisset senectutem, a Medea magicis artibus in juvenem fuisse conversum, emisso nempe omni senili sanguine, novoque succo repletis venis, quam rem luculenter *Ovid. Met.* 7, 2. describit. *Id. ib.* 252. Aesonis effetum proferri corpus ad aras. *Val. Fl.* 1. *sub fin.* narrat, ipsum se, sanguine tauri poto, vita privasse (paulo post, quam Iason solverat ad vellus aureum repetendum) metu Peliae fratris, a quo suam necem imperatam cognoverat.

[AESONENSIS, se, adj. ad Aesonam pertinens, Hispaniae citerioris urbem, inter amnes positam Sicorim et Nucariam a *Ptolemaeo* memoratam. *Inscript.* apud *Grut.* 940, 6. Fulviae L. Fulvii Restituti F. Catullae Aesonensi. *Alia* apud *eund.* 436, 1. Recepto in clientelam civium Aesonensium. *F.*]

AESŌNĪDĒS, ae, m. *Αἰσονίδης*, Iason Aesonis filius. *Ovid. Met.* 7, 164. Cui sic Aesonides: O cui debere salutem, etc. *Id. A. A.* 2, 103. Phasias Aesoniden, Circe tenuisset Ulyssen. *Id. Her.* 6, 109. Mobilis Aesonide, vernaque incertior aura. *Val. Fl.* 2, 8. Ipse agit Aesonidae junctos ad litora gressus.

AESŌNĬUS, a, um, adj. *Αἰσόνιος*, ad Aesonem pertinens. *Ovid. Met.* 7, 156. Heros Aesonius. *Id. Her.* 12, 134. Aesonia domus.

AESŌPĔUS, a, um, adj. ad Aesopum pertinens, *Αἰσώπειος*. *Senec. Consol. Polyb.* 27. Ut fabellas quoque, et Aesopeos logos solita tibi venustate connectas. Alii leg. *Aesopios.*

AESŌPĬCUS, a, um, adj. ad Aesopum pertinens. *Isid. Orig.* 1, 40. Fabulae aut Aesopicae sunt, aut Libysticae. Aesopicae sunt, cum animalia muta inter se sermocinasse finguntur, vel quae animam non habent, ut urbes, arbores, montes, petrae, flumina: Libysticae autem, dum hominum cum bestiis, aut bestiarum cum hominibus fingitur vocis esse commercium. V. AESOPUS, et LIBYSTICUS. ℙ *Avieni* etiam fabulae aliquot, carmine conscriptae, Aesopicae inscribuntur.

AESŌPĬUS, a, um, adj. idem quod Aesopeus, *Αἰσώπειος*. *Phaedr. prol. l.* 4. quoniam caperis fabulis, Quas Aesopias, non Aesopi nomino, *h. e.* ad imitationem Aesopi fictas, non ab ipso inventas. Alii leg. *Aesopeas.* V. in *Aesopus.* ℙ Paenultima longa est: potest tamen etiam corripi, abjecta altera diphthongi vocali, more Graecorum. *Auson. ep.* 16, 74. Apologos en misit tibi, Ausonius, nomen Italum, Aesopiam trimetriam.

AESŌPUS, i, m. *Αἴσωπος*, philosophus, Phryx genere, conditione servus, tempore Croesi Lydorum regis. Is multas scripsit fabulas, animalia muta loquentia inducens, morum praecepta optima tradidit. Quaecumque postea fabulae ea ratione conscriptae ab aliis fuerunt, ducta ab Aesopo appellatione, *Aesopicae*, vel *Aesopiae* dictae sunt. [*Quint.* 5, 11, 19.] *Priscian. Praeexercitam. rhet. p.* 1329. Fabulae nominantur ab inventoribus aliae Aesopiae, aliae Cypriae, aliae Libycae, aliae Sybariticae, omnes autem communiter Aesopiae, quoniam in conventibus frequenter solebat Aesopus fabulis uti. *Phaedrus* etiam *prol. l.* 4. ait, Aesopeas se appellare fabulas, quas deinceps est enarraturus, *non Aesopi*, quia a se inventae sint, non ab Aesopo sumptae, quemadmodum de illis, quas prioribus tribus libris exposuerat, et ab Aesopo sumpserat, dixit *prol. l.* 1. Aesopus auctor quam materiam repperit, Hanc ego polivi versibus senariis. [*cf. de eo *Gell.* 2, 29.] ℙ Fuit etiam hoc nomine histrio quidam tragicus Ciceronis amicus, cujus meminit *Tusc.* 4, 25. et *Divin.* 1, 37. [*id. Fam.* 7, 1. Deliciae vero tuae, noster Aesopus.] Is ad tantas opes ex histrionica arte pervenit, filiumque reliquit adeo divitem, ut uniones liquefactos coenis apponeret, ut narrant *Plin.* 9, 35, 59. et *Val. Max.* 9, 1. *n.* 2. *Hor. Ep.* 2, 1, 82. Quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit.

AESTĀS, ātis, f. θέρος: anni pars, quae incipit ab aequinoctio verno, et finitur aequinoctio autumnali, constatque sexis mensibus. Nam totus olim annus in *aestatem* tantum et *hiemem* dividebatur: quod significatur etiam ab *Ulp. Dig.* 43, 19, 1. *ad f.* Postea anno in quatuor partes diviso, coepit aestatis nomine vocari trimestre illud ab ingressu solis in Cancrum, usque ad aequinoctium autumnale, quod fit sole ingrediente Libram. Ita enim distinguuntur quatuor anni partes, ut sole ingrediente Arietem incipiat *ver*, in Cancro *aestas*, in Libra *autumnus*, in Capricorno *hiems* principium sumat. Latini tamen agricolae aestatis initium ponebant VII. id. Maii, ut est apud *Varr. R. R.* 1, 28. et *Colum.* 11, 2., [*ab ortu Vergiliarum. cf. *Voss.* ad *Virg. G.* 1, 138.] vel pridie id. Maii, ut est apud *Ovid. Fast.* 5, 600., finem vero VII. id. Aug., ut *Varro ibid.* docet, vel pridie id. Aug., ut scribit *Colum. loc. cit.* et *Plin.* 18, 31, 74. Porro *aestas* dicta est ab aestu, hoc est calore, ut *Varr. L. L.* 5, 2. tradit. *Cic. Senect.* 4. Refrigeratio aestate, et vicissim aut sol, aut ignis hibernus. *Id. Divin.* 1, 42. Arabes campos, et montes hieme, et aestate peragrantes. *Id. Manil.* 12. *in fin.* Bellum extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit. *Id. Oeconom.* apud *Non.* 2, 702. Cum affecta jam prope aestate uvas a sole mitescere tempus est. Sic *Id. Verr.* 2, 5, 31. Aestate summa. Et *Sall. Jug.* 65. Aestas exacta. *Cic. Att.* 4, 2. Aestate ineunte. Sic *Virg. A.* 1, 430. Aestate nova. *Tac. Ann.* 2, 23. Aestate jam adulta. *Sall. fr.* apud *Serv.* ad *G.* 1, 43. Nova aestas, adulta, praeceps. ℙ Eleganter genitivus anni adjungitur. *Gell.* 2, 21. Nox fuit, et clemens mare, et anni aestas. *Id.* 19, 5. Aestate anni flagrantissima [*cf. *Gronov.* ad h. l.]. ℙ Interdum pro anno ponitur, a poetis quidem per metalepsin; ab historicis vero alia ratione, nempe quia bella aestate fieri solent. *Vell.* 2, 47. Novem denique aestatibus vix ulla non justissimus triumphus emeritus. Et 81. Tertia aestate reversus in Armeniam, etc. *Tac. Ann.* 6, 39. Quae duabus aestatibus gesta. [*V. quos in hanc rem laudat *Arntzen.*, ad *Aur. V. V. Ill.* 23, 3.] ℙ Quia aestate dies fere sereni decurrere solent, hinc *aestas* aliquando pro aere sudo, et sereno caelo ponitur. *Virg. G.* 4, 59. Per aestatem liquidam. [*cf. *Voss. ib.* 138.] *Id. A.* 6, 707. ubi apes aestate serena etc. ℙ *Aestates* apud *Plin.* sunt maculae, quae in cute ex calore solis enasci aestate solent: 28, 12, 50. Aestates, et quae decolorem faciunt cutem, fimum vituli emendat. [*Propria signif. plurali utitur *Lucr.* 6, 373. aestatibus hiemes confligunt.] ℙ *Aestati* pro *aestate* metri causa. *Lucr.* 6, 712. Nilus in aestati crescit, campisque redundat. Alii tamen reponunt *aestate:* neque enim desunt apud poetas hujusmodi licentiae exempla. [*Eichstaedt. exhibuit: in aestatem. ℙ *Aestas* et *aetas* commutantur passim. V. ad *Sil.* 3, 383. *Virg. G.* 3, 190.]

[AESTHĒSIS, eos, f. 3. ἀίσθησις, sensus, actus sentiendi. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* apud *Grut.* 868, 8. Julia Aesthesis. *F.*]

AESTĪFER, a, um, adj. aestum caloremque habens, sumiturque tum active pro eo, qui calorem habet, tum pro eo, qui calorem patitur. Active. *Virg. G.* 2, 353. ubi hiulca siti findit Canis aestifer arva. *Lucr.* 1, 663. Aestifer ignis. [*Cic. *Arat.* 111. *Lucr.* 5, 612. sol. *ib.* 641. aestiferas usque in partes et fervida signa. *Sil.* 1, 194. cancer. *id.* 14, 585. et interpp. ad hos ll.] Passive. *Sil.* 17, 448. Aestiferi campi Garamantum. *Lucan.* 1, 206. Aestiferae Libyes arva.

AESTĪFLŪUS, a, um, adj. aestu aquarum fluens. *Solin. fragm. Pontic.* 3. apud *Pithoeum p. m.* 267. Quaeque sub aestifluis Thetys humida continet antris.

AESTĪMĀBĬLIS, le, adj. τιμητὸς, qui aestimari potest. *Cic. Fin.* 3, 6. Aestimabile esse dicitur id, quod aliquod pondus habeat dignum aestimatione, contraque inaestimabile, quod sit superiori contrarium.

AESTĪMĀTĬO, onis, f. τίμημα, actus aestimandi: judicium de pretio, seu valore alicujus rei. *Cic. Verr.* 2, 2, 53. In censu habendo potestas omnis aestimationis habendae censori permittitur. *Id. Verr.* 2, 3, 91. Aestimatio frumenti [*ib.* 92. genus aestimationis sc. frumenti. Est autem aestim. fr., quum praetores, legati, quaestores pro frumento, quod in eorum cellam imperatur, pecuniam accipiunt ab aratoribus, et quidem tantam, ut ipsis utilius sit accepisse, aratoribus dedisse. *id. Or.* 1, 54. Erat enim Athenis, reo damnato, si fraus non capitalis esset, quasi aestimatio poenae; i. e. poterat reus ipse, quam poenam commeruisset, aestimare. Notissimum est exemplum Socratis; v. *ib.* et *Xenoph. Mem.* 1, 1. *Cic. Rep.* 2, 35. *in f.* levis aestumatio pecudum in multa constituta est.] *Id. Par.* 6. *ad f.* Aestimatio census. *Id. Cluent.* 41. *ad f.* Aestimatio litium. V. AESTIMO. *Ulp. Dig.* 1, 8, 9. Aestimationem non recipit res sacra. *Liv.* 5, 25. (*Paul. Dig.* 17, 2, 17.) venire in aestimationem; *Caes. B. C.* 1, 87. aestimationem aequam facere. *id. ib.* aestimatio possessionum, qua de re cf. *Suet. C.* 42. qui narrat Jul. Caesarem, exacto civili bello, decrevisse, ut veteres debitores creditoribus satisfacerent, datis in solutum possessionibus ea aestimatione, qua fuissent ante civile bellum, deducto etiam summae aeris alieni, quidquid usurae nomine a debitore numeratum fuisset, qua conditione quarta pars fere crediti deperibat. Hinc *Cic. Fam.* 13, 8. A. M. Laberio C. Albinius praedia in aestimationem accepit, *h. e.* quanti aestimata fuere secundum legem Caesaris, tanti in solutionem accepit. ℙ Hinc factum, ut aestimatio poneretur pro re quavis aestimata, praecipue de possessione aestimata, adeoque pro quovis praedio diceretur; sed ita, ut ad illam Caesaris legem ubique respicerent scriptores. *Cic. Fam.* 9, 18. Quando, ut video, aestimationes tuas vendere non potes, *h. e.* praedia, quae per aestimationem a debitoribus tuis accipere coactus es lege Caesaris. *Id. ib.* 16. *ad fin.* Non sis eo consilio, ut cum me hospitio recipias, aestimationem te aliquam putes accipere, *h. e.* [*per jocum quidem] jacturam aliquam facere rei familiaris: qui enim praedia in solutionem debiti a debitoribus lege Caesaris accipiebant, jacturam faciebant, ut dictum est. *Id. Att.* 12, 21. quod accipienda aliqua sit et danda aestimatio. *Id. Fam.* 5, 20. *ad f.* Nolles a me hoc tempore aestimationem accipere; nam numeratum si cuperem, non erat, i. e. nolles a me exigere, ut in solutionem debiti mei possessionem aliquam tibi cederem, aestimatam, quanti esset pecunia, a te mihi mutuo data. Ita etiam *id. Att.* 12, 25. Mihi et res et conditio placet, sed ita ut numerato malim quam aestimatione. Cicero hoc loco de emendis cujusdam Silii hortis loquitur, aitque, se eos emere malle pecunia numerata, quam aliam possessionem dando aestimatam tanti, quanti valerent ipsi horti. Similiter *Jul. Dig.* 45, 1, 54. offerre aestimationem operae, i. e. pretium ejus operae, quanti scilicet aestimata fuit. Igitur de valore, ut in sup. locis.

℗ Ponitur interdum pro ipso rei alicujus pretio. *Catull.* 12, 11. mihi linteum remitte, Quod non me movet aestimatione, Verum est μνημόσυνον mei sodalis. ℗ Item generatim pro quocunque judicio de natura aut dignitate alicujus rei. *Cic. Fin.* 3, 6. Aestimabile esse dicitur id, quod aliquod pondus habeat dignum aestimatione, quam ille ἀξίαν vocat. [*Scilicet Stoicorum haec erat sententia, solam quidem virtutem esse bonum, sed esse tamen praeterea res dignas aestimatione aliqua, *h. e.* ut proponerentur aliis ac sumerentur, tanquam valetudinem rectam, honores etc. cf. *ib.* 3, 10, 13. *Acad.* 1, 10. *Ern. in cl. Cic.* — *Liv.* 3, 63. semper aestimationem arbitriumque ejus honoris penes senatum fuisse, i. e. senatum judicasse etc. *id.* 4, 41. non militis de imperatore aestimationem esse. Sed legendum h. l. *Exist.* v. *Gron.* et *Drak.* ad h. l. ℗ Aestimatio quid differat ab existimatio docet *Gron.* ad *Gell.* 1, 3. Existimatio, inquit, interdum est sensus, sententia, judicium et facultas illa mentis, per quam de re opinamur vel judicamus, et eam vel magni vel parvi facimus: sed pro taxatione, judicatione pretii, compositione rerum, ut intelligatur, quid anteferendum, quid posthabendum sit, non puto *existimationem* dixisse veteres.] *Curt.* 3, 1. Quanta esset altitudo intueri jubent, ac nuntiare Alexandro, non eadem ipsum, et incolas aestimatione munimenta metiri. *Id. ib.* 6. Secreta aestimatione pensare aliquid. *Tac. Hist.* 1, 14. Aestimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur. *Plin.* 7, 50, 51. Quid quod aestimatione nocturnae quietis, dimidio quisque spatio vitae suae vivit? *Vell.* 2, 127. Semper infra aliorum aestimationes se metiens, *h. e.* honorifica judicia. [**id.* 97. adversus amicos aequa ac par sui aestimatio, ibique *Ruhnk.* Hinc passim interpretantur aestimationem pro jure aestimationis, quanquam hoc vix necesse est, ut *Liv.* 43, 2. frumenti aestimationem habere. ℗ Male putavit Noster poni etiam posse pro existimatione, ut *Suet. A.* 3. Sed v. intpp. ad h. l. et nos infra s. v. AESTIMO et AESTIMATOR.]

AESTĪMĀTOR, oris, m. qui rei alicui pretium statuit, ἀποτιμητής. *Cic. Par.* 6. *ad f.* Callidi rerum aestimatores prata, et areas quasdam magno aestimant. *Id. Pis.* 35. *in f.* Unus tu aestimator, unus venditor frumenti omnis fuisti. ℗ Item generatim qui de re aliqua judicat. *Cic. Marcell.* 5. Nemo erit tam injustus rerum aestimator, qui dubitet etc. *Id. Or.* 41. Quis tandem id justus rerum aestimator reprehenderet? *Id. Fin.* 3, 2. Acquissimus studiorum aestimator et judex. [*ibique *Görenz.*] *Val. Max.* 3, 2, *n.* 24. Optimus virtutis aestimator. *Curt.* 8, 1. Immodicus aestimator sui. *Plin. Pan.* 21. Aestimator parcissimus suorum beneficiorum. [**Ruhnk.* ad *Muret.* I. p. 43. *existimator*, inquit, est judex; *aestimator* qui pretium constituit, res inter se componit, ut, quid praeferendum, quid posthabendum sit, intelligat.]

AESTĪMĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad aestimationem pertinens. Aestimatoria actio dicitur a JCtis, quae proponitur tollendae dubitationis causa, quando scilicet ambigitur de nomine contractus alicujus, utrum venditionis sit, an conducti, an locati, an mandati; tunc enim datur actio in personam, quae *aestimatoria* dicitur, per quam qui rem aliquam vendendam suscepit, aut ipsam incorruptam reddere cogitur, aut ejus aestimationem. *Ulp. Dig. l.* 19. *t.* 3. qui inscribitur *De Aestimatoria*. Praeterea aestimatoria dicitur ea actio, quae alio nomine ab iisdem JCtis appellatur *actio quanto minoris*, hoc est quanto minoris res fuit contractus tempore, quam quanti empta est: et instituitur ad indemnem servandum emptorem, qui in re empta vitium aliquod detexit, quod dolose venditor tacuerat: et dicitur *aestimatoria*, quia intervenit aestimatio rei vitiosae venditae. Ejus mentio fit saepe *Dig.* 21, 1, 43. et 48. et alibi. *Cajus* etiam *ib. l.* 18. *aestimatorium judicium* appellat. Plura de his JCti.

AESTĪMĀTUS, us, m. aestimatio. In sexto casu. *Plin.* 11, 15, 15. In aestimatu est mel e thymo, coloris aurei, saporis gratissimi, *h. e.* aestimatur tanquam pretiosum. *Macrob. Sat.* 1, 16. *post med.* Aestimatu aetatis.

AESTĪMĀTUS, a, um, partic. ab aestimo, dicitur de rebus, de quarum pretio judicium factum est, ἀποτιμηθείς. *Plin.* 33, 13, 57. Aestimatus assibus quinis. *Et* 35, 6, 20. Viride Appianum aestimatum sestertiis in libras. *Festus:* Aestimata poena ab antiquis ab aere dicta est, qui eam aestimaverunt aere, ovem decussi, bovem centussi, *h. e.* multa pecuniaria a judice taxata. *Nep. Milt.* 1. Litem aestimatam solvere. V. AESTIMO. ℗ Item perpensus, judicatus. *Tac. Ann.* 6, 12. Lectum aestimatumque carmen.

AESTĪMĬĀ, ae, f. idem est q. aestimatio, teste *Festo.* Ex hoc *Festi* loco concinnavit *Roevardus*, deinde *Funccius*, particulas illas in *Leg.* XII. *Tabular. tab.* 2. Aerisque aestimiam praedicato, et *tab.* 7. Noxam aestimiam offerto.

AESTĪMĬUM, ii, n. aestimatio. *Frontin. de Colon. p.* 127. *Goes.* Alia loca pro aestimio ubertatis praecisa sunt. *Hygin. de Limit. ib. p.* 152. Possessiones pro aestimio ubertatis angustiores sunt assignatae.

AESTIMO, as, avi, atum, a. 1. τιμάω, pretium valoremque alicui rei statuo, aestimationem facio; [idem ac perpendo, trutino: verbum ductum ab *aere*, pretio ceterarum rerum. Utrum vero posterior pars verbi ab ipso τιμάω sit, quod placet *Vossio*, vehementer addubito, quod sic vox hybrida esset, et quod repugnat modus syllabae paenultimae, quae in verbo Graeco longa est. Quare malim illud *timo* vel *tumo* esse tantum productionem verbi, ut in *autumo*, et in nominibus *legitimus*, *maritimus. F.*] *Cic. Dom.* 44. Domum emit prope dimidio carius, quam aestimabat. *Id. Verr.* 2, 3, 92. Aestimare frumentum III. denariis. *Id. Verr.* 2, 4, 16. Aestimare aliquid tenuissime. *Id. Verr.* 2, 5, 9. Aestimare aliquid pecunia. *Id. Fin.* 2, 17. Magni aestimare pecuniam. *Id. Par.* 6. *ad f.* Prata et areas magno aestimare. ℗ *Aestimare litem* est decernere, quanta pecunia a reo post damnationem solvenda sit: atque hac ratione *lis* ponitur pro re, de qua lis est. Haec autem aestimatio locum habebat praecipue in judicio repetundarum, et peculatus. [*Omnino de hac formula cf. *Beier.* ad *Cic. or. p. Tullio, exc.* IV. *p.* 265.] Tunc enim damnato reo inibatur ratio furtorum ejus, damnique illati, et ad certam pecuniae summam redigebatur, quae ex ejus bonis solvenda erat. Duae enim res, inquit *Ascon. ad Cic. Verr.* 1, 2, 13., consequebantur damnationem, altera redditio pecuniae iis, ad quos pertinebat, auctioni subjectis bonis rei: altera exsilium, si de judicio repetundarum loquamur; nam in aliis judiciis non semper exsilii poena, sed aliquando sola pecuniae multa indicebatur. Interdum etiam fiebat litis aestimatio sine accusatione, et judicio, cum scilicet confesso reo pecuniae summa statuebatur solvenda. Quod si reus solvendo non esset, agebatur in eos, ad quos ea pecunia pervenisset. *Cic. loc. cit.* Septimio senatore damnato de pecuniis repetundis, lis aestimata est eo nomine, quod ob rem judicandam pecuniam accepisset. [**id. ib.* 5, 49, 128. In quaestione peculatus lites severe aestimatae laudantur *Cic. Mur.* 20, 42.] *Id. Rabir. Post.* 4. Sunt lites aestimatae A. Gabinio, nec praedes dati etc. *Id. Cluent.* 41. *ad fin.* Hoc quotidie fieri videmus, ut reo damnato de pecuniis repetundis, ad quos pervenisse pecunias in litibus aestimandis statutum sit, eos illi judices absolvant; quod cum fit, non judicia rescinduntur, sed hoc statuitur, aestimationem litium non esse judicium. Et *ib.* Omni contentione pugnatum est, ut lis haec capitis aestimaretur, *h. e.* ut lis haec, quae capitis erat, ad pecuniae solutionem reduceretur. Ita *Manut.* exponit. Translate *Liv.* 45, 24. Voluntatis nostrae tacite velut litem aestimari vestris inter vos sermonibus audio. ℗ Est etiam alia ratio *litis aestimandae*, extra judicia peculatus, et repetundarum. Nam cum de re aliqua controversia est, *aestimare litem* dicitur judex, qui pretium statuit ejus rei, de qua lis est. [*Sive, quod idem est, lis ponitur in his locis pro sumptibus, quae reo damnato sive ei, qui causa cecidit, solvendi sunt. Fiebat hoc vel in arbitriis vel in judiciis. In arbitriis quidem sive quod idem est, per arbitros *Cic. in Clod. et Cur.* 6, 1. At sum, inquit, absolutus. Novo quidem more, cui uni absoluto lites aestimatae sunt, ibique *Beier.* et, quod affert Noster, *Caes. B. G.* 5, 1. Arbitros dat, qui litem aestiment poenamque constituant, h. e. qui damnum illatum aestiment, quantaque pecunia compensandum sit, constituant. Deinde in judiciis, ut in causa proditionis *Nep. Milt.* 7. causa cognita, capitis absolutus, pecunia multatus est, eaque lis L talentis aestimata est, quantus in classem sumtus factus erat. Cf. *id. Cim.* 1, 1. *Timoth.* 3, 5.] *Cajus Dig.* 13, 3, 4. Si merx aliqua, quae certo die dari debebat, petita sit, veluti vinum, oleum, frumentum, tanti litem aestimandam, quanti fuisset eo die, quo dari debuit. *Ser. Sulpic.* ap. *Gell.* 4, 4. Si post sponsalia uxor non dabatur, aut non ducebatur, judex, quamobrem data, acceptave non esset uxor, quaerebat. Si nihil justae causae videbatur, litem pecunia aestimabat, quantique interfuerat, etc. ℗ *Aestimare nomina alicui*, dictum a similitudine aestimationis litium, est statuere et decernere quantitatem pecuniae, quae ab aliquo debiti nomine solvenda est. *Cic. Verr.* 2, 1, 39. Illarum rationum illa sunt nomina, quae Dolabellae sunt aestimata. ℗ Translate est rei cujuslibet pretium, qualitatem, vim dignoscere, ac de ea judicium ferre, κρίνω, ὁρίζω. *Cic. in Senat.* 6. *ad f.* Ii expendunt et aestimant voluptates, sententiamque dicunt, et judicant, quantum cuique libidini tribuendum esse videatur. *Id. Fin.* 3, 3. *in f.* Magno aestimare virtutem. [**Ib.* 4, 23. nonnihilo aestimandum sit. *Suet. Cal.* 39. tam magno aestimari honorem coenae suae. *Liv.* 40, 55. magno te aestimaturum. *Id.* 41, 20. magno aestimantibus se. Cf. *Ernest. et Schaefer.* in *Gloss. Liv.* Plura de ablat. ejusque ratione v. apud *Zumpt. gr. lat.* §. 73, 10. *n.* 2. *Ramshorn.* §. 109.] *Id. Att.* 7, 15. Auctoritatem alicujus magni aestimare. *Id. Rosc. Com.* 10. Nemo illum ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico aestimabat. Et *ib.* Vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat. *Catull.* 5, 2. Rumoresque senum severiorum Omnes unius aestimemus assis. *Nep. Cat.* 1. Quod non minoris aestimamus, quam quemlibet triumphum. *Sall. Jug.* 35. Aestimabitis, qualis illa pax aut deditio sit, ex qua, etc. *Ulp. Dig.* 5, 1, 5. Praetoris est aestimare, an sua sit jurisdictio. *Call. Dig.* 1, 18, 9. Aestimare debet, utrum, etc. Ita *Torrentin.*, alii *existimare*. *Suet. Aug.* 57. Quantopere dilectus sit, facile est aestimare. *Justin.* 30, 4. Nec Macedonas veteri fama, sed praesentibus viribus aestimandos. *Hor. Ep.* 2, 1, 48. virtutem aestimat annis, *h. e.* ex vetustate. *Tac. G.* 6. In universum aestimanti, plus penes peditem roboris. [*Eadem formula apud *eund Agr.* 11. Absolute utitur *id. ib.* 18. aestimantibus, quanta futuri spe tam magna tacuisset. *Ammian.* 25, 4. ut aestimaretur, seq. acc. c. inf.] *Id. Hist.* 2, 23. Prave aestimare. *Id. Agr.* 1. Optime aestimare. *Curt.* 5, 5. Aestimare aliquid vita, *h. e.* aeque carum, ac vitam. *Id.* 10, 5. Juste aestimare aliquem. *Martial.* 11, 1. Ecquid te satis aestimas beatum? [*Aestimare absolute positum idem est quod dignum aestimare s. dignari aliquem aliqua re ap. *Tac. Agr.* 5. electus, quem contubernio aestimaret i. e. magni aestimaret s. honore haberet *id. A.* 15, 2. fama quae neque summis mortalium spernenda est et a Diis aestimatur.] ℗ Pro existimare, putare, rarum est. *Phaedr.* 3, 4. Ridicule hoc magis dictum, quam vere aestimo. Et 4, 17. Turpe aestimantes aliquid commissum a suis. *Caes. B. G.* 3, 20. Aquitania, quae pars et regionum latitudine, et multitudine hominum, ex tertia parte Galliae est aestimanda. Sunt qui putant ap. *Phaedrum* priore loco legi debere *extimo*, quod sit contractum ab *existimo*, ut *dixti* pro *dixisti*. Sed hoc ex conjectura: quae etiam in posteriore locum habere potest. Apud *Caesarem* vero al. leg. *existimanda. Sall. Cat.* 8. Atheniensium res gestae, sicuti ego aestumo, satis amplae magnificaeque fuere. *Id. ib.* 31. Ne aestumarent, sibi perdita republica opus esse. [*De omnibus, quos hic laudat Noster, locis, pluribus egerunt, qui eos interpretati sunt, ad *Phaedr. Burm.*, ad *Sall. Cort.*, ad *Caes.* et *Sall. Herzog.* et *Kritz.*, probaruntque in his quidem ex parte *aestimare* praeferendum esse. Contra *existimandi* v. praeferendum *Suet. Cal.* 60. conditionem illorum temporum etiam per haec existimare quivis potest; cf. *Bremi*, qui bene monet, hujus aevi scriptores solitos esse dicere: existimare quid pro existimare de al. re, cf. etiam *Oudend.* et *B. Crus.* Porro recte habet exist. *ib. A.* 57. facile est existimare. *Ib.* 35. quo tempore existimatur lorica munitus praesedisse. Cf. de hac verborum confusione *Schaefer.* ad *Plin. ep.* 4, 9, 18. (coll. 4, 14, 6. 6, 13, 6. *Pan.* 38, 4. ibique *Schwarz.* Optime autem de discrimine ipso exposuit *Gron.* ad *Liv.* 4, 41. 34, 2. ad *Justin.* 12, 6, 5. ad *Gell.* 1, 3. quem locum exscripsimus supra sub AESTIMATIO *in f.* — Fortasse illa utriusque vocis confusio concedenda est scriptoribus infimis, ut *Hygin. fab.* 27, 29. et saepius apud illum. Recte autem ap. *Gell.* 2, 23. quem nonnulli huc trahi volebant, nunc exhibetur: quid de illo loco *existimari* debeat, pro *aestimari*, quod antea legebatur.] *Macr. Sat.* 2, 8. Multi, ut aestimo, in hoc a Varrone dissentiunt. ℗ In plerisque *Plauti* [**Sall. Cic.*] codd. saepe legitur *aestumo* prisco more scriptum.

AESTIVĀLIS, le, adj. idem quod aestivus. *Hygin. Astron.* 3, 24. Virgo dextera manu circulum aestivalem tangit, *h. e.* tropicum Cancri. Quaedam edd. habent *aequinoctialem*, sed videtur esse mendum. [Legitur etiam in *Not. Tir. p.* 113. *Aestivalis. F.*]

*AESTIVARIUM. V. AESTUARIUM.

AESTĪVĒ, adv. *Pl. Men.* 2, 1, 30. Aestive admodum viaticati sumus: i. e. tenuiter, admodum parce, joculari translatione ducta a militibus, qui iter aestate facturi, parcum viaticum secum portant, tum quia cum dies longiores sint, maturius perveniunt quo tendunt, tum quia etiam inter eundum facile provident sibi de frugibus terrae: cum contra hieme id facere non possint, conditis ubique frugibus, et nuda tellure. Ita plerique explicant cum *Turnebo* 18, 15. Alii cum *Lambino* ducunt a vestibus, quae aestate tenues et leves adhibentur.

AESTĪVO, as, avi, atum, n. i. τὸ θέρος διάγειν, propter aestum evitandum alicubi commorari: quemadmodum *hibernare* est hiemem aliquo in loco transigere. *Varr. R. R.* 2, 1. Greges ovium longe abiguntur ex Apulia in Samnium aestivatum. Et 2. Mihi greges in Apulia hibernabant, qui in Reatinis montibus aestivabant. *Plin.* 12, 5, 11. Intra sepem eam aestivant pastores, opacam pariter etc. *Suet. Galb.* 4. Idque Tusculum, ubi aestivare consueverat, avexit. *Id. Vesp.* 24. Reatina rura, ubi aestivare quotannis solebat. Adde *Stat. Silv.* 4, 22. Interdum accipitur generatim pro aestatem traducere. *Id. Th.* 5, 15. Jam Borean, imbresque pati, jam nare solutis Amnibus, et nudo juvat aestivare sub Haemo. ℗ Sol etiam *aestivare* dicitur, cum

per aestatem calores effundit. *Colum.* 11, 2. *a med.* Vinacea ita in media parte acinorum sunt, ut et a sole aestivante et a ventis protegantur. Plerique *codd.* et *editt.* habent *aestuante.* [*melius. *Schneiderі ed.* habet.]

*AESTIVOSUS, a, um, *Colum.* 5, 8, 5. aestivosis locis. Sed *Schneider.* ex edd. antiquis *aestuosis* dedit.

AESTĪVUS, a, um, adj. θερινός, qui est aestatis, vel aestate fit. *Cic. Att.* 5, 14. Aestivos menses rei militari dare, hibernos jurisdictioni. *Id. Verr.* 2, 5, 31. Aestiva tempora, aestivi dies. [**Lucr.* 5, 614. aestivis e partibus sol Aegocerotis brumales adit flexus. *ib.* 638. aestivis signis solem detrudere. *Suet. Aug.* 31. vernis floribus et aestivis.] *Id. Q. Fr.* 3, 1, 1. Aestivus locus, *h. e.* aptus ad aestivandum. Sic *Martial.* 8, 61. sub urbe rus habemus aestivum. *Flor.* 1, 11. Praeneste aestivae deliciae. *Ov. Met.* 13, 667. Umbra aestiva. *Hor. Od.* 1, 22, 18. Aura aestiva. *Virg. G.* 4, 28. Sol aestivus. *Plin.* 9, 47, 71. *aestiva animalia* appellat culices, pulices, pediculos, et alia hujusmodi, quae aestate homines infestant, hieme vero aut moriuntur, aut latent. (Eadem ratione *aestivas aves* dixit *Lic.* 5, 6. quae aestate visuntur solum, hieme recedunt, aut delitescunt.) *Id.* 12, 15. Myrrha aestiva, *h. e.* quae aestate inciditur. *Vell.* 2, 114. Expeditiones aestivae, *h. e.* quae aestate fiunt. *Liv.* 22, 14. Nos hic pecorum modo per aestivos saltus deviasque calles exercitum ducimus, [*i. e. saltus, quo pecudes aestivandi causa aguntur.] *Claud. VI. Cons. Honor.* 389. aestivae falces, *h. e.* quae aestate ad metendum adhibentur. *Id. B. Gild.* 54. Aestivae classes, *h. e.* quae aestate navigant. *Ulp. Dig.* 43, 19, 1. Aestiva aqua ea est, qua aestate sola uti expedit: sicut diximus vestimenta aestiva, saltus aestivos etc. Sermo est de iis praecique aquis, quae ad irrigandos agros derivantur. *Hyg. Astron.* 3, 9. 10. 11. etc. Circulus aestivus. [**Plin.* 11, 15, 15. mellatio, i. e. quae aestate instituitur. *id.* 2, 47, 47. ventus aestivus a) is est, qui aestate flat; b) ventus, qui ex ea regione flat, unde sol aestate oritur; *Plin. l. l.* aestivo illi (vento), cujus ex adverso est Africus i. e. Caeciac.] *Suet. Cl.* 1. Supremum diem obiit in aestivis castris, *h. e.* in quae media aestate milites secedunt quietis, et vitandi caloris causa. [*Mira interpretatio! Aestiva castra opp. hibernis; nihil amplius. Alio enim prorsus modo haec atque illa exstructa erant.] Haec dicuntur saepius *aestiva, orum,* τὰ θερινά. *Cic. Att.* 5, 17. Dum in aestivis essemus. *Id. Fam.* 2, 13. Mihi erat in animo, cum prima aestiva attigissem, militaremque rem collocassem, decedere. *Suet. Caes.* 29. Dimittere cohortes in aestiva. Ac de urbe *Curt.* 5, 8, 1. Urbem hanc nunc tenent Parthi; eaque aestiva agentibus sedes est. [*Ironice *Cic. Verr.* 2, 5, 37. Ac primo ad illa aestiva Praetoris accedunt (praedones)]. ℙ Interdum aestiva dicitur integrum aestatis tempus, quod ad res militares gerendas aptum est; [*licet usque in hiemem producatur. cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 2, 7. *post med. Cic. Pison.* 40. Nulla ex trinis aestivis gratulatio. *Id. Fam.* 3, 9. *in f.* Aliis rebus additis, aestivisque confectis [*id quod Saturnalibus demum, i. e. XIV. Kal. Jan. factum est.] *Vell.* 2, 105. Perducere aestiva in mensem decembrem, *h. e.* usque ad decembrem res gerere. ℙ Item loca, ubi greges aestatis tempore pascuntur, et aestivant. *Plin.* 24, 6, 19. Plus quam lactis herbidos per montium aestiva potus. *Virg. G.* 3, 471. Nec singula morbi Corpora corripiunt; sed tota aestiva repente, Spemque gregemque simul, *h. e.* pecora, quae in aestivis pascuntur: metonymia. Adde *Varr. R. R.* 2, 1. *ad f.* [*cf. supra *Liv.* locum.]

*AESTRAEENSIS, is, ad Aestraeum pertinens, Macedoniae, sive Paeoniae urbem, quam *Ptol.* Αἴστραιον vocat, ejusque incolas Αἰστραίους. *Plin.* 4, 10, 17. Idomenenses, Doberi, Aestraeenses. *B. A.*]

*AESTRAEUM, i, opp. in Illyria graeca, *Ptol.* ℙ Itidem in Macedonia. *Liv.* 40, 25. Sed *Drak.* Astraeum exhibuit.

AESTŪĀBUNDUS, a, um, adj. aestuans. *Pallad.* 11, 17. Cum moveris, mundo linteo tegas, per quod facile confectio aestuabunda suspiret.

AESTŪANS, antis, part. v. *aestuo,* aestum habens, ebulliens, fervens, καυσούμενος. *Plin.* 17, 4, 2. Refrigerare aestuantia. *Colum.* 11, 2. Sol aestuans. *Pallad.* 11, 14. Vina aestuantia. *Curt.* 8, 9. Purgamenta freti aestuantis. ℙ Translate est agitatus, perturbatus, incitatus, nimia anxietate sollicitus. *Cic. Fl.* 20. Hunc aestuantem et tergiversantem judicio ille persequitur. *Id. Har. resp.* 1. Exsanguis atque aestuans se e curia repente proripuit. *Id. Fat.* 8. Hoc loco Chrysippus aestuans etc. *Sall. Jug.* 98. Quae cum multos dies noctesque animo aestuans agitaret. *Catull.* 63, 47. Animo aestuante.

AESTŪĀRIUM, ii, n. [*ἀνάχυσις, *Strab.* 3. p. 140.] locus est in maris litore, ubi terra recedit, sinumque facit, marinis aquis modo refertus, modo vacuus, ex inundationibus freti, ita dictus, quod aqua ibi aestuat et ebullit, utpote in angustiis clausa, ex accessu, et recessu maris. *Festus:* Aestuaria sunt omnia, qua mare vicissim tum accedit, tum recedit. *Plin. ep.* 9, 33. Adjacet mari navigabile stagnum, ex quo in modum fluminis aestuarium emergit, quod vice alterna, prout aestus aut repressit, aut impulit, nunc infertur mari, nunc redditur stagno. *Plin.* 5, 1, 1. Affunditur aestuarium e mari, flexuoso meatu. *Id.* 3, 26, 30. Illyrici ora mille amplius insulis frequentatur, natura vadoso mari, aestuariisque tenui alveo intercursantibus. *Caes. B. G.* 3, 9. Itinera concisa aestuariis. [*Hinc accepit Onoba, oppidum Hispaniae, quoniam mare ad eam multa aestuaria efficiebat, cognomen Aestuaria. *Plin.* 3, 1, 3. Hinc translate *Tertull. Spectac.* 27. Quid facies in illo suffragiorum impiorum aestuario deprehensus? ℙ *Aestuaria* etiam dicuntur piscinae maritimae, ubi aqua non sit reses, sed continuo maris aestu reciprocetur. *Varr. R. R.* 3, 17. Hortensius piscinas M. Luculli despiciebat, quod aestuaria idonea non haberet, ac residem aquam in locis pestilentibus habitarent pisces ejus. Alii perperam leg. *aestivaria. Val. Max.* 19, 1. C. Sergius Prata peculiaria sibi maria excogitavit, aestuariis intercipiendo fluctus, pisciumque diversos greges separatis molibus includendo, ut nulla tam saeva tempestas incideret, qua non oratae mensae varietate ferculorum abundarent. Dicitur etiam de recessu fluminum intra ripas. *Plin.* 3, 1, 3. Inter aestuaria Baetis, oppidum Nebrissa. [**Caes. B. G.* 2, 28. in aestuaria ac paludes collecti. Ea aestuaria effecerat fluvius, ripas egressus.] ℙ Praeterea *aestuaria* dicuntur spiramenta, quae defodiuntur ab iis, qui puteos fodiunt. Nam cum offendunt locum vaporibus gravissimis et aestuantibus abundantem, qui fodientium spiritum intercludit, coguntur circa excavare meatus, per quos ii vapores exaestuent et exhalent. *Plin.* 31, 3, 28. Tunc secundum puteum dextra ac sinistra fodiunt aestuaria, quae graviorem illum halitum recipiant. Adde *Vitruv.* 8, 7. et *Pallad.* 9, 9. [*cf. nos sub v. AESTUS.]

AESTŪĀTIO, onis, f. actus aestuandi. Translate. *Plin.* 18, 1, 1. Relictis aestuationi suae istis hominum turbis, *h. e.* furori, perturbationi. In quibusdam MSS. *exustioni* legi testatur *Harduin.*

*AESTUI, orum, *Tac. G.* 45, 3. Dextro Suevici maris littore Aestuorum gentes alluuntur. Al. *Aestyorum,* al. *Estuorum.* Ii sunt populi, qui h. *Esthen* appellantur. cf. interpp. ad h. l.

AESTŪO, as, avi, atum, n. 1. αἴθω, καυσοῦμαι, aestu ferveo, proprie dicitur de igni; primitivum enim esse videtur gr. v. αὔω, unde etiam Auster; ignis aestuat, quum vires sumit, intenditur, et vehementius agitatur. *Virg. G.* 4, 263. Aestuat, ut clausis rapidus fornacibus ignis. *Ov. Met.* 4, 64. Quoque magis tegitur, tectus magis aestuat ignis. allegorice h. l. de amore loquitur. Deinde de effectu ignis omninoque calore fervente. *Cic. Ac.* 4, 22. Ille cum aestuaret, umbram secutus est. inest hic allegoria. *Id. Tusc.* 2, 14. Sitiendo, algendo, aestuando. *Ov. Met.* 12, 514. Aestuare sub pondere. *Colum.* 2, 3. Merum faucibus, si boves aestuaverint, infundat. *Juvenal.* 3, 103. Si dixeris, aestuo, sudat. *Pl. Poen. prol.* 43. Nunc dum scriblitae aestuant, occurrite. *Virg. G.* 1, 107. exustus ager morientibus aestuat herbis. *Propert.* 2, 28, 3. torridus aestuat aer, *h. e.* fervet, et calorem inducit. *Lucan.* 1, 16. Quaque dies medius flagrantibus aestuat horis. *Stat. Silv.* 1, 3, 7. Talis hiems tectis, frangunt sic improba solem Frigora, Pisaeumque domus non aestuat annum, *h. e.* non fervet aestu illo, quo laboratur in ludis Olympicis, qui in Elide prope Pisam aestate media celebrabantur. *Aestuare annum* hellenismus est. ℙ Significat etiam ebullire, fluctuare, agitari, diciturque de mari accedente et recedente; item de aliis aquis ebullientibus, undasque moventibus, velut si ignem suppositum habeant, [*ob similitudinem, quae est inter aquam ferventem et bullientem et mare procellis agitatum (nos *die Brandung*); ideoque etiam de fluctibus ipsis.] *Hor. Od.* 2, 6, 3. Maura semper aestuat unda. *Virg. A.* 6, 296. Turbidus hic coeno, vastaque voragine gurges Aestuat, atque omnem Cocyto eructat arenam. *Id. G.* 4, 308. tepefactus in ossibus humor Aestuat. ℙ Item de aliis rebus. *Lucr.* 5, 1095. ventis pulsa vacillans Aestuat in ramos incumbens arboris arbor, *h. e.* huc illuc agitatur. *Gell.* 17, 11. Ne quid ex esca potuque incideret in illud quasi aestuantis animae iter, *h. e.* in asperam arteriam, per quam spiritus ducitur, et emittitur, simulatque aestum maris accedentis et recedentis. ℙ Translate significat amore, desiderio, aut cupiditate flagrare: ducta translatione a prima *fervendi* significatione. *Martial.* 9, 23. Aestuet ut nostro madidus conviva ministro. *Ov. Met.* 6, 490. At rex Odrysius, quamvis secessit, in illa Aestuat. [uri in aliquo *ib.* 7, 21. 89. ardere in aliqua, *ib.* 9, 724.] *Claud. Fescenn.* 23. Quot aestuantes ancipiti gradu Furtiva carpent oscula Najades! *Id. III. Cons. Honor.* 82. de leone. stabulisque minari aestuat. *Id. Eutrop.* 1, 191. Aestuare in aurum, *h. e.* inhiare pecuniae. [**Ammian.* 21, 1. quum aestuant hominum corda; loquitur de enthusiasmo.] Dicimus etiam *aestuare desiderio, invidia,* et similia, quod est flagrare. *Cic. Fam.* 7, 18. Ut desiderio nostri te aestuare putarem. *Sall. Cat.* 24. Nam antea pleraque nobilitas invidia aestuabat. ℙ Saepius ponitur pro animo perturbatum esse, dubium, incertum, sollicitum, anxium: ducta translatione a motu maris aestuantis, et huc illuc decurrentis; vel ab iis, qui prae nimia contentione animi et vehementi cogitatione, aestuant et sudant. [*minime.] *Cic. Verr.* 2, 2, 23. Quod ubi auditum est, aestuare illi, qui dederant pecuniam: putare, nihil agi posse, absente Epicrate etc. *Sall. Or.* 2. *de rep. ord.* Aestuare, multaque in pectore volvere. *Hor. Ep.* 1, 1, 99. Aestuat, et vitae disconvenit ordine toto. *Augustus in ep. ad Liviam* apud *Suet. Cl.* 4. Semper aestuabimus, si de singulis articulis temporum deliberabimus. *Cic. Verr.* 2, 2, 30. Aestuabat dubitatione, versabat se in utramque partem non solum mente, verum etiam corpore. [cf. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 23, 6.] *Virg. A.* 12, 2, 666. aestuat ingens Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu, Et furiis agitatus amor, et conscia virtus. [**Ammian.* 17, 7. inter quas (opiniones) Aristoteles aestuat. *Id.* 15, 8. aestuansque diu, qua vi propulsaret aerumnas.]

AESTŪOSE, adv. cum aestu. *Hor. Epod.* 3, 17. Nec munus humeris efficacis Herculis Inarsit aestuosius. ℙ Item cum agitatione aquarum. *Pl. Bach.* 3, 3, 67. Acerrime atque aestuose absorbet, ubi quemque attigit, *de meretrice loquitur.*

AESTŪOSUS, a, um, adj. καυσώδης, aestu, calore plenus. *Cic. Att.* 5, 14. Iter conficiebamus aestuosa et pulverulenta via. *Plin.* 2, 47, 48. Auster aestuosus. *Id.* 23, 6, 55. Melimela, et reliqua dulcia, siticulosa, aestuosa. *Id.* 34, 12, 28. Aestuosissimi dies. *Colum.* 7, 10. Suillum animal aestuosissimum. [**Hor. epod.* 16, 64. al. 62. nullius astri gregem aestuosa torret impotentia, h. e. nimius ullius astri aestus calorque.] ℙ Item agitatus, fervens, procellosus; diciturque de motu aquarum fluctuantium. *Hor. Od.* 2, 7, 16. Freta aestuosa. *Id. Od.* 1, 22, 5. Aestuosae syrtes. *Catull.* 7, 5. Oraclum Jovis inter aestuosi, *h. e.* Jovis Ammonis templum, circa quod immensa arenarum aequora sunt, quae vento impulsae, in modum maris huc illuc agitantur.

AESTUS, us, m. magnus calor, fervor, αἴθος, καῦσων. *Suet. Aug.* 81. Neque frigora, neque aestus facile tolerabat. [*nota h. l. pluralem.] *Sall. Jug.* 55. Labore, et aestu languidus. *Hor. Od.* 1, 17, 18. Caniculae vitabis aestus. *Virg. G.* 3, 331. Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem. [**Id. ib.* 1, 297. at rubicunda Ceres medio succiditur aestu. Utroque loco intellige de summo illo meridiei calore. Plura laudat *Voss.*] *Id. A.* 2, 759. exsuperant flammae, furit aestus ad auras. *Cic. Cat.* 1, 13. Homines aegri cum aestu, febrique jactantur, etc. *Tac. An.* 15, 43. Aestu ardescere. *Vet. Poeta* apud *Cic. Tusc.* 2, 7. Aestus ulceris. *Virg. G.* 3, 459. incensi aestus. *Hor. Ep.* 1, 8, 5. oleamve momorderit aestus. ℙ Hinc ponitur etiam pro maris tempestate, agitatis vento fluctibus, undasque impetu glomerantibus, (*die Brandung*) cf. supra sub AESTUO; hinc pro fluctibus ipsis. *Virg. A.* 1, 111. Hi summo in fluctu pendent: his unda dehiscens Terram inter fluctus aperit: furit aestus arenis. *Vet. Poeta* apud *Cic. Or.* 3, 39. Undique omnes venti erumpunt, saevi exsistunt turbines, Fervet aestu pelagus. *Virg. A.* 8, 674. delphines Aequora verrebant caudis, aestumque secabant. [**Curt.* 9, 9, 18. aestus totos campos circa flumen inundaverat.] Etiam pro motu aquae in aheno ebullientis. *Virg. A.* 7, 462. magno veluti cum flamma sonore Virgea suggeritur costis undantis aheni, Exsultantque aestu latices. ℙ Ideoque etiam motus, et agitatio maris accedentis et recedentis. *Cic. Div.* 2, 14. *in f.* Quid de fretis, aut de marinis aestibus dicam? quorum accessus et recessus lunae motu gubernantur. [*cf. *Sil.* 3, 58. ibique *Drakenb.*] *Sall. fr.* apud *Gell.* 10, 26. Nactus obscuram noctem, aestu secundo, vitare proelium in transgressu conatus est. *Id.* ap. *Non.* 2, 534. Moenia oppidi stagnabant, redundantibus cloacis adverso aestu maris. *Flor.* 3, 10. Haerebat in vadis pugna, cum aestibus solitis subductus oceanus, etc. [**Ovid. Her.* 21, 42. aestus et unde refert.] Multa de maris aestu disserunt *Varr. L. L.* 8, 19. *Mela* 3, 1. et *Plin.* 2, 97, 99. ℙ Translate est impetus, vis, vehementia: ducta translatione ab aestu maris. *Cic. Leg.* 2, 4. Ne aestus nos consuetudinis absorbeat, et ad sermonis morem usitati trahat. *Id. Brut.* 81. Hunc quoque absorbuit aestus quidam non insolitae adolescentibus gloriae. Et *Or.* 3, 36. Repente te quasi quidam aestus ingenii tui procul a terra abripuit, atque in altum abstraxit. [**Quint.* 6, 2, 6. (judex) aestu fertur et velut rapido flumini obsequitur.] *Flor.* 4, 2, 64. Huc reliquias partium naufragarum quidam furoris aestus expulerat. *ib.* 2, 7. Quasi aestus et torrens fortunae. [**Quint. Decl.* 5, 5. inter illos inexplicabiles doloris aestus.] *Lucr.* 5, 1454. Aestus belli. *Hor. Ep.* 1, 2, 6. Stultorum regum, et populorum continet aestus, [*coll. v. 15.

ubi commemorat, seditionem, dolos, scelus, libidinem, iram. *Aestus pectoris* est amor apud *Ov. Her.* 16, 25. [*Heins. ib.* 4, 31.] ℙ Item perturbatio animi, dubitatio. *Cic. Div. Verr.* 14. Qui tibi aestus, qui error, quae tenebrae, Dii immortales! homini minime malo. *Plin. ep.* 9, 34. Explica aestum meum. [*cf. *Ernest.* ad h. l.] *Virg. A.* 12, 486. vario nequicquam fluctuat aestu; Diversaequae vocant animum in contraria curae. *Lucr.* 3, 144. Aestus mentis. *Virg. A.* 4, 532. et 8, 19. Fluctuare aestu curarum. ℙ Olim in 2. declinatione usurpatum fuit. *Pacuv.* ap. *Non.* 8, 9. Aesti forte ex arido. [*Et apud Trinacrium, teste *Appulej. orthogr.* fr. 62. ibique *Osann.* p. 80. *Beier.*]

*AESULA, ae, oppidum prope Tibur. *Hor. Od.* 3, 29, 6. ne semper udum Tibur et Aesulae declive contempleris arvum. cf. *Cluver. It. A.* p. 967. Etiam Aesulum reperitur. *Vell.* 1, 14. Inde Aesulanus, a, um. *Liv.* 26, 9. arx. *Plin.* 3, 5, 9. Aesulani. Scribitur etiam *Aesolani.*

[AESYMNUS, i, m. rex, praeses, ab *αἰσυμνάω*, regno, impero. Cognomen virile Romanum in *Inscr.* ap. *Mur.* 1186, 11. Q. Magio Aesymno Q. Magius Aesymnus filio pater fecit. *F.*]

*AESYROS, i, fluvius Bithyniae. *Plin.* 5, 32, 43.

AETAS, ātis, f. [*contracte pro *aevitas*] *ἡλικία*, tempus vitae hominis, ceterorumque animantium. Est autem generale nomen ad omnes humanae vitae gradus. Sex enim distinguit *Isid. Orig.* 11, 2. vitae partes, seu gradus; quorum primus est *infantia*, quae dicitur tempus vitae usque ad annum septimum: ab eo anno usque ad decimum quartum (vel decimum quintum, vel etiam decimum septimum secundum alios) est *pueritia*, seu *aetas puerilis:* inde usque ad vigesimum octavum appellatur *adolescentia:* post hanc sequitur *juventus*, quae terminatur anno quinquagesimo: deinde *aetas senioris* ad septuagesimum usque annum producitur: postremo quidquid restat vitae *senectus* appellatur. *Varro* apud *Censorin. de die nat.* 14. omissa *infantia*, definit *pueritiam* a vitae principio usque ad annum decimum quintum, *adolescentiam* usque ad trigesimum: *juventutem* usque ad quadragesimum quintum; *seniores* inde adusque annum sexagesimum appellat; indeque *senectutem* constituit usque ad finem vitae. (*Ov. Met.* 15, 200. has quatuor aetates, omissis *senioribus*, comparat quatuor anni temporibus, *pueritiam* veri, *adolescentiam* aestati, *juventutem* autumno, hiemi *senectutem. Florus* etiam *in prooem. l.* 1. omnem populi R. aetatem aetati hominum assimilat; *infantiam* sub regibus fuisse ait; *adolescentiam* sub consulibus per ducentos quinquaginta annos usque ad Ap. Claudium, et Q. Fulvium Coss., *juventutem* inde usque ad Caesarem Augustum; postea usque ad sua tempora *senectutem* constituit. Similia habet *Ammian.* 14, 6. *C. Tubero* apud *Gell.* 10, 28. [*cf. 15, 20.] scribit Ser. Tullum tres tantum aetatis gradus constituisse, et *pueros* appellasse usque ad annum decimum septimum; *juniores* usque ad quadragesimum sextum, et supra eum annum *seniores.* Hanc divisionem tangit etiam *Ulp. Dig.* 2, 15, 8. §. *Modus. Hippocrates* apud *Censorin. loc. cit.* septem aetates enumerat, primam *infantiam* usque ad septimum annum, secundam *pueritiam* usque ad decimum quartum, tertiam *adolescentiam* usque ad vigesimum octavum, quartam *juventutem* usque ad trigesimum quintum, quintam *virilem aetatem* usque ad quadragesimum secundum, sextam *senectutem* usque ad quinquagesimum sextum, septimam *aetatem decrepitam*, seu *senium*, usque ad vitae finem. ℙ Jurisconsulti eam fere aetatum divisionem sequuntur, quam tradit *Isidorus*, nisi quod interdum singulis aetatibus suos superaddunt gradus. Ceteri vero Latini scriptores plerumque ad *Varronis* aetates respiciunt. *Cic. Phil.* 11. *in f.* Nihil enim semper floret: aetas succedit aetati. *Id. Off.* 1, 34. Ineuntis aetatis inscientia. *Id. Or.* 1, 21. Ab ineunte aetate. [*Suet. Caes.* 30. aetate prima i. e. juvenis. *Id. Aug.* 84. *ib.* 3. a principio aetatis ut *Cic. Leg.* 1, 4, 13. a primo tempore aetatis. *Propert.* 1, 6, 21. Nam tua non aetas unquam cessavit Amori i. e. adolescentia. v. ibi *Broukhus.* qui cf. *Cic. Off.* 2, 13, 45. quem locum v. totum. *Suet. A.* 51. aetati indulgere, de irae fervore, ad quem adolescentia prona est. *ib.* 46. aetas pupillaris, (quae desinebat, quum virilem togam sumebant.) *ib.* 48. aetate parvi. *Id. Cl.* 46. utriusque filii aetatem commendavit, i. e. pro aetate, uterque erat adolescentulus. cf. *id. Aug.* 5. praeter aetatem (de adolescentia.] *Cic. Phil.* 2, 2. Flos aetatis, *h. e.* pueritia. Eodem sensu *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 3. [*De adolescentia florem aetatis posuit *Suet. Caes.* 49. florem aetatis in Bithynia contaminatum.] Gratus alicui aetate. V. FLOS. *Liv.* 42, 34. Cum primum in aetatem veni, pater mihi uxorem dedit, *h. e.* in adolescentiam, quae conjugiis apta est. *Cic. Sen.* 14. Bona aetas voluptatibus fruitur libentius. [*Et absolute, sensu obscoeno *Suet. Galb.* 20. fruaris aetate tua i. e. viribus aetatis virilis, (praecedit enim *ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστιν.*) *Pl. Men.* 5, 2, 6. Aetas mala. Et absolule eodem sensu. *Id. Most.* 3, 2, 154. Aetate non quis obtuerier. [*Ita etiam in lege XII. tabb. ap. *Gell.* 20, 1, forma antiquior aevitas, ibique *Gronov.*] *Cic. Sen.* 6. florens. *Id. Fam.* 10, 3. confirmata. *Pl. Ps.* 1, 2, 69. integra. [*Suet. Tib.* 10. integra aetate ac valetudine. cf. *id. Vit.* 7. *Tac. A.* 6, 46. composita aetas, i. e. placida et a vehementioribus animi motibus aliena. cf. *Ernest. Suet. Galb.* 4. eandem *constantem* dicit. cf. supra.] *Id. Aul.* 2, 1, 37. media, eodem sensu. *Cic. Sen.* 10. Infirmitas puerorum, ferocitas juvenum, gravitas constantis aetatis, *h. e.* virorum. *Id. Fin.* 5, 15. Infirma aetas. *Id. Sen.* 2. ingravescens. [*Sic *id. Fam.* 2, 1. aetas nostra jam ingr. *Manut.* monet ad h. l. Cic. tum fuisse LIV annos natum. cf. *Amic.* 10. *Liv.* 2, 19. et 10, 40. graves aetate. *Ter. Hec.* 4, 1, 32. gravior natu. *Virg. A.* 2, 436. gravior aevo. *Hor. Sat.* 1, 1, 4. gravis annis. Mire *Ammian.* 25, 4. aetate grandaevus.] *Id. Verr.* 2, 4, 43. affecta. *Matius* ad *Cic. Fam.* 11, 28. praecipitata. [*i. e. in summa senectute; v. plura ap. *Manut. Cic. Quint.* 31. Aetas prope jam acta decursaque. *id. Tusc.* 1, 39. aetas provecta et decrepita.] *Gell.* 3, 15. Philippides aetate jam edita i. e. provecta. [*Tac. A.* 1, 46. *H.* 1, 12. 3, 68. aetas fessa, i. e. ea quae jam ad senectutem vergit. *Suet. Gr.* 3. ad ultimam aetatem.] *Cic. Sen.* 18. Aetate antecellere. *Id. ib.* 7. Aetate procedere. *Ter. Ad.* 5, 3, 46. Ad omnia alia aetate sapimus rectius. *Tac. A.* 13, 15. Quartum decimum aetatis annum explere. *Cic. Att.* 4, 15. Id aetatis hominem longo sermone retinere. *Id. Fam.* 6, 20. Id aetatis jam sumus, ut etc. [*Suet. Gr.* 17. decessit aetatis exactae.] *Id. Fam.* 13, 29. Ut primum per aetatem judicium facere potueris. [*Suet. Caes.* 7. in aetate, qua. Nota *praepos.* De formula *in aetate* v. infra.] *Nep. Alc.* 11. Thucydides, qui ejusdem aetatis fuit. *Tac. Ann.* 13, 16. Cum ceteris idem aetatis nobilibus. ℙ Universim ponitur pro omni et quocumque tempore vitae humanae, quocumque tandem spatio ea definiatur. Cum enim aetatem hoc sensu usurpamus, illud universim tempus significamus, quo homines vivere solent. [*v. de hac sign. *V. D. Obss. Misc.* II, 1, 101. qui laudat *Prop.* 4, 11, 45. 1, 6, 21.] *Cic. Tusc.* 3, 25. Aetas acta honeste et splendide. *Id. Sen.* 19. Breve tempus aetatis satis est longum ad bene vivendum. [*Suet. A.* 79. per omnes aetatis gradus. *Vell.* 2, 36. quis ignorat, diremtos gradibus aetatis floruisse uno tempore etc. *Suet. Vesp.* 10. judicia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum aetas videbatur.] *Id. Leg.* 2, 1. et *Tusc.* 5, 27. Aetatem agere. [*Dicunt etiam aetatem gerere pro agere. v. *Graev.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. p. 192. *Gron. Obs.* 4, 14. et ad *Liv.* 23, 23. quos laudat *Burm.* ad *Anthol. lat. T.* II. p. 73. *Jahn.*] *Id. Off.* 1, 1. consumere in studio aliquo. *Id. Leg.* 1, 20. conterere in litibus. *Id. Fin.* 2, 35. degere omnem in tranquillitate sine dolore. *Id. Rosc. Am.* 53. degere inter feras. *Plin.* 7, 43, 45. exigere in aliqua re. *Cic. Sen.* 14. Usque adolescentiam meam processit aetate. *Id. Fin.* 2, 27. Ultimum tempus aetatis. *Id. Brut. in f.* Vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse. *Id. Sen.* 10. de Nestore. Tertiam jam aetatem hominum vivebat, *h. e.* trecentesimum agebat annum, ut poetae narrant, et in his *Ovid Met.* 12, 189. vixi Annos bis centum: nunc tertia vivitur aetas. Alii tamen volunt, has Nestoris aetates singulas triginta annis plus minus constare: quo sensu *Plin.* 16, 44, 87. Obiit Amphiaraus apud Thebas, una aetate ante Iliacum bellum, *h. e.* annis triginta septem, ut *Harduinus* ostendit. *Servius* etiam ad *G.* 3, 190. docet, aliquando aetatem triginta annorum spatium significare. [*Graeci hoc sensu utuntur v. *γενεά.* Omnino triginta et quod excurrit, anni hoc voc. significantur. cf. *Muret. V. L.* 10, 8. quem laudat *Boecler.* ad *Vell.* 1, 2. qui et ipse alia collegit.] *Hor. Epod.* 16. Altera jam teritur bellis civilibus aetas. ℙ Item generatim pro tempore, [*neque tamen in universum de infinito aliquo tempore; sed semper de certo quodam ac finibus circumscripto temporis spatio; nisi quod poetae interdum liberius utuntur, ac plurali numero scriptores. *Suet. A.* 31. insequentium aetatum Principes. Eodem modo intelligendus *Quint.* 10, 7, 4. quid porro multus stilus et assidua lectio et longa studiorum aetas facit. i. e. longum aetatis tempus. *Burm.* comparat aliena. v. *Frotscher. id.* 1, 8, 8. ceteris, quae ad eruditionem tantum pertinent, longa aetas spatium dabit. coll. *Hor. Sat.* 1, 4, 132. Ac *Tibull.* 4, 1, 11. neget ne longior aetas, i. e. remotior ab illa aetate; posteritas.] *Cic. Tusc.* 5, 3. Heroicis aetatibus Ulyssem, et Nestorem accepimus fuisse satientes. *Nep. Iph.* 1. Cum primis aetatis suae compientes. parabatur. *Plin.* 16, 44, 91. aetate nostra. [*Cic. *Rep.* 1, 1. qui procul absunt ab aetatis hujus memoria. *Sen. Qu. Nat.* 7, 23. hoc cometae duo nostra aetate fecerunt. *Cic. Lael.* 27. ita ratio comparata est vitae naturaeque nostrae, ut alia aetas oriatur. V. *Beieri* ad h. l. annot. *Vell.* 1, 16. una, neque multorum annorum spatio divisa aetas per Aeschylum, Sophoclem, Euripidem illustravit tragoedias. *Tac. Agr.* 1. incuriosa suorum aetas.] *Virg. Ecl.* 9, 51. Omnia fert aetas, animum quoque. *Stat. Th.* 3, 562. Quid crastina volveret aetas, Scire nefas homini. *Hor. Od.* 4, 9, 9. Nec, si quid olim lusit Anacreon, Delevit aetas. *Propert.* 1, 4, 7. Et quascumque tulit formosi temporis aetas, *h. e.* tempus illud, quo puellae omnes formosae nascebantur. ℙ Item pro hominibus ipsis ea aetate viventibus, de qua sermo est. *Liv.* 27, 51. Tum enimvero omnis aetas currere obvii. Al. leg. *obviam.* [*Tac. A.* 13, 16. jacuit immensa strages, omnis sexus, omnis aetas. *Suet. Cal.* 4. sexum, aetatem, ordinem omnem. Ubique in his abstractum pro concreto.] *Hor. Od.* 1, 35, 34. Quid nos dura refugimus Aetas? quid intactum nefasti Liquimus? *Id. Epod.* 16, 9. Impia perdemus devoti sanguinis aetas. *Ovid. Fast.* 6, 639. Disce tamen veniens aetas. Adde *ib.* 1, 246. Huc et illa pertinent *Pl. Men.* 4, 3, 1. Sibi inimicus magis, quam aetati tuae, *h. e.* tibi. *Et Capt.* 4, 2, 105. Vae aetati tuae! [*Praecipue *Tac.* ut *H.* 3, 68. fratrem et conjugem et innoxiam liberorum aetatem miserarentur, i. e. innocentes liberos.] *Symm. ep.* 9, 24. Quod non dubito aetati tuae homines indicasse, *h. e.* tibi. Alii legunt *praestantiae tuae. Gell.* 4, 7. Valerius Probus grammaticus inter suam aetatem praestanti scientia fuit, *h. e.* inter suae aetatis homines. ℙ Etiam rebus inanimis tribuitur. *Papinian. Dig.* 30, 58. Aetates aedificiorum. *Plin.* 23, 1, 20. Falernum nec in novitate, nec in nimia vetustate salubre est. Media ejus aetas a quintodecimo anno incipit. *Id.* 15, 2, 3. Plurimum aetatis oleo annuo est. Hinc *aetatem ferre* dicitur aliquid, quod servatum diu durat: quod et *ferre annos*, aut *vetustatem* dicimus. V. FERO. Hinc est lepidus *Ciceronis* jocus apud *Macrob. Sat.* 2, 2, 3., qui cum apud Damasippum quendam coenaret, et ille mediocri vino posito diceret: *Bibite Falernum hoc: annorum quadraginta est; Bene*, inquit, *aetatem fert. Petron. fr. Trag.* 43. *Burm.* Illum annos secum tulisse septuaginta, et supra: sed corneolus fuit: aetatem bene ferebat, niger tanquam corvus. Adde *Sen. ep.* 88. ℙ *Aetates mundi* quatuor facit *Ovid. Met.* 1, 3. et 4. [*coll. *Hesiod. op.* 109. *Virg. A.* 8, 319.] scilicet *auream* sub Saturno (quam describit *Tibull.* 1, 3. *a vers.* 35. et *Ovid. Met.* 1. *a vers.* 89.) *argenteam* sub Jove, *aeneam*, et *ferream:* quibus vocibus significantur mores hominum primum quidem simplicissimi, auroque similes; deinde minus boni ac degeneres; tum aliquanto deteriores, postremo corruptissimi. V. *Ovid. loc. cit.*, *Juvenal. initio Sat.* 6. et *Lactant.* 5, 5. Hanc ipsam aetatum varietatem Latinae Linguae vicissitudini tribuunt Eruditi. ℙ *Aetatem* adverbii more, *h. e.* perpetuo, semper, tota vita, *διὰ βίου. Ter. Heaut.* 4, 3, 38. Quid, malum, me aetatem censes velle id assimularier? *Pl. Asin.* 2, 2, 8. et 18. Ut aetatem ambo nobis sint obnoxii. Item diu, longo tempore. *Lucret.* 6, 235. Quod solis vapor aetatem non posse videtur Efficere. *Ter. Eun.* 4, 5, 8. An abiit jam a milite? *Ch.* Jamdudum aetatem. Eod. sensu usurpatur etiam *aetate. Flor.* 3, 13. *in fin.* Relictas sibi a majoribus sedes, aetate, quasi jure hereditario, possidebant. ℙ *In aetate* idem est ac interdum. *Pl. Trin.* 1, 1, 1. Amicum castigare ob meritam noxiam, immune est facinus, verum in aetate utile. (Haec verba habentur etiam apud *Auct. ad Herenn.* 2, 23. et *Cic. Invent.* 1, 50.) *Id. ib.* 2, 4, 60. Stulte facere, et stulte fabularier, utrumque, Lesbonice, in aetate haud bonum est, *h. e.* nunquam in vita bonum est. ℙ In genitivo plurali fere *aetatum* dicimus, sed etiam *aetatium* usurpari potest. *Vell.* 2, 89. Favore omnium hominum, aetatium, ordinum exceptus. [*ibique *Burm.*] *Gell.* 14, 1. Homines omnium aetatium. Adde *Liv.* 1, 43., 9, 17. et 26, 9. *extr.* ex opt. MSS. [*cf. *Oud.* ad *Suet. A.* 31.] ℙ Masculino genere. *Pl. Trin.* 4, 4, 83. Quorum causa fui hoc aetate exercitus. Ita *Non.* 3, 13. Alii omnes *hac.* [*Scilicet pravo ille usus est cod., in quo antea *hoc aetatis* legebatur. Jam vidit *Dousa* 3, 25. ℙ *Aetas* et *aestas* confunduntur; v. AESTAS, et *Burm.* ad *Virg. G.* 190. quem l. Noster supra laudaverat, ut ostenderet *aetatem* esse i. q. *annum*, quod fieri nequit. Quod pro hac signif. nonnulli ex *Varrone* afferunt: aetatem vix decimam ingressus; id et ipsum corrigendum esse videtur in *aestatem.*]

AETĀTŬLA, ae, f. *ἡλικία*, diminut. aetas modica et tenerior puerorum; item adolescentium. *Cic. Fin.* 5, 20. Facile est haec cernere in primis puerorum aetatulis. *Id. Har. resp.* 20. Primam aetatulam ad libidines deferre. *Suet. Cl.* 16. Alium corruptelis adulteriisque famosum, nihil amplius quam monuit, ut aut parcius aetatulae [*l. e. libidini juvenili] indulgeret, aut certe cautius. [*coll. *id. Galb.* 20.] *Pl. Pseud.* 1, 2, 40. Vobis, mulieres, hanc habeo edictionem: vos quae in munditiis, mollitiis, deliciisque aetatulam agitis, etc.

AETERNĀBILIS, le, adj., id. q. aeternus. *Accius* ap. *Non.* 7, 64. Aeternabilem divitiam partissent. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theodos.* 11, 20, 3. Aeternabilis urbs, *h. e.* Roma.

AETERNĀLIS, le, adj., idem quod aeternus. *Tertull. advers. Jud.* 6. Lex temporalis, et aeter-

nalis. *Vet. Inscr.* ap. *Grut.* 752, 3. Aeternali somno sacrum i. e. morti.

AETERNITAS, atis, f. *ἀιδιότης*, tempus fine et principio carens. *Cic. N. D.* 1, 9. Fuit quaedam ab infinito tempore aeternitas, quam nulla temporum circumscriptio metiebatur. *Id. Divin.* 2, 7. Quae fiunt, quaeque futura sunt, ex omni aeternitate definita esse fataliter. *Id. N. D.* 3, 6. Quod semper ex omni aeternitate verum fuerit, id esse fatum. *Id. ib.* 1, 41. Deum nihil aliud in omni aeternitate cogitantem. *Id. Fat.* 14. Hoc est verum ex aeternitate, *h. e.* semper verum fuit. *Id. Div.* 1, 55. Ex omni aeternitate fluens veritas. ℙ Saepe latiore significatione usurpatur pro longa diuturnitate temporis. *Id. ib.* 14. Divinatio ab omni aeternitate repetita. *Id. Pison.* 3. Mihi populus Romanus non unius diei gratulationem, sed aeternitatem, immortalitatemque donavit. *Id. Phil.* 14, 13. Exstructio, quae sit ad memoriam aeternitatis ara virtutis. *Suet. Ner.* 55. Cupido aeternitatis perpetuaeque famae. [**Tac. Agr. in f.* in aeternitate temporum, fama rerum.] *Plin.* 13, 5, 11. Cedri materiae aeternitas. ℙ *Aeternitas* olim Romanis imperatoribus tribuebatur, eadem assentatione, qua et divinitas. *Plin. ep.* 10, 87. *ad Traj.* Rogatus, Domine, a Nicensibus per aeternitatem tuam salutemque, ut, etc. *Imp. Constant. Cod.* 11, 9, 2. Adoraturus aeternitatem nostram. [*Saepe etiam Securitas et aeternitas Romani Imperii celebratur, praecipue in nummis. *Ruhnken.* ad *Vell.* 2, 103. et *Spanhem. de U. et P. N.* II. p. 346. et 384. *Suet. Ner.* 11. ludis, quos pro aeternitate Imperii susceptos appellari Maximos voluit.] ℙ [*Aeternitatibus* legitur in numm. Imp. Alex. Severi apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 278., qua voce fortasse significantur acclamationes imperatoribus fieri solitae. Has describit *Lamprid.* in *Alex. Sev.* 6. *F.*]

AETERNO, adv. *Plin.* 2, 107, 111. Viret aeterno hunc fontem igneum contegens fraxinus. [*Sed antiquissima Parmensis anni 1476. *ex aeterno.* Cf. intpp. ad *Ov. Am.* 3, 3, 11. *Inscr.* ap. *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 1. p. 73. *edit. Mediol.* Ne deserta vacent ignotis devia busta, Sed tuta aeterno maneant, si dicere fas est. Haec optimae notae inscriptio pertinet ad ann. 16. post Chr. n. *F.*]

AETERNO, ās, a. l. *ἀθανατίζω*, aeternum, seu perpetuum facio. *Hor. Od.* 4, 14, 3. tuas, Auguste, virtutes in aevum, Per titulos, memoresque fastos Aeternet. *Varr.* ap. *Non.* 2, 57. Litteris ac laudibus aeternare.

AETERNUS, a. um, adj. *ἀείδιος*, perpetuus, qui neque principium, neque finem temporis habet. Videtur esse ab *aeviternus* per syncop. *Cic. Fin.* 2, 27. Deus beatus et aeternus. *Id. N. D.* 1, 8. Nihil quod ortum sit, aeternum esse potest. [**Cic. Rep.* 6, 23. (*Somn. Sc.* 7.) non modo aeternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus.] ℙ Saepissime latius sumitur pro eo, qui tota vita, vel generatim longo tempore durat. *Cic. in Senat.* 14. Si mihi aeternam esse aerumnam propositam arbitrarer, morte me ipse potius multassem. *Sall. Jug.* 36. Vobis aeterna sollicitudo remanebit. *Ter. Eun.* 5, 2, 33. Dehinc spero aeternam inter nos gratiam fore. *Pl. Capt.* 4, 1, 13. Spero me ob hunc nuntium, aeternum adepturum cibum. *Plin.* 16, 4, 5. Aeterni mores, *h. e.* antiquitus servati, et aeternitate digni. *Id.* 14, 1. 2. *de vite.* Nec est ulli ligno aeternior natura. *Lactant. Epit. circa med.* 9. aeterniora mala. *Virg. A.* 8, 394. Tum pater aeterno fatur devinctus amore, *h. e.* amore, quo jamdiu amavit, et diu amaturus est; atque adeo amore maximo. *Curt.* 4, 1. Ablue corpus illuvie, aeternisque sordibus squalidum, *h. e.* inveteratis. [**Ov. Met.* 5, 391. aeternum ver; opp. breve. V. *Heins. ib.* 1, 116. *Ov. Pont.* 2, 10, 13. *Tib.* 4, 1, 180. aeternus Homerus. *Id.* 4, 1, 34. aeternus versus, i. e. carmen perpetuum. Aeterna sedes i. q. sepulchrum. *Cic. Rep.* 6, 23. aeterna domus i. e. caeli palatia in aeternum condita. *Quint. Decl.* 12, 14. nihil fortunatius in aeterna sede utcunque compositis puto; adeo mors placet. Cf. ibi et ad *Petron.* 71. *Burm.* Paullo aliter *Sil.* 17, 466. tum manes inimicus sede repellat aeterna i. e. Averno, campis Elysiis. Comparat *Drak. Sen. Hipp.* 1240. recipe me aeterna sede non exiturum. *Sil.* 3, 36. aeterno tum primum tractus ab antro i. e. unde (Cerberus) nunquam erat abstrahendus, ut exponit *Drak.* Poterat h. l. uti *Burm.* ad explic. *Ov. Met.* 4, 662. Clauserat Hippotades aeterno carcere ventos quem non una conj. tentarunt VV. DD. cf. *Sil.* 9, 117. haec tibi — Dona fero, nati ut figas aeterna sepulchro, i. e. unde nunquam erunt refigenda, ideoque durantia, firma. *Id.* 7, 741. aeternae umbrae, de Styge. *ib.* 13, 611. Vipereo domat hunc aeterna Megaera flagello; aeterna enim dicitur, quod eum in aeternum domat. — *Hor. Od.* 2, 11, 11. quid aeternis minorem consiliis animum fatigas? i e. consiliis, quae in remotissima tempora praecipiuntur.] ℙ Speciatim *aeterna* dicta est urbs Roma, quod aeternum duraturum ejus imperium credebatur. [*Sive, ut expl. *Ammian.* 14, 6. victura dum erunt homines. Ceterum jam *Tibullus* 2, 5, 23. aeternam dixit urbem, ad quem l. cf. *Vulp.* p. 108.] *Imp. Const. Cod.* 11, 16, 1. Porcinarii urbis aeternae. *Symm. ep.* 3, 55. Quid aeternae urbi in dies frugis accedat. ℙ *In aeternum*, et *aeternum* absolute adverbii more, est in aeternum tempus, *ἀεί. Liv.* 28, 28. et 4, 4. Urbs auspicato, Diis auctoribus in aeternum condita. *Virg. A.* 6, 617. sedet, aeternumque sedebit Infelix Theseus. *Plin. Pan.* 35. Non in praesens tantum, sed in aeternum repressisti. *Lactant.* 1, 11. Ut nefandi sceleris memoria maneat in aeternum. *Quint. decl.* 6, 6. Supremum, et in aeternum. Adde *Justin.* 3, 4. *in f.* ℙ *Aeternum* significat etiam assidue. *Virg. A.* 6, 400. licet ingens janitor antro Aeternum latrans exsangues terreat umbras. *Id. G.* 2, 400. glebaque versis Aeternum frangenda bidentibus. ℙ *Aeternum* pro *aeternorum. Pacuv.* apud *Non.* 9, 1. Aeternum morum sator. ℙ [**Aeternus* et *infernus* passim confunduntur. V. quos laudat *Drak.* ad *Sil.* 3, 36.]

[AETETE, es, f. AETETUS, i, m. qui, vel quae petitur, expetendus et expetenda. Cognomen muliebre in *Inscript.* ap. *Murat.* 898, 9. Vennonia Aetete conjugi pientissimo fecit. Et cognomen libertinum in *Inscr.* apud *Maff. Mus. Ver.* 454, 6. Aetetus Augg. NN. Lib. *F.*]

AETHALE, es, f. *Αἰθάλη*, insula eadem, quae Aethalia. *Serv.* ad *A.* 10, 173.

AETHALIA, ae, f. *Elva*, *Elba*, insula maris Tyrrheni contra Populonium Etruriae urbem, metallis ferri abundans, ita dicta a Graeco *αἰθάλη*, *fuligo*, quia ibi Vulcani officinas esse fabulantur. *Plin.* 3, 6, 12. Ilva cum ferri metallis, circuitu centum mill., a Populonio decem, a Graecis Athalia dicta. ℙ Etiam Chios, *Scio*, olim Aethalia dicta est. *Plin* 5, 31. 38.

AETHALIDES, ae, m. *Αἰθαλίδης*, filius Mercurii et Eupolemiae Myrmidonis filiae, Larissaeus, unus ex Argonautis, quem sagittandi peritum laudat *Val. Fl.* 1, 437; Adde *Hygin. fab.* 14.

AETHALUS, a, um, adj. ita appellatur genus uvae fuliginosae in Aegypto provenientis: ab *αἰθάλη*, fuligo. *Plin.* 14, 7, 9. [**Hard.* pro *aethalo* legi vult *euthalo.*]

AETHER, ĕris, et ĕros, m. *αἰθήρ*, *έρος*, ignis elementum in suprema caeli regione constitutum: ab *αἴθω*, flagro: et tum pro ipso igne, tum pro ejus ignis loco accipitur. Pro igne. *Cic. N. D.* 2, 33. Ex terra aqua, ex aqua oritur aer, ex aere aether: deinde retrorsum vicissim ex aethere aer, ex aere aqua, ex aqua terra infima. ℙ Pro ignis elementaris loco. *Cic. ib.* 36. Aerem amplectitur immensus aether, qui constat ex altissimis ignibus. Mutuemur hoc quoque verbum, dicaturque tam aether Latine, quam dicitur aer. Et 40. Restat ultimus, omnia cingens, et coercens caeli complexus, qui idem aether vocatur; extrema ora, et determinatio mundi: in quo cum admirabilitate maxima igneae formae cursus ordinatos definiunt. *Lucr.* 5, 499. Inde mare, inde aer, inde aether ignifer ipse. ℙ Item generatim pro caelo. [*Cf. de hac signif. *Voss.* ad *Virg. G.* 3, 261.] *Appul. de Mundo* p. 57, 29. *Elm.* Caelum ipsum stellaeque caeligenae, omnisque siderea compago aether vocatur, non, ut quidam putant, quod ignitus sit et incensus (ab *αἴθειν*), sed quod cursibus rapidis semper rotetur (ab *ἀεὶ θέειν*). *Virg. A.* 1, 382. fama super aethera notus. *Id. A.* 12, 140. rex aetheris altus Juppiter. *Stat. Th.* 3, 524. et regna profundi Aetheros. *Claud. Gigant.* 60. jam signa ruendi His aether, his terra dedit. Et abstractum pro concreto, sive aether pro iis qui coelum incolunt, i. e. Dii in universum. *Id. Rapt.* 3, 200. Insidias superum, cognatae vulnera cernis invidiae: Phlegra nobis infensior Aether. ℙ Interdum pro lumine. *Val. Fl.* 5, 183. simul aethere plena corusco Pallas. ℙ Accipitur etiam saepissime praesertim a poetis pro aere. *Lucr.* 2, 1112. Humor ad humorem, terreno corpore terra Crescit, et ignem ignes procudunt, aetheraque aether. *Hor. Od.* 2, 20. Non usitata, nec tenui ferar Penna biformis per liquidum aethera Vates. *Virg. A.* 8, 28. Cum pater in ripa, gelidique sub aetheris axe, etc. *Id. A.* 7, 65. apes liquidum trans aethera vectae. *Id. A.* 1, 595. Scindit se nubes, et in aethera purgat apertum. [**Sil.* 2, 513. Severa levi decurrens aethere virgo.] ℙ Hinc comparatione Inferorum Aether aliquando sumitur pro terra, quam habitamus. *Virg. A.* 6, 436. quam vellent aethere in alto Nunc et pauperiem, et duros perferre labores! de iis loquitur, qui apud Inferos poenas luunt malefactorum ℙ In fabulis *Aether* Deus est, quem Stoici eundem esse ac Jovem putarunt, summum nempe Deum, et omnia regentem, ut ait *Cic. Acad.* 4, 41. Alii vero commenti sunt, Aetherem esse Caeli patrem, Caelum autem Saturni, ut est apud eundem *Cic. N. D.* 3, 17. Ipsius autem Aetheris parentes dicuntur esse Chaos, et Caligo, vel Nox. Addit *Hygin. in. fab.* ex Aethere et Die ortos Caelum, Terram, Mare: ex eodem et Terra natos esse Dolorem, Luctum, Mendacium, Ultionem, etc. Sane poetae nonnunquam pro summo Deo Aetherem accipiunt. *Claud.* VI. *Cons. Honor.* 352. tum providus Aether Noluit humano titulos auferre labori. Speciatim etiam pro Jove, qui aeris Deus, et pater est, cujus conjux Terra esse dicitur, quia ex aere, et inde ortis imbribus fecundatur. *Lucr.* 1, 25. pereunt imbres: ubi eos pater Aether In gremium matris terrai praecipitavit. *Virg. G.* 2, 325. Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether, Conjugis in gremium laetae descendit, etc. [*Cf. *Voss. Auct. Ibid.* 72. Ipse meas Aether accipe summe preces.] ℙ *Aethera* in plurali numero, et neutro genere usurpatum est a *Mario Victore Massiliensi*, et a *Beda* apud *Voss. de Art. gramm.* 3, 39., [*imo *de anal.* 1, p. 575.] qui non sunt imitandi. ℙ [*Commutantur *aether* et *aequor.* V. AEQUOR. Item *aer* et *aether.* Cf. *Drak.* ad *Sil.* 13, 527.]

AETHERIUS et Aethereus, a, um, *αἰθέριος*, ad aetherem pertinens, qua ignem elementarem, vel ejus locum supremum in caelo significat. *Cic. N. D.* 2, 24. *in f.* Altissima aethereaque natura, i. e. ignea, quae, etc. *Hor. Od.* 1, 3, 29. Post ignem aetheria domo Subductum. *Lucr.* 4, 391. Sidera cessare aetheriis affixa cavernis, *h. e.* aetheri affixa; ea enim stellarum sedes est. *Virg. A.* 5, 518. et 838. Astra aetheria. ℙ Item ad aetherem pertinens, qua aerem, vel aeris regionem significat. *Lucr.* 4, 182. Aetheriae nubes. *Id.* 3, 406. Aetheriae aurae. *Virg. A.* 1, 550. vesci aura aetheria. *Id. ib.* 402. Aetheria plaga lapsa Jovis ales. *Ov. Fast.* 1, 682. aetheria aqua, *h. e.* pluvia. *Aetheria terra* olim dicta est luna, (credita et ipsa alere homines) nempe respectu terrae nostrae, quam incolimus. *Macr. Somn. Sc.* 1, 11. ℙ Sumitur etiam generatim pro caelesti. *Martial.* 9, 36. et 37. Aetherius pater. *Ovid. A. Am.* 3, 549. Est Deus in nobis, et sunt commercia caeli: Sedibus aetheriis spiritus ille venit. *Id. Met.* 15, 858. Juppiter arces Temperat aetherias. *Martial.* 9, 4. Olympus aetherius. *Tibull.* 1, 8, 15. Taurus mons aetherio vertice, *h. e.* caelum tangente. *Catull.* 66, 55. Isque per aetherias me tollens advolat umbras, *h. e.* per caelum sparsas. *Tibull.* 3, 4, 17. nox aetherium nigris emensa quadrigis Mundum. *Martial.* 3, 6. Imputat aetherios ortus haec prima parenti, *h. e.* haec dies in lucem edidit parentem, et *aetheria aura vesci* dedit. *Ovid. Fast.* 1, 473. aetherios animo conceperat ignes, *h. e.* divinum oestrum, *ἐνθουσιασμόν.* ℙ [*Quondam Aethiopia, fortasse pars tantum ejus Aetheria dicta, auctore *Plin.* 6, 30, 35.] ℙ Duplici ratione haec vox scribi potest, ut dictum est. *Aetherius* magis placet *Manut. in Orthogr.* et *Dausq.*, sed et *Aethereus* suos habet assertores, praeter alios *Pierium* ad *A.* 5, 517., qui et ipse veterum se exemplarium auctoritate tuetur. [*Cf. AERIUS. ℙ Comparat. *aetherior* ap. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.*, ed. *Ang. Maj.* 3, 68. Majestatis effigiem videt et fulgore aetheriore nitentem. *Bail. Auct.*]

*AETHION, ōnis, vates quidam ita dicitur ap. *Ov. Met.* 5, 146.

*AETHIOPE, es, *Αἰθιόπη*, ita Lesbos insula olim dicta; *Plin.* 5, 31, 39. *Hesych. Αἰθίοψ, ὁ Λέσβιος.*

AETHIOPIA, ae, f. *Αἰθιοπία*, regio est Africae, cis et ultra aequatorem. Quidquid ejus fertile est, sub meridiano cardine est; circa vero occiduum montuosa est, arenosa in medio; ad orientalem plagam deserta. Ejus situs ab occasu ad Atlantem montem, ab oriente usque in Aegypti fines porrigitur, a meridie Oceano, a septentrione Nilo flumine clauditur. Nomen habuit ab Aethiope Vulcani filio, ut scribit *Plin.* 6, 30, 35., vel potius a nigredine incolarum, Graeco vocabulo *αἴθειν*, urere, et *ὤψ*, *ὠπός*, vultus: cum enim jugis ibi aestus sit, Aethiopes nigro et adusto colore sunt. Dividitur in orientalem, et occidentalem, ut ex *Homero* docet *Plin.* 5, 8, 8. [*Cf. *Cramer.* ad *Schol. Juven.* 4, 150. *Bail. Auct.*]

AETHIOPICUS, a, um, adj. ad Aethiopiam pertinens. *Plin.* 6, 30, 35. Aethiopicus Oceanus. *Id. ib.* 29, 25. Aethiopicum bellum. *Id.* 5, 9, 10. Aethiopicae naves. *Id.* 37, 7, 35. Carbunculi Aethiopici.

AETHIOPIS, ĭdis, f. *αἰθιοπὶς*, herba est folio similis lactucae, in Aethiopia nascens, vel in Meroe Nili insula, a qua etiam *Merois* dicitur, cujus tactu (si magorum vanitati credimus) clausa omnia aperiuntur, conjectu amnes et lacus exarescunt. *Plin.* 26, 4, 9. et 24, 17, 102. ℙ Idem *Plin.* aliam videtur innuere herbam eodem nomine 27, 4, 3. cum ait, folia habere phlomo, seu verbasco similia, magna et multa, caulem quadrangulum, semen ervo similem, radices numerosas, etc. [*Est incerta species salviae.]

AETHIOPISSA, ae, f. femina Aethiops. *Hieron. ep. ad Eustoch.* 22, 1. Non est sponsus tuus arrogans, non superbus: Aethiopissam duxit uxorem.

AETHIOPS, ōpis, m. 3. *Αἰθίοψ*, qui est ex Aethiopia. De notatione V. in AETHIOPIA. *Plin.* 2, 78, 80. Aethiopas vicini sideris vapore torreri, adustisque similes gigni, barba et capillo vibrato. ℙ Servos Aethiopes habere magnificum erat apud Romanos. *Ter. Eun.* 1, 2, 85., *Tibull.* 2. 3, 55. ℙ Sumitur interdum generatim pro homine nigri

coloris. *Juvenal.* 2, 23. Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus. *Plin.* 32, 10, 52. Saepiae atramento tanta vis est, ut in lucerna addito, Aethiopas videri, ablato priore lumine, Anaxilaus tradat. ℙ Et quia Aethiopes non colore solum, sed cetera etiam corporis orisque constitutione deformes esse solent, labro tumenti, distortis ut plurimum cruribus, etc., et praeterea stupido ingenio, hinc *Aethiops* nomen est convicii. *Cic. in Sen.* 6. Cum hoc homine, an cum stipite Aethiope, si in foro constitisses, nihil crederes interesse. ℙ Hinc etiam *Aethiopis occursus* inter mala omina habitus est, ut colligitur ex *Juvenal.* 6, 600., *Flor.* 4, 7. et *Spartian. Sever.* 22. ℙ Adjective. *Ovid. Met.* 15, 318. Cui non audita est obscenae Salmacis undae, Aethiopesque lacus? Hinc fit, ut etiam in feminino genere usurpari possit. ℙ Mediam syllabam produxit *Sidon. carm.* 11, 18. Aethiops, Phrygius, Parius, Poenus, Lacedaemon: necessitate metri sic postulante, quia inter duas longas una brevis sita est: qua ratione etiam longa inter duas breves aliquando corripitur. Alii leg. *Aethiopus.*

AETHIOPUS, i, m. id. qu. Aethiops. *Lucil.* ap. *Prisc.* 6. p. 689. Rhinoceros velut Aethiopus. Adde *Serv.* ad *A.* 1, 605. [*Cf. *Voss. de anal.* I. p. 565.]

*AETHLIUS, i, Αἴθλιος, Jovis filius ex Prologenia, Deucalionis filia, matre Endymionis. *Hygin. fab.* 155. Cf. *Apollod.* 1, 7. *Bayl. Auct.*

AETHON, ŏnis, m. *Αἴθων*, nomen unius ex quatuor equis Phoebi currum trahentibus: quorum haec in fabulis nomina traduntur, *Pyroeis* seu *Pyrois*, *Eous*, *Aethon*, *Phlegon:* quibus Solis officia, et effectus significantur. Nam *Pyroeis*, πυρόεις, est ignitus, ardens, a πῦρ, ignis; *Eous*, ἠῷος, est spirans, ab ἄω, spiro; *Aethon*, est ardens et splendidus, ab αἴθω, uro, fulgeo. (Possis etiam deducere ab ἀεὶ θέειν, assidue currere, ut monet *Servius* mox citandus.) *Phlegon*, φλέγων, est inflammatus, a φλέγω, uro. *Ov. Met.* 2, 153. Interea volucres Pyroeis, Eous, et Aethon, Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant. ℙ Aethon tribuitur etiam Aurorae a *Serv.* ad *A.* 11, 90., itemque a *Claud.* VI. *Cons. Hon.* 560.. ubi eum *Aurorae nuncium* appellat, *stellasque hinnitu fugare* dicit. ℙ Item Plutoni ab eodem *Claud. Rapt.* 1. *in f.* ℙ Denique etiam equus Pallantis hoc nomine appellabatur apud *Virg. A.* 11, 90. ℙ [Est etiam nomen servile in *Inscr.* ap. *Grut.* 962, 8. Domitia Ɔ. L. Proba sibi et Aethoni sororis *Filio Viva Fecit. F.*]

AETHRĂ, ae, f. *Αἴθρα*, filia Oceani, et Tethyos, uxor Atlantis filii Iapeti, mater Hyadum et Plejadum. *Ov. Fast.* 5, 171. Alii tamen Plejades filias esse dicunt Plejones. ℙ Item Pitthei, vel Pithei regis filia, uxor Aegei, mater Thesei. *Hygin. fab.* 37., *Ov. Her.* 10, 131. etc. [**Apollod.* 3, 10, 7. *ib.* 15, 7.]

AETHRĂ, ae, f. a verbo Graeco αἴθρα, quod aeris serenitatem significat: ex quo recte *Serv. ad A.* 3, 585. monet, *aethran* proprie significare aetheris splendorem, qui sereno caelo conspicitur. *Virg. l. l.* Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus aethra Siderea polus. Adde *Enn.* apud *Macr. Sat.* 6, 4. *sub f.* ℙ Ponitur etiam generatim pro aere, seu caelo, lata significatione. [**Lucr.* 6, 467. in aethram surgere.] *Virg. A.* 12, 247. volans rubra fulvus Jovis ales in aethra. *Sil.* 4, 103. liquida non ullis nubibus aethra. *Stat. Silv.* 1, 2, 135. Aethrae rector. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 116. liquida aethra. *Id. Cons. Stil.* 1, 2, 7. quae temperat aethram Frigoris, et flammae mediam. ℙ Pro ipso aethere proprie dicto, *h. e.* suprema coeli regione. *Cic. N. D.* 2, 45. *in fin.* Quem complexa summa pars coeli, quae aethra dicitur, etc. Alii leg. *aether.*

*AETHRAEA, ae, (*Αἰθραία Steph. Byz.*) ita Rhodus olim dicta. *Plin.* 5, 31, 36.

*AETHRIA, ae, sc. insula, etiam Aëria (v. supra) a Thracibus appellata est insula Thasus. *Plin.* 4, 12, 23.

[AETHRIS, ĭdis, f. dimin. ab αἰθρίας, serenitas. Cognomen muliebre Romanum apud *Gud. Inscr.* 318, 21. Crattia Aethris vix. an XX. *F.*]

*AETHUSA, ae, *Αἴθουσα* Neptuni et Alcyones filia; *Apollod.* 3, 10, 1. ℙ Itidem insula inter Melitam et Africam; *Plin.* 3, 8, 14. qui monet eandem *Aegusam* dici, ut eam appellat *Polyb.* 1, 44.

AETIA, neut. plur. *τὰ αἴτια*, titulus est poematis a Callimacho scriptore editi, in quo agit de causis variarum fabularum, rituum, et antiquitatum. Ipsa autem vox *αἴτια* causas significat. Hoc idem poema *Propert.* 2, 34, 32. appellat *somnia Callimachi*, vel quia satis obscuras res continet, vel quia variarum rerum abstrusas et fabulosas causas affert, minimeque vulgatas, vel denique quia scripturo sibi Musas per somnium adfuisse fingit. *Martial.* 10, 4. Sed non vis, Mamurra, tuos cognoscere mores, Nec te scire, legas aetia Callimachi. In plerisque edd. legitur *αἴτια.*

AETIOLOGIA, ae, f. *αἰτιολογία*, hoc est redditio causae: vox Graeca ab *αἴτιον*, causa, et *λόγος*, sermo. Aetiologia, inquit *Isid. Orig.* 2, 21. *sub fin.* est cum proponimus aliquid, ejusque causam et rationem reddimus. *Sen. ep.* 95. *prope f.* His adjicit (*Posidonius*) causarum inquisitionem, quam cur aetiologiam dicere non audeamus, cum grammatici, custodes Latini sermonis, suo jure ita appellent, non video. Ait utilem futuram esse descriptionem cujusque virtutis: hanc Posidonius aethologiam vocat; quidam *χαρακτηρισμόν* appellant, signa cujusque virtutis et vitii ac notas reddentem, etc. Hactenus *Seneca.* Sane rectius legas, secundo loco, cum *Lipsio*, *Pinciano*, et aliis *ethologiam;* nam *aetiologia*, ut legitur in quibusdam editionibus, cum *χαρακτηρισμῷ* non apte jungitur, bene vero *ethologia*, quae descriptionem morum significat: *χαρακτηρισμός* autem vitia, aut virtutes eorum, de quibus sermo est, deformat, ut docet *Rutil. Lupus de Fig. sent.* 2.

AETITES, ae. m. *ἀετίτης*, lapis est colore subrufo, quem si concutias, alium lapidem, quem veluti praegnans in utero gerit, intus audis sonantem. Invenitur in aquilarum nidis, ferunturque aquilae sine eo ova parere non posse. Quam ob causam nomen impositum creditur, nimirum ab *ἀετός*, aquila. *Plin.* 10, 3, 4. et 36, 21, 39., ubi quatuor ejus species enumerat. *Id.* 30, 14, 44. Lapis aetites in aquilae repertus nido, custodit partus contra omnes abortuum insidias. *Id.* 36, 21, 39. Aetitae omnes gravidis adalligati, etc.

AETITIS, ĭdis, f. *ἀετίτις*, gemma quaedam est ita dicta a colore quem habet similem candicanti caudae cujusdam aquilarum generis: ab *ἀετός*, aquila: eadem est ac lapis, qui *Plin.* 37, 11, 72. dicitur *aetites*, cum intelligitur lapis; *aetitis* vero, cum gemma additur.

AETNA, ae, et Graeca terminatione Aetnē, es, f. [*Cf. de hac forma *Burm.* ad *Ov. Met.* 2, 220. (coll. 15, 340.) qui aliorum poetarum ll. laudat.] *Αἴτνη*, *Mongibello*, mons Siciliae maximus, qui sulphure abundans, ventis subterraneis flantibus, e cacumine fumum, ignemque emittit: illud autem cacumen *crater* dicitur. Circa eum plures incolunt populi, qui identidem incendio ejus infestantur. In fabulis est, in eo monte esse officinam Vulcani, ubi Cyclopes Jovis fulmina fabricantur: quam fabulam tangit *Sever.* in *Aetna* 30. et *Cic. Div.* 2, 19. At *Hygin. fab.* 152. scribit, Typhonem (*Ovid.* mox citandus Typhoeum nominat, *Severus* Enceladum) qui Jovem ad certamen provocare ausus fuerat, ab eo fulmine ictum, totoque corpore flagrantem, Aetna monte superposito oppressum fuisse, ibique fulminis ignes adhuc eructantem, vi immanis ponderis detineri. V. etiam *Val. Fl.* 2, 19. Addit *Hygin. fab.* 153. Deucalionem in hoc monte diluvium effugisse: quod alii de Parnasso, alii de Atho scripserunt. Praeterea hic mons Cereri sacer esse dicitur, quia circa eum primum visa est a Siculis, cum eos frumenti serendi rationem docuit. *Cic. Sen.* 2. Senectus plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Aetna gravius dicant sustinere. *Ov. Fast.* 4, 491. Alta jacet vasti super ora Typhoeos Aetna, Cujus anhelatis ignibus ardet humus. *Sever.* in *Aetna* 70. Gurgite Trinacrio morientem Juppiter Aetna Obruit Enceladum, vasti qui pondere montis Aestuat, et patulis exspirat naribus ignes. [*Cf. quos locos collegit *Fea* ad *Hor. epod.* 17, 33. et *Gell.* 17, 10.] ℙ Denique Aetna fuit Nympha Sicula, quae a Jove compressa duos peperit filios, qui Palici sunt appellati. *Serv.* ad *A.* 9, 584. V. PALICUS. ℙ [*Aetna et *Enna* s. *Aena* a librariis confunduntur. Cf. *Arntzen.* ad *Aur. V. Ill.* 39, 1.]

AETNAEUS, a, um, adj. ad Aetnam pertinens, *Αἰτναῖος*. *Cic. N. D.* 2, 38. Eruptio Aetnaeorum ignium. *Virg. A.* 3, 678. Aetnaei fratres, *h. e.* Cyclopes ferrum exercentes in Aetna, et circa eam incolentes. *Prop.* 3, 15, 21. Aetnaeum fulmen, *h. e.* in Aetna fabricatum. Sic *Sil.* 9, 459. Aetnaeus ensis. *Val. Fl.* 2, 420. Aetnaeus Deus, *h. e.* Vulcanus. *Ov. Pont.* 2, 2, 115. Aetnaeus Polyphemus. *Sil.* 9, 196. Quidquid in Aetnaeis jactavit Roma triumphis, *h. e.* Siculis. ℙ *Aetnaei*, *orum* sunt Aetnae accolae apud *Justin.* 22, 1., ubi tamen alii aliter leg. ℙ [*Aetnaeus et *Henn.* s. *Ennaeus* in libris permutata. Cf. *Drak.* ad *Sil.* 2, 304.]

AETNENSIS, se, adj. ad Aetnam [*Siciliae civitatem, ad radices Aetnae montis sitam, antea Inessam dictam, ab Hierone conditam, cf. *Strab.* 6. p. 185.] pertinens. *Cic. Verr.* 2, 3, 18. Aetnensis ager. ℙ *Aetnenses*, *ium*, sunt Aetnae accolae. *Plin.* 3, 8, 14.

AETOLIA, ae, f. *Artinia* et *Lepanto*, *Αἰτωλία*, regio Achajae in confinio Epiri, interque Locros, et Acarnaniam. *Cic. Pison.* 37. Aetolia medio fere Graeciae gremio continetur.

AETOLICUS, a, um, adj. ad Aetoliam, vel Aetolos pertinens. *Liv.* 37, 6. Aetolicum bellum. *Pl. Pers.* 1, 1, 3. Aper Aetolicus, *h. e.* quem Hercules occidit.

[AETOLIS, ĭdis, f. *Αἰτωλίς*, quae est ex Aetolia. *Ov. Her.* 9, 131. Forsitan et pulsa Aetolide Deïanira. Alii aliter leg. *F.*]

AETOLIUS, a, um, adj. Aetolicus, *Αἰτωλίος*. *Ov. Met.* 14, 461. Aetolius heros, *h. e.* Diomedes, qui olim in Aetolia regnavit.

AETOLUS, a, um, adj. ad Aetoliam pertinens, *Αἰτωλός*. *Ov. Met.* 14, 528. Arma Aetola, *h. e.* Diomedis Apuliae regis, qui prius in Aetolia regnaverat. *Id. Rem. am.* 159. Ut semel Aetola Venus est a cuspide laesa, *h. e.* ab hasta Diomedis Aetoliae regis. V. DIOMEDES. *Sil.* 7, 484. Aetolae umbrae, *h. e.* manes Diomedis. *Virg. A.* 11, 239. Aetola urbs, *h. e.* Arpi urbs Apuliae condita a Diomede, et sociis, qui cum eo ex Aetolia venerant. *Id. A.* 10, 28. Arpi Aetoli. *Sil.* 12, 673. Aetoli campi, *h. e.* Cannensis ager in Apulia, [*cf. ad h. l. *Drak.*] Adde 1, 125. Aetolae plagae *Hor. Ep.* 1, 18, 46. sunt retia venatoria: alluditurque ad Meleagrum venatorem, et aprum Calydonium: ad quos pertinet et illud *Mart.* de lorica Domitiani 7, 1. ad Aetolae securam (*loricam*) cuspidis ictum. ℙ *Aetoli*, *orum*, sunt Aetoliae populi. *Liv.* 37, 6. Legatio Aetolorum *Id.* 31, 29. Concilium Aetolorum. *Virg. A.* 11, 308. Spem si quam adscitis Aetolum habuistis in armis, etc. ℙ *Aetoli* dicuntur fuisse primi lanceae inventores, a *Plin.* 7, 56, 57.

AETOLUS, li, m. Martis filius, qui primus, teste *Plin.* 7, 56, 57. jaculum cum amento invenisse perhibetur. Alii Endymionis filium faciunt. Ab eo Aetolia denominata est.

[AETOMA, ae, f. *ἀέτωμα*, fastigium triangulare domus, vel forma tecti propria Deorum templis, ut ex *Galeno* interpretatur *Reines. Inscr. cl.* 2. *n.* 17. Ad exstructionem aetomae dedit HS. N. VI. Latini tum veteres, tum mediae infimaeque aetatis nomina Graeca neutrius generis in *a* finita, et tertiae declinationis efferunt plerumque in genere feminino et prima declinatione, ut *schema*, *ae*, et *syrma*, *ae* etc.

*AETOPON, i, herbae nomen, quae etiam Leontopodion dicitur. *Appul. herb.* 7.

AEVITAS, ātis, f. *ἡλικία*, antiquum verbum, idem significans quod *aetas*, quae per contractionem ab *aevitas* dici putatur. *Cic. Leg.* 3, 3. Censores populi aevitates, soboles, familias, pecuniasque censento. Et paulo post. Aevitatem annali lege servanto, *h. e.* aetatem a legibus statutam ad capessendos magistratus. *Lex XII. Tab.* apud *Gell.* 20, 1. Si morbus, aevitasve vitium escit, i. e. senectus. V. sub AETAS. ℙ Interdum generatim significat temporis durationem. *Appul. dogm. Plat.* 1. p. 8, 27. *Elm.* Sed etiam mortales Deos ad aevitatem temporis edidit, *h. e.* Deos, qui non quidem semper fuerunt, sed tamen per omnia deinceps tempora futuri sunt. Usus est hac voce etiam *Varr.* ap. *Non.* 3, 17.

AEVITERNUS, a, um, adj. *ἀϊδιος*, idem quod aeternus, nam haec vox ab illa contracta est, ut *Varr. L. L.* 5, 2. *extr.* docet. *Id.* ap. *Prisc.* 2. *prope f.* Per aeviternam hominum domum tellurem propero gradum. *Appul. de Deo Socr. p.* 43, 9. *Elm.* Naturae incorporales, prorsus ac retro aeviternae, *h. e.* ante et post aeternae. [**Petr. Crinitus de hon. discipl.* 12, 13. aevitas, *id.* 8, 13. *Beier.*]

[AEVIUS, ii, m. idem fortasse ac longaevus, ab *aevum*. Cognomen virile Romanum in *Inscr.* ap. *Murat.* 957, 9. M. Itonius C. L. Aevius. *F.*]

AEVUM, i, n. a Gr. *αἰών*, V littera hiatus causa interjecta [*cf. *Appul. de diphth.* 12. ubi v. *Osann.* p. 130.], significat temporis perpetuitatem, tempus *immensum*, *sine origine*, *sine fine*, *quod eodem modo semper fuit*, *et semper futurum est*, ut de eo *Censorin.* scribit *de die Nat.* 16. [*Aevum tribuitur immortalibus, qui et aeviterni appellantur. Cf. quos laudat *Burm.* ad *Anth. lat.* II. p. 36.] Hoc sensu *Varr. L. L.* 5, 2. *extr.* scribit, *aevum* dictum esse *ab aetate omnium annorum. Lucr.* 1, 634. Innumerabilibus plagis vexata per aevum. *Id. ib.* 950. Corpora perpetuo volitare invicta per aevum. Sic alibi saepius *aevum* hoc sensu usurpat. *Serv.* ad *A.* 6, 764. Aevum proprie aeternitatis est. [**Lucan.* 9, 359. aevum annosum.] ℙ Ex philosophorum tamen loquendi consuetudine differt *aevum* ab aeternitate, ut aeternitas duratio sit principii, et finis expers: *aevum* careat fine, non perinde principio. Sed omissis philosophis, *aevum* accipitur pro quocumque tempore, seu spatio, aut aetate hominis, aliorumque animantium. *Cic. Somn. Scip.* 3. Omnibus qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in caelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur. [**Quint.* 11, 1, 10. brevi detrimento ultimae senectutis aevum secularum omnium consecutus est.] *Sall. Jug.* 1. Genus humanum imbecille, atque aevi brevis. *Suet. Cal.* 34. Adversus omnis aevi homines grassatus est. *Plin.* 7, 8, 6. Vir aevo exercito inter arma mortesque. *Id.* 9, 53, 78. Aevum piscium. *Id.* 17, 1, 1. arborum. *Hor. Od.* 1, 12, 45. Crescit occulto, velut arbor, aevo Fama Marcelli, *h. e.* tempore aetatis sensim taciteque procedente. *Id. Ep.* 1, 18, 97. traducere leniter aevum. *Id. Sat.* 1, 5. *sub f.* Agere aevum. [**Tac. Agr.* 44. longissimum aevum peragere.] Sic *Enn.* ap. *Gell.* 12, 2. Agitare aevum. Et *Lucr.* 5, 1439. Degere. *Id. ib.* 1430. Consumere in curis inanibus. [**Aur.*

Vict. Caes. 24. quanquam adolescens, ingenio supra aevum tamen.] *Claud. epigr.* 2. Transigere in arvis patriis. *Vell.* 2, 89. Impendere omne spatium sui aevi in rem aliquam. *Hor. Ep.* 1, 20, 26. meum si quis te percontabitur aevum. *Aur. Vict. Caes.* 10. Interiit anno aevi quadragesimo. *Ib.* 3, 1. *Virg. A.* 11, 85. Confectus aevo. [*Omnino saepius de senectute reperitur. *Virg. A.* 8, 307. Ibat rex obsitus aevo, ibique *Burm.* qui monet eodem modo *plenus annis*, *plenus aevo* dici. Utrumque conjunxit *Ov. Met.* 8, 718. annis aevoque soluti, quo loco volebat *Forc.* abundare alterum. *Virg. Ecl.* 10, 43. hic ipso tecum consumerer aevo et *Serv.* ad *Ecl.* 8, 27.] *Ov. Met.* 9, 436. Flos aevi. *Val. Fl.* 7, 338. Primum aevum. *Virg. A.* 9, 255. Integer aevi. *Tac. A.* 16, 30. Grandis aevo parens. *Lucr.* 3, 359. Expelli aevo. ℙ Ponitur etiam pro integro cursu aetatis humanae. *Plin.* 2, 13, 10. Nostro aevo. Et *ib.* 25, 23. In nostro aevo. *Vell.* 2, 36. Ingenia nostri aevi. *Ov. Pont.* 1, 3, 83. nulli datus omnibus aevis. *Plin.* 14, 1, 2. Simulacrum tot aevis incorruptum. *Id.* 16, 36, 64. Durant aevis tecta. *Arnob.* 2. p. 64. Cum omnibus saeculis aevorum perpetuitate procedere. [*Met.* 2, 649. Negaverunt reperiri h. v. pluralem Grammatici. Cf. *Voss. Anal.* 1, 41. p. 591.] *Hor. Od.* 2, 9, 13. *de Nestore.* Ter aevo functus. ℙ Item pro ipsis hominibus eo tempore viventibus. *Plin.* 14, 6, 8. Nec negaverim et alia esse digna fama: sed de quibus consensu aevi judicaverint, haec sunt. ℙ Item universim pro tempore. *Tac. A.* 4, 35. Exstinguere sequentis aevi memoriam. *Id. ib.* 16, 1. Per tantum aevi. *Plin.* 7, 43, 44. Ad hoc aevi. *Id. ib.* 41, 42. In omni aevo. *Id.* 9, 35, 58. Per omne aevum. *Id.* 7, 34, 34. A condito aevo [*i. e. ἀπ' αἰῶνος, ex quo homines vixerunt]. *Id.* 2, 25, 23. Aevi ejus rex. *Hor. Od.* 3, 5, 16. In aevum veniens. Et *Od.* 11, 35. Nobilis in omne aevum. [*Ammian.* 30, 4. per varias aevi sequentis aetates.] ℙ In aevum est i. q. in omne aevum. *Id. Od.* 4, 14, 3. Aeternare virtutes alicujus in aevum. *Plin.* 35, 2, 2. Prorogare figuras in aevum.

AEVUS, i, m. id. q. aevum. *Lucr.* 3, 605. omnem possit durare per aevum. *Pl. Poen.* 5, 4, 14. Per quem vivimus vitalem aevum.

*AEX, gr. αἴξ, i. e. capra. *Plin.* 4, 11, 18. Aegaeo mari nomen dedit scopulus inter Chium et Tenum verius quam insula, Aex a specie caprae, quae ita graecis appellatur. Cf. *Schol.* ad *Apoll. Rhod.* 1, 831. qui Aegaeum mare nomen habere dicit ἀπὸ νήσου Αἰγῶν καλουμένης.

AF

ĀFANTĪCĬUS et ĀFANTĪCUS. V. APH.

ĀFER, afra, afrum, adj. qui Africam incolit, vel ad Africam pertinet. *Martial.* 9, 77. Afra Nomas, *h. e.* Numidia, quae Africae provincia est. *Ov. Her.* 7, 169. Afrum litus. *Id. Fast.* 4, 289. Afra aequora. *Juven.* 11, 142. et *Hor. Epod.* 2, 53. Afra avis, *h. e.* gallina Numidica, quae tum magnitudine, tum saporis peregrinitate in pretio erat. V. AFRRICANUS. [*Petron.* 93. Afrae volucres.] *Hor. Sat.* 2, 4, 58. Cochlea Afra. V. COCHLEA. *Id. Od.* 2, 16, 35. Lanae Afro murice tinctae, *h. e.* Gaetulo. [*Cf. *Id. Ep.* 2, 2, 181. *Ov. Fast.* 2, 318.] ℙ *Afer*, *i*, et *Afri*, *orum* sunt populi Africae incolae. *Cic. Balb.* 18. Afri, Sardi, Hispani. *Hor. Od.* 4, 4, 42. Dirus Afer, *h. e.* Annibal. *Virg. Ecl.* 1, 65. Sitientes Afri, scilicet quia Africa maximis caloribus urgetur. *Id. A.* 8, 724. Afri discincti, *h. e.* imbelles, nec armis habiles: vel ideo *discincti*, quia demissas usque ad talos vestes ferunt, sine zona. *Servius. Afri* versipelles esse dicuntur teste eod. ad *A.* 6, 724. ℙ [*Afer est cognomen Rom., e. g. Domitius Afer, nobilissimus *Quintil.* temporibus rhetor. 5, 7, 7. 5, 10, 79.]

AFFĀBER et Adf., bra, um, adj. est fabrefactus, *Festus.* ℙ Consimili sensu *Symm. ep.* 3, 17. Ideo litteras affabra rerum vel natura vel industria peperit, ut nunquam muta esset affectio, *h. e.* solers, ingeniosa.

AFFĀBĬLIS et Adf., le, adj. εὐπροσήγορος, qui sui conveniendi, et alloquendi facile copiam praebet, comis, placidus, praesertim in *fando*, hoc est in sermone. *Cic. Off.* 1, 31. Cum in omni sermone omnibus affabilem se esse vellet. *Ter. Ad.* 5, 6, 8. Meditor esse affabilis. *Nep. Alc.* 1. Affabilis, blandus. *Virg. A.* 3, 621. Nec visu facilis (Cyclops) nec dictu affabilis ulli. Ita legit *Macr. Sat.* 6, 1., additque allusisse ad illud *Accii:* Quem neque tueri contra, nec affari queas. *Pierius* quoque testatur ita legi in aliquot codicib. at *Servius* cum aliis multis legit *effabilis.* [*Sed pessime. Ad illud *Burm.* comparat *Stat. Silv.* 3, 3, 72. Terribilem adfatu passus visuque tyrannum.] *Sen. ep.* 79. Alius erit affabilior, alius expeditior.

AFFĀBĬLĬTĀS, f. εὐπροσηγορία, comitas, et facilitas in sermonibus. *Cic. Off.* 2, 14. Difficile dictu est, quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasque sermonis.

AFFĀBĬLĬTER, adv. cum affabilitate, comiter, ὁμιλητικῶς. *Spart. in Carac.* 3. Eos, quos occidere parabat, affabiliter est allocutus. *Macr. Sat.* 7, 2. Comiter, affabiliterque suscipere aliquem. *Gell.* 16, 3. Haec tum Favorinus affabilissime dicebat.

AFFĀBRE, adv. artificiose, eleganter, scite, δαιδαλέως. *Cic. Verr.* 1, 2, 5. Deum nullum Siculis, qui paulo magis affabre atque antiquo artificio factus videretur, reliquit.

AFFĀBRĬCĀTUS, a, um, part. ab inusit. *affabrico*, fabricando additus. *Aug. Mus.* 6, 7. Consuetudo quasi secunda, et quasi affabricata natura dicitur.

AFFĀMEN et Adf., inis, n. id. q. affatus. *Appul. Met.* 11. p. 260, 23. *Elm.* Mulcere aliquem blando affamine. Et *ib.* p. 272, 39. *in fin.* Dignari aliquem affamine.

AFFANIAE, arum, f. plur. dicta futilia, verba nugatoria, mera mendacia, gerrae. *Appul. Met.* 9. p. 22, 25. His et aliis similibus affaniis frustra oblateratis. Et 10. p. 243, 14. Nescio quas affanias effutire. *Appulejus* utroque in loco adhibet de confuso sermone hominis in scelere deprehensi. ℙ Etymologorum alii derivant a *fando:* aliis, et in his *Vossio*, magis placet deducere ab *Aphannis* (scribendi ratione ad Latinum morem traducta) quod est nomen cujusdam oppidi ignobilis in Sicilia, vel, ut alii volunt, in Attica; quod proverbio de remotissimis rebus dicebatur: ut quemadmodum *apinae*, et *tricae*, quae similem *Affaniis* habent significationem ab *Apina*, et *Trica* Italiae oppidis dicta sunt, ita ab *Aphannis affaniae* sint appellatae. Haec *Vossius.*

AFFĀRI, et Adf., atus sum, dep. 1. alloqui, προσφωνεῖν, προαλέγεσθαι. Verbum est defectivum; caret enim modis Optat. et Conj., et praeterea prima persona Indic. praes., et quibusdam aliis. *Cic. Sen.* 1. Licet enim versibus iisdem mihi affari te, Attice, quibus affatur Flaminium ille vir. *Id. Brut.* 72. Cum hunc nomine esset affatus. *Id. ib.* 3. Liber ille, quo hic me affatus, quasi jacentem excitavit. *Stat. Ach.* 1, 251. Blande affari aliquem. Et 383. Affari aliquem blandis verbis. *Curt.* 4, 11. *ad f.* Ubi igitur me affamini? *Virg. A.* 3, 492. Hos ego digrediens lacrimis affabar obortis. *Id. ib.* 4, 424. hostem supplex affare superbum. *Id. ib.* 2, 700. Affaturque Deos, et sanctum sidus adorat, *h. e.* Diis gratias agit: vel certe invocat, ait *Servius. Id. ib.* 2, 644. Sic positum affati discedite corpus, *h. e.* supremo vale dicto, ut mos est in funeribus. Sic *ib.* 9, 484. Affari extremum. *Ov. Fast.* 6, 303. inde precando Affamur Vestam. ℙ *Affari templa.* V. EFFARI.

AFFĀTIM et Adf., adv. ἄδδην, abunde, large, satis, et plus etiam aliquanto quam satis: ex *ad*, et *fatim*, quod significat abundanter, ut *Fest.* et *Serv.* ad *A.* 1, 127. docent. *Cic. N. D.* 2, 51. Iisdem seminibus homines affatim vescuntur. *Id. Tusc.* 2, 10. Affatim satiatus. *Id. Att.* 16, 1. HS. LXXII. satis esse, affatim prorsus: sed Xenonem perexigue, et γλίσχρως praebere. *Id. ib.* 2, 16. Puto me Dicaearcho affatim satisfecisse. *Sall. Jug.* 47. Parare commeatum affatim. *Plin.* 18, 16, 43. De cytiso affatim diximus. *Pl. Bacch.* 3, 3, 93. Melius esset, me quoque una si cum illo relinqueres. *Ph.* affatim est Mnesiloche: cura, etc. *Id. Poen.* 3, 1, 31. Edas de alieno, quantum velis, usque affatim. [*Id. Trin.* 5, 2, 61. Miseria una uni quidem homini est affatim; quo loco constr. ut frustra, satis, alia. *Colum.* 6, 3, 4. et super haec affatim paleas dare. *Id.* 9, 13, 2. quo quum se affatim repleverint. *Appul. Met.* 9. p. 221, 31. *Elm.* Frumento etiam coemto affatim onustum (asinum). *Ammian.* 14, 6. licet feminas affatim multas spectare circatas, i. e. valde. Apud hujus aevi scriptores, teste Ernestio saepe etiam significat i. q. *statim*, quod neque ab hoc ipso loco abhorrere censet.] ℙ Adfatim, inquit *Fest.*, Terentius dixit pro eo quod est, ad lassitudinem. Haec *Festus*, sed quo loco id *Terentius* dixerit, non constat. ℙ Saepe usurpatur more substantivi cum genitivo. *Liv.* 34, 37. Sibi ad obsidionem sustinendam copiarum affatim esse. *Pl. Men.* 3, 1, 10. Affatim est hominum. *Id. Mil.* 4, 1, 33. Tibi divitiarum affatim est. *Justin.* 1, 8. Affatim vini. ℙ *Annianus* poeta apud *Gell.* 7, 7. ita disputat de quantitate paenultimae, ut statuat quidem eam esse corripiendam, innuat autem, olim etiam productam fuisse: quod et ab *Aratore* factum est 2. *in Act. Apost.* 326. *Suppetit affatim exemplorum copia, nosque*, etc. Verum non est hoc satis, ut contra communem usum produci possit.

AFFĀTUS et Adf. a, um, part. v. *affari*, allocutus. *Hor. Od.* 1, 7, 24. Sic tristes affatus amicos. ℙ Passive. *Appul. Met.* 11. p. 265, 39. *Elm.* Affatis ex officio singulis, narratisque meis aerumnis, etc.

AFFĀTUS, us, m. προσηγορία, προσφώνημα, alloquium, allocutio. Est verbum poetarum magis, quam prosae scriptorum. *Virg. A.* 4, 484. quo nunc reginam ambire furentem Audeat affatu? *Stat. Silv.* 2, 4, 7. affatus etiam, meditataque verba Reddideras. *Sen. Med.* 187. Minaxque nostros propius affatus petit. *Sil.* 17, 340. dux coeperat ora Solvere ad affatus. *Mamert. ad Jul.* 28. Dignatus osculo oris illius divinis affatibus consecrati. ℙ Dicitur de litteris, quibus amicos velut praesentes alloquimur. *Claud. ep. ad. Olybr.* 1. Quid rear, affatus quod non mihi dirigis ullos, Nec redit alterno pollice ducta salus? ℙ Hinc et mandata, aut rescripta principum aliquando affatus dicta sunt. *Imp. Leo Cod.* 1, 26, 6. Sacri affatus, quoscumque nostrae mansuetudinis in quacumque parte paginarum scripserit auctoritas, non alio colore, nisi purpurea inscriptione lustrentur. *Just. ibid.* 5, 4, 23. Liceat eis nostro supplicare numini, ut divinos affatus sine dubio mereantur. *Impp. Grat. Val.* etc. *ib.* 9, 29, 4. Nisi hoc cuiquam per divinos affatus imperator indulgeat.

AFFECTĀTĬO, onis, f. vehemens affectus, seu desiderium alicujus rei, et studium ejus assequendae. *Sen. ep.* 89. Philosophia sapientiae amor est, et affectatio. *Plin.* 11, 37, 56. Tanta est decoris affectatio, ut tingantur oculi quoque. *Id.* 34, 2, 3. Mira circa id (*aes Corinthium*) multorum affectatio fuit, h. e. nimis eo sunt delectati. *Suet. Tit.* 9. Convictus in affectatione imperii. *Tac. G.* 28. Nervii circa affectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt. ℙ Saepius accipitur in malam partem pro studio et conatu nimio atque infelici circa rem aliquam, quam assequi nequeas, vel certe male assequaris, κακοζηλία. [*In genere hoc sensu rhetoribus dicitur, qui *affectatum* id appellant, in quo apertum et manifestum artis accurationisque studium inest. Cf. *Quint.* 9, 3, 54. 10, 1, 82. quid ego commemorem Xenophontis illam jucunditatem, inaffectatam, sed quam nulla consequi affectatio possit? — *Mala affectatio* commemoratur *Quint.* 8, 3, 56. ad quam pertinent, quae in oratione sunt tumida, exilia, praedulcia, abundantia, arcessita, exultantia.] *Quint.* 1, 6. Sed opus est modo, ut neque crebra sint haec, neque manifesta, quia nihil est odiosius affectatione. *Suet. Gr.* 10. Sallustii scripta reprehendit, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita. *Id. Tib.* 70. Affectatione nimia obscurare stilum. [*Etiam in singulis vv. inesse potest affectatio, quum nimiam delectus ornatusque curam prodit is, qui loquitur. Exemplum narrat *Quint.* 8, 1. *init.* Praeterea cf. *Ernest. lex. techn. lat. s.* h. v.]

AFFECTĀTO, adv. nimio affectu, studio, aut cura, κατεσκευασμένως. *Lampr. Heliog.* 17. Illud (*nomen*) affectato retinuerat, dum vult videri filius Antonini.

AFFECTĀTOR, oris, m. qui vehementi affectu aliquid cupit, et assequi studet: et fere sumitur in malam partem. In bonam partem dixit. *Eutr.* 10, 7. Civilibus artibus, et liberalibus studiis deditus, affectator justi amoris, quem omnino sibi et liberalitate et docilitate quaesivit. ℙ In malam partem *Flor.* 2, 7, 2. Primi omnium Macedones, affectator quondam imperii populus. *Quint.* 6, 2, 16. Affectatores libertatis. *Id. ib.* 3, 3. Cicero non solum extra judicia, sed etiam in ipsis orationibus habitus est nimius risus affectator. [*Id. 5, 13, 24. Maelius affectator regni. *Ammian.* 21, 16. doctrinarum diligens aff.]

AFFECTĀTRIX et Adf. icis, f. quae affectat, et infeliciter aemulatur aliquid. *Tertull. Praescr.* 7. Sapientia humana affectatrix, et interpolatrix veritatis.

AFFECTĀTUS, a, um, part. v. *affecto*, nimio, aut pravo affectu ac studio cupitus, quaesitus, κατεσκευασμένος. *Suet. Caes.* 79. Infamiam affectati regii nominis discutere. *Val. Max.* 5, 8. *n.* 2. Affectati regni crimen. *Tac. Agr.* 7. Affectatum imperium. *Stat.. Silv.* 5, 2, 98. Nec tantum pietas, sed protinus ardua virtus Affectata tibi, *h. e.* vehementer et studiose appetita. ℙ [*Etiam de putida ac perversa imitatione eorum dicitur, quae assequi non possumus.] *Plin. Pan.* 20. Affectata aliis castitas, tibi ingenita et innata, interque ea, quae imputare non possis, *h. e.* alii ut casti viderentur, summa cura laborarunt, nec obtinuere: tibi etiam sine studio castitas a natura inest. [*Quint. 11, 1, 30. affectata scurrilitas. *Ib.* 3, 10. qui curam et artem et nitorem et quicquid studio paratur, ut affectata et parum naturalia solent improbare.] *Id.* 12, 11. Dandum putant non nihil esse temporibus, atque auribus, nitidius aliquid atque affectatius postulantibus, *h. e.* majore cura et studio conquisitum et elaboratum. ℙ *Affectata femina.* V. ASSECTOR.

AFFECTĒ, adv. cum affectione, seu affectu, μετὰ πάθους. *Tertull. Anim.* 45. Oblectamur, et contristamur, et conterremur in somniis quam affecte et anxie et passibiliter.

AFFECTIO, onis, f. ex *ad* et *facio*, [*etymologica significatione, ideoque prima dixit, ni fallimur, *Cic. Top.* 18. Affectio autem ad res aliquas est hujusmodi: principum commoda majora, quam reliquorum; itemque, quae jucundiora, quae pluribus probata, quae ab optimo quoque laudata. *coll.* 2. In ipso (de quo agitur, haerent loci), tum ex toto, tum ex partibus ejus, tum ex nota, tum ex iis rebus, quae quodam modo affectae sunt ad id, de quo quaeritur. His locis significat affici i. q. referri aliquo modo ad aliquam rem, cognatum

esse cum aliquo et affinitas est sive cognatio (*Verhältniss*) quae inter duas vel plures res intercedit.] ℙ Vulgo autem est i. q. affectus, *πάθος*, h. e. ut definit *Cic. Inv.* 1, 25., animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio, ut laetitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, et alia, quae genere in eodem reperiuntur. [**Cic.* opponit h. l. affectionem habitui, quem definit: animi aut corporis constantem et absolutam aliqua in re perfectionem, ut virtutis etc. cf. totum locum. Est igitur affectio, quae praeterit; habitus, qui manet, ac dicitur hoc sensu de motibus animi.] *id. ib.* 2, 5. impulsio est, quae sine cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia, aegritudo, et omnino omnia, in quibus animus ita videtur affectus fuisse, ut etc. Et *ib.* §. 19. Ergo accusator, quum impulsione aliquid factum esse dicet, illum impetum et quandam commotionem animi affectionemque etc. Discernuntur autem affectiones a perturbationibus animi, ut *Cic. Tusc.* 4, 13. Vitia affectiones sunt manentes, perturbationes autem moventes. [*Sed, ut sunt Romani in notionibus philosophicis parum sibi constantes, ipsum etiam affectionis voc. saepius usurpat idem eodem sensu, quo est i. q. habitus, cui supra opposuit l. l. Exprimit enim h. v. Graecorum praecipue Stoicorum *διάθεσιν*, i. e. eam cogitandi et sentiendi rationem, quae in morem consuetudinemque abiit, ut expl. *Goer.* ad *Fin.* 3, 20. quo loco Cicero ipse, quid intelligi velit, explicat. Porro cf. *Off.* 3, 6. talis animi affectio, neminem ut violem, quibus vv. circumscribit notionem justitiae. *Tusc.* 4, 15, 34. virtus est aff. animi constans conveniensque, *διάθεσις ψυχῆς σύμφωνος αὑτῇ*. Et quem l. noster affert, *ib.* 3, 5. animi aff. lumine mentis carentem nominaverunt amentiam. (His locis omnibus utaris nostro *Stimmung.*) Quin ipse *Cic.* conjungit affectionem et habitum *Tusc.* 4, 13. Vitiositas est habitus aut affectio in tota vita constans.] Eodem modo *id.* 2, 18. omnes rectae animi affectiones virtutes appellantur. *ib.* 4, 13. affectio discrepans sibi, dum est incipiens, sed non distorta nec prava. Hinc intelligitur quomodo etiam de corpore dici possit ut *Tusc.* 5, 9. summum bonum in firma corporis affectione contineri, i. e. statu, conditione. Hac vi etiam ad alia transfertur. *Cic. Inv.* 2, 58. Affectio est quaedam ex tempore, aut ex negotiorum eventu, aut administratione, aut hominum studio, commutatio rerum, ut non tales, quales ante habitae sint, aut plerumque haberi soleant, habendae videantur esse. *Id. Fat.* 4. Affectio astrorum valet ad quasdam res. *Id. Div.* 2, 47. Fac in puero referre, ex qua affectione caeli primum spiritum duxerit. [*Utroque loco de ea coeli constitutione intelligendum est, quam nostrates vulgo *constellationem* appellant.] ℙ Speciatim dicitur de affectu amoris, et benevolentiae *Plin.* 8, 54, 80. Simiarum generi praecipua ergo fetum affectio. *Just.* 24, 3. Quos Ptolemaeus cupide, et ultra modum verae affectionis amplexus, osculis diu fatigat. *Gell.* 10. 18. Virum amasse fertur ultra affectionis humanae fidem. *Tac. G.* 5. Argentum magis quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia, etc. *Id. Ann.* 4, 15. Egit Nero grates patribus, lactas inter audientium affectiones, qui recenti memoria Germanici, illum aspici, illum audiri rebantur. [*Hoc sensu *affectiones* dicuntur pro iis, quas affectione prosequimur. *Cod. Th.* 13, 9, 3. affectionibus naviculariorum i. e. liberis eorum; nam, qui eandem legem habet, *Cod. Just.* 11, 5, 3. habet: a liberis nautarum.] ℙ Accipitur interdum pro voluntate, a JCtis. *Paul. Dig.* 41, 2, 1. Furiosus et pupillus non possunt incipere possidere, quia affectionem tenendi non habent. *Ulp.* 5, 16, 60. Non enim magnitudo locum a fundo separat, sed nostra affectio est. ℙ Habere affectionem ad aliquid, *Cic. Top.* 18. V. AFFECTUS adj. ℙ *Affectionem pro affectatione, h. e.* vehementi affectu ad rem aliquam, usurpari ait *Salmas.* a *Vulcat. Gallic.* in *Avid. Cass.* 1. *Affectionem tyrannidis latuisse:* sed non est constans lectio: quemadmodum neque in loco *Servii* ad *Aen.* 3, 209., ubi ait *affectores stupri* positum esse pro *affectatores.* Utroque enim loco alii et *affectationem*, et *affectatores* habent.

AFFECTĬOSĒ, adv. cum affectu, amanter. Est *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 9, 27.

AFFECTĬOSUS, a, um, adj. qui affectionem habet. *Tertull. Anim.* 19. Mirum satis ut infantia naturaliter animosa sit, non habens animum, et naturaliter affectiosa sit, non habens intellectum.

[AFFECTĬTO, as, a. 1. frequent. ab *affecto. Not. Tir.* p. 36. Affectitat. *F.*]

AFFECTO, et Adf., as, avi, atum, a. 1. *est proprie i. q. quaero ut afficiam, ex *facio*, cujus est frequentativum, et praep. *ad.* Propria haec significatio inest in his: *affectare iter*, aut *viam* est ingredi, insistere, moliri viam; idque cum affectu, seu voluntate prompta, et studio: et fere translate usurpatur. *Virg. G.* 4, 562. viamque affectat Olympo. *Cic. Rosc. Am.* 48. Nunc vero quam viam munitet, quo iter affectet, videtis Al. leg. *quod iter affectet.* [*Recte ita ediderunt recentiores. Ceterum *Grutero* aliisque in his vv. inesse videtur pars versus trochaici ex antiquo aliquo poeta. Id quod perquam probabile.] *Ter. Heaut.* 2, 3, 60. Nam disciplina est eisdem munerarier Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam. *Id. Ph.* 5, 7, 71. Hi gladiatorio animo ad me affectant viam. *Pl. Aul.* 3, 6, 37. Scio, quam rem agat: ut me deponat vino, eam affectat viam. *Id. Men.* 4, 3, 12. Ut me defraudes, ad eam rem affectas viam. [**Ov. Am.* 1, 1, 14. opus, i. e. aggredi.] *Affectare spem* est spem habere, spe potiundi quaerere aliquid. *Liv.* 28, 18. *sub fin.* Potiundae Africae spem affectans. *Ov. Met.* 5, 377. nam spes affectat easdem. *Affectare dexteram* est anxia quadam aviditate dexteram injicere, et cupide extendere. *Virg. A.* 3, 670. Verum ubi nulla datur dextram affectare potestas. Ita *Serv. Pier.* et al. [*Nunc scribitur dextra, sexto casu, ut quod multo facilius explicatu est. Hic enim sensus est: studet Polyphemus navem prehendere; id sic dicit: dextra affectat sc. navem.] ℙ Reperitur hoc sensu etiam passive. *Liv.* 29, 10. morbo affectari i. e. affectum esse. Ita optimi libri. Alii malunt *afflictari.* ℙ Quod quaero, ut afficiam, id ut meum reddam, studeo. Est igitur anxie, et cum affectu exquiro, appeto, arcesso, et generatim pronum animum ad faciendum habeo, ut ait *Festus*, [**ὀρέγεσθαι, ἐπιθυμεῖν* ideoque i. q. *ἐπιχειρεῖν*] *σπουδάζειν. Nep. Att.* 13. Elegans, non magnificus; splendidus, non sumptuosus; omni diligentia munditiam non affluentem affectabat. *Ulp. Dig.* 1, 1, 1. Veram philosophiam, non simulatam affectantes. *Auct.* ad *Her.* 4, 22. Hic est in quibusdam verbis quaedam similitudo, non tam affectanda, quam illae superiores, sed tamen adhibenda nonnunquam. *Plin.* 7, 1, 1. Nullas duas in tot millibus hominum indiscretas effigies exsistere: quod ars nulla in paucis numero praestet affectando. i. e. etiamsi summo opere id ageret. *Id.* 17, 1, 1. Affectare diligentiam. *Quint.* 3, 8. magnificentiam verborum. *Gell.* 17, 20. elegantiam Graecae orationis verbis Latinis. *Val. Max.* 8, 7. *n.* 1. *extern.* Cum Demosthenes artis, quam affectabat, primam litteram dicere non posset. ℙ Accipitur etiam in malam partem pro nimio aut pravo affectu aliquid vehementer cupere, et assequi studere. *Plin.* 9, 35, 56. Uniones affectant et pauperes feminae. [**Quint.* 9, 3, 4. at qui nimium affectaverit (rhetoricum dicendi genus), ipsam illam gratiam varietatis amittet.] *Curt.* 4, 7. *in fin.* Affectare immortalitatem. *Sall. fr.* apud *August. Civ. Dei* 3, 17. dominationes. *Stat. Th.* 11, 539. cruorem alicujus. *Liv* 1, 46. regnum. [**Ov. Am.* 3, 8, 51. coelum.] Atque, quod idem est cum superioribus, captare, nimia apertaque arte quaerere, ad se trahere. *Tac. Hist.* 1, 23. studia militum spe successionis. *Id. ib.* 4, 17. Galliarum societatem Civilis arte, donisque affectabat. *Sall. Jug.* 70. Civitates formidine, aut ostentando praemia affectare. Adde *Tac. H.* 4, 66. [**id. G.* 37, 9. etiam Gallias affectavere. *Vell.* 2, 39. Gallias — saepe et affectavimus et amisimus. *Flor.* 2, 2, 3. Siciliam. cf. *Cort.* ad *Sall.* l. l., qui citat *Barth. Advers.* 12, 7.] — Affectare in re venerea est concubitum appetere, ut notat vetus interpres *Hor.* ad *Sat.* 1, 2, 35. cf. AFFECTOR. Sequiores scriptores dicunt etiam *affectare ad al.* i. e. aspirare. *Firmic. Math. praef.* 5. Ne solum hoc opus exstitisse videatur, ad quod Romanum non affectasset ingenium. [*Ammian.* 15, 12. affectans ad vini similitudinem multiplices potus, i. e. id agens ut efficeret.] ℙ Hoc *expetendi* sensu passim construitur cum infinitivo. *Pl. Bacch.* 3, 1, 9. Tua flagitia, aut damna, quibus patrem, et me, amicosque affectas tuos ad probrum, damnum appellere una, et perdere. *Sil.* 4, 138. Dum primae decus affectat decerpere pugnae. Adde *Stat. Th.* 1, 132. sociare. [**Quint.* 5, 10, 28. videndum, quid quisque affectet, locuples videri an disertus, justus an potens. *id.* 10, 1, 97. qui esse docti affectant. In duobus his locis *affectare* fere est i. q. *simulare. Ov. A. A.* 2, 59. affectat tangere sedes sidereas.] ℙ Item pro infeliciter imitari, conari aliquid, nec assequi, nimis studere rem aliquam, sed ita, ut nimium studium appareat. *Quint.* 11, 3. Affectare crebrum anhelitum. *ib.* 3, 10. imitationem antiquitatis. *Suet. Vesp.* 23. Maxime tamen dicacitatem in deformibus lucris affectabat, [*i. e. quaerebat dicteria.] ut invidiam aliqua cavillatione dilucret. *Tac. H.* 2, 63. Affectare famam clementiae. *Id. Ann.* 14, 16. studium carminum. *Ulp. Dig.* 48, 5, 23. Quod si non affectavit, sed dum adulterum occidit, profugit filia, etc. *h. e.* de industria non consensit in fugam filiae. ℙ [Particip. *Affectans* ap. *Ov. Pont.* 4, 8, 59. Sic affectantes caelestia regna Gigantes. *F.*]

AFFECTOR, et Adfector, aris, atus sum, dep. 1. idem quod affecto, anxie appeto. *Varr.* ap. *Diomed.* 1. p. 377. Affectatus est regnum. ℙ Passiva significatione pro affici, seu disponi ad concubitum. *Apul. Herb.* 15. *de satyrico.* Si quis ad mulierem non poterit affectari, obligatus. Et *ib.* Per triduum sumes, ad mulierem affectaberis continuo. [*cf. AFFLICTO *in f.*]

AFFECTOR, oris, pro Affectator. V. AFFECTIO *in f.*

AFFECTUOSE, adv. *Cassiod. ep.* 3, 4. Dicam libere, dicam affectuose, quod sentio. *Sidon. ep.* 4, 11. Fratrem affectuosissime observans.

AFFECTUOSUS, et Adfectuosus, a, um. adj. amoris et affectus plenus. *Macr. Sat.* 2, 11. piam affectuosamque rem fecisse. *Cassiod. ep.* 5, 2. Affectuosa salutatio. Al. leg. *affectuosissima. Tertull. contr. Marc.* 5. 14. Amore fraternitatis invicem affectuosi. *φιλόστοργοι.* [**Gloss. mstae*: aff. *συμπαθής.*]

AFFECTUS, us, m. affectio et motus animi sive bonus, sive malus, *πάθος. Cic. Tusc.* 5, 16. Qualis cujusque animi affectus esset, talem esse hominem. *ib.* Affectus animi in bono viro laudabilis. *Quint.* 6, 2, 8. Affectuum duae sunt species: alteram Graeci *πάθος* vocant, quam nos vertentes recte ac proprie affectum dicimus: alteram *ἦθος*, cujus nomine, ut ego quidem sentio, caret sermo Romanus: mores appellantur. *ib.* Affectus concitati, mites, compositi, commoti, lenes, etc. [*Mites (*id.* 10, 1, 101. dulciores appellat. *ib.* 48. opponit mites et concitatos) sunt *ἤθη*, concitati *πάθη*. cf. *Ernesti lex. techn. lat.* p. 14. sq.] *Id.* 1, 11, 2. Affectus amoris, avaritiae, metus. *Id.* 6, 1, 7. Movere affectus. *Id.* 11, 3. *ad fin.* Versare aliquid per omnes affectus. *Id. ib.* 58. Inducere judicem in affectus. *Id.* 6, 2, 6. Occupari affectibus. *Id. ib.* 10. Continuum affectum nonnullae materiae desiderant. *Ov. Met.* 8, 473. Errare dubiis affectibus. [**id. Trist.* 4, 3, 32. mentis. *ib.* 5, 2, 8. animi. *Id. Met.* 7, 147. tacitus.] *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 10. Diversos affectus exprimere, flentis, et gaudentis. ℙ Quemadmodum *affectio*, ita et *affectus* dicitur de constitutione corporis, praesertim mala, quales sunt morbi. *Cels.* 2, 15. In quibus affectibus ea quoque genera exercitationum necessaria sunt, etc. *Id.* 3, 18. Supersunt alii corporis affectus, qui huic (*febri*) superveniunt. ℙ Speciatim dicitur de pravis animi motibus. *Sen. ep.* 75. Affectus sunt motus animi improbabiles, subiti et concitati, qui frequentes neglectique fecere morbum, *h. e.* habitum vitiosum. *Plin. Pan.* 79. Cohibere affectus. ℙ Item pro amore, cupiditate, desiderio. *Suet. Tit.* 8. Non modo principis sollicitudinem, sed et parentis affectum unicum praestitit. *Juven.* 12, 10. Si res ampla domi, similisque affectibus esset. [**Tac. Agr.* 30. opes atque inopiam pari affectu conpupiscunt. *ib.* 32. fide et affectu teneri. Pro *misericordia* dicitur *Qu. Decl.* 6, 11. affectu jura corrumpere. *ib.* 9, 9. praestes affectum, si mereor.] ℙ Item pro iis, quos omni affectione prosequimur, *h. e.* liberis, et propinquis. *Appul. de dogm. Plat.* 2. p. 24, 20. *Elm.* Carissimis orbatus affectibus. *Capitol. Anton. philos.* 24. Non est satis motus defensione Cassii, nec in ejus affectus saevii. *Id. Maxim.* 23. Milites, quorum affectus in Albano monte erant, *h. e. παῖδες καὶ γυναῖκες*, ut *Herodian.* 8, 5. plenius dixit. [**Publici affectus* sunt judices, quia judices repraesentant populum ejusque gravitatem et affectus, ut expl. *Schulting.* ad *Qu. Decl.* 2. *ib.* 4. ab affectis publicis petendum et a publica gravitate. *ib.* 17. ac saepius.] ℙ Item pro voluntate. *Labeo Dig.* 44, 7, 54. In omnibus rebus, quae dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium. *Ulp. Dig.* 43, 4, 1. Hoc edicto neque pupillum, neque furiosum teneri constat, quia affectu carent. *Paul. Dig.* 3, 5, 19. §. 2. Erit igitur negotiorum gestorum actio, quia gerendi negotii mei habuit affectum.

AFFECTUS, a, um, part. v. *afficio*, [*proprie quid significet, v. sub AFFECTIO, *ab init.* — Plerumque dicitur, ut *affici*, quod v., affectus aliqua re i. e. praeditus, instructus, ac vel in bonam partem vel in malam dicitur. *Pl. Asin.* 3, 2, 28. lictores affecti ulmeis virgis, i. e. instructi, armati.] *Ter. Ph.* 5, 7, 84. Homo affectus audacia. *Cic. Fam.* 14, 4. beneficio. *Id. Pis.* 37. praemio. *Id. Mur.* 2. honore. *Id. Partit.* 10. Animi affecti virtutibus, vitiis, artibus, inertiis. (Adde *Planc.* 33.) *Id. Tusc.* 4, 37. Affectus optima valetudine. *Id.* ad *Brut.* 1, 4. laetitia. *Cic. Fam.* 1, 9. Affectus molestia. *Id. Div.* 1, 30. morbo. *Suet. Vit.* 14. febre. *Cic. Fam.* 13, 7. difficultatibus. [**Cic. Quint.* 2. difficultatibus affectus et afflictus. *Id. Att.* 14, 22. desperatione.] *Cic. Or.* 3, 18. senectute. *id. Sen.* 14. aetate. *Curt.* 7, 3. Exercitus frigore, et penuria affectus. *Vell.* 2, 84. Remiges inopia affectissimi. *Curt.* 7, 11. Affectus fatigatione. *Cic. Verr.* 2, 4, 67. Syracusanam civitatem, ut abs te affecta est, ita in te esse animatam videmus. *Tac. A.* 15, 44. Supplicio affectus. *Serv.* ad *Cic. Fam.* 12. morte. *Curt.* 7, 11. verberibus. *Id.* 10, 6. clade. ℙ Nullo casu addito, affectus est i. q. comparatus, constitutus, dispositus. *Cic. Fin.* 1, 11. manus tua sic affecta. *id. Tusc.* 3, 9. manus recte affecta. *Id. Att.* 13, 23. et omnes quum ita simus affecti, ut non possimus plane simul vivere. *Id. Fin.* 5, 9. omne animal id agit — se ut con-

servet et ita sit affectum, ut optime secundum naturam affectum esse possit. *Cic. Div.* 1, 30. Jubet Plato sic ad somnum proficisci affectis, ut nihil sit, quod errorem animis, perturbationemque afferat. *Id. Tusc.* 3, 7. Oculus conturbatus non est probe affectus ad suum munus fungendum. *Id. Div.* 2, 47. Ad rem pertinet, quomodo affecto caelo, compositisque sideribus quodque animal oriatur. [*intellige de constellatione, quam nos dicimus, coeli, et cf. AFFECTIO.] ℙ Praecipue tamen hoc sensu in malam partem intelligendum est, de eo, qui ex morbo laborat, vel nondum est plane recreatus. *Liv.* 28, 26. Nihil aeque eos terruit, quam praeter spem rubor, et color imperatoris, quem affectum visuros crediderant. *Cic. Phil.* 9, 1. Cum ita affectus esset, ut si ad gravem valetudinem labor viae accessisset, sibi ipse diffideret. *Id. Att.* 14, 17. Caesarem Neapoli affectum graviter videram. *Suet. Tib.* 21. Jam quidem affectum, sed tamen spirantem adhuc Augustum reperit. *Id. Claud.* 25. Aegra et affecta mancipia. Hinc etiam translate de aliis rebus, i. e. debilitatus, fractus, imminutus. *Liv.* 5, 18. affectae vires corporis. *Cic. Fam.* 13, 68. Partem istam reipublicae male affectam tueri. *Vell.* 2, 84. Inopia affectissimus. *Liv.* 5, 10. Affecta res familiaris. *Id.* 6, 3. Opem rebus affectis orare. *Tac. H.* 3, 65. Affectam fidem juvare, *h. e.* labefactatam. ℙ Est etiam prope ad exitum perductus. *Gell.* 3, 16. *a med.* Affecta, sicut M. Cicero, et veterum elegantissimi locuti sunt, ea proprie dicebantur, quae non ad finem ipsum, sed proxime finem progressa deductave erant. *Id. l. l.* Non confecto anno, sed affecto. [*Comparat *Beier.* Homericum *περιπλωμένου ἐνιαυτοῦ.*] *Sil.* 15, 505. Jamque hieme affecta mitescere coeperat annus. *Cic. Prov. cons.* 8. Bellum affectum videmus, et, vere ut dicam, paene confectum. *Id. ib.* 12. Ut ea, quae per eum affecta sunt, perfecta reipublicae tradantur. *Id. Oecon.* ap. *Gell.* 15, 5. Cum affecta prope aestate, uvas a sole mitescere tempus est. [*cf. h. l. Gronovii notam; *Gell.* de discrimine agit inter: *profligatus* et *affectus.*] *Id. Verr.* 2, 4, 43. Affecta aetas. ℙ [De animo, absolute, ut de corpore, est i. q. comparatus aliquo modo. *Cic. Part.* 23. atque hi sunt fere quasi quidam habitus animi, sic affecti et constituti, ut etc. Inprimis autem de certo quodam animi affectu, i. e. hoc vel illo modo animatus. *Cic. Lael.* 16. ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmet ipsos. *id. Fam.* 16, 2. non queo ad te scribere, quo animo sim affectus.] *Id. Fin.* 1, 20. Sapiens eodem modo erit affectus erga amicum, quo in se ipsum. *Id. Leg.* 1, 9. Oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur. *Id. Off.* 3, 5. Si sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet, aut violet alterum etc. ℙ Item commotus. *Cic. Or.* 17. Utcumque se affectum videri, et animum audientis moveri volet, ita certum vocis admovebit sonum. *Id. Inv.* 2, 5. Amor, iracundia, aegritudo, et omnino omnia, in quibus animus ita videtur affectus fuisse, ut rem perspicere cum consilio et cura non potuerit. *Id. Fam.* 16, 4. Varie sum affectus tuis litteris; valde priore re pagina perturbatus, paulum altera recreatus. *Id. Att.* 12, 41. Avide sum affectus de fano, *h. e.* ardeo desiderio. ℙ Sup. *Affectissimus* v. supra.

AFFĔRO et Adf., ers, attuli, allatum, anom. *ἐπιφέρω*, fero, apporto: ex *ad*, et *fero*. Latissime patet, et dicitur fere de quacumque re. [*Hor. *Sat.* 2, 8, 42. affertur muraena *Cic.* ap. *Macr. Sat.* 2, 12. allatus est acipenser. *Gell.* 6, 9, 6. affertur sella.] *Cic. Man.* 2. litteras alicui. *Id. Att.* 8, 6. litteras ad aliquem. *Plin.* 10, 46, 63. Cibum pede ad rostrum, veluti manu afferens. [*Id. *Mil.* 1. afferre magnitudinem animi ad aliquid. *id. or.* 2, 38. genus sermonis afferre non liquidum, non fusum. *ib.* 3, 12. nihil ostentationis aut imitationis.] ℙ Addito dativo, afferre alicui aliquid est i. q. causam esse alicujus rei; efficere ut habeat alter aliquid. *Cic. Att.* 10, 4. Afferre consolationem alicui. *Id. Mur.* 40. et *Phil.* 9, 2. consulatum in familiam. *Id. Att.* 15, 1. consilium alicui. *Id. Off.* 1, 1. alicui adjumentum. Et 7. communes utilitates in medium. *Id. Fin.* 5, 1. memoriam. *Id. Fam.* 7, 1. delectationem alicui. *Id. Phil.* 12, 7. suspicionem. *Id. Or.* 34. auctoritatem et fidem orationi. *Id. Att.* 12, 38. animum vacuum ad scribendas res difficiles, *h. e.* applicare, dum vacuus est. *Id. Verr.* 2, 5, 25. metum alicui. *Id. Sext.* 61. moram. *Id. Off.* 2, 22. finem. *id.* 3, 6. utilitatem. *Id. Sull.* 1. dolorem. *Id. Rosc. Am.* 5. luctum et egestatem. *Id. Fam.* 4, 3. salutem. *Id. Cat.* 2, 8. medicinam. *Id. Off.* 2, 3. perniciem. *Id. Phil.* 10, 1. necessitatem dicendi. [*Ter. *Heaut.* 4, 3, 2. aegritudinem. *Ov. Met.* 12, 5. bellum in patriam. *Cic. Cluent.* 60. calamitatem. *Caes. B. C.* 1, 82. detrimentum. *Plin.* 15, 2, 3. (*Quint.* 11, 2, 41.) taedium. *id.* 23, 1, 18. dolorem capitis. *Quint.* 11, 1, 15. fastidium. *Just.* 27, 1, 10. favorem. *Plin. epp.* 10, 2, 1. gaudium. *Cic. Fam.* 10, 3, 8. gloriam. *Plin.* 31, 2, 19. mortem. *Cic. Sull.* 1. (*Just.* 27, 1, 10.) odium. *Plin.* 22, 25, 81. periculum. *Cic. Am.* 27. solatium. *id. Fam.* 10, 18, 7. sollicitudinem. — Afferre dotem dicitur vel uxor vel maritus. *Ter. Eun.* 1, 2, 43. Hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit. *id. Ph.* 4, 3, 49. 50. Mihi opus, aliquantulum quae afferret. *Beier.*] *Cic. Rosc. Am.* 7. afferre nuntium. *id. Fam.* 2, 14. Nihil novi ad nos afferebatur. Omninoque saepissime *afferre* simpliciter dicitur pro nuntium afferre, inprimis apud *Liv.* e. g. 4, 37, 6. *id.* 6, 31, 3. haud vana attulere. 8, 17, 7. *id.* 42, 57, 4. trepidus nuntius affert, hostem adesse. Sed *id.* 23, 36, 6. nuntius affertur, ut 4, 56, 4. fama affertur. *Nep. Milt.* 3, 3. crebri nuntii afferebant. *Ter. Ph.* 3, 3, 20. aliquid novi afferre. *id. Heaut.* 5, 4, 1. Vide ut mihi haec certa attuleris.] *Cic. Coel.* 21. Coelium ad illam attulisse, se ad ornatum ludorum aurum quaerere. *Id. Att.* 6, 8. Battonius miros terrores ad me attulit. *Id. Fam.* 16, 21. Rumores qui de me afferuntur. *Id. Att.* 3, 11. Spes ea, quae rumoribus afferebatur. *Liv.* 7, 39. Afferre compertum. *Id.* 10, 45. Per idem tempus rebellasse Etruscos allatum est. *Tac. Hist.* 1, 76. Item ex Hispania allatum est. *Id. Off.* 2, 13. opinionem populo, *h. e.* inducere populum ad credendum. *Id. Cluent.* 60. *in fin.* et *Rabir. Post.* 10. crimen alicui, *h. e.* inferre, crimini dare. *Id. Att.* 7, 13. animum alicui. *Id. Fam.* 7, 23. aes alienum. *Id. N. D.* 2, 3. cladem populo Romano. *Id. Verr.* 2, 5, 45. mortem uno ictu. *Id. Vatin.* 10. necem alicui suis manibus. *Id. Verr.* 2, 1, 26. vim alicui, *h. e.* inferre. [*Suet. *Oth.* 12. vim vitae. Variant interdum in hac formula libri, et utrumque, vel *aff.* vel *inferre* habent. Illud melius; praesertim in re stupri semper ita locuti sunt. V. *Oudend.* ad *Civ. Inv.* 2, 42. (ed. *Lindem.* p. 613. *Cic. Fam.* 3, 4. non mediocre vinculum ad voluntates copulandas. *id. ib.* 9, 17. sollicitudinem et spem. *id. ib.* 4, 7. dubitationem. *id. ib.* 8, 8. moram.] *Varr. R. R.* 2, 9. *a med.* Canes afferunt dentes in dominum, *h. e.* dentibus ipsos dominos petunt. *Cic. Caec.* 17. Afferre manus alicui. [*i. e. aggredi aliquem. Translate *Senec. Benef.* 2, 5. *ex.* beneficio suo manus afferre i. e. tollere et abolere. *Cic. Rep.* 3, 17. vexetur, rapiatur, manus ei denique afferantur. *Beier.*] *Id. Off.* 2, 15. manus bonis alienis, *h. e.* alienum rapere. *Planc. ad Cic. Fam.* 10, 23. sibi manus. Et *Cic. Att.* 3, 15. Afferre manus suis vulneribus, quod paulo ante dixerat, scindere dolorem suum. *Et Verr.* 2, 1, 18. Afferre manus templo, *h. e.* illud spoliare. Interdum *afferre manus* est opem ferre. *Id. Verr.* 2, 1, 26. Pro se quisque manus affert. ℙ *Afferre se aliquo* est se conferre, estque phrasis fere poetica. *Pl. Amph.* 3, 4, 6. Ejus jussu nunc huc me affero, *Ter. Andr.* 4, 5, 12. Haud auspicato huc me attuli. Quidam leg. *appuli.* [*Illud ex codd. restituit *Bentl.* Etiam pass. hoc sensu reperitur, *Virg. A.* 7, 217. afferri urbem i. e. venire in urbem. *Virg. A.* 3, 345. sese a moenibus heros Priamides multis Helenus comitantibus affert. *Catull.* 14, 21. abite Illuc, unde malum pedem attulistis, *h. e.* unde venistis. Alii leg. *tulistis.* ℙ Saepe *afferre* ponitur pro allegare. *Cic. Sen.* 6. Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant. *Id. Or.* 2, 53. Afferendum est in contrariam partem, quod sit aut gravius, aut aeque grave. *Id. Att.* 11, 15. Afferre justas causas. *Id. Fam.* 4, 13. rationes. *Id. Or.* 2, 89. aetatem. i. e. se excusant aetate. [*Cic. *Or.* 3. 33. effert se (ille), si unum aliquid affert, ut bellicam virtutem etc.] *Id. Caec.* 29. aliquid ad defensionem. ℙ Item pro conferre, prodesse. *Cic. Fin.* 2, 27. Negat Epicurus, diuturnitatem temporis ad beate vivendum aliquid afferre. *Id. Mil.* 1. Illa praesidia non afferunt oratori aliquid, ne, etc. [*id. *N. D.* 2, 63. quid enim oves aliud afferunt, nisi ut eorum villis — homines vestiantur? *Hor. *Sat.* 2, 2, 70. accipe tenuis victus quid afferat, quod expl. *Hdf.* in se habeat; laudato *Heusing.* ad *Off.* 1, 3, 8.] ℙ Item producere, gignere. *Cic. Off.* 1, 15. Agri fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt. ℙ [Particip. *Afferens* apud *Liv.* 9, 31. Congruentia ad consulem afferentes. *Allaturus* apud *eund.* 9, 16. Crederet, se vim allaturos. Adde *Nep. Eumen.* 12. *Allatus* apud *Liv.* 22, 11. Litterae ab urbe allatae. *Cic. Fam.* 15, 1. Quo nuncio allato. *Afferendus* apud *Cic. Fin.* 5, 10. Rationes afferendas puto. *F.*] ℙ [*Afferre* in *inferre*, comm. in libris. V. supra.]

AFFĪCIO, is, eci, ectum, a. 3. *διατίθημι*: ex *ad*, et *facio*: [*significat proprie: facere (se) ad aliquem s. aliquid aliqua re, i. e. inferre alicui aliquid; sive, ut *Gesner.* explicat: facere aliquid aut efficere, quod ad alterum aliquo modo pertinet. Est h. v. latissimi usus et inservit apud Latinos permultis notionibus, quae uno voc. minus recte exprimerentur, circumscribendis, eaque de causa in aliis linguis alio modo verti potest. Minus recte Forc. explicat hoc sensu per dare, addere, augere, ornare.] *Cic. Agr.* 1, 4. Afficere beneficio. *Id. Mil.* 29. aliquem praemio. *Id. ib.* 28. aliquem laetitia. *Id. ad Brut.* 1, 16. voluptate. Et *ib.* supplicio. [*Suet. *Caes.* 15. cladibus. *id. Galb.* 9. cruce i. e. supplicio crucis. *Cic. Verr.* 1, 4. cruciatu. *id. Rep.* 1, 44. populum servitute.] Et *Rosc. Am.* 39. poena. *Id. Att.* 15, 1. molestia. *Ter. Ph.* 5, 1, 3. Afficere injuria. *Cic. Rosc. Am.* 39. ignominia. *Id. N. D.* 1, 14. honore. *Id. Off.* 2, 13. laude. *Id. Fam.* 2, 3. muneribus. *Id. Top.* 24. et *Dejot.* 5. nomine. *Ovid. Medic.* 67. vultum medicamine. *Cic. Rosc. Am.* 39. macula. *Id. Inv.* 1, 25. Afficere morte. *Id. Divin.* 1, 27. sepultura. *Id. Parad.* 4. *ad fin.* exsilio. *Id. Balb.* 27. Afficere stipendio. *Pl. Amph.* 1, 1, 38. praeda atque agro adoreaque. [*Ib. *prol.* 2. lucris afficere et *v.* 6. lucro auctare.] *Id. ib.* 5, 2, 10. gloria. *Id. ib. prol.* 8. bonis nunciis. *Virg. Aen.* 12, 352. pretio. *Flor.* 2, 18. foederibus pudendis hostem. [*Duker. et *Graev.* malunt legi *vulneribus;* perperam; sensus est: coegerunt eum ad foedera accipienda.] *Just.* 1, 5. verberibus. *Suet. Cal.* 2. aliquem rerum et verborum acerbitatibus. *Vell.* 2, 30. Italiam gravibus variisque casibus. [*Caes. *B. G.* 7, 6. difficultate.] *Martial.* 12, 78. clientem domicoenio, *h. e.* domi coenare cogere. *Varr.* ap. *Non.* 12, 6. loca luce. Quare eodem sensu etiam passive: affici aliqua re. *Cic. Att.* 6, 3. sollicidutine et inopia consilii. *id. Fam.* 6, 19. dolore. *id. Off.* 2, 10. admiratione. [*i. e. admirabilem videri. *Caes. B. G.* 7, 17. inopia rei frumentariae.] *Scribon. compos.* 186. stomacho et vesica. *Nep. Ann.* 4. morbo. *Plin.* 29, 5, 33. torminibus et inflationibus. [*Cic. *or.* 38. satietate. *id. Inv.* 1, 25. turpi morte. *id. Fam.* 6, 19. doloribus pedum. *Cic. Verr.* 2, 5, 38. metu. *Liv.* 4, 30. tabo. *Cic. Tusc.* 3, 7. aegritudine.] ℙ Nullo casu addito significat motum aliquem aut affectum inducere sive in bonam sive in malam partem; affici, i. q. tangi impetu aliquo, vel vi externa vel interna; sic igitur pari modo, tum de corpore, tum de animo dicitur. Ac primum de corpore, est i. q. debilitare, afflictare morbo, tabefacere. *Liv.* 28, 15. Ut prius aestus, labor, fames, sitisque corpora afficerent, quam, etc. *Cels.* 4, 7. Pulmo totus afficitur: hunc casum ejus subsequitur tussis, etc. *Tac. Ann.* 4, 45. Pisonem ex improviso adortus, uno vulnere in mortem affecit. [*Ov. *Met.* 6, 255. non simplex Damasichthona vulnus afficit.] Apud sequiores etiam absolute reperitur *afficere* pro morbo afficere. *Capitol. M. Ant. phil.* 3. afficere corpus. — De animo. *Cic. ad Anton. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.* Litterae tuae sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere a te. *Id. Mil.* 29. Quonam modo ille vos vivus afficeret, qui, etc. *Id. Fam.* 5, 12. Affici a gratia, aut a voluptate. *Id. Or.* 1, 19. Ut eorum, qui audirent, ita afficerentur animi, ut eos affici vellet orator. Alii legunt *Ut ii qui audirent, ita afficerentur animis*, etc. *Quint.* 6, 2. Primum est, ut afficiamur, antequam afficere conemur. *Suet. Tib.* 52. Alterius (filii) vitiis infensus, *etc.* itaque ne mortua quidem perinde affectus est, *h. e.* eo mortuo doluit. *Plin. Pan.* 90. Consules oportere sic affici, ut se publice magis, quam privatim obligatos putent. *Id. ep.* 3, 1. *ad fin.* Sunt in usu et Corinthia, quibus delectatur, nec afficitur. *Tac. Ann.* 11, 19. Is terror milites, hostesque in diversum affecit: nos virtutem auximus, barbari ferociam infregere. Adde *Suet. Tib.* 66. Quibus (conviciis) diversissime afficiebatur. cf. *Claud.* 14. perinde ut afficeretur, i. e. prouti hoc vel illo sensu moveretur.] ℙ Sumitur etiam pro tractare sive bene, sive male. *Papin. Dig.* 37, 12, 5. Filius, quem pater male contra pietatem afficiebat. ℙ [Particip. *Affecturus* apud *Liv.* 21, 44. Deditos ultimis cruciatibus affecturi fuerunt. *Afficiendus* apud *Caes. B. G.* 8, 39. Pertinaciam magna poena esse afficiendam judicabat. *F.* *Nugatorium discrimen facit *Vet. Schol. Juv.* inter adficio et afficio; afficimur, inquit, malis; adficimur bonis, sed v. *Cramer.* p. 612.]

AFFICTĪCĬUS, a, um, qui affigitur, seu additur, *πρόσθετος*. *Varr. R. R.* 3, 12. Sequitur actus secundi generis, affictícius ad villam qui solet esse, ac, nomine antiquo a parte quadam, leporarium appellatum.

*AFFICTIO, onis, f. ab *adfingo*, Julio Rufiniano p. 36. dicitur de ea figura, quam Gr. *σχέσιν* appellant, i. e. ea figura, qua affectum adversariorum quemlibet fingimus, cui respondeamus. Similis est *τῇ ἀνθυποφορᾷ* s. *subjectioni.* Cf. *Ernest.* lex. techn. lat. p. 9. ℙ Eadem vox nunc legitur in loco mutilato ap. *Phaedr.* 4, 13, 1. affictione vevetri linguam mulieris; ubi videtur esse ab *affigo.* Alii malunt *affrictio*, alii aliter.

AFFICTUS, a, um, part. v. *affigo*, figendo additus, appositus, *ἐπιπλασθείς*, *πρόσθετος*. *Cic. Or.* 3, 45. *in fin.* Nullam partem corporis sine aliqua necessitate affictam reperietis. [*Nizol. h. l. derivat ab affingo.] *Varr. R. R.* 3, 9. Cubilia gallinarum aut exsculpta, aut afficta firmiter: motus enim, cum incubant, nocet. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 80. Connexum autem ita sit principium con-

sequenti orationi, ut non tanquam citharoedi prooemium affictum aliquod, sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur. ℙ Est etiam fictus, simulatus, ab *affingo*. *Lactant. Mort. persecut.* 39. *extr.* Amicos ejus afficto adulterio damnat.

AFFĪGO, is, ixi, ixum, et ictum, a. 3. προσάπτω, προσποιέομαι, ad aliquid figo, addo, appono. *Cic. N. D.* 3, 23. Minerva, cui pinnarum talaria affigunt. Quidam leg. *affingunt*. [*minus recte.] *Id. Rosc. Am.* 20. *in fin.* Litteram illam ita vehementer ad caput affigent, ut, etc. *Lucr.* 4, 1101. Affigunt avide corpus, junguntque salivas. [**Auct. Cons.* ad *Liv.* 91. affigi suis pectora tua sensit.] *Liv.* 28, 37. Laceratos verberibus cruci affigere. *Suet. Galb.* 9. Nummulario non ex fide versanti pecunias, manus amputavit, mensaeque ejus affixit. *Sall. fr.* ap. *Non.* 4, 355. Affigere patibulo. *Liv.* 4, 19. Repetitum saepius cuspide ad terram affixit. Est qui leg. *afflixit*. [*minus bene.] *Virg. G.* 2, 318. radicem affigere terrae. [*Comparat *Voss. Lucr.* 4, 1236. (semen) locis quia non potest adfigere adhaesum.] *Id. A.* 9, 536. Affigere flammam lateri turris. *Plin.* 16, 39, 76. *n.* 2. Affigere arma oleastro. *Claud. B. Get.* 619. et *Lucr.* 4, 1074. Affigere oscula. *Sen. ep.* 67. Senectus me lectulo affixit. *Hor. Sat.* 2, 2, 79. Atque affigit humo divinae particulam aurae, *h. e.* deprimit, et quasi clavo affixam terrae detinet. cf. *Bentl.* Alii legunt *affligit humo*, [*quod spernendum; *id. Sat.* 1, 1, 81. alius casus lecto te affixit, ibique *Hdf.*] ℙ Translate *Quint.* 2, 7, 18. et *Sen. ep.* 11. Affigere aliquid animo. [**Quint.* 10, 1, 19. memoriae.] *Cic. Tusc.* 3, 28. Huic generi malorum non affigitur illa opinio. [*In ep. *Davis.* est *affingitur*, ut legitur *ib.* 33. quod recepit *Schütz.*] *Quint.* 1, 1. Affigere litteras pueris, *h. e.* inculcare, adeo ut eorum menti haereant. *Arnob.* 5. *ad f.* Affigere sibi ritum religionis conflatum rationibus nullis. *Id. in.* 6. crimen alicui quod elegantius *affingere* dicimus. ℙ *Affixet* pro *Affixisset* est *Sil.* 14, 536. ℙ [*Ubique fere in libris confunduntur *affigo* et *affligo*. Illud autem significat fieri aliquid opera et labore, industria data; hoc cum vehementia quadam et furore tumultuario. Ex quo facile ubivis judicare poteris de veritate discrepantiarum, ut *Suet. Dom.* 23. imagines solo (non *affixit* sed) afflixit. Sic *B. Crus.* Cf. de confusione horum vv. *Drak.* ad *Liv.* 41, 18. ad *Sil.* 1, 674. et quos ibi plurimos laudat, quibus adde *Feam* ad *Hor. Sat.* l. l. *Arntzen.* et *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 35, 2. *Burm.* ad *Phaedr.* 1, 11, 10. *Bentlej.* et *Weber.* ad *Lucan.* 2, 31.]

AFFĪGŪRO, as, avi, a. 1. *Gell.* 4, 9. Disciplinosus, consiliosus, victoriosus, quae Cato ita affiguravit, *h. e.* effinxit. Alii leg. *figuravit*, alii *effiguravit*.

*AFFILANUS, a, um, ad Affile pertinens. *Inscr.* ap. *Cellar.* Lupercus Affilanus. *Anastas. Bibl. Vit. Sixt.* III. In territorio Affilano. *Bayl. Auct.*

*AFFILE, oppidum Latii non ignobile in Hernicis, in montibus inter Sublaqueum situm et Anagniam. *Frontin. de Colon.* Affile oppidum lege Sempronia. In centuriis et in laciniis ager ejus est assignatus. *id. ib.*

*AFFILIATIO, onis, f. *Gloss. Isid. Bayl. Auct.* Cf. ADFILIATUS.

AFFINGO, ingis, inxi, ictum, a. 3. fingendo, seu formando addere, aptare, προσπλάττω, προσποιέω. *Cic. Univ.* 6. Itaque nec ei manus affinxit, quia nec capiendum quidquam erat, nec repellendum. Saepius est fingendo addere. *Cic. Cluent.* 4. Faciam, ut intelligatis, in tota illa causa quid res ipsa tulerit, quid error affinxerit, quid invidia conflarit. *Id. Phil.* 1, 3. Fit plerumque, ut ii, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id, quod nunciant, laetius. *Id. Manil.* 4. De Lucullo ita dicam, ut neque vera laus ei detracta oratione nostra, neque falsa afficta esse videatur. [**Quint.* 8, 3, 70. licet etiam falso affingere.] *Caes. B. G.* 7, 1. Addere et affingere rumoribus. *Tac. A.* 14, 62. Affingere novum crimen alicui. *Cic. Tusc.* 3, 33. Aliquid opinione affingere, atque assumere ad aegritudinem. [*Ideo interdum simpliciter i. q. attribuere, aptare.] *Cic. Or.* 22. Peccat orator, cum probam orationem affingit improbo, stultove sapientis. *Id. Manil.* 4. Affingere alicui falsam laudem. ℙ Translate ponitur pro addere. *Cic. Div.* 1, 52. Parvis momentis natura aut affingit, aut mutat, aut detrahit. *Id. Or.* 3, 9. *in f.* Tantum alteri affinxit, de altero limavit, ut id conformaret in utroque, quod etc. ℙ Aliquando idem est ac fingo. *Appul. Met.* 4, 139, 34. *Elm.* Sciscitati nomen cujusdam Nicanoris, litteras affingimus, etc. *Eum. Schol. inst.* 21. Animus affingit Aegyptum quiescentem, etc.

[AFFĪNIO, is, a. 4. *Jul. Rufinian. de Schem. lex.* Prolepsis est schema λέξεως, id est figura elocutionis, cum ante numerus redditur, quam res et personae affiniantur, *h. e.* definiantur, enumerando ad finem perducantur. Ut *Virg. Ecl.* 6, 30. Nec tantum Rhodope mirantur, et Ismarus Orphea. *Mirantur*, numerus pluralis redditur, antequam ambo nomina, quae respicit verbum plurale, enumerentur. *F.*]

AFFĪNIS, ne, adj. πρόσορος, ὅμορος, qui alicui vicinus est, et praesertim qui agros habet alterius agris vicinos, ut *Festus* docet. (Nam *finis* praecipue de agrorum terminis dicitur. Hinc tit. 1. *lib.* 10. *Digest.*, qui est *Finium regundorum*, de agrorum terminis totus est.) [**Liv.* 28, 17. gens affinis Mauris.] *Sall. Jug.* 45. Parentes, aut parvi liberi militum, uti quisque potentiori affinis erat, sedibus pellebantur. Alii leg. *confinis*. [*Ita *Cort.*] *Paul. Dig.* 10, 1, 2. Non termini, qui singulos fundos separabant, observari debent, sed demonstratio affinium, quae novos fines inter fundos constituit. *Inscr.* ap. *Grut.* 1081, 1. Quod est juxta monumentum Claudii quondam Proculi, et si qui alii adfines sunt. In *Tab. alimentaria Vellejate a Petro De Lama* edita pluries vox *adfinis* hoc sensu usurpatur. ℙ Saepissime transfertur ad eos, qui sanguinis vinculo conjuncti sunt [*non tam sanguinis, quam *matrimonii*, ut Gr. κηδεστής i. e. gener et socer. *Nolten. lex. ant.* I. p. 816. *affines*, inq., dicuntur mariti et uxoris cognati; *propinqui*, inter quos aliqua sanguinis conjunctio est; *cognati*, qui per feminas conjunguntur; *agnati*, qui per genitorem. — Ideo saepe distinguntur affines et propinqui. *Tac. G.* 20, 9. quanto plus propinquorum, quo major affinium numerus. *Suet. Caes.* 1. per propinquos et affines suos. Raro tantum latiori sensu reperitur; sic adjective reperitur] *Ov. Pont.* 4, 8, 9. jus aliquod faciunt affinia vincula nobis. Plerumque usurpatur more substantivi. Itaque *affines* dicuntur, ut definit *Modestin. Dig.* 38, 10, 4., viri et uxoris cognati: dicti ab eo, quod duae cognationes, quae diversae inter se sunt, per nuptias copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit. Affinium autem nomina sunt *socer*, *socrus*, *gener*, *nurus*, *noverca*, *vitricus*, *privignus*, *privigna*, quaeque ab his componuntur *prosocer*, *progener*, etc., item *glos*, *levir*, etc. *Cic. in Sen.* 7. Tu me affinem tuum, tu meum generum, tu affinem tuam, filiam meam repulisti. *Id. ad Quir.* 5. Alter mihi affinis erat. *Val. Max.* 9, 9. *n.* 1. Cum affinis esset Caesaris. *Cic. Cluent.* 14. Nemo illum ex tam multis cognatis et affinibus tutorem unquam liberis suis scripsit. *Sil.* 6, 627. Stirpe genus clarum, coeloque affinis origo. *Ter. Heaut.* 5, 1, 63. Et gener, et affines placent, *h. e.* parentes sponsi. *Pl. Aul.* 3, 4, 9. Megadorus meus affinis, *h. e.* gener. ℙ Translate ponitur pro conscio, participe, aut quoquo modo conjunctionem habente cum aliqua re. *Cic. Cat.* 4, 3. Huic facinori si paucos putatis affines esse, vehementer erratis. [**Id. Rosc. Am.* 7, 18. affinis culpae.] *Id. Cluent.* 45. Non omnes in culpa sunt et suspicione ponendi: duos solos video affines ei turpitudini judicari. *Id. Inv.* 2, 10. Si animus nulli minus honestae rationi affinis ostenditur. *Liv.* 39, 14. Affinis noxae *Ter. Heaut.* 2, 1, 1. Quam iniqui sunt patres in adolescentes judices! Qui aequum censent nos a pueris illico nasci senes, Neque illarum affines esse rerum, quas fert adolescentia. *Pl. Trin.* 2, 2, 50. [**al.* 55.] Publicis negotiis affinis adolescens, i. e. iis implicitus. ℙ Apud *Tertull. Idol.* 10. *affinis idololatriae* est, qui proximus est ad idola colenda. Apud *Eund. Patient.* 7. *affinis cupiditatis* est cupiditate laborans. Et 11. *affinis pacis* pacificus.

AFFĪNĪTAS, atis, f. vicinitas, finium conjunctio, praesertim in agris. *Varr. R. R.* 1, 16. Relinquitur altera pars, quae est extra fundum; cujus appendices vehementer pertinent ad culturam propter affinitatem. V. AFFINIS. ℙ Saepius sumitur pro conjunctione hominum affinium inter se, [*κῆδος, κηδεία, κήδευμα] κηδεστία. [*Sed, ut supra monitum est, per excellentiam dicitur de necessitudine inter socerum et generum. V. *Ruhnken.* ad *Ter. Andr.* 1, 5, 12.] *Cic. Fin.* 5, 23. Caritas generis humani serpit sensim foras, cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, post vicinitatibus. *Id. Brut.* 26. Affinitate se devincire cum aliquo. *Vell.* 2, 44. Contrahere affinitatem. Et 65. Facere affinitatem inter aliquos. Et 100. Recipere aliquem in arctissimam affinitatem. *Nep. Paus.* 2. Conjungi affinitate cum aliquo. *Id. Att.* 19. Pervenire in affinitatem alicujus. *Liv.* 1, 1. Affinitatem jungere cum aliquo. *Suet. Ner.* 35. Affinitate conjunctus. *Pl. Trin.* 2, 3, 73. Adstringere affinitatem inter aliquos. ℙ Inter *propinquitatem* et *affinitatem* illud interest, quod *propinquitas* magis late patet, si vim nominis spectes: significat enim quamcumque conjunctionem. [*V. *Affinis.*] *Cic. Planc.* 11. Qui est cum illo maximis vinculis et propinquitatis et affinitatis conjunctus. *Suet. Ner.* 35. Similiter ceteros affinitate sibi aliqua aut propinquitate conjunctos. Adde *Liv.* 24, 22. *ad fin.* [**Suet. Pers.* sanguine et affinitate primi ordinis viris conjunctus.] Pro ipsis affinibus. *Pl. Trin.* 3, 2, 75. Patriam deseras, cognatos, affinitatem, amicos. ℙ Translate est quaecumque vicinitas, aut similitudo. *Gell.* 4, 13. Tanta est affinitas corporibus hominum mentibusque, et propterea quoque vitiis aut medelis animorum et corporum. *Id.* 1, 18. Hinc per affinitatem litterarum, qui φῶ Graece, Latine *fur* est. [**Varr. R. R.* 1, 16. *in.* pertinent ad culturam propter affinitatem, i. e. propter cognationem, quae intercedit inter eos. Similiter *Quint.* 1, 6, 24. aff. litterarum, i. e. cognatio, non ut expl.: similitudo. Sic etiam in superioribus locis intelligendum.] ℙ In genitivo plurali habet etiam *affinitatium* pro *affinitatum*: rarius tamen. *Justin.* 17, 3. Opesque affinitatium auxilio magnas paravit.

[AFFĪNĪTUS, a, um, partic. v. *affinio*, idem ac finitus. *Paul. Dig.* 22, 1, 17. *in.* Haec constitutio adfinitum modum excedit. Plerique tamen codices habent ad infinitum. [*Omnino!] *F.*]

AFFIRMANTER, adv. affirmate, *Gell.* 14, 1. Si potuisset praedici affirmanter. Pyrrhus ne rex, an Curius proelio victurus esset.

AFFIRMĀTĒ, adv. affirmando, καταφατικῶς. *Cic. Off.* 3, 29. Quod affirmate, quasi Deo teste, promiseris, id tenendum est, [*cf. *Beier.*] *Gell.* 10, 12. Plerique Graecorum affirmatissime scripserunt, simulacrum columbae ab Archyta factum volasse.

AFFIRMĀTĬO, onis, f. κατάφασις, enunciatio alicujus de aliquo. *Cic. Off.* 3. 29. Est enim jusjurandum affirmatio religiosa. *Planc. ad. Cic. Fam.* 10, 21. Credidi chirographis ejus, affirmationi praesentis Laterensis, etc. *Cic. ib.* 7. Quae et tua exhortatione excepi, et mea affirmatione tibi recepi, etc. *Caes. B. G.* 7, 30. Venire in spem affirmatione alicujus, etc. *Plin.* 28, 2, 4. Constantissima annalium affirmatione, transiturum, etc, *Curt.* 6, 11. Multa affirmatione abnuere. ℙ [**Affirmatio*, *confirmatio*, *admiratio* in libris confusa. V. *Graev.* et *Oudend.* ad *Cic. Herenn.* 1, 6, 18.]

AFFIRMĀTĪVUS, a, um, adj. ad affirmandum inserviens. *Diomed.* 1. p. 390. Affirmativa species (*verborum*) est hujusmodi, cum in re dubia, in qua parum altercantibus assentimur, specie subjunctiva, quasi sit factum, affirmamus, veluti cum dicimus: Fecerit, dixerit, etc.

AFFIRMĀTOR, oris, m. qui aliquid affirmat, et confirmat. *Ulp. Dig.* 27, 7, 4. Eadem causa videtur affirmatorum, scilicet quia, cum idoneos esse tutores affirmaverint, fidejussorum vicem sustinent. *Id. ib.* 4, 4, 15. Hic velut affirmator fuit, et suasor, ut cum minore contraheretur. *Tertull. adv. Marc.* 4, 7. Romulus ascensus sui in coelum habuit Proculum affirmatorem. Adde *Min. Octav.* 31.

AFFIRMĀTUS, a, um, part. v. *affirmo*, firmatus, confirmatus. *Cic. Inv.* 1, 37. Propositionis approbatio (*in argumentatione*) per quam id, quod breviter expositum est, rationibus affirmatum, probabilius et apertius fit. *Liv.* 7, 14. Affirmata eo casu Tullii apud dictatorem fides est. ℙ Ap. *Appul. Met.* 7. dicitur *corium affirmatum cineris inspersu*, *h. e.* cinere firmatum contra putredinem.

AFFIRMO, as, avi, atum, a. 1. confirmo, firmum facio, διαβεβαιοῦμαι, βεβαιόω: ex *ad* praep., quae hoc loco augendi vim habet, et *firmo*. *Liv.* 1, 1. Affirmare spem alicui. *Id.* 32, 35. opinionem. *Id.* 28, 2. dicta alicujus. *Id.* 38, 39. Rhodiis affirmata, quae data priore decreto erant. *Id.* 26, 24. Affirmare aliquid auctoritate sua. *Tac. Hist.* 4, 73. Populi R. virtutem armis. *Id. Ann.* 14, 22. Secuta anceps valetudo iram Deum affirmavit. *Catull.* 76, 11. Quin te animo affirmas. Alii leg. *obfirmas*, alii *aliter*. [*V. de hac diversitate *Heins.* ad *Sil.* 12, 668.] ℙ Saepe ponitur pro dictis confirmare, asserere, καταφημι. *Cic. Div.* 2, 3. Dicendum est mihi igitur ad ea, quae sunt a te dicta, sed ita, nihil ut affirmem, quaeram omnia, dubitans, etc. *Id. Att.* 13, 23. Omni tibi asseveratione affirmo, quod mihi credas velim, mihi majori offensioni esse, quam delectationi possessiunculas meas. *Id. ad Brut.* 1, 1. Non soleo temere affirmare de altero. [**Tac. G.* 2. quidam, plures Deo ortos affirmant, i. e. fidem dicendo firmant. coll. *id. Agr.* 10.] *Curt.* 6, 7. et *Liv.* 29, 23. Affirmare jurejurando. [*Eadem, qua jurare, vi dicit *Tibull.* 1, 4, 26. affirmes per Dictynnae sagittas, ubi de perjuriis amantium agit.] *Cic. Att.* 7, 8. valde. *Quint.* 2, 4. *in fin.* fortissime. *Liv.* 1, 3. pro certo. *Id.* 3, 23. *in fin.* Certum affirmare non ausim. [*Plura hujus generis collegit *Burm.* ad *Quint. Decl.* 18, 6. p. 354. Nota etiam *Suet. A.* 42. affirmavit, non daturum se; ubi negatio vim addit orationi.] ℙ Passive impersonaliter. *Tac. Hist.* 2, 49. Noctem quietam, ut affirmatur, non insomnem egit.

AFFIXĬO, onis, f. *Non.* 1, 327. Propages est series et affixio continua, vel longe ducta, *h. e.* rerum affixarum et simul junctarum ordo. *Capell.* 1, p. 14. Philologiae gracilenta affixio, *h. e.* assidua intentio, et studium rebus affixum.

AFFIXUS, a, um, part. v. *affigo*, παρεμπεπηγμένος. *Cic. Tusc.* 5, 3. Prometheus affixus Caucaso. *Virg. A.* 10, 161. Affixus lateri. [**id. G.* 4, 338. spicula caeca relinquunt (apes) affixae venis. *Lucr.* 5, 1321. de leaenis: morsibus affixae validis atque unguibus uncis.] *Curt.* 4, 4. et *Tac. A.* 15, 44. Affixus cruci. *Hor. Od.* 3, 5, 19. Signa affixa delubris. *Cic. Or.* 1, 44. Ithacam illam in asperrimis saxis tanquam nidulum affixam. ℙ *Affixa* dicuntur a JCtis, quae alicui rei fixa adhaerent. *Paul. Dig.* 33, 7, 18. *in f.* Domum instructam legavit cum omnibus affixis, *h. e.* cum omnibus iis re-

bus, quae ad ipsam domum aliquo modo pertinent. ℙ *Affixus* etiam dicitur, qui alicui semper adhaeret comes et constanter sequitur. *Cic. Q. Fr.* 1, 6. Jubes eum mihi esse affixum tanquam magistro. *Id. Fam.* 1, 8. Quibus in rebus me sibi ille affixum habebit. *Tibull.* 1, 6, 61. Anus noctu affixa foribus, *h. e.* assiduo pro foribus manens. [**Cic. Rep.* 1, 17. homines in exigua parte terrae affixi, np. quia ultra zonam temperatam, quippe solam habitalem, ut antiquitas credebat, migrare non licet. *Beier.*] ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2,5,53. Causa in anima sensuque meo penitus affixa atque insita. *Id. Inv.* 1, 26. Continentia cum ipso negotio sunt ea, quae semper affixa esse videntur ad rem, neque ab ea possunt separari. *Tibull.* 1, 3, 87. Pensis affixa puella. [**Sil.* 7, 362. (nauta) affixus coelo sub nocte serena. *al. intentus* ex glossa. Ob eundem sensum utrumque voc. conjungitur, ut ap. *Sen. Cons. ad Marc.* 2. intenta in unam rem et toto animo affixa. Plura v. ap. *Drak.* ad *Sil.*] *Auct. Decl. in Cat. quae Portio Latr. tribui solet, post med.* Nihil illo perspexi affixius ad tollenda bonorum consortia.

AFFLAGRANS, antis, part. ab inusit, *afflagro*, flagrans. *Ammian.* 21, 12. *in f.* Nec privatorum utilitates in tempore afflagranti despiciens, *h. e.* turbulento propter bellorum metum. Al. aliter leg.

AFFLĀTOR, oris, m. qui afflat. *Tertull. adv. Hermog.* 32. Qui super aquas ferebatur, librator, afflator, et animator. Loquitur de Spiritu Sancto.

AFFLĀTUS, us, m. *πρόσπνευμα, ἔπλανσια*, flatus, spiritus, ventus. *Plin.* 6, 17, 21. Afflatu Favonii juvari Indiam. *Id.* 4, 12, 26. Regio omni afflatu noxio carens. [**Id.* 6, 17, 20. apricis ab omni noxio afflatu seclusa collibus. *Ammian.* 24, 4. ignium afflatus immissus, sc. in foveas, unde latentes proliciendi erant.] *Auct. Ib.* 106. Deneget afflatus ventus et aura suos. *Plin.* 3, 5, 6. Afflatus montium. *Id.* 21, 10, 31. et 20, 19, 78. Afflatus maris. Hoc idem *afflatum maritimum*, *id.* 14, 2, 4. *n.* 5. et *ib.* 6, 8. *n.* 1. dixit. *Liv.* 28, 23. Ambusti afflatu vaporis. *Id.* 39, 22. Ignes coelestes adussisse levi afflatu complurium vestimenta dicebantur. *Colum.* 4, 24. Trunci pars solis afflatu peraruit. V. AFFLATUS, a, um. ℙ Dicitur etiam de spiritu emisso ab animali. *Plin.* 9, 30, 48. Polypus afflatu terribili canes agebat. *Id.* 10, 33, 51. Perdices concipiunt et supervolantium afflatu. *Ov. Met.* 8, 289. de apro: Fulmen ab ore venit: frondes afflatibus ardent. *Stat. Th.* 5, 527. Calidi afflatus serpentis. *Sil.* 6, 159. tabes afflatus; et *v.* 239. pestis afflatus, de dracone loquitur. ℙ Hinc *Varr. R. R.* 3, 1. *a med.* ponit *afflatum* pro aspiratione, hoc est pro H, quia in ea pronuncianda majore emisso spiritu opus est. *Lingua prisca*, inquit, *et in Graecia Aeoles, Boeotii sine afflatu vocant colles, Tebas.* ℙ Translate *afflatus* significat vim immissam divinitus animis, impetum, furoremque mentes permoventem excitantemque ad aliquid agendum, quod supra vires hominis esse videatur, *ἐνθουσιασμός*. V. AFFLO. *Cic. N. D.* 2, 66. Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit. *Id. Or.* 2, 46. *in f.* Poetam bonum neminem sine inflammatione animorum exsistere posse, et sine quodam afflatu quasi furoris. *Id. Div.* 1, 19. Vis illa terrae, quae mentem Pythiae divino afflatu concitabat. *Id. ib.* 18. Oracula, quae instinctu divino afflatuque funduntur. ℙ De luce, seu splendore, qui ab aliqua re effunditur. *Plin.* 36, 15, 22. Translucet pictura tenuissimis capillamentis, lenique afflatu simulacra refovente, ipsa materia in pretio operis intelligitur.

AFFLĀTUS, a, um, *ἐπιπνηθείς*, spiritu, halitu contactus. *Suet. Tib.* 72. Et ut exaestuaret, afflatus aura in graviorem incidit morbum. *Plin.* 8, 21, 33. Basiliscus necat frutices, non contactos modo, verum et afflatos. *Id.* 11, 53, 115. Afflata ursi halitu. ℙ Item tactus, contactus, cum de igne, sidere, fulmine, et hujusmodi, quae afflatu aliquo feruntur, aut ferri videntur, sermo est. *Liv.* 30, 6. Magna pars saucii, afflatique incendio effugerunt. *Ov. Pont.* 3, 6, 17. Afflatus telis fulminis. V. AFFLO. *Claud. B. Gild.* 348. Afflatus sole. *Ov. Met.* 3, 49. Hos necat afflatos funesti tabe veneni. *Claud. Rapt.* 1, 1. afflataque curru Sidera Taenario. ℙ Translate est inspiratus, instinctus. V. AFFLO. *Virg. A.* 6, 50. Sibylla afflata numine. *Pers.* 1, 123. audaci quicumque afflate Cratino, Iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles, *h. e.* quicumque ex lectione Cratini, ejus audaciam et spiritum hausisti. *Val. Max.* 7, 5. *n.* 4. *Afflatum repulsa* dixit, hoc est perculsum; ducta translatione ab iis, qui fulmine afflantur.

AFFLECTO, is, exi, a. 3. idem quod flecto, vel ad aliquam rem flecto. *Avien. Arat.* 734. huic rutilos si sol afflexerit axes.

AFFLEO, es, evi, etum, n. 2. *ἐπιδακρύω*, idem quod fleo, vel simul fleo. *Pl. Pers.* 1, 3, 72. Ut affleat, cum ea memoret. *Hor. A. P.* 101. Ut ridentibus arrident, ita flentibus affleut. Al. [**rectius F.*] leg. *adsunt.* [**al. *adsint* cf. intpp.]

AFFLEXUS, a, um, part. v. *afflecto*, flexus, inclinatus. *German. Phaen. Arat.* 191. *in Cepheo.* Qua latus afflexum sinuosi respicit anguis. Al. leg. *hac flexum.*

*AFFLIĀNUS sc. mons, situs in Latio prope Tibur. *Inscr.* ap. *Luc. Holsten.* Rivom aquae Claudiae Augustae Sub Monte Affliano Consumavit Imp. Domit. Caesar. Aug. Germ. Cos. *B. A.*

AFFLICTĀTIO, onis, f. *προσάραξις*, aegritudo cum vexatione corporis, ut *Cic. Tusc.* 4, 8. definit. *Id. ib.* 7. Sollicitudo, molestia, afflictatio, desperatio.

AFFLICTĀTOR, oris, m. qui affligit. *Tertull. adv. Marcion.* 5, 16. Justum est afflictatoribus nostris rependi afflictationem.

AFFLICTĀTUS et Adflictatus, a, um, part. v. *afflicto*, vexatus. *Suet. Tit.* 2. Gravi morbo afflictatus diu.

*AFFLICTIM, i, q. vehementer. Laudat *Gesner. Mart. Cap.* 3. Sed *Scheller.* se h. v. ibi reperisse negat.

AFFLICTIO, onis, f. idem quod afflictatio. *Cic. Tusc.* 3, 13. Aegritudo habet cruciatum, afflictionem, foeditatem. Al. leg. *afflictationem. Sen. Cons.* ad *Helviam* 16. Afflictionis irritae supervacua vexatio.

AFFLICTO, as, avi, atum, a. 1. agito vexo, huc illuc impello: frequentativum ab *affligo*, et ejus augens significationem, *ἐπιθλίβω. Caes. B. G.* 4, 29. Naves onerarias, quae ad anchoras erant deligatae, tempestas afflictabat. *Id. ib.* 3, 12. Neque navibus aditum haberent, quod minuente aestu in vadis afflictarentur. *Auct. B. Hisp.* 3. Tempestate adversa, vehementique vento afflictari. ℙ Translate est deprimere, vexare, agitare. *Tac. H.* 4, 79. Ne quartadecima legio, adjuncta Britannica classe, afflictaret Batavos. *Id. H.* 3, 19. Memor laboris ac vulnerum, quibus tam anceps proelii fortuna, quamvis prospero fine, equites equosque afflictaverat, *Id. Ann.* 6, 35. Afflictare hostes vulneribus. *Id. ib.* 13, 30. Italiam luxuria saevitiaque. *Id. ib.* 16. et *Cic. Cat.* 1, 13. Afflictari morbo. *Lucr.* 4, 1151. amore. ℙ *Afflictare se*, et *afflictari* est angi, cruciari, dolere, cum corporis vexatione. *Cic. Tusc.* 3, 32. Cum se Alcibiades afflictaret, lacrimansque Socrati supplex esset, ut sibi virtutem traderet. *Sall. Cat.* 32. Mulieres afflictare sese, manus supplices ad coelum tendere. *Cic. Att.* 11, 1. Nihil scire potui de domesticis rebus, de quibus acerbissime afflictor, quod etc. *Id. Tusc.* 3, 27. *in f.* Afflictari et lamentari. [**Ter. Eun.* 1, 1, 31. ne te afflictes. [**Afflictari etiam legi volunt ap. *Liv.* 29, 10. ubi alii: affectari gravi morbo.]

AFFLICTOR, oris, m. qui affligit, *προσαραχτής*. *Cic. Pis.* 27. Senatus odit te afflictorem et perditorem non modo dignitatis et auctoritatis, sed etiam ordinis ac nominis sui.

AFFLICTUS, us, m. allisio, collisio. *Appul. de Mundo*, p. 63, 36. *Elm.* Nubes afflictu ignem, ut ignifera saxa attrita inter se, dant. Et mox. Nubium afflictus. ℙ Item prostratio. *Cic. Tusc.* 2, 8. *ex poeta.* Effeminata virtus afflictu occidit. Plerique al. leg. *afflicta.*

AFFLICTUS, a, um, part. v. *affligo*, allisus, vel prostratus, *ἐνεφιθείς*. *Caes. B. G.* 4, 31. Quae gravissime afflictae erant naves etc. *Sall. fr.* ap. *Non*, 4, 454. Aut vulnerati a suis, aut afflicti undarum vi. *Flor.* 4, 12. Infantes ipsos afflictos humo in ora militum adversa misere. *Cic. Rabir. perd.* 9. Navis afflicta ad scopulos. *Colum.* 5, 6. Arbor senio aut tempestate afflicta. *Val. Fl.* 4, 612. *de Chalybum gente.* Et tonat afflicta domus ignea massa, *h. e.* malleis contusa. ℙ Translate sumitur pro vexato, agitato, prostrato, jactato, perdito, subverso. *Tac. H.* 1, 2. Italia novis cladibus afflicta. *Suet. Vesp.* 17. Civitates terrae motu aut incendio afflictae. *Liv.* 3, 6. Afflicta urbs pestilentia. *Cic. Fl.* 7. Graecia perculsa et afflicta et perdita. *Id. Quint.* 30. Ab afflicta amicitia transfugere, et ad florentem aliam devolare. *Id. Sull.* 31. Si non integra fortuna et afflicta patri suo gratulari sinatis. *Id. Leg.* 2, 17. Religiones prostratae et afflictae. [**id. Att.* 3, 9, 2. afflictae luctu miseriae.] *Id. Fam.* 6, 1. *ad f.* Afflictiore conditione esse. *Id. in Sen.* 9. Afflicto et jacenti dexteram porrigere. [**Tibull.* 1, 7, 41. afflictis mortalibus requiem affert Bacchus.] *Id. Manil.* 29. Afflictum erigere. [**ib.* moerore afflictus et profligatus.] *Id. Or.* 1, 8. et 37. excitare. *Id. Att.* 1, 16. Afflictus magnis clamoribus conticuit et concidit, [**i. e.* conturbatus, ut *Q. Fr.* 3, 1. afflictus concursu et odio populi.] *Suet. Oth*, 9. Afflictae copiae. *Id. Vitell.* 3. Missum ad legiones et appellatum imperatorem, pro afflicto statim lamentata est, i. e. pro prodito. *Id. Ner.* 16. Afflicti suppliciis Christiani, i. e. exagitati, vexati. *Tac. H.* 1, 88. Afflicta fides sc. aere alieno. *Flor.* 2, 6. et *Luc.* 1, 496. Afflicta res. *Just.* 4, 5. Res, quamvis afflictae, nondum tamen perditae. *Stat. Th.* 11, 164. Afflictus pudor. ℙ Saepe refertur ad animum. *Virg. A.* 2, 92. Afflictus vitam in tenebris, luctuque trahebam. *Cic. Tusc.* 4, 16. Aegritudine afflictus, debilitatus, jacens. *Id. Phil.* 9, 5. Afflictus luctu. *Id. Catil.* 2, 1. moerore. *Id. Fam.* 9, 11. gravissime casu aliquo. [**cf. omnino *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 30, 5. qui de hac formula accurate disserit.] *Id. Dom.* 36. et *Att.* 12. 21, *in f.* Afflictus et fractus animus. [**Suet. Oth.* 9. ne victis quidem adeo afflictis. ℙ Pro perdito, pravo. *Macr. Sat.* 6, 7. Nemo quisquam tam afflictis est moribus, quin faciat, aut dicat nonnunquam aliquid, quod laudari queat. Al. leg. *efflictis. Cic. Phil.* 3, 10. Homo afflictus et perditus, *h. e.* quasi vitiorum mole oppressus, obrutus, profligatus, abjectus; atque adeo improbus, pessimus. ℙ Comp. *Afflictior* v. supra.

AFFLĪGO, is, ixi, ictum, a. 3. *ἐνερείδω, ἐπιθλίβω*, allido, vi impello, prosterno: ex *ad* et *fligo.* [**cf. *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 2, 2, 79.] *Caes. B. G.* 6, 26. *in f.* Infirmas arbores pondere affligunt, atque una ipsae concidunt. *Pl. Most.* 1, 4, 19. Cedo manum: nolo equidem te affligi. *Sen. de Ira* 1, 16. *a med.* Mensam evertere, pocula affligere. [**Suet. A.* 96. aquila duos corvos afflixit et ad terram dedit.] *Tac. A.* 14, 8. trierarchus fusti (p. fuste) caput ejus afflixit, i. e. percussit. *Pl. Pers.* 5, 2, 15. Te ad terram, scelus, affligam. *Ov. Met.* 12, 139. et 14, 206. terrae affligere aliquem. *Sil.* 9, 631. affligere aliquem telluri. Al. leg. *tellure. Tac. H.* 1, 41. Dereptam Galbae imaginem solo afflixit. [**cf. *Suet. Dom.* 23.] *Id. Ann.* 4, 45. Affligere caput saxo. *Hor. Sat.* 2, 2, 79. Affligere humo. [**ut *Flor.* 4, 12, 5.] V. AFFIGO. *Cic. Dom.* 40. Affligere domum. *Id. Pis.* 38. statuam. *Id. Coel.* 32. monumentum. *Tac. A.* 4, 63. aliquem in mortem. *Colum.* 2, 10. Lupinum, si non ante hiemem convaluerit, frigoribus affligitur. *Cic. Pis.* 35. Affligi morbo. [**Pass. etiam absolute dicitur *Sall. Jug.* 60. qui supersteterant (sc. scalis) afflicti sunt. V. *Cort.* ad h. l. et *Gron. Obss.* 4, 8.] *Tac. A.* 14, 38. Fames affligebat hostes. ℙ Translate est deprimere, perdere, perturbare, vexare. *Cic. Brut.* 12. Hoc oratoris esse maxime proprium, rem augere posse laudando, vituperandoque rursus affligere. *Id. Tusc.* 4, 14. Animos affligere et debilitare metu. *Id. Sext.* 7. Affligere equestrem ordinem. *Suet. Tib.* 51. omnes amicitias et familiaritates intra breve tempus afflixit. *id. Ner.* 7. ream testimonio afflixit. *Tac. H.* 2, 33. is primus dies Othonianas partes afflixit (sequitur statim: animus fractus). *Cic. Fam.* 14, 4. virtus nostra nos afflixit, i. e. in hanc miseriam adduxit. Adde *Suet. Cat.* 13. *Vesp.* 8.] *Liv.* 28, 39. aliquem bello. *Cic. Mur.* 41. aliquem judicum sententiis, *h. e.* damnando deprimere. *Id. Agr.* 2, 30. Vectigalia bellis affliguntur, i. e. diminuuntur. *Plin.* 2, 12, 9. Affligere opes alicujus. *Cic. Att.* 2, 19. Pompejus ipse se afflixit. *Suet. Rhet.* 6. Affligere negotium de advocato, i. e. causam perdere, [**quod *Cic.* habet alio paullum sensu *Sext.* 41. causam susceptam affligere, i. e. praevaricari.] *Plin.* 33, 11, 53. et *Flor.* 3, 12. Affligere mores i. e. corrumpere. *Cic. Sen.* 10. Senectus enervat et affligit homines. *Id. Att.* 12, 50. Levari alicujus adventu, et discessu affligi. *Curt.* 4, 8. Vehementer affligi desiderio alicujus. ℙ [***Affligere* et *evertere* quid differunt docet *Wunder.* in *Annal. phil. Jahnii* V. p. 123.] ℙ *Adflixint* pro *adflixerint* archaice usurpat *Front.* ad *M. Caes.* 3, 3. Tum me Dii omnes male adflixint, si ego verbo laedere ausus fuissem quemquam amicum tibi. ℙ [**De permutatione h. v. c. Affigo v. sub h. v.]

AFFLO, as, avi, atum, n. 1. *ἐπιπνέω*, ad aliquid spiro, flatu spirituve contingo: ex *ad* et *flo.* Dicitur non de vento solum, sed etiam de spiritu sive halitu animalium. *Plin.* 18, 17, 44. *n.* 3. Cum udam *(fabam)* quidam ventus afflavit. *Stat. Silv.* 5, 1, 146. maligno Afflantur vincta Noto. *Ov. Met.* 1, 542. Afflare crinem sparsum cervicibus. *Hor. Sat.* 2, 8, 95. Afflare alicui. [cf. *Hdf.* ad h. l.] *Virg.* 1, 250. Nos ubi primus equis oriens afflavit anhelis, *h. e.* quasi contigit afflatu equorum cursu anhelantium. [**cf. *Aen.* 5, 739.] *Colum.* 8, 5. Ne pulli a serpentibus afflentur. *Plin.* 28, 6, 17. Afflari in fronte. *Lucr.* 5, 508. et calidum membris afflare vaporem. ℙ De aliis rebus, quae flatu aliquo ferri videntur, ut de igne, fulmine, sidere, et hujusmodi. Itaque *afflari* v. g. *fulmine* est non quidem ici, sed tangi vi spiritus fulmen praecunte, vel comitante. *Plin.* 2, 54, 55. Spiritum esse ociorem fulmine: ideo quati prius omne, et afflari, quam percuti. *Liv. fr.* ap. *Serv.* ad *G.* 1, 472. Tanta flamma ex Aetna monte defluxit, ut non tantum vicinae urbes, sed etiam Rhegina civitas afflaretur. *Ov. Trist.* 1, 9, 21. fulmina, quorum Ignibus afflari proxima quaeque solent. [**Virg. A.* 2, 649. fulminis afflare al. ventis. *Plin. Pan.* 90. fulmine afflare aliquem. cf. *Barth. adv.* 1091.] *Plin.* 2, 41, 41. Afflari sidere, *h. e.* siderari. V. alia in AFFLATUS, a, um. Huc referuntur et illa *Cic. Sen.* 17. Odores, qui afflarentur e floribus, *h. e.* qui flatu aeris ad nos pervenirent, (Al. leg. *afflarent;* quod placet *Manutio*, et aliis Criticis; alii *efflarentur*, [**utrumque minus recte.] et *Propert.* 2, 22, 17. Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores, Sed quos ipse suis fecit Amor manibus. ℙ Translate. *Cic. Att.* 16, 5. Rumoris nescio, quid

afflaverat, frequentiam non fuisse, *h. e.* exierat quidam rumor. *Id. Verr.* 2, 1, 13. Sperat, sibi auram posse aliquam afflari, in hoc crimine, voluntatis assensionisque eorum, quibus etc., *h. e.* fauturos sibi eos, qui etc. [**Auct. ad Her.* 4, 49. si quem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare possit.] *Tibull.* 2, 1, 80. Felix, cui placidus leniter afflat Amor. *Flor.* 3, 5. Italiam, ipsam urbem Romam regius terror afflabat, *h. e.* tam prope erat, ut et Romae timeretur. *Sen. ep.* 114. Si animus sanus est, si compositus, gravis, ingenium quoque siccum ac sobrium est: illo vitiato, hoc quoque afflatur. *Afflare aliquem juventa* ap. *Claud. B. G.* 208. est alicui juventam addere, et flando quodammodo inspirare. Eadem ratione *afflare alicui honorem* dixit *Virg. A.* 1, 595. Loquitur autem de Venere gratiosiorem Aeneae vultum reddente; sicut ap. *Claud.* de Jove sermo est. Creduntur autem Deorum halitus et afflatus vitales admodum esse, rebusque quas contigerint, vim vigoremque indere. *Tibull.* 2, 4, 57. indomitis gregibus Venus afflat amores. [*cf. *Barth.* ad *Stat. Th.* 5, 194.] ℙ Significat etiam inspirare, concitare divinitus motum animi, *ἐνθουσιάζειν*. Hic autem loquendi modus ex eo ortus videtur, quod ex caveis oraculorum anhelitus quidam exiret, quo sacerdotes incitati responsa divina reddebant, ut ex *Cic. Div.* 2, 57. colligitur. *Id. Arch.* 8. Poetam mentis viribus excitari, et quasi divino quodam spiritu afflari. Al. [*male] leg. *inflari*. V. AFFLATUS, a, um. ℙ [Part. *Afflans* ap. *Liv.* 22, 43. Terga tantum afflante vento. *F.*]

AFFLŪENS, entis, part. *affluo*, *ἐπιῤῥέων*, abundans, et proprie de aquis dicitur, aliisque fluidis. *Vitruv.* 8, 1. Sub radicibus montium uberiores et affluentiores aquae sunt. *Cic. Sext.* 8. Unguentis affluens, i. e. nimiis unguentis delibutus. Ut tempus ad similitudinem aquarum decurrentium fluere dicitur, ita *Hor. Od.* 4, 11, 19. *annos* dicit *affluentes*, i. e. accedentes, advenientes, quanquam admixta quadam ubertatis notione. [**Auct. dial. de orat.* 14. auditores affluentes (et vagos) opp. assistentibus et remanentibus. *Tac. An.* 2, 35. conventum Italiae et affluentes provincias praesentiae Caesaris servandas. *Flor.* 3, 20, 6. affluentibus in diem copiis.] ℙ Translate est copiosus, refertus, dives quacumque re, *περιουσιάζων*. *Suet. Aug.* 35. Affluens numerus senatorum. *Cic. Arch.* 2. Urbs eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis affluens. *Id. Rosc. Com.* 10. Homo bonitate affluens. *Id. Verr.* 2, 5, 54. *in f.* omni lepore et venustate. *Id. Cluent.* 66. Domus omni scelere. *Id. Or.* 3, 15. Homines otio nimio, et ingeniis uberrimis affluentes. *Id. Off.* 1, 43. In omnium rerum affluentibus copiis. *Id. Agr.* 2, 30. Opibus et copiis affluens. *Id. Amic.* 16. Divitior mihi et affluentior videtur esse vera amicitia, nec observare restricte etc. *August. Conf.* 2, 6. Largitor affluentissimus. In malam partem pro redundanti. *Nep. Att.* 13. Omni diligentia munditiam non affluentem affectabat. Al. leg. *munditiam*, non *affluentiam*. [*Sic postulat oppositionis ratio. Habet *Bremi* aliique.] ℙ Apud *Phaedr.* 5, 1. homo vestitu affluens est, qui vestem habet amplam, sinuosam, et, ut ait *Hor. Ep.* 4, 8., bis ter ulnarum togam. ℙ [*Ex affluenti i. e. affluenter, *Tac. H.* 1, 57. ac saepius. V. EX.] ℙ Comp. *Affluentior*, et Sup. *Affluentissimus* v. supra.

AFFLŪENTER, adv. *δαψιλῶς*, copiose. *Appul. Met.* 4. p. 145, 31. Vinum affluenter immissum. *Solin.* 9. *a med.* Ita affluenter successus ejus ampliandis opibus proficiebant, ut etc. *Cic. Tusc.* 5, 6. Affluentius voluptates undique haurire. *Nep. Att.* 14. Affluentius vivere. [**Tac. A.* 15, 54. affluentius solito convivium inire.]

AFFLŪENTIA, ae, f. *ἐπιῤῥοια*, profluvium. *Plin.* 26, 10, 60. Illita radix genitalibus inhibet affluentiam geniturae. ℙ Translate est abundantia, copia, *εὐπορία*. *Cic. Agr.* 2, 35. Ex hac copia atque rerum omnium affluentia. *Plin. Pan.* 29. Affluentia annonae. [**Nep. Att.* 13. affluentia opponitur munditiae.]

AFFLŪO, is, uxi, n. 3. *ἐπιῤῥέω*, ad aliquem locum fluo, fluendo accedo: ex *ad* et *fluo*. *Plin.* 2, 97, 99. Aestus bis inter duos exortus lunae affluunt, bisque remeant. *Tac. A.* 4, 6. Rhenus ad Gallicam ripam latior et placidior affluens. ℙ Translate significat accurrere, convenire, undique concurrere. *Virg. A.* 2, 796. ingentem comitum affluxisse novorum Invenio admirans numerum. *Liv.* 39, 31. Dimicantibus iis legio quinta supervenit; deinde, ut quaeque potuerant, copiae affluebant. *Tac. H.* 4, 25. Affluentibus auxiliis Gallorum, qui rem Romanam enixe juvabant. *Id. Ann.* 4, 41. Populi accursus multitudinem affluentium increpat. ℙ [**Affluit* et *affuit* commutantur in libris. V. interpp. ad *Virg. A.* 10, 143. Praeterea monet *Bayl.* in *Auct.* statuere *Pareum* in *lex. crit.* verbum AFLUO i. e. *ἀποῤῥέω* ap. *Cic. N. D.* 1, 41. Sed hoc nihili est.] ℙ Item accedere, illabi. *Cic. Fin.* 1, 11. Voluptas ad sensus cum suavitate affluit et illabitur. *Id. Q. Fr.* 3, 3. Nihil a te, nihil ex istis locis, non modo litterarum, sed ne rumoris quidem affluxit. *Ov. Rem.* 148. Affluit incautis insidiosus amor. *Val. Max.* 6, 9. *in f.* Opes affluunt subito, repente dilabuntur. ℙ Item abundare. *Lucr.* 6, 12, Affluere divitiis, honore et laude. *Pl. Ps.* 1, 2, 57. frumento. *Cic. Fin.* 2, 28. *in f.* voluptatibus. *Sall. Cat.* 37. Mihi imperium populi R. miserabile visum est, cui cum domi otium atque divitiae affluerent, fuere tamen etc., *h. e.* abunde suppeterent. *Liv.* 3, 26. Ubi effuse adfluunt opes. v. supra s. AFFLUENS. [*Adde *Suet. A.* 35. senatorum affluens numerus. *id. Cl.* 44. affluens cibus, ubi alii explicant de abundante cibo, alii de cibo ad fauces quasi emergente.]

*AFFLŪUS, a, um, adj. id. q. affluens. *Jul. Valer. Res gestae Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3, 29. Flumen quidem affluum vident. *Bayl. Auct.*

AFFŌDĬO, ōdis, ōdi, ossum, a. 3. ad aliquem locum fodio. *Plin.* 2, 68, 68. Furto vicini caespitem nostro solo adfodimus, *h. e.* fodiendo nostro solo adjungimus.

AFFOR V. AFFARI.

AFFORĔ. V. ADSUM.

AFFORMĪDO, as, a. 1. *περιφοβέομαι*, valde timeo. *Pl. Bacch.* 4, 10, 3. Magisque afformido, ne is pereat.

AFFRANGO. V. ADFRANGO.

AFFRĒMO. V. ADFREMO.

AFFRĪCĀTĬO, onis, f. *ἐπίτριψις*, affrictus. *Coel. Aurel. praefat. Acut. sub fin.* Majora corpuscula majoribus mista faciunt plagas, sive percussiones et affricationes. *Id. ib.* 1, 14. Argentum album est, sed ejus affricatio nigra.

AFFRĪCĀTUS, a, um, part. *affrico*, sed rari usus: usitatum enim est *affrictus*. *Appul. Met.* 3. p. 138, 27. Pyxides plusculas depromit, de quis egesta unguedine, diuque palmulis suis affricata, etc. [**Oudend.* legit *adfricta*.]

AFFRĪCO, as, icui, ictum, a. 1. *προστρίβω*, ad aliquid frico. *Colum.* 7, 5. Vitiosum locum pecudes aut morsu scalpunt, aut arbori affricant. *Plin.* 8, 27, 41. Anguis marathro herbae se affricans. *Id.* 29, 6, 38. Anguium membrana vernatione eorum exuta, si affricetur, claritatem (oculorum) facit. ℙ Translate. *Sen. ep.* 7. Malignus comes quamvis candido et simplici rubiginem suam adfricuit, *h. e.* adhaerendo vitiis suis infecit.

AFFRĪCTĬO, onis, f. idem quod affricatio, affrictus. *Phaedr.* 4, 13. ubi alii aliter, sed fortasse praestat *a frictione*. [*cf. *Affictio*.]

AFFRĪCTUS, us, m. *πρόστριψις*. *Sen. Quaest. nat.* 5, 14. *de spiritu subterraneo per loca sulphurosa se torquente.* Accendat flammam ipso affrictu necesse est. Quidam. leg. *obstrictu*. *Plin.* 31, 6, 38. Spuma aquae marinae affrictu verrucas tollit.

AFFRINGO. V. ADFRANGO. AFFRIO. V. ADFRIO. AFFŪI, isti, uit, etc. V. ADSUM.

AFFULGĔO, es, ulsi, n. 2. fulgens appareo, fulgeo, *ἐπιλάμπω*. *Auct. Ib.* 213. Non Venus affulsit, non illa Juppiter hora, Lunaque non apto, solve fuere loco. *Hor. Od.* 4, 5, 6. Instar veris vultus tuus affulsit. *Sil.* 7, 467. postrema nitenti Affulsit vultu ridens Venus. [**Liv.* 43, 13. coeli ardentis species affulserat.] ℙ Translate dicitur de iis rebus, quae moerentibus nobis, et optantibus laetae adveniunt, nosque erigunt, et recreant. *Liv.* 27, 28. Defensurum se urbem, prima spes, morte nunciata Marcelli, affulsit. [**id.* 23, 2.] *Id.* 30, 30. Et mihi talis aliquando fortuna affulsit. [**id.* 9, 10. lux civitati affulsisse visa est. cf. de hac signif. intpp. ad *Vell.* 2, 21. et *Duker.* ad *Flor.* 4, 9, 3.] *Val. Max.* 7, 6. *n.* 1. *extern.* Cretensibus nihil tale praesidii affulsit. *Flor.* 4, 9. *ad fin.* Ut prima affulsit occasio. *Petron. Sat.* 111. Verum pudicitiae, amorisque exemplum affulsisse. [*Libri interdum fluctuant inter *affulgere* et *effulgere*, ut *Hor.* l. l. et *Liv.* 43, 13. ubi *Gronov.* mavult posterius.]

AFFŪNDO, is, udi, usum, a. 3. *προσχέω*, fundo, diffundo, spargo: ex *ad*, et *fundo*. *Tac. Hist.* 5, 23. Mosae fluminis os amnem Rhenum Oceano affundit. *Id. Ann.* 13, 16. Affundere alicui venenum in aqua frigida. *Plin.* 16, 44, 91. Affundere vinum arbori. *Id.* 5, 1, 1. Affunditur aestuarium e mari flexuoso meatu. ℙ Translate. *Tac. Agr.* 35. Ut peditum auxilia mediam aciem firmarent, equorum tria millia cornibus affunderentur. *Id. Ann.* 6, 28. Affundere alicui vim vitalem, *h. e.* indere, infundere. ℙ *Affundi*, procumbere, prosterni, inclinari. *Sil.* 6, 572. sollicite laeti affunduntur, et ipsis Oscula vulneribus figunt. [*Apud *Sil.* libri habent *funduntur*. Illud *Reinesii* conjectura est.] Sed alia huc pertinentia V. in AFFUSUS.

AFFUSĬO, onis, f., *ἐπίχυσις*, infusio, vel aspersio. *Pall.* 3, 28. Antidoti affusione radices infundunt.

AFFŪSUS, a, um, part. *affundo*, fusus, infusus, aspersus, *προσχυθείς*. *Tac. Ann.* 1, 10. Venenum vulneri affusum. *Plin.* 12, 21, 46. Affusu eis paulatim aqua calida. *Id.* 28, 9, 38. Liquefacere sevum affuso vino. *Id.* 5, 29, 31. Amnis plurimis affusus oppidis, *h. e.* plurima oppida alluens. *Id.* 3, 3, 4. Caesaraugusta colonia amne Ibero affusa, *h. e.* quam Iberus alluit. ℙ Translate. *Ov. Met.* 9, 605. Amplectique pedes affusaque poscere vitam. *Flor.* 4, 2. Cleopatra affusa genibus Caesaris. *Ov. Met.* 8, 540. Affusaeque jacent tumulo, *h. e.* circa tumulum prostratae: quo sensu *Stat.* quoque 3. *Theb.* 686. locutus est. *Sen. Troad.* 1078. Cautes undique affusa ducum, plebisque turba cingitur, *h. e.* circumfusa. *Id.* 17, 219. Affusis puppes procedere ventis, *h. e.* afflantibus, et sese in vela immittentibus. [*cf. de hac sign. *Heins.* ad *Val. Fl.* 1, 762. ad *Sil.* 6, 572.]

AFFŪTŪRUS. V. in ADSUM. AFORĔ. V. in ABFORE. AFORIS. V. FORIS.

AFRĀNĬA, Licinii Buccionis senatoris uxor, quae muliebris verecundiae oblita suas per se causas agebat, et importunis clamoribus judicibus obstrepebat: non quod advocati ei deessent, sed quia impudentia abundabat. Hinc factum est, ut mulieres perfrictae frontis, et matronalis pudoris oblitae, *Afraniae* per contumeliam dicerentur. *Val. Max.* 8, 3. *n.* 2.

AFRĀNĬĀNUS, a, um, adj. ad Afranium poetam pertinens, ut *Afraniana fabula* apud *Cic. Coel.* 30., ubi alii plerique leg. *Afrania*. *Auct. B. Hisp.* 7. Afraniana legio, *h. e.* P. Ligarii Afraniani.

AFRĀNĬUS, poeta Latinus fuit, togatarum fabularum scriptor, cujus comoediae, alioqui festivae et elegantes, minus gratae fuerunt, quod foedis puerorum amoribus essent conspurcatae, ut notat *Quint.* 10, 1, 100. Ejus integra opera perierunt, solumque adhuc remanent fragmenta quaedam apud *Nonium*, aliosque veteres grammaticos. Floruit eodem tempore, quo *Terentius* et *Caecilius*, ut scribit *Vell.* 1, 17., vel certe paulo post. Eum laudat etiam *Cic. Brut.* 45. ut perargutum, et in fabulis disertum. *Hor. Ep.* 2, 1, 57. Dicitur Afrani toga convenisse Menandro, *h. e.* dicitur Afranius in togatis fabulis imitatus Menandrum; quod et *Cicero* innuit *Fin.* 1, 3. ℙ Adjective *Afrania fabula*, hoc est ab Afranio conscripta, apud *Cic. Coel.* 30. V. voc. praec. ℙ [*Alius Afranius Pompeji legatus fuit in Hispania. *Cic. Fam.* 16, 12. *Caes. B. G.* 1, 38. *Vell.* 2, 48.]

AFRĀRĬUS, ii, m. 2. *Inscr.* ap. *Grut.* 426. *n.* 5. C. Junio C. F. Quir. Flaviano Praef. annonae .... mercatores frumentarii et olearii Afrarii, *h. e.* apud Afros negotiantes. Sunt qui putant legendum *olearii*, [sed male, nam *olei Africani* meminit *Plin.* 15, 2, 3., et *mercatores olearios* nominat *Scaev. Dig.* 50, 4, 5. *F.*]

AFRI, orum. V. in AFER.

AFRĪCĀ, ae, f. *Ἀφρική*, *Λιβύη*, una ex quatuor Orbis terrae partibus, cujus termini sunt ab oriente Aegyptus et sinus Arabicus, ab occasu Oceanus Atlanticus, a septentrione mare Mediterraneum, a meridie Oceanus Australis. V. [**Mela* 1, 1. *extr.* et 4. *init. Plin. lib.* 3. *praef. lib.* 5. *Sall. Jug.* 17. (20.)] Dicitur habuisse nomen ab Afro, vel Aphero, qui a *Josepho l.* 1. *Antiq.* dicitur nepos Abrahae ex Madian filio, a *Solino* autem *c.* 24. filius Herculis Libyci, quique primus in eas terras habitandi causa transisse fertur. Sunt etiam qui putant ita dictam esse ab *α* privativa, et *φρίκη* horror, quod sit sine horrore frigoris: magnis enim caloribus abundat. Hinc et *Aphrica* a nonnullis scriptum est: sed Latina consuetudo aspirationem extrivit. [**Münter.* (in libro: Religion der Karthager §. 13.) derivat a v. אַפְרִיקָה simius, uti simius a simus, ut sit i. q. terra simiorum. Solebant enim Phoenices terras ab iis rebus, quas potissimum ibi reperiebant, appellare, ut *Hispania*, terra cuniculorum; *Lybia*, leonum terra etc. *Jahn.*] ℙ Aliquando sumitur pro peculiari Africae parte. *Plin.* 5, 9, 10. Nilus Africam ab Aethiopia dispescens. Et *ib.* 4, 3. A Tusca Zeugitana regio, et quae proprie vocetur Africa, est. *Mela* 1, 7. Regio, quae sequitur a promontorio Metagonio ad aras Philaenorum, proprie nomen Africae usurpat. [*Hoc igitur de regione Carthaginis intelligendum, ut praeter laudatos etiam patet ex *Cic. Man.* 12. *Ligar.* 7.] ℙ *Semper aliquid novi Africa affert*, *ἀεί φέρει τι Λιβύη καινὸν*, proverbium est ex eo ortum, quod cum in Africa magna sit aquarum inopia, ad paucos amnes bibendi causa multarum specierum ferae conveniunt, ex quarum vario concubitu multiformes subinde oriuntur partus, monstrosaeque animalium facies. Refert hoc proverbium *Plin.* 8, 16, 17., quadrare autem potest in homines lubrica fide, aut novarum rerum cupidos.

ĀFRĪCĀNUS, a, um, adj. *Λιβυκὸς*, ad Africam pertinens. *Cic. Dejot.* 9. Africanum bellum. Et *ib.* Africani rumores. *Id. Fam.* 6, 13. Africana causa, *h. e.* bellum a Pompejanis in Africa contra Caesarem renovatum. *Nep. Att.* 12. Africanae possessiones. ℙ *Africanae gallinae* in pretio olim fuerunt: erant autem ceteris multo majores, meleagridibus valde similes, colore pennarum vario, hoc est maculis quibusdam, velut guttis, distincto, (ex quo *guttatae* dicuntur a *Mart.* 3, 58.) habentes in capite tuber, seu gibbam rutilam: quam ob rem *gibberae* dicuntur a *Varr. R. R.* 3, 9. Adde *Col.* 8, 2. et *Plin.* 10, 26, 38. [**Athen.* 14, 20.] Eae appellantur etiam *Numidicae*, quia praecipue in Numidia Africae provincia nascebantur. Admittebantur autem in lautiores coenas, non quidem propter

suavitatem gustus, sed propter raritatem, et quod non nisi magno pretio comparabantur, ut *Plin. loc. cit.* et *Petr. Sat.* 93. testantur. *Varr. loc. cit.* Sunt gallinae, quae vocantur generum trium, villaticae, rusticae, et Africanae, etc. ℙ *Africanae ficus* etiam laudantur a *Cat. R. R.* 11., *Varr. R. R.* 1, 41., *Col.* 5, 10. et a *Plin.* 15, 18, 19. Quamquam non semper in eodem pretio sunt habitae, cum procedente tempore ex copia viluissent. Hinc inter viliora munera eas recenset *Mart.* 4, 46. et 7, 53. ℙ *Africanae*, *arum* per antonomasiam appellantur pantherae et pardi (qui solo sexu a pantheris differunt) quod id ferarum genus in Africa est frequentissimum, et inde primum Romam transvectum. *Plin.* 8, 17, 24. Senatusconsultum vetus fuit, ne liceret Africanas in Italiam advehere. *Liv.* 44, 18. *in fin.* Ludis Circensibus sexaginta tres Africanas, et quadraginta ursos, et elephantos lusisse. Adde *Suet. Cal.* 18., *Id. Claud.* 21. et *Plin.* 6, 34. ℙ *Africanus* agnomen est duorum celeberrimorum virorum Scipionum, quorum prior, qui *Africanus major*, et *superior* dictus est, id sibi peperit decus devicto Annibale, debellatoque Punico bello secundo; alter *Africanus minor*, et *posterior*, nepos adoptivus prioris, deleta Carthagine Punico bello tertio. *Liv.* 30. *in fin.*, *Cic. Har. resp.* 12. et *Off.* 1, 33. *ad fin.* et *Mur.* 28. et alibi. *Plinius* primum saepe appellat *Africanum priorem*, secundum *Africanum sequentem*, 5, 4, 3., 7, 44, 45. et alibi. V. AEMILIANUS. ℙ Africanus JCtus, scriptor subtilis et difficilis, Papiniani discipulus fuit. *Lamp. Alex. Sev.* 68., cui tamen fidem non habet *Cujac.*, qui eum esse putat, qui Sex. Caecilius dicitur a *Gell.* 20, 1., atque adeo antiquiorem.

AFRICIA, ae, f. inter genera liborum, quae in sacrificiis adhibebantur, enumeratur ab *Arn.* 7. p. 230., sed quid tandem significet, adhuc est incompertum. Est nonnullorum conjectura dictam videri ab *affricando*, quod aut arae, aut victimae affricaretur.

AFRĪCUS, a, um, adj. *Λιβυκὸς*, Africanus. *Flor.* 2, 2. *ad fin.* Africum mare. *Enn.* ap. *Cic. Or.* 3, 24. et *Liv.* 29, 23. *extr.* Africa terra. *Sil.* 17, 11. Africa bella. ℙ *Africus vicus* Romae fuit in Esquiliis, quod ibi obsides ex Africa bello Punico dicuntur esse custoditi. *Varr. L. L.* 4, 32. ℙ *Africus ventus*, qui saepius *Africus* absolute dicitur, est is, qui Italice *Affrico*, seu *Ponente-Garbino*, aut *Gherbino*, et nautis Transalpinis *Sud-Ouest*, Graecis *Λὶψ* dicitur, spirans ab Africa inter Austrum et Zephyrum, ab occasu brumali, contrarius Caeciae. *Sen. Quaest. nat.* 5, 16. et *Plin.* 2, 47, 46. et alii. *Sen. loc. cit.* Africus furibundus et ruens. *Virg. A.* 1, 90. creberque procellis Africus. *Hor. Od.* 1, 3, 12. praecipitem Africum Decertantem Aquilonibus. *Id. Od.* 3, 23, 5. Africus pestilens. *Id. Epod.* 16, 22. Protervus Africus. Adjective *Id. Od.* 3, 29. *ad fin.* Africae procellae, *h. e.* quas Africus movet. ℙ *Prop.* 4, 3, 47. Nec me tardarent Scythiae juga, cum pater altas Africus in glaciem frigore nectit aquas; Africum patrem dixit, quia omnes venti Dii habiti sunt: Diis autem *patris* nomen convenit. Quod autem addit, eum aquas congelare, videtur Africum confudisse cum Aquilone. Nam Africus ab Africa, quae regio est calidissima, spirans vim congelandi non habet, bene tamen Aquilo qui septentrionalis est. Ceterum haec ventorum ignoratio in femina, quae hic loquitur, facilius ferenda videtur.

AFŪI, isti, it, pro *Abfui*. V. ABSUM. AFŪTŪRUS. V. ABFORE et ABFUTURUS.

AG

[ĀGĂCLYTUS, i, m. ab *ἀγάκλυτος*, valde celebris, inclytus, Cognomen virile Romanum. *Inscr.* ap. *Gud.* 116, 2. L. Aurelio Agaclyto. *F.*]

*AGACTURI, orum, Arabiae populus. *Plin.* 6, 28, 32.

ĀGĀGĂ, ae, m. leno, nequam, perditus homo, In Glossis *Isidori* legitur *Agagola*, seu *Agagula*, *lenocinator*, *pantomimus*: quae vox fortasse ab *agaga* diminutivum est. *Petr. fr. Tragur. Burm.* 69. Plane non omnia artificia servi nequam narras: agaga est. Alii leg. *harpaga*, *h. e.* fur, ab *ἁρπάζω*, rapio: alii *apaga* eod. sensu, ab *ἀπάγω*, abigo, abduco: alii *agapa*, *h. e.* catamitus, exoletus, ab *ἀγάπη*, amor.

[ĀGALLĬOPUS, i, m. se jactans de voce, vel de vultu, ab *ἀγαλλάω*, jacto me, delector, et *ὤψ*, *ὠπὸς*, vox, aut *ὤψ*, *ὠπὸς*, vultus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 594, 4. Vessedius Agalliopus. *F.*]

ĀGALLŎCHUS. V. ALCHELUCIA.

ĀGALMĂ, ătis, n. *ἄγαλμα*, statua. Vox Graeca. *Capell. init.* 6. Quam docto assimilant habitu, qui agalmata firmant. lege *formant.*

[ĀGAMĒDĒ, es, f. filia Augei, et uxor Mulii, ex qua Neptunus genuit Dictyn. *Hygin. fab.* 157. ℙ Fuit etiam hujus nominis urbs in insula Lesbo. *Plin.* 5, 31. *ad fin.* *F.*]

[ĀGĂMĒDĒS, ae, m. *Ἀγαμήδης*, filius Ergini, et frater Trophonii, de quo ita narrat *Cic. Tusc.* 1, 47. Trophonius et Agamedes cum Apollini Delphis templum exaedificassent, petierunt, quod esset optimum homini: ut illuxit dies tertius, mortui sunt reperti; judicavisse Deum dicunt, nempe mortem esse optimum homini. *F.* *cf. *Hom. hymn. in Apoll.* 1, 296.]

ĀGĂMEMNŌN, ŏnis, m. *Ἀγαμέμνων*, *ονος*, Atrei, et Aeropes filius, frater Menelai, rex Mycenarum, qui in ea expeditione, quam Graeci ob Helenae raptum adversus Trojanos susceperunt, omnium consensu universi exercitus dux est declaratus. Quo in bello decimo demum anno victoria potitus, ubi primum in Graeciam rediit, a Clytaemnestra uxore, adjuvante Aegistho (qui cum illa absente viro adulterii consuetudinem habuerat) inter epulas, vel, ut alii volunt, inter sacrificandum Diis Penatibus, est interfectus, relicto filio Oreste, qui postea indignam patris necem ulciscens, matrem una cum adultero interemit. *Hor. Od.* 4, 9, 25. Vixere fortes ante Agamemnona, etc. ℙ De filiis tribus Anii ab Agamemnone raptis V. in ANIUS. ℙ *Agamemno* in recto casu. *Stat. Ach.* 1, 553. Conclamant Danai, stimulatque Agamemno volentes. [**Cic. Tusc.* 4, 8.] *Cic. Att.* 13, 47. Postea quam abs te [**scrib. ted*] Agamemno, non ut venirem, etc. [*Sunt haec vv. *Ennii*, ut putatur, versiculus; sed *Cic.* intelligit servum aliquem.] V. RUBICO.

ĀGĂMEMNŌNĬDĒS, ae, m. *Ἀγαμεμνονίδης*, patronymicum, filius, vel nepos Agamemnonis. *Juven.* 8, 215. Par Agamemnonidae crimen, *h. e.* Orestis.

ĀGĂMEMNŌNĬUS, a, um, adj. *Ἀγαμεμνόνιος*, ad Agamemnonem pertinens. *Virg. A.* 6, 489. Phalanges Agamemnoniae, *h. e.* milites Graeci, qui sub Agamemnone ad Trojam militaverant. Et 839. Mycenae Agamemnoniae. *Id. A.* 4, 471. Orestes Agamemnonius, *h. e.* Agamemnonis filius. *Prop.* 4, 1, 111. Agamemnonia puella, *h. e.* Iphigenia Agamemnonis filia.

ĀGĂMUS, i, m. *ἄγαμος*, qui nunquam uxorem duxit; vox Graeca, ab *α* priv., et *γάμος*, nuptiae. *Hieronym. adv. Jovinian.* 1. *ad fin. n.* 15. Primus Adam monogamus, secundus agamus, *h. e.* Christus. [ℙ Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 7. *n.* 85. C. Julius Aug. L. Agamos. Graeca terminatione pro *Agamus*. *F.*]

*AGANGAE, v. AGOGAE.

ĀGĂNIPPE, ēs, f. *Ἀγανίππη*, fons Boeotiae in Helicone monte, quem *Callimachus* ap. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 10, 12. dicit esse fontem Permessi fluminis. Hic potus inspirationem facere litterarum creditus est, ut ait *Solin* 7. *ad fin.* [**Plin.* 4. 7, 12.] Hinc a poetis sacratus est Musis, quae circa ea loca colere dicuntur. *Virg. loc. cit.* Aganippae Aoniae. *Claud. ep. ad Seren.* 61. doctumque fluens Aganippe. ℙ Praeterea Aganippe fuit Acrisii uxor, Danaes mater. *Hygin. fab.* 63.

ĀGĂNIPPĒUS, a, um, adj. *Ἀγανιππεῖος*, ad Aganippen pertinens. *Prop.* 2, 2, 30. Par Aganippeae ludere docta lyrae.

[ĀGĂNIPPĬCUS, a, um, adj. ad Aganippen pertinens, idem qu. Aganippeus. *Sidon. ep.* 9, 13. Procul hinc et Hippocrenen, Aganippicosque fontes, Abigamus et Minervam. *F.*]

ĀGĂNIPPIS, ĭdis, et ĭdos, adj. f. *Ov. Fast.* 5, 7. Dicite, quae fontes Aganippidos Hippocrenes, Grata Medusaei signa tenetis equi, *h. e.* fontes Hippocrenes, quae propter vicinitatem cum Aganippe, et communionem religionis, (quod uterque fons Musis est sacer, et inspirare litteras dicitur) ab eo cognominari potest. Alii ita legunt: *Dicite, quae fontes Aganippidos*, *Hippocrenes*, etc., ut *Aganippis* dictum sit pro *Aganippe*, poetis id quoque sibi aliquando vindicantibus, ut adjectivum patronymicum pro substantivo usurpent.

*ĀGANZAGA, ae, oppidum Mediae. *Plin.* 6, 14, 17. Ita *Harduin.* Antiquiores: *Agamzua.*

ĀGĀPĒ, ēs, f. *ἀγάπη*, amor, benevolentia. *Tertull. ad Martyr.* 2. Plus in carcere spiritus acquirit, quam caro amittit: imo et quae justa sunt, caro non amittit, per curam Ecclesiae, et agapen fratrum, ubi *agape* non solum amorem fratrum Christianorum in martyres carceribus detentos, sed et subsidia atque eleemosynas in eosdem collatas significat. ℙ Praeterea hoc nomine significabantur convivia Christianorum, ad quae advocabant pauperes eleemosynae causa. *Tertull. Apolog.* 39. *ad fin.* Coena nostra de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim agape, id quod dilectio penes Graecos est. Quantiscumque sumptibus constet lucrum est pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus. *Hieronym. ad Eustoch. ep.* 22. *n.* 14. Ad agapen vocare. ℙ Convivia etiam in honorem martyrum inita, et in eorum natalibus, aliisque solemnioribus diebus a Christianis olim celebrata, *Agapae* dicta sunt, de quibus plura *Muratorius Disquisit. de Agapis edit. Patav.* 1709. *una cum ejus Graecis Anecdotis* p. 241. De his etiam apud *Plin. ep.* 10, 97. mentio fit.

*ĀGĀPĒNOR, ŏris, m. *Ἀγαπήνωρ*, rex Tegeae urbis Peloponnesi in Arcadia, Ancaei filius, Lycurgi nepos, unus ex procis Helenae, Troja capta in Cyprum tempestate delatus est, ibique Paphum urbem condidit. *Hygin. fab.* 97. *B. Auct.* **Apollod.* 3, 7, 5. 6.]

ĀGĀPĒTAE, arum, m. plur. *ἀγαπητοὶ*, hoc est dilecti, amati: ab *ἀγαπάω*, amo. Agapetae dicti sunt olim apud veteres Christianos clerici, aut monachi, qui specie pietatis et religiosi convictus una cum mulieribus vivebant, quas praedicabant caste omnino a se haberi, et solius sanctae caritatis vinculo secum junctas simul habitare: quos pluribus sanctionibus Concilia et Patres damnaverunt. Hinc in *Papiae Lexico* Agapetes exponitur lenocinator, et qui cum feminis illicite conversatur procacius clericus. *Hieron. ep.* 22. *ad Eustoch. n.* 5. *sub fin.* Unde in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? (fratres, et sorores se appellabant) imo unde novum concubinarum genus? etc. Plura de his V. apud *Muratorium Disquisit. de Agapetis loc. cit. in voce Agape p.* 218.

[ĀGĂPĒTUS, i, m. *ἀγαπητὸς*, dilectus, unicus, ab *ἀγαπάω*, diligo. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 287, 11. M. Ulpius Agapetus. *F.*]

[ĀGĂPŌMĒNĒ, ēs, f. et ĀGĂPŌMĒNUS, i, m. ab *ἀγαπώμενος*, amasius, dilectus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 5. *n.* 24. Antuleja Agapomene. Alia apud *Donat.* 424, 26. P. Decimius Agapomenus. *F.*]

*AGAR, opp. in Africa propria s. Byzacena, h. *Boo-Adgar*, XVI. millia passuum a Thapso. *Auct. B. Afr.* 67. ad oppidum Adgar. *ib.* 76. 79. Hinc AGARITANUS, a, um, pertinens ad Agar. *Plin.* 5, 4, 4. oppida libera Acollitanum, Agaritanum (*Hard. Achar.*). Nonnulla ex his F. addidit.

AGARĪCUM, s. Agaricon, (*Lerchen-Zunderschwamm*) i. n. *ἀγαρικὸν*, fungus est in arboribus nascens, colore candido, medicinae vim habens. Nascitur circa Bosphorum, et in Gallia Cisalpina. *Plin.* 25, 9, 57. et 26, 8, 48. [**Dioscor.* 3, 1. nomen derivat ab Agaria, oppido Sarmatiae.]

[AGARĪTĀNUS, a, um, v. AGAR.

[ĀGĀSĬUS, ii, m. *ἀγάσιος*, inclytus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 623, 3. Sex. Pompejo Agasio.]

ĀGĀSO, onis, m. *ἀγάζων*, [*inde derivat *Voss*; *ἀγάζω* dialecto Tarentina erat i. q. *ἄγω*. *Scheller.* mavult derivari ab agere et asinus.] generatim significat eum, qui quodcumque jumentum ducit, aut curat: sed ex usu plerumque accipitur pro ductore et custode equorum. *Liv.* 43, 5. Duo equi phalerati cum agasonibus. *Pl. Merc.* 5, 2, 11. Egomet mihi comes, calator, equus, agaso. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 29. Agasonem cum equo. ℙ Interdum pro ductore asinorum, quo pacto non semel accipitur ab *Appul. Met.* 6. p. 180, 25. 7. p. 196. 4. ℙ Per contemptum est quicumque vilis servus. *Hor. Sat.* 2, 8, 73. Si patinam pede lapsus frangat agaso. *Pers.* 5, 76. hic Dama non tressis agaso, etc. ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 592, 6. C. Julius Aug. L. Agaso. *F.*]

*AGASSA, ae, f. oppidum Thessaliae vel Macedoniae *Liv.* 44, 7. Apud *eund.* 45, 27. appellatur etiam Agassae, arum.

*AGASUS, i, portus Apuliae inter fluvium Cerbalum et promontorium Garganum. *Plin.* 3, 11, 16. h. Porto Greco, auctore *Hard.* ad h. l.

[ĀGĀSTUS, i, m. *ἀγαστὸς*, admirandus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 985, 4. C. Minicius C. L. Agastus. *F.*]

[ĀGĀTHĀ, ae, et Ăgăthē, ēs, f. ab *ἀγαθὴ*, bona. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 446, 6. Agriae Agathae. Alia apud *Murat.* 990, 7. Agathe Sabinae Aug. libertae. *F.* ℙ [*Item oppidum Galliae Narbonensis. *Plin.* 3, 4, 5. *Mela* 2, 5. h. *Agde*, sita ubi Arauris fl. (h. *Erault*) in mare mediterraneum fluit. Cf. *Vib. Sequest.* in lib. de fluminibus, quem laudat *Bayl.*]

[ĀGĀTHANGĔLUS, i, m. *Ἀγαθάγγελος*, ab *ἀγαθὸς*, bonus, et *ἄγγελος*, nuncius. Cognomen virile Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 530, 1. L. Paetellius Agathangelus.

*ĀGĀTHARCHĬDES, ae, Cnidius, historiarum scriptor gravissimus et peripateticus, qui tempore Ptol. Physconis et Lathuri vixit, a. C. n. 148 — 105. *Plin.* 7, 2, 2. Scripsit opus geographicum bipartitum de Asia et Europa; item quinque libros de mari Erythraeo s. sinu Arabico, e quibus nonnulla servavit *Photius.*

[ĀGĀTHĒMĔRIS, ĭdis, f. et ĀGĀTHĒMĔRUS, i, m. ab *ἀγαθὸς*, bonus et *ἡμέρα*, dies, agens bonos dies. Cognomen muliebre. *Inscr.* ap. *Murat.* 1288, 10. Juliae Agathemeridi. Item cognomen virile. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 345. *n.* 1. D. M. P. Aelii Aug. Lib. Agathemeri. *F.*]

[ĀGĀTHĪAS, ae, m. ab *ἀγαθὸς*, bonus. Cognomen virile Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 604, 6. P. Caetennius Agathias. *F.*]

*ĀGĀTHO, ōnis, m. *Ἀγαθὼν*, *ῶνος*, ab *ἀγαθὸς*, bonus. [*Filius Priami, *Apollod.* 3, 12. *Hygin. fab.* 90.] ℙ Item cognomen virile Romanum. *Inscr.* ap. *Fea Framm. di Fasti Cons.* p. 69. P. Rubrius Agatho. *F.*

[ĀGĂTHŎBŪLUS, i, m. ab *ἀγαθὸς*, bonus, et *βουλή*, consilium, qui est bonus consiliarius. Nomen servile. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 769, 2.

*ĀGĂTHOCLES, is, m. rex Siciliae, figuli filius, de quo multa *Justin.* 22, 1. sqq. (*Polyb.* 10. p. 918. *Diod. Sic.* lib. 19, 20. *Auson. epigr.* 8. *Val. Max.* 7, 4, 1. *ext. Cic. Verr.* 2, 4, 55.) Hinc ĀGĂTHOCLĒUS, a, um, adj. *Ἀγαθόκλειος*, ad Agathoclem pertinens. *Sil.* 14, 652. Hic Agathocleis sedes ornata tropaeis. *F.* ℙ [*Fuerunt etiam hoc nomine duo historiarum scriptores, alter Babylonius, qui et Cyzicenus dicitur, quod de Cyzico scripsit. Hunc intelligi apud *Cic. Div.* 1, 24. putat *Voss. de Hist. gr.* III. p. 158. Alter Samius, qui de rep. Pessinuntiorum scripsit. Cf. *Ernest. cl. Cic.* ℙ Etiam Ag. Chius commemoratur, qui de R. R. scripsit. *Varr. R. R.* 1, 1. *Colum.* 1, 1. *Plin.* 22, 22, 44.]

[ĀGĂTHOCLIA, ae, f. 1. *Ἀγαθοκλεῖα*, ab *ἀγαθὸς*, bonus, et *κλέος*, gloria, habens praeclaram gloriam. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 978, 7. Hirtia A. L. Agatoclia. *F.*]

ĀGĂTHODAEMON, ŏnis, m. bonus genius, *ἀγαθοδαίμων, ονος:* ab *ἀγαθὸς*, bonus, et *δαίμων*, genius. *Lamprid. Elagab.* 28. Aegyptios draculos Romae habuit, quos illi agathodaemonas vocant. *Casaubon. ibid.* notat, Phoenices, et Aegyptios divini aliquid tribuisse draconum, et serpentum naturae, iis praesertim, qui veneno carent. [Hinc apud *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 1. p. 153. *edit. Mediol.* legitur haec *Inscr.* Agatho Daemoni E. V. S. *h. e.* e voto suscepto. ℙ Fuit etiam nomen herbae. *Appul. Herb.* 94. *F.* *Item Agathudaemon (sic) locus Alexandriae. *Jul. Val. res g. Alex. M.* 1, 22. ed. *A. Maj.* — *Bayl. Auct.*]

[ĀGĂTHODORUS, i, m. ab *ἀγαθὸς*, bonus, et *δῶρον*, donum, qui est praestans donum. Cognomen virile Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1098, 7. C. Pellio Agathodoro. *F.*]

[ĀGĂTHODŪLUS, i, m. ab *ἀγαθὸς*, bonus, et *δοῦλος*, servus, qui bene servit. Cognomen virile Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 83. Dis Manibus Fabiae Agathae (*fortasse* Agathes) an. XXXIII. et fratrum suor. Agathoduli an. XVII. et Aristobuli an. XXIII. *F.*]

[ĀGĂTHONĪCE, ēs, f. et Āgăthonīcus, i, m. ab *ἀγαθὸς*, bonus, et *νίκη*, victoria praeclara, et praeclarus victor. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 802, 4. Lucretiae Agathonice. Alia ap. *Spon. Miscell.* p. 117. M. Nonius Macrini Lib. Agathonicus. *F.*]

[ĀGĂTHOPUS, i, m. ab *ἀγαθὸς*, bonus, et *ὤψ, ὠπὸς*, vultus, qui bonos seu pulcros oculos habet. Cognomen virile Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 605, 5. Agathopo Aug. Liberto Flavia Nice. *F.*]

[ĀGĂTHOPUS, ŏdis, m. 3. ab *ἀγαθὸς*, bonus, et *πούς, ποδὸς*, pes, qui bonos seu validos pedes habet. Cognomen virile Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 980, 1. C. Julio C. L. Agathopodi. *F.*]

[ĀGĂTHUS, i, m. ab *ἀγαθὸς*, bonus. Cognomen virile Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 917, 3. L. Lautio Agatho. *F.*]

*ĀGĂTHUSSA, ae. Sic auctore *Plin.* 4, 12, 23. insula Telos, e. g. a Callimacho dicitur.

[ĀGĂTHYCHĒ, syncop. pro Āgăthotychē, es, f. ab *ἀγαθὸς*, bonus, et *τύχη*, fortuna. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1564, 10. Valeria Agathyche. *F.*]

*AGATHYRNA, ae, f. oppidum Siciliae ad oram maris Tusci. *Liv.* 26, 40. 27, 12. *Sil.* 14, 260. *Mela* 2, 5. Alii scribunt *Agathyrnum* et *Agathymum*, *Plin.* 3, 8, 14. sed hoc male.

ĀGĂTHYRSI, orum, m. plur. *Ἀγάθυρσοι*, populi Scythis vicini, caeruleo omnes capillo, circa Maeotidem paludem incolentes: quibus mos fuit ora artusque pingere; ut quisque majoribus praestaret, ita magis vel minus; ceterum iisdem omnes notis, et sic, ut ablui nequirent, ut *Plin.* 4, 12, 26. et *Mela* 2, 1. scribunt. *Virg. A.* 4, 146. Cretesque, Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi. ℙ Sunt qui putant [*sed falso] ideo pictos dici, quia versicoloribus vestibus utantur. *Avien. Perieg.* 447. Praecinctique sagis semper pictis Agathyrsi.

ĀGĀVE, ēs, f. *Ἀγαύη*, filia Cadmi, et Hermiones, et uxor Echionis regis Thebani, quae Pentheum filium, quod sacra Bacchi contemneret, in furorem versa propriis manibus dilaceravit. Ut ex furore ad se rediit, tanti sceleris magnitudine exterrita profugit ab Thebis, et in Illyricum usque errabunda pervenit, ubi a Lycotherse rege excepta, eidem nupsit: quem non multo post occidit, ut patri suo Cadmo regnum daret. *Ov. Met.* 3. *in fin.*, *Hygin. fab.* 184. et 240. [**Apollod.* 3, 4, 2. et 5, 5, 2.] Fuit hoc nomine tragoedia de Agaves et Penthei casu a Statio conscripta, de quo *Juven.* 7, 87. sed cum fregit subsellia versu, Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven. ℙ Praeterea Agave est una Nereidum, *Hygin. praefat. ad fab.* [**Apollod.* 1, 2, 6.] ℙ Item una ex Amazonibus. *Id. fab.* 163.

*ĀGAZAGA, ae, oppidum in ea Asiae parte, quae Paropamisus dicitur. *Ammian. Ptol.* eandem appellat *Gazaga*.

*AGBATANA V. ECBATANA.

[AGBĪENSIS, e, ad Agbium pertinens Africae oppidum, nunc *Bessons*. *Inscr.* ap. *Donat.* 345, 3. Municipii civilis Agbiensium. Alia apud *eund.* 346, 1. Respublica municipii Agbiensium. *F.*]

[AGDUS, i, f. *Arnob.* 5. p. 158. In Phrygiae finibus petra est quaedam, cui nomen est Agdus, ex ea lapides sumptos Deucalion jactavit, et Pyrrha. Magnam Matrem in vertice ipso petrae datam somno et quieti nequam incestis Juppiter cupiditatibus appetivit, sed voluptatem in lapidem fudit victus. Hinc petra concepit, et nascitur materno ab nomine cognominatus Acdestis. *Pausan. in Attic.* p. 4. ed. *Sylb.* scribit *Ἀγδίστιν*, et quidem rectius, cum hujusmodi nomen, ut ex allatis patet, ex Agdus originem habeat. [*Cf. *id. Achaic.* p. 223. *Sylb.*]

ĀGĒ, *φέρε, φέρε δή*, imperativum verbi *ago*, *is*, quod adverbii modo usurpatur, jungiturque cum omnibus personis utriusque numeri, et tum per se, tum cum aliis particulis *dum*, *vero*, *nunc*, *modo*. *sane*, *jam*, *sis*, *porro*, et aliis hujusmodi; variosque habet usus, qui ex subjectis exemplis apparent. Saepe enim est adhortantis, incitantis, instantis. *Ter. Ad.* 5, 8, 14. Age, da veniam filio. *Id. ib.* 5, 4, 23. Age, age, nunc experiamur. *Virg. G.* 3, 43. En age, rumpe moras, *Id. A.* 4, 569. Eja age. *Prop.* 1, 1, 21. En age dum, dominae mentem convertite nostrae. [*De formula agedum, cujus omnis vis versatur in v. *dum*, agemus sub hac particula. Interim cf. *Lindemann.* ad *Pl. Capt.* 1, 2, 71.] *Ter. Eun.* 4, 4, 27. Age dum, hoc mihi expedi. *Stat. Th.* 10, 33. Ite, age, et obsessis vigiles circumdate flammas. *Liv.* 38, 47. Mittite, age dum, legatos circa omnes Asiae urbes. *Id.* 7, 9. Procedat, age dum, ad pugnam. *Ter. Eun.* 2, 2, 51. Age modo, nunc tibi patent fores hae. *Id. Andr.* 3, 4, 19. Age igitur, ubi nunc est ipsus? [*Et in ead. formula, seq. plurali *Pl. Mil.* 3, 3, 54. age igitur, intro abite; nam ibi plur. metrum respuit. Cf. de hoc usu *Lindem.* ad *Vitas Duumvir.* p. 180. De formula: *age, si quid agis*, v. AGO. ℙ Saepe etiam concedentis, affirmantis, aut approbantis, sed juncta adhortatione. *Cic. Mil.* 19. Age, sit ita factum: quae causa, cur Romam properaret? *Ter. Ph.* 4, 3, 57. Age, age, jam ducat: dabo. *Cic. Fin.* 2. *in fin.* Age sane, inquam: sed erat aequius, etc. *Liv.* 1, 57. Incaluerant vino: age sane, omnes citatis equis advolant Romam. ℙ Servit etiam indignationi. *Ter. Andr.* 5, 2, 25. Age nunc, jam ego pol hodie, si vivo, tibi Ostendam, herum quid sit pericli fallere. ℙ Eleganter etiam usurpatur in transitionibus: tum in significatione adhortantis, tum concedentis. *Cic. Att.* 8, 3. Infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima navigandum est. Age jam, cum fratre an sine? *Id. Sull.* 26. Age dum, conferte nunc cum illius vita vitam P. Sullae. *Id. Mil.* 21. Age nunc, iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate. *Id. Partit.* 12. Age sis ergo, quoniam dictum de altero est, expone nunc, etc. *Id. Rosc. Am.* 16. Age nunc, refer animum, sis, ad veritatem. *Id. Verr.* 2, 5, 22. Age porro, tu, qui te tam religiosum existimari voluisti interpretem, cur, etc.? *Id. Manil.* 14. Age vero, ceteris in rebus quali sit temperantia considerate. *Id. Rosc. Am.* 37. Age, nunc Rosciorum factum consideremus. ℙ *Agite* eosdem fere habet usus, cum nominibus pluralis numeri. *Virg. A.* 1, 627. Quare agite, o tectis juvenes succedite nostris. *Pl. Amph.* 1, 1, 146. Agite, pugni; jamdiu est, quod ventri victum non datis. *Id. Curc.* 1, 1, 88. Agite, bibite, festivae fores, potate; fite mihi volentes propitiae. *Liv.* 3, 62. Agite dum, clamorem, qualem in acie sublaturi estis, tollite hic. *Id.* 5, 52. Recordamini, agite dum, quoties sacra instaurentur, quia, etc. ℙ *Age dum*, et *age sis* interdum junctis vocibus scribi solent.

ĀGĒA, ae, f. est via in navi, ita dicta, inquit *Festus*, quia in ea maxima quaeque res agi solet [*videtur esse i. q. *ἀγυιά*]. *Isid. Orig.* 19, 2. Agea viae sunt, vel loca in navi, per quae ad remiges hortator accedit. De qua *Ennius:* Multa foro ponens, ageaque longa repletur. Alii legunt *Multa foro ponit, et agea longa repletur. Scalig.* ad *Festum:* Multa forom, pontes et ageaque longa repletur. *Scheffer. de Mil. nav. l.* 1. *c.* 6. emendat: Agearia sunt loca, etc.

ĀGĒDUM et Age dum. V. in AGE.

ĀGĒLĂDĒS, ae, m. celeber statuarius apud *Plin.* 34, 8, 19., de quo et *Colum.* 10, 30. Nec Polycletea, nec Phradmonis, aut Ageladae Arte laboretur.

ĀGĒLASTUS, i, m. *ἀγέλαστος*, sine risu: ab *α* privativa, et *γελάω*, rideo. Hoc nomine appellatus est M. Crassus avus Crassi a Parthis interempti, quem nunquam in vita risisse scribit *Plin.* 7, 19, 18. *Lucilius* autem apud *Cic. Fin.* 5, 30. semel tantum risisse ait.

[ĀGĒLE, ēs, f. *ἀγέλη*, grex. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 746, 5. Versicula Agele sibi et Versiculanae Daphne matrisuae. *F.*]

ĀGELLŬLUS, i, m. diminut. ab *agellus*. *Cat.* 20, 3. Agellulum hunc, sinistra tute quem vides, Herique villulam, hortulumque pauperis, etc. Adde *Symm. ep.* 2, 30., *Arn.* 1. *p.* 12. et *Inscr.* ap. *Grut.* 1004, 4.

ĀGELLUS, li, m. *ἀγρίδιον*, parvus ager. *Ter. Ad.* 5, 8, 26. Agelli est hic sub urbe paululum. *Cic. N. D.* 3, 35. *ad fin.* Minora Dii negligunt, neque agellos singulorum, nec viticulas persequuntur. *Varr. R. R.* 3, 16. Agellus non sane major jugero uno.

*AGELOCUM, i, oppidum Britanniae. *Ant. Itin. Cambden.* legi mavult Adelocum, ut inde facilius derivetur *Idleton*.

ĀGĒMA, ătis, n. *ἄγημα*, certus delectorum militum numerus (qui pro variis temporibus varius fuit) apud Macedones, et eos, qui Macedonicam militiae rationem sequebantur; quem ipsi ita appellabant, quemadmodum suam *legionem* Latini. *Liv.* 37, 40. Addita his ala mille ferme equitum: agema eam vocabant. *Id.* 42, 51. Delecta et viribus et robore aetatis ex omni cetratorum numero duo erant agemata: hanc ipsi legionem vocabant. Hoc loco pedites intelligit. Adde 42, 58. [**Curt.* 4, 13, 26.]

*AGENDICUM, i, opp. Galliae Lugdunensis, in agro Senonum, h. *Sens*, s. ut alii volunt, *Provins. Caes. B. G.* 6, 44. 7, 10. In *Tab. Peut.* Agedicum scribitur.

ĀGĒNĔĂLŌGĒTUS, (vel — gītus) *ἀγενεαλόγητος*, qui non habet genealogiam, seu cujus parentes et avi, majoresque assignari non possunt. Vox Gr. ab *α* priv., *γενεά*, genus, origo, et *λέγω*, dico; usurpata a *Tert. Praescr. adv. Haeret. in fin.*

ĀGENNĒTOS. *ἀγέννητος*, *h. e.* non generatus, ab *α* privativa, et *γεννάω*, gigno: unus est ex aeonibus Valentini apud *Tert. adv. Val.* 35.

ĀGENOR, ŏris, m. (ab *ἄγαν*, valde, et *ἀνήρ*, vir, strenuus), *Ἀγήνωρ, ορος*, filius Beli, rex Phoenicis, et Libyae: vel ut alii volunt, Neptuni filius ex Eurynome, seu Eurymede Nisi filia, vel ex Libye Epaphi filia: ex ejus genere fuit Dido, quae una cum aliis Phoenicibus in Africam trajiciens, Carthaginem condidit, quam proinde poetae *Agenoris urbem* appellant, ut *Virg. A.* 1, 338. [*Quinque alii feruntur Agenores, minus noti, de quibus v. mythographos, *Apollod.* et *Hygin.*] ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 845, 6. L. Genicius Agenor. *F.*]

ĀGENŌRĔUS, a, um, adj. ad Agenorem pertinens. *Ov. Met.* 3, 307. Agenorea domus. [**Val. Fl.* 4, 522. tecta, i. e. domus Phinei Thracici.] *Id. Fast.* 6, 712. Agenoreus bos, *h. e.* is, sub cujus imagine Juppiter Europam Agenoris filiam abduxit. *Sil.* 7, 642. Purpura Agenoreis saturata micabat ahenis, *h. e.* murice celeberrimo Tyri Phoeniciae urbis, ubi Agenor regnavit. Adde *Martial.* 10, 16. ℙ Pro Carthaginiensi. V. AGENOR. *Sil.* 1, 14. Agenoreae arces, *h. e.* Carthago. *Id.* 17, 404. Agenorei nepotes, *h. e.* Carthaginienses. *Id.* 17, 392. Agenoreus ductor, *h. e.* Annibal. ℙ Scribitur et *Agenorius*.

ĀGENŌRIA, ae, f. Dea industriae, quae scilicet homines ad agendum excitat: cujus fanum in Aventino olim fuisse quidam tradunt. *August. Civ. Dei* 4, 11. et 16. Eadem ab aliis vocatur *Agerona*. ℙ Sunt etiam qui putent eandem fuisse, atque *Angeronam*, seu *Angeroniam*, sed minus recte, de qua V. suo loco.

ĀGENŌRĪDES, ae, m. Agenoris filius. *Ov. Met.* 3, 7. *de Cadmo.* profugus patriamque, iramque parentis Vitat Agenorides. [**id. Pont.* 1, 3, 77. *Mart.* 2, 43.] Item *Val. Fl.* 4, 582. Phineum vocat Agenoridem, quod, ut *Id.* ait *ib.* 444., magno cretus Agenore. [*Porro sic dicitur Perseus, quia ab Agenore quodam, Jasi filio, originem ducit. *Ov. Met.* 4, 771.]

ĀGENS, entis, part. v. *ago*. Sumitur interdum pro efficaci, actuoso, vim habente. *Cic. Or.* 2, 87. Utendum imaginibus agentibus, acribus, insignitis, quae occurrere, celeriterque percutere animum possint. *Id. Brut.* 92. Acrem enim oratorem, incensum, et agentem, et canorum concursus hominum, forique strepitus desiderant. ℙ *Agentes in rebus*, (quorum saepe mentio est in *Cod.*, ut *l.* 12. *t.* 20, 21, 22. et 23. et alibi, item apud *Ammian.* 15, 3. [**id.* 14, 11. 16, 5. 8. 22, 5. 7.] *August. Conf.* 8, 6., *Hieron. c.* 1. *Abdiae*, et alios) fuere sub imperatoribus velut quoddam genus magistratus, quorum munus multiplex variumque fuit. Ii enim imperatorum litteras, edictaque deferebant, [*consulum nomina, victorias Augustorum provincialibus nunciabant,] cursum publicum exercebant, et in evectionibus ne qua fraus fieret, providebant; curabant etiam, ne qua conspiratio, motus, seditiove per provincias glisceret; scrutabantur secreta domuum, explorabant animos hominum, statusque provinciarum, de iis omnibus imperatorem certiorem facturi; militem, si quando opus erat, huc illuc deducebant; annonae curam habebant, et ut frumenti canones praestarentur, et importarentur; et alia his similia exsequebantur, quibus imperatores facilius rerum statum, totiusque imperii rationem dirigerent, aut cognoscerent. [*cf. de iis *Vales.* ad *Ammian.* 15, 3. *Salm.* ad *Scriptt. H. Aug.* tom. 1. p. 323.] Hi et *frumentarii* alias dicti sunt, et *curiosi*, ob similitudinem officii: a Grae-

cis fere *ἀγγελιαφόροι*, *h. e.* nuncia afferentes; item corrupto vocabulo *μαγιστριανοὶ*, quia suberant magistro officiorum. Iidem dicuntur etiam *agentes rerum*. *Aurel. Vict. Caes.* 39. *ad fin.* Remoto perstilenti frumentariorum genere, quorum nunc agentes rerum simillimi sunt. [*cf. *Arntzen.*] ℙ Interdum *agens* ponitur pro actore in judicio. *Mart. Dig.* 22, 3, 23. Quod inter agentem et debitorem convenit. Adde *Paul. Dig.* 1, 18, 21. de hoc v. sub AGO. [*Apud *Quint.* 6, 1, 48. quum ad agentem et turba prospexisset; de scriptura dubitatur, et *Spald.* mavult *ad agendum.*] ℙ Etiam agrimensores *agentes* vocantur, in *fr. de Limit. p.* 218. *Goes.* et apud *Hygin. de Limit. constit. ib. p.* 179., eaque appellatio ex eo orta est, quod *limitem agere*, *mensuram agere* frequentissime ab ejusmodi scriptoribus usurpantur. ℙ Apud Grammaticos *verba agentia* sunt activa. *Gell.* 18, 12. ℙ In genitivo plurali et *agentium* legitur, et *agentum*, sed illud frequentius.

ĀGER, agri, m. *ἀγρὸς*, *χῶρος*, terra culta manibus hominum, ut fruges ferat. *Varr. L. L.* 4, 4. Ager, quod agi poterat. *Donat.* ad *Ter. Ad.* 3, 3, 47. Ab agendo ager dictus est, quod in eo multa agenda sunt. *Quint.* 1, 6, 37. Sed cui non post Varronem sit venia, qui agrum, quod in eo agatur aliquid, dictum Ciceroni persuadere voluit, (ad eum enim scribit Varro) cum ex Graeco (*ἀγρὸς*) sit manifestum duci? *Ter. Heaut.* 1, 1, 94. Agrum hunc mercatus sum: hic me exerceo. *Cic. Tusc.* 2, 5. Ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus. *Id. ib.* Agri frugiferi. *Id. Rosc. Com.* 12. Tum erat ager incultus sine tecto: nunc est cultissimus cum optima villa. *Id. Fl.* 29. Agri et natura perboni, et diligentia culturaque meliores. *Id. Rosc. Am.* 18. Agrum colere. *Virg. Ecl.* 1, 73. conserere. *Colum.* 2, 2. proscindere. *Aurel. Vict. Vir. ill.* 65. Constituere triumviros agris dividundis. [*Ager etiam vitium et arborum dicitur. *Gell.* 19, 12. ut ager mundus purusque fiat, ejusque arbor atque vitis fecundior.] ℙ Saepe ager ponitur pro multorum agrorum collectione, hoc est territorio alicui vel urbi vel fundo circumjecto, *χώρα*. *Cic. Agr.* 3, 2. Ut melior fundus Hirpinus sit, sive ager Hirpinus (totum enim possidet) quam, etc. *Id. fr.* ap. *Quint.* 4, 2. *sub fin.* [sive *Cic.* pro *Tullio*, 14.] Fundum habet in agro Tigurino [*imo *Thyrino*] M. Tullius paternum. *Id. Fam.* 13, 4. Ager Volaterranus. *Nep. Paus.* 3. In agro Troade. [*Omnino *Agros* et *arva* poëtae dicunt pro regnis. v. *Burm.* ad *Claud. Rutil.* 83. in *poet. min.* T. II. p. 33. — Eodem fere modo saepe *agri* dicuntur pro vicis et pagis, et opponitur urbs. *Cic. Verr.* 2, 4, 44. illi noctu — veniunt: — homines ex agris concurrunt. *id. Cat.* 2, 4. non solum ex urbe, sed etiam ex agris ingentem numerum perditorum hominum collegerat. *Liv.* 3, 32. vastati agri sunt (sc. fame et pestilentia): urbs exhausta assiduis funeribus.] ℙ Ager *compascuus*, *colonus*, *subsecivus* etc. v. suis ll. ℙ Agrorum genera apud Augures v. in PEREGRINUS. ℙ [*Ager* significat etiam i. q. *longitudo*, eique opponitur *Frons* s. latitudo. *Inscr. ined.* apud *Osannum* ad *Appulejos* in haec vv. exit: Suis heredibus fecit in agro App. Fori in Fr. P. XII. in agro P. XVII. ubi *Osann.* observat, in ultimo versu jungendum esse INFR. Cave credas. Nam, ut diximus, opp. inter se *in fronte* i. e. latitudine, et *in agro* i. e. longitudine; quod spatium in sepulcris definiendum erat, ne totus ager religiosus censeretur. V. intpp. ad *Hor. Sat.* 1, 8, 10. Debemus haec, quae perquam huc facere ipse vides, BEIERO.] ℙ *Nihil minus expedit*, *quam agrum optime colere*: vetus paradoxon apud rusticos, quod refert *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 4., quo significatur, nimiam impensam in colendis agris, et quae fructum superet, vitandam esse, et, ut ibidem *Plin.* subdit, bene colere necessarium esse, optime damnosum. ℙ *Agrum imbecilliorem esse oportet*, *quam agricolam:* proverbium rusticorum, quo ostenditur non esse suscipiendum majorem agri modum, quam coli commode possit. Quo pertinet illud *Virg. G.* 2, 412. Laudato ingentia rura, Exiguum colito. ℙ [*Commutantur *ager* et *arvum*. V. quos laudat *Drak.* ad *Sil.* 5, 260. *Fea* ad *Hor. epod.* 2, 18. Porro *ager* et *ara* (agris, aris) v. *Arntzen.* ad *Aur. Vict. V. Ill.* 23, 5. qui laudat *Duker.* ad *Flor.* 3, 13, 4. *Burm.* ad *Ov. Met.* 11, 546.]

ĀGERĀTON, *ἀγήρατον*, [*Achillea Ageratum *Linn.*] herba est ferulacea ad duorum palmorum altitudinem excrescens, similis origano, florem ferens bullis aureis non absimilem; ita dicta, quod non facile marcescat, nempe ab *α* privativa, et *γῆρας*, senectus. *Plin.* 27, 4, 4.

AGĒRĀTOS, *ἀγήρατος*, qui non senescit. Vox Gr. ab *α* priv. et *γῆρας*, senectus. Fuit hoc nomine unus ex aeonibus Valentini apud *Tertull. advers. Valentin.* 8.

*AGERENSIS, e, *Cic. Rull.* 2, 19. Agerensis ager. Is autem fuit in Asiae regione, quae a P. Servilio Isaurico imperio Rom. adjuncta est. *Graev.* legi mavult *Sagalassensis*, a Sagalasso, Pisidiae oppido. *Bayl. Auct.*

*AGERENTIA, Apuliae oppidum, quod olim Acherontia dictum est, h. *Cirenza* s. *Acerenza. Paul. Diac. in Langob.* 2, 21.

*AGESANDER, ri, nobilissimus sculptor, qui teste *Plin.* 36, 5, 4, *n.* 11. simul cum aliis Laocoontem sculpsit.

AGĒSILĀUS, i, m. *Ἀγησίλαος*, Lacedaemonius, Archidami filius, qui post mortem Agidis fratris sui rex constitutus, Tissaphernem in Asia, qui principatum tenebat inter Persas, vicit, et Atheniense, et Boeotios apud Coroneam urbem Peloponnesi. Brevi statura corporis, et altero pede claudus fuit, sed rara virtute praeditus. Vitam ejus vide apud *Corn. Nep.* et *Plutarch.* ℙ *Agesilaus* etiam dictus est Pluto. *Lactant.* 1, 11. Regnum orbis ita partiti sunt, ut orientis imperium Jovi cederet, Plutoni, cui nomen Agesilao fuit, pars occidentalis. Sic autem cognominatus est Pluto, *παρὰ τὸ ἄγειν τοὺς λαούς*. [*Ita *Callim. hymn. in lavacr. Pall.* 130. *Ἀγεσίλας* appellatur.] Aliqui tamen pro *Agesilao* leg. *Agelasto.* ℙ [*Agesilaus*, *i*, m. et *Agesilais*, *idis*, f. sunt cognomina Romana. *Inscr.* apud *Grut.* 1036, 4. Agesilaidi L. Statius Agesilaus, et Nicarete filiae dulcissime. *F.*]

*AGESINĀTES, ium, m. plur. populi Galliae Aquitanicae, Pictonibus vicini. *Plin.* 4, 19, 33. *Bayl. Auct.*

AGĒSIS et Age sis. V. in AGE.

[ĀGETE, ēs, f. *ἀγητὴ*, admirabilis. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* apud *Murat.* 1387, 10. Trebulana Agete. *F.*]

AGGARRIO et Adg., is, a. 4. ad aliquem garrio. *Capell.* 1. *init.* Nugulas ineptas aggarrire non perferens.

AGG. V. ADG.

AGGĔNO, is, a. 3. id. qu. *geno* pro *gigno*. *Sever. Aetn.* 444. Ni furtim aggeneret secretis callibus humor Materiam, *h. e.* gigneret, produceret. Al. leg. *generet*, al. *aggereret*, seu *adgereret*,

AGGĔNUS URBĬCUS, scriptor rei agrariae, cujus exstant commentaria in *Frontin.* et quaedam alia edita a *Goesio*, creditur ante Theodosii, vel etiam Antonii Pii tempora vixisse: sunt etiam, qui retrahunt ad Tiberii aetatem: non desunt praeterea, qui Christianum fuisse putant; sed omnia haec dubia sunt, et debilibus fulta conjecturis. Ejus certe stilus ejusmodi est, ut cadentem sapiat Latinitatem: ceterum planus sermo et lucidus, ut ipse de se dicit *initio commentar. in Frontin.*

AGGER, ĕris, m. *χῶμα*, *ωμὸς*, ex *ad* et *gero* [*proprie significat quidcunque adgeritur, ut rudera, terram, arenam, lapides, ligna etc. quibus vel expleas vacuum spatium vel excites acervum s. struem. Est igitur pro materia ipsa quae aggeritur.] *Virg. A.* 9, 567. aggere fossas complere. *Curt.* 8, 10, 27. implere cavernas aggere; [*quod paullo post §. 30. dicit: magnarum arborum stipites cumulis (*Zumpt.* conjicit: *cum ramis*) ac moles saxorum in cavernas dejiciebant.] *Caes. B. G.* 7, 58. cratibus atque aggere paludem explere. [*cf. *id. ib.* 85, 86.] *id. ib.* 2, 20. qui paullo longius aggeris petendi causa processerant. [*id. B. C.* 1, 42.] *id. B. C.* 2, 15. aggerem comportare; [*paullo post congestitius agger dicitur. *id. ib.* 7, 23. aggere vestire i. e. terra aggesta obruere. *Virg. A.* 7, 107. moliri aggere tecta i. e. domos ex aggesta terra. [*Ammian.* 17, 7. quidam collo tenus aggeribus obruti i. e. ruderibus. *Ov. Met.* 12, 524. e medio aggere vox exit, de congestis in Caeneum arboribus.] *Hirt. B. Al.* 29. aggerem repentinum injicere arboribus sc. ut pons efficeretur. coll. *Suet. Cal.* 19. superjecto aggere terreno, ubi de ponte loquitur, ut *ib.* 37. v. *Brem.*] Hinc *Stat. Silv.* 2, 1, 17. *aggerem Milvium* dicit pro ponte M. ℙ Deinde agger dicitur id, quod materia terraque accumulata efficitur, i. e. strues, cumulus, collis, sepes, murus, moles; in specie autem dicitur de militari aggere. De his singulatim. De quavis strue dicitur, ut nivis, *Virg. G.* 3, 354. aggeribus niveis informis terra. Praecipue apud sequiores, ut *Ammian.* 16, 12. elati cadaverum aggeres. *id.* 17, 13. caesorum aggeres et captivorum agmina. *id.* 23, 5. suggestum Imperatoris aggerem glebalem dicit. Hinc saepenumero pro collibus ipsis dicitur, sed itidem apud deteriores: *id.* 16, 12. armis circumdatum aggerem nemorosum cautius obsidebat; paullo ante *collem* dixerat. cf. *id.* 23, 6. celsorum aggerum summitates. *id.* 27, 4, 10. ac saepius. ℙ Porro, quod excitantur acervi ad aliquid arcendum, est i. q. murus, septum, moles ad aquas arcendas etc. Ita colligitur ex *Varr. R. R.* 1, 14., ubi recensens quatuor genera septorum, quae tutandi fundi causa fiunt, unum esse naturale, ait, *h. e.* vivam sepem; alterum agreste, *h. e.* ex lignis palisve confixis, sepem mortuam; tertium militare, *h. e.* fossam et aggerem; quartum denique fabrile, *h. e.* maceriam. *Servius* quoque ad illud *A.* 10, 24. *atque ipsis proelia miscent Aggeribus murorum*, docet aggerem proprie dici de acervo militari ad sepiendum et muniendum. [*Aggeres murorum pro muris dixit, qui defendunt aliquid et arcent ut *ib.* 11, 382. 10, 144. Pro muro etiam *Prop.* 3, 9, 22. (*al.* 10. *al.* 11, 22.) statuit Semiramis urbem, ut solidum cocto tolleret aggere opus, ubi v. interpp. Ita intelligunt *eund.* 2, 10, 48. Iliacis miterles in aggeribus, de propugnaculis s. muris Graecorum, quibus castra sua circumdabant. Hinc illud *Servii* ad *Virg. G.* 1, 264. muros de terra factos et glebis, qui fiunt in circuitu cohortium et vinearum. *coll. Varr. R. R.* 1, 14. Hoc sensu agger dictus est murus latericius, qui per mediam Circi arenam porrectus, totam propterea bifariam dividebat, imponendis Circi ornamentis aptissimus: ita profecto appellatur, quod aevo vetustiore fuit terrae congestae moles. Hic deinde a *Cassiod. ep.* 3, 5. dictus est spina. Eo loci conveniebant harioli, et circulatores responsa dantes, ludificantesque credulam plebem. *Juven.* 6, 587. Plebejum in Circo positum est et in aggere fatum, *h. e.* ut explicat *ib. Vet. Scholiast.*, in Circo, in spina, hoc ideo, quia illic pauperes sortes accipiunt. [*Sed de latericio isto muro s. spina res valde incerta est, et *Juven.* locum, licet *Schol.* ita interpretetur, aliter explicandum esse, infra demonstrabitur. Pro munimentis in universum dixit *Virg. A.* 6, 831. aggeres Alpini. cf. *Serv.* et *Sen. Herc. Oet.* 168. Thessalici aggeres i. e. Pelion, Ossa, Olympus. ℙ Porro pro mole ad aquas arcendas. *Virg. A.* 2, 496. aggeribus ruptis cum spumeus amnis exiit. [*Ammian.* 25, 6. riparum aggeribus humana manu destructis.] Hinc pro ipso maris littore, ut quod altius est mari et fluctus arcet: *Virg. A.* 5, 113. et tuba commissos medio canit aggere ludos. [*Ov. Met.* 15, 690. aggere incurvi muniti portus. *id. Trist.* 3, 9, 13. aggere solvitur funis.] ℙ Praecipuus autem h. v. usus est in re militari. Significat hoc modo 1) terram egestam, quae una cum fossa, quae sic efficitur, castra cingit munimenti causa; *Virg. A.* 7, 159. sedes in littore, castrorum in morem, pinnis atque aggere cingit. Neque tamen ideo agger et vallum idem significant, de qua re cf. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 7, 72. 2) quod frequentius etiam est, terram aggestam et accumulatam, ut in ea ponantur promoveanturque machinae oppugnandarum urbium. De hoc egit *Herz.* ad *Caes. B. G.* 2, 12. *Cic. Fam.* 15, 4. Aggere, vineis, turribus oppidum oppugnare. *Id. Att.* 5, 20. Oppidum cingere vallo et fossa, aggere maximo, vineis etc. *Caes. B. G.* 2, 12. Aggerem jacere. [*ut *Sall. Jug.* 37, 4.] Et 30. exstruere. [*ib. 8, 41. instruere.] *Plin.* 8, 8, 8. construere. *Liv.* 5, 7. promovere ad urbem. *Varr. R. R.* 1, 14. facere. *Flor.* 4, 2, 85. Congestis cadaveribus aggerem efficere. Hic agger militaris, quoniam magnam partem palis et stipitibus constabat, etiam comburi poterat, cujus rei exemplum exstat ap. *Caes. B. C.* 2, 14. Translate *Cic. Phil.* 10, 4. esset agger oppugnandae Italiae Graecia. ℙ Celebris Romae fuit *agger Tarquinii*, ita dictus, quia a Tarquinio Superbo exstructus fuit ad muniendam urbem a parte orientali: cujus *Plin.* meminit 3, 5, 9. Clauditur Urbs ab oriente aggere Tarquinii Superbi inter prima opere mirabili. Namque eum muris aequavit, qua maxime patebat aditu plano. Adde 36, 15, 24. *n.* 2. Inde etiam, uti de Saxo Tarpejo, damnati dejiciebantur, si credimus multis, qui de eo intelligunt verba *Suet. Cal.* 27. Qui per vicos agerent, quoad praecipitaretur ex aggere. [*Is sane intelligendus esse videtur; erat enim ad portam Collinam, quo loco etiam Vestales incestae comburebantur.] ℙ Interdum ponitur pro via, quia nimirum viae plerumque congesto aggere fiunt, ut imber hinc inde defluat, eaeque minus lutulentae sint. *Rutil. Itiner.* 39. Aurelius agger, *h. e.* via Aurelia. *Sid. carm.* 24, 5. Antiquus tibi nec teratur agger etc. *Id. ep.* 1, 5. Agger calcabili silice crustatus etc. Hinc *Virg. A.* 5, 273. *aggerem viae* dixit. *Servius* ad hunc locum (quem et alii sequuntur) docet, aggerem dici non ipsam viam, sed ejus partem mediam coaggeratis lapidibus stratam. Hic idem dicitur etiam *agger itinerarius*. V. ITINERARIUS, et *dorsum summum*. V. DORSUM. [*Sed hic usus latius patet, ac dicitur agger pro quavis via militari et publica. V. *Burm.* ad *Claud. Rutil.* 39. in *poet. min.* T. II. p. 17. et ad *Prop.* 1, 11, 2. ubi pro *littoribus* legendum censet *aggeribus*, quanquam male; et *eund.* ad 3, 16, 4. Sic intelligendus difficilis locus *Quint.* 12, 10, 74. ducit animos naturali voluptate vox omnis: nec aliunde illi per fora atque aggerem circuli; *Burm.* intelligit de Tarquinii aggere (v. supra); *Gesner.* retulit ad spinam Circi; sed quem comparat *Juven.* locum supra laudatum, eum parum apte huc trahi, ipse deinde vidit; nam ex illo loco ea significatio elici non potest. *Spalding.* autem utroque loco intelligendum censet omnino *viam publicam*, laudans *Hor. Sat.* 1, 8, 15. aggere in aprico spatiari, ubi intelligitur via publica in Esquiliis et *Juven.* 5, 153. tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit, qui tegitur parma et galea. Quem *id.* 8, 43. dicit: aggerem ventosum, rectius referas ad illum Tarqu. aggerem, de quo etiam *Hor.* locum intelligi vult *Heind.* Nec negari potest hac aetate, et quum hi scriptores semper singulari utantur, videri semper intelligendum unum illum Tarq. aggerem, in

quo harioli, pilarii et ventilatores videntur habuisse sedes suas. Apud sequiores demum agger pro quavis via publica dicitur, ut apud *Ammian.* 21, 10. percursis aggeribus publicis, i. e. viis. *id.* 18, 8. ab aggeribus publicis vesperi — longius discedebant. De aggere *itinerario* cf. *eund.* 19, 8. 15, 10.] ℙ *Pierius* ad *A.* 10, 24. notat etiam *adger* pro *agger* scriptum inveniri in quibusdam antiquis exemplaribus. ℙ [**Agger* et *agmen* confunduntur. V. interpp. ad *Virg. A.* 9, 375. Aggeribus et littoribus, *Burm.* ad *Prop.* 1, 11, 2.]

AGGERATIM, adv. cum aggeratione, acervatim. *Appul. Met.* 4, 4. p. 146, 2. *Elm.* Estur ac potatur incondite, pulmentis acervatim, panibus aggeratim, poculis agminatim ingestis.

AGGERATIO, onis, f., id. q. agger. *Vitruv.* 10, 22. Naves super aggerationem, quae fuerat sub aqua, sederunt, nec ad murum accedere potuerunt. *Just.* 2, 1. *fin.* Sive ex aggerationibus regum, sive Nili trahentis limum etc. Quidam leg. *exaggerationibus.*

AGGERATUS, a, um, adj. in aggerem exstructus, cumulatus, congestus, *σωρευθείς. Tac. A.* 1, 63. Trames vastas inter paludes aggeratus. Et 61. Medio campi ossa albentia disjecta, vel aggerata. *Appul. Met.* 2. p. 123, 40. Stragula in tumulum aggerata. *Id. ib.* 4. Convalles spinetis aggeratae, *h. e.* obsitae, plenae.

[AGGERĔUS, a, um, adj. ex aggere, sive in formam aggeris factus. *Auct. incert. Astron.* ap. *Burm. Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 330. *v.* 27. dum transeat axem Aggerei velox tumuli, *h. e.* dum luna transeat axem mundi, sive telluris inter solem lunamque positae, tempore solaris eclipseos. *F.*]

AGGĔRO, as, avi, atum, a. 1. *σωρεύω*, cumulo, accumulo, in aggeris morem coacervo. *Curt.* 4, 2. Exhauriendas esse regiones, ut illud spatium aggeraretur, *h. e.* aggere impleretur. *Virg. A.* 11, 79. Multaque praeterea Laurentis praemia pugnae Aggerat, et longo praedam jubet ordine duci. *Id. G.* 3, 556. Aggerare cadavera. *Phaedr.* 4, 19. Aggerare quadrantes patrimonio. [*Sed h. l. ab aggerere derivandum est *aggeras.* Sed huc pertinet *Tac. Agr.* 31. bona fortunasque in tributum aggerant, annum in frumentum.] ℙ *Aggerare arborem*, et *circa arborem aggerare* est circa arbores terram congerere, et veluti circummunire, ne nimio calore radices exarescant. *Colum.* 11, 2. Omnes arbores fructiferae circumfossae aggerari debent. *Id. arbor.* 28. Stercoratam terram circa aggerato. ℙ Translate est augere, addere. *Virg. A.* 4, 197. et *ib.* 11, 342. Aggerare iras. *Claud. Eutr.* 1, 236. Aggerare portenta monstris. *Stat. Th.* 2, 198. Aggerare omne promissum dictis.

AGGĔRO, is, essi, estum, a. 3. *περιοράω*, ad aliquid gero, affero, gerendo cumulo: ex *ad* et *gero. Cic. fr.* ap. *Non.* 3, 132. Luta et limum aggerere. *Tac. A.* 1, 18. caespitem. *Plin.* 11, 10, 10. flores. *Virg. A.* 3, 63. tellurem tumulo. *Pl. Rud.* 2, 5, 27. aquam alicui. *Id. Truc.* 1, 2, 16. Ultro aggerere aliquid ad aliquem. *Varr. R. R.* 3, 17. Pisciculos minutos aggerebant frequenter, ut a majoribus absumerentur. [**Vitruv.* 2, 3. terram sc. ad lateres faciendos, i. e. eam subigere pedibus.] ℙ Translate significat dicendo afferre, cumulare verbis multa: et fere in malam partem de accusantibus et deferentibus dicitur. *Tac. A.* 2, 57. Amici accendendis offensionibus callidi, intendere vera, aggerere falsa etc. *Id. A.* 3, 67. Multa aggerebantur etiam insontibus periculosa.

*AGGESTIM et adgestim, adv. i. g. cumulate. *Vulg. Macc.* 2, 13, 5. aggestim undique habens cinera. *Bail. Auct.*

AGGESTIO, onis, f. aggeratio, terra aggesta. *Pallad.* 12, 15. Ut excisae trabes arenis obruerentur in litore, ut aggestionem, qua tectae essent, alternis aestibus reciprocans fluctus allueret. *Id.* 2, 13. Valles, quas fluminum saturabit aggestio.

AGGESTUS, i, m. vel Aggestum, i, n. substructio militaris ex aggere facta. *Ammian.* 19, 8. Ex aggestis erectis intrinsecus. Et 20, 11. Prunas unius aggesti inseruere juncturis.

AGGESTUS, us, m., aggestio, coacervatio, *σώρευσις. Tac. A.* 1, 35. Propriis nominibus incusant pabuli, materiae, lignorum aggestus. *Aur. Vict. Ep.* 3. Via solidata aggestu arenae. ℙ Apud *Tac. H.* 3, 6. *Aggestus copiarum* est coactio militum.

AGGESTUS, a, um, part. v. *aggero*, coacervatus, congestus. *Plin.* 17, 4, 3. Terra aggesta fluminibus. *Martial.* 8, 57, 4. Aggesta humo contumulare.

AGGLOMĔRO, as, avi, atum, a. 1. ad aliquid glomero. Translate est adjungere, conjungere, *συναγείρω. Virg. A.* 2, 341. Addunt se socios Ripheus, et maximus armis Aepytus, oblati per lunam, Hypanisque, Dymasque, Et lateri agglomerant nostro. *Id. ib.* 12, 458. densi cuneis se quisque coactis Agglomerant. [**Val. Fl.* 2, 499. (al. 503.) Sigaeaque pestis agglomerare fretum, i. e. glomeris instar attollere. *ib.* 171. Sese. *ib.* 179. quassans undantem turbine pinum agglomerat tenebras i. e. reddit spissiores.]

AGGLŪTĪNĀTUS, a, um, adj., glutine junctus. *Appul. Met.* 11. p. 261. 4. Vidi asinum pinnis agglutinatis adambulantem cuidam seni debili, *h. e.* alis affixis. *Vitruv.* 10, 13. *a med.* Regulis sunt annuli agglutinati.

AGGLŪTĪNO, as, avi, atum, a. 1. glutine conjungo, ferrumino, *προσκολλάω, προσαπτω. Plin.* 33, 5, 29. Chrysocollam et aurifices sibi vindicant agglutinando auro. *Id.* 36, 26, 67. Fragmenta vitri teporata agglutinantur. *Cels.* 6, 6. *n.* 1. Ovi album in linteolum illinere, et fronti agglutinare. *Id.* 7, 26. *n.* 4. Agglutinanda cucurbitula est et in genibus et in coxis. ℙ Translate est jungere, adjungere. *Cic. Att.* 16, 6. Novum prooemium exaravi: tibi misi: tu illud desecabis, hoc agglutinabis. *Pl. Aul.* 4, 10, 71. Ita mihi ad malum malae res plurimae se agglutinant. *Id. Men.* 2, 2, 63. Meretrices extemplo se applicant, agglutinant.

*AGGRAVĀTĬO, onis, f. i. e. vexatio. *Salvian. Gubern. Dei* 5. p. 176. *Rittersh.* Sicut sunt in aggravatione primi pauperes, ita in relevatione postremi. *Bail. Auct.*

AGGRAVĀTUS, a, um, adj. gravis et molestus factus. *Suet. Aug.* 98. Aggravata valetudine tandem Nolae succubuit.

AGGRAVESCO, is, n. 3., *ἐπιβαρύνομαι*, gravis molestusque fio, et dicitur fere de morbo. *Ter. Hec.* 3, 2, 2. Male metuo, ne Philumenae magis morbus aggravescat. ℙ Afferri solet a Lexicographis *Aggravescens vulnus* ex *Cic. Tusc.* 3, 31., sed eo loco ita legitur in meliorib. editionibus: *Non ad gravescens vulnus illidat manus.* Sunt autem hi versus Aeschyli in Latinum versi.

AGGRAVO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπιβαρύνω*, valde onero, graviorem reddo. *Plin.* 18, 12, 30. Aggravare pondus. *Id.* 2, 48, 49. ruinam pondere. *Id.* 12, 17, 40. Odor aggravans capita. *Id.* 28, 4, 7. Aggravare ictus. *Aggravare morbum* est ei vim addere: et *morbus aggravare* dicitur, cum augetur. *Plin.* 28, 3, 6. Aggravari vulnera introitu eorum, qui etc. *Suet. Caes.* 1. Morbo quartanae aggravante. *Curt.* 8, 10. Frigescens vulnus aggravat dolorem. ℙ Translate. *Liv.* 44, 7. *ad fin.* Adeo sine ulla ope hostis, quae adgravaret, cum ipsa difficultate rerum pugnandum erat. *Sen. Ben.* 4, 13. Beneficia rationes nostras aggravatura, dum aliorum necessitates et angustias laxent. *Quintil.* 5, 7. Argumenta, quae per se nihil rerum aggravare videantur. *Curt.* 3, 13. Aggravare crudelius sortem alicujus. [**Liv.* 4, 12. quo (bello) si aggravatae res essent. *Phaedr.* 3, 3, 13. hominis curam cura majore.]

AGGRĔDIOR, ĕris, essus sum, dep. 3. *ἐπέρχομαι, ἐπιβαίνω*, adeo, accedo: ex *ad*, et *gradior. Pl. Curc.* 2, 3, 59. Forte aspicio militem: aggredior hominem; saluto adveniens. *Id. Asin.* 3, 3, 90. Quin ad hunc Philenium aggredimur? Sine praepos. *Cic. Quint. Fr.* 3, 1. Locustam ego Romae aggrediar atque, ut arbitror, commovebo. Ac de locis: *Cic. Or.* 3, 17. non enim repelletur inde, quo aggredi cupiet. [**Tac. H.* 4, 51. mare Hibernum; ut de re difficili non dixit ingredi.] De cibis: *Petron. Sat.* 36. res electissimas ridentes aggredimur, h. e. ad cibos manus extendimus. *Pl. Merc.* 2, 3, 50. Quin ego hunc aggredior de illa? *h. e.* accedo colloquendi causa: quo sensu saepe, etiam absolute, ponitur. *Sall. Jug.* 50. Legatos alium ab alio diversos aggreditur, *h. e.* adit, alloquitur, et tentat. Sic *Cic. Att.* 12, 33. Si nec Drusus facilem se praebuerit, Damasippum velim aggrediare. Huc refer *Sall. Jug.* 30. aggredi aliquem pecunia (*id. ib.* 16. reliquos eadem via i. e. pecunia aggressus est) i. e. oblata pecunia tentare, corrumpere. *Virg. A.* 4, 92. dictis aliquem i. e. astute alloqui, ut eam capiat et in suam sententiam pertrahat, ut bene *Heyn.* [*Quod apud *Ter. Ph.* 5, 8, 75. legebatur: astute aggredimini: id *Bentl.* interpunctione diremit. Porro huc refer: *Tac. H.* 1, 78. animos largitione. *id. An.* 13, 37. precibus aliquem. *id. ib.* 2, 16. acrius alicujus modestiam. Atque in re mala *id. ib.* 16, 18. aggredi crudelitatem Principis i. e. instigare.] ℙ Saepe significat armis, et per vim, aut per insidias adoriri, invadere. *Cic. Phil.* 2, 10. Quis audeat bene comitatum aggredi? *Sall. Jug.* 70. *in f.* Milites palantes, inermes aggredi. *Id. Cat.* 61. Aggredi aliquem audacius. Et 63. ex lateribus. *Id. Jug.* 63. Aggredi murum. *Appul. Met.* 7. Villas, seu castella solus aggrediens. [**Suet. Cal.* 44. aliquem proelio. *Ov. Met.* 12, 482. cominus. *Suet. Aug.* 10. vi et legibus. *id. Cal.* 12. veneno, (ut *Ner.* 33.) *id. Aug.* 19. senatum aggredi destinarant. *id. Oth.* 6. coenantem. *id. Dom.* 17. lavantem. *Liv.* 23, 9. unus aggressurus est Hannibalem. *Vell.* 2, 109. regionem.] ℙ Translate est accedere ad aliquid faciendum, ideoque i. q. suscipere, incipere. *Cic. Off.* 1, 21. *fin.* In omnibus negotiis, priusquam aggrediare, adhibenda est praeparatio diligens. *Id. N. D.* 3, 3. Sic aggredior ad hanc disputationem, quasi etc. *Id. Brut.* 37. Aggredi ad dicendum. *Id. Cluent.* 3. ad crimen. *Id. Mur.* 7. ad petitionem consulatus. [**Vell.* 2, 33. ad rempublicam. *Sall. Jug.* 92. ad aliam rem. *Liv.* 1, 42. ad pacis longe maximum opus. cf. ibi *Gron.*] *Id. Off.* 1, 7. *fin.* ad faciendam injuriam. *Id. Att.* 2, 14. magnum quid. [*Suet. Cl.* 20. Fucinam aggressus est. *id. Vesp.* 8. restitutionem Capitolii.] *Id. Or.* 2, 44. ancipitem causam. *Virg. Ecl.* 4, 48. honores. *Pl. Pers.* 4, 4, 10. Pessimum aggressu scelus. [*Liv.* 24, 19. Multa magnis ducibus non aggredienda. *F.*] Haud raro hoc sensu constr. cum infinito. *Cic. Off.* 2, 1. Aggredi dicere. *Suet. Ner.* 19. Isthmum perfodere aggressus. [**id. Cal.* 13. caesorum reliquias — colligere sua manu primus aggressus est. *id. Cl.* 41. (coll. *Gr.* 10.) historiam scribere. Sic etiam *adoriri* construi supra vidimus.] ℙ In quibusdam modis, et personis usurpatum etiam legitur in quarta conjugatione. *Pl. Truc.* 2, 5, 7. Aggrediri dolum. *Id. Asin.* 3, 3, 124. Etiam tu me aggredire? *Id. ib.* 90. Quin ad hunc Philenium aggredimur? *Id. Merc.* 2, 1, 24. et *Rud.* 3, 1, 9. *aggredirier* dixit pro *aggrediri*, per paragogen. ℙ Passiva significatione. *Cic. fr.* ap. *Prisc.* 8. p. 792. Hoc restiterat etiam, ut a te fictis aggrederer donis. V. part. AGGRESSUS. ℙ Item activa voce. *Pl. Truc.* 2, 1, 40. Hac si aggredias.

AGGRĔGO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπισυναθροίζω*. Proprie est ad gregem ducere, ut docet *Festus* in *Abgregare:* sed accipitur generatim pro congregare, conjungere, adsciscere. *Curt.* 4, 5. Oppidani aggregant se Amphotero. [*Ac de rebus *Quint.* 9, 3, 107. Invenio qui his (epicheremati etc.) aggregent *διασκευάς* etc.] *Cic. Cat.* 1, 12. Si secum suos eduxerit, et eodem ceteros undique collectos naufragos aggregaverit. *Id. Vatin.* 10. Aggregare filium ad interitum patris. *Id. Fam.* 1, 9. *ante med.* voluntatem suam ad dignitatem alicujus. *Caes. B. G.* 6, 12. se ad amicitiam alicujus. *Cic. Mur.* 7. aliquem in numerum amicorum. *Vell.* 2, 91. similimos sibi. Et 53. Quos ei comites fortuna aggregaverat. [*Ac pass. *Suet. Ner.* 43. ne desciscentibus aggregarentur.]

AGGRESSIO, onis, f. actus aggrediendi, *ἐπιβολή, ἐπιχείρησις. Appul. Met.* 8. p. 208, 27. Clunibus meis ab aggressionibus ferinis consulebam. ℙ Translate. *Cic. Or.* 15. *ad fin.* Cumque animos prima aggressione [*i. e. prooemio] occupaverit, infirmabit, excludetque contraria. ℙ Hoc nomine appellatur etiam ipsum *epicherema*, quod est genus quoddam argumentationis rhetoricae. Id enim sonat Graecum *ἐπιχείρημα. Quint.* 5, 10, 4. Epicherema Valgius aggressionem vocat. Adde *ib. paulo post*, et 14, 27.

AGGRESSOR, oris, m. *ὁ ἐπιβάλλων*, qui vi aggreditur, et invadit. *Ulp. Dig.* 29, 5, 1. *fin.* Veluti si quis exclamavit, ut ad auxilium conveniretur; aut terruit aggressores. ℙ Speciatim ponitur pro raptore, et praedone, ab eodem *Ulp. ib.* 47, 9, 3. Receptatores non minus delinquunt quam aggressores. *Id. ib.* 48, 9, 7. Pecuniam latronibus, et aggressoribus dare, qui patrem interficerent.

AGGRESSŪRA, ae, f. *ἐπιχείρησις*, aggressio, invasio per vim, aut ex insidiis, qualis est latronum aut conspiratorum. *Ulp. Dig.* 29, 5, 3. Si, cum omnes domini aggressuram paterentur, uni servus opem tulit. *Arr. Menand. Dig.* 49, 16, 5. Si plagium factum, vel aggressura, abigeatus, vel quid simile accesserit. Adde *Appul. Met.* 7. p. 190, 41. et *Ulp. Dig.* 10, 2, 4.

AGGRESSUS, us, m. actus aggrediendi, hoc est conandi, seu incipiendi rem aliquam. *Firmic. Mathes.* 2, 10. Juppiter inconsultum significat rerum aggressum, atque difficilem operum exitum. ℙ Item invasio, aggressio per vim, aut ex insidiis. *Ulp. Dig.* 36, 1, 17. Si naufragio, vel ruina, vel aggressu, vel quo alio modo perierit.

AGGRESSUS, a, um, part. ab *aggredior*, *Virg. A.* 2, 165. Aggressi evellere Palladium. Item *Justin.* 2, 8. Inopinantes aggressus. ℙ Passiva significatione. *Id.* 7, 6. Facillimis quibusque aggressis, quorum victoria militum trepidos animos firmaret.

AGGRETTUS. V. ADGRETTUS.

ĀGĪLIS, le, adj. qui facile agitur, seu movetur, celer, promptus, *εὐπερίφορος, γοργός. Liv.* 30, 10. Agilis classis. *Stat. Silv.* 5, 1, 10. dextra. *Id. Silv.* 4, 3, 32. cursus. [**Ov. Her.* 15, 65. remus. *id. Am.* 2, 4, 27. querulas agili percurrit pollice chordas.] *Ov. Pont.* 2, 10, 34. rota. *Sen. Quaest. nat.* 2, 10. Aer agilior, et tenuior. *Hor. Ep.* 1, 3, 21. Quae circumvolitas agilis thyma? [*Ut *Colum.* 9, 15. apes agiliores dicit.] ℙ Translate significat acrem, celerem, promptum ad agendum, et tardo ac remisso opponitur. *Hor. Ep.* 1, 18, 9. oderunt agilem gnavumque remissi. *id. Epod.* 1, 16. Nunc agilis fio, et mersor civilibus undis. [**Ov. Her.* 4, 169. agilis Dea i. e. Diana. *id. Met.* 2, 710. Cyllenius. *id. Am.* 1, 9, 45. inde vides agilem; opp. ignavus. *id. Fast.* 2, 516. lassabant agiles aspera bella viros; opp. docti coloni.] *Vell.* 2, 105. Vir multiplex in virtutibus, navus, agilis, providus. *Sen. Tranq.* 2. Natura animus agilis est, et pronus ad motus, [*i. e. agendi cupidus; nam paullo ante dixit: secreta studia non pati potest animus ad civilia erectus et agendi cupidus et natura inquietus. Facit huc *vet. gloss.: πρακτικός* actuarius, efficax, agilis. *Ammian.* 16, 11. agili studio.] *Id. Ep.* 74. Sensus agiliores sunt animalibus mutis.

[*Quint. 11, 3, 164. Argumentatio agilior et acrior et instantior consentientem postulat gestum. *Colum.* 6, 37. principia agiliora.] *Id.* 11, 1. Agilis et industria opera. *Sisenn.* ap. *Non.* 1, 284. Agilem dari facilemque victoriam. ℙ Sup. *Agillimus* agnoscitur a *Charis.* 1. p. 89. et a *Priscian.* 3. p. 606. At idem *Charis.* 2. p. 162. probat *agilissimus.* Neutrius exempla ab neutro afferuntur. *Voss. Gramm.* 4, 24. praefert *agilissimus*, sed nec ipse Latino exemplo confirmat. ℙ [*Confunduntur *agilis* et *vigilis*, v. intpp. ad *Ov. Am.* 1, 9, 45. *ag.* et *habilis*; v. *ib.* 2, 4, 27. et ad *A. A.* 2, 662.]

AGILITAS, atis, f. ἐλαφρότης, εὐκινησία, celeritas, mobilitas, habilitas. *Liv.* 26, 51. Agilitas navium. *Curt.* 4, 6. rotarum. *Pallad.* 1, 17. aquae. [*De oratore *Quint.* 11, 3, 180. Illum (Demetrium) cursus et agilitas et vel parum conveniens personae risus sc. decebat. De fugiente *Ammian.* 18, 6. nostrorum agmen agilitate volucri repetebam exanimis.] ℙ Translate. *Cic. Att.* 1, 17. Agilitas, ut ita dicam, mollitiesque naturae.

AGILITER, adv., cum agilitate et celeritate, εὐκινήτως. *Ammian.* 14, 2. Agiliter praeterito Calycadni fluminis ponte. [*id. 28, 2. expeditis agiliter gladiis. *ib.* 5. agiliter subvenire.] *Colum.* 2, 2. *ad fin.* Det requiem in summa parte versurae, ut spe cessandi, totum spatium bos agilius enitatur. ℙ De superlativo *agillime*, aut *agilissime* V. AGILIS in fin.

AGINA, ae, f. est qua inseritur scapus trutinae, id est in quo foramine trutina se vertit, ut *Festus* explicat. Hinc *Tertull. adv. Hermog.* 41. In neutram partem pronus, et praeceps, mediae (quod ajunt) aginae aequilibrato impetu ferebantur. Adde *Pudic.* 9. Non enim admittetur exemplorum adaequatio, licet in agina congruentissima.

AGINATOR, oris, m. qui parvo lucro movetur: nomen ab agina tractum, quae minimo pondere huc, atque illuc impellitur. *Festus* in voce *Agina.*

*AGINNUM s. Aginum, i, oppidum Galliae Aquitanicae ad Garumnam fluvium. *Auson. ep.* 24, 79. *Anton. Itin. Tab. Peut.* Etiam *Agennum* scribitur apud *Hieron. de script. Eccles.* Putatur esse h. *Agen en Guienne. Plin.* 4, 19. eam non commemorat.

AGINO, as, avi, are, n. l. versari huc illuc, ab *ago.* [*Ita interpretatur *Furl.* Alii, ut *Bail. in A.* dicit, volunt esse vilia negotiari, parvo lucro moveri: aginae instar, quae levi pondere huc et illuc impellitur. *Gloss. Lat. Gr.* Aginat, διατράσσεται, στρέφει, μηχανᾶται. *Reines.* ad *Petron.* l. l. laudat Vet. gl. Aginare, festinare. Apud *Isid.* in *gl.* fortasse legendum est: *Aginari* pro *Acinari*, quod ille habet, ex quo *Casaub.* eliciebat *Apinari*, quod v.] *Petron. Fr. Tragur.* 61. *Burm.* per scutum, per ocream aegre aginavi. In *Cod. Tragur.* legitur conjunctim *egraginavi.* Porro in Gloss. *Isidori* et *Philoxeni* est *aginat, aginator.*

AGIPEDES, referente *Festo* in *Pedarius*, *a Lucilio* dicti sunt senatores, qui in senatu quidem sedebant, verum sententiam non rogabantur, sed in aliorum sententiam pedibus ibant. Verba *Lucilii* sunt: *Agipes vocem mittere coepit.* Ubi alii leg. *aquipes*, vel *acupes*, ut ejusdem sit significationis, et originis cum *acupedius.*

*AGIS, idis, Ἄγις, ιδος rex Lacedaemoniorum. *Cic. Off.* 2, 23. eum a Lacedaemoniis necatum esse tradit; v. quos laudat *Beier.*; secundum alios in proelio Mantineensi cecidit. ℙ Alius Agis fuit frater Agesilai, Archidami filius. *Nep. Ages.* 1. Alii commemorantur apud scriptores Graecos.

AGITABILIS, le, adj. εὐκινούμενος, qui facile agi potest, agilis. *Ov. Met.* 1, 75. agitabilis aer.

AGITATIO, onis, f. δόνησις, εἰκινησία, actus agitandi, motus, commotio. *Cic. Mur.* 17. Agitationes fluctuum. *Id. N. D.* 2, 54. Agitatio et motus linguae. *Colum.* 2, 2. Agitatio terrae. [*i. e. aratio. *Liv.* 27, 29. lecticae. *Plin.* 20, 5, 20. caepas stomacho utiles esse spiritus agitatione sc. ope ructus.] ℙ Translate. *Cic. Off.* 1, 5. *fin.* Ad quod adhibenda est actio quaedam, non solum mentis agitatio. [*id. N. D. 2, 62. animus agitatione et motu vacuus esse nunquam potest. *id. Inv.* 2, 54, magnarum rerum agitatio et administratio.] *Id. Sen.* 7. Studiorum agitatio vitae aequalis fuit. *Sen. ep.* 109. Opus est sapienti agitatione virtutum, i. e. exercere virtutes. *Val. Max.* 7, 2. *n.* 1. Agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari.

AGITATOR, oris, m. ἀγωγεύς, qui equos, aut alia jumenta agit. *Virg. G.* 1, 273. Saepe oleo tardi costas agitator aselli, Vilibus aut onerat pomis. *Virg. A.* 2, 476. equorum agitator Achillis, i. e. auriga. ℙ Speciatim dicitur de auriga in ludis Circensibus. *Pl. Men.* 1, 2, 50. *Pe.* Nae tu, ut ego, opinor, esses agitator probus. *Me.* qui dum? *Pe.* ne te uxor sequatur, respectas identidem. *Suet. Ner.* 22. Agitator prasinus. *Id. Cal.* 55. Agitatori Eutycho vicies HS. contulit. *Cic. Acad.* 4, 29. Ego, ut agitator callidus, priusquam ad finem veniam, equos sustinebo.

AGITATRIX, icis, f. quae agitat. *Arnob.* 4. p. 141. Silvarum agitatrix Diana. *Appul. Dogm. Plat.* 1. p. 6, 15. Animam agitatricem aliorum, quae natura sui immota sunt.

AGITATUS, us, m. idem quod agitatio. *Varr. L. L.* 4, 1. *ad fin.* Neque ubi sit agitatus, non actio ibi. *Macrob. Sat.* 7, 8. Si agitatu suo aquam moverit, etc. *Id. Somn. Scip.* 2, 12. *in fin.* Anima corpori praestat agitatum. ℙ Translate. *Varr. L. L.* 5, 6. Actionum trium, primus agitatus mentis, quod primum ea quae sumus acturi, cogitare debemus; deinde dicere; ac postremo facere.

AGITATUS, a, um, adj. proprie est i. q. motus, jactatus: *Sall. Jug.* 8. Arena agitata vento. *Cic. Univ.* 3. Agitatus et fluctuans. [*opp. quietus et tranquillus.] *Hor. Od.* 3, 1, 24. Zephyris agitata Tempe. [*Virg. A.* 6, 68. agitata numina Troiae sc. in mari. *Ov. Met.* 1, 303. agitataque (sc. fluctibus) robora pulsant (delphines etc.) *Prop.* 2, 20, 5. qualem purpureus agitatam fluctibus Hellen. *Ov. Met.* 6, 708. agitati ignes fortius arserunt.] ℙ Metaphorice i. q. vexatus, exagitatus. *Virg. A.* 3, 331. scelerum furiis agitatus Orestes. *id. ib.* 4, 471. scenis agitatus Orestes. [*Ita hic locus, quem varie conjecturis tentarunt VV. DD. (cf. *Burm.* ad *Prop.* 4, 8, 1. qui mavult *Poenis* i. e. furiis) etiam a recentioribus scribitur; non autem ita explicari potest, ut fecit Noster: *saepe repraesentatus.* Neque *Scheller.* ab hac interpr. abhorret. Tu intellige: in scenis exagitatus a furiis, fugit etc.] *Cic. Quint.* 2. Aequitas multis injuriis jactata atque agitata. *Id. Off.* 1, 24. Rebus agitatis, i. e. rebus perturbatis; [*male *Ern.* in *cl. Cic.* interpretatur: rebus exploratis, deliberatione facta. cf. *Gernh.* et *Beier.*] *Id. Somn. Scip. sub fin.* Sunt autem optimae curae de salute patriae, quibus agitatus et exercitus animus, etc. *Quint.* 11, 3. *in fin.* Actio paulo agitatior. [*cf. ib. §. 178.] ℙ Est etiam incitatus, instigatus. *Flor.* 1, 16. Gens sacratis legibus agitata in exitium urbis. *Id.* 3, 1. Agitatus cupiditate regni. ℙ Item saepius actus, tractatus, versatus. *Cic. Cluent.* 1. *sub fin.* Res agitata in concionibus, jactata in judiciis, commemorata in senatu. *Id. Or.* 3, 14. Oratori omnia quaesita, disputata, tractata, agitata esse debent. [*Cic. Ac.* 1, 2. rem a me saepe deliberatam et multum agitatam requiris. *id. Cluent.* 32. Ita multum agitata, diu jactata ista res est, sc. in judiciis.] *Vell.* 1, 16. Res saepe agitata animo meo. cf. v. sq.

AGITO, as, avi, atum, a. 1. frequentativum ab *ago*, et easdem fere habens significationes. Est itaque ducere, ante se pellere pecora, jumenta, etc. ἄγω. [*Etiam in h. v. ordinem a F. propositum, prorsus immutavimus.] *Virg. G.* 3, 287. lanigeros agitare greges. [*Ammian. 16, 9. praedas hominum et pecorum.] *id. ib.* 18. currus quadrijugos ad mare. [*Cf. *Suet. Caes.* 39. *Lucr.* 2, 602. Deum mater bijugos leones. *Varr. L. L.* 5, 5. quadrigae agitantur.] Item vehementius movere, impellere, concutere, jactare, de multis non uno modo dicitur; de vento: *Cic. Cluent.* 49. *fin.* mare ventorum vi agitari atque turbari. [*Ov. A. A. 1, 553. aristas ventus. *Virg. G.* 1, 357. freta ponti. Illustrarunt hunc usum exemplis intpp. ad *Ov. Her.* 14, 39. De aqua: *Ov. Met.* 1, 571. (Peneus) dejectu gravi tenues agitantia fumos nubila conducit. Cf. AGITATUS. De igne: *Auct. Cir.* 146. necdum etiam sacros agitaverat ignis honores i. e. thus victimasque attigerat et sic fumum concitaverat.] De aliis: *Virg. A.* 11, 770. spumantem equum. Et in re obscoena i. q. κεληιζειν.. *Hor. Sat.* 2, 7, 50. clunibus aut agitavit equum lasciva supinum, ubi v. *Hdf.* et quos laudat. *Nep. Dion.* 9. triremem in portu, ut si exercere remiges vellet. *Cic. Somn. Scip.* 9. pulsu externo agitari. *Id. N. D.* 1, 39. individua pellere se ipsa et agitari inter se concursu fortuito. *Cels.* 3, 6. agitandum est corpus leni gestatione. [*Lucr. 6, 1054. Magnes (lapis) agitat ferri ramenta per aes, i. e. efficit ut saliant in aere. *Virg. A.* 6, 724. mens molem. *Flor.* 4, 3, 8. omne imperii corpus agitatum est bellis etc. i. e. concussum est. De hominibus: *Ov. A. A.* 3, 731. agitato corpore movit frondes. *Id. Trist.* 3, 4, 21. tutas agitat pennas Daedalus. *Id. Met.* 1, 567. utque caput visa est agitasse cacumen (sc. annuendi gratia). *Id. ib.* 3, 667. hastam i. e. vibrare. *Lucan.* 3, 185. Gnossosque agitare pharetras docta, i. e. sagittas (continens pro contento.) Male igitur *Bentl.* aptare. *Ov. Met.* 7, 221. habenas manibus.] Porro i. q. pellere s. propellere, abigere, ideoque persequi, insectari. *Virg. G.* 3, 415. Galbaneoque agitare graves nidore chelydros. *Id. A.* 2, 421. fudimus insidiis totaque agitavimus urbe. Hoc sensu praecipue de venatione usurpatur: *Cic. Div.* 2, 70. Aquila insectans alias aves atque agitans. *Ov. Met.* 3, 356. cervos in retia. *Virg. G.* 3, 409. timidos onagros. (*Cic. Off.* 3, 17. etiamsi excitaturus non sis nec agitaturus feras. *F.*) Illustrarunt hunc usum intpp. ad *Ov. Met.* 5, 605. *Burm.* ad *Prop.* 1, 1, 12. et ad *Anth. Lat.* II. p. 293. coll. *Jahn.* ad *Ov. Met.* 11, 300.] ℙ Est item i. q. exagitare ac primum quidem, quum leniori sensu intelligitur, i. q. excitare, incitare. [*Ov. *A. A.* 2, 487. in furias agitantur equae, i. e. in rabiem adiguntur. *Tac. A.* 3, 32. agitandi odii adversus aliquem occasio. *Id. ib.* 3, 27. licentia populum agitandi, quoquo vellent sc. tribuni.] *Liv.* 3, 11. (Kaeso) eo acrius obstare legi, agitare plebem i. e. concitare, *id.* 2, 1. agitari tribuniciis procellis. *Flor.* 2, 12, 2. fortissimum populum memoria et recordatio suae nobilitatis agitabat. Adde 4, 6, 2. [*1, 16, 7. 3, 1, 3. 4, 15, 2.] Hinc etiam i. q. exercere, praesertim quum dicitur de mente et animo, ut *Senec. ep.* 108. *med.* Tempus idoneum agitandis per studia ingeniis et exercendis per opera corporibus. [*Quint. 1, 10, 34. (geometria) agitari animos atque acui ingenia. *Ov. Trist.* 1, 5, 73. ille erat agitatus in armis, i. e. exercitus; pergit enim: adsuetus studiis ipse fui. ℙ In malam partem quum dicitur, est exagitare i. q. vexare, cruciare, inquietum reddere, vel verbis vel factis. *Cic. Rosc. Am.* 24. ut eos agitent furiae, neque usquam consistere patiantur [*agitare in hac formula proprie dicitur. Cf. *Markl. ep. crit.* p. 123.] *ib. paullo post:* sua quemque fraus et suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat. *Pl. Capt.* 3, 4, 64. atra bilis agitat hominem. *Liv.* 22, 12. animum. *Tac. Agr.* 16. quos agitabat timor. *Flor.* 1, 8, 7. injuriis populum. *Justin.* 14, 4, 12. Seditionibus ag. populus.] *Sall. Cat.* 5. agitabatur animus inopia rei familiaris et conscientia scelerum. [*Auct. el. ad Liv.* 325. per somnos falsa imagine. *Senec. Troad.* 434. turbat atque agitat Phrygas communis iste terror. Sic dicunt agitari spectris, furiis, curis, de quibus v. *Broukh.* ad *Tib.* 1, 7, 51. Cf. AGITATUS. *Sall. Cat.* 38. plebem. *Virg. A.* 10, 71. gentes quietas.] *Sall. Jug.* 25. commotus metu atque libidine, diversus agitabatur, i. e. variis consiliis trahebatur, perplexus erat. [*Sil. 16, 683. Nos pigebit Tyrias agitare domos? cf. *Drak.* Porro agitare al. verbis, i. e. dicteriis exagitare, reprehendere.] *Hor. epod.* 12, 13. agitare verbis fastidia alicujus. Et simpliciter: *id. A. P.* 341. centuriae seniorum agitant expertia frugis. [*Cic. Mur. 9, 21. agitat rem militarem, insectatur totam legationem; ad quem l. *Matth. coll. Cic. or.* 2, 62. *Brut.* 28, 109. Adde *Balb.* 25. *Quint. Decl.* 18, 11. secretum hujus monstri, ut paullo post: judicia, i. e. inquirere in aliquid. *Tac. Agr.* 16. Britanniam disciplina, i. e. arma inferre provinciis nondum subactis.] ℙ Latissime patet is h. v. usus, ubi ponitur pro simplici agere, ut in formulis: agere aetatem etc., unde ad alia multa translatum est. *Sall. Cat.* 2. agitare vitam. *Virg. G.* 4, 154. agitant sub legibus aevum. *Id. A.* 10, 237. aevum sub undis. Hinc, omissis his vv., saepe simpl. pro degere, versari. *Sall. Jug.* 21. hi propius mare agitabant. *Id. fr. Hist.* 3. *in epist. Pomp.* Gallia superiore anno exercitum frumento aluit, nunc malis fructibus ipsa vix agitat. [*Id. Jug. 60, 4. niti corporibus et huc illuc, quasi vitabundi aut jacientes tela, agitare; (h. l. olim conjungebant tela agitare, de quo usu agit *Barth. adv.* 122, 3. et ad *Stat. Th.* 4, p. 935.) *Tac. A.* 1, 50. laeti Germani agitabant. *Id. ib.* 4, 46. *Flor.* 4, 12, 48. *Tac. A.* 11, 21. dum vacuis per medium diei porticibus secretus agitat.] — Hinc transfertur ad innumerabilia alia, et est i. q. saepe agere vel facere, exercere, habere. *Suet. Cl.* 32. agitare convivia et ampla et assidua. [*Ov. Met. 7, 431. *Sil.* 15, 273.] *Tac. G.* 26. ag. fenus. [*Id. A. 6, 16. sanctum, ne quis unciario fenore amplius *exerceret*, quum antea ex libidine locupletium *agitaretur. Id. A.* 4, 6. frumenta et pecuniae vectigales etc. Rom. Equitum societatibus agitabantur. *Ern.* cf. jubet *Senec. ep.* 119.] *Cic. Verr.* 2, 2, 63. festos dies. *Sall. Cat.* 9. imperium, i. e. administrare. [*Id. ib. 38. rempublicam. *Flor.* 3, 21, 3. bellum tribus sideribus agitatum est. *Sall. Jug.* 109. bellum, pacem. *ib.* 81. moras. *ib.* 29. inducias.] *Plin. ep.* 8, 2. justitiam. *Virg. G.* 4, 533. choros. *Auct. el. ad Liv.* 35. triumphos. *Tac. A.* 12, 27. latrocinia. *Pl. Rud.* 3, 6, 20. custodiam. [*Id. Trin. 4, 2, 27. vigilias. *Tac. A.* 11, 18. stationes, vigilias, munia cuncta in armis.] *Id. Cat.* 61. gaudium, laetitiam, luctum, i. e. gaudere etc. [*Cf. *Sil.* 15, 423. ibique *Drak.* Porro: *Quint.* 10, 3, 15. resupini spectantes tectum et cogitationes murmure agitantes. *Id. Decl.* 10, 3. officia debitae pietatis. *Sil.* 12, 689. otia. *Flor.* 2, 8, 8. otia et luxus. *Ov. Met.* 3, 319. jocos cum aliquo. *Virg. A.* 12, 397. mutas artes. *Ov. Met.* 7, 336. spes. *Prop.* 2, 13, 27. barbarus excussis agitat vestigia lumbis, i. e. agit, facit s. imprimit vestigia i. e. signa viri, ut recte nobis interpretari videtur *Dorvill. misc. obss.* 1. p. 120. quem laudat *Burm.* ad h. l. ℙ Animo vel mente (in mente, cum animo, secum) agitare aliquid, vel nude: agitare, est i. q. deliberare, consilia inire. *Cic. Font.* 6. agitare rem al. animis. [*Id. Fam. 6, 1. *Quint.* 12, 2, 28. praeclare dicta ac facta et nosse et animo semper agitare conveniet. *Lucan.* 2, 225. quanquam agitant graviora metus, i. e. versant, cogitant de gravioribus. Cf. *Cort. Id. N. D.* 1, 41. habet nihil aliud quod agitet in mente. Cf. *Sall. Cat.* 20, 5. ibique *Cort. Id. de Rep. ord.* 2. *init.* Mihi multa cum animo agitanti consilium fuit. *Ter. Ph.* 4, 3, 10. id agitans mecum sedulo, inveni remedium. *Sall. Jug.* 105. Dicitur secum

ipse multa agitavisse. [*Flor. 2, 17, 17. secum extrema deditionis.] Et absolute: [*Cic. Verr. 2, 3, 96. Quodsi ille hoc unum agitare coeperit, esse aliquod genus cogendae pecuniae. Tac. A. 6, 46. agitanti de Claudio — imminuta mens ejus obstitit, i. e. quum de eo successorem sibi eligendo meditaretur. Id. ib. 2, 36. superbire homines etiam annua designatione: quid si honorem per quinquennium agitent? i. e. si de eo quinque annos meditarentur ac tum demum eo fruerentur? id. ib. 15, 36. provincias orientis tacitis imaginationibus, i. e. iter eo meditari. (De loco Cic. Off. 1, 24. Cf. AGITATUS.) ℙ Agitare rem sc. sermone est i. q. de ea loqui. Tac. Agr. 15. ag. inter se mala servitutis.] Id. H. 3, 1. illic agitavere, placeretne obstrui Pannoniae Alpes. Paul. Dig. 46, 1, 73. Victo eo reversus dominus iterum de eadem re agitabat, i. e. litigabat. [*Cic. Cluent. 30. omnia — et ex hujus et ex aliorum tabulis agitatis, tractatis, inquiritis.] Cic. Att. 1, 19. Agraria lex a Flavio trib. pl. vehementer agitabatur, auctore Pompejo, i. e. vehementer nitebatur Fl. ut lex perferretur. ℙ Hinc agitare aliquam rem est i. q. moliri, parare, tractare. Virg. A. 2, 640. Vos agitare fugam. [*Id. ib. 3, 609. quae agitet fortuna. Tac. A. 1, 12. plus quam civilia. Ammian. 14, 11. quaedam per itinera, i. e. res novas moliri (per euphemismum).] Flor. 1, 1. moenia novae urbis. Liv. 21, 2. majus bellum in animo. Tac. H. 4, 59. agitare de extremis. [*Flor. 4, 2, 83. secum de extremis. Sed aliter Ammian. 27, 6. agitante extrema, i. e. animam agente.] Hac signif. non raro sequitur infinitivus: Nep. Amilc. 1. Ut statim mente agitaret, si paullum res essent refectae, bellum renovare. Virg. A. 9, 187. aliquid jamdudum invadere magnum mens agitat mihi; ubi notanda constructio dativi casus. Sequente part. num: Tac. A. 11, 29. agitavere Callistus, Narcissus, Pallas, (i. e. operam dederunt) num Messalinam amore Silii depellerent. ℙ Sat agitare est i. q. satagere. Pl. Bacch. 4, 3, 23. nunc agitas sat tute tuarum rerum. ℙ Confunduntur in libris agit. et urgere, v. ad Ov. Met. 5, 605. Agit. et vibrare ad eund. Her. 14, 39. Agit. et cogitare, ad Prop. 1, 1, 17. Agit. et habitare cf. Drak. ad Sil. 13, 524. et cum aditare (quae vox sequioris aetatis est) eund. ad 16, 683.]

AGLAIA, ae, f. Ἀγλαΐα, una ex Gratiis, ita dicta ab ἀγλαΐα, quae vox tum splendorem, tum pulcritudinem, tum laetitiam, voluptatemve significat. [*Apollod. 1, 3, 1. Senec. Benef. 1, 3.] Catalect. Virg. 11, 60. Cynthius, et Musae, Bacchus, et Aglaie, (Ἀγλαΐη). V. GRATIAE.

*AGLAMINOR, oppidum Hispaniae Baeticae. Plin. 3, 1, 3.

*AGLAOPHON, ontis, (Ἀγλαοφῶν) nobilissimus pictor, qui Ol. 90. vixit ante Zeuxidis aetatem. Cic. Or. 3, 7. Plin. 35, 9, 36. Quint. 12, 10, 3. ibique Spalding.

AGLAOPIS, Ἀγλαωπίς (hoc est pulcros habens oculos: ab ἀγλαός, pulcher, splendidus, et ὤψ, ὠπός, visus) est una Sirenum, quasi splendida aspectu. V. SIREN.

AGLAOPHOTIS, ἀγλαόφωτις, herba est jucundissimi coloris, qua magi utuntur ad evocandos daemones. Hanc tradunt noctu lucere, et carpentium manus effugere, dum subinde locum mutat. Plin. 24, 17, 102. Aglaophotin herbam, quae admiratione hominum, propter eximium colorem, accepit nomen, nempe ab ἀγλαΐα τοῦ φωτός, h. e. splendore luminis. Haec eadem et Paeonia dicitur ab Appul. Herb. 65. tametsi Paeonia nullo nocturno lumine praedita est.

*AGLAOSTHENES, is, scripsit graece de rebus Naxicis. Hygin. Astron. et Lactant. 1, 11. Scribitur etiam Aglosthenes ap. Polluc. et Plin. 4, 12, 22.

AGLASPIS, ĭdis, ἀγλασπίς, hoc est splendidum habens clypeum: ab ἀγλαός, splendidus, et ἀσπίς, clypeus. Apud Liv. 44, 41. appellantur aglaspides clypeati milites in exercitu Persei. Sunt qui corruptam vocem putent, et ejus loco chalcaspides reponunt.

AGLAURUS, s. Aglaurus, i, f. Ἄγλαυρος, filia Cecropis regis Athenarum, quam Mercurius in saxum vertit, quod aditu suae domus eum prohibere ausa fuerat. Vide fabulam apud Ov. Met. 2, 708.

AGMEN, ĭnis, n. πορεία, πλῆθος, τάγμα. [*Quasi agimen ab ἄγω, ago, i. e. procedens multitudo s. turba vel hominum vel animantium. Cf. de h. v. etymo Ballhorn-Rosen in l. de Dominio p. 297. Funccio in l. de orig. L. L. cognatum videtur germanico v. Menge, sed hoc potius ab eadem stirpe cum Gr. μαγῦναι. Beier.] Serv. ad Virg. A. 1, 186. agmen, inquit, dicitur ordinata multitudo, ut est exercitus ambulantis: neque enim in uno loco stans agmen vocamus. Id. ib. 8, 595. agmen est proprie exercitus ambulans: quicquid fuerit aliud abusive dicitur. [*Noli credere. Prima enim signif. esse debet ea, qua dr. de quavis multitudine vel turba, quae agitur vel aliquo modo movetur; ac saepe ita reperitur. Cic. Pis. 22. Meus reditus quidem is fuit, ut a Brundusio usque Romam agmen perpetuum totius Italiae viderem: neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque praefectura, aut colonia, ex qua non publice ad me venerint gratulatum. Liv. 2, 40. Ingens mulierum agmen. Ov. Trist. 1, 30. Agmina comitum. Plin. ep. 3, 9. Numerosum agmen reorum. Ov. Met. 7, 638. Graniferum agmen, h. e. multitudo formicarum. Virg. A. 12, 248. turbamque sonantem Agminis aligeri. [*Virg. G. 1, 381. corvorum. Id. A. 4, 469. Eumenidum. Id. ib. 6, 572. agmina saeva sororum Ov. Met. 2, 21. ferarum. Id. Am. 3, 2, 78. evolat admissis discolor agmen equis. Tib. 1, 5, 63. fidus comes in angusto agmine turbae. Id. 1, 4, 186. Cuique pecus denso pascebant agmine colles. Auct. Halient. 98. agmine fugientes thunni. Suet. Cal. 13. densissimo et laetissimo obviorum agmine. Id. ib. 19. comitante praetorianorum agmine.] Agmen impedimentorum apud Tac. Ann. 2, 5. sunt impedimenta exercitus ambulantis. Eodem sensu Liv. 34, 52. Non minore agmine rerum captarum, quam suo prae se acto ad Urbem venerunt. ℙ Item de aliarum rerum incessu, motu, aut cursu. Virg. A. 2, 212. Illi (duo dracones) agmine certo Laocoonta petunt. Id. G. 3, 427. de serpente. Cum medii nexus, extremaeque agmina caudae se volventis. [*Id. A. 4, 154. atque agmina cervi pulverulenta fuga glomerant, i. de pulvere quem fugientes excitant.] Id. A. 5, 211. Agmine remorum celeri, ventisque vocatis Prona petit maria, h. e. celeri remorum agitatu. Sil. 14, 442. tremulo venit agmine cornus, Et Neptunicolae transverberat ora Telonis. Virg. A. 2, 782. leni fluit agmine Tibris. (Imitatus Ennium, qui apud Macr. Sat. 6, 4. Quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen.) Id. G. 1, 322. immensum coelo venit agmen aquarum. Val. Fl. 4, 721. flumineum agmen. [*Hoc sensu saepius cadentis latinitatis scriptores, ut Ammian. 15, 4. nec aucto nec imminuto agmine, quod intulit; de fluvio lacum permeante. Id. 24, 2. hinc pars fluminis scinditur largis aquarum agminibus.] — Nota porro haec: Gell. 6, 2. agmina fati et volumina, i. e. ordo et cursus fati. Stat. Th. 5, 509. terna agmina dentis i. e. terni ordines dentium. Quare interdum agmen et ordo in ll. confunduntur. v. inf. — Agmen orationis v. CRISPUS. ℙ Hinc in specie dicitur de exercitu iter faciente opponiturque ea ratione exercitui, qui in aciem adstitit. Liv. 33, 9. Phalanx, quae venerat, agmen magis quam acies aptiorque itineri quam pugnae, vixdum in jugum evaserat. Cic. Phil. 13, 8. Ut inde agmine quadrato ad urbem accederet. [*Hirt. B. G. 8, 8. hac ratione (cf. quae praecedunt) paene quadrato agmine instructo, in conspectum hostium exercitum adducit. Est quidem agmen quadratum i. q. exercitus ad proelium instructus (cf. quem laudat Herz. l. l., Nast, röm. Kriegsalterth. p. 236. sqq.); sed quoniam exercitus progreditur, rectius uterque scriptor agminis voc. usus est. Cf., qui pluribus rem exposuit, Herz. l. l. et Heyn. ad Tib. 4, 1, 101.] Liv. 34, 28. primum agmen. [*Id. 10, 41. medium agmen v. infra.] Id. 34, 28. extremum; et 44, 33. novissimum. [*Caes. B. G. 5, 31. longissimum agmen, cui opp. confertum. Tac. H. 5, 16. haud porrecto agmine, sed cuneis. Id. A. 2, 17. agminis ordo in aciem consistit.] Sall. Jug. 53. constituere agmen, i. e. gradum sistere. [*Liv. 22, 2. agmen cogere, i. e. claudere, quo v. in eadem re usus est Caes. B. G. 1, 25. Ammian. 25, 1. extremos, qui eo die forte cogendorum agminum officia sustinebant, i. e. coactores, quod v. suo l. cf. Ov. Met. 2, 114. diffugiunt stellae, quarum agmina cogit Lucifer et coeli statione novissimus exit. coll. id. ib. 2, 97. Hinc agmen coactum Suet. Cal. 45. ad sensum est i. q. rediise omnes ad expeditionem missos. Hinc translate Tac. A. 15, 71. Cluvidieno, Blitio, cett. velut in agmen et numerum, (i. e. ut quasi agmen cogerent) Aegaei maris insulae permittuntur. Porro Liv. 6, 28. 25, 9. agmen agere. Tac. A. 12, 32. carpere. Id. ib. 1, 65. scindere, i. e. perrumpere.] Caes. B. C. 1, 24. Nonnullae cohortes in agmen Caesaris, aliae in equites incidunt. Ex hoc Caes. loco colligunt nonnulli, agmen proprie dici de peditibus incedentibus: quod et Servius docet ad illud Virg. A. 9, 47. tardum praecesserat agmen. Hoc tamen non semper verum est. Liv. 44, 43. Frequenti agmine equitum fugere. Curt. 10, 9. Jam equestre agmen movebatur. [*Ov. Her. 9, 100. agmen equestre. Id. Am. 3, 2, 78. et Burm. ad h. l.] ℙ Nonnunquam agmen accipitur pro ipso incedendi actu. Sall. Jug. 49. Ne miles gregarius in castris, neve in agmine servum, aut jumentum haberet. Vell. 2, 47. Pugnatum saepe directa acie, saepe in agminibus, [*cf. Burm. qui vim praepos. explicat, quam Livius, (v. sqq.) plerumque, sed alio sensu, omittit.] saepe eruptionibus. Liv. 29, 36. et 25, 34. Agminibus magis, quam acie pugnatum est. Id. 44, 39. Effuso agmine abire. [*Tac. A. 1, 50. propero agmine. Ib. 37. turpi. Liv. 2, 30. uno agmine victores cum victis in urbem irrupere.] ℙ Non semper tamen notat milites incedentes, sed et pro exercitu, aut ejus parte stante, aut proeliante accipitur. Flor. 1, 18, 10. In turres vibratae faces tota hostium agmina ardentibus ruinis operuere. [*Id. 3, 5, 29. in meridiem verso agmine. Id. ib. 21, 6. 4, 2, 62. Liv. 2, 49. instructo agmine. Id. 10, 41. nunc medium agmen dicit, nunc mediam aciem.] Justin. 12, 10. Xerxes LXX. millia de regno armaverat, et CCC. millia de auxiliis: naves quoque mille ducentas numero habuisse dicitur. Huic tanto agmini dux defuit. Hor. Od. 3, 2, 9. Rudis agminum, h. e. exercitus regendi. Virg. A. 1, 2, 329. Semineces volvit multos, aut agmina curru Proterit. Saepissime a poetis hoc pacto usurpatur. [*Adde Virg. 1, 82. venti velut agmine facto qua data porta ruunt, i. e. quum quasi in aciem adstitissent, se in unum conjunxissent, quo facto sane impetus augetur. Sed ideo agmen non est impetus, ut explicat Serv. Translate Plin. ep. 2, 8. agmen occupationum, ut nos loquimur, quasi exercitus, i. e. ingens multitudo negott.] Cic. Or. 1, 34. Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione et umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra, aciemque forensem. ℙ [*Confunduntur in libris agmen et ordo: Ov. Her. 16, 183. Id. Met. 7, 624., 3, 34. ibique Burm. et Heins.]

AGMINĀLIS, le, adj. ταγματικὸς, ad agmen pertinens. Agminales equi sunt qui sequuntur agmen, seu exercitum, et transvehendis impedimentis inserviunt. Horum mentio fit Dig. 50, 4, 18. §. 21. et Cod. Theod. 8, 5, 6. [*Posteriori loco legitur: agminales ac paraveredos; sed ib. leg. 3. agminales seu paraveredi, ut synonyma sint. Cf. Gothofr. ad Cod. Theod. 8, 5, 3. qui hanc appellationem non derivat ab agmine exercitus, sed: quod agmina quaedam equorum in civitatibus — ad eum finem a provincialibus — alerentur etc.]

AGMINĀTIM, adv. ἀγεληδὸν, gregatim, et velut agmine facto. Solin. 25. Elephanti oberrant agminatim. Appul. Met. 4. p. 151, 35. Cuncti canes venaticis illis sese commiscent agminatim. ℙ Translate. Id. ib. p. 146, 2. Poculis agminatim ingestis.

AGNA, ae, f. ἀμνή. Hor. Od. 1, 4, 12. seu poscat agna, sive malit haedo. [*Id. epod. 2, 59. Ov. Trist. 1, 1, 78. Id. Pont. 2, 7, 11. Varr. R. R. 2, 2, 2. agna praecidanea v. suo l.] ℙ Est etiam genus mensurae agrorum, de quo V. in ACNUA. ℙ [Etiam spica vocatur agna. Festus in Pennatus. Pennatas impennatasque agnas in Saliari carmine spicas significat cum aristis, et alias sine aristis agnas novas volunt intelligi. Hic Scaliger adnotat spicas parvas a Theophr. Hist. pl. 8, 7. ἄρνας vocari. F.]

AGNĀLIA, ium, n. festum apud Romanos, idem quod Agonalia. Ov. Fast. 1, 325. de Agonalibus. Pars putat hoc festum priscis Agnalia dictum, Una sit ut proprio littera dempta loco.

*AGNASCO pro agnosco habet M. Aur. Antonin. ad Fronton. ad M. Caes. ep. 1, 3. Somnus autem Ulixen, ne patriam quidem suam diu agnasceret sivit. Ita habet codex; sed A. Maio videtur emendandum agnosceret. F. ex Bayl. Auct.

AGNASCOR. V. ADNASCOR.

AGNĀTĪCIUS et Adgn. a, um, adj. ad agnatos pertinens, ut Agnaticium jus, quod agnatis competit in adeundis hereditatibus. Imp. Justin. Cod. 6, 58, 15. §. 3.

AGNĀTIO, Adgn., vel Adn., onis, f. actus adgnascendi, hoc est in aliqua re nascendi, πρόσφυσις. Appul. Herb. 59. Thyrsum bicubitalem geniculatum, in quo folia hirta, angusta et veluti longa, cum adnationibus secundum genicula, h. e. cum parvis germinibus in thyrso prope genicula nascentibus. Adde 62. ℙ Item consanguinitas eorum, qui per virilis sexus personas consanguinitate juncti sunt, ἀγχιστεία. Hac notione fere semper agnatio, aut adgnatio scribitur. [*Cic. Leg. 1, 7. agnationibus familiarum distinguuntur status, h. e. serie generis, per personas virilis generis. Metaphorice de alia communione vel affinitate int.] Id. ib. 1, 8. Animum esse ingeneratum a Deo: ex quo vere vel agnatio nobis, vel gens, vel stirps appellari potest. [Id. ib. 1, 7. ut homines Deorum agnatione et gente teneantur.] Id. Or. 1, 38. Jura gentilitatum, agnationum, etc. ℙ Differt a cognatione, quod agnatio tum agnatos, tum cognatos complectitur: cognatio vero solos cognatos. Verbi gratia patris mei frater, i. e. patruus et agnatus est, et cognatus; agnatus quidem respectu patris mei, quia ipsi adnatus est; cognatus vero respectu mei, quia simul mecum ab eodem avo descendit: At matris meae frater, hoc est avunculus, cognatus tantum est, quia ab eodem matris meae patre est natus; sed non dicitur agnatus, quia non est adnatus familiae meae, sed familiae matris. Interdum tamen haec promiscue usurpantur. Quomodo a gente differat, V. in GENTILIS. [*Cf. nos supra s. v. AFFINIS. ℙ Porro agnatio dicitur de iis liberis, qui sero e. g. post patris mortem nati sunt, gr. ἐπίγονοι; cf. infra AGNATUS. Ter. Clem. in Pand. 28, 2, 22. Ulp. ib. 40, 5, 24. §. 11. Cod. Justin. 3, 8, 1.]

AGNĀTUS, Adg., vel Adn., a, um, adj. πρόσφυής, προσφυόμενος, in re aliqua natus. Plin. 11, 39, 94. Pili libidinosis congeniti maturius defluunt, agnati celerius crescunt. Et 52, 113. Membra animalibus agnata inutilia sunt, sicut sextus homini semper digitus. Id. 37, 8, 33. Agnata petris gem-

ma. ℙ Hinc *adnati gregis* vel *armenti* dicuntur fetus, qui ex pecoribus nascuntur, et gregi accedunt. *Ulp. Dig.* 23, 3, 10. Sic *Varr. R. R.* 3, 16. *a med.* Cum adnatae prospere sunt multae apes, ac progeniem veteres emittere volunt in coloniam. ℙ Item qui per virilis sexus personas alteri consanguinitate junctus est, eidemque familiae adnatus, *συγγενής*. Hac notione fere scribitur *agnatus*, vel *adgnatus:* quamquam et *adnatus* aliquoties vidisse se ait *Salm.* ad *Capitol. in Vero* c. 7. De discrimine inter *agnatos* et *cognatos* V. AGNATIO. *Cic. Univ.* 11. Jovem et Junonem, quos fratres inter se agnatosque usurpare atque appellare videmus. ℙ In legibus XII. Tabularum cautum erat, ut si quis mentis errore laboraret, in furorem incideret, aut prodigus fieri inciperet, is rerum suarum dominus esse nequaquam posset, sed tum ipse, tum ejus bona in agnatorum, et gentilium curam potestatemque traderentur. *Cic. Inv.* 2, 50. Lex est, si furiosus est, agnatum, gentiliumque in eo, pecuniaque ejus potestas esto, *agnatum* pro *agnatorum*: ut recte nunc legitur. *Varr. R. R.* 1, 2. Duo spectasse videntur Italici homines colendo, possetne fructus pro impensa ac labore redire; et utrum saluber locus esset, an non? quorum si alterutrum decollat, et nihilominus quis vult colere, mente captus est, atque ad agnatos et gentiles est deducendus. Hinc proverb. cum aliquem errore mentis affectum significamus: *Ad agnatos et gentiles est deducendus.* Adde *Colum.* 1, 3. ℙ [*Denique, ut vidimus supra s. AGNATIO, agnati ii dicuntur, qui Gr. *ἐπίγονοι*, i. e. qui post familiam jam constitutam, ubi heres jam est, deinde nascuntur. Recte ita interpretantur *Tac. G.* 19, 9. quemquam ex agnatis necare flagitium habetur, *Hess.* quem v. ad h. l. aliique. Eodem sensu *id. H.* 5, 5. ubi *Ernest.* minus recte intelligit: homines suae gentis.]

AGNELLUS, li, m. *ἀμνίοχος*, parvus agnus: usurpaturque aptissime in blanditiis. *Pl. Asin.* 3, 3, 77. Dic igitur me tuum passerculum, gallinam, coturnicem, agnellum: haedillum me tuum dic esse.

*AGNICELLUS et AGNICELLULUS, i, m. dimin. ab *agnus*, quos facit *Pompej. comm. A. Gr.* p. 105. ed. *Lindem.*: Aliquotiens una diminutio est, aliquotiens duae, aliquotiens tres, et quemadmodum potueris invenire? Ut puta *agnus* principale est. Fac dimin. *agnellus*: aliud: *agnicellus*, aliud diminut. *agnicellulus.* Praeter primum reliquas fictas esse a Gramm. censet *Lindem.*, addit enim: potes invenire in infinitum.

AGNĬCŬLUS, li, m. *ἀμνίοχος*, parvus agnus. *Arnob.* 7. p. 219. Centum caedat boves, totidemque cum agniculis suis matres.

*AGNILE, is, n. *Gloss. gr. lat. ἄρνων τόπος*, agnile. Nempe ut ovile, equile, bubile, bovile etc. *Bail. Auct.*

AGNĪNUS, a, um, adj. ad agnum pertinens, *ἀμνεῖος*, *Plin.* 30, 8, 21. Agnini pedes. Et 10, 27. Fel agninum. *Pl. Pseud.* 1, 3, 85. Agninae lactes. V. LACTES. Et *ib.* 95. Agnina exta. ℙ *Agnina, ae*, absolute caro agnina. *Pl. Aul.* 2, 8, 4. Rogito pisces, indicant caros, agninam caram, caram bubulam. [*Hor. ep.* 1, 15, 35. patinas coenabat omasi vilis et agninae; cf. *Fea* ad h. l.] *Agnina dupla* apud *Eund. Capt.* 4, 2, 39. est caro agni jam grandioris, atque adeo vilissima, quasi dicas carnem agni, qui bis agnus sit, ut qui duplam agni aetatem jam habeat. [*Ita olim h. l. explicabant; sed corruptus est. *Bothius*, sed nulla auctoritate, scribit: *duplo;* melius *Rost.* et *Lindem.*: et dupla agninam danunt; nam *dupla* (cf. *Varr. R. R.* 2, 10. et *Digg.*) est i. q. duplum pretium. Cf. pluribus *Lindem.* ad h. l.]

AGNĪTĬO, onis, f. actus agnoscendi, *ἐπίγνωσις*. *Plin.* 10, 70, 90. veluti sui cadaveris agnitionem fugientes. *Marcell. Dig.* 38, 15, 5. Agn. bonorum possessionis, h. e. admissio. Hinc i. q. cognitio. *Cic. N. D.* 1, 1. Quaestio de natura Deorum et ad agnitionem animi pulcherrima est, et ad moderandam religionem necessaria, *h. e.* ad animi naturam cognoscendam. Paucissimi quidam codices habent *cognitionem.*

AGNĪTĬONALIS, le, adj. ad agnitionem pertinens. *Tertull. ad Valentin.* 27. Substantivalis, non agnitionalis forma.

*AGNĪTOR, oris, m. qui agnoscit. *Auct. Itin. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. Quoniam quisque mediocritatis est agnitor, satis fecerit sese noscendo. Habet etiam *Auct. Vulgat. Siracid.* 7, 5. Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est. *Bail. Auct.*

AGNĪTUS et Adg., a, um, part. ab *agnosco*, *ἐπεγνωσμένος*. *Tac. Ann.* 14, 5. Agrippina silens, eoque minus agnita. *Ov. Fast.* 3, 65. Ut genus audierunt, animos pater agnitus auget. Al. leg. *editus.* [*Hanc scripturam defendit *Burm.* ideo quod *editus* hoc sensu v. sit minus vulgaris usus; deinde quod *agnitus* de filiis quidem, non autem de patre dicatur.] ℙ Item i. q. fateri aliquid esse verum, legitimum etc. *Tac. Ann.* 4, 34. *extr.* Carmina contumeliis referta spreta exolescunt: si irascare, adgnita videntur. *Sall. or.* 2. *ad Caes. de Rep. ordin. prope fin.* Postero tempore super omnes mortales gloria agnita. Eodem sensu Agniti natales ii sunt, qui legitimi esse censentur apud *Pompon. Dig.* 40, 3, 14. V. AGNOSCO

*AGNODĪCE, es, f. nomen proprium puellae. *Hygin. fab.* 274. Athenienses caverant, ne quis servus, aut femina artem medicinam disceret. Agnodice quaedam puella virgo, abscissa coma, habitu virili se Hierophilo cuidam tradidit in disciplinam; a quo probe edocta parturientes mulieres curabat. A medicis dolentibus, se ad feminas non amplius admissos, in judicium pertracta, quod dicerent hunc esse illarum corruptorem, coram Areopagitis tunica adlevata, se feminam esse ostendit. Tunc Athenienses legem emendarunt, et artem medicam discere mulieribus ingenuis permiserunt. *Bail. Auct.*

AGNOMEN et Adnomen, inis, n. *ἐπωνυμία*, nomen, quod alicui personae est extrinsecus aliqua ratione, vel casu quaesitum, et ad ultimum adjicitur, ut *Africanus*, *Germanicus*, *Parthicus*, etc. Differt a cognomine, quod toti agnationi est commune, ut *Scipio*, *Cicero.* Ita *Diomed.* 1. p. 306. et *Priscian.* 2. p. 578. et alii. *Capitol. Ver.* 3. Nec aliud ei honorificentiae adnomen adjunctum est, quam quod Augusti filius est appellatus. *Cic. Inv.* 2, 9. Nomen cum dicimus, cognomen quoque et agnomen intelligatur oportet. Quaedam opt. edition. omittunt *et agnomen.* [*Omisit cum *cod. Turic.* optimae notae *Orell.* et *Lindem.*] ℙ Ceterum illud idem quod *agnomen* dicitur, etiam cognomen quandoque appellatur. *Cic. Mur.* 14. de Scipionib. Quam laudem ille Africa oppressa cognomine ipso prae se ferebat, eandem hic sibi ex Asiae nomine assumpsit, *h. e.* Africani, et Asiatici agnomine. Adde *Eund. Somn. Scip.* 2., *Suet. Vitell. in fin.* Antonio Primo Tolosae nato cognomen in pueritia Becco fuerat, id valet gallinacei rostrum. *Id. Cal.* 9. Caligula cognomen castrensi joco traxit, quod manipulario habitu inter milites educabatur. [*cf. *Voss. de anal.* 1, 7. p. 398. et *Pomp. comm. A. Gr.* p. 99 sq. *ed. Lindem.*]

AGNOMENTUM, ti, n. agnomen, vel cognomen. *Appul. Apolog.* p. 310, 38. Igitur agnomenta ei duo indita, Charon ob oris et animi diritatem: sed alterum, quod libentius audit ob Deorum contemptum, Mezentius.

AGNOMINĀTĬO et Annominatio, onis, f. *παρονομασία*, figura verborum apud rhetores. *Auct. ad Her.* 4, 21. Annominatio est, cum ad idem verbum et idem nomen acceditur commutatione unius litterae, aut litterarum, syllabae, aut syllabarum, aut ad res dissimiles similia verba accommodantur, ut veniit a te antequam Romam venit: Et, Quos homines vincit, eos ferro statim vincit: Et, Hunc avium dulcedo ducit ad avium: Et, Si lenones, tanquam leones vitasset: Et, Videte, judices, utrum homini navo, an vano credere malitis, etc. Adde *Quint.* 9, 3, 66. et *Cic. N. D.* 1, 7. *sub fin.* et *Fam.* 7, 22.

*AGNON, ōnis (*Ἄγνων, ωνος*) Teo oriundus in amicis Alexandri M. fuit. Plura de eo *Plin.* 33, 3, 14. (*Aelian. V. H.* 9, 3. *Plut. de discr. ad. et am.*)

AGNOS, i, m. genus viticis ita dictum ab *ἁγνός*, castus, quod, ut scribit *Plin.* 24, 9, 38., matronae Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes, his foliis cubitum sibi sternerent. Ejus duo genera enumerat *ib. Plin.* et describit. [*G. Keuschlamm.]

AGNOSCĪBĬLIS, le, adj. qui agnosci potest. *Tertull. de Resurr. carn.* 55. Dominus in secessu montis etiam vestimenta luce mutaverat, sed lineamenta Petro agnoscibilia servaverat.

AGNOSCO, Adg. et Adn., oscis, ovi, agnĭtum, a. 3. *ἀναγινώσκω*, ex *ad*, et *nosco:* proprie significat rursus cognoscere, et dicitur de iis rebus, quae antea vidimus, et novimus: in quo differt a *cognosco*, quod proprie est de rebus ante non cognitis. *Virg. A.* 3, 35. parvam Trojam, simulataque magnis Pergama, et arentem Xanthi cognomine rivum Agnosco. [*id. ib.* 3, 82. veterem Anchisen adgnoscit amicum. *Quint.* 7, 2, 26. in patriam venisse atque ibi agnosci.] *Suet. Cl.* 37. Agnoscere percussorem. *Ov. Fast.* 5, 590. agnorunt signa recepta suos, *h. e.* signa militaria, quae victo Crasso Parthi abstulerant, recepta ab Augusto; *agnorunt* syncope ex *agnoverunt.* ℙ Hoc tamen discrimen non semper servatur, sed generatim *agnosco* ponitur pro cognoscere, sentire, intelligere, [*primum sensu vel oculorum vel aurium, ut *Phaedr.* 2, 5, 19. Agnoscit hominem Caesar remque intelligit, i. e. eum animadvertit. *Virg. A.* 10, 843. agnovit longe gemitum praesaga mali mens. *Ov. Met.* 10, 719. ibique *Burm.*] *Cic. Fin.* 5, 18. agnoscere cantum auribus; ita loquitur in carmine, quod ex Homero vertit. Deinde animo vel mente: *Cic. N. D.* 1, 18. Haec sunt dicta subtilius, quam ut quivis ea possit agnoscere. *Id. Tusc.* 1, 29. Deum agnoscere ex operibus ejus. [*Vell. 2, 116, 3. inde agnosci potest vis fortunae.] *Id. Fam.* 1, 7. Quod mihi de filia gratularis, agnosco humanitatem tuam. *Id. Amic.* 2. Qui mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnosco, nec postulo. [*Quint. 8, 3, 71. id facillime accipiunt animi, quod agnoscunt. *Phaedr.* 1, 22, 10. id in se dictum debent illi agnoscere, qui etc. *Auct. dial. de oratt.* 3. leges tu et agnosces, quae audisti, i. e. in sensum eorum penetrabis, recognosces; praecedit enim: diligentius pertractare.] ℙ Latissime patet ea significatio, qua est i. q. confiteri esse aliquid tale, quale venditatur, ideoque i. q. approbare, admittere, assentiri. *Id. Divin.* 1. *in fin.* Nunc illa testabor, non me sortilegos, neque eos, qui quaestus causa hariolentur, ne psychomantiam quidem, quibus Appius uti solebat, agnoscere. *Id. Mil.* 14. *in fin.* Cum totius Italiae concursus facti illius gloriam libens agnovisset. [*Tac. H.* 3, 52. ex eventu rerum adversa abnuere vel prospera agnoscere, i. e. ea probare ideoque sibi arrogare.] *id. A.* 6, 8. agnoscere crimen, i. e. fateri factum esse. [*Aur. Vict. V. Ill.* 73, 4. agnoscere dedecus familiae.] *Cic. Rab. perd.* 6. susciperem hoc crimen, agnoscerem, confiterer. [*Vell. 2, 95, 3. nec quicquam objicere posset adolescentibus — quod non agnosceret senex. Comparat *Ruhnken.* cum h. l. *Cic. Pis.* 6. ipse certe agnoscet et cum aliquo dolore flagitiorum suorum recordabitur. Porro *Plin. ep.* 7, 28. aliaque multa. cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 3, 10. 4, 3. et 4, 4. ab init.] *Paul. Dig.* 5, 2, 23. Agnoscere judicium alicujus. ℙ *Agnoscere filium*, vel *parentem*, etc. est eum tanquam suum, et legitimum cognoscere, et in familiam admittere. *Suet. Aug.* 65. Ex nepte Julia post damnationem editum infantem agnosci alique vetuit. *Nep. Ages.* 1. Filium reliquerat, quem ille vivens non agnorat: eundem moriens suum esse dixerat. Hinc est *titulus tertius l.* 25. *Digest.* De agnoscendis, vel alendis liberis, vel parentibus, etc. [*Etiam de aliis personis dicitur. *Liv.* 6, 7. an me, quod non dictator sed tribunus signum dedi, non agnoscitis ducem? Affert h. l. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 10, 1. vix ut senator agnoscitur, i. e. vix habetur; id. conferre jubet *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 21. reversus imperator, qui privatus exieras, agnosceris.] *Agnoscere bonorum possessionem* apud JCtos est bonorum possessionem ut ad se pertinentem, cognoscere, et sibi adsciscere. *Cajus Dig.* 26, 8, 11. In agnoscenda, et in repudianda bonorum possessione. Huc pertinent et illa apud eosdem JCtos frequentissima, *agnoscere aes alienum*, apud *Ulp. Dig.* 28, 5, 1., hoc est admittere, et a se solvendum suscipere. *Agnoscere cibaria*, apud *Eund. ib.* 10, 4, 11., est cibariorum alicui praestandorum onus subire et sustinere. *Agnoscere damnum*, apud *Papir. Dig.* 49, 1, 21., hoc est subire, et praestare. *Agnoscere periculum*, apud *Paul. ib.* 50, 1, 13. eodem sensu. *Agnoscere poenam*, apud *Pompon. ib.* 17, 2, 55. hoc est subire, pati. ℙ *Agnoscere* pro ignorare, *ἀγνοεῖν*, aliquando usurpari, probat *Brisson. in Lex. Jur.* ex illo *Pompon. Dig.* 19, 1, 6. Tenetur ex empto venditor, etiam si agnoverit minorem fundi modum esse. Ita in celebri edit. *Torrentini*, apposito tamen *ἀσυζύγως*, nota scilicet dubiae lectionis: ex quo alii reposuerunt *ignoraverit.* ℙ *Agnosse* syncop. pro *agnovisse* apud *Ov. Met.* 2, 183. Jamque agnosse genus piget. ℙ Particip. *agnotus* pro *agnitus* usurpatum est olim a *Pacuv.*, et *agnoturus* pro *agniturus* a *Sall. Hist.* 2. teste *Priscian.* 10. p. 887., et *Servio* ad *A.* 4, 23., itemque a *Bruto* in *epist.* teste *Diomed.* 1. p. 383. Verba *Pacuvii* sunt: In turba Oresti cognita, agnota est soror. *Sallustii:* Neque inermes ex proelio quemquam agnoturum. ℙ [*Confunduntur in ll. *agn.* et *cognoscere;* v. *Burm.* ad *Ov. Met.* 10, 719. *Heins. ib.* 2, 183.]

AGNOTUS. V. AGNOSCO in f.

AGNUS, i, m. *ἄρνος*, fetus est ovis, qui annum nondum egressus est. Dicitur ab *ἁγνός*, purus, castus, quia in sacrificiis hostia pura est et Diis grata, ut ait *Festus.* At *Varr. L. L.* 4, 19. *sub fin.* ita dici ait, quod sit agnatus pecori suillo: a particip. pass. verbi *ἄγω*. *Hor. A. P.* 13. Serpentes avibus geminentur, tigribus agni. *Cic. Sen.* 16. Villa abundat porco, haedo, agno, *h. e.* suilla carne, haedina, et agnina. *Pl. Truc.* 2, 7, 54. Jam ego te hic agnum faciam, et medium distruncabo, *h. e.* tanquam agnum te distruncabo. ℙ *Eripere agnum lupo* proverbium apud *Pl. Poen.* 3, 5, 31. de conatu irrito. ℙ In genitivo plurali *agnum* etiam dicitur pro *agnorum. Porc. Licin.* in *carm.* apud *Gell.* 19, 8. Custodes ovium, teneraeque propaginis agnum. ℙ In libris Pontificalibus saepe dicitur *hic ovis*, *haec agnus*, *ac porcus:* quae non ut vitia, sed ut antiquam consuetudinem testantia debemus accipere, inquit *Fest.* in *Recto.* ℙ Dixerunt etiam *agnus*, *mas*, *agnus femina.* Vetus lex apud *Eund.* in *Opima.* Tertia spolia Jano Quirino agnum marem caedito. Alia apud *Eund.* in *Pellices.* Junoni crinibus demissis agnum feminam caedito. [*Permulta hujus generis recenset *Voss. anal.* 1, 16. p. 449 sqq.]

ĂGO, is, ēgi, actum, a. 3. *ἄγω*, proprie, et quidem latissimo sensu *movendi promovendique* significatione, ad quam reliquae omnes referendae sunt, usurpatur, ac diversissimis animatorum vel rerum nominibus additur. (Quoniam, quae F. habebat, parum sufficiebant, prorsus haec a nobis reficta, permulta addita sunt.) Est igitur a) i. q. ante se pellere, ducere, ac dicitur de armentis, pecoribus,

hominibus, aliis. *Virg. Ecl.* (1, 13.) 9, 23. pasce capellas et potum pastas age. *Hor. od.* 1, 2, 7. omne quum Proteus pecus egit altos visere montes, (ubi notanda graeca constructio). [**Suet. Cl.* 21. feros tauros per spatia Circi. *id. Cal.* 27. verberatum per vicos. *Tac. G.* 19. adulteram per vicum verbere.] *Nep. Dat.* 3. vinctum ante se Thyum agebat. [**Sil.* 9, 645. aliquem ante currum. Ut alium agimus, ita etiam nos ipsos; igitur *se agere* i. q. venire, quod ab initio per jocum a Comicis, dictum esse videtur, deinde etiam serio, sed non prorsus eodem sensu. *Pl. Most.* 1, 4, 28. unde agis te, i. e. unde venis? *id. Pers.* 4, 3, 13. *Ter. Andr.* 4, 2, 25. quo hinc te agis? cf. *Ruhnk.* Et absolute *Pl. Bacch.* 5, 1, 20. unde agis? — *Virg. A.* 8, 465. Aeneas se matutinus agebat, i. e. ὥρμᾶτο, profectus est. *id. ib.* 9, 696. se primus agebat, i. e. reliquos antecedebat. [*Hinc *agi* pro *incedere*, ire. *Liv.* 2, 58. si citius agi vellet agmen, tardius sedulo incedere. *id.* 6, 28. raptim agmine acto, pervastatis protinus agris etc. *id.* 25, 9. 23, 36. Porro i. q. abigere: *Ov. Fast.* 3, 64. redigunt actos in sua rura boves sc. a praedonibus; cf. *Burm.* Translate *Ov. Her.* 19, 33. ubi lux acta et noctis hora sidera exhibuit. Item de contrario motu, i. e. afferre, adducere. *Virg. G.* 1, 352. agentes frigora ventos. *Hor. od.* 3, 6, 44. sol amicum tempus agens abeunte curru. Et translate: *id. ib.* 2, 2, 7. illum aget penna metuente solvi fama superstes i. e. evehet. — Ut *pecora* ita *praedae* aguntur. *Sall. Jug.* 20, 8. ceterum agros vastare, praedas agere, i. e. secum abigere pecora, mancipia, captivos. Translate hac locutione utitur *Pl. Aul.* 4, 2, 3. nae pulchram praedam agat, si quis illam invenerit aulam onustam auri.] Hinc facta est formula *agere* et *ferre*, ἄγειν καὶ φέρειν (*Plut. Mar.* 16. *id. Lucull.* 31.) i. e. abigere armenta et homines, ferre i. e. auferre ceteram praedam; igitur omnino i. q. *devastare*, *diripere*. *Liv.* 38, 15. Tum demum fracta pertinacia est, ut ferri agique res suas viderunt. *id.* 22, 3. etc. [*cf. de hac formula intpp. ad *Liv.* 3, 37. *Gron. obss.* 3, 22. *eund.* ad *Tac. H.* 1, 2. et *Cort.* ad *Sall. l. l.* Poetae interdum variant, dicentes *rapere* et *ferre*, *ferre* et *trahere*, v. *Burm.* ad *Ov. Tr.* 4, 1, 80.] Translate: *Auct. dial. de or.* 8. Nunc principes in Caesaris amicitia agunt feruntque cuncta, i. e. pro arbitrio disponunt. [*lisdem verbis explicat *Cort.* ad *Sall. Jug.* 2, 3. Eam autem formulam, in laudem alicujus eo loco dictam, recte vituperare videtur *Ernest.*] b) de curribus, navibus et hujusmodi, i. e. regere vel ducere. *Ov. Met.* 2, 62. currum. [**ib.* 390. v. *Barth.* ad *Stat. Th.* 6, 316. et 432. *Bentl.* ad *Lucan.* 1, 316. *Hor. ep.* 1, 18, 36. aut olitoris ages mercede caballum. *Liv.* 1, 48. inhibuit frenos is, qui jumenta agebat.] *Hor. ep.* 2, 1, 114. navem agere ignavus navis timet. *Tac. H.* 4, 22. agere naves in amnem adversum. [*cf. *Burm.* ad *Ov. Fast.* 1, 500. *Met.* 8, 4.] — c) Item de aliis rebus, quae aliquem locum versus moventur, s. ad eum admoventur. *Cic. Off.* 2, 23. expilare fana, agere cuniculos ad aerarium. [**Liv.* 22, 19. navem in littus, i. e. appellere.] *Caes. B. G.* 7, 58. agere vineas. [**ib.* 2, 12. *Sil.* 1, 365. testudinem. cf. *Drak.* ad h. l. *Tac. G.* 29. mox limite acto promotisque praesidiis, i. e. limite manu porro sive longius promoto. cf. *Gronov.* qui, allato *Virg. A.* 10, 403. aliisque egregie explicat. V. sub. AGENS. *Virg. G.* 4, 510. agere carmine quercus, i. e. commovere ut sequantur. d) Porro de venatione, bellis, etc., i. e. propellere, persequi, exagitare. *Virg. A.* 7, 481. ut cervum ardentes agerent (canes). [**Auct. Halieut.* 59. aprum. V. intpp. ad h. l. et ad *Ov. Her.* 5, 20. ad *Virg. A.* 4, 71. *Georg.* 3, 412. ad *Lucan.* 1, 549.] *Virg. A.* 5, 265. Demoleus cursu palantes Troas agebat. *id. ib.* 1, 574. Tros Tyriusve mihi nullo discrimine agetur. *Justin.* 16, 2. hostem in fugam. [**Virg. A.* 11, 620. Troes agunt, i. e. in fugam impellunt. v. *Burm. Flor.* 3, 4, 5. Thraces ulterius egit. Huc refer *Ter. Ad.* 3, 2, 21. Ceteros ruerem, agerem (i. e. persequerer, truderem) raperem, funderem et prosternerem. *Suet. Aug.* 12. Nursinos extorres egit oppido. *Liv.* 25, 2. aliquem in exsilium.] *Cic. Verr.* 1, 3. Agunt eum praecipitem poenae civium Romanorum. [**Tac. A.* 1, 59. vecordem aliquem. *id. Agr.* 41. aliquem praecipitem in gloriam. *Sall. Jug.* 14. (*Flor.* 4, 2, 9.) transversum aliquem, i. e. in pravum abstrahere. V. *Cort. ib.* ad 6, 3. *Liv.* 45, 37. reum aliquem, i. e. accusare, v. infra. *Hor. epod.* 2, 17. acerba fata Romanos agunt scelusque fraternae necis.] *Claud. Cons. Ol.* 66. spes agit mentem. *Val. Fl.* 2, 361. terror. [**Ov. Met.* 14, 750. quam Deus ultor agit. cf. *Burm.* et *Heins.* ad *Ov. Her.* 16, 324. *Aur. Vict. Caes.* 13, 10. vinolentia, quo vitio agebatur. *ib.* 24, 11. libidine perniciosa. v. *Arntzen. ib.* ad 20, 13. *Nep. Att.* 9, 1. nullis casibus neque agi neque minui, i. e. concuti, ut saepius *agitare* v. *Bremi l. l.* et *Cort.* ad *Sall. Cat.* 5, 7. Bono sensu, pro *duci*, *delectari* dixisse videtur *Solin.* 28. hoc aguntur, sc. animalia.] — e) Porro i. q. foras propellere, *Virg. G.* 2, 130. membris agit atra venena, i. e. expellit. [**Cic. Verr.* 2, 4, 66. agere spumas. *Virg. G.* 3, 203. spumas ore. *Lucr.* 2, 674. scintillas. (*Virg. G.* 2, 363. dum palmes se agit ad auras, i. e. prorumpit.) *id. ib.* 9, 814. sudor agit piceum flumen. cf. intpp. *id. ib.* 8, 258. qua plurimus undam fumus agit etc. *Cic. or.* 1, 59. eandemque (vocem) quum egerunt, i. e. excitarunt, quod praecedit, sive agilem reddiderunt.] Hinc translate, i. e. excitare. *Virg. A.* 6, 874. quantos ille virum campus aget gemitus? [**id. ib.* 3, 5. quaerere terras auguriis agimur Divom. *coll.* 7, 393. *Cic. Arch.* 7. haec studia agunt adolescentiam; al. alunt, quod praeferendum. V. ALO. Illud probat *Hdf.* ob *Hor. Sat.* 2, 2, 13. Seu te discus agit. *Sil.* 11, 393. agi secundis, opp. ferri adversis. cf. *Drak.* ad 10, 618.] — Ponitur etiam de contrario motu, i. e. inigere. *Plin.* 16, 31, 56. Robora suas radices in profundum agunt. [cf. *Varr. R. R.* 1, 37, 5. et *Burm.* ad *Ov. Met.* 2, 583. et 4, 254. *Remed.* 106.] Ad idem haec redeunt: *Cic. Att.* 14, 9. tabernae rimas agunt, quod idem *rimas ducere* dicitur. V. intpp. ad *Ov. Met.* 4, 65. — f) Item agere aliquid aliquo, i. e. adigere, impellere, injicere. *Sil.* 12, 240. et fugientis agit costis penetrabile telum. [**Aur. Vict. Ep.* 39, 4. pugionem per costas. Sic *gladium*, alia id genus; v. *Burm.* et *Ruhnken.* ad *Vell.* 2, 80, 3. *Quint.* 12, 3, 4. tela agere. *Val. Fl.* 3, 353. fulmen. *Stat. Th.* 1, 258. tonitru. Alia collegit *Burm.* ad *Ov. Am.* 3, 3, 30. *Caes. B. G.* 4, 17. sublicae — oblique agebantur. Translate etiam de personis: *Hor. Sat.* 2, 5, 49. si quis casus puerum egerit Orco, i. e. in Orcum adegerit. [**Suet. Tib.* 49. Lentulum ad fastidium vitae ab eo actum. *id. Cal.* 12. agere in crucem aliquem. Hinc i. q. cogere. *Stat. Th.* 8, 262. quanquam aeger senio: sed agit miseranda potestas invigilare malis. *id.* 3, 625. Sed me vester amor nimiusque arcana profari Phoebus agit. [**Tac. A.* 14, 32. odio provinciae, quam avaritia in bellum egerat. ℙ Porro quum nihil fieri sine motu possit: primum animi, quum cogitamus deliberamusque rem; deinde vocis et oris, quum cogitata enunciamus; postremo corporis, quum elaboramus atque efficimus, quae apud animum commenti sumus; idcirco *agere* est i. q. Gr. πράττειν. (Ita *Gesn.*, quem hic sequimur.) Differunt enim *agere* et *facere*, πράττειν et ποιεῖν, *thun* und *machen*.] Namque *agere* et corporis et vocis et mentis actiones complectitur: *facere* refertur tantummodo ad opera, quae corpore efficimus. Ita agit is, cujus post actionem opus non exstat, facit is, cujus opus remanet; cf. qui hujus discriminis auctor est, *Quint.* 2, 18, 1. [**Plat. Charm.* 23. praecipue vero, qui subtiliter hac de re disputat, *Manut.* ad *Cic. Fam.* 7, 12. *fin.*] Itaque utrumque voc. haud raro conjungitur: *Cic. Phil.* 3, 13. quod agendum atque faciendum est. *id. Fin.* 3, 17. Agere aliquid et facere. *Varr. L. L.* 5, 8. potest enim aliquis facere et non agere: ut poeta facit fabulam, non agit; contra actor agit et non facit. [*Plura ex *Varr.* adscripsit *Manut. l. l.*, qui *ib.* alia hujus generis exempla ex *Cic.* congessit. — Itaque *agere* est i. q. in actu esse: *Cic. N. D.* 2, 53. Aliud agendi tempus aliud quiescendi. *Cic. Manil.* 11. industria in agendo. *Vell.* 2, 88, 2. agendi sciens. *Cic. Off.* 1, 9. sunt, qui studio rei familiaris tuendae suum se negotium agere dicant. *ib.* 29. ne quid temere ac fortuitu, inconsiderate negligenterque agamus. *Liv.* 30, 9, 9. raptim omnia agebantur. Et formulae quaedam: *Cic. Fam.* 7, 11. quid agis, τί πράττεις; i. e. quomodo te habes? v. *Ruhnken.* ad *Ter. Andr.* 1, 2, 32. *Ter. Eun.* 2, 2, 40. quid agitur? Porro: *nihil agere;* quod significat a) otiosum esse: *Cic. N. D.* 2, 16. mihi enim, qui nihil agit, esse omnino non videtur. *Colum.* 11, 1. *fin.* Verum est M. Catonis oraculum, nihil agendo homines male agere discere. [*b) sensu praegnanti i. q. nihil agere, quod alicujus momenti sit, nihil efficere, frustra operam dare. cf. quos laudat *Burm.* ad *Anthol. Lat.* 1. p. 343. *Cic. Cat.* 1, 6. nihil agis, nihil assequeris. *Vell.* 2, 66, 3. nihil tamen egisti, M. Antoni. *Cur.* in *Cic. Fam.* 7, 29. egerit non multum, i. e. parum emolumenti inde tulerit.] ℙ Absolute apud JCtos *agere* dicitur pro congredi, de viro et muliere. *Ulp. Dig.* 8. *de his, qui sui vel alieni juris:* si agente marito uxor concipiat. Et paullo post: si ambo agant. ℙ Jam quum h. v. usus latissime pateat, ut paene infinitum sit, singula enumerare, singulatim, quae memoratu dignissima sunt, recensebimus. Ac 1) agere aliquid animo ac mente est i. q. deliberare, tractare de aliqua re, moliri aliquam rem. *Ov. Her.* 12, 212. mens mea majus quid agit. *Val. Fl.* 3, 392. hoc variis mens ipsa modis agit. *Tac. H.* 2, 26. fratri proditionem. *id. ib.* 3, 35. ambigue agere, i. e. res novas moliri. *id. Agr.* 13. de intranda Britannia. *Quint. Decl.* 4, 19. cogitationem parricidalem. 2) Verbis aliquid agere, ut *gratias; Cic. Fam.* 1, 10. *id. Phil.* 11. i. e. verbis gratum alicui animum significare. *Liv.* 26, 48. laudes Diis agere. 3) Conjungitur cum permultis aliis verbis, et est i. q. facere, tractare aliquid vel de aliqua re; unde saepius i. q. *habere*, *gerere* et simm. Quo factum est, ut haud raro librarii substituerent in libris ipsum v. *habere*, v. in fine; a quo, ut bene monet *Frotscher.* ad *Quint.* 10, 3, 5. ita differt, ut *agere* adjunctam habeat notionem curae majorisque diligentiae. Pleraeque hujus generis locutiones nil continent, nisi ipsius verbi notionem; nam *recensum agere* est *recensere* et sic porro; cf. *Suet. Caes.* 41. *id. Aug.* 27. censum. *Quint.* 10, 1, 38. silentium. *Aur. Vict. Epit.* 12, 6. bonorum supplicia. *Cic. Fam.* 3, 10. (*Suet. Caes.* 37. *Aug.* 22.) triumphum, ut Gr. ἐλαύνειν. *Quint.* 9, 3, 12. priscum v. *poeniturum* explicat: poenitentiam acturum, ut loquitur *Auct. dial. de or.* 15. illius sermonis poenitentiam ago. *Liv.* 24, 45. libera arbitria de aliquo. *id.* 44, 15. arbitria belli pacisque agere, i. e. arbitrum facere velle b. p. v. *Drak.*, qui comparat *Liv.* 9, 14. pacis ac belli modum facere, quod idem significat. Praecipue autem poetae hoc loquendi genus frequentant. *Ov. Fast.* 1, 68. 4, 926. otia, ibique *Heins. Virg. A.* 9, 227. consilia. cf. *Burm. Ov. Met.* 12, 540. oblivia. *id. Her.* 16, 302. curam hospitis. *id. Met.* 6, 468. vota. *ib.* 8, 225. *A. A.* 2, 84. iter. *id. Am.* 3, 6, 95. cursum. *id. Fast.* 3, 245. (*Suet. Galb.* 10.) excubias. *ib.* 6, 647. censuram. cf. *Burm. Suet. Vit.* 10. pervigilium. Porro huc refer: *forum* vel *conventum agere*, quod dicitur de provinciarum rectoribus pro tribunali sedentibus. *Cic. Fam.* 3, 6. agere te forum Tarsi, statuere multa, decernere, judicare dicebant. cf. *id. Att.* 5, 17. et cf. *Gron. obs.* 3, 22. *Vales. emend.* 2, 14. et 5, 16. *Cort.* ad *Decl. P. Latr.* p. 1095. *Graev. thes. A. R. praef. tom.* I. p. 17. quos ex parte laudat *Burm. ad Prop.* 1, 6, 20. *Suet. Caes.* 88. senatum; (alii malunt *cogere*, alii *habere;* utrumque male.) *Quint.* 10, 3, 5. delectus enim rerum verborumque agendus est. *Suet. Cal.* 43. *Vit.* 15. dilectum (militum). De loco *Tac. A.* 1, 44. agere centurionatum, ambigunt intpp., v. *Gron.* Nos quidem assentimur *Oberl.*, qui amplectitur *Mureti* sententiam, interpretantis: recensionem et cognitionem de centurionibus egit. 4) Peculiaris hujus usus formula est *animam* agere, i. e. efflare, mori. *Cic. Tusc.* 1, 19. nam et agere animam et efflare dicimus. *id. Rosc. Com.* 8. eodem tempore et gestum et animam ageres; *gestum agere* de histrione dicitur, v. infra; hinc, qui sensus sit, facile intelligitur. *Martial.* 1, 18. semper agis causas et res agis, Attale semper. Est, non est, quod agis, Attale, semper agis. Si res et causae desunt, agis, Attale, mulas; Attale, ne quod agas desit, animam agas. ℙ Porro, quod vita omnis in actione aliqua consistit, etiam pro *vivere* usurpatur. Hoc autem inde nobis derivandum esse videtur, quod proprie dicebant *agere aetatem* etc., i. e. transigere, Gr. βίον ἄγειν et ἄγειν. *Cic. Leg.* 1, 2. aetatem in litteris. *Hor. Sat.* 1, 5, 101. aevum; cf. *Hdf. Suet. Vit.* 3. pueritiam primamque adolescentiam Capreis. *id. Vesp.* 4. medium tempus in otio. *id. Tit.* 60. secretum, i. e. secretam vitam. *id. Aug.* 71. quinquatrus jucunde egimus. *Cic. Verr.* 2, 4, 48. dies festos. *Liv.* 7, 39. vitam ruri. v. *Hess.* ad *Tac. G.* 17, 1. Hinc *annum agere*, i. e. eo aetatis anno versari. *Cic. Senect.* 32. annum octogesimum. *ib.* 10. — *Virg. A.* 5, 51. hunc (sc. diem) ego Gaetulis agerem si Syrtibus exul. Hinc passive *agi* de tempore pro *esse*, sed adjuncta motus vel actus significatione: *Ter. Hec.* 3, 5, 34. mensis agitur hic septimus. *Liv.* 3, 6. ut tunc principium anni agebatur. *Ov. Met.* 7, 700. alter agebatur mensis. *id. Her.* 12, 58. acta est per lacrimas nox mihi, quanta fuit. Hinc etiam absolute *agere* pro vivere, esse, versari. *Tac. A.* 3, 19. apud illos homines, qui tum agebant. *id. ib.* 1, 68. haud minus inquies Germanus spe, cupidine agebat. *ib.* 2, 64. concordia subdola. *ib.* 3, 38. Thracia discors agebat. *ib.* 13, 32. cultu moesto. *Sall. Jug.* 101, 6. tum Marius apud primos agebat, ubi bene *Cortius*, belle, inquit, respondet ejus ardori. *id. ib.* 55, 3, civitas laete agere. — De populis quum dicitur, est i. q. degere, morari, habitare. *Sall. Jug.* 89. Africa (i. e. Afri) quae procul a mari incultius agebat. ℙ Porro in specie de certis quibusdam actionibus et negotiis dicitur; ac primum quidem locum habet in sacris; ex quo etiam *Agonalia* dicta esse volunt. *Agere* enim dicebantur, qui victimam feriebant sive mactabant, quoniam Romani in re sacra facienda abstinebant verbis mali ominis, ut mactare, jugulare etc. Sacerdos igitur a popa seu victimario interrogatus: AGONE? i. e. num ferio hostiam? ei respondit AGE s. HOC AGE, i. e. macta. *Ov. Fast.* 1, 321. qui calida strictos tincturos sanguine cultros semper AGONE rogas, nec nisi jussus AGIS. *Varr. L. L.* 4, 22. *fin.* Agumentum, quod ex immolata hostia desectum in jecore imponendo, agendi causa, i. e. sacrificii peragendi. [*Utrumque conjunxit *Suet. Galb.* 20. hoc agerent ac ferirent. cf. de hoc usu *Politian. Misc.* c. 60. *Brisson. form.* 1. p. 12. *Rosin. antiq.* 4, 10.] — Porro quum magistratus rem divinam faceret praesente populo, praeco admoniturus, ut adverterent mentes et in praesentem rem omnes animi cogitationes intenderent, clamabat: HOC AGE. Qua formula deinde ad alias quoque res, quibus attentionem volebant parare, utebantur, et singulari et plurali numero. *Ter. Andr.* 1, 2, 16. hoc-

cine agis annon? *id. Andr.* 2, 5, 4. hoc agam, i. e. ad hoc attendam. v. *Ruhnk.* ad priorem locum. *id. Heaut.* 3, 7, 16. at jam hoc non ages? *Suet. Cal.* 58. Chaeream graviter percussisse, praemissa voce: hoc age! *Ter. Eun.* 1, 2, 50. Hoc agite, amabo. *Sen. Clem.* 1, 12. Plura collegit *Brisson.* l. l. p. 11. 12. Eodem pertinet formula huic simillima, *id agere. Ter. Andr.* 3, 5, 8. id ago sedulo. *id. Eun.* 2, 3, 57. istuc ago quidem, i. e. ad hoc sane attendo. Est vero etiam *id agere* i. q. id meditari, operam dare alicui rei. *Cic. Mur.* 38. id et agunt et moliuntur. *Suet. Caes.* 44. id agentem atque meditantem. *Ter. Andr.* 2, 1, 37. ego id agam, qui ne detur. *Cic. Off.* 1, 13. qui quum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. — His similes sunt aliae formulae: 1) *aliud* sive, *alias res agere*, i. e. dissimulare id, de quo agitur, et ad alias res animum advertere. (*Forc.* comparat Italorum proverbium: *porre o piantare una vigna.*) *Cic. Rosc. Am.* 22. Animadverti eum jocari atque alias res agere. *Id. Brut.* 66. Ita furebat, ut mirarere tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus. *Id. Cluent.* 64. aliud agens ac nihil ejusmodi cogitans. 2) *Age, si quid agis;* qua formula utimur, quum monere aliquem volumus, ut ad rem, quam agit, animum advertat et sedulo agat. *Pl. Stich.* 2, 3, 35. Bibe, tibicen: age, si quid agis. Paullo ante v. 27. dixerat: bibe, si bibis. *Id. Poen.* 5, 4, 67. ite, si itis. ℙ Dicitur porro de iis, quae vel in senatu, vel in foro, vel in judiciis tractantur; ac primum quidem in Senatu vel in curia: [**Cic. Fam.* 1, 9. te agente de reliqua nostra dignitate. *Id. ib.* 5, 2, 22. Metellus agere quum coepisset, tertio quoque verbo me appellabat. *Suet. Caes.* 28. Consul edicto praefatus, de summa se republica acturum, retulit ad Senatum. *Id. Aug.* 94. quam de Catilinae conjuratione ageretur in curia. *Liv.* 8, 37. Samnites infecta pace, quia de conditionibus agebatur, inducias retulerunt; i. e. quia ambigebatur, disceptabatur. Deinde in foro: *Liv.* 5, 36. ut, quorum de poena agebatur, tribuni militum consulari potestate in insequentem annum crearentur. *ib.* 1, 46. quia de agro plebis adversa patrum voluntate senserat agi. *Nep. Alc.* 8, 2. Alcib. praesente vulgo agere coepit. — Hinc omnino *agere* de aliqua re i. q. loqui. cf. *Ruhnk.* ad *Ter. Ad.* 1, 1, 53. Rarius conjungitur hoc modo cum accusativo, quod facit *Liv.* 10, 31. bella, quae continua per quartum jam volumen agimus, i. e. enarrando persequimur, *coll.* 40, 9. nec dubia, argumentis colligendo, ago, i. e. persequor, ut ad verum perveniam. Sed apud *eund.* 25, 4. haec quum acta essent, videtur legendum esse, quod plurimi probant, *jacta.*] — In specie hoc sensu magistratus dicitur *agere cum populo*, qui populum rogat, ut aliquid suffragiis suis jubeat aut vetet; est igitur prorsus i. q. comitia habere; sed *agere ad populum* est, i. q. concionem habere, de quo discrimine cf. *Gell.* 13, 15. et *Macrob. Sat.* 1, 16. cujus vv. referemus sub v. COMITIALIS. [**Cic. Verr.* 1, 1, 12. agere cum populo. *id. Amic.* 25. in forum versus agere cum populo, i. e. ore forum versus converso. *Sall. Cat.* 51. *fin.* neu quis de iis postea ad Senatum referat neve cum populo agat. *Cic. Man.* 1. *init.* hic locus (i. rostra) ad agendum amplissimus. — Haec formula deinde ad alios transfertur, qui aliquem vel precibus adhibitis vel rationibus allatis ad aliquid permovere student.] *Cic. Fam.* 4, 2. mecum, ut ad te scriberem, egerunt. *ib.* 13, 75. de quo et praesens tecum egi diligenter, et scripsi ad te accurate antea. *Capit.* in *Cic. Att.* 16., ult. ep. Non dubito, quin mirere, quod tecum de eadem re agam saepius. *Id. Fam.* 5, 2. *Nep. Cim.* 1, 3. Sed *Suet. Tib.* 54. egit cum Senatu, seq. accus. cum infinit. est i. q. proposuit. [Etiam omissa praepositione interdum eodem sensu reperitur: *Liv.* 2, 2. ut Lucretius — agere varie, rogando alternis suadendoque coepit. *Tac. A.* 15, 14. si qua Caesares obtinendae donandaeve Armeniae egerant.] — Hinc additis adverbiis: *bene, male agere cum aliquo. Val. Max.* 5, 3, 3. *ext.* Bene egissent Athenienses cum Miltiade, si etc. [**Cic. Sext.* 23. praeclare cum aliquo agere. *Id. Phil.* 14, 11.] — Hac ratione saepissime usurpatur impersonaliter, passiva voce: *Cic. Fam.* 4, 14. Agitur praeclare, si nosmet ipsos regere possumus. *ib.* 9, 24. praeclare mecum actum puto. *ib.* 5, 18. optime agitur cum aliquo. *Suet. Ner.* 28. bene agi potuisse cum rebus humanis, *h. e.* optime consultum fuisse. *ib.* 43. *Cic. Verr.* 2, 3, 50. Intelliget secum actum esse pessime. *Sulpic.* in *Cic. Fam.* 4, 5. non pessime actum est cum aliquo. — ℙ Denique juris ac judiciorum verbum est; nam *agi res* dicitur, de qua in foro et judicio disceptatur; et alius quidem jus suum persequitur, alius judicat. *Ov. A. A.* 3, 532. facundus causam clientis saepe agit. coll. *Varr. R. R.* 1, 7. *fin. Cic. Fam.* 5, 10, 11. et 8, 9, 3. Hinc *res agi* dicuntur, quum judicia celebrantur, qui dies Graecis ἀγόραιοι dicebantur; v. *Casaub.* ad *Theophr. Char.* et *Burm.* ad *Ov. A. A.* 2, 154. *Plin. ep.* 4, 29. eja, quum proxime res agentur, quoquo modo ad judicandum veni. *Id.* 9, 40. Si agendi necessitas instat, i. e. causas agendi. (Forum, conventum agere, v. supra. — Hinc, qui forum agit, et ipse *agere* dicitur. *Tac. Agr.* 9. Agr. facile justeque agebat. — Jam quum in judiciis vita et bona in discrimen veniant: eae quoque *res agi* dicuntur, quae in discrimen veniunt, de quibus periclitatur aliquis. *Ter. Heaut.* 3, 1, 67. non nunc pecunia, sed illud agitur, quomodo etc. *Id. Ph.* 4, 3, 26. non capitis ejus res agitur, sed pecuniae.] *Cic. Verr.* 2, 4, 51. aguntur injuriae sociorum, agitur vis legum, agitur existimatio, veritasque judiciorum. *Id. Fin.* 2, 17. si magna res, magna hereditas agetur. *Tac. A.* 14, 61. non eo loci res suas agi, ut de matrimonio certet. *Ov. Met.* 5, 372. agitur pars tertia mundi, i. e. in periculo versatur. *Hor. ep.* 1, 18, 84. Nam tua res agitur, paries quum proximus ardet. cf. *Drak.* ad *Liv.* 27, 34, 7. *Gron. ib.* 28, 19, 14. Eodem refer formulam JCtorum: *qua de re agitur. Cic. Brut.* 79. Qua de re agitur autem, illud quod multis locis in juris consultorum includitur formulis. — Hinc eodem modo pertinet ad eos, qui jure et litibus res suas persequuntur. *Cic. Q. Fr.* 1, 4, 7. tecum non gladiis, sed litibus agetur. *Id. Quint.* 9. ex sponso egit. *Id. Mur.* 17. agere cum aliquo ex syngrapha. *Ter. Ph.* 5, 9, 91. *Cic. Caec.* 12. ex jure civili et praetorio agere. *ib.* 5. lege agere, i. e. actionem alicui intendere. *Cic. Or.* 1, 38. agere lege in hereditatem. cf. *Briss. form.* 5. p. 387. et 482. *Tac. A.* 13, 37. causa quam vi agere malle. *Ter. Ad.* 1, 1, 27. non necesse habeo omnia pro meo jure agere, i. e. pro mea auctoritate. Nam suo jure agere is dicitur, qui quid quasi ex jure et consuetudine libere agit nemine impediente. Ita *Ruhnk.*, qui laudat *Petron.* 78. et *Gron.* ad *Sen. Tranq.* 3. Ita absolute: *Pompon. Dig.* 12, 4, 15. quo casu ad exhibendum agere te non posse. *Marcian. ib.* 5, 2, 30. adversus testamentum agere. *Paul. ib.* 5, 2. 23, 2. de inofficioso testamento agere. Et *Liv.* 24, 25. tanquam reos ageret, i. e. accusaret. *Id.* 4, 42. — Hinc *agere aliquem alicujus rei* i. e. accusare. *Cic. Fam.* 7, 22. furti agere, *h. e.* furti actionem intendere. [**Quint.* 3, 6, 19. injuriarum. cf. *Ulp. Dig.* 47, 10. 1, 7. *Paul. ib. leg.* 6. *Ulp. ib. leg.* 7, 1. et *leg.* 15, 26. *Id. ib.* 47, 10, 15, 13. injuriarum cum aliquo. *Quint.* 4, 4, 8. adulterii cum aliquo. — ℙ Porro dicitur de civilibus negotiis, et est i. q. administrare, tractare. *Paul. Dig.* 4, 6, 35. rempublicam, i. e. fungi muneribus reipublicae. [*cf. *Gron. obs.* 4, 4. et *Burm.* ad *Quint. Decl.* 12, 12. Ita *Suet. Tib.* 25. principatum. *Quint.* 12, 1, 26. consulatum. *Suet. Tit.* 6. praefecturam praetorii incivilius et violentius. *Id. Cl.* 18. curam Urbis. *Id. Aug.* 37. honorem, i. e. gerere; v. *Burm.* ad h. l.] *Nep. Hann.* 8. bellum. [**Lucan.* 4, 2. Martem. cf. *Gron. obs.* 2, 3. p. 178. *Oud.* ad *Suet. Caes.* 45. *Drak.* ad *Liv. ep.* 49. *Burm.* ad *Ov. Trist.* 2, 230. et ad *Grat.* 334. Quomodo autem differant *bellum agere, gerere, facere* perspicui docet *Herz.* ad *Caes. B. G.* 3, 28. Cum hoc ne confunde, quod *Liv.* 10, 31. dixit: bella agere pro enarrare; v. supra. *Proelium agere* recte dici negat *Vorst.* de *lat. m. susp.* p. 141. (*al. laudant* 191.); non prorsus recte; certe ita locutus est *Liv.* 22, 9. levibus proeliis cum Gallis actis. — *Flor.* 1, 6, 2. regnum. *Id.* 1, 7, 2. potestatem. cf. ad illum locum *Duker.* et quae attulit *Arntzen.* ad *Aur. Vict. V. Ill.* 47, 1. *Plin.* 7, 28, 29. imperium. (*Virg. A.* 1, 547.) *Sall. Jug.* 30, 1. res gestae quoque modo actae forent. cf. *Cort.*] ℙ Pro *exigere* ponitur, quum de pecunia redigenda sermo est: *Suet. Dom.* 12. acerbissime judaicus fiscus actus est. [**Id. Vesp.* 1. publicum (sc. vectigal, ut τὸ δημόσιον sc. τέλος) quadragesimae in Asia egit.] ℙ Porro *agere* est i. q. agendo exprimere, ostendere ac dicitur a) de oratoribus, i. e. orationem pronuntiare gestumque in recitando adhibere. *Cic. Or.* 17. Infantes actionis dignitate eloquentiae saepe fructum tulerunt: diserti, deformitate agendi, multi infantes putati sunt. *Id. Or.* 2, 19. quinque faciunt quasi membra eloquentiae: invenire — — tum ad extremum agere et pronuntiare. Hoc loco non urgendum est, quod *Cic.* conjungit *agere* et *pronuntiare*, quasi in agendo exceperit pronuntiationem. [**Id. Or.* 3, 56. quae sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent.] *Quint.* 11, 3, 78. multum agitur superciliis. b) Praecipue autem de histrionibus dicitur, i. e. repraesentare. *Cic. Rosc. Com.* 7. Ballionem illum quum agit, agit Chaeream. [*Hinc facete *id. ib.* 8. gestum et animam agere; cf. nos supra. *Cic. Or.* 2, 57. gestum agere in scena. *Liv.* 7, 2. dicitur canticum egisse aliquanto magis vigente motu. *Cic. Or.* 3, 26. Nunquam agit hunc versum Roscius eo gestu, quo potest. — Hinc aliae loquendi formulae: *Ter. Hec. prol.* 22. *Ad. prol.* 12. fabulam agere. *Id. Ph. prol.* 27. partes agere i. e. alicujus personam sustinere in fabula. *Suet. Caes.* 39. mimum. *Id. Cal.* 57. tragoediam. *Id. Galb.* 13. cantici reliquam partem. Hinc translate: agere aliquem, i. e. alicujus partes sustinere, repraesentare, exprimere aliquem. *Cic. Fam.* 2, 9. egi illos omnes adolescentes, quos ille jactitat. *Tac. H.* 1, 30. Agere amicum. *Suet. Cl.* 29. non principem se sed ministrum agere. [*Ita *Forc.* l. laudat; recentiores edd. recte omittunt *se*, ut *Tib.* 20. Sincerus item est locus ap. *eund. Tit.* 6. *Tac. A.* 1, 4. annis, quibus exulem egerit. *Id. ib.* 25. agere se pro equite.] [*Omninoque se *agere* est i. q. se gerere. *Tac. H.* 3, 2. quanto ferocius ante se egerint. *Sall. Jug.* 56. tanta mobilitate sese Numidae agunt. ℙ [*Elegantem h. v. usum commemorat *Cort.* ad *Sall. Jug.* 85, 3. Bellum parare, simul et aerario parcere; cogere ad militiam, quos nolis offendere; domi forisque omnia curare; et ea *agere* inter invidos etc. Ita *Cic.* saepe *facere* addit, ut *Tusc.* 5, 32. An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere: nostrates philosophi *facere* non potuerunt? V. plura l. l.] ℙ *Axim* pro *egerim* dixerunt antiqui, teste *Festo* in *Axitiosi. Pacuv.* apud *Non.* 2, 895. et 10, 7. Ut quae egi, ago, vel axim, verruncent bene. V. *Voss. l.* 5. *de Grammat. c.* 41. ℙ *Actum agere*, etc. vide supra in ACTUS, a, um. ℙ *Actum est, Age, Agedum*, etc. V. supra suis loc. ℙ [Particip. *Agens* et *Actus* V. supra suis locis. *Acturus* apud *Liv.* 22, 60. Quae apud vos acturus sum. *Agendus* apud *Caes. B. G.* 2, 20. Caesari omnia uno tempore erant agenda. *F.*] ℙ [*Confunduntur in libris: *agere* et *augere*, v. ad *Aur. Vict. Caes.* 13, 10. — et *angere Graev.* ad *Herenn.* 4, 43, 270. — et *obire*, ad *Ov. Trist.* 2, 230. — et *habere*, ad *Ov. Her.* 16, 302. *Met.* 9, 107. *Fast.* 3, 245. ad *Vell.* 2, 31. ad *Liv.* 30, 45, 2. ad *Hor. epod.* ult. 81. ibique *Fea.* — et *jacere* ad *Vell.* 2, 80. — *dicere* v. *Oud.* ad *Herenn.* 1, 3, 7. — et cogere, v. supra. — et *gerere*, v. *Spald.* ad *Quint.* 10, 1, 91. — *acturum* et *staturum*, *Drak.* ad *Sil.* 9, 645. *agebat* et *erat*, *Cort.* ad *Sall. Jug.* 101, 6.]

*AGOCÉ, es, oppidum in finibus Aegypti et Aethiopiae situm. *Plin.* 6, 29, 35.

AGOGAE, arum, f. plur. fossae, per quas profluit aqua ad lavandas metallorum fodinas: ita dictae, ut videtur, Hispano vocabulo: quamquam et a Graeco ἀγωγαὶ, vel ἀγωγοὶ commode duci possint. *Plin.* 33, 4, 21. [Hic *MSS.* apud *Harduinum* habent *agangas. F.*]

AGOGÉ, vox Graeca, ἀγωγὴ, hoc est ductus, ductio: in re musica dicitur, cum per ordinem sonus sequitur, quemadmodum e contra *ploce*, πλοκὴ, est cum diversi soni sociantur. Ita *Capell.* 9. p. 323.

AGOLUM, baculum pastorale, quo pecudes aguntur. *Festus.* [Videtur esse ab ἀγελαῖος, armentalis [*est haec *Scaligeri* sententia.]; vel ab *ago* factum est *agulum*, ut a *cingo cingulum*, deinde *agolum*, mutato *u* in *o. F.*]

AGON, ōnis, m. ἀγών, ῶνος, Graeca vox certamen significans, sed sine bello, et ludorum causa institutum, in quo inducebantur homines, qui vel cursu, vel lucta, vel alia quapiam dote corporis certarent, victoresque praemiis afficerentur: quales fuerunt apud Graecos Olympii et Pythii agones, et apud Latinos ludi Capitolini, Albanique, et alii, ad Graecorum imitationem invecti. *Plin. ep.* 4, 22. Gymnicus agon apud Viennenses ex cujusdam testamento celebrabatur. Et *ib.* Non esse restituendum Viennensibus agona. Et *ib.* Placuit agona tolli, qui mores Viennensium infecerat, ut noster hic omnium. ℙ *Agon musicus*, de quo *Suet. Ner.* 22. et 23., dictus est, in quo committebantur citharoedi, tibicines, aut etiam poetae. [*De agone musico et gymnico disputat, locis Graecorum scriptorum allatis, *Manut.* ad *Cic. Fam.* 7, 1. *argum.*] ℙ [*Agon Capitolinus* institutus fuit a Domitiano Aug. ann. U. C. 839., a Chr. n. 86. Fortasse hujus agonis dies vagus et incertus erat, quem ideo *conceptivum* rite appellaveris. Celebratum fuisse constat usque ad ann. a Chr. n. 238., imperantibus Balbino et Maximo Augg.; quinquennalis vero dictus est, quia quarto quoque anno completo, et quinto redeunte renovabatur; quod arguitur ex *Censorin. de Die nat.* 18. Capitolinorum agonum primus a Domitiano institutus fuit, duodecimo ejus et Ser. Cornelii Dolabellae consulatu. Itaque hoc nunc anno (nempe 238. *p. Chr. n.*) qui celebratus est agon, undequadragesimus numeratur. *Suet. Dom.* 4. Instituit et quinquennale certamen Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum. Certabant et prosa oratione Graece Latineque, ac praeter citharoedos chorocitharistae quoque, et psilocitharistae: in stadio vero cursu etiam virgines. Plura de hoc *Agone* videsis apud *Morcell.* in *Giornale Bibliot. T.* 1. p. 180. et 339. *F.*] ℙ *Nunc demum agon est*, proverbium, quo significatur necessitas ingruens experiendi, et agendi, νῦν γάρ ἐστι ἀγών. *Suet. Ner.* 45. Statuae ejus a vertice currus appositus est cum inscriptione Graeca, Nunc demum agona esse; et, Traheret tandem. ℙ Agones olim dicebant montes. *Paul.* ex *Festo* in *Agonium:* scil. quia initio ludi in montibus fiebant. ℙ [*Volunt etiam agones esse i. q. victimas, ii, qui sequuntur *Scal.* ad *Fest.*; nam pro agonei victimae in *Isid. gl.* emendant agones. Scribendum autem est *Agoniae*, quod v.]

AGONĀLIA, lium, vel liorum, libus, n. plur. 3. festa apud Romanos quotannis celebrari solita V. Id. Januar. in honorem Jani, ut habetur apud *Ov. Fast.* 1, 317., item XII. K. Jun., (*Ov. Fast.* 5, 721.)

et III. Id. Decembr., eratque is dies nefastus mane. Rationem nominis alii aliam tradunt, vel quod *Agonius* olim dictus sit Janus, quod praesit rebus agendis; vel quia minister mactaturus hostiam interrogabat sacrorum praesidem illis verbis, *Agone?* vel quia ipsae hostiae mactatae dictae sunt olim *Agoniae;* vel demum quia pecudes mactandae non veniant, sed *agantur.* Lege *Ovid. loc.* prius *cit.*, *Senec. Controv.* 2, 11. *ad fin.* et *Fest.* in *Agonium.* ℙ De ratione genitivi V. quae dicemus in SATURNALIA.

AGONĀLIS, le, adj. ad Agonalia pertinens. *Varr. L. L.* 5, 3. Dies Agonales, per quos rex in regia arietem immolat: dicti ab Agone! eo quod interrogatur a principe civitatis, et princeps gregis immolatur. *Ov. Fast.* 1, 318. Janus Agonali luce piandus erit.

AGONENSIS porta, *porta Salaria*, una ex portis Urbis Romae, quae et Collina, et Quirinalis dicitur. Ita dicta est, quod per eam ad Quirinalem collem ibatur, qui olim *Agonus* dictus est teste *Festo*, vel quia fortasse circa ea loca Agonalia celebrabantur. *Festus* in *Agonium.* ℙ *Agonenses* Salii dicti sunt ii, qui in Quirinali monte sacrarium habuerunt, a rege Hostilio instituti. Iidem et Collini appellati sunt. Memorantur a *Varr. L. L.* 5, 3.

AGONĬA, ae, f. hostia, quae in sacrificiis adhibetur: ab agendo ita dicta. *Festus.* ℙ [**Vulg. Luc.* 22, 44. et factus in agonia, Gr. *καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ*, quod significat summam perturbationem et consilii inopiam. *Bail. Auct.*]

AGONĬA, orum, n. plur. eadem quae Agonalia, prisco vocabulo; item pecudes, quae mactantur in eorum sacris. *Ov. Fast.* 5, 721. Ad Janum redeat, qui quaerit, Agonia quid sint. ℙ *Id. Fast.* 1, 331. Et pecus antiquus dicebat Agonia sermo. ℙ In singulari numero *Festus:* Agonium dies appellabatur, quo rex (*sacrificulus*) hostiam immolabat.

AGONĪSTA, ae, m. *ἀγωνιστής*, certator, vel certaminis praeses. Vox Graeca ab *ἀγωνίζω*, certo. *August. serm.* 343. *fin.*

AGONISTARCHA, ae, m. *ἀγωνιστάρχης*, agonum, seu certaminum praefectus, cui parebant ii, qui in agonibus sese exercebant. *Inscr.* ap. *Grut.* 38, 5. M. Aurelius M. Aug. lib. Apollonius agonistarcha Commodianus.

AGONISTĪCUS, a, um, adj. ad agona, seu certamen pertinens. *Tertull. Coron. mil.* 13. Nunquid et agonisticae causae disputabuntur, quas etc.

AGONIS, olim dictus est mons Quirinalis. *Fest.* in *Agonium.*

AGONĪUM, ii. V. AGONIA.

AGONĪUS, ii, m. Deus praeses rebus agendis, cui Agonalia dicata erant. *Fest.* in *Agonium.*

*AGONIZO, 1. *ἀγωνίζω*, certo. *Vulg. Sirac.* 4, 27. pro justitia agonizare.

AGONOTHESIA, ae, f. *ἀγωνοθεσία*, agonis, seu certaminis designatio: estque munus agonothetae. *Impp. Gratian., Valentin.* et *Theod. Cod. Theod.* 12, 1, 109. Nec cogi ad agonothesiam volumus invitos. ℙ Legitur etiam apud *Ulp. Dig.* 10, 2, 20., sed Graece: est enim Graeca vox, ab *ἀγών*, certamen, et *τίθημι*, pono.

AGONOTHĒTA et Agōnothētēs, ae, m. *ἀγωνοθέτης*, praeses agonum, seu certaminum. Is purpura indutus, curruque per circum vectus, honoratiore loco sedebat, certatores admittebat, victoribus praemia dividebat. Hinc nonnunquam ab ipsis Romanis imperatoribus hoc munus peractum est. *Spartian. Hadrian.* 13. Multa in Athenienses contulit, et pro agonotheta resedit. *Tertull.* ad *Martyr.* 3. Bonum agonem subiturae estis, in quo agonothetes Deus vivus est. Adde *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. §. 17. *a med.* et *Inscr.* ap. *Grut.* 499, 6. et aliam ap. *Murat.* 626, 1.

AGONOTHETĪCUS, a, um, adj. *ἀγωνοθετικός*, ad agonem pertinens. *Agonothetici fundi*, et *Agonotheticae possessiones*, de quibus mentio fit in *cod.* 11, 61, 14. et *ib.* 69, 5., dicuntur, qui agonum seu certaminum sumptibus deputati erant.

*AGORACRITUS, i, Phidiae in arte sculpendi discipulus. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 3.

AGORANOMUS, i, m. *ἀγορανόμος*, magistratus apud Graecos, qui foro rerum venalium praecerat: habebatque circa annonam idem munus, quod aedilis apud Romanos. *Pl. Capt.* 4, 2, 43. Edictiones aedilicias hic habet quidem: mirumque adeo est, ni hunc fecere sibi Aetoli agoranomum. [**id. Curc.* 2, 3, 6.]

*AGRA, ae, oppidum Aeolidis. *Plin.* 6, 28, 32.

*AGRAE, arum, oppidum Arcadiae. *Plin.* 4, 6, 10.

*AGRAEI, orum, populus Graeciae, *Liv.* 33, 18. qui etiam AGRIANES appellantur, *ib.* 32, 34. ℙ Populus in Arabia deserta. *Plin.* 6, 28, 32. (*Edit. Elz.* habet *Agrei.*)

AGRAGANTĪNUS, a, um, adj. ut *Agragantinus fons* ap. *Plin.* 35, 15, 51. *h. e.* qui ex eo monte oritur, qui *Agragas*, seu *Acragas* appellatur, estque in Siciliae ora australi, ubi nunc oppidum *Agrigentum:* de quo *Virg. A.* 3, 703. Arduus inde Agragas ostentat maxima longe Moenia magnanimum quondam generator equorum. ℙ *Agraganti-ni, orum*, sunt ejus oppidi incolae. *Plin.* 35, 9, 36. *n.* 2. Zeuxis Alcmenam Agragantinis donavit. ℙ *Agragantinus* idem est atque *Agrigentinus*, quam vocem videsis infra.

AGRĀLIS, le, adj. agrarius. *Frontin. de Colon. prope fin.* Testimonia sive vocabula agralia.

AGRAMMĀTOS, i, m. *ἀγράμματος*, qui litteras penitus nescit. *Vitruv.* 1, 1. Non enim debet, nec potest esse architectus grammaticus, uti fuit Aristarchus, sed non agrammatos.

AGRĀRIS, ris, m. agricola, homo agrarius. *Aur. Vict. Ep.* 41. Agraribus sane, ac rusticantibus, quia ab eo genere ortus, altusque erat, satis utilis. Ita legi in plerisque MSS. et in quibusdam etiam edit. optimis codicib. testatur *Gruter.* cum aliis multis.

AGRĀRIUS, a, um, adj. *ἀγροικος*, ad agros pertinens. *Cic. Att.* 1, 19. Agraria lex, *h. e.* de dividendis plebi agris publicis, (nunquam, inquit *Liv.* 2, 41. sine maximis motibus rerum agitata. Coepit autem ferri circa annum U. C. 268.) *Id. Off.* 2, 22. Agrariam rem tentare, *h. e.* niti, ut lex agraria perferatur. *Ulp. Dig.* 43, 8, 2. Agraria via, *h. e.* quae est in agris, vel in agros ducit. *Liv.* 27, 21. Triumvir agrarius, *h. e.* qui agro dividendo, et assignando colonis praeest. *Aur. Vict. Ep.* 40. Galerius ortus parentibus agrariis. ℙ [*Agrariae stationes*, et absolute *agrariae* dicebantur praesidia militum, quae in castellis et aggeribus publicis explorandi causa constituebantur; sic dictae, ut distinguerentur a castrensibus stationibus. *Ammian.* 14, 3. Quia Mesopotamiae tractus omnes crebro inquietari sueti, praetenturis, et stationibus servabantur agrariis. *Veg. Mil.* 1, 3. Si longior expeditio emergit, in agrariis plurimum detinendi sunt tirones, proculque habendi a civitatis illecebris. *Auct. de Re mil.* in *Notit. Dignit. Imper.* Quas quidem munitiones possessorum distributa sollicitudo sine publico sumptu constituat, vigiliis in his et agrariis exercendis. *F.*] ℙ Leges agrarias latas a C. Caesare et Nerva Impp. de non movendis loco terminis agrorum privatorum, memorat *Callistr. Dig. l.* 47. *t.* 21. qui *De termino moto* inscribitur, *l.* 3. ℙ *Agrarii*, *orum*, dicuntur a *Cic.*, qui agros cupiunt, et agrariam legem, ut perferatur, enixe et seditiose student, *Catil.* 4, 2. Gracchus, qui agrarios concitare conatus est. *Id. Phil.* 7, 6. Sollicitabit rursus agrarios. [*Sic etiam *Liv.* 3, 1. agrarii se in spem legis erexerant, i. e. qui cupide divisionem agrorum expetebant.]

AGRATĪCUM, i, n. quod persolvitur nomine redituum ex agris. *Imppp. Valentin.*, *Valens* et *Gratian. Cod. Theod.* 7, 20, 11. Nihilque illis, qui messium tempus adsolent aucupari, agratici nomine deferatur.

*AGRAVONITAE, arum, Illyriae populus. *Liv.* 46, 26.

AGREDŪLA. V. ACREDULA.

[*AGRESTĪNUS, a, um, adj. in agro nascens, idem q. agrestis. *Commodian. Instruct.* 67, 7. Inter agrestina benefactis lilia sitis. ℙ Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 627, 5. Placidiena L. F. Agrestina. *F.*]

AGRESTIS, e, adj. *ἄγροικος*, *χωρικός*, qui ex agris est, vel ad agros, et rus pertinet, rusticus. *Tibull.* 2, 5, 28. Falx agrestis. *Virg. A.* 7, 111. Poma agrestia. *Colum* 8, 8. Semina agrestia. Et *Plin.* 8, 21, 30. Tauri silvestres majores agrestibus. *Nep. Pelop.* 2. Vestitu agresti, quo minore suspicione facerent iter. *Plin.* 37, 3, 11. *n.* 2. Agrestes feminae monilium vice succina gestantes. *Cic. Att.* 2, 16. *extr.* Te in Arpinati videbimus, et hospitio agresti accipiemus, quoniam maritimum hoc contempsisti. *Sen. Agam.* 733. Alumnus agrestis, *h. e.* Aegisthus, quia in agris a capris nutritus fuit. [*Lucr. 5, 1397. Musa.] ℙ Substantive *agrestes*, *ium*, sunt homines rustici, qui in agris degunt. *Cic. Mur.* 29. Non est haec oratio habenda aut cum imperita multitudine, aut in aliquo conventu agrestium. *Virg. A.* 9, 11. collectos armat agrestes. *Tibull.* 1, 1, 39. Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis Pocula. ℙ Translate *agrestis* ponitur pro rudi, inculto, duro, quales esse solent agrestes homines. *Cic. Senect.* 14. Dominus agrestis, et furiosus.. *Id. Or.* 1, 25. Sunt quidam vultu, motuque corporis vasti, atque agrestes. Et 8. Fera agrestisque vita. [**Sall. Cat.* 6, 1. Aborigines, genus hominum agreste.] *Id. Or.* 2, 11. Rustica vox et agrestis. [**Quint.* 9, 4, 56. *ἀῤῥυθμον*, quod est inscitum et agreste.] *Id. Or.* 2, 3.] Rhetorici libri, quos tu agrestes putas. *Id. Tusc.* 5, 27. Quae barbaria India vastior, aut agrestior? in ea tamen gente etc. *Id. Leg.* 1, 14. *extr.* Non modo docti, verum etiam agrestes erubescunt. *Cic. Or.* 3. Agrestiores Musae dicuntur Jurisprudentia, et ceterae artes, quae non comprehenduntur humanitatis nomine, nec elegantiae quidquam aut suavitatis habent. ℙ Ferinus. *Ov. Met.* 9, 96. vultus Achelous agrestes, Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis. *Propert.* 2, 24, 13. *de Io.* agrestem detraxit ab ore figuram Jupiter. ℙ [Comp. *Agrestior* Sup. *Agrestissimus* ap. *Cassiod. ep.* 7, 4. Rhaetias sic appellatas judicamus, quando contra feras et agrestissimas gentes, veluti quaedam plagarum obstacula disponuntur. *F.*]

AGRESTĬUS, adv. comparativ. *Spart. Hadrian.* 3. Cum orationem imperatoris in senatu agrestius pronuncians risus esset.

[AGRĔUS, ei, m. *ἀγρεύς*, venationi praefectus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett. p.* 88. *n.* 165. Sex. Aufustius Agreus. *F.*]

*AGRIĀNES, um, m. plur. 3. populi Paeoniae. *Liv.* 33, 18. Iidem ab *eod.* 32, 34. dicti sunt Agraei. *Bail. Auct.*

[AGRĬCĒ, ēs, f. 1. *ἀγρίκη*, agrestis, quae in agris vivit. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1412, 1. D. M. Valeriae Agrices Sex. Valerius Zosimus. *F.*]

*AGRICIOR, oris, adj. compar. *Auct. Itin. Alex. M.* 62. sed ferventius obvians, re provisa, plerosque Alexander dissicit, nec obsequi consilio sinit, adeo torrenti turbine et alacritate, uti Darius ipse, exemplo hostis et pudore agricior etc. Ita cod. Videtur *Majo* esse hellenissimus pro *ἀγροικότερος*. *Bailey* in *Auct.* putat, si quid mutandum sit, scribi posse *agroicior.* Videant alii. cf. ABROICUS.

AGRĬCOLA, ae, m. *γεωργός*, ex *ager* et *colo*, cultor agri. Est autem nomen generale. Nam agricolarum alii aratores sunt, alii vinitores, nonnulli arboratores, multi etiam pastores. Neque eos solum complectitur, qui in agris degunt, sed quicumque agrorum cultura, rusticaque exercitatione delectantur. *Cic. Rosc. Am.* 16. Qui suos liberos agricolas assiduos esse cupiunt. *Id. Dejot.* 9. Dejotarus diligentissimus agricola. [**Flor.* 1, 11, 13. Quinctius — triumphalis agricola.] ℙ [*Agricola* fuit etiam cognomen Cn. Julii, soceri Taciti historici, qui ejus vitam scripsit. *F.* ex *B. A.*] ℙ *Dii agricolae*, qui agrorum culturae praesunt, Ceres, Bacchus, Fauni, et similes. *Tibull.* 2, 1, 36. Redditur agricolis gratia Coelitibus. ℙ *Agricolum* pro *agricolarum* dixit *Lucr.* 4, 587. Et genus agricolum late sentiscere etc.

AGRĬCOLĀRIS, e, adj. ad agricolas spectans. *Pallad. Insition.* 3. Bis septem parvos, opus agricolare, libellos.

AGRĬCOLĀTĬO, onis, f. agricultura. *Colum.* 1, 9. Agricolatio frugalitatem requirit. Adde in *proem.* 1, 1. et 4, 1. et alibi. ℙ Etiam *Ciceroni* tribuitur a quibusdam. *Senect.* 16. Qui se agricolatione oblectabant. Verum alii plerique rectius leg. *agri cultione*, vel *agricultione.*

AGRĬCOLĀTOR, oris, m. agri cultor. Legitur apud *Plin.* 1., ubi dicitur summatim inesse libro decimo octavo *natura frugum et cerealium*, *ac studia agricolatoris.* Sed *Harduin.* aliter edidit ex MSS.

AGRĬCŌLOR, aris, atus sum, dep. 1. *γεωπονέω*, agrum colere. *Capitol. Albin.* 11. *ad fin.* Agricolandi peritissimus, ita ut etiam georgica scripserit.

AGRĬCULTĬO, onis, f. agricultura. *Cic. Verr.* 2, 3, 97. Quid est enim Sicilia, si ei agricultionem sustuleris? Adde *Senect.* 16. quem locum *Nonius* quoque affert 8, 40., sed divisim *agri cultio* legit: quod et alii tum eo, tum priore loco faciunt.

AGRĬCULTOR, oris, m., qui agrum colit. *Liv.* 26, 35. Servos agricultores rempublicam abduxisse. *Paul. Dig.* 22, 3, 25. §. 1. Si is, qui indebitum queritur, sit miles, vel agricultor, et forensium rerum expers. ℙ Legitur et divisim *agri cultor.*

AGRĬCULTŪRA, ae, f. agrorum cultura, *γεωργία*. *Cic. Off.* 1, 42. Omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius. *Caes. B. G.* 6, 22. Agriculturae studere. ℙ Revera duae voces sunt, quae usu in unam coaluerunt: sed saepe tamen divisim legitur apud scriptores *agri cultura.*

AGRĪFŌLĬUM. V. AQUIFOLIUS.

AGRIGENTĪNUS, a, um, adj. ad Agrigentum pertinens. *Lucr.* 1, 716. Quorum Agrigentinus cum primis Empedocles est. *Plin.* 31, 7, 41. Agrigentinus sal. ℙ *Agrigentini*, *orum*, sunt ejus oppidi incolae. *Cic. Verr.* 2, 2, 50.

AGRĪGENTUM, i, n. urbs Siciliae, in ora Australi ad ostia Agragantis fluvii, Graece Acragas dicta a monte, cui imposita est. Ab hac urbe Empedocles philosophus, et Phalaris tyrannorum saevissimus originem duxerunt. *Plin.* 3, 8, 14. Oppidum Acragas, quod Agrigentum nostri dixere.

AGRĪMENSOR, oris, m. *γεωμέτρης*, agrorum metator, decempedator. *Ammian.* 19, 11. Cum Innocentio quodam agrimensore. *Cassiod. Var.* 3. 52. Agrimensorem peritissimum adhibere. ℙ Potest etiam divisim scribi *agri mensor.*

*AGRĪMENSORIUS, a, um, adj. ad agrimensorem pertinens, ut *Glossae agrimensoriae*, quas ed. *Rigalt. Bail. Auct.*

AGRĪMENSŪRA, ae, f. *γεωμετρία*, ars metiendi agros. *Innoc. de Cas. litter.* p. 223. *Goes.* Secundum artificium agrimensurae.

AGRĪMŌNĬA, ae, f. [Eupatorium cannabinum *Linn. F. Odermennig.*] herbae genus, caule lignoso, nigricante, hirsuto, cubitali, foliis quinquefolii aut cannabis, per ambitum incisis quinquepartito,

nigris, plumosis. Eadem *eupatoria* etiam dicitur, quia a Mithridate Eupatore inventa traditur. *Cels.* 5, 27. *n.* 10. Centaurion, vel agrimonia, vel trixago. Adde *Plin.* 25, 6, 29.

*AGRINAE, arum, nomen corruptum, quod legitur ap. *Cic. Pis.* 37. ex oppidis Agrinarum et Dolopum. cf. *Orell.*

AGRIODOS, ontis, m. ap. *Ov. Met.* 3, 224. nomen est canis venatici, ductum ab ἄγριος, ferus, et ὀδούς, dens.

*AGRIOFRAGULA, ae (*wilde Erdbeere*) ut nonnulli legi volunt *Petron.* 56. cf. AEROPHAGIA et ACREOPHAGIA.

AGRION Graeci appellant genus quoddam raphani silvestris ab ἄγριος, ferus, silvester, (*Meerrettig*) *Plin.* 19, 5, 26. Raphani genus silvestre Graeci agrion vocant — nostri armoraciam. *Veg. Veterin.* 3, 59. Semen agrii. [*h. l. putatur esse i. q. peucedanum, (*Saufenchel.*)]

*AGRIOPAS, ae, graecus scriptor, qui historiam victorum Olympicorum conscripsit. *Plin.* 8, 22, 34. ℙ Alium commemorat *Plin.* 7, 56. qui plura instrumenta invenisse dicitur.

*AGRIOPE, es, Agenoris conjux, Cadmi mater. *Hygin.* 178, 179.

AGRIOPHAGI, orum, m. pl. populi extremae Aethiopiae versus occidentem, pantherarum et leonum carnibus maxime viventes; unde et nomen habent, nempe ab ἄγριος, ferus, et φάγω, comedo. *Plin.* 6, 30, 35.

AGRIOPHYLLON, i, n. ἀγριοφύλλον, herba eadem quae peucedanum. *Appul. Herb.* 95.

AGRIPETA, ae, m. agri petitor, *h. e.* qui legem poscit agrariam, nimirum ut agro publico diviso portio aliqua sibi assignetur, et generatim, qui alienas possessiones invadit. *Cic. Att.* 15, 29. Agripetas ejectos a Buthrotiis. [*ib.* 16, 1.] *Id. N. D.* 1, 26. Quod in eam insulam pater ejus agripeta venerat.

AGRIPPA, ae, m. ὁ ἐκ πόδας γεννηθείς, qui nascendo pedes prius exserit. *Plin.* 7, 8, 6. In pedes procedere nascentem contra naturam est: quo argumento eos appellavere agrippas, ut aegre partos: qualiter M. Agrippam ferunt genitum, unico prope felicitatis exemplo ad hunc modum genitis. ℙ [*Serv.* ad *Virg. A.* 8, 682., et *Gell.* 16, 6. eadem fere habent: at Agrippa Graeca vox est, ut legitur apud *Vet. Theocr. Scholiast.*, ex ἄγρα, praeda, et ἵππος, [*de quo cf. intpp. ad *Hor. Od.* 1, 6.] V. *Salm. Cast. Plinian. P.* 1. p. 31. et *Suidam* in voce. *F.*] ℙ *Agrippae* Romanorum multi appellati sunt, ut M. Vipsanius Agrippa, [Agrippa Menenius etc. — Alius rex Judaeae, *Tac. A.* 12, 23.]

*AGRIPPENSIS, se, adj. ad Agrippam pertinens, ut Agrippenses incolae urbis Agrippae in Bithynia. *Plin.* 5, 32, 43. *Bail. Auct.*

AGRIPPIANA Septa fuerunt Romae in nona regione Urbis, videnturque fuisse ornamenta campi Agrippae, quem tamen alii in alia regione locant. *Lamprid. Alex. Sev.* 26. Basilicam Alexandrinam instituerat inter campum Martium, et Septa Agrippiana.

AGRIPPINA, ae, f. Ἀγριππίνη, M. Agrippae filia, neptis Augusti, uxor Germanici, mater Caligulae. ℙ Alia fuit Agrippina Germanici, et Agrippinae superioris filia, uxor Cn. Domitii Aenobarbi, mater Neronis imp. *Plin.* 7, 8, 6. ℙ Ab hac Neronis matre denominata est Ubiorum metropolis, *Colonia;* eo enim Agrippina veteranorum coloniam deduci voluit, ut urbem, in qua nata erat, splendidiorem redderet, et potentiam suam etiam sociis nationibus ostentaret, ut *Tac. A.* 12, 27. scribit. *Aurel. Vict. Caes.* 33. Accensis militibus per seditionem, Agrippinae occiditur.

AGRIPPINENSIS, se, adj. ad Agrippinam pertinens, ut *Agrippinensis Colonia* ap. *Tac. H.* 56., de qua in voce praeced. ℙ *Agrippinenses, ium*, sunt ejus coloniae homines antea Ubii dicti. *Tac. Germ.* 28.

[AGRIPPINIANUS, a, um, ad Agrippinam pertinens. *Inscr. Nomentana in Giornale Arcad. T.* 2. p. 206. M. Livio Eroti vestiario de horreis Agrippinianis. Claudia T. F. Moschis viro carissimo. Horrea Agrippinae memorat *P. Victor* in VIII. Regione U. R. Hic vestiarius vestes vendebat prope horrea hujusmodi, quemadmodum ap. *Grut.* 617, 6. P. Fannius Apollonophanes de vico Tusco vestiarius. *F.*]

AGRIUS, ii, m. filius Parthaonis Martis filii, pater Thersitae et Lycopei. Hic cum Oeneum fratrem, patrem Dejanirae, regem Aetoliae, orbum liberis vidisset, regno expulit: quamquam et ipse postea a Diomede expulsus est, Oeneo restituto. *Ov. Her.* 9, 153. Heu devota domus! solio sedet Agrius alto: Oenea desertum nuda senecta premit. *Id. Pont.* 3. 9, 9. Sic forsitan Agrius olim Thersiten facie dixerit esse bona.

AGRIUS, a, um, adj. ἄγριος, Graece significat ferum, agrestem. Hinc ap. *Plin.* 31, 10, 46. *agrium nitrum* est species nitri vilioris, et terra mixti.

AGROICUS, ἀγροικος. V. ABROICUS.

*AGROSPI, Aethiopiae oppidum ad Nilum. *Plin.* 5, 30, 35.

AGROSTIS, is, f. ἀγρώστις, species herbae, foliis parvis calami similibus, atque virgultis per terram serpentibus geniculosis, radice geniculata, dulci, et quae glutinandis vulneribus utilis est. Latini *gramen* vocant. A quibusdam putatur esse *dente canino* (*Hundszahn*) apud Italos. Ideo autem Graeco nomine *agrostis* dicitur, quia ubique in agris, et ruri nascitur. *Appul. Herb.* 77.

AGROSUS, a, um, adjectivum est ab *agro* deductum, quod affertur a *Varr. L. L.* 4, 1. *sub fin.*, et videtur locupletem significare, id est, qui multos agros possidet.

AGRYPNIA, ae, f. insomnia, vigilia, ἀγρυπνία: ab *a* privativa, et ὕπνος, somnus, additis per pleonasmum litteris γρ. *Capell.* 2. p. 27. Ancilla, cui Agrypnia vocabulum est.

[AGRYPNUS, i, m. ἄγρυπνος, insomnis. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 886, 1. Agrypnus Caesaris Augusti (sc. servus) Maecenatianus a statuis. *F.*]

AGUMENTUM, i, n. in sacrificiis est, inquit *Varr. L. L.* 4, 22. *sub fin.* quod ex immolata hostia desectum in jecore imponendo agendi causa. Videtur autem esse illud idem, quod *augmen* dicitur ab *Arnob.* 7. p. 230., et inter liba, vel farcimina in sacrificiis adhiberi solita, refertur. Sane apud *Varr.* leg. *augmentum*, ut sit ab *augeo*, quod est verbum sacrorum: et pro *agendi causa*, reponunt *augendi causa*. Nam et *Arnob. loc. cit.* p. 231. hoc sensu augmentum usurpat.

AGUNCULA, lae, f. imaguncula. Legit hanc vocem *Pareus in Lex. Plaut.* ap. *Suet. Ner.* 56. et ap. *Cic. Att.* 6, 1. *ad fin.*, sed ap. *Suet.* legendum *icuncula*, ap. *Cic.* vero *planguncula.*

*AGUNTUM, i, oppidum Norici in finibus Rhaetiae. vulgo *Juuichen*, aliis *Doblach*, in comitatu Tirolis. *Plin.* 3, 24, 27. Apud *Paul. Diac.* in *Langob.* etiam scribitur Aguntus.

AGYIEUS, i, Ἀγυιεύς, (vox trisyllaba) epithetum Apollinis, ab ἀγυιὰ, vicus urbis, vel via urbis, quia vicis et viis is Deus praerat, et in iis a Graecis colebatur, ut *Macr. Sat.* 1, 9. testatur. Solebant enim columnas erigere in viis, pro foribus domorum, fastigiatas in acumen desinentes, et Apollini dicatas. *Hor. Od.* 4, 6, 27. Dauniae defende decuse, Camnae, Levis Agyieu. ἀγυιεῦ.

AGYLLA, ae, f. Ἄγυλλα, urbs Tusciae, alias Caere vocata, et Agyllina a nomine conditoris, quem *Virg. A.* 8, 479. ex Lydia venisse ostendit nunc *Cervetere*, apud Alsium urbem excisam, juxta oram maris Tyrrheni. *Plinius* tamen a Pelasgis conditam fuisse innuit 3, 5, 8.

AGYLLEUS, i, m. (vox trisyllaba) Ἀγυλλεύς, luctator Cleonaeus, staturae praegrandis, nec minor Hercule, palaestra tamen a Tydeo victus. *Stat. Th.* 1, 836. Levat ardua contra Membra Cleonaeae stirpis jactator Agylleus, Herculea non mole minor. *Id. Th.* 10, 259. Insuper Herculeum sibi jungit Agyllea vates. *Herculeum* vocat, vel quia Herculis filius fuit, vel quia vires Herculeis paene aequales in lucta habuit.

AGYLLINUS, a, um, adj. ad Agyllam pertinens, ut *Agyllina urbs*, hoc est Agylla ap. *Virg. A.* 8, 479. ℙ *Agyllini, orum*, incolae urbis Agyllae. *Virg. A.* 12, 281. Troes, Agyllinique et pictis Arcades armis.

AGYRINENSIS, se, adj. ad Agyrium pertinens. *Cic. Verr.* 2, 3, 8. Agyrinensis ager. ℙ *Agyrinenses, ium*, sunt Agyrii incolae. *Id. ib.* 28.

[AGYRINUS, a, um, adj. id. qu. Agyrinensis. *Sil.* 14. 206. Agyrina manus. ℙ *Agyrini, orum*, sunt Agyrii incolae. *Plin.* 3, 8, 18. *F.*]

AGYRIUM, ii, n. Ἄγύριον, oppidum Siciliae antiquissimum, patria Diodori Siculi, distans ab Enna 12. mill. pass. Aetnam versus. *Cic. Verr.* 2, 3, 28. ℙ Legitur et *Argyrium.*

[AGYRTES, ae, m. parricida quidam, qui in nuptiis Persei occisus fuit. *Ov. Met.* 5, 147. regisque Thoactis Armiger, et caeso genitore infamis Agyrtes. ℙ Alius Agyrtes occiditur in pugna ap. *Stat. Th.* 9, 287. *F.*]

AH

AH (pro qua MSS. libri non pauci A exhibent) per apocopen ab *Aha*, teste *Prisc.* 4. p. 570. interjectio est variis affectibus exprimendis apta. Interdum enim est dolentis, αἴ αἴ. *Virg. Ecl.* 1, 15. Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit. *Ter. Heaut.* 5, 1, 61. Ah, nescis quam doleam. Interdum indignantis, et increpantis. *Id. Andr.* 3, 1, 12. Ah, vix tandem sensi stolidus. *Id. Ad.* 4, 7, 6. Ah stulte. *Id. Andr.* 5, 1, 9. Ah rogitas? ℙ Item solantis, et bonum animum habere jubentis. *Id. Eun.* 5, 2, 50. Emoriar, si non hanc uxorem duxero. *Th.* Tamen si pater. *Ch.* quid? ah volet, certo scio. ℙ Item dehortantis. *Ter. Andr.* 5, 6. 2, 27. Ah, ne saevi tantopere. Et 5, 6, 8. Ah, desine. ℙ Interdum etiam ridentis, et gaudentis. *Pl. Curc.* 1, 2, 39. *An.* Male tibi Di faciant. *Pa.* dic isti. *An.* ah. *Pa.* quid est? ecquid lubet? *An.* lubet. ℙ Servit etiam contradictioni. *Cic. Or.* 2, 70. Ah P. C. non ego mihi illum iniquum ejero, verum omnibus. *Ter. Hec.* 5, 1, 17. Meum receptas filium ad te Pamphilum. *Ba.* ah. *La.* sine dicam. [**Bentl.* ad *Lucan.* 5, 615. nonnisi in re morali huic interjectioni locum esse contendit.] ℙ Cum accusativo. *Catull.* 21, 10. Nunc ipsum id doleo, quod esurire, Ah me, me, puer, et sitire discet. οἰ μοὶ, μοί. [*Recentiores edd. habent: ah meus puer.] ℙ Scribitur et *a* sine aspiratione, ut dictum est, quod docet etiam *Prisc. sub fin. l.* 15., ubi scribit *a* et praepositionem esse, et interjectionem, et nomen. Etiam *Pierius* ap. *Virg. Ecl.* 1, 15., 2, 69. et 3, 47. addito etiam testimonio *Probi Grammatici*, in Mediceo, et Romano codice *a* sine aspiratione se legisse testatur.

AHA, interjectio, idem fere quod *ah*, sed non tam frequentis usus. Increpantis, aut renuentis. *Pl. Truc.* 4, 4, 36. Aha, tace. *Id. Rud.* 2, 4, 6. Aha, nimium familiariter me attrectas. *Id. Bacch.* 1, 1, 54. Manum da, et sequere. *Pi.* aha, minime. ℙ Ridentis, aut mirantis. *Id. Bach.* 4, 7, 11. Aha, Bellerophontem jam tuus me fecit filius.

AHAHE. V. AHU.

[AHALA, ae, f. vetustiori orthographia pro *ala*. Cognomen gentis Serviliae in ejus nummis apud *Morell. Tab.* 1. *n.* 1. *F.* *cf. *Spanhem. Diss.* 10. Tom. II. p. 53. Ita etiam Fasti Capitolini.]

*AHARNA, ae, Etruriae oppidum. *Liv.* 10, 25.

AHENATOR pro *aeneator* legitur ap. *Ammian.* 16, 12. Dato ahenatorum accentu solemniter signo. Sed legendum AENEATORUM. V. AENEATOR.

AHENEUS, a, um, adj. χάλκεος, id. q. *aeneus*, soluto diphthongo, et *h* aspiratione inserta ad hiatum vitandum. Vox poetica. *Hor. Ep.* 2, 1, 248. Nec magis expressi vultus per ahena signa, quam per vatis opus mores animique virorum. ℙ Translate ponitur pro forti, firmo, indissolubili. *Hor. Od.* 3, 9, 18. Diductosque jugo cogit aheneo. *Id. Ep.* 1, 1, 60. Hic murus aheneus esto, Nil conscire sibi etc. *Ov. Met.* 1, 125. Tertia post illas successit ahenea proles, *h. e. aetas aenea.* V. AETAS ℙ In his, et aliis exemplis etiam *aeneus* scriptum legitur. V. AENEUS.

AHENIPES, vel Aenipes, edis, adj. aheneos pedes habens, aeripes, χαλκόπους. *Ov. Her.* 6, 32. Narrat ahenipedes Martis arasse boves. Est qui legit *Narrat et aeripedes:* alii *Narrat aeripedes*, *h. e. veloces instar aeris*, ἀερίποδας: alii denique *Rettulit aeripedes. Heinsius* priorem lectionem retinet. *Prudent. adv. Symm.* 1, 351. Cruribus aenipedum, si fas est credere, equorum.

AHENOBARBUS. V. AENOBARBUS.

AHENUM, i, n. χαλκεῖον, vas ex aere, in quo aqua calefit ad lavandum, vel ad alios usus: et differt a *cahabo*, qui proprie est vas ad carnes elixandas, et ad pulmentarium coquendum, ut docent *Paul. Dig.* 33, 7, 18. et *Serv.* ad illud *A.* 1, 217. *Litore ahena locant alii.* Hoc tamen discrimen non est perpetuum. Nam *ahenum* usurpatur etiam de vase ad cibos coquendos. *Juv.* 15, 81. totum corrosis ossibus edit Victrix turba, nec ardenti decoxit aheno. Adde *Ov. Met.* 6, 645. ℙ Saepe usurpatur de vase, in quo coquuntur colores ad tingendas lanas, et praesertim purpura. Hinc varia habet epitheta ex iis locis, in quibus purpura magno fuit in pretio. *Ov. Fast.* 3, 822. Hanc (*Pallada*) cole, velleribus quisquis ahena paras. *Martial.* 14, 133. Non est lana mihi mendax, nec mutor aheno: Sic placeant Tyriae, me mea tinxit ovis. *Id.* 10, 16. Quidquid Agenoreo Tyros improba cogit aheno. *Claud. Rapt.* 2, 95. quae vellera tantum Ditibus Assyrii spuma fucantur aheni. *Sen. Herc. Oet.* 663. Sidonium ahenum. *Stat. Silv.* 1, 2, 151. Tyrium. *Sil.* 16, 177. Gaetulum. His et aliis similibus poetarum locis intelligitur purpura. ℙ Scribitur et *aenum* sine aspiratione. V. AENEUS.

AHENUS, a, um, adj. χάλκεος, idem quod *aeneus*, et *aëneus:* de cujus significatione V. supra suo loco. Sed vox est fere poetica. *Lucr.* 1, 316. Signa ahena. *Virg. A.* 9, 165. Crateres aheni. ℙ *Falces ahenae* post ferri inventionem in opprobrium versae sunt, ut loquitur *Lucr.* 5, 1293., quia tantummodo usum habuerunt in secandis herbis ad veneficia. *Virg. A.* 4, 513. Falcibus et messae ad Lunam quaeruntur ahenis Pubentes herbae. *Ov. Met.* 7, 226. placita partim radice revellit; Partim succidit curvamine falcis ahenae. *Virg. A.* 2, 470. Pyrrhus Exsultat telis, et luce coruscus ahena, *h. e.* splendore armorum. ℙ Ponitur pro duro, forti, munito. *Hor. Od.* 1, 35, 18. Clavos trabales, et cuneos manu Gestans ahena. ℙ Item translate pro duro, inexorabili. *Stat. Th.* 3, 380. ahena precando Flectere corda paro. ℙ Scribitur et *aenus* sine aspiratione.

AHEU. V. AHU.

AHORUS, vel Aorus, ἄωρος, Graece dicitur, qui immatura morte praeventus est: ab *a* privativa, et ὥρα, tempus. Utitur *Tertull. Anim.* 57. ubi et *biaeothanatos* legitur, quae vox itidem Graeca est βιαιοθάνατος, et significat eum, qui violenta morte perit: a βίαιος, violentus, et θάνατος, mors.

AHU, vel aheu, vel ahahe, ἰοΰ, interjectio index animi perturbati. *Ter. Eun.* 5, 2, 60. Ahu, tace obsecro. *Alii leg.* Au, *alii* Ah. [**Au* praeferendum.]

AI

AI, αἴ, Gr. interjectio est dolentis, et lamentantis, *Ov. Met.* 10, 215. his litteris inscriptum fuisse ait florem, qui ex sanguine Hyacinthi pueri, ictu disci occisi, natus est, quibus dolor Phoebi amantis declarabatur. Alii hoc ipsum de flore Ajacis narrant. Versus *Ovidii* sunt: Nec satis hoc Phoebo est. (is enim fuit auctor honoris) Ipse suos gemitus foliis inscribit, et ai ai Flos habet inscriptum, funestaque littera ducta est. *Colum.* 10, 174. Et male damnati moesto qui sanguine surgunt Aeacii flores. *Ovidii* locus ad Hyacinthum refertur, *Columellae* ad Ajacem: sed hic vult *Heins.* legi *Aeacidae.*

AJAX, ācis, m. Αἴας, duorum fortissimorum Graecorum nomen fuit, quorum alter a patre Telamone *Telamonius* cognominatus, proximam ab Achille fortitudinis laudem obtinuit in Graecorum exercitu: alter rex Locrensium ab Oilei patris sui nomine *Oileus* dictus est. Ajax Telamonius contendit cum Ulysse de armis Achillis, quibus Ulyssi assignatis, ob indignationem in furorem versus suo se ense interfecit. Ejus cruor in florem hyacinthum mutatus fingitur. *Ov. Met.* 13, 390. Nec quisquam Ajacem possit superare, nisi Ajax. ℙ Alter Ajax, cum Cassandram captivam post Trojae excidium in templo Palladis temerario ausu vitiasset, ab ipsa Pallade ictus est fulmine, et cum sua navi exustus, tota insuper Graecorum classe disjecta. *Virg. A.* 1, 45. Unius ob noxam, et furias Ajacis Oilei. ℙ Ajax inscripta erat tragoedia ab Augusto inchoata de Ajace Telamonio: quam cum, non succedente stilo, abolevisset (quod fiebat impacta scriptis spongia) interrogantibus amicis *Quidnam Ajax ageret*, facete respondit: *Ajacem suum spongiae incubuisse. Suet. Aug.* 85. ℙ Jocus est M. Antonii oratoris apud *Cic. Or.* 2, 66., qui Sex. Titio dicenti, se esse Cassandram, multos, inquit, possum tuos Ajaces Oileos nominare. ℙ Ajax cognominatus fuit etiam unus ex regis Antiochi elephantis. *Plin.* 8, 5, 5. Antiocho vadum fluminis experienti renuit Ajax, alioquin dux agminis semper.

AJENS, entis, particip. verbi *ajo. Appul. Met.* 6. p. 178, 34. Sic ajens vasculum tradidit. ℙ Pro eo, quod vulgo dicitur *affirmativus. Cic. Top.* 11. Negantia contraria ajentibus.

AJENTIA, ae, f. *Capell.* 4. p. 115. et 119. Ajentia opponitur negationi.

AIGLEUCOS, ἀιγλευκος, vinum dulce, et quod musti naturam non amisit, cum nunquam ferbuerit: ab ἀεὶ, semper, et γλεῦκος, mustum. *Plin.* 14, 9, 11. Medium inter dulcia, vinumque est, quod Graeci aigleucos vocant, *h. e.* semper mustum. Id evenit cura, quoniam fervere prohibetur: sic appellant musti in vina transitum. *Cato R. R.* 120. et *Colum.* 12, 29. eadem fere docent.

AIN'. V. AJO.

*AINUS, Αἶνος, unus ex aeonibus Valentini ap. *Tertull. adv. Val.* 8.

AJO, is, n. 3. φημί, idem quod loquor, dico. Est autem verbum defectivum, cujus usitatiora tempora et personae subjectis exemplis monstrantur. *Pl. Capt.* 1, 1, 3. Scio absurde dictum hoc, derisores dicere: at ego ajo recte. *Hor. Sat.* 2, 7, 67. Non sum moechus, ais. *Ter. Andr.* 5, 4, 4. Nisi quid pater ait aliud. *Id. ib.* 2, 1, 21. Hodie uxorem ducis? *Pa.* ajunt. *Hor. Sat.* 1, 9, 12. o te, Bollane, cerebri Felicem, ajebam tacitus. *Diomed.* 1. p. 371. agnoscit *ajebamus. Pl. Men.* 3, 3, 9. Te surripuisse, ajebas. *Id. Capt.* 3, 5, 18. Ita vosmet ajebatis. *Sall. Cat.* 49. Tarquinium a Cicerone immissum ajebant. *Cic. Verr.* 2, 1, 18. Debere eum ajebat, etc. [*Ait plerumque dixerunt veteres in oratione obliqua; contra *inquit* in or. directa. cf. quos laudat *Herz.* ad *Sall. Cat.* 48, 3.] ℙ *Ajunt*, *ut ajunt*, *quomodo ajunt*, usurpantur cum proverbium aliquod refertur. *Ter. Andr.* 4, 5, 10. Ut quimus, ajunt, quando ut volumus, non licet. *Cic. Or.* 2, 57. Docebo sus, ut ajunt, oratorem eum, etc. *Id. Pison.* 28. Claudus, quomodo ajunt, pilam, etc. v. *Burm.* ad *Anth. Lat.* 1. p. 437. ad *Prop.* 2, 13, 35. Etiam *quod ajunt* reperitur, ap. *Propert.* l. l. quem usum ibi defendit *Burm. Jahn.*] ℙ *Ait* pro edicit, ut *ait lex*, *ait praetor*, est formula juris. *Ulp. Dig.* 24, 3, 64. Dabit autem, ut ait lex Julia, quod ad eum pervenit. *Id. Dig.* 49, 14, 16. Ait Divus Trajanus: quicumque professus fuerit, etc. *Id. Dig.* 24, 1, 32. Ait oratio, fas esse eum, etc. ℙ Saepe ponitur pro affirmare, et opponitur *nego. Cic. Off.* 3, 23. Diogenes ait, Antipater negat. *Id. Fin.* 2, 22. Quasi ego id curem, quid ille ajat, aut neget. *Pl. Rud.* 2, 4, 14. Vel tu mihi ajas, vel neges. *Appul. Apolog.* Ajant Deos abnuere. ℙ *Ain'*, ais ne? *Pl. Amph.* 1, 1, 188. Ain' vero? *So.* ajo enimvero. Et 2, 2, 167. Ain' heri nos advenisse huc? *Al.* ajo. ℙ *Ain' tu? ain' tandem? ain' vero?* sunt percontantis cum admiratione. *Pl. Asin.* 3, 3, 133. Impetrasti. *Ar.* ain' vero? *Le.* certe inquam. *Cic. Att.* 12, 6. Ain' tu? verum hoc fuit? sine me? *Id. Fam.* 9, 21. Ain' tandem? insanire tibi videris, quod imitere verborum meorum, ut scribis, fulmina? [**Cic. Top.* 1, 15, 23. ain tandem? interpellantis est cum admiratione, quae simulat se non credere ea, quae ab altero praeter exspectationem dicuntur. *Beier.* Alios hujus generis locos collegit *Manut.* ad *Cic. Fam.* 9, 21. *init.*] Et cum plurali numero. *Liv.* 10, 25. Ain' tandem? inquit, num castra vallata non habetis? ℙ Sunt praeterea hujus verbi aliae quaedam personae, ac tempora minus usitata. Nam *ajerunt* dixit *Tertull. Fuga in persecut.* 6. *ad fin.* Infinitum *ajēre* pro affirmare legitur apud *Augustin. Trinit.* 9, 10. Imperativum *ai* usurpavit *Naevius* apud *Priscian.* 10. p. 906. Et *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 49. Id ai, amabo et *aibant* pro *ajebant* dixit *Accius ib.* Ad haec praeteritum, *ai*, *aisti*, *ait* affert *Probus Grammat. p.* 1482., et *aitis* secundam pluralem praesentis *Alcuin. p.* 2118., sed neuter exempla affert Latini scriptoris: quamquam *aisti* legitur apud *Augustin. ep.* 54. *a med.* et *ep.* 174. ℙ Praeterea *ait* tertia persona praeteriti probari posse videtur illo *Ov. Her.* 11, 49. Nec tenui vocem, Quid, ait, tua crimina prodis? Oraque clamantis conscia pressit anus. Et *Virg. A.* 2, 153. Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas..... Testor numen, ait, etc. Sed in his, et similibus aliis, in quibus *ait* cum alio verbo praeteriti temporis jungitur, non est necesse ipsum quoque esse praeteritum. ℙ Participium *ajens* vide supra suo loco. ℙ Olim *aiio*, *aiis*, *aiit* scribebant, atque ita factitatum a *Cicerone* docet *Quint.* 1, 4. (*al.* 5.), sed tum consuetudo, tum poetarum licentia (ut prima syllaba corripi posset) alterum *i* extrivit.

AITHALES, herba eadem, quae aizoon (Hauswurz): ab ἀεὶ semper, et θάλλω, vireo. *Appul. Herb.* 123.

AJUGA. V. ABIGA.

AJUS, ji, m. Deus quidam apud Romanos. Cum Romae in Nova via, silentio noctis, audita esset vox humana major, quae magistratibus nunciari jubebat, Gallos adventare, eaque eventu postea comprobata fuisset, Romani ei Deo templum eodem loco erexerunt, ut ait *Varr.* apud *Gell.* 16, 17., eumque, quia quis esset ignorabatur, *Ajum Locutium*, *et Ajum Loquentem* appellaverunt. *Cic. Div.* 2, 32. Ajus iste Loquens, quando eum nemo norat, ajebat et loquebatur, et ex eo nomen invenit: posteaquam et sedem, et aram, et nomen invenit, obmutuit. *Liv.* 5, 50. Jussumque templum in Nova via Ajo Locutio fieri. Ita legitur in plerisque opt. editionib. In aliquib. *Ajo* omittitur: in aliis *Allocutio* habetur. Est qui leg. *Ajo Locuto.*

AJUTOR, aris, dep. 1. adjuto. *Pacuv.* apud *Non.* 2, 41. Ajutamini, et defendite.

AIZOON, oi, n. ἀείζωον, genus herbae alio nomine sedum, ita dictum, quod semper vireat: ἀεὶ, semper, et ζωὸς, vivus. *Plin.* 25, 13, 102. ubi duo ejus genera facit, majus, quod et amerimnon, et ambrosiam, et sedum magnum, et oculum, et digitellum appellant (sempervivum tectorum *Linn.*): et minusculum, quod et erithales vocant, etc. (sedum acre *Linn.*)

AL

AL. *Ausonius in Technopaegn. Grammaticomastix:* Dic quid significent catalecta Maronis? in his al Celtarum posuit, sequitur non lucidius tau. Et quod germano mixtum male letiferum min? *Scalig. in comment. ad Catal. Virg.* has ambages ita explicat. *al* inquit positum esse pro *allium; tau* pro *taurus; min* pro *minium.* Nam *Virgilius* in quodam carmine in Tullium Cimbrum rhetorem, quod affertur a *Quint.* 8, 3, 28. eum Cimbrum reprehendit, quod declamando male verba pronunciaret, et *al* pro *allium* diceret, *tau* pro *taurus*, et *min* pro *minium*, perperam decurtans verba more gentis suae. Ejus carminis versus est, ut quidem *Scalig.* emendat: *Tau Gallicum*, *min ipsum*, *et al ei illisit.* Al. leg. *et al male illisit.* Alii aliter. V. *Scalig. loc. cit.* et [*Spalding.* ad *Quint. loc. cit.*, ubi variantes omnes hujus loci lectiones colligit. V. etiam *Turneb. l.* 23. *c.* 30. *F.*]

ALA, ae, f. πτερὸν, membrum illud, quo aves volant: vox contracta ex antiquo *axilla*, ut *Cic. Or.* 45. docet. [At rectius fortasse, deducendo ab ἄλω, *volvo*, *volvendo circumago. F.* *Innumerabiles notationes recenset *Voss.* in *Etym.*, certe non pejores hac novissima *Furl.*] *Id. Divin.* 2, 26. Galli plausu premunt alas. *Ov. Met.* 8, 201. Librare corpus in alas. Et 216. Movere alas. *Virg. A.* 3, 228. quatere. *Martial.* 13, 70. explicare. Et *Plin.* 10, 38, 54. expandere. *Virg. A.* 4, 252. Niti alis. [**Ov. Met.* 8, 818. de Fame: geminis amplectitur alis (sacrilegum); ubi nonn. libri: *ulnis*, quod glossam sapit. Eadem varietas *ib.* 11, 63. Saepe Diis fictitiis alae tribuuntur; cf. *Burm.* ad priorem locum et ad 8, 13.] ℙ A similitudine *ala* dicitur pars concava sub brachio hominis, qua humero annectitur, quia in ea pili, tamquam pennae, nascuntur, μασχάλη: quo loco, quia sudor colligi solet, teter aliquando odor fit. *Hor. Epod.* 12, 5. Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis. *Plin.* 24, 19, 120. Alarum graveolentiam decoctum foeni emendat. *Id.* 21, 20, 83. Halitus oris et alarum vitia. *Id.* 35, 15, 52. Virus alarum et sudores. ℙ In illo *Liv.* 30, 34. Ala deinde et umbonibus pulsantes, in summotos gradu illato, etc. *ala* sumitur pro toto brachio, vel humero, quo Romani impellebant hostes. [*Cf. *Id.* 9, 41. scutis magis, quam gladiis geritur res, Umbonibus incussaque ala sternuntur hostes; ubi cf. *Lips. Isid. orig. lib.* 11. ala, inquit, summi humeri pars posterior, quem l. laudat *Stroth.*] ℙ In animalibus etiam ala dicitur sinus inferior, qua priora crura armis adhaerent. *Plin.* 11, 40, 95. Elephas tantum sub armis duas (mammas habet) nec in pectore, sed citra in alis occultas. *Id.* 9, 51, 74. de ranis. Ranae superveniunt, prioribus pedibus alas feminae mare apprehendente, posterioribus clunes. ℙ In arboribus *ala* dicitur pars earum cava, qua rami stipiti adhaerent: sic in herbis ala est cavum illud inter caulem, et ramulum, unde nova proles enascitur. *Plin.* 16, 7, 10. de robore. Gignunt alae ramorum ejus pilulas, corpore, non pediculo adhaerentes. *Id.* 25, 5, 18. de parthenio herba. Geniculis densis, alarum cavis multis, semine in geniculis dependente. *Id.* 22, 18, 21. de chamaeleone. Viscum gignit album sub alis foliorum, *h. e.* qua parte folia adhaerent ramis. Adde 27, 9, 47. ubi de dipsaco. ℙ Scribit *Serv.* ad *G.* 1, 75. a quibusdam *alas* dici etiam calamos lupinorum, ut Aelius: *Alae ex lupino*, *surculi sine foliis.* Cato in Originib. Alae ex lupino, etc. Varronem tamen *de L. L.* alam culmum fabae dicere. Sed haec ut vera sint, vetustate certe obsoleverunt. ℙ Translate *alas velorum* dixit *Virg. A.* 3, 520. quia velis tanquam alis naves procedunt. [*Hoc modo absolute non dici posse *alas* pro *velis* monet *Burm* contra *Heins.* ad *Ov. Trist.* 1, 1, 91.] Eadem ratione dicuntur de remis navium. *Prop.* 4, 6, 47. classis centenis remiget alis. Contra *remi* de alis avium. *Ov. Met.* 5, 558. super fluctus alarum insistere remis. V. REMIGIUM. ℙ Praeterea poetice tribuuntur alae iis rebus, quae velocissime moventur. *Virg. A.* 5, 319. et fulminis ocior alis. [Multa hujus generis collegit *Victor. VV. LL.* XXVI, 13. *Beier.*] ℙ In aedificiis alae dicuntur structurae ad latera aedium, dextra et sinistra protensae, ut columnarum ordines, vel porticus: quas Graeci quoque πτερὰ, et πτέρυγας appellant. *Vitruv.* 4, 7. et 6, 4. ℙ In re militari *alae* dicuntur, ut definit *Cincius* ap. *Gell.* 16, 4., *ordines* seu turmae *equitum* in antiquo ordine aciei Romanae: *quod circum legiones dextra sinistraque*, *tanquam alae in avium corporibus*, *locabantur*, tutandi nimirum peditis causa. Gr. ἕλαι, et ἴλαι. Neque tamen soli equites *alae* dicebantur, sed etiam pedites, ut pluribus ostendit *Lipsius l.* 2. *de milit. Rom. Dial.* 7. Utrique autem intelligendi sunt socii, aut auxiliares milites; neque enim Romani milites in alas disponebantur. [*Recte dubitare videtur *Bremi* ad *Suet. Tib.* 30. an necesse sit, ubique intelligere *alam* de sociorum militibus, alamque latiori sensu pro *equitatu* in universum dici putat illo et *Aug.* 33. tribunatus legionum et praefectura alarum. Apud *Liv.* 42, 58. equitum sacrae alae putantur esse, quae regis corpus tuentur. Etiam de aliorum populorum equite dicitur, *Nep. Eum.* 1. praefuit alterae equitum alae (apud Macedones). Piura de h. v. congesserunt *Manut.* ad *Cic. Fam.* 2, 17. *fin. Schelius* ad *Hyginum*, quibus adde *Ernest.* ad *Tac. A.* 4, 73. — Abusus est h. v. *P. Latro decl. in Cat.* 5. nec alae muliebres ab eo coetu religioso ac nocturno prorsus abfuisse indicatae sunt, ubi *Cort.* alae dictae esse videntur pro: *sociae*, *auxiliares;* quod haud improbabile est nisi mavis simpliciter intelligere pro *turba*, *agmina.*] Qui toti alae praeerat, *praefectus alae* appellabatur, et *decuriones alarum* qui triginta duos equites regebant, et affirmat *Veget. Mil.* 2, 14. Milites cujusque alae quingenti ferme erant, ut colligitur ex *Liv.* 10, 29., aliquoties tamen mille erant, et ala tunc *milliaria* appellabatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 482, 4, 5, 7. et 8., *Liv.* 37, 40. *Id.* 31, 21. Dextera ala (in alas divisum socialem exercitum habebat) in prima acie locata est. *Cic. Off.* 2, 13. Cum te Pompejus alae alteri praefecisset. ℙ Hujusmodi alae equitum peditumve multis oppidis nomen dedere, vel iis, in quae praesidii causa missae sunt, vel iis, unde eligebantur, vel denique iis, quorum agro donabantur post emerita stipendia. Hujusmodi sunt *Ala Flaviana*, *Ala nova*, etc. de quibus V. Geographos. ℙ Extra rem militarem *alas* dixit *Virg.* equites venantes circa nemus dispositos in modum alarum militarium, ad cingenda circum loca, ne ferae evadant, *A.* 4, 121. Dum trepidant alae, saltusque indagine cingunt. [*Melius *Servio* interpretantur recentiores edd. de pinnis funiculo illigatis, quibus terrentur cervi et in retia aguntur. Cf. *Heyn.* ℙ Confunduntur in mss. *ala* et *ulna*; v. nos supra; — et *aura*, *Ov. Trist.* 1, 1, 91. *alae* et *irae*, *Bentl.* ad *Lucan.* 2, 93.]

*ALA NOVA, oppidum Pannoniae superioris. *Antonin. Itin.*

ALABANDA, ae, f. et Alabanda, orum, n. plur. urbs Cariae olim opulentissima, et deliciis affluens, Ἀλάβανδα, ἡ, et Ἀλάβανδα, τὰ, condita ab Alabando Caris filio, qui pro Deo habitus est, ut *Cic. N. D.* 3, 15. et 19. narrat. *Plin.* 5, 29, 29.

Alabanda libera, quae conventum cum cognominavit. *Juven.* 3, 70 Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis, etc.

ALABANDENSIS, se, adj. Alabandenses, ium, Ἀλαβανδεῖς, sunt Alabandarum incolae. *Cic. N. D.* 3, 19. Alabandenses quidem sanctius Alabandum colunt. [*Cic. Fam.* 13, 56. in antiquioribus edd. gr. forma legebatur: *Alabandeis. Schütz.* vulgatam restituit: *Alabandenses.*]

*ALABANDENUS, a, um, adj. ad Alabandam pertinens, id. qu. Alabandensis. *Liv.* 45, 25. Mylassenses, Alabandenosque circa Orthosiam acie vicerunt. *Bail. Auct.*

ALABANDEUS, ĕos et ĕi, m. Ἀλαβανδεύς, vox quadrisyllaba, Alabandicus, ut Hierocles Alabandeus. *Cic. Brut.* 95. Adde *Vitruv.* 7, 5.

ALABANDI, orum, m. plur. iidem qui Alabandenses. *Cic. N. D.* 3, 15. Multos habent ex hominibus Deos, Alabandum Alabandi, etc.

ALABANDICUS, a, um, adj. ad Alabandam pertinens, Ἀλαβανδικός. *Plin.* 37, 7, 25. Carbunculi Alabandici, *h. e.* qui nascuntur quidem in Orthosia caute, sed Alabandae perficiuntur. *Id.* 19, 9, 56. Cannabis Alabandica optima plagarum praecipue usibus. *Gratius Cyneg.* 46. At pauper rigui custos Alabandicus horti Cannabias nutrit silvas. *Plin.* 21, 4, 10. Alabandica rosa.

ALABANDINA, gemma est ab Alabanda oppido appellata, colore carchedonii, sed rariore. *Isid. Orig.* 16, 13.

ALABANDUS, i, m. Ἀλάβανδος, Deus Alabandorum. V. ALABANDA. ℙ Adjective. *Vitruv.* 3, 1. *sub fin.* Hermogenes Alabandus.

[ALABANENSES, ium, m. plur. populus, seu incolae cujusdam urbis in Hispania Tarraconensi, fortasse ab urbe, quae *Alabana* vocabatur. *Plin.* 3, 3, 4. *Harduin.* putat nomen trahere ab urbe *Alaba*, quae a *Ptolomaeo* memoratur; sed, si ita esset, ejus incolae Alabenses non Alabanenses vocarentur. *F.*]

ALABARCHES. V. ARABARCHES.

ALABASTER. V. ALABASTRUM.

ALABASTRITES, ae, m. ἀλαβαστρίτης, marmoris genus candidi coloris, quod etiam *onychites*, vel *onyx* dicitur, quia humani unguis candorem refert. Sic autem dictus est, quia ex eo maxime alabastra, *h. e.* vasa unguentaria fiebant. *Plin.* 36, 8, 12. Hunc (*onychem*) aliqui lapidem alabastriten vocant, quoniam optime servare incorrupta dicitur. ℙ Est etiam gemma, ita dicta, quod circa Alabastron, quae Aegypti urbs est, plurima nascitur, candore interstincto variis coloribus, teste *Plin.* 37, 10, 54.

ALABASTRUM, i, n. et Alabaster, i, m. ἀλάβαστρον, et ἀλάβαστρος, genus pyxidis unguentariae pyro similis, hoc est longitudine fastigiata in pleniorem orbem desinens, vel etiam forma turbinata, sine ansulis, ut colligitur ex *Plin.* 9, 35, 56., unde et nomen traxit: ab *a* privativa, et λαβή, ansa. Hujusmodi vasorum materia erat ex onyche marmore, quod ad unguenta servanda maxime idoneum est, et inde *alabastrites lapis* est appellatus. *Plin.* 13, 2, 3. Unguenta optime servantur in alabastris. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 15, 17. Quibus etiam alabaster unguenti putere videatur. *Martial.* 11, 9. Quod Cosmi redolent alabastra, focique Deorum. ℙ Ipsa quoque hujus vasis figura *alabaster* dicitur. *Plin.* 21, 4, 10. *de rosa.* Germinat primo inclusa granoso cortice: quo mox intumescente, et in virides alabastros fastigato, paulatim rubescens dehiscit, ac sese pandit. ℙ [Hujus nominis est urbs Aegypti inter Cynopolin et Antinoopolin. *Plin.* 37, 8, 32. Topazion circa Thebaidis Alabastrum oppidum nascitur. [*Id.* 5, 9, 11. Ab iis oppida Mercurii, Alabastron, Canum et Herculis; quo loco genitivus esse videtur; nam sic laudat etiam *Ptol.*: Ἀλαβαστρῶν πόλις.] ℙ *Jablonsk. Opuscul. T.* 1. p. 21. putat *alabastrum* esse vocem Aegyptiam, et significare *lapidem candidum pretiosum. F.*]

ALABASTRUS, i, m. Ἄλαβαστρος, fluvius Aeolidis, qui ex Ida monte profluens per Troadem regionem decurrit. *Plin.* 5, 30, 32.

ALABETA, ae, m. genus piscis in Nilo, quem vel mustelam, vel lampetram esse, vel similem his, quidam suspicantur. *Plin.* 5, 9, 10.

*ALABUS, i, vel Alabis, is, vel Alabon, onis, Siciliae fluvius. Cf. *Hesych. Sil.* 14, 288. habet Alabis. *B. A.*

ALACER, cris, cre, *et hic*, *et haec* alacris, *et hoc* alacre, adj. προθυμος, erectus, promptus, paratus, gestiens, hilaris: ab ἀδάκρυς, *h. e.* sine lacrimis, laetus: vel quasi non lacer, sed intentus sensibus universis: vel quasi *alis acer*, festinus, velox. Prima notatio est *Donati* ad *Ter. Eun.* 2, 3, 13., reliqua afferuntur ab *Ascon.* in *Verr.* 1, 2, 6. Differt a *laeto*, nam *laetus* est qui gaudet, et gaudium etiam vultu ostendit: at *alacer* est is, cui omnes sensus in loco quisque suo vegeti sunt et intenti: quae sunt verba *Asconii ibid.*, qua re paratiores sumus ad agendum. *Cic. Mur.* 24. Videbant Catilinam alacrem atque laetum. *Id. Coel.* 28. An timebant, ne tot unum, valentes imbecillum, alacres perterritum superare non possent? *Caes. B. G.* 3, 19. Ad bella suscipienda Gallorum alacer et promptus est animus. *Nep. Paus.* 2. Alacrior ad rem gerendam factus. *Auct. ad Herenn.* 2, 30. Alacrior ad maleficia. *Cic. Fam.* 5, 12. *ad fin.* Alacrem animo esse. [*Ibique *Manut. Id. Inv.* 1, 53. multos alacres exspectare, i. e. erectos, cupidos.] Et pro erecto, prompto, sine laetitia. *Stat. Theb.* 1, 425. Sic alacres odio, nullaque cupidine laudis Accensi incurrunt. Adde *Ter. Eun.* 2, 3, 12. quid es tristis, quidve es alacris? [*i. e. commotus, incitatus, *Ruhnken.* interprete; nam ut alii interpretantur, *laetus*, id loci sensus respuit.] ℙ Ponitur etiam simpliciter pro levi, celeri, agili. *Sall. fr.* ap. *Veget. Milit.* 1, 9. *extr.* Cum alacribus saltu, cum velocibus cursu certabat. ℙ Item pro laeto. *Virg. A.* 6, 685. Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit Aenean, alacris palmas utrasque tetendit. *Tac. Ann.* 11, 17. Alacre vulgus. *Nazar. Paneg. ad Constantin.* 1. Alacris ac beata devotio. [*Interdum *gaudio* additur. *Phaedr.* 2, 5, 21. ille adsilit, donationis alacer certae gaudio; ubi similia collegit *Burm.* Hinc voluptas ipsa alacris dicitur, ut quidem nunc legitur *Virg. Ecl.* 5, 58. Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas — tenet. Noster, ut olim legebatur, conjungit alacres silvas i. e. laetas.] ℙ Translate dicitur etiam de animalibus. *Cic. Div.* 1, 33. Equum alacrem laetus aspexit. *Auct.* ad *Herenn.* 2, 19. Feras bestias videmus alacres et erectas vadere, ut alteri bestiae noceant. Et de rebus inanimis. *Claudian. Eutrop.* 2, 280. Alacres enses, *h. e.* promptos paratosque ad caedendum. ℙ *Alacre* more adverbii pro alacriter. *In supposit. Amph. Plaut. scena quae incipit, Dii vostram fidem* A1. Compellemus alacre. [*Superlativus non reperitur.]

[ALACHROES, um, m. plur. populi Africae, juxta aras Philaenorum, qui etiam Lotophagi appellantur. *Plin.* 5, 4, 4. ℙ *Halachroes* forte rectius scripseris, sunt enim ex ἁλς, mare, et χρώς, color, *h. e.* marini coloris. *Bail. Auct.*

ALACRITAS, atis, f. προθυμία, animi et corporis vigor atque ardor ad agendum. *Cic. Att.* 2, 7. Mira sum alacritate ad litigandum. [*Tac. Agr.* 35. finem orationis ingens alacritas consecuta est statimque ad arma discursum.] *Id. Phil.* 4, 1. Afferre alicui summam alacritatem reipublicae defendendae. *Id. Att.* 16, 3. Addere alicui alacritatem scribendi. *Id. N. D.* 2, 63. Canum alacritas in venando. ℙ In plurali numero. *Gell.* 19, 12. Vigores quidam mentium, et alacritates. ℙ Sumitur etiam pro laetitia gestiente, et sese foras prodente. *Cic. Tusc.* 4, 16. Cupiditas avide semper aliquid exspectans, et inanis alacritas, id est laetitia gestiens, non multum differunt ab amentia. Et 5, 16. *ad fin.* Vir temperatus, constans, sine metu, sine aegritudine, sine alacritate ulla, sine libidine. In MS. apud *Verburg.* habetur *alacritudine.* Pro *ulla* leg. *Bentlej. futili.* [*Id. Divin.* 2, 26. Galli victores alacritate et laetitia ad canendum excitantur. — Pro leniori quodam gaudio dictum est *Cic. Fam.* 2, 9. qui et summa voluntate et egregia animi alacritate cesserit, i. e. hilaritate.] ℙ Item pro gaudio ex insperato eventu. *Liv.* 2, 10. *a med.* Simul fragor rupti pontis, simul clamor Romanorum alacritate perfecti operis sublatus.

ALACRITER, adv. alacri animo, prompte, cupide, προθύμως. *Ammian.* 14, 2. Militem in certamen alacriter consurgentem revocavere ductores. *Justin.* 1, 6. Repetito alacrius certamine.

ALACRITUDO. V. ALACRITAS.

ALAGABALUS. V. ELAGABALUS.

ALAMANNI, vel Alemanni, orum, m. plur. Ἀλαμαννοί, gens antiquissima Germaniae, qui olim inter Rhenum, Danubium, ac Moenum sedes habuere, sed cum strenuissimi bellatores essent, praesertimque ex equo pugnandi peritissimi, fama rerum gestarum, et nomine quoque suo totam Germaniam implevere, quae postea *Alamannia*, seu *Alemannia* dicta est: hodieque Alamannorum vocabulo Germani omnes significantur. *Aurel. Vict. Caes.* 21. Alamannos gentem populosam, ex equo mirifice pugnantem, prope Moenum amnem devicit. *Claud. II. Cons. Stilich.* 17. Haec Alamannorum spoliis, Australibus illa etc. *Sidon.* 5, 375. Romano exierat populato trux Alamannus. ℙ [*Steph. Byz.* Ἀλαμάνοι, ἔθνος Γερμανοῖς προσχωρον. Alamani, gens Germanis finitima, quae toti Germaniae nomen dedit, quandoquidem nunc de ejus nomine *Alemannia* dicitur. *Serv.* ad *Virg. G.* 4, 271. et *Isid. Or.* 9, 2. falso statuunt a Lemanno flumine eos appellatos fuisse. *Agathias* vero *l.* 1. [*p. 27. *ed. Bonn.*] ex Asinio Quadrato inquit, esse homines convenas et permixtos, et hoc valere apud eos eorum nomen *Alemanni. Pinedus* ad *Steph.* addit, hoc voc. corruptum esse ex vulgari *allemannen*, quod sonat *omnes homines. F.*]

ALAMANNIA, vel Alemannia, ae, f. regio Alamannorum, de qua V. in voce praeced. *Claud. I. Cons. Stilich.* 234. quoties sociare catervas Oravit, jungique tuis Alamannia signis.

ALAMANNICUS, vel Alemannicus, a, um, adj. ad Alamannos pertinens. *Ammian.* 27, 2. Tenturia Alamannica diripere. ℙ *Alamannicus* dictus est Antoninus Caracallus ob devictam Alamannorum gentem. *Spartian. Caracall.* 10. Cum Germanici, et Parthici, et Arabici, et Alamannici nomen adscriberet, etc. Ex quibus verbis colligitur *Alamannos* quondam a Germanis fuisse distinctos, qui postea una eademque gens habiti sunt.

ALAMANNUS, vel Alemannus, a, um, adj. ad Alamannos pertinens. *Alamannus* dictus est Gratianus imperator, quod apud Argentariam Galliae oppidum triginta Alamannorum millia in bello exstinxit, ut *Aurel. Vict. Epit.* 47. scribit. *Inscr.* ap. *Grut.* 159, 7. ubi *Alamanus* uno *n* scribitur.

*ALANDER s. Alandrus, i, m. fluvius Phrygiae majoris. *Liv.* 38, 15. Alandri fontes. *ib.* 18. ad Alandrum flumen.

ALANI, orum, m. plur. Ἀλανοί, populi Sarmatiae Europaeae juxta paludem Maeotidem, ferocissimi olim et bellicosissimi, equestrique maxime pugnae genere gaudentes: ita dicti vel a monte, vel a flumine *Alano:* quorum regionem quidam eam putant esse, quae nunc *Lituania* dicitur [*minime!]: sed nihil tamen certi definire licet, cum de ea re non consentiant Scriptores. *Plin.* 4, 12, 21. inter Scythas collocat. Alii Asiaticos, Europaeos alii fuisse dicunt, alii rectius et in Asia, et in Europa ponunt. V. Geographos. Eos pulcros paene omnes fuisse, et proceros scribit *Ammian.* 31, 2., et vitam egisse in plaustris (quod de *Hamaxobiis* ab aliis dicitur) vagos, nullo certo lare, carne et lacte victitantes, et equini pecoris valde studiosos, nullis matrimoniorum legibus, et humanae caedis cupidissimos, quique detractas hostibus pelles pro phaleris ad equos sternendos uterentur. *Martial.* 7, 29. Nec te Sarmatico transit Alanus equo. *Claud. Rufin.* 1, 312. Massagetes caesamque bibens Maeotida Alanus. *Alii leg.* patriamque bibens Maeotin Alanus. [*Suet. Dom.* 2. Parthiam incursione lacessunt. cf. *Joseph. B. I.* 7, 7, 4.]

[ALANNICUS et ALANNINUS, a, um, adj. Jovis cognomen apud Brixienses, quod a *land*, regio, deducit *Sponius*, ita ut Jovem regionis illius proprie significaret, nisi malis ab Alanis derivatum. *Inscr.* ap. *Spon. Misc.* p. 117. I. O. M. *(Jovi Optimo Maximo)* Alannico M. Nonius Agathonicus V. S. *(votum solvit).* Item alia apud *Murat.* 8, 7. I. O. M. Alannino. *F.*]

ALANUS, a, um, adj. ad Alanos pertinens. *Claud. B. Get.* 583. Alana gens.

ALAPA, ae, f. ῥάπισμα, ictus manu expansa in maxillam inflictus. Differt a *colapho*, qui fit digitis in pugnum compressis. *Juven.* 8, 192. ridere potest qui Mamercorum alapas. *Mart.* 5, 61. O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini etc. Uterque poeta notat morem scenicorum hominum, qui risus movendi causa alapis se mutuo caedebant, capita rasa praebentes, et buccas inflantes, quo sonantiores essent ictus, magisque ridiculi. V. SALAPITTA. *Phaedr.* 5, 3. Ducere gravem alapam alicui. *Sidon ep.* 3, 13. *alaparum procellas* lepide memorat in parasiti descriptione. ℙ Inter alios ritus qui servabantur a dominis servum manumittentibus, unus erat, ut levem ei alapam infligerent. Hinc *Phaedr.* 2, 5. *extr.* Multo majoris alapae mecum veneunt, *h. e.* multo carius libertas a me venditur.

*ALAPATOR, oris, qui aliis alapas impingit. Sed est vox incerta; nam *Gloss. Lat. Gr.* alapator per καυχήτης, quum explicat, alienam ab h. v. interpretationem praebet.

ALAPISTA, ae, m. ludio, qui in scena alapis inflictis acceptisque risum movet. *Arnob.* 7. p. 239. [s. p. 300. *ed. Herald.*] Delectantur stupidorum capitibus rasis, alapistarum sonitu atque plausu. V. SALAPITTA.

*ALAPO, 1. *Gloss. Gr. Lat.* ῥαπίζω, expalmo. Utitur h. v. *Bonavent. Part.* 1. *Stim. Div. Amor.* 13. sustinet alapari.

*ALAPUS, i, m. parasitus propter mercedem alapas ferens, in *Gl. Isid.* V. *Barth. Advers.* 19, 22.

*ALARICUS, i, Gothorum rex, qui Romam cepit. *Claud. B. Get.* 431, 492, 546, 623.

ALARIS, re, adj. id. q. alarius. *Liv.* 10, 40. Cum cohortibus alaribus. Et absolute. *Tac. An.* 15, 10. Alares Pannonii robur equitatus. ℙ [Absolute *alaria* sunt πτερύγια, sive alae vestis crocotae quas mulieres inter saltandum adducunt, ne pedes earum impediantur. *Auct. Catal. Virg.* 5, 21. Nec dein movere lumbos in crocotula Prensis videbo alaribus. Ita legit *Scaliger* approbante *Heynio* pro *altaribus. F.*]

ALARIUS, a, um, adj. pertinens ad alas militares, de quibus in ALA diximus. Itaque *alarii equites*, *alariae cohortes* sunt id. qu. alae militum: quae in Romano exercitu sociis, aut auxiliaribus constabant. *Caes. B. C.* 1, 73. Cohortes alariae, et legionariae. *Liv.* 40, 40. Alarii equites. Et absolute. *Cic. Fam.* 2, 17. Alarii transpadani. Adde *Caes. B. G.* 1, 51. [*ubi cf. *Herz.* et quos laudat. Maxime vero *Manut.* ad *Cic. Fam.* 2, 17.]

*ALASI, orum, populus Libyae, in finibus Garamantum. *Plin.* 5, 5, 5.

ALASTOR, oris, m. 3. unus e quatuor equis currum Plutonis trahentibus, ἀλάστωρ, quae vox

Graece *pestem* inter alia significat, vel etiam ultorem, punitorem: ab *ἀλαστέω*, indignor ob mala. Reliquorum nomina sunt *Aethon*, hoc est ardens, ab *αἴθω*, uro: *Nycteus*, hoc est nocturnus, *νυκτεύς*, a *νύξ*, *κτός*, nox: et *Orphnaeus*, hoc est tenebrosus, *ὀρφναῖος* ab *ὄρφνη*, tenebrae: quae omnia Inferorum Deo aptissime conveniunt. *Claud. Rapt.* 1. *in fin.* Orphnaeus crudele micans, Aethonque sagitta Ocior, et Stygii sublimis gloria Nycteus Armenti, Ditisque nota signatus Alastor, Stabant ante fores juncti. ℙ Alastor fuit etiam unus ex sociis Sarpedonis Lyciae regis, ad Trojam occisus ab Ulysse, de quo ipse gloriatur apud *Ov. Met.* 13, 257.

ALĀTERNUS, i, f. arbuscula, seu frutex folia habens inter ilicem et olivam, ut ait *Plin.* 16, 26, 45., nullum neque fructum, neque semen ferens, ideoque inter infelices arbores enumerata a *Macrob. Sat.* 2, 16. Pastum e foliis, ac teneris ramorum cacuminibus gratissimum praebet capris, teste *Colum.* 7, 6.

ALĀTOR, oris, m. *Serv.* ad illud *Aen.* 4, 121. Dum trepidant alae, saltusque indagine cingunt, *alatores* esse ait, qui in venando dextra et sinistra feras compellunt clamoribus in plagas incurrere, et alio divertere tentantes prohibent, quibusdam quasi alis saltus cingendo. [*v. ALA.] *Isid. Or.* 10. *in fin.* Quatuor sunt venatorum officia: vestigatores, indagatores, alatores et pressores.

ALĀTUS, a, um, adj. alas habens, *πτερωτὸς*, *πτερόεις*, *Virg. A.* 4, 259. Ut primum alatis tetigit magalia plantis, de Mercurio loquitur, qui fingitur habere in pedibus alas, *h. e.* talaria. ℙ Translate ponitur pro veloci. *Ov. Fast.* 3, 415. Sextus ubi Oceano clivosum scandit Olympum Phoebus, et alatis aethera carpit equis.

ALAUDA, ae, f. *κορυδαλὸς*, avis parva, apicem in capite gerens ex pennis erectis: ex quo et *galerita*, et *cassita* appellata est, quia galeri similem habet verticem capitis; postea Gallico vocabulo *alauda*, ut scribit *Plin.* 11, 37, 44. [*Gallicum esse h. v. tradit etiam *Marcell. Emp.* 39. avis galerita, quae gallice alauda dicitur.] ℙ Haec avis etiam legioni nomen dedit, quam conscripserat Caesar privato sumptu ex Transalpino milite, ut est apud *Suet. Caes.* 24., quia ejus milites, alaudarum more, omnes in galeis cristas, seu apices insigniores, majoresque gestare consueverant. [**Quintam* appellatam fuisse docet *Oud.* ad h. l.] *Cic. Att.* 16, 8. Antonium cum legione Alaudarum ad urbem pergere. *Id. Phil.* 13, 2. Huc accedunt Alaudae ceterique veterani. ℙ [Est etiam cognomen virile Romanum apud *Martial.* 12, 57. Ancillariolum tua te vocat uxor, et ipsa Lecticariola est: estis, Alauda, pares. *F.*]

*ALAUNA, ae, oppidum Galliae Celticae s. Lugd. *Tab. Peuting.* Etiam Britanniae oppidum, *Ptol.*

ALAUSA, ae, f. l. vilis quidam piscis in Mosella fluvio maxime proveniens. *Auson. Mosell.* 127. Stridentesque focis, obsonia plebis, alausas. Alii leg. *alosas*. Videtur autem esse is, qui ab Italis *laccia*, aut *cheppia* appellatur, a Gallis *alose*, a Rheni accolis *Else*.

ALAZON, ontis, m. *ἀλάζων*, jactator, gloriosus: ab *α* intensivo, et *λάζομαι*, sumo, quia *alazon* proprie dicitur, qui multum sibi sumit, et ultra promittit quam vires ferant. [*His meliora docent lex. grr.] *Pl. Mil.* 2, 1, 8. Alazon Graece huic nomen est Comoediae: id nos Latine Gloriosum dicimus. ℙ [Est etiam fluvius Albaniam ab Iberia disterminans. *Plin.* 6, 10, 11. ℙ Est insuper cognomen Romanum. *Inscr.* apud *Murat.* 1521, 2. Aufidius Alazon. *F.*]

ALBA, ae, f. margarita, ita dicta a colore. *Lamprid. Elagab.* 21. Fabam cum electris, et oryzam cum albis exhibens: albas praeterea in vicem piperis, etc. *Salmas. ad h. l.* affert alia exempla in hanc rem ex *Venant.* Etiam *Suidas* *ἄλβα*, inquit, *οἱ μάργαροι*.

ALBA, ae, et Alba Longa, f. *Ἄλβα*, urbs fuit in Latio, ab Ascanio condita, sub monte, qui ab ea *Albanus* appellatus est, XVI. M. P. a Roma. Vulgatior fama est, ab omine porcae albae ibidem inventae Albam esse dictam, ut ex *Varr. R. R.* 2, 4. et *Virg. A.* 8, 43. habetur. [*Sed illud parum est probabile. Melius ii statuere videntur, qui *Albam* ejusdem originis putantes cum *Alpibus* eo nomine significari existimant locum editiorem s. montem. v. *Voss. Etym.* s. v. ALBUS.] *Longa* vero dicta est, quod in longitudinem aedificata esset. Nunc in ruinis jacet. Illam circumstant castra *Albano*, *Gandolfo* et *Marino*. *Virg. A.* 8, 48. Ascanius clari condet cognominis Albam. *Id. A.* 1, 274. regnumque ab sede Lavini Transferet, et longam multa vi muniet Albam. [*Plura de ea narrat *Liv.* toto primo libro. Vice versa dicebatur, et Longa Alba et Alba longa. *Liv.* 1, 3.] *Enn.* ap. *Donat. de Barbarism.* p. 1772. et ap. *Attil. Fortunatian.* Olli respondet rex Albai Longai. ℙ Aliae quamplures sunt urbes ita cognominatae, ut Alba Marsorum seu Fucentis, in Marsorum finibus sita ad Fucinum lacum, [**Plin.* 3, 12, 17. Eandem in finibus Aequorum ponit *Liv.* 10, 1. Etiam simpliciter *Alba* appellatur. *Liv.* l. l. *Sil.* 8, 509. *Cic. Att.* 9, 6. *Pomp.* in *Cic. Att.* 8. post *ep.* 12. Etiam *Caes. B. C.* 1, 15. de hac Alba intelligendus esse videtur.] *Alba Pompeja*, in Liguria, ad Tanarum fluvium, [**Plin.* 3, 5, 7. porro alia *Alba* in agro Piceno sita erat; *Procop. Goth.* 2, 7.]; *Alba*, s. *Alba Augusta* et *Alba Helviorum* in Gallia Narbonensi, [**Plin.* 3, 4, 5. etiam Alba Helvia dicta, *ib.* 14, 3, 4. h. *Viviers;* in eadem provincia aliud erat oppidum ejusdem nominis, quod *Ptol.* Albiorum fuisse dicit; id putatur h. esse *Alps.*] Porro *Alba Julia*, [*antea *Apulum*, in Dacia sita, nomen accepit a Julia, Caracallae matre; denique *Alba* in Hispania Tarraconensi, caput Vardulorum; h. *Estella;* hinc *Albanenses*, *Plin.* 3, 3, 4. Eodem auctore 3, 1, 3. Alba cognomen fuit oppidi Urgao in Hispania Baetica. ℙ Postremo fluvius ita appellatus est in Hisp. Tarracon., Blandam inter et Emporias; *Plin.* 3, 4, 4. (h. fluvius *Ter* in Catalonia.)] ℙ *Alba* fuit etiam cognomen Aemilii cujusdam, Veris familiaris. *Cic. Verr.* 2, 3, 62. [*et rex, qui Albae imperavit. *Ov. Met.* 14, 612. *Id. Fast.* 4, 43.]

ALBAMEN, ĭnis, n. et

ALBAMENTUM, ti, n. album, pars alba alicujus rei. *Apic.* 2, 5. Cum liquamine intestini, et albamine porri. Adde 3, 2. et 4, 3. Ubique autem alii leg. *albumen*. *Id.* 5, 3. Albamentum ovi. *Id.* 6, 9. Cum albamentis ovorum tritis.

ALBANENSIS, se, adj. ad Albam urbem pertinens. *Albanenses*, *ium*, sunt populi Hispaniae in Vardulis: quorum urbs *Alba* et ipsa appellatur. *Plin.* 3, 3, 4.

ALBANIA, ae, f. regio ad litus maris Caspii, *Ἀλβανία*, cujus populi Albani appellantur. V. ALBANUS. *Plin.* 6, 13, 15. Flumina per Albaniam decurrunt in mare, Casius et Albanus. *Solin.* 15. Rex Albaniae. *Gell.* 9, 4. In ultima quadam terra, quae Albania dicitur.

[ALBANIACUS, a, um, adject. ad Albaniam pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 745, 9. Valeriae Valerin. Albaniacae femin. mirae fidei. *F.*]

[ALBANIENSIS, e, adject. ad Albaniam pertinens. *Inscr.* apud *Murat.* 1021, 6. Sulpicia Prima Albaniensis. *F.*]

ALBANUS, a, um, adject. ad Albam pertinens. *Liv.* 1, 28. Albanus exercitus. *ib.* Albanus populus. *ib.* 27. Albana pax, *h. e.* inita ab Albano populo cum Romanis. ℙ *Albanum vinum* inter pretiosa enumerat *Plin.* 14, 2, 4. Ibi enim *eugeniae uvae* feliciter proveniunt: translatae degenerant. [*Appellantur etiam Albanae nuces, quae vulgo *Avellanae* dicuntur. V. suo loco. Illam scripturam probat *Scalig.* et *Cerda* in notis ad *Isid. gloss.* p. 330. Ceterum cf. de Albanis et Avellanis *Salm.* ad h. l. *T.* I. p. 602. et *Hofmann.* Var. Lectt. III. c. 15, 16. *Jahn.*] ℙ *Albana comissatio* apud *Martial.* 12, 48. est epulum, quod Quinquatribus Domitianus in Albano monte praebere solebat. ℙ *Albanae columnae*, quas memorat *Quint.* 5, 13, 40. et *Suet. Aug.* 72. sunt e lapide in Albano monte exciso, qui nunc Italice *peperino* appellatur, quia, cinerei cum sit coloris, parvulas habet micas veluti piperis interspersas. Albanas etiam lapidicinas refert *Vitruv.* 2, 7. ℙ *Albani*, *orum* sunt Albae incolae. *Liv. l. c.* Albanorum exercitus. Et *c.* 29. Egressis urbe Albanis. ℙ *Albani* etiam dicuntur populi, qui hodie *Georgiani*, quorum regio ad mare Caspium sita est, ipsumque mare, quod ante eos jacet, *Albanum* appellatur. *Plin.* 6, 10, 11. et *ib.* 13, 15. Ideo autem dicti sunt *Albani*, eorumque regio *Albania*, quod albis capillis ibi nascuntur homines, ut scribit *Solin.* 15. vel ab Albano monte Italiae, quod inde in ea loca ii populi ab Hercule deducti sint, ut *Justin.* 42, 3. tradit. [*Minime!] ℙ *Albanus lacus*, nunc *lago di Castel Gandolfo*, lacus in Albano nemore prope Albam Longam, de quo vaticinium fuit, nunquam potiturum Vejis Romanum, priusquam ejus aqua emissa foret. *Liv.* 5, 15. ℙ *Albanus mons* est ille, ad cujus radices Alba Longa sita fuit. *Liv.* 1, 3., *Plin.* 3, 5, 9. ℙ Denique *Albanus* fluvius est Albaniae. *Plin.* 6, 13, 15. [*Albanum sc. praedium. *Cic. Att.* 4, 11. 7, 5.]

ALBARIUM, ii, n. *κονίαμα*, materia alba, et diluta, quae tectorio illinitur ad parietes dealbandos: quae plerumque calx est. *Plin.* 36, 24, 59. Usus gypsi in albariis. *Id.* 35, 16, 5. Tectoriorum albaria interpolare.

ALBARIUS, ii, m. qui albarium parietibus inducit, *κονιατὴς*, et *κονιάστης*. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 13, 4, 2. Architecti, laquearii, albarii, tignarii, etc. *Inscr.* opt. notae apud *Grut.* 642, 11. C. Ateio Philadelpho albario, etc.

ALBARIUS, a, um, adj. *Albarium opus* est idem qu. *albarium*, hoc est, albus color, plerumque ex calce diluta, qui parietibus inducitur, *κονίαμα*. *Plin.* 36, 23, 55. Contra in albario opere, ut macerata calx ceu glutinum haereat. *Vitruv.* 7, 2. totam *albarii operis* conficiendi rationem docet. ℙ *Albarius tector* apud *Tertull. Idolol.* 8. est idem qui *albarius*, hoc est qui albarium opus parietibus inducit.

ALBĀTUS, a, um, part. v. *albo*, *λευχείμων*, vestibus albis ornatus, cui contrarium est *atratus*. *Cic. Vat.* 13. Cum ipse epuli dominus albatus esset, tu in templum Castoris cum C. Fidulo atrato, ceterisque tuis furiis funestum intulisti. [Adde *Hor. Sat.* 2, 2, 61. *Graeci dicebant *λευκῇ*, *λαμπρᾷ*, *καθαρᾷ ἐσθῆτι*, v. quos laudat *Hdf.* ad h. l. et *Pers.* 2, 41.] ℙ *Albata* dicta est una ex factionibus ludorum Circensium, quae nempe albis vestibus utebatur. *Plin.* 8, 42, 65. Excusso e carceribus auriga albato corace occupavere prima. Alii leg. *albati equi* palmam occupavere. *Inscr.* apud *Grut.* 337. Diocles agitator vicit Prasinis CCXVI., Venetis CCV., Albatis LXXXI. *F.*]

ALBĔDO, ĭnis, f. candor, albitudo, *λευκότης*. *Appul. Apolog.* Si perniciosa illa albedo intus cohibita, etc. *Sev. Sulpic. Hist. sacr.* 1, 16. Quarum species in modum coriandri seminis, glaciali albedine erat. *Cassiod. ep.* 12, 4. *ad fin.* Albedo ibi decora est, et serena puritas. ℙ Apud *Appul.* alii leg. *dulcedo*, alii *mucedo*.

ALBEGMINA. V. ABLEGMINA.

ALBELIO, onis, f. et ex eo *Albeliunculus*, *li*, m. diminut. tegmen capitis significant, legique dicuntur apud *vet. Juvenal. Scholiast. ad sat.* 8. et 9. sed nihil certi neque ab auctore, neque a lectione, quae aliis alia est, pro harum vocum usu afferri potest. [*cf. *Cramer.* ad h. l. in sua h. *Schol.* ed.]

ALBENS, entis, part. verbi albeo, qui albet, *ὑπόλευκος*. *Tac. A.* 1, 61. Ossa albentia. *Id. ib.* 6, 37. Albentes spumae. *Id. ib.* 15, 64. Membra in pallorem albentia. *Caes. B. C.* 1, 68. Albente coelo. [*cf. de hac formula *Quint.* 8, 3, 35. et *Spalding.* ad h. l.]

ALBENSIS, se, adj. ab Alba oppido deductum, non tamen ab *Alba Longa*, ex qua fit tantum *Albanus*, ut *Varr. L. L.* 7, 18. et *Charis.* l. p. 81. docent. Hinc *Albenses Pompejani* apud *Plin.* 17, 4, 3. sunt *Albae Pompejae* incolae. ℙ Praeterea *Albenses* dicuntur incolae *Albae Fucentis*, seu *Marsorum* apud *Eund.* 3, 5, 9. et *Fest.* in voce *Albesia*. ℙ *Albenses nuces* olim in pretio fuerunt, quas e Syria in Latium intulerat L. Vitellius, et in suo rure (quod *Albense* dicebatur) apud Albam Fucentis conseverat. *Plin.* 15, 19, 21. et *ib.* 22, 24.

ALBĔO, es, n. *λευκαίνομαι*, albus sum. *Ov. Her.* 13. *fin.* caput, quod videam canis albere capillis. *Virg. A.* 12, 36. campique ingentes ossibus albent. Adde *Sil.* 4, 252. ℙ Praeteriti *albui*, quod a nonnullis affertur, exempla nondum vidimus.

ALBESCENS, entis, part. v. *albesco*, qui albescit, *ὑπόλευκος*. *Hor. Od.* 3, 14, 25. Albescens capillus. *Plin.* 11, 37, 86. Albescens medulla. *Id.* 18, 35, 80. Albescentes stellae. *Paul. Dig.* 28, 2, 25. Albescente caelo.

ALBESCO, is, n. albere incipio, albico, *λευκαίνομαι*. *Cic. Acad.* 4, 33. Mare quod nunc, quia a sole collucet, albescit, et vibrat. *Plin.* 10, 3, 4. Aquilarum albescunt inedia pennae. *Virg. A.* 4, 586. ut primum albescere lucem Vidit. *Id. G.* 1, 367. videbis Flammarum longos a tergo albescere tractus.

ALBESIA, ium, n. plur. scuta quibus Albenses, qui sunt Marsi generis, usi sunt. Haec et *decumana* vocabantur, quod essent amplissima, ut decumani fluctus. *Festus.*

ALBIANUS, a, um, adj. ab *Albio* deductum. Est autem *Albius* nomen gentilicium apud Romanos. *Cic. Caec.* 10. Albianum judicium. *Id. Cluent.* 30. Albiana pecunia.

ALBICANS, antis, part. v. *albico*, qui albicat, *ὑπόλευκος*. *Plin.* 10, 3, 3. Albicans cauda. *Id.* 25, 8, 50. Albicans color. *Catull.* 63, 87. albicantis loca litoris adiit.

ALBICANTER, adv. albicando. *Solin.* 30. *sub fin.* Hyacinthus lapis pretiosus, vitiis non parce obnoxius, nam plerumque aut violaceo diluitur, aut nubilo obducitur, aut albicantius in aquaticum eliquescit.

ALBICASCO, is, n. 3. albescere incipio. *Matius* ap. *Gell.* 15, 25. Jam jam albicascit Phoebus, et recentatur Commune lumen hominibus voluptasque. Alii leg. *albicassit*, quod esset futurum conjunctivi antique dictum pro *albicaverit:* quemadmodum *levasso* pro *levavero* dixere. Verum hoc pacto non satis constructio constaret propter sequens *recentatur*.

ALBICĔRA olea, genus est oleae, ita dictae ab albo colore, et cerae simili. *Plin.* 15, 5, 6. ex *Catone*. ℙ Apud *Cat. R. R.* 6. et *Varr. R. R.* 1, 24. vocatur *olea albiceris*. Apud *Macr. Sat.* 2, 6. dicitur *olea albigerus:* quod fortasse mendum est.

ALBICĔRĀTA ficus dicta est a colore albo, ceraeque simili: de qua *Colum.* 10, 417. Albaque quae servat flavae cognomina cerae. *Plin.* 15, 18, 19.

*ALBICI, orum, m. plur. *Ἀλβίοικοι*, populi Massiliensibus proximi. *Caes. B. C.* 1, 34. [*56. 57. 2, 2.] Albicos, barbaros homines, qui in Massiliensium fide antiquitus erant, montesque supra Massiliam incolebant, ad se vocaverant. *Bail. Auct.*

ALBICO, as, n. *ὑπόλευκός εἰμι*, aliquantum albus sum. *Plin.* 27, 5, 23. Mutat colorem, sed ex nigro albicare incipit. Et *ib.* 13, 113. Thlaspi flos albicat. Et 37, 10, 62. Leucochrysos sicut cry-

stallus albicat. ℙ Absolute pro album omnino esse, *Hor. Od.* 1, 4, 4. Nec prata canis albicant pruinis. ℙ Passiva voce significatione neutra. *Varr.* ap. *Non.* 2, 58. Ubi rivus praecipitatur, atque offensus aliquo a scopulo lapidoso albicatur.

[ALBICO, onis, m. 3. qui albicat. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1122, 6. Eppupa Albiconis filia. *F.*]

ALBĬCOLOR, oris, adj. λευκόχροος, qui est albi coloris. *Coripp.* 1, 429. Albicolor campus.

ALBĬCOMUS, a, um, adj. comas albas habens, λευκόθριξ. *Venant. de vita S. Martini* 4, 2. Floribus albicomis dum lilia pollice carpo.

*ALBICRATENSIS, e, *Plin.* 33, 4, 23. metallum hujus nominis appellat, quod nomen habet ab oppido quodam Gallico; *Hard.* conjicit ab Albicis.

ALBĬDŬLUS, a, um, adject. ὑπόλευκος, diminutivum ab albidus. *Pallad.* 3, 25. *ante med.* Liquorem dimittunt saporis jucundi, sed coloris albiduli.

ALBĬDUS, a, um, adj. ὑπόλευκος, aliquantum albus. *Ov. Met.* 3, 73. *de dracone vulnerato*, plenis tumuerunt guttura venis, Spumaque pestiferos circumfluit albida rictus. *Colum.* 2, 9. Granum quod extrinsecus albidum, intus etiam conspicitur candidum. *Cels.* 5, 28. *n.* 4. Pus crassius et albidius. *Plin. ep.* 8, 20. Color caeruleo albidior lacus. *Cels.* 5, 26. *n.* 20. Pus crassissimum albidissimumque.

*ALBIGA, ae oppidum in Gallia Celt. s. Lugdun. Dicitur civitas Albigensium in *not. urb. Gall.*, et urbs Albigensis apud *Gregor. Turon.* Hodie *Alby* dicitur.

*ALBIGAUNUM, i, Liguriae opp. *Mela* 2, 4. vel Albingaunum, ap. *Tac. H.* 2, 15., vel Albium Ingaunum, ap. *Plin.* 3, 5, 7. Populus dicitur Albingauni, orum *Liv.* 29, 5.

*ALBIGENSES, ium, m. incolae Albigae. *Notit. Imp.* Equites cataphractarii Albigenses.

*ALBIMIANA, sc. castra, oppidum Belgii. *Anton. Itin.*

ALBĬNĔUS, a, um, adj. ὑπόλευκος, albidus. *Pallad.* 4, 13. *de colorib. equor.* Colores hi praecipui, badius, aureus, albineus, russeus, etc. Et mox. Sequentis meriti varius cum pulcritudine, nigro, vel albineo, vel badio mixtus.

[ALBINGANUENSIS, se, adject. ad Albium Ingaunum pertinens, Liguriae urbem, nunc *Albenga. Inscr.* ap. *Murat.* 1021, 7. Plebs urbana Albinganuensium. *F.*]

ALBĬNIĀNUS, a, um, adject. ad Albinum pertinens, quod est nomen viri proprium. *Spartian. Sever.* 10. Ab Albinianis Severi duces victi sunt. Adde *Tertull. ad Scapul.* 2.

*ALBINIA, ae, Hetruriae fluvius, h. Albegna. *Tab. Peuting.*

ALBĬNOVĀNUS, i, m. C. Pedo Albinovanus poeta heroicus, ut ex *Quintil.* 10, 1, 90. et ex *Senec. Suasor.* 1. cognoscimus, vixit Augusto imperante, nec alius est, ad quem *Ovidius* epistolam scripsit, quae est *Pont.* 4, 10. A *Martiale* accensetur epigrammatum lasciviorum scriptoribus in *epist. praefixa l.* 1. Fabulatorem elegantissimum appellat *Senec. ep.* 122. Sidereum, hoc est sublimem *Ovid. Pont.* 4, 16, 6. Sunt tamen qui putant ideo sidereum dici, quod etiam de coelo et sideribus quaedam scripserit. Porro ex *ep.* 10. *ejusdem libri v.* 71. intelligimus eum conscripsisse Thesei res gestas. Condidit etiam de navigatione Caesaris Germanici carmen, cujus versus aliquot affert *Senec. Suasor.* 1. Ei praeterea tribuuntur duae illae elegiae de obitu Maecenatis, et de morte Drusi ad Liviam: tametsi sunt, qui aliter sentiunt, praesertim de secunda. [*Cf. *Spalding.* ad *Quint.* 6, 3, 61. Ac de eodem *Voss.* de *poet. Latt.* p. 32.] ℙ Alius ab isto est *Celsus Albinovanus*, ad quem est *Horatii ep.* 8. *l.* 1. quae incipit: *Celso gaudere, et bene rem gerere Albinovano*, etc.

[ALBINTĬMĬLĬENSIS, se, adject. ad Albium Intimelium pertinens, vel Albintimilium, ut legitur apud *Fabrett.* p. 135. *n.* 104., Liguriae urbem, nunc *Ventimiglia.* [*cf. *Varr. R. R.* 3, 9, 17. *Tac. H.* 2, 13.] *Inscr.* ap. *Murat.* 1022, 1. Albintimilienses. *F.*]

ALBĪNUS, i, m. albarius, qui parietes albario opere expolit. *Imp. Const. Cod.* 10, 64, 1. Musivarii, deauratores, albini, quos Graeci κονιάτας appellant. ℙ Praeterea *Albinus* fuit cognomen familiae R. in gente Postumia. [*e. g. A. Postumius Albinus, qui cum Q. Fulvio a. u. c. 579. censor fuit; cf. *Cic. Verr.* 2, 1, 41. *Liv.* 41, 27. Porro A. Postumius Albinus, qui cum L. Lucullo paullo ante tertium bellum Punicum Consul fuit. Scripsit hicce graece *historiam graecae linguae. Cic. Brut.* 21. *Id. Acad.* 4, 45. *Gell.* 11, 8. *Macr. Sat. praef.* Idem auctor fuit *Annalium*, latine scriptorum. *Macrob. ib.* 2, 16.] ℙ Est etiam nomen proprium imperatoris Romani, qui *Clodius Albinus* dictus est, quod contra consuetudinem puerorum, qui nascentes solent rubere, candidissimus in lucem prodiit, ut scribit *in ejus vita c.* 4. *Capitolinus.*

ALBĬON, onis, f. nunc Anglia. Ἀλουίων *Ptolemaeo*, Britannia, insula maxima Europae in Oceano, Galliae et Germaniae adjacens. Dividitur in duo regna, in Britanniam primam, seu Angliam, et Britanniam secundam, seu Scotiam *Plin.* 4, 16, 30. Sic dicta ut videtur ab albis rupibus, quas mare alluit. ℙ Fuit etiam *Albion* nomen filii Neptuni, qui una cum fratre Bergione contra Herculem stetit et pugnavit, ut scribit *Mela* 2, 5., et ab eo interfectus est. Ejus pugnae locus in Narbonensi Gallia *Lapideus campus* dictus est. Fabulantur enim, cum dimicantem Herculem tela defecissent, ab invocato Jove adjutum fuisse imbre lapidum, qui adeo multi passim eo loco et late jacent, ut pluisse credas, inquit *Mela loc. cit.* ℙ [Etymon est ab Celtico vocabulo *Alb*, sive *Alp*, unde Alpes. *Serv.* ad *G.* 3, 474. et *Isid. Orig.* 14, 8. *F.*]

ALBĬONA, ager trans Tiberim dicitur a luco Albionarum: quo loco bos alba sacrificabatur. *Festus.*

*ALBIPLUMIS, e, adj. qui est albis plumis. *Anthol. Lat.* III. p. 273. *ed. Burm.*

ALBIS, is, m. (*die Elbe*), fluvius Germaniae. Oritur in finibus Silesiae: suscipit Multam fl., deinde Egram, postea Salam, et Ortellam. In meridiem primum, deinde in occasum, postea in septentrionem per Boemiam et Saxoniam fluens, inter Ducatus Bremensem et Holsatiae, infra Hamburgum et Glucstadium, Oceano Germanico miscetur. Hunc Romani voluerunt esse terminum sui imperii. *Tac. G.* 41. In Hermunduris Albis oritur, flumen inclytum et notum olim, nunc tantum auditur. [*Vell.* 2, 106.] *Claud. Mamertin. in Genethl. Maxim. Aug. c.* 16. Qua horridus secat Albis Germaniam. *Claud.* IV. *Cons. Hon.* 450. et ingentes Albin liquere Cherusci. ℙ *Vopiscus Prob.* 13. *Albam* vocat.

ALBĪTĬĒS, ei, f. vel Albitio, onis, f. *albitudo*, *Appul. Herb.* 20. Nasturcii semen tritum albitiem furfuris de capite ejiciet. Alii leg. *albitionem.*

ALBĪTŪDO, inis, f. λευκότης. *Pl. Trin.* 4, 2. 32. Ad istanc capitis albitudinem, i. e. canos capillos.

*ALBIUM, i, cf. ALBINGAUNUM et ALBINTIMILIENSIS.

*ALBIUS, a, um, adj. e. g. gens Albia. ℙ Subst. nomen gentilicium, ut Albius Tibullus. *Hor. Sat.* 1, 4, 1.

ALBO, as, a. 1. album facio, λευκόω. *Priscian. Perieg.* 431. Hoc fuscat niveas, hoc albat gurgite nigras.

ALBOGĀLĔRUS, i, m. pileum capitis, quo flamines Diales utebantur, quod fiebat ex pelle hostiae albae Jovi caesae, adfixum habens apicem virgula oleaginea. *Festus.* Adde *Varr.* ap. *Gell.* 10, 15. *in fin.*, qui tamen non *albogalerum*, sed *album galerum* vocat.

ALBOGILVUS color dicitur, qui mixtus est ex albo et gilvo. Utitur hac voce *Serv. ad Virg. G.* 3, 82.

ALBOR, ōris, m. λευκότης. De ovi albumine plerumque usurpatur. *Pallad.* 11, 14. *circa med.* Si quis ovorum trium lagenae infundat alborem. *Scribon. Compos.* 24. Diluitur fere ovi albore. *Plin. Valerian.* 1, 19. Passerini ovi alborem. Adde *Apic.* 1, 6. ℙ Quidam Lexicographi afferunt etiam locum *Varronis*, quem nos nusquam invenimus.

ALBŪCUS, i, m. asphodeli caulis. V. ASPHODELUS. *Appul. Herb.* 32. A Graecis dicitur asphodelus, Latinis hastula regia, aliquibus albucus. ℙ Describitur a *Plin.* 21, 17, 68. Albucus est asphodeli caulis.

*ALBUCIUS, i, m. nomen Romanum. *Hor. Sat.* 2, 1, 48. *B. A.*

ALBŪĒLIS, lis, f. genus vitis, quae, ut ait *Colum.* 3, 2., utilior est in colle, quam in campo; in arbore, quam in jugo; in summa arbore, quam in ima, ferax, et materiae frequentis, et uvae. Adde *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 4.

*ALBUGINOSUS, a, um, ap. *Veget. Vet.* 3, 56. videtur positum pro ictericus. *B. A.*

ALBŪGO, ĭnis, f. λεύκωμα, λεύκωσις, macula alba in cornea oculorum tunica ex abscessu coacti humoris coalescens, et visum laedens. *Plin.* 32, 7, 24. Ranae oculi albuginem sanant. *Id.* 24, 5, 11. Oculorum albugines cedri succo inungere. *Id.* 29, 6, 38. Pupillarum albugines. ℙ Est etiam genus furfuris, seu porriginis inter capillos exoriens, colore albo. *Id.* 26, 15, 90. Callithrix albugines in capite tollit.

ALBŪLA, ae, f. nunc *il Tevere*, fluvius Etruriae, Romam interluens, ab albo colore aquae, qui postea Tiberis a Tiberino Silvio Albano rum rege ibi exstincto dictus est. *Virg. A.* 8, 331. fluvium cognomine Tibrim Diximus: amisit verum vetus Albula nomen. *Ov. Fast.* 4, 68. et tanto est Albula pota Deo. ℙ Praeterea *Albula*, vel *Albulae*, *arum* (subaudi *aquae*) sunt aquae sulphureae admodum salutares, egelidae, hoc est tepidae in Tiburtino agro juxta Romam, teste *Plin.* 31, 2, 6. ita dictae, quia albido sunt colore, nunc *bagni di Tivoli*, τὰ Ἄλβουλα ὕδατα vocat *Strabo. Martial.* 1, 13. Canaque sulphureis Albula fumat aquis. *Suet. Aug.* 82. Quoties nervorum causa marinis, Albulisque utendum esset. *Plin. loc. cit.* Juxta Romam Albulae aquae vulneribus medentur, etc. ℙ Praeterea Albula fluvius est Piceni in Marchia Anconitana, in cujus ostio Tervium oppidum fuit, nunc *Ragnola. Plin.* 3, 13, 18. ℙ [Albulam *Stat. Silv.* 1, 3, 75. facit Nympham, seu Deam, quae tenet hanc aquam. Illic sulfureos cupit Albula mergere crines. *F.*]

[ALBŪLĒUS, a, um, adj. ad aquas Albulas pertinens. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 393. Debilis Albuleis steterat qui gurgite Samis, Articulum medicis ut tenuaret aquis. *F.*]

ALBŪLUS, la, um, adj. ὑπόλευκος, diminutiv. ab *albus. Catull.* 29, 9. Albulus columbus. *Martial.* 12, 99. cui rector aquarum Albula navigerum per freta pandit iter, *h. e.* per marinas undas, quae spumas agendo albescunt.

ALBUM, i, n. λεύκωμα, albus color, pars alba alicujus rei. *Virg. G.* 3, 56. maculis insignis, et albo. cf. *Voss.* Et *Ecl.* 2, 41. sparsis etiam nunc pellibus albo. *Liv.* 40, 51. Columnas poliendas albo locavit. [*Etiam de aliis coloribus neutrum adjectivi usurpatur pro macula alicujus coloris. Cf. *Burm.* ad *Ov. A. A.* 1, 291.] *Cels.* 6, 6. *n.* 7. Album oculi. Album ovi. *Id.* 7, 7. *n.* 6. et 12. Album oculi. [**Colum.* 6, 17, 7. album in oculo est i. q. albugo sive macula alba in oculo, quae visum laedit.] ℙ De tabula, in qua perscribebantur praetorum edicta actiones, interdicta, actionum formulae, item litigatorum nomina, actionesque, et alia hujusmodi ad forum, civilesque contentiones spectantia: ratio, quia ea tabula dealbata erat gypso illito; proponebaturque in publico, ut ab omnibus legi posset. Si quis vero vel foedasset, vel vitiasset, vel quocumque modo corrupisset, capitis reus erat, quia praetoris majestas contempta videbatur. *Paul. Sentent. l.* 1. *t.* 14. Qui album raserit, corruperit, sustulerit, mutaverit, quidve aliud propositum edicendi gratia turbaverit, extra ordinem punitur. *Senec. ep.* 48. Sedere ad album, *h. e.* circa praetoris formulas et judiciorum occupari. *Quintil.* 12, 3. *ad fin.* Alii se ad album, ac rubricas transtulerunt et formularii, vel leguleji quidam esse maluerunt. [*Locum *Pl. Pers.* 1, 2, 22. v. sub ALBUS.] ℙ Ex hoc praetoris albo nomen inditum est aliis tabellis, in quibus variae res perscribebantur, et publice proponebantur. Hinc et pontifex maximus suum conficiebat album, in quo teste *Cic. Orat.* 2, 12. perscribebat res omnes singulorum annorum, illudque proponebat domi, potestas ut esset populo cognoscendi: hi nunc *Annales* appellantur. *Album judicum* continebat nomina judicum; *senatorum* senatores; *decurionum* decuriones; *citharoedorum* citharoedos, etc. *Suet. Claud.* 16. Splendidum virum albo judicum erasit. *Tac. A.* 4, 42. [*et *Lips.* ad h. l.] Eradere aliquem albo senatorio. *Ulp. Dig.* 50, 3, 1. Decuriones in albo ita scriptos esse oportet, ut, etc. *Suet. Ner.* 21. Nomen suum in albo profitentium citharoedorum adscribere. *Sen. Benef.* 3, 7. *in f.* Mittere aliquem in album. *Liv.* 1, 32. Referre in album. *Plin. praef. Hist. natur.* Esse in albo. ℙ Vet. Tab. Aen. ap. *Murat.* 582. *ante med.* Omnia in tabulam in album referunda curato, *h. e.* in tabulam dealbatam, ἐν δὰ δνοῖν. V. ENDIADYS. ℙ [*Album, i, sc. promontorium. *Plin.* 3. *praef.* Africae est promontorium; h. *Cabo Spartel;* Graecis dicitur *Ampelusia*, *id.* 5, 1. *init.*] ℙ Aliud ejusdem nominis promontorium est in Phoenicia, h. *Capo Scandalio*, inter Tyrum et Ptolemaidem ad Ecdippam urbem. *Plin.* 5, 19.

ALBŪMEN, inis, n. λεύκωμα, quod est in ovo album. *Plin.* 28, 6, 18. Illinit sole usta cum ovi albumine.

ALBUMENTUM, ti, n. idem quod albumen. *Veget. Vet.* 2, 57. Intingere in ovi crudi albumento.

ALBŪNA et Albūnĕā, ae, f. 1. Deae nomen, quae in nemore quodam agri Tiburtini colebatur. A Graecis dicitur *Λευκοθέα*, Leucothea. Creditur fuisse Ino Athamantis uxor, quae viri furorem metuens, una cum Melicerta filio se in mare praecipitavit. Alii Sibyllam Tiburtinam fuisse existimant, quae ob admirabilem sapientiam a vicinis populis Dea credita est. *Lactant.* 1, 1. Decimam (*Sibyllam*) nomine Albuneam, quae Tiburi colitur ut Dea, juxta ripas amnis Anienis: cujus in gurgite simulacrum ejus inventum esse dicitur, tenens in manu librum: cujus sacra senatus in Capitolium transtulerit. *Tibull.* 2, 5, 69. Quodque Albuna sacras Tiberis per flumina sortes Portarit, sicco perlueritque sinu. *Albana* et *perlueritque* quidam legunt. *Suidae* in Σίβυλλαι est Ἀλβουναία. ℙ Est etiam *Albunea* fons, et nemus in Tiburtinis altissimis montibus, ita dictus vel ab albo aquarum colore, vel ab Albuna Dea, cui sacer locus ille fuit. *Virg. A.* 7, 83. lucosque sub alta Consulit Albunea. *Hor. Od.* 1, 7, 12. domus Albuneae resonantis.

ALBURNUM, i, n. στέαρ δένδρου, pars tenerior in ligno multarum arborum, statim post corticem, quae velut adeps earum est. (nos: *Splint.*) *Plin.* 16, 38, 72. Proximi (cortici) plerisque adipes: ii vocantur a colore alburnum; mollis ac pessima pars ligni, etiam in robore facile putrescens, teredini obnoxia: quare semper amputabitur. Subest huic caro, etc.

ALBURNUS, i, m. [*proprie adj. contractum ex alburinus] *Montagna di Sicignano*, *M. della Peti-*

na, mons Lucaniae, in Lucanorum et Picentium conf. apud Silarum fluvium, et Auletam oppidum, unde Tanager fluvius profluit; ita dictus a candore verticis. *Virg G.* 3, 146. Est lucos Silari circa, ilicibusque virentem Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo, etc. ℙ Est etiam nomen Dei a Romanis culti in eo monte: quem *Tertull. Apol.* 5. a. M. Aemilio imperatore divinitate donatum dicit, et *adv. Marc.* 1, 18. a quodam Metello. ℙ Item vilis pisciculi in Mosella fluvio. *Auson. Mosell.* 126. et alburnos, praedam puerilibus hamis.

ALBUS, a, um, adj. λευκός, nomen coloris notissimi, quod a *candido* ita differt, ut *album* pallori conjunctum sit, quale est plumbum, *candidum* vero splendori, quale est in nive, ut docet *Serv.* ad *G.* 3, 82. Hinc *albo* opponitur atrum, *candido* nigrum. Hoc tamen discrimen passim a scriptoribus negligitur. [*cf. *Voss.* ad *Virg. G.* 3, 82. 4, 373.] *Festus* putat *album* derivatum esse a Graeco ἄλφος, quod albae vitiliginis speciem significat, nempe ut ex ἄμφω derivatum fuisse *ambo* constat. [*cf. *Voss. Etym.*] *Cic. Leg.* 2, 18. Color albus praecipue decorus Deo est, tum in ceteris, tum maxime in textili. *Id. Tusc.* 5, 39. Alba et atra discernere. *Id. Div.* 2, 3. Quae alba sint, quae nigra, dicere. *Pl. Bacch.* 5, 1, 15. Alba barba. [*Prop. 3, 3, 46. alba senecta, ibique *Burm.*] — *Album aes* est, quod admixtam habet certam mensuram plumbi argentarii, quocum conflatum ebibit colorem. *Plin.* 16, 11, 22. Coquere lento igni tota die, utique vase aeris albi. *Albis dentibus deridere* est affectato risu subsannare, et ita diducto ore, ut dentes denudentur. *Pl. Ep.* 3, 3, 48. *Albus, an ater sis, nescio:* proverb. de eo, quem omnino, quis sit, ignoramus: et contemptum significat. *Cic. Phil.* 2, 16. Vide quam te amarit is, qui albus, aterve fueris ignorans, fratris filium praeteriit. *Catull.* 93. Nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere, Nec scire, utrum sis albus, an ater homo. Adde *Hor. Ep.* 2, 2, 189. *Alba linea signare* est aliquid facere negligenter, et nullo discrimine. Ductum est autem proverbium a linea, seu funiculo fabrorum, quae si nullo inficiatur colore, nullam relinquit notam, quam sequantur, adeoque temere procedendum illis est in opere perficiendo. Alii sic exponunt, ut ducatur a lineis albis, quas pictores deformaturi tabulam, telae primo appingunt, adeoque sine ulla cura ducunt, cum varios supra colores postea inducturi sint. *Lucil* ap. *Non.* 4, 450. Nam discrimen non facit, signat alba linea. *Turneb. l.* 29. *c.* 27. *Adversarior.* legit, *neque signat alba linea. Gell. praefat.* Illi omnes multa, et varia lectitantes, in quas res cumque inciderant, alba, ut dicitur, linea, sine cura discriminis, solam copiam sectati converrebant. *Albo rete aliena bona oppugnare* ap. *Pl. Pers.* 1, 2, 22. est fraudibus, doctisque dolis, et sub aliqua honesti specie latentibus aliena bona captare. Al. leg. *albo ariete*, et respici ajunt ad machinam bellicam, quo muri subruuntur: Al. *albo pariete*, et alludi ad album praetoris, ut dicatur de iis, qui lites consectantur, et falsa praetendendo jura, aliena bona invadunt. [*Nihil mutandum, sed intelligendum ita, quasi scripserit: albo *tanquam* rete (pro reti), i. e. albo praetoris sive formulis et actionibus ex albo sumtis oppugnare bona, iisque adversarium irretire.] *Alba avis* proverbio dicitur de re inusitata, rara et admiratione digna, quod paucae admodum sint aves albo colore. *Cic. Fam.* 7, 28. Quasi avem albam, videntur bene sentientem civem videre. ℙ *Albus ventus* dicitur, qui nubila fugat. *Hor. Od.* 1, 7, 15. Albus Notus. *Id. ib.* 3, 27, 19. Albus Iapyx, ut *Virg. G.* 1, 460. clarus Aquilo. — Albi sc. montes, in Creta, nive obducti. *Plin.* 16, 33, 60. 31, 3, 26. Alii dictos volunt ab albedine rupium. ℙ Sumitur interdum *albus* pro pallido. *Martial.* 8, 26. Non tot in Eois timuit Gangeticus arvis Raptor. In Hyrcano qui fugit albus equo. *Id.* 3, 58. Albo otio pallere. *Pers.* 3. *sub. fin.* Timor albus. [*V. quae de hac sign. annotavit *Hdf.* ad *Hor. Sat.* 2, 2, 21.] ℙ Item pro sicco, fervido et veluti candenti. *Martial.* 10, 62. Albae leone flammeo calent luces. ℙ Item pro albato. *Id.* 1, 56. Vivat et urbanis albus in officiis. Potest etiam alia ratione hic locus explicari, de eo scilicet, qui curis fori, et urbanis negotiis anxius, et pallidus est. Lege integrum epigr. [*Posterior ratio melior. Sed vere pro *albatus* legitur *Juven.* 1, 111. nuper in hanc urbem pedibus, qui venerat albis, i. e. dealbatis. Intellige de servis peregrinis, qui, quum venderentur, Romae pedibus albatis prostabant. cf. *Rupert.* Item *alba, orum* simpliciter pro albis vestibus legitur. *Ov. Fast.* 4, 619. Alba decent Cererem: vestes cerealibus albas sumite. Hunc usum pluribus interpretatur *Hdf.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 36. et 124. *Albus* et *candidus* quid differant docet *Weichert.* de Medea l. p. 13. ℙ Item translate pro fausto, laeto, auspicato, felici; nam quae alba sunt, superis Diis tribuuntur, atra vero inferis et sunt tristis ominis. *Hor. Od.* 1, 12, 27. simul alba nautis Stella refulsit, *h. e.* Castorum sidus. *Sil.* 15, 53. Sed current albusque dies, horaeque serenae. *Pers.* 1, 110. Per me equidem sint omnia protinus alba. Hinc *album calculum adjicere alicui rei* ap. *Plin. ep.* 1, 2. est approbare. (V. CALCULUS.) Et *gallinae filius albae* ap. *Juven.* 13, 141. est fortunatus, est nobilis. De alba gallina prodigium narrat *Suet. Galb.* 1. ad quod fortasse hoc loco *Juvenalis* respexit. ℙ *Albae sententiae* sunt splendidae, apertae, perspicuae. *Sen. controv. in paref.* Sententiae, quas optime Pollio Asinius albas vocabat, simplices, apertae, nihil occultum, nihil insperatum afferentes, sed vocales et splendidae. [*cf. *Frotscher.* ad *Quint.* 10, 1, 101.] ℙ Albus fuit etiam primitivum cognomen gentis Postumiae, ut in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 289. Sp. Postumius A. F. P. N. Albus Regillus. ℙ Gradus *Albior et Albissimus* afferuntur quidem a *Varr. L. L.* 7, 39., sed non sunt in usu; nam quod *albissimus* ap. *Cels.* 5, 26. *n.* 20. quidam legunt, optimae quaeque edition. habent *albidissimus.* ℙ [**Albus* et *altus* commutantur in libris. cf. *Burm.* ad *Ov. Met.* 8, 33.]

[ALCAEUS, i, m. fortis, validus, ab ἀλκή, robur. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 839, 5. M. Pacilius Alcaeus. ℙ Alcaeus poeta. V. ALCAICUS. *F.*]

ALCAĬCUS, a, um, adj. ad Alcaeum pertinens. Ἀλκαϊκός. Fuit autem *Alcaeus* poeta lyricus ex Mytilene urbe, quem laudat *Quint.* 10, 1, 63. *Hor.* quoque *Od.* 2, 13, 26. *sonantem aureo plectro* dicit. Itaque ab eo *Alcaicum* hendecasyllabum dictum est, quod is primus invenit, teste *Diomed.* 3. p. 510., quale est illud *Hor. Od.* 1, 9. *Vides ut alta stet nive candidum.* Alia ibi hendecasyllaborum genera *Diomedes* enumerat, alia item alii Grammatici, quos consule. *Sid. Carm.* 1. *l.* 9. p. 13. Dum metro quatitur chorda Glyconico, Nec non Alcaico, vel Pherecratio.

*ALCĂMĒNES, is, m. Ἀλκαμένης [ab ἀλκή, robur, et ἀμενής, non fortis, *h. e.* viribus imbecillus. *F.*] Fuit statuarius nobilis, Phidiae discipulus, de quo *Cic. N. D.* 1, 31. et *Plin.* 34, 8, 19. *B. A.* ℙ [Fuit etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Inscriz. Alb.* p. 96. Q. Lollius Alcamenes. *F.*]

ALCĂTHOE, ēs, f. l. Ἀλκαθόη, eadem quae Megara, oppidum Achajae. V. v. seq. *Ov. Met.* 7, 443. Tutus ad Alcathoem, Lelegeia moenia, limes, Composito Scirone patet.

*ALCĂTHOUS, i, m. Pelopis filius, qui caedis Chrysippi fratris suspectus Megaram venit, occisoque leone, qui Euripum, Megarei regis filium, necaverat, a rege adscitus est gener, et regni successor. Hinc Megara urbs Alcathoi appellata est, ubi ille tanquam Deus deinceps habitus fuit. Dum Alcathous Megaram muris cingeret, Phoebi cithara cuidam turri imposita resonandi facultatem eidem tribuit. *Ov. Met.* 8, 14. et *Auct. Cir.* 101. rem narrant. *Ov. A. A.* 2, 421. Alcathoi, qui mittitur urbe Pelasga Bulbus.

ALCE vel Alces, is, f. Ἀλκή, (cervus alces *Linn.* *das Elennthier*) genus ferae in Hercynia silva, quam describit *Caes. B. G.* 6, 26. capreae similem, tum figura, tum varietate pellis, paullo tamen majorem, mutilis cornibus, et crura sine nodis, articulisque habentem, ut si aliquo afflicta casu concidat, erigere se non possit: ideoque acclinem arbori somnum captantem. [*Fabulae. Cf. *Herz.* l. l.] *Plin.* 8, 15, 16. describit, jumento similem, ni proceritas aurium, et cervicis distinguat. Quod autem *Caesar* addit, nullos alcem articulos in cruribus habere, id *Plin.* tribuit *achli. Solin.* etiam 20. alcem facit mulo similem, adeoque propenso labro superiore, ut nisi retrocedens, pasci non queat. At hoc idem de achli *Plin.* tradit. V. ACHLIS. Sed non debet mirum videri, de feris hujusmodi parum cognitis diversa scribi ab auctoribus, cum et de obviis saepe inter se dissideant. *Salmas.* ad *Solin.* asserit legi *alces*, non *alce* in recto casu singulari, ibi: *Est et alces mulis comparanda:* adeoque in genitivo dicendum *alcis*, non *alces. Plin. loc. cit.* in accusativo sing. *alcem* dixit. *Caes. loc. cit.* in recto plur. *alces.* ℙ Apud *Ov. Met.* 3, 217. alce est nomen canis, ductum ab ἀλκή, robur, vires. ℙ [*Item Alce est oppidum in Hisp. Tarracon. *Liv.* 40, 48. 49. ℙ Item nomen meretricis, *Gell.* 4, 11. ℙ Item fluvii in Bithynia. *Plin.* 5, 32, 43.]

ALCĔA, ae, f. ἀλκέα, herba est ex genere malvarum silvestrium teste *Diosc. l.* 3. *c.* 164. folia habens verbenacae similia, caules tres aut quatuor, foliorum plenos, florem rosae, radices albas cum plurimum sex, cubitales, obliquas, in pingui solo nascens. *Plin.* 27, 4, 6.

ALCĔDO, vel Halcedo, inis, et Alcyŏne, es, ἀλκυόνη, ης, vel ἀλκυών, όνος, (alcedo hispida *Linn.*, *martin-pêcheur* Gallorum G. *Eisvogel*, *Königsfischer*) avis maritima, paulo major passere, pennis purpureis, candidis admixtis, collo gracili et procero, rostro subviridi, longo et tenui, nidificans in litore maris, et in arena pariens. Statim autem atque ova posuit, mare, si antea procellosum fuerit, mitescit et tranquillissime quiescit 14. dies, donec pullos nido eduxerit. Hos 14. dies nautae praesumptae serenitatis observant, quos et *alcyoneos* et *alcyonidas* dies appellant, quibus nullos motus procellosae tempestatis horrescant. Alcyones nidos maxime admirabiles describit *Plin.* 10, 32, 47. [*cf. *Voss.* ad *Virg. G.* 1, 399.] ℙ Hinc poetae ansam fabulandi arripuerunt, Alcyonem filiam Aeoli fuisse, qui in gratiam filiae, dum illa in litore ova parit, et fetus educat, ventos inclusos servat. V. ALCYONE. *Varr. L. L.* 6, 5. Haec avis nunc Graece dicitur ἀλκυών, a nostris halcedo: haec hieme quod pullos dicitur tranquillo mari facere, eos dies alcyonios appellant. Adde 4, 13. Utroque autem loco scribitur *halcedo* cum aspiratione; derivant enim Etymologi ab ἅλς, ἁλός, mare. *Pl. Poen.* 1, 2, 142. Jam hercle tu peristi, nisi illam mihi tam tranquillam facis, quam mare est olim, cum alcedo pullos educit suos. *Front. de fer. Als.* 3. An alcedo cum pullis suis tranquillo otio dignior est, quam tu cum tuis liberis? *Cod. Palimps.* aspiratione caret.

ALCĒDONIA, orum, neutr. plur. ἀλκυονίδες, dies sunt hiberni fere 14., quibus alcedo ova parit in litore maris, et fetus educat, quo tempore summa ventorum est tranquillitas. Hinc joculariter *Pl. Cas. prol.* 26. Tranquillum est: alcedonia sunt circum forum. *Front. de fer. Als.* 3. Mare ipsum ajunt, ubi alcedonia sint, fieri feriatum.

ALCES. V. ALCE.

ALCESTE, ēs, et Alcestis, estis, Ἄλκέστη et — ις, filia Peliae et Anaxibiae Biantis filiae, Admeti Pheraeorum regis conjux, quae maritum tanto amore dilexit, ut pro eo perire non recusaverit. Cum enim rex aegrotaret, oraculo nunciatum est ei, posse eum adhuc vivere, si foret aliquis ex affinitate, vel amicitia, qui pro eo sponte mortem subiret. Ceteris id abnuentibus, sola uxor promisit, et viro praestitit, abscisso ei prius fatali capillo a Mercurio, quo mori impediebatur: sed postea ab inferis revocata est, et marito opera Herculis restituta. *Hygin. fab.* 51. et 251. Hinc *Martial.* 4, 75. Arserit Evadne flammis injecta mariti, Nec minor Alcestin fama sub astra ferat. Al. leg. *Alcestem. Juven.* 6, 652. spectant subeuntem fata mariti Alcestim, et similis si permutatio detur etc. ℙ *Alcestis* titulus est etiam tragoediae *Eupiridis* de Alceste; item poematis *Laecii* veteris poetae Latini, de quo *Gell.* 19, 7.

[ALCETIENSIS, se, adj. ad Alcetiam pertinens, Pannoniae superioris coloniam, nunc *Zeistmaur. Inscr.* ap. *Grut.* 345, 8. Aelii Flavii Dec. et IIVIR. et flamin. Alcetiensium. *F.*]

ALCEUS, i, m. Ἀλκεύς, disyllab. pater fuit Amphitryonis, ex cujus uxore Alcmena a Iove compressa natus est Hercules, qui inde *Alcides* dictus est, Ἀλκείδης. *Serv.* ad *A.* 6, 392.

ALCHELUCIA, a *Martian. Dig.* 39, 4, 16. §. 7. enumeratur inter varias species pertinentes ad vectigal, quales sunt cinnamomum, piper, costum et hujusmodi. In editione *Torrent.* appositus est asteriscus, nota dubiae lectionis. In editione *Haloandri* pro *alchelucia* est *agallochus*, quod est lignum ex Arabia et India advectum, maculatum, odoratum, gustu subamarum, ἀγαλλοχον. *Dioscor. l.* 1. *c.* 21.

ALCHĪMIA, ae, f. ars est transmutandi metalla, et viliora in pretiosiora vertendi, ἀλχημία: barbara vox a *Firmic.* usurpata *Mathes.* 3, 15., ubi *Voss. in Etymol.* asserit in MSS. legi *chimia.*

ALCI, orum, v. ALCIS.

ALCIBĬADES, is, m. Ἀλκιβιάδης, vir summus Atheniensis, genere, divitiis, pulchritudine corporis, magnitudine animi, excellentia ingenii: cujus vitam habemus a *Plutarcho* et *Corn. Nep.* V. etiam *Justin. l.* 4. et 5. ℙ In vocativo singulari est *Alcibiade*, Graece Ἀλκιβιάδη. *Liv.* 39, 36. Vestrum est, Areu et Alcibiade, qui nunc nos accusatis etc.

ALCIBĬADĔUS, a, um, adj. ad Alcibiadem pertinens, Ἀλκιβιάδειος. *Arnob.* 6. p. 198. Hermas Alcibiadei ad corporis similitudinem fabricatos.

[ALCIBĬON, ii, n. ἀλκίβιον, herba adversus serpentium morsus remedium habens. *Plin.* 27, 5, 21. *F.*]

[ALCĬDĂMAS, antis, m. Ἀλκιδάμας, luctator insignis, quod ipsum declarat nomen, qui nempe robore suo domare possit alios, apud *Stat. Th.* 10, 500. ℙ Alius est ap. *Ov. Met.* 7, 369., qui in Cea insula admirabundus vidit columbam natam e filiae suae corpore. *F.*] *ℙ Item rhetor antiquus inprimis nobilis, qui scripsit laudationem mortis. *Cic. Tusc.* 1, 48. (Olim male h. l. Alcidamus.)

ALCĪDES, ae, m. Ἀλκείδης, Hercules, ita dictus ab avo Alceo. Quidam putant ita appellatum esse a fortitudine; quae Graece ἀλκή dicitur. *Virg. A.* 8, 203. Alcides aderat, taurosque hac victor agebat. *Id. ib.* 10, 320. genitorque Melampus Alcidae comes. *Id. ib.* 6, 123. Quid memorem Alciden? et mi genus ab Jove summo. (*Sidon.* 6, 11. ultimam in *Alciden* corripit, non imitandus.) *Ov. Her.* 9, 75. Non fugis, Alcide etc.

[ALCĪMĂCHUS, i, m. ἀλκίμαχος, strenuus in pugna, ab ἄλκιμος, fortis, et μάχομαι, pugno. [*Fuit pictor nobilissimus; *Plin.* 35, 11. et 40, 32.] ℙ Item nomen servile in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 687. *n.* 98. Alcimachus Neronis Claudii Caesaris Augusti Germanici corporis custos. *F.*]

ALCĪMĒDĒ, ēs, f. Ἀλκιμέδη, Clymeni vel Autolyci filia, uxor Aesonis, mater Iasonis. *Hygin. fab.* 14., *Val. Fl.* 1, 317. et *Stat. Th.* 5, 236.

ALCĪMĒDON, ontis, m. sculptor nobilis. *Virg. Ecl.* 3, 37. et 44.

ALCĪMUS, i, m. nomen viri proprium ab ἀλκιμος, fortis. *Alcimus Ecditius Avitus* Isicii senatoris, et Viennae Allobrogum episcopi filius, eique in ea sede successor, floruit tum vitae sanctitate, tum scriptis circa A. C. 500. ediditque multa tum soluta oratione, tum carmine, ex quibus non pauca adhuc exstant. Ejus sermo, et stilus est, ut illis temporibus, non contemnendus. ℙ *Latinus Alcimus Alethius* rhetor circa A. C. 360. laudatur ab *Auson. Profess.* 2. ℙ [Fuit etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 959, 4. C. Julius Alcimus. *F.*]

ALCĪNOUS vel Alcĭnus, Ἀλκίνοος, Nausithoi filius, rex Phaeacum in Corcyra insula justissimus, idemque ditissimus, cujus aedes fuerunt magnificentissime exstructae, et viridaria bifera erant. Diligentissimus enim hortorum cultor fuit, adeo ut *Alcinoi horti* in proverbium abierint. *Virg. G.* 2, 87. Pomaque et Alcinoi silvae, *h. e.* pomiferae arbores. *Stat. Silv.* 1, 3, 81. Quid bifera Alcinoi laudem pomaria? Hinc etiam *Alcinoo dare poma*, *h. e.* noctuas Athenas. *Ov. Pont.* 4, 2, 10. et *Martial.* 7, 41. V. NOCTUA. ℙ *Juventus Alcinoi* ap. *Hor. Ep.* 1, 2, 28. proverbialiter dicitur de iis, qui voluptatibus et deliciis nimis dediti sunt. Nam Alcinous ap. *Hom. Od. ϑ.* inducitur ut studiosus conviviorum et chorearum, deditus musicae et exquisito cultui corporis. ℙ Idem tamen etiam justissimus fuisse traditur, ut dictum est. Judex enim electus inter Jasonem et Medeae patrem, qui misso Absyrto filio eum armis persequebatur, ut Medeam redderet, sapientissima sententia litem composuit. *Hygin. fab.* 23. ℙ Munificum quoque et hospitalem fuisse testatur. *Ov. Pont.* 2, 9, 42. propter exceptum hospitio Ulyssem naufragum, et large insuper donatum. *Hygin. fab.* 125.

[ALCIPPĒ, ēs, f. Haec mulier elephantum peperisse dicitur *Plin.* 7, 3, 3. Fortasse idem ostentum est, quod narrant *Liv.* 27, 11. et *Val. Max.* 1, 6., puerum nempe elephantino capite natum fuisse. *F.*]

ALCIS, ĭdis, f. Ἄλκις, ab ἀλκὴ, robur. Ita cognominata fuit Minerva apud Macedonas. *Liv.* 42, 51. Sacrificio Minervae, quam vocant Alcidem, confecto.

[ALCIS, is, m. numen a Naharvalis, Germanica gente, cultum, quod Romani Castorem et Pollucem esse putabant. Praeerat ludo ejus sacerdos muliebri veste indutus. *Tac. G.* 43. *F.* Probabilius est, esse Alcis dativum. Cf. *Hess.* ad h. l.]

ALCITHOĒ, ēs, f. Ἀλκιθόη, Minyae filia, Thebana, quae cum Bacchum, ejusque orgia contemneret, ceterisque mulieribus sacra celebrantibus, cum sororibus et ancillis lanificio operam daret, ab irato Baccho in vespertilionem cum sociis mutata est, telae autem in vitem et hederam. *Ov. Met.* 4, 1. et 12.

ALCMAEO et Alcmaeon, ōnis, m. Ἀλκμαίων, ονος, Amphiarai vatis, et Eriphyles filius, qui ut patri obsequeretur, matrem ipsam interfecit. Post peractum scelus, cum furiis agitaretur, ad Phegeum flumen confugit expiandi causa, sed ejus filiae Alphesiboeae amore captus, eam in uxorem duxit, et monili, quod detractum matri Eriphylae abstulerat, donavit. Erat autem illud ex auro et gemmis valde pretiosum, quod illa acceperat ab Adrasto, vel, ut alii volunt, Polynice, praemium scilicet ob detectum Amphiaraum maritum, qui ne ad bellum Thebanum traheretur, a quo se non reversurum praeviderat, latitabat. Porro Alcmaeon, cum nullum furoris remedium apud Phegeum inveniret, ad Acheloum se contulit, cujus idem filiam Callirhoen duxit, a qua cum pretiosum illud monile posceretur, ineptissimus homo promisit, et ad Alphesiboeam repetendi causa rediit, quo cum pervenisset, commisso cum ejus fratribus acri certamine, illatisque et acceptis vulneribus, omnes occubuerunt. *Hygin. fab.* 71, 73. et 245., ubi tamen scribit Alcmaeonem non ab Alphesiboeae fratribus, sed ab ipso Phegeo patre fuisse interfectum. Adde *Ov. Met. fab.* 9, 10., ubi innuit, Amphiarai filiis ex Callirhoe susceptis datum a Jove, matris precibus, ut ante tempus juvenes fierent, quo celerius patris necem in Phegeo ulciscerentur. ℙ *Pl. Capt.* 3, 4, 30. et *Cic. Acad.* 4, 28. in recto casu singulari *Alcmaeo* dixerunt: *Hygin.* vero *Alcmaeon.*

ALCMAEONĬUS, a, um, adj. ad Alcmaeonem pertinens. *Propert.* 3, 3, 63. Aut Alemaeoniae furiae, aut jejunia Phinei, *h. e.* furiae, quae vexasse dicuntur Alcmaeonem interfecta matre.

ALCMĀNĬUM metrum dictum est ab Alcmane poeta lyrico, qui illud vel invenit, vel saepe usurpavit. Fuit is Graecus poeta, qui pediculorum morbo obiit, teste *Plin.* 11, 33, 39. Constat hoc metrum trimetro brachycatalecto, quale est illud: *Spernis decorae virginis thoros. Ita Serv. in art. de centum metris* p. 1818.

ALCMĒNA, ae, et Alcmene, es, f. Ἀλκμήνη, filia Electryonis filii Persei et Andromedae, uxor Amphitryonis filii Alcei fratris Electryonis. Haec, dum Amphitryo maritus belli causa abesset, Jovem sub figura mariti advenientem et domo et lecto excepit, qui ejus concubitu praeter modum oblectatus, eam ipsam noctem duplo, vel, ut alii volunt, triplo longiorem fecit, et Herculem generavit, cum jam septem menses ex vero Amphitryone gravida esset. Quare duobus postea elapsis mensibus, ex Jove Herculem, ex Amphitryone Iphiclum uno partu edidit. *Hygin. fab.* 29. et alii. Apud *Arnob.* 5. p. 145. legitur, novem noctibus Jovem cum ea fuisse. Haec fabula est argumentum Amphitryonis Plautini. *Propert.* 2, 18, 25. Juppiter Alcmenae geminas requieverat Arctos, Et coelum noctu bis sine rege fuit. ℙ *Plautus* pro *Alcmena* semper *Alcumena* usurpat. Est enim hoc nomen deductum ab ἄλκιμος robustus, fortis, quod ab ἀλκὴ robur; ut sit quasi Ἀλκιμήνη: ceteri poetae fere *Alcmena* vel *Alcmene*, Graeca positione. *Ov. Met.* 9, 276. Argolis Alcmene, questus ubi ponat aniles. *Senec. Herc. Oet.* 1825. Quis poscet Alcmenes onus? *Claudian. epigr. de laud. Herc.* 48. tibi faciant, Alcmena, pavorem. ℙ In argumento Amphitryonis *Plauti*, quod quidam *Prisciano*, alii *Sidonio* tribuunt, legitur *Alcumenas* in genitivo singulari more scilicet Dorico: nam Dores inflectunt Ἀλκιμήνα, ας: qua ratione etiam *auras* pro *aurae* dictum esse a *Virg. A.* 11, 801. notat *Servius.* ℙ Alcumena est etiam titulus cujusdam tragoediae *Euripidis*, in qua inducitur Juppiter foedam tempestatem ciens, dum Alcmena parit. *Plaut. Rud.* 1, 1, 4.

ALCON, ōnis, m. Cretensis sagittarius peritissimus comes Herculis. Hic positos supra capita hominum anulos trajiciebat; capillos spiculis sagittarum rumpebat; sagittas sine ferro, positis ex adverso gladiorum, aut lancearum mucronibus, findebat: cujus filium cum draco invasisset, tanta arte direxit sagittam, ut ea currens in serpentis deficeret vulnere, nec filium laederet. Haec *Servius* ad illud *Virg. Ecl.* 2, 11. Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri. ℙ [*Item nomen servi graeculi, *Hor. Sat.* 2, 8, 15. ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 834, 1. M. Hedias Alcon. *F.*]

ALCŪĪNUS, i, m. Flaccus Alcuinus, seu Albinus, Bedae presbyteri auditor, Abbas monasterii S. Martini Turonensis, natione Anglus, Caroli M. praeceptor, saeculo octavo floruit, scripsitque multa Latine, et quidem non infeliciter pro illa aetate: cujus consilio Carolus M. celebre gymnasium Parisiis instituit.

ALCYON et Halcyon, ōnis, f. ἀλκυών, eadem quae alcedo, et alcyone. *Propert.* 1, 17, 2. desertas alloquor alcyonas. *Virg. G.* 1, 398. pennas in litore pandunt Dilectae Thetidi alcyones. *Servius* hoc loco notat, hanc vocem, cum avem significat (nam et nomen proprium mulieris esse potest) communis generis esse: nullo tamen id exemplo probat. V. ALCEDO [*et Voss. l. l.]

ALCYONE vel Halcyone, es, f. Ἀλκυόνη, et Ἀλκυόνη, filia Aeoli, et Aegiales, quae prae nimio amore Ceycis mariti sui, qui naufragio perierat, se in mare praecipitavit: quos ambos Juppiter miseratus mutavit in aves sui nominis; de quarum natura V. in ALCEDO. Appellatur autem *alcyone ἀπὸ τοῦ ἐν ἁλὶ κυεῖν*, *h. e.* quia in mari nidificat, et pullos educit. Quare scribendum putant *halcyone* cum aspiratione: contra alii aspirationem tollunt ex auctoritate *Eustath.*, qui negat vocabulum ullum esse aspiratione notandum, quod incipiat ab αλ sequente κ. *Ov. Met.* 11, 746. Incubat alcyone pendentibus aequore nidis. Et 567. Nominat alcyonen, ipsisque immurmurat undis. V. *Eund. ib. fab.* 9. et 10. ℙ *Alcyone* altera fuit Atlantis filia, una ex Plejadibus, quae a Neptuno compressa duos peperit filios Rian, vel Hyrean, et Aphoceum. *Hygin. fab.* 157. et 192. De hac *Ov. Her.* 19, 133. Lucidaque Alcyone, Circeque, etc.

ALCYONEUS et Halcyoneus, i, m. Ἀλκυονεύς (vox trisyllaba) unus ex Gigantibus Terrae filiis, qui Caelitibus bellum intulere. Hic deceptus consilio Minervae, quae hortabatur, ut altius a terra se extolleret, cujus contactu invictus reddebatur, dum audacter altiora peteret, ab Hercule domitus, et sagittis confossus occubuit, et sub Vesevo oppressus est. Ejus septem filiae patris ruinam deflentes se in mare praecipitavere, et in aves alcyones mutatae dicuntur. *Claud. Rapt.* 3, 185. fractane jugi compage Vesevi Alcyoneus per stagna pedes Tyrrhena cucurrit?

ALCYONEUS et Halcyoneus, a, um, adj. Ἀλκυόνειος, ad alcyonem pertinens. *Alcyonei dies* dicuntur, quibus alcyones nidificant, et pariunt, quo tempore maxima maris tranquillitas esse solet, praesertim in Siculo, et Atlantico. *Colum.* 11, 2., ubi tamen al. aliter leg. ℙ *Alcyonēum medicamen*, vel *Alcyoneum* absolute, et *Alcyonĭum*, ἀλκυόνειον et ἀλκυόνιον, medicamentum quoddam optimum ad eluendas e vultu maculas, quod quidam apud *Plin.* 32, 8, 27. ex alcyonum nido fieri existimant. Unde *Ovid. medic. fac.* 77. Adjice et e querulo volucrum medicamina nido: Ore fugant maculas, alcyonea vocant. Alii apud *Plin. loc. cit.* e sordibus tenuioribus spumae marinae crassescentibus; alii e limo, vel quadam maris lanugine fieri illud putant, miram ad lichenas, lepras, lentiginesque tollendas vim habens. Quatuor ejus genera enumerat *Plin. ib.* Meminit et *Cels.* 5, 6. et 5, 18. *n.* 26., et inter rodentia, seu exulcerantia recenset.

ALCYONIDES dies iidem sunt, qui *alcyonei. Plin.* 10, 32, 47. Fetificant bruma, qui dies alcyonides vocantur, placido mari per eos dies, et navigabili, Siculo maxime.

ALDHELMUS, vel Adelhelmus, vel Anthelmus (totidem enim modis legitur) Schireburgensis, apud occidentales Saxones in Anglia episcopus, vitae sanctitate celeber, scriptis etiam claruit, tum carmine, tum soluta oratione: vixit autem saeculo Christi octavo, quo Latinae linguae vigor et nitor magna ex parte interciderat.

*ALĒ, es, Ciliciae oppidum. *Plin.* 5, 27, 22.

ĀLĔA, ae, f. κύβος, proprie significat ludum tesserarum, sed generatim accipitur pro omni ludo, in quo nihil, aut certe parum ars et ingenium proficit, sed a fortunae varietate, casuque eventus pendet. *Isid. Orig.* 18, 60. scribit dictam esse a quodam milite Graeco nomine *Alea*, qui in bello Trojano eam invenerit, qua in re vix habet, qui assentiatur. *Voss. in Etymol.* deduci putat ab ἀλᾶσθαι, quod significat vagari, incertum esse, quia nihil ea est incertius: [hoc probandum videtur F. Dubito.] *Cic. Phil.* 2, 23. Alea ludere. *Id. Phil.* 13, 11. In lustris, popinis, alea, vino, tempus aetatis omne consumere. *Id. ib.* 2, 23. In alea aliquid perdere. *Suet. Aug.* 70. Indulgere aleae. *Id. Domit.* 21. Oblectare se alea. *Id. Cal.* 41. Prosperiore alea uti. *Tac. G.* 24. Exercere aleam. *Pl. Curc.* 2, 3, 76. Provocare aliquem in aleam. ℙ Dicitur etiam *aleam ludere*, et *in alea ludere.* [*et alea ludere; quare haec in libris fere ubique confunduntur. cf. *Burm.* et *Oud.* ad *Suet. Aug.* 70.] *Edict. Praetor.* apud *Ulp. Dig.* 11, 5, 1. Si quis eum, apud quem alea lusum esse dicetur, verberaverit. *Paul. ib.* 11, 5, 4. Repetitio ejus, quod in alea lusum est. *Ulp. loc. cit.* Qui aleae ludendae causa vim intulerit. *Juven.* 8, 10. si luditur alea pernox. In quodam carm. apud *Suet. Aug.* 70. Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam. ℙ [*De aleae ludo agunt *Salm.* ad *Vopisc. Procul.* T. II. Hist. Aug. Script. p. 260. *Burm.* ad *Anth. Lat.* 1. p. 519.] ℙ Etiam apud Romanos aleae ludus legibus interdictus fuit, ut videre est *Dig. l.* 11. *tit.* 5. qui est *De aleatoribus.* Saturnalibus tamen permit tebatur, ut ex *Martial.* 4, 14. et 5, 84. et *Suet. Aug.* 71. colligitur. *Hor. Od.* 3, 24. *sub fin.* seu malis vetita legibus alea. *Cic. Phil.* 2, 23. Lege, quae est de alea, condemnatus. *Et paulo supra.* De alea condemnatus. ℙ *Jacta est alea* proverbio dicitur, cum res fortunae arbitrio omnino commissa est. Ductum est proverb. a dicto Jul. Caesaris, qui arma laturus contra rempublicam, cum aliquantisper in finibus suae provinciae, quasi reversurus constitisset, repente demum transmisso flumine Rubicone, *Eatur*, inquit, *quo Deorum ostenta, et inimicorum iniquitas vocat: jacta alea est. Suet. Caes.* 32. ℙ Translate *alea* sumitur saepissime pro discrimine, dubitatione, incerto eventu, fortuna. *Cic. Div.* 2, 15. *ad fin.* Non perspicitis, aleam quandam inesse hostiis deligendis? [*Ita *Ov. A. A.* 1, 376. Talibus admissis alea grandis inest; quem l. comparat *Ern.*] *Liv.* 1, 23. In dubiam imperii servitiique aleam ire. *Id.* 37, 36. *in fin.* Alea belli. *Id.* 42, 59. Dare summam rerum in aleam non necessariam. *Colum.* 3, 21. Subire aleam. *Sen. Benef.* 3, 11. Adire. *Varr. R. R.* 1, 4. Ubi salubritas non est, cultura non aliud est, atque alea domini vitae ac rei familiaris. *Id. ib.* 18. Sequentes non aleam, sed rationem aliquam. *Colum. praefat.* Maris, et negotiationis alea. *Hor. Od.* 2, 1, 6. Periculosae plenum opus aleae. *Luc.* 6, 7. Alea fati. *Plin. praefat. H. N.* M. Tullius extra omnem ingenii aleam positus, *h. e.* extra omnem dubitationem, quin sit omnibus ingenio praeferendus. ℙ *Emere aleam* est emere rem incertam, ut jactum retis, missilium, et hujusmodi. *Ulp. Dig.* 18, 1, 8. et *Paul. ib.* 18, 4, 7. ℙ Denique Ālĕă est epithetum Minervae. V. ALEUS. ℙ Fuit etiam Alea, Ἄλσα nomen oppidi in Arcadia. *Plin.* 4, 6. cf. ALEUS.

ĀLĔĀRIS, re, adj. alearius, aleatorius, ut *tabella alearis* apud *Cael. Aurelian. Chronic.* 2, 1.

ĀLĔĀRĬUS, a, um, adj. Amicitia alearia dicitur, quae ludi aleatorii occasione nascitur: proinde non vera, sed falsa amicitiae species habenda. *Ammian.* 28, 4. Cum omnes amicitiae Romae tepescant, solae alearia sociales sunt, et affectu nimio connexae.

ĀLĔĀTOR, oris, m. κυβευτὴς, qui saepe alea ludit. *Cic. Cat.* 2, 10. In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur. *P. Syr.* in *Trochaic.* Aleator quanto in arte est melior, tanto est nequior.

ĀLĔĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad aleam, vel aleatorem pertinens, κυβευτικός. *Cic. Phil.* 2, 27. Damna aleatoria. *Augustus* apud *Suet.* 71. Lusimus

per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus. *Gell.* 18, 13. Aleatorio ritu. ℙ *Aleatorium* absolute, locus ubi alea luditur, κυβευτήριον. *Sidon. ep.* 2, 2. *a med.*

ĀLEBAS vel Ālēvas, ae, m. Ἀληβᾶς, Larissaeorum in Thessalia crudelissimus tyrannus, ab ipsis tamen satellitibus interfectus, quos ad corporis custodiam adhibebat. *Ov. Ib.* 322. Quosque putas fidos, ut Larissaeus Alebas, etc. Et 511. Lapsuramque domum subeas, ut sanguis Alebae. *Sanguis Alebae* est *Scopas* ex Alebae progenie, qui subita domus ruina, dum accumberet, oppressus fuit: a qua calamitate divinitus Castorum beneficio Simonides poeta servatus fuit, ut narrat *Phaedr.* 4, 24. [*Quint.* 11, 2, 14. ℙ Fuit etiam hoc nomine insignis statuarius. *Plin.* 34, 8.]

*ALEBECE, es, opp. in Gallia Narbonensi, h. Riez. *Plin.* 3, 4, 5. *Hard.* mavult legi *Albioece*, ob populum, qui Albioeci dicuntur.

ĀLEBRIA veteres usurpabant pro *bene alentia. Festus.*

ĀLEC vel Ālex et Hālec, ēcis, n. et f., interdum etiam m. γαρέλαιον, si *Plinium* audimus 31, 8, 44., primo et proprie significat faecem gari, seu muriae imperfectam, nec colatam: deinde transiit et ipsum in cibos, et notat genus quoddam salsamenti garo, et muriae similis, sed tamen distincti ab iis. Conficiebatur enim ex quibusdam minutis pisciculis, vel ex eorum intestinis salito liquamine aspersis, maceratis et tabefactis. Pervenit deinde, ut addit *Plin.* etiam ad ostreas, echinos, urticas, cammaros, mullorumque jocinora (hoc *Apicii* inventum fuit) et ad luxuriam transiit. Ex quo intelligimus duplicis generis esse alecem, vilis nempe ac pauperum, et pretiosi ac divitum mensis aptum. *Pl. fr.* ap. *Non.* 2, 395. Qui mihi olera cruda ponunt, halec danunt. *Hor. Sat.* 2, 4, 73. ego faecem primus et alec, Primus et inveni piper album. *Faecem et alec* pro eodem dixit, hoc est alecem ex faece, ut *Virg. G.* 2, 192. *pateris libamus et auro: ἐν δὰ δυοῖν.* V. FAEX. [*cf. *Hdf.* ad h. l.] *Plin. l. c.* Alece scabies pecoris sanatur, infusa per cutem incisam. *Apic.* 7, 6. Thymum, cepullam, dactylum, alecem colatum, melle et vino temperabis. *Martial.* 3, 77. Capparin et putri cepas alece natantes. ℙ Est etiam hoc nomine pisciculus quidam vilis, ita dictus vel quod alece aptissime condiatur, vel quod ex eo primum alec fieri coëperit. *Isid. Orig.* 12, 6. et *Colum.* 8, 17. cujus verba V. in ALECULA. Sunt qui putant non piscem aliquem peculiarem hoc nomine significari, sed generatim viles pisciculos, qui alece condiri solent. ℙ Ad scriptionem quod attinet, sunt qui appingunt aspirationem derivantes a Graeca voce ἁλς, ἁλὸς, sal: sed saepius sine aspiratione scriptum legitur. Apud *Plinium* in omnibus fere editionibus legitur *alex* in recto casu: apud *Horatium* vero *alec*, et in antiquissimis quibusdam codicib. etiam *allec* duplici *ll:* quam scriptionem admisit in *Horatio* suo *Bentlejus.* ℙ Monet *Priscian.* 6. p. 686. carere plurali numero. ℙ Translate ponitur pro faece et re vili. V. ALLEX.

ĀLECĀTUS vel Halecatus, a, um, adj. alece conditus. *Apic.* 7, 6. Jus alecatum. Incertum tamen est, an *Apicii* haec verba sint, quae tituli instar sub finem ejus capitis leguntur.

ĀLECTO, us, f. Ἀληκτώ, οῦς, una ex tribus Furiis Inferorum, quae Latine sonat *non cessans:* ab α privativa et λήγω, cesso: quia a suppliciis sumendis de improbis nunquam cessat. *Virg. A.* 7, 341. Gorgoneis Alecto infecta venenis. Et 324. Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum, τὴν Ἀληκτώ. ℙ Genitivum *Alectus* apud Latinos scriptores nondum vidimus: poterit tamen sine reprehensione usurpari ex Gr. analogia, τῆς Ἀληκτοος, οῦς.

ĀLECTORIA, ae, f. gemma crystallina specie, magnitudine fabae, quae in ventriculo galli gallinacei inveniri dicitur. Gallus enim Graece ἀλέκτωρ dicitur. *Plin.* 37, 10, 54. ℙ Haec vox revera adjectivum est, et subintelligitur *gemma.* Quare *alectorius lapis* ap. *Solin.* legitur l., tametsi *Salmas.* aliter edidit. [*Rhinantus crista Galli, *Linn. Hahnenkamm.*]

ĀLECTORIUS. V. ALECTORIA.

ĀLECTOROLOPHOS, i, f. ἀλεκτορόλοφος, herba est tussientibus utilis, foliis galli gallinacei cristae similis, caulem tenuem, semenque nigrum in siliquis habens, sic dicta ab ἀλέκτωρ, gallus, et λόφος, crista. Hinc a Latinis crista dicitur, teste *Plin.* 27, 5, 23.

ĀLECŪLA et Halecula, ae, f. genus vilis cujusdam pisciculi, de quo in ALEC diximus. *Colum.* 8, 17. Pisces jacentes, quia dentibus carent, aut lambunt cibos, aut integros hauriunt: itaque praeberi convenit tabentes aleculas, et salibus exesam chalcidem, putremque sardiniam etc. ℙ Videtur etiam usurpari pro ipso alece. *Id.* 6, 8. Proderit allium pinsitum cum oleo per nares infundere, vel sale, vel cunela defricare fauces, vel eandem partem allio tunso, et alecula linire. Potest tamen intelligi etiam pisciculus alece conditus. ℙ In quibusdam antiquis codd. ap. *Colum.* et *Hallecula*, et *Hallicula* reperitur scriptum.

ĀLĒIUS, a, um, adj. Ἀλήϊος. Aleii campi, πεδίον Ἀληΐον, sunt in Lycia, vel ab urbe Ale, quae ibi fuerit: vel ab α privativa et λήϊον, seges, quod fuerint inculti: vel denique ab ἄλη, ης, erratio; quia fabulantur Bellerophontem post occisam Chimaeram, voluisse Pegaso insidentem super astra conscendere: a Jove deturbatum, cum gravi ruina in hos campos decidisset, caecum igne Jovis, et casu ipso claudum, diu per illos erravisse. *Ov. Ib.* 257. Quique ab equo praeceps in Aleia decidit arva. [*Plin.* 5, 27, 22.] *Cic.* vertens *Homeri* versum, *Tusc.* 3, 26. Qui miser in campis moerens errabat Aleis, pro *Aleiis:* synaeresis. *Hygin. fab.* 57. Decidit in campos Aleios. *Avien. Perieg.* 1046. Hic caespes late producit Aleius arva.

*ALELE, es, oppidum in Africa. *Plin.* 5, 5, 5.

ĀLĒMANNI cum derivatis. V. ALAMANNI.

ĀLĒMONA vel Alimona, ae, f. Dea Romanorum alendis in utero fetibus praeses. *Tertull. Anim.* 37.

ĀLĒMONIDĒS, idae, m. patronym. filius Alemonis, nempe Myscelus, qui ex Graecia in Italiam Herculis monitu veniens, Crotonem aedificavit. *Ov. Met.* 15, 19. et 26.

ĀLĒO, ōnis, m. κυβευτής, aleator. *Naev.* ap. *Fest.* Ganeo, lurco, aleo. *Catull.* 29, 2. Nisi impudicus, et vorax, et aleo. Al. leg. *helluo.* Et 6. Es impudicus, et vorax, et aleo. *Scaliger* notat, hunc versum in quibusdam MSS. deesse. *Sall. Catil.* 14. Quicumque impudicus, adulter, ganeo, aleo etc. Alii omittunt *aleo.* [*Recte.] *Tertull. Fuga in persecut.* 13. Fures balnearum, et aleones, et leones.

*ALEOS, vel Aleon, fluvius Ioniae prope Erythras. *Plin.* 5, 29, 31. et 31, 2, 10.

*ALERIA, ae, Corsicae oppidum. *Plin.* 3, 6, 12. *Flor.* 2, 2. *Anton. Itin.*

ĀLES, alītis, m. et f. [*femininum multo usitatius] ὄρνις. (est ab *ala*) generale nomen eorum animalium, quae alas et pennas habent, et ova pariunt: quare minus late patet quam *volucris*, quae vox dicitur de omni eo, quod volat, sive pennas habeat, sive non. Quare vespertilionem *volucrem* proprie dicemus, non *alitem*, quia alas quidem habet, non autem pennas. Hoc tamen discrimen non est perpetuum. *Virg. A.* 1, 394. Jovis ales lapsa plaga aetheria, *h. e.* aquila. *Id. A.* 5, 506. exterrita pennis. Et *A.* 12, 247. fulvus Jovis ales. *Hor. Od.* 3, 4. *in f.* ales additus custos. *Plin.* 23, 1, 17. Alites villaticae, *h. e.* gallinae, anseres, palumbi, et aliae, quae in villis aluntur. ℙ Apud Latinos augures *alites* dicuntur, teste *Festo* in *Oscines*, quae augurium alis et volatu ferunt; *oscines*, quae ore et cantu. [*Multis hoc confirmat *Manut.* ad *Cic. Fam.* 6, 6, 13.] *Cic. N. D.* 2, 64. Quamquam aves quasdam et alites, et oscines, ut nostri augures appellant, rerum augurandarum causa esse natas putamus. *Id. Div.* 1, 53. Tum huc, tum illuc volent alites: tum a dextra, tum a sinistra parte canant oscines. *Id. Fam.* 6, 6. Non igitur ex alitis involatu [*l. volatu], nec e cantu sinistro oscinis, ut est in nostra disciplina, tibi auguror. Adde *Plin.* 10, 19, 22. [*Hinc ales pro augurio. *Hor. epod.* 10, 1. mala ales, i. e. malum augurium. et *Bentl.* ad h. l. De secundo augurio *id. ib.* 16, 23.] ℙ Saepe a poetis adjective usurpatur, et ponitur pro alato et volanti, et tribuitur iis, quae alas habent, licet aves non sint. *In carm.* ap. *Cic. Inv.* 1, 19. Angues ingentes alites juncti jugo. *Ov. Met.* 2, 714. et *Stat. Th.* 4, 605. Deus ales, *h. e.* Mercurius, qui alas in pedibus habere fingitur. *Id. Am.* 3, 12, 24. Victor Abantiades alite fertur equo, *h. e.* Pegaso, qui alatus fuisse dicitur. *Claud. I. Cons. Stilich.* 2, 408. Fama ales. [*Pacuv.* ap. *Cic. Rep.* 3, 9. alitum anguium currus. *Beier.*] ℙ Translate sumitur pro volanti, veloci, agili. *Virg. A.* 8, 430. tres ignis, et alitis Austri. *Ov. Met.* 10, 587. passu volat alite virgo. *Sil.* 3, 365. alite plumbo, *h. e.* glande plumbea, quae funda mittitur. [*Ammian.* 31, 7. alite velocitate regressae sc. manus vastatoriae.] *Prudent. Psychom.* 323. ales arundo nervo pulsa fugit, *h. e.* sagitta. ℙ Ales canorus apud *Hor. Od.* 2, 20, 15. et absolute ales *ib.* 1, 6, 2. accipitur pro cygno, seu poeta. Scriberis Vario Maeonii carminis aliti, *h. e.* Vario poetae epico, qualis fuit Homerus; *ales* vero *carminis* idem est ac poeta qui canit carmen. *Id. Od.* 4, 2, 25. ℙ *Aliti* in ablativo. *Sen. Med. sub fin.* Ego inter auras aliti curru vehar. Ita enim videtur postulare ratio metri: neque repugnant Grammatici. ℙ In genitivo plurali *alitum* facit, et additu *u* metri causa *alituum. Martial.* 13, 61. Inter sapores fertur alitum primus. *Virg. A.* 8, 27. Alituum, pecudumque genus sopor altus habebat. [*Ita etiam *Ammian.* 19, 2. inaestimabiles copiae in modum alituum ferebantur.] ℙ *Ales* cum verbo pluralis numeri. *Ov. Met.* 5, 297. hominemque putat Jove nata locutum: Ales erant, numeroque novem sua fata querentes. At opt. editiones habent: *Ales erat*, quod praestat, nam Musa, hominem, non picam locutam putaverat.

ĀLESA. V. HALAESA.

ĀLESCO, is, n. αὐξάνω, idem quod cresco: ab *alo, is. Varr. R. R.* 1, 44. Quae nata sunt, in fundo alescunt. Et 2, 4. Alescendo roborari. *Lucr.* 2, 1128. Donicum alescendi summum tetigere cacumen.

*ALESIA et Alexia, ae, f. Ἄλεσια, Ἄλησια, Ἄλεξία, urbs Galliae Celticae s. Lugd. in Mandubiis, h. Alise, Dep. de la côte d'or. *Caes. B. G.* 7, 68. *B. C.* 2, 47. *Vell.* 2, 47. *Bail. A.*

ĀLĒTHIA, ae, f. unus est ex aeonibus haereticorum, ap. *Tertull. advers. Valentinian.* 12. Est autem Graeca vox ἀλήθεια, et veritatem significat.

ALETINUS, a, um, adj.

ALETIUM, ii, n. V. SALENTINUS.

ALETRĪNAS et Alatrinas, atis, adj. ad Aletrium, sive Alatrium, Graece Ἀλήτριον, Latii oppidum pertinens, nunc *Alatri*, in Hernicis, inter Anagniam et Soram, de quo *Frontin. de Colon.* p. 102. *Goes.* et *Inscr.* ap. *Grut.* 424, 7. *Cic. Cluent.* 16. Ex Aletrinate municipio. ℙ *Aletrinates, um*, sunt incolae Aletrii. *Cic. ib.* 20. et *Plin.* 3, 5, 9.

ALETRĪNENSIS, se, adj. id. q. Aletrinas. *Cic. Balb.* 22. Aletrinensis foederatus. Alii aliter legunt. [*cf. *Orelli.*]

ALETRĪNUS, a, um, adj. *Aletrini, orum*, apud *Plin.* 3, 11, 16. sunt incolae urbis Aletrii in Hirpinis, prope Compsam, nunc *Calitri. Inscr.* ap. *Reines. cl.* 3. *n.* 83. S. P. Q. Aletrinus.

ĀLĒTŪDO, ĭnis, f. corporis pinguedo. *Festus.*

ĀLĒVAS. V. ALEBAS.

*ALEU, Arabiae felicis insula. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

ĀLĒUS, a, um, adj. id. q. *Alius*, cum pro *Elio* sumitur, hoc est ad Elidem Achajae urbem pertinens. *Pl. Capt. prol.* 31. Summo genere captum esse equitem Aleum. ℙ Et *Alei, orum* sunt Elidis incolae. *Id. ib.* 2, 2, 30. Cum ei in Aleis tanta gratia est, ut praedicas. ℙ Sic *Alis, idis*, pro *Elis, idis*, ab eodem dictum est. V. ELIS. ℙ *Alea Minerva* dicitur a *Stat. Th.* 4, 288. propter templum, quod in Arcadia habuit, ei dicatum ab Aleo Aliphantis filio, Arcadiae rege. Vel ita cognominata est ab Alea urbe Arcadiae. ℙ De campis Alēis V. in ALEIUS.

ĀLEX. V. ALEC.

ALEXANDER, dri, m. Ἀλέξανδρος, filius Philippi regi Macedoniae, et Olympiadis filiae Neoptolemi regis Molossorum, cognomento *Magnus*, natus ex duabus in Graecia praestantissimis familiis, nempe ex Herculis et Aeaci posteritate, forma fuit humana paene augustiore, cervice celsa, laetis oculis, et illustribus, malis ad gratiam rubescentibus, reliquo etiam corpore non sine majestate decorus. Plures habuit praeceptores, inter quos *Aristotelem*, ex cujus disciplina decem ferme annis informatus est. Mortuo patre, annos natus viginti regni administrationem suscepit. Graecia universa sibi parere coacta, bellum intulit Dario regi Persarum, eumque devicit cum multis aliis regibus: Asiam, et totum paene orientem subegit, aliquam etiam Indiae partem. Sed ultra Liberi Patris terminos progredi ausus non est, frequenti praesertim seditione militum. Plures urbes variis in locis condidit, quas a suo nomine appellavit. Cum ex India in Macedoniam reverteretur, ab Antipatro Macedoniae praefecto veneno aquae Stygiae sublatus est, Babylone, in convivio apud Thessalum Medicum, anno aetatis XXXII. regni XII. Sed *Sen. ep.* 83. et *Solin.* 9. narrant, Alexandrum intemperantia bibendi exstinctum fuisse. Ejus res gestae a multis scriptae sunt, praecipue a *Plutarcho*, et a *Q. Curtio.* De eo etiam mentio facta est in sacris Libris, *lib.* 1. *Machab.* ℙ Alii fuere hoc nomine celebres viri. [*ac 1) tyrannus Pherarum in Thessalia. *Cic. Div.* 1, 25. *Invent.* 2, 49. Pheraeus dictus *Cic. Off.* 2, 7. *Nep. Pelop.* 5. 2) rex Epiri, *Liv.* 8, 3. 3) Priami filius, idem Paris dictus. *Cic. Fat.* 15. *Auct.* ad *Herenn.* 4, 30. Interdum utrumque nomen ponitur, ut Euphranoris statua, quae vulgo audiebat: Alexander Paris. *Plin.* 34, 8. et 19, 16. 4) Maced. regis Persei filius, *Liv.* 42, 52. 45, 39. 5) Aegypti rex, qui Romanos Aegypti reges fecit. *Cic. Agr.* 2, 16. 6) Graecus poeta et historiarum scriptor, cognomine Lychnus; *Cic. Att.* 2, 22. 7.) Cornelius Alexander, cognomine Polyhistor, multa historica et alia scripsit. *Plin.* 3, 17. 9, 35, 56. 8) Imperator Alexander Severus; aliique minus noti.] ℙ Etiam *Alexandrus* in nominativo singulari posse usurpari ait *Charis* l. p. 64., sed nullum affert exemplum.

ĀLEXANDRIA, ae, f. Ἀλεξάνδρεια, cognomento Magna, nunc *Scanderia*, urbs Aegypti, in ora, ab ostio Canopico 12. M. P. in Occ. Condita est ab Alexandro Magno Olympiade 112. ante Salvatoris adventum anno 320. intra spatium 17. dierum cum sex millibus murorum passibus, ad effigiem Macedonicae chlamydis, orbe girato laciniosa, anguloso dextra laevaque procursu. Sed postea amplificatam Dinocrates architectus dicitur metatus esse mirabili ingenio 15. M. P. laxitate. *Plin.* 5, 10, 11. ℙ Hoc nomine multae aliae urbes numerantur: [*quarum praecipuae hae sunt: 1) in Troade *Cic. Acad.* 4, 4. *Plin.* 5, 30, 33. Interdum appellatur Alexandria Troas, ut *Liv.* 35, 42. 37, 35. et simpliciter Troas, *Plin. ib. Paul. Dig.* 50. 15, 8. 2) in Ariana, quae dicitur Alexandria Arion (pro Ariorum), *Plin.* 6, 17, 21., et simpliciter Alexandria,

Plin. ib. 23, 25. 3) in Bactriana, *id. ib.* 4) in Margiana, *id. ib.* 16, 18. 5) in Sogdiana et Caramania, *ib.* 23, 27. 6) in Assyria, *Plin.* 6, 13, 16. 7) in Cilicia apud Issum, *id.* 5, 27. 8) in Susiana, ad sinum Persicum, antea Charax dicta; *id.* 6, 27, 31. ℙ Item nomen nutricis Neronis. *Suet. Ner.* 50.] ℙ Etiam *Alexandrea* scribi solere, testatur *Prisc.* 2. p. 588., atque ita exaratum legitur in plerisque codd. apud *Hor. Od.* 4, 14, 35. et in *Inscrr. duab.* ap. *Grut.* 376, 3. et 525, 2.

ALEXANDRĬĀNUS, a, um, adj. ad Alexandrum pertinens, ut *Alexandriani sodales* apud *Lamprid. Alex. Sever.* 63. instituti in honorem Alexandri Severi inter Deos post mortem relati. Al. leg. *Alexandrini. Inscr.* ap. *Grut.* 365, 7. Leg. VII. Gem. Severianae Alexandrianae. Sic *Antoniniani* ab Antonino.

ALEXANDRĪNUS, a, um, adj. ad Alexandriam pertinens praecipue eam, quae est in Aegypto, ut *Alexandrinae naves* ap. *Suet. Aug.* 98., ex quibus collecta classis supportando frumento maxime (quamquam et aliis mercibus) in Italiam ab Augusto instituta fuit. ℙ *Alexandrina vita atque licentia*, apud *Caes. B. C.* 3, 110., quod Alexandrini populi voluptatibus et deliciis maxime diffluerent. Sic *Alexandrinae deliciae* ap. *Quintil.* 1, 2. quod in proverbium abiit. Videtur autem *Quintil.* intelligere Alexandrinos pueros, qui dicacitate, et verborum licentia dominos oblectabant, garruli praeter ceteros, et ridiculi, adeoque in deliciis habiti. ℙ *Alexandrinum opus* dicitur genus marmorandi, sive incrustandi parietes duplici de marmore, ab Alexandro Severo Aug. institutum. *Lampr. Alex. Sev.* 25. Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus, hoc est, de porphyretico et Lacedaemonio primus instituit, Palatio exornato hoc genere marmorandi.

ALEXANDRŌPŎLIS, is, f. urbs Parthorum condita ab Alexandro Magno. *Plin.* 6, 25, 29.

ALEXĒTER, ēris, m. *ἀλεξητήρ*, propulsator, depulsor, defensor, auxiliator: ab *ἀλέξω*, arceo, depello. *Alexeter* ap. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 2. est nomen signi a Polycleto facti. Ita enim eo loco legit *Harduin.* Verba *Plinii* sunt: Item (fecit Polycletus) *Mercurium, qui fuit Lysimachiae: Herculem, qui Romae: Alexetera arma sumentem: Artemona, qui* etc. Quidam leg. *Herculem, qui fuit Romae, alexeteria arma sumentem*, hoc est arma depulsoria, et ad arcendum ac defendendum apta. Alii aliter.

ALEXIA v. ALESIA.

ALEXĪCĂCUS, i, m. *ἀλεξίκακος*, depulsor malorum: epithetum Apollinis, et Herculis, quod ii mala arcere ab hominibus crediti sunt: ab *ἀλέξω*, arceo, depello et *κακὸν*, malum. Scribit hanc vocem *Varr. L. L.* 6, 5. Graecis litteris: Latinis *Lactant.* 5, 3. Simulacrum sub Herculis Alexicaci nomine constitutum.

ALEXĬPHARMĂCON, i, n. *ἀλεξιφάρμακον*, medicamentum contra venena, et veneficia, ab *ἀλέξω*, arceo, depello, et *φάρμακον*, medicamentum. *Plin.* 21, 20, 84. Nec magis alia herba convenit medicamento, quod alexipharmacon vocant.

ALEXĬRHOË, ēs, f. *Ἀλεξιρόη*, nympha filia Granici amnis ex Ida Phrygiae monte profluentis, quae ex concubitu Priami Aesacon peperit. *Ov. Met.* 11, 763. ubi alii legunt *Alyxithoe.* V. AESACUS.

ALEXIS, is, vel idis, m. Asinii Pollionis puer, quem Virgilius ejus amore captus a Pollione dono accepit, et de eo scripsit secundam eclogam, ubi *v.* 1. Formosum pastor Corydon ardebat Alexin, et *v.* 6. O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas. *Serv.* ad hunc locum addit, ab aliis per Alexin intelligi Caesarem Augustum, ab aliis ejus puerum. ℙ Fuit etiam hoc nomine servus amanuensis T. Pomponii Attici, de quo *Cic. Att.* 7, 2. Alexidis manum amabam, etc. et *ib.* 16, 14. In tuis quoque epistolis Alexim videor agnoscere. ℙ [Alexis fuit etiam nobilis statuarius, Polycleti discipulus. *Plin.* 34, 8, 19. ℙ Item insignis comoediographus. *Gell.* 2, 23. et 4, 12. *F.* ex *B. A.*]

[ĂLEXĬUS, ii, m. *ἀλέξιος*, defensorius, propulsorius. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 584, 2. Alexius Caesaris Aug. ab bybliothece. *F.*]

*ALFATERNI, orum, incolae oppidi Nuceriae Alfaternae. *Plin.* 3, 8, 9.

*ALFELLANI, orum, incolae oppidi alicujus in Hirpinis. *Plin.* 3, 11, 16. *Hard.* mavult legi *Affilani*, cf. *Affile.*

ALFĒNUS, i, m. P. Alfenus Varus Cremonensis jureconsultus, Servii Sulpicii discipulus, rerumque antiquarum non incuriosus, ut ait *Gell.* 6, 5., plurimum auctoritatis habuit, et consul fuit una cum P. Vinucio A. Ch. 2. U. C. 755. Ejus meminit *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. [*Cf. de eo *Hdf.* ad *Hor. Sat.* 1, 3, 130.]

ALGĂ, ae, f. *βρύον θαλάσσιον, μύλον*, herba est in mari nascens, cujus plura genera referunt herbarii, sed generatim accipitur a Latinis pro omni herba in marinis aquis nascente, eisque innatante, et quae fluctuum agitatione ad litus ejicitur (Verisimiliter fucus vesiculosus *Linn.* Meertang.). *Hor. Od.* 3, 17, 9. cras foliis nemus Multis, et alga litus inutili Demissa tempestas ab Euro Sternet. ℙ Itaque saepe pro re vilissima. *Id. Sat.* 2, 5, 8. Et genus, et virtus, nisi cum re, vilior alga est. *Virg. Ecl.* 7, 42. projecta vilior alga. ℙ Est tamen quoddam algae genus, quod Graece *φῦκος*, et Latine *fucus* dicitur, lactucae simile: hic tingendis purpura lanis adhibebatur. V. FUCUS. Ejus quoque plura genera recenset *Plin.* 26, 10, 66. Adde 32, 6, 22. ubi *algam maris* appellat, et adversus serpentes prodesse, ex *Nicandro* tradit.

*ALGAE, arum, Etruriae oppidum, prope Centumcellas. *Anton. Itin.*

ALGENS, tis, part. *algeo*, algidus. *Ov. A. A.* 2, 214. Algentis manus est calfacienda sinu. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 3. Vites meliores algentibus locis, quam calidis. *Stat. Th.* 3, 469. algentes laxavit sole pruinas. *Plin.* 20, 11, 46. Olusatri succus algentes calefacit potus. ℙ *Algentia folia* piceae dicit *Plin.* 16, 10, 19. quia horrida sunt, et veluti frigore usta. ℙ *Algentes togas* appellat *Martial.* 12, 36. et 14, 137. quae adeo tritae sunt vel leves, ut iis indutos algere faciant.

ALGENSIS, e, adj. qui in alga nascitur, vel nutritur. *Plin.* 9, 37, 91. Purpurarum genera plura, pabulo et solo discreta: lutense putri limo, et algense enutritum alga, vilissimum utrumque.

ALGĔO, es, alsi, alsum, n. 2., *ψύχομαι*, patior frigus, frigidus sum: cui *aestuo* opponitur. *Cic. Tusc.* 2, 14. Erudiunt juventutem venando, currendo, sitiendo, algendo, aestuando. Sic *Hor. A. P.* 413. Multa tulit fecitque puer, sudavit, et alsit. *Naevius* ap. *Cic. Or.* 2, 70. Sapiens, si algebis, tremes. *Ter. Ad.* 1, 1, 11. Ego, quia non rediit filius, quae cogito! Ne aut ille alserit, Aut uspiam ceciderit, aut perfregerit Aliquid. *Plin.* 17, 24, 37. *de vitium morbis.* Aegrotant, et cum alsere, laesis uredine attonsarum oculis. ℙ Translate. *Juvenal.* 1, 74. Probitas laudatur et alget, *h. e.* negligitur, non colitur. ℙ *Festus* scribit *algeo* dictum esse a Graeco *ἀλγέω*, doleo, quia frigus dolorem affert.

ALGESCO, is, n. algore corripior. *Prud. Apoth.* 210. rabiem flammarum algescere cogit. [*Scheller.* huc pertinere vult locos a Nostro supra laudatos sub ALGEO, *Ter. Ad.* 1, 1, 11. et *Plin.* 17, 24, 37. quod sane melius habet.]

ALGĬĀNĂ, genus est oleae apud Latinos, quam commemorat *Colum.* 5, 8.

ALGĬDENSIS, se, adj. ut raphanus Algidensis, qui circa Algidum montem nascebatur, longus, et translucidus. *Plin.* 19, 5, 26. *n.* 3.

ALGĬDUM, i, n. *Rocca del Papa*, opp. Latii in alto monte, Tusculo finitum, a Roma 12. M. P. Dictum est ex aeris algore. Similiter ipse mons *Algidus*, et silva monti subjacens, in cujus ingressu Regillus lacus est, *Algida* dicitur; nunc *Selva dell' Aglio.* De monte *Hor. carm. saec. sub fin.* Quaeque Aventinum tenet, Algidumque Diana, etc. *Id. Od.* 1, 21, 6. Algido gelido. Et *Od.* 3, 23, 9. Algido nivali. ℙ De oppido *Flor.* 1, 11. Sora et Algidum terrori fuerunt. ℙ Adjective. *Ov. Fast.* 6, 721. Volscos, Aequosque fugatos Viderat in campis Algida terra tuis. *Martial.* 10, 30. Tusculanos Algidosque secessus.

ALGĬDUS, a, um, adj. *κρυόεις, κρυερὸς*, frigidus: *Catull.* 63, 70. Algida Idae nive amicta loca colam. *Naevius* ap. *Cic. Or.* 45. Vos qui accolitis Istrum fluvium atque algidam, subaudi *regionem.* ℙ Substantive. *Symmach. ep.* 3, 50. Ut aestas mihi Praenestino algido frangeretur.

ALGĬFĬCUS, a, um, adj. *ψυχροποιὸς*, frigus inducens. *Gell.* 19, 4. Quod timor omnis sit algificus.

ALGOR, ōris, m. *ψύχος, κρύος*, ab algeo, idem quod frigus, et proprie frigus vehementius. *Sall. Cat.* 5. Corpus patiens inediae, vigiliae, algoris. *Tac. Hist.* 3, 22. Confectus algore atque inedia. *Plin.* 15, 4, 5. Oleo natura tepefacere corpus, et contra algores munire. ℙ Pro hieme. *Plin.* 8, 39, 59. Viperae alias vel annua fame durant, algore modo dempto.

ALGOSUS, a, um, adj. alga abundans. *Plin.* 32, 9, 31. Vivunt in algosis, sc. locis. *Auson. ep.* 7, 42. Algosum litus.

ALGUS, i, m. id. q. algor. *Lucr.* 5, 746. hiems sequitur, crepitans ac dentibus algus. Alii leg. algor. *Id.* 3, 773. Sollicitae volitant morbis, algoque, fameque. Alii leg. alguque, ut sit ab *Algus, us*, 4. declinat. Nam etiam *Pl. Most.* 1, 3, 36. Nisi ego illam anum interfecero siti, fameque, atque algu. Et *Rud.* 2, 7, 24. Tu vel suda, vel peri algu. Et *in fragm. Vidular.* ap. *Priscian.* 6, 699. Moerorem, paupertatem, algum, famem. Adde *Accium*, *Varron.* et *Lucil.* ap. *Non.* 2, 28. ℙ *Charis.* vero 1. p. 23. ponit *algu*, *u*, neutrius generis, sed nullo exemplo confirmat.

ĂLIĀ, ae. V. ALLIA.

ĂLIĀ, ablativus adjectivi *Alius* absolute adverbii modo positus, omissa *de* ellipsin voce *via. Lucr.* 6, 986. Nam penetrare alia sonitus, aliaque saporem Cernimus e succis, alia nidoris odores. Al. leg. *alio.* [*Ita *Eichst.*, ut nobis quidem aliisque multis videtur, parum recte.] *Pl. Rud. prol.* 9. Juppiter nos pergentes alium alia disparat. *Flor.* 2, 12. Cum alia minitatus, alia irrepsisset. *Liv.* 44, 43. Equites sine duce relicti, alii alia in civitates suas dilapsi sunt.

ĂLIĂCMON, onis, m. *Ἀλιάκμων*, fluvius rapidissimus Macedoniae, qui illam a Thessalia separat, et in Aegaeum mare inter Pydnam et Dium influit. *Caes. B. C.* 3, 37. Moratus ad flumen Aliacmonem. *Claud. B. Get.* 179. Et frustra rapidum damnant Aliacmona Bessi. ℙ Scribitur etiam *Alyacmon* et *Haliacmon.*

ĂLIĀS, adv. *ἄλλοτε*, [*ortum esse putat *Herz.* ad *Caes. B. G.* 5, 57. ex *aliais* (ut familiās); *Ruhnken.* ad *Ter. Andr.* 3, 2, 49. dicit esse addendum *horas.*] proprie significat alio loco vel tempore, et hinc translate alio modo. Atque quum ad tempus refertur, tum de praeterito, quam de futuro, saepe etiam de indefinito dicitur. *Cic. Acad.* 4, 3. Quibus de rebus et alias saepe nobis multa quaesita sunt. *Id. Div.* 2, 2. Sed haec alias pluribus: nunc ad institutam disputationem revertamur. *Id. Fam.* 7, 6. Sed plura scribemus alias. *Id. Div.* 2, 7. Itaque et illi alias aliud de iisdem rebus sentiunt. [*Cf. *Cic. Or.* 2, 7. *Id. Tusc.* 1, 29. 3, 30. *Ter. Andr.* 3, 2, 49. quando alias malim quam hodie fieri nuptias? *Liv.* 44, 36. rationes alias reposcito: nunc auctoritate veteris imperatoris contentus eris. *Nep. Hann.* 11, 7. neque tum solum, sed saepe alias — pepulit adversarium. Saepius additur *ante. Liv.* 2, 22. Nunquam alias antea publice privatimque. *Id.* 32, 5. Si quando unquam ante alias. Cf. *Plin. Pan.* 48, 1. Sic *B. Crus.* ap. *Suet. Cal.* 43. utrumque servari mavult.] ℙ Cum aliis particulis *raro*, *non*, *saepe*, [**semper*] et similibus. *Liv.* 45, 20. Raro alias quisquam rex tanto favore est auditus. *Id. ib.* 7. Non alias ad ullum spectaculum tanta multitudo occurrit. *Cic. Tusc.* 4, 4. Quod cum saepe alias, tum nuper studiose egimus. [**Suet. Tib.* 18. semper alias sui arbitrii; tunc etc. *Id. Vesp.* 22. et super coenam et semper alias. Sic *Oud.* et *Bremi;* alii male *super aleas. Id. Tit.* 8. pestilentia, quanta non temere alias.] *Virg. G.* 1, 487. Non alias coelo ceciderunt plura sereno Fulgura. *Hor. Sat.* 1, 4, 63. Alias justum sit, nec ne poema. Adde *Od.* 3, 5, 46. et *Ep.* 2, 1, 17. ℙ Reperitur etiam in oratione; neque bis modo, sed et ter, et quater; habetque eandem fere vim atque *interdum*, aut *modo. Cic. Fin.* 2, 27. Nec potest quisquam alias beatus esse, alias miser. [*Gr. *τότε μὲν — τότε δέ. Caes. B. G.* 2, 29. illi, alias eruptione tentata, alias cuniculis — actis. *Ib.* 3, 21. 5, 57. Ter repetitur *Plin.* 7, 55, 56. alias immortalitatem animi, alias transfigurationem, alias sensum inferis dando.] Quater recurrit *Cic. Inv.* 1, 52. Licebit alias transire omnes argumentationes, alias ad partitiones singula genera referre, alias ab auditore, qui desideret, quaerere, alias haec facere, etc. [*Sic etiam semel positum est i. q. aliquando; *Plin.* 26, 3, 7. Quinque res maxime communium auxiliorum professus, abstinentiam cibi, alias vini, fricationem corporis, ambulationem, gestationes. ℙ Nonnunquam pro *alias* repetito ponuntur aliae particulae, *interdum*, *plerumque*, *aliquando*, et hujusmodi. *Cic. Or.* 3, 54. Geminatio verborum habet interdum vim, leporem alias. [**Suet. Caes.* 81. ipsi sibi visus est per quietem interdum supra nubes volitare, alias cum Jove dextram jungere. *Cic. Sen.* 15. alias minore, plerumque majore. *Justin.* 4, 1. alias — alias — nunc.] *Plin.* 7, 15, 13. Partus alias letalis, alias una senescens, aliquando alvo citatiore excidens. ℙ [*Secundo loco est i. q. alio loco; sed hujus significationis exempla et rara et plerumque dubia, interdum etiam corrupta sunt. Laudat Noster *Justin.* 4, 1, 9. Nusquam alias tam torrens fretum. Alii huc referunt *Cic. Fin.* 1, 3. facete is quidem, sicut alias, i. e. aliis locis; potest vero etiam ad tempus referri. *Plin.* 24, 14, 75. Idaeus rubus appellatus est, quoniam in Ida non alias nascitur; sed h. l. *Gron.* et *Harduin.* legunt *alius.* Alia exempla non novimus.] ℙ Tertio loco est i. q. alio modo, *ἄλλως*, alioquin, ceterum, et quae hujus generis sunt. *Curt.* 8, 1, 24. Debilitatum vulnere jacuisse, non alias quam simulatione mortis, tutiorem. Hoc sensu etiam bis ponitur: *Ulpian. Dig.* 33, 8, 8. §. 8. alias accipiendum legatum peculii, si ipsi servo legatur; alias, si alii, i. e. alio modo s. sensu. — *Tac. A.* 3, 73. non alias magis indoluisse Caesarem ferunt, quam quod desertor — ageret, i. e. non alia de causa. *Ulp. ib.* 47, 4, 1. §. 2. non alias tenebitur iste libertus, quam si dolo quid dissipasse proponatur, i. e. hoc uno modo, hac una lege s. conditione. *Marcian. ib.* 39, 7, 6. ut non alias valere velit, quam sua manu signatos (codicillos).] *Tac. A.* 16, 1. Ne reges Numidarum, et alias infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur. [**Suet. A.* 94. quum incognitum alias haberet. *Id. Tib.* 71. quanquam alias promtus et facilis; sed h. l. optimi codd. *alioquin.* V. *Graev.* et *Oud. Bremi* autem retinet h. l., quem v.] *Plin.* 25, 2, 5. Homerus, multus alias in admiratione Circes, gloriam herbarum Aegypto tribuit. *Plinio* seniori familiaris admodum haec locutio est. *Id.* 12, 3, 7. Pomum ipsum alias non manditur. *Ap-*

pul. Met. 9. p. 219, 18. Dolio, quod erat in angulo semiobrutum, sed alias vacuum, hominem abscondit.

ALĪBI, adv. *ἀλλαχοῦ*, alio in loco. *Cic. Att.* 13, 52. *fin.* Cum praeteriret, omnis armatorum copia dextra sinistra ad equum, nec usquam alibi, sc. stabat. [**Liv.* 2, 23. militia alibi sc. facta.] *Liv.* 38, 46. Exercitus trifariam dissipatus, alibi primum, alibi postremum agmen, alibi impedimenta, inter vepres delituit. *Id.* 44, 35. Medium spatium torrentis alibi aliter cavati. *Virg. Ecl.* 1, 42. Nec tam praesentes alibi cognoscere Divos. *Plin.* 34, 14, 41. Haec [**sc.* aqua] alibi, atque alibi utilior, etc. [**i.* e. hoc loco utilior est atque alio. Conjunctum cum adj. *alius* brevitati inservit. *Liv.* 34, 33. jussit alios alibi fodere. *Id.* 9, 2. alium alibi pascere. ℙ Saepe post se habet particulam *quam. Tac. A.* 1, 77. Ne alibi, quam in theatro, pantomimi spectarentur. *Liv.* 5, 52. Num alibi, quam in Capitolio, pulvinar suscipi potest? *Tac. Hist.* 1, 4. Evulgato imperii arcano, posse principem alibi, quam Romae, fieri. *Plin.* 32, 10, 43. Silurus et alibi, quam in Nilo nascitur. *Quint.* 11, 1, 47. Pleraque quae natura non sunt reprehendenda, alibi, quam mos permiserit, turpia habentur, *h. e.* alibi, quam ubi mos permiserit. *Appul. Flor. n.* 18. Facilius laudes vestras alibi gentium, quam apud vos praedicarim. [**Suet. A.* 23. cf. *Hor. Tursell.* p. 58. *ed. Schwarz.*] ℙ Pro in alia re. *Liv.* 30, 35. Nec spem salutis alibi, quam in pace impetranda, esse. [**Id.* 7, 41. nolo alibi quam in innocentia spem habere.] *Cels.* 6, 6. *n.* 8. Videlicet hic quoque, ut alibi, cum secunda vana fuerint, contrariis adjuvantibus. *Ter. Andr.* 2, 5, 9. Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora. [**Id. Heaut.* 2, 3, 38. hic sciri potuit, aut nusquam alibi, i. e. nulla alia occasione. Etiam ad homines interdum refertur: *id. Hec.* 3, 1, 14. priusquam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum, i. e. in alia femina.]

ALĪBĪLIS, le, adj. *θρεπτικὸς*, ad alendum aptus. *Varr. R. R.* 2, 11. Lac est omnium rerum, quas cibi causa capimus, maxime alibile. Et *ib.* Casei cum molles sunt, maxime alibiles. ℙ Passive de eo qui facile alitur, et crescit, et pinguescit. *Varr. R. R.* 3, 9. de pullis gallinarum. Prodigendi in solem, et in sterquilinium, ut se volutare possint, quod ita alibiliores fiunt. [*Schneiderus* ex *Crescentio* praefert *validiores*, quod maxime probandum, nam crebro motu fortiores quidem, non pinguiores pulli fieri solent. *F.*]

ALĪCA, ae, f. duplex est, nativa, et facticia. Nativa est genus frumenti, quod a Graecis *χόνδρος* appellatur, et videtur esse illud idem, quod ab Italis dicitur *spelta*, n. *Spelt.* Est autem species zeae *duplicis*, hoc est, quae spicas profert geminis granorum versibus: (est enim altera species *simplex* dicta, quia simplici granorum ordine constat) quaeque a Latinis generali vocabulo *semen* appellata est. Hinc *Plin.* 18, 7, 10. et 22, 25, 61. diserte alicam refert inter genera frumenti. Adde *Cat. R. R.* 76., ubi *alicam primam* appellat. ℙ Alica facticia est sorbitio, vel puls ex alica nativa confecta. Tundebatur enim alicae granum pila lignea, excussisque ejus tunicis, iterum concidebatur, et in particulas minutiores comminuebatur. Ex quo tria alicae facticiae genera erant; alterum *grandissimum* (quod et aphaerema Graeco vocabulo dictum est) ex granis alicae confectum, quibus tunicae solummodo excussae essent: alterum *secundarium*, cum praeterea grana ipsa in minutiores particulas contusa erant: tertium *minimum*, cum in tenuissimas. Granis alicae hoc modo tusis admiscebatur creta, vel gypsum, vel lac ad candorem inducendum: cum vero uti ea opus esset, eluebatur diligenter creta, ne noceret stomacho, ipsaque alica vel mulso, vel alio quopiam condimento imbuebatur, habebaturque in deliciis. *Martial.* 13, 6. Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere dives: Si tibi noluerit mittere dives, eme. *Id.* 2, 37. Stillantemque alica sua palumbum. *Martial.* hoc loco intelligit palumbum coctum, et alica aspersum condiendi gratia: vel palumbum saginatum alicae granis, atque prae adipe stillantem. ℙ In medicina etiam multus erat alicae usus: torrebantur enim ejus grana, et dabantur ad sistendam alvum: vel decocta, additoque lacte et melle, sumebatur ab iis, qui ex longo morbo ad tabitudinem redacti essent; item syntexi laborantibus, etc. Nam hujusmodi sorbitio valde alibilis habebatur. Utilis etiam erat in sola aqua decocta, et colata, expresso succo: quae *alica elota* dicitur a *Cels.* 6, 6. et *Plin.* 22, 25, 61. ℙ Adulterabatur cum fiebat e zea in Africa proveniente, quae est latioribus spicis et nigrioribus, et brevi stipula. Praeterea cum fiebat adhibitis tritici granis. Illud etiam alicae genus, quod ex hordeo semimaturo tosto, et molito fieri, scribit *Pallad.* 7, 12., inter adulterina recensendum videtur. V. alia huc pertinentia apud *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 1. et 2. item 22, 25, 58. ℙ Sunt qui scribunt *halica* cum aspiratione, et sic ejus derivata halicarius, halicastrum: sed non est, cur aspiratione notetur Latina vox, quae, si *Festo* credimus, ab **alendo* derivata est. [**Bene monet *Scheller.*, videri h. v. adjectivum esse, alicus, a, um, sc. farina.]

ALĪCĀRIUS, a, um, adj. ad alicam pertinens. *Alicariae meretrices*, inquit *Festus*, appellabantur in Campania, solitae ante pistrina alicariorum versari quaestus gratia: sicut eae, quae ante stabula sedebant, prostibulae dicebantur. Porro in Campania laudatissima fiebat alica, teste *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 1. Hinc *Pl. Poen.* 1, 2, 53. An te ibi vis inter istas versarier prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias, miseras, coeno delibutas, servilicolas sordidas? *Alicarius*, *ii*, est qui alicam vel molit, vel conficit. *Fest. loc. cit.* Ante pistrina alicariorum versari. *Lucil.* ap. *Charis.* 1. p. 75. Nemo est alicarius posterior te. *Charis.* hic notat, quamvis *alica* rectius scribatur quam *halica*, tamen hoc loco *Lucilium* aspirationem adhibuisse. [**Pistrina alicariorum*, *Fest.* s. v. Alicariae.]

ALĪCASTRUM, i, n. [**sc.* frumentum] genus frumenti *alicae* simile. *Colum.* 2, 6. quatuor recenset adorei genera, far Clusinum, vennuculum rutilum, vennuculum candidum, et semen trimestre, quod dicitur alicastrum: idque ait pondere et bonitate esse praecipuum. Adde *Isid. Orig.* 17, 3. Etiam *Plin.* 22, 25, 68. trimestris tritici mentionem facit, ex quo panis fit, qui *sitanius* dicitur. Itali dicunt *marzolo*, quia Martio mense seritur, et aestate metitur.

ALĪCŪBI, *ἑταχοῦ*, in aliquo loco, uspiam, usquam. *Cic. Flacc.* 29. Omnino mallem hic alicubi in Custrumino aut in Capenati *(agro)* paravisses. *Ter. Adelph.* 3, 5, 7. Utinam hic prope adesset alicubi. [**Etiam pluries ponitur: *Senec. Tranq.* 2. ut alicubi obstes tibi, alicubi irascaris, alicubi instes.]

ALĪCŬLA, lae, f. genus vestis brevioris, ita dictae, quod alas, hoc est brachia injecta continebat, ut scribit *Velius Longus de Orthogr.* p. 2229., ubi addit, ideo rectius scribi sine aspiratione: vel potius quod quasdam lacinias velut alas habebat, eratque e chlamydum genere, ut ostendit *Ferrar. de Re vest.* p. 2. *l.* 3. *c.* 1., ubi refellit *Cujacium*, qui *l.* 10. *Observat. c.* 18. putavit aliculam fuisse speciem togae. *Martial.* 12, 82. Brumae diebus, feriisque Saturni Mittebat Umber aliculam mihi pauper: Nunc mittit alicam: factus est enim dives. *Martial.* notat avaritiam *Umbri*, qui dives factus potionem mittebat, cum antea vestem mittere consuevisset: simulque ludit in vocibus *alica*, et *alicula*, quasi haec sit diminutivum ab illa, et videri possit *Umber* auxisse dona sua, cum revera minuerit. *Petron. fr. Trag.* 40. *Burm.* Barbatus ingens, fasciis cruralibus alligatus, et alicula subornatus polymita. *Scheffer. ad h. l.* observat, cum hic venatorius cultus describatur, *aliculam* inter venatorias quoque vestes annumerandam esse. *Ulp. Dig.* 34, 2, 24. recenset inter vestes pueriles his verbis: *Puerilia* sunt *togae*, *praetextae*, *aliculae*, *chlamydes*, et *pallia*, *quae filiis nostris comparamus.* Ita enim ibi legendum cum optim. ed. Torrentina, et aliis; licet in quibusdam, quod fortasse ea vox minus intellecta fuit, legatur *togae praetextae*, *alicubi et chlamydes*, etc. ℙ Sunt qui putant scribendum *allicula* duplici *ll*, quia apud *Hesych.* legitur *ἀλλίξ*, quae exponitur a quibusdam tunica manicata.

ALĪCUNDĔ, adv. *πόθεν*, ex aliquo loco. *Cic. Caecin.* 16. Omnis enim vis est, quae aut decedere nos alicunde cogit, aut prohibet accedere. *Id. Fin.* 5, 11. Praecipitare aliquem alicunde. ℙ Interdum refertur ad personas, aut res. *Cic. Att.* 10, 1. Non quo alicunde audieris, sed te ipsum putare. [**Ter. Ph.* 2, 1, 70. sumere argentum alicunde.] De rebus: *Ter. Ad.* 2, 2, 34. Minas decem corradet alicunde. [**Id. Hec.* 3, 1, 6. nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis objectus labor. — Priores syllabae omittuntur: *Suet. Cal.* 4. sicunde discederet. *Cal.* 51. sicunde hostis appareat.]

ALID. V. ALIS.

[ALĪDAEUS, i, m. maris peritus, ex *ἅλς*, mare, et *δάϊος*, peritus, dempta aspiratione. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 981, 2. A. Lucilius Alidaeus. *F.*]

ALĪĒNĀTĬO, onis, f. *ἀλλοτρίωσις*, actus quo aliquid alienatur, et ad alium transmittitur. *Pomp. Dig.* 18, 1, 67. Alienatio tum fit, cum dominium ad alium transferimus. *Sen. Ben.* 5, 10. Venditio est alienatio, et rei suae, jurisque in ea sui in alium translatio. *Cic. Or.* 42. et *Leg.* 3, 20. Alienatio sacrorum, *h. e.* qua sacra propria alicujus gentis, aut familiae per fictam quandam coemptionem, et venditionem in aliam transferuntur. ℙ Translate sumitur pro disjunctione et separatione animorum, cum inter aliquos amicitia dissolvitur, et amor ab uno in alium transfertur. *Cic. Phil.* 2, 1. Tuamque a me alienationem ad cives impios tibi gloriae fore putavisti. *Id. Q. Fr.* 1, 4. Subita defectio Pompeji, alienatio consulum, etc. [**Tac. An.* 2, 43. Germanico alienatio patrui amorem apud ceteros auxerat.] *Id. Amic.* 21. Alienationem et disjunctionem facere. *Tac. Hist.* 2, 60. Tunc interfecti centuriones promptissimi Othonianorum: unde praecipua in Vitellium alienatio per Illyricos exercitus, *h. e.* multorum militum Illyricorum exercituum alienatio, et defectio a Vitellio facta est. Apud *Caes. B. C.* 2, 31. *alienatio exercitus* est ejus fuga et dissipatio. ℙ *Alienatio mentis* est commotio vehemens, et perturbatio tanta, ut homo non sit amplius sui compos. *Cels.* 4, 2. Doloris capitis notae sunt horror validus, nervorum resolutio, oculorum caligo, mentis alienatio, etc. Adde *Plin.* 21, 21, 89. ℙ Hoc sensu etiam *alienatio* absolute dicitur. *Sen. ep.* 78. Dolor capitis quo incitatior est, eo citius in alienationem stuporemque convertitur.

ALĪĒNĀTOR, oris, m. qui rem aliquam in alterius dominium transfert. *Imp. Anastas. Cod.* 1, 8, 9. Orthodoxae fidei venditor, vel quocumque modo alienator.

ALĪĒNĀTUS, a, um, part. v. *alieno*, alienus factus, in alterum translatus, *ἠλλοτριωμένος*. *Ulp. Dig.* 50, 16, 67. Alienatum non proprie dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet: venditum tamen recte dicitur. *Id. ib.* 28, 7, 2. Parte *(usus-fructus)* alienata, conditio deficit. *Nep. Amilc.* 2. Oppida alienata restituit patriae, *h. e.* quae per defectionem aliis dominis se dediderant. [**Sall. Jug.* 48, 1. urbs maxima alienata, ager hostibus cognitus etc. *Liv.* 22, 22. pars insulae — prodita atque alienata.] ℙ Translate dicitur de eo, qui ab alicujus amicitia recessit, et amorem suum, ac favorem in alium transtulit, *ἀλλοτριωθείς*. *Nep. Alcib.* 5. Neque vero his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti, quam timore ab eo alienati. *Cic. Att.* 1, 17. *med.* Animus alienatus et offensus. *Sall. Jug.* 70. Voluntate alienatus. *Tac. Hist.* 4, 49. Alienato animo esse erga aliquem. ℙ Item de eo qui ab alicujus amicitia rejectus est. *Sall. Cat.* 36. Meque falsa suspicione alienatum esse sentiebam. [**Lenius dictum est pro repulsum, neglectum, ut bene *Herz.* quem v. cf. ALIENO.] ℙ Item pro alieno, abhorrenti. *Cic. Fin.* 3, 5. A falsa autem assensione magis nos alienatos esse, quam a ceteris rebus, quae sunt contra naturam, arbitrantur. ℙ Item pro perturbato, commoto; et dicitur de homine, qui ex morbo sui compos non sit. *Suet. Aug.* 101. Unum omnino, ante efflatam animam, signum alienatae [**ἐξισταμένης*] mentis ostendit, quod subito pavefactus, a quadraginta se juvenibus abripi questus est. *Sall. Or. de rep. ord.* 2, 12, 6. Qui in somniis exercitus, furibundus atque amens alienata mente feraris. *Liv.* 25, 39. Alienatus sensibus. [**Tac. H.* 2, 28. non vultu alienatus, i. e. mutatus, i. e. iram suam non prodens.] *Id.* 3, 48. Alienatus ad libidinem animus, *h. e.* perditus in libidinem, et quodammodo a se ipso avulsus. [**Libri h. l. non idem praebent; v. *Drak.* al. *ab* libid., i. e. per libidinem; al. *libidine*, absolute.] ℙ Alienata membra dicuntur a medicis, quae ex vulnere, ictu, aut morbo intermortua, sensum amiserunt. *Cels.* 5, 26. *n.* 23. Ex his colligi potest, utrum id, quod alia parte dependens, alia inhaerebit, si alienatum adhuc non est, suturam, an fibulam postulet. *Sen. ep.* 89. *a med.* Tunc incipit medicina proficere, ubi in corpore alienato dolorem tactus expressit. *Plin.* 23, 4, 38. Spodium purgat ulcera, alienata explet, excrescentia erodit.

ALĪĒNĪGĔNA, ae, adj. comm. gen. *ἀλλοεθνής*, alio loco genitus, externus, extraneus: ab *alienus*, et *genus*. Proprie dicitur de hominibus; translate de aliis etiam rebus. *Cic. Dejot.* 3. Homo longinquus et alienigena. *Id. Font.* 10. Testes alienigenas domesticis anteferre. [**Id. Cat.* 3, 10. alienigenae hostes. *Liv.* 26, 13.] *Id. Flacc.* 27. Nec quid alienigenae de vobis loqui soleant, sed quid vosmetipsi de genere vestro statuatis, memineritis. *Id. Leg.* 2, 10. Suos Deos, aut alienigenas colere. [**Suet. Aug.* 48. regna alienigenis (i. e. diversae gentis hominibus) contribuit.] *Val. Max.* 6, 5. *n.* 1. *ext.* Ne alienigenae justitiae obliti videamur. *Gell.* 2, 24. Neque vino alienigena, sed patrio usuros. ℙ Si propria vis spectetur, differunt *alienigena*, et *externus*, quod *alienigena* significat eum, qui ex externis, et peregrinis parentibus genitus est, licet fortasse apud nos habitet: *externus* vero eum, qui praeter parentes etiam domum extra nos habet: et praeterea *externus* etiam latius patet. Hoc discrimen spectasse videtur *Curt.* 5, 11. Custodiam corporis tui externus, et alienigena non deposcerem. Et 6, 3. Illi ejusdem nationis sunt; nos alienigenae et externi.

ALĪĒNĪGĔNO, as, a. 1. alienare, alteri tradere. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 69. *n.* 34. Monumentum vendere aut alienigenare, etc.

ALĪĒNĪGĔNUS, a, um, adj. *ἐξωτικὸς*, extraneus, peregrinus. *Val. Max.* 1, 5. *n.* 1. *ext.* Alienigena exempla. Et 2, 1. *ad fin.* studia. Et 6, 2. *n.* 1. *ext.* mulier alienigeni sanguinis. ℙ Item ex diversis rebus genitus, *ἑτερογενής*, *ἀνομοιομερής*. *Lucr.* 1, 859. Scire licet, nobis venas et sanguen et ossa Et nervos alienigenis ex partibus esse, *h. e.* ex alimentis, quae multiplicis sunt generis.

[ALĪĒNĪGER, a, um, adj. id. q. alienigenus. *Inscr.* in *Novell. Letter. Fiorent. T.* 14. p. 678. Ne quis alienigerum corpus inferre vellit. Fortasse in lapide insculptum est *alienigenum. F.*]

ALĬĒNĪTĀS, atis, f. vox est, qua medici appellant quidquid in humano corpore alienum corruptumve est, et morbum inferens. *Cael. Aur. Tard.* 5, 4. Non adhibita recorporativa curatione, cum solius auferendae alienitatis intentione medici capiantur. Adde *Acut.* 3, 3. ℙ Pro alienatione etiam aliquando usurpant. *Id. Acut.* 2, 39. Ad mentis alienitatem detrahendam.

ALĬĒNO, as, avi, atum, a. l. ἀλλοτριόω, alienum, vel alium esse facio. *Pl. Amph.* 1, 1, 143. Certe aedepol tu me alienabis nunquam, quin noster siem. *Plin.* 20, 18, 75. Sagopenium, quod apud nos gignitur, in totum transmarino alienatur, *h. e.* omnino aliud est, ac transmarinum. ℙ Speciatim *alienare mentem alicujus* est ita immutare, et a se diversam facere, ut sui compos homo non sit, ἐξιστάναι: sic *alienari mente* est extra se, et quodammodo alienum a se esse, ἐξίστασθαι. *Liv.* 42, 28. *extr.* Junonis iram ob spoliatum templum, alienasse mentem ejus ferebant. *Plin.* 28, 8, 27. Quod si successerit, alienari mente, ac vel ex equo hominem decidere. ℙ Absolute. *Sen. Quaest. nat.* 2, 53. Odor sulphuris, quia natura gravis est, saepius haustus alienat. V. ALIENATIO et ALIENATUS. ℙ Saepius sumitur pro ad alterius dominium transferre, vendere. *Cic. Agr.* 2, 13. Alienare vectigalia. *Ulp. Dig.* 4, 7, 4. aliquid alicui. ℙ Si proprie loquamur, differunt inter se *alienare*, et *vendere*, ut docet *Ulp. Dig.* 50, 16, 67. Nam *vendere* est rem suam accepto pretio alteri destinare: *alienare* est insuper ipsam rem alteri tradere. Itaque *alienare* majorem importat rei remotionem. *Cic. Verr.* 2, 4, 60. Pretio parvo ea, quae accepissent a majoribus, vendidisse atque alienasse. *Id. Agr.* 2, 21. Venire vestras res proprias, atque in perpetuum a vobis alienari. ℙ Pro separare, removere. *Ter. Heaut.* 5, 2, 26. Ita nos alienavit. [*i. e. e familia ejecit. Sic *Ruhnk.*, qui comparat *Liv.* 41, 8. ne quis quem civitatis mutandae causa suum faceret neve alienaret, i. e. mancipio daret. Cf. *Drak.* et ALIENUS.] Sed varie ibi legunt codd. et editt. *Justin.* 18, 3. Cum velut occisos alienasset, *h. e.* e conspectu removisset, occuluisset. ℙ A medicis *alienari* dicitur pars aliqua corporis, quae corrumpitur, et emoritur. *Cels.* 7, 16. Intestina momento alienantur, externo et insueto spiritu circumdata. *Id.* 8, 10. Siquidem id, quod adstrictum est, alienatur, et cancro opportunum est. V. ALIENATUS. ℙ Translate est disjungere ab amore, favore et amicitia, offensum reddere. *Cic. Prov. cons.* 9. Quibus eum omnibus eadem respublica reconciliavit, quae alienarat. *Id. Att.* 1, 14. *ad fin.* Alienare a se omnes bonos. [*Liv. 44, 27. Gentium regem sibi alienavit.] *Id. Fam.* 3, 6. Alienare a se voluntatem alicujus. *Vell.* 2, 112. Alienare sibi animum alicujus. *Tac. Hist.* 1, 59. Ne supplicio ejus ferox gens alienaretur. *Cic. Fin.* 3, 5. Simul atque natum sit animal, ipsum sibi conciliari, et commendari ad se conservandum; alienari autem ab interitu, iisque rebus, quae interitum videantur afferre, *h. e.* recedere, abhorrere. ℙ Eximere, immunem facere, *Impp. Gratian., Valentinian. et Theod. Cod. Theod.* 12, 1, 84. Quos aut objectus debilitatis alienat, aut senectus pigra remoratur. ℙ [Particip. *Alienaturus* apud *Liv.* 38, 33. Nihil aeque alienaturum animos civitatis videbatur. *Alienandus* apud *Cic. Agr.* 2, 13. De vestris vectigalibus non fruendis, sed alienandis. *F.*]

ALĬĒNUS, a, um, adj. ἀλλότριος, qui alterius est, seu ad alium pertinet, [*qui alius sive diversi est hominis vel loci]. *Cic. Off.* 1, 9. Difficilis est cura rerum alienarum. [*Quint. Decl.* 248. (p. 444. *Burm.*) hoc possumus tueri alienarum rerum exemplo, ubi v. *Burm.*] *Liv.* 35, 43. Virtutem et bonum alienum oderunt. *Ter. Andr.* 1, 1, 125, Alieno more vivere. [*Sall. Cat.* 7. semper regibus aliena virtus formidolosa est. *Id. ib.* 58, 12. alienae opes, i. e. alterius, quae nihil omnino ad illam pertinebant. Cf. *Herz.* ad h. l. *Liv.* 1, 46, mulier alieni viri sermonibus adsuefacta. Plerumque opponitur *suus;* ut *Suet. Aug.* 45. alienis quoque muneribus ac ludis. *Id. Cal.* 36. *Claud.* 15. *Ib.* 2. alieni arbitrii fuit, i. e. alii paruit; *coll. Plin. ep.* 6, 14. *Suet. Dom.* 20. epistolas alieno formabat ingenio, i. e. alius scribebat. *Flor.* 3, 6, 2. sub alieni belli tumultu, i. e. Mithridatici, non sui belli, quod ipsi (Cilices) gerebant. *Liv.* 3, 62. alieno Marte pugnabant sc. equites, dimissis equis tanquam pedites. Cf. *Lindem.* ad *Pl. Mil.* 2, 3, 3. et quos ibi laudat *Pl.* locos. *Hor. Sat.* 2, 3, 19. aliena negotia curare, Gr. πολυπραγμοσύνη, cf. *Hdf.* ad h. l. *Ov. Met.* 3, 139. aliena cornua, de Actaeone in cervum mutato. *Virg. G.* 2, 149. alienis mensibus, non aestivis. *Plin.* 29, 1, 8. alienis pedibus ambulamus (lecticariorum), alienis oculis agnoscimus (anagnostarum), aliena memoria salutamus (nomenclatorum) aliena vivimus opera (medicorum).] Substantivi more. *Sall. Cat.* 5. Alieni appetens, sui profusus. *Cic. Fam.* 3, 8. Cum natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior. [*Suet. Tit.* 7. abstinuit alieno, ut siquis unquam. Et plur. numero: *Ammian.* 23, 1. aliena pervadere molienti, i. e. Parthorum terras, opp. Romanae.] Hinc aes *alienum* est pecunia, quae alteri debetur, τὸ χρέος. *Sall. Cat.* 34. Propter magnitudinem aeris alieni. *Cic. Verr.* 2, 4, 6. Esse in aere alieno. *Id. Fam.* 5, 6. Habere aes alienum. *Id. Att.* 13, 46. Aes alienum facere. Sic *Off.* 2, 16. suscipere. Et ad *Q. Fr.* 1, 1, 8. contrahere. Et *Cat.* 2, 9. In aes alienum incidere. *Sall. Cat.* 14. et 25. Aes alienum grande conflare. *Cic. Font.* 1. Aere alieno oppressum esse. *Caes. B. C.* 3, 22. Laborare ex aere alieno. *Cic. Fam.* 11, 10. Aere alieno aliquem obstringere. *Id. ib.* 15, 4. Liberare aliquem aere alieno. *Id. Sull.* 56. Aes alienum dissolvere. *Id. Phil.* 11, 6. Aere alieno exire. [*Sall. Cat.* 25, 3. aliena nomina, i. e. debita ab aliis contracta. Cf. *Herz.*] ℙ Saepe *alienus* sumitur pro eo, qui nullo nobis cognationis, propinquitatis, aut amicitiae vinculo est conjunctus. [*Pl. Capt.* 1, 2, 43. alienus quum aegre feras, quid me patrem par facere est? *Vell.* 2, 76. quod alieno testimonium redderem, in eo non fraudabo avum meum. Sic permultis locis is maxime intelligendus est, qui ad familiam non pertinet, quod ipsum addit *Ter. Ad.* 3, 2, 28. alienus est ab nostra familia. Hinc absolute. *Id. Heaut.* 5, 4, 6. ne istuc in animum inducas, alienum esse; v. *Ruhnk.* ad h. l. et ALIENO. *Ovid. Rem.* 681. aliena puella, i. e. alienata, extranea; v. quos laudat *Burm. id. Met.* 10, 340. aliena a sanguine. *Ter. Hec.* 1, 2, 83. alienum ab se videt. Hinc saepe opponuntur alieni et propinqui, ut *Cic. Amic.* 5. — *Suet. Dom.* 12. alienissimae hereditates, i. e. quae nullo cognationis aliove jure ad eum pertinent. Latiori etiam sensu *Tac. H.* 1, 38. alienos dicit barbaros, servos etc.] Huc etiam referri potest, quod dixit *Appul. Met.* 8. Lancea mali Thrasylli me tibi fecit alienum, *h. e.* occidendo fecit, ut tuus amplius non sim. *Pl. Stich.* 3, 2, 31. Apud me coenant alieni novem. *Cic. Mil.* 28. Etsi aequabiliter in rempublicam, in privatos; in longinquos, in propinquos; in alienos, in suos irruebat. *Id. Fam.* 1, 9. *circa med.* Tantum enitor, ut neque amicis, neque etiam alienioribus desim. [*Multa collegit ad h. l. *Manut.*] *Id. Fam.* 3, 6. Ut tuum factum alieni hominis, meum vero conjunctissimi et amicissimi esse videatur. *Caes. B. G.* 6, 30. Multi ex finibus suis egressi, se suaque omnia alienissimis crediderunt. *Liv.* 29, 29. Non alienus sanguine regibus, *h. e.* non omnino extra regiam consanguinitatem. Hinc metaphorice: alienum esse in aliqua re, i. e. rudem ejus atque imperitum esse. *Cic. Fin.* 1, 6, 17. Epicurus in physicis totus est alienus; quod *ib.* 8, 26. ipse sic explicat: si quae in his corrigere volebat, deteriora fecit. (Male Noster ita explicabat h. l.: alienus est, quia omnia ex aliorum placitis docet, nihil fere de suo.) ℙ Item pro remoto, averso, abhorrente, [*Cf. de hac significatione *Herz.* ad *Sall. Cat.* l. infra l.] *Cic. Verr.* 2, 2, 26. Letilius quidam, homo non alienus a litteris. *Id. Div.* 1, 38. Neque hoc Dii alienum ducunt majestate sua. [*Et absolute *Suet. Caes.* 44. *Rhet.* 1. non alienum erit, i. e. hujus loci erit. Plerumque addito casu; *Tac. An.* 2, 2. aliena ipsorum moribus.] *In quodam decreto Tib. Sempronii Gracchi* apud *Gell.* 7, 19. Alienum videtur esse dignitate reipublicae. *Sen. Quaest. nat. init.* 4. Ambitioni alienus. *Sall. Cat.* 41. Domus non aliena consilii, i. e. non expers, conscia. *Cic. Fin.* 1, 4. Quis alienum putet ejus esse dignitatis, quam, etc. *Colum.* 3, 21. Alienissimus vitae rusticae. *Ov. Fast.* 1, 396. non alienus joci. *Lucr.* 6, 67. alienus pacis. [*De constructione cum genit., dativo et ablativo, praepositione *a* vel addita vel omissa, v. *Heins.* et *Burm.* ad *Ov. l. l.*, *Burm.* et *Spald.* ad *Quint.* 6, 3, 33. (alienum tempore, loco etc.) *Manut.* ad *Cic. Fam.* 9, 14, 5. Praepositio *a* in eleganti sermone raro omittitur ac loci, in quibus omissa est, plerumque dubii sunt. Sed v. *Gernh.* et *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 13, 41.] ℙ Item pro non amico, offenso, alienato. *Cic. Fam.* 2, 17. Si omnibus est malevolus, minus offendor in me: sin a me est alienior, nihil, etc. *Id. Dejot.* 9. Alieno animo esse in aliquem. *Ter. Ad.* 3, 2, 4. Alieno animo esse ab aliquo. [*Aliter intelligendus *Sall. Cat.* 37, 1. neque solum illis aliena mens erat, qui conscii conjurationis, etc., h. e. eo usque insaniae et vecordiae processerant. Cf. *Herz.* ad h. l.] *Cic. Amic.* 8. *in fin.* Habere animum alienum ab aliquo. *Tac. Hist.* 2, 74. Muciani animus nec Vespasiano alienus, et in Titum pronior. *Cic. Fam.* 15, 4. *a med.* Ex alienissimis amicissimos reddere. ℙ Item pro non conveniente, inutili, inepto. *Cic. Caec.* 9. Id dicit, quod illi causae maxime est alienum. *Ter. Ad.* 1, 2, 30. Alieniore aetate post faceret tamen. *Nep. Milt.* 6. Cujus victoriae non alienum videtur, quale praemium Miltiadi sit tributum, docere. *Ov. Trist.* 3, 3, 19. Aliena loqui. *Nep. Them.* 4. Alienissimo sibi loco, contra opportunissimo hostibus, conflixit. [*Monet *Brem.* ad h. l. reperiri hoc modo saepe cum voc. *locus*, ut *Caes. B. G.* 1, 15. rarius autem cum aliis verbis, ut *Sall. Cat.* 56. alienum suis rationibus existimans. Adde *Vell.* 2, 3. quicquid publice salutare non esset, privatim alienum existimans. *Sall. Jug.* 1, 5. quodsi homines bonarum rerum tanta cura essent, quanto studio aliena ac nihil profutura — petunt; in quibus ll. ipsa oppositionis ratio veram h. v. vim docet. Ceterum ad h. l. cf. *Cort.*, qui monstrat philosophis *aliena* ea dici, quae alias *fortuita* dicuntur, prorsus ut Gr. ἀλλότριος eodem modo usurpant.] *Cels.* 4, 5. Sumendi cibi faciles, et stomacho non alieni. *Cic. Fam.* 15, 14. Considera, ne in alienissimum tempus cadat adventus tuus. *Id. Brut.* 1. Vir egregius alienissimo reipublicae tempore exstinctus. *Varr. R. R.* 3, 16. Exspectare, ut suo potius tempore mercatorem admitterent, quam celerius alieno. [*Aliena verba* rhetores dicunt, ubi de verborum delectu et usu praecipiunt, quae non sunt oratori accommodata sed historico aut poetae. V. *Cur. Fortunat. Rhet.* p. 70. ed. *Pith.* Cicero autem *Or.* 24. *aliena verba* opponit *propriis. Ern. lex. technol. lat.* p. 16.] ℙ Praeterea *alienus* dicitur a medicis de membro aliquo corporis corrupto et emortuo. *Scrib. Comp.* 201. Idem emplastrum, si os scabrum, aut putre vetustate vitii factum est, expurgat et educit quantum ejus alienum est. V. ALIENATUS et ALIENO. ℙ *Alienus* pro immuni. *Impp. Honor. et Theod. Cod. Theod.* 11, 20, 4. Hunc a collatione esse jubemus alienum.

ĀLĬFER. V. vocem sequentem.

ĀLĬGER, ra, um, adj. πτερωτός, alas gerens, alatus. *Stat. Silv.* 3, 3, 80. summi Jovis aliger Arcas nuntius, *h. e.* Mercurius. *Virg. A.* 1, 663. his aligerum dictis affatur amorem. *Id. ib.* 12, 249. Aligerum agmen, *h. e.* agmen avium. *Ov. Fast.* 4, 562. aligero tollitur axe Ceres, *h. e.* curru, quem trahunt alati dracones. Quidam hoc loco legunt *alifero*, sed *Heinsius* praefert *aligero.* ℙ [*Aligeri* substantive sunt Cupidines alati. *Sil.* 7, 458. Dumque hic aligeris instat Cytherea, *h. e.* precibus fatigat Cupidines, filios suos. ℙ *Aligero XII. legionis* est in *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 8. *n.* 30. pro *Aquiligero. F.*] ℙ In genitivo plur. *aligerum* pro *aligerorum* habet *Val. Fl.* 7, 171.

ĀLĬI, orum, sunt populi *Alidis.* V. ALIS. *Pl. Capt. prol.* 24. Postquam belligerant Aetoli cum Aliis. Et 27. captivos Alios commercari.

ĀLĬMENTĀRĬUS, a, um, adj. οὐτιχὸς, ad alimentum pertinens. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. Legem viariam, non dissimilem agrariae Rulli, et alimentariam, quas jubet aediles metiri, jactavit. Fortasse, inquit *Manutius*, intelligit legem de frumento plebi gratis dividundo. *Ulp. Dig.* 2, 15, 8. Alimentaria causa. *Martian. Dig.* 48, 13, 4. Alimentaria ratio. [*Ammian. 20, 8. alimentariae rei gratia. *coll.* 21, 12.] ℙ *Alimentarii*, *orum*, dicuntur, quibus testamento alimenta relicta sunt. *Ulp. Dig.* 2, 15, 8. Si alibi domicilium heres, alibi alimentarius habeat. *Capitol. Anton. Pio* 8. et in *Inscr.* ap. *Grut.* 1022, 6. et 7. Pueri et puellae alimentariae, *h. e.* quibus Trajanus et Hadrianus Impp. alimenta assignaverant. [*V. *Andr. Guil.* progr. de pubertatis termino ex disciplina Romm. (*Kilon.* 1804.) p. 21 — 29. et *Paufleri* spec. I. II. de pueris et puellis alimentariis. Dresd. 1809. 1810. 4. *Beier.*) ℙ *Inscr.* ap. *Grut.* 1092. 7. Pecunia alimentaria, *h. e.* in alimenta pauperum eroganda.

ĀLĬMENTUM, ti, n. τροφή, id quo animantis corpus alitur, et vita sustentatur. *Cic. Univ.* 6. Nec vero desiderabat aut alimenta corporis, aut detractionem confecti et consumpti cibi. *Suet. Tib.* 54. Druso adeo alimenta subducta, ut tomentum e culcita tentaverit mandere. *Cels.* 2, 18. Plus alimenti est in pane, quam in ullo alio. *Plin.* 17, 13, 20. Omnia celerius adolescunt stolonibus ablatis, unamque in stirpem redactis alimentis. *Quint.* 2, 16. Reponere alimenta in hiemem. *Cels.* 8, 1. Subministrare alimenta alicui. ℙ Apud JCtos *alimenta* non pro cibo solum, sed et pro aliis rebus, quae homini sunt ad vitam necessariae, sumuntur. *Jabolen. Dig.* 34. *t.* 1. qui est *De alimentis*, vel cibariis legatis, *l.* 6. Legatis alimentis, cibaria, et vestitus, et habitatio debebitur, quia sine his ali corpus non potest. ℙ Pro quacumque re, qua alitur quidpiam et augetur. *Ov. Met.* 14, 532. picem et ceras, alimentaque cetera flammae. *Id. ib.* 1, 271. Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert. ℙ Translate. *Ov. Met.* 2, 769. alimenta vitiorum. *Tac. Hist.* 2, 96. *fin.* Alimentum famae. *Liv.* 35, 23. *ad fin.* Addidit alimenta rumoribus adventus Attali. ℙ [*Apud *Cic. Rep.* 1, 4. alimenta sunt quae Graecis θρέπτρα dicuntur, i. e. praestitorum alimentorum remuneratio. Verba ita habent: Alimenta a nobis exspectat patria: ut eam quasi senem parentem, quae nos enutrivit, alamus. *Beier.*]

[ĀLĬMENTUS, i, m. Cognomen gentis Cinciae ex *Liv.* 26, 23. L. Cincius Alimentus. Et 29, 20. M. Cincius Alimentus. *F.*]

*ĀLĬMNE, es, f. oppidum Phrygiae majoris. *Liv.* 38, 14.

ĀLĬMODĬ, est dictum pro aliusmodi, inquit *Festus.* V. ALIUS.

ĀLĬMON, i, n. ἡ ἅλιμος, videtur composita vox

ex *α* priv. et *λιμὸς fames*, *h. e.* famem sedans. *Plin.* 22, 22, 33. Asphodelon ab Hesiodo quidam alimon appellari existimavere, quod falsum arbitror. Est enim suo nomine alimon, non parvi et ipsum erroris inter auctores. Alii enim fruticem esse dicunt, foliis oleae, coqui autem haec ciborum gratia. Alii olus maritimum esse dixere, salsum, et inde nomen. *Plin.* hic perperam nullum facit discrimen inter *ălimon* (quod ab *α* pr. et *λιμὸς, fames*) et inter *hălimon* (ab *ἅλιμος maritimus*, quod ab *ἅλς, mare*). V. HALIMON. *Solin.* Graece scribit 12. Herba *ἅλιμος* dicitur: ea admorsa diurnam famem prohibet. *Plato* etiam *de Legib.* tradit, Epimeniden ex malva et asphodelo compositionem *ἅλιμον* sibi parasse, qua se a fame et siti diu vindicaret. V. ASPHODELUS. [**Plin.* 17, 24, 37. et cytisus necatur eo, quod alimon vocant Graeci; sed *Hard.* halimon. Hoc loco videtur esse noxia quaedam herba. Ita *Scheller.*]

ĂLĪMONIA, ae, f. idem quod alimentum. *Pl. Pers.* 1, 2, 1. Quaestus alimoniae. *Gell.* 16, 15. Amisso omni naturalis alimoniae fundamento, homo exhaustus intereat. *Suet. Cal.* 42. Filia nata, paupertatem conquerens, collationes in alimoniam atque dotem puellae recepit. [*al. *alimonium*; v. *Burm.* et *Oud.*] *Prudent. Cathem.* 5, 19. Picea alimonia flammae. *Appul. Met.* 5. p. 115, 27. Blandis alimoniarum obsequiis saginare aliquem.

ĂLĪMONĬUM, ii, n. id. q. alimonia. *Varr. R. R.* 3, 16. *n.* 15. Haec omnia vocant a mellis alimonio, alvos. Et 1, 8. Alimonium vitis. [**Tac. A.* 11, 16. infectus alimonio, servitio, cultu.] *Paul. Dig.* 25, 3, 4. Necare videtur, qui alimonia denegat. *Ita Torrentin.*, alii *alimoniam*. *Arnob.* 5. p. 167. Qui temperatus ab alimonio panis, cui rei dedistis nomen castus, *h. e.* abstinentia ab esu panis.

ALIMONTĬA mysteria. *Arnob.* 5. p. 176. Jamdudum me fateor haesitare, circumhiscere, tergiversari, tricas, quemadmodum dicitur, conduplicare tellenas, dum pudor me habet Alimontia illa proferre mysteria, quibus in Liberi honorem patris ithyphallos subrigit Graecia, et simulacris virilium fascinorum territoria cuncta florescunt etc. Pergit deinde *Arnob.* edisserere originem phallicorum sacrorum, quae quidam putant, ita dicta esse, quasi *ἀλήμονα*, *h. e.* vagantia, ab *ἀλάομαι*, vagor, vel quia celebrabantur in honorem Bacchi toto orbe vagantis, ut aditum ad Inferos inveniret; vel quia homines his sacris dediti vagari solebant cum phallis ligneis, et circumcursare. Alii rectius legunt *Alimuntis illa* etc., *h. e.* quae in Alimunte Atticae oppido fiebant, [teste *Clem. Alexandr. Protrept.* p. 29. *ed. Potteri. F.*]

[ALINDENSIS, se, adj. ad Alindam pertinens, mediterraneam Cariae urbem, nunc *Mugla*, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 2. p. 575. *ΑΛΙΝΔΕΩΝ. Plin.* 5, 28, 29. Othronienses, Alindenses, Erippini. Perperam apud *Harduinum* legitur *Orthronienses*, *Halydienses*, *seu Hyppini. F.*]

ĂLĬO, adv. *ἄλλῃ, ἄλλοσε, ἑτέρωσε*, in alia loca: cum verbis motus ad locum. *Ter. Eun.* 2, 2, 49. Fortasse tu profectus alio fueras. *Cic. Att.* 9, 17. Arpinum ne mihi eundum sit, an quo alio. *Liv.* 38, 30. Si quando Romam, aliove quo mitterent legatos. *Id.* 39, 36. Quo alio, nisi ad nos, confugerent? ℙ Item ad aliam rem, vel ad alios. *Cic. Or.* 1, 29. Sed, si placet, sermonem alio transferamus. *Id. Fam.* 1, 4. Qui a te causam regiam alio transferebant. ℙ Item ad alium finem. *Cic. Fin.* 2, 9. Appellet haec desideria naturae; cupiditatis nomen servet alio. *Liv.* 7, 18. Plebem nusquam alio natam, quam ad serviendum. *Nep. Them.* 6. Hoc longe alio spectabat, atque videri volebant. [**Tac. A.* 1, 18. alio vertunt, i. e. ad aliud consilium. ℙ *Alio* et *aquilo* confusa esse vult *Burm.* ad *Prop.* 2, 4, 4. Item conf. *alio* et *illo* vel *aliquo*; v. *Frotscher.* ad *Quint.* 10, 1, 34.]

ĂLĬOQUĪ et Alioquin, adv. *εἰ δὲ μή, ἄλλως*, quantum ad alias res, ceteroquin, alias. *Liv.* 43, 19. Exercitum reducit ad Oeneum oppidum in potestatem redigendum, et alioqui opportune situm. *Id.* 27, 27. Mors Marcelli cum alioqui miserabilis fuit, tum quod nec pro aetate. [**Id.* 30, 29. Hannibal tumulum cepit, tutum alioquin, nisi quod etc. *Id.* 10, 35. alioquin pro victis esse. Ad locum referri volunt hanc particulam ap. *eund.* 35, 21. Saxum ingens sive imbribus, sive terrae motu leviore, quam ut alioquin sentiretur, labefactatum — procidit. Ac videtur haec ratio commodissima esse.] *Suet. Vitell.* 2. Aulus in consulatu obiit, praelautus alioqui famosusque coenarum magnificentia. [*cf. *Oud.* ad h. l.] ℙ Item, si aliter sit, nisi hoc sit. *Cic. Leg.* 2, 25. Credo, minimam olim istius rei fuisse cupiditatem: alioquin multa exstarent exempla majorum. *Tac. A.* 2, 38. Dedit tibi Augustus pecuniam, sed non ea lege, ut semper daretur: languesceret alioqui industria, intenderetur socordia. [**Cic. Or.* 15. alioquin quonam modo ille in bonis haerebit et habitabit suis? *Quint.* 2, 17, 33. alioqui ubi injusta causa est? Et hoc modo etiam verti potest: ceterum, praeterea. *Plin. ep.* 2, 9. afficior cura; — et alioquin meus pudor, mea existimatio — in discrimen adducitur. *Id. ib.* 10, 42. incendium — est latius sparsum; primum violentia venti, deinde inertia hominum —; et alioqui nullus — in publico sipho etc. *Tac. H.* 2, 27. 3, 32. *Quint.* 2, 14, 4. Ne putemus igitur quum praesertim plurimis alioqui Graecis sit utendum.] ℙ Item aliqua alia re, aut modo. *Hor. Sat.* 1, 4, 3. Si quis dignus erat describi, quod malus, aut fur, Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui Famosus, multa cum libertate notabant. [*cf. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 53, 1. et *Observ.* 47. p. 554.] ℙ Falsum est, quod quidam docuit, *alioqui* ante consonantes poni, *alioquin* ante vocales: promiscue enim ponitur.

ĂLĬORSUM et Alĭorsus, adv. *ἄλλοσε*, versus alium locum: syncope pro *aliovorsum*. *Pl. Truc.* 2, 4, 49. Mater ancillas jubet aliam aliorsum ire. *Ammian.* 22, 10. Impetus aliorsus tendentes frenare. *Gell.* 7, 15. Jumentum aliorsum duxerat, quam quo utendum acceperat. *Id.* 12, 1. *ad fin.* Infans aliorsum datus, *h. e.* alteri feminae datus nutriendus. ℙ Est etiam ad aliam rem. *Gell.* 17, 1. Sed id aliorsum pertinet, atque alio loco dicetur. ℙ Item alio modo, alia ratione. *Ter. Eun.* 1, 2, 1. Vereor, ne illud gravius Phaedria tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit. [**Ammian.* 21, 12. Summa coepti prudentis aliorsum evasit. cf. 14, 10. 25, 10.] ℙ Usus est etiam *Cato* teste *Festo.*

ALĬOVERSUS et Alioversum, et prisco loquendi more *Aliovorsus* et *Aliovorsum*, adv. est versus alium locum. Sed ponitur etiam pro alio fine, alia ratione. *Pl. Aul.* 2, 4, 8. Atqui ego istuc aliovorsum dixeram, non istuc, quod tu insimulas. *Lactant.* 1, 17. Stoici alioversus Deos interpretantur, et quia non pervident, quid sit in vero, conantur eos cum rerum naturalium ratione conjungere.

ĂLĬPES, ĕdis, adj. comm. gen. *πτερόπους*, alas habens in pedibus. *Ov. Fast.* 5, 300. Sacra Dei alipedis, *h. e.* Mercurii, qui alas in pedibus habere fingitur. Sic *Met.* 4, 753. mactatur vacca Minervae, Alipedi vitulus. ℙ Pro veloci, *ὠκύπους*. *Lucr.* 6, 765. Alipedes cervi. *Virg. A.* 12, 484. Alipedumque fugam cursu tentavit equorum. *Id. ib.* 7, 277. *alipedes* absolute dixit, equos intelligens. ℙ In ablativo singulari et *alipede* facit, et metri causa *alipedi*. *Val. Fl.* 5, 612. Atque hanc alipedi pulsantem corpora curru etc.

ĂLĬPHĀNUS. } V. ALLIFANUS, ALLIFA.
ĂLĬPHA. }

*ALIPHERA et ALIPHIRA, ae, Arcadiae oppidum, Gr. *Ἀλίφειρα*, *Polyb.*, *Ἀλιφήρα*, *Pausan. Liv.* 28, 8. 32, 5. priorem habet scripturam. Hinc ejus incolae ALIPHIRAEI, *Plin.* 4, 6, 10.

ĂLĬPĬLUS, i, m. qui in balneo lavantium pilos sub alis evellit, *παρατίλλων, δρωπακιστής*. *Sen. ep.* 56. Alipilum cogita, tenuem et stridulam vocem subinde exprimentem, nec unquam tacentem, nisi dum vellit alas, et alium pro se clamare coegit. [*Inscr.* ap. *Grut.* 812, 6. M. Octavius Primigenius alipilus a Tritone, *h. e.* in balneo quod a Tritone nomen acceperat. *F.*]

[ĂLĬPĬON, onis, m. diminut. ab *ἁλιπής*, pinguedine carens, ex *α* privat. et *λίπος*, pinguedo. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 70, 6. Q. Calpurnius Alipion. *F.*]

ĂLĬPTĒS, ae, m. *ἀλείπτης*, qui ungit: ab *ἀλείφω*, ungo. Speciatim hoc nomine appellabatur is, qui in arena luctaturos, vel in balneo lavantes ungebat. *Quint.* 11, 3. unctorem appellat. [*Hoc sensu saepe usurpat *Coelius Aurel.*, teste *Manut.* ad *Cic. l.* proxime laudatum. Sed *id. ib.* docet, apud *Cic. Cels.*, alios usurpari h. v. pro gr. *γυμναστής*, i. e. eo, qui exercitationibus athleticis praeerat. V. pluribus *Manut.*] *Cic. Fam.* 1, 9. *ante med.* Sed vellem non solum salutis meae, quemadmodum medici, sed ut aliptae, etiam virium et coloris rationem habere voluissent. *Cels.* 1, 1. Sanus homo nullis obligare se legibus debet, ac neque medico, neque alipta egere. *Sen. ep.* 56. Cum in aliptem inertem, et hac plebeja unctione contentum incidi, audio crepidum illisae manus humeris, quae prout plana pervenit, aut concava, ita sonum mutat. *Juven.* 3, 76. geometres, pictor, aliptes. [*cf. *Rupert.* ad h. l.]

ĂLĬQUĀ, adv. *πῃ*, per aliquem locum. *Liv.* 26, 27. Si qui evasissent aliqua. ℙ Item aliqua ratione. *Virg. Ecl.* 3, 15. Et si non aliqua nocuisses, mortuus esses. *Ter. Ph.* 5, 1, 19. Atque id porro aliqua uxor mea resciscerat. *Pl. Merc.* 2, 2. *in f.* Ne ad illam me animum adjecisse, aliqua sentiat. [*cf. de h. v. ad *Ov. Trist.* 3, 4, 75. et *Drak.* ad *Sil.* 13, 224. quo loco alii libri *olim*, alii *oblique.*] In his et aliis hujusmodi intelligitur *via*, aut *ratione.*

ĂLĬQUAMMULTUM, adv. aliquantum, vel valde. *Appul. Apolog.* p. 276, 8. Haec defensio aliquammultum a me remota est. Alii leg. *aliquomultum*, *h. e.* multum.

ĂLĬQUAMMULTUS, a, um, adj. aliquantum multus. *Cic. Verr.* 2, 4, 25. Sunt vestrum aliquammulti, qui L. Pisonem agnoverunt. *Appul. Met.* 11. p. 113, 17. Post aliquammultum temporis. *Id. Apolog.* p. 320, 10. Aliquammultis diebus.

ĂLĬQUAMPLŪRĒS, ium, adj. aliquanto plures. *Tertull. Apolog.* 12. Iidem estis, qui Senecam aliquampluribus et amarioribus de vestra superstitione perorantem reprehendistis. Alii leg. *Senecam aliquem pluribus* etc.

ĂLĬQUANDĬU, adv. temporis, *ἐπὶ χρόνον*, aliquo tempore, non autem longo admodum. *Cic. Cluent.* 9. Ut non, aliquando condemnatum esse Oppianicum, sed aliquandiu incolumem fuisse, miremini. *Id. Am.* 19. *Nep. Dat.* 11. Cum aliquandiu in colloquio fuissent. *Liv.* 2, 10. Cunctati aliquandiu sunt, dum alius alium, ut proelium incipiant, circumspectant: pudor deinde commovit aciem. *Id.* 3, 32. Admiscerentur ne plebeji, controversia aliquandiu fuit: postremo concessum patribus etc. ℙ Scribitur et *aliquamdiu.*

ĂLĬQUANDO, adv. *ποτὲ, ἔνιοτε*, aliquo tempore: et jungitur verbis tum praeteriti, tum praesentis, tum futuri temporis. *Cic. Sull.* 5. Lentuli poena compressus convertit se aliquando ad timorem, nunquam ad sanitatem. *Id. Off.* 3, 3. Liceret ei dicere, utilitatem aliquando cum honestate pugnare. *Quint.* 5, 13. Confirmatio aliquando totius causae est, aliquando partium. [**Liv.* 45, 23.] *Cic. Cat.* 4, 10. Quod si aliquando concitata manus ista plus valuerit, me tamen meorum factorum nunquam poenitebit. *Id. Or.* 1, 58. Concedis, adhuc artem omnino non esse, sed aliquando futuram. *Id. Mil.* 26. Illucescet aliquando ille dies. *Martial.* 12, 44. Et serves aliquando negligenter. *Ov. Met.* 2, 391. Orbatura patres aliquando fulmina ponat. [**Cic. Off.* 3, 7, 34. non aliquando anteponeremus utilia honestis — induxit eam repugnantiam, i. e. interdum, quam significationem plerumque habet in affirmativa sententia, quae a negativa pendet. *Beier. Suet. A.* 43. aliquando nihil praeter venationem edidit. *Id. Cal.* 52. saepe — *aliquando — ac modo — modo — nonnunquam — plerumque vero* etc. se excipiunt.] ℙ Videtur etiam eandem interdum vel similem vim habere atque *olim*, vel *quondam*, cum verbis praeteriti temporis. [**Olim*, quo utitur Noster, est i. q. ullo aliquo tempore; ne refer igitur ad tempus diu praeterlapsum.] *Cic. Fam.* 6, 6. Veritus sum deesse saluti Pompeji, cum ille aliquando non defuisset meae. [**Liv.* 31, 9. ne quid praetermitteretur, quod aliquando factum esset, ludos vovere consulem jussit. *Suet. Tib.* 10. si quando indiguisset sui respublica. *Id. ib.* 67. si quando autem de moribus meis dubitaveritis. *Ammian.* 14, 6. quum esset aliquando virtutum omnium domicilium Roma.] ℙ Similem etiam significationem adverbio *tandem* nonnunquam habet: quae particula saepe etiam adjungitur majoris explicationis gratia. *Cic. Cluent.* 19. Collegi me aliquando et ita constitui, fortiter esse agendum. *Id. Or.* 48. Aliquando, idque sero, usum loquendi populo concessi. *Id. Cat.* 2, 1. Tandem aliquando Catilinam ex urbe ejecimus. *Id. Quint.* 30. Spes est, et hunc miserum, et infelicem aliquando tandem posse consistere. [**Suet. Aug.* 70. aliquando ut vincat.]

ĂLĬQUANTILLUS, a, um, adj. diminut. ab aliquantulus. *Pl. Capt.* 1, 2, 33. Neque unquam quicquam me juvat, quod edo domi: foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat.

ĂLĬQUANTISPER, adv. *δι' ὀλίγου χρόνου*, idem fere est quod *aliquandiu*, sed brevius tamen tempus notat: paulisper. *Pl. Pseud.* 1, 5, 158. Concedere aliquantisper hinc mihi intro libet. *Ter. Ad.* 4, 5, 5. Cur non ludo hunc aliquantisper? *Flor.* 2, 18. Aliquantisper vivere. Adde *Justin.* 1, 8. *Quadrigar.* et *Caecil.* ap. *Non.* 11, 20.

ĂLĬQUANTO, adv. id. q. *aliquantum*, *πολλῷ*; sed illud comparativis jungitur, hoc positivis, *ἐπὶ πόσον*. *Cic. Fam.* 9, 26. Epulamur una non modo non contra legem, sed etiam intra legem, et quidem aliquanto. *Id. Caec.* 4. Aliquanto post. *Id. Inv.* 2, 51. Postea aliquanto. *Id. Sull.* 20. Profectus est aliquanto ante. *Id. Verr.* 2, 4, 34. Aliquanto amplius. *Pl. Aul.* 3, 6, 3. Aliquanto rectius. *Nep. Dion.* 3. *in f.* Aliquanto crudelior. [**Suet. Cal.* 49. al. majora moliens. *Galb.* 18. *Tit.* 6. cf. *Ernest.* ad *Suet. Caes.* 86. *Brem.* ad *Nep. Dion.* 3, 3. *Spald.* ad *Quint.* 1, 12, 4. Plus esse *aliquanto* quam *paullo*, cum quo saepe confunditur, intelligitur ex *Cic. Quint.* 12. paullo post: si non paullo, at aliquanto.]

*ALIQUANTORSUM, adv. i. q. aliquanto versum (aliquem locum). *Ammian.* 22, 8. perlati aliquantorsum longius, quams perabamus, pergamus ad reliqua.

ĂLĬQUANTŬLO, adv. id. q. *aliquantulum*, sed comparativis jungitur. *Vopisc. Aurel.* 34. Aliquantulo tristior. Ita legit *Gruter.* ex MSS. Vulgati habent *aliquanto.*

ĂLĬQUANTŬLUM. adv. satis multum, diminut. ab aliquantum, quod v. *Cic. Divin.* 1, 33. Cum aliquantulum progressus esset. *Auct.* ad *Her.* 4, 9. Si haec aliquantulum dimiserimus. *Ter. Andr.* 2, 6, 16. Aliquantulum subtristis. ℙ Cum comparativo. *Id. Eun.* 1, 2, 51. Aliquantulum avidior. *Gell.* 1, 1. Aliquantulum breviora.

ĂLĬQUANTŬLUS, a, um, adj. diminutivum ab aliquantus. *Hirt. B. Afr.* 21. Aliquantulum fru-

menti numerum in sua praesidia congesserat. ℙ Saepius substantivi more usurpatur, sequente genitivo. *Cic. Inv.* 2, 9. Aliquantulum suspicionis. *Liv.* 21, 12. Aliquantulum muri discussit. Et 30. agri. *Suet. Ner.* 48. *in f.* aquae tepidae.

ALĬQUANTUM, adv. *ποσόν τι*, nonnihil, sat magna ex parte, v. v. seq. *Cic. Fam.* 4, 6. Litteris lectis aliquantum acquievi. *Id. Fin.* 3, 14. Aliquantum procedere. *Id. Fam.* 5, 13. Aliquantum labefactatus. *Pl. Asin.* 2, 3, 20. ventriosus. ℙ Cum comparativo. *Ter. Heaut.* 1, 2, 27. Fortasse aliquantum iniquior erat. *Liv.* 1, 7. *a med.* Habitum formamque viri aliquantum ampliorem augustioremque humana intuens.

ALĬQUANTUS, a, um, adj. *ποσός τις*. [*nunquam paucitatem, ut Noster explicat, sed semper multitudinem, quamvis aliquatenus restrictam (relativam, ut hodie loquuntur, non absolutam) significat. Sic Graeci *πλῆθος ὅσον*, *ἄφθονοι ὅσοι* dicere solent. V. de vv. aliquanto, — tum, — tulum *Brem.* ad *Nep.* 10, 3, 3. et quos laudat ad h. l.] *Sall. Jug.* 77. Aliquanto numero hostium potiti. Et 113. Timor aliquantus, sed spes amplior. *Id. fr.* ap. *Macr. Sat.* 2, 9. Aliquantam partem gloriae dempserat. *Liv.* 38, 27. Per aliquantum spatium secuti. *Id.* 25, 35. *ad fin.* Aliquantum emensus est iter. *Appul. Apol.* p. 320, 1. Aliquantam pecuniam debere. ℙ Neutro genere more substantivi sequente genitivo. *Cic. Att.* 7, 13. *ad fin.* Aliquantum animi afferre alicui. *Id. Fam.* 1, 7. *ad fin.* Aliquantum laudis. Et 7, 25. Aliquantum noctis assumere. *Sall. Jug.* 66. Aliquantum armorum et equorum. Et *Liv.* 44, 33. Aliquantum ea res duci famae et auctoritatis apud milites adjecit. [**Id.* 37, 42. 41, 17. aliquantum loci. *Id.* 30, 8. temporis. *Id.* 28, 21. irae. cf. 29, 18, 35.] *Suet. Caes.* 81. Aliquantum vasculorum. ℙ *Aliquanti*, aliquot. *Pallad.* 1, 19. Frumenta refrigerentur aliquantis diebus. *Spart. Hadr.* 7. *in f.* Pessimis aliquantis multa largitus est. *Aur. Vict. Caes.* 33. Aliquanti in coelestium numerum referuntur, aegre exsequiis digni. *Eutrop.* 4. *sub fin.* Aliquanta oppida capere. *Liv.* 26, 23. *ad fin.* aliquanti sacerdotes. Ita *Lips.* ex MSS., alii omnes *aliquot.* [*Praeferunt hoc *Gron.* et *Drak.*, quod nusquam alias *Liv.* ita locutus sit. ℙ [*Aliquanti pro aliqui dixit *vet. Schol. Juv.* 4, 115. aliquanti de his. *B. A.*]

ALĬQUĀTĒNUS, adv., *μέχρι τινός*, usque ad aliquam partem, sive ex aliqua parte, aut aliqua ratione. *Plin.* 27, 12, 80. Caulibus aliquatenus rubentibus. *Petr. Satyr.* 102. Apertis aliquatenus labris. *Quint.* 10, 1, 74. Philistus ut multo infirmior Thucydide, ita aliquatenus lucidior. [**Spald.* mavult *aliquanto.*] *Sen. ep.* 116. Aliquatenus, inquis, dolere, aliquatenus timere permitte: sed illud aliquatenus longe producitur, nec ubi vis, accipit finem. [**Suet. Pers.* a quo inductus aliquatenus in philosophiam est.]

ALĬQUI in recto singulari pro *aliquis* ajunt *Voss. de Grammat.* 6, 8. et *Pareus in Lex. Plaut.* usurpatum legi a *Cat.*, *Cic.*, *Plaut.*, *Gell.*, *Varr.* et *Liv.* in veterib. eorum libris, et MSS., quae loca non indicamus, quia incerta lectio est. ℙ [Certissima est lectio *Cic. Rep.* (edente *A. Maio*) 1, 44. Deligitur aliqui, plerumque dux. Et 3, 16. Improbis semper aliqui scrupus in animis haereat. Idem *A. Maius* fatetur hanc scripturam non infrequentem esse apud Ciceronem, ideoque ad *Cic. fr. sex Orationum Mediol. edita ann.* 1817. p. 140. miratur, cur *Forcell.* locorum omnium, qui ad hanc scripturam firmandam afferuntur, incertam lectionem pronunciet. *F.* *Praeter hos locos alia indicavit *Zumpt. gr. lat.* §. 35. p. 116. *ed.* IV. Praeterea v. *Hdf.* ad *Cic. N. D.* p. 378. et *Beier.* ad *Cic. Off.* 3, 7, 53. qui cum *Schuppio* in *Seebod. krit. Bibl.* 1820. no. 12. p. 995. hoc discrimen statuit inter aliquis et aliqui, ut *aliquis* certum quendam subindicet; *aliqui* vagius ponatur, quum scriptores, quod vel revera nesciunt vel quod nolunt diligentius notare, significant. Pluribus hoc persequitur *Lindem.* ad *Cic. Inv.* 2, 6.]

[ALĬQUILIBET, aelibet, odlibet vel idlibet, adj. idem ac quilibet. *Cael. Aurel. Chron.* 1, 4, 70. Aliqualibet causa. *F.*]

ALĬQUIS, qua, quod et quid, pronom. *τις*, quidam, quasi *alius quis*, et significat personam, aut rem incertam. (Quid differant *aliquis* et *quidam*, dicemus in QUIDAM, quid *aliquis* et *ullus*, in ULLUS.) Usurpatur vel absolute, vel adjuncto nomine. *Cic. Marcell.* 6. Non est tua ulla culpa, si te aliqui [*gr. *ἴσως οἱ*] timuerunt. [*Si dixisset *nonnulli* vel *quidam* esset multo definitius certosque homines diceret, quos posset ipso eorum nomine appellare. Cf. de hoc discrimine *Weber. Uebungsschule* p. 1. 1. Et apud poetas quidem *aliquis* interdum idem esse videtur, quod *quidam*, ut *Ov. Met.* 10, 560. forsitan audieris aliquam certamine cursus superasse viros; ubi v. *Burm.* et ad ej. *Rem* 589. Scriptores autem quum *aliquis* dicunt, opponitur semper *nullus*, et sententia ipsa affirmativa esse debet. Quod etsi plerumque a bonis scriptoribus observatur, negligitur tamen a *Plin. ep.* 8, 19. doleo maximam feminam eripi oculis civitatis, nescio an aliquid simile visuris; ubi, ut in sententia negativa, *quicquam* esse deberet. Eodem modo *aliquid aliquando* junguntur in affirmatione, simul vero minuendi habent vim. *Cic. Rep.* 1, 9. *extr.* ut aliquid aliquando de doctrinae studiis admoneamur, np. quod raro nobis obtingit. *Id. Or.* 1, 21, 95. non despero fore aliquem aliquando. — Haec postrema *Beiero* debemus.] *Id. Or.* 1, 22. Alicui Graeculo otioso. ℙ Saepe *aliquis* regit ablativum cum praepositione *ex* vel *de:* item genitivum. *Cic. Coel.* 3. Aliquis ex vobis robustioribus. *Id. Att.* 5, 18. *ad fin.* Mitte ad nos de tuis aliquem tabellarium. *Id. Leg.* 3, 7. Aliquem de tribus nobis. *Id. Att.* 13, 15. Exspectabam aliquem meorum. *Id. Partit.* 8. Trium rerum aliqua consequemur. *Ter. Andr.* 1, 5, 15. Aliquid monstri alunt, *h. e.* aliquod monstrum. [**Suet. Ner.* 48. aliquid secretioris latebrae — desideravit, i. e. ullam latebram.] *Liv.* 26, 5. Ne aliquid indefensi relinquerent. [*Sed adduntur etiam nominativi adjectivorum, ut *Cic. Senect.* 19. aliquid extremum. *Liv.* 27, 43. improvisum. *Virg. A.* 9, 186. 10, 574. magnum.] *Id.* 22, 13. Cum popularibus et aliquibus principum. *Ulp. Dig.* 18, 7, 1. Aliquo loci morari. ℙ [*Aliquis omittitur apud v. *inquit;* sic Gr. *φησὶ* pro *φασί.* cf. *Hdf.* et *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 79. et *Gron.* ad *Liv.* 34, 3.] ℙ *Aliquid* et *aliquod* idem significant, sed usu differunt, nam *aliquod* adjectivum est, et cum alio nomine semper jungitur: *aliquid* solum more substantivi usurpatur, vel etiam aliquando casum post se habet. *Nep. Att.* 2. Detrimentum aliquod afferre. *Cic. Divin.* 2, 48. Tanquam oraculum aliquod. *Id. Off.* 2, 11. Qui furatur aliquid. *Id. Dejot.* 13. Nihil a me arbitror praetermissum, sed aliquid ad extremam causae partem reservatum: id autem aliquid est, te ut Dejotaro reconciliet oratio mea. [*Sed tenendum est, veteres, ut Plautum, etiam *aliquid* adjective usurpasse, dicentes *aliquid nomen* ac simm. cf. *Lindem.* ad *Cic. Inv.* 2, 7. p. 539.] ℙ Jungitur etiam aliis adjectivis, et praesertim cum *unus* elegantem habet usum: et quamvis significationem non mutet, addit tamen vim quandam et leporem. *Cic. Or.* 2, 3. Majorem aliquam esse causam eorum adventus, suspicati sunt. *Id. Acad.* 4, 10. *ad fin.* Illos, qui omnia incerta dicunt, quasi desperatos aliquos relinquamus. *Id. Off.* 1, 32. Implicari aliquo certo genere vivendi. *Id. Fin.* 3, 19. Vir bonus utilitati omnium plus, quam unius alicujus, aut suae consulit. *Id. Off.* 2, 12. Ad unum aliquem confugere. *Id. Cluent.* 66. Istam ipsam quaestionem, dicite, quis obsignavit? unum aliquem nominate. *Id. Or.* 2, 72. Firmissima quaeque (*argumenta*) maxime tueor, sive plura sunt, sive aliquod unum. *Id. ib.* 3, 33. Sin aliquis excellit unus e multis, effert se, si unum aliquid affert, ut etc. [**Cic. Verr.* 2, 2, 52. unum aliquem diem nonnunquam eximere ex mense dicuntur Siculi. Atque est hic horum pronominum ordo vulgaris. Inverso ordine collocavit *Cic. Rep.* 1, 32. aliquis unus pluresve divitiores. *Beier.*] ℙ *Aliquis* pro aliquis alius. *Cic. Cat.* 1, 8. Catilina, dubitas, si hic morari aequo animo non potes, abire in aliquas terras? *Q. Cic. Petit. Cons.* 5. Qui abs te tribum, aut centuriam, aut aliquod beneficium sperant. Est qui hic aliter legit. [**Cic. Rep.* 4, 14. quum certi propter divitias aut genus aut aliquas opes (i. e. alias quas) rempublicam tenent, est factio. cf. *Moser.* ad h. l. et *Gernh.* ad *Cic. Off.* 1, 11, 35. Cf. *ib.* 1, 18. Septenarium tragicum de Zodiaco: cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod belluae. *Id. Amic.* 27, 5. semper aliqui (h. e. alii post alios) anquirendi sunt. *Ib.* §. 10. Studia cognoscendi semper aliquid atque discendi. *Ib.* c. 10. §. 5. contentio vel uxoriae conditionis vel commodi alicujus. *Beier. Auct.* ad *Her.* 1, 4, 10. ab aliquo firmissimo nostrae causae adjumento. cf. *ib.* 2, 17, 88. Sic etiam apud alios praeter Ciceronem. *Liv.* 34, 38. aut ipse occurrebat, aut aliquos mittebat. cf. 35, 19. Sic apud *Suet. Tib.* 47. quae ab aliquo (i. e. ullo alio, *ὑφ' οὑτινοσοῦν*) ederentur etc. nihil mutandum est. V. *Oud.* ad h. l. Noster laudavit *Tac. A.* 1, 4. Tiberium ne tum quidem — aliquid quam iram etc. meditatum, ubi v. quos laudat *Ern. Vell.* 1, 17. praeterito eo, — aliquid, in quo nitamur, conquirimus. Sed reperiuntur etiam conjuncta aliquis alius. *Suet. Cl.* 40. si quem alium, et se liberum esse, i. e. non minus se liberum esse quam quemvis alium.] ℙ Cum vocibus numerum significantibus. *Pl. Men.* 5, 5, 47. Elleborum potabis aliquos viginti dies, *h. e.* circiter viginti. Alii leg. *aliquot. Varr. R. R.* 1, 2. Aliqua folia quinque. Alii leg. *alia. Cato R. R.* 156. eadem habet verba: in quibus eadem est varia lectio, quae tamen passim exploditur a Criticis. Sic *Id. Or.* ap. *Non.* 2, 909. Ut quadringentos aliquos milites ad verrucam illam ire jubeas. Simile est illud *Appul. Met.* 2. Introductis quibusdam septem testibus. Et *sub fin.* Tres quidam vegetis corporibus. ℙ Interdum regit verbum pluralis numeri more nominis collectivi. *Ter. Adelph.* 4, 4, 24. Aperite aliquis actutum ostium. *Pl. Men.* 4, 2, 111. Aperite, atque Erotium aliquis evocate. ℙ In partitionibus modo *aliquis* geminatur, modo aliae particulae subjiciuntur. *Quint.* 4, 2. In narratione ut aliqua neganda, aliqua adjicienda, aliqua mutanda, sic etiam aliqua tacenda. *Plin.* 24, 15, 89. Quam aliqui echiten vocant, alii laginem, nonnulli scammoniam. *Colum.* 2, 2. Aliquae fossae fiunt patentes, quaedam ita obcaecantur etc. ℙ Post particulam dubitivam *si* saepius ponitur *quis*, quam *aliquis;* quod tamen etiam optime ita collocatur. *Cic. Senect.* 20. Sensus moriendi, si aliquis esse potest, isque etc. Sunt qui aliter leg. *Id. Amic.* 24. Si aliquem, cui narraret, habuisset. *Id. Phil.* 13, 1. Si aliquid de summa gravitate Pompejus dimisisset. [*cf. de hac re *Frotscher.* progr. de locis quibusd. *Xenoph. Mem. Socr. Lips.* 1819. *Seebod. Krit. Bibl.* 1819. p. 231. et 1093. et 1820. p. 386. Dicunt Latini *si*, *sin*, *nisi quis*, ubi nulla est oppositio; dicunt autem *si aliquis*, ubi oppositio cum vi quadam facienda est. Interdum *si quis* est i. q. quicunque, ut Gr. *εἴτις* pro *ὅστις*. *Quint.* 1, 1, 11.] ℙ *Esse aliquem*, et *esse aliquid* significat esse in aliquo numero, existimatione, aut pretio, non omnino inutilem, aut ineptum esse, *τί εἶναι. Cic. Att.* 3, 5. *ad fin.* Meque, ut facies, velis esse aliquem, quoniam qui fui, et qui esse potui, jam esse non possum. [*Nec solum de personis, sed etiam de rebus. *Cic. Fam.* 6, 1, 16. quin aut aliqua republica sis futurus etc. et *ib.* 2. §. 7. aliquo statu reipublicae, i. e. etsi non integro eoque, qui esse debet, at saltem non prorsus deplorato.] *Juven.* 1, 73. Aude aliquid brevibus Gyaris, et carcere dignum, Si vis esse aliquis. Al. leg. *aliquid* [*male. cf. *Ruperti.*]. *Cic. Att.* 4, 2. Si unquam in dicendo fuimus aliquid. *Id. Fam.* 6, 18. Qui liber si est talis, qualem tibi videri scribis, ego quoque aliquid sum. *Id. Tusc.* 5, 36. An quidquam stultius, quam quos singulos, sicut operarios barbarosque contemnas, eos esse aliquid putare universos? [*Quare etiam i. q. singularis. *Quint.* 6, 3, 6. non ratione aliqua. *Beier.* — De formulis: si quid accideret etc. v. ACCIDO etc.] ℙ *Est aliquid*, formula qua utimur, cum aliquid non plane rejiciendum et contemnendum significamus [*ut Gr. *τὶ* pro *μέγα τι*] *Cic. Att.* 3, 15. Quod te cum Culeone scribis de privilegio locutum, est aliquid: sed multo est melius abrogari. *Id. Senect.* 3. Est istuc quidem, Laeli, aliquid: sed nequaquam in isto sunt omnia. *Ov. Fast.* 6, 27. Est aliquid nupsisse Jovi, Jovis esse sororem. [*Huc refer *Hor. Sat.* 1, 4, 11. et esse aliquid (i. e. sat multum) quod tollere possis, de quo loco v. *A. Wolfii* disputationem. *Prop.* 4, 7, 1. sunt aliquid manes. *Ov. Am.* 1, 12, 3. omina sunt aliquid. *coll. Fast.* 1, 484. *Met.* 13, 241. *Quint. prooem. lib.* 1. *fin.* est aliquid eloquentia. cf. *Burm.* ad *Ov. A. A.* 3, 755. In rebus amatoriis *aliquid* et *quiddam* quum dicunt poetae, plus intelligunt quam dicunt. *Prop.* 2, 18, 11. quae si forte aliquid vultu mihi dura negarat. cf. *Burm.* Et sic ipse *Cic.* de re venerea in verecunda aposiopesi, *Tusc.* 3, 18. *fin.* si vero aliquid etiam . . . tum plane luctum omnem absterseris?] *Dicere aliquid* dicuntur, qui non absurda penitus in medium proferunt, *λέγειν τι. Cic. Tusc.* 1, 10. Hic ab artificio suo non recessit, et tamen dixit aliquid. [*cf. *Hermann.* ad *Vig.* p. 731. *n.* 113.] *Fiet aliquid* est dictum non desperantis de rei exitu, licet difficilis videatur. *Ter. Andr.* 2, 1, 13. Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies: interea fiet aliquid. Adde *Pl. Merc.* 2, 4, 25. et *Truc.* 2, 4, 15. ℙ *Ad aliquid*, *πρός τι.* nomen *ad aliquid* apud Grammaticos *Char.* 2. p. 129. et *Prisc.* 2. p. 580., est illud, quod per se solum non subsistit, sed ad aliquid aliud refertur, ut *pater*, *mater*, *frater* etc., quae *relativa* dicuntur a Scholasticis. *Quint.* 1, 6. (al. 10.) Iidem cum interrogantur, cur aper apri, et pater patris faciat, illud nomen simpliciter positum, hoc ad aliquid esse contendunt. ℙ *Aliquid* adverbii more. *Cic. Dejot.* 13. Vereor, ne, tibi illum succensere aliquid, suspicere. *Plin.* 5, 9, 10. Aliquid fessus. [*Hinc formulae *si quid* et *nisi quid. Cic. Fam.* 2, 15. nisi quid me Etesiae morabuntur.] ℙ *Alicui* in versu trisyllabum. *Tibull.* 4, 7, 1. Tandem venit amor, qualem texisse pudore, Quam nudasse alicui, sit mihi fama minor. Adde *Ov. Trist.* 4, 7, 7. ℙ *Aliqui* in ablativo singulari pro *aliquo. Pl. Aul. prol.* 24. Aut ture, aut vino, aut aliqui semper supplicat. *Id. Truc. a.* 5. *v.* 30. Gaudere aliqui me volo: nam quamquam es bella, malo tuo es, nisi tuo ego aliqui gaudeo. *Id. Most.* 1, 3, 18. Te, scapha, donabo ego profecto hodie aliqui. ℙ Veteres dixisse *aliques* in recto plurali, testatur *Charis* 2. p. 133., nam et *ques* pro *qui* usurpatum, fuit. ℙ Etiam *aliqui* pro *aliquis:* de quo V. suo loco. ℙ[*Aliquis et *alius* saepissime permutantur. V. intpp. ad *Ov. Her.* 12, 80. *Met.* 4, 445. *Lindem.* ad *Cic. Invent.* 2, 13.]

ALĬQUIS̆PIAM, aliquapiam, aliquodpiam, et aliquidpiam, pronom., idem quod aliquis, *piam* adjectio syllabica est, quae quid significet. V. in PIAM. *Cic. Sext.* 29. Si aliquapiam vi expelleretur ex hac urbe. Alii leg. *aliqua quapiam.* [*Vulg.*

Orell. retinuit, laudato *Gron.* ad *Liv.* 41, 6, 12.] *Id. Tusc.* 3, 9. Aliquodpiam membrum tumidum. Alii leg. *aliquod quippiam*. *Quintiliani* etiam locum quidam addunt, item *Cic. Div.* 2, 50. [*et 65.] et *Tusc.* 3, 9., sed ibi quoque incerta lectio est.

ALIQUISQUAM, aliquaquam, aliquodquam, et aliquidquam, pronom. id. q. aliquis. *Liv.* 41, 6. *fin.* Nec Lycios Rhodiis, nec ullos alicuiquam, qui nati liberi sint, in servitutem dari placere. Al. aliter leg. [*v. voc. praeced.] *Cic. Div.* 2, 50. Qui negat, aliquidquam Deos nec alieni curare, nec sui. Alii leg. *quidquam*. Adde *N. D.* 2, 65. sed dubia itidem lectione.

ALIQUO, adv. ποῖ, ad vel in aliquem locum. *Ter. Ad.* 3, 4, 21. Aliquo profugiet militatum. *Id. Heaut.* 3, 3, 11. Concedas hinc aliquo ab ore eorum aliquantisper. *Id. Ad.* 5, 2, 11. Interea in angulum aliquo abeam. [*Id. ib.* 4, 7, 26. aliquo abjicienda est. *Ib.* 4, 3, 25. illum aliquo conclusissem. *Id. Heaut.* 4, 6, 5. *Hec.* 3, 3, 53. *Liv.* 1, 6. inferre se aliquo. *Id.* 1, 11. nomina dare aliquo, i. e. inter eos, qui proficisci s. deduci in aliquem locum velint. *Id.* 6, 22. prospectum capere aliquo. Additur *terrarum* in ep. *Bruti*, quae exstat in *Cic. Fam.* 11, 1. Hinc si quo etc. *Cic. Att.* 8, 2. si quo misit. ℙ Significat etiam *ad aliquem locum*. *Liv.* 27, 28. si quo eorum opera opus esset.]

ALIQUOMULTUM. V. ALIQUAMMULTUM.

*ALIQUOSECUS, adv. laudant *Ulp. de off. Procons.* l. *Bail. A.*

ALIQUOT, τινὲς, nomen indeclinabile pluralis tantum numeri, omnis generis, significat idem quod nec multi, nec pauci [*aliquot sunt plures quam unus aliquis; quot sint nihil refert. Cf. *Wolf.* ad *Suet. Caes.* 10. Quomodo differat ab *nonnulli* docet *Herz. Caes. B. G.* 3, 2.] *Ter. Andr.* 3, 3, 2. Aliquot me adiere. *Cic. Fam.* 7, 18. Accepi aliquot epistolas. *Id. Univ.* 1. Cum aliquot saecula viguissent. *Ter. Ph.* 5, 5, 4. Aliquot hos sumam dies.

ALIQUOTFARIAM, adv., in aliquibus locis, ut *multifariam* in multis locis. Unde derivetur, quidque significet adjectio *fariam* v. in BIFARIAM. *Varr. R. R.* 1, 2. In Picentium agro aliquotfariam in singula jugera dena cullea vini fiunt.

ALIQUOTIES, adv., ὁσάκις, ἐνίοτε, aliquot vicibus. *Cic. Quint.* 1. Qui hanc causam aliquoties apud te egit. *Id. Font.* 11. Nisi aliquoties ex ipsis accusatoribus audissem. Adde *Liv.* 7, 18.

ALIQUOVERSUM et antique Aliquovorsum, adv., versus aliquem locum. *Pl. Cas.* 2, 4, 18. Ego pol istam jam aliquovorsum tragulam decidero.

ALIS, pro *alius*, et Alid pro *aliud*, antiquum loquendi genus, usurpatum legitur a *Lucr.* 1, 1108. Namque alid ex alio clarescet, etc. [*ib.* 264. 3, 983. 5, 258. 1304. 1455.] Sic alid ex alio peperit discordia tristis. Et a *Catull.* 66, 28. quo non fortius ausit alis. *Plaut.* quoque apud *Fest.* dixit *ali rei* pro aliae rei. Accedunt testimonia Grammaticorum *Charisii*, (qui 2. p. 133. etiam *Sallustii* locum profert) et *Priscian.* 13. p. 959., qui saepe veteres ita locutos testantur. Non ubique tamen eadem lectio est eorum locorum, quae attulimus.

ALIS, ĭdis, f. id. q. Elis, idis, quod est Achajae oppidum. *Pl. Capt. prol.* 9. Eumque hinc profugiens vendidit in Alide. Et 26. Emit ibidem in Alide, etc. Ita legendum admonuit *Turneb. l.* 23. *c.* 24. tum ex antiquis libris, tum quia cum ibi agatur de bello Aetolorum, verosimilius est cum Eliensibus eos bellantes induci, quos aliquando cum his bellum gessisse ex *Polybio* constat, quam cum *Aulidis*, (quod in aliis editionib. quibusdam legitur) qui sunt Boeotiae populi. *Turnebum* secuti sunt *Taubmannus*, *Operarius* in editione ad us. Delph., *Ernestius*, [*Lindem.*] aliique.

ALISMA, ătis, n. ἄλισμα, herba est in aquosis locis nascens, quae alio nomine damasonion et lyron vocatur, foliis plantaginis venosis, sed angustioribus, et magis laciniosis, et in terram convexis, caule simplici, tenui, cubitali, capite thyrsi, radicibus densis, tenuibus ut veratri nigri, acribus, odoratis, nigris. Alterum genus ejusdem in silvis provenit, nigrius, et majoribus foliis. *Plin.* 25, 10, 77.

*ALISO s. Alison, onis, fluvius Germaniae, qui in Luppiam influit. *Dio.* 54, 33. ℙ Castellum, Ἄλισον, *Ptol.* 2, 11. h. *Vesalia*, propter Alisonem fl. situm. Cf. intpp. ad *Tac. A.* 2, 7. *Vell.* 2, 120. h. *Isenburg*.

*ALISONTIA, ae, Germaniae fluvius, qui Mosellae miscetur. *Auson. Mosell.* 371. h. *die Eltz*.

ALITER, adv., ἄλλως, alio modo, secus. *Cic. Att.* 6, 6. Assentior: fieri non potuit aliter. *Id. Amic.* 20. Aliter amicitiae stabiles permanere non possunt. *Id. ib.* 24. Aliter cum tyranno, aliter cum amico vivitur. *Cels.* 3, 3. *ad fin.* Cum aliter aliterque in eodem morbo febres accedunt. *Plin.* 2, 93, 95. Diffusae per omne naturae subinde aliter atque aliter numen erumpens. *Suet. Rhet.* 1. Aliter atque aliter exponere. ℙ *Aliter esse* est alio modo affectum, aut animatum esse. *Ter. Ad.* 3, 5, 46. Sin aliter vester animus est. [*Similiter *id. ib.* 3, 5, 5. si aliter de hac re est ejus sententia. Quare aliter existimare, statuere etc. quod in utramque partem et de credendo et de dubitando dici potest. Cf. *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 7, 44.] ℙ Cum adverbiis, quae comparativum amant, ut *longe*, *multo*, *nihilo*, etc. *Cic. Rosc. Am.* 47. *sub fin.* Verum longe aliter est. *Varr. R. R.* 2, 3. Nec multo aliter tuendum hoc pecus. *Ter. Ph.* 3, 2, 44. Ego hunc esse aliter credidi: iste me fefellit: ego isti nihilo sum aliter, etc., *h. e.* ego hunc esse alio ingenio, aliis moribus putavi: iste me fefellit: ego erga hunc non aliter sum animatus, etc. ℙ Saepe etiam habet post se particulas *ac*, *atque*, *et*, *quam*, etc. *Cic. Att.* 16, 13. Ne sim salvus, si aliter scribo, ac sentio. *Suet. Oth.* 6. Non aliter ac si conscius et particeps foret. *Cic. Fam.* 2, 3. Aliter, atque ostenderam, facio. *Id. Verr.* 2, 1, 46. Quod iste aliter, atque ut edixerat, decrevisset. *Id. Att.* 10, 11. De puero aliter ad te scripsit, et ad matrem de filio. *Id. Verr.* 2, 1, 9. Ne aliter quam ego velim, meum laudet ingenium. [*Suet. Aug.* 48. nec aliter universos quam membra imperii curae habuit. Cf. *ib.* 95. *Id. Caes.* 45. nec ut unquam aliter, quam etc.] *Liv.* 3, 51. Negabant se aliter ituros, quam si decemviri deponerent insignia. [*Suet. Aug.* 40. non aliter se daturum, quam si. *id. Tit.* 8.] *Suet. Tib.* 24. Recepit imperium, non aliter tamen, quam ut, depositurum se quandoque, spem faceret. *Liv.* 45, 11. Non aliter classem revocaturum, nisi sibi tota Cypro cederet. *Ov. Fast.* 2, 209. Non aliter, quam cum Libyca de rupe leones Invadunt sparsos lata per arva greges. [*Etiam *a* sequitur. *Mela* 1, 9. cultores regionum multo aliter a ceteris agunt. Cf. *Praep. A.*] ℙ *Hoc aliter* apud *Varr. R. R.* 2, 3. De seminio caprarum dico eadem, quae Atticus in ovibus: hoc aliter, ovium semen tardius esse, contra caprile, mobilius esse, *h. e.* hoc diversum sentio et dico: ita *hoc amplius*. V. AMPLIUS. ℙ Pro *alioquin*, vel *ceterum*. *Sall. Cat.* 30. *in fin.* Aliter sine populi jussu, nullius earum rerum consuli jus est, *Cic. Off.* 1, 39. Aliter ampla domus decori domino saepe fit, si est in ea solitudo. [*Liv.* 4, 10. aliter, tam abeuntibus quam manentibus se hostem infensum. Sed ejusmodi loci facile ad primam explicandi rationem revocari possunt.]

ALITOR. V. ALTOR.

*ALITUDO, inis, f. *Gloss. gr. lat.* τροφή, cibus, alitudo.

ALITURA, ae, f. τρέψις, nutricatio. *Gell.* 12, 1. Alituram feram, et saevam criminatus est.

ALITUS, ūs, m. id. q. alitura. *Donat. Vit. Virgil. n.* 6. Parentibus quotannis aurum ad abundantem alitum mittebat.

ALITUS, a, um, part. v. *alo*, nutritus, τεθραμμένος. *Curt.* 8, 10. Caesis sivis flammam excitaverunt, quae igni alita, etc. *Ulp. Dig.* 27, 3, 1. Quod tam conjunctae personae alitae sunt. *Val. Max.* 7, 2. *n.* 8. Non oportere in urbe nutriri leonem: sin autem sit alitus, etc. Et 4. Triumphis alita virtus. *Id.* 9, 3. *n.* 8. Alita miseriis impotentia. Adde *Liv.* 30, 28., ubi tamen alii leg. *altus*. Etiam *Ciceronis* loca aliquot afferri possunt, in quibus itidem variat lectio. [*Cf. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 63, 2. de hoc et simm. particc.]

ALIUBI, adv. ἄλλῃ ποι, ἄλλῃ πῃ, compositum ex *alius*, et *ubi*, atque idem significans quod *alibi*. *Plin.* 10, 30, 45. Merulae circa Cyllenen Arcadiae, nec usquam aliubi candidae nascuntur. [*Id. 26, 7, 12. in Arabiae montibus nec aliubi nasci putavere.] Saepe geminatur: *Varr. R. R.* 1, 44. Ut ex eodem semine aliubi cum decimo redeat, aliubi cum quintodecimo. [*Plin.* 34, 14, 41. in nostro orbe aliubi vena — praestat, — aliubi factura etc., i. e. hic — illic. *Id.* 11, 14, 14. aliubi mellis copia, aliubi magnitudine.] *Senec. ep.* 35. *extr.* animum natare aliubi atque aliubi apparere. [*Sed in seq. loco Senecae ut *Plin.* 9, 54, 79. quando eadem aquatilium genera aliubi utque aliubi meliora etc. est i. q. diversis in locis.] *Senec. Benef.* 3, 6. Veneficii, parricidii aliubi atque aliubi diversa poena est, sed ubique aliqua.

ALIUM, ii, n. V. ALLIUM.

ALIUNDE, adv. ἀλλαχόθεν, ex alio loco, ex alia persona, ex alia re. *Plin.* 33, 7, 40. Cinnabaris neutro ex loco invehitur ad nos, nec fere aliunde, quam ex Hispania. *Cic. Ligar.* 1. Cum tu id neque per te scires, neque audire aliunde potuisses. *Id. Att.* 11, 13. Et a tuo villico sumpsimus, et aliunde mutuati sumus. [*Catull.* 61, 153. repetitum aliunde eat.] *Liv.* 24, 45. Qui aliunde stet semper, aliunde sentiat, i. e. a partibus alicujus. *Cic. Fam.* 5, 13. Quam quidem laudem sapientiae statuo esse maximam, non aliunde pendere. [*Cic. Or.* 24. Verbum aliunde sumtum, i. e. tropicum.] *Id. ib.* 2, 9. *fin.* Dicendi copiam aliunde petere. ℙ Jungitur etiam cum pronom. *alius*. *Liv.* 44, 12. Alii aliunde coibant. *Ter. Ph.* 2, 2, 19. Aliis aliunde est periculum.

ALIUS, a, um, adject. idem ac Eliensis, V. supra ALII et ALIS.

ALIUS, alia, aliud, genit. alīus, dat. alii, etc. pronom. ἄλλος, alter (differunt tamen, quod *alius* de pluribus dicitur, *alter* de duobus, v. ALTER.) diversus, dissimilis. *Cic. Verr.* 2, 1. 26. Hic tum alius ex alia parte: enimvero, etc. *Id. Coel.* 3. Aliud est maledicere, aliud accusare. *Id. Top.* 22. Comparationum duo sunt genera, unum de eodem et alio, alterum de majore et minore. [*Liv. 37, 35. aliam ne urgerent fortunam, i. e. aliorum. *Id.* 21, 12. vinci animos, ubi alia (muri, munimenta) vincantur. *Id.* 44, 10. simul desperatione alia salutis, i. e. alio modo sui servandi. *Tac. H.* 1, 13. non tam unum aliquem fovebat, quam alium.] ℙ In distributionibus modo *alius* repetitur, modo aliae particulae substituuntur. *Liv.* 32, 5. *ad fin.* Quae minus tuta erant, alia fossis, alia vallis, alia turribus muniebat. (Adde *Cels.* 3, 3. ubi *alius* decies repetitur.) *Cic. Fam.* 15, 4. Cum aliis Q. frater, aliis C. Pomtinus, reliquis M. Annejus praecessent. *Id. Verr.* 2, 5, 56. Proferebant alii purpuram, tus alii, gemmas alii, vina nonnulli Graeca. *Id. Tusc.* 5, 13. Alias bestias nantes, alias volucres, serpentes quasdam esse gradientes; earum ipsarum partim solivagas, partim congregatas; immanes alias, quasdam cicures, nonnullas abditas. *Tac. Hist.* 4, 23. Alii superstantes proeliarentur, pars occulti muros subruerent. [*Interdum in altero membro *alii* omittitur. *Liv.* 5, 21. *Tac. A.* 1, 63. castra metari placuit, ut opus et alii proelium inciperent. Cf. *Ern.* ad h. l. et *Gron.* ad *Liv.* 3, 37. *Suet. Caes.* 89. alius alio casu periit, pars — pars — nonnulli, ubi v. *Oud. id. Aug.* 100. alii — quidam — nonnulli. *Id. Tit.* 17. *Galb.* 3. Ita etiam Graeci; non igitur est, quod talia vituperet *Schwarz.* ad *Tursell.* p. 80. sq.] ℙ Saepe repetitur *alius* vel eodem, vel diverso casu, vel additis adverbiis *alio*, *alibi*, et similibus; habetque elegantem significationem. *Cels.* 3, 3. *in fin.* Cum aliter aliterque in eodem morbo febres accedunt, non easdem inordinate redire, sed alias aliasque subinde oriri. *Liv.* 1, 8. Alia atque alia appetendo loca. [*Suet. *Aug.* 97. aliis atque aliis causis, i. e. usque novis.] *Cic. Fam.* 7, 24. Habes Sardos venales: alium alio nequiorem. *Id. Off.* 1, 7. Ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent. [*De simili locutione cf. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 2, 26.] *Id. Q. Fr.* 3, 1, 7. Ideo multa conjecta sunt, aliud alio tempore. *Id. Verr.* 2, 1, 22. Signa et ornamenta alia alio in loco intuebantur. *Suet. Vesp.* 6. Cum ceteros alii alium alia de causa improbarent. *Liv.* 1, 21. Duo reges, alius alia via, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt. *Id.* 44, 43. Equites alii alia dilapsi sunt. Sic 7, 39. Cum alii alio mitterentur. *Id.* 44, 33. Jussit alios alibi fodere. *Cic. Or.* 2, 7. *fin.* Illi alias aliud iisdem de rebus sentiunt, et 19. Aliter ab aliis digeruntur. [*Cic. Fam.* 8, 1. aliud sentire et loqui, pro: aliud sentire aliud loqui. *Id. Att.* 12, 40. aliud — aliud est i. q. partim, partim.] ℙ *Alius ex alio* significat unam rem post aliam: quod *Sall. Jug.* 6. *alium post alium* dixit. *Cic. Fam.* 9, 19. Me quotidie aliud ex alio impedit. *Liv.* 7, 39. Alias ex aliis nectendo moras. *Alius super alium* eod. sensu. *Liv.* 3, 56. Quae impie per biennium, alia super alia es ausus. *Id.* 1, 25. Duo Romam, super alium alius. Ubi adverte, *alium* dici de duobus. [*Suet. *Ner.* 49. urgentibus aliis super alios nuntiis. v. *Tursell.* ed. *Schwarz.* p. 86. *n.* 27. *β.*] ℙ *Alius* interdum regit ablativum sine praepositione. *Brut.* et *Cass. ad Anton. inter ep. Cic. Fam.* 11, 2. Nos ab initio spectasse otium, nec quidquam aliud libertate communi quaesisse, exitus declarat, *h. e.* nihil aliud praeter libertatem. Sunt qui leg. *a libertate*. [*V. *Manut.* ad h. l.] *Hor. Ep.* 1, 16, 18. Neve putes alium sapiente, bonoque beatum. [*Cf. *Both.* ad h. l. II. p. 183.] *Phaedr. prol.* 3, 41. Si accusator alius Sejano foret. ℙ Jungitur eleganter cum adverbio *longe* [*et *multo*. *Quint.* 10, 1, 41. nec multo aliud de novis sentio, i. e. aliter. V. *Frotscher.* ad h. l. et in *add.* p. 265.]: habet etiam post se particulas *ac*, *atque*, *et*, *quam*, *praeter*, et similia his. *Cic. Att.* 11, 10. Longe alia nobis, ac tu scripseras, nunciantur. *Id. Fam.* 1, 9. *a med.* Non alius essem, atque nunc sum. [*Poetae pro *alius atque* dicunt *alius*, *alius*. *Virg. G.* 1, 421. et pectora motus nunc alios, alios dum nubila ventus agebat, concipiunt.] *Id. Coel.* 28. Lux longe alia est solis, et lychnorum. *Id. Or.* 2, 69. Numquid aliud ferret praeter arcam? *Cels.* 2, 28. Panis fermentatus, et quisquis alius, quam ex tritico est. [Ad hunc *Celsi* loc. ita *Targa*. Libri omnes habent: Et quisquis alius quam ex tritico est. Ego addidi vocem *qui*, ut sit *quam qui e. t. e.* Librarius eam omisit deceptus a similitudine antecedentis vocis *quam*. Et haec quidem recte. *Burmannus* enim ad *Petr. Sat.* 86. et *Brunsius* [*Ruhnken. dicere voluit] ad *Ter. Andr.* 3, 3, 13. demonstrant, apud optimos quosque scriptores post *alius* sequi *atque*, *ac*, *et*, nunquam vero jungi solere *quam*, nisi particulae negativae *non*, *nihil*, et similes praecedant. *F.* *Bene hoc monet. Quare fit, ut in sententia negativa cum *ullus* conjungatur. *Cic. Att.* 5, 10. non alius ullus sermo nisi de te. Raro in sententia affirmativa sequitur *quam* ut ap. *Suet. Ner.* 2. quod alium quam se cooptassent.

Sed notanda est h. l. formula: *nihil aliud, quam, οὐδὲν ἄλλο; Suet. Aug.* 98. quum ille nihil aliud responderet, quam seq. acc. c. infin. *id. Gramm.* 10. quum sibi sciat nihil aliud suadere, quam ut etc. et sine *ut, id. Aug.* 32. ex quorum sordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quaereretur. *id. Tib.* 11. nihil aliud secessu devitasse se, quam suspicionem. Cf. *Hoogeven.* ad *Vig.* p. 532. *ed. Herm. B. Crus.* in cl. Suet., unde haec hausimus, hoc *nihil aliud*, inquit, ita in ore fuit Romanis, ut omisso, quod sensu addendum erat, *facere*, orationi insererent pro *tantum*. V. *Lamb. Bos.* p. 646. ed. *Schaefer. Suet. Caes.* 20. ut nihil aliud quam per edicta obnuntiaret. *Id. Aug.* 83. *Ner.* 43. *Id. Claud.* 10. fluctuantes, nec quicquam adhuc quam frementes, i. e. nihil amplius. Laudat idem V. D. *Gronov.* ad *Liv.* 4, 26. 26, 2. 31, 24. *coll.* 40, 50. edd. ad *Tursell.* p. 88. et *Perizon.* ad *Sanctii Min.* p. 821. ed. *Scheid.* Quomodo autem differat *nihil aliud quam* et *nihil aliud nisi* v. *Krebs.* p. 599. ℙ [*Interdum ponitur *alius* eo sensu quo vulgo *alter* ponitur. Ita jam reperitur apud Plautum ac deinde Appulejum, veterum imitatorem. Cf. *Lindem.* ad *Pl. Capt. Argum. Acrost.* v. 2. et 9. Afferuntur quidem aliorum quoque scriptorum loci; sed in his caute versandum est. *Suet. Tit.* 7. alium Neronem et opinabantur et praedicabant (Titum) ubi *alter* esset *ὁ ἄλλος;* sed *alius* est *ἄλλος;* non de duobus tantum Neronibus, sed de pluribus Neronibus cogitat scriptor. *Tac. A.* 5, 10. (Aegaeum mare) — marique alio (i. e. Adriatico) Nicopolin ingressus; quo loco male exponunt *altero;* non enim de duobus tantum cogitat: aliud mare est i. q. non jam Aegaeo amplius. De duobus autem loquitur *Liv.* 24, 27. quo aliae partis hominibus animus accederet; cf. *id.* 9, 2. sed ante intrandae primae angustiae sunt — aut — aut per alium saltum evadendum. Cf. *Graev.* ad *Cic. p. Red.* 5. Adde *Curt.* 9, 8, 5. Et in enumeratione: *Caes. B. G.* 1, 1. unam partem incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam Celtae; ibique *Herz.*] ℙ Ponitur interdum pro *reliquus. Liv.* 7, 19. Tercenti quinquaginta octo delecti, qui Romam mitterentur: vulgus aliud trucidatum. *Id.* 2, 23. Primo se agro paterno exuisse, deinde fortunis aliis. [**Gloss. Liv.* alia addit, ut 7, 26. alia multitudo coll. 24, 1. 41, 18. 40, 12. 1, 12. 3, 17. 38, 24. aliaque sanctitate et gravitate vitae hujus matronalis etc. *ibidemque* 26. sed *Drak.* et *Burm.* illo loco malunt *reliquaque*, quod negat *Ernest.* l. l. Eodem sensu passim ponitur *alia* absolute, ad morem Graecorum. Ex *Sall.* ap. *Serv.* ad *Virg. A.* 3, 594. alia sanctus, ut *Vell.* 2, 46. cetera sanctissimus, ubi v. *Ruhnken.* Est etiam *alius* is qui prorsus diversus est ab alio antea appellato, eique oppositus. V. *Walch. Emend. Liv.* p. 59. sq.] ℙ *Alium facere* est immutare. *Pl. Trin.* 1, 2, 123. Pro Dii immortales, verbis paucis quam cito alium fecisti me! alius ad te veneram. *Id. Poen. prol.* 126. Valete, adeste, ibo: alius nunc fieri volo, *h. e.* aliam personam comicam induere volo. ℙ *Alia omnia.* V. OMNIS. ℙ *Alias res agere.* V. AGO. [*Similiter dicunt: alia curare. *Pl. Mil.* 3, 3, 55. *Pa.* insistite hoc negotium sapienter. *Ac.* Alia cura. *Ter. Ph.* 2, 1, 5. atqui reperi jam; alia cura.] ℙ Reperitur etiam genitivus *alii*, et *aliae* pro *alius*, et dativus *alio* et *aliae* pro *alii. Varr. R. R.* 1, 2. Ad alii Dei aram. *Cato* apud *Priscian.* 6. p. 694. Tum uti eos mutem, et alii modi sim. (*pro* aliusmodi. Hinc factum est *alimodi*, quod affertur a *Festo.*) *Cic. Div.* 2, 13. Si aliae pecudis jecur nitidum est, aliae horridum. [*Inscr.* ap. *Cotugno, Mem. di Venafro* p. 293. Lysias sibi, et si volet Papia Irena conliberta, alio nemini. *Gell.* 9, 4. Nulli aliae causae obnoxia. *F.* **Id.* 2, 28. an cujus aliae rei causa.] *Pl. Mil.* 3, 1, 207. Qui nisi adulterio, studiosus rei nullae aliae est. Adde *Lucr.* 3, 932. et *Liv.* 24, 27. *sub fin.* Praeterea *Festus* asserit, *Plautum* dixisse *ali rei* pro *aliae rei.* ℙ *Alium* pro *aliorum. Lucr.* 1, 882. Sanguinis, aut alium, nostro quae corpore aluntur. Adde 2, 910. Utrobique tamen alii aliter leg. ℙ [**Alii* et *illi* commutantur. V. *Ruhnken.* ad *Vell.* 1, 4, 2. et 2, 13, 3. *Alius* et *altus, Burm.* ad *Quint.* 10, 1, 44.]

ĂLĬUSMŎDI, duo genitivi coalescentes in unam vocem, et quasi in adjectivum indeclinabile. *Cic. Inv.* 2, 6. Res aliusmodi est, ac putatur. *Caes. in Anticat.* ap. *Priscian.* 6. p. 694. Quem aliusmodi, atque omnes natura finxit.

ĂLĬUSVĬS, aliavis, aliudvis, pronom., quivis alius. *Cic. Att.* 3, 4. Cicerones nostros meo potius labore subdoceri mallem, quam me aliumvis magistrum quaerere.

ĂLĬŪTĂ, veteres pro aliter dicebant. Hinc est illud in legibus Numae apud *Festum.* Si quis aliuta faxit, ipsos (*h. e.* ipsus) Jovi sacer esto. *Pl. Rud. prol.* 10. Alium aliuta disparat. Al. hic *alia* legunt.

*ALLABA vel Allava, ae, Siciliae fluvius. *Anton. Itin.*

ALLĂBOR et Adl., eris, apsus sum, dep. 3. juxta, vel ad aliquam rem labor, aut fluo, *προορέω. Virg. A.* 10, 292. mare crescenti allabitur aestu. *Liv.* 25, 16. Angues duo ex occulto allapsi. *Cic. Div.* 2, 27. Humor allapsus extrinsecus. *Virg. A.* 12, 319. viro stridens alis allapsa sagitta est, *h. e.* in virum incidit. *Senec. Hippol.* 666. Allapsus genibus, *h. e.* provolutus. *Virg. A.* 9, 474. Nuncia fama ruit, matrisque allabitur aures. ℙ De navigantibus. *Id. A.* 3, 131. antiquis Curetum allabimur oris, *h. e.* navigamus, appellimus.

ALLĂBŎRO et Adl., as, avi, atum, a. 1. *ἐπιπονέω*, circa aliquam rem laboro. *Hor. Ep.* 8, 20. Ore allaborandum est tibi. *Id. Od.* 1, 38, 5. Simplici myrto nihil allabores, *h. e.* laborando nihil addas. Adde *Cic. Brut.* 49., ubi tamen al. id laboras. [*Sic *Orell.*]

*ALLĂCTO, as, a, 1. idem ac lacto, a praeposit. *ad* et *lacto. Marcell. Empir.* 8. Mulier, quae puerum allactat. *Bail. A.*

ALLAEVO et Adl., seu Allēvo, et Adlevo, as, avi, atum, a. 1. *ἐπιλειαίνω*, id. q. laevo, seu levo, laevigo, planum facio. *Colum.* 3, 15. Vitem totam exputare, nodosque et cicatrices allevare. *Id.* 4, 25. Cum allevare quid debet, scalpro utitur. *ib.* Major pars operis ductim potius, quam caesim facienda est, nam ea plaga, quae sic efficitur, uno vestigio allevatur. ℙ De scriptione V. in LĔVIS in fin.

ALLAMBO et Adl., is, a. 3. *ἐπιλιχμάζω*, id. q. lambo. *Prudent. Hamartig.* 135. virides allambunt ora cerastae. [**Martian. Cap.* 4. (p. 63. *ed. Vulc.*) quum sanguis assurgens allambere feminam attentaret.] ℙ Translate est attingere. *Auson. Mosell.* 359. Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus Festinant famulis quamprimum adlambere lymphis. *Quint. Decl.* 10, 4. Allambentes flammae.

*ALLANTENSIS, e, incolae urbis Allantes, (*Ἀλλάντη*) in Macedonia. *Plin.* 4, 10, 17.

ALLAPSUS et Adlapsus, a, um, particip. V. ALLABOR.

ALLAPSUS et Adl., us, m. *προόρησις*, actus allabendi, accessus. *Hor. Epod.* 1, 19. Ut assidens implumibus pullis avis Serpentium allapsus timet. *Appul. Met.* 5. Prope fontis allapsum domus regia est.

ALLASSON, ontis, adj. *ἀλλάσσων*, mutans, varians: vox Gr. ab *ἀλλάσσω*, muto. *Allassontes calices* dicuntur vitrei calices versicolores, hoc est ita picti, ut colorem subinde, prout moventur, mutent, ut in collis columbarum videmus. *Hadrian. Imp. in quadam ep. ad Servian. Cons.* ap. *Vopisc. Saturnin.* 8. Calices tibi allassontes versicolores transmisi.

ALLĂTRO et Adl., as, avi, atum, n. 1. *προσυλακτέω*, idem quod latro, vel contra aliquem latro. *Aurel. Vict. Vir. ill.* 49. In Capitolium intempesta nocte eunti nunquam canes allatraverunt. [**Arntzen.* latraverunt.] ℙ Translate. *Plin.* 4, 5, 9. Tot sinus Peloponnesi oram lancinant, tot maria allatrant, *h. e.* cum sonitu et murmure illisarum litori undarum alluunt. Eodem modo locutus est 2, 68, 68. V. LATRO, as. ℙ Pro conviciari, obtrectare, criminari, dictis amarioribus lacessere. [**Quint.* 8, 6, 9. ut Livius Scipionem a Catone allatrari refert. *Colum. praef.* 1, 9. quemque.] *Sil.* 8, 292. nigro allatraverat ore Victorem invidia. *Liv.* 38, 54. Cato allatrare Africani magnitudinem solitus erat. *Martial.* 5, 61. Adlatres licet usque nos, et usque, Et gannitibus improbis lacessas. Et 2, 61. Adlatrare nomen alicujus. [*Penultima in h. v. semper producitur; sed in *circumlatro* ap. *Avien. Perieg.* 48. corripitur, ita ut recte anceps dici queat.]

ALLĂTURUS et Adlaturus, a, um. } V. AFFERO.
ALLĀTUS et Adlatus, a, um. }

ALLAUDĂBĬLIS, le, adj. laudabilis. *Pl. Pers.* 4, 5, 1. Dedisti operam allaudabilem. Alii leg. *laudabilem*, alii *adjutabilem.*

ALLAUDO et Adl., as, a. 1. *ἐπαινέω*, idem quod laudo, vel valde laudo, *ad* enim auget aliquando. *Pl. Merc. prol.* 84. Agit gratias mihi, atque ingenium allaudat meum.

ALLĀVO. V. ADLAVO.

ALLECTĀTĬO, onis, f. actus alliciendi. *Quint.* 1, 10, 32. Chrysippus etiam nutricum, quae adhibentur infantibus, allectationi suum quoddam carmen assignat, *h. e.* cantilenae, qua nutrices alliciunt infantes ad quiescendum. [*Sed cf. *Spald.* ad h. l.]

ALLECTĬO et Adl., onis, f. *ἐπίλεξις*, actus allegendi, electio, assumptio ad aliquid, [*ut in collegium, in societatem aliquam, veluti militum, sacerdotum etc.] *Capitol. M. Anton. Phil.* 11. Hispaniis exhaustis, Italica allectione verecunde consuluit, *h. e.* cum Hispaniae non haberent amplius, quos ad bellum darent milites, delectus per Italiam habendo, consuluit, etc. *Tertull. Monogam.* 12. Allectio in clerum. *Capell.* 1. p. 2. Adlectio connubialis. [*Allectio deinde inprimis beneficium Caesarum dicitur, quum decreto suo alicui alicujus muneris dignitatem tradunt, qua ille nondum functus est, ut consulatum, antequam praetura functus est.] Ita *Capitol. Pert.* 6. Jussit eos, qui praeturas non gessissent, sed allectione accepissent, post eos esse, qui vere praetores fuissent, *h. e.* qui assumpti fuissent inter praetorios viros, et ornamenta praetoria obtinuissent, licet praeturam nunquam administrassent. [**Cod. Theod.* 6, 4, 10. allectionis quaerendus est honor. *Symmach. ep.* 7, 97. ut beneficio allectionis utatur. Cf. *Gothofr.* ad *Cod. Theod. l. l.* Qui hoc beneficio ab imperatoribus ornati erant, *allecti* dicebantur. Cf. *Gothofr. ib.*]

ALLECTO, as, a. 1. frequentativum ab allicio, *καταθέλγω. Cic. Sen.* 16. *ad fin.* Ad agrum fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque allectat senectus. *Id. Amic.* 26. Allectare atque invitare. *Colum.* 2, 3. Boves ad aquam duci oportet, sibiloque allectari, quo libentius bibant.

ALLECTOR et Adl., oris, m. qui allicit, et invitat, verbale ab *allecto, as, ἑφελκόμενος. Colum.* 8, 10. Turdi, qui ab aucupibus in hunc usum nutriti, quasi allectores sint captivorum, moestitiamque eorum mitigent intervolando. ℙ Est etiam nomen muneris, seu officii: verbale ab *allĕgo, is. Inscr.* ap. *Grut.* 471, 9. L. Tauricio Florentii Tauricī Tauriciani filio Veneto allectori Galliae, patrono nautarum Araricorum. *Ib.* 375, 3. L. Blaesio allectori Galliarum ob allecturam fideliter administratam, etc. *Ib.* 245, 7. Ti. Claudius Felix, et P. Lolius Paris allectores, cultores Silvani, etc. *Ib.* 83, 14. Cn. Domitius Cn. F. Firmus sacerdos Isidi triumphali basim S. P. D. D. adlector collegi ipsius. His locis significantur ii, qui suscipiendis tributis fiscalibus a R. imperatoribus allegabantur in provincias, qui in vet. Glossario *λογογράφοι* dicuntur: de quibus mentio fit etiam in *Cod. Theod.* 12, 6, 12. Iidem *ib. l.* 13. dicuntur quoque *allecti*, ut etiam apud *Sidon. ep.* 5, 7. Eorum munus et *allegatio* dicebatur, ut est *ib. l.* 11., et *allectura*, ut est in *Inscr.* supra allata. [At *Gothofr. ib.* legendum rectissime arbitratur *adlectio. F.*] Cf. supra ALLECTIO.

ALLECTŪRA et Adl., ae, f. munus allectorum. V. vocem praeced.

ALLECTUS et Adl., a, um, part. ab *allĕgo, ἐπίλεκτος*, assumptus, adscitus, adjunctus. *Suet. Ner.* 1. Inter patricios adlecti. *Id. Caes.* 80. Peregrini in Senatum adlecti. *Id. Vesp.* 9. Honestissimus quisque Italicorum ac provincialium in ordinem senatorium, et equestrem adlectus. *Vell.* 2, 89. Praetoribus adlecti duo. *Inscr.* ap. *Grut.* 347, 1. Adlectus ad munera praef. legionis VII. *Ib.* 1088, 12. Claudiae Ruphinae allectae ab ordine in dec. Augustal. *Ib.* 318, 7. Adlectus aedilis. *Ib.* 412, 5. Adlectus decurio. *Ib.* 99, 9. Adlectus in ordinem decurionum. *Ib.* 174, 3. Civis adlectus. *Ib.* 484, 2. Adlectus in curiam Lugdunensium nomine incolatus. *Varr. L. L.* 5, 7. Collegae, qui una lecti, et qui in eorum locum suppositi sublecti, additi, adlecti. ℙ Cum de senatoribus sermo est, *Adlecti* dicebantur apud Romanos, ut docet *Festus*, qui propter exiguum senatorum numerum ex equestri ordine in senatum assumebantur; atque ita distinguebantur a *Patribus, h. e.* ab iis, qui erant patricii generis, nimirum descendentes ab iis, quos primum Romulus, instituens senatum, Patres vocaverat, et a *Conscriptis, h. e.* iis, qui prima aut altera electione in senatum post Patres adsciti fuerant, et eorum familiae posteris. Hujusmodi allectionum exempla sub imperatoribus multa habentur. V. *Suet. Caes.* 41. et *Vesp.* 9. ℙ Etiam in aliis ordinibus sui *allecti* fuere. *Inscr.* ap. *Grut.* 449, 1. Adlectus supra numerum Sevirum Augustal. Sic *adlecti* inter tribunos, inter quaestores, inter praetores passim apud eund. *Gruterum.* Hi autem temporibus imperatorum fieri solebant, fruebanturque insignibus et honoribus iisdem, quibus ii, qui vel tribunatum, vel quaesturam, vel praeturam gesserant. V. *Capitol. Pert.* 6. *ad fin.*, cujus verba ad hanc rem pertinentia attulimus in ALLECTIO. [*Cf. *Cod. Theod.* 6, 23, 1. *Ib.* 24. leg. 8, 9, 10.] ℙ Praeterea *adlecti* aliquando dicti sunt, qui tributis fiscalibus exigendis per provincias allegabantur. V. ALLECTOR. ℙ Item adjuncti ad sodalicia scenicorum, seu comoedorum, qui et *adlecti* absolute, et *adlecti scenae*, et *adlecti scenicorum* appellabantur, ut videre est in *Inscr.* ap. *Grut.* 1089, 6., 330, 1. et 2. et alibi. ℙ Est etiam *adlectus* participium verbi *allicio. Quint.* 7, 2. Allectus consuetudine peccandi.

*ALLEGĀMEN, inis, n. *Guil. Brit. Phil.* 2, 37. at comes haec contra dabat allegamina regi.

ALLĔGĀTĬO, onis, f. *παραγγελία*, actus allegandi, cum aliquis ad alium mittitur. *Cic. Verr.* 2, 1, 51. Cum sibi omnes ad istum allegationes difficiles, omnes aditus arduos, ac potius interclusos viderent, *h. e.* cum viderent difficile esse aliquem mittere ad istum, qui deprecaretur. *Id. ib.* 16. Quanta iste cupiditate, quibus allegationibus illam sibi legationem expugnavit! ℙ Item actus efferendi aliquid in excusationem, aut probationem alicujus rei. *Ulp. Dig.* 48, 5, 2. Si maritus uxorem ream faciat, an lenocinii allegatio repellat maritum ab accusatione? *Hermogen. Dig.* 4, 4, 17. Allegatio circumventionis. *Paul. Dig.* 23, 2, 60. Falsis allegationibus a tutela se excusare. *Appul. Met.* 10. p. 241, 26. Allegationes utrinque exami-

nare. ℙ [*Est etiam id quod hodie JCti appellant *rescriptum* s. decretum imperatorium. *Cod. Theod.* 16, 5, 37. ibique *Gothofr.* ℙ Denique i. q. allectio s. munus allectoris; *ib.* 12, 6, 11.]

ALLĔGĀTUS, us, m. idem quod allegatio. *Pl. Trin.* 5, 2, 18. Allegatu meo venit, [*i. e. a me subornatus; in malam partem dictum. V. ALLEGO.] *Gell.* 13, 20. Hic allegatus et hic arbitratus pro allegatione proque arbitratione dicuntur.

ALLĔGĀTUS et Adl., a, um, part. ab *allĕgo*, missus. *Ter. Andr.* 5, 3, 28. Ne credas a me adlegatum hunc senem, [*i. e. submissum, quod in malam partem dictum est. Cf. *Ruhnk.* ad h. l. et ALLEGO.] *Plin.* 8, 1, 1. Allegata precibus tellure, *h. e.* assumpta, adhibita, et velut missa ad deprecandum. Alii aliter leg. *Cic. Verr.* 2, 1, 53. Necessarios istius ad eum adlegatos esse dicebat. ℙ Item is, cui alicujus rei cura demandata est, [*quem vulgo appellamus *deputatum;* deputatorum autem est adire indicem et indicia audire. v. *Gronov.* ad *Liv.* 26, 11, 9. quem laudat *Ern.* in *cl. Cic.*] *Cic. Cluent.* 13. Crimen hoc indicio Avilii probabatur, in quo, inter adlegatos, Oppianici nomen primum esse constabat. *Id. Q. Fr.* 2, 3. Nerius index edidit ad adlegatos Cn. Lentulum, et C. Cornelium. [Hic *adlegati* appellantur, qui audiendis indiciis et probationibus dati fuerant. *F.* **ad allegatos* dictum est ut *ad judices.*] *Inscr.* opt. notae, Patavii detecta ann. 1773. in fronte fornicis pontis antiquissimi, et a Dominico Polcastro peculiari *Opusc.* illustrata, relata etiam in ejusd. *Fasc. Rom. Inscr.* p. 79. L. Clo. C. Albarenius C..... Pomponius Q..... nius L. F. T. Ulla C. Pompon..... Scapula adlegatei pontem faciendum D. D. S. (*h. e.* de decurionum sententia) locarunt, idemque probarunt. Censuit idem auctor *adlegatos* hic appellari ministros muneris provincialis, quod nempe decurionum legati in municipiis et coloniis habebant officii adjutores. [Sed fortasse ita appellantur Seviri, quibus extra ordinem a municipio Patavino pontis faciendi cura demandata fuerat. *F.*]

ALLĔGO et Adl., as, avi, atum, a. 1. *παραπέμπω*, est mittere ad aliquem locum, vel hominem, sed privatim, (nam publice *legare* dicimus) et fere alicujus rei petendae gratia. *Liv.* 36, 11. Cum patrem, primo allegando, deinde coram ipse rogando fatigasset. *Cic. Verr.* 2, 1, 57. Petit a me Rabonius, et amicos allegat: facile impetrat. *Id. Fam.* 15, 4. *ad fin.* Extremum illud est, ut, quasi diffidens rogationi meae, philosophiam ad te allegem. Haec igitur tecum agit de mea laude, cui negari a Catone fas esse non puto. *Id. Rosc. Am.* 9. Homines nobiles allegat iis, qui peterent, ne, etc. *Id. Fam.* 15, 10. Allegarem te ad illos, qui, etc. *Pl. Amph.* 2, 2, 42. Alium ego isti rei allegabo, *h. e.* alii istam rem committam. Sic *Id. Epid.* 3, 3, 46. Allegare aliquem ad aliquod negotium. *Appul. Apolog.* 309, 13. Allegare preces Deis, *h. e.* preces ad Deos mittere. Ita *Mamertin. Gratiar. act. ad Julian.* 18. *Appul. de Deo Socrat.* p. 44, 33. ℙ [*Interdum in malam partem dicitur, i. e. per fraudem aliquem subornare. *Pl. Poen.* 3, 5, 28. eum allegaverunt suum qui servum diceret. *coll. Id. Trin.* 5, 2, 18. Cf. *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 5, 3, 28. et ALLEGATUS, i.] ℙ Est etiam proferre, adducere, afferre aliquid probandi, vel excusandi gratia. *Plin. ep.* 3, 15. Petis, ut libellos tuos legam; adhibes preces, allegas exemplum. *Just.* 15, 1. Priorem se petitum ab Alexandro allegat; nec fecisse se, sed occupasse insidias. *Quint.* 4, 1. Allegare dignitatem alicujus. *Plin. Pan.* 70. *fin.* Allegare decreta. *Ib.* Hoc senatui allegandum putasti, *h. e.* apud senatum proferendum, senatui manifestandum. [*Exempla ex *Plin.* collegit *Schwarz.* ad h. l.] *Suet. Aug.* 5. Cum Lectorius, in deprecanda graviore adulterii poena, praeter aetatem atque natales hoc quoque patribus conscriptis allegaret, se esse possessorem, etc. *Tac. Hist.* 4, 84. Mandata regis sui Scydrothemidi allegant, *h. e.* exponunt, [*alii: ei transmittunt, sc. per interpretem.] *Suet. Aug.* 47. Allegare merita erga populum Romanum. *Stat. Ach.* 2, 224. Allegantque suos utroque a sanguine divos, *h. e.* referunt, citant. Hac significatione saepissime usurpatur a Jurisconsultis. ℙ Apud *Ulp. Dig.* 40, 12, 27. *allegare se ex servitute in ingenuitatem* est eas allegare probationes et causas, quibus aliquis e servitute in libertatem vindicari possit. ℙ [Particip. *Allegans* ap. *Suet. Aug.* 47. *F.*]

ALLĔGO et Adl., is, egi, ectum, a. 3. *καταλέγω*, adscisco, adjungo, coopto, legendo addo. *Liv.* 10, 6. Ut quatuor pontifices, quinque augures de plebe omnes allegerentur. [**Caes. B. G.* 6, 13. suffragio Druidum allegitur.] *Suet. Aug.* 49. Allegere certum numerum militum in sui custodiam. *Id. Cl.* 24. aliquem in senatum. *Id. Vit.* 1. inter patricios. *Id. Tib.* 51. Negavit alia se conditione allecturum, quam si, etc. *Callistr. Dig.* 50, 6, 5. *n.* 12. Allegere ab omni aetate in corporibus, *h. e.* ex omni aetate. *Sen. Agam.* 812. Allegi coelo, *h. e.* inter Deos referri. *Hieronym. adv. Jovinian.* 1. *n.* 34. Interdum et pontificum vitio accidit, qui non meliores, sed argutiores in clerum allegunt. [*Inscr.* ex Pompejorum ruinis eruta, apud *Morcell. de Stil. Inscr. T.* 1. p. 234. *edit. Patav.* Hunc decuriones ob liberalitatem cum esset annorum sexsaginta ordini suo gratis adlegerunt. ℙ [Particip. *Allegendus* ap. *Tert. ad Nat.* 2, 13. Perspicianus itaque causas allegendae mortalitatis in coelum. *F.* ℙ *Confunduntur *allegere* et *deligere*, quorum hoc illius glossa est. V. intpp. ad *Caes.* l. l.]

ALLĔGŌRĬA, ae, f. *ἀλληγορία*, vox Graeca, Latine *inversio*, ab *ἄλλο*, aliud, et *ἀγορέω*, dico, loquor, est tropus sententiarum, quo aliud verbis, aliud sensu ostenditur. Apud *Ciceronem* fere Graece scripta legitur in optimis quibusque codicib., apud alios etiam Latine. *Quint.* 8, 6. At *ἀλληγορία*, quam inversionem interpretamur, aliud verbis, aliud sensu ostendit. *Ib.* Habet usum talis allegoriae frequenter oratio. Et sic saepe *eod. cap.* et alibi. *Arnob.* 5. p. 186. Allegoriarum explanatio.

ALLĔGŌRĬCE, adv. *ἀλληγορικῶς*, per allegoriam. *Arnob.* 5. p. 183. Pars allegorice scripta, indubitabili altera sermone, rectoque. *August. de Genes. ad lit.* 4, 28. Figurate atque allegorice. Adde *Tert. adv. Marcion.* 3, 5. *in fin.*

ALLĔGŌRĬCUS, a, um, adj. *ἀλληγορικός*, per allegoriam dictus. *Arnob.* 5. p. 183. Lex allegorica. Et p. 186. Allegoricae ambages.

ALLĔGŌRĬZO, as, n. 1. *ἀλληγορεῖν*, allegoriis in dicendo uti, figurate loqui. Usi sunt *Tertull. Resurr. carn.* 27. *et Hieronym. ep.* 61. *ad Pamm.* 3.

ALLELUIA, *ἀλληλούϊα*, vox sacrorum Bibliorum, quae significat *laudate Dominum.* Est autem Hebraica dictio הַלְלוּיָהּ, et revera duae voces sunt: nam הַלְלוּ significat *laudate;* יָהּ vero est unum ex decem nominibus, quibus apud Hebraeos Deus appellatur, ut docent *D. Hieronymus*, et *Isid. Or.* 6, 19. ℙ Si litterarum Hebraicarum rationem spectes, *halleluia* scribendum esset; vel *halleluiah*, sed usus plerumque in similibus aspirationem tollit. Est per se vox quinque syllabarum, sed Latini poetae quadrisyllabam faciunt, qui etiam ad Latinum morem omnia trahentes, ultimam syllabam corripiunt, cum apud Hebraeos natura longa sit; nam scribitur per יָהּ, quod est natura longum. *Paulin. Nolan. epist.* 32. *ad Sever. c.* 5. *in fin.* Alleluja novis balat ovile choris. ℙ Secunda syllaba Hebraice est natura brevis, licet a Graecis per *η* scribatur, qui non in hoc solum, sed et in spiritu appingendo ab Hebraeis recesserunt. Quare reprehendendi non sunt, qui Hebraicam quantitatem secuti, eam corripuerunt, ut *Sidon. ep.* 2, 10. in *carm.* Responsantibus alleluja ripis, et *Prudent. Cathemer.* 4, 72. Amen reddidit, alleluja dixit.

*ALLENIMENTUM vel Adl., i, n. remedium leniendi aliquid. *Ammian.* 27, 3. allenimenta — tumultus opperiens. Cf. *Vales.* p. 480.

ALLĔVĀMENTUM, ti, n. allevatio. *Cic. Sull.* 23. *in fin.* Sulla et secundas fortunas amittere coactus est, et in adversis sine ullo remedio atque allevamento permanere.

ALLĔVĀTĬO, onis, f. actus allevandi et extollendi, *ἀναχούφισις. Quint.* 11, 3, 8. Humerorum raro decens allevatio, atque contractio est. ℙ Translate est levamen, solatium. *Cic. Fam.* 9, 1. Etsi tot, tantisque rebus urgemur, ut nullam allevationem quisquam non stultissimus sperare debeat. (*Gebhardus* ait in quodam MS. vidisse se *alleviationem.*) *Id. Fin.* 1, 12. Dolor in longinquitate levis, in gravitate brevis esse solet; ut ejus magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio consoletur, *h. e.* levitas.

*ALLEVATITIUS, a, um, adj., *Vet. interpr. Iren.* 1, 34. in superiora allevatitius abreptus, i. e. in altum sublatus.

ALLĔVĀTOR, oris, m. qui allevat. *Tert. adv. Marcion.* 4, 36. Allevator humilium, destructor superborum.

ALLĔVĀTUS et Adl., a, um, part. v. *allevo*, sublevatus, sublatus. *Tac. Ann.* 1, 22. Adlevatus circumstantium humeris. *Flor.* 4, 11. Naves turribus atque tabulatis allevatae, castellorum et urbium specie ferebantur. *Sall. Jug.* 99. Si quae vetustate radices eminebant, laqueis vinciebat, quibus allevati milites facilius ascenderent. [**Quint.* 11, 3, 94. allevata manu, i. e. sublata. *Hirt. B. Alex.* 20. allevati scutis.] ℙ Translate. *Tac. Hist.* 1, 52. Vitellius hiberna legionum cum cura adierat: redditi plerisque ordines, remissa ignominia, allevatae notae, *h. e.* exemptae, sublatae. *Cic. Att.* 7, 1. Bono animo esse coepisse, quod Acastus ea, quae vellem, de allevato corpore tuo nunciaret, *h. e.* a morbo recreato.

ALLĔVĬO, as, a. 1. leve facere. Translate. *Cic. Inv.* 1, 42. Reprehensio est, per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut alleviatur, *h. e.* elevatur, pondus ei, et probabilitas adimitur. Ita legitur in aliquot MSS. et antiquitus editis libris. In aliis *allevatur.* In editione *Victorii* etiam *levatur.* [*Cf. *Lindem.* ad h. l.] *Justin. novell. Constit.* 13. *a med.* Alleviare curas alicui. *Vulg. Jes.* 9, 1. alleviata terra Zabulon.

ALLĔVO et Adl., as, avi, atum, a. 1. *ἐπαίρω*, sublevo, in altum tollo, de imo, et ubi quid jacet, vel projectum est, sursum levo. *Quint.* 1, 11, 10. (11, 10, 79.) Supercilia allevare, et demittere. [**Id.* 11, 3, 41. brachium. *Ib.* 142. pollicem. *Ov. Met.* 6, 249. artus.] *Tac. Ann.* 12, 19. Allevare supplicem. *Suet. Cal.* 36. Faciem alicujus manu. *Sen. ep.* 80. velum. *Curt.* 8, 14. oculos. *Id.* 9, 5. se clypeo. *Sen. ep.* 72. *ad fin.* aliquem in coelum. [**Quint.* 6, 3, 97. homini lapso, et ut allevaretur, roganti. Cf. ALLEVATUS. Sensu neutrali: *Flor.* 4, 2, 10. eloquentia, spiritu, consulatu allevabatur, i. e. nitebatur iis et sic attollebatur.] ℙ Translate est levare, lenire, mitigare. *Cic. Brut.* 3. Allevare sollicitudines alicujus. *Vetus poeta* apud *Eund. Tusc.* 3, 29. Aliorum aerumnam dictis allevare. *Curt.* 4, 15. Allevare animum a moerore. *Quint. decl.* 5. *init.* Allevare afflictum. *Inscr.* ap. *Grut.* 453. *sub Vespas.* Magno tritici modo annonam P. R. adlevavit. ℙ Absolute. *Cic. Att.* 12, 39. Allevor, cum loquor tecum absens. *Pl. Pers.* 2, 5, 3. Ubi se allevat, ibi me allevat, *h. e.* cum se levat aegritudine, me consolatur. *Ov. Trist.* 3, 8, 31. nec viribus allevor ullis, *h. e.* nulla ope medica recreor. ℙ *Allevari* etiam dicuntur, qui efferuntur, et aliis antecedunt. *Flor.* 4, 2. C. Caesar eloquentia, et spiritu, et jam consulatu allevabatur. ℙ *Allevare* pro elevare, infirmare, V. supra in ALLEVIO. ℙ Pro laevigare V. ALLAEVO.

ALLEX, allĭcis, m. *ἐρχόμενος*, qui allicit, allector. *Pl. Poen.* 5, 5, 31. Tu ne hic amator audes esse, allex viri? *h. e.* cinaede. [*Ita Noster. Melius recentiores h. l. explicant. *Allex* enim est i. q. pollex pedis, ut explicant *Gloss. Isid.*, (v. ALLUS) quem Noster laudat; hinc allex viri per jocum i. q. homuncule; homo, qui est magnitudine pollicis.] Alii leg. *alex*, vel *hallex*, et exponunt faex virorum, [*male.] V. ALEC.

ALLIA et Alia, ae, f. *Caminate*, aut *Rio de Mosso*, *Ἀλλίας*, et *Ἁλίας*, fluvius Sabinorum, per Crustuminos in Tiberim apud Eretum oppidum influens, undecimo ab Urbe lapide. Valde memorabilis Romanis fuit, quia ibi Galli, Brenno duce, eorum exercitu ad internecionem caeso, postea ad Urbem accedentes, ipsam quoque post triduum ferro et igni vastarunt. Id quia accidit XV. K. Aug. anno ab Urbe C. 365., eum diem in fastis inter atros referri, et nefastum esse voluerunt. V. *Liv.* 5. *a cap.* 37. Hinc *Virg. A.* 7, 717. Quosque secans infaustum interfluit Allia nomen. *Luc.* 7, 408. cedant feralia nomina Cannae, Et damnata diu Romanis Allia fastis. ℙ Rectius duplici quam simplici *l* scribitur, ut ostendunt antiqua monumenta non una, et praeter cetera *Cenotaphium Pisanum C. Caesaris*, in quo *pro Alliensi* scriptum est. *Servio* igitur *ad loc. Virg. cit.* cave credas, qui ut contrarium probet, perperam affert male intellectum *Lucani* locum 7, 633. Quas aliae clades, etc., quod jam monuit *Noris. ad Cenotaph. Pisan. Dissert.* 4. *c.* 6. [*Cf. *Appulej. de orthogr.* fr. 6. ubi v. *Osann.* annot. p. 28.]

ALLIANUS, a, um, adj. *Alliana lina* olim magno in pretio fuere: ita dicta ab Alliana regione Italiae inter Padum, et Ticinum amnes, ubi proveniebant. *Plin.* 19, 1, 2.

ALLIATUS, a, um, adj. *Pl. Most.* 1, 1, 45. Tu tibi istos habeas turtures, pisces, aves: sine, me alliatum fungi fortunas meas, *h. e.* olentem allium, quod in mea paupertate saepe comedo. Alii legunt, et fortasse rectius *alliato*, ut sit *alliatum, ti*, quo significatur quodcumque edulium allio conditum, [*hoc melius.] Nam condire allio cibos pauperum est, praesertim apud Latinos, quibus allium cibus erat militum, remigum, et hujusmodi popelli.

ALLĬCĔFACĬO, acis, a. 3. id. q. allicio. *Sen. ep.* 118. Quod invitat ad se, et allicefacit, verisimile est. *Gronov.* ita ex conjectura legendum censet, cum vulgo et MSS. et edd. habeant *allicere facit.* At *Muret.* et *Lipsius* divinationem *Pintiani* secuti *allicit facie* reduxerunt. Idem *Gronov.* etiam apud *Cic. Off.* 1, 17, 56. ita legi vult.

ALLĬCĔFACTUS, a, um, part. ab *allicefacio*, invitatus, allectus. *Suet. Vit.* 14. Nobiles viros, omnibus blanditiis tantum non ad societatem imperii allicefactos, vario genere fraudis occidit.

ALLĬCĬO et Adl., is, exi, ectum, a. 3. *ἐφέλκω*, *ἐπάγομαι*, traho, attraho, induco, illicio, invito: ex *ad*, et *lacio. Cic. Fam.* 2, 15. Adolescentem non tam allicere volui, quam alienare nolui. [*Ac saepe de locis dicitur, quae deliciis suis nos trahunt et invitant. V. *Cuper. Obss.* II. *c.* 14.] *Id. Div.* 1, 39. Magnes ferrum ad se allicit et trahit. *Pl. Poen.* 3, 3, 58. Rex sum, si illum hodie hominem ad me allexero. [**Suet. Caes.* 28. nec minore studio reges atque provincias alliciebat, i. e. sibi conciliabat.] *Cic. Or.* 1, 8. Hominum mentes di-

cendo allicere. *Id. Off.* 2, 6. Hominum studia ad utilitates nostras allicere atque excitare. *Id. Verr.* 2, 5, 71. Nostris officiis aliorum benevolentiam allicere. *Id. Man.* 9. Allicere aliquem ad misericordiam. *Id. Phil.* 2, 45. ad recte faciendum. *Quint.* 3, 1. juventutem ad cognitionem eorum, quae, etc. *Ov. Fast.* 6, 681. Merum allicit somnos. *Lucr.* 6, 182. sonus adlicit aures, *h. e.* lacessit, provocat sensum audiendi. [**Id. ib.* 1, 9. allici et compelli.] ℙ *Charis. sub. init. l.* 3. et *Diomed.* 1. p. 364. ponunt *alliceo, es*, eadem forma, qua *augeo, luceo*, etc. Addit etiam *Diomed. allicio* Veterum esse: sed contra stat usus. ℙ Praeteritum *allicui* pro *allexi* usurpatum fuit a *Pisone histor.* apud *Priscian.* 10. p. 877. Cujus unius praemio multorum allicuit animos. Adde *Hygin. Astron.* 2, 7. ℙ [Particip. *Allectus.* V. in ALLECTUS. *Alliciendus* apud *Ov. A. A.* 3, 510. Comibus est oculis alliciendus amor.

ALLĪDO et Adl., is, isi, isum, a. 3. *ἐπερείδω:* ex *ad*, et *laedo:* est ad aliquid impingendo laedere, aut frangere. *Catull.* 64, 66. Omnia quae toto delapsa e corpore passim Ipsius ante pedes fluctus sails allidebant. Alii leg. *alludebant.* [*Quod multi praeferunt.] *Lucr.* 4, 296, ut si quis prius, arida quam sit Cretea persona, allidat pilaeve, trabive. *Caes. B. C.* 3, 27. Allidere aliquid ad scopulos. ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. *ad fin.* Hoc incommodum consolantur quotidianae damnationes inimicorum, in quibus me perlubente, Servius allisus est, ceteri conciduntur, *h. e.* adductus quidem est in aliquod condemnationis, ut naufragii, periculum, ex quo tamen emersit, ceteri merguntur, damnantur. *Colum.* 1, 3. Imbecilliorem agrum quam agricolam esse debere: quoniam cum sit colluctandum cum eo, si fundus praevaleat, allidi dominum, *h. e.* velut impegerit, damno affici, jacturam facere. *Senec. Tranquill. anim.* 3. *ad fin.* Ille vir fuerit, qui periculis undique imminentibus, armis circa, et catenis frementibus, non alliserit virtutem, nec absconderit, *h. e.* non abjecerit, perdiderit, quasi ultro in scopulos navem mittens.

ALLIENSIS et Aliensis, se, adj. ad Alliam pertinens, ut *Alliensis pugna*, qua Romani a Gallis ad Alliam caesi sunt: et *Alliensis dies*, quo die ea pugna facta est, qui infaustus, ater nefastusque Romanis habebatur tum propter acceptam eam ingentem cladem, atque inde captam Urbem; tum quia eodem die, sed alio anno tercenti Fabii ad Cremeram caesi fuerant ad unum: qui dies fuerat a. d. XV. K. Sextil., ut *Liv.* 6, 1. docet. *Cic. Att.* 9, 5. Majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnae, quam Urbis captae, quod hoc malum ex illo: itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus. *Suet. Vit.* 11. Magis deinde ac magis omni divino humanoque jure neglecto, Alliensi die pontificatum maximum cepit. ℙ Hinc postea funestissimum aliquem diem significare volentes, *Alliensem* indicabant; ex quo Pisani diem mortis C. Caesaris Aug. filii lugubrem et atrum esse volentes, *pro Alliensi lugubrem memoriae prodi* jusserunt, ut legitur in *Cenotaph. Pisan. C. Caes.*

*ALLIĒNI, orum, oppidum Galliae Transpadanae. *Tac. H.* 3, 6. Nonnulli legunt *Alieni.* Putatur esse *Ferrara.*

ALLĪFAE, Alliphae, Aliphae, aut Alifae (tot enim modis scriptum legitur) arum, f. plur. *Ἀλιφαί, Ἄλλιφα*, nunc *Alife*, oppidum Samnii prope Vulturnum, inter Teanum, et Venafrum, nunc paene excisum. *Liv.* 9, 38. C. Marcius Rutilus Allifas de Samnitibus vi cepit. *Sil.* 8, 537. Allifae, et Clanio, contemptae semper Acerrae. Quidam hoc loco legunt *Allife*, ut sit *Allife, es.* Apud *Liv.* 8, 25. in quibusdam libris legitur *Allifium, ii.*

ALLĪFĀNUS vel Allifenus, a, um, adj. ad Allifas pertinens. *Cic. Agr.* 2, 25. Allifanus ager. ℙ [Cognomen Romanum. *Inscr.* apud *Grut.* 750, 10. Manilius Allifenus. *F.*] ℙ *Allifanum vinum* olim in pretio fuit. *Sil.* 12, 526. hinc Allifanus lacchо haud inamatus ager. ℙ Creta figulari abundabat is ager, ex qua grandia pocula fiebant. *Hor. Sat.* 2, 8, 39. Invertunt Allifanis vinaria tota, sc. poculis, ibique *Hdf.* ℙ *Allifani, orum*, sunt Allifarum incolae. *Plin.* 3, 5, 9.

*ALLIGAMEN, inis, n. *Gloss. gr. lat. ἀπόδεσμος.*

*ALLIGAMENTUM, i, legitur apud *Schol. Germanici t.* 11. p. 63. ed. *Buhl. Gl. Gr. Lat. δέμα.*

ALLĪGĀTIO et Adl., onis, f. actus alligandi, *ἐπίδεσις. Vitr.* 8, 7. Alligationibus continere aliquid. Adde 7, 3. ℙ Speciatim dicitur de ligatura vitium, aliarumque arborum. *Colum.* 11, 2. Arbustorum sive putatio, sive alligatio finienda est.

ALLĪGĀTOR et Adl., oris, m. qui alligat, *προσδετής. Colum.* 4, 13. Sequitur alligatoris cura, cujus officium est, ut rectam vitem producat in jugum. Adde *c.* 17, 20. et 26.

ALLĪGĀTŪRA, ae, f. *ἐπίδεσις*, alligatio. *Colum. Arbor.* 8. Infra insitionem, et alligaturam leviter vitem vulnerato. ℙ [*Dicitur etiam de ligatura, qua vulnera constringuntur. *Scrib. Larg. Comp.* 209. sine alligatura enim interdum — sanat ea, quae etc.]

ALLĪGĀTUS et Adl., a, um, part. v. *alligo*, ligatus, colligatus, adstrictus, *ἐπιδεδεμένος. Sen. Brevit. vit.* 13. *a med.* Sulla in circo leones solutos dedit, cum alioquin alligati darentur. *In epit. Livii.* Sarmentis ad cornua boum alligatis. *Liv.* 7, 24. Alligatum vulnus, ℙ *Alligati* dicuntur servi viliores et nequiores, qui ligati asservantur, et in vinculis opus faciunt. *Colum.* 1, 9. Vineta plurimum per alligatos excoluntur. ℙ *Alligatus calculus*, in ludo latrunculorum, est ad incitas redactus, *h. e.* eo loco, ut moveri non possit, quin ab adversario capiatur. *Sen. ep.* 117. *ad fin.* Ut sciat, quomodo alligatus exeat calculus. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 44. *in fin.* Verba neque alligata sint, quasi certa aliqua lege versus, neque ita soluta, ut vagentur. *Id. Amic.* 12. Ne existiment ita se alligatos, ut ab amicis peccantibus non discedant. [**Auct. dial. de or.* 13. alligati adulatione; alii *cum adulatione.* V. intpp.] *Id. Cluent.* 64. Alligatus nuptiis. *Varr. L. L.* 5, 7. *a med.* Alligatus sponsu. *Martial.* 8, 64. Lac alligatum, *h. e.* coagulatum.

ALLĪGO et Adl., as, avi, atum, a. 1. *ἐξαρτάω*, ad aliquid ligo, vincio. *Inscr.* ap. *Grut.* 715, 10. Atimeto Lib., cujus dolo filiam amisi, restem et clavom, unde sibi collum alliget. *Cic. Verr.* 2, 5, 28. Alligare aliquem ad palum. [**Ib.* 4, 42. aliquem ad statuam. *Macrob. Sat.* 2, 3. jocum Ciceronis laudat, qui quum Lentulum conspiceret, quis, inquit, generum meum ad gladium alligavit?] ℙ Speciatim dicitur de vitibus, quae ad alias arbores adminiculi causa colligantur. *Colum.* 4, 13. Observare debebit, ne in alliganda materia flexum pali sequendum putet. *Id. ib.* 20. Vites, quae curvae sunt et distortae, non aequaliter alligantur. ℙ Sumitur etiam generatim pro simplici ligo, colligo, vincio, unio, jungo. *Tac. Germ.* 24. Victus voluntariam servitutem adit: quamvis junior, quamvis robustior alligari se, ac vaenire patitur. [*Cf. *Ern.* ad h. l.] *Martial.* 12, 91. Alligare caput lana. *Vetus Poeta* apud *Cic. Tusc.* 2, 17. et *Just.* 15, 3. Alligare vulnus. *Plin.* 32, 6, 22. Tingendis lanis ita colorem alligans, ut elui postea non possit. *Eod. sensu Id.* 9, 38, 62. Buccinum pelagio admodum alligatur. [**Lucan.* 9, 526. silvarum fons causa loco, qui putria terrae alligat; ad quem l. *Bentl.* comparat *Sen. ep.* 55. arenae, quae humore alligantur.] ℙ Translate. *Cic. Att.* 8, 16. Ne forte qua re impediar atque alliger. *Id. Cluent.* 54. Lex omnes mortales alligat, et 55. Alligare populum R. novo genere quaestionis. *Id. Planc.* 33. Non modo beneficio, sed etiam benevolentiae significatione alligari. *Id. Rosc. Com.* 12. Alligare aliquem stipulatione. *Varr. L. L.* 4. *in fin.* Alligare pecuniam, *h. e.* stipulatione alicui obligare. *Just.* 24, 1. Alligari in foedera societatis. *Ter. Eun.* 4, 7, 39. Alligare se furti. *Cic. Flacc.* 17. Alligare se scelere. *Pucuv.* apud *Non.* 2, 869. Vultum alligat quae tristitias? *h. e.* adducit, corrugat, adstringit: cui contrarium est *explicare frontem.*

ALLĪNO et Adl., is, levi, lĭtum, a. 3. *ἐπιχρίω*, ungendo induco, inungo: ex *ad*, et *lino, is.* [*Ita *Plin.* 13, 12, 23. et bulbos epiphoris idem (Theodorus) allinit et sic lippitudini medetur. *Coll. ib.* 20, 9, 40.] Ac de aliis: *Hor. Art. P.* 445. Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes, Culpabit duros, incomptis allinet atrum Transverso calamo signum, *h. e.* incomptos inducet, delebit. ℙ Pro adjungere, adnectere, agglutinare. *Plin.* 13, 12, 23. Adlinere schedam supina tabula. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 1, 2, 6. Nulla nota, nullus color, nullae sordes videbantur his sententiis allini posse. *Sen. ep.* 7. Allinere alteri vitia sua. ℙ [*i. q. oblino. *Pallad.* 1, 41, 3. omnibus juncturas adlines. ℙ Adlinire legitur ap. *eund.* 1, 41. extr. *Febr. tit.* 33. *Maj. tit.* 8, 1.]

ALLĪSIO et Adl., onis, f. verbal. ab *allido*, actus allidendi. *Trebell.* XXX. *Tyrann.* 8. Multa duorum digitorum allisione contrivit, *h. e.* digitos allidendo et impingendo.

ALLĪSUS et Adl., a, um, particip. ab *allido. Caes. B. C.* 3, 27. Remigum pars ad scopulos allisa interficitur. *Claud.* IV. *Cons. Hon.* 627. In latus allisis clypeis, *h. e.* collisis, et in latera aliorum impactis.

ALLĪVESCIT. V. ADLIVESCIT.

ALLĬUM et Alium, ii, n. *ὀκόροδον*, genus oleris, quo vescimur, et in condimentis utimur, gravissimi odoris. *Varr.* ap. *Non.* 3, 67. Atavi nostri cum allium ac caepe eorum verba olerent, tamen optime animati erant. *Pl. Most.* 1, 1, 38. At te Dii omnes perdant: oboluisti allium. *Id. Poen.* 5, 5, 34. Plenior alii ulpicique, quam Romani remiges. *Virg. Ecl.* 2, 11. Allia, serpyllumque, herbas contundit olentes. *Pers.* 5, 188. Si non Praedictum ter mane caput gustaveris alli. *Hor. Ep.* 3, 3. cicutis allium nocentius. *Plin.* 19, 6, 32. Allium ad multa medicamina prodesse creditur. ℙ *Allium cum sale obsignare* proverbio dicitur de praeparcis et tenacibus. *Pl. Pers.* 2, 3, 15. ℙ Apud Aegyptios allium pro numine colebatur, ut scribit *Plin. loc. cit.* V. etiam *Juvenal.* 15, 9. ℙ Ratio *l* duplicandi magis placet *Dausquejo*, quam simplicem adhibendi: et haec tamen probabilis est. Vide *Pier. ad Virg. loc. lit.* Sunt qui *halium* scribunt, quasi ab *halo* descendat: sed hoc usu non obtinuit.

ALLOBROGES. V. ALLOBROX.

ALLOBROGICUS, a, um, adj. ad Allobroges pertinens, ut *Allobrogica vitis* apud *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 3., quae in regione Allobrogum provenit. ℙ *Allobrogicus* dictus est Q. Fabius Maximus Q. Fabii Maximi Aemiliani filius, ob devictos Allobrogas, cum eorum exercitum CXXX. mill. hominum ad Isaram fluvium cecidisset. *Vell.* 2, 10. Huc respexit *Juvenal.* 8, 13. Cur Allobrogicis et magna gaudeat ara, etc., *h. e.* titulis, et imaginibus majorum suorum, qui Allobrogici dicti sunt ob virtutem bellicam.

ALLOBROX, ŏgis; *et in plur. num.* Allobroges, ogum, m. populi Galliae Narbonensis inter Isaram fluvium, Alpes Grajas, lacum Lemanum, et Rhodanum, quorum praecipua urbs Vienna prope Rhodanum sita. Hi multa cum populo Romano bella gessere, non semel etiam devicti, rebellarunt, commodam nacti occasionem. Hinc *Hor. Ep.* 16, 6. Novisque rebus infidelis Allobrox. *Juven.* 7, 114. Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit, *h. e.* crasse et barbare loquentem more Allobrogum. *Cic. Cat.* 3, 5. Litterae ad senatum Allobrogum, populumque.

ALLOCŪTĬO et Adl., onis, f., actus alloquendi, alloquium, *προσφώνησις. Plin. ep.* 2, 20. Postquam signatum est testamentum, mutat personam, vertit allocutionem. *Ascon. in Verr.* 1, 2, 7. *a med.* Quasi tractantium allocutionem inducit. [**Suet. Tib.* 23. coacto senatu inchoataque allocutione.] Et pro hortatione militari, qua utitur imperator milites cohortans ad pugnam. Saepe in nummis stat imperator in suggestu subjectos milites adloquens: et *ὑπόγραμμα, Adlocutio*, ut in nummo Caligulae apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 268. [*Forc. laudaverat *Patini* in *Mus. Theupol.* p. 408.] ℙ Sumitur speciatim pro alloquio, et sermone, quem alicujus consolandi causa adhibemus, *παραμυθία. Catull.* 38, 5. Qua solatus es allocutione? *Senec. Cons. ad Helv.* 1. Novis verbis, nec ex vulgari et quotidiana sumptis allocutione opus erat homini ad consolandos suos, etc.

ALLOCŪTUS. V. in ALLOQUOR.

ALLOEOTĬCUS, a, um, adject. *ἀλλοιωτικός*, virtutem habens transmutandi: ex *ἀλλοιόω*, immuto, alium reddo. *Alloeotica* dicitur vis in stomacho animalis mutandi cibi, et in chilum vertendi. Est autem Graeca vox, quae in quibusdam edd. *Macr. Sat.* 7, 4. scribitur Latinis litteris, in plerisque aliis rectius Graecis.

ALLOPHYLUS, et Latina scriptione Allofilus, a, um, adj., *ἀλλόφυλος*, qui alienae est gentis, externus, alienigena, ab *ἄλλος*, alius, et *φυλή*, quae tum tribum, tum aliquando etiam genus, seu gentem significat. *Sulpic. Sever. hist. sacr.* 1. passim hac voce eos appellat, qui Philistaei in Scripturis dicuntur. *Tertull. Pudic.* 7. Lex vetus adimit conjugium allophylorum. Adde *Hieron. ep. ad Eustoch.* 27. ℙ Paenultima natura longa est, et a Graecis poetis passim producitur: a Latinis tamen corripitur. *Prudent. Hamartig.* 502. Allophylus tua castra velit delere tyrannus. *Id. Enchir.* seu *Diptyh. de Sampsone*, *n.* 18. faces caudis circumligat, in sata mittit Allophylum, pro *Allophylorum.* Sic *Paulin. Nolan. de S. Fel. Natal. carm.* 8, 23, 70. Credite, non armis, neque viribus esse timendos Allophylum populos. Adde *Tert. adv. Marc.* 4, 37.

ALLOQUĬUM et Adl., ii, n., *παραμυθία*, sermo cum alio: praesertim si alliciendi, aut consolandi gratia fiat. *Liv.* 1, 34. *ad fin.* Ipse quoque fortunam benigno alloquio, comitate invitandi, beneficiisque quos poterat sibi conciliando, adjuvabat. *Id.* 25, 24. *extr.* Ut alloquio leni perlicerent hostes ad dedendam urbem. *Tac. Hist.* 3, 36. Alloquio, exercitioque firmare militem. *Hor. Epod.* 13. *in fin.* Illic omne malum vino cantuque levato Deformis aegrimoniae, Dulcibus alloquiis. *Ov. Trist.* 1, 4, 3. Attonitum quique memini carissime, primus Ausus es alloquio sustinuisse tuo. Et *ib.* 7, 17. ingenti prostratum mole sodalem Visere, et alloquii parte levare tui? *Appul. Met.* 4. Blando alloquio solari aliquem. V. ALLOCUTIO et ALLOQUOR.

ALLŌQUOR et Adl., ĕris, oquutus, vel ocutus sum, dep. 3. *προσειπεῖν*, ad aliquem loquor. *Cic. Cluent.* 61. Quem nemo recipere tecto, nemo alloqui, nemo respicere vellet. *Virg. A.* 6, 466. Extremum fato quod te adloquor, hoc est. *Tac. Hist.* 3, 37. Mox senatum, composita in magnificentiam oratione, allocutus, etc. *Suet. Caes.* 33. In alloquendo, exhortandoque. *Id. Galb.* 18. Allocuturus milites. *Pl. Amph.* 1, 1, 26. Diis gratias agere, et alloqui, *h. e.* salutare, precari. ℙ Sumitur speciatim pro verba facere consolandi gratia, *παραμυθέομαι. Varr. L. L.* 5, 7. Adlocutum mulieres ire ajunt, cum eunt ad aliquam locutum consolandi causa. *Senec. Troad.* 619. Alios parentes alloqui in luctu decet: tibi gratulandum est.

ALLŪBENTĬA et Adl., ae, f., id. q. lubentia,

libido, voluntas, προθυμία. *Appul. Met.* 1. p. 105, 12. Jam adlubentia proclivis est sermonis et joci, et scitum est cavillum, *h. e.* jam adest voluntas loquendi et jocandi, etc. Al. leg. Jam ad lubentiam proclives erant sermones et joci, etc.

ALLŪBESCENS et Adl., entis, part. ab *allubescit*, gratificans, placens, gratus. *Appul. Met.* 2. p. 114. *Oud.* Occursantis linguae illisu nectareo prona cupidine adlubescenti.

ALLŪBESCIT et Adl., ebat, impers. 3., lubet, placet, ἐπαρέσκει. *Pl. Mil.* 4, 2, 12. Est nimium lepida, nimisque nitida femina: hercle vero jam allubescit primulum. ℙ Personaliter etiam usurpatur pro gratificari, lubentem obsequi. *Appul. Met.* 7. p. 192, 40. Illa basiare volenti promptis saviolis allubescebat. *Capell.* 1. p. 10. Stella Martis connubiorum copulis allubescat. ℙ Apud *Eund. Met.* 9. p. 218, 27. allubescere aquis, est ad aquas bibendas lubentem accedere, ad eas bibendas promptum ac lubentem esse.

ALLŪCĔO et Adl., es, uxi, n. 2. προσλάμπω, id. q. luceo, vel ad aliquid luceo. *Suet. Vitell.* 8. Flagrante triclinio ex conceptu camini, inquit, Bono animo estote, nobis alluxit. *Sen. ep.* 92. Vide autem, quale sit, die non esse contentum, nisi aliquis igniculus alluxerit. ℙ Translate. *Pl. Pers.* 4, 3, 46. Nescis, quid instet boni: nequidquam tibi fortuna faculam lucrificam allucere vult, *h. e.* adesse tibi occasionem lucri faciundi. [*Aug. Conf.* 11, 23. Dilucescant allucente misericordia tua, Domine. *F.* ex *B. A.*]

ALLUCINĀTĬO, ALLUCINOR. V. ALUCINOR. ALLUCĪTA. V. ALUCITA.

ALLŪDĬO et Adl., as, n. 1. id. q. ludo, jocor, alludo. *Pl. Stich.* 2, 2, 58. Quando adbibero, alludiabo: tunc sum ridiculissimus. *Id. Poen.* 5, 4, 64. Etiam me meae latrant canes? *Ag.* at tu hercle alludiato.

ALLŪDO et Adl., is, usi, usum, n. cum aliquo ludere, jocari, colludere, προσπαίζω. *Ov. Met.* 2, 864. de Jove in bovem mutato. Et nunc alludit, viridique exsultat in herba, Nunc latus in fulvis niveum deponit arenis. *Plin.* 9, 8, 8. Delphinus praebens se tractandum, et alludens natantibus. *Ter. Eun.* 3, 1, 34. Forte habui scortum: coepit ad id alludere. [*Quint.* 3, 11, 18. idque Cicero Trebatio alludens — appellat, i. e. cum eo jocans. Cf. *Gesner.*] *Suet. Caes.* 22. Negante quodam per contumeliam, facile hoc ulli feminae fore, respondit quasi alludens in Assyria quoque regnasse Semiramin, etc. [*i. e. quasi per jocum addens, rem convertens in jocum. Male Noster explicabat: referens ad regnum a Semiramide occupatum et ad imperium sibi occupandum. Nam hac significatione nonnisi apud scriptores cadentis latinitatis reperitur. V. infra. Illo modo etiam intellige *Virg. A.* 7, 117. heus mensas consumimus, inquit Iulus; nec plura alludens, i. e. subridens, jocans.] Adde *Justin.* 1, 4., *Phaedr.* 3, 19. et *Stat. Silv.* 2, 6, 101. *Cic. Or.* 1, 56. *ad fin.* Galba autem alludens varie et copiose, multas similitudines afferre, multaque pro aequitate contra jus dicere, *h. e.* urbane, et quasi ludendo disputans [*ut aut de sententia deducat aut in suam adducat.] *Fulgent. Myth.* 2, 13. alludere argutiam, i. e. comminisci, rem argutam ludendo dicere. *Senec. Tranq.* 10. *a med.* Prope posita, speique nostrae alludentia sequamur, i. e. faventia. ℙ De rebus inanimis. *Plin.* 26, 7, 22. *a med.* Tripolium in maritimis nascitur saxis, ubi alludit unda, neque in mari, neque in sicco, *h. e.* ubi unda accedens, recedensque veluti ludit. *Cic. Top.* 7. et *Quint.* 5, 14. *sub fin.* Litus est, qua fluctus alludit. Al. leg. *eludit* minus recte. Eadem ratione *Ov. Met.* 4, 342. alludentes undas dixit, et *Stat. Theb.* 9, 336. extremis adludunt aequora plantis. [*Cf. *Gesner.* ad *Colum.* 4, 20, 2. et *Drak.* ad *Sil.* 7, 259.] *Senec. Thyest.* 155. Et curvata suis fetibus ac tremens Alludit patulis arbor hiatibus, *h. e.* arbor pomis onusta supra Tantalum veluti ludit, ramos subinde quassans et porrigens, ita tamen, ut ab eo jam jam apprehensuro statim recedat. *Val. Fl.* 6, 664. Ac velut ante comas, ac summa cacumine silvae Lenibus alludit flabris levis Auster. ℙ Cum accusativo. *Catull.* 64, 66. Omnia quae toto delapsa e corpore passim Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant. *Nemes. Ecl.* 4, 10. nec est animus solitos adludere fontes. [*Ov. Met.* 2. *argum.* 13. de tauro: paullatim singulas alludens.] Etiam *alludere aliquem* pro *ad aliquem*, omissa praeposit., quae inest in verbo. *Solin.* 5. *a med.* Ibi epulantes alludit flamma, quae flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit, non adurit. ℙ Est etiam dicere, vel facere aliquid, sensum alio referendo. *Val. Max.* 3, 7. *n.* 4. *ext.* Phidias quoque Homeri versibus egregio dicto allusit. ℙ [*Alluo, alludo* et *allido* confunduntur. V. ad *Virg.* 3, 510.]

ALLŪO et Adluo, is, ui, a. ἐπικλύζω, juxta fluo, madefacio: ex *ad* et verb. *luo*, quod est ejusdem significationis, ac *lavo*. De aquis proprie dicitur. Maria enim et flumina alluere dicuntur loca, ad quae feruntur, quaeve attingunt. *Cic. Or.* 30. Ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur. *Id. Verr.* 2, 5, 37. Non alluuntur a mari moenia extrema. *Id. Leg.* 2, 3. Fluvius divisus aequaliter in duas partes latera haec alluit. *Virg. A.* 8, 149. Et mare, quod supra, teneant, quodque alluit infra. ℙ Translate. *Cic. Flacc.* 26. *in fin.* Urbs barbariae fluctibus alluitur. ℙ [Particip. *Alluens* ap. *Senec. Hippol.* 1232. Me ludat amnis ora vicina alluens. *F.* *Confunduntur *alluo* et *alludo* v. v. praeced. *Abluere* et *alluere*, v. intpp. ad *Virg. A.* 8, 149. Porro *all.* et *applaudere*, cf. ad *Ov. Met.* 4, 342.]

ALLUS vel Hallus, i, m. pollex pedis scandens super proximum digitum, quod velut insiluisse in alium videatur; quod Graece dicitur ἅλλεσθαι. Haec *Festus* sub littera A, qui sub H *hallus* scribit: et sane si Graeca origo, quam assignat, vera est, aspiratio est adhibenda. Hic idem *allus* in quibusdam *Festi* codicib. *allex* dicitur, ut et in *Gloss. Isid.*

ALLUSĬO et Adl., onis, f. ludus cum aliquo. *Arnob.* 7. p. 229. Si manu viperam mulceas, petat illa te morsu, nihilque illa prosit allusio.

ALLŪVIĒS, ei, f. πρόκλυσις, aquarum exundatio, qua loca antea sicca alluuntur, et aquis obteguntur. *Liv.* 1, 4. In proxima alluvie pueros exponunt, *h. e.* loco proximo, quo extra ripas suas Tiberis aquae pertinebant, *Colum.* 3, 11. Valles, quae fluminum alluvie, et inundationibus concreverint, *h. e.* creverint ex limo et sabulo ab inundante flumine comportato. *Appul. Met.* 11. p. 260, 29. Turbido fluctuum tumore posito mare quietas alluvies temperabat. ℙ Etiam *Ciceroni* vox haec tribuitur a quibusdam *Q. Fr.* 3, 7. Romae, et maxime Appia ad Martis mira alluvies. Sed plerique alii leg. *proluvies.*

ALLŪVIO et Adl., onis, f. alluvies. *Appul. de Mundo* p. 67, 41. Terra aquarum saepe alluvionibus mersa. ℙ A JCtis alluvio dicitur incrementum latens, quod agro adjicitur a flumine alluente, et limi terraeque aliquid sensim congerente, ita ut ager ille paulatim crescat: illudque additamentum domino agri cedit. *Cajus. Dig.* 41, 1, 7. Quod per alluvionem agro nostro flumen adjecit, jure gentium nobis acquiritur. Per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligere non possimus, quantum quoquo temporis momento adjiciatur. *Paul. Dig.* 12, 6, 15. Alluvione aliquid alicui accedere. *Ulp. Dig.* 19, 1, 13. Si decem jugera alluvione accreverint. *Cic. Orat.* 1, 38. Jura alluvionum, et circumluvionum. Adde *Callistrat. Dig.* 41, 1, 12. Differunt autem *alluvio* et *circumluvio*, quod *alluvio* dicitur cum ager ex aliqua tantum parte flumine alluitur, et crescit: *circumluvio* cum undique flumine cingitur, atque in modum insulae circumdatur.

[ALLŪVĬUM, ii, n. idem significat q. ALLUVIO. *Isid. de different. verbor. n.* 40. Alluvium est consumptio riparum ex aquis; colluvium autem congregatio sordium, quae fit a fluxione multa. *F.*]

ALLŪVIUS ager dicitur, quem paulatim fluvius in agrum reddit. *Var. auctor. de Limitib.* p. 293. *Goes.*

*ALMA, ae, mons Pannoniae inferioris. *Vopisc. Prob.* 18. *Eutrop.* 9, 11. eundem ALMUM appellat. cf. intpp. ad *Vell.* 2, 112. ℙ Etruriae fluvius. *Anton. Itin. Marit.*

*ALMANA, ae, Macedoniae oppidum ad Axium fluvium. *Liv.* 44, 26.

ALMĬPOTENS. V. ALTIPOTENS.

*ALMITAS, atis, f. ab almus, a, um. *Gloss. gr. lat.* ἀναγωγή.

ALMĬTĬĒS, ei, f. εὐπρέπεια, ut exponitur a *Charis.* 1. p. 25., hoc est decor, decora forma. *Paul.* ex *Festo:* Almities, habitus almarum rerum, *h. e.* pulcrarum.

ALMO, onis, m. *Acquataccio*, parvus fluvius agri Romani prope portam Capenam, ex via Appia in Tiberim labens, in quo sacerdotes Cybeles Deae simulacrum, et cultros sanguinolentos, et sua vulnera solebant abluere. *Ov. Fast.* 4, 337. et sqq., *Stat. Silv.* 5, 1, 222., *Sil.* 8, 365., *Martial.* 3, 47. et *Lucan.* 1, 600. ℙ Almo etiam Deus illius fluminis, pater Larae Nymphae, ex qua Mercurius Lares genuit. *Ov. Fast.* 2, 599. et sqq.

*ALMON, is, Thessaliae oppidum, ab aliis dictum *Salmon*, ut ait *Plin.* 4, 8, 15.

*ALMOPII, iorum, Macedoniae populus eo loco habitans, ubi Haemus et Scardus montes conjunguntur. *Plin.* 4, 10, 17. Cf. *Thuc.* 2, 99. qui eos *Almopes*, eorum terram *Almopiam* appellat.

*ALMUM, i, Moesiae superioris urbs. *Tab. Peuting.*

ALMUS, a, um, ὅμπνιος, τρόφιμος, adjectivum est poeticum significans id, quod vitam, vel nutrimentum quoquo modo praebet, aut tuetur, quasi *alens.* [*Primam hanc signif, explicat *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 2, 4, 13.] Itaque de Diis dicitur, iis praesertim, qui vitam victumque dare hominibus creduntur, ut sunt Ceres, Venus, (aliis quoque, quibus hoc minus apte convenit, in signum honoris et venerationis: qua ratione etiam sacerdotibus tribui solet.) item de tellure, de luce ac die, qua vivendo fruimur, et similibus. *Hor. Od.* 1, 2, 43. Almae filius Majae. *Id. ib.* 4, 15. *extr.* Almae Veneris progenies. *Virg. G.* 1, 7. Alma Ceres. Et 2, 330. Almus ager. *Lucr.* 2, 390. Liquor almus aquarum. [*Hor. Sat.* 2, 4, 13. ut magis alma (ex emend. *Bentl.*) rotundis, sc. ovis. v. *Bentl.* et *Hdf.*) *Virg. G.* 2, 233. Almae vites. *Id. A.* 1, 306. Alma lux. *Hor. Carm. saec.* 9. Alme Sol. *Senec. Agam.* 74. Alma nox, quia scilicet quiete nocturna et somno vita maxime alitur. *Virg. A.* 2, 664. Alma parens. *Stat. Ach.* 2, 383. Alma ubera. *Pl. Curc.* 2, 3, 79. Alma nutrix. *Virg. A.* 7, 774. Alma Trivia. *Id. ib.* 10, 215. Alma Phoebe. *Ib.* 220. Alma Cybele. *Ov. Fast.* 4, 722. Alma Pales. *Virg. A.* 6, 74. et 117. Alma Sibylla. *Prop.* 4, 10, 51. Alma sacerdos. *Lucr.* 2, 969. Alma dulcedo. *Hor. Od.* 4, 4, 41. Alma adorea, *h. e.* gloria, quae alit virtutem. Sic *Tibull.* 1, 11, 67. Alma pax. *Sil* 11, 12. Alma Carthago, *h. e.* altrix virorum. *Hor. Od.* 3, 4, 42. Almae Musae, *h. e.* studiorum altrices. *Ennius* apud *Cic. Off.* 3, 29. Alma fides, quia nimirum Dea habita est: vel quia fide alitur humana societas. ℙ *Festus*, et cum eo quaedam Vet. Gloss. *almum* exponunt etiam sanctum; item pulcrum: quae notiones fortasse in quibusdam scriptorum exemplis locum habere poterunt, in quibus alicui significatio alendi non arrideret. Neque enim improbandae sunt.

[ALMYRIS, ĭdis, f. ἁλμυρίς, salsilago, et translate lepos, urbanitas. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 519, 3. Maccia T. L. Almyris. *F.*]

*ALNETUM. i, n., locus alnis consitus. *Guil. Brit.* 8, 303. Difficiles ubi densa vias alneta tenebant. *Bail. Auct.*

ALNĔUS, a, um adj., qui ex alno est. *Vitruv.* 5, 12. Si mollis locus erit, palis ustulatis alneis, aut oleagineis, ut robusteis configatur. Adde 3, 3.

ALNUS, i, f., κλήθρα, arbor in aquosis et paludosis locis nascens, cortice scabro, ligno molli, foliis latis, rotundioribus, nervosis, et viscido humore obsitis. Ejus materies humido loco defixa quam diutissime durat: cum alioquin extra terram facile corrumpatur: quare apprime utilis est in aquoso loco aedificantibus: ob idque a *Vitruv.* 2, 9. et a *Plin.* 16, 40, 79. laudatur. *Cic. fragm.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. Alnorum umbracula. ℙ Cavatur etiam in tubos ad aquaeductus, ut *Plin. ib.* 42, 81. scribit. Praeterea fabricandis navibus est aptissima. Hinc *Virg. G.* 1, 136. ait, prima parva navigia fluminibus trajiciendis ex alno cavata fuisse facta. *Stat. Th.* 6, 106. Alnus amica fretis. *Sil.* 3, 458. Alnus fluminea. *Lucan.* 3, 442. et fluctibus aptior alnus. ℙ Hinc etiam aliquando per synecdochen a poetis pro navi ponitur. *Claudian. Rapt. P. praef.* 1, 3. Qui dubiis ausus committere flatibus alnum. *Lucan.* 2, 426. nullasque vado qui Macra moratus Alnos. Adde 3, 520. *Virg. G.* 2, 451., *Sil.* 12, 521. [*cf. *Drak.*], *Juvenal.* 3, 266. et *Stat. Theb.* 3, 23. ℙ Eadem translatione ponitur etiam pro alia quapiam re ex alno facta. *Lucan.* 2, 486. ut spumeus alnos Discussa compage feras, *h. e.* sublicas pontis. *Id.* 4, 422. obliquas excipit alnos, *h. e.* trabes alneas. ℙ Poetae aliquando fabulantur, Phaetontis sorores ejus casum lamentantes in totidem alnos fuisse conversas: aliquando in populos mutatas dicunt. *Virg. Ecl.* 6, 621. Phaetontiadas musco circumdat amarae Corticis, atque solo proceras erigit alnos. *Claudian. Fescenn. nupt. Honor.* etc. 14. Et Padus electriferis Admoduletur alnis. V. *Virg. A.* 10, 190.

ĂLO, is, alui, alitum et altum, a. 3. αὔξω, incrementum do, augeo. *Hor. Od.* 4, 2, 5. Monte decurrens velut amnis, imbres Quem super notas aluere ripas. [*Tac. H.* 5, 6. Libanus amnem Jordanem alit funditque.] ℙ Universim significat nutrire, educare, alimentis sustentare. *Cic. N. D.* 2, 19. Multa quibus animantes aluntur, augescunt et pubescunt. *Id. Tusc.* 1, 19. Aletur et sustentabitur iisdem rebus, quibus astra sustentantur et aluntur. *Id. N. D.* 1, 26. Cum agellus eum non satis aleret. *Id. Off.* 1, 8. Alere exercitum suis fructibus. [*Caes. B. G.* 1, 18. magnum numerum equitatus suo sumtu semper alere, i. e. τρέφειν, vel habere et sustentare, non solum cibo, sed etiam mercede. Cf. *id.* 8, 47. latrociniis se suosque alere. Cf. *Herz.* ad illum locum et ad *Sall. Cat.* 14, 2. coll. *Auson. Popma.* Est igitur plus quam *nutrire.*] *Id. N. D.* 2, 51. Ali lacte. *Id. Rosc. Am.* 20. Alere canes. *Nep. Arist. in f.* aliquem publice. ℙ De inanimatis rebus, quae nutrimento aliquo indigent. *Cic. N. D.* 2, 46. Stellae aluntur terrae vaporibus. *Plin.* 24, 15, 89. *ad fin.* Clematidis folia illita infantibus capillum alunt. *Id.* 14, 2, 4. *n.* 6. Vitis spionia alitur nebulis. *Justin.* 4, 1. Alere incendium. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 1, 2. Honos alit artes. *Id. Brut.* 8. Alere gloriam. *Id. Invent.* 1, 3. audaciam. *Id. Brut.* 33. ingenium. *Id. Cat.* 1, 12. spem alicujus. *Tibull.* 2, 7, 3. Spes alit agricolas. *Cic. Sext.* 38. furorem alicujus impunitate diuturna. *Id. Off.* 1, 30. Mens alitur discendo. *Id. Catil.* 3, 11. Memoria vestra nostrae res alentur, sermonibus crescent. *Liv.* 28, 24. Insita hominibus libido alendi de industria rumores. *Nep. Phoc.* 1. Alere luxuriam. *Id. Att.* 21. morbum. *Just.* 8, 1. contentiones. [*Tac. H.* 4, 18. conatus, *Sil.* 11, 556. alit animos favor.] *Liv.* 31, 15. [*Cic. Fam.* 10, 23.]

bellum. *Ov. Rem.* 746. Divitiis alitur luxuriosus amor. *Caes. B. G.* 7, 33. Ne tanta et tam conjuncta populo Romano civitas, quam ipse semper aluisset, omnibusque rebus ornasset, ad vim atque ad arma descenderet, [*i. e. tueri, fovere. Cf. de hac signif. et synonymis, h. v. *Herz.* ad h. l. P [*Confunduntur *alere* et *habere*, v. *Drak.* ad *Sil.* 11, 556. *Burm.* ad *Ov. Her.* 12, 170. ad *Met.* 9, 539.] P Participia *Alitus* et *Altus*, v. suis locis.

ALOË, ēs, f, ἀλόη, herba scillae similis amarissimi succi, foliis pinguibus et crassis, et in modicam latitudinem se fundentibus, iisque striatis, et in spinulas retusas desinentibus. Gignitur in India et in Arabia. Ejus succus multos habet in medicina usus, sed praecipue solvendae alvo, cum paene solus medicamentorum, quae id praestant, confirmet etiam stomachum, ut *Plin.* 27, 4, 5. scribit; ubi addit duo esse ejus genera: alterum arenosum, nigrum, ac durum, quod improbandum; alterum pingue ac nitidum, rufi coloris, friabile, et jocineris modo coactum, quod a *Dioscoride l.* 3. *c.* 25. ἡπατίζον, *h. e.* hepati simile, a *Pallad.* 11, 14. hepatica, a *Macro c. ult. de aloe* hepatea appellatur. *Cels.* 2, 12. Medicamenta stomachum fere laedunt: ideoque omnibus catharticis aloe miscenda est. *Id.* 1, 3. Aloen sumere. *Macer loc. cit.* Sunt aloes species geminae: quae subrubet, et quae Intus sicut hepar, cum frangitur: haec hepatea Dicitur et magnas habet in medicamine vires: Vilior est, picco quae fracta colore videtur. P Translate. *Juven.* 6, 180. Plus aloes, quam mellis habet, *h. e.* plus amaritudinis, quam dulcedinis. P [*Pallad. loc. cit.* et *Veget. Vet.* 1, 14. neutro genere usurpant, at optimi codd. et editt. *Schneideri* feminino. *F.*]

ALOEUS, i, m. Ἀλωεύς, trisyllab. nomen est Gigantis Thessali, Titanis et Terrae filii, qui Iphimediam uxorem habuit, quae duos ei filios peperit, Otum et Ephialten, qui singulis mensibus novem digitis crescebant. Alii ex adulterio cum Neptuno genitos tradunt. Hi cum ab Aloeo ad bellandum contra Superos immissi fuissent, Martemque ipsum catenis oneratum abducerent, ab Apolline et Diana sagittis confixi sunt. *Serv.* ad *Aen.* 6, 582. et ad *G.* 1, 280. et *Hygin. fab.* 28. etc. Hinc *Lucan.* 6, 410. Impius hinc prolem Superis immisit Aloeus. *Claud. B. G.* 68. gemini fratres, genuit quos asper Aloeus. [*Apollod.* 1, 7, 4.]

*ALOGI et ALOGIANI, orum, ἄλογιανοί, haeretici fuerunt, sic vocati tanquam sine verbo, propterea quod ἐν τῷ λόγῳ, *h. e.* Dei filio, qui patris verbum appellatur, divinitatem non agnoscerent, Joannis evang. respuentes. V. *Coel.* 16, 17. *Bail. Auct.*

ALOGIA, ae, f. ἀλογία, actio sine ratione: ab *a* privativa, et λόγος, ratio. *August. ep.* 86. ad *Casul. presbyt.* Quid est autem alogia, quod verbum ex Graeca lingua usurpatum est, nisi cum epulis indulgetur, ut a rationis tramite devietur? etc. Sed ille alter quocum eo loco disputat *Augustinus* usurpaverat paulo supra eo sensu, quem tunc obtinebat, scilicet pro convivio sine sermone, et cum silentio celebrato, atque adeo intelligebat spirituale animae convivium ad mensam Domini in Eucharistia, ad quod cum silentio ac pietate accedendum est. Dixerat enim *alogia Domini refici:* ideoque jejunandum esse censebat Dominica die, qua die tale convivium a Christianis celebrari solet. *Augustinus* id arguens vocem eo sensu exponit, quo a Graecis proprie usurpatur. Lege integrum locum. P Speciatim sumitur pro dicto, aut actione inepta et stulta. *Sen. Apocoloc.* 7. Citius mihi verum, ne tibi alogias excutiam. P [Adjectivorum modo. *Petron. fragm. Tragur.* 58. *Burm.* Non didici geometrias, critica, et alogias naenias. *F.*]

ALOGISTA. V. ANECLOGISTUS.

ALOGUS, a, um, adj. ἄλογος, ratione carens: vox Gr. ab *a* privativa, et λόγος, ratio. *August. ep.* 86. *ad Casul.* Animalia ratione carentia dicuntur aloga. *Capell.* 6. *sub fin.* alogam lineam eam dicit esse, quae nulla ratione alteri respondet. Et 9. p. 321. aloga spatia vocum appellat, de quibus rationem reddere, et proportionem assignare non possumus: similiter *ib.* p. 329. alogos pedes metricos, quorum nulla ratio praestatur, sed incondita quaedam compositio profertur.

ALOIDAE, arum, m. plur. Ἀλωεῖδαι, [*παῖδες Ἀλωῆος *Hom.*] Aloei filii Otus et Ephialtes. V. ALOEUS. *Claud. B. G.* 73. nec pervenere juventae Robur Aloidae, *h. e.* non pervenere ad juventutem: nam novem tantum annos nati interfecti sunt. [*cf. ad h. l. *Barth.* Deinde *Schol.* ad *Apoll. Rhod.* 1, 482. *Tzetz.* ad *Lycophr.* p. 174. *Berkel.* ad *Steph. Byz.* s. v. Ἀλωΐον; quos collectos a *Burm.* ad *Anth. Lat.* nobis indicavit *Jahn.*] *Virg. A.* 6, 582. Hinc et Aloidas geminos, immania vidi Corpora, qui magnum manibus rescindere Coelum Aggressi, etc. Adde *Ov. Met.* 6, 117.

*ALONE, es, insula prope Ioniam, Teum inter et Lebedum; scribitur etiam Halone. *Plin.* 2, 82. et 5, 31, 38. P insula Propontidis. *Id.* 25, 32, 44. P Etiam Hispaniae oppidum, inter Carthaginem novam et Lucentum. *Mela*, 2, 6. P Etiam Britanniae oppidum. *Anton. Itin.*

*ALONI, orum, populi Mesopotamiae. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

*ALONTIGICELLI, orum, populi Hispaniae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

ALOPE, ēs, f. Ἀλόπη, Cercyonis filia, quae a Neptuno compressa puerum peperit, Hippothoum appellatum, quem inscio patre nutrici exponendum dedit. Hunc ab equa nutritum, dein a pastore collectum Cercyon, re cognita, iterum projici jussit. Alopen vero filiam Ieto dedit, cujus corpus Neptunus in fontem commutavit, qui Alope et ipse est nominatus. *Hygin. fab.* 187. P Fuit etiam hujus nominis urbs in Locride. *Plin.* 4, 7, 12. et *Liv.* 42, 56.

*ALOPECE, es, f. insula Scythiae, prope Chersonesum tauricam. *Plin.* 4, 12, 26.

ALOPECIA, ae, f. ἀλωπεκία, genus morbi, quo capilli ex capite defluunt, interdum etiam barba: ita dictum ab ἀλώπηξ, εκος, vulpes, quia eo saepissime laborare vulpes creduntur. Usurpatur plerumque in plur. numero. *Plin.* 20, 22, 87. Sinapi utuntur ad alopecias, psoras, lepras. *Id. ib.* 5, 20. Alopecias fricare tusis caepis. Et 22, 21, 30. Cinis e radice asphodeli alopecias emendat. *Id.* 28, 8, 31. Alopecias explet cinis hippopotami, *h. e.* capillis explet ea loca, quae alopeciis glabra facta sunt. *Id.* 32, 4, 14. Alopeciarum inanitas. *Id.* 23, 6, 54. Cotonea cocta in vino alopeciis capillum reddunt. *In sing. num. Theod. Prisc.* 1, 6. Alopecia ex cognomento vulpium cognomentum accepit.

ALOPECIAS, adis, f. genus piscis marini apud *Plin.* 32, 11, 53., quem *Id.* 9, 43, 67. vulpem marinam appellat. Nam Graece ἀλώπηξ, εκος, vulpem significat.

ALOPECIOSUS, a, um, adj. qui capillorum profluvio laborat. Legitur in titulo *c.* 6. *l. Theod. Prisc.*

ALOPECIS, idis, ἀλωπεκίς, genus vitis, quae uvam producit caudas vulpium imitantem: ab ἀλώπηξ, εκος, vulpes. *Plin.* 14, 3, 4.

*ALOPECONNESUM, i, f. oppidum Thraciae situm in Chersoneso thracica, haud longe ab Imbro insula. *Mela* 2, 2. *Plin.* 4, 12, 23. eum in insulis numerat, fortasse per errorem.

ALOPECURUS, i, f. ἀλωπεκοῦρος, herba similis vulpinae caudae: ab ἀλώπηξ, εκος, vulpes, et οὐρά, cauda. *Plin.* 21, 17, 61.

ALOROS, (us), i, f. oppidum Macedoniae, et quidem Pieriae ad sinum Thermaicum. *Plin.* 4, 10, 17. — Alia Aloros in Paeonia fuit, h. *Dianoro;* unde Aloritae, arum. *Plin.* 4, 10.

ALOSA, ae, v. ALAUSA.

[ALPENSIS, se, idem q. Alpinus. *Inscr.* apud *Vernazza Diplom. d'Adriano* p. 68. Cohors I. Alpensium peditum.]

ALPES, ium, f. Ἄλπεις, montes excelsi, qui Italiam separant a Gallia, et a Germania, ita dicti, ut videtur, a candore nivium, quia perpetuis fere nivibus albescunt, lingua Sabinorum, qui *alpum* dixere, quod posteri Latini *album*. Ita *Festus* in voce *Album*. [*Sic etiam *C. L. Schlichter., de nive*, p. 2. h. v. derivat. *Beier*] P Multiplices Alpes sunt, et varia pro locorum diversitate sortiuntur nomina; Maritimae, seu Litoreae, Cottiae, Grajae, Poeninae, Summae, Lepontiae, Rhaeticae, Tritendinae, vel Noricae, Juliae, vel Carnicae, etc., de quib. V. Geographos. *Cic. Prov. cons.* 14. Alpibus Italiam muniit natura. *Id. Pison.* 33. Alpium vallum contra ascensum transgressionemque Gallorum opponere. *Id. Catil.* 4, 6. Manavit non solum per Italiam, verum etiam transcendit Alpes. *Id. Phil.* 5, 13. *ad fin.* Furorem Antonii Alpium muro cohibere. *Virg. G.* 3, 474. Aeriae Alpes. *Hor. Sat.* 2, 5, 41. hibernae. P In singulari numero. *Ov. Art. am.* 3, 150. Nec quot apes Hyble, nec quot in Alpe ferae. *Juvenal.* 10, 152. opposuit natura Alpemque, nivemque. *Lucan.* 1. *sub fin.* Alpis nubiferae colles. *Claud.* II. *Cons. Stilich.* 285. frondosa fertur ab Alpe. P *Varr.* ap. *Serv.* ad *A.* 10, 13. quinque vias enumerat, quibus transiri possunt: una quae est juxta mare, per Ligures: altera qua Annibal transiit: tertia, qua Pompejus ad Hispaniense bellum profectus est: quarta, qua Asdrubal de Gallia in Italiam venit: quinta, quae quondam a Graecis possessa est, quae exinde Alpes Graecae appellantur. P Ponitur etiam pro alio quovis monte excelso. *Sidon. carm.* 9, 43. Admissoque in Athon tumente Ponto, Juxta frondiferae cacumen Alpis Scalptas classibus isse per cavernas. *Sil.* quoque 2, 333. *geminas Alpes* dixit, Pyrenaeos montes etiam intelligens: eademque ratione locuti sunt *Prudent.* περὶ στεφ. 3, 538. et *Sidon. carm.* 5, 594.

ALPHA, ἄλφα, nomen primae Graecorum litterae, sicut *beta*, βῆτα, secundae. *Juvenal.* 14, 209. Hoc discunt omnes ante alpha, et beta puellae, *h. e.* antequam legere discant. P Hinc joculariter dicitur de eo, qui primas tenet in re aliqua: quemadmodum *beta* de eo, qui secundas. *Martial.* 5, 26. Quod alpha dixi, Codre, paenulatorum Te nuper, aliqua cum jocarer in charta; Si forte bilem movit hic tibi versus, Dicas licebit beta me togatorum.

ALPHABETUM, ti, n. series litterarum, ab alpha, ἄλφα, et beta, βῆτα, quae sunt duae priores Graecorum litterae. *Tertull. Praescript. adv. Haeret.* 50. et *Hieronym. ep.* 125. *ad Rusticum.* Quod addi solet ex titulo *c.* 10. *l.* 37. *Plin. De quibusdam gemmis per alphabeti ordinem*, id nullius est auctoritatis. Nam *l.* 1. *n.* 54. habetur: De gemmis litterarum ordine.

ALPHEIAS, ădis, f. Ἀλφειάς, Arethusa nympha in fontem Elidis versa, cujus aquae cum Alpheo flumine, qui eam perdite adamavit, miscentur. *Ov. Met.* 5, 487. Cum caput Eleis Alpheias extulit undis. V. ARETHUSA.

ALPHENUS. V. ALFENUS.

ALPHESIBOEA, ae, f. Ἀλφεσίβοια, Phegei fluminis filia, Alcmaeonis conjux, quem cum fratres Alphesibocae, quod eam deseruerat, et aliam duxerat, interfecissent, dicitur ipsa prae amore conjugis suos fratres obtruncasse. Alii rem aliter narrant. *Propert.* 1, 15, 15. Alphesiboea suos ulta est pro conjuge fratres; Sanguinis et cari vincula rupit amor. V. ALCMAEO.

ALPHESIBOEUS, i, m. nomen pastoris cujusdam apud *Virg. Ecl.* 5. et 8. ab ἀλφέω, invenio, et βοῦς, bos.

ALPHEUS, i, m. Ἀλφειός, nunc *Orfea*, *Carbon*, *Darbon*, fluvius Peloponnesi, qui ex Stymphalo monte per Arcadiam, et Elidem regiones in sinum Chelonitem ad occ. apud Triphyliam urbem influit, et Olympiam alluit. Dictus videtur ab ἄλφος, quae est species vitiliginis albae, quia ejus aqua maculas ejusmodi tollere creditur. Poetae fabulam secuti tradunt, Alpheum occultis meatibus subter mare labi, et Arethusae fonti apud Syracusas urbem Siciliae misceri. V. ARETHUSA. *Ov. Met.* 5, 599. Quo properas Arethusa? suis Alpheus ab undis, etc. *Id. ib.* 2, 250. Aestuat Alpheos, ripae Spercheides ardent. *Id. Amor.* 3, 6, 29. Quid? Non Alpheon diversis currere terris, etc. *Alpheos*, et *Alpheon* sunt Graecae positiones pro *Alpheus*, et *Alpheum. Martial.* 6, 85. Viderat Alphei praemia, *h. e.* certamina Olympia, quae quarto quoque anno apud Alpheum celebrabantur. P Alphei aqua Jovi gratissima existimata est; qua de causa Jovis Olympii statua ea aspergebatur, et sacrificiorum cineres abluebantur: unde *sacer Alpheus* dicitur a *Senec. Med.* 81. et *Thyest.* 116.

ALPHEUS, a, um, adj. Ἀλφεῖος, ad Alpheum pertinens. *Virg. A.* 10, 179. Hos parere jubent Alpheae ab origine Pisae, *h. e.* Pisarum urbs in Italia, quam condidisse dicuntur Arcades ex Pisis, et Elide Arcadiae oppidis in Italiam transvecti, Alpheus autem fluvius per Arcadiam fluit. *Claudian. B. Get.* 575. Alpheae ripae.

ALPHICUS, i, m. qui alphis medetur. Hoc sensu intelligendum quidam putant illud *Martial.* 9, 96. Alphicus ante fuit, coepit nunc Olficus esse. *Olficum* autem interpretantur eum, qui olfacit τὸ ἀδοῖον τῶν γυναικῶν. P Alphicus pro eo, qui alpho laborat, legitur a quibusdam apud *Gell.* 4, 2. V. ATYPUS.

*ALPHION lacus vitiligines tollit. *Plin.* 31, 2. Cf. sub ALPHEUS. *B. A.*

*ALPHITUM, i, n. ἄλφιτον, proprie farina hordeacea, tum generatim ad victum necessaria. *Auct. Itin. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 48. Eoque milites jussos quisque secum alphita esui potuive gestitaret, ea cuncti conferrent. *Bail. Auct.*

*ALPHIUS, i, vel Alfius, foenerator ille, cujus meminit *Hor. ep.* 2. Idem dixisse fertur vel optima nomina non appellando fieri mala. V. *Colum.* 1, 7. P Flavii cujusdam Alfii mentio fit ap. *Plin.* 9, 8. *B. A.*

ALPHUS, i, m. ἄλφος, genus vitiliginis albae, hoc est morbus, quo cutis maculis quibusdam, ceu guttis albis, subasperis, et non continuis foedatur, ita ut quaedam guttae dispersae esse videantur, ut describit *Cels.* 5. *sub fin.*, ubi primo Graece usurpat, et *paulo post:* Eos, quos alphos vocari dixi, hoc medicamento perungunt. Adde *Theod. Priscian. de Diaeta* 15.

ALPICUS, a, um, adj. id. q. alpinus. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 230. *n.* 607. Per arva, perque montes Alpicos. *Nep. Ann.* 3. Ad Alpes posteaquam venit, Alpicos conantes prohibere transitum concidit. Al. leg. *Alpinos.*

[ALPINULA, ae, f. diminut. Alpinae. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 319, 10. Julia Alpinula hic jaceo infelicis patris infelix proles. Illius patris Julii Alpini mentio est in *Inscr.* ap. *Eund.* 546, 3. *F.*]

ALPINUS, a, um, adj. ad Alpes pertinens. *Liv.* 21, 43. Alpinae gentes, *h. e.* quae Alpes incolunt. *Virg. A.* 8, 661. Alpina gaesa, *h. e.* quibus Alpinae gentes utuntur in bellis. *Ov. Met.* 14, 794. Alpinus rigor, *h. e.* frigus, quod in summis Alpibus esse solet. *Virg. Ecl.* 10, 47. Alpinae nives. *Id. A.* 4, 442. Alpini Boreae. *Valgius* ap. *Serv.* ad *A.* 11, 457. Navigat Alpini flumina magna Padi, *h. e.* cujus origo in Alpibus. *Ov. Fast.* 6, 358.

Alpinus hostis, *h. e.* Galli, qui superatis Alpibus in Italiam descenderunt, et Romam expugnarunt. V. *Liv.* 5. *a c.* 34. ℙ [Absolute *Alpinus*, qui ex Alpibus est, Alpes habitat. *Inscr.* ap. *Grut.* 574, 5. Qui militat in cohorte III. Alpinorum. ℙ Alpinus fuit etiam malus poeta, qui Memnonia, sive Memnonis Aurorae filii bella cecinit. *Hor. Sat.* 1, 10, 36. Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona. *F.*]

ALPIS. V. supra ALPES.

ALPOCA et Alpocatis, quid sit, ignoro. *Not. Tir.* 133.

*ALSA, ae, fluvius in agro Veneto, haud longe ab Aquileja, h. *Ause*, auctore *Hard.* ad *Plin.* 3, 18, 22.

ALSIDĒNA, species caepe apud *Plin.* 19, 6, 32. Caepe genera apud Graecos ..... alsidena. [*Est adject. Alsidenus, a, um.]

ALSIENSIS, se, adj. ad Alsium oppidum pertinens. *Cic. Mil.* 20. Sciebat in Alsiensi esse, supple *agro*, vel *rure*. *Liv.* 27, 38. Alsiensis populus. [*Inscr.* Alsii nuper reperta, et ab *A. Maio V. C.* edita ad *Frontonis Ferias Alsienses* p. 205. *edit. Rom.* D. M. T. Aelio Eutycho Proc. Aug. N. Villae Alsiensi heredes. *F.*]

ALSIETĪNUS, a, um, adj. *Alsietinus lacus*, nunc *Lago di Martignano*, est in Etruria: ex quo concipiebatur ductus aquae Alsietinae, de qua *Front. Aquaeduct.* 11. et 71. ℙ Haec aqua dicta est *Augusta*, quia ab Augusto perducta fuit. *Front. cit. art.* 11. V. doctas et laboriosas adnotationes *Jo. Poleni ad cit. art.* 71.

ALSĪNE, ēs, f. *ἀλσίνη*, herba similis helxines, sed minor, minusque hirsuta, nascitur in hortis, et maxime in parietibus: incipit a media hieme, arescit aestate media: cum prorepit, musculorum aures imitatur foliis: hinc myosoton eam quidam appellavere, a *μῦς*, mus, et *οὖς, ὠτὸς*, auris: cum teritur, odorem cucumeris reddit. Dicta est ab *ἄλσος*, lucus, quod in nemorosis umbrosisque locis provenit. *Plin.* 27, 4, 8.

ALSĪOSUS, a, um, adj. *δύσριγος*, qui frigore facile laeditur. *Varr. R. R.* 2, 3. Stabulatur pecus melius, ad hibernos exortus si spectat, quod est alsiosum. *Plin.* 21, 10, 34. *in fin. de abrotono, et adonio herbis.* Seritur utrumque aestate: alsiosa enim admodum sunt; et sole tamen nimio laeduntur.

ALSĪUM. V. in voce sequente.

ALSĪUS, a, um, adj. *δύσριγος*, idem quod alsiosus. *Lucret.* 5, 1014. Ignis enim curavit, ut alsia corpora frigus Non ita jam possent coeli sub tegmine ferre. Quidam malunt *algida*. ℙ A *Cicerone* usurpatur comparative tanquam a positivo *alsus*, quod non est in usu, et significat frigidum, refrigerantem, estque vel a praeterito *alsi* verbi *algeo*, vel a Graeco *ἄλσος*, lucus; luci enim aestate jucundum frigus servant. *Att.* 4, 8. Antio nihil quietius, nihil alsius, nihil amoenius. *Id. Q. Fr.* 3, 1. Jam *ἀποδυτηρίῳ* nihil alsius, nihil muscosius. *Inscr.* ap. *Gud.* 214, 12. Ti. Flavii Alsi. Videtur hic *Alsi* esse ab *Alsus*, quia in *us* fere desinunt cognomina apud Romanos, nomina vero in *ius;* ut ex. c. P. Gabinius Urbanus. ℙ Denique *Alsius* adjectivum est ab *Alsium*, *Ἄλσιον*, quod est oppidum Etruriae in ora littorali, Romanorum quondam Colonia, teste *Vell.* 1, 14., nunc excisum. Dictum est ab Aleso Argivo ejus conditore. *Sil.* 8, 476. Nec non Argolico dilectum litus Aleso Alsium, et obsessae campo squallente Fregellae. *Rut. Itin.* 223. Alsia praelegitur tellus, Pyrgique recedunt.

*ALSUCA, ae, Rhaetiae oppidum. *Paul. Diac. Lang.* 3, 31.

*ALTA RIPA, oppidum inter Wormatiam et Spiram, h. *Altrip. Notit. Imper.* ℙ Item in Pannonia inferiori oppidum. *Tab. Peut.*

*ALTABA, ae, Numidia oppidum. *Anton. Itin.*

ALTĀNI venti, *ἀπόγειοι ἄνεμοι*, venti e terra erumpentes, ut *Plin.* 2, 43, 44. docet. *Serv.* vero ad illud *A.* 7, 27. *Cum venti posuere* scribit flatum omnem, qui ripae est, aut pelagi, altanum vocari. *Isid. Orig.* 13, 11. ait *altanum* dici ventum a pelago flantem, quia scilicet ab alto spirat, hoc est mari: fortasse ita appellatus ab Altano oppido Brutiorum. Denique *Vitr.* 1, 6. Altanum non tanquam ventum aliquem e terra, aut mari erumpentem accipit, sed enumerat inter ventos ordinarios, qui ab aliqua coeli regione spirant. Itaque scribit: *dextra et sinistra circa Austrum Euronotus et Altanus flare solet; circa Africum Libonotus et Subvesperus* etc. Quare per *altanum* videtur intelligere ventum flantem inter meridiem et occidentem, qui Ital. dicitur *Ostro verso Garbino*, (Süd-West) medius scilicet inter Africum et Libonotum.

*ALTANUM, i, v. voc. praeced.

ALTAR, ris, n. idem quod altare. *Prudent. περὶ στεφ.* 2. *de S. Vincent.* 515. Altar quietem debitam Praestat beatis ossibus. Et *ib.* 9. *de S. Eulal. sub fin.* Ossibus altar et impositum.

*ALTARA, ae, Numidiae oppidum. *Anton. Itin.*

ALTĀRE, ris, n. *βωμὸς, θυμέλη*, locus ad sacrificandum aptus, in quo adoletur victima: diciturque, si *Festo* credimus et *Servio*, ab *altus*, quia proprie significat suggestum a terra exaltatum, in quo Diis tantum superis sacra fiunt: quare differt ab *ara*, quae humilior est, et tum inferis, tum superis Diis convenit. Praeterea in ara aut supplicatur, aut libatur tantum, in altari victima adoletur. Ad haec, altare Deorum esse dicitur, ara mortuorum. Haec afferri solent discrimina ab eruditis, et praesertim a *Serv.* ad *Ecl.* 5, 66. et ad *A.* 2, 515. [*Ara genus est, altare species. Nam altare adj. esse videtur altaris, i. q. altus, ut supplendum sit verbum aliquod, ut ornamentum.] Hinc *Virg. Ecl.* 5, 66. en quatuor aras: Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phoebo; *aras* primo posuit generali significatione, qua et *altaria* comprehenduntur: deinde distinguit, ut quae Daphnidi eriguntur, *aras* sint, quae Phoebo, *altaria. Plin.* 15. *sub fin.* Ut ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his altaria, araeve debeant. *Plin. Pan.* 1. Inter aras et altaria. ℙ Hae tamen differentiae non semper a scriptoribus servantur. Promiscue enim *altare* et *ara* passim ponuntur. *Virg. Ecl.* 8, 64. molli cinge haec altaria vitta. Sermo est hic de sacris magicis, quae inferis Diis fiebant. ℙ Est etiam aliud discrimen inter *altare* et *aram* (et ipsum tamen perraro servatum) ut ara dicatur proprie suggestus inferior, et veluti pes et fulcimentum, quo mensa, quae est *altare*, sustinetur. Hinc *Solin.* 9. Ara est in cacumine, Jovi dicata, cujus altaribus si qua de extis inferuntur etc. *Prud. περὶ στεφ.* 14. *de S. Roman.* 49. Altaris aram funditus pessundare. *Just.* etiam huc respexisse videtur, cum inquit 24, 2. Sumptis in manus altaribus etc., ubi tangit veterem morem jurandi tactis aris: de quo V. in ARA. *Quint. decl.* 12, 26. Aris altaria imponere. Alii aliter leg. [*Burm.* conjicit *donaria*. Vulg. autem nobis quidem recte habere videtur. Sic *Lucan.* 3, 404. structae diris altaribus arae. V. quae ad h. l. congesserunt *Bentl.* et *Gronov.* cf. de his locis *Hard.* ad *Gron. diatr.* in *Stat.* I. p. 229. sq.] ℙ Saepe altare ponitur in plurali numero, licet de uno tantum sermo sit. *Liv.* 21, 1. Fama est, Annibalem altaribus admotum, tactis sacris, jurejurando adactum etc. *Cic. Har. resp.* 5. Ab altaribus religiosissimis fugatus. *Id. Cat.* 1, 9. A cujus altaribus saepe istam dexteram etc. *Tac. A.* 16, 31. Altaria et aram complexa. ℙ *Libare altaria*, apud *Virg.* quid sit V. in LIBO, as.

ALTĀRIUM, ii, n. id. q. altare. *Sever. Sulpic. Hist. sacr.* 1, 19. Altarium ex duodecim lapidibus sub monte constituit. *Hieron. ep.* 69. ad *Ocean.* Vespere in circo, mane in altario. [Adde *Inscr.* ap. *Mur.* 344, 3. Et altarium cum columella marmorea ornavit. Pertinet haec inscriptio ad ann. 191. post. Chr. natum. *F.*]

ALTĀTUS, a, um, part. v. *alto*, sublatus in altum. *Sidon. ep.* 2, 2. Jam ver decedit aestati, et per lineas sol altatus extremas in axem Scythicum porrigitur.

ALTĒ, adv., *ὑψοῦ*, excelse, sublimiter. *Varr.* ap. *Non.* 1, 244. Ascendere in malum (*navis*) alte. *Cic. Phil.* 2, 12. Cruentum alte extollens pugionem. *Id. Tusc.* 5, 13. Tollere se a terra altius. *Id. Or.* 28. Alte cadere. *Suet. Aug.* 94. Cum aquila altissime volasset. *Virg. A.* 4, 443. Alte consternunt terram frontes, *h. e.* altum in terra cumulum facientes. *Pierius* testatur in aliquod exemplaribus legi *altae*, quod minus elegans est. *Curt.* 7, 11. Alte aliquid constituere. *Virg. A.* 1, 337. Suras alte vincire. *Hor. Sat.* 2, 8, 10. Puer alte cinctus, *h. e.* alte cincta habens vestimenta, ne ministrantem impediant: quem *alticinctum* appellat *Phaedrus.* ℙ Significat etiam profunde, *βαθέως. Cic. Div.* 2, 23. Cum sulcus altius esset impressus. *Liv.* 1, 41. Ferrum haud alte in corpus descendisse. *Virg. G.* 3, 422. Alte abdere caput. *Cels.* 5, 26. *n.* 30. Caro alte vulnerata. *Sen. de Ira* 3, 4. Anhelitus crebri, tractique altius gemitus. [*Ov. Met.* 6, 266. non alte percusso corde sagitta. Cf. ALTUS et *Burm.* ad *Petron.* 136. *Albinov. el. ad Liviam* 111. alte cum juvenis patriis excidit ictus equis; ibique *Heins.*] ℙ Translate. *Plin. ep.* 8, 4. Ingenium altissime assurgit. *Vell.* 2, 35. Ille dies virtutem Catonis, jam in multis rebus conspicuam, atque praenitentem, altissime illuminavit, *h. e.* maxime, ducta translatione a sole, qui, quo est altior, eo majorem effundit lucem. *Cic. Cluent.* 21. Incipit longo et alte petito prooemio, *h. e.* prima quaeque rei initia, et causas dicendo persequens. [*Cf. *Cic. Fam.* 3, 5. ubi *alte* est, i. q. ex alto. Hinc *id. Rep.* 4, 4. alte repetere, ubi cf. *Moser.* p. 420. (Adde *Tac. H.* 4, 12. id bellum — altius expediam.) *Cic. Rep.* 6, 23. (*Somn. Sc.* 7.) alte spectare, coll. *Tusc.* 1, 34. ubi additur explicatio: et velle in coelum migrare. *Id. Rep.* 3, 4. quorum animi altius se extulerunt et aliquid dignum dono Deorum aut efficere aut excogitare potuerunt. *Beier.*] Sic *Virg. G.* 4, 285. altius omnem Expediam, prima repetens ab origine, famam. *Curt.* 6, 7. Altius iram supprimere, *h. e.* abditius occultare. [*Tac. *A.* 2, 82. altius animis moerebant. *Id. ib.* 4, 41. altius metuere, i. e. graviora. *Ib.* 54. altius percellere aliquem, i. e. ad perniciem usque.] *Cic. Verr.* 1, 2, 7. Altius aliquid perspicere, *h. e.* interius, acutius, melius, ut etiam *Ascon. ib.* exponit. Sic *Plin. ep.* 5, 15. Altissime inspicere. [*Tac. *A.* 1, 32. id militares animos altius conjectantibus — indicium fuit.] *Cic. Or.* 25. Verbum aliquod transferre altius, *h. e.* metaphoricam ei significationem dare a propria valde remotam. *Albinov.* 1, 379. Alte natus, *h. e.* nobili genere natus.

ALTĒGRADIUS vel Altigradius, a, um, adj. alte gradiens et erecto corpore. *Tertull. de veland. virg.* Bestia brevi capite, protracta cervice, cetera altegradia. Alii leg. *altegrada* et *altigrada.*

ALTĒLLUS Romulus dicebatur, quasi altus in tellure; vel quod tellurem suam aleret; sive quod aleretur telis, vel quod a Tatio Sabinorum rege postulatus sit in colloquio pacis, et alternis vicibus audierit locutusque fuerit. Sicut enim fit diminutive a macro macellus, vafro vafellus, ita ab alterno altellus. Haec *Paulus* ex *Festo*, ad quem sane perbene *Jos. Scal.* Veteres, *inquit*, grammatici, qui tam anxie etyma verborum rimantur, quid aliud, quam cum ratione insaniunt? Rectius fortasse, si putes, *altellus* esse diminut. ab *altus* particip. verbi *alo.*

ALTER, ra, rum, gen. alterius, dat. alteri etc. [*ὁ ἄλλος, ὁ δεύτερος*] *ὁ ἕτερος*, id. q. alius, sed de duobus tantum, cum *alius* de pluribus dicatur. Quidam, teste *Festo*, arbitrantur factum esse a Graecis dictionibus *ἄλλος* et *ἕτερος. Cic. Fam.* 6, 3. Neque confirmatione nostra egebat virtus tua; neque erat ea mea causa atque fortuna, ut cui ipsi omnia deessent, alterum confirmarem. *Liv.* 40, 59. Alter consulum Q. Fulvius triumphavit. Et 52. Alter ex censoribus petiit ab senatu etc. *Suet. Aug.* 11. Alterum e consulibus in pugnae tumultu interemptum. [*Caes. *B. G.* 7, 59. altera ex parte, alteram tenebat; ubi v. *Herz. Suet. Caes.* 41. pro parte dimidia — pro parte altera. Nihil refert, utrum alter ille amicus sit an inimicus, quod ubique ex nexu sententiarum colligitur:] *Nep. Pelop.* 1. alterius factionis principes, i. e. adversae. [*Suet. *Tib.* 11. studiosiorem partis alterius.] Hinc *Festus* docet in auguriis alteram avem dictam esse, quae prospera non erat. Pertinet huc formula *alter ambove*, usitata in senatusconsultis, in quibus aliquid consulibus mandatur. *Cic. Phil.* 5, *in fin.* Utique C. Pansa, A. Hirtius consules alter, ambove rationem agri habeant. Cf. etiam *Phil.* 8, 9, 11. et 14., ubi *Cic.* sententiam in senatu dicit. Sic *Liv.* 30, 23. Absente consulum altero, ambobusve. In veteri S. C. ap. *Front. Aquaed.* 100. *extr.* Q. Aelius, Paulus Fabius Coss. ambo, alterve etc. In plur. numero usurpatur non solum cum iis nominibus, quae carent singulari, sed etiam cum aliis. *Auct.* ad *Her.* 3, 20. Duplices similitudines esse debent, unae rerum, alterae verborum. *Cic. Att.* 14, 18. Adductus sum tuis unis et alteris litteris. *Id. Tusc.* 5. *in fin.* Ad Brutum nostrum hos libros alteros quinque mittemus; nam et quinque priores *de Finibus* Bruto inscripserat. *Sall. Jug.* 21. Utrique alteris freti. *Varr. L. L.* 7, 9. *extr.* Alteri totidem. ℙ Repetitur eleganter vel eodem, vel diverso casu. *Cic. Planc.* 35. Quorum alter exercitum perdidit, alter vendidit. [*Non uno modo hoc variatur; vel omittitur *alter* in altero membro ipsumque nomen ponitur, ut *Cic. Fin.* 2, 30. Epaminondae, Leonidae mortem. — Quorum alter (Epam.) quaesivit — Leonidas autem etc.; *Liv.* 24, 23. altera metu dedida hosti, pertinacior — confixa est; vel sequitur *hic*, *iste*, *ille* etc. *Cic. Rosc. Am.* 6. alter — gladiator habetur, hic autem etc. *Ib.* quorum alteri Capitoni cognomen est, iste, qui adest, Magnus appellatur; *Flor.* 4, 7. alterum corporis aegritudo, illum etc. Adeo *alter — alter — alius; Ammian.* 14, 11. alter in vincula ducitur, alter insperatae praeficitur potestati, alius etc.] Ponitur autem pluralis, quum duo illi non singulis, sed pluribus constant, ut *Id. Fam.* 6, 3. Alteri dimicant, alteri victorem timent. [*Caes. *B. G.* 7, 17. quorum alteri adjuvabant, alteri etc. *Cic. Fin.* 3, 9. non modo his tribus (philosophis), sed etiam alteris tribus (appellantur *ib.* 2, 9.), qui etc. *Cic. Tusc.* 1, 38. nec ad vivos pertineat, nec ad mortuos? alteri nulli sunt, alteros non attingit.] *Ter Ad.* 1, 3, 50. Curemus aequam uterque partem: tu alterum, Ego item alterum. *Cic. Fam.* 6, 4. Alteros propemodum jam sumus experti, de altero nemo est, quin cogitet. *Id. Somn. Scip.* 2. Uterque numerus plenus, alter altera de causa habetur. *Id. N. D.* 2, 49. Milvo est quoddam bellum quasi naturale cum corvo: ergo alter alterius ova frangit. *Plin. ep.* 6, 5. Mihi peracerbum fuit, quod sunt alter alteri, quid pararent, indicati. *Liv.* 5, 11. Qui noxii ambo, alter in alterum causam conferant. *Sall. Jug.* 81. Carthaginienses et Cyrenenses alteri alteros aliquantum attriverant. [*Saepe hoc modo pluralis sequitur, quod illustrarunt *Burm.* ad *Vell.* 1, 16. ad *Prop.* 1, 5, 30. *Oud.* ad *Caes. B. G.* 3, 30.] ℙ Cum *alter* bis ponitur, et ad duo praecedentia refertur, prius priori fere respondet, posterius posteriori. *Cic. Off.* 1, 26. Philippum Macedonum regem rebus gestis et gloria superatum a filio, facilitate et humanitate video superiorem fuisse. Itaque alter (*Philippus*) semper magnus; alter (*filius*)

saepe turpissimus fuit. [*Cf. *Brem.* ad *Suet. Claud.* 20.] Aliquando tamen res contra se habet. *Cic. Quint.* 1. Quae res in civitate duae plurimum possunt, eae contra nos ambae faciunt, summa gratia et eloquentia: quarum alteram (*eloquentiam*) vereor, alteram (*gratiam*) metuo. Adde *Off.* 3, 18. et 1, 12. et alibi. [*Cf. *Burm.* ad *Quint.* 9, 2, 6. coll. *Spald. ib.*] ℙ In enumerationibus *alter* ponitur pro secundo, seu pro eo qui secundo loco est. *Hor. Od.* 4, 5, 31. Alteris te mensis adhibet Deum. *Cic. Sen.* 9. Ne nunc quidem vires desidero adolescentis (is enim erat locus alter de vitiis senectutis) non plus quam etc. Et *ib.* Quadriennio post alterum consulatum. *Id. Verr.* 2, 1, 7. Ut primo die populus Romanus judicaret; alter dies amicis istius spem defensionis afferret; tertius dies sic hominem prosterneret, ut etc., deinde reliquis diebus etc. *Id. Phil.* 1, 13. Proximo, altero, tertio, reliquis consecutis diebus non intermittebas etc. Et *Verr.* 2, 2, 76. Alterum, tertium, quartum, permulta erant ejusmodi nomina. [*Cf. *Tursell.* p. 93. *ed. Schwarz.*] ℙ Et post adjectiva numeralia, ubi itidem est i. q. secundus. *Id. Fam.* 12, 25. Accepi tuas litteras, quas mihi Cornificius altero vicesimo die reddidit, *h. e.* vicesimo secundo. *Virg. Ecl.* 8, 39. Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus, *h. e.* decimus tertius. *Liv.* 3, 33. Anno trecentesimo altero, quam condita Roma erat, *h. e.* trecentesimo secundo. *Manil.* 4, 466. Vicesima et altera laedit, *h. e.* vicesima secunda. Ita quidem his locis exponunt *Manut.* ad *Cic. l. l.*, *Serv.* et *Jos. Scal.* ad *Manil.* tum *l. l.*, tum 1, 549., eosque secuti alii permulti: et quod ad *Livium* attinet, favet *Dionys. Halic. l.* 10. Alii non minoris eruditionis viri miras his lites excitarunt, contendentes acriter, in hujusmodi locis *alter* non pro *secundus* poni, sed pro *alius*, ut *alter ab undecimo* sit duodecimus, *vicesimus alter* sit vicesimus primus: [*minime!] aut si malis adhuc *alterum* pro *secundum* poni, ita intelligendum esse, ut *undecimus* et *vicesimus* unum aliquid cum superioribus componat; *alter* vero huic adjectus sit post illum primus, adeoque de numeris veluti duobus dicatur, ut notat *Ruaeus* ad *Virg. l. c.* ex *Sigon. l.* 1. *emendat. c.* 16., ubi contra *Robortellum* hac de re disputat ad locum *Livii* citatum. Sane cum dicitur *alterum* poni pro *secundum*, non videtur ita accipi posse, quasi *duo* significet, sed *unum* post primum. [*Omnino!] Ita *Auct. dial. de Or.* 34. *extr.* Uno et vicesimo aetatis anno Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio C. Catonem iis orationibus insecuti sunt, quas etc. *Casaub.* et alii ex historia legendum putant *tertio et vicesimo aetatis anno Caesar Dolabellam* etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 926, 8. Memoriae Sex. Vigelli Aquinat., qui ann. attigit centens. set alterum et nonagens. perpet. inoffensa valetud. exegit, reliquos septem et d. XIIX. decubuit, et occubuit. *Donatus* etiam in illo *Ter. Andr.* 1, 1, 49. Sed postquam amans accessit pretium pollicens, Unus et item alter, *alter* ait duos significare, nam tres erant amatores, ut *ib.* 60. dicitur. Sed non videtur apta haec explicatio. Non enim *Terentius* vult illis verbis tres omnes amatores complecti, sed ostendere, eos accessisse primo quidem unum, deinde alterum usque ad tres. [*V. *Ruhnken.* ad h. l. Namque *unus et alter* saepe quidem definito numero est i. q. *duo*, ut Gr. εἷς καὶ ἕτερος e. g. *Cic. Cluent.* 26. unus et alter dies intercesserat, quum etc. [*Suet. Tib.* 63. unum et alterum Consulares — usque eo detinuit, ubi v. *B. Crus.*; ac de rebus: *Ov. Her.* 15, 182. et sub ea versus unus et alter erunt; praecipue vero de rebus, quae diversis temporibus acciderunt: *Suet. Cal.* 56. una alteraque conspiratione detecta. *Vesp.* 4. uno atque altero proelio; plura v. in cl. *Suet.* p. 133. et *Schwarz.* ad *Plin.* 45, 1. coll. 52, 2. et, quem laudat Noster, *Castalion. Obss.* dec. 3. c. 1. Sed multo saepius *unus et alter* indefininite dicitur pro *plures*, v. *Ruhnk.* l. l. qui provocat ad *Burm.* ad *Petron.* 108. et *Ov. Amor.* 2, 5, 22.] ℙ *Altero quoque die* est secundo quoque die. *Cels.* 4, 12. *ad fin.* Altero quoque die vinum, vel aquam bibere. Adde 3, 13. Sic *Colum.* 5, 8. Olea non continuis annis, sed fere altero quoque fructum affert, i. e. alternis. *Altera die quam* est secunda die post. *Liv.* 31. 14. Altera die, quam a Brundusio solvit, in Macedoniam trajecit. [*Suet. Vit.* 3. altero die quam correptus est.] ℙ *Alter idem*, *alter ego* dicuntur de eo, qui valde nobis conjunctus est vinculo amicitiae. *Cic. Amic.* 21. Amicus est tanquam alter idem. *Id. Fam.* 7, 5. Vide quam mihi persuaserim, te me esse alterum. Et *Auson. praefat.* 2, 15. Communemque habitas alter ego Ausonium. Quare etiam de iis, qui in re aliqua sunt valde similes. *Cic. Verr.* 2, 5, 33. *in f.* Cleomenes qui alterum se Verrem cum luxuria atque nequitia, tum imperio putabat. *Id. Fam.* 5, 8. Me, sicut alterum parentem, et observat et diligit. Sic altera patria, altera Roma, ap. *Flor.* 2, 6. et 3, 5. Huc et illa spectant *Virg. Ecl.* 5, 49. Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo, *h. e.* illi similis, sed post illum. *Nep. Pelop.* 4. Haec fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda, ita ut proxima esset Epaminondae, *h. e.* fuit par virtute Epaminondae, sed tamen secundum ab eo locum tenuit. [*Cf. *Brem.*] *Eumen. Pan.* ad *Const. Aug.* 14. Fronto Romanae eloquentiae non secundum, sed alterum decus. Ad dissimilitudinem refer ap. *Hor. Od.* 4, 10, 6. Quoties te in speculo videris alterum. ℙ *Alterum tantum* est aliud tantundem, τοσοῦτον ἕτερον. *Liv.* 10, 46. Militibus ex praeda centenos binos asses, et alterum tantum centurionibus atque equitibus divisit. *Id.* 1, 37, Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quicquam mutavit, numero tantum alterum adjecit. Alii leg. *Alterum tantum:* alii *Alterum tamen. Cic. Or.* 56. Pars pedis altero tanto, aut sesqui major. *Nep. Eum.* 8. Via altero tanto longior. *Jul. Dig.* 28, 2, 13. Filius altero tanto amplius habebit, quam uxor. *Auct. B. Hisp.* 30. Erat acies tredecim aquilis constituta, cum levi armatura millibus sex; praeterea auxiliares accedebant prope alterum tantum. *Callistr. Dig.* 49, 14, 3. *in fin.* Totum cum altero tanto solvere. ℙ Interdum etiam pro *alteruter*. *Cic. Acad.* 4, 43. Non potest igitur uterque esse sapiens, quoniam tantopere dissentiunt, sed alter. *Id. Att.* 11, 18. Quorum fortasse utrumque erit: alterum certe. *Liv.* 40, 20. Hos tanquam medicos, nec in alterius favorem inclinatos miserat rex. [*Ov. *A. Am.* 3, 520. ut mea de vobis altera amica foret. *Quint.* 7, 1. Plura collegit *Frotscher.* ad *Quint.* 10, 1, 26. — *Cic. Rep.* 3, 3, 6. in altera (cod. Vat. *aliter*) sit utra — prudentiae diligenda. Male h. l. intpp. *alterutra* scripserunt. V. *Moser.* p. 343. *Beier.*] ℙ Item pro *alius*. *Phaedr.* 1, 19. Canis parturiens cum rogasset alteram, Ut fetum in ejus tugurio deponeret. *Cic. Off.* 1, 2. Nulla vitae pars, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest. *Pl. Bacch.* 2, 3, 22. Scelestiorem nullum illuxere alterum. *Id. Asin.* 3, 4, 85. Neque me Athenis est alter hodie quisquam, cui etc. *Hor. Ep.* 2, 3, 174. Permutet dominos, et cedat in altera jura. *Sen. ep.* 66. Alter adolescens decessit, alter senex, aliquis praeter hos infans: alius inter coenandum solutus est, alterius continuata mors somno est etc. *Id. Quaest. nat.* 4, 7. Rationem hujus rei quidam quaerunt. Alteri negant posse fieri, ut etc., alteri suspicari ipsos ajunt etc. [*Suet. Caes.* 61. *Tib.* 58. *Ner.* 45. *Liv.* 10, 2. altero itinere. Sed volunt h. l. corrigi. V. *Drak.* Sed, ut optime ait *B. Crus.*, in omnibus ejusmodi locis proprie de duobus tantum sermo est, quorum priori comparatur vel opponitur alter. Ita etiam *Tac. H.* 2, 96. tanquam apud alterius civitatis Senatum populumque. Cf. *Graev.* ad *Cic. Quint.* 5. *Broukh.* ad *Tib.* 4, 1, 18. quos laudat *Hdf.* ad *Hor. Sat.* 1, 1, 40.] Sic contra *alius* saepe ponitur pro *alter*, v. nos supra sub ALIUS. ℙ *Alterae* pro *alteri* fem. gen. in dativo sing. *Ter. Heaut.* 2, 3, 30. Hoc ipsa in itinere alterae Dum narrat. *Plaut. Rud.* 3, 4, 45. Huic alterae patria quae sit, nescio. Adde *Nep. Eum.* 1., ubi tamen alii aliter leg. ℙ Genitivus *alterius* paenultimam habet brevem. Reperitur tamen aliquando producta. *Terentian.* p. 2432. Adesto Iambe praepes, et tui tenax Vigoris: adde concitum celer pedem, Nec alterius indigens opis veni. Aliud exemplum ex eodem affert *Prisc.* 6. p. 695. ℙ [*Confunduntur *alter* et *ater*; v. ad *Virg. A.* 3, 33.]

ALTER, ĕris. V. HALTER.

ALTĔRAS poncbant pro eo, quod est adverbium alias. *Paul.* ex *Festo.*

ALTĔRĀTĬO, onis, f. Vox barbara est et philosophis relinquenda. Nam quod affertur ex *Quint.* 10, 1, 19. his verbis: Lectio non cruda, sed multa *alteratione* mollita: legendum profecto est, *iteratione.* Cf. *Burm.*

ALTERCĀBĬLIS, le, adj. altercatione plenus. *Arnob.* 5. p. 156. Altercabilem sermonem conserere.

*ALTERCANGENON. V. ALTERCUM.

ALTERCĀTĬO, onis, f. διαδικασία, [*Gloss. Philox. ἀμοιβαῖος λόγος*] contentio, disceptatio cum jurgio, qualis est, cum duo invicem disputant oratione intercisa, et intermixtis jurgiis. Hinc *altercatio* perpetuae orationi opponitur apud *Liv.* 4, 6. Res a perpetuis orationibus in altercationem vertisset. [*Tac. H.* 4, 7. per altercationem ad continuas et infestas orationes provecti sunt.] *Cic. Att.* 1, 16. *a med.* Redeo ad altercationem: surgit pulchellus puer: objicit mihi etc. *Id. Fam.* 1, 2. Idibus Jan. in senatu nihil est confectum, propterea quod dies magna ex parte consumptus est altercatione Lentuli et Caninii. *Id. Att.* 4, 13. Facere altercationes. *Id. N. D.* 1, 6. *in f.* Oriri altercationem cum aliquo de aliqua re. h. l. est philosophica disputatio. *Liv.* 35, 17. E disceptatione altercationem facere. [*Suet. Tib.* 2. in altercatione et jurgio.] *Pl. Aul.* 3, 5, 11. In maximam illuc populi partem est optimum: in pauciores avidos altercatio est, *h. e.* disputabile et controversum est. ℙ Speciatim dicitur de parte actionis forensis, in qua actor et defensor non perpetua ratione utuntur, sed interrogationibus utrinque, et responsionibus adhibitis etiam aliquando conviciis se petunt: de quo agendi genere *Quint.* 6, 4. praecepta tradit. *Cic. Brut.* 44. Illa ipsa censoria contra Domitium collegam non est oratio, sed quasi capita rerum, et orationis commentarium paulo plenius: nulla est enim altercatio clamoribus unquam habita majoribus. *Quint.* 2, 4. 28. Propositis ex parte diversa respondere, altercationibus velociter occurrere.

ALTERCĀTOR, oris, m. qui altercatur, ἐριζων: proprie est *alternis loqui* etiam sine jurgio. *Quint.* 6, 4. Bonus altercator vitio iracundiae careat. *Id. ib.* Turbidus et clamosus altercator. V. ALTERCATIO. *Front.* ad *Verum Imp.* 1. Scilicet hoc te a centurionibus, vel primipilaribus elegantissimis altercatoribus didicisse?

ALTERCOR, aris, atus sum, dep. 1. et Alterco, as, avi, atum, n. 1. διαδικάζομαι, disputare acriter, jurgium cum aliquo habere, pertinaciter aliquid contra alium defendere. *Caes. B. C.* 3, 19. Labienus altercari cum Vatinio incipit. *Ter. Andr.* 4, 1, 29. Cum patre altercasti dudum. *Liv.* 3, 68. Mulierum ritu inter nos altercantes. *P. Syr.* ap. *Gell.* 17, 14. Nimium altercando veritas amittitur. *Pacuv.* ap. *Non.* 7, 12. Cur illa hic mecum altercata est? ℙ Significat etiam alternatim loqui, et jungitur accusativo. *Appul. Met.* 2. p. 115, 40. Dum hunc et hujusmodi sermonem altercamur. ℙ Speciatim est agere in foro non perpetua oratione, sed interrogationibus et responsionibus cum adversario contendere. *Cic. Brut.* 43. Crassus in altercando invenit parem neminem. [*Laudat *Ern. cl. Cic. Budaeum* ad *Pandect.* p. m. 48.] V. ALTERCATIO. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 7, 52. Altercante libidinibus tremis ossa pavore. [*Monet *Hdf.* esse h. l. simpliciter i. q. *adversari*, *pugnare.* Exempla plura non exstant.] ℙ Passive impersonaliter. *Just. Inst.* 4, 13. §. 10. Ne dum de his altercatur, ipsius negotii disceptatio protelctur, *h. e.* disputatur, contenditur.

ALTERCŬLUM et

ALTERCUM, i, n. genus herbae, quae et hyoscyamus appellatur. Ab *Appul. Herb.* 4. vocatur *altercŭlum. Scrib. Comp.* 181. scribit, dictam esse altercum ex eo, quod qui eam biberint, caput grave venisque distentum habent, et mente abalienantur cum quadam verborum altercatione. Adde *Plin.* 25, 4, 17., [*qui altercum etiam *altercangenon* appellat; quanquam *Hard.* h. v. omisit.]

ALTERNĀMENTUM, ti, n. id. q. alternatio. *Claud. Mamertin. de statu anim.* 3, 8. Sine alternamento reciproci aeris.

ALTERNĀTIM, adv. ἀμοιβαίως, alternis, per vices. *Claudius Quadrigar.* apud *Non.* 2, 64. Item gaudium, atque aegritudinem alternatim sequi. *Ammian.* 29, 2. *in fin.* Admovere marmori manus utriusque digitos alternatim, et pectori. [*Cf. *Nolten.* p. 414.]

ALTERNĀTĬO, onis, f. per vices successio, ut Festus exponit. *Macr. Sat.* 7, 5. Communes locos in utramvis partem inventorum alternatione tractare, *h. e.* alternis aliquid inveniendo. *Appul. Trismeg.* [*s. *in Asclep.* p. 92, 18.] Alternatio partium. *Id. Met.* 10. p. 243, 12. Pedes incertis alternationibus commovere, *h. e.* modo una, modo alia ratione. ℙ Apud JCtos alternatio sumitur interdum pro disjunctione, seu pro enunciatione disjunctiva, ut verbi gratia cum ita loquimur, ut nihil certi definiamus. *Ulp. Dig.* 47, 10, 7. Certum eum dicere, Labeo ait, qui dicat nomen injuriae, neque sub alternatione, puta illud, aut illud, sed illam injuriam se passum. *Id. Dig.* 13, 4, 2. Mixta rerum alternatio locorum alternationi ex necessitate facit actoris electionem, *h. e.* locorum, vel rerum disjunctiva assignatio, ita ut neque certa res, neque certus locus aliquis assignetur: ut v. g. si quis dare aliquid promisit Ephesi, aut Capuae, vel qui promisit Stichum, aut Pamphilum. *Id. Dig.* 11, 3, 9. Qui cum extraneo agit, sive receperit, sive corruperit, agere potest: qui cum socio, sine alternatione, id est si corruperit.

ALTERNĀTUS, a, um, part. alterno ordine dispositus. *Plin.* 29, 4, 20. Nervis cervi alternatis, et dorcadis, *h. e.* ita illigatis, ut post cervinum nervum sequatur nervus dorcadis, post hunc rursus cervinus, et sic deinceps. *Sil.* 11, 60. Atque alternatos sociato consule fasces. *Id.* 9, 354. inter varias Fortuna utrinque virorum Alternata vices. *Id.* 1, 554. dubio vestigia nisu Alternata trahens [*de claudo loquitur. V. *Drak.*] Et *Senec. ep.* 44. Ex splendidis sordidisque alternata series. Adde *Colum.* 2, 2. ℙ Apud JCtos. *Ulp. Dig.* 28, 7, 8. Si sub jurisjurandi conditione sit institutus, aut si decem dederit, hoc est alternata conditione, ut aut pareat conditioni, aut juret. V. ALTERNATIO.

ALTERNĔ, adv. alternatim, alternis. *Plin.* 11, 37, 51. Supercilia homini et pariter, et alterne mobilia, *h. e.* ut vel ambo pariter moveantur, vel modo unum, modo alterum. *Senec. Quaest. nat.* 7, 12. *a med.* Alterne arcus solis visitur.

ALTERNIS. V. ALTERNUS.

[ALTERNĪTĀS, ātis, f. id. q. alternatio. *Priscian.* 2. p. 595. Quaedam (nomina) *r* ante *nus* ha-

bentia, ut noctu nocturnus, diu diurnus, heri, alternitatis causa, hesternus, *h. e.* alternando *s* pro *r*. *F.*]

ALTERNO, as, avi, atum, a. 1. ἀμοίβω, vicissim alterum duorum ponere, intermissa, non continuata serie ponere. *Plin.* 15, 3, 3. Oliva alternare fructus cogitur, decussis germinibus, neque enim olea continuo biennio uberat, ut *Colum.* 5, 9. loquitur. *Plin.* 10, 33, 49. Hirundines in fetu summa aequitate alternant cibum, *h. e.* ita distribuunt pullis, ut nemo illorum bis, ante quam alius vescatur, accipiat. Ita enim scribit *Aristot. H. An.* 9, 7., a quo haec *Plin.* hausit. *Id.* 7, 13. Aliae feminas tantum generant, aut mares; plerumque et alternant, *h. e.* primo marem pariunt, deinde feminam, postea rursus marem, et sic deinceps: vel post binos mares binas pariunt feminas, etc. *Colum.* 5, 6. *sub init.* Dabimus operam, ut in ordinibus disponendis pari numero vernaculas (*ulmos*) et atinias alternemus. *Suet. Ner.* 1. Modo continuare praenomen per ternas personas, modo alternare per singulas, h. e. alternatim uti. *Ov. Her.* 6, 38. alternant spesque timorque fidem, *h. e.* modo fiduciam spes affert, modo timor adimit. *Id. Met.* 15, 409. Alternare vices [**Ammian.* 14, 11. accidentium vices alternans (Nemesis).] *Sil.* 9, 92. dum sorte vicissim Alternat portae excubias. ℙ Passive. *Plin.* 18, 23, 52. Terra nimis pinguis alternari potest ita, si, *etc.* gracilior et in annum tertium cesset, *h. e.* ejus satio annum intermitti potest: quod *Virg. G.* 1, 71. dixit: *alternis cessare novales.* ℙ Neutrorum more sine casu, qui tamen facile intelligitur. *Plin.* 37, 10, 60. Hieracitis alternat milvinis, nigrisque veluti plumis, *h. e.* variat colorem. *Id.* 31, 3, 23. Aquae haustu frigidissimae, non perinde tactu sunt, alternante hoc bono. *Id.* 16, 6, 8. Arborum fertilitas omnium fere alternat. [**Id.* 10, 29, 43. canere coepisse et cum symphonia alternasse.] *Virg. A.* 4, 287. Haec alternanti potior sententia visa est, *h. e.* modo hoc, modo illud animo volventi. [**Id. G.* 3, 220. Illi alternantes magna vi proelia miscent.]

ALTERNUS, a, um, adj. ἀμοιβαῖος, qui vicissitudinem habet, et non continuato, sed intermisso ordine fit. *Cic. Orat.* 3, 50. Pedes aut choreos, aut heroos, aut alternos esse oportebit, etc. Horum vicissitudines efficient, ut neque ii satientur, etc. [**Cic. Cluent.* 51. quum ex duabus orationibus capita alterna recitanda jussisset, i. e. nunc ex altera oratione caput, nunc ex altera.] *Liv.* 8, 30. *in fin.* Alternis paene verbis T. Manlii factum laudans. *Cels.* 3, 2. Bibenda aqua, postero die etiam vinum, deinde invicem alternis diebus modo aqua, modo vinum. *Id.* 3, 21. Alterno quoque die post cibum vomitus. Alii rectius leg. *altero. Plin.* 14, 2, 4. §. 4. Alternis annis. *Cic. Arch.* 10. Epigramma alternis versibus longiusculis. [*i. e. elegiacis, ut ap. *Ov. Her.* 15, 5. Forsitan et, quare mea sint alterna, requiras, i. e. cur elegi sint, ut ipsa explicat. V. intpp. ad h. l. et *Gron.* ad *Stat. c.* 8.] *Plin.* 2, 82, 84. Alterno pulsu. *ib.* Alterno motu, *h. e.* cum motus alter alteri renititur. *Id.* 10, 23, 30. Grues alternis pedibus insistentes. *Hor. Od.* 1, 4, 7. Alterno pede terram quatere. *Ov. Pont.* 4, 2, 6. Per alternas vices. [**Virg. A.* 11, 226. alterna Fortuna.] Et *Colum.* 3, 2. Alterna vice annorum. *Claud.* III. *Cons. Hon.* 58. Alterna Thetys, *h. e.* mare fluens, et refluens. [*V. de hac signif. *Drak.* ad *Sil.* 15, 229.] *Ov. Her.* 4, 89. Quod caret alterna requie, durabile non est, *h. e.* requie interposita labori. *Hor. A. P.* 81. Alterni sermones, i. e. dialogi. *Virg. A.* 12, 233. Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus, *h. e.* si ita congrediamur, ut tantummodo secundus quisque ineat pugnam: uno verbo, si dimidium nostri exercitus solummodo congrediatur. [**Id.* 6, 121. (Castorem) Pollux alterna morte redemit.] Sic *Pers.* 5, 155. Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus, oportet, Ancipiti obsequio dominos alternus oberres, *h. e.* ambobus vicissim servias, uni post alium. *Catull.* 109. (al. 108.) 6. Alternum foedus amicitiae, *h. e.* mutuum. Alii rectius leg. *aeternum.* Cum genitivo. *Sil.* 9, 295, Alternusque animae mutando Castore Pollux. ℙ In omnibus causis, in quibus rejectio judicum permittebatur, servabatur alterna rejectio, ut scilicet alterna vice reus rejiceret, quos volebat, deinde actor. *Cic. Verr.* 2, 2, 13. Senatus ex aliqua civitate, qui judicet, datur, cum alternae civitates rejectae sunt. *Id. Planc.* 15. Facere rejectionem judicum alternorum. *Id. Vatin.* 11. Legem ferre de alternis consiliis rejiciendis, *h. e.* integris decuriis judicum. [*Cf. *Ern. ind. LL.* Lex Vatinia.] ℙ *Alternis*, et interdum *alterna* adverbii more pro *alternis vicibus*, *alterna vice*, ἀμοιβαίως. *Virg. Ecl.* 3, 59. Alternis dicetis: amant alterna Camenae. *Liv.* 2, 2. *a med.* Agere varie, rogando alternis, suadendoque coepit. *Sen. ep.* 120. *ad fin.* Qualitatis verae tenor permanet: quidam alternis Vatinii, alternis Catones sunt, *h. e.* sunt moribus inconstantes. *Plin. ep.* 5, 6. Alternis metulae surgunt, alternis inserta sunt poma, *h. e.* alternis ordinibus. *Appul. Met.* 10. p. 247, 10. Ciliis alterna connivens, [*Cf. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 7, 23.] ℙ *Alterni* pro ambo, vel utrique rarum est, et poeticum. *Stat. Silv.* 1, 3, 25. nec te mitissimus amnis Dividit: alternas servant praetoria ripas. *Claud. Cons. Mall. Theod. prol.* 16. Contulit alternas Pythius axis aves. Adde *Auson. Mosell.* 286. ℙ [*Confunduntur *alt.* et *aeternus*; v. *Drak.* ad *Sil.* 15, 229. et *Burm.* ad *Prop.* 1, 16, 48.]

ALTĔRO, as, a. 1. Verbum minus Latinum. Affertur ex *Ov. Fast.* 1, 373. Ille suam faciem transformat, et alterat arte. Sed *Heins.* cum melioribus libris legit: *sua faciem transformis adulterat arte.* In *Gloss.* tamen *Philox.* est, *Altero*, ἑτερόω.

ALTERORSUS. V. ALTRORSUS.

ALTERPLEX, ĭcis, adj., id. q. duplex, [*Gr. eod. sensu στρεψίμαλλος dicitur. V. *Casaub.* ad *Pl. Cist.* 4, 2, 64.] ut *Paul.* ex *Festo* exponit. *Laelius poeta* apud *Appul. Apolog.* Taeniae alterplices bicoloreae. Alii aliter leg. ℙ Sunt qui *duplex* ap. *Fest.* exponunt dolosum, versutum.

ALTERTRA est alterutra. *Festus.*

ALTĔRŪTER, genitiv. alterutrius, et alterius utrius, dat. alterutri, etc. ἑκάτερος, alter ex duobus. *Cic. Verr.* 1, 1, 18. Utrum te perfidiosum, an praevaricatorem existimari mavis? video necesse esse alterutrum. *Pompej.* ad *Marcell.* et *Lentul. post. ep. Cic. Att.* 12, 1. Dellio mandaram, ut alteruter vestrum ad me veniret. *Cic. Marc.* 7. Si in alterutro peccandum sit, malo videri nimis timidus, quam parum prudens. *Nep. Dion.* 4. Ne cum inter se timerent, alteruter alterum praeoccuparet. *Cic. Fam.* 6, 3. Cum sit necesse alterutrum vincere. Alii leg. *alterumutrum. Hor. Ep.* 1, 18, 54. Alterutrum velox victoria fronde coronet. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. *ad fin.* Alterutram ad conditionem descendere. Alii leg. *alteramutram. Cic. Att.* 10, 1. Solon capite sanxit, si quis in seditione non alterutrius partis fuisset. Alii leg. *alterius utrius. Id. Fam.* 9, 6. Quam illud ingens malum alterutrius exercitus. Hic quoque al. *alterius utrius. Prisc.* 6. p. 692. docet, plerumque dici *alterutra alterutrius*, etc., reperiri tamen etiam usurpata *alterautra*, *alterumutrum*, et *alterius utrius:* et hujus posterioris exempla alia, praeter ea, quae modo attulimus, affert ex eodem *Cic. in fragm.* et *ex Catone.* Addit *Charis.* 2. p. 132. dictum fuisse etiam a Veteribus *alterutrae* in genit. et dat. femin. pro *alterutrius*, et *alterutri.* Hinc *Gell.* 2, 12. Alterutrae parti sese adjungere. Alii aliter leg. ℙ *Alteruter* pro *uterque. Colum. praef.* 12. Cum victus, et cultus humanus, non uti feris in propatulo, sed domi, et sub tecto accurandus erat, necessarium fuit alterutrum, foris et sub dio esse, qui labore et industria compararet, intus qui tectis reconderet atque custodiret. ℙ Ab *Appul. dogm. Plat.* 3. propositiones *alterutrae* appellantur, quae sunt inter se tum qualitate, tum quantitate contrariae, et in scholis *contradictoriae* dici solent, quia necesse est earum alterutram veram esse, ut *Omnis voluptas est bonum*, et *Quaedam voluptas non est bonum.*

ALTĔRŪTERQUĔ, alterutraque, alterutrumque, genit. alterutriusque, etc., idem quod uterque. *Plin.* 20, 7, 26. Nec ulla res in cibis aviditatem incitat, inhibetque eadem: in causa alterutraque modus est.

ALTHAEĂ, ae, f. ἀλθαία, alterum ex malvarum generibus, silvestre scilicet, cui grande folium, et radices candidae: ita dicta ab excellentia effectus, ut *Plin.* loquitur 20, 21, 84. nempe ab ἀλθαίνειν, curare, mederi. Multos enim habet in medicina usus. A Latinis appellatur ibiscum, vel hibiscum, teste *Appul. Herb.* 38. et *Pallad.* 11, 14., tametsi alii aliam ab hoc esse putant. ℙ Est etiam nomen proprium mulieris filiae Thestii, quae fuit uxor Oenei regis Aetoliae, et mater Meleagri, quem ex concubitu duplici, mariti et Martis concepit. *Hygin. fab.* 171., *Ov. Met.* 8, 446. V. MELEAGER. ℙ Item oppidum Hispaniae Tarrac., caput Olcadum. Ita legi volunt ap. *Liv.* 21, 5. pro *Carteja.*

ALTĬCINCTUS, a, um, adj. ὑψίζωνος, alte cinctas vestes habens, et dicitur de homine negotioso. Tales enim alte cingunt vestimenta, ut in opere expeditiores sint. *Phaedr.* 2, 5. Ex alticinctis unus atriensibus. ℙ Dicitur et *alte cinctus. Senec. ep.* 92. *in fin.* Diserte Maecenas ait: Nec tumulum curo; sepelit natura relictos: Alte cinctum putes dixisse: habuit enim ingenium et grande et virile, nisi illud secum discinxisset, *h. e.* industrium, navum, fortem. [*Not. Tir.* p. 127. Altecinctus. *F.*]

ALTĬCŌMUS, a, um, adj. altas habens comas. De arboribus. *Tertull. carm. De judicio Domini c.* 8. Nec sic alticoma est umbra crispata cupressus.

[ALTĬCUS, i, m. ἁλτικός, saltator. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 601. *n.* 9. L. Novius Alticus. *F.*]

ALTĬGRADUS. V. ALTEGRADIUS.

ALTĬJŪGUS, a, um, (ut *multijugus*) adj. altum jugum habens, ut altijugi montes. *Paulin. Nolan. Nat. XIII. S. Fel. edit. Murat.* 660. Altijugos montes interjacet.

ALTĬLĂNEUS, a, um, adj. altam, seu longam habens lanam. *Servius* ad illud *A.* 12, 170. *intonsamque bidentem*, notat, eam quae hic *intonsa* dicitur, a pontificibus appellari *altilaneam.* Adde *Inscr.* ap. *Marin. Frat. n.* 32., ubi verveces et arietes altilanei memorantur in sacrificiis mactati. *Passeri Paralip.* ad *Demspter. Etrur.* p. 264. *Anxirtates* ait fuisse eos vocatos, quod ἄνευ ξυροῦ, *h. e.* novaculae expertes essent. Fortasse sunt, de quibus *Varr. R. R.* 2, 2. Qui lana multa sint et molli, villis altis, et densis toto corpore.

ALTĬLIĀRIUS, i, m. qui altiles aves nutrit et saginat; qui et *fartor* dicitur. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 4. Priscus L. Varii Ambiboli aviarius altiliarius. Alia apud *Murat.* 906, 9. C. Julius Aug. Lib. altiliarius. [*Gloss. Philox.* Altiliarius, ὀρνιθοτρόφος. *B. A.*]

ALTĬLIS, le, adj. σιτιστός, animal quod ali et saginari potest ad cibum humanum: et dicitur de iis, quae in villis, et cohortibus, seu vivariis inclusa tenentur, ut sunt gallinae, anseres, anates, item pisces, et quaedam etiam quadrupedia, ut lepores, etc. *Varr. R. R.* 2, 1. Boves altiles ad sacrificia saginati, dicuntur opimi. *Plin.* 9, 56, 56. Altiles cochleae. Absolute altilis cum dicitur, plerumque de avibus altilibus intelligitur. *Juvenal.* 5, 166. ecce dabit jam Semesum leporem, atque aliquid de clunibus apri: Ad nos jam veniet minor altilis. (Adde *ib.* 114.) *Hor. Ep.* 1, 7, 35. Satur altilium. ℙ Saepe sumitur pro saginato, pingui, *Auct. Priap.* 32. Collatas sibi quae suisque membris Formicas facit altiles videri. *Plin.* 10, 50, 56. Ne quid volucre poneretur praeter unam gallinam, quae non esset altilis. *Id.* 17, 24, 36. *n.* 3. Atque etiam farina saginati cossi, hi quoque altiles fiunt. [**Gloss. ms. Vossian.*: altitia studio saginata vel volatilia; altilis pasta alendo. Cf. ad haec vv. *Burm.* ad *Anthol. lat.* II. p. 506. qui scribi vult *ab* alendo. Haec *Jahn.*] ℙ Et per similitudinem non solum de animalibus, sed de herbis etiam dicitur. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 474, 1. Q. Popillio Q. L. Macro herbarum altilium, et lignorum negotiatori. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 2. Ecce altiles spectantur asparagi, *h. e.* arte veluti saginati, ponderosi, crassi. *Tertull.* etiam *de Spectac.* 18. altiles homines dixit athletas ali solitos summa cura, ut essent viribus ad certandum valentissimi. ℙ Translate pro opulento. *Pl. fragm. Cist.* ap. *Non.* 2, 30. Divitiis maximis, dote altili atque opima. [**Nonius. Marc.* p. 72. *ed. Merc.* Altilis non solum pingue, ab alendo, sed etiam opulentum. *Idem.*] ℙ Active pro alente, nutriente. *Macr. Sat.* 7, 4. Acceptum sanguinem quodammodo defaecant, et quod in eo aquosum est, venae in vesicam refundunt, liquidum vero et altilem sanguinem singulis totius corporis membris ministrant.

ALTĬLŌQUĬUM, ii, n. sermo sublimis. *Messal. Corvin. de Progen. Aug.* 11. Hoc loco, Imperator maxime, cum te persaepe altiloquio tuo disserentem dubitare animadvertissem, etc.

ALTĬNĀS, ātis, adj. comm. gen. ad Altinum pertinens. *Colum.* 7, 2. Oves Gallicae pretiosiores, earumque praecipue Altinates. *Grat. Cyneg.* 130. Taxique pinusque Altinatesque genistae. ℙ *Altinates, tium*, sunt Altini incolae. *Plin. ep.* 3, 2. Arrianus Maturius Altinatium princeps est.

ALTĪNUM, ni, n. nunc *Altino*, Ἄλτινον, oppidum in litore Adriatici maris, ad ostium Silis fluvii, in cujus agro oves laudatissimae fuerunt. *Martial.* 14, 155. Velleribus primis Apulia, Parma secundis Nobilis, Altinum tertia laudat ovis. *Plin.* 3, 16, 20. et *ib.* 18, 22. ℙ [Est etiam urbs Pannoniae. *Anton. Itin.* p. 244. *ed. Wessel. F.*]

ALTĪNUS, a, um, adj. ad Altinum pertinens. *Colum.* 6, 24. Melius in hos usus Altinae vaccae probantur, quas ejus regionis incolae cevas appellant: eae sunt humilis staturae, lactis abundantes, propter quod remotis earum fetibus, generosum pecus alienis educatur uberibus. *Harduin.* malebat legere *Alpinae* ex loc. seq. *Plin.* 8, 45, 70. Plurimum lactis Alpinis vaccis, quibus minimum corporis, plurimum laboris capite, non cervice junctis. *Tert. Pall.* 3. Altinae oves.

[ALTĬPENDŪLUS, a, um, adj. qui ex alto pendet. *M. Aurel. Anton.* inter epist. *Fronton.* ad *M. Caes.* 4, 6. Aliquot reliquimus altipendulos vindemiae superstites. *F.*]

ALTĬPĔTA, ae, comm. gen. alta petens. *Paul. Nolan. ep.* 12. *a med.* Levitas omnis altipeta est.

[ALTĬPĔTAX, ācis, comm. gen. id. q. altipeta. *Strabo Gallus* 6, 1. Haud secus altipetax semente cucurbita vili, *h. e.* quae claviculis suis in altum serpit. *F.*]

ALTĬPŌTENS, entis, adj. qui in alto, hoc est in coelo potest. *Capell.* 2. p. 32. *de Mercurio.* Qui solus ante currum, Et candidos jugales Altipotens parentis Memorem ciere virgam. Alii leg. *almipotens*: quod etiam *potentem* significat, seu *alere*, et *fovere potentem.*

ALTĬSŌNUS, a, um, adj. ὑψήχης, qui in alto, vel ex alto sonat. *Cic. in carm. de Mario Divin.* 1, 47. Hic Jovis altisoni subito pinnata satelles. *Vetus poeta* apud *Eund. Tusc.* 3, 19. O pater, o patria, o Priami domus, Septum altisono cardine

templum. *Claud. epist. ad Serenam* 27. Altisonus maritus, *h. e.* Juppiter. Sic *Senec. Herc. Oet.* 530. Altisonus parens. ℙ Translate. *Juvenal.* 11, 179. Maronis altisoni carmina, *h. e.* sublimis, grandiloqui.

ALTISPEX, ĭcis, comm. gen. adj. qui alte suspicit. *Accius in Astyanacte* ap. *Non.* 4, 330. Hunc altispicem regionum fac, etc. Videntur autem esse verba cujuspiam hortantis, aut jubentis, Astyanactem in altam turrim duci, et inde praecipitem dari. Alii aliter legunt.

ALTĬTHRONUS, a, um, adj. in alto throno sedens. *Juvenc. in prologo.* Judex altithroni genitoris gloria Christus. Adde *Venant. Fortun.* 1. *de vita S. Martini.* 1.

ALTĪTŌNANS, antis, adj. comm. gen. *ὑψιβρεμέτης*, qui ex alto tonat. *Cic. in carm. Divin.* 1, 12. Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo. *Lucr.* 5, 744. Altitonans Vulturnus.

ALTĪTŌNUS, a, um, adj. altitonans. *Varr.* apud *Probum comment. ad Virg. Ecl.* 6. Mundus domus est maxima, quam quinque altitonae flammeae zonae cingunt.

ALTĪTŪDO, inis, f. *ὕψος*, excelsitas. *Cic. Off.* 3, 16. Altitudo aedium. *Id. Agr.* 2, 19. montium. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 17. Elatio atque altitudo orationis, i. e. sublimitas. *Id. Rabir. Post.* 16. Altitudo fortunae et gloriae. *Gell.* 17, 2. Demonstrat altitudinem animi, fiduciamque. Adde *Cic. Partit.* 22. ubi altitudo animi ponitur pro fortitudine in capiendis incommodis, et maxime injuriis. [**Id. Fam.* 4, 13, 7. quid sit forti et sapienti homine dignum, quid gravitas, quid altitudo animi, quid etc.] Et *Liv.* 4, 6. *extr.* ubi est magnitudo, magnanimitas, et cum modestia, et aequitate jungitur. ℙ Item profunditas. V. ALTUS. *Caes. B. G.* 4, 17. Altitudo fluminis. *Ib.* 25. maris. *Cic. Verr.* 2, 5, 27. Opus in mirandam altitudinem depressum. *Id. Divin.* 1, 43. Cum ad infinitam altitudinem terra desedisset. *Id. Verr.* 2, 4, 48. *ad fin.* Spelunca infinita altitudine. *Cels.* 7, 7. *n.* 9. Altitudo plagae. ℙ Translate. *Sall. Jug.* 100. Ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis, *h. e.* velut profundum quoddam, alteque demersum ingenium, ac penitus reconditum, quo sensa nostra non facile ab aliquo reteguntur, atque adeo nostra consilia magis in tuto sunt. Graece *βαθύτης*. [*cf. *Ern.* s. h. v. in *cl. Cic.*] Simili ratione *altitudo animi* dicitur, qua praeditus non facile detegit animi motus, sed novit abdere diu, cum res postulat. Hanc *Tac. Ann.* 3, 44. Tiberio tribuit, quem valde tectum semper fuisse, tum ex eodem *Tacito*, tum ex *Suetonio* notum est. [*cf. *Ern.* ad h. l.] *Cicero* quoque hac notione usurpat *Off.* 1, 25, 88. ut quidem cum multis legit et explicat *Muretus* apud *Verburg.*, nam alii *lenitudo*, vel *lentitudo:* quod magis placet. [*Minime vero. Cf. *Gernh.* et *Beier.* ad h. l., quorum hic explicat: hilaritas, comitas et mansuetudo de industria, fastidii dissimulatio, versuta patientia.]

ALTĬVĂGUS, a, um, adj. qui alte vagatur, altus, sublimis. *Sisebutus* Visigothorum in Hispania rex ab anno 612. ad 620. in *Antholog. Latin. Burmann. T.* 2. p. 329. Non ululans lunam mulier praedira per umbras Detrahit altivago e speculo. Alii legunt *altivaga e specula*, nempe ex alto detrahit; nonnulli vero explicant *speculum* de ipsa luna; nam veteres eam quoddam solis speculum esse putabant.

ALTĬVŌLANS, antis, adj. omn. gen. *ὑψιπέτης*, qui alte volat. *Ennius* ap. *Cic. Div.* 1, 48. Genus altivolantum *Lucr.* 5, 434. Altivolans solis rota. *Auson. Technopaegn. de hist.* Altivolans grus.

ALTĬVŌLUS, a, um, adj. id. q. altivolans. *Plin.* 10, 19, 21. Aves uncos ungues habentes sunt omnes fere altivolae, praeter nocturnas.

ALTĬUSCŬLE, adv. aliquantum alte. *Appul. Met.* 8. *ad fin.* Altiuscule suspensus. *Id. ib.* 2. p. 117, 34. Fasciola praenitente altiuscule sub ipsas papillas succinctula.

ALTĬUSCŬLUS, a, um, adj. aliquantum altus. *Suet. Aug.* 73. Usus est calceamentis altiusculis, ut procerior, quam erat, videretur.

ALTO, as, a. l. in altum tollo, extollo. *Sidon. in carm. ep.* 9. *l.* 8. Altat lamina marginem comarum. Hinc *altatus:* sed neutra vox auro comparanda.

ALTOR, oris, m. *τροφεύς*, quit alit, atque educat. *Cic. N. D.* 2, 34. Omnium rerum, quae natura administrantur, seminator, et sator, et parens, ut ita dicam, atque, educator, et altor est mundus. In quibusdam MSS. *Grutero* teste legitur *alitor. Sen. Herc. Fur.* 1247. Sive me altorem vocas, seu tu parentem, *h. e.* nutricium. *Sall.* ap. *Lact.* 1, 21. *ad fin.* Curetes altores Jovis. Adde *Tac. Ann.* 6, 37. et *Stat. Silv.* 2, 1, 69. ℙ *Altoris* nomine terram coluit Antiquitas, quia ex ea aluntur omnia, quae nata sunt, ut ait *August. Civ. Dei* 7, 23. *extr.*

ALTRINSĔCUS, adv. ex altera parte, *ἑτέρωθεν. Pl. Merc.* 5, 4, 16. Perge: ego assistam jam hinc altrinsecus. *Id. Ps.* 3, 2, 73. Si nostrum sumet, tu teneto altrinsecus. *Id. Rud.* 4, 4, 112. Ensiculus est aureolus primum litteratus: post altrinsecus est securicula. *Appul. Met.* 2. Gladiolo solito cinctus altrinsecus, *h. e.* ad alterum latus. ℙ Videtur etiam significare ex utraque parte. *Lactant. de opific. Dei* 8. Aurium duplicitas incredibile est, quantam pulcritudinem prae se ferat, quod tum pars utraque similitudine ornata est, tum ut venientes altrinsecus voces facilius colligantur. *Latin. Pacat. Paneg. ad Theod.* 2. Aestus omnes, quibus altrinsecus jactor. Adde 33.

ALTRIX, ĭcis, f. quae alit, *θρέπτειρα*. Hinc terra altrix dicitur, in qua alti et educati sumus. *Cic. Flacc.* 26. Eorum eadem terra parens, altrix, patria dicitur. *Virg. A.* 3, 273. Et terram altricem saevi exsecramur Ulyssis. *Prop.* 4, 1, 38. Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam. *Sil.* 1, 218. Altrix bellorum, bellatorumque virorum Tellus. [**Hor. od.* 3, 4, 10. altricis extra limen Apuliae; ubi alii *nutricis;* ex glossa, ut videtur.] ℙ Speciatim sumitur pro nutrice. *Ov. Met.* 11, 683. altrici, quae luctus causa, roganti, Nulla, ait Halcyone, nulla est. *Stat. Th.* 1, 602. et *Silv.* 2, 1, 96. animasque a stirpe recentes Abripere altricum gremiis. Adde *Sen. Hippol.* 251. et *Herc. Oet.* 450. et *Gell.* 12, 1. *a med.*

ALTRORSUS, adv. in aliam partem. *Appul. Met.* 9. p. 230, 7. Pudicissima illa uxore altrorsus disclusa. Quidam legunt *alterorsus.*

ALTROVORSUM, adv. versus alteram partem. *Pl. Cas.* 3, 2, 25. Verum altrovorsum cum eam mecum rationem puto, etc., *h. e.* cum ex altera parte considero.

ALTUS, us, m. alitura, alimentum. In sexto casu singulari *Macr. Sat.* 1, 20. *in fin.* Terrae, vel rerum naturae altu nutritur universitas.

ALTUS, a, um, part. v. *alo*, *is*, *τεθραμμένος*, alitus, nutritus. *Varr.* ap. *Non.* 4, 8. Altus alieno sumptu. *Cic. Brut.* 10. Urbs in qua et nata et alta est eloquentia. *Id. N. D.* 2, 46. Vapores, quibus altae et renovatae stellae, etc. *Apic.* 6, 6. Avem sapidiorem, et altiorem facies, et ei pinguedinem servabis, si, etc.

ALTUS, a, um, adj. *ὑψηλός*, sublimis, excelsus. *Virg. Ecl.* 1. *in fin.* Alti montes. [**Ov. Met.* 1, 591. alta nemora. *Id. ib.* 3, 179. silvae. *Virg. A.* 2, 448. alta decora; coll. *Sil.* 3, 144. *Stat. Th.* 5, 422.] *Cic. Leg.* 2, 26. Columellam tribus cubitis ne altiorem. [**Colum.* 1, 9, 14. vir altus.] *Cic. N. D.* 2, 40. Ultimus, et a domiciliis nostris altissimus coeli complexus. *Id. Verr.* 2, 3, 41. Editus in altum. *Plin.* 2, 38, 38. Vapor ex alto cadit, rursumque in altum redit. *Virg. A.* 12, 295. Desuper altus equo graviter ferit. *Id. A.* 1, 297. Maja genitum demittit ab alto, *h. e.* e coelo. [*Ita etiam *Liv.* 44, 10. nec minus quam in altum magnitudine Atho mons excurrit. — Atque ut de loco ita de dignitate: *Cic. Dom.* 37. altissimus dignitatis gradus.] De *voce* quum dicitur, est vox plenior, canora, ut ab omnibus exaudiri possit. *Sen. Troad.* 196. Haec fatus alta voce. *Catull.* 42, 18. Conclamate iterum altiore voce. Sic *Quint.* 11, 3. Altissimus sonus. [*Usitatius fere est dicere *magna voce*, v. *Burm.* ad *Ov. Tr.* 4, 9, 24.] ℙ Cum genitivo mensurae. *Vitr.* 4, 3. Triglyphi alti unius, et dimidiati moduli, lati in fronte unius moduli. Et 10, 19. Turrem ne minus altam cubitorum sexaginta. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 4. Singula latera pedum lata tricenum, alta quinquagenum. [*Et cum ablativo: *Pallad. Jan.* 10, 3. quodsi scrobes fieri placeat, faciemus tribus pedibus altas.] ℙ Duplicem autem altitudinem significat, ut notat *Serv.* ad *A.* 1, 3., superiorem, et inferiorem: quare de iis etiam dicitur, quae profunda sunt, *βαθύς*. Sic maria, aut flumina *alta* dicuntur, ubi multas habent aquas, et a fundo altiores: sic fossae, putei, etc. *alti* dicuntur, quorum fundus a terrae planitie longe distat. *Caes. B. C.* 3, 77. Altissima flumina. *Id. ib.* 1, 25. Altior aqua. *Pl. Mil.* 4, 4, 14. Ex alto puteo sursum ad summum ascendere. *Cic. Tusc.* 3, 6. Altae stirpes, *h. e.* in profundum defixae. *Id. Phil.* 4, 5. Altissimae radices. *Sen. Troad.* 48. et *Petr. Sat.* 136. Altum vulnus. [*Ita *Gell.* 5, 2. coll. *Sil.* 4, 292. altum tota metitur cuspide pectus, i. e. cuspis alte in pectus penetravit. V. *ib.* 6, 580. ubi *leve* vulnus opponitur.] *Virg. A.* 1, 428. Alta fundamenta. ℙ *Altum* absolute pro mari alto, et a litore remoto. *Caes. B. G.* 4, 24. Quod naves, propter magnitudinem, nisi in alto constitui non poterant. Et 28. Naves in altum provectae. *Cic. Fin.* 4, 23. Ex alto emergere. *Virg. A.* 1, 3. multum ille et terris jactatus, et alto. [**id. G.* 1, 324. et 443.] Hinc translate. *Cic. Tusc.* 4, 18. Ipsa sibi imbecillitas indulget, in altumque provehitur imprudens. *Id. Or.* 3, 36. Quo cum ingressus esses *(oratione)* repente te quasi quidam aestus ingenii tui procul a terra abripuit, atque in altum a conspectu paene omnium abstraxit. ℙ Altus quum ad animum, et quae ad animum pertinent, refertur, sublimem significat. *Cic. Or.* 57. Aristoteles neque humilem, nec abjectam orationem, nec nimis altam et exaggeratam probat. *Id. Tusc.* 2, 4. Vir excelsus, et altus, et humana despiciens. *Id. Fin.* 5, 20. Alto animo esse. [**Id. ib.* 2, 16. altiorem fieri, i. e. elatiores animos sumere v. *Goerenz.*] *Id. Mil.* 8. Homo sapiens et alta mente praeditus, multa vidit. Alio sensu *Quint.* 6. *prooem.* Mens placida, et alta, *h. e.* tranquilla, ut solent esse maria alta. *Hor. Od.* 4, 9, 42. Judex alto vultu rejicit dona nocentium, *h. e.* vultu despicienti. [*Cf. *Petron. Sat.* 5. *id.* 91. supercilium altum. *Ov. Met.* 6, 109. *id. Her.* 4, 150. fastus altaque verba, i. e. fortia, ut loquitur *Prop.* 1, 5, 14. ubi v. *Burm.*] *Cic. Amic.* 9. Nihil altum, nihil magnificum, ac divinum suspicere possunt ii, qui suas cogitationes abjecerunt, etc. *Virg. G.* 3, 42. Te sine nil altum mens inchoat. *Plin. ep.* 5, 16. Altioribus se studiis artibusque dedere. *Id. ep.* 9, 33. Altissimum, planeque poeticum ingenium. *Id. ep.* 1, 10. Altissimae conditiones, i. e. quales proficiscuntur ab hominibus altissimis, i. e. opulentae, pingues. ℙ Tribuitur saepe Diis, item hominibus ad excellentiam eorum declarandam ac dignitatem. *Virg. A.* 12, 140. Rex aetheris altus Juppiter. *Id. ib.* 10, 875. Altus Apollo. *Cic. Fin.* 3, 8. Vir altus et excellens, magno animo, vere fortis. *Claud. epigr. de chlamyd. et fren.* 22, 11. altissime princeps. [**Ov. Trist.* 1, 3, 33. alta Roma; refer h. l. ad imperium.] ℙ Translate ab altera notione, qua profundum significat. *Hor. Sat.* 2, 1, 8. et *Liv.* 7, 35. Somnus altus. *Virg. A.* 8, 27. Altus sopor. *Id. ib.* 6, 522. Alta quies. *Plin. ep.* 2, 1. Altissima tranquillitas. *Virg. A.* 10, 63. et *Senec. Consol. ad Marc.* 5. Altum silentium. [**Virg. G.* 1, 486. et altae per noctem resonare lupis ululantibus urbes, i. e. in imis urbibus ululant, ut *Voss.* expl. quem v. *Tac. H.* 2, 24. aggerem viae tres Praetoriae cohortes altis ordinibus obtinuere, i. e. confertis, multis militibus deinceps positis. Cf. *Oberlinus* ad *Veget.* 3, 15.] *Petr. Sat.* 128. Et mentem timor altus habet, *h. e.* qui penitus insedit. Sic *Tac. Ann.* 16, 29. Altior pavor. [**Id. H.* 2, 91. qui altiorem iracundiam ejus verebantur.] Et *Virg. A.* 1, 209. Premere altum corde dolorem. *Id. ib.* 26. manet alta mente repostum. *Id. G.* 3, 505. Atque attractus ab alto Spiritus. *Liv.* 9, 7. Silentium illud obstinatum, et pudorem intuendae lucis, ingentem molem irarum ex alto animo (al. *animi*) cientis indicia esse. [**Plin. ep.* 4, 30, 2. altissima eruditio. *Id. Pan.* 47, 6. altus pudor.] *Curt.* 10, 9. Alta dissimulatione premere consilium. *Id.* 6, 11. Altiore consilio aliquid concipere, *h. e.* velut imo pectore inito. *Vopisc. Numerian.* 14. Denique ut erat altus, risit, et tacuit, *h. e.* tectus, simulator, suorum affectuum celator. V. ALTITUDO. *Quint. Decl.* 6, 4. Pectora hominum alto errore confusa. *Id.* 1, 4. Altissima eruditio. *Senec. de Ira* 1, 16. *a med.* Non ex alto venire nequitiam, sed summo, quod ajunt, animo inhaerere. *Ov. Am.* 2, 4, 16. Velle, sed ex alto dissimulare, puto. ℙ *Ex alto petere* aut *repetere* aliquid, est dicendo sermonem a primis causis, et initiis rei inchoare, longe petito principio uti. *Virg. A.* 8, 395. Quid causas petis ex alto? *Cic. Fam.* 3, 5. Quae de nostris officiis scripserim, ex alto repetita, etc. *Accius* apud *Non.* 4, 8. Cur vetera tam ex alto appetissis dissidia? V. ALTE. ℙ Altus ponitur etiam pro vetusto et nobili. *Ov. Fast.* 4, 305. Claudia Quinta genus Clauso referebat ab alto. *Virg. A.* 6, 500. genus alto a sanguine Teucri. (Adde *A.* 9, 697.) *Val. Fl.* 3, 202. alta gente satus. *Senec. Herc. Fur.* 338. nobiles non sunt mihi Avi, nec altis inclytum titulis genus. Plura congessit *Heins.* ad *Ov. l. l.* [*Cf. *Broukhus.* ad *Prop.* 2, 1, 26. et *Hor. Sat.* 2, 5, 62. altus Aeneas.] ℙ Hinc *alta vetustas* est valde antiqua, primi ab origine homines. *Sil.* 1, 26. Hic Juno ante Argos (sic credidit alta vetustas) Ante Agamemnoniam, etc. ℙ [*Confunduntur in mss. *altus* et *albus*, *Burm.* ad *Ov. Met.* 8, 33. et *Jever.* ad *Luc.* 2, 720. — et *artus*, *Drak.* ad *Sil.* 6, 194. et *Burm.* ad *Ov. Am.* 2, 2, 39. — et *aptus*, *id.* ad *Met.* 2, 498. et 14, 25. — et *ater*, *Burm.* ad *Ov. Am.* 3, 5, 46. — et *alius id. ib.* — et *ille*, *Heins.* ad *Virg. A.* 2, 448. Porro *altior* et *apertior* et *aptior*, v. *Frotscher.* ad *Quint.* 10, 3, 21. *altiora* et *acriora* v. *Ruhnken.* ad *Vell.* 2, 6, 2. et *Heins.* ad *Ov. Rem. Am.* 651.]

ALUCĬNĀTĬO, Allucinatio vel Hallucinatio, onis, f. *παραβλεψις*, error, oscitantia, et quaedam velut dissolutio animi non advertentis, aut advertere nolentis. *Senec. Vit. beata* 26. Sic vestras alucinationes fero, quemadmodum Juppiter ineptias poetarum. *Arnob.* 6. p. 194. Utrum istud serio, et cum proposito faciatis gravi, an ridendo res ipsas puerili alucinatione ludatis. Et 4. *sub fin.* Si quando animum desidem otiosis vultis alucinationibus occupari. ℙ De ratione scribendi V. ALUCINOR.

ALUCĬNĀTOR, Allucinator vel Hallucinator, oris, m. qui alucinatur. *Paul.* ex *Festo* in *Elucus.* Elucum significat languidum, ac semisomnum, vel ut alii volunt, alucinatorem, et nugarum amatorem, etc.

ALUCĬNOR, Allucinor, Halucinor vel Hallucinor, aris, atus sum, dep. l. *παραβλέπω*, *διαπταίω*, *ἀλύω*. Variae sunt Eruditorum sententiae de propria hujus verbi et primaria significatione; ex quibus nascitur etiam varia ratio scribendi. Sunt qui putant factum esse ab *allus*, seu *hallus*, quae vox

apud *Festum* significat majorem pedis digitum, ut *hallucinor*, vel *allucinor* scribendum sit, et proprie significet pedem illidere, offendere, impingere; per translationem vero aberrare, falli. *Gell.* etiam 2, 3. testatur, ab antiquis *hallucinor* cum aspiratione fuisse scriptum. Alii a praeverbio (quod vocant) *a* et *luce* conflatum existimant, et dici de iis, qui a luce aberrant, vel potius (quod placet *Voss. in Etymol.*) de iis, qui in nimiam lucem incidentes, oculis veluti capti, minus vident, vel prave cernunt quae objiciuntur: ideoque scribendum *allucinor*, quasi *adlucinor*, hoc est ad lucem offendo. *Fulgent. de prisco serm. n.* 54. scribit, *allucinari* idem esse, ac vana somniare, tractum ab *allucitis*, hoc est culicibus: quae notio sane non displicet; sed in origine assignanda videtur vigilans somniare. Alii denique, atque in his *Cloatius Verus* ap. *Gell.* 16, 12. factum putant a Graeco ἀλύω, quod significat errabunda mente esse: hinc *alucinari* proprie significare incerta mente atque intellectu esse circa rem aliquam, et in ea intelligenda non consistere, ut etiam *Non.* exponit 2, 406., atque adeo oscitantia quadam, aut negligentia advertendi male intelligere, ut somniantibus accidit, ex alia in aliam rem sine advertentia transeuntibus; et ita falli, decipi, errare. Hinc unica *l* scribendum esse, et sine aspiratione; quae scribendi ratio placet *Manutio*, et *Dausquio in Orthograph.* Haec videtur esse propria hujus verbi notio: varias autem illas origines alii expenderint. *Cic. Q. Fr.* 2, 11. Sed quemadmodum coram cum sumus, sermo nobis deesse non solet, sic epistolae nostrae debent interdum alucinari, *h. e.* inquit *Manut.* certa re non proposita loqui, huc illuc errantium more ferri. *Id. N. D.* 1, 26. Ista enim a vobis quasi dictata redduntur, quae Epicurus oscitans alucinatus est, *h. e.* falsa rerum imaginatione et specie deceptus commentus est. *Gell.* 16, 12. Tarditatem quandam animi, ac stuporem, qui alucinantibus plerumque usuvenit. ℙ Apud *Appul. Flor. n.* 18. usurpatum videtur pro decipere, fallere, activa significatione. *Nec quod hic alias*, inquit, *minus alucinatur, comoedus sermocinatur, tragoedus vociferatur*, etc.

ALUCĬTA vel Allucita, ae, f. *Petr. fr. Sat. Burm.* p. 674. Contubernales (al. *vernales*) me alucitae molestabant. *Fulgent. de prisco serm. n.* 54. interpretatur κώνωπας, hoc est culices, qui nimirum dormientes infestant. Alii intelligunt negotiosos homines, qui officia lucis, et diei pervertunt, et noctu peragunt, interdiu stertentes: ducuntque a praeverbio *a*, et *luceo*, quasi lucifugas. *Papias* exponit *somniatores*. Alii denique aliter legunt. V. vocem praeced.

ALŪCUS, i, m. avis eadem quae ulula, ita dicta, quod lucem fugit. *Serv.* ad illud *Virg. Ecl.* 8, 55. *Certent et cycnis ululae*, scribit *aves esse ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν nominatas, quas vulgo* alucos *vocant.* Alii leg. *ulucos* eodem sensu. [*Gloss. Philox.* Alucus, bubo, νυκτικόραξ. *B. A.*]

*ALVIABILIS vel rectius alveabilis, e, adj., qui in alvei modum excavari potest. *Auct. It. Alex. M.* 102. *ed. Maio.* hinc ducit in aliam petram celsam stadiis viginti, sed sexaginta ad ambiendam faciem sunt, alviabilem calli, superne aequoream. *Bail. Auct.*

ALVEĀRE, ris, n. et Alvearium, rii, n. vas, in quo apes nidificant et mellificant, κυψέλη. *Colum.* 9, 11. Cum vetus alveare numero apum destituitur, atque infrequentia ejus aliquo examine replenda est. *Virg. G.* 4, 33. Ipsa autem seu corticibus tibi suta cavatis, seu lento fuerint alvearia vimine texta; *alvearia* quadrisyllabum est, facta synaeresi. *Cic. Oecon.* ap. *Charis.* 1. p. 82. Apes in alvearium concesserant. *Plin.* 12, 20, 43. Vivit in alveariis apum. ℙ Pro loco, in quo sunt alvearia, quod et *apiarium* dicitur, μελιττών. *Varr. R. R.* 3, 16. Circum villam totam alvearium facere. *Ib.* Dic ubi, et cujusmodi facere oporteat alvearium. ℙ Apud *Tertull. adv. Valent.* 31. alvearia conspersionis sunt alvei, in quibus farina subigitur ad panem conficiendum.

ALVĔĀTUS, a, um, adj. in modum alvei excavatus. *Cato R. R.* 43. Sulcos, si locus aquosus erit, alveatos esse oportet.

ALVĔŌLĀTUS, a, um, adj. κοιλωτὸς, in modum alveoli cavatus. *Vitr.* 3, 3. Si stylobata ad libellam digeritur, alveolatus oculo videbitur.

ALVĔŌLUS, i, m. parvus fluminis alveus. *Curt.* 6, 4. Amnis tria fere stadia universus fluit, deinde saxo, quod alveolum interpellat, repercussus etc. ℙ Est etiam vas parvum ad formam parvi alvei, et ad varios usus accommodatum, κυψέλη. *Liv.* 28, 17. Secures, rutra, falces, alveolos, molas, quantum in quadraginta longas naves opus esset. *Juv.* 5, 88. illud enim vestris datur alveolis, quod Canna Micipsarum prora subvexit acuta. *Phaedr.* 2, 5. Alveolo coepit ligneo conspergere humum aestuantem. *Colum.* 8, 5. Totum ovorum numerum in alveolum ligneum conferat, deinde universum leniter in praeparatum nidum transfundat. ℙ Speciatim sumitur pro parvo alveo lusorio. *Varr.* ap. *Gell.* 1, 20. Tesserae, quibus in alveolo luditur. *Cic. Fin.* 5, 20. Alveolum poscere. *Festus* hoc sensu videtur neutro genere usurpare. *Alveolum*, inquit, *tabula aleatoria.* ℙ Alveolus est etiam instrumentum naviculae forma factum quo utuntur textrices. *Hieron. ep.* 130. ad *Demetr. n.* 15. Habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtemina in alveolis fusa volvantur, aliarumque neta aut in globum collige, aut texenda compone.

ALVĔUS, i, m. κύτος, proprie dicitur fossa, per quam fluvius defluit: ab *alvus*, qua ventrem significant, quia ventris cavitatem quodammodo imitatur. Quidam dictum putant, quia *alluit* ripas. *Quint.* 2, 1, 4. Pleno alveo fluere. *Plin.* 4, 4, 5. Alveo navigabili perfodere angustias. *Virg. G.* 1, 203. lembum in praeceps prono rapit alveus amni. *Id. A.* 7, 33. Assuetae ripis volucres, et fluminis alveo, *alveo* dissyllab. per synaeresin. [*Hor. Od.* 3, 7, 28. alveus Tuscus, i. e. Tiberis.] ℙ Scrobes item longiores in modum alvei fluminis, ut binas vites accipiant, *alvei* vocantur, ut *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 7. docet. Hinc in balneis fossa cavata ex lapide, vel etiam structilis, habens intus suos gradus ad descendendum, et pulvinum ad innitendum *alveus* dicitur, ut colligitur ex *Vitr.* 5, 10. Videtur autem ejusdem fuisse usus cum labro, figura tantum dissimilis. *Auct.* ad *Her.* 4, 10. Ut in balneum venit, coepit, postquam perfusus est, defricari: deinde ubi visum est, ut in alveum descenderet etc. *Cic. Cael.* 28. Alveus ne ille, an equus Trojanus fuerit, qui etc. Omninoque pro quovis vase ad lavandum. [*Gr. πύελον.] *Capitolin. Albin.* 5. Ut parvuli domus ejus in testudineis alveis lavarentur. *Salm.* ad hunc locum notat, ante inventas balneas non infantes modo, sed etiam viros in hujusmodi alveis lavasse. Inde autem factum est nomen alveis in balneo factis. *Ovid.* quoque *Met.* 8, 652. *faginei alvei* meminit ad lavandum apti. [*Cf. *Vitruv.* 5, 10. quo loco loquitur de lapideo vase, in quo lavatur.] ℙ Fundi quoque navium, quia in formam alvei effinguntur, *alvei* sunt. *Sall. Jug.* 21. Hi alveos navium inversos pro tuguriis habuere. *Liv.* 23, 34. Non armamenta modo, sed etiam alvei navium quassati erant. Ac per synecdochen dicitur de tota navi. *Ov. Fast.* 3, 591. Assiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus Vertitur, et canas alveus haurit aquas. *Prop.* 3, 5, 32. Portabat sanctos alveus ille viros. ℙ Praecipue autem *alvei* dicuntur parva quaedam navigia, ut lintres, cymbae, quae vel sunt ex uno cortice in modum alvei cavato, vel quocumque alio modo alvei figuram referunt. [*Gr. μονόξυλον. V. *Scheffer. de milit. naval.* 1, 3.] *Vell.* 2, 107. Cavatum ex materia alveum conscendere. *Virg. A.* 6, 412. simul accipit alveo Ingentem Aeneam; gemuit sub pondere cymba. ℙ Ad haec, alveus dicitur de vase concavo in alvei modum ad varios usus. *Plin.* 16, 11, 22. Omnia illa fiunt a picea resina ferventibus cocta lapidibus, in alveis validi roboris, aut, si alvei non sint, struis congerie. *Liv.* 1, 4. Cum fluitantem alveum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset. ℙ Item pro alveari. *Plin.* 11, 10, 10. Struunt apes orsae a concameratione alvei. Et 16, 15. Apes alveo se continent. *Id.* 7, 15, 13. Profluvio mulierum alvei apium emoriuntur. Hinc *Appul. Met.* 4. p. 150, 37. nobis promte convolantibus et domus alveo receptis demonstrat horreum, i. e. in interiora domus. ℙ Item pro tabula lusoria, qua tesseris, et calculis luditur. *Plin.* 37, 2, 6. Transtulit alveum cum tesseris lusorium e gemmis duabus, latum pedes tres. *Suet. Claud.* 33. Ita essedo alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur. *Val. Max.* 8, 8. *n.* 2. Alveo, et calculis vacare. *Varr.* apud *Non.* 2, 312. Equus sine ephippio, balneum non quotidianum, alveus rarus, *h. e.* ludus. ℙ *Paul.* apud *Festum* in *Naustibulum* neutro genere extulisse videtur. *Naustibulum*, inquit, *alveum ad navis similitudinem factum.* ℙ [*Confunduntur *alveus* et *antrum*, v. ad *Virg. G.* 4, 44.]

ALVĪNUS, a, um, adj. ὑγροκοίλιος, qui alvi fluxu laborat. *Plin.* 21, 27, 99. Vincapervinca alvinis imposita multum prodesse dicitur. *Id.* 25, 7, 37. Radix Nymphaeae adversatur alvinis.

ALUM, i, n. et Halus, i, f. σύμφυτον πετραῖον, [*Beinwell, Schwarzwurz*, Symphytum officinale *L.*] herba similis cunilae bubulae, foliis parvis, ramis tribus aut quatuor a radice, cacuminibus thymi, surculosa, odorata, gustu dulcis, salivam ciens, radice longa rutila: nascitur in petris. *Plin.* 27, 6, 24. Alum nos vocamus, Graeci symphyton petraeum, simile cunilae, etc. *Id.* 26, 7, 26. Halus autem, quam Galli sic vocant, Veneti cotoneam; medetur lateri. *Appul. Herb.* 59. addit, a Latinis vocari etiam *inulam rusticam*, et *consolidam.* ℙ Etiam allii quoddam genus in agris sponte nascens, *alum* vocant, quod adversus improbitatem alitum depascentium semina coctum, ne renasci possit, abjicitur, statimque quae devoravere aves, stupentes manu capiuntur. *Plin.* 19, 6, 34.

ALŪMEN, ĭnis, n. (*Alaun*), salsugo terrae ad crystalli colorem accedens: Graeci στυπτηρίαν vocaverunt, ἀπὸ τοῦ στύφειν, quod est adstringere. Habet enim in medicina vim adstringendi. Duo ejus potissima genera sunt, liquidum, et concretum. *Liquidum* aliud est candidum, aliud nigrum. [*Cf. *Scribon. Larg. compos.* 227.] Fit autem omne ex aqua limoque, hoc est terrae exsudantis natura: corrivatum hieme aestivis solibus maturatur. Laudatissimum fit in Aegypto, proximum in Melo insula, quod inde Melinum appellatur. Alumen *concretum* in varia genera et ipsum dividitur, quorum praecipuum est quod Graeci σχιστὴν, στυπτηρίαν, Latini *scissile*, et *scissum*, et *fissum* vocant. Hoc fit e lapide chalcite, in capillamenta quaedam canescentia dehiscens; estque velut sudor quidam ejus lapidis in spumam coagulatus. Haec ex *Plin.* 35, 15, 52., ubi *Harduin.* notat nostrum alumen, quod *de rocca* Itali appellant, in ea *Plinii* descriptione designatum non videri. Alii contra putant esse illud, quo infectores etiam utuntur, *h. e.* Aegyptium. Viderint alii. [*Beckmann. in *Gesch. d. Erf. t.* II. p. 92. sqq. alumen veterum quod nos h. *vitriolum* appellamus, fuisse contendit. Qua de re alii dubitant.] ℙ [*Isid. Orig.* 15, 2. Alumen vocatum a lumine, quod lumen coloribus praestat tingendis. At rectius fortasse hujus vocis etymon duxeris ab ἐάλυμαι praet. perf. pass. verb. ἀλύω, foveo, tempore macero. *F.* Alii derivant ab ἅλμη, i. e. salsugo; *Voss. Etym.* ab ἄλειμμα, i. e. unguentum; sed haec incerta.]

ALUMENTO pro *Laomedonte* a veteribus Romanis nec dum assuetis Graecae linguae dictum est: sic *Melo* pro Nilo, *Catamitus* pro Ganymede, *Alphius* pro Alpheo dicebatur. *Festus:* ad quem locum *Jos. Scalig.* defendit non *Alumento*, sed *Laumento* legendum esse. V. CATAMITUS.

ĂLŪMĬNĀRĬUS, ii, m. est vel artifex, qui circa alumen laborat, vel negotiator, qui alumen vendit. *Inscr.* ap. *Grut.* 642, 9. C. Terentius C. L. Anteros aluminarius.

ĂLŪMĬNĀTUS, a, um, part. ab inusit. *alumino*, *as*, στυπτηριωτὸς, ut *aqua aluminata*, quae transit per venas aluminis, apud *Plin.* 31, 6, 32. Adde *Marcell. Empir.* 25.

ĂLŪMĬNOSUS, a, um, adj. aluminatus, ut *aluminosi fontes*, *Vitruv.* 8, 3. Adde *Plin.* 31, 3, 28.

ĂLUMNĂ, ae, f. quae ab aliquo alita est et educata, ἡ τρόφιμος. *Pl. Cist.* 4, 2, 96. Nostra haec alumna est tua profecto filia. *Suet. Cl.* 39. Ducturus contra fas Agrippinam uxorem, non cessavit filiam, et alumnam, et in gremio suo natam, et educatam praedicare. *Cic. Div.* 1, 9. *de ranis.* Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnae. ℙ De puellis, quae a parentibus abjectae, a praetereuntibus sublatae aluntur. V. ALUMNUS. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 12. Jam bene constitutae civitatis quasi alumna quaedam eloquentia, *h. e.* colitur, et crescit in civitate jam bene constituta. ℙ Significat etiam altricem, activo sensu. *Sil.* 9, 533. Non Teucros delere aderam, sed lumen alumnae Annibalem Libyae, etc. Verba haec sunt Palladis, quae ideo Libyam alumnam appellat, quia secundum quosdam dicitur esse filia Neptuni, et Tritonidis Africae paludis, ut *Id. ib.* 297. significat. *Plin.* 3, 5, 6. Italia omnium terrarum alumna eadem, et parens. *Flor.* 3, 21. Cliens et alumna Urbis Ostia, *h. e.* ad quam appellebant commeatus, quibus Roma alebatur. Alii aliter utrumque locum *Plin.* et *Flor.* accipiunt; et fortasse rectius. Nam priore loco *Italiam omnium terrarum alumnam* dici ajunt, quod ab aliis terris alatur, quae ad eam opes suas transvehunt. Posteriore autem *Ostiam alumnam Romae*, quia ejus colonia erat, et quasi filia, ejusque ope in urbem, portumque celebrem creverat. *Varr.* apud *Non.* 2, 138. Cana veritas Atticae philosophiae alumna, *h. e.* quae alit quodammodo, fovet, et sustinet philosophiam. Et hoc tamen exemplum alii ita explicant, ut *veritas* dicatur *alumna* philosophiae, quia ab hac nutritur quodammodo, et illustratur.

ĂLUMNANDUS, a, um, part. fut. pass. verbi inusit. *alumno*, alendus, educandus. *Appul. Met.* 10. p. 249, 41. Natam puellam prodidit vicinis alumnandam.

ĂLUMNĀTUS, a, um, part. praet. pass. verbi *alumno*, alitus, educatus. *Capell.* 9. *sub init.* In penetralibus virginis, secretisque sanctionibus alumnatae. *Appul. Met.* 6. p. 182, 36. Adolescentem istum, quod meis manibus alumnatus sit, profecto scitis. Adde *ib.* 9. ℙ Deponenti forma pro eo, qui educavit, et aluit. *Id. Met.* 8. p. 209, 8. Canes rabidos, quos ad tutelae praesidia curiose fuerant alumnati.

ĂLUMNUS, ni, m. τρόφιμος, qui alitur ab aliquo, et educatur. *Hor. Ep.* 1, 4, 8. Quid voveat dulci nutricula majus alumno. *Tac. A.* 1, 44. Rediret legionum alumnus, *h. e.* in castris natus, et in contubernio legionum educatus, ut *Id. ib.* 41. loquitur. *Id. ib.* 15, 34. Vatinius sutrinae tabernae alumnus. [*Ita saepe apud poetas: *Virg. A.* 11, 33. comes caro datus ibat alumno. *Ib.* 6, 595. et Tityon, terrae omnipotentis alumnum. *Ov. Met.* 4, 523. Bacchus alumnus Inonis *coll. ib.* 421. (quem l. laudavit *Furl.* sed inepto loco) alumnum lumen, i. e. Bacchus qui alumnus fuerat Inonis sive cujus ipsa fuerat nutrix. Multa simm. collegit ad h. l. *Heins.* (ut *Stat. Th.* 8, 224. et, quae etiam Noster habet, *Avien. Descript. orb.* 495. *de Tibri.* Romanosque lares lapsu praelam-

bit alumno. *Prudent. περὶ στεφ.* 12. *de S. Cass.* 31. moderator alumni gregis, *h. e.* discipulorum.) quem v. Adde *Ov. ib.* 2, 633. alumnus stirpis divinae, i. e. Aesculapius. Omninoque latiori sensu saepe est, i. q. filius, incola terrae alicujus, ut *Cic. Verr.* 2, 5, 66. Italia alumnum suum etc. et *Val. Fl.* 8, 233. alumni fluminum, i. e. accolae. Cf. *Weichert.* ad h. l. Quin de pecudibus dicitur, ut in locis *Hor.*, quos statim subjunxit Noster.] ℙ De vernulis, qui domi, vel ruri aluntur a dominis. *Hor. Od.* 3, 18, 3. Faune, abeas parvis aequus alumnis, *h. e.* ne eos territes, et agites. Credebant enim, pueros per rura a Faunis agitari terriculamentis. Alii rectius [omnino!] intelligunt fetus pecoris, qui ruri aluntur, haedos, agnos, vitulos. *Id. ib. Od.* 23, 7. aut dulces alumni Pomifero grave tempus anno, sc. sentient. ℙ [*Alumnus*, Graece *θρεπτός* [*ἐκθετος], proprie is dicitur, qui liber natus, a parentibus suis inhumaniter abjectus, ferisque et avibus expositus, a praetereuntibus sublatus educatusque fuerat, quod ex *Plin. ep.* 10, 71. *ad Trajan.*, et hujus responsione colligitur. Itaque alumnus altoris servus habebatur, ideoque saepissime servile nomen retinebat, aut illum tanquam patronum agnoscebat. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 349. *n.* 19. Aelius Aug. Lib. Saturninus a diplomatibus Sardonychi alumno fidelissimo. Et *ib. n.* 22. Smaragdo Julia C. F. Trebonia alumno pientissimorum piissimo et dulcissimo. Et p. 350. *n.* 26. M. Ulpio Aug. Lib. Florido patrono optimo et bene merenti M. Ulpius Philetus Alumnus, M. Ulpius Telesphorus, Ulpia Paramone liberti. Et p. 351. *n.* 37. D. M. Graphices Saenia Doxa alumnae optimae. *F.*] ℙ Translate. *Cic. Fin.* 4, 26. Aristoteles, aliique Platonis alumni, *h. e.* discipuli. *Id. Fam.* 9, 14. Quasi alumnum disciplinae meae. *Id. Phil.* 7, 3. Ego itaque pacis, ut ita dicam, alumnus, qui quantuscumque sum, sine pace civili certe non fuissem, etc. *Plin.* 7, 7, 5. Alumnus fortunae. *Martial.* 12, 60. [*dies alumnus Martis, i. e. Kalendae Martiae, qui dies ejus dies natalis erat.] *Stat. Th.* 6, 378. pius artis alumnus Aetheriae, *h. e.* in arte augurandi veluti educatus. *Id. ib.* 7, 733. quercus alumna vadi. *Prudent.* alumnos carceris dixit *περὶ στεφ.* 2, 137. lictores et carnifices, qui reorum supliciis aluntur. ℙ Active pro eo, qui alit, et educat, ut praeter alios *Caper de Verb. dub. in fin.* docet. *Pl. Merc.* 4, 5, 7. Herus atque alumnus tuus. [*Forcellinus* perperam hunc *Pl.* locum in exemplum attulit, nam ibi loquitur herus minor cum sua nutrice: adducendus potius fuerat locus *Isid. Orig.* 10, 1. Et qui alit, et qui alitur, alumnus dici potest, id est, et qui nutrit, et qui nutritur; sed melius tamen qui nutritur. *F.*] Illo modo usus est *Capell.* 1. p. 11. Vector ejus cygnus impatiens oneris atque etiam subvolandi, alumna stagna petierat, i. e. ipsum nutrientia. ℙ *Alumnum* pro *alumnorum* est *Pacuvii* apud *Non.* 4, 25.

ALUNTĪNUS et Aluntius, a, um, adj. ad Aluntium [*Gr. *Ἀλούντιον, Dion. Hal. Ἀλόντιον Ptol.*] Siciliae oppidum pertinens, in ora occidentali, in colle edito, nunc oppidum S. Philadelphi, vel, uti putant alii, S. Marci; hujus oppidi mentio est apud *Plin.* 3, 8, 14. *Cic. Verr.* 2, 3, 43. Tyndaritarum nobilissimam civitatem, Cephalaeditanam, Alentinam perditas esse intelligetis. *Lege* Aluntinam. ℙ *Aluntini*, *orum* sunt incolae urbis Aluntinae. *Id. Verr.* 2, 4, 23. Archagathus Haluntinus. *Lege* Aluntinus. [**Orell.*: Halentinus.] In nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 197. est *ΑΛΟΝΤΙΝΩΝ.* ℙ *Aluntium vinum*, quod in eo agro provenit. *Plin.* 14, 9, 11. [Plura ex his addidit. *F.*]

[ĀLUS, i, m. Deus Romanorum, fortasse ita appellatus ab alendo. *Inscr.* quae exstat in villa Savoldiorum, pagi Brixiani, cui nomen *Roncadelle* tertio ab urbe lapide, quamque exscripsit *Jo. Labus V. C.* Alo Sex Nigidius Sollonius V. S. L. M. (*h. e.* votum solvit libens merito). *F.*]

ĀLŪTA, ae, f. *βύρσα*, pellis, aut corium mollius ad calceamenta, et sacculos, et alia hujusmodi opera. [*Visconti Mus. Pio-Clem. T.* 1. p. 120. *edit. Mediol.* vocis etymon esse putat ab *alumine*, quod eo utebantur coriarii ad coria concinnanda. *F.*] *Caes. B. G.* 3, 13. Pelles pro velis, alutaeque tenuiter confectae. *Martial.* 7, 35. Inguina succinctus nigra tibi servus aluta. *Auson. Edyll.* 4, 30. quod fallax scuticam praetexit aluta. ℙ Pro calceo. *Juvenal.* 7, 192. Appositam nigrae lunam subtexit alutae. *Martial.* 12, 26. rupta cum pes vagus exit aluta. *Id.* 2, 29. Aluta coccina. *Ov. A. Am.* 3, 271. Aluta nivea. ℙ Pro sacculo. *Juvenal.* 14, 282. ut tenso folle reverti Inde domum possis, tumidaque superbus aluta. ℙ Fuit etiam alutae usus aliquis in fucanda facie. *Ov. A. Am.* 3, 201. Arte supercilii confinia nuda repletis, Parvaque sinceras velat aluta genas. ℙ Allegorico et obsceno sensu, pro mentula languida, frigida. *Martial.* 11, 60. Ulcus habet, Priami quod tendere possit alutam.

ALŪTA, vel Alutia, orum. V. ELUTIA.

*ALUTAE. V. ALVONA.

ĀLŪTACĬUS, a, um, adj. qui est ex aluta. *Marcell. Empir.* 23. *sub fin.* Malagma inducere in pellem alutaciam. *Id.* 26. Alutacia pellicula.

ĀLŪTĀRĬUS, a, um, adj. id. q. alutacius. *Marcell. Empir.* 15. *circa med.* Brassicae stirpes combustae, et in pulverem redactae, et cum axungia subactae, atque emplastro alutario parotidibus impositae, *h. e.* emplastro alutaciae pelliculae inducto.

ALUTATĬUS. V. ELUTACIUS.

*ALUTRENSES, ium, incolae oppidi alicujus in Italia superiore, ut in Istria vel Carnia. *Plin.* 3, 19, 23.

*ALVONA, ae, Liburniae oppidum. *Plin.* 3, 21, 25. et *Tab. Peut.* h. Albona. Ab hoc oppido (*Ἄλωσος, *Steph. Byz.*) nomen habere videntur *Alutae*, v. *Plin. ib.*

ALVUS, i, f. *κοιλία, γαστὴρ*, [*κῶλον v. *ἡ κάτω κοιλία.* Cf. *Plin.* 11, 79.] pars corporis in animali, stomacho subjecta, in quo sunt intestina. Nam quod scribit *Festus: Alvus venter feminae ab alendo dicta est*, usum contra habet, cum etiam de mare aeque usurpetur. *Cic. N. D.* 2, 54. Alvi natura subjecta stomacho, cibi et potionis est receptaculum. *Id. ib.* 3, 22. Aesculapius purgationem alvi primus invenit. Et 2, 50. Alvum purgare. *Plin.* 10, 44, 61. exonerare. *Id.* 20, 3, 8. inanire. *Hieron. ep.* 133. *ad Ctesiph. n.* 7. relevare. *Cels.* 1, 3. solvere: quod et *alvum ciere*, *ducere*, *subducere*, *dejicere*, *elicere*, *liquare*, *mollire*, etc. dicitur. Sic *Id.* 2, 7. Pluribus diebus non descendit alvus. Et 2, 12. *n.* 2. Cui satis alvus reddit quotidie. *Alvum bonam facere* dixit *Cato R. R.* 114. et 115., dixit eodem sensu *alvum movere*, etc. Sic dicitur *fluens*, et *liquida alvus* apud *Cels.* 2, 6. Eodemque sensu *alvus cita*, *fusa*, *soluta*, etc. Contra vero adstringere alvum, apud eund. *Cels.* 1, 3. quod etiam dicimus *alvum cohibere*, *comprimere*, *supprimere*, *firmare*, *sistere*, *inhibere*, etc. Sic dicitur *alvus adstricta* apud *Eund. ib.* et eadem significatione *alvus dura*, *compressa*, etc. quae omnia V. etiam suis locis. ℙ In plur. num. *Plin.* 19, 5, 26. *n.* 2. Sapor raphani medicamenti instar ad eliciendas alvos. ℙ Interdum *alvus* sumitur pro morboso alvi fluxu. *Colum.* 6, 7. Alvus corpus ac vires carpit, operique inutile reddit. ℙ Item per metonymiam pro ipsis alvi excrementis. *Cels.* 2, 6. Alvus quoque varia, pestifera est. Et mox. Alvus liquida, eademque vel nigra, vel pallida, vel pinguis. ℙ [*Alvus superior* est ventriculus. *Cato R. R.* 156. Alvum si voles dejicere superiorem, sumito brassicae, quae levissima erit, pondo IIII., inde facito manipulos aequales tres, colligatoque. [*Cf. *Schneider.* ad h. l.] Huc etiam retrahendus locus *Cic. N. D.* 2, 50. Vomitione canes, purgatu autem alvum ibes Aegyptiae curant. Et *ejusd. ib.* 54. Cum alvi natura subjecta stomacho, cibi et potionis sit receptaculum. F.] ℙ Nonnunquam sumitur pro muliebri utero. *Cic. Div.* 1, 20. Cum praegnans Dionysium alvo contineret. *Id. Cluent.* 12. Spes illa, quam in alvo commendatam a viro continebat. *Pl. Stich.* 2, 1, 5. Me illa in alvo menses gestavit decem. ℙ Saepissime ponitur pro alveari, in quo apes mellificant, quia ad formam alvi excavatum est. *Varr. R. R.* 3, 16. Media alvo, qua introeant apes, faciunt foramina parva, dextra, ac sinistra. *Plin.* 21, 12, 43. Alvi melle plenae. Et 14, 47. Alvos optimas e cortice, secundas ferula, tertias vimine. *Varr. loc. cit.* docet, *alvos* hoc sensu dictas esse a *mellis alimonio.* ℙ In genere masculino. *Accius* ap. *Priscian.* 5. p. 654. Gravido concepit in alvo. *Id.* ap. *Eund.* 6. p. 718. et apud *Non.* 3, 21. Frigidissimus alvus. *Colum.* 10, 146. materno pullulat alvo. Alii leg. *arvo.* Adde *Calvum*, *Ael. Cinn.* et *Laber.* apud *Charis.* 1. p. 61.

ALYACMON. V. ALIACMON.

*ALYATTA, ae, *Steph. Byz.* s. ALYATTI, orum, Bithyniae oppidum. *Liv.* 38, 18.

ALYATTES, is, et ei, m. *Ἀλυάττης, ου*, Ion. *εω*, Lydorum rex Croesi pater, cujus memoriae exstructum est monumentum apud Sardos, maxima impensae parte ab ancillis in hoc opus collata, quae omnes apud Lydos corpore quaestum faciunt. *Plin.* 2, 12, 9. Defectus solis, qui Alyatte rege factus est. *Hor. Od.* 3, 16, 41. si Mygdoniis regnum Alyattei Campis continuem. *Bentlej.* ita legendum affirmat ex optim. codicib. vel sic: *Si Mygdoniis regnum Aliattium*, etc. Priori modo *Aliattei* est genitivus casus ab *Alyattes*, ut ab *Ulysses* fit *Ulyssei*, ab *Achilles Achillei*, etc. Altero *regnum Alyattium* est adjectivum possessivum. Vulgo legitur *Alyattici*, et exponi solet Croesi a patre Alyatte ita appellati, sed *Alyatticus* non est patronymicum ab *Alyatte*, ut substantivi more positum, ejus filium significare possit.

ALYATTĬCUS. V. vocem praeced.

[ĀLYPĬA, ae, f. *ἄλυπία*, vacuitas doloris, laetitia. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 619, 12. Ulpia Alypia. *F.*]

ĀLYPON, i, n. *ἄλυπον*, cauliculus est molli capite, non dissimilis betae, acris gustatu ac lentus, mordensque vehementer, et accendens. Ita describit *Plin.* 27, 4, 7. ubi *Harduin.* negat ullam esse plantam nostra aetate, quae cum isto congruat. [*Ex sententia *Sprengel.* est Globularia alypum *L. die dreizähnige Kugelblume.*]

[ĀLYPUS, i, m. *ἄλυπος*, doloris et tristitiae expers. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 36, 1. T. Claudius Alypus. *F.*]

ĀLYSSON, i, n. *ἄλυσσον*, frutex ita dictus, *quod a cane morsos* (al. leg. *emorsos*, al. *commorsos*) *rabiem sentire non patitur*, inquit *Plin.* 24, 11, 57., nempe *ἀπὸ τοῦ λύσσαν κυνὸς ἰᾶσθαι*, ut est apud *Dioscor. l.* 3. *c.* 105.

ĀLYTARCHĀ et Ălytarchēs, ae, m. *ἀλυτάρχης*, sacer magistratus, qui praecerat ludis, qui fiebant in honorem Deorum; ab *ἄλυτης*, [*i. e. *ῥαβδοφόρος*, lictor. V. *Etym. M.* et *Lex. de Spirit.* p. 210.] circuitor et *ἄρχων* princeps, praeses, quia nimirum is magistratus praecerat iis, qui virgam ferentes ad submovendam turbam, et ad seditiones cohibendas in sacris certaminibus apud Eleos (*Etymol. M.* in *V. Ἀλυταρχὴς*), Pisaeos (*Marm. Arundell.* 8.), Antiochenos, et fortasse etiam alibi adhibebantur. *Impp. Grat., Valentin. et Theodos. Cod. Theod.* 10, 1, 12. Alytarchae urbis Antiochenae plantandi plures, excidendi unius cupressi, jubemus tribui facultatem. *Impp. Honor. et Theodos. ibid.* 15, 9, 2. Cunctos judices admonemus, ut ludorum quidem intersint festivitati; verum expensarum non excedant duorum solidorum librata impendia: exceptis alytarchis, Syriarchis, agonothetis, itemque Asiarchis et ceteris, quorum nomen votiva festivitatis solemnitas dedicabit. [Plura ex his addidit *F.*]

ĀLYTARCHĬA, ae, f. alytarchae dignitas et officium. *Imp. Leo Cod. Just.* 1, 36, 1. Titulos qui alytarchiae, et Syriarchiae muneribus in prima Syria deputati sunt, per officia tam viri spectabilis Comitis Orientis, quam viri clarissimi Rectoris provinciae, flagitari praecipimus: alytarchiae quidem ludi cura Comitis Orientis et ejus officio: Syriarchiae vero sollicitudine Moderantis provinciam, ejusque apparitoris, exerceantur.

*ALYTIS, is, f. herba perdicalis s. perdicium. *Appul. Herb.* 81.

*ALYZĬA, *Ἀλυζία Thuc.* et *Strab.* vel ALYZĒA s. Alyzĭa, *Ἀλυζεία Steph. Byz.* oppidum Acarnaniae. *Cic. Fam.* 16, 2, 3. *Plin.* 4, 1, 2.

AM

AM, praepositio loquelaris, ut *Festus* loquitur, hoc est inseparabilis, quae per se posita nihil significat, in compositione idem valet ac *circum*, ex Graeco *ἀμφὶ* [*Dor. *ἀμπί.* cf. *Koen.* ad *Greg. Cor.* p. 344. *ed. Schaef.*; hinc vel *am*, *(an)* vel *amb*, vel *amp.*] contracto, quemadmodum ab *ὑπὸ* fit sub. Quidam putant, antiquitus fuisse separabilem, afferuntque fragmentum illud *Cat. Orig.* apud *Macr. Sat.* 1, 14. *Am terminum*, *h. e.* circum terminum: super quo tamen miras eruditi lites excitarunt. [*Separabilis praepositio nunquam esse potuit. Nam ap. *Cat.* quidem legendum esse videtur: amterminum, i. e. circumterminum; nam nihil aliud h. l. docere vult, quam v. *am* (unde *annus*, quare etiam in ed. *Zeun.* exhibetur *an*) esse i. q. *circum*, quod statim alio exemplo probat, addens *ambire* esse i. q. *circumire:* ubi nemo ipsum hanc praep. divulsisse statuet. Cf. *Pontan.* ad h. l.] Si componatur cum verbis a vocali incipientibus, assumit *b* euphoniae causa, ut *ambarvalis*, *ambesus*, *ambio*, *ambustus:* si cum incipientibus a *p*, manet integra, ut *amputo*, *amplector:* si cum alia quapiam consonante, *m* in *n* mutatur, ut *anquiro*, *anfractus*, etc. ℙ Olim *am* pro *eam* Veteres usurparunt. *Lucr.* 3, 445. Corpore qui nostro rarus magis am cohibessit. Alii aliter legunt. V. INCOHIBESCO.

AMA. V. HAMA.

ĀMĀBĬLIS, le, adj. *ἐράσμιος*, dignus amore. *Cic. Att.* 5, 19. Filiolam tuam et amo, et amabilem esse certo scio. Et 12, 9. Cetera noli putare amabiliora fieri posse ulla litore, prospectu maris, etc. *Id. Fam.* 7, 20. Amabilior mihi Velia fuit, quod te ab ea sensi amari. *Id. Amic.* 14. Amabilissimum nodum amicitiae tollere. *Id. Part.* 6. Amabiles mores. *Senec. ep.* 36. Adolescens hilaris et amabilis turbae. *Senec. Controv.* 4, 26. *a med.* Dixit illam amabilem sententiam: da itaque nunc poenas misericors.

ĀMĀBĬLĬTĀS, atis, f. *φιλότης*, morum comitas, formaeve venustas, ad amorem alliciens. *Pl. Stich.* 5, 4. *in fin.* Si amabilitas tibi nostra placet, si tibi ambo accepti sumus. *Id. Poen.* 5, 4, 1. Amabilitati animum adjicere, *h. e.* in eo studium ponere ut amabilis sis. Possis tamen utroque loco *amabilitatem* amorem intelligere. [*Hoc minus recte haberet.]

ĀMĀBĬLĬTER, adv. *ἡδέως, γλυκέως*, suaviter, humaniter, ita ut tibi amorem concilies. *Antonius ad Cic. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.* Si humaniter, et sapienter, et amabiliter in me cogitare vis, facilem profecto te praebebis. *Hor. Ep.* 2, 1, 147. Libertasque recurrentes accepta per annos Lusit amabiliter, donec jam saevus apertam in rabiem verti coepit jocus. ℙ Item cum amore, *Ov. A. Am.* 3, 675. Spectet amabilius juvenem: suspiret ab imo, etc. *Petr. Sat.* 112. Vultum suum super cervicem Gitonis amabiliter posuit.

*AMAGETOBRIA, ae, V. MAG.

*AMALCHIUS OCEANUS, mare septentrionale circa Germaniam. *Hecat.* ap. *Plin.* 4, 13, 27.

*AMALOCIA et Amalusta, ae, herba Chamaeleon (*Camille*), *Appul. Herb.* 23.

AMALTHEA, ae, f. Ἀμαλθεία, filia Melissi, seu Melissei Cretensium regis, quae una cum sorore Melissa Jovem puerum in Creta insula caprino lacte nutrivit. Narrat *Hygin. fab.* 139. cum Saturnus Jovem recens natum quaereret, ut eum devoraret, quod sciebat, ab eo sibi regnum ademptum iri, Amaltheam occuluisse eum in arbore, et ne vagitu proderetur, impuberes aliquot convocasse, dedisse eis clypeola aenea, et hastas, quibus vagienti puero obstreperent, ne a Saturno exaudiretur. Quo *Hygini* loco pro *Amalthea* legitur etiam in quibusdam codicib. *Adamantaea:* alii legendum censent *Adrastea.* Nam Melissi filiae a quibusdam *Adrastea*, et *Ide* nominantur. Alii dicunt *Amaltheam* nomen esse non filiae Melissi, sed caprae, cujus lacte ea Jovem aluit. Haec igitur capra, quae duorum haedorum mater erat, cum aliquando cornu in arbore fregisset, sublatum illud Nympha, et cinctum recentibus herbis, et plenum pomis Jovi obtulit: qui postea rerum potitus et haedos, et matrem, et ipsum quoque cornu in coelum transtulit, et sidera fecit. Posita autem sunt capra quidem humero, haedi autem in sinistra manu aurigae. Cum exoriuntur, et occidunt pluviam plerumque ferunt, et tempestatem. V. *Hygin. Astron.* 2, 13. et 3, 12. et *Ov. Fast.* 5, 111. et deinceps. *Id. ib.* 115. Nais Amalthea Cretaea nobilis Ida. ℙ Addunt alii, hoc idem cornu, antequam in coelum transferretur, ab Jove Nymphis nutricibus redditum fuisse, addito promisso, se, quidquid optassent, ex eo largiter suppeditaturum. Hinc *Amaltheae cornu*, κέρας Ἀμαλθείας, Graeco proverbio de locuplete abundantia dicitur: Latine *cornucopia*, vel *cornu copiae. Hor. Od.* 1, 17, 14. hinc tibi copia Manabit ad plenum benigno ruris honorum opulenta cornu. V. CORNU COPIAE. Hinc etiam, qui libros scripsere varii argumenti, ad commendandam operam suam, eos inscribere soliti sunt Graeco illo titulo Κέρας Ἀμαλθείας, ut significarent, quidquid lectores cuperent, in eo opere certo inventuros, ut vel lactis gallinacei sperare ibi haustum possent, ut *Plin.* loquitur *praef. Hist. nat.*, quod et *Gell.* innuit in sua: quem V. etiam 1, 8. Eadem ratione *Amalthea* (et *Amaltheum*) dicta est Attici, et Ciceronis bibliotheca, quod omnis generis libros contineret. *Cic. Att.* 1, 16, *ad fin.* Epigrammatis tuis, quae in Amaltheo posuisti, contenti erimus. *ib.* Velim ad me scribas, cujusmodi sit Ἀμαλθεῖον tuum, quo ornatu, qua τοποθεσία: et quae poemata, quasque historias de Ἀμαλθείᾳ habes, ad me mittas. *Id. ib.* 2, 1. *ad fin.* Amalthea mea te exspectat, et indiget tui. ℙ Est etiam nomen Sibyllae Cumanae apud *Lactant.* 1, 6., de qua *Tibull.* 2, 5, 67. Quidquid Amalthea, quidquid Marpessia dixit: Herophilae Phoebo grata quod admonuit. [*Cf. *Heyn.* ad h. l.]

*AMANDAE, arum, Indiae populus Indum inter et Hydaspen. *Plin.* 6, 20, 23.

AMANDĀTĬO, nis, f. ἀποπεμψις, actus amandandi. *Cic. Rosc. Am.* 15. Tamen ne haec attenta vita et rusticana, relegatio atque amandatio appellabitur?

AMANDĀTUS, a, um, part. v. *amando*, ἀποπεμφθείς, procul missus, relegatus. *Cic. Dom.* 25. Me expulso, Catone amandato. *Id.* ad *Quir.* 4. *in fin.* Infra mortuos amandatus. *Tac. Hist.* 4, 56. Amandatus in Frisios. *Gell.* 12, 1. *ad fin.* Oblivio filii amandati ad aliam nutricem.

AMANDO, as, avi, atum, á. 1. ἀποπέμπω, alio mitto, longe ire jubeo, removeo, relego, [*plerumque cum contemtu quodam dicitur. Cf. *Matthiae* ad *Cic. Rosc. Am.* l. l.] *Cic. Rosc. Am.* 15. An amandarat hunc sic, ut esset in agro, ac tantummodo aleretur ad villam? *Id. Verr.* 2, 5, 27. Amandare hominem Lilybaeum. *Id. Att.* 7, 13. in Graeciam. *Id.* ad *Quir.* 4. *in fin.* infra mortuos. *Id. N. D.* 2, 56. *in fin.* Natura res similes procul amandavit a sensibus.

AMANIENSES, ium, m. plur. populi incolae Amani montis. *Cic. Fam.* 2, 10.

AMANS, tis, part. v. *amo*, qui amat, amicus, φιλῶν. *Cic.* Q. *Fr.* 3, 8. Hirrus quam se ipse amans sine rivali! *Id. Fam.* 9, 6. Homines, ut cognovi, amantes tui. *Id. Att.* 9, 19. Boni cives amantes patriae. *Id. Rabir. Post.* 16. Veterem amicum suum, studiosum, amantem, observantem sui. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 5. Si quem forte cognosti tui amantiorem, quam temporis. *Id. Fam.* 16, 7. Ad nos amantissimos tui veni. *Ov. Pont.* 2, 9, 46. Amans cruoris. ℙ Tribuitur et rebus inanimis, quibus amor, et benevolentia significatur. *Cic. Fam.* 5, 15. Lenissimis et amantissimis verbis uti. *Id. Cluent.* 5. Quo ipsum nomen amantius indulgentiusque maternum, hoc, etc. Adde *Ov. Fast.* 6, 113. ℙ Saepissime absolute usurpatur pro amatore. Differunt tamen proprie loquendo *amans*, et *amator*, ut innuit *Cic. Tusc.* 4, 12., quod *amans* dicitur qui revera amat: *amator*, qui proclivis est ad amandum, quique potest aliquando sine amore esse: quemadmodum *iracundus* dicitur qui facile irascitur, quique potest aliquando etiam sine ira esse; *iratus* vero, qui iram habet. Hoc tamen discrimen non est perpetuum. V. AMATOR. *Prop.* 2, 13, 65. Durius in terris nihil est quod vivat amante. *Ter. Andr.* 3, 3, 23. Amantium irae amoris integratio est. *Ov. A. Am.* 1, 633. Juppiter ex alto perjuria ridet amantum. ℙ [In *Inscrr.* saepissime usurpatur *amantissimus* passive, pro eo nempe qui multum amatur; quod scilicet est pro *amatissimus. Inscr.* ap. *Grut.* 781, 7. C. Fabius Placentinus sibi, et Coeliae Olympiadi uxori amantissimae et suis. *F.*]

AMANTER, adv. cum amore, φιλικῶς. *Cic. Fam.* 5, 19. Exspectare amanter adventum alicujus. *Id. Att*, 2, 4. Amanter aliquid, diligenterque conficere. *Id. ib.* 6, 2. Obsecrare aliquem amantissime. *Id. Amic.* 1. Conjunctissime et amantissime vivere cum aliquo. *Id. Fam.* 3, 6. Hoc meo facto valde delector: nihil enim potuit fieri amantius. *Tac. A.* 1, 43. Melius et amantius.

*AMANTES, ium, v. AMANTIA.

AMANTIA, ae, f. amor. *Pl. Truc.* 4, 2, 4. Prome venustatem, amantiam, gaudia. Alii leg. Prome venustatem amanti tuam, etc. [*Omnino. Hoc igitur voc. e lexicis tollendum est.]

AMANTIA, ae, f. oppidum Macedoniae Illyricae, seu maritimae in ora occidentali, apud Celydni fluminis ostium, inter Bullidem et Oricum: nunc *Porto Raguseo. Caes. B. C.* 3, 40. Qui commeatus Bullide, atque Amantia importari in oppidum prohibebat. Adde *Cic. Phil.* 11, 11. ℙ Hujus oppidi incolae appellantur *Amantiani* ab eodem *Caes. ib.* 12., et *Amantes* a *Plin.* 3, 23, 26., et *Amantini* 4, 10, 17. Quamquam *Amantini* [*etiam Amanteni dicti, Ἀμαντηνοί, *Ptol.*] apud *eund. Plin.* 3, 25, 28. sunt etiam Pannoniae populi.

AMANTIANI et AMANTINI. V. vocem praeced.

AMANUENSIS, is, m. ὑπογραφεύς, servus, cujus opera dominus in scribendo, epistolas praesertim, utitur, qui et *servus a manu* dicitur: unde haec vox originem habuit. *Suet. Tit.* 3. Notis quoque excipere velocissime solitum, cum amanuensibus suis per ludum, jocumque certantem. Adde *Ner.* 44.

*AMANUM PORTUS, Hispaniae oppidum in finibus Vardulorum cis Iberum. *Plin.* 4, 20, 34. Deinde Flaviobriga dicta est. *id. ib.*

AMANUS, ni, m. *Monte nero*, *Areuna*, *M. di Scanderona*, mons Syriae, qui illam a Cilicia discludit, maxime in longitudinem patens, ut qui a mari Cilicio usque ad Euphratem fluvium protenditur. Ibi sunt portae, per quas in dictas provincias trajectus est, quae *Amanicae* et *Ciliciae* appellantur a veteribus, apud Issum, Alexandriam, et Myriandrum. *Lucan.* 3, 244. Cappadoces, duri populus non cultor Amani.

AMARACĪNUS, a, um, adj. ἀμαράκινος, qui est ex amaraco herba. *Plin.* 13, 1, 2. Amaracinum unguentum. *Id.* 21, 22, 93. Oleum amaracinum. ℙ *Amaracinum*, *i*, absolute ponitur pro unguento amaracino, quod laudatissimum in Coo insula olim fiebat, ut *Plin. l. l.* scribit. *Lucr.* 4, 1171. postesque superbos Ungit amaracino. *Id.* 2, 846. Sicut amaracini blandum, stactaeque liquorem. ℙ *Serv.* ad *A.* 1, 693. fabellam narrat huc pertinentem, quam V. in v. seq. ℙ *Nihil cum amaracino sui:* proverbium ap. *Gell. praef. sub fin.* de iis, qui nullum cum re aliqua commercium habent, vel qui nullam ex re aliqua voluptatem capiunt. Sues enim amaracinum maxime fastidiunt, teste *Lucr.* 6, 973. amaracinum fugitat sus.

AMARACUS, i, m. et f. et Amārācum, i, n. ἀμάρακος, (*Majoran*) genus herbae, quae et *sampsuchum* dicitur, valde vivax, radices habens multifidas, in summo terrae haerentes, semen ferens copiosum, odoremque acrem et gratum, et propterea coronis aptissima. Quidam ajunt, esse eam, quam Itali vocant *majorana*, aut *persa:* alii negant. *Plin.* 21, 11, 39. Amaracus, quem Phrygium cognominant. *Id. ib.* 22, 93. Sampsuchum, sive amaracum scorpionibus adversatur. *Id.* 13, 1, 2. Iris Illyrica et amaracus Cyzicena. ℙ Quidam hanc de amaraco fabulam tradunt: Amaracum fuisse filium Cynarae regis Cypri, qui cum unguentarium vas, quod ferebat, lapsus fregisset, vel nimio unguenti odore laesus, vel dolore fracti vasis intabuisse, et Deorum miseratione versum fuisse in herbam odoriferam sui nominis. ℙ [Fuit etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. Fea, *Framm. cons.* p. 110. Salvius Amaracus Aug. Lib. *F.*]

AMĀRANS, antis, part. ab inusit. *amaro*, *as*, amarum faciens, πικραίνων. *Ruf. Fest. Avien. in epist. ad Flav. Myrmecium* ap. *Pithoeum lib.* 4. *Collect. epigr.* et *poem. veter.*, quod penitus fellitus amarans Ora sapor, nil dulce meo sinit esse palato.

AMARANTUS, i, m. (*Tausendschön*), ἀμάραντος, herba speciem ferens verius quam florem, sine odore; quique gaudet decerpi, laetius renascens. Alexandrino palma, qui decerptus asservatur, madefactus aqua revirescit, et hibernas coronas facit: ab *a* privativa et μαραίνομαι, marcesco. *Plin.* 21, 8, 23. *Ov. Fast.* 4, 439. Has, hyacinthe, tenes, illas, amarante, moraris: Pars thyma, pars casiam, pars meliloton amant. ℙ Scribitur [*male] *amaranthus.*

[AMARĀNUS, a, um, adj. ad Amaranum pertinens, nunc *Montemarano*, mons et oppidum prope Abellinum in Hirpinis. *Inscr.* ap. *Romanelli Topogr. Napol. T.* 2. p. 321. Heraiscus Eggiae Nerullae Servus Jovi Amarano aram posuit, *h. e.* Jovi, qui in eo monte colebatur. *F.*]

*AMARDI, orum, Scythiae populus, intra Imaum, *Plin.* 6, 17, 19. *Mel.* 3, 5. ℙ Etiam populum Mediae hujus nominis novit *Strab.* 11. p. 350.

AMĀRE, adv. πικρῶς, acerbe, aspere, acriter. *Pl. Truc.* 1, 2, 78. E linguis dicta dulcia datis, corde amare facitis. *Sen. Benef.* 5, 23. Admonebo ergo non amare, non palam sine convicio. *Appul. Met.* 5. *in f.* Amare coercere. *Ascon. in Div. Verr.* 8. et 16. Amare dicere aliquid. *Cajus Dig.* 21, 1, 18. exigere aliquid ab aliquo. *Paul. ib.* 24, 1, 28. aliquem tractare. *Macr. Sat.* 1, 2. Amarius aliquem reprehendere. *Suet. Tib.* 54. Amarissime congestis probris.

AMĀRESCO, is, n. πικραίνομαι, amarus fio. *Pallad.* 2, 15. *a med.* Arbores amygdali servandae sunt a pecore, quia si rodantur amarescunt.

AMĀRĬCO, as, a. 1. amarum facio et translate concito, ad iram provoco. Usurpatum est a *Plin. Valer.* 1, 17. et ab *August. Enarr.* in *Psalm.* 65. *n.* 15. Ecce repulsi sunt qui amaricant. [*Vulg. Apocal.* 10, 10. Amaricatus est venter meus. *F.*]

AMĀRĪTĀS, atis, f. πικρότης, amaritudo. *Vitr.* 2, 9. *a med.* Larix vero non solum ob succi vehementem amaritatem ab carie non nocetur etc. Al. aliter leg.

AMĀRĪTER, adv. amare. *Hieron. ep.* 23. ad *Marcellam*, *n.* 1. Petrus amariter flens.

AMĀRĪTĬES, ei, f. amaritudo, πικρότης. *Catull.* 68, 18. Quae dulcem curis miscet amaritiem. [*Vet. Gloss.* habet alteram formam: amaritia.]

AMĀRĪTŪDO, inis, f. πικρότης, πικρία γεύσεως, amarus sapor. *Varr. R. R.* 1, 66. Oleas albas nisi condieris, propter amaritudinem illas respuit palatum. *Plin.* 21, 21, 92. Amaritudo absinthii. *Id.* 24, 14, 77. Radices summae amaritudinis. Et in plur. num. *Id. ib.* 11, 64. Amaritudines hebetare. ℙ Translate. *Just.* 38, 5. Amaritudo decretorum. *Val. Max.* 4, 1. *n.* 6. *ext.* odii. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. carminum, *h. e.* maledicentia, mordacitas. Sic *Quint.* 10, 1, 117. Ut amari sales, ita amaritudo ipsa frequenter ridicula est. *Plin. ep.* 6, 8. Nosti facetias hominis: quas velim attendas, ne in bilem et amaritudinem vertat injuria. *Id. ep.* 1, 16. *a med.* Quantum illis (*versibus*) leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris inseris! *h. e.* aculei, quo vitia pungit et notat. *Val. Max.* 4, 4. *sub init.* Divitiarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus referta, *h. e.* miseriis *Mamertin. Gratiar. act.* 20. Amaritudo injuriae. [*Quint.* 1, 1, 20. amaritudinem (discendi) semel praeceptam reformidet.] ℙ *Amaritudo vocis*, Graece πικροφωνία, est, cum vox supra modum ac paene naturam vocis humanae acerba est. *Quint.* 11, 3. *ad fin.*

AMĀROR, oris, m. πικρότης, amaritudo. *Lucr.* 4, 224. dilutaque contra Cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror. *Virg. G.* 2, 246. At sapor indicium faciet manifestus, et ora Tristia tentantum sensu torquebit amaror. Al. leg. *amaro*, sed invito *Gell.* 1, 21. quem cf.

AMĀRŪLENTUS, a, um, adj. id. q. amarus, vel valde amarus: et translate acris, mordax, maledicus. *Gell.* 3, 17. Timon amarulentus librum maledicentissimum conscripsit. *Macr. Sat.* 1, 7. Amarulenta dicacitas.

AMĀRUS, a, um, adj. πικρός, saporem habens dulci contrarium, asperum, insuavem. Si *Etymologos* audimus, videtur dici proprie de sapore salso, qui in aqua marina percipitur. Hinc *Virg. Ecl.* 10, 5. Doris amara. Saepius tamen dicitur de aliis ingratis saporibus, qui salsi non sunt, et dulcibus opponuntur. *Cic. Fin.* 2, 12. Sensus judicat dulce, amarum, lene, asperum. *Id. N. D.* 3, 13. Animal sentit et calida et frigida, et dulcia et amara. *Virg. Ecl.* 1, 79. Amarae salices. *Plin.* 11, 6, 5. Amariores succi. *Id.* 21, 7, 19. Iris gustu amarissima. *Id.* 25, 6, 27. Amarus gustus. *Id.* 11, 7, 6. Amarus sapor. *Catull.* 27, 2. Inger mi calices amariores, *h. e.* meraciore et vetustiore vino plenos: vinum autem vetus amaritudinem, seu austeritatem quandam induit. *Cels.* 1, 3. Os amarum, *h. e.* amarorem sentiens amarae salivae, seu humoris. Apud *Ov. Pont.* 1, 1, 24. *Messis amara* dicitur, quae ad plenam maturitatem non pervenit; fruges enim immaturae immaturus cibus sunt. ℙ Translate est ingratus, insuavis. *Plin.* 18, 12, 30. Fructus ipse amarus et odore. Sic *amarus sonus* auribus ingratus. *Stat. Th.* 10, 553. Tuba fores sonitu perfringit amaro. Et latiori sensu i. q. tristis durus, acerbus, asper. *Tibull.* 2, 4, 11. Nunc et amara dies, et noctis amarior umbra est. *Ov. Trist.* 5, 4, 15. Ferre casus patienter amaros. *Id. ib.* 2, 29. amara pericula ponti. [*Cf. *Broukh.* ad *Prop.* 4, 7, 5.] *Virg. Ecl.* 3, 109. quisquis amores Aut metuet dulces, aut experietur amaros. *Hor. Od.* 2, 16, 26. amara laeto risu temperare. *Id. ib.* 4, 12, 20. Cadus amara curarum eluere efficax. *Val. Max.* 7, 6. Amarissimae leges necessitatis. [*i. e. necessitate contra voluntatem inductae. Cf. de hac signif. *Barth.* ad *script. Venat.* p. 132. sq.] *Virg.*

A. 4, 203. Amarus rumor, *h. e.* tristia et adversa afferens. *Stat. Th.* 5, 393. Deprensaeque cadunt volucres, et messis amaro Strata gelu. ℙ Item pro mordaci et maledico. *Ov. Trist.* 3, 11, 31. Incessere aliquem dictis amaris. *Id. Pont.* 4, 14, 37. Vexare mores hominum scriptis amaris. *Quint.* 10, 1. Amari sales. *Virg. A.* 10, 900. Hostis amare, quid increpitas? ℙ Item pro moroso, difficili, fastidioso. *Cic. Att.* 14, 21. Amariorem me senectus facit: stomachor omnia. *Ter. Hec.* 4, 4, 88. Amarae mulieres sunt, non facile haec ferunt. *Sen.* etiam *de Ira* 1, 4. *amaros* dicit, quos Aristoteles *πικροὺς*, nimirum qui iram diu servant, et difficile deponunt, nisi ulti. ℙ *Amarum* absolute pro *amare* adverbio. *Appul. Met.* 6. p. 178, 26. Contortis superciliis subridens amarum, *h. e.* risu indignatione mixto. Adde *Ammian.* 21, 9. *in f.* ℙ [*Confunduntur *amarus* et *avarus*. V. *Burm.* ad *Ov. Trist.* 4, 10, 51. (*Virg. A.* 3, 44.) et *Broukh.* ad *Prop.* 1, 8, 38. — et *iniquus*, *id.* ad *Ov. Fast.* 6, 607. ac saepius.]

ĀMĂRYLLIS, ĭdis, f. *Ἀμαρυλλίς*, nomen puellae rusticae, quam saepe nominat *Virg. in Ecl.* imitatus *Theocr.* Graeca vox est et exponitur in lexico *Varini* per *πορνεία*, i. e. scortum: alii honestiore nomine *amorem* interpretantur. [*Furl. derivari vult ab *ἀμάρα*, i. e. sulcus in prato. Utrumque nihili est.] In accusativo singulari est *Amaryllida* ap. *Virg. Ecl.* 1, 5. In vocativo *Amarylli*, *ib.* 37. ℙ Quidam putant *Virg.* in Bucolicis non uno in loco hoc nomine designare urbem Romam, ut *Ecl.* 1, 30. Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit; et alibi: quod et *Serv.* ad h. l. observavit. [*Haec nemo jam credit.] *Ang. Polit. l.* 1. *ep.* 2. scribit, triplex urbi Romae nomen fuisse: unum hoc, quod vulgo usurpamus, *Roma;* alterum arcanum, quod *Amaryllidis* voce innuisse *Virg.* videtur; (quamquam alii *Valentiam* fuisse dicunt) tertium sacrificiis debitum *Anthusam*, Graece *Ἀνθοῦσαν*, hoc est *florentem*, vel *Floram.*

[ĀMĂRYNCEUS, ei, m. *Ἀμαρυγκεύς*, quadrisyllab. ad Trojam profectas est cum navibus undevicenis. *Hyg. fab.* 97. *F.*]

ĀMĂRYNTHIS Diana, cujus meminit *Liv.* 35, 38. Ita cognominata est ab Amarynthо vico apud Eretriam Euboeae urbem.

ĀMĀSCO, is, n. 3. amare incipio. *Diomed.* 1. p. 331. Ab *amo* veteres inchoativo modo dixerunt *amasco*. Unde et *amascos* amatores dicebant, et Plautus in *Truc.* (3, 1, 13.) *Mundulos istos amascos.* Naevius. *Nunc amasco primulum.* Haec *Diomed.*, cujus editiones aliquot omittunt *Naevii* locum. In *Plauto* plerique omnes leg. *amasios.*

ĀMĀSCUS, i, m. amasius. V. vocem praeced.

ĀMĀSĒNUS, *Toppia*, vel *Fiume dell' Abbazia*, fl. Volscorum in Latio, qui ex agro Privernate in Pontinam paludem, et mare Tyrrhenum haud procul a Tarracina, et Circaeis descendit. *Virg. A.* 7, 685. et ibi *Servius.* ℙ Alter idem in Latio est, qui ex finibus Aletrinorum in Lirim fl. labitur per agrum Frusinatem et Verulanum. ℙ Amasenus quoque, nunc *Judicello*, fl. est Siciliae, qui Catanam urbem interluit, et modo fluit, modo arescit. *Ov. Met.* 15, 279., ubi tamen leg. alii *Amenanus.*

*AMĀSĪA, ae, *Ἀμάσεια*, oppidum Ponti, in quo Strabo natus est. *Plin.* 6, 3, 31.

ĀMĀSĬO, onis, m. id. q. amasius. *Appul. Met.* 7. p. 197, 20. *de asino.* Festivus hic amasio. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 181. Nubunt puellae, saepe luduntur dolis, Amasionum comprimuntur fraudibus.

ĀMĀSIS, is, m. *Ἄμασις*, nomen proprium regis Aegypti, cujus tumulus fuit una pyramidum, ut innuit *Lucan.* 9, 155. Non mihi pyramidum tumulis evulsus Amasis. Hic legem condidit, ut quisque quotannis apud praesidem rationem vitae redderet, demonstraretque, unde viveret, aut quo quaestu sustentaretur, qui hoc non faceret, morte afficeretur. Hanc legem Solon ab Aegyptiis transtulit ad Athenienses. Multa de hoc *Plutarchus in Symposio septem Sapientum*, et *Diogenes Laertius in vita Periandri.*

ĀMĀSĬUNCŪLA, ae, f. amatrix: ita dicta blanditiae causa. Legitur in *Fragm. Trag. Petr.* 75. *Burm.*

ĀMĀSĬUNCŪLUS, li, m. diminutivum ab *amasius. Petr. Trag.* 45. *Burm.* Rixam inter zelotypos et amasiunculos.

ĀMĀSĬUS, ii, m. *ἐραστής*, amans, amator. *Pl. Cas.* 3, 3. *in fin.* Miserrimum hodie ego hunc habebo amasium. *Gell.* 7, 8. Delphinos Venerios esse et amasios. *Id.* 19, 9. Nostros quoque poetas amasios ac Venerios fuisse.

*AMASIUS v. AMISIUS.

ĀMĀSTRA, ae, f. oppidum antiquum Siciliae. *Sil.* 14, 267. [*Dicitur etiam *Amestratus*, *Cic. Verr.* 2, 3, 43. et *Mutistratus*, *Polyb. Strab. Ptol.* h. Mistretta.]

ĀMĀSTRĬACUS, a, um, adj. ad Amastrim urbem pertinens: quae est in Paphlagonia in ora maris Euxini, *Ἀμαστρις*. *Ov. Ib.* 320. Aut ut Amastriacis quondam Lenaeus ab oris, etc. [*Plin. 6, 2, 2. *Catull.* 4, 13.]

[ĀMĀSTRĬĀNUS, a, um, adj. id. q. Amastriacus. *Amastriani*, *orum* sunt incolae urbis Amastris. *Plin. ep.* 10, 99. Amastrianorum civitas, Domine, et elegans et ornata. *F.*]

*ĀMĀSTRIS v. vv. praecedd.

ĀMĀTA, ae, f. Ita a pontifice appellabatur virgo Vestalis, cum ad ministerium Vestae capiebatur, quod prima, quae hoc ritu capta fuit, hoc fuerit nomine. *Capi* autem idcirco dicebatur, quod veluti bello capta, a parente, vel ab eo, in cujus potestate erat, manu a pontifice maximo apprehensa abducebatur. Haec *Gell.* 1, 12. ℙ [Item uxor Latini regis. Veniliae Deae soror, auctore *Serv.* ad *Virg. A.* 7, 343. *F.*]

[AMATAE, arum, m. populi Indiae ad Indum fluvium. *Plin.* 6, 20, 23. *F.*]

*AMATHEI, orum, Arabiae felicis populus. *Plin.* 6, 28, 32.

ĀMĀTHUNTĬA, ae, f. dicta est Venus ab Amathunte Cypri urbe, ei sacra. V. AMATHUSIUS.

ĀMĀTHUS, untis, f. *Limisso*, urbs Cypri in ora meridionali, inter Curias et Citium, Veneri sacra. *Virg. A.* 10, 51. Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera. *Ov. Met.* 10, 531. Piscosamque Gnidon, gravidamque Amathunta metalli.

ĀMĀTHUSĬACUS, a, um, adj. ad Amathuntem pertinens. *Ov. Met.* 10, 227. Lactentes vitulos, Amathusiacasque bidentes. *Heins.* monet legendum *Amathusiadasve* a recto *Amathusias*, *adis.* Sic ap. *Symmach. ep.* 1, 8. Amathusias renidens, *h. e.* Venus: ut ipse idem emendat. Nam hic quoque alii aliter.

ĀMĀTHUSĬAS, ădis. V. vocem praeced.

ĀMĀTHUSĬUS, a, um, adj. ab Amathunte urbe. *Amathusia* dicta est olim tota Cyprus, teste *Plin.* 5, 31, 35. ℙ Venus etiam, quod Amathunte, et in tota Cypro colebatur. *Tac. A.* 3, 62. Delubrum Veneri Amathusiae ponere. *Ov. Am.* 3, 15, 15. Culte puer, puerique parens Amathusia culti. Adde *Virg. Cir.* 242. et *Catull.* 68, 51. Utroque loco *Scalig.* cum aliis legit *Amathuntia:* quod idem est. Utroque autem loco absolute more substantivi usurpatur.

ĀMĀTIO, onis, f. actus amandi, *ἔρως:* et dicitur fere de amore venereo. *Pl. Cas.* 2, 5, 20. Tua mihi odiosa est amatio. *Id. Poen.* 5, 2, 136. Acerba amatio. *Id. Rud.* 4, 5, 14. Inepta, atque odiosa amatio. Et in plural. num. *Id. Merc.* 4, 4, 53. Te Dii Deaeque perduint tua cum amica, cumque amationibus. *Id. Capt. sub fin.* Neque in hac (*fabula*) subagitationes sunt, neque ulla amatio, *h. e.* nulli inhonesti amores inducuntur.

ĀMĀTOR, oris, m. *φιλῶν*, qui amat, amicus. *Cic. Att.* 1, 20. Papirius Paetus vir bonus, amatorque noster. *Nep. Att.* 18. Amator antiquitatis. *Cic. Univ. fin.* sapientiae. *Hor. Ep.* 1, 10, 1. Urbis amatorem Fuscum salvere jubemus Ruris amatores. [*Cic. *Att.* 14, 10. pacis. *Id. Fam.* 9, 15, 11. amator tuus, i. e. amicus, ut *Ter. Eun.* 4, 3, 23. *Ib.* 4, 7, 27. et 5, 4, 14.] ℙ Saepe accipitur in malam partem pro amante venereo, *ἐραστής*. Differt tamen ab *amante*, quod ut ait *Donat.* ad *Ter. Andr.* 1, 1, 49., *amator* fingere potest, non enim semper amat: *amans* autem vere amat. V. AMANS. *Cic. Tusc.* 4, 12. Inter ebrietatem et ebriositatem interest: aliudque est amatorem esse, aliud amantem. *Id. Coel.* 20. Utrum hic adulter, an amator. *Id. Verr.* 2, 3, 63. *fin.* Alba tuus antiquissimus non solum amicus, verum etiam amator. *Hor. Ep.* 1, 1, 38. Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator. *Juven.* 6, 547. Amator tener. *Prop.* 2, 2, 26. blandus, et 2, 21, 4. pulcher. *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 38. Quis erat igitur? *Sce.* Philocomasio amator, *h. e.* amator Philocomasii. ℙ Etiam adjective accipitur. *Appul. Met.* 5. Ferro caput excideres meum, quod istos amatores oculos tuos gerit.

ĀMĀTORCŪLUS, i, m. *ἐρωτίλος*, diminut. ab amator. *Pl. Poen.* 1, 2, 27. Vix amatorculos invenimus.

ĀMĀTORĬĒ, adv. *ἐρωτικῶς*, more amatoris, qua amantem venerium significat. *Cic. Phil.* 2, 31. Epistola amatorie scripta. *Pl. Merc.* 3, 3, 20. Amatorie loqui.

ĀMĀTORĬUS, a, um, adj. *ἐρωτικός*, ad amorem pertinens, vel alliciens. *Cic. Tusc.* 4, 33. Anacreontis tota poesis amatoria est. *Ib.* 34. Frui voluptate amatoria. *Ib.* 3, 29. Amatorius sermo. *Suet. Cal.* 50. Amatorium medicamentum, *h. e.* ad amorem inducens, quod et *philtrum* dicitur. Sic *Plin.* 8, 22, 34. Amatorium virus. Et *Paul. recept. Sentent.* 5, 23, 14. Amatorium poculum. Et *Plin.* 9, 25, 41. Amatoria veneficia. ℙ *Amatorium*, *ii*, absolute pro medicamento, seu veneficio, et generatim pro vi et efficacia ad amorem inducendum, *φίλτρον*. *Plin.* 28, 8, 27. Hyaenae caverna sinistro lacerto alligata, si quis mulierem respiciat, amatorium est tam praesens, ut illico sequatur. *Id.* 20, 5, 15. Orpheus amatorium inesse staphylino dixit. *Id.* 28, 8, 27. Dissolvere amatoria. *Quint.* 7, 8, 2. [*cf. 7, 3, 10. 8, 5, 31.] Amatorium alicui dare. *Senec. ep.* 9. Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficae carmine: si vis amari, ama.

ĀMĀTRIX, īcis, f. quae amat, *ἐράστρια*. *Mart.* 7, 69, 1. Sappho amatrix. *Pl. Asin.* 3, 1, 8. Satis dicacula es amatrix. *Id. Poen.* 5, 5, 25. Adire ad amatricem. ℙ Adj. *Martial.* 7, 15. Amatrices aquae, *h. e.* amantes. Adde 10, 4.

ĀMĀTŪRIO, ūris, n. 4. amare cupio, aut paro: verbum meditativum ab *amo*, *as*, quod tanquam Latinum agnoscunt *Diomed.* 1. p. 336. et *Prisc.* 8. p. 825., sed nullo exemplo confirmant.

ĀMĀTUS, a, um, part. v. *amo*, dilectus, *ἠραμένος*. *Hor. Od.* 3, 27, 47. Frangere enitar modo multum amati Cornua tauri. *Id. Epod.* 17, 20. Amata nautis multum et institoribus. *Tac. G.* 40. Pax et quies tunc tantum amata. ℙ Substantive est id. q. amasius. *Ammian.* 22, 9. Adonia ritu veteri celebrari evenerat; amato Veneris apri dente ferali deleto, *h. e.* amasio. *Gell.* 16, 19. Arionem Periander amicum habuit amatumque. ℙ *Amatissimus* pro *amantissimus* legendum saepe in antiquis inscriptionibus. V. AMANS.

[AMAXĪTIS, is, f. *ἁμαξῖτις*, fortasse rectius *Hamaxitis.* Herba eadem quae agrostis. *Appul. Herb.* 77. *F.*]

ĀMĀZON, ŏnis, f. *Ἀμάζων*, Amazones fuere feminae bellicosissimae, quae Sarmatiam ad Tanaim fluvium primum incoluerunt, deinde in Cappadocia ad Thermodontem consederunt. Earum arma erant arcus cum sagittis, securis, hasta, et pelta lunata. Dictae sunt Amazones, quasi sine mamma, ab *α* priv. et *μαζὸς*, mamma. Mos enim fuit Amazonibus, interfectis maribus, quos genuissent, servare feminas, earumque infantium mammas dextras inurere, ne impedimento essent ad pugnam conserendam, et ne sagittarum jactus impediretur. At in omnibus, quae adhuc exstant, antiquis anaglyptis videre est passim Amazones utraque mamma praeditas, quia fortasse sculptores, quod visu ingratum foedumque foret, repraesentare noluerint. Vel dictae sunt ab *α*, et *μάζα*, i. e. puls, seu panis, quasi sine pane, eo quod non pane vescerentur, sed carnibus. Alii ab *ἅμα*, et *ζῆν* cum aspiratione in principio, tanquam in commune viventes dictas putant. Alii a nympha *Amazonide* filia Samornae. Alii ab *Amazone* puella Dianae sacerdote, et regina Ephesi. Ab his Ephesus urbs Asiae condita est. Origo, regnum, et res gestae Amazonum a *Justin.* 2, 4. disertissime descripta sunt. *Curtius* etiam 6, 5. ubi de Thalestri ultima earum regina verba facit, Amazonum cultus et mores breviter persequitur. *Senec.* item *Hippol.* 387. vestitum Amazonicum eleganter depingit. *Virg. A.* 11, 648. medias inter caedes exsultat Amazon. *Id. ib.* 660. pictis bellantur Amazones armis. *Val. Fl.* 5, 89. Amazon Mavortia. *Senec. Agam.* 218. Peltata Amazon. *Claud. carm. Fescenn.* 32. Saevae Amazones. ℙ Translate dicitur ab *Ov.* de puella Amoris castra sectante 2. *A. Am. fin.* quicumque meo superarit Amazona ferro. Et 3. *in.* Arma dedi Danais in Amazonas: arma supersunt, Quae tibi dem, et turbae, Penthesilea, tuae.

ĀMĀZŌNĬCUS, a, um, adj. ad Amazonas pertinens. *Plin.* 3, 5, 6. Amazonicae parmae figura. Adde *Suet. Ner.* 44. ℙ *Amazonicus* et *Amazonius mons* in Amazonum regione, *h. e.* in Cappadocia, ad cujus radices labitur Thermodon fluvius, memoratur a *Plin.* 5, 27, 27. et 6, 3, 4.

ĀMĀZŌNIS, ĭdis, f. id. q. Amazon: derivativum nomen pro primitivo. *Val. Fl.* 4, 602. Inclyta Amazonidum gens. *Virg. A.* 1, 490. agmina. *Prop.* 3, 12, 15. turma. ℙ Amazonis titulus fuit poematis a quodam Marso vili poeta confecti: de quo *Martial.* 4, 29. Saepius in libro memoratur Persius uno, Quam levis in tota Marsus Amazonide.

ĀMĀZŌNĬUS, a, um, adj. id. q. Amazonicus. *Hor. Od.* 4, 4, 20. et *Ov. Pont.* 3, 1, 95. Amazonia securis. *Ov. Her.* 4, 2. Amazonius vir, *h. e.* Hippolytus Hippolytes Amazonis ex Theseo filius. *Senec. Hippol.* 232. Amazonium genus. ℙ [*Amazonium, sc. oppidum, Ponti oppidum, cujus meminerunt *Mel.* 1, 19. *Plin.* 6, 3, 4.] ℙ Amazoniam vocabat Commodus Imp. Martiam quandam concubinam, quam pictam in Amazone diligebat: unde in honorem ejus Decembrem *Amazonium* ejus adulatores appellabant. *Lamprid. Comm.* 11. et *Ipse Comm.* ap. *Capitol. Alb.* 2.

AMBACTUS, i, m. Gallica [*vel potius Celtica] lingua, inquit Festus, apud *Ennium* servum denotat. *Vet. Gloss. Philox.* Ambactus, *δοῦλος μισθωτὸς*, *ὡς Ἔννιος*. Ambacti fuisse videntur iidem ac soldurii. Nonnulli putant, esse domesticum Gallorum [*imo Germanorum!] verbum, et eum significare, qui alterum assectatur, assiduusque minister et comes ejus est; ex *amt* munus, et *achten* curare. Adde in versione Gothica *epist. D. Pauli ad Rom.* 13, 3. et 4. bis legi *andbahts Goths*, *h. e.* minister Dei, et *ib.* 15, 8. *διάκονος* vertitur *andbaht.* Frustra igitur sunt qui e Latina lingua hanc vocem explicare conantur. Praeterea nummus Gallicus apud *Pellerin Recueil de Médaill. T.* 1. *tab.* 3. habet parte antica caput bovis, cum inscript. AMBACTUS. Incertum tamen est, utrum sit nomen hominis, an dignitatis, an denotet id quod

Itali dicunt *distretto* [**gewandt*], hac enim significatione usurpatur hodieque in Flandria. *Caes. B. G.* 6, 14. Equitum (Galliae), ut quisque genere copiisque amplissimus, ita plurimos circa se ambactos clientesque habet, nempe *Caes.* verbum *andbaht*, Romanis barbarum, interpretatus est Latino clientis vocabulo. [Haec ex *Oberlin. Comm.* in *Caes.* V. SOLDURII addidit. *F.*]

AMBADĔDO, is, a. 3. ab *amb*, *ad*, et *edo* compositum, significat proprie circum edere, et generatim absumere, vorare. *Pl. Merc.* 2, 1, 15. Dicit, capram suae uxoris dotem ambadedisse. Et mox: Ut una illaec capra uxoris simiae dotem ambadederit. *Acidalius* putat joculariter fictum esse a vocibus *ambo*, et *edo*, et ludere *Plautum* in eo, quod dicat, capram unam potuisse integram dotem arrodere.

AMBAGE, f. *ablativ. sing., et in plur. num.* Ambages, gum, gibus, proprie significat viarum circuitum, circuitionem, anfractum, viam obliquam a recta decedentem, atque ideo longiorem, *περίοδος*, ab *amb* [*i. e. *ἀμφί*, s. dorica dialecto *ἀμαί*, unde molliori pronuntiatione *amb*, quod semel monuisse sufficiat, v. *Koen.* ad *Gregor. Cor.* p. 344. ed. *Schaefer.*] circum, et *ago*, *is;* vel ab *ambio*, ut est apud *Varr. L. L.* 6, 3. Est autem nomen in iis tantum casibus usitatum, quos ponimus. Quamvis enim *Charis.* 1. p. 25. ponat rectum singularem *ambages*, et genitivum *ambagis*, horum tamen usum nondum vidimus. *Ov. Met.* 8, 160. de labyrintho Daedali: turbatque notas, et lumina flexum Ducit in errorem variarum ambage viarum. *Virg. A.* 6, 29. de eod. Daedalus ipse dolos tecti, ambagesque resolvit. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. Itinerum ambages. *Claud. IV. Cons. Honor.* 226. longis illuc ambagibus itur. *Id. Cons. Prob. et Olybr.* 34. remotas Tethyos ambages, *h. e.* maris varios circuitus flexusque. *Appul. Met.* 7. p. 194, 35. Hordeum frictum, et sub eadem mola meis quassatum ambagibus. [*Cf. *ib.* 9. p. 221, 35.] *Plin.* 2, 9, 6. Luna multiformi ambage torsit ingenia contemplantium. ℙ Saepius translate sumitur pro longo et obscuro verborum circuitu, implexa, captiosave sermonis perplexitate, qua verum involvitur et obscuratur, gr. *αἰνίγματα*. *Virg. G.* 2, 45. non hic te carmine ficto, Atque per ambages, et longa exorsa tenebo. *Liv.* 9, 11. *fin.* Vix pueris dignas ambages fallendae fidei exquirere. *Pl. Cist.* 4, 2, 81. Sed quaeso, ambages, mulier, mitte, atque hoc age. [**Pompej. comm. Art. Dom.* p. 73. *ed. Lind.* noli te in diversas ambages mittere.] *Ter. Heaut.* 2, 3, 77. Quas, malum, ambages mihi narrare occipit? *Hor. Ep.* 1, 7, 82. ne te longis ambagibus ultra, Quam satis est, morer. *Id. Sat.* 2, 5, 9. Quando pauperiem missis ambagibus horres, [*i. e. sine longa verborum circuitione, simpliciter, aperte. Cf. *Hdf.* Sic etiam in aliis locis, quos laudat Noster, nonnisi de ista verborum circuitione intelligendum est, neque necesse est, ubique de obscuritate cogites. *Ov. Met.* 3, 692. praebuimus longis ambagibus aures; cf. intpp.] Sic *Id. ib.* 10, 19. Si licet, et, falsi positis ambagibus oris, Vera loqui sinitis. *Id. ib.* 7, 760. de Sphinge, et praecipitata jacebat Immemor ambagum vates obscura suarum, *h. e.* captiosarum interrogationum, et aenigmatum, quibus praetereuntes fatigaverat. *Senec. Oedip.* 216. Ambage nexa Delphico mos est Deo Arcana tegere. [*Lucan.* 1, 637. multa tegens ambage canebat. *Bentl.* mavult *flexa* pro *multa*, quod exemplis adstruit.] *Tac. A.* 12, 63. Redditum oraculum: quaererent sedem caecorum terris adversam. Ea ambage Chalcedonii monstrabantur. Et *A.* 2, 54. Ferebatur Germanico per ambages, ut mos oraculis, maturum exitium cecinisse. Et *ib.* 11, 34. Aperire ambages, et veri copiam facere. *Plin.* 7, 55, 56. Post sepulturam variae manium ambages, *h. e.* variae implexaeque de defunctorum statu conjecturae et sententiae, ut ipse statim exponit. ℙ Dicitur etiam de factis, quibus obscurum aliquid innuitur. *Plin.* 19, 8, 53. Tarquinius Superbus legatis a filio missis decutiendo papavera, sanguinarium illud responsum ac facti ambage reddidit. *Liv.* 1, 56. de L. Jun. Bruto. Aureum baculum inclusum corneo ad id baculo tulisse donum Apollini dicitur, per ambages effigiem ingenii sui. *Plin.* 10, 49, 70. Etiam sine his immensa vitae ambage circa auguria, *h. e.* perplexitate.

AMBAGIO, onis, f. videtur id. esse, q. *ambages*, qua circuitionem significat. *Varr. L. L.* 3. Ambagio dicta ut ambustum, quod circum ustum est.

AMBAGIOSUS, a, um, adj. ambagibus abundans, *περίλογος*. *Gell.* 14, 1. *ad fin.* Ambagiosa conjectatione nitentes.

AMBAGO, ĭnis, f. id. q. *ambages*. *Manil.* 4, 303. Sic altis natura manet consepta tenebris, Et verum in coelo est multa cum ambagine rerum, *h. e.* obscuritate, incertitudine. *Serv.* ad *A.* 2, 297. docet, veteres dixisse tantummodo *ambages*, non *ambago*. V. COMPAGO.

*AMBARRI, orum, Galliae populus, *Caes. B. G.* 1, 11. habitans inter Aeduos et Allobroges, h. la Bresse (Dep. de l' Ain.)

AMBARVĀLIS hostia, ab ambiendis arvis dicta, victimae genus erat quotannis pro frugibus sacrificari solitum. Hujusmodi enim hostiis, antequam caederentur, arva solebant lustrari. *Servius* ad illud *Virg. Ecl.* 3, 77. Cum faciam vitula pro frugibus. Et ad illud *Ecl.* 5, 75. et cum lustrabimus agros. Et ad illud *G.* 1, 345. Terque novas circum felix eat hostia fruges: notat, iis locis hoc ambarvale sacrum designari (quod saepe de porca fecunda et gravida fieri consueverat, et *ambarvalia* dicitur ab eruditis) quia *am* hoc est circum *arva* victima caedenda ter ducebatur. *Festus:* Ambarvalis hostia est, quae rei divinae causa circum arva ducitur ab iis, qui pro frugibus faciunt. Idem repetit *Macr. Sat.* 3, 5. Adde *Vopisc. Aurel.* 20. Hoc sacrificium (quod describitur a *Tibull.* 2, 1. [*et *Vulp.* ad h. l. p. 142.]) peragebatur a sacerdotibus, qui *Fratres arvales* dicebantur: quorum collegium ex duodecim constabat. Deceptum enim fuisse pravo codice *Festum*, cum *duobus fratribus* scripsit, notat *Scalig.* ad vocem *Ambarvales.* [*Duo h. l. confundit Noster, ut monstrat *Voss.* ad *Virg. G. l. l.* Nam altera Ambarvalia instituebantur ab incolis singulorum vicorum Cereri et Baccho, ideoque *privata* appellari possunt. Altera sunt *publica*, a Romulo instituta, quum fratres Arvales veterem agrum Romanum intra quintum et sextum lapidem solenni lustratione ambirent. Multis de hoc disserit *Voss. l. l.*] Ceterum *Marin. Frat. Arv. p. xxix.* subdubitat, num reapse Fratres Arvales ambarvale sacrificium peragere solerent. V. ARVALIS. *F.* *Cf. quae paullo ante addidimus.]

[AMBĂTUS, i, m. *ἄμβατος*, pro *ἀνάβατος*, scansilis, qui ascendi potest. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 702, 7. L. Postumius Ambatus. *F.*]

AMBAXIOQUI, circumeuntes catervatim. *Festus.* Legit *Scaliger: ambaxi, qui circumeunt, et catervatim.*

AMBE, vox est in compositione solummodo locum habens, et significat *circum*, ducta a Graeco *ἀμφί*. [*Cf. *Ambage.*] Hinc fit *ambages*, ut *Varr. L. L.* 6, 3. docet, et *ambio*, *ambitus*, ut docet *Voss. l.* 2. *de Grammat. c.* 18. [*Est, ut diximus, graeca praep. *ἀμαί* pro *ἀμφί*, quae integra servatur in *ambivium;* in aliis apocopen passa est, *amb* v. *amp* ante vocalem; *am* ante consonam, v. c. amp — ulla (pro *olla*); am — truo; am — segetes. *Beier.* V. *Rudd.* 1. p. 318.]

AMBĔDO, dis, di, sum, a. 3. *περιφάγω*, circum edo: ex *amb*, hoc est, circum, et *edo*. *Tac. Ann.* 15, 5. Vis locustarum ambederat quidquid herbidum, aut frondosum, etc. Ita legendum cum opt. codd. et ex opt. Criticor. sententia: non *abederat*, tanquam sit ex *abedo*. *Alfen. Dig.* 41, 1, 38. Flumen paulatim primum omnem agrum ambedit: deinde et viam sustulit. ℙ Pro *ambedit* usurpari potest etiam *ambest*, ut docet *Festus;* qui addit *ita tertiae personae verbum esse, ut nullam aliam habeat declinationem:* quibus verbis significare videtur, non, sicut *ambest*, dici posse etiam *ambes* pro *ambedis*, *ambestis* pro *ambeditis*, etc.

AMBEGNA vel Ambiegna hostia apud veteres dicebatur ea, quae ab utroque latere agnis comitata ad sacrificium ducebatur: quasi *ambiagna*, vel ab *amb*, circum, et *agnus*. *Festus* habet *ambegna*, docetque ita speciatim appellatos fuisse bovem, et vervecem, quando eo comitatu mactabantur. *Baebius Macer* apud *Fulgent. de prisco Sermon. n.* 6. scribit ita dictas fuisse oves, quae geminos peperissent, et Junoni sacrificarentur. *Varr. L. L.* 6, 3. habet *ambiegna*, additque vocem fuisse propriam augurum. ℙ In loco *Fulgentii* quidam legunt *ambigna.*

AMBENS, pro *ambedens*, part. casibus carens, ab *ambesse* pro *ambedere*, hoc est consumere. *Lucr.* 5, 397. Ignis enim superavit, et ambens cuncta perussit. ℙ Sunt qui putant dictum esse pro *ambiens*, hoc est circumiens.

AMBESTRIX, īcis, f. quae ambedit. *Ammian.* 29, 3. Cum duas haberet ursas saevas hominum ambestrices.

AMBĒSUS, a, um, part. v. *ambedo*, *περιφαγείς*, circumquaque esus, exesus. *Virg. A.* 3, 257. ambesas malis absumere mensas. *Id. ib.* 5, 752. Robora ambesa flammis. *Pierius* hoc loco ait, in antiquis aliquot codicibus scriptum esse *ambessa* ea ratione, qua et *fussus*, et *aussus*, et *odiossus* olim scribebatur: quae omnia sustulit usus. *Senec. Hipp.* 1266. Membrum multo vulnere ambesum, *h. e.* laceratum, attritum, avulsum. Al. leg. *abruptum.*

[AMBĬĂLUS, i, m. qui ambit, honores quaerens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Gud.* 320, 9. C. Rufius C. L. Ambialus. *F.*]

AMBĬĀNI, orum, olim Ambianum, m. populi Galliae Belgicae ad Somonam fluvium, quorum urbs [*teste *Ptol.* dicta est Samarobrīvā a veteribus; a recentioribus, *Anton. Itin.* et *Ammian.* 15, 27. etiam Ambiani, unde] nunc *Amiens. Plin.* 4, 17, 31., *Caes. B. G.* 2, 4. ℙ [*Ambianus*, *a*, *um*, adj. Ambiani accola. *Grut.* 726, 1. Claudiae Lepidillae ex provincia Belgica Ambianae fecerunt liberi ejus Lepidus et Trebellius matri optimae. *F.*]

*AMBĬĀTĪNUS, vicus in Treveris, *Suet. Cal.* 8. Alii legunt: *Ambitarinus.*

*AMBIBĀRI, orum, *Ἀμβιβάριοι*, Galliae populus, *Caes. B. G.* 7, 75. Ex sententia *Reichard.* Ambieres (Normandie).

[AMBIBŪLUS et Ambibolus, i, m. ex *am* circum, et *bibulus*, circum bibulus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 323, 2. Annio Vero III. et Eggio Ambibulo coss., *h. e.* ann. a Chr. n. 126. Item alia apud *Don. cl.* 8. *n.* 4. L. Varius Ambibolus. *F.*]

AMBĪDENS ovis appellatur, quae superiores, et inferiores habet dentes. *Festus.*

AMBIEGNA. V. AMBEGNA.

AMBĬENTER, adv. cum ambitione, cupide. *Sidon. ep.* 7, 9. Ambienter expetere.

AMBĬFĂRĬAM, adv. *Appul. Apolog.* p. 276, 3. Ambifariam dissolvere dictionem. Et *Flor.* 4. *n.* 18. p. 360, 25. Anceps argumentum ambifariam proposuit. De vocis etymo V. BIFARIAM.

AMBĬFĂRĬĒ, adv. id. q. ambifariam. *Mamert. de Statu anim.* 1, 3. Ambifarie subditus passioni.

AMBĬFĂRĬUS, a, um, adj. *Arnob.* 5. p. 181. Ambifariae fabulae. Et p. 182. Ambifaria obtentione velatus. *Arnob.* his locis non tam *duplicem*, quam *ambiguum* significare voluit.

AMBĬFORMĬTER, adv. *Arnob.* 5. p. 183. Ambiformiter dictum, *h. e.* ambigue, dubia, et ancipiti significatione.

AMBĪGA, ae, f. vox Graeca, *ἄμβιξ*, *ικος*, qua significatur vasculum pyramidis figura in acutum tendens, e testa vel vitro, ut docet *Coel. Aurel. Tard.* 4, 7. Meminit etiam *Apic.* 6, 7.

AMBĪGĔNUS, a, um, adj. qui est duorum generum. *Eugen. Toletan. carm.* 22. Haec sunt ambigena, quae nuptu dispare constant. Burdonem sonipes generat commixtus asellae.

AMBĪGO, is, n. 3. *ἀμφιβητέω*, ex *amb*, circum, et *ago*, *is*, [*pr. animum in diversas partes ago, i. e.] dubito, et inter duas, aut plures sententias utram eligam, anceps sum. In praeteritis non est in usu. *Justin.* 29, 4. Tot malis obsessus, cui rei primum occurreret, ambigebat. *Curt.* 3, 3. Alexandrum regnum Asiae occupaturum, haud ambigere. *Tac. Ann.* 12, 65. Ne quis ambigat, decus, pudorem, corpus, cuncta regno potiora habere. *Id. ib.* 1, 10. Imperitos animos quaenam post Augustum militiae conditio, ambigentes. *Gell.* 14, 2. In hac causa, de qua tu ambigis. *Cic. Or.* 3, 29. Omnis res habet naturam ambigendi, *h. e.* ut de ea dubitari, et quaeri possit in utramque partem. Hinc passive impersonaliter, [*i. q. incertum est, non constat, in utramque partem judicatur.] *Cic. Or.* 2, 26. In eo genere, in quo quale quid sit, ambigitur. *Hor. Ep.* 2, 1, 55. Ambigitur quoties, uter utro sit prior. *Tac. Ann.* 6, 28. Aspici aliquando in Aegypto eam volucrem, non ambigitur. *Plin.* 33, 1, 4. Quamquam et de nomine ipso ambigi video. ℙ Pro disputare cum aliquo, controvertere, quaerere. *Cic. Fin.* 2, 2. Ut inter eos, qui ambigunt, conveniat, quid sit id, de quo agatur. *Id. Or.* 36. Ambigere de vero. [**Liv.* 1, 3. haud nihil ambigam, (quis enim rem tam veterem pro certo affirmet?)] Ideoque etiam pro litigare, judicio, aut armis de aliqua re certare. *Cic. Invent.* 2, 42. Ambigunt agnati cum eo, qui est heres, si filius, etc. *Id. Caec.* 8. Ambigere de fundo. *Id. Verr.* 2, 1, 45. de hereditate. *Ter. Heaut.* 3, 1, 94. de finibus. *Liv.* 40, 15. de regno. *Id.* 21, 31. Regni certamine ambigebant fratres. ℙ Interdum passivorum more usurpatur cum nominativo patiente, ut vocant Grammatici. *Cic. Or.* 2, 24. *ad fin.* Nihil est quod inter homines ambigatur, *h. e.* in quaestionem adducatur. Et 26. In iis causis, quae propter scriptum ambiguntur. *Id. ib.* 1, 57. In eo jure, quod ambigitur inter peritissimos. *Lucr.* 3, 1088. Ambigitur status. ℙ Sunt qui derivant ab *amb*, et *ago*, et proprie idem esse quod circumdo, ambio, circumeo: atque hinc factas esse voces *ambactus* [*v. supra s. h. v.] et *ambages.* Hoc sensu dixisse *Tac. A.* 6, 15. Ne tecta quidem urbis unquam adiit, deviis plerumque itineribus ambigens patriam et declinans. Verum hic locus aliter ab aliis explicatur: et sunt etiam qui lectionem sollicitant. Quidam enim *ambiens* reponere tentarunt: alii sic distinguere malunt: *Deviis plerumque itineribus ambigens, et patriam declinans*, hoc est errans, tanquam ambiguus, quo pergeret. [*Illud praestat. Videtur *Tac.* h. v. usus esse novo modo, respiciens ejus etymon. *Ern.* ita explicat: ambagibus circumibat urbem et declinabat, quoties ad eam accessisset.]

AMBĪGŬĒ, adv. *ἀμφιβόλως*, dubie, obscure. *Cic. N. D.* 1, 31. Ambigue loqui. *Id. Or.* 32. Ambigue dicere aliquid. *Id. Or.* 2, 26. Aliquid ambigue scriptum. *Aur. Vict. de Vir. ill.* 35. Apollo ambigue respondit: Ajo, te Aeacida Romanos vincere posse. *Tac. Hist.* 3, 35. Ambigue agere, *h. e.* dubia fide. *Id. Ann.* 2, 21. et *Hist.* 4, 66. Ambigue pugnare, *h. e.* dubia fortuna, et ancipiti victoria.

AMBĪGŬĪTĀS, atis, f. *ἀμφιβολία*, duplex, seu multi-

plex et dubia verbi alicujus significatio, atque adeo obscura. *Cic. Invent.* 1, 40. Ambiguitate nominis errare. [**Quint.* 5, 10, 106. vocum.] *Liv.* 41, 18. Ambiguitas verbi. *Quint.* 7, 2. *a med.* Solvere ambiguitatem. *Id.* 8, 2, 15. vitare. *Senec. ep.* 9. In ambiguitatem incidendum est, si exprimere ἀπάθειαν uno verbo voluerimus, et impatientiam dicere. ℙ In plur. num. *Id. ep.* 108. Relictis ambiguitatibus, et syllogismis, et cavillationibus. *Quint.* 1, 10, 5. Exquisitas ambiguitates.

AMBĪGŪUS, a, um, adj. ἀμφίβολος, dubius, incertus, qui duplicem, aut etiam multiplicem significationem habere potest. Dicitur enim proprie de verbis, quae duplici ratione possunt explicari, ut *Cic.* docet *Or.* 34. *fin.* et *Festus* ubi ait, simul verbi originem indicans: *Ambiguum est, quod in ambas agi partes animo potest:* latiore autem significatione de quacumque re incerta, dubia, obscura. *Cic. Top.* 25. Id autem contingit, cum scriptum ambiguum est, ut duae differentes sententiae accipi possint. *Id. Or.* 29. Verba ambigua distinguere. *Id. Div.* 2, 56. Oracula ambigua. *Id. Tusc.* 3, 9. Ambiguum nomen. [*Hinc *Hor. Od.* 1, 7, 29. ambiguam tellure nova Salamina futuram, i. e. dubiam, dubii nominis fore propter novam Salamina in Cypro condendam. Minus recte nobis *Döring.* explicare videtur: veteris Sal. gloriam obscuratum iri.] *Suet. Tib.* 24. Ambigua responsa. *Liv.* 6, 2. Esse ambigua fide in amicitia alicujus. [**Id.* 21, 52. ambiguo favore gratiam victoris spectare, i. e. utrique parti ita favere, ut neutri plus aut minus tribuatur negeturve. *Id.* 40, 8. haud ambiguus rex, i. e. certus rex futurus. *Gell.* 3, 14. femina bonis atque honestis moribus, non ambigua pudicitia. Eodem fere modo *Ov. Her.* 10, 62. ambiguae appellantur maris viae; certae enim viae in terra.] *Virg. A.* 1, 661. Domus ambigua, *h. e.* in qua habitant homines dubiae fidei. Et 2, 98. spargere voces ambiguas, *h. e.* suspicionum et criminum plenas. Et *Plin. ep.* 4, 2. Puer acris ingenii, sed ambigui. *Hor. Od.* 2, 5. *extr.* Puer vultu ambiguo, *h. e.* qui etiam puella videri potest. *Claud. Eutr.* 1, 462. Ambigui mares, *h. e.* eunuchi. *Ov. Met.* 2, 9. Ambiguus Protheus, *h. e.* qui in varias saepe figuras vertitur. [*Idem appellatur ap. *Sil.* 7, 435. ambiguus vates, quod *Drak.*, ut h. l., de varia ejus multiplicique forma explicat. Minus recte alii interpretantur: qui ambigue loquitur. Paullum alio modo *Ov. Am.* 1, 4, 8. vir ambiguus, i. e. Centaurus; sed *Met.* 4, 2, 80. est i. q. hermaphroditus. *Id. Am.* 3, 12, 28. Virgo ambigua, quod *Burm.* de Sphinge intelligit. *Id. Met.* 7, 271. inque virum soliti vultus mutare ferinos ambigui prosecta lupi, de lupo fabuloso, qui pro lubitu nunc in hominem nunc in lupum mutatur, n. Währwolf.] *Tac. A.* 2, 88. Ambiguus proeliis, bello non victus, *h. e.* qui in proeliis modo victoriam retulit, modo cladem. *Ambigua proles*, quae geminos originis auctores habet. *Virg. A.* 1, 180. Agnoscit prolem ambiguam, geminosque parentes. ℙ *Ambiguae res* sunt dubiae et adversae. *Tac. A.* 1, 64. Caecina secundarum, ambiguarumque rerum sciens, eoque interritus. ℙ Cum genitivo, Graecorum more: non tamen apud oratores. *Tac. A.* 1, 7. Ambiguus imperandi. *Id. ib.* 2, 40. pudoris ac metus. *Id. Hist.* 3, 43. futuri. ℙ *Ambiguum, i*, absolute ponitur pro verbo, aut re ambigua. *Cic. Or.* 2, 26. Ambiguorum complura sunt genera. [*I. e. ancipitium s. eorum, quae plus uno modo intelligi possunt. Ita *Auct. Her.* 1, 6. exordiemur ab — imitatione, depravatione, inversione, ambiguo, suspicione etc., quo loco explicat Toxita: ambiguum est, quum nescitur, in quam partem debeat accipi aliquid. *Ib.* 1, 12. ex ambiguo controversia nascitur, quum scriptum duas aut plures sententias significat; quod *ib.* exemplis illustratur. Genera ambigui recenset *Ernest. lex. techn. lat.* p. 17. et *id. techn. gr.* s. v. ἀμφιβολία. Ita *Suet. Cal.* 27. ambigui joci versiculus. *Id. Aug.* 75. tituli ambigui et obscuri.] *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 11. Ego tamen non habui ambiguum, *h. e.* non fui dubius. *Hor. Ep.* 1, 16, 28. Servare in ambiguo. *Tac. Agr.* 5. Non sane alias magis in ambiguo Britannia fuit, *h. e.* in discrimine. *Pl. Trin.* 2, 4, 193. Esse in ambiguo. *Lucr.* 4, 1130. Relinquere in ambiguo. *Ov. Met.* 1, 765. Ambiguum, Clymene precibus Phaetontis, an ira Mota magis.

*AMBILATRI, orum, populus Galliae Aquitanicae. *Plin.* 4, 19, 33. Fortasse iidem, qui

*AMBILIATI, orum, sive ut alii legunt, Ambialiti, Galliae populus. *Caes. B. G.* 3, 9. Ex sententia *Reichard.* h. Abbeville.

AMBĬO, is, ivi et ii, itum, a. 4. κυκλόω, περιβάλλω, circumeo: ab *am*, i. e. ἀμφί, circum, et *eo, is*. Habet autem duplex praeteritum imperfectum *ambibam* et *ambiebam*. [*Illa forma nonnisi apud poetas reperitur, ac nihil esse videtur, nisi contractio longioris formae: Alii statuunt duas formas *ambio*, unde ambitio, et antiquiorem *ambeo*, unde ambitus.] *Cic. Univ.* 9. Ut terram lunae cursus proxime ambiret. *Ov. Met.* 5, 360. curruque atrorum vectus equorum Ambibat Siculae cautus fundamina terrae. *Lucan.* 1, 592. jubet pavidis a civibus urbem Ambiri. [**Cic. Att.* 4, 3. Clodius vicatim ambire. *Liv.* 2, 3. legati, tanquam ad id, quod agi videbatur, ambientes etc.] ℙ Est etiam circumdare, cingere. *Curt.* 4, 2, Muros, turresque urbis praealtum mare ambiebat. *Vell.* 2, 101. Insula, quam amnis Euphrates ambiebat. *Suet. Aug.* 95. Circulus ad speciem caelestis arcus orbem solis ambiit. *Virg. A.* 10, 243. clypei oras ambiit auro. *Tac. A.* 1, 68. Ambire vallum armis. *Id. ib.* 15, 43. Ut propriis domus muris ambirentur. *Plin.* 37, 10, 60. Gemma pallida ambiente circulo aurei coloris. ℙ Quoniam vero apud Romanos mos erat, ut qui honores in republica et magistratus petebant, circuirent singulos, prensarent dexteras, rogarentque, ut se suffragiis adjuvarent, factum est, ut *ambire* capiatur pro honores quaerere, suffragium populi captare, φιλοτιμεῖσθαι, [*σπουδάζειν.] *Cic. Phil.* 11, 8. Quod si comitia placet in senatu habere, petamus, ambiamus. [**Cic. Rep.* 1, 31. ambiuntur, rogantur a candidatis cives, qui mandant imperia etc. *Beier.*] *Suet. Caes.* 18. Cum ambienti, ut legibus solveretur, multi contradicerent. *Pl. Amph. prol.* 74. Ambire sibi magistratum. ℙ Et generatim pro petere, rogare, quaerere magno studio aliquid, et precibus adhibitis favorem affectare. *Pl. Amph. prol.* 69. Ambire palmam histrionibus, *h. e.* palmam histrionibus captare per favorem, non ex meritis. *Suet. Aug.* 31. Cum in Vestalis demortuae locum aliam capi oporteret, ambirentque multi, ne filias in sortem darent. *Tac. Germ.* 18. Pauci, qui ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur, *h. e.* quorum favorem et gratiam plurimi captant datis in matrimonium filiabus. Sic *Virg. A.* 7, 333. Ambire aliquem connubiis. *Id. ib.* 4, 284. quo nunc reginam ambire furentem Audeat affatu, *h. e.* interpellare et rogare. *Hor. Od.* 1, 35, 5. Ambire fortunam sollicita prece. Cum infinitivo *Stat. Silv.* 2, 252. hunc ipse Coo plaudente Philetas, Callimachusque senex, Umbroque Propertius antro Ambissent laudare diem, *h. e.* cupissent. Sic *Tac. A.* 2, 43. Donec ultro ambiretur consulatum accipere, *h. e.* rogaretur, ut acciperet.

[AMBĬO, ōnis, m. qui ambit. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1786, 8. C. Herennii C. F. Ambionis. *F.*]

AMBĬTĬO, onis, f. περιβολή, actus circumdandi, circuitio. *Solin.* 22. Vimineos alveos circumdant ambitione tergorum bubulorum. Adde 35. *Minut. Octav.* 4. Ita assedimus, ut me ex tribus medium lateris ambitione protegerent. ℙ Frequenter usurpatur pro petitione honorum eo sensu, quo in *Ambio* dictum est, σπουδαρχία. *Cic. Tusc.* 2, 26. Quid de nostris ambitionibus, quid de cupiditate honorum loquar? *Id. Sull.* 4. Quod mea me ambitio, et forensis labor ab omni illa cogitatione abstrahebat. *Id. Verr.* 2, 2, 53. Magistratum summa ambitione a populo contendere. Adde *Q. Fr.* 3, 1, 4. et 3., et *Or.* 2. [Coll. *Or.* 1, 1. Adeoque laudat hanc ambitionem *Cic. Planc.* 18. Hoc igitur, reipublicae quidem, tempore significat gratiae studium, ut egregie docet *Gron.* ad *Liv.* 45, 36, 8. et *Heusing.* ad *Cic. Off.* p. 251. b.] Et generatim pro quacumque petitione, et enixis precibus. *Just.* 1, 3. Cum admitti magna ambitione aegre obtinuisset. ℙ Saepius accipitur in malam partem pro nimio studio captandi gratiam ac favorem hominum: ex quo fit, ut malis etiam artibus interdum quis utatur, et civilis vitae rationi adversantibus. [*φιλοτιμία.] *Cic. Off.* 1, 25. Miserrima est omnino ambitio, honorumque contentio. *Sall. Cat.* 10. Ambitio multos mortales falsos fieri subegit. Et 56. Inter bonos et malos discrimen nullum: omnia virtutis praemia ambitio possidet. *Hor. Sat.* 1, 4, 26. Laborare ambitione misera. *Id. Ep.* 2, 2, 206. Carere ambitione inani. ℙ Hinc dicitur de quacunque re ad captandam gratiam instituta. *Nep. Dion.* 2. Magna eum ambitione Syracusas perduxit, *h. e.* magno comitatu ac pompa ad favorem honoremque captandum. [*Similiter expl. *Beier.* vv. *Cic. Off.* 1, 30, 108. in C. Laelio multa hilaritas: in ejus familiari Scipione major ambitio, de specie atque pompa in dicendo, laudans *Hor. A. P.* 447. ambitiosa ornamenta, i. e. ambitione quaesita. Aliter *Schütz.* quem v. in *cl. Cic.*] *Tac. G.* 27. Funerum nulla ambitio, *h. e.* pompa et ostentatio. [**Id. Agr.* 40. quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est, i. e. per externum splendorem. Cf. *Plin. Pan.* 83, 8.] *Sall. fr.* 3. *Hist. in ep. Pompeji ad senat.* Hiemem in castris inter saevissimos hostes, non per oppida, neque ex ambitione mea egi, *h. e.* non ex ratione et amplitudine imperatoriae dignitatis, et ut gloriae meae, favorem militum captando, inservirem. *Gracch.* ap. *Gell.* 15, 12. Versatus sum in provincia, quomodo ex usu vestro existimabam esse, non quomodo ambitioni meae conducere arbitrabar. [*Omnino sub Caesaribus saepenumero ambitio est i. q. vanae gloriae affectatio, quam significationem optime illustrat *Spald.* ad *Quint.* 1, 2, 22. et licet ipsa vitium sit ambitio. *Id.* 10, 7, 21. declamatores quosdam perversa ducit ambitio. Eodem modo etiam *Hdf.* explicat *Hor. Sat.* 1, 10, 84, ambitione relegata te dicere possum. (Noster h. l. ad sqq. traxerat.) Plura ex *Quint.* collegit *Spald.* l. l., quem v. Quod nonnulli huc trahunt ex *Cic. Fam.* 13, 31. neque id ambitione adductus facio; *coll. ib.* §. 5. et 17. et simm., id ne intellige hoc modo, sed apud hunc semper est i. q. placendi studium.] Ad idem redit, quod habet *Quint.* 12, 11, 14. Detinent praeceptores pueros in scholis diutius partim cupiditate mercedulae, partim ambitione, quo difficilius sit, quod pollicentur, *h. e.* superbia et commendatione artis suae. ℙ Saepe etiam sumitur pro adulatione, assentatione, blanditiis, quia qui aliquid ab alio petunt, ejusque suffragium, aut favorem captant, facile ad adulandum, nimisque blandiendum delabuntur. *Cic. Brut.* 69. *ad fin.* Non puto existimare te, ambitione me labi, (i. e. ut mihi amicos conciliem) quippe de mortuis. *Tac. Hist.* 1, 1. Ambitionem scriptoris facile adverseris: obtrectatio, et livor pronis auribus accipiuntur. [*Saepius etiam leniore sensu pro placendi studio; ita (quem l. Noster supra posuerat) *Suet. Caes.* 28. quod per ambitionem data esset (civitas) i. e. ad conciliandos illorum hominum animos. *Livius*, ut 5, 36. ne id, quod placebat, decerneret in tantae nobilitatis viris, ambitio obstabat, i. e. studium Fabiis placendi. *Cic. Verr.* 2, 2, 35. non ambitionis neque beneficiorum collocandorum, sed pecuniae colligendae causa. Hinc saepe est, quod Noster omisit, i. q. *cupiditas*: *id. Cluent.* 27. quum quinque judices Oppianicum sive imprudentia sive misericordia, sive aliqua suspicione, sive ambitione adducti absolverent, ubi *Graev.* ambitionem interpretatur in judice hanc esse, quum non habet rationem justi in pronuntiando, sed nominum gratiae plus tribuit quam aequo; quum gratiae captandae causa aliquem absolvit. Ita etiam de aliis hominibus, qui sine cupiditate aliquid faciunt. *Suet. Aug.* 25. coronas quam parcissime et sine ambitione tribuit, i. e. sine cupiditate. *Id. Cal.* 22. magisteria sacerdotii ambitione et licitatione maxima comparabant. *Id. Aug.* 42. posse quandoque per ambitionem restitui, i. e. in gratiam vulgi. *Id. Oth.* 4. nullo igitur officii aut ambitionis in quemquam genere omisso, i. e. nullis blanditiis. Apud *Just.* 12, 15. *ambitio* vulgi est quod 13, 3. dicit *adulationem* vulgi.]

AMBĬTĬOSE, adv. φιλοτίμως, cum ambitione et studio obtinendi honores: et generatim studiose, demisse, humiliter [*ita ut saepe decorum migremus,] ad gratiam favoremque captandum. *Liv.* 1, 35. Ambitiose petere regnum. *Quint.* 6, 3. *a med.* Ambitiosissime petere provinciam. *Cic. Fam.* 3, 7. An ego tibi obviam non prodirem? praesertim cum in isto genere multo etiam ambitiosius facere soleam, quam honos meus, et dignitas postulat. [*i. e. non, ut expl. *Manut.*, studiosius, sed ut *Graev.* ad h. l. docet, humilius, indecentius. Ita *Suet. Aug.* 25. v. AMBITIOSUS.. Cf. *Ern.* ad *Tac. H.* 2, 49. *Cort.* ad *Cic. Fam.* l. l.] *Id. ib.* 13, 69. Haec ad te eo pluribus scripsi, ut intelligeres, me non vulgariter, nec ambitiose, sed ut pro homine intimo, ac mihi pernecessario scribere, [*loquitur de commendatione quae serio fit, non ut ei quem commendamus gratiae captandae causa assentemur. Cf. *Gron.* ad *Liv.* 45, 36, 8.] *Id. Att.* 15, 1. Corrigere orationem non ambitiose, *h. e.* non parce ac indulgenter ad captandam gratiam auctoris. *Tac. Hist.* 1, 10. Ambitiose colere amicitias. *Id. ib.* 4, 40. Manifestum reum ambitiosius, quam honestius defendere, *h. e.* magis ad captandam gratiam, quam etc. *Id. ib.* 3, 13. Ambitiose, avareque habere provinciam, *h. e.* nimios sumptus faciendo, atque adeo expilando provinciales. *Id. Agr.* 29. Ferre casum aliquem ambitiose *h. e.* affectata constantia ad captandam opinionem virtutis. *Martial.* 1. *in ep. ad lect.* Ambitiose tristis, *h. e.* affectato severus et gravis.

AMBĬTĬOSUS, a, um, adj. περιβάλλων, qui ambit, circumit, aut circumdat. *Plin.* 5, 15, 15. Jordanis amnis amoenus et quatenus locorum situs patitur, ambitiosus. *Hor. Od.* 1, 36. *extr.* Lascivis hederis ambitiosior, *h. e.* Damalis habilis agilisque in circumplectendo amatore suo. *Solin.* 11. Creta stipata magnis et ambitiosis oppidis. Alii translate accipiunt pro nobilibus, superbis. ℙ Translate est qui honores quaerit, ambitque et prensat singulos ad captanda suffragia et favorem: et generatim qui honoris, aut gratiae conciliandae causa aliquid petit, aut agit, φιλόδοξος: tum in bonam, tum in malam partem. *Cic. Fl.* 18. Qui ita sit ambitiosus, ut omnes vos, nosque quotidie persalutet. *Id. Fam.* 13, 1. A me hoc contendit homo minime ambitiosus, minime in rogando molestus. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 2. Ne forte me in Graecos tam ambitiosum factum esse mirere, *h. e.* tam studiosum captandae Graecorum gratiae. [**Id. Verr.* 2, 3, 84. ambitiosi homines aut benigni.] *Ov. Pont.* 3, 1, 84. Pro nostris ut sis ambitiosa malis, *h. e.* ut pro me ambias ac depreceris. *Tac. Hist.* 2, 57. *in f.* Asiaticus foedum mancipium et malis artibus ambitiosum. *Suet. Aug.* 42. Salubris magis princeps, quam ambitiosus. [*In ratione dicendi *ambitiosus Quint.* 8, 3, 26. orator is dicitur, qui stu-

diosius, quam par est, vetusta et obsoleta verba sectatur. Cf. *Ernest. lex. techn. lat.* p. 18.] ℙ De eo, qui ab aliis ambiri vult et rogari. *Tac. A.* 3, 33. Sexus muliebris saevus, ambitiosus, potestatis avidus. *Id. Agr.* 30. Si locuples hostis est, avari; si pauper, ambitiosi. *Ov. Fast.* 5, 297. Nos quoque tangit honos: festis gaudemus et aris: turbaque caelestes ambitiosa sumus. *Gellius* quoque 9, 12. notat *ambitiosum* dici et de eo, qui ambit, et de eo, qui ambitur. *Just.* 30, 2. Ambitiosae pulcritudinis scortum, *h. e.* quae ab omnibus ambiebatur. [*Ov. Trist.* 1, 9, 18. ambitiosa domus, i. e. quae ambitur. *Jahn.*] ℙ Tribuitur et aliis rebus. *Cic. Att.* 1, 18. Ambitiosae et fucosae amicitiae, *h. e.* quae ambitione, et publicis officiis nituntur, non virtute et concordia voluntatum. *Id. Fam.* 6, 12. Non tam ambitiosae rogationes quam necessariae. *Id. ib.* 6. Justae et officio incensae, non inanes et ambitiosae voluntates, *h. e.* voluntates, quae causam habent aliquid petendi [*ut gratiosi et multum pollere videantur], non quae sola aliis gratificandi gratia, et favoris aucupandi petunt. *Quint.* 11, 1. Ambitiosissimum gloriandi genus est deridere. *Tac. Hist.* 2, 49. Ambitiosae preces, [*h. e. summae, accuratissimae. cf. *Ern.* ad h. l.] *Suet. Dom.* 8. Ambitiosae sententiae, *h. e.* per ambitionem extortae, [*imo eae, quae ex placendi alicui studio s. ex cupiditate prodierunt, v. AMBITIO, et *Bremi* ad h. l.] *Tac. Hist.* 1, 83. et 2, 12. Ambitiosum imperium, *h. e.* quod per ambitionem obtinetur, precarium. *Id. ib.* 1, 12. Rumores ambitiosi, *h. e.* per ambitionem de industria quaesiti, et sparsi. *Id. Agr.* 42. *in fin.* Ambitiosa mors, *h. e.* ultro adita captandae gloriae causa apud posteros. *Martial.* 12, 69. Ambitiosa atria, i. e. magnifica. [*Plin.* 29, 1. medicinam appellat artem ambitiosam, i. e. quae se ostentat et jactat.] *Lucan.* 4, 375. Et quaesitorum terra pelagoque ciborum Ambitiosa fames. *Suet. Aug.* 25. Ambitiosius id existimans, quam domus suae majestas postularet, *h. e.* humilius, demissius factum ad captandum favorem, quam, etc. *Hor. A. P.* 447. Recidere ornamenta ambitiosa, *h. e.* nimis quaesita et luxuriantia, [*v. nos supra s. *ambitio.*] *Quint.* 1, 2, 22. Ambitiosis utilia praeferre, *h. e.* iis, quae ad ostentationem, aut gloriam quaeruntur, [*v. *Spald.* ad h. l.] *Claud. IV. Cons. Honor.* 593. ambitiosa colus, *h. e.* quae aurea fila net. ℙ [*Confunduntur in libris *amb.* et *invidiosus*; *Ov. Met.* 8, 277.

AMBĬTOR, ōris, m. qui ut honores consequatur, discurrendo et rogando suffragia quaerit, ut *Serv.* ad *A.* 4, 283. loquitur. *Lamprid. Alex. Sever.* 28. Ita patronis auctoribus damnatus ambitor est. *Paulin. Nolan. ep. ad Pammach.* 13, 16. Aeternae laudis ambitor.

[AMBĬTRĒBIUS, a, um, adj. qui est circa fluvium Trebiam, ex *ambe* circum, et *Trebia. Tabula Aliment. Velej* edita a Petro *De-Lama, col.* 1. *lin.* 2. Fundus Quintiacus, qui est in Velejate pago ambitrebio. *F.*]

AMBĬTŪDO, ĭnis, f. ambitus, circuitus. *Legitur* ap. *Appul. Trismeg.* 95. *ed. Elmenh.*

AMBĬTUS, a, um, part. v. *ambio*, cinctus, circumdatus, *περιλωθείς*. *Ov. Met.* 1, 36. Tum freta diffundi, rapidisque tumescere ventis Jussit, et ambitae circumdare litora terrae. Adde 15, 288. ℙ Item rogatus, prensatus, ambitione petitus. *Cic. Planc.* 4. Populus facit eos, a quibus maxime est ambitus. *Val. Fl.* 5, 621. Ambitus senex. *Claud. Rufin.* 1, 180. Ambiti honores. Adde *Sall. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 4, 283.

AMBĬTUS, us, m. circuitus, in gyrum conversio. *Cic. Univ.* 9. Absolutum perfectumque annum tunc compleri denique, cum se octo ambitus, confectis suis cursibus, ad idem caput retulerint. *Hor. A. P.* 17. Et properantis aquae per amoenos ambitus agros. *Plin.* 2, 23, 21. Ambitu breviore luna currit, quam sol. *Tac. Ann.* 6, 28. Post longum saeculorum ambitum. *Suet. Tib.* 71. Pluribus, et per ambitum verborum rem enunciare, i. e. per ambages: Atque ad idem redit, quod dixit *Plin.* 15, 30, 39. Id quoque, quod daphnoides vocatur, lauri genus in nominum ambitu est. Nam alii Pelasgum, alii cupetalon, alii stephanon Alexandri vocant; est igitur i. q. multa habet nomina; non addiderim, quod dicit *Forc.:* ad ostentationem usque. *Petr. Sat.* 132. Alligata mutuo ambitu corpora, *h. e.* amplexu. ℙ Item circulus, orbis, circumferentia. *Suet. Aug.* 94. Terrarum et coeli ambitus. *Id. Claud.* 21. Ambitus lacus. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 4. Ambitus parmae. *Id.* 25, 6, 36. Folia ambitu serrato. *Id.* 16, 36, 65. Per ambitum. *Tac. Ann.* 1, 61. Castra lato ambitu. *Id. ib.* 4, 49. Quatuor millia passuum ambitu amplecti. ℙ In sepulcris *ambitus* dicitur locus circa sepulcrum relictus circumeundi causa, et sacrificandi: qui locus eodem jure gaudet, quo ipsum sepulcrum. *Pomp. Dig.* 47, 12, 5. Ut ad sepulcra, quae in fundis sunt, iter ei, aditus, ambitus funeris faciendi causa sint. *Inscr.* ap. *Grut.* 1081, 1. Ad id monumentum itum, aditum, ambitum, atque haustum, etc. Similiter ambitus aedium est spatium circa aedes relictum circumeundi causa: quod *Festus* scribit esse duorum pedum et semis. *Cic. Top.* 4. P. Scaevola id solum esse ambitus aedium dixit, quod parietis communis tegendi causa tectum projiceretur. ℙ Translate dicitur de circuitu verborum, quae et *periodus* appellatur, [*et latine conversio, continuatio, comprehensio.] *Cic. Brut.* 44. Comprehensio et ambitus ille verborum (si sic periodum appellari placet) erat contractus et brevis. *Id. Or.* 12. Arguti certique et circumscripti verborum ambitus. Et 50. Perfectus et completus verborum ambitus. [*Id. ib.* 66. de justa ambitus forma agit. Cf. *Aquila Rom. de fig.* p. 17.] *Liv.* 27, 27. Multos circa unam rem ambitus fecerim, si omnia exsequi velim. ℙ Item de studio, quod adhibetur in captandis suffragiis, et favore hominum, vel ad adipiscendos honores et magistratus in republica, vel ad aliud quidpiam obtinendum, *φιλοτιμία, δέησις, παραγγελία*, et plerumque in malam partem accipitur pro prava captatione favoris, quae vel largitione fit ad corrumpendum, vel precibus et petitionibus, quae quodammodo vim inferant, etc. Ratio hujus significationis in AMBIO explicata est. Porro de ambitu variae latae sunt leges, variaeque poenae indictae ad illum coercendum. *Cic. Or.* 2, 25. Raro illud datur, ut possis liberalitatem ac benignitatem ab ambitu atque largitione sejungere. *Id. Mur.* 2. Lex ambitus. *Suet. Aug.* 34. Lex de ambitu. *Id. Caes.* 41. Condemnare de ambitu. *Cic. Cluent.* 41. Damnatus ambitus. *Ib.* Judicium ambitus. *Ib.* Accusare aliquem ambitus. *Id. Coel.* 31. Deferre nomen alicujus de ambitu. *Flor.* 3, 17. Reus ambitus. *Sall. Cat.* 18. Interrogare aliquem legibus ambitus. [*Cf. *Herz.* ad h. l. qui laudat *Heinecc. Ant. Rom.* 4, 18, 78. et *Ern. in ind. legg.*, aliaque addit.] *Tac. Ann.* 12, 59. Pervincere contra ambitum alicujus. *Id. ib.* 13, 6. Deligere ducem pecuniosum et gratia subnixum per ambitum. *Nep. Att.* 6. Effusae ambitus largitiones. *Senec. Med.* 399. Segnis hic ibit dies, Tanto petitus ambitu, tanto datus? i. e. tanto studio. [*Tac. *H.* 1, 19. legati quoque foeda inconstantia nominati, excusati, substituti, ambitu remanendi aut eundi; cf. *Ern.* ad h. l.] ℙ Sumitur enim interdum etiam generatim pro quacumque excellendi cupiditate, superbia, ostentatione. *Senec. ep.* 84. Relinque ambitum: tumida res est, vana, ventosa: nullum habet terminum: tam sollicita est, ne quem ante se videat, quam ne post se alium. [*Quint.* 12, 10, 3. proprius quidam intelligendi ambitus, i. e. vana ostentatio. Comparat *Gesner. Plin.* 34, 2, 3. Ac sic fere etiam locum vexatissimum putamus explicandum *ejusd.* 10, 1, 16. Excitat qui dicit spiritu ipso, nec imagine et ambitu rerum, sed rebus incendit, i. e. vana quadam et inani magnificentia et ostentatione (n. *Prunk*), quae fere est sententia *Handii*, ni fallimur *Cens. Jenensis.* Aliorum sententias v. ap. *Frotscher.* ad h. l.] *Flor.* 1, 16. Samnitum gens aureis et argenteis armis, discolori veste usque ad ambitum armata, i. e. ambitiose. [*Plin. *epp.* 3, 2, 4. caret ambitu; ideo se in equestri gradu tenuit, i. e. ambitione, ut in sq. exemplo.] *Prudent. Cath.* 10, 56. Ambitus funeris.

*AMBIVARETI, orum, Aeduorum clientes. *Caes. B. G.* 7, 75. 90.; h. *Amberien*, ut vult *Reichard.*

*AMBIVARITI, orum, etiam Galliae populus, ea in regione, ubi h. est *Breda. Caes. B. G.* 6, 9.

AMBĬVĬUM, ii, n. idem quod bivium, *ἀμφοδος. Varr.* ap. *Non.* 6, 15. Hic in ambivio navem conscendimus palustrem, quam nautici equisones per viam conducerent loro.

*AMBIVIUS TURPIO, actor nobilissimus. Cf. inscriptionem *Ter.* Andriae, Eun. etc. Porro *Cic. Sen.* 14. *Symmach. ep.* 1, 25. 10, 2. *Auct. Dial. de or.* 20. ibique *Lips.*

AMBO, onis, m. apud ecclesiasticos scriptores infimae aetatis est suggestus seu pulpitum, in quo stant concionaturi, ita dictus vel ab *ambiendo*, quia intrantem ambit et cingit: vel potius a Graeco *ἄμβων*, quo significatur quidquid eminet ac protuberat rotunda figura. Ea enim solet esse talium suggestuum forma. Legitur quidem apud *Varr. L. L.* 4, 24., sed primum non hoc sensu. Ait enim (ex restitutione *Turnebi l.* 22. *c.* 9. et *Scalig. in Conjectan.*) *Umbones* a Graeco quod *ambones*, hoc est dicti a Graeco *ambones*, quia in medio protuberant. Deinde idem *Scalig.* putat, scriptum ibi fuisse *ἄμβωνες* Graecis litteris. Quod autem vulgo ibi legi solet, *Umbones aut a Graeco, vel quod ambones*, non videtur habere sententiam. Nulla enim, praeter *ἄμβων*, occurrit vox apud Graecos, ex qua *umbo* derivari possit.

AMBO, ambae, ambo, *ἄμφω*, adjectivum pluralis tantum numeri, quod *duo* significat, sed simul conjunctos. Sic differt ab *uterque*, ut si dicam: *ambo fecerunt domum*, significat duos conjuncta opera unam domum fecisse: at *uterque fecit*, vel *fecerunt domum*, valet perinde, ac si dicam, a duobus duas domos fuisse factas. Tametsi fortasse hoc discrimen perpetuum non est. [*Cf. de hoc discrimine *Ramsh.* gr. lat. p. 331. *Weber, Uebungsschule* p. 38, 54.] Praeterea *ambo* cum verbis semper pluralis num. jungitur: *uterque* et cum singularis. *Ter. Andr. prol.* 10. Qui utramvis recte norit, ambas noverit. *Cic. Att.* 6, 1. *sub fin.* Sumus enim ambo belle curiosi. *Ter. Eun.* 1, 2, 89. Minas viginti pro ambobus dedi. *Id. Hec.* 1, 2, 88. Ad exemplum ambarum. *Id. ib.* 3, 1, 10. Ambas scio reverituras. *Prop.* 2, 16, 18. Ambos una fides auferet, una dies. ℙ In accusativo plurali masculino non solum *ambos* dicimus, sed et *ambo:* ut *duo* pro *duos;* quod Graeco more effertur. Graeci enim *τοὺς ἄμφω* dicunt, et *τοὺς δύο. Hor. Sat.* 2, 3, 180. Jurando obstringam ambo, uter aedilis fuerit, vel, etc. *Cic. Fam.* 5, 8. Quos quidem ego ambo unice diligo, sed, etc. Ita optimi libri multi, et MSS. quos secuti sunt *Gruter., Gronov.* [*ad *Liv.* 8, 3. 35, 21. Adde *Drak.* ad *Sil.* 17, 527.] et alii primi subsellii viri. Adde loca non una, quae ex *Plauto* congerit *Pareus in Lexic. Critic.*, ex *Livio Gronovius*, et ex *Virg. Terent. Afran. Charisius* 1. p. 96. Quibus omnibus fit, ut dubitare hac de re nullatenus liceat. [*Reperitur etiam *ambo* pro *ambae. Pl. Merc.* 2, 1, 1. si ambo (caprae) in uno loco essent.] ℙ Quod vero scripsere quidam, *ambo* masculinum habere ultimam longam, neutrum brevem, verum non est. *Val. Fl.* 1. *in fin.* Amplius ambo truces, ambo abscessere minantes. ℙ *Ambo* pro duo. *Virg. A.* 6, 540. partes se via findit in ambas.

AMBRACĬA, ae, f. *Ἀμβρακία*, urbs Epiri (in Thesprotia) ad sinum Ambracium ex ea denominatum, quondam regia Pyrrhi Epirotarum regis, ita dicta ab Ambrace rege Thesproti filio. *Plin.* 4, 1, 1., *Liv.* 38, 4. [*Caes. B. C.* 3, 36. *Cic. ep.* ad *Brut.* 6.] ℙ In Ambraciae agro optimi olim haedi alebantur, summoque in pretio Romanis, ut est apud *Gell.* 7, 16.

AMBRACIAS terra. V. AMBRACIUS.

AMBRACIENSIS, e, adj. ad Ambraciam pertinens. *Liv.* 38, 43. Ambracienses legati. ℙ *Ambracienses, ium*, Ambraciae incolae *Liv. ib.*

AMARACIOTES, ae, m. *Ἀμβρακιώτης*, ad Ambraciam pertinens, at *Ambraciotes vinum*, quod in agro Ambraciensi provenit. *Plin.* 14, 7, 9. Ambracioten vinum laudare. V. ABROTONITES.

AMBRACIUS, a, um, adj. ad Ambraciam pertinens. *Plin.* 4, 1, 3. Maxime nobilitatus Ambracius sinus, *il golfo dell' Arta*, vel *di Prevenza. Liv.* 38, 4., *Mela* 2, 3. In eo Augustus Antonium cum Cleopatra classe devicit. *Stat. Silv.* 2, 2, 8. Ambraciae frondes, *h. e.* coronas laureas, quae praemio dabantur in certaminibus gymnicis Actiacorum ludorum prope Ambraciam. *Ovid. Her.* 15, 164. Ambracia est terra petenda mihi. Alii leg. *Ambracias terra petenda mihi*; ut sit a recto *Ambracias*, ĭădis.

AMBRĪCES, inquit *Festus*, sunt regulae, quae transversae asseribus, et tegulis interponuntur. [Quidam *ibid.* male legunt *sunt tegulae, quae*, etc. Has Galli dicunt *lambris*, conjuncto scilicet cum voce articulo. *F.*]

AMBRONES fuerunt gentes quaedam Gallicae, quae subita inundatione maris cum sedes suas amisissent, rapinis se alere coeperunt. Has cum Cimbris, Teutonicisque Marius delevit. Hinc tractum est, ut turpis vitae homines *Ambrones* dicantur. Haec *Festus.* Hinc in *Gloss. Isid.* legitur: Ambro, devorator, consumptor patrimoniorum, decoctor, luxuriosus, profusus. [At fortasse Ambro *Isidori* deducendus ex Hispana voce *hambre*, fames. *F.*] Ceterum quod *Ambrones*, qui Cimbrorum pars fuerunt, et memorantur ab [*Liv. epit.* 68.] *Eutrop.* 5, 1., ob subitam inundationem patrias sedes relinquere coacti sint, ridiculum et falsum esse ait *Strabo*, quem refert *Scalig.* ad *Fest.*

AMBROSIA, ae, f. *ἀμβροσία*, fingitur in fabulis esse Deorum cibus, sicut *nectar* potio: ab *α* privativa, et *βροτός*, mortalis, quod ea mortalibus vesci non liceat, vel quod vescentes immortales reddat. Revera adjectivum est, sed usurpatur absolute more substantivi. *Homerus* ambrosiam semper de cibo usurpavit, nectar vero de potu; contra autem *Sappho:* plurimi vero scriptores *Homerum*, pauci *Sapphonem* secuti sunt. *Ov. Pont.* 1, 10, 11. Nectar et ambrosiam, latices epulasque Deorum Det mihi formosa nava Juventa manu. *Cic. Tusc.* 1, 26. Non enim ambrosia Deos, aut nectare, aut Juventate pocula ministrante laetari arbitror. *Catull.* 99, 2. Suaviolum dulci dulcius ambrosia. ℙ Apud *Cic. Or.* 2, 57. Orator *ambrosia alendus* proverbiali locutione dicitur, qui paene ad Deos accedat eloquentia, et suavitate dicendi, et immortalitate dignus sit. Contra *foenum esse* ibidem dicuntur insulsi oratores et rudes. ℙ Dicitur etiam *ambrosia* esse unguentum [*non necesse sic statuas] Deorum (teste *Serv.* ad *A.* 1, 407. et *ib.* 12, 419.) odoratissimum et efficacissimum ad vires, vitamque roborandam. *Virg. G.* 4, 415. liquidum ambrosiae diffundit odorem, Quo totum nati corpus perduxit: at illi Dulcis compositis spiravit crinibus aura, Atque habilis membris venit vigor. *Virgilius* loquitur de Aristaeo, qui a matre Cyrene ita unctus fuit, ut visum alloqui-

umque Protei sustinere posset. Simili ratione locutus est *Ov. Met.* 14, 606. Rursus *Virg. A.* 12, 419. Spargitque salubris Ambrosiae succos, etc. Sermo est de Venere medicante vulnus Aeneae. ℙ Est etiam hoc nomen multis herbis commune, sed praecipue illi, quae et *botrys*, et *artemisia* dicitur, densa, ramosa, tenuis trium fere palmorum, tertia parte radice breviore, foliis rutae circa imum caulem, in ramulis semen habens uvis dependentibus, odore vinoso: qua de causa et *botrys* dicta est a quibusdam. Nam βότρυς Graece uvam significat. *Plin.* 27, 4, 11. ℙ Aliam iisdem nominibus herbam describit *Id. ib.* 8, 31. fruticosam, luteis ramulis, semine circa totos nascente in modum uvae, foliis cichorio similibus, in ripis torrentium provenientem. ℙ Denique hoc nomine appellatum fuit quoddam antidotum, quod Zopyrus Ptolemaeo regi composuisse dicitur, cujus conficiendi rationem docet *Cels.* 5, 23. Sic *Marcell. Empir.* 23. memorat medicamentum Junii Prisci, quod appellatur ambrosia.

AMBROSĬĀCUS, a, um, adj. Ambrosiaca vitis memoratur a *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 8. inter eas, quae insignes uva sunt, et fortasse ita dicta est a dulcedine.

AMBROSĬĀNUS, a, um, adj. ad Ambrosium pertinens (quod est nomen viri proprium) ut Ambrosiana basilica. *Aug. Conf.* 9, 7.

AMBROSĬĒ, es, seu Ambrosia, ae, f. Ἀμβροσίη, filia fuit Atlantis ex Plejone, quae una cum aliis quinque sororibus in caelum translata est, factumque sidus, quod Hyades appellatur. *Hygin. fab.* 182. et 192.

AMBROSĬUS, a, um, adj. ἀμβρόσιος, qui est ex ambrosia Deorum cibo. *Martial.* 8, 39. Ambrosiae dapes. ℙ Item qui est ex ambrosia unguento Deorum, ut in *Ambrosia* dictum est. [*Minime. Est epith. ornans, ut apud Homerum, de iis, quae ad Deos pertinent.] *Virg. A.* 1, 407. Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem Spiravere, *h. e.* ambrosia illitae. *Stat. Th.* 9, 731. ambrosio tum spargit membra liquore, Spargit equum, ne quo temeretur vulnere corpus, etc. ℙ Sumitur etiam generatim pro dulci, suavi, jucundo. *Sil.* 7, 210. Ambrosiis Ariusia pocula succis. *Colum.* 10, 408. *de pomis Persicis.* Ambrosios praebent succos oblita nocendi. ℙ Item pro immortali, divino, eximie pulcro, et coelestium digno, hoc enim sonat Graeca vox ἀμβρόσιος (ex privat. et βροτός, mortalis, ἄ (ἀν, ἀμ), nec opus est (quod nonnulli faciunt) ad catachresin confugere. *Claud. Nupt. Hon. et Mar.* 110. de Venere: Ambrosioque sinu puerum complexe ferocem. *Appul. Met.* 8. p. 205, 26. Ambrosium corpus. *Ib.* 11. p. 258, 39. Ambrosii pedes. *Ib.* 10. p. 254, 4. Ambrosius color. *Ib.* Labias modicas ambrosio rore purpurantes. *Prud. Symm.* 1, 276. nectar ambrosium.

AMBROSĬUS, ii, m. ex Liguriae, et Aemiliae praeside sub Valentiniano imperatore archiepiscopus Mediolanensis, excellentis ingenii vir, magnus Ecclesiae Catholicae doctor, non vitae modo sanctitate, sed et eximia doctrina celebris, floruit saeculo Christi quarto, scripsitque quamplurima ad religionem illustrandam, moresque recte instituendos, summa gravitate, et eloquentia singulari, cujus praesagium manifestum olim apes circa os ejus infantis dormientisque volitantes dederant. Quamquam vero in iis multa sint, ut illis temporibus, barbariem sapientia, inest tamen ubique nitor quidam Latinus, et majestas sermonis, sparsis identidem solidae, et priscae eruditionis luminibus, quae satis ostendunt, doctissimum Scriptorem in veterum Latinorum lectione diu multumque fuisse versatum. ℙ [Fuit etiam cognomen liberti ex gente Cocceja. *Inscr.* ap. *Murat.* 2043, 1. M. Coccejus Aug. Lib. Ambrosius. *F.*]

[**AMBRŌTUS**, i, m. ἄμβροτος, immortalis. Cognomen libertinum. *Inscr.* ad. *Grut.* 388, 5. D. M. Ti. Claudii Quir. Alexandri Bacchilus, et Ambrotus Lib. patrono. *F.*]

***AMBRUSSUM**, i, oppidum Galliae Narbonensis. *Anton. Itin.*

***AMBRYSUS**, i, Ἄμβρυσος, Phocidis oppidum. *Liv.* 32, 18. *Plin.* 4, 3, 4. Scribitur etiam Ambryssos, *Paus. Phoc.* 36. et Amphrysus. *Steph. Byz.*

AMBUBAJA, ae, f. herba eadem quae *Ambubeja*. Legitur apud *Plin. l.* 1. in *indice* 1, 20. *n.* 30. V. AMBUREJA.

AMBŪBAJĀ, ae, f. mulieres Syrae ita appellatae, quae Romae in Circo, aliove loco prostibulis destinato habitantes, corpore quaestum faciebant, simulque lucellum captabant pulsando quaedam organa musica, quae secum e Syria attulerant: qua de re *Juvenal.* 3, 62. Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes, Et linguam, et mores, et cum tibicine chordas Obliquas, necnon gentilia tympana secum Vexit, et ad Circum jussas prostare puellas. *Auct.* quoque *Priapeor.* videtur eas describere *carm.* 27. Est autem Syra vox ab أَصْفَرُ (vel Arab. أُصْبُوبٌ tibia, seu fistula, vel ab ejus plurali אֲבוּבִיא, seu אֲבֻבִּיא. Ita cum *Acrone* veteri *Horatii* Scholiaste plerique Critici. Neque enim placet, quod alii [**Turneb.* in *adv.* 11, 23.] quidam scripsere, dictas fuisse ab *am*, vel *ambe* circum, quod circa Bajas habitarent. Illa etiam nimis longe petita notatio videtur, qua alii derivant ab *ambuleja* herba, putantque ambubajas fuisse circulatrices, omnium malorum remedia vanissime pollicentes, et quae saepe iis, quae conficiebant, medicamentis eam herbam admiscebant. Haec ex *Voss. in Etymol.*, *Casaub. ad Sueton.* et aliis. *Hor. Sat.* 1, 2, 1. Ambubajarum collegia, pharmacopolae, Mendici, mimae, balathrones, etc. *Suet. Ner.* 27. Coenitare inter scortorum totius urbis, ambubajarumque ministeria. [*Cf. ad hoslocos *Heind.* et *Casaub.*, qui utterque probant illam notationem. Aliam proposuit *B. Crus.* in *cl. Suet.*, qui: Quid, inquit, si Latinum (nomen) statuamus ab *ambubajare*, vulgari voce pro circumsferre? Nihil saltem decernendum in tanta communis idiomatis ignorantia. Ceterum cf. de h. v. *Messerschmidt* de Ambubagis (sic enim scribit) 1753., quam diss. nobis indicavit *Beier.*] ℙ In singulari numero legitur apud *Petron. fr. Trag.* 74. *Burm.*

AMBUBEJĀ, ae, f. herba, quae et *intubum erraticum*, et *cichorium silvestre* appellatur. *Cels.* 2, 30. ℙ Apud *Plin.* 20, 8, 29. nominatur *ambula* (ut quidem legit *Harduinus* ex MSS. suis omnibus: nam in vulgatis est *ambugia.*) quasi indita appellatione ab *ambulando*: quod satis apte convenit cum altera *intubi erratici* nomenclatione. [Eadem apud *Plin. l.* 1. in indice *l.* 20. *n.* 30. *ambubaja* appellatur: ceterum *Bodaeus* in notis ad *Hist. plant. Theophr.* censet vocem hanc mendosam esse, et legendum *ambuleja. F.*]

AMBUGIĀ et **AMBŪLĀ**. V. AMBUBEJA.

AMBŪLĀCRUM, i, n. περίπατος, locus circa aedes ad ambulandum, vel cum tecto, vel sub dio positus, arboribus utrinque consitis ad umbram inducendam, vel alia quapiam ratione: qui ambulatio a *Cicer.* et *Vitruv.* dicitur. *Pl. Most.* 3, 2, 68. Gynaeceum aedificare, et balneas, et ambulacrum, et porticum. *Gell.* 1, 2. Propulsabamus caloris incommoda lucorum umbra ingentium, longis ambulacris, et mollibus aedium posticum refrigerantibus.

AMBŪLĀTĪLIS, le, adj. ambulatorius, mobilis, non affixus, εὐκίνητος. *Vitruv.* 10, 13. Regulae scalari forma compactae, quibus includuntur aerei modioli fundulis ambulatilibus ex torno subtiliter subactis.

AMBŪLĀTĬO, onis, f. πορεία, actus ambulandi. *Cic. Fin.* 5, 1. Constituimus, ut ambulationem pomeridianam conficeremus in Academia. *Id. Att.* 2, 3. Sed haec ambulationibus compitaliciis reservemus, *h. e.* cum per otium compitalibus una. *Cels.* 1, 2. Ambulatio plana. Sic *ib.* Ambulatio recta melior, quam flexuosa. ℙ Sumitur et pro loco, in quo animi causa ambulatur, qui et ambulacrum dicitur, περίπατος. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. Nihil restabat praeter balnearia, et ambulationem, et aviarium. *Ib.* 2. Hedera convestivit qua basim villae, qua intercolumnia ambulationis. *Plin.* 36, 12, 18. Ambulatio pensilis. ℙ Ambulationes aliae apertae, aliae tectae. *Senec. Tranq. anim.* 15. In ambulationibus apertis vagandum, ut caelo libero et multo spiritu augeat attollatque se animus. *Varr. R. R.* 5, 5. Circum fluvii ripas ambulatio sub dio. *Vitruv.* 5, 9. Hypaethrae ambulationes habent magnam salubritatem. De tectis. *Colum.* 1, 6. Ambulationes meridiano aequinoctiali subjectae sint, ut hieme plurimum solis, et aestate minimum recipiant.

[**AMBŪLĀTĪVA**, ae, f. eadem ac pompa, supplicatio. *Inscr.* ap. *Donat.* 232, 3. *Iovi Optimo Maximo* pro salute Cl. Pompejus Faustus Dec. Col. Eq. Aedil. II. viral. Praef. Collegii Fabrum, itemque patronus duxit Collegium Supra Scriptum in ambulativis V. Kal. Aug. *F.*]

AMBŪLĀTĬUNCŪLA, lae, f. brevis ambulatio. *Cic. Fam.* 2, 12. Cum una mehercule ambulatiuncula, atque uno sermone nostro omnes fructus provinciae non confero. ℙ Item parvum ambulacrum, *Id. Att.* 13, 29. Tecta ambulatiuncula addenda est.

AMBŪLĀTOR, oris, m. περιπατητικός, qui huc et illuc ambulat. *Colum.* 1, 8. Villicus, ut ait Cato, ambulator esse non debet, *h. e.* otiosus esse, et huc illuc vagari. (Eodem sensu dicitur *ambulatrix:* quod V.) *Martial.* 1, 42. Transtiberinus ambulator, Qui pallentia sulphurata fractis Permutat vitreis.

AMBŪLĀTORĬUS, a, um, adj. πορευτικός, qui ambulat, aut qui moveri, et transferri potest: qui *ambulatilis* a *Vitruv.* dicitur. *Plin.* 21, 14, 47. Utilissimum operculum alvorum a tergo esse ambulatorium, ut proferatur intus, si magna sit alvus: id paulatim reduci, fallente operis incremento. *Vitruv.* 10, 19. Ostendit se invenisse turres ambulatorias, quas etiam dissolutas in exercitu circumferre solebat. Adde *Hirt. B. Alex.* 2. [*Describsit has turres *Veget. Mil.* 4, 17. coll. *Lips. Poliorc.* 1, 4. 2, 4.] ℙ Est item ad ambulandum inserviens. *Ulp. Dig.* 8, 5, 8. Superque ea tigna porticum ambulatoriam facere. ℙ Translate tribuitur rebus incorporeis. *Id. ib.* 24, 1, 32. Ut ambulatoria sit voluntas ejus usque ad vitae supremae exitum, *h. e.* mutabilis, et quae ex una re in aliam transferri potest. *Id. ib.* 40, 7, 34. Quae causa facit ambulatoriam, ut ita dixerim, conditionem, *h. e.* quae ab uno in alium transit. Sic *Justin. Cod.* 6, 2, 22. Ambulatoria actio. Et *Paul. Dig.* 23, 5, 10. Ambulatoria legis potestas.

AMBŪLĀTRIX, īcis, f. quae ambulat, et vagatur. *Cato R. R.* 143. Villica ad coenam ne quo eat, neve ambulatrix siet.

AMBŪLĀTŪRA, ae, f. actus ambulandi. Est nimirum incessus ille equorum, quem Galli adhuc *l'amble*, et Itali *ambio, ambiadura* [*nos: *der Pass.*] vocant. *Veget. Veter.* 4, 6. Persarum equi solius ambulaturae quadam gratia discernuntur a ceteris: gradus est minutus, et creber, et qui sedentem delectet et erigat, nec arte doceatur, sed naturae veluti jure praestetur. *Id. Veter.* 2, 5. Ambulaturae gratiam perdit. Alii leg. *ambulans graviter pergit.*

AMBŪLĀTUS, us, m. facultas, vel actus ambulandi. *Arnob.* 1. p. 28. Christus scitur ambulatum dedisse contractis.

AMBULEJA. V. AMBUBEJA.

AMBŪLO, as, avi, atum, n. βαδίζω, eo, incedo, gradior. Proprie tamen differunt *ire*, et *ambulare*. Nam *ire* est gradiendo progredi, et ulterius pergere: *ambulare* est incedendo spatia facere, et in sua vestigia reflecti, ire et redire: quod et etymologia confirmat, qua *ambulare* factum docet *Voss.* ab ἀμπολῶ (quo praeter alios *Pindarus*, qui Dorice scripsit, usus est) pro ἀναπολῶ, quod significat ἀναστρέφω, hoc est *verto*, et interdum ἀναστρέφομαι, vertor, teste *Eustath.* ad *Il. α.* Hinc apud JCtos in definitione itineris haec duo verba separantur. *Ulp. Dig.* 8, 3, 1. Iter est jus eundi, ambulandi homini. Et mox: Via est jus eundi, et ambulandi, etc. Hinc etiam *ambulare* saepe sumitur pro animi causa iter habere, περιπατέω: quod qui faciunt, ire et redire multoties eadem via solent. *Pl. Mil.* 2, 2, 96. Non domi est abiit ambulatum. *Cic. Acad.* 4, 16. Ambulare cum aliquo in hortis. *Id. Or.* 2, 14. Ambulare in sole. *Suet. Dom.* 19. Ambulare pedibus per urbem. ℙ Hoc sensu est etiam militare verbum. *Veget. Mil.* 1, 27. Vetus consuetudo permansit, ut ter in mense tam equites, quam pedites educantur ambulatum: hoc enim verbo hoc exercitii genus nominant. V. ibi reliqua. ℙ Nihilominus usu frequentissimo factum est, ut accipiatur etiam generatim pro incedere, ingredi, pergere, iter facere, *Plin.* 10, 38, 54. Aves aliquae ambulant, ut cornices, saliunt aliae, ut passeres. *Ib.* 65, 86. Aegyptii mures bipedes ambulant. *Cic. Att.* 9, 4. *in fin.* Si enim recte ambulaverit is, qui hanc epistolam tulit, in ipsum diem tuum incidit. *Id. Quint.* 25. Neminem esse, qui possit biduo, aut summum triduo septingenta millia passuum ambulare. *Id. Att.* 8, 14. Eo modo Caesar ambulat, ut timeam, ne citius ad Brundisium accesserit. *Pl. Capt.* 4, 2, 120. Bene ambula, et redambula; formula, qua abeuntibus bene precabantur. Sic *Id. Capt.* 2, 3, 92. Bene ambulatio. Et *Truc.* 2, 4, 18. Benene ambulavisti? Per jocum dicunt comici *Ambulare in jus*, i. e. adire judicem litigandi causa. *Curc.* 5, 2, 23. et *Ter. Ph.* 5, 7, 43. ℙ Activorum more cum accusativo. *Cic. Fin.* 2, 34. Cum Xerxes tantis classibus, tantisque copiis maria ambulavisset, terramque navigasset. [**Ovid. Fast.* 1, 122. ambulat illa vias, et *Heins.* ad h. l. Ita *Auct. B. Afr.* 75. ire iter, quos locos laudat *Burm.* ad *Prop.* 2, 19, 50.] *Quint.* quidem 1, 5, 38. ambulare viam dicit esse soloecismum per detractionem: sed non auditur a Grammaticis. Et passive. *Plin.* 23, 1, 16. Si statim bina stadia ambulentur. Et impersonaliter. *Varr. L. L.* 5. *init.* Sedetur, ambulatur, loquitur. *Gell.* 2, 2. Cum sedeatur, ambuletur, discumbatur. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Cato R. R.* 1. Amnis, qua naves ambulant. *Plin.* 5, 9, 10. Nilus immenso longitudinis spatio ambulans. *Id.* 37, 9, 47. Asteria gemma lucem velut intus ambulantem ex alio atque alio loco reddens. ℙ Translate. *Plin.* 10, 50, 71. Quod deinde caput translatum, per omnes leges ambulavit, *h. e.* hoc legis caput in aliis postea latis legibus sumptuariis insertum est. *Ulp. Dig.* 37, 11, 2. Ambulat cum domino bonorum possessio. *Cajus Dig.* 4, 4, 15. Emptio ambulat per plures personas, *h. e.* transit. ℙ Sunt qui credant hoc verbum syncopen pati in illis Hadriani versibus apud *Spartian.* in *Vit. ejusd.* 16. Ego nolo Florus esse, Ambulare (*lege* Amblare) per tabernas, Latitare per popinas, Culices pati rotundos. ℙ [Part. *Ambulans. Martial.* 7, 48. Nos offendimur ambulante coena, *h. e.* in qua fercula cito inferuntur et auferuntur. *F.*]

AMBURBĀLE sacrificium idem, quod *Amburbium*. Legitur apud *Serv.* ad *Ecl.* 3, 77., nisi forte corrigendum est *Amburbiale.*

AMBURBĬĀLIS, le, adj. Amburbiales hostiae dicebantur, quae circum terminos urbis Romae ducebantur. Ita *Festus:* nempe ab *amb* circum, et *urbs.*

AMBURBĬUM, ii, n. sacrificium quotannis fieri

solitum a Romanis ad lustrandam Urbem, et expiandam: quo solemni pompa circumibatur urbs, et mactandae hostiae circumducebantur: ab *amb* circum, et *urbs*. *Serv.* ad *Ecl.* 3, 77. Hinc *Vopisc. Aurelian.* 20. Lustrata urbs, cantata carmina, amburbium celebratum, ambarvalia promissa. Describitur hoc sacrum a *Lucano* 1, 592.

AMBŪRO, is, ussi, ustum, a. περιφλέγω, circum uro: ab *amb* circum, et *uro*, tametsi generatim etiam accipitur pro comburere. *Cic. Mil.* 32. Ut Clodius sine exsequiis, sine lamentis, oblitus cruore et luto amburetur abjectus. *Pl. Epid.* 5, 2, 9. Qua qua tangit, omne amburit. *Id. Mil.* 3, 2, 22. Nimis calebat, amburebat gutturem. *Suet. Tib.* 6. Amburere partem vestis, et capillos. V. AMBUSTUS. ℙ [Part. *Amburens* ap. *Front. ad amic.* 1, 18. Amburens ahenum. *F.*]

AMBURVO. V. AMPTRUO.

AMBUSTĬO, onis, f. περίκαυσις. *Plin.* 23, 4, 44. Myrteum oleum medetur eruptionibus et ambustionibus. V. AMBUSTUS.

AMBUSTŪLĀTUS, a, um, adj. ambustus. *Pl. Rud.* 3, 4, 65. Te ambustulatum objiciam magnis avibus pabulum.

AMBUSTUS, a, um, part. v. *amburo*, περιφλεχθείς, proprie est circum ustus, ut in AMBURO diximus: vel ita ustus, ut aliquid tamen adhuc restet, quod ignis non absumpserit: sed et generatim combustus. [**Cic. Sext.* 68. Herculis corpus ambustum. *Id. Verr.* 2, 1, 27. Hadrianus — vivus exustus est — Verres sociorum ambustus incendio tamen ex illa flamma periculoque evasit.] *Suet. Cl.* 21. Ambustum theatrum. *Hor. Od.* 4, 11, 25. Phaeton ambustus. *Tac. Hist.* 5, 12. Magna vis frumenti ambusta. [**Hor. Sat.* 1, 10, 64. libris propriis ambustus; ubi cf. *Hdf.* qui laudat *Markl.* in *ep. crit.* p. 108. *Ov. Met.* 2, 209. ambustaque nubila fumant; ubi alii *combusta*.] ℙ Translate de eo dicitur, qui crimine capitali accusatus vix evasit. *Cic. Mil.* 5, Hujus ambusti tribuni pleb. intermortuae conciones, *h. e.* T. Munatii Planci, qui cum concionaretur eo ipso tempore, quo propter crematum Clodii corpus curia conflagravit, coactus est flammis accedentibus a concione cessare, ut *Ascon.* narrat. *Liv.* 22, 35. Qui damnatione collegae, et sua prope ambustus evaserat. [**Cic. Harusp.* 3. quum illum Clodium ambustum religiosissimis ignibus cognovi. — Est vero etiam id quod debilitatus, laesus] ut *Cic. Dom.* 43. qui ambustas fortunarum mearum reliquias suas in domos comportari juberent.] ℙ *Ambustum, ti*, absolute est laesio alicujus membri ab igne, vel nimio frigore. *Plin.* 24, 8, 35. Sambucus refrigerat inflammationem, maxime recentis ambusti. *Id.* 21, 7, 19. Iris natura est fervens, tractataque pustulas ambusti modo facit. *Id.* 24, 4, 5. Gallae nucleus sedat ambusta. *Id.* 35, 15, 52. Ambustis prodest alumen. *Id.* 20, 20, 82. Coriandrum sanat ambusta. ℙ De eo, qui frigore nimio laeditur, et sensum amittit. *Tac. A.* 13, 35. Ambusti multorum artus vi frigoris, et quidam inter excubias exanimati sunt. *Val. Fl.* 4, 70. Ambusta pruinis lumina, *h. e.* oculos. V. URO. ℙ [Fuit etiam *Ambustus* inter Romana cognomina gentis Fabiae: primusque sic appellatus est M. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus, qui consul fuit an. U. C. 312., deinde alii plures, ut ostendit *Bapt. Borghesius V. C. Framm. de' Fasti Capitolini P. II.* p. 7. et seqq. Ignota vero de causa ita cognominatus est, licet *Dacierius* ad *Festum* V. *Pullus*, et deinde *Forcellinus* in hac voce affirmaverint, ideo sic primum appellatum fuisse Q. Fabium Eburnum, qui consul fuit ann. U. C. 638., quia fulmine ambustulatus vel alio quopiam modo ab igne laesus fuit, quapropter etiam Jovis pullus dictus est. *F.*]

AMCAESA. V. ANCESA.

AMECABUNDUS. V. AMORABUNDUS.

AMĒCUM et Amecam pro *amicum*, et *amicam* dixisse veteres testatur *Festus* in voce *Amicitiae*.

*AMELAS, Lyciae oppidum. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

AMELLUS, i, m. (Aster Amellus *Linn.*, al. Aster Atticus, purpurne ital. Sternblume,) herba est, seu potius frutex, ut dicitur a *Columella* 9, 4. in irriguo solo proveniens, floremque ferens gratissimum apibus, colore aureo, sed foliis circa, quae plurima sunt, violaceis, sapore aspero. Ita eum describit *Virg. G.* 4, 271. Est etiam flos in pratis, cui nomen amello Fecere agricolae, etc., ubi addit, hujus herbae radices coctas in vino praesens esse remedium apibus morbo aliquo laborantibus. *Servius* notat dictum esse a *Mella* fluvio Galliae Cisalpinae (qui a *Catullo* 67, 33. *Melo*, vel, ut alii rectius leg., *Mela* appellatur, et ex Brenno monte ortus prope Brixiam decurrit) quia in ripis plurimus invenitur.

[AMEMPTUS, i, m. ἄμεμπτος, inculpatus, irreprehensibilis, ab *α* privativa, et *μέμφομαι*, reprehendo. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 52. *n.* 299. Ti. Claudio Amempto. *F.*]

AMEN, ἀμήν, adv., Hebraice אָמֵן, significans vere, certe, vel fiat. *Suid.* in V. interpretatur πεπιστευμένως, ἀληθῶς. Primam vocalem habet longam natura. *Auson. Eph. in Orat. in fin.* Et responsuris ferit aera vocibus amen. Adde *Prudent. Cath.* 4, 72. *Paulin.* ergo *Nolan. poem.* 17. *ad Nicet* 117. et *Venant. Fortun.* qui corripuere, non sunt imitandi.

AMĒNĀNUS, i, m. Ἀμενάνος, fluvius Siciliae, nunc *Judicello*, Aetnae proximus, per Catanam fluens. *Ov. Met.* 15, 279. Nec non Sicanias volvens Amenanus arenas, etc. Ubi vulgo *Amasenus* legitur; cum tamen hoc nomine nullus sit fluvius in Sicilia, inquit *Heins. ad h. l.* ℙ Adjective *Amenana flumina* dixit *Id. Fast.* 4, 467., ubi alii minus recte *Amasena*, eodem *Heinsio* docente.

AMENS, entis, adj. ἄνους, qui a mente sua discessit, vel de statu mentis dejectus est, hoc est qui sine consilio, animoque est, quo sapimus, mente motus, perturbatus, consternatus, extra se ex affectu aliquo vehementi positus. *Virg. A.* 2, 314. Arma amens capio. Et 321. cursuque amens ad litora tendit. *Id. A.* 4, 279. Aeneas aspectu obmutuit amens. *Id. ib.* 12, 776. Amens formidine. *Curt.* 6, 9. Periculi magnitudine amens et attonitus. *Liv.* 32, 12. Repentino terrore amens. Adde *Ov. Met.* 3, 628. [*et *Heins.* ad *Met.* 4, 690.] Cum genitivo habet *Virg. A.* 4, 203. Amens animi. [*Cf. *Rudd.* II. p. 73.] Tribuitur etiam rebus inanimis, diciturque de iis, quae mentem perturbant, et de statu suo movent. *Catull.* 63, 197. Amenti furore caecus. *Claud. Rufin.* 1, 256. Amens terror. [**Lucan.* 6, 279. impetus amens, et *Cort.* ad h. l.] Item de iis, quae per amentiam fiunt. *Cic. Att.* 7, 10. Amentissimum consilium. ℙ Saepe significat dementem, insanum. *Cic. Pison.* 9. Cum quidem tu, o vecors et amens, amplexus es, etc. *Id. Phil.* 5, 13. Homo amentissimus, atque omnibus consiliis praeceps ac devius. *Id. Fam.* 12, 14. Laodiceni multo amentiores ultro arcessierunt. ℙ Sunt qui putant interesse aliquid inter *amentem*, et *dementem*. V. AMENTIA. ℙ [*Confunduntur in codd. *amens* et *gemens*. V. ad *Ov. Am.* 1, 7, 51.]

AMENTĀTĬO, onis, f. actus jaculandi. Deinde ipsum jaculum, sive telum. *Tertull. Nation.* 1, 10. Quo machaeris vestris amentationibusque cadatis. In plerisque *Tertulliani* codd. legitur admentationibus.

AMENTĀTUS, a, um, part. v. *amento*, amentis, seu loris instructus: et dicitur de missilibus, quae amento vinciuntur, ut validius, longiusque jaci possint. *Cic. Brut.* 78. Etsi praeceptis ornamenta non satis opima dicendi, tamen, ut hastae velitibus amentatae, sic apta quaedam et parata singulis causarum generibus argumenta traduntur. (Allegorice *argumenta* sunt hastae, *amenta* sunt praecepta, inquit *Manut.*) *Id. Or.* 1, 57. A quo cum amentatas hastas [*i. e. apta et parata argumenta] acceperit, ipse eas oratoris lacertis viribusque torquebit. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 322. puer amentatus, *h. e.* loro vinctus, ut in pegma librato corpore ascendere saltu possit. Sunt qui aliter leg.

AMENTIA, ae, f. ἄνοια, ἀπόνοια, dementia. Nihil enim ab hac differt: quidquid nonnulli subtilius disputantes dicunt. *Cic. Tusc.* 3, 5. Animi affectionem lumine mentis carentem, nominaverunt amentiam, eandemque dementiam. *Id. Verr.* 2, 2, 42. Amentia atque audacia praeditus. *Id. Mil.* 32. Injicere alicui amentiam. *Id. Verr.* 2, 4, 34. Flagrare cupiditate atque amentia. ℙ Sumitur etiam pro sola mentis consternatae, et de suo statu dejectae turbatione, ut in AMENS dictum est, ἔκστασις. *Ov. Met.* 5, 509. Mater ad auditas stupuit, ceu saxea, voces, Attonitaeque diu similis fuit: utque dolore Pulsa gravi gravis est amentia, etc. Hoc sensu usurpatur etiam a *Tertull. Anim.* 21. et *adv. Marcion.* 4, 22.

AMENTĪNUS. V. AMINTINUS.

AMENTO, as, avi, atum, a. amento aptato jaculari, telum missile amento prehensum torquere. *Lucan.* 6, 221. Cum jaculum parva Libys amentavit habena. *Sil.* eleganter de ventis usurpavit, qui taedas accensas in hostilem navem conjectas majore impetu impellunt, quemadmodum telo missili amentum auget cursum: 14, 421. Inde atros alacer, pastosque bitumine torquet, Amentante Noto, Poenorum aplustribus ignes. V. huic similem locum in v. seq. ℙ Translate. *Tertull. adv. Marcion.* 4, 33. Cui famulatam videns Pharisaeorum cupiditatem, amentavit hanc sententiam: Non potestis Deo servire, et mammonae, *h. e.* velut amentatam hastam contorsit. ℙ [**Gloss. gr. lat.* ἀποῶ, amento. Verbum gr. significat, h. l. non ad amentum sed ad amentiam referri. *B. A.*]

AMENTUM, ti, n. lorum, quo vinciuntur missilia tela ad validius jaculandum. Vires enim addit ejusmodi vinculum, ut patet in funda. [Quidam deducunt a praet. pass. *ἧμμαι* verbi *ἅπτω*, necto, quasi *ammentum*, deinde *admentum*, mox *amentum*; alii ab inusit. *ἀμέω* pro *ἀμάω*, attraho. *F.* *Gr. τὸ ἄμμα τῶν ἀκοντίων, ὅθεν κατέχεται ἡ λόγχη. *Beier.* ad *Cic. Amic.* 27, 1. Comparat *ἱμάω*, *ἀμόω* i. e. traho; unde *hamus* et *ἱμάς*, *amentum*.] Hinc *Sil.* 4, 14. *hasta juvatur amento*, quod fuisse inventum Aetoli Martis filii, *Plin.* 7, 56, 57. narrat. *Liv.* 37, 41. Humor arcus fundasque, et jaculorum amenta emollierat. *Caes. B. G.* 5, 48. Epistola ad amentum tragulae deligata. *Virg. A.* 9, 665. Intendunt acres arcus, amentaque torquent, *h. e.* tela amentis prehensa jaciunt. *Ov. Met.* 12, 321. Inserit amento digitos, nec plura moratus, In juvenem torsit jaculum. *Sil.* 9, 508. flatus Poenorum tela secundant, et velut amento contorta hastilia turbo Adjuvat. ℙ *Festus* addit, *amentum* dici etiam loreum vinculum, seu ligulam, qua soleae colligantur: dictumque esse a Graeco *ἄμμα*, vinculum, etc. *Plin.* 34, 6, 14. *ad fin.* Statua sedens, soleisque sine amento insignis. ℙ [*Scribitur etiam in nonn. codd. *agmentum*, quasi *agumentum* ab *agendo* dictum. Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 221. coll. *Delr.* ad *Sen. Hipp.* 812. Egerunt praeterea de h. v. *Barth.* ad *Stat. Th.* 4, 153. et *Rittersh.* ad *Gunther.* 10, 326. *p.* 194. quos idem laudat.] ℙ [In *Not. Tir.* p. 84. legitur *Admentum* pro *Amentum*, quemadmodum et *Admentatio* apud *Tertull.* pro *Amentatio*. *F.*]

AMĒRIA, ae, f. h. *Amelia*, Ἀμερία, urbs Umbriae ante Persicum bellum annis nongentis septuaginta quatuor condita, uti ex *Catone* narrat *Plin.* 3, 14, 19. Ocriculo vicina a Narnia sex M. P. in ortum: unde vites Amerinae, et salix Amerina laudantur.

AMERIMNON. V. AIZOON.

[AMĒRIMNUS, i, m. ἀμέριμνος, securus, ab *α* privat. et *μέριμνα*, cura. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 33, 4. Domino Soli *Votum Solvit* Ti. Claudius Amerimnus lictor curiatus. *F.*]

AMĒRĪNUS, a, um, adj. ad Ameriam pertinens. *Cic. Rosc. Am.* 6. Sex. Roscius municeps Amerinus. ℙ *Amerini, orum* sunt ejus urbis incolae. *Plin.* 3, 14, 19. ℙ *Amerina salix* laudatur a *Plin.* 24, 9, 37. Ex ea vimina fiebant aptissima ad vites colligandas, ut etiam ex *Colum.* 4, 30. colligitur. *Virg. G.* 1, 265. Atque Amerina parant lentae retinacula viti. *Amerina pira Plin.* 15, 15, 16. enumerat inter serissima: de quibus *Stat. Silv.* 1, 6, 18. Et massis Amerina non perustis. Etiam *Amerina poma* laudantur ab *eodem Plin.* 15, 14, 15. et a *Colum.* 5, 10. ℙ *Amerina via* in Etruria fuit una ex novem viis militaribus, quae in Flaminiam incidebant. Ejus mentio fit in veteri lapide apud *Grut.* 446, 4. ℙ [*Amerinum castellum, *Tab. Peut.*, situm erat ad lacum Vadimonis. Hinc Amerina praedia, *Plin. ep.* 10, 20. quae prope illud castellum erant.]

*AMERIOLA, ae, f. oppidum Latii (alii in Sabinis ponunt) *Plin.* 3, 5, 9. *Liv.* 1, 38.

ĀMES, ĭtis, pertica, seu furca aucupalis, ut *Festus* loquitur, qua rete suspenditur, et extenditur, στάλιξ. *Hor. Epod.* 2, 33. Aut amite levi rara tendit retia, Turdis edacibus dolos. *Pallad.* 10, 12. Nunc in amitibus apparetur aucupium noctuae. ℙ Dicitur etiam de aliis rebus. Itaque *amites basternarum* dicuntur ab *eodem Pallad.* 7, 2. vectes longi, quibus basterna, *h. e.* lectica jumento imponitur ad portandum. Ejus verba sunt: Duo brevissimi temones figurantur, velut amites basternarum. ℙ De genere nihil certi afferri potest: *Voss.* masculinum praefert.

[*ĀMESTRĀTĪNUS, a, um, adj. ad Amestram, sive Amastram, sive Amestratum pertinens, non ignobilem Siciliae urbem, mare versus ad Halaesum fluvium, [*Cic. Verr.* 2, 3, 43.] nunc *Mestretta*, in cujus nummis est *ΑΜΗΣΤΡΑΤΙΝΩΝ* apud *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 197. Ejus meminit *Sil.* 14, 266. Comitata Menaeis Venit Amastra viris. *Cic. Verr.* 2, 3, 39. Amestratini miseri impositis ita magnis decumis, ut ipsis reliqui nihil fieret, nonne tamen numerare pecunias coacti sunt? *F.* et *B. A.*]

ĀMĔTHYSTĪNĀTUS, a, um, partic. ab inusit. *amethystino*, amethystinis vestibus indutus. *Martial.* 2, 57. Amethystinatus media qui secat septa.

ĀMĔTHYSTĪNUS, a, um, adj. colorem purpureum amethysti habens, ut amethystinae vestes ap. *Martial.* 1, 97., quae saepe etiam *amethystina* absolute dicuntur. Et amethystinae lanae, *in lemmate distich.* 154. *l.* 14. Sic absolute *Juvenal.* 7, 135. purpura vendit Causidicum, vendunt amethystina. ℙ *Amethystini trientes* sunt pocula amethystis ornata. *Martial.* 10, 49. Cum potes amethystinos trientes, etc. Alii putant alludi ad colorem vini amethysto similem. Alii etiam leg. *Cum potes amethystino trientes*. *h. e.* poculo ex amethysto gemma facto.

ĀMĔTHYSTIZONTES, ἀμεθυστίζοντες, carbunculi, quorum externus igniculus in amethysti violam exit. *Plin.* 37, 7, 25.

ĀMĔTHYSTUS, i, f. ἀμέθυστος, gemma est colorem habens purpurae aliquantum accedentem, sed qui tamen non ex toto in igneum, sed in vini colorem deficit: ab *α* privativa, et *μεθύω*, ebrius sum, ut ait *Plin.* 37, 9, 50., quia usque ad vini colorem non accedit: priusquam enim degustet, in violam desinit fulgor. Hinc lepide *Martial. distich.* 14, 154. cujus lemma est *Amethystinae lanae.* Ebria Sidoniae cum sim de sanguine conchae, Non video, quare sobria lana vocer. ℙ Sunt etiam qui putarunt dictam amethystum, quod ebrietati resisteret, ut *Plin. ib.* scribit. ℙ Porro inter amethystos, quas variis in regionibus reperiri docet *Plin. ib.*, ut in Arabia Petraea, in Armenia minore, in Ga-

latia, in Aegypto, etc., principatum tenent Indicae, quae absolutum felicis purpurae colorem habent, ad quem officinae tingentium dirigunt vota. Summo enim in pretio habetur, blandus aspectu, neque in oculos, ut carbunculi, vibrans: videturque esse is, qui ab Italis dicitur *violetto*, vel *violetto chiaro*. Quinque amethystorum genera *Plin. loc. cit.* enumerat, eorumque differentes colores describit. *Ov. A. Am.* 3, 181. Hic Paphias myrtos, hic purpureas amethystos. *Plin. loc. cit.* Principatum amethysti Indicae tenent. ℙ *Amethystus* etiam dicitur quoddam genus vitis: de qua V. INERTICULUS. ℙ In masculino genere usurpatur ab *Isid. Orig.* 16, 9. ℙ [Fuit etiam cognomen libertinum. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 631. M. Antonius Panerotis Augusti Liberti Libertus Amethystus. *F.*]

AMĔTOR, oris, comm. gen. ἀμήτωρ, qui matre caret. Vox Graeca ab *a* privativa, et μήτηρ, mater: quemadmodum *apator* dicitur, qui caret patre, ἀπάτωρ, ab *a* privativa, et πατήρ, pater. Utraque vox usurpatur a *Tertull. Praescr. adv. haeret. in fin.*

*AMFLEXUS, a, um, part. ab amflecto i. q. circumflexus. Sic habet *ed. Gron. Melae* 3, 2. Galliae ora grandi circuitu amflexa, ad occidentem littus advertit.

AMFRACTUS. V. ANFRACTUS.

*AMFRAGOSUS, a, um, *Gloss. gr. lat.* περιοδειναμος τοπος, amfr. locus.

AMĬA, ae, f. piscis marinus pelamidi vel scombro similis, rostro acuto, ventre crasso, cauda tenui, in figuram lunae in cornua curvatae, pinnis ejus conformatis, dorso caeruleo, ventre argenteo. Dictus videtur ab *a* privativa, et μία, *una*, quia nunquam solus conspici solet. Saepe dimicat cum delphinis, eosque morsu lacerat. Adeo autem facile crescit, ut, teste *Plin.* 9, 15, 19., ejus incrementum singulis diebus intelligatur. *Rondeletius l.* 8. *c.* 9. scribit a popularibus suis appellari *Byza.*

AMĬANTUS, ti, m. ἀμίαντος, (*Ashest, Erdflachs*) ab *a* privativa, et μιαίνω, inquino, contamino, lapis est in Cypro nascens, friabilis, et scissili alumini similis, ex quo scribit *Dioscorides l.* 5. *c.* 156. telas texi, quae in ignem conjectae ardeant quidem, sed flammis invictae nitidiores extrahantur. Creditur etiam, ex eo facta olim fuisse ellychnia, quae igni non absumerentur. Quidam putant esse alumen plumosum officinarum. Certe seplasiarii pro alumine scissili nonnunquam supponunt. *Plin.* 36, 19, 31. Amiantus alumini similis nihil igni deperdit.

AMĪCA, ae, f. ἑταίρη, ἑταῖρα, mulier impudice amata. Sic enim honesto vocabulo meretrices appellare fas est. *Cic. Att.* 10, 10. Cytheridem secum lectica aperta portat, altera uxorem: septem praeterea conjunctae lecticae amicarum sunt. *Ter. Andr.* 1, 3, 11. Sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo est. *Id. Heaut.* 1, 1, 52. Amicam habere prope in uxoris loco. *Id. Hec.* 4, 1, 36. Introire ad amicam. [*Paul. Dig.* 50, 16, 144. Massurius scribit, pellicem apud antiquos eam habitam, quae cum uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat, quam nunc vero nomine amicam, paulo honestiore concubinam appellari. ℙ Honesto etiam sensu amica dicitur, cum nempe mulier mulierem hoc nomine appellat. *Inscr.* ap. *Grut.* 865, 17. Claudiae Ti. F. Secundae Sempronia L. F. Fortunata amicae *Fecit*, et C. Largius Euphemius conjugi sanctissimae. *Ter. Hec.* 4, 2, 16. Tuas amicas te et cognatas deserere, mea causa, nolo. *F.*]

AMĪCABĬLIS, le, adj. φιλικός, amicus, *Pl. Mil.* 4, 4, 8. Date operam amicabilem. Plerique alii leg. *adjutabilem*. *Imp. Justin. Cod.* 6, 58, 15, *n.* 5. Si qui casus jam evenerint, et per judicialem sententiam, vel amicabilem transactionem sopiti sunt. Alii leg. *amicalem*. *Firmic. Mathes.* 5, 5. Amicabili praeclarorum virorum consortio conjungi. V. etiam v. seq.

AMĪCĀLIS, le, adj. id. q. amicabilis. *Appul. de Mundo* p. 75, 9. Deus hospitalis, amicalis. *Ulp. Dig.* 17, 1, 10. §. 7. Qui non animo procuratoris intervenit, sed affectionem amicalem promisit. *Sidon. ep.* 1, 3. Scamnis amicalibus deputantur. Alii leg. *amicabilibus*. [*Not. Tir.* p. 59. Amicalis. *F.*]

AMĪCĀRĬUS, rii, m. μαστρωπός, qui amicam alicui conciliat, aut vendit, leno. Affertur a *Diomed.* 1. p. 313., sed nullo confirmatur Latini scriptoris exemplo.

AMĪCE, adv. φιλοπρεπῶς, cum amore et benevolentia. *Cic. Amic.* 2. Tu qui mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnosco, nec postulo, facis amice. *Id. Fin.* 1, 10. *med.* Amice et benevole erga aliquem. *Id. Div. in Verr.* 9. Familiarissime atque amicissime vivere cum aliquo. *Id. Off.* 1, 26. *fin.* Vivere simpliciter, fideliter, vitaeque hominum amice. *Caes. B. C.* 2, 17. Amicissime loqui de aliquo. [**Hor. Od.* 3, 2, 1. amice pati, i. e. aequo animo.] ℙ Comp. *Amicius* ap. *Front. ad M. Caes.* 1, 6. Quin cottidio aliquid reperias, quod circa me jucundius atque amicius facias.

[AMĪCILLA, ae, f. diminut. amica, est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1131, 10. Clodio Principali Cornelia Amicilla amico fecit bene merenti. *F.*]

AMĪCIMEN, ĭnis, n. id. q. amictus, apud *Appul. Met.* 11. p. 261, 9. Mulieres candido splendentes amicimine. *ib.* Rudi contectus amicimine.

AMĪCĪNUM, n. et Amicinus, i, m. utris pediculus, ex quo vinum diffunditur. *Festus. Gloss. Philox.* Amicinus, ἀσκοῦ στόμα.

AMĪCĬO, īcis, īcui, et ixi, ictum, a. 4. ἀμπέχω, operio, circumtego, vestio: ab *am*, circum, et *jacio*, ut *Varr. L. L.* 4, 30. docet. *Suet. Vesp.* 21. Dum salutabatur, et calceabat ipse sese, et amiciebat. *Id. Cal.* 22. Amiciri veste. *Pl. Pers.* 2, 5, 6. Amicibor gloriose, *amicibor* antique dictum est pro *amiciar*. Et translate. *Ov. Fast.* 1, 153. amicitur vitibus arbos. *Hor. Ep.* 2, 1. *in fin.* Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis. ℙ Praeterita duo habet *amicui*, et *amixi:* atque hoc posterius usitatius esse, notant Grammatici. *Brutus* ap. *Diomed.* 1. p. 364. Qui te toga praetexta amicuit. *Varr. ib.* Celerius mater amixit. Tertium quoque praeteritum *amicivi* afferri solet: de quo nullum adhuc exemplum vidimus. ℙ Quomodo differant *amicio* et *induo*, V. in AMICTUS, a, um. ℙ [Part. *Amiciendus* apud *Front. ad M. Caes.* 2, 1. Vobis quibus purpura et cocco uti necessarium est, eodem cultu nonnunquam oratio quoque amicienda est. *F.*]

AMĪCĬTER, adv. amice. *Pl. Pers.* 2, 3, 3. Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam danunt. *Pacuv.* ap. *Non.* 11, 11. Quando amico amiciter fecisti.

AMĪCĪTĬA, ae, f. φιλία, consensio voluntatum ex benevolentia proveniens. *Cic. Amic.* 6. Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate summa consensio. *Id. Cluent.* 42. Est mihi amicitia cum aliquo. *Id. Planc.* 33. Amicitia est inter aliquos. *Nep. Ann.* 2. Esse in amicitia cum aliquo. *Cic. Fam.* 15, 14. Amicitiam colere. *Id. Amic.* 14. contrahit significatio virtutis. *Id. Fam.* 3, 8. gerere. *Id. Att.* 2, 20. Recipere aliquem in amicitiam. *Id. Fin.* 1, 20. Tueri amicitiam. *Id. Dejot.* 9. Jungere amicitias cum aliquibus. [**Suet. vit. Hor.* amicitiam ingerere.] *Id. Verr.* 2, 2, 43. Vir plurimis amicitiis. *Id. Amic.* 13. Expetere amicitias. *Id. Rosc. Am.* 38. comparare. *Id. Brut.* 81. Conferre se ad amicitiam alicujus. *Ter. Hec.* 5, 1, 38. Uti amicitia alicujus. *Caes. B. G.* 3, 22. Dedere se amicitiae alicujus. *Nep. Eumen.* 1. Accedere ad amicitiam alicujus. *Id. Alcib.* 7. Parere sibi amicitiam. Et 5. Pervenire in intimam amicitiam alicujus. *Cic. Verr.* 2, 5, 32. Manere in amicitia. *Id. Amic.* 10. Deserere jura amicitiae. *Id. Fin.* 2, 25. Funditus evertere amicitiam. *Id. Amic.* 2. 20. Dissociare amicitias. 21. dimittere, dissuere et discindere. Removere se ab amicitia alicujus. 22. *fin.* dirumpere. *Nep. Conon.* 2. Deficere ab amicitia alicujus. *Cic. Planc.* 19. Repudiare amicitiam alicujus. *Liv.* 42, 25. Renuntiare amicitiam alicui. ℙ De foedere et concordia, quae est inter populos. *Liv.* 38, 18. Legati Oroandensium cum venissent amicitiam petentes. *Id.* 34, 31. Violare amicitiam populi R. *Sall. Jug.* 8. Colere amicitiam populi R. *Caes. B. G.* 4, 16. et *Justin.* 12, 2. Pacem et amicitiam cum rege aliquo facere. [*Plura de hoc Rom. more tradit *Liv.* 27, 4. De amicitiae renuntiatione, mos qui publice obtinebat, privatimque, cf. *Lips. exc.* ad *Tac. A.* 2, 70.] ℙ Interdum ponitur pro ipso amico. *Suet. Tib.* 51. Omnes amicitias et familiaritates, etiam quibus ea funeris curam moriens demandarat, intra breve tempus afflixit; uno ex his equestris ordinis viro, etc. Adde *Tac. A.* 4, 40. et *ib.* 5, 2. ℙ Tribuitur et irrationabilibus. *Plin.* 19, 8, 45. Amicitia est rutae cum fico in tantum, ut nusquam laetior proveniat, quam sub hac arbore. *Id.* 16, 17, 29. Amicitia vitium. ℙ *Amicitiai* pro *amicitiae* in genitivo singulari more suo dixit *Lucret.* 5, 83.

AMĪCĪTĬES, ei, f. amicitia. *Lucr.* 5, 1018. Tunc et amicitiem coeperunt jungere. Adde *Plin.* apud *Charis.* 1. p. 94., ubi docet veteri dignitate ita dici: ceterum rationis via dici debere *amicitia*.

AMĪCO, as, a. 1. προσάγομαι, concilio, placo, amicum facio, propitium reddo. *Stat. Th.* 3, 470. Ac prior Oeclides solita prece numen amicat.

AMĪCOSUS, a, um, adj. qui multas amicas habet. Affert *Diomed.* 1. p. 313., sed nullo confirmat exemplo.

AMĪCTORĬUM, ii, n. amictus, seu fascia linea, qua mulieres pectus mammasque cingebant et tegebant. Legitur in titulo *distich.* 149, 1, 14. *Martial. Hieronym. in Isaj.* 2, 3. *v.* 23. Mulieres habent sindones, quae vocantur amictoria. ℙ Latiori significatione usurpatur *amictorium*, et *linteamen amictorium* in *Cod. Theod.* 8, 5, 48. pro quocumque amictu, ut etiam *Du Fresne in Glossar.* adnotavit.

AMĪCTUS, a, um, adj. περιβεβλημένος, i. q. indutus. *Cic. Brut.* 14. Amictus laena. *Id. Phil.* 2, 34. toga. *Id. Or.* 3, 32. Pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, etc. Ex his colligitur discrimen inter *amicire*, et *induere:* nempe illud dicitur proprie de vestibus exterioribus, et laxioribus, quae hominem tegunt magis, quam vestiunt: *induere* de interioribus, et magis corpori adhaerentibus. Sic *Appul. Apolog.* Non modo indutui et amictui sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris. *Id. Flor. n.* 9. Habebat indutui ad corpus tunicam interulam, *etc.*, habebat cinctui baltheum, *etc.*, habebat amictui pallium candidum, quod superne circumjecerat. Tametsi hoc discrimen non est perpetuum. ℙ Hinc translate i. q. tectus, circumdatus. *Hor. Epod.* 17, 22. Ossa amicta pelle. *Id. Od.* 1, 2, 31. Nube candentes humeros amictus Apollo, (quod et *Virg.* dixit *A.* 1, 520.) *Id. Ep.* 1, 16, 3. Amicta vitibus ulmus. *Flor.* 1, 16. Amicti vitibus montes. Quidam leg. *amici*. [*Male. Eadem varietas *Ov. Met.* 10, 100. ubi v. *Heins.* Explicat hunc usum v. *amictus id.* ad *Ov. Fast.* 1, 153.] *Cat.* 63, 70. Loca algida Idae amicta nive. *Id.* 64, 311. Colus amicta lana. ℙ [**Amictus* et *amicus* confunduntur. V. paullo ante.]

AMĬCTUS, us, m. ἐπίβλημα, proprie videtur esse vestis exterior et laxior, ut toga, pallium, chlamys, et hujusmodi, quae amiciunt, circumdant, teguntve corpus, ut diximus in voce superiore: quamquam etiam universim pro omni vestitu ponitur. *Tib.* 1, 9, 13. Frustra jam vestes, frustra mutatur amictus. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Quam statuam esse ejusdem, status, amictus, annulus, imago ipsa declarat. *Virg. A.* 5, 421. Duplicem ex humeris rejecit amictum, *h. e.* ex duplici crassoque panno confectum, ut contra *Serv.* exponit *Octav. Ferrar. De re vestiar. P.* 2. *l.* 1. *c.* 9. *Ovid. Art. am.* 2, 297. Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus. *Sil.* 7, 447. Purpureos alius vestis religabat amictus, *h. e.* vestem amicientem et fluentem. [*Cf. *Drak.*, qui laudat *Broukh.* ad *Tib.* 1, 9, 5. Amictus semper exterior, vestis interior est. Amictus fluxi qui sint explicat *Burm.* ad *Anthol. Lat.* 1. p. 70. et 265. et ad *Prop.* 1, 2, 1.] *Cic. Or.* 2, 22. Imitari amictum alicujus, aut statum, aut motum, *h. e.* modum gestandi togam, [*sive compositionem togae, quum quis ad dicendum surgit. Cf. *Gesner.* ad *Plin. ep.* 2, 3.] quod apertius *Quint.* 11, 3, 156. Est aliquid in amictu: quod ipsum aliquatenus temporum conditione mutatum est. Nam veteribus nulli sinus: perquam breves post illos fuerunt. ℙ Et pro quolibet velamento seu tegumento. *Virg. A.* 3, 545. Velare capita amictu Phrygio. [*De capitis tegumento saepius dicitur. v. *Burm.* ad *Prop.* 2, 22, 21. coll. 18, 69. *id.* 2, 19, 81. amictus plebejus.] *Id. ib.* 1, 416. Et multo nebulae Dea fudit amictu. *Lucr.* 6, 1132. coeli mutemus amictum, *h. e.* aerem, quo amicimur et ambimur. *Sil.* 12, 613. terras caeco nox condit amictu, *h. e.* tenebrarum quasi velamine. Sic *Stat. Th.* 1, 631. nebularum amictus. ℙ *Amictui esse* est ad vestiendum aptum esse. *Cic. Tusc.* 5, 32. Mihi amictui est Scythicum tegmen; calceamentum, solorum callum. Sic *Varr. L. L.* 4, 30. Habere amictui purpuram. Adde loca *Appuleji* allata in voce superiore. ℙ *Quem mater amictum dedit, sollicite custodire*, proverbialis locutio apud *Quint.* 5, 14. a Graecis sumpta, qua utimur in eos, qui acceptis semel praeceptis ita inhaerent, ut ne latum quidem unguem discedere audeant: vel qui ab opinione aliqua, quam olim imbiberint, deduci nulla ratione possunt. ℙ Translate. *Colum.* 10, 69. et curvi vomere dentis Jam virides lacerate comas, jam scindite amictus, *h. e.* herbas, quae terram tegunt et vestiunt.

AMĪCŬLA, ae, f. τὸ ἑρώτιον, diminut. ab amica. *Cic. Orat.* 2, 59. Rixari de amicula. Adde *Plin. ep.* 3, 9, 13. [**Suet. Cal.* 33.]

AMĪCŬLĀTUS, a, um, adj. amiculo indutus, vestitus. *Solin.* 52. *ante med. de India.* Pars nudi, pars obscena tantum amiculati.

AMĪCŬLUM, li, n. ἀμφίεσμα, parvus amictus, vestis brevior, vel strictior, qua corpus amicitur et circumtegitur, eo sensu, quo in AMICTUS, a, um dictum est. *Cic. Div.* 2, 69. Amicae amictus amiculo. *Nep. Dat.* 3. Agresti duplici amiculo circumdatur. ℙ Quemadmodum autem dicimus *amictui esse*, ita et *amiculo esse*. *Sall. fr.* ap. *Macr. Sat.* 2, 9. Toga picta plerumque amiculo erat accumbenti. ℙ Apud *Festum* in *Corolla*, ubi dicitur, novam nuptam tulisse sub amiculo corollam de floribus, intelligendum est sub flammeo. ℙ Translate. *Front. de eloq.* Novissimum namque homini sapientiam colenti amiculum est gloriae cupido.

AMĪCŬLUS, li, m. diminut. ab amicus: et usurpatur blanditiae causa. *Cic. Verr.* 2, 3, 34. Quid de Docimo amiculo meo? *Hor. Ep.* 1, 17, 3. Disce, docendus adhuc quae censet amiculus. *Cat.* 30, 2. Jam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi.

AMĪCUS, i, m. φίλος, qui honeste amat et arcto familiaritatis et benevolentiae vinculo conjunctus est. *Cic. Verr.* 2, 3, 63. *fin.* Alba tuus antiquissimus non solum amicus, verum etiam amator. V. AMATOR. *Id. Amic.* 4. Ex omnibus saeculis vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum. *Ter. Andr.* 1, 1, 39. Parare amicos. *Id. ib.* 2, 2, 36. Orare amicos alicujus. *Liv.* 26, 50. Amicus populi Romani sis. Al. leg. *populo R.* Adde 39,

47, 10. [*et *Drak.* ad h. l. qui dativum ubique in hac formula praefert.] et 35, 18., ubi eadem lectionis varietas. *Hieronym. in Mich.* 2, 7, 7. Amicus diu quaeritur, vix invenitur, difficile servatur. Sic et ipsi patroni, et quibus praestamus obsequia, *amici* dicuntur. Ita *Horatius* appellat Maecenatem patronum suum. *Epod.* 1. Ibis Liburnis inter alta navium, Amice, propugnacula. *Id. Od.* 2, 18, 12. Nec potentem amicum Largiora flagito. Sic *Juv.* 3, 57. *Magnos amicos* dixit: et 6, 312. ℙ Quatuor amicorum paria celebravit antiquitas, Theseum et Pirithoum, Orestem et Pyladem, Achillem et Patroclum, Tydeum et Polynicem. ℙ *Amici* etiam dicuntur populi aut principes, qui pace et foedere inter se conjuncti vivunt. *Cic. Phil.* 11, 13. Dejotarus ex animo amicus, unus fidelis populo R. [**Liv.* 37, 54. socio atque amico regi. *Suet. Caes.* 11. rex Aegypti socius atque amicus a Senatu appellatus. — In his formulis *socius* plus est, quam *amicus;* nam qui socius erat, idem erat amicus; sed non omnis amicus erat socius, qui habebatur singularis honos, non ille omnibus attributus. Haec *Ern.* in *cl. Liv.*] ℙ *Amici principum* dicebantur eorum consiliarii ac familiares et adjutores rerum gerendarum. [*Hoc factum est a Caesaris tempore, qui se cinxerat multitudine virorum ob fidem vel virtutem bellicam sibi probatorum. Nos appellamus *aulicos* iique insignes sunt vel muneribus aulicis, vel potentes singulari Imperatoris favore, vel ad splendorem comites. Dicuntur isti amici etiam *cohors amicorum*, *Cal.* 19. *Ner.* 5. *Galb.* 7. quod nomen ipsum arguit, primos, Caesarem et Augustum, ex bello armorumque vi ad principatum pervenisse. Praeterea cf. *Ern. exc. XV.* ad *Suet.* Hausimus haec ex cl. *Suet. B. Crus.*] Hi et *Comites* dicti a comitando: quod cum facerent, praecedere solebant: nam servi et minus honorata ministeria sequebantur: unde et *pedissequi* dicti. Illi autem *anteambulones* et *antepedes* dicebantur. Horum exempla habes apud *Nep. Milt.* 3., *Eumen.* 12. et *De regib.* 3., *Curt.* 4, 1. et alibi saepe, et alios. ℙ *Amicum* pro *amicorum* est *Pl. Merc.* 2, 3, 51. Mandata amicum amicis tradam. Adde *Ter. Heaut. prol.* 24.

AMĪCUS, a, um, adj. qui amat, benevolus, favens, [*is qui vel dicto vel facto aliquid adjuvat; is qui salutis alicujus est studiosus; contrarium sign. inimicus. V. *Brem.* ad *Nep. Milt.* l. l.] φίλος. *Cic. Q. Fr.* 1, 2. *in fin.* Tribuni plebis sunt nobis amici. *Ter. Hec.* 3, 3, 29. Amicus animus. *Cic. Att.* 7, 1. Ut ego amicior invenirer Cilicum aerariis, quam nostro. *Id. Fam.* 3, 3. Successor conjunctissimus et amicissimus. *Nep. Dion.* 3. Amicus non magis tyranno, quam tyrannidi. *Id. Milt.* 3. Amicior omnium libertati, quam suae dominationi. *Virg. A.* 2, 737. Numen amicum. *Ov. Fast.* 3, 833. de Pallade: studiis adsit amica meis. *Hor. Ep.* 1, 2, 26. Amica luto sus. ℙ Tribuitur et rebus inanimis, quae scilicet vel apta sunt alicui rei, vel juvant. *Virg. A.* 2, 255. per amica silentia lunae. *Id. G.* 4, 115. irrigare imbres amicos. *Hor. Epod.* 10, 9. Sidus amicum. *Stat. Silv.* 5, 2, 38. Tempus amicum fraudibus. *Ov. Trist.* 1, 4, 18. Navis fertur vento amico. [*Plura hujus generis collegit *Heins.* ad *Ov. A. Am.* 1, 585.] Sic fere *amica manus* ea est, quae agit in solitaria Venere. *Martial.* 9, 42. Veneri servit amica manus. *Auct. Priap.* 33, 6. Falce manu posita, fiet amica manus. ℙ *Amicum est mihi*, hoc est placet. *Hor. Od.* 2, 17, 2. Nec Diis amicum, nec mihi, te prius Obire Maecenas. ℙ Comparativum *amicitior* pro *amicior* legi volunt plerique Critici in illo *Cic. Fam.* 3, 2. Quod neque tibi amicitior, quam, etc. *Ib.* 3. Nec te amicitiori potuisse provinciam tradere. Et *Symmach. ep.* 4, 7. Te famae ejus amicitiorem. Ita enim haberi in plerisque MSS. *Appul. Apolog.* p. 286, 17. Amicitiorem esse mediocritati. [*Sed unice probanda est forma *amicior*, quod multis docuit *Drak.* ad *Liv.* 2, 15, 6. quem v. *coll. Cort.* ad *Sall. Jug.* 10, 5. ℙ Commutantur in libris *amicus* et *amictus;* v. AMICTUS.; *amicus* et *mitis*, v. intpp. ad *Ov. Met.* 13, 440.]

*AMIDA, ae, f. Mesopotamiae oppidum. *Ammian.* 18, 6. (*Procop.*).

AMILCAR, cāris, m. Ἀμίλκας, Carthaginensium dux, Annibalis pater, qui filium irreconciliabili illo erga Romanos odio primus imbuit. *Sil.* 2, 229. At senior Siculis exsultat Amilcar in armis. ℙ Plures item alii hoc nomine fuerunt, quos nominat *Liv. de B. Pun.* ℙ De quantitate paenultimae in obliquis casibus, V. quae dicemus in ANNIBAL. ℙ Scribitur et *Hamilcar.*

[AMILLUS, i, m. ab ἀμιλλία, contentio, dempta aspiratione, ut saepe usuvenit apud Latinos, litigiosus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 65, 5. Q. Vibius Amillus. Adde ap. *Martial.* 7, 62. *F.*]

AMINEUS vel potius Ammineus, a, um, adj. ut *Amineae vites*, *Amineum vinum*, ita dictum ab Aminea regione: de qua *Macr. Sat.* 2, 11. Aminei fuerunt, ubi nunc Falernum est. Ubi alii leg. ex quodam MS. *Salernum* [*est scribendi vitium] alii *Salentum*, propterea quod *Virg. G.* 2, 96. et 97. Falerna vina ab Amineis distinguit. *Philargyr.* autem ad h. *Virg.* l. ex *Arist. in Polit.* tradit, Amineos fuisse populos Thessaliae, qui suae regionis vites in Italiam transtulerint: atque illis inde nomen impositum. *Servius ib.* scribit *Amineum vinum* ita dici, quasi *aminium*, hoc est sine minio, seu rubore, quia est album. Verum haec origo et nimis subtiliter excogitata videtur, nec usquequaque vera est. Nam Amineae uvae nigrae recensentur a *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 8. et *Colum.* 3, 2., ubi multa enumerat Aminearum vitium genera, unum tantum designat, quod albidas uvas ferat, ut notat *Pierius ad Virg. l. l.* Ceterum laudatissima vina ex Amineis uvis habebantur, et optime aetatem ferentia. Hinc *firmissima* ea appellat *Virg. l. l.* ℙ Magna porro lis est inter Grammaticos de scriptione et quantitate paenultimae. Nam versum *Virg. l. l.* plerique cum *Servio* ita legunt: *Sunt etiam Ammineae vites*, *firmissima vina:* atque ita haberi in Mediceo codice, et in altero quoque Vaticano, testatur *Pierius.* Sic *Auson. ep.* 18. *in fin. Solus qui Chium miscet et Ammineum* Graece quoque Ἀμνεῖον scriptum legitur. Alii contra legunt: *Sunt et Amineae vites*, etc., vel addita diphthongo *Aminaeae*, eo quod *Ptolemaeus l.* 3. Ἀμναῖον dicat esse Campaniae oppidum, unde haec ducta est appellatio. Etiam in *Dig.* 33, 6, 16. legitur *Aminaeum* tum apud *Haloandr.*, tum in celebri editione *Torrentini.* Sic *Seren. Sammon.* 29, 544. Succus Aminaeae vitis cum pane medetur. Et 37, 708. Aut in Aminaeo cochleas haurire Lyaeo. Quamquam hoc loco alii reponunt *Bithyno.* Omnino prior scribendi ratio, et quantitas Ammineum praeferenda videtur. [*Hanc probat etiam *Voss.*, quamquam illud verum est, Graecos dixisse, Ἀμναῖος et Ἀμνεῖος. Saepe autem quantitas vv. immutata est.] In *vet. monum.* apud *Grut.* 215, 2. habetur *Aminea*, sed quantitas syllabae inde colligi nequit.

[AMINTĪNUS, vel, ut scribit *Anonym. Norisian.*, Amentinus, i, m. Cognomen Romanum consulis ann. U. C. 293. *Fasti Capitol.* apud *Grut.* 289. P. Volumnius M. F. M. N. Amintinus Gallus. Deductum censemus a pago Amentino, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Odoric. Sytl.* p. 186. *F.*]

[AMISENUS, i, m. ad Amisum pertinens, nunc *Simiso*, maritimam Ponti urbem, in cujus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 2. p. 348. ΑΜΙCΗΝΩΝ. *Plin. ep.* 10, 93. Amisenorum civitas et libera et foederata legibus suis utitur. *F.*]

*AMISIA, ae, fluvius Germaniae, h. *Ems. Tac. A.* 1, 60. 63. Etiam Amisius, *Mela* 3, 3. *Plin.* 4, 14, 28. Amasiam *Strab.* Amasium *Ptol.* appellant.

AMISSĪBĬLIS, le, adj. verb. qui amitti potest. Vox est *Augustini de Trinit.* 5, 4. et 15. 13.

AMISSIO, onis, f. actus amittendi, ἀποβολή. *Cic. Fam.* 4, 3. Omnium rerum amissio et desperatio recuperandi. *Id. Pison.* 17. Amissio opprimorum. *Ib.* 18. *fin.* dignitatis.

AMĪSSUS, us, m. amissio. *Nep. Alc.* 6. Siciliae amissum et Lacedaemoniorum victorias culpae suae tribuebant. Est qui legit *admissum.* [*Male. Est ἅπαξ λεγόμενον.]

AMISSUS, a, um, part. v. *amitto*, perditus, elapsus, ἀποβληθείς. *Cic. Verr.* 1, 2, 5. Amissae classes. *Id. Prov. cons.* 8. Amissum tempus. *Id. N. D.* 3, 35. Amissa salus. *Id. Att.* 9, 5. Amissa causa reipublicae. *Id. in Sen. in fin.* et *Nep. Timoth.* 3. Recuperare amissa. *Justin.* 38, 9. Amissus exercitus. *Cic. Att.* 15, 11. Amissae occasiones.

*AMISUS, i, f. Ἄμισός, oppidum in Ponto, h. *Simiso. Cic. Man.* 8. *Mel.* 1, 19. *Plin.* 37, 8, 37. Amisum habet *id.* 6, 2, 2. Cf. AMISENUS.

ĀMITA, ae, f. πατρωδέλφη, patris mei soror, nam matris soror matertera dicitur, ut *Paul. Dig.* 38, 10, 10. docet. *Cic. Cluent.* 10. Cluentia, quae amita hujus Aviti fuit. Adde *Liv.* 39, 11. ℙ *Amita magna* est avi mei soror, *Paulus ib.* ℙ *Amita major* dicitur avi et aviae amita, seu soror proavi et proaviae, *Paulus ib.* et *Fest.* in *Major.* ℙ *Amita maxima* est soror abavi, quae et *abamita* dicitur. *Ib.* ℙ *Festus* dictam esse scribit quasi *avitam*, quia ab antiquioribus ita appellabatur. Hinc nonnulli putarunt paenultimam esse producendam. At *Pers.* 6, 52. si mihi nulla Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis, etc. ℙ Aliam originem tradit idem *Fest.* quod ita dicatur, quia *a patre meo amata est:* nam plus sorores a fratribus diligi solent quam fratres. Sed hoc nimis acute excogitatum videtur.

[AMITERNENSIS, is, m. id. q. Amiterninus. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 234. Locus Datus Decurionum Amiternensium. *F.*]

ĀMITERNĪNUS, a, um, adj. ad Amiternum pertinens. *Colum.* 10, 422. Quaeque Amiterninis defertur bunias arvis. ℙ *Amiternini*, *orum* sunt ejus oppidi incolae. *Plin.* 3, 12, 17. ℙ Dicti sunt ab *am* circum, et *Aternus*, quia circa fontes illius amnis incolunt. *Varr. L. L.* 4, 5.

ĀMITERNIUS. V. v. seq.

ĀMITERNUM, i, n. *S. Vittorino*, Ἀμίτερνον, oppidum Sabinorum in Aprutio ad Aternum amnem. Patria fuit Crispi Sallustii. Ejus ager napis et caepis quondam celebris fuit, teste *Plin.* 18, 13, 35. et 19, 6, 32. et *Martial.* 13, 20. ℙ [Ex hoc oppido factum est nomen gentilicium *Amiternius. Inscr.* Amiterni reperta apud *Marin. Frat. Arv.* p. 214. M. Amiternius municipum *Libertus* Jucundus, *h. e.* Jucundus servus municipii Amiternini, qui a municipibus libertate donatus Amiternii nomen, ut mos erat, sibi adscivit. *F.*]

AMITERNUS, a, um, adj. id. q. Amiterninus. *Virg. A.* 7, 710. Amiterna cohors. *Martial.* 13, 20. Amiternus ager.

ĀMITHAON, onis, m. vir Argivus, pater Melampodis. *Ov. Met.* 15, 325. Sive quod indigenae memorant, Amithaone natus, etc. ℙ Scribitur et *Amythaon*, [*Ἀμυθάων, *Apollod.*]

ĀMITHAONĬUS, a, um, adj. *Virg. G.* 3, 550. Phillyrides Chiron, Amithaoniusque Melampus, *h. e.* Amithaonis filius. *Prop.* 2, 2, 18. Amithaonia domus. V. MELAMPUS. ℙ Hinc Melampus Amithaonis filius absolute *Amithaonius*, appellatur a *Colum.* 10, 348. Hinc Amithaonius, docuit quem plurima Chiron, Nocturnas crucibus volucres suspendit. ℙ Scribitur et *Amythaonius.*

AMĪTĪNA, ae, f. et

*AMĪTĪNUM, i, Latii oppidum. *Plin.* 3, 5, 9. ℙ Amitini, orum, Etruriae populus, *ib.* 3, 5, 8.

AMĪTĪNUS, i, m. *Paul. Sentent.* 4, 11, 4. Quarto gradu veniunt amitinus, amitina, id est, amitae filius, filia. ℙ *Amitini*, *orum*, m. et *Amitinae*, *arum*, f. filii, et filiae fratris, et sororis meae, ut habetur *Dig.* 38, 10, 1. et 10., quod sic est intelligendum, ut ita inter se appellentur, verbi gratia, duo filii, quorum alter ex fratre meo, alter ex sorore mea natus est. Nam si uterque ex duobus meis fratribus natus sit, dicuntur *patrueles:* si ex duabus sororibus *consobrini:* tametsi hos omnes communi vocabulo *consobrinos* vulgus vocat, ut *Cajus ib.* docet.

AMITTO, is, isi, issum, a. 3. abire, sinere, dimittere, amandare, ἀφίημι, ἀποπέμπω. Compositum ex *a* pro *ab* longe, procul, et mitto. *Cic. N. D.* 2, 49. Usque eo premere earum capita mordicus, dum illae captum amitterent. *Pl. Capt.* 2, 2, 82. Et te et hunc amittam hinc: alio pacto abire hinc non potes. [**Id. ib. Arg. acr.* v. ibique *Lindem. id. Most.* 2, 2, 2. *Amph.* 2, 2, 217.] *Id. Men.* 5, 8, 6. Quia te servavi, me amisisti liberum. *Ter. Andr.* 5, 3, 27. Vis me uxorem ducere, hanc me vis amittere? *Id. Ph.* 3, 2, 22. Neque quo amittam a me invenio, neque uti retineam, scio. *Id. Eun.* 2, 3, 2. Virginem e conspectu amisi meo. Et *Varr.* ap. *Non.* 2, 111. Singulos lectos stratos, ubi habuimus, amisimus propter cariem et tineam, *h. e.* abjecimus, recusavimus. *Cic. Verr.* 2, 4, 20. Amittere praedam de manibus. [**Liv.* 29, 32, 6. saucium prope e manibus amisit. *Id.* 30, 24. ne tanta ex oculis manibusque amitteretur praeda. Apud *Cic. Coel.* 27, 66. de manibus emiserit — dedit *Orell.*; antea *amiserit.* Similiter *id. Rosc. Am.* 53, 154. sensum omnem humanitatis ex animis amittimus, i. e. abjicimus, deponimus, ut explicat *Forc.* qui h. l. laudavit infra. *Donat.* ad *Ter. Heaut.* 3, 1, 71. (quem *Matth.* laudat ad h. l.) nam quod nos, inquit, dicimus dimittere, antiqui etiam dicebant amittere.] Et omissa praeposit. quae inest in ipso verbo. *Pl. Mil.* 2, 5, 47. Amittere praedam manibus, *quasi dicat* mittere a manibus. *Id. Poen.* 1, 2, 191. Tibi hanc amittam noxiam unam, *h. e.* tibi ignoscam. Huc spectant et ilia *Cic. Caec.* 5. Amittere occasionem. *Id. Att.* 8, 3. *a med.* Amittere tempus. *Ter. Ad.* 3, 2, 49. Si inficias ibit, testis mecum est annulus, quem amiserat, i. e. quem miserat. ℙ Saepe etiam ponitur pro perdere, jacturam facere, ἀποβάλλω. Differunt tamen *perdere* et *amittere*, quod *amittimus* etiam vitio alieno, *perdimus* dumtaxat nostro: *amittimus* id, quod recuperare possumus, *perdimus id*, quod omnino perit. Tametsi hoc discrimen non semper verum est. *Auct.* ad *Her.* 4, 44. Decius amisit vitam, at non perdidit: re enim vilissima maximam redemit. *Cic. Verr.* 1, 2, 5. Classes amissae et perditae. *Id. Phil.* 10, 5. *in f.* Amittere jus exercitus et imperii. *Id. Or.* 1, 40. civitatem. *Id. Sen.* 4. oppidum. [**Suet. Cl.* 6. domus, quam incendio amiserat.] *Id. Fam.* 4, 6. filium, *sc.* per mortem. [**Suet. Vesp.* 3. sponsam ex valetudine amisit. *Id. Cal.* 12. Juliam ex partu.] *Id. Rosc. Com.* 4. Litem aut obtinere aut amittere. *Nep. Ep.* 9. animam. *Id. Dion.* 7. Reconciliare milites, amittere optimates, *h. e.* eorum favorem. *Id. Eum.* 10. fidem, *h. e.* perfidum fieri. *Just.* 11, 12. spem. [**Suet. Tib.* 15. jus, quod adoptione amiserat. *Liv.* 31, 18. hominum praedam omnem amisit, (de eo, qui nondum habuit). Similiter amittere is dicitur, qui alicujus rei non substantiam, sed usum perdidit. *Sil.* 4, 242. elisa incussis amisit calcibus ora, i. e. calcatus ab equo ita est, ut confusis lineamentis nosci non posset. V. *Barth.* et *Drak.* ad h. l. *Suet. Gr.* 9. memoriam amittere.] *Amittere corpus.* V. CORPUS. *Amittere verba*, prae pudore, aut metu loqui non posse. *Aurel. Vict. Epit.* 12.

Perinde trepidavit, ut colore mutato, verbis amissis, vix consisteret. ℙ Partic. *Amissurus* ap. *Pl. Asin.* 3, 3, 21. Cur ego minitaris, tibi te vitam esse amissurum? *Amittendus* ap. *Caes. B. G.* 3, 18. Conclamant omnes, occasionem negotii bene gerendi amittendam non esse. *F.*] ℙ *Amissis* per syncopen pro *amiseris* dictum est a *Pl. Bacch.* 5, 2, 70. Et *amisti* pro *amisisti* a *Ter. Eun.* 2, 2, 10. et *Hec.* 2, 2, 9. ℙ [*Confunduntur *amittere* et *emittere*, v. supra et ad *Ov. Met.* 15, 650., *am.* et *omittere*, v. *Burm.* ad *Phaedr.* 1, 13, 10. qui queritur haec duo vv. difficulter dignosci. Sed adi *Brem.* et *Goer.* ad *Cic. Fin.* 1, 17, 56. qui hoc discrimen faciunt: *amittit*, qui habet; omittit, qui vel praeterit vel non suscipit. Praeterea est *amittere* invite, *omittere* sponte a se dimittentis. Cf. etiam *Burm.* ad *Vell.* 2, 39, 1.]

*AMMAENSIS, e, quod ad Ammaeam, (Ἀμμαία *Ptol.*), Lusitaniae oppidum pertinet. *Plin.* 37, 2, 9. Ammaensibus jugis. Sic *Hard.* Idem habet etiam *Ammiensis*, *e*, 4, 22, 25.

[AMMEDARENSIS, is, ad Ammedaram, sive Admedaram, [**Tab. Peut.*, vel Ammaedaram, *Ptol.* vel Admedaram et Ammedaram, *Anton. Itin.*] urbem Africae inter Carthaginem et Cirtam, pertinens. *Inscr.* ap. *Mur.* 1056, 2. De regione Admederensium. Adde aliam ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 405. Ammedarenses. V. *Morcell. Afr. Christ. T.* 1. p. 74. *F.*]

AMMI, ĭos, et Ammĭum, ii, n. ἄμμι et ἄμμιον, herba est cumino simillima, adeo ut idem esse putetur a nonnullis, quod cuminum Aegyptium; tametsi exilior est et candidior. *Plin.* 20, 15, 58. Est cumino simillimum, quod Graeci vocant ammi. *Ib.* 24, 100. Foeniculi seminis et ammii et apii denariorum senum etc. Adde *Scribon. Compos.* 121. ℙ Scribitur et *ami* et *amium* unica *m*.

AMMĬĀNUS MARCELLĪNUS, natione Graecus, patria, ut plerique volunt, Antiochenus, professione miles, vixit saeculo Christi IV. sub Constantio, et proximis imperatoribus usque ad Theodosii tempora, scripsitque historiam rerum gestarum a principatu Nervae usque ad obitum Valentis libris XXXI., quorum priores XIII. interciderunt. Ejus stilus est is, qui Graeci hominis et militis Latine scribentis esse potest, ut ipse de se fatetur in fine *lib. ult.*, horridus nempe et barbarie usquequaque aspersus, plus etiam aliquanto, quam ea tempora ferebant. Ceterum gravis plane ac serius scriptor est, et veritatis studiosissimus, ob idque legi dignus.

AMMĪNĒUS. V. AMINEUS.

AMMĪROR, pro Admiror legitur in quibusdam edd. *Hyg. fab.* 29. et *Gell.* 5, 14. [*Hanc scripturam e vestigiis codicum rescriptorum sequitur *Beier.* in sua Laelii Ciceroniani edit.]

AMMITTO, pro Admitto legitur in multis codd. *Valer. Fl.* 2, 399. tales ammittere curas. Et 6, 304. ammissis habenis etc., quod etiam *Beda* docuit *de Orthogr.* p. 2329. [V. v. praeced.]

AMMĬUM. V. AMMI.

AMMOCHRYSUS, i, m. ἀμμόχρυσος, nomen gemmae. Vox Graeca ab ἄμμος, arena, et χρυσὸς, aurum, nam ut docet *Plin.* 37, 11, 73., arenarum similitudo est in ammochryso, velut auro arenis mixto. ℙ Quidam scribunt *Hammochrysus*.

*AMMODES promontorium, ἀμμώδες, i. e. arenosum, sc. ἄκρον, Ciliciae. *Mel.* 1, 13.

AMMODYTĒS vel Ammodītes, ae, m. ἀμμοδύτης, genus serpentis in Africa, similis viperae, longitudine cubitali, in arenis degentis (unde et nomen traxit, nempe ab ἄμμος, arena, et δύνω, subeo, ingredior,) adeoque simile earum colore pellis, ut transeuntes fallat. *Solin.* 27. *a med.* Sunt et ammodytae, est et cenchris: elephantiae etc. *Lucan.* 9, 716. Concolor exustis atque indiscretus arenis Ammodytes, spinaque vagi torquente cerastae. Alii scribunt *hammodytes*. Qui vero pro *y* substituunt *i*, Latinorum consuetudine id faciunt, qui *v* Graecum modo in *u* vertunt, modo in *i*, saepe etiam retinent.

AMMON, ōnis, Ἄμμων, ωνος, cognomen Jovis, qui in desertis Libyae sub arietis forma colebatur, ab arena, quae a Graecis ἄμμος dicitur, quod ejus templum in arenis situm esset. Nam cum Liber pater per desertum Libyae exercitum duceret, universa jam Asia devicta, et siti admodum laboraret, implorasse a patre auxilium dicitur: quo facto apparuit ei extemplo aries, quem dum fugientem persequitur, pervenit illo duce ad fontem amoenissimum. Desiderio potitus, existimans arietem illum fuisse Jovem, ei templum mirae magnitudinis in arena constituit, et Deum vocavit *Ammonem*, quasi Jovem arenarium. Nonnulli dicunt, Ammonem Jovem esse dictum ex nomine *Ammonis* pastoris, qui primus illic templum exstruxit. Hujus meminere *Suidas* et *Aristophanes*. Fortasse haec ratio appellationis melior est, quod lingua Aegyptia *Ammon* Juppiter dicitur. Denique alii tradunt cultum esse ab Aegyptiis hoc nomine in memoriam illius metamorphoseos, cum in convivio sedens cum aliis Diis, superveniente subito Typhoeo gigante, timore correptus se in arietem immutavit, ceteris quoque sub alia animalium forma se celantibus: qua de re *Ov. Met.* 5, 327. At *Jablonsk. in Panth. Aegyptiac. l.* 2. *c.* 2. ostendit, Aegyptios primitus lingua sua *Amun*, *h. e. lucidum* vocasse solem signum Arietis verno tempore ingredientem: Graecos vero similitudine vocis deceptos Ἄμμωνα appellasse, ineptisque fabulis locum dedisse. Haec enim habet *Plutarch. De Is.* et *Osir.* Ἴδιον παῦ Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διὸς εἶναι τὸν Ἀμοῦν, ὃ παράγοντες ἡμεῖς Ἄμμωνα λέγομεν. Locus nunc *Canzaron di Mahoma* dicitur in Libya in confinio Cyrenaicae regionis apud Garamantes. ℙ In eo templo celebre fuit oraculum, confluentibus undique populis consulendi causa: cujus responsa semper ambigua erant, et in utramque partem intelligi poterant. ℙ Locum hunc, templumque, et ipsum oraculum a *Lucan.* 9, 511. et *Curt.* 4, 7. describuntur. *Lucan. l. c.* Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum Inculti Garomantes habent: stat corniger illis Juppiter, ut memorant, sed non aut fulmina vibrans, Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon. *Virg. A.* 4, 198. *de Iarba.* Hic Ammone satus rapta Garamantide Nympha. V. ibi *Serv.*, ubi hac de re multa. ℙ *Ammonis cornu* inter sacratissimas Aethiopiae gemmas, aureo colore arietini cornu effigiem reddens, promittitur praedivina somnia repraesentare. *Plin.* 37, 10, 60. ℙ Scribitur et *Hammon* cum aspiratione: rectius tamen sine ea.

AMMONĔO, es, pro Admoneo legitur in multis codd. *Phaedri* 1, 27. et 3, 10. *sub fin.* et alibi: et *Val. Fl.* 3, 147. et 5, 12. et alibi: et *Macr. Somn. Scip.* 1. et 5. [*V. AMMIROR.]

AMMONĬACUS, a, um, adj. ἀμμωνιακὸς. *Ammoniacus sal* est quoddam nativi salis genus, quod in Libya sub arenis invenitur: unde et nomen habet, nempe ab ἄμμος, arena. Similis est colore alumini scissili, longis glebis, neque perlucidis, ingratus sapore, sed medicinae utilis. Probatur quam maxime perspicuus rectis scissuris. Ita *Plin.* 31, 7, 39., ubi et alia multa de eo. Quod vero in officinis est *sal ammoniacus* vel *armoniacus*, facticius est, vel saltem ab illo adulteratus. *Ov. Medicam. fac. sub fin.* Cumque Ammoniaco mascula tura sale. ℙ *Ammoniacum*, *ci*, est lacrima destillans ex arbore quadam prope Ammonis templum, instar resinae, aut gummi, variosque habens usus in medicina: hodieque in officinis *gomma ammoniaca* aut *armoniaca* appellatur: tametsi adulteratur facile, aut arte similis nativae efficitur. Adulteratur etiam arenis velut nascendo apprehensis. Itaque quam minimis glebis probatur, et quam purissimis, ut scribit *Plin.* 12, 23, 49. Adde 24, 6, 14. etc. *Cels.* 5, 5. Purgant lacerti stercus, sanguis columbae, ammoniacum, bdellium (quod in omnia idem, quod ammoniacum potest: sed hoc valentius est) abrotonum, ficus arida etc. *Id.* 5, 18. *n.* 7. 9. 10. 13. et 6, 6. *n.* 28. appellat *thymiama ammoniacum*, quia in collyriis adhibitum, suffitu oculis prodest.

AMMONĬAS, ădis, f. dicebatur navis, qua populorum munera et victimae ad Ammonis templum ex transmarinis regionibus transvehebantur. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. Fecit nobilem Paralum et Ammoniada, quam quidam Nausicaam vocant. V. PARALUS.

*AMMONITAE, arum, populi Arabiae Petraeae. *Plin.* 6, 29.

AMMONĪTRIX. V. ADMONITRIX.

AMMONĪTRUM, i, n. ἀμμόνιτρον, massa est constans ex arena molis trita et tertia parte nitri, ex qua recocta fit vitrum purum et candidum: ex ἄμμος, arena, et νίτρον, nitrum. *Plin.* 36, 26, 66.

*AMMONIUS, a, um, hinc Ammonii, orum, populus Arabiae felicis. *Plin.* 6, 28, 32. ℙ Incolae urbis Ammon. *Herod.* 4, 181. ℙ Ammonius, i. m. medicus Alexandrinus, dictus etiam Lithotomus. *Cels. praef.* l. 7. *ib.* c. 26.

AMMOVĔO, es, pro Admoveo legitur in multis codicibus *Val. Fl.* 3, 502. faciemque ammoverit urbi. *Id* 5, 241. Dixit et amota pariter etc.

[AMMŪDĀTES, is, m. nomen cujusdam numinis apud Romanos, cujus mentio tantum est apud *Commodian. Instruct.* 18. *v.* 3. Ammudatemque suum cultores more colebant. Monet *Rigaltius*, terminationem nominis esse Persicam et Ammudium agrum Persicum memorari a *Procopio*. Sed tamen nihil certi de hoc numine hinc statui potest. *F.*]

AMMŪLA. V. HAMULA.

AMNĀCUS, i, m. herba alio nomine parthenium, et leucanthes, et perdicium, et muralis herba, flore albo, odore mali, sapore amaro, in hortorum sepibus nascens. *Plin.* 21, 30, 104. [**Glaskraut*]

[AMNAS, ădis, f. ἀμνάς, agna. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 757, 6. P. Aelius Cissus sibi et Ligariae Amnadi pos. *F.*]

AMNENSIS, se, adj. ad amnem situs, περιποτάμιος. *Festus:* Amnenses dictae urbes ad amnem sitae.

AMNESTĬA, ae, f. ἀμνηστία, Gr. vox, rerum praeteritarum, et praecipue injuriarum oblivionem significans, ab *a* privativa, et μνάομαι, recordor, qua voce usus creditur *Cic.* in quadam oratione ad senatum habita in aede Telluris, de pace cum Antonio facienda, quae hodie non exstat. Ita enim *Phil.* 1, 1. de ea oratione loquens ait: In quo templo jeci fundamenta pacis: Graecum etiam verbum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis usa erat illa civitas (*Athenae*) atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui. *Vell.* 2, 58. hac eadem de re disserens, ita scribit: Et illud decreti Atheniensium celeberrimi exemplum, relatum a Cicerone, oblivionis praeteritarum rerum, decreto patrum comprobatum est. *Nep. Thras.* 3. *legem oblivionis* appellat, Graeci ψήφισμα τῆς ἀμνηστίας. *Suet. Cl.* 11. Omnium factorum dictorumque veniam et oblivionem in perpetuum sanxit ac praestitit. *Id. Tib.* 4. Cunctis abolitionem facti decernentibus. Latine *Vopisc. Aurel.* 39. Amnestia etiam sub eo delictorum publicorum decreta est, de exemplo Atheniensium; cujus rei etiam Tullius in Philippicis meminit. Quidam codd. habent Ἀμνηστία etiam sub eo, etc. *Mur. l.* 2. *Var. l. c.* 15. pernegat, ἀμνηστίαν fuisse verbum, quod usurpasse se eo loco *Cic.* indicat, sed μὴ μνησικακεῖν, hoc est non recordari veteris injuriae, non esse malevolo animo ob acceptam injuriam: quo verbo utebantur Graeci in decreto τῆς ἀμνηστίας. Contradicit *Manut.* cum aliis.

AMNĪCOLA, lae, m. et f. περιποτάμιος, qui apud amnem colit, seu habitat. *Ov. Met.* 10, 96. Amnicolaeque simul salices et aquatica lotos.

AMNĪCŬLUS, i, m. parvus amnis. *Liv.* 36, 22. *ad fin.* Ab altero amniculo, quem Melana vocant, Claudium opposuit.

AMNĪCUS, a, um, adj. ποτάμιος, ad amnem pertinens. *Plin.* 16, 36, 66. Amnici calami. *Id.* 3, 25, 28. Insula in Savo Metubarris (hodie *Zagrabia*) amnicarum maxima, *h. e.* earum, quae ab amnibus fiunt. *Solin.* 37. Pisces amnici. *Auson. Mosell.* 205. Super amnica terga, *h. e.* undas amnis. *Prud.* περὶ στεφ. 11. *sub fin.* Amnicus liquor. *Appul. Met.* 6. p. 181, 24. Amnica stipe vectori data, *h. e.* pretio pro transvectione amnis.

AMNĪGĒNA, ae, comm. gen. in amne genitus, vel amnis filius, ποταμογενής. *Val. Fl.* 5, 585. quid si amnigenam mirere Choaspen? *Auson. Mosell.* 116. Amnigenas inter pisces. Alii leg. *amnigenos*, ut sit ab adj. *Amnigenus*, *a*, *um*.

AMNIS, is, m. ποταμὸς, fluvius: ab *am*, circum, et *nare*, fluere, quoniam flexuoso meatu labitur. Vel dicitur ab *ambio*. Omnia enim flumina circumeunt, ideoque cornuta pinguntur. Ita derivant *Fest.* et *Varr. L. L.* 4, 5. *Cic. N. D.* 2, 39. Liquores perlucidi amnium. *Id. ib.* 7. Profluens amnis. *Id. Leg.* 2, 10. Animi labes nec diuturnitate vanescere, nec amnibus ullis elui potest. *Pl. Poen.* 3, 3, 15. Qui nescit, qua deveniat ad mare, eum oportet amnem quaerere comitem sibi. *Id. Trin.* 4, 2, 101. Advehi aqua advorsa per amnem. *Tac. A.* 1, 3, 2. In amnem Rhenum projicere. [**Ov. Met.* 1, 137. amnis vicinus Sardibus, i. e. Pactolus. *Mel.* 3, 1. Baetis uno amne decurrit. *Virg. A.* 7, 659. amnis Eridani. Hinc *sidus Eridani* appellatur et ipsum *amnis*. *Cic. Arat.* 384.] *Id. ib.* 12, 16. Transgredi amnem. 35. evadere. *Curt.* 9, 2. et *Liv.* 21, 5. vado trajicere. *Curt.* 4, 7. et *Virg. G.* 3, 447. Secundo amne. *Curt.* 10, 1. Adverso amne. *Cic. Or.* 12. Sedatus amnis. *Hor. Od.* 3, 29, 40. quietus. *Id. ib.* 1, 31, 8. taciturnus. *Id. Sat.* 1, 10, 62. rapidus. *Id. Ep.* 1, 2, 43. volubilis. *Virg. A.* 12, 514. Spumosi amnes. *Lucan.* 8, 374. Violenti vorticis amnis. *Id.* 1, 204. tumidus. Ac de torrente. *Virg. A.* 4, 164. ruunt de montibus amnes. *Plin. Pan.* 82. Nec deformitate ista saltem flumina carebant atque amnes. [**Forc.* h. l. cum aliis explicat per *lacus*, quod fieri non potest. Proprie dicitur etiam h. l., nam *Plin.* similia vv. hoc modo cumulare solet. V. intpp. ad 7, 4.] ℙ De mari per catachresin: nisi malis respicere ad vocis originem, qua ab *ambio*, vel *am* pro circum deducitur. Nam mare universas terras amplectitur. *Tibull.* 2, 5, 62. et qua fluitantibus undis Solis anhelantes abluit amnis equos. [*Cf. *Broukh.* ad h. l., qui ex *Ov. Fast.* 5, 82. qui (Oceanus) terram liquidis, qua patet, ambit aquis — monstrat, ideo amnem dici Oceanum. Homerus semper πόταμον appellat.] *Id.* 3, 4, 18. Jam nox aetherium nigris emensa quadrigis Mundum, caeruleo laverat amne rotas. Huc referri possunt *Virg. G.* 4. 233. et *Stat. Achil.* 1, 49. quae loca V. ℙ Per synecdochen ponitur pro aqua. *Virg. A.* 12, 417. hoc fusum labris splendentibus amnem inficit. Ideoque pro fluxione cujuscumque humoris. *Pallad.* 11, 14. *sub fin.* Nunc condiunt, primo amne musti spumantis egesto, quibus moris est gypso vino medicari. ℙ In sexto casu duplicem habet positionem, *amne*, et *amni*, ut docet *Prisc.* 7. p. 766. et alii. *Liv.* 21, 5. Vorticoso amni delatus. Et 27. Trajecto amni. Adde *Virg. Hor.* etc. [*Vide de hac ablat. forma *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 1, 5, 72. et quos laudat *Cort.* ad *Lucan.* 3, 667.] ℙ Reperitur etiam in genere feminino. *Pl. Merc.* 5, 2, 18. Neque mihi ulla obsistet amnis. *Varr. R. R.* 3, 5. Ubi confluit altera amnis. *Accius* ap. *Non.* 3, 11. Antiqua amnis. Adde *Festum* in voce *Petronia amnis* et in *Corius*.

*AMNON, onis, Arabiae felicis fluvius. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

AMO, as, avi, atum, a. 1. *φιλέω, ἀγαπάω.* Est ab *ἁμάω*, [*capio, apprehendo] colligo ulnis segetem, seu meto; hinc benevolentia complector, carum habeo. [*Pluribus hoc persequitur *Beier.* ad *Cic. Lael.* 27, 1.] Differunt *amare* et *diligere*, quod *amare* est ex appetitu, *diligere* ex ratione. Hinc *amare* dicuntur etiam bruta animalia, *diligere* soli homines. Hinc etiam *amare* plus est quam *diligere:* quia appetitus amans ardentius, vehementiusque fertur in rem amatam, quam ratio, quae cautius, ut ita dicam et lentius. *Cic.* ad *Brut.* 1, 1. Clodius valde me diligit, vel, ut *ἐμφατικώτερον* dicam, valde me amat. *Id. Fam.* 9, 14. Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. *Id. ib.* 13, 47. Eum a me non diligi solum, verum etiam amari. [*Collegit hos ll. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 3, 9.] *Id. Fragm.* ap. *Non.* 4, 78. et 5, 3. Me aut amabis, aut, quo contentus sum, diliges. ℙ Contra alia ratione plus est *diligere*, quam *amare*, hoc est aestimabilius. Nam *diligimus* propter virtutem; *amamus* propter voluptatem: *diligimus* ratione, ut dictum est, et quasi delectu adhibito, unum prae alio amplectimur; *amamus* impetu quodam et cupiditate. *Cic. Verr.* 2, 4, 23. Archagathus homo nobilis, qui a suis et amari et diligi vellet. [*Id. Amic.* 9. Ego admiratione quadam virtutis ejus, ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit.] *Cic. Fam.* 15, 7. Te semper amavi, dilexique. *Ter. Eun.* 1, 2, 16. Non quo quemquam plus amem, aut plus diligam, eo feci, sed etc. ℙ Ceterum haec discrimina non semper servantur a scriptoribus: itaque generatim *amare* est amore, aut studio amplecti. [*Quid sit amare, *Cic.* ipse definit duobus locis: *Fin.* 2, 24. quid autem est amare, nisi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiamsi ad se ex iis nihil redeat. Et *Amic.* 27, 1. amare autem nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quaesita, et *Beier.* ad h. l.] *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 5. Amare aliquem ex animo. *Id. Att.* 2, 20. Amare aliquem, carumque habere. *Id. Cat.* 3, 5. unice patriam et cives. *Id. Fam.* 15, 20. Aliquem amore singulari. *Ter. Andr.* 4, 5, 67. plus quam oculos suos. *Pl. Capt.* 2, 3, 60. corde. *Cic. Fam.* 7, 5. *fin.* Cura, ut valeas, et me, ut amas, ama. *Virg. Ecl.* 5, 89. dignus amari. *Cic. Att.* 6, 1. Cicerones pueri amant inter se, discunt, exercentur, *h. e.* amant se invicem. Adde *Ter. Ad.* 5, 3, 42. [*Pl. Capt.* 2, 3, 60. corde amare inter se; coll. *ib.* v. 42. et *Lindem.* ad h. l.] ℙ Saepissime significat inhonesto amore captum esse, scortari, vel absolute, vel cum addito. *Ter. Andr.* 1, 2, 14. Meum gnatum rumor est amare. Et 20. Omnes qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt. *Id. Hec.* 1, 2, 40. Amare mulierem ut cum maxime. [*Sall. Cat.* 11, 6. Ibi primum insuevit exercitus P. R. amare, potare. Cf. *Cort.* et *Hdf.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 250.] [*Et leniori sensu i. q. amore alicujus teneri:] *Id. Andr.* 3, 2, 39. misere. *Id. Heaut.* 1, 1, 45. perdite. *Pl. Most.* 1, 3, 87. medullitus. *Id. Poen.* 5, 2, 132. et *Pseud.* 1, 2, 69. a lenone, *h. e.* opera lenonis, vel illam, quae est in potestate lenonis. [*Vide nos sub *A.* Locum *Quint.* 11, 1, 82. amare in matrimonium, quam loquendi rationem *Spald.*, quem v., recte portentosam dicit, omisimus.] ℙ Saepe etiam est delectari, studiosum esse. *Nep. Att.* 1. Amare litteras. *Virg. Ecl.* 5, 61. otia. *Hor. Ep.* 2, 2, 58. non omnes eadem mirantur, amantque: Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis. [*Tibull. 3, 3, 20. falso plurima vulgus amat, i. e. miratur.] Et 77. Amare nemus, et fugere urbes. [*Virg. G.* 2, 486. flumina amem silvasque inglorius. coll. *A.* 3, 134. ibique *Heyn.* et *Burm.* ad *Grat.* 390.] *Cic. Sext.* 49. Amare nomen, orationem, vultum, incessum alicujus. *Hor. Od.* 1, 2. *extr.* Hic ames dici pater atque princeps. *Cic. Fam.* 9, 16. Delectarunt me tuae litterae, in quibus primum amavi amorem tuum. *Ennius* ap. *Gell.* 20, 10. Spernitur orator bonus, horridu' miles amatur. ℙ *Amare aliquem de aliqua re*, vel *in aliqua re* eleganter dicimus, cum ostendere volumus gratam eum nobis rem fecisse, atque ob id nos ad omnia amoris et benevolentiae officia esse obstrictos. *Ter. Eun.* 3, 2, 3. Ecquid nos amas de fidicina istac? *h. e.* propter fidicinam istam, quam tibi dono dedi? *Cic. Att.* 7, 2. De rauduscule multum te amo. *Id. Fam.* 13, 62. Et in Atilii negotio te amavi. *Id. Att.* 1, 3. Te multum amamus, quod ea abs te diligenter, parvoque curata sunt. Huc et illa pertinent *Ter. Ad.* 5, 8, 22. Si vos tantopere istuc vultis, fiat. *Aesch.* bene facis: merito te amo. *Pl. Poen.* 1, 2, 40. Soror, parce, amabo. *Anter.* quiesco. *Adelph.* ergo amo te. *Quintil.* referens jocum *Domitii Afri* in litigatorem ingratum, et conspectum ejus vitantem, ne gratias agere cogeretur, 6, 3, 93. Amas me, quod te non vidi. [*Imo sic: Amas me, quod te non vidi? i. e. nonne gratias mihi habes, quod te videre dissimulavi? Sic *Spald.* quem v.] *Cic. Att.* 13, 52. Hospes tamen non is, cui diceres, amabo te, eodem ad me cum revertere. ℙ *Amare se* est se mirari, sibi placere. *Cic. Har. resp.* 9. Quam volumus licet, P. C., ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Poenos superavimus. *Id. Q. Fr.* 3, 8. O Dii, quam ineptus! quam se ipse amans sine rivali! *Id. Att.* 4, 16. *circa med.* Dices: tu ergo haec quomodo fers? belle mehercule; et in eo me valde amo. *Id. Off.* 1, 9. *ad fin.* Facile, quod cujusque temporis officium sit, poterimus, nisi nosmetipsos valde amabimus, judicare. [*Hor. Sat.* 1, 2, 54. verum hoc se amplectitur uno, Hoc amat, hoc laudat, i. e. hoc se amat, se laudat. V. *Hdf.*] ℙ *Si me amas, amabo, amabo te*, formulae sunt obsecrantis et obtestantis. [*Lindem.* ad *Pl. Mil.* 3, 3, 26. talia per ellipsin explicat: amabo te, si dicas quod quaero, facias quod volo etc. Deinde absolute dicta esse, ut quaeso, precor, oro etc. quod et nobis videtur.] *Cic. Q. Fr.* 2, 10. Adduc, si me amas, Marium. *Id. Att.* 5, 17. Si quidquam me amas. *Ter. Eun.* 1, 2, 70. Id, amabo, adjuta me. Et 50. Id agite, amabo. *Cic. Q. Fr.* 2, 10. Amabo te, advola. *Id. Att.* 2, 2. Cura, amabo te, Ciceronem nostrum. Huc et illa referri debent, in quibus *amare* ponitur pro amanter orare, rogare ideoque fit, ut sequatur *ut. Ter. Eun.* 3, 3, 31. Si istuc ita certum est tibi, amabo te, ut illuc transeas, ubi ille est. *Pl. Men.* 2, 3, 71. Scin' quid te amabo ut facias? *Id. ib.* 3, 3, 1. Menedeme, amare ait te multum Erotium, ut ad auri ficem deferas, etc. [*Et seq. *ne*. *Cic. Q. Fr.* 1, 4. amabo te, ne adsignes. Ceterum haec eadem esse cum antecedentibus facile vides.] ℙ *Ita me Dii ament* vel *amabunt* est dictum affirmantis, et urbane jurantis: *Ter. Andr.* 5, 4, 44. Ita me Dii ament, credo. *Id. Hec.* 2, 1, 9. Non, ita me Dii bene ament, mi Laches. *Id. Ph.* 1, 3, 13. Ita me Dii bene ament, ut mihi liceat tamdiu quod amo frui. *Id. Heaut.* 3, 1, 54. Sic me Dii amabunt, ut tuarum miseritum est, Menedeme, fortunarum. *Id. Hec.* 1, 2, 31. Ita me Dii amabunt, haud propterea te rogo, ut hoc proferam, sed ut, etc. ℙ Translate *amare* tribuitur rebus inanimis. *Hor. Od.* 1, 25, 3. amatque janua limen, *h. e.* cum semper clausa sit, amare videtur. *Plin.* 13, 4, 7. Palma toto anno bibere amat. *Hor. Od.* 2, 3, 9. Quo pinus ingens albaque populus Umbram hospitalem consociare amant. *Sall. Jug.* 34, 1. Clamore, vultu, saepe impetu, atque aliis omnibus, quae ira fieri amat. [*Cf. *Cort.* qui gr. exempl. laudat. et *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 87. Sic etiam nonnulli intelligi voluerunt *Prop.* 2, 1, 60. solus amor morbi non amat artificem; sed *Burm.* melius h. l. interpretatur *non amare* per adversari, odisse.] *Tac. A.* 4, 9. Eadem decernuntur, plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio. *Hor. Od.* 3, 16, 9. Aurum per medios ire satellites, Et perrumpere amat saxa potentius Ictu fulmineo. *Id. Epod.* 8, 15. libelli Stoici inter sericos jacere pulvillos amant. *Φιλέω* apud Graecos, ut notavit etiam *Quintil.* 9, 3., eadem ratione usurpatur: et videtur quodammodo reduci ad verbum *soleo*, quia quae amanter facimus, saepe facimus. Hinc neutra constructione *Auson. Gratiar. act. ad Gratian. init.* Quod solum nostrae opis est, gratias ago, verum ita, ut apud Deum fieri amat, sentiendo copiosius, quam loquendo ℙ *Amasse* pro *amavisse* legitur apud *Gell.* 10, 18. et *Oc. Her.* 7, 164. et alios. Sic *amasti* pro *amavisti*, *amarim* pro *amaverim*, *amassem* pro *amavissem*, cum cognatis personis, passim apud Latinos scriptores. *Amasso*, *is*, *it*, etc. pro *amavero* antiquum est. *Pl. Cas.* 5, 4, 22. Si unquam posthac amasso Casinam. *Id. Mil.* 4, 2, 16. Hanc quidem nihil tu amassis. *Id. Curc.* 4, 4, 22. Bene me amassint. ℙ [*Part. fut. pass. *amandus* saepe significat i. q. qui dignus est amari, qui debet amari. *Ov. Fast.* 2, 182. ursa quae fuerat summo nuper amanda Jovi. v. *Burm.* ad h. l. qui laudat *Malasp.* ad *Cic. Att.* 4, 15. *Periz.* ad *Sanct. Min.* 1, 15, 8. Cf. *Hor. Od.* 4, 11, 34. amanda vox. ℙ Confunduntur a librariis *amare* et *habere*, v. *Burm.* ad *Ov. Am.* 3, 12, 6. et *Her.* 20, 228. ubi etiam alios locos laudat. Porro *amare* et *avere*, v. *Gron.* ad *Pl. Merc.* 4, 4, 15. *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 87. et *Drak.* ad *Sil.* 12, 451.]

[AMOCENSIS, e, adj. ad Amocam urbem conventus Cluniensis in Hispania pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 324, 10. Paetiniae Paternae Patern. Fil. Amocensi Cluniens. ex gente Cantabror. *F.*]

AMODO, adv. *ἀπαρτί, Hieronym. adv. Jovinian.* 1, 3. *ex Isaj. c.* 58. Amodo filios faciam. *Paulin. Nolan.* 8, 28. Amodo jam resilire via properetis iniqua.

[AMOEBE, es, f. *ἀμοιβή*, permutatio, retributio. Nomen muliebre servile Romanorum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1006, 9. Juliae Erotidi matri Amoebes Antoniae Drusi L., *h. e.* matri Amoebes libertae Antoniae Drusi uxoris, *F.*]

AMOEBAEUS, a, um, adj. *ἀμοιβαῖος*, mutuus, alternus: ab *ἀμείβω*, commuto, permuto. *Amoebaeum carmen* est, docente *Festo*, et *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 3, 29., in quo aliqui ex aequali numero versum canunt, *h. e.* totidem versibus alterni sibi mutuo respondent, et ita se habet responsio, ut aut malum, aut contrarium aliquid dicat. Quamquam haec postrema conditio non semper necessaria est. Hujusmodi carminis exemplum habet apud *Virg.* cit. *Ecl.* 5. ℙ *Amoebaeus pes* apud *Diomed.* 3. p. 478, est pes quinque syllabarum, quarum duae sunt longae, totidem breves, ultima longa, ut *incredibiles*. Huic contrarius est *antamoebaeus*, *ἀντιαμοιβαῖος*, constans ex duabus brevibus, totidem longis, et brevi, ut *manifestare*. *Id. ib.* p. 479.

AMOEBEUS, i, m. *Ἀμοιβεύς* (vox trisyllaba) citharoedus Atheniensis magni nominis: de quo *Ov. A. Am.*, 3, 399. Tu licet et Thamyran superes, et Amoebea cantu, Non erit ignotae gratia magna lyrae

AMOENĀTUS V. in AMOENO.

AMOENĒ, adv., cum amoenitate, jucunde, suaviter, *τερπνῶς*. *Plin. ep.* 4, 23. Habitare amoenissime. *Pl. Mil.* 2, 5, 2. Inde ignem in aram, ut Ephesiae Dianae Arabico fumificem odore amoene, *h. e.* ut amoeno odore aram incendam in honorem Dianae. *Appul. Met.* 10. p. 254, 31. Venas ecce cum magno favore caveae in ipso meditullio scenae, dulce subridens, constitit amoene, *h. e.* decenter, et cum quadam veluti amoenitate vultus atque habitus. ℙ Translate. *Gell.* 14, 1. *a med.* Haec nos sicca et incondita et jejuna oratione attigimus: at Phavorinus latius ea et amoenius et splendidius et profluentius exsequebatur.

*AMOENIA v. AMOENUS.

AMOENĪTĀS, ātis, f. *τερπνότης*, jucunditas, suavitas, voluptas, quae ex amoenis rebus percipitur: et fere dicitur de locis. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. Amoenitas fluminis. Et 4. hortorum. *Id. N. D.* 2, 39. Amoenitates orarum et litorum. [*Id. Rep.* 2, 4.] *Id. Leg.* 2, 1. Hoc tempore anni et amoenitatem hanc, et salubritatem sequor. *Nep. Att.* 13. Domus amoenitas non aedificio, sed silva constabat. [*Flor.* 2, 11, 4. feritas eorum Asiatica amoenitate mollita est.] ℙ Translate. *Plin. praef. H. N.* Amoenitates studiorum quaerere, *h. e.* ea quae delectant et jucunda sunt. *Gell.* 10, 3. Amoenitas orationis. *Id.* 12, 1. *in fin.* verborum. *Id.* 7, 7. ingenii. *Tac. A.* 5, 2. vitae. *Pl. Stich.* 2, 1, 5. Amoenitates omnium venerum, atque venustatum. *Id. Capt.* 4, 1, 7. Hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies, *h. e.* voluptate perfudit. ℙ In blanditiis. *Pl. Cas.* 2, 3, 13. Uxor mea, mea amoenitas, quid tu agis? *Id. Mil.* 1, 2, 152. Mea vita, mea amoenitas, meus ocellus.

AMOENĪTER, adv. amoene, hilare, *τερπνῶς*. *Gell.* 20, 8. Anianus poeta in fundo suo agitare erat solitus vindemiam hilare atque amoeniter.

AMOENO, as, avi, atum, a. *εὐφραίνω*, amoenum facio, exhilaro. *Cassiod. ep* 2, 40. *de Musaeo:* Felices animas septem chordarum pulsibus amoenabat. *Cyprian. ep.* 2. *c.* 1. Amoenare oculos. *Sidon. ep.* 1, 9. Tetrica sunt amoenanda jocularibus. *Salvian. Gub. Dei.* 7. *med.* Omnis regio aut consita pomis aut amoenata lucis, aut irrigata fontibus.

AMOENUS, a, um, adj. *τερπνός, ἁβρός*, aspectu jucundus, et dicitur fere de locis, quae situ, et naturali quadam suavitate jucunditatem et voluptatem afferunt. *Festus* scribit amoena dici loca, quia ad se *amanda* alliciant. [*Mire! Rectius derives a *munus*. Cf. *Schneider. gr. lat.* 1. p. 77.] *Cic. Or.* 2, 71. Devertere in locum amoenum et salubrem. *Id. Att.* 16, 3. Praediola belle aedificata, et satis amoena. *Justin.* 38, 7. Coelum Asiae amoenius urbium multitudine. *Ennius* ap. *Cic. Div.* 1, 20. Amoena salicta. *Hor. Ep.* 1, 10, 6. Amoenum rus. *Id. Od.* 2, 3, 14. Amoenae rosae. *Id. Od.* 3, 4, 7. aquae et aurae. *Virg. A.* 6, 638. Amoena vireta Fortunatorum nemorum. *Plin. Pan.* 50. Amoenior villa. *Tac. Hist*, 3, 30. Amoenissima aedificia. *Plin.* 35, 10, 37. *ad fin.* Amoenissima parietum pictura. ℙ *Amoena*, *orum* absolute, loca amoena. *Tac. A.* 3, 7. Per amoena Asiae atque Achajae. *Id. Hist.* 3, 76. Amoena litorum. [*Quod habet *gl. lat. gr.* amoenia, *ἀχτιά*, id corrigendum est in amoena. V. *Pontan.* ad *Macr. Sat.* 2, 12. *Voss. Etym.* s. v. Amoenum.] ℙ Translate. *Id. A.* 15, 55. Amoena vita. [*Liv. 4, 44. cultus amoenior, loquitur de Vestali, quae liberius voluptatibus indulgebat.] *Id. ib.* 2, 64. et 13, 3. Amoenum ingenium. *Aur. Vict. Epit.* 1. *a med.* Quodque est laeti animi vel amoeni, oblectabatur omni genere spectaculorum, *h. e.* amoenitatibus deditus. *Gell.* 2, 26. Amoenissima verba. *Id.* 16, 3. Amoenissimi sermones. *Id.* 18, 5. Amoeniores litterae. *Id.* 11, 2. Nimis lecto amoenoque cultu victuque esse. *Id.* 19, 11. Amoeni homines. *Id.* 7, 8. Puer delphino amoenus, *h. e.* gratus, dilectus. [*Differt a *jucundus*, quod derivatur a *juvo*. V. *Weber. Uebungssch.* p. 75. 69. ℙ Commutantur in mss. *amoenus* et *opacus*. V. *Burm.* ad *Ov. Met.* 14, 330.]

AMOLIOR, īris, ītus sum, dep. 4. *ἀποθέω*, ab uno in alium locum molior, hoc est amoveo, removeo: ab *a* praeposit. et *molior*: et dicitur proprie de iis, quae magno conatu et molimine dimoventur. *Tac. A.* 1, 50. Amoliri obstantia silvarum. *Plin.* 11, 10, 10. Amoliuntur omnia e me-

dio. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 35. Impedimentum omne de cunctis itineribus amoliuntur. *Lucan.* 5, 354. quantum Fortuna humeris jam pondere fessis Amolitur onus, *h. e.* humeros exonerat. Hinc, plerumque per jocum, *amoliri se* i. e. recedere. *Pl. Truc.* 2, 7. *fin.* Sed ego cesso me hinc amoliri: ventre dum salvo licet? *Ter. Andr.* 4, 2, 24. Hinc vos amolimini: nam mi impedimento estis. *Pacuv.* ap. *Non. l. l.* Non tute hinc e conspectu amolire? *Id. ib.* Nonne hinc vos propere stabulis amolimini? ℙ *Amoliri aliquem* est amandare, ablegare, alio mittere, ἀποπέμπειν. *Curt.* 7, 5. Amoliri aliquem ab oculis. *Gell.* 19, 1. Amoliri a se aliquem. *Tac. Hist.* 1, 13. uxorem. *Id. A.* 2, 42. aliquem specie honoris. Ac translate est arcere, depellere. *Plin.* 32, 2, 11. Religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur. *Tac. Hist.* 3, 75. *in fin.* et *Petr. Sat.* 97. Amoliri crimen et invidiam ab aliquo. *Tac. A.* 14, 14. dedecus. *Quintil.* 5, 13, 11. Videndum etiam, simul nobis plura aggredienda sint, an amolienda singula, *h. e.* refutanda. [*Cf. 4, 1, 29. *ib.* 2, 27. 5, 7, 23. 9, 2, 71.] *Liv.* 28, 28. Amolior et amoveo nomen meum, *h. e.* omitto, praetereo. ℙ Passiva significatione. *Pl. Most.* 2, 1, 24. Jube haec hinc omnia amolirier, paragoge pro *amoliri*. Participium *amolitus* itidem passive. [**Liv.* 25, 36. amolita onera.] *Appul. de Deo Socrat.* Corpora vel utrimque commixta, sive amolita, seu modificata, etc., *h. e.* separata. Et post: Omnibus exuviis amolitis equum contemplari, *h. e.* detractis. [*Variant interdum libri inter *amoliri* et *emoliri*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 354.]

AMOLITIO, onis, f. actus amoliendi et removendi. *Gell.* 12, 1. *ad fin.* Ubi infantis aliorsum dati facta ex oculis amolitio est.

AMOLITUS. V. AMOLIOR *in f.*

*AMOMIA, ae, f. ab amomo, unguento emortuali sic recentiores vocaverunt. Illud omne, quo defunctorum corpora medicabantur et condiebantur. Quod vulgo detruncato vocabulo *Momiam* vel *Mumiam* appellant. Sic certe *Salm.* ad *Solin.* p. 285. et *Quenstedt.* de *Sepult. Vet.* p. 75. *B. A.*

*AMOMETUS, i, Ἀμώμητος, de Attacoris, Indiae populis, volumen scripsit, teste *Plin.* 6, 17. cf. *Ael. H. A.* 17, 6. *B. A.*

AMOMIS, ĭdis, f. ἀμωμίς, arbor amomo similem fructum ferens, quo verum amomum adulterari solet, minus venosa, durior, ac minus odorata. Sed fortasse et ipsum amomum sic appellatur, quod immaturum collectum est vendendi studio. *Plin.* 12, 13, 28. V. v. seq.

AMOMUM, i, n. ἄμωμον, arbor similis labruscae vitis, frutice myrtuoso, palmi altitudine, fructum ferens uvae similem, laudatissimi odoris, qui proprie *amomum* dicitur, ex quo pretiosissimum unguentum fit. Carpitur cum radice, manipulatim leniter componitur, protinus fragile. Laudatur quam maxime Punici mali foliis simile, nec rugosis, colore rufo: secunda bonitas pallido: herbaceum pejus, pessimumque candidum; quod et vetustate evenit. Adulteratur foliis Punicis, et gummi liquido, ut cohaereat, convolvatque se in uvae modum. Haec *Plin.* 12, 13, 28. Adde 16, 22, 34., ubi docet amomi, nardique arbores in alieno solo non provenire: ex quo quidam putant nobis incognitas esse, quamquam alii amomum putant esse plantam, quae dicitur *Hiericunthis*, alii quae *piper hortense*, alii alia. [*Sprengel* putat amomum esse *Cissum vitigineam* Linn., *die weinartige Klimme*; quam Arabes *hamama* vocant. At, quemadmodum res, ita nomen ex oriente deducendum videtur. *F.*] *Virg. Ecl.* 4, 25. Assyrium vulgo nascetur amomum. *Id. ib.* 3, 89. ferat rubus asper amomum. Proverb. de re absurda. ℙ Per synecdochen pro quovis unguento pretioso et puro: quod et Graeca vox indicat, quae purum significat et impermixtum, ab *α* privativa, et *μῶμος*, macula, labes. *Martial.* 5, 65. Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo. *Ov. Pont.* 1, 9, 51. Ille tibi exsequias, et magni funus honoris Fecit, et in gelidos fundit amoma sinus. *Pers.* 3, 104. crassisque lutatus amomis. ℙ *Amomon* in recto casu singulari Graeca positione dicitur, et legitur apud *Plin.* 26, 7, 19. [*Praefert etiam *Cort.* ad *Lucan.* 10, 168. quem v.]

AMOR, ōris, m. ἔρως, benevolentia, caritas, studium. Sunt tamen discrimina aliquot (licet non perpetua) inter *caritatem* et *amorem*, quod *caritas* hominibus tantum convenit, et honesta est dumtaxat, *amor* etiam brutis tribuitur, et tum honestam tum inhonestam dilectionem significat. Praeterea *caritas* ex ratione, et ex justa aestimatione personae amabilis oritur, *amor* ex affectu, et impetu passionis. Ad haec, *caritas* spectatur praecipue erga superiores, ut Deos, patriam, parentes, et alia, quae supra nos excellunt; *amor* erga aequales, aut inferiores, ut *Cic.* significat *Partit.* 16. et apertius 25., ubi sic ait: Amicitiae caritate et amore cernuntur. Nam cum Deorum, tum parentum patriaeque cultus eorumque hominum, qui aut sapientia, aut opibus excellunt, ad caritatem referri solet: conjuges autem, et liberi, et fratres, et alii, quos usus familiaritasque conjunxit, quamquam etiam caritate ipsa, tamen amore maxime continentur. *Id. Or.* 2, 51. Si videaris laborare pro viris bonis, aut certe pro iis, qui illis boni atque utiles sint: namque haec res amorem magis conciliat; illa virtutis defensio caritatem. ℙ Differunt etiam *benevolentia*, et *amor*, quod *amor* est origo et principium *benevolentiae*, quae est veluti quidam habitus ex multis amoris actibus proveniens, et amicitiam constituens: quamquam ne haec quidem differentia perpetua est. *Cic. Amic.* 8. Amor (ex quo amicitia nominata) princeps est ad benevolentiam conjungendam. Interdum et illud inter haec duo interest, quod *benevolentia* sumitur pro dilectione quadam civili et officiosa, *amor* pro ea, quae ex animo provenit, et tenerior est. *Cic. Fam.* 3, 9. Nihil enim est, quod studio et benevolentia, vel amore potius effici non possit. [*Cf. *Manut.*] ℙ Ad Latinum vocis usum veniamus. *Cic. Fin.* 4, 7. Insitus est menti cognitionis amor. *Id. Sull.* 26. Amor consulatus. *Id. Arch.* 11. gloriae. *Hor. Ep.* 1, 7, 85. habendi. *Id. ib.* 16, 52. virtutis. *Id. ib.* 1, 36. laudis. *Cic. Fam.* 2, 7. Magnitudo et vis amoris. *Id. Tusc.* 4, 34. Furor amoris, *h. e.* venereae cupiditatis. *Id. Fam.* 13, 29. Ab his initiis noster in te amor profectus. Et *ib.* 5, 5. Si quid in te residet amoris erga me. *Id. Off.* 2, 9. Amor multitudinis commovetur opinione liberalitatis, *h. e.* amor quo multitudo alios amat, active. *Id. Fam.* 5, 12. Amori nostro plusculum etiam, quam concedit veritas, largiare, *h. e.* amori, quo a te amamur, passive. *Id. Fam.* 15, 21. Respondere amori amore. *Id. ad Brut.* 1, 1. Respondere alicui in amore. *Id. Fam.* 7, 1. Amplecti aliquem amore. *Id. Or.* 2, 51. Conciliare amorem alicui. *Id. Fam.* 9, 14. Habere amorem erga aliquem. Et *Dom.* 39. in rempublicam. Et *Fam.* 10, 28. Habere aliquem in amore. *Id. ib.* 15, 20, Amare aliquem amore singulari. *Id. Verr.* 2, 2, 47. Ardere amore alicujus. Sic *Tusc.* 4, 33. *fin.* Flagrare amore. *Id. Flacc.* 8. et 6. *Verr.* 1. Esse in amore alicui. *Id. Fam.* 5, 2. *fin.* Amore alicujus facere aliquid. *Id. ib.* 10, 3. Amore impulsus. *Catull.* 30, 8. Inducere aliquem in amorem. *Hor. Ep.* 1, 1, 84. sentire amorem. Et *ib.* 2, 37. Torqueri amore. *Virg. A.* 1, 679. Teneri amore. *Curt.* 8, 4. Effundi in amorem alicujus. *Tibull.* 1, 9, 39. Quid faceres, nisi et ipse fores in amore puellae? *h. e.* nisi eam amares. *Ov. Am.* 3, 2, 4. Ne tibi non notus, quem facis, esset amor. *Prop.* 3, 20, 6. Forsitan ille alio pectus amore terit. [**Id.* 1, 3, 44. querebar externo longas saepe in amore moras, ubi externus amor is est, quem amans exercet foris. V. *Broukh.* ad h. l. Omnino tralatitium *Prop.* amorem dicere pro amante. V. *Jever.* ad *Lucan.* 1, 488. p. 107.] ℙ Ponitur interdum pro quacumque naturali cupiditate; et translate tribuitur etiam rebus inanimis. [*Sic Gr. ἔρως usurpant. V. *Voss.* ad *Virg. G.* 3, 285. 292. *Goer.* ad *Cic. Fin.* 1, 19, 62. qui comparat *Tusc.* 4, 37, 75.] *Lucr.* 4, 867. Amor edendi. *Plin.* 17, 10, 12. Quarum radices amore solis atque imbris in summa tellure spatiantur. Hinc *amor est mihi hoc facere*, libet, placet. *Stat. Th.* 1, 697. rore pudico Castaliae flavos amor est tibi mergere crines. *Virg. A.* 2, 10. si tantus amor casus cognoscere nostros. ℙ In plurali etiam numero eleganter usurpatur, ac tum honesto sensu, tum turpi. *Cic. Att.* 5, 10. Amores hominum in te, et in nos quaedam benevolentia. *Id. Div.* 1, 36. Quid amores et deliciae tuae, Roscius? *Id. Att.* 2, 19. Pompejus nostri amores. [*Et ironice *id. Phil.* 6, 5. sed redeo ad amores deliciasque nostras, L. Antonium.] *Id. ib.* 16, 6. Piliae salutem dices, et Atticae, deliciis atque amoribus meis. *Id. Fam.* 7, 33. Est is mihi in amoribus, *h. e.* valde a me amatur. *Id. Off.* 1, 5. Forma honesti si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret sapientiae. [*Apud *Cic. Fin.* 3, 20, 68. amores sancti intelligendi de casto illo puerorum amore, qui magis ad Graecorum quam ad Rom. mores pertinebat. Comparat *Goer.* ad h. l. *Tusc.* 4, 34, 72.] De turpi amore: *Id. Coel.* 19. Amores, et hae deliciae quae vocantur, quae firmiore animo praeditis diutius molestae non solent esse, etc. *Hor. Od.* 2, 9, 10. nec tibi Vespere Surgente decedunt amores, Nec rapidum fugiente solem. *Pl. Merc.* 1, 1, 2. Meos amores eloquar. Nonnunquam *amores* pro eo, qui amatur, ponuntur. *Pl. Poen.* 1, 1, 79. Hem amores tuos Si vis spectare. Adde *Catull.* 10. de Varri scorto. ℙ Apud poetas sunt qui finguntur comites, aut filii Veneris. *Stat. Silv.* 1, 2, 120. ipsi erraretis Amores. *Claud. de laud. Stil.* 2, 356. Pennatique nurum circumstipantur Amores. ℙ Saepissime *amor* est nomen proprium Cupidinis Veneris filii. *Virg. A.* 1, 693. Paret Amor dictis carae genitricis, et alas Exuit, etc. [**Prop.* 3, 13, 4. Amoris iter, de aetate, qua amori indulgere solemus. Cf. *Burm.* ad h. l.] V. CUPIDO. ℙ *Amos* in recto casu singulari pro *amor*, ut *colos* pro *color*, *honos* pro *honor* legitur apud *Pl. Curc.* 1, 2, 2. Ejus amos cupidam me nunc, etc. Perperam putant aliqui, ideo *amos* dictum ibi a *Plauto*, quia blaesa anus loquens inducitur. [*Exhibent antiquiorem hanc formam etiam nonnulli codd. ap. *Virg. A.* 11, 892. ubi alia laudat *Burm.*] V. COLOR, et LALOR in fin.

AMORĂBUNDUS, a, um, adj. amoribus plenus. *Gell.* 11, 15. Laberius in lacu Averno mulierem amantem, verbo inusitatius facto, amorabundam dixit. Est qui legit *amecabundam* eodem fere sensu. Nam *amecus* et *ameca* pro *amicus* et *amica* olim dictum est, teste *Festo.*

*AMORGUS, v. Amorgos, i, f. insula Aegaei maris, quae ad Sporades pertinet, ubi Simonides Iambographus natus est, h. *Morgo. Tac. A.* 4, 30. *Plin.* 4, 12, 23.

[AMORĬĀNUS, a, um, adj. ad Ἀμόριον, Amorium pertinens, Phrygiae majoris urbem, nunc *Hargian. Inscr.* ap. *Murat.* 1016, 8. M. Ulpio Aug. Lib. Aphrodisio Amoriano. *F.*]

AMORĪFER, a, um, adj. amorem inducens. *Venant.* 6, 2, 13. Torsit amoriferas arcu stridente sagittas Forte Cupido volans.

AMORĪFĬCUS, a, um, adj. idem quod amorifer. *Appul. Herb.* 123. Sempervivum nominatur ab aliquibus stergethron, eo quod amorifica judicetur.

*AMORION, v. Amorium, i, etiam Amurium, *Tab. Peut.*, Phrygiae majoris oppidum.

[AMORRHAEUS, a, um, Ἀμορῥαῖος, ad Amorrhaeos pertinens, populus Palaestinae in Judaea, ita appellatos ab אֱמֹרִי Emor, filio Chanaanis. *Prudent. Hamartig.* 413. Exercitus ardet Regis Amorrhaei. *F.*]

AMOS pro *amor*. V. AMOR *in f.*

AMOTĬO, onis, f. actus amovendi, remotio, ὑπεξαίρεσις. *Cic. Fin.* 1, 11. In omni re doloris amotio successionem efficit voluptatis. *Cajus Dig.* 47, 10, 43. Pati amotionem ordinis, *h. e.* amoveri ab ordine, privari ordine.

AMOTUS, a, um, part. v. *amoveo*, sublatus, remotus. *Suet. Ner.* 47. Direptis stragulis, amota et pyxide veneni. *Hor. Sat.* 1, 1, 27. amoto quaeramus seria ludo. *Ter. Andr.* 3, 2, 30. A me opinionem hanc esse amotam volo. *Id. ib.* 1, 2, 10. Amoto metu. ℙ Item ablegatus, vel relegatus. *Tac. A.* 14, 57. Plautum in Asiam, Sullam in Galliam Narbonensem nuper amotos. *Id. ib.* 1, 53. Amotus Cercinam Africi maris insulam, quatuordecim annis exsilium toleravit. ℙ Item furto ablatus. Commode autem utimur, cum minuendae invidiae causa odiosis verbis *furti* aut *direptionis* abstinere volumus. Hinc apud JCtos *res amotae* dicuntur, quas uxor marito surripit durante matrimonio: de quibus est *tit.* 2. *lib.* 15. *Dig.* Nam, ut *ib.* loquitur *Cajus leg.* 2., in honorem matrimonii turpis actio (puta *furti*) adversus uxorem negatur. *Tryphon. Dig.* 42, 1, 52. Si rerum amotarum cum viro agatur. *Hor.* quoque *Od.* 1, 10. ne aperte Mercurium furtum fecisse dicat, cum Apollini boves abduxit, hoc eodem verbo utitur *v.* 8. Te boves olim nisi reddidisses Per dolum amotas, etc. V. AMOVEO.

AMOVĔO, ōves, ōvi, ōtum, a. 2. ἐξαιρέομαι, a loco moveo, removeo. *Cic. Cluent.* 58. Habere in consilio legem, religionem, aequitatem, fidem; libidinem autem, odium, invidiam, metum, cupiditatesque omnes amovere. *Pl. Truc.* 1, 1, 64. Amovere aliquem loco. [**Sall. Cat.* 23. *amovere* aliquem senatu — vulgo scribitur. Sed legendum est *movere*. V. h. v.] *Cic. Rabir. perduell.* 4. Lex Porcia virgas ab omnium civium corpore amovit. *Id. Har. resp.* 20. Amovere aliquem a procuratione frumentaria. *Id. Att.* 1, 12. Nebulonem illum ex istis locis amove. *Suet. Cal.* 34. Amovere scripta Virgilii et Livii ex omnibus bibliothecis. *Id. Vitell.* 7. turbam creditorum terrore, i. e. a se summovit. *Pl. Pseud.* 5, 1, 35. crapulam, *h. e.* discutere. *Id. ib.* 1, 2, 12. somnum et socordiam ex pectore oculisque. *Id. Asin.* 2, 1, 6. a se segnitiem. *Id. Trin.* 3, 3, 54. suspicionem ab aliquo. *Liv.* 4, 41. enixe culpam ab se. *Tac. A.* 4, 71. metus. Itaque *Amovere se* est recedere. *Suet. Tib.* 10. Statuit repente recedere, seque e medio quam longissime amovere. *Ter. Ph.* 3, 3, 34. Te hinc amove. *Sil.* 17, 224. qui memet finibus unquam Amorim Ausoniae, syncope pro *amoverim*. ℙ Speciatim amovere aliquem est relegare. *Tac. A.* 4, 31. Suilium quaestorem amovendum in insulam censuit. *Id. ib.* 21. Amovere aliquem Cretam. *Id. A.* 13, 9. Amovere suspectos aemulationis. ℙ Ponitur etiam pro furari. Frequentissime hoc sensu usurpatur a JCtis, praecipue dum de furtis filiorum familias, conjugum, fratrum, heredum, sociorum, et hujusmodi familiarium sermo est. Si enim hi aliquid interverterint, aut consumpserint, *amovisse* dicuntur, non *furtum fecisse*, lenitate vocabuli mitigando turpitudinem facti. *Paul. Dig.* 25, 2, 3. Si filiafamilias res amoverit. *Ulp. Dig.* 29, 2, 70. Si quis aliquid ex hereditate amoverit. *Id. ib.* 23, 3, 9. Agetur rerum amotarum, si animo amovendi maritus retineat. Interdum tamen generatim sumitur pro surripere. *Id. ib.* 47, 9, 3. docet aliud esse *amovere*, aliud *rapere:* siquidem amoveri aliquid etiam sine vi potest, rapi autem sine vi non potest. *Id. ib.* 43, 5, 3. Amovere tabulas.

[AMPECTO, is, xi, um, a. 3. verbum compositum ex antiquo *am* circum, et *pecto*. Joculariter

usurpatur a *Pl. Rud.* 3, 5, 36. Extemplo ampectitote crura fustibus. *Acidalius* ita legendum conjecerat pro vulgari *amplectitote*, et quidem recte; nam nemo certe dixerit *amplectere crura* fustibus, sed potius *ampectere* sive *pectere*, quemadmodum alibi apud eundem *Plaut.* legitur *pectere fuste*, *pectere pugnis.* (V. PECTO) et apud *Terent.* eodem sensu *depexum.* Hanc lectionem in textum recepit primus, ut puto, *Bothe*, eique ipse plane assentior. *F.*]

AMPEDĪCES, inquit *Festus*, dicebantur ab antiquis, quod circum penderent (scilicet ab *am* circum, et *pendeo*) quos nunc appendices appellamus. *Voss. in Etymol.* in voce *Pendeo* observat, in compluribus MSS. legi *ampendices*, quod magis ad etymologiam accedit.

AMPĔLĪNUS, a, um, adj. ab ἄμπελος, vitis. *Caecil.* ap. *Non.* 16, 2. Carbasina, molochina, ampelina. De colore aliquo *Caecil.* loqui videtur.

[AMPĔLĬO, onis, m. et f. ἀμπελιών, et AMPĔLIS, ĭdis, f. ἀμπελίς, avis a *Polluce l.* 6. *c.* 9. memorata, ita dicta, quod uvas comedit, quaeque *uvedula* appellatur a *Ducangio* V. *Ampedula.* Cognomina Romana. *Inscr.* ap. *Murat.* 886, 7. Ampelio Liviae Liberto sarcinatori. Alia apud *Grut.* 987, 3. Octavia L. L. Ampelio sibi, etc. Alia apud *Murat.* 1495, 1. Rutiliae Ampelidi Atticus B. M. F. *F.*]

AMPĔLĪTIS, ĭdis, f. ἀμπελῖτις, terra quaedam bitumini simillima, usum habens in medicina molliendi et discutiendi: in calliblepharis etiam, et ad inficiendos capillos, ut *Plin.* 35, 16, 56. docet. Nomen habet ex eo, quia vitibus circumlita, vermes interficit, qui earum oculos erodunt; vel quia in ea vites felicius proveniunt. Nam ἄμπελος Graece vitis est. [**Eine Art Erdpech.*]

AMPĔLŌDESMOS, ἀμπελοδεσμός, genus herbae [palustris, quam *Virg. A.* 2, 135. et *ib.* 6, 414. ulvam appellat *F.*] adeo sequacis et constantis, ut ea Siculi vites alligare soleant, teste *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 26. Unde et nomen traxit. Nam ἄμπελος Graece vitem significat, δεσμός, vinculum. [Eadem planta Neapoli etiamnunc storeae et funes fiunt, et in Sicilia etiam retia. *F.*]

L. AMPĔLĬUS, incertum cujus aetatis scriptor. [**Saxius* in *Onom.* I. p. 430 eum ponit circa a. 370 sqq. *Wernsdorf.* ad *Himer. ecl.* p. 286. eodem fere tempore.] Edidit veluti collectaneum rerum toto orbe memorabilium, et *Memorialem librum* inscripsit, stilo simplici nec infelici. Laudatur a *Sidon.* 9, 305. Ampelius quidam una cum Paulino, Symmacho et Messala, quem *Salmas.* eundem illum esse, de quo loquimur, conatur ostendere. *Ammian.* quoque 28, 4. meminit Ampelii cujusdam, Antiochiae nati, voluptuosi hominis, qui primum magister Officiorum fuit, deinde proconsulatus Achajae et Africae, postremo praefecturam Urbis sub Valentiniano III. et Valente III. Aug. Coss. A. C. 370. administravit: quem laudat etiam *Symmach. ep.* 5, 64. [*Idem esse putatur.]

AMPĔLŌLEUCE, ēs, f. ἀμπελολεύκη, vitis alba; ita dicta a colore albo radicum, ab ἄμπελος, vitis, et λευκή, alba [*Bryonia alba *L.* (*Zaunrübe, Gichtrübe*)]; sarmenta habet longis et exilibus internodiis geniculata, folia pampinosa ad magnitudinem hederae, et tamen divisa, ut vitium, radicem albam, grandem, raphani similem initio, ex qua caules exeunt asparagi similitudine; semen in uva raris acinis dependens, succo rubente, postea croci. Varios habet usus in medicina, quos fuse persequitur *Plin.* 23, 1, 16.

*AMPELONE, es, f. Arabiae felicis oppidum, Mileti colonia. *Plin.* 6, 28, 32. Ab aliis dicitur Ampis v. Ampe.

AMPĔLŌPRĀSON, i, n. herba in vinetis nascens et folia porri similia habens: unde et denominata est, ab ἄμπελος, vitis, et πράσον, porrum. *Plin.* 24, 15, 86.

AMPĔLOS agria, ἄμπελος ἀγρία, Latine *labrusca* et *uva taminia*, herba est foliis duris cineracei coloris, viticulis longis, callosis, rubentibus, qualiter flos, qui Jovis flamma appellatur, semen ferens mali Punici simile acinis. Varios habet in medicina usus, quos vide ap. *Plin.* 23, 1, 14. et 27, 7, 27.

AMPĔLOS, i, m. puer fuit formosus a Baccho adamatus, de quo V. VINDEMIATOR. *Ov. Fast.* 3, 409. Ampelon intonsum, Satyro, Nymphaque creatum Fertur in Ismariis Bacchus amasse jugis. P [*Item urbs Macedoniae. *Plin.* 4, 10. Item Cretae. *Id. ib.* 12.]

AMPĔLOS Chironia, herba dicta a Chirone inventore, alio nomine bryonia. *Plin.* 23, 1, 17. et 25, 4, 16.

*AMPELUSIA, ae, ἀμπελουσία, ab ἄμπελος, vitis, igitur signif. locum uvis fertilem, est promontorium Africae in Mauret. Tingit., sc. ἄκρα. *Mel.* 1, 5. 2, 16. 3, 10. *Plin.* 5, 1, 1.

AMPHĒMĔRĪNON genus febrium, ἀμφημερινὸς πυρετός, febris quotidiana, quae nunquam intermittit: ab ἀμφί, circum, et ἡμέρα, dies, quod omnibus diebus accedat, velut circumeundo. *Plin.* 28, 16, 66.

[AMPHĔRISTUS, i, m. ἀμφήριστος, de quo utrinque est contentio, ab ἀμφί, circum, et ἔρις, contentio. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 778, 2. C. Assidarius Ampheristus. *F.*]

[AMPHĬĀLUS, i, m. ἀμφίαλος circumquaque habens mare, ab ἀμφί, circum, et ἅλς ἁλός, mare. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur. T.* 4. p. 6. *n.* 7. L. Caesius Amphialus. *F.*]

AMPHĬĀRĀĔUS, a, um, adj. sex syllabar. ad Amphiaraum pertinens, Ἀμφιαράειος. *Prop.* 2, 25, 39. Amphiaraeae nil prosunt fata quadrigae.

AMPHĬĀRĀĪDĒS, idae, m. Ἀμφιαραΐδης, dicitur Alcmaeon Amphiarai filius. *Ov. Fast.* 2, 43. Amphiaraides Naupactoo Acheloo, Solve nefas, dixit.

AMPHĬĀRĀUS, i, m. Ἀμφιάραος, Argivus, Oelei, aut, ut alii malunt, Lini et Hypermnestrae filius, vates et augur fuit futurorum peritissimus, qui cum praevideret fore, ut in bello Thebano interiret, domi latitavit. Sed tandem ab uxore proditus, invitus a Polynice ad bellum est pertractus, ubi cum fortiter pugnaret, una cum curru terrae hiatu absumptus est. Propter auguralem scientiam in tanto honore est habitus, ut Graecis Deus haberetur, et ab ejus solo, in quo est humatus, oracula peterentur, ut *Cic. Div.* 1, 40. testatur. Hinc Aonius vir dicitur ab *Ov. de Nuce* 110. *Id. Pont.* 3, 1, 52. Notus humo mersis Amphiaraus equis. V. ALCMAEO et ERIPHYLE, et *Stat. sub fin. l.* 7. *Theb.* et initio *l.* 8., ubi Amphiarai in Inferos casum describit.

AMPHĬBĂLUS, i, m. vel Amphibalum, i, n. amictus, vestis exterior pallio similis, quae aliis vestibus superinduitur: ab ἀμφιβάλλω, circumtego. *Sulpic. Sev. Dial.* 2, 1. Intra amphibalum sibi tunicam latenter eduxit. *Venant. de vita S. Martin.* 42. Amphibali exterius dum membra obtecta laterent. Hic alii leg. *amphibole*, ut sit a recto *amphibole*, es, ἀμφιβολή, eodem sensu et notatione. [*Scribitur etiam amphiballus et amphiballum et est Latinorum byrrum v. burrum. Cf. *Burm.* ad *Anthol. Lat.* II. p. 408. qui cf. jubet *Meurs.* in *gloss.* p. 25. et *Vulcan.* ad *Isid. gl.* p. 92.]

[AMPHĬBĬĀNUS, a, um, adj. ad amphibium pertinens, sive ad habentem vitam in utroque elemento. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 250, 3. T. Statilius T. F. Amphibianus. *F.*]

*AMPHIBIUM, sc. animal, in terra et aqua vivens. *Varr. L. L.* 4, 13. Graeci ea, quae in aqua et in terra possunt vivere, vocant Amphibia. *Id. R. R.* 3, 10. *Colum.* 8, 13. Sed ubique gr. scribendum est h. v. *Cic. N. D.* 1, 37. Bestiarum terrenae sunt aliae, partim aquatiles, aliae quasi in utraque sede viventes. *B. A.*

AMPHĪBŌLE. V. AMPHIBALUS.

AMPHĪBŌLĬA, ae, f. ἀμφιβολία, ἀμφιλογία, ambiguitas, ambiguus sermo, qui duplicem sententiam habere potest, nec quam magis significet, apparet: quale est illud, *statuam auream hastam tenentem.* Variae sunt ejus species, variique solvendi modi: quae omnia *Quint.* 7, 9. persequitur. *Cic. Div.* 2, 56. Amphiboliam versus intelligere. Et *ib.* Illa amphibolia, quae Croesum cepit, vel Chrysippum potuisset fallere. *Auct.* ad *Her.* 2, 11. Cognitio amphiboliarum. Et mox: Amphibolias aucupari. P Dicitur etiam, sed minus recte, *amphibologia*, quae vox videtur esse facta per syncopen ex ἀμφιβολολογία, ex ἀμφίβολον, ambiguum, et λόγος, sermo; et proprie significat potius sermonem de amphibolia, quam amphiboliam ipsam. Nihilominus *amphibologia* Latine usurpatur ab *Isid. Or.* 1. 33. et Graece a *Capell.* 5. p. 149. [*V. de hac diversitate intpp. ad *Auct.* ad *Her.* l. l.] P Grammaticam hanc quaestionem de amphibolia et amphibologia disquirit etiam *Voss. De vit. serm. l.* 1. *c.* 11.

AMPHĪBŌLUS, a, um, adj. ἀμφίβολος, ambiguus, dubius. *Capell.* 5. p. 149. Nomen amphibolum facit quaestionem.

AMPHĪBRĀCHYS, yos, m. ἀμφίβραχυς, pes ex prima et ultima brevibus, media producta, ut *timere:* sic dictus quod in utraque parte brevem habeat, ab ἀμφί, utrinque, et βραχύς, brevis. *Quint.* 9, 4. Longa inter breves, amphibrachys; duabus longis brevem sequentibus, bachius. P Huic pedi contrarius est *amphimacrus*, qui saepius *Creticus* dicitur, constans media brevi inter duas longas, ut *cardines:* ab ἀμφί, utrinque, et μακρός, longus. *Quint. ib.* Media inter longas brevis faciet amphimacrum. P Pro *Amphibrachys* dicitur etiam *amphibrachus*, i, positione Latina: et ita usurpatur a quibusdam Grammaticis *Aspero Jun.*, *Donato*, *Cledonio*, *Mar. Victorin.*, *Terentian. Maur. cap. De metr.* et aliis.

AMPHĪBRĔVIS, is, m. nomen pedis, qui rectius *amphibrachys* dicitur. Est enim haec vox hybrida, ex Graeco ἀμφί, circum aut utrinque, et Latino *brevis* conflata; et legitur ap. *Diomed.* 3. p. 475.

AMPHICTYŌNES, um, m. plur. Ἀμφικτύονες, erant viri tota Graeca probatissimi, qui ex singulis civitatibus selecti bis anno in aliquem locum conveniebant, disceptaturi de communibus Graeciae rebus, et dirempturi controversias, si quae inter aliquas civitates orirentur. Deferebantur enim ad eos graviores causae publicae, a quibus re cognita, finiebantur, rata et perpetua manente sententia. Dicti sunt ab Amphictyone Deucalionis filio, qui primus hoc concilium instituisse dicitur. *Cic. Inv.* 2, 23. Thebani accusantur apud amphictyonas, id est apud commune Graeciae concilium. *Quint.* 5, 10. Agere apud amphictyonas. P [In num. sing. est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 17. *n.* 24. Aurelius Amphictyo. *F.*]

AMPHĪCYRTOS, ἀμφίκυρτος, dicitur luna, cum est inter medietatem suam et plenitudinem, hoc est inter septimum et decimum quintum diem incrementi, vel inter decimum quintum et vigesimum primum decrementi. Tunc enim ex omni parte curva est: ab ἀμφί, circum, et κυρτός, curvus, gibbosus. Legitur ap. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. modo Graecis, modo Latinis litteris scripta. Adde *Firmic. praef.* 4. *Mathes.*

[AMPHĪDĂMAS, antis, m. filius Alei et Cleobules ex Arcadia, Argonautarum in Colchida expeditione comes. *Hyg. fab.* 14. et *Val. Fl.* 1, 376. *F.*]

AMPHĪGĔNĬA, ae, f. Ἀμφιγένεια, urbs Messeniae in Peloponneso. *Stat. Th.* 4, 178. Huic parere dati, quos fertilis Amphigenia, Planaque Messene, montanaque nutrit Ithome.

AMPHĪLŌCHI, orum, m. plur. populi Amphilochiae in Epiro. *Liv.* 38, 40.

AMPHĪLŌCHĬA, ae, f. regio Epiri, cujus urbs eodem gaudet nomine, inter Ambraciam et Cassiopen. *Cic. Pis.* 40. V. v. seq.

*AMPHILOCHICUS et Amphilochius, a, um, ad Amphilochiam pertinens. *Plin.* 4, 1. Argos Amphilochicum. Apud *Liv.* 38, 10. *Drak.* alteram formam praetulit.

AMPHĪLŌCHUS, i, m. Ἀμφίλοχος, filius Amphiarai Argivi, relicta patria, Amphilochiam in Epiro condidit, quae et *Argos Amphilochicum* dicta ab eo est. *Plin.* 4, 1, 2. P Alius fuit Amphilochus filius Alcmaeonis et Mantus, qui templum habuit Oropi in Attica. *Liv.* 45, 27. Inde Oropum ventum est, ubi pro Deo vates Amphilochus colitur; templumque vetustum est fontibus rivisque circa amoenum. P Fuit etiam Amphilochus Atheniensis scriptor celeberrimus de re rustica, cujus mentionem faciunt *Varr. R. R.* 1, 1., *Colum.* 1, 1. et *Plin.* 18, 16, 43.

AMPHĪMACRUS pes. V. AMPHIBRACHYS.

*AMPHIMALLA, ae, f. Cretae oppidum. *Plin.* 4, 12, 20. et *Steph. Byz.* Eadem Amphimallion dicitur ap. *Steph.* Hinc sinus Amphimales, κόλπος Ἀμφιμαλῆς, *Ptol.* h. Golfo della Suda. *Hard.* et *Cellar.*

AMPHĪMALLUM, i, n. ἀμφίμαλλον, genus vestis ex panno utrinque villoso: ab ἀμφί, utrinque, et μαλλός, villus. *Plin.* 8, 48, 73. Gausapa patris mei memoria coepere, amphimalla, nostra. [*V. *Vet. Schol.* in *Juven.* 3, 283.]

[AMPHĪMĔDON, ontis, m. ex Libya, qui in aula Cephei regis adversus Perseum pugnans occisus est. *Ov. Met.* 5, 75.

AMPHĪNŌMUS. V. ANAPIS.

AMPHĪON, ōnis, m. rex Thebanus, Ἀμφίων, Jovis et Antiopes, vel secundum aliquos Mercurii filius, a quo accepta lyra adeo suaviter canebat, ut saxa ad struendos muros Thebanos traxisse dicatur. Quod ideo fictum, quia eloquii suavitate homines rudes et incultis moribus ad obsequii civilis pellexit disciplinam, ut est apud *Hor. A. P.* 394., qui *Ep.* 1, 18, 40. innuit, musicam ab Amphione primum inventam fuisse: quod confirmat *Plin.* 7, 56, 57., quemadmodum a fratre ejus Zetho venationem. *Hyg. fab.* 7. narrat, Antiopam, Nyctei regis filiam, uxorem Lyci, cum ab Epapho per dolum vim passa esset, a marito re cognita, ejectam, ab Jove quoque, dum errabunda vagaretur, fuisse compressam. Interea Lycus Dircem uxorem duxit, quae cum zelotypia laboraret propter Antiopam, quam sciebat adhuc a Lyco amari, obscuro in loco vinctam claudi jussit. Illa cum ex Jovis concubitu gravida esset, instante partus tempore ex vinculis effugiens ope Jovis, in montem Cithaeronem, quaerens locum ubi pareret, contendit: sed in ipso itinere doloribus puerperii detenta, in bivio parere coacta est. Geminos autem edidit pueros Zethum et Amphionem, qui a pastoribus educati fuerunt et Zethum quidem ita appellarunt ἀπὸ τοῦ ζητεῖν τόπον, Amphionem autem, ὅτι ἐν διόδῳ, ἢ ὅτι ἀμφὶ ὁδὸν αὐτὸν ἔτεκεν. Qui cum crevissent, matrem ulciscentes, Dircen ad taurum indomitum deligatam vita privarunt, Lycumque interfecerunt. Haec *Hygin.*, qui tamen *fab.* 8. rem aliter narrat. Sed quis in fabulis constantiam scriptorum quaerat? Amphion postea Niobem uxorem duxit, ex qua septem filios et totidem filias suscepit. V. NIOBE. *Hor. A. P.* 394. Dictus et Amphion Thebanae conditor arcis Saxa movere sono testudinis etc. *Ov. Met.* 15, 427. Nec non Cecropiae, nec non Amphionis arces. *Prop.* 3, 13, 29. Et durum Zethum, et lacrimis Amphiona mollem etc. Hanc morum dissimillitudinem in his duobus fratribus tangit etiam *Hor. Ep.* 1, 18, 41.

AMPHIŌNIUS, a, um, adj. ad Amphionem pertinens. *Prop.* 1, 9, 10. Aut Amphioniae moenia flere lyrae. *Claud. IV. Cons. Honor.* 531. Sic Amphioniae pulcher sudore palestrae Alcides, *h. e.* Thebanae, cum scilicet circum Thebas venatione exercebatur. Thebis enim Hercules ex Alcmena na-

tus, educatusque est. *Sidon. carm.* 23. *v.* 120. Amphionia ars, *h. e.* musica.

AMPHIPOLIS, is, f. *Ἀμφίπολις*, nunc *Christopoli*, et Turcis *Emboli*, urbs Macedoniae in Thraciae confinio juxta Philippos, et Apolloniam ad XXX. M. P., a Thessalonica LX. Serris proxima, et sinui Strymonico. Dicta est Amphipolis, quod illam Strymon fl. circumfluit et ambit: ab *ἀμφὶ*, circum. *Plin.* 4, 10, 17. et *Liv.* 45, 9. et 29. ℙ [*Item Syriae urbs, antea Thapsacus appellata. *Plin.* 5, 24, 21.]

AMPHIPOLITANUS, a, um, adj. ad Amphipolim pertinens. *Justin.* 14. *in fin.* Filium cum matre in arcem Amphipolitanam custodiendos mittit.

AMPHIPOLITES, ae, m. qui est ex Amphipoli urbe, *Ἀμφιπολίτης*, ut Euphanius Amphipolites, *Varr. R. R.* 1, 1.

AMPHIPROSTYLOS, *ἀμφιπρόστυλος*, aedes, quae in antica et postica parte columnas habet: vox Graeca ab *ἀμφί*, circum, vel utrinque, *πρὸ* ante, et *στύλος*, columna. *Vitr.* 3, 1. Amphiprostylos (*aedes*) omnia habet ea, quae prostylos, praetereaque habet in postico ad eundem modum columnas et fastigium.

AMPHISBAENA, ae, f. *ἀμφισβαῖνα*, serpens venenosa in Libya praecipue nascens, quae terrestrium lumbricorum modo, utrisque extremitatibus, capite scilicet et cauda, acuminatis gignitur, ut difficile possit unum ab altera dignosci, et praeterea tum prorsus, tum retrorsus, cum libuit, facile repit: unde et nomen ab *ἀμφὶ* utrinque, et *βαίνω*, gradior. Hinc factum est, ut geminum caput eam habere olim creditum sit, et utrinque venenum fundere, ut *Plin.* 8, 23, 35. et *Solin.* 27. *circa med.* scribunt. *Lucan.* 9, 719. Et gravis in geminum surgens caput amphisbaena.

*AMPHISSA, s. Amphisa v. v. seq.

AMPHISSENSIS, se, et Amphissius, a, um, adj. ad Amphissam pertinens, oppidum Phocidis in finibus Locrorum Ozolarum, juxta oram sinus Crissaei ad fluvium cognominem. Dicta est ab Amphissa Macraris et Apollinis filia, vel quod undique montibus cingitur. *Lucan.* 3, 172. [*Inscr.* ap. *Spon. Misc. antiqu.* p. 279. Decim. Secundinus Procons. Curat. et Defens. Amphissensium salutem. *F.*] *Ov. Met.* 15, 703. Laevisque Amphissia remis Saxa fugit.

*AMPHISSOS v. Amphissus, i, Apollinis et Dryopes filius, conditor Octae urbis ad Octam montem. *Ov. Met.* 9, 356. et 363.

AMPHITANE, ēs, f. gemma alio nomine chrysocolla, invenitur in Indiae parte ea, ubi formicae eruunt aurum, auro similis, quadrata figura: affirmaturque natura ejus, quae magnetis; nisi quod trahere quoque aurum creditur. *Plin.* 37, 10, 54. *ad fin.*

AMPHITAPA, ae, f. subaudi *vestis*, est enim adj. a Graeco *ἀμφιτάπος, ὁ, ἡ*, vel *ἀμφίταπος*, genus vestimenti cubitorii utrinque villosi, ab *ἀμφὶ*, utrinque, et *τάπης*, tapes: tapetes enim villosi esse solent. *Varr.* apud *Non.* 14, 24. Dormire super amphitapa bene molli. *Lucil. ib.* Amphitapae villis ingentibus molles. *Id. ib.* Pluma, atque amphitapae, et si aliud quid deliciarum. *Ulp. Dig.* 34, 2, 24. Vestimenta omnia aut virilia sunt, aut puerilia, aut muliebria, *etc.* Virilia sunt, quae ipsius patrisfamilias causa parata sunt, veluti togae, tunicae, palliola, vestimenta stragula, amphitapa (in celebri editione *Torrentini* est *amfitapa*, Latino scribendi modo) et saga, reliquaque similia, etc. Ubi nota adjectivum neutrum pluralis numeri. ℙ Ab *Hesychio* inter *χειώνας*, hoc est tunicas numeratur.

AMPHITHALAMUS, i, m. *ἀμφιθάλαμος*, genus cubiculi in aedibus. *Vitruv.* loquens de dispositione aedificiorum Graecorum 6, 10. In prostadis dextra ac sinistra, cubicula sunt collocata, quorum unum thalamus, alterum amphithalamus dicitur. *Thalamus* erat viri, et uxoris cubiculum: *Amphithalamus*, ubi ancillae cubabant: ab *ἀμφὶ*, circum, quia veluti circum thalamum positus erat, hoc est tam prope, ut vocatae ancillae exaudire possent, et ad imperia praesto esse. Est qui legit *antithalamus*, *ἀντιθάλαμος*, ab *ἀντὶ*, contra, quod contra, seu e regione thalami positus erat.

[AMPHITHALES, is, m. *ἀμφιθαλής*, ab *ἀμφὶ*, circum, et *θάλλω*, floreo, patrimus et matrimus, seu qui utrumque parentem habet superstitem. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fea Framm. di Fasti* etc. p. 84. L. Allio Amphithale. *F.*]

AMPHITHEATRALIS, le, adj. ad amphitheatrum pertinens. *Plin.* 11, 24, 28. Amphitheatrale spectaculum. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 293. Amphitheatralis pompa. *Martial.* 14, 137. Amphitheatrales usus. *Id.* 11, 70. Amphitheatrales magistri, *h. e.* qui venationibus praeerant, quae in Amphitheatro fiebant.

AMPHITHEATRICUS, a, um, id. q. amphitheatralis. *Symmach. ep.* 4, 8. Amphitheatricum spectaculum. ℙ *Amphitheatrica charta* ap. *Plin.* 13, 12, 23. est genus quoddam chartae vilioris et plebejae, ita dictae, quia Alexandriae primum in amphitheatro, vel prope illud conficiebatur. Id autem nomen retinuit etiam postquam aliis in locis fieri coepit, et arte perfici.

AMPHITHEATRUM, i, n. *ἀμφιθέατρον*, aedificium circulari, seu potius ovali forma, in usum spectaculorum exstructum: ita dictum ab *ἀμφὶ*, utrinque, et *θέατρον*, theatrum. Prius enim theatra facta sunt forma semicirculari, postea duobus veluti theatris coeuntibus, ovali, et ut loquitur *Cassiod. Variar. ep.* 5, 42. prolixa quadam rotunditate. In iis erant gradus circum undique, et sedilia disposita ad spectandum, in medio spatium, quod *arena* dicebatur, quia arena spargi solebat, ut ludentes commodius insisterent. Praecipua, quae in iis edebantur, erant gladiatorum certamina, venationes, et damnatorum hominum pugnae cum feris, naumachiae, etc. Varia fuere Romae amphitheatra, Caligulae, Claudii, Titi, Domitiani, Trajani, etc. Extra Romam in Italia amphitheatrum Veronense, quod adhuc visitur; extra Italiam aliquot in variis provinciis, quae injuria temporum vel omnino, vel magna sui parte periere, de quibus, deque omni amphitheatrorum constructione adeantur ii, qui ex professo scripsere, inter quos est *Lipsius;* qui non verbis solum accurate describsit, sed tabulis etiam expressas eorum figuras exhibuit: item *Scipio Maffejus in Verona illustrata. Martial. Spectac.* 1. Omnis Caesareo cedat labor amphitheatro, [*i. e. eo quod Vespasianus incepit, Titus perfecit.]

AMPHITRITE, ēs, f. *Ἀμφιτρίτη*, filia Oceani, vel Nerei et Doridis, uxor Neptuni, maris Dea. *Claud. Rapt.* 1, 104. Nereia glauco Neptunum gremio complectitur Amphitrite. ℙ Per metonymiam pro ipso mari ponitur. Dicta videtur vel *παρὰ τὸ ἀμφοτέρωθεν τρεῖν ποιεῖν*, quod undique timorem incutiat aut navigantibus, aut accolentibus; vel *παρὰ τὸ ἀμφιτρίβειν τὴν γῆν*, quod terras undique atterat, et rodat fluctibus; vel *παρὰ τὸ ἀμφιτρέχειν τὴν γῆν*, quod terram ambiat. [*Aliae notationes, si cui lubet, reperiuntur ap. *H. Steph. Thes. App.* t. IV. Ex recentioribus *Kanne Mythol.* p. 158. Triton, inquit, est i. q. aqua, mare. *Hesych.* interpretatur *Τριτὼ* per *ῥεῦμα; Herm.* vertit *Ἀμφιτρίτη* per *Amfractua* ut Triton per *Tortunus.* v. *Nitsch. lex. myth.* ed. *Klopfer.* p. 183.] *Ov. Met.* 1, 14. nec brachia longo Margine terrarum porrexerat Amphitrite. [*Cf. *Walch.* ad h. l., qui comparat *Eurip. Cycl.* 702.] *Cat.* 64, 11. Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten, *h. e.* prima mare navigavit: de Argo navi loquitur.

AMPHITRYO, seu Amphitryon, et Amphitruo, ōnis, m. [*de utraque forma praeter gramm. lat. cf. *Gron.* ad *Sen. Agam.* 514. coll. ad *Herc. Oet.* 1247. et *Drak.* ad *Sil.* 2, 192. Alia congessit *Cort.* ad *Lucan.* 5, 134.] *Ἀμφιτρύων*, filius Alcaei filii Persei, princeps Thebanus, maritus Alcmenae, quae ex Jovis concubitu Herculem peperit: quare et ipse hujus pater habitus est. *Plautus* in ea comoedia, quae inscribitur hujus viri nomine, semper scribit *Amphitruo*, quia antiqui Latini, nondum invecto Graecae linguae studio, Graecas litteras non admittebant, et *v* in *u* vertebant. *Id. ib.* 1, 1, 96. Amphitruo regem Pterelam sua obtruncavit manu. *Ov. Met.* 6, 112. Amphitryon fuerit, cum te, Tirynthia cepit, etc.

AMPHITRYONIADES, ae, m. Amphitryonis filius. Ita cognominatus est Hercules, quia filius fuit Alcmenae uxoris ejus. Unde *Catull.* 68, 112. Audit falsiparens Amphitryoniades. *Ov. Met.* 15, 48. grates agit ille parenti Amphitryoniadae. *Virg. A.* 8, 214. Amphitryoniades armenta, abitumque parabat. Quidam hoc loco leg. *Amphitryonides*, ut sit a Graeco *Ἀμφιτρυωνίδης*.

AMPHORA, ae, f. *ἀμφορεύς*, et per syncopen *ἀμφορεύς*, genus vasis vinarii, plerumque fictilis, (nam etiam quandoque ex alia materia fuisse legitur apud *Petr. Sat.* 34. et *Nep. fragm.* apud *Plin.* 36, 7, 12.) ita dicti, quia utrinque prehendi et portari poterat, ab *ἀμφὶ*, utrinque, et *φέρω*, porto. Habebat enim utrinque ansas, et fortasse etiam plures duabus; [nam in *Mus. Borbonico Neapolit.* videre est vas magnum aeneum duabus ansis superioribus, totidemque inferioribus praeditum. Ceterum aliter interpretandus locus *Caton. R. R.* 113. Amphoras nolito implere nimium, ansarum infimarum fini, *h. e.* ansarum infimarum tenus, seu usque ad extremitatem inferiorem ansarum. *Sic interpretatur *F.* locum attulit *Forc.*] Ad varios usus inserviebat, sed praecipue ad vina condenda. Nam vinum, quod servari volebant, ex doliis diffundebant in amphoras, et cados bene picatos, ibique habebant, donec usus causa promi placeret, ut *Proculus Dig.* 33, 6, 15. docet. Quare videntur amphorae, quod ad usum spectat, respondere iis vasis, quae Itali appellant *fiaschi*, et Galli *bouteilles*, maxime si vitreae sint, ut est apud *Petr. l. l.*, ubi narrat, illatas in mensam fuisse amphoras vitreas diligenter gypsatas, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum titulo: *Falernum Opimianum annorum centum.* Hinc illa *Horatii* ode quae est 21. *l.* 3. in qua amphoram laudat, ut sibi aequalem, nempe eo ipso anno impletam vino, quo is natus fuerat, et ad ea usque tempora servatam. *Id. A. P.* 22. amphorā coepit Institui, currente rota, cur urceus exit? *Id. Od.* 3, 16, 34. Nec Laestrygonia Bacchus in amphora Languescit mihi. *Id. ib.* 8, 10. Corticem adstrictum pice dimovebit Amphorae fumum bibere institutae. [*Erant amphorae majores quam ea vasa, quibus hodie utimur ad vinum conservandum, neque tamen tanta, quanta vulgo esse putantur. *Suet. Tib.* 42. ob epotam in convivio, propinante se, vini amphoram. Qui locus monstrat, non omnes idem potuisse, sed factum tamen esse a potatoribus. ℙ Hinc translate *amphorae* dicuntur homines gulosi ac bibaces, pariter atque *canthari* et *utres*, cf. *Burm. Anth. Lat.* II. p. 594. coll. *Privaeo* ad *Appul. Met.* 3. p. 167. *Jahn.*] ℙ *Amphoram nasiternam* memorat *Cato R. R.* 11., et recenset inter vasa, quibus ad vineam colendam opus est; nempe intelligit vas aquarium ad irrigandum. [*Alii, ut *Schneider.*, post amphoram interpungunt.] ℙ Etiam condendis olivis amphorae destinabantur, et uvis, aliisque hujusmodi fructibus, quae servari solent, ut apud *Colum.* 12, 16. et 47. legitur. Praeterea ad servandum oleum et mel eas inservisse colligitur ex *Catone R. R.* 10., ubi *amphoras olearias* nominat, et ex *Hor. Ep.* 2, 15. ℙ Ad haec *Cato ib.* 11. *amphoras sparteas* refert inter instrumenta vineae: et videntur fuisse vasa rusticana ex sparto contexta in amphorae figuram. *Turn. l.* 7. *v.* 23. scribit, putare se, sparteas amphoras adhibitas fuisse in vino metiendo: nam si fictiles fuissent, tractando saepe, uti metiendo fit, facile fractae fuissent. ℙ Fuit etiam earum usus Romae in angiportis, ubi constituebantur amphorae curtae ad exonerandas vesicas populi Romani Quiritium. Colligitur id ex *C. Titio Lucilii aequali* apud *Macr. Sat.* 2, 12. Tale sepulcrum pro olla sepulcrali imprecatur lenae *Prop.* 4, 5, 73. ℙ Denique est amphora genus mensurae liquidorum, quae Latine etiam *quadrantal* dicitur, teste *Festo* ad vocem *Quadrantal*, et duas urnas continet, ut est apud *Fann. De ponderib. et mens.* 63., hoc est congios VIII., sextarios XLVIII., heminas XCVI., ponderis vero libras LXXX. [*Cf. *Hdf.* ad *Hor. Sat.* 1, 1, 54.] Quamquam ut incerta omnia de veterum mensuris sunt, ita varie a variis amphorae ratio traditur. *Cic. Font.* 5. Titurium Tolosae quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse. ℙ Quod vero *Fannius ib.* 61. addit: *quam me violare liceret, Sacravere Jovi Tarpejo in monte Quirites;* innuit morem Romanorum, ut mensuras, et pondera in Capitolio custodirent, ut inde quoties res exigeret, et de legitima mensura dubitaretur, veritas peti posset. Hinc *Capitolina amphora* ponitur pro amphora justae mensurae. *Capitol. Maximin.* 4. Bibisse illum saepe in die Capitolinam amphoram constat. ℙ In genitivo plur. saepe facit *amphorum* pro *amphorarum*, praesertim cum adjectivis numeralibus, ut *Charis.* 1. p. 41. observat. *Cic. Fam.* 12, 15. Naves onerariae, quarum minor nulla erat duum millium amphorum. *Plin.* 6, 22, 24. Magnitudo navium ad terna millia amphorum. *Liv.* tamen 21, 63. Navem quae plus quam trecentarum amphorarum esset. *Plin.* 9, 30, 48. Polypi caput amphorarum quindecim capax.

AMPHORALIS, le, adj. Apud *Plin.* 37, 2, 10. *amphorale vas* est amphorae mensuram capiens.

AMPHORARIUS, a, um, adj. *Vinum amphorarium* dicitur a *Proc. Dig.* 33, 6, 16. quod in amphoras diffunditur servandi causa, ad differentiam doliaris.

[AMPHORULA, ae, f. parva amphora. Translate. *Isid. Or.* 29, 31. Monile ornamentum ex gemmis est; hoc etiam et serpentum dicitur, quia constat ex amphorulis quibusdam aureis, gemmisque variis in modum facturae serpentis. *F.*]

AMPHRYSIACUS, a, um, adj. ad Amphrysum pertinens. *Stat. Silv.* 1, 4, 105. Aut Amphrysiaco pastor de gramine carpsi, *h. e.* herba ad ripas Amphrysi fluminis proveniente.

AMPHRYSIUS, a, um, adj. ad Amphrysum et Apollinem pertinens. [*Monet *Scheller.* hoc sensu non tam a fluvio Amphryso derivandum videri, quam ab Ambryso vel Amphryso, Phocidis oppido prope Delphos.] *Virg. A.* 6, 394. Quae contra breviter fata est Amphrysia vates, *h. e.* Apollinea: loquitur enim de Sibylla Cumaea. *Auson. ep.* 7, 16. Amphrysia fata, *h. e.* oracula, et libri Sibyllini, quos Apollinis instinctu Sibyllae scripsisse putabantur. V. v. seq. [**Ov. Met.* 15, 703. Amphrysia saxa, ubi de Italia inferiore sermo est, correxerunt *Heins.* et *Burm.* in Amphissia.]

AMPHRYSUS et Graeca positione Amphrysos, i, m. *Ἄμφρυσος*, fluvius Thessaliae parvus, Halum oppidum alluens, et juxta Othrys montis radices in Sperchium amnem decurrens. Celebris est apud poetas, qui fabulantur circa eum fuisse laetissima pascua Admeti regis Thessaliae, ubi Apollo ejus armenta novem annos pavit, cum aliquando ab Jove irato divinitate spoliatus fuisset; qua de re V. in ADMETUS et in CYCLOPS. *Ov. Met.* 1, 580. Apidanusque senex, lenisque Amphrysos et Aeas. *Virg. G.* 3, 1. Te quoque magna Pales,

et te, memorande, canemus, Pastor ab Amphryso. ℙ Legitur et *Amphrisus* Latina vocali.

AMPIRVARE. V. AMTRUO.

AMPLĒ, adv. *εὐρέως, μεγαλείως, εὐπόρως*, late, magno numero. *Cels. praef. post med.* Qui ample valetudinarios nutriunt, quia singulis summa cura consulere non sustinent, ad communia ista confugiunt. ℙ Metaphorice dicitur a. de splendore ex magnis sumtibus in aliquam rem impensis redundante: i. e. copiose, magnifice. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. exornare ample magnificeque triclinium. *Id. Phil.* 9. *fin.* efferre aliquem supremo die suo quam amplissime. b. de liberalitate: *id. Phil.* 5, 19. agri militibus amplissime dati et assignati. c. de dignitate: *id. Verr.* 2, 4, 46. gerere honores amplissime ac magnificentissime. d. de dignitate orationis s. de genere sublimi: *Cic. Brut.* 55. Duo genera oratorum, unum attenuate presseque, alterum sublate ampleque dicentium. [**Cic. Tusc.* 5, 9. Theophrastus (de summo bono) non est ausus elate et ample loqui, quum humiliter demisseque sentiret.] Hinc *Flor.* 4, 2, 65. Satis ample sonabant in Pompejani nominis locum Cato et Scipio, *h. e.* satis amplum et magnum nomen habebant. *Plin.* 18, 3, 3. Amplissime laudare aliquem. ℙ Comp. *Amplius* V. infra suo loco.

AMPLECTOR, ĕris, exus sum, dep. 3. *περιβάλλω*, circum necto, complector, comprehendo, cingo, quod brachiis extensis homines facere solent: ab *am* circum (ut docet *Festus* in *Amtermini*) et *plecto*, cingo, necto. *Pl. Poen.* 5, 4, 91. Ambae filiae sumus: amplectamur ambae. *Id. Cist.* 2, 3, 25. et *Rud.* 1, 5, 16. [**H.* v. ut honestiore etiam rem Venereum exprimunt. *Ter. Andr.* 2, 5, 19. si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit. Laudat *Ruhnk.* ad h. l. *Drak.* ad *Sil.* 2, 399.] Amplecti genua alicui. *Pl. Capt.* 3, 4, 120. Compedes amplectuntur crura. *Manil.* 1, 536. domus naturae amplectens pontum terrasque jacentes. *Plin.* 5, 1, 1. Aestuarium amplectitur intra se insulam. *Tac. A.* 12, 24. Sulcus designandi oppidi coeptus, ut magnam Herculis aram amplecteretur. *Liv.* 35, 28. Quantum munimento amplecteretur loci. *Plin. ep.* 10, 75. Amplecti locum exedra et porticibus. *Virg. Ecl.* 3, 45. Et molli circum est ansas amplexus acantho. ℙ Translate [*non uno modo dicitur. Ac primum quidem est i. q. comprehendo animo vel oratione: *Cic. Font.* 7. quae si judex non amplectetur omnia consilio, non animo ac mente circumspiciet.] *Id. Rosc. Com.* 12. quod ego argumentum pluribus verbis amplecterer: i. e. dicere, persequi, explicare. [**Id. Caec.* 40. Actio, quae nequaquam satis verbis causam et rationem juris amplectitur. *Id. Inv.* 2, 50. Nemo potest omnes res per scripturam amplecti, sed is commodissime scribet etc.] *Virg. G.* 2, 42. non ego cuncta meis amplecti versibus opto, i. e. comprehendere. Et absolute eodem sensu *Plin.* 4, 12, 24. Totius ponti forma breviter amplectenda. *Tac. A.* 4, 34. Quos lex majestatis amplectitur. *Id. Att.* 12, 35. Te vehementer rogo, ut hanc cogitationem toto pectore amplectare h. e. amanter suscipias et serio perpendas. Ac de aliis, ut armis, bello. *Tac. Agr.* 17. magnam Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello. *Id. ib.* 25. amplexus civitates trans Bodotriam sitas. ℙ Deinde, quum ad affectum refertur, est i. q. amo, diligo, faveo, colo. *Cic. Fam.* 6, 6. *fin.* Me amicissime quotidie magis Caesar amplectitur. *Id. Att.* 7, 1. Amplecti aliquem amore. [**Id. Cat.* 4, 3. parvulus filius, quem mihi videtur amplecti respublica. Salsa et amara ambiguitate dicitur ap. *eund. Flacc.* 18. de homine aerarium publicum depilante: Quum rempubl. nimium amplecteretur, peculatus damnatus et bona et senatorium nomen amisit, i. e. quum pecuniae publicae inhiaret. Proprie dicendum fuisset: quum utilitati reip. studeret. Ita *Schütz. incl.*] *Id. Mil.* 27. Amplecti plebem, *h. e.* fovere, delinire, ejus favorem sibi conciliare. *Sall. Jug.* 7. Aliquem in amicis habere, magis magisque in dies amplecti. *Hor. Sat.* 1, 2, 53. hoc se amplectitur uno, *h. e.* se amat, sibi placet. *Cic. Phil.* 10, 9. Amplecti virtutem alicujus. *Id. Fam.* 5, 19. libenter animum alicujus. *Id. ib.* 4, 8. Caesar favet ingeniis; nobilitatem vero et dignitates hominum amplectitur. *Id. ib.* 5, 8. Amplecti officiis amplitudinem alicujus. *Id. Or.* 1, 55. jus civile. *Tac. A.* 15, 59. rempublicam. *Id. ib.* 6, 8. amicitiam alicujus. *Justin.* 22, 7. et 29, 2. spe regnum. [*Deinde est i. q. probo, laudo, magni aestimo. *Cic. Phil.* 10, 4. amplecti virtutem.] *Id. Or.* 1, 24. neque ita amplecti artem, ut etc., neque eam totam repudiare. ℙ *Amplecto, is*, activa forma ut *Prisc.* 8. p. 797. et *Diomed.* 1. p. 379. monent. *Pl. Rud.* 3, 5, 36. Amplectitote crura fustibus. Alii rectius leg. *ampectitote.* V. AMPECTO. *Liv. in Odyss.* apud *Diomed. loc. cit.* Genua amplectens virginem oraret. ℙ Passive. *Lucil.* apud *Prisc.* 8. p. 791. Amplexetur, qui velit: ego non sinam me amplectier. V. AMPLEXUS, a, um. ℙ Etiam *amplector, aris* in prima conjugat. usurpasse veteres, testatur *Prisc. l. l.* Itaque hac forma legitur a quibusdam apud *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 32. Hinc participium *amplectandus* est in quibusdam codd. *Manilii* 4, 803.

*AMPLEXĀBUNDUS, a, um, adj. id. q. amplectens. *Jul. Valer. Res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 2, 35. Tumque amplexabundus et contegens regia chlamyde. *B. A.*

AMPLEXĀTUS, a, um, part. ab *amplexor. Justin.* 24, 3. Arsinoe corpore suo puerorum corpora amplexata protexit. Translate. *Cic. Ac.* 1, 9. Aristoteles primus species labefactavit, quas mirifice Plato amplexatus erat, [*i. e. suas fecerat, studiose defenderat.]

AMPLEXOR, aris, atus, sum, dep. 1. idem omnino quod *amplector*, eosdemque fere habens usus. *Cic. Fam.* 1, 9. Inimicum meum sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fovebant, sic, me praesente, osculabantur. Et post: Amplexari aliquem familiariter atque hilare. *Pl. Mil.* 5, 1, 40. Amplexari atque osculari inter se. *Id. Asin.* 5, 2, 32. Facere modum amplexandi. *Id. Rud.* 3, 3, 33. Aram amplexantes. *Id. Truc. a.* 5. *v.* 33. Ego illam patiar alios amplexarier? ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 2, 12. Appius totum me amplexatur, *h. e.* valde amat, colit, observat. *Id.* ad *Brut.* 1, 11. Amplexari ac tueri judicium suum. *Id. Sext.* 45. *fin.* otium. *Id. Or.* 3, 17. Amplexari voluptatem. *Id. Cluent.* 44. Auctoritatem censorum amplexator. Est qui cum *Prisc.* 8. p. 797. leg. *amplexato*, ut sit ab *amplexo, as:* quod etiam usurpatum legitur. *Accius* ap. *Non.* 7, 14. Amplexa: fructum, quem Dii dant, cape. *Pl. Poen.* 5, 4, 60. Hanc amabo atque amplexabo. Adde *Q. Claud.* ap. *Prisc. l. l.* et *Petr. fr. Trag.* 63. *Burm.* Et passive. *Lucil.* apud *Prisc. l. l.* p. 791. Amplexetur, qui velit, ego non sinam me amplectier, *περιπλεχέσθω*, ut idem *Prisc.* exponit.

AMPLEXUS, a, um, part. ab *amplector. Ov. Her.* 19, 80. Meque tibi amplexo nulla noceret hiems. *Cic. Sull.* 20. Qui tanto amore possessiones suas amplexi tenebant. [**Virg. A.* 8, 124. amplexus dextram, Hom. *ἔν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρὶ*, quod melius est, quam quod *Burm.* non damnat, amplexus dextra.] ℙ Passiva significatione, *περιπλεχθείς. Petr.* ap. *Prisc.* 8. p. 791. Animam nostro amplexam pectore. [**Pl. Mil.* 2, 6, 27. Amplexam amicam osculabatur. Sic *Lindem.* Pass. tuetur etiam *Burm.* ad *Ov. Her.* 4, 139. viderit amplexos aliquis. Alii aliter.]

AMPLEXUS, us, m. actus amplectendi et cingendi, *περιπλοκή, περιβολή. Cic. Div.* 1, 36. Puer dormiens circumplicatus serpentis amplexu. *Plin.* 5, 9, 9. Inferiorem Aegypti partem Nilus, dextra laevaque divisus, amplexu suo determinat. *Stat. Th.* 6, 255. Collibus incurvis, viridique obsessa corona Vallis in amplexu nemorum sedet. ℙ Saepius dicitur de hominibus. *Virg. A.* 1, 687. Cum dabit amplexus, atque oscula dulcia figet. *Suet. Oth.* 10. Amplexu et osculo aliquem dimittere. [*De amplexu et osculo amoris vel amicitiae v. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 86, 3.] *Tac. A.* 12, 68. Amplexu tenere aliquem. [**Ov. Her.* 14, 69. amplexu petere aliquem, ibique *Burm.* coll. *Met.* 6, 605. Cf. *Eund.* ad *Petr. Sat.* 86.] *Vell.* 2, 123. Circumfundi amplexibus alicujus. *Sen. Hipp.* 705. Ruere in amplexus. *Ov. Met.* 11, 228. Ire in amplexus. *Lucan.* 4, 176. in amplexus effusas tendere palmas. *Val. Fl.* 1, 316. Haerere amplexibus. *Ov. Met.* 9, 52. Excutere amplexus. *Virg. A.* 6, 698. Subtrahere se amplexu. *Id. ib.* 8, 568. Divelli amplexu. Et 388. Fovere amplexu. ℙ Absolute de re turpi. *Sil.* 11, 399. amplexu multoque mero somnoque virorum profliganda acies; [*et quos *Drak.* ad h. l. laudat,] *Petr., Juv., Ov., Martial.*

AMPLIĀTĬO, onis, f. amplificatio, augmentum. *Tert. Bapt.* 13. Ubi fides aucta est credendi, addita est ampliatio sacramento. ℙ Est etiam verbum forense, quod significat dilationem sententiae ferendae in aliqua causa. Dicebatur enim ampliatio, ut docet *Ascon.* ad *Verr.* 2, 1, 9., cum judices audita causa, nec penitus adhuc cognita, petebant nova actione doceri, quod significabant datis in tabella litteris *N L*, h. e. *non liquet*: et is qui judicio praeerat, pronunciabat, causam *amplius*, hoc est iterum esse cognoscendam. Ex quo *ampliatio* nata est. [*Cf. ad Ascon. *Robortelli annott.* 2, 25, 81. (in *Gruteri face ed. Frcf.* 1604. *tom.* II.); *Sigon. de judic.* 2, 20. contraque *Ferrat.* ad *Cic. l. l.* Ampliationis locum e Servilia lege de repetundis tenet *comperendinatio.* V. *Klenzii* ad hujus legis *c.* XIV. annot. 1. *Beier.*] Differt a *comperendinatione*, quia, licet utraque judicii dilationem habeat, tamen *comperendinatio* nascebatur etiam, si judices nihil judicassent, *ampliatio* vero ex eorum incerta et dubitanti sententia: *comperendinatio* erat necessaria, et legis vi instituta, *ampliatio* libera (licet non in omnibus causis) et in judicum potestate posita: *comperendinatio* in tertium diem transferebat actionem, *ampliatio* in quemcumque diem ex arbitratu ejus, qui judicio praeerat: ex causa *comperendinationis* bis tantum causa dicebatur, ex causa *ampliationis* saepius dici poterat, cujus rei testimonia V. in v. seq.: denique in *comperendinatione*, seu secunda actione dicebat priore loco defensor, posteriore accusator, ut *Ascon.* scribit *l. l.*, in *ampliatione* priore accusator, posteriore defensor. Hoc tamen discrimen convellit *M. Anton. Ferrat. l. supra l.* quem consule. Legitur *ampliatio* tum apud *Ascon. l. l.*, tum apud *Senec. Contr.* 1, 3. *fin.* Ampliata est et ipsa ampliatio.

AMPLIĀTOR, oris, m. qui ampliat. In nummo Antonini Pii apud *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 12. S. P. Q. R. ampliatori civium, *h. e.* qui secutus Trajani exemplum soboli Italiae providit constitutis puellis alimentariis. V. ALIMENTARIUS et FAUSTINIANUS. [*Haec debentur *F.*, nam *Forc.* minus recte explicaverat ita: qui quamplurimos in civitatem R. admisit.]

AMPLIĀTUS, a, um, part. v. *amplio*, amplior seu major factus, *μεγαλυνθείς. Cels.* 7, 5. *n.* 2. Ampliato magis vulnere, arundo avellenda est. *In monumento Ancyr.* apud *Grut.* 232. Ampliato ejus solo. *Hirt. B. Hisp.* 42. Ampliatus honor. *Plin.* 17, 10, 14. Ampliatum miraculum. *Scaev. Dig.* 34, 3. *fin.* Ampliata summa. ℙ De eo cujus judicium dilatum est, ut in AMPLIATIO diximus. *Liv.* 43, 2. Bis ampliatus, tertio absolutus est reus. *Val. Max.* 8, 1. *n.* 11. Cujus causa septies ampliata, ad ultimum octavo judicio absoluta est. [*Inscr.* ap. *Murat.* p. 610, 1. Q. Minucius Scapula accusatus de vi, sententiis condemnatus XV., ampliatus XXXIII. *F.*]

AMPLIFĪCĀTĬO, onis, f. *αὔξησις*, augmentum. *Cic. Off.* 1, 8, 25. Amplificatio rei familiaris. *Id. Div.* 2, 14. pecuniae. *Id. Off.* 2, 12. honoris et gloriae. ℙ Apud oratores reperitur [*triplici fere significatione. Quas quoniam Noster non distinxit, accuratius hoc de verbo exposuimus duce *Ern.* in *lex. techn. lat.* Usitatior hujus verbi, inquit, vis haec est, ut amplificare dicamus ea, quae augeamus vel altius tollamus dicendo aut etiam extenuemus et abjiciamus. Ad utrumque enim pertinere amplificationem docet *Cic. Or.* 3, 26, 27. Inprimis autem adhibetur ad animos concitandos, in quo proprium oratoris officium continetur. Cf. *Cic. Partit.* 8. *Quint.* 8, 4. eaque graece dicitur *αὔξησις.* Cernitur in verbis et elocutione, oratioque ea augetur et extollitur. Cui similis est alia quaedam species, propria generi demonstrativo et inprimis laudibus, de qua v. *Quint.* 3, 7, 6. ubi ejus tanquam synonymum est *ornare*, coll. *Cic. Or.* 3, 27. — Aliud genus amplificationis est, quae *per locum communem instigationis auditorum causa sumitur*, et in *epilogo* adhibetur, docente *Auct.* ad *Her.* 2, 30. ubi v. plura. Eandem appellat *Cic. Inv.* 1, 52. indignationem; cf. *Cic. Part.* 15. Ea est verborum et rerum atque a *Sulpic. Vict. Inst. Rhet.* p. 249. *exaggeratio* dicitur. Tertium denique genus amplificationis est, quod aut iracundiam inducit aut ad misericordiam trahit auditoris animum. Hoc modo usus est h. v. *Auct.* ad *Her.* 3, 13. qui ideo dividit in *cohortationem* et *conquestionem.*]

AMPLIFĪCĀTOR, oris, m. qui amplificat, et auget, *παραυξάνων. Cic. Tusc.* 5, 4. Nec vero Pythagoras nominis solum inventor, sed etiam rerum ipsarum amplificator fuit. *Id. Fam.* 10, 12. Dignitatis tuae non modo fautor, sed etiam amplificator. *Inscr.* ap. *Grut.* 282, 3. Constantino amplificatori urbis Romae.

AMPLIFĪCĀTRIX, īcis, f. quae amplificat et auget. *Pacat. Paneg. Theod.* 8. Quos plurima laude dotavit amplificatrix veri vetustas.

AMPLIFĪCĀTUS, a, um, part. ab *amplifico*, auctus. *Cic. Cat.* 3, 1. Urbs condita et amplificata. *Id. N. D.* 2, 3. Respublica amplificata. ℙ Translate. *Id. Manil.* 16. Auctoritas multis rebus gestis, magnisque judiciis amplificata. *Id Leg.* 3, 14. Pauci honore et gloria amplificati. *Sall.* 2. *De rep. ordin. med.* Nobilitatis opes diminutae, et jus populi amplificatum. *Caes. B. G.* 6, 12. Gratia et dignitas amplificata.

AMPLĪFĪCĒ, adv. ample, magnifice. *Catull.* 64, 266. Talibus amplifice vestis decorata figuris Pulvinar complexa suo velabat amictu. Alii perperam leg. *amplificae vestis.*

AMPLIFĪCO, as, avi, atum, a. 1. *αὐξάνω*, amplum facere, dilatare, ampliare, augere. *Liv.* 1, 44. Amplificare urbem. *Val. Max.* 3, 4. *n.* 2. numerum senatus. *Cic. N. D.* 2, 57. sonum. *Id. Dom.* 9. pretium. *Id. Amic.* 16. fortunam. [**Id. Rep.* 3, 12. divitias.] *Id. Fin.* 1, 11. voluptatem. *Pacuv.* ap. *Eund. Tusc.* 2, 21. dolorem. ℙ Translate. *Id. N. D.* 2. *fin.* Amplificare facultatem disserendi. *Id. Leg.* 3, 14. aliquem honore et gloria. *Plin. Pan.* 69. Amplificare, atque augere aliquem festinatis honoribus. *Caes. B. G.* 2, 14. Aduorum auctoritatem apud omnes Belgas amplificaturus. ℙ Dicendo rem augere, adhibita amplificatione. *Cic. Or.* 3, 26. *fin.* Summa laus eloquentiae est amplificare rem ornando. [**Suet. Caes.* 66. non negando minuendove, sed insuper amplificando ementiendoque.] *Cic. Or.* 1, 53. Aliquid amplificare, atque ornare dicendo. *Id. Acad.* 4, 2. Amplificare gloriam alicujus. *Id. Fin.* 5, 24. virtutem suis laudibus.

*AMPLĪFĪCUS, a, um, adj. amplus, magnificus [*reperitur in *Frontonis* opp. primum ab *Ang. Majo* editis. Locum accuratius indicare non possumus. *Beier.*]

[AMPLIFLŪUS, a, um, adj. ample fluens, abundans. *Strabo Gallus* 2, 2. Bruma est ampliflui consumptrix saeva laboris. *F.*]

AMPLĬO, as, avi, atum, a. 1. *μεγαλύνω, αὐξάνω*, amplum facio, augeo. *Cels.* 7, 5. *n.* 1. Ampliare plagam. *Suet. Aug.* 18. templum. [**Lucan.* 3, 276. orbem.] *Suet. Caes.* 44. imperium. *Hor. Sat.* 1, 4, 32. rem, *h. e.* divitias augere. *Tac. Hist.* 2, 78. servitia, *h. e.* augere numerum servorum. *Suet. Ner.* 22. et *Plin. Pan.* 54. numerum. *Suet. Aug.* 41. censum senatorum. *Id. ib.* 45. privilegia. *Callistr. Dig.* 44, 14, 3. pretia praediorum diligenti cultura. *Martial.* 10, 23. Ampliare sibi spatium aetatis. *Scaev. Dig.* 34, 1, 16. *a med.* Ita ut ex usuris aleretur, prout aetatem ampliaret. Et *Julian. ib.* 23, 3, 47. Ampliare dotem. *Plin.* 23, 2, 32. vires. ℙ Translate. *Martial.* 8, 66. Ampliare nomen alicujus, *h. e.* illustrare, amplitudinem conferre. [*Eodem modo *Quint.* 8, 4, 20. Sic quoque solet aliud ex alio augeri, ut quum Hannibalis bellicis laudibus ampliatur virtus Scipionis.] ℙ Speciatim est verbum forense, et significat differre in alium diem alicujus causae sententiam, ut in AMPLIATIO exposuimus. *Cic. Caec.* 10. Cum causam non audisset, et potestas esset ampliandi, dixit, sibi liquere. *Auct.* ad *Her.* 4, 36. Quid fuit judices, quare in sententiis ferendis dubitaveritis, aut istum hominem nefarium ampliaveritis? *Aur. Vict. Vir. ill.* 24. Manlius ab conspectu Capitolii ampliatus est, *h. e.* dilata est ejus sententia ob conspectum Capitolii. V. *Liv.* 6, 20.

AMPLĬTĔR, adv. ample, largiter, magnifice, *δαψιλῶς*. *Pl. Cas.* 2, 8, 65. Obsonari ampliter. *Id. Merc. prol.* 98. Accipere aliquem hilare atque ampliter. *Id. Stich.* 5, 4, 10. Facere sumptum ampliter. *Id. Cist.* 2, 3, 55. Occupatus sum ampliter, *h. e.* valde. *Gell.* 2, 6. Laudare ampliter. *Id.* 10, 3. Dicere aliquid ampliter et insigniter, *h. e.* dicere aliquid magnificum et insigne. Adde *Lucil., Pompon., Acc.* ap. *Non.* 11, 19.

AMPLĬTŪDO, inis, f. *πλάτος*, spatium, aut magnitudo alicujus rei. *Cic. Verr.* 2, 4, 49. Simulacrum quoddam modica amplitudine. [**Suet. Tib.* 74. Apollinem et amplitudinis et artis eximiae. *Id. Caes.* 47. margaritarum.] *Id. Cal.* 35. Egregia corporis amplitudo. *Varr. R. R.* 2, 4. Amplitudo membrorum. *Tac. Hist.* 4, 22. valli. *Id. G.* 26. soli. *Plin.* 6, 26, 30. Oppidum stadiorum LXX. amplitudine. *Id.* 14, 2, 4. *n.* 3. *fin.* Amplitudo foliorum. *Id.* 12, 1, 3. Platanus adolescit in amplitudinem. *Id.* 10, 22, 27. Crescere in amplitudinem. *Auct. Dial. de Or.* 37. Crescit cum amplitudine rerum vis ingenii. (Nusquam simpliciter pro altitudine ponitur, sed ubique simul significatur crassitudo quaedam, quae amplum reddat.) Singulari modo *Gell.* 19, 8, 12. *pluralem* dixit amplitudinem numeri. — Plurali numero utuntur *Cic. Fin.* 4, 7, 18. amplitudines bonorum. *Gell.* 4, 9. amplitudines virtutum. ℙ Translate ponitur pro dignitate, gravitate, praestantia, quam sibi quis comparavit ex multa virtute, sapientia, potentia, rebus gestis, et propter quam amore, cultu, aut admiratione dignus est. *Cic. Inv.* 2, 55. Amplitudo est potentiae, aut majestatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia. *Id. Rosc. Am.* 1. Homines, in quibus summa auctoritas est atque amplitudo. *Ib.* Propter nobilitatem et amplitudinem. *Id. Or.* 2, 39. Majestas est amplitudo ac dignitas civitatis. [**Auct.* ad *Her.* 2, 12. amplitudo civitatis continetur maxime suffragiis populi et magistratus consilio.] *Cic. Off.* 1, 20. Splendor et amplitudo. *Ib.* 21. Claritas et amplitudo. [**Id. Fam.* 1, 5. amplitudo et dignitas, ubi cf. *Manut.*, qui ad 1, 4. *fin.* amplitudo, inquit, latius patet, quam aut dignitas aut auctoritas; nam et quantumcunque et quacunque re valemus, totum id *amplitudinis* nomine comprehenditur. Dignitas igitur amplitudinis pars est.] *Id. Mur.* 7. Amplitudo nominis. [**Id. Rull.* 2, 18. sacerdotii.] *Id. Mur. ib.* Summa amplitudine dignum putari. *Id. Brut.* 81. Ad summam amplitudinem maxima cum gratia et gloria pervenire. *Id. Tusc.* 2, 26. Amplitudo animi. *Nep. Att.* 18. Amplitudo rerum gestarum. *Plin. praef. H. N.* Amplitudo fortunae. ℙ [*De oratione quum sermo est, *amplitudo* propria virtus est oratoris graviter, ornate, copiose, et cum verborum et sententiarum insigni dignitate dicentis. Opponitur ei tenuitas subtilitasque. Cf. *Cic. Inv.* 2, 16. *fin.*] Sic apud *Gell.* 7, 14. amplit. orationis est copiosum et magnificum dicendi genus. [*In specie *amplitudo orationis*, quam *Cic. Or.* 1. Platoni tribuit, est *ἡ πλατύτης τῆς ἑρμηνείας*, quam *Plin. ep.* 1, 10. magis ad verbum vertit *Platonicam latitudinem*, qua significatur beata ingenii fecunditas rerumque singularis copia et ubertas. — Haec pleraque hausimus ex *Ern. lex. techn. lat.*]

AMPLĬVĂGUS, ample vagus, late vagans. *Auct.* ad *Her.* 3, 19. Loci praeter modum amplivagas imagines reddunt, et nimis angusti saepe non videntur posse capere, etc. Quidam inepte duas voces *ampli vagas* in unam compingunt. [*Hoc voc. prorsus e lexicis tollendum est.]

AMPLĬUS, *πλέον*, adverbium est comparativum ab *ample*, et significat plus, aut insuper; variosque habet usus atque elegantes, variamque constructionem. [*Scilicet vel ad tempus vel ad numerum refertur. V. *Freinshem.* ad *Justin.* 3, 3, 5. qui, tam est magnitudinis, inquit, quam continuam vocant, quam numeri. Quomodo differat a *magis*, *potius* et *plus* breviter significat *Herz.* ad *Caes. B. G.* 4, 2.] Primum saepe ponitur absolute. *Cic. Or.* 1, 17. Non luctabor tecum, Crasse, amplius. *Id. Tusc.* 5, 34. Bestiae eo contentae non quaerunt amplius. *Cic. Verr.* 2, 5, 49. Sthenius sese ipsum abs te repetit: nihil amplius. *Id. Fam.* 12, 1. *fin.* Ulta suas injurias est per vos: nihil amplius. [**Ov. Met.* 9, 148. excedam tectis? an, si nihil amplius, obstem? ubi de hac locutione v. *Burm.*, qui se laudat ad *Petr. Sat.* 19. et *Quint. Decl.* 1, 9. et 3, 9. ubi glossema *aget* jam *Gron.* ejecit.] *Id. Rosc. Am.* 50. Quid vis amplius? *ib.* Quid quaeris amplius? *Id. Cat.* 1, 3. Quid est, quod jam amplius exspectes, si, etc.? [**Suet. Tib.* 45. quicquam amplius pati, per *εὐφημισμόν* de stupro.] *Sall. Jug.* 27. Amplius morari aliquem. *Cic. Har. resp.* 24. Quid enim amplius ad ejus laudem minuendam facere potuisset? *Id. Caecin.* 36. Habetis eum, ut nihil dicam amplius, qui se homines coegisse fateatur, et est formula, qua utimur, cum acerbum, aut odiosum quidpiam loqui nolle significamus. Sic *Id. Planc.* 7. Nihil dico amplius. *Id. Marcell.* 6. Nihil amplius dicam, quam id, quod omnes verebamur, etc. *Ter. Heaut.* 1, 2, 11. Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum esset hodie, amplius, *h. e.* amplius quam factum fuerat. [**Non amplius* plerumque ad tempus refertur: *Suet. Aug.* 97. non amplius se posthac Romae futurum. Etiam subjungitur ea formula interdum numero: *id. Caes.* 25. ter nec amplius.] Interdum *amplius* habet post se genitivum more substantivorum. [**Cic. Cat.* 4, 5. nescio an amplius negotii mihi contrahatur.] *Caes. B. G.* 6, 9. si amplius obsidum velit. ℙ Item ablativum, more comparativorum. *Cic. Ac.* 4, 26. Solem amplius duodeviginti partibus confirmant majorem esse quam terram. *Sall. Cat.* 59. Cum initio non amplius duobus millibus habuisset. *Id. Jug.* 57. Morari amplius opinione. *Lucr.* 3, 966. Amplius aequo. *Julian. Dig.* 39, 6, 19. Non amplius parte capere. *Scaev. ib.* 36, 1, 78. *in fin.* Amplius quadruplo. ℙ Saepe habet post se particulam *quam*. *Cic. Verr.* 1, 2, 13. Paulo amplius, quam privatus. [**Flor.* 1, 14, 1. atque jam amplius quam congredi auderent. *Id. ib.* 18, 8. quum incognitas sibi belluas amplius quam erant, suspicarentur; utroque loco explicant per *plus*; sed facile intelligitur, in his quoque locis esse i. q. ultra.] *Id. ib.* 2, 2, 31. Ne rejiciundi quidem amplius quam trium judicum potestatem facere. *Id. Leg.* 2, 26. De sepulcris nihil est apud Solonem amplius, quam ne quis ea deleat. [**Nihil amplius quam* est, ut *nihil aliud quam* i. q. *tantum*: *Suet. Aug.* 7. ipse nihil amplius quam mirari se rescribit, omninoque saepissime.] *Nep. Ages.* 8. Ut terra tecta esset stramentis, neque huc amplius quam pellis esset injecta. *Id. Thras.* 4. Nolo amplius quam centum jugera. *Suet. Aug.* 17. Nec amplius quam septem et viginti dies. [**Id. Tib.* 26. nec amplius quam mox tres consulatus gessit. *Id. Claud.* 4, legato non amplius quam octingentorum sestertiorum prosecutus. *Liv.* 27, 25. negabant unam cellam amplius quam uni Deo rite dedicari posse.] ℙ Saepissime *quam* omittitur, praesertim si cum numeralibus adjectivis jungatur. *Cic. Brut.* 17. Orationes amplius centum quinquaginta. *Id. Att.* 2, 16. Qui ager non amplius hominum quinque millia potest sustinere. [**Liv.* 1, 18, 2. centum amplius post annos. v. *Drak.* ad 21, 29, 3. *Id.* 37, 24, 6. viginti paullo amplius (naves) integrae abscedentes.] *Nep. Dat.* 8. Cum de ipsius exercitu non amplius hominum mille cecidisset. *Caes. B. C.* 3, 99. In deditionem venerunt amplius millia viginti quatuor. *Liv.* 38, 40. Thracum decem haud amplius millia. *Cic. Rosc. Com.* 3. Amplius sunt sex menses. Et *ib.* Amplius triennium est. *ib.* Triennio amplius. [*De hac omissione particulae *quam* v. *Ruhnken.* ad *Vell.* 2, 1, 4. maximeque *Drak.* ad *Liv.* 41, 12, 8. *coll.* 21, 29, 3. Praeterea *Rudd.* II. p. 106. et *Zumpt. gr. lat.* §. 74, 14, 2. qui exempla nomin. accusat. et ablativi, particula *quam* omissa, reperiri docet. Scite etiam *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 56, 2. (coll. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 4, 12.) illud monet, non perinde esse, utrum e. g. dicas *non amplius duobus millibus habuit*, an: *non amplius duo millia habuit.* Nam in illo pendet ablativus ab *amplius*, i. e. plus comparativorum more, ut diximus, positum; in hoc *amplius* adverbialiter positum, est i. q. *ultra*, et casus (sive nomin. sive accus., sive ablativus est) pendet a verbo.] ℙ *Hoc amplius* formula est, qua et superiora repetimus, et aliquid praeterea addimus, ut *Pompon. Dig.* 32. *l.* 52. docet. [*i. q. insuper, praeterea.] *Cic. N. D.* 2, 12. Bestiis sensum et motum dedit, homini hoc amplius, [*melius *Orell.*: hoc homini amplius] quod addidit rationem. *Id. Fam.* 9, 25. Obtemperare cogito praeceptis tuis: hoc amplius navicularum habere aliquid, etc. *Id. Fin.* 5, 4. Cum uterque pluribus scripsisset, qui esset optimus reipublicae status; hoc amplius Theophrastus, quae essent, etc. *Id. ad Brut.* 1, 5. Cui cum essem assensus, decrevi hoc amplius, etc. *Id. Phil.* 13. *sub fin.* Quae cum ita sint, de mandatis litterisque M. Lepidi Servilio assentior; et hoc amplius censeo, etc. Formula qua utebatur in senatu, qui sententiam post alium dicebat, et assentiri se illi affirmans, addendum tamen aliquid pronunciabat. Qua de re V. alia duo exempla apud *Senec. Vit. beat.* 3. et *Qu. nat.* 3, 15. [*Cf. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 51, 21.] Idem quod *hoc amplius* est *eo amplius*. *Sall. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 75. Denas alii (uxores) alii plures habent: sed reges eo amplius. [**Suet. Cal.* 15. Inferias his publice instituit: et eo amplius matri circenses etc.] ℙ In testamentis illa quoque formula est: lego Titio tot, et hoc amplius uxori, et liberis ejus tot, quae apud *African. Dig.* 30. l. 105. legitur, i. e. ac praeterea. ℙ In re forensi. *Cic. Verr.* 2, 1, 9. Vel judicari primo poterat, vel amplius pronunciari, *h. e.* differri judicium per ampliationem. (V. AMPLIATIO.) Cum enim judicibus non satis liquebat in causa aliqua, et novam actionem postulabant, is qui causae praecerat, *amplius* pronuntiabat: quod etiam apud *Cic. Brut.* 22. et *Verr.* 2, 1, 29. *in fin.* legitur. [*Utuntur etiam translate in vita communi, ut *Ter. Ph.* 3, 1, 17. Ego amplius deliberandum censeo. Cf. *Briss. form.* 5, 4, 55.] ℙ Et illa formula est *Cic. Fam.* 13, 29. Rogo, ut si quid satisdandum erit, amplius eo nomine non peti, cures, ut satisdetur fide mea. *Id. Brut.* 5. Tibi ego non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio sit, petiturum. Adde *Rosc. Com.* 12. et *Att.* 1, 8. Hac utebantur in stipulationibus, cum creditor cavebat debitori, affirmando nihil amplius sibi deberi, nihilque se ultra unquam petiturum. Quae integra refertur *Dig.* 46, 8, 23. his verbis: In stipulatione cavetur, non petiturum eum, cujus de ea re actio, petitio, persecutio sit. V. *ib. l.* 15. Huic similis est illa, *amplius non agi* apud *Paul. Dig.* 45, 1, 4. et *Ulp. ib.* 9, 2, 27., habebatque locum in iis stipulationibus, in quibus aliquis promittebat, se de ea re nunquam postea acturum, aut litem intentaturum.

AMPLĬUSCŪLĒ, adv. diminutivum ab *amplius*. *Sidon. ep.* 8, 16. Si vir illustris aliquid insuper ampliuscule scribi depoposcisset, *h. e.* aliquanto uberius et fusius.

AMPLĬUSCŪLUS, a, um, adj. aliquanto amplior. *Appul. Apol.* p. 322, 19. Homo miser ampliuscula fortuna devolutus, *h. e.* spoliatus opibus satis amplis.

AMPLO, as, a. 1. amplifico. *Pacuv.* ap. *Non.* 10, 14. Ubi poetae pro sua parte falsa, confictaque canant, qui causam humilem dictis amplant.

AMPLOCTI pro *amplecti* dixere veteres, teste *Prisc.* 1. p. 552. ea ratione, qua *vorto* pro *verto*, et *voster* pro *vester*, etc.

AMPLUS, a, um, adj. *πλατύς*, spatiosus, patens, latus, et ex omni parte sese diffundens, ex *ἀνάπλεος* sive *ἀμπλοῦς*, plenus. *Cic. Off.* 1, 39. Ampla domus. *Id. Verr.* 2, 4, 53. Amplissima curia, amplissimum gymnasium. Et *ib.* 34. Amplum et excelsum signum cum stola. *Virg. A.* 3, 353. Amplae porticus. *Plin.* 6, 20, 23. Amplissima insula. *Suet. Aug.* 94. Mortali specie amplior. [**Nep. Reg.* 1, 4. amplissimae pulcherrimaeque formae, ubi *Brem.* Gr. *σεμνοπρεπές* comparat.] *Hor. Sat.* 2, 2, 101. Amplae divitiae. [**Cic. Verr.* 2, 5, 8. fortunae.] *Liv.* 27, 51. Amplissima vestis, i. e. sumtuosa. *Cic. Quint.* 3. Res pecuaria ampla. *Id. Rosc. Am.* 31. Amplissima pecunia. [**Id. Fam.* 1, 3. magna negotia et ampla et expedita.] *Plin.* 28, 10, 42. Amplior potentia. *Id.* 2, 40, 40. Amplissimi effectus. *Suet. Vesp.* 4. Amplior exercitus. *Papin. Dig.* 31. *l.* 79. Amplius pretium. *Plin.* 5, 9, 10. Ampliores aquae. *Ter. Hec.* 3, 1, 50. Amplior morbus, *h. e.* gravior, magisque effundens vires suas. *Plin.* 6, 34, 39. Amplissima dies horarum quindecim, *h. e.* longissima. ℙ Translate. *Cic. Marcell.* 8. Quidquid enim est, quamvis amplum sit, id certe parum est tum, cum est aliquid amplius. *Id. Verr.* 2, 2, 25. Ampla occasio. [**Suet. Rh.* 6. amplissima quaeque causa, h. e. de rebus vel personis maximi momenti, maximae dignitatis.] *Lucr.* 5, 1173. Amplae vires. *Ter. Hec.* 3, 1, 9. Ampliores irae, *h. e.* vehementiores. *Prop.* 3, 4, 32. Poena sera, sed ampla. *Id. ib.* 21, 41. Spes ampla nepotum. [**Flor.* 2, 7, 3. Macedonicum bellum nomine amplius quam spectatione gentis fuit. *Id.* 4, 1, 4. nefas.] ℙ Saepissime ponitur pro praeclaro, illustri, splendido, magnifico. *Cic. Att.* 8, 9. Amplissimae res gestae. *Id. Mil.* 22. Amplis praemiis afficere aliquem. *Id. Verr.* 2, 1, 5. *in fin.* Ne ullum munus aedilitatis amplius, aut gratius populo esse possit. *Id. Prov. cons.* 11. Ampliorem honorem alicui tribuere. [**Suet. Caes.* 76. sed et ampliora etiam hu-

mano fastigio decerni sibi passus est.] *Nep. Eum.* 4. Amplo funere efferre aliquem. *Id. Cat.* 1. Amplissimus triumphus. [**Suet. Caes.* 16. *Oth.* 1. amplissima verba, i. e. honorifica. *Id. A.* 7. amplius cognomen, sc. Augusti.] ℙ *Amplum est*, praeclarum, magnificum est. *Liv.* 9, 30. Sibi amplum esse, urbem ab se captam frequentari. *Id.* 28, 42. *in fin.* Relinquere Italiam paras, quia tibi amplum et gloriosum est. ℙ Cum refertur ad homines, significat eum, qui dignitate, doctrina, aut nobilitate praestans est, illustris, clarus. *Cic. Rosc. Am.* 30. Is mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit. *Id. Phil.* 3, 8. Et quidem ampli homines, sed immemores dignitatis suae. *Id. Caec.* 36. Homo virtute cognita, et spectata fide amplissimus. [*Apud *Tibull.* 4, 1, 97. quis parma seu dextra velit seu laeva tueri, amplior i. e. *χρείσσων*, v. *Heyn.*] *Id. Verr.* 2, 4, 49. Amplissimum collegium decemvirale. *Id. Mur.* 7. Amplae et honestae familiae. *Caes. B. G.* 4, 12. Amplissimo genere natus. ℙ *Amplissimus ordo* speciatim est senatorius. *Plin. ep.* 10, 3., *Suet. Vesp.* 2. et *Oth.* 8. et JCti in *Dig.* saepe. [**Cic. Rep.* 1, 3. amplissimus honor i. consulatus. *Beier.* Item *Suet. Aug.* 26. amplissimus magistratus. V. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 77, 8.] Hinc *amplissimi* etiam dicuntur consules ab *Ulp. Dig.* 49, 1, 1. et 35, 1, 48. [**Suet. Vesp.* 9. amplissimi ordines sunt senatorius et equester, ut *Cic. Mil.* 2. V. *Oud.* ad h. l. et *Gron.* ad *Gell.* 1, 4. Et *amplissimi honores* sunt magistratus curules, quibus aliquis in curiam recipiebatur, *Suet. Caes.* 71. *Vit.* 5. Ita *id. Oth.* 1. promoti in ampliorem gradum, quanquam h. l. de militari gradu loqui videtur. *Id. Vit.* 2. quatuor filios amplissimae dignitatis.] ℙ *Amplus orator* dicitur, qui oratione utitur fusa, copiosa et magnifica. *Cic. Orat.* 9. Lysiam causidicum sequuntur, non illum quidem amplum atque grandem, subtilem et elegantem tamen. *Id. Brut.* 68. Pompejus erat oratione satis amplus. Adde 55. Eundem *Att.* 7, 17. *luculentum scriptorem* vocat. ℙ *Ampliores* pro *plures* legitur bis usurpatum a *Cajo Dig.* 30. *l.* 65.

AMPLUSTRE, v. APLUSTRE.

AMPREUTAE, arum, Colchidis natio. *Plin.* 6, 4, 4.

AMPSAGA, ae, Africae fluvius, Numidiam a Mauretania dirimens. *Plin.* 5, 2. 1. et 2. *ib.* 3, 2. *Mel.* 1, 6.

AMPTRŪO. V. AMTRUO.

AMPULLA, ae, f. *λήκυθος*. [Etymon videtur esse ab *ἀναπολέω*, verso, unde *ἀμπολῶ*, hinc ampulla. *F.* *Minime vero. Est, ut supra diximus, ortum ex *amb* s. *amp* et *olla*.] vasis genus ex vitro, aut alia materia, turgidum veluti inflato ventre, et angusto ore, quo oleum veteres in balneis servabant; item quo in mensa ad acetum continendum, aliquando etiam ad bibendum utebantur. Ejus formam his verbis *Appul. Florid. n.* 8. describit. Fabricatum sibimet ampullam olearium, lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate. Figuram exhibet *Pignor. Serv.* p. 40. Ansatam utrinque fuisse, putat *Is. Voss. ad Mel.* 2, 6., et in eo differre ab urceo, qui unicam tantum ansam habeat [*et hinc nomen ejus.]. *Plin.* 20, 14, 54. Ampullae vitreae aceti. *Suet. Dom.* 21. Modicam in ampulla potiunculam sumere. *Martial.* 6, 35. vitreisque tepentem Ampullis potas semisupinus aquam. *Cic. Fin.* 4, 12. Si ad illam vitam, quae cum virtute degatur, ampulla aut strigilis accedat, *h. e.* balneorum usus. [*Cf. *Goer.* ad h. l. et *Pl. Pers.* 1, 3, 44.] ℙ Apud *Pl. Merc.* 5, 2, 86. refertur inter instrumenta, quae secum iter facturi asportabant; seu quod ea oleum ferrent ad ungendos in itinere pedes: qui mos antiquis fuit, teste *Hesych.*, seu quod vinum in ea haberent: qua ratione idem videtur fuisse atque oenophorum, de quo *Pers.* 5, 140. Jam pueris pellem succinctus, et oenophorum aptas, Ocius ad navem, etc. Hinc Festus in voce *Rubidus*, *scorteas ampullas* memorat *vetustate rugosas*, ubi sane intelligit ampullas ex corio ad vinum ferendum, quas Itali vocant *fiasche* et *borraccie* (*Korbflaschen*, *lederne Reiseflaschen*), quaeque figura cum ampullis conveniunt. ℙ Translate. *Hor. A. P.* 97. Projicit ampullas, et sesquipedalia verba, *h. e.* verba magnifica, turgida, et grandiloqua: ducta similitudine a figura ampullae, quae ventriosa est, et in medio veluti inflata.

AMPULLĀCEUS, a, um, adj. *Ampullacea pira* dicuntur a *Plin.* 15, 15, 16. quae sunt ampullae figura, collo oblongiore, latiore ventre. *Ampullaceum corium* apud *Colum.* 8, 2. *fin.* videtur esse illud, quod adhibebatur faciendis ampullis, seu oenophoris. V. AMPULLA et AMPULLARIUS.

AMPULLAGĬUM, ii, n. flos mali punici cum parvulo fructu, *κύντινος ῥοᾶς*, ita dictus a figura ampullae. *Coel. Aur. Tard.* 4, 3. et 5, 2., atque hoc posteriore loco alii leg. *ambulacium*.

AMPULLĀRĬUS, ii, m. qui ampullas facit. *Pl. Rud.* 3, 4, 51. Ut quivis dicat ampullarius, optimum esse opere faciundo corium et sincerissimum. *scil.* ex corio etiam ampullae fiebant, ut in AMPULLA dictum est: vel, ut alii volunt, corio vestiebantur, ut ferendo munitiores essent iter facientibus. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 643, 10. C. Lucius Philomusus ampullarius. ℙ Adjective. *Pl. Stich.* 1, 3, 75. Unctiones malacae ampullariae, *h. e.* quae in balneis fiebant deprompto ex ampullis pretioso unguento. Ita enim legitur in quibusdam editis, et MSS. Alii leg. *crapularias*, quae discutiendae crapulae adhibentur.

AMPULLOR, aris, dep. 1. ampullis verborum uti, magnifice loqui. *Hor. Ep.* 1, 3, 14. Tragica desaevit, et ampullatur in arte.

AMPŪTĀTĬO, onis, f. *ἀποκοπή*, actus amputandi. *Cic. Sen.* 15. Sarmentorum aliorum amputatio, aliorum immissio. ℙ Pro ipsa materie, quae amputatur. *Plin.* 12, 25, 54. de arbore balsami: Et sarmenta quoque in merce sunt; sestertiis septingentis amputatio ipsa, surculusque veniit, etc. ℙ *Amputatio vocis* est vocis amissio: quam Graeci quoque *φωνῆς ἀποκοπήν* vocant. *Coel. Aur. Tard.* 2, 6. Vocis amputatio fiet ex clamore nimio, aut frigore, aut ardore; sive ustura faucibus asperatis, vel etiam tumore nimio. Fit autem obtusio sonitus emissae per spiritum vocis, atque hirta, vel aspirationis tractu gravata locutio.

AMPŪTĀTŌRĬUS, a, um, adj. amputandi, et dividendi vim habens. *Theod. Prisc. De diaeta*, 10. Origanum est amputatorium, et siccatorium, et extenuatorium. *Scribon.* quoque hanc amputandi vim medicamentis tribuit, dum de *triphera* medicamento ita loquitur. *Compos.* 230. Uvam nimis jacentem, sine periculo per auriscalpium lana involutum perunctam amputat.

AMPŪTĀTUS, a, um, part. ab *amputo*, caedendo ablatus, *ἀφαιρούμενος*, *ἀποκεκομμένος*. *Plin.* 16, 32, 57. Amputatum cacumen ulmi. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 5, 13. Amputata et circumcisa inanitas omnis et error, *h. e.* sublata et remota. *Gell.* 6, 5. Decisae et amputatae falsae opiniones. *Id.* 19, 12. Omnibus vehementioris animi vitiis amputatis. [**Jul. Exsuperant.* de *B. C.* 7. (*Cort. Sall.* p. 1077.) s. adversae partes essent amputatae, i. e. afflictae et contusae.] ℙ *Amputata loqui* est dicendo uti verbis non apte cohaerentibus, ut velut trunca oratio sine numero desinat. *Cic. Or.* 51. Et ipsi infracta et amputata loquuntur, et eos vituperant, qui apta et finita pronunciant.

AMPŪTO, as, avi, atum, a. 1. *περικόπτω*, *ἀφαιρέομαι*, caedo, abscindo, reseco: ex *am* circum, et *puto*, ut proprie sit circum abscindere, circumcidere. *Paul.* ex *Festo:* Amputata, id est circum putata. *Cic. Sen.* 15. Amputare vitem ferro. *Id. Phil.* 8, 5. In corpore si quid pestiferum est, amputare. *Suet. Galb.* 20. caput alicui. Et 9. manus. *Sen. Thyest.* 761. humeros trunco tenus. Et *ib.* ossa. *Colum.* 6, 32. Scalpello usque ad vivum resecare, et amputare scabiem. *Plin.* 32, 3, 13. (de castore): Amputare testes. Et absolute eod. sensu *Senec. Exc. contr.* 10, 4. *fin.* Amputare exoletos. ℙ Translate. *Cic. Ac.* 4, 45. Circumcidere et amputare multitudinem sententiarum. *Id. Orat.* 2, 21. Volo esse in adolescente, unde aliquid amputem. *Id. Partit.* 5. narrationes. *Sen. Med.* 530. longa colloquia. *Justin.* 24, 7. moras. *Tac. Hist.* 2, 69. numerum legionum, i. e. diminuere. [**Flor.* 2, 18, 10. ad hoc scorta, calones, sarcinae, nisi ad usum necessariae, amputantur, pro quo *Polyb.* habet *ἐξήλαυτε τοῦ στρατοπέδου*. *Quint.* 8, 3. turpes ac perniciosos amputandos. Posteriorem locum laudavit. *F.* ℙ *Amputare* et *aptare* a libr. confusa. V. *Goerenz.* ad *Cic. Fin.* 5, 14, 39.] ℙ *Amputare* de medicamentis dictum V. in AMPUTATORIUS.

AMPYCĬDĒS, ae, m. patronym. Mopsus Ampyci filius, augur celebris. *Ov. Met.* 12, 455. Nec tu credideris tantum cecinisse futura Ampyciden Mopsum. *Ib.* 8, 316. Ampycidesque sagax.

AMPYCUS, i, m. et Ampyx, ycis, m. vir Oechalius, vel, ut alii volunt, Titarensis, hoc est ex Titaro, Thessaliae oppido, qui ex Chloride filium genuit Mopsum nomine, augurem egregium. Apud *Ov. Met.* 12, 450. legitur *Ampyca* in accus. sing. ℙ [Item Cereris sacerdos, de quo *Ov. Met.* 4, 110. ℙ Fuit et alius Ampycus ope capitis Medusae a Perseo occisus, ut legitur *ib.* 5, 184. *F.*]

AMSANCTUS, i, m. [**Rudolfino Venuti* collocat in Sabina, qui locus dicatur *Monte Catino*, v. *Gelehrte Zeitungs-Anzeigen*, 1766. *n.* 128. p. 1018. *Beier.*] Locus in Italia noxius et letalis ob aquas putridas et foetentes, quod sulphureae sint, et undique silvis angustiisque claudantur, adeo ut sine periculo adiri non possit ob foetorem, et horrorem loci. Inde ei nomen factum. *Amsanctus* enim dicitur ab *am* circum, et *sanctus*, quasi ab omni parte sanctus: hujusmodi autem loca horrida et tenebricosa Antiquis religiosa erant, et Diis sacra. *Cic. Div.* 1, 36. et *Plin.* 2, 93, 95. hunc locum esse ajunt in Hirpinis, nempe prope Compsam, nunc *Consa:* [*Secundum *Vib. Sequ.* Amsanctus Lucaniae lacus est, vaporibus pestilentibus nocens. Legitur nominativus ap. *Claudian. Rapt.* 2, 350. Hactenus nos. *F.* haec addidit: sunt tamen alii qui, quod *Virg. A.* 7, 563. ponit *Italiae medio*, et *Varro* ap. *Plin.* 3, 12, 17. agrum Reatinum vocat *umbilicum Italiae*, absurde admodum paludem Reatinam statuunt esse vallem Amsancti. At, praeterquam quod *Cic.* et *Plin.* in Hirpinis ponunt, etiam nunc locus ille retinet vetus nomen, et *Virg. l. l.* loquitur de tempore remotissimo, quo vivebant Latinus, Aeneas et Turnus, quando scilicet Italiae fines ne ad Rubiconem quidem fluvium patebant. *F.*] ℙ Poetae fabulati sunt, illa esse aditum ad Inferos. V. *Virg. A.* 7, 565. ℙ Scribitur et *Ansanctus* teste *Dausq. in Orthograph.* [*et Ampsanctus.]

AMSĒGĒTES, inquit *Paulus* ex *Festo*, dicuntur, quorum ager viam tangit, *h. e.* qui agrum habent, per quem vicino servitus viae debetur. Est autem *via* hoc sensu jus eundi, jumentum agendi, vehiculum ducendi per agrum vicini. V. VIA. Qui agri hanc servitutem habebant, tenebantur eorum domini viam ita munire, ut facile posset et homo, et jumentum, et vehiculum illa ire. Si non fecissent, jus erat vicino ex XII. Tabulis jumentum qua vellet agere, ut est apud *Cic. Caec.* 19. Legem illam XII. Tabb. ita recitat *Dacer. in Fest.* Amsegetes viam muniunto. Si via immunita escit, qua volet jumentum agito. *Gothofred.* ita refert: Si via per amsegetes immunita escit, qua volet jumentum agito. Si *Paulum* et *Dacer.* sequimur, amsegetes sunt ipsi domini agri culti: si *Gothofred.* ipsi agri. [Sed prior sententia potior habenda. *F.*]

AMTERMĪNI, qui circa terminos provinciae manent. *Paulus* ex *Festo;* quae verba mendosa putat *Scalig.* et ita emendat: *Amtermini qui circa terminos Po. Ro. viciniae manent*: et intelligi eos, qui non erant in agro Romano, sed circum in vicinia; *am* enim circum significat: Graece *ἀμφιτέρμονες*. Subdit praeterea non solum *amterminos* dictos esse, sed et *amtermines*, quia veteres etiam *termen* dicebant pro *terminus:* errare ideo *Macr.* qui *Sat.* 1, 14. fragmentum illud Catonis *Oratorum am terminum* divisim legat, cum sit junctim legendum *amterminum* ab adjectivo plurali *amtermines*. Est tamen in loco *Macrobii* mira lectionum varietas. ℙ Scribitur et *antermini*, sed rarius.

AMTRŪO, vel Amptruo, as, n. 1. antiquum verbum ab *am* circum, et *trua*, quae est instrumentum ad movendum et agitandum; significat motus et saltus, quos edebant Salii sacerdotes in suis sacris: horum enim qui primus erat, *amtruare* dicebatur, et qui post eum movebantur, et saltitabant invicem motus reddentes, *redamtruare*. *Lucil.* ap. *Fest.* in *Redamtruare*. Praesul ut amtruat, inde et vulgu' redamtruat olli. Adde *Eund.* et *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 739. ℙ Translate. *Pacuv. ib.* Promerendae gratiae simul cum videam Grajos nihil mediocriter redamtruare, opibusque summis persequi, *h. e.* nullam referre gratiam, nihil reponere. ℙ Sunt autem satis multae horum verborum variae lectiones. Nam pro *amtruare* alii reponunt *amburbare*, hoc est saltu corpus reciprocare: alii *ampiruare* eodem fere sensu: pro *redamtruare* legunt alii *redentruare*, vel *redandruare* eadem significatione. Ut ut se res habet, obsoleta haec sunt omnia, et antiquitati relinquenda.

AMULĒTUM, i, n. *φυλακτήριον*, medicamentum, quod de collo suspenditur, aut alia quacumque ratione adhibetur, praecipue ad amoliendum fascinum: videturque dictum ab *amoliendo:* unde et *amoletum* scriptum legitur in *Vet. Gloss. Plin.* 29, 4, 19. Morborum remedia, veneficiorum amuleta. *Id.* 30, 15, 47. Scarabaeorum cornua adalligata amuleti naturam obtinent. *Id.* 28, 4, 7. Inter amuleta est, editae quemque urinae inspuere. *Id.* 37, 3, 12. Succinum infantibus adalligare amuleti ratione. [*Cf. intpp. ad *Tac. G.* 45, 4.]

AMŪLĬUS, ii, m. *Ἀμούλιος*, Procae filius, et Numitoris frater, qui regnum fratri abstulit, atque omnem ejus stirpem virilem necavit, fratris quoque filiae Rheae Silviae, per speciem honoris cum Vestalem eam legisset, perpetua virginitate spem partus ademit. Sed cum ea furtim a Marte compressa Romulum, et Remum genuisset, ab his regno pulsus, et vita spoliatus est. *Liv.* 1, 3. et 4. Hinc *Ov. Fast.* 3, 67. Romuleoque cadit trajectus Amulius ense. ℙ [Hujus nominis fuit etiam nobilis pictor. *Plin.* 32, 10, 37. Fuit et nuper gravis ac severus idemque floridus, humilis rei pictor Amulius: hujus erat Minerva spectantem aspectans quacumque aspiceretur. *F.*]

AMŪLUM. V. AMYLUM.

AMURCA, ae, f. *ἀμόργη*, ab *ἀμέργω premo*, sordes olei, quae praecedunt. Nam quae sequuntur, faeces vocantur. Varios ejus usus et utilitates recenset *Plin.* 15, 8, 8. Ea enim imbui dolia olearia, cadosque, ne bibant oleum: subigi areas terendis messibus, ut formicae rimaeque absint: illini horreorum parietes et pavimenta, et vestium arcas contra teredines et noxia animalia: lora et coria et calceamina axesque et aeramenta contra aeruginem, colorisque gratia elegantioris; praeterea utilem esse in quibusdam arborum morbis, et animalium quoque, etc. Addit *Varr. R. R.* 1, 51. utilem esse ad necandas noxias herbas in agris, etc. *Virg. G.* 3, 448. Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca. *Serv.* ad *G.* 1, 194. docet, *amurca* per *c* quidem scribi, pronunciari vero per *g*, ut fit in *Cajus* et *Cneus*.

ĂMURCĂRĬUS, a, um, adj. *Amurcaria dolia* ap. *Caton. R. R.* 10. sunt, in quibus amurca servatur.

ĂMŪSĬA, ae, f. canendi imperitia, ἀμουσία. *Varro* ὄιος λύρας ap. *Non.* 1, 54. Quibus suam delectet ipse amusiam et aviditatem speribus lactet suis.

ĂMŪSOS, i, m. ἄμουσος: Gr. vox, qua significatur rudis, indoctus: ab *a* privativa et μοῦσα, musa. Speciatim vero sic dicitur a *Vitr.*, qui est rudis in Musicis, 1, 1. *a med.* Non enim debet esse architectus musicus, ut Aristoxenus; sed non amusos.

ĂMUSSIS, is, f. κανών, προσαγώγιον, regula lignea, vel ferrea perfectae rectitudinis, qua utuntur fabri ad coaequanda opera et ad planam aequalitatem dirigenda. Ita definiunt *Festus* et *Varr.* ap. *Non.* 1, 28., cujus verba sunt: Amussis est aequamentum levigatum, et est apud fabros tabula quaedam, qua utuntur ad saxa leviganda. Et *Sisenna* ap. *Charis.* 2. p. 178. Amussis est tabula rubricata, quae demittitur examinandi operis gratia, an rectum opus surgat. Quare conflatam hanc vocem putant saniores Etymologi ab *am* circum, et *assis* pro *asser*, hoc est tabula. Si huic rectae regulae addatur altera, ita ut rectum angulum efficiat, est *norma*, quae et ipsa ad dirigendas planities apta est, sed alios habet praeterea usus. Aliam tamen alii (ut *Non. l. l.*) huic voci significationem tribuunt, quod nempe sit funiculus ille, quem fabri rubrica illinunt, cum opus probant. Alii quod sit idem, ac perpendiculum, quo erectae rectitudines exiguntur: sed prior notio magis propria videtur. *Auson. Edyll.* 16, 10. Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus aequis Partibus ut coeat, nil ut deliret amussis. ℙ *Ad amussim* est secundum regulam, exacte, perfecte, quia quae ad amussim exiguntur opera, perfecta sunt. *Gell.* 20, 1. Talionem ad amussim aequiparare. *Id.* 1, 4. Judicium factum ad amussim. Al. hic leg. *examussim*, eod. sensu. *Macr. Sat.* 1, 4. Videndum ergo ne magis varietas veterés delectaverit, quam ut ad amussim verum sit, festorum dierum nomina sic vocari, *h. e.* regulariter, ut *Festus* exponit, seu secundum regulas grammaticorum. Adde *Varr.* ap. *Non. l. l.* ℙ *Numerus ad amussim* dicitur a *Varr. R. R.* 2, 1. *fin.*, qui tantus omnino est, quantus dicitur, ut si dicas *numerus centenarius ad amussim* i. e. ipsi centum, nec plus nec minus. ℙ Scribitur et *adamussim* junctis vocibus. ℙ Omissa praeposit. Amussim, inquit *Paul.* ex *Festo*, regulariter: tractum a regula, ad quam aliquid exaequatur, quae amussis dicitur. ℙ Alio sensu *id. ib.* Quidam amussim esse dicunt non tacite: quod mutire interdum dicitur loqui.

ĂMUSSĬTĂTUS, a, um, partic., ad amussim exactus; et translate perfectus. *Pl. Mil.* 3, 1, 38. Amussitata indoles.

ĂMUSSĬUM, ii, n. id. q. amussis; vel opus ad amussim exactum, exaequatum et perfectum. *Vitr.* 1, 6. Collocetur ad libellam marmoreum amussium mediis moenibus, aut locus ita expoliatur ad regulam et libellam, ut amussium non desideretur. V. integrum *Vitr.* locum, et *Plin.* 18, 33, 76. et *ib.* 34, 77. *n.* 1., ubi simile quiddam describitur.

ĂMYCLAE, arum, f. plur. nunc *Vordonia*. [ʼimo eo loco, quo nunc est vicus *Slavochori. Beier.*] Ἀμύκλαι, urbs Laconiae prope Therapnas (unde *Therapnaeas Amyclas* dixit *Martial.* 9, 104. Tyndari regia, in qua nati sunt Castor et Pollux. *Plin.* 4, 5, 8. ℙ Urbs etiam fuit Ausoniorum in Italia in ora maritima inter Tarracinam et Cajetam apud Fundos (unde *Amyclas Fundanas* appellat *Martial.* 13, 115.) condita ab iis, qui cum Glauco Minois filio in Italiam venerant: non longe a loco, in quo adhuc specus Amyclaeum, nunc *Sperlunga;* ex qua mare Amyclaeum, *mare di Sperlunga.* Hujus cives a muribus, vel a serpentibus deleti sunt, ut *Plin.* 3, 5, 9. et 8, 29, 43. narrat, quod cum Pythagoricam sectam sequerentur, abstinebant caede animalium. Sed alii dicunt, Amyclas ab hostibus captas et eversas fuisse ex silentii observantia. Nam saepius falso hostium adventu nunciato, ne civitas inani terrore quateretur, cautum lege est, ne quis amplius hostium adventum nunciaret. Cum igitur aliquando hostes re vera adventassent, nemine nunciare audente, urbs capta est, cives ad unum interfecti. Hinc adagium a *Lucilio* usurpatum: *Mihi necesse est loqui: nam scio, Amyclas tacendo periisse.* Haec omnia congerit *Serv.* ad illud *Virg. A.* 10, 564. ditissimus agri Qui fuit Ausonidum, et tacitis regnavit Amyclis. Sed *Heyn. Exc.* ad h. l. praeclare ostendit haec pertinere ad Amyclas Laconiae, quas a Doriensibus deletas esse proditum est. *Sil.* 8, 530. quasque evertere silentia, Amyclae. *Stat. Th.* 4, 223. Amyclae Apollineae. *Apollineas* vocat, quia ibi templum Apollinis erat, ipsaque urbs ei dicata. *Id.* 7, 163. et *Sil.* 2, 434. et 13, 44. Ledaeae Amyclae. *Ledaeas* dicit propter Ledam matrem Castoris et Pollucis, quae ibi ab Jove compressa fuit. ℙ *Amycle, es*, in sing. numero legitur a quibusdam apud *Sil.* 4, 360. [Cf. *Mel.* 2, 3.]

ĂMYCLAEUS, a, um, adj. Ἀμυκλαῖος, ad Amyclas pertinens. Amyclaeum canem laudat *Virg. G.* 3, 345., quia in tota Laconia, cujus Amyclae oppidum sunt, nobiles gignuntur canes. ℙ *Amyclaei fratres* sunt Castor et Pollux, quos Amyclis Leda ex Jove peperit. *Stat. Th.* 7, 413. Hinc *Ov. Her.* 8, 71. Castori Amyclaeo et Amyclaeo Polluci. *Stat. Silv.* 2, 1, 121. Amyclaea mater. ℙ *Amyclaei olores* dicuntur ab *eod. Stat. Silv.* 1, 2, 142. alludendo ad eum olorem, sub cujus specie Juppiter Ledam compresserat. Hinc *Amyclaeam plumam* dixit *Martial.* 14, 161. cycni plumam intelligens. ℙ *Amyclaeam coronam* appellat idem *Martial.* 9, 74., qua donabantur victores in pugilatu, qui Amyclis maxime frequentabatur. ℙ *Amyclaeum venenum* ap. *Eund.* 8, 28. est genus nobilissimi coloris, quo Amyclis lanae tingebantur; quem alii viridem fuisse putant, alii rectius purpureum, nam cum Tyrio si conferretur, longe deteriorem fuisse, testatur *Ov. Rem. am.* 707. Confer Amyclaeis medicatum vellus ahenis Murice cum Tyrio; turpius illud erit. ℙ *Amyclaeum Canopum* dixit *Sil.* 11, 433. Aegypti oppidum, quia nomen habuit a Canopo Amyclaeo, Menelai gubernatore ibi sepulto. ℙ *Id.* 7, 15. 546. Amyclaeum nepotem vocat Claudium Neronem, qui cum M. Livio Asdrubalem Annibalis fratrem vicit, (qua de re *Liv.* 27. *a. c.* 43.) quia gens Claudia ex Sabinis originem ducebat: hi autem ex Spartanis, in quorum regione Amyclae sunt. Pro Spartano accipitur etiam a *Sil.* 6, 504. et 681., ubi Amyclaeum rectorem appellat Xantippum Lacedaemonium.

ĂMYCLĂNUS, a, um, adj. ad Amyclas pertinens. *Amyclanus sinus* dicitur a *Plin.* 14, 6, 8., qui et Fundanus et Formianus et Cajetanus appellatur: ubi praestantissima olim vina Caecuba in palustribus populetis proveniebant, ut *ib.* docet, et confirmat *Martial.* 13, 115.

*ĂMYCLAS, ae, *Lucan.* 5, 539. tum pauper Amyclas. Sumserunt h. v., veluti propium pauperis, a Lucano multi inferioris aetatis poetae. V. *Cort.*

ĂMYCLĬDĒS, ae, m. Hyacinthus, filius Amyclae, qui Amyclas urbem Laconiae condidisse dicitur. *Ov. Met.* 10, 162. Te quoque Amyclide posuisset in aethere Phoebus etc.

ĂMYCTĬCUS, a, um, adj. ἀμυκτικός, lacerandi, seu vellicandi vim habens, ab ἀμύσσω, vellico, lacero. *Coel. Aur. Tard.* 2, 6. Adhibenda etiam arteriaca medicamina, quae partes in passione constitutas exerceant, a Graecis amyctica appellata. *Theod. Prisc.* 2, 5. Malagmata amyctica. Adde *ib. cap. ult.*

ĂMYCUS, i, m. Ἄμυκος, Neptuni, et Melies nymphae filius, Bebryciorum rex, qui advenas in Bebrycium nemus ad caestuum certamen provocabat, et insidiis circumventos ibidem interficiebat. Cum itaque Argonautae in Bebryciam venissent, Pollux a rege ad certamen provocatus est, sed in certamine insidias sentiens convocatis sociis, Amycum interfecit: vel, ut alii dicunt, ipse solus occidit, ejusque copias in ultionem paratas proprio exercitu fudit. V. *Val. Fl.* 4. *a. v.* 148. ℙ *Amyci portus* est in Bithynia, seu Bebrycia ad Bosporum Thracium ultra Chalcedonem, celebris Amyci regis morte. *Plin.* 5, 32, 43. ℙ Fuit etiam Amycus unus ex Centauris. *Ov. Met.* 12, 245. ℙ [Item alius Amycus Trojanus, de quo *Virg. A.* 10, 704. Et alius itidem Trojanus, de quo *Id. A.* 12, 509. *F.*]

ĂMYDON, ōnis, f. Ἄμυδών, Paeoniae civitas, quae Trojanis auxilia misit, teste *Homero*, *Il.* 2. *Juvenal.* 3, 69. Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta.

ĂMYGDĂLA, lae, f. ἀμυγδάλη. [*Etymolog. M.* et *Athenaeus l.* 2. p. 52. amygdalam ita appellatam putant παρὰ τὸ ἐν τῷ μετὰ τὸ χλωρὸν ὥσπερεὶ ἀμυχὰς ἔχειν πολλάς, *h. e.* quia in osseo putamine, quod viridi externo proximum est, habet plures strias, sive sulcatas lineas, quas Graeci ἀμυχὰς vocant, ab ἀμύσσω, lacero. *F.*] Nux, quae et *Graeca*, et *Thasia* dicitur: est autem fructus amygdali arboris. *Plin.* 12, 9, 19. Gummi adulteratur amygdala nuce, *h. e.* ut *Id.* 13, 11, 20. exponit, adulteratur verum gummi eo, quod ex amaris amygdalis fit, et est deterius. *Id.* 13, 9, 17. Amygdalae putamen et corium. *Macr. Sat.* 2, 14. Dicendum quae sit Graeca nux: ac simul hoc dicens, amygdalam de lance tulit, et ostendit. *Ib.* legitur amygdale, qui est nominativus gr. ℙ Ponitur etiam pro ipsa arbore. *Plin.* 16, 26, 42. Perdunt facillime fructum ante maturitatem palma, ficus, amygdala, malus. Et 25, 43. Floret prima omnium amygdala mense Januario. *Colum.* 5, 10. *ad fin.* Amygdala si parum ferax erit, etc.

ĂMYGDĂLĂCEUS, a, um, adj. amygdalam referens. *Plin.* 26, 11, 69. Amygdalaceo folio, flore rosaceo.

ĂMYGDĂLĔUS, a, um, adj. amygdalinus. *Pallad. de insit.* 157. *de pistaciis.* Quin et amygdaleos subeunt pistacia ramos, *h. e.* amygdalae ramis inseruntur.

ĂMYGDĂLĪNUS, a, um, adj. ἀμυγδάλινος, qui est ex amygdala. *Plin.* 15, 7, 7. et 26, 4, 10. Oleum amygdalinum. *Seren. Sammon.* 26. Amygdalinae nucis succus. ℙ *Amygdalina pruna* dicuntur, quae in amygdalae arbore ex insitione proveniunt. *Plin.* 15, 13, 12.

ĂMYGDĂLĪTĒS, ae, m. ἀμυγδαλίτης, dicitur genus tithymali valde similis amygdali foliis. *Plin.* 26, 8, 44.

ĂMYGDĂLŌĪDĒS, i, m. ἀμυγδαλοειδής, ita appellatur ab *Appul. Herb.* 108. species tithymali, qui et masculus dicitur.

ĂMYGDĂLUM, i, n. ἀμύγδαλον, fructus amygdali arboris, qui et *amygdala* dicitur. *Ov. A. A.* 3, 183. Nec glandes, Amarylli, tuae, nec amygdala desunt. *Pallad.* 2, 15. *ad fin.* Amygdala ad legendum maturitatem fatentur, cum fuerint spoliata corticibus. *Scrib. Larg. Comp.* 5. Amagdalorum amarorum P. 2. ℙ Dicitur etiam de arbore. *Colum de arb.* 25. Amygdala si parum feracia erunt, per foratam arborem lapidem adigite.

ĂMYGDĂLUS, li, ἀμυγδάλη, arbor amygdala ferens. *Pallad.* 2, 15. Amygdalus seritur semine, et plantis, quae de majori radice tolluntur. Et *ib.* Teneras nuces amygdalus creabit, si etc.

ĂMYLĂTUS, a, um, adj. amylo mixtus. *Coel. Aur. Tard.* 2, 13. *ad med.* Dandum quoque lac amylatum et panis laganum. *Apic.* 2, 2. Isicia amylata sic facies.

ĂMYLO, as, a. 1. amylo aliquid aspergere et miscere: quod fit in liquidioribus cibis ad spissandum. *Apic.* 7, 6. Amylare jus. Et 5. Amylare fervefactum. Adde 8, 3. *Id. ib.* 2. eodem sensu dixit *amylo obligare.*

ĂMYLUM, et Latinis litteris *Amŭlum*, i, n. ἄμυλον, genus edulii ex tritico aliquot diebus in aqua macerato et antequam acescat, linteo, aut sportis saccato et ad solem densato: ita dictum quod sine mola fit, ut docet *Plin.* 18, 7, 17. nempe ab *a* privativa, et μύλος, mola frumentaria. Ejus conficiendi rationem fuse tradunt *Cato R. R.* 87., ubi amulum scribitur, et *Plin. l. l.* Habet autem usum tum in medicina, tum in cibis, in quibus addito lacte coqui solet, ut *Cato ib.* addit. Hodie amylo utimur ad firmanda lintea munda. In officinis corrupte *amydum* dicitur. *Cels.* 2, 20. Boni succi sunt triticum, siligo, alica, oryza, amylum.

AMYMNAEI, orum, plur. sunt Thraciae populi, teste *Serv.* ad illud *A.* 1, 320. qualis equos Threissa fatigat Harpalice.

ĂMYMONĒ, es, f. fil. Danai, quae dum se silvis jaculando exerceret, Satyrum percussit imprudens, qui impetu in eam facto, vim ei voluit inferre. Imploravit virgo Neptuni auxilium. Sed id ab eo passa est, quod a Satyro formidarat. Praegnans facta Nauplium Palamedis patrem peperit. *Hygin. fab.* 169. At *Serv.* ad *Virg. A.* 4, 377. narrat, Danaum siccitate laborantem misisse filiam ad inquirendam aquam; ab illa repertum fontem, qui subito hiatu terrae receptus exaruit. Eo prodigio Danaus ex Apollinis oraculo templum eidem exstruxit, etc. Amymone inter inquirendum compressa fuit. *Prop.* 2, 20, 47. Testis Amymone, latices cum ferret in arvis, Compressa. V. plura apud *Serv. l. l.* ℙ [Est etiam nomen muliebre Romanum, ab ἀμύμων, inculpatus. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 252. *n.* 35. Hic sita est Amymone Marcii. *F.*]

ĂMYMONĬUS, a, um, adj. ad Amymonem pertinens. Cum Amymone in silva aquam quaereret, a Neptuno compressa est, qui beneficii loco, percussa tridenti terra, fontem eduxit, qui Amymonius dictus est. *Hygin. fab.* 169.

ĂMYNTAS, ae, m. Ἀμύντας, pater Philippi Macedonum regis. *Justin.* 7, 4. et *Nep. Reg.* 2. ℙ Item nomen pastoris. *Virg. Ecl.* 3, 66. At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.

ĂMYNTĬĂDĒS, ae, m. Philippus rex Macedonum, Amyntae filius. *Ov. Ib.* 295. Aut ut Amyntiaden turpi dilectus amore, Oderit, et saevo vulneret ense puer. Loquitur de Pausania adolescente, qui cum frustra apud Philippum questus esset de stupro sibi ab Attalo illato, illum tandem confodit.

*ĂMYNTĬCUS, a, um, adj. ἀμυντικός, ab ἀμύνω, propulso, depulsorius. *Theod. Prisc.* 2, 26. Emplastra amyntica. *B. A.*

ĂMYNTOR, ŏris, m. Dolopum rex, pater Phoenicis, apud *Homer. Il.* 8. Hinc *Ov. Met.* 8, 307. Et cretus Amyntore Phoenix. Et *Her.* 3, 27. Venerunt ad te Telamone et Amyntore nati. Adde *Met.* 12, 364.

ĂMYNTORĬDĒS, ae, m. Amyntoris filius, hoc est Phoenix, qui Achillis praeceptor fuit. Hic cum rem habuisset cum concubina patris, et ob eam rem diris ab eo imprecationibus impetitus esset, tentata frustra venia in Thessaliam profugit, et ex nimio fletu oculos amisit. *Ov. A. A.* 1, 337. Flevit Amyntorides per inania lumina Phoenix. Adde in *Ib.* 259.

ĂMYRUS, i, m. Ἄμυρος, fluvius Thessaliae, ita dictus ab Amyro Neptuni filio. *Val. Fl.* 2, 11.

ĂMYSTIS, ĭdis, f. *Hor. Od.* 1, 36, 14. Neu multi Damalis meri Bassum Threicia vincat amystide, *h. e.* more Thracum bibendi ingens vini poculum uno spiritu et ductu; nam ἀμυστὶ πίνειν significat absque oris et labiorum compressu bibere;

unde ἀμυστίζω, ore hiante bibo et largo haustu; et ἄμυστις, ιδος, largus haustus, ut docet *Pollux l.* 3. *c.* 3., ab *a* privativa, et μύζω, quod significat claudo, comprimo, et proprie de ore ac labiis dicitur. ℙ Alii putant *amystidem* eo loco *Horatii* esse ipsum poculum largae potioni aptum, quo et Thraces uti solerent in strenuis potationibus: nam et hoc ἄμυστις significat, teste eodem *Poll. ib. c.* 16. et *Macr. Sat.* 5, 31. ex *Callimachi* versu. Utitur hac voce eodemque sensu etiam *Sidon. in prosa post carm.* 22. Ecce misi, quod inter scyphos, et amystidas tuas legas.

AMYTHAON, AMYTHAONIUS. V. AMITHAON, etc.

*AMYZON, ōnis, Ἀμυζών, Cariae oppidum. *Plin.* 5, 29, 29.

AN

AN, adv. inserviens interrogationi. [*Quoniam, quae F. habebat, nimis manca erant, pleraque refinximus. Ac nuper quidem de hac particula accurate egit *Beier.* in *exc.* II. ad *Cic. Lael.* p. 202 — 238., quem in sqq. secuti sumus. Contractum esse vult hoc voc. ex gr. αὖ (vicissim, rursus, contra) et ex interrogativa particula *ne;* fere ut *Hermann.*, quem *id.* laudat in *exc.* XI. ad *Cic. Off.* 1, 11, 33. p. 335. cui conflatum esse videbatur ab *autne.* Alii eandem esse volunt hanc partic. cum Gr. ἄν, quod fortasse haud paucis magis arrideat, nisi sunt, qui omnino ejusmodi voculas neque ex aliis linguis petendas neque ex aliis vocabulis ortas esse existiment. Sed de his amplius videre, non est hujus loci. — Primum autem inservit haec particula dubitationi; sive, ut utar *Beieri* verbis: particula est animi in re ancipiti et quae difficulter definiri aestimarive possit, iudicanda ultro citro fluctuantis ambigentisque propria. *Cic. Rep.* 1, 12. Dein quum essent perpauca inter se uno an altero spatio collocuti, et *Zell.* ad h. l. coll. *Perizonii diss. de Dictye* fol. 4. b. ed. 1702. 8. *Ib.* 2, 15. Verene — hoc memoriae proditum est — Numam Pythagorae ipsius discipulum, an certe Pythagoraeum fuisse? Cf. *Id. Fam.* 7, 9, 3. et quos locos attulit *Beier.* in *exc.* ad *Off.* p. 337. In his et simm. locis cave *aut* substituas; qua de re et quid intersit v. *Beier.* ad *L.* p. 203. Adde praeterea *Suet. Cl.* 13. casu quodam an divinitus aquila ornari non potuit. Cf. *Wolf.* qui *an* restituit pro *ac*, quod olim edebatur. *Brem.* comparat *ej. Vesp.* 1. centurio an evocatus. *Cic. Fin.* 2, 32, 104. Simonides an quis alius. *Tac. A.* 2, 42. finem vitae sponte an fato implevit. *Ib.* 11, 26. *pr.* — *Ib.* 14, 59. *pr.* respondet praecedenti *sive* v. *seu* pro qua partic. iteranda bis ponitur in *Cic. Brut.* 23. Paucis antequam mortuus est an diebus an mensibus. Adde: *Id. Fam.* 13, 29, 7. sed non plus duobus an tribus mensibus.] ℙ Praecipuus autem hujus particulae usus est in interrogatione. [*Atque apud bonos quidem scriptores hoc modo quum ponitur, huic particulae nonnisi tum locus est, quum in altera interrogationis parte praecedit *utrum (num)*, vel annectitur *ne.* Ii enim loci, ubi in directa oratione cum indicativo reperitur, ita intelligenda sunt, ut altera interrogationis pars suppleatur. Sic *Ter. Eun.* 4, 5, 7. an abiit jam a milite? i. e. q. utrum intus est, an etc. *Cic. Pis.* 5. an potest ulla esse excusatio? *Id. Phil.* 1, 6. an me censetis decreturum fuisse, ut etc. Sic etiam *annon*, ubi instando interrogamus. *Ter. Andr.* 3, 5, 15. An non dixi, hoc esse futurum? *Cic. Caec.* 18. An non cum voluntas et consilium et sententia interdicti intelligatur, stultitiam singularem putabimus in verborum errore versari? Adde *Phil.* 1, 5. et *Liv.* 2, 38. Alia res est in his. *Cic. Tusc.* 5, 32. An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere, nostrates philosophi non poterunt? Nam h. l. facit *an* (et saepius etiam *an vero*) formulam argumentandi a minore ad majus, ut *Id. Cat.* 1, 1, 3. An vero Scipio Gracchum interfecit: Catilinam — nos perferemus? Ubi v. quos comparat *Matth.* Ita *Quint.* 10, 3, 29. An vero — hoc cogitatio praestat, ut obvios non videamus: non consequemur idem, si et voluerimus? Ubi *Wolffius*, *An*, inq. vel *an vero*, saepe apud Fabium (*et alios) duas enuntiationes interrogativas ita *jungit*, ut ex re confessa, quae priori proponitur, in posteriori fiat conclusio ad dubiam. Alia multa laudat *Frotscher.*] *Cic. Or.* 1, 9. an vero tibi Romulus ille aut pastores et convenas congregasse, aut finitimorum vim repressisse eloquentia videtur etc. *Id. Mil.* 12. An vero, judices, vos soli ignoratis? [*Id. ib.* 23. Causa Milonis semper a Senatu probata est: videbant enim sapientissimi homines facti rationem, praesentiam animi, defensionis constantiam. An vero obliti estis etc.?] ℙ In dupplici vel multiplici interrogatione oratio itidem est vel *directa* vel *indirecta.* Atque 1) exempla *directae* orationis haec sunt: *Ter. Andr.* 1, 2, 13. hoc intellextin, an nondum etiam? *Cic. Att.* 16, 8. Romamne venio an hic maneo, an Arpinum fugio? *Liv.* 21, 10. Utrum hostem an vos an fortunam utriusque populi ignoratis? *Cic. Acad.* 4, 29. Utrum ea vestra an nostra culpa est? *Id. Rosc. Am.* 27. ipse percussit, an aliis occidendum dedit? *Id. Verr.* 2, 3, 36. Utrum — abstulit? — an dedit? an — ademit? an — commutavit? *Id. Rosc. Am.* 41. iine — indigni erant? an iste non commovebat? an res videbatur? — 2) Saepissime autem reperitur in oratione indirecta. Tum vero quadruplex est harum enuntiationum forma: 1) utrum (num) — an; 2) + — an; 3) — ne — an; 4) + — ne (annexum). Cf. *Zumpt. Gr. lat.* p. 410. Exempla praebet *Beier. exc.* §. 5. *Ov. Met.* 1, 585. *nescit* vitane fruatur an sit apud manes. *Cic. Att.* 7, 12. *in.* Inde utrum consistere uspiam velit, an mare transire, *nescitur. Liv.* 1, 46. Tarquinius Superbus Prisci Tarquinii filius neposne fuerit, *parum liquet. Cic. Or.* 61. *quaesitum est*, in totone circuitu orationis, an in principiis solum, an in extremis, an in utraque parte etc. *Cic. Fam.* 7, 16. id utrum Romano more locutus sit, an quomodo Stoici dicunt, postea *videro. Id. Pis.* 10. in quo nemo potest dicere utrum iste plus biberit, an vomuerit, an effuderit. Ita legendum, non *aut* vomuerit. Sic *Suet. Aug.* 86. tuque dubitas, Cimberne Annius an Ver. Fl. imitandi sint tibi; — an potius etc. ubi quod *Brem.* legi voluit *aut* Ver. Fl. vereor ut recte habeat. Nam sic etiam *Cic. Inv.* 1, 53. secundus locus est, per quem — ostenditur, an ad omnes, an —, an —, an — etc. ubi etiam alii *aut* volebant. V. *Ochsner.* ad *Ecl. Cic.* p. 123. Sic reperitur post *dubitare*, *in dubio est*, *incertum est*, *non sat scio*, similibus, quorum omnium exempla exhibet *Beier.* l. l. — Particulae interr. prioris membri interdum reticentur. *Cic. Or.* 3, 55. refert etiam, qui audiant, senatus, an populus, an judices; frequentes, an pauci, an singuli. *Tac. A.* 2, 22. Caesar de se nihil addidit, metu invidiae, an ratus conscientiam facti satis esse. *Id. ib.* 14, 7. longum utriusque silentium, ne irriti suaderent; an eo descensum credebant, ut etc. *Id. ib.* 1, 11. incertum metu an per invidiam. Tum vero *ne* interdum alteri demum membro inseritur. *Liv.* 2, 40. Sine, priusquam complexum accipio, sciam, inquit (Veturia), ad hostem *an* ad filium venerim; captiva mater*ne* in castris sim. — ℙ *Annon* et *necne* sic differre praecipiunt: illud poni, quum verbum prioris membri repetatur, *necne*, ubi simplex negatio sine repetito verbo sequatur. Sed haec regula saepe negligitur: Omittitur verbum in his: *Ter. Ph.* 1, 2, 97. Pater ejus rediit, annon? *Ib.* 5, 6, 12. Sed isne est, quem quaero, annon? *Id. Hec.* 4, 1, 43. roga velitne an non uxorem. *Varr. L. L.* 8, 61. quod sit, an non: nihil commovet analogiam; cf. *Liv.* 8, 13. Ponitur in his: *Pl. Merc.* 2, 3, 13. qui scio, quid sit ei animi, venire*ne* eam velit, *an non* velit. Cf. v. 120. Nescio, inquam, velit ille illam, *necne*, abalienarier. Etiam post *necne* reperitur verbum, vel apud *Cic. Div.* 1, 39, 86. Fiat necne fiat, id quaeritur. — Nunquam autem, quod probe notandum, in priori membro *an* ponitur ita, ut in altero sequatur *ne;* nam *Cic. Cat.* 2, 6, 13. *an* illud dudum expunctum est: ¡Quaesivi a Catilina, [*an*] nocturno conventu apud M. Laecam fuisset, necne. Quanquam *Hor.* ita locutus est *Sat.* 1, 4, 124. an hoc inhonestum et inutile factum, necne sit, addubites. Cf. *Hdf.* ad h. l. Scriptores hic fere *utrum* ponunt. Cf. de his particulis interrogativis eorumque discrimine *Krebs*, *Anleitung* etc. *ed.* V. §. 359. ℙ Apud sequioris demum aetatis scriptores fit, ut in interrogationibus obliquis *an* signum interrogationis sit. (De dubiis hujus generis apud *Cic.* locis v. *Zumpt. Gr. lat.* p. 287. ed. IV.) Ita jam *Hor. Od.* 4, 7, 17. quis scit, an adjiciant hodiernae crastina summae tempora Di superi; h. e. quis pro certo affirmet adjecturos hodierno diei crastinum Deos superos? quocum comparat *Beier.* p. 217. *Cic. Senect.* 20, 10. Moriundum certe est: et id incertum, an eo ipso die? Mortem igitur etc. *Sen. Ep.* 29. *pr.* Non possum scire, an ei profuturus sim, quem admoneo etc. *Plin. Ep.* 8, 24, 14. nescio an jure, certe aequitate postulationis meae victus — accessit. *Tac. A.* 4, 74. Neque senatus in eo cura erat, an imperii extrema dehonestarentur. Est vero, inq. B. p. 207. ea harum formull. natura, ut neque affirment neque negent, sed dubie de re pronuntient: cujus ambiguitatis augendae gratia solent orationi obliquae subjici demum. *Sen. controv.* 4, 28. an habeam *nescio:* accepisse me scio. *Id. Q. Nat.* 7, 23. hoc an cometae alii fecerint, nescio: duo nostra aetate fecerunt.] — Raro tantum reperitur *an* in utraque obliquae interrogationis parte. *Cic. Att.* 2, 6. Dubitem, an hic an Antii considam. *Cels.* 3, 6. *med.* Videndum, an adstrictum corpus sit, an profluat. *Quint.* 7, 1. *med.* videndum est, an unum aliquid respondeamus an plura. *Plin.* 15, 1, 2. Multa alia hujus generis congessit *Beier.* p. 206. sq. ℙ *An* cum *ne* ita saepe jungitur, ut in unam veluti vocem coalescant. *Cic. Pis.* 1. Nam quid ego de consulatu loquar? parto vis anne gesto? *Id. Ac.* 4, 29. Cum interrogetur, tria pauca sint, anne multa. [*Cic. Man.* 19, 57. Gabinio dicam anne Pompejo, an utrique. V. quos locos comparat *Matthiae.*] *Augustus* in *epist.* apud *Suet.* 69. — Anne refert, ubi et in quam erigas? Ita in oratione et directa et indirecta reperitur, qua de re disputavit *Oud.* ad *Appul. Met.* 1. p. 5. quem *Brem.* laudat ad h. l.] ℙ An? pro annon? *Ov. Her.* 17, 247. An fera Centauris indicere bella coegit Astracis Haemonios Hippodamia viros? [*Ita nonnisi usurpatur in oratione directa, non in obliqua, quare *Bremio* ap. *Suet. Aug.* 54. interrogatusque ab eo, an essent alii digniores? legendum videtur vel *annon*, vel *an* ironice intelligendum. Sed *Beier.* p. 228. esse putat, simplicem nescientis interrogationem, in qua ex sequiore usu loquendi *an* pro *ne* posita sit, ut Augustus affirmationem exspectans videatur inde voluisse suadere: *ergo hos potius eligeret.* ℙ An cum verbis *nescio*, *dubito*, et similibus, per quandam urbanitatem interdum negationem includit, et ei parti jungitur, quam affirmare velle videmur. *Cic. Fam.* 9, 15. Est quidem id magnum, atque haud scio, an maximum. *Nep. Thras.* 1. Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito an hunc primum omnium ponam. Interdum cum *credo* junctum habet vim quandam dubitandi simul, et affirmandi. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. An illius vicem, credo, doles? In illo vero *Lucretii* inest etiam ironia 5, 175. An, credo, in tenebris vita, ac moerore jacebat, Donec diluxit rerum genitalis origo? [*Tam paucis *Forc.* doctrinam difficillimam absolvit. Nos vero infra uberius de his agemus s. vv. HAUD et NESCIO; idque eo magis, quod in illo *exc. Beier.*, tam saepe nobis laudato, in quo simul omnes viri docti, qui de his rebus egerunt recensentur inde a p. 228. sqq., haec doctrina tanta eruditione et sagacitate tractata est, ut possit cuivis satisfactum videri. Interea igitur adi illum librum.] ℙ *An numquid* pleonasmus est apud *Arnob.* 6. p. 195.

[ĂNĂ, ἀνὰ, vox medica et pharmaceutica, omnium parem modum (ut *Cels.* 3, 27. loquitur) indicans, ex Graeco ἀνὰ, quod aequas partes seu aequabilem distributionem notat. *Veget. Veter.* 3, 2. Folii capparis, folii myrti silvestris, folii cypressi ana uncias tres diligentissime deteres. *Id.* pluribus in locis. *F.* Est graeca praepositio ἀνά, quae cum numeralibus conjuncta vim distributivam habet. V. *Matth. Gr. gr.* §. 579, 3.]

ĂNĂ et Anas, ae, m. nunc *Guadiana*, Ἄνας, fluvius Hispaniae Baeticam a Lusitania magna ex parte disterminans. Oritur autem in Tarraconensi, nec procul a fonte suo se in diversa stagna fundit, ac se ipse premit subinde angustioribus alveis, mox in totum sub terram conditur, et rursus post aliquot passuum millia emergit, tandemque in Atlanticum mare infunditur. *Plin.* 3, 1, 3. [*Id.* 4, 22, 35. *Mel.* 2, 6. 3, 1. *Caes. B. C.* 1, 38.] et *Prudent.* περὶ στεφ. 3, 188. [*h. l. ut ap. *Mel.* 2, 6. nominativus *Anas* legitur; alteram formam, *Ana*, *Scheller.* se adhuc reperisse negat.]

ĂNĂBAPTISMUS, i, m. ἀναβαπτισμὸς, iteratus baptismus. Legitur apud *August. enarr. in Ps.* 38.

ĂNĂBĂSIS, ἀνάβασις, vox Graeca ascensum significans: ab ἀναβαίνω, ascendo. Hinc datum nomen herbae, quae Latine *equisetum* [**Pferde-Rossschwanz*, *Kannenkraut*] dicitur, quia prope arbores nascens super eas scandit. *Plin.* 26, 7, 20. et *ib.* 13, 83.

ĂNĂBĂSĬUS, ii, m. ἀναβὰς, velox nuncius, qui equo, curruve conscenso celeriter aliquid alio perfert: ab ἀναβαίνω, conscendo. *Hieron. adv. Ruf.* 3, 1. *ad f.* Idcirco ne cereales, et anabasii tui per diversas provincias cucurrerunt, ut laudes meas legerent?

ĂNĂBĂTHRUM, i, n. ἀνάβαθρον, pulpitum, pegma, tabulatum, quod ascenditur ludorum spectandorum causa: ab ἀναβαίνω, ascendo. *Juven.* 7, 45. Nemo dabit regum, quanti subsellia constant, Et quae conducto pendent anabathra tigillo.

*ĂNĂBŌLĀDĬUM, ii, n. ἀναβολάδιον. Amictorium lineum feminarum, quo humeri operiuntur, quod Graeci et Latini sindonem vocant. Haec habet *Isid. Or.* 19, 25. *B. A.* [In *Not. Tir.* p. 158. legitur *Anabolarium. F.*]

[ĂNĂBŌLĪCĀRĬUS, ii, m. confector vestium anabolicarum sive anaboliorum. *Jur. civ. Antejust. Reliq.* (edente *A. Maio*) p. 38. Anabolicarii a tutelis curationibusque habent vacationem. *F.*]

ĂNĂBŌLĪCUS, a, um, adj. ἀναβολικός. *Vopisc. Aurel.* 45. Vectigal ex Aegypto urbi Romae Aurelianus vitri, chartae, lini, stuppae, atque anabolicas species aeternas constituit, *h. e.* merces ad vestiendum pertinentes: ab ἀναβάλλω, vestio. *Salm.* exponit merces, quae navibus advehantur: nam ἀναβάλλειν significat etiam in naves imponere: designari autem eas merces, quae quotannis ab Aegyptiis Romam navibus portabantur vectigalis nomine. *Turneb. l.* 18. *c.* 17. docet ab aliquibus lectum esse *anatolicas*, hoc est orientales, ab ἀνατολὴ, oriens: ipse autem legendum censet *embolicas*, eodem sensu, quo *Salm.*, ab ἐμβάλλειν, quod et ipsum saepe significat onerare naves.

ĂNĂBŌLĬUM, ii, n. ἀναβόλιον, vox Graeca pallium significans: ab ἀναβάλλω, amicio. Legitur *Inscr. Don. cl.* 1. *n.* 91., ubi dicitur quidam ex

voto donum obtulisse Aesculapio inter cetera torquem aureum et anabolium. Videtur fuisse pallium simile illi, quod Telesphorus Aesculapii socius in antiquis monumentis gestare solet.

*ANABUCIS, Africae oppidum prope Syrtes. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut.*

*ANABURA, orum, Pisidiae oppidum. *Liv.* 38, 15.

ANACAMPSĒROS, ōtis, f. *ἀναχαμψέρως, ωτος*, herba, quam *Hesych.* etiam evulsam extra terram vivere scribit. Creditum est a Magis eam illi vim inesse, ut ejus tactu redirent amores etiam cum odio depositi, ut scribit *Plin.* 24, 17, 102. Certe ex ea re nomen sortita est, nempe ab *ἀναχάμπτω*, redeo, revertor, et *ἔρως*, amor.

ANACĔPHĂLAEOSIS, is, f. *ἀνακεφαλαίωσις*, brevis repetitio eorum, quae in oratione sparsim et fuse dicta sunt: ab *ἀνά*, rursum, et *κεφαλή*, caput. *Quint.* 6, 1. vocat partem perorationis. Est autem Graeca vox, Graece usurpanda [*et scribenda.]

ANĂCES, um, m. plur. *ἄνακες*, epitheton est trium Deorum, qui *Διόσκουροι, h. e.* Jovis filii sunt. *Cic. N. D.* 3, 21. *Διόσκουροι*, etiam apud Grajos multis modis nominantur: primi tres, qui appellantur Anaces Athenis, ex Jove rege antiquissimo et Proserpina nati, Tritopatores, Zagreus, Eubuleus, Dionysus: secundi duo, Jove tertio et Leda, Castor et Pollux: tertii dicuntur a nonnullis Alco, Melampus et Tmolus Atrei filii, qui Pelope natus est. [Ita edidit *Schütz.*, [*et *Orell.*] probante *Creuzero:* quidam legunt *Anactes* pro *Anaces. F.*]

[ĂNACHARSIS, idis, m. *Ἀνάχαρσις*, philosophus Scythes, Solonis temporibus, de quo *Cic. Tusc.* 5, 32. An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere? Illius epistola fertur his verbis: Anacharsis Hannoni salutem. Mihi amictui est Scythicum tegmen, calceamentum solorum callum, cubile terra, pulpamentum fames: lacte, caseo, carne vescor, etc. *Sidon. carm.* 2, 165. Quidquid laudatum est Scythicis Anacharsis in arvis. Adde *Plin.* 7, 56, 57. *in f.* [*qui narrat, ab eo ancoram bidentem inventam esse.]

ĂNACHĪTĒS, ae, m. *ἀναχίτης*, gemma omnium pretiosissima, quam notiore vocabulo adamantem vocamus, dicta, quod vanos metus, animique lymphationes credatur abigere, et adversus venena habere vim antidoti. *Plin.* 37, 4, 15.

ĂNACHORĒSIS, is, vel eos, f. *ἀναχώρησις*, vox Graeca recessum solitudinemque significans. *Sidon. in conc. post. ep.* 9. *l.* 7. Quamvis illum Paulis, Antoniis conferendum sectatae anachoreseos praerogativa comitetur.

ĂNACHORĒTA, ae, m. *ἀναχωρητής*, qui in solitudinem secedit: ab *ἀναχωρέω*, secedo. *Sulp. Sever. Dial.* 1, 18. Laudabo anachoretas, mirabor eremitas, Martinum semper excipiam. *Sidon. carm.* 16, 97. Anachoreta tremit, qui quamquam frigora portet, etc. Perperam *Sidon.* primam producit, tertiam corripit. ℙ Ex eodem *Sulpic. l. c. c.* 15, 16. *et seq.* satis colligitur hoc esse discrimen inter *Anachoretas*, et *Eremitas*, quod *Eremitae* in solitudinibus certa tabernacula habebant, et casas, quibus carebant *Anachoretae*, vagi per deserta habitantes. ℙ Scribitur et *Anachorita*, sed minus recte: nam Graecum *η* in *e* Latinum fere transit.

ĂNACHYLIS, is, f. *ἀναχυλίς*, herba eadem quae consolida, et inula rustica: ita dicta, quia commanducata succum salivalem provocat: a *χυλός*, succus. *Appul. Herb.* 59.

ĂNACLASIS, is, f. *ἀνάκλασις*, figura est rhetorica sententiarum, cum id, quod ab altero dictum est, non in eam mentem, quae intelligitur, sed in aliam, aut contrariam convertitur. Ita definitur a *Rutil. Lup. fig. sent.* 1. Est autem Graeca vox ab *ἀνακλάω*, refringo, repercutio, et Graece usurpanda. Hanc eandem figuram *Quint.* 9, 3. vocat *antanaclasin*, quam vide suo loco.

[ĂNACLĒTUS, i, m. *ἀνάκλητος*, revocatus. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 498, 6. Quin. Pastor Anacletus. *F.*]

ĂNACLINTĒRĬUM, ii, n. *ἀνακλιντήριον*, pars lecti, qua pulvillus ponitur reclinando capiti, vel potius ipse pulvillus: ab *ἀνακλίνω*, reclino. *Spart. Ael. Vero*, 5. Lectum eminentibus quatuor anaclinteriis fecerat. ℙ Legitur et *anacliterium*, extrito *n.*

ĂNACOELĬASMUS, i, m. *ἀνακοιλιασμός*, medicamentum, quo alvus cietur: Graeca vox a *κοιλία*, venter. Legitur apud *Coel. Aurel. Tard.* 14. *n.* 213.

ĂNACOENŌSIS, *ἀνακοίνωσις*, figura est rhetorica sententiarum, Latine *communicatio*, cum aut ipsos adversarios consulimus, aut cum judicibus deliberamus. Haec habet *Jul. Rufin. fig. sent. et elocut.*

ĂNACOLLĒMA, ătis, n. *ἀνακόλλημα*, cataplasma conglutinans a *κόλλα*, gluten. *Veget. Veter.* 2, 17. Ex oleo roseo, et ovi albo anacollema facies. Scribitur et *anacollīma.*

ĂNACŌLŪTHON, *ἀνακόλουθον*, quasi inconsequens, interdum est figura, interdum vitium orationis, cum non redditur quod superioribus respondeat: ut si in oratione ponatur *μέν*, et non sequatur *δέ*: Ita si ponatur *tot* non praecedente *quot*, aut *tantum* sine *quantum*. *Virg. A.* 2, 331. Millia quot magnis unquam venere Mycaenis. Et *ib.* 3, 541. Sed tamen idem olim curru succedere sueti. In his enim *tot*, et *quamquam* non praemittuntur. Anacoluthon est etiam illud *Plauti*, in quo male invicem verba respondent, *Rud.* 5, 2, 5. Ergo dare ei negatis quicquam. [*His meliora et uberiora reperies ap. *Hermann.* ad *Vig.* p. 894. coll. *Stallb.* ad *Plat. Eutyphr.* p. 30. *Rudim.* II, 298. 398. *Ramshorn.* Gr. Lat. p. 702. sqq.] ℙ Dicitur et anacoluthia, *ἀνακολουθία*, latine *inconsequentia.* Sunt autem ambae Graecae voces, et Graece scribendae: ab *α* privativa, et *ἀκολουθέω*, sequor.

ĂNACREON, ontis, m. *Ἀνακρέων*, Graecus poeta Lyricus ex Teo oppido insulae cognominis in Ionia, [*floruisse dicitur a. ante *Chr.* 559. usque ad a. 474.] a quo Anacreonticum carmen denominatum est: cujus non unum genus enumeratur a Grammaticis. V. ANACREONTEUS. Nobilis est amore in Bathyllum Samium puerum. Ejus autem poesis tota amatoria est, ut *Cic. Tusc.* 4, 33. *ad f.* testatur. Libidinosum valde, et ebriosum fuisse, colligitur ex *Senec. ep.* 88. Mortuus est autem acino uvae passae strangulatus, ut *Plin.* 7, 7, 5. et *Val. Max.* 9, 12. *ext. n.* 8. narrant. *Hor. Od.* 4, 9, 9. Nec si quid olim lusit Anacreon, Delevit aetas. *Id. Epod.* 14, 9. Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo Anacreonta Teium. [*Cf. *Groddeck. hist. Gr. litt.* p. 60. sq. et quos laudat.]

ĂNACREONTEUS, *Ἀνακρεόντειος*, et Anacreontius, *Ἀνακρεόντιος*, et Anacreonticus, a, um, adj. ad Anacreontem pertinens, ut *Anacreonteum metrum* ap. *Diomed.* 1. p. 512., quod *Anacreontium* dicitur a *Serv.* in *Centimetr.* p. 1818. Sic *Anacreontion colon* apud *Quint.* 9, 4., quo loco est qui legit *Anacreonticon. Fulgent. Myth.* 1. Anacreontica sacra.

ANACTES. V. ANACES.

ĂNACTORĬA, ae, f. nunc *Vonizza*, Graece *Ἀνακτόρεια* et *Ἀνακτορία*, urbs Epiri ad sinum Ambracium ab Actio XL. stad. introrsus recedens. *Plin.* 4, 1, 1. ℙ *Anactoria* etiam dicta est quondam Miletus Ioniae urbs, ab Anactore, seu Anacte rege. *Id.* 5, 29, 31.

ĂNACTORĬUM, ii, n. *ἀνακτόριον*, herba quae et gladiolus [*Schwertel] dicitur, *Appul. Herb.* 78. ℙ Ita etiam appellatur ea, quam artemisiam vocant. *Id. ib.* 10. [*Beyfuss] ℙ Ita autem appellantur quasi *regiae:* nam *ἀνακτόριος* regium significat, ab *ἄναξ*, rex. ℙ Item oppidum Acarnaniae, cujus meminit *Pl. Poen. prol.* 87. et 93.

ĂNACTORĬUS, a, um, adj. ad Anactoriam pertinens. *Sil.* 15, 299. Nunc et anactoria signa ostentavit in ora, Ambraciosque sinus, etc.

ĂNADĒMA, ătis, n. ornamentum capitis, mitrae, vel coronae, aut fasciae simile, quo caput redimitur, *ἀνάδημα:* ab *ἀναδέω*, redimio, corono. *Lucr* 4, 1122. Et bene parta patrum fiunt anademata mitrae, *h. e.* patrimonia relicta a patribus insumuntur in corollas, mitras, fascias, et hujusmodi luxus ornamenta. Adde *Paul. Dig.* 34, 2, 27., ubi docet mitras, et anademata licet corpus tegant, tamen ornamentorum, non vestis esse.

ĂNADENDROMALACHE, *ἀναδενδρομαλάχη*, herba, *hibiscus* [*Eybisch] Latine dicta. Ita vocatur a *Galeno*, quasi arborescens malva: a *δένδρον*, arbor, et *μαλάχη*, malva. *Appul. Herb.* 38.

ĂNADESMUS, i, m. *ἀναδεσμός*, ligamen. *Theod. Prisc.* 3, 1. Levi anadesmo aliquid continere.

ĂNADĬPLOSIS, *ἀναδίπλωσις*, figura rhetorica verborum, Latine *conduplicatio*, cum idem verbum in eadem periodo geminatur: ab *ἀναδιπλόω*, reduplico, a *διπλόος*, duplus. *Capell.* 5. p. 175. V. CONDUPLICATIO. ℙ Apud *Sidon. ep.* 8, 11. dicuntur versus *per anadiplosim sine principiisque connexi*, in quibus ultimum verbum prioris initium est posterioris, ut in illo *Virg. A.* 10, 18. sequitur pulcherrimus Astur, Astur equo fidens. *Auson.* quoque in *Tecnopaegn.* plures hujusmodi versus composuit. Hanc anadiplosim agnoscit etiam *Charis.* 4. p. 250.

ĂNADYŎMĒNĒ, es, *Ἀναδυομένη*, hoc est emergens, sursum exsistens: ab *ἀναδύω*, emergo, prodeo. Ita vocata est Venus e mari exiens, ab Apelle picta, et ab Augusto dicata in delubro patris Caesaris; cujus inferiorem partem corruptam qui reficeret, nemo repertus est, inquit *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 12. Significatur ab *Ov. A. A.* 3, 223. nobile signum, Nuda Venus madidas exprimit imbre comas. Adde *Pont.* 4, 1, 30. [*Antip. Sidon.* in *Anthol. Gr. l.* 4. *Τὴν Ἀναδυομένην ἀπὸ μητέρος ἄρτι θαλάσσας Κύπριν. F.*]

*ANAETIA, ae, regio Armeniae, quae ab Euphrate alluitur. *Plin.* 5, 24. *init.* ed. Elzev. In ed. Hard. est Anaiticam. V. Anaiticus. *B. A.*

*ANAGALLICUM aliquoties legitur apud *Veget. Veterin.*, sed nemo quid sit, explicat. *Ali Gallici* nomen substituit semel *Rhodius* ad *Scribon. Larg. comp.* 83. *Allii Gallici* conjicit *Morgagn. ep.* 4, 38. V. *Gesneri* Lexicon Rusticum (in fine ed. suae Scrr. R. R.) *B. A.*

ĂNAGALLIS, ĭdis, f. *ἀναγαλλίς*, herba, quae et chorchoron [*Gauchheil] appellatur, in hortis, et aquosis locis nascens frutice tenero, foliis pusillis, rotundis, in terra jacentibus. Est autem duplicis generis, mas flore phoeniceo, femina caeruleo. Ita describitur a *Plin.* 25, 13, 92., ubi recenset etiam varios ejus usus in medicina.

ĂNAGLYPHA. V. ANAGLYPTA.

ĂNAGLYPHĀRĬUS, ii, m. *ἀναγλύπτης*, qui anaglypta opera facit. V. v. seq. Legitur apud veterem Juven. Schol. ad sat. 9. v. 145. qui auctoritatis incertae est.

ĂNAGLYPTA, orum, n. plur. *opere a basso rilievo*, (en bas relief,) *ἀνάγλυπτα*, vasa, pocula, aut alia hujusmodi opera sculpta caelatura exstante, qualia aspera signis appellat *Virg. A.* 5, 267., et describit *Ecl.* 3, 37. sq.: ab *ἀναγλύφω*, sculpo: *ἀνὰ* autem in compositione saepe significat *sursum. Plin.* 33, 11, 49. Nunc anaglypta, in asperitatemque excisa, circa linearum picturas quaerimus. *Martial.* 4, 39. Nec mensis anaglypta de paternis. ℙ Adjective. *Inscr.* ap. *Grut.* 174, 7. Legavit trullam argenteam anaglyptam, Lares argenteos septem, etc. ℙ In *Plin. l. c.* legunt alii *anaglypha*, quod idem est; Graece enim *ἀνάγλυφος*, et *ἀνάγλυπτος* idem sonant, et ejusdem originis sunt.

ĂNAGLYPTĀRĬUS, a, um, adject. ad anaglypta pertinens, ut Anaglyptarius caelator. *Inscr.* ap. *Murat.* 981, 9.

ĂNAGLYPTĬCUS, a, um, adj. *ἀναγλυπτικός*, exstanti caelatura sculptus. *Sidon. ep.* 9, 13. *in carm.* Geruli caput plicantes Anaglyptico metallo Epulas superbiores Humeris ferant onustis, *h. e.* vasis anaglyptis ex metallo. V. ANAGLYPTA.

ĂNAGNĪA, ae, f. nunc *Anagni*, urbs Latii in monte, caput Hernicorum a Roma XXXVII. M. P. Ferentinum versus V., Soram vero XV, a Praeneste XIV. *Virg. A.* 7, 684. Hernica saxa colunt, quos dives Anagnia pascis. *Servius* notat divitem ideo dici, quia fertilem circa habet agrum, vel quia ibi Antonius postquam Cleopatram duxerat, nummos cudi jussit. [*Cf. *Liv.* 45, 16. *Plin.* 34, 6, 11.]

ĂNAGNĪNUS, a, um, adj. ad Anagniam pertinens. *Cic. Dom.* 30. Municipes Anagnini. *Inscr.* ap. *Murat.* 1023. S. P. Q. Anagninus. ℙ *Anagnini, orum*, Anagniae incolae, aut cives. *Cic. Phil.* 2, 41. *Plin.* 3, 5, 9. ℙ [*Anagninum sc. praedium. *Cic. Att.* 12, 1. *coll. ib.* 15, 26.]

ĂNAGNORIZŌMĒNĒ, *ἀναγνωριζομένη*, quae agnita est, cum prius quibus parentibus, et qua conditione esset, ignoraretur. Ita inscripta fuit una ex Comoediis *Statii Caecilii*, et citatur a *Festo* in *Summussi.*

ĂNAGNOSTĒS, ae, m. *ἀναγνώστης*, lector: ab *ἀναγινώσκω*, lego. Anagnostae dicti sunt servi, quos eruditi homines, et elegantioris cultus studiosi habere solebant, ut inter coenandum, aut cum libuisset, legerent doctorum hominum poemata, syntagmata, historias pascendi ingenii gratia: quos *Suet. Aug.* 78. et *Plin. ep.* 3, 5. et 8, 1. Latino vocabulo *lectorem* appellant. *Cic. Att.* 1, 12. *ad f.* Puer festivus, anagnostes noster Sositheus decesserat, meque plus, quam servi mors debere videbatur, commoverat. *Nep. Att.* 13. In familia erant pueri litteratissimi, anagnostae optimi, et plurimi librarii. Et *ib.* 14. Nemo in convivio ejus aliud *ἀκρόαμα* audivit, quam anagnostem. V. *Gell.* 3, 19., ubi habes exemplum de anagnosta coenis adhibito. Ideo autem Graecis hisce vocabulis Latini utebantur, quia eorum servi plerumque Graeci generis erant. ℙ Etiam in theatris anagnostae publice olim legebant, poetas praesertim, ut est apud *Gell.* 18, 5.

ĂNĀGOGĒ, es, f. *ἀναγωγή*, subvectio, elatio: ab *ἀνάγω*, sustollo, erigo. Est hoc nomine rhetoricum schema, quo sensus aliquorum verborum ad altiora tollitur: qui proinde *Anagogicus* sensus, *ἀναγωγικός*, dicitur, ut cum, verbi gratia, quae de urbe Hierusalem in S. Scriptura traduntur, ad caelestem aeternamque gloriam transferimus. Utraque vox Graeca est, adhibeturque ab Hieronymo in *Ezech.* plus semel, et in *Isaj.* 1, 1. 3. Bos juxta anagogen refertur ad Israel. ℙ Apud medicos *anagoge* est fluor sanguinis ab inferioribus partibus, ut pulmone, vel stomacho ascendentis ad os: nausea, vel tussicula exclusus. *Coel. Aur. Tard.* 2, 9.

ĂNAGRAMMĂ, ătis, n. *ἀνάγραμμα*, et Anagrammatismus, i, *ἀναγραμματισμός*, transmutatio, vel transpositio litterarum, ut *Laudator, adulator; Galenus, angelus.* Utraque vox Graeca est, et Graece usurpanda. Praeterea anagrammatum inventio (ut inquit *Morhof. in Polyhist.* 1, 3, 6.) nescio quid plebeji et jejuni habet; nec sane decet multum elegantes poetas, qui ad antiquitatis genium scribere contendunt.

ANAGRAMMATISMUS. V. v. praec.

*ANAGRĂPHE, es, *ἀναγραφή*, perscriptio *Ulp. Dig.* 42, 5, 15. ubi anagraphen vocat, quod alibi inventarium et repertorium et synopsin appellat. *B. A.*

ĂNĀGYROS, i, f. *ἀνάγυρος*, herba fruticosa est, quam aliqui acopon vocant, gravis odore, flore oleris, semenque gignit in corniculis non brevibus,

simile renibus, quod durescit per messes. *Plin.* 27, 4, 13. [*n. *Stinkbaum*, *Baumbohne.* Anagyris foetida, *Linn.*]

[ĂNAĪTĪCUS, a, um, adj. ad Anaitin pertinens. Anaitica regio apud *Plin.* 5, 24, 20. Euphrates fluit Derxenem primum, mox Anaiticam Armeniae regiones a Cappadocia excludens. ℙ Anaiticus lacus *ib.* 16, 36, 64. Calami probatiores Gnidii, et qui in Asia circa Anaiticum lacum nascuntur. *F.*]

[ĂNAĪTIS, ĭdis, f. Ita appellata Dea est apud Armenios, qui olim, ut ceteri orientales populi, a dextra in sinistram partem legebant vocem *Diana;* observandum praeterea est ab ipsis etiam nunc litteram, quae Latine D, pronunciari ut T. Cum itaque vox *Diana* nihil aliud significet, quam Deam aliquam, mirum non est, ipsos tum Dianam, tum Venerem eodem nomine appellasse, et in illius templo, teste *Strab. l.* 11. *ad f.* virgines publice prostitui solitas, antequam matrimonium inirent. [*cf. *Klopferi lex. myth.* p. 191.] *Plin.* 33, 4, 24. Aurea statua prima omnium nulla inanitate in templo Anaitidis posita dicitur, numine gentibus illis sacratissimo: direpta est Antonii Parthicis rebus.

ĂNĂLECTĂ, orum, n. plur. *ἀπάλεκτα*, purgamenta coenarum, et quisquiliae ciborum, quae sub mensam cadunt, ita dictae a colligendo, quia post coenam everruntur et colliguntur: ab *ἀναλέγω*, colligo. *Martial.* 7, 20. Colligere longa turpe nec pudet dextra Analecta, quidquid et canes reliquerunt. *Id.* 14, 82. In pretio scopas testatur palma fuisse: Sed pretium scopis nunc analecta dabunt, *h. e.* scopae e palma factae semper in pretio fuerunt, sed nunc, hoc est tempore Saturnalium (eo enim tempore apophoreta dabantur, de quibus toto eo libro agit *Mart.*) majore in pretio erunt propter analecta, quia nimirum crebra passim convivia fient; atque adeo multae adhibebuntur scopae ad eorum purgamenta everrenda. Al. leg. *Otia sed scopis nunc analecta dabunt.* ℙ Sunt qui putant non *analecta*, *orum* accipiendum esse, sed *analecta*, *ae*, m. 1. *ὁ ἀναλέκτης*, hoc est servus, qui purgandis pavimentis, et a sordibus extergendis operam dat. Itaque apud *Martial.* leg. ex optimis quibusd. codicib. primum quidem: *Colligere longa turpe nec putat dextra*, *Analecta*, *quidquid et canes reliquerunt*, *h. e.* quidquid servus colligens, et canes reliquerunt. Alterum vero sic: *Otia sed scopis nunc analecta dabit*, *h. e.* servus analecta non utetur scopis: alludendo ad ea pavimenta, quae ita erant delicato opere elaborata, ut scopis everri non deberent, sed vel spongia, vel peniculo molliori, ne corrumperentur: vel ad ea, de quibus *Plin.* loquitur 36, 25, 60., a quodam Soso inventa, et *Asarota* appellata, in quibus purgamenta coenae, quaeque everri solent, veluti relicta, facta erant parvis e testulis, tinctisque in varios colores: atque adeo scopis auferri nullo modo poterant.

ĂNĂLECTĂ, ae, m. *ἀναλέκτης*, servus mediastinus, qui reliquias et purgamenta coenarum humi inter coenandum projecta colligit: ab *ἀναλέγω*, colligo. V. v. praec. Apud *Senec. ep.* 27. quidam Calvisius Sabinus praedives opinionem eruditionis affectabat: idem tamen nullius ingenii, aut memoriae erat. Itaque subsidio sibi pararat servos, qui poetas multos edidicerant, et quaerenti versus ex tempore suggerebant; quos ille tam male reddebat, ut in medio versu saepe excideret. Satellius Quadratus, qui diviti supparasitabatur, et homini tardo ineptoque illudebat, suasit, *ut Grammaticos haberet analectas*, *h. e.* qui ea verba, quae ipsi recitanti excidebant, colligerent, quemadmodum servi analectae colligebant ea, quae convivis excidebant, Ita *Turneb. l.* 24. *c.* 33. et *Lips.*

[ĂNĂLECTĂRĬUS, ii, m. qui analecta colligit, scoparius. *Inscr.* ap. *Murat.* 77, 3. Genio sancto castrorum Peregrinorum Aur. Alexander analigearius (lege *analectarius*), quod peregre restitutus (legendum fortasse *constitutus*) vovit, aedilis castrorum libens solvit. *Petr. Fr. Trag.* 34. *Burm.* Insecutus est lecticarius (lege *analectarius*) argentumque inter reliqua purgamenta scopis coepit verrere. *Burm.* ad hunc locum adnotat: Si *analectarius* in usu esset, id libenter amplecterer; nam de analectis agi manifestum est.

ĂNĂLECTĬDES, um, f. *ἀναλέκτιδες*, dicuntur quibus e xylino lino, vel quavis materia puellae tanquam pulvinulis constipant scapulas prominentes, ut videri pleniores possint. *Ov. A. A.* 3, 273. Conveniunt tenues scapulis analectides altis. *Heinsius* multiplicem hujus loci lectionem recenset, et praefert illam, quae habet *analectrides* eodem prorsus, quo dictum est, sensu. Nam *λέκτρον* Graece significat lectulum, et *analectrides* possunt accipi pro lectuli pulvillis. *Jos. Scal. in Conj. ad Varr.* p. 60. legit *omaletides*, *ὁμαλήτιδες*, quod humeros nimirum aequos, et *ὁμαλοὺς*, reddebant. *Turneb. l.* 4. *c.* 23. ometides, *h. e.* humerales fascias: ab *ὦμος*, humerus. Alii denique alia.

ĂNĂLEMMĂ, ătis, n. *ἀνάλημμα*, Graece etiam structuram sive suggestum significat, ut *Hesych.* et *Suid.* exponunt. *Vitruv.* 9, 4. hoc vocabulo improprie usum fuisse, recte admonuit *Salm. Exerc. Pl.* p. 520. Itaque analemma proprie est substructio, sive suggestus lapideus quadratus, aut rotundus, in quo horologium sciothericum ponebatur. *Vitr. l. c.* Umbrarum aequinoctialium magnitudinibus designantur analemmatorum formae, ex quibus perficiuntur, ad rationem locorum, et umbrae gnomonum, horarum descriptiones. Analemma est ratio conquisita solis cursu, et umbrae crescentis a bruma observatione inventa, e qua per rationes architectonicas circinique descriptiones est inventus effectus in mundo.

ĂNĂLĬMŌTĪCUS, a, um, famem arcens, a *λιμὸς*, fames, ut *analimotici cibi* ap. *Theod. Prisc.* 2, 24. seu *l.* 2. *par.* 2. *c.* 11., ubi alii legunt *aneleptici*, h. e. non uncti, non pingues: ab *α* privativa, et *ἀλείφω*, ungo.

ĂNĂLOGĬA, ae, f. *ἀναλογία*, proportio, convenientia, similitudo. Itaque *Vitr.* 3, 1. eam proportionem, ex qua symmetria partium in architectura nascitur, *ἀναλογίαν* Graece dici affirmat. *Varr. L. L.* 8, 4. Corrigere lectos impares ad consuetudinem communem et ad aliorum tricliniorum analogias. Adde *Cic. Univ.* 4. *ad f.* ℙ Speciatim analogia est, ut definit *Varr. L. L.* 9, 4., similis similium declinatio, hoc est, dicitur de proportione et similitudine, quam habent inter se verba, ex qua earum declinatio, aut genus, aut conjugatio dignoscitur; verbi gratia, ex eo quod *amor* in genitivo facit *amoris*, recte colligitur, etiam *torpor* similiter facere; ex eo quod *funiculus* est masculini generis, cognoscitur etiam *funis* ejusdem generis esse; ex eo quod *prandeo*, *pendeo*, *spondeo* faciunt in infinito *prandēre*, *pendēre* etc., intelligitur etiam *ferveo* similem in infinitivo habere positionem. *Cic.* Graece usurpat *Att.* 6, 2. Sed me *ἀναλογία* deceperat *Φλιοῦς*, *Ὀποῦς*, *Σιπoῦς*, quod *Ὀπούντιοι*, *Σιπούντιοι* etc. Latine *Quint.* 1, 6. Omnia tamen haec exigunt acre judicium: analogia praecipue, quam proxime ex Graeco transferentes in Latinum, proportionem vocaverunt. Ejus haec vis est, ut id quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quaeritur, referat, ut incerta certis probet. Et *ib.* Analogia dictum aliquid tueri. *Id. ib.* 5. Analogiam sequi. ℙ Dicitur etiam de aliis rebus, quae sibi aliqua proportione respondent. *Sen. ep.* 120. Hoc verbum cum Latini Grammatici civitate donaverint, ego damnandum non puto, nec in civitatem suam redigendum. Utar ergo illo, non tanquam recepto, sed tanquam usitato: quae sit haec analogia, dicam. Noveramus corporis sanitatem; ex hac cogitamus esse aliquam et animi: noveramus corporis vires: ex his collegimus esse et animi robur.

ĂNĂLŌGĬCUS, a, um, adj. *ἀναλογικὸς*, ad analogiam pertinens. *Gell.* 4, 16. C. Caesar in libris analogicis.

ĂNĂLŌGUS, a, um, adj. proportionem habens et similitudinem, *ἀνάλογος*. *Varr. L. L.* 9, 3. Ex eodem genere quae res inter se aliqua parte dissimiles rationem habent aliquam, si ad eas duas alterae res duae collatae sunt, quae rationem habeant eandem, quod ea verba bina habent eundem *λόγον*, dicitur utrumque separatim analogon, simul collata quatuor analoga. *Id. ib.* 7, 16. Analogi grabati, *h. e.* simili forma facti.

*ĂNALPHABĒTUS, a, um, *ἀναλφάβητος*, qui ne elementarias quidem litteras novit. *Fulgent. Myth.* 1, 3. Abecedarium vocat. *B. A.*

[ANAMIS vel Andanis, fluvius Caramaniae in Asia. *Plin.* 6, 23, 27.]

[ĂNAMNĒSTUS, i, m. *ἀνάμνηστος*, in mentem revocatus. Cognomen Romanum. *Inscr.* in *Anthol. Rom. T.* 10. p. 91. L. Geminius Anamnestus. *F.*]

ĂNĂNCAEUM, et Graece Anancaeon, i, *ἀναγκαῖον*, genus grandioris poculi, quod necessario hauriendum erat ab iis, qui in bibendi certamine se provocabant: ab *ἀναγκαῖος*, necessarius. Ita quidam exponunt. *Turn. l.* 21. *c.* 12. observat, *ἀνάγκη* apud *Hesych.* esse urnam judicialem, ex quo putat *anancaeum* dictum, quod urnae judicialis magnitudinem aequaret. *Casaub.* in *Athen. l.* 2. *c.* 3. notat veterem quendam Graecum poetam appellare *ἀνάγκαν γλυκεῖαν* turbationem mentis, quae ex nimio potu evenit, *h. e.* dulcem delirandi necessitatem: hinc fortasse tale poculum anancaeum dici potuisse, quod hanc necessitatem inducat. *Varr.* ap. *Non.* 15, 36. Ad Sybaritanam praedam, in qua sunt tripodes, craterae, anancaea populo nobilium Tarentinarum. Al. leg. *anancaea pocula nobilium* etc. *Pl. Rud.* 2, 3, 31. Ubi est leno Labrax? *Am.* perit potando, opinor. Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitavit. *Tr.* Credo hercle, anancaeo datum quod biberet. *Casaub. l. c.* scribit alludere *Plautum* ad sorbitionem cicutae necessariam et fatalem sontibus in Graeciae aliquot urbibus: vel ad haustum illum e flumine Lethaeo, qui nemini mortalium non est necessarius. Alii aliter et legunt et interpretantur.

ĂNĂNCHĪTIS, ĭdis, f. *ἀναγχῖτις*, gemma, qua in hydromantia dicunt evocari imagines Deorum. *Plin.* 37, 11, 73., ubi alii leg. *anancitis*, ut sit ab *ἀνάγκη*, necessitas: *Salm.* in *Solin.* leg. *anagogitis*, ut sit ab *ἀνάγω*, sursum duco, abduco. Adde *Isid. Orig.* 16, 14.

ĂNĂNTĂPŌDŌTON, *ἀνανταπόδοτον*, schema, cum oratio aliquo membro, aut verbo, quod subaudiri oporteat, destituitur. Vox Graeca et Graece usurpanda. V. APODOSIS.

*ĂNAON, onis, portus Liguriae. *Anton. Itin. B. A.*

ĂNĂPAESTĪCUS, a, um, adj. ut *Anapaesticum carmen*, quod anapaestis constat. *Cic. Tusc.* 3, 24. Nec siletur illud potentissimi regis anapaesticum, sc. carmen. *Sidon. ep.* 4, 3. Anapaesticae juncturae. ℙ *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 8, 78. hemistichium illud, *Veneris*, *dic*, *vincula necto*, ait esse anapaesticum trimetrum hypercatalecticum: hujusmodi autem versus esse Cupidini consecratos.

ĂNĂPAESTUM, i, n. *ἀνάπαιστον*, versus constans pedibus iis, qui anapaesti vocantur. Est autem adjectiva vox, et subintelligitur *carmen*. *Cic. Or.* 56. Elegit ex multis Isocratis libris triginta fortasse versus Hieronymus, plerosque senarios, sed etiam anapaesta. *Gell. praef. ad f.* Mutuabor ex Aristophanis choro anapaesta pauca.

ĂNĂPAESTUS, i, m. *ἀνάπαιστος*, pes poeticus constans duabus syllabis brevibus et tertia longa, ut *sapiens*, *legeres:* ideoque *ἀντιδάκτυλος* vocari solet, quia dactylo est quidem temporibus par, sed contrarius tamen et retroactus, ut *Quint.* 9, 4. loquitur. Hinc etiam nomen est sortitus, nempe ab *ἀναπαίειν τῷ δακτύλῳ*, quod repercutiat quodammodo dactylum. Est autem haec vox revera adjectivum, et subintelligitur *pes*, quando absolute ponitur. *Cic. Tusc.* 2, 16. Nec adhibetur ulla sine anapaestis pedibus hortatio. *Id. Or.* 3, 47. Quare primum ad heroum nos dactyli et anapaesti et spondei pedem invitat. ℙ Pro versu, qui ex anapaestis constet. *Cic. Or.* 56. Ita factus est anapaestus is, qui Aristophaneus nominatur.

[ĂNĂPAUMĂ, ae, f. *ἀνάπαυμα*, quies. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 6. *n.* 38. Sallustia D. L. Anapauma. *F.*]

ĂNĂPAUŌMĒNOS, *ἀναπαυόμενος*, Graeca vox, quae cessantem, desinentem, aut requiescentem significat. *Anapauomenos* dicta est Protogenis tabula, in qua fecerat Satyrum tibias tenentem et columnae innixum tanquam otiosum. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. ℙ Alia ab Aristide Thebano, in qua Biblidem pinxerat ex amore fratris Cauni vita functam, *Anapauomene* dicta est, *ἀναπαυομένη τοῦ βίου*. *Id. ib.* ℙ Denique *Anapauomenos*, *h. e.* cessans, dictus est fons Jovis in Dodone a meridie semper increscens usque ad medium noctis, ab eo sensim deficiens in tantum, ut meridie omnino fluere desinat. *Id.* 2, 103, 106.

ĂNĂPHĒ, es, f. *Ἀνάφη*, nunc *Nanfio*, insula maris Cretici sponte enata, teste *Plin.* 2, 87, 89. et *Ov. Met.* 7, 461. ℙ [Est quoque cognomen Romanum ab *α* privativa et *ἁφή*, tactus, *h. e.* intacta. *Inscr.* ap. *Grut.* 966, 1. Caesia Anaphe. *F.*]

ĂNĂPHŌNĒSIS, is, f. *ἀναφώνησις*, apud medicos est exercitatio vocis, quae arte fit ad eam tuendam et conservandam. Graeca dictio a *φωνὴ*, vox, quae legitur apud *Coel. Aur. Tard.* 1, 1. et 5.

ĂNĂPHŌRĂ, ae, f. *ἀναφορὰ*, emersio, in altum subvectio: ab *ἀναφέρω*, sustollo, sublevo. Ab astronomis *anaphorae* dicuntur ascensiones signorum, quae fiunt ab oriente circumactu quotidiano mundi. *Plin.* 7, 49, 50., *Firm. Math.* 3, 3. ℙ Est etiam schema sermonis, Latine repetitio, qua eadem dictio in principio versuum, aut commatum repetitur, ut illud *Virg. A.* 1, 665. Nate meae vires, mea magna potentia solus Nate, patris summi etc., et *Cic. Verr.* 2, 2, 10. Verres calumniatores apponebat, Verres adesse jubebat, Verres cognoscebat, Verres judicabat. ℙ Haec eadem dicitur etiam *Epanaphora*, *ἐπαναφορὰ* ap. *Capell.* 5, p. 175. ab *ἐπὶ*, super et *ἀναφέρω*, refero, repeto. ℙ Denique *anaphora* dicitur a *Diomed.* 2. p. 440. cum allocutio non convenienter respondens, aliud refert occulte, ut ap. *Sall.* (*Cat.* 17. *extr.*) Sed antea item conjuravere pauci, in quibus Catilina: de qua quam brevissime potero dicam, *h. e.* de qua conjuratione. Ita *Diomed.*

ĂNĂPHŌRĬCUS, a, um, adj. *ἀναφορικός*. Apud *Firm. Math.* 3, 13. dicuntur anaphorici, qui cruenta, seu vitiosa sputa rejiciunt, malaque tussi laborant: ab *ἀναφέρω*, rejicio, emitto. ℙ *Anaphorica horologia.* V. ANAPORICUS.

ĂNĂPHYSĒMĂ, ătis, n. *ἀναφύσημα*, efflatus, vel evaporatio: ab *ἀναφυσάω*, efflo. *Appul. de Mundo* p. 62, 31. Anaphysemata Graeci vocant eos spiritus, qui de profundo vel hiatibus terrae explosi ad superna aeris solent evadere.

ĂNĂPIS et Amphinomus fratres Siculi ex Catania urbe fuere, quorum alter patrem, alter matrem ex Aetnae incendiis, mirabili constantia per medium ignem vadentes, et suis humeris exportantes, feliciter eripuerunt; quos flammae inviolatos, tanquam et ipsae tantam pietatem admirarentur, reliquerunt: ob quod factum statuae ipsis erectae sunt, divinique paene honores habiti: eorum etiam locus sepulcri *campus piorum* cognominatus est, teste *Solin.* 5. De his et *Sen. Benef.* 3, 37., *Sil.* 14,

197., *Val. Max.* 5, 4. *n.* 4. *ext.* et *Claud. Edyl.* 7, 41. de piis fratribus. Cur non Amphinomo, cur non tibi, fortis Anapi, Aeternum Siculus templa dicavit honos? Hos fratres cernere est in nummis Cataniae, Sex. Pompeji et gentis Herenniae apud *Morell.* in pietatis exemplum propositos. ℙ *Anapis* ab aliis *Anapus* dicitur, ab aliis *Anapius.*

ĂNAPLĒROTĬCUS, a, um, adj. ἀναπληρωτικὸς, replens. *Veget. Veter.* 2, 26. Anapleroticum vulneri medicamentum imponere, *h. e.* quod carnem excrescere faciat et vulnus impleat: ab ἀναπληρόω, impleo.

ĂNAPŌRĬCUS, a, um, adj. ap. *Vitr.* 9, 9. describuntur *horologia anaporica*, quasi retro gradientia, ab ἀνὰ, quod in compositione saepe significat *retro* et πορεύομαι, gradior, quia in his est tympanus, qui retrogrado motu horarum spatia significat. Alii tamen legi volunt *anaphorica*, ἀναφορικὰ, ab ἀναφέρω, sustollo, erigo; quae sane derivatio aptior est: quod in hujusmodi horologii tympano descripta erant signa coelestia quae emersione et ascensione suis temporibus ostendebantur et anaphoras suas faciebant. V. ANAPHORA.

ĂNĂPUS, i, m. *Anapo*, Ἄναπος, fluvius Siciliae, qui oritur apud Bussemam castrum, decurrit per agrum Syracusanum et mari excipitur a Syracusis mille passibus. *Ov. Fast.* 4, 469. Praeterit et Cyanen et fontes lenis Anapi.

*ANARIĂCAE, arum, Hyrcaniae populus ad mare Caspium. *Plin.* 6, 16, 18. coll. *ib.* 13, 15.

ĂNARRHĪNON, ἀνάῤῥινον, herba anagallidi similis, radice nulla, aut perexigua, semine vitulinas nares imitante, unde et nomen habet, nempe a ῥὶν, ῥινὸς, naris. Eadem et *antirrhinon* dicitur *Plin.* 25, 10, 80.

*ANARTI, orum, et Anartes, um, *Caes. B. G.* 6, 25., populus Daciae septemtrionalis, in hod. Transsylvania et Vallachia.

ĂNAS, ănătis, f. νῆττα, avis ex genere amphibiorum, quassagipenna, tremipeda, buxeo rostro, dicta ab assiduitate natandi, ut scribit *Varr. L. L.* 4, 13. Graeci quoque νῆσσαν, vel νῆτταν a νεῖν, hoc est nando appellavere. [*Pompej. gramm. Comm. artis Don. segm.* 20. p. 283. *ed. Lindem.* Anet illa, id est, quasi anicula contremiscit. Unde etiam *anates* ducuntur, quod in frigore semper vivant et tremant: in aqua enim vivunt. *F.*] *Martial.* 13, 52. Tota quidem ponatur anas, sed pectore tantum, Et cervice sapit: cetera redde coquo. *Id.* 3, 93. Et anatis habeas uropygium macrae. *Cic. N. D.* 2, 48. Anatum ova gallinis supponere. *Varr. R. R.* 3, 11. Qui volunt greges anatium habere. Quidam hic quoque leg. *anatum.* ℙ *Anas* praeterea dicitur morbus anuum, seu vetularum, ut *Festus* docet, estque ab *anus*, veluti contractum ab *anitas* (quod non est in usu) ut censet *Voss. in Etym.* ad vocem *Anus.*

ĂNAS, fluvius Hispaniae. *Plin.* 3, 1, 3. V. ANA.

ĂNASSUM, i, m. flumen post Tiliaventum in Forojuliensi tractu, in quod influit Varramus non longe ab Aquileja. *Plin.* 3, 18, 22. Tiliaventum majus minusque, Anassum, in quod Varramus defluit. Alsa, Natiso cum Turro praefluentes Aquilejam coloniam.

ĂNASTĂSIS, is, f. ἀνάστασις, resurrectio: vox Graeca ab ἀνίστημι, resurgo. *Lactant.* 7, 23. De anastasi philosophi quoque dicere aliquid conati sunt. Et *ib.* Anastasin mortuorum futuram esse consentiunt.

ĂNASTĂSĬUS, a, um, adj. ad Anastasium (nom. prop.) pertinens, ut Anastasia lex, ab Fl. Valer. Anastasio R. Imp. lata. *Imp. Just. Cod.* 5. *tit.* 13. *extr.*, ubi al. leg. *Anastasiana.* ℙ [Est etiam cognomen Romanum, ab ἀνάστασις, surrectio. *Inscr.* ap. *Mur.* 801, 9. M. Calventius Anastasius. *F.*]

ĂNASTŌMŌTĬCUS, ἀναστομωτικὸς, aperiens, laxans. V. APERTIVUS.

ĂNASTRŌPHĒ, ēs, f. ἀναστροφὴ, inversio, ab ἀναστρέφω, inverto, praepostero ordine colloco. Dicitur hoc nomine schema verborum, quo inverso ordine verba collocantur, ut *Saxa per et scopulos* et *Qua de re* etc. V. HYPERBATON. Est autem Graeca vox et Graece scribenda. Latine *reversio* dicitur a *Quint.* 8, 6. *post med.*

ĂNĂTĀRĬUS, a, um, adj. νησσαῖος,, ad anatem pertinens. *Anataria aquila* ap. *Plin.* 10, 3, 3. est genus quoddam aquilarum, quod circa lacus et stagna degit, atque anates, ceterasque aquaticas aves venatur: quam venationem *Id. ib.* describit. ℙ *Anatarius* absolute in *Gloss. Vet.* exponitur νηττοφύλαξ, hoc est anatum custos et curator.

[ĂNĂTELLON, ontis, m. ἀνατέλλων, exoriens. Cognomen virile Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 2087, 11. M. Gavio Anatellonti Gavia Fortunata colliberto bene merenti fecit. *F.*]

ĂNĂTHĒMĂ, ătis, n. ἀνάθημα, Diis dicatum donarium. Quamquam haec vox non de omni re Diis consecrata a Graecis usurpatur, sed de illis tantum, quae suspendi aut collocari in excelso, et in conspectu statui poterant, ut templo ornamento essent. Unde et *Hesych.* ἀνάθημα, κόσμημα interpretatur. Est autem Graeca vox ab ἀνατίθημι, sursum pono, in altum colloco. *Prudent.* Latine usus est *Psychom.* 540. Dum vetitis insigne legens anathema favillis, Moesta ruinarum spolia insatiabilis haurit. ℙ At *anathēma, atis*, n. ἀνάθεμα ab eodem verbo ἀνατίθημι, qua significat removere, reponere, separare, est idem ac res exsecrabilis et dimovenda ac projicienda. Hinc apud Ecclesiasticos scriptores usurpatur pro separatione Christiani hominis a communione et consuetudine Christifidelium. *August. ep.* 75. Anathematis injuriam perpeti. Et *ib.* Anathematis sententia ferire. Et *ib.* Anathemate obligatus. *Ib.* Anathemate aliquem plectere. ℙ Ipse homo ita audit ap. *Tertull. adv. Haer.* 6. Dicere aliquem anathema.

[ĂNĂTHĒMĂTĪZĀTUS, a, um, part. v. *anathematizo*, ἀναθεματιζόμενος. In *Not. Tir.* p. 180. Anathematizatus. In 1.ª edit. legitur *anatematizarinata*, in 2.ª *anatematiarmata*, sed utrobique male. *F.*]

ĂNĂTHĒMĂTIZO, as, a. ἀναθεματίζω, anathematis sententia ferio, a communione Fidelium separo. *August. ep.* 75. Anathematizare filium pro peccato patris. Et *ib.* Tota domus ista anathematizata est. ℙ Aliquando generatim ponitur pro rejicere, detestari. *Hieron. ep.* 75. Si errasse non dicerem eum, et haec quotidie non anathematizarem, essem erroris illius socius. ℙ *Salm. in notis ad Tertull. de Pall. p. m.* 181. testatur in veter. quibusd. MSS. et Gloss. editis legi *anathemare* et *anathematus:* quod non est imitandum: tametsi etiam ap. *August. serm.* 164. *de Temp.* 3. et *ep.* 95. *ante et post med.*

ĂNĂTHYMĬĀSIS, is, f. ἀναθυμίασις, hoc est vapor, exhalatio, halitus. A medicis accipitur pro flatu, aut vapore, qui in stomacho, seu ventre ex cibis gignitur. *Petr. fr. Trag.* 47. *Burm.* Anathymiasis si in cerebrum it, in toto corpore fluctum facit. *Theod. Prisc. part.* 2, 2, 1. Quibus ex anathymiasi caput fuerit inquietatum.

ĂNĂTĬCŬLA, ae, f. νησσάριον, νήττιον, parva anas, et generatim quaecumque avis aquatica minor anate. *Cic. Fin.* 5, 15. Serpere anguiculos, nare anaticulas, evolare merulas. ℙ Usurpatur in deliciis amantium. *Pl. Asin.* 3, 3, 103. Dic igitur me anaticulam, columbam, vel catellum.

*ANATILIA, ae, oppidum in Gallia Narbon., h. *Saint Gilles*; ejus incolae sunt

ANATILII, orum, m. plur. populi regionis Galliae Narbonensis inter Arelatem, et Nemausum: quo loco S. Aegidius ex Graecia adveniens solitariam vitam duxit. *Plin.* 3, 4, 5.

ĂNĂTĪNUS, a, um, adj. νησσαῖος, ad anatem pertinens, seu qui est ex anate. *Pl. Rud.* 2, 6, 49. Utinam fortuna nunc anatina uterer, uti cum exivissem ex aqua, arerem tamen. Est qui legit *anthracina*, hoc est carbonum: nam ἄνθραξ Graece carbonem significat; carbones autem madefacti cito arescunt. Verum prior lectio longe praeferenda est. ℙ *Anatina, ae*, est caro anatis. *Petr. fr. Trag.* 56. *Burm.* Medici mihi jubent saepe anatinam parari. [*Fr. Oriolius* in *Opusc. Letter. Bologn. T.* 1. p. 114. probabiliter conjectat, hic Trimalchionem, qui saepe viderat solemne illud medicorum *ana*, quo utuntur in describendis remediorum compositionibus, ridicule putasse *anatem* indicari, cum nempe ignoraret illud significare partes aequales remediorum sumendas esse. V. ANA. *F.*]

*ANĂTIS, is, fluvius Mauritaniae Tingitanae. *Plin.* 5, 1. *B. A.*

ĂNĂTŌCISMUS, i, m. ἀνατοκισμὸς, anniversaria usurae renovatio: cum scilicet qui non solvit usuram pecuniae fenore acceptae, sequenti anno tenetur solvere usuram tum sortis principalis, tum usurae non solutae, quae et ipsa in sortem ingreditur. Vox Graeca ab ἀνατοκίζω, usuram renovo, quod ab ἀνὰ, et τοκος, usura. *Cic. Att.* 5, 5. *ep.* 21. *a med.* Centesimas observare cum anatocismi anniversario. *Ib.* Nihil impudentius Scaptio, qui centesimis cum anatocismo contentus non esset. *Inscr.* ap. *Grut.* 208. Heredes Patulci Diocletis mulctentur sorte una cum anatocismo binae centesimae usurae propter neglectam religionem sepulcrorum clam dirutorum. Haec inscriptio pertinet ad ann. Chr. 79.

ĂNĂTŌLĒ, ēs, f. ἀνατολὴ, hoc est ortus, oriens. Apud *Hygin. fab.* 183. est nomen unius horarum. ℙ [Est quoque cognomen Romanum. *Inscr.* apud *Maff. Mus. Ver.* 268, 13. Ateia Anatole. *F.*]

ĂNĂTŌMĬA, ae, et Ănătomĭca, ae, *vel Gr.* Ănătomĭcē, es, f. ἀνατομικὴ, ars secandi, et considerandi corpora animalium; et est pars medicinae: ab ἀνατέμνω, seco. Latino vocabulo *incisio* recte dici potest: nam *Celsus* verbo *incidere* hac in re non semel utitur. *Macr. Sat.* 7, 15. Plato dum nec anatomica, quae medicinae propria est, abstinet, risum de se posteris tradidit. *Coel. Aur. Acut.* 1, 8. Per apertionem, quam Graeci anatomiam dicunt.

ĂNĂTŌMĬCUS, a, um, adj. ἀνατομικὸς, ad anatomicam pertinens. *Anatomicus, i*, absolute, (subaudi *medicus*, aut quid simile) est qui in anatomica peritus est. *Macr. Sat.* 7, 13. Libris anatomicorum postea consultis, verum reperi. *Ammian.* 28, 4. *in fin.* Discissarum pecudum exta rimari cum anatomicis. *August. Civ. Dei* 22, 24. Etsi medicorum diligentia crudelis, quos anatomicos appellant, laniavit corpora mortuorum.

ĂNĂTŌNUS, a, um, adj. ἀνάτονος, sursum tendens, vel nimis in altum tendens: vox Graeca ab ἀνὰ, sursum, et τείνω, extendo. Apud *Vitr.* 10, 15. *ad f. anatona capitula* balistarum dicuntur earum supremae partes in nimiam longitudinem protensae: quibus *(ib.)* opponuntur *catatona*, a voce Graeca κατάτονος, deorsum tendens, minus altus.

ĂNĂTRĒSIS, is, f. ἀνάτρησις, hoc est perforatio, Graeca vox ab ἀνατιτράω, perforo, Latinis litteris scripta legitur apud *Coel. Aur. Tard.* 2, 1. *ad f.* ubi *anatresim testae* ponit pro perforatione cranii.

ĂNAUDĬĂ, ae, f. ἀναυδία, privatio vocis, et loquelae: ab *a* privat. et αὐδὴ, vox, sermo. Legitur apud *Coel. Aur. Acut.* 2, 10.

ĂNAURUS, m. Ἄναυρος, nunc *Dimetriada*, fluvius Thessaliae, qui ex Pelio monte in sinum Pagasicum effunditur apud Demetriadem: sic dictus, quod non auram, neque nebulam patiatur. *Vibius Sequester*, et *Lucan.* 6, 370. V. *Turneb. l.* 3. *c.* 2. ubi *Lucan.* ab ignoratione Geographiae defendit.

[ĂNAUSIS, m. Ἄνασις, Albanorum Heniochorumque rex, procus Medeae; hujus vero pater Aeetes Styro Albanorum regi, illo repudiato, filiam despondere maluit, a quo Anausis postea, cum forte se rivali obtulisset, interfectus est. Historiam narrat *Val. Fl.* 6, 44. *F.*]

*ANAXAGORAS, ae, Ἀναξαγόρας, Clazomenius, philosophus et physicus, Anaximenis Milesii discipulus Athenis erudivit in philosophia Periclem et Euripidem. De eo v. *Cic. Or.* 3, 33. *Id. Brut.* 11. *Id. Acad.* 4, 31. 37. *Id. N. D.* 1, 7. *Quint.* 12, 2, 22. *Gell.* 15, 20. *Val. Max.* 5, 10, 3. *ext.* 7, 2, 9. *ext.* 8, 7, 9. *ext. Diog. Laert.* 2, 6. ℙ Plures alii ejusdem nominis fuere, ut Anaxagoras orator, Isocratis discipulus; alius statuarius, alius Grammaticus, quos commemorat *Paus.*

ĂNAXĂGŌRĒUS, a, um, adj. Ἀναξαγόρειος, ad Anaxagoram pertinens. Legitur *Anaxagoreus* ap. *Plin. l.* 1. in Elencho *l.* 2. *n.* 59.

*ANAXANDER, dri, pictor, cujus mentionem facit. *Plin.* 35, 11, 40.

ĂNAXARCHUS, i, m. Ἀναξάρχος, philosophus Abderita, sectator Democriti. Hic habuit inimicum Nicocreontem Cypri tyrannum, a quo comprehensus, conjectusque in pilam saxeam, ibique ferreis malleis contusus, adeo toleranter pertulit asperrimos illos cruciatus, ut verbum illud memorabile conduplicaverit: *Tunde tunde Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis.* Ad ultimum amputationem linguae minitante tyranno, propriis dentibus abscissam linguam in os ejus conspuisse dicitur. Vide *Lucr.* et *Val. Max.* 3, 3. *n.* 4. Hinc *Ov. Ib.* 573. Aut ut Anaxarchus, pila minuaris in alta: Ictaque pro solidis frugibus ossa sonent.

ĂNAXĂRĒTĒ, puella Cypria Salaminia regali stirpe, mira pulcritudine. Hanc Iphis infimae sortis insane amabat. Sed ab illa semper spretus ad ejus fores se suspendit. Puella in lapidem viso cadavere versa est. *Ov. Met.* 14, 699.

[ĂNAXĒNOR, ŏris, m. vir princeps, ab ἄναξ, rex, et ἠνὴρ, Jonice pro ἀνὴρ, vir. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 71. *n.* 53. C. Voltilius C. L. Anaxenor. *F.*]

*ANAXILĂUS, i, m. Ἀναξίλαος, Messenius, qui Messanam in Sicilia condidit, Rheginorum fuit tyrannus. De eo V. *Macr. Sat.* 1, 11. *Justin.* 4, 2. *B. A.*

*ANAXIMANDER, i, Ἀναξίμανδρος, philosophus et physicus, Milesius, primus mappas geographicas et globum terrestrem fecisse dicitur. *Cic. Div.* 1, 50. *Id. N. D.* 1, 10. *Id. Acad.* 4, 37. *Diog. Laert.* 2, 1. Idem horoscopi inventor. *Gell.* 3, 3. ℙ Alius historiarum scriptor fuit, de quo *Diog. L.* 2, 2.

*ANAXIMENES, is, Ἀναξιμένης, philosophus Milesius, Anaximandri discipulus. *Cic. Acad.* 4, 37. *Id. N. D.* 1, 10, 11. *Diog. Laert.* 2, 3. ℙ Alius rhetor fuit, *Quint.* 3, 4, 9.

[ĂNAZARBĒNUS, a, um, adj. *Anazarbeni* sunt incolae Anazarbi, urbis mediterraneae Siciliae ad Pyramum fluv., nunc *Ainzarba*, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 42. ΑΝΑΖΑΡΒΕΩΝ. *Plin.* 5, 27, 22. Anazarbeni, qui nunc Caesaraugustani. Apud *Hard.* legitur perperam fortasse *Caesarea Augusta. F.*]

[ĂNAZĒTĒSIS, is, f. herba eadem, quae Latinis consolida. *Appul. Herb.* 59. *F.*]

ANCAESA et Amcaesa dicta sunt ab antiquis vasa, quae caelata appellamus, quod circum caedendo talia fiant: ab *am* circum, et *caedo*, *is. Festus.*

ANCAEUS, i, m. Neptuni et Astypalaeae Phoenicis filius, Samiorum rex, agriculturae studiosissimus, cui a servo praedictum est, cum servos nimio labore premeret, nullum illum ejus vineae, quam tum plantabat, vinum bibiturum. Postea coacta ejus vineae vindemia, jussit sibi ex lacu vinum hauriri, increpans eum, qui futurum praedixerat, ut nunquam ejus vineae vinum biberet. Sed

calicem ori admoturo nunciat quidam aprum mirae magnitudinis vineam vastare. Abjecto itaque poculo, cum aprum vellet interficere, ab illo dente ictus interiit. Ex quo est Graecum proverb. apud *Fest.* in *Manum* et *Gell.* 13, 17. *Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου, h. e.* Multa cadunt inter calicem supremaque labra: cui respondet quod *ib. Gell.* ex *Catone* refert, *Inter os et offam multa intervenire posse:* Itali dicunt, *Tra la spiga, e la man quel muro è messo.* P Alius fuit Ancaeus ex Parrhasia oppido et regione Arcadiae Actoris et Eurythemistidis filius, qui ab apro Calydonio interfectus est, ut narrat *Ov. Met.* 8, 391. P Item alius Tegeates, Lycurgi et Antinoes filius, unus ex Argonautis. *Hygin. fab.* 14. Sed hi omnes interdum confunduntur. Alios praeterea Ancaeos refert idem *Hygin.* et alii.

ANCĂLĂ, ae, et Gr. Ancalē, es, f. poples: *ἀγκάλη*, quae vox significat quidem ulnam brachii, vel potius ejus curvaturam, ab *ἀγκών*, flexus, curvatura; sed per similitudinem potest etiam ad genu transferri. *Coel. Aur. Tard.* 5, 1. Usque ad mediam natem, ac superius ad inguen, vel ad ancalem perveniens, atque suram. Et *ib.* Plurimi ex talo, atque ancala venam dividentes, sanguinem detraxerunt.

*ANCALĪTES, um, Britanniae populus. *Caes. B. G.* 5, 21. *Cambden.* eos ponit eo loco quo nunc est *the Hundred of Henley. B. A.*

ANCĂRĬUS, ii, m. asinus, *ἀγγάριος*, quam vocem Graeci a Persis accepisse dicuntur et universim significat quemvis onera bajulantem; sed quia asini ad id maxime apti sunt, speciatim de iis dici potest. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 78. Hic, inquam, rudet e rostris, atque ejulitabit Concursans veluti ancarius, clareque quiritans. Alii leg. *angarius*, hoc est *nuncius*, quod vox *ἀγγάριος* significat. Alii aliter. V. *Turneb. l.* 17. *c. ult.* P Etiam *Ancharius* scriptum legitur.

ANCĂTUS. V. in ANCON, cubitus.

ANCEPS, ancĭpĭtis, adj. omn. gener. *ἀμφικάρηνος*, utrinque habens caput. Haec videtur propria significatio. Alia enim sunt a *caput* composita, quae in *ceps* exeunt, ut *biceps*, *triceps*, *praeceps* etc. *Am* autem est a Graeco *ἀμφὶ*, utrinque: tametsi *Festo* magis placet [*ut multa insulsa] a *capiendo* derivari, quod ex utraque parte aeque capiatur: itaque dici potest generatim *anceps* esse, quod ex utraque parte idem, atque adeo geminum est. Est igitur proprie i. q. binis capitibus instructus. *Ov. Fast.* 1, 95. Tum sacer ancipiti mirandus imagine Janus Bina repens oculis obtulit ora meis. [*Sic etiam *Ov. Met.* 14, 334. ibique *Burm.* P Hinc *anceps* est omnino i. q. dupplex, a quo ita differt, ut *dupplex* nonnisi de duabus rebus, quae singulae per se constant, dicatur; *anceps* autem semper de uno aliquo, quod separari non potest. V. *Brem.* ad *Nep. Them.* 3, 3.] Duplex autem est aliquid, a) vel forma: *Ov. Met.* 8, 397. Ancipitemque manu tollens utraque securim, *h. e.* acie utrinque praeditam. *Ov. Met.* 12, 337. ab ancipitis delapsus acumine montis, *h. e.* duplicem habentis verticem. Alii leg. *ancipiti delapsus acumine. Lucil.* ap. *Non.* 4, 32. Vecte atque ancipiti ferro effringam cardines. *Nonius* h. l. legebat *ancipites cardines* et exponit *dupplices*, *h. e.* qui utrinque valvas tenent. *Liv.* 5, 1. ancipitia munimenta, *h. e.* alia in urbem, alia in hostem spectantia, ut ipse exponit. b) vel natura: *Cic. N. D.* 1, 37. Bestiarum terrenae sunt aliae, partim aquatiles, aliae quasi ancipites in utraque sede viventes, i. e. amphibia. Translate *Cic. Or.* 3, 16. anceps sapientia, i. e. quae dupplicem facultatem complectitur dicendi et faciendi. P Porro id *dupplex* dicimus, quod a duobus lateribus vel partibus instat. *Cic. Man.* 4. Cum duobus in locis disjunctissimis, a binis hostium copiis bellum terra marique gereretur, vos ancipiti contentione distracti etc. *Curt.* 3, 7. ancipiti acie opprimi, utrinque ingruente [*et a fronte et a tergo. V. intpp. ad *Caes. B. G.* 7, 76. coll. *Herz.* ad 1, 26.] *Caes. B. C.* 3, 72. anceps terror, i. e. intra extraque munitiones. *Liv.* 37, 11. ancipitia tela, *h. e.* quae a duobus partibus jaciuntur. coll. *Nep. Them.* 3, 3. anceps periculum. [*Hinc transl. *Liv.* 27, 17. anceps odium sc. transfugarum, i. e. contractum tam apud eos, ad quos accedunt, quam apud eos, quos deseruerunt.] P Hinc etiam id anceps dicimus, quod ex duabus causis proficiscitur: *Cic. Off.* 1, 3. Cum utilitas ad se rapere, honestas contra revocare ad se videtur, fit ut distrahatur deliberando animus afferatque ancipitem curam cogitandi. P Dupplex quod ad sensum vel intellectum est i. q. ambiguus. *Hor. Sat.* 2, 5, 34. anceps jus, i. e. controversum, varium, multiplex. Haud absimile est *Cic. Or.* 3, 27. ancipites disputationes, i. e. quibus in utramque partem de re aliqua disseritur. [*Ipse *Cic. Or.* 3, 36, 145. ita explicat: neque defatigabor ante, quam illorum ancipites vias rationesque et pro omnibus et contra omnia disputandi, percepero.] Eodem modo a Grammaticis *ancipitia vocabula* dicuntur, quae ambiguam habent significationem, et in utramque partem exponi possunt, ut venenum, valetudo, tempestas etc. *Gell.* 12, 9. *Auct.* ad *Her.* 4, 14. verborum ancipites aut multiplices potestates.] Huc etiam refer *Hor. Sat.* 2, 1, 34. Lucanus an Appulus anceps, i. e. incertum. P Hinc demum oritur ea significatio, qua est i. q. dubius, incertus, ideoque periculosus. *Curt.* 3, 8. anceps fides, *h. e.* dubia et cui periculose creditur. *Lucan.* 9, 46. ancipites animos tenere. [**Id.* 1, 266. expulit ancipiti discordes urbe tribunos, i. e. ut explicat ipse 2, 477. urbes Latii dubiae varioque favore ancipites. Cf. *Cort.*] *Tac. A.* 4, 73. Tractus in anceps Cethegus, h. e. in ambiguum. *Id.* 5, 1. *Cic. Marcell.* 5. Incertus exitus et anceps fortuna belli. *Id. Fam.* 5, 12. Ancipites variique casus habent admirationem, [*i. de causis ambiguis.] *Id. Or.* 2, 44. Aggredi causam ancipitem. [**Cic. Inv.* 1, 15. *Auct.* ad *Her.* 1, 3. idem *dubium* appellat. Cf. *Quint.* 4, 1, 10. Namque illud anceps genus causae est, in quo aut judicatio dubia est, aut causa et honestatis et turpitudinis particeps, ut et benevolentiam pariat et offensionem. V. *Ernest.* lex. techn. lat. p. 20.] *Id. Somn. Scip.* 2. Anceps fatorum via. *Plin.* 7, 45, 46. Ancipites morbi. *Id.* 23, 1, 14. Labrusca anceps in purgationibus *Tac. ib.* 1, 36. In ancipiti est respublica, *h. e.* in discrimine. *Id. Hist.* 1, 5. Vox pro republica honesta, ipsi anceps, *h. e.* periculosa. [**Tac. A.* 11, 26. ne scelus inter ancipitia probatum, mox veris pretiis aestimaret.] *Nep. Dat.* 7. ancipitibus locis premi, *h. e.* iniquis et periculosis. [*Omnino *anceps* plus est quam *periculosus*, ut intelligitur ex *Vell.* 2, 79, 3. dubia et interdum ancipiti fortuna.] P In ablativo singulari et *ancipite* facit et *ancipiti:* quamquam hoc frequentius. *Gell.* 12, 2. *in fin.* In re ancipite. P Reperitur etiam *ancipes* in recto singulari, ex quo per syncopen *anceps* factum videtur. *Pl. Rud.* 4, 4, 114. Post altrinsecus est securicula ancipes.

[ANCHARĬA, ae, f. Faesulanorum Dea, eadem fortasse ac Nemesis, ab *ἄγχω*, strangulo, laudata a *Tertull. Apolog.* 24. Unicuique provinciae et civitati suus Deus est, ut Syriae Atargatis, Faesulanorum Ancharia. (Alii leg. *perperam Esculanorum*, alii *Asculanorum*). *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 2. *n.* 23. L. Magilius L. F. Paullinus Variscus III. vir (*fortasse legendum* IV. vir) signum Anchariae sua pecunia restitu. L. D. D. D. *F.*]

ANCHARĬĀNUS, a, um, adj. deductum ab Ancharia familia Romana. *Cic. fr. pro Vareno* ap. *Quint.* 5, 13, 74. In familiam Ancharianam incidisse.

ANCHARĬUS. V. ANCARIUS.

[ANCHĂTES, is, m. nomen ducis in exercitu Persae contra Aeetem Colchorum regem, ejusdem Persae fratrem. *Val. Fl.* 5, 132. Doctus et Anchates patulo vaga vincula gyro Spargere. *F.*]

[ANCHĔMOLUS, i, m. Rhoeti Marrubiorum regis filius, qui cum Casperiae novercae stuprum intulisset, a patre ad supplicium petitus, ad Turnum in militiam profugit. Haec *Serv.* ad *Virg. A.* 10, 389. Hinc Sthenelum petit et Rhoeti de gente vetusta Anchemolum, thalamos ausum incestare novercae. *F.*]

[ANCHĬĂLE, es, f. et Anchĭălus, i, m. ab *ἀγχίαλος*, mari proximus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1286, 15. Albania Anchiale. Et 746, 7. C. Statius Anchialus. Adde *Cic. Fam.* 13, 45. memorare Anchialum L. Equatii equitis R. servum, et *ib.* 13, 23. L. Cossinium L. L. Anchialum. P Hinc patet ita appellatum fuisse puerum meritorium *Martialis*, quem a Judaeo quodam poeta adamari his verbis dolet 11, 94. Illud me cruciat, Solymis quod natus in ipsis Paedicas puerum, verpe poeta, meum. Ecce negas, jurasque mihi per templa Tonantis: Non credo; jura, verpe, per Anchialum, *h. e.* per nomen pueri tibi dilecti et credam, te illum non paedicare. Ita locum interpretatur *N. Rigaltius. F.*] Alii putant, *Anchialum* esse nomen divinum apud Judaeos ex חי et אלה, *h. e.* per Deum viventem, vel et חחי עלם, *h. e.* per eum qui vivit in aeternum. *Is. Voss.* ad *Mel.* 1, 8. *in f.* negat, hanc vocem esse Hebraicam, cujus linguae imperitissimus fuit *Martialis*, et pro *Anchialum* legit *Ancharium*, *h. e.* asinum. Male enim audiebant Judaei, *Petr.* teste in *fr. Trag.* p. 683. *Burm.* et *Tertull. Apol.* 16., quod asinum tanquam numen adorarent (quamquam in loco *Petronii* valde dubia est lectio). In vetustissimo codice legitur *Ancholium*, ex quo unius litterae mutatione *Voss.* quoque legit *Ancharium.* V. ANCARIUS. P Graeca positione *Anchialos*, *i*, f. nunc *Anchialo* et *Achelo*, urbs Thraciae apud oram maris Euxini. *Ov. Trist.* 1, 9, 35. Thynniacosque sinus, et ab his per Apollinis urbem Alta sub Anchiali moenia findat iter.

ANCHĪSAEUS, a, um, adj. possess. ab Anchise. *Virg. A.* 5, 761. Tumuloque sacerdos, Et lucus late sacer additur Anchisaeo. P Scribitur et *Anchiseus.*

ANCHĪSES, ae, m. *Ἀγχίσης*, Capyos filius ante bellum Trojanum nemorum latebras et solitudines coluisse fertur, gregibus et armentis intentus, quibus cum vacaret, a Venere adamari coepit et cum ea concubuit, unde natus est Aeneas, apud Simoenta Trojae fluvium, ut scribit *Serv.* ad *A.* 1, 621. et ipsemet *Virg. ib.* Porro cum se Veneris concubitu usum fuisse jactasset, ab eadem oculis est privatus. Propterea dicunt, eum Trojanorum consiliis non interfuisse. Ardente Troja cum nulla salutis spes appareret, senio confectum Aeneas humeris imposuit, secumque Drepanum usque Siciliae urbem vexit, ubi fatis concessit, ut est apud *Virg. A.* 3. *in f.* Alii volunt, in Italiam pervenisse, ut notat *Serv.* ad *A.* 1, 271. et alibi. P In accusativo et *Anchisem* habet et saepe *Anchisen* Graeco more. *Virg. A.* 3, 82. Occurrit, veterem Anchisen agnoscit amicum, *τὸν Ἀγχίσην.* In vocativo et ablativo habet etiam *Anchisa* pro *Anchise*, *ὦ Ἀγχίση*; nam Graecum *η* et in *e* et in *a* vertitur. *Virg. ib.* 3, 475. Conjugio, Anchisa, Veneris dignate superbo. *Id. ib.* 5, 244. Tum satus Anchisa, cunctis ex more vocatis etc. V. AEACIDES. P Veteres dixere etiam *Anchisa* in recto casu, ut notat *Quint.* 1, 5., a quo illud *Anchisa* in vocativo trahi potest, ut *Voss.* adscribit. *Hyginus* quoque *fab.* 94. *Anchisam* in quarto casu dixit.

ANCHĪSĬĂDĒS, ae, m. patronym. Aeneas Anchisae filius. *Virg. A.* 6, 348. Dux Anchisiade, nec me Deus aequore mersit etc.

ANCHĪSĪTES, ventus ab Anchisia Epiri portu spirans. *Cic. Att.* 7, 2. Flavit ab Epiro lenissimus Anchisites. Ita legit *Turneb. l.* 20. *c.* 16. Alii reponunt *Auster mitis:* alii *Onchesmites* ab Onchesmo ejusdem Epiri portu, quod rectius.

ANCHISTRUM. V. ANCISTRUM.

*ANCHOA, ae, s. Anchoe, *Ἀγχόη*, oppidum cum lacu ejusdem nominis. *Plin.* 4, 7, 12. Ita *Hard.* Antea leg. Anichia.

ANCHŌMĂNES, nomen est herbae, quae et *dracontea* appellatur: fortasse dicta ab *ἄγχω*, suffoco, strangulo, quia obstruendi meatum spiritus vim habeat. *Appul. Herb.* 14.

ANCHŌRA cum derivatis. V. ANCORA.

ANCHŪSA vel Ancusa. ae, f. *ἀγχοῦσα*, herba est lactucae foliis, cujus radix digitali crassitudine scinditur papyri modo, manus inficit sanguineo colore, lanas pretiosis coloribus praeparat, variis aegritudinibus prodest, imprimisque leprae et lentigini, si ea liniatur. *Plin.* 22, 20, 23. (Anchusa tinctoria *Linn.*, (n. *Ochsenzunge.*)

ANCĪAE. V. ANTIAE.

ANCĪLE, is, n. (*ἀγκύλιον* vocat *Plut. in Numa;* ex quo nonnulli *ancyle* scribunt cum *Non.* 18, 11.) scutum fuit parvum et oblongum, superiore et inferiore sui parte rotundum, media angustius, lateribus mediis convexa curvitate se contrahentibus, extimam oram usquequaque recisam habens minutis incisuris: unde et nomen habet, quasi *amcisum*, ab *am* circum, et *caesus. Ov. Fast.* 3, 376. Idque ancile vocat, quod ab omni parte recisum est: Quaque notes oculis, angulus omnis abest. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Ancilia dicta ab ancisu, quod ea arma ab utraque parte, ut peltae Thracum, incisa. *Fest.* in *Mamur.:* Ancile sic est appellatum, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum infimumque ejus latus pateret. Figuram exhibet nummus Antonii Pii, quem videsis apud *Nieuport. Rit. Rom. Tab.* 5. *n.* 4., ubi duo sunt ancilia, sub quibus legitur ANCILIA. Hujusmodi scutum Numae Pompilii tempore de coelo cecidisse credebatur, accepto una oraculo, tamdiu staturum R. imperium, quamdiu illud Romae mansisset. Quare Numa jussit, undecim alia ejusdem formae fieri, quibus coeleste misceretur, ne internosci posset et auferri, quod Mamurii Veturii artificis opera factum est, qui praemii loco petiit, ut suum nomen inter carmina Salii canerent, cum hujusmodi scuta per Urbem circumferrent. Quotannis enim mense Martio per urbem a Saliis collo appensa circumferebantur cum solemni saltatu et carminibus; dicebanturque tum *ancilia moveri*; idque per triginta dies, quibus elapsis, iterum condebantur in templo Martis, ubi asservari solebant. Durante autem tali solemni, summa religio erat, ne publice aliquid gereretur, quod ad arma et bellum spectaret. *Suet. Oth.* 8. Expeditionem inchoavit, nulla ne religionum quidem cura, sed et motis, nec dum conditis ancilibus, quod antiquitus infaustum haberetur. Adde *Tac. H.* 1, 89., et v. SALII. P Addit *Serv.* ad illud *Virg. A.* 8, 3. *Utque impulit arma*, in more fuisse, ut qui belli curam susceperat, antequam ad id administrandum proficisceretur, in sacrarium Martis introiret et ancilia primum, mox et hastam Dei commoveret, addita voce, *Mars vigila.* P Si ancilia sua sponte moverentur (quod non semel accidisse creditum est) prodigii loco habebatur et quod bellum portenderet. V. *Jul. Obseq. De prodig.* 104. et *Epit. Liv.* 68. P Praeter ancile sex alia fuere religiosissime custodita Romae tanquam imperii pignora: acus Matris Deum, quadrigae fictiles Vejorum, (de quibus V. in RATUMENA) cineres Orestis, sceptrum Priami, velum Ilionae et Palladium. *Serv.* ad *A.* 7, 188. P De scuto militari quocumque. *Virg. ib.* Succinctus trabea, laevaque ancile gerebat. *Lu-*

can. 9, 479. populos ancilia nostra ferentes. ℙ Adjective. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 9. Sex lictoribus praecedentibus arma ancilia tulit. *Charis.* 1. *p.* 62. Arma ancilia lustrare. *Juven.* 2, 126. Sudavit clypeis ancilibus. ℙ In genitivo plurali *ancilium* facit juxta Grammaticorum regulas, sed ex usu etiam *anciliorum*, quemadmodum et *Saturnalium* et *Saturnaliorum* dicitur. *Hor. Od.* 3, 5, 10. Anciliorum nominis et togae Oblitus, aeternaeque Vestae.

ANCILLĂ, ae, f. *δμωὴ*, mulier serva. Nomen deductum putavit *Festus* ab Anco Martio, quod is in bello magnum feminarum numerum ceperit; sive quod antiqui *anculare* dicebant ministrare. Ex quo Dii quoque, ac Deae feruntur coli, quibus nomina sunt *Anculi* et *Anculae*. [*Istae nugae sunt. Rectius ii, qui putant esse diminut. ab anus, anicilla, ancilla.] *Ter. Andr.* 3, 1, 3. Ab Andria est ancilla haec. *Cic. Mil.* 10. Cum mulierbri et delicato ancillarum puerorumque comitatu. *Sall. Jug.* 12. Occultans se in tugurio mulieris ancillae. *Serv.* ad *A.* 1, 413. Sunt elocutiones, quarum una pars plena est, quae si convertantur, habent aliquid superfluum, ut in Sallustio: *In tugurio mulieris ancillae*, bene addidit *ancillae*. At si dicas *ancillae mulieris*, erit superfluum *mulieris:* ancilla enim et conditionem ostendit, et sexum. Haec *Serv.*, cui similia ex *Quint.* reperies in FRATER. ℙ Translate. *Plin.* 2, 63, 63. Terra usus mortalium semper ancilla. ℙ Per contemptum dicitur etiam de hominibus, qui alicui rei nimis addicti sunt, turpiterque inserviunt. *Sall. fr. or. Lepidi in Sullam.* Fusidius ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum. *Trebell. Claud.* 5. Gallus Antipater, ancilla honorum et historicorum dehonestamentum. Alii leg. *ancillariorum et historicorum*, etc.

ANCILLĂRĬŎLUS, a, um, adj. qui amore ancillarum captus est. *Martial.* 12, 58. Ancillariolum tua te vocat uxor. *Senec. Benef.* 1, 9. Si quis nulla se amica facit insignem, nec alienae uxori annua praestat; hunc matronae humilem, et sordidae libidinis, et ancillariolum vocant.

ANCILLĀRIS, re, adj. ad ancillas spectans, *δουλειος, δουλικὸς, δουλοπρεπὴς*, illiberalis, ad serviendum idoneus, servilis. *Cic. Tusc.* 5, 20. Ita sordido ancillarique artificio regiae virgines, ut tonstriculae, tondebant barbam et capillum patris. *Ammian.* 26, 6. Ancillaris adulatio. [*i. e. foeda, sordida. Cf. *Salm. Scriptt. H. A. T.* II. p. 360.]

ANCILLĀRĬUS, ii. V. ANCILLA.

ANCILLĀTUS, us, m. ministerium, servitus. *Arnob.* 7. p. 221. Ancillatum servuli pavibunda trepidatione imitatus. [Ita edidit *Orell.* ex cod. MS. et edit. princ. ubi legitur *ancillarum servuli pavibundas trepidationes imitatus:* At *Salm.* edid. *ancillatrum servuli pavibundis trepidationibus imitatus.* Sed hujus formae exempla non suppetunt, cum e contrario *famulatus* a *famula*, et hujusmodi permulta saepissime occurrant. *F.*]

ANCILLOR, aris, atus sum, dep. *δουλεύω*, famulor, ministro: et translate nimis alicui addictus sum, et turpiter inservio. *Appul. Dogm. Plat.* 1. p. 9, 17. Cetera membra ancillari, et subservire capiti. *Titinn.* apud *Non.* 2, 26. et 4, 116. Dotibus deliniti, ultro etiam uxoribus ancillantur. ℙ Particip. *Ancillans. Accius* ap. *Non. ib.* Quam invita ancillans, dicto obediens viri. *Plin.* 2, 97, 99. Ancillante sidere. *Latin. Pac. pan. ad Theodos.* 2. Facundiae ancillantis necessitas, *h. e.* servilem in modum blandientis.

ANCILLŬLĂ, ae, f. *θεραπαινίδιον, παιδάριον*, diminut. ab *ancilla*. *Ter. Ph.* 4, 3, 60. Uxori emenda ancillula est. *Ov. Rem.* 639. Nec veniat servus, nec flens ancillula, etc. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 2, 21. Praesto esse virtutes, ut ancillulas, etc. *Id. Or.* 1, 55. *in f.* Juris scientiam eloquentiae tanquam ancillulam, pedissequamque adjungere.

ANCĬPES. V. ANCEPS.

ANCĪSUS et Amcisus, us, m. *περικοπὴ*. In sexto casu singul. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Ancilia dicta ab ancisu, quod ea arma ab utraque parte, ut peltae Thracum, incisa.

ANCĪSUS et Amcisus, a, um, part. ab inusit. *ancido*, recisus, accisus, circumcisus: ab *am*, circum, et *caesus. Lucr.* 3, 661. Omnia jam seorsum cernas ancisa recenti Vulnere tortari.

ANCISTRUM, i, n. *ἄγκιστρον*, scalprum hami forma aduncum, quo utuntur chirurgi: a voce Graeca allata, quae hamum significat. *Coel. Aur. Tard.* 5, 1. *ad f.* Ancistris ex utraque parte cutem praetendere. Al. leg. *anchistris.*

*ANCLA, ae, f. (quod legebatur apud *Suet. Tib.* 51., nunc recte mutatum est in ANTLIA, quod v.) *Salm.* exponit instrumentum, quo aqua hauritur de puteis, quod veteres *haustrum* appellabant. Hinc *anclare* pro *haurire; Gloss. vett.* anclare, *ἀντλῆσαι, exanclat ἀφύεται. Gloss. lat. Gr.* p. 16. ed. *Vulc.* ancleat *ἀφύεται* (v. ANCLATOR.) Cf. *Scal.* ad *Festum* p. 19. Hinc *exanclare* scribitur apud *Non.* p. 107. et 292. et exponitur *exhaurire.* Sic ubique scribendum esse contendit *Muret.* V. L. 13, 17. et *Gifan.* in *Muret. epp.* II. p. 23. p. 625. Rectius vero his rejectis *Davis.* ad *Cic. Tusc.* 1, 49. derivat a gr. *ἀντλεῖν.* Qua de re pluribus agit, ex quo haec hausimus, *Burm.* ad *Anthol.* Lat. II. 460. coll. *Voss.* in *Etym.* p. 199., quos auctores nobis indicavit *Jahn.*

ANCLABRIS, mensa ministeriis divinis apta: Vasa quoque aenea, quibus sacerdotes utuntur, anclabria appellantur. *Festus*, qui in voce *Escariae* scribit, dicta haec esse ab *anclare*, quod est haurire et ministrare.

*ANCLACAE, arum, populus pone paludem Maeotidem, *Plin.* 6, 7, 7.

ANCLĀRE, est haurire et ministrare. *Liv. Andr.* ap. *Prisc.* 6. p. 684. Vinum quoque, quod libabant, anclabatur. *Id.* ap. *Fest.* Florem anclabant Liberi ex carchesiis. *Scalig.* legendum putat *anculabant* ab *anculare*, eod. sensu. Alii leg. *antlare, antlabant.* Est enim a Graeco *ἀντλῶ*, ut *Fest. ib.* docet, vel proprie est ab *ἀγκύλω*, *h. e.* incurvato corpore haurio ad ministrandum. [*Cf. quae *Goerenz.* ad *Cic. Ac.* 2, 34, 108. de his vocc. disputat.]

*ANCLĀTOR, oris, m. *ὑπηρέτης*. *Vet. Gloss. B. A.*

*ANCLENA, ae, f. instrumentum ferreum forte. *Gl. Isid.* Quid si *Antlema* legendum, Gr. *ἄντλημα*, quod in Evang. *Jo.* 4, 11. Augustinus vertit hauritorium, i. e. haustorium? Haec *Gesnerus. B. A.*

ANCON, ōnis, m. *ἀγκὼν, ῶνος*, vox Graeca, quae significat cubitum, seu potius curvaturam cubiti in brachiis. Apud *Vitr.* 3, 3. *sub fin.* ancones sunt partes normae, quae simul junctae rectum angulum faciunt. Eadem ratione *ancones* dicuntur ab *eod.* 8, 6. extrema capita chorobatae (quod est instrumentum librandis aquis accommodatum) quae normae modo angulata sunt. ℙ Apud *Eund.* 4, 6. ancones sunt, ut quidem exponit *Philander*, mensulae, quae capitibus suis volutarum more plicantur ad S majoris, et oblongi formam, et poni solent in rationibus ostiorum, propendentes ab ima corona, secundum antepagmenta, ad libramentum imi supercilii, quorum figuram exhibent *Id. Philand.* et *Bald. in Lex. Vitruv.* Dicuntur autem *ancones*, non quia ipsi in modum cubiti flexi sint, sed quia propendentes cum adjecta regula normae similem angulum faciunt. Vocantur etiam *prothyrides*, *προθυρίδες*, a *πρὸ*, ante, et *θύρα*, janua [*n. *Kragsteine*]; quia in anterioribus januarum ornamentis locum habent, ut dictum est. *Vitr. ib.* ℙ Praeterea sunt *ancones* apud *Eund.* 10, 13. et 21. ferrea, vel lignea retinacula in modum cubiti, aut normae curvata, quibus trabes, aut lapides in machinis alligantur et connectuntur, [**Haken; die Kolbenstangen an der Wasserorgel.*] ℙ Item furcillae ligneae in summo habentes cornua bina, *ἀγκῶνα*, hoc est cubitum brachii referentia. His venatores utuntur vel ad suspendenda retia; vel potius, ut alii volunt, ad terrendas aves, injecta iis cornibus formidine, et in altum sublata. *Grat. Cyneg.* 87. Lineaque exstructis lucent anconibus arma. ℙ Item *Paul. Dig.* 33, 7, 13. inter instrumenta tabernae cauponiae enumerat *ancones*, quos *Turn. l.* 18. *c.* 23. scribit esse calices non rotundos, sed in cubitum flexos, et angulum facientes. Fortasse his similia sunt ea vasa, quae vocantur *Retorten.* Fortasse etiam intelligit *Paulus* ea pocula, quae Graeco vocabulo *Virg.* vocat *carchesia.* Carchesii autem figuram ita describit *Macr. Sat.* 5, 21., ut sit poculum procerum, et circa mediam partem compressum, ancatum mediocriter (*h. e.* curvum cubiti modo; ab *ancus* quod V. infra) ansis a summo ad infimum pertinentibus. In vulg. codd. pro *ancatum* legitur *ansatum*, quod hoc loco minus congruere videtur: *ancatum* autem ex conjectura *Is. Pontani* ad *Macr.* ℙ Denique *ancones* sunt ligna transversa sellarum, arrectariis infixa et annexa, quibus sedentes cubita superponimus: ita dicta, quia cum arrectariis normalem angulum efficiunt. *Coel. Aur. Tard.* 2, 1. *a med.* Sella tonsoria sedeant aegrotantes, quae sit obliquis anconibus fabricata, quibus incumbentes sese levare nitantur.

ANCON, onis, f. et Ancōna, ae, f. *Ancona*, urbs Italiae cum portu in ora maris Adriatici, in regione Piceni ad Cumerum promontorium, in ipso flectentis se orae cubito, unde et nomen traxit: nam *ἀγκὼν* Graece cubitum vel cubiti flexum significat. Condita est a Graecis, qui Syracusas incolebant, et inde aufugerant propter Dionysii tyrannidem. Hinc *Juven.* 4, 40. Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon. *Cic. Phil.* 12, 9. Si Anconam Ventidius venerit. *Plin.* quoque 2, 72, 74. et 14, 6, 8. *n.* 5. *Ancon* usurpavit pro *Ancona.* Adde *Melam* 2, 4. [*Ancona, inq., dicta, quia in angusto duorum promontoriorum ex diverso exeuntium inflexu cubitu (*ἀγκῶνος*) imagine sedet. Adde *Plin.* 3, 13.]

ANCONĪTĀNUS, a, um, adj. ad Anconam pertinens. *Anconitani, orum*, sunt ejus oppidi incolae. *Inscr.* ap. *Grut.* 465, 6. Decuriones et plebs coloniae Anconitanorum.

ANCŎRĂ, ae, f. *ἄγκυρα*, ferreum instrumentum duobus instructum veluti brachiis aduncis, quod alligatum fune in mare jacitur, et fundo adhaerens naves detinet: a voce Graeca allata, quae videtur esse ab *ἀγκύλος*, aduncus. *Virg. A.* 6, 3. tum dente tenaci Ancora fundabat naves. *Plin.* 9, 31, 51. Ancoris navigia infrenare. [**Tac. A.* 2, 23. non adhaerere ancoris, non irrumpentis undas exhaurire poterant.] *Caes. B. G.* 4, 29. Naves deligatae ad ancoras. Et *ib.* 28. Jacere ancoras. *Cic. Att.* 1, 13. solvere. Et *Caes. B. C.* 1, 31. tollere. (Unde trs. *ancoras tollere* apud *Varr. R. R.* 3, 17. est abire, discedere, etc.) *Liv.* 22, 19. vellere. *Cic. Verr.* 2, 5, 34. praecidere, *h. e.* funes, quibus naves religantur. *Nep. Them.* 8. Tenere navem in ancoris. Sic *Caes. B. G.* 4, 23. Exspectare in ancoris. Et *B. C.* 3, 102. Consistere ad ancoram. Et 28. Naves in ancoris constiterunt. *Hirt. B. Afr.* 63. commorari. *Flor.* 2, 2. Stare in ancoris. *Quint. decl.* 12, 23. Frumentum ad ancoras perdere, *h. e.* navibus ancorae alligatis: et est proverbialis locutio, cum amittimus nostra incuria aliquid, quod in tuto erat. ℙ *Non.* 13, 16. scribit ancoras etiam dici funes, quibus antennae tenentur; affertque locum *Lucilii* his verbis: *Funis enim praecisu' cito, atque ancora soluta.* Ubi alii pro *ancora* rectius legunt *anquina:* sic enim postulat ratio carminis. V. ANQUINA. ℙ Translate etiam *ancora* ponitur pro spe, refugio, praesidio. *Sil.* 7, 24. ancora fessis Ultima cur Fabius. *Ultimam* autem dixit, quia in navi plures erant ancorae, quarum quae maxima a Graecis *ἱερὰ* dicta, a Latinis *sacra*, non nisi in summis periculis jaciebatur, quia in ea ultima spes erat navigii servandi. [*Cf. *Drak.* ad h. l.] ℙ Denique *ancora* per similitudinem dicitur quodvis ferramentum utrinque aduncum. *Pallad.* 1, 40. Bipedas constitues ferreis ancoris colligatas. ℙ Scribitur et *anchora* ex quadam consuetudine, quae tamen nec semper, nec ubique obtinuit. Ceterum rectius est aspirationem omittere, quae in Graeco *ἄγκυρα* nulla est, atque ita scriptum esse a veteribus, testatur *Serv.* ad *A.* 3.

ANCORĀGO, vel Anchorāgo, ĭnis, m. nomen piscis apud *Cassiod. ep.* 12, 4. in Rheno praecipue nascentis, quem ita dictum putant, quod os habeat instar ancorae incurvatum. Sunt, qui arbitrantur, eundem esse ac *Salmonem*, item qui *Sturionem.* Sed haec incerta sunt, variisque tantummodo variorum ingeniorum conjecturis fulta.

ANCŌRĀLIS, vel Anchorālis, le, adj. ad ancoram pertinens. *Appul. Met.* 11. p. 265, 7. Navis absoluta strophiis ancoralibus, *h. e.* soluta a funibus, quibus ad ancoram alligatur. ℙ *Ancorale, lis*, absolute est funis, quo ancora religatur. *Liv.* 37, 30. *ad fin.* Tractum ancorale, et implicitum remis latus alterum detersit. *Id.* 22, 19. Ancoralia incidere. *Plin.* 16, 8, 13. Usus suberi ancoralibus maxime navium.

ANCŌRĀRĬUS, vel Anchorarius, a, um, adj. ancoralis. *Caes. B. C.* 2, 9. Storeae ex ancorariis funibus tres. *Liv.* 22, 19. Alii resolutis loris ancoram vellunt: alii, ne quid teneat, ancoraria incidunt, *h. e.* ancorarum retinacula. Alii rectius leg. *ancoralia.* ℙ [*Mons *Ancorarius* in Mauritania. *Plin.* 13, 15, 29. *B. A.*]

*ANCTUS. V. ANGO in f.

ANCŪLĀRE, est ministrare. V. ANCLARE.

ANCŪLI et Anculae sunt Dii et Deae, qui majoribus Diis ministrabant, quique in *Inscr. n.* 32. et 43. apud *Marin. Frat. Arval.* vocantur *Famuli Divi.* Confer *Eund. ib.* p. 373. V. supra *Festum* in V. ANCILLA. Ita porro vocati fuerunt, non quod a servis et ancillis colerentur, sed potius quod ipsi Diis majoribus ministrarent, quasi famuli, quales fuerunt Ganymedes Jovis pocillator, Iris Junonis ministra.

ANCUNŪLENTAE, inquit *Festus*, feminae menstruo tempore appellantur: unde trahitur inquinamentum. *Scalig.* notat *ancunulentae* dictum esse pro *ancoenulentae*, a voce *coenum:* ex quo *cunire* apud eundem *Fest.* est stercus facere, pro *coenire:* unde factum est *inquinare:* qua ratione dixere *moenio* et *poenio* pro *munio*, *punio*, mutato *oe* in *u.*

ANCUS, i, m. *ἄγκος, λορδὸς*, qui ita curvum habet brachii cubitum, ut illud exporrigere non possit. *Festus.* Hinc teste *Serv.* ad *A.* 6, 816. et *Valer. Antiate* ap. *Val. Max. de nominibus R.* factum est nomen Anco Martio, qui quartus fuit Romanorum rex, Numae Pompilii nepos, ejus filia ortus. *Hor. Ep.* 1, 6, 27. Ire tamen restat, Numa quo devenit, et Ancus. V. *Liv.* 1, 32.

ANCYRA, ae, f. nunc *Anguri* et *Angora*, urbs Galatiae primaria. Dicta est ab ancoris navium captarum a Mithridate, quas Ptolemaeus Aegypti rex suppetias Gallograecis miserat. Nam *ἄγκυρα* Graece ancora est. *Claud. Eutr.* 2, 98. Ad muros, Ancyra, tuos auctore repertum, etc. Adde *Plin.* 5, 32, 42. ℙ Alia est ejusdem nominis in Phrygia, sed minus celebris. *Plin.* 5, 52, 41.

ANCYRĀNUS, a, um, adj. ad Ancyram pertinens. *Claud. Eutr.* 2, 416. Fregit luxuries Ancyranique triumphi. ℙ *Ancyranum monumentum* sunt

tabulae inventae in suburbio Ancyrae Galatiae, quae continebant indicem rerum ab Augusto gestarum; videntur paulo post ejus mortem exaratae. Mutilae tamen multis in locis ad nos pervenerunt. Praeterea in multis peccant contra Latinitatem, ut et *Casaub.* adnotavit: ex quo apparet a Graeco homine et Latinae linguae imperito fuisse exaratas. Exstant apud *Grut.* p. 230.

*ANDABALIS, is, oppidum Cappadociae. *Anton. Itin. B. A.*

ANDĂBĀTĂ, ae, m. gladiator, qui ex equo, frontem oculosque tectus, pugnat, ut docet *Lips. Sat.* 2, 12. Alii putant fuisse genus lusus, in quo ludentes oculis clausis se invicem petebant. *Turneb. Advers.* 2, 10. scribit, olim post curricula Circensia interdum solitos fuisse binos homines, noctis tenebris, in curru depugnare, quorum alter auriga erat, alter in eundem currum ascendens cum eo caeca pugna certabat, dicebaturque *andabata* a Graeco ἀναβάτης, hoc est ascensor, *d* inserto. *Cic. Fam.* 7, 10. Tu in re militari multo es cautior, quam in advocationibus, qui neque in Oceano natare volueris, studiosissimus homo natandi; neque spectare essedarios, quem antea ne andabata quidem fraudare poteramus, *h. e.* non poteramus avertere a spectandis andabatis pugnantibus. Alii plerique leg. *andabatam:* qua ratione constructio est satis involuta. V. *Manut.* et alios interpr. Alii reponunt antanabata, alii etiam anabata, quae voces idem valent, ab ἀναβαίνω, et ἀντὶ ἀναβαίνω, ascendo, et contra ascendo. *Hieron. adv. Helvid.* 3. More andabatarum gladium in tenebris ventilans. *Id. adv. Jov.* 1, 36. Melius est clausis, quod dicitur, oculis andabatarum more pugnare, quam directa spicula clypeo non repellere veritatis. ℙ *Varro* Satyram conscripsit de hominum caecitate et erroribus, eamque inscripsit *Andabatae:* cujus fragmenta affert *Non.* in Lusciosi 2, 512. et alibi.

*ANDANIA, ae, Peloponnesi oppidum, Megalopolin inter et Messenen. *Liv.* 36, 31.

*ANDANIS, is, Caramaniae fluvius, idem fortasse, quem *Arrian.* Ananium appellat. *Plin.* 6, 23, 27.

*ANDARAE, arum, Indiae populus. *Plin.* 6, 19, 22.

*ANDARISTENSIS, e, adj. ad Andaristum pertinens, oppidum Peagonum in Macedonia, nunc *Erisso*, alias *Vostanza*, cujus meminit *Ptol.* 3, 13. *Andaristenses, ium*, sunt incolae hujus oppidi apud *Plin.* 4, 10, 17. *B. A.*

ANDARTĂ, ae, f. nomen est cujusdam Deae a Britannis cultae, in *Inscr.* ap. *Grut.* 88, 9. et 10. quam *Dio* Graece Ἀνδράστην appellat, ut notat *Marq. Gud. ad Phaedr.* 1, 25. Eo autem nomine Victoriam colebant.

*ANDALIS, is, Aethiopiae oppidum. *Plin.* 6, 30, 34.

[ANDAUTŌNĬENSIS, e, adj. ad Andautonium pertinens, Pannoniae superioris urbem, non procul a Siscia, a *Ptol.* memoratam 2, 15. et in *Itin. Anton.* p. 266. *Wessel. Dautoniam* perperam appellatam. *Inscr.* ap. *Amadut. Anecd. Litter. T.* 2. p. 462. Respublica Andaut. *Andreas Blascovich* in *Dissert. Zagrab.* edit. anno 1781. satis prolixe agit de loco hujus urbis et de cit. Inscr. *F.*]

ANDĒGĂVI, orum, m. plur. [*et Andecavi] populi Galliae Celt. seu Lugd. inter Turones et Nannetes, quorum regio Andegavia, [*Ptol. Ἀνδεκάουοι] nunc *l'Anjou* dicitur, terminata a Sept. Cenomanensi prov., ab Occ. Britannia, a Mer. Pictaviensi prov., ab Or. Tauronico agro. Urbs vero primaria olim dicta est Juliomăgus, deinde Andes, Andegavis, Andegavum, nunc *Angers*, ad Meduanam fluvium. *Plin.* 4, 18, 31.

[ANDĒLONENSIS, e, adj. ad Vasconum oppidum pertinens in Hispania citeriore, a *Ptol.* 2, 6. Ἄνδελος dictum, sed ex Inscriptione mox citanda fortasse *Andelona* est appellandum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 428, 5. Sempronia Firmi Andelonensis an. xxx. H. S. E.

*ANDĒRA (Andira) orum, Ἄνδειρα, Mysiae oppidum. *Plin.* 5, 30, 33.

*ANDERIDON (vel Anderitum, *Tab. Peut.*) Galliae Aquitanicae oppidum, in Gabalorum agro.

*ANDERISAE, arum, Hispaniae Baeticae oppidum. *Plin.* 3, 1, 3.

ANDES, ium. m. plur. populi Galliae, iidem qui Andegavi. *Caes. B. G.* 2, 35. ℙ Est etiam *Andes, is*, m. vicus agri Mantuani, quem hodie *Pietola* dici ait *Dantes Purg.* 18, 83., patria Virgilii, ut docet *Donat. in ejus vita.* V. *Scip. Maff. Veron. illustr. par.* 2. *l.* 1. p. 6.

*ANDETRIUM, i, Dalmatiae oppidum. *Plin.* 3, 22, 26. Eadem Andretium, in *Tab. Peut.*

ANDĪNUS, a, um, adj. ab Ande Mantuani agri vico. Andinus dictus est Virgilius eo loco natus. *Sil.* 8, 595. Mantua Musarum domus, atque ad sidera cantu Evecta Andino. Plerique alii leg. *Aonio*: quidam *Ascraeo.* [*Illud recte habet.]

*ANDIUM, i, insula inter Britanniam et Galliam. *Anton. Itin.*

*ANDIZELES, Pannoniae populus. *Plin.* 3, 25, 28. Apud *Strab.* Andizetii dicuntur.

*ANDOLOGENSES, ium, Hispaniae Tarrac. populus. *Plin.* 3, 3, 4.

*ANDOMATUNUM, i, v. Andomatunnum, oppidum Galliae Belg. in Lingonibus. *Anton. Itin.*

ANDRACHNE, es, f. ἀνδράχνη, herba eadem quae *portulaca*, aut *porcilaca.* Est autem duplicis generis: *sativa*, seu *hortensis*, foliis latis, caulibus pluribus, luteo folio: *agrestis*, quae et *andrachne*, a *Plin.* 13, 22, 40. *andrachne agria* dicitur, *h. e.* agrestis, Latine *illecebra*, et ipsa in hortis et vineis nascens, tota terrae prostrata, nec humo surgens, radice et ramis crassiusculis, foliis minutis, ab officinis *crassula minor* dicta, et *vermicularis*, de qua *Plin.* 25, 13, 103. verba facit. De hac fortasse loquitur et *Colum.* 10, 376. Humidaque Andrachne sitientes protegit antes.

[ANDRAGĂTHUS, i, m. vir bonus, ab ἀνήρ, vir, et ἀγαθὸς, bonus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 199, 3. C. Julio Paulino Andragatho. *F.*]

[ANDRAGMO, ōnis, m. homines frangens, ab ἀνήρ, homo, et ἀγμίζω, frango, concutio. Nomen equi. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 277. *n.* 169. Vivit Scorpus equis his: Pegasus, Elates, Andragmo, Cotynus.

[ANDRĔAS, ae, m. ἀνδρέας, animosus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 867, 13. C. Quintius Andreas. ℙ Fuit etiam hoc nomine medicus memoratus a *Cels. praef. l.* 5.; hinc malagma Andreae *ib.* 5, 18.

ANDRĔMAS, herba eadem, quae Andrachne. *Appul. Herb.* 103.

*ANDREMON, (Andraemon) is, Dryopes conjux, Amphissi pater. *Ov. Met.* 11, 333. 363. 13, 357. Alii intelligunt Thoantem, *Hom. Il. β*, 638.

ANDRIA. V. ANDRIUS.

*ANDRIACA, ae, vel Andriace, es, f. Libyae oppidum. *Plin.* 5, 27, 28.

ANDRĪCUS, i, m. ἀνδρικὸς, fuit servus Ciceronis. *Cic. Fam.* 16, 14. ℙ Item Ciliciae fluvius. *Plin.* 5, 27, 22. ℙ Item Andrīcus, cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1151, 2. L. Cornelius Andricus.

[ANDRISCUS, i, m. ἀνδρίσκος, diminutivum nomen, parvus vir, ut *satyriscus* a *satyrus.* Est nomen servi, qui ex infima faece populi pro filio Persei Macedoniae regis semet venditando Macedonas contra Romanos suscitavit. *Vell.* 1, 11. *Liv. Epit.* 49. *Flor.* 2, 14.

ANDRĬUS, a, um, adj. qui est ex Andro insula. *Ter. Andr.* 5, 4, 3. Andrium ego Critonem video. ℙ *Andria, ae*, absolute est mulier Andria: eoque nomine inscripta est prima *Terentii* fabula, in qua inducitur puella ex Andro, nomine *Glycerium*, quae primas partes, conclusionemque totius Comoediae tenet. ℙ [*Item oppidum Phrygiae majoris, *Plin.* 5, 32, 41.]

*ANDROBŪLUS, i, nobilis statuarius. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 26.

*ANDROCALIS, is, Aethiopiae oppidum. *Plin.* 6, 29, 35.

*ANDROCLAS, adis, v. Androdas.

[ANDROCLĒA, ae, f. gloria viri, ab ἀνήρ, vir, et κλέος, gloria. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 928, 16. Julia Androclea. *F.*]

[ANDROCLES, is, m. sive Androclus, i, m. ἀνδροκλὴς, vir gloriosus, ab ἀνήρ, vir, et κλέος, gloria. Hoc nomine fuit servus quidam, quem, Caligula imperante, leo in amphitheatro agnitum (ejus enim pedem vulneratum aliquando in silvis curaverat) ab impetu bestiarum protexit. *Sen. Ben.* 2, 19. *Gell.* 5, 14.

ANDRODĂMAS, antis, m. ἀνδρόδαμας, lapis est ex genere haematitarum, colore nigricante, pondere ac duritie insignis, qui attritus coti succum reddit sanguineum: ita dictus ἀπὸ τοῦ ἄνδρας δαμάζειν, a domandis viris, quod propter duritiem domet superetque vires frangere conantium. *Plin.* 36, 20, 38. ℙ Est et gemma hoc nomine, quae et pyrites dicitur, argenti nitorem habens, ut adamas, quadrata, semperque tessellis similis: cui magi putant nomen impositum ab eo, quod impetus hominum et iracundias domet. *Plin.* 37, 10, 54. [*Secundum *Bruckmann*, *ein würflicher silberfarbiger Markasit.*]

ANDRODAS, et melius Androclas, annus sexagesimus tertius vitae humanae ab Aegyptiis dictus est, quem alii climactericum vocant, ut *Firmic.* auctor est *Math.* 4, 14. Ducitur ab ἀνήρ, ἀνδρὸς, vir, et κλάω, frango, quod ea aetate hominum vires frangantur.

[ANDRODUS, i, m. ἀνδρώδης, magnanimus, virilis. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 604, 3. D. Masurius Androdus. *F.*]

ANDROGEONĒUS, a, um, Ἀνδρογεωνεῖος, ad Androgeum pertinens. *Catull.* 64, 77. Androgeoneae poenas exsolvere caedis. ℙ Sunt qui scribunt *Androgeonaeus*, Ἀνδρογεωναῖος.

ANDROGĔUS, i, et Androgeos, o, m. Ἀνδρόγεως, ω, filius Minois, et Pasiphaes, qui ab Atheniensibus, et Megarensibus per invidiam occisus est, quod palaestra ceteros superaret. Minos suscepto adversus hostes bello, primo Megarenses subegit, deinde Athenienses, eosque adstrinxit sibi singulis annis adolescentes nobiles mittere, qui Minotauro devorandi in Androgei memoriam objicerentur. Porro Androgeum occisum, ab Aesculapio fuisse ad vitam revocatum, *Prop.* 2, 1, 64. significat. *Ov. Heroid.* 10, 99. Viveret Androgeos utinam, nec facta luisses Impia funeribus, Cecropi terra, tuis. *Id. Met.* 7, 458. Androgeique necem justis ulciscitur armis. *Virg. A.* 6, 20. In foribus letum Androgeo. *Servius* monet, quosdam hic subaudire *posuit*, ut *Androgeo* sit dativus, non genitivus. [*Ap. *Heyn.* legitur Androgei, quem v.] ℙ In accusativo *Androgeōna* usurpat positione Graeca *Prop. l. c.* tanquam a recto *Androgĕon*, ōnis.

*ANDROGYNE, es, f. virago, femina animum virilem agens. *Val. Max.* 8, 4. Amaesia Lentia rea causam suam maximo populi concursu egit: quam, quia sub specie feminae virilem animum gerebat, androgynem appellabant. *B. A.*

ANDROGYNUS, i, m. ἀνδρόγυνος, hermaphroditus, monstrum hominis de utroque sexu participans, ab ἀνήρ, ἀνδρὸς, vir, et γυνή, femina. *Cic. Div.* 1, 43. Quid ortus androgyni? nonne fatale quoddam monstrum fuit? *Liv.* 27, 11. Sinuessae natum ambiguo inter marem ac feminam sexu infantem; quos androgynos vulgus, ut pleraque, faciliore ad duplicanda verba Graeco sermone, appellat. *Lucil.* ap. *Non.* 8, 84. Imberbi androgyni, barbato moechocinaedo. *Plin.* 7, 3, 3. scribit suo tempore magis in usu fuisse, ut *hermaphroditus* diceretur, quam *androgynus.* ℙ *Id. Plin.* 7, 2, 2. ex *Calliphane* Graeco scriptore tradit, supra Nasamonas, confinesque illis Machlyas, androgynos esse utriusque naturae, inter se vicibus coeuntes: additque ex *Aristotele*, dextram mammam iis virilem, laevam muliebrem esse.

*ANDROLITIA, ae, oppidi nomen, de quo *Plin.* 5, 29.

ANDRŌMĂCHĒ, es, et Andromacha, ae, f. Ἀνδρομάχη, Aetonis regis Thebarum, quae in Cilicia sunt, filia, et Hectoris Trojani uxor, et mater Astyanactis, quae a virili pugna nomen sortita est. Fuit enim virili animo, et quaedam veluti virago: ab ἀνήρ, ἀνδρὸς, vir, et μάχη, pugna. Hanc mortuo Hectore Pyrrhus in Graeciam adduxit, et ex ea Molossum filium suscepit, postea Heleno vati Priami filio eam uxorem tradidit, regnique portionem eidem assignavit. *Virg. A.* 3, 319. Hectoris, Andromache, Pyrrhin' connubia servas? Et 487. et longum Andromachae testentur amorem. ℙ Est hoc nomine Tragoedia ab *Ennio* conscripta, cujus fragmenta aliquot afferuntur a *Varr.*, *Non.* et aliis. ℙ *Nihil ad Andromacham*, proverb. apud *Tertull. Pudic.* 8. *ad fin.* de re extra propositum dicta, οὐδὲν πρὸς ἔπος, vel πρὸς Διόνυσον. Ductum videtur ab aliquo poeta, qui in Tragoedia Andromaches extra rem vagaretur.

*ANDROMĂCHUS, i, m. ἀνδρομάχος, ab ἀνήρ, vir, et μάχομαι, pugno, cum viro, seu viris decertans. Cognomen Romanum *Inscr.* ap. *Murat.* 1764, 20. C. Vibius Andromachus. *B. A.*

ANDRŌMĒDĒ, es, et Andromeda, ae, f. Ἀνδρομέδη, Cephei, et Cassiopes filia. Ob matris superbiam, quae se Nereidas forma antecellere gloriabatur, a Nymphis scopulo fuit alligata, et ceto devoranda exposita, sed a Perseo illac opportune iter faciente, occiso monstro, et liberata, et in uxorem ducta est. Postremo Minervae beneficio inter astra collocata dicitur, propter Persei merita, et ornata tribus et viginti stellis. Oritur autem in parte piscium duodecima, Cassiopeam versus. *Hygin. Astron.* 2, 11. et 3, 10., ubi sideris figuram describit, et stellarum numerum XX. esse asserit: alii XXII., alii XXIII. Fabulam describunt *Ov. Met.* 4, 668. et *Manil.* 5, 538. ℙ *Ov. Her.* 15, 35. placuit Cepheia Perseo Andromede patriae fusca colore suae. Et 18, 151. Andromedan alius spectet, claramque Coronam. τὴν Ἀνδρομέδην. *Colum.* 11, 2. Prid. Cal. Septemb. Andromeda vesperi exoritur. Adde *Cic. N. D.* 2, 43. ℙ Est etiam titulus Tragoediae a Livio Andronico scriptae, cujus fragmentum citat *Non.* 1, 311., item *Ennii*, et *Accii.*

ANDRON, ōnis, m. ἀνδρών, ῶνος, pars domus longitudine angustior, in qua viri seorsum a mulieribus morantur, convivia agitant, etc. *Paul.* ex *Festo.* Intellige apud Graecos, in quorum aedibus separata erant cubicula, coenacula, et alia pro mulieribus, et pro viris: ab ἀνήρ, vir. *Vitruv.* 6, 10. et *Fest.* Huic opponitur *Gynaeceum*, in quo feminae habitant. ℙ Ceterum Latini *andronem* vocant itinera, (quae et *mesaulae* dicuntur, quod inter duas aulas media sint interposita) seu loca angusta in aedibus, per quae ab una in aliam aedium partem, ab uno in aliud cubiculum transitur, Italice *androni*, aut etiam *corridoj. Vitr. l. c.* ℙ Locus item angustior inter duos parietes, extra aedes, quales sunt, qui relinqui solent inter duas domos, ut pluvia tecto collecta eo descendere possit, *andron* dicitur. *Plin. ep.* 2, 17. Tam alti abditique secreti illa ratio, quod interjacens andron parietem cubiculi, hortique distinguit, atque ita omnem sonum media inanitate consumit.

*ANDRONA, ae, Cyrrhesticae regionis in Syria

oppidum, cujus nomen et vestigia superare videntur in *Andrcem* vel *Andrene*, oppido desolato, haud longe a Beroea (*Aleppo*). *Anton. Itin.*

ANDRONĪCUS, i, m. Ἀνδρόνικος (virorum victor, ab ἀνήρ, vir, et νίκη, victoria) nomen viri proprium. *Andronicus* conditione servus, et post manumissionem *L. Livius Andronicus* dictus, poeta Latinus, varias scripsit fabulas, aliaque opera, quorum fragmenta multa exstant apud *Non.* et alios Grammaticos. Primus omnium fabulam Romae docuit A. U. DXIV. [*240 a. c. n.] C. Claudio Centone Caeci filio, et M. Sempronio Tuditano Coss., anno ante natum *Ennium*, ut *Cic. Brut.* 1, 18. et *Tusc.* 1, 1. refert. Adde *Voss. Instit. Poet.* 2, 2. et *Gell.* 17, 21. Fuit autem servus M. Livii Salinatoris, cujus et liberos erudierat, ob id libertate donatus. Floruit annis plus fere CLX. post Sophoclis, et Euripidis mortem, post Menandri annis circiter quinquaginta duobus, major natu, quam *Plautus*, et *Naevius*, ut *Cic.* et *Gell.* l. c. docent. Neque solum docuit, sed et egit fabulas suas, placuitque adeo, ut saepius revocaretur a populo, et repetere cogeretur: quam ob rem cum vocem obtudisset, venia petita, puerum ad canendum ante tibicinem statuit, atque ita gesticulationem tacitus peragens, aliquanto magis vigente motu canticum egit: quem morem alii postea histriones secuti sunt, quorum ad manum cantari coeptum est, diverbiis tantum ipsorum voci relictis, ut *Liv.* 7, 2. et *Val. Max.* 2, 4. *n.* 4. narrant. *Cic. l. c.* ejus fabulas non satis dignas fuisse dicit, quae iterum legerentur. Primus certe fuit, qui Latine versibus scripsit: ajuntque, vel ipsi *Ennio* rancida ejus scripta et obsoleta videri solita. Nihilominus illis temporibus vehementer placuit. Narrat enim *Festus* in *Scribas* cum bello Punico secundo carmen scripsisset, quod a virginibus est cantatum, quia inde prospere respublica geri coepta est, publice attributam fuisse in Aventino Aedem Minervae, in qua ponerentur dona in honorem ejus a scribis, hoc est poetis, et histrionibus. Plura his de rebus V. apud *Lil. Girald. de Hist. Poet. Dial.* 8. ℙ Alius fuit *M. Pompilius Andronicus* grammaticus, natione Syrus, de quo *Suet. Gr.* 8.

ANDRONĪTIS, itĭdis, f. ἀνδρωνῖτις, locus in peristyliis aedium Graecarum, ubi versantur viri sine interpellationibus mulierum, ut *Vitr.* loquitur 6, 10., cui opponitur *Gynaeconitis*, in qua versantur feminae: ab ἀνήρ, vir. *Vitr. ib.*

ANDRŌNIUS, a, um, adj. ad Andronem pertinens, medicum Graecum, qui Ἀνδρών, ῶνος est appellatus. *Cels.* 6, 14. Andronium medicamentum memorat uvae, quae in fine faucium nasci solet, curandae perutile, ibique ejus confectionem docet. *Id.* 5, 20. *n.* 4. Andronis pastillum, et 6, 18. *n.* 2. Andronis compositionem appellat.

ANDROS, i, et Andrus, i, f. *Andro*, Ἄνδρος, insula maris Aegaei una Cycladum, cum oppido cognomine, Euboeae, et Atticae litoribus opposita. *Plin.* 4, 12, 22. Circa Delum in orbem sitae Cyclades: prima earum Andrus cum oppido. *Ov. Met.* 13, 660. Euboea duabus, Et totidem natis Andros fraterna petita est. ℙ Est alia hoc nomine insula in mari Hybernico prope Britanniam, nunc *Berdesey* et *Enhly* dicta. *Plin.* 4, 16, 30.

ANDROSĀCES, ἀνδρόσακες, herba est in maritimis Syriae locis copiosissime proveniens, alba, amara, carens foliis, folliculos in cirris habens, et in folliculis semen. *Plin.* 27, 4, 9. [*Secundum *Gouan*, (*Flor. Monspell.*) bestiola in plantis vivens: Madrepora Acetabulum, *Linn.*]

ANDROSAEMON, ἀνδρόσαιμον, herba est similis hyperico, cauliculis tamen majoribus, ac magis rubentibus. Folia habet alba rutae figura, semen papaveris nigri, comas odore resinoso. Gignitur in vineis. Varios habet in medicina usus, de quibus V. *Plin.* 27, 4, 10. Nomen habet ab ἀνήρ, ἀνδρός, vir, et αἷμα, sanguis, quia humano sanguini similem succum comae ejus tritae emittunt. Dicitur et *ascyron. Plin. ib.* [*Secundum *Sprengel.* hypericum perforatum *Linn.*]

*ANDROTĬON, onis, scriptor quidam de re rustica. V. *Varr. R. R. Colum.* 1, 1.

ANDRUĀRE est recurrere, a Graeco ἀναδραμεῖν. *Festus.* Idem esse videtur q. *amtruare.* V. AMTRUO.

[ANDRUNCŪLUS, i, m. parvus andron. *Not. Tir.* p. 162. Andrunculus. *F.*]

*ANDUS, a, um, adj. ad Andes pertinens, populos Galliae. *Lucan.* 1, 438. In nebulis, Meduana, tuis marcere perosus Andus jam placida Ligeris recreatur ab unda, *h. e.* qui ex Andibus est. *B. A.*

ĀNĔCLŌGISTUS, i, m. ἀνεκλόγιστος, qui rationem suae administrationis reddere non tenetur. Vox Graeca ab *a* privativa, et ἐκλογίζομαι, rationem subduco. *Ulp. Dig.* 26, 7, 5. §. 7. Quidam decedens filiis suis dederat tutores, et adjecerat: Eos aneclogistos esse volo. Et *ib.* Ut aneclogisti essent, etc. Ita legitur in edit. *Torrentini.* Apud *Haloandr.* Graecis litteris scribitur. In aliis quibusd. edd. habetur *alogistas:* quod videtur esse corruptum, nam ἀλόγιστος Graece significat rationis expertem.

[ĀNELLĀRĬUS, ii, m. qui anellos facit, aut vendit. *Not. Tir.* p. 161. Anellarius. *F.*]

ĀNELLUS et Annellus, li, m. δακτυλίδιον, parvus anulus. *Cic. Fin.* 5, 1. *extr.* Cujus imaginem non modo in tabulis, sed etiam in poculis et in anellis habent. Ita leg. *Non.* 2, 7. Al. *annulis.* [*Ita *Goerenz.* Illius scripturae ullum vestigium in codd. exstare negat. V. ipsum, sed V. ANULUS.] *Hor. Sat.* 2, 7, 9. saepe notatus Cum tribus anellis, modo laeva Priscus inani. *Pl. Epid.* 5, 1, 33. Anellus aureolus. Adde *Lucr.* 6, 911. ℙ Vocis etymon V. in ANULUS.

*ĀNĒMO, onis, fluvius Italiae superioris in Gallia Cispadana, h. *Amone. Plin.* 3, 15. ℙ Animo audit *Tab. Peut. B. A.*

ĀNĒMONĒ, es, f. ἀνεμώνη, herba florem habens ejusdem nominis, quem fabulantur ortum esse ex lacrimis Veneris Adonidem deflentis, alii ex cruore ipsius Adonidis ab apro interempti. Est autem plurium generum; nam centum et quinquaginta anemones genera vidisse se in horto regio, testatur *Harduin.* ad *Plin.* 21, 11, 38. Dicta est autem ab ἄνεμος, ventus, quia scribit *Plin. ib.* 23, 94. quorundam hujus generum florem non, nisi vento spirante, aperiri. At *Hesych.*, quod flos facile vento corrumpatur et decutiatur.

[ĀNĒMURIENSIS, e, adj. ad Anemurium pertinens, Ciliciae urbem litoralem, cum promontorio cognomine, de qua *Plin.* 5, 22., 27. [*Liv.* 33, 20. *Mela* 1, 13. *B. A.*], nunc *Scalamura*, vel *Anamura.* In nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 46. est ΑΝΕΜΟΥΡΙΕΩΝ. *Tac. A.* 12, 55. Obsessa civitas Anemuriensis. *F.*]

[ĀNĒMURĬUS, ii, m. ventus secundus, ab ἄνεμος, ventus et οὔριος, secundus, prosper. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 296. *n.* 257. Anemurius libertus. *F.*]

ĀNENNŌETOS, ἀνεννόητος, hoc est incomprehensibilis, vel cujus non est memoria, atque adeo aeternus: ab *a* privativa, et ἐννοέω, cogito, vel recordor: unus est ex aeonibus Valentini ap. *Tertull. adv. Valent.* 35.

ĀNĒO, es, n. γηρᾶν, anum esse. Legitur in *Gloss. Philox.*, et praeterea affertur a *Flavio Capro sub init. l. de Orthogr.* sed sine exemplis. Idem dicendum de *Anesco*, quod est inchoativum ab *Aneo*, et *ibid.* ab *eod.* affertur. [At *Pompej. gramm.* in *Comm. art. Donati sect.* 20. Dicebant *quieo*, et *seneo*, unde *aneo.* Legimus enim *anet illa*, id est, quasi anicula contremiscit.]

[ĀNĒSĔUS, i, m. quiescens, ab ἄνεσις, quies, relaxatio. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1313, 8. Cornelius Aneseus. *F.*]

[ĀNĒSIS, eos, f. ἄνεσις, relaxatio. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Gud.* 342, 5. Canuleja Anesis. *F.*]

*ĀNĒSUM, ἄνησον, *Scribon.* saepius pro *anisum.* Sic Annessum ap. *Pallad. Feb.* 24. in *ms. Pal. B. A.*

ĀNĒTHĀTUS, a, um, adj. anetho conditus. *Apic.* 7, 6. Jus anethatum. *Id.* 6, 9. Mittis in pullum anethatum; *anethatum* quidam hoc loco volunt esse substantivum, quod significet condimentum ex anetho, in quod pullus mittendus sit.

ĀNĒTHUM, i, n. ἄνηθον, [*Anethum graveolens *L.*] herba foeniculo similis, caule fistuloso, striato, foliis tenuissime in capillamenta dissectis, flore in umbella luteo, in quo semina insunt acris saporis, sed grati, odore item grato. Nascitur in hortis, et deciduo semine quotannis se propagat. Usum habet non in condimentis solum, sed etiam in medicina. *Plin.* 19, 8, 52. Gith pistrinis, anisum, et anethum culinis, et medicis nascuntur. *Virg. Ecl.* 2, 48. Narcissum et florem jungit bene olentis anethi. *Servius* hoc loco addit fabulam, fuisse Anethum pulcherrimum puerum, qui casu nescio quo in sui nominis florem versus sit.

*ĀNĒTIA, ae, nomen oppidi ap. *Plin.* 5, 24.

ĀNĒTĬCUS, a, um, adj. ἀνετικός, hoc est remittens, remissionem habens: ab ἀνίημι, remitto, relaxo. *Theod. Prisc.* 3, 3. Aneticis temporibus curationes disponere, *h. e.* tempore, quo vis morbi remittit.

ĀNEURYSMĀ, ătis, n. ἀνεύρυσμα, est tuber, in quo sanguis conspiratus, uberis venae similis invenitur, ut ait *Veget. Vet.* 2, 30. Est autem Graeca vox, qua dilatatio arteriae significatur.

*ĀNEXETĀSTUS, ἀνεξέταστος, rationibus reddendis sive subducendis solutus. *Scaev.* 23, 2. D. de pecul. legat. Cf. Aneclogistus. *B. A.*

[ĀNEXĬA, ae, f. ἀνεξία, tolerantia. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1689, 8. Julia Anexia. *F.*]

[ANFRACTĀRĬUS, ii, m. qui graditur per anfractus, seu qui per anfractus loquitur. *Not. Tir.* p. 132. Anfractarius. *F.*]

ANFRACTŪOSUS et Amfractuosus, a, um, adj. plenus anfractibus. *Augustin. serm.* 135. *de Temp.* (*al.* 59.) *a med.* Non quaerentes verba locutionis anfractuosae.

ANFRACTUS et Amfractus, us, m. et Anfractum, i, n. ὀχολίωμα, περίοδος, obliqui viarum flexus in se recurrentes: ab *am*, circum, et *frango*, quod recta via crebris Maeandris usquequaque sit interrupta, et veluti fracta. *Nep. Eum.* 8. Duae erant viae, quarum brevior per loca deserta: illa autem, qua omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat anfractum. *Caes. B. G.* 7, 46. Oppidi murus ab planitie, recta regione, si nullus anfractus intercederet, MCC. passus aberat. *Petr. Sat.* 8. Per anfractus obscurissimos egressus. *Varr. L. L.* 6, 2. *a med.* Leges jubent in directo pedum octo esse, in anfracto sexdecim, id est in flexu. Loquitur *Varr.* de latitudine viarum, quae inter agros sunt. *Cajus. Dig.* 8, 3, 8. Viae latitudo ex lege XII. Tabular. in porrectum octo pedes, in anfractum, id est ubi flexum est, sexdecim. ℙ Ponitur et pro circuitione. *Cic. Somn. Sc.* 2. Cum aetas tua septenos octies solis anfractus, reditusque converterit: *anfractum* vocat solis cursum, quia is oblique per Zodiacum decurrit. Sic *annui anfractus id. Leg.* 2, 8. sunt curriculi annorum, quos sol annua conversione dimetitur. *Val. Fl.* 6, 239. mollis anfractus levioris equi, *h. e.* flexus et circumactio equi modo hac, modo illac. *Lucan.* 1, 605. longis anfractibus circumire urbem. ℙ *Anfractus maris*, aut *terrae* sunt sinuosi recessus, quibus mare terram alluit. *Lucan.* 5, 416. Nec maris anfractus, lustrandaque litora nobis, Sed recti fluctus. *Acc.* ap. *Non.* 3, 16. Super Oceani stagna alta patris terrarum anfracta revisam. ℙ Per similitudinem dicitur de quacumque tortuositate. *Varr.* ap. *Non. l. c.* Cum irrigavit cavata aurium anfracta. *Plin.* 11, 37, 45. Cornua arietum convoluta in anfractum. *Cic. N. D.* 2, 18. Nihil pulcrius ea figura (*globi*, aut *circuli*) quae nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum. *Val. Fl.* 7, 523. immensis recubantem anfractibus anguem, *h. e.* voluminibus praelongi corporis. Adde *Stat. Th.* 5, 520. ℙ Translate, i. q. ambages. *Cic. Div.* 2, 61. Quid opus est circuitione et anfractu, ut sit utendum interpretibus somniorum potius, quam directo? *Quint.* 6, 1. Atrocitas crescit ex his, quid factum sit, a quo, in quem, quo animo, quo tempore, quo loco, quo modo: quae omnia infinitos anfractus habent, *h. e.* infinitas vias et rationes argumentorum. *Cic. Partit.* 6. Oratio sit circumscripta non longo anfractu, sed ad spiritum vocis apto. *Id. Cluent.* 56. Vita tranquilla et quieta, remota a procellis invidiarum, et hujuscemodi judiciorum anfractu.

ANFRACTUS et Amfractus, a, um, part. ab inusit. *anfringo*, περιοδεύσιμος, flexus, tortuosus, anfractus habens. *Ammian.* 29, 5. Tumuli per anfracta undique spatia in sublime porrecti, nulliquc pervii, nisi indigenis. [*Hinc anfractum, i, subst. i. q. anfractus. *Varr. L. L.* 6, 2. v. ANFRACTUS, us.]

ANGARĬA, ae, f. ἀγγαρεία, dictio Persica a Graecis passim recepta, ut *Suidas* docet. Ἄγγαροι enim apud Persas dicebantur, qui regi inserviebant in perferendis huc illuc nunciis, et bajulandis oneribus. Hinc *angaria* significat officium et servitutem, quam praestare coguntur subditi principi in perferendis vel litteris, vel oneribus, vel legatis ipsis, aut nunciis; sive equo, sive navi, sive ipsis hominibus uti velint; sed praesertim si hominibus. [*Frohndienst.] *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. §. 29. Neque ab annona, neque ab angariis, neque a veredo, neque a nave, neque ab hospite recipiendo excusare se possunt. *Hermog. ib.* 50, 5, 11. Angariarum exhibitio. *Paul. ibid.* 10. praestatio. Adde *Veget. Mil.* 1, 1, 3., 2, 22. et alibi: tametsi ubique pro *angarias* reponendum *agrarias* censet *Turneb.* cum aliis doctis viris, *l.* 4. *c.* 7. Etiam temporibus *Ciceronis* haec vox in usu aliquo fuit, ut constat ex fragmentis *Nigidii* ejus aequalis, in quibus ea legitur apud *Gell.* 19, 14. [*h. e. sunt qui legant *angari*, ut intelligantur homines, qui perferendis illis ministeriis destinati sunt.] ℙ Vide *Cod. Theod. l.* 8. *t.* 5. et *Cod. Justin. l.* 12. *t.* 51., ubi de hujusmodi rebus agitur.

ANGARĬĀLIS, le, adj. ad angarias pertinens. *Imp. Const. Cod. Theod.* 8, 5, 4. Angarialem copiam habere, *h. e.* facultatem utendi angariis in itinere faciendo.

ANGARĬO, ās, a. 1. ἀγγαρεύω, est cogere ad aliquid publice perferendum. *Ulp. Dig.* 49, 18, 4. Angariare naves. *Augustin. ep.* 5. *circa med.* Cum angariante duplicandam viam. Adde *Paulin. Nolan. ep.* 37. *al.* 27. ℙ *Arat. Hist. Apost.* 2, 902. Haec semel hoc pia jussa canunt; angariat, inquit. Licet hic *Arator* malus auctor prosodiae antepaenultimam producat, alii corripiendam putant. V. ANCARIUS.

*ANGARIS, mons Palaestinae. *Plin.* 5, 13, 14.

ANGARĬUS. V. in ANCARIUS,

*ANGĀRUS, i, V. Angaria.

*ANGEA, ae, Thessaliae oppidum. *Liv.* 32, 13. transgressi in Thessaliam Cymines et Angeas primo impetu potiti sunt; Angeas est genit. graecus.

ANGĔLA, ae, f. coelestis spiritus, generis feminini. *Tertull. adv. Val.* 32. *in fin.* V. ANGELUS.

ANGĔLĬCUS, a, um, ἀγγελικός, ad nunciandum aptus: nam ἀγγέλλειν, nunciare est. Hinc *angeli-*

cum metrum scribit *Diomed.* 2. p. 512. inventum esse ab Stesichoro, tanquam celeritate nunciis aptum. Unam enim ultimam syllabam detraxit hexametro, et fecit tale: *Optima Calliope miranda poematibus.* Sunt hujus metri aliae species, quas referunt *Mar. Victor. art. gr.* 2. p. 2531. et *Plotius de Metris* p. 2633. ℙ Item ad Angelos pertinens. *Prud. tetrast.* 11. *de Manna.* Panibus angelicis albent tentoria patrum. Adde Ecclesiasticos Scriptores passim.

ANGELIFICATUS, a, um, part. ab inusit. angelifico, in Angeli naturam versus. *Tert. Resurr. carn.* 25. Caro in regno Dei reformata et angelificata.

ANGELLUS, i, m. *γωνίδιον* diminutivum ab *angulus. Lucr.* 2, 426. Sunt etiam, quae jam nec laevia jure putantur Esse, neque omnino flexis mucronibus una, Sed magis angellis paulum prostantibus. Alii leg. *angululis. Arnob.* 7. p. 253. Lapis coloris furvi atque atri, angellis prominentibus inaequalis. Ita ex MS. *Stewechius* et *Oberlinus* ediderunt; alii habent *angulis. F.*]

[ANGELTICE, es, f. ars aliquid enunciandi, ab *ἀγγελτικὸς*, ad nunciandum aptus. *Diomed* 3. p. 450. Exegetici, vel enarrativi (poematis) species tres sunt, angeltice, historice, didascalice. Angeltice est, qua sententiae scribuntur, ut est Theognidis liber, item chriae. *F.*]

ANGĔLUS, i, m. *ἄγγελος*, nuncius. Vox Graeca ab *ἀγγέλλω*, nuncio. *Sen. ep.* 20. *a med.* Nec ego Epicuri angelus scio etc. Ita quidem legitur in aliquot codd., in aliis aliter; et suspecta omnibus fere Criticis ea lectio est. ℙ Speciatim accipitur pro coelesti spiritu, qui Dei nuncius et minister est, passimque legitur apud Ecclesiae Scriptores *August.*, *Tert.*, *Prud.*, *Hieron.*, *Arnob.* etc.

ANGERŌNA, ae, f. *Ἀγγερώνη*, Dea Romanorum, super qua variae sunt scriptorum opiniones. *Festus* et *Jul. Modestus* ap. *Macr. Sat.* 1, 10. scribunt, ei sacra Romae fuisse instituta, cum angina omne genus animalium consumeretur. *Verr. Flacc.* ap. *Macr. ib.* ait, ita dici, quod angores ac animi sollicitudines propitiata depellat: vocat autem *Angeroniam.* In *vet. Glossar.* dicitur Dea consilii atque opportunitatum. Denique *Macr.* ipse *ib.* et *Plin.* 3, 5, 9. satis indicant, fuisse Deam silentii, quod etiam auctoritate *Sophoclis* confirmat *Scalig. in Conject.* ad *Varr. L. L.* 5, 3., qui ideo mallet scribi *Angenora*, quia *angit*, hoc est cohibet *os.* Ejus simulacrum erat in sacello Deae Volupiae, ore obligato et obsignato, vel, ut alii volunt, digito ori admoto et silentium indicante; quod qui suos dolores anxietatesque dissimulat, perveniat patientiae ac taciturnitatis beneficio ad maximam voluptatem, ut *Massurius* scribit *c. l. Macr.* Sacrificabatur ei XII. Kal. Januar., et quidem ad navalia, teste *Varr. l. c.* Porro *Macr. Sat.* 3, 9. addit, fuisse quosdam, qui putarent, alterum Romae nomen et Numen, in cujus tutela urbs Roma fuit, quodque arcanis caerimoniarum evulgare nefas erat, ne ab hostibus aliquando evocari posset, *Angeronam* fuisse: vel potius, ut *Plin. l. c.* scribit, ob id maxime Angerona culta fuit, ne arcanum illud evulgaretur; ejusque silentio commendatum est. [*Cf. *Voss.* ad *Virg. G.* 1, 498. p. 207.]

ANGERŌNĀLIA, ium vel iorum, sunt festa et sacra Deae Angeronae. *Festus* in V. *Angeronae. Varr. L. L.* 5, 3. Angeronalia ab Angerona, cui sacrificium fit in ara ad navalia. [(Ita legendum probavit *Fogginius* ad *Fast. fr. Verrii Fl.* p. 79., cum antea legeretur *sacrificium fit in curia. Accalia* etc. Haec enim leguntur apud eund. *Varr. L. L.* 4, 34. Porta Romanula habet gradus in navalia ad Volupiae sacellum.) *F.*]

ANGĪNA, ae, f. *συνάγχη*, (*würgende Bräune*) genus morbi acutissimi, quo fauces anguntur ac strangulantur et subus maxime et canibus infestus. *Pl. Most.* 1, 3, 61. In anginam ego me nunc velim verti, ut veneficae illi fauces prehendam. *Cels.* 2, 10. Angina strangulari. *Plin.* 23, 2, 29. Anginas discutere. *Festus:* Anginam vinariam habere dicuntur, qui vino suffocantur. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 1, 150. [*Cf. *Plin.* 8, 50. *Arist. H. A.* 8, 21, 1. sqq. *βράγχος* appellatur. *Beier.*] ℙ Translate *anginam mentis* dixit *Tertull. Anim.* 48., cum scilicet mens ex corporis mala constitutione obruitur et veluti strangulatur. ℙ Historiam de angina Demosthenis, quam narrat *Gell.* 11, 9. V. in SYNANCHE. ℙ *Angina* pro *ancora*, V. ANQUINA.

ANGĪPORTUS, us, m. et Angiportum, ti, n. *στενωπὸς*, via angusta inter domos, sive ex uno capite exitum non habens, sed in aliquam domum privatam, aut locum conclusum desinens: sive utrinque in viam consularem exiens. *Festus* et *Varr. L. L.* 4, 32. dici ajunt quasi *angustum portum.* Nam *portus* non solum significat stationem navium, sed etiam privatam domum, ut ex Leg. XII. Tab. idem *Festus* docet in *Portum:* et latiore significatione locum quemlibet conclusum, quo importantur merces et inde exportantur, quemadmodum *Ulp. Dig.* 50, 16, 59. definit, et ex eo *angiportum* dictum affirmat. *Cic. Div.* 1, 32. Ex horreis effusum frumentum vias omnes, angiportusque constraverat. *Auct.* ad *Her.* 4, 51. Angiporto toto deerrare. [*Monstrat ad h. l. *Oudend.* fuisse h. v. etiam generis neutrius. Cf. quos laudat, p. 390. ed. *Lindem.*] *Ter. Ad.* 4, 2, 39. Id quidem angiportum non est pervium. *Pl. Ps.* 4, 2, 6. Hoc est sextum a porta proximum angiportum: in id angiportum me devorti jusserat. *Id. fr.* ap. *Non.* 3, 1. Quasi carnificis angiporta purgitans. *Catull.* 58, 4. Nunc in quadriviis et angiportis. *Hor. Od.* 1, 25, 10. Flebis in solo levis angiportu.

ANGITIA et Anguitia, ae, f. Acetae filia et soror Medeae et Circes, quae Marsis remedia contra venena ostendit, et isto nomine pro Dea est a Marsis et Marrubiis culta: unde Silva Angitia, nunc *Selva d' Albi*, in finibus Marsorum, inter Albam et lacum Fucinum. V. *Solin.* 2. [*Salm. Exerc. Plin.* p. 60.] *Serv.* ad *A.* 7, 750. vult hoc nomine intelligi ipsam Medeam, quae, quia malas herbas, et contra venenorum vim remedia monstraverit, pro Dea habita sit, ita dicta, quia carminibus suis serpentes angeret. *Sil.* 8, 500. Aetae prolem Angitiam mala gramina primam Monstravisse ferunt, tactuque domare venena, Et lunam excussisse polo, stridoribus amnes Frenantem, ac silvis montes nudasse vocatis. *Virg. A.* 7, 759. Te nemus Angitiae, vitrea te Fucinus unda etc. ℙ Qui *Anguitia* malunt, ita dici ajunt, quod summam in angues potestatem habuerit. ℙ [Hoc nomine fuit etiam urbs in loco, ubi nunc *Luco*, prope lacum Fucinum, (cujus incolas *Plin.* 3, 12, 17. *Lucenses* appellat) ita appellata ab eadem Dea Angitia, cui nemus erat dicatum. Detecta est haec parva urbs an. a Chr. n. 1808., ibique etiam reperta est haec *Inscr.* ap. *Romanell. Topogr. Napolit. T.* 3. p. 220. Sex. Paccius.... et Sex. Paccius M. *F.* II. *viri* Quinq. murum *vetustate* consumtum a solo *restituerunt* ex *Pecunia Publica* Angitiae. ℙ *Angitiae, arum*, videntur fuisse Deae quaedam, quarum nullus auctor meminit, praeter *Inscr.* ap. *Mur.* 113, 1. Fuficia C. Fuficii Amandi F. Justa Magistra Angitiis Donum Dedit. Haec videtur dedicata in honorem Angitiae simul, ac sororum ejus Medeae et Circes. *F.*]

ANGLI, orum, m. plur. *Ἄγγειλοὶ Ptol. Ἄγγιλοι Procop. B. Goth.* 4. populi Suevorum ad mare Suevicum in Germania, in circulo Saxoniae inferioris ad septentrionem et occidentem, qui nunc sunt major pars Ducatus Meckleburgensis. Hi postea mare transvecti et occupata Britannia, nomen ei Angliae dedisse dicuntur. Horum meminit *Tac. G.* 40. [*Cf. *Hess.* et *Dilthey.*]

ANGO, is, anxi, a. 3. proprie significat constringere, suffocare, strangulare: ab *ἄγχω*, quod idem sonat. Hinc *Virg. A.* 8, 260. Corripit in nodum complexus et angit inhaerens Elisos oculos et siccum sanguine guttur. *Id. G.* 3, 496. quatit aegros Tussis anhela sues, ac faucibus angit obesis. *Sil.* 13, 584. Atque angens utraque manu sua guttura livor. Adde *Stat. Th.* 6, 270. ℙ Ponitur etiam generatim pro stringere, in angustum redigere. *Lucan.* 6, 106. At liber terrae spatiosis collibus hostis Aere non pigro, nec inertibus angitur undis; Sed patitur saevam, veluti circumdatus arcta Obsidione, famem. *Hor. Sat.* 2, 2, 64. hac urget lupus, hac canis angit. [*Cf. *Doering.* ad h. l.] *Colum.* 11, 3. *a med.* Stirpes praefractae augunt oculos spongiarum et quasi excaecant, nec patiuntur asparagum emittere. ℙ Item latiori significatione pro dolorem aut incommodum afferre, cruciare, vexare. *Plin.* 10, 60, 79. Ardeolae in coitu anguntur, *h. e.* laborant, incommodum sentiunt. ℙ Saepissime refertur ad animum et significat cruciare, vexare, sollicitum reddere, animum in angustum redigere et veluti suffocare. *Cic. Q. fr.* 3, 3. Me illa cura sollicitat angitque vehementer. *Id. Sen.* 19. Angere et sollicitum habere aliquem. *Id. Att.* 9, 1. Angi exspectatione alicujus rei. *Id. Amic.* 3. decessu amicorum. Et *ib.* suis incommodis. [*Tac. A.* 15, 28. neque infamia Paeti angebatur, i. e. non eum infamare studebat.] *Id. Att.* 2, 18. et 7, 22. de aliqua re. *Id. ib.* 5, 10. intimis sensibus. *Id. Fam.* 4, 3. praecipuo quodam dolore in miseriis communibus. *Id. ib.* 16, 14. et *Brut.* 2. Angi animo. *Pl. Ep.* 3, 1, 6. Angi animi. *Liv.* 2, 7. Haec cum indignitate angerent consulis animum. *Id.* 29, 1. Parentes eorum ea cura angebat. *Lucan.* 2, 681. curis mordacibus angere animum. [*Coll. *ib.* 64. et *Cort.* ad h. l.] *Pl. Cas.* 2, 1, 10. Angere animum alicujus dictis incommodis. *Gell.* 1, 3. Ea res in fine quoque vitae ipso animum ejus anxit. [*Cf. *Goer.* ad *Cic. Fin.* 1, 12, 41. et *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 38, 142. coll. 97, 331., ubi inter *angere* et *tangere* (quae persaepe in libris confunduntur) hoc discrimen facit: *angere* dici de perpetua s. duranti aegritudine et molestia; *tangere* de tali, quae repente incidens ad animum penetrat, ut *Liv.* 1, 53. 3, 17. *Cic. Att.* 1, 19. V. TANGO. — De *urgere*, *angere* et *tangere* disputat *Burm.* ad *Ov. A. A.* 3, 541.] ℙ Supinum *anxum*, et partic. *anxus*, quae afferuntur a *Prisc.* 10. p. 895., obsoleta sunt, et carent etiam exemplis. Ab his tamen est adjectivum *anxius. Anctus* quoque, aliud participium ibidem allatum, obsoletum est; tametsi legi apud *Festum* putat Scaliger, *Anctos*, *excruciatos*, ubi vulgo legitur *antios.* [*Vet. Gloss.* Anctos, *ἀναγκαιοθέτους*; item Aucti, *ἀγχομένοι. B. A.*]

ANGOR, ōris, m. proprie significat vim morbi fauces constringentem et strangulantem, quae saepius *angina* dicitur. *Plin.* 8, 27, 41. Occupat illico fauces earum angor. [*Liv.* 5, 48. angore vexari.] ℙ Translate dolorem animi, tristitiam, sollicitudinem, angustiam animi, *ἄχθος, λύπη. Cic. Tusc.* 4, 8. Angor est aegritudo premens. *Id. Off.* 2, 1. Dedere se angoribus. *Id. Phil.* 2, 15. Conficere aliquem angoribus. *Id. Amic.* 13. *in f.* Capere angorem pro amico. *Suet. Tib.* 49. Metu et angore agi ad vitae fastidium [*Prorsus ita *Cic. Fin.* 1, 18, 60. quae (futura) quia certa esse non possunt, conficiuntur et angore et metu; ubi *Goer. angorem* minus recte ad corpus referri vult. *Id. Tib.* 7. non sine magno angore animi.] ℙ Quomodo differat ab anxietate V. in ANXIETAS.

*ANGRIVARII, orum, populi Germaniae inferioris, inter Amisiam ac Visurgim flumina. *Tac. G.* 33. et 34. *Id. A.* 2, 8. et 19. *B. A.*

*ANGUEN, ĭnis, n. id. q. anguis, ut *sanguen* pro *sanguis. Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1, 29. Coronatis optimatium mos est Heroïs templum scandere, cui talia scilicet anguina obsequio famulentur. *B. A.*

ANGUESCO, is, n. 3. anguem fieri. *Tert. Pall.* 3. Cervus serpente pastus, veneno anguescit in juventutem. Alii rectius leg. *languescit.*

ANGUĔUS, a, um, adj. ab anguis, id. q. anguinus, sed rarioris usus. *Solin.* 24. *de Libya.* Flexuoso meatu aestuarium e mari fertur, adeo sinuosis lateribus tortuosum, ut visentibus procul lapsus angueos fracta vertigine mentiatur.

ANGUĪCOMUS, a, um, adj. angues crinium loco habens. *Ov. Met.* 4, 698. Gorgonis anguicomae Perseus superator. Adde *Stat. Th.* 1, 544.

ANGUĪCŬLUS, i, m. *ὀφίδιον*, diminut. ab anguis. *Cic. Fin.* 5, 15. Serpere anguiculos.

ANGUĪFER, a, um, adj. anguem ferens. *Prop.* 2, 2, 8. Gorgon anguifera. *Prud. Hamartig.* 131. Anguiferum caput. ℙ *Anguifer, i*, absolute est sidus Graeco nomine *Ophiuchus. Colum.* 11, 2. XI. K. Julii anguifer, qui a Graecis dicitur *ὀφιοῦχος*, mane occidit, tempestatem significat. V. OPHIUCHUS.

ANGUĪGĔNA, ae, comm. gen. angue natus. *Ov. Met.* 3, 531. Quis furor anguigenae, proles Mavortia, vestras Attonuit mentes? *anguigenas* vocat Thebanos, quos fabulantur ortos ex dentibus anguis a Cadmo seminatis, ut est ap. *Eund. sub init. ejusd. libri.*

ANGUILLA, ae, f. *ἔγχελυς*, [*Muraena anguilla *L.*] sic dicta ab anguis forma, ut *Varr.* docet *L. L.* 4, 12. *Juven.* 5, 103. Vos anguilla manet longae cognata colubrae. ℙ *Anguilla est, elabitur*, proverbium de iis, qui valde callidi sunt et dolis quoslibet decipiunt. *Pl. Ps.* 2, 4, 56. *Ps.* Ecquid argutus est? *Ch.* malorum facinorum saepissime. *Ps.* Quid, cum manifesto tenetur? *Ch.* anguilla est: elabitur. ℙ Anguillis, inquit *Plin.* 9, 23, 39. tergus crassius, eoque verberari solitos tradit Verrius praetextatos. *Isid. Or.* 5, 27. Anguilla est, qua coercentur in scholis pueri: quae vulgo scutica dicitur. Huc facit illud *Hesych. Σκυτάλαι ὄφεων εἶδοι φλαγέλλια, λῶροι.*

ANGUILLĀRIUS, a, um, adj. *Proc. Dig.* 18, 1, 69. Rutilia emit lacum Sabatenem anguillarium, *h. e.* anguillis copiosum, ut quidam interpretantur. Alii leg. *angularium*, *h. e.* angulos habentem, non rotundum, vel positum in angulo fundi. [*Gloss. Vet.* angularius, *γωνιαῖος. B. A.* At *Cellar. Geogr.* 2, 9. *n.* 20. probabili conjectura putat, esse glossam ortam ex nomine oppidi recentioris huic lacui adjacentis, quod nunc *Anguillara* appellatur. *F.*]

ANGUĪMANUS, i, m. elephas dicitur, propter proboscidis (quae ejus manus dicitur) agilitatem in quamvis partem, anguium instar. *Lucr.* 2, 536. in genere anguimanos elephantos. Et 5, 1302. Inde boves Lucas turrito corpore tetros Anguimanos belli docuerunt vulnera Poeni.

ANGUĪNEUS, a, um, adj. ad angues pertinens, *ὀφιώδης*. *Ov. Trist.* 4, 7, 12. Gorgonis anguineis cincta fuisse comis. [*Cf. *Burm.* ad h. l. et ad *Quint.* 11, 3. p. 1035.) ℙ Item qui ad anguis similitudinem accedit, ut *Anguineus cucumis*, hoc est oblongus et ad anguis similitudinem contortus, ap. *Colum.* 2, 9. et 7, 10., qui erraticus ab aliis dicitur, ut est ap. *Plin.* 20, 2, 4. ℙ Etiam *Prop.* haec vox tribuitur 4, 8, 10. et *Catull.* 64, 193. etc., sed tum his, tum allatis locis malunt Critici non uni, *anguinus* reponi: inter quos *Brouk.* ad *Prop. l. c. anguineus* vocem minus Latinam putat. [*Prorsus hoc voc. damnat *Burm.* ad *Prop.* l. l. omnibusque locis, quos Noster laudat, *anguinus* reponendum esse censet.]

ANGUĪNUS, a, um, adj. *ὀφιώδης, ὀφιαῖος*, anguineus. *Pac.* ap. *Cic. Div.* 2, 64. Quadrupes capite brevi, cervice anguina, aspectu truci. *Plin.* 30, 5, 12. Anguinus adeps. *Id. ib.* 3, 8. Anguina vernatio, *h. e.* pellis, quam angues vere deponunt. *Id.* 20, 2, 6. *Cato R. R.* 73. Pellem anguinam, ubi videris, tollito et condito. *Varr. R. R.* 1, 2. *ad fin.* Anguinus cucumis. V. ANGUINEUS. ℙ *Anguinum, i*, n. absolute. *Plin.* 29, 3.

12. Angues innumeri aestate convoluti, salivis faucium, corporumque spumis artifici complexu glomerantur: anguinum appellatur. sc. ovum intelligit, quod ex eo complexu nascitur.

ANGUĪPES, ĕdis, comm. gen. adj. *Anguipedes* dicti sunt Gigantes a poetis, qui finxere eos pedibus tortuosis, et in anguium volumina desinentibus: quo significarent, ut ait *Macr. Sat.* 1, 20. nihil eos rectum, nihil superum cogitasse, totius vitae eorum gressu, atque processu in inferna mergente. *Ov. Met.* 1, 183. centum quisque parabant injicere anguipedum captivo brachia coelo. Hic tamen videtur substantive usurpari.

ANGUIS, is, m. et f. ὄφις, serpens, draco. *Serv.* ad illud *A.* 2, 204. *gemini tranquilla per alta immensis orbibus angues*, docet, proprie *angues* esse aquarum, *serpentes* terrae, *dracones* templorum. Fortasse hoc sensu usurpat *Plin.* 29, 4, 22. Neque anguis venenatus est, nisi per mensem luna instigatus. *Harduin.* vertit *un couleuvre.* ℙ Verum hoc discrimen vix unquam servatur. Anguis enim saepissime de terrestribus dicitur. *Cic. Div.* 2, 29. Si emissio feminae anguis mortem afferebat T. Graccho, emissio autem maris anguis erat mortifera Corneliae. *Id. ib.* 28. Anguis vectem circumjectus. *Id. N. D.* 1, 36. Angues volucres vento invectae. *Tac. A.* 11, 11. Unam anguem in cubiculo visam. Adde *Varr.* ap. *Non.* 3, 9. ℙ Proverbii vim habet illud *Virg. Ecl.* 3, 93. latet anguis in herba. Itali dicunt *la gatta ci cova.* ℙ Ponitur etiam pro re abominanda. *Pl. Merc.* 4, 4, 21. Odisse aliquem aeque atque angues. *Hor. Ep.* 1, 17, 30. Cane pejus et angui vitare aliquid, *angue* legitur in aliis codd., sed utroque modo recte desinit in ablativo, ut *Prisc.* docet 7. p. 766., qui hoc ipso *Hor.* loco legit *angui;* additque pro altera terminatione (quae tamen certior est) illud *Stat. Th.* 4, 485. Angue ter excusso. Sic *Prop.* 3, 3, 62. Tisiphones atro si furit angue caput. [*Cf. de his formis *Cort.* ad *Lucan.* 3, 667.] ℙ Est etiam *anguis* sidus coeleste, qui et *Draco* dicitur, de quo est in fabulis, appositum fuisse a Junone (quam quidam Hesperi et Hesperidum matrem fuisse dicunt) ad custodiam horti Hesperidum, quem cum Hercules eo missus ab Eurystheo ad poma auferenda, occidisset, ab ea fuisse inter sidera collocatum. Alii fabulantur Minervam cum Gigantes oppugnaret, objectum ab ipsis serpentem mirae magnitudinis, arreptum contorsisse in astra, et ad ipsum axem coeli fixisse. Ejus enim locus est ad septentriones, inter duas Arctos, quas sinuosis flexibus complectitur. Constat stellis quindecim: vel, ut alii volunt, vigintiquinque, vel, ut alii, triginta et una. *Hyg. Astron.* 2, 3. et *ib.* 3. 2. et *Serv.* ad illud *Virg. G.* 1, 244. Maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis Circum, perque duas in morem fluminis Arctos. Adde *Cic. N. D.* 2, 42., ubi ex *Arato* describit. ℙ Aliud est sidus *anguis* dictus, idem *hydra*, trium signorum longitudinem occupans, Cancri, Leonis et Virginis, constans stellis viginti septem, ut docet *Hyg. Astron.* 3, 39., tametsi alii plures assignant. Medio corpore sustinet Craterem et prope extremam caudam Corvum rostro corpus ejus tundentem et ad Craterem tendentem. Ejus fabula est hujusmodi. Cum Apollo convivium Jovi pararet, vel, secundum alios, sacrificare vellet, misit corvum ad fontem, aquam puram petitum, qui sumpto uncis pedibus cratere, dum ad hauriendam aquam pervolaret, vidit in arbore ficus adhuc immaturas: exspectaturus itaque dum maturescerent, ibi aliquamdiu moratus est. Tandem maturatis ficis saturatus, rostro hydrum cepit, et una cum cratere aqua pleno accessit ad Apollinem, excusans tarditatem, quod cum eo hydro diu sibi pugnandum fuisset, antequam aquam hauriret. Iratus Apollo corvum et hydrum et craterem in coelum quidem transtulit, sed ita collocavit, ut corvus sitiens ad craterem quidem contenderet, sed ab hydro impediretur, cujus propterea caudam assiduo rostri ictu tunderet. Haec tria sidera eodem fere tempore et oriuntur et occidunt. *Ov. Fast.* 2, 243. Continuata loco tria sidera Corvus et Anguis et medius Crater inter utrumque jacet. Idibus illa latent etc. *Serv.* de hoc eodem *Angue*, quem Australem vocat, intelligendum ait illud *Virg. G.* 1, 205. Haedorumque dies servandi et lucidus Anguis. [*Sed V. *Voss.*] Adde *Vitr.* 9, 7. et *Hyg. Astron.* 2, 40. et *ib.* 3, 39. ℙ Denique tertium est sidus coeleste, *Anguis* nomine, estque ille, quem Anguitenens, seu Ophiuchus in manu tenere fingitur. V. OPHIUCHUS. ℙ [*Anguis et *ignis* commutantur in libris. V. *Goer.* ad *Cic. Ac. pr.* 2, 28, 89. (p. 165.) *Jev.* ad *Lucan.* 1, 549.]

ANGUĪTĔNENS, entis, omn. gen. ὀφιούχος, sidus coeleste, qui etiam *Anguifer* dicitur et Graeco vocabulo *Ophiuchus. Cic. N. D.* 2, 42. Atque haec quidem a tergo, propter caput autem Anguitenens, quem etc. Adde *Manil.* 5, 384. V. OPHIUCHUS.

ANGUĪTĬA. V. ANGITIA.

*ANGŬLĀNUS, a, um, adj. ad Angulum pertinens, urbem Vestinorum, nunc *Civita Santangelo. Plin.* 3, 12, 17. Vestinorum Angulani, Pinnenses, Peltuinates. *Ptol.* vocat Ἄγγολον. *B. A.*

ANGŬLĀRIS, re, adj. γωνιαῖος, angulos habens. *Cato R. R.* 14. Pilae ex lapide angulari, *h. e.* quadrato. [*De *lapide angulari* cf. *J. M. Heusing.* actt. schol. VI. p. 127. *Beier.*] *Colum.* 5, 3. Extremi agrorum ordines, quos vocant angulares. ℙ Substantive *angularis* est genus vasis coquinarii ab angulari forma sic appellati. *Apic.* 5, 3. Angularem accipies. *Id.* 7, 4. In angularem refundis simul cum ofellis, *h. e.* in ollam vel cacabum angularem.

ANGŬLĀRĬUS, a, um, adj. id. q. angularis. *Inscr.* optimae notae ap. *Grut.* 207, 2. Nive angolaria (lege *angulariam*) caementam altiorem ::-ε facito, *h. e.* caementam, quae in angulo ponenda est. Eodem sensu Christus a *D. Petro ep.* 1, 2, 6. vocatur *lapis angularis.* Hinc in *Gloss. Phil.* Angularius, γωνιαῖος. V. ANGUILLARIUS.

ANGŬLĀTĬLIS, le, id. q. angularis. *Auct. incert. de Term. agr.* ap. *Goes.* p. 303. In fontem quatuor-angulatilem descendet.

ANGŬLĀTIM, κατὰ γωνίας, adv. per angulos. *Appul. Met.* 9. p. 237, 26. Angulatim cuncta sedulo perlustrari jubent. *Sidon. ep.* 7, 9. Paucis angulatim fringultientibus.

ANGŬLĀTUS, a, um, part. v. *angulo*, γωνιαῖος, angulos habens. *Cic. N. D.* 1, 24. Corpuscula quaedam levia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata etc. ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 871, 6. Ulpius Angulatus. *F.*]

ANGŬLO, as, a. in angulum flecto. *Ambros. ep.* 42. Serpens tortuosis angulatur anfractibus.

ANGŬLOSUS, a, um, adj. angulatus, plures habens angulos, γωνιώδης. *Plin.* 37, 12, 75. Gemmis angulosis minima gratia. *Id.* 16, 23, 35. Angulosa folia. *Id.* 15, 24, 29. Angulosi acini. *Id.* 4, 4, 5. Peloponnesus inter duo maria, platani folio similis propter angulosos recessus.

ANGŬLŬLUS, li, m. parvus angulus. V. ANGELLUS.

*ANGULUM, i, n. vel Angulus, i, m. Ἄγγολος *Ptol.*, oppidum Italiae, in agro Vestinorum, hodie *Civita di Santo Angelo. Anton. Itin. B. A.*

ANGŬLUS, i, m. [*ab ἀγκύλος, i. e. aduncus, curvus.] γωνία, Geometris dicitur id quod constat ex duabus lineis in idem punctum desinentibus, quod ibi angustus sit locus. Hinc in aedificiis *anguli* dicuntur, ubi duo parietes coeunt. Item in agris et regionibus, ubi duo latera conveniunt, atque in acutum desinunt, *angulus* appellatur. *Cic. N. D.* 2, 18. Figura, quae nihil habet incisum angulis, nihil anfractibus. *Caes. B. G.* 5, 13. Hujus lateris alter angulus, qui est ad Cantium etc. *Plin.* 37, 10, 66. Gemma plurium angulorum. *Id.* 11, 37, 54. et 24, 14, 77. Anguli oculorum, κάνθοι ὀφθαλμῶν. *Id.* 2, 82, 84. parietum. *Id.* 12, 13, 29. Angulus acutus. *Lucr.* 4, 355. obtusus. *Cic. Tusc.* 1, 17. Ferri in terram et in mare ad angulos pares, recte decidere et veluti lineam angulos aequales efficere. *Sen. Qu. nat.* 5, 17. Meridianus circulus horizonta rectis angulis secat. ℙ Saepe ponitur pro secessu, loco remoto, infrequenti. *Cic. Cat.* 2, 4. *in f.* Nemo non modo Romae, sed nec ullo in angulo totius Italiae fuit, quem etc. *Hor. Od.* 2, 6, 13. Ille terrarum mihi praeter omnes Angulus ridet. *Ter. Ad.* 5, 2, 10. In angulum aliquo abire. *Sen. ep.* 95. Cessat omne studium; et liberalia professi, sine ulla frequentia, desertis angulis praesident, *h. e.* scholis vacuis discipulorum. [*Vell.* 2, 102, 3. per omnes angulos terrarum orbis.] ℙ Translate. *Cic. Caec.* 29. Me ex hoc, ut ita dicam, campo aequitatis ad istas verborum angustias, et ad omnes litterarum angulos revocas. ℙ De sinu maris. *Cato* ap. *Charis.* p. 185. Mare velis florere videres ultra angulum Gallicum. ℙ Per syncopen. *Fann. de Ponder.* 59. Pes longo spatio, latoque notetur in anglo. At meliores editiones habent: *Pes longo spatio atque alto latoque notetur.*

ANGUSTĀTUS, a, um, part. v. *angusto*, coarctatus, angustus. *Cic. Somn. Scip.* 6. Terra angustata verticibus, lateribus latior. Plerique omnes leg. *angusta. Plin.* 17, 8, 4. Putei ore angustati.

ANGUSTĒ, adv. arcte, στενῶς. *Cic. fr.* ap. *Macr. Sat.* 2, 3. Recepissem te, nisi anguste sederem. *Caes. B. C.* 1, 59. Non longo ab castris progressi spatio, ut celerem receptum haberent, angustius pabulabantur. Et 3, 45. Ut quam angustissime Pompejum contineret. ℙ Deinde maxime dicitur de tenuitate e. g. frumenti etc. *Caes. B. C.* 3, 16. Anguste uti re frumentaria. *Id. ib.* 5, 24. Eo anno frumentum, propter siccitates, angustius provenerat. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 2, 7. Disputare aliquid uberius et fusius aut concludere brevius angustiusque. [*Cic. *Tusc.* 5, 31. angustius se habere (in disputando), i. e. pluribus difficultatibus urgeri. De oratione quum dicitur, est i. q. exiliter, tenuiter, s. sine oratoria gravitate et vi et copia, quanquam cum subtilitate quadam et concinnitate. *Id. Partit.* 40. et *Brut.* 33. Dialectici angustius disserere dicuntur, i. e. tenuius et exilius, quoniam a copia dicendi oratoria abhorrent. Cf. *Ern. lex. techn. lat.* p. 21.] *Id. Or.* 33. Definire aliquid presse et anguste. *Id. Brut.* 84. Anguste et exiliter dicere. [*Adde *Cic. Mur.* 16, 28. neque quidquam tam anguste scriptum est, quo etc., i. e. tenuiter ut exiliter, ideoque obscure. Loquitur de formulis ICtorum.]

ANGUSTĬA, ae, f. στενοχωρία, locus angustus. Saepius plurali numero effertur quam singulari. *Sall. Cat.* 61. Multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiae loci. *Suet. Aug.* 45. Angustiae vicorum. [*Liv. 28, 1. angustiae saltibus crebris inclusae.] *Tac. A.* 15, 43. itinerum. *Cic. Agr.* 2, 32. Corinthus posita in angustiis atque in faucibus Graeciae. *Id. N. D.* 2, 7. Angustiae fretorum. *Id. Tusc.* 1, 20. Penetrare per angustias. *Nep. Dat.* 8. Claudere adversarios angustiis locorum. *Justin.* 17, 1. Angustiis includi. *Curt.* 4, 5. In angustiis deprehendi. Ac de aliis rebus: *Cic. Or.* 3, 46. Angustia spiritus. *Plin.* 21, 21, 92. Angustiae urinae. *Id.* 37, 10, 62. Coire in angustias. [*i. e. parcius vivere.] ℙ Hinc translate verborum angustiae dicuntur [*de brevibus et contortis conclusiunculis in disputando maxime et in philosophando. *Cic. Acad. pr.* 2, 35. quum sit campus, in quo exsultare possit oratio, cur eam in tantas angustias et in Stoicorum dumeta compellimus?] *Cic. Caec.* 29. Me ex hoc, ut ita dicam, campo aequitatis ad istas verborum angustias, et ad omnes litterarum angulos revocas. *Id. N. D.* 2, 7. Angustia conclusae orationis non facile se ipsa tutatur. [*i. e. subtilitas. Cf. ANGUSTE.] ℙ De tempore quum dicitur brevitatem significat. *Cic. Or.* 3, 61. Edidi quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coegerunt. *Id. Verr.* 2, 1, 56. Diem praestituit operi faciundo calendas Decembres: locat circiter idus Septembres: angustiis temporis excluduntur omnes. *Cic. Fil. ad Tir. Fam.* 16, 21. Excusationem angustiarum tui temporis accipio: scio enim, quam soleas esse occupatus. *Cic. Or.* 1, 1. Sed tamen in his vel asperitatibus rerum, vel angustiis temporis obsequar studiis nostris. ℙ *Angustiae pecuniae, rei familiaris, aerarii*, etc. sunt tenuitas, exiguitas, indigentia. *Cic. Partit.* 32. Aes alienum, angustiae rei familiaris. *Id. Fam.* 12, 30. Incredibiles angustiae pecuniae publicae. *Id. Agr.* 2, 14. Permulta quae senatus propter angustias aerarii vendenda censuit. Et absolute. *Cic. Fil. ad Tir. Fam.* 16, 21. Huic ego locum in proximo conduxi, et, ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem. Adde *Tac. A.* 1, 75. Sic *Caes. B. C.* 2, 17. Angustiae rei frumentariae. *Tac. A.* 1, 35. stipendii. Et 2, 38. fortunae. ℙ *Angustia rerum* idem fere est ac tenuitas, et inopia fortunarum. *Tac. ib.* 4, 72. Tributum iis Drusus jusserat modicum, pro angustia rerum, ut in usus militares coria boum penderent. *Auct. Dial. de Or.* 8. Quo notabilior paupertas, et angustia rerum nascentes eos circumsteterunt. Etiam in universum dicuntur *angustiae* pro difficultatibus quibus aliquis ita premitur, ut quo se vertat, nesciat. *Cic. Quint.* 5. Qui hunc in summas angustias adductum putaret. *Id. Acad.* 4, 35. Compellere aliquem in angustias. *Caes. B. C.* 1, 54. Cum in his angustiis res esset. [*Adde: nisi in eas angustias petitionis incidisset, sc. quae fuere temporibus Marianis, quum pauci ad consulatum pervenire possent, quod Marius ei semper imminebat.]

ANGUSTĪCLĀVĬUS, ii, m. qui angustum clavum in tunica gerit, vel quod sit equestris ordinis, vel quod equestria ornamenta habeat, quae interdum etiam tribuni militum, licet plebeji essent, consequebantur. *Suet. Oth.* 10. Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiae decimae legionis tribunus angusticlavius. V. CLAVUS.

ANGUSTĪTĀS, atis, f. idem quod angustia. *Acc.* ap. *Non.* 2, 38. Saxum id facit angustitatem.

ANGUSTO, as, avi, atum, a. 1. στενοχωρέω. *Lucan.* 5, 232. Qua maris angustat fauces saxosa Carystos. *Id.* 4, 326. nulloque humore rigatus Aeris alternos angustat pulmo meatus. *Sen. Cons. ad Helv.* 11. Servorum turba, quae quamvis magnam domum angustet. *Id. Cons. ad Polyb.* 29. Nimis angustat gaudia sua, qui iis tantummodo, quae habet ac videt, frui se putat. *Id. Tranq.* 8. Angustanda sunt patrimonia, ut minus ad injurias fortunae simus expositi. *Catull.* 64, 355. Iter caesis angustans corporum acervis. *Stat. Th.* 4, 827. de Hercule: rabidi cum colla minantia monstri Angeret, et tumidos animam angustaret in artus, *h. e.* constringeret, cohiberet. *Id.* 12, 665. At procul ingenti Neptunius agmina Theseus Angustat clypeo, *h. e.* claudit agmen. *Claud.* VI. *Cons. Hon.* 526. viridique angustat iaspide pectus, *h. e.* stringit, colligit vestes ante pectus.

ANGUSTUS, a, um, adj. στενός, arctus, strictus, brevis: ab *ango*, qua stringere significat. *Cic. Leg.* 3, 17. Angusti pontes. *Sall. Jug.* 97. Iter angustum. [*Plin. *Pan.* 22, 4. trames. *Luc.* 2, 709. limes.] *Caes. B. G.* 1, 2. Angustos fines habere. [*i. e. nimis angustos, cf. *Herz.*] *Hor. Ep.* 1, 7, 29. Angusta rima. [*Virg. *G.* 2, 75. angustus in ipso nodo sinus, i. e. parva quaedam cavitas, facta in ipso nodo in cortice. Cf. *Cerda* et *Voss.*] *Ov. Trist.* 3, 10, 27. papyrifero qui non angustior amne. *Caes. B. C.* 1, 25. Fauces por-

tus angustissimae. *Tibull.* 1, 4, 71. Angustis habenis equum compescere, *h. e.* adductis et stringentibus. *Ib.* 6, 27. Angustum agmen turbae, *h. e.* densum, et iter angustans. *Cic. Or.* 1, 61. Angustus spiritus Demosthenis. *Plin.* 21, 4, 10. Angustus odor rosae, *h. e.* non late se spargens. *Angustus clavus* quid sit. V. *Clavus.* ℙ Substantive. *Virg. A.* 2, 332. et *Tac. Hist.* 4, 35. Angusta viarum. ℙ Dicitur etiam de tempore, et ponitur pro brevi. *Ov. Amor.* 3, 7, 25. Angusta nox. *Id. Trist.* 5, 10, 8. et *Stat. Th.* 1, 442. Angusta dies. *Lucan.* 4, 447. Angustum tempus. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 14. Disputationes angustae et concisae. Et 3, 30. Minutae et angustae concertationes, [*i. e. ejusmodi concertationes, quae in rerum singularum pertractatione haerent, quibus opp. disputationes de universis rerum generibus, s. loci communes. Adde *Cic. Fin.* 4, 3, 7. pungunt (Stoici) quasi aculeis, interrogatiunculis angustis.] Hinc intelligitur simul, quod sine metaphora dixit *Cels.* 7, 5. *n.* 2. Sagitta magna vi fertur et ipsa angusta est, i. e. tenuis, subtilis s. acuta. *Id. Or.* 56. Si et angusta quaedam atque concisa, et alia est dilatata et fusa oratio. [*Aliter intellige ap. *Tac. A.* 2, 87. unde angusta et lubrica oratio sub principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat; i. e. nescis, quibus verbis tuto utaris, ne in dicendo offendas.] *Prop.* 2, 1, 40. Callimachus angusto pectore, *h. e.* qui non utitur grandiloquentia. [*Cf. *Burm.* ad h. l., qui comparat 2, 25, 44. incipe jam angusto versus includere torno etc. aliosque locos, quibus efficitur, in his *elegiam* opponi *versui heroico.*] *Cic. Planc.* 22. Venire in angustum, i. e. parcius vivere, *Id. Acad.* 1, 10. Perturbationes animi contrahere, et in angustum deducere, *h. e.* coercere, compescere. *Id. Amic.* 5. Contracta res et adducta in angustum. *Id. Off.* 1, 17. Concludi in exiguum et angustum. ℙ Saepe ponitur pro tenui, paupere. *Hor. Od.* 3, 2, 1. Angusta pauperies. *Juven.* 3, 164. Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi. [*Tac. A.* 2, 33. qua (republica) tenui, angustas civium domos; postquam eo magnificentiae venerit etc. igitur i. q. tenuiter instructa domus.] *Sen. Th.* 452. Tutus angusta mensa capitur cibus. *Cic. Fam.* 3, 8, 28. Angustior liberalitas. Et absolute: *Pompon. Dig.* 7, 8, 22. Legatarius angustus. ℙ *Res angustae* interdum idem sunt ac res adversae, quia homines in angustum cogunt, et opprimunt. *Hor. Od.* 2, 10, 20. Rebus angustis animosus atque Fortis appare. *Ter. Heaut.* 4, 2, 2. in angustum cogi i. e. premi difficultatibus. *Caes. B. G.* 2, 25. res est in angusto. *Cels.* 8, 4. spes est in angusto. Hinc etiam intelligitur, quid sit *fides angusta*, i. e. q. labefacta et afflicta, cum pauci inveniuntur, qui aes alienum dissolvant, aut pecunias alteri credant. *Caes. B. C.* 3, 1. Cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae solverentur. ℙ De homine autem quum dicunt, intelligendum de homine, qui est animo vili et abjecto; sic enim loquitur *Cic. Off.* 1, 20. angustus animus. *Id. Fin.* 1, 18. homines minuti et angusti, eodem sensu. ℙ [*Angustus* et *augustus* passim in libris commutantur. V. intpp. ad *Plin. Pan.* 23, 6. *Drak.* ad *Liv.* 5, 41. 2.]

ĂNHĒLANS, antis, part. v. *anhelo*, qui crebro et graviter respirat, *ἀσθμαίνων. Auct. ad Her.* 4, 33. Anhelans ex imis pulmonibus prae cura spiritus ducebatur. *Ter. Hec.* 5, 3, 25. Confugere anhelantem domum. *Virg. A.* 10, 837. aeger, anhelans. *Pers.* 5, 10. anhelanti folle premere ventos. ℙ Spirando emittens, efflans. *Cic. N. D.* 2, 44. gelidum valido de pectore frigus anhelans Capricornus. *Stat. Th.* 11, 17. campus anhelans sulphure coelesti. *Sil.* 9. 286. unda freti Torquet anhelantem spumanti vertice pontum. ℙ Translate. *Cic. Cat.* 2, 1. Catilina anhelans scelus, *h. e.* spirans scelus animo conceptum. [*Cf. *Matth.* ad h. l.] *Auct. ad Her.* 4, 55. Anhelans ex imo pectore crudelitatem. *Iustin.* 9, 1. *a med.* Mercibus distractis anhelantem [*i. e. cupidam et desiderii plenam] inopiam paululum recreavit.

ĂNHĒLANTER, adv. anhelando: et per translationem cupide, festinanter. *Ammian.* 16, 10. Alium anhelanter, rabido flatu ventorum, lenunculo se commisisse piscantis. Alii *rectius* leg. *anhelante rabido flatu ventorum*, *h. e. spirante.*

ĂNHĒLĀTIM, adv. anhelanter. *Tibull.* 1, 9, 37. Et dare anhelatim pugnantibus uvida linguis Oscula, etc. Ita legi in quibusdam libris testatur *Broukh.* At *Vulp. Heyn.* aliique *anhelanti* merito praeferunt.

ĂNHĒLĀTĬO, onis, f. *πνεύματωσις, ἄσθμα*, respiratio, praesertim quae crebrior est, et vehementior. *Plin.* 9, 7, 6. Piscium anhelatio aestivo calore. *Id.* 23, 1, 24. Hoc genus vini utile in flationibus, tussi, anhelationibus. ℙ Insolens est hujus vocis usus apud *Eund.* 37, 6, 23. de gemmis: Quaedam in iis coelestis arcus anhelatio est, *h. e.* quaedam adumbratio coloris unius in alterum inclinantis, qualis solet esse in arcu coelesti. At alii rectissime legunt *aemulatio.*

ĂNHĒLĀTOR, oris, m. *ἀσθματικός*, qui anhelatione laborat. *Plin.* 22, 23, 49. Laser anhelatoribus, et in tussi vetusta cum porro ex aceto datur. *Id.* 21, 21, 89. Thymum prodest et orthopnoicis, et anhelatoribus.

ĂNHĒLĀTUS, a, um, part. ab *anhelo*, *ἐκπνευσθείς*, magno spiritu, et veluti anhelitu emissus. *Cic. Or.* 3, 11. Nolo, verba exiliter exanimata exire, nolo inflata, et quasi anhelata gravius. *Ov. Fast.* 4, 491. Alta jacet vasti super ora Typhoeos Aetnae, Cujus anhelatis ignibus ardet humus. *Id. Her.* 12, 15. Isset anhelatos non praemedicatus in ignes, *h. e.* efflatos e naribus taurorum aeripedum. *Sil.* 14, 380. Celsaque anhelatis exsurgens ictibus alnus; Caerula nigranti findit spumantia sulco, *h. e.* navis impulsa remis, qui magna vi, et cum anhelitu a remigibus moventur. *Id.* 5, 604. Iraque anhelatum proturbat pectore murmur.

ĂNHĒLĬTUS, us, m. *ἄσθμα*, spiritus ore ductus emissusque, respiratio, praesertim vehementior et crebrior. *Cic. Off.* 1, 36. Nimiae celeritates gressus cum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur. *Pl. Asin.* 2, 2, 61. Non vides, me ex cursura anhelitum etiam ducere? ℙ Pro simplici respiratione. *Pl. Epid.* 2, 2, 21. Recipere anhelitum. *Id. Merc.* 1, 2, 4. Vix suffero anhelitum. *Plin.* 9, 7, 6. Anhelitum reddere ac per vices recipere. ℙ De morbosa respiratione. *Id.* 35, 15, 51. Bitumen tussim veterem et anhelitus emendat, i. e. *ἄσθμα.* ℙ Hinc omnino pro vapore, et qui eum sequitur, odore. Sic *anhelitus terrae* est vapor ventosus e terra erumpens. *Cic. Div.* 2, 19. Placet Stoicis, eos anhelitus terrae, qui frigidi sint, cum fluere coeperint, ventos esse, cum autem se in nubem induerint, etc. Adde *ib.* 1, 50. *Cic. in Sen.* 7. Odor unguentorum, vini anhelitus. *Ov. A. A.* 1, 521. Nec male odorati sit tristis anhelitus oris.

ĂNHĒLO, as, avi, atum, a. l. [*et anelo, v. *Appul. orthogr. fr.* 63.] *ἀσθμαίνω*, [*intrans.] crebro et vehementius solito respirare, ut fit post cursum, aut alium laborem corporis: ab *halo*, spiro. *Ov. Rem.* 394. Principio clivi vester anhelat equus. *Id. Fast.* 2, 295. Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus. ℙ Translate. *Virg. A.* 8, 421. striduntque cavernis Stricturae chalybum, et fornacibus ignis anhelat, *h. e.* quasi anhelando e fornacibus exspirat. De ipsa terra ab equo Domitiani graviter pressa dixit *Stat. Silv.* 1, 1, 56. Insessaque pondere tanto Subter anhelat humus. Idem [*transit.] construit cum accusativo. *Stat. Th.* 11, 7. Phlegrae ceu fessus anhelet proelia, *h. e.* ob laborem proelii cum gigantibus Phlegrae initi. *Anhelare crudelitatem*, *scelus*, *etc.* eleganter translate dicuntur, etc. V. in ANHELANS. ℙ Significat etiam spirando emittere. *Lucan.* 6, 92. Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant. *Martial.* 6, 42. Siccos pinguis onyx anhelat aestus, *h. e.* marmor onyx emittit aestus siccos, et similes radiis solis. *Val. Fl.* 3, 208. mugitor anhelat Vesvius. *Pers.* 1, 14. scribere grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet, *h. e.* quod magno spiritu, et veluti anhelando proferat (*verba anhelata* dixit *Cicero*). Sic *Stat. Th.* 11, 241. haec trepido vix intellectus anhelat.

ĂNHĒLUS, a, um, adj. *ἀσθματικός*, crebro, et vehementer respirans, anhelans. Adjectivum fere poeticum. *Virg. G.* 1, 250. et *Ov. Met.* 15, 417. Equi anheli solis. *Virg. A.* 6, 48. Pectus anhelum *Id. G.* 2, 135. Senes anheli, *h. e.* qui asthmate laborant. Ideoque i. q. fessus. *Stat. Th.* 12, 600. vires anhelae, *h. e.* anhelantes, fessae. ℙ Cum genitivo. *Sil.* 15, 721. Celtae longi laboris anheli, *h. e.* ob longum pugnandi laborem. ℙ De eo quod anhelare facit. *Ov. Met.* 11, 347. Cursus anhelus. *Id. Pont.* 1, 10, 5. Anhelae febres. *Lucr.* 4, 874. Anhela sitis. *Virg. A.* 12, 790. Adsistunt contra certamina Martis anheli. Alii leg. *certamine*, *h. e.* anhelantes ex labore certaminis. *Id. G.* 3, 497. Tussis anhela. *Claud. Rapt.* 3, 383. fastigia montis anheli. *Stat. Th.* 4, 680. Tempus erat, medii cum solem in culmina mundi Tollit anhela dies.

ĂNHYDROS, i, f. herba, quae et narcissus, dicitur *ἄνυδρος*, ab *α* privativa, et *ὕδωρ*, aqua, quia longe ab aqua in montanis locis nascitur. *Appul. Herb.* 55. ℙ [*Est etiam hoc nomine insula in mari Aegaeo. *Plin.* 5, 31, 38. *B. A.*]

ĂNIATRŌLŌGĬCOS, medicinae artis imperitus, *ἀνιατρολογικός*: vox Graeca ab *α* privativa, et *ἰατρός*, medicus, etc. *Vitr.* 1, 1. *a med.* Architectus non debet esse medicus, ut Hippocrates, sed non aniatrologicos. Alii leg. *aniatrologētus*, *ἀνιατρολόγητος*, quod rectius est, et idem significat, ab *α* privativa, et *ἰατρολογέω*, de medicina dissero.

ĂNĪCELLA, ae, f. diminutivum ab anicula. *Varr. L. L.* 8, 45. hanc vocem ita affert, ut videatur de ejus usu non dubitare; tametsi neminem alium usurpantem adhuc vidimus. V. ANUCELLA. [Hoc voc. ap. *Frontonem* corruptum est in *anucella*, q. V. *Beier.*]

ĂNĪCĒTUM, i, m. *ἀνίκητον*, nomen est aniso a quibusdam inditum, teste *Plin.* 20, 17, 72., quasi invictum: ab *α* privativa, et, *νικάω*, vinco, quod aliis omnibus medicamentis utilitate praestet. Alii id nomen anetho tribuunt.

[ĂNĪCĒTUS, i, m. *ἀνίκητος*, invictus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1676, 13. T. Flavius Anicetus. *F.*]

ĂNĪCIĀNUS, a, um, adj. ab *Anicio*, quod est nomen viri proprium: (ut Anicius Julianus, de quo *Symm.* in *Auct. ep.* 1. Cedenti cui non praeluxit Anicius unus.) Aniciana pyra laudantur a *Caton. R. R.* 7., a *Colum.* 5, 10. et a *Plin.* 15, 15, 16., et inter generosiora referuntur. ℙ *Aniciana lapicidinae* apud *Plin.* 36, 22, 49. et *Vitr.* 2, 7. dictae videntur, quod Aniciorum familia aliquando eas possederit. Erant autem in agro Tarquiniensi, circa lacum Volsiniensem. ℙ *Aniciana lectica*, et *Anicianum octophorum*, hoc est cujusdam Anicii, de quo *Cic. Q. Fr.* 2, 10. ℙ *Aniciana nota* apud *Eund. Cic. Brut.* 83. *in fin.* est quae apposita fuerat vinis diffusis circa annum U. C. 590. L. Anicio Gallo, et M. Cornelio Coss., atque id vinum omnium vetustissimum erat tempore Ciceronis.

ĂNĪCLA. V. v. seq.

ĂNĪCŬLA, ae, f. *γραΐδιον* diminut. ab anus, vetula. *Senec. ep.* 77. *sub fin.* Anicula gloriatur senectute longa. *Cic. Div.* 2, 15. Haec, mihi jam crede, ne aniculae quidem existimant. *Id. N. D.* 1, 34. Ista, quae vos dicitis, sunt tota commentitia, vix digna lucubratione anicularum. *Ter. Andr.* 1, 4, 4. Importunitas aniculae. ℙ *Anicla* per syncopen. *Prud. περὶ στεφ.* 6, 149. Heros, virgo, puer, senex, anicla. Est qui legit *anulla.*

ĂNĪCŬLĀRIS, re, adj. *ἀγραῖος*, ad aniculam pertinens, vel anicula dignus, anilis. *Aug. enarr. in Psalm.* 38. *ante med.* Delirare tibi videor, avare, cum haec loquor; anicularia tibi videntur haec verba.

*ĂNĪDUS, i, mons Liguriae. *Liv.* 40, 38. Ligures ab Anido montibus descendere. Ubi *Muretus* mavult: ut Ligures Capuam de montibus descenderent. *B. A.*

ĂNĬEN, ēnis, et Anio, onis, m. et Anienus, i, m. *il Teverone*, *Ἀνίων*, fluvius Sabinorum in agro Tiburtino, qui oritur ex Trebanis, seu Trebulanis montibus, ex alto scopulo magna mole praecipitans, et in Tiberim a Roma III. mill. pass. prolabitur. *Cic. fr. pro Cornel.* ap. *Priscian.* 6. p. 684. Trans Anienen. *Cato ib.* Quindecim millia Anien abest. *Stat. Silv.* 1, 5, 25. Quas praeceps Anien, atque exceptura natatus Virgo juvat. *Id. ib.* 3, 70. Illis ipse annis Anienus fonte relicto. *Prop.* 4, 7, 86. Accessit ripae laus, Aniene, tuae. *Ov. Met.* 14, 329. Quasque Anienis aquae, cursuque brevissimus Almo, etc. *Hor. Od.* 1, 7, 13. Et praeceps Anio, et Tiburni lucus. ℙ *Serv.* ad *A.* 1, 277. fabulatur, Iliam post editos Romulum et Remum, hujus fluvii uxorem fuisse: alii pro Aniene Tiberim reponunt. ℙ Ex hoc flumine duo diversis temporibus aquaeductus facti sunt, ad aquam in Urbem perducendam, quorum posterior *Anio novus*, prior *Anio vetus* dictus est, ut docet *Front. Aquaed.* 13., ubi eorum rationem omnem fuse persequitur. *Aur. Vict. Vir. ill.* 33. Aquam Anienem in urbem inducere. In quadam *Inscr.* ap. *Grut.* 176, 1. legitur *Anienem novam*, sed subaudiendum est *aquam.* Eadem ratione locutus est *Front. l. c.* ℙ Usus obtinuit, ut *Anio* in recto casu frequentius dicatur, quam *Anien;* et in obliquis saepius *Anienis*, *Anieni*, quam *Anionis*, *Anioni:* tametsi neminem alium habet *Ennius*, ut docet *Servius* ad *A.* 7, 683., et legitur etiam in quodam senatusconsulto apud *Front. Aquaed.* 125. Ipse quoque *Front.* passim *Anionis* usurpat.

ĂNĬENĪCOLA, lae, m. et f. ad Anienem habitans. *Sil.* 4, 225. Anienicolae Catilli. *Id.* 12, 751. Anienicolae Nymphae.

ĂNĬENSIS, se, adj. ad Anienem pertinens. *Aniensis Tribus* Romana una ex rusticis fuit in agro Tiburtino, per quem Anio defluit, facta a censoribus P. Sempronio Sopho, et P. Sulpicio Saverrione, una cum Terentina, M. Fulvio Paeto, et T. Manlio Torquato Coss. circa A. U. 454. ut apud *Liv.* 10, 9. *in fin.* legitur. *Cic. Planc.* 22. Prioribus Comitiis Aniensem a Plotio, Terentinam a Plancio tibi esse concessam. *Inscr.* ap. *Grut.* 195, 2. M. Plautius M. F. Anien. Lucanus etc.

ĂNĬĒNUS, a, um, adj. ad Anienem pertinens. *Virg. G.* 4, 369. Unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluenta. *Prop.* 1, 20, 8. Aniena unda. Et 3, 14, 4. Aniena lympha.

ĂNĬĒNUS, i, m. V. ANIEN.

ĂNIGROS, i, m. *Ἄνιγρος*, fluvius Peloponnesi in Elide, vel potius Aetolia, in Evenum fluvium labens, in quo Centauri ab Hercule vulnerati abluerunt sua vulnera. Unde cum antea haberet aquas purissimas, Centaurorum sanguine sordidae redditae sunt et impurae. *Ov. Met.* 15, 281. Ante bibebatur, nunc quas contingere nolis, Fundit Anigros aquas, postquam (nisi vatibus omnis Eripienda fides) illic lavere bimembres Vulnera, clavigeri quae fecerat Herculis arcus.

*ĂNILĬA, amentia, fatuitas. *Gloss. Isid. B. A.*

ĂNĪLIS, le, adj. *γραϊκός*, ad anum pertinens. *Ov. Met.* 13, 533. ad litus passu processit anili. *Virg. A.* 7, 416. Aniles vultus. *Id. ib.* 9, 489. Aniles curae. ℙ Urbane *Cic. Tusc.* 1, 39. Pellantur istae ineptiae paene aniles. *Id. Div.* 2, 60.

Quam multi contemnunt somnia, eamque superstitionem imbecilli animi atque anilis putant. *Id. N. D.* 2, 28. Superstitiones paene aniles. *Id. ib.* 3, 5. et *Hor. Sat.* 2, 6, 77. Fabellae aniles, narrationes insulsae et minime credibiles.

ANILITAS, ātis, f. senectus feminarum, *γῆρας, γραότης. Catull.* 61, 161. Usque dum tremulum movens Cana tempus anilitas Omnibus omnia annuit.

ANILITER, adv. *γραϊκῶς*, more anus. *Cic. N. D.* 3, 39. Dicere aliquid non superstitiose atque aniliter, sed physica constantique ratione.

ANILITOR, aris, dep. 1. anum fieri, senescere. *Appul. de Mundo* p. 67, 39. Terram nec occasibus fatigari, nec saeculis anilitari. *Elm.* [et *Oud.* ita legunt freti auctoritate similis loci apud *Aristot. τὴν ἀγηρω φὐσιν ὁμοίως τηρεῖ*, quem *Appul.* in Latinum vertit: *F.*] alii perperam leg. *debilitari.*

ANIMA, ae, f. *ἄνεμος*, ventus, aer: a v. Gr. allata, [*cujus etymon est *ἀνω, ἀημι*, i. e. spiro.] Etymologi derivant ab *animus*, quomodo a *dominus* est *domina*. At *Cic.* contra *Tusc.* 1, 9. scribit *animum* ab *anima* dictum esse. *Pl. Aul.* 2, 4, 23. Cum it dormitum, follem obstringit ob gulam, ne quid animae forte amittat dormiens. *Coc.* Etiamne obturat inferiorem gutturem tum, ne quid animae forte amittat dormiens? *Virg. A.* 8, 403. Quantum ignes animaeque valent. *Claud. Rapt.* 1, 239. nec talibus unquam Spiravere Notis animae. *Lucr.* 5, 237. Aurarumque leves animae, calidique vapores. *Hor. Od.* 4, 12, 2. Impellunt animae lintea Thraciae. ℙ De aere elementari. *Cic. Univ.* 5. Inter ignem et terram aquam Deus, animamque posuit. Adde *Tusc.* 1, 19., *Varr. R. R.* 1, 1., *Virg. Ecl.* 6, 23. et *Lucr.* 1, 715. ℙ Speciatim accipitur pro spiritu, seu halitu, qui ore accipitur, ac redditur. *Pl. Asin.* 5, 2, 44. Dic, amabo, an foetet anima uxoris tuae? *Id. Merc.* 1, 2, 15. Animam nequeo vortere: nimis nihili tibicen siem. *Cic. Verr.* 2, 3, 58. Qui non modo animum integrum, sed ne animam quidem puram [*i. de impuritate oris et foetore] conservare potuisset. *Virg. G.* 2, 134. animas, et olentia Medi Ora fovent illo, etc. *Varr.* ap. *Non.* 4, 2. Phrygios per ossa cantus liquida canit anima, *h. e.* spiritus, quo inflatur tibia. *Cic. Or.* 3, 49. *in fin.* Ne circuitus ipse verborum sit aut brevior, quam aures exspectent, aut longior, quam vires atque anima patiatur. *Id. ib.* 1, 61. Cum spiritus ejus esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut, etc. *Id. N. D.* 2, 54. Ducere animam spiritu. *Ter. Ph.* 5, 6, 29. Animam comprimere. *Id. Ad.* 3, 2, 26. recipere. Alii leg. *animum.* [*Illud habet *Ruhnk.*, qui laudat *Ph.* 5, 6, 29. et *Valcken.* ad *Eur. Phoen.* v. 858.] *Tac. A.* 6, 50. Interclusa anima. [*Luc. 4, 370. artavit clusitque animam. Cf. *Cort.*] *Plin.* 20, 9, 35. et 22, 25, 64. Animae gravitas, i. e. male olens. Hinc explicandum quod dixit *Phaedr.* 3, 1. animam amphorae, i. e. halitum odorum, qui inde exhalat ex vini reliquiis. ℙ Saepissime sumitur pro vita, *h. e.* pro ea facultate, qua vivimus et sentimus, quaeque nobis cum brutis animantibus est communis: [*Scil. Veteres philosophi animam (i. e. vitam) ponebant in spiritu; mentem autem in sanguine, qua de re pluribus egit *Voss.* ad *Virg. G.* 2, 383. p. 439.] atque hac ratione distinguitur ab *animo*, qui proprius hominis est, *ψυχή. Plin.* 2, 5, 7. Deus totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animae, totus animi, totus sui. *Juven.* 15, 148. indulsit communis conditor illis Tantum animas, nobis animum quoque. *Senec. ep.* 58. Animantia quemadmodum divido? ut dicam, quaedam animum habent, quaedam tantum animam. *Id. ib.* 4. Difficile est animum perducere ad contemptionem animae. *Cic. Rosc. Am.* 50. Si tibi omnia sua praeter animam tradidit. *Sall. Cat.* 54. Non agitur de vectigalibus, non de sociorum injuriis: libertas, et anima nostra in dubio est. *Cic. Cat.* 4, 9. De vita vestra, de conjugum vestrarum, ac liberorum anima, de fortunis omnium hodierno die vobis judicandum est. *Id. Sext.* 38. Si tunc P. Sextius animam, quam vix retinuit, edidisset. *Ov. Trist.* 3, 3, 42. Accedent animae tempora parva meae. *Cic. Tusc.* 1, 9. Agere animam. Et *ib.* et *Mil.* 18. *in f.* efflare. *Ov. Met.* 15, 527. exhalare. *Virg. A.* 1, 98. effundere. [*Nep. Ep.* 9, 3. emittere, et *ib. Brem.*] *Ov. Met.* 5, 106. exspirare. Et *ib.* 7, 591. finire. *Nep. Ann.* 1. deponere. *Id. Eum.* 4. Eum anima reliquit. *Curt.* 7, 7. Anima eum defecit. *Sall. Jug.* 16. Relinquere alicui animam. *Ter. Ad.* 3, 5, 52. Animam relinquam potius, quam illas deseram. *Id. ib.* 3, 2, 16. Alicui exstinguere. *Pl. Mil.* 3, 1, 137. adimere. *Virg. A.* 9, 443. auferre. *Ov. Met.* 6, 539. eripere. Et *Pl. Men.* 5, 5, 7. Privare aliquem anima. *Virg. A.* 6, 436. projicere. *Id. G.* 4, 204. dare. [*Ib. 3, 495. reddere. *Prop.* 2, 10, 43. ponere, *coll. ib.* 20, 57. Cf. *Burm.* ad *eund.* 1, 6, 26. et ad 2, 10, 43.] *Virg. A.* 9, 349. Purpuream vomere animam, *h. e.* sanguinem, in quo anima, hoc est vita continetur. Sunt qui aliter leg. V. *Servium.* [*Ita de sanguine explicat *Cort.* locos *Luc.* 5, 279. non anima galeam fugiente ferire, et 7, 622. ensem expulerit moriens anima; similia ad h. l. afferunt *Bentl.* et *Cort.*] *Tac. A.* 1, 42. Trahere animam precariam inter infestos, etc. Hinc *animam debere* apud *Ter. Ph.* 4, 3, 56. dicitur is, qui adeo immodico aere alieno obstrictus est, ut et ipse quoque creditori addicendus sit, secundum antiquum morem, quo debitores, qui solvendo non essent, nexi creditoribus tradebantur: quod et Graeci dicunt, teste Donato, *καὶ αὐτὴν τὴν ψυχὴν ὀφείλειν.* ℙ Non raro *anima* accipitur pro animo, hoc est pro parte hominis nobiliori et immortali. *Cic. N. D.* 1, 31. Anima rationis consiliique particeps. *Sall. Jug.* 2. Ingenii facinora, sicut anima, immortalia sunt. *Suet. Caes.* 88. Stella crinita per septem dies fulsit: creditumque est, animam esse Caesaris in coelum recepti. *Cic. Verr.* 2, 5, 53. Causa in anima sensuque meo penitus affixa atque insita. Adde *Oc. Met.* 15, 158. ℙ Translate. *Flor.* 4, 3. Corpus imperii haud dubie nunquam coire et consentire potuisset, nisi unius praesidis nutu, quasi anima et mente regeretur, *anima imperii* est ejus vita, *mens* ratio et consilium, quo gubernatur. [*Id. 4, 3, 6. anima imperii imperator, prorsus ut nos loquimur: *die Seele.* Ita etiam ad eundem modum intelligentes loquuntur Grammatici: *Pomp.* p. 67. ed. *Lind.* accentus quasi anima vocis est. Similia attulit editor. Similiter *igni* anima tribuitur. Cf. *Barth.* ad *Claud. Ol.* 218. *Rapt.* 386. coll. *Heins.* ad *Ov. Met.* 7, 77. et *Cort.* ad *Luc.* 4, 78.] ℙ Nonnunquam ponitur pro ipso homine. *Hor. Sat.* 1, 5, 41. Plotius, et Varius Sinuessae, Virgiliusque Occurrunt, animae, quales nec candidiores, etc. *Tac. Hist.* 4, 32. Vos Treveri et ceterae servientium animae, [*i. e. servilia ingenia.] Adde *Stat. Th.* 1, 659. [*Virg. A.* 11, 24. animae egregiae. *Luc.* 5, 322. detegit imbellis animas nil fortiter ausa seditio. Ita fere *Virg. A.* 3, 67. animas condere sepulchro. Alii intelligunt de Manibus, v. *Heyn.* ut ap. *Prop.* 3, 12, 33. *animae silentes* sunt Manes. Utrumque conjungit *Hor. Sat.* 1, 8, 29. manes animas elicere, ubi v. *Fea.* — Sed etiam illa interpretatio non spernenda est, eaque defenditur loco *Luc.* 6, 529. animas viventes infodit busto.] ℙ Adhibetur quandoque in blanditiis, dicitque de iis, quos aeque caros habemus, atque animam nostram. *Cic. Fam.* 14, 14. Vos, meae carissimae animae, quam saepissime ad me scribite. Et *ib.* 18. Considerandum vobis etiam atque etiam, animae meae, etc. Sic *Hor. Od.* 1, 3, 8. animae dimidium meae. ℙ Raro *animae* dicuntur de ratione carentibus. *Lact.* 3, 8. Animae rationis expertes. *Stat. Th.* 2, 246. Hi fibris, animaque litant, *h. e.* victima, vel vita victimae. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 4, 10. Ova parire solet genu' pennis condecoratum, Non animas, *h. e.* non animalia viva. Ac, quod per catachresin *Pl. Amph.* 2, 2, 41. *animam putei* dixit, aquam intelligens. ℙ Improprie dicitur de vegetanti plantarum vi, nam et ipsae *vivere* dicuntur. *Senec. ep.* 58. Sunt quaedam quae animam habent, nec sunt animalia: placet enim, satis et arbustis animam inesse: itaque et vivere illa, et mori dicimus. Adde *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 1. et 31, 1, 1., qui etiam 17, 2, 2. terrae animam tribuit, hoc est humorem illum et vim, qua plantas producit, et vegetat. Sic animam uvae appellat succum uvae, quem habet a vite, in ea dependens, aut ubi statim decerpitur, quo durante et ipsa durat, 14, 1, 3. Adde 13, 4, 9. *ad f.* ubi simile quid legitur. ℙ Dativus et ablativus pluralis rectius, et magis Latine est *animis*, quam *animabus.* Ita enim *Cic. Fam.* 14, 14. Tullius Terentiae, et pater Tulliolae, duabus animis suis. *Animabus* tamen legitur apud *Sen. Contr.* 2, 10. *in.*, ut quidem putat *Voss. Gramm.* 4, 4. Nam plerique alii omnino aliter. V. ASINA. ℙ In genitivo singulari *animai* pro *animae* aliquoties legitur apud *Lucr.* ut 1, 112., 3, 151., 4, 886. et alibi: qui genitivus antiquus est, et solis postea poetis, et parce etiam relictus.

ANIMABILIS, le, adj. animam habens, ac spirans, vel animam vitamque aliis praebens, *ἀνεμώδης. Cic. N. D.* 2, 36. Terra sita in media mundi parte, circumfusa undique est hac animabili spirabilique natura, cui nomen est aer. Sunt qui rectius leg. *animali.* [*Ita *Orell.* quem v.]

ANIMADVERSIO, onis, f. *ἐπίσκεψις, ἐπιλογισμὸς*, consideratio, attentio, notatio. *Cic. Or.* 55. Notatio naturae et animadversio peperit artem. *Id. Off.* 1, 29. Excitanda animadversio, [*i. e. attentio in nosmetipsos.] et diligentia, ut ne quid temere ac fortuito, inconsiderate negligenterque agamus. *Id. Arch.* 7. Si ex his studiis delectatio sola peteretur, tamen, ut opinor, hanc animadversionem humanissimam ac liberalissimam judicaretis, *h. e.* hanc animi attentionem et operam, quae studiis datur. Alii leg. *animi adversionem*, eod. sensu. [*Ita cum recentioribus *Orell.*] ℙ Est etiam castigatio, reprehensio. *Cic. Or.* 57. Nec enim effugere possemus animadversionem, si semper iisdem pedibus uteremur. ℙ Item punitio; et est ejus, qui jurisdictionem et cognitionem habet, *κόλασις.* V. ANIMADVERTO. *Cic. Cluent.* 46. Animadversio vitiorum. *Id. Phil.* 1, 2. Animadversio Dolabellae cum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros et nefarios liberos. *Id. Fin.* 1, 10. Continere exercitum metu animadversionis. *Suet. Aug.* 24. Animadversione capitali punire aliquem. [*Vell. 2, 68, 5. ut censoria potius nota quam animadversione dictatoria contentus esset. Eodem modo conjungit *Suet. Tib.* 19. animadversionum et ignominiarum genera, ibique *Brem.*] *Papin. Dig.* 1, 20, 1. Nemo dicit animadversionem legatum proconsulis habere, mandata jurisdictione, *h. e.* jus gladii, quod est proprium ejus, qui merum imperium habet, ut docet *Ulp. ib.* 2, 1, 3. ℙ Transfertur etiam ad quamlibet punitionem. *Cic. Rosc. Am.* 24. Animadversionis paternae metus. *Lact.* 4, 4. Animadversio domini adversus fugitivos.

ANIMADVERSO, as, v. ADVERSO, as.

ANIMADVERSOR, oris, m. qui animadvertit et attente observat. *Cic. Off.* 1, 41. Si acres ac diligentes esse volumus animadversores vitiorum, magna saepe intelligemus ex parvis. Alii non satis probe leg. Si acres ac diligentes judices esse volumus, animadversosque vitiorum etc., *h. e.* punitores, *κολαστάς.*

ANIMADVERSUS, us, m. animadversio, castigatio. *Lamprid. Alex. Sev.* 25. Severus est appellatus a militibus ob austeritatem: et in animadversibus asper in quibusdam fuit. Alii plerique leg. *animadversionibus.*

ANIMADVERSUS, a, um, part. ab animadverto, *διανοηθείς*, consideratus, perspectus, cognitus. *Cic. Or.* 1, 27. Oratoris peccatum, si quod est animadversum, stultitiae peccatum videtur. *Tac. A.* 15, 74. In praesens haud animadversum, post arma Julii Vindicis ad auspicium et praesagium futurae ultionis trahebatur. *Virg. G.* 2, 259. et *ib.* 3, 123. His animadversis. ℙ Item castigatus, punitus, *κολασθείς. Suet. Ner.* 16. Multa sub eo et animadversa severe et coercita, nec minus instituta. *Paul. Dig.* 48, 24, 3. Corpora animadversorum ad sepulturam danda sunt, *h. e.* supplicio ultimo affectorum.

ANIMADVERTO et antiquo loquendi more Animadvorto, is, rti, rsum, a. 3. *βάλλομαι εἰς νοῦν*, animum adverto, [*quod ipsum multis in locis nunc restitutum est, cf. ADVERTO.], attendo, considero, cognosco. *Cic. Cat.* 1, 8. Quid est Catilina? ecquid attendis? ecquid animadvertis horum silentium? *Id. N. D.* 3, 37. Nonne animadvertis ex tot tabulis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint? *Id. Fam.* 11, 27. *a med.* Dignitas tua facit, ut animadvertatur quidquid facias. *Id. Amic.* 8. Quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animadverti potest. *Id. N. D.* 2, 9. Animadversum saepe est, cum cor animantis evulsum ita palpitaret, ut etc. *Id. Fam.* 3, 5. Animadverti enim [*i. e. intellexi], et didici ex tuis litteris, te habuisse rationem, ut etc. *Suet. Caes.* 82. Ut animadvertit undique se strictis pugionibus peti. *Cic. Off.* 1, 12. Illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Al. leg. *mitigatam.* (Si priorem lectionem retines, nota constructionem, *animadverto quod.*) *Ter. Ph.* 3, 1, 3. Alios tuam rem credidisti magis, quam tete, animadversuros, *h. e.* curaturos, servaturos. [*Cic. Fam.* 5, 20. *med.* Illud me non animadvertisse, moleste ferrem, *ut* ascriberem etc., i. e. me ad illud animum non advertisse, non id meditatum esse, ut etc.] *Varr. R. R.* 2, 4. Sues animadvertuntur a facie et progenie et regione coeli. Cum accusativo et praeposit. ad *Gell.* 6, 2. Animadvertere ad verba. ℙ [*Est etiam i. q. reprehendere. *Suet. Tib.* 68. quae omnia ingrata atque arrogantiae plena, et animadvertit Augustus in eo; ubi bene *Ern.* animadvertuntur, inquit, quae ita in sensus cadunt, ut displiceant et vel reprehendantur, vel saltem rideantur.] ℙ Speciatim adhibebatur, cum lictores aut alii magistratui praeeuntes, clamabant, ut ab obviis decederetur, assurgeretur, caput aperiretur et alia honoris signa praeberentur. *Liv.* 24, 44. *ad f.* Consul animadvertere proximum lictorem jussit; et is ut descenderet ex equo, inclamavit. *Suet. Caes.* 80. Consule theatrum introeunte, cum lictor animadverti ex more jussisset, etc. ℙ Est etiam verbum judiciale ac praetorium, et significat cognita causa punire. *κολάζειν.* In edicto Praetoris apud *Ulp. Dig.* 47, 10, 15. Si quis adversus ea fecerit, prout quaeque res erit, animadvertam. Adde 4, 4, 1. et 11, 5, 1. etc., ubi eadem formula legitur. *Cic. Verr.* 2, 1, 17. Magistratum nummos poposcit, eum ille non daret, animadvertit. Et *ib.* 4, 23. *in f.* Tu qui institueras animadvertere in eos, qui perperam judicassent. *Id. Fam.* 5, 2. Animadvertere in aliquem indicta causa. *Sall. Cat.* 52. verberibus in cives. *Ulp. Dig.* 48, 19, 8. in aliquem gladio. *Id. ib.* 8, 8. in servos ultimo supplicio. ℙ *Animadvertendus, a, um*, part. passivum, cognoscendus ad vindictam et punitionem. *Cic. Caec.* 12. Res in primis a magistratibus animadvertenda. *Id. Rosc. Am.* 40. Ea sunt animadvertenda peccata maxime, quae difficillime praecaventur. *Ter. Andr.*

4, 4, 28. O facinus animadvertendum. *Id. ib.* 1, 1, 129. Ea primum ab illo animadvertenda injuria est, *scil.* ea prima injuria est ab illo profecta, quae animadversione et objurgatione digna sit.

*ANIMAEQUUS, a, um, ἰσοψυχος, εὐγνώμων, aequo animo praeditus, aequi animi. *Vulg. Marc.* 10. *v.* 49. Animaequior esto. Θάῤῥει. *Gloss. Lat. Gr.* Animaequus, ἰσόψυχος. *B. A.*

ĂNĪMAL, ālis, n. [*pro *animale*, neutr. adj. *animalis* ab anima], ζῶον, substantia animata sensibilis. Dicitur de omni vivente. [**Cic. Ac. pr.* 2, 12. quum inter inanimum et animal hoc maxime intersit. *Id. Somn. Sc.* 9. inanimum est omne, quod pulsu agitatur externo, quod autem animal est, id motu cietur interiore et suo. *Id. N. D.* 3, 12. *Fin.* 5, 14. Eodem modo mundus animal dicitur: *Cic. Univ.* 4. animal unum aspectabile, in quo alia omnia animalia continentur, mundus. Cf. *ib.* 3.] ℙ De homine: *Id. Leg.* 1, 7. Animal providum et sagax homo. [**Id. Fin.* 2, 13. homo appellatur divinum animal.] Et interdum contumeliose de homine indocto, et qui nulla moveatur ratione, quomodo et belua, et pecus. *Id. Pis.* 9. *ad f.* Complexus es funestum illud animal, ex nefariis stupris, etc. ℙ Interdum de beluis tantummodo. *Varr. L. L.* 6, 5. Multa ab animalium vocibus translata in homines. Et de minutis quibuscumque bestiolis. *Plin.* 28, 4, 6. Si quod animal aurem intraverit. [*Omninoque de quibuscumque bestiis. V. locum *Cic. N. D.* 2, 47.]

ĂNĪMĀLIS, le, adj. aëreus, ab *anima*, qua aerem flatumque significat, ἀερώδης. *Cic. N. D.* 3, 14. Natura animantis vel terrena, vel ignea, vel animalis, vel humida. Adde *Tusc.* 1, 17. [**Id. N. D.* 2, 36. principio terra sita in media parte mundi circumfusa undique est hac animali (*athembar*) spirabilique natura, cui nomen est aer.] ℙ Item animam seu vitam habens, ἔμψυχος. *Lucr.* 1, 227. Animale genus. *Id.* 2, 727. Animalia corpora. *Cic. Univ.* 9. Colligata corpora vinculis animalibus. *Id. Ac.* 4, 37. *in f.* Quaedam animalis intelligentia per omnia permeat et transit. *Id. Inv.* 2, 1. Ut mutum in simulacrum ex animali exemplo [**lebende Originale*] veritas transferatur. ℙ *Animalis hostia* dicta est, qua sola victimae anima, hoc est vita Deo sacratur; carnes vero in sacerdotum, aliorumque usum cedunt: et distinguitur a *consultoria*, quae eo fine caeditur, ut per ejus exta inspecta Deorum voluntas disquiratur. *Macr. Sat.* 3, 5. et *Serv.* ad *A.* 3, 231. et *ib.* 4, 56. ℙ *Animales Dii* dicti sunt, quorum origo animalis erat, hoc est, qui, cum homines essent, Dii facti sunt. *Labeo* enim apud *Serv.* ad *A.* 3, 168. scribit esse quaedam sacra, quibus animae humanae vertantur in Deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant. Hi autem, subdit *Servius*, sunt Dii Penates, et Viales.

[ĂNĪMĀLĪTER, adv. more animalis. *Augustin. Retr.* 1, 26. *ad f.* Item quod dixi, spiritualiter summos angelos vivere, infimos vero animaliter. *F.*]

*ANIMANDA, orum, n. plur. ab animo, as, i. q. animalia. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Majo*) *c.* 77. In hunc modum sarcinis transportatis, non superstantibus tantum fida militibus, sed annantibus quoque animandis, etc. *B. A.* [*Est vox nihili; f. *animantibus* legendum.]

ĂNĪMANS, antis, part. v. ψυχῶν, animam vitamque tribuens. *Plin.* 11, 23, 27. Terrae halitus animans florem. ℙ Item habens animam, animalis, ἔμψυχος. *Cic. N. D.* 3, 4. Deos Vellejus multique alii ne animantes quidem esse concedunt. *Id. ib.* 2, 8. Mundus est animans, composque rationis. ℙ Absolute more substantivi, ut animal. *Cic. Univ.* 11. *in f.* Ita orientur animantes, quos et vivos alatis, et consumptos sinu recipiatis. *Lact.* 2, 11. Eo alimento animantes esse nutritos. [*Masculi. genere nonnisi apud hunc scriptorem reperitur; apud alios scriptores, *Lucr. Cic. Plin.* feminino genere usurpatur; in neutro genere tantum plurali numero apud *Cic.* reperitur.] *Lucr.* 2, 941. sensus animantem quamque tuentur. *Cic. N. D.* 2, 47. Animantium aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae, etc. *Id. Univ.* 4. Animantia, quae sunt nobis nota, sunt omnia in quaedam genera partita. *Lucr.* 1, 350. Dissipat in corpus sese cibus omne animantum. Interdum ponitur pro homine. *Hor. Sat.* 2, 1, 39. sed hic stilus haud petet ultro Quemquam animantem. ℙ Inter *animal*, et *animans* hoc interest, quod *animal* dicitur de iis tantum, quae sensitivam habent animam: *animans* aliquando latius patet, et plantas etiam complectitur. Itaque *Plin.* 2, 63, 63. hac latiore notione *pestifera animantia* dixit significans omnia ea, quae noxia hominibus a terra gignuntur. Adde *Senec. ep.* 58. Aliud discrimen tradit *Front.* quod nempe *animantia animus* facit: *animalia animam* habent. Contra tamen est usus, quo animantia fere dicuntur de brutis, quae *animam* habent non *animum*, ut supra in ĂNĪMA dictum est.

ĂNĪMĀTĬO, onis, f. [*ἐμψύχωσις] *Cic. Univ.* 10. Erant autem animantium genera quatuor, quorum unum divinum atque coeleste, alterum pennigerum et aerium, tertium aquatile, terrestre quartum. Divinae animationis maxime speciem faciebat ex igne, etc., *h. e.* speciem animantium divinorum: ea ratione qua *animans* pro animata, seu animali ponitur. Eodem modo locutus videtur *Tert. Anim.* 19.

ĂNĪMĀTOR, oris, m. qui animam dat. *Tert. Apol.* 48. Spiritus omnium animarum animator. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 788. Novit animator solus, et factor tui. ℙ Translate. *Capell.* 1. p. 13. Cum vivos etiam vultus aeris, aut marmoris signifex animator inspirat.

ĂNĪMĀTRĬX, īcis, f. *Tert. adv. Gnost.* 12. Dilectio fugatrix timoris et animatrix confessionis, *h. e.* quae dat animos et constantiam ad libere profitendum.

ĂNĪMĀTUS, us, m. idem quod anima et vita. In sexto casu sing. *Plin.* 11, 3, 2. Animatu carere.

ĂNĪMĀTUS, a, um, part. ab *animo*, ἔμψυχος, qui animam habet. *Cic. Top.* 18. Animata inanimatis anteponantur. *Id. Somn. Sc.* 3. Stellae divinis animatae mentibus. *Plin.* 19, 2, 8. Spartum vulsum, in acervo animatum, *h. e.* adhuc viride et vivum. Al. melius leg. *adunatum*. ℙ Est etiam anima praeditus, qui antea inanimatus fuerat. *Ov. Met.* 14, 565. In Nymphas animata classe marinas, *h. e.* navibus in Nymphas versis. ℙ Saepe idem est q. affectus motu aliquo animi, aut voluntatis, διακείμενος πρός τινα. *Cic. Fam.* 6, 6. Causam, quam Pompejus animatus melius quam paratus suscepit. *Id. Phil.* 9, 5. Qui quamquam non adest, tamen sic animati esse debetis, ut si ille adesset. *Pl. Men.* 1, 3, 20. Hoc animo decet animatos esse amatores probos. *Cic. Amic.* 16. Ut quemadmodum in se quisque, sic in amicum sit animatus. *Id. Verr.* 2, 4, 67. Syracusanam civitatem, ut abs te affecta est, ita in te esse animatam videmus. *Id. Fam.* 15, 1. Socii infirme animati, et novarum rerum exspectatione suspensi. *Nep. Cim.* 2. Insulas nonnullas bene animatas confirmavit, alienatas ad officium redire coegit. *Ulp. Dig.* 48, 4, 11. Hostili animo adversus rempublicam animatus. *Suet. Vit.* 7. Male animatus erga principem exercitus. *Justin.* 14, 1. Ut quomodo circa se animati essent, cognosceret. *Varr.* apud *Non.* 3, 67. Avi et atavi nostri, cum allium ac caepe eorum verba olerent, tamen optime animati erant. *Varro* ludit in ambiguo vocis *animatus*, qua ducitur ab *anima*, quae et halitum oris significat. *Macr. Sat.* 1, 11. Animatus in necem alicujus. ℙ Cum infinito. *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 74. Si quid animatus es facere, fac jam ut sciam. ℙ Item qui habet multum animi, animosus, θυμικός. *Id. Bacch.* 4, 9, 18. Milites armati, atque animati probe. *Accius* ap. *Non.* 4, 2. Cum animatus iero, satis armatus sum. ℙ *Animatae tegulae* quid sint V. in HAMATUS. [*Superlat. animatissimus, ap. *Auct. Itin. Alex.* 13. ed. *A. Majo. B. A.*]

*ANIMESCO, is. *Gloss. Gr. Lat.* θυμοῦμαι, animesco, irascor. *B. A.*

ĂNĪMĬCĪDA, ae, m. animam occidens. Ita Latine vertitur ab *Imp. Justin. Cod.* 1, 1, 6. *sub fin.* Graecum Psychophthoros, quod V. suo loco.

ĂNĪMĬTUS, adv. ex animo, impense, sincere, ψυχόθεν. *Non.* 2, 608. hanc vocem affert tanquam sit in usu apud Latinos. Scribit enim, *oculitus* (quod est usurpatum a *Plauto*) dictum esse, ut *animitus*, *medullitus*. Nihilominus, praeter vet. Onomost. nullum aliud Latini scriptoris exemplum adhuc vidimus.

ĂNĪMO, as, avi, atum, a. animam seu flatum inspirare, ἐμφυσάω. *Appul. Flor.* 3. p. 341, 25. Duas tibias uno spiritu animavit. *Arn.* 6. p. 196. animare buccinas. ℙ Saepius est animam, seu vitam dare, ἐμψυχόω. *Pacuv.* ap. *Cic. Divin.* 1, 57. Quidquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat. *Plin.* 7, 15, 13. Semen animatur corporaturque. *Ov. Met.* 4, 618. Animare guttas cruentas capitis Gorgonei in angues. *Claud. Nupt. Hon. et Mar.* 188. Mavortia signa rubescunt Floribus et subitis animantur frondibus hastae. *Pall.* 4, 10. Animare arbores quotidianis rigationibus. *Tac. G.* 29. Mattiaci ipso terrae suae solo, ac coelo acrius animantur, *h. e.* feruciores animos sortiuntur et tolerantiores. [*Neque vita tantum, sed etiam certo quodam ingenio, certa indole instruere, ut *Cic. Div.* 2, 42. *f.* Utcumque temperatus sit aer, ita pueros orientes animari atque formari, ex eoque ingenia, mores etc. fingi. Supra h. l. attulerat *Forc.*] ℙ Translate. *Stat. Silv.* 2, 2, 64. Si quid Apellei gaudent animasse colores. *Claud. Rapt.* 3, 386. Qualis pestiferas animare ad crimina taxos Torva Megaera ruit, *h. e.* facem e taxi arbore accendere ad nocendum hominibus. Ignem enim quondam animal esse creditum est. ℙ Pro incitare, προθυμίαν ἐμβάλλειν. *Macr. Sat.* 7, 3. Ut hortatu vestro Eustathius, quae de scommate paulo ante dixerit, animetur aperire. *Anon. Laud. Herc. v.* 91. *inter opp. Claud.* In nova sanguineos animasti vulnera rictus. ℙ Pro reficere, recreare. *Hygin. fab.* 126. Quem Eumaeus casa recepit, cibo potuque animavit.

ĂNĪMOSE, adv. θυμοειδῶς, προθύμως, magno et constanti animo, intrepide, fortiter. *Cic. fr.* ap. *Non.* 4, 2. Nimis animose ferox. *Id. Off.* 1, 26. Haec praescripta servantem licet magnifice, graviter, animoseque vivere, i. e. sine timore. *Id. Phil.* 4, 2. Animose et fortiter facere aliquid. *Sen. Benef.* 6, 37. Animosius dicere aliquid. *Val. Max.* 8, 2. *sub f.* Animosius se gerere in re aliqua. *Suet. Caes.* 47. Animosissime comparare gemmas, toreumata, signa, *h. e.* cupide, prompte, sine metu impensae. [*Vocabulum in primis locum habet in certamine plurium, quo ardor crescit. *Wolf.* ad h. l.] Sic *Paul. Dig.* 10, 2, 29. Animose liceri. *Senec. ep.* 73. *ante med.* Animosius a mercatore, quam a vectore solvitur votum: et ex ipsis mercatoribus effusius gratus est, qui, etc.

ĂNĪMOSĬTAS, ātis, f. θύμωσις, animi impetus, spiritus, vis, contentio. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 3. Plus significavit dicendo *spiritus*, quam si animositatem contentionemve dixisset. *Ammian.* 16, 12. Abjecta resistendi animositate. *Arn.* 3. *sub in-* Conspirare animositate consensionis ad fidem alicujus rei abrogandam. *Sidon. ep.* 4, 3. Equi potentis animositas. ℙ Apud *Macr. Somn. Sc.* 1, 6. sumitur pro parte animae, quam *irascibilem* vocant Scholastici. Scribit enim tres esse animae partes, quarum prima est ratio, quam λογιστικὸν appellant; secunda animositas, quam θυμικὸν vocant; tertia cupiditas, quae ἐπιθυμητικὸν nuncupatur. Eodem sensu 2, 12. *animositates* in plurali numero dixit.

ĂNĪMOSUS, a, um, adj. ἀνεμώδης, spirans, perflans. *Virg. G.* 2, 441. silvae, Quas animosi Eurі assidue franguntque, feruntque. *Ov. Amor.* 1, 6, 51. impulsa est animoso janua vento. *Id. Met.* 6, 134. animosa guttura, *h. e.* per quae meat spiritus. ℙ Item animatus, ἔμψυχος. *Prop.* 3, 7, 9. Gloria Lysippo est animosa effingere signa, i. e. plena vitae, quasi spirantia. ℙ Translate est plenus animi, impetum animi habens, minime timidus, θυμοειδής. *Cic. Mil.* 34. Gladiatores timidos et supplices odisse solemus, fortes et animosos servare cupimus. *Id. Sen.* 20. Animosior senectus est, quam adolescentia, et fortior. *Hor. Od.* 2, 10, 20. Rebus angustis animosus atque Fortis appare. *Ov. Trist.* 4, 6, 3. Equus animosus. *Id. Fast.* 5, 59. Animosa bella gerere, *h. e.* quae magnum animum postulant. Sic *Mart.* 12, 14. Animosa pericula. *Varr. R. R.* 1, 17. Mancipia esse oportet neque formidolosa, neque animosa. [*Hinc adeo i. q. superbus. *Ov. Met.* 6, 206. En ego (Latona) vestra parens, vobis animosa creatis, i. e. quod vos creavi animorum plena.] ℙ Allegorice. *Stat. Th.* 6, 395. Frigus animosum, *h. e.* timor cum animositate conjunctus. ℙ *Emptor animosus* dicitur, qui cupidus promptusque est ad emendum, nec ullo impensarum metu deterretur. *Jabolen. Dig.* 17, 1, 36. Eodem sensu *animosus corruptor* dicitur Otho a *Tac. Hist.* 1, 24. quia magno animo, et nullis sumptibus parcente donabat, ut a Galba ad se favorem hominum traheret. Sic *Prud. Psych.* 874. mille talentis Margaritum ingens, opibusque et viribus hastae Addictis, animosa Fides mercata parabat. V. ANIMOSE. ℙ Interdum pro iracundo, vel furioso accipitur, si *Nonio* credimus, qui 4, 2. affert illud *Novii* sive *Naevii:* Dabo tibi virum validum, virum animosum. Et illud *Lucilii*: Animosa Thessalia, etc. Sed haec aptius ad primam translatam notionem referuntur.

ĂNĪMŬLA, ae, f. ψυχάριον, ψυχίδιον, dimin. ab *anima*. Usurpatur vel contemptus vel blanditiae causa. *Serv. Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. In unius mulierculae animula si jactura facta est, tantopere commoveris? *Ammian.* 28, 1. Homo Sardus eliciendi animulas noxias, et praesagia sollicitare larvarum perquam gnarus. *Hadrian. Imp. in carm.* ap. *Spartian.* 25. Animula vagula, blandula, etc. *Poet. Vetus* ap. *Gell.* 19, 11. Animula aegra et saucia Concurrit ad labias mihi. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 10, 99. Aeliae P. F. Marciae animul. incomparabil. Parentes. Adde alias duas apud *Grut.* 304, 1. et 322, 1.

ĂNĪMŬLUS, li, m. θυμίδιον, dimin. ab *animus*. Usurpatur maxime in blanditiis. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 46. Mi animule, mea vita. *Id. Men.* 2, 3, 10. Animule mi, mihi mira videntur, hic te stare foris.

ĂNĪMUS, i, m. ἄνεμος, proprie significat ventum, flatum, spiritum: id enim valet Graeca vox allata. Atque hoc sensu usurpari vult *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 61. (57.) ubi Aeolus ventorum *mollitque animos, et temperat iras*, hoc est flatus compescit. Verum quidquid sit de hac interpretatione, frequentius multo et tutius usurpatur *anima* in hac significatione. [**Serv.* explicatio dudum explosa est. *Animi* ventorum vehemens eorum impetus est, quo feruntur. V. *Wunderl.* ad h. l.] ℙ Interdum ponitur pro *anima*, hoc est pro vita, ψυχή. *Virg. A.* 10, 487. Una eademque via sanguis animusque sequuntur. Huc et illa pertinent *Curt.* 4, 6. Linqui animo. [**Caes. B. G.* 6, 38. relinquit animus Sextium, gravibus acceptis vulneribus, i. e. vis illa, qua vivimus vigemusque. Cf. *Herz.* ad h. l.] Sic *Pl. Amph.* 5, 1, 6. Animo male est: aquam velim. Adde *Curc.* 2, 30, 33. ℙ Sed fere *animus* est pars hominis nobilior, incorporea, immortalis, quem scribit *Cic. Tusc.* 1, 9. ab *anima* dictum esse, hoc est a vita, quia eatenus inesse in nobis animus in-

telligitur, quatenus in vita sumus. V. supra in ANIMA exempla non una, in quibus *animus* cum *anima* conjungitur, et ab ea distinguitur. *Cic. Leg.* 2, 11. Omnium quidem animos immortales esse, sed fortium bonorumque divinos. [*Omnino de meliori hominis parte dicitur ac corpori opponitur. *Vell.* 2, 23, 5. animos extra moenia, corpora intra muros habere. Ubi cf. *Ruhnk.* qui laudat *Drak.* ad *Liv.* 39, 47. Adde eundem ad 9, 9, 18.] ℙ Raro *animus* dicitur de anima brutorum animalium. *Cic. Tusc.* 1, 33. Bestiae, quarum animi sunt rationis expertes. *Appul. de Deo Socr. sub f.* Equum ipsum nudum, et solum corpus ejus, et animum contemplamur. [*Quae hinc sequuntur, eorum ordinem ex parte immutavimus. — Ac distinguebant veteres animae nostrae duas maxime partes, alteram qua cogitamus et judicamus; alteram qua volumus et appetimus. Licet de utraque facultate usurpent voc. *animi*, ita tamen hoc factum est, ut proprie et *κατ' ἐξοχήν* animum dicerent facultatem sentiendi, appetendi, cupiendi; de ea igitur priori loco agemus. *Cic. Cat.* 1, 8. animus aequus. V. AEQUUS. *Id. Att.* 7, 7. tranquillissimus animus. Hinc in specie de singulis: a) i. q. voluntas, propositum, consilium. *Cic. Fam.* 14, 11. Nobis erat in animo Ciceronem ad Caesarem mittere. *Id. Rosc. Am.* 18. Nam istum exheredare in animo habebat. *Pomp.* ap. *Auct. B. Hisp.* 26. Cohortes animo habeo ad vos mittere. Al. leg. *in animo*. V. HABEO. [*Saepe codd. in praepos. vel addenda vel omittenda fluctuant. Apud *Liv.* quidem reperitur 1, 48. *extr.* 3, 64. omittitur 44, 25. *in.* v. *Gron.* ad h. l. coll. *Drak.* ad 29, 36, 7. et *Cort.* ad *Sall. Iug.* 11. *extr.* Interdum animus et voluntas conjunguntur, ut *Cic. Fam.* 5, 20. *sub f.* pro animi mei voluntate. Cf. *Manut.* Nota est formula *hoc animo* (hac mente) de qua v. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 7, 28. In hac significatione fere singularem in usu esse docet *Drak.* ad *Liv.* 2, 39, 12. Sed etiam pluralem (animi) de uno homine sic dici demonstrat *Burm.* ad *Phaedr.* 2, 2, 5. quem idem laudat.] *Virg. A.* 4, 639. fert animus, i. e. vult, decernit, destinat. [*Suet. Caes.* 84. fuerat animus conjuratis, seq. infinitivo, Cf. *id. Cal.* 56. plerisque non defuit animus, bacchantem adoriri.] *Ter. Andr.* 4, 1, 17. animo morem gerere. *Id. Ad.* 1, 1, 8. animo obsequi. *Ov. Met.* 12, 566. indulgere. Porro huc refer *Pl. Amph. prol.* 58. Teneo quid animi vestri super hac re siet. *Ter. Eun.* 5, 7, 14. Quid illi credis animi tum fuisse, ubi, etc.? Et *Ph.* 3, 1, 1. Multis modis cum istoc animo es vituperandus. *Ter. Eun.* 4, 7, 46. Jamdudum animus est in patinis. *Inducere animum*, et *in animum*. V. INDUCO. ℙ Omnino autem latiori plerumque sensu animus dicitur pro motibus et affectibus animi, amore, odio, ira, desiderio, timore, audacia [*stupore, moerore] etc. quae ratione regi debent, *τὸ παθητικόν*. [*Saepe numero hoc maxime sensu genit. *animi* multis adjectivis addi solet, qua de re V. *Drak.* ad *Liv.* 6, 10, 3.] *Hor. Ep.* 1, 2, 62. Ira furor brevis est: animum rege, qui nisi paret, Imperat. *Liv.* 30, 14. *in f.* Vincere animum. *Pl. Trin.* 2, 2, 24. Depugnare cum animo suo ab ineunte aetate. Et *ib.* Servire animo. V. integrum locum. *Ter. Andr.* 1, 2, 17. animum suum explere, i. e. se satiare amore. Plura exempla collegit *Ruhnk.* ad h. l. *Suet. Caes.* 46. villam, quia non tota ad animum ei responderat, diruit. [*Pl. Ps.* 1, 3, 8. in rem quod sit praevortaris, quam re advorsa animo auscultes, i. e. ne perturberis, ut *Gron.* explicat, quem V. De *moerore* intellige ap. *Ter. Heaut.* 2, 2, 3. concurrunt multae opiniones, quae mihi animum (sc. curis jamjam perturbatum) exaugeant. De *spe* dixit *Tac. Agr.* 30. magnus mihi animus est, hodiernum diem — initium libertatis fore. — Adde praeterea haec: *Stat. Epiced. in patr.* 33. vix haec in munera solvo primum animum, i. e. redeuntem a stupore, quo adhuc nimius dolor mentem obnubilaverat. Cf. *Gron. diatr.* p. 518. *ed. Hand.* Adde *Plin.* 35, 10, 19. Aristides Thebanus omnium primus animum pinxit et sensus hominis expressit, quos vocant Graeci *ἤθη*, item perturbationes etc., i. e. vivide tales vultus pinxit, quales proditores sunt animi et sensuum. V. *Gron. diatr. Stat.* p. 594. ed. *Hand. Quint.* 10, 1, 113. Asinio Pollioni — et consilii et animi satis, quo l. *Frotscher. animum* explicat spiritum, *πνεῦμα*, *θυμός* (*Feuer.*), quo sensu fere pluralis usitatior est. Omnino *animus* et appetitio animi est i. q. *ὁρμή* Graecorum. V. *Goer.* ad *Cic. Fin.* 4, 21, 58. coll. *Acad. pr.* 2, 8, 24.] Quare etiam blandientium est vocabulum de iis, quos amore complectimur. *Ter. Eun.* 1, 2, 15. Ne crucia te, obsecro, anime mi, mi Phaedria. *Pl. Rud.* 4, 8, 1. Mi anime, mi Trachalio. ℙ Praecipue vero est i. q. *θυμός*, fortitudo. *Cic. Fam.* 5, 2. Virtute atque animo resistere temeritati. *Id. ib.* 6, 14. Animo magno fortique esse. *Id. Att.* 3, 2. Animo perculso et abjecto esse. Cui opp. *ib. Fam.* 5, 16. *ad f.* imbecillo animo esse. — *Id. Or.* 2, 20. Acer et praesens animus. *Caes. B. C.* 1, 32. Tenuis atque infirmus animus. *Id. B. G.* 7, 70. Nostris animus augetur. *Varr. R. R.* 2, 5. et *Cic. Att.* 5, 18. Bono animo es. [*Cic. Rep.* 6, 10. ades animo et omitte timorem.] Hinc *cadere animis*, ect. V. CADO. Contra. *Ter. Heaut.* 3, 2, 31. Addere alicui animum. Et *Andr.* 2, 1, 33. Reddere alicui animum. *Ov. Fast.* 1. 147. Sumere animum. Frequentius autem hoc sensu usurpatur in plurali numero. *Cic. Man.* 22. *extr.* Quae civitas est in Asia, quae unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit? *Liv.* 1, 34. Lucumoni, omnium heredi bonorum, cum divitiae jam animos facerent. [*Lucan.* 2, 569. Galliane rebellis aetasque impensa labori Dant animos? Saepissime hoc modo de uno dicitur. V. quos laudat *Cort.* ad h. l. et *Burm.* ad *Virg. A.* 1, 579. Conjungitur saepe cum v. ira et iracundia, ut *Ov. Her.* 3, 85. vince animos iramque tuam. Cf. *Burm.* ad *Prop.* 1, 5, 12. coll. 2, 4, 8. *Drak.* ad *Liv.* 7, 10, 8. pectus animorum iraeque tacitae plenum. *Stat. Th.* 11, 525. unde animi saevaeque manus?] *Ter. Hec.* 3, 5, 56. Quia paululum vobis accessit pecuniae, Sublati animi sunt. *Cic. Dom.* 55. Efferre animos. Sic *Pl. Truc.* 2, 8, 10. tollere. Et *Virg. A.* 9. 127. Tollere alicui animos dictis. *Phaedr.* 2, 2. Animos ejusdem pulcra juvenis ceperat. [*Saepeque pro fastu, superbia, ad quem significatum jam ex superioribus nonnulla trahi possunt. Sic *Prop.* 2, 1, 23. animi Carthaginis altae. Cf. *Burm.* ad h. l. et ejus patruum ad *Virg. A.* 10, 357.] Eodem modo dicitur etiam de rebus inanimis. *Virg. A.* 7, 382. de turbine buxeo. Dant animos plagae. *Stat. Th.* 3, 671. Ut rapidus torrens, animos cui verna ministrant Flumina. *Virg. G.* 2, 51. Exuerint silvestrem animum, *h. e.* naturalem asperitatem et infecunditatem. ℙ Notanda est hic, quae eodem pertinet, formula *Animi causa* aut *gratia* est animi relaxandi causa, per voluptatem, per ludum et jocum. *Cic. Rosc. Am.* 46. Animi et aurium causa. [*Cf. *Matth.* ad h. l. et *Goer.* ad *Cic. Fin.* 2, 17, 56.] Paulo ante dixerat *animi relaxandi causa;* ex quo intelligitur, in hac phrasi ellipsim esse. [*Noli credere.] *Id. Fam.* 7, 2. Hic simiolus, animi causa, me, in quem inveheretur, delegerat. *Pl. Trin.* 2, 2, 53. Praeterea aliquantum animi causa in deliciis disperdidit. *Id. Epid.* 2, 2, 51. Quasi tu cupias liberare fidicinam animi gratia. *Sen. Benef.* 4, 17. Nec quisquam tantum a naturali lege descivit, et hominem exuit, ut animi causa malus sit. *Caes. B. G.* 7, 77. Quid ergo Romanos in illis munitionibus, animine causa quotidie exerceri putatis? Adde *Sen. de Ira* 3, 18. *ad f.* et *Plin. praef. H. N.*, ubi *animi causa* est id. quod [*dixit *Juvenalis* ita: quoniam animus ita volebat, hoc ei placebat, n. *aus Liebhaberei.*] Sed eadem formula etiam significare videtur i. q. sponte et libenter. *Sen. Cons. ad Helv.* 6. Nullum invenies exsilium, in quo non aliquis animi causa moretur. ℙ [*Sed, ut diximus, animus etiam de ea animae nostrae parte dicitur, qua cogitamus, judicamus; quo sensu saepius *mens* dicitur, Gr. *φρήν, νοῦς*. Sic *Cic. Rep.* 1, 39. animi partes, i. e. facultates, vires. *Ib.* 3, 3. instrumenta. *Ib.* 6, 12. animi lumen (i. e. praestantiam) ostendere.] *Cic. Fam.* 4, 17. animo complecti aliquid. *Id. Ad.* 1, 1, 5. cogitare in animo. *Cic. Agr.* 2, 24. (*Ter. Ad.* 3, 4, 55.) cogitare aliquid cum animo. *Nep. Ages.* 4. Meditari animo. *Liv.* 34, 2. statuere apud animum. [*Suet. Aug.* 86. sensum animi quam apertissime exprimere. *Id. Vesp.* 5. cogitare et volvere animo. Hoc sensu interdum otiose additum videri potest; quare dubius est locus *Auct. ad Her.* 4, 17. nam necesse est *animo* eam comprobet *tacitus* auditor, ubi alii omissum volunt ob v. *tacitus;* v. intpp.] Huc refer loquendi rationes: *adjungere*, *adjicere*, *applicare animum ad aliquam rem*, i. e. incumbere ad aliquid, attendere. Sic *appellere*, *inducere*, *adhibere*, *advertere animum* [*animo, *animos* v. *Drak.* ad *Liv.* 4, 27. 8. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 69, 1.] et paene infinita, quae V. suis locis. [*Ingentem numerum locorum, ubi *animus* conjungitur cum *subst.*, ut animus Victor, contemtor, contemplator, consul etc. etc. collegit *Bentl.* ad *Hor. od.* 4, 9, 39.] ℙ Quare nonnunquam *animus*, et *mens* conjunguntur, et tunc *animus* est spiritus, quo vivimus, movemur, et intelligimus; *mens* est ratio, qua animus regitur: vel *animus* ponitur pro voluntate et affectibus animi, *mens* pro ratione. *Liv.* 37, 45. Animos, qui nostrae mentis sunt, eosdem in omni fortuna gessimus, gerimusque: neque eos secundae res extulerunt, nec adversae minuerunt. *Caes. B. G.* 1, 39. Ut non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret. *Id. B. C.* 1, 21. Tanta erat summa rerum exspectatio, ut alius in aliam partem mente atque animo traheretur. *Virg. A.* 6, 11. *de Sibylla.* magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates. *Gell.* 2, 1. Tanquam quodam secessu mentis atque animi facto a corpore. *Id.* 15, 2. Neque mentem animumque ejus consistere. *Ter. Andr.* 1, 1, 137. Mala mens, malus animus, *h. e.* mala mens, et ratio, atque inde prava voluntas, prava consilia, et affectus. Dicitur etiam *mens animi.* V. in MENS. Nota porro haec: *Cic. Fam.* 13, 62. Semper in animo habui, te in meo aere esse i. e. putavi, opinatus sum, (non ut supra in eadem formula i. q. hac voluntate fui). *Nep. Eum.* 11. animo si isto eras, cur non in proelio cecidisti? — Eodem refer formulam *animo meo*, i. e. mea sententia. *Pl. Bacch.* 3, 2, 10. Nam pol equidem, meo animo, ingrato homine nihil impensius est. *Cic. Sext.* 22. Hoc, meo quidem animo, summi in patriam amoris mei signum debet esse certissimum. Pari fere modo dicitur *ex animo*, quod significat sponte et sincere, non de composito ac per simulationem, cui *de industria* opponitur. *Ter. Andr.* 4, 4, 55. Paulum interesse censes, ex animo omnia. Ut fert natura, facias, an de industria? *Id. Eun.* 1, 2, 95. Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres. [*Cic. N. D.* 2, 67. sive ex animo id fit, sive simulate. *Vell.* 2, 48, 4. mox simulatione contra Pompejum et Caesarem, sed animo pro Caesare stetit.] ℙ Est porro animus i. q. sentiendi ratio s. voluntas, qua alicui vel bene vel male volumus. *Cic. Fam.* 3, 6. Qui, quo animo inter nos simus, ignorant. *Id. ib.* 5, 2. Pro mutuo inter nos animo. *Id. ib.* 18. *in f.* Meus animus erit in te liberosque tuos semper, quem tu esse vis, et qui esse debet. *Id. ib.* 2. Animo non mobili, sed stabili esse in aliquem. *Caes. B. G.* 1, 6. Esse bono animo in aliquem. [*Referas huc *Suet. Oth.* 8. animus fidesque, i. e. bene alicui velle et fidelem esse. Hoc autem latius patet: nam etiam in universum dicitur *animus* de interna comparatione et habitu, quem consuetudine vel studio assumsimus, de ingenio, moribus dicitur, ut qui ex cujusque cogitandi et sentiendi ratione oriuntur. *Suet. Cl.* 1. fuisse creditur non minus gloriosi quam civilis animi. *Id. Vit.* 7. facili ac prodigo animo. *Tib.* 24. impudentissimo. *Vell.* 2, 25, 3. animus dupplex et diversissimus in eodem homine; atque conjunctim *id. ib.* 112, 7. animi atque ingenii pravitas *coll.* 2, 35, 3. *Suet. Tib.* 52. animi fluxioris remissiorisque vitae erat (Drusus) i. e. parum constanter bonum et rectum sequebatur. Apte comparat *Bremius Ter. Heaut.* 5, 2, 9. animo omisso esse i. e. negligenti, v. *Ruhnk.* et *Sall. Cat.* 14. molles et fluxi animi. *Cic. Fam.* 2, 17. *fin.* animus jejunus, i. e. humilis et infirmus, cui opp. erectus et excelsus. Cf. *Manut. Hor. Sat.* 1, 2, 10. Sordidus atque animi parvi. Saepeque omnino parvus, angustus, pusillus etc. de avaris dicitur. V. quae *Hdf.* ad h. l. Ita etiam de inanimis reperitur; *Virg. G.* 2, 50. exuerint silvestrem animum, i. e. naturam.] ℙ Denique etiam ad memoriae vim refertur. *Virg. Ecl.* 9, 51. Omnia fert aetas, animum quoque. *Ter. Andr.* 1, 5, 47. Etiam nunc mihi scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis. ℙ [*Confunduntur *animus* et *annus*. Cf. *Burm.* ad *Ov. A. Am.* 1, 191. *Drak.* ad *Sil.* 1, 187. et maxime ad *Liv.* 32, 5, 2. *Burm.* ad *Quint.* 1, 1. *init. animus* et *amicus*, *Drak.* ad *Liv.* 9, 6, 8. *coll.* 8, 19, 11. *animus* et *arma*, *id.* ad *eund.* 22, 5, 8. *animo* et *omnino* vel *magnitudine*, v. intpp. ad *Vell.* 2, 33, 3.]

ĀNIO, onis. V. ANIEN.

ĀNISOCYCLI, orum, m. plur. *ἀνισόκυκλος*, vox Graeca, qua significantur plures circuli continuati, quorum unus alteri aequalis non est: ab *a* privativa, *ἴσος*, aequalis, et *κύκλος*, circulus. Apud *Vitr.* 10, 1., ubi de machinis disserit, legitur *anisocyclorum versationes.* Quo loco quid sibi velint *anisocycli*, est expedire perdifficile. Alii enim cum *Turneb. Adv.* 9, 20. suspicantur fuisse organa, multos orbes habentia, quosdam majores, quosdam minores, ut facili nisu, majorum impulsione reliqui orbes moverentur, et molitio alicujus rei fieret, aut expulsio. Alii putant intelligi helicam vel cochleam, quae inaequales habet obliquosque circulos (*Schrauben*). Alii esse quidem cochleas, sed ex ferreo filo in inaequales circulos flexo, quales sunt mulierum cincinni: quod filum contractum compressumque, deinde remissum, expellit magno impetu, quod impositum est (*Springfedern*). Figuram habes apud *Bald. in Lex. Vitr.* [At *Schneider.* ex quodam *Cod.* legendum conjicit *axiculorum*, ut Graecorum *ἀξόνια*, quos Latini orbiculos vocant. *F.*]

ĀNĪSUM, i, n. *ἄνισον*, aliquando et *ἄννισον*, item *ἄνησον*, herba est radice gracili, caule rotundo, concavo, et apio simili, e cujus geniculis rami enascuntur multi, coriandri modo, in quorum cacuminibus haerent umbellae latae minutis candidisque floribus constantes, folio simplici, aut trifido (nam multiplex est genus) profunde serrato; semen ferens parvum, colore fere cinereo, odore ac sapore gratissimo, dulci cum quadam acrimonia, quod et ipsum *anisum* dicitur, adhibeturque passim in ciborum condimentis: et praeterea aliquos etiam in medicina usus habet, quos *Plin.* 20, 17, 72. recenset. *Id.* 19, 8, 13. Gith pistrinis, anisum et anethum culinis, et medicis nascuntur. ℙ Usurpatur et *anisus*, *i*, m. a *Theod. Prisc. de diaeta*, 10.

*ĀNITAS, atis, f. anilitas. *Gloss. gr. lat. γραώτης*, Anitas. *B. A.*

*ĀNITORGIS, is, oppidum Hispaniae Baeticae. *Liv.* 25, 32.

ĀNIUS, ii, m. Apollinis filius, et sacerdos rex Deli, pater Andri, a quo Andros insula denominata est. *Virg. A.* 3, 80. Rex Anius, rex idem

hominum, Phoebique sacerdos. *Serv.* ad *l. l.* hujusmodi fabulam narrat. Habuit Anius ex Dorippe uxore tres filias, quas, ne unius tantum Dei esset tutus auxilio, Libero patri dicavit, qui parem ei reddens gratiam effecit, ut quidquid una earum attigisset, verteretur in fruges, quidquid altera in oleum, quidquid tertia in vinum. Agamemnon ad Trojanum bellum proficiscens, quo facilius aleret exercitum quem ducebat, eas rapere tentavit; quae cum vinctae abducerentur, a Libero in totidem columbas mutatae, effugerunt. V. etiam *Ov. Met.* 13, 632. ℙ Alius fuit anius filius Aeneae ex filia Anii regis, *Serv. ibidem.*

ANNĀ, ae, f. Ἄννα, Beli filia, soror Didonis, quae postquam mortuam sororem vidit, et Carthaginem ab Iarba Getulorum rege occupatam, relicta sede patria ad Battum regem, qui Melitae insulae imperabat, deinde ad Aeneam in Italia regnantem accessit, ab eoque benigne excepta est. Mox ob Laviniae odia, in somnis, ut cederet, monita, in Numicium fluvium se praecipitem dedit. Inde Anna Perenna dicta Romanis, et pro Dea culta. *Ov. Fast.* 3, 546. Idibus est Annae festum geniale Perennae. V. ibi multa ad hanc rem. V. etiam *Silium* 8, 50. et deinceps. [**Macr. Sat.* 1, 12. Annae Perennae ideo sacrificari narrat, *ut annare perennareque commode liceat*, i. e. ut faciliter per totum annum vivere liceat. Hinc *Scheller.* non male *femin.* v. *annus* esse censet.]

*ANNAEUS, nomen gentile apud Romanos, ut Annaeus Seneca, A. Lucanus, A. Florus.

ANNĀLIS, le, adj. ἐνιαύσιος, annum durans. *Varr. R. R.* 1, 27. Tempora duorum generum sunt, unum annale, quod sol circuitu suo finit, alterum menstruum, quod luna circumiens comprehendit. Et *ib.* Solis cursus annalis. *Ulp. Dig.* 14, 2, 1. Annalis actio. *Paul. ib.* 38, 17, 6. Annalis bonorum possessio. ℙ De annali clavo V. in CLAVUS. ℙ *Annalis lex* dicebatur, quae praescribebat annorum numerum ad magistratus capessendos. *Cic. Phil.* 5, 17. Legibus enim annalibus cum grandiorem aetatem ad consulatum constituebant, adolescentiae temeritatem verebantur. *Liv.* 40, 43. *inf.* narrat, cum L. Villius trib. pl. legem annalem tulisset, Q. Fulvio Flacco, et L. Manlio Acidino Coss., ejus familiae inde cognomen inditum fuisse, ut *Annales* appellarentur. ℙ Lepidum Ciceronis jocum de quodam *Sex. Annali* refert *Quint.* 6, 3. *ad f.* ℙ Absolute *Annalis*, *lis*, subaudi *liber*, et frequentius in plur. numero *Annales*, *lium*, subaudi *libri*, sunt illi, in quibus singulis annis, et singulis diebus res memorabiles et bellicae, et urbanae breviter atque ordine perscribuntur. Differunt autem ab historia, quia haec menses et dies saepe omittit, deinde prolixe res narrat, afferendo causas, describendo loca, interponendo conciones, etc. V. *Gell.* 5, 18, et *Cic. Or.* 20.: annales chartas vocat *Prud. adv. Symm.* 1, 798. ℙ Ab *Actis* quomodo differant, V. in ACTA, orum. ℙ Apud Romanos Annales a Pontifice Maximo scribebantur, et domi proponebantur, potestas ut esset populo cognoscendi. Hinc *Annales Maximi* dicebantur, non a magnitudine, inquit *Festus*, sed quod eos Pontifex Max. consecrasset. Atque haec fuit Historia ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mutium Scaevolam: post quem uberiore stilo scribi coepta est, a M. Catone, Fabio Pictore, Antistio Pisone, Coelio Antipatro, et aliis, ut *Cic. Or.* 2, 12. narrat. ℙ Alia ratione distinguit *Serv.* ad illud *A.* 1, 377. Et vacet annales nostrorum audire laborum. Historia, *inquit*, est eorum temporum, quae vel vidimus, vel videre potuimus, dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, id est videre. Annales vero sunt eorum temporum, quae aetas nostra non novit: unde Sallustius ex Historia, Livius ex Annalibus et Historia constat. Haec *Serv.* Verius tamen prius discrimen videtur. Quamquam haec duo confunduntur interdum. *Liv.* 43, 13. Ea pro dignis habere, quae in meos annales referam. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 3. Honore, et dignitate, et aetate praestat Tubero, quem ego arbitror, praesertim cum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos velit et possit imitari. *Id. Dom.* 32. Ut annales populi R. et monumenta vetustatis loquuntur. *Id. Att.* 12, 23. Quibus Coss. ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo annali. *Id. Brut.* 15. Est sic apud illum in nono annali. *Nep. Ann.* 13. Atticus in annali suo scriptum reliquit. *Plin.* 7, 28, 29. Q. Ennius T. Caecilium, fratremque ejus praecipue miratus, propter eos sextumdecimum adjecit annalem. *Ov. Fast.* 1, 7. Sacra recognosces annalibus eruta priscis. ℙ *Annalia*, *ium*, absolute, in quadam *Inscr.* ap. *Grut.* 116, 2. sunt sacrificia solemnia ex voto quotannis fieri solita, de quibus loqui videtur *Caj. Dig.* 50, 16, 233. Post Kalendas Januarias die tertio pro salute principis vota suscipiuntur.

*ANNAMATIA, ae, oppidum Pannoniae inferioris. *Anton. It.* et *Tab. Peut.*

ANNĀRĬUS, a, um, adj. id. q. annalis. *Festus*: Annaria lex dicebatur ab antiquis, qua finiuntur anni magistratus capiendi. *Lamprid. Commod.* 2. Venia legis annariae impetrata, consul factus est. *Arn.* 2. p. 91. In potestatibus obeundis leges conservatis annarias.

ANN. V. ADN.

ANNĔ. V. in AN.

ANNECTO et Adn., is, exui, exum, a. 3. ἐπιπλέκω, προσείρω, ad aliquid necto, conjungo. *Sall. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 11, 770. Lintea operimenta ferreis laminis in modum plumae adnexuerant. *Petr. Sat.* 97. Annectere pedes et manus institis. *Cic. N. D.* 2, 54. Ad linguam stomachus annectitur. *Plin.* 3, 5, 8. Nona regio annectitur septimae. *Id.* 5, 29, 31. Cum insulae essent, Alexander annexuit continenti. *Val. Max.* 2, 5. *sub f.* Adnectere remedia corporibus aegrorum. *Id.* 2, 6. *n.* 14. *ext.* Adjice Celtibericam fidem, junge Thraciae sapientiam, annecte Lyciorum callide quaesitam rationem etc. ℙ [Partic. *Annectens* ap. *Plin.* 4, 1, 2. Insulam continenti annectens. *Annectendus* ap. *Solin.* 1. *n.* 29. Quibus annis annectendus est primus annus. *F.*]

ANNELLUS. V. ANELLUS.

*ANNESTUS et Annestum, i, oppidum Arabiae Felicis, a Gallo deletum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

ANNEXĬO et Adn., onis, f. connexio, ἐπιπλοκή. *Pallad.* 4, 10. *sub f.* Germinantes oculos aliqua inter se annexione conglutina.

ANNEXUS et Adn., us, m. ἐπιπλοκή, annexio. *Tac. H.* 3, 34. Cremona annexu connubiisque gentium adolevit floruitque.

ANNEXUS et Adn., a, um, part. v. *annecto*, junctus, connexus, προσαρτούμενος. *Cic. Inv.* 2, 51. Funiculus a puppi religatus scapham annexam trahebat. *Id. ib.* 1, 18. Exordium annexum orationi. *Plin.* 10, 37, 53. Epistolae annexae pedibus columbarum. *Sen. ep.* 95. *a med.* Virtutes separatae sint, an annexae.

ANNĬA Via, de qua mentio est in *Inscr.* ap. *Grut.* 446, 4., videtur fuisse ramus Flaminiae prope Urbem. A quonam dicta sit, non constat. Alia ap. *Eund.* 149, 5. . . . . viam Augustam ab via Annia extra portam ad Cereris silice sternendam curarunt pecunia sua pro Ludis. [**Annia* Cornificia, soror natu minor Marci Antonini philosophi. *Capitol. Antonin.* 1. ℙ Annia Faustina consobrina et uxor ejusdem Imperatoris. *Id. Marc.* 1. *Lamprid. Commod.* 7. *B. A.*]

ANNĬADAE, arum, qui sunt ex Annia familia Romana illustri. *Claud. Cons. Prob.* et *Ol.* 8. nec te latuere potentes Anniadae. Adde *Prud. c. Symm.* 1, 553.

*ANNĬĀNUS, a, um, adj. ad Annium vel Anniam pertinens. *Cic. Verr.* 2, 1, 46. In illo capite Anniano de mulierum hereditatibus. ℙ Fuit et Annianus, i, poeta Latinus sub Antonino et Adriano Imperatoribus. *Gell.* 7, 7. et 20, 8. *B. A.*

ANNĪBAL et Hannibal, ălis, m. Ἀννίβας, nomen viri Carthaginiensis. Quamvis autem plures fuerint sic appellati, super omnes tamen celebratur Amilcaris filius, qui secundo bello Punico in Hispaniam trajecit, Saguntum aliasque urbes expugnavit: inde superatis Alpibus in Italiam venit, multisque cladibus et praecipue Cannensi, rem Romanam paene evertit. Post varios denique casus, cum Italiam sexdecim annos acerrimo bello vexasset, in Africam revocatus, a Scipione Africano majore devictus est. Postea metu Romanorum, qui cum sibi tradi petebant, primo Ephesum ad Antiochum regem, deinde in Bithyniam ad Prusiam profugit. Sed cum ne apud eum quidem tutus esset, veneno absumpto, quod in anulo servabat, mortem sibi conscivit. V. *Liv. tota Dec.* 3. et *Nep.*, qui ejus vitam conscripsit. ℙ [**Annibal*, filius Gisconis, nepos Hamilcaris a Gelone victi, a Carthaginiensibus Egestanis auxilio missus, aliquot primo urbes cepit, sed mox ab Hermocrate, exule Syracusano, male exceptus est. *Just.* 22, 23. ℙ *Annibal*, dictus Senior, in Sardinia a C. Sulpicio Paterculo, Consule Romano, superatus, paullo post, classe insuper omissa, a suis in crucem actus est. *Liv.* 42, 28. et 29. *Just.* 33, 1. seqq. *B. A.*] ℙ Ad scriptionem quod attinet. *Dausq. in Orthogr.* mavult scribi *Annibal* sine aspiratione, neque caret validis argumentis. Contra *Manut.* praefert *Hannibal* ex antiquissimis quibusdam codd. et aliquot etiam lapidibus. ℙ Paenultima in obliquis casibus fere a poetis corripitur, *Mart.* 4, 14., *Hor. Od.* 4, 8, 16., *Sil.* passim etc. Sed tamen *Val. Prob.* ap. *Gell.* 4, 7. produci eam posse ajebat, auctoritate *Plauti* et *Ennii:* quibus adde versum *Varr.* ex ejus fragment. ap. *Non.* 1, 242. *Noctu Annibalis cum fugavi exercitum.* [*Syll. *bal* ex hebr. *baal* orta esse videtur, ideoque posset produci. Sed usus respuit.] Idem dicendum de aliis similibus nominibus Poenorum, *Asdrubal*, *Amilcar*, *Hiempsal* etc.

*ANNIBALIĀNUS, i, memoratur *Vopisco* in *Prob.* 22. Duces praclarissimos instruxit. Nam ex ejus disciplina Carus, Diocletianus, Constantius, Asclepiodorus, Annibalianus etc. *B. A.*

ANNĪCĔRĬI, orum, dicti sunt philosophi sectae Aristippi Cyrenaici, in qua celebris fuit inter alios Anniceris, Ἀννίκερις, quidam Cyrenaeus, qui Platonem quondam captivum, cum Aeginae venderetur, proprio aere redemisse dicitur. Fuit autem auctor et princeps unius ex multis sectis, quae ex Cyrenaica repullularunt. *Cic. Off.* 3, 34.

ANNĪCŬLUS, a, um, adj. ἐνιαύσιος, qui est unius anni. *Varr. R. R.* 2, 5. Tauros, unum anniculum, alterum bimum. *Nep. Att.* 19. Virginem vix anniculam provigno suo despondit. *Plin.* 9, 41, 65. Anniculo grano languidus succus: idem a quadrimo evanidus. *Colum.* 7, 9. Annicula aetas. *Ulp. Dig.* 1, 6, 6. Anniculus filius. *Cato R. R.* 17. Anniculae nuces pineae. *Varr. R. R.* 1, 65. Cum fuerit vinum anniculum, proruito.

ANNĪFER, a, um, adj. per totum annum fereus. *Plin.* 16, 26, 44. Citreae et juniperus et ilex anniferae habentur, novusque fructus in his cum annotino pendet. ℙ Apud eund. *Plin.* 19, 7, 36. dicuntur *anniferae* eae plantae, quae caulem ferunt unum tantum annum durantem, remanente radice: quae ἐπετειόκαυλοι appellantur a *Theophrasto.*

ANNĪHĬLĀRĔ, ἐξουδενόω. Legitur quidem ap. *Hieron. ep.* ad *Sunn.* et *Fretel.* 106, 57., sed refertur, una cum *annullare* et *nullificare*, inter portenta verborum, quae apud imperitos inveniri solent. *Tertull.* tamen *adv. Psych.* 15. ex *Apost. Rom.* 14, 3. Qui manducat, ne nullificet non manducantem, *h. e.* ne contemnat, nihili faciat. Al. leg. *vilificet.* Vulgata habet *spernat.*

*ANNĪHĬLĀTOR, *Gloss. Gr. Lat.* ἐξουδενητής. *B. A.*

ANNĪSUS et Adn., us, m. actus annitendi. *Symm. ep.* 5, 74. Ut probabiles voluntates alieno etiam adjuventur annisu.

ANNĪSUS et Adnixus, a, um, part. ab *annitor*, incumbens, innixus. *Virg. A.* 12, 92. hasta ingenti annixa columnae. *Tac. A.* 3, 61. Latona oleae annisa. *Val. Max.* 5, 3. *n.* 3. Annixus genibus. ℙ Item conatus, hoc est qui nixus est aliquid facere et conatum adhibuit. *Virg. A.* 1, 148. Cymothoe, simul et Triton annixus, acuto Detrudunt naves scopulo: *Serv.* notat, *annixus* antiquum esse, recentius vero *annisus* aut *adnisus. Id. ib.* 5, 226. Quem petit et summis adnixus viribus urget. *Liv.* 5, 25. *ad f.* Et patres hoc idem de intercessoribus legis annisi. *Tac. H.* 5, 8. Temere superstitionem et mores Graecorum dare annixus. *Appul. Apol.* Haec omnia, annixus impenso studio, persuadet.

ANNĪTOR et Adn., ĕris, isus et ixus sum, dep. 3. ἐνοκλέπτω, ad aliquam rem niti, hoc est incumbere, inniti. *Cic. Amic.* 23. *in f.* Natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tanquam adminiculum annititur. V. alia in voce praeced. [*Et cum dat. *Virg. A.* 9, 229. hastae.] ℙ Est etiam conari, laborare, ut aliquid fiat, καταπονδάζειν. *Liv.* 21, 8. Poeno, cepisse jam se urbem, si paululum adnitatur, credente. *Plin.* 7, 53, 54. Omni ope, ut viveret, annisus est. *Sall. Jug.* 87. Mihi acrius adnitendum est, uti neque vos capiamini etc. *Liv.* 8, 16. Omni ope annisi sunt; ut etc. *Plin. Pan.* 25. Omni ope adniti, ne quis e plebe etc. *Sall. Jug.* 47. Adniti summo studio ad aliquid patrandum. *Flor.* 1, 9. Ex summo studio anniti ad augendam majestatem. *Liv.* 27, 14. Poenis ad obtinendum hesternum decus adnitentibus. *Sall. Cat.* 19. Piso in Hispaniam pro praetore missus est, adnitente Crasso, i. e. favente. Atque cum infinito. *Tac. H.* 4, 8. Etiam mediis patrum annitentibus retinere morem. V. aliud ejusdem exemplum in ANNISUS. [**Ib.* 5, 8. *Liv.* 10, 41. anniterentur vincere.] ℙ Cum accusativo communi. *Plin. ep.* 6, 18. Rogas, ut agam Firmanorum causam: quod ego quamquam plurimis occupationibus distentus, adnitar, i. e. perficere conabor. *Adniti de re aliqua* est conari rem aliquam obtinere. *Cic. Att.* 6, 8. Ego nisi Bibulus adniteretur de triumpho, aequo animo essem. [*Anniti pro aliquo dixit *Liv.* 2, 52.] ℙ Partic. *annitendus* more activorum interdum effertur. *Gell.* 2, 12. *ad f.* Si in concordia annitenda parum auctoritatis habuerint, *h. e.* procuranda.

ANNĪVĀGUS. V. OMNIVAGUS.

ANNĪVERSĀRĬĒ, adv. quovis anno vertente. *August. ep.* 118. *in f.* et *Doctr. Christ.* 2, 29.

ANNĪVERSĀRĬUS, a, um, adj. ἐτήσιος, qui singulis annis vertentibus fit, hoc est quotannis. *Cic. Verr.* 2, 4, 39. Mercurium sacris anniversariis colere. *Id. ib.* 48. *in f.* Festos dies anniversarios agere. *Id. N. D.* 2, 38. Coelum constantissime conficiens vicissitudines anniversarias. *Liv.* 4, 45. Aequorum velut anniversariis armis adsuerat civitas. Et *Flor.* 1, 12 Anniversarii hostes, *h. e.* qui quotannis lacessunt. [**Suet. Aug.* 81. valetudines anniversariae ac tempore certo recurrentes.] *Varr. R. R.* 1, 16. Coloni habent anniversarios vicinos, quibus imperant, medicos, fullones, fabros etc., *h. e.* quorum opera quotannis utuntur. *Suet. Aug.* 81. Anniversariae valetudines, ac tempore certo recurrentes.

*ANNIUS, i, nomen gentile Romanorum, ut T. Annius Milo, amicus Ciceronis, T. Annius Cimber, amicus Antonii, P. Annius Asellus, civis Romanus ap. *Cic. Verr.* 2, 1, 41. ℙ Annius Fetialis Historiam seu Annales rerum Romanarum condidisse fertur. *Plin.* 34, 6. ℙ Annius, a, um, adj.

ad Annium vel Anniam pertinens, ut Annia via, quod V. suo loco. *B. A.*

*ANNIXE vel Adnixe, adv. pro enixe habent *Appul. Met.* codd. duo ap. *Oud.* p. 101. Locus est p. 117. *Elm. B. A.*

ANNIXUS. V. ANNISUS.

ANNO et Hanno, ōnis, m. *Ἄννων*, nomen nonnullorum virorum Carthaginiensium: quorum unus, temporibus Philippi Macedonis, privatis opibus potens, in libera republica regnum affectavit, sed post varios conatus, insidiasque civibus paratas, ab iisdem captus, virgis caesus, deinde effossis oculis, manibus cruribusque fractis, cruci affixus est. V. *Just.* 21, 4. Alter Anno a Carthaginiensibus cum exercitu missus contra Agathoclem Siciliae tyrannum, in pugna interfectus est. V. *Eund.* 22, 6. Alius denique tempore belli secundi Punici, factionis Barchinae princeps fuit, cumque auctor pacis semper esset, nequaquam exauditus est. *Liv.* 21, 3. et 9. et 22, 12. ℙ De scriptione idem esto judicium, ac de *Annibal.* q. V.

ANNO, as, n. 1. *Annare* est annum transigere, annum agere. Habet locum in quadam precandi formula, qua utebantur, cum sacra faciebant Annae Perennae, *ut annare, perennareque commode liceret*, ut legitur ap. *Macr. Sat.* 1, 12. ℙ *Anno, as*, compositum a *no, as*, V. in ADNO.

ANNOMINATIO. V. AGNOMINATIO.

ANNON. V. in AN.

ANNONA, ae, f. *εὐθενεῖα*, [**τὸ σιτηρέσιον, ἡ σιτώρεια*] res frumentaria et quidquid ad annuum victum necessarium est, ab *annus*. [*Etymologias nonnullas recenset *Gron. diatr. Stat.* p. 267. *ed. Hand.* ac docet *annonam* esse unius anni fructus s. proventum, ut *pomona* proventum pomorum significat, de quo cf. *Salm.* ad *Solin. c.* 22. (al. 35.)] *Tac. H.* 3, 48. Clausis annonae subsidiis, inopiam, ac discordiam hosti facere. *Id. ib.* 4, 68. Praeficere aliquem annonae. *Id. ib.* 1, 11. Provincia annonae fecunda. *Cic. Verr.* 2, 3, 98. Annona pretium, nisi in calamitate fructuum, non habet. *Id. Dom.* 5. Difficultas annonae. *Liv.* 38, 35. Annona compressa. *Tac. A.* 1, 7. Praefectus annonae. *Inscr.* ap. *Mar. Frat. Arv.* p. 402. T. Elufrio T. F. Stell. Meliori, quod annonam sufficientem civitati pecunia sua praestiterit. Ac de aliis, ut speciatim *annona musti* dicitur a *Colum.* 3, 21. ea vini copia, quae per annum familiae est necessaria. Sic *annona lactis* etc. ℙ Saepe ponitur pro ipso pretio rerum, quae ad victum necessariae sunt. *Caes. B. C.* 1, 52. Jam ad denarios quinquaginta in singulos modios annona pervenerat. *Mart. Dig.* 50, 1, 8. Cogere aliquem vilius praestare frumentum, quam annona exigat. *Sen. Qu. nat.* 4, 13. Habet institores aqua et annonam variam. *Cic. Div.* 2, 27. Annona carior. *Liv.* 26, 20. arctior. Et 2, 52. laxior. *Suet. Aug.* 25. gravior. *Plin.* 18, 10, 20. *n.* 2. media. *Tac. A.* 4, 6. acris plebem fatigat. *Id. ib.* 6, 13. Gravitas annonae. *Id. ib.* 2, 87. saevitia. *Quint. Decl.* 12, 4. incendium. *Cic. Dom.* 5. caritas. Et *Man.* 15. vilitas. *Id. Dom.* 5. Annona ingravescit. *Plin.* 6, 22, 24. augetur. Sic *Caes. B. C.* 1, 52. crescit. *Suet. Tib.* 34. Temperare annonam macelli. *Cic. Mil.* 27. levare. Sic *Liv.* 2, 34. laxare. *Id.* 26, 20. *in f.* Annona laxat. Contra. *Pacat. Pan. Theod.* 32. *sub f.* arctare annonam. *Varr. R. R.* 3, 2. excandefacere. Et *ib.* incendere. Sic *Ulp. Dig.* 47, 11, 6. onerare. *Plin.* 33, 13, 57. flagellare. *Vell.* 2, 77. Annona gravis urit plebem. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 12, 24. Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest, *h. e.* res amicorum redundant, et vili pretio dantur bonis viris indigentibus; nam vir bonus *nil nisi verum orabit et aequum*. Satyrice *Juv.* 9, 100. His opibus nunquam cara est annona veneni. ℙ Interdum absolute ponitur pro annonae abundantia. Est enim vocabulum mediae significationis, ut *valetudo, venenum* etc. *Cic. Dom.* 6. *in f.* Commutatam annonam dicebant: quae, quia rursus in meo reditu facta erat durior, a me, cujus adventu fore vilitatem boni viri dictitabant, annona flagitabatur. *Tac. A.* 1, 2. Pellicere populum annona. ℙ Sic contra pro annonae caritate. *Pl. Trin.* 2, 4, 83. Coena hac annona est sine sacris hereditas, *h. e.* ad coenam invitari in tanta caritate annonae, est veluti hereditas sine oneribus. Alii ita leg. *Coena haec annona* etc., hoc est coena haec annua, ut *annona* sit adjective positum ab *annonus, a, um;* quod tamen non est temere probandum. [*Illud omnino recte habet; est *hac annona* pro *hac tempestate*, quum tam cara jam sit annona.] ℙ Nonnunquam sumitur pro cibariis militum, quae constabant ex frumento, vino, aceto et sale, tum larido et caseo. Hinc *Veg. Mil.* 3, 3. Frumenti, vini, aceti, nec non etiam salis omni tempore necessitas declinanda. Et *Vulcat. Avid.* 5. Praeter laridum ac buccellatum panem atque acetum militem in expeditione portare prohibuit. *Spart.* vero *Hadr.* 10. Cibis etiam castrensibus in propatulo libenter utens, hoc est, larido, caseo et posca. *Veg. Mil.* 1, 19. In arduis expeditionibus necessitas imminet annonam pariter et arma portandi. *Ammian.* 17, 9. Annona decem et septem dierum, quam in expeditionem pergens vehebat cervicibus miles. ℙ In plur. numero *annonae, arum*, usurpantur in *Cod. Just.* 1, 52, 10, 16., 11, 24., et significant pensiones annuas, vel menstruas frumenti et aliarum specierum annonariarum, quae distribuuntur pro alimentis, aut stipendio. ℙ Speciatim etiam significant panes, qui cibarii loco alicui pro operae mercede dari solent, ut docet *Salm.* ad illud *Lamprid. Alex. Sev.* 41. Ut annonas acciperent fullones et vestitores etc. Et *ib.* Annonas singulas vix binas. Et 42. Ceteri annonas binas, aut ternas accipiebant, ita ut mundas singulas consequerentur. *Annonae mundae* sunt panes mundi, teneri, nivei, mollique siligine facti: quibus opponuntur sordidi, cibarii, castrenses et furfuracei, ut hoc loco *Casaubonus* notat. Adde *Cod. Theod.* 7, 5., qui est *de Excoctione* et *translatione annonarum*, ubi de pane castrensi et buccellato sermo est. ℙ De annonis aerariis, V. AERARIUS. ℙ Olim *Annona* pro Dea culta est, quae anni proventus fortunaret. Ejus habitus erat mulieris dextrum humerum brachiumque nudum habentis, reliquo corpore vestito, dextra spicas et sinistra cornu copiae tenentis. Ita enim ejus effigies visa est in quadam ara in Capitolio, cui Inscriptio erat apposita ap. *Grut.* 81, 10. Annonae Sanctae Aelius Vitalio etc.

ANNONĀRIUS, a, um, adj. ad annonam pertinens. *Veg. Mil.* 3, 3. Ut pabula, frumentum, ceteraeque annonariae species maturius exigantur. *Trebell.* XXX. *Tyrann.* 18. Annonaria provisio. Et 24. Annonariae regiones, *h. e.* provinciae, quae annonam praestabant pro tributo, ut ibidem *Salm.* multis docet. *Impp. Arc.* et *Hon. Cod. Theod.* 11, 22. 4. Annonaria functio, *h. e.* munus conferendi res ad annonam necessarias. *Hermog. Dig.* 49, 14, 46. Debere aliquid ex causa annonaria. ℙ *Annonarius* absolute est is, qui militari annonae erogandae praeest. *Imp. Const. Cod. Theod.* 8, 1, 3. Annonarios et actuarios conditionales esse praecipimus: annonariis vero singulas annonas protinus subministrent Officia. *Inscr.* ap. *Grut.* 479, 6. C. Valerio C. F. Pap. Mariano Praefecto Quinq*uenna-li*, Auguri adlecto Annon*ario Leg.* III. Italic. ℙ *Annonaria lex.* V. vocem sequentem.

ANNONIĀNUS, a, um, adj. id. q. annonarius. *Annoniana lex* lata est a P. Clodio, teste *Ascon. in Pis.* 4., qua sanctiebatur, ut frumentum populo, quod antea semis aeris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur. Al. ap. *Ascon.* leg. *Annonaria lex*, quod maxime probandum.

ANNONOR, āris, dep. 1. annonam conquirere: et est militare verbum, ut *frumentor, lignor* et alia hujusmodi. *Capitol. Gord.* 29. In ea loca deducti sunt milites, in quibus annonari non possent. Alii leg. annona *haberi* non posset. *Salm.* et *Grut.* priorem lectionem amplectuntur.

*ANNOS, otis. *Vet. Gloss.* Annos, annua, *πολυετής*. Est autem annua h. l. i. q. anus. *Gl.* Annua, *γραῦς, πολυετής*. Haec *Scal.* ad Festum, vid. Amosio, annuo, pro quo legi vult Annos, annua. Et ab hoc *Annos, annotis*, derivat nomen *Annotinus*, quod V. *B. A.*

ANNOSĪTAS, ātis, f. multorum annorum aetas. *Impp. Val. Theod. Arc. Cod. Theod.* 12, 1, 113. Nemo se annositate tueatur. *August. ep.* 251. (al. 269.) Hieme iter tam prolixum non suffero cum annositate algida, quam mecum fero.

ANNOSUS, a, um, adj. *πολυετής*, qui est multorum annorum, antiquus, vetustus. *Plin.* 4, 12, 26. Gens, quos Hyperboreos appellavere, annoso degit aevo. *Oc. Fast.* 2, 571. Annosa anus. *Hor. Od.* 3, 17, 13. cornix. *Plin.* 24, 1, 1. Annosae arbores. *Id.* 23, 1, 22., *Tib.* 3, 6, 58. et *Ov. Am. A.* 2, 418. Annosum vinum. *Hor. Sat.* 2, 3, 274. balba feris annoso verba palato, *h. e.* tu senex loquendo balbutis. *Id. Ep.* 2, 1, 26. Annosa volumina vatum. *Ov. Met.* 7, 237. senecta. *Id. Trist.* 5, 2, 11. vetustas. *August. Conf.* 1, 7. Annosior aliquis. *Id. Ep.* 3, 1. *extr.* Annosissimus homo.

ANNOTĀMENTUM et Adn., i, n. id. q. annotatio. *Gell.* 1, 7. Veterum allocutionum copiam his annotamentis inspersimus. Adde 17, 2.

ANNOTĀTIO et Adn., onis, f. *Gell. praef.* Facta in commentariis eadem disparilitas, quae fuit in annotationibus pristinis. *Plin. ep.* 7, 20. A te librum meum cum annotationibus tuis exspecto. ℙ Pro simplici adscriptione. *Imp. Phil. Cod.* 4, 19, 5. Privata testatio, seu annotatio. ℙ Apud JCtos annotatio accipitur interdum pro perscriptione nominis alicujus et ejus absentis in reos relatione, ut requirendus ac judicandus advocetur. *Macer. Dig.* 48, 17, 4. ℙ [Interdum imperator ad supplices libellos vel ad quaesita magistratuum respondebat, quod *rescriptum* dicebatur; cum vero ultro scribebat, neque praecessisset supplex libellus, aut magistratuum consultatio, hujusmodi scriptum *epistola* vocabatur. Tandem tum rescriptis, tum epistolis a quaestore vel alio officiali exaratis solebat princeps propria manu nomen suum apponere (ut colligitur ex *Cod.* 1, 23, 3.), saepe etiam adnotationem, quae paucis perstringeret totius rescripti vel epistolae summam. Judices vero compendium temporis facturi solam imperatoris adnotationem legebant actoribus et petitoribus, vel sibi ab aliis recitari patiebantur, ceteris posthabitis, quae fusius continebat rescriptum. Ne igitur concisa adnotatio aliquid ambigui vel etiam pugnantis cum rescripti vel epistolae verbis prae se ferret, imp. *Constantinus* hanc legem edixit, quae exstat in *Fragm. Cod. Theod.* 1, 2, 1. editis a *Peyronio V. C.* Imp. Constantinus A. Antiocho Praef. Vigilum. Adnotationes nostras sine rescriptione admitti non placet, ideoque officium gravitatis tuae observet, sicut semper est custoditum, ut rescripta vel epistolas potius ipsas, quam adnotationes solas existimes audiendas. Dat. III. Kal. Jan. Triviris, Volusiano et Anniano Coss. (314.) Adde *Impp. Honor.* et *Theod. Cod.* 5, 8, 1. et *Impp. Diocl.* et *Maxim. ib.* 9, 16, 5. *F.*]

ANNOTĀTĪUNCŪLA et Adn., ae, f. brevis annotatio. *Gell.* 19, 7. His nos inter viam verborum Laevianorum annotatiunculis oblectabamus. Adde 17, 21. *in fin.*

ANNOTĀTOR et Ad., oris, m. qui annotat. Pro observatore maligno et insidioso, *Plin. Pan.* 49. Non ante medium diem distentus solitaria coena spectator, annotatorque convivis tuis immines. ℙ De eo, qui refert in codicem tributa, et annonas. *Impp. Constant. et Constans Cod. Theod.* 12, 6, 3.

ANNOTĀTUS et Adnotatus, us, m. id. qu. annotatio. In sexto casu. *Val. Max.* 9, 12. *n.* 1. *ext.* Mortes dignae annotatu.

ANNOTĀTUS et Adnotatus, a, um, adj., animadversus, observatus. *Plin.* 9, 7, 6. Saepe annotata piscium aestivo calore quaedam anhelatio. ℙ *Annotatus* apud JCtos dicitur, qui absens reus factus, et in reorum albo adscriptus est, requirendus et judicandus. *Mart. Dig.* 48, 17, 1. Requirere adnotatos.

ANNOTĪNUS, a, um, adj., *ἐπέτειος*, unius anni: ab *annus*. *Plin.* 16, 26, 44. Novus fructus in his cum annotino pendet. *Colum.* 4, 24. Ungues custodum annotinos resecato. *Caes. B. G.* 5, 8. Multitudine navium perterritae, quae cum annotinis privatisque commodi causa fecerat, amplius DCCC una erant visae. *Dionys. Voss.* merito eos ridet, qui putarunt *annotinas naves* esse, quibus annona vehitur. Nam et Graecus Caesaris interpres vertit, *τὰς τοῦ πρόσθεν ἔτους*. [**tinus* est pro *tenus*, ut in diutinus etc.]

ANNOTO et Adn., as, avi, atum, a. 1. *ἐπιοημαίνω*, notam apponere, et memoriae causa adscribere aliquid, aut addiscendi causa observare, et scribendo adjicere. *Colum.* 12, 3. Ut quodcumque opus esset, sciret, unde daret, et meminisset, atque adnotaret, quid, et quando, et cui dedisset. *Quint.* 1, 4. De quibus in Orthographia pauca annotabo. *Plin. ep.* 3, 5, 10. Librum legere, annotare et excerpere. Et *ib.* Annotare cursim. Et *ib.* 13. Annota quae putaveris corrigenda. [**Id.* 9, 26, 5. visus es mihi in scriptis meis annotare quaedam ut tumida, quae ego sublimia arbitrabar. Cf. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 56, 1.] *Suet. ill. Gr.* 24. Exemplaria emendare, distinguere, et annotare. *Plin. alter* 7, 48, 49. Qua in re et illud annotare succurrit, unum omnino quinquennium fuisse, quo senator nullus moreretur. Et *ib.* 53. Et quos nostra annotavit aetas. *Id.* 34, 6, 11. Non omittendum quod Annales adnotavere, tripedaneas, etc. *Suet. Ner.* 41. Cum annotasset insculptum monumento militem Gallum, ab equite Romano oppressum. Et *Lact.* 5, 3. *ad f.* Ausus est libros suos nefarios, ac Dei hostes *φιλαληθεῖς* annotare, *h. e.* inscribere. *Plin.* 3, 5, 9. Haec litora fontibus calidis rigantur, praeterque cetera in toto mari conchylio, et pisce nobili annotantur, *h. e.* celebrantur, nobilitantur. *Harduin.* ℙ *Annotare* dicitur praeses, praetor, aut judex, qui aliquem absentem delatum alicujus criminis inter reos scribit: quo facto edicit, ut requiratur, judicioque sistatur, ne absens, et indicta causa damnetur: qua de re plura JCti. *Arrius Menand. Dig.* 49, 16, 4. Annotare aliquem requirendum. *Martian. ib.* 48, 17, 1. Non est irroganda in absentem poena, sed absens requirendus annotandus est, ut copiam sui praestet, etc. Similiter *annotare* dicitur praeses, cum aliquem jam peractum reum refert inter eos, qui puniendi sunt. *Plin. ep.* 10, 97. Fuere alii similis amentiae, quos, quia cives Romani erant, adnotavi in Urbem remittendos. *Suet. Cal.* 27. Cum ad saginam ferarum muneri praeparatum carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos adnotavit, i. e. animadvertit. [*Cf. *Plin. ep.* 7, 20, 6. quin etiam in testamentis debes annotasse. Cf. *ej. Pan.* l. l.] *Ulp. Dig.* 32. *l.* 1. Deportatos autem eos accipere debemus, quibus princeps insulas adnotavit.

ANNŪĀLIS, le, adj. ad annum pertinens. *Arn.* 1. p. 22. Cur luna semper in motu indemnis creditur annualibus causis lucem semper, atque obscuritatem resumens, *h. e.* causis quotannis recurrentibus. Alii rectius leg. *animalibus.* ℙ Item anniculus. *Paul. Sent. tit.* 3, 7. *post med.* Ovibus legatis agni non continentur, nisi annuales sint. ℙ Item annum durans. *Inscr.* ap. *Murat.* 4, 8. C. Jul. Valentinus IIII. Vir primus annualis, etc.

*ANNUATIM, adv. per singulos annos. *Vall. Elegant.* 6, 477. citat locum *Plin.* 2. (locus est 12. 18.) Herodoto teste, qui tradit singula millia talentum annuatim thuris pensitasse Arabes regibus Persarum. Ubi pro annuatim edd. Hard. et Froben. (Basil. 1530.) cum plerisque, puto, aliis habent annua. Herodoti verba sunt *ἀνὰ πᾶν ἔτος*. *Onomast. Vet.* Annuatim, *κατ' ἔτος*. *B. A.*

ANNŬLUS. V. ANULUS.

ANNULLO, as, a. 1. V. ANNIHILARE.

ANNŪMĔRĀTĬO et Adn., onis, actus annumerandi, *ἐπαριθμήσις*. *Modestin. Dig.* 27, 1, 13. Annumeratio dierum, qui in viam computantur, excedit quinquaginta dies.

ANNŪMĔRĀTUS et Adn., a, um, adj. numeratus, recensitus. *Cic. Inv.* 1, 45. Si dicemus, infirmum aliquid annumeratum. *Colum.* 12, 3. Cuique sua annumeravimus, atque annumerata ipsi exscripsimus.

ANNŪMĔRO et Adn., as, avi, atum, a. 1. *ἐπαριθμέω*, numero. *Cic. Div. in Verr.* 17. Pecuniam annumerare et reddere alicui. *Id. Opt. gen. Or.* 5. Non annumerare verba lectori, sed appendere. *Sil.* 6, 620. Fabius mirabile quantum Gaudebat reducem patriae annumerare reversus, Duxerat egredientes quam secum in proelia, pubem, *h. e.* servare, et eodem numero restituere. ℙ Est etiam in aliquorum numero ponere, in eundem numerum referre. *Cic. Div.* 2, 1. His libris annumerandi sunt sex De republica. *Id. Brut.* 57. His duobus annumerabatur nemo tertius. *Id. Rosc. Am.* 32. Verum ego forsitan, propter multitudinem patronorum in grege annumerer. Quidam MSS. habent *in gregem*. *Ov. Pont.* 4, 16, 4. et mihi nomen Tunc quoque cum vivis annumerarer, erat. *Tac. Hist.* 4, 5. Qui sola bona, quae honesta; mala tantum quae turpia: potentiam, nobilitatem, ceteraque extra animum, neque bonis, neque malis annumerant. *Ov. Trist.* 5, 4, 20. Se quoque in exemplis annumerare solet. *Paul. Dig.* 32. *l.* 97. Servi, quos paterfamilias inter urbanos annumerare solitus sit. *Pompon. ib.* 33, 10, 1. Instrumentum domesticum, quod neque argento aurove facto, vel vesti annumeratur. *Ulp. ib.* 19, 2, 9. Imperitia culpae est annumeranda. [*Quid differant *annumerare alicui* et *enumerare in* obiter tangit *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 20, 75.]

ANNUNCĬĀTĬO et Adn., onis, f. actus annunciandi, *προαγγελία*. Quidam afferunt *Cic. Fat.* 12. sed ibi legendum est *enunciatio*. Habent tamen *Augustin. Serm.* 18. *de Sanctis*, *et Lact.* 4, 21. et *Arn.* 7. p. 248.

ANNUNCĬĀTOR et Adn., oris, m. qui annunciat. *Tert. adv. Marc.* 4, 7. Romulus ascensus sui in coelum habuit Proculum affirmatorem: Christus vero descensus de coelo sui non invenit annunciatorem. *Augustin. Serm. de Sanct. init.* 14. Paulus ex persecutore Christianorum annunciator factus est Christi.

ANNUNCĬO et Adn., as, avi, atum, a. 1. *προαγγέλλω*, idem fere quod nuncio: et fere dici de eo, qui bonam rem nunciat, notat *Donat. ad Ter. Ad.* 4, 2, 8., tametsi id non est usquequaque verum. *Plin.* 7, 52, 53. Annunciare multa e longinquo. Et *ib.* Annunciavere propere, exanimatum illum. ℙ *Annunciare salutem alicui* est salutem mittere, jubere aliquem salvere. *Cic. Att.* 12, 1. Eique aut scribes salutem, aut annunciabis. Alii leg. *nunciabis*, *h. e.* scribes si rusticatur, nunciabis si tecum in urbe est. ℙ Pro narrare usurpavit non semel *Appul. Met.* 8. *init.* Ignem propter assidens inter servorum frequentiam sic annunciabat. Adde *ib. circa med.* et 1. *ad f.* ℙ Scribitur et *Annuntio*, sed minus recte.

ANNUNCĬUS et Adn., ii, m. qui annunciat, *ἄγγελος*. *Appul. de Deo Socr.* p. 52, 28. Sub quodam arboris opacae umbraculo signum illud annuncium sensit, ne prius transcenderet, etc.

ANNŬO et Adn., is, ui, utum, a. 3. *προσνεύω*, capitis nutu assentio, approbo, affirmo: cui contrarium est *Abnuo*. *Cic. Or.* 2, 70. Potest fieri, inquit, ut is iratus dixerit. Annuit Silus. Potest etiam, ut tu non recte intellexeris. Id quoque toto capite annuit. *Id. Phil.* 13, 3. Quaeram ex ea, etiamne fuerit serviendum; si annuerit, nae ego istam sapientiam non audiam. *Pl. Truc. prol.* 4. Quid nunc? daturine estis, an non? annuunt. *Virg. A.* 4, 128. non adversata petenti Annuit. *Id. ib.* 11, 797. Sterneret ut subita turbatam morte Camillam, Annuit oranti: reducem ut patria alta videret, Non dedit. *Id. G.* 1, 40. Da facilem cursum, atque audacibus annue coeptis, *h. e.* nutu propitio approba, secunda, confirma. Adde *A.* 9, 625. Sic *Plin. ep.* 1, 22. *ad f.* Superest, ut promissis Deus annuat, *h. e.* ut quae alii promittunt, Deus approbet et firmet. *Tac. A.* 12, 48. *in f.* Annuere crimini. *Id. ib.* 15, 16. paci. Sequente infinitivo. *Liv.* 28, 17. Amicitiam se Romanorum accipere annuit. *Id.* 32, 39. Cum annuisset se venturum. *Virg. A.* 11, 19. ubi primum vellere signa Annuerint Superi. [**Prop.* 1, 1, 31. annuere alicui facili ore, i. e. favere alicui. Cf. *Broukh.* ad h. l., qui comparat *Mart.* 2, 24. ore sereno annuere.] ℙ Est etiam simpliciter nutum, aut signum capite dare. *Tac. A.* 15, 58. Flavio assistenti, annuentique, an distringeret gladium, caedemque patraret, renuit. Adde locum *Plauti* in fine hujus vocis. ℙ Nonnunquam regit accusativum rei, et dativum personae, et significat nutu indicare vel promittere se daturum, vel facturum aliquid. *Virg. A.* 1, 254. Nos tua progenies, coeli quibus annuis arcem. *Id. ib.* 12, 187. Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem. *Serv.* hic ait, hypallagen esse, pro *Sin Mars noster annuerit nobis victoriam*. *Val. Fl.* 1, 40. Hanc mihi militiam annue. Adde *Hor. Od.* 4, 6, 22. ℙ *Annuere aliquem* est nutu indicare, designare. *Cic. Verr.* 2, 1, 61. Erepta esset facultas eorum, quos iste annuerat. *Ascon.* cum aliis multis ita legit: at aliter *Manut.*, aliter *Lambinus*, aliter etiam alii. [*Schützius* tamen fidenter edidit, *quos*, *ubi iste annuerat*, etc. *F.* **Orell.* vulg. retinuit.] *Annuere nutum* eodem modo, quo *currere cursum*, *servitutem servire*, et hujusmodi. *Liv.* 7, 3. *ad f.* Annuite, Patres Conscripti, nutum numenque vestrum invictum Campanis, *h. e.* praebete assensum vestrum, etc. *Annuere aliquid per Stygem* est affirmare jurando per Stygem, id ita futurum. *Virg. A.* 9, 105. Dixerat, idque ratum Stygii per flumina fratris, Per pice torrentes, atraque voragine ripas Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum. Adde *ib.* 10, 115. Hinc pro affirmare generatim. *Tac. A.* 14, 60. Vi tormentorum victis quibusdam, ut falsa annuerent. ℙ In illo *Ennii* apud *Prisc.* 10. p. 882. Annuit sese mecum decernere ferro, *Prisc.* monet, paenultimam esse productam. Alii legendum censent *annuvit* quemadmodum pluvit, pro pluit olim dictum est. Annuvit autem ab indicativo *Annueo*, *es*, derivant. Nam et *abnueo* pro *abnuo* dixit *Enn.* ℙ Pro *annuam*, *as*, *at*, legitur aliquando *annuim*, *is*, *it. Catull.* 61, 161. Usquedum tremulum movens Cana tempus anilitas Omnia omnibus annuit etc.; potest tamen esse etiam praesens Indicativi. ℙ Supinum *Annutum* affertur quidem a *Prisc. l. c.*; sed adhuc exemplis caret. ℙ Inter *annuere* et *innuere* hoc statuit discrimen *Non.* 5, 65., quod *innuere* sit facie significare, *annuere* concedere. Et *ib.* 71. inter *nutare*, *annuere*, et *nictare* veteres ait hoc interesse voluisse, ut *nutare* capitis, *annuere* vel *innuere* narium vel labiorum, *nictare* oculorum esset. *Pl. Asin.* 4, 1, 39. Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat. Haec tamen discrimina nec perpetua, nec fortasse vera sunt.

ANNUS, i, m. *ἔτος*, *ἐνιαυτὸς*, *λυκάβας*, *ἔννος*, tempus, quo sol per zodiacum cursum suum conficit, scil. spatium 12. mensium, seu 365. dierum, et 6 horarum, minus 12. minutis. [Ducitur ab *ἄνω*, perficio, littera *n* geminata: itaque annus proprie est id quod perfecte redit in se, vel quod in se per sua vestigia volvitur, *F.*] ut ait *Virg. G.* 2, 402. [*Cf. *Voss.* qui de etymologia pluribus agit; et ad *ejusd. Ecl.* 4, 5.] Annus enim est circulus, teste *Varr. L. L.* 5, 2. *Serv.* ad *A.* 5, 85. Annus, secundum Aegyptios, indicabatur ante inventas litteras picto dracone, caudam suam mordente. ℙ Annus solaris est 12. mensium, ut dictum est: annus lunaris 30. dierum paulo minus, quo spatio luna zodiacum percurrit. Annus Saturni est spatium triginta annorum: Magnus 12954. annorum, qui tum efficitur, cum solis, et lunae, et quinque errantium ad eandem inter se comparationem, confectis omnium spatiis, est facta conversio, ut est ap. *Cic. N. D.* 2, 20. Adde in *Hortens.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 273. Romulus annum a Martio inchoavit, Numa a Januario, additis duobus mensibus. *Ov. Fast.* 1, 39. et 43. ℙ Dividitur etiam in civilem, naturalem, et astronomicum, de quibus V. Mathematicos et Chronologos: nos ea, quae ad usum Latinae linguae pertinent, attexamus. *Nep. Ages.* 8. Cum annorum octoginta in Aegyptum ivisset. *Ulp. Dig.* 30. *l.* 30. Esse annorum viginti. *Scaev. ib.* 32. *l.* 33. Esse annis sexdecim. *Nep. Dion.* 5. Quinquaginta annorum imperium, *h. e.* quod quinquaginta duravit annos. *Tac. Hist.* 1, 49. Hunc exitum habuit Galba tribus et septuaginta annis, *h. e.* annum jam habens septuagesimum tertium. *Cic. Brut.* 4. Annos natus viginti septem. *Id. ib.* Crassus habebat quatuor et triginta annos, totidemque annis mihi aetate praestabat. *Plin.* 16, 44, 85. Haec aedes nunc circiter annum 450. habet. *Juven.* 13, 58. Praecedere quatuor annis. *Ov. Met.* 1, 750. Aequalis alicui annis. *Cic. Sen.* 10. Quartum annum ago et octogesimum. *Id. ib.* 7. *ad f.* Nemo est tam senex, qui se annum non putet posse vivere. *Id. ib.* 6. vivere ad annum centesimum. *Id. ib.* 5. Vixit annos septuaginta. *Plin.* 7, 48, 49. Sammula centum decem annis vixit. *Id. ib.* Corvinus centum annos implevit. *Cic. Sen.* 5. Centum et septem complevit annos. *Tac. A.* 13, 19. Vergens annis, *h. e.* senescens. *Stat. Th.* 1, 415. Integer annorum. *Virg. A.* 9, 246. Gravis annis. *Id. ib.* 2, 339. Maximus annis. *Juven.* 3, 282. Improbus annis, i. e. petulans ob a. *Ter. Eun.* 2, 2, 5. Pannis annisque obsitus. *Antonius* apud *Cic. Phil.* 13, 10. Intra finem anni vertentis. V. VERTENS. [*Cf. *Heind.* ad *Hor. Sat.* 1, 1, 36. inversum annum, i. e. *τετραμμένον*, *περιπλόμενον*, i. e qui ad finem vergit. Contra *vertens* dicitur, i. e. *περιτελλόμενος*, *περιτρεπέων*, si ad tempus respicitur, quo constat integer annus, et anno vertente est i. q. intra anni tempus.] *Suet. Tib.* 54. Anno ineunte. [**Id. ib.* 61. ineunte anno novo, quod jure defendit *Oud.* ad h. l.] *Hor. Od.* 3, 18, 5. Anno pleno, *h. e.* confecto. [**Liv.* 6, 1, 4. neque eum abdicare se dictatura, nisi anno circumacto, passi sunt, i. e. nisi elapso anno. V. *Drak.* ad h. l.] *Cic. Off.* 2, 21. Nondum centum et decem anni sunt, cum lata est lex. *Pl. Stich.* 1, 1, 29. Viri nostri domo ut abierunt, hic tertius annus. Sic *Cic. Phil.* 8, 9. *in f.* Est jam annus, ut repulsam tulit. Sunt qui hic aliter leg. [**Orell.* ita: C. Frater (ejus est enim annus) jam rep. tulit. Ergo huc non pertinet h. l.] *Id. fr. pro Cornel.* ap. *Ascon.* Lex anno post, quam lata sit, abrogata. *Liv.* 3, 51. *in f.* Anno ante. *Cic. fr. pro Cornel.* ap. *Ascon.* Anno decimo sexto post reges exactos. *Id. ib.* Postero anno. *Id. Har. resp.* 8. Anno superiore. *Liv.* 2, 56. Consules prioris anni. *Id. ib.* 16. *in f.* Hoc anno Romae triumphatum. Et *ib.* 18. Eo anno proelium fuit. Et *ib.* 48. Principio anni. Et *ib.* 52. Initio statim anni. *Cic. Div.* 1, 25. Anno exeunte. Sic *Liv.* 2, 64. Extremo anno. *Tac. A.* 6, 27. Extremo anni. *Id. ib.* 5, 11. Exitu anni. *Id. ib.* 15, 47. Fine anni. *Nep. Them.* 9. *in f.* Dare alicui annum temporis. *Ter. Heaut.* 2, 2, 11. Mulieres dum moliuntur, dum comuntur, annus est, quod et proverbio dicitur de longo aliquo tempore. *Varr. R. R.* 2, 5. et *Pollio* ad *Cic. Fam.* 10, 33. *ad f.* Anni tempus. *Annos ferre* [*gerere] est vivere. V. FERO [*et cf. interim *Graev.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. add. *Val. Fl.* 6, 795. et *Burm.* ad *Petron.* 43.]. ℙ Poetae saepe *annum* pro parte anni usurpant. *Virg. Ecl.* 3, 57. Formosissimus annus, *h. e.* ver. *Hor. Ep.* 2, 29. Annus hibernus. *Id. Od.* 3, 23, 8. Annus pomifer, *h. e.* autumnus. *Stat. Silv.* 1, 3, 8. Pisaeumque domus non aestuat annum, *h. e.* aestatem, quo tempore Pisis Olympici ludi fiebant. [*Hoc modo etiam genit. *anni* singulis anni tempestatibus additur, ut *Suet. Caes.* 35. hieme anni; ita faciunt ne hiems possit de tempestate intelligi, ut *Serv.* ad *Virg. A.* 2, 311. docet. Cf. *Oud.* et *B. Crus.* ad *Suet. Caes.* 35. *Gell.* 2, 21. 17, 10. 19, 5.] ℙ *Annus meus*, *tuus*, etc. est, quo primum petere magistratus licet. *Cic. Agr.* 2, 2. Est illud amplissimum, quod hoc honore me affecistis, prima petitione; quod anno meo. *Id. Att.* 1, 1. Si in nostrum annum inciderit, firmior candidatus fore videatur. *Id. Fam.* 10, 25. Ut si aedilis fuisses, post biennium tuus annus esset, *h. e.* petendae praeturae. [**Cic. Phil.* 8, 9. *f.* V. supra.] ℙ *Annus*, aetas, vel aetatis tempus. *Prop.* 4, 5, 57. et 2, 15, 31. Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus. ℙ Saepe ponitur pro iis, quae eo anno accidunt, ut sunt bella, paces, pestilentia, annonae caritas, abundantia, etc. *Liv.* 2, 60. Turbulentior inde annus excepit. *Cic. Fam.* 5, 16. Gravissimus et pestilentissimus annus. *Pl. Most.* 3, 1, 1. Annus scelestus argento fenori. *Prop.* 4, 8, 14. Fertilis annus. [*Alia hujus generis collegit *Gron. diatr.* p. 264. sq. *ed. Hand.* Adde *Tac. Agr.* 31. annum in frumentum aggerare. Alia affert *Ruhnk.* in praef. ad *Schelleri* lex. et *Burm.* ad *Prop. l. l.*] *Luc.* 3, 452. Agricolae raptis annum flevere juvencis, *h. e.* anni proventus, v. *Cort. Tac. Germ.* 14. *in f.* Arare terram et exspectare annuum, *h. e.* frugum maturitatem. *Stat. Silv.* 3, 2, 22. Pharius annus, *h. e.* annona ex Aegypto proveniens. ℙ Accusativus *annum* significat integrum anni tempus. *Caes. B. G.* 7, 32. Regiam potestatem annum obtinere. *Liv.* 2, 7. Matronae annum, ut parentem, eum luxerunt. ℙ Ablativus *anno* significat anno praeterito, cui *horno* opponitur. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 403. Utrum anno, an horno te abstuleris a viro. *Pl. Men.* 1, 3, 22. Quatuor minis ego emi istanc anno uxori meae. [**Id. Amph. prol.* 91. etiam histriones anno quum hic Jovem invocarunt. V. *Gron.* ad h. l.] ℙ Ponitur etiam pro integro anni tempore. *Liv.* 3, 39. *in f.* Qui anno jam prope senatum non habuerint. *Aur. Vict. Vir. ill.* 10. *extr.* Corpus ejus matronae anno luxerunt. *Plin.* 18, 18, 48. Uno boum jugo conseri anno quadragena jugera, justum est. ℙ *Ad annum* post annum, et ponitur *ad* pro *abhinc*, quod de futuro tempore dici non solet. *Cic. Or.* 4, 24. Ut tibi, Caesar, faciendum est ad annum. *Id. Att.* 5, 2. Quem ad annum tribunum plebis videbam fore. ℙ *In annum* est in tempus integri anni. *Liv.* 37, 2. *in f.* Prorogare alicui imperium in annum. *Hor. Ep.* 1, 18, 109. Provisae frugis in annum Copia. Et *ib.* 11, 23. Differre aliquid in annum. ℙ *In hoc anno* pro *hoc anno* eo modo dicimus, quo *in hoc tempore* pro *hoc tempore*. Itaque *in hoc anno* solebat addi in quibusdam Interdictis praetoris, ut indicat *Cic. Fam.* 15, 16. ℙ Additur etiam *in*, quando ab aliqua particula numerali pendet, ad significandas temporis vices. *Cic. Rosc. Am.* 46. Ter in anno. *Varr. R. R.* 2, 11. Bis in anno. *Liv.* 39, 13. Tres in anno dies statos habere. ℙ Aliquando etiam, licet rarius, particula *in* omittitur. *Plin.* 2, 73, 75. Bis anno absumun-

tur umbrae. Sic *bis die* dixit *Virg. Ecl.* 3, 34. ℙ *Anne* in vocativo, *Auson. Prec. Edyll.* 8, 1. Jane veni, novus anne veni, renovate veni sol. *Claud. Cons. Prol. et Ol.* 267. O consanguineis felix auctoribus anne. ℙ [*Confunduntur in libris *animus* et *annus*, V. ANIMUS *in f.* — *anni* et *arma Burm.* ad *Ov. Her.* 1, 105. *id.* ad *A. Am.* 1, 181. aliisque ll. *Drak.* ad *Sil.* 2, 94. et ad *Liv.* 6, 38, 1. *anni* et *ausa*, V. *Heins.* ad *Ov. A. Am.* 1, 83.]

ANN. V. ADN.

ANNŪUS, a, um, adj. ἐπέτειος, ἐνιαύσιος, qui unius anni spatio continetur. *Cic. Fam.* 15, 14. *ad f.* Ne quid mihi ad hanc provinciam, quam et senatus, et populus annuam esse voluit, temporis prorogetur. *Id. Att.* 5, 13. Primum illud praefulci atque praemuni, ut simus annui; ne intercaletur quidem, *h. e.* ut unum annum simus in provincia. *Id. ib.* 6, 5. Annuum tempus. *Ov. Her.* 11, 29. Nec somni faciles, et nox erat annua nobis. *Hor. Od.* 4, 5, 11. spatio longius annuo Dulci detinet a domo. *Pl. Poen.* 1, 2, 45. Penus annuus, *h. e.* qui in unum annum sufficit. *Id. Asin.* 5, 2, 36. Annua vita. [*Annua, bima, trima dies vocabantur ii dies, quibus, (idque tribus pensionibus) dos post divortium reddenda erat. Cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 6, 18.] *Suet. Aug.* 30. Annui magistratus. *Tac. Hist.* 3, 46. Imperium annuum. *Nep. Ann.* 7. Annui reges. *Plin.* 8, 39, 59. Annua fame durare. *Id.* 7, 46, 47. Praedium large sufficiens victibus annuis. *Tac. Agr.* 22. Annuae copiae. *Plin.* 15, 2, 3. Plurimum aetatis oleo annuo est. ℙ Item qui singulis annis recurrit, anniversarius. *Cic. Inv.* 1, 34. Annuae commutationes. *Id. N. D.* 2, 39. *in f.* Annuae varietates frigorum et calorum. *Virg. G.* 1, 339. Annua sacra. *Tac. A.* 14, 12. Annui ludi. *Cic. Verr.* 2, 3, 48. Annuus labor, *scil.* agricolarum. Et *ib.* 54. fructus. *Tibull.* 2, 1, 48. Deponit flavas annua terra comas. *Id.* 4, 1, 172. Tondeturque seges maturos annua partus. *Plin.* 11, 39, 94. Quadrupedibus pilum cadere, atque subnasci, annuum est. *Id.* 28, 8, 27. Annua vice. Sic 10, 20, 22. Annuis vicibus caudam amittere. *Id.* 12, 1, 2. Annui sapores sponte venientes. *Cic. Fam.* 7, 23. Estne aut tui pudoris, aut nostri, primum rogare de die: deinde plus annua postulare? i. e. ac deinde postulare, ut ultra anni tempus prolongetur. Adde *Capell.* 6. p. 193. ℙ *Annuum*, *i*, n. absolute, et frequentius *annua*, *orum*, sunt ea, quae alimentorum causa praebentur alicui quotannis. *Papin. Dig.* 33, 1, 10. Uxori praeter id, quod a Maevio annui nomine accipiebat, aureos centum dari volo. *Ulp. ib. l.* 14. Si cui annuum relictum fuerit. *Suet. Tib.* 50. Juliam uxorem et peculio concesso a patre, praebitisque annuis fraudavit. *Plin. ep.* 10, 40. Publici servi annua accipiunt.

ANODYNA medicamenta sunt, quae somno dolorem levant, ut definit *Cels.* 5, 25., ubi tamen hac voce Graece utitur. Nam ἀνώδυνος significat dolorem tollens, ab *a* privativa, et ὀδύνη, dolor. Latinis tamen litteris usurpatur a *Marc. Emp.* 25. Medicamentum, quod facit ad omnes membrorum dolores, quod anodynon appellatur. Et a *Coel. Aur. Tard.* 1, 1. Apponenda malagmata dolori contraria, quae anodyna vocantur. *Id. ib.* 2, 4. scribit, quae Graeci *anodyna* vocaverunt, Latine *indoloria* dici posse. ℙ [Usurpatur etiam num. sing. *Anodynum*, *i*, n. collyrium, de quo *Nicol. Myrepsus* p. 660. *Tochôn d' Anneci, cachets antiques des médecins oculistes* p. 43. Q. Junii Tauri anodynum ad omnem lippitudinem. *F.*]

ANOMĂLIA, ae, f. inaequalitas, varietas, dissimilitudo, et *Anomalus*, *a*, *um*, ἀνώμαλος, inaequalis, varius, dissimilis: ab *a* privativa, et ὁμαλός, planus, laevis. Transfertur hinc ad nomina et verba. *Anomalia* igitur apud Grammaticos est inaequalitas declinationum, vel conjugationum, quae consuetudinem sequitur: et *anomala* nomina, aut verba dicuntur, quae aliqua ratione a recta norma quinque declinationum, vel quatuor conjugationum aberrant: cui *Analogia* contraria est. *Varro* vocem *anomalia* modo Graece usurpat, saepius Latine, ut *L. L.* 7, 9. Cum putarent sequendam συνήθειαν, dissimilitudinemque, quae in consuetudine est: quam etiam vocant ἀνωμαλίαν: cum, ut ego arbitror, utrumque sit nobis sequendum, quod in declinatione voluntaria sit ἀνωμαλία, in naturali magis analogia. Et *ib.* 8, 1. Neque anomalia, neque analogia est repudianda. Et *ib. sub f.* Si confecissent, quod volunt, ut in Latina lingua esset anomalia. Et *ib.* 9. Cum ab his ratio, quae a similitudine oriretur, vocaretur analogia, reliqua pars appellaretur anomalia, etc. Ceterum saepissime Latina appellatione *dissimilitudinem* appellat. Quod attinet ad vocem *Anomalus*, ea Latine usurpatur a vet. Grammaticis, ut *Diomed.* 1. p. 314. Nominum genera numero saepe plurali mutantur, et sunt anomala. *Prisc.* 8. p. 833. Anomala verborum id possunt ostendere, ut prosum, prodes, etc. Adde *Capell.* 3. p. 71. ℙ De anomalia et analogia verba facit etiam *Gell.* 2, 25. ℙ *Anomalus*, extra rem grammaticam, universim ponitur pro re minime regulari et inconvenienti. *Capell.* 1. p. 13. Ne in thalamum primaeva affectione festinans, cum discurrendum esset, totis noctibus repigritior paululum simularet anomalum.

ANOMALUS. V. in v. praeced.

ANONIS, nis, f. ἄνωνις, [*Ononis antiquorum *L. Hauhechel.*] herba ex genere spinosarum, ramosa, foeno Graeco similis, fruticosior tamen, et hirsutior, odore jucunda, post ver spinosa, folio rutae simili, toto caule foliata in modum coronae: post fruges in arvis sponte nascitur, maxime vivax: aratris inimica: ex quo recentiores herbarii *restim bovis*, et *aratri remoram* appellarunt, quia spinis et ramis suis saepe aratra in medio sulco remoratur. Dicitur et *ononis*, *idis*, ὄνωνις, habetque aliquos etiam in medicina usus, quos *Plin.* 27, 4, 12. recenset. *Id. ib.* Anonin quidam ononida malunt vocare, ramosam, etc. Adde 21, 16, 58.

ANONŌMASTOS, ἀνονόμαστος, hoc est non nominatus, vel nomen non habens, ab *a* privativa, et ὄνομα, nomen: unus est ex aeonibus *Valentini*, apud *Tert. adv. Valent.* 35.

ANONYMOS, ἀνώνυμος, hoc est sine nomine, ab *a* privativa, et ὄνυμα, nomen. Ita appellata est quaedam herba, quae afferebatur e Scythia, apprime utilis ad vulnera, ex aqua tusa, et imposita: item pota mammis et praecordiis percussis; item sanguinem exscreantibus. *Plin.* 27, 4, 14. Anonymos non inveniendo nomen invenit.

[ANOPTES, enis, m. ex *a* privat. et ὄπτομαι, video, qui invisibilis est. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Donat.* 428, 26. Sex. Virginii Anoptenis. Alia apud *Maff. Mus. Ver.* 274. S. M. Vipsanius Anoptes. *F.*]

ANORMIS. V. ABNORMIS.

ANOTĔRĬCUS, a, um, adj. ἀνωτερικός, hoc est superior: ab ἀνώτερος compar. ab ἄνω, sursum. *Medicamenta anoterica* dicuntur Graeco vocabulo a *Coel. Aur. Tard.* 4, 3., quae stomacho, et superiori ventri medendo inserviunt, quibus opponuntur, quae Graece dicuntur ὑπήλατα, quae inferiori ventri injiciuntur, et alvum subducunt.

ANQUĪNA, ae, f. funis navis, quo ad malum antenna constringitur, ut interpretatur *Isid. Or.* 19, 4. *Helvius Cinna* apud *Eund. l. c.* Atque anquina regit stabilem fortissima cursum. *Lucil.* ap. *Non.* 13, 16. Funis enim praecisu' cito, atque anquina soluta. ℙ Quidam volunt legi *angina*, vel *anguina*, et ita dici, quia angit et constringit. Alii itidem *angina* legunt, et ancoram significare ajunt a Graeco ἄγκυρα, mutato ῠ in *v*.

ANQUĪRO, is, isivi, itum, a. 3. ἀναζητέω, ἐξετάζω, diligenter circumquaque quaero, ut habet *Festus*, inquiro, quaero, investigo: ab *am* circum, et *quaero*. Hinc in quibusdam *Festi* MSS. pro *anquirere* legitur *amquirere*, ut *Voss. in Etym.* ad vocem *Quaerere* adnotavit. *Sen. Hipp.* 1274. At vos per agros corporis partes vagas Anquirite. *Cic. Off.* 1, 4. Generi animantium omni a natura tributum, ut quaecumque ad vivendum sint necessaria, anquirat et paret. *Id. Amic.* 23. Si quis ea asperitate est et immanitate naturae, congressus ut hominum fugiat atque oderit; tamen is pati non possit, ut non anquirat aliquem, apud quem evomet virus acerbitatis suae. *Id. ib.* 27. Semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus, et a quibus diligamur. ℙ Est etiam cogitando, vel disputando rei alicujus veritatem investigare [*quo sensu plerumque intrans. usurpatur.] *Cic. Off.* 1, 3. Aut anquirunt, aut consultant, conducat id, necne, etc. *Id. Fat.* 9. Ad illam contentionem revertamur, in qua quid valeat id, quod fieri possit, anquiritur. *Lucr.* 4, 1182. Protrahere in lucem, atque omnes anquirere nisus, *h. e.* investigare et detegere. *Tac. A.* 12, 6. Nec diu anquirendum, quin Agrippina anteiret, *h. e.* ambigendum, consultandum. ℙ Saepe etiam est verbum judiciorum, et significat inquirere ad crimen aliquod cognoscendum, [*praecipue de tribunis sic dicitur.] *Liv.* 6, 20. Anquirere de perduellione. *Tac. A.* 3, 12. de morte alicujus. *Liv.* 8, 33. capite de aliquo, ob rem bello male gestam. *Id.* 2, 52. et 26, 3. Anquirere capitis. *Id. ib.* pecunia. ℙ In omnibus his sunt qui aliter legant: sed jamdiu est, cum Critici fere omnes queruntur, hoc verbum passim a sciolis et librariis indoctis corruptum esse, et in *inquiro* aut *acquiro* perperam mutatum. [*Qua de re V. *Goer.* ad *Cic. Leg.* 1, 1, 4. ad *ej. Fin.* 4, 7, 16. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 13, 6.]

ANQUĪSĪTĒ, adv. diligenter, accurate. *Gell.* 1, 3. Anquisite satis, satisque sollicite aliquid quaerere. Et 4, 11. Sed qui diligentius, anquisitiusque carmina Empedoclis arbitrati sunt, etc. Priore loco alii *inquisite*, posteriore *scitiusque* legunt. *Id.* 1, 3. Anquisitius et exactius, pressiusque disserere. Hic quoque alii *inquisitius*.

ANQUĪSĪTĬO, onis, f. investigatio, inquisitio. *Varr. L. L.* 5, 9. citat *commentarium anquisitionis M. Sergii Manii*, *qui capitis accusavit T. Trogum;* et videtur esse libellus, in quo praescripta sint ea quae servantur a judice, cum de aliquo anquirit.

ANSA, ae, f. λαβίς, τὰ ὦτα, manubrium, quo vas aut poculum manu prehendi et teneri potest. *Virg. Ecl.* 3, 45. duo pocula fecit et molli circum est ansas amplexus acantho. *Id. ib.* 6, 17. attrita pendebat cantharus ansa. *Martial.* 14, 106. Urceus ansa panda. *Ov. Her.* 16, 252. Ansa tortilis. *Id. Met.* 8, 653. curva. *Cato R. R.* 113. Amphoras nolito implere nimium, ansarum infimarum fini, i. e. usque ad partem inferiorem ansarum. Hinc *Plin.* 14, 21, 27. praecipit, dolia vini nunquam implenda esse. ℙ De aliis rebus. *Ansa ostii* est annulus ferreus ostio infixus, ad aperiendum, claudendum, vel etiam pulsandum, κοδώνη. *Petr. Sat.* 96. Videbamus nos omnia per foramen valvae, quod paulo ante ansa ostii disrupta laxaverat. *Ansa crepidae* vinculum, et habenula, qua soleae et crepidae pedi alligantur. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 12. Ferunt, a sutore reprehensum, quod in crepidis una intus pauciores fecisset ansas. *Tibull.* 1, 9, 14. Ansaque compressos colligat arcta pedes. Sic *Cels.* 6, 18. *n.* 8. Panniculus, qui duas ansas habet. *Ansa gubernaculi* est summa pars, quam gubernator manu tenet. *Vitr.* 10, 8. ℙ *Ansa staterae* est pars illa, quae manu tenetur, habetque annulo suspensum scapum, qui in ea versatur. *Vitr. l. c.* ℙ *Ansae ferreae* dicuntur ab eodem 2, 8. unci ferrei, quibus addito plumbo inter se parietes, aut parietum lapides vinciuntur, [*Klammer]. *Prop.* quoque 4, 1, 141. ansam tribuit unco et ejus rostris. ℙ Translate. *Cic. Caec.* 6. *in f.* Iste hac sextula se ansam retinere omnium controversiarum putat. V. SEXTULA. *Id. Sext.* 10. Etiam sermonis ansas dabat, quibus reconditos ejus sensus tenere possemus, *h. e.* sermone suo dabat indicia, quibus ejus sensus cognosceremus. *Id. Amic.* 16. *ad f.* Optare, ut quam saepissime peccet amicus, quo plures det tanquam ansas ad reprehendendum. *Id. Planc.* 34. Si locus habet reprehensionis ansam aliquam, nescio cur, etc. *Pl. Pers.* 4, 4, 119. non tu illum vides quaerere ansam, infectum ut faciat? *h. e.* captare occasionem, λαβὴν ζητεῖν dicunt Graeci eod. sensu. *Ammian.* 28, 1. Offerre alicui ansam lucrandi.

ANSANCTUS. V. AMSANCTUS.

ANSĀRĬUM. V. FORICULIARIUM.

ANSĀTUS, a, um, adj. qui ansam habet, ὠτώεις. *Varr. L. L.* 4, 26. Capulae a capiendo, quod ansatae, ut prehendi possint. *Colum.* 9, 15. Id vas ansatum simile angustae ollae figuratur. ℙ *Ansatae* absolute apud *Ennium* sunt jaculamenta cum ansa seu amento. *Id.* apud *Non.* 18, 30. ansatas mittunt e turribus. *Hieron. Columna* ex valde probabili conjectura legit *ansatas mittunt e turribus hastas*, ut hemistichium rectius constet, et integra sit locutio. Nam idem *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. dixerat, *ansatis concurrunt undique telis.* Sunt tamen qui putant, *ansata tela* dici, quae circa medium cuspidis duas veluti furculas, seu minores cuspides in modum ansae conversas, et utrinque exstantes habent, quales sunt quas, vocamus *Hellebarden;* alii vero esse ea, quae amento praedita sint, ut primum in hostem immitti, deinde retrahi possint. ℙ Joculariter a *Pl. Pers.* 2, 5, 7. dicitur *ansatus homo*, qui brachia ita gestat ad latus utrumque conversa et applicata, et, ut Idem *ib. v.* 6. loquitur, ita *subnixis alis* se infert, ut vas ansatum referat.

ANSER, ĕris, m. [*et fem. V. in f.] χήν, ηνός, avis ex genere altilium, satis vulgo nota: cujus jecur in praecipuis coenarum deliciis olim habebatur. Romae autem anseres publice in Capitolio alebantur, earumque cibaria censores ante omnia alia locabant, quod cum illud a Gallis obsideretur, iique noctis silentio jam jam occulta via essent in arcem evasuri, canibus etiam, non modo hominibus, dormientibus, earum clangore, alarumque crepitu excitatus Manlius, facile eos deturbare inde potuit, et rem Romanam servare, ut apud *Liv.* 5, 47. legitur. Addit *Serv.* ad *A.* 8, 652. in more fuisse, ut quotannis eo die, quo id accidit, anseres auro, et purpura ornati in lecticis circumferrentur: contra canes, qui nihil senserant, cruci suffigerentur. Quod vero *Virg. ib.* 655. *argenteum anserem* memorat, alludit ad anserem ex argento conflatum, qui ob id factum in Capitolio positus est. Alii *argenteum* putant dici ab albo colore. *Cic. Rosc. Am.* 20. Anseribus cibaria publice locantur, et canes aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint. *Plin.* 10, 22, 26. Et anseri vigil cura, Capitolio testata defenso, per id tempus canum silentio proditis rebus. *Martial.* 3, 58. Argutus anser. *Id.* 13, 58. Aspice, quam tumeat magno jecur ansere majus: Miratus dices, hoc, rogo, crevit ubi? *Juven.* 5, 114. Anseris ante ipsum magni jecur anseribus par. *Plin. l. c.* scribit, fartilibus anseribus jecur in magnam amplitudinem crescere, quod exemptum quoque lacte mulso augebatur. *Pers.* 6, 71. satur anseris extis. *Martial.* 3, 82. catellas anserum exta lambentes, *exta anseris* sunt jecinora anserina, in ciborum deliciis habita, ut dictum est. *Hor. Sat.* 2, 8, 88. Pinguibus et ficis pastum jecur anseris albi, *albi anseres* prae ceteris in pretio erant tum ob suavitatem in cibis, tum ob plumam, quae laudatissima et mollissima, praecipue interior, et

ad farcienda pulvinaria aptissima. ℙ *Anser Amyclaeus* apud *Virg. Cir.* 489. est is, in quem transformatus Juppiter Ledam decepit et vitiavit, Amyclis Laconiae oppido. Tametsi plerique alii non in anserem, sed in cycnum mutatum Jovem fabulantur. Sed facile unum pro altero poni potest: quia cycni in anserum genere a naturae consultis censeri solent. ℙ *Anser* in sacrificiis Junonis mactabatur, ut innuit *Liv. l. c.*, item Isidis et Osiridis, ut est apud *Juven.* 6, 539. et *Ov. Fast.* 1, 453. Fuit etiam Priapo sacer, ut colligitur ex *Petr. Sat.* 137. ℙ *Anser* dictus est quidam malus poeta, qui Antonii triumviri laudes scripsit: donatus ob id amplo fundo in agro Falerno: ad quem, teste *Servio*, allusit *Virg.* illis versibus *Ecl.* 9, 35. Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna Digna, sed argutos inter strepere anser olores. Et *Cic. Phil.* 13, 5. Hi qui nunc Mutinam oppugnant, D. Brutum obsident, de Falerno anseres depellantur, *h. e.* possessione priventur. Erat autem Anser in castris una cum Antonio, in obsidione Mutinae. *Ov.* etiam poetis obscena scribentibus annumerat *Trist.* 2, 435. Cinna quoque his comes est, Cinnaque procacior Anser. ℙ *Anseris medulla mollior* proverbio dicitur qui mollissimus est moribus, et ingenio. *Catull.* 25, 2., *Auct. Priap.* 64. ℙ [*Varr. R. R.* 3, 10, 3. saepius utitur in genere feminino, cum *de feminis parientibus* loquitur. Singulae non plus quam ter in anno pariunt. *F.* [*Cf. *Schneider. gr. lat.* P. II. T. 1. p. 7. et *Bentl.* ad *Hor. Sat.* l. l.]

ANSĔRĀRĬUM, ii, n. locus, in quo inclusi anseres aluntur. Habetur haec vox in titulo *c.* 14. *l.* 8. *Colum.* ubi legitur. *De anseribus educandis et anserario constituendo.* Verum hujusmodi tituli *Columellae* non sunt. [**Gloss. Gr. lat.* anserarius, *χηροβοσκός. B. A.*]

ANSERCŬLUS, i, m. parvus anser, anserinus pullus, *χηνάριον. Colum.* 8, 14. Ne noceri possit exclusis anserculis, quos enecant urticae, si teneros pupugerint.

ANSĔRĪNUS, a, um, adj. *χήνειος*, ad anserem pertinens. *Plin.* 10, 22, 29. Anserini generis sunt chenalopeces, etc. *Id.* 11, 47, 107. Visae etiam serpentes anserinis pedibus. *Id.* 30, 8, 22. Anserinus adeps. *Id.* 29, 6, 38. Anserinum fel. Et *ib.* 5, 33. Anserinus sanguis. *Ulp. Dig.* 32. *l.* 68. Anserina lana.

*ANSIBARII, orum, populus Germaniae inferioris. *Tac. A.* 13, 55. 66.

ANSŪLA, ae, f. parva ansa. *Appul. Met.*. 11. p. 258, 37. Laeva cymbium dependebat aureum, cujus ansulae, qua parte conspicua est, insurgebat aspis, caput extollens arduum, etc. *Vet. Schol.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 34. Romae videmus hodieque foenum velut ansulam factum in cornulo bovis, quo signum datur transeuntibus, ut eum vitent. ℙ Ab eodem *Met.* 4. p. 143, 41. accipitur pro anulo, vel unco ferreo parieti impacto, quo alligantur jumenta. Pro anulo etiam, qui in digito fertur, usurpavit *August. Doct. Christ.* 2, 20. et pro anulo catenae *Confess.* 8, 5. ℙ Pro vinculis crepidae. *Val. Max.* 8, 12. *in f.* Qui in opere suo moneri sese a sutore de crepida, et ansulis passus, etc. Adde *Sidon. ep.* 8, 11. *in carm.* 14. V. ANSA.

ANTĂCHĀTĒS, ae, m. *ἀνταχάτης*, gemma, quae pro achate est, mulieribus grata, quod cum uritur, myrrham redolet. *Plin.* 37, 10, 54., ubi alii aliter legunt.

ANTAE, arum, f. plur. *παραστάδες*, *ἄνται*, pilae lapideae, seu columnae structiles quadratae, quae ad latera ostiorum utrinque ponuntur vel duae, vel quatuor, vel plures, in frontibus aedium. Dictae sunt *antae* vel ab *ante* praeposit. quia in fronte aedium fiunt, vel a Graeco *ἀντάω*, [*imo ab *ἀντί*, unde *ἀνταῖος*] occurro, quia aedem adeuntibus veluti occurrunt, vel ab *antes*, quod V. infra suo loco. *Paul. in Epit. Festi.* Antes sunt extremi ordines vinearum; unde etiam nomen trahunt antae, quae sunt latera ostiorum. *Nonius* quoque 1, 124. deducit ab *antibus*, et *antas* dici ait columnas quadras. Sed non quaecumque quadrae columnae antae sunt, sed eae tantum, quae in frontibus aedium sunt, ad latera ostiorum, ut dictum est. *Vitr.* 3, 1. Aedium autem principia sunt, e quibus constat figurarum aspectus; et primum in antis: quod Graece *ναὸς ἐν παραστάσι* dicitur. Adde 4, 4. et 7., ubi de antarum proportione cum columnis disserit. Videntur *antae* proprie locum habere in aedibus sacris: tametsi et in non sacris construi aliquando soleant. ℙ Hinc *in antis esse* aedes dicitur, quae hujusmodi pilas in fronte habet, [**mit Eckwandpfeilern*]. *Vitr. l. c.* In antis erit aedes, cum habebit in fronte antas parietum, qui cellam circumcludunt, et inter antas in medio columnas duas, supraque fastigium, ea symmetria collocatum, quae in hoc libro fuerit praescripta. In *vet. Inscr.* ap. *Grut.* 207. In eo pariete medio ostii lumen aperito: ex eo pariete antas duas ad mare vorsum projicito: insuper id limen robustum imponito: insuper id et antas mutulos robustos projicito extra parietem, etc. *Projicere antas* est eas ita construere, ut extra parietem multum emineant. Fiunt enim *antae* non ad ornatum tantummodo, sed etiam ad muniendam et sustinendam structuram: et ob id longius a pariete projiciuntur, quo validius sustineant. Sed cum ita fiunt, magis proprie vocantur *anterides*, seu *erismae*, quam *antae*, [**Gegenpfeiler.*]

*ANTAEOPOLIS, is, oppidum Aegypti superioris prope Arabiam. Hinc nomos Antaeopolites. *Plin.* 5, 9, 9.

ANTAEUS, i, m. Ἀνταῖος, gigantis Libyci nomen, Neptuni ex Terra filii, magno ac procero corpore, quippe qui in 40. cubitos excreverit. Hic cum Hercule congressus, quoties membra labore defessa essent, tactu terrae recreabatur. Qua re animadversa Hercules alte sublatum terrae contactu prohibuit, et pectori suo arctius adstrictum enecavit. Scribit *Plut.* Sertorium Romanorum ducem apud Tygaenam opp. effosso sepulcro Antaei cadaver invenisse. Fabulae interpretatio est, Antaeum regem Mauritaniae fuisse, qui in regno suo multis victus certaminibus, exercitum semper potentiorem reficiebat, sed extra regnum eductus in Libyam, tunc demum superatus profligatusque est. *Euseb. in Chron. ad ann. Mundi* 5950. scribit, Antaeum palaestricae artis fuisse doctissimum, et quorumcunque certaminum, et ob id fictum, quod fuerit filius Terrae, et ab ea viribus restauraretur. *Juven.* 3, 89. collum cervicibus aequat Herculis Antaeum procul a tellure tenentis. De *Antaeo* plura *Lucan.* 4. *a v.* 590. ℙ Antaei frater est Busiris, et ipse ab Hercule victus. *Ov. Ib.* 399. Frater ut Antaei, quo sanguine debuit, aras Tinxit, et exemplis occidit ipse suis. ℙ Scribitur et *Anthaeus.* ℙ [*Fuit et Antaeus pictor quidam apud *Plin.* 34, 8. ℙ Item medicus. *Id.* 28, 1. 1ta ed. *Hard.* Al. leg. Antheus. *B. A.*]

ANTAGONISTA, ae, m. *ἀνταγωνιστής*, adversarius: ab *ἀντὶ*, contra, et *ἀγωνίζω*, pugno. *Hieron. Vit. Hilar. ad f.* Quo scilicet antagonistas haberet in proximo.

ANTAMOEBAEUS. V. AMOEBAEUS.

ANTANACLĂSIS, is, f. *ἀνταναάκλασις*, ex adverso refractio. Figura, cum id, quod ab altero dictum est, non ea mente, qua dictum est, intelligitur, sed in aliam, aut contrariam accipitur. Hujusmodi de ea exemplum affert *Quint.* 9, 3. Cum Proculejus quereretur de filio, quod is mortem suam exspectaret; et ille dixisset, *se vero non exspectare; imo*, inquit, *rogo exspectes.* Fit etiam antanaclasis, cum non ex eodem verbo, sed ex diverso vicinum accipitur, ut si dicas, *supplicio afficiendum, quem supplicatione dignum judicaris*, ut *Quint. ib.* subdit: nam *supplicium* cum fere poenam significet, aliquando et pro precibus ponitur. Est autem Graeca vox: ab *ἀντὶ*, contra, et *ἀνακλάω*, refringo, et a *Quint.* Graece usurpatur.

[ANTANDRIUS, a, um, adj. ad Antandrum, urbem Mysiae Aeolidis, pertinens. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Ego levissimum hominem Megaristum Antandrium omni mea comitate sum amplexus, *h. e.* ex Antandro. *F.*]

ANTANDROS, i, Antandrus, i, f. nunc *S. Dimitri*, Ἄνταν̆δρος, urbs Mysiae Aeolidis, seu Phrygiae minoris, maritima sub Ida monte, olim Edonis dicta et a Cimmeriis populis per longum tempus habitata: unde et Cimmeris appellata est, teste *Plin.* 5, 30, 32. Cur autem Antandros sit vocata, duplex causa nominis jactatur. Alii Ascanium Aeneae filium, cum ibi regnaret, captum a Pelasgis, ea se redemisse commemorant: alii ab his putant conditam, quos ex Andro insula vis et seditio exegerat. Hi *Antandrum* quasi *pro Andro* ab *ἀντὶ*, pro, et Ἄνδρος, Andros: illi quasi *pro viro*, ab *ἀνήρ*, *ἀνδρός*, vir, accipi volunt. Haec *Mela* 1, 18. *Virg. A.* 3, 5. sub ipsa Antandro etc. ℙ Antandros etiam cognominata est ipsa Andros insula et prius Cauros, teste *Plin.* 4, 12, 22.

ANTAPOCHA. V. APOCHA.

ANTAPODOSIS. V. APODOSIS.

*ANTARADOS vel Antaradus, i, Syriae urbs, in Antiochena vel Seleucide. *Anton. Itin. Plin.* 5, 20. ed. Elzev. V. Arados. *B. A.*

ANTARCTĬCUS. V. ARCTICUS.

*ANTARIANI, orum, populi Scythiae Asiaticae, intra Imaum. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

ANTĀRIUS, a, um, adj. *Antarii funes*, *πρότονοι σχοῖνοι*, in machinis tractoriis sunt ii, qui alteri capiti machinae erigendae, dextra et sinistra illigantur, atque ita eam regunt, ut dum erigitur, in neutram partem inclinet. *Vitr.* 10, 3. Antarii funes ante laxi collocentur. ℙ Alio sensu *antarium bellum* dicitur a *Paulo* ex *Festo* et a *Serv.* ad *A.* 11, 156., quod nimium proxime et ante ipsam urbem fit et quasi *ante aras.*

[ANTAS, ntis, m. a part. *ἀντᾶς*, *ἄντος*, verbi *ἀντάω*, qui occucurrit. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 319, 8. M. Ulpius Antas. *F.*]

ANTĔ, [*De etym. disputat *Scheid.* ad *Sanct. Min.* p. 224., qui ablat. putat vocis obsoletae *antis*, i. e. eminentia, ut *ante* sit i. q. in eminentia, in fronte, Gr. *ἀντί*. *Voss.* in *Etym.* id. putat esse cum gr. *ἀντα*, i. e. coram.] *πρό*, praepositio accusativum casum regens, cui opponitur *retro* et *post.* Accommodatur autem I. ad locum [*ideoque ad praestantiam] et II. ad tempus. [*Nam quod addit *Forc.* „ad personas“ id itidem referri debet vel ad locum vel ad tempus. *Ante* autem ita differt a *prae*, ut illud plerumque intransitivam vim habeat, i. q. quietem alicujus rei indicet; *prae* contra transitivam, i. e. ad actionem et motum spectet. Hinc quod dicit *Caes. B. G.* 1, 21. equitatum omnem ante se mittit, est idem ac si dixisset: ante se ponit. Quod *id. B. C.* 1, 51. dicit: *ante missis*, id vulgo dicitur: *praemissis.* V. *Herz.* ad illum locum.] Primum igitur refertur ad locum: *Cic. Rosc. Am.* 5. Ante tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes vestros, judices, inter ipsa subsellia caedes futurae sunt. Et *ib.* Ante oculos vestros. *Id. Mil.* 10. Ante suum fundum. *Id. Div.* 1, 33. Ante praetorium. Et *ib.* Ante oppidum Nolam. *Id. Verr.* 1, 2, 3. Dicere causam ante judicem. [*Suet. Cal.* 42. stipes, quas plenis ante eum manibus — turba fundebat.] *Auct.* ad *Her.* 1, 14. *in f.* Venire ante imperatorem. *Nep. Dat.* 3. Vinctum ante se Thyum agebat. [**Liv.* 10, 28, 16. prae se agere sese formidinem, quod *Liv.* in universum praefert; cf. *Drak.* Notanda est formula: ante aedes ponere aliquid, ut *Prop.* 2, 11, 27. quoniam ejusmodi dona fere in adversa templorum parte et in foribus templi appendebantur. Cf. *Burm.* l. l. et *Broukh.* ad *Tib.* 1, 1, 19. Sic *Lucan.* 2, 127. ante ipsum penetrale (non est i. q. *in*, ut olim explicabant); quocum comparat *Cort. Cic. Verr.* 2, 2, 66. ante ipsum Serapin, i. e. in primo aditu. Huc refer etiam, quod Noster in f. attulit *Liv.* 27, 18. fluvius ab tergo, ante (i. e. in fronte) circaque oram omnem cingebat. Cf. de hac significatione *Duker.* ad *Liv.* 21, 5, 10.] *Caes. B. C.* 1, 55. Ante ceteras cohortes procurrerat. ℙ Hinc transfertur ad praestantiam, sive, ut *Forc.* loquitur, adhibetur in comparationibus. *Balbus* ad *Cic. Att.* 8, 15. Eum, quem ante me diligo. [*In eadem formula utitur *Suet. Caes.* 50. ante alias dilexit, i. e. prae aliis, in primis, *ἐν πρώτοις*. Cf. *B. Crus.* in cl. sub h. h. *Tursell.* p. 109. ed. *Schw.* et *Tac.. A.* 1, 27. is ante alios aetate et gloria belli. *Id. Hist.* 5, 12. muri labore et opere ante alios.] *Liv.* 35, 14. Tu me vero, inquit, et ante Alexandrum, et ante Pyrrhum et ante omnes alios imperatores esse. *Tac. A.* 13, 54. Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse. *Liv.* 1, 9. Longe ante alias pulchritudine insignis. *Virg. A.* 1, 347. scelere ante alios immanior omnes. *Nep. Att.* 3. Unus ante alios carissimus. [**Sal. Cat.* 53, 3. gloria belli Gallos ante Romanos fuisse, i. e. eos superasse. V. quae comparat *Cort.* In sqq., quae laudat *Kritz.* ad h. l. *ante* altioris gradus signif. habet: *Jug.* 10, 7. unde hos te, ne quid aliter eveniat, providere decet, *coll.* 15, 1. verba ante facta ponere.] *Ante omnia* interdum significat, priusquam omnia alia fiant. *Cels.* 7, 30. *n.* 2. Alvus ante omnia ducitur. Adde 8, 2. Interdum valet idem ac praecipue, maxime. *Liv.* 2, 7. Eo ante omnia insignis, quia matronae annum luxerunt. Et 7, 4. Ante omnia invisum ipsum ingenium atrox. [*Nonnulla de hac locutione habet *Burm.* ad *Virg. A.* 2, 40. et plura in *misc. obss.* VIII. p. 369. IX. p. 250. *Ante omnia* dicunt porro in enumerandis argumentis, quum primum ponitur. Exempla v. ap. *Frotscher.* ad *Quint.* 10, 2, 4. — Haec formula haud raro confunditur cum simili *ad omnia;* qua de re V. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 23, 6. et quos laudat, *Broukh.* ad *Prop.* 2, 8, 7. et *Liv.* 35, 32.] ℙ Refertur II. ad tempus. *Cic. Cat.* 4, 3. Qui honos togato habitus est ante me nemini, *h. e.* ante mea tempora. Sic *Virg. G.* 1, 125. Ante Jovem nulli subigebant arva coloni. *Cic. Verr.* 2, 1, 45. Mortuus est ante istum praetorem, *h. e.* ante quam hic praetor esset. *Id. Div.* 1, 39. Ante philosophiam patefactam. *Id. Fam.* 1, 3, 17. Ut ad eam voluntatem, si quam in illum ante has meas litteras contulisti etc., *h. e.* antequam has meas litteras acciperes. *Liv.* 1, 59. Per hunc castissimum ante regiam injuriam sanguinem juro, *h. e.* antequam a Tarquinio vitiaretur. [*Interdum haec hujus praepos. vis interpretes latuit et in errores induxit. *Luc.* 6, 145. castrorum in plebe merebat ante feras Rhodani gentes scil. impugnatas, hinc i. q. ante bellum Gallicum, ut *Cort.* bene explicat. Sic *Val. Fl.* 7, 11. nox erat ante tuos vultus, *h. e.* antequam tuos vultus videram. *Stat. Silv.* 3, 2, 73. ante rates, *h. e.* antequam naves mare moverent. Alia *id.* attulit l. l. et ad v. 551. ante feras volucresque sedet, i. e. antequam ferae et volucres sedeant; (*Bentl.* legi vult *videt.*)] ℙ Saepe habet post se particulam *quam. Suet. Caes.* 9. Ante paucos dies, quam aedilitatem iniret. *Id. Ner.* 56. Ante paucos, quam periret, menses. *Colum.* 5, 5. Si sulci ante annum fiant, quam vineta conserantur. [*Hos locos alii ita intelligunt, ut *antequam* pro conjunctione habeant; accus. autem accusativum temporis esse dicant. Quod etsi non falsum est, tamen illud quoque verum est, in his constructionibus *ante* vim praepos. retinere. Sic etiam habet in exemplis seqq., ubi advv. temporis adduntur.] Jungitur adverbiis temporis in *o*, ut *multo*, *paulo*, *tanto* etc. *Liv.* 27, 42. Multo ante noctem

copias reduxit. *Id.* 31, 24. Aliquanto ante lucem. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. Paulo ante lucem. ℙ Saepe etiam inter substantivum et adjectivum interponitur. *Liv.* 31, 24. Quae Chalcidem dies ante paucos prodiderat. *Suet. Caes.* 81. Paucos ante menses. *Id. Tib.* 61. Aliquot ante annos. *Plin.* 15, 18, 20. Tertium ante diem. [*Suet. Aug.* 22. memoriam ante suam.] ℙ Post ponitur etiam suo casui [*praecipue post relat.] *Nep. Chabr.* 3. Athenienses diem certam Chabriae praestituerunt, quam ante, domum nisi redisset etc. *Cic. Att.* 6, 1. *a med.* Diem statuo satis laxam, quam ante si solverint, dico me centesimam ducturum. Quib. loc. notanda est loquendi ratio in praefiniendo tempore cujuspiam rei faciendae. Non enim ipsum diem ponunt, quem praestituunt, sed *ante quem diem:* et videntur significare *antequam dies ille elabatur.* [*Utrumque falsum est. Nam *dies*, genere feminino quum usurpant veteres, non simpliciter *diem* significat, sed certum quoddam tempus, quo sensu nos dicimus: *Termin.* Raro tantum hoc sensu masc. reperitur, ut in loco *Caes.* cf. DIES.] *Caes. B. C.* 1, 11. Neque ante quem diem iturus sit, praefinire. *Sall. Cat.* 37. Ceterae multitudini diem statuit, ante quam liceret sine fraude ab armis discedere. *Cic. N. D.* 3, 34. *extr.* Ut quod quisque a sacris haberet, id ante diem certam in suum quodque fanum referret. *Id. Att.* 6, 2. Ut ex Cypro equites ante diem certam decederent. ℙ Haec loquendi ratio orta est ex usu praep. *ante* in designandis mensium diebus: qui usus duplex est: alter integer, alter per ellipsim, seu omissionem particulae. Itaque dicunt v. g. *tertio calendas Septembris* et *ante diem tertium calendas Septembris.* In primo subintelligitur *ante*, ut integra locutio sit, *tertio die ante calendas Septembris.* In altero quidam volunt esse *ἀναστροφήν*, hoc est inversionem verborum, quae naturali ordine ita collocandae sint, *diem tertium ante calendas Septemb.* et illud *diem tertium* esse accusativum temporis. Alii, quia in antiquis codicib. MSS. scriptum est breviatis litteris *a. d. III. cal. Sept.*, aliquando ita legerunt, *ad diem tertium calendas Septembris:* quae phrasis Latina certe esset, sed repugnat cum optimis quibusque editt. Interpretes et Critici fere omnes, qui *ante diem* legendum esse contendunt et illud *ad diem* ortum habuisse ex inscitia legentium aut exscribentium veteres codices. Sed quidquid sit hac de re, illud sane certum est, *tertio calendas Septembris* et *ante diem tertium calendas Septembris*, idem omnino significare, hoc est diem trigesimum Augusti: nam in numerandis calendarum diebus tum dies, de quo agitur, tum dies termini computatur. *Cic. Phil.* 3, 8. Edixit, ut adesset senatus frequens a d. VIII. calendas Decembr., *h. e.* vigesimo quarto die Novembris. *Liv.* 41, 16. Latinae feriae fuere a. d. III. non Maji. *Id.* 40, 59. Ante diem quartum idus Martias. ℙ Interdum *ante* jungitur cum praepositionibus *in* et *ex*, quae modo divisim, modo junctim scribi solent, *inante*, *exante:* et conjunguntur saepe cum verbis motum significantibus. *Cic. Phil.* 3, 8. Diem edicti obire neglexit: in ante diem quartum calend. Decembris distulit, *h. e.* distulit in diem vigesimum octavum Novembris. *Id. Att.* 3, 17. De Q. Fratre nuncii nobis tristes, nec varii venerunt ex ante diem non. Jun. usque ad prid. cal. Sept., *h. e.* ex ante diem nonarum etc. *Id. Cat.* 1, 3. Qui dies futurus esset in ante diem VI. cal. Novemb. Et *ib.* Caedem te optimatium contulisse in ante diem V. cal. Novemb. *Liv.* 45, 3. Latinae edictae a consule sunt in ante diem IV. et III. et prid. id. Nov. Et *ib.* 2. *in f.* Supplicatio indicta est ex ante diem V. Idus Oct. cum eo die in quinque dies. Adde 41, 16. et *Varr. R. R.* 1, 28. ℙ *Inante* extra calendas. *Prop.* 2, 2, 51. Si quis vult fama tabulas anteire vetustas: Hic dominam exemplo ponat inante meam, *h. e.* ponat ante se et sibi in exemplum proponat dominam meam. Al. leg. *in arte.* [*Hoc unice in *Prop.* probandum est, ut docte monstrat *Burm.* ad h. l., qui omnes recenset, qui obsoletum illud *inante*, a *Scal.* intrusum, vel defenderunt vel rejecerunt.] *Veg. Mil.* 1, 20. *ad f.* Sinistrum pedem in ante habere. ℙ *Ante diem, ante tempus* interdum significat ante legitimum tempus, contra naturae ordinem. *Ov. Met.* 1, 148. Filius ante diem patrios inquirit in annos. *Cic. Amic.* 3. Factus est consul bis: primum ante tempus, iterum suo tempore. *Suet. Aug.* 26. Magistratus et honores capere ante tempus. [*Ante *hoc tempus* et ante *id tempus* ita differunt, ut hoc pertineat ad tempus rerum, de quibus agit scriptor; illud ad tempus, quo scriptor scribit. Cf. *Brem.* ad *Nep. Timoth.* 2, 3.] ℙ III. Saepe sine casu affertur *adverbii* more pro *antea* variosque post se particulas adsciscit. *Cic. Fin.* 5, 12. Si aut manibus ingrediatur quis, aut non ante, sed retro. *Id. Att.* 7, 14. De quibus ante ad te falsum scripseram. *Id. Fam.* 15, 14. Et feci ante et facio nunc. *Cels.* 8, 10. *ad f.* Cetera et ante et post, eadem facienda sunt. *Id.* 7, 29. Ante caput, deinde reliqua pars auferatur. *Id.* 6, 6. *n.* 8. Ante tonderi; deinde in balneo caput fovere; tum detergere etc. *Plin.* 33, 1, 6. *in f.* Nummos ante apud nos, mox coepisse anulos. *Liv.* 2, 52. Ut in publico periculo ante, sic tum in suo. *Id.* 30, 34. Et paulo ante non adjuti et tunc exclusi. [*Poetae non semper diserte oppositionem per particulas *tum, deinde* etc. exprimunt. *Val. Fl.* 6, 664. Ac velut ante comas ac summa cacumina silvae lenibus attulit flabris levis Auster: at illum protinus immanem miserae sensere carinae, *h. e.* ab initio quidem lenis erat; mox autem, s. tum vero etc. Sic simpliciter positum est i. q. *olim. Ov. Fast.* 1, 337. Ante, Deos homini quod conciliare valeret, Far erat et puri lucida mica salis. *Forc.* qui hos ll. attulit, ab reliquis sejunxerat.] *Cic. Part.* 39. Quae paulo ante praecepta dedimus, quaeque proxime. *Liv.* 37, 8. Sicut ante dictum est. [*Non prorsus idem esset: *sicut supra dictum est.* Ante enim semper ad tempus pertinet; *supra* ad locum vel ad rem. cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10.] *Cic. Tusc.* 3, 14. Longe ante videre aliquid. *Id. Phil.* 2, 33. Quod tanto ante praedixeras. *Suet. Tib.* 67. Multo ante prospicere. [*Additur interdum *ante* vv. cum *prae* compositis. *Cic. Inv.* 2, 50. iisdem ratiocinationibus, quibus ante praedictum est. Sic ed. *Orell.* laudans se ad *Cic. Planc.* p. 126. (suae edit.) Ita *Ter. Andr.* 1, 5, 4. nonne oportuit praescisse me ante. *Suet. Aug.* 96. Bellorum omnium eventus ante praesensit. De his loquendi formulis ap. *Liv.* agit *Gron.* ad 36, 17, 12. (ante praecavere, praemeditari etc.) et ad 21, 20, 8. et *ib.* 32, 7. (ante praecoccupare, prius praecipere et simm.) Non prorsus in his additum *ante* abundare ex exemplis ibi allatis intelligitur. *Ante dicere* pro *praedicere Cic. Div.* 2, 6. *fin.* Haec qui ante dicunt, quam rationem sequantur, vides.] *Liv.* 41, 11. Paucis ante diebus. *Id.* 40, 49. Annis duodecim ante. Et *ib.* Ante annis octo. *Id.* 38, 52. Ante annis septendecim. [*Cf. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 3, 20.] *Id.* 40, 40. Biduo ante. *Id.* 41, 27. Biennio ante. *Cic. Amic.* 3. Anno ante quam mortuus est. *Virg. Ecl.* 1, 60. Ante leves ergo pascentur in aethere cervi, Quam nostro illius labatur pectore vultus. *Cic. Quint.* 17. Dici vix potest, quam multa sint, quae respondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem extremam necessariam devenire. [*Ante et saepius *post* omittuntur sequente *quam. Ante* tantummodo in dictionibus *pridie quam et postridie quam*, de quibus v. suis ll. *Brem.* ad *Suet. Caes.* 35.] ℙ Interdum sequenti dictioni per figuram, quae *ὑφ' ἕν*, vel *ὑφὲν* Graece dicitur, coalescit. *Virg. A.* 1, 202. neque enim ignari sumus ante-malorum, *h. e.* malorum praeteritorum, *τῶν ἔμπροσθεν κακῶν. Quint. decl.* 5, 15. Ille elegit, qui recipit antemeliorem. *Capitol. Gord.* 24. Ante-consilia alicui suggerere. [*Eam figuram e bonis scriptoribus dudum removerunt editores. Cf. *Burm.* et *Broukh.* ad *Prop.* 1, 1, 2. *Cort.* ad *Luc.* 2, 509., quibus calculum adjecit *Drak.* ad *Liv.* 2, 52, 7. — Horridis scriptt. hoc relinquendum. ℙ Antiquiores *ante* etiam cum *ablat.* composuisse docet *Pompej.* p. 406. *ed. Lind.* afferens ex *Pacuv.:* ante templo. Monet editor, in iis quae supersint, tale quid non inveniri. Omnino de hac re dubites.] ℙ *Ante* et *arte* in libris comm., de quo multis disputat *Burm.* ad *Prop.* 2, 2, 51. quem locum supra attigimus; coll. *Drak.* ad *Liv.* 36, 11, 9. *ante* et *ad*, v. intpp. ad *Liv.* 21, 5, 10. et 40, 12, 3. *ante* et *aut* V. quos laudat *Drak.* ad *Liv.* 10, 35, 19. *ante* et *autem*, *id. ib.* 27, 25, 7.

ANTĔA, adv. [*ultima syll., ut in *interea*, producitur. *Hor. ep.* 11, 1. *Catull.* 4, 10.; quare sunt, qui ortum putant ex *ante* et ablat. *eā*, quae compositionis ratio etiam in *ante hac* et simm. obtinuit.] prius, ante hoc tempus, *πρότερον, πάλαι*, quasi ante ea: id. q. *ante*, sed solum de tempore dicitur. *Cic. Att.* 7, 3. *a med.* Non accusabimur posthac, neque hercule antea negligentes fuimus. *Id. Fam.* 1, 2. Tempus hoc magis idoneum, quam unquam antea. *Id. ib.* 9. *ad f.* Appius in sermonibus antea dictitabat, postea dixit etiam in senatu. *Id. Att.* 4, 3. Antea, cum judicium nolebat, habebat difficilem causam, post etc. *Id. Mil.* 21. Semper antea cum uxore; tum sine ea. *Id Man.* 5. *in f.* Hunc audiebant antea, nunc praesentem vident. *Id. Fam.* 4, 15. Etsi antea scripsi, tamen hoc tempore etc. *Id. ib.* 3, 6. Te antea, quam tibi successum esset, decessurum fuisse. [*Observat *Ern.* in *cl.* hunc unum esse locum, in quo bonae edd. hanc scripturam sequantur. In aliis locis libri fere fluctuant inter *ante quam* et *ante quum.* Illud praefert *Duker.* ad *Liv.* 35, 26.] *Liv.* 8, 8. Clypeis antea usi sunt, deinde scuta pro clypeis fecere. *Plin.* 4, 11, 18. Oppidum Poneropolis antea, mox Philippopolis, nunc Trimontium dicta. ℙ *Antea* et *prius*, cum de tempore dicitur, nihil aut significatione aut usu differunt. Hinc jocatur *Cic.* cum Attico, quod mallet is *prius*, quam *antea*, 15, 13. Quod ad te antea, atque adeo prius scripsi (sic enim mavis) etc.

ANTĔACTUS, a, um, adj. *προπεποιημένος*, ante actus, seu factus. *Cic. Inv.* 2, 11. et *Verr.* 2, 3, 62. Vita anteacta. *Lucr.* 1, 234. Anteacta aetas. *Id.* 3, 845. Anteactum tempus. *Id. ib.* 986. Anteacta vetustas. *Nep. Thras.* 3. Accusare aliquem rerum anteactarum. *Ov. Am.* 2, 8, 25. Anteacta fateri. *Id. Met.* 12, 115. Male credere anteactis. ℙ Scribitur etiam *ante actus* [*id quod hodie alteri praefertur.]

*ANTEAEDIFICIALIS, e, adj. *Dict. Cret.* 5, 12. Ara Jovis anteaedificialis V. not. Obrechti. *B. A.*

ANTĔĂGO, is, egi, actum, a. 3. ante ago, seu duco. *Sil.* 4, 30. tum crine soluto Anteagitur conjux. Rectius scribes *ante agitur.*

ANTĔAMBŪLO, ōnis, m. qui ante ambulat. *Anteambulones* dicti sunt non solum servi, qui dominum praecedebant, viam facturi in turba et nuncium ejus adventus laturi; sed etiam liberi homines, qui honoris et officii causa magnos dominos praecedebant, vel ob clientelam, vel ut sportulam acciperent: qui mos hodieque durat in comitandis magnis viris, quos honoratiores amici praecedere solent. *Martial.* 2, 18. Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo regis. *Id.* 10, 74. quamdiu salutator, Anteambulones et togatulos inter, Centum merebor plumbeos die toto? *Id.* 3, 7. Centum miselli jam valete quadrantes. Anteambulonis congiarium lassi. Adde *Suet. Vesp.* 2 [*et quae ad h. l. collegit. *B. Crus.*]

*ANTEAQUAM. V. ANTEA.

ANTĔBĂSIS et Antĭbăsis, [*ita rectius] is, f. Legitur apud *Vitr.* 10, 17., videturque esse eadem atque illa, quam *ib.* 15. Graeco vocabulo *ἀντίβασιν* appellat, estque membrum catapultae aut scorpionis quod quale sit, non est facile definire. [*Est posterior eaque minor columna (majori opposita) in basi balistarum.]

*ANTEBĔLLO, as. *Gloss. gr. lat.* *προπολεμῶ*, antebello. *B. A.*

ANTĔCĂNIS, is, m. sidus coeleste, qui *canis minusculus* a *Vitr.* dicitur 9, 7., quia ante canem majorem (qui frequentius *canis*, et *canicula* appellatur) exoritur: nam ejus ortus incidit in idus Jul., caniculae autem septimo cal. Aug., ut *Colum.* 11, 2. docet. Gr. dicitur *προκύων*, a *πρὸ*, et *κύων*, canis. Constat tribus stellis; habetque locum in coelo prope lacteam viam sub Geminis, et Cancro, pedibus tangens circulum Aequinoctialem. *Hyg. Astron.* 3, 35., qui *ib.* 2, 4. hanc de eo fabulam narrat. Cum Icarius seu Icarus, Erigones pater, a pastoribus ebriis fuisset occisus, canis nomine *Mera* seu *Maera*, qui eum comitabatur, ad Erigonem rediit, et vestem ejus dentibus tenens ad domini cadaver perduxit: ubi illa patris desiderio absumptam vitam finivit: canis quoque inedia periit, vel, ut alii scribunt, in proximum puteum se conjecit. Horum casum miseratus Juppiter, omnes in coelum transtulit: ubi Icarius appellatur *Bootes*, Erigone *Virgo*, canis *Procyon*, item *canicula*: tametsi *canicula* saepius canem majorem designat, ut dictum est. Alii fabulantur fuisse canem Orionis: alii catellam Helenae, quae cum Trojam navigaret, eam in mare demersam a Jove in coelum transferri impetravit. *Cic. N. D.* 2, 44. et hic Geminis est ille sub ipsis Antecanis, Grajo Procyon qui nomine fertur. Alii leg. *Antecanem*, *h. e.* est ille qui appellatur *ante canem*, ut duae hae voces *ὑφὲν* coalescant, ut *proconsule.* [*Ita recentiores edd. omnes.] Ceterum vox haec *antecanis* minus usitata fuit apud Latinos, quam *Procyon*, licet apud *Cic.*, *Hor.*, et *Manil.* inveniatur, qui poetica licentia eam usurpasse videntur: amant autem poetae Graeca vocabula. Nam *Plin.* 18, 28, 68. *n.* 2. scribit, sidus, quod Procyon dicitur, apud Romanos nomen non habere: qui profecto si *antecanis* vulgo diceretur, non ignorasset. ℙ Scribitur et *Anticanis.*

ANTĔCANTĀMENTUM, i, n. cantio solemnioribus sacris praemissa. *Appul. Met.* 11. p. 261, 24. Majorum antecantamenta votorum. Alii leg. *antecantamina.* [*Illud *Elm.* et *Oud.* praeferunt.]

[ANTECANTATIVUS, a, um, qui ante canitur. *Marius Victorin.* p. 2500. Haec in carminibus, quae mutuo annexa ita ex se pendent, ut alterum sine altero audiri non possit, *προῳδικά*, et *ᾠδικά* (corrige *ἐπῳδικά*) vocaverunt, id est antecantativa, et praecantativa (corrige *postcantativa*) ut sit in hexametro *προῳδικὸν* ipsum epos (dele *epos*), et *ᾠδικὸν* (corrige *ἐπῳδικὸν*) versus pentameter, qui ei subjungitur in elegiis. Item cantativum (corrige *antecantativum*) erit trimeter iambicus, ut, *Ibis Liburnis inter alta navium:* erit simeter postcantativum, *Amice propugnacula.* Ita emendat *Burettus Mem. Litt. T.* 10. p. 247. *F.*]

ANTĔCĂPIO, is, epi, aptum, a. 3. *προλαμβάνω*, occupo, ante occupo. *Tac. A.* 15, 2. Nam Medos Pacorus anteceperat. *Id. Hist.* 4, 66. Fretus loco, quia pontem Mosae fluminis anteceperat. ℙ *Antecapere tempus* est praevenire. *Sall. Jug.* 24. Maxime festinans tempus legatorum antecapere. *Id. Cat.* 58. Optimum factu ratus, noctem, quae instabat, ante capere, ne quid eo spatio novaretur. *Id. ib.* 13. Non famem aut sitim, neque frigus, neque lassitudinem operiri, sed ea omnia luxu antecapere, *h. e.* non exspectare dum esurirent, aut sitirent, etc., sed ea provenire ingurgitando se epulis, etc. ℙ Scribitur et *ante capio* divisim.

ANTĔCAPTUS. V. ANTECEPTUS.

ANTĔCĔDENS, tis, part. v. *antecedo*, *προεστῶς*, *προὼν*, praecedens, antepositus. *Cic. Fat.* 11. Omnia quae fierent fieri causis antecedentibus. [*i. e. quae vi sua rem efficiunt necessario. Cf. c. 15.] *Auct. ep. ad Octav.* (quae aliquando *Ciceronis* credita fuit). Quae non insequens hora antecedente calamitosior? *Plin.* 13, 8, 16. Antecedens annus. ℙ *Antecedentia* apud rhetores dicuntur, quae rem et actionem aliquam antecedunt; sicut *consequentia*, quae consequuntur. *Cic. Part.* 2. [**Id. Top.* 12. locus ex antecedentibus, est conclusio e causis, quae sc. effectum antecedunt.] ℙ Est item superior, major. *Cic. Brut.* 21. Aetate paulum his antecedens Ser. Galba. *Id. Inv.* 2, 22. Observantia, per quam aetate, aut sapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes veremur et colimus. *Marcell. Dig.* 23, 2, 4. Antecedentis gradus homines non possunt eas ducere, quas iis qui inferioris dignitatis sunt, ducere non licet.

ANTĔCĔDO, is, essi, essum, a. 3. *προέρχομαι*, anteeo, praecedo. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. Biduo me Antonius antecessit. *Caes. B. G.* 7, 35. *in f.* Antecedere magnis itineribus. *Cic. Att.* 8, 9. Pompejus expeditus antecesserat legiones. *Id. Top.* 23. Si huic rei illa antecedit, huic non antecedit. *Titinn.* ap. *Non.* 9, 7. Ubi ambitionem virtuti videas antecedere. *Cels.* 1, 2. Exercitatio semper antecedere cibum debet. [**Vell.* 1, 4, 1. antecedentis columbae volatu cursum directum esse. Ibi *Grut.* comparat *Curt.* 4, 7, 15. corvi, modico volatu signa antecedentes.] ℙ Saepe est superare, praestare, majorem esse. *Cic. Off.* 1, 30. Quantum natura hominis pecudibus antecedit. *Id. Brut.* 21. Antecedere alicui aetate. *Justin.* 34, 3. aliquem aetate. *Pl. Ps.* 1, 5, 118. alicui virtute. *Nep. Thras.* 4. aliquem honore. *Id. Reg.* 2. multo ceteros rerum gestarum gloria. *Id. Alc.* 11. aliquem in aliqua re. Et *ib.* 9. Nemo eum in amicitia antecessit. *Curt.* 8, 1. Antecedere fidem magnitudine rerum, *h. e.* excedere fidem. *Petr. Sat.* 17. Latrocinia antecessura fabulas, *h. e.* tanta latrocinia, ut ne in fabulis quidem simile aliquid inveniatur. *Plin.* 16, 4, 3. Antecedere pretio. Et 36, 24, 58. Maltha duritiam lapidis antecedens. [*Cf. de construendi rationibus *Rudd.* II. p. 136.] ℙ Passive *Auson. Gratiar. act.* 3. Quaeque animi nostri celeritas divum instar affectat, beneficiis praeeuntibus anteceditur.

ANTĔCELLO, is, a. 3. *ὑπερέχω*, praesto, supero, praecello, excello, major sum. *Cic. Verr.* 2, 3, 5. Causa, quae magnitudine injuriae et re criminibus ceteris antecellit, *Id. ib.* 4, 53. Aedes duae, quae longe ceteris antecellunt. *Id. N. D.* 2, 57. *in f.* Sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarum. *Id. Mur.* 13. Dicendi consuetudo longe et multum isti vestrae exercitationi antecellit. *Id. Arch.* 3. Antecellere omnibus ingenii gloria. *Id. Inv.* 1, 4. Qui qua re homines bestiis praestent, ea in re hominibus ipsis antecellat. [**Cic. Mur.* 17. Q. Catulus humanitate antecellens. *F.*] ℙ Cum accusativo, i. q. superare, *χρείττονα εἶναι*. *Cic. fr. pro Corn.* ap. *Prisc.* 10. p. 897. Qui eloquentia ceteros antecellis. Ita leg. plerique Lexicographi: alii *ceteris*. [*Ita *Orell.* cf. *Rudd.* II. p. 136.] *Val. Max.* 3, 8. *n.* 1. Qua constantia victoriae quoque gloriam antecellit. *Tac. Hist.* 2, 3. Ne honore nullo regium genus peregrinam stirpem antecelleret. *Id. A.* 14, 55. *in f.* Antecellere omnes fortuna. Adde *Plin.* 8, 44, 69. ℙ Neutrorum more sine accusativo. *Cic. Div.* 1, 41. In Syria Chaldaei cognitione astrorum, sollertiaque ingeniorum antecellunt. ℙ Passive. *Auct. ad Her.* 2, 30. An ad inferiores, qui omnibus his rebus antecelluntur. ℙ Supino caret: praeteritum *antecellui* a plerisque ei tribuitur: de quo nondum exempla vidimus. Posset tamen defendi analogia: nam *excello* habet *excellui*.

ANTĔCEPTUS, a, um, part. v. *antecapio*, *προειλημμένος*, ante captus, praeoccupatus. *Cic. N. D.* 1, 16. Appellat *πρόληψιν* Epicurus, anteceptam animo rei quandam informationem [**Begriff a priori*]. Ita meliores libri habent. ℙ Legitur et *antecaptus*. *Liv.* 5, 38. Non loco castris antecapto. *Appul. Met.* 4. Divinato et antecapto meo cogitatu. Alii divisim scribunt *ante captus*, praesertim in loco *Livii*.

ANTĔCESSĬO, onis, f. *πρόοδος*, actus antecedendi, praecursio. *Cic. Univ.* 10. *ad f.* Flexiones Deorum, et inter ipsos Deos concursiones, quaeque in orbibus eorum conversiones antecessionesque eveniunt. *Id. Off.* 1, 4. Homo causas rerum videt earumque progressus, et quasi antecessiones non ignorat. *Id. Top.* 13. Cum tripartito distribuatur locus hic, in consecutionem, antecessionem, repugnantiam, *h. e.* in locum a consequentibus, ab antecedentibus, et a contrariis.

ANTĔCESSĬVUS, a, um, adject. qui antecedit, *προὼν*. *Tert. Virg. vel.* 4, Prius est subjectivum antecessivo.

ANTĔCESSOR, oris, m. *πρόδρομος*, qui antecedit. In militia *antecessores* dicuntur, qui antecedunt agmen. *Suet. Vit.* 17. Irruperant jam agminis antecessores, ac nemine obvio rimabantur, ut fit, singula. Adde *Hirt. B. Afr.* 12., ubi *antecessores* cum *speculatoribus* conjungit; ex quo apparet *speculatores* esse, qui explorandi causa praemittuntur; *antecessores* autem, qui antecedunt, ut locum metandis castris deligant, viam muniant, opportuna loca occupent, etc., ut etiam *Turn.* 24, 16. docet. *Caesar* hos non semel *antecursores* appellat. ℙ *Antecessores* etiam olim dicti, qui jura ac leges profitebantur, ac publice docebant: quod antecederent ac deducerent discipulos in penetralia artis, *προηγούμενοι*: vel quod dignitate ceteris antecederent. Semper enim juris prudentes in magno honore habiti sunt. *Imp. Justin. Cod.* 1, 17, 2. *a med.* Triboniano necnon Theophilo et Dorotheo, viris illustribus et facundissimis antecessoribus arcessitis. Adde *Eund. in epist. ad JCtos Theoph., Doroth.* etc. *quae Digestor. corpori praefig.* Hinc *Tert. Virg. vel.* 1. *in f.* Spiritum S. vocat *antecessorem*, quia magister est Ecclesiae: et eadem ratione Apostolos omnes *antecessores* appellat *adv. Marc* 1, 20. et *ib.* 5, 3. ℙ Sumitur etiam *antecessor* pro eo, qui in aliquo munere jam fuit, cui *successor* opponitur, qui et *decessor* dicitur. *Paul. Dig.* 5, 1, 55. Licet ab antecessore numerus finitus sit, solet tamen successor unum edictum dare. *Ulp. ib.* 27, 9, 9. Antecessor praesidis. Adde *Appul. Florid. n.* 9. et 15. et *vet. lapid.* ap. *Grut.* 637, 1.

ANTĔCESSUS, a, um, part. ab *antecedo*, praeteritus, anteactus, qui praecessit. *Petr. Sat.* 17. Ubi antecessa latrocinia didicistis. Alii leg. *antecessura:* alii aliter. ℙ Absolute *in antecessum dare, solvere, accipere*, etc. est dare aut accipere aliquid ante tempus constitutum, *ante* quam dies *cedat*, hoc est adveniat, dandi, aut accipiendi. Haec loquendi formula sumpta est ab argentariis, et mercatoribus. *Glossa vetus*: In antecessum, *εἰς προχρείαν*. *Sen. Ben.* 4, 32. *in f.* Ego quid cui debeam, scio: aliis post longam diem repono, aliis in antecessum; ac prout occasio, et reipublicae meae facultas tulit. *Id. ep.* 7. *ad f.* Unum haec epistola in debitum solvet; duo in antecessum accipe. *Id. ep.* 118. Bene credi tibi scio: itaque in antecessum dabo. In plurali num. *Quint. decl.* 12, 20. Prosit mihi, quod apud negotiatores solet: in antecessus dedi. Alii leg. *antecessum*. ℙ Translate. *Flor.* 4, 12. Adeo certa victoriae spe, ut praedam in antecessum pactione dividerent, *h. e.* antequam eam obtinuissent. *Id.* 3, 21. Quasi desperata victoria ne inulti perirent, in antecessum sanguine senatus sibi parentabant, *h. e.* justa sibi faciebant, antequam morerentur. Sunt qui hoc loco aliter leg.

ANTĔCOENA, ae, f. prima coenae fercula. *Lips. antiq. lection.* 3. ita hanc vocem interpretatur, et legi putat *in indice Metelli Pontificis* ap. *Macr. Sat.* 2, 9., ubi tamen non *antecoena*, sed *ante coenam* legitur. V. COENA.

ANTĔCOENĬUM, ii, n. *πρόδειπνον*, cibus ante coenam. *Isid. Orig.* 20, 2. Merenda est cibus, qui declinante die sumitur, quasi post meridiem edenda, et proxima coenae, unde et antecoenia a quibusdam vocantur. ℙ Translate. *Appul. Met.* 2. p. 121, 29. Gladiatoriae Veneris antecoenia. *Appul.* hoc loco *antecoenia* sumit non eo sensu, quo *Isid.* sed pro primis coenae ferculis ante concubitum, data metaphora a gladiatoribus, qui ante certamen largo cibo reficiebantur.

ANTĔCURRENS, tis, part. v. inusit. *antecurro*, qui ante currit et praecedit, *προτρέχων*. *Vitr.* 9, 4. Stella solem antecurrens.

ANTĔCURSOR, oris, m. *προτρέχων*, *πρόδρομος*, qui ante currit. In re militari *antecursores* dicuntur, qui exercitum praecedunt, loca explorant, vias muniunt, castrorum metandorum situs observant, et primi proelia tentant cum hostibus, si forte occurrant. *Caes. B. G.* 5, 47. Ab antecursoribus de Crassi adventu certior est factus. *Id. B. C.* 1, 16. Cum antecursoribus Caesaris proelio commisso. Adde 3, 36. et *Tert. Monog.* 8. et *adv. Marc.* 4, 33., ubi Joannem Baptistam *antecursorem* vocat, quia Christi adventum praenunciavit. *Id. Resurr. carn.* 22. flores urbane dicit *frugum antecursores*.

ANTĔCURSORĬUS, a, um, adj. Apud *Appul. Met.* 9. p. 325. *ed. Vulc.* legitur a quibusdam *antecursoria potio*, hoc est quae principio coenae sumitur, et coenam ipsam praecedit. Alii leg. *accursoria*, alii [**Elm.* p. 227, 32. et *Oud.* p. 637.] rectius *occursoria*. V. OCCURSORIUS.

ANTĔDĪCO, is, xi, ictum, a. 3. praedico, *πρόφημι*. *Cic. Phil.* 1, 10. Antedicere ea, quae vitari possunt. *Id. Div.* 2, 6. *in f.* Haec qui antedicunt, quam rationem sequantur vides. ℙ Etiam divisim scribitur *ante dico*. [*Omnino. V. ANTE.]

ANTĔDICTUS, a, um, part. v. *antedico*, antea dictus, *προφατός*. *Amm.* 16, 12. Ut antedictus docuerat perfuga. *Id.* 29, 5. Caput urbi illatum est antedictae. *Scrib. Comp.* 163. Propter antedictam causam. ℙ Rectius scribitur divisim *ante dictus*.

ANTĔĔO, is, ivi, a. 4. *πρόειμι* ante eo, praecedo. *Cic. Agr.* 2, 34. Anteibant lictores, non cum bacillis, sed, ut hic praetoribus anteeunt, cum fascibus duobus. *Virg. A.* 12, 84. de equis. Qui candore nives anteirent, cursibus auras. *Hor. Od.* 1, 35, 17. Te semper anteit saeva necessitas. *Suet. Caes.* 57. Anteire vehiculo. ℙ Saepissime ponitur pro superare, antecedere, excellere. *Cic. Phil.* 9, 1. Cum Sulpicius aetate illis anteiret, sapientia omnibus. Alii leg. *illos*, et *omnes*. *Id. Off* 2, 10. et *Nep. Thras.* 1. Anteire aliquem virtutibus. *Id. Chabr.* 4. omnes auctoritate. *Justin.* 1, 3. omnes mollitia et lascivia. *Tac. Hist.* 4, 13. multo ceteros regia stirpe. *Id. A.* 15, 18. gravitate sumptuum reditus. *Gell.* 19, 9. Sicut in voluptatibus cultus atque victus, ita in cantilenarum quoque multis anteiretis. Cum infinito. *Sil.* 5, 353. Herbarum hic succis, ferrumque e corpore cantu Exigere, et somnum tacto misisse chelydro, Anteibat cunctos. Ac similiter, seq. *quid*, *id.* 14, 455. Idem, quid Boreas, quid vellet crastinus Auster, Anteibat, i. in scientia, i. e. praesciscebat. [*Cf. quem *Drak.* laudat, *Barth. adv.* 22, 14. Eodem modo *anticipator* legitur ap. *Auson.* V. suo loco.] ℙ Passive. *Cic. Sull.* 8. Nec se aequales tui, propter istam causam, abs te anteiri putant. *Senec. Cons. ad Marc.* 3. *sub f.* Grave est a deterioribus honore anteiri. *Tac. Hist.* 2, 101. Ne ab aliis apud Vitellium anteirentur. ℙ Nonnunquam est praevenire. *Tac. A.* 6, 29. *in f.* Scaurus, ut dignum veteribus Aemiliis, damnationem anteiit. *Id. ib.* 15, 38. Incendium anteiit remedia velocitate mali. *Ter. Andr.* 3, 3, 24. Anteeamus, dum tempus datur. Alii divisim scribunt *ante eamus*. Hinc explicandum quod dixit *Tac. A.* 5, 3. auctoritati alicujus anteire, i. e. eam praevenire ideoque rei resistere tanquam superiorem se gerendo. — [**Liv.* 38, 31. aetatem honoribus anteire, i. e. negligere in aliquo leges annales.] ℙ In futuro *antibo* pro *anteibo* legitur apud *Tac. A.* 5, 6. Sic *antisse* pro *anteisse* ap. *Eund. ib.* 4, 40., et *antissent* pro *anteissent ib.* 3, 69., et *anteat* pro *anteeat* altero *e* extrito. *Ov. A. Am.* 2, 2, 726. nec cursus anteat illa tuos.

ANTĔFACTUS, a, um, part. v. inusit. *antefacio*, antea factus. *Gell.* 17, 7. Utrum in postfacta furta lex valeret, an etiam in antefacta. ℙ *Antefacta, orum*, sunt res gestae. *Liv.* 37, 53. Conveniens esse antefactis dicent. *Vitr.* 9, 7. Uti possint antefacta, et futura ex ratiocinationibus astrorum explicare. *Cic. Dej.* 13. Multa se arbitratur et peperisse antefactis, et habere in animo, etc. ℙ Scribitur etiam (et quidem rectius) divisim *ante factus*.

ANTĔFĔRO, ers, tuli, latum, anom., *προφέρω*, ante, prius fero. *Tac. A.* 1, 8. Ut (*in exsequiis Augusti*) legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur. Et 3, 76. Viginti familiarum imagines antelatae sunt. *Virg. A.* 6, 677. Dixit, et antetulit gressum, *ante tulit* divisim hic plures legunt. ℙ Saepius ponitur pro anteponere, *προτιμάω*, *προκρίνω*. *Cic. Fam.* 1, 9. Bibuli fortunam omnium triumphis victoriisque anteferre. *Id. Partit.* 1. Ista tua studia vel maximis occupationibus meis anteferrem libenter. *Id. Agr.* 2, 3. Qui me antetuleritis nobilitati. *Nep. Ages.* 4. Antetulit irae religionem. *Cic. Fam.* 5, 20. Me antelaturum voluntatem tuam commodo meo. *Id. ib.* 6, 6. Iniquissimam pacem justissimo bello anteferre. *Id. Att.* 6, 8. Anteferre se alicui. *Id. Sull.* 32. aliquem alicui honore, gratia, fortunis. *Id. Or.* 7. Longe omnibus unum anteferre Demosthenem. *Nep. Them.* 1. Ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. *Cic. Prov. Cons.* 11. Cum ipse ceteris esset omni honore antelatus.

ANTĔFIXUS, a, um, part. ab inusit. *antefigo*, fixus, et impactus ante aliquam rem. *Tac. A.* 1, 61. Truncis arborum antefixa ora. ℙ Apud *Vitr.* 10, 15. *antefixa* dicitur columella anterior in catapultae basi, ita appellata, quia ante aliam columellam, quae ipsam basim sustinet, fixa et collocata est. Ita enim *Turn. Adv.* 2, 4. divinat. Porro in verbis *Vitr.* pro *antefixa latitudo foraminum*, etc. legunt alii *antefixae latitudo*, etc., ut rectius constet sententia. ℙ Praeterea *antefixa* dicuntur parva signa, corollae, aliaque hujusmodi ornamenta ex opere figulino, quae tectis aedium adfiguntur sub stillicidio, ut *Festus* exponit. *Liv.* 26, 23. In aede Concordiae Victoria, quae in culmine erat, fulmine icta decussaque, ad Victorias, quae in antefixis erant, haesit, neque inde procidit. Alii aliter leg. *Id.* 34, 4. Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque, et antefixa fictilia Deorum Romanorum ridentes.

ANTĔGENĪTĀLIS, le, adj. *Plin.* 7, 55, 56. Quanto facilius certiusque, sibi quemque credere, ac specimen securitatis antegenitali sumere experimento? *h. e.* experimento sumpto ab iis, quae antequam gigneremur, fuere.

ANTĔGĔSTUS, a, um, part. ab inusit. *antegero*, antea gestus, antefactus. *Paul. Dig.* 15, 1, 47. Creditor cum venditore ex antegesto agere potest. ℙ Scribitur etiam (et rectius) divisim *ante gestus*.

[ANTĔGRĂDUS, a, um, adj. qui ante graditur: opponitur autem *retrogrado*. *Not. Tir.* p. 155. Antegradus. *F.*]

ANTĔGRĔDIOR, ĕris, essus sum, dep. 3. προβαίνω, anteeo, praecedo, ante gradior, vel de spatio, ut *Cic. N. D.* 2, 20. *ad f.* Stella Veneris lucifer Latine dicitur, cum antegreditur solem; cum subsequitur autem, hesperos; [*vel de tempore, *id. Off.* 1, 27. quicquid est enim, quod deceat, id tum apparet, quum antegressa est honestas, i. e. honestate demum antegressa apparet decorum.]. ℙ Particip. *antegressus, a, um*, qui praecessit. *Cic. Fat.* 10. Omnia quae fiunt, causis fiunt antegressis, κατὰ προηγουμένας αἰτίας. *Id. Div.* 1, 14. *in f.* Cum paene innumerabiles res eodem modo evenirent, iisdem signis antegressis.

ANTĔHĂBĔO, es, ui, habitum, a. 2. προτιμάω, praefero, antefero, antepono. *Tac. A.* 4, 11. *in f.* Ne divulgata atque incredibilia veris antehabeant.

ANTĔHAC, adv. πρὸ τοῦ, ante hoc tempus. *Ter. Andr.* 1, 2, 16. Quod antehac fecit, nihil ad me attinet. Et *ib.* 2, 1, 3. Ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit, ita postquam, etc. *Cic. Fam.* 12, 23. Antehac quidem sperare saltem licebat, nunc etiam id ereptum est. ℙ Significat etiam ante illud tempus. *Sall. Cat.* 26. Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abjuraverat. *Tac. A.* 3, 25. Ut antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. ℙ Disyllabum est apud *Hor. Od.* 1, 37, 5. Antehac nefas depromere Caecubum.

*ANTEIDEA sic ed. *Drak. Liv.* 22, 10. V. ANTIDEA.

ANTĔLĂTUS. V. in ANTEFERO.

ANTĔLĬUS, ii, m. Ἀντήλιος. Antelii Graecis erant Dii, qui ante domorum januas collocabantur, ostiorumque praesides habebantur: quemadmodum apud Latinos Jani, et Limentini. *Hesych.* docet ἀντήλιον dici ἴσον τῷ ἥλῳ φαινόμενον, *h. e.* quod contra solem apparet, et per catachresim significare βωμὸν ἢ θεὸν ἀντικρὺ ἡλίου ἱδρυμένον, aram vel Deum sub dio, et contra, seu sub sole collocatum. Tales autem erant Antelii, ab ἀντὶ, contra, et ἥλιος, sol: quorum meminit *Tert. Idol.* 15. et *Mil.* 13. *in f.* ℙ Scribitur et *Anthelius*, Ἀνθήλιος, quod propius Graecae scriptioni accedit: tametsi *Hesych.* aspirationem omittit.

*ANTELLA, ae, f. quasi Antesella. *Isid.* 20, 16. in instrumento equorum. *B. A.*

ANTĔLŎGĬUM, ii, n. prologus, fabulae prooemium. Hibrida vox ex Latino *ante*, et Graeco λόγος, sermo. *Pl. Men. prol.* 13. Huic argumento antelogium quidem hoc fuit.

ANTĔLOQUĬUM, ii, n. initium loquendi, exordium, προοίμιον. *Symm. ep.* 1, 77. Quorsum spectet hoc anteloquium, breviter explicabo. Alii leg. *alloquium. Id. ep.* 8, 23. Anteloquio aliquid complecti. ℙ Pro primo loquendi loco. *Macr. Sat.* 7, 4. Hic assensi omnes Praetextato anteloquium detulerunt. *Id.* 1, 24. *a med.* Philosophia honoranda est anteloquio: unde meminerit Eustathius, primum sibi locum ad disserendum, omni alia professione cedente, concessum.

ANTĔLŪCĀNUS, a, um, adj. ἀμφίλυκος, λυχναγῆς, qui ante lucem matutinam est vel fit. *Cic. Fam.* 15, 4. *circa med.* Ex antelucano tempore usque ad horam diei decimam. *Id. Tusc.* 4, 19. *ad f.* Industria antelucana opificum. *Id. Cat.* 2, 10. Coenae antelucanae, *h. e.* tota nocte usque ad mane per summam luxuriam productae. *Vitr.* 1, 6. Antelucanus spiritus, *h. e.* ventus. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 2. Antelucanae aurae. Et *ib.* 26, 63. et *Colum.* 11, 2. Antelucana lucubratio.

ANTĔLŪCĬO, adv. id. qu. *Anteluculo. Appul. Met.* 1. *p.* 107, 8. Antelucio aufugere. *Id. ib.* 9. p. 223, 30. Antelucio recubans adhuc.

ANTĔLŪCŬLO, adv. λυχαυγῶς, ante lucem. *Appul. Met.* 1. p. 108, 36. Anteluculo furtim evadere, et viam, licet trepido vestigio, capessere.

ANTĔLŪDĬUM, ii, n. praeludium, quod pompam sacrificalem praecedit. *Appul. Met.* 11. p. 260, 31. Ecce pompae magnae paulatim praecedunt anteludia.

ANTĔMĔRĬDĬĀLIS, le, adject. antemeridianus. *Capell.* 6. p. 195. Antemeridiales horae.

ANTĔMĔRĬDĬĀNUS, a, um, idem q. antemeridialis, προμεσημβρινώς, qui est vel fit ante meridiem. *Cic. Att.* 13, 23. Antemeridianis tuis litteris heri statim rescripsi. *Id. Or.* 3, 6. Antemeridianus sermo. Et *ib.* 30. Antemeridiana ambulatio.

ANTĔMĔRĬDĬE, adv. pro ante meridiem. *Not. Tir.* 74. Antemeridie.

ANTĔMITTO, is, isi, issum, a. 3. προπέμπω, praemitto. *Solin.* 25. de elephantis. Flumen transituri minimos antemittunt. *Caes. B. G.* 1, 21. Equitatum omnem antemittit. *Id. B. C.* 1, 51. Imprudentesque antemissis equitibus aggreditur; [*usitatius est hoc sensu dicere *praemissis*; cf. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 1, 21.] ℙ *Arbores antemissae* apud Scriptores rei agrariae sunt, quae ante agrorum fines plantantur et intactae relinquuntur; ex quibus nec frondes, nec ramos caedunt, ut magnitudine ceteris praestent, designandorum finium gratia. *Sicul. Flacc. de Condit. agror.* p. 4. et 10. *Goes.* et *Aggen. Urbic. Comm. in Frontin. ib.* p. 45. etc. ℙ Scribitur etiam divisim *ante mitto.*

ANTEMNAE, arum, f. plur. oppidum Sabinorum, nunc excisum, ita dictum, quod *ante amnem* Anienem erat situm, uti docent *Serv.* ad illud *Virg. A.* 7, 631. Ardea, Crustumerique, et turrigerae Antemnae, et *Varr. L. L.* 4, 5. [*Plin. 3, 5, 9. Singularem habet *Sil.* 8, 367. *Cat. Orig.* apud *Prisc. VI.*]

ANTEMNAS, atis, adj. m. et f. *Antemnates* sunt Antemnarum incolae. *Liv.* 1, 9. et 10.

*ANTEMOENIO, is, a. 4. legitur ap. *Pl. Mil.* 2, 2, 66. antemoeni aliqua nos, quod recte nobis cum *Putschio* restituisse videtur *Lindem.* — Vulgo ex *Gron.* conjectura legitur *antevenito.* Sed codd. constanter *ante moenia.*

ANTĔMŌNENS, entis, part. ab inusit. *antemoneo*, qui ante monet. *Val. Fl.* 5, 259. monstrisque minacibus urbem Territat antemonens semper Deus. ℙ Rectius divisim scribes *ante monens.*

ANTĔMŪRĀLĔ, lis, n. προτείχισμα, propugnaculum muri exterius. *Hieron. Hom.* 2. *Origenis, quam ipse Latinam fecit, sub fin.*

ANTĔMŪRĀNUS, a, um, adj. ante murum positus. *Ammian.* 21, 12. Vallum antemuranum, caespitibus fultum, insidiantes ab omni discrimine defendebat.

ANTENNĂ, ae, f. κεραία, lignum transversum in navis malo, cui velum alligatur. *Virg. A.* 3, 549. Cornua velatarum obvertimus antennarum, *cornua antennarum* sunt earum extremitates: *velatas* dixit, quia velorum parte extrema involutae sunt; vel generatim, quia vela habent alligata. *Val. Fl.* 1, 623. Antenna prona laevo cornu sustulit undam. *Hor. Od.* 1, 14, 5. malus celeri saucius Africo, Antennaeque gemunt. *Ov. Trist.* 3, 4, 9. Effugit hibernas demissa antenna procellas. *Hirt. B. Al.* 45. Demittere antennas ad medium malum. *Lucan.* 9, 328. Suffigere lintea antennae summae. ℙ Scribitur et *antemna*, sed minus frequenter.

*ANTENO, *Cic. Att.* 15, 20., est vox nihili, quae varie ab edd. corrigitur. *Schütz.* recepit *Gron.* emendationem λεπτύνει.

ANTĒNOR, ŏris, m. Ἀντήνωρ, rex Thraciae. Habuit filios Helicaonium, Polydamantem etc., ex quibus Helicaonius uxorem duxit Laodiceam, Polydamas Lycastem, ambas Priami filias. Cum filiis in auxilium Trojanorum venit. Sed existimatus est urbem prodidisse. Nam praeterquam quod Graecorum legatos hospitio suscipiebat et Helenae restitutionem frequenter suadebat, Ulyssem simulato habitu intra moenia vidit, nec indicavit. Eo die, quo Ilium captum est, cum multitudine Henetorum, qui expulsi propter seditionem ex Paphlagonia, amisso rege Philemone ad Trojam, sedes et ducem quaerebant, discessit ex Troade, venit in Italiam ad ultimum sinum maris Adriatici, ibique expulsis Euganeis, qui inter mare et alpes habitabant, urbem condidit. Locus ille, in quem ex navibus egressus est, Troja dictus est, urbs primo *Antenorea*, deinde *Patavium. Serv.* ad illud *Virg. A.* 1, 246. Antenor potuit, mediis elapsus Achivis, Illyricos penetrare sinus etc. *Ov. Fast.* 4, 75. Adjice Trojanae suasorem Antenora pacis.

ANTĒNŌRĔUS, a, um, adj. ad Antenorem pertinens: et fere pro Patavino ponitur. *Martial.* 1, 77. Flacce, Antenorei spes et alumne Laris. *Id.* 4, 25. Faunus Antenoreus, *h. e.* qui incolit et tuetur Patavinum agrum.

ANTĒNŌRĬDAE, arum, m. plur. Ἀντηνορίδαι, Antenoris filii. *Virg. A.* 6, 484. Tres Antenoridas. ℙ Patavini etiam, quibus Antenor urbem dedit, Antenoridae dicuntur a *Serv.* ad *A.* 1, 252., cui adde *Messal. Corvin. de progen. Aug.* 10.

ANTĒNUPTĬĀLIS, le, adj., qui ante nuptias fit, ut antenuptialis donatio. *Just. Novell. const.* 2, 1. et alibi.

ANTĔOCCŪPĀTĬO, onis, f. πρόληψις, actus anteoccupandi. Est hoc nomine figura rhetorica, id. q. occupatio. *Cic. Or.* 3, 53. Ad hilaritatem impulsio, anteoccupatio. *Quint.* 9, 1, 31. haec eadem verba repetit. [*Id. 9, 2. *praesumtionem* appellat. *Jul. Rufin. de Schem.* p. 36. *praeceptionem* vel anteoccupationem interpretatur Gr. προκατάληψιν.] Sed apud utrumque alii rectius *ante occupatio* divisim scribunt: apud *Quint.* alii *aut occupatio.* [*Exemplum hujus figurae *Wolff.* in *vers. germ. Cic. de Or.* laudat *Cic. Planc.* 17. *ab init.*]

ANTĔOCCŪPO, as, avi, atum, a. 1. *Cic. Or.* 40. Ut anteoccupet, quod putat opponi. ℙ Rectius scribes divisim *ante occupo.*

ANTĔPAENULTĬMUS, a, um, adj. tertius ante ultimum. *Capell.* 3. p. 60. Syllaba antepaenultima. *Diom.* 2. p. 425. Accentus acutus tria loca teneat, ultimum, paenultimum, antepaenultimum. ℙ Legitur et *antepenultimus.* [*Rectius. V. PAENE.]

ANTĔPAGMENTUM, i, n. vocabulum est architectorum, quod ita describitur a Daniele Barbaro. *Festus: Antepagmenta valvarum ornamenta, quae antis adpanguntur*, i. e. *adfiguntur.* Uterque autem respexit *Vitr.* 6, 4., in quo agitur de ostiorum antepagmentis. Ceterum antepagmenta non solum in ostiis locum habent, sed etiam in projecturis mutulorum sub stillicidio; et fortasse etiam in aliis aedium partibus, ubi aliquid adpangitur et ad ornamentum, vel munimentum adfigitur. *Cato R. R.* 14. Villae fundamenta ex caementis, et calce supra terram pede, ceteros parietes ex latere, jugamenta et antepagmenta, quae opus erunt, ex lapide indito. *Vitr.* 4, 7. Supra parietes trajecturae mutulorum projiciantur: item in eorum frontibus antepagmenta figantur. *Vet. lapis* ap. *Grut.* 207. Tegulas primores omnes in antepagmento ferro figito. *Vitr.* 4, 6. Ostiorum autem et eorum antepagmentorum in aedibus hae sunt rationes etc. Et *ib.* Corona summa quae supra antepagmentum superius imponitur etc. ℙ *Salm. Ex. Plin.* p. 1216. ait, antepagmenta lignea fuisse: in quo putat errasse *Philandrum*, quod lapidea fecerit et ab *antis* non distinxerit. Certe ap. *Grut.* in lapide citato haec habentur, *Facito antepagmenta abiegnea:* tamen non videtur absurdum, ex structura etiam, et ex lapidibus aliquando fieri potuisse. Nam et res hujusmodi *adpangi* dicuntur, tum in lateribus ostiorum, tum in coronis fastigii, tum alibi. Qua in re magnum momentum habere debet *Catonis* locus modo allatus *c.* 14. Ubi tamen non est dissimulandum, Gryphianas editiones et Venetam anni 1472. sic habere: Villa lapide fundamenta calce supra terram pede, ceteros parietes ex latere, jugamenta et antepagmenta, quae opus erunt, indito. ℙ Legitur et *antipagmentum* (ea ratione, qua *antisto* pro *antesto* dicitur) et ita scriptum est in codd. *Festi.*

*ANTEPANNI erant fasciae vel lora, quibus anterior pars vestis praetegebatur, sed placet conjectura *Salmasii* ad *Vopisc. Aurel.* p. 575. *Hack.* colligit hoc ex *Hesychio*, Ἀντίπανον, παραπόνιον, κράσπεδον. *B. A.*

ANTĔPĂRO, as, a. 1. ante praeparo, προπαρασκευάζω. *Prop.* 1, 8, 36. Et quas Elis opes antepararat equis. ℙ Rectius scribes *ante paro* divisim.

ANTĔPARTĂ, orum, n. plur. antea parta et acquisita. *Naev.* ap. *Charis.* 2. p. 189. Adolescentes qui anteparta patria peregre prodigunt. *Pl. Trin.* 3, 2, 16. Itane tandem majores famam tradiderunt tibi tui, ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes? *Id. Truc.* 1, 1, 42. Unde anteparta demus postpartoribus. ℙ Scribitur et *ante parta* divisim.

ANTĔPASSĬO, onis, f. προπάθεια, primi motus cupiditatis, qui vel nobis invitis insurgunt, animumque perturbant. *Hieron. ep.* 79. ad *Salvinam n.* 9. Difficile est, quin potius impossibile perturbationum initiis carere quempiam, quas significantius Graeci προπαθείας vocant: nos, ut verbum vertamus e verbo, antepassiones possumus dicere.

ANTĔPĔDES, um, m. vox ex *ante* et *pedes* in unam dictionem per ὑστέρ conflata, qua significantur ii, qui dominum officii causa comitantes praecedunt, quos *anteambulones* appellat *Martial.* Hujusmodi autem erant amici et clientes: nam servi fere sequebantur, vel circumstabant. *Agroet. Orthogr.* p. 2274. Circumpedes sunt obsequia servorum: antepedes amicorum. *Cass. Var. in formula curae Palatii*, 7, 5. Utau rea virga decoratus, inter obsequia numerosa, antepedes regios primus videaris incedere etc. Alii hic divisim scribunt *ante pedes.* Sic ap. *Juv.* 7, 143. Respicit hoc primum qui litigat, an tibi servi Octo, decem comites; post te an sit sella, togati Ante pedes. ℙ Praeterea *antepedes* dicuntur priores pedes. *Cic. Arat.* 454. At caput et totum sese Centaurus opacis Eripit e tenebris, linquens vestigia parva Antepedum.

ANTĔPENDŪLUS, a, um, adj. ante pendens. *Appul. Met.* 2. p. 125, 4. At illa crinibus antependulis hinc inde dimotis, etiam in moerore luculentam proferens faciem etc. *Id. ib.* 5. p. 168, 23. Pererrantes crinium globos decoriter impeditos, alios antependulos, alios retropendulos.

ANTĔPĔRĔO, is, n. 4. *Aus. epigr.* 34. Si tineas, cariemque pati te charta necesse est, Incipe versiculis anteperire meis.

ANTĔPĪLĀNUS, i, m. Antepilani in Romana militia erant, qui in prima et secunda acie pugnabant, ante pilanos, hoc est ante triarios, qui *pilani* dicuntur a *Varr. L. L.* 4, 16. et ab *Ov. Fast.* 3, 129. Nam in prima acie erant *hastati*, in secunda *principes*, in tertia *pilani* seu *triarii. Liv.* 8, 8. Robustior aetas, quibus principibus nomen est, hos sequebantur, scutati omnes insignibus maxime armis: hoc XX. manipulorum agmen antepilanos appellabant, qui sub signis jam alii decem ordines locabantur: ex quibus ordo unusquisque tres partes habebat: earum unamquamque primum pilum vocabant etc. (vel ut *Lips. de Mil. Rom. dial.* 2, 3. legit *unamquamque primam Pilum vocabant.*) Et *cav.* 9. *in f.* Nam et rorarii procurrebant inter antepilanos, addiderantque vires hastatis ac principibus. ℙ Meminit *Liv.* antepilanorum etiam *c.* 10., sed tum hic, tum in duobus superioribus locis mavult *Patric. Rei milit. Rom.* 4, 5. vocem hanc mutari in *antesignani* ob eam potissimum rationem, quod *Livii* verba *cit. c.* 8., *quia jam sub signis*, cohaerere nequeant cum illis, *antepilanos appellabant.* Verum si totus simul *Liv.* locus con-

sideretur usque ad verba *pilum vocabant*, facile apparet, cur ii, qui *signa* praecederent, *antepilani* vocarentur. ℙ Alia ratione *antepilani* accipiuntur ab *Ammiano*, qui 16, 12. eos ita vocat, qui in prima acie ante signa pugnabant, ut *ib. Vales.* advertit. ℙ Translate. *Id.* 28, 1. de quodam Simplicio. In cruento enim certamine cum Maximino, velut antepilano suo, contendens, superare eum in succidendis familiarum nobilium nervis studebat. *Salm. de Re mil. Rom. c.* 19. hoc loco legendum putat *antesignano.*

ANTĔPOLLĔO, es, n. 2. supra aliquem polleo. *Appul. Met.* 1, 104, 20. Quae civitas cunctae Thessaliae antepollet. *Id. ib.* 7, 189, 35. Toto vertice cunctos antepollebat.

ANTĔPŌNO, is, sui, ositum, a. 3. *προτίθημι*, ante aliquem pono. *Tac. A.* 15, 32. Equitum Romanorum locos sedilibus plebis anteposuit. Hinc: edendum proponere aliquid. *Pl. Men.* 2, 2, 2. Bonum anteponam prandium pransoribus. *Id. Curc.* 1, 1, 73. Quid antepones Veneri a jentaculo? *h. e.* quid appones Veneri in jentaculum? ℙ Saepius usurpatur pro praeferre, anteferre, primas dare, *προτιμάω*. *Cic. Or.* 1, 21. *in f.* Longe Academiae illi a Lyceo tuum hoc suburbanum gymnasium anteponam. *Id. Amic.* 5. Amicitiam anteponere rebus omnibus. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 2. *ad f.* se alicui. *Nep. Ep.* 2. aliquem alteri in familiaritate. ℙ Aliquando effertur per metathesim seu transpositionem. *Tibull.* 1, 1, 20. Libatum agricolae ponitur ante Deo, *h. e.* apponitur Deo agricolae. *Cic. Off.* 3, 17. *a med.* Malitia mala bonis ponit ante. [*Ut 1, 84. in *Ennii* versu.]

ANTĔPOSĪTUS, a, um, part. v. *antepono*, ante appositus. *Pl. Rud.* 2, 6, 24. Coena antepositа Thyestae et Tereo. *Tac. A.* 1, 50. Nullo metu, non antepositis vigiliis. *Id. ib.* 12, 56. Anteposita propugnacula. ℙ Item praepositus, praelatus, *Tac. ib.* 12, 69. Antepositus filio privignus. ℙ *Antepostus* per syncopen apud *Terent. de Litter.* p. 2388. Vocalibus apte sedet anteposta cunctis.

ANTĔPŌTENS, entis, adj. antepollens, supra alios potens. *Pl. Trin.* 5, 1, 1. Hic homo est omnium hominum praecipuis voluptatibus gaudiisque antepotens, *h. e.* abundans voluptatibus et gaudiis: ea ratione qua dicitur *muneribus Veneris potens* ab *Hor. Od.* 4, 10, 1.. et *pietate potens* a *Prop.* 3, 21, 21. Alii tamen leg. *anteponendus.* [*Male.]

ANTĔPRAEDĪCO, is, ixi, ictum, a. 3. id. q. praedico, addito *ante* per pleonasmum. *Cic. Phil.* 5, 3. Testificor, denuncio, antepraedico. ℙ Rectius leges *ante praedico* divisim.

ANTĔPRAECURSOR, oris, m. idem q. praecursor, addito *ante* per pleonasmum. *Tert. Bapt.* 6. Joannes antepraecursor Domini fuit. ℙ Legitur et *ante praecursor* divisim.

ANTĔQUAM, *πρὶν ἄν, πρὶν ἤ*, priusquam: adv. temporis, quod fere jungitur indicativo, interdum et conjunctivo. [*In narratione plerumque sequitur conjunct. impf. et plusquampf.; quum vero praes. sequitur, promiscue indicat. et conjunct. ponitur. Ita *Zumpt.* p. 419. ed. IV. coll. *Ramshorn. gr. lat.* p. 579.] *Cic. Verr.* 2, 2, 1. Antequam de incommodis Siciliae dico, pauca mihi videntur esse de provinciae dignitate dicenda. *Id. Phil.* 1, 1. Antequam de republica, Patres Conscripti, dicam ea, quae dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis etc. *Id. Fam.* 7, 14. Dabo operam, ut istuc veniam, antequam plane ex animo tuo effluo. *Id. Brut.* 13. Antequam delectata est Atheniensium civitas hac laude dicendi, multa jam memorabilia effecerat. *Id. Phil.* 12, 9. Cui fui semper amicus, antequam reipublicae est factus inimicus. *Id. Att.* 2, 7. Equidem antequam tuas legi litteras, in hominem ire cupiebam. *Id. Or.* 3, 36. Neque defatigabor, antequam percepero. ℙ Saepe per tmesim dividitur interjecto aliquo verbo. *Cic. Fam.* 2, 2. Si ei contigisset, ut te ante videret, quam a vita discederet. *Virg. A.* 4, 27. Ante, pudor, quam te violo. V. alia in ANTE. ℙ Per anastrophen etiam, hoc est transpositis vocibus, adhibetur. *Lucr.* 3, 987. quam nascimur ante. *Martial.* 9, 36. Victricem laurum, quam venit ante, vides. Adde *Prop.* 2, 19, 66. *Tibull.* 1, 3, 9. ℙ [Jungitur etiam infinitivo. *Cic. Quinct.* 17. Dici vix potest, quam multa sint, quae respondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem extremum necessariam devenire. *Facciol.* ad hunc loc. ait: Duriusculum videtur, sed est Ciceronis. *Ern.* conjicit: extremum necesse sit, devenire. *Schutz.* vero *Ern.* conjecturam in textum recepit. *F.* *Alii aliter de hoc loco sentiunt. Sed *infin.* per anacoluthon videtur positus esse pro *deveniatis*, ut antecedens *respondeatis* suadet.]

ANTĔRIDES, dum, f. *ἀντηρίδες, ἀντερείσματα*, pilae structiles in imo latiores et paulatim ad summum usque decrescentes, quae exterius adstruuntur parietibus ad eos muniendos et fulciendos [*Strebepfeiler.] Vox ipsa Graeca est ab *ἀντί*, contra, et *ἐρείδω*, figo, firmo, fulcio. Eandem omnino originem, similemque significationem habet *erisma, atis*, n. et *erisma, ae*, f. *ἔρεισμα. Vitr.* 10, 1. Scansoria machina catenationibus et transversariis et plexis colligationibus et erismatum fulturis continetur. *Id.* 6, 11. In frontibus anterides, sive erismae sint, una struantur, eaeque inter se distent tanto spatio, quanto altitudo substructionis est futura, crassitudine eadem, qua substructio. Procurrant autem ab imo, deinde contrahantur gradatim etc. ℙ Etiam lignea fulcimenta ex trabibus, quae structuram sustinent, *anterides* dicuntur. *Hesych.* Ἀντηρίδες τὰ ἀντερείδοντα ξύλα, ἢ λίθινα κατασκευάσματα. *Gloss. vet. Tibicines*, ἀντηρίδες. Priore *Vitr.* loco intelligit *Philander* quippiam simile fusti illi, qui divaricatus scalas fulcit ac sustinet, quibus rustici decerpendis uvis ac pomis uti solent.

ANTĔRĬDĬON, ii, n. *ἀντηρίδιον*, obliquum sustentaculum aliquam rem fulciens: diminutivum ab *ἀντηρίς, ίδος*. *Vitr.* 10, 17. ad *f.* appellat *anteridion* membrum quoddam balistae ab officio quod habet sustinendi et fulciendi. Ubi alii leg. *anteridum*, ut sit genitivus a plurali *anterides:* sed minus recte.

ANTĔRĬOR, oris, comparativum ab *ante*, ut docet *Prisc.* 3. p. 599. et significat eum, qui est ante et refertur ad locum. *Caes. B. C.* 3, 63. Milites in anteriorem vallum tela jaciebant. Alii leg. *interiorem*, al. rectius *exteriorem.* [*Sic recte *Oud.*] *Amm.* 16, 8. Anterior chlamydis pars. *Id.* 25, 3. Ad speculanda anteriora progressus. ℙ Refertur etiam ad tempus et significat eum, qui ante fuit. *Symm. ep.* 6, 59. Anteriores litterae tuae, quas mox aliae consecutae sunt. *Sulpic. Sev. Hist. sacr.* 1, 52. Anteriores reges. *Hieron. ep.* 124. *ad Avitum n.* 3. Anterior culpa. *Prud. adv. Symm.* 2, 96. Anterior chao, *h. e.* antiquior. ℙ *Harduin.* tribuit etiam *Plin.* tribus locis in *lib.* 1. *ejus Hist. nat. nempe* ad fin. indicis *lib.* 24, 26. et 34.

ANTĔRIS, idis. V. ANTERIDES.

ANTĔRĬUS, adv. prius, priore loco, *πρότερον:* comparat. ab *ante. Sidon. ep.* 2, 9. Mane quotidiano partibus super hospite prima et grata contentio, quaenam potissimum anterius edulibus nostris culina fumaret.

ANTERMĪNI. V. AMTERMINI.

ANTĔROS, ōtis, m. *Ἀντέρως, ωτος*, Cupido tertius, ex Marte et Venere tertia natus apud *Cic. N. D.* 3, 23. Dictus est quasi Cupido Cupidini contrarius: ab *ἀντὶ*, contra, et *ἔρως*, amor, Cupido. Posset etiam exponi *amori par*, aut *aeque venustus atque Amor*, quia praepositio *ἀντὶ* etiam *instar* significat. Alii interpretantur amorem, quo quis amantem se redamat [*ita recentiores demum usurpant.], alii, ut est apud *Paus. in Att.* intelligunt ultorem eorum, qui amanti mutuo amore non respondent. [*Et sic apud *Cic.* et omnino veteres intell. h. v.] ℙ In plur. numero *Anterotes* dicuntur quaedam gemmae ex amethystorum genere, quia colore valde amoeno sunt et amabili. *Plin.* 37, 9, 40.

ANTES, ium, m. plur. sunt omnes arvorum, hortorum et vinearum ordines ad lineam ducti. De vitibus: *Sidon. ep.* 8, 8. Quousque pondus ligonis obtusi nec perfossis antibus ponis? *Virg. G.* 2, 417. Jam canit extremos effetus vinitor antes. [*Vet. gl.* Antes, *στίχοι ἀμπέλων.*] *Fest.* h. *Virg.* locum procul dubio respexit, cum scripsit, antes esse extremos ordines vinearum. De oleribus: *Colum.* 10, 376. Humidaque andrachne sitientes protegit antes. [*H. l. Noster ait *antes* esse areolas hortorum, quae quadratam lineam seu figuram referunt, quia *Non.* 1, 124. scribit antes esse quadraturas, unde et *antas* dictas esse quadras columnas. Sed prior posita significatio in omnibus locis sufficit.] ℙ Ceterum haec vox multo adhuc latius patet. Translate enim usurpatur a *Cat. fr. rei milit.* ap. *Serv.* 1. et *Philargyr.* ad *Virg. l. l.* Pedites, inquit, quatuor agminibus, equites duobus antibus ducas, *h. e.* Pedites quadrato agmine ducas, cujus agminis latera equites tegant, veluti duae lineae seu alae. [*Vet. Gl.* antium, *ταξέων, ὀρχάτων.*] ℙ Advertendum autem, nonnullos veteres Grammaticos *antes* confundere cum *antis* et *anteridibus.* Nam *Isid. Orig.* 15, 7. scribit, *antes* esse partes anticas januarum, quibus opponantur *postes.* At in editione *Arevali* legitur *antae. Serv.* vero ad *c. l. Virg.* ait, *antes* a quibusdam dici macerias, quibus vineta clauduntur et ita appellari a lapidibus eminentioribus, qui interponuntur ad materiam sustentandam; sed proprie *antes* esse eminentes lapides, vel columnas ultimas, quibus fabrica sustinetur, et appellari *antes ἀπὸ τοῦ ἀντιστήκειν;* ad quam etymologiam etiam extremos ordines vinearum trahi posse, qui *antestant.* ℙ Sunt, qui putant, etiam a *Vitr.* antes usurpari eodem sensu, quo *antae;* inter quos est *Danetius* in Lexico, qui tamen more suo nullum locum *Vitr.* assignat.

ANTESCHOLĀNUS, i, m. *πρόσχολος* subdoctor, hoc est qui sub magistro est in schola. Alii volunt esse principem inter discipulos, qui ingenio et diligentia ceteris antecellit, et a magistro supra ceteros honoratur *Petr. Sat.* 81. Veritus, ne Menelaus anteschoIanus, inter cetera mala, solum me in diversorio inveniret. Sunt qui leg. *aut scholanius.*

ANTĔSIGNĀNUS, i, m. *πρόμαχος τῶν σημείων.* Antesignani in Romana militia fuere, non qui ante omnem aciem collocati erant, et primi omnium pugnam inibant, ut velites, antecursores, etc., sed milites legionarii fortissimi et promptissimi, qui ante signa stabant ad eorum custodiam. Porro signa non semper eundem in acie locum obtinebant, sed pro ejus varia dispositione variisque praeliorum rationibus, modo in media acie erant, modo ante ipsam, modo in unum omnia collata locum, modo sparsa. Ubicumque autem essent, muniebantur et ante, et retro valida militum manu, qui *antesignani*, et *postsignani* dicebantur. Ceterum quia praecipua signa, ut Aquilae legionum, fere in secunda acie stabant inter principes, factum est, ut aliquando *hastati*, licet propria haberent signa, quia ante majora et totius exercitus nobilissima stabant, *antesignani* sint appellati: quo pacto eos appellare videtur *Curt.* 4, 6. Plura de his V. apud eos, qui ex professo haec persequuti sunt, quos inter *Carol. Guischard Memoir. antiqu. et histor.* p. 106. *Cic. Phil.* 2, 29. Fueras in acie Pharsalica antesignanus. *Caes. B. C.* 1, 43. Legiones tres ex castris educit, acieque in locis idoneis instructa, unius legionis antesignanos praecurrere, atque occupare eum tumulum jubet. *Id. ib.* 57. Delectos ex omnibus legionibus fortissimos viros antesignanos, centuriones Caesar ei classi attribuerat. *Liv.* 22, 5. Pugna exorta est, non illa ordinata per principes, hastatos, ac triarios; nec ut pro signis antesignanus, post signa alia pugnaret acies, etc. *Id.* 9, 39. Nihil ab ulla parte movetur fugae: cadunt antesignani; et ne nudentur propugnatoribus signa, fit ex secunda prima acies. Adde *Varr.* ap. *Non.* 18, 4. ℙ Aliis temporibus *antesignani* dicti sunt, qui ante omnia signa, atque adeo ante omnem aciem ibant: quos et *campigenos* vocari scribit *Veg. Mil.* 2, 7., ideo sic nominatos *quia eorum opera atque virtute exercitui vigens vis crescit in campo:* nempe ii ante signa ibant, et militibus praescribebant quomodo incedendum esset, qua ratione eundum in hostem, aut recedendum, aut consistendum, etc. Apud *Veget.* est qui legit *antesignarii*, ut et apud *Liv.* 4, 47. ex quibusdam MSS. ℙ Hinc translate *antesignanus* ponitur pro duce, aut pro eo, cujus hortatu, aut exemplo aliquid facimus. *Appul. Met.* 4. p. 147, 12. Antesignani nostri partem, qua manus humerum subit, prorsus abscindimus, [*Paullo ante idem vexillarius appellatur. Intelligit autem latronem.]

ANTĔSĪNISTRĀ. *Serv.* in illo *Ecl.* 9, 10. *Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix;* indivise legendum putat *antesinistra*, ut sit adjectivum, et significet cornicem volasse ab antica ad sinistram partem, hoc est anteriore parte templi, quod captaturus auspicia lituo designaverat: idem tamen sensus, etiamsi *ante sinistra* divisim legatur, fieri potest.

ANTESTĀTUS, a, um, part. ab *antestor.* In fragmento quodam Leg. XII. Tab. dicitur *antestatus* passiva significatione, qui in testem vocatus est ab aliquo adversarium suum in jus trahere volente. Ejus fragmenti haec sunt verba: *Si vis vocationi fuat, antestaminor: ni it, aurem capito antestati.* Ita *Lips. epistol. quaest. ep.* 4, 26. *Lambin.* ita emendat, ut vox *antestatus* significet eum, qui in testem vocavit: *Si vis vocationi fuat, antestatus im* (h. e. *eum*) *capito*, etc. [At omnibus praestat lectio *Funccii Leg. XII. Tabul. tab.* 1. *leg.* 2. Ni eat, antestaminor, igitur eum capito. V. ANTESTOR. *F.*] ℙ In *epit. Institut. Caji tit.* 6. antestatus est idem, qui libripens.

ANTESTO et Antisto, as, steti, statum, n. 1. *προϊσταμαι*, praesto, antecello, ante alios sto. *Cic. Inv.* 2, 2. Crotoniatae multum omnibus corporum viribus, et dignitatibus antesteterunt. *Gell.* 7, 5. Gestu, et vocis claritudine, et venustate ceteris antestabat. *Claud. Quadrigar.* ap. *eund. Gell.* 9, 13. Virtute ceteris antistabat. [*Cum accus. habet *Appul. Met.* 4. p. 146, 5. *Elm.* ceteros robore; quem l. laudat *Rudd.* II. p. 137. sed *Oud. ceteris* recepit. Accus. etiam legitur *Mel.* 3, 6. Scandinavia magnitudine alias (insulas) antestat. *Q. Met. Numid* ap. *Gell.* 12, 9. qua in re quanto universi me unum antistatis.] *Nep. Arist.* 1. Eloquentia antistat innocentiae. Adde *Lucr.* 5, 22. *Cato R. R.* 156. Brassica est, quae omnibus oleribus antistat. *Cat.* 9, 2. Antistans mihi millibus trecentis. [*Absolute *Cic. Rep.* 3, 18. Pompejus antistat.]

ANTESTOR, aris, atus sum, dep. 1. *προδιαμαρτυρέω*, in testem vocare. Unde dicatur, non convenit inter Etymologos. Alii enim ab *ante* et *testor* derivant, quod testes vocare solemus, antequam res fiat: alii ab *am*, circum, et *testor:* alii dici putant pro *attestor*, converso *t* in *n.* Est autem verbum proprium fori, desumptum ex fragmento veter. Leg. XII. Tab. quod refert *Porphyr.* vetus *Hor.* interpres ad *Sat.* 1, 9. *sub f.* V. in ANTESTATUS. Mos autem erat, ut qui aliquem in

jus vocabat, et nolentem pertrahere volebat, aliquo teste uteretur, quo vocationem suam judici probare posset. Interrogabat autem eum, quem testem designabat, his verbis: *Licet antestari?* quo respondente, *Licet*, adversarium in jus vocabat. Quod si is adhuc recusaret, aurem ejus quem in testem vocaverat, leniter tangebat admonendi causa, ut pro se contra reum testimonium interponere meminisset. *Plin.* 11, 45, 103. Est in aure ima memoriae locus, quem tangentes antestamur. *Hor. Sat.* 1, 9, 74. casu venit obvius illi Adversarius, et, quo tu turpissime? magna Exclamat voce: et, licet antestari? ego vero Oppono auriculam: rapit in jus. *Pl. Pers.* 4, 9, 10. Nonne antestaris? *Sa.* tuan' ego causa, carnufex, cuiquam mortali libero aures atteram? *Id. Curc.* 5, 2, 23. Licet te antestari? *Mi.* non licet. Et *ib.* 25. Antestari servum. Adde *Poen.* 5, 4, 58. ℙ *Antestamino* sive *antestaminor* vetus imperativum pro *antestator*, est in Leg. XII. Tabul. ap. *Gothof.* tab. 1. Sic *praefamino* apud *Caton. R. R.* 141. pro *praefare*, et *profitemino* pro *profiteatur* in vet. Tab. aen. apud *Murat.* 582. *initio.* ℙ Passive pro in testem vocari. *Liv.* ap. *Prisc.* 8. p. 792. Impubes libripens esse non potest, neque antestari, προσδιαμαρτυρηθῆναι, ita enim *Prisc.* exponit. Hinc particip. *antestatus* passivae significationis, quod V. ℙ Pro testari, testem aliquem appellare, extra judicium. *Cic. Mil.* 25. *in f.* Te, Magne, tamen antestaretur. Alii leg. *attestaretur.* [*Illud melius.]

ANTĔVĔNĬO, is, eni, entum, a. 4. praevenio, προφθάνω. *Sall. Jug.* 52. Exercitum Metelli antevenit. Et *ib.* 60. Magnis itineribus antevenire aliquem. *Pl. Trin.* 4, 2, 66. Tempori huic hodie anteveni [*tempus *Claud.* 23, 152. laudat Rudd. II. p. 137.]. *Sall. Jug.* 93. Consilia et insidias hostium antevenire. *Cato* ap. *Non.* 2, 143. Quod compluriens usuvenit, omni tempore anteventum est. ℙ Est etiam antecellere, superare, anteire. *Tac. A.* 4, 18. Beneficia usque eo laeta sunt, dum videntur exsolvi posse: ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur. *Pl. Cas.* 2, 3, 1. Amor omnibus rebus et nitoribus nitidis antevenit. *Sall. Jug.* 4. Antevenire aliquem per virtutem.

ANTĔVENTŪLUS, a, um, adj. Comae et crines *anteventuli* dicuntur, qui ante frontem veniunt, et pendent, quos *Appul. Met.* 5. vocat antependulos. *Id. ib.* 9. p. 231, 5. Discerptae comae pleramque ejus anteventulae tegebant faciem. *Id. Flor. n.* 3. p. 342, 2. Crines ejus remulsis antiis, et promulsis capronis anteventuli et propenduli.

ANTĔVERSĬO, onis, f. actus antevertendi et praeveniendi. *Ammian.* 21, 5. *in f.* Expertus quid in rebus tumultuosis anteversio valeat et praegressus.

ANTĔVERTO, s. Antevorto, is, rti, rsum, a. 3. φθάνω, praevenio, anticipo, praeverto. *Cic. N. D.* 2, 20. Stella Mercurii anno fere vertente, signiferum lustrat orbem, neque a sole longius unquam unius signi intervallo discedit, tum antevertens, [*i. e. antecedens] tum subsequens. *Id. Mil.* 17. Vidit necesse esse Miloni proficisci Lanuvium illo ipso die: itaque antevertit. *Id. Amic.* 4. Idipsum cum tecum agere conarer, Fannius antevertit. *Caes. B. G.* 7, 7. Qua re nunciata Caesar omnibus consiliis antevertendum existimavit, ut Narbonem proficisceretur. [*Pluribus de h. l. agit *Herz.* et explicat ita: prae omnibus ceteris consiliis ineundis in eo elaborandum existimavit, ut etc. Omnibus consiliis ablativum esse vult; nobis idem videtur.] *Pl. Capt.* 4, 2, 60. Pol moerores mi antevortunt gaudiis, *h. e.* veniunt ad me ante gaudia. *Ter. Eun.* 4, 5, 12. Miror, ubi ego huic anteverterim, *h. e.* ubi hanc praevenerim. *Tac. A.* 13, 30. Antevertere damnationem veneno. ℙ Significat etiam anteponere, praeferre. *Pacat. Pan. Theod.* 9. Quod ego tuum otium aliorum negotiis anteverto. ℙ Deponentis forma. *Pl. Bacch.* 3, 5, 1. Rebus aliis antevertar, Bacchis, quae mandas mihi, Mnesilochum ut requiram, *h. e.* illud aliis rebus antevertam, ut requiram Mnesilochum. Ita legitur in plerisque optim. codicib. Al. tamen hab. *antevortam.*

ANTĔVĪDENS, entis, particip. ab inusit. *antevideo*, qui praevidet. *Val. Fl.* 6, 581. Nunc quo se raperet, nunc quo diversus abiret, Antevidens. ℙ Scribi potest etiam divisim.

ANTĔVĬO, as, n. 1. per viam eundo praecedo. Usurpatur a *Venant. Fort. carm.* 4, 26. *a med.*

ANTĔVŌLO, as, a. 1. volando praecedere. *Claud. de phoenice* 21. Antevolant Zephyros pennae. *Sil.* 12, 600. Fulvius antevolans agmen. *Virg. A.* 12, 455. Antevolant, sonitumque ferunt ad litora venti. *Id. ib.* 9, 47. Turnus ut antevolans tardum praecesserat agmen. ℙ Apud *Virg.* rectius divisim scribes *ante volo.*

ANTĔVORTA, ae, f. 1. Dea, quae res praeteritas curare dicebatur, sicut *Postvorta* futuras. Alio nomine *Porrima* appellatur ab *Ov. Fast.* 1, 633. et a *Serv.* ad *A.* 8, 336. Apud *Macr. Sat.* 1, 7. Antevorta et Postvorta dicuntur *Divinitatis aptissimae comites*, quia Deus tum longe praeterita, tum futura optime cognoscit. V. PORRĪMA.

ANTĔURBĀNUS, a, um, adj. qui est ante, et prope urbem. *Festus:* Anteurbana praedia, urbi propinqua.

ANTHAEUS. V. ANTAEUS.

ANTHALĬUM, ii, n. ἀνθάλιον, genus herbae, cujus pomo mespili magnitudine et rotunditate, sine nucleo, sine cortice, folio cyperi, Aegyptii utuntur in cibis: ita dictae ab ἀνά, et θάλλω, regermino. *Plin.* 21, 15, 20.

[ANTHĀRĪNUS, i, m. flos vernus, ab ἄνθος, flos, et ἄρινος pro ἦρινος idem quod ἐάρινος, vernus Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 521, 5. C. Antonio Antarino. Extrita nempe aspiratione, ut saepe fit apud Romanos pro *Antharino. F.*]

ANTHĔDON, onis, f. ἀνθηδών, όνος, genus mespili, pomum ferens ceteris minus; sed odoratius, et quod diutius servatur. Quidam putant dici ab Italis *pomo imperiale. Plin.* 15, 20, 22. Mespilis tria genera, anthedon, setania; tertium degenerat anthedoni tamen similius, etc. ℙ [*Est etiam apis, quae τὰ ἄνθα comedit: hinc deducendum cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1591, 3. Nonia Sex. L. Anthedo.] ℙ Est etiam hoc nomine urbs Palaestinae maritima inter Ascalonem, et Gazaeorum portum, nunc *Larissa*, aliis *Daron. Plin.* 5, 13, 14. ℙ Item oppidum Boeotiae, in litore contra Euboeam, patria Glauci. *Ov. Met.* 7, 232. Carpit, et Euboica vivax Anthedone gramen. ℙ Denique portus in sinu Saronico, qui nunc *Golfo di Egina. Id. ib.* 4, 5.

ANTHĔDŌNĬUS, a, um, adj. ad Anthedonem urbem pertinens. *Stat. Th.* 9, 291. Thisbaeumque Lycam, Anthedoniumque Lycetum. Et *ib.* 328. Anthedonius hospes, *h. e.* Glaucus.

ANTHĔLĬUS. V. ANTELIUS.

ANTHELMUS. V. ALDHELMUS.

[ANTHĔMĔRUM, i, n. ab ἄνθεμον, flos, collyrii genus apud *Jochôn cachets des Oculistes* p. 71. Junii Tauri anthemerum ad epiphor., et omnem lippitudinem. *F.*]

ANTHĔMIS, ĭdis, f. ἀνθεμίς, genus herbae, quae et *chamaemelon* dicitur, quia odorem mali habet. *Plin.* 22, 21, 26.

ANTHĔMĬUM, ii, n. herba eadem quae anthemis, apud *Aemil. Macr. c. de Camomilla.*

ANTHĔMUM, i, n. herba parva a radice folia quina habens, caules longos duos, florem roseum; ad ejiciendos calculos utilissima. *Plin.* 26, 8, 55. *n.* 9.

*ANTHĔMUS, untis, Ἀνθεμοῦς, Macedoniae regio, in Mygdonia, cum urbe cognomine. *Plin.* 4, 10. ℙ Item oppidum Mesopotamiae. *Ib.* 6, 26. *Anthemusia* dictum. *Ib.* 5, 24. et Anthemusias, adis, sc. urbs, πόλις, *Tac. A.* 6, 41. ℙ Quin et Sami insulae vetus nomen fuit *Anthemus* vel *Anthemusa. Plin.* 5, 31. suffragante Strab. ℙ Item fluvius Colchidis. *Plin. l. l.* et *c.* 5. *B. A.*

[ANTHĔMŪSĬUS, a, um, adj. cf. *Anthemus.* ℙ Ad Anthemuntem pertinens, ut Anthemusia sc. regio, Macedoniae ager, ap. *Ammian.* 14, 9. dicta et *Anthemusium Eutr.* 8, 2. *B. A.* Cognomen libertinum a patriae nomine derivatum. *Inscr.* ap. *Grut.* 606, 4. et 5. Athemusius Aug. Lib. *F.*]

ANTHĔRAE compositiones dicuntur a medicis, quae vel floridum colorem habent, vel certorum florum admixtione fiunt (nam ἀνθηρὸς floridum significat) quae praecipue adhibentur in ulceribus oris. Earum exemplum duplex *Cels.* 6, 11. ponit. *Id. ib.* 15. Satis proficit anthera, humido ulceri arida inspersa. *Plin.* 24, 9, 42. Quo medici utuntur vice gallae in compositionibus, quas antheras vocant.

ANTHĔRĪCOS, i, m. ἀνθέρικος, caulis asphodeli. *Plin.* 21, 17, 68. et 22, 22, 32. Anthericas porro Graeci appellant cujuslibet plantae, quae spicas gerit, summitates. Hinc Homer. *Il.* Y. 227. ἵπποι Ἄκρον ἐπὶ ἀνθερίκων καρπὸν θέον οὐδὲ κατέκλων.

[ANTHESPHŌRUS, i, m. floriger, ab ἄνθος, flos, et φέρω, fero. Nomen servile. *Inscr.* ap. *Murat.* 925, 7. Anthesphorus Epagathi Lib. *F.*]

*ANTHENE, es, Ἀνθήνη, Steph. Byz. oppidum Laconiae, forte idem, quod *Anthane* ap. *Plin.* 4, 5. ubi mavult *Harduin.* legere *Anthea. B. A.*

ANTHĪAS, ae, m. ἀνθίας, genus piscis, cujus capturam ingeniosam describit *Plin.* 9, 59, 85. Adde *Ov. Halieut.* 45.

[ANTHĪMUS, i, m. ἄνθιμος, floridus. Cognomen Romanum. *Inscr.* apud *Murat.* 1723, 5. Q. Passerius Anthimus. *F.*]

ANTHĪNUM Mel, ἄνθινον μέλι, mel verno tempore constructum ex primis floribus. Nam ἄνθινος floreum significat. *Plin.* 11, 14, 14. Mel vernum, ex floribus constructo favo, quod ideo vocatur anthinum. ℙ *Anthinae* vocantur insulae quaedam circa Ephesum. *Id.* 5, 31, 38.

*ANTHĪUM, i, Thraciae oppidum, ad Pontum Euxinum. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

ANTHŌLŌGĬCA, n. plur. ἀνθολογικά, ab ἄνθος, flos, et λόγος, sermo. *Libri Anthologicon* sunt, qui variarum rerum veluti flores, et exquisitiores sententias collectas ex variis scriptoribus continent. *Plin.* 21, 3, 9. De floribus supra dictis, scripsit Theophrastus apud Graecos: ex nostris autem inscripsere aliqui libros Anthologicon: flores vero persecutus est nemo, quod equidem inveniam. *Anthologicon* est Graecus genitivus pluralis, ἀνθολογικῶν.

ANTHŌLŌGŪMĔNA, n. plur. ἀνθολογούμενα, quasi dicas florilegia, hoc est collectiones variarum rerum selectarum, et veluti flores uno comprehensa libro: ab ἄνθος, flos, et λέγω, dico. *Plin.* 20, 8, 32. Diodotus, qui anthologumena scripsit. *Harduin.* ita legendum censet ex quibusdam MSS., non ut est in editis, *antilegomena*, quod significat contrarie dicta.

ANTHRĂCĬAS, ae, m. ἀνθρακίας, gemma est apud *Solin.* 37. *extr.* quibusdam veluti scintillantibus stellis coruscans, carbonis accensi instar: nam ἄνθραξ, ακος, Graece carbonem significat. [*Kohlenkarfunkel.] Haec eadem a *Plin.* 37, 11, 27. vocatur *Anthracitis*, *itidis*, Ἀνθρακῖτις. ℙ Alia est *anthracitis* in Thesprotia fossilis, igneo colore, et quae in ignem conjecta velut intermortua exstinguatur, contra aqua perfusa exardescat. *Id. ib.* 7, 73.

ANTHRĂCĪNUS, a, um, adj. ἀνθράκινος, id. q. ater: nam ἄνθραξ, Gr. carbonem significat. *Varr.* ap. *Non.* 16, 14. Propinquae adolescentulae etiam anthracinis, proximae amiculo nigello, capillo demisso sequerentur luctum. Alium *Plauti* locum V. in ANATINUS.

ANTHRĂCĪTĒS, ae, m. lapis ex genere haematitarum, ita dictus, quia accensorum carbonum colorem imitatur, ἀνθρακίτης: ab ἄνθραξ, ακος, carbo. *Plin.* 36, 20, 38. *(eine Art von Blutstein.)*

ANTHRĂCĪTIS. V. ANTHRACIAS.

ANTHRAX, ăcis, m. ἄνθραξ, vox Gr. carbonem significans. A *Vitr.* 7, 8. dicitur *anthrax* rudis gleba minii, antequam tractationibus ad minium perveniat, quia carbonis accensi similis est, ferreum subrufum colorem habens, et rubro pulvere conspersa. ℙ A Medicis *anthrax* dicitur abscessus quidam rubens pustulis aut nigris, aut sublividis, aut pallidis, et acri inflammataque vi carnem perurens, latine *carbunculus.* ℙ Paenultima in obliquis casibus brevis est, sed producitur ab *Aemil. Macr. de Herb. c. de sabina*, ubi ait: Sic juvat anthracas, bona quae plebs ulcera dicit. Adde *c. de nasturtio:* nec tamen est imitandus.

ANTHRISCUS, i, f. herba est inter silvestria olera annumeranda, scandici similis, nisi quod folia habet crassiora, et minus odorata. *Plin.* 22, 22, 38., qui 21, 15, 52. usurpat neutro genere.

ANTHRŌPŌGRĂPHUS, i, m. ἀνθρωπογράφος: ita cognominatus est Dionysius quidam pictor apud *Plin.* 35, 10, 37., quia nihil aliud, quam homines pinxit: ab ἄνθρωπος, homo, et γράφω, pingo.

ANTHRŌPŌLĀTRA, ae, m. ἀνθρωπολάτρης, *h. e.* adorans hominem: ab ἄνθρωπος, homo, et λατρεύω, colo. Dicitur de Nestorianis haereticis, qui Jesum Christum solum hominem esse volebant. *Imp. Just. Cod.* 1, 1, 5. et 6. *a med.*

ANTHRŌPŌMORPHĪTAE, arum, m. ἀνθρωπομορφῆται, dicti sunt haeretici quidam, Deum homini similem, humanaque forma praeditum putantes: ab ἄνθρωπος, homo, et μορφή, forma. *August. de Haeres. ad Quodvultdeum.*

ANTHRŌPŌPHĂGUS, i, m. ἀνθρωποφάγος, vox Gr. ab ἄνθρωπος, homo, et φάγω, vescor. *Anthropophagi* cognominati sunt quidam populi Scythiae ap. *Plin.* 4, 12, 26. et 6, 17, 20. Item Aethiopiae, ap. *Eund.* 6, 30, 35., quod olim humana carne vescerentur.

*ANTHRŌPOS, ἄνθρωπος, i. e. homo. Sic dictus est Aeon haereticorum ap. *Iren.* l. etc. 1. *B. A.*

ANTHUS, i, m. ἄνθος, avis quaedam, quae equi hinnitum imitari dicitur; quaeque perpetuas cum aegitho inimicitias gerit. *Plin.* 10, 42, 57. et 74, 95. [*Putatur esse Motacilla flava *L.* (*die gelbe Bachstelze.*)]

[ANTHUS, i, m. et ANTHŪSA, ae, f. ex ἄνθος, flos, et ἀνθοῦσα, florida. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 123. Q. Volusius Q. L. Anthus. Alia apud *Grut.* 593, 6. Anthusa Asclepiad. Caesaris Servi Filia. *F.*]

ANTHYLLĬON, ii, n. ἀνθύλλιον, herba lenti simillima, quae in vino pota vesicam vitiis liberat et sanguinem sistit. *Plin.* 26, 8, 51. Eadem vocatur *Anthyllum* ab eod. 21, 29, 103. [*Cressa cretica *L.* (*das kretische Harzkraut, nach Sprengel.*)]

ANTHYLLIS, idis, f. ἀνθυλλίς, herba est chamaedrios similitudine, flore purpureo, gravi odore, radice intubi. *Plin.* 26, 15, 90. [*Teucrium Iva *L.* Ajuga Iva, n. *Schreb.*, *der Bisam-Günsel* ex sententia *Sprengel.*]

ANTHYPŌPHŌRA, ae, f. ἀνθυποφορά, vox Gr. ab ἀντὶ, contra, et ὑποφορὰ, objectio, est figura sententiarum, prolepsi valde similis, vel potius prolepsis pars, qua adversarii rationem, qualem afferre eum posse putamus, proponimus, eamque ipsi solvimus: ut in illo *Virg. A.* 4, 603. Verum anceps pugnae fuerat fortuna: fuisset. *Quint.* 9,

2. et 3. Graece usurpat: at Latine *Sen. Contr.* 1, 7. *sub f.* Deinde anthypophoram sumpsit etc.

*ANTIĂDES, um, f. plur. ἀντιάδες, tonsillae, quae post inflammationem induruerunt. *Cels.* 7, 12. et 14. §. 8. ff. de *Aedil. Edict. B. A.*

ANTĬAE, arum, f. plur. [*ab *ante*] capilli sunt muliebres demissi in frontem, ut *Fest.* definit: sed etiam de viris dicuntur. *Appul. Flor. n.* 3. *p.* 342, 1. *de Apolline.* Crines ejus remulsis antiis et promulsis capronis anteventuli et propenduli. Adde *Tertull. Pall.* 4. ℙ Esse hoc nomen feminini generis et carere singulari numero, docet *Charis.* 1. p. 20. V. CAPRONAE.

*ANTIANA, ae, oppidum Pannoniae inferioris. *Tab. Peut. B. A.*

ANTĬĀNUS, a, um, ad Antium pertinens. *Plin.* 3, 6, 12. Ultra Tiberina ostia in Antiano Astura, *h. e.* in mari, quod Antiatem agrum alluit. *Cic. fr.* ap. *Non.* 4, 130. Hercules Antianus, *h. e.* Antii cultus.

ANTĬAS, ātis, adj. omn. gen. qui est ex Antio Latii oppido. *Gell.* 1, 7. Valerius Antias. *Liv.* 8, 14. Interdictumque mari Antiati populo est. *Id.* 6, 9. Credo, rem Antiatem diuturniorem manere, Diis cordi fuisse. *Id.* 8, 12. Cum stativa in agro Antiati habuisset. ℙ *Antiates, ium*, sunt populi Antii incolae. *Liv.* 8, 14. *in f.* Naves Antiatium partim in navalia Romae subductae, partim incensae. Alii leg. *Antiatum.*

[ANTĬĀTĬCUS, a, um, ad Antiates pertinens. Cognomen gentis Maeniae in nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 240. ob Antiates devictos a C. Maenio Cos. an. U. C. 416. P. MAEnius ANTiaticus. *F.*]

ANTĬĀTĪNUS, a, um, adj. ad Antium pertinens, ut *Antiatinae Fortunae* ap. *Suet. Cal.* 57., nempe duae Fortunae, quarum una prospera, altera adversa responsa reddebant, ideoque a *Martial.* 5, 1. appellatae *veridicae sorores.* Alii perperam leg. *Antiatinae sortes.* Et *Antiatina Ceres* in *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 82.

ANTĬBACCHĬUS, i. m. ἀντιβακχεῖος, antibacchius versus dicitur a *Diomed.* 3. p. 513., qui quatuor pedibus antibacchis constat: qualis est hic: *Mariti beati paremus nepotes.* V. v. seq.

ANTĬBACCHUS, i, m. ἀντίβακχος, pes metricus idem, qui *Bacchius a brevi*, qui nempe constat prima brevi et duabus longis, ut *Poetae. Terent. de pedib.* p. 2414. Antibacchus autem tunc erit, Cum brevem primam locabis et duas longas dein. *Auson. Ep.* 4, 93. Ut claudat choriambon antibacchus. [*Santen.* ad *Terent.* p. 88. et seq. plura habet de hoc pede, quem consulesis. V. BACCHIUS. *F.*]

ANTĬBĂSIS. V. ANTEBASIS.

ANTĬBŌREUM horologium, ἀντιβόρειον, apud *Vitr.* 9, 9. esse videtur *Baldo* horologium solare in plano aequatoris descriptum et polum ipsum Borealem respiciens, ab ἀντὶ, contra, et βορεῖος, Borealis. Sed quia tale horologium Australem aeque, ac Borealem polum respiceret, hanc alii interpretationem rejiciunt; neque tamen in re perobscura, quid magis certi afferri possit, satis vident.

ANTĬCĂNIS. V. ANTECANIS.

ANTĬCĂRĬENSIS. V. ANTIKARIENSIS.

ANTĬCĂTĒGŌRĬA, ae, f. ἀντικατηγορία, mutua accusatio: ab ἀντὶ, contra, et κατηγορέω, accuso: et est genus judicialis controversiae, cum duo litigatores idem crimen invicem intentant, vel aliud unus, aliud alter, ut docet *Quint.* 3, 10., qui 7, 2. addit, a quibusdam Latine dici *concertativam.* Ipse autem Graece usurpat, ut et *Capell.* 5. p. 152., at Latine *August.* 3. contra *Crescon.* 26. et 74. *in f.*

ANTĬCĀTO, onis, m. Cum M. Cato (ille qui Uticae sibi mortem conscivit) ne in C. Caesaris potestatem veniret, ob morum sanctitatem, vitae innocentiam et excellentem virtutem a Cicerone fuisset vehementer laudatus in quodam libello, qui ad nos non pervenit; C. Caesar contra eum duos confecit libros, quos *Anticatones* inscripsit, quibus et Ciceroni respondit et varia Catoni vitia objecit: sed et hi temporum injuria periere. *Gell.* 4, 16. Caesar in Anticatone etc. *Juv.* 6, 337. duo Caesaris Anticatones. [**Quint.* 1, 5, 68.]

*ANTICENSOR, oris, m. Grammaticus Bekkeri anect. gr. tom. III. p. 1097. ἀντιχένσωρ. Attulit *Osann. epimetr.* II. ad *Auct. lex. gr.* p. 182.

*ANTĪCHRĒSIS, ἀντίχρησις, mutuus usus. Sic enim is contractus dicitur, quo pignus ita datur, ut quoad debitor satisfaciat, creditor eo utatur, fruatur usurae nomine *Martial.* in l. 33. D. de *pignorat. action. B. A.*

ANTĪCHRISTUS, i, m. Ἀντίχριστος, qui se Christo opponit et contraria ejus sanctissimis dogmatis homines docet: vel qui se pro Christo venditat. *Tert., Lactant., Prud., August.* et alii Ecclesiae Scriptores.

ANTĪCHTHŌNES, um, m. plur. ἀντίχθονες, iidem qui *Antipodes:* ab ἀντὶ, contra, et χθὼν, χθονὸς, terra, quia oppositam pedibus nostris terram incolunt, ut Hispani et Indi. Sed notandum ex *Is. Voss.* ad *Melam.* 1, 1. Antichthones a veteribus accipi pro iis omnibus, qui oppositam terram Australem inhabitare credebantur, etiamsi in superiore nostro hemisphaerio degerent. Ita semper ab Antoecis et Antipodibus distinguuntur. *Plin.* 6, 22, 24. Taprobanem alterum orbem terrarum esse diu existimatum est, Antichthonum appellatione. *Mela l. c.* Terra zonis quinque distinguitur: mediam aestus infestat, frigus ultimas; reliquae habitabiles paria agunt anni tempora, verum non pariter: Antichthones alteram, nos alteram incolimus. Illius situs ob ardorem intercedentis plagae incognitus, hujus dicendus est etc.

[ANTĪCĬĂLIS, e, qui pertinet ad anticam partem. V. ANTICUS. Hinc *Not. Tir.* p. 92. Anticialis, Antistes, *h. e.* qui omnibus antistat. *F.*]

*ANTĪCIMOLIS, idis, f. oppidum Paphlagoniae, cujus meminit *Strabo*, *Anticimōlis* appellatum a *Mela* 1, 19. *B. A.*

ANTĪCĬPĀTĬO, onis, f. πρόληψις, anticipata cognitio alicujus rei. *Cic. N. D.* 1, 16. Quae est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum? quam appellat πρόληψιν Epicurus, id est anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quaeri, nec disputari potest. Et *ib.* 17. Fateamur constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante dixi, sive praenotionem Deorum. Sunt enim rebus novis nova ponenda nomina, ut Epicurus ipse πρόληψιν appellavit, quam antea nemo eo verbo nominarat. ℙ Alio sensu *Arn.* 3. p. 107. *anticipationes, ionum* dicit principia ambulationis, seu primos motus, quos animal ambulaturum facit. ℙ Apud rhetores *anticipatio* eadem est figura, quae occupatio, et πρόληψις. *Jul. Rufin. de schematis λέξεων.*

ANTĪCĪPĀTOR, oris, m. qui anticipat. Habetur in quadam Oratione ad Deum, quae est in *Ephem. Ausonii;* ab aliis *Paul. Nolano* tributa *carm.* 5. (al. 4.) 9. Ipse Dei Verbum, Verbum Deus, anticipator Mundi, quem facturus erat, *h. e.* qui ante noverat et capiebat mundum, quam faceret.

ANTĪCĪPĀTUS, a, um, part. ab *anticipo*, ante captus, praeceptus, προκαταληφθείς. *Cic. N. D.* 1, 27. Ita est informatum anticipatumque mentibus nostris, ut homini, cum de Deo cogitet, forma occurrat humana. *Arn.* 6. p. 192. Anticipata cognitio. *Ov. Met.* 3, 234. per compendia montis Anticipata via est. *Suet. Claud.* 21. Ludi saeculares anticipati, nec legitimo tempori reservati. ℙ [Anticipata aetas dicitur puerorum cum morte immatura tolluntur. *Inscr.* ap. *Alessi Ricerche stor. crit. d' Este p.* 285. D. M. Crispinillae filiae def. ann. IIII. innuptae infelici Crispinus alumnae et Fortunata mater anticipatae aetatis infel. pos. *F.*]

ANTĪCĬPO, as, avi, atum, a. l. προλαμβάνω, ante capio, praecipio, ante occupo, anteverto. *Cic. Att.* 8, 14. Quid igitur proficis, qui anticipes ejus rei molestiam, quam triduo sciturus sis? *Suet. Tib.* 61. Anticipare mortem. *Stat. Th.* 6, 442. viam. *Max. Gall.* 1, 275. Sed mihi venturos melius praevertere casus, Atque infelices anticipare dies. ℙ Cum absolute usurpatur, fere significat praevenire. *Plin.* 2, 47, 47. Venti per singulas intercalationes uno die anticipantes. *Lucr.* 5, 657. Sol idem sub terras ille revertens Anticipat, coelum radiis accendere tentans. *Varr.* ap. *Non.* 2, 13. Anticipate atque addite calcar. ℙ Pro superare, vincere. *Auson. Epist.* 4, 69. Scillite decies non si purgeris aceto, Anticipesque tuo Samii Lucumonis acumen.

*ANTĪCIRRHA, ae, v. Anticyra.

[ANTĪCLĒA seu Anticlīa, ae, f. Ἀντικλεία, filia Autolyci, quam Sisyphus, cum ad Laertem duceretur, compressit, ex quo concubitu natus est Ulysses, qui tamen quod post nuptias ortus est, Laertis habitus filius; hinc ap. *Ov. Met.* 13, 31. Ajax Ulyssem vocat per contemptum *sanguine cretum Sisyphio.* Vide *Hyg. fab.* 201. et *Serv.* ad *A.* 6, 529. *F.*]

†ANTĪCLĪDES, ae, Ἀντικλείδης, scriptor nobilis ap. *Plin.* 7, 56. Scripsit, inter alia, librum περὶ νόστων, *h. e.* de reversione Graecorum ab expeditione Trojana. V. *Athen.* 11. p. 465. *Euseb. Praep.* 4. p. 157. *B. A.*

ANTĪCUS, a, um, adj. Inter ceteros honorum titulos, quibus se Imperator Justinianus appellat initio Institutionum suarum, est et *Anticus*, a devictis, ut ferunt, Antis, qui fuisse dicuntur populi accolae paludis Maeotidis, ex genere Hunnorum, quos variis proeliis ad internecionem delevit.

ANTĪCUS, a, um, adj. ὁ πρόσθεν, qui in anteriori parte et ante nos positus est: sicut *posticus*, qui post nos est. *Cic. Univ.* 10. In anticam partem pelli. *Festus in posticum:* Quae ante nos sunt, antica; et quae post nos sunt, postica dicuntur. Et dextram anticam, sinistram posticam dicimus. Sic etiam ea coeli pars, quae sole illustratur ad meridiem, antica utique nominatur, quae ad septentrionem est, postica. Haec *Festus*, qui sub littera *A* docet, *anticum* absolute positum fuisse a veteribus pro janua domus: intellige eam, quae in fronte aedium est. *Varr.* quoque *L. L.* 6, 2. scribit partem meridianam templi, quod capit augur, *anticam* dici, septentrionalem *posticam*; quia auspicia captaturi versa facie ad meridiem stabant. Hinc vetus Glossa: Antica, μεσημβρία. Adde *Serv.* ad *Ecl.* 9, 15. ℙ In re agraria *antica* dicitur pars agri, quae occidentem spectat; *postica*, quae orientem, ut colligitur ex *Hyg. lim.* p. 150. et ex *fragm. Agr. incert. auctor. de limit.* p. 215. *Goes.*, et explicatur in ejusdem *Goesii* indice ad vocem *Postica:* ubi addit videri sibi, falli *Festum*, qui posticam lineam in agris dividendis ab oriente ad occasum spectare dixit: non enim *lineam* posticam dici, sed regionem, seu partem agri divisi. ℙ [*Ita olim scriptum est pro *antiquus*, quod *V. in f.*]

ANTĪCYPRĬOS, pes metricus. V. CYPRIOS.

ANTĪCYRA, ae, f. nunc *Suola*, urbs litoralis Phocidis inter Crissam et Siphas Boeotiae oppidum versus isthmum Corinthiacum. Dicta est etiam *Anticyrrha* [*Anticirrha], quia Cyrrhae oppido opposita est. *Plin.* 4, 3, 4. ℙ [*Oppidum Locridis ad sinum Corinthiacum, *Liv.* 26, 26. Eadem Anticirrha scribitur.] ℙ Est etiam hoc nomine insula maris Aegaei in sinu Maliaco, in qua helleborum abunde provenire dicitur, cujus succus epotus utilissimus sit ad purgandam insaniam melancholicam. Hinc amentes solent proverbio Anticyram mitti, et ipsa Anticyra a poetis pro medicina contra amentiam poni solet. *Ov. Pont.* 4, 3, 53. 1, bibe, dixissem, purgantes pectora succos, Et quidquid tota nascitur Anticyra. *Hor. Sat.* 2, 3, 165. ambitiosus et audax Naviget Anticyram. Et *v.* 82. Danda est hellebori multo pars maxima avaris: Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem. Et *plur. num. Pers.* 14, 16. Anticyras melior sorbere meracas. *Hor. A. P.* 300. tribus Anticyris caput insanabile. ℙ Verius tamen videtur Anticyram amentibus commendari, non quia ea insula helleboro abundet, quod laetius alibi et praestantius nascitur; sed quod in ea tutissime bibitur, admixto sesamoide ibi nascente et hellebori vim temperante, ne noceat. Ita enim colligitur ex *Plin.* 22, 25, 64. et 25, 5, 21. et ex *Gell.* 17, 15.

[ANTĪCYRENSIS, se, ad Anticyram pertinens. *Antieyrenses, ium*, sunt incolae Anticyrae. *Inscr.* ap. *Mur.* 598. Neque veniret in dubium inter Anticyrenses quoque et Delphos. *F.*]

[ANTĪCYRĪCON, i, n. Ἀντικυρικὸν, ad Anticyram pertinens. *Plin.* 22, 25, 64. Est etiam aliud sesamoides Anticyrae nascens, quod ideo aliqui Anticyron vocant. *Hesych.* Ἀντικύρικον, ὁ ἑλλέβορος. *F.*]

ANTĪDACTYLUS pes est contrarius dactylo, hoc est qui constat duabus brevibus et ultima longa, ut *fremerent, scopulos. Mar. Victor.* 1. *Gramm.* p. 2488.

ANTĪDĔĂ, id. q. *antea*, sicut *postidea* idem est ac *postea:* antiquum utrumque verbum. Posterius usurpatur a *Plauto* non semel. V. suo loco. Prius vero legitur in veteri formula veris sacri vovendi ap. *Liv.* 22, 10. Si antidea senatus populusque jusserit fieri, ac faxit, eo populus solutus, liber esto, Ita *Lipsius* legendum censet *l.* 1. *antiq. lect. c.* 22. In editis est *si ante id ea senatus etc.* [*vel anteidea.]

ANTĪDĔO, is, pro *anteeo*, *is*, non semel usurpatur a *Plauto*, inserto *d* ad hiatum vitandum: ut *Cas.* 2, 3, 9. Munditiis munditiam antideo, *h. e.* supero, vinco. Et *Cist.* 2, 1, 3. Omnes homines supero, atque antideo cruciabilitatibus animi. *Pers.* 5, 2, 2. Omnibus antideo facile. Et *Trin.* 2, 4, 145. Campas genus multo Syrorum jam antidit patientia, *h. e.* Campas genus multo superat genus Syrorum patientia.

ANTĪDĔUS, i, m. V. ANTITHEUS.

ANTĪDHAC, adv. idem quod *antehac*, inserto *d* ad hiatum tollendum. *Pl. Aul.* 2, 8, 26. Cui in re tali jam subvenisti antidhac. *Id. Cas. Prol.* 88. Quod fecistis antidhac. *Id. Cist.* 1, 1, 1. Cum enim antidhac te amavi, tum etc.

†ANTĪDŌRUM, i, n. ἀντιδῶρον, Latine Remuneratio: quo nomine Ulpianus usus est in l. 25. §. 8. D. *de petit. hered.* Plane (inquit) si antidora acceperunt, dicendum est eatenus locupletiores factos, quatenus acceperunt, velut genus quoddam hoc esset permutationis. *B. A.*

[ANTĪDŌRUS, i, m. ἀντίδωρον, remuneratio. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 259. Q. Maius Antidorus. *F.*]

ANTĪDŌTUM, i, n. et Antidotus, i, f. ἀντίδοτον, medicamentum contra venenum: ab ἀντὶ, contra, et δοτὸς, datus. *Cels.* 5, 23. Antidota raro, sed praecipue interdum necessaria sunt, quia gravissimis casibus opitulantur. *Gell.* 17, 16. Hujus regis antidotus celebratissima est, quae Mithridatios vocatur. *Scribon. Compos.* 171. Antidotus, quam quotannis componebat. *Caj. Dig.* 18, 1, 35. Ut ex his antidoti conficiantur. *Quint.* 7, 2. Antidotum alicui dare. *Phaedr.* 1, 14, 3. venditare. ℙ [*Translate. *Suet. Cal.* 29. antidotum adversus Caesarem? *h. e.* quod auxilium, quae medela adversus eum, qui omnia potest? Sed ita loquitur, quoniam praecedit: fratrem, quem metu venenorum praemuniri medicamentis suspicabatur.] ℙ Interdum generatim sumitur pro quovis medicamento,

quod valetudinis causa sumitur, licet nullum veneni periculum praecesserit. *Spart. Hadr.* 23. Denique accepto largius antidoto, ingravescente valetudine per somnum periit.

*ANTIDOTUS, i, nobilis pictor. *Plin.* 35, 11, 40.

ANTĬENSIS, e, adj. ad Antium Latii oppidum pertinens. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 2. Antiensis templi hospitio usus.

*ANTIGĔNA, ae, c. προγεννηθεὶς. *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

*ANTIGĔNES, is, Ἀντιγένης, pastoris incertum, an choraulae nomen apud *Virg. Ecl.* 5, 89. *B. A.*

*ANTIGENĬDES et Antigenidas, ae, musicus, Alexandri M. ad bellum incitator, qui discipulo suo Ismeniae, cum scite canens populo minus probaretur, *Miki*, dixit, *cane et Musis:* admonens, prorsus esse contemnendum imperitae multitudinis judicium. *Plin.* 16, 36. *Cic. Brut.* 50. *Gell.* 17, 17. *Val. Max.* 3, 7. *B. A.*

ANTĬGĔRĬO, adv. quod antiqui pro *valde* dixerunt, teste *Festo.* Etiam *Quint.* 1, 6, 40. et 8, 3, 25. tanquam obsoletum damnat.

[ANTĪGŌNĀ, ae, f. et Antĭgŏnus, i, m. Ἀντίγονος, ex ἀντὶ, contra, et praet. γέγονα verbi γίγνομαι. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 162, 2. Aelia Antigona. Alia ap. *Marin. Inscr. Alb.* p. 81. Sex. Pompejus Antigonus. *F.*]

ANTĪGŌNĒ, es, f. Ἀντιγόνη, filia Oedipi regis Thebanorum, quae patri caeco in exsilium acto viae dux fuit: occisa a Creonte tyranno, vel, ut alii volunt, viva sepulta, cum fratrum suorum Eteoclis et Polynicis cadavera cremasset et iis justa persolvisset. Haemon Creontis filius ejus amator ad ejus tumulum se ipse gladio transfixit, vel, ut alii narrant, et se, et ipsam interfecit, cum patrem pro ejus vita exorare non potuisset. Ejus tragoedia a Sophocle conscripta est. *Juven.* 8, 228. longum tu pone Thyestae Syrma, vel Antigones, seu personam Menalippes. *Hyg. fab.* 72. ℙ Antigone alia Laomedontis filia, cum de formae praestantia certare cum Junone ausa fuisset, ab ea in ciconiam versa est. *Ov. Met.* 6, 93. ℙ Dicitur etiam *Antigona, ae*, Latina positione. V. in CIRCE.

*ANTIGONEA, ae, Ἀντιγόνεια, Ἀντιγονία, Epiri oppidum, in Chaonia. *Liv.* 32, 5. et 43, 23. ℙ Item oppidum Macedoniae, in Mygdonia. *Plin.* 4, 10. ℙ Et aliud oppidum Macedoniae, in Chalcidica. *Liv.* 44, 10. ℙ Fuit et urbs Arcadiae, olim dicta Mantinea. *Plin.* 4, 6. ℙ Item Troadis oppidum, Troas etiam et Alexandria nuncupatum. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

*ANTĪGŌNENSIS, se, adj. ad Antigoneam pertinens, Epiri urbem in Chaonia. Hinc *Antigonensis ager* ap. *Liv.* 43, 23. *Antigonenses, ium*, incolae illius urbis. *Plin.* 4, 1, 1. *B. A.*

*ANTIGŌNUS, i, m. Ἀντίγονος, unus ex ducibus *Alexandri M.*, qui primus post Alexandrum in Asia regnare coepit. Pater fuit Demetrii Poliorcetis. *Nep. Eum.* 5. sqq. *Cic. Off.* 2, 14. *Justin.* 13. 14. 15. ℙ Antigonus I. Gonatas, Demetrii Poliorcetae filius, Antigoni pronepos, Macedoniae rex. *Justin.* 17, 1. 24, 1. 25, 1. 2. et 3. 26, 1. sqq. ℙ Antigonus II. Rex Macedoniae, tutor Philippi, Doson (i. e. Δώσων, daturus, quod multa promitteret, pauca praestaret) etiam appellatus. *Cic. Off.* 2, 14. *Justin.* 28, 3. et 29. ℙ Item scriptor de re rustica, patria Cymaeus. *Varr. R. R.* itemque *Colum.* 1, 1. ℙ Item statuarii nomen. *Plin.* 34, 8. et 35, 10. *B. A.*

*ANTIGRAPHARĬUS, i, m. Ἀντιγραφεύς. V. *Justin. de Confirm. Digest.* ep. 2, 9., ubi laudat Constantinum magnificentissimum Comitem sacrarum Largitionum et Antigrapharium sacri scrinii. Nempe *Antigrapharius*, Ἀντιγραφεύς, qui commissas alterius fidei rationes ipse quoque tractat, quos recentior aetas Contrarotulatores appellavit. Custodes dixeris e *Cic. de L. Agrar.* 9. *Ulp.* 3, 2. *de Administr. tut.* Observatores et custodes actus alieni. *Gloss. Gr. Lat.* Ἀντιγραφεύς, Dictator, Rescriptor. Adi *Salm.* ad *Hist. Aug.* p. 480. seq. V. Antigraphus. *B. A.*

[ANTĪGRĂPHUM, i, n. Ἀντίγραφον, exemplar descriptum, vel depictum. *Not. Tir.* p. 155. Antegraphum (lege *Antigraphum.*) *F.*]

*ANTĪGRĂPHUS, i, m. ἀντίγραφος, inter notas criticas semicirculus, qui dextram spectat et punctum intra se habet. Sic certe pingitur Ɔ in antiquo libro *Is. Orig.* 1, 20. et adscribitur: Antigraphus cum puncto apponitur, ubi in translationibus diversus sensus habetur. In *Gothofr.* est operiosior figura ⅄.

[ANTĪKĂRĬENSIS, e, adj. ad Antikariam pertinens, Baeticae urbem, nunc *Antequera. Inscr.* ap. *Grut.* 110, 5. Genio municipii Antik*ariensis.* Adde alias ap. *Mur.* 1026, 3. et 4. *F.*]

ANTĪLĒGŌMĒNA. V. ANTHOLOGUMENA.

*ANTĪLĒNA et Antelena, ae, f. cingulum, quo equi pectus cingitur, ut in *Gloss. Isid.* habetur. *Gloss. Phil.* Antilena, ἵμας ἵππων, et Antelena, διεροητὴρ (sive rectius, ut *Martin.* διερεωτὴρ) ὅ ἐστιν ἵππων περὶ τὸ στῆθος. Contrarium est *Postilena*, quam V. videsis suo loco. Adi *Scheffer.* de re vehic. 1, 11. *B. A.*

ANTĪLĪBĂNUS, i, m. *Abbellinas*, Ἀντιλίβανος, mons Syriae, vel Phoeniciae, oppositus Libano monti valle longa interjecta. *Cic. Att.* 2, 16.

ANTĪLŎCHUS, i, m. Ἀντίλοχος, Nestoris filius major natu, occisus in bello Trojano ab Hectore, vel, ut alii volunt, a Memnone; de quo *Juven.* 10, 253. et *Hor. Od.* 2, 9, 14.

[ANTĪLŌGUS, i, m. Ἀντίλογος, ex ἀντὶ, contra, et λέγω, dico, qui contradicit. Cognomen Romanum. *Inscr.* in *Novell. Letter. Fiorent.* an. 1785. p. 579. A. Cervius Antilogus. *F.*]

*ANTĪMĂCHUS, i, m. Ἀντίμαχος, Claro, ex Jonia oriundus, vel, ut alii volunt, Colophonius, poeta Graecus, tempore Socratis et Lysandri, de Homeri aetate ac genere egit. Is, cum poema quoddam obscurum recitaret, atque omnes praeter Platonem, quod parum intelligerent, discessissent, *Plato* inquit, *miki pro omnibus. Cic. Brut.* 51. *Catull. Epigr.* 96. v. ult. *Prop.* 2, 34, 45. ℙ Item unus ex filiis Aegypti, *Hygin. fab.* 170. ℙ Et nobilis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*

ANTĪMĒTĂBŎLE, f. ἀντιμεταβολὴ, ex adverso mutatio, figura, qua verba contraria ratione repetuntur, ut: *Non, ut edam, vivo; sed, ut vivam, edo.* Est autem Graeca vox ab ἀντὶ, contra, et μεταβάλλω, commuto: et Graece usurpatur a *Quint.* 9, 3. Latine autem ab *Isid. Or.* 2, 21. Ab *Auct.* ad *Her.* 4, 28. dicitur *commutatio.*

*ANTIMISIUM, ii, non reperitur quidem in iis scriptoribus, qui hodie exstant; sed explicatur in *Zonarae lex.* p. 193. ita: Ἀντιμήσιον παρὰ Ῥωμαίοις τράπεζα πρὸ τοῦ δικαστηρίου κειμένη. V. *Koehler.* in *Wolf. Anal.* IV. p. 314.

[ANTĪNAS, atis, omn. gen. ad Antinum pertinens, Marsorum oppidum, nunc *Civita d' Antina.* Male ap. *Plin.* 3, 12, 17. legitur *Atinates* pro *Antinates. Inscr.* ap. *De Sanctis, Antino città* etc. p. 40. Montanus populi Antinatium Mars*or.* Serv*us* Arcarius. *F.*]

[ANTĪNŌĒ, es, f. et Antĭnous, i, m. ab ἀντὶ, contra, et νοῆ, mens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 670, 4. Arrius Antinous pater fecit Arriae Antinoae filiae dulcissimae. *F.*]

[ANTĪNŌEUS, a, um, adj. ad Antinoum, famosum Hadriani Imp., pertinens. *Hieron. de Vir. ill. c.* 22. Ait enim Hegesippus: Tumulos mortuis templaque fecerunt, sicut usque hodie videmus; e quibus est et Antinous servus Hadriani Caesaris, cui et gymnicus agon exercetur Antinoeus, civitatemque ex ejus nomine condidit et statuit prophetas in templo. Apud *Vallars.* legitur ex illius codice *Antinojus*, sed textus Graecus Hegesippi ap. *Euseb. Hist. l.* 2. *c.* 8. habet ἀγὼν Ἀντινόειος. Hujusmodi agon Antinoeus exercebatur apud Mantineam. *Paus. l.* 8. *c.* 9. *Id. Hieron.* in *Isaj. l.* 1. *c.* 2. *v.* 7. Ut Hadrianus Antinoum consecrarit in Deum, templumque ei ac victimas et sacerdotes instituerit, et ex eo Aegypti civitas ac regio nomen acceperit. *F.*]

*ANTĪNOI urbs, Ἀντινόου πόλις Ptolemaeo, fuit in Aegypto, in Heptanomide. *Ammian.* 22, 40. ℙ Fuit autem Antinous Bithynicus juvenis, ab Adriano Imperatore adamatus, cui, ut creditur pro Imperatoris salute, ex magica disciplina, mortuo, templum apud Mantineam constituit. V. *Spartian.* in *Hadrian.* 14. *B. A.*

ANTĪNOMĬA, ae, f. ἀντινομία, legum contrarietas et pugna: ab ἀντὶ, contra, et νόμος, lex. *Quint.* 7, 7, 1. Proximum est de legibus contrariis dicere, quia constat, in antinomia duos esse scripti et voluntatis status. *Id. ib.* 10, 2. Scriptum et voluntas habet in verbis vocis quaestionem: quod idem in antimonia petitur.

*ANTINOUS, i, Ἀντίνοος, procus Penelopes superbus, ab Ulysse in convivio bibens sagitta transfixus. *Prop.* 4, 5, 7. ℙ V. etiam Antinoi Urbs. *B. A.*

ANTĬOCHENSIS, se, adj. ad Antiochiam pertinens. *Ammian.* 14, 7. Antiochensis plebs. ℙ *Antiochenses, ium*, sunt Antiochiae incolae. *Tac. H.* 2, 80. et 82. *Justin.* 39, 1. et *Caes. B. C.* 3, 102. ℙ Apud *Val. Max.* 3, 7. *n.* 1. dicitur *Antiochensis pecunia*, quae ab Antiocho rege est, non ab Antiochia: quo sensu usurpatur etiam *Antiochenus.*

ANTĬOCHĒNUS, a, um, adj. ad Antiochiam pertinens, ut *Antiochenus ager* ap. *Venant.* 8, 5. *ad f.* ℙ Item pertinens ad regem Antiochum. *Gell.* 4, 18. Antiochenae pecuniae rationem reddere. Adde 7, 19. *in f.* Utroque loco sermo est de pecunia, quam Africanus superior accepisse creditus est ab Antiocho rege, ut aequioribus conditionibus pacem ei populi R. nomine daret.

ANTĬOCHĒUS, a, um, adj. ad Antiochum pertinens, Ἀντιοχεῖος. *Cic. Ac.* 4, 36. Qui ista Antiochea contemnit, *h. e.* Antiochi philosophi dogmata. Adde *Att.* 13, 19. ℙ Dicitur et *Antiochius.* [*Sed hanc formam, ut observat *Goer.* ad *Acc. l. l.* nonnisi recentiores quaedam edd. exhibent.]

ANTĬOCHĬA, ae, f. Ἀντιόχεια, urbs Syriae primaria quondam, cum floreret, ad Orontem fluvium: ita dicta a conditoris patre, hoc est ab Antiocho patre Seleuci, ut ap. *Justin.* 15, 4. legitur. *Auson. Clar. urb.* 3. *Tertia Phoebeae lauri domus Antiochia:* quia scilicet prope eam urbem lucus fuit lauro cupressoque abundans et Apollini Dianaeque sacrum. [*Appellatur et Antiochia Epidaphnes, sc. ἐπὶ Δάφνης, prope Daphnem vicum, ut dicit Strabo. Cf. *Hard. Plin.* 5, 21. Antiochia libera, Epidaphne cognominata.] Fuere hoc nomine aliae permultae urbes in Aegypto, in Cilicia, in Mesopotamia, in Pisidia, in Macedonia etc., adeo ut decem et octo enumerent *Steph.* et *Eustath.*, quarum tamen non paucae omnino deletae sunt vel bellorum, vel temporum injuriis: illa autem, quam posuimus, omnium fuit celeberrima: quam etiam *Cic.* laudat *Arch.* 3. [*Memoratu dignissimas attulit *Bail. in Auct.*, quas adjecimus: ac fuit Assyriae urbs. *Plin.* 6, 27. ℙ Oppidum Cariae; *ib.* 5, 29. ℙ Antiochia, cognomine Tralles, *Plin.* 5, 29. ℙ In Margiana, *Id.* 6, 16. ℙ Aliud in Mesopotamia, postea Edessa dictum. *Id.* 5, 24. ℙ Et aliud, Mesopotamiae, in Mygdonia, quod et Nisibis, hodie *Nisibin*; *id.* 6, 13. ℙ Fuit et Caesarea, Pisidiae urbs primaria, Antiochia appellata. *Plin.* 5, 27. Cf. *Act. Apost.* 13, 14. ℙ Macedoniae opp., cujus incolae Antiochenses dicti a *Plin.* 4, 10. ℙ Syriae urbs, in Commagena. Antiochia ad Taurum dicta, cujus meminit *Ptol.* De ea fortasse *Plin.* 5, 24. ℙ Syriae provincia, dicta Syria Antiochia et Antiochene (ex Antiochia ad Orontem urbe ibi sita), et Seleucis. *Plin.* 5. 12. *Mela* 1, 11. et 12. *extr.* ℙ Denique insula fuit Antiochia in Propontide. *Tab. Peut.*] ℙ Scribi potest et *Antiochēa*, ut etiam *Prisc.* monet 2. p. 588., quemadmodum *Alexandria* et *Alexandrea.* ℙ Graece etiam Ἀντιοχία per ι scriptum legitur.]

ANTĬOCHIENSIS, e, adj. ad Antiochiam Macedoniae pertinens: cujus populi Antiochienses dicuntur a *Plin.* 4, 10, 17.

ANTĬOCHĪNUS, a, um, adj. Antiochius. In Fast. Capitol. ap. *Grut.* 293. Bellum Antiochinum. *Cic. Fam.* 9, 8. Tibi dedi partes Antiochinas. Al. leg. *Antiochianas*, alii *Antiochenas.* [*Illud bene habet. Est autem intelligendus Antiochus Ascalonita, auctor Academiae quintae, quae ad Stoicorum rationem propius accedebat. Ita *Matth.* ad h. l.]

*ANTIOCHIS, idis, f. Ἀντιοχίς, quae ad Antiochum pertinent. *Plin.* 2, 67. Antiochidis pars terrae. *B. A.*

ANTĬOCHĪUS, a, um, adj. ad Antiochum, vel Antiochiam pertinens. Ἀντιόχειος. *Cic. Ac.* 4, 22. *de Antiocho phil.* Ut ii, qui se sequerentur, Antiochii vocarentur. *Syria Antiochia* dicta est illa Syriae pars, in qua Antiochia sita est. *Mela* 1, 12. Reliqua pars Syriae, cui Antiochiae cognomen additur. *Plin.* 5, 21, 18. Promontorium Syriae Antiochiae.

ANTĬOCHUS, i, m. nomen multorum Syriae regum, [*quos breviter hic recensemus: Antiochus I. Soter, Seleuci filius, ejusque nominis primus. *Val. Max.* 5, 7. *Justin.* 36. et 38. ℙ Antiochus Magnus, Syriae rex, Hannibalem recipit, postea, a L. Scipione devictus, intra Taurum regnare jubetur, Asia, qua ille muletabatur, Attalo donato. *Cic. Or.* 2, 18. *Id. Verr.* 1, 21. et *Sext.* 27. et *Dejot.* 13. *Nep. Han.* 2. et 7. sqq. *Liv.* 31, 14. 33, 13. sqq. et 35, 13. sqq. ℙ Antiochus Epiphanes, Magni filius, post Seleucum fratrem regnavit annos duodecim; a Popilio jubetur abscedere Alexandria. *Liv.* 45, 12. *Cic. Phil.* 8, 7. *August. Civ. Dei* 17, 8. ℙ Antiochus Asiaticus, Antiochi X. Pii et Selenes filius, Seleuci Cybiosactis frater, per Siciliam transiens, a Verre expilatur. *Cic. Verr.* 4, 27. Huic Pompejus regnum Syriae ademit et solam Commagenen cum particula Mesopotamiae reliquit, unde Rex Commagenus appellabatur. *Cic. Fam.* 15, 1. *post init. Caes. B. C.* 3, 4. ℙ Antiochus cognomine Eupator patri Antiocho Epiphani successit. *Justin.* 34. ℙ De Antiocho, Grypho cognomine, a naso aquilino scilicet. V. *Justin.* 39. ℙ Antiochum XIII. commemorat *Id.* 13, 21. ℙ Antiochus, vetustis opibus ingens et inservientium Romanis regum ditissimus, Vespasiani partibus accessit. *Tac. H.* 2, 81. ℙ Item nomen philosophi Ascalonitae ex secta veteris Academiae, qui Ciceronem et Brutum auditores habuit. *Cic. Ac.* 4, 43. *N. D.* 1, 3. et *Brut.* 91. ℙ Fuit et Antiochus litteratus T. Pomponii Attici servus, de quo *Cic. Fam.* 13, 33. ℙ Antiochus Gabinius, libertus Gabinii. *Id. Att.* 4, 16. ℙ Item alius libertus. *Id. Flacc.* 36. ℙ Et servi nomen. *Id. Caec.* 8. ℙ Item insignis comoedus, de quo *Juv. sat.* 3. p. 98. ℙ Et tonsor quidam apud *Martial.* 11, 85. *B. A.*]

ANTĬOPĂ, ae, f. Ἀντιόπη, Nyctaei filia et uxor Lyci Thebanorum regis. Hanc cum Juppiter in satyrum mutatus compressisset, Lycus repudiavit, uxoremque Dircem superinduxit, quae Antiopam in carcerem conjecit. Verum instante partus tempore, illa ruptis vinculis in Cithaeronem montem

se recepit, ubi Amphionem et Zethum peperit, qui a pastoribus inventi et educati, maternae injuriae ultores exstiterunt, Lyco cum Dirce uxore interfecto. Qua de re est Pacuvii tragoedia. *Pers.* 1, 77. Sunt, quos Pacuvius et verrucosa moretur Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta. [*Cf. *Cic. Fin.* 1, 2.] ℙ Alia fuit Antiopa Aeoli filia, ex qua Neptunus duos genuit filios Boeotum et Hellen. *Hyg. fab.* 157. ℙ Item alia filia Martis, una ex Amazonibus, quam Hercules cum bello captivam fecisset, Theseo donavit, qui in matrimonium quidem duxit, sed postea Apollinis oraculo monitus interfecit. *Hyg. fab.* 30. et 241. ℙ [*Fuit etiam Antiopa uxor Pieri, mater Pieridum. *Cic. N. D.* 3, 21. *B. A.*]

ANTĬOS, id est excruciatos, ait *Festus.* Sed *Scaliger* contendit legendum *anctos* (tanquam participium passivum ab *ango*). Nam in veteri Glossario haberi: Antos ἀναγκασθέντας: Ancti: ἀγχόμενοι. ℙ [Est quoque cognomen Romanum ab *ἄντίος*, adversus. *Inscr.* ap. *Grut.* 640, 7. L. Valerius L. L. Antios. *F.*]

ANTĬPAGMENTUM. V. ANTEPAGMENTUM.

*ANTĬPĀTER, atri, m. Ἀντίπατρος, Joali filius, miles Philippi, deinde inter Alexandri M. duces, et regni successores, discipulus et ipse Aristotelis, Cassandri pater. *Justin.* 11, 7. et 12. 13, 5. etc. *Cic. Off.* 2, 14. *Curt.* 6. et seqq. ℙ Item alius, Cassandri filius, Macedoniae rex, gener Lysimachi. *Justin.* 16. ℙ Item e cohorte nobilium puerorum Alexandri M. conjurationis in regem Hermolao particeps. *Curt.* 8, 6. ℙ Item philosophus Cyrenaicus, oculis captus. *Cic. Tusc.* 5, 36. ℙ Fuit et Antipater philosophus ac poeta Sidonius, de quo *Cic. Or.* 3, 50. et *de Fato* 3. Adde *Quint.* 10, 7. ℙ Item Tarsensis, Stoicus, Diogenis Babylonii discipulus. *Cic. Off.* 3, 12. *Id. Div.* 1, 3. et 20. et 2, 15. *Id. Acad.* 4, 6. ℙ Et Tyrius philosophus, Ciceronis aequalis. *Id. Off.* 2, 24. ℙ Hi tres Antipatri (ait *Ernestus*) saepe a doctissimis hominibus permiscentur. ℙ Fuit et L. Coelius Antipater, scriptor luculentus, juris civilis peritus, L. Crassi oratoris familiaris. *Cic. Leg.* 1, 2. *Id. Or.* 2, 12. et *Brut.* 26. *Val. Max.* 1, 7. V. s. v. COELIUS et *Voss.* de *Hist. Lat.* 1, 8. ℙ Antipater Derbetes familiaris fuit Ciceronis. *Cic. Fam.* 13, 73. ℙ De Antipatro, nobili toreuta, V. *Plin.* 33, 12. *B. A.*

ANTĬPĀTHES, ἀντιπαθής, lapis est nigri coloris, nec translucens, qui fascinationibus resistere dicitur. *Plin.* 37, 10, 54. et *Lael. carm.* ap. *Appul. Apolog.* p. 294, 10. ℙ Apud *Plin. l. c.* est gen. fem., quia est quasi adjectivum nominis *gemma;* apud *Appul. l. c.* est gen. neutr., quia cum philtro componitur. Philtra omnia undique eruunt, Antipathes illud quaeritur.

ANTĬPĀTHĬA, ae, f. ἀντιπάθεια, dissidium, et discordia naturalis quarundam rerum inter se, qualis est inter aquam et ignem, inter feles et mures, etc.: ab ἀντὶ, contra, et πάθος, passio, affectus. Huic opponitur συμπάθεια. *Plin* 37, 4, 15. De discordia rerum, concordiaque, quam antipathiam et sympathiam appellavere Graeci, etc. *Id.* 34, 15, 43. Ferrum a rubigine vindicatur cerussa, et gypso, et liquida pice. Haec est temperatura, a Graecis antipathia dicta. Sic 20, 4, 13. Ubi acrior raphani medicina admota sit, hyssopum dari protinus imperant: haec antipathia est. *Id.* 24, 9, 41. Antipathia myrices contra lienem.

*ANTĬPATRIA, ae, Illyridis vel Macedoniae oppidum. *Liv.* 31, 27. *B. A.*

ANTĬPHĀTES, ae, m. Ἀντιφάτης, rex Laestrygonum crudelissimus, qui hospites mactabat, et comedebat; cujus meminit *Ov. Met.* 14, 234. et alibi. Hinc *Sidon. carm.* 22, 1. Bistonii stabulum regis, Busiridis aras, Antiphatae mensas, et Taurica regna Thoantis, etc. *Juven.* 14, 20. Antiphates trepidi Laris, ac Polyphemus. ℙ Alius fuit Antiphates filius nothus Sarpedonis, occisus a Turno. *Virg. A.* 9, 696.

*ANTĬPHELLOS vel Antiphellus, i, oppidum Lyciae. *Plin.* 25, 27. *B. A.*

ANTĬPHERNĀ, orum, n. plur. τὰ ἀντίφερνα, bona, quae a marito loco dotis uxori donantur: ab ἀντὶ, contra, et φερνὴ, dos. *Imp. Justin. Cod.* 5, 3, 20. Quasi antipherna haec possunt intelligi, et non simplex donatio.

[ANTĬPHĬLUS, i, m. fuit nobilis pictor, Apellis aemulus. *Plin.* 35, 10. *Quint.* 12, 10. ℙ Item alius pictor apud *Plin.* 35, 11. *B. A.* ℙ Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 790, 7. C. Julius Antiphilus. *F.*]

*ANTĬPHON, ontis, Ἀντιφῶν, Rhamnusius, Socratis aequalis, sophista. Ab hoc boni rhetores dicti *Rhamnusii. Cic. Brut.* 12. *Quint.* 3, 1. et 12, 10. ℙ Antiphon, servus, histrio, apud *Cic. Att.* 4, 15. ℙ Item nomen comicum. *Id. Or.* 2, 59. ℙ Fuit et Antiphon, conjector quidam somniorum, ὀνειροκρίτης, qui libros scripsit de interpretatione somniorum. *Cic. Div.* 1, 20. et 51. et 2, 70. *B. A.*

[ANTĬPHONĀ, ae, f. ἀντιφώνη. *Isid. Or.* 6, 19. Antiphona ex Graeco interpretatur vox reciproca, duobus scilicet choris alternatim psallentibus ordine commutato, sive de uno ad unum, quod genus psallendi Graeci invenisse traduntur. De Antiphonarum origine et progressu V. *Ducange Glossar.* in V. *Antiphona.*

ANTĬPHRĀSIS, is, f. ἀντίφρασις, dictio, quae vi etymologiae contrarium significat, ut si dicas, *Parcas* derivari a *parco*, quia minime parcunt; *lucum* dici, quia minime *luceat; bellum*, quia minime *bellum; Eumenides* ita appellari, quia sunt minime benevolae, etc. Quae tamen omnia inepta sunt. *Hieron. ep.* 62. *adv. Jo. Hierosol.* 3. Ne per antiphrasim a suo homine discrepare videantur. ℙ Est etiam antiphrasis, ἀντίφρασις, inter species ironiae ap. *Quint.* 8, 6., qui tamen Gr. usurpat. Est etiam Gr. vox, et Gr. scribenda ab ἀντὶ, contra, et φράζω, dico, loquor.

ANTĬPODES, odum, m. plur. ἀντίποδες, ἀντίχθονες, populi, qui habitant in parte terrae nobis opposita et subjecta: ab ἀντὶ, contra, et ποῦς, ποδὸς, pes, quia adversis vestigiis stare videntur contra nostra vestigia, ut ait *Cic. Ac.* 4, 39. Ex veteribus nonnulli putarunt *antipodes* esse figmentum, ut videre licet apud *Plut. in lib.* περὶ τοῦ ἐμφαινομένου προσώπου τῷ κύκλῳ τῆς σελήνης. *Lact.* 3, 23., *August. Civ. Dei* 16, 9., *Lucr.* 1. *sub f.* et *Plin.* 2, 65, 65. Nunc tamen adeo certum est, esse antipodes, ut nullus sit ambigendi relictus locus. *Cic. l. c.* Nonne dicitis esse e regione nobis, e contraria parte terrae, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos antipodas vocatis? ℙ [*Item homines pedibus supinis sive in capite stantes. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3, 31. Cum his homines senis manibus portentuosi: immo antipodes etiam, etc. ubi cod. habet antopodes. *B. A.*] ℙ Festive *Seneca* sic appellat luxuriosos homines, qui noctu potant, interdiu dormiunt, tanquam si in adverso nobis orbe starent, ubi cum apud nos dies est, tenebrae sunt. Ejus verba sunt *epist.* 122. Sunt quidam in eadem urbe antipodes, qui ut M. Cato ait, nec orientem unquam solem viderunt, nec occidentem. ℙ V. ANTICHTHONES.

ANTĬPOLIS, is, f. nunc *Antibes*, urbs in Gallia Narbon. cum portu, quam Latinum oppidum appellat *Plin.* 3, 4, 5., quia Latii jure donatum fuit. Adde *Melam* 2, 5. ℙ *Antipolis* etiam dictum est vetus oppidum Latii eo loco situm, ubi postea Janiculum, quia erat ex adverso urbis Saturniae ultra Tiberim conditae. *Plin.* 3, 5, 9.

ANTĬPOLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Antipolim pertinens, ut *Antipolitani thynni*, qui scilicet capiuntur in mari circa Antipolim, ex quibus muria conficiebatur. *Martial.* 13, 103. *de muria.* Antipolitani, fateor, sum filia thynni: Essem si scombri, non tibi missa forem. Adde 4, 89.

ANTIPTOSIS, is, f. ἀντίπτωσις, figura est Grammaticorum, qua casus pro casu ponitur: ut in illo *Virg. A.* 10, 653. *conjuncta crepidine*, pro *crepidini.* Et *ib.* 11, 56. *nec sospite dirum Optabis nato funus pater*, pro *sospiti*, etc. Vox Gr. est ab ἀντὶ, contra, et πίπτω, cado; quam tamen Latinis litteris scribit *Serv.* ad loca *Virg.* citata et alibi.

ANTĬQUĀRĬA, ae, f. mulier rerum antiquarum studiosa, et praecipue quae delectatur antiquis scriptoribus. *Juven.* 6, 451. odi Hanc ego, quae repetit volvitque Palaemonis artem, Servata semper lege et ratione loquendi; Ignotosque mihi tenet antiquaria versus.

*ANTĬQUARĬA, ae, oppidum Hispaniae Baeticae. *Anton. Itin.* Hodie est *Antequera. B. A.*

ANTĬQUĀRĬUS, ii, m. φιλάρχαιος, qui est antiquitatis studiosus, maxime in verbis et sermone, et antiquos scriptores aliis antefert. *Auct. Dial. de Or.* 21. Nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Coelium ex ea parte laudet, qua antiquus est. Adde 42. et *Suet. Aug.* 86. [*h. l. opp. cacozeli.] ℙ Item librarius, qui codices vetustos describit, παλαιογνώστης, ἀρχαιογράφος, καλλιγράφος. *Edict. Diocl.* p. 22. Librario, sive antiquario in singulis discipulis menstruos X quinquaginta. *Isid. Or.* 6, 14. Librarii iidem et antiquarii vocantur: sed librarii sunt, qui et nova et vetera scribunt, antiquarii, qui tantummodo vetera, unde et nomen sumpserunt. *Imppp. Valent., Valens et Grat. Cod. Theod.* 4, 8, 2. Antiquarios ad bibliothecae codices componendos, vel pro vetustate reparandos, quatuor Graecos, et tres Latinos scribendi peritos legi jubemus. *Imp. Leo Cod.* 12, 19, 10. Antiquarios, qui habentur in scriniis memoriae, etc. *Auson. ep.* 16. *ad Prob.* Oblata per antiquarios mora. Adde *August. serm.* 44, 3., ubi *antiquarium* generatim sumit pro exscriptore, seu amanuensi, scribendi perito. Quo pacto etiam *Sidon.* usurpat *ep.* 9, 16.

ANTĬQUĀRĬUS, a, um, adj. *Antiquaria ars* est qua scite et docte antiqui codices leguntur, recensentur et describuntur: quod qui faciunt, *antiquarii* nominantur. *Hieron. ep. ad Flor.* 5, 1. Habeo alumnos, qui antiquariae arti serviant.

ANTĬQUĀTIO, onis, f. actus antiquandi. *Imppp. Gratian., Valent. et Theod. Cod.* 6, 55, 4. Infamiae abolitionem permittimus, et ceterarum poenarum antiquationem.

ANTĬQUĀTUS, a, um, part. v. *antiquo*, antiquando sublatus. *Liv.* 5, 55. Antiquata lex. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 8, 10. *l.* 5. Antiquatum edictum.

ANTĬQUĒ, adv. παλαιῶς, antiquorum more. *Tac. G.* 5. Proximi, ob usum commerciorum, aurum et argentum in pretio habent: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur, *h. e.* magis secundum antiquos, atque incorruptos hominum mores; atque adeo justius, sanctius. *Lucil.* ap. *Non.* 5, 17. Quanto antiquiu', quam facere hoc, fecisse videris, *h. e.* quanto melius. Al. aliter leg. ℙ Pro olim, antiquitus, πάλαι. *Solin.* 11. *ante med.* Titanas in ea antiquissime regnasse, ostendunt ritus religionum.

ANTĬQUĪTĀS, ātis, f. ἀρχαιομὸς, vetustas, antiquum tempus. *Cic. Fin.* 1, 20. Fabulae ab ultima antiquitate repetitae. [*Id. Div.* 2, 33. errabat enim multis in rebus *antiquitas*, quam vel usu jam, vel doctrina, vel *vetustate* immutatam videmus, in quo loco *antiquitas* vulgari sensu intelligendum, vetustas autem est i. q. longinquitas temporis. Sic *Hand.* ad *Wopk. lectt. Tull.* p. 209. (1. II. c. V.)] *Cic. Font.* 14. Antiquitas generis. *Suet. Ner.* 38. Quidquid visendum, atque memorabile ex antiquitate duraverat. *Nep. Att.* 20. Requirere aliquid ab aliquo de antiquitate, *h. e.* de rebus antiquis. [*Id. ib.* 18, 1. antiquitatis amator, i. e. rerum ant., historiae. Comparat *Brem. Cic. Or.* 1, 5. Adde *Brut.* 59, 214. memoriam antiquitatis colligere. *Ellendt.* explicat *ib.* quid sit *iter antiquitatis* ap. *Cic. Or.* 1, 60, (256.) i. e. quod instituitur per antiquitatem quasi peregrinantibus.] *Tac. A.* 6, 21. Antiquitas obscura. [*Cic. Or.* 50. habet autem ut in aetatibus auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas.] *Id. ib.* 14, 20. Antiquitas spectaculorum. *Id. ib.* 4, 16. Quaedam ex horrida illa antiquitate ad praesentem usum flectere. ℙ Pro ipsis hominibus antiquis. *Cic. Leg.* 2, 11. Antiquitas proxime accedit ad Deos. *Plin.* 12, 19, 42. Fabulose narravit antiquitas. *Id.* 19, 4, 19. *n.* 1. Antiquitas nihil prius mirata est, quam, etc. Adde *Curt.* 7, 3. ℙ *Antiquitates* nonnunquam sumuntur pro historia rerum antiquarum. Nam multi scriptores libros suos, in quibus antiquas res persequebantur, *Antiquitates* inscribere soliti sunt, ut *Plin. praef. H. N.* docet. *Gell.* 5, 13. Hujus moris multa sunt testimonia in antiquitatibus perscripta. *Id.* 11, 1. Varro in antiquitatibus rerum humanarum scripsit, etc. *Atejus Capito* apud *eund.* 13, 12. In antiquitatibus Romanis legisset. ℙ Porro quia antiqui incorruptis ac simplicissimis moribus fuisse creduntur, hinc interdum *antiquitas* sumitur pro antiquis moribus, vitae bonitate, ac simplicitate. *Cic. Rabir. Post.* 10. P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, prudentiae, *sanctitatis* quidam leg., sed minus recte. [*Id. Sext.* 3. gravissimae antiquitatis vir.] Huc refer, quod Noster sejunxerat. *Cic. Planc.* 18. Haec enim plena sunt officii, plena observantiae, plena etiam antiquitatis. *Plin. ep.* 5, 15. Cornuto quid melius, quid sanctius, quid in omni genere laudis ad exemplar antiquitatis expressius? *Sall. fr.* ap. *Serv.* ad *G.* 2, 209. Tantum antiquitatis, curaeque majoribus pro Italica gente fuit. Est qui mallet *anxietatis.* [*Forc.* h. l. explicat cum *Serv.* per *caritatem*, *amorem.* Sed idem est quod in antecedentibus exemplis. V. *Cort.* l. l. p. 1003. *Gron.* ad *Liv.* 1, 32. dictum vult pro: tantum antiquae et primae curae, per ἐν δὰ δνοῖν, quod idem non necesse est.]

ANTĬQUĪTUS, adv. ἀρχαίως, πάλαι, olim, tempore antiquorum. *Caes. B. G.* 2, 4. Belgas ortos esse a Germanis, Rhenumque antiquitus transductos. *Id. ib.* 7, 32. Cum singuli magistratus antiquitus creari, atque regiam potestatem annum obtinere consuessent. *Nep. Att.* 13. Tectum antiquitus constitutum. *Plin.* 18, 18, 47. Credo antiquitus factitatum. *Id. Pan.* 31. Percrebuerat antiquitus, urbem nostram, nisi opibus Aegypti, ali non posse. *Id. ib.* 82. Jam inde antiquitus. ℙ Dicitur interdum de non multum antiquo tempore. *Caes. B. C.* 2, 22. Panico vetere, atque hordeo corrupto alebantur, quod ad hujusmodi casus antiquitus paratum, in publicum contulerant.

ANTĬQUO, as, avi, atum, a. 1. παλαιόω, proprie significat *in morem pristinum reducere*, ut *Festus* exponit. Itaque *antiquare rogationem*, aut *legem* est eam omnino tollere, et rem, de qua ferebatur, in pristino et antiquo statu, nihil innovando, relinquere. V. ABROGO. V. etiam initium hujus Operis in A littera. *Cic. Leg.* 3, 17. Vos demum, ut video, legem antiquastis sine tabella. *Id. Off.* 2, 21. Cum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facile passus est. *Id. Att.* 1, 13. et 14. Antiquare rogationem.

ANTĬQUUS, a, um, adj. ἀρχαῖος, priscus, vetus, multi temporis: ab *ante.* Differunt tamen, si proprie loquamur, *antiquus*, et *vetus:* nam, ut *Manut.* ad *Cic. Fam.* 11, 21. observat, *antiquus* opponitur novo, *vetus* recenti. Praeterea *antiquus* dicitur, qui, ut docet *Corn. Fronto Differ. vocab.* p. 2192., supra nostra tempora est: *vetus*, qui jam

habet aetatem, sed quae tamen et in nostra tempora incidere potest, quo modo dicimus *vetus vinum*, *calceus*, etc. Quare *antiquus* longius tempus significat. [*Distinctius etiam explicavit *Lindem.* ad *Pl. Mil.* 3, 1, 156. Antiqua, inq., sunt, quae *ante* fuerunt; vetera, quae *diu* fuerunt; *nova*, quae ante non fuerunt, quae nunc primum proveniunt; *recentia*, quae non diu exstiterunt, adhuc novitatis specie se commendant. — Quare *antiquus* quum de moribus dicitur, in laude poni potest; *vetus* etiam in vitio, est enim i. q. inveteratus. Sic *Pl. l. l.* Quin tu istanc orationem hinc veterem (i. e. quali olim utebantur) amoves? Cf. *Lindem.* etiam ad *Capt.* 1, 2, 29. *Trin.* 2, 2, 106. De reliquis synonymis V. suo loco. De *priscus* et *vetus Ruhnk.* ad *Vell.* 1, 16, 3.] Porro cf. *Pl. Pers.* 1, 2, 1. Veterem atque antiquum quaestum meum alimoniae servo atque obtineo. Et *Most.* 2, 2, 45. Scelus jamdiu antiquum et vetus, etc. [*Cf. *Popma* ad h. l.] Haec tamen discrimina non semper a scriptoribus servantur. [*Primum autem significat antiquus i. q. prior, anterior, ac dicitur de iis, quae ante vel fuerunt vel facta sunt. *Cic. Rab. perd.* 9. Causa antiquior memoria tua. *Id. Att.* 9, 9. Tres epistolas tuas accepi. Igitur antiquissimae cuique respondeo, [*paucis diebus ante scripta erat. De brevi tempore saepe dici docet *Burm.* ad *Virg. A.* 4, 458.] *Id. Q. Fr.* 3, 1, 3. Antiquior dies in tuis erat adscripta litteris, quam in Caesaris. [**Lucan.* 6, 722. carcer antiquus in quo anima ante fuit, i. e. pristinus. Cf. *Burm.* ad *Val. Fl.* 8, 9. antiquus somnus.] Hinc comparativus *antiquius* est i. q. *prius*. *Colum.* 2, 2. Est antiquius facere agrum quam colere. — Ac de hominibus quum dicitur, sunt ii, qui ante nostra tempora vixerunt. *Hor. Sat.* 2, 2, 89. Rancidum aprum antiqui laudabant. *Id. ib.* 1, 4, 117. Traditum ab antiquis morem servare. [**Cic. Leg.* 1, 21, 55. antiqui (philosophi) simpliciter appellantur veteris Academiae philosophi. Cf. *Goer.* ad *Cic. Fin.* 2, 12, 35 Apud *Eund. Brut.* 30, 116. opp. Stoici etantiqui oratores; de quo l. cf. *Ern.*] ℙ Hinc apud poetas passim *antiqui* iidem sunt qui *senes*. *Virg. A.* 9, 646. forma tum vertitur oris Antiquum in Buten. *Ulp. Dig.* 50, 3, 1. Inter duumvirales antiquissimus quisque prior. ℙ Porro huc refer formulam *Facere in antiquum* apud *Liv.* 33, 40. *extr.* est in pristinum statum restituere. V. integrum loc. (Quod autem Noster laudavit *antiquum* adverbialiter positum pro *olim Ov. Fast.* 1, 641. Furius antiquum populi superator Etrusci Voverat et voti solverat ante fidem; — ibi in recentioribus edd. legitur *antiquam — fidem.*) ℙ Quare etiam latiori sensu est i. q. praeteritus, transactus. *Ov. Trist.* 3, 12, 2. Longior antiquis visa Maeotis hiems. *Id. Pont.* 1, 5, 37. Saucius ejurat pugnam gladiator: et idem Immemor antiqui vulneris, arma capit. *Val. Fl.* 2, 394. planctusque per omnes It facies antiqua domos. *Luc.* 6, 721. invisaque claustra timentem Carceris antiqui. ℙ Secundo loco est antiquus i. q. *ex longo* tempore fuit vel factum est. *Cic. Verr.* 1, 2, 5. statua antiquo artificio facta. *Hor. Sat.* 2, 2, 104. antiqua templa Deum. *Nep. Dat.* 2. antiquo genere natus. *Hor. ep.* 2, 1, 28. antiquissima scripta. [**Virg. A.* 12, 897. Saxum, h. e. quod ex longo tempore aliquo loco jacuit.] ℙ Eleganter *antiquus* dicitur de moribus, quibus homo jamdiu imbutus est et assuetus. *Ter. Her.* 5, 4, 20. Tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines, Ut unus hominum homo te vivat nusquam quisquam blandior. *Id. Heaut.* 3, 1, 26. Ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta sit. *Id. Andr.* 4, 5, 22. Optime hospes Crito, antiquum obtines. *Pl. Most.* 3, 2, 102. Antiquum hoc obtines tuum, tardus ut sis. ℙ Ex antiquitate fere nobilitas et dignitas rebus accedit. Hinc *antiquus* nonnunquam est idem ac nobilis. *Virg. A.* 1, 535. et *ib.* 3. 164. Terra antiqua potens armis, atque ubere glebae. *Id. ib.* 12, 540. Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe. Sic *antiquior*, prior, dignior. *Gell.* 5, 13. Massurius Sabinus antiquiorem locum hospiti tribuit, quam clienti. ℙ Quia vero quae antiqua sunt, meliora esse creduntur, et antiqui homines melioribus, simplicioribus sanctioribusque moribus fuisse videntur, factum est, ut *antiquus* in bonam partem sumatur, et sit idem ac bonus, ingenuus, simplex, integer. *Cic. Rosc. Am.* 10. In qua muliere etiam nunc vestigia antiqui officii remanent. *Id. Quint.* 18. Antiquam officii rationem diligere. *Ter. Ad.* 3, 4, 18. Homo antiqua virtute ac fide. *Plin. ep.* 10, 9. Victoria maxima, pulcherrima, antiquissima, *h. e.* memoranda, et similis antiquarum, quotquot celeberrimae sunt. *Id. ib.* 2, 11. Hoc ipsum pulcrum et antiquum, senatum nocte dimitti, etc., *h. e.* conforme antiquae laudabili consuetudini. Eodem modo locutus est *Pan.* 76. ℙ Hoc modo *antiquus homo* dicitur, qui est probis moribus, ingenua natura, multa, et interdum etiam nimia simplicitate. *Cic. Rosc. Am.* 9. Homines antiqui, qui ex sua natura ceteros fingerent, cum ille confirmaret et appromitteret, crediderunt. *Id. Att.* 9, 15. Vide, quam sim antiquorum hominum: te hanc rem gravius putavi laturum esse, quam me. *Plin. ep.* 2, 9. Vir sanctus, antiquus, disertus. ℙ *Antiquior*, potior, carior, melior, et qui magis curae est, aut aestimatur: et *antiquissimus*, carissimus, potissimus. *Cic. Fam.* 11, 5. Nec habui quidquam antiquius, quam ut Pansam statim convenirem. *Id. Q. Fr.* 2, 1. Judiciorum causam suscepit, antiquissimamque se habiturum dixit. *Id. Phil.* 13, 3. Praecipit, ne quid ita existimem antiquius. *Id. Att.* 7, 3. Ne dubitaris, quin quod honestius, id mihi futurum sit antiquius. *Id. Div.* 2, 37. Antiquior ei fuit laus et gloria, quam regnum. *Id. Att.* 10, 8. Navalis apparatus ei semper antiquissima cura fuit. *Id. ib.* 12, 5. De Tullia mea tibi antiquissimum esse video: idque ita ut sit, te vehementer rogo. *Liv.* 1, 32. Longe antiquissimum ratus sacra publica, ut ab Numa instituta erant, facere. *Suet. Cl.* 11. Nihil antiquius duxit, quam ut, etc. ℙ Olim scriptum est etiam *anticus*.

ANTIRRHĪNON. V. ANARRHINON.

*ANTIRRHĪUM, i, Ἀντίῤῥιον ἄκρον, promontorium Achaiae, seu Aetoliae, contra Rhium promontorium. *Plin.* 2, 90. et 4, 2. Hodie est *S. Andrea. B. A.*

ANTĪSĂGOGĒ, es, f. ἀντεισαγωγή, hoc est contraria inductio: ab ἀντὶ, contra, et εἰσάγω, induco infero. Est hoc nomine rhetorica figura, cum ex una re aliud, quam exspectari posse videatur, inferimus, ut Cicero de rege Ptolemaeo. Difficilis ratio belli gerendi: at plena fidei, plena pietatis. Haec *Capell.* 5. p. 172.

ANTĪSCĪI, orum, m. plur. ἀντίσκιοι, populi circa circulum aequinoctialem habitantes, qui aliquo anni tempore umbras solis meridianas nostris contrarias habent: ab ἀντὶ, contra, et σκιά, umbra. *Ammian.* 22, 15. *extr.* Sicut apud Meroen Aethiopiae partem, aequinoctiali circulo proximam dicitur evenire, ubi per nonaginta dies umbrae nostris in contrarium cadunt: unde antiscios ejus incolas vocant. *Plin.* 2, 74, 76. eadem loquendi forma utitur, sed vocem *antiscii* non usurpat.

ANTĪSCORODON, n. ἀντισκόροδον, ita appellatur a Graecis genus quoddam allii, quod Latine *ulpicum* dicitur. *Plin.* 19, 6, 34. A *Colum.* 11, 3. dicitur ἀφροσκόροδον, et allium Punicum.

ANTĪSIGMA, ātis, n. ἀντίσιγμα, ab ἀντὶ, contra, et σῖγμα, nota, quam Claudius Caesar in scribendo adhiberi volebat pro *ps*, hac figura Ↄ, ita dicta quia constat duobus SS (qui olim ad figuram C accedebant apud Graecos) contra invicem positis: quem tamen imitatus est nemo. *Prisc.* 1. p. 558. ℙ Est etiam inter notas criticas, conversum nempe sigma, sic ⊃. *Isid. Or.* 1, 20. Antisigma ponitur ad eos versus, quorum ordo permutandus est, sic et in antiquis auctoribus positum invenitur. *Id. ib.* ⊃ antisigma cum puncto ponitur in iis locis, ubi in eodem sensu duplices versus sunt, et dubitatur, qui potius eligendus sit.

*ANTISIODORUM, i, oppidum Galliae Aquitanicae, hodie *Auxerre*. Rectius (ait *Schellerus*) dicitur Antesiodorum, et sic habent *Anton. Itin.* et *Tab. Peut. Ammian.* 16, 2. Antosidorum appellat. *B. A.*

ANTĪSOPHISTĂ, ae, m. ἀντισοφιστής. Antisophistae dicuntur, qui contraria invicem asserunt, et se mutuo oppugnant: ab ἀντὶ, contra, et σοφιστής, sophista. [*Sed, ut *Brem.* ad *Suet.* l. l. observat, *sophistae* hac aetate dicuntur, qui vulgo *Grammatici* dicuntur.] *Suet. Tib.* 11. Moto inter antisophistas graviore jurgio. *Id. Gr.* 9. Fuit naturae acerbae in antisophistas. Adde *Quint.* 11, 3.

ANTĪSPASTĪCUS, a, um, adj. ἀντισπαστικός, *Antispasticum metrum* est, quod constat pedibus antispastis praecipue; nam et alios pedes admittit. Plura autem sunt hujus metri genera, quae vide apud *Diomed.* 3. p. 505., et alios grammaticos.

ANTĪSPASTUS, i, m. unus est ex pedibus metricis duplicibus, constans ex iambo, et trochaeo, hoc est brevi, duabus longis et brevi, ut *Medullina*, *Saloninus*. Ita *Diomed.* 3. p. 478. Inde dictus videtur, quia quodammodo in diversum, seu contrarium trahit tempora syllabarum, cum ejus prima, et ultima breves sint, mediae duae longae: ab ἀντὶ, contra, et σπάω, traho.

ANTĪSPODOS, i, m. ἀντίσποδος, cinis, qui vicem legitimi spodii, eo deficiente, supplet, et quo verum spodium adulterari solet, ab ἀντὶ, pro, vice. *Plin.* 34, 13, 35.

*ANTĪSSA, ae, Ἄντισσα, oppidum in Lesbo, in boreali parte insulae, hodie *Petra*. *Liv.* 45, 31. *Plin.* 5, 31. *Ov. Met.* 15, 287. *B. A.*

[ANTĪSSAEUS, a, um, adj. ad Antissam pertinens, in cujus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 2. p. 501. *ANTIΣ. Antissei, orum* sunt incolae illius urbis. *Liv.* 45, 31. Ad traducendos Methymnam Antissaeos Labeonem miserunt. *F.*]

ANTĪSTĀTUS, us, m. excellentia: ab *antisto, as. Tert. adv. Valent.* 13. Angelorum comparaticius antistatus.

ANTĪSTES, istĭtis, m. et f. προστάτης, qui ante alios stat, qui aliis praeest et imperat. *Colum.* 3, 21. Vindemiatoribus singulis totidem antistites dare, qui observent, quique praecipiant, ne acerbae uvae cum maturis demetantur. [*Male olim h. l. nonnulli habebant *antistitores*.] *Tert. Apol.* 1. Antistites imperii Romani. *Id. Pall.* 4. *ad f.* Antistes latrinarum, *h. e.* femina, quae meretricibus in lupanari prostantibus praeest. *Catull.* 9, 1. Veranni, omnibus e meis amicis Antistes mihi millibus trecentis, *h. e.* qui omnibus aliis antistas in mea amicitia. Alii rectius leg. *antistans*. V. ANTESTO. ℙ Frequentissime dicitur de iis, qui sacris praesunt, et in templis sacrificia, aliosque religiosos ritus administrant. *Cic. Dom.* 39. Vos qui estis antistites caerimoniarum et sacrorum. *Id. ib.* 1. Antistes Deorum immortalium. *Nep. Lys.* 3. Antistites Jovis. *Liv.* 23, 11. templi. *Cic. Div.* 2, 54. *ad f.* Cum antistitibus agamus. ℙ In feminino genere. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 1. Ne Deae vetusti ritus perita deesset antistes. *Tert. Cultu fem.* 1. Templi aeditua et antistes pudicitia. V. *Eund.* supra. ℙ Apud Christianos Scriptores *Antistes* idem est qui Episcopus, ut videre est apud *Justin. Cod.* 1. 3. 18. 22. 25. et alibi. ℙ Eleganter *antistes* dicitur, qui in aliqua facultate excellens, ejus veluti sacra et arcana omnia novit, eamque rite colit et administrat. *Cic. Or.* 2, 46. Artis dicendi antistes. *Ov. Trist.* 3, 14, 1. Cultor et antistes doctorum sancte virorum. *Plin.* 7, 30, 31. Plato sapientiae antistes. *Quint.* 11, 1. Antistes juris. *Id. decl.* 8, 9. medicae artis. *Lactant.* 5, 2. philosophiae. *Colum.* 11, 1. Antistites artium. *Gell.* 14, 4. Judex, qui est justitiae antistes.

*ANTISTHĒNES, is et ae, m. Ἀντισθένης, Socratis discipulus, Diogenis praeceptor, princeps sectae Cynicae. *Cic. N. D.* 1, 13. *Id. Or.* 3, 17. Pluralem numerum usurpat *Gell.* 14, 1. *post med.* Ut exsistant — Socratae simul et Antisthenae et Platones multi. ℙ Alius Antisthenes, qui de pyramidibus scripsit, auctore *Plin.* 36, 12. *B. A.*

*ANTISTIĀNA, ae, Hispaniae citerioris urbs, inter Barcinonem et Tarraconem. *Anton. Itin.* Hodie, ajunt, est *Villa Franca. B. A.*

ANTISTĪTĂ, ae, f. ἱερίς, mulier sacerdos, sacrorum praeses. *Virg. Cir.* 166. Ictaque barbarico Cybeles antistita buxo. *Ov. Met.* 13, 410. tractata comis antistita Phoebi. *Pollio* ap. *Charis.* 1. p. 77. Antistita Veneris. *Cornel. Sever. ib.* Antistita numinis. *Pl. Rud.* 3, 2, 10. Antistita Veneria. *Cic. Verr.* 2, 2, 45. Illius fani antistitae, probatae ac nobiles mulieres. (Ita leg. *Gell.* 13, 20., *Charis. l. c.* et *Prisc.* 5. p. 650. In vulgatis multis est *antistites.*) Adde *Varr.* ap. *Charis. l. c.*, *Accium* ap. *Non.* 8, 20. et *Inscr.* ap. *Grut.* 62, 9.

ANTISTĪTĬUM, ii, n. dignitas antistitis, excellentia, praeeminentia. *Capell.* 2. p. 34. Ante hanc quaedam augustioris vultus femina, ac sacro lumine resplendens venerabili antistitio praeminebat.

*ANTISTIUS, i, m. cognomen Romanum, v. g. Antistius Labeo, JCtus, de quo *Plin.* 35, 4. et *Fest.* in *Proculinat;* Antistius Burrhus, a *Capitolino* in *Pertin.* 4. memoratus; Antistius Sosianus, de quo *Tac. A.* 13, 28. et alibi. ℙ Antistia, ae, f. Rubellii Plauti uxor. *Id. ib.* 14, 22. *B. A.*

ANTISTO. V. ANTESTO.

ANTISTOECHON vel Antistichon, ἀντίστοιχον, figura dictionis, qua littera pro littera ponitur, ut *olli* pro *illi*, *Upilio* pro *Opilio*. Est autem Gr. vox, et Gr. scribenda, ab ἀντὶ, pro, vice, et στοῖχος, quod interdum litterarum seriem significat. Latinis litteris scripta legitur apud *Serv.* ad *A.* 1, 425. et *G.* 1, 185. V. ANTITHESIS.

ANTISTRĒPHON argumentum dicitur, quod referri contra, convertique potest in adversarium: quod Latine *reciprocum* dici potest: ἀντιστρέφον, ab ἀντὶ, contra, et στρέφω, converto. Hujus rei exempla affert *Gell.* 5, 10. et 11. et 9, 16. Fere autem Gr. scribitur, cum Graeca sit, tametsi apud *Gell. l. c.* 5, 11. Latine legitur.

ANTISTRŌPHĒ, es, et Antistrŏphă, ae, f. et Antistrophon, i, n. ἀντιστροφή, et ἀντίστροφον, conversio in contrariam partem: ab ἀντὶ, contra, et στρέφω, converto. Apud Lyricos poetas est pars quaedam carminis: de qua sic *Marius Victorin.* l. p. 2501. Antiqui Deorum laudes carminibus comprehensas, circum aras eorum euntes canebant, cujus primum ambitum, quem ingrediebantur ex parte dextra, στροφὴν vocabant: reversionem autem sinistrorsum factam, completo primo orbe, *antistrophon* appellabant. Deinde in conspectu Deorum soliti consistere cantici reliqua prosequebantur, appellantes id *epodon*. Hactenus *Victorinus*. Itaque *antistrophon*, seu *antistrophe* dicta est ea pars carminis, quae in ejusmodi reversione, et contrario ambitu canebatur priori strophae velut e contrario respondens. Constabat autem totidem versibus, atque ejusdem metri ac *strophe*, ut docet *Voss. Instit. poet. l.* 2. *c.* 16. et *l.* 3. *c.* 14. Addit *Macr. Somn. Scip.* 2, 3. hac conversione et motu significasse veteres motum stellarum, *per strophem* quidem *rectum orbis stelliferi motum*, *per antistrophem* autem *diversum* vagarum stellarum *regressum*. Hujusmodi στροφὴ, et ἀντιστροφὴ habebat locum etiam in saltationibus tragicis. ℙ Est etiam

antistrophe figura elocutionis, Latine *conversio*, cum multa periodi membra in idem verbum repetitum desinunt: et est contraria *Epanaphorae*, in qua membra periodi ab eodem verbo saepius incipiunt, ut in illo *Cic. in fr. pro M. Fontejo.* Frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus amplissimae copiae e Gallia, equites numero plurimi e Gallia. *Capell.* 5. p. 175. ℙ Praeterea a grammaticis *antistrophe* dicitur, cum inversa constructione verba ponuntur, ut in illo *Virg. G.* 2, 267., *quo mox digesta feratur*, pro *translata digeratur.* Ita *Serv.* qui (ut et *Capell.*) Latinis litteris scribit.

ANTITHALAMUS. V. AMPHITHALAMUS.

ANTITHĔSIS, is, f. *ἀντίθεσις*, ab *ἀντὶ*, pro, vice, et *τίθημι*, pono: figura grammaticorum, qua littera pro littera ponitur, ut *olli* pro *illi*, *impete* pro *impetu.* Ita definiunt *Charis.* 4. p. 249. et *Diomed.* 2. p. 437. Ubique autem Graece usurpant. V. ANTISTOECHON.

ANTITHĔTON, i, n. *ἀντίθετον*, contrapositum: ab *ἀντὶ*, contra, et *θετὸς*, positus: figura est rhetorica, qua contrariis contraria opponuntur, ut in illo Ciceronis: *Vicit pudorem libido, timorem audacia.* Et: *Non nostri ingenii, vestri auxilii est.* Alia praeter haec exempla affert *Quint.* 9, 3., ubi addit Latine dici *contrapositum*, et ab aliquibus etiam *contentionem.* Adde *Cic. Or.* 49. et 50. ℙ Latine usurpatur a *Pers.* 1, 85. crimina rasis Librat in antithetis. Adde *Capell.* 5. p. 174. et *Front.* ad *Anton. Aug.* 2, 6.

ANTITHĔUS, i, m. *ἀντίθεος*, qui pro Deo se gerit: ab *ἀντὶ*, pro, vice, et *θεὸς*, Deus. *Arn.* 4. p. 134. Magi haruspicum fratres in suis accitionibus memorant, antitheos saepius obrepere pro accitis: esse autem hos quosdam materiis ex crassioribus spiritus, qui se Deos fingant, nesciosque mendaciis, et simulationibus ludant. *Lactant.* 2, 9. per *antitheum* intelligit Diabolum, quia vero Deo aequare se olim ausus est, et divino cultu coli ab hominibus postulat. ℙ Scribitur et *antideus*, quae vox hybrida est.

ANTĬUM, ii, n. nunc *Anzio*, oppidum Latii, colonia Romanorum, in ora maris Tyrrheni, Volscorum quondam caput, ubi fuit celebre templum Fortunae, de qua *Hor. Od.* 1, 35. Patria fuit Neronis, distabatque ab urbe Roma XXX. M. P., nunc paene totum in ruinis jacet. *Plin.* 3, 5, 9. ℙ Ejus populi *Antiates*, et adjectivum *Antiatinus* V. suis loc.

ANTĬUS, a, um, adj. *Antia lex* sumptuaria fuit, lata ab Antio Restione ad coercendam nimiam luxuriam, et sumptus coenarum: qua cavebatur, ne qui in magistratu esset, vel magistratum capturus esset, aliquo ad coenam, praeter certas personas, itaret. Et de ipso Restione illud memorabile fertur, nunquam quoad vixit, foris postea coenasse, ne testis fieret contemptae legis, quam ipse bono publico pertulerat. Eam tamen, quamvis esset optima, obstinatio luxuriae, et vitiorum firma concordia, nullo abrogante, brevi irritam fecit. *Gell.* 2, 24. et *Macr. Sat.* 2, 13. ℙ *Antios*, excruciatos. *Fest.* V. supra ANTIOS.

ANTIZEUGMĔNON, n. *ἀντιζεύγμενον*, hoc est injunctum: ab *ἀντὶ* et *ζεύγνυμι*, jungo, figura est, qua plura membra uno concluduntur verbo, ut, *Quorum ordo ab humili fortuna, sordida, turpi ratione abhorret.* Huic contrarium est *Diazeugmĕnon*, *διαζεύγμενον*, hoc est disjunctum, a *διαζεύγνυμι*, disjungo, cum scil. singulis membris singula diversa verba redduntur, ut Capuam occupabunt, Atellam communient, Nuceriam obtinebunt, cetera oppida praesidiis devincient. Haec *Capell.* 5. p. 176.

ANTLĀRE. V. ANCLARE.

ANTLĬA, ae, f. *ἄντλια*, machina ad hauriendam ex imo loco aquam, quae pedum alterno nisu, et agitatu aquas per modiolos atque haustra attollit. *Martial.* 9, 19. Sed de valle brevi, quas det sitientibus hortis, Curva laboratas antlia tollit aquas. *Suet. Tib.* 51. Condemnare aliquem in antliam, *εἰς ἄντλιαν καταδικάζειν.* [*Cf. *Pithoeus adv.* 2, 13. *Jahn.* et nos s. ANCLIA.]

*ANTONA, ae, flumen Britanniae, quod *Polydor. Virg.* testatur Vejum dici, incolis *the Wie.* Meminit *Anton.* in *Itin.* ubi *Camdenus* mavult legere *Auvona*, ut sit fluvius, quem hodie *the Avon* nuncupant. *B. A.*

*ANTONĀCUM. V. Antunnacum.

ANTONĬĀNUS, a, um, adj. ad Antonium aliquem pertinens. *Cic. Fam.* 12, 25. *ad f.* Respublica Antoniano latrocinio liberata, *h. e.* M. Antonii, in quem sunt Ciceronis Philippicae. Sic *Sen. Ben.* 2, 25. et *Vell.* 2, 74. Plancus Antonianarum adjutor partium. ℙ *Antonianae*, *arum* (subaudi *orationes*) ipsae Philippicae Ciceronis. *Gell.* 7, 11. et 13, 1. et 21. Sed Antoniana dicendi ratio apud *Cic. Verr.* 2, 5, 13. refertur ad M. Antonium oratorem, et descripta est *ib.* 1.

ANTONĬASTER, tri, m. diminutivum ab *Antonius* eo modo, quo a *surdus* fit *surdaster:* et simul contemptum quendam adsignificans. *Cic. fr. pro Vareno* apud *Prisc.* 3. p. 617. Erucius hic noster Antoniaster.

ANTONĬNĬĀNUS, a, um, adj. ad Antoninum pertinens. *Lampr. Anton. Diadum.* 2. Antoninianum edictum. Et *ib.* Pueros Antoninianos, et puellas Antoninianas. *Id. Elag.* 24. Stravit plateas, quas Antoninianas vocavit. *Capit. Anton. Pio* 13. Meruit et flaminem, et circenses, et templum, et sodales Antoninianos. *Eutr.* 8, 20. *Antoninianas* scribit dictas esse thermas ab Antonino Caracalla constructas. [*Reperitur haec forma in codd. ap. *Aur. Vict. Caes.* 21, 1. ubi v. *Arntzen.*]

ANTONĬNĬAS, ădis, f. Hoc titulo Gordianus senior inscripsit poema, in quo triginta libris persecutus est res gestas Antonini Pii, et M. Antonini philosophi, ea ratione, qua *Aeneidem* ab Aenea *Virgilius; Achilleidem* ab Achille *Statius; Iliadem* ab Ilio *Homerus* denominaverunt. *Capitolin. Gord.* 3.

ANTONĪNUS, i, m. *Ἀντωνῖνος*, diminutivum ab *Antonius.* Fuit nomen nonnullorum Romanorum imperatorum, quorum celeberrimi fuere virtutibus quidem Antoninus Pius, et Antoninus philosophus, vitiis autem Antoninus Caracalla, et Elagabalus, etc. Eorum vitam V. apud Scriptores historiae Augustae.

ANTONĬNUS, a, um, adj. id. q. Antonianus. *Lepid.* ad *Cic. Fam.* 10, 34. Castra ad flumen Argentium contra Antoninos feci. Al. leg. *Antonios*, al. *Antonianos.* Eadem lectionis varietas est in illo *Lentuli* ad *Cic. Fam.* 12, 14. *ad f.* Primus ego leges Antoninas fregi. [*Schütz. Antonias.] Sic *Hirtino* proelio pro *Hirtiano* quidam defendunt ap. *Pollion.* ad *Cic. Fam.* 10, 33. *a med.*

*ANTONĬOPOLĪTA, ae, m. ad Antoniopolin pertinens, Lydiae urbem, quae a Maeandro alluitur. *Antoniopolitae, arum*, sunt incolae illius urbis. *Plin.* 5, 29, 30. *B. A.*

ANTONĬUS, ii, m. *Ἀντώνιος*, nomen proprium civis Romani. Fuere hoc nomine multi in utraque Antoniorum familia, patricia, et plebeja, sed in hac praesertim, ex qua fuit M. Antonius celeberrimus orator, a Cicerone tantopere laudatus. Alter etiam M. Antonius, qui triumvir fuit cum Augusto, et Lepido, ex plebeja familia ortus est, M. Antonii oratoris nepos. Hic Ciceronis non modo inimicus fuit, sed etiam interfector. Postea captus amore Cleopatrae, una cum ipsa, et exercitu ejus navali certamine ad Actium ab Augusto victus, et Alexandriae obsessus, sponte gladio incubuit. Ejus vitam habes apud *Plut.* ℙ *Antonia*, *ae*, nomen est feminarum in familia Antoniorum. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 16. meminit templi dicati Antoniae triumviri filiae; majorine, an minori (nam duas is habuit) incertum.

ANTONĬUS, a, um, adj. ad Antonium pertinens. V. ANTONINUS adject.

*ANTONNĀCENSIS, e, [*et Antunnacensis] adj. ad Antonnacum, *Venant.* 10, 10, 63. Antonnacensis castelli promptus ad arces. *B. A.*

*ANTONNĀCUM, i, et Antunnacum oppidum Galliae Belgicae, quod a Rheno alluitur. Antonini *Itin.* et *Tab. Peutinger.* Dictum et Antonacum *Notit. imper.* Hodie est *Andernach*, oppidum non incelebre. *B. A.*

ANTONOMĀSĬA, ae, f. *ἀντονομασία*, tropus est, quo ponitur aliquid pro nomine proprio, ut *Eversor Carthaginis* pro Scipione: ab *ἀντὶ*, pro, vice, et *ὄνομα*, nomen: Latino vocabulo *pronominatio* dicitur. *Quint.* 8, 6, 29. Ut id, quod est appositum, si a proprio diviseris, per se significet, et faciat antonomasiam. *Id.* 9, 1. *Ἐπίθετον* quoniam plerumque habet antonomasiae partem, etc. ℙ *Pronominatio* appellatur ab *Auct. ad Her.* 4, 31.

ANTONOMĀSĬVUS, a, um, adj. ad antonomasiam pertinens. *Serv.* ad *A.* 2, 171. appellat *antonomasiva* illa adjectiva, quae uni proprie conveniunt, ut *Tritonia* Minervam significat proprie, nec ullam aliam: *epitheta* autem ait esse, quae variis possunt vel personis, vel rebus apponi. Utitur praeterea hac voce et *ib.* 615. et ad *A.* 5, 704. et ad *ib.* 10, 668., neque tamen est facile usurpanda.

*ANTORIDES, ae, pictor nobilis, Aristippi filii Aristidis Thebani, filius. *Plin.* 35, 10. *B. A.*

ANTRAS *Festus* interpretatur convalles, vel arborum intervalla. *Scal.* suspicatur legendum *ancras.* Nam in veteri *Glossar.* legitur: Ancrae, *ἄγγεια*, *αὐλῶνες.* Et in *Gloss. Isid.* Angrae intervalla arborum, vel convalles. Addit fortasse etiam scribendum *anceae*, vel *angeae*, scilicet a Graeco *ἄγγεια.* Sed haec omnia incerta sunt.

ANTROĀRE, gratias referre. *Festus.*

*ANTRON, onis, *Ἀντρών*, Thessaliae oppidum, in Phthiotide, ad fretum Euboicum. *Liv.* 14, 42. et 67. *B. A.*

*ANTRONĬA, ae, oppidum Magnesiae. *Mela* 2, 3. *B. A.*

*ANTROS, i, insula in aestu Garumnae fluvii, ex Pyrenaeo monte delapsi. *Mela* 3, 2. *B. A.*

ANTRUM, i, n. *ἄντρον*, specus, vel caverna: vox poetis, quam aliis usitatior. *Virg. A.* 6, 42. Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum. *Id. Ecl.* 1, 76. viridi projectus in antro. *Prop.* 2, 23, 28. Antra roscida jugis muscosis. *Id.* 4, 4, 3. Antrum hederosum. [*Cf. *Broukh.* ad *eund.* 1, 2, 11.] *Mart.* 13, 60. Gaudet in effossis habitare cuniculus antris. [**Antra musea* artificiose facta appellantur et opponuntur cavernis a natura factis. De iis V. *Plin.* 36, 21, 42. quem laudat *Voss.* ad *Virg. G.* 2, 264. Plura de antris disputat *Bentl.* ad *Hor. od.* 1, 32, 1.] ℙ *Sidon. ep.* 9, 13. *a med. in carm.* 2. *antra palati* dixit, cavitates et spatia intelligens. Et *ep.* 1, 2. antra narium. *Prud. Psych.* 6. et 774. pectoris. *Juven.* 4, 21. *clausum antrum* lecticam. ℙ [*Confunduntur in libris *antrum* et *umbra*, cf. *Bentl.* l. l. *antra* et *undae* V. *Burm.* ad *Luc.* 2, 433.]

*ANTONOMASTICE, adv. i. q. per antonomasiam fit. Legitur ap. *Gram. lat. ined.*, cujus fragm. excerpsit *Sinner. Cat. Bibl. Bern.* p. 551. ubi haec leguntur: ab augeo habetur augustus — unde et antonomastice Octavianus dictus est Octavianus Augustus. Attulit *Osann.* in epim. II. ad Auct. lex. gr. p. 182.

[ĂNUBĬĂCUS, i, m. sacerdos Anubidis, ut Isiacus est sacerdos Isidis. *Inscr.* ap. *Murat.* 158, 1. D. Fabio D. filio Floro electo Anubiaco. *F.*]

[ĂNUBĬO, onis, m. diminut. Anubidis. Cognomen Romanum. *Inscr.* in *Novell. Letter. Fiorent.* an. 1786. p. 295. A. Albius Anubio.

ĂNUBIS, ŭbis, et ŭbĭdis, m. *Ἄνουβις*, vox Aegyptia, quae *aureum* significat. Ita porro appellatur, quod ejus simulacrum ex solido auro conflatum, et vultu canino praeditum repraesentabat Horizontem, sive, ut Latini dicunt, circulum finitorem. Filius fuit Osiridis, ex hujus sorore Nephthy genitus, qui Isidis et Osiridis perpetuus comes et custos fingitur, quales hominum solent esse canes, ideoque a Graecis Mercurius fuit appellatus, et ejus imago caduceum tenet in antiquis monumentis. Cum igitur Horizon, sive circulus finitor solem primus ostendat, et velut in hemisphaerium nostrum immittat, eundemque occidentem conspectui nostro subtrahat, Anubin canino vultu finxerunt, quod custos sit utriusque limitis solaris: duplex vero in caduceo serpens designat duplex hemisphaerium, superius nempe et inferius, et geminus in caduceo serpens persimilis est cursui solis obliquo, et virga intermedia Horizontem repraesentat, qui utrumque hemisphaerium jungit, ac separat. Statis itaque temporibus Anubin cum pompa per urbem circumducebant, ut ex *Juven.* 6, 533. colligitur. *Virg. A.* 8, 698. Omnigenumque Deum monstra, et latrator Anubis. [**Metius Celer. Propempt.* 112. cur servet Pharias Lethaeus janitor aras; de quo v. *Gron. diatr.* p. 308. *ed. Hand.*] *Ov. Am.* 2, 13, 11. *ad Isid.* Per tua sistra precor, per Anubidis ora verendi. *Spart. Carac.* 9. Commodus sacra Isidis ita celebravit, ut et Anubin portaret, et pausas ederet. De eodem loquitur *Appul. Met.* 11. Hic, horrendum! ille Superûm commeator, et Inferûm, nunc atra, nunc aurea facie sublimis, attollent canis cervices arduas, laeva caduceum gerens, dextra palmam virentem quatiens. Plura de hoc nomine habet *Jablonsk.* in *Pantheo Aegyptiac. l.* 5. *c.* 1. [*et *Nitzsch. myth. Lex.* ed. *Klopfer.* p. 229. sqq.] ℙ In accusativo et *Anubin* legitur, et *Anuben. Prop.* 3, 9, 41. Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin. *Plin.* 33, 9, 46. Tingit et Aegyptus argentum, ut in vasis Anuben suum spectet.

[ĂNŬCELLA, ae, f. ead. quae *Anicella*, quam v. videsis supra suo loco. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1412, 13. Valeria Calliope, quae et Anucella Areto marito digniss. *Front. ad Amicos* 1, 18. *in f.* Redit igitur oratio domum meam, et mecum denuo mansitavit anucella. *Vet. Schol. ibid.* Ab anu anucella. *F.*]

ĂNULĀRIS et Annularis, re, adj. ab *anulus*, *δακτυλικός.* *Anularis color* dicitur a *Plin.* 35, 6, 30. qui fit ex creta admixtis vitreis gemmis contritis, quae a pauperibus in anulis gestari solent. Verba *Plinii* sunt: Anulare quod vocant, candidum est quo muliebres picturae illuminantur. Fit et ipsum ex creta, admixtis vitreis gemmis ex vulgi anulis, unde et anulare dictum. Hinc facile est intelligere, quid sit *anularia creta*, quae tum hoc *Plinii* loco paulo sup. memoratur, tum apud *Vitr.* 7, 14.

ĂNULĀRĬUS et Annularius, a, um, adj. ut *anularia creta* apud *Plin.* et *Vitr.* V. v. praec. ℙ *Scalae anulariae* locus fuit Romae in regione octava: sed unde dictus sit, non constat. Quidam putant ita appellatum fuisse ab officinis anulariorum, quae ibi essent: alii ab anulis ex iis scalis dependentibus: alii denique, quod eae scalae in cochleae formam, atque adeo anularem, seu orbicularem constructae essent. *Suet. Aug.* 72. Habitavit primo juxta Romanum forum supra Scalas anularias, in domo, quae Calvi oratoris fuerat.

ĂNULĀRĬUS et Annularius, ii, m. *δακτυλιοποιὸς*, artifex, qui anulos facit. *Cic. Acad.* 4, 26. Quid si in ejusmodi cera centum sigilla hoc anulo impressero? ecquae poterit in agnoscendo esse distinctio? an tibi erit quaerendus anularius aliquis, etc. *Inscr.* apud *Murat.* 965, 6. Q. Musius L. Q. L. Primus anularius. In alia apud *eund.* 2015, 5. mentio est *Collegii Anulariorum.*

ĂNULĀTUS et Annulatus, a, um, adj. *δακτυ-*

λιωτὸς, anulo ornatus. *Pl. Poen.* 5, 2, 20. Atque, ut opinor, digitos in manibus non habent, quia incedunt cum anulatis auribus. ℙ Apud *Appul. Met.* 9. p. 222, 30. homines *anulati pedes* dicuntur, qui compedibus vincti sunt. [*Cf. *ib.* p. 234, 15. anulatos laxari, i. de servis.]

ĂNULLA, ae, f. parva anus. V. ANICULA.

[ĂNULLĪNUS, i, m. Ab *anu* fit *anulla*, hinc *anullinus* deducitur, ad aniculam pertinens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 313, 5. C. Cornelio Anullino II. Cos., *h. e.* iterum consule anno a Chr. n. 199. *F.*]

ĂNŬLUS et Annulus, i, m. δάκτυλος, circulus ferreus, vel aureus, vel ex alia quapiam materia, qui in digitum manus sinistrae minimo proximum inferri solet. Ducitur ab *anus* [*nam *anus* est apud antiquiores i. q. anulus. V. ANUS *in f.*] sive *annus*, Graece ἔνος, proprie id quod in se redit. Cum vero usus obtinuisset, ut *annus* duplici *nn* scriberetur, ita et *annulus* scriptus aliquando. Haec scribendi ratio *Cellario* placet, et *Dausquio*. At *Manutius* veterem consuetudinem sequitur, *anulus* unica *n* scribendi, quae potior videtur, id testantibus vetustis marmoribus; in optimis tamen libris utraque scriptio invenitur. *Varr. L. L.* 5, 2. Tempus a bruma ad brumam, dum sol redit, vocatur annus, quod ut parvuli circuli annuli, sic magni dicebantur circites anni; unde annus. V. ANNUS. [*Ideo etiam *Grotef.* hanc scripturam praefert in *orth.* §. 142. Sed *Schneider. gr. lat.* I. p. II. p. 422. cum *Forc.* iisque quos laudat, *anulus* praefert. Eandem ut antiquiorem et in optimis libris repertam praefert *Ould.* ad *Suet.* et *B. Crus.*] Prisci *angulum* appellavere. *Atejus Capito* ap. *Macr. Sat.* 7, 13. docet, olim anulos in alterutra manu, atque in quolibet digito ferri consuevisse: postea, cum anulis, qui primo rudes fuerant, et parvi pretii, valde pretiosae gemmae inseri coepissent, in laevam manum [*Suet. Ner.* 20. non sine anulo in laevis. Cf. *Brem.*] translatos esse, quae otiosior et quietior, ne crebro motu et officio manus dexterae pretiosi lapides frangerentur, aut excuterentur. Deputatus etiam est laevae manus digitus minimo proximus, ut *ib. Macr.* et *Gell.* 10, 10. notant, quia credebant, ex humanorum cadaverum sectione, nervum quendam de corde natum, pergere usque ad eum digitum, et illic desinere implicatum ceteris, et ideo visum veteribus, ut ille digitus anulo, tanquam corona, circumdaretur. ℙ Triplex anulorum genus enumerat *Isid. Or.* 19, 32. *Ungulum*, qui gemmam habet, quia sicut ungula carni, ita gemma anuli auro adhaeret: *Samothracium*, qui aureus quidem est, sed palam habet ferream; a loco, ubi fiebat, appellatus: et *Thynium*, qui totus purus est, ita dictus, quia in Bithynia primum fabricatus est, olim *Thyna* dicta. Praeterea anuli alii erant *solidi*, hoc est ex solida materia facti; alii *pervii*, et *cassi*, ut eos *Fabius Pictor* appellat ap. *Gell.* 10, 15., qui concavi intus erant, ut aliquid continere possent: quales tantummodo Flamini Diali permittebantur. In hujusmodi anulis amuleta includere mos erat: atque hujus formae fuit Annibalis anulus, ex quo sumpto veneno sibi mortem conscivit. ℙ Anuli primo Romanis ferrei fuere, deinde ex aere, argento, auro aliove mixto metallo facti sunt, item ex ebore, succino, vel etiam integra gemma: sed de ferreis praecipue, et aureis anulis dicendum est, quorum usus communior et notabilior. Ferreos anulos promiscue omnes olim gestabant, senatores, equites, plebes; neque enim tam ad ornatum, quam signandi causa anulus gestabatur. Mox crescente luxuria aurei anuli invecti, qui primis quidem temporibus iis tantum concedebantur, qui legationem obire debebant, qui ideo aureum anulum una cum viatico a publico accipiebant, ut tradit *Plin.* 33, 1, 4., sed eo in publicum tantum prodeuntes utebantur, domi ferreum sumebant signandi causa. Postea vero promiscue patricii gerere coeperunt, demum equites, qui aureo anulo a plebejis distinguebantur. (Bello Punico secundo non equites solum, sed et alii, militari aliquo dignitatis gradu decorati, ut tribuni, quaestores, etc., aureo anulo utebantur. V. *Camill. Silvestr. in not.* ad *Juven.* 10, 165.) Deinde omnibus ingenuis usus aurei anuli est concessus, sed non libertinis, qui si eo uti vellent, a principe impetrare tenebantur; et tum pro ingenuis habebantur, et ad honores, quibus fruebantur ingenui, admittebantur. Unde *Ulp. Dig.* 40, 10, 6. Libertinus, si jus anulorum impetraverit, quamvis jura ingenuitatis salvo jure patroni nactus sit, tamen ingenuus intelligitur. Postremo *Justinian.* in *Authent. Collat.* 6, 7, 78. omnibus libertinis jus aurei anuli dedit. Servi, quando anulo usi sunt, ferreum solummodo habuerunt: tametsi ultimis temporibus auro illinere ausi sunt, vel etiam ex auro, sed decolorato in modum ferri gestarunt, ut *Plin. l. c.* docet. ℙ Feminae et ipsae ferreo primum, mox aureo anulo usae sunt: sed etiam post invectos aureos solemne erat sponsae mittere ferreum arrhabonis loco. Binos aureos tantummodo eas gestasse scribit *Isid. Or.* 19, 32. Nam viri, ii praecipue, qui deliciis studebant, plures aliquando habere consueverunt, adeo ut in omnibus digitis suus inesset, vel in uno digito plures, ut ex *Mart.* 5, 61. et 11, 59. colligitur. Quin et aestivos, hibernosque anulos habere in luxu fuit, illos leviores, hos majores gravioresque, ut est ap. *Juven.* 1, 28. ℙ Anuli usus multiplex fuit. Nam eo utebantur ad signandum. Hic est anulus *signatorius*. Pars autem, qua sigillum imprimitur, sive gemmam habeat, sive non, *pala* dicitur. Utebantur etiam in sponsionibus et arrhae nomine dabatur, aut in pignus alicujus rei deponebatur: item in sponsalibus, ut dictum est: quem *anulum pronubum Tert. Apolog.* 6. appellat. *Cic. Off.* 3, 9. Anulum induere. *Plin.* 33, 1, 6. Induere anulum pollici. *Id. ib.* Anulo uti. Et *ib.* Anulum deponere. *Suet. Aug.* 100. Ponere anulos aureos, sumere ferreos. *Id. Caes.* 33. Detrahere sibi anulum. *Id. Tib.* 73. aptare digito. *Macr. Sat.* 7, 13. digito inserere. *Ter. Hec.* 4, 1, 59. in digito habere. *Pl. Curc.* 2, 3, 67. Obsignare tabulas anulo. *Sen. ep.* 8. Tabulis testamenti anulum imprimere. *Cic. Acad.* 4, 26. *in f.* Sigillum in cera anulo imprimere. *Curt.* 3, 7. Epistola anuli sigillo impressa. *Mart.* 9, 88. Anulus signat lagenam. *Tac. A.* 2, 2. Utensilia anulo claudere, *h. e.* signo anuli impresso claudere. *Id. Hist.* 1, 13. Donare aliquem anulis, *h. e.* in equestrem ordinem cooptare. [*Suet. Vit.* 12. aureis anulis aliquem donare, de equite. V. *Kirchmann. de anulis, c.* 15. 16. Sed *Nep. Eum.* 2, 1. cui Alexander moriens anulum dederat, i. e. cui regnum administrandum tradiderat. Nam signum fuit, eum, qui acciperet, heredem institui.] Sic *ib.* 2, 57. Honorare aliquem anulis. *Suet. Caes.* 33. Jus anulorum, *h. e.* equestris dignitas. *Pl. Curc.* 2, 3, 77. Opponere anulum, *h. e.* deponere in sponsione. [*Ornatui inserviunt, *Suet. Ner.* 20. v. supra et intpp. ad h. l. — Porro *id. Aug.* 100. exsequiarum die ponendos anulos aureos ferreosque sumendos. cf. *Kirchmann.* de anulis *c.* 22.] ℙ *Anuli curam habere* ap. *Justin.* 43, 5. *in f.* est curam habere anuli, quo princeps epistolas signat. ℙ *Sedere alicui ad anulos* ap. *Eum. Paneg.* ad *Const.* 15. est ad sinistram alicujus sedere; nam in sinistra anuli gestantur. Sunt tamen qui ibi aliter leg. ℙ Sumitur etiam *anulus* pro quovis circulo ad alium quempiam usum. *Plin.* 13, 9, 18. Lignum firmae duritiae, ex quo velares detornant anulos, *h. e.* ligneos circulos, quibus aulaea, velaque appenduntur. *Id.* 15, 29, 37. Virgei anuli, *h. e.* virgae in modum anuli contortae. ℙ *Mart.* 3, 29. et 11, 37. anulos dixit de circulis catenarum et 14, 169. de ansula, qua trochus mittitur, et 2, 66. de cincinno capillorum in circulum contorto. ℙ In architectura *anulus* est inter columnarum ornamenta. *Vitr.* 4, 3. Crassitudo capituli dividatur in partes tres, e quibus una plinthus cum cymatio fiat, altera echinus cum anulis, tertia hypotrachelion. *Anuli* hoc loco sunt fasciolae tres in ordine Dorico, positae inter echinum et hypotrachelion atque ita formatae, ut non sint ejusdem perpendiculi, sed suprema, quam proxima, haec, quam infima, exstantior sit. ℙ Est etiam diminutivum ab *anus*, i. *Cato R. R.* 159. Intertrigini remedium, in viam cum ibis, absinthii Pontici surculum sub anulo habeto.

*ĂNUNĒA (Hanunea) ae, oppidum Syriae, in Commagena. *Anton. Itin. B. A.*

ĂNUS, us et uis, f. γραῦς, mulier vetula, ita dicta ab annorum multitudine, nam antiqui, quibus mos fuit consonantes in scribendo non geminare, *anus* pro *annus* scribebant: vel ab *α* privativa, et νοῦς, mens, quia vetulae mulieres plerumque delirae esse solent. Utramque etymologiam *Festus* tradit, [sed prior admittenda; vel potius vox deducenda ab *ἀνύω*, perficio, ad finem perduco. *F.*] *Cic. Tusc.* 1, 21. Quae est anus tam delira, quae ista timeat? *Id. N. D.* 1, 8. Anum fatidicam Stoicorum audite. [*Saepe pro saga a poetis dicitur. *Tibull.* 1, 5, 12. *Hor. Sat.* 1, 9, 3. ibique *Hdf.*] *Plin.* 13, 24, 47. Vel pueri, vel anus vilissima opera. *Pl. Cist.* 4, 1, 8. Quid nuncias super anu? *Lucil.* ap. *Gell.* 4, 16. Nocere anu. *Hor. Epod.* 17, 60. Ditasse Pelignas anus. ℙ In genitivo et dativo singulari facit etiam *anuis*, *anui*. *Ter. Heaut.* 2, 3, 46. Ejus anuis causa. *Pl. Curc.* 1, 2, 16. Vindemia haec huic anui non satis est soli. *Tac. A.* 13, 21. Operam anui rependere. Adde *Ter. Heaut.* 4, 1, 26. *Varr.* ap. *Non.* 8, 91. [*Varronisque frr.* p. 312. 320. 321. ed. *Bipont.*] et *Enn.* ap. *eund.* 7, 58., ubi tamen al. aliter leg. ℙ Adjective. *Catull.* 68, 46. charta loquatur anus. *Plin.* 17, 5, 5. Anus terra. *Id.* 15, 19, 21. Fici anus distillant gummium lacrima. [*Suet. Ner.* II. anus matronae: *id. Oth.* 2. libertinam — quamvis anum ac paene decrepitam.] *Mart.* 1, 106. Testa anus. ℙ *Anus quod vult somniat*, proverb. de quo V. in SABINI.

ĂNUS, i, m. πρωκτὸς, pars posterior, qua animal excrementa ejecit. Etymon est ab ejus rotunditate. V. ANULUS. *Cic. Fam.* 9, 22. Anum appellas alieno nomine: cur non suo potius? *Cels.* 7, 30. Ani vitia, ubi medicamentis non vincuntur, manus auxilium desiderant. Et paulo post: Ne anus ipse suppuret. *Seren. Sammon.* 1110. Excruciant turpes anum si forte papillae. [*Scrib. Comp.* 227. Hoc medicamento peruncto interius ano. *F.*] ℙ Anus est etiam ipse anulus. *Pl. Men.* 1, 1, 9. Tum compenditi anum lima proterunt. Alii leg. januam.

*ĂNXA, ae, oppidum Calabriae, in Sallentinis, antea Callipolis appellatum. *Plin.* 3, 11. Hodie est *Gallipoli*. *B. A.*

*ĂNXANTĪNUS, a, um, adj. ad Anxantum pertinens, Marsorum oppidum, nunc *Poggio Filippo*. *Plin.* 3, 12, 17. Marsorum Anxantini. *B. A.*

*ĂNXĀNUS, a, um. *Plin.* 3, 12, 17. Intus Anxani cognomine Frentani. *B. A.*

[ĂNXAS, tis, comm. gen. ad Anxanum Frentanorum oppidum, nunc *Lanciano*, pertinens. *Inscr.* ap. *Mur.* 367, 1. Patronus civitatis Anxatium Frentanorum. *F.*]

[ĂNXIĀNUS, a, um, ad idem oppidum pertinens. *Frontin. de Colon.* p. 125. *Goes.* Ager Anxianus est assignatus, ut ager Fidenatis. *Inscr.* ap. *Romanelli Top. Nap. T. III.* p. 56. Anxiano adstante ordine. Videtur hujus oppidi nomen fuisse etiam *Anxia*, nam apud *eund. Inscr. Mutila*: dedit uberis Anxia lactem. *F.*]

ĂNXIĒ, adv. φρονιστικῶς, sollicite, cum anxietate. *Plin.* 11, 52, 114. Ne in se quisque et auguria anxie quaerat. *Sall. Jug.* 84. Neque tam anxie laturum fuisse, si etc., *h. e.* moleste, aegre. *Id. Or.* ad *Caes. de Rep. ord.* 2. *ad f.* Animus quanto in secundis rebus florentior fuit, tanto in adversis asperius, magisque anxie agitat. *Suet. Ner.* 23. Trepide anxieque certare. *Justin.* 1, 4. Anxie prosequi aliquem. *Gell.* 20, 6. Anxie et scrupulose loqui. *Macr. Sat.* 5, 18. Vir scrupulose et anxie doctus. Et *ib.* 7, 7. Anxie diligens.

ĂNXIĒTĀS, ātis, f. ἀθυμία, ἀθημονία, nimia cura et sollicitudo, quae animum inquietum et anxium tenet. *Cic. Tusc.* 4, 12. docet *anxietatem* et *angorem* proprie loquendo ita differre, ut *iracundiam* et *iram:* neque enim quicumque anxii sunt, eos semper angi, neque qui anguntur, omnes anxios esse. Saepius tamen pro ipso angore et nimia sollicitudine sumitur. *Plin.* 7, 53, 54. Quem divortii anxietate diximus mortuum, *h. e.* dolore ob repudiatam uxorem. *Auct. dial. de Or.* 23. et *Curt.* 4, 13. Anxietas animi. ℙ Ponitur interdum pro summa cura, qua animus intenditur et impense alicui rei adjungitur. *Id. ib.* 39. Cura et diligens anxietas stili. *Gell.* 1, 3. Anxietas et quasi morositas disputationis. *Quint. prooem.* 8. *ad f.* Quaerendi, judicandi, comparandi anxietas, dum discimus, adhibenda est, non cum dicimus.

ĂNXIĒTŪDO, inis, f. anxietas. *August. Conf.* 9, 3. Macerabatur anxietudine. *Paulin. Nolan. ep.* 14. *ad Delphinum*, *ad f.* Gravissimae anxietudinis poenam lucrari.

ĂNXIFER, a, um, adj. ἀλγηρὸς, angorem anxietatemque ferens. *Cic. Div.* 1, 13. Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas. *Id. Tusc.* 2, 9. Nunc dolorum anxiferi torquent vertices.

ĂNXĬO, as, a. anxietatem, seu sollicitudinem afferre. *Appul. Met.* 4. p. 155, 14. Tristitia animi, languore corporis, damnisque ceteris anxiatum iri praedicunt.

[ĂNXĬOSUS, a, um, adj. qui molestus et incommodus est. *Coel. Aur. Tard.* 3, 2. Quod est dormituris anxiosum. *F.*]

ĂNXĬTŪDO, inis, f. anxietas. *Cic. fr. de Rep.* ap. *Non.* 2, 32. [*II, 41.] Anxitudo prona ad luctum, et moerens, semperque ipsa se sollicitans. *Accius ib.* Ubi cura est, ibi anxitudo. *Pacuv. ib.* Tristitia, atque animi intoleranda anxitudo.

ĂNXĬUS, a, um, adj. ἄθυμος, περιαλγὴς, qui animi inquietudine et dolore angitur, qui aegritudine et angore premitur, nimis sollicitus, inquietus, tristis. *Cic. Tusc.* 4, 12. docet, *anxium* proprie dici, qui pronus est ad aegritudinem animi: *neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando, nec qui anxii semper anguntur.* Nihilominus saepissime dicitur de eo, qui in angore est. Caret gradibus comparativo et superlativo. *Cic. Fin.* 2, 17. Anxio animo aut sollicito esse. *Id. Tusc.* 4, 15. Aegritudines anxiae atque acerbae. *Id. Sen.* 18. Morosi et anxii et iracundi et difficiles senes. *Tac. A.* 14, 13. Anxius, an obsequium senatus, an studia plebis reperiret. *Sall. Cat.* 47. Anxius, quid facto opus sit. *Id. Jug.* 6. Anxius, ne bellum oriatur. *Id. ib.* 11. Ira et metu anxius. *Tac. Hist.* 2, 92. odio. *Id. A.* 1, 14. invidia. *Id. Hist.* 2, 1. animo. *Plin. ep.* 4, 21. Cujus ego pro salute hoc sum magis anxius, quod unicus factus est. *Sall. fr.* ap. *Arausian. Mess.* Anxius animi, atque incertus. *Albinov.* 1, 398. mentis. *Ov. Met.* 1, 623. furti, *h. e.* sollicitus, ne furtum fiat. *Id. Her.* 20, 198. Anxia sunt vitae pectora nostra tuae, *h. e.* sollicita sunt de vita tua. Sic *Tac. Hist.* 3, 38. Anxius sui, *h. e.* de se sollicitus. Et *A.* 4, 12. potentiae. *Plin.* 15, 18, 20. securitatis. *Suet. Ner.* 36. ea re. *Id. Vit.* 8. omni adverso. *Liv.* 25, 40. *sub f.* gloria alicujus, *h. e.* sollicitus, ne ab aliquo rerum gestarum gloria vincatur. *Quint.* 11, 1. de fama ingenii. [*Suet. Cal.* 19. de successore anxius.] *Curt.* 3, 2. de instantibus cu-

ris. *Luc.* 8, 592. ad eventum alicujus rei. *Tac. A.* 4, 74. Anxium esse erga aliquem. *Id. ib.* 2, 65. Habere aliquem anxium, *h. e.* inquietum tenere. ℙ Cum accusativo *vicem*. *Liv.* 8, 35. Stupentes tribuni et suam vicem magis anxii, [*at hic accus. absolutus est neque pendet ab *anxius*.] ℙ *Anxium judicium* habere aliquis dicitur, qui in judicando haesitat, et perplexus est. *Tac. A.* 1, 80. Ut callidum Tiberii ingenium, ita anxium judicium. ℙ *Anxia elegantia* est curiosius exquisita et affectata. *Gell.* 15, 7. Elegantia orationis neque morosa, neque anxia, sed facilis et simplex. ℙ Pro molesto, infesto, difficili. *Plin.* 12, 8, 18. Spina myrrhae similis, accessu, propter aculeos, anxio, [*habet vim activam h. l. nam anxios reddit tangentes.]

ANXUR, ūris, m. et n. nunc *Terracina*, urbs Latii in Campania Romana, in ora maris Tyrrheni, apud ostia Ufentis fluvii, ad radices montis, sed arcem tamen habens in montis edito loco sitam: dicta *Anxur* lingua Volscorum, et a Latinis *Terracina*, ut *Festus*, et *Plin.* 3, 5, 9. docent. *Hor. Sat.* 1, 5, 26. atque subimus Impositum saxis late candentibus Anxur. *Porphyr. Hor. Schol.* notat, eum montem saxa habere coquendae calci aptissima: atque ideo *saxa candentia*, et *Anxur candidum* a scriptoribus dictum. *Mart.* 5, 1. salutiferis candidus Anxur aquis. Et 6, 42. superbus Anxur. *Id.* 10, 58. Anxuris aequoris placidos recessus. ℙ In eo oppido colebatur *Juppiter Anxur*, qui Graece ἄξυρος dicitur, nempe facie pueri, et intonsi, ab *a* privativa, et ξυρός, culter tonsorius, aut novacula: quod eandem nondum esset expertus. *Serv.* ad *A.* 7, 799. Hinc et *Axur* scribi potest, ut habetur in nummo gentis Vibiae apud *Morell. Thesaur. Num. Famil. T.* 2. *tab.* 2., ubi Juppiter sedet seminudus, imberbis et radiatus, ut Apollo. Sed et *Anxur* optima scriptio est, si fides habenda antiquis codicibus: eamque acriter defendit *Dausquius* in *Orthograph.* [*Drak.* ad *Sil.* 8, 392.] ℙ Idem dicitur etiam *Juppiter Anxūrus*, vel *Axūrus* adjective. *Virg. A.* 7, 799. queis Juppiter Anxurus arvis Praesidet, et viridi gaudens Feronia luco. *Pierius* tamen monet in quibusdam antiq. codicib. legi *Queis Juppiter Anxuris arvis*, vel *Anxyris;* imo etiam *Anxiris* per *i* Latinum, ab iis, qui Graece nesciebant, scriptum. ℙ *Anxur* etiam dicitur fons juxta Anxur fluens. *Serv.* ad *cit. A.* 7. De eo *Vitr.* narrat 8, 3., quod mortiferus esset bibentibus, ab incolis obstructum fuisse.

*ANXŪRĀS, atis, m. ad Anxur pertinens Campaniae oppidum. *Liv.* 27, 38. Ea die hi populi ad senatum venerunt: Ostiensis, Alsiensis, Antias, Anxuras, Minturnensis, Sinuessanus. *B. A.*

ANXŪRUS. V. ANXUR.

ĀNYTUS, i, m. vir Atheniensis, qui una cum Melito et Lycone Socratem de falsa religione accusavit, et occidi curavit. *Hor. Sat.* 2, 4, 3. qualia vincunt Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platona. Adde *Ov. ib.* 559.

*ANZABAS, ae, V. ADIABAS.

AO

*AOBRĪGA, ae, oppidum Hispaniae Tarraconensis, quod et Abobrica. Aobrigensis civitas audit *Inscr.* ap. *Res.* (in Cellarii Geogr.) *B. A.*

*ĀOEDĒ, es, f. ἀοιδή, cantus. Nomen unius musae apud *Cic. N. D.* 3, 21. Jam musae primae quatuor natae Jove altero, Thelxinoe, Aoede, Arche, Melete. *B. A.*

[ĀOEDĪMUS, i, m. ἀοίδιμος, celeber, famosus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1752, 3. L. Terentius Aoedimus. *F.*]

*ĀON, ŏnis, m. Ἄων, Neptuni filius, pater Dymantis, a quo Aones dicti, ut refert *Lact. Schol.* ad *Stat. Th.* 1, 34. et ad *Ach.* 1, 19. *B. A.*

ĀONES, um, m. plur. Ἄονες, montes Boeotiae, inter quos est Helicon, et ibi fons Aganippe musis sacer. *Virg. Ecl.* 6, 64. Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum Aonas in montes ut duxerit una sororum; Utque viro Phoebi chorus assurrexerit omnis. *Aonas* accusativus est pro *Aones.* ℙ *Aones* etiam dicuntur Boeotiae populi, montium incolae: dicti ab Aone Onchesti filio Apulo, qui ob seditionem patria pulsus in Boeotiam venit, et in ejus montibus regnavit. *Serv.* ad *Virg. l. c.*

ĀONĬA, ae, f. Ἀονία, pars Boeotiae montuosa, in qua sunt *Aones montes* dicti ab Aonibus populis antiquis Boeotiae. In his est Helicon musis sacer, et fons Aganippe. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 6, 64. et *ib.* 10, 12. scribit etiam ipsam Boeotiam omnem *Aoniam* appellari, quod legitur etiam apud *Gell.* 14, 6.

ĀONIS, ĭdis, f. adj. Ἀονίς. *Aonides*, *um*, in plur. num. dicuntur musae, quia in Helicone Aoniae monte, ubi fons Aganippe, habitant, eaque loca omnia iis sacra sunt. *Ov. Met.* 5, 333. Poscimur, Aonides; sed forsitan otia non sint, etc. *Juven.* 7, 58. cupidus silvarum, aptusque bibendis Fontibus Aonidum.

ĀONĬUS, a, um, adj. ad Boeotiam pertinens, quae et *Aonia* appellatur. *Ov. Met.* 3, 339. Aoniae urbes. *Id. Fast.* 1, 490. Aonia humus. *Id. Met.* 12, 24. Aoniae undae, *h. e.* mare Boeotiam alluens. *Id. ib.* 7, 763. Aoniae Thebae, *scil.* quia Thebae Boeotiae urbs est. *Id. ib.* 9, 112. et *ib.* 395. *Aonium* vocat Herculem, quia Thebis natus est. *Id. de nuce* 110. *Aonium virum* appellat Amphiaraum, augurem Argivum, qui bello Thebano periit: quia fuit peritus divinandi, et amicus musis. *Id. Met.* 1, 313. absolute *Aonios* pro Boeotiis, vel pro populis Boeotiae montanis posuit. ℙ *Aonius Deus* est Bacchus, qui Thebas patriam habuit. *Ov. A. Am.* 2, 380. positoque decore Fertur, ut Aonii cornibus icta Dei. Adde *ib.* 1, 312. ℙ *Aonius fons* est Aganippe, musis sacer, quia est in Helicone Boeotiae monte. *Ov. Fast.* 3, 456. Cum levis Aonias ungula fodit aquas. ℙ Hinc saepissime *Aonius* dicitur de re aliqua ad musas pertinente. *Ov. Fast.* 4, 245. Aoniae Camenae. *Id. Trist.* 4, 10, 39. Aoniae sorores. *Id. Am.* 1, 1, 12. Aonia lyra. *Id. A. Am.* 3, 547. Aonii vates. *Stat. Ach.* 1, 10. Aonium nemus. *Id. Silv.* 5, 1, 113. Aonius vertex, *h. e.* Parnassi montis, qui non longe ab Aoniis Boeotiae montibus distat. Apud *eund. ib.* 3, 3, 32. Aonias inferias alicui sacrare est, in ejus exsequiis carmen funebre pangere.

ĀORĀTOS, ἀόρατος, hoc est invisibilis, ab *a* priv., et ὁράω, video: unus est ex aeonibus Valentini apud *Tert. adv. Valent.* 35.

ĀORNOS, i, f. ἄορνος πέτρα, petra apud Indos praeceps et invia, ita dicta ob admirandam altitudinem, quasi ipsis etiam avibus inaccessa: ab *a* privativa, et ὄρνις, ιθος, avis. Scribit *Plut.* Alexandrum, cum intellexisset hanc petram teneri ab homine meticuloso, dixisse: Nunc locus iste facillimus est captu. V. *Curt.* 8, 11. [*Aornis audit *Auct. Itin. Alex. M. c.* 112.] ℙ Est et *Aornos* locus in Epiro, ita dictus a pestifera exhalatione: nam supervolitantes aves eo odore exanimatae decidere dicuntur. *Plin. prooem.* 4. ℙ Etiam Avernus ex eadem causa nomen traxit, *scil.* ab ἄορνος. Hinc apud *Virg. A.* 6, 242. ubi describit locum, qua Aeneas ad Inferos descendit, ita legunt quidam: *Unde locum Graji dixerunt nomine Aornon.* Quamquam *Pierius* in omnibus suis codicibus *Avernum* se legisse testatur: et ita habetur etiam in editionib. princ. ℙ [*Fuit etiam oppidum Epiri, *Plin. prooem.* 4, 1. et *Steph. Byz.*]

*AORSI. V. ADORSI.

ĀOUS, i, m. *la Polonna*, aut *Vajussa*, fluvius Macedoniae, qui Stymphaliam, et Elymiotas percurrit, et fluit in mare Ionium. *Plin.* 3, 23, 26.

AP

ĀPĀGĒ, abduc, ἄπαγε: interjectio est a Graecis ducta, ab imperativo verbi ἀπάγω, abduco, removeo et a Latinis usurpata tanquam formula abigentis, amolientis, aut fastidientis aliquid. Usurpatur autem vel sine casu. *Pl. Amph.* 1, 1, 154. Apage, non placet me hoc noctis esse. *Id. Capt.* 2, 1, 15. Quo fugiamus? *Lo.* in patriam. *Ca.* apage, haud nos id deceat. ℙ Vel cum accusativo. *Vatin.* ad *Cic. Fam.* 5, 10. Apage te cum nostro Sex. Servilio. *Ter. Eun.* 5, 2, 65. Neque pol servandum tibi quidquam dare ausim, neque te servare: apage te. *Pl. Cas.* 2, 8, 24. Apage te a dorso meo. *Id. Amph.* 2, 1, 32. Apage te a me. *Id. Bacch.* 3, 1, 5. Apage istas a me sorores, quae hominum sorbent sanguinem. *Id. Merc.* 1, 2, 33. Apage istiusmodi salutem, quae cum cruciatu advenit. ℙ *Apage sis* est recede, vel remove, si vis. *Ter. Eun.* 4, 6, 18. num formidolosus, obsecro, es mi homo? *Ch.* apage sis. Egon' formidolosus? *Pl. Poen.* 1, 2, 15. Apage sis: negotii quantum in muliere una est!

ĀPĀLĀ vel Hapāla ova, ἁπαλὰ ὠά, ova tenera et recentia, vel certe in teneritudinem cocta, sorbilia, nam ἁπαλὸς, tenerum et molle significat. *Scribon. Compos.* 104. Apala ova proderunt, vel intubi cocti, vel crudi ex aceto. *Apic.* 7, 17. In ovis apalis piper, ligusticum, nucleos etc. *Marcell. Empir.* 20. Et apala proderunt ova et intubi cocti. *Coel. Aur. Tard.* 2, 7. Ova apala, vel pultes parvissimo oleo confectae. ℙ Qui scribunt *hapala*, adhaerent Graecae voci ἁπαλὸς, quae spiritu aspero notatur.

ĀPĀLĀRE, is, n. in *Gloss. Isid.* exponitur cochlear, cujus praecipuus usus erat in sumendis ovis teneris et sorbilibus, quae *apala* dicuntur, licet et ad alia adhiberetur. *Auson. ep.* 21. Jam patinas implebo meas, ut parcior ille Majorum mensis apalaria succus inundet. Sunt qui scribunt *hapalare:* nam ἁπαλὸς Graece spiritu aspero notatur. Sunt etiam, qui tum ap. *Isid.*, tum ap. *Auson.* legendum putant *Applare* et *Applaria*, eod. sensu.

ĀPĀMEA et Apamīa, ae, f. nunc *Haman*, Ἀπάμεια, urbs Coelesyriae ad Orontem fluvium et Marsya amne divisa, qui statim in Orontem labitur. Condita est a Seleuco Nicanore et dicta de nomine Apamae sororis, vel uxoris, vel matris ejus. *Liv.* 38, 13. et *Plin.* 5, 23, 19. ℙ *Apamia* alia urbs est Bithyniae, colonia Colophoniorum, etiam Myrlea dicta, nunc *Apami:* appellata ab uxore Prusiae regis, qui Annibalem recepit. *Plin.* 5, 32, 40. ℙ Alia est Apamea magnae Phrygiae nunc *Apamiz*, sita in radice montis Signiae, circumfusa Marsya, Obrima et Obriga fluminibus in Maeandrum cadentibus. *Plin. ib.* 29, 29. Hujus meminit etiam *Cic. Att.* 5, 16. et *Fam.* 2, 17. ℙ [*Sunt aliae praeterea *Apameae*, ut urbs Mediae, Raphane cognominata. *Plin.* 6, 14. ℙ Alia, in Mesopotamia, ad Euphratem fluvium, exadverso Zeugmatis. *Plin.* 5, 24. et 6, 26. ℙ Et alia in Assyria ad Tigrim, in Sittacena regione. *Plin.* 6, 27. ℙ Alia, in Babylonia. *Id.* 6, 27. *B. A.*]

*APAMENII, orum, pro Apameni, *Justin.* 39, 1. edd. *Duker.* et *Graev. B. A.*

ĀPĀMENSIS, se, adj. ad Apameam pertinens. *Cic. Att.* 5, 21. Forum instituerant agere Laodiceae Cibyraticum et Apamense etc. Intelligit Apameam Phrygiae majoris.

ĀPĀMENUS, a, um, adj. ad Apameam pertinens, ut *Apamena regio* ap. *Plin.* 5, 29, 31., ubi intelligit regionem Apameae Phrygiae majoris. ℙ *Apamenum vinum* inter meliora recensetur a *Plin.* 14, 7, 9., et mulso praecipue convenire dicitur. Nascebatur circa Apameam magnae Phrygiae. Ejus quoque uva erat laudatissima in cibis. *Lamprid. Elag.* 21. Misit et uvas Apamenas in praesepia ejus suis.

ĀPĀMĒUS, a, um, adj. ad Apameam pertinens. *Apamei*, *orum*, ap. *Plin. ep.* 10, 57., *quae est Trajani* ad *Plin.* sunt Apameae urbis incolae: intelligit autem Apameam Bithyniae.

ĀPĀRCTĬAS, ae, m. ἀπαρκτίας, *ou*, ventus spirans a septentrione recta contra Austrum, a *Plin.* 2, 47, 46. Latina voce *Septentrio*, a *Gell.* 2, 22. *Septentrionarius* dictus. Nam *Aparctias* Graeca vox est ab ἀπὸ, ab, et Ἄρκτος, ursa, quia ab ea parte spirat, ubi sunt Ursae. *Plin. l. c.* A septentrionibus Septentrio, interque eum et exortum solstitialem Aquilo: Aparctias et Boreas dicti. [*Cf. *Gron.* ad *Liv.* 37, 11, 12.] *Appul. de Mundo.* p. 62. *Elm.* Eurus quamvis sit ventus orientis, idem tamen Aparctias incipit nominari, cum eum oriens aestivus effundat. Ita MSS. et editiones plurimae; [at *Oud.* multo rectius edidit: *Idem tamen a parte Caecias accipit nomen, cum eum oriens aestivo effundit. F.*]

APARĪNE, es, f. ἀπαρίνη, [*Galium Aparine, *L. (Klebkraut)*] genus est herbae ramosae, hirsutae et quae quina, vel sena in orbem circa ramos folia habet per intervalla, semine rotundo, duro, concavo, subdulci. Nascitur in agris frumentariis, aut hortis, pratisve, asperitate foliorum etiam vestibus adhaerescens. *Plin.* 27, 5, 15.

[ĀPĀTE, es, f. ἀπάτη, fraus. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1780, 1. Cornelia Apate. *F.*]

ĀPĀTHĬA, ae, f. ἀπάθεια, vacuitas affectuum, qualem in viro sapiente Stoici requirebant: ab *a* privativa, et πάθος, affectus animi. Ea semel Latine usus est *Gell.* 19, 12. *ad f.* Sic isti apathiae sectatores, qui videri se esse tranquillos et intrepidos et immobiles volunt etc.

ĀPĀTOR. V. in AMETOR.

ĀPĀTŪROS, i, ἀπάτουρος, fanum fuit in oppido cognomine, in Asia ad Bosphorum Cimmerium, dicatum *Veneri dolosae*, hoc est fallaciis et dolis usae in occidendis Gigantibus, qui se adorti fuerant. Illa enim Hercule in auxilium invocato, tamdiu hic illic latuisse dicitur, donec singillatim ab Hercule excepti ad unum interfecti sunt: ab ἀπατάω, fallo, decipio. Ejus fani meminit *Plin.* 6, 6, 6. ℙ Hinc *Apaturia*, *orum*, sacra Graecorum in honorem Veneris dolosae, in quibus sumptuosae coenae fiebant. *Tert. Apol.* 39. *ad f.*

APE apud antiquos dicebatur *prohibe*, *compesce*, teste *Festo.* Hinc *vet. Gloss.* Ape, κώλυσον: apet ἀποσοβεῖ.

*APELAURUS, i, Arcadiae locus, in terra Stymphalia. *Liv.* 33, 14. *B. A.*

ĀPĒLĬŌTES et Apheliōtes, ae, m. ἀπηλιώτης, et ἀφηλιώτης, ventus ab oriente aequinoctiali spirans contra Favonium, Latino nomine *Subsolanus*: ab ἀπὸ, ab, et ἥλιος, sol, quia ab oriente sole oritur. *Plin.* 2, 47, 46. Ab oriente aequinoctiali Subsolanus, ab oriente brumali Vulturnus: illum Apelioten, hunc Eurum Graeci appellant. *Cat.* 26, 1. Furi, villula nostra non ad Austri Flatus opposita est, nec ad Favoni, Nec saevi Boreae, aut Apeliotae. ℙ Apud *Gell.* 2, 22. et *Sen. Qu. nat.* 5, 16. scribitur Graece ἀφηλιώτης per aspiratam, quia aspero accentu ἥλιος notatur. Sed ἀπηλιώτης, dempta aspiratione legitur apud *Arist. Met.* 2, 6. et alios. Itaque utroque modo recte scribi potest.

ĀPELLA, ae, m. nomen proprium Judaei cujusdam Romae degentis tempore *Horatii*, vel paulo ante; de quo is *Sat.* 1, 5, 105. credat Judaeus Apella, Non ego. *Acro* et *Porphyr.* veteres *Hor. Scholiastae* putant *apella* esse nomen commune Judaeis omnibus, quia cum circumcisi sint, pellem seu praeputium in virili membro non habeant: ut sit Graecorum more composita vox ab *a* privativa et *pellis.* Quod placuit *Alcimo Avito*, qui Judaeos hac voce indicavit 5, 364. Jam prope centenum

compleverat advena lustrum In regnis, Aegypte, tuis Judaeus apella. Verum hujusmodi compositiones a Latinae linguae natura fere alienae sunt: neque audiendi curiosiores quidam grammatici, qui vocum etymologias subtilius exquirentes, *anus* ab *α* et *νοῦς*, *amens* ab *α*, et *mens; apes* ab *α*, et *pes*, et his similia alia comminiscuntur. Cujusdam *Apellae* Chii artificis meminit etiam *Cic. Att.* 12, 19. et *Fam.* 10, 17. mentio est alius *Apellae*, ex quo etiam apparet nomen proprium viri fuisse, a Graeco *ἀπελλῆς* [*Gr. nomina in *ας* latine saepe terminantur in *a*]: nam saepe Graeca nomina Judaeos per ea tempora sibi imposuisse, non semel legitur etiam in sacris libris N. T., cum inter Graecos degerent. [**Bentl. epist.* ad *Mill.* p. 520. *ed. Lips.* „Judaei habitabant trans Tiberem et multo maximam partem erant Libertini, ut fatetur *Philo* in legat. ad Cajum. Apella autem libertinorum nomen est etc. Sensus igitur est: Credat superstitiosus aliquis Judaeus Transtiberinus.“ Ita jam antea, quem citat *Hdf.* l. l. *Gataker. adv. Miscell. Posthum.* c. 35. p. 790. C.]

*APELLAS, ae, insignis statuarius, cujus meminit *Plin.* 34, 8. *B. A.*

*APELLEI, orum, populi Scythiae. *Plin.* 6, 17, 19. *B. A.*

APELLES, is, m. *Ἀπελλῆς*, vir Cous, pictor eximius suorum temporum, qui floruit eodem aevo cum Alexandro M., a quo etiam tanti fiebat, ut a nullo alio praeter eum, pingi vellet: atque is quidem in arte sua adeo excelluit, ut non modo, qui ante se fuerant, ingenio, artificio, industria superaverit, sed etiam futuros postea pictores vicisse usque ad sua tempora, *Plin.* pronunciaverit 35, 10, 36. *n.* 10., ubi multa alia de eo, praecipuasque ejus tabulas recenset. ℙ Hoc nomen apud Latinos est tertiae declinationis *Apelles, lis, li, lem, les, le:* cujus rei exempla sunt apud *Plin. l. c.*, at apud Graecos est primae, *ὁ Ἀπελλῆς, λοῦ, λῇ, λῆν, λῆ:* quos secutus *Plautus* dixit *Apella* in vocativo pro *Apelle:* nam Graecum *η* et in *e*, et in *a* verti potest: nisi forte dicas, vocativum *Apella* a recto *Apella*, *ae* deduci: quod in simili docuit *Voss.:* sed hujus positionis exempla nondum vidimus. *Pl. Poen.* 5, 4, 101. O Apella, o Zeuxis pictor, etc.

APELLĒUS, a, um, adj. ad Apellem pertinens, *Ἀπέλλειος*. *Prop.* 1, 2, 22. Qualis Apelleis est color in tabulis. *Stat. Silv.* 5, 1, 5. Ut vel Apelleo vultus signata colore, Phidiaca vel nata manu. *Mart.* 7, 83. Apelleum opus. *Auson. epigr.* 106, 2. Cyprin Apellei cerne laboris opus. *Mart.* 11, 10. Apellea ars.

APELLĪNEM dicebant antiqui pro Apollinem, teste *Festo.*

[APĒMANTUS, i, m. *ἀπήμαντος*, illaesus, sine calamitate aut detrimento. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Amadut. Monum. Matth. T.* 3. p. 149. *n.* 3. Ti. Claudius Apemantus. *F.*]

APĒNARIUS. V. APINARIUS.

APENNĪNĪCŌLA, ae, m. et f. Apennini incola. *Virg. A.* 11, 700. Apenninicolae bellator filius Auni.

APENNĪNĪGĒNA, ae, m. et f. qui apud Apeninum genitus est et inhabitat. *Ov. Met.* 15, 432. Apenninigenae quae proxima Tiberidis undis. *Claud. VI. Cons. Hon.* 505. Apenninigenis cultas pastoribus aras.

APENNĪNUS, i, m. *Ἀπεννῖνος ὄρος*. [Etymon est a *pen*, quod Celtica lingua collem significat, hinc Alpes Penninae, deinde *Apenninus. F.*] Mons est, seu potius multorum montium inter se colligatorum series et quasi catena, quae ab Alpibus maritimis ad extremos usque Salentinos et Brutios Italiam per medium secat continuo jugo et apud Hirpinos in duo veluti capita, seu cornua divisa, altero ad Acram Japygiam in Salentinis, altero ad Leucopetram promontorium in Brutiis finitur. Pro locorum diversitate varia sortitur nomina, excelsus maxime inter agrum Parmensem et Lucensem. *Virg. A.* 12, 703. gaudetque nivali Vertice se attollens pater Apenninus ad auras. *Pater* dicitur vel ob dignitatem, quia omnium Italiae montium maximus est, vel quia veluti pater est multarum silvarum et fluminum, quae ex eo decurrunt. *Ov. Met.* 2, 226. Aeriaeque Alpes et nubifer Apenninus. ℙ *Apenninus* adjective positum V. in APONINUS. ℙ Sunt qui putarunt scribendum esse *Apoeninus*, quasi Alpes Poeni, quod per eos montes Annibal exercitu transierit; sed usus contradicit. ℙ *Apeninus mons* et *Apeninum jugum* unica consonante *n* legitur in *Marmore* pervetusto; pertinet enim ad an. U. C. 638., ap. *Grut.* p. 204. *l.* 18.

APER, apri, m. *κάπρος*, porcus silvester. De hujus vocis origine ita *Varr. L. L.* 4, 20. Apri ab eo, quod in locis asperis: nisi a Graecis, quod hi *κάπρους*. [Hoc unice verum. Sic piscem, quem Latini *aprum* appellant, *Aristot.* appellat *κάπρον*. V. infra.] ℙ Fuit in deliciis ciborum apud Romanos. *Juven.* 1, 140. quanta est gula, quae sibi fotos Ponit apros, animal propter convivia natum! *Virg. Ecl.* 7, 29. Setosus aper. *Id. ib.* 10, 56. Acres venari apros. *Id. A.* 1, 324. Spumans aper. *Ov. Met.* 10, 550. Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri. *Mart.* 9, 104. Arcadius aper, *h. e.* aper Erymanthius in Arcadia ab Hercule interfectus, quem *Id. Spectac.* 27. Maenalium vocat. Adde 5, 66. [**Laureus* aper *currensne* dici debeat, disputant *Bentl.* et *Fea* ad *Hor. epod.* 5, 29.] ℙ Apri descriptionem habes ap. *Ov. Met.* 8, 282. et *Appul. Met.* 8. p. 514. *Oud.* ℙ *Apros immittere liquidis fontibus* proverbiali locutione dicitur a *Virg. Ecl.* 2, 59., *h. e.* imprudenter facere aliquid, quod totum evertat negotium, quo de eras sollicitus: nam apri puras undas coenosas reddunt. ℙ *Uno saltu duos apros capere* aliud proverb. apud *Pl. Cas.* 2, 8, 42., pro quo Itali dicunt *pigliar due colombi ad una fava:* una fallacia duos decipere. ℙ Dicitur *aper* non de mare solum, sed etiam de femina, ut innuit *Varr. L. L.* 7, 24. Neque tamen ideo feminino genere effertur: quod quidam putant, qui ap. *Phaedr.* 2, 4. legunt *aprum insidiosam* contra consensum librorum, qui *insidiosum* habent, licet de femina sermo sit. Sic. *Virg. A.* 2, 355. *lupos* dixit catulos habentes, non *lupas:* et *Plin.* 9, 8, 7. *Delphini pariunt catulos.* Et *ib.* 13, 15. *Vitulus parit in terra.* Invenitur tamen *apra, ae*, usurpatum ab eodem *Plin.* l. *Art.*, ut est ap. *Prisc.* 6. p. 698. ℙ Fuit olim *aper* (quem *porcum* appellat *Festus*) inter signa militaria Romani exercitus, ut testatur *Plin.* 10, 4, 5. ℙ Est etiam piscis genus. *Id.* 11, 51, 112. Et is, qui aper vocatur in Acheloo amne, grunnitum habet. [*Cf. *Aristot. H. A.* 4, 9.] *Enn.* ap. *Appul. Apol.* p. 486. *Oud.* Mitylenae pecten, aperque apud Ambraciae amnem. *Hessel. in not.* ad *Enn.* ita utroque loco legendum putat et falli eos, qui *caper* reponunt. Nam Graece quidem *κάπρον* dici, qui Latine *aper.* | At *Oud.* ita legendum probat: Mitylenae est pecten, charadrumque apud Ambraciaï. *F.*] ℙ Denique *Aper* est inter cognomina, vel nomina civium Romanorum. *Auct. Dial. Or.* 2. et *Lamprid. Comm.* 2. Sic in *Inscr.* ap. *Grut.* 692, 8. A. Laelius Aper.

*APERANTIUS, a, um, adj. ad Aperantiam pertinens, regionem in Thessalia, sub Pindo et Oeta montibus, Epirum versus, de qua *Liv.* 36, 33. et 38, 3. *Aperantii, orum*, sunt populi illius regionis. *Id.* 43, 22. *B. A.*

APERIBILIS. V. APERTIBILIS.

APERIO, ēris, erui, ertum, ire, a. 4. *ἀνοίγω*, pando, quod clausum erat, patefacio. Etymologi deducunt ab *ad*, et *pario*, quia et *aperire* est in lucem edere. *Ter. Heaut.* 2, 3, 35. Aperire ostium. *Cic. Att.* 5, 11. *ad f.* et *ib.* 6, 3. *ad f.* Aperire epistolam. Et 1, 13. Litterae aut interire, aperiri aut intercipi possunt. *Suet. Caes.* 83. et *Plin.* 7, 52, 53. Aperire testamentum. *Virg. A.* 11, 884. Aperire alicui viam. *Cic. Fam.* 6, 11. alicui reditum ad suos. *Plin.* 9, 8, 9. exitum. *Sall. Cat.* 61. iter ferro. *Claud. B. Get.* 315. fugam inclusis. *Plin.* 12, 11, 23. Arbor florem aperire incipit solis exortu. *Id.* 2, 47, 47. Ver aperit navigantibus maria. [*Cf. *Burm.* ad *Virg. A.* 1, 146.] *Juven.* 9, 98. Fuste aperire caput, i. e. findere. *Cic. Fam.* 9, 18. Aperire ludum, instituere. *Paul. Dig.* 8, 2, 40. parietem, *h. e.* perfodere, januam in eo, vel fenestram facere. Et *Scaev. ib. l.* 41. januam in publico. *Ulp. ib.* 39, 2, 24. *sub f.* puteum, i. e. effodere. [**Tac. G.* 16. solent et subterraneos specus aperire.] *Id. ib.* 43, 11, 1. Viam aperire est ad veterem altitudinem latitudinemque restituere. *Virg. G.* 1, 417. Candidus auratis aperit cum cornibus annum Taurus, *h. e.* signum tauri apparet, cum vernum tempus incipit. [*Eodem modo *Consules annum aperire* dicuntur *Plin. Pan.* 58, 4. quia Kal. Jan. consulatum ineunt. Cf. *Gierig.*] ℙ Saepe est detegere. *Cic. Off.* 1, 35. *ad f.* Ne, si quo casu evenerit, ut corporis partes quaedam aperiantur, aspiciantur non decore. *Id. Phil.* 2, 31. Aperire caput. *Plin.* 28, 6, 17. Aperire capita aspectu magistratuum. [*Explicat hunc usum *Cort.* ad *Sall. fr.* p. 997. Plerumque enim veteres Romani, nisi in itinere essent, lacinio togae caput operiebant; atque hinc facile intelligitur, cur dixerint *caput aperire.*] *Tac. Agr.* 38. Dies faciem victoriae latius aperuit, i. e. monstravit. [**Id. Hist.* 4, 29. novam aciem dies aperuit.] *Liv.* 22, 6. Cum calescente sole dispulsa nebula aperuisset diem. [**Stat. Silv.* 5, 1, 254. tristes tenebras aperire, i. e. discutere. Cf. *Gron. diatr.* p. 493. *ed. Hand.* et *Drak.* ad *Liv.* 26; 17, 14. depulsa sole nebula aperuit diem.] *Virg. A.* 6, 406. aperit ramum, qui veste latebat. ℙ *Aperire locum aliquem*, patefacere, ut adiri possit ab aliis, *Liv.* 42, 52. Incognitum famae aperuerint armis orbem terrarum. *Mela* 3, 6. *ante med.* Britanniam tamdiu clausam aperit ecce principum maximus. [*Cf. *Broukh.* ad *Tib.* 1, 3, 36. Et translate *Tac. Hist.* 4, 64. aperuit terras omnes, uti lucem diemque, natura hominibus, i. e. liberas et communes esse voluit. Ut autem locus aperiri dicitur, ita etiam, quod Noster omisit, gentes aperiri dicuntur, ad quos primum accessus armis et bello aperitur. *Tac. G.* 1, 1. gentes ac reges, quos bellum aperuit. Locis ibi a *Passow.* allatis adde *Cort.* ad *Luc.* 4, 352. *Cic. Man.* 8. et *Broukh.* ad *Tibull.* 1, 3, 36.] *Val. Fl.* 1, 169. pelagus quantos aperimus in usus! ℙ *Aperire se* est se manifestare. *Cic. N. D.* 2, 20. Stella vespertinis temporibus delitescit, matutinis se aperit. *Plin.* 31, 3, 24. Marcia aqua in specus mersa, in Tiburtino se aperit. Eleganter *aperire se* dicuntur, quae a longe venientibus paulatim conspiciuntur. *Virg. A.* 3, 205. Quarto terra die primum se attollere tandem Visa, aperire procul montes. *Id. ib.* 275. Et formidatus nautis aperitur Apollo. ℙ Translate. *Cic. Off.* 2, 15. Nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit; nec ita reseranda, ut pateat omnibus. [*coll. *Ov. Trist.* 4, 5, 5. portus fideles aperire alicui, et qui h. l. imitatus est, *Qu. Decl.* 9, 16. portum benignitatis aperire. Cf. *Burm.* utroque loco.] *Id. ad Brut.* 1, 10. Sceleratissimorum consiliorum fontes aperire. *Id. Tusc.* 1, 3. *in f.* fontes philosophiae. *Id. Verr.* 2, 5, 71. locum suspicioni. *Liv.* 9, 27. alicui occasionem. [*Haud absimile est, quod legitur apud *Suet. Tib.* 28. Si hanc fenestram aperueritis, i. e. si hoc permiseritis. Porro adde: *Tac. A.* 2, 70. mors Germanici Syriam aperuisset, i. e. alii praesidi locum fecisset. *Id. Hist.* 2, 71. Ut Valenti et Caecinae vacuos honoris menses aperiret (i. e. ut prius ad honores pervenirent) coartati aliorum consulatus etc.] *Cic. Or.* 1, 18. sententiam suam. [**Sall. Cat.* 57. aperit docetque, quod bene defendit *Kritz.* contra *Cort.*, qui *docet* deleri volebat. Interdum a librariis addi *aperit* docet *Drak.* ad *Liv.* 37, 10, 5.] *Nep. Dion.* 8. alicui suos sensus. [*Cf. *Brem.* ad h. l. et quem laudat *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 4, 1, 8. Eodem modo usurpatur: se indicare.] *Id. Paus.* 3. *in f.* Exspectandum dum se ipsa res aperiat. [**Qu. prooem.* l. l. §. 3. latius se aperiente materia.] *Id. Pelop.* 3. Hoc aperuit ejus dementiam. *Id. Eum.* 13. Quid sentirent, aperuerunt. *Cic. Fin.* 1, 9. Occulta et involuta aperire. [**Tac. Hist.* 2, 78. has ambages (i. e. oracula) — fama tunc aperiebat. *Qu.* 12, 2, 10, ambigua aperire, perplexa discernere. *Id.* 8, 3, 11. (genus demonstrativum) aperit omnes dicendi artes ornatumque orationis exponit.] *Id. ib.* 4, 24. Aperire dubia. *Ter. Andr.* 4, 1, 8. Aperire se. *Auct. ad Her.* 2, 31. Si de clementia, humanitate, misericordia nostra, qua in alios usi sumus, aperiemus, *h. e.* verba faciemus, disseremus, explicabimus. [**Cic. Or.* 33. involutae rei notitia definiendo aperienda est, i. e. communem notionem obscuriorem ad definitionem perspicuam revocare.] ℙ Singularis est locus *Cic. Att.* 5, 1. De Oppio factum est, ut volui, et maxime quod DCCC. aperuisti, *h. e.* ostendisti te daturum, si urgeret [*s. expedivisti.]; quod ex alio *ejusd. ib.* 4. arguitur. Ait enim: De Oppio bene curasti, quod ei DCCC. exposuisti. ℙ In futuro *aperibo* pro *aperiam* dictum est antiquo more. *Pl. Truc.* 4, 2, 50. Ego aedepol jam tua probra aperibo omnia. Adde *Pompon.* apud *Non.* 10, 15. ℙ Quidam volunt usurpari posse *aperii* in praeterito pro *aperui.* Sic enim legi apud *Cic. Att.* 7, 3. *in f.* Scis, quos aperierimus: ubi alii *aperuerimus.* ℙ Particip. [*Aperturus* apud *Liv.* 38, 55. *in f.* Et se aperturum aerarium dixisse, qui, ut clauderetur, effecisset. *F.* *Commutantur in libris *aperire* et *apparere*, V. intpp. ad *Liv.* 44, 28. — et *operire*, *Drak.* ad *Liv.* 1, 56, 8. et intpp. ad *Tac. A.* 4, 71.]

APERITĪVUS. V. APERTIVUS.

*APEROPIA, ae, f. *Ἀπεροπία*, maris Aegaei insula, Argolidi adjacens, e regione Hermiones. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

APERTA, inquit *Festus*, Apollo vocabatur, quia patente cortina responsa ab eo darentur. *Scalig.* putat ita dictum lingua Tarentina pro *ἀπειρώτα*, hoc est *ἠπειρώτης*, quod transmarinus Deus esset, et peregrinus. Nam regiis temporibus Apollo Romanis ignotus erat. V. etiam *Voss. Etym. in* Aperio.

APERTE, adv. *φανερῶς*, manifeste, clare, plane. *Cic. Verr.* 1, 2, 7. Aperte palamque dicere. *Id.* ad *Brut.* 1, 5. His verbis aperte indicat, posse, etc. *Id. Acad.* 4, 6. *a med.* Aperte mentiri. *Id. Att.* 16, 3. Ad Balbum scripsi apertius. *Id. Verr.* 2, 2, 64. *in f.* Quam apertissime planissimeque explicare aliquid. *Id. Or.* 2, 36. Ponere aliquid aperte falsum. ℙ Est item publice, palam, coram aliis, cui occulte opponitur. *Cic. Or.* 12. Non ex insidiis, sed aperte ac palam facere aliquid. *Id. Planc.* 14. Eum ipsum dolorem tulit paulo apertius. *Id. Att.* 14, 13. Laetitiam apertissime tulimus omnes. *Tac. A.* 11, 28. Non jam secretis colloquiis, sed aperte fremere. *Id. ib.* 13, 1. Venenum proconsuli inter epulas datum apertius, quam ut fallerent. *Plin. Pan.* 62. Aperte favere alicui. ℙ [*Commutantur in libris *aperte* et *apte.* Cf. *Burm.* ad *Qu.* prooem. p. 8. et ad 1, 2. p. 32.]

APERTĪBILIS, le, adj. aperiendi vim habens. *Coel. Aur. Acut.* 3, 3. *in f.* Omne quod fuerit acre, sive immodice apertibile. Et *ib.* 4. Superunctiones tenuabiles et apertibiles. Utroque loco alii leg. *aperibilis.*

APERTIO, onis, f. *ἄνοιξις*, actus aperiendi. *Varr. R. R.* 1, 63. Quod cum periculo introitur

recenti apertione, ita ut quibusdam sit interclusa anima, aliquanto post promere, quam aperueris, oportet. *Pall.* 1, 6. In vite vel arbore quae facienda sunt, perage ante apertionem floris et gemmae. Adde *Appul. Met.* 11. p. 266, 22. ℙ *Apertio* absolute vulgo dicebatur cum solemni statoque die Deorum templa aperiebantur sacrorum renovandorum gratia, et omnia signa, vasa aliaque sacra commovebantur. *Serv.* ad *A.* 4, 301.

APERTIVUS, a, um, adj. aperiendi vim habens. *Coel. Aur. Acut.* 3, 4. Unguenta acriora, et provocativa, et apertiva, quae anastomotica appellant. Ἀναστομωτικὸς Gr. eundem habet sensum. Alii leg. *aperitiva.*

APERTO, as, a. 1. frequentat. ab *aperio.* *Pl. Men.* 5, 5, 12. Quaeso, cur apertas brachium?

APERTOR, oris, m. ἀνοίγων, qui aperit. *Tert. carm. adv. Marcion.* 2, 3. *ad f.* Joannes baptismi primus apertor.

*APERTULARIUS, i, m. *Isidor.* Effractor, sive qui operta aperit. *Vet. Gloss.* Apertularius, θυρεξανοίκτης. *B. A.*

APERTURA, ae, f. actus aperiendi, idem quod apertio, ἄνοιξις. *Vitr.* 4, 6. *in f.* Forium ornamenta fiunt valvata, et aperturas habent in exteriores partes, *h. e.* cum aperiuntur, in exteriorem aedium partem volvuntur. *Ulp. Dig.* 28, 5, 3. Aperturae tabularum dilatio necessarii heredis jus non mutat. ℙ Item foramen, locus apertus. *Vitr.* 5, 5. Relinquantur aperturae inferiorum graduum cubilibus. *Id.* 10, 9. Relictis aperturis ad aquam intus concipiendam. ℙ Est etiam sectio partis abruptae, sive detritae, quam sarcinator facit in veste, vel quovis alio panno, ut novum sufficiat. *Edict. Diocl.* p. 211. Sarcinatori in veste subtili aperturae cum subsutura olosericae ✕ quinquaginta.

APERTUS, a, um, part. v. *aperio*, ἀνοικτὸς, patefactus, reclusus. *Cic. Verr.* 2, 4, 20. Statuerunt se nihil tam clausum, neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditati apertissimum promptissimumque esset. *Suet. Aug.* 82. Apertae fores. *Cic. Div.* 1, 1. Coelum ex omni parte patens atque apertum propter planitiem magnitudinemque regionum. *Virg. G.* 2, 280. Apertus campus. [*Cf. *Drak.* ad *Sil.* 11, 417.] *Plin.* 2, 46, 45. Aperto mari navigare. [*Tac. *Agr.* 10. *id. A.* 2, 23.] *Cic. Verr.* 2, 4, 49. Apertus et propatulus locus. *Liv.* 32, 21. Peloponnesus nulli apertior neque opportunior, quam navali bello. [*Liv. 36, 10, 7. urbs sita in plano, aperta, campestri undique aditu, et ad h. l. *Duker.* et *Drak.*] *Virg. A.* 8, 585. exierat portis equitatus apertis. Et *ib.* 1, 161. Apertum coelum, *h. e.* serenum. Sic *ib.* 591. Apertus aether. Et *G.* 1, 393. Aperta serena. [*Cf. *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Or. G. R.* 14, 3.] *Cic. Verr.* 2, 5, 40. Apertae naves, *h. e.* quae nullum habent tectum: quibus tectae et constratae opponuntur. [*Cf. *Drak.* ad *Liv.* 31, 22, 8. et erant Atticae tres apertae naves, ubi alii male *aptae.*] ℙ *Apertum, i*, absolute ponitur pro loco aperto. *Plin.* 10, 8, 9, Volare in aperto. *Id.* 8, 32, 50. Prodire in aperta. *Hor. Od.* 3, 12, 10. Fugere per apertum. *Liv.* 1, 33. Castra in aperto posita. *Tac. A.* 2, 23. Auster naves disjecit in aperta Oceani, *h. e.* in medium Oceanum. Hinc, quoniam in apertis locis nihil obstat, translate *in aperto esse* est i. q. facile esse. *Tac. Hist.* 3, 56. Cum fessos hieme, atque inopia hostes aggredi in aperto foret. *Id. Agr.* 1. Agere memoratu digna pronum magisque in aperto erat. Adde *ib.* 33. [*et 38.] ℙ Saepe apertus ponitur pro detecto, nudo. *Turpil.* et *Varr.* ap. *Non.* 4, 5. et 6. Apertae surae. [*Ov. *Met.* 2, 339. et aperto pectore fovit (al. saevit) nomen, ibique *Burm.* Hinc metaph. ut *nudus* usurpatur pro non munitus. *Caes. B. G.* 7, 25. nec facile adire apertos ad auxiliandum animadvertebant, i. e. nulla munitione ab hostium telis defensos. Contrarium est *tegere* et *tectum esse.* V. *Herz.* Aliter autem *Cic. Fin.* 1, 18. o praeclaram beate vivendi et apertam (i. e. munitam) et simplicem et directam viam.] *Varr. ib.* capite aperto esse. [*Apud *Pl. Capt.* 3, 1, 16. aperto capite est i. q. impudenter. cf. *Lind.*] ℙ Et pro eo, quod palam fit, cui occultus opponitur, ἐμφανής. *Cic. Cat.* 2, 1. Illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium conjecimus. *Id. Manil.* 24. Simultates partim obscurae, partim apertae. [*Liv. 25, 24, 3. non furtim, sed vi aperta gerebatur res.] ℙ Translate sumitur pro manifesto, claro, cui *obscurus* opponitur. *Cic. Inv.* 1, 20. Aperta narratio. [*Cf. *id. or.* 2, 80. ubi explicat. *Quint.* 4, 2, 36. aperta et dilucida oratio junctim dicitur; de his locis cf. *Ern. lex. techn. lat.* p. 22.] *Id. N. D.* 2, 2. Aperta et perspicua res. *Id. Att.* 8, 3. Apertus dolor. *Gell.* 6, 4. Apertis verbis dicere. [*Quint. 10, 3, 21. apertus animi motus, i. e. affectus, qui se aperit sive prodit. Cf. *Spald. Cic. Fin.* 1, 9, 30. altera, occulta quaedam et quasi involuta aperiri; altera, promta et aperta judicantur, i. e. judicio in plena sua luce ponuntur. Etiam de homine ipso dicitur: *Quint.* 10, 1, 119. Trachalus sublimis et satis apertus fuit, i. e. perspicuus, dilucidus.] *Virg. A.* 11, 360. Aperta pericula. *Nep. Con.* 2. et 3. Apertum est hoc mihi, *h. e.* cognitum perspectumque. *Sall. Jug.* 5. Pauca supra repetam, quo ad cognoscendum omnia illustria magis, magisque in aperto sint. *Cic. Cluent.* 17. Quis unquam audacior? quis nocentior? quis apertior in judicium adductus est? *h. e.* manifestior reus. *Justin.* 3, 7. Aperto proelio dimicare. ℙ *Apertus* interdum dicitur, qui simplex et sincerus est, nec dissimulare aut tegere quidquam novit. *Cic. Fam.* 1, 9. *a med.* Novi animum tuum cum magnum et excelsum, tum etiam apertum et simplicem. *Id. Amic.* 26. Apertum pectus. In malam partem. *Id. Mur.* 25. Catilinam excitavi, atque eum de his rebus jussi, si quid vellet, dicere: atque ille, ut semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indicavit, etc., *h. e.* impudens atque audax. ℙ [*Confunduntur in libris saepissime *apertus* et *opertus.* Cf. *Bentl.* et *Fea* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 86. *ad ejusd. epist.* 2, 1, 268. *Burm.* ad *Ov. Am.* 1, 10, 16. maximeque *Drak.* ad *Liv.* 39, 14, 9. et quos ibi laudat. — Male *Heins.* *apricus* pro *apertus* legi vult ap. *Ov. Trist.* 5, 4, 9. *Apertior, altior, aptior* confusa *Quint.* 10, 3, 21. ubi V. *Spald.* et *Frotscher. apertus* et *aptus*, *Quint.* 1, 2. *fin. apertus* et *aptus*, *Drak.* ad *Liv.* 31, 22, 8. et 34, 46, 4.]

ĀPES. V. APIS.

APEX, apĭcis, m. primo et proprie significat virgulam, quae in summo pileo Flaminum lana circumdata, et filo colligata erat, ut *Serv.* ad *A.* 10, 270. docet: ab antiquo verbo *apere*, quod ritu Flaminum alligare significat. Ea autem virgula in pileo Flaminis Dialis oleagina erat, ut docet *Festus* in *Albogalerus.* ℙ Deinde sumitur pro ipso pileo sacerdotali cum hujusmodi virgula in modum coni assurgente, quod erat sacerdotum insigne, ut nunc mitra Episcoporum. Ejus triplicem figuram ex antiquis lapidibus exhibet *Philipp. Ruben. elect.* 2, 25. Varius autem erat pro variis sacerdotum generibus. Nam suus erat et proprius Flamini Diali, suus aliis Flaminibus, et sacerdotibus: et fere fiebat ex pellibus ovillis, sumptis ex hostia caesa, cum sua lana, et gestabatur a Flamine quidem Diali semper, cum in publicum prodiret; ab aliis, cum rem divinam erant facturi: habebatque ligamenta, quae *offendices* dicuntur, quibus sub mento alligabatur, vel si aestus esset, post cervicem demittebatur. *Fabius Pictor* ap. *Gell.* 10, 15. Dialis nodum in apice, neque in cinctu, neque alia in parte ullum habet, *h. e.* in apice solummodo nodum habet (quo scilicet lana circumdata alligabatur, ut dictum est) et in nulla praeterea alia parte. *Id. ib.* Diali sine apice sub divo esse, licitum non est: sub tecto uti liceret, non pridem a pontificibus constitutum. *Liv.* 6, 41. Apicem Dialem alicui imponere. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 4. Sulpicio inter sacrificandum apex e capite prolapsus, sacerdotium abstulit. *Cic. Leg.* 1, 1. Ab aquila Tarquinio apicem impositum putent, etc. Hoc loco non sacerdotalem pileum, sed profanum intelligit; neque enim Tarquinius eo tempore sacerdos erat. V. *Liv.* 1, 34. V. GALERUS. [*Hinc etiam de tiara, regum Persarum insigni, *Ammian.* 18, 5. apicis nobilitatus auctoritate; *coll.* c. 8. ubi ipse *tiaram* appellat.] ℙ De ipso sacerdotio. *Senec.* ap. *Lact.* 17, 6. *sub f.* Homo honestus non apice, purpurave, non lictorum insignis ministerio. ℙ Hinc factum est, ut apex frequenter sumatur pro fastigio et summitate cujuscumque rei, ἄκρον. *Sil.* 12, 709. et *Juven.* 12, 72. Apex montis. [*Neque tamen simpliciter *apex* pro monte dicitur. Cf. *Mart. Laguna* ad *Lucan.* 2, 666. in *ed. Cort.*] *Plin.* 36, 10, 15. obelisci. *Colum.* 5, 25. falcis, *h. e.* mucro. *Plin.* 11, 37, 44. Apices volucrum, *h. e.* cristae in capite. *Virg. A.* 7, 66. arboris. *Id. ib.* 12, 492. galeae, *h. e.* crista in galeae cono eminens. *Ov. Met.* 10, 279. Flamma ter accensa est, apicemque per aera duxit, *h. e.* surrexit et ascendit in modum apicis sacerdotalis. [*Ammian. 26, 7. signorumque apicibus aquilisque summissis.] ℙ Apud *Stat. Theb.* 10, 782. *apicem sibi poscere in astris*, est poscere inter Deos referri, sive quod heroes post mortem astra fieri, persuasio fuit: astra vero ignei apices dici possunt; sive quod mos erat stellam pro apice appingi capitibus heroum in Deos translatorum: cujus rei exempla habes apud *Val. Fl.* 3, 188., *Sil.* 13, 863., *Plin.* 2, 25, 23. et *Suet. Caes.* 88. ℙ Translate. *Cic. Senect.* 17. Atque ejus extrema aetas hoc beatior, quam media, quod auctoritatis plus habebat, laboris vero minus: apex autem senectutis est auctoritas, *h. e.* summa dignitas et quasi fastigium. *Hor. Od.* 1, 34, 14. hinc apicem rapax Fortuna cum stridore acuto Sustulit; hic posuisse gaudet, *h. e.* culmen honorum, aut divitiarum. *Pacat. Paneg. Theod.* 6. Romani fastigii apex. *Arnob.* 2, p. 76. Tenere summum apicem perfectionis. [*Omnino hujus aevi scriptores hoc voc. lubenter utuntur, ut *Ammian.* 26, 6. ad apicem summae potestatis assumi; 30, 8. dignitatum apices maximi; ac saepius. Adeo, ut *vertex*, de personis ipsis dignitate aliqua conspicuis, hac aetate dictum esse videatur, ut bene monet *Ernest.* in *Gloss. Amm.*, quem V.] ℙ Interdum *apex* dicitur virgula extensa jacens supra vocalem, quam appingebant veteres ad ostendendum, eam vocalem longam esse, et ad tollendam legentium dubitationem in iis verbis, quae plura et inter se diversa significant: ut in *malus*, *aret*, *venit*, *legit*, etc. Ita docet *Scaurus* in fine suae Orthographiae. *Quint.* 1, 7. Longis syllabis omnibus apponere apicem, ineptissimum est. Et *ib.* Malus utrum arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur. Hinc translate de minutis rebus dicitur: *Ulp. Dig.* 17, 1, 29. Disputare de apicibus juris, *h. e.* de stricto legum sensu, et summo jure. *Arnob.* 3. *init.* Nullum apicem quaestionis praetermittere, *h. e.* nullam vel subtilissimam quaestionis partem. ℙ Item etiam ductus litterarum. *Gell.* 13, 30. Vix ipsos litterarum apices potui comprehendere. Adde 17, 9. ℙ Item per synecdochen epistola, aut scriptura quaelibet. *Sidon. ep.* 1, 5. Egresso mihi Rhodanusiae nostrae moenibus cursus publicus usui fuit, utpote sacris apicibus accito, *h. e.* litteris principis. *Id. ep.* 6, 8. Apicum oblator, *h. e.* qui litteras fert. *Imp. Justin. Cod.* 2, 8, 6. *in f.* Augusti apices, *h. e.* Rescriptum imperatoris. Adde *ib.* 11, 42, 11.

APEXABO, ōnis, m. genus farciminis, quod in sacris adhibebatur, et fiebat ex tenuissimo intestino farto (quod alio nomine *hilum* appellatur) ita dictum, ut *Varro* docet, quia in summitate quiddam habebat simile apici capitis. Verba *Varronis* sunt *L. L.* 4, 22. Quod in hoc farcimine summo quiddam eminet, ab eo, quod ut in capite apex, apexabo dicta. *Arnob.* 7. p. 229. Quid sibi haec volunt, apexabo, hirciae, silicernia, longabo? quae sunt nomina, et farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus.

APHACA, ae, f. ἀφάκη, [*Vicia cracca *L. Vogelwicke.*] herba est in arvis nascens, paulo altior lente, foliis admodum tenuibus, terna, aut quaterna semina nigra in siliquis ferens. Ita *Plin.* 27, 5, 21. describit. Quidam putant, esse eandem ac viciam silvestrem.

APHACE, es, f. ἀφάκη, herba ex genere olerum, et intubaceorum, quae subinde marcescente flore emittit alium, tota hieme, toto vere usque in aestatem, ut *Plin.* 21, 15, 52. scribit. Haec autem soli Aegypto cognita est, ut notat *Hard.*

APHAEA, ae, f. Ἀφαία, cognomen Britomartis nymphae Cretensis, ita dictae ab Aeginetis ἀπὸ τοῦ ἀφαιθῆναι [*sic!], quod vim Minois regis, qui ejus virginitati insidiabatur, effugerit. [*Imo ab *a* priv. et φαίνω appareo, i. e. quae cerni nequit, invisibilis. Ejus historiam praecipue *Paus.* 2, 30. et pluribus etiam *Anton. Lib.* persecuti sunt.] Nam cum is prae amore eam assidue sectaretur, et jamjam vim videretur illaturus, dicitur illa e scopulo se praecipitem dedisse, et in piscatorium rete incidisse, indeque ope Dianae ereptam fuisse. *Virg. Cir.* 303. *de Britomarti.* Unde alii fugisse ferunt, et nomen Aphaeae Virginis assignant, etc. Ita legit, et interpretatur *Scalig.* (nam alii aliter) ex *Pausania* rem enarrans. Itaque Aeginetae *Aphaeam* cognominaverunt, Cretenses vero *Dictynnam*, quia δίκτυα Graece retia dicuntur. Quia vero etiam Diana Dictynna appellata est, quod cum venatu admodum delectaretur, retia invenisse dicitur; factum est, ut nonnulli *Britomarten* eandem ac Dianam esse putaverint. [*De mytho V. Lex. mythol. *Nitschii* s. v. *Britomartis*, ed. *Kl.* p. 426.]

APHAERĒMA et Aphaerēma, atis, n. ἀφαίρεμα, et ἀφαίρημα, genus alicae factitiae, quod fiebat ex zea, eatenus tantummodo tusa, quoad ejus cortices, seu tunicae a grano excussae essent: ab ἀφαιρέω, aufero. *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 2. Ita alicae fiunt tria genera, minimum, ac secundarium: grandissimum vero aphaerema appellant. V. ALICA.

APHAERĒSIS, is, f. ἀφαίρεσις, figura est, quae a principio dictionis litteram, vel syllabam aufert, ut *pone metum*, pro *depone.* Graeca vox ab ἀφαιρέω, aufero, demo. *Serv.* ad *A.* 1, 546. Temnitis pro contemnitis per aphaeresin dictum. Adde *ib.* 669.

APHANNAE, arum, f. 1. plur. Ἄφαννα, nomen obscuri cujusdam oppidi, de quo V. AFFANIAE.

[APHANTĪCIUS, a, um, adj. ad aphanticum pertinens, id est agrum sterilem et incultum, ab ἄφαντος, evanidus. *Impp. Valentin. et Valens Cod. Theod.* 5, 15, 12. *inter fragm.* a *Peyronio edita.* Per Italiam aphanticiae jugerationis onere consistentibus patrimoniis superfuso. *Cod.* habet *afanticiae. F.*]

[APHANTĪCUM, i, n. ager squalidus et incultus, ab ἄφαντος, evanidus, parvos ferens fructus. *Imp. Theodos. Cod. Theod.* 13, 11, 3. Fundus aphanticorum mole depressus. *Cod.* habet *afanticorum. F.*]

APHAREIUS, a, um, adj. *Ov. Met.* 8, 304. Et duo Thestiadae, et proles Aphareia Lynceus, *h. e.* filius Apharei. Quidam leg. *Ephyreia.*

APHAREUS, i, m. Ἀφαρεύς, trisyllab., rex Messeniorum. Item unus Centaurorum, qui a Theseo occisus fuit. *Ov. Met.* 12, 341.

*APHAS, Molossorum fluvius, Ἄας *Steph.* hodie *Inacho* dictus. *Plin.* 4, 1. *B. A.*

[APHĒ, ēs, f. ἀφή, contrectatio, ab ἅπτω, necto. Est cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Viscont. Monum. Scip.* p. 58. *Tab.* 6. *n.* 2. Cornelia Aphe. ℙ Saepius scribitur *Haphe*, quam vocem V. suo loco. *F.*]

[APHĒLĒA, eae, f. ἀφελέα, simplicitas. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 991, 2. Postumiae Apheleae. *F.*]

APHĒSAS, antos, m. Ἀφέσας, mons Peloponnesi in Argia regione, apud Lernam paludem et silvam Nemaeam: ex quo se primum demisisse dicitur Perseus volanti Pegaso vectus, cum ad exstinguendam Gorgonem mitteretur: ita dictus ἀπὸ τοῦ ἀφεῖναι, dimittere. *Stat. Th.* 3, 460. Mons erat audaci seductus in aethera dorso; Nomine Lernaei memorant Aphesanta coloni. *Lact. Scholiast. Statii* vult esse montem Tarsi in Cilicia. A *Plin.* 4, 5, 9. dicitur *Apesantus* Latina et terminatione et scriptione.

[APHĒTOS, sive Aphetus, ἄφετος, dimissus, liber. Cognomen libertinum Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 606, 8. Sulpitiae Olympiadi Aphetos Aug. L. *F.*]

APHIDNAE, arum, Atheniensium vicus, ab Aphidna Thesei socio sic appellatus, ubi Theseus Helenam raptam occultavit. *Sen. Hipp.* 24. Parvas alius Calcet Aphidnas.

*APHLE, es, vicus Susianae. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

[APHLĒA, ae, f. quae non nugatur, ab α privat., et φλέω, nugor. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 477. *n.* 148. Matrinia Aphlea. *F.*]

[APHNĪUS, i, m. ἀφνειός, dives. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 669, 5. Aphnio, qui vixit ann. XIII. mens. XI. dieb. XVI. *F.*]

[APHŌBĒTUS, i, m. ἀφόβητος, metu non perculsus, non metuens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 373, 2. L. Appio Aphobeto. *F.*]

APHRACTUS, i, f. ἄφρακτος (intellige ναῦς) vox Graeca, qua significatur genus quoddam longioris navigii: ab α priv., et φράσσω, munio, quia caret tecto, quo a superiori parte muniatur, et a Latinis *navis aperta* dicitur, cui opponitur κατάφρακτος, hoc est *navis tecta*. In hujusmodi navibus sedebant navigantes in ima carina, nautae vero in tabulatis, quae brevia ad puppim et proram erant, ut quae opus erant commodius exsequi possent. *Cic. Att.* 5, 13. Navigavimus tardius propter aphractorum Rhodiorum imbecillitatem. Et *ib.* 6, 8. Nos Etesiae vehementissimae tardarunt: detraxit viginti ipsos dies etiam aphractus Rhodiorum. *Id. ib.* 5, 11. Graece usurpat, et neutro genere. Ἄφρακτα, inquit, Rhodiorum habebam. Et 12. Jam nosti ἄφρακτα Rhodiorum.

[APHRĀDAS, ae, m. ἀφραδής, temerarius, inconsultus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 250. *n.* IV. L. Aurelius Aphradas. *F.*]

[APHRISSA, ae, f. herba eadem ac dracontea. *Appul. Herb.* 14. *F.*]

APHRODES, m. et f. ὁ καὶ ἡ ἀφρώδης, spumans, spumeus, ab ἀφρός, spuma. *Appul. Herb.* 53. Herba ceratitis, sive aphrodes, *h. e.* papaver agreste, quia colore spumam refert. De hoc eodem *Plin.* 27, 12, 93. Peplis, quem aliqui sycen, alii meconion, alii mecona aphrode vocant, τὴν μήκωνα ἀφρώδη. V. APHRON.

APHRŌDĪSIA, ae, f. urbs Apuliae, alio nomine *Venusia*, condita a Diomede, et dicata Veneri, quo eam in se iratam et impedientem, ne patrias sedes invenire posset, placaret. *Serv.* ad *A.* 11, 246.

APHRŌDĪSĬĂ, orum, n. plur. τὰ Ἀφροδίσια, dies festus Veneri sacer: qui cur ita dicatur, V. in APHRODISIACE. *Pl. Poen.* 1, 1, 62. Ego in aedem Veneris eo, nisi quid vis, Milphio; Aphrodisia hodie sunt. *Id. ib.* 1, 2, 44. Diem pulcrum et celebrem, et venustatis plenum; dignum Veneri pol, cui sunt Aphrodisia hodie.

APHRŌDĪSĬACE, es, f. gemma quaedam ex candido in rufum colorem inclinans, apud *Plin.* 37, 10, 54. ita dicta, vel quia Veneri sacra est, vel quia roseum Veneris colorem refert. Venus autem ἀφροδίτη Graece dicitur; quia e spuma maris nata creditur, quae Graece ἀφρὸς: vel ex ἀπὸ, ab, et ῥοδίνης, roseus, a ῥόδον rosa: qui flos est Veneri sacer, ejusque color ei tribuitur. *Virg. A.* 1, 406. avertens rosea cervice refulsit.

[APHRODISĬĀNUS, a, um, adj. idem q. Aphrodisiensis. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 62. C. Veturio Aphrodisiano. *F.*]

APHRŌDĪSĬAS, ădis, f. Ἀφροδιάς, insula in sinu Persico Veneri sacra. *Plin.* 6, 25, 28. ℙ Item alia prope Gades. *Id.* 4, 22, 36. ℙ Item oppidum Scythiae. *Id.* 4, 11, 18. ℙ Item urbs Cariae, apud Maeandrum fluvium: item promontorium in eadem regione. *Id.* 5, 28, 29. etc. [*Hodie est *Geyra*. ℙ Item Asiae regio, in Aeolide. *Plin.* 5, 30. *Liv.* 37, 21. *B. A.*] ℙ *Aphrodisias* etiam dicitur *Acorus* herba, de qua V. suo loco. *Appul. Herb.* 6. A Graecis dicitur acoros, aphrodisias, Italis Veneria, radix nautica, etc.

APHRŌDĪSĬENSIS, se, adj. *Aphrodisienses* absolute dicuntur populi Cariae, quorum oppidum est Aphrodisias. *Plin.* 5, 29, 29.

APHRŌDĪSĬUM, ii, n. Ἀφροδίσιον, olim fuit templum Veneris situm in Latio prope Antium: nunc in ruinis jacens. *Plin.* 3, 5, 9. ℙ Alia sunt hoc nomine seu loca, seu templa Veneris; de quibus V. Geographos.

[APHRŌDĪSĬUS, a, um, adj. ἀφροδίσιος, venereus. Cognomen Romanum frequens. *Suet. Gramm.* 19. Scribonius Aphrodisius. *Inscr.* ap. *Mur.* 1130, 2. A. Nerio Aphrodisio. Alia apud *Grut.* 390, 3. Juliae Aphrodisiae. *F.*]

APHRŌDĪTA, ae, et Ăphrŏdītē, es, f. Ἀφροδίτη, Venus. Notationem V. in APHRODISIACE. Primam positionem, quae Latina est, usurpat *Auson. Ecl. in distich. de Mensib.* 8. est Marti namque Aphrodita comes. Alteram, quae Graeca, habent *Censorin. de die nat.* 22. et *Capell.* 1. p. 4.

*APHRODITOPOLITES, ae, Aphroditopolis incola, quae urbs Aegypti fuit, in Heptanomide. *Plin.* 5, 9. *B. A.*

APHRON, i, n. ἄφρον, genus papaveris silvestris, de quo diximus in voce *Aphrodes*, cum qua eandem habet et significationem, et Graecam originem. *Plin.* 20, 19, 79. Alterum e silvestribus genus heraclion vocatur, ab aliis aphron. ℙ [*Aphron, onis*, m. et f. 3. ab ἄφρων, insipiens, demens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 390, 3. Atisiae Aphroni. *F.*]

APHRONITRUM, i, n. ἀφρόνιτρον, spuma nitri, quam proxima (inquit *Plin.* 31, 10, 46. *n.* 3.) medicorum aetas tradidit in Asia colligi, in speluncis, e molibus distillantem: ab ἀφρός, spuma, et νίτρον, nitrum. A *Vitr.* 7, 11. vocatur *flos nitri*, ut adnotavit *Salm. Solin.* p. 1079., licet quidam id negent. *Mart.* 14, 58. Rusticus es: nescis, quid Graeco nomine dicar: Spuma vocor nitri, dicor et aphronitrum. *Trebell. Gallien.* 6. Sine aphronitris esse non possumus? *h. e.* sine pastillis aphronitri, qui optimi e Lydia Romam mittebantur. *Stat. Silv.* 4, 9, 37. Panes viridantis aphronitri. ℙ Apud *Veget. Vet.* 3, 3. et 4, 27. scriptum legitur Latina ratione *afronitrum*. ℙ [*Galenus l.* 9. *Simpl.* et *Aetius l.* 2. *c.* 60. tradunt, florem vel spumam nitri albam esse, et triticeae farinae similem, aphronitrum vero neutiquam farinosum esse, sed coactum compactumque. Veterum autem spumam nitri et aphronitrum fuisse videtur miscella ex *nitrato di calce, soda, potassa, e di parti terree, (Kalksalpeter, Aschensalz, Potasche und erdigen Theilen.)*

APHTHAE, arum, f. plur. ἄφθαι, ulcera sunt oris, cum molesto caloris sensu conjuncta, pueros maxime infestantia, cum lacte minus sano utuntur. Incipiunt a gingivis, deinde palatum totumque os occupant: tum ad uvam faucesque descendunt: quibus obsessis, non facile fit, ut puer convalescat. Haec *Cels.* 6, 11. qui tamen ipsam vocem Graece usurpat. Est enim Graeca ab ἅπτομαι, accendor. *Marcell. Empir.* 11. Galbanum melle dilutum ulcera in ore, quae Graeci aphthas vocant, illitum sanat.

APHTHĪCUS, a, um, adj. ἀφθικός, aphthis laborans. *Ulp. Dig.* 21, 1, 10. Quaesitum est, an balbus, et blaesus, et aphthicus, isque qui tardius loquitur, et varus, et vatius sanus sit? et opinor eos sanos esse. Ita legit *Coel. Rhod. l.* 16. *c.* 20., et ita corrigenda censet verba illa *Coel. Sabini* ap. *Gell.* 4, 2. Balbus autem, et aphthicus vitiosi magis, quam morbosi sunt, etc. Sed utroque loco rectius opt. cod. habent *atypus*.

APHYA, ae, et Gr. Aphye, es, f. ἀφύη, genus pisciculi minimi, qui e spuma aquarum fervente ob admissum imbrem nasci dicitur, ita dictus ab α privativa, et φύω, gigno, quia non editur more ceterorum animalium: alii tamen derivant ab ἀφρός, spuma. A Latinis *apua* dicitur, a Gallis quibusdam *anchois*, aut *anchoïe*, [*Clupea Encrasicolus *L. Sardelle.*] ab aliis *menuise*, ut *Harduin.* docet; ab aliis *merlan*, ut *Danetius* scribit *in Lexico. Plin.* 31, 8, 44. Apuam nostri, aphyen Graeci vocant, quoniam is pisciculus e pluvia nascitur. *Id.* 32, 11, 53. Aurata, asellus, acharne, aphya, alopecias, etc. ℙ Etiam *Cicero* hanc vocem usurpasse creditur, et urbane posuisse pro faece plebis, et vili popello, *Att.* 4, 11. Perscribe ad me, quid primus dies, quid secundus, quid censores, quid Appius, quid illa populi Aphya, etc. Plerique omnes tamen legunt *Apuleja*, *h. e.* Apulejus Saturninus, quem propter libidinum infamiam *Apulejam* vocat.

*APĬA, ae, f. *h. e.* terra, regio (Ἀπία γῆ vel Ἀπίη γαίη *Hom. Il. A.* 270. et *Γ.* 49.), vetus nomen Peloponnesi. *Plin.* 4, 4. *B. A.*

ĀPĬĀCĬUS, a, um, adj. ex apio confectus. *Hyg. fab.* 74. Ludos puero funebres instituerunt, in quibus victores apiaciam coronam accipiunt.

ĀPĬĂCUS, a, um, adj. ad apium pertinens. *Apiaca brassica* dicitur, quae foliorum densitate et crispitudine apio similis est. *Plin.* 19, 8, 41. *n.* 1. Cato brassicae genera facit tria: unam extensis foliis, caule magno: alteram crispo folio, quam apiacam vocat, etc. *Cato R. R.* 157. Altera brassica est crispa, apiacon vocatur: haec est aspera, et natura bona ad curationem. *Harduin.* in aliquot MSS. *Plinii* legi ait *apianam* eod. sensu.

ĀPĬĀNUS, a, um, adj. ab apibus deductum. *Apiana uva* est ea, quem dicimus *Muskateller*, quia apibus valde placet. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 3. Apianis apes dedere cognomen, praecipue earum avidae. *Colum.* 12, 45. *ad f.* Apianum vinum. Adde 3, 2., ubi tria apianarum vitium genera distinguit. ℙ *Apiana* etiam dicitur herba chamaemelon apud *Appul. Herb.* 23., fortasse quia et ipsa apibus grata est. ℙ *Apianus* ab apio, V. in v. praec.

ĀPĬĀRĬUM, ii, n. μελισσών, locus ubi apes consident, seu ubi alvei apium tenentur, quod et *melarium*, et *alvearium* nominatur. *Colum.* 9, 5. Non est dubitandum, quin aedificio junctum apiarium maceria circumdemus. *Gell.* 2, 20. docet hanc vocem non multum antiquam esse: veteres autem *mellarium* dixisse, aut Graece μελισσών.

ĀPĬĀRĬUS, ii, m. μελιττουργός, qui apes curat. *Plin.* 21, 10, 31. Thymum augurium mellis est: proventum enim sperant apiarii large florescente eo.

ĀPĬASTELLUM, i, n. herba, quae batrachion, et apium rusticum, et herba scelerata dicitur. *Appul. Herb.* 8. ℙ Etiam bryonia hoc nomine appellari dicitur ab *eod.* 66., ubi *Humelbergius* putat esse vocem corruptam ex *ophiostaphyle*, quod et ipsum inter nomina bryoniae recensetur a *Dioscoride* 4, 184., ut vulgus imperitorum paulatim ex *ophiostaphyle apiastellum* fecerit.

ĀPĬASTRA, ae, f. μελισσοφόνος, avis quaedam apibus inimica, colore pennarum viridi, alio nomine *merops*. Haec *Serv.* ad illud *Virg. G.* 4, 14. Absint et picti squalentia terga lacerti Pinguibus a stabulis, meropesque, aliaeque volucres.

ĀPĬASTRUM, i, n. *(Melisse)* μελισσόφυλλον, herba est apibus gratissima, odorem citri habens: ex quo et *citrago* dicitur a quibusdam. *Varr. R. R.* 3, 16. et *Plin.* 21, 9, 29. et 20, 11, 45. ℙ Est etiam apium agreste, id quoque gratum apibus, ἀγριοσέλινον. *Plin.* 21, 12, 41. et *Colum.* 9, 8. *ad f.*

ĀPĬĀTUS, a, um, adj. ab apio. *Apiatae mensae* dicuntur factae e ligno ita maculoso, seu guttato, ut denso apii semine, et granis congestis aspersum videatur. Alii ita dici putant ab apibus, quasi earum stercoribus aspersae sint: sed prior interpretatio magis accedit ad *Plinii* mentem, cujus haec sunt verba 13, 15, 30. Magna vero post has *(mensas undatim crispas)* gratia crispis, densa veluti grani congerie: quas ob id a similitudine apiatas vocant.

ĀPĪCA ovis dicitur, quae sub ventre nuda est, et glabra, sine lana: a Graeco ἄπεικος, ab α privativa, et πεικὸς, lana. *Festus.* Apica dicitur ovis, quae ventrem glabrum habet. *Varr. R. R.* 2, 2. Ovis ventrem habeat pilosum: itaque quae id non haberent, majores nostri apicas appellabant, ac rejiciebant. Adde *Plin.* 8, 48, 75.

ĀPĪCĀTUS, a, um, apice tectus, hoc est pileo sacerdotali. *Ov. Fast.* 3, 397. His etiam conjux apicati cincta Dialis Lucibus impexas debet habere comas.

ĀPĪCĬĀNUS, a, um, adj. ab *Apicio*. *Plin.* 19, 8, 41. Apiciana coctura, *h. e.* coquendi ratio ab Apicio excogitata. *Tert. Anim.* 33. Apiciana condimenta. *Apic.* 4, 2. Apiciana patina. *Id.* 7, 4. Apicianae ofellae.

ĀPĪCĬUS, ii, m. nomen proprium hominis R. Hoc nomine tres Romae fuere gulae studio noti: quorum primus circa tempora Caesaris natus est; alter sub Tiberio; tertius sub Trajano fuit. Sed secundi maxime gula celebrata est, quem omnium nepotum altissimum gurgitem *Plin.* 10, 48, 68. vocat. Hic ille est, qui cum HS millies in culinam congessisset, neque plus HS centies de patrimonio sibi superesse intelligeret, veneno vitam finivit, metu ne sibi esuriendum deinceps esset, ut *Sen. Cons.* ad *Helv.* 10. narrat. *Mart.* 2, 69. Ipse quoque ad coenam gaudebat Apicius ire. ℙ Exstat *De re culinaria* liber ipsius nomine; sed qui vel alterius Apicii est, vel alienis accessionibus interpolatus. Multa enim ibi leguntur, quae non solum aetate cujuscumque ex illis tribus Apiciis indigna sunt, sed vocibus etiam permultis barbariem sonantibus sunt admixta. ℙ Fuere, qui scriberent *Appicius* duplici *pp*, ab *Appius* derivantes; item qui *Apitius* per *t:* sed utrumque contra plerosque antiquos libros, lapides, et consuetudinem.

ĀPĪCĬUS, a, um, adj. ad Apicium pertinens. *Apiciae uvae* dictae sunt a quodam Apicio, qui eas vel primus invexit, vel impense coluit. *Cato R. R.* 24. Vinum Graecum hoc modo fieri oportet. Uvas Apicias percoctas bene legito, etc. *Id. ib.* 6. et *Varr. R. R.* 1, 25. et *Plin.* 14, 4, 5. Apicium Lucanum, sc. vinum. Etiam *Macr. Sat.* 2, 16. Apiciam uvam memorat.

[ĀPĪCLĀ, ae, f. id. apicula. Est cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 661, 8. Duilliae L. L. Apiclae. *F.*]

ĀPĪCŬLĀ, ae, f. μελίττιον, parva apis. *Plin.* 7,

21, 21. Fabricatam navem, quam apicula pinnis absconderet. *Pl. Curc.* 1, 1, 10 Egon' apicularum opera congestum non feram, ex dulci oriundum, melliculo dulci meo? *h. e.* non feram favum mellis amicae meae?

[APĬCŪLĀRĬUS, ii, m. id. q. apiarius, seu qui apicularum curam habet. *Inscr.* ap. *Murat.* 909, 11. M. Livii L. L. Homeri apicular. *F.*]

ĀPĬCŪLUM, i, n. filum, quo Flamines velatum apicem gerunt, ut *Festus* definit. Filum autem hoc loco velamen lanae significat, ut in simili explicat *Liv.* 1, 32. Vult ergo *Festus*, apiculum dici velamen illud laneum, quo apex Flaminis circumdatus est, ut in APEX diximus. *Scaliger* haec *Festi* verba licet defendi posse concedat, mallet tamen ita legere: *Apiculum, filum, quo Flamines velati, apicem regerunt.* Pone enim regerebant apicem, ne gravis esset summis aestatis caloribus: amentis enim, quae *offendices* dicebantur, sub mentum adductis religabant, ut cum vellent, regererent, et pone pendere sinerent. Nam duarum rerum necessitate semper obstrictus erat Flamen, nunquam nudo capite in publicum prodeundi, ac nunquam apicem dimittendi. Ergo cum filo (*h. e.* velamine) propter aestus diei velati erant, apicem tamen gestabant, sed non in capite, ut dictum est. Haec *Scalig.* Hoc itaque filum, seu velamen diminutiva voce *apiculum* dictum fuerit, quia ipso apice levius erat et subtilius.

ĀPĬDĀNUS, i, m. nunc *Pidanemo*, *Epideno*, fluvius Thessaliae, qui ex Bormio monte Gomphos, et Pharsalum praeterfluens, in Peneum supra Larissam labitur, acceptis Enipeo, Melace, et Phoenice. *Ov. Met.* 7, 228. Multa quoque Apidani placuerunt gramina ripis.

*ĀPIENNATES, um, m. plur. Umbriae populi. *Plin.* 4, 14, 19. *B. A.*

*APILAS, ae, flumen Macedoniae. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

ĀPĬLASCUS, ūdis, dicitur aurum, quod postquam effossum est, pilis cuditur, et fingitur in lateres. *Plin.* 33, 4, 21. Quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur, molitur in farinam. Nam quod ad pilas cudunt, apilascudem vocant. *Harduin.* ex MSS. ostendit illud *apilascudem* ortum esse ex vitiosa repetitione illorum verborum *ad pilas cudunt:* itaque legendum: *Uritur, molitur in farinam, ac pilis cudunt.* Sane *apilascudem* monstrum vocis est. [*Recte *Scheller.* omisit.]

[ĀPĬLES, is, m. ab ἀπειλέω, minitor, minax. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 836, 11. L. Valerius Apiles. *F.*]

ĀPĪNĀ et Trica, f. duo fuere oppida Apuliae a Diomede deleta funditus: sed et dum starent, adeo vilia et ignobilia, ut in proverbium de re qualibet vana, futili et nugatoria per ludibrium verterentur, ut *Plin.* 3, 11, 16. narrat. *Martial.* 1, 114. Quaecumque lusi juvenis, et puer quondam, Apinasque nostras, quas nec ipse jam novi, etc. *Id.* 14, 1. Sunt apinae tricaeque, et si quid vilius istis. V. TRICAE.

ĀPĪNĀRĬUS, ii, m. γελωτοποιὸς, μῶκος, σάννας, scurra, vel ludius, qui tum dictis, tum gestibus ridiculis, et aliquid repraesentando oblectat ac risum movet. Duci fortasse potest ab *apina*, qua pro nugis ponitur. *Salmas.* tamen ad *Trebell. Gallien.* 8. censet dici a Graeco ἀφάνα, vel ἀφάνη, quod apud *Suid.* legitur, et rem ridiculam aut nugatoriam significat. *Trebell. l. c.* Cyclopea etiam luserunt omnes apinarii, ita ut miranda quaedam, et stupenda monstrarent. V. *Salmas. l. c.* ubi hac de re plura. Quidam leg. *apenarius*, aut *apennarius.*

ĀPĬO. V. APO.

*APIŌLAE, arum, oppidum Latii. *Plin.* 3, 5. *Liv.* 1, 35. *B. A.*

*APĬON, onis, Ἄπιων, nobilis Grammaticus, qui et πλειστονίκης dictus h. e. Multivictor, a crebris victoriis. Eum Tiberius Caesar *Cymbalum mundi* appellabat. *Plin.* in *praef. N. H.* *Id.* 35, 10. 36, 14. 37, 5. *Gell.* 5, 14. 6, 8. 10, 10. ℙ Fuit et Apion cognomen Ptolemaei ex Sagidis Nothi, Libyae regis, qui regnum moriens testamento Populo Romano reliquit. In hoc inclytae civitates erant Berenice, Ptolemais et Cyrene. *Liv.* epit. 70. *B. A.*

APIOS Ischas. V. RAPHANOS Agria. ℙ [*Apios apii radices videtur vocare *Pallad. April.* 3. Apios majores facies, si semen, quantum tribus digitis comprehendi potest, linteolo clauseris rariore, et brevi fossa obrueris. *B. A.*]

ĀPĪROCĀLUS, i, m. ἀπειρόκαλος, hoc est decori rudis, et imperitus, ineptus: vox Graeca ab ἄπειρος, imperitus, rudis, et καλὸς, decorus, honestus. *Gell.* 11, 7. Alter quoque a lectionibus id genus paucis apirocalus. Vett. edd. Graece scribunt ἀπειρόκαλος, et quidem rectius.

ĀPIS, is, f. animal parvum volatile notum, mellis artifex. *Varr. R. R.* 3, 16. Apes nascuntur partim ex apibus, partim ex bubulo corpore putrefacto. *Ov. Met.* 13, 928. Non apis inde tulit collectos sedula flores. *Cic. Tusc.* 2, 22. Apis aculeum sine clamore ferre non possumus. *Martial.* 11, 43. Et thyma Cecropiae Corsica ponis api. *Colum.* 9, 2. Quam Juppiter in apem convertit. ℙ In genit. plurali et apum habet, et *apium. Ov. Met.* 15, 383. Melliferarum apium sine membris corpora nasci. *Cic. Har. reps.* 12. atque in apum fortasse examine, etc. Adde *Colum.* 9, 2., 3, 5. et 8. et *Gell.* 2, 20. ubi *apum* legitur: et *Varr. l. c.*, *Sil.* 8, 635. ac *Plin.* 11, 3, 2. et *ib.* 11, 11., ubi *apium*: et notat *Hard.* frequentius hoc in ejusdem MSS. reperiri. [*De genitt. *apum* et *apium* v. omnino *Drak.* ad *Liv.* 4, 23, 4.] ℙ Nominativus singularis *apes* pro *apis* affertur quidem a *Prisc.* 3. p. 613. et 6. p. 703. tanquam usitatus, sed nullo confirmatur exemplo. [*Sic nonnulli libri ap. *Quint. Decl.* 13, 16., ubi *Burm.* praeter *Prisc.* locum *Weizium* laudat ad *Petron. catal.* p. 226. quorum plura laudat *Drak.* ad *Liv.* 4, 25, 3.] ℙ Scribit *Varro l. c.* apes habitas esse musarum volucres, quod, si quando displicatae sint, cymbalis et plausibus numero reducunt in locum unum. ℙ De apum natura et solertia in mellificiis, deque earum servandarum ratione V. *Varr. l. c.*, *Colum.* 9, 2. et seq. *Plin.* 11. *c.* 5. et seq. et *Virg. G.* 4. ℙ De earum origine hujusmodi fabulam tradit *Servius* ad *A.* 1, 434. Apud Isthmum anus quaedam nomine Melissa fuit (μέλισσα *Graece apem significat*). Hanc Ceres sacrorum suorum secreta cum docuisset, interminata est, ne cui ea, quae didicisset, aperiret: sed cum mulieres accessissent, ut ab ea primo blanditiis, post precibus et praemiis elicerent, ut sibi a Cerere commissa patefaceret, et illa in silentio perstaret, ab eisdem iratis discerpta est: quam rem Ceres, immissa pestilentia, ulta est; de corpore vero Melissae apes nasci fecit. Tangit hanc fabulam etiam *Colum.* 9, 2.

ĀPIS, apis, m. Ἆπις, bos erat ab Aegyptiis cultus, tamquam Deus, de quo haec narrat *Plin.* 8, 46, 71. Bos in Aegypto etiam numinis vice colitur: Apim vocant. Insigne ei in dextro latere candicans macula, cornibus lunae crescere incipientis. Nodus sub lingua, quem cantharum appellant (hoc est nigra macula scarabaei specie, quem χάνθαρον Graeci dicunt). Non est fas eum certos excedere vitae annos: mersumque in sacerdotum fonte enecant, quaesituri luctu alium, quem substituant; et donec invenerint, moerent, derasis etiam capitibus: nec tamen unquam diu quaeritur. (*Mela* 1, 9. scribit, putare Aegyptios, non coitu pecoris nasci eum, sed divinitus, et coelesti igne conceptum.) Inventus deducitur Memphim a sacerdotibus. Delubra ei gemina, quae vocant thalamos, auguria populorum. Alterum intrasse, laetum est; in altero dira portendit. Responsa privis dat, e manu consulentium cibum capiendo. Germanici Caesaris manum aversatus est, haud multo postea exstincti. Cetero secretus, cum se proripuit in coetus, incedit summotu lictorum; grexque puerorum comitatur, carmen honori ejus canentium: intelligere videtur, et honorari velle. Hi greges repente lymphati futura praecinunt. Femina bos semel ei anno ostenditur, suis et ipsa insignibus, quamquam aliis: semperque eodem die et inveniri eam, et exstingui tradunt. Hactenus *Plinius. Augustinus* autem *Civ. Dei* 18, 5. narrat, Apim fuisse regem Argivorum, qui cum in Aegyptum transvectus (addunt alii, Isidem ibi uxorem duxisse, et aliquanto tempore regnasse, multaque Aegyptiis bona attulisse) ibique mortuus esset, pro Deo habitus cultusque est, et *Serapis* appellatus. Cur autem pro Api Serapis dictus sit, rationem ex *Varrone* assignat, quod scilicet sarcophagus, in quo cadaver mortui ponitur, σορὸς Graece dicitur. Cum igitur Aegyptii Apim adhuc in sarcophago, seu conditorio positum, antequam ei templum excitarent, colere coepissent, *Sorosapin*, vel *Sorapin* appellarunt: deinde mutata littera, *Serapin.* Qui constituerunt etiam, ut quisquis eum hominem dixisset fuisse, capite poenas daret: quam ob rem in templo Serapis et Isidis erat etiam simulacrum, quod digito ori admoto, admonebat, ne quis illos homines fuisse diceret. Ipsum autem bovem, quem in Serapis memoriam colebant, quoniam eum sine sarcophago vivum venerabantur, *Apim* dicebant, non *Serapim.* Haec ex *Augustino*, quorum multa alii ad Osirim referunt. At *Jablonsk.* in *Pantheo Aegypt. l.* 4. *c.* 2. ostendit Apidem taurum fuisse symbolum Nili fluvii, ut etiam apud Graecos, boves flumina repraesentabant: ac multa alia *Id. ib.* affert ad illustrandum hoc Aegyptiorum numen apprime idonea. *Ov. Amor.* 2, 13, 11. Per tua sistra precor, per Anubidis ora verendi: Sic tua sacra pius semper Osiris amet: Pigraque labatur circa donaria serpens: Et comes in pompa corniger Apis eat. ℙ Declinatur etiam *Apis*, ĭdis, ut *Serapis. Paulin. Nolan. Nat. XI. S. Fel. edit. Murat.* 85. Aegyptus in Apide demens.

ĀPISCOR, ĕris, aptus sum, dep. 3. τυγχάνω, idem fere quod *adipiscor* (quod est multo usitatius) consequor, [*cf. ADIPISCOR.] *Cic. Att.* 8, 14. *ad f.* Ait, eum nescio quo penetrasse itineribus, occultandi sui causa an maris apiscendi. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 2. Postero die legatos Iguvium redeuntes apiscitur i. e. invenit, [*imo: consecutus est.] Hinc translate: mente aliquid, i. e. intelligere. *Lucr.* 1, 447. Nec quae sub sensus cadat ullo tempore nostros; Nec ratione animi quam quisquam possit apisci. ℙ Deinde, quoniam fere persequimur aliquem, ut eum comprehendamus, est i. q. comprehendere. *Lucr.* 6, 1234. Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci Ex aliis alios avidi contagia morbi. *Pl. Epid.* 5, 2, 3. Sine, me hominem apisci, *h. e.* assequi. Deinde latiori sensu i. q. obtinere, c. accusativo. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *ad f.* Vidimus magnam ex ea re te laudem apisci. *Tac. A.* 4, 1. Summa apiscendi libido. *Id. ib.* 4, 16. Qui id Flaminium apisceretur. *Pl. Capt.* 4, 1, 8. Sine sacris hereditatem sum aptus effertissimam. *Catull.* 64, 145. dum aliquid cupiens animus praegestit apisci. Hoc sensu etiam cum genitivo construitur: *Tac. A.* 3, 45. dum dominationis apisceretur. Cf. *Lips.* ad 3, 55. et nos sub ADIPISCOR. Sunt qui apud *Cic.*, *Sulpic.* et *Tac.* fere *adipisci* substituunt: sed jamdiu est, cum queruntur critici hoc verbum tum in his, tum in aliis locis, ut et apud *Sall.*, *Varr.*, *Liv.* 1, 3. et 6. et alios, a sciolis, aut ab imperitis librariis depravatum esse. De participio *aptus* alia exempla ex *Accio*, *Pacuvio*, et *Lucilio* affert *Non.* 4, 3. ℙ Passiva significatione. *C. Fannius* apud *Priscian.* 8. p. 791. Haec apiscuntur, *h. e.* ἐπιτυγχάνονται, ut ipsemet *Prisc.* interpretatur: alii leg. *adipiscuntur.* ℙ [Particip. *Apiscendus* ap. *Tac. A.* 1, 31. Praebuit juveni facultatem apiscendi favoris. *Manil.* 3, 145. Ultimus et totam concludens ordine summam, Rebus apiscendis labor est, qui continet omnes Votorum effectus, *h. e.* opibus acquirendis. *F.*]

[APISION, i, n. herba, alias isatis. *Appul. Herb.* 69. *F.*]

*APITAMI, orum, Arabiae populi. *Plin.* 3, 28. *B. A.*

ĀPĬUM, ii, n. σέλινον, herba ab apibus dicta, quibus est gratissima; cujus plura sunt genera. Id enim, quod sponte in humidis nascitur, helioselinum vocatur (hoc est apium palustre, ἑλειοσέλινον, ab ἕλειος, palustris) uno folio, nec hirsutum. Rursus in siccis hipposelinum (ἱπποσέλινον, hoc est apium majus: ἵππος enim in compositione auget) pluribus foliis, simile helioselino. Tertium est oreoselinum (*h. e.* montanum, ab ὄρος, mons) cicutae foliis, radice tenui, semine anethi, minutiore tantum. Item sativum, seu hortense, quod et ipsum differentias habet in folio denso, crispo, aut rariore et leviore: item caule tenuiore, aut crassiore. Et caulis aliorum candidus est, aliorum purpureus, aliorum varius. Haec ex *Plin.* 19, 8, 37. ℙ Apii sativi multus est usus in condimentis, vocaturque alio nomine petroselinum (tametsi *petroselinum* etiam aliam herbam ab apio diversam significat.) V. PETROSELINUM. ℙ Adhibebatur apium in coronamentis convivalibus, ut colligitur ex *Hor. Od.* 1, 36, 16., *ib.* 2, 7, 24. et *ib.* 4, 11, 3. [*Praecipue adhibebant ad coronas apium palustre, Apium graveolens *L. Sellerie*, cf. *Voss.* ad *Virg. G.* 4, 121. ℙ In magnis Graeciae ludis Nemeae corona ex apio donabatur, qui vicisset, ut est apud *Plin.* 19, 8, 46., *Juven.* 8, 226. et *Marcell. Empir. c. de apio*, ubi addit, primum Herculem hujusmodi coronam meruisse: scribit etiam, ideo *apium dictum, quod apex hanc* (herbam) *ferre solebat Victoris, veterum fieret dum more triumphus.* Sed homini medico notationem ineptam afferenti ignoscendum est.

APLĀNES, ἀπλανὴς, hoc est non vagus, non errans: vox Graeca ab α privativa, et πλάνη, error, erratio: et apud *Macr. Somn. Scip.* 1, 9. et 11. Latinis litteris scripta legitur.

APLŪDA et Appluda, ae, f. ξυρήβιον, palea minutissima frumenti, quae et *acus* dicitur, quae in terendis spicis in area excutitur, et evolat. Ita dicta pro *aplauda* (ea ratione, qua *cludo* pro *claudo* dicitur) ab *applaudendo*, hoc est excutiendo, quia terendo excutitur: ex quo malunt alii *appluda* scribere duplici *pp:* tametsi in libris *apluda* saepius legitur. *Festus:* Apluda est genus minutissimae paleae frumenti, sive panici; de qua Naevius: Non hercle apluda est hodie quam tu nequior. *Plin.* 18, 10, 23. Milii, et panici, et sesamae purgamenta apludam vocant, et alibi aliis nominibus. ℙ Accipitur etiam pro furfuribus, quia furfures cum aceribus quandam habent affinitatem. Utraque enim frumenti purgamenta sunt: *apluda* cum in area teritur, *furfures*, cum pinsitur, aut molitur in farinam. *Non.* 2, 11. et *Gell.* 11, 7. Apludam veteres rustici frumenti furfurem dixerunt. *Gell. l. c.* affert haec verba cujusdam causidici sui temporis: *Hic eques Romanus apludam edit, et floces bibit.* Addit autem tum is, tum *Non.* etiam a *Plauto* in *Astraba*, seu *Clitellaria* hanc vocem hoc sensu usurpatam fuisse, sed inter obsoletas esse censendam. ℙ Denique *Festus* addit, putare nonnullos apludam esse sorbitionis liquidissimum genus, quod flatu dejiciatur, et quasi adplaudatur. Sed hujus notionis nullum aliud suppetit testimonium. ℙ *Voss. Etymol.* monet, in quibusdam MSS. *Festi* legi *aploda.*

APLUSTRĔ, is, n. et in plur. num. Aplustria et Aplustra, *Paul.* ex *Festo* ait, esse navium ornamenta, ita dicta, quia erant amplius quam es-

sent necessaria usu: ideoque et *amplustra* dicta. [*Nemo hodie probabit.] *Voss.* mavult dici a Graeco ἄφλαστον, hoc est summa puppis pars: sed quidquid sit de origine, *aplustre* significat navis ornamentum ex tabulis confectum, et in summitate puppis positum, et plerumque in modum pinnarum, aut cristae formatum, et versus proram recurvum, cujusmodi in columna Trajana, et in aliquot nummis conspicitur; afferturque ejus figura a *Scheffero de Mil. nav. l.* 2. *c.* 6. In medio aplustris fixum erat baculum, cui alligatae erant fasciae et taeniae versicoloriae, quae per aera ludebant; erantque veluti parva vela, ex quarum agitatione ventus cognosci poterat, cum mali vela submissa erant. *Lucan.* 3, 585. dum pugnat ab alta Puppe Tagus, Grajumque audax aplustre retentat. [*v. *Cort.*] Et *ib.* 672. at hi tortum validis aplustre lacertis, Avulsasque rotant excusso remige sedes. *Sil.* 14, 422. torquet Poenorum aplustribus ignes. *Id.* 10, 325. Et transtra, et mali laceroque aplustria velo. [*Docte h. v. *Heins.* et *Drak.* illustrant ad h. l.] *Rutil. Itiner.* 1, 513. Inconcussa vehit tranquillus aplustria flatus: Mollia securo vela rudente tremunt. *Lucr.* 4, 438. Navigia, aplustris fractis, obnitier undis. *Cic. Arat.* apud *Prisc.* 7. p. 769. Navibus absumptis fluitantia quaerere aplustra. *Salm. ex. Plin. p. m.* 573. legit *Navibus aut summis*, etc., et *aplustra fluitantia* interpretatur fasciolas illas in aplustri positas, et vento agitatas. Adde *Lucr.* 2, 555., *Juven.* 10, 136., *Manil.* 1, 692., *Appul. de dogm. Plat.* 3., ubi negat, aplustre esse partem navis, et *Sidon. ep.* 8, 12. ℙ Ad locum *Silii* citatum notant interpretes, in quibusdam ejus MSS. codicib. scriptum esse *amplustre*, ut supra ex *Festo* admonuimus. [*Sic scripserunt, quoniam ex *amplius* derivabant. V. *Drak.* ad *Sil.* l. l.]

APLYSĬAE, arum, f. plur. pessimum spongiarum genus, quia elui non possunt: ab *a* privativa, et πλύνω, lavo. *Plin.* 9, 45, 69.

ĂPO, is, a. alligo, vinculo connecto: a Graeco ἅπτω, ligo, ut docet *Voss. Etym.* Est autem verbum antiquum et obsoletum, cujus mentio fit solum a quibusdam veteribus grammaticis. *Festus* in *Avex.* Dictus est ab eo, quod comprehendere vinculo antiqui apere dicebant. *Serv.* ad *A.* 10, 270. Apere veteres ritu Flaminum alligare dicebant: unde apicem dictum volunt. ℙ Legitur etiam *Apio* in quibusdam antiquis Glossis. Hinc *Isid.* 19, 30. Apex appellatus ab apiendo, id est a ligando. ℙ Ab hoc verbo nasci participium *aptus*, docet *Festus l. c.*

ĂPOCĂLO, hoc est recedo, legitur a quibusdam *in fr. Tragur. Petr.* 67. *Burm.*, ubi alii alia. Nihil enim certi eo loco statui potest. V. APOCULANIUS.

ĂPOCĂLYPSIS, is, f. ἀποκάλυψις, revelatio, manifestatio mysteriorum alicui facta, ab ἀποκαλύπτω, revelo, manifesto. *Tert. adv. Marcion.* 5. Apocalypsim Joannis Marcion respuit.

ĂPOCARTĔRĒSIS, is, f. ἀποκαρτέρησις, hoc est inediae tolerantia usque ad vitam finiendam: ab ἀποκαρτερέω, inediam tolero. Vox Graeca, et Graecis litteris scripta legitur apud *Quint.* 8, 5. *ad f.*, at Latinis apud *Tert. Apol.* 46. Lycurgus apocarteresim optavit, quod leges ejus Lacones emendassent. Adde *adv. Marcion.* 1, 14. *ad f.*

ĂPOCĂTASTĂSIS, is, f. ἀποκατάστασις, hoc est restitutio in pristinum statum seu formam: ab ἀποκαθίστημι, restituo, reddo, repono in locum pristinum. Speciatim dicitur de cursu solis, aut lunae aliorumve planetarum, cum post praefinitum aliquod tempus sub idem signum redeunt. Graecis verbis scripta legitur apud *Colum.* 3, 6. et apud *Firmic. Math.* 3, 1., at Latinis apud *Appul. Trismeg.*

ĂPOCATASTĬCUS, a, um, adj. ἀποκαταστικός, in eundem locum restitutus, ut *Apocatasticus Mars* apud *Sidon. ep.* 8, 11. *a med.* V. v. praec. ℙ *Capell.* 7. p. 240. docet numerum quinarium etiam apocatasticum esse, quia sive cum aliis imparibus, sive cum sui generis numeris sociatus, se semper ostendit, et licet per varias multiplicationes traductus, sese quodammodo restituit, et conservat.

ĂPOCHA, ae, f. ἀποχή, acceptilatio, scriptum, quo creditor pecuniam se accepisse testatur, et debitorem liberat: ab ἀπέχω, recipio: et est vocabulum JCtorum. *Ulp. Dig.* 46, 4, 19. inter acceptilationem et apocham illud esse discrimen docet, quod *acceptilatione* omni modo liberatio contigit, licet pecunia soluta non sit: *apocha* non alias, quam si pecunia soluta sit. *Scaev. ib.* 12, 6, 67. §. 3. Cum reperiantur apochae solutae pecuniae. *Ulp. ib.* 47, 2, 27. Apocham alicui surripere. ℙ Apochae respondet *antapocha*, et est scriptum, quo debitor se pecuniam debitam creditori solvisse testatur, ἀντιαποχή. *Imp. Justin. Cod.* 4, 21, 18. Apochae susceptori antapocham reddere. ℙ *Apoca* legitur in *Inscr. ined.* in *Giorn. Pis. T.* 16. p. 192. Tabulariis in singulis apocis numm. XX. V. integram *Inscr.* in V. PROFESSIONARIUS.

ĂPOCHĂRE, barbarum verbum, ab *apocha* deductum, videtur id. esse, q. apocham conficere et debitori reddere. *Apochandi licentia*, et *apochandi praesumptio* inhibetur et damnatur ab *Impp. Valentiniano et Valente Cod. Theod.* 11, 2, 1. et 2., quibus verbis intelligi videtur mos contra leges inductus, ut qui annonae species conferre debebant, pecuniam pro iis solverent rectoribus provinciarum apochamque reciperent, tanquam legi satisfecissent, cum tamen ea ratione annonaria res Romae non sublevaretur.

[ĂPOCHĂTĬCUS, a, um, adj. ad apocham pertinens *Not. Tir.* p. 151. Apochaticus. *F.*]

ĂPOCLĒTI, orum, m. plur. V. APOLECTUS.

ĂPOCOLOCYNTOSIS, is, f. ἀποκολοκύντωσις, quasi dicas incucurbitatio: ab ἀπὸ, et κολοκύντη, cucurbita: titulus est libelli festivissimi, quem *Seneca* composuit de morte Claudii. Est autem, quemadmodum *apotheosis* relatio inter Deos, sic *apocolocyntosis* quasi relatio inter cucurbitas: quam vocem commentus est *Seneca*, ut fatuum Claudii ingenium et cucurbitae simile notaret.

ĂPOCŌPE, es, f. ἀποκοπή, hoc est amputatio, figura est grammaticorum, qua in fine vocis una vel plures syllabae detrahuntur: ut *Endo sua do* (pro *domo*). Item *Proras detondete et despoliate guberna* (pro *gubernacula*). Haec *Mar. Victorin.* p. 2499. Ceterum, quum Graeca vox sit, Graece usurpanda, quamvis hoc *l. c.* Latinis litteris scripta sit.

ĂPOCŌPUS, a, um, adj. ἀπόκοπος, abscissus, spado, eunuchus: ab ἀποκόπτω, abscindo. *Firmic. Math.* 3, 14. *n.* 8. Inefficaces, et apocopos reddent, et qui nihil agere possint.

ĂPOCRĪSĬĂRĬUS vel Apocrisarius, ii, m. ἀποκρισιάριος, legatus alicujus, vel procurator, qui pro eo respondet: ab ἀποκρίνομαι, respondeo, a quo ἀπόκρισις, responsio. *Justin. Novell. Constit.* 123, 25.

ĂPOCRŌTUS, a, um, adj. ἀπόκροτος, percussus, male tractatus: a κροτέω, pulso. *Firmic. Math.* 7, 3. *in f.* Nascentur servi, miseri, apocroti, oligochronii, et infelices.

ĂPOCRYPHUS, a, um, adj. ἀπόκρυφος. *Apocryphi libri*, *apocrypha opera* dicuntur a scriptoribus Ecclesiasticis, quorum occultus aut incertus est auctor: ab ἀποκρύπτω, occulo: adeoque carent auctoritate, et publice in Ecclesia legi prohibentur: et propterea canonicis, et ἀγιογράφοις opponuntur: qua de re plura *Justus Fontaninus de antiquitat.* Hortae *l.* 2. *c.* 3. Hac voce praeter *Hieron.*, *August.* et *Isid.* usus est etiam *Tert. Anim.* 2. et *Resurr. carn.* 63.

ĂPOCŪLĀNĬUS Orcus pro homine valde bibaci, et qui pocula omnia tanquam Orcus absorbeat, putant quidam legi *in fragm. Tragur. Petr.* 62. *Burm.*, ubi ait: *Erat autem miles fortis*, *tanquam Orcus apoculanius. Nos circa gallicinia*, etc. Alii autem ita legunt: *Erat autem miles fortis tanquam Orcus. Apoculamus nos circa gallicinia;* hoc est recedimus, abimus, discedimus, ut sit verbum *apoculare* a Graeco ἀποκυλίειν, quod significat amovere, amoliri volvendo. Similiter autem legi putant *ib.* 67. *Ego me apoculo.* Sed utrobique alii alia.

ĂPOCYNON, ἀπόκυνον, ossiculum in ranae rubetae sinistro latere, quod si in aquam dejectum fuerit, statim fervere ferunt; amorem item, et jurgia concitare, si in potionem addatur, etc. Sic dictum est, quoniam canum impetus eo cohibentur: ab ἀπὸ, ab, et κύων, κυνὸς, canis. *Plin.* 32, 5, 8.

ĂPODERMUS, a, um, adj. Apodermum isicium apud *Apic.* 2, 2. est, in quo sunt nuclei, et amygdala depilata: nam ἀπόδερμον significat cutem, seu corticem detractum. Alii minus recte leg. *apothermum*, hoc est calidum, a θερμὸς, calidus, quia, inquiunt, ad amygdala decorticanda calida aqua opus est.

ĂPŌDES. V. APUS.

ĂPODICTĬCUS, a, um, adj. ἀποδεικτικὸς, apodixin, hoc est evidentem probationem habens. *Gell.* 17, 5. Usus esse existimabat argumento M. Tullium non probo, neque apodictico, sed, etc.

ĂPODĬOXIS, ἀποδίωξις, rejectio est, cum eludimus ab adversario proposita, hac vel simili formula: *Quid attinet de his rebus dicere*, *cum ad causam nihil faciant?* Graeca vox ab ἀποδιώκω, expello.

ĂPODIXIS, is, f. ἀπόδειξις, significat probationem evidentem, ut interpretatur *Quint.*, apud quem modo Graecis, modo Latinis litteris scripta legitur 5, 10. [*Ἀπόδειξιν oratores Graeci opponunt λόγῳ *h. e.* sermoni, rumori. Quare recte *Ernest.* in *lex. techn. lat.* p. 23. statuere videtur, ἀπόδειξιν esse ejusmodi argumentum, quod facto et certa re gesta vel scripto etiam nitebatur, ut etiam suadet *Quint.* interpretatio.] Sic *Gell.* 17, 5. Apodixin vocari, cum ea, quae dubia aut obscura sunt, per ea, quae ambigua non sunt, illustrantur, etc. Rectius tamen Graece usurpatur: est enim Graeca vox, ab ἀποδείκνυμι, ostendo, demonstro. ℙ Latine scripsit etiam *Petr. c.* 132. Rogo te, mihi apodixin defunctoriam redde, *h. e.* redde mihi signum illud evidens, quo defungi soles munere tuo. V. si vacat *Gronov. Observ. l.* 4. *c.* 13. *ad f.*

ĂPŌDOSIS, is, f. ἀπόδοσις, hoc est redditio. Sumitur interdum pro altera periodi parte, quae respondet primae, quae *protasis* dicitur. ℙ Item pro figura, qua singula periodi membra singulis redduntur, et respondent, quae *distributio* Latine dici potest, ut in illo *Ter. Andr.* 1, 5, 42. adeon' me ignavum putas? Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum, Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor Commoveat, etc.? *Donat. ib.* ℙ Item pro altera exordii parte. Fere autem Graecis litteris scribitur. Est enim Graeca vox, ab ἀποδίδωμι, reddo. ℙ Huic respondet antapodosis, ἀνταπόδοσις, hoc est *redditio contraria*, ut interpretatur *Quint.* 8, 3., et fit cum praecedit similitudo, et res sequitur, propter quam explicandam similitudo allata est, ut in illo *Cic. Mur.* 13. Ut ajunt in Graecis artificibus eos auloedos esse, qui citharoedi fieri non potuerint; sic nonnullos videmus qui oratores evadere non potuerunt, eos ad juris studium devenire. Similitudo sine antapodosi est in illo *Virg. A.* 2, 356. Inde lupi ceu Raptores atra in nebula, quos, etc. *Quint. l. c.* semel Graecis, semel Latinis litteris scribit. *Serv.* etiam ad *A.* 9, 454. Latine utitur, et fieri docet etiam tunc, cum commemorantur ea, quae non sunt ante praedicta.

*APODŌTI et Apodōti, orum, Ἀπόδωτοι, Ἀποδοτοὶ, populi Aetoliae. *Liv.* 32, 34. *ed. Drak.* ubi *ed. Gronov.* habet Apodeotas. *B. A.*

ĂPODYTĔRĬUM, ii, n. ἀποδυτήριον, locus in balneis, in quo loturi deponebant vestes, quae, interim dum lavabant, a capsariis servabantur: ab ἀποδύω, exuo. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. In balneariis assa in alterum apodyterii angulum promovi. *Plin. ep.* 5, 6. Apodyterium balinei laxum, et hilare excipit cella frigidaria. Et *ib.* Apodyterio superpositum est sphaeristerium.

ĂPOGAEUS, a, um, adj. ἀπόγειος, et ἀπόγαιος, a terra veniens: ex ἀπὸ, ab, et γαῖα, terra. *Plin.* 2, 43, 44. Videmus, ventos, quos vocant altanos, e terra consurgere: qui quidem cum e mari redeunt, tropaei vocantur; si pergunt, apogaei.

ĂPOGRĂPHUM, i, n. ἀπόγραφον, exemplar libri, vel tabulae pictae ab autographo descriptum: ab ἀπογράφω, describo. *Plin.* 35, 11, 40. Hujus tabulae exemplar, quod apographon vocant, L. Lucullus duobus talentis emit. *Cic. Att.* 12, 52. Graece scribit. Utitur autem de libris philosophicis a se quodammodo descriptis non e Graeca lingua in Latinam versis.

ĂPOLACTIZO, as, a. proprie significat calcibus ferire, aut calcare: est enim Graecum verbum ἀπολακτίζειν, ab adverbio λάξ, calcibus: translate autem significat nihili facere, despicere, aspernari. *Pl. Epid.* 5, 2, 13. Apolactizo inimicos omnes.

*ĂPOLAUSTUS, i, m. ἀπόλαυστος, voluptati serviens, in quo voluptas percepta est. Cognomen Romanum plurium libertinorum. *Capitol. Ver.* 8. Habuit et Agrippam histrionem, cui cognomentum erat Memphi, quem et ipsum ex Syria veluti tropaeum Parthicum adduxerat; quem Apolaustum nominavit. *Lamprid. Commod.* 7. Cum etiam Apolaustus, aliique liberti aulici pariter interempti sunt. *B. A.* [*Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 26. C. Varius Apolaustus. *F.*]

ĂPOLECTUS, i, m. Apolecti dicuntur frusta pelamidum concisarum saliendi gratia: ab ἀπολέγω, seligo, quia non omnes earum partes, sed selectae conciduntur. *Plin.* 9, 15, 18. Pelamides in apolectos, particulatimque consectae, in genera cybiorum dispertiuntur. ℙ Ipsae quoque pelamides, quae sunt in suo genere maximae, quia sunt aptae, ut in frusta concidantur, *apolecti* dicuntur. *Id.* 32, 11, 53. ℙ *Apolecti*, *orum*, m. ἀπόλεκτοι, in Graecia dicebantur viri aliquot selecti, ex quibus constabat concilium civitatis, ad quod pertinebat decernere de plurimis rebus, quae sine universo populi concilio transigi poterant: ab ἀπολέγω, seligo. *Liv.* 35, 34. Concilium quidem universae gentis non habuerunt; per apolectos autem (ita vocant sanctius concilium: ex delectis constat viris) id agitabant, ut, etc. *Id.* 36, 28. *ad f.* In concilio delectorum, quos apolectos vocant. Pro *apolecti* plures alii malunt *apocleti*, ἀπόκλητοι, hoc est vocati, ab ἀποκαλέω, voco. [*Sic cum *Drak.* recentiores edd.]

ĂPOLLĪNĂRĬĂ, ae, f. herba, quae et strychnos appellatur. *Appul. Herb.* 74.

ĂPOLLĪNĂRIS, re, adj. ad Apollinem pertinens. *Hor. Od.* 4, 2, 9. Pindarus laurea donandus Apollinari. *Liv.* 3, 63. Apollinaris circus, *h. e.* Flaminius, Apollini sacer. *Id.* 10, 8. Apollinare sacrum. *Cic. Phil.* 10, 3. Apollinares ludos facere. ℙ *Apollinares ludi* fiebant quotannis Romae in honorem Apollinis: et primum quidem voti sunt bello Punico secundo, victoriae obtinendae causa, ex carminibus Marcii illustris vatis; et cum singulis annis fierent, certum tamen anni tempus non habebant: sed elapsis aliquot annis, lege lata a P. Licinio Varo Praetore urbano, celebrari coepti sunt III. Non. Quintil. (tametsi ipsis Nonis incepisse aliquando *Manut.* colligit ex *Cic. ad Attic. l.* 16. duobus locis, *in tractatu de Legib. Rom. c.* 3.) et per aliquot dies durabant, quorum tamen certus numerus definiri non potest. V. *Manut. l. c.*

et *Liv.* 25, 12. et 27, 23., ubi plura de eorum institutione. *Cic. Att.* 2, 19. Ludis Apollinaribus Diphilus tragoedus in nostrum Pompejum petulanter invectus est. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 19. Sub die ludorum Apollinarium. ℙ *Apollinaris*, herba eadem est, quae hyoscyamus, et Apollinaris minor. *Plin.* 26, 14, 87. Item solani species, quam et derceam Graeci vocant, *Appul. Herb.* 22., ubi addit, ita appellatam esse ab ipso Apolline, qui eam invenisse fertur.

ĀPOLLĪNĔUS, a, um, adj. ad Apollinem pertinens. *Ov. Met.* 1, 473. Apollineae medullae, *h. e.* cor et pectus Apollinis. *Id. ib.* 15, 533. Apollinea proles, *h. e.* Aesculapius Apollinis filius. *Id. ib.* 9, 454. Frater Byblidis Apollineus, *h. e.* filius Mileti filii Apollinis. *Id. ib.* 13, 631. Apollinea urbs, *h. e.* Delus. *Stat. Th.* 11, 12. mater, *h. e.* Latona. *Mart.* 10, 12. Vercellae Apollineae, *h. e.* ubi Apollo colebatur: vel ubi colebantur assidue liberales disciplinae, quarum praeses est Apollo. *Ov. Met.* 11, 8. Apollineus vates, *h. e.* Orpheus peritissimus poeta. *Id. ib.* 264. Apollinea ars, *h. e.* ars vaticinandi. *Id. Trist.* 3, 3, 10. eandem intelligit artem medicam: utriusque enim et medendi, et vaticinandi inventor habetur Apollo. *Id. Fast.* 6, 91. Apollinea laurus. *Claud. Rapt.* 3, 373. Apollineum nemus, *h. e.* lauretum: laurus enim Apollinis arbor dicitur.

ĀPOLLO, ĭnis, m. *Ἀπόλλων, ωνος*, Latonae Jovisque filius, uno partu cum Diana editus in insula Delo. Plures Apollines *Cic.* enumerat *N. D.* 3, 23., quorum primus est Vulcani et Minervae filius, Athenarum custos: alter Corybantis filius, natus in Creta, cujus de illa insula certamen cum Jove fuisse traditur: tertius Jove et Latona natus, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse: quartus in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellant, quod ab eo se leges ferunt accepisse, quae *νόμοι* Graece dicuntur. Sed praecipue de Apolline Latonae filio loquuntur poetae, cujus nomen Graecum est, *Ἀπόλλων:* ejusque etymologia varie a variis traditur. V. *Voss. Etym.* in *Sol.* ℙ Est autem Apollo idem ac *Sol*, et *Phoebus:* item Liber pater, seu Bacchus, ut docet *Serv.* ad *A.* 6, 78. et *Macr. Sat.* 1, 18., ubi hac de re plura. Hinc *Luc.* 5, 71. Parnassum montem ait et Baccho et Phoebo sacrum esse, *cui numine mixto Delphica Thebanae referunt trieterica Bacchae.* Addit *Serv.* ad *Ecl.* 5, 66. ex *Porphyrio*, triplicem esse Apollinis potestatem, et eundem esse Solem apud Superos, Liberum patrem in terris, Apollinem apud inferos: unde etiam tria insignia circa ejus simulacrum esse, *lyram*, quae nobis coelestis harmoniae imaginem monstrat; *gryphen*, seu *gryphum*, qui eum etiam terrenum numen ostendit; *sagittas*, quibus infernalis Deus et noxius judicatur. ℙ Dicitur inventor ac pater quatuor utilissimarum artium, sagittandi, vaticinandi, medendi, et carmina faciendi, simulque lyra canendi. Sagittandi artem tum ostendisse dicitur, cum adhuc puer sagittis Pythonem confixit, unde et Pythius cognominatus est. V. PYTHON. Vaticinandi pater dictus est propter multa oracula edita, praesertim Delphis, ubi diu claruit; quare et *Delphicus* est appellatus. V. DELPHI. In medendi vero arte adeo laudatur, ut filium suum Aesculapium etiam mortuos ad vitam revocandi rationem docuerit: quod cum is semel esset ausus, a Jove fulmine ictus est. V. AESCULAPIUS. Porro quod ad poesim pertinet, Apollo praeses dux ac pater musarum passim dicitur a poetis. *Ov.* etiam *Her.* 16, 180. ab eo moenia Trojae condita fuisse tradit, collectis saxis lyrae sono: quam artem et Amphion postea, et Orpheus ab eo accepere, ideo *Apollinei vates* dicti. ℙ Habitus est etiam pastorum Deus, quod fertur aliquando Admeti armenta pavisse. V. ADMETUS. Hinc pastor dicitur a *Virg. G.* 3, 2. ℙ Huic Deo laurus praecipue cara fuit propter Daphnem nympham ab eo adamatam, et in eam arborem conversam. V. DAPHNE et LAURUS. ℙ Variis cognominibus appellatur, praesertim ductis a variis locis, in quibus praecipue cultus est, ut Delius, Clarius, Lycius, Pataraeus, Thymbraeus, Actius, et sexcenta hujusmodi. ℙ Intonsus fingitur et imberbis, perpetuaque juventa ac pulcritudine florens, quia nihil sole pulcrius. Hinc formosus, pulcher, flavus passim a poetis dicitur. Pingitur autem cum laurea corona, lyram seu citharam manu tenens, vel cum pharetra et arcu. Ejus habitum pompamque poetice describit *Tibull.* 3, 4. a *v.* 23. et *Sidon. carm.* 22. *v.* 64. et *sqq.* Alia multa, quae de Apolline fabulati sunt veteres V. apud Mythologos. *Hor. Sat.* 2, 5, 60. Divinare etenim magnus mihi donat Apollo. *Id. Od.* 1, 31, 1. Quid dedicatum poscit Apollinem, etc.? *Martial.* 2, 89. Carmina quod scribis musis et Apolline nullo. *Cic. N. D.* 3, 23. Apollinum antiquissimus is, quem, etc. ℙ [*Apollinis urbs magna in Aegypto Superiore fuit vel Thebaide. *Plin.* 5, 9. Dicta et Apollonopolis. ℙ Apollinis oppidum dictum est Meroe. *Id.* 6, 30. ℙ Apollinis promontorium in Africa Propria fuit, in Zeugitana, prope Uticam, e regione Sardiniae. *Id.* 5, 4. ℙ Aliud Apollinis promontorium, in Mauritania Caesariensi. *Id. ib.* 2. ℙ Apollinis Phaestii portus, in Locride. *Id.* 4, 3. *B. A.*]

ĀPOLLŌDORĒUS, a, um, *Ἀπολλοδώρειος*, ad Apollodorum pertinens. Apollodori rhetoris, Pergameni et Caesaris Augusti praeceptoris saepe meminit *Quint.*, ut 2, 11., 12, 15. et 3, 1. Apollonius Pergamenus, qui praeceptor Apolloniae Caesaris Augusti fuit, et Theodorus Gadareus; hi diversas opiniones crediderunt, appellatique inde Apollodorei et Theodorei.

ĀPOLLŌDORUS, i, m. *Ἀπολλόδωρος* (ab *Ἀπόλλων* Apollo, et *δῶρον*, donum, *h. e.* Apollinis donum) Plures fuerunt hujus nominis viri illustres. Apollodorus Atheniensis comicus, fabulas scripsit XLVII., fuit quinquies victor, teste *Suida.* Ab eodem *Hecyram* suam *Terentius* expressit, nec non *Phormionem.* ℙ Apollodorus Celeus, *(lege* Gelous) comicus e Gela fuit Siciliae urbe *σύγχρονος τοῦ κωμικοῦ Μενάνδρου*, teste eod. *Suida.* ℙ Apollodorus Tarsensis, tragicus, memoratus a *Suida*, qui fabularum ab ipso scriptarum nomina profert. ℙ Apollodorus Atheniensis, grammaticus, Asclepiadae filius, Aristarchi grammatici, item Panaetii Rhodii, et Diogenis Babylonii, philosophorum Stoicorum, discipulus; scripsit Chronicon, Attalo secundo Philadelpho, Pergami regi dicatum. Scripsit etiam Bibliothecae libros tres, qui ad nos pervenerunt. De eo *Cic. Att.* 12, 23., *Macr. Sat.* 1, 13., *Gell.* 17, 4. ℙ Alius Pergamenus, rhetor, Cassidii *(al.* Callidii) itemque Caesaris Augusti praeceptor ac familiaris, auctor sectae Apollodoreae fuit, Theodoro oppositae. Scripsit et de rhetorica. *Suet. Aug.* 89. V. *Quint.* in APOLLODOREUS. ℙ Apollodorus Alexandrinus, comicus (quem laudant *Calepin.* et *Forc.)* omnino ignotus. Fuit tamen Apollodorus Carystius, comicus, multis veterum laudatus, qui cum Apollodoro Geloo saepius confunditur, *Polluce* eos aperte distinguente. ℙ Apollodorus quoque ex Epicuri discipulis fuit, cognomento *κηποτυράννος.* Scripsit XL. volumina, teste *Laertio l.* 10., qui Apollodorum Epicureum appellat. Adde *Cic. N. D.* 1, 34. ℙ Fuere et medici duo Apollodori, Tarentinus, et Citiensis, a patria cognominati. *Plin.* 14, 7, 9. et 20, 4, 13. ℙ Apollodorus, tyrannus Cassandreae. *Cic. N. D.* 3, 33. ℙ Apollodorum Lemnium, rei rusticae scriptorem, memorat *Varr. R. R.* 1, 1. ℙ Fuit et hoc nomine pictor insignis Atheniensis, de quo *Plin.* 35, 9, 36. ℙ Et statuarius nobilis. *Id.* 34, 8, 19. ℙ Alius Amphipolitanus ab Alexandro Babylone discedente relictus, ut cum Menete regioni Babyloniae et civitati praeesset. *Curt.* 5, 1. ℙ Alius Erythraeus, historicus, Sibyllam Erythraeam civem suam fuisse tradidit. *Lactant.* 1, 6. ℙ Apollodorus Damascenus, architectus, floruit sub Trajano et Hadriano, a quo relegatus, deinde interfectus est. Scripsit *πολιορκητικά*, sive librum de machinis obsidionalibus. *Spartian. Hadrian.* 19. ℙ Apollodorus Pyragrus, Agyrinensis, memoratus *Cic. Verr.* 2, 1, 31. ℙ [*Haec ex *Appendice Jacobi Bailey* ad *Lex. Forc.* addidit *Furl.*, iis omissis, qui vel incerti sunt, vel in graecis tantum auctoribus commemorantur. Plura habent *Scip. Tettius* Neap. in commentario de Apollodoris; *Jonsius*, de Hist. philos. script. 17. et *Th. Gale* in diss. de scriptoribus mythol., editioni Apollodori Bibliothecae Parisiensi 1675 praemissa, quos idem laudavit *Bailey.*]

ĀPOLLŌNĬA, ae, f. *Ἀπολλωνία*, nomen est aliquot celebrium urbium, quarum praecipuas enumerat *Bail.*, [*ut Apollonia in Epiro, quae memoratur a *Strab.* 17. quam de urbe in Acarnaniae insula, Echinadum una, intelligendam putat *Ortelius*, vel de Apollonia, Aetoliae urbe, memorata a *Liv.* 28, 8. ℙ Item Cretae oppidum. *Plin.* 4, 12. ℙ Item Syriae, testibus *Strab.*, *Appian.* et *Steph.* ℙ Et Thraciae, ad Pontum Euxinum. *Plin.* 34, 7. 4, 11. *Mel.* 2, 2. ℙ Et Macedoniae, in Chalcidica. *Plin.* 4, 10. *Liv.* 45, 28. ℙ Item oppidum in Mygdonia, teste *Plin. ib.* ℙ Item Illyriae urbs, inter Dyrrachium et Aulonem. *Cic. Phil.* 11, 11. *Id. Fam.* 3, 29. *Caes. B. C.* 3, 12. ℙ Item oppidum Cyrenaicae, cum portu cognomine. *Plin.* 5, 5. *Mel.* 1, 8. ℙ Et in Samaria maritimum, inter Caesaream et Joppen. *Plin.* 5, 13. Apollonias audit *Anton. Itin.* ℙ Et in Mysia, ad flumen Rhyndacum. *Plin.* 5, 30. ℙ Fuit et Apollonia insulae nomen in Ponto Euxino. *Id.* 6, 12.] *B. A.*

ĀPOLLŌNĬĀTES, ae, et is, m. qui est ex Apollonia urbe. *Cic. N. D.* 1, 12. Diogenes Apolloniates. ℙ *Apolloniatae*, *atarum*, et *Apolloniates*, *tum*, et *tium*, *Ἀπολλωνιαταὶ*, Apolloniae populi. *Plin.* 5, 29, 29. Hydissenses, Apolloniatae, Trapezopolitae. *Id.* 4, 13, 27. Apolloniatarum insula circa Istrum. *Id.* 3, 11, 16. Apolloniatum oppidum. *Id.* 2, 106, 110. Nymphaei crater dira Apolloniatis suis portendit. *Liv.* 24, 40. Juventus Apolloniatium. Et 26, 25. Apolloniatium fines.

ĀPOLLŌNĬĀTĪCUS, a, um, adj. ad Apolloniam pertinens. *Plin.* 35, 15, 51. Apolloniaticum bitumen, *h. e.* quod circa Apolloniam Epiri urbem effoditur, de quo etiam *Vitr.* 8, 3. verba facit.

ĀPOLLŌNĪDENSIS, se, adj. ad Apollonideam pertinens, Lydiae urbem inter Pergamum et Sardes, in cujus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 92. *ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΕΩΝ.* Hujus urbis nomen firmatur ex insigni basi Puteolana peculiari commentario illustrata a *Laur. Gron. Antiquit. T.* 7. p. 433. *Cic. Flacc.* 29. Haec Apollonidenses, occasione facta, ad Flaccum detulerunt. *Tac. A.* 2, 47. Philadelpheni, Aegeates, Apollonidenses. *Plin.* 5, 30, 33. Ad eam conveniunt Attalenses, Pantaenses, Apollonidenses. ℙ Apud *Cic.* et *Plin. l. c.* male editum est *Apollonidienses.*

*APOLLONĪDES, ae, *Ἀπολλωνίδης*, incertae aetatis auctor, Europae *περιπλοῦν* scripsit. *Plin.* 7, 2. *B. A.*

ĀPOLLŌNĪENSIS, se, adj. ad Apolloniam urbem pertinens. *Cic. Verr.* 2, 3, 43. Apolloniensis civitas. ℙ *Apollonienses*, *ium*, sunt Apolloniae urbis cives. *Justin.* 9, 2.

*APOLLONIUS, i, m. *Ἀπολλώνιος*, Alabandensis, dicendi magister clarissimus, mercede docuit rhetoricam, sed minus idoneos noluit docere, dimisso discipulorum singulo quoque, quem ad aliam potius artem putabat esse aptum. *Cic. Or.* 1, 28. *Id. ib.* 17. *Suet. Caes.* 4. Vixit in Rhodo. V. MOLON. ℙ Alius, Syrus, Platonicus. *Spartian. in Hadr.* 2. ℙ Apollonius Thyanaeus, professione fuit philosophus Pythagoricus, re ipsa autem Magus consummatus. Vitam ejus scripsit Philostratus. *Ammian.* 21, 14. (al. 28.) *Lactant. Instit.* 5, 2. ℙ Alius, Panormitanus, de quo *Cic. Verr.* 5, 7. ℙ Apollonius, libertus P. Crassi M. F. doctus. *Id. Fam.* 13, 16. ℙ Plures Apollonios laudat *Vossius* de *Hist. Gr.* 1, 22. *Jonsius* de Script. *Hist. Phil.* 3. 9. itemque *Meursius* in tractatu de Apolloniis. *B. A.* [Item cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 2. *n.* V. P. Annius Apollonius. Alia ap. *Murat.* 1128, 5. Albia Apollonia. *F.*]

[ĀPOLLŌNOS *gonos* vocatur herba forte eadem quae Apollinaris. *Appul. Herb.* 90. *F.*]

*APOLLONOSHIERĪTĀ, ae, m. ad urbem Lydiae pertinens, Apollonoshieron (*h. e.* Apollinis fanum) dictam, in cujus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 93. *ΑΠΟΛΛΩΝΙΕΡΙΤΩΝ. Plin.* 5, 29, 30. Apollonoshieritae, Mesotimolitae, et alii ignobiles. *B. A.* et *F.*

[ĀPOLLŌPHĀNES, is, m. Apollo apparens, qui videtur Apollo, ab *Ἀπόλλων*, et *φαίνω* appareo. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 77, 2. Q. Lollius Apollophanes. *F.*]

*APOLLOPOLĪTES NOMOS vel Apollonopolites Nomos, praefectura, cujus caput Apollinis urbs magna. *Plin.* 5, 9. V. Apollo in f. *B. A.*

ĀPOLŌGĀTĬO, onis, f. id. q. *apologus*, hoc est fabulosa narratio. *Quint.* 5, 11. *ante med.* *Αἶνον* Graeci vocant *λόγους μυθικοὺς:* nostrorum quidam non sane recepto in usum nomine, apologationem.

ĀPOLŌGĒTĪCUS, a, um, adj. *ἀπολογητικὸς*, ad defensionem causae pertinens: ab *ἀπολογέομαι.* V. v. seq. Tertullianus librum suum, quo Christianorum contra Gentiles causam tuetur, *Apologeticum* inscripsit. Est etiam Hieronymi *Apologeticon* ad Domnionem.

ĀPOLŌGĬA, ae, f. *ἀπολογία*, oratio qua se quis, et sua facta defendit, aut excusat, aliorumque accusationes, et argumenta refellit, ab *ἀπολογέομαι*, dicendo refello, refuto, confuto. Est *Appuleji* liber hoc titulo inscriptus. Utitur etiam *Hieron. in Rufin.* 2, 4. et 6. et alibi.

ĀPOLŌGO, as, a. *Sen. ep.* 47. Retulit illi gratiam servus, ille in primam decuriam conjectus, et ipse illum invicem apologavit, et ipse non judicavit domo sua dignum. *Ablegavit* malebant quidam, tum quod *apologavit* insolens verbum est, et semibarbarum, tum quod totus hic locus corruptus videtur: at *Lipsius* ex consensu librorum *apologavit* retinet, et interpretatur, convicio affecit, vel notavit, a Graeco *ἀπολέγω*, quod et rejicere, repudiare significat.

ĀPŌLŌGUS, i, m. *ἀπόλογος*, narratiuncula ficta, et fabulosa, ea praesertim, in qua animalia rationis expertia, et plantae loquentes inducuntur, quales sunt fabellae *Aesopi*, *Phaedri*, etc., ex quibus aliquod vitae praeceptum eruitur. Differt a *fabula*, quae est narratio major, et proprie *μῦθος* dicitur: fere autem possibilia et verisimilia continet, qualia sunt hominum, ac Deorum facta. Ita porro se habent inter se, ut omnis apologus fabula dici possit, non tamen contra. Nam epopeja, v. gr., tragoedia, comoedia *apologi* dici non possunt. Itaque *fabula* est nomen tum generis, tum speciei, *apologus* speciei tantum. Dictus est ex *ἀπὸ*, ab, et *λέγειν*, dicere, quia in hujusmodi fabulis aliud significari volumus, atque ipsa sonat narratio, et ab illo, quem habent, sensu ad alium traducere: vel dictus est, quasi *λόγος ἀπὸ λόγου*, quia aliud aperte dicit, aliud innuit. [*Cf. Graeca lex.] *Cic. Inv.* 1, 17. Incipere ab aliqua re, quae vel apologum, vel fabulam, vel aliquam contineat irrisionem. *Auct.* quoque *ad Her.* 1, 6. apologum et fabulam conjungit. Rursus *Cic. Or.* 2, 66. Ad hoc genus adscribamus etiam narrationes apologorum. *Pl. Stich.* 4, 1, 32. Agere alicui apologum,

h. e. narrare. Usurpant praeterea *Quint.* 6, 3., *Gell.* 2, 29. et *Suet. ill. Rh.* 1. [*De apologo cf. *Hist. de l' Acad. des Inscr. et belles lettres* 1741 — 43. *n.* 3. *Beier.*]

[*ĀPŌLŪTUS, i, m. pro apolytus, ἀπόλυτος, solutus, liberatus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 961, 5. L. Junio Apoluto. *F.*]

*ĀPŌNIĀNA, ae, insula Lilybaeo proxima. *Auct. B. Afric.* 2. Eandem cum Aegusa putat esse insulam Cluverius. *Polyb.* 1, 60. *τὴν Λιγοῦσαν νῆσον, τὴν πρὸ Λιλυβαίου κειμένην. B. A.*

ĀPŌNĪNUS, a, um, adj. ad Aponum pertinens, ut *Aponinae sortes* ap. *Vopisc. Firm. Sat.* 3., h. e. quae in Aponi fonte mittebantur, ut est apud *Suet. Tib.* 14. Ita hunc locum legere malunt *Casaubon., Gruter.* et *Salmas.*, qui similiter corrigendum putant locum *Trebell. Claud.* 10. Cum in aponino (supple *fonte*) de se consuleret, responsum hujusmodi accepit, etc., tametsi libri omnes utroque loco habent *Apenninus*, ut sit ab Apennino monte, [ubi Juppiter colebatur. Vox *Apenninus*, cum olim unico *n* scriberetur, (V. APENNINUS et *Inscr.* mox citand.) a librariis in *Aponinus* corrupta est. Hinc *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 79, 5. Jovi Apenino T. Vivius Carmogenes, Sulpicia Euphrosyne conjux V. S. D. D. Adde apud *Claud. VI. Cons. Honor.* 501. et seqq. multa haberi de Jovis delubro in Apennino. V. PENNINUS. *F.*]

ĀPŌNO, is, a. 3. id. q. depono, unico *p*, ex praepositione *a*, et *pono:* vel quasi *abpono;* diciturque ea ratione, qua *afui*, *afore*, *afuturus* pro *abfui*, etc. quae V. suis loc. *Pl. Poen.* 4, 2, 35. Onus urget. *Mi.* at tu apone. *Id. Cas.* 2, 6, 11. Apone hic sitellam. *Ter. Heaut.* 1, 1, 36. At istos rastros interea tamen apone, ne labora. Adde alia exempla ejusdem rationis, quae *Pareus in Lex. Crit.* congerit: quibus nihil obstantibus *Salmas.* ad *Vospic. in Aurel. c.* 7. et alii praeterea eruditi viri [**Bentl.* et *Ruhnken.* ad *Ter.*] duplici *p appono* ubique scribendum censent; ita enim haberi in probatis MSS. et editis libris.

ĀPŌNUS, i, m. *Abano*, Ἄπονος, fons calidis aquis manans, et saluberrimis (unde nomen invenit ab *α* privativa, et *πόνος*, labor, aegritudo) in nostro agro Patavino sub ipsis Euganeis montibus, sex circiter passuum millibus Patavio distans, olim religione Gentilium superstitiosorum apprime cultus, summoque in pretio habitus. Ejus non solum aquae, sed et coenum ipsum morbosis membris utilissime imponitur. Meminit *Plin.* 2, 103, 106. et 31, 6, 33. Laudat eum, et eleganter describit *Claud. carm. (idyll.)* 3, al. 6. quod incipit: *Fons Antenoreae vitam qui porrigis urbi;* ubi multa memorantur, quae temporum longo tractu mutata sunt. Deletum est etiam funditus Geryonis templum, in quo oracula petebantur, quod prope eum fontem fuisse constat. Neque ulla exstant vestigia muri, quo Theodoricus Ostrogothorum rex Aponum circumdari jusserat; aut magnificarum aedium cum balneis, quas exstruendas curaverat, demandata ejus rei provincia cuidam Aloysio architecto Patavino, ut videre est apud *Cassiod. Variar. ep.* 2, 39. Porro quemadmodum mos fuit Romanorum jaciendi sortes in fontes, quos sacros esse existimabant; ita in hoc quoque factitatum est, ex quo Tiberium Romani imperii mox obtinendi sortem traxisse, jactis aureis talis, narratur a *Suet. in ej. vita* 14. Vota etiam ab aegrotantibus Apono facta, recuperataque valetudine soluta, ostendunt veteres Lapides non uni, circa ea loca paucis abhinc annis eruti, in quorum uno, qui adhuc Patavii exstat, legitur: C. Acutius C. F. Maturus A. A. V. S. L. M., *h. e. Aquis Aponi Votum Solvit Libens Merito.* Plura de *Apono* habes apud *Scardeonium Portenarium*, et *Ursatum*, qui Patavinam historiam condiderunt. *Martial.* 6, 42. Nec fontes Aponi rudes puellis, *h. e.* in quos puellae non descendunt cum viris promiscue lavaturae, ut Romae fieri solebat; sive metu incendii, de quo in citata *Cassiodori* epistola, sive potius ob insignem Patavinarum pudicitiam. ℙ Adjective *Id.* 1, 62. Censetur Apona Livio suo tellus. ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 7. *n.* 118. Ti. Claudius Aponus. *F.*]

ĀPŌPHĀSIS, *ἀπόφασις*, negatio, abnuentia, depulsio, ab *ἀπόφημι*, nego, figura est rhetorica, cujus tale exemplum ponit *Quint.* 9, 2. Non agam tecum jure summo, non dicam quod forsitan obtinerem, etc. [*V. de ea pluribus *Ernest. lex. techn. Gr. rhet.* p. 41.] ℙ Est etiam index bonorum, vulgo *inventarium* dictum: et in hac significatione est ab *ἀποφαίνω*, ostendo, exhibeo, profero. Utroque autem modo Graeca vox est, et Graece scribenda.

ĀPŌPHLEGMĀTISMUS, i, m. *ἀποφλεγματισμός*, medicamentum ad exigendam ex capite pituitam et ore excernendam: ex *ἀπὸ*, ab, et *φλέγμα*, pituita. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. Apophlegmatismum quoque adjicientes. Adde 2, 4.

ĀPŌPHLEGMĀTIZĀRE, *ἀποφλεγματίζειν*, apophlegmatismum adhibere. Usurpatur a *Theod. Prisc.* 2, 3.

ĀPŌPHŌRĒTĂ, orum, n. plur. *ἀποφόρητα*, munuscula, quae Saturnalibus diebus dari solebant convivis in fine mensae, domum asportanda: ab *ἀποφέρω*, aufero, asporto. *Martialis* hoc titulo inscripsit librum suum decimum quartum, in quo recenset varias res, quae pro apophoretis dari solebant, et singulis suum addit distichon. Explicat autem quid sint in primo epigrammate illis versibus: *Divitis alternas, et pauperis accipe sortes: Praemia convivae det sua quisque suo.* Neque Saturnalibus solum, sed et aliis temporibus, si libuisset, apophoreta dari, praesertim ab imperatoribus solebant. *Suet. Vesp.* 19. Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita et calendis Martii feminis. *Id. Cal.* 55. Agitatori Eutycho, comissatione quadam, in apophoretis vicies HS. contulit. V. *Eund. Aug.* 75. Legitur haec vox etiam apud *Petr. in fr. Trag.* 40. 56. et 60. *Burm.* [primo tamen loco usurpatur adjectivi modo. Porcelli ex coptoplacentis facti apophoreti fuerunt. *F.* **Vet. Schol. Juv.* 6, 203. Solebant enim antea per nuptias recedentibus dulcia erogare pro apoforetis. *B. A.*] ℙ Praeterea dicta sunt *Apophoreta* etiam illa munera, quae ab editoribus ludorum mitti solebant amicis post ludos confectos, ut *Lips. Sat.* 1, 16. docet ex *Symm. ep.* 2, 80. (*al.* 81.), additque ejusmodi munus etiam *apophoreticum* dici: quam vocem usurpatam videmus ab eodem *Symm. ep.* 5, 54. (*al.* 56.) et *ep.* 9, 109. (*al.* 119.) ℙ *Apophoreta, ae*, f. apud *Isid. Or.* 19, 4. est vas escarium planum, ferendis apophoretis aptum: sed caret adhuc exemplo idonei Latini scriptoris.

ĀPŌPHŌRĒTĪCUM, i, n. id. q. apophoreta. V. v. praec.

ĀPŌPHTHEGMĂ, ātis, n. *ἀπόφθεγμα*, brevis et acuta sententia, sive acutum dictum, sive responsio, non cujuslibet, sed illustrium tantum virorum. Est autem Graeca vox ab *ἀποφθέγγομαι*, sententiose loquor, et Graece scribenda. Latine dicitur *facete dictum*, et *breviter et commode dictum* a *Cic. Amic.* 1. et *Off.* 1, 29., item *simpliciter dictum.* ℙ Hujusmodi *ἀποφθεγμάτων* volumina collegisse Catonem, indicat *Cic. Off.* 1, 29., idemque fecisse Caesarem, scribit ad Paetum *Fam.* 9, 16. *Manutius* quoque et *Erasmus* hujusmodi collectiones edidere.

ĀPŌPHYGIS, is, f. *ἀποφυγή*, pars summa, et infima scapi columnae, qua basi, aut capitulo jungitur, in modum anuli facta, totumque scapum cingens: de qua plura *Bald.* in *Lex. Vitr.* ad 4, 7., ubi ea vox legitur. Addit *Barbarus* ad *Vitr.* 3, 3. et cum eo *Philand. l. c.* in Dorica quidem, Ionica et Corinthia columnarum ratione apophygim esse partem extremam scapi, at in Tuscana esse partem summam basis, qua columna incumbit, Italice *cinta*, [**Anlauf und Ablauf des Säulenstammes.*] ℙ Ratio hujus nominis est hujusmodi. Qui primum columnas ex integris arborum truncis fecere, earum capita ferreo anulo religabant quo essent firmiores, neque ad pondus finderentur. Ille anulus *ἀποφυγὴ* dictus est, *h. e.* effugium, remedium contra scissiones, fissionesque columnarum: ab *ἀποφεύγω*, effugio, evado. [*Noli credere.] ℙ *Vitr.* 4, 1. pro apophygi *apothesim* nominat, eadem significatione, ut quidem *Philand.* et *Barbar.* interpretantur. Est autem *ἀπόθεσις*, depositio, ab *ἀποτίθημι*, depono: et ita dicta videtur ea columnae pars, quia ibi se quodammodo columna deponit et incumbit.

ĀPŌPLĀNĒSIS, *ἀποπλάνησις*, *i. e.* aberratio, figura rhetorica, qua differendo, obscurando, tergiversando judicem in errorem trahimus: quod *Cicero* facit in causa Cluentii, qui reus erat veneficii. Est autem Graeca vox, et Graece scribenda: ab *ἀποπλανῶμαι*, aberro, evagor. *Cic. Or.* 3, 53. *ad f.* vocat *erroris inductionem.*

ĀPŌPLECTĪCUS, a, um, adj. *ἀποπληκτικός*, apoplexia ictus, stupidus, attonitus. *Firm. Mathes.* 3, 14. *n.* 8. Morientur autem aut spastici, aut colobici, aut apoplectici, seu phrenetici. Adde 5. *n.* 8. et *Coel. Aur. Acut.* 3, 5., ubi tamen non semel etiam *apoplectus* legitur, a Graeco *ἀπόπληκτος*, quod idem est.

ĀPŌPLECTUS. V. vocem praeced.

ĀPŌPLEXIĂ, ae, f. Apoplexis, is, f. *ἀποπληξία*, et *ἀπόπληξις*, subita percussio, qua totum corpus, et mens stupet, et sensu ac motu privatur: ab *ἀποπλήττω*, percutio, quod tanquam letali percussu repentinum faciat casum, ut *Coel. Aur. Acut.* 3, 5. loquitur. Latini veteres, quia credebant a sanguine proficisci, *ictum sanguinis* vocaverunt. *Capitol. Anton. Philos.* 14. *in f.* Apoplexi arreptus periit. Al. leg. *apoplexia. Id. Verr.* 9. Morbo, quem apoplexin vocant, correptus. *Coel. Aur. l. c.* Apoplexia dicta est, quod, etc. *Tert. Anim.* 53. Apoplexis interior ruina. *Firm. Mathes.* 3, 7. *n.* 8. Mors illi per spasmum aut apoplexim fertur.

ĀPŌPROEGMĒNĂ. V. PRODUCTUS.

[ĀPŌPSIS, is, f. *ἄποψις*, specula villae, locus, ex quo prospectatur. *Front. de fer. Als.* 3. In apopsi jucundiores tibi esse videntur. *F.*]

ĀPŌR, vetus verbum pro *apud. Festus.* Quidam censent legendum *apur*, ex quo mutato *r* in *d* factum sit *apud:* alii *apot.*

ĀPŌRĬĀTĬO, onis, f. dubitatio, haesitantia animi, perplexitas, angustia animi, ab *ἀπορία*, anxietas. *Tert. adv. haeret.* 49. Quoniam ipse fuerit de aporiatione conceptus, atque prolatus.

[ĀPŌRIES, ei, f. id. q. aporia, paupertas, ab *ἀπορία. Not. Tir.* p. 157. Apories. *F.*]

*ĀPŌRĬOR, ari, *ἀπορέω*, dubito, haesito, incertus sum. *Vulgat. Esai.* 59. v. 16. et 2. *Corinth.* 4, 8. Adde *Ambros. serm.* 85. p. 384. *B. A.*

*ĀPŌRIS, idis vel idos, vicus Phrygiae majoris. *Liv.* 38, 15. *B. A.*

[ĀPŌRUS, i, m. *ἄπορος*, haerens, haesitans. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 876, 3. L. Minicius Cl. Aporus. *F.*]

ĀPŌSCŌPON, ontis, *ἀποσκοπῶν*, hoc est in scopum intuens, et collimans. Aposcoponta vocarunt celebrem Antiphili pictoris tabulam, in qua Satyrum fecerat ad scopum collimantem, ut est apud *Plin.* 37, 11, 40. *n.* 32., ubi *Hard.* ex MSS. legit *aposcopeuonta*, *ἀποσκοπεύοντα*, quod idem est.

ĀPŌSĬŌPĒSIS, is, f. *ἀποσιώπησις*, hoc est reticentia, obticentia, interruptio: ab *ἀποσιωπάω*, reticeo, in medio sermone conticesco: figura est rhetorica, qua in media oratione aliquid tacetur vel ex ira, vel ex sollicitudine, et quasi religione, vel alia transeundi causa, ut in illo *Virg. A.* 1, 135. Quos ego — sed motos praestat componere fluctus. Et ap. *Quint.* 9, 2. Communis autem — tametsi ignoscite mihi, judices, etc. *Id. ib.* 3. *a med.* Hanc quidam aposiopesim putant, frustra. Et *ib.* Quae si aposiopesis est, etc. Postremis his duobus locis docet *Quint.* tum dici aposiopesim, cum quod reticetur, incertum est, vel certe longiori sermone explicandum. Cum enim patet quod omittitur, aut uno alterove tantum verbo suppletur, synecdoche grammaticalis, vel ellipsis rectius dicitur. ℙ Alia exempla hujus figurae habes apud *Ov. Her.* 13. *in f.* et 20, 51. et apud *Sil.* 9, 55. et 10, 290. et *Stat. Th.* 3, 280.

ĀPŌSPHRĀGISMĂ, ātis, n. *ἀποσφράγισμα*, figura anuli palae insculpta ad signandum. Vox Graeca a *σφραγίζω*, signo, sigillum imprimo. *Plin. ep.* 10, 16. *in f.* Signata est anulo meo, cujus est apospragisma quadriga. *Not. Tir.* p. 161.

ĀPŌSPLĒNOS, *ἀπόσπληνος*, dicitur herba rosmarinus, apud *Appul. Herb.* 79., quia spleni exsiccando utilissima est: ex *ἀπὸ*, ab, et *σπλὴν, ηνὸς*, splen.

ĀPŌSTĂSĬĂ, ae, f. defectio a vera religione, *ἀποστασία;* ab *ἀφίσταμαι*, deficio, recedo. *August. in Op. imperf. c. Julian.* 56. et 57.

ĀPŌSTĀTĂ, ae, m. *ἀποστάτης*, desertor, qui duce suo deserto ad hostes transfugit: ab *ἀφίσταμαι*, deficio, recedo. A Christianis scriptoribus ita nominatur, qui a Fide desciscit. *Tert. adv. Marc.* 5, 11. Apostata Marcion. *Sedul.* 5, 138. de Juda proditore: Tunc vir apostolicus, nunc vilis apostata factus.

ĀPŌSTĀTĪCĒ, adv. *ἀποστατικῶς*, apostatarum more. *Imp. Justin. Cod.* 1. *in ep. ad Jo. Papam* §. 1. Ecclesiae contradicere Judaice et apostatice.

ĀPŌSTĀTĪCUS, a, um, adj., *ἀποστατικός*, qui per apostasiam a fide defecit. *Tert. adv. Marc.* 4, 5. Facilius apostaticum invenias, quam Apostolicum. *Sedul.* 5, 375. Plebis apostaticae, Dominum quae caeca negasset.

ĀPŌSTĀTŌ, as, n. *ἀφίσταμαι, ἀποστατέω*, a Fide deficio: verbum barbarum, usurpatum a *Cypriano ep.* 1, 2. *ad Cornel. de pace lapsor.* Inter eos qui vel apostataverunt, etc.

ĀPŌSTĒMĂ, ātis, n. *ἀπόστημα*, vomica, abscessus, suppuratio, concursus mali humoris in aliquam partem corporis abscedens, et in pus ac saniem degenerans, vox Graeca ab *ἀφίσταμαι*, abscedo. *Plin.* 30, 5, 12. Utuntur ad omnia, quae intumescunt, et quae apostemata vocant. *Id.* 28, 15, 61. Panos, et apostemata sanguis ursinus discutit.

ĀPŌSTŌLĀTUS, us, m. *ἀποστολή*, Apostoli officium, seu dignitas. *Tert. adv. Marc.* 1, 20. Petrum, ceterosque columnas Apostolatus. *Sidon. ep.* 7, 4. Apostolatus vestri patrocinio.

ĀPŌSTŌLĪCUS, a, um, adj. *ἀποστολικός*, ad Apostolos pertinens. *Tert. Praescr. adv. haeret* 32. Apostolica aetas. Et *ib.* Ecclesiae. Et *ib.* Apostolica doctrina. *Prud. Ham.* 524. Oris Apostolici testis sententia prodit. ℙ *Apostolici viri*, et interdum absolute *Apostolici*, dicebantur Apostolorum fideles discipuli, et qui in Euangelio praedicando constantes adjutores erant, et orthodoxi. *Tert. l. c.* Habere aliquem auctorem ex Apostolis, vel Apostolicis viris.

ĀPŌSTŌLUS, i, m. *Ἀπόστολος*, hoc est missus, dimissus; vox Graeca ab *ἀποστέλλω*, mitto, dimitto. A JCtis *apostoli* dicuntur litterae, quae ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, dantur, quae scriptum habent, a quo datae sint, qui appellet, et ad quem appellet, et adversus quem, et a qua sententia: et vocantur alio nomine *appellatoriae:* item *dimissoriae*, quia per eas causa ad eum, qui appellatus est, dimittitur, ut *Modestin. Dig.* 50, 16, 106. explicat. *Macer ib.* 49. *tit.* 6. *qui* De libellis dimissoriis *inscribitur*, *l.* 1. Quas litteras dimissorias, sive apostolos appellant. *Modestin. ib.* 14, 9. Interea de-

cessit rea; nihilominus tamen Apostoli redditi sunt. *Paul. Sent.* 5, 33. Litterae dimissoriae dirigantur, quae vulgo apostoli appellantur. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 7, 62, 6. Apostolos alicui dare. ℙ Apud Christianos scriptores *κατ' ἐξοχήν* Apostoli dicuntur Jesu Christi D. N. legati, missi per universum terrarum orbem ad evulgandum Euangelium gratiae Dei. *Tert. Praescr. adv. haeret.* 20. Apostoli, quos haec appellatio missos interpretatur. *Prud. Ham. v.* 508. Doctor Apostolus.

ĀPOSTRŌPHE, es, et Apostropha, ae, f. *ἀποστροφή*, hoc est aversio, ab *ἀποστρέφω*, averto. Est hoc nomine figura rhetorica (quam *Quint.* itidem *aversionem* appellat 9, 2.) et fit cum in media oratione sermonem orator a judice, vel ab auditore avertit repente, et in alium convertit, ut in illo *Cic. Lig.* 3. *ad f.* Quid enim, Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Sic dicitur *ἀποστροφὴ* ab *eod. Quint. ib.* 3. illud *Virg. G.* 2, 170. haec Decios, Marios, magnosque Camillos, Scipiadas duros bello, et te maxime Caesar; ubi ex improviso mutatur incepta forma loquendi: atque hac persaepe utuntur poetae. *Capell.* 5. p. 171. Apostrophe est in aliquem districta conversio, etc. *Ascon.* ad illa verba *Cic. Verr.* 2, 1, 9. *Hic tu fortasse eris diligens*, etc. Apostropha ad ipsum Hortensium, qua ostendit, etc. Adde *Hieron. in Hierem.* 13.

ĀPOSTRŌPHOS et Apostrophus, i, m. *ἀπόστροφος*, hoc est aversus, apud grammaticos est semicirculus aversus ad summam litteram consonantem appositus, cui vocalis est subtracta, ut *Tanton' me crimine dignum?* Ita describit *Diomed.* 4. p. 430. Adde *Prisc. in l. de accentib.* p. 1287. et *Donat.* p. 1742., qui omnes Latinis litteris scribunt.

ĀPOTAMIĀ, ae, f. Graeca vox, quae Latine cella penuaria: a *ταμίας*, promus condus. Latine scripta legitur apud *Coel. Aurel. Acut.* 3, 21.

ĀPOTĔLESMĀ, ātis, n. *ἀποτέλεσμα*, hoc est effectio, effectus, ab *ἀποτελέω*, efficio, perficio. Ab astrologis ita appellatur effectus stellarum, hoc est quidquid ex astrorum convenientia, mutuoque respectu in natali cujusque efficitur boni, vel mali. *Firm. Mathes.* 8, 5, 18. et alibi saepe.

ĀPOTHĒCA, ae, f. *ἀποθήκη* (unde Itali derivarunt *bottega* [*quod primus observavit *Manut.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. *post. med.* ubi simul exponit de discrime inter *taberna*, *apotheca* et *officina*]), repositorium, cella, in qua aliquid servandum reponitur, ut sunt horreum, cella vinaria, carnarium, et alia ejusmodi in aedibus loca, in quibus cujuscumque generis fruges reconduntur: ab *ἀποτίθημι*, repono. *Cic. Vatin.* 5. Cum omnium domos, apothecas, naves furacissime scrutarere. *Id. Phil.* 2, 27. Nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum: apothecae totae nequissimis hominibus condonabantur. *Hor. Sat.* 2, 5, 6. neque illic Aut apotheca procis intacta est, aus pecus. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *a med.* Instructo fundo et bibliothecam, et libros qui illic erant, ut quoties venisset, uteretur, contineri constat: sed si quasi apotheca librorum utebatur, contra erit dicendum. ℙ Saepe specialiter dicitur de cella, in qua vina servantur. Est autem discrimen, licet fortasse non perpetuum, inter *cellam vinariam*, et *apothecam:* nam *cella vinaria* constituitur in ima aedium parte, in qua fit vinum, et in cupis, doliis cullearíis aliisque majoribus vasis servatur ad usum familiae: at *apotheca* erat apud veteres in editiore aedium parte, quemadmodum et horrea, in qua recondebantur amphorae et cadi, ceteraque minora vasa, servandis etiam in multos annos vinis accommodata. Hinc *Colum.* 1, 6. partem villae fructuariae dividi ait in cellam oleariam, torculariam, vinariam, defrutariam, foenilia, palearíaque, et apothecas, et horrea. Et paulo post monet, apothecas recte superponi fumario et balneis, ex quibus fumus exoritur, quoniam vina celerius vetustescunt, quae fumo praecocem maturitatem trahunt. *Plin.* quoque *ep.* 2, 17. apothecam et horreum in edita turri esse sita testatur, in Laurentino suo. Hinc *Hor. Od.* 3, 21, 7. invitat amphoram, ut descendat Corvino jubente, etc. et *ib.* 28, 7. vult, eam deripi horreo. Et *ib.* 8, 11. laudat amphoram fumum bibere institutam. Contra cellas vinarias, non in subterraneis, at certe in plano aedium fuisse satis indicant *Varr. R. R.* 1, 13. *ad f. Plin.* 14, 21, 27. *Colum. l. c.* et *Vitr.* 6, 9. ℙ Nunc exempla addantur, quibus apotheca pro vini repositorio accipitur. *Plin.* 14, 14, 16. Apothecas fuisse, et diffundi solita vina, etc. et *ib.* 4, 6. Tantum pecuniarum detinent vini apothecae. *Ulp. l. sup. c.* Vina, quae in apothecis sunt. V. integrum locum. *Id.* 47, 2, 21. In apotheca amphoras esse vini, etc. *Arn.* 7. p. 236. Vinum omne, quod in cellis atque aphothecis est conditum. ℙ Inter officia domus Augustae fuit servus ab apotheca triclinii. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 7. *n.* 34. P. Avidio P. F. Sergia Matrinio Caes. N. ab apotheca triclinii, etc.

ĀPOTHĒCO, as, a. 1. in apothecam recondo. *Venant. epist. praef. carm.* 6. *l.* 5. Quod ille torcularet in fletu, iste apothecaret in fructu.

ĀPOTHĒOSIS, is, f. *ἀποθέωσις*, consecratio, seu relatio hominis demortui inter Deos: Graeca vox ab *ἀποθεόω*, inter Deos refero, Deum facio. Hanc primus instituit Augustus, qui Julium Caesarem Deum fecit, et ut Deum coli jussit, ut est apud *Suet. Caes.* 88. Ritus, qui in apotheosi servabantur, accurate *Herodian.* 4, 2. describit. *Tert. Apol.* 34. *extr.* Maledictum est, ante apotheosin Deum Caesarem nuncupari. ℙ *Apotheosis* inscriptum est *Prudentii* carmen, in quo agit de divinitate Christi, et de aliis ad illam pertinentibus.

ĀPŌTHERMUM. V. APODERMUS.

ĀPŌTHĒSIS. V. in APOPHYGIS.

ĀPOXYŌMĒNOS, *ἀποξυόμενος*, hoc est destringens, abstergens: vox Graeca ab *ἀποξύω*, derado, destringo. Fuit hoc nomine celebris statua a Lysippo facta hominis se fricantis strigili in balneo, et destringentis, de qua *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 6.

ĀPOZĒMA, ātis, n. *ἀπόζεμα*, decoctum, hoc est aqua, in qua aliquid decoctum sit: ab *ἀποζέομαι*, fervefio. *Aemil. Macer de Herb. c. de apio.* Vel semen potius, vel apozema proderit ejus. *Apoxima* corrupte legitur in quibusdam editionib., ut et *Janus Cornar.* adnotavit.

ĀPOZYMĀRE, hoc est fermentare, fervefacere, a *ζυμόω*, fermento: verbum barbarum, quod legitur apud *Theod. Prisc.* 1, 19. Sales triti, ac in linteolo ligati aceto infunduntur, et ex hoc vulnus tamdiu apozymandum est, vel infundendum, donec sanguinem eliciat, *h. e.* tamdiu aceti acrimonia irritandum, et accendendum, etc.

APPANGO et Adp., is, a. 3. ad aliquid pango, affigo. *Paul. ex Festo* in *Antipagmenta.* Antipagmenta valvarum ornamenta, quae antis adpanguntur, id est adfiguntur. V. APPINGO.

[APPĀRĀMENTUM, i, n. id. q. apparatus. *Fabrett.* p. 609. *n.* 79. Taurobolium fecerunt cum suis hostiis et apparamentis. *F.*]

APPĀRĀTĒ, adv. *ἀδεῶς*, cum apparatu, magnifice. *Cic. Att.* 13, 52. Edit, et bibit *ἀδεῶς*, et jucunde; opipare sane, et apparate. *Liv.* 31, 4. Ludi scenici magnifice apparateque facti. *Plin. ep.* 1, 15. Potes apparatius coenare apud multos; nusquam hilarius.

APPĀRĀTIO, onis, f. *κατασκευή*, apparatus, [*proprie significat curam, quae ponitur in iis quae vel necessaria vel utilia sunt ad negotium aliquod conficiendum. *Vitr.* 2, 10. Quoniam de apparationibus est explicatum, *h. e.* de comparatione materiei, ex qua aedificia fiunt. [**Auct. ad Her.* 2, 4. si ex altera parte vires, pecunia, consilium, scientia, apparatio (i. e. variae rei peragendae molitiones) videbitur fuisse.] Praecipue de magno et sumtuoso apparatu. *Cic. Off.* 2, 16. Laudare magnificentiam et apparationem popularium munerum. ℙ Translate. *Cic. Inv.* 1, 18. Exordium debet habere splendoris, et festivitatis, et concinnitudinis minimum, propterea quod ex his suspicio quaedam apparationis [*i. e. meditationis antea institutae], atque artificiosae diligentiae nascitur. *Auct. ad Her.* 1, 8. Alterum genus narrationis est, quod intercurrit nonnunquam, aut fidei, aut criminationis, aut transitionis, aut alicujus apparationis, vel laudationis causa, *h. e.* [*praeparationis certorum locorum] cum in media oratione breviter narratur aliquid ad sternendam veluti materiam et praeparanda ea, quae dicturi deinceps sumus.

APPĀRĀTOR, oris, m. qui apparat. *Liv.* 44, 9. Interdum plures ab apparatoribus ludi armati inducebantur. Plerique al. leg. *plures apparatioribus ludis*, etc. [*Omnino. Cf. 31, 4. ludi apparate facti.] *Inscr.* ap. *Murat.* 511, 1. Rogator Mag. *Quinq.* Conleg. Apparat. Annal. iterum. Ipse *Murat.* quid sibi velit illud *Apparat.* se ignorare fatetur, [*sed putat esse i. q. *apparator.*]

APPĀRĀTŌRIUM et Adp., ii, n. *ἐξαρτιστήριον*, locus prope sepulcrum muro circumdatus ac tectus, ad lustrationem sepulcri, et coenas anniversarias funebres inter propinquos amicosque celebrandas, ut quidem interpretatur *Fabrettus*, qui has affert *Inscriptiones c.* 3. *n.* 609. Hoc adparatorium pertinet ad monimentum Q. Aquilii Dionysii, etc. et *n.* 110. Porticum cum apparatorio, et compitum a solo pecunia sua fecerunt, etc. *Gloss. Vet.* Ἐξαρτιστήριον, apparatorium, *scil. ab ἐξαρτίζω*, apparo, instruo. *Reinesius cl.* 17. *n.* 14. priorem Inscriptionem et ipse affert, et *adparatorium* interpretatur *ustrinum*, qui erat locus, in quo parabatur rogus ad cremanda cadavera: hoc autem male confirmat auctoritate *Servii*, qui ad *A.* 3, 22. docet, apparatum mortuorum vocari *funus;* non vero, ut *Reines.* asserit, funus mortuorum appellari *apparatum.* In altera (quae habetur etiam in *Antiquit. Benevent. cl.* 6. *n. ult.* et explicatur ib. p. 276.) nulla est mentio sepulcri, sed epuli et lustrationis. ℙ *Jo. Rhod.* in notis ad *Scribon. Compos.* 212. in priore Inscript. legit *apparitorium*, quod non habet hic locum.

APPĀRĀTRIX, icis, f. quae apparat. *Hieron. ep.* 18. ad *Damas. de Seraphim. n.* 14. Apparatrices in coelestibus virtutes.

APPARATUS et Adp., us, m. *παρασκευή*, apparatio, [*dicitur interdum active, *τὸ παρασκευάζειν. Suet. Ner.* 56. in ipso sacrificii apparatu. *Id. ib.* 12. inter buthysiae apparatum.] *Cic. N. D.* 1, 8. (de apparatione ad creationem mundi) desidero ministros, machinas, omnem totius operis designationem et apparatum. Plerumque autem passive, i. q. apparatur, *s.* quod apparatum est; quo sensu etiam de singulis rebus, e quibus apparatus constat, dicitur, i. e. de instrumentis, suppellectili etc. *Suet. Aug.* 96. Apparatus rei divinae, *h. e.* instrumenta sacrificii. *Plin.* 13, 1, 1. Darii, *h. e.* supellex. *Id.* 22, 23, 47. argenteus. *Ulp. Dig.* 14, 4, 5. tabernae, *h. e.* instrumenta. *Plin.* 14, 19, 24. Apparatus vini, *h. e.* ea quae pertinent ad vinum servandum. *Id.* 36, 6, 5. marmorum. Ac de bellico apparatu, i. e. machinis, balistis etc. *Cic. Acad.* 4, 1. belli instrumenta et apparatus. [*Alio modo haec junxit *Suet. Caes.* 37. triumphum egit, diverso quemque apparatu et instrumento; h. l. refer *app.* ad praedam, argentum etc., quibus triumphus splendorem et magnificentiam nanciscebatur; *instrum.* ad vestes, ad fercula etc. cf. *ib.* 84.] *Nep. Eum.* 5. apparatum et munitiones incendere et disjicere. [**Liv.* 34, 33. omnem apparatum oppugnandarum urbium muris admoverunt. — Ac de hominibus: *Liv.* 9, 7. dimissus auxiliorum apparatus. Porro *id.* 25, 14. plaustrorum et jumentorum. *Id.* 26, 47. captus et ingens apparatus belli.] Ac de aliis: *Cic. Att.* 6, 9. apparatus triumphi. [**Liv.* 28, 29. supplicii. *id.* 10, 38. sacri. *Cic. Rep.* 2, 14. apparatum sacrorum perfacilem esse voluit Numa.] *Id. Off.* 2, 16. ludorum venationumque apparatu pecunias profundere. [*Sic in ludis scenicis apparatus dicitur de omnibus iis, quibus oculorum potius quam aurium voluptas quaeritur. *Cic. Fam.* 7, 1. apparatus spectatio tollebat omnem hilaritatem (sc. quae peti poterat ex ipsa fabula). Quid enim delectationis habent sexcenti muli in Clytemnestra; aut in equo Trojano craterarum tria millia etc.] ℙ Praecipue autem de ea apparatione dicitur, quae copiam ac magnificentiam habet adjunctam, [*unde voc. nostrum *Pracht* originem duxit.] *Cic. Off.* 1, 8. Delectant enim magnifici apparatus, vitaeque cultus cum elegantia et copia. *Id. Or.* 25. epularum apparatus. [*Et plur. numero *Suet. Vit.* 13. singuli apparatus (epularum). cf. *ib.* 10.] *Id. Vatin.* 13. Omitto epulum populi R., festum diem argento, veste, omni apparatu ornatuque visendo. [*Plura hujus generis collegit *Gron. Stat. diatr.* p. 81. sq. ed. *Hand.*] *Id. Fam.* 9, 19. Tenui apparatu contentum esse. *Tac. Hist.* 2, 62. Exhausti conviviorum apparatibus principes. *Cic. Somn. Scip.* 1. Apparatu regio accipere aliquem. Sic *Nep. Paus.* 3. Apparatu regio uti. ℙ Hinc translate: *Cic. Brut.* 76. Praecepta dicendi, quae si minorem habent apparatum (sunt enim exilia), tamen habent ordinem, et quasdam errare in dicendo non patientes vias. [*Loquitur h. l. de ornatu, qui in elocutione adhibetur; cf. *ib.* 78. et *Ernest. lex. techn. lat.* p. 24.] *Id. Or.* 1, 53. Dicere causam nullo apparatu, pure et dilucide. ℙ [*Confunduntur *apparatus* et *commeatus*, *Liv.* 22, 37. ibique *Drak.* De commeatu intellexisse videtur *Forc.* supra in loco *Nep. Eum.* 5. quod nobis secus videtur.]

APPĀRĀTUS et Adp., a, um, part. v. *apparo*, *παρασκευασμένος*, adornatus, instructus. *Pl. Merc.* 5, 2, 10. Apparatus sum, ut videtis. *Ter. Andr.* 5, 2, 6. Omnia apparata jam sunt. *Cic. Inv.* 1, 34. Domus omnibus instructior rebus et apparatior. *Id. Sext.* 54. Ludi apparatissimi et magnificentissimi. *Suet. Ner.* 9. Apparatissimum funus. [**Id. Tit.* 7. munus edidit apparatissimum largissimumque.] *Sen. ep.* 83. *sub f.* Apparatissimae epulae. [*Liv.* 23, 4, 3. apparatis accipere epulis, ibique *Drak.*] ℙ Translate. *Auct. ad Her.* 1, 7. In exordienda causa servandum est, ut lenis sit sermo, et usitata verborum consuetudo, ut non apparata oratio esse videatur, [*i. e. studiosius et exquisitius facta, multa cura praeparata, prorsus eo modo, quo dicuntur epulae apparatae.] Sic *id. ib.* 7. Exordium nimium apparatis verbis compositum, i. e. exquisitis, cum artis cura et studio elatis. cf. *Ernest.* l. l. in v. praec.]

APPĀRENTIĀ, ae, f. actus apparendi, manifestatio, *ἐπιφάνια*. *Tert. adv. Marc.* 1, 19. Pax Euangelii illaesa, et inconcussa ab apparentia Christi usque audaciam Marcionis. ℙ Item externus rei aspectus. *Firm. Mathes.* 5, 8. Homines venusti, bene compositi, bonae apparentiae, et qui ornatis versibus delectentur.

APPĀRĒO, et Adp. āres, arui, aritum, n. 2. *φαίνομαι*, prodire, adesse, praesto esse: ex *ad* et *pareo. Cic. Flacc.* 12. Si qua uspiam navicula praedonum apparuisset. *Id. Div.* 2, 68. Equus mecum una demersus, rursus apparuit. [**Suet. Aug.* 10. eum fugisse ac post biduum demum apparuisse.] *Id. prooem. Parad. ad f.* Quoniam illud majorum vigiliarum opus in tuo nomine apparuit, i. e. tuo nomine inscriptum editum est. *Id. Or.* 1, 9. Nullum in eo eloquentiae vestigium apparet, i. e. in eo visitur. [**Suet. Aug.* 73. instrumenti parsimonia apparet etiam nunc.] *Id. fragm.* ap. *Prisc.* 6. p. 706. Unde appares, o Socrate? an quidem dubium non est, quin ab Alcibiade? *Pl. Capt.* 2, 3, 97. Jam ego apparebo domi. *Cic. Div.* 2, 30. *in*

f. Anguis ille, qui Sullae apparuit immolanti. *Caes. B. G.* 7, 82. Cum lux appareret. [*Cf. *Tib.* 4, 1, 65. queis nunquam dies apparuit. *Suet. Vesp.* 23. quum stella crinita in coelo apparuisset.] Huc refer illa quoque, quae *Forc.* in fine posuerat: nam *apparere opera* aut *promissum* dicitur, cum quod debebatur, praestitum est. *Cato R. R.* 2. Si opus non apparet, dicit villicus, sedulo se fecisse, servos non valuisse, etc. Adde *Pl. Ps.* 3, 2, 60. [*et *Macr. Sat. praef.* 1. singulorum latent voces, omnium apparent.] Sic apud *Eund. Trin.* 2, 4, 17. Ratio apparet, i. e. apparet, eam recte habere. [*Similiter *Cic. Phil.* 2, 34. ubi merces apparet? i. e. ubi apparet illud, quod pro tanta mercede didiceris? Sic *clav. Cic.* Omnino in his graeca loquendi ratio valet. *Ter. Eun.* 2, 3, 19. Fac sis, promissa appareant. *Apparere ad aliquem* apud *Varr.* idem est qu. *apparere alicui*, hoc est cognosci, et perspici ab aliquo, seu alicui manifestum esse. Verba ejus sunt *R. R.* 1, 40. Illud quod apparet ad agricolas, id videndum diligenter.] Ac praecipue de iis dicitur, qui in judicio adsunt: *Cic. Sull.* 2. in quibus subselliis haec ornamenta ac lumina reip. viderem, in his me apparere nollem. *Cic. Cluent.* 53. Quid sibi illi scribae, quid lictores, quid ceteri, quos apparere huic quaestioni video, volunt? ℙ Hinc speciatim *apparere alicui* dicuntur, qui alteri ministrant, et praesto sunt ad obsequium, ut lictores, accensi, viatores magistratibus (ex quo et *apparitores* dicti) etc., item servi dominis, et ministri principibus. *Liv.* 2, 55. Quatuor et viginti lictores apparere consulibus. *Id.* 3, 33. Collegis novem singuli accensi apparebant. *Nep. Eum.* 13. Eumenes cum ab anno vigesimo septem annos Philippo apparuisset, et tredecim apud Alexandrum eundem locum obtinuisset, etc. *Virg. A.* 12, 849. de Diris. Hae Jovis ad solium, saevique in limine regis Apparent. *Pompon.* ap. *Gell.* 12, 10. Qui postquam tibi appareo, atque aeditumor in templo suo, etc. [*Cf. *Drak.* ad *Liv.* 9, 46, 2. et *Manut.* ad *Cic. Fam.* 13, 54. In libris h. l. confunditur cum *appetere.*] ℙ Saepe significat constare, manifestum esse, videri. [*Nunquam tamen idem est, quod *videri*, sed semper respondet Graeco voc. φαίνεσθαι. Id quod optime intelligitur ex *Nep. Att.* 4, 1. Sic enim Graece loquebatur, ut Athenis natus videretur. Tanta autem suavitas erat sermonis Latini, ut appareret, in eo nativum quendam leporem esse etc.] *Cic. Phil.* 2, 34. Non dissimulat, apparet, esse commotum. *Nep. Eum.* 10. Quas impendere jam apparebat omnibus. *Liv.* 42, 43. Appariturum, quibus populis societatem jungi displicuisset. [*Saepe *Liv.* nullo casu addito. V. *Drak.* ad 21, 2, 2.] *Cic. Fam.* 4, 7. De quo quid sentiam, nihil attinet dicere, cum appareat, ipse quid fecerim. *Id. Fam.* 5, 19. Quid rectum sit, apparet; quid expediat, obscurum est. *Id. Brut.* 25. Fuit, ut apparet ex orationibus, scriptor sane bonus. *Id. Or.* 1, 16. Apparet atque exstat, utrum simus earum rudes, an didicerimus. [*Pl. *Men.* 2, 1, 14. acum invenisses, si appareret, jam diu, i. e. si alicubi exstaret, ut expl. *Gron.* quem V.] *Cic. Flacc.* 16. *ad f.* Sive confictum est, ut apparet, sive, etc. *Plin. praef. H. N. ad f.* Inde apparet paratos esse, etc. *Id.* 36, 26, 67. Ex quo apparet antiquior origo. *Id.* 35, 12, 44. Quo apparet antiquiorem fuisse. *Id.* 8, 44, 69. *ad f.* Atheniensium monumentis apparet. *Id.* 12, 21, 46. Ut ipso nomine apparet. *Liv.* 32, 34. Apparet id etiam caeco, *proverb.* [*Notandum illud quoque apud *Liv.* 2, 31, 11. apparuit caussa plebi, i. e. manifesta erat; *coll.* 22, 34, 9. cui non id apparere, id actum esse etc. Absolute utuntur participio, ut *Quint.* 12, 8, 10. apparentia vitia, opp. quae latent. *Id.* 9, 2, 46. fictio apparens magis quam confessa.] ℙ Interdum construitur *apparere* ut verba personalia, graeco more. *Cic. Fin.* 3, 7. Membra nobis ita data sunt, ut ad quandam rationem vivendi data esse appareant, pro *appareat: δοκοῦσι.* [*Goerenz.* h. l. argutatur. Similiter *Suet. Ner.* 1. ut appareret degenerasse Nero, i. e. degeneratus (esse). Cf. *Bremi.* ad *Cic. Fin.* 1, 10, 34. *Suet. Rhet.* 1. paullatim et ipsa (rhetorica) utilis honestaque apparuit, ὠφέλιμος ἐφαίνετο, quod comparat *B. Crus.* ℙ Confunduntur in libris *apparere* et *appetere*, V. supra. — et *apparare*, *Drak.* ad *Liv.* 6, 2, 4. — et *aperire*, *id. ib.* 3, 15, 9.]

[APPARESCO, is, n. 3. idem q. appareo. *Ennod. ep.* 7, 19. Qui maximus apparescat in foribus. *F.*]

APPARĬTĬO, onis, f. παράστασις, officium, et obsequium ministri apparentis magistratui, et ad jussa exsequenda parati, ut in voce APPAREO dictum est. *Cic. Fam.* 13, 54. In longa apparitione singularem, et prope incredibilem patris Marcilii fidem, abstinentiam, modestiamque cognovi, *h. e.* in munere interpretis. ℙ Pro quocumque famulicio. *August. ep.* 75. Vir spectabilis venit ad Ecclesiam, apparitione paucorum suae potestati congrua comitatus. ℙ Pro ipsis apparitoribus. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 4. Quos ex necessariis apparitionibus tecum esse voluisti. *Ammian.* 15, 3. Apparitionis praefecturae praetorianae princeps. *Ulp. Dig.* 4, 2, 23. Apparitione praesidis interveniente. *Impp. Theod. et Arcad. Cod.* 11, 70, 1. Apparitione judiciaria aliquid alicui attribuere, *h. e.* praesentia, et auctoritate judicis una cum suis apparitoribus et ministris rem transigentis. ℙ [*Onomast. vet.* Apparitio, ἐπιφάνεια.]

APPARĬTOR et Adparitor, oris, m. παραστάτης, κλητήρ, δορυφόρος, nomen generale omnium, qui magistratui alicui apparere solent, ejusque imperio praesto esse, ut accensi, viatores, interpretes, lictores, scribae, praecones, etc., item custodes corporis, qui principem comitantur. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 4. Sit lictor non suae, sed tuae lenitatis, apparitor. *Id. Phil.* 2, 22. *in f.* Quis unquam apparitor tam humilis, tam abjectus? *Id. Verr.* 2, 3, 25. Hoc quoque attendite, apparitores a praetore assignatos habuisse decumanum. *Liv.* 1, 40. Apparitores regii. *Suet. Tib.* 11. Prodire cum apparitoribus. *Prud. περὶ στεφ.* 111. Apparitores sed furenti suggerunt. *Prud.* constanter tertiam ab initio syllabam toto illo hymno semper corripit. ℙ Interdum nomine *apparitorum* veniunt solum honoratiores servi magistratus, et distinguuntur a lictoribus, quorum officium erat vilissimum omnium. *Suet. Dom.* 14. Ut quoties gereret consulatum, equites Romani praecederent eum inter lictores, apparitoresque. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 9. Praecedere in modum lictorum et apparitorum. ℙ De variis variorum magistratuum apparitoribus multa habes in *Cod. Justin. l.* 12. *a tit.* 53., ubi *tit.* 55. enumerantur etiam apparitores militares, qui magistratibus militaribus inserviebant, de quibus et *Hirt. B. Afr.* 37. Caesar imperat, apparitores, speculatoresque omnes ut sibi praesto essent. Adi *Lamprid. Alex. Sever.* 52.

APPARĬTORĬUM, ii, n. locus, ubi morantur apparitores, seu custodes corporis, σωματοφυλάκιον. Vetus lapis apud *Rhod. ad Scribon. Compos.* 212. Sed V. APPARATORIUM.

APPARĬTURA, ae, f. 1. παράστασις, munus, et officium apparitoris, apparitio. *Suet. Gr.* 9. Orbilius Pupillus Beneventanus, primo appariturum magistratibus fecit, deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit.

APPARO et Adparo, as, avi, atum, a. 1. παρασκευάζω, paro, adorno, instruo, comparo. *Cic. Phil.* 5, 19. *in f.* Facilius apparabitis ea, quae tempus et necessitas flagitat. *Ter. Andr.* 4, 1, 32. Apparare nuptias. *Id. Heaut.* 1, 1, 74. coenam. *Cic. Verr.* 2, 4, 20. Ornare et apparare convivium. *Id. Q. Fr.* 3, 8. *ad f.* ludos. *Id. Manil.* 12. *in f.* bellum. [*Liv. 7, 20, 2. nec arma aut bellum quisquam apparare; saepe ita *Livius.* Cf. *Drak.* ad h. l.] *Suet. Aug.* 47. triumphum. *Pl. Epid.* 3, 2, 18. auxilium alicui. *Cic. Mil.* 10. iter ad caedem faciendam. *Suet. Cal.* 51. et *Hirt. B. Al.* 7. fugam, *h. e.* moliri. Sic *Pl. Epid.* 3, 3, 27. Hanc aedepol rem apparabat. Et *Poen.* 5, 2, 139. Apparare fabricam, *h. e.* fallaciam struere. ℙ Cum infinito. *Id. Asin.* 2, 4, 28. Vah, delenire apparas. *Suet. Aug.* 47. Apparans trajicere. *Stat. Th.* 4, 670. meamque exscindere gentem Apparat. ℙ Absolute *Ter. Eun.* 3, 5, 35. Dum apparatur [*sc. id quod ad rem necessarium est], virgo in conclavi sedet. [*Raro ita reperitur. *Nep. Hann.* 7, 1. quum in apparando acerrime esset occupatus. Sic etiam interdum *comparare*, de quo v. V. *Brem.* ad *Nep. Thras.* 2, 2. et quos laudat *Cort.* ad *Sall. Cat.* 6, 5. *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 1, 5, 19.] ℙ Translate. *Auct.* ad *Her.* 1, 3. Apparare animum auditoris ad audiendum. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. *ad f.* Apparare crimina in aliquem. ℙ [*Confunduntur in libris *apparare* et *apparere*. cf. *Apparere.*]

APP. V. ADP.

APPELLĀTĬO, onis, f. ὀνομασία, προσηγορία, actus appellandi, hoc est nominandi, nominatio, nomen. *Cic. Dom.* 50. Regum appellationes venales erant. *Tac. A.* 3, 56. Ne regis aut dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret. *Suet. Caes.* 77. Nihil esse rempublicam; appellationem [*i. e. merum nomen] modo sine corpore ac specie. *Plin.* 7, 13, 11. Salutare aliquem appellatione patris. *Id.* 2, 45, 45. Mares appellatione quoque ipsa venti sunt. *Id.* 5, 8, 8. Neque nominum ullorum inter eos appellatio est, *h. e.* non appellant se ullo nomine proprio. *Id.* 15, 30, 40. *in f.* Distinguere aliquid appellatione. *Quint.* 9, 3. ad illud *Persii* 1, 8. *nostrum istud vivere triste Aspexi;* infinito verbo est usus pro appellatione, *h. e.* pro nomine substantivo: *vivere* pro *vita.* Et 1, 4, 19. sqq. scribit, fuisse, qui *vocabulum* ab *appellatione* diducerent, ut esset *vocabulum* corpus visu tactuque manifestum, ut *domus*, *lectus;* at *appellatio*, cui vel alterum deesset, ut *ventus*, *coelum*, vel utrumque, ut *Deus*, *virtus.* Ipse tamen addit, haec sibi non approbari. Aliam differentiam tradit *Diomed.* 1. p. 306. sed et haec nihil ad usum pertinet. ℙ *Appellatio litis* apud *Cic. Rabir. Post.* 5. est ratio ac formula litis sive intentandae, sive aestimandae; ubi tamen alii conjiciunt legendum *illatio*, alii *aestimatio.* [*Orell. e vestigiis codd. legendum esse suspicatur: *quam per lationem.*] ℙ *Appellatio litterarum* est earum nominatio, atque adeo pronunciatio. *Cic. Brut.* 74. Suavitas vocis, et lenis appellatio litterarum bene loquendi famam confecerat. *Quint.* 11, 3. Laudatur in Catulo suavis appellatio litterarum. ℙ Saepe sumitur pro provocatione ab uno ad alium judicem. *Liv.* 42, 34. *in f.* Jus appellationis. [*Id. 3, 56, 13. et appellatio provocatioque adversus injuriam magistratuum, ibique *Glarean.*] *Plin.* 6, 22, 25. Appellatio ad populum. *Suet. Ner.* 17. Cautum, ut appellationes a judicibus ad senatum fierent. *Id. Cal.* 16. Magistratibus liberam jurisdictionem, et sine sui appellatione concessit, *h. e.* sine appellatione ad se. Sic *Cic. Quint.* 20. *in f.* Intercessit appellatio tribunorum, *h. e.* ad tribunos. *Scaev. Dig.* 49, 1, 24. Appellationem interponere. *Ulp. ib.* 13. improbare. *Martian. ib.* 6. admittere. *Ulp. ib.* 5, 5. recipere.

APPELLĀTĪVUS, a, um, adj. Apud grammaticos *appellativum nomen* est, quod commune est pluribus, ut *homo*, *virtus:* cui opponitur *proprium*, quod uni tantum, ut *Plato*, *Roma.* *Ascon. in Verr.* 2, 1, 24. *Janitorem* cum dixisset, addidit *quendam*, ut ostenderet, non appellativum nomen esse, sed proprium. Adde *Charis.* et *Prisc. in. l.* 2.

APPELLĀTOR, oris, m. qui appellat ad alium judicem. *Cic. Verr.* 2, 4, 65. *ad f.* Nihil aegrius factum est, quam ut manus ab illo appellatore abstinerentur. *Paul. Sentent.* 5, 4. *ad f.* Convicium judici ab appellatoribus fieri non oportet.

APPELLĀTORĬUS, a, um, adj. ad appellationem pertinens, quae fit ad alium judicem, ut *Appellatoria tempora* apud *Ulp. Dig.* 49, 5, 5. *h. e.* intra quae permittitur appellatio. *Et appellatorii libelli* apud *Eund. ib.* 1, 1., de quib. V. APOSTOLUS.

APPELLĪTO, as, a. 1. frequentativum ab appello. *Gell.* 18, 9. *in f.* Antiqui nostri narrationes sermonesque insectiones appellitaverunt. *Appul. Apol.* p. 279, 24. Hoccine est, quod appellitabatis? *Festus:* Appellitavisse, appellasse. ℙ Particip. *Appellitatus* apud *Tac. A.* 4, 65. Montem eum Caelium appellitatum a Caele Vibenna. Adde *fragm. orat. Claudii Imp.* apud *Grut.* 502. *lin.* 22. *col.* 1.

APPELLO et Adp., as, avi, atum, a. 1. προσαγορεύω, nominare: vocare: ex *ad*, et antiquo et inusitato *pello*, *as*, loquor. [*Non est simpliciter i. q. nominare, cf. *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 7, 4.] neque est haec prima significatio; quare in seqq. ordinem paullo alium fecimus. Ac primum quidem est i. q. alloquor, i. e. verba ad aliquem facio, eum compello.] *Cic. Cluent.* 26. Tum appellat hilari vultu hominem Bulbus, ut blandissime potest: Quid tu, inquit, Paete? etc. [*Tac. Agr.* 40. libertum illum, ne appellato quidem eo, remeasse, i. e. eo salutato.] *Id. Manil.* 5. Appellare aliquem superbius. *Id. Agr.* 2, 24. aliquem asperius. *Id. Verr.* 2, 3, 58. verbo graviore. *Pl. Bacch.* 5, 2, 50. aliquem illepide. *Suet. Ner.* 25. milites. *Pl. Aul.* 2, 2, 23. Paucis est, Euclio, quod te volo de communi re appellare. [*Suet. Tib.* 29. in appellandis venerandisque, i. e. cum honore verborum alloquendis, ut interpretatur *B. Crus.* cf. etiam *eund. ib.* 72. et *Caes. B. G.* 7, 54.] Sic etiam *appellare* aliquem litteris, i. e. per litteras alloqui. *Cic. Fam.* 15, 20. Quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos litteris appellato. [*Praecipue autem i. q. alloqui aliquem ita, ut eum aliquid rogemus. *Nep. Att.* 8, 3. Itaque appellatus est a Flavio, ut ejus rei princeps esse vellet etc. *Cic. Quint.* 31. quem praeter te appellet, habebat neminem. *Id. Fam.* 12, 28. senatus saepius pro tua dignitate appellaretur, si etc. *Suet. Caes.* 34. appellatisque de rep. patribus. Etiam i. q. alloqui aliquem insidiose, ut ad aliquid permoveamus. Sic *Liv.* 26, 38. Appellare aliquem de proditione, i. e. pellicere. *Quint.* 4, 2, 98. aliquam de stupro. Et absolute eodem sensu *appellare aliquam*, apud *Sen. Controv.* 2, 15. et *Ulp. Dig.* 47, 10, 15. est blanda oratione feminae alicujus pudicitiam attentare. ℙ Porro alloqui debitorem sumitur pro debitorem sui debiti admonere, et rem debitam repetere: sive id judiciaria via fiat, sive alia quacumque ratione. *Cic. Quint.* 12. quater hoc sensu usurpat. [*Ex h. l. simul apparet, plus esse quam *admonere.* V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 16, 24.] *Id. Att.* 13, 22. Attributos quod appellas, valde probe. *Ad tribunos* quidam leg., sed minus recte: neque enim hoc loco de appellatione judiciaria sermo est, sed de conventione debitorum. *Id. Att.* 1, 8. *in f.* Tulliola tuum munusculum flagitat, et me, ut sponsorem, appellat. *Id. Phil.* 2, 29. Appellare aliquem de pecunia, *h. e.* ut pecuniam solvat. Et omissa praeposis. *Quint.* 5, 13. Heres eras, et pauper, et magna pecunia appellabaris a creditoribus. *Alphius* apud *Colum.* 1, 7. Vel optima nomina non appellando fieri mala. γνώμη. *Sen. Ben.* 1, 2. Avarus exactor ad horam et diem appellat, *h. e.* praefiniendo diem et horam solvendi. Adde *id.* 4, 39. Hinc translate *appellare solum* est cura et cultu illud sollicitare ad fructum reddendum. *Plin.* 16, 33, 60. *de cupressu.* In Creta, quocumque in loco terram moverit quispiam, vi naturali haec gignitur, protinusque emicat: illa

vero etiam non appellato solo, ac sponte, maximeque in Idaeis montibus plurima, etc. ℙ Alloquimur eos quoque, a quibus auxilium exspectamus. Hinc est i. q. vocare, invocare, in auxilium rogare. *Cic. Flacc.* 2. Quem enim alium appellem? quem obtester? quem implorem? senatumne? at is ipse auxilium petit a vobis, etc. *Id. Verr.* 2, 5, 72. Vos etiam atque etiam imploro et appello, sanctissimae Deae, quae, etc. *Id. Quint.* 30. Qui Deus appellandus est? cujus hominis fides imploranda? ℙ Hinc saepe est verbum forense, et ponitur pro provocare ab uno ad alium judicem, *ἀποκαλέω*. [*V. Lex. jurid. ex Brisson. Hotom. Pratej. Cujac. (Genev. 1615.) p. 122. *Beier.*] *Cic. Verr.* 2, 5, 65. Appellare praetorem. *Id. Quint.* 20. A praetore tribunos appellare. Quidam leg. *ad tribunos*, sed invitis plerisque Criticis et optim. codd. [*Semper, quantum scimus, Cicero omnesque aureae aetatis scriptores, ut etiam monuit *Gesner.* in hac significatione casum sine praepositione ponunt; cf. etiam *Drak.* ad *Liv.* 9, 26, 10. et, quem nobis indicavit *Beier.*, *Titium* in *suspect.* p. 176.] Et passive. *Id. ib.* Tribuni appellabantur. *Paul. Dig.* 4, 4, 39. Appellare ad imperatorem. *Ulp. ib.* 49, 1, 1. *in fin.* et *Paul. ib.* 9, 1. adversus aliquem. *Scaev. ib.* 1, 28. contra aliquem. *Modestin. ib.* 48, 2, 18. adversus sententiam praesidis. *Id. ib.* 49, 1, 19. ex sententia. *Paul. ib.* 8, 3. a sententia. *Imp. Alex. Cod.* 7, 16, 4. de sententia judicis. ℙ Sumitur etiam generatim pro in jus vocare. *Cic. Off.* 1, 25. Cavendum est etiam, ne major poena quam culpa sit, et ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. ℙ Quoniam, quem alloquimur, nomine suo compellamus, est i. q. nominare, vocare. *Cic. Or.* 1, 56. Appellare aliquem nomine. Sic *Id. Verr.* 1, 36. et *Caes. B. G.* 2, 25. Appellare aliquem nominatim. *Cic. Fam.* 9, 22. Suo quamque rem nomine appellare. *Id. Phil.* 13, 10. O Spartace! quem enim te potius appellem? *Id. Univ.* 9. et *Inv.* 2, 26. Appellare nomen alicujus. Et 11. Appellare aliquem fratrem, *Id. Amic.* 1. et 2. aliquem sapientem. *Nep. Arist.* 1. Cognomine justus est appellatus. [*Cic. *Amic.* 5, 11. qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides etc. sintque magna constantia, ut hi fuerunt, modo quos nominavi; hos viros bonos, ut habiti sunt, sic appellandos putemus.] *Virg. A.* 5, 540. Appellare aliquem victorem, *h. e.* pronunciare. Sic *Cic. Att.* 5, 17. aliquem regem. *Caes. B. G.* 7, 4. rex ab suis appellatur, i. e. declaratur. *Liv.* 3, 44. virgini manum injecit, serva sua natam (servamque appellans) esse. [*Forc. h. l., minus recte in libris scripto, male interpretatus erat *appellans* per *affirmans*, *dicens.* Sed parenthesi posita hoc nec opus esse nec fieri posse, quivis videt.] *Plin.* 37, 11, 73. Colos appellavit chrysolithum aureus, chrysoprasum herbaceus, melleus melichrota. *Id.* 28, 1, 1. Appellare auctores, i. e. citare. Sic *appellari in lege* aliquid dicitur, de quo in ea mentio fit. *Cic. Caec.* 19. Utimur eodem jure in aedibus, quae in lege non appellantur. *Cic. Fam.* 1, 9. Nutu et significatione appellare aliquem, *h. e.* designare, indicare. *Pl. Trin.* 4, 2, 82. Si appellasses, respondisset, *h. e.* si vocasses. *Cic. Phil.* 1, 13. Te autem, M. Antoni, absentem appello. *Id. Cluent.* 24. Te appello, Oppianice, te T. Atti: audete negare. ℙ *Appellare litteras* est litterarum potestatem voce, et lingua assequi, et suo sono pronunciare. *Cic. Brut.* 34. Nam de sono vocis, et suavitate appellandarum litterarum, noli exspectare quid dicam. V. APPELLATIO. ℙ *Appellare* pro *applicare* olim usurpatum esse, quidam asserunt ex *Non.* 4, 12., sed ibi legendum est *appellere.* ℙ *Appellassis* pro *appellaveris. Ter. Ph.* 5, 1, 15.

APPELLO et Adp., is, appŭli, ulsum, a. 3. *προσορμίζω*, applicare, admovere; ex *ad*, et *pello, is*, hoc est ad aliquem locum pello. Frequentissime usurpatur in re nautica. *Cic. Verr.* 2, 1, 18. Cum Persae mille numero navium classem ad Delum appulissent. *Liv.* 8, 3. Eo anno Alexandrum Epiri regem in Italiam classem appulisse constat. Quidam leg. *classe.* [*Disputant ad h. l. *Duker.* et *Drak.* utrum in hac formula praestet dicere *classem* an *classe.* Atque accusativus quidem nititur auctoritate librorum, atque omnino in plerisque locis ac dicendi generibus a veteribus praefertur. Pluribus hac de re agunt ad h. l. quos dixi, duumviri.] *Virg. A.* 3. *sub f.* Hinc me digressum vestris Deus appulit oris. *Curt.* 4, 2. Navigia litori appellere. [*Meliores scriptores fere accus. praeferunt; cf. *Liv.* 28, 52, 3.] Passive. *Cic. Att.* 13, 21. Cum ad villam nostram navis appelleretur. *Id. Verr.* 2, 5, 25. Appellitur navis Syracusas; et 28. Alios ex Hispania fugientes ad Siciliam appulsos esse. *Vell.* 2, 107. Ripae suorum appulsus est. ℙ De aliis rebus. *Varr. R. R.* 2, 5. *a med.* Armentum aestate ad aquam appellendum bis, hieme semel. *Id. ib.* 2. Oves ad bibendum appellunt. *Ulp. Dig.* 43, 13, 1. §. 11. Appellere pecus in flumen. *Pl. Rud.* 4, 3, 104. Ad ignotum arbitrum me appellis. *Caes. B. C.* 1, 26. Turres ad opera Caesaris appellebat. *Lucil.* apud *Non.* 4, 12. Aggere in jaciendo primum id dant operam, ut quamprimum appellant. *Lucr.* 6, 750. Palladis ad templum Tritonidos almae, Quo nunquam pennis appellunt corpora raucae Cornices. *Manil.* 5, 685. Appellere fluctum ex aequore in aliquem locum, *h. e.* deducere, derivare. *Ter. Andr.* 4, 5, 12. Haud auspicato huc me appuli. Alii leg. *attuli.* [*Ita *Bentl.* ex mss., quem V.] *Sen. Controv.* 1, 2. Appellere ferrum, *h. e.* gladium admovere, gladio minari. ℙ Absolute. *Accius* apud *Cic. Div.* 1, 22. Visus est in somnis pastor ad me appellere. *Val. Fl.* 2, 445. Dardaniis tunc primum puppis arenis Appulit. *Virg. A.* 7, 39. Ausoniis exercitus appulit oris. *Liv.* 37, 21. Ad insulam, quam Bacchium vocant, appulerunt. *Suet. Tit.* 5. Cum Puteolos oneraria nave appulisset. *Id. Galb.* 10. Navis Dertosam appulit. Et cum accusativo sine praeposit., quae inest in ipso verbo. *Tac. A.* 2, 24. Sola Germanici triremis Chaucarum terram appulit. [*Cf. *id. ib.* 4, 27. Intransitive enim dicunt *appellere* pro se appellere. Recte igitur legitur *Suet. Ner.* 27. hortantium ut appelleret. Cf. *Reiz.* ad *eund. Aug.* 98. quem laudat *B. Crus.* in *cl.* Injuria igitur vituperat hunc usum *Vorst. de lat. m. susp.* c. 16. quem laudat *Drak.* ad *Liv.* 29, 31, 11.] ℙ Translate. *Ter. Andr. prol.* 1. Poeta cum primum animum ad scribendum appulit, *h. e.* applicavit, adjunxit. *Id. ib.* 2, 6, 15. Animum ad uxorem appulit. *Cic. Or.* 2, 37. Valde hercule timide, tanquam ad aliquem libidinis scopulum, sic tuam mentem ad philosophiam appulisti. *Id. Rabir. perd.* 9. Nec tuas unquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos S. Titii afflictam navem videres. *Pl. Bacch.* 3, 1, 12. Appellere aliquem ad probrum, flagitium, *h. e.* adducere, inducere. *Id. Asin.* 3, 3, 43. aliquem ad mortem, *h. e.* adigere. ℙ Praeterit. *appulsi* pro appuli *Ulp. Dig.* 42, 19, 1. Si quis jus habens pecoris appellendi, plura pecora appulserit, non in omnibus, etc. Ita edit. *Torrentin.* et al., *Haloander* cum al. habet *appulerit.* ℙ De *jure appellendi*, hoc est pecora ad aquam ducendi, de quo fit mentio tum *loc. cit.*, tum *tit.* 20. *leg.* 2. et alibi, V. Jurisconsultos. ℙ [*Confunduntur in libris *appellere* et *applicare*; v. *Drak.* ad *Liv.* 29, 31, 11. (Quanquam etiam sic locutus est *Justin.* 2, 4, 21. quum Hercules ad littus Amazonum applicuit.) *Appuli* et *attuli*, v. *Bentl.* ad *Ter.* l. l. et *Drak.* ad *Sil.* 1, 426. coll. 9, 395. ad *Liv.* 23, 17, 8.]

APPENDĔO, es, a. 2. idem quod appendo. *Apic.* 8, 7. *ad f.* Exossas porcellum, et aptabis sicut oenogaratum, et ad fumum suspendes, et appendeas, et quantum appendeas, tantum salis in ollam mittis, etc. [*Pompon. *Dig.* 38, 17, 10. non *appenderit*, sed *apprehenderit* legendum est.]

APPENDĪCĬUM, ii, n. appendix, additamentum, *Hieron. ep.* 10. *ad Furiam.* Pudicitia sine comitibus, et appendiciis suis, continentia, et parcitate, fidem sui facere non potest. ℙ Speciatim dicitur id, quod alicui morbo accedit: quo sensu usurpatur a *Coel. Aurel. Tard.* 4, 8. et *ib.* 5, 4.

APPENDĪCŪLĂ, ae, f. breve additamentum, corollarium, accessio. *Cic. Rabir. Post.* 4. Est enim haec causa, quo ea pecunia pervenerit, quasi quaedam appendicula causae judicatae, atque damnatae.

APPENDIX, ĭcis, f. *προσθήκη*, quod alii adjunctum est, quasi ex eo pendeat, additamentum, accessio. *Cic. Hortens.* ap. *Non.* 1, 199. Vidit enim quod videndum fuit, appendicem animi esse corpus, nihilque esse in eo magnum. *Liv.* 21, 5. Carpetanorum cum appendicibus Olcadum, Vaccaeorumque, centum millia fuere. *Varr. R. R.* 3, 9. vocat appendicem in tractatu De gallinis partem eam, in qua ostenditur ratio, quemadmodum saginentur. Quatuor enim in iis animadvertenda esse docet, de emptione, de fetura, de ovis, et de pullis: hisce adjiciendam appendicem, partem quintam, de iis saginandis. Similiter 1, 16. vocat *appendices fundi* ea, quae sunt quidem extra fundum, sed tamen ad ipsum pertinent, ut regio vicina, quam videndum est, an sit infesta, nec ne; via, apta ne sit ad exportandum, et importandum, quae opus sunt; oppida, aut viciniae, unde emere, aut ubi distrahere fundi fructus possis, etc. *Appul. Apol.* Has quoque appendices defensionis meae idcirco necessarias, quia accusationi rependuntur, attente audis. ℙ Idem *Appul.* magis proprie hac voce usus est, respiciens ad ejus originem a verbo *pendeo*, ut dictum est. Ita enim habet *Met.* 8. p. 211, 27. Seque in praealtissimum puteum, appendicem parvulum trahens, praecipitat, *h. e.* infantulum secum trahens, sibi annexum et appensum. *ἄρτημα.* Et 5. p. 169, 10. Psyche statim resurgentis ejus crure dextro manibus ambabus arrepto, sublimis evectionis appendix miseranda, etc., *h. e.* appensa Cupidini in altum volatu ascendenti. ℙ Est genus spinae, quae *appendix* dicitur, quoniam baccae puniceo colore in ea *appendices* vocantur, ut *Plin.* 24, 13, 70. scribit. *Harduin.* putat esse eam, quam Galli vocant *aubépine*, et vulgus officinarum *oxyacantham*: alii eam, quae a Gallis dicitur *épine-vinette*, et in officinis *Berberis dumetorum*, [*Berberis vulgaris *L.*] ℙ Scribit *Festus* olim *ampedices dictos esse ab antiquis*, *quos nunc appendices* appellamus; ex quibus verbis colligi fortasse potest, hanc vocem etiam masculino genere efferri: tametsi ejus rei nullum aliud exemplum adhuc vidimus.

APPENDO et Adp., is, endi, ensum, a. 3. ex *ad*, et *pendo*, significat ad aliquid pendere, hoc est suspendere, et usurpatur pro suspendere in statera, vel libra ad pondus cognoscendum, *σταθμίζω*, *ταλαντεύω. Cic. Phil.* 2, 38. Tanti acervi nummorum apud istum construuntur, ut jam appendantur, non numerentur pecuniae. *Colum.* 12, 3. *a med.* Promis et cellariis aliquid appendentibus aut metientibus intervenire. ℙ Appensum dare. *Cic. Verr.* 2, 4, 25. Appendere aurum aurifici, *h. e.* dare ad pondus, ut *Varr. R. R.* 3, 17. loquitur. *Id. Rosc. Am.* 49. Tibi optima fide sua omnia concessit, adnumeravit, appendit. *Plin.* 9, 55, 81. Sex millia numero muraenarum mutuo appendit, *h. e.* appensas mutuo dedit. *Ulp. Dig.* 23, 3, 34. Pater puellae id aurum in dotem viro appendit. ℙ Translate. *Cic. opt. gen. Or.* 5. In quibus non verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum, vimque servavi: non ea me adnumerare lectori putavi oportere, sed tanquam appendere. ℙ Pro propria hujus verbi significatione, qua suspendere significat, afferuntur a multis Lexicographis haec *Plinii* verba: *Atque uvas jam maturas ad solem appendere;* quae nos adhuc invenire non potuimus.

APPENSOR, oris, m. *ζυγοστάτης*, ponderator. *August. cont. Crescon. Gr.* 3, 73. Callidus examinator appensorque verborum. Adde *Tract. in Joan.* 20. *ad f.*

APPENSUS, a, um, part. v. *appendeo*, ponderatus, *σταθμισθείς. Liv.* 5, 49. Nondum omni auro appenso. ℙ Pro suspensus, afferri solet illud *Cic. Tusc.* 5, 21. Gladium e lacunari seta equina appensum demitti jussit. Sed plerique omnes leg. *aptum.*

APPENSUS, us, m. nomen verbale ab appendo. *Appul. de Mundo* p. 58, 18. Post lunam vero pars est, quae sancti aetheris finibus coercetur, cujus mensu, et appensu distincta est naturae mutabilis regio, etc. [*Oud.* rectius legit: Post eam vero partem, quae, etc., cujus mensa appensaque distinximus, est et natura immutabilis regio. *F.*]

APPĔTENS et Adp., entis, part. v. *appeto*, *ὀρεγόμενος*, cupidus, optans. *Cic. Manil.* 3. Appetens gloriae, atque avidus laudis. *Id. Amic.* 14. Nihil est appetentius similium sui, nihil rapacius quam natura. *Id. Tusc.* 2, 24. Sumus natura studiosissimi appetentissimique honestatis. *Tac. Hist.* 4, 6. Appetentior famae. *Plin.* 31, 6, 36. Aegri appetentes vini. *Gell.* 16, 3. Appetens edendi. *Plin. ep.* 7, 31. Hunc hominem appetentissimum tui complectere, apprehende, immo et invita. ℙ In malam partem pro avido, avaro. *Cic. Agr.* 2, 8. Jubet Rullus, homo non cupidus neque appetens, habere comitia Rullum. *εἰρωνικῶς. Id. Or.* 2, 43. Animus gratus, non appetens, non avidus. *Sall. Cat.* 5. Alieni appetens, sui profusus.

APPĔTENTER, adv., cupide, *ἐπιθυμητικῶς.. Cic. Off.* 1, 10. Ut ne cupide quid agerent, ne appetenter. *nec appeterent* alii malunt, sed et prior lectio suos habet auctores, *Gruterum* inprimis [*cui adde *Beier.* ad h. l., qui et docte et lepide defendit.]. *Appul. Met.* 7. p. 192, 40. Partes subreptas clanculo, et praegustatas a se potiones offerebat hilaris; at illa sumebat appetenter.

APPĔTENTIĂ, ae, f. *ὄρεξις*, appetitio, cupiditas, desiderium. *Plin.* 19, 8, 38. Lactucae cibi appetentiam faciunt. *Cic. Tusc.* 4, 7. Libido efficit effrenatam appetentiam. *Plin.* 23, 1, 22. Liberalium artium appetentia. *Aur. Vict. Epit.* 15. Appetentia gloriae.

APPĔTĪBĬLIS, le, adj. qui optari potest, expetibilis, *ἐπιθυμητός. Appul. Dogm. Plat.* 2. p. 19, 8. Sollicitudinem et laborem appetibiles dicebat esse. *Macr. Sat.* 1, 1. Sermones ut castitate integri, ita appetibiles venustate.

APPĔTISSO, is, a. 3. idem quod peto. *Accius* apud *Non.* 4, 8. cur vetera tam ex alto appetissis dissidia, Agamemnon?

APPĔTĪTĬO, onis, f. actus appetendi, hoc est tendendi et accedendi ad rem aliquam, ut prehendi, et haberi possit. *Cic. Div.* 1, 23. Cum dormienti ei sol ad pedes visus esset, ter eum frustra appetivisse manibus, cum se convolvens sol elaberetur, et abiret: ei magos dixisse ex triplici appetitione solis, triginta annos Cyrum regnaturum esse, portendi. ℙ Saepius est animi impetus ad rem aliquam cupiendo tendentis, appetitus, cupiditas, *ὄρεξις*, *ἐπιθυμία*, *ὁρμή. Cic. Acad.* 4, 8. Illud perspicuum est, constitui necesse esse initium, quod sapientia, cum quid agere incipiat, sequatur; idque initium esse naturae accommodatum: nam aliter appetitio [*Begehrungskraft*] (eam enim esse volumus *ὁρμὴν*) quia ad agendum impellimur, et id appetimus, quod est visum, moveri non potest. [*Id. Fin.* 3, 7. appetitio animi. Deinde est ipse actus appetendi (*Begierde*)]: *Id. N. D.* 3, 13. Nullum potest esse animal, in quo non et appeti-

tio sit, et declinatio naturalis. *Id. Off.* 2, 5. Cohibere motus animi turbatos, quos Graeci πάθη nominant; appetitionesque, quas illi ὁρμὰς, obedientes efficere rationi. [*De discrimine inter *appetitionem* et *animi motum* V. *Goerenz.* ad *Cic. Fin.* 4, 21. *in.*] *Id. ib.* 1, 4. Huic verbi videndi cupiditati adjuncta est appetitio quaedam principatus. *Id. ib.* 3, 6. Detractio aut appetitio alieni. *Sen. ep.* 124. Appetitionis et fugae arbitrium. ℙ Speciatim pro appetentia ciborum. *Gell.* 16, 3. Post imperatam inediam tridui, omnis ejus appetitio pristina elanguit.

APPĔTĬTOR et Adp., oris, m. qui appetit, et delectatur aliqua re, ὀρεγόμενος. *Lamprid. Alex. Sev.* 40. Boni linteaminis appetitor fuit, et quidem puri. *Ammian.* 25, 5. Laudum etiam ex minimis rebus intemperans appetitor. *Arnob.* 4. p. 136. Incestorum appetitor.

APPĔTĬTUS, us, m. ὁρμὴ, facultas partis inferioris animi, qua cupimus ea, quae sunt naturae accommodata, fugimus quae sunt contra naturam. *Cic. Off.* 1, 28. *in f.* Duplex est enim vis animorum, atque naturae: una pars in appetitu posita est, quae est ὁρμὴ Graece, quae hominem huc atque illuc rapit; altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum fugiendumve sit. *Id. ib.* Efficiendum, ut appetitus (i. e. cupiditates) rationi obediant. *Id. ib.* Contrahere, et sedare appetitus. *Id. N. D.* 2, 12. *in f.* Regere appetitus animi ratione. *Pacat. Pan. Theod.* 12. Appetitus alienae rei. ℙ Actus appetendi, *h. e.* invadendi, aggressio, irruptio. *Ammian.* 30, 5. E statione proxima reprimebat barbaricos appetitus.

APPĔTĪTUS, a, um, part. ab *appeto*, invasus, petitus. *Cic. Dom.* 5. Appetitus lapidibus. *Id. Rosc. Am.* 11. Vita alicujus ferro et insidiis appetita. *Id. Quint.* 31. Ignominiis omnibus appetitus. ℙ Item optatus. *Cic. Pis.* 28. Non fugit ejus amicitiam, cum esset praesertim appetitus.

APPĔTO, onis, m. qui immodice appetit, praedo. *Laber.* apud *Non.* 2, 43. Diverticulis praeditae viae alienum appetonibus.

APPĔTO et Adp., is, tivi, et tii, itum, a. 3. ad aliquid accedere prehendendi causa: ex *ad*, et *peto*, *is*, quasi vehementer peto. *Cic. Div.* 1, 23. Appetere aliquid manibus. Et 2, 41. Puer lactens cum Junone, Fortunae in gremio sedens, mammam appetens. *Plin.* 7, 53, 54, A. Manl. Torquatus obiit, dum in coena placentam appeteret. *Id.* 11, 45, 103. Appetere dextram osculis, *h. e.* oscula ad dexteram dirigere, sive iis eam contingas, sive non. Huc fortasse pertinet illud *Cic. Sen.* 18. Salutari, appeti, decedi, assurgi, etc. [**Quint.* 11, 3, 124. illud quoque raro decebit, cava manu summis digitis pectus appetere.] ℙ Hinc ponitur et pro invadere, aggredi. *Plin.* 8, 16, 17. Ungues non nisi appetendo protendunt, *h. e.* non exserunt, nisi cum praedam invadunt. *Id.* 10, 3, 3. Aquila aquaticas aves appetit, mergentes se subinde, donec sopitas lassatasque rapiat. *Cic. fr.* apud *Quint.* 5, 10. Cum cottam appetisset, telum ei e manibus ereptum est. *Id. Planc.* 29. *in f.* et *Rosc. Am.* 11. Appetere vitam alicujus ferro atque insidiis. *Caes. B. C.* 2, 35. humerum gladio. *Ov. A. Am.* 3, 568. genas ungue. [**Tib.* 1, 6, 70. oculos.] *Liv.* 7, 26. Os oculosque hostis rostro et unguibus appetiit. *Ulp. Dig.* 38, 2, 14. Appetere aliquem judicio. *Id. ib.* 48, 5, 27. aliquem per calumniam. ℙ Item simpliciter pro accedere. *Cic. ad Brut.* 1, 2. Adeone copiis abundat, ut is, qui ex Asia fugere dicebatur, Europam appetere conetur? *Id. N. D.* 2, 39. Mare terram appetens. [**Liv.* 1, 8. crescebat interim urbs, munitionibus alia atque alia appetendo loca, i. e. amplius spatium complectendo. Et hoc loco et praecedente graphice dictum est; ut homines manibus vel brachiis aliquid appetunt, ita mare terram app. dicitur. *Tac. Agr.* 10. dispecta est et Thyle, quam hactenus nix et hiems appetebat.] *Id.* 5, 19. Vejosque fata appetebant. [*Alii h. l. *Vejis*, al. *Vejorum*. Sed illud probat *Drak.*] ℙ Impersonaliter saepe significat adventare, instare, [*imminere] prope esse; et refertur ad tempus. *Caes. B. G.* 6, 35. Dies appetebat septimus, quem ad diem constituerat, etc. *Tac. A.* 4, 51. Appetente jam luce. *Liv.* 5, 44. Ubi nox appetit. [*Similiter *tempus*, (comitia) *ver*, *hiems appetere* dicuntur, de quibus vide quae habet *Drak.* ad *Liv.* 8, 38, 3. et 10, 20, 9. *Pl. Aul.* 1, 1, 36. Quo pacto celem herilis filiae Probrum, propinqua paritudo cui appetit. *Sen. Cons. ad Marc.* 23. *extr.* Appetit finis, ubi incrementa consumpta sunt. ℙ Saepissime refertur ad animum, et significat vehementer petere, ac velle, quaerere, cupere, optare, in utramque partem, ὀρέγομαι. *Cic. Tusc.* 4, 6. Ut bona natura appetimus, sic a malis natura declinamus. *Id. Fin.* 1, 9. Voluptatem appetere, dolorem aspernari. *Id. Rosc. Am.* 18. Alienos agros cupide appetere. *Id. Dom.* 38. regnum. *Caes. B. G.* 1, 40. cupidissime amicitiam alicujus. *Cic. Agr.* 2, 23. sibi aliquid. [**Quint.* 10, 2, 9. summa. *Id. ib.* 34. nomen consulis. *Id. Rosc. Com.* 7. aliquid per avaritiam. *Id. Verr.* 2, 5, 2. Conari appetere partem aliquam laudis ex aliqua re. *Suet. Cal.* 11. Studiosissime appetere artes scenicas. *Id. Rh.* 1. rhetoricam. [*Senec. Thyest.* 472. Nec abnuendum imperium, nec appetendum. *F.*] *Cic. Leg.* 2, 21. ad jus pontificium civile. Ac de re mala, laboriosa, molesta. *Cic. Phil.* 3, 14. Quod agendum atque faciendum, idem non modo non recusem, sed appetam etiam atque deposcam. *Id. Har. resp.* 4. Inimicitias non solum suscepit propter salutem meam, verum etiam appetivit. *Id. Mil.* 36. Ego inimicitias potentium pro te appetivi. *Suet. Ner.* 2. Appetere mortem timore. ℙ Cum infinito. [**Cic. Fin.* 5, 20. ut appetat animus aliquid agere semper.] *Stat. Th.* 1, 234. gremium incestare parentis Appetiit. ℙ Refertur etiam ad appetentiam edendi. *Suet. Aug.* 76. Secundarium panem, et pisciculos minutos, caseum bubulum manu pressum, et ficos virides, biferas maxime, appetebat. *Martial.* 9, 27. Appetitur posito vilis oliva lupo. ℙ *Appetere ad aliquem* pro competere, hoc est pertinere, aut convenire. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. *a med.* Alioquin per se eorum scripta non talia exstant, ut ea ad omnes adpetant. Ita *Torrentin.*, at *Haloander* edidit, *ut ea omnes adpetant.* ℙ [*Saepe numero in libris permutantur *appetere* et *apparere*, quod librarii pro illo substituerunt. V. *Drak.* ad *Liv.* 37, 32, 14. et quos ibi laudat, coll. eodem ad 8, 38, 3. et 10, 20, 9. *Burm.* ad *Quint.* 2, 10, 1.]

APPIA Via, et absolute Appia, ae, f. ὁδὸς Ἀππία, maxima et nobilissima viarum Romanarum, a porta Capena Capuam usque ducens, saxo quadrato strata ab Appio Claudio C. F., qui postea Caecus cognominatus est, cum censuram gereret una cum C. Plautio Venoce, circa annum Urbis 442. M. Valer. Max. et P. Decio Mure Coss., ut apud *Liv.* 9, 29. et *Frontin. de Aquaed.* 5. legitur. *Aur. Vict. Vir. ill.* 34. scribit, Appium viam Brundusium usque stravisse: sed fallitur; nam a Capua Brundusium longo post tempore perducta est, tametsi a quo non constat. Alii Augustum fuisse putant, alii Jul. Caesarem, alii alios. *Stat. Silv.* 2, 2, 12. Appia longarum teritur regina viarum. Al. pro *longarum*, leg. *tersarum.* ℙ *Appia aqua* ab eodem Appio censore deducta est, et appellata. Concipiebatur in agro Lucullano via Praenestina inter milliarium sextum et octavum, ut est apud *Frontin. l. c.*, ubi de ea plura.

APPIĀNUS, a, um, adj. ab *Appio* deductum. *Liv.* 3, 51. Appiana libido. *Tac. A.* 11, 29. Appianae caedis molitor Narcissus. ℙ *Appiana mala* inter laudatiora enumerantur a *Plin.* 15, 14., ita dicta a quodam Appio Claudio, qui primus ex insitione scandianorum cum cotoneo, ea protulisse fertur. Sunt autem rubenti colore, odore cotoneorum, magnitudine scandianis aequalia. *Plin. l. c.* ℙ *Appianum*, *i*, genus est coloris viridis, (e quadam terra, quae *Appiana* dicta est) similis chrysocollae. *Plin.* 35, 6, 29. [*Appianum, sc. castellum, fuit in Rhaetia.] ℙ *Appiani*, *orum*, sunt populi conventus Synnadensis in Phrygia majori, quorum urbs Graece Ἄππια, et Ἀππία dicitur. *Plin.* 5, 29, 29. ℙ *Appiani legati*, de quibus verba facit *Cic. Fam.* 3, 7. dicti sunt, qui ab Appianis populis missi erant ad Ciceronem, cum proconsul in Cilicia esset.

*APPIARIA, ae, oppidum Moesiae inferioris. *Tab. Peut. B. A.*

APPIAS, ădis, f. patronymicum a nomine *Appius*. *Cic. Fam.* 3, 1. *ad Appium Pulcrum.* Idque me (quoniam tu ita vis) puto non invita Minerva esse facturum: quam quidem ego, si forte de tuis sumpsero, non solum Pallada, sed etiam Appiada nominabo, *h. e.* si Minervae statuam ex magna, quae tibi est signorum copia, emero, non solum, etc. ℙ *Appias* dicta est Nympha, vel saliens aquae Appiae, et *Appiades* vocatae Nymphae marmore insculptae, quae ornatus gratia circa eam salientem erant dispositae in foro Julii Caesaris prope templum Veneris Genitricis, non longe a basilica Julia, in qua lites agitabantur, quaeque ideo Veneris sociae videri poterant. *Ovid. Rem. Am.* 659. Turpe, vir et mulier, juncti modo, protinus hostes: Non illas lites Appias ipsa probat. *Id. A. Am.* 1, 81. Subdita qua Veneris facto de marmore templo Appias expressis aera pulsat aquis. *Id. ib.* 3, 451. Has *(puellarum ab amatoribus suis proditarum)*, Venus, e templis multo radiantibus auro Lenta vides lites, Appiadesque tuae. Alii aliter locum hunc interpretati sunt; sed primus *Turneb. Adv.* 5, 17. rem acu tetigit, probante *Bentl.* ad *Hor. Od.* 1, 22, 14.; deinde *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 1. p. 216. *edit. Mediol.* eam interpretationem unice probandam ostendit ex marmoreis statuis Nympharum, quae eo loci, paucis abhinc annis, solo erutae sunt. [*Ultima addidit *F.*]

APPĬĒTĀS, atis, f. vox ficta a *Cic. Fam.* 3, 7. ad significandam per jocum nobilitatem generis, quam Appius Claudius jactabat, et Ciceronem novum hominem contemnebat. Idem dic de voce *Lentulitas*, quae ibidem legitur. Verba *Cic.* sunt: Etiamne tu has ineptias, ullam Appietatem aut Lentulitatem valere apud me plus, quam ornamenta virtutis existimas?

APPINGO et Adp., ingis, inxi, ictum, a. 3. παραγράφω, idem quod pingo, vel pingendo addo: ex *ad*, et *pingo*. *Hor. A. P.* 29. Qui variare cupit rem prodigialiter unam, Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum. ℙ Translate est adscribere, addere. *Cic. Att.* 2, 8. *in f.* Epistolam superiorem restitue nobis, et appinge aliquid novi. *Front. de eloq.* Ut colorem vetusculum adpingeres. ℙ Posset etiam hoc sensu deduci a *pango*, a quo est *compingo* et *impingo*. [*Minime.]

*APPIOLAE, v. Apiolae. *B. A.*

APPIOSUS, a, um, adj. *Veg. Vet.* 2, 2. et 10. scribit, appiosum fieri animal, cum noxius sanguis ejus cerebri membranam ex una parte pertundit, et dolore nimio praegravat: cujus morbi signa esse, cum in praesepio incumbit, oculos tensos habet, micat auriculis, visus caliginem patitur, et in gyrum agitur, tanquam si ad molam esset. In quibusdam MSS. legitur *oppiosus*. [Cum vero etiam *opiosus* sit in libris antiquis, et jumentum hoc morbo affectum somnolentum sit, ab opio forte ita vocatum divinabat *Platnerus*, cujus conjectura probabilis videtur. *F.*]

*APPISCĀTUS, a, um. Magnam inde appiscatus infamiam ex *Lucil.* ap. *Prisc.* adfert *Lauremb.* in *Antiqu.* et exponit, adeptus, tanquam si fuerit ab apiscor: cum tamen, si recte per duplex P scribatur, potius ad piscandi notionem referendum sit. *B. A.*

APPĬUS, ii, m. praenomen Romanum. Multi celebres viri in Romana republica sic appellati exstitere, in gente Claudia, quorum aliquot enumerat *Suet.* initio vitae Tiberii. Primus hoc praenomine fuit Appius Claudius Sabinus, qui consulatum gessit una cum P. Servilio Prisco circa A. U. 259., antea *Accius* vel *Attius*, vel *Atta Clausus* dictus ab *Atto*, quod est nomen Sabinum. Nam e Sabinis Romam venerat sex circiter annis post reges exactos suorum turbulentas discordias fugiens, et inter patres allectus fuerat, ut habetur apud *Liv.* 2, 16. Postea *Appium* dictum esse quidam putant a corona appii, quam meruerat. Sed hoc videtur esse commentum ad ejus nominis originem investigandam.

APPLARE. V. APALARE.

APPLAUDO et Adpl., audis, ausi, ausum, n. 3. ἐπιχροτέω, manuum aut pedum et vocis strepitu et plausu favorem ostendere. *Pl. Pers.* 5, 2, 13. Agite, applaudamus. *Id. Ps.* 5, 2, 32. Si vultis applaudere, atque approbare hunc gregem et fabulam, in crastinum vos vocabo. *Id. Men.* 5, 9, 100. Nobis clare applaudite. *Cic. Sext.* 54. Quid ego nunc dicam, quibus viris, aut cui generi civium maxime applaudatur? ℙ Proprie significat allidere, seu collidere rem aliquam cum alia, ita ut sonitum edat: ex *ad*, et *plaudo*. V. APPLAUSUS et APPLODO. *Nemesian.* 3, 33. Applauditque manu mutilum caput.

APPLAUSOR et Adpl., oris, m. qui applaudit. *Plin. Pan.* 46. Populus ille, aliquando scenici imperatoris spectator et applausor.

APPLAUSUS et Adpl., a, um, part. v. *applaudo*, ἐπιχεχροτημένος, pulsatus, leviter percussus. *Ov. Met.* 4, 352. Ille cavis velox applauso corpore palmis Desilit in latices. *Sil.* 16, 357. ipse asper, nec qui cervicis amaret Applausae blandos sonitus. *Tib.* 2, 1, 66. Applauso tela sonat latere.

APPLAUSUS, us, m. collisio manuum, aut pedum cum sonitu, item vocis murmur ad favorem significandum, ἐπιχρότησις. *Cic. Div.* 2, 50. Noster Ennius, qui magno applausu loquitur, assentiente populo. Al. leg. *plausu*, quae vox *Ciceroni* est familiarior, [*et sic *Ern. Orell. al.*]

[APPLECTO et Adpl., simul plecto. *Not. Tir.* p. 107. Adplectitur. *F.*]

APPLEX, ĭcis, comm. gen. adj. cujus comparat. est *Applicior:* a *plico*, *as*, eadem forma qua *complex:* idem est q. applicatus, conjunctus, adhaerens. *Appul. Met.* 10. p. 249, 21. *E.* Quoties nates recellebam, accedens toties nisu rabido, et spinam prehendens meam, appliciore nexu inhaerebat. ℙ Quidam ex conjectura leg. *applicatiore*, sed prior lectio constans est in libris. *Oud.* [*p. 721.] legendum putat *applicitiore*, ut sit comparativum ab *applicitus.*

APPLĬCĀTĬO, onis, f. actus applicandi, adjunctio, accessio, προσεικείωσις. *Cic. Amic.* 8. A natura mihi videtur potius, quam ab indigentia orta amicitia, et applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum res illa utilitatis esset habitura. ℙ *Jus applicationis* erat ortum ab Atheniensibus, apud quos si quis opulento ac potenti civi se applicuisset, hoc est in ejus se clientelam dedisset, ut ab eo defenderetur; isque intestato mortuus esset; poterat dives jure applicationis hereditatem defuncti clientis adire. Hujus juris meminit *Cic. Or.* 1, 39. [*Cf. APPLICO.]

APPLĬCĀTUS et Adpl., a, um, part. ab *applico*, adjunctus, admotus, adhaerens, προσαπτόμενος, *Varr. R. R.* 2, 7. Qualis futurus sit equus e pullo conjectari potest, si caput habet non magnum, si oculis est nigris, naribus non angustis, auribus applicatis, *h. e.* brevibus et capiti adhaerentibus, non longis, et dependentibus. *Plin.* 4, 4, 5. Corinthus

applicata colli, *h. e.* acclinis. *Id.* 11, 37, 88. Nervi applicati ossibus. *Id.* 30, 5, 14. Stomachi dolorem sedant applicati saepius. ℙ Est etiam appulsus, admotus litori, cum de navibus sermo est. *Caes. B. C.* 3, 101. Applicatae ad terram naves. ℙ Translate. *Cic. Inv.* 1, 25. Studium est animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata, magna cum voluptate, occupatio. *Id. Fin.* 4, 13. Omne animal applicatum est ad se diligendum. *Nazar. Pan. ad Constantin.* 10. Pietas semper applicata prudentiae, i. e. adjuncta.

APPLĪCĬTUS et Adpl., a, um, id. q. applicatus, admotus, adjunctus, adhaerens. [*Haec forma in bonis scriptoribus non reperitur.] *Plin. ep.* 2, 17. *a med.* Applicitum est cubiculo hypocaustum perexiguum. *Quint.* 1, 2. *ad f.* Vites arboribus applicitae. *Petr. Sat.* 91. Applicitus parieti. *Scaev. Dig.* 32. *l.* 39. Domum meam cum horto applicito libertis meis concedi volo. *Justin.* 11, 15. Applicito captivo, i. e. quum accederet ad eum, vel: quum adhiberetur sc. interpres. ℙ *Maetian. Dig.* 36, 1, 7. Morbo applicitus, *h. e.* implicitus, detentus. ℙ Eleganter *Quint.* 4, 2. *ad f.* In parvis rebus sit ille pressus, et velut applicitus rei cultus, (de ornatu narrationis agit). ℙ Comp. *Applicitior* V. in APPLEX.

APPLĪCO et Adpl., as, avi, atum, et icui, icitum, a. 1. προσορμίζω, adjungo, admoveo: ex *ad* et *plico*. [*Boni scriptores perf. — *ui* et sup. — *atum* praeferunt.] *Cic. Tusc.* 5, 27. Applicare se ad flammam. *Id. Inv.* 2, 13. se alicui in itinere. *Caes. B. G.* 6, 27. se ad arborem. *Colum.* 11, 2. *ante med.* Sarmenta egerere, et ad sepem applicare. *Liv.* 32, 30. Applicare castra flumini. *Id.* 26, 44. et *Curt.* 4, 2. moenibus scalas. *Plin.* 30, 7, 20. *sub f.* catulos stomacho ac pectori, medicinae causa. Sic *Id.* 33, 4, 25. Aurum applicatur vulneratis et infantibus. Et *Colum.* 6, 12. linamenta. *Ov. Fast.* 4, 851. oscula feretro. *Id. ib.* 3, 750. asellum ulmo. *Suet. Ner.* 25. sudarium ad os. *Virg. A.* 12, 303. aliquem terrae, i. e. prosternere. *Id. ib.* 10, 536. ensem, i. e. figere. *Plin.* 11, 2, 1. sed ubi visum in eo praetendit? ubi gustatum applicavit? i. e. in quanam corporis parte sensum gustandi posuit? Loquitur de minutissimis insectis. Applicare boves aliquo, apud *Ov. Fast.* 1, 543. est ducere, appellere. ℙ Saepe usurpatur in re nautica, et significat appellere, hoc est ad ripam aut litus admovere: et dicitur tum de navibus, tum de ipsis hominibus navigantibus. *Liv.* 37, 12. *ad f.* Applicare classem in Erythraeam. *Id.* 28, 17. naves terrae. *Cic. Inv.* 2, 51. navem ad naufragum natantem. *Virg. A.* 1, 616. Quae vis te immanibus applicat oris? *Ov. Her.* 16, 125. Applicor in terras, Oebali nympha, tuas. Et apud sequiores interdum absolute, ita tamen, ut accusativus *se* aut *navem* intelligatur. *Justin.* 2, 4. Cum Hercules ad litus Amazonum applicuit. Et *ib.* 12. Applicare aliquo. *Auct. B. Hisp.* 37. *in f.* ad terram. Et omissa praepositione, quae inest in ipso verbo. *Ulp. Dig.* 1, 16, 4. Proconsuli necessitatem impositam, per mare Asiam applicare. ℙ Translate multos elegantesque habet usus. *Cic. Fin.* 2, 12. Applicare voluptatem ad honestatem, *h. e.* cum honestate conjungere. *Martial.* 6, 28. unum annum bis senis messibus, *h. e.* addere. *Cic. Or.* 1, 39. se ad aliquem quasi patronum. V. APPLICATIO. *Ennius* ap. *Cic. Tusc.* 3, 19. Quo accedam? quo applicem? ductum a navigantibus. *Ter. Andr.* 5, 4, 21. Ille egens applicat Primum ad Chrysidis patrem se. *Cic. Cluent.* 16. applicare se ad familiaritatem alicujus. *Nep. Arist.* 12. Ut civitates Graeciae ad Atheniensium societatem se applicarent. *Cic. Verr.* 2, 2, 1. Sicilia se ad amicitiam fidemque populi R. applicuit. *Id. Brut.* 91. *ad f.* Me ad Molonem applicavi, *h. e.* audiendi, et discendi causa. *Id. Amic.* 14. Applicare et adjungere se ad virtutem. *Id. Off.* 1, 32. se ad philosophiam, ad jus civile, ad eloquentiam. *Ter. Heaut. prol.* 23. se ad studium musicum. *Hor. Od.* 3, 11, 8. aures alicui rei. Sic *Id. carm. saec. sub f.* aures amicas votis. *Ter. Andr.* 1, 2, 22. animum ad deteriorem partem. Contra *Pl. Trin.* 2, 1, 34. animum ad frugem. *Cato* ap. *Gell.* 11, 2. se ad convivia. *Ulp. Dig.* 50, 6, 2. se ad munera et honores. *Colum.* 3, 10. aliquem alicui officio. *Pompon. Dig.* 10, 2, 45. idoneum servum rei communi, *h. e.* praeficere. *Quint.* 7, 3. finitionem in rem, *h. e.* accommodare, aptare. *Id.* 7, 10. *in f.* verba verbis, *h. e.* apta complexione colligare. *Paul. Dig.* 19, 2, 54. et 22, 1, 17. alicui usuras, *h. e.* usurarum solvendarum onus alicui adjungere. *Plin. ep.* 10, 66. alicui crimina, i. e. injungere. Rursus *Paul. Dig.* 34, 2, 9. Demonstratio *muliebria* neque vesti, neque mundo applicari potest, *h. e.* dici de mundo, aut veste. V. integr. loc. ℙ [*Commutantur passim *applicare* et *abdere*; cf. *Burm.* ad *Virg. A.* 10, 536. — et *appellere*, *id. ib.* 1, 377.] ℙ *Appliciturus* ap. *Justin.* 2, 12. Quo applicituri erant, symbolos proponi curat.

APPLODO et Adpl., is, osi, osum, a. 3. ἐπιχροτέω, ad aliquid pulso, allido: ex *ad*, et *plodo* pro *plaudo*, eo modo, quo *coda* pro *cauda* dicitur, *plostrum* pro *plaustrum*, et *plotus* pro *plautus*, etc. Hinc *applodere aliquem terrae* est terrae affligere. *Appul. Met.* 6. p. 184, 34. Incussis in eam *(anum)* posteriorum pedum calcibus protinus applodo terrae. Et *ib.* 9. p. 236, 21. (p. 670. *Oud.*) Arreptis ejus pedibus utrisque, sublimem elatum terrae graviter applodit. Alii utroque loco leg. *applaudo*. *Hygin. fab.* 126. Qui cum luctati essent, et Ulysses Irum applosisset. *Festus* quoque *applaudo* usurpat in hac significatione in *Apluda*. Sunt qui *apludam* sorbitionis liquidissimum putent genus, quod flatu dejiciatur, et quasi adplaudatur. *Voss. in Etym.* notat in quibusdam MSS. *Festi* legi *applodatur*. ℙ Applodere pedem, *h. e.* pede terram pulsare, est apud *Hieron. ep.* 50. *ad Domnion.* 2.

APPLORO et Adpl., as, avi, atum, a. 1. προσδακρύω, idem quod ploro, vel cum alio ploro. *Hor. Epod.* 11, 12. Contraque lucrum nil valere candidum Pauperis ingenium querebar applorans tibi. *Senec. Qu. nat.* 4, 2. *ante med.* Cum jam adploraveris, mersosque credideris, longe ab eo, in quem ceciderant, loco navigant.

APPLOSUS et Adpl., a, um, part. v. *applodo*, allisus, applausus. *Spart. Get.* 3. Ovum applosum ad terram frangere. *Lamprid. Elag.* 6. Seriam applosam frangere.

APPLŪDA. V. APLUDA.

APPLUMBĀTUS. V. ADPLUMBATUS.

APPLŪO et Adpl., is, n. 3. idem quod pluo. *Plin.* 9, 16, 23. Arundines quamvis in palude prognatae, non tamen sine imbre adolescunt: et alias ubicumque pisces in eadem aqua assidui, si non appluat, exanimantur. *Hard.* ex omnib. libr. defendit scribendum esse *si non affluat*, hoc est si nova subinde ac recens aqua non accedat.

APPONO et Adp., is, osui, ositum, a. 3. προστίθημι, ἐπιτίθημι, prope pono, admoveo, adjungo, addo: ex *ad*, et *pono*. *Petr. Sat.* 135. Apponere cucumam foco. *Pl. Men.* 2, 2, 55. aliquid ad ignem. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. manus ad os. [*Et translate *Sen. Contr.* 4, 25. et ad hanc controversiam Graeci apposuerunt manum, pro quo usitatius est *imponere manum*. Sed vide de ejusmodi commutationibus *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 100, 1.] *Cic. Verr.* 2, 1, 55. Omnes columnae machina apposita dejectae. Ac pro simplici *pono*: *Ter. Andr.* 4, 3, 10. Hunc ante nostram januam appone. *Pareus* in *lex. crit.* vult *apone*. [*Sed male. V. APONO. — Neque *apponere* h. l. simpliciter est i. q. *ponere*, non magis quam *Pl. Poen.* 4, 2, 35. *Sy.* At onus urget. *Mi.* at tu appone etc. et *Ter. Heaut.* 1, 1, 36. at istos rastros interea tamen appone; utroque loco est i. q. ad pedes ponere, deponere.] ℙ Item addere. *Hor. Od.* 2, 5, 14. Aetas illi, quos tibi dempserit, Apponet annos. *Pl. Mil.* 3, 3, 30. Apponere novum aliquid alicui rei de suo. *Id. Trin.* 4, 3, 18. laborem ad damnum. *Gell.* 1, 13. Instructius fore arbitramur hoc, si exemplum apposuerimus. *Apponere aliquid lucro* est lucro addere. *Hor. Od.* 1, 9, 14. Quem sors dierum cumque dabit, lucro Appone. Sic *apponere aliquid gratiae* est gratiae, et beneficii loco habere. *Ter. Andr.* 2, 1, 31. Neutiquam officium liberi hominis esse puto, cum is nihil promereat, postulare, id gratiae apponi sibi. *Apponere modum* vitiis, vitia moderari. *Cic. Tusc.* 4, 18. Qui vitiis modum apponit, is partem suscipit vitiorum. Etiam scribendo addere, i. e. adscribere. *Cic. Fam.* 13, 6. Reliquis epistolis tantum faciam, ut notam apponam eam, quae mihi tecum convenit. *Id. Pis.* 30. Apponere notam ad malum versum. ℙ *Apponere alicui rectorem* ap. *Suet. Aug.* 48. est alicui rectorem dare. [*Cf. *Oud.* ad h. l. et *Brem.* ad *Nep. Dion.* 4, 4.] Sic Apponere alicui paedagogum, et *Id. Claud.* 2. scrutatores salutatoribus, *Id. ib.* 35. aliquem alicui pro janitore, *Id. Aug.* 91. Eadem ratione, Apponere custodem alicui, apud *Cic. Div. in Verr.* 16. et, Apponere accusatorem alicui, apud *Eund. Verr.* 2, 1, 29. et *ib.* 5, 41. *in f.* est submittere, subornare aliquem, qui alterum accuset, et, Apponere calumniatores, *Id. Verr.* 2, 2, 10. et, Apponere sibi praevaricatorem, *Id. Phil.* 2, 11. hoc est sibi comparare et corrumpere ad colludendum. ℙ Saepe est tricliniare verbum, et significat inferre mensae, et convivis edendum dare. *Cic. Tusc.* 5, 32. Abduxit legatos ad coenam in Academiam: iis apposuit tantum quod satis esset, nullo apparatu. *Id. Verr.* 2, 4, 22. Coenam isti dabat; apposuit patellam, in qua etc. *Id. Att.* 6, 1. *circa med.* Quid te in vasis fictilibus appositurum putem? *Plin.* 8, 51, 78. Apponere solidum aprum in epulis. *Suet. Cal.* 37. convivis panes et obsonia. *Id. Galb.* 12. coenam lautiorem. *Virg. A.* 4, 602. aliquid mensae. *Hor. Sat.* 2, 8, 68. ne panis adustus, Ne male conditum jus apponatur. ℙ Praeteritum *apposivi* pro *apposui* antiquum est. *Pl. Mil.* 3, 3, 30. De meo nihil his novum apposivi. V. PONO in f. [**Appul.* in *Hermog.* 1. cibatum apposiverunt. ℙ Confunduntur a librariis *appono* et *oppono*, qua de re videndus est maxime *Gron.* ad *Gell.* 6, 9. qui in v. *apponendi* semper notionem addendi, adjiciendi inesse ait; in v. *opponendi* impedimentum aliquod significari. Eadem de causa *Fea* ad *Hor. Sat.* 1, 9, 77. recepit ex nonnullis libris: *auriculam appono* pro vulgata *oppono*, quod lubens et ultro faciat. Sed h. l. recte habet *oppono*, quia Horatius auriculam ei obvertit, quo facilius prehendere possit. Cf. etiam *Heins.* ad *Ov. Am.* 3, 14, 10. et *Heyn.* ad *Tib.* 1, 8, 76. *Burm.* ad *Virg. G.* 3, 213.]

APPORRECTUS, a, um, part. ab inusitat. *apporrigo*, extensus, prope porrectus ad aliquid. *Ov. Met.* 2, 561. at intus Infantemque vident, apporrectumque draconem.

APPORTĀTĬO et Adp., onis, f. actus apportandi. *Vitr.* 2, 9. Cujus materiei si esset facultas apportationibus ad urbem, maximae haberentur in aedificiis utilitates.

APPORTĀTUS et Adp., a, um, part. v. *apporto*, allatus. *Cic. Verr.* 2, 5, 48. in urbe nostra quod signum, quae tabula picta est, quae non ab hostibus victis capta atque apportata sit? *Appul.* 9. Utribus secum apportatis.

APPORTO et Adp., as, avi, atum, a. 1. ἐπιφέρω, εἰσφέρω, affero, adveho: ex *ad*, et *porto*: quare proprie motum ad locum significat, ut *asporto* motum de loco. *Cic. Off.* 1, 42. Mercatura multa undique apportans. *Id. Verr.* 2, 1, 21. Servilius quae signa atque ornamenta ex urbe hostium capta, belli lege, atque imperatorio jure sustulit, ea populo Romano apportavit. *Id. ib.* 2, 3, 82. Apportare frumentum ad difficillima loca. Al. hic aliter leg. *Pl. Stich.* 3, 1, 11. Apportare magnas divitias domum. *Cic. Verr.* 2, 1, 56. Lapidem caedere, et apportare machina sua. *Varr. R. R.* 3, 14. Cochleae, quae de Illyrico apportantur. *Plin.* 35, 6, 25. Indicum apportatur ex India. ℙ Saepe ponitur pro afferre. *Ter. Heaut.* 4, 4, 25. Ille haud scit, paulum lucri quantum ei damni apportet. *Id. Ad.* 5, 4, 2. Res, aetas, usus, semper aliquid apportat novi. *Id. Andr.* 1, 1, 46. Apportare malum. *Lucr.* 5, 222. Anni tempora apportant morbos. *Caecil.* ap. *Cic. Sen.* 8. Senectus apportat vitia. Item pro nunciare. *Ter. Andr.* 3, 1, 18. Apportare nuncium alicui. *Id. ib.* 5, 2, 17. Quidnam apportas? *Lucr.* 5, 101. Apportare aliquid auribus. ℙ *Apportare adventum aliquo* insolenti phrasi dixit *Pl. Amph.* 3, 1, 5. *h. e.* aliquo venire.

APPOSCO. V. ADPOSCO.

APPŌSĪTĒ, adv. ἐπιτηδείως, apte, accommodate. *Cic. Inv.* 1, 5. Dicere apposite ad persuasionem. Et paulo post: Medici officium est curare ad sanandum apposite. *Gell.* 2, 23. Praeclare et apposite et facete scribere.

APPŌSĪTĬO et Adp., onis, f. πρόσθεσις, actus apponendi, adjunctio. *Coel. Aur. Acut.* 3, 5. Appositio cucurbitae cum scarificatione. *Lamprid. Commod.* 5. Criminis appositio. *Cic. Par.* 1, 3. Sed haec videri possunt obscuriora, cum sine appositione exemplorum lentius disputantur. Al. leg. *expositione*: alii illa omnia verba *sine appositione exemplorum* expungenda censent ex multorum MSS. auctoritate. ℙ Est etiam hoc nomine figura locutionis. V. EPEXEGESIS.

APPŌSĪTUM et Adp., i, n. ἐπίθετον, id quod alteri apponitur, seu adjungitur: et speciatim in re rhetorica est verbum, vel sententia, quae alteri ad explicandum adjicitur. *Quint.* 8, 2. Apposita, quae epitheta dicuntur, ut *dulce mustum*, et *cum dentibus albis*, etc. *Id. ib.* 6. Ornat enim ἐπίθετον, quod recte diximus *appositum*: a nonnullis *sequens* dicitur. Eo poetae et frequentius et liberius utuntur, etc. Et paulo post: Si dicas *ille qui Carthaginem et Numantiam evertit*, antonomasia est; si adjeceris *Scipio*, appositum.

APPŌSĪTUS et Adp., us, m. πρόσθεσις, actus apponendi. *Plin.* 23, 9, 82. Myrtidanum vulvae prodest appositu, fotu, illitu. *Id.* 24, 5, 13. Galbanum abortus non exeuntes trahit appositu, vel suffitu. Adde 24, 6, 15. et *Arnob.* 2. p. 91. semper tamen in ablativo casu, extra quem exempla nondum vidimus.

APPŌSĪTUS et Adp., a, um, part. v. *appono*, παράθετος, prope positus, admotus. *Sen. Qu. nat.* 2, 6. Aer continuus terrae est, et sic appositus, ut statim ibi futurus sit, unde illa discessit. *Plin.* 37, 8, 33. Callais gemma nascitur in rupibus, leviter adhaerens, nec ut agnata petris, sed ut apposita. [**Tac. A.* 2, 6. naves appositis utrimque gubernaculis.] *Cic. Inv.* 2, 4. Gladium propter appositum e vagina eduxit. *Tac. A.* 2, 7. Castellum Luppiae flumini appositum, i. e. finitimum. *Plin.* 3, 18, 22. Decima regio Italiae, Adriatico mari apposita. *Id.* 12, 1, 5. Platanus itineri apposita, *h. e.* viae vicina. *Id.* 8, 28, 42. Apposita aure ad glaciem. *Id.* 21, 23, 94. Anemonae vellere appositae menstrua cient. Hinc fit, ut etiam ad similitudinem ac viciniam referatur. *Cic. Inv.* 2, 54. Fidentiae contrarium est diffidentia: audacia non contrarium, sed appositum est, ac propinquum, et tamen vitium est. Porro de hominibus, qui alicui adduntur: *Liv.* 2, 18. Lartius moderator et magister consulibus appositus. *Suet. Cl.* 2. Appositus alicui paedagogus, *h. e.* datus, ut doceat, et observet. ℙ In re tricliniari. *Cic. Att.*

14, 6. et 21. Apposita secunda mensa. *Id. Caes.* 43. Apposita obsonia. ℙ Item pro re seposita et reposita. *Sen. Ben.* 4, 20. Si quis intelligit, adeo per hoc se nihil consecuturum, ut multa etiam ex apposito acquisitoque perdenda sint, num libens in detrimenta descendet? *reposito* alii leg. et rectius. ℙ *Appositum* in re rhetorica V. supra suo loco. ℙ Translate *appositus* dicitur, qui inclinatus est ad aliquid, eique libenter accedit, et adhaeret. *Quint.* 4, 3. *ad f.* Judicis quoque noscenda natura est, juri magis, an aequo sit appositus. ℙ Saepissime sumitur pro apto, idoneo, accommodato, *ἱκανὸς, κατασκευαστὸς, πρόσθετος*, habetque hoc sensu suos gradus. *Cic. Verr.* 2, 1, 11. Menses mihi tres cum eripuissetis ad agendum maxime appositos. *Id. Att.* 3, 14. Locus minime appositus ad tolerandam calamitatem. *Varr. R. R.* 1, 7. Ager alius est ad vitem appositus, alius ad frumentum, alius ad aliam rem. *Cic. Verr.* 2, 5, 41. *in f.* Homo bene appositus ad istius audaciam. *Id. Verr.* 2, 4, 57. Operarius multo appositior ad deferenda, quam ad auferenda signa. *Varr. R. R.* 2, 10. Non omnis apta natio ad pecuariam: Galli appositissimi, maxime ad jumenta. *Id. ib.* 3, 9. Appositissimae gallinae ad partum sunt anniculae, aut bimae. *Id. ib.* 2, 7. Equus aeger appositus ad medendum.

APPŌTUS et Adp., a, um, adj., qui multum potavit, bene potus: ex *ad* et *potus*: *ad* autem saepe in compositione auget. *Pl. Amph.* 1, 1, 126. Credo edepol solem dormire, atque appotum probe. *Id. Curc.* 2, 3, 75. Postquam coenati atque appoti, talos poscit, provocat me. Adde *Gellium* 7, 7.

APPRĔCOR. V. ADP.

APPRĔHENDO et Adp., endis, endi, ensum, a. 3. *λαμβάνω*, prehendo, arripio, capio. *Suet. Tib.* 53. Apprehendere manu aliquem. Et 72. manum alicujus osculandi causa. *Ter. Ph.* 5, 6, 24. aliquem pallio. *Pl. Amph.* 5, 1, 64. angues manu. *Id. Rud.* 4, 4, 27. Si in mari reti apprehendi, qui tuum potius est, quam meum? *Cic. N. D.* 2, 47. Vites sic claviculis adminicula tanquam manibus apprehendunt. *Id. ib.* 1, 20. Atomi cohaerescunt inter se, et aliae alias apprehendentes continuantur. *Plin.* 10, 74, 11. *n.* 24. et 11, 24, 28. Apprehendere aliquid morsu. *Id.* 32, 2, 5. Mordicus apprehendere aliquid. *Id.* 20, 15, 57. Quantum apprehenderint tres digiti. ℙ Interdum est occupare, potiri. *Cic. Att.* 19, 8. Necesse est, istum, ut confidere videtur, apprehendere Hispanias. *Caes. B. C.* 3, 112 Caesar, hostibus in pugna occupatis, militibusque expositis, Pharum apprehendit atque ibi praesidium posuit. Sic *apprehendere hominem* est eum vi capere, et captivum facere. *Gell.* 5, 14. *ad f.* A militibus visus, apprehensusque sum, et ad dominum deductus. *Ulp. Dig.* 9, 2, 5. Apprehendere furem. ℙ Translate. *Cic. Cluent.* 19. Quidquid ego apprehenderam, statim accusator extorquebat e manibus. *Quint.* 10, 2. Apprehendere aliquid cum judicio. *Plin.* 14, 22, 28. palmam *Ulp. Dig.* 13, 7, 11. possessionem alicujus rei. *Pacat. Pan. ad Theod.* 9. homines beneficiis. ℙ *Apprehendere* pro intelligere usurpavit *Tert. adv. Valent.* 11. et *Cael. Aur. Acut.* 3, 15. ℙ Pro comprehendere, complecti, *Julian. Dig.* 45, 1, 56. Personam filii apprehendere, *intellige* in stipulatione. *Pompon. ib.* 28, 2, 10. casum aliquem testamento. *Cael. Aur. Tard.* 5, 4. una praeceptione omnia. ℙ Poetae *apprendo* usurpant per contractionem, metri causa. *Caecil.* apud *Gell.* 15, 9. Quos neque ut apprendas, neque ut mittas, scias. *Sil.* 13, 653. Et nebulis similes animas apprendere certat. ℙ Scribitur etiam *appraehendo*. V. PREHENDO.

APPRĔHENSĪBĬLIS et Adp., le, adj. qui apprehendi, hoc est intelligi potest. *Tert. adv. Valent.* 11. et *Coel. Aur. Acut.* 3, 15.

APPRĔHENSĬO, onis, f. actus apprehendendi. *Macr. Sat.* 3, 2. in illud *Virg. A.* 12, 201. *Tango aras; medios ignes*, etc. Eandem vim nominis ex apprehensione signifĭcat. ℙ Pro intellectione, seu cognitione non semel usurpatur a *Coel. Aur.* ut *Acut.* 1, 8. *ib.* 2, 28. et *Tard.* 5, 4. etc.

APPRĔHENSUS et Adp., a, um, part. ab *apprehendo*, arreptus, captus. *Suet. Cl.* 15. Pede apprehenso detinere aliquem. *Ulp. Dig.* 48, 19, 8. Ne tempus duplicetur, quo adprehensus in carcere fuerit. Contracte dicitur *apprensus* a poetis. *Stat. Silv.* 3, 4, 43. et apprensa traxisset fortius urna.

APPRENSO et Adp., as, a. 1. verbum poeticum frequentativum ab *apprehendo*. *Grat. Cyn.* 239. Mandit humum, celsasque adprensat naribus auras.

APPRĔTĬĀTUS et Adp., a, um, adj. pretio aestimatus. *Tert. Resurr. carn.* 20. Appretiatus triginta argenteis. [**Vulg. Matth.* 27, 9. et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, *τοῦ τετιμημένου.*]

APPRĔTĬO et Adp., as, a. 1. pretio aestimare. *Tert. Resurr. carn.* 9. Cujus passiones sibi appretiat.

APPRĪMĀ et Adp., id. qu. *apprime:* nomen adverbii vice positum a *Virg. G.* 2, 134. Flos apprima tenax: quemadmodum, sera comantem narcissum, dixit *G.* 4, 122. et, pede terram crebra ferit, *ib.* 3, 500. *Pierius* notat in aliquot codd. legi *apprime*, quo casu ultima syllaba corripitur poetica licentia, ut in *superne* factum est a *Lucr.* 4, 440. et ab *Hor. Od.* 2, 20, 11., item *inferne* ab eodem *Lucr.* Fortasse etiam legi possit *ad prima* distinctis duabus vocibus, ut verterit Graecum *ἐπὶ τὰ πρῶτα*. [*Et sic hodie scribitur; v. sub AD.]

APPRĪMĒ et Adp., adv. *μάλα, μάλιστα, πάνυ*, in primis, valde, perquam. *Cic. Fin.* 3, 9. Id apprime recte dicitur. Alii melius leg. *a primo rectissime dicitur*. [*Et sic *Goer.* quem V.] *Varr. R. R.* 3, 2. *sub f.* Albucius homo apprime doctus. *Ter. Eun.* 5, 5, 10. Scis, fratrem ejus apprime nobilem? *Id. Andr.* 1, 1, 34. Id arbitror apprime in vita esse utile, ut ne quid nimis. [**Nep. Att.* 13, 4. artifices apprime boni.] ℙ Jungitur et cum verbis. *Pl. Trin.* 2, 2, 92. Apprime probare aliquid. *Appul. de Deo Socr. prope f.* Apprime potuit obtingere Socrati, *h. e.* Socrati praecipue potuit contingere. *Id. Florid. n.* 3. Apprime callere fidibus. ℙ Raro cum superlativis. *Claud. Quadrigar.* apud *Gell.* 7, 11. Qui apprime summo genere gnatus erat.

APPRĪMO et Adp., adverb. id. q. *apprime*. V. vocem praeced. et PRIMUS.

APPRĪMO, is. V. ADPRIMO.

[APPRĪMŬLUS, a, um, adj. diminut. ab *apprimus*. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 318, 4. C. Avidio Apprimulo. *F.*]

APPRĪMUS et Adp., a, um, longe primus. *Livius* in *Odyss.* ap. *Gell.* 7, 7. Vir summus adprimus Patroclus.

APPRŌBĀTĬO et Adp., onis, f. comprobatio, *συγκατάθεσις, συμφώνησις*. *Cic. Brut.* 49. *in f.* Efficiatur autem ab oratore, necne, ut ii, qui audiunt, ita afficiantur, ut orator velit, vulgi assensu et populari approbatione judicari solet. *Id. Tusc.* 2, 1. Effectus eloquentiae est audientium approbatio. *Id. Off.* 1, 28. Movere approbationem alicujus. [**Liv.* 23, 23. cum ingenti approbatione hominum. In specie approbatio testium est, quum eos ideneos esse ex auctoritate et vita eorum et constantia testimoniorum probamus. *Auct.* ad *Her.* 2, 6. V. *Clav. Cic.* et *Ernest. lex. techn. lat.* p. 24.] ℙ Sumitur interdum pro inclinatione animi et voluntate. *Cic. Acad.* 4, 17. Ne vinolenti quidem quae faciunt, eadem approbatione faciunt, qua sobrii: dubitant, haesitant, revocant se interdum, iisque quae videntur, imbecillius assentiuntur. Adde *ib.* 12. ℙ Est etiam pars argumentationis, per quam id quod expositum est, rationibus firmatur, ut *Cic. Inv.* 1, 37. loquitur. *Id. ib.* Approbationem adjungere. Et *ib.* 36. Haec propositio indiget approbationis. [*Et simpliciter i. q. confirmatio *Cic. Inv.* 1, 54. approbatio assumtionis *(des Untersatzes)*. Latiori significatu utitur *Auct.* ad *Her.* 2, 6. ubi approbatio est oratio, qua defensor et accusator utitur ad extremum, confirmata jam suspicione.]

APPRŌBĀTOR et Adp., oris, m. qui approbat, comprobator, *δοκιμαστής*. *Cic. Att.* 16, 7. Quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meae, approbator certe fuisti. *Gell.* 5, 21. Quos subscriptores approbatoresque hujus verbi habemus.

APPRŌBĀTUS et Adp., a, um, part. v. *approbo*, *δοκιμασθεὶς*, comprobatus, probatus. *Cic. Fin.* 3, 8. Omnium assensu approbatus. [**Suet. Aug.* 8. approbata cito etiam morum indole, i. e. probata, commendata. V. *Freinshem. ind. Flori*, quem laudat *B. Crus.*] ℙ Item argumentis firmatus. *Tac. A.* 3, 12. Vos oro, ne objecta crimina pro approbatis accipiatis. ℙ [**Approbatum est in foro, id quod homines, quum dubium esset, quale haberi oporteret, sua constituerunt auctoritate. Ipsa *Cic.* verba sunt *Inv.* 1, 30.]

APPRŌBĒ et Adp., adv. valde probe. *Pl. Trin.* 4, 2, 115. Mihi concrederet, nisi me ille, et ego illum nossem approbe. Adde *Gell.* 7, 7.

APPRŌBO et Adp., as, avi, atum, a. 1. *δοκιμάζω*, comprobo, laudo, assentior. *Cic. Q. Fr.* 3, 4. Ego meum consilium (praesertim si tu non improbas) vehementer approbo. *Id. ib.* 2, 1. Approbare sententiam alicujus. *Id. Arch.* 10. magno clamore aliquid. [**Liv.* 7, 37, 41.] *Cic. Pis.* 3. una voce et consensu. *Id. Fam.* 2, 15. Quod actum est, Dii approbent. [*Proprie hoc sensu Dii dicuntur *approbare* ea, „quibus nutum numenque benignum praestant; quae prosperant et fortunant.“ Exempla V. ap. *Gron.* ad *Pl. Amph. prol.* 13.] *Cic. Fam.* 1, 9. *a med.* Diis hominibusque approbantibus. *Id. ib.* 7, 23. Facere aliquid musis omnibus approbantibus. ℙ Est etiam rationibus ostendere, argumentis confirmare, aut alia quacumque ratione demonstrare. *Cic. Inv.* 1, 36. *ad f.* Hoc autem, quia ipsum ex re perspicitur, et verum esse intelligitur, nihil attinet approbari. *Tac. A.* 1, 44. Approbare industriam et innocentiam alicujus, *h. e.* ostendere eum industrium, et innocentem esse. *Suet. Aug.* 46. Iis, qui e plebe sibi filios, filiasve approbarent, singula nummorum millia dividebat, *h. e.* iis qui sibi ostendebant, se habere filios, vel filias. *Id. Galb.* 6. Praesenti quoque Cajo talem et se, et exercitum approbavit, ut etc. *Plin.* 7, 56, 57. Approbare aliquid monumentis. *Id.* 30, 13, 42. Ossa anguium eundem approbant effectum, *h. e.* ostendunt et praestant. ℙ Cum infinito. *Suet. Aug.* 17. Et quo magis, degenerasse eum a civili more approbaret. *Plin.* 9, 57, 83. Motu demum corporum vivere eos approbant, *h. e.* ex motu corporum ostendunt eos vivere. ℙ Item aliquid probe factum ostendere, quo sensu *Cic.* fere *probare* dixit. *Tac. A.* 15, 59. Dum ipse majoribus, dum posteris mortem approbaret. *Id. Agr.* 42. Operam suam in approbanda excusatione offerre. [**Ib.* 5. prima castrorum rudimenta Suet. Paullino approbavit, i. e. ita perfecit ut probarentur ei.] *Stat. Silv.* 2, 6, 47. Elin adit, primosque Jovi puer approbat annos, *h. e.* in certaminibus Olympicis Jovi offert, eique gratos reddit. ℙ Item commendare, ostendere aliquid probum esse. *Plin.* 11, 42, 97. Duobus Alpes generibus pabula sua approbant. *Id.* 34, 7, 18. Approbare satis artem suam. ℙ *Approbare opus alicui* dicitur redemptor, vel conductor, qui opus repraesentat locatori ita factum, ut conventum erat. *Vitr.* 9, 3., *Phaedr.* 4, 24. et *Paul. Dig.* 19, 2, 24. [*Etiam de hac significatione cf. *Gron.* l. supra l. ℙ *Approbare* et *probare* commutantur passim. V. *Goer.* ad *Cic. Fin.* 3, 8, 29.]

APPRŌBRĀMENTUM. V. OPPROBRAMENTUM.

APPRŌBUS et Adp., a, um, adj. valde probus. *Caecil.* ap. *Gell.* 7, 7. Hierocles hospes est mihi, adolescens adprobus.

APPROMISSOR et Adp., oris, m. qui pro alio promittit, qualis est fidejussor. *Pompon. Dig.* 45, 1, 5. Satis acceptio est stipulatio, quae ita obligat promissorem, ut adpromissores quoque ab eo accipiantur, id est qui idem promittant. *Ulp. ib.* 46, 3, 43. In omnibus speciebus liberationem et accessiones liberantur, puta adpromissores, hypothecae, pignora.

APPRŌMITTO et Adp., is, isi, issum, a. 3. pro alio promitto, *ἀνεγγυάω:* et est verbum juris. *Cic. Rosc. Am.* 9. Cum ille confirmaret, sese nomen Sex. Roscii de tabulis exempturum, praedia vacua filio traditurum; cumque T. Roscius Capito, qui in decem legatis erat, appromitteret, crediderunt. *Id. Att.* 5, 1. De Oppio factum est, ut volui, et maxime quod DCCC appromisisti. *Aperuisti* plerique omnes hoc loco leg. ex constanti codicum fide. V. APERIO.

APPRŌNO, as, a. 1. ex *ad*, et *pronus*. *Appul. Met.* 1. p. 111, 4. E. (p. 62. *Oud.*). Oppertus paululo planiorem ripae marginem, complicitus in genua appronat se, *h. e.* flexis genibus, et prono corpore inclinat se.

APPROPĔRO et Adp., as, avi, atum, a. 1. idem quod propero, vel valde propero, festino, *ἐπισπεύδω*. *Cic. Q. Fr.* 2, 10. *in f.* Adduc, si me amas, Marium; sed approperate. *Id. Att.* 4, 6. *ad f.* Eumque, ut approperet, adhorteris. *Id. Mil.* 17. Approperare ad cogitatum facinus. Cum infinito. *Ov. Met.* 15, 583. portasque intrare patentes Appropera. ℙ Regit etiam accusativum, [*gracco more.] *Tac. A.* 16, 14. Atque ille, hausto veneno, tarditatem ejus perosus, intercisis venis mortem approperavit. *Liv.* 4, 9. Coeptumque opus adeo approperatum est, ut sole orto, etc. *Id.* 27, 25. *a med.* Ita addita Virtutis aedes adproperato opere.

APPROPINQUĀTĬO, onis, f. actus appropinquandi, *προσπέλασις*. *Cic. Fin.* 5, 11. Anguntur appropinquatione mortis confecti homines senectute. Adde *Sen.* 19. *M. Aur.* ap. *Front. ad M. Caes.* 5, 45. Eo accedit adpropinquatio partus Faustinae.

APPROPINQUO et Adp., as, avi, atum, n. 1. *ἐγγίζω*, propinquus fio, accedo; et dicitur tum de loco, tum de tempore. *Caes. B. C.* 3, 9. Jamque hiems appropinquabat. [**Liv.* 3, 34. dies comitiorum. *Id.* 5, 39. lux.] *Cic. Q. Fr.* 3, 8. Ejus rei maturitas nequedum venit, et tamen appropinquat. *Id. Fam.* 2, 6. et *ib.* 4, 6. Tuus adventus appropinquat. *Id. Fin.* 3, 14. *in f.* Catulus ille, qui jam appropinquat, ut videat, *h. e.* cui appropinquat cernendi tempus. *Id. Phil.* 4, 4. *in f.* Illi poena, nobis libertas appropinquat. *Id. Fin.* 4, 23. *ad f.* Qui ad summam jam aquam appropinquant. [**Liv.* 40, 58. ad juga montium.] *Auct. B. Hisp.* 3. Iniquum in locum appropinquare. *Caes. B. G.* 5, 44. Centuriones, qui jam primis ordinibus appropinquabant, *h. e.* qui prope erant, ut primos militiae gradus consequerentur. ℙ Passive impersonaliter. *Id. B. C.* 1, 79. Cum ejusmodi locis esset appropinquatum.

APPROPRĬĀTĬO, onis, f. Legitur apud *Coel. Aur. Tard.* 2, 13., ubi alii *appropiatio* legunt, *h. e.* accessus.

APPROPRĬO, as, a. 1. proprium facio, assigno, attribuo. Verbum est cadentis Latinitatis, usurpatum a *Coel. Aur. Tard.* 4, 3. *ad f.*

APPROXĬMO et Adp., as, n. accedo, appropinquo. *Tert. adv. Jud.* 11. Approximavit vindicta civitatis.

APPUGNO. V. ADPUGNO.

APPULEJUS. V. APULEJUS.

APPŬLUS. V. APULUS.

APPULSUS et Adp., us, m. actus appellendi, accessus, qui navigio fit ad terram, *προσόρμησις.*

Liv. 27, 30. Hostem portubus, et litorum appulsu arcere. *Tac. A.* 2, 6. Insula Batavorum, in quam convenirent praedicta, ob faciles appulsus. ℙ De accessu pecoris ad aquam bibendi causa, et de loco, itemque jure appellendi pecoris ad eum locum. *Ulp. Dig.* 43, 19, 1. Cum amplior numerus pecoris ad aquam appelleretur, quam deceret appelli, posse universum pecus impune prohiberi, quia junctum pecus ei pecori, cui appulsus debeatur, totum corrumpat pecoris appulsum. ℙ Item de quocumque alio accessu. *Cic. N. D.* 1, 10. Pars terrae appulsu solis exarsit, pars obriguit nive pruinaque longinquo solis abscessu. Et *ib.* 2, 56. *ad f.* Frigoris et caloris appulsus sentire. *Id. Div.* 1, 30. Tribus modis Deorum appulsu homines somniare, *h. e.* Diis accedentibus et rerum imagines immittentibus. *Appul. Met.* 6. p. 176, 15. (p. 395. *Oud.*) Savium appulsu linguae blandientis longe mellitum. [*Ejusmodi savium a Graecis dicitur καταγλώττισμα.]

APPULSUS et Adp., a, um, admotus, part. v. *appello*, *is*, et fere in re navali usum habet. *Cic. Verr.* 2, 5, 17. Navis appulsa Veliam est. Et *ib.* 28. Alios ad Siciliam appulsos esse dicebat. *Tac. H.* 5, 21. Appulsae lintres. *Id. ib.* 4, 84. Appulsae litori naves. V. APPELLO.

APRA, ae, f. V. in APER.

APRĀRĬUS, a, um, adj. ad apros pertinens, καπρινός. *Paul. Dig.* 33, 7, 22. Retia apraria, et cetera, quae venationis instrumento continebuntur. Adde *Sent.* 3. *t.* 7. *circa med.*

APRĪCĀTĬO, onis, f. consessio ad solem in loco aprico, ἡλίωσις. *Cic. Att.* 7, 11. Unam mehercule tecum apricationem in illo Lucretino tuo sole malim, quam omnia istiusmodi regna. *Id. Sen.* 16. Calescere apricatione vel igni. *Colum.* 8, 8. Egredi ad apricationem.

APRĪCĬTĀS, atis, ἡλίωσις, locus apricus. *Plin.* 6, 16, 18. Regio Margiane apricitatis inclytae. *Justin.* 36, 3. Apricitas naturalis ac perpetua tepidi aeris. ℙ Apud *Colum.* 7, 4. et 8, 15. *apricitas diei* est serenitas et calor.

APRĪCLUS. V. APRICULUS.

APRĪCO, as, avi, atum, a. 1. apricum, et soli expositum reddere. *Pallad.* 1, 38. Ventis frigidioribus altus paries resistat, qui locum possit defensis sedibus apricare. ℙ Pro calefacere, fovere. *Paul. Nol. carm.* 13. *ad Cyther.* 311. Martinianum suscipit fraternitas, Tectoque apricat, et cibo.

APRĪCOR, aris, atus sum, dep. 1. εἰληθρέω, ἡλιάζομαι, est in aprico loco esse, hoc est in loco soli exposito versari. *Varr.* apud *Non.* 2, 65. Licet videre multos quotidie hieme in sole apricari. *Colum.* 8, 4. Habere clausam (*gallinam*) oportet amplum vestibulum, quo prodeat, et ubi apricetur. *Cic. Tusc.* 5, 32. Alexander offecerat Diogeni apricanti. Adde *Plin.* 36, 25, 60.

APRĪCŬLUS, i, m. parvus aper. Est hoc nomine pisciculus quidam ita dictus, quod quandam cum terrestri apro habet similitudinem, Graece καπρίσκος. *Appul. Apol.* p. 296, 34. Quaesitus venandis apris piscis apriculus. *Ennius* apud *Eund. ib.* p. 299, 15. dixit *apriclum* per syncopen, metri causa: laudatque eum, qui apud Tarentum capitur.

APRĪCUS, a, um, adj. προσήλιος, soli expositus: cui *opacus* opponitur. *Festus* et *Serv.* ad *A.* 6, 312. volunt esse ab *a* privativa, et φρίκη, horror, frigus, quia loca soli exposita etiam per hiemem tepescunt [*satis mire!]: [vel est syncop. pro *apericus*, *h. e.* aperto coelo et soli expositus, ut *anticus*, et *posticus* ad situm referuntur. *F.* cum *Voss.* in *Etym.*] *Cic. Part.* 10. *ad f.* In locis et illa naturalia, salubres, an pestilentes; opaci an pestilentes; opaci an aprici, etc. *Id. Fam.* 16, 18. Apricus hortus. *Sen. Prov.* 4. Vallis aprica. [*Liv. 21, 37. inferiora vallis apricos quosdam colles habent.] *Colum.* 11, 3. *ante med.* Brassicam locis aprioribus a Calend. Martiis deponere. *Plin.* 16, 16, 28. Buxus amat aprica. *Id.* 21, 7, 20. Aprica Alpium. *Hor. Sat.* 1, 8, 15. Aggere in aprico spatiari. ℙ De iis, quae apricis locis gaudent. *Hor. Od.* 1, 26, 7. Apricos necte flores. *Virg. A.* 5, 128. apricis statio gratissima mergis. *Pers.* 5, 179. Aprici senes. *Colum.* 1, 5. Aedificium sinistrum soli et apricis flatibus, *h. e.* ventis qui veniunt a meridionali parte. ℙ Pro sereno et calido. *Colum.* 11, 3. *ante med.* Apricus coeli status. *Id.* 9, 14. *a med.* Apricissimus dies. ℙ Translate *proferre in apricum* est in lucem edere, *Hor. Ep.* 1, 6, 24. Quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas. ℙ Comp. *Apricior* et Sup. *Apricissimus.* V. supra.

APRĪLIS, is, m. Ἀπρίλιος, Θαργηλιών, vel potius Μουνυχιών (V. *Ponteder. Antiquit. Latin. Graec. epist.* 22.) secundus anni mensis apud Romanos; ita dictus quasi *aperilis*, quod terram aperiat ad producendas herbas et fruges: vel quasi *Aphrilis*, ab ἀφρὸς, spuma, quod Venus, cui sacer est, ex spuma maris orta dicitur, ex quo et Ἀφροδίτη appellatur. [*Illud proba.] *Ov. Fast.* 4, 61. et seq. ut qui omnia ad Deos refert, secundum tantummodo etymon probat; at *Varr. L. L.* 5, 4. *a med.* et *Cincius* apud *Macr. Sat.* 1, 12. primum, negantes nomen Veneris, ne sub regibus quidem, apud Romanos vel Latinum vel Graecum fuisse; et ideo non potuisse mensem a Venere nominari. *Voss. in Etymol.* tertium ex *Jos. Scalig.* etymon affert, ab *aper*, quod eo mense porcus sacrificabatur. *Ov. Fast.* 4, 901. Sex ubi, quae restant, luces Aprilis habebit. Revera adjectivum est, et cum absolute usurpatur, *mensis* subintelligitur. *Ov. l. c.* 621. Occupat Apriles Idus cognomine Victor Juppiter. ℙ Fuit etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1104, 5. P. Servilius P. F. Pal. Aprilis IIVir. etc. Et nomen servile. *Ib.* 888, 5. et 1266, 7. et 1489, 4.

APRĪNĔUS, a, um, adj. id. q. *aprinus*. *Hygin. fab.* 69. Aprinea pelle opertus. Al. leg. *aprina.*

APRĪNUS, a, um, adj., ad aprum pertinens, aprugnus. *Lucil.* ap. *Charis.* 1. p. 63. Viscus aprinum. *Plin.* 28, 16, 62. Aprinum fel. *Id. ib.* Aprinus pulmo. *Id.* 28, 15, 60. Aprina vesica. *Varr. L. L.* 4, 19. Aprinus porcus, *h. e.* aper.

[APRĬO, onis, m. diminut. Apri. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 459, 8. L. Praesentius L. Lib. Aprio. *F.*]

APROEGMĒNA. V. in PRODUCTUS.

APRONĬA, ae, f. herba, quae et bryonia dicitur. *Plin.* 23, 1, 17.

APRONĬĀNUS, a, um, adj. ab *Apronio*, quod est nomen proprium Romanum. *Cic. Verr.* 2, 3, 11. Veniendum erat ad eos contra Apronium, qui nondum etiam Aproniani convivii crapulam exhalassent. ℙ *Aproniana cerasa* sunt omnium maxime rubentia, pendentque uno pediculo plura. Eorum meminit *Plin.* 15, 25, 30. ℙ A JCtis *Senatusconsulti Aproniani* fit mentio *Dig.* 36, 1, 26., quod *Brissonius* dictum ait a quodam Aproniano, qui consul fuit temporibus M. Aurelii Imp.

*APROS, i, oppidum et colonia Thraciae. *B. A.*

APROXIS, is, f. herba, cujus radicem Pythagoras tradidit e longinquo ignes concipere. *Plin.* 24, 17, 101.

[APRŪCO, onis, f. herba, alias saxifraga. *Appul. Herb.* 97. *F.*]

APRŪGĪNĔUS, a, um, adj. id. q. *aprugnus*. *Solin.* 32. Hippopotamus ungulis bifidis, aprugineis dentibus.

APRUGNUS, a, um, adj. id. q. aprinus, καπρινός. *Pl. Pers.* 2, 5, 4. Aprugnum callum. *Plin.* 8, 51, 78. Aprugnus lumbus. *Id.* 28, 11, 47. Aprugnus adeps. *Salmas.* ad *Spartian.* in *Ael. Vero* 5. et *ad Capitolin.* in *Maxim. Jun.* 2. affirmat in antiquis quibusdam codd. etiam *aprunus* legi. ℙ *Aprugna*, *ae*, absolute est aprugna caro. *Capitolin. l. c.* Ut non nisi aprugnam, anates, grues, et omnia captiva ederet. ℙ Scribitur etiam *apruna. Edict. Dioclet.* p. 15. Aprunae Ital. p. 1. ✠ sedecim.

[APRULLA, ae, f. diminut. ab Apro. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 323, 2. Ceciliae D. F. Aprullae. *F.*]

[APRUNCŬLUS, i, m. parvus aper. *Not. Tir.* p. 174. Aprunculus. *F.*]

*APRUSA, ae, Umbriae fluvius, Ariminum oppidum alluens. *Plin.* 3, 15. *B. A.*

[APRUSTĀNUS, a, um, adj. *Aprustani*, *orum*, incolae Aprusti oppidi mediterranei M. Graeciae in sinu Scylletico, nunc *Argusto*. *Plin.* 3, 11, 15. Mediterranei Brutiorum, Aprustani tantum. *F.* ex *Bail.*]

*APSILAE, arum, gens Scythica, Lazis vicina. *Plin.* 6, 4. Eorum etiam *Justinianus* meminit in Novellis suis. Sub Colchorum ditione fuisse scribit *Agathias* 3, 15. *ad f. B. A.*

APSIS. V. ABSIS.

*APSOROS vel Apsorus, i, Ἄψορος, insula maris Adriatici, Istriae adjacens. *Mela* 2, 7. qui male, judice *Cellario*, Apsoron et Apsyrtidem tanquam diversas insulas prodidit. *B. A.*

*APSUS, i, Ἄψος, Illyridis fluvius, inter Dyrrachium et Apolloniam, medio loco inter Panyasum et Genusum flumina. *Caes. B. C.* 3, 13. et 19. *Liv.* 31, 27. *B. A.*

APSYCTOS, i, f. ἄψυκτος, gemma est nigra, ac ponderosa, quae excalfacta igni dicitur septenis diebus calorem continere: ab *a* privativa, et ψυκτὸς, refrigeratus. *Plin.* 37, 10, 54.

[APTĀTŪRA, ae, f. actio aptandi. *Edict. Dioclet.* p. 20. Mulomedico tonsurae et aptaturae pedum in capite uno ✠ sex. Hic videtur indicari comparatio et aequatio pedum vel ungularum equorum vel jumentorum. *Ita *F.* Videant doctiores.]

APTĀTUS, a, um, part. v. *apto*, accommodatus, appositus, convenienter adjectus, ἁρμοζόμενος. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 11. Tabula amplae magnitudinis in machina, aptata picturae. *Id.* 28, 13, 55. Sanguis hircinus cibo aptatus, *h. e.* praeparatus in cibum. [*Et absolute *Suet. Tib.* 65. aptatis navibus, i. e. praeparatis.] *Quint.* 10, 7. *ad f.* Aptatus ad praesens tempus. *Cic. Or.* 3, 40, Hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat. *Sen. ep.* 59. In oratione pressa sunt omnia, et rei aptata. [*Liv. 21, 27. paratas aptatasque habebat pedes lintres.] ℙ Item colligatus, compactus. *Ammian.* 23, 4. Testudo compaginatur, axibus roborata longissimis, ferreisque clavis aptata. ℙ [**Aptatus* et *aptus* quid differant docet *Bentl.* ad *Hor. A. P.* 65.]

APTĒ, adv. εὐαρῶς, proprie significat conjuncte, connexe, arcte. *Cic. Univ.* 5. Mundi corpus ita apte cohaeret, ut dissolvi nullo modo queat. *Id. Hortens.* ap. *Non.* 4, 3. Altera est nexa cum superiore, et inde apteque pendens. [*Collato h. l. emendat *Hand.* ad *Wopkens. lectt. Tull.* II, 12. p. 206. ap. *Cic. N. D.* 2, 58, 145. nariumque item et gustandi et *apte* tangendi magna judicia sunt, pro quo vulgo legitur *arte*. Trahas huc etiam *Liv.* 1, 10. fabricato ad id apte ferculo.] V. APTUS. ℙ Hinc saepius generatim sumitur pro accommodate, congruenter, apposite, convenienter, εὐαρμόστως. *Cic. Fin.* 3, 14. Cothurni laus est ad pedem convenire. *Plin.* 11, 16, 16. Apte compositi flores. [**Suet. Tib.* 57. assimulasse aptissime visus est h. e. verissime.] *Liv.* 4, 37. Apte locare equitem. [**Id.* 1, 34. capiti apte (pileum) reponit.] *Varr. L. L.* 6, 3. *ante med.* Cocus apte cibum curat. *Cic. Off.* 1, 41. Facere aliquid apte. *Id. ib.* 1. Apte, distincte, ornate dicere. *Id. Partit.* 8. *in f.* Dicere aliquid ad tempus apte. *Id. Or.* 1, 32. Loqui ad rerum dignitatem apte. *Id. Or.* 44. Verba inter se quam aptissime cohaereant extrema primis. Et *ib.* Comprehensio numerose et apte cadat. *Plin.* 2, 62, 62. Aptius suis referuntur locis. *Id.* 19, 5, 24. Cucurbitae aptissime seruntur Parilibus. ℙ [**Confunduntur apte*, *arte*, *aperte*, de quibus V. *Wopkens.* l. l. *Heins.* ad *Ov. A. Am.* 3, 485. et *Burm.* ad *ejusd. Rem. Am.* 34.]

[APTENSIS, se, adj. ad Juliam Aptam pertinens, coloniam Latinam Galliae Narbonensis in Provincia, nunc *Apt en Provence*, cujus meminit *Plin.* 3, 4, 5. *Aptenses*, *ium* sunt incolae illius coloniae. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell.* 164. C. Allio C. F. Volt. Celeri IIII Viro Flamini, Auguri Coloniae Iuliae Aptensium. *F.*]

*APTĔRON, i, oppidum Cretae. *Plin.* 4, 12.

[APTHONĒTUS, sive Aphthonetus, i, m. ἀφθόνητος, invidiae non obnoxius, qui talis est, ut ei non invideatur. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 403, 5. L. Dudistius Apthonetus. *F.*]

[APTHŌRUS, pro Aphthorus, i, m. ἄφθορος, incorruptus. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Fea*, *Var. di notiz.* p. 173. Apthorus Primillae medicae conjugi optimae et castae, et sibi. *F.*]

[APTĪFĪCO, as, a. 1. aptum facio. *Not. Tir.* p. 54. Aptificat. *F.*]

APTO, as, avi, atum, a. 1. ἁρμόζω, προσάπτω, aliquid rei alicui convenienter jungere, accommodare. *Colum.* 12, 54. Cum autem eam tabulam sic aptaveris, gravia pondera superimponito. *Cels.* 2, 11. Os cucurbitulae corpori aptatur, imprimiturque donec inhaereat. *Suet. Tib.* 73. Aptare anulum digito. *Hor. Epod.* 7, 2. enses dexteris. *Virg. A.* 10, 131. nervo sagittas. *Id. A.* 9, 364. aliquid humeris, *h. e.* imponere asportandi causa. *Id. ib.* 3, 472. classem velis, *h. e.* accommodare, ut vela facere possis: vel accommodare vela navibus, ut sit hypallage. *Sen. Ag.* 425. Ad militares remus aptatur manus, *h. e.* miles ad remigandum se comparat. *Plin.* 36, 22, 50. Lapides laesi in subterranea structura aptantur utilius. [*De hac significatione, qua *aptare* est i. q. *annectere* cf. *Serv*, ad *Virg. A.* 4, 289. et maxime 482. coll. *Burm.* ad *Prop.* 1, 13, 17.] ℙ Significat etiam parare, praeparare. *Hor. Sat.* 2, 2, 110. metuensque futuri, In pace, ut sapiens, aptarit idonea bello. [**Plin. Pan.* 18, 2. arma, moenia, viros aptant. Praecipue enim h. v. utuntur de omnibus, quae aliquo modo ad bellum pertinent, rebus. *Sall. fr.* ap. *Non.* (p. 979. *ed. Cort.*) non aptis armis, i. e. paratis. Cf. APTUS.] *Suet. Tib.* 65. Aptare naves. [*i. e. instruere, componere, ornare, ut multis docet *Burm.* ad *Ov. Met.* 11, 456. *Liv.* 22, 5. aptanda *ad* pugnam classe. *Id.* 22, 5. arma capienda aptandaque pugnae.] *Virg. A.* 10, 588. se pugnae. *Pompon.* ap. *Non.* 4, 3. Heus aptate pueri munde et ampliter convivium. ℙ Translate. *Hor. Od.* 2, 12, 1. Nolis longa ferae bella Numantiae mollibus Aptari citharae modis. *Quint.* 12, 2. Aptare se ad primum velut aspectum orationis. *Id. ib.* 10. Aptare sententias vocibus. *Ulp. Dig.* 7, 9, 1. Haec stipulatio ad fideicommissa etiam aptari debet. ℙ [*Commutantur a librariis *aptare* et *artare*, cf. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 955. *aptari* et *armari*, cf. *Burm.* ad *Ov. Met.* 11, 456. Ac saepissime *aptare* et *optare*, cf. *Fea* ad *Hor. ep.* 1, 1, 69. et *Burm.* ad *Prop.* 1, 13, 17. et ad *Virg.* pluribus locis.]

[APTOR, oris, m. qui aptat. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 851, 4. C. Poppeus Aptor. *F.*]

APTOTA nomina, ἄπτωτα, sunt quae carent casibus, ut *fas*, *dicis:* ab *a* privativa, et πίπτω, cado, quia a prima sui positione non cadunt, ut ait *Diomed.* 1. p. 287. et *Prisc.* 5. p. 669. Est autem Graeca vox, et Graece scribenda.

*APTUNGENSIS, e, adj. ad Aptungim spectans. Fuit autem Aptungis Africae oppidum, in regione Pentapolitana, incolis Lungitaria, teste *Ludovico Marmolio. Augustin. ep.* 86. *B. A.*

APTUS, a, um, part. v. *apio*, vel *apo*, colliga-

tus, vinctus, connexus, cohaerens, ἁπτόμενος. *Festus* ducit ab *apo*. V. APO. At *Serv.* ad *Virg. A.* 4, 482. et *ib.* 11, 202. ἀπὸ τοῦ ἅπτεσθαι, quod est annecti, connecti. *Cic. Tusc.* 5, 21. Fulgentem gladium e lacunari seta equina aptum demitti jussit, *appensum* quidam leg. sed minus recte. *Id. Or.* 71. Facilius est apta dissolvere, quam dissipata connectere. *Lucr.* 5, 806. Crescebant uteri terrae radicibus apti. *Id.* 6, 1065. inter se singlariter apta. *Id.* 5, 556. et 559. Conjuncta atque uniter apta. *Gell.* 6, 2. Ex quibus apta connexaque est. *Cic. Univ.* 5. Qua ex conjunctione coelum ita aptum est, ut sub aspectum et tactum cadat, *h. e.* compactum, et suis partibus colligatum. *Virg. l. c.* ex *Ennio:* axem stellis fulgentibus aptum, *h. e.* coelum, cui sunt affixae stellae et adnexae. *Lucr.* 5, 1204. eodem sensu dicit, *stellisque micantibus aethera fixum. Servius* exponit conjunctum, vicinum; nam *axem* intelligit, non totum coelum, sed coeli cardines, circa quos coelum vertitur; in quibus nullae sunt stellae, sunt tamen iis vicinae. [*Prorsus improbanda haec *Servii* interpretatio.] Monet *Pier.* ad *cit. A.* 11, 202. in aliquot codicibus legisse se *haptum* cum aspiratione, vel quia sit ab ἅπτεσθαι, ut dictum est, vel quia ab ἅπτειν, qua significat accendere, inflammare. Quidam enim *axem aptum stellis* interpretati sunt accensum collucentemque stellarum lumine. Sed aspirationem appingere usus vetat, et ratio. Nam *aptus*, utut e Graeco descendat, Latinissima vox est. Idem *Enn.* ap. *Cic.* 3, 29. O fides alma, apta pinnis, et jusjurandum Jovis! *h. e.* quae pennas, seu alas affixas habet: et alludit ad levitatem hominum in fide servanda: vel ad morem pingendi alatos multos Deos. Fides autem pro Dea a Romanis culta fuit. [*Cf. *Beier.* Similiter *Tibull.* 1, 9, 70. et Tyrio prodeat apta sinu, ubi vide *Broukh.* et *Heyn.*] Alia exempla ex *Cat.*, *Varr.*, *Sall.*, *Lucil.* etc., in quibus *aptus* connexum colligatumque significat, congerunt *Non.* 4, 3, et *Voss. Etym.* ad v. *Apio.* ℙ Hinc translate. *Cic. Tusc.* 5, 12. Cui viro ex se ipso apta sunt omnia, quae ad beate vivendum ferunt, nec suspensa aliorum aut bono casu aut contrario, pendere ex alterius eventis et errare coguntur; huic optime vivendi ratio comparata est, *h. e.* qui totus ex seipso pendet, neque rebus externis indiget. Expressit autem illud *Platonis in Epitaph. Οὕτω γὰρ ἀνδρὶ εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται πάντα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέροντα*, etc. Eodem modo *Parad.* 2, 1. locutus est. *Id. Fin.* 4, 19. Ordo rerum conservatus, et omnia inter se apta et connexa. [**Cic. Fin.* 2, 14. quartum (genus) sequitur, — aptum ex illis tribus. *Liv.* 1, 46. malum malo aptissimum.] *Id. Or.* 70. Efficiatur aptum illud, quod fuerat diffluens ac solutum. *Id. Off.* 1, 18. Honestum, ex quo aptum est officium, *h. e.* a quo pendet officium. *Id. Tusc.* 5, 14. Non satis optabilis est rudentibus apta fortuna, *h. e.* a rudentibus pendens. [*Id. Legg.* 1, 22, 56. vita apta virtute; ibique *Goer.*] *Id. Caec.* 18. Non ex verbis aptum pendere jus, sed, etc. Quidam minus recte leg. *totum. Id. N. D.* 3, 1. Multa dicere etiamsi minus vera, tamen apta inter se et cohaerentia. Quare aptus est etiam i. q. cohaerens, concinnus. Ita *aptus versus* is est, in quo syllabae omnes convenienter cohaerent, et juxta leges metricas colligatae sunt. *Cic. Parad.* 3. *sub f.* Si versus pronunciatus est syllaba una brevior aut longior, exsibilatur et exploditur: in vita tu, qui omni versu aptior esse debes, ut in syllaba peccare te dices! Et *Scriptor verbis aptus et pressus* dicitur a *Cic. Or.* 2, 13., qui verba rebus ita proprie ac stricte accommodat, ut nihil redundet. [*V. quae de h. l. disputavit *Ernest. lex. techn.* p. 24. — Atque ut h. l. ipse scriptor *aptus* dicitur, ita etiam *aptus* de oratione dicitur. *Aptum* autem et *congruens* orationis genus quum junctim commemoratur, id hanc habet vim, ut de magnis elate, de parvis tenuiter dicatur. Sic *Cic. Or.* 3, 15. et *ib.* 55. V. pluribus *Ernest.* l. l. Denique *aptum* dicendi genus cum *numeroso* ita jungi solet, ut concinnitas illa notetur, quam absolutus verborum ambitus desiderat. Sic *Cic. Or.* 50. Huc refer etiam *Cic. Brut.* 17, 68. et ut aptior sit oratio (sic *Ellendt.*), ipsa verba compone et quasi coagmenta; *apta* enim, inquit, oratio, est bene composita, ordinata.] ℙ Quia vero *aptus* is dicitur, *qui convenienter alicui junctus est*, ut loquitur *Festus* in *Apex*, hinc translate sumitur pro accommodato, apposito, convenienti, idoneo, ἐπιηδής, εὐάρμοστος. *Cic. N. D.* 3, 34. Pallium laneum aptum ad omne anni tempus. *Id. Mil.* 20. Locus aptior ad insidias. *Id. Or.* 1, 54. Calcei habiles et apti ad pedem. *Id. Tusc.* 1, 36. Cum id non habeas, quod tibi nec usu nec natura sit aptum. *Id. Brut.* 62. Oratores aptissimi turbulentis concionibus. [**Liv.* 2, 23. lenibus remediis aptior.] Et 95. Haec genera dicendi aptiora sunt adolescentibus. *Liv.* 38, 21. Deprehensi genere pugnae, in quod minime apti sunt. *Ovid.* de Vertumno *Met.* 14, 765. formas Deus aptus in omnes. *Nep. Att.* 16. Ut judicari [*judicare] difficile sit, cui aetati fuerit aptissimus. *Cic. Or.* 22. Aptum esse et consentaneum tempori et personae. [**Liv.* 3, 17. nec interpretando sibi quisque jusjurandum et leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad ea accommodabat.] *Id. Verr.* 2, 2, 54. et *Or.* 1, 22. Natum aptumque esse ad aliquid. *Id. Partit.* 15. Congruens et aptus. [**Liv.* 36, 22. fornices in muro erant apti ad excurrendum, i. e. juvabant excursiones, non, ut alii volunt *adaptati.*] *Id. Fin.* 4, 17. et *Off.* 1, 4. Aptus et accommodatus. *Plin.* 5, 24, 20. Et de Euphrate hoc in loco dixisse, aptissimum erit. [*Aptus plerumque quidem addito casu construitur; sed saepe etiam absolute ponitur. *Prop.* 4, 9, 50. et manibus duris apta puella fui, ad quem l. *Broukh.* permulta hujus generis attulit, quanquam de vera hujus loci scriptura valde dubitatur. Sed saepe de personis dicitur: *Tibull.* 4, 1, 63. apta (Circe) vel herbis, aptaque vel cantu veteres mutare figuras, i. e. idonea, perita; coll. *ib.* v. 82. te non alius belli tenet aptius artes, i. e. melius. Apud *eund.* 1, 4, 54. apta oscula recte interpretari videntur: quae non nimium detrectanti dantur. Cf. *Ov. Her.* 15, 131. seq. Sed etiam rebus additur: *Tibull.* 1, 7, 60. hic apta jungitur arte silex. De discrimine inter *aptus* et *aptatus.* V. quem supra laudavimus *Bentl.* ad *Hor. A. P.* 65. coll. *Broukh.* ad *Prop.* 4, 6, 22.] ℙ *Homo aptus alteri* interdum dicitur, qui alterius naturae et ingenio accommodatus est. *Cic. Fam.* 12, 30. O hominem semper illum quidem mihi aptum, nunc vero etiam suavem! ℙ *Aptus exercitus*, quasi habilis, *h. e.* expeditus et regi facilis, qualis est qui non ita multis militibus constat. *Liv.* 10, 25. Profectus apto exercitu, et eo plus fiduciae ac spei gerente, quod non desiderata multitudo erat. Similiter *aptus lar*, parvus, et qui facile coli potest. *Hor. Od.* 1, 12, 43. Saeva paupertas, et avitus apto Cum lare fundus. ℙ *Aptus*, adeptus V. APISCOR. ℙ [*Commutantur *aptus* et *gratus*, quorum hoc illius glossema est. V. intpp. ad *Ov. Met.* 1, 681. ad *Am.* 2, 7, 24.]

ĂPŪĂ, ae, f. genus piscis. V. APHYA. Incertae lectionis est *Catulli* locus 93, 7. quem ita legit *Jos. Scaliger:* Et Volusi Annales apuam porgentur ad ipsam: apuam pisciculi genus interpretatus est, quos pisciculos muria conditos chartis ineptis amiciebant, uti et hodie fit: hoc enim fatum est malorum librorum, ut ait in suis ad hunc locum Commentariis *Jo. Ant. Vulpius*, qui tamen *Vossium* secutus legere et scribere maluit: Aduam morientur ad ipsum. [*Sic recentiores edd.] V. PADUA. ℙ [Est etiam hoc nomine oppidum Liguriae ad Macram fluvium, in Tusciae confinio, nunc *Pontremoli:* cujus incolae *Apuani* dicuntur a *Liv.* 40, 41. *F.*]

ĂPUD, παρά, πρός prope, juxta, praepos. quae accusat. regit. Scribitur etiam in aliquot antiquis lapidibus, quos affert *Dausq.* in *Orthogr.*, *aput*, ea scilicet ratione, qua *adque* pro *atque*, et *quodannis* pro *quotannis* scriptum fuit etiam Augusti aevo. [*V. AD *in f.*] Affines enim sunt *t* et *d. Apud* autem recte deducitur ab ἀπό Graecorum, quae praepositio nexum et copulam indicat, et particula δέ vel τέ; hinc ultima littera rejecta *apud* vel *aput* exstitit. [*Sic etiam alii exstitisse arbitrantur, ut *Scheid.* ad *Sanctii Min.* p. 233. Alii, ut *Döderl. lat. Syn.* III. p. 276. etymon putat *apere*, unde *aptus.* Quicquid horum sit, nexum quendam s. viciniam ac proqinquitatem propriam hujus praepos. vim. esse negari non potest. Etenim, ut dicit Noster, est i. q. prope, juxta, ideoque interdum cum *ad* confunditur; deinde est i. q. coram; adeoque i. q. *in*, modo latiore termino.] Refertur autem tum ad locum ac metaph. ad tempus tum ad personam, [*ita quidem ut non tantum ad ea quae extra nos in rerum natura, sed etiam ad ea, quae in nobis atque in animo tantum nostro sunt, pertineat.] Differt autem a *penes*, quod *apud* solam fere proximitatem aut conjunctionem significat; *penes* praeterea dominium ac potestatem, ut docent *Festus* et *Ulp. Dig.* 50, 16, 63. [*Intelligitur hoc ex his locis: *Cic. Brut.* 42, (152.) existimo, juris civilis magnum usum et apud Scaevolam et apud multos fuisse, i. e. multos habuisse juris civ. usum; sed non dicit *penes*, quia hoc non simpliciter est i. q. habere, sed in potestate habere. Sic *id. Leg.* 2, 13, 33. quae scientia mihi videtur apud majores fuisse dupliciter. *Tac. A.* 3, 1. minorem esse apud victos animum.] ℙ Diximus igitur primum referri ad locum: *a*) *Cic. Fam.* 15, 4. Apud oppidum Cybistra castra feci. [**Id. ib.* 2. castra ad Cybistra feci. In ejusmodi locis, etsi proprie *ad* majorem quandam viciniae significationem includit quam *apud;* tamen, quod non necesse est, haec ubique accurate discernatur, interdum promiscue ponuntur. Apte praeter illos locos comparat *Rudd.* II. p. 282. *Cic. Fam.* 15, 3. quum ad me venissent ad castra ad Iconium. Et *Ep. seq.* Legato imperavi ut castra in Lycaonia apud Iconium faceret. Sic *Tac. A.* 2, 24. plures apud insulas longius sitas ejectae, pro quo exspectes: *ad* insulas.] *Id. Or.* 2, 3. Cum in lecto Crassus esset, et apud eum Sulpicius sederet. Hinc latiori etiam sensu de multis aliis, in quibus aliqua ad locum aliquem relatio cogitatur. *Tac. A.* 1, 9. jus apud cives, modestiam apud socios (fuisse) sc. sub Augusti imperio. *Id. ib.* 13, 22. validior apud libidines principes. *Liv.* 23, 43. quae apud hostes fierent. *Id. ib.* 46. apud Romanos militare. *Id.* 24, 5. moderato regi facilis erat favor apud Syracusanos. Hinc etiam pro dativo dictum volunt, ut *Tac. H.* 1, 20. decuma pars liberalitatis apud quemque relicta. *Id. ib.* 11, 27. sacrificare apud Deos; ubi loci notio primaria est, prorsus ut apud *Plin. Pan.* 35, 1. apud mare agere gratias, ut nos: *bei Jemand Dank abstatten. Suet. Aug.* 35. supplicare apud aram; (*ad aram* majorem viciniam significaret). Ac Tacitus ut omnino hanc praep. amat, dicit adeo *A.* 11, 16. retinere apud vexilla, quod vulgo dicitur: sub vexillis. Eadem res est, ubi pro *coram*, *aliquo praesente* dictum explicant, ut] *Cic. Verr.* 2, 2, 20. apud senatum verba facere. *Id. Phil.* 5, 5. dicere pro reo apud consilium. *Id. Or.* 1, 11. loqui apud populum. [*Quocum cf. *Tac. A.* 16, 27. laudare aliquem apud rostra.] *Cic. Inv.* 2, 23. accusare aliquem apud alium. [*Caes. B. G.* 5, 27. *Suet. Caes.* 55. *Liv.* 21, 42. Haec apud Romanos Consul, sc. verba facit. *Tac. A.* 1, 41. recens dolore et ira apud circumfusos ita coepit. *Id. ib.* 15, 3. secutam Caesaris vocem, qua reconciliatum se Thraseae apud Senecam jactaverit. *Id. H.* 2, 79. exercitus V. Non. Jul. apud eum juravit, i. e. eo praesente. Quocum cf. quod *Tac.* frequentat: *apud aures alicujus*, e. g. *H.* 1, 26. apud aures Galbae quaedam eluserat. *Id. Agr.* 45. apud aures nostras (i. e. nobis praesentibus) ominabatur. *Id. A.* 2, 39. crebrescit — apud imperitissimi cujusque promtas aures. *b*) Quoniam quod apud aliquem fit, id etiam ita cogitari potest, tanquam quod ab eo fiat, est *apud* interdum ad sensum i. q. *ab. Cic. Off.* 1, 11. tantopere apud nostros justitia culta est, ut etc. h. e. a nostris. *Nep. Praef.* Pleraque nostris moribus sunt decora; quae apud illos turpia putantur. [*Ad sensum idem esse vides, quod: *ab illis*; sed ad ipsam notionem aliquantum interest, utrum dicas: justitia a populo colitur, an: apud populum colitur; hoc enim quum dicis, significas esse in populo multos, qui colant, ac terrae vel civitatis notio primaria est. Eadem ratio in plerisque aliis locis obtinet. Sic *Tac. A.* 1, 9. apud prudentes vita ejus varie extollebatur. *Id. ib.* 4, 72. id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur. *Id. Agr.* 22. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur (Agricola). *Id. H.* 2, 26. apud paucos ea ratio ducis probata. *Liv.* 8, 8. si apud principes quoque haud satis prospere esset pugnatum. *Id.* 24, 21. tumultuatum erat apud milites. *Id. H.* 2, 91. apud civitatem — funesti ominis loco acceptum.] *c*) Interdum a loco, quanquam rarius, ad tempus transfertur. *Cic. Mur.* 36. Fuit eodem ex studio vir eruditus apud patres nostros Q. Tubero. *Ter. Eun.* 2, 2, 15. apud saeculum prius. *Tac. A.* 2, 33. aliam apud Fabricios (i. e. tempore Fabriciorum) aliam apud Scipiones pecuniam.] *d*) Hinc etiam ad animum hominum eaque quae ad eorum opinionem, sensum, judicium pertinent, refertur. *Cic. Rab. Post.* 14. Subinvisum apud malevolos Postumi nomen. *Id. Att.* 4, 1. consequi gratiam apud viros bonos. *Id. Fam*, 1, 9. praemia apud me minimum valent. [**Tac. H.* 2, 76. satis clarus est apud timentem, quisquis timetur, i. e. satis clarus videtur etc. *Liv.* 29, 22. apud praeoccupatos Locrensium clade animos nullum misericordiae locum habuerunt.] ℙ Sequitur is usus, ubi *apud* idem esse videtur quod *in.* Videamus locos. *Cic. Verr.* 2, 4, 22. is coenam isti dabat apud villam in Tyndaritano. [*Hic locus, praeterquam quod excusationem habet ab iteranda praepos. *in*, (in villa in Tynd.), etiam ex familiari loquendi excusatur: *Ter. Ad.* 4, 1, 1. apud villam est. Cogitarunt enim veteres ita quum loquerentur de termino latiore; erant horti etc. ad villam, qui simul comprehendebantur sub villae nomine. Comici alia similia habent: *Pl. Epid.* 1, 1, 51. id argentum ab Danista apud Thebas sumpsit foenore. *Ter. Andr.* 1, 5, 19. apud forum, tibi uxor ducenda est, inquit; ibique *Ruhnk. ib.* 2, 1, 2. apud forum modo e Davo audivi. Et 4, 4, 6. quid turbae est apud forum? (Locus olim vexatissimus *Liv.* 41, 9. praetor — qui esset apud forum, jam a *Drak.* ex Perizonii conj. correctus est, quem V. Ceterum apte cum Terentianis locis comparat *Schaefer.* in *gloss. Liv.* locos *Soph. Trach.* 371, πρὸς μέσῃ ἀγορᾷ pro quo *ib.* 423. Ἐν μέσῃ ἀγορᾷ. Sic *ib.* 524. τηλαυγεῖ παρ' ὄχθῳ. Hic, proprie ut videtur, vitae communis usus apud argenteae aetatis Scriptores in vulgarem usum abiit, atque apud hos non amplius de discrimine cogitandum esse videtur.] Cf. *Tac. A.* 3, 15. Adjutor Germanico datus, rebus apud Orientem administrandis. *Id. ib.* 12, 61. Sententiam militum secuta patrum consulta; nec dubitatum est apud provincias. *Id. ib.* 4, 13. Ut civitati Cibyraticae apud Asiam, Aegirensi apud Achajam motu terrae labefactis subveniretur. [*Multis haec augeri possunt. *Suet. Vesp.* 5. Apud Judaeam (i. e. in Judaea, finibus non statutis). *Tac. A.* 3, 71. apud

Antium, i. e. Antii. *Aur. Vict. Epit.* 40, 8. apud Tarsum periit. Cf. *Arntzen.* qui de hoc apud sequiores Scriptores loquendi usu laudat *Vorst.* ad *Sulpit. Sev. Hist. sacr.* 2, 11. Adde *Rudd.* II. p. 282. et quae exempla ex *Suet.* collegit *B. Crus.* inclave p. 149.] Addit Noster praeterea haec: *Cic. Verr.* 2, 4, 22. Eupolemus, qui apud exercitum cum L. Lucullo est. (*h. e.* est in exercitu Luculli amicitiae causa, vel discendae militiae, non militandi. Sic *Plin.* 33, 11, 50. Pompejum Paulinum, quod XII. pondo argenti habuisset apud exercitum, ferocissimis gentibus oppositum scimus.) Adde formulam illam usitatissimam *Sall. Rep. ord.* 2. Sic apud animum meum statuo. ℙ [*In omnibus his *apud* quietem significat, nunquam autem motum adversus aliquem locum, cui significando *ad* inservit. Exstant tamen duo loci, qui hinc excipiendi sunt: *Pl. Mil.* 2, 5, 70. atque apud hunc eo vicinum. Recte hoc a multis correctum ex familiari sermone defendendum esse censet *Lindem.* Nos prorsus ita: *bei Jemand gehn* pro *zu Jemand gehn.* Similem locum laudat *Pomp. comm. A. Gr.* p. 395. Conisturgim apud legiones venit. Oratio familiaris in his et similibus, ut etiam Homerus (et omnes Graeci) solent, per celeritatem quandam cogitandi *aliquo venire* et *aliquo esse* in unum conjungit. Adde locum a *Gesn.* allatum in *vet. Inscr.* Romae: *ut ego possim Dulcius et celerius apud eum venire.*] ℙ Praeterea has formulas nota: *Apud aliquem* saepe significat in ejus domo. *Cic. Fam.* 1, 2. et *Verr.* 2, 4, 22. Coenare apud aliquem. [*Hinc prorsus ut nos loquimur: *Gell.* 2, 22. apud mensam.] *Id. Fam.* 13, 69. Apud eum ego sic Ephesi fui, tanquam domi meae. *Id. Att.* 1, 7. Apud matrem recte est. Et *ib.* 8. Apud te est, ut volumus. Etiam si dominus absit. *Id. Att.* 15, 3. *extr.* Brutum apud me fuisse gaudeo: modo et libenter fuerit, et sat diu. [*Cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 1, 2. *med. coll. ib.* 9. p. 123. ed. Lips.] ℙ Est etiam *apud aliquem* in ejus scriptis. *Cic. Div.* 1, 26. Ut scriptum apud Coelium est. *Id. Fin.* 5, 10. Ut ille apud Terentium, qui, etc., *h. e.* in comoedia Terentii. *Id. Leg.* 2, 26. De sepulcris nihil est apud Solonem amplius, *h. e.* in legibus Solonis. *Plin.* 11, 33, 39. Invenio apud auctores. [*Igitur parum latine scribunt, qui quid *in* Livio aliquid reperiri dicunt, quum de loco scriptoris agunt; *in* enim tum tantum recte dicitur, quum virtutem aliquam vel vitium scriptoris vel laudamus vel vituperamus. Recte igitur *Quint.* 10, 2, 15. in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa. Cf. *Frotscher.*] ℙ *Apud se esse* est compotem mentis esse, praesenti animo esse, ἐν ἑαυτῷ εἶναι. *Ter. Andr.* 2, 4, 5. Tu fac, apud te ut sies. *Id. ib.* 5, 4, 34. Vix sum apud me; ita animus commotu' est metu. *Id. Heaut.* 5, 1, 48. Prae iracundia non sum apud me. *Petron. Sat.* 129. Ex qua hora injuriam accepit, apud se non est. ℙ Interdum *apud* suo casui postponitur. *Tac. A.* 4, 5. Misenum apud et Ravennam. *Id. ib.* 43. Montem apud Erycum. *Suet. Dom.* 9. Qui ante quinquennium proximum aerarium apud pependissent. Al. leg. *apud aerarium.* [*Ita *B. Crus.* et *Brem.* Significat autem pendere apud aerarium i. q. pendere in tabula, quae aerario (i. e. templo Saturni) affixa est. ℙ Confunduntur *apud* et *ad.* V. nos sub AD *in f.* et adde *Goer.* ad *Cic. Fin.* 2, 24.]

APŪLEJUS et Appulejus, i, m. nomen proprium, quo non uni cives Romani appellati fuere. ℙ L. Apulejus ex Madaura Africae urbe oriundus, orator, jurisconsultus, et philosophus Platonicus floruit saeculo Christi II. circa tempora M. Antonini philosophi; scripsitque multa, quorum pleraque exstant, Latino sermone, multa etiam dicendi copia, acumine, et doctrinae eruditionisque apparatu. (V. *Lips. epistolic. quaest. l. ep.* 2, 22.) Stilus tamen ejus innovandi lascivia nimium prurit, plerumque affectatus et audax, nec imitatione dignus. ℙ *Appulejus* duplici *pp* defenditur a *Manut. in Orthogr.* ex aliquot antiquis libris et lapidib.: verum et *Apulejus* unico *p* habet, quo se tueri possit. [*Osann. ad *Apulejos* p. 14. et in *ephem. schol.* a. 1828. p. 958. auctoritate lapidum et MSS. utrumque pari modo defendi monstrat, eosque vituperat, qui recentiore tempore *Appulejus* tanquam veriorem scripturam commendant. Nos, quoniam *Voigtl.* ita ab initio recepit, in hoc opere *Appulejus* retinuimus.]

APŪLEJUS et Appulejus, a, um, adj. *Cic. Or.* 2, 25. et 49. Lex Apuleja, *h. e.* lex de majestate lata, ut creditur, a L. Apulejo Saturnino trib. plebis C. Mario VI. L. Valerio Coss. circa A. U. 653., cui occasionem dederant motus Romae concitati ob bellum Cimbricum. Sed quid peculiariter ea caveretur, non est facile definire: illud certe legimus, inquit *Manut. de leg. Rom. c.* 21., hac lege damnatum C. Junium Norbanum, quia seditione populi concitata, quod ad majestatem pertinuit, Q. Servilium Caepionem innocentem damnaverat. Alia ab eodem lata fuit de coloniis, ut in singulas colonias ternos cives Romanos facere C. Marius posset. *Cic. Balb.* 21. ℙ Alia item ab eodem lata, agraria fuit, ut divideretur populo Romano is ager, quem C. Marius pulsis Cimbris bello occupaverat: de qua *Appian. l. de Bell. civ.* 1. ℙ Item alia, qua in exsilium pelli jubebatur Q. Metellus Numidicus consul, quod in priorem legem agrariam jurare noluisset: quam innuit *Cic. Sext.* 16. et alibi.

[APŪLENSIS, se, adj. ad Apulum pertinens, Daciae olim, nunc Transilvaniae urbem, quaeque etiam colonia Alba Julia appellata est, fortasse ab Julia Domna Caracallae Imp. matre, nunc vero *Weissenburg. Ulp. Dig.* 50, 15, 1. Colonia Apulensis. *Inscr.* ap. *Grut.* 346, 5. T. Aelius Lupus Eq. R. Pontif. et II viral. Coloniae Apulensis.

APŪLIA, ae, f. nunc *Puglia*, Ἰαπυγία, Ἀπουλία, Italiae regio inter Apenninum montem ad Mer. et mare Adriaticum ad Bor. in regno Neapolitano. Duae sunt, quae Aufido fluvio dividuntur, una Daunia, nunc *Puglia piana*, et *Capitanata*, in qua Garganus mons, et Sipontum Metr., quae occidentalis est, et Tipherno, seu Phiterno fluvio sejungitur a Frentanis in Occ. Altera Peucetia, nunc *Terra di Bari*, et *Puglia*, in qua Barium Metrop. quae in ortum vergit, ibique desinit, ubi Salentini, id est Messapia, seu Iapygia, et Calabria Borealis, nunc *Terra d'Otranto* subsequuntur. *Hor. Sat.* 1, 5, 77. Incipit ex illo montes Apulia notos Ostentare mihi. *Id. Epod.* 3, 16. Apulia siticulosa. Celebris fuit laudatissimis lanis. *Martial.* 14, 155. Velleribus primis Apulia, Parma secundis Nobilis: Altinum tertia laudat ovis. ℙ Est etiam quoddam veli genus. *Tert. Spectac.* 20. Deus etiam extra cameras et gradus et apulias oculos habet. Nempe in theatris et amphitheatris ornatus gratia, seu potius ad excludendos solis radios velaria extendebantur, quae quandoque purpurea erant; hoc itaque colore praestantissimae lanae, ut verosimile est, imbuebantur, quales ex Apulia a *Martial. l. c.* laudantur. Unde et velis nomen inditum Apuliarum. ℙ Scribitur et *Appulia* duplici *pp.* [*Sed haec scriptura minus bona, si, quod admodum probabile est, Apulia derivanda est ab antiquo Italorum vocabulo *apa* i. e. *aqua*, et *apula* pro *aquula*, unde nomine a terra deinde ad incolas translato Apuli dicti sunt eorumque terra *Apulia*. Ni fallor, haec est *Niebuhrii* sententia. Librorum optimorum auctoritate defendunt eandem scripturam *Cort.* et inprimis *Mart. Laguna* ad *Lucan.* 2, 608.] Sunt qui putant, unica *p* tunc solum scribi, cum prima syllaba corripitur, ut in illo *Hor. Od.* 3, 4, 10. *Altricis extra limen Apuliae;* sed etiam cum producitur, unico *p* scripta legitur in optim. codd. Praeterquam quod non regionis, sed mulieris nomen esse creditur a multis Interpretibus hoc *Hor.* versu. [*Male.] Quin *Bentl.* satis acute lectionem totam sollicitat, et mallet *Altricis*, seu *Nutricis extra limina sedulae.* [*Sine causa. V. intpp.]

APŪLĬCUS, a, um, adj. id. q. Apulus. *Hor. Od.* 3, 24, 3. Caementis licet occupes Tyrrhenum omne tuis, et mare Apulicum. Al. *Punicum* vel *Ponticum* perperam leg.

APŪLUS et App., a, um, adj. *Pugliese*, ad Apuliam pertinens. *Hor. Od.* 4, 14, 26. Qui regna Dauni praefluit Appuli. *Id. Sat.* 2, 1, 38. Apula gens. *Id. Od.* 1, 33, 7. Apuli lupi. ℙ Scribitur et *Appulus.* V. APULIA.

ĀPUS, ŏdis, m. ἄπους. Hoc nomine vocantur aves, quae et *cypseli*, ex genere hirundinum, ita dictae ab *α* privativa, et πούς, ποδός, pes, quod careant usu pedum. Nidificant in scopulis. Hae sunt, quae toto mari cernuntur, nec unquam tam longo naves, tamque continuo cursu recedunt a terra, ut non circumvolitent eas apodes. Cetera genera residunt et insistunt: his quies, nisi in nido, nulla: aut pendent aut jacent. *Plin.* 10, 39, 55.

*APYRE, es, oppidum Lyciae, Ἄπεῤῥα, *Ptolemaeo. Plin.* 5, 27. *B. A.*

ĀPYRĒNUS. V. APYRINUS.

ĀPYRĒTUS, i, m. ἀπύρετος, febri carens, ab *α* privativa, et πυρετός, febris. *Theod. Prisc.* 2. Si apyreti fuerint.

ĀPYRĪNUS et Apyrēnus, a, um, adj. ἀπύρινος, et ἀπύρηνος, qui caret nucleo: ab *α* privativa, et πυρήν, nucleus: et dicitur de pomis. Itaque *apyrenum* dicitur dulcis mali Punici genus, non quod nullos habeat nucleos seu grana, sed quod habeat minus lignosa et teneriora. *Plin.* 13, 19, 34. Apyrenum, cui lignosus nucleus abest: candidior ei natura, et blandiores sunt acini, minusque amaris distincti membranis. *Senec. ep.* 85. Sic sapiens imperturbatus dicitur, quomodo apyrina dicuntur, non quibus nulla inest duritia granorum, sed quibus minor. *Martial.* 13, 43. Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis. *Colum. Arbor.* 23. et *l.* 5. *c.* 10. Apyrenus fructus mali Punici.

ĀPYRON sulphur, ἄπυρον, hoc est quod ignem non est expertum: ab *α* privativa, et πῦρ, ignis: genus sulphuris; quod et vivum appellatur, et nascitur solidum, hoc est gleba (cetera enim liquore constant, et conficiuntur oleo incocta) quo solum ex omnibus generibus medici utuntur. Haec *Plin.* 35, 15, 50. A *Celso* Graecis litteris scribitur 5, 18. ℙ *Aurum apyron*, *h. e.* igne non excoctum. *Plin.* 21, 11, 38.

ĀPYRŌTUS. V. ACAUSTUS.

AQUA

ĀQ

ĂQUĂ, ae, f. ὕδωρ, humor gelidus, unum ex quatuor elementis, ex quibus mundus constat. [*Etymon alii esse putant celticum voc. *Ach*, i. e. aqua; V. *Kärcher.* eph. scholl. a. 1828. p. 915.; alii derivari volunt ab *ago* pro *agua*, trisyll. V. *Osann.* ad *Appulej. de orthogr.* p. 59. et Nostrum in f.] *Cic. Att.* 1, 16. Aquae marinae. *Virg. G.* 4, 61. Aquae dulces. [**Hor. ep.* 1, 15, 16. ibique *Fea; dulci* opp. *deterrima Sat.* 1, 5, 7. Pro dulcis mavult *Bentl.* jugis.] *Plin.* 14, 9, 11. Aqua puteana. *Colum.* 12, 9. fontana. [**Suet. Aug.* 82. saliens.] *Colum.* 6, 22. fluvialis. *Ov. Met.* 8, 335. pluvialis. Et *Cic. Mur.* 9. pluvia. *Hor. Od.* 3, 10, 20. coelestis. [**Liv.* 4, 30. 5, 50.] *Gell.* 19, 5. nivalis. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. profluens. *Plin.* 31, 3, 21. stagnans aut pigra. *Cels.* 2, 29. tenera, quam *Id.* 2, 30. opponit durae, *h. e.* quae tarde putescit. *Varr. L. L.* 4, 26. viva, *h. e.* quae e terra erumpit et decurrit. [*Aquae *mutae*, i. e. tranquillae. Exempla V. apud *Broukh.* ad *Prop.* 1, 15, 29. — *Aquae magicae* apud *Prop.* 4, 1, 102. *Ov. Am.* 1, 14, 40. uterque *Burm.* interpretantur de aqua Avernali seu Stygia, qua magae in sacris utebantur, quaque aspergebant ea, quibus nocere volebant.] *Ulp. Dig.* 43, 19, 1. quotidiana, *h. e.* qua quis quotidie uti potest. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Ducere aquam per fundum alicujus. *Id. Div.* 2, 32. deducere ad utilitatem agri. [**Suet. Aug.* 42. perductis pluribus aquis (de aquaeductu Agrippae. *Id. Cl.* 20. aquarum ductum a Cajo inchoatum perfecit. *Id. Aug.* 37. cura aquarum, (quod fuit novum officium ab Augusto excogitatum.)] *Hor. Sat.* 1, 1, 60. haurire. *Cic. N. D.* 2, 9. trahere e puteo. *Id. Verr.* 2, 1, 26. Perfundere aliquem aqua. *Pl. Pers.* 5, 1, 17. Dare aquam manibus. [*Omittitur saepe numero *aqua* in formulis *frigidam bibere*, et *calida lavare. B.* Pleonasmus esse videtur *Liv.* 5, 44. prope rivos aquarum.] Adde *ib.* 14. Hinc poetice *aquam liberam* aut *servam* bibere dicitur, qui servus aut liber est. *Ov. Am.* 1, 6. *in f.* sic unquam longa relevere catena, Nec tibi perpetuo serva bibatur aqua. *Petr. fr. Trag.* 71. Tamen, me salvo, cito aquam liberam gustabunt. ℙ *Praebere aquam*, coenam dare, nam aquae seu calidae, seu frigidae multus erat usus in coena, et qui convivium praebebat, idem et balneum exhibebat ante cibum, et aquam abluendis manibus, etc. *Hor. Sat.* 1, 4, 87. E quibus unus amet (al. *avet*) quavis [*i. e. quovis modo] aspergere cunctos Praeter eum qui praebet aquam. ὕδωρ παρέχειν eodem sensu dixisse *Athen. lib.* 4. notat *Lambinus.* Sunt qui ita legunt: *quavis aspergere cunctos*, *Praeter eum*, *qui praebet*, *aqua.* Et *aqua quavis aspergere* exponunt, undecumque petito risu lacessere, dictis perfundere. [*V. *Hdf.* ad h. l. qui rectius locum intellexit quam *Fea.*] Quo pertinet illud *Pl. Cist.* 1, 1, 35. Nostro (meretricum) ordini palam blandiuntur (matronae); clam, si occasio usquam est, aquam frigidam subdole suffundunt, [*h. e.* hominum erga nos calidum amorem minuunt, veluti aquam frigidam suffundendo. *Hanc explicationem, quae ne latina quidem est, quamque non intelligo, adscripsit *F.* At *Forc.* habebat ita: clam, si occasio usquam est, aquam frigidam subdole suffundunt, *h. e.* obtrectant, maledicunt. Ceterum cf. *Gron.*] ℙ *Aspergere aquam alicui* dicitur, qui dicto vel facto timorem adimit: locutio proverbialis ducta ex eo, quod animo defectis affusa aqua succurri solet. *Pl. Truc.* 2, 4, 15. Ah, aspersisti aquam! jam rediit animus. V. similem loc. *Mil.* 4, 8, 22. ℙ *In aqua scribere* proverb. de re, quae statim evanescit. *Catull.* 70, 3. *de inconstant. fem. amor.* cupido mulier quod dicit amanti, In vento et rapida scribere oportet aqua. καθ' ὕδατος γράφειν. *Lucian.* ℙ *Aquam a pumice postulare.* V. PUMEX. ℙ Aqua, et ignis sunt duo elementa, quae, ut ait *Festus*, humanam vitam maxime continent. *Cic. Amic.* 6. Non aqua, non igni, ut ajunt, pluribus locis utimur, quam amicitia. ℙ Hinc *aqua et igni interdicere* est in exsilium pellere, quia sine his vivi non potest. *Cic. Phil.* 1, 9. Leges, quae jubent, ei, qui de vi, itemque ei, qui majestatis damnatus sit, aqua et igni interdici. *Serv.* ad *A.* 12, 119. scribit, quia aqua et ignis adhibentur in foederibus ineundis, ideo iis, quos a nostro consortio arcere volumus, aqua et igni interdici. ℙ Hinc etiam mos fuit, ut idem *Festus* scribit, ut sponsae nuptiarum die aquam et ignem ab sponso acciperent: quem morem tangit etiam *Varr. L. L.* 4, 10. *Serv.* ad *A.* 4, 167. et *Scaevola Dig.* 24, 1, 66. ℙ Eadem ratione *aquam et terram poscere*, γῆν καὶ ὕδωρ αἰτεῖν, proverb. bellum indicere. *Liv.* 35, 17. Persae aquam terramque ab Lacedaemoniis petierunt. ℙ De rebus simillimis proverbiale est illud *Pl. Mil.* 2, 6, 70. Ex uno puteo similior nunquam potest aqua aquae sumi, quam haec est, atque ista hospita. V. OVUM. ℙ De more utendi aqua ad lavandum post opus venereum, quod aperte indicat *Ov. Amor.* 3, 7. *extr.* et alibi. V. etiam AQUARIOLUS. [*Semper in hac formula veteres dicunt: *aquam sumere.* Cf. *Ov. A. Am.* 3, 96.

Mart. 2, 50, 2. et *Burm.* ad *Ov. Amor.* l. l. Eodem spectat *Cic. Coel.* 14. aquam adduxi ut inceste uterere? Non tantum meretrices hoc factitabant, sed etiam honestae mulieres. *Suet. Aug.* 94. illamque (Atiam) expergefactam, quasi a concubitu mariti, purificasse se. Obscoenum hunc aquae usum etiam significari putant *Cic. Att.* 1, 16, 23. narra patrono tuo, qui Arpinates aquas concupivit: nosti enim marinas. Sed h. l. ex *scholiis Ambros.* et uno cod. legendum est *Marianas*, qua de re V. pluribus *Beier.* ad *Cic. Or.* in *Clod.* et *Curionem* fr. 4, 3. (p. 32.); nam *aquae Marianae* est i. q. *fundus Marianus.* Praeterea cf. nos sub AQUĀRIUS.] ℙ Aqua pro baptismo utitur *Tert. Baptism.* 20. Deinde Dominus post aquam segregatus indeserta quadraginta dierum jejunia emensus. ℙ [*Jam in specie aqua de certis quibusdam aquarum generibus dicitur. Primum autem opponitur terrae; hinc dicitur a) de mari. *Cic. Verr.* 2, 3, 83. Enna mediterranea est maxime. Coge ut ad aquam tibi frumentum Ennenses metiantur, i. e. ad littus maris. *Ov. Pont.* 2, 7, 30. laborum quos ego sum terra, quos ego passus aqua. [**Id. Fast.* 2, 78. 3, 586. Ac metaph. *id. ib.* 2, 864. alia aqua linter mihi naviget, i. e. aliam operis partem inchoabo.] b) de lacu. *Cic. Div.* 1, 44. Albana, i. e. lacus Albanus. c) de fluvio, rivo. *Liv.* 1, 27. in aquam ruebant. *Ov. Fast.* 4, 48. Tuscae, i. e. Tiberis. Cf. *id. ib.* 2, 864. Hinc de aqua, quae ex fluvio, rivo, etc. ducitur ad rigandum rus. Hoc sensu *aqua data*, et *aqua adtributa* distinguuntur a *Front. Aquaed.* 129. Et in his hortis, praediis, locis, quorum hortorum, praediorum, locorum dominis possessoribusve aqua data vel adtributa est, erit, saliat, distribuatur, dividatur. *Morcellus de stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 281. *ed. Patav.* inter *aquam datam*, et *aquam adtributam* hoc discrimen optime censet fuisse, ut *aqua data* ea diceretur quae in privatorum fundos semper influeret, *aqua* vero *adtributa*, quae nec quotidie, nec nisi aliquot horis derivari posset; aut, si quotidiana esset, quotidie quidem, ut ait *Ulp. Dig.* 43, 20, 1., ea quis uti posset, si vellet, quotidie tamen non duceretur. [*Eodem modo etiam dicitur *alicui aquam permittere*, i. e. permittere, ut quis aquam ducat in rus suum. Cf. *Gell.* 7, 20. quem laudat *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 81, 2. Hinc passim *aquae* simpliciter pro ipso fundo *Cic. Clod. fr.* l. supra l., ad quem pertinent (quanquam quia ante de caldis Bajarum aquis dixerat, per verborum lusum) ponuntur. V. nos supra, ubi de obscoeno aquae usu egimus.] d) de pluvia. [**Hor. Od.* 3, 17, 12. cornix augur aquae. Cf. *Ov. Fast.* 3, 286. 6, 198.] Hinc de inundatione, nimia imbrium vi orta. *Liv.* 24, 9. et 38, 28. aquae magnae *et* aquae ingentes eo anno fuere. e) In plurali numero saepe *κατ' ἐξοχήν* aquae dicuntur de Bajis et thermis, ut *Varr. L. L.* 8, 41. notat. *Cic. Planc.* 27. Destiti stomachari, et me unum ex iis feci, qui ad aquas venissent. *Id. Fam.* 16, 24. Puto, utrumque ad aquas. Hinc multa in orbe terrarum oppida nomen accepere, quae, quia prope celebriores aquarum fontes aut thermas condita sunt, ab iis nomen accepere, ut Aquae Sextiae, quae nunc *Aix*, Aquae Statyellorum s. Statyellae, quae nunc *Acqui* (in Liguria), Aquae Augustae, quae modo *Bajona*, Aquae Taurinae, quae *Acquapendente.* [*Eaedem etiam dicuntur aquae Tauri, (in Etruriae) quae nunc *Bagni di Vicarello*, cujus incolae *Aquenses*, quod v. V.] et alia, de quib. V. Geographos. f) de aqua clepsydrae. Hinc hae formulae: *aquam dare* est concedere causidico tempus ad agendam causam. Metiebantur enim tempus dicendi clepsydra, quae paulatim effundendo aquam, horarum spatia significabat. *Plin. ep.* 6, 2. Equidem quoties judico, quantum quis plurimum postulat aquae, do. Hinc *aquam perdere* dicuntur, qui tempus agendae causae inutiliter consumunt. *Quint.* 11, 3. *ante med.* Vitium nimiae tarditatis et difficultatem inveniendi fatetur, et segnitia solvit animos, et (in quo est aliquid) temporibus praefinitis aquam perdit. *Aqua haeret* aliud proverb. est de eo, qui in re difficili et impedita versatur, et progredi nequit: ductum ab aqua, quae obice opposito sistitur, et stagnat, sive ea in clepsydra sit, sive in alio quopiam profluente. *Cic. Off.* 3, 33. Dicit ille quidem multa multis locis, sed aqua haeret, ut ajunt. *Id. Q. Fr.* 3, 8. In hac causa mihi aqua haeret. g) de quovis humore, aquae simili, ut de lacrimis. *Prop.* 3, 4, 10. Illius ex oculis multa cadebat aqua. De *urina* intelligunt plerique illud *Petr. Sat.* 94. Extra cellam processit, tanquam aquam peteret, etc. Addunt et loca *Ov. A. Am.* 3, 96. et 620., quae tamen aliter explicanda putant *Heins.* ad *Ov. cit.* 3. *A. Am.* 96. et alii. h) [*de hydrope. *Cels.* 2, 8. aqua inter cutem. *Suet. Ner.* 5. decessit morbo aquae intercutis. V. INTERCUS.] ℙ Genitivus, et Dativus *aquai* pro *aquae* et poeticus, et antiquus est, legiturque apud *Lucr.* 1, 454. ubi est dativus, 2, 662., 3, 428., ubi genitivus, et alibi saepe; item apud *Cic. Prognost.* quorum aliquot versus recitat *Div.* 1, 9. ℙ Putant quidam primam syllabam produci in illo *Lucr.* 6, 551. Fit quoque ubi in magnas aquae vastasque lacunas. *Voss.* tamen *Etymol.* censet *aqua* hic esse trisyllabum [*V. supra.], ea ratione, qua *relliquus*, vel *rellicuus* quadrisyllabum facit *Id.* 1, 550. et 2, 953., tametsi utrobique alii aliter legunt. [*Plura ex his, et ex parte ordinem significatuum debemus *Kürchero*, l. l. ℙ A librariis perfunduntur *aquae* et *equi*, V. *Burm. Auct. el.* ad *Liv.* 229. et *Cort.* ad *Lucan.* 4, 102. *aves* et *aquae*, *Heins.* ad *Claud. Cons. Hon.* 208.]

*AQUACŪLO, as, n. 1. Vet. Lex. apud *Taubman.* ad *Plaut.* p. 1049. Aquaculat, lenocinatur. V. et *Turneb. Advers.* 14, 12. *B. A.*

ĀQUAEDUCTĬO, onis, f. aquae deductio, aquaeductus, *ὑδραγωγία. Vitr.* 7, 14. *a med.* Vehemens spiritus in aquaeductione solet nasci, ita ut etiam saxa perrumpat. *Ulp. Dig.* 39, 3, 10. Nihil interesse, utrum praecedat voluntas aquaeductionem, an subsequatur.

ĀQUAEDUCTUS, us, m. *ὑδραγωγία*, significat tum aquarum deductionem, cum scilicet aliquo derivatur aqua ad bibendum, aut ad irrigandum, tum ipsam structuram, qua aqua deducitur, sive ea subterranea sit, per cuniculos, sive ex opere arcuato: cujus duplicis aquaeductuum generis antiquis usitati non una adhuc exstant vestigia, Romae praesertim. *Cic. Caec.* 26. Aquaeductus, haustus, iter, actus, *h. e.* jus aquae ducendae ad agrum irrigandum (de quo etiam *Ulp. Dig.* 8, 3, 1. verba facit.) *Id. Att.* 13, 6. De aquaeductu probe fecisti, etc. ℙ Dicitur et *aquae ductus* divisim. *Plin.* 16, 42, 81. Pinus, piceae, alni ad aquarum ductus in tubos cavantur. [*Cf. AQUA.] ℙ De aquaeductibus Urbis Romae exstat commentarius *Sexti Julii Frontini.*

ĀQUAELĪBRĀTOR, oris, m. architectus, qui aquarum libramenta perquirit ad aquaeductus faciendos. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 13, 4, 2. Aurifices, specularii, carpentarii, aquaelibratores, etc. Rectius tamen legitur divisim *aquae librator.*

ĀQUAELĪCIUM. V. AQUILICIUM.

ĀQUAEMĀNĪLĒ. V. AQUIMINALE.

ĀQUĀGIUM, ii, n. quasi *aquae agium*, ut ait *Festus*, est id. q. aquaeductus, *ὑδραγωγία. Pomp. Dig.* 43, 20, 3. Is, qui jus aquae quotidianae habet, vel fistulam in rivo ponere, vel aliud quodlibet facere potest; dummodo ne fundum domino, aut aquagium rivalibus deterius faciat. Eadem fere habet *ib.* 8, 3, 15. Ex quibus loc. colligi videtur, differre aquagium ab aquaeductu, quod illud natura factum sit, hic manu et arte.

[ĀQUĀLĪCŬLUM, i, n. pellis aqualiculi. *Edict. Dioclet.* Ungellae quattuor, et aqualiculum pretio quo caro distrahitur. *F.*]

ĀQUĀLĪCŬLUS, i, m. id. q. ventriculus, in quo cibi concoquuntur. V. AQUALICUS. Proprie est ventriculus porci, ut habent *Isid. Or.* 11, 1., *Apic.* 7, 7. et *Schol. Pers.* ad 1, 57. ℙ Sumitur etiam pro ventriculo hominis vel equi. *Senec. ep.* 90. Cibus cum pervenit in ventrem, aqualiculi fervore concoquitur; tunc demum corpori accedit. *Veg. Veter.* 1, 40. Primum venter esse, qui aqualiculus nominatur, totius corporis obtinet dominatum, in cujus capacitate cibus potioque miscetur. ℙ Est etiam id. q. imus venter, in quo sordes excrementaque corporis continentur. *Pers.* 1, 57. cum tibi, calve, Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet. ℙ Scripsere quidam *aqualiculum* proprie significare alveum, in quo porci sorbent; translate autem sumi pro imo ventre, et pro stomacho. At potior videtur sententia *Casaubon.* ad *Pers. l. c.* putantis, ideo eam partem ita vocatam, quia inde urina, quemadmodum ex aquali aqua, effunditur.

ĀQUĀLĪCUS, i, m. id. q. *aqualiculus*, qui illius est diminutivum, hoc est ventriculus. Et quidem pro ventriculo suis sumitur ab *Apic.* 7, 7., quam plerique putant propriam esse tum aqualici (si modo haec vox certa est: nam apud *Apicium* tutior lectio est *aqualiculus*) tum *aqualiculi* significationem.

ĀQUĀLIS, le, adj. ad aquam pertinens. *Varr.* ap. *Non.* 1, 221. Nubes aquales frigido velo leves Coeli cavernas aureas subduxerant, Aquam vomentes inferam mortalibus.

ĀQUĀLIS, lis, m. *ὕδρια*, vas quo aqua manibus datur. *Pl. Curc.* 2, 3, 33. Datin' isti sellam, ubi assidat, cito, et aqualem cum aqua? *Id. Mil.* 3, 2, 39. Aqualis bilibris, ubi fem. gen. usurpatur, intellecta nempe *hama*, alibi vero *urceo.* Adde *Varr. L. L.* 4, 25.

ĀQUĀNUS, a, um, adj. qui est ex aqua. *Tert. de carne Christi* 9.

ĀQUĀRĬOLUS, li, m. Aquarioli, teste *Festo*, dicti sunt mulierum impudicarum sordidi asseclae, *πορνοδιώκονοι.* Sic *Appul. Apol.* p. 323, 35. *E.* aquariolum uxoris vocat eum, qui uxori suae lenonis officium praestabat, ut ex ejus adulteriis ditior fieret. Proprie autem sic appellati videntur ii, qui vilissimum exhibebant meretricibus ministerium aggerendi ipsis aquam, qua Veneri operatae lavarent: multus enim fuit aquae usus in lupanaribus, cum lavare totum corpus solerent, quo foeditatem quoquo modo eluerent, et ad alios excipiendos fierent paratiores. Deinde traducta est appellatio ad eos quoque, qui turpi amore iis addict essent; et ad eos, qui lenonia arte viros ad eas pertraherent. *Lamprid. Comm.* 2. *in f.* Aquam gessit, ut lenonum minister; ut probris natum magis, quam ei loco eum crederes, ad quem fortuna provexit. *Tert. Apol.* 43. Si qui forte vere de sterilitate Christianorum conqueri possint, primi erunt lenones, perductores, aquarioli.

ĀQUĀRĬUS, a, um, adj. ad aquam pertinens, *ὑδατικός. Varr. L. L.* 4, 25. Vas aquarium. *Paul. Sent.* 3, 7. *a med.* et *Cato R. R.* 11. Rota aquaria, *h. e.* ad aquam hauriendam. *Pallad.* 1, 42. Mola aquaria. *Gell.* 16, 11. Psylli re aquaria defecti, *h. e.* aquae inopia laborantes. *Cic. Vatin.* 5. Cum tibi magno clamore aquaria provincia sorte obtigisset, *h. e.* aquarum et aquaeductuum curandorum. Cur autem addat *magno clamore*, *Lips. l.* 1. *Antiq. lection. c.* 12. rationem reddit. [*Neque *Forc.* explicatio recte habet neque *Lipsius* intellexit, quid esset *magno clamore.* Hic enim l. l. intelligit de obscoeno aquae usu eorum, qui stuprum passi sunt. Melius *Turn.* et *Manut.* Nam *aquariae provinciae*, quae quaestoribus obtingerent, dicebantur maritimae, ut Puteolana et Ostiensis; de illa agit *Cic. l. l.* et ad earum „munus et procurationem pertinebat, quicquid mari evehebatur aut importabatur; ea provincia, quod ob negotiationem et mercaturam quaestuosissima esset eademque negotii et molestiae plenissima nec sane splendida, quum obveniebat cuipiam, populus succlamabat, ob furta rapinas et capturas, quod tum, ut opinor, vehementius fecit, quod obvenisset homini avido furaci et improbo." Ita *Turn.* V. *Clav. Cic. Schützii* (nam *Ernest.* secutus est *Lipsium*). Altera, *Ostiensis* quidem, commemoratur *Cic. Mur.* 8. *in f.* tu (Sulpicium alloquitur) habuisti illam, cui, quum quaestores sortiuntur, acclamari solet, Ostiensem etc. Cf. *Matth.* ad h. l.] *Plin.* 34, 14, 41. et 36, 20, 38. Aquariae cotes, *h. e.* quae in acuendo aqua perfunduntur. *Colum.* 2, 8. et *Pallad.* 10, 3. Aquarii sulci, *h. e.* per quos aqua ex agro decurrit; qui et *elices* appellantur. *Coel. Aur. Tard.* 1, 4. Aquarius canis. ℙ *Aquarium*, *ii*, absolute locus, in quo aquari possunt tum homines, tum animalia. *Cato R. R.* 1. Operariorum copia siet, bonumque aquarium, oppidum validum prope siet. Alii perperam leg. *boumque*, *ibique aquarium.* ℙ Item vas ad aquam fundendam. *Hygin. Astr.* 3, 28. Effusio aquae cum aquario ipso, etc. In quibusdam MSS. *aquali* legitur. *Plin.* ap. *Charis.* l. p. 95. quaerit, *aquarium*, an *aqualium* dici debeat; et statuit *aquarium* rectius esse; dicique, ut a *laterale laterarium*, *scutale scutarium*, sic ab *aquale aquarium.* ℙ *Aquarius*, *ii*, m. 2. est servus, qui aquam aggerit ad usus necessarios. *Juven.* 6, 331. veniet conductus aquarius. *Hieron. ep.* 108. *ad Eustoch. epit. Paulae* 3. *a med.* Gabaonitas ob dolos et insidias, in aquarios, lignariosque damnavit. ℙ Item qui aquarum curam habet, aquarum architectus, aut qui quocumque modo aquis publicis curandis inservit. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. Nisi ego cum tabernariis et aquariis pugnarem, etc. Erat autem *Coelius*, cum haec scriberet, aedilis. *Imp. Zeno Cod.* 11, 42, 10. Universos autem aquarios, vel aquarum custodes, quos hydrophylacas nominant, qui omnium aquaeductuum custodes deputati sunt, etc. Adde *Frontin. Aquaeduct.* saepe. ℙ Denique *Aquarius* nomen est undecimi signi in coelesti Zodiaco, qui Graece *Ὑδροχόος* dicitur, hoc est *aquam fundens*, in quod sol mense Januario ingreditur: constat stellis quatuordecim, et figuratur ut puer urnam habens, et aquam effundens, quam repraesentant stellae viginti quatuor: tametsi alii aliter numerant. Fabulantur poetae hunc fuisse Ganymedem, qui Jovis pincerna fuit, ob id meritum inter astra collocatum. Alii fingunt, esse Deucaliona, quod eo regnante magnum aquarum diluvium fuit. Alii denique alia commenti sunt. V. *Hygin. Astr.* 2, 29. et *ib.* 3, 28. *Hor. Sat.* 1, 1, 36. inversum contristat Aquarius annum. Adde *Cic. Arat.* ubi saepe *Aquari* in genitivo usurpat pro *Aquarii*, metri causa, *v.* 56. 172. 176. 179. et alibi.

ĀQUĀTĒ, adv. dilute. *Plin. Valer.* 1, 10. Cerotum temperare aquatius. *Coel. Aur. Tard.* 1, 4. Vinum aquatissime temperatum, *h. e.* multa aqua dilutum.

ĀQUĀTĬCUS, a, um, adj. qui in aqua vel circa aquam vivit aut provenit, *ἔνυδρος. Plin.* 8, 27, 41. et 10, 3, 3. Aquaticae aves. *Id.* 16, 36, 64. Aquatici frutices. Et *ib.* 37, 67. Aquaticae arbores. ℙ Ponitur etiam pro aquoso, humido. *Plin.* 18, 11, 27. Aquaticus panis, *h. e.* qui multa aqua subigitur. *Ov. Met.* 2, 853. Aquaticus Auster. *Plin.* 16, 36, 66. In aquaticis natus calamus. ℙ *Aquaticus color*, aquae similis. *Solin.* 30. *sub f.* Hyacinthus aut violaceo dilúitur, aut nubilo obducitur, aut albicantius in aquaticum eliquescit.

ĀQUĀTĬLIS, le, adj. id. q. aquaticus. *Cic. N. D.* 2, 60. Vescimur bestiis et terrenis, et aquatilibus, et volatilibus. *Colum.* 7, 9. Aquatilis silva. *Plin.* 31, 1, 1. Aquatilium in medicina beneficia, *h. e.* animalium in aquis degentium. ℙ Aquae sa-

porem habens, *ὑδαρής*. *Plin.* 19, 12, 61. Sunt acres succi cunilae, origani, amari absinthii; aquatiles cucumeris, cucurbitae, lactucae. ℙ [*Aquatilia* absolute est morbus jumentorum. *Veg. Veter.* 2, 49. Si aquatilia in articulis, vel in gambis fuerint. *Id. ib.* 1, 25. *Gesnerus* putat aquatilia esse quae appellantur hydatides; in lemmate vocantur *ozoenae:* fortasse sunt quae Itali vocant *le galle. (Wasser- oder Fettblasen.) F.*]

ĀQUĀTIO, onis, f. *ὑδρεύσις*, actus aquandi, collectio et importatio et usus aquae: estque saepe militare vocabulum. *Caes. B. G.* 4, 11. Quatuor millibus passuum aquationis causa procedere. *Auct. B. Hisp.* 8. Regio habens copiosam aquationem, *h. e.* aquarum copiam ad usum exercitus. *Id. B. Afr.* 51. Aquatione longa et angusta uti. ℙ Extra rem militarem. *Plin.* 6, 23, 26. A Copto camelis itur, aquationum ratione mansionibus dispositis. *Pallad.* 4, 17. *in f.* et 3, 19. *in f.* Salices aquationibus adjuvandae, *h. e.* irrigationibus. *Colum.* 7, 5. Mutare pabula, et aquationes totius regionis. *Plin.* 32, 7, 24. Ranae multae variaeque per aquationes autumni nascentes, *h. e.* ex pluviis autumnalibus. Usus est etiam *Cic. Off.* 3, 14. hîc aquatio [i. e. hoc loco aqua dulcis hauritur. Alii aliter explicant. V. *Beier.*

ĀQUĀTOR, oris, m. *ὑδροφόρος*, qui aquandi ministerium, praesertim in exercitu facit. *Caes. B. C.* 1, 73. Aquatores ab equitatu premi nostro. *Liv.* 41, 1. Ut idem aquatoribus esset praesidium. ℙ [*A librariis confunduntur *aquator* et *amator* ut vult ex *Eldickii* sententia *Burm.* ad *Prop.* 1, 20, 23.]

ĀQUĀTUS, a, um, adj. aquam referens, dilutus, fluidus: cui opponitur crassus, spissus, durus. *Pallad.* 4, 1. Cum vites non aquato, sed spisso humore lacrimabunt. *Sen. Qu. nat.* 1, 3. *ad f.* Purpura eodem conchylio non in unum modum exit: interest, quamdiu macerata sit: crassius medicamentum, an aquatius traxerit. *Plin.* 28, 9, 33. Omne lac vernum aquatius aestivo. *Scribon. Compos.* 35. Collyrium aquatum, *h. e.* maxime dilutum et fluidum. Et *ib.* 26. Collyrium aquatissimum. ℙ Aqua mixtus. *August. Conf.* 6, 2. Potionem aquatam madidi nauseant. Et *mox.* Vinum aquatissimum.

ĀQUENSES, ium, m. plur. cognomine Taurini, sunt populi Etruriae, ita dicti ab oppido, quod *Aquae Taurinae* appellatur, Ital. nunc *Acquapendente*, quia situm est prope aquas seu thermas Taurinas. *Plin.* 3, 5, 8. ℙ *Aquenses* cognomine *Statiellenses* sunt incolae urbis Liguriae, quae *Aquae Statiellae* dicitur, nunc *Acqui. Plin.* 31, 2, 2. Augent numerum Deorum nominibus variis, urbesque condunt, sicut Puteolos in Campania, Statiellas in Liguria, Sextias in Narbonensi provincia. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell.* p. 164. Gennenses, Aquenses Statiel*lenses*. [*Alii scribunt Statyellae.]

ĀQUĪCALDENSES, ium, m. plur. populi Hispaniae citerioris in Catalaunia, quorum oppidum *Aquae calidae*, nunc ab Hispanis *Caldes* dicitur, leucis quatuor a Barcinone distans. *Plin.* 3, 3, 4.

ĀQUĪCELUS, li, m. *Plin.* 15, 10, 9. scribit, nucleos pineos in melle decoctos *aquicelos* a Taurinis vocari.

ĀQUĪDŪCUS, a, um, adj. aquam ducens et exsiccans, *ὑδραγωγός*. *Coel. Aur. Tard.* 3, 8. *a med.* Uti aquiducis medicaminibus, quae Graeci hydragoga vocaverunt.

[ĀQUĪFLĀVIENSIS, se, adj. ad Aquas Flavias pertinens, Lusitaniae urbem, nunc *Chaves*. *Aquiflavienses*, *ium* sunt incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Grut.* 162, 4. Aquiflavienses fontem lapideum de suo F*aciendum Curarunt*.

ĀQUĪFOLIUS, a, um, adj. folia aculeata habens, quasi *acuifolius*. *Ilex aquifolia* [*ilex aquifolium *L. Stecheiche*, *Steckpalme*] est ilicis genus, folia aculeata habens et pungentia, quae a scriptoribus modo inter frutices, modo inter arbores enumeratur, quia magna alibi, alibi parva provenit. *Plin.* 16, 6, 8. duo ilicis genera facit, alterum foliis oleae similibus, quod in Italia provenit; alterum foliis aculeatis, quod in provinciis nascitur, et aquifolia ilex vocatur. Alii plura fecerunt genera: quos consule apud *Aldrovand.* et alios. ℙ Est et alterum *aquifoliae ilicis* genus, sed parvum, et frutici magis, quam arbori simile, facile in Hispania proveniens, ac ferens coccum tingendis lanis aptissimum, et ob id maxime pretiosum. *Id.* 16, 8, 12. ℙ Dicitur et *aquifolia*, *ae*, absolute. *Id.* 16, 18, 30. Montes amant aquifolia, buxus, ilex, juniperus. ℙ Item *aquifolium*, *ii*, n. *Id.* 16, 25, 41. Vere germinant aquifolium, terebinthus, paliurus. *Id. ib.* 43, 84. In laminas secantur buxum, palma, aquifolium, ilex. ℙ Adjective. *Cato R. R.* 31. Vectes aquifolios, iligneos, laureos, ulmeos, facito, uti sient parati. Adde *Plin.* 16, 43, 84. ubi haec eadem verba repetit. ℙ Scribitur et *agrifolius* (quia ipsa arbor *ἀγρία* aliquando vocatur a *Theophr.) acrifolius*, et *acrufolius*.

ĀQUĪFŪGA, ae, m. et f. qui aquas fugit, idque facit ex morbo, qui *hydrophobia* appellatur, *ὑδροφόβος*. *Coel. Aur. Acut.* 3, 15. Aquifugas cito interire.

ĀQUĪGĔNUS, a, um, adj. in aquis natus. *Tert. adv. Marc.* 2, 12. Inter aquigena et terrigena animalia.

ĀQUĪLA, ae, f. *ἀετός*, [*derivant vel ab *aquus* et *acies*, i. e. acer visu; vel ab *ἀγκύλος*, i. e. curvus, vel ab *aquilus* (quod V.); *Kärcher.* in *eph. sch.* a. 1828. p. 916. putat etymon esse *ago* et proprie significasse i. q. avis (*ὄρνις*, *Aar.*] avis ex genere rapacium, maximis valens viribus, ceterarumque pugnacissima ac generosissima: ob id avium regina appellata: acutissimo, ut creditur, visu praedita, adeoque forti acie, ut contra solem stare apertis oculis, et ne connivere quidem dicatur: eo experimento pullos suos agnoscens, et aversantes rejiciens, tanquam degeneres. (V. *Lucan.* 9, 902. et *Claud. praef. ad III. cons. Honor.*) quod alii non acumini, sed obtusae aciei adscribendum putant. Multa de aquilis *Plin.* 10, 3, 3. ubi sex earum genera facit, et naturas describit. *Hor. Od.* 4, 4, 31. nec imbellem feroces Progenerant aquilae columbam. ℙ A poetis dicitur Jovis ministra et armigera, quae ei fulmina suggerit, quaeque Ganymedem surreptum sublatumque ad eum attulisse fingitur: ipsum quoque Jovem, ne a Saturno devoraretur, clam in Cretam detulisse, et adversus Gigantes proclianti in victoriae augurium obvolasse, telaque suppeditasse: ob quae merita tandem in coelo collocata sit, et factum sidus novem, et secundum alios undecim stellis constans, quod capite caudam Delphini, cauda viam lacteam paene pertingit, alis autem hinc aequatorem, inde tropicum Cancri. Haec pleraque ex *Serv.* ad *A.* 1, 398. *Plin. l. c.* scribit, ideo eam Jovis armigeram judicari, quia nunquam fulmine laedatur. *Serv. ib.* addit aliam de aquila fabulam: nempe fuisse quendam puerum formosissimum, nomine *Ἀετόν*, in Creta insula, Jovi valde carum, et a Junone ob zelotypiam in avem sui nominis conversum (*ἀετὸς* enim aquila est), et ab Jove tandem in coelum translatum. Aliam et *Hygin. Astr.* 2, 16. Meropem quendam Co insulae regem, uxorem habuisse Ethemeam ex genere Nympharum. Hanc quia Dianam colere desiisset, ab ea sagittis figi coeptam, tandemque a Proserpina vivam ad Inferos abreptam. Ejus desiderio Meropem mortem sibi consciscere voluisse: misertam Junonem, ejus corpus in aquilam convertisse, et inter sidera collocasse: ne si hominis effigie eum collocaret, conjugis adhuc memoria ac desiderio afflictaretur. Addit, nonnullos dixisse, hanc fuisse aquilam, quae Jovis jussu soccum Veneris in Acheloo lavantis, ad Mercurium ejus amore captum, in Amithaoniam detulerit: quem persequens Venus, ad eum pervenit: qui voti compos factus aquilam, cujus ope ad optata pervenerat, in coelum transtulit. ℙ In auguriis volatus aquilae omnium prosperrimus a Romanis habitus est: quam ob causam aquilae signum in exercitu ferre instituerunt. Itaque principem locum inter signa exercitus aquila obtinebat, quae longae infixa perticae gestabatur, alis plerumque expansis, et in unguibus habens fulmina; fere etiam ex argento conflata. Singulae legiones suam habebant aquilam, sub qua etiam socii tum in agmine, tum in acie stabant: et quamvis ex aliis etiam animalibus signa militaria essent, apro, lupo, sphinge, etc., tamen aliquando abdicata ea fuere: quod primum omnium fecisse C. Marium, scribit *Plin.* 10, 4, 5. aquila semper retenta, et primarii signi loco habita. V. *Lips. de militia Rom.* 4. *Dial.* 5. *Stewech. ad Veget.* 2, 6. et alios. [*De discrimine inter aquilam, quae est totius legionis, et *signa*, quae sunt cohortium V. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 82, 4.] *Lucan.* 1, 6. infestisque obvia signis Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis. *Id.* 5, 238. Victrices aquilae, i. e. exercitus victrices. *Auct. B. Hisp.* 30. Erat acies tredecim aquilis constituta, *h. e.* legionibus, metonymia. *Juven.* 14, 197. Ut locupletem aquilam tibi sexagesimus annus Afferat, *h. e.* honorem et commoda primipili. ℙ *Tac. Hist.* 3, 71. memorat *Aquilas sustinentes fastigium* Capitolii; et vel aquilas intelligit e ligno factas ornatus gratia, quibus templi fastigium innitebatur, vel certe mutulos, ac trabes, tabulatave ita disposita, ut vel aquilas, vel aquilarum alas aliqua ratione imitarentur: cujusmodi a Graecis *ἀετοὶ*, et *ἀετώματα* appellantur, ut est apud *Pollucem l.* 7. *c.* 27. V. AETOMA. ℙ *Aquilae senectus* proverbio dicitur de senibus, qui magis bibaces sunt, quam edaces; dicitur enim aquila, cum ad senectutem pervenerit, quia superius rostrum adeo crescit, ut aduncitas aperiri non queat, aliquandiu quidem solo praedae sanguine nutriri, paulatim vero eo nutrimento non sufficiente, fame exstingui, quod et *Plin.* scribit 10, 3, 4. Legitur hoc proverbium apud *Ter. Heaut.* 3, 2, 10. ℙ Alio sensu dicitur *aquilae senectus* de iis, qui etiam in senectute actuosi sunt, et reipublicae prosunt: quia aquila vel vetula generositatem retinet: et eodem sensu ob eandem rationem dicitur *equi senectus*. Utrumque conjunxit *Auson. Profess.* 4, 22. ℙ Est etiam *aquila* genus piscis, de quo *Plin.* 9, 24, 40. [*Raja aquila *L.*, *Meeradler*, ex genere planorum piscium, i. e. rajarum.] ℙ Fuit etiam cognomen frequens apud Romanos, ut gentium Pontiae, Arruntiae, Juliae, Vediae, ex *Suet. Caes.* 78., *Inscr.* ap. *Murat.* 2004, 2., *Tac. A.* 12, 15. et *Hist.* 2, 44. ℙ *Aquilai* pro *Aquilae* in genitivo sing. habet *Cic.* in *Arateis* 372.

*ĀQUILARĪA, ae, oppidum Africae propriae in Zeugitana. *Caes. B. C.* 2, 23. *B. A.*

*ĀQUILEGIUM, i, n. *τέναγος* collectio aquae. *Plaut.* locus incertus: Si pluet aquilegio me juvabo. *Onomast. Vet.* Aquilegium, *χρουνός*. *B. A.*

ĀQUĪLĔGUS, a, um, adj. aquam legens, seu colligens, ut *Rotae aquilegae* ap. *Tert. Anim.* 33. sunt quae situlis quibusdam aquam hauriebant et effundebant. ℙ *Aquilegus*, *i*, absolute est idem qui *aquilex*. *Inscr.* ap. *Grut.* 94, 3. Alexis aquilegus V. S. L. M. *Alia* ap. *Murat.* 489, 4. M. Aurelius Vestinus aquilegus. Adde *Cassiod. Variar. ep.* 3, 53., ubi narrat, qua industria hujusmodi homines ex Africa plerumque oriundi aquam subter latentem detegerent.

ĀQUĪLEJA, ae, f. *Aquileja*, *Ἀκυλήια*, urbs Carnorum primaria in decima regione Italiae, ad Natisonem fluvium (nunc *Natissa* [*imo *Aglar*]) inter Juliam Concordiam (nunc *Concordia*) et Tergeste (nunc *Trieste*) sita. [Huc colonia Latina adversus Gallos Transalpinos an. U. C. 573. a Romanis primum deducta, ut narrat *Liv.* 40, 34., et haud ita multo post aucta novis colonis. *Id.* 43, 17. Tribui Velinae adsignata fuit. Nomen ab aquila, cum urbs conderetur, dextra advolante, derivat *Imp. Julian. or.* 2. *de gestis Constantii*, et *Eustath.* ad *Dionys. v.* 381. *Is. Voss.* ad *Melam* 2, 4. ab aquarum copia, quasi *Aquilegiam* appellatam fuisse putat. Ab Imp. Maximino gravi, licet irrita, obsidione vexata an. a Chr. nat. 238., *F.*] deinde ab Attila an. 452., et a Langobardis an. 590., incensa et devastata, nunc paene tota in ruinis jacet. *Martial.* 4, 25. Et tu Ledaeo felix Aquileja Timavo. *Sil.* 8, 604. Nec non cum Venetis Aquileja superfluit armis. Alii minus recte leg. *Aquileia perfurit armis.*

ĀQUĪLEJENSIS, se, adj. ad Aquilejam pertinens, coloniam in Italia. *Liv.* 39, 45. Aquilejensis ager. ℙ [*Aquilejenses*, *ium* sunt incolae illius coloniae. *Id.* 43, 17. Postulantibus a senatu Aquilejensium legatis, ut numerum colonorum augeret, M. et D. familiae ex S. C. scriptae, triumvirique, qui eos deducerent, missi sunt. *F.*]

ĀQUĪLENTUS, a, um, adj. ab *aqua*, ut a *mustum* est *mustulentus*, a *vinum vinolentus*, etc. *Varr.* ap. *Non.* 4, 318. *de luna.* Tum contremula, aquilenta, apud alta litora Oriris, ac reluces nobilis omnibus, *h. e.* pluviam inducens; vel marino humore conspersa: credebantur enim olim sol et luna marinis aquis tingi in ortu et occasu. Etiam *Ciceroni* haec vox tribuitur *N. D.* 2, 19. Regio, quae tum aquilenta est, tum australis. Ita enim haberi in multis optimae notae MSS. testantur *Grut.* et *Gron.* Editi tamen libri *Aquilonalis* exhibent, vel [*sic *Orell.*] *Aquilonaris*. [Fortasse legendum *Aquilonia*, in qua voce idem fere est litterarum ductus qui in *Aquilenta*. *F.*]

ĀQUĪLEX, ĕgis, et ĭcis, m. peritus scrutandi aquarum venas in usum puteorum et aquaeductuum, quem *aquarum indagatorem* vocat *Colum.* 2, 2., ita dictus ab *aquis legendis*, hoc est inquirendis, *ὑδροσκόπος*, *ὑδροφάντης*. *Varr.* ap. *Non.* 2, 8. Tuscus aquilex. *Plin.* 26, 6, 16. Tussilago silvestris ubi nascitur, subesse aquas credunt: et hoc habent signum aquileges. Adde *Plin. alter. ep.* 10, 46. et *Senec. Qu. nat.* 3, 15. ℙ Habet etiam *aquilicis* in obliquis casibus: ut dictum est: et hac ratione dicitur ab *aquis eliciendis*. *Aur. Arcad. Dig.* 50, 6, 6. Aquilices, tubarii, cornuarii, arcuarii, etc. Ita legitur in optimis edd. *Haloandri*, *Torrentini*, et aliis. *Budeus* reponendum putat *aquileges. Tert. adv. Marc.* 3, 5. Nec statim aquilicem, et agricolam se Deus repromisit. *Gloss. Vet.* Aquilices, *οἱ τὰ ὑδραγώγια ἐργαζόμενοι*, *οἱ ἀνορυχεῖαριοι*, *ποταμῖται*, *ὑδροσκόποι*. *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 109. Scrutatores vel repertores aquarum aquilices dicuntur.

ĀQUĪLĪĀNUS, a, um, adj. ab *Aquilio*, quod est nomen proprium hominis Romani. Hinc *Aquiliana stipulatio* denominata ab *Aquilio Gallo* Jurisconsulto, qui fuit Ciceronis familiaris. Ejus mentio fit *Dig.* 2, 15, 2. 4. 5., 4, 3, 38. et alibi. Formula vero ejusmodi stipulationis habetur *ib.* 46, 4, 18. Sic Aquiliana definitio, *Cic. Off.* 3, 15. ℙ Scribitur et *Aquillianus* duplici *ll.*

ĀQUĪLĪCES, ĭcum, m. plur. iidem qui *aquileges*. V. AQUILEX.

ĀQUĪLĪCIUM, ii, n. dicitur, cum aqua pluvialis remediis quibusdam elicitur, ut quondam si creditur, manali lapide in urbem ducto. Ita exponit *Festus*, apud quem et *aquaelicium* legitur: ab *aqua*, et *elicio*, *is*. Hinc *aquilicium Jovi immolare* apud *Tert. Apol.* 40. est victimas Jovi immolare ad impetrandam pluviam in siccitatibus.

ĀQUĪLĬFER, ĕri, m. qui aquilam, quod est signum praecipuum legionis, in exercitu portat, signifer, *ἀετοφόρος*. *Caes. B. G.* 5, 37. Cum aquilifer magna multitudine hostium premeretur, aqui-

lam intra vallum projecit. *Suet. Aug.* 10. Aquilifero legionis suae graviter saucio. V. *Vegetii* locum ad V. IMAGINARIUS, ii.

ĀQUĪLĪGER, ri, m. idem qui aquilifer. Habetur in quadam Inscriptione apud *Reines. cl.* 8. *n.* 30. Quamvis ibi *aliger* legatur, *aquiliger* corrigendum esse, idem *Reines.* recte censet.

ĀQUĪLĪNUS, a, um, adj. ἀέτιος, ad aquilam pertinens. *Pl. Ps.* 3, 2, 63. Aquilinae ungulae. *Appul. Met.* 2. p. 115, 24. *E.* Aquilinus aspectus, *h. e.* valde acutus. V. AQUILA. ℙ *Aquilinas pateras* ex *Varrone* affert *Non.* 15, 21., sed legendum *culignae*, *paterae.*

*AQUILIO, onis, m. in Vet. Gloss. explicatur κέντρον βοῶν ἢ ὀξυγλώσσων. Fuerit igitur ab *acus*, ut *aculeus*, stimulus ad boves, aut illud, quo pungunt parva animalia. *B. A.*

AQUILIUS et Aquillius, ii, (utriusque scriptionis exstant vet. lapides allati a *Manut. in Orthogr.* [*cf. *Heusinger.* ad *Cic. Off.* 3, 15, 61. qui duplici *l* in nummis reperiri docet]) nomen proprium hominis Romani, dictum ab aquilo colore, hoc est nigro, ut *Festus* docet, vel potius fusco. ℙ Adjective *Aquilia lex* lata a C. Aquilio Gallo trib. pleb. fuit de damno injuria dato: continebat autem tria capita, quorum primum, et tertium referuntur *Dig. l.* 1. *t.* 2. *qui est* Ad legem Aquiliam, *leg.* 2. et 27. secundum non exstat, quia jam in desuetudinem abierat. V. ibi de ea plura. Meminit etiam *Cic. Brut.* 34.

ĀQUILLĪTĀNI. V. ACHILLITANI.

ĀQUILO, ōnis, m. *(Greco Tramontana)*, *Boρέας*, ventus septentrionalis frigidissimus, ita dictus a vehementissimo volatu instar aquilae, ut *Festus* putat. Flat inter septentrionem, et ortum solstitialem contra Libonotum. *Plin.* 2, 47, 46. ℙ Graeco vocabulo *Boreas* appellatur. Latini scriptores, et praesertim poetae, eum cum Septentrionali vento saepe confundunt; et Aquilonem nominantes, saepe septentrionalem plagam designant, ob vicinitatem, et affectuum similitudinem. Quin et per synecdochen pro omni vento usurpant, qui vehementissimi flatus sit. ℙ De Aquilone haec a poetis emanavit fabula: Fuisse eum Orithyiae maritum, quam ex Graecia in Thraciam rapuerat, patrem Chionae, itemque Zethae, et Calais. Cum Latonam ex Jove gravidam Python serpens Junonis jussu persequeretur, Juppiter Aquilonis curae eam commisit, qui statim sublatam puellam ad Neptunum pertulit, qui eam tutatus est. *Hyg. fab.* 140. Addit *Serv.* ad *A.* 3, 209. Aquilonem seu Borean dedisse filiam Cleobulam nuptui Phineo Thracum, vel Arcadiae regi, qui ex ea suscepit duos filios, quos postea, mortua matre, cum aliam duxisset uxorem, hujus falsa accusatione ambos obcaecavit: quam nepotum injuriam persequens Aquilo avus, Phineum pari caecitatis poena affecit, et ad Pelagias insulas detulit, appositis insuper Harpyiis, quae eis cibos abriperent, somnosque turbarent. Haec omnia alii aliter narrant. *Virg. A.* 4, 310. Et mediis properas aquilonibus ire per altum. *Martial.* 5, 9. Centum me tetigere manus aquilone gelatae.

ĀQUILONĀLIS, le, adj. Aquilonaris, Borealis, *Βορειαῖος Cic. N. D.* 2, 19. Regio, quae tum est Aquilonalis, tum Australis. Alii aliter leg. V. AQUILENTUS.

ĀQUILONĀRIS, e, adj. ad Aquilonem, seu septentrionem pertinens, *Βορειαῖος. Vitr.* 9, 6. Piscis Aquilonaris, *h. e.* alter Piscium coelestium, qui septentrionem versus collocatus est. Adde locum. *Cic.* in AQUILENTUS.

ĀQUĪLONĪGĒNA, ae, m. et f. ab Aquilone genitus: et est poetica septentrionalium populorum cognominatio. *Auson. Mos.* 407. Aut Italum populos, Aquilonigenasque Britannos.

*AQUILONIA, ae, Italiae oppidum, in Hirpinis, ad Aufidum flumen, hodie *Cerdogna. Liv.* 10, 38. 39. 41. 42. 43 et 44. Hinc AQUILŌNI, orum, Aquiloniae incolae *Plin.* 4, 11. ubi fortasse legendum Aquilonienses. *B. A.*

ĀQUĪLŌNĬUS, a, um, adj. *Βορειαῖος*, ad Aquilonem pertinens: et saepe pro septentrionali sumitur, ea ratione, qua in AQUILO dictum est. *Plin.* 17, 2, 2. Aquilonia hiems, *h. e.* frigus ab Aquilone vento inductum. *Id.* 2, 49, 50. Aquilonius typhon. *Id. ib* 97, 99. Luna Aquilonia, *h. e.* versus septentrionem sita. *Id.* 18, 26, 65. Aquilonius Piscis. V. AQUILONARIS. *Id.* 27, 13, 118. Aquilonia loca. *Stat. Th.* 3, 432. Ismarii, Aquilonia pignora, fratres, *h. e.* Aquilonis filii Zethae et Calais. Sic *Prop.* 1, 20, 25. Aquilonia proles.

ĀQUĪLUS, a, um, adj. fuscus, subniger: ab *aqua* deducta vox. Nam cum antiqui, ut *Festus* docet, duos omnino naturales colores noscerent, album scilicet, et nigrum, tertium inter utrumque medium ab *aqua*, cujus incertus est color, *aquilum* dixere. Hanc notationem rident alii, et ab *aquila* dicunt [*ut vice versa alii ab *aquilus* ortum esse volunt *aquila*, ut nomen habeat a colore nigricante]. *Pl. Poen.* 5, 2, 152. Statura haud magna, colore aquilo. *Suet. Aug.* 79. Colorem inter aquilum candidumque. *Casaub.* eum esse putat, qui est in iis, quos solis aestus torruit. [*cf. *Oud.*] *Arnob.* 3. p. 108. Dii aquili, caesi, ravi.

ĀQUĪMĪNĀLE, is. V. v. seq.

ĀQUĪMĪNĀRĬUM, ii, n. *χέρνιπτρον*, genus aquarii vasis, quod inter escaria, et ea, quae ad mensam pertinent, contineri, docet *Ulp. Dig.* 34, 2. *leg.* 19. *n.* 12. et *Pomp. ib.* 21. Videtur autem esse vas lavandis manibus aptum: ex quo *aquimanarium* scribendum esse quidam censent, ab *aqua* scilicet, et *manare*. Ideo autem inter escaria vasa enumeratur, quia ante, et post mensam aqua manibus datur. In *ed. Dig. Haloandri* et *Torrentini* legitur *aquiminarium* tum locis cit., tum 33, 10, 3. Apud *Paul. Sent.* 3, 6. habetur *aquiminale*, pro quo *Cujac.* cum aliis mallet *aquaemanile*. At *Varr.* ap. *Non.* 5, 32. habet *aquaemanale*, et urceolum esse ait, quo in trulleum aqua effunditur: quae omnia eodem recidunt.

ĀQUĪNAS, ātis, adj. omn. gen. ad Aquinum oppidum pertinens. *Tac. Hist.* 2, 63. Colonia Aquinas. *Hor. Ep.* 1, 10, 27. Nescit Aquinatem potantia vellera fucum, *h. e.* colorem facticium, purpurae similem, quo Aquini lanae tingebantur, sed purpura longe deteriorem. *Sil.* 12, 528. mox et vicinus Aquinas. ℙ *Aquinates, um*, Aquini cives et incolae. *Cic. Cluent.* 68. Propter vicinitatem Aquinatium.

*AQUINIUS, i, malus poeta, quicum Ciceroni fuit amicitia. *Cic. Tusc.* 5, 22. *Catull.* 14, 18. ubi alii legunt Aquinos, ob metrum. [*Non est necesse.] *B. A.*

ĀQUĪNUM, i, n. *Ἀζούινον*, municipium, postea colonia Volscorum in Latio, non longe a Casino. *Plin.* 3, 5, 9. Fuit patria Juvenalis poetae, *Juven.* 3, 319., et Imp. Pescennii Nigri, *Spart. Pescenn.* 1., et D. Thomae Theologorum principis, qui inde *Doctor Aquinas* dicitur.

ĀQUĪPĒDIUS. V. ACUPEDIUS.

ĀQUĪPENSER. V. ACIPENSER.

ĀQUĪPES. V. AGIPEDES.

ĀQUĪTĀNĬA, ae, f. (olim *Aremorica* dicta) nunc *Guienne* et *Guascogne*, *Ἀζουιτάνια*, una ex quatuor Galliae partibus: olim complectebatur totam illam regionem, quae a Ligeri fluvio ad Pyrenaeos et Oceanum extenditur. Nunc a Circio Oceanum habet, qui *Aquitanicus sinus* dicitur, ab Occ. Hispaniam, a Septentr. Lugdunensem provinciam, a Merid. Narbonensem. *Plin.* 4, 17, 31.

[ĀQUĪTĀNENSIS, se, adj. id. q. Aquitanus. *Inscr.* ap. *Grut.* 440, 3. Praef. vehicul. trium prov. Gall. Lugdunens., Narbonens. et Aquitanens. *F.*]

ĀQUĪTĀNĪCUS, a, um, adj. ad Aquitaniam pertinens. *Plin.* 4, 19, 33. Aquitanicus sinus. *Id.* 26, 1, 3. Aquitanica provincia.

ĀQUĪTĀNUS, a, um, adj. Aquitanicus. *Tibull.* 2, 1, 33. Gentis Aquitanae celeber Messala triumphis. ℙ *Aquitani, orum*, Aquitaniae populi. *Plin.* 33, 6, 31.

ĀQUĪVERGIUM, ii, n. locus depressus, in quem aqua ex editiore parte defluit. Legitur apud *Innocent. de Casis litter.* p. 225. *Goes.* et p. 234.

ĀQUOR, aris, atus sum, dep. 1. *ὑδρεύω*, verbum militare, quod significat aquam haurire, et comportare in usum militum. *Caes. B. C.* 1, 78. Premebantur Afraniani pabulatione, aquabantur aegre. *Sall. Jug.* 98. Miles gregarius castris aquatum egressus. *Hirt. B. G.* 8, 40. Oppidanorum multitudo aquatum unum in locum conveniebat. ℙ Commode de apibus. *Virg. G.* 4, 193. Sed circum tutae sub moenibus urbis aquantur. *Plin.* 11, 18, 19. Apibus insidiantur aquantibus ranae. ℙ Translate. *Id.* 18, 17, 45. *Solum crassum et pingue* aquari gaudet, ut praepinguis et densa ubertas diluatur, *h. e.* crebros imbres bibere. Ita legit *Harduin.*, alii aliter.

ĀQUOSĪTĀS, ātis, f. humor. *Coel. Aur. Acut.* 2, 35. Si defectione fuerit stomachus affectus, fluor sequitur salivarum, et humecta aquositas, et nausea.

ĀQUOSUS, a, um, adj. *ὑδατώδης*, copiam aquae habens. *Colum.* 5, 10. *de ficis.* Locis frigidis, et autumni temporibus aquosis praecoces serito. *Plin.* 18, 17, 46. Aquosior ager. *Cato R. R.* 34. Aquosissimus locus. *Plin. l. c.* et *Virg. Ecl.* 10, 66. Aquosa hiems. *Virg. A.* 8, 429. Nubes aquosa. *Id. ib.* 4, 52. Aquosus Orion. *Prop.* 4, 3, 52. Crystallus aquosa, *h. e.* nitida, et pellucens velut aqua. Hinc *Isid.* 16, 13. scribit, crystallum esse aquosi coloris. Vel *aquosam* dicit, quia revera crystallus ex aqua nivali, frigoris vi concreta fit, ut *Plin.* 37, 2, 9. docet. *Hor. Od.* 2, 2, 15. Languor aquosus, *h. e.* morbus hydropis. Apud *Ov. Her.* 3, 53. Mater aquosa est Thetis.

ĀQUŬLA, ae, f. *ὑδάτιον*, pauca aqua. *Cic. Or.* 1, 7. Platanus, quae mihi videtur non tam ipsa aquula, quae describitur, quam Platonis oratione crevisse. *Id. ib.* 2, 39. Ubi non seclusa aliqua aquula teneatur, sed unde universum flumen erumpat. *Pl. Curc.* 1, 3, 3. Suffundere aquulam.

AR

AR, idem quod *ad* apud veteres: quod postea obsolevit. *Pl. Truc.* 2, 2, 17. Ar me advenias. Alii aliter leg. ℙ In compositione semper locum habuit in verbo *arcesso* [*et *arbiter.*] Alia etiam enumerat verba *Prisc.* 1. p. 559., in quibus olim *ar* pro *ad* dicebatur, ut *arvenas*, *arventores*, *arvocatos*, *arfines*, *arvolare*, *arfari*, pro *advenas*, *adventores*, etc. Sic *arfuerunt*, *arfuisse* in veteri S. C. de Bacchanalib. apud *Fabrett. Inscr. c.* 6. p. 427. et *arvorsarius* in veteri Tab. apud *Grut.* 507. *l.* 15. [*in lege Servilia c. VIII. lin. 20.]

ĀRA, ae, f. *βωμός*, locus exstructus saepe quadrata forma, sacrorum causa: quae quomodo ab *altari* differat, in ea voce diximus. [*De hoc discrimine. V. *Nic. Heins.* ep. ad *Cuper.* 430. Tom. II. p. 717. sqq. coll. *Turneb.* in adv. et *Scal.* ad *Manil.*] Varias Etymologi hujus vocis origines assignant, ut *Varr. L. L.* 4, 4. *ad f. Serv.* ad *A.* 2, 515., *Isid. Orig.* 5, 4. et alii: quae omnia *Voss.* in *Etymol.* collegit. *Macr. Sat.* 3, 2. *ex eodem Varr.* docet, prius *asas* et *ansas* dictas fuisse, et commutatione litterarum factas esse *aras*, eo modo quo *Valesii* et *Fusii* dicti sunt prius, quos nunc *Valerios* et *Furios* dicimus. Porro *asas*, et *ansas* ideo dictas esse, quia mos erat precantium et jurantium aras tenere manibus: quod confirmat *Serv.* ad illud *Virg. A.* 4, 219. Talibus orantem dictis, arasque tenentem Audiit omnipotens. Sic *A.* 12, 201. Tango aras, medios ignes, et numina testor. *Cic. Flacc.* 36. Qui si aram tenens juraret, crederet nemo. *Pl. Rud.* 5, 2, 46. Tange aram hanc. *La.* tango. *Gr.* per Venerem hanc jurandum est tibi, etc. Adde *Nep. Ann.* 2. [*De hoc usu nemo dubitat, sed etymologia falsa est. Simplicissima enim haec est, ut derivetur ab *αἴρω*, i. e. tollo, unde fit, ut *ara* proprie dicatur de quavis eminentia, de crepidine et simm. Hinc explicandus] *Virg. A.* 6, 177. aramque sepulcri congerere arboribus coeloque educere certant, [*quem locum imitatus est *Sil.* 15, 388. ubi cf. *Barth.* et *Drak.*] *Serv.* ad h. l. [*Satis mire] aram pro pyra in modum arae exstructa accipiendum putat. Hinc porro intelligendus *Virg. A.* 1, 112. Tres notus abreptas in saxa latentia torquet: Saxa vocant Itali mediis quae in fluctibus, aras. [*De h. l. cf. *Heyn.* exc. IV. ubi pluribus agit de v. *ara*. Fere omnes autem, qui de ea egerunt, collegit *Arntzen.* ad *Aur. Vict. or. G. R.* 7, 5. Noster autem haec addit:] *Arae* ab Italis Latine loquentibus dicta sunt saxa et crepidines pelagi tranquillo quidem mari exstantes, et quae facile cerni possunt, at agitato fluctibus latentes et paene invisibiles, in quas incurrentia navigia diffinduntur. cf. *l. l. Varr. de ora marit.* ap. *Serv.* ad *Virg. l. c.* Sciunt, periculose se navigare, ac verentur in pelago latentem insulam: quem locum vocant aras. *Serv.* docet, dictas esse aras hujusmodi saxa sparsa inter Africam, Siciliam, Sardiniam, et Italiam, quod ibi Afri, et Romani foedus inierunt, et fines imperii sui illic esse voluerunt. [*Hae nugae.] Addit, quosdam tradere, insulam fuisse iis locis (quod indicare videtur et *Varr. l. c.*) quae tandem superfuso mari latuerit, exstantibus tantummodo quibusdam saxis, super quae Poenorum sacerdotes rem divinam facere soliti fuerint. Hinc *Claudium Quadrig. Ann.* 1. ap. *Eund. ib.* scribere, *aras Neptunias* fuisse appellatas. [*V. AEGIMURUS.] Denique subdit, putare alios, hujusmodi appellationem tractam esse a Graecis, qui *βωμοὺς*, hoc est *aras*, ea saxa vocant. [*Huc etiam refer, quod legitur apud *Cic. Phil.* 14, 13. milites contectos publicis operibus atque muneribus *eaque exstructione*, quae sit ad memoriam aeternitatis *ara virtutis;* ex quo l. apparet esse monumentum in sepulcro militum in proelio caesorum. V. sub f. h. v. Sic *Suet. Ner.* 50. Lunensis ara, i. e. monumentum e marmore Lunensi.] ℙ Praecipue autem dicitur de loco, ubi sacrificia fiunt. *Cic. Div.* 1, 45. Consecrare aram alicui Deo. [*Nomen Dei Deaeve ipsi arae erat inscriptum. Hinc *ara* interdum omittitur, ut *Cic. Legg.* 2, 23, (58.) in ea scriptum HONORIS. cf. *Goer.*] *Id. Dom.* 53. Dedicare aram. *Id. Har. resp.* 13. Detrahere sacerdotem ab ipsis aris et pulvinaribus. *Suet. Aug.* 15. Exstruere aram numini. *Tac. A.* 14, 30. Adolere aras cruore. *Ov. Am.* 2, 13, 23. Dare tura aris fumosis. [*Hinc saepe arae *calidae.* V. *Burm.* ad *Val. Fl.* 2, 98. *Lucan.* 6, 559. Nocturnas aras commememorat idem *Val. Fl.* 6, 440. de Medea agens: nocturnis qua nulla potentior aris.] *Virg. A.* 4, 453. Imponere dona aris turicremis. *Id. ib.* 2, 202. Mactare taurum ad aras. [*De *aris gramineis* v. *Fabrett.* ad *Col. Traj. c.* 6. p. 159. et *Drak.* ad *Sil.* 4, 703.] ℙ Aras autem manibus tenebant precantes et jurantes. [*Locos V. supra ab init.] Hinc tactas aras rumpere, *Prop.* 3, 19, 15. juramentum violare tacta ara dictum. Al. leg. *pactas aras*, h. e. pacta ante aras, et interposita religione firmata. ℙ Exstruebantur arae non solum in templis, sed etiam in viis ac plateis sub dio: cujus rei testimonium exstat apud *Pl. Aul.* 4, 1, 20. et *Most.* 5, 1, 45. ℙ Per synecdochen *arae* ponuntur pro religione et rebus sacris. *Cic. N. D.* 3, 40. Est mihi tecum pro aris et focis certamen, *h. e.* pro religione et pro patria. *Id. Att.* 7, 11. Non est, inquit, in parieti-

bus respublica, at in aris et focis. [*Egregie *Ernest.* in *cl. Cic.* arae, inquit, et foci, quum junguntur, cave putes, aras de templis, focos de aedibus privatis intelligi, ut vulgaris opinio fert in illo proverbio: pro aris et focis pugnare; — sed utrumque dicitur de privatis aedibus, in quibus ara erat Deorum Penatium, patriorum, in impluvio, focus autem in atrio, isque Larium erat. Haec ille. Locis a Nostro allatis adde haec: *Cic. Dom.* 40. unius cujusque vestrum sedes, aras, focos; et *ib.* 41. et *extr.* hic arae, hic foci, hic dii penates. *Dejot.* 3. *Phil.* 8, 3. templa, penates, aras, focos. Plura V. l. l. et quos ibi laudat. *Plin. Pan.* 68, 7. domesticae arae focique.] ℙ Saepe *ara* ponitur pro perfugio. Nam rei, et praesertim servi, ad aras confugientes, perfugium ibi habebant et asylum, ut inde sine piaculo abstrahi non possent. Quod si eos aliquando avelli necesse esset, ignis admovebatur. Sic enim eos non ab hominibus, sed a Deo divelli existimabant. Ejus rei exemplum apud *Pl. Most.* 5, 1, 64. et *Rud.* 3, 4, 56. habetur. *Ter. Heaut.* 5, 2, 22. Nemo accusat, Syre, te: nec tu aram tibi, Nec precatorem pararis. *Ov. Trist.* 5, 6, 14. Quae patuit, dextrae firma sit ara meae. *Cic. N. D.* 3, 10. Omnium talium rerum ratio reddenda est: quod vos cum facere non potestis, tanquam in aram confugitis ad Deum. *Id. in Senat.* 5. Qui nisi in aram tribunatus confugisset, vim praetoris effugere non potuisset. *Id. Verr.* 2, 2, 3. Confugere ad aram legum, *h. e.* tribunal praetoris, et ad judices, qui leges servant et vindicant. ℙ Est etiam *Ara* signum coeleste situm ad australem plagam sub cauda Scorpii prope circulum antarcticum, constans stellis quatuor secundum *Hygin.* et secundum alios septem: quod aliis nominibus *Turibulum*, et *Sacrarium*, et *Lar* appellatur. Fabulantur esse illam aram, in qua sacra fecerunt Dii, et societatem sanxerunt contra Titanas coelo bellum inferentes, exstructamque esse a Cyclopibus. *Cic. N. D.* 2, 44. ex *Arateis:* Inde Nepae cernes propter fulgentis acumen Aram, quam flatu permulcet spiritus Austri. Adde *Hyg. Astron.* 2, 39. et 3, 38. ℙ *Fabrettus Inscr. c.* 2. p. 107. et 108. plures affert inscriptiones, in quibus *ara* ponitur pro urna seu cippo sepulcrali, qui aram figura refert. ℙ *Aram* pro *area* quidam putant usurpari a *Tert. Pall.* 5. Soleo de qualibet margine, vel ara medicinas moribus dicere, *h. e.* in viarum crepidinibus, vel areis seu plateis. Sed nihil prohibet, quin de ara proprie dictâ intelligatur. Nam etiam in publicis viis et plateis arae positae erant, ut dictum est: et notat *Salmas. ad h. l.* licuisse aliquando iis pro suggestu uti. Apud *Varr.* quoque *aram* pro *area* usurpari credunt nonnulli *R. R.* 1, 54. Uva quae descendat in aram, ut in carnarium ascendat, *h. e.* quae in area siccetur, et siccata servetur in carnario ad edendum. [At *Pontedera Oper. Post. T.* 1. p. 208. *aram* putat appellari locum in villa eminentem, qui fit palis in quadratum constitutis et transversis perticis alligatis, superposita crate, storeave, in qua uva lecta disponitur, ut siccetur, exinde de carnario suspenditur. *F.*] Hinc *Idem Varr. L. L.* 4, 4. *aram* ab *area* deduci posse indicat: quare non est absurdum *aram* pro *area* sumere. *Auson. Popm.* pro *ara* legit *area* ex conjectura. ℙ [*Confunduntur a librariis *arae* et *arces;* V. quae congesserunt *Bentl.* et *Fea* ad *Hor. carm. sec.* 65. *Drak.* ad *Sil.* 2, 237. *arae* et *curae*, *Suet. Dom.* 17. ubi tamen *Brem.* librorum scripturam *curae* non prorsus damnat. *arae* et *aurae*, *Heins.* ad *Ov. Her.* 1, 110. et *Pont.* 2, 8, 68. *Burm.* ad *Virg. A.* 7, 593. *arae* et *orae*, *Drak.* ad *Sil.* 13, 81. *Burm.* ad *Virg. A.* 11, 269. et ad *Ov. Met.* 11, 546. *aris* et *agris*, *Duker.* ad *Flor.* 3, 13, 4. *Burm.* ad *Ov. Met.* 11, 546. *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Vir. Ill.* 23, 5.] ℙ Nonnulla sunt Orbis terrae oppida, quae ab aris ibi aliquando excitatis nomen accepere, ut *Ara Caesaris*, *Ara Ubiorum*, etc., quae V. apud Geographos.

ĀRĂBARCHES, ae, m. Ἀραβάρχης, (ut putat *Alciatus l.* 1. *Praetermissor.*) dicebatur publicanus, qui praeerat exigendo vectigali de pecoribus, quae ex Arabia in Aegyptum adducebantur: cujus officium *Arabarchia* vocabatur. V. v. seq. Hinc *Juven.* 1, 130. *Nescio quis Aegyptius aut Arabarches*, ubi alii putant notari Crispinum, de quo alibi *Juven.*, alii alios. *Cic.* etiam *Att.* 2, 17. Antonium *Arabarchen* appellat, quasi Aegyptium publicanum: extorquebat enim ingentia vectigalia, quae postea prodigebat, ait *Plutarch.* Alii ea voce non Antonium, sed potius Pompejum notari verosimilius volunt, qui Arabiam devicerat; et dici quasi Arabum principem, *h. e.* latronum. Alii minus recte *Halabarches* scribunt, ut significet salis praefectum, Ἁλαβάρχην. *Cujacius* utrobique tam apud *Cic.*, quam apud *Juven.* legit *Alabarches:* quae quidem lectio placet plerisque eruditorum. Ἀλάβα enim scriptura vel atramentum est. Vectigalium autem ratio Latine etiam *scriptura* dicitur: quare *Alabarches* magistrum scripturae significat, seu quod idem est, vectigalium praefectum. Adde *Cic. Att.* 2, 16. Pompejo exprobrare, quod novum vectigal in monte Antilibano constituisset. [*Postrema haec scriptura ab edd. praefertur, quia maxime in Pompejum cadit, quod sic ei exprobratur. Scilicet se vectigalia P. R. valde auxisse jactabat.]

ĀRĂBARCHĬA, ae, f. dignitas et officium Arabarchae. *Imppp. Gratian., Valentin. et Theodos. Cod.* 4, 61, 9. Usurpationem totius licentiae submovemus circa vectigal Arabarchiae per Aegyptum constitutum, nihilque super traductione animalium, quae sine praebitione solita minime permittenda est, temerarie per licentiam vindicari concedimus. Hic etiam retinendum *Alabarchiae*, de qua voce supra in ARABARCHES.

ĀRĂBĬA, ae, f. Ἀραβία, pars Asiae, ab Arabe filio Apollinis ex Babylone. Terminos habet a Septent. Syriam, et Euphratem fluvium, ab Or. sinum Persicum, ab Occ. sinum Arabicum, a Merid. mare Arabicum, seu partem Oceani Indici. ℙ Triplex est. Prima est *Petraea*, Nabathaea. Secunda est *Deserta*, *Scenetis* Ptol. ἀπὸ τῆς σκηνῆς, quod gens vaga, et sine aedificiis in tentoriis habitet. Tertia est *Felix*, seu *Beata*, εὐδαίμων, quae et Panchaia inter Petraeam, et Desertam, et sinum Persicum ad Sept., et sinum Arabicum ad Austr. inter Occ. et Or. longissime excurrens, mari Rubro Indiam versus definita, in qua Sabaei populi, multaque regna continentur, et avis Phoenix reperiri dicitur, et tus, et sardonyx gemma nascitur. *Plin.* 5, 11, 12., *Solin.* 33., *Mela* 1, 10. Arabia in provinciam primum redacta a Trajano Imp. *Eckhel. T.* 6. p. 420. ℙ Est etiam hoc nomine urbs in Arabia Felici in ora litorali maris Arabici. *Mela* 3, 8. ℙ Prima syllaba, quae natura brevis est, metrica necessitate produci potest. *Prop.* 2, 8, 20. Et domus intactae te tremit Arabiae. Sic in ARABIUS. [*Quare duplici *r* scribi jussit *Nestor.* in *vocabul.* p. 9. et p. 156. V. *Burm.* l. l. Neque tamen opus. Eadem ratio est, quae in *Italia* — ∪∪∪, Sicania — ∪∪∪ et simm., in quibus metrum dactylicum vim suam habebat. V. *Jahn.* ad *Hor. od.* 4, 4, 9. ed. II. qui nobiscum haec communicavit.] ℙ Adjective *terra Arabia* dicitur a *Pl. Trin.* 4, 2, 88. Advecti ad Arabiam terram sumus. Sic *Sicilia insula* ap. *Eund. Rud.* 2, 6, 60., *terra Graecia* ap. *Gell.* 1, 1., *terra Italia*, *Id.* 2, 6. ex *Catone*, et *Varr. R. R.* 1, 9. Et *Thessalia regio*, *Appul. Met.* 1. *sub f.* Et *Campania terra*, *Tibull.* 1, 10, 33. Et *Celtiberia terra*, *Catull.* 39, 17. Et *Umbria terra*, *Gell.* 3, 2. Eadem ratione *Libya citrus* dictum est a *Varr.* ap. *Non.* 2, 132.

[ĀRĂBĬĀNUS, a, um, adj. ad Arabiam pertinens. *Arabianus* est cognomen Romanum, nam Claudii Arabiani mentio est apud *Spartian. Sever.* 13., et Flavii Arabiani apud *Vopisc. Aurelian.* 47. *F.*]

[ĀRĂBĬCĀRĬĀ, ae, f. quae odores Arabicos vendit, vel tractat. *Inscr.* ap. *Murat.* 939, 9. Aurelia Valeria Arabicaria V. S. F., *h. e.* voto soluto fecit. *F.*]

ĀRĂBĬCĒ, adv. Ἀραβικῶς, Arabico more. *Pl. fr.* ap. *Diomed.* 1. p. 378. Facite, olant aedes Arabice, *h. e.* ex odoribus Arabicis, ut et *Festus* exponit. *Solin. c.* 33. Arabice sacri vocantur, *h. e.* Arabum lingua.

ĀRĂBĬCUS, a, um, adj. qui est ex Arabia, Ἀραβικός. *Pl. Mil.* 2, 5, 2. Dianae fumificare odore Arabico, *h. e.* ture, quod multum provenit in Arabia. *Plin.* 2, 67, 67. Arabicus sinus. *Id.* 14, 20. 25. Arabica resina. *Id.* 24, 12, 65. Spina Arabica, *h. e.* acacia. ℙ Arabica *scil.* gemma. *Plin.* 37, 10, 54. Arabica ebori simillima est: putant contra dolores nervorum prodesse habentibus. *Isid. Orig.* 16, 14. Arabica ex patria dicta, adspectu eburnea est.

ĀRĂBĬLIS, le, adj. qui arari potest, ἀρόσιμος. *Plin.* 17, 5, 3. Campus nullis, cum siccus est, arabilis tauris, post imbres vili asello.

[ĀRĂBĪNUS, a, um, adj. id. q. Arabicus, Arabinus est cognomen Romanum, nam Septimii Arabini senatoris mentio est apud *Lamprid. Alex. Sev.* 17. *F.*]

ĀRĂBISSĀ, ae, f. mulier Araba. Dicitur *Hieronym.* usus hac voce, vertens e Graeco *Eusebii Chronicon.*

*ARABĪTAE, arum, qui Arabim fluvium accolunt. *Curt.* 9, 10. *B. A.*

ĀRĂBĬUS, a, um, adj. id. q. Arabicus. *Prop.* 2, 2, 25. Nec si qua Arabio lucet bombyce puella, *h. e.* veste serica, quae laudatissima texitur ab Arabis. Sic *Id.* 1, 14, 19. Arabium limen, *h. e.* aedes, aut conclavia pretiosis sericis aulaeis ornata. *Plin.* 13, 23, 44. Arabium genus capparis. *Pl. Poen.* 5, 4, 6. Arabius odor, *h. e.* turis, et aliorum aromatum, quorum ferax Arabia est. *Charis.* 1. p. 99. legit *Arabus.* ℙ Apud *Prisc. Perieg.* 865. et 870. duplici *rr* scribitur, nempe ad producendam primam syllabam, sed V. supra s. v. ARABIA.

*ARĂBONA vel ARRABONA, ae, oppidum Pannoniae superioris, hodie *Raab. Notit. Imper.* Ptolemaeo est Ἄραβών. *B. A.*

ARABRIGENSIS, se, adj. ad Arabrigam pertinens, Lusitaniae oppidum, teste *Ptolemaeo. Arabrigenses*, *ium* sunt incolae ejusdem oppidi. *Plin.* 4, 22, 35. Ammienses, Aranditani, Arabrigenses. *Inscr.* ap. *Grut.* 926, 4. Vibia Crispa Rufini Arabrigensis (uxor). Adde apud *Eund.* 162, 3. ℙ Apud *Plin. l. c.* et alibi mendose legitur *Arabricenses. F.* et *B. A.*

ĀRĂBS, ăbis, omn. gen., Ἄραψ, qui est ex Arabia: tum adjective, tum substantive. *Tibull.* 3, 2, 24. Eoique Arabes, dives et Assyria. *Manil.* 4, 652. et 752. Molles Arabes. *Virg. G.* 2, 115. Eoasque domos Arabum. [*Prop. 2, 22, 17. Arabum gramina. V. *Burm.* ad h. l.] *Ov. Met.* 10, 478. Palmiferos Arabas, Panchaeaque rura relinquit. *Prop.* 3, 11, 8. Pastor Arabs. *Martial.* 3, 65. Messor Arabs.

*ĀRĂBUS, i, Ἄραβις Ptolemaeo, Ἄραβις Straboni, Arriano Ἀράβιος, flumen in Gedrosia. *Curt.* 9, 10. ubi legendum videtur Arabim. *B. A.* [*Ed. *Zumpt.* Arabum.]

ĀRĂBUS, a, um, adj. id. q. Arabs et Arabicus: tum substantive, tum adjective. *Virg. A.* 7, 604. Sive Getis inferre manu lacrymabile bellum, Hyrcanisve parant. *C. Cassius* ap. *Charis.* 1. p. 99. Arabi mirifico animo erga nos fuerunt. *Lucil. ib.* Arabus artemo. *Pl. Poen.* 5, 4, 6. Arabus, murrhinusque omnis odor. Ita leg. *Charis. ib.*, alii *Arabius. Ov. Her.* 15. 76. Non Arabo noster rore capillus olet, *h. e.* myrrha, cujus apud Arabes copia est. [*De forma *Arabus* pro *Arabius* v. *Heins.* ad h. l. Sic *Lavinus* pro *Lavinius* etc. Cf. *Jahn.* ad *Ov. Met.* 8, 288. 12, 173. *Virg. A.* 1, 1.] *Plin.* 36, 21, 41. Arabus lapis ebori similis, dentifriciis accommodatur crematus. V. ARABICUS.

*ARACHA, oppidum Susianae. *Ammian.* 23, 21. Ptolemaeo est Ἄραξα. V. ARECTAEUS. *B. A.*

*ARACHIDNA, ae, f. planta, quae memoratur *Plin.* 21, 15, 52. ἀραχίδνα *Theophr.*, est Lathyrus amphicarpos *L. die unterirdische Platterbse.*

ĀRĂCHNĒ, es, f. Ἀράχνη, nomen puellae Lydiae, quae cum de lanificio ausa fuisset cum Pallade certare, a victrice Dea percussa radio in araneam est commutata. *Ov. Met.* 6. *init.* Scribit *Plin.* 7, 56, 57. Arachnem linum et retia, filium ejus Closterem fusos invenisse. *Suidas* docet, ἀράχνιον filum esse et licium tenuissimum, et ἀράχνην fem. gen. telam, seu texturam, masc. vero gen. pusillum animal, dictum, quod rara molliaque habeat vestigia: derivatur enim *arachne* ab *Hebr.* אָרַג texuit, vel ab ἄρω, apto, et ἄχνα vel ἄχνη, lanugo, ita ut arachne ea sit, quae adaptat fila instar lanuginis tenuia. Hinc itaque a poetis fabulae occasio sumpta est. [*Meliora V. in lex. myth. *Klopferi.*] ℙ *Arachne* praeterea est genus horologii solaris, cujus inventorem alii *Eudoxum* astrologum fuisse tradunt, alii *Apollonium*, ut est apud *Vitr.* 9, 9. Videtur autem ita appellatum esse, quia lineas habebat ita dispositas, ut aranearum telas in orbem textas referrent.

ĀRĂCHNĒA, ae, f. Ἀράχνεια, eadem quae Arachne, ut *Calliopea* pro *Calliope. Manil.* 4, 135. ipsa suismet Asseruit Pallas manibus, dignumque putavit, Seque in Arachnea magnum putat esse triumphum.

*ĀRĂCHOTOSCRĒNĒ, es, f. Ἀράχωτος κρήνη, *h. e.* fons Arachotos. *Ammian.* 23, 6. *a med.* Exadversum Arachosia visitur, quam ab Indo fluviorum maximo amnis multo minor exoriens aquarum alluit amplitudine, efficitque paludem Arachotoscrenem appellatam. *B. A.*

ĀRĂCHŌSĬA, ae, f. nunc *Arachote*, Ἀραχωσία, regio olim Persidis, nunc Magni Mogolis, divisa ab India flumine Indo in Occ. Est in ea oppidum, et flumen ejusdem nominis. *Plin.* 6, 23, 25.

ĀRĂCHŌSĬUS, a, um, adj. ad Arachosiam pertinens. *Arachosii* sunt ejus populi. *Justin.* 13, 4. et *Curt.* 4, 12. et alibi.

[ĀRĂCHŌTAE, arum, m. plur. populi Arachosiam incolentes, iidem qui Arachosii. *Prisc. Perieg.* 1003. Oritas, Aribasque simul, linique Arachotas Utentes laenis. *F.*]

ĀRĂCĬA ficus, genus et ficus albae, pediculo minimo, latissimae, apud *Plin.* 15, 18, 19., ubi alii leg. *Aratia*, a Graeco Ἀράτειος, quasi a quodam Arato denominata sit. ℙ Est etiam Aracia, Ἀρακία, insula sinus Persici, cum monte praealto, Neptuno sacra. *Plin.* 6, 25, 28.

*ĀRĂCILLUM, i, Hispaniae Tarraconensis oppidum, in Cantabria. *Flor.* 4, 12. Fortasse id. q. Aracoelis appellatur in *Anton. Itin. B. A.*

*ARACTENE V. ARECTAEUS.

ĀRĂCYNTHUS, i, m. Ἀράκυνθος, mons est Acarnaniae, ut docent *Plin.* 4, 2, 3. et *Solin.* 7., in quo est Dirce fons Minervae sacer. *Steph.* et *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 2, 24. docent esse montem Thebanum in Bocotia: et fortasse utroque loco ejusdem nominis mons est. *Virg. l.* c. Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho. V. ACTAEUS. *Prop.* 3, 13. 41. victorque canebat Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua.

[ĀRĂDĒUS, a, um, adj. ad Aradum pertinens, nunc *Ruad*, insulam ad oram Phoenices in confinio Seleucidis, in cujus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 393. est ΑΡΑΔΙΩΝ, quamque memorat *Plin.* 5, 17, 20. et *Prisc. Perieg.* 539. Nec procul est Arados, Phoenices aequore cincta. *Inscript.* ap. *Donat.* 288, 5. D. M. Ti. Claudii Apol-

linaris V. Vict., nat. (*h. e.* quinqueremi Victoria, natione) Aradeus. Hic *Aradeus* est idem atque *Aradius*. *F.*]

[ĂRĂDĪCUS, a, um, adj. id. q. Aradeus, ad Aradum pertinens Phoeniciae insulam. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 6. *n.* 32. Cl. Aradica. *F.*]

*ARĂDOS vel Aradus, i. Cretae oppidum. *Plin.* 4, 20. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet Rhamnus. *B. A.*

*ARAEGENŪE vel Araegēnus (ut mavult Valerius) oppidum in Gallia Celtica, caput Viducassium. *Tab. Peut. B. A.*

ĂRAEOSTYLOS. V. DIASTYLOS.

*ARAMAEI, orum, populi Scythiae. *Plin.* 7, 17. *B. A.*

ĂRĂNĔĂ, ae, f. ἀράχνη, (vocis etymon V. in ARACHNE.) id. q. araneus. *Pl. Stich.* 2, 2, 24. Operam omnem aranearum perdere, et texturam improbam. *Virg. G.* 4, 247. aut invisa Minervae Laxos in foribus suspendit aranea casses. *Plin.* 11, 24, 28. et *Senec. ep.* 121. *sub f.* solertiam ejus in texendo describunt. ℙ Item aranei tela, ἀράχνιον. *Ov. Met.* 4, 178. non illud opus tenuissima vincant Stamina, non summo quae pendet aranea tigno. *Lucr.* 4, 728. Obvia cum veniunt, ut aranea bracteaque auri. *Plin.* 24, 9, 37. Salicis fructus ante maturitatem in araneam abit, *h. e.* convertitur in tenuia filamenta, araneorum telis similia.

ĂRĂNĔĂNS, antis, part. v. *araneo* inusitati. *Araneantes fauces* dictae sunt ab *Appul. Met.* 4, p. 152, 34. per quas diu cibus non transiit atque ob id quasi obductae sunt araneorum telis.

ĂRĂNĔŎLĂ, ae, f. parva aranea. *Cic. N. D.* 2, 48. Ut in araneolis aliae quasi rete texunt, ut si quid inhaeserit, conficiant; aliae ex inopinato observant, et si quid incidit, arripiunt.

ĂRĂNĔŎLUS, li, m. id. q. araneola. *Virg. Cul.* 1. Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia, Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum. ℙ Hunc versum quidam referunt etiam inter fragmenta *Petronii*.

ĂRĂNĔŌSUS, a, um, adj. araneorum telae similis, ἀραχνώδης. *Plin.* 11, 19, 21. Araneosa fila. *Id.* 24, 12, 66. Araneosa lanugine obducta folia. *Id.* 21, 15, 51. Caulis araneosus in mandendo, cum coctus est, *h. e.* qui in minuta fila abit. *Id.* 29, 4, 27. Asterii vomitus araneosus, *h. e.* Asterion vomere materiam similem araneorum filis. ℙ Item araneorum telis plenus. *Catull.* 25, 3. Situs araneosus. ℙ Translate. *Auct. Priap.* 83, 29. Araneosus obsidet fores situs, *h. e.* paedor ex senectute; loquitur enim de pudendo mulieris vetulae.

ĂRĂNĔUM, ei, n. ἀράχνιον. *Phaedr.* 2, 8, 23. Tollere haec aranea quantum est laboris? ℙ Item morbus vitium et olivarum, cum veluti telae araneosae involvunt fructum, et absumunt. *Plin.* 17, 24, 36. *n.* 7.

ĂRĂNĔUS, i, m. ἀράχνη, animal notum, tenuem texens telam ad captandas muscas, etc. Ejus plura genera persequitur *Plin.* 11. *c.* 24. et solertiam texendi concinne admodum describit. Adde *Senec. ep.* 121. *sub f.* *Lucr.* 3, 384. Nec nebulam noctu, nec aranei tenuia fila Obvia sentimus; *aranei* hoc loco trisyllabum est per synaeresim: quo pacto *Virg. A.* 6, 280. Ferreique Eumenidum thalami. ℙ Adjective *Plin.* 18, 17, 44. *n.* 3. Phalangion, bestiola aranei generis. *Id.* 29, 4, 27. Urina similis araneis textis. ℙ *Mus araneus* genus est parvi muris, morsum venenatum habentis, quem Graeci μυγάλην et μυγαλῆν vocant: a μῦς, mus, et γαλῆ, mustela, quia ex mure et mustela nasci creditur. *Colum.* 6, 17. Mus araneus, quamvis exiguis dentibus, non exiguam pestem molitur. *Plin.* 8, 58, 83. In Italia muribus araneis venenatus est morsus. ℙ *Araneus* etiam dicitur piscis quidam spinae in dorso aculeo noxius, quem quidam eundem esse putaruut ac draconem marinum: sed falli eos ostendit *Harduin.* ad *Plin.* 9, 48, 72., ubi is de eo verba facit, ut et 32, 11, 53. [Est araneus idem ac draco, qui *Trachinus draco* Linn., Italice *dracena*, Gallice *la vive*, Venetiis *varagno* appellatur. *F.*]

ARAPENNIS. V. AREPENNIS.

[ĂRĂPHUS, i, m. sine sutura, non sutilis, ab *a* privativa, et ῥαφή, sutura. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 475, 12. A Camillius Arafus. Hic *Arafus* legitur sine aspiratione more solito apud Romanos pro *Araphus*. *F.*]

ĂRAR, ăris, et Ărăris, is, m. nunc *la Saone*, fluvius Galliae Celticae, Sequanos ab Aeduis separans, ac paulo infra Lugdunum in Rhodanum influens. *Caes. B. G.* 1, 12. Flumen est Arar, quod per fines Aeduorum et Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, judicari non possit. *Claud. Consul. Mall. Theod.* 53. Lentus Arar, Rhodanusque ferox, et dives Iberus. *Id. Ruf.* 2, 111. Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit. *Plin.* 3, 4, 5. Segnis Arar. *Sil.* 15, 504. Arar pigerrimus undae. *Virg. Ecl.* 1, 63. Aut Ararim Parthus bibat, aut Germania Tigrim. ℙ Posterioribus temporibus *Sauconna* est appellatus, ut est apud *Ammian.* 15, 11., ex quo factum est *Saona*.

*ARARAUCELES, plur. num. Africae populi, in Cyrenaica regione. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

ĂRĂRĪCUS, a, um, adj. ad Ararim pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 375, 3. L. Besio patrono nautarum Araricor et Rhodanicor. Adde 472, 1. et *Sidon. ep.* 1, 8. At in *Not. Tir.* p. 152. legitur *Arariacus*.

*ARASENSES, populi oppidum quoddam Galatiae, Arasum puta vel Arasam dictum, incolentes. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

ĂRĂTER, tri, m. pro Aratrum dicebant antiqui. *Hyg. de Limit. constit.* p. 204. *Goes.* Mensura territorii usque fieri debet secundum legem D. Augusti: *Qua falx et arater ierit.* Sic alibi.

ĂRĂTĒUS, a, um, adj. Ἀράτειος, ad Aratum pertinens. *Cic. Div.* 2, 5. Nostra quaedam Aratea memoriter a te pronunciata sunt, *h. e.* Arati phaenomena a Cicerone in Latinum conversa carmine heroico. *Cinna* ap. *Isid. Orig.* 6, 12. Haec tibi Arateis multum invigilata lucernis Carmina, queis ignes novimus aerios.

ĂRĂTĬO, onis, f. ἄρωσις, ipse arandi actus. *Plin.* 18, 20, 49. *n.* 3. Aratione per transversum iterata, occatio sequitur. [*Hinc i. q. agricultura. *Cic. Tusc.* 5, 31. fructuosa.] ℙ Nonnunquam sumitur pro ipso arvo, seu agro culto. Nam, ut recte inquit *Valla Eleg.* 4, 2. nomina, quae positionem habent in *io*, latius significare solent, nec actionem modo, sed rem etiam et corpus significant. *Plin.* 27, 8, 36. *de calsa herba:* Nascitur in arationibus. ℙ Speciatim *Arationes* dicebantur agri publici pop. R., qui aratoribus colendi dabantur, impositis decumis. *Cic. Phil.* 2, 39. Hae quondam arationes agri Campani et Leontini in populi R. patrimonio fructuose ferebantur. *Id. Verr.* 2, 3, 98. Arationes tota Sicilia desertas, atque a dominis relictas esse cognoscitis.

ĂRĂTĬUNCŬLĂ, lae, f. parva aratio, hoc est parvus ager arabilis. *Pl. Truc.* 1, 2, 45. Male vertit res pecuaria mihi apud vos: nunc vicissim volo habere aratiunculam pro copia hinc apud vos.

ĂRĂTOR, oris, m. ἀρότης et ἀροτῆρ, qui arat, et sumitur tam pro bove, quam pro homine bovem ducente. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Arator nisi incurvus praevaricatur. *Ov. Fast.* 1, 698. cedebat taurus arator equo. Hic *arator* adjective usurpatur, ut etiam *venator;* quam vocem V. ℙ *Aratores* saepe dicebantur non tam illi, qui arabant suum rus, quam opulenti homines, et fere equestris ordinis, qui maximas arationes habebant, publico agro conducto: quod genus hominum *Cic. Agr.* 2, 31. et saepe in *Verrinis* laudat, ut honestissimum atque optimum. *Id. Verr.* 2, 3, 55. Scribit Metellus, aratorum esse penuriam. Hoc cum scribit, illud ostendit, dejectos, ejectos, fortunis omnibus expulsos esse populi R. socios atque amicos. [*Cf. quae de h. v. disseruit *Frank.* in *misc. critt.* a *Seebod.* editis II. 2. p. 313.] ℙ Est etiam *Arator* signum coeleste in sphaera barbarica (V. SPHAERA) sub signo Virginis, quem Orona Aegyptii vocant, qui dicitur esse Triptolemus, qui primus fruges serere, et aratri usum homines docuisse fertur. *Serv.* ad *G.* 1, 19. ex *Varr.* et *Nigid.*

ĂRĂTOR, oris, m. poeta Christianus fuit, Romanus subdiaconus, qui Acta Apostolorum hexametro carmine conscripsit. Floruit saeculo Christi sexto, ususque est stilo carminis, pro illa aetate non spernendo.

ĂRĂTORĬUS, a, um, adj. ad arandum pertinens. *Paul. Recept.* 3, 7. *ante med.* Boves aratorii. *Imp. Constant. Cod.* 8, 17, 7. Instrumentum aratorium.

ĂRĂTRĂRE, seu Artrare, est segetes jam enatas rursus arando proscindere. *Plin.* 18, 20, 49. *n.* 3. Salassi cum subjectos Alpibus depopulari entur agros, panicum, miliumque jam excrescens tentavere. Postquam respuebat natura, inarariunt. At illae messes multiplicatae docuere, quod nunc vocant artrare, id est aratrare, ut credo, tunc dictum. Hoc fit vel incipiente culmo, cum jam is bina ternave emiserit folia, etc. Hactenus *Plin.*, ex quo colligimus, ejus tempore verbum *artrare* in usu apud rusticos fuisse, et ex *aratrare* factum esse.

*ARATRIFRAGIS vel Aratrifrăgi, vermiculus. V. *Plin. Valer.* 1, 22. et 54. Cf. *Reines. Var. Lect.* 1, 16. et 3, 4. *B. A.*

ĂRĀTRUM, tri, n. ἄροτρον, instrumentum, quo aratur: cujus inventor ab aliis Buzyges Atheniensis, ab aliis Triptolemus fuisse dicitur, ut apud *Plin.* 7, 56, 57. legitur. *Cic. Phil.* 2, 40. Ut aratrum circumduceres, cujus vomere portam Capuae paene perstrinxisti. *Id. Hortens.* ap. *Non.* 4, 439. Subigere terram aratris. *Id. N. D.* 2, 63. *ad f.* Vires boum ad aratra extrahenda. *Virg. G.* 1, 98. Perrumpere terram aratro. Et 494. Moliri terram aratro incurvo. Et *G.* 2, 513. Dimovere terram aratro. *Id. A.* 7, 539. Aratro terram vertere. *Lucr.* 5, 210. pressis terram proscindere aratris. ℙ Veteres novam condituri urbem, locum moenium designabant aratro, quod a vacca et tauro sub jugo junctis trahebatur, illud suspendendo, ubi portae locus futurus erat. Contra cum evertere vellent, disjectis moenibus, aratrum solo inducebant, ut nulla urbis imago relinqueretur. *Serv.* ad *A.* 5, 755., *Sen. Clem.* 1, 26., *Cato* ap. *Isid. Orig.* 15, 2. et *Hor. Od.* 1, 16, 20. ℙ *Arater* pro *aratrum*, V. supra suo loco.

ĂRĀTUS, us, m. idem quod aratio, hoc est arandi actus. *Dictys. B. Trojan.* 2, 41. Utraque pars aratui insistere, frumenta parare.

ĂRĀTUS, a, um, part. ab *aro*, ἀρόσιμος, aratro proscissus et subactus. *Ov. Fast.* 1, 703. Terrae aratae. *Id. Met.* 7, 122. Arati agri. *Id. Medic. fac.* 46. Vultus aratus rugis. ℙ *Arata* absolute sunt agri culti. *Prop.* 1, 6, 32. Lydia Pactoli tinguit arata liquor.

ĂRĀTUS, i, m. Ἄρατος, poeta Cilix, ex Solis urbe, idemque astronomus suorum temporum peritissimus, tempore Ptolemaei Philadelphi scripsit φαινόμενα, et Διοσημεία, in quibus situm motumque explicat stellarum apparentium. Quod opus in Latinum vertere Claudius, et Germanicus Caesar, Cicero adhuc adolescens, et Rufus Festus Avienus. *Ov. Amor.* 1, 15, 15. Nulla Sophocleo veniet jactura cothurno: Cum sole, et luna semper Aratus erit. ℙ [*Fuit et Aratus Sicyonius, auctor foederis Achaici, qui patriam a tyranno oppressam liberavit. *Cic. Off.* 2, 30. Cf. *Plut.* in *Arato* et *Polyb. B. A.*] ℙ Paenultimam corripuit *Sidon.* contra aliorum morem *carm.* 23, 112. Non hic, si voluit, vacante cura, Quis sit sideribus notare cursus, Diversas Arato vias cucurrit. Idem ante *Sidon.* fecit *Paulin. Nolan. carm.* 19, 125. [*Idem etiam *Claud. Mamert.* carm. contra poetas vanos (*Claud. Op.* p. 346. ed. Plantin.) Aut Arati numeros, et picta Manet horis astra. *B. A.*]

*ARAURA, ae, Galliae Narbonensis oppidum, in agro Volcarum Tectosagum, ad Araurim fluvium. *Anton. Itin.* Antiquum nomen fuit *Cessero*. *Plin.* 3, 4. Hodie est *S. Tiberi*. *B. A.*

*ARAURIS, is, flumen in Gallia Narbonensi, hodie *Heraut* dictum. *Plin.* 3, 4. *ed. Hard.* ubi *ed. Elzev.* habet Araris. Ἄραυρις Ptolemaeo. *B. A.*

ĂRAUSENSIS et Arausiensis, se, adj. ad Arausionem pertinens, [nunc *Orange*, urbem Galliae Narbonensis mediterraneam, ad rivum *Eigue*, coloniam Secundanorum a *Plin.* 3, 4, 5. appellatam, quod illuc legio secunda a triumviris deducta fuit. *F.*] *Inscr.* ap. *Spon. Miscell.* p. 98. Junio Tito XV. Vir. Arausens. Et p. 156. Geminia Titulla Arausiensis mater sacrorum hic adquiescit.

[ĂRAVĂCUS, a, um, adj. ad Aravam pertinens Pannoniae inferioris oppidum, etiamnum *Arava* appellatum. *Aravaci, orum* sunt incolae illius oppidi apud *Plin.* 3, 25, 28., ubi perperam *Hard.* legit *Eravisci* pro *Aravisci*, a *Ptolemaeo l.* 2. *c.* 16. vocati Ἀράβισκοι. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 775. L. Domitio L. F. Quir. Rogato Praef. Eq. alae I. Aravacorum. Alia apud *Grut.* 36, 9. M. Modestius Repentinus Dec. alae I. Aravacorum. *B. A.* et *F.*]

[ĂRAVI, orum, m. plur. Lusitaniae populi non procul a Tago. *Inscr.* ap. *Grut.* 162, 3. Municipia provinciae Lusitaniae stipe conlata, quae opus pontis perfecerunt, Transcudani, Aravi, Meidubrigenses. *F.* et *B. A.*]

*ARAXATES, flumen Sogdianam rigans. *Ammian.* 23, 26. *B. A.*

ĂRAXES, is, m. nunc *Aras*, Ἀράξης, fluvius Armeniae majoris, qui illam a Media separat: oritur 6. M. P. ab Euphrate, Artaxatam rigat in mare Caspium se exonerat inter ostia Cyri et Cambysis fluvii. Ejus cursus accurate describit *Mela* 3, 5. Adde *Plin.* 6, 9, 9. *Virg. A.* 8, 728. et pontem indignatus Araxes. ℙ *Item Persidis fluvius. *Curt.* 5, 4. et 5. *B. A.*

ĂRAXĔUS, a, um, adj. ad Araxem pertinens. *Avien. Perieg.* 30. *de Tanai fluv.* Scissus Araxeo prius aequore, jam suus, unda Effluit in Scythiam. *Avien.* hoc loco, vel aliud ab Araxe jam dicto flumen significat, vel per *Araxeum aequor* latos aliquos agros intelligit, per quos tum Araxes, tum Tanais decurrens in plura flumina derivetur, et scindatur: deinde rursus in unum coeat.

*ARAXOS, i, Peloponnesi promontorium, in Elide. *Mela* 2, 3. *post med.* Dictum Araxum (promontorium) a *Plin.* 4, 5. *B. A.*

*ARBA, ae, insula Liburniae, in ora sinus Flanatici. *Plin.* 8, 21. *B. A.*

*ARBACES, is, Ἀρβάκης, Medorum rex primus, qui una cum Belocho, Babyloniae praefecto, facta conjuratione, bellum adversus Sardanapalum inter feminas deprehensum fecit, eumque vicit. *Vell.* 1, 6. ubi in quibusdam edd. mendose legitur *Pharnaces*. A *Justino* 1, 6. Arbactus dicitur. ℙ Paenultima brevis est, quemadmodum in Pharnāces. *B. A.*

*ARBALO, onis, oppidum Germaniae inferioris, in Cheruscis vel Hessis. *Plin.* 11, 17. *B. A.*

*ARBĒLA, orum, n. nunc *Irbil*, Ἄρβηλα, Persiae civitas, ad quam ab Alexandro M. et Dario de imperio orbis terrarum certatum est; *Curt.* 4, 9. et 5, 1. *Plin.* 37, 10. *Arbelum* audit ap. *Auct. It. Al. M.* 64. ℙ Fuit et perantiqua Siciliae urbs, *Steph.* Ἄρβηλη. Cives ejus stolidos abjectosque fuisse patet ex proverbio: quid non fies Arbelas profectus. *Sil.* 14, 272. ubi alii leg. *Arabeja*. *B. A.*

*ARBII, orum, (*Arbitae* apud *Curt.* 9, 10.) po-

puli Indis finitimi, non procul ab Arianis et Gedrosiis. Sunt, qui in Gedrosia ponunt. *Plin.* 6, 23. ℙ Item populi Carmaniae. *Id.* 6, 25. *B. A.*

ARBILLA, arvina, id est pinguedo corporis, inquit *Festus:* ad quae verba notat *Voss. Etym.* in V. aries, *arbillam* dictam esse pro *arvillam* (facile enim *u* in *b* vertitur, ut dicemus initio litterae B) et esse diminutivum ab *arvina* ea ratione, qua ab *ovinus* est *ovillus*, a *suinus suillus*. V. ARVINA. [*Huc pertinet illud Hesychii, Ἀρβίνη, κρέας (legunt Viri docti ὀπέαρ), Σικελοί. *B. A.*]

*ARBIS, is, Carmaniae flumen, Gedrosiam percurrens, inque sinum Persicum influens. *Plin.* 6, 24. Artabius vocatur ab *Ammiano* 23, 29. ℙ Item oppidum Gedrosiae ad Arbim flumen. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

ARBITER, itri, m. conscius, testis vel inspector: quia arbiter rem totam cognoscit, antequam ferat sententiam. Etymologi volunt hanc esse primam ac propriam hujus vocis significationem. [*Hanc enim *Forc.* ultimam fecerat.] Derivant enim ab *ar* pro *ad*, et *bito*, eo, quasi notet eum, qui ad inspiciendum accedit. Hinc *arbitrari* ponitur etiam pro inspicere. [*Hoc unice probandum.] At *Lennep. Analog. Ling. Gr.* p. 273. contendit *arbiter*, et Graece ἀρβιτὴρ, esse ab inusit. ἀρβίω pro ἄρω necto, compono. *Auct.* ad *Her.* 2, 4. Spes celandi quae fuerit, quaeritur ex conscii, arbitris, adjutoribus, etc. *Cic. Off.* 3, 31. Surrexit e lectulo, remotisque arbitris, ad se adolescentem jussit venire. *Id. Att.* 15, 16. Haec loca venusta sunt; abdita certe, et si quid scribere velis, ab arbitris libera. [*Id. *Verr.* 5, 31. locus ab arbitris remotus. Praeterea cf. intpp. ad *Vell.* 2, 14, 3. *Pl. Capt.* 2, 1, 29. *Poen.* 3, 3, 50. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 20, 1. et *Muncker.* ad *Ov. Met.* 5. *arg. fab.* 3.] *Pl. Mil.* 2, 2, 3. Mihi quidem jam arbitri vicini sunt, meae quid fiat domi, i. e. speculatores. *Id. Trin.* 1, 2, 109. Circumspice dum te, ne qui adsit arbiter. *Id. Cas. a.* 1. *v.* 55., *Liv.* 27, 28. et *Justin.* 21, 4. Agere aliquid sine arbitro. *Curt.* 3, 12. Secretorum omnium arbiter. [*Cic. Flacc.* 36. quis est decisionis arbiter? quis interfuit, eamque factam esse et quomodo facta sit, testari potest? Est igitur h. l. i. q. quis praesens s. testis fuit?] Hinc arbitri dicuntur spectatores theatri; tum quia fabulam spectant, tum quia de ea judicant. *Pl. Amph. prol.* 15. Ita huic facietis fabulae silentium; itaque aequi et justi hic eritis omnes arbitri. Ac de rebus inanimis. *Hor. Ep.* 1, 11, 26. Locus effusi late maris arbiter, *h. e.* qui late prospectat mare. ℙ Passive *arbiter* is est, qui aditur; hoc modo ita appellatur judex, non a lege datus, sed ab iis qui litigant, electus, qui totius rei habet potestatem, ut de ea ex aequo et bono, ut sibi videbitur, sententiam ferat, *διαιτητής:* in quo differt a *judice*, qui judicat secundum leges et juris formulas: arbiter vero et leges benigne interpretatur, et aequitatem magis sequitur, quam juris rigorem. Praeterea judex ex officio causas judicat; arbiter, si velit, detrectare potest delatam causam. [*Cf. *Clav. Cic.* et de hoc discrimine quae Noster laudat s. v. ARBITRIUM.] *Sen. Ben.* 3, 7. Judicem formula includit et certos, quos non excedat, terminos ponit: arbitri libera et nullis adstricta vinculis religio et detrahere aliquid potest et adjicere, et sententiam suam, non prout lex aut justitia suadet, sed prout humanitas et misericordia impulit, regere. *Ter. Heaut.* 3, 1, 93. Simus et Crito, vicini nostri, hic ambigunt de finibus: Me cepere arbitrum. *Cic. Off.* 1, 10. Dare arbitrum aliquibus de re aliqua. *Id. Leg.* 1, 20. Esse arbitrum inter aliquos. [*Liv. 2, 33. (Menenius Agrippa) interpres (mediator) arbiterque concordiae civium.] *Id. Att.* 15, 1. Statuere aliquem arbitrum alicujus rei. *Id. Off.* 3, 16. Adigere aliquem arbitrum. V. ADIGO. *Paul. Dig.* 4, 8, 19. Compromittere in arbitrum. Rursus *Cic. Rosc. Com.* 4. Esse arbitrum in aliquam rem. Et *ib.* Adire ad arbitrum. Et *ib.* Confugere ad arbitrum. Et *ib.* Sumere aliquem arbitrum. V. totum illum locum, ubi multa de discrimine inter arbitrum et judicem. ℙ Dixi, arbitrum delatam causam detrectare posse, si judicare nolit: quod est intelligendum de iis, qui ab ipsis litigantibus eliguntur. Sunt enim arbitri, qui dabantur a praetore ex formula legis, de quibus idem est dicendum ac de ceteris judicibus. Habebant enim idem jus et potestatem in causis cognoscendis: sed dicuntur *arbitri*, quia dabantur fere in causis bonae fidei, hoc est quae arbitratu boni viri, et ex aequo et bono aestimandae ac definiendae sunt; et in suis sententiis (quae ob id *arbitria* appellantur) adscribebant formulas *ex fide bona*, vel *quantum aequius melius sit dari*, etc., quibus significatur, sententias eas non ex stricto jure, sed ex aequitatis ratione proficisci. Causae autem, ad quas dijudicandas dabantur arbitri a praetore, erant *familiae erciscundae*, *communi dividundo*, *finium regundorum*, *pro socio*, *tutelae*, *rei uxoriae*, et aliae hujusmodi, de quibus Jurisconsulti. V. *Proculum Dig.* 17, 2, 76. ℙ Translate *arbiter* dicitur de quocumque judice. *Hor. Od.* 3, 20, 11. Arbiter pugnae. *Stat. Silv.* 4, 9, 17. annonae. *Ov. Her.* 16, 69. *de Paride.* Arbiter es formae: certamina siste Dearum. *Mart.* 7, 71. Sic palmam tibi de trigone nudo Unctae det favor arbiter coronae, *h. e.* favor, qui tanquam judex victoriam ludenti adjudicat. *Plin.* 5, 27, 27. Taurum montem appellat *innumerarum gentium arbitrum*, hoc est tanquam *finium regundorum arbitrum*, quia multarum gentium regiones disterminat. ℙ Quia vero arbiter totius rei, de qua judicat, facultatem et arbitrium habet, ut *Festus* loquitur, nonnunquam accipitur pro domino, et qui de re aliqua, ut libet, statuit et disponit. Hinc *Hor. Od.* 1, 3, 15. Notum ventum vocat arbitrum Adriae. Et *Sen. Herc. Fur.* 582. Plutonem arbitrum mortis. Et rursus *Hor. Od.* 2, 7, 25. arbitrum bibendi appellat magistrum convivii, et modimperatorem, qui leges bibendi convivis dabat. Et *Ov. Her.* 9, 45. dicit Eurystheum arbitrum irae Junonis, quia pro arbitrio imperabat Herculi, quae Junonis iram explerent. *Id. Trist.* 5, 2, 47. Augustum Caesarem arbitrum imperii. Et *Fast.* 3, 73. Martem armorum arbitrum. Sic apud *Tac. A.* 2, 73. *Arbiter rerum* est rerum dominus. Et *ib.* 13, 14. Arbitrum regni agere. [*Liv.* 27, 28. sine arbitro agere, i. e. suo arbitratu.]

ARBITERIUM, ii, n. id. q. arbitrium, hoc est arbitri judicium ac sententia. Ita legitur in *Pandectis Florentinis*, ex quibus fideliter *Torrentinus* exscripsit, *Dig.* 2, 8, 9. et 4, 8, 3, 7, 16, 19. et 21. et alibi: nec abhorret a Latina analogia: tametsi in aliis editionibus *arbitrium* restitutum est. Etiam in vet. Inscript. optimae notae apud *Grut.* 550, 1. habetur *arbiterium* pro arbitrio, ac voluntate, [et in *Not. Tir.* p. 52. *F.*]

ARBITRA, ae, f. *Hor. Epod.* 5, 50. O rebus meis non infideles arbitrae Nox, et Diana, *h. e.* testes, consciae, et simul praesides rerum mearum.

ARBITRALIS, le, adj. ad arbitrum pertinens. *Macr. Sat.* 7, 1. Ut inter te, et Vettium velut arbitrali judicatione componam.

ARBITRANS, antis, particip. V. in ARBITROR.

ARBITRARIO, adv. V. v. seq.

ARBITRARIUS, a, um, adj. *διαιτητικὸς*, ad arbitrum pertinens, arbitralis. *Papinian. Dig.* 22, 1, 3. In his judiciis, quae non sunt arbitraria. *Ulp. ib.* 13, 4, 2. Arbitraria actio, *h. e.* quae ex arbitrio judicis pendet, qua, nisi arbitrio judicis, is, quo cum agitur, actori satisfaciat, condemnari debeat, ut *Justin. Instit.* 1, 4, 6. exponit. Et dicitur etiam *arbitraria actio*, cum in ea non restricte certum quid postulatur, sed id tantum, quod aequius melius judici videbitur. V. Jurisconsultos, qui accuratius de his disputant. ℙ De his, quae a voluntate nostra pendent. *Gell.* 18, 10. *extr.* Motus in arteria naturalis, non arbitrarius. ℙ De eo, quod in controversiam venit, et geritur apud arbitrum, ut loquitur *Festus.* Unde *arbitraria communium parietum* apud *Vitr.* 2, 8. sunt judicia de pretio et valore communis parietis: tametsi alii legunt *arbitria*, et quidem rectius. ℙ Jocolariter *arbitrarius* ponitur a *Plauto* pro incerto, dubio, *Amph.* 1, 1, 216. Hoc quidem profecto certum est, non arbitrarium. ℙ Hinc *arbitrario* adv. pro dubie. *Id. Poen.* 3, 5, 42. Nunc pol ego perii certo, non arbitrario.

ARBITRATIO, onis, f. *Gell.* 13, 20. hanc vocem ponit tanquam usitatam. Inquit enim: Hic *allegatus*, et hic *arbitratus* pro *allegatione* proque *arbitratione* dicuntur. *Imp. Valentin.* in lege agraria apud *Scriptor. Rei Agrar.* p. 342. *Goes.* Artis hujus peritis omne commisimus sub fideli arbitratione judicium. Alii leg., sed minus recte, *arbitrio notiorem.*

ARBITRATOR, oris, m. idem qui arbiter, hoc est dominus, et moderator. Hinc *pentapylon Jovis arbitratoris* locus fuit Romae in regione decima, teste *P. Vict.* Sic et *Juppiter arbitrator* in *Inscr.* ap. *Gud.* 7, 5. ℙ Arbitrator castrorum P. R. dicitur Mars. *Inscr.* ap. *Grut.* 1088, 7. Manilius Aug. libertus Xanthus aedituus Aed. Mart. arbitrator, castrorum P. R. *Lege:* aedituus Aedis Martis arbitratoris, etc. [At haec *Inscr.* ex *Ligorio* est, et plura continet quae spuriam esse ostendunt. Satis sit, quod Manilius dicitur Aug. libertus, cum nullus Augustus, vel Augusta ex ea gente fuerit, a quibus id nominis acciperet. *F.*]

ARBITRATRIX, icis, f. *Tert. c. Marc.* 2, 12. *in f.* Justitia in Domino inventa est arbitratrix operum ejus, *h. e.* moderatrix.

ARBITRATUS, us, m. sententia et voluntas, libitum, *θέλημα. Pl. Asin.* 4, 1, 21. Tuus arbitratus sit: comburas, si velis. *Id. Rud.* 5, 2, 68. Meus arbitratus est, lingua quod juret mea. *Id. Amph.* 1, 1, 102. Dedunt se, divina humanaque omnia, urbem et liberos In ditionem atque arbitratum cuncti Thebano poplo. *Cat. R. R.* 149. Si quid dominus emptori damni dederit, viri boni arbitratu resolvetur. ℙ Frequentius usurpatur in ablativo casu. *Cic. Fin.* 1, 21. Facere aliquid suo arbitratu, et *Fam.* 7, 1. Vivere suo arbitratu. *Pl. Aul.* 4, 4, 20. Agedum, excutedum pallium. *St.* tuo arbitratu. [*Similes formulas affert *Lindem.* ad *ej. Trin.* 4, 3, 150.] Rursus *Cic. Inv.* 1, 25. In victu considerare oportet, apud quos, et quo more, et cujus arbitratu sit educatus, i. e. quo duce, cujus disciplina usus sit. In sepulcro C. Cestii apud *Grut.* 185, 2. Opus absolutum ex testamento diebus CCCXXX. arbitratu Pontii P. F. Cla. Melae heredis et Pothi L.

ARBITRATUS, a, um, part. V. in ARBITROR.

ARBITRIUM, ii, n. proprie [*Forc.* enim hoc in f. posuerat] est, ut in *arbiter* vidimus, i. q. praesentia, testimonium alicujus, qui aliquid audit aut videt, *ἐπακοή*. *Sever. Aetn.* 195. arcent aditu, divinaque rerum cura sine arbitrio est. Adde *Grat. Cyn.* 331. [*Cf. etiam *Sen. Hipp.* 601. En locus, ab omni liber arbitrio vacat; idem versus etiam *Herc. Oet.* 484. legitur. *Ov. Met.* 4, 224. Res, ait, arcana est, famulae discedite; neve eripite arbitrium matri, secreta loquenti, ad quem l. similia laudat *Heins.*] ℙ Secundo loco est i. q. judicium et sententia, quae ab arbitro datur, *δίαιτα*. Hinc res *esse in arbitrio* dicitur a *Pompon. Dig.* 10, 2, 47. quae apud arbitrum disceptatur, ejusque sententiam exspectat. Et *recipere* aut *suscipere arbitrum* dicitur arbiter, qui causam suscipit dirimendam. *Ulp. Dig.* 4, 8, 9. et *Paul. ib. l.* 4. et alibi. *Cic. Rosc. Com.* 4. Aliud est judicium, aliud arbitrium: judicium est pecuniae certae, arbitrium incertae: ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur. V. dicta in ARBITER. *Id. Off.* 3, 15. et *Top.* 17. Arbitrium rei uxoriae. *Id. Quint.* 3. Arbitrium pro socio condemnari, *h. e.* condemnari judicio, quod dicitur *pro socio*, hoc est de societate: de quo V. *Dig. l.* 17. *c.* 2. Est autem concisa loquendi formula, a jure petita: tametsi alii mallent *arbitrii*, alii *arbitrio*, alii *ad arbitrium:* alii denique *arbitrium* tollendum putant, tanquam irrepserit ex glossemate. Translate. *Sen. Clem.* 2, 7. Clementia liberum arbitrium habet: non sub formula, sed ex aequo et bono judicat. ℙ Ponitur etiam pro quocumque judicio. *Hor. Od.* 4, 7, 21. Cum semel occideris, et de te splendida Minos Fecerit arbitria. *Nep. Con.* 4. Permisit ei, quem vellet, eligere ad dispensandam pecuniam. Id arbitrium Conon negavit sui esse consilii, sed ipsius, qui optime suos nosse deberet, *h. e.* illud judicium atque electionem. *Liv.* 24, 45. libera de quoque arbitria agere. [*V. nos sub AGO. p. 119. *Col.* III. et cf. *Gron. obss.* 4. p. 175. Libera arbitria sunt h. l., quae nos dicimus *Machtsprüche.*] *Gell.* 13, 20. Virgilius diversis in locis *urbes* et *urbis* dixit, arbitrio consilioque usus auris. ℙ Saepe sumitur pro voluntate, arbitratu, facultate et libertate faciendi aliquid, *θέλημα. Cic. Rosc. Am.* 45. Jovis nutu et arbitrio coelum, terra mariaque reguntur. *Id. Or.* 8. Ad arbitrium et nutum alterius se fingere et accommodare. *Id. Verr.* 1, 2, 10. Magnas accusatoris minas ad nostrum arbitrium libidinemque eludemus. *Id. Or.* 2, 16. *ad f.* Mentes eorum, qui audiunt, ad arbitrium suum movere. Et *Mur.* 9. Vivere ad arbitrium aliorum, non ad suum. *Id. Verr.* 2, 5, 63. *ad f.* Secundum arbitrium tuum testes dabo. *Id. Att.* 15, 13. Orationem tibi misi: ejus custodiendae et proferendae arbitrium tuum, sc. est. *Liv.* 2, 9. Arbitrium vendendi salis, similis ei, quam nostri *appalto (Pacht)* vocant. Et 37, 1. Permittere alicui liberum arbitrium de re aliqua. Et 32, 37. liberum arbitrium pacis ac belli Quintio permissum. [*Cf. 31, 11. *Id.* 30, 12. in arbitrium crudele ac superbum venire. 10, 24. arbitria fortunae (de sorte). et *ib.* in senatus *arbitrio* se fuisse, et in *potestate* populi futurum. Saepe haec ita se excipiunt. *Cic. Phil.* 6, 2. quid enim ille unquam arbitrio suo fecit etc., ubi paullo ante negatur *unquam in sua potestate* fuisse.] *Tac. Hist.* 1, 46. Agere omnia arbitrio alterius. *Id. A.* 15, 17. *in f.* Relinquere aliquem arbitrio suo. *Id. Hist.* 4, 62. Esse in arbitrio alicujus. *Id. A.* 6, 51. Obtinere arbitrium rei Romanae, *h. e.* imperium, summam potestatem. [*cf. *Suet. Caes.* 5.] *Curt.* 6, 1. et 8, 1. Agere arbitrium alicujus rei, *h. e.* de ea pro voluntate statuere. [*Tac. *A.* 15, 60. arbitrium mortis breve, i. e. breve alicui sponte morienti tempus permittere, quo de genere mortis deliberet.] *Senec. ep.* 73. *a med.* Contigit illi pingue otium et arbitrium sui temporis. *Suet. Cl.* 2. Alieni arbitrii esse. Contra. *Id. Tib.* 18. Nihil non de consilii sententia egit; semper alias sui arbitrii, etc. *Cic. Parad.* 5, 1. Arbitrio suo carere. *Liv.* 37, 52. *ad f.* et *Plin.* 29, 3, 12. Arbitrii mei est hoc facere. ℙ *Arbitria funeris* ap. *Cic. Dom.* 37. et *Pis.* 9. *in f.* [*cf. de h. l. *cl. Cic.*] et *in Senat.* 7. sunt mercedes et pretia, quae solvuntur vespillonibus aliisque ministris libitinariis pro funere. Et dicuntur *arbitria*, quia in locandis conducendisve funeribus solebat adhiberi arbiter, quia ea quanti locari conducive possent, spectatis facultatibus et dignitate defuncti ex aequo et bono aestimaret: qua de re *Ulp. Dig.* 11, 7, 12. §. 6. et alibi.

ARBITRO, as. V. in v. seq.

ARBITROR, aris, atus sum, dep. 1. [*Si recte in superioribus statuimus, etiam in hoc v. prima significatio, quam etiam in h. v. *Forc.* infra posuerat, debet esse] observandi, vel auscultandi, speculandi, ea ratione, qua *arbiter* pro teste aut conscio sumitur. *Pl. Capt.* 2, 1, 24. Secede huc procul, ne arbitri dicta nostra arbitrari queant. *Id. Aul.* 4, 1, 21. Hinc ego et huc et illuc potero quid agant arbitrarier. *Appul. Met.* 2. p. 127, 20. Curiose arbitrari aliquid. [*Saepe ita *Appul.* ut *ib.* 3. p. 138, 23. per rimam arbitrari. *Ib.* 10. p. 246, 16. jam patefacto cubili proxime consistens, coram arbitratur. 7. *init.* arbitrabar, cujusmodi consilium caperetur; ac saepius.] Itaque si, ut in ultimo loco, ad animum transfertur, est i. q. advertere, considerare, perpendere. *Gell.* 4, 11. Qui diligentius scitiusque carmina Empedoclis arbitrati sunt, *κνάμους* hoc in loco testiculos significare dicunt. ℙ Deinde est i. q. sententiam dare, judicare: et dicitur de arbitris, quoniam hi in suis sententiis verbo *arbitror* saepe utebantur. *Scaev. Dig.* 4, 8, 44. Si in eo, quod utroque praesente arbitratus est, arbitrio paritum non esset. *Paul. ib.* 6, 1, 35. Alioquin nec rem arbitrabitur judex mihi restitui. Ad hanc significationem pertinet formula *arbitrari fidem alicui*, i. e. fidem habere: locutio petita ab arbitris, qui arbitrando, hoc est sententiam dicendo aliquid alicui adjudicant. *Pl. Bacch.* 3, 6, 41. Si pergis parum mihi fidem arbitrarier. *Appul. Apol.* Cui ego fidem arbitratus, causam morbi esse, etc. [*Sic habet *ed. Vulc.* p. 500. Sed in *Elmenh.* p. 306, 38. sic legitur: cui ego fidens, arbitratus etc.] ℙ Judicandi sensu usurpatur etiam passive, ut infra dicetur. Ceterum verbo *arbitror* uti solebant etiam testes, licet jurati aliquid deferrent. *Cic. Font.* 9. Qui illud verbum consideratissimum nostrae consuetudinis, *arbitror*, quo nos etiam tunc utimur, cum ea dicimus jurati, quae comperta habemus, quae ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit, atque omnia se scire dixit. Sic apud *Liv.* 3, 13. exstat testimonium M. Volscii per vocem *arbitror* conceptum. Et 4, 40. C. Julius trib. pleb. Sext. Tempanium excitat ad testimonium dicendum his verbis: Sexte Tempani, quaero de te, arbitrerisne, C. Sempronium consulem aut in tempore pugnam iniisse, aut, etc.? ℙ Hinc latiori significatione est omnino i. q. puto, existimo, censeo, opinor, *ἡγοῦμαι*. *Ter. Eun.* 1, 2, 30. Civemne? *Th.* arbitror: certum non scimus. *Cic. Q. Fr.* 2, 1. Ego, quod ad me attinet (idemque arbitror ceteros) idcirco taceo, quod, etc. *Id.* ad *Brut.* 1, 2. Quinque cohortibus quid se nam facturum arbitratus est? *Id. Cluent.* 63. Tamen, ut arbitror, auctoritate advocatorum adducti in veritate manserunt. *Ter. Eun.* 5, 6, 9. Here, primum te arbitrari, quod res est, velim. ℙ Passive. *Coelius* ap. *Prisc.* 8. p. 792. Ex scriptis eorum, qui veri arbitrantur, *ὑπολαμβάνονται*, existimantur, ut *Prisc.* exponit. *Ulp. Dig.* 4, 8, 27. Quia per eum factum est, quo minus arbitretur, *h. e.* arbitri sententia feratur. Et *ib.* 11, 7, 12. Sumptus funeris arbitrantur pro facultatibus, vel dignitate defuncti, *h. e.* judicis arbitrio aestimantur. *Pl. Epid.* 2, 2, 82. Continuo arbitretur uxor tuo gnato, *h. e.* oculis velut quaeratur, et prospiciatur [*pertinet igitur ad primam speculandi notionem]: qua ratione *prospicere alicui maritum* dixit *Plin. ep.* 1, 14. Vel, eligatur, deturque uxor filio tuo: ducta loquendi ratione a judicibus, qui arbitrando aliquid alicui adjudicant. Hinc *Arbitrandus* particip. *Ulp. Dig.* 2, 15, 8. Modus autem pro aetate ejus, qui transigit, arbitrandus est. ℙ Porro passive pro considerare, perpendere. *Gell.* 1, 13. Anceps quaestio, et in utramque partem a prudentibus viris arbitrata est, *h. e.* judicata. ℙ Activa forma. *Pl. Stich.* 1, 2, 87. Probiores, credo, arbitrabunt, si probis narraveris. *Id. Ps.* 4, 2, 57. Te si arbitrarem dignum, misissem tibi. ℙ Particip. *Arbitrans* ap. *Nep. Alc.* 9. Non satis tuta eadem loca sibi arbitrans. *Arbitraturus* ap. *Appul. Met.* 4. p. 148. 8. Suspendit se fenestra, sagaciter prospecturus omnia, praesertim domus attiguae fortunas arbitraturus, *h. e.* exploraturus.

ARBOR, oris, f. *δένδρον*, significat plantas majores et solidiores, ut pinum, quercum, abietem, fraxinum, vitem, et alias hujusmodi, quae altius a terra exeunt, et ramos protendunt. *Cic. Or.* 3, 46. In arboribus truncus, rami, folia sunt, etc. *Id. Fin.* 5, 14. Arbor novella et vetula. *Id. Sen.* 17. Serere arbores. *Id. Div.* 2, 14. caedere. *Id. Att.* 15, 4. Excisa arbor, non evulsa. *Id. Flacc.* 17. Arbor fici. *Liv.* 24, 3. abietis. *Suet. Aug.* 94. palmae. *Pallad.* 5, 5. citri. Et in eod. casu *Suet. Vesp.* 5. Arbor cupressus. *Prop.* 3, 21, 33. Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae, *h. e.* ad quam confugerat, ut se a Baccharum furore tutaretur, ut est apud *Theocrit. Idyll.* 26, 10., vel ut earum sacra specularetur, ut est apud *Eurip. in Bacchis*, 1093. [*Ov. *Met.* 1, 106. arbor Jovis, i. e. quercus. *Id. Fast.* 3, 193. Phoebi, i. e. laurus. *Id. A. Am.* 2, 518. Palladis, i. e. olea. ℙ Plura arborum nomina collecta habes apud *Ov. Met.* 10, 90. *et seqq.* et *Stat. Th.* 6, 98., aliquot apud *Virg. A.* 6, 180., *Sil.* 10, 531. et *Colum.* 7, 9. ℙ Arbores infelices et damnatae religione existimantur, quae neque seruntur unquam, neque fructum ferunt, ut *Plin.* 16, 26, 45. docet. Earum aliquot enumerat *Macr. Sat.* 2, 16. Hinc arbores felices a *Frontone ad Amic.* 2, 6. vocantur, quae baccis et pomis onustae sunt. ℙ *Arbor infelix* dicitur etiam crux. *Liv.* 1, 26, 1. 1, caput obnube, arbori infelici suspende. *Cic. Rabir.* 4. Tu qui in campo Martio crucem ad civium supplicium defigi et constitui jubes. *Id. paulo post.* Tu libentissime commemoras ea verba: Caput obnubito, arbori infelici suspendito? ℙ Per synecdochen dicitur de malo navis, quem *arborem mali* appellat *Virg. A.* 5, 504., ubi *Serv.* advertit eodem modo locutum esse ut *A.* 8. 231., ubi *montem Aventini* dixit. *Paul. Sent. l.* 2. *t.* 3. Nave, vel arbore vi tempestatis amissa. *Lucan.* 9, 332. Arboribus caesis flatum effudere prementem. *Sil.* 3, 129. pendentibus arbore nautis. ℙ Similiter in torculari *arbores* dicuntur bini stipites erecti, et parvo intervallo ita juncti, ut preli lingulam, vel caput recipere possint; (nostrates dicunt *der Baum oder Bengel einer Presse*). *Cato R. R.* 18. Inter duas arbores, quod loci supererit, robore expleto, eo plumbum infundito, superiorem partem arborum digitos sex altam facito, siet. *Plin.* 18, 31, 74. Palis affixa arbori stella, a palis arcas lapidum attollente secum arbore. ℙ Item pro quacumque lignea materia. *Id.* 12, 1, 2. Arbore sulcamus maria, terrasque admovemus: arbore exaedificamus tecta. *Virg. A.* 10, 207. centenaque arbore fluctus Verberat assurgens, *h. e.* centum remis. *Ov. Her.* 12, 8. Pelias arbor, *h. e.* navis Argo. *Stat. Th.* 12, 769. ferrataque arbore magnos Molitur jactus, *h. e.* hasta. ℙ Est etiam nomen marini piscis in Oceano Gaditano, quem in tantum dispansum esse brachiis, veluti ramis, scribit *Plin.* 9, 4, 3., ut ex ea causa fretum nunquam intrasse credatur. ℙ In recto casu dicitur etiam poetice *arbos* pro *arbor*, a *Virg. Ecl.* 3, 56., *G.* 2, 57. *A.* 3, 27. et alibi; ab *Ov. Met.* 2, 212., *Fast.* 1, 153. et aliis. ℙ In obliquis etiam casibus *arbosem* pro *arborem* dixisse olim veteres, testatur *Festus.*

[ARBORĀRIĀ, ae, f. herba, aliter hedera nigra. *Appul. Herb.* 98. *F.*]

ARBORĀRIUS, a, um, adj. ad arbores pertinens, ut *picus arborarius*, hoc est, qui arbores rostro excavat, apud *Plin.* 30, 16, 53. Sic arborarii proventus apud *Solin.* 11. et 23. Et *arboraria falces* apud *Cat. R. R.* 10. et *Varr. R. R.* 1, 22., quibus arbores putantur.

ARBORĀTOR, oris, m. *δενδροτόμος*, qui arbores putat, qui et *frondator* dicitur. *Plin.* 18, 33, 76. Frondem medio die arborator ne caedito. Adde *Colum.* 11, 1. *ante med.*

ARBORESCO, is, n. *δενδρόομαι*, arbor fio, in arborem cresco. *Plin.* 19, 4, 22. In Arabia malvas septimo mense arborescere.

ARBORĒTUM, i, n. *δενδρών*, idem quod arbustum. *Claud. Quadr.* ap. *Gell.* 17, 2. Convalles, et arboreta magna erant. *Gellius* addit *arbustum* celebratius, hoc est usitatius verbum esse.

ARBORĒUS, a, um, adj. qui est arboris, *δενδρώδης*. *Plin.* 16, 36, 65. Arundini Indicae arborea amplitudo. *Id.* 21, 15, 51. Arborea folia. *Virg. G.* 1, 55. Arborei fetus, *h. e.* poma. *Varr. L. L.* 4, 31. Arboreae falces, *h. e.* putatoriae. *Prop.* 3, 14, 28. Arborea coma, *h. e.* frondes. *Ov. Met.* 10, 129. Arborea umbra. *Virg. A.* 1, 194. Cervi cornibus arboreis, *h. e.* magnis.

ARBOS. V. ARBOR.

ARBUSCŪLA, ae, f. *δενδρίον*, parva arbor. *Varr. R. R.* 3, 15. In eo arbusculas esse oportet, quae ferunt glandem. *Colum.* 5, 11. *ad f.* Arbuscula fici. *Id.* 10. Transferre arbusculas. ℙ *Arbuscula crinita*, ob similitudinem, dicitur a *Plin.* 11, 37, 44. apex capitis pavonum. ℙ Est etiam hoc nomine machina quaedam lignea, seu potius machinae pars, apud *Vitr.* 10, 20., et est lignum seu trabecula erecta habens in imo cavitatem, eique insertam rotam cum suo axe, in summo foramina duo, per quae trajiciuntur vectes versandi causa. Hujusmodi machinae subjiciuntur testudinibus, aliisque militaribus machinis, ad eas, cum opus fuerit, quoquoversus ducendas. Graece dicuntur *ἁμαξόποδες*, hoc est curruum pedes, quia iis, tanquam pedibus currus, aliaeque machinae moventur. Figuras habes apud *Baldum in Lex. Vitr.* et apud *Jo. Anton. Rusconi*, *l.* 10. *de Architect. c.* 20. ℙ Nomen proprium cujusdam mimae, apud *Hor. Sat.* 1, 10, 77. et *Cic. Att.* 4, 15.

[ARBUSCŪLAR, aris, n. locus arbusculis consitus. *Not. Tir.* p. 119. Arbuscular. *F.*]

*ARBUSCULOSUS, a, um, adj. *Σύνδενδρος. Gloss. Gr. Lat. B. A.*

ARBUSTĪVUS, a, um, adj. *Arbustivus locus* est id. qui *arbustus*, hoc est arboribus consitus. *Colum.* 3, 13. Ex omni sive arbustivo, sive silvestri loco, quem vineis destinaverimus, omnis frutex, atque arbor erui debet. ℙ *Arbustiva vitis* dicitur, quae arboribus applicatur, ut stare et crescere possit. Tria enim vitium genera enumerat *Colum. Arbor.* 4., primum earum, quae per se stant sine adminiculo; alterum earum, quae humi projecta repunt; tertium earum, quae arboribus alligatae in sublime procedunt. Hinc *arbustiva positio* apud *Eund.* 4, 1. est, qua vitis in altum educitur: cui opponitur *positio humilis.* Et *mustum arbusticum aminaeum* apud *Eund.* 12, 41. quod ex aminaea vite arbori alligata exprimitur.

ARBUSTO, as, a. 1. *δενδροφυτέω*, agrum arboribus consero ad maritandas vites. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 22. Transpadana Italia, praeter supradictas, cornu, populo, tilia, acere, orno, carpino, quercu arbustat agros.

ARBUSTUM, i, n. *δενδρών*, *θάμνος*, locus arboribus consitus, arboretum: et praesertim in quo sunt arbores sustinendis vitibus aptae. *Virg. Ecl.* 1, 40. Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant. *Cic. Sen.* 15. *ad f.* Nec vero segetibus solum et pratis et vineis et arbustis res rusticae laetae sunt, sed etiam hortis et pomariis. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 22. Nobilia vina non nisi in arbustis gigni, et in his quoque laudatiora summis, sicut uberiora imis. V. ibi plura de arbustis. Et *ib.* 11. Transferre ulmum in arbustum. *Colum. Arbor.* 16. Constituere arbustum. *Pallad.* 11, 4. Arbustum facere. [*Cf. *Voss.* ad *Virg. G.* 2, 358. p. 395.] ℙ Translate *expressa arbusto convicia* dixit *Hor. Sat.* 1, 7, 28., hoc est ex pectore expressa, feraci maledictorum. Ducitur allegoria a vindemiatoribus ac frondatoribus, qui dum frondationi, aut vindemiae sunt intenti, in praetereuntes viatores, veluti decussa ex arbore, congerere convicia solent, et ab iis vicissim dictis lacerari. [*Haec artificiosiora. V. *Hdf.*] ℙ Per synecdochen ponitur pro arbore. *Cato R. R.* 7. Copulare vitem arbusto. *Lucr.* 1, 187. E terraque exorta repente arbusta salirent. Adde *ib.* 352.

ARBUSTUS, a, um, adj. arbustum habens, *δενδρήεις*. *Plin.* 10, 29, 41. Larius lacus, amoenus arbusto agro. [*Cic. de Rep.* 5, 2. Ob easque causas agri, arvi et arbusti et pascui lati atque uberes definiebantur, etc. *B. A.*] ℙ *Arbusta vitis* dicitur ab *Eod.* 17, 23, 35. *n.* 25. quae arbori applicata est: quae *arbustiva* etiam appellatur. ℙ *Res arbustiores* dixit *Tert. adv. Marc.* 2, 29., hoc est feliciores et feraciores; sumpta metaphora ab arbustis luxuriantibus: vel robustiores, validiores, quaeque arbustis, non surculis similes sunt. Quidam putant legendum *austeriores:* alii *arbustiviores.*

ARBŪTEUS, a, um, adj. qui est ex arbuto arbore. *Virg. G.* 1, 166. Arbuteae crates. *Id. ib.* 11, 65. virgae. *Ov. Met.* 1, 632. frondes. *Id. ib.* 104. Arbutei fetus, *h. e.* fructus arbuti. *Stat. Th.* 1, 584. clausa arbutei sub cortice libri Membra tepent, *h. e.* arborei, lignei.

ARBŪTUM, i, n. *κόμαρον*, fructus arbuti arboris, qui et *unedo* dicitur. *Lucr.* 5, 938. quae nunc hiberno tempore cernis Arbuta puniceo fieri matura colore. *Virg. G.* 1, 144. cum jam glandes atque arbuta sacrae Deficerent silvae. Adde *ib.* 2, 520. [*et *Voss.* ad h. l., qui non fructus tantum arbuti arbuta dici docet, sed etiam frondes cum fructibus immaturis.] ℙ Pro ipsa arbore arbuti. *Id. ib.* 3, 300. jubeo frondentia capris Arbuta sufficere. *Id. ib.* 4, 181. *de apib.* pascuntur et arbuta passim, Et glaucas salices, etc. ℙ Et per synecdochen pro quavis arbore. *Rutil. Itin.* 1, 31. fontes si mittere vocem, Ipsaque si possent arbuta nostra loqui.

ARBŪTUS, i, f. [*Erdbeerbaum*, Arbūtus Unedo *L.*] *κόμαρος*, arbor folio citro similis, sed raris frondibus, et non deciduis, cujus fructus *arbutum*, et *unedo* vocatur. *Virg. G.* 2, 69. Inseritur vero ex fetu nucis arbutus horrida. *Ov. Met.* 10, 101. pomoque onerata rubenti Arbutus.

ARCA, ae, f. *κιβωτός*, cista, capsa, armarium, ab *arcendo* [*quocum comparandum est gr. *εἴργω*], ut *Varro* docet *R. R.* 4, 28., quod ab ea clausa arceantur fures. Sumitur pro loculo seu sarcophago. *Plin.* 13, 13, 27. Cn. Terentium scribam repastinantem offendisse arcam, in qua Numa situs fuisset. Adde *Val. Max.* 1, 1. *n.* 12. et *Aur. Vict. Vir. ill.* 42. *in f.* et *Inscr.* ap. *Grut.* 482, 2. ℙ De loculo, vel sandapila, in qua cadaver ad tempus reponitur, postmodum perpetuae sepulturae tradendum, est locus *Caji Dig.* 11, 7, 7. Adde *Hor. Sat.* 1, 8, 9. [*Hdf.* ad h. l. conferre jubet *Kirchmann. de funer. Rom.* 2, 8, 9.] et *Lucan.* 8, 736. ℙ Est et arca vestiaria, in qua vestes reponuntur. *Cato R. R.* 11. [*Omnino, quodvis receptaculum, quo quid conditur. *Suet. Cal.* 59. arca ingens rariorum venenorum plena. *Id. Tib.* 63. arca, in qua sortes Praenestinae.] ℙ Frequentissime pro receptaculo nummorum. *Cic. Parad.* 6, 1. Animus hominis dives, non arca appellari solet. *Colum.* 3, 3. Ea res arcam patrisfamilias exhaurit. *Juvenal.* 11, 26. inter *arcam* et sacculum distinguit, ut illa sit locupletum, hic pauperum: Ignoras quantum ferrata distet ab arca Sacculus. ℙ *Ex arca solvere* est praesenti pecunia: cui opponitur *solvere ex mensa*, scil. argentariorum. Colligitur hoc ex *Donato* ad *Ter. Ad.* 2, 4, 13. et ad

Ph. 5, 7, 29., ubi addit, in chirographis addi solere *domo ex arca sua*, vel *ex mensae scriptura*. Haec adnotavit etiam *Brisson. de Formul. l.* 6. Quare *arca* accipitur quodammodo pro pecunia praesenti. Hinc *Cic. Att.* 1, 9. Ne dubitaris mittere et arcae nostrae confidito. Adde *Sen. ep.* 26. *ad f.* ℙ Saepe etiam idem est ac fiscus, hoc est ea, in qua pecunia publica reponitur. *Symm. ep.* 10, 33. Cum fiscus in tempore, quod praebendum fuerat, non haberet ex arca quaestoria. *Cassiod. Variar. ep.* 2, 24. Arca Vicarianae sedis. *Imppp., Valentin., Theodos. et Arcad. Cod.* 12, 50, 4. et *Imppp. Gratian., Valentinian. et Theodos. Cod. Theod.* 8, 1, 12. Arca fiscalis, *h. e.* in quam pecunia publicorum tributorum infertur. *Symm. ep.* 10, 42. Arca vinaria, *h. e.* in qua sunt pecuniae vectigales ex vino. Sic *arca olearia*, et *frumentaria* apud *Hermogenian. Dig.* 50, 4, 1. et *Imppp. Valentinian., Theodos. et Arcad. Cod. Theod.* 12, 11, 2. Eademque ratione *arcam Numinis* dixit *Prud.* περὶ στεφ. 2, 122. publicam Ecclesiae pecuniam intelligens. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 386, 4. ℙ [*Porro dicitur de omnibus, quae aliquo modo arcae formam referunt; dicuntur igitur] *Arcae* loca secretiora et obscuriora, roboreis axibus munita, vel in publico carcere, ad reos custodiendos; vel etiam in privatis domibus, ad coercendos servos. *Cic. Mil.* 22. *ad f.* Servi subito arrepti in quaestionem, tamen separantur a ceteris, et in arcas conjiciuntur, ne quis cum iis colloqui possit. *Festi* etiam verba huc pertinent, in voce *Robum*. Robus quoque in carcere dicitur is locus, quo praecipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis (*h. e.* tabulis in modum arcae compactis) includebatur. ℙ Agrimensoribus *arcae* sunt limites quadrati, in modum arcae constructi: Hinc *arca finalis*, *quadrifinalis*, *arca trifinii*, etc. apud auctores *Rei Agrar.* p. 119. 221. 223. 271. *Goes.* et alibi passim. Alii tamen his in locis *arcas sepulcrales* intelligunt in agrorum finibus locatas, quae terminorum vices supplerent. ℙ Praeterea *arca* dicitur machina lignea ex trabibus tabulisque in modum arcae compacta, sed sine fundo, quae in aquas demittitur; ejusque medium spatium (exclusa haustoriis machinis aqua) congestis caementis aliaque materia impletur: qua ratione fundantur moles ad concludendos portus muniendosque contra impetum fluctuum. *Vitr.* 5, 12. ℙ Denique *arca* in tectis aedium videtur esse universa dispositio trabium, quae tectum sustinent: referunt enim opercula arcarum sepulcralium, quae fastigiata in modum culminis tecti visuntur. *Vitr.* 6, 3. et 4. ℙ In quadam *Inscript.* optimae notae apud *Grut.* 1033, 8. legitur *arka*.

*ARCA, ae, Ἄρκα, oppidum Phoeniciae. *Plin.* 5, 18. Arcae, arum, audit *Antonin. Itin.* Hinc Arcenus, a, um, *Lamprid. Al. Sev.* 1. et 5. Arcena urbs. *B. A.*

ARCADES. V. ARCAS.

ARCADIA, ae, f. Ἀρκαδία, regio in meditullio Peloponnesi, pars Achajae, a mari undique remota, habens a Sept. Achajam propriam, a Mer. Messeniam, ab Or. Argiam et Laconiam, ab Occ. Elidem. Dicta est ab Arcade Jovis filio ex Callisto Lycaonis filia, qui Pelasgos in deditionem redegit. Dicta etiam est *Lycaonia*, a Lycaone rege patre Callistus; item *Parrhasia*, a Parrhasia ejus urbe, et regione; item *Pelasgia*, a Pelasgo rege sapiente viro, qui cultioris vitae populis illis auctor fuit, et victum ex stirpibus herbarum, arborumque frondibus transtulit ad glandem, maximeque ad fagineam. Tota montosa est, habetque asinos procerissimos, qui ob corporis magnitudinem in proverbium abierunt. V. ARCADICUS. Habet et lapidem ἄοβεστον, hoc est inexstinguibilem. *Plin.* 4, 6, 10., *Solin.* 7. et *Stat. Th.* 4, 284. et sqq.

[ARCADIACUS, a, um, adj. id. q. Arcadicus. *Not. Tir.* p. 181. Arcadiacus. *F.*]

ARCADICUS, a, um, adj. ad Arcadiam pertinens. *Liv.* 1, 5. A Pallanteo, urbe Arcadica, Palatium appellatum. *Pl. Asin.* 2, 2, 67. Asinos Arcadicos vendere. *Juvenal.* 7, 160. Arcadicus juvenis, *h. e.* bardus, stupidus: et alludit ad asinos, qui maximi in Arcadia sunt: qua de re etiam *Pers.* 3, 9. Arcadiae pecuaria rudere credas.

ARCADIUS, a, um, adj. Arcadicus, Ἀρκάδιος. *Sen. Herc. Fur.* 229. Arcadia quatere nemora Maenalium suem. *Mart.* 9, 104. Arcadius aper. *Sen. Oedip.* 477. Arcadium sidus, *h. e.* Ursa. *Prop.* 1, 18, 20. Arcadius Deus, *h. e.* Pan. *Stat. Th.* 7, 39. Arcadius galerus, *h. e.* petasus Mercurii, qui in Cyllene, Arcadiae monte natus dicitur, et aliger Arcas ab *Eod. Silv.* 3, 3, 80. appellatur. *Ov. Fast.* 1, 462. Arcadia Dea, *h. e.* Carmenta Evandri mater. *Id. Am.* 3, 6, 30. Arcadia virgo, *h. e.* Arethusa venatrix nympha Arcadiae. *Stat. Th.* 2, 70. Arcadia virga, *h. e.* virga Mercurii.

[ARCAE, arum, f. plur. nunc *Arce*, urbs Volscorum in Italia, inter Arpinum et Fabrateriam in monte sita. *Inscr.* in *Bibliot. Analit. Napol. Giugno.* 1814. p. 350. . . . . do Dec. et plebs Arkarum (*archaice* pro Arcarum) patrono. *F.*]

ARCANE. V. ARCANO.

[ARCANI, orum, m. plur. incolae Arcarum, urbis Volscorum. *Liv.* 8, 19. Legati Fabraterni et Lucani (lege *Arcani*) Romam venerunt, orantes, ut in fidem reciperentur. *F.*]

ARCANO, adv. occulte, ἀποῤῥήτως. *Caes. B. C.* 1, 19. Ipse arcano cum paucis familiaribus suis colloquitur. *Pl. Trin.* 2, 4, 117. Arcano tibi ego hoc dico, ne ille ex te sciat. *Cic. Att.* 16, 3. Hunc tu translatum in macrocolum, lege arcano convivis tuis. Ita legisse videtur etiam *Charis.* 2. p. 173. et 179. Alii perperam leg. *lege in Arcano convivis tuis*, hoc est in villa Q. Fratris, quae *Arcanum* appellabatur, de qua V. ARCANUM. ℙ *Arcane* pro *arcano*, et inde *arcanius*, *arcanissime* non probantur ab eodem *Charis. l. c.* Nihilominus videtur *arcanius* usurpasse *Colum.*, cujus haec verba sunt 3, 2. *in f.* Sed de hac sententia, quamquam et ipse paulo ante idem censuerim, quid tamen arcanius judicem, suo loco mox dicam, *h. e.* quale sit occultius judicium meum et nulli adhuc manifestatum.

ARCANUM, i, n. nempe praedium: fuit villa Q. Ciceronis, ad orientem urbis Arcarum in loco declivi, [qui nunc *Fontana buona*, et *Casa di Cicerone* appellatur, ubi anno 1814. plurimae inscriptiones repertae, quae gentem Tulliam memorant. *Cic. Q. Fr.* 3, 1. In Arcano a. d. IV. Id Sept. fui: ibi Messidium cum Philoxeno, aquamque, quam ii ducebant non longe a villa, belle sane fluentem vidi, praesertim maxima siccitate: uberioremque aliquanto sese collecturos esse dicebant. Adde *ib.* 3, 9. et *Att.* 10, 2. *F.*]

ARCANUS, a, um, ἀποῤῥήτος, occultus, secretus, ignotus, tacendus. *Festus:* Arcani sermonis significatio trahitur sive ab arce, quae tutissima pars est urbis; sive a genere sacrificii, quod in arce fit ab auguribus, adeo remotum a notitia vulgari, ut ne litteris quidem mandetur, sed per memoriam successorum celebretur: sive ab arca, in qua quae clausa sunt, tuta manent: cujus ipsius origo ab arcendo pendet. *Cic. Fin.* 2, 26. At quicum joca, seria, ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta omnia? Tecum optime: deinde etiam cum mediocri amico. *Virg. A.* 4, 422. arcanos tibi credere sensus. *Id. ib.* 6, 72. Arcana fata. *Plin. Pan.* 34. Secretae et arcanae opes. Et 49. Arcana cubilia. *Mart.* 5, 84. Popina arcana. *Tac. A.* 2, 54. Arcanus fons. *Id. G.* 40. Arcanus terror. *Id. A.* 12, 47. Arcanum foedus, *h. e.* sacrum: sacra enim celari mos est. *Mart.* 7, 27. Arcanum garum, *h. e.* reconditum et exquisitum. [**Liv.* 31, 18. arcana consilia.] ℙ In specie de eo dicitur, quod occultam et magicam atque adeo sacram vim habet. *Stat. Silv.* 3, 4, 92. arcanos iterat Cytherea liquores. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 402. arcano perfudit robora succo. [*Eodem refer *Sil.* 2, 427. infernis Hannibal aris Arcanum Stygia libat cum vate cruorem, ubi ideo cruor ille arcanus appellatur, quod in fossam magicam infunditur. V. *Heins.* Omnino *arcana sacra* saepissime dicuntur. Locos collegit *Bentl. ad Hor. od.* 3, 2, 26. In specie arcana sacra *Tac. G.* 18, 6. de ritibus solennibus nuptiarum dicuntur, quod aliorum sententiis praeferimus. Etiam ad personas refertur. *Hor. l. l.* arcana Ceres, ubi V. *Bentl.*] ℙ Porro dicitur de eo, qui tegit, ut nox arcana apud *Ov. Her.* 9, 40. et *Stat. Silv.* 1, 3, 71. Sic *Plin.* 7, 52, 53. *ad f.* Petiit, ut aliquem ex arcanis mitteret, *h. e.* ex iis, qui fidi erant, et arcana servabant. Quod vero quaedam edition. hab. *a caris*, rejicit *Hard.* ex constanti MSS. auctoritate. *Pl. Trin.* 2, 4, 155. Cave sis, dixeris, me tibi dixisse hoc. *Ph.* dixisti arcano satis. ℙ *Arcanus* dictus est Juppiter, quia infans arcano subductus patri Saturno eum vorare cupienti, Curetum diligentia servatus est, et ob id aliquando arcanis sacris cultus. Hoc cognomine is appellatus est Praeneste. *Inscr.* ap. *Don.* p. XLI. P. Acilio P. F. Men. Paullo cultores Jovis arkani etc. Adde aliam apud *Fabrett. c.* 5. *n.* 352. ℙ *Arcanum* absolute pro re arcana, et tacenda. *Virg. A.* 7, 123. Arcana fatorum. *Tac. A.* 2, 59. Arcana dominationis. Et 36. imperii. *Id. ib.* 6, 21. Indicem arcani esse. *Plin. Pan.* 23. Proferre arcanum. *Juvenal.* 9, 116. prodere. *Curt.* 4, 6. celare. *Id.* 6, 10. tacere. *Hor. Ep.* 1, 18, 37. scrutari alicujus. Et *ib.* commissum tegere. *Id. Od.* 1, 28, 9. Admittere aliquem arcanis. *Id. Sat.* 2, 1, 30. Credere alicui arcanum. [**Liv.* 23, 22. si quid unquam arcani sanctive ad silendum in curia fuerit.]

ARCARIUS, ii, m. *Arcarii* dicuntur, qui accepta et expensa arcarum tractant (*Cassirer*). *Lampr. Alex. Sev.* 43. Arcarios instituit, qui de arca fisci ederent munera. Sic Arcarius Pontificialis apud *Symm. ep.* 1, 62. [*Fragm. jur. antejustinian.* a *Maio* edita p. 38. Arcarii Caesariani, qui in foro Trajani habent stationes, ex sacris constitutionibus multifariam emissis habent immunitatem. *F.*] ℙ In familia etiam *arcarii* dicuntur servi, qui domini pecuniam administrant. *Scaev. Dig.* 40, 5, 41. Stichus arcarius, probante domino, nomina fecit, etc. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 641, 7, 8. [*Addiderat *Forc.* arcarium esse etiam arcarum artificem, laudans *inscr.* ap. *Grut.* 641, 7. sed correxit *Furl.*, quoniam h. l. de servis illis, quos describit, intelligendum est.]

*ARCARIUS, a, um, adj. qui ex arca promitur. *Gajus. Instit. l.* 3. §. 131. *edit.* a *Goeschenio*. Alia causa est eorum nominum, quae arcaria vocantur; in his enim rerum, non litterarum obligatio consistit: quippe non aliter valent, quam si numerata sit pecunia; numeratio autem pecuniae jure naturali facit obligationem: qua de causa recte dicemus, arcaria nomina nullam facere obligationem, sed obligationis factae testimonium praebere. Unde proprie dicitur, arcariis nominibus etiam peregrinos obligari, quia non ipso nomine, sed numeratione pecuniae obligentur, quod genus obligationis juris gentium est. V. ARCA. *B. A.* et *F.*

ARCAS, ădis, m. Ἄρκας, nomen Jovis filii ex Callisto, a quo Arcades originem ducunt. *Hyg. fab.* 176. et *Astron.* 2, 4. ubi addit, post mortem translatum esse in coelum, et factum sidus prope Ursam. V. ARCTOPHYLAX. ℙ Est etiam adj. omn. gen. et significat eum, qui est ex Arcadia. *Mart.* 5, 66. Nemeae terror, et Arcas aper. *Virg. A.* 12, 517. Et juvenem exosum nequidquam bella Menoetum Arcada. *Stat. Th.* 7, 94. Arcadas aras adire. *Id. Silv.* 5, 2, 123. Arcadas metas versare. *Sil.* 6, 636. Arcas mater. ℙ *Arcades, dum, οἱ Ἀρκάδες*, Arcadiae populi. *Virg. Ecl.* 10, 32. soli cantare periti Arcades. *Id. A.* 10, 397. Arcadas accensos monitu et praeclara tuentes. ℙ Arcades vetustate gentis adeo gloriari soliti sunt, ut ante solem et lunam natos se dicerent. Cujus fabulae causam affert *Censorin. die natal.* 19. his verbis: Arcades trimestrem annum primo habuisse dicuntur, (quod et *Plin.* tradit 7, 48, 49.) et ob id προσέληνοι sunt appellati; non, ut quidam putant, quod ante nati sint, quam lunae astrum, sed quod prius habuerint annum, quam is in Graecia ad lunae cursum constitueretur. *Ov. Fast.* 2, 289. Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur Arcades: et luna gens fuit illa prior. V. *Stat. Th.* 4, 275. et sqq. ℙ *Arcas pius* apud *Mart.* 9, 35. est Mercurius, qui natus est in Cyllene Arcadiae monte. Adde *Lucan.* 9, 661. Et absolute *Stat. Silv.* 5, 1, 106. tardumque sub astris Arcada linquit. ℙ Denique ab *Eod. Th.* 8, 745. et 12, 805. et 806. Arcas dicitur Parthenopaeus filius Atalantae Arcadis, et Meleagri.

ARCATURA, ae, f. arcae structura: et sumitur pro limite agrorum. *Cassiod. Variar.* 3, 52. Miramur, fuisse litigatum, quod aut terminis testibus, aut jugis montium, aut fluminum ripis, aut arcaturis constructis, aliisque signis evidentibus constat esse definitum. V. ARCA.

[ARCEBION, i, n. quaedam herba apud *Plin.* 22, 21, 25. Est et alia herba proprio nomine onochiles, quam alii anchusam vocant, alii arcebion. *F.* **Dioscor.* ἀλκιβιάδιον appellare putatur.]

ARCATUS. V. ARQUATUS.

ARCELA. } V. v. seq.
ARCELACA. }

ARCELLA, ae, f. κιβώτιον, parva arca, arcula. *Festus* in *Arca*. Arca diminutivum facit arculam, et arcellam, ut a porco porculum et porcellum, etc. Hinc non semel legitur apud rei Agrariae scriptores, qui tum *arcellam*, tum *arcam* inter varias limitum agrariorum formas enumerant. *Frontin. de Colon.* p. 119. *Goes.* Adde p. 260. et 308. V. ARCA. ℙ *Arcellam*, vel, ut alii edidere, *arcelam* inter vitium genera enumerat *Colum.* 3, 21., quam quidam putant dictam esse tanquam diminutivum ab *arcera*, quod ramis sese curvantibus, in similitudinem arcerae, disponi ab agricolis soleat. *Id. Colum. ib.* 2. et 7. recenset itidem inter vites *arcellatam*, vel, ut in aliis editionibus legitur, *arcelatam*, seu *arcelacam* [*sic *Schneider.*]: quam dictam existimant pro *arculatam*, hoc est in modum arcus dispositam. Alii *arcellatam* exponunt arcella circumdatam, nempe quo radices terra tectiores et tutiores sint. Sane *arcella* seu *arcela*, et *arcellata* seu *arcelaca* idem omnino vitis genus significare apud *Columellam* videntur: sed unde dictae sint, et quam tandem vitem designent, definire est admodum difficile.

[ARCELLARIUS, a, um, adj. Lapis ex *Pighio* apud *Begerum* in *Spicilegio Antiquit.* p. 103. Atriensis arcellarius, fere idem ac topiarius. Arcellarii simpliciter non dicuntur, sed atrienses arcellarii. Hi ab *arcellis* dicti videntur, uti *Arcarii* ab *arcis*. *F.*]

ARCELLULA, lae, f. diminutivum ab *arcella:* quo usi sunt veteres teste *Diomede* 1. p. 313.

*ARCENUS V. ARCA.

ARCEO, es, arcui, a. ab ἀρκέω, propulso, quod idem significat q. ἔργω vel εἴργω, prohibeo, veto, ne aliquis accedat, removeo, prohibeo, defendo: tum proprie, tum translate. *Plin.* 12, 1, 5. Platanus solem aestate arcet, hieme admittit. *Cic. Phil.* 5, 13. *ad f.* Qui illum non ut consulem recepit, sed ut hostem arcuit Gallia. *Id. Phil.* 1, 40. *in f.* Non enim te dominus modo illis sedibus, sed quivis amicus arcebit. *Id. Leg.* 2, 10. Quid est, cur paupertatem Deorum aditu arceamus? *Id.*

Cat. 1. *in f.* Tu Juppiter, hunc a tuis aris, a tectis urbis, a moenibus, a vita fortunisque civium arcebis. *Id. Leg.* 1, 14. Si homines ab injuria poena, non natura arcere deberet. *Id. Off.* 1, 34. Adolescentia a libidinibus arcenda est. *Id. Phil.* 11, 2. Arcere aliquem progressu. *Id. Tusc.* 1, 37. aliquem reditu. *Vell.* 2, 32. *extr.* aliquem rapinis, *h. e.* impedire, ne rapinas faciat. *Virg. A.* 8, 73. aliquem periclis. *Hor. Ep.* 1, 8, 10. quempiam veterno funesto, *h. e.* veternum ab eo propulsare. *Cic. Parad.* 3, 2. homines ab improbitate. *Ov. Trist.* 3, 10, 19. frigora pellibus et braccis sutis. *Tac. A.* 1, 39. vim extremam. *Liv.* 3, 8. bellum. *ib.* populationes. *Id.* 26, 20. Punica classis Tarentum adcita ad arcendos commeatus praesidii Romani. [**Tac. H.* 4, 64. terras et coelum clauserant Romani, ut colloquia congressusque nostros arcerent.] ℙ Cum accusativo et dativo. *Virg. G.* 3, 155. asilum Arcebis gravido pecori. [*i. e. a pecore. Cum accusativo dictum vult *Ernest.* apud *Liv.* 26, 41, 6. arceamus *transitum* hostis, quod explicat per: *transeuntes hostes.* Vide *Gloss. Liv.* Habet autem *arceamus transitu hostes Drak.*, quem cf.] ℙ Cum infinito. *Ov. Pont.* 3, 3, 56. Quam lex furtivos arcet habere viros. *Id. Met.* 3, 88. plagamque sedere Cedendo arcebat. *Stat. Silv.* 2, 1, 34. nec te lugere severus Arceo. *Id. Th.* 1, 455. tecto coelum prohibere quis iste Arcuit? Adde *Sil.* 13, 341. et 5, 51. et *Sen. Hipp.* 806. [**V. Gron. elenchus antidiatr.* II. p. 264. *ed. Hand.* Sic adeo *Tac. A.* 3, 7. ubi V. intpp.] ℙ *Arcere aquam pluviam* est impedire, ne e suo alveo exeat, et vicini fundo noceat: qua de re V. JCtos *Dig.* 39. *tit.* 3., qui est *De aqua et aquae pluviae arcendae. Cic. Mur.* 9. *in f.* Ille scit, ut hostium copiae, tu, ut aquae pluviae arceantur. ℙ Pro coercere, hoc est continere, ut *Festus* docet, *ἀρκέομαι. Cic. N. D.* 2, 54. Alvus arcet et continet, sive illud aridum sit, sive humidum, quod recipit. *Id. Somn. Scip.* 4. Orbis coelestis extimus, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse Deus, arcens et continens ceteros. *Id. Tusc.* 2, 21. Hos quidem ut famulos, vinclis ac custodia arceamus. *Id. N. D.* 2, 60. *in f.* Flumina arcere, dirigere, avertere, *h. e.* ripis coercere. ℙ Translate. *Cic. Har. resp.* 3. Videbam illud scelus tam importunum, audaciam tam immanem adolescentis furentis non posse arceri otii finibus: erupturum illud malum aliquando ad perniciem civitatis. ℙ *Arcere familiam* est coercere, in officio continere, apud *Fest.* in *Noverca*, ubi ait: Noverca dicitur, quam quis sublatis liberis novam uxorem ducit arcendae familiae gratia. *Id.* in *Arcere* hanc eandem notionem jam docuerat, ut dictum est. Alii leg. *augendae*, alii *arcessendae.* ℙ Lepidus est jocus in illo *Plauti Mil. a* 5. *v.* 33. Si posthac prehendero ego te hic, arcebo testibus, *h. e.* coercebo, puniam testiculos tibi avellendo; simulque ludit in ambiguo: posset enim et hoc modo explicari: propulsabo te hinc testibus adhibitis, et domum meam ultra accedere prohibebo, tamquam adulterum. ℙ Videtur etiam aliquando usurpari pro arcessere, accire. *Cic. Quint.* 22. Praestituendae horae ad arbitrium nostrum: judex ipse arcebitur. *Arcessetur* plerique habent: alii quidam mallent *arcibitur* ab *arcio* pro *accio.* [**Orell.* retinuit *arcebitur.*] *Festus* in *Sagmina.* Sagmina vocantur verbenae, id est herbae purae, quia ex loco sancto arcebantur a consule, praetoreve legatis proficiscentibus, etc. Alii exponunt, ex arce vellebantur. V. *Liv.* 1, 24. et 30, 43. ℙ Supinum *arcĭtum*, et per syncopen *arctum*, seu *artum*, quod ab *arceo* derivare volunt Etymologi, non est in usu: nisi quod *coerceo* facit *coercitum.* ℙ [**Confunduntur saepissime *arcere* et *arguere*, (*arcuisse, arguisse*), qua de re V. *Drak.* ad *Liv.* 6, 25. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 120. *Burm.* ad *Ov. Met.* 2, 505. et quae ibi laudat.]

ARCĔRA, ae, f. *φορεῖον*, ab *arca* deducitur, ut docet *Varr. L. L.* 4, 31. *ad f.*, et significat plaustrum tectum undique ex tabulis, quasi arca quaedam magna: quo vehiculi genere senes et aegroti cubantes vectabantur. Ante lecticas in usu fuit, et his inventis postea desiit. Cum eam adhiberi opus erat, stragula veste sternebatur. Hinc illud *in leg. XII. Tab.* apud *Gell.* 20, 1. Si in jus vocat; si morbus aevitasve vitium esit (*h. e.* erit), qui in jus vocabit, jumentum dato, si nolet, arceram ne sternito. Et *Varro* ap. *Non.* 1, 270. Vehebatur cum actore vehiculo senex, aut annosus, cui arceram, si non vellet, non sterneret. *Id. Non. ib.* testatur etiam Ciceronem hoc vocabulo usum esse.

ARCĔRĀNĔĀ. V. ATTERRANEA.

*ARCESĪLAS, ae, vel Arcesĭlāus, i, m. Academicus, Polemonis discipulus, ex Pitane Aeoliae civitate oriundus. *Cic. Or.* 3, 18. *Id. Acad.* 1, 12. et 4, 24. et *De Fin.* 5, 31. *Mela* 1, 18. *Sen. Ben.* 2, 10. *Pers. sat.* 3, 78. *Lactant. de Instit.* 3, 5, 6. Cf. *Laert.* 4, 28. sqq. *B. A.*

*ARCESILĀUS, i, m. *Ἀρκεσίλαος*, pictor insignis, Tisicratis filius. *Plin.* 35, 11. ℙ Item sculptor apud *eund.* 36, 5. ℙ Arcesilaus, philosophus. V. Arcesilas. *B. A.*

ARCĔSĬUS, i, m. *Ἀρκείσιος*, filius Jovis, pater Laertae patris Ulyssis. *Ov. Met.* 13, 144. Nam mihi Laertes pater est, Arcesius illi. Alii perperam leg. *Acrisius.* ℙ *Arcesius* dicitur Mercurius in *Inscr.* ap. *Grut.* 53, 10. *ἀπὸ τοῦ ἀρκέσαι καὶ βοηθῆσαι*, quod victum et vitae necessaria reliqua sufficiat, auxilium in omnibus suppeditet, et rem familiarem augeat, inquit *Reines.* ad *Inscr. cl.* 1. *n.* 81. Apud *Grut.* est *Arcecius*, ductum ab arcendis malis; quod minus placet.

ARCESSĬTOR, oris, m. qui arcessit, seu vocat. *Plin. ep.* 5, 6. *in f.* Nemo arcessitor ex proximo. ℙ Item qui accusat. *Ammian.* 29, 1. *in f.* Verba placentia arcessitori loqui.

ARCESSĪTUS, us, m. vocatus. *Cic. N. D.* 1, 6. Cum ad eum ipsius rogatu arcessituque venissem. *Pl. Stich.* 2, 3, 3. Salve: tuo arcessitu venio huc. *Ammian.* 31, 10. Docet, arcessitu Valentis Gratianum mox signa moturum. ℙ Extra ablativum casum exempla nondum vidimus.

ARCESSĪTUS, a, um, part. ab *arcesso*, vocatus, invitatus, adscitus. *Liv.* 3, 9. *extr.* Consules extemplo arcessiti. *Prop.* 3, 15, 13. Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis Arcessitus erit somnus in ossa mea. *Hor. Sat.* 2, 3, 261. Quo rediturus erat non arcessitus. *Justin.* 11, 10. *in f.* Arcessitis auxiliis. *Colum.* 2, 16. Arcessita et advecta humus. ℙ Translate est longius petitus, affectatus, de industria quaesitus. *Cic. Or.* 2, 93. Cavendum est, ne arcessitum dictum putetur. *Petr. Sat.* 139. Arcessito sermone lassare aliquem. *Suet. Cl.* 21. Frigida et arcessita joca. *Quint.* 2, 4. Arcessitae descriptiones. *Id.* 9, 3. Innatus, non arcessitus. ℙ Scribitur et *accersitus. Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 581. *n.* LXXXVI. Qui bixit Ann. IIII. M. VIII. Dies V. Accersitus ab Angelis VII. Id. Jan.

ARCESSO, is, ivi, itum, a. 3. *προσκαλέω, μεταπέμπω*, advoco, adducendum seu afferendum curo. In praeteritis est quartae conjugationis, in aliis temporibus tertiae, ut *capesso, lacesso:* in infinito activo fere est tertiae; in passivo utriusque: ita enim usus obtinuit. [*Infin. passivi *arcessivi* a multis improbatus, defenditur ab *Heusing. obss. antib.* p. 451., laudante *Caes. B. G.* 5, 11. *Sall. Jug.* 62. *Nep. Att.* 21. (quibus locis nonnulli editorum *arcessi* scribendum curarunt); praeterea *Curtii, Frontini, Livii*, locos enumerat, quibus *Döderl. lat. Synon. und Etym.* P. III. p. 282. alia addit, quem V. Praeterea cf. *Drak.* ad *Liv.* 3, 45. et contra eum *van Staveren.* ad *Nep. Att.* 21.] *Cic. Att.* 1, 18. Te exspectamus, te desideramus, te etiam arcessimus. *Id. Rosc. Am.* 18. Cum ab aratro arcessebantur, qui consules fierent. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 2. Chilonem arcessiveram Venafro. *Id. in Senat.* 11. Quo die nos comitiis centuriatis arcessivit in patriam. *Nep. Att.* 21. Agrippam generum ad se arcessiri jussit. *Liv.* 3, 45. Placere itaque, patrem arcessi. [*al. *arcessiri*] *Pl. Cas.* 3, 2, 1. Ut properarem arcessere hanc ad me vicinam meam. *Id. Cist.* 1, 3, 48. Jussit arcessi eam domum. *Cic. Att.* 15, 13. Qui nunciaret Bassum arcessi, Cassium exspectari. *Pl. Rud.* 4, 4, 12. Abiisti hinc herum arcessitum. *Id. Cas.* 3, 4, 10. Dixeras, tuam arcessituram esse hinc uxorem meam. *Plin.* 29, 1, 8. Arcessere aliquem a Gadibus. [*Notandus est *Livii* locus 32, 32. factio arcessit Romanos, i. e. effecit seditione sua, ut Romani ad se opprimendam accurrerent. Ita *Gloss. Liv.*] *Caes. B. G.* 1, 31. quempiam mercede, *h. e.* conducere. *Colum.* 6, 2. *ad f.* boves ex longinquo. *Cic. Att.* 16, 11. librum alicujus. *Id. Fam.* 7, 23. aliquid vectura. *Pl. Bacch.* 2, 3, 120. aurum. *Sall.* apud *Prisc.* 10. p. 902. aurum mutuum. *Tac. H.* 4, 71. tormenta aut missilia tela. ℙ *Arcessere sibi malum jumento suo* proverbialiter dicitur a *Pl. Amph.* 1, 1, 171. pro sua opera sibi ipsi calamitatem et damnum creare. Itali dicunt simili, non eadem sententia, *aguzzarsi il palo in sul ginocchio.* ℙ Saepe sumitur pro in judicium vocare, et reum facere, accusare, *Cic. Off.* 2, 14. Arcessere innocentem judicio capitis. *Id. Dejot.* 30. aliquem capitis. *Id. Rabir. perd.* 9. quempiam in summum capitis periculum aliquo crimine. *Sall. Jug.* 37. aliquem pecuniae captae, *h. e.* accusare, quod pecunia se corrumpi siverit. *Tac. A.* 2, 50. majestatis. *Id. ib.* 4, 29. tumultus hostilis. [**Suet. Tib.* 53. simulans, se veneni arcessi (al. *arcessiri*) i. e. insimulari; etenim si quem accusamus, ei aliquid culpae damus; sed posuit alterum. V. *Wolf.* et *Brem. Id. Claud.* 37. arcessi (etiam h. l. alii *arcessiri*) statim ac mori jussus est, i. e. accusari mortique dari. Ita *B. Crus.* Aliter *Brem.*, qui *arcessi* primaria significatione capit.] Sic metaphorice *Nigid.* ap. *Gell.* 19, 14. Graecos inscitiae. ℙ Urbane, aut translate elegantes habet usus. *Cic. Or.* 2, 27. A capite, quod velimus, arcessere, et unde omnia manant videre, *h. e.* petere. *Id. Top.* 9. Cum a genere ducetur argumentum, non erit necesse, id usque a capite arcessere, *h. e.* repetere. *Id. Or.* 3, 38. *in f.* Translationes orationi splendoris aliquid arcessunt, *h. e.* augent, conciliant. *Petr. Sat.* 37. Longe arcessere fabulas. *Curt.* 10, 5. divinos honores, *h. e.* quaerere, captare. *Id.* 8, 13. *in f.* gloriam ex periculo. *Cels.* 3, 18. somnum medicamentis. ℙ Legitur et *Accerso* in optimis libris multis tum MSS. tum editis: defenditurque a nonnullis doctis viris. *Charis.* 1. p. 227. et *Diomed.* 1. p. 375, quos non pauci posterioris aetatis grammatici secuti sunt, ita distingunt, ut *accerso*, vocare significet, *arcesso*, accusare. Verum *arcesso* multo firmiora habet argumenta: deducitur enim ab *arcio* pro *accio*, quod *advocare* significat, ex *ad* et *cio* (*ar* autem supra monuimus pro *ad* usurpari, praesertim in compositis) Quam etymologiam probant *Prisc.* 1. p. 559., *Velius Longus* p. 2252., *Manut.* ad *Cic. Fam.* 7, 23., *Voss. Etymol.*, et alii quamplurimi. Praeterea antiquiores multo sunt codices, in quibus *arcesso* legitur, ut *Manut. l. c.* et *Pier.* ad *A.* 10, 11. testantur. Quod vero discrimen docuerunt *Charis.* et *Diomed.*, sane nullum id est, cum passim *arcessere* et pro vocare, et pro accusare usurpatum legatur: nam et qui accusat, in judicium vocat. Et quod *Diomed. arcesso* ab *arceo* derivat, futile videtur et absurdum, cum *arceo* contrariam habeat significationem. Plura V. apud *Voss. Etym.* et *Dausq. Orthogr.* [*Etiam recentiore tempore de h. v. lites motae sunt, cf. *Fea* ad *Hor. ep.* 1, 5, 7. *Drak.* ad *Liv.* 9, 9, 12. *Lagomars.* in *nott.* ad *Poggium.* (in *Seebod. misc. crit.* II, 3. p. 433. sqq. quorum plurimi *arcesso* defendunt, derivantes illud cum *Prisc.* l. l. et *Forc.* ab *arcio* s. *accio.* His accessit *Lindem.* ad *Cic. Inv.* 2, 31. qui cum hac derivatione comparat similem v. *lacio* unde *lacessere.* Has lites nuperrime componere studuit *Döderlein.* in libro saepius nobis laudando: *lat. Synon. und Etymologien*, P. III. p. 281. sq. ita quidem, ut utramque formam linguae legibus haud repugnare asserat. Negat enim derivari posse ab *cio*, et esse potius *arcessere* (*accersere*) frequentativum verbi *accedo* (*arcedo*) ut *incessere* intensivum sit v. *incedere;* usurpari autem causativa signif., qua etiam *incessere* reperiatur. Plura V. apud ipsum. Egregie sane ita intelligitur, cur in optimis nonnullis iisque antiquissimis libris scriptum reperiatur *accerso* (v. *Manut.* l. l.). Simul vero etiam analogia ejus sententiam valde commendat.] ℙ [Particip. *Arcessens* apud *Liv.* 38, 30. Jamdiu arcessentibus Aegiensibus. *Arcessiturus* v. supra. *Arcessendus* apud *Liv.* 10, 47. Inventum in libris, Aesculapium ab Epidauro Romam arcessendum. *F.*]

*ARCEUTHINUS, a, um, *ἀρκεύθινος*, juniperinus. *Vulgat.* 2. *Paralip.* 2, 8. Ligna arceuthina. *B. A.*

*ARCHAEOPŌLIS, is, f. *Ἀρχαιόπολις*, oppidum olim in Lydia. *Plin.* 5, 29.

[ARCHAEUS, a, um, adj. id. q. archaicus. *Vet. Schol.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 1. Hi primi archaeas comoedias scripserunt: nempe Eupolis, Cratinus, Aristophanes. *F.* *Est graecum voc. *ἀρχαῖος*, quod etiam habet *Diomed. A. Gr.* 3. p. 482. archaeae comoediae character, quem locum nobis indicavit *Jahn.*]

ARCHĂĪCUS, a, um, adj. *ἀρχαϊκός*, quidquid ad antiquorum simplicitatem est. *Hor. Ep.* 1, 5, 1. Si potes archaicis conviva recumbere lectis, *h. e.* humili brevique forma. Al. leg. *archiacis*, id est ab Archia artifice sic vocatis. [Haec enim habet *Porphyr. ib.* Archias breves lectos fecit, inde archiaci dicti, sicut a Boeto Boetos dicimus. *Sic legendum. V. *Bentl.*]

ARCHĂISMUS, i, m. *ἀρχαϊσμός*, antiquitas. Figura, qua more veterum loquimur, vel scribimus, ut illud *Ter. Eun.* 4, 3, 7. Nescio quid absente nobis turbatum est domi. Est autem Graeca vox, et Graece scribenda.

*ARCHANGĔLĪCUS, a, um, adj. *Hieron.* in *Isaj. l.* 7. *c*, 17. *v.* 13. Archangelicum fastigium. *B. A.*

ARCHANGĔLUS, i, m. *Ἀρχάγγελος*, angelorum princeps. *Hieron. Rufin.* 1, 6. Archangelus non dicitur, nisi qui prior est angelorum. Adde *Tert. adv. Valent.* 19.

ARCHĒ, es, f. *ἀρχή*, hoc est principium. Unus est ex aeonibus Valentini haeretici, apud *Tert. adv. Valent.* 35. ℙ [Item una ex quatuor Musis ex secundo Jove natis. *Cic. N. D.* 3, 21. ℙ Est quoque cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 7. *n.* XLI. Octavia Arche. *F.*]

ARCHĒBŪLĒUM seu Archēbūlĭum metrum denominatum est a quodam Archebuleo poeta, non quod ipse invenerit, sed quod eo solo carminis genere in suis poematis usus est. Nam et Stesichorus et Pindarus, et Simonides promiscue adhibuerunt. Ejus autem metri tale ponit exemplum *Serv.* in *Centim.* p. 1822. Dea somnifero bona Curriculo relucet. V. *Atil. Fortunatian. ib.* p. 2673. Meminit etiam *Diomed. ib.* p. 513.

*ARCHELĂĪS, idis vel idos, f. Cappadociae urbs et colonia. *Plin.* 6, 3. ℙ Et regio Palaestinae. *Id.* 13, 4. Ita nobilitas in Judaea, nec in tota, sed Hierichunte maxime. Quamquam laudatae et Archelaide et Phaselide, etc. *B. A.*

[ARCHĔLAS vel Archēsĭlas item Archēlāus vel Archēsīlaus, ai, m. princeps populi. Cognomen

Romanum frequens, cujus plura exempla collegit *Marin. Frat. Arv.* p. 691. *F.*]

*ARCHELĀUS, i, m. Ἀρχέλαος, Atheniensis vel Milesius, philosophus, Physicus, Anaxagorae discipulus, praeceptor Socratis. *Cic. Tusc.* 5, 4. Cf. *Laert.* 2, 14. ℙ Item summus astrologus tempore Panaetii. *Id. Div.* 2, 42. ubi alii Anchialus legunt, minus recte. ℙ Et rex Macedoniae, Perdiccae filius, fortunatissimus putatus. *Id. Tusc.* 5, 12. *Justin.* 7, 4. V. *Buherium* ad locum *Cic.* et *Spanhem.* de *Us. et Praest. Numm.* T. I. p. 376. ℙ Alius, rex Cappadociae, qui libellum conscripsit περὶ λίθων, de gemmis scilicet. *Plin.* 37, 3. Invisus fuit Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset. Hinc Liviae literis illectus, postquam in urbem venit, mox in Senatu accusatus, finem vitae, sponte an fato, implevit. *Tac. A.* 2, 42. *Suet. Tib.* 37. *extr. Vell.* 2, 39. ℙ Et Comanorum sacerdos, gener Ptolemaei regis Aegypti, qui Alexandriam, Ptolemaeo Aulete pulso, occuparat. *Cic.* pro *Rabir.* 8. Cf. *Strab.* 12. p. 534. Fuit autem filius Archelai, ducis Mithridatici contra Sullam in Graecia. ℙ Item unus ex Alexandri M. ducibus, cui Susas urbem, ab Abulite deditam, cum praesidio trium millium militum tuendam tradidit. *Curt.* 5, 2. ℙ Archelaus, scriptor physicus inter alia forte rem rusticam tractavit. *Varr. R. R.* 2, 3. et 3, 11, 12. et 16. *Plin.* 8, 50. et 55. Quidam eundem fuisse putant cum Atheniensi vel Milesio philosopho, de quo supra. ℙ Laelius Archelaus Grammaticus. V. Laelius. *B. A.*

*ARCHEMĀCHUS, i, Ἀρχέμαχος, libellum scripsit de rebus Euboicis. *Plin.* 7, 56. *B. A.*

ARCHĒMŌRUS. V. LANGIA.

ARCHĒOTA vel Archiota, ae, m. ἀρχειώτης, archivii curam gerens. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. §. 10. Ei quoque, qui custodes aedium, ut archeotae, vel logographi, vel tabularii, etc. Legitur et *Archiota.*

ARCHĒTYPUM, i, n. ἀρχέτυπον, quod est primigenium, seu primo ab ipso auctore factum: ab ἀρχή, principium, et τύπος, forma, imago: et dicitur saepe de signis et tabulis pictis. *Macr. Sat.* 7, 14. Sic fit ut videatur imago archetypo suo grandior. *Varr. R. R.* 3, 5. Dic alterum genus ornithonis, qui constitutus a te sub Casino fertur, in quo diceris longe vicisse archetypon inventoris nostri, etc. *Plin. ep.* 5, 10. Ut pictores pulcram absolutamque faciem raro, nisi in pejus, effingunt, ita ego ab hoc archetypo laboro et decido. ℙ Adjective. *Juvenal.* 2, 7. Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas. ℙ *Martial.* 7, 10. *archetypas nugas* dixit epigrammata sua propria manu scripta. *Id.* 12, 70. Sic tanquam tabulas, scyphosque, Paule, Omnes archetypos habes amicos, *h. e.* uteris amicis tanquam tabulis, aut signis archetypis, quibus delectaris sine impensa.

ARCHEZOSTIS, is, f. planta, eadem, quae vitis alba. *Plin.* 23, 1, 16.

*ARCHĪĀCUS, a, um. V. ARCHAICUS.

[ARCHĪAS, ae, m. Ἀρχίας, ab ἄρχω, incipio, vel etiam impero. Cognomen fuit A. Licinii poetae Antiocheni, pro quo exstat M. Tullii oratio. *F.*]

ARCHIĀTRIA, ae, ἀρχιατρία dignitas, et officium archiatri. *Imp. Julian. Cod. Theod.* 13, 3, 8. Qui archiatriae ipsius dignitate dignus habeatur.

ARCHIĀTRUS *et Graeca terminatione* Archiatros et Archiater, tri, m. ἀρχιατρὸς: vox Graeca ab ἀρχή, principatus, vel ab ἄρχων, princeps, et ἰατρός, medicus. *Inscr.* ap. *Grut.* 632, 4. M. Livio Celso tabulario Scholae Medicorum M. Livius Eutychus archiatros, etc. Alia *ib.* 5. A. Actius Calus archiater S. et Juliae Primae conjugi incomparabili. Adde *Impp. Honor. et Theod. Cod.* 12. *t.* 13., et *Impp. Valentinian. et Valens Cod. Theod.* 13, 3, 8. et 9. Varie autem hanc vocem exponunt eruditi. Alii putant archiatrum dici medicum principis: alii principem in arte medica, vel alicujus medicorum collegii primarium et caput. Sane legenti *leg.* 8. *cit. Cod. Theod.* patet, non modo eos, qui principi in palatio inserviebant, sed et qui per urbem aegris curandis operam dabant, archiatros fuisse appellatos. Ceterum archiatrus sacri palatii non artem medicam solum exercebat, sed et judiciariam potestatem habebat ad dirimendas controversias inter subjectos sibi medicos obortas: et ob id in magna erat existimatione ac dignitate. V. *Hieron. Merc. var. lect. l.* 4. *c.* 1., ubi ex professo hac de re verba facit. [Sed optime de archiatris disserit *Olivierius Marm. Pisaur.* p. 152., qui putat medicos fuisse appellatos, qui medicinam suo periculo exercebant, archiatros vero, qui in municipiis et coloniis ab decurionibus electi salario publico honorabantur. ℙ Paenultimam corripit *Paul. Petr.* 2, 697. Miramur cito tam multa et tam magna videntes Archiatri fomenta pii, miremur et illam, Quam meruit medicus Christo medicante medelam. Non imitandus. *F.*]

ARCHĪBŪCŪLUS, li, m. princeps victimariorum, ab ἀρχὸς, princeps, et βουκόλος, bubulcus. Ita vocatus videtur primus inter sacerdotes Bacchi, ut Archigallus inter sacerdotes Cybeles. *Inscr.* ap. *Grut.* 27, 4., quae pertinet ad an. 376. a. Chr. n. Ulpius Egnatius Faventinus archibuculus Dei Liberi. Adde aliam anni ejusdem apud *Fund.* 28, 2. Aliam affert etiam *Odericius Dissert.* p. 131, 161., quae multa habet de hoc sacerdotio, sed tamen nihil inde extricabis ad firmandam vocis significationem.

ARCHĪDIĀCŌNUS, i, m. ἀρχιδιάκονος, primarius inter diaconos. *Hieron. ad Pammach. ep.* 61, 4., et *Sidon. ep.* 4, 25. *Archidiācon* in recto casu dixit *Venant. de vita S. Martini* 3, 38. metri causa; non imitandus.

ARCHĪĒPISCŌPUS, i, m. ἀρχιεπίσκοπος, primus episcoporum. In *epist. Justiniani ad Joann. summ. Pontif. Cod.* 1, 1. post *leg.* 3. et alibi, [et in *Not. Tir.* p. 191. *F.*]

ARCHIĒREUS, ei, m. ἀρχιερεὺς, sacerdotum primarius: vox Graeca ab ἄρχων, princeps, et ἱερεύς, sacerdos. *Inscr.* ap. *Grut.* 313, 8. L. Aurelio Apolausto Augg. liberto, archieri Synhodi et Augg., etc. τῷ ἀρχιερεῖ. *Lamprid. Alex. Sever.* 28. *in f.* Lacessiverant eum conviciolis Syrum archisynagogum eum vocantes, et archiereca, τὸν ἀρχιερέα.

ARCHIĒROSYNĀ, ae, f. ἀρχιερωσύνη, dignitas archierei. *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 12, 12, 112. In consequenda archierosyna ille sit potior, qui patriae plura praestiterit, nec tamen a templorum cultu observatione Christianitatis abscesserit.

ARCHIFLĀMEN, ĭnis, m. primus inter flamines. Legitur in *Inscr.* non optimae notae ap. *Murat.* 525, 4. Est autem vox hybrida ex Graeco ἄρχων, et Latino *flamen.* Apud *Grut.* 29, 12. dicitur *primus flamen.*

ARCHĪGALLUS, i, m. primus inter sacerdotes Cybeles, qui Galli vocabantur. V. GALLI. *Firm. Math.* 3, 6. et 7. *Inscr.* ap. *Grut.* 30, 2. et 308, 7. C. Camerius Crescens archigallus Matris Deum Magnae Idaeae. [*Fragm. Juris Antejustinian.* edita ab *A. Maio* p. 40. Item is, qui in portu pro salute imperatoris sacrum facit ex vaticinatione archigalli, a tutelis excusatur. *Tert. Apol.* 25. Cum, M. Aurelio apud Sirmium reipublicae exempto die XVI. Kal. April., archigallus ille sanctissimus die IX. Kal. earundem, quo sanguinem impurum lacertos quoque castrando libabat, pro salute imperatoris Marci jam intercepti solita aeque imperia mandabat. *Serv.* ad *A.* 9, 16. Archigalli Matris Deûm cultores. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 5. Parrhasius pinxit et archigallum, quam picturam amavit Tiberius princeps. *F.*]

[ARCHĪGĒNES, is, m. primogenitus, ab ἀρχή, initium, et γείνομαι, gignor, nascor. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 3, 6. P. Caesius Archigenes. ℙ Fuit hoc nomine medicus quidam Trajani tempore. *Juvenal.* 6, 235. *F.*]

ARCHĪGĒRON, ontis, m. ἀρχιγέρων, hoc est princeps seniorum: ab ἄρχων, princeps, et γέρων, senex: estque haec appellatio primariae cujusdam dignitatis in civitate. Legitur in *Cod. Justin. l.* 1. *t.* 4. *qui est* De episcop. audient. *l.* 5. et in *Cod. Theod.* 14, 27, 1.

ARCHĪGŪBERNUS, i, m. ἀρχικυβερνήτης, ἀρχικύβερνος, nautarum praefectus, summus nauclerus. *Jabolen. Dig.* 36, 1, 46. Sejus archigubernus ex classe Britannica. *Haloander* edidit *archicubernius*, quidam alii minus recte *archigubernulus.* In celebri edit. *Torrentini* legitur *archigubernus.* V. v. seq.

[ARCHĪGYMNĀSĬUM, ii, n. locus, in quo milites, aut athletae nudi exercentur. *Murat.* 796, 8. T. Aurelio Candido navarcho archigym. Bern. Cl. Praet. Misen. Hic *Murator.* et *Rezzonicus Disquis. Plin. T.* 1. p. 177. explicant *archigymnasii verni classis Praetoriae Misenensis;* at *Dorvillius* ad *Chariton.* p. 600. putat legendum *archigyberno classis*, etc., quemadmodum in *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 132. T. Titinio Juliano Gyb. IIII. Fort., *h. e.* gyberno quadriere Fortuna. V. ARCHIGUBERNUS. *F.*]

*ARCHILACHĪTAE, arum, populi circa Tauricam Chersonesum degentes. *Plin.* 4, 12. Legitur et Arcilachitae. *B. A.*

ARCHILOCHĪUS, a, um, adj. ad Archilochum pertinens, Ἀρχιλοχεῖος. *Archilochium metrum* dicitur, quo Archilochus frequenter usus est. Ejus plura sunt genera, quae enumerant grammatici, *Diomed.* 3. p. 509. et sqq., *Serv. in Centim.* p. 1819. et 1820., et alii. ℙ Ponitur etiam pro maledico, contumelioso, conviciis pleno. *Cic. Att.* 2, 21. Archilochia in illum *(Pompejum)* edicta Bibuli populo ita sunt jucunda, ut eum locum, ubi proponuntur, prae multitudine eorum, qui legunt, transire nequeant. De Archilocho V. v. seq.

ARCHĪLOCHUS, i, m. Ἀρχίλοχος, poeta Parius, Romuli temporibus vixit, teste *Cic. Tusc.* 1, 1. Celebris fuit iambico carmine, quod ab eo inventum est; quo adeo acer evasit et mordax, ut invectus in quemdam Lycambem, qui filiam suam, nomine Neobulen ei pactam, alteri in matrimonium collocaverat, eum ad suspendium adegerit. De ejus ingenio judicium V. ap. *Quint.* 10, 1, 59 *Hor. Ep.* 1, 19, 23. Parios ego primus iambos Ostendi Latio numeros, animosque secutus Archilochi, non res, et agentia verba Lycambem.

ARCHĪMAGĪRUS, i, m. ἀρχιμάγειρος, princeps et magister coquorum, vel qui coquinae praeest: nam μάγειρος coquum significat. *Juvenal.* 9, 109. Finxerunt pariter librarius archimagiri, etc. [*Inscr.* in *Giorn. Arcad. T.* 13. p. 587. T. Aelius Aug. Lib. Primitivus archimagirus. *Sidon. ep.* 2, 9. Studiis hisce dum nostrum singuli, cuique ut libuerat, occupabantur, ecce et ab archimagiro adventaus, qui tempus instare curandi corpora, moneret. Idem *archimagirus* in *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Veron.* 319, 3. appellatur *praepositus coquorum*, et apud *Grut.* 580, 12. qui illius vice fungebatur, dicitur *vicarius supra cocos. F.*]

ARCHĪMANDRĪTA, ae, m. ἀρχιμανδρίτης, praepositus monachorum, praefectus monasterii, quem nunc Syra voce abbatem appellant: ab ἀρχή, principatus, et μάνδρα, claustrum, septum. Nam monachi in conclusis domibus degunt sub uno capite et moderatore totius familiae. *Μάνδρα* exponitur etiam spelunca: et monachi olim in speluncis et cavis montium habitabant. *Sidon. ep.* 8, 14. Parsimoniae saltibus consequi affectans Memphiticos et Palaestinos archimandritas. Adde *Justinian. in ep.* ad *Jo. Papam Cod. tit. De summa Trinit.*, etc. et *Alcim. Avit. sub init. ep.* 2.

ARCHĪMĒDES, is, m. Ἀρχιμήδης, vir Syracusanus, admirando ac prope divino ingenio, quo nemo unquam praestantior fuit in geometria, in arithmetica, in astronomia, in machinali arte, in omnibus mathematicis disciplinis. Quasi terrestris Deus construxit sphaeram vitream, in qua sidera, ut in coelo, movebantur. Decem annos Syracusas suis machinis ab hostibus defendit. Sed tandem urbs capta est. Marcellus interdixerat, ne unus Archimedes interficeretur. A milite tamen ignaro, quis esset, interfectus est, cum in pulvere quaedam describens attentius, urbem esse captam non sentiret. Vixit post Dionysium. Ejus elogium habemus a *Sil.* 14. *a v.* 341. Sepulcrum a Cicerone Siciliae praetore repertum est. V. *Liv.* 24, 34. et 35, 31., et *Cic. Fin.* 5, 19., *Tusc.* 1, 35., *N. D.* 2, 35. et *Tusc.* 5, 23. ℙ Mirum ejus inventum in deprehendenda mensura argenti auro mixti narrat. *Vitr.* 9, 3. ℙ [*Archimedi in secundo casu dixit *Cic. Rep.* 1, 14. ubi V. *Maji* annotationem. *B. A.*]

ARCHĪMĒDĒUS et Archimedĭus, a, um, adj. ad Archimedem pertinens, Ἀρχιμήδειος. *Capell.* 6. p. 191. Archimedea manus. *Mar. Victor.* p. 2547. Archimedius loculus, *h. e.* ab Archimede factus.

ARCHĪMĪMA, ae, f. mimarum princeps. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 707. *n.* 285. Claudiae Hermionae archimimae sui temporis primae, etc.

ARCHIMĪMUS, i, m. ἀρχίμιμος, mimorum seu histrionum princeps. *Suet. Vesp.* 19. Favo archimimus personam ejus ferens, imitansque, ut est mos, facta ac dicta vivi. *Grut.* 1089, 6. Nobilis archimimus communi mimor. adlectus.

ARCHĪNAUTA, ae, m. nautarum primus. *Inscr.* ap. *Murat.* 845, 4. M. Porcius M. F. Claud. Satullinus archinaut. Clas. Rave. vivus fecit sibi, etc.

ARCHĪNĒANISCUS, i, m. ἀρχινεανίσκος, vox Graeca ab ἀρχή, principatus, et νεανίσκος, adolescens: qua significatur princeps juventutis. *Inscr.* ap. *Grut.* 331, 5, Ti. Cl. Domnioni Suciniano archineanisco, *h. e.* archineanisco Suciniano, seu magistro vel sacerdoti juvenum. Videtur hic fuisse primus ex sacrificulis ejus ordinis, qui suciniani sunt creati. V. SUCINIANUS.

ARCHĪŌTA. V. ARCHEOTA.

*ARCHIPHERECITA, ae, m. Novella 146, 1. Judaeus vel magistratus vel sacerdos, voce hybrida, velut princeps capitum doctrinae, τῶν פרקי. *B. A.*

ARCHĪPĪRĀTA, ae, m. ἀρχιπειρατής, praedonum dux. *Cic. Off.* 2, 11. Ille qui archipirata dicitur, nisi aequabiliter praedam dispertiat, aut interficitur, aut relinquitur. [*Liv.* 37, 11.]

[ARCHĪPĪRĀTĬCUS, a, um, adj. ad archipiratam pertinens. *Not. Tir.* p. 79. Archipiraticus. *F.*]

*ARCHIPPE, es, vetus urbs Italiae, in Marsis. *Plin.* 3, 12. ℙ Hinc nomen regis, ab Archippe urbe in lacum Fusinum dissoluta, finxit *Virg. A.* 7, 750. V. *Salm.* ad *Solin.* p. 59. *B. A.*

ARCHIPRAEGUSTĀTOR, oris, m. praegustatorum primus. *Inscr.* ap. *Gud.* 201, 5. C. Octavius C. L. Antilochus Aug. archipraegustator et architricliniarchus H. S. E. [Hanc inscriptionem merito suspectam habet *Marin. Frat. Arv.* p. 617.; eam enim putat *Gudio* suppositam fuisse, ut alias multas, a *Ligorio* sublestae fidei viro. Hinc ab his vocibus *Archipraegustator* et *Architricliniarchus* abstinendum. *F.*]

ARCHIPRESBYTER, ĕri, m. ἀρχιπρεσβύτης, primus inter presbyteros. *Hieron. ep.* 4. *ad Rusticum circa med.* Singuli ecclesiarum episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi, etc.

ARCHISĀCERDOS, otis, m. primus inter sacerdotes: vox hybrida. *Venant. carm.* 3, 13, 1. Culmen honorificum, patrum pater, archisacerdos.

[ARCHĪSELLĪUM, ii, n. princeps sedes. *Not. Tir.* p. 163. Archisellium. *F.*]

[ARCHĪSYNĀGOGA, ae, f. ἀρχισυναγωγή, princeps synagoga. *Not. Tir.* p. 193. Archisynagoga. *F.*]

[ARCHĪSYNĀGŌGĪCUS, a, um, adj. ad archisynagogam pertinens. *Not. Tir.* p. 9. Archisynagogicus. *F.*]

ARCHĪSYNĀGŌGUS, i, m. ἀρχισυναγωγός, synagogae praefectus, primus inter sacerdotes Judaeorum. *Hadrian. in epist. ad Serv.*, quam refert *Vopisc.* in *Saturn.* 8. Nemo illic archisynagogus Judaeorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter, etc. Adde *Lamprid. Alex. Sev.* 28. *in f.* et *Impp. Arcad. et Hon. Cod. Theod.* 16, 8, 13. et 14.

ARCHĪTAS. V. ARCHYTAS.

ARCHĪTECTĀ, ae, f. quae architecturae arte valet. *Plin.* 10, 71, 91. In quo vel praecipua architectae naturae vis, *h. e.* naturae opificis solertia. Ita legit ex MSS., et exponit *Hard.* Alii leg. *praecipua naturae architectio*, ut sit *architectio, onis*, f., hoc est architecturae ars: alii *architectatio.* Sed utraque vox vitanda est, donec certior auctoritas reperiatur.

ARCHĪTECTĀTĪO. V. vocem praecedentem.

ARCHĪTECTĀTUS, a, um, partic. V. in ARCHITECTOR, aris.

[ARCHĪTECTIĀNUS, a, um, adj. ad architectum pertinens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 99, 9. P. Cornelius Thallus P. Cornelii Architecti fil*ius* nomine P. Cornelii Architectiani fil*ii* sui. *F.*]

ARCHĪTECTIO. V. ARCHITECTA.

ARCHĪTECTON, ōnis, m. ἀρχιτέκτων, ονος, idem quod architectus. Sed *architectus* positionis Latinae est, *architecton* Graecae. *Solin.* 32. *ad f.* Quam metatus est Dinocrates architecton. *Pl. Most.* 3, 2, 73. Nam sibi laudasse hasce ait architectonem Nescio quem, esse aedificatas has sane bene. *Senec. ep.* 90. Felix illud saeculum ante architectonas fuit. ℙ Translate. *Pl. Poen.* 5, 2, 150. Me quoque dolis jam superat architectonem.

ARCHĪTECTŌNĪCE, es, f. ἀρχιτεκτονική, ars aedificandi, architectura. *Quint.* 2, 21. Aliae quoque artes minores habent multiplicem materiam, velut, architectonice. Namque ea in omnibus, quae sunt aedificio utilia, versatur.

ARCHĪTECTŌNĪCUS, a, um, adj. ἀρχιτεκτονικός, ad architectonicen pertinens. *Vitr.* 9, 4. Rationes architectonicae. *Sidon. ep.* 8, 4. Parietes ad concinentiam architectonicam fabre locati. *architectoricam* quidam codices habent, sed minus recte.

ARCHĪTECTOR, aris, atus sum, dep. ἀρχιτεκτονέω, fabricor, adhibita architecturae arte construo. *Vitr.* 9, 4. Naturalis potestas ita architectata est, collocavitque cardines, etc. *Auct. ad Her.* 3, 19. Cogitatio quamvis regionem potest amplecti, et in ea situm loci cujusdam ad suum arbitrium fabricari et architectari. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 2, 16. Architectari voluptates, *h. e.* comminisci, disponere, parare. ℙ Passiva significatione in praeteritis. *Nep. fr.* ap. *Prisc.* 8. p. 792. Aedes Martis est in circo Flaminio, architectata ab Hermodoro Salaminio. ℙ Particip. *architectandus. Vitr. Praef.* 7. *ad f.* Jovem Olympium architectandum Cossutius suscepisse memoratur, *h. e.* templum Jovis Olympii construendum.

ARCHĪTECTOR, oris, m. id. q. *architecton.* Tribuitur a quibusdam *Plauto:* nos tamen nondum vidimus. [*Ita in *Pl. Most.* 3, 2, 73. legebat *Turnebus. Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1, 23. Adhibitis architectoribus, qui ex arte nobiles etc. Nisi legendum architectonibus. *B. A.*] Hinc

ARCHĪTECTŌRĪCUS. V. ARCHITECTONICUS.

ARCHĪTECTŪRA, ae, f. ἀρχιτεκτονική, ut definitur a *Vitr.* 1, 1., est scientia pluribus disciplinis, et variis eruditionibus ornata, cujus judicio probantur omnia, quae a ceteris artibus perficiuntur, opera. Ea nascitur ex fabrica et ratiocinatione. *Id. ib.* 3. tres ejus enumerat partes, aedificationem, gnomonicen, et machinationem. *Cic. Off.* 1, 42. Quibus artibus aut prudentia major inest, aut non mediocris utilitas quaeritur, ut medicina, ut architectura, etc. *Plin.* 11, 24, 28. Specus ipse qua concameratur architectura!

ARCHĪTECTUS, i, m. ἀρχιτέκτων, vox Graeca ad Latinam positionem traducta, qua proprie significatur praefectus, seu princeps structorum: ab ἀρχή, principatus, et τέκτων, faber, opifex, quod a τεύχω, fabricor, struo. Itaque accipitur pro eo, qui architecturae artem callet, et in aedificiis aliisque structuris symmetriam, decorem ac distributionem omni studio consectatur: qua de re multa a *Vitr.* 1, 1. et 2. disputantur. *Cic. Or.* 1, 14. Philo architectus, qui Atheniensibus armamentarium fecit. *Id. Dom.* 18. Uti iisdem operum architectis. ℙ Translate ponitur pro auctore, machinatore, artifice alicujus rei. *Cic. Fin.* 1, 10. Inventor veritatis, et quasi architectus beatae vitae Epicurus. *Id. Brut.* 31. Stoici architecti paene verborum. *Id. Cluent.* 22. Princeps atque architectus sceleris. *Appul. Apol.* Omnium simulationum architectus. ℙ *Architectus architecto invidet* proverbium de iis, qui in eadem arte versantur, cujus similitudo aemulationem et invidiam conciliare solet. Usurpavit hoc proverb. *Virg.*, ut in ejus vita refert *Donatus.* ℙ Differt a fabro, quod *faber* solam ponit in construendo operam manuariam, *architectus* praeterea consilium et dispositionem totius operis. *Cic. Fam.* 9, 2. Non deesse, si quis adhibere volet, non modo ut architectos, verum etiam ut fabros ad aedificandam rempublicam. *Pl. Mil.* 3, 3, 44. Adsunt fabri architectique haud imperiti. ℙ [Fuit etiam cognomen Romanum V. ARCHITECTIANUS. *F.*]

[ARCHĪTIS, ĭdis, f. nomen Veneris apud Assyrios et Phoenices. *Macr. Sat.* 1, 21. Apud Assyrios Veneris Architidis et Adonis maxima olim veneratio viguit, quam nunc Phoenices tenent. Simulacrum hujus Deae in monte Libano fingitur capite obnupto, specie tristi, faciem manu laeva intra amictum sustinens; lacrimae visione conspicientium manare creduntur propter Adonin ab apro interemptum.

ARCHĪTRICLĪNĀRCHUS, i, m. primus inter ministros triclinii, ἀρχιτρικλινίαρχος. V. ARCHIPRAEGUSTATOR.

[ARCHĪTRICLĪNĪUM, ii, n. primum triclinium. *Not. Tir.* p. 162. Architriclinium. *F.*]

*ARCHĪTRICLĪNUS, i, m. idem qui tricliniarchus. *Hieron.* in *Isaj. l.* 1. *c.* 1. *v.* 23. Quod Dominus noster aquas in vinum verterit, et tale vinum, quod miretur architriclinus. *B. A.*

ARCHĪUM et Archīvum, i, n. ἀρχεῖον, γραμματοφυλάκιον, Graeca vox, ab ἀρχή, principatus: et significans primo aedes magistratuum, et regiam, et palatium, et judiciale forum: deinde locum, in quo tabulae et acta publica asservantur, Latine *tabularium;* quia hujusmodi loca fere in principis, aut magistratuum aedibus, et curia, aut iis vicina sunt. Posteriore hac significatione usurpatur a Latinis. *Ulp. Dig.* 48, 19, 9. Ne eo loci sedeant, quo in publico instrumenta deponuntur, archio forte, vel grammatophylacio. *Tert. Apol.* 19. Reseranda antiquissimarum gentium archiva, Aegyptiorum, Chaldaeorum, etc. *Id. adv. Marc.* 4, 7. De censu Augusti, quem testem fidelissimum Dominicae Nativitatis Romana archiva custodiunt. V. ORTHOGRAPHUS. ℙ Pro templo, seu potius pro templi adyto, ubi congregabantur magistratus sacerdotum, accipi videtur a *Mela* 3, 8. *in f.*, ut quidem *Is. Voss.* legit et exponit. Verba *Melae* sunt: Cum adolevit *(Phoenix)*, ossa pristini corporis inclusa myrrha Aegyptum exportat, atque in urbem, quam Solis appellant, fragrantibus archio bustis inferens, sese memorando funere consecrat. Alii pro *archio* legunt *nardo.*

ARCHŌLĒON, ontos, m. genus quoddam leonum. *Capitol. Gord. III. c.* 33. Fuerunt sub Gordiano Romae elephanti XXXII., leones mansueti LX., archoleontes X., camelopardali X., etc. *Salmas.* legendum censet *argoleontes*, *h. e.* leones albos, ab ἀργός, albus; *Jos.* vero *Scalig.* legit *agrioleontes*, *h. e.* leones feros, ab ἄγριος, agrestis.

ARCHON, tis, m. Ἄρχων, summus principatus Athenis (quemadmodum etiam apud Abydenos, Aphrodienses, Byzantinos, Daldianos aliosque, quos recenset *Morisanus Inscr. Regin.* p. 53. F.) sicut suffes apud Carthaginienses, Romae dictator. Fuerunt, teste *Suida*, archontes novem, quorum sex *thesmothetae*, hoc est, legislatores dicebantur, unus *rex*, unus *polemarchus*, et praeter hos unus princeps collegii, et praefectus, qui per excellentiam *archon*, et *hegemon*, et *prytanis* vocabatur, quod prytanibus praeerat. Ut enim Romae praetor judicibus praeerat, atque ideo judex quaestionis, et quaesitor dictus est, ita hic summus archon Athenis, quod prytanibus judicibus praeerat, prytanis etiam dicebatur. Prytanes 50. viri erant, qui deni singulis mensibus in orbem vicem mutantes judicabant. *Vell.* 1, 2. Codri filius Medon primus archon Athenis fuit. Et *ib.* 8. Tum Athenis perpetui archontes esse desierunt, cum fuisset ultimus Alcmaeon: coeperuntque in denos annos creari, quae consuetudo in annos LXX. mansit: ac deinde annuis commissa est magistratibus respublica. *Cic. Fat.* 9. Morietur Epicurus archonte Pitharato. Adde *Tert. adv. Marc.* 4, 42.

*ARCHOUS, i, fluminis nomen Apameam Mesenes, oppidum in Babylonia, alluentis. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

ARCHYTAS, ae, m. Ἀρχύτας, Tarentinus, Aestici, vel, ut alii volunt, Mnesarchi filius, philosophus Pythagoricus, praestantissimus astrologus, et geometra, quem laudat *Cic. Tusc.* 5, 22. et *Sen.* 12. Ejus fuit inventum columba lignea volatilis, ut est apud *Gell.* 10, 12. ℙ Alius fuit Archytas Mitylenaeus, musicus. Alius qui de agricultura scripsit, cujus meminere *Varr.* et *Colum.*, uterque *R. R.* 1, 1. ℙ [*Item Hori Babylonii pater. *Prop.* 4, 1, 77. *B. A.*] ℙ Scribitur et *Architas.* ℙ *Sidon. carm.* 2, 176. *Archyta* dixit in recto casu, et mediam syllabam corripuit: non imitandus.

ARCI, masc. gen. in recto casu pluralis numeri pro *arcus*, antiquum est. *Varr.* ap. *Non.* 2, 71. Eoque pecuniam magnam consumpsisset, quod arci, quos summo opere jecerat, fessi pondere, diu facti, celeriter corruissent.

*ARCIDĀVA, ae, Daciae oppidum. *Tab. Peut. B. A.*

ARCĪFĪNĀLIS, le, adj. et *Arcifinii agri* a scriptoribus Rei agrariae appellantur, qui a populis bello victoribus occupantur, et ejectis privatis dominis, sive hostes ii sint, sive non, excoluntur: unde et *occupatorii* dicti sunt. Vocantur autem *arcifinales*, et *arcifinii*, quia nullis propriis finibus continentur, sed quantum quisque excoluit, aut spe excolendi sibi reservavit, arcendo a finibus suis vicinum, *arcifinalem* dixit. Ita *Sicul. Flacc. de Condit. agror.* p. 3. *Goes.* Adde *Front. de Agror. qualitat. ib.* p. 38., ubi vocem *arcifinius* Varroni attribuit, et *Aggen. Urbic.* p. 45. ℙ Aliam hujus appellationis rationem tradit *Isid. Orig.* 15, 13. arcifinium agrum dici, quia non continetur certis linearum mensuris, sed arcentur fines ejus objectu fluminum, montium, arborum. ℙ *Arcifinio more possidere agrum*, apud *Hygin. Limit. constit.* p. 160. est agrum habere non servatis antiquis suis ac legitimis terminis, sed prout occupare libuit, ut dictum est.

ARCĪFĪNĪUS, a, um, idem quod arcifinalis. V. v. praec.

ARCĪO, is, ivi, a. 4. προσκαλέω, idem quod *accio* et *arcesso:* ab *ar* pro *ad*, et *cio, is. Cic. Att.* 5, 1. Tu invita mulieres, ego arcivero pueros. Al. leg. accivero, *ab* accio, is. Adde *Liv.* 5, 8. *in f.* cum eadem lectionis varietate. [*V. nos sub ARCESSO.]

[ARCĪON, i, n. ἀρχεῖον, herba est quae persolata Latine dicitur. *Plin.* 25, 9, 66. Persolata, quam nemo ignorat; Graeci vero arcion vocant. *F.*]

ARCĪPOTENS, entis, omn. gen. adj. τοξοφόρος, qui arcu potest, sagittandi peritus: epitheton Apollinis. *Val. Fl.* 5, 17. Arcipotens adverte, precor, nunc denique Apollo. ℙ In quodam epigrammate *de Signis coelestib.*, quod *Virgilio* tribui solet, legitur *arcupotens*, quod magis accedit ad analogiam. V. ARCITENENS.

ARCIRMA. V. ARCUMA.

ARCĪSELLĪUM, ii, n. sella arcuata: ab *arcus*, et *sella:* vel ita formata, ut possit et arcae vicem praestare. *Petr. fr. Trag. Burm.* 75. Arcisellium de suo paravit, et duas trullas. Alii aliter leg.

ARCĪTENENS, entis, omn. gen. adj. τοξοφόρος, Apollinis et Dianae epitheton, ab arcu tenendo, quod semper cum arcu et pharetra pingeretur. *Virg. A.* 3, 75. Quam pius Arcitenens oras et litora circum, etc. *Accius* ap. *Non.* 4, 291. Quod utinam me suis arcitenens telis mactasset Dea. ℙ Scribitur et *Arquitenens. Arnob.* 1. p. 20. Arquitenentes Diana et Apollo. [*Sic *cod. Med.* et alii apud *Virg.* l. l.] ℙ Est etiam signum coeleste, *h. e.* Sagittarius. *Cic. Arat.* 181. Subeunt vestigia magni Arcitenentis, etc. V. SAGITTARIUS et ARCIPOTENS.

ARCĪVA Avis. V. ARCULA.

*ARCOBRIGENSIS, se, adj. ad Arcobrigam pertinens, Hispaniae citerioris urbem. Absolute *Arcobrigensis* est incola illius urbis. *Plin.* 3, 3, 4. Arcobrigenses, Andologenses. *F.* ex *B. A.*

ARCTĀTĪO, onis, f. actus arctandi. *Varr. L. L.* 4, 1. scribit, verborum veterum et novorum differentiam spectari ex varia litterarum commutatatione, quam qui animadverterit, facile posse scrutari verborum origines: commutari autem verba *litterarum vel demptione*, *vel additione*, *vel arctatione*, *aut commutatione*, etc. Arctatio litterarum hoc loco est, cum duae litterae in unam coalescunt, ut *cum* pro *quum*, *murus* pro *moerus.* ℙ Scribitur et *Artatio.*

ARCTĀTUS, a, um, part. ab *arcto*, στενωθείς. *Cels.* 6, 18. *n.* 8. *a med.* Fasciae arctatae. *Plin.* 8, 10, 10. Arctati in rugas cancelli. *Liv.* 45, 56. In praemiis, in honoribus omnia arctata. *Vell.* 1, 16. Arctati temporis spatium. Et *ib.* Arctatus angustiis temporum. Et 2, 10. Arctata numero felicitas, *h. e.* pauci numero felices fuerunt. *Mart.* 12, 5. Arctatus labor, *h. e.* brevior factus. *Tib.* 4, 1, 91. equum celerem *arctato* compescere freno, cui opponitur *ib. effusas* permittere habenas. ℙ Scribitur et *Artatus.*

ARCTĒ et Arte, adv. στενῶς, stricte. *Pl. Epid.* 5, 2, 29. Arcte colligare. *Cic. Parad.* 1. *ad f.* Arcte tenere aliquid. *Id. Div.* 1, 46. Arctius complecti aliquem. *Id. ib.* 28. Arcte et graviter dormire, i. e. alte. *Curt.* 3, 6. Interclusus spiritus arcte meabat, *h. e.* difficulter, et cum sonitu, arctatis morbo faucibus. *Sall. Cat.* 62. Reliqua signa in subsidiis arctius collocat, *h. e.* densioribus ordinibus. *Pl. Asin.* 1, 1, 63. Arcte contenteque habere aliquem, i. e. duriter tractare aliquem. *Id. Merc. prol.* 64. Cohibere aliquem arcte, eod. sensu. *Cic. Fat.* 14. Arctius adstringi ratio non potest. *Plin. ep.* 2, 13. Arcte et familiariter diligere aliquem. Et *ep.* 6, 8. Arctissime diligere, i. e. vehementer. *Gell.* 10, 6. Arctius et pressius conflictari. *Sall. Jug.* 68. Ire quam arctissime. ℙ *Arcte appellare* apud *Ov. Pont.* 4, 12, 10. est vocem aliquam brevi paenultima pronunciare. ℙ

[*Confunduntur in libris *arcte*, *apte*, *arce*. V. *Oud.* ad *Caes. B. G.* 7, 23.]

[ARCTE, es, f. ἀρκτή, ursina, scilicet pellis. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 715. *n.* 367. Octavia Arcte. *F.*]

ARCTĬCUS, a, um, adj. Ἀρκτικός, ad Arctum, hoc est Ursam pertinens, quod est signum coeleste, in septentrionali plaga situm. Hinc *Circulus arcticus* est ad polum septentrionis, cui opponitur *antarcticus*, ἀνταρκτικός, positus in polo meridionali, et arctico recta oppositus. Circulus *arcticus* nobis, quibus sphaera obliqua est, et latitudo septentrionalis conspicuus est; *antarcticus* non apparet. *Hyg. Astron.* 1, 6. Circulus arcticus appellatur, quod intra eum Arcti simulacra, ut inclusa, perspiciuntur. Et paulo supra. Circulus, qui notius et antarcticus appellatur. *Appul. de Mundo.* Vertex antarcticus. *Capell.* 6. p. 193. Antarcticae terrae.

ARCTIM pro arcte quidam leg. apud *Cic. Att.* 12, 44., sed perperam; nam pro *nec arctim* legendum *Cartejae.*

[ARCTĬON, i, n. ἄρκτιον, herba apud *Plin.* 27, 5, 16. Arction aliqui arcturum vocant; similis est verbasco foliis, nisi quod hirsutiora sunt; caule longo, molli, semine cumini. *F.*]

ARCTO, as, avi, atum, a. 1. στενόω, stringo, constringo, in arctum comprimo. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 26. Vitis contineri debet vimine, non arctari. *Colum.* 12, 43. Transversos fustes spisse arctare. *Stat. Th.* 4, 156. inexhaustis arctantur tela pharetris. *Mart.* 1, 2. Libri, quos arctat brevibus membrana tabellis, *h. e.* in arctum colligatos continet. *Id.* 2, 90. Atriaque immodicis arctat imaginibus, *h. e.* occupando veluti arctiora et angustiora facit. Sic *Plin.* 3, 6, 13. Etiamnum angustias eas arctantibus insulis parvis. *Petr. Sat.* 85. Dies solemnis ludum arctaverat, *h. e.* litterarium ludum clauserat. ℙ Translate. [*Pl. Capt.* 2, 2, 54. fortuna humana fingit arctatque ut lubet, i. e. quae ampla sunt, ea in angustias redigit, atterit, συστέλλει. Cf. *Lindem.* ad h. l.] *Ulp. Dig.* 42, 1, 2. Arctare aut prorogare tempus. *Id. ib.* 38, 9, 1. Arctare aliquem, *h. e.* breve tempus ei praestituere. *Id. ib.* 1, 11, 2. Arctare se, i. e. parcius vivere ac sumtus comprimere. *Pacat. Pan. Theod.* 32. *ad f.* Arctare annonam, i. e. efficere caritatem frumenti. ℙ Scribitur et *Arto.* ℙ [*Commutantur in codicibus *artare* et *aptare*, V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 655. — et *arcere*, *id. ib.* 3, 398. — et *adstare*, V. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 23, 2.]

*ARCTONNĒSOS, i, Ἄρκτων νῆσος, i. e. ursorum insula. Ita dicta est olim Cyzicus. *Plin.* 5, 32. ed. *Hard.* In ed. Elzev. impressum Arconnesos. *B. A.*

ARCTŌPHYLAX, ăcis, m. Ἀρκτοφύλαξ, alio nomine Bootes, signum juxta majorem Ursam, quod ex viginti et tribus sideribus constat. Hic Arcas est Callistus Ursae majoris filius, qui puer XV. annorum cum in venatione in matrem incidisset, jam jam occisurus, ipso momento a Jove una cum matre in coelum translatus fuisse fingitur. Alias fabulas ad hanc rem pertinentes V. apud *Hyg. Astron.* 2, 4. Dicitur autem *Arctophylax*, i. e. custos Ursarum: ab Ἄρκτος, ursa, et φύλαξ, custos. Nam in coelo ita situs est, ut non solum majoris, sed etiam minoris Ursae curam gerere videatur. Bootes quoque dicitur, seu Vociferans, quia et in coelo magna voce videtur vociferari, et in Ursam ferri. Denique dicitur Ductor boum. Nam ut ex figura Ursa major etiam Plaustrum majus, et Ursa minor etiam Plaustrum minus dicitur, ita Arctophylaci etiam bubulci nomen impositum est, quia est instar bubulci, qui currum sequitur. *Cic. Arat.* et *N. D.* 2, 42. Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes, Quod temone quasi junctam prae se quatit Arcton. ℙ Paenultimam in obliquis produxisse creditur a nonnullis *Manil.* 1, 609. Permeat Arctophylaca petens per membra Draconis. Sed *Voss. Gramm.* 2, 38. putat legendum *Arctophylacta:* alii versum ipsum esse spurium.

[ARCTOPHYLLUM, i, n. ἀρκτόφυλλον, herba eadem ac caerefolium. *Appul. Herb.* 104. *F.*]

ARCTOS, i, et interdum terminatione Lat. Arctus, i, f. Ἄρκτος, vox Graeca, quae ursum, vel ursam significat. Accipitur pro duobus signis coelestibus borealibus, quae dicuntur Arcti, vel Ursae, item Septentriones, item Currus, vel Plaustra. Dicuntur Ursae, quia Callisto in ursam mutata esse fingitur. Dicuntur Septentriones, quia ita hae stellae sitae sunt, ut ternae quaeque proxime inter se trigonum, seu triangulum efficiant: vel a bobus junctis. *Triones* enim, ut scribit *Varro*, rusticorum vocabulo boves vocabantur, quasi *terriones* vel *teriones*, hoc est, idonei arandae terrae et colendae. Dicuntur Currus, vel Plaustra, ἅμαξαι, quia plaustris similia videntur. Nam ex septem stellis duae pariles uno in loco sunt, quae pro bobus accipiuntur, reliquae quinque plaustri figuram designant. ℙ Arcti septentrionali polo innixae vehuntur, arctico circulo clausae, et ita collocatae, ut utraque resupinata alterius contegat caput, sed caput ejus, quae superior est, ad caudam inferioris contendat. Una dicitur Ursa major, Plaustrum, vel Currus major, Septentrio major, Helice. Haec Callisto fuisse fertur Lycaonis Arcadiae regis filia, quae studio venationis se Dianae adjunxit, a qua mirifice amabatur; sed quodam die sola in silvis deprehensa a Jove compressa est, quod facinus cum aliquandiu celasset, tandem jussa cum ceteris virginibus lavari, tumore uteri crimine detecto, a Diana e choro expulsa est. Peperit in silvis filium, qui Arcas est appellatus. Statim a partu a Junone in ursam mutata est. Cum XV. annos vitam ferinam vixisset, quodam die in filium incidit, quo arcum intendente, a Jove et ursa, et filius inter sidera translati sunt. Constat ex septem et viginti stellis. Hanc Graeciae populi in navigando observant. Fabulam narrat *Ov. Met.* 2, 409. et *Fast.* 2, 155. ℙ Altera dicitur Ursa minor, Plaustrum, vel Currus minor, Septentrio minor, et Cynosura, id est, canis cauda. Haec fuit Cynosura una ex illis Nymphis, quae in Creta in monte Ida lacte caprino Jovem aluerunt. Hoc merito et ipsa et sorores in coelum translatae sunt prope polum borealem. Alii quod *Ov.* de Callisto, id de Cynosura tradunt, alteramque cum altera confundunt. Cynosuram Sidonii in navigando aspiciunt. *Cic. N. D.* 2, 41. Circum polum Arcti duae feruntur, nunquam occidentes. Ex his altera apud Grajos Cynosura vocatur, altera dicitur esse Helice. Pleraeque edd. hic habent ἄρκτοι Graece. *Virg. G.* 1, 138. Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton. *Id. A.* 6, 16. gelidas enavit ad Arctos. ℙ Utrumque hoc sidus, quia intra circulum arcticum circa polum vertitur, (qui nobis est semper conspicuus) nunquam occidit, sed singulis temporis horis supra nostrum horizontem visitur. Quae res dedit locum fabulandi poetis, Junonem cum vidisset pellices suas in coelum fuisse translatas, impetrasse a Tethy nutrice sua, ne unquam in ejus aquis tingerentur. Ita narrat *Serv.* ad illud *Virg. G.* 1, 246. Arctos Oceani metuentes aequore tingi. *Ov. Fast.* 2, 192. canamque rogat Saturnia Tethyn, Maenaliam tactis ne lavet Arcton aquis. ℙ De hujusmodi fabulis ad utramque Arcton pertinentibus V. etiam *Serv. l. c.* et *Hyg. Astron.* 2, 1. et 2. ℙ In illo *Prop.* 2, 18, 25. Juppiter Alcmenae geminas requieverat Arctos; *geminas Arctos* significat duas noctes per quandam metalepsin, eo modo quo dicimus *quatuor lunas*, hoc est quatuor menses. ℙ Interdum *Arctos* ponitur pro populis septentrionalibus. *Claud. VI. Cons. Honor.* 336. Atque indignantes in jura redegerat Arctos. *Lucan.* 3, 74. Gallorum tantum populis, Arctoque subacta. ℙ Apud *Germanic. Arat.* 25. et 62. legitur in recto casu plurali *Arctoe*, retenta Graeca positione Ἄρκτοι: cui simile est *liroe* apud *Plautum.* V. LIROE. [*Adde *Hdf.* ad *Cic. N. D.* 2, 41. (105.) qui h. l. in prosa oratione Ciceronis hanc formam recepit.]

ARCTOUS, a, um, adj. Ἀρκτῷος, ad Arctos pertinens, septentrionalis. *Mart. Spectac.* 15. Arctous polus. *Id.* 5, 69. Arctoa gens. *Id.* 10, 6. Arctoi soles et sidera. *Lucan.* 1, 53. Arctous orbis. *Id.* 10, 250. Arctoum frigus. *Sen. Oedip.* 606. Arctoae nives. *Id. Herc. Oet.* 1565. sedes.

ARCTŪRUS, i, m. Ἀρκτοῦρος, stella in signo Bootae, et inter ejus crura posita, cujus ortus et occasus tempestates facit. Oritur a canicula fere post diem quinquagesimum. *Cic. N. D.* 2, 42. *ex suo carm. Arat.* Huic *(Booti)* subter praecordia fixa videtur Stella micans radiis Arcturus nomine claro. ℙ In fabulis est, fuisse Icarium patrem Erigones, qui cum a quibusdam pastoribus, quod eos multo vino inebriaverat, fuisset fustibus occisus, in coelum translatus sit. Ita *Hyg. fab.* 130. Saepe autem non tam pro stella in signo Bootes, quam pro toto ipso Boote ponitur a poetis, qui ideo *Arcturus* dicitur, hoc est custos ursae (ut dictum est in *Arctophylax*) ab ἄρκτος, ursa, et οὖρος, custos, ex quo intelligitur cur idem *Hyg. l. c.* Icarium scribat esse Arcturum, et *Astron.* 2, 4. esse Booten. V. ANTECANIS. *Virg. A.* 1, 744. Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones. *Pl. Rud.* Arcturum inducit prologum facientem. ℙ Pro ipso autumni tempore, quo Arcturus oritur. *Virg. G.* 1, 67. At si non fuerit tellus fecunda, sub ipsum Arcturum tenui sat erit suspendere sulco. ℙ Est etiam herba, quae alias arction dicitur. *Plin.* 27, 5, 16. V. ARCTION.

ARCTUS, a, um, στενός, constrictus, angustus, particip. ab *arceo*, ut volunt Etymologi: ea ratione, qua a *farcio farctus. Cic. Or.* 65. Nec tamen haec ita sunt arcta et adstricta, ut ea cum velimus, laxare nequeamus. *Id. Verr.* 2, 1, 5. Arctioribus vinculis teneri. (Hinc translate. *Arctae leges* ap. *Plin.* 16, 4, 5. sunt severae et servatu difficiles. Sic *arcta jura* ap. *Lucr.* 5, 1146.) *Lucan.* 6, 108. Arcta obsidio. *Hor. Ep.* 1, 5, 29. Arcta convivia, *h. e.* in quibus multi sunt convivae, et anguste accumbunt. *Id. ib.* 2, 1, 60. Arctum theatrum. [*Hor. *Od.* 3, 12, 11. arctum fruticetum. Sic *Bentl.* quem V.] *Plin.* 6, 22, 24. Arctissimus alveus. [*Tac. *A.* 12, 63. arctissimum inter Europam et Asiam divortium (de Bosporo). *Ov. Trist.* 1, 10, 47. arctae Symplegades.] *Id.* 18, 11, 29. Cernere aliquid arctiore cribro. *Ulp. Dig.* 21, 1, 14. §. 7. Mulierem ita arctam, ut mulier fieri non possit, sanam non videri constat. ℙ Translate elegantes habet usus. *Cic. Att.* 6, 2. Arctissima vincula amoris. *Curt.* 3, 12. Arcta propinquitate conjunctus. *Id. ib.* 2. Tempora somni arctiora, quam noctis, *h. e.* breviora. [*Tac. *A.* 4, 58. arctus comitatus i. e. qui constat paucis.] *Hor. Sat.* 2, 6, 82. Arctum animum solvere, *h. e.* angustum, depressum, sollicitum. *Cic. Somn. Scip.* 1. Arctus somnus. *Suet. Ner.* 46. Arctissimae tenebrae. [*Cf. *Ern.* ad h. l.] *Sil.* 7, 280. Arcta fames urget. *Suet. Tib.* 8. Arcta annona. [*Hor. *Od.* 1, 12, 43. arcto Lare, et *Bentl.* ad h. l. et ad *Ejusd. ep.* 1, 7, 58. *Tac. A.* 4, 26. arctus commeatus.] Hinc *arctae res* dicuntur angustae, miserae, in discrimen adductae. *Tac. Hist.* 3, 69. Misso nuncio, qui circumsideri ipsos, et ni subveniretur, arctas res nunciaret. *Flor.* 2, 6. Arctae et afflictae res. *Ov. Pont.* 3, 2, 25. Rebus in arctis ferre opem alicui. *Liv.* 39, 32. Arcta petitio, i. e. minori cum spe suscepta, *sc.* ob multitudinem petitorum. *Arcta fortuna* sunt facultates angustae et exiguae. *Stat. Silv.* 5, 3, 117. quamquam fortuna parentum Arctior expensis. ℙ *Arctum*, *i*, absolute. [*Sensu proprio: *Liv.* 2, 50. multiplicatis in arcto ordinibus. *Id.* 34, 15. caeduntur in portis suomet ipsi agmine in arcto haerentes. Cf. *Virg. A.* 11, 879. sq. *Gloss. Liv.*] Translate: *Hor. A. P.* 134. Desilire in arctum. *Plin.* 8, 16, 17. Colligere volumina in arctum. *Id. Praef.* 37. In arctum coacta rerum naturae majestas. *Ov. Met.* 9, 682. Sollicitat precibus, ne spem sibi ponat in arcto. [*Liv. 26, 17. ne in arcto res esset.] ℙ Scribitur et *Artus*, extrita *c.* Quin notat *Pier.* ad *Virg. A.* 1, 292. in veteribus paene omnibus codd., non Virgilianis tantum, sed aliorum etiam auctorum, plerumque ita inveniri: quod ipsum docent alii permulti *Lambin.*, *Dausq.*, *Gronov.* etc. ap. *Drak.* ad *Sil.* 7, 280. et *Brouck.* ad *Tib.* 1, 5, 53. [*V. *Nolten.* p. 25. coll. *Grotefend.* II. p. 149. ℙ *Commutantur in codd. *artus* et *ater;* V. *Drak.* ad *Sil.* 7, 280. et quos ibi laudat, quibus adde *Cort.* ad *Lucan.* 6, 95. — et *altus*, V. *Drak.* ad *Sil.* 6, 194. ad *Liv.* 9, 13. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 3, 13, 11. *Heins.* ad *Ov. Trist.* 1, 10, 47. et *Gron. diatr.* p. 268. *ed. Lips.*]

ARCŪARĬUS, a, um, adj. ad arcus pertinens. *Veg. Mil.* 2, 11. Habebant etiam fabricas scutarias, loricarias, arcuarias, in quibus sagittae, missilia, cassides omniaque armorum genera formabantur. ℙ *Arcuarius*, *ii*, absolute, qui arcus sagittarios facit. *Aur. Arc. Dig.* 50, 6, 6. Tubarii, cornuarii, arcuarii.

ARCŪĀTĬLIS, le, adj. arcuatus. *Sidon. ep.* 2, 2. In triclinium venitur, quod arcuatili camino saepe ignis animatus pulla caligine infecit.

ARCŪĀTIM, adv. per arcus, in modum arcus. *Plin.* 29, 6, 39. Millepeda animal est e vermibus terrae, pilosum, multis pedibus arcuatim repens, *h. e.* sinuatim, et quosdam velut arcus efficiendo dum repit. *Festus* in *Tullios:* Vehementes projectiones sanguinis arcuatim fluentis.

ARCŪĀTĬO, onis, f. structio in arcum formata. *Front. Aquaed.* 18. Trajicere aquaeductus substructionibus et arcuationibus. *Id. ib.* 121. Partes ductuum, quae arcuationibus sustinentur.

ARCŪĀTUS, a, um, part. ab *arcuo*, in modum arcus curvatus, vel arcus et fornices habens. *Liv.* 1, 21. Ad id sacrarium flamines bigis, curru arcuato vehi jussit, [*i. e. adoperto, tecto.] *Plin. ep.* 10, 46. Perducere aquam arcuato opere. ℙ Item qui regio morbo laborat. V. ARQUATUS.

ARCŪBALLISTA, ae, f. genus quoddam minoris ballistae, habentis inclusum arcum ligneum, ad jacienda missilia: nam quaedam erant ballistae, quae non arcuato ligno, sed nervo, aut fune extento, vel alia ratione jaciebant, ut videre est in figuris, quas *Lips.* 3. *Poliorc. Dial.* 3. exhibet. *Veg. Mil.* 2, 15. Erant tragularii, qui ad manuballistas vel arcuballistas dirigebant sagittas. Adde 4, 22.

ARCŪBALLISTĀRĬUS, ii, m. qui arcuballista missilia jacit. *Veg. Mil.* 4, 21. Admotis turribus, funditores lapidibus, sagittarii jaculis, manuballistarii vel arcuballistarii sagittis e muris submovent hostes.

ARCŪBĬAE, arum, f. plur. qui excubant in arce, ut *Festus* exponit: ab *arx*, et *cubare*, ut *Voss.* derivat *Etym.* in V. *Arx*, ubi addit in quibusdam *Festi* MSS. legi *arcubii.* [*Minime cohaeret h. v. cum voc. *arx*, sed est i. q. *accubiae*, ut rectissime observat *Döderl. lat. Etym.* etc. II. p. 162.]

ARCŪLA, ae, f. κιβώτιον, parva arca, in qua aliquid reponitur. *Cic. Off.* 2, 7. Perscrutari arculas muliebres. *Id. Att.* 2, 1. Meus liber totum Isocratis μυροθήκιον, atque omnes ejus discipulorum arculas consumpsit, *h. e.* arculas unguentarias: sed ἀλληγορικῶς loquitur. ℙ De parvo sepulcro. *Inscr.* ap. *Grut.* 1031, 4. P. Minacio P. F. Ocric. Albino P. Minacius fratri carissimo arculam Tiburtinam, etc. Adde *Martian. Dig.* 11, 7, 39. ℙ De tabula pictorum. *Varr. R. R.* 3, 17. Picto-

res loculatas magnas habent arculas, ubi discolores sint cerae. Alii leg. *areolas* eodem sensu. ℙ De nummorum receptaculo. *Afran.* ap. *Fest.* in V. *Tamne.* Tamne arcula tua plena est araneārum? (Sic *Catull.* 13, 7. nam tui Catulli Plenus sacculus est aranearum.) ℙ In organo hydraulico est conceptaculum aeris, quod in Italia a multis dicitur *il sommiero*, (*die Windlade*). *Vitr.* 10, 13. ℙ In palaestris, aliisque exercitiorum locis videntur fuisse arculae, in quibus parata jacerent tela, jacula, hastae, ut pharetrae sagittis continendis destinatae erant. Hinc translate *Quint.* 12, 3. Neque ego sum nostri moris ignarus oblitusve eorum, qui ad arculas sedent, et tela agentibus subministrant, *h. e.* suppeditant arma patronis causas agentibus. ℙ *Arcula avis*, teste *Festo*, dicebatur, quae in auspiciis vetabat aliquid fieri: ab *arcendo*. *Scalig.* pro *arcula* legit *arciva*, ex eadem origine. Sic enim haberi in *Vet. Gloss.* Arcivus, εἰργτικὸς, κωλυτικὸς, hoc est, arcens, vetans.

ARCŪLĀRIUS, ii, m. qui arculas praesertim muliebres facit. *Pl. Aul.* 3, 5, 45. Textores, limbolarii, arcularii ducuntur.

ARCŪLĀTA, orum, n. plur. dicebantur circuli, qui ex farina in sacrificiis fiebant. *Festus.*

ARCŪLUM, i, n. est virga ex malo Punico incurvata, quae fit quasi corona, et ima summaque inter se alligatur vinculo laneo albo: quam in certis sacrificiis regina (*h. e.* regis sacrificuli uxor) in capite habebat: Flaminica autem Dialis in omni sacrificatione uti debebat. Haec *Serv.* ad *Virg. A.* 4, 137. ℙ Hoc idem *Festus* vocat inarculum.

ARCŪLUS, i, m. diminut. ab *arcus*. Docet *Festus*, sic appellatum fuisse circulum, quem capiti imponebant ad sustinenda commodius vasa, quae ad sacra publica capite portabantur; qui etiam *cesticillus* dicitur. Erat enim ritus apud Athenienses, postea ad alias quoque nationes translatus, ut virgines nobiles Dianae sacra capite gererent in canistris, circulis quibusdam suppositis, ut firmius inhaererent. ℙ Docet etiam, *Arculum* putari Deum, qui tutelam arcarum gereret.

ARCŪMA, ae, f. est genus plaustri modici, quo homo gestari possit. Haec *Festus*, ad quem locum *Scalig.* scribit, videri fuisse modicum plaustrum, unius hominis capax, quod a servis, non a jumentis traheretur: quale a *Petron.* vocatur *chiramaxium*. Addit *Voss. Etymol.* in quodam MSS. legi *Arcirma*, et in *Gloss. Philox.* Arcirma, ἁμαξὶς, hoc est parvum plaustrum: [quod ita fuerit appellatum ab arcuata figura. *F.*]

ARCŪO, as, avi, atum, a. l. κάμπτω, in modum arcus curvare. *Plin.* 29, 6, 39. Illam autem (*millepedam*) quae non arcuatur, sepa Graeci vocant, *h. e.* quae arcuatim non repit, ut paulo supra *Id.* loquitur.

ARCŪPOTENS. V. ARCIPOTENS.

ARCUS, us, m. τόξον, instrumentum ex ligno, aut alia materia, quod intento nervo incurvatur et emittitur ad jaciendas sagittas. *Cic. Sext.* 7. Arcus intentus in aliquem. *Ov. Amor.* 3, 3, 29. flexibilis et *ib.* 1, 1, 24. sinuosus. *Virg. A.* 5, 507. adductus. *Id. ib.* 11, 874. laxus. [*Lucan. 7, 514. Solutus, ubi *Bentl.* et *Cort.* malunt *sonans*, citra necessitatem.] *Hor. Od.* 3, 27, 67. remissus. [*Prop. 1, 7, 15. si certo puer hic concusserit arcu, i. e. qui non aberrat. Exempla V. apud *Burm.* ad h. l.] *Virg. A.* 8, 704. et *ib.* 9, 665. Intendere arcum. *Id. ib* 5, 500. incurvare. *Id. ib.* 11, 654. Spicula arcu dirigere. *Ov. Am.* 1, 1, 24. Lunare arcum. *Pers.* 3, 60. dirigere in aliquem. *Plin.* 9, 8, 7. Arcu emittere sagittam. *Pl. Trin.* 3, 2, 99. Arcum et pharetram et sagittas sumere. ℙ Ob similitudinem dicitur *arcus* Iris coelestis, ἶρις. *Cic. N. D.* 3, 20. Arcus ipse ex nubibus efficitur quodam modo coloratus. [*Liv. 30, 2. 41, 21.] *Virg. A.* 5, 88. ceu nubibus arcus Mille trahit varios adverso sole colores. *Id. G.* 1, 381. et bibit ingens arcus. Adde *Prop.* 3, 3, 54. V. BIBO. *Hor. A. P.* 18. Arcus pluvius, *scil.* quia inter signa pluviae habetur, ut *Virg. l. c.* docet. *Tibull.* 1, 4, 38. Imbrifer arcus. *Plin.* 18, 35, 80. Arcus cum sunt duplices, pluvias nunciant; a pluviis serenitatem non perinde certam. V. *Eund.* 2, 59, 60. et *Sen. Qu. nat.* 1, 5. et 6., ubi plura de hac re. ℙ In architectura *arcus* dicitur structura in modum arcus curvata, ἀψὶς, καμάρα. Hujusmodi sunt, qui substruuntur ad sustinendas aedes aut pontes; et qui ad aquae ductus erigendos, ubi locus depressior est, et qui eriguntur clari alicujus triumphi causa, ideo *triumphales* appellati, quorum aliquot adhuc visuntur Romae, et circa Urbem imperatoribus dicati, ob insignes ab iis partas victorias. *Ov. Met.* 3, 159. nam pumice vivo, Et levibus tophis nativum duxerat arcum. *Juvenal.* 3, 11. Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam. *Cenotaph. Pisanum C. Caesaris Augusti F.* Utique arcus celeberrimo coloniae nostrae loco constituatur, ornatus spoliis devictarum, aut in fidem receptarum ab eo gentium: super eum statua pedestris ipsius triumphali ornatu, circaque eam duae equestres inauratae C. et L. Caesarum statuae ponantur. *Suet. Claud.* 1. Decernere alicui marmoreum arcum cum tropaeis. ℙ [Arcus videtur esse instrumentum nobis ignotum, arcendis foribus aptum. *Hor. Od.* 3, 26, 7. Hic, hic ponite lucida Funalia, et vectes et arcus Oppositis foribus minaces. Alii leg. *harpas*, alii *hamos*. *F.* *Arcendis* quid sibi velit in hac explicatione vix intelligo, imo dicere debebat *effringendis*. Ceterum *arcus* h. l. proprie intelligendus esse videtur, neque de instrumento certo cogitandum.] ℙ Denique *arcus* dicitur de quacumque re in arcum composita. *Virg. A.* 3, 533. Portus curvatur in arcum. *Id. G.* 2, 26. silvae pressos propaginis arcus Exspectant, *h. e.* ramos in terram deflexos propagandae stirpis causa. *Ov. Met.* 3, 42. de serpente in cursum concito: Ille volubilibus squamosos nexibus orbes Torquet, et immensos saltu sinuatur in arcus. *Prop.* 4, 6, 25. acies geminos lunarat in arcus. ℙ *Arcus*, pars circuli apud mathematicos. *Sen. Qu. nat.* 1, 10. Coronam si diviseris, arcus erit; si direxeris, virga. *Colum.* 5, 2. *ad f.* Esto arcus, cujus basis habeat pedes sexdecim. ℙ Obscena metaphora usus est *Appul. Met.* 2. Arcum meum en ipse vigor attendit, et oppido formido, ne nervus rigoris nimietate rumpatur. ℙ In dativo plurali facit *arcubus*, nam *arcibus* est ab *arx*, *arcis*, ut *Prisc.* docet 8. *ad f.* ℙ Reperitur etiam in genere feminino. *Ennius* de Iride loquens apud *Prisc.* 6. p. 712. Arcus ubi aspicitur mortalibu' quae perhibetur. Al. leg. *arquus*. ℙ Item *arcus*, *arci*, 2. declinationis. *Varr. ap. Non.* 2, 71. Quod arci, quos summopere jecerat, celeriter corruissent. *Cic. N. D.* 3, 20. de eadem Iride: Cur auten arci species non in Deorum numero reponatur? etc. Ita legunt plerique cum *Prisc. l. c.* Quidam malunt *arqui*. V. ARQUUS. [*Cf. *Hdf.* ad h. l. ℙ Permutantur *arcus* et *artus*, V. *Bentl.* ad *Lucan.* 8, 295.]

[ARCŪSA, ae, f. opitulans, arcens malum, ab ἀρκέω, arceo. Cognomen Romanum. *Inscr.* apud *Murat.* 1295, 5. Octavia Arcusa. *F.*]

ARDĔA, ae, f. (*Reiher*) ἐρωδιὸς, avis quaedam in aquaticis et piscosis locis degens, et pisces ostreasque devorans, cujus tria genera ponit *Plin.* 10, 60, 79. Primus est *leucon*, hoc est ardea alba; alterum est *asterias*, hoc est ardea stellaris, ita dicta, quia sublimi volatu stellas petere videtur, secundum illud *Virg. G.* 1, 364. notasque paludes Deserit, atque altam supra volat ardea nubem: ubi *Serv.* putat, *ardeam* dictam esse, quasi *arduam* ab arduo volatu. Tertium genus est *pellos*, hoc est ardea cinerea, ita dicta a colore pennarum: a πελλὸς, fuscus. Ipse autem *Plin.* tum hic, tum alibi *ardeolam* pro *ardeam* semper diminutivo vocabulo appellat. ℙ Fuit etiam hoc nomine urbs Latii, Rutulorum metropolis, inter Ostiam et Antium, condita a Danae Persei matre, ut *Plin.* scribit 3, 5, 9., et post Turni mortem incensa ab Aenea; ex cujus cineribus *Ov. Met.* 14, 573. fabulatur ardeam avem natam esse. Restituta postea fuit, et denuo aliquando diruta. *Virg. A.* 7, 411. locus Ardea quondam Dictus avis, et nunc magnum tenet Ardea nomen. *Serv.* ad *h. l.* docet, dictam esse ab augurio avis ardeae in ea condenda capto. Scribit enim *Plin.* 11, 37, 52. *Hard.* ardeam leucon optimi augurii esse, cum ad austrum volat septentrionemve.

ARDĔAS, atis, adj. omn. gen. ad Ardeam urbem pertinens. *Cic. N. D.* 3, 18. Cum fana circuimus in agro Ardeati. *Plin.* 35, 10, 37. Ardeas templum. ℙ *Ardeates*, *um*, et *ium*, sunt Ardeae incolae. *Liv.* 5, 44. Pavidos Ardeates consultare. *Id.* 4, 7. Ardeatium defectio. ℙ Olim declinabant *Ardeatis*, *te*. *Cato* ap. *Prisc.* 4. p. 629. Pometinus, Ardeatis, Rutulus.

ARDĔĀTĪNUS, a, um, adj. ad Ardeam pertinens. *Sen. ep.* 105. Bonam valetudinem in Ardeatino tueri, *supple* agro, *vel* tractu. *Nep. Att.* 14. Ardeatinum praedium.

ARDĔĀTIS. V. ARDEAS.

ARDELICENSIS, e. V. ARILICENSIS.

ARDĔLIO, onis, m. πολυπράγμων, homo inquietus, et huc atque illuc cursitans, omnia se scire praedicans, et omnibus se immiscens, nullum autem bene perficiens. ℙ Ducunt ab *ardela* pro *ardeola*, ut a *tabella* est *tabellio*, quod ardelio ejus avis more huc illuc volitet: alii ab *ardendo*, hoc est festinando. Nam et hanc verbo *ardeo* notionem *Non.* 4, 16. tribuit. *Phaedr.* 2, 5, 1. Est ardelionum quaedam Romae natio Trepide concursans, occupata in otio, Gratis anhelans, multa agendo nihil agens, Sibi molesta, et aliis odiosissima. *Mart.* 2, 7. Vis dicam, quid sis? magnus es ardelio. V. integrum epigramma, ut et 4, 79. Utroque enim loco ardelionis mores describuntur.

*ARDELIUNCŪLUS, i, m. *Vet. Schol.* in *Juven.* 8, 145. ubi al. leg. albeliunculus. V. Albelio, itemque D. A. G. *Cramer.* ad locum Scholiastae. *B. A.*

ARDENS, entis, part. ab *ardeo*, flagrans, inflammatus, αἴθων. *Sall. Jug.* 61. Sudes, pila, praeterea pice et sulphure taedam mixtam, ardentia mittere. *Mart.* 14, 94. Aqua ardens, i. e. bulliens, quocum cf. *Flor.* 4, 2. *Ardens mare ventis*, i. e. turbatum, concitatum. *Tubero* apud *Gell.* 6, 4. Sol ardentissimus. *Plin.* 2, 47, 47. Ardentissimum tempus aestatis. *Id.* 20, 20, 81. Ardens febris. *Id.* 27, 9, 46. Cocco Gnidio color cocci, vis ardens. Sic *Mart.* 9, 75. Ardens falernum. Et *Virg. G.* 3, 564. Ardentes papulae, *h.* e. carnem adurentes et exedentes. ℙ *Ardens color* dicitur valde splendens et ignem referens. *Plin.* 21, 4, 10. Ardentissimus color. *Virg. A.* 10, 261. Clypeus ardens. *Id. G.* 4, 99. Apes ardentes auro. *Ardentes oculi* dicuntur homini irato. *Id. ib.* 4, 450. ℙ Translate. *Cic. Leg.* 2, 17. Vidimus eos ardentes cum cupiditate, tum metu, tum conscientia. *Id. Or.* 3, 32. *in f.* Graeci ardentes his studiis. *Id. Phil.* 4, 2. Antonius ardens odio vestri. *Id. Rosc. Am.* 31. Qui ardens avaritia feratur infestus in suos. *Id. Att.* 11, 9. Ardentes dolore. *Id. Phil.* 2, 18. amore. *Val. Max.* 9, 3. *n.* 8. indignatione. *Sall. Cat.* 5. Animus ardens in cupiditatibus. [*V. de hac constructione *Cort.* et quos laudat.] *Cic. Fin.* 2, 19. Mortem ardentiore studio petere, *h. e.* vehementiore. *Id. Or.* 38. Ardens oratio. [*Agit de h. l. *Ernest. lex. techn. lat.* p. 27. ubi plura de hoc verbo (ardens orator, ardens motus, gestus, simm.) collegit et explicavit.] *Id. Att.* 14, 10. *ad f.* Ardentes in eum litteras ad me misit. *Id. Phil.* 4, 5. Ardens et erectus ad libertatem recuperandam, *h. e.* inflammatus desiderio. *Flor.* 4, 2. Ardentissimus dux. *Virg. A.* 6, 5. Juvenum manus emicat ardens. ℙ Cum genitivo. *Stat. Th.* 1, 661. ardentem, tenuit reverentia, caedis Latoidem. ℙ *Ardens* absolute de eo, qui amore flagrat. *Ov. Met.* 14, 691. Miserere ardentis, etc.

ARDENTER, adv. περικαῶς, cum calore. *Plin.* 12, 19, 42. Austros ibi tam ardenter flare. Alii leg. *ardentes*. ℙ Translate est vehementer, cupide, valde. *Cic. Tusc.* 4, 17. Ardenter cupere aliquid. *Id. ib.* 5, 6. Gravius, ardentiusque sitiens voluptates. *Plin. ep.* 6, 4. Ardentissime diligere.

ARDĔO, es, arsi, arsum, n. 2. καίομαι, flagro, conflagro, cremor. Dicitur non solum de rebus igne flagrantibus, sed etiam de ipso igne accenso. *Cic. Div.* 1, 53. Caput arsisse Servio Tullo dormienti, quae historia non prodidit? *Id. Dom.* 24. Domus ardebat in palatio non fortuito, sed oblato incendio. *Ov. Met.* 2, 620. rogumque parari Sensit, et arsuros supremis ignibus arcus. *Stat. Th.* 8, 474. Igne tuo, Thebane, rogum concedimus: arde. [*Stat. in *Epic. patris* 66. ardens maritus, i. e. qui crematur rogo. V. *Gron.* in *diatr.* p. 521. *ed. Hand.*] *Hor. Sat.* 1, 5, 71. sedulus hospes Paene arsit, macros turdos dum versat in igne, *h. e.* incendio aedium conflagravit. Et *ib.* 8, 44. Largior arserit ignis. [*Adde *Virg. A.* 2, 311. Apud *Tac.* 15, 50. in ardente domo etc. alii proprie dictum volunt, alii, ut *Acidal.* intelligit domum crebris luminibus et facibus illustrem. Ego cum aliis locum corruptum putarim.] ℙ Translate latissimum habet usum. *Cic. Fin.* 5, 31. Ardere podagrae doloribus, *h. e.* cruciari. (V. similem loc. *ib.* 2, 28. *sub f.*) *Id. Att.* 5, 6. Cum arderet Syria bello. *Flor.* 3, 5. Ardet novis motibus Asia. *Suet. Caes.* 70. Ardente in Africa bello. [*Tac. H. 2, 66. atrox praelium arsisset, i. e. exarsisset.] *Liv.* 28, 24. *in f.* Totam Hispaniam arsuram bello. [*Virg. A. 2, 347. terra ardet armis, ibique *Burm.*] *Liv.* 2, 29. *extr.* Furor, quo nunc omnia ardent. *Phaedr.* 3, 16, 15. et *Claud. Rufin.* 1, 104. ardere siti. *Liv.* 44, 38. *ad f.* ardentes siti fauces. — Ardere oculi dicuntur homini irato. *Cic. Verr.* 2, 4, 66. Cum spumas ageret in ore, arderent oculi, etc. — De coloribus, qui fulgorem igni similem emittunt. *Virg. A.* 4, 262. Tyrioque ardebat murice laena. *Id. ib.* 11, 602. campique armis sublimibus ardent. V. ARDENS. ℙ Saepe refertur ad animum, et dicitur de iis, qui cupiditate aliqua vehementi aguntur; et tum in bonam, tum in malam partem. *Cic. Att.* 2, 19. *in f.* Ardere dolore et ira. *Id. ib.* 10, 4. furore. Et 16, 13. studio historiae. *Id. Tusc.* 4, 17. desiderio alicujus rei. *Id. Leg.* 2, 17. cupiditate, metu, conscientia. *Ter. Ad.* 3, 2, 12. iracundia. *Justin.* 8, 4. odio alicujus. *Flor.* 3, 11. *in f.* cupiditate auri. *Cic. Mil.* 15. Omnia tum in illum odia civium ardebant desiderio mei. *Id. Q. Fr.* 2, 15. *ad f.* Res ardet invidia, *h. e.* laborat. Sic *Liv.* 5, 11. Cum arderent invidia patres et tribuni. Et *Pl. Cas.* 5, 3, 1. Maximo ego ardeo flagitio, *h. e.* maximo scelere teneor et ejus invidia laboro. Et *Plin. ep.* 4, 11. Ardere infamia. In specie *ardere amore alicujus* est aliquem vehementer amare. *Cic. Verr.* 2, 2, 47. Ardebat amore illius hospitae. *Sen. Herc. Oet.* 370. Brevique in illas arsit Alcides face. Et absolute. *Ov. Met.* 8, 62. Ex aequo captis ardebant mentibus ambo. *Id. ib.* 8, 50. merito Deus arsit in illa. *Hor. Od.* 2, 4, 7. Arsit Atrides medio in triumpho Virgine rapta. *Sil.* 5, 15. Nympha ardens puero. — Cum accusativo. *Virg. Ecl.* 2, 1. Formosum pastor Corydon ardebat Alexin. *Hor. Od.* 3, 9, 5. Donec non aliam magis arsisti. Ita *Bentl.* Alii alia. *Gell.* 7, 8. Delphini pueros miris modis arserunt. [*Praeter *Bentl.* cf. *Heins.* ad *Virg. A.* 7, 623.] ℙ Absolute saepe adhibetur ad exprimendos alios animi impetus. *Cic. Or.* 3, 45. Tantum est flumen verborum, tam in-

tegrae sententiae, ut mihi non solum tu incendere judicem, sed ipse ardere videaris. [*V. ARDENS, et quem ibi laudavimus *Ernest.*] *Ov. Met.* 6, 609. ardet, et iram Non capit ipsa suam. *Sall. Or. ad Caes. de Rep. ord.* 1. *sub f.* Ad reprehendenda aliena facta aut dicta ardet omnibus animus. *Caes. B. G.* 6, 34. Omnium animi ad ulciscendum ardebant. [**Prop.* 3, 11, 21. ardent victrices et flammae pectora praebent, i. e. morae impatientes sunt. V. *Burm.*] *Virg. A.* 12, 3. ultro implacabilis ardet. Et *ib.* 71. Ardet in arma magis. [*V. *Burm.* ad *eund. ib.* 2, 347. *Tac. H.* 1, 43. ardere in caedem alicujus.] *Stat. Th.* 4, 337. tunc bella tibi, ferrumque quod ardes, Ipsa dabo. — Et cum infinito. *Ov. Met.* 5, 166. Nescit utro potius ruat; et ruere ardet utroque. *Virg. A.* 4, 281. Ardet abire fuga. [*V. *Heins.* ad *eund. ib.* 11, 895.] *Val. Fl.* 6, 45. Nescius, heu! quanti thalamos ascendere monstri Arserit. ℙ Videtur activa significatione usurpari pro comburere, in illo *Virg. G.* 4, 425. Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos Ardebat. *Serv.* enim exponit *siccabat.* Potest tamen accusativus *sitientes Indos* referri ad participium *torrens.* [*Omnino.] ℙ Praeteritum *ardui* pro *arsi*, quod legitur in quodam lapide apud *Grut.* 121., non est facile usurpandum. [Atqui habemus praeterit. subjunct. *arduerint* in *Inscr.* apud *Marin. Frat. Arval. n.* 43. Quod ictu fulminis arbores sacri luci attactae arduerint. V. *Eund. l. c.* p. 659. *F.*] ℙ [*A librariis confunduntur *ardere* et *arere*, V. quos laudat *Heins.* et *Burm.* ad *Ov. Her.* 4, 174. *Met.* 8, 289. — et *audere*, *Burm.* ad *Virg. A.* 2, 347. 11, 895. — et *fulgere*, *id. ib.* 11, 202. — et *haerere*, *Heins.* ad *Ov. Met.* 13, 906. — et *albere*, *id. ib.* 11, 176.]

ARDĔŌLA, ae, f. avis eadem, quae *ardea* apud *Plin.* 10, 60, 79., 11, 37, 52. et alibi. V. ARDEA.

ARDESCO, is, n. 3. φλέγομαι, ardens fio, ignem concipio. *Lucr.* 6, 174. omnia motu Percalefacta vides ardescere. *Plin.* 37, 3, 12. Succinum rapacissimum ignium, et si juxta fuerit, celerrime ardescens. ℙ Translate est concitari, inflammari, fervere. *Plin.* 8, 45, 70. Solus animalium eo stimulo ardescit. *Virg. A.* 1, 717. Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo. *Lucr.* 4, 1083. ardescit dira cuppedine pectus. *Id.* 5, 895. Ardescere venere. *Ov. Met.* 5, 41. in iras. *Tac. A.* 11, 25. in incestas nuptias. *Id. ib.* 3, 54. Aeger et flagrans animus libidinibus ardescit. *Id. ib.* 16, 29. Voce, vultu, oculis ardescere. *Virg. A.* 11, 607. Adventusque virum fremitusque ardescit equorum. Sic *Tac. A.* 3, 17. Questus magis ardescebant. *Id. Hist.* 5, 18. Ardescens pugna. *Sil.* 11, 304. Ardescere Lyaeo. ℙ Dicitur mucro gladii ardescere, cum ejus acies adeo vehementer acuitur, ut caedendo paene urat. *Tac. A.* 15, 54. Pugionem vetustate obtusum asperari saxo, et in mucronem ardescere jussit. Alii leg. *et mucronem ardescere jussit.* Sic *Lucan.* 7, 139. Nec gladiis habuere fidem, nisi cotibus asper Exarsit mucro.

*ARDIAEI, orum, populi Illyridis, Ardyaei *Liv.* 27, 30. ubi V. *Gron.* Dicti et Vardaei vel Bardaei. V. Barde. *B. A.*

*ARDONĔAE, Apuliae oppidum. *Liv.* 24, 30. *B. A.*

ARDĬFER, a, um, adj. ardorem ferens, inflammans. *Varr.* ap. *Non.* 4, 27. et 211. Non videtis, ut parvulus Amor ardifera lampade aride agat amantes aestuantes?

ARDOR, oris, m. καῦμα, vehemens calor et incendium. *Cic. Ac.* 4, 37. Fore aliquando, ut omnis hic mundus ardore deflagret. *Id. Sen.* 15. Vitis vestita pampinis nimios solis defendit ardores. *Plin.* 14, 16, 18. Refrigerare ardores corporum in morbis. ℙ Pro fulgore et splendore. *Cic. de II. suo Cons. Div.* 1, 11. Concursusque graves stellarum ardore micantes. *Hyg. Astron.* 4, 14. Ardor officit oculis. [**Cic. N. D.* 2, 41. ardor coelestis, qui aether vel coelum nominatur.] ℙ *Ardor oculorum* est fulgor, indicium erecti et acris animi. *Cic. Balb.* 21. Ille imperatorius ardor oculorum. Sic *Vell.* 2, 35. Ardor oris. ℙ Translate. *Liv.* 34, 1. In medio ardore belli Punici. ℙ Saepe refertur ad animum, et ponitur pro impetu, vehementia, cupiditate. *Cic. Coel.* 31. Cupiditas vincendi, ardor mentis ad gloriam. *Id. Or.* 1, 30. Studium et ardor quidam amoris. *Id. Brut.* 24. Ardor animi non semper adest; isque cum consedit, omnis illa vis et quasi flamma oratoris exstinguitur. *Liv.* 6, 13. Vultum hostis ardore animi micantem ferre non potuit. *Cic. Fin.* 1, 13. Omnium cupiditatum ardore restincto. [*Interdum veteres ex metaphora exciderunt: *Tac. H.* 2, 76. ardor ac ferocia militis deteritur. *Quint. Decl.* 4, 5. ne hunc ardorem fugientis animae dilatione laxetis, et *Burm.* ad h. l.] *Tibull.* 4, 12. Dissimulare ardorem, *h. e.* amorem. *Suet. Oth.* 9. et *Liv.* 8, 16. Ardor militum pugnam deposcentium. *Justin.* 3, 5. Injicere ardorem militibus. [**Tac. A.* 2, 15. orationem ducis secutus militum ardor; (is ardor plerumque emicabat laeta acclamatione, qua dictis assentiebant.)] *Ov. Met.* 8, 828. furit ardor edendi, *h. e.* immensa fames. ℙ Pro dolore. *Lucr.* 3, 252. Sive voluptas est sive est contrarius ardor. ℙ [*Confunduntur a librariis *ardor* (pro *amore*) et *error. Heins.* ad *Ov. Am.* 1, 10, 9. ad *Met.* 10, 342.]

ARDŪINNA cognominatur Diana in *Inscr.* ap. *Grut.* 314, 3. et fortasse ita denominata est, quod coleretur in silva Arduenna, quae est in Gallia Belgica, de qua *Caes. B. G.* 5, 3. Conjecturam hanc approbat *Selden. de Diis Syris*, *syntagm.* 2. *c.* 2. [**Id.* 6, 29. Est et Ardenna, ae, nempe apud *Venant. Fortunat. carm.* 7, 4. Ardenna, orum, pluraliter dixit *Tac. A.* 3, 42. *B. A.*] ℙ Haec eadem in alia *Inscr. ib.* 40, 9. dicitur *Ardoinna.*

ARDŪĪTĀS, atis, f. ἀπόκλιμα, altitudo, locus arduus et ascensu difficilis. *Varr. R. R.* 2, 10. Neque enim senes, neque pueri callium difficultatem, ac montium arduitatem atque asperitatem facile ferunt.

ARDŪO, is, pro *adduo*, *is*, (quod ex *ar* ad, et *duo*, *is*) hoc est *do*, *as*, legitur in *leg. XII. Tab.* ap. *Plin.* 21, 3, 5. Qui coronam parit, ipse pecuniave ejus virtutis ergo arduitor, *h. e.* dator ei. Ita legit *Lips. l.* 4. *Epist. Quaest. ep.* 26. At *Harduin.* reponit *duitor:* alii *arguitor.*

ARDUS pro aridus. V. ARIDUS.

ARDŪUS, a, um, adj. ἀνάντης, ἀνωφερής, altus, acclivis et ascensu difficilis. *Cic. Verr.* 2, 4, 23. Oppidum erat difficili ascensu atque arduo. *Sall. Cat.* 7. Locus asper atque arduus. *Liv.* 7, 34. Collis aditu arduus. *Ov. Met.* 2, 63. Ardua via. ℙ *Arduum* absolute, locus arduus. *Hor. Od.* 2, 19, 21. Scandere per arduum. *Virg. A.* 5, 694. tonitruque tremiscunt Ardua terrarum et campi. [**Tac. A.* 2, 46. visa in arduo, quae plana fuerint.] *Id. ib.* 11, 9. Excidere ardua castellorum, *h. e.* castella in arduo loco sita. ℙ *Arduus*, erectus, celsus, altus. *Hor. Sat.* 1, 2, 88. Ardua cervix equi. [**Sil.* 11, 245. colla.] *Gell.* 4, 1. Ardua supercilia, *h. e.* elata et superbiam indicantia. *Ov. Am.* 1, 14, 12. Ardua cedrus. *Id. Met.* 1, 151. Arduus aether. *Virg. A.* 9, 53. de Turno: et campo sese arduus infert. ℙ Translate ponitur pro difficili, molesto, laborioso. *Cic. Or.* 33. Magnum opus omnino et arduum, Brute, conamur: sed nihil difficile amanti puto. *Id. Inv.* 2, 54. Rerum arduarum ac difficilium perpessio. *Id. Leg.* 1, 13. Difficilem atque arduam sectam sequi. *Plin.* 17, 4, 3. Solum arduum opere, difficile cultu. *Id.* 2, 46, 45. Res ardua inventu. *Liv.* 8, 16. Id arduum factu erat. [**Tac. A.* 12, 15. nec fuit societas in arduo. *Id. H.* 1, 85. arduus rerum omnium modus.] *Sall. Cat.* 3. Arduum videtur res gestas scribere. *Gell.* ad haec *Sall.* verba ita scribit 4, 13. Arduum Sallustius non pro difficili tantum, sed pro eo quoque ponit, quod Graeci δυσχερῆς aut χαλεπὸν appellant, quod est tum difficile, tum molestum quoque et incommodum et intractabile. [*Sic *Tac. A.* 1, 11. arduum — regendi cuncta onus, i. e. molestum. Huc etiam referendus videtur locus *Id. H.* 2, 76. omnes — aestimare debent, an, quod inchoatur, Reip. utile, ipsis gloriosum, aut promtum effectu, aut certe non arduum sit. *Oberl.* i. q. *impossibile* esse putat.] *Cic. Inv.* 1, 47. Hoc magnae atque arduae cogitationis indiget. ℙ *Res arduae* interdum sunt res adversae. *Hor. Od.* 2, 3, 1. Aequam memento rebus in arduis Servare mentem; non secus in bonis Ab insolenti temperatam Laetitia. ℙ Gradus *arduior* et *arduissimus* vetustae voces sunt. *Cato* ap. *Prisc.* 3. p. 600. Quod iter longius arduiusque erat a curia. *Id. ib.* Asperrimo atque arduissimo aditu.

*ARDYAEI, orum, Ἀρδυαῖοι. V. ARDIAEI. *B. A.*

ĀRE *Lucretii.* V. in AREFACIO.

ĀRĔA, ae, f. [*quod *Buttmann.* in *Lexil.* 1. p. 244. ab ἔρα, i. e. terra, humus derivat, est proprie] locus in urbe purus, h. e. vacuus, in quo aedificari potest. *Varr. L. L.* 4, 4. Loca in urbe pura, areae. [*Cf. *Fest.* s. h. v.] *Florentin. Dig.* 50, 16, 211. locus sine aedificio, in urbe, area, rure autem ager appellatur. [**Hor. ep.* 1, 10, 13. Si ponendae domo quaerenda est area primum.] Quare etiam de eo loco, qui dirutis aedibus manet: *Cic. Att.* 4, 1. *ad f.* Pontifices si sustulerint religionem, aream praeclaram habebimus. [*Inscr.* Pompeiis reperta in urbis planitie, *Descriz. di Pompei Mus. Borbon. T.* 1. p. 14. M. Tullii M. F. area privata. *F.*] *Vitr.* 1, 7. Divisis angiportis et plateis constitutis, arearum electio ad opportunitatem et usum communem civitatis est explicanda, aedibus sacris, foro reliquisque locis communibus. *Suet. Vesp.* 8. Vacuas areas occupare et aedificare. *Liv.* 4, 16. Domum deinde, ut monumento area esset oppressae nefariae spei, dirui extemplo jussit. [**Id.* 1, 55. area libera a ceteris religionibus, i. e. in qua nondum templum sacratum est.] *Ulp. Dig.* 7, 4, 10. Aedes ad aream redigere. ℙ In hujusmodi areis, ut et in campo Martio, fiebant aliquando a juvenibus ludicra certamina, et exercitationes, eoque conveniebant otiosi homines spectandi et confabulandi causa. *Hor. Od.* 1, 9, 18. nunc et campus et areae Lenesque sub noctem susurri Composita repetantur hora. [*Sic etiam de aliis locis planis. *Vitr.* 8, 3. areae salinariae i. e. plana ad mare loca, in quibus solis calore ex aqua marina sal efficitur.] — Translate in universum dicitur pro campo, i. e. loco ubi exercitationis fiunt. *Ov. Am.* 3, 1, 25. cane facta virorum: Haec animo, dices, area digna meo est, h. e. materia meo ingenio apta. Hac ratione usurpatur etiam campus. [*Cic. Att.* 9, 18. area scelerum, i. e. locus ubi scelera commode exerceri possunt; alii expl. copiam scelerum; alii aliter legunt.] ℙ Hinc in specie dicitur de aliis. Ac primum quidem locus vacuus relictus ante aut post optimatum aedes, vel in medio earum, *area* dicitur. Haec area a tribus partibus cingebatur amplis porticibus, ut venientium turba consistere posset, antequam januam domus ingrederentur dominum summo mane salutaturi. Haec area cum porticibus et tabernis vestibulum appellabatur. In his areis quadrigae saepe erant aeneae, statuae equestres aut signa Deorum; hinc area Apollinis, area Mercurii, Spei, Isidis, etc. [*cf. *Plin. Pan.* 52, 3.]; erant nempe quae Venetiis *campi* vocantur. *Plin. ep.* 6, 20. Resedimus in area domus. *Ulp. Dig.* 43, 22, 1. Si area ab utraque parte aedium sit. *Cajus ib.* 8, 2, 1. Avertere stillicidium in aream vicini. Adde *Paul. ib. l.* 19. [*Hinc etiam pro ipsa domo dicitur. *Declam. Porcii Latr.* 5. (p. 1082. *ed. Cort.*) devolaverunt in aream ipsam nefariae conjurationis. Cf. *Cort.*, qui monet apud *Tert.* dici adeo pro *conventu*, laudans *Spanhem. opp.* p. 338.] ℙ Porro i. q. planities, in qua frumenta secta (hanc significationem *Forc.* primam posuerat) teruntur et arescunt, ἄλως, ἄλων, ut *Varr. L. L.* 4, 4. *ad f.* docet. *Virg. G.* 1, 178. Area cum primis ingenti aequanda cylindro, Et vertenda manu, et creta solidanda tenaci. [*Cf. ad h. l. *Voss.* et *Hdf.* ad *Hor. Sat.* 1, 1, 45.] *Cato R. R.* 91. et 129., *Colum.* 2, 20. et *Pallad.* 7, 1. areae conficiendae rationem docent. *Scaev. Dig.* 34, 1, 15. Messium et arearum tempore. ℙ In hortis *area* dicitur spatium quadratum et oblongum, cetero solo altius, bene subactum et coaequatum, ubi semina jaciuntur; relictis circa semitis, per quas adiri commode possit. *Varr. L. L.* 5, 7. *circa med.* Olitor dissecrit in areas sui cujusque generis res. *Colum.* 11, 3. Humus refossa in areas dividitur, quae tamen sic informandae sunt, ut facile runcantium manus ad dimidiam partem latitudinis earum perveniant. *Pallad.* 1, 34. Areae faciendae sunt angustiores, et longae, ut, etc. Adde *Plin.* 19, 4, 20. ℙ Dicitur etiam de geometrarum figuris. *Gell.* 1, 20. Planum est, quod in duas partes solum lineas habet, qua latum est, et qua longum; qualia sunt triquetra et quadrata, quae in area fiunt, sine altitudine. ℙ Dicitur etiam *area* locus purgatus, in quo aucupes spargunt grana ad aves alliciendas. *Pl. Asin.* 1, 3, 64. Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum: aves assuescunt. Et *ib.* 67. Aedes nobis area est, auceps sum ego. ℙ *Area sepulturarum* apud *Tert. ad Scapul.* 3. est locus, in quo sunt sepulcra. Sic *area* pro loco rogi sumitur a *Stat. Th.* 6, 57., [et sensu eodem in plurimis inscriptionibus, quas legere est apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 118. In *Cenot. Pis.* haec habemus: Utique locus apud eam aream, quo ea strues congerantur, componantur, pateat quoquoversus pedes ✕L. En igitur area posita prope sepulcra pro ustrino, seu loco quo strues lignorum in annuis parentalibus succensa. *F.*] ℙ In coelo *area* dicitur circulus fulgoris, qui aliquando solem, lunam, et alia etiam sidera circumnectit, qui et *corona* appellatur. *Sen. Qu. nat.* 1, 2. Tales splendores Graeci areas (nempe ἀλωνας: nam ἄλων, sive ἀλὼν *aream* significat) vocavere, quia fere terendis frugibus loca destinata sunt rotunda. ℙ *Mart.* 10, 24. Vitae tribus areis peractis, *h. e.* tribus vitae spatiis, pueritia, juventute et senecta, ut *Turneb.* exponit *l.* 30. *c.* 30. Eodem sensu explicatur a *P. Scriver.* illud ejusdem 7, 32. Per varias artes, omnis quibus area servit, *h. e.* omnis hominum aetas. Alii per *aream* intelligunt spatium vigintiquinque annorum, quemadmodum in area Circi [**Ov. Fast.* 4, 10. Nunc teritur nostris area major equis.] in ludis vigintiquinque missus fiebant, ut *Varro* apud *Serv.* ad *Virg. G.* 3, 18. docet. Sed utroque *Martialis* loco alii aliter. V. AUREUS. ℙ Denique *area* est morbus capitis, interdum et menti, cum summa ejus cuticula emoritur, pili primum extenuantur, deinde excidunt, et si ictus is locus sit, sanguis exit liquidus, et mali odoris. Hujus duo sunt genera, alterum quod *alopecia* dicitur; alterum quod ὀφίασις. *Cels.* 6, 4. Arearum quoque, duo genera sunt, etc. V. ibi reliqua. Sic autem dicitur, quod areas quasdam, hoc est loca pilis nudata efficiat. *Mart.* 5. de quodam calvo: Nudum est in medio caput, nec ullus In longa pilus area notatur.

ĀRĔĀLIS, le, adj. ad aream pertinens, ἀλωικός. *Serv.* ad illud *Virg. G.* 1, 166. et mystica vannus Iacchi, *h. e.* cribrum areale.

*AREĀTAE, arum, populi Sarmatiae, Thraciam ultra Haemumque montem, ubi nunc est Bulgaria. Dicti etiam Arraei. *Plin.* 4, 11. Arraei Sarmatae, quos Areatas vocant. ubi *Harduin.* mavult Areotas (Ἀρειώτας) vel potius Aroteres legere. *B. A.*

*ARECOMĬCI, orum, populi Galliae Narbonensis, Volcis proximi. Arecomicorum oppidum fuit Nemausus, hodie aliis *Avignon*, aliis *Nismes*. *Mela* 2, 5. *Plin.* 3, 4. *B. A.*

ARECTĒUS vel Arectaeus vel Aracteus, a, um, adj. *Arectei campi* ap. *Tibull.* 4, 1, 142. sunt campi circa Babylonem, ubi fuit Arech, seu Arach oppidum, cujus mentio fit *Genes.* 10, 10. Gyndes Radit Arectaeos haud una per ostia campos. Eos *Strabo l.* 16. Ἀρκταχηνὴν χώραν appellat; sed Ἀραχηνὴν legendum esse monent *Scalig.* et *Casaubon.* Apud *Tibull.* sunt qui aliter legunt. [*Salmas. (in *Solin.* p. 840.) legit Areccaeis, ab Arecca seu Aracca, oppido Susianae. *B. A.*]

ARĔFĂCIO, acis, eci, actum, a. anom., ξηραίνω, aridum facio, sicco. *Varr. L. L.* 4, 4. *ad f.* Qui arefacit ardor est solis. *Gell.* 12, 1. Istae prodigiosae mulieres fontem illum sanctissimum corporis arefacere et exstinguere laborant. ℙ *Arfacio* per syncopen. *Cato R. R.* 69. Postea amurcam eximito et arfacito: ubi arebit, etc. ℙ Audaci transpositione divisit *Lucr.* 6, 962. Principio terram sol excoquit et facit are. ℙ Particip. *Arefaciens* apud *Vitr.* 2, 1. Alii luteas glebas arefacientes struebant parietes.

ARĔFACTUS, a, um, part. v. *arefacio*, ἀπόξηρος, aridus factus. *Plin.* 13, 22, 33. Caulis arefactus. *Id.* 34, 13, 35. Mora immatura in sole arefacta. *Cels.* 5, 27. *n.* 7. Polium arefactum in duas potiones dividendum est. [*Suet. *Vesp.* 5.]

ARĔFIO, is, actus sum, ξηραίνομαι, aridus fio. *Plin.* 32, 7, 26. Arefieri in furno.

ARĔLAS, atis, et Arĕlāte, es, f. nunc *Arles*, urbs Galliae Narbonensis ad Rhodanum fluvium, olim Colonia Sextanorum, quoniam e legione sexta coloni olim eo deducti sunt. *Caes. B. C.* 1, 36. Naves longas Arelate facere instituit. *Auson. clar. Urb.* 8. Pande, duplex Arelate, tuos, blanda hospita, portus, Gallula Roma Arelas, etc., et *epist.* 24, 81. Utque duplex Arelas, Alpinae tecta Viennae. *Duplicem* vocat, quia olim in duas partes dividebatur, Rhodano interfluente.

ARĔLĀTENSIS, se, adj. ad Arelatem pertinens. *Plin.* 10, 42, 57. Arelatensis ager. *Scaev. Dig.* 33, 2, 34. Respublica Arelatensium.

ARĔMŌRĬCUS, a, um, adj. ad Aremoricam pertinens. Est autem Aremorica regio Galliae Celticae, nunc *Bretagne*, ad Oceanum sita. *Caes. B. G.* 7, 75. Universis civitatibus, quae Oceanum attingunt, quaeque eorum consuetudine Aremoricae appellantur. *Armoricae* hic rectius legitur: nam *ar mor* Celtarum lingua significat *ad mare*. *Auson. Prof.* 10, 15. Gentis Aremoricae. *Id. epist.* 9, 35. Sunt et Aremorici qui laudent ostrea Ponti.

ARĒNA, ae, f. ἄμμος, minutissimus pulvis: ab *arendo*, quia caret omni humore et succo, unde et plurimum aquae bibit. Ejus tria sunt genera, ut *Plin.* 36, 23, 54. et *Vitr.* 2, 4. et 5. docent, fossicia, fluviatilis et marina. *Virg. G.* 1, 114. Arena bibula. *ib.* 189. sicca. *ib.* 70. sterilis. *Id. A.* 5, 374. fulva. *Hor. Od.* 1, 28, 1. numero carens. *Ov. Met.* 2, 577. mollis. *Juven.* 3, 55. tanti tibi non sit opaci Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum. [*Virg. *G.* 4, 291. arena nigra, i. e. limus; nam poetice arena ponitur pro *humo*, ut *id. ib.* 1, 105. pinguis arena. *Lucan.* 2, 417. Nilus stagnaret arenas.] ℙ In plurali numero. *Virg. G.* 3, 350. torquens flaventes Ister arenas. *Id. ib.* 2, 232. summas aequabis arenas. *Hor. Od.* 3, 4, 31. Arentes arenae. [*Cf. *Bentl.* ad h. l.] Adde *Virg. G.* 2, 106. et alibi, *Ovid.* saepe, *Val. Fl.* non semel, *Suet. Aug.* 80., *Plin.*, *Petron. fragm.* et alios. Haec ideo coacervavimus, quia *C. Caesar* in *lib. de Analog.* ap. *Gell.* 19, 8. in plurali numero usurpari negavit. ℙ *Arenae mandare semina*, proverb. oleum et operam perdere. *Ov. Her.* 5, 115. Quid facis Oenone? quid arenae semina mandas? Non profecturis litora bubus aras. ℙ *Arena* pro loco arenoso, *Cic. Agr.* 2, 27. Arenam aliquam aut paludes emere. ℙ De arenae usu in aedificiis multa *Plin.* et *Vitr. locis sup. citat.* ℙ Saepe ponitur pro litore, aut portu. *Virg. A.* 1, 176. Egressi optata potiuntur Troes arena. *Id. ib.* 5, 34. Et tandem laeti notae advertuntur arenae. *Id. ib.* 6, 316. Arcere aliquem arena. [*Multa collegit *Burm.* ad *Prop.* 1, 8, 11.] ℙ Per metonymiam sumitur pro amphitheatro, quia spargi arena solet, ne qui exercentur aut pugnant, labantur. *Mart. Spectac.* 21. Quidquid in Orpheo Rhodope spectasse theatro Dicitur, exhibuit, Caesar, arena tibi. *Juven.* 4, 100. quod cominus ursos Figebat Numidas Albana nudus arena. [*Suet. *Ner.* 53. in amphitheatri arena. *Id. Tit.* 8.] *Triphon. Dig.* 11, 4, 6. Dare se in arenam, *h. e* offerre se ad pugnandum cum bestiis, aut cum gladiatoribus. [*Hinc dicitur pro arte gladiatoria et muneribus gladiatorum. *Suet. Tib.* 35. in opera Scenae arenaeque edenda. *id. Cal.* 30. Nunquam autem, quod probe tenendum, ponitur *arena* pro circo et stadio, quanquam et haec arena sternebantur. Copiosius haec demonstravit *Lips.* in libris: *de amphitheatro* et *de amphitheatris extra Romam*, *Antverp.* 1604. 4. sive in Opp. ejus III. p. 993 — 1068. et in *Graevii thes. AA. RR.* IX. p. 1269 — 1319.] ℙ Pro iis, qui in theatro exercentur. *Juven.* 3, 34. Quondam hi cornicines et municipalis arenae Perpetui comites. ℙ Hinc dicitur de quocumque alio loco, in quo pugnatur, aut quolibet exercitii genere luditur. *Flor.* 4, 2. Prima civilis belli arena Italia fuit. *Plin. ep.* 6, 12. Vectio Prisco quantum plurimum potero, praestabo, praesertim in arena mea, hoc est apud centumviros. ℙ Scribitur et *harena* cum aspiratione: quam scriptionem admittunt *Varr.* apud *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 176., *Charis.* 1. p. 80. *Vel. Long. Orthogr.* p. 2238. et alii vet. grammatici. Docent enim *arenam* esse ab *arendo*, at *harenam* ab *haerendo*, quod in fabricis haereat. Et quidem *Charis. l. c.* scribit *harenam* gratius sonare. Nec desunt vetera monumenta, ut est apud *Manut. Orthogr.*, in quibus aspiratio adhibetur. Nihilominus *arena* sine aspiratione eruditis magis placet, tum quod ea origo ab *haerendo* levior sit, et paene futilis, tum quod consuetudo obtinuit, ut fere passim *arena* scriberetur: tametsi qui aspirationem addunt, damnari jure non possunt. [*Scheller. hoc voc. proprie *adj.* fuisse putat *arenus*, *a*, *um* (ut terrenus) ab areo, ut sit i. q. arena sc. terra.] ℙ Arenae montes in Hispania Baetica. *Plin.* 3, 1. *ed. Hard.* ubi antea legebatur Ariani m. Montem Ariorum appellat *Anton.* in *Itin.* Hodiernum nomen *Sierra Morena*. *B. A.*

ARĔNĂCĔUS, a, um, adj. qui est ex arena, arenosus, ψαμμώδης. *Plin.* 17, 7, 4. Terra argillacea, tofacea, arenacea. *Id.* 30, 15, 46. Arenacea duritia. *Id.* 21, 16, 59. Arenaceum semen, *h. e.* arenae simile.

*ARENĂCUM, i, Galliae Belgicae urbs, permunita et elegans, in Geldriae Ducatu, hodie *Arnhem* dicta. *Tac. Hist.* 5, 20. Arenatium audit *Tab. Peuting.* Harenatium autem *Anton. Itin. B. A.*

ARĔNĀRĬUS, a, um, adj. ad arenam pertinens. *Ammian.* 29, 1. In modum arenariae ferae ad ultimam rabiem saevire, *h. e.* quae in arena theatri depugnat. ℙ *Arenarius lapis*, quem *Virg. G.* 2, 348. bibulum vocat, est lapis foraminibus plenus, hauriendoque humori idoneus. *Servius.* ℙ *Arenarius*, *ii*, m. qui in theatro pugnat, ut bestiarius, gladiator, etc. *Petr. Sat.* 126. Quaedam feminae sordibus calent: arenarius aliquas accendit, aut perfusus pulvere mulio, aut histrio. *Arcad. Dig.* 22, 5, 21. Si ea rei conditio sit, ut arenarium testem, vel similem personam admittere cogamur. Adde *Capitolin. M. Aurel.* 19. et *Maecian. Dig.* 36, 1, 5. [*Adde praeterea hos locos: *Cod. Justin.* 3, 27, (al. 28.) 11. in arenam non damnato, sed sua sponte arenario constituto, legitimae successiones integrae sunt, sicuti civitas et libertas manet; sed etc. *ib.* 5, 27, 1. *coll.* 5, 5, 7. *Callistr. Dig.* 38, 1, 38. *Tert. de spect.* 22. etenim ipsi auctores et administratores spectaculorum quadrigarios, scenicos, xysticos, arenarios illos amantissimos etc. *Firm. Astron.* 8, 10. *Symm. ep.* 5, 59. Praeter haec loca, quae in veterum scriptis exstant, legitur h. v. in duabus inscriptionibus, quarum altera, Mutinae reperta, exstat apud *Murat. thes.* p. 511. *n.* 3. D. M. Q. Alfidio Q. L. Hylae VI. vir foro Sempronii collegii arenariorum Romae negotianti lanario Alfidia Severa patri pientissimo. Altera, anno 1817 vel 1818 Treveris reperta, doctissime explicata est ab *Eichstadio*, in quatuor libellis academicis, quos edidit annis 1819. 1827. 1828. Hanc quidem ita legendam censet: In honorem domus divinae Genio arenariorum, consistentium Coloniae Augustae Treverorum, Axsillius Avitus, sicut ipsi votum est, sacrum novum monumentum donat dedicat. — Jam quum exstitissent VV. DD., qui in his titulis *arenarios* explicari vellent *arenae fossores*: Eichstadius argumentis gravissimis evincit, in illa quidem inscript. Mutinensi aliquo modo ferri posse eam interpretationem, sed in altera *arenarios* eosdem esse, qui in aliis locis *bestiarios*. Egregie autem duo arenariorum genera distinguenda esse monet (V. BESTIARIUS); alterum enim erat eorum, qui vel mercede conducebantur, ut cum bestiis pugnarent, vel ipsi ultro, virium et virtutis ostentandae causa, in arena cum bestiis congrediebantur, ut populum delectarent; alterum eorum, qui ob admissa scelera damnabantur ad bestias. Plura de his reperies in libris laudatis, praesertim in *supplem. tertio* (anni 1828). p. 5. sqq.] ℙ Primus numerorum arenarius, apud *Tertull. Pall.* 6. est arithmeticus, qui prima supputandi elementa pueros docet; quem ita appellari quidam volunt, quia in arena fingebat ductus numerorum, chartae deleticiae loco. *Salmas.* scribit ex eo dici *arenarium*, quia arenae sunt aliquando ψῆφοι, sive calculi, quibus olim ad computandum utebantur. V. ABACUS. Alii aliter exponunt. ℙ *Arenaria*, *ae*, et *Arenarium*, *ii*, locus ubi arena fossicia effoditur. *Cic. Cluent.* 13. In arenarias quasdam extra portam Exquilinam perductus occiditur. *Varr. R. R.* 1, 2. *ad f.* Neque lapicidinae, neque arenariae ad agriculturam pertinent. *Vitr.* 2, 4. Si non erunt arenaria, unde fodiantur et 6. *ad f.* Arenariae fossiciae. ℙ Non imitanda licentia usus est, antepaenultimam breviando *Lucil.* ap. *Non.* 1, 78. Concursans uti arenarius, clareque quiritans. ℙ Scribitur et *harenarius*. V. ARENA.

ARĔNĀTĬO, onis, f. inductio arenati, hoc est calcis arena mixtae, in parietes. *Vitr.* 7, 3. *a med.* Tectoria fundata arenationis et marmoris soliditate.

ARĔNĀTUS, a, um, adj. ad arenam pertinens. *Vet. Inscr.* optimae notae apud *Grut.* 207. Quae lita non erunt calce arenato, lita politaque et calce uda dealbata recte facito. Et apud *Caton. R. R.* 18. bis legitur *calce arenato*, *h. e.* calce mixto cum arena, nam *calx* etiam masculino genere usurpatur. V. CALX. ℙ *Arenatum*, *i*, n. substantive, calx arena mixta, qua in tectoriis parietum et pavimentis utimur, ut *marmoratum*, *i*, n. pro *opere marmorato* et *tabulatum*, *i*, n. pro *opere tabulato* utuntur Latini scriptores. *Vitr.* 7, 4. Pro arenato testa dirigatur. *Plin.* 36, 23, 55. Tectorium quidem, nisi ter arenato et bis marmorato inductum est, non satis splendoris habet. Et mox. Arenatum inducere.

*ARĒNE, es, f. Ἀρήνη, Messeniae oppidum. *Plin.* 4, 5. *B. A.*

ARĔNĪFŌDĪNA, ae, f. locus ubi arena effoditur, arenarium. *Ulp. Dig.* 7, 1, 13. Lapicidinas vel cretifodinas vel arenifodinas instituere. Adde 24, 3, 7.

ARĔNĪVĂGUS, a, um, adj. qui per arenam vagatur. *Lucan.* 9, 941. Vidit arenivagum surgens fugiensque Catonem.

ARĒNOSUS, a, um, adj. ψαθυρός, arena abundans. *Virg. A.* 4, 257. Litus arenosum Libyae. *Plin.* 23, 3, 36. Urina arenosa. *Id.* 33, 6, 33. Lapis scabrior et arenosior. *Id.* 27, 4, 5. Ut quod sit arenosissimum subsidat.

ARĒNS, tis, part. v. *areo*, aridus, humore carens. *Tac. A.* 15, 42. Loca arentia. *Virg. G.* 1, 109. Arva arentia. *Id. A.* 3, 350. Arens rivus Xanthi. *Id. G.* 4, 268. Rosae arentes. *Id. A.* 12, 522. Ignes immissi in silvam arentem. *Ov. Her.* 4, 174. Arentem sitim levare unda. *Hor. Epod.* 14, 4. Arente fauce trahere pocula. *Sil.* 10, 511. arentique cruore squalebat barba. *Virg.* eodem sensu dixit *concretos sanguine crines*, *A.* 2, 277.

ARĒNŬLA, ae, f. dimin. ab arena, ψαμμάθιον, arena tenuissima. *Plin.* 30, 3, 8. Arenulae, quae inveniuntur in cornibus cochlearum.

ARĔO, es, ui, n. 2. ἄζομαι, aridus sum, siccus, et sine humore. *Ov. Met.* 2, 211. tellus Fissaque agit rimas et succis aret ademptis. *Pl. Rud.* 2, 6, 49. Utinam fortuna nunc anatina uterer, uti cum exivissem ex aqua, arerem tamen. *Cato R. R.* 76. In qualo, ubi arescant, tracta componito: ubi arebunt, componito pariter. *Ov. Met.* 6, 355. Et fauces arent, vixque est via vocis in illis. [*Liv. 44, 32, 9.] *Id. A. Am.* 2, 606. Garrulus in media Tantalus aret aqua, *h. e.* sitit. *Sen. Ben.* 3, 8. Arere siti. V. ARENS. ℙ [*A librariis permutantur *arere* et *ardere*. Cf. *Heins.* ad *Ov. Met.* l. l. et ad *Her.* 4, 174.]

ARĔŌLA, ae, f. parva area. *Plin. ep.* 2, 6. Diaeta cingit areolam, quae quatuor platanis inumbratur. In *vet. Inscr.* ap. *Grut.* 589, 4. habetur *ariola*. ℙ De spatio quadrato in hortis, de quo in AREA dictum est. *Colum.* 10, 362. Ter circum areolas et sepem ducitur horti. *Id.* 11, 2. Semina in areolas disserere. ℙ De tabula, in qua pictores ceras discolores habebant. *Varr. R. R.* 3, 17. Pictores loculatas magnas habent areolas, ubi discolores sint cerae. Alii leg. *arculas*, quod potius probandum.

ARĔŌPĂGĪTA et Areopagītes, ae, m. Ἀρειοπαγίτης, judex Areopagi. *Cic. Phil.* 5, 5. Si Lysiades citatus judex non responderit, excuseturque Areopagites esse. *Id. Off.* 1, 22. Consilium Solonis, quo primum constituit Areopagitas. *Id. Balb.* 12. Vidi nostros cives Athenis in numero judicum atque Areopagitarum. ℙ Scribitur et *Ariopagita*.

ARĔOPĂGĪTĬCUS, a, um, adj. ad Areopagitas pertinens. *Sidon. ep.* 9, 9. Gymnasia Areopagitica. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 2. *ad f.* Areopagiticam ea de re vocant petram. *Scalig. in Conjectan. ad Varr.* ita hunc locum legit, alii aliter.

ARĔOPĂGUS (Areopagos), i, m. Ἄρειος πάγος vel Ἀρηιοπάγος, vicus Athenarum, in quo judicia exercebantur. Sed fere accipitur pro ipso templo et loco judicii. Dictus est ab Ἄρης, Mars et πάγος, vicus, quasi vicus Martis, quia in eo vico Marti templum constitutum fuerat. Sed aliqui dicunt, Martem, cum Halirrhotium Neptuni filium, qui vim Alcippae filiae suae intulerat, occidisset, a Neptuno homicidii reum factum esse, causaque a duodecim Diis in illo vico cognita, sex sententiis fuisse absolutum: hoc fuisse Athenis primum capitis judicium, exinde locum illum *Areopagum* coepisse appellari. Ibi selecti judices severissimi et sapientissimi graviores causas, praesertim capitales, incorrupta justitia expediebant: cautumque erat lege inviolabili, ne qui causam dicebat, prooemio uteretur, ne moveret affectus, aliasque persuadendi subdolas artes adhiberet, eo consilio, ne cui plus in misericordia, quam in causa, spei esset, et ne judices a justa sententia averterentur. Quam ob

causam ipsi velamine ante se posito et fere noctu sententiam dabant, ut tantummodo facta cognoscerent, personas non viderent. Tacentes etiam judicabant: ex quo natum est Graecum proverbium Ἀρεοπαγίτου στεγανώτερος, Areopagita tectior aut taciturnior. Ob haec summa erat Areopagitarum auctoritas, ad quos ex omnibus orbis terrae partibus non solum homines, sed Deos quoque accessisse disceptaturos, fabulati sunt poetae. Neque solum capitalia judicia, sed et graviora reipublicae negotia eorum consilio administrabantur. *Cic. N. D.* 2, 29. Atheniensium rempublicam consilio regi Areopagi. *Id. Div.* 1, 25. Sophocles ascendit in Areopagum. *Sen. Tranq.* 3. *ad f.* In qua civitate erat Areopagos, religiosissimum judicium. *Juven.* 9, 101. Areopagum appellat *curiam Martis.* Et *Tac. A.* 2, 55. *Areum judicium.* V. AREUS. ℙ Paenultima dubiae est quantitatis. Et sane qui dicunt, Areopagum esse pagum, seu vicum Martis, producendam ajunt, quia prima in *pagus* producitur a Graeco πηγή, Dorice παγά, fons, ut *Festus* et *Serv.* ad *G.* 2, 382. docent. Verum alii multo rectius Areopagum interpretantur saxum, seu rupem aut collem Martis, quia curia Atheniensium, quae erat Areopagus, in edito saxo sita erat: atque ita corripienda est paenultima, quomodo corripitur prima in πάγος, (saxum seu collis) in illo *Homeri Odyss.* ε; 405. Ἀλλ' ἀκταὶ προβλῆτες ἔσαν, σπιλάδες τε, πάγοι τε. Sed tamen observandum est, unam eandemque esse originem vocis πάγος apud Graecos et alterius *pagus* apud Latinos. V. annotata ad V. PAGUS. Apud *Eurip. Iph. in Taur. v.* 1470. vel 1483. est versus iambicus: Καὶ πρίν γ' Ἀρείοις ἐν πάγοις ψήφους ἴσας. Ex quo apparet brevem esse paenultimam in *Areopagus.* V. AREOPAGITICUS. ℙ [*Vulgari illi Areopagi etymologiae fidem derogat *Varro* apud *Augustin. de civit. Dei* 18, 10. notante *A. Majo* ad *Cic. Rep.* 1, 27. *B. A.*]

ĀREPENNIS, is, m. Gallica vox, qua significatur semijugerum, vel semijugeri mensura, ut *Colum.* 5, 1. docet. *Isid.* 15, 15. ab *arando* ductam putat, sed cum eam *ib.* Baeticam esse pronunciet, *Colum.* vero Gallicam, absurdum videtur ejus originem a Latinis deducere. *Scalig.* putat, Latinam quidem vocem esse, sed frequentius a Gallis usurpatam. V. *Voss. Etym.* in *Arvipendium* [*et quae de h. v. congessit *Burm.* ad *Anthol.* lat. II. p. 659.] ℙ Legitur et *Arapennis* [et *Aripennis* in *Not. Tir.* p. 63. Posterioribus temporibus et *arpennum* dixere et *agripennus* et *arpentum:* hinc Galli nunc vocant *arpent. F.*]

ARES, is, m. Ἄρης, Mars. Graeca vox, qua utitur *Plaut.*, apud quem Geta servus joculariter ita militem alloquitur *Truc.* 2, 7, 54. Si tu ad legionem bellator clues, at ego in culina Ares. Alii aliter leg. ℙ Est etiam i. q. aries, ita enim appellabant prisci Latini. *Varr. L. L.* 4, 19. Aries, quod eum dicebant ares veteres, nostri arviga. *Id.* ap. *Non.* 2, 557. Si non plus testiculorum offenderis, quam in castrato pecore in Apulia, vincor non esse masculum arem. Alii hic quoque intelligunt *Martem:* alii aliter leg. ℙ [Fuit etiam *Ares, etis* cognomen Romanum. *Inscr.* in *Monum. Matth. T.* 3. p. 157. *n.* 39. Ossa Q. Vitellii *Quinti Auli Liberti* Aretis. *F.*] ℙ Graeci poetae primam syllabam modo corripiebant, modo producebant, teste *Lucilio* ap. *Scaur. Orthogr.* p. 2255., quod Latinis negatum esse notat *Mart.* 9, 12.

ĀRESCO, is, n. ξηραίνομαι, aridus fio. *Pl. Rud.* 2, 7, 16. Da mihi vestimenti aliquid aridi, dum mea arescunt. *Cic. Partit.* 17. Cito arescit lacrima, praesertim in alienis malis. *Tac. A.* 13, 57. Arescens unda. Et *ib.* 58. Mortuis ramalibus et arescente trunco. *Plin.* 8, 38, 57. Lyncum humor glaciatur, arescitque in gemmas carbunculis similes.

[ĀRESCON, ntis, m. ἀρέσκων, placens. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 634, 3. Arescon et Callistus Liberti.

[ĀRESCŪSA, ae, f. ἀρέσκουσα, placens, oblectans. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 484, 1. Trebellia Arescusa.

*ARESTORIDES, ae, V. ARISTORIDES.

ĀRĒTĀLOGUS, i, m. ἀρετάλογος, placita loquens ad sui ostentationem et aliorum oblectationem. *Juven.* 12, 15. risum fortasse quibusdam Moverat, ut mendax aretalogus. *Suet. Aug.* 74. Aut acroamata et histriones interponebat, ac frequentius aretalogos. Ad quem locum *Casaubonus:* Aretalogos censeo appellatos miseros philosophos, mera hominum mendicabula, sectae fere Cynicae aut Stoicae, qui cum scholam et sectatores non haberent, convivia beatorum frequentabant et Romulidas saturos variis de virtute et vitiis disputationibus oblectabant. [*Compara etiam *Rupert.*] Alii *aretalogos* ajunt esse circulatores quosdam, qui in compitis mira de suis pharmacis pollicentur: vel fabulosorum voluminum scriptores, ut *amadisii* et similium. *Salmas. in not.* ad *Vopisc. Aurel.* 42. enumerat inter varias mimorum species. V. ETHOLOGUS [*et *clav. Cic.* s. h. v.]

*ARĒTE, es, f. Ἀρήτη, Alcinoi regis Phaeacum uxor. *Hyg. fab.* 23. *B. A.* Item cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 330, 4. Fabia Arete. *F.*]

*ARĒTHO, onis vel Arethon, ontis, Ἀρέθων, Athamaniae et Epiri fluvius, in sinum Ambracium influens. *Liv.* 38, 3 et 4. Dictus et Arachthus. *B. A.*

ĀRĒTUS, i, m. ἀρητός, funestus. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1412, 13. Valeria Calliope Areto marito dignissimo. *F.*]

ĀRĒTHUSA, ae, f. Ἀρεθούσα, fluvius Siciliae apud Syracusas: unde pro ipsis Syracusis ponitur a *Sil.* 14, 117. Poetae fabulantur virginem fuisse venatricem, Dianae comitem, amatam ab Alpheo fluvio Elidis; cum Alphei vim post longum cursum effugere non posset, Dianae miseratione in fontem versam fuisse, ac ne amatoris aquis pollueretur, per subterraneos cuniculos in Ortygiam fugisse Siciliae insulam apud Syracusas, ibique uberrimo aquarum gurgite emergere, unde Syracusae *Arethusides* dictae sunt: Alpheum fuisse insecutum occultis subter mare meatibus et apud Syracusas in Arethusam fluere. Hanc fabulam narrat *Ov. Met.* 5, 572. Vera autem explicatio est, apud Pisas in Elide ingentem fontem esse, qui in duos alveos Alpheum et Arethusam dividitur. *Virg. G.* 4, 344. Et tandem positis velox Arethusa sagittis. Adde *A.* 3, 694. Est etiam quarundam urbium et fontium nomen in Graecia, Syria et alibi; de quibus V. Geographos. ℙ [*Fuit et Arethusa mons Euboeae. *Plin.* 4, 12. ℙ Item Boeotiae. *Plin.* 4, 7. ℙ Et lacus Armeniae majoris, per quem perfluit Tigris flumen. *Id.* 2, 103. et 6, 27. ℙ Item oppidum Macedoniae, in Mygdonia. *Id.* 4, 10. ℙ Et Syriae oppidum, in Seleucide, ad Orontem fluvium, Emesam inter et Epiphaneam. *Anton. Itin.* ℙ Et Arabiae Felicis urbs. *Plin.* 6, 28. *B. A.*] ℙ [Est et cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 814, 2. Ulpia Arethusa. *F.*]

ĀRĒTHUSAEUS, a, um, adj. ad Arethusam pertinens. *Claud. Rapt.* 2, 60. Quas Arethusaei lactices, quas advena nutrit Alpheus.

ĀRĒTHUSIS, idis, f. adj. ab Arethusa. *Ov. Fast.* 4, 873. Usque Syracusas Arethusidas abstulit armis Claudius.

ĀRĒTHUSIUS, a, um, adj. ad Arethusam pertinens. *Sil.* 14, 356. Erigitur subitas in spes Arethusia proles, *h. e.* Syracusani. V. ARETHUSA. ℙ Est quoque incola Arethusae urbis Syriae ad Orontem inter Emesam et Epiphaniam, in cujus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 310. est ΑΡΕΘΟΥΣΑΤΩΝ. *Plin.* 5, 23, 19. Arethusii, Beroeenses, Epiphaneenses. ℙ [*Et Macedonicae A. incolae, *Plin.* 4, 10. *B. A.*]

ĀRĒTINUS et Arretinus, a, um, adj. ad Aretium pertinens. *Mart.* 1, 54. Sic Aretinae violant crystallina testae. *Id.* 14, 98. Aretina nimis, ne spernas vasa monemus. ℙ *Aretini, orum*, sunt Aretii populi. *Plin.* 3, 5, 8.

ĀRĒTIUM, ii, n. nunc *Arezzo*, urbs Etruriae, ab Areta Jani filio condita, una ex primis XII. Tuscorum coloniis, sita in monte: cujus ager terra abundat aptissima ad fictilia coquenda, ut *Plin.* 35, 12, 46. testatur. Siligine etiam nobilis est, ut legitur apud *Eund.* 18, 9, 20. *n.* 1. ℙ Scribitur et *Arretium* duplici *rr*, et ita legitur in *vett. Inscriptt.* ap. *Grut.* 372, 12., 520, 3., 1028, 2., 1029, 7., et probat *Manut.*

*ARETRĒBAE (Arotrebae) vel Arrotrebae, arum, populi Hispaniae Tarraconensis, ad littus boreale, postea Artabri appellati. *Plin.* 3, 20 et 22. *B. A.*

*AREVACI, orum, m. plur. Ἀρεουάκοι, populi Hispaniae Tarraconensis, inter Segoviam et Methymnam Campestrem. *Plin.* 3, 3, 4. Arevacis nomen dedit fluvius Areva. Nunc *Arlanza* vocant. [*Scribuntur etiam Arevacae, Ἀρεουάκαι. *B. A.*]

ĀRĒUS, a, um, Ἄρειος, ad Martem pertinens, Graeca vox. *Tac. A.* 2, 55. Offensus urbi (*Atheniensium*) propria quoque ira, quia Theophilum quendam Areo judicio falsi damnatum, precibus suis non concederent, *h. e.* judicio Areopagi, qui locus a Marte cognominatus est. V. AREOPAGUS. ℙ [*Fuit et Areus Bithyniae flumen. *Plin.* 5, 32. ℙ Item philosophi Alexandrini nomen, qui ab Augusto imperatore in honore valde est habitus. *Suet. Aug.* 89. ℙ Et rhetor quidam apud *Quint.* 2, 15. et 3, 1. ℙ Et libertus apud *Cic. Att.* 5, 9. *B. A.*] ℙ Scribitur et *Arius.*

ARFĒRIA Aqua, quae inferis libabatur, dicta a ferendo; sive vas vini, quod sacris adhibebatur. Haec *Festus*, ubi *Scalig.* notat, *arferiam* dici pro *adferiam*, ab *adferendo*, ea ratione, qua *arcio* pro *accio*, seu *adcio* dictum est, *ar* adhibito pro *ad. Glossae Philox.* Adferial, ὕδωρ τὸ ἐπὶ νεκροῖς σπενδόμενον.

ARGAEUS, i, m. Ἀργαῖον ὄρος, mons excelsissimus Cappadociae inter Caesaream et Sebastiam centum fere mill. pass. extensus, cujus cacumina etiam aestate nivosa sunt. Pascua fert optima generosis equis educandis. *Claud. Eutr.* 1, 248. Et Scythicis mutant Argaei pabula silvis. *Id. Ruf.* 2, 31. volucrumque parens Argaeus equorum.

ARGAEUS, a, um, adj. ad Argaeum montem pertinens, Ἀργαῖος. *Claud. laud. Seren.* 191. delectus equorum, Quos Phrygiae matres, Argaeaque gramina pastae Semine Cappadocum sacris praesepibus edunt. *Id. epigr.* 23. de equo phal. etc. Argaeae nives.

ARGANTHONĬACUS, a, um, adj. ad Argantho-nium pertinens, qui Tartessiorum rex fuit et centum quinquaginta annos a *Plin.* 7, 48, 49. et *Censorin. de Die nat.* 17., centum viginti, a *Val. Max.* 8, 13. *n.* 4. *extern.* et a *Cic. Sen.* 19. vixisse dicitur: a *Sil.* 3, 396. tercentum. *Id. ib.* Argantho-niacos armat Carteja nepotes.

*ARGANTHONIUS, i, m. V. v. anteced. ℙ Item mons Bithyniae, ὄρος Ἀργανθώνιον Straboni, Arganthus dictus *Prop.* 1, 20, 33. *B. A.*

ARGĒI, orum, m. plur. loca quaedam Romae appellabantur, quod in iis sepulti essent quidam Argivorum illustres viri, qui cum Hercule Argivo Romam venerant et in Saturnia subsederant. *Liv.* 1, 21. Multa alia sacrificia locaque sacris faciendis, quae Argeos pontifices vocant, dedicavit. *Varr. L. L.* 4, 8. scribit hujusmodi loca in septem et viginti partes urbis disposita fuisse. *Ov. Fast.* 3, 791. Itur ad Argeos. ℙ Apud *Fest.* legitur *Argea* in neutro plurali, ubi tamen alii cum *Scalig.* reponunt *Argei.* ℙ Praeterea *argei* dicta sunt simulacra hominum triginta e scirpeis virgultis facta, quae quotannis de ponte sublicio publice jaciebantur in Tiberim a sacerdotibus, vel, ut scribit *Festus*, a virginibus Vestalibus. *Varr. L. L.* 6, 3. *circa med.* et *Ov. Fast.* 5, 621., ubi varias hujus ritus causas assignat. Adde *Fest.* in *Sex.*

ARGĒMA, atis, n. [*ἄργεμα] morbus oculorum, cum parvum quoddam ulcus in medio circulo oculi nascitur, partem quidem aliquam candidi, partem etiam nigri comprehendens. Id extra iridem rubicundum, intra vero candidum apparet: ex quo et nomen traxit, scilicet ab ἀργός, albus. *Plin.* 28, 11, 78. Fel caprinum cum vino contra albugines et caligines et pterygia et argema. *Id.* 25, 13, 92. Anagallidis succus discutit argema rubens. V. ALBUGO.

ARGĒMON, i, n. ἄργεμον, herba est, quae Latine *lappa canaria* dicitur, philanthropo non absimilis, quae in suum medicinis adhibetur. *Plin.* 24, 19, 116.

ARGĒMONĒ, es, f. ἀργεμώνη, herba, quae *inguinalis* a Latinis appellatur, quoniam inguinum morbis prodest, passim in vepribus nascens. Graecum hoc nomen ex eo nacta est, quod argema etiam et nubeculas oculorum discutiat. *Plin.* 26, 9, 58.

ARGĒMONĬA, ae, f. herba est folia habens, qualia anemone, divisa apii modo, caput in cauliculo papaveris silvestris, item radicem; succum croci colore acrem et acutum. Nascitur et in arvis apud nos. Nostri tria genera ejus faciunt et id demum probant, cujus radix tus redoleat. Haec *Plin.* 25, 9, 56.

ARGENNON, argentum percandidum. *Festus.* Ad quae verba recte monet *Scalig.* legendum esse *argennon, argenteum, percandidum*, hoc est vocem *argennon* significare argenteum, percandidum, a Graeco ἀργεννός, quod ab ἀργός, albus.

*ARGENNOS, i, insula Joniae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[ARGENTĀBULUM, i, n. bracteola, seu scobs argentea, qua dapes, mensas, pavimenta, capillos etiam illuminare solebant ditiores Romani. *Petr. fr. Trag.* 56. Puer super hoc positus officium apophoreta recitavit: *Argentum sceleratum:* adlata est perna, supra quam argentabula erant posita, *h. e.* perna argentata; dictum autem argentum *sceleratum* joculariter, nam Graece σκέλος est crus, seu perna. Ita locum, in quo *Cod. Tragur.* habet *accitabula*, restituendum et interpretandum putat *Fr. Oriolius* in *Opusc. letter. di Bologna T.* 1. p. 114. *F. Vulgo legitur *acetabula.*]

ARGENTĀCĔUS, a, um, adj. idem quod argentarius. *Apic.* 2, 2. Amygdala lota ex creta argentacea, ut ad candorem perducantur. Alii leg. *argentaria* et quidem rectius.

*ARGENTĀNUM, i, oppidum Italiae inferioris, in Bruttiis. *Liv.* 30, 19. *B. A.*

ARGENTĀRIA, ae, f. taberna argentarii. *Pl. Epid.* 2, 2, 13. Per omnem urbem sum defessus quaerere, per medicinas, per tonstrinas, per myropolia et lanienas, circumque argentarias. *Liv.* 26, 27. Pluribus simul locis circa forum incendium ortum: eodem tempore septem tabernae, quae postea quinque et argentariae, quae nunc novae appellantur, arsere: *novas argentarias* dixit ad discrimen veterum, quas in eodem foro Tarquinius Priscus exstruxerat, de quibus *Pl. Curc.* 4, 1, 19. Sub Veteribus ibi sunt, qui dant, quique accipiunt fenore. ℙ Praeterea *argentaria* dicitur ars et officium argentarii, de quo V. in ARGENTARIUS, ii. *Cic. Caecin.* 4. M. Fulcinius, qui Romae argentariam non ignobilem fecit. *Id. ib.* Argentariam dissolvere. *Ulp. Dig.* 2, 13, 4. exercere. Et *ib.* administrare. ℙ Denique *argentaria* est argentifodina. *Liv.* 34, 21. Vectigalia magna instituit ex ferrariis argentariisque. ℙ Revera adjectivum est, et intelligitur *taberna*, vel *ars*, vel *fodina.*

*ARGENTĀRIA, ae, Ἀργεντουαρία, urbs Galliae Belgicae, in regione Rauracorum. *Ammian.* 31, 27. *Aur. Vict. Epit.* 47. A. *Ptol.*, ut et in *Tab. Peut.* appellatur *Argentuaria. B. A.*

ARGENTĀRIUM, ii, n. locus, in quo argentea

vasa reponuntur, ἀργυροθήκη. *Ulp. Dig.* 34, 2, 19. *n.* 8. Quod non in argentario paterfamilias ponere solebat.

ARGENTĀRĬUS, a, um, adj. ad argentum, vel ad pecuniam pertinens, ἀργύρεος. *Plin.* 35, 17, 58. Creta argentaria, *h. e.* quae nitorem argento reddit. *Id.* 33, 5, 26. Argentaria metalla. *Id.* 34, 9, 20. et *ib.* 17, 48. Plumbum argentarium, *h. e.* album et argento simile, quale est stanni purgatioris quoddam genus. *Jabol. Dig.* 34, 2, 39. Argentarius faber. *Pl. Ps.* 1, 3, 65. Argentaria inopia, h. e. i. q. argenti. *Id. Epid.* 5, 2, 7. Argentariae opes. *Id. Men.* 2, 3, 26. Sunt meretrices omnes elecebrae argentariae, *h. e.* quae pecuniam omnem amatorum eliciunt et ad se trahunt. *Id. Ps.* 1, 1, 103. Invenire alicui auxilium argentarium. *Liv.* 26, 11. Taberna argentaria. *Ulp. Dig.* 2, 13, 4. Argentariae mensae exercitor, *h. e.* argentarius, de quo mox. *Caj. ib. l.* 10. Argentarias rationes edere. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 1. *n.* 97. Argentaria et auraria pondera. *Suet. Vesp.* 1. Coactiones argentarias facere. V. COACTIO. *Scaev. Dig.* 40, 7, 40. *ad f.* Argentarius coactor. V. COACTOR. *Inscr.* ap. *Fabrett. c.* 4. *n.* 180. Faber argentarius. Alia ap. *Murat.* 945, 5. Argentarius vascularius. ℙ Mons Argentarius, nunc *monte Argentaro*, est in ora litorali Etruriae contra Igilium insulam. *Rutil. Itin.* 1, 315. ℙ [Alter mons Argentarius in Hispania Baetica. *Avien. Ora marit.* 291. At mons paludem incumbit Argentarius. *Id.* paulo post ita dictum narrat, quod ejus latera stanno niteant, at *Strabo l.* 3. propter argenti fodinas, quae in eo sunt. *F.*]

ARGENTĀRĬUS, ii, m. est is, qui in argento, seu in pecunia negotiatur et lucrum quaerit, ἀργυραμοιβός, κολλυβιστής, ἀργυροπράκτης, τραπεζίτης. Late autem patet argentariorum professio. Nam ii erant, qui pecuniis permutandis aut fenori dandis lucrum faciebant: item qui pecunias apud se depositas custodiebant, earumque rationes conficiebant, reddituri postea dominis, lucro aliquo accepto. Duplici autem de causa apud eos pecuniae deponebantur, aut sine fenore propter fidem publicam, ut tutiore loco, quam in privatis aedibus, asservarentur aut sub usuris ipsis credebantur, quas deinde fenori collocabant. Praeterea etiam ad alios pertinentia negotia gerebant, fidejubebant, constituebant: et si quis, verbi gratia, pecunias fenori poneret, vel acciperet, emeret aliquid, vel venderet, solveret, aut crederet, accedebat ad argentarium, qui ejus contractus tabulas perscribebat, quod hodie publici tabularii facere solent. Nam argentariorum codicibus et tabulis plurimum habebatur fidei: ad quos probationis ergo decurrebatur. Ut enim loquitur *Caj. Dig.* 2, 13, 10., eorum officium atque ministerium publicam habet causam, atque adeo auctoritatem. Hujus rei gratia multae erant Romae in foro argentariorum tabernae publice constitutae, ut commodum esset hominibus ex tota urbe eo convenientibus, negotiorum suorum acta perscribenda curare, quae argentarii apud se retinebant, quandocumque opus esset, exhibituri, accepto tamen lucello, quod eis ex lege praestituebatur. Ad has tabernas etiam auctiones fieri solebant, quibus argentarii intererant. Denique ii emendis vendendisque quibusdam rebus operam dabant, praesertim auri atque argenti speciebus, numis veteribus, vasis caelatis, gemmisque et aliis, quae vel ipsi emebant, majore pretio distracturi, vel ab aliis vendenda sumebant, ut reservato sibi lucro aliquo, pecuniam ex iis coactam dominis persolverent. [*Cf. *Suet. Ner.* 5.] Non modo privatos, sed etiam Imperatores Romae, vel in municipiis sive coloniis argentariam per suos libertos exercuisse, constat ex *Inscriptione* quam legesis infra in V. COACTOR. *Cic. Caecin.* 6. Fundus addicitur Aebutio: pecuniam argentario promittit Aebutius. Et *ib.* Se habere argentarii tabulas, in quibus sibi expensa pecunia lata sit. *Pl. Aul.* 3, 5, 53. Itur, putatur ratio cum argentario: Impransus miles adstat, aes censet dari. Ubi disputata est ratio cum argentario, Etiam plus ipsus ultro debet argentario. *Suet. Ner.* 5. Argentarios pretiis rerum coemptarum fraudare. *Scaev. Dig.* 46, 3, 88. Res vendendas per argentarios dedit: argentarii universum redactum venditionis solverunt, etc. ℙ [*Argentarius* absolute idem est etiam qui *argentarius* faber. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 248, 1. De basilica vascularia aurario et argentario. Alia ap. *Murat.* 528, 1. Ex corpore aurariorum et argentariorum. Hic *Marinius* l. c. contendit sic legendum pro *pausariorum et argentariorum. F.*]

ARGENTĀTUS, a, um, adj. argento tectus, vel ornatus. *Albinov.* 2, 65. Argentata sandalia. *Liv.* 9, 40. Argentati milites, *h. e.* habentes scuta argento caelata. *Lampr. Elag.* 4. *extr.* Sella argentata. Et 29. argentata vehicula. ℙ Joculariter *Pl. Ps.* 1, 3, 78. Semper tu ad me cum argentata accedito querimonia, *h. e.* querere mecum, sed simul argentum affer.

ARGENTĔOLUS et Argentiolus, a, um, adj. diminut. ab *argenteus*. *Pl. Rud.* 4, 4, 125. Post est sicilicula argenteola et duae connexae maniculae. [*Front. de Or.* 1. Laminae interdum argentiolae in cloacis inveniuntur: cave, ne cloacas purgandas redimamus. ℙ *Argenteolus*, *i*, substantive. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 14, 291. In argenteolos sive nummos. *F.*]

ARGENTĔUS, a, um, adj. ἀργύρεος, qui est ex argento. *Cic. Cat.* 9. Aquila argentea. *Tac. G.* 5. Argentea vasa. *Plin.* 37, 7, 31. Argentea bractea. *Id.* 19, 3, 15. Denarius argenteus. Et absolute. *Tac. G.* 5. Numerus argenteorum facilior usui est promiscua et vilia mercantibus. *Argenteus* valebat primo decem asses, qui fere respondent triginta solidis Venetis; deinde bello Punico secundo (*h. e.* ante Chr. n. anno CCXVIII.) assibus duarum unciarum percussis, valor argentei ad sexdecim asses ascendit. Ejus nota fuere bigae, et quadrigae: inde bigati et quadrigati dicti. V. *Plin.* 33, 3, 13. V. DENARIUS. ℙ [*Deinde est i. q. argento ornatus. *Liv.* 20, 39. auream olim atque argenteam Samnitium aciem — occidione occisam. (Praecedit h. l.: per picta atque aurata scuta transire Romanum pilum etc.) *Cic. Mur.* 19. argentea scena, i. e. argentata.] ℙ Praeterea *argenteus* dicitur, qui argenti colorem refert. *Virg. A.* 8, 655. Argenteus anser. *Plin.* 2, 25, 22. Fit et candidus cometes argenteo crine, ἀργυροκομήτης. *Id.* 16, 18, 31. Arbor folio argenteo. *Id.* 24, 19, 112. Herba flore argenteo. *Id.* 37, 10, 54. Gemma argentei coloris. *Ov. Met.* 3, 407. Fons nitidis argenteus undis. Hinc *flumen argenteum*, et absolute *Argenteus* est fluvius Galliae Narbonensis inter Olbiam et Forum Julii in mare mediterraneum influens, Gallice *Argens*, ita dictus ab argenteo aquarum colore. *Plin.* 3, 4, 5. et *M. Lepidus* ad *Cic. Fam.* 10, 34. ℙ Translate et jocularitер *Pl. Ps.* 1, 1, 44. Remittere alicui salutem argenteam, *h. e.* pecuniam. *Id. ib.* 1, 3, 103. Amica tua facta est argentea, *h. e.* vendita est, argento permutata est.

*ARGENTIA, ae, Italiae superioris oppidum, in Gallia Cispadana, Mediolanum inter et Bergamum. *Itin. Hierosol. B. A.*

ARGENTIEXTEREBRONĬDES, seu divisis vocibus, Argenti exterebronides, vox jocularitер composita, et ficta a *Pl. Pers.* 4, 6, 21., significat eum, qui fraude et fallaciis argentum ab aliquo exterebrat, seu elicit et extorquet. Sunt qui leg. *extenebronides*, h. e. qui pecuniam in arcae tenebris latere non patitur, sed vel furatur, vel prodige effuseque spargit. Ita *Gevart.* et *Lambin.* Sed non aeque placet.

ARGENTĬFEX, ĭcis, qui circa argentum elaborat, atque ex eo opera facit. *Varr. L. L.* 7, 33. hanc vocem affert, innuitque non esse usu receptam: neque enim, ut *aurificem*, sic *argentificem* dici.

ARGENTĬFŌDĪNA, ae, f. fodina argenti, ἀργυρεῖον. *Varr. L. L.* 6, 33. Ubi fodiatur argentum, argentifodina dicitur, non, ubi fodiatur ferrum, ferrifodina. Adde *Vitr.* 7, 7., *Plin.* 33, 6, 31. ℙ Potest et divisim scribi *argenti fodina*. *Varr. R. R.* 1, 2. Quemadmodum exerceri oporteat argenti fodinas.

[ARGENTILLUS, a, um, adj. diminutivum argentei. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1117, 1. T. Travius T. L. Argentillus aurifex. Alia ap. *Fabrett.* p. 391. *n.* 260. Argentillae conjugi Alexander B. M. F. *F.*]

*ARGENTĪNI, orum, populi Apuliae, incolae forte oppidi cujusdam ibi siti, cui nomen Argentiae fuit. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

ARGENTĪNUS DEUS. V. AESCULANUS.

ARGENTORĀTENSIS, e, adj. ad Argentoratum pertinens, ut Argentoratensis pugna, apud *Ammian.* 17. *init.* Argentoratenses campi apud *Aur. Vict. Epit.* 42. Est autem Argentoratum (quam *Argentoratus* fem. gen. appellat *Ammian.* 15, 11.) urbs Germaniae, caput Alsatiae, ad Rhenum, (*Strasburg*) ita appellata ab argenti collectione a Romanis ibi facta et censu celebrato.

ARGENTOSUS, a, um, adj. ἀργυρώδης, argentum admixtum habens. *Plin.* 33, 5, 29. Ita ferruminatur aurum, quod argentosum vocant.

ARGENTUM, i, n. [*cujus etymon est gr. ἀργός, i. e. candidus; ex hoc voc. formantur ἀργῆες, ἀργῆς etc., hinc dorica forma ἀργᾶς, ex qua *argentum* ut a Τάρας *Tarentum* factum est, ut bene *Döderl. Syn.* III. p. 193.] ἀργύριον, metallum post aurum pretiosissimum, candidissimi coloris. *Hor. Ep.* 1, 1, 52. Vilius argentum est auro, virtutibus aurum. *Plin.* 33, 6, 31. Argenti vena. V. ibi plura de argento, quod invenisse primum Erichthonium Atheniensem scribit 7, 56, 57., ut alii volunt, Aeacum: *Cassiodor.* vero *Variar. ep.* 4, 34. Indum Scythiae regem primo reperisse tradit. *Plin.* 37, 4, 15. Argenti pallor. *Id. ib.* 10, 54. Argenti nitor. *Id.* 16, 36, 66. Tibias ex argento facere. *Virg. A.* 9, 263. et *ib.* 5, 267. Pocula perfecta argento. *Cic. Tusc.* 5, 21. Argentum caelatum, *h. e.* signa, et alia caelata ex argento. *Id. Div.* 1, 36. Caelare aliquid argento. *Id. Verr.* 2, 5, 25. Argentum factum, *h. e.* vasa et alia instrumenta ex argento, (quod *Valerian. Imp.* dixit ap. *Trebell. Claud.* 14. argentum in opere.) et *ib.* argentum signatum, *h. e.* pecunia argentea. [*Liv. 26, 47. argentum factum signatumque.] *Id.* 37, 46. Argentum infectum, *h. e.* in massis, non elaboratum. *Sen. Tranq.* 1. Argentum grave. V. GRAVIS. *Juven.* 9, 141. Argentum purum, *h. e.* non caelatum. *Pl. Ps.* 1, 1, 95. nummus argenti. *Ter. Ph.* 5, 3, 6. Talentum argenti *Pl. Pers.* 4, 6, 1. Argenti probati minae. *Gell.* 6, 5. Argentum purum putum, *h. e.* purgatissimum. ℙ *Argentum vivum* est genus quoddam metalli liquidi, colore quidem argento similis, fluida vero natura aquae. Ejus duplex est genus, alterum factum, quod ex minio excoquitur et hydrargyrus vocatur. *Plin.* 33, 6, 32. Est et lapis in his venis (*argenti*), cujus vomica liquoris aeterni argentum vivum appellatur, venenum rerum omnium. Exest ac perrumpit vasa, permanans tabe dira. Omnia ei innatant, praeter aurum: id unum ad se trahit etc. Hactenus *Plin.* Vocatur autem *argentum*, quia colorem argenti habet, ut dictum est; *vivum*, quia mobilissimum est, nec unquam consistit. ℙ *Argentum aere solutum* dixit *Sall. Cat.* 33, 2. cum nempe ex lege Valeria, lata an. U. C. 668. [*86. a. C. n.] a L. Valerio Flacco consule suffecto, de qua V. *Vell.* 2, 33., debitoribus permissum est ut pro denario sestertium, *h. e.* pro asse quadrantem solverent. Ex quo patet, etiam sestertium aereum, non modo argenteum in usu apud Romanos fuisse. ℙ Saepe argentum sumitur pro opere aliquo argenteo, ut sunt vasa cujuscumque generis, aliaque instrumenta, quibus utimur ex argento facta. *Hor. Ep.* 2, 2, 180. Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas, argentum, vestes Gaetulo murice tinctas Sunt qui non habeant. *Cic. Tusc.* 5, 51. Argentum plenum artis. *Pl. Ps.* 1, 2, 29. Tu argentum eluito. *Plin. ep.* 3, 1. Apponere coenam in argento puro, *h. e.* in vasis argenteis non caelatis. *Ulp. Dig.* 34, 2, 20. Argentum escarium. *Pompon. ib. l.* 22. potorium. *Scaev. ib.* 40. viatorium, et *ib.* balneare. ℙ Inter officia domus Augustae enumeratur *servus ab argento*, vel *ad argentum*, ut legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 582, 6. et 9. et 578, 5., et significat eum, qui argenteae supellectilis curam habet. ℙ Saepissime sumitur pro pecunia: itemque universim pro divitiis. Ideo autem Latini *argentum* saepius quam aurum, pro pecunia et divitiis sumunt, quia prius argentum, quam aurum habuere, ut *Plin.* 33, 3, 15. docet, et mos fuit, ut populus Romanus victis gentibus in trubuto semper argentum imperitaret, non aurum. Latinos imitantur Galli: Itali vero aurum eo sensu usurpant. *Ter. Ph.* 3, 3, 24. Quantum opus est tibi argenti? loquere. *Phaedr.* solae triginta minae. *Id. Ad.* 5, 9, 20. Argentum sumere ab aliquo. [*Suet. Ner.* 44. exigere argentum pustulatum, i. e. purissimum.] *Id. ib.* 4, 4, 18. solvere. *Id. ib.* 3, 4, 43. numerare. *Id. Ph.* 4, 4, 1. Emungere aliquem argento. *Hor. Ep.* 1, 18, 23. Quem tenet argenti sitis importuna, famesque. *Sall.* ap. *Sen. ep.* 114. Exercitum argento facere, *h. e.* pecunia parare.

*ARGENUS (genit.) PORTUS in Gedrosia fuit, prope Alexandriam. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

*ARGESTAEUS CAMPUS in Graecia fuit. *Liv.* 27, 33. *ed. Drak.*, si lectio certa. *B. A.*

ARGESTES, is, m. Ἀργέστης, (*Nordwest,*) ventus spirans ab occidente solstitiali inter septentrionem et circium, seu inter thrasciam et zephyrum, recta contra eurum. Latine *corus* dicitur; Graece autem ἀργέστης, quia ἀργεστὴς etiam velocem significat. *Plin.* 2, 47, 46. ℙ *Sen. Qu. nat.* 5, 16. distinguit inter corum et argestem, quia, inquit, cori violenta vis est et in unam partem rapax; argestes fere mollis est, et tam euntibus communis, quam redeuntibus. Haec *Sen.* scribit contra *Plin. l. c.* et *Aristot. Met.* 2, 6., qui asserunt caurum et argestem unum eundemque ventum esse, et violentum ac sternacem spirare. ℙ In fabulis Argestes dicitur Aurorae filius. *Serv.* ad *Aen.* 1, 136. ex Hesiodo.

ARGĒUS, a, um, adj. Ἀργεῖος, id. q. Argivus, hoc est Graecus. *Hor. Od.* 2, 6, 5. Tibur Argeo positum colono, *h. e.* conditum a Tiburno, quia una cum duobus fratribus Catillo et Cora e Graecia in illa Latii loca venerat, ut *Serv.* ad *Aen.* 7, 670. docet. Adde *Plin.* 16, 44. Sic *Ov. Am.* 3, 6, 46. Tibur Argeum.

ARGI. V. ARGOS.

ARGĪA, ae, f. Ἀργεία, Adrasti Argivorum regis filia, Polynicis uxor, cujus in pugna interfecti cadaver, contra edictum Creontis Thebanorum regis, cum sepelisset, ab eodem Creonte interfecta fuit: quam postea Theseus, illato Creonti bello, eoque interfecto ultus est. *Stat. Th.* 2, 266. infaustos donante marito Ornatus Argia geris, dirumque monile. V. etiam *Th.* 12. ℙ [*Fuit et Argia Inachi uxor, mater Ius. *Hyg. fab.* 145. *B. A.* ℙ Est etiam nomen servile. *Inscr.* ap. *Mur.* 1241, 4. D. M. Argaei *sacrum* Argia fili*a*. *F.*]

ARGILĒTĀNUS, a, um, adj. ad Argiletum pertinens. *Mart.* 1, 4. ad librum suum: Argiletanas mavis habitare tabernas, Cum tibi, parve liber, scrinia nostra vacent. ℙ *Argiletana porta* dicta est a quodam Argillo. V. v. seq. ℙ *Argiletanum*

aedificium, quod est in Argileto situm. *Cic. Att.* 1, 14. *sub f.*

ARGĪLĒTUM, i, n. locus in Urbe in regione undecima, in principio vici Tusci, sub Coeliolo, inter circum Max. et Aventinum, ubi quondam nemus fuit, postea plurimae bibliopolarum, sutorum aliorumque opificum meritoriae tabernae. Dictum est, ut ait *Varr. L. L.* 4, 32. *ad f.*, vel ab *argilla*, quod argillosa ea terra fuerit, (Veteres *argila* scribebant: neque enim geminabant consonantes) vel, quod pluribus placet, a quodam Argo ibi occiso et sepulto. Sed quis iste fuerit Argus, non conveniunt. Quidam dicunt fuisse hospitem Euandri, qui cum ipsi mortem machinaretur, ab ejus sociis, vel ab ipso Euandro, auxiliante sibi Hercule, re cognita, interfectus sit. Hinc *Virg. A.* 8, 345. Nec non et sacri monstrat (*Euander*) nemus Argileti, Testaturque locum et letum docet hospitis Argi. Alii scribunt fuisse filium Danaes et Phinei, venisse in Italiam cum fratre Argeo, et ibi fuisse occisum per insidias ab Aboriginibus. Alii fuisse filium cujusdam haruspicis Tusci, ab ipso patre interfectum, quod arcanum quoddam ejus responsum Romanis revelasset. Alii denique putant, appellatum esse *Argiletum* a quodam Argillo senatore, qui quod suasisset in senatu post Cannensem pugnam, ut pacem a Poenis postularent, acriter carptus sit, domo ejus solo aequata et loco Argileto dicto. *Serv.* ad *loc. Virg. cit.*, ubi addit, Argiletanam portam (quae qualis fuerit alio nomine, non constat) putare quosdam denominatam esse a Cassio Argillo, qui eam vel fecerit, vel refecerit. ℙ Argileti meminit etiam *Cic. Att.* 12, 32. ℙ Per tmesim divisit bis *Mart.* 1, 118. Argi nempe soles subire letum. Et 2, 18. Argique letum multus obsidet sutor.

ARGILLA, ae, f. ἄργιλος et ἄργιλλος, ex ἀργός, albus, terra cretosa et tenax, qua figuli utuntur ad vasa facienda. *Cic. Pis.* 25. Quid cessat hic homulus ex argilla et luto fictus Epicureus? *Caes. B. G.* 5, 43. Glandes ferventes ex argilla fusili fundis jacere in casas, *h. e.* testas glandibus similes ex argilla fusili, qualis est, ex qua statuae fictiles fiunt. *Hor. Ep.* 2, 2, 8. Argilla uda. Adde *Colum* 3. 11. *ad f.*

ARGILLĀCĔUS, a, um, adj. ἀργιλώδης, qui ex argilla est, aut qui tenax est in modum argillae. *Plin.* 17, 7, 4. Est enim alba terra, argillacea, tofacea, arenacea.

ARGILLOSUS, a, um, adj. Ἀργιλώδης, argilla abundans. *Varr. R. R.* 1, 9. Terra argillosa, aut lapidosa. *Colum. Arbor.* 17. Colles sicci et argillosi. Adde *Plin.* 31, 3, 28.

*ARGINUSAE, arum, Ἀργινοῦσαι, insulae tres maris Aegaei, prope Lesbum, Arginussae appellatae a *Cic. Off.* 1, 24. et Argenussae a *Plin.* 5, 31. Est et Arginusa, ae, numero singulari. *Plin.* 5, 31. et 8, 58. *B. A.*

ARGĪPHONTES, is, m. Ἀργεφόντης, hoc est occisor Argi: a φένω, occido: est epithetum Mercurii, qui jussu Jovis occidit Argum pluribus oculis ante et retro instructum appositumque a Junone custodem Ius in vaccam versae. *Arnob.* 6. p. 209. Mercurius pinnatus, Argiphontes. *Macr. Sat.* 1, 19. docet, Mercurium nihil aliud esse, quam solem, et dici occidisse Argum, quia adventu solis stellae evanescunt, quae sunt veluti tot coeli oculi. V. ARGUS.

*ARGITHĔA, ae, urbs Athamaniae. *Liv.* 38, 1. *B. A.*

ARGĪTIS, is, f. genus vitis albam ferentis uvam (ab ἀργός, albus) vastam materiam et breve latumque folium mittens, cujus fructum nisi mature colligas, ad terram decidit et putrescit. *Isid. Or.* 17, 5. et *Colum.* 3, 2.

ARGĪVUS, a, um, adj. Ἀργεῖος, ad Argos pertinens. *Cic. Brut.* 13. Quis enim aut Argivum oratorem, aut Corinthium, aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? *Hor. Od.* 3, 16, 11. Augur Argivus, *h. e.* Amphiaraus. ℙ Sumitur et universim pro Graeco. *Virg. A.* 2, 254. Argiva phalanx. *Id. ib.* 11, 242. Argiva castra. *Id. ib.* 2, 393. Argivus ensis. *Id. ib.* 3, 547. Juno Argiva, *h. e.* quae Graecis favebat. ℙ *Argivi, orum*, sunt ipsi Graeci. *Val. Max.* 5, 1. *n.* 4. *extern.* Cum Argivorum invasisset urbem. *Virg. A.* 1, 40. Classis Argivum, i. e. Argivorum. Adde *ib.* 5, 672.

ARGO, ūs, f. Ἀργώ, prima navis fuisse dicitur, qua Iason una cum flore juventutis Graecae in Colchidem navigavit, vellusque aureum a Medea adjutus in Graeciam reportavit. Volunt autem appellatam ab Argo architecto, de quo *Val. Fl.* 1, 93. ad carum Tritonia devolat Argum, Moliri hac puppim jubet, et demittere ferro Robora. Alii ap. *Serv.* ad *Ecl.* 4, 34. a velocitate dictam putant, quod ἀργὸς significet velocem, celerem; alii ab Argivis, qui in ea vecti fuerunt, *Cic. Tusc.* 1, 20.; alii denique a longitudine derivant ejus etymologiam, nempe ab Hebr. אֹרֶךְ, longitudo, vel a Syriaco ܐܘܪܟ longus, quia scribit *Plin.* 7, 56, 57. primum Danaum nave in Graeciam ex Aegypto advenisse; sed nave longa primum Iasonem: quamvis poetae hunc omnino asserunt omnium primum intrasse maria, eamque gloriam uni navi Argo tribuunt. ℙ In genitivo habet *Argus* Graeca positione τοῦ Ἀργόος, οῦς: in ceteris casibus *Argo*; et hoc item Graece. *Virg. Ecl.* 4, 34. Alter erit tum Tiphys, et altera, quae vehat Argo Delectos heroas. *Prop.* 2, 20, 39. cum rudis Argus Dux erat ignoto missa columba mari. *Varr.* ap. *Charis.* 1. p. 94. Argo citiremem. ℙ A Minerva post peractam navigationem in coelum translata est, quod sua ope et consilio facta fuerat, et quod prima omnium percurrisset pelagus. Est autem sidus constans secundum *Hyg. fab.* 14. stellis tredecim, secundum alios quadraginta quinque, aut sexaginta tribus. Sita est in parte australi post tropicum Capricorni, puppi prope Centaurum, prora tangens terga Canis majoris. *Cic. Arat.* 126. At canis ad caudam serpens praelabitur Argo. *Colum.* 11, 2. Decimo Cal. Octobr. Argo navis occidit: tempestatem significat, interdum pluviam.

ARGŌLĬCUS, a, um, adj. idem quod Argivus vel Graecus, Ἀργολικός. *Plin.* 4, 5, 9. Argolicus sinus, nunc *Golfo di Napoli di Romania*. *Virg. A.* 5, 52. Argolicum mare. *Id. ib.* 3, 283. Urbes Argolicae. *Id. ib.* 9, 202. Argolicus terror. *Sen. Herc. Oet.* 1932. Argolicus leo, *h. e.* quem juxta Cleonas in Nemaea silva Argolidis Hercules confecit. *Ov. Fast.* 4, 71. Jam moenia Tiburis udi Stabant, Argolicae quod posuere manus, *h. e.* Argeorum qui Tibur condiderunt. V. ARGEUS.

ARGŌLIS, ĭdis, f. Ἄργεια, Ἀργολίς, regio Peloponnesi, in qua urbs Argi et Mycene etc. ad plagam orientalem, ubi sinus Argolicus, Achajae et Arcadiae contermina. *Plin. prooem.* 4. et *Mela* 2, 3. ℙ Est etiam adj. fem., et significat Argivam. *Ov. Met.* 9, 276. Argolis Alcmene. *Id. Rem. Am.* 535. Argolides puppes.

ARGONAUTAE, arum. m. plur. Ἀργοναῦται, heroes illi qui cum Iasone Argo navem conscenderunt et Colchos profecti sunt, numero amplius quinquaginta, quorum nomina recensent *Val. Fl.* 1, 353. et *Hyg. fab.* 14. Horum praecipui fuere Castor et Pollux, Telamon, Orpheus, Hercules et Hylas puer: cognominati a navi, qua navigaverunt: nam Ἀργώ est Argo, ναύτης, nauta. *Plin.* 36, 15, 23. Argonautae eo pro ancora usi. ℙ Argonautarum porticus Romae fuit in Septis, in qua picti erant Argonautae, cujus meminit *Mart.* 3, 20. ℙ Ludit in hac voce idem *Mart.* ad Graeca verba respiciens, quibus ἀργοναύτης etiam pigrum nautam significat, ab ἀργός, ignavus, piger. Itaque sic claudit epigramma De pigris nautis 3, 67. At vos tam placidas vagi per undas Tota luditis otium carina. Non nautas puto vos, sed Argonautas.

ARGONAUTĬCA, orum, n. plur. τὰ Ἀργοναυτικά, scripta eorum, qui Argonautarum expeditionem litteris tradiderunt. Ita inscribitur poema *Valerii Flacci* de Argonautis, quod hodieque exstat, sed mutilum. Nam morte praeventus absolvere non potuit.

ARGOS, n. et in plur. num. Argi, orum, m. τὸ Ἄργος, urbs celeberrima Peloponnesi, caput Argiae, seu Argolidis, non procul a Mycenis, cognominata ab Argo rege. Dicta est etiam *Argos Hippium*, ab ἵππος, equus, quia ejus ager pascua equis aptissima habuit: item *Argos Dipsion*, hoc est siticulosum, a δίψος, sitis, quia olim aquarum penuria laboravit, cui tamen postea effossis quamplurimis puteis subventum est. *Plin.* 4, 5, 9. et 7, 56, 57. ℙ In ea Juno praecipua religione culta fuit, cujus signum palmite redimitum fingebatur, subjecto pedibus corio leonino etc. *Tert. Cor. milit.* 7. ℙ Hujus nominis declinatio in singulari numero Graeca est, in plurali Latina. Latini autem in singulari solummodo rectum quartumque casum usurparunt. *Hor. Od.* 1, 7, 9. Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas. *Ov. Her.* 14, 34. Securumque quies alta per Argos erat. *Virg. A.* 7, 286. Inachiis sese referebat ab Argis. [*Cf. *Brem.* ad *Nep. Them.* 8, 1.] ℙ Sunt aliae hujus nominis urbes, ut Argos Amphilochium in Epiro, quae nunc *Anfiloca*, Argos Pelasgicum in Thessalia, nunc *Armiro*, item aliud Argos Hippium in Italia in regione Apuliae Dauniae, condita a Diomede et postea *Arpi* appellata: item aliae, de quibus V. Geographos. ℙ Interdum sumitur pro tota Graecia. *Lucan.* 10, 60. quantum impulit Argos, Iliacasque domos facie Spartana nocenti.

ARGOUS, a, um, adj. Ἀργῶος, ad Argo navem pertinens. *Hor. Epod.* 16, 57. Non huc Argoo contendit remige pinus. *Val. Fl.* 6, 116. Magnanimos Minyas, Argoaque vela canentem. *Id.* 7, 573. Argoa ratis. *Id.* 8, 294. Argoi cornua mali. *Id.* 5, 436. Texitur Argoa pinus Pagasea securi, *h. e.* quam adhibuit Argus, qui Argo navem fecit. *Prop.* 3, 21, 13. Argoa columba, *h. e.* qua duce Argonautae navem in er Symplegadas direxere.

ARGUMENTĀLIS, le, adj. *Ascon. in Div. Verr.* 1. Narrationem in exordio multi admirantur, ac reprehendunt, sed non recte. Est enim argumentalis narratio ad priorem divisionem, *h. e.* quae continet argumenta et probationes prioris divisionis.

ARGUMENTĀLĬTER, adv. per argumenta et probationes. Usus est *Aggen. Urbic. Commentar. in Frontin.* p. 64. *Goes.*, sed non est imitandus.

ARGUMENTĀTĬO, onis, f. ἐπιχείρημα, συλλογισμός, probatio rei alicujus per argumenta. Duo autem significat, ut *Cic.* docet *Inv.* 1, 40. *in f.*, primo ipsum argumentum seu inventum, aliquam in rem probabile aut necessarium [*cf. *Quint.* 4, 2, 108.]: deinde ejus inventi artificiosam explicationem et expolitionem, quae fit pluribus verbis et amplificatione. ℙ Saepius tamen in secunda significatione adhibetur. *Quint.* 4, 2, 79. Num expositio haec longior esse debeat, et paulo verbosior praeparatione, et quibusdam argumentis: argumentis dico, non argumentatione. *Cic. Part.* 13. Argumentatio est explicatio argumenti. [**Auct. ad Her.* 2, 14.] *Id. Rosc. Am.* 35. Etiamne in tam perspicuis rebus argumentatio quaerenda est, aut conjectura capienda? *Id. N. D.* 3, 4. Perspicuitas argumentatione elevatur, [*i. e. augetur explicandis argumentis.] *Id. Fin.* 5, 4. Probabilis argumentatio. ℙ [*Denique est i. q. ratiocinatio, syllogismus. *Cic. Inv.* 1, 32. concludere argumentationem, i. e. argumentari, conclusionem efficere, intp. *Kärchero.* Locum attulerat Forc., sed prioribus exemplis immistum. *Ib.* 34. argumentationis summa, i. e. propositio major. — Ceterum egit de h. v. *Ern. lex. techn. lat.* p. 28.]

ARGUMENTĀTOR, oris, m. συλλογιστής, qui argumentis utitur. *Tert. Anim.* 38. Auferenda est enim argumentatoris occasio. *Id. Car. Christi* 24. Multiformes argumentatores.

ARGUMENTĀTRIX, īcis, f. quae utitur argumentis. *Tert. Spectac.* 2. Sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana.

ARGUMENTĀTUS, a, um, part. ab *argumentor. Cic. Brut.* 80. Cum essem argumentatus quantum res ferebat. ℙ Passiva significatione, πιστωθείς. *Aufustius* ap. *Prisc.* 8, 792. Omnia argumentata nomina. *Aufustium* hunc veterem scriptorem citat etiam *Festus* in *Genium*.

ARGUMENTOR, aris, atus sum, dep. 1. ἐπιχειρέω, συλλογίζομαι, argumentis utor ad aliquid probandum, et ipsa argumenta latius explico. V. ARGUMENTATIO. *Cic. N. D.* 3, 4. Neque ego in causis, si quid est evidens, de quo inter omnes conveniat, argumentari soleo. *Id. Dom.* 9. Cum etiam es argumentatus amoris hoc esse signum. *Id. Verr.* 2, 1, 57. Quid argumentamur, quo pecunia pervenerit? fecit ipse indicium. *Id. Att.* 3, 12. Tu quidem sedulo argumentaris, quid sit sperandum. *Liv.* 39, 36. *in f.* Nec, jure an injuria caesi sint, argumentari refert. *Cic. Inv.* 2, 44. Argumentari de voluntate alicujus, *h. e.* argumentis, vel conjecturis voluntatem alicujus ostendere. *Colum.* 3, 10. Argumentari in aliqua re. *Auct.* ad *Her.* 4, 35. Argumentari et conjectura prosequi. ℙ *Argumentari aliquid* est aliquid pro argumento et probatione afferre. *Cic. Cluent.* 24. Atque ego illa non argumentabor, quae sunt gravia vehementer, eum corrupisse, qui in periculo fuerit, eum, qui metuerit, eum, qui etc. *Liv.* 33, 28. Argumentari multa probabiliter.

ARGUMENTOSUS, a, um, adj. *Quint.* 5, 10, 10. docet, *argumentosum opus* dici, quod est numerosum, hoc est copiosum, multi ingenii, multaeque operae ac molis, et in quo perficiendo scriptor, vel artifex multum insudaverit. *Sidon. ep.* 9, 9. Scripseras gravia mature, profunda sollicite, dubia constanter, argumentosa disputatorie. *Acron.* ad *Hor. Sat.* 2, 3. 70. *Nodosi.* Scrupulosi, diligentis in accipiendis cautionibus; vel argumentosi, qui multis vinculis teneat debitores. ℙ Quaedam veteres editiones tribuunt et *Liv.* 7, 2., reliquae omnes et MSS. abdicant.

ARGUMENTUM, ti, n. ἐπιχείρημα. Est id, unde natura alicujus rei cognosci potest; signum, indicium, conjectura. *Cic. Cat.* 3, 5. *in f.* Cum illa certissima sunt visa argumenta, atque indicia sceleris, tabellae, signa, manus, denique uniuscujusque confessio; tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. *Id. Verr.* 1, 2, 6. Quae res pertenui nobis argumento indicioque patefacta est. *Id. Coel.* 29. Scire cupio, quid habeat argumenti ista manumissio. *Id. Verr.* 2, 5, 19. Si argumento est, Mamertinos pecunias tibi non dedisse, quia scriptum non habent; sit argumento, tibi gratis constare navem, quia etc. *Id. Phil.* 2, 16. Quod autem idem moestitiam meam reprehendit, idem jocum, magno argumento est, me in utroque fuisse moderatum. *Plin.* 12, 15, 35. Unguentarii myrrham digerunt haud difficulter, odoris atque pinguedinis argumentis, *h. e.* ex signis odoris aut pinguedinis diversa myrrhae genera distinguunt. *Id.* 2, 42, 42. Argumento haud dubio conjectari. *Id.* 15, 3, 3. Argumentum est, quod nisi ante Favonium collectae, novas vires resumunt. *Id. ib.* 15, 40. In argumentum, quoniam ibi libertatem publicam meruisset etc. *Id.* 10, 36, 52. Mares negantur anno diutius durare, argumento, [*i. e. cui rei arg. s. documento est], quia nulla appareat nigritudo in rostro. *Petr. Sat.* 137. Amoris est hoc argumentum, non malignitatis. *Juven.* 9, 82. Libris actorum spargere gaudes Argumenta

viri, *h. e.* liberos ex te natos. ℙ Ratio certa vel probabilis, indicium rei alicujus praestans, qua colligitur aliud per aliud, et id quod est dubium, per id quod dubium non est, confirmatur, ut *Quint.* 5, 10, 11. loquitur: vel, ut brevius definit *Cic. Top.* 2., est ratio, quae rei dubiae facit fidem. *Id. N. D.* 3, 4. Multis argumentis, Deos esse, docere voluisti. *Ib.* Affers omnia argumenta, cur Dii sint. *Id. Tusc.* 1, 36. Premere argumentum etiam atque etiam. *Id. ib* 3, 6. Adstringere breviter argumenta. *Id. Or.* 1, 19. Refellere aliquid argumentis. *Id. Brut.* 78. Argumenta firma ad probandum. *Id. Or.* 2, 40. Ducere argumenta ex conjunctis. *Quint.* 2, 17, 34. Solvere argumenta. *Pl. Rud.* 3, 3, 84. Quo argumento socius non sum, et fur sum, fac dum ex te sciam. ℙ Argumentum, qua indicium vel causam significat, differt a ratione, seu ratiocinatione. *Cic. Or.* 2, 53. Argumentum ratio ipsa confirmat, quae simul atque emissa est, adhaerescit, *h. e.* inventum probabile ad persuadendum confirmat ratiocinatio. *Id. Div.* 2, 11. Argumentis et rationibus docere aliquid. *Id. Verr.* 2, 2, 47. Quid tandem habuit argumenti aut rationis res, quamobrem etc.? ℙ Item est perspicua similitudo duarum rerum. *Plin.* 22, 15, 17. Ex argumento nomen accepit scorpio herba. Semen enim habet ad similitudinem caudae scorpionis. *Id.* 2, 4, 3. Coelum quidem haud dubie coelati argumento dicimus, *h. e.* quia est sideribus distinctum et veluti coelatum. *Id.* 3, 8, 14. Ab hoc dehiscendi argumento Rhegium Graeci nomen dedere oppido. *Id. ib.* 16, 20. Padum Ligurum lingua Bodincum vocari, quod significet fundo carentem: cui argumento adest oppidum vetusto nomine Bodincomagum. ℙ Item pro imagine, quae fabellam, vel historiam aliquam exhibet insculptam aut depictam. *Virg. A.* 7, 791. At levem clypeum sublatis cornibus Io Auro insignibat, jam setis obsita, jam bos; Argumentum ingens. *Cic. Verr.* 2, 4, 56. Ex ebore diligentissime perfecta argumenta erant in valvis: ea detrahenda curavit omnia. [*Bene sequenti significationi hanc anteposuit *Kürcher.* in libello: *de opt. L. L. cond. rat.*] ℙ Item quod Galli vocant *armes parlantes. Plin.* 36, 5, 4. *n.* 14. Nec Sauron atque Batrachum obliterari convenit, qui fecere templa Octaviae porticibus inclusa. Negata inscriptione, hoc tamen alio loco et modo usurparunt. Sunt certe etiamnum in columnarum spinis insculpta nominum eorum argumenta, lacerta atque rana. Scilicet lacertam Graeci *σαῦρον* vel *σαύραν*, et ranam *βάτραχον* vocant. ℙ Praeterea accipitur pro eo, quod narrando vel scribendo proponimus, *h. e.* pro materia omni destinata ad scribendum, et de qua in aliquo opere tractatur, *ὑπόθεσις*. *Quint.* 2, 4. tres enumerat narrationum species: fabulam, argumentum, historiam. Argumentum autem esse dicit, quod falsum, sed vero simile comoediae fingunt. *Id.* 5, 10. Et fabulae ad actus scenarum compositae argumenta dicuntur; et orationum Ciceronis thema velut exponens Pedianus, *Argumentum*, inquit, *tale est.* Et ipse Cicero ad Brutum ita scribit (*fragm.* ap. *Quint.* 5, 10.): Veritus fortasse, ne nos in Catonem nostrum transferamus illinc mali quid; etsi argumentum simile non erat. *Cic. Att.* 10, 15. Dare alicui argumentum epistolae. *Id. ib.* 9, 10. Scribere aliquid nullo argumento proposito. [*Liv. 7, 2. qui (*Livius Andronicus*) ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, i. e. fabulas scribere, quae totae uno argumento constarent. *Suet. Aug.* 85. libri. *Id. Tib.* 44. fabulae. *Id. Ner.* 25. quo cantionum quove fabularum argumento vicisset. *Id. Cal.* 57. spectaculum, quo argumenta inferorum explicarentur, i. e. res et facta, quae in Orco esse dicuntur.] *Id. Coel.* 3. Quis est, qui isti aetati non possit, quam velit petulanter, etiamsi sine ulla suspicione, at non sine argumento, maledicere? [*i. e. non sine aliqua ratione, sine specie aliqua. Id enim quod subest alicui rei, ejus rei formam ac speciem efficit. *Kärcher.* l. l. in superioribus posuit h. l. addito altero ex *ead. or.* 27. Verum haec tota fabella veteris et plurimarum fabularum poëtriae, quam est sine argumento, (i. e. quam nihil ei subest, quod verum sit!) quam nullum invenire exitum potest? — Paullo ante dixit: *fictas insidias.* Quocum loco compara *Liv.* 3, 44. fabulam apud ipsum auctorem argumenti peragit, i. e. eam rem narrat ex fictione auctoris. Hinc factum est, ut saepe argumentum id ipsum sit quod *fabula*, i. e. vel tragoedia vel comoedia, de qua significatione videndus *Burm.* ad *Cic. Coel.* 27.] — Sic etiam intelligendum h. v. in loco *Ennii*, in quo alii pro documento poni putant apud *Gell.* 2, 29. *in f.* Hoc tibi erit argumentum semper in promptu situm, Ne quid exspectes amicus etc. Sed *argumentum* hoc loco nihil est aliud quam fabula, seu fabulae materia: quo sensu usurpavit *Cic. l. l.*, cui adde *Phaedr.* 4, 10. et 15. et 5, 3., ubi *argumentum* idem omnino est ac fabula. *Auct.* ad *Her.* 1, 8. Argumentum est ficta res, quae tamen fieri potuit, ut argumenta comoediarum. *Cic. N. D.* 1, 20. Tragici poetae cum explicare argumenti exitum non possunt, confugiunt ad Deum.

[ARGUMĬNOS, i, f. herba, aliter mercurialis. *Appul. Herb.* 82. F.]

ARGŪO, is, ui, utum, a. 3. *ἐλέγχω*, ostendo, demonstro, probo, affirmo. Videtur esse ab *ἀργός*, albus vel celer, quique ideo facile in oculos incurrit. [*Ab eodem voc. derivat etiam *Kürcher.* l. l., sed simul cohaerere vult cum Germanorum *arg*, quod initio significasse putat *aliquid vehemens.* Sed habet etiam quo placeat sententia *Döderl. syn. et etym.* II. p. 163. derivantis ab *argruo*, i. e. adgruo, (ut dicimus *congruo*, *ingruo* et cf. *Voss.* in *Etym.*, qui haec eadem esse putat cum *ruo*, *g* inserta.), unde, ad rhomatismum evitandum, *arguo* factum sit, ut *crebesco* = *crebresco.* Hoc modo *arguendi* propria significatio est *adoriri aliquem*, sed non factis et manu, sed solis verbis, impugnare aliquem rationibus, accusare, cf. ARGUTUS. Ex priori ratione proprie significat i. q. manifestum reddere aliquid a) verbis, b) rationibus. 2) manifestum reddere aliquem i. q. accusare, quem ordinem, quoniam etiam *Forc.* instituit, intactum relinquimus, iis suppletis quae addenda videbantur.] Est igitur i. q. enuntiare, affirmare. *Pl. Bacch.* 3, 3, 65. quum peribat vidi, non ex auditu arguo. *Liv.* 30, 23. Speculatores non legatos venisse arguebat. *Hor. ep.* 1, 19, 6. Laudibus arguitur vini vinosus Homerus. *Ov. Trist.* 4, 3, 80. Apparet virtus arguiturque malis, i. e. se manifestat, se cognoscendam praebet. Sic etiam *Cic. Parad.* 1. quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur non licere. Eodem modo etiam de rebus: *Hor. Epod.* 11, 9. amantem et languor et silentium arguit. *Virg. A.* 4, 13. Degeneres animos timor arguit, i. e. prodit. ℙ Saepe significat aliquem quasi manifestum reddere, hoc est accusare, reprehendere, ostendere aliquem reum esse, *κατηγορέω. Cic. Rosc. Am.* 41. Servos ipsos neque accuso neque arguo. [*Vell. 2, 53, 4. quod adjeci, non ut arguerem, sed ne arguerer. *Ib.* 68. *Ov. Met.* 11, 173. arguitur tamen (sententia Tmoli) atque injusta vocatur Unius sermone Midae. *Ib.* 5, 73. *Lucr.* 4, 489. quos locos laudat *Kürcher.* l. l. —] Non uno modo construitur. *Cic. Coel.* 1. arguere aliquem facinoris. [*Hoc multo frequentissimum. Rarior *ablat.* vel ablat. addita praep. *de*: *Cic. Verr.* 2, 5, 18. quempiam aliquo crimine. *Id. Inv.* 2, 11. *ad f.* argui de aliquo crimine. [*Id. *Rosc. Am.* 29. de quibus quoniam verbo arguit. Sequi etiam *ex*, quod habet *Gesner.*, laudans *Cic. Sull.* 25. id inspecto loco falsum esse reperies. Sequitur autem infinitivus: *Cic. Rosc. Am.* 13. occidisse patrem Roscius arguitur. [*Suet. *Claud.* 16. qui sibimet vim ferro intulisse arguebatur. *Id. Galb.* 7. vendidisse arguebatur: i. e. convincebatur (non solum: accusabatur), quod notandum est.] Additur etiam ad accus. *ut*, *ὡς*. *Justin.* 22, 3. Hunc ut dominum et tyrannum, illum ut proditorem arguentes. [*Suet. *Ner.* 7. aliquem ut subditivum. *Id. Oth.* 10. quasi fugisset ex acie.] Non minus recte sequitur accusativus rei. *Suet. ill. Gr.* 22. Arguere soloecismum factum ab adversario. *Id. Tit.* 5. temeritatem alicujus. *Curt.* 6, 11. mendacium alicujus. [*Et cum *accus. participii* pro *infinitivo*, Graeco more *Suet. Cal.* 38. arguebat et perperam editos census. Saepe lenius est quam accusare, et est ut Gr. *ἐλέγχειν*, i. q. *reprehendere*, *rügen*, *Suet. Caes.* 75. conjurationes non ultra arguit; vel i. q. refutare, refellere: *id. vit. Ter.* quod et ipsum Fenestella arguit, (praecedit: quod fieri nullo modo potuisse F. docet). cf. *id. Cal.* 8. *Tit.* 5. Et nulla persona addita: *id Gr.* 1. jure arguit L. Cotta, i. e. contra probat, regerit.] ℙ Supinum est *argutum.* Hinc *argutum iri* apud *Fest.* est in discrimen vocari, accusari. Reperitur tamen participium *arguiturus*, tanquam ab *arguitum. Sall. fr.* apud *Prisc.* 10. p. 882. Quos advorsum multi ex Bithynia volentes occurrere, falsum filium arguituri. ℙ *Charis.* 3. p. 221. et *Diomed.* 1. p. 376. docent hoc verbum passive sumptum mutari praeteritum a *convincor:* sed apud antiquos etiam *argutus sum* legi. Hinc *Pl. Amph.* 3, 2, 2. Ita me probri, stupri, dedecoris a viro argutam meo! *Id. Ps.* 2, 4, 56. Argutus malorum facinorum.

ARGUS, i, m. *Ἄργος*, nomen proprium regis Argivorum, filii Apis, a cujus nomine Argivi appellati sunt. Hoc regnante coepit uti frugibus Graecia et habere segetes in agricultura, delatis aliunde seminibus. Post obitum Deus haberi coepit, templo et sacrificiis honoratus est. ℙ Fuit praeterea Argus filius Phrixi [*vel *Polybi*, *Hyg. fab.* 14.], qui aurato ariete in Colchidem transvectus est. ℙ Fuit et alius Argus Aristoris filius *πανόπτης* a Graecis cognominatus, quod totus oculis constaret, quem poetae fabulantur a Junone constitutum fuisse custodem Ius Inachi filiae in bovis speciem conversae. Hunc postea Mercurius Jovis jussu interfecit, unde *ἀργειφόντης* cognominatus est. Juno autem oculos ejus avis suae, hoc est, pavonis caudae inseruit. Mystice autem Argus est coelum stellarum luce distinctum, quibus inesse quaedam species coelestium videtur oculorum. Io terra est, quam Aegyptii bovis imagine in hieroglyphicis litteris exprimebant. Hanc Argus, hoc est, coelum stellatum nocturno tempore desuper videtur observare. Mercurius sol est, qui Argum tunc dicitur occidere, cum luminis sui magnitudine stellas omnes obscurat, earumque conspectum mortalibus eripit. V. *Macr. Sat.* 1, 19. Fabulam Argi narrat *Ov. Met.* 1, 624. ℙ Denique *Argus* dictus est navis illius architectus, quae ab illo *Argo* appellata est, qua Iason in Colchidem navigavit. *Val. Fl.* 1, 93. et 314. V. ARGO. ℙ Adjective *Argus* est Argivus. *Pl. Amph. prol.* 98. Amphitruo natus Argis ex Argo patre. Confirmat *Non.* 8, 34.

ARGŪTĀTĬO, onis, f. *δυσχέρεια*, strepitus. *Catull.* 6, 11. Tremulique quassa lecti Argutatio inambulatioque, i. e. crepitantis lectuli quasi garrulitas.

ARGŪTĀTOR, oris, m. *τεχνικὸς*, argutus sophista, acutulus et minutus doctor, in disserendo tamen non impiger. *Gell.* 17, 5. *in f.* Processisset autem argutatori isti fortasse an reprehensio, si etc.

ARGŪTĒ, adv. *κομψῶς*, *σοφιστικῶς*, *στωμύλως*, acute, ingeniose, subtiliter, astute. *Cic. Coel.* 8. Acute arguteque respondere. *Id. Or.* 28. Callide arguteque dicere [*i, e. cum exquisito ornatu. Cf. *Ernest. lex. rhet.* p. 30.] *Id. Or.* 2. *in f.* Argutissime disputare de rebus difficillimis. *Id. Brut.* 14. Acute arguteque conjicere aliquid. *Pl. Trin.* 4, 2, 132. Argute obrepere, i. e. callide. *Arnob.* 5. p. 181. Argutius fingere aliquid. *Cic. Brut.* 11. Ut aliquid dicere possint argutius, licere ait rhetoribus ementiri aliquid in historiis.

ARGŪTĬA, ae, f. [*De singulari h. v. V. *in f.*] Proprie dicitur de garrulitate soni, seu de subtili vocis varietate. *Plin.* 10, 29, 43. de luscinia: Sed eae tantae tamque artifices argutiae a quindecim diebus paulatim desinunt. [*Porro est i. q. vigor quidam, qui alicui rei inest, *τὸ ἐναργές*, (*das Sprechende*, *Ausdrucksvolle*), quem significatum recte K. secundo loco ponit;] praecipue sic dicitur de artis operibus, ut statuis, picturis. *Plin.* 34, 18, 19. *n.* 6. de Lysippo: Propriae hujus videntur esse argutiae operum, custoditae in minimis quoque rebus. Et 35, 10, 36. *n.* 5. Parrhasius primus symmetriam picturae dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli etc. h. e. vim, leporem, gratiam. Cf. *Car. Dati* in *vitis pictor.* in vita Parrhasii *n.* 8. Eodem fere modo *argutiae digitorum* dicuntur celeres (et affectati) digitorum motus adhibiti in gesticulando ad verba magis explicanda, (*tändelndes*, *geziertes Fingerspiel* vertit *Schütz.*). *Cic. Or.* 19. Nulla mollitia cervicum, nullae argutiae digitorum, non ad numerum articulus cadens. V. in ARGUTUS similem ejusdem *Cic.* locum. ℙ Item de ingeniosis inventis, i. e. lepor; etiam hoc modo de artis operibus praecipue dictum esse videtur: *Plin.* 35, 10, 37. Jam piscantes, aucupantesque — sunt in ejus exemplaribus: nobiles, palustri accessu villae, succollatis sponsione mulieribus, labantes trepidique feruntur: plurimae praeterea tales argutiae facetissimi satis. Sed etiam de aliis: *Pl. Bacch.* 1, 2, 19. argutias exordiri contra aliquem, i. e. salibus pungere. *Id Most.* 1, 1, 1. Exi e culina foras, mastigia, qui mihi inter patinas exhibes argutias, h. e. dicteria in me jacis; vel malitiosos sermones et fallacias profers, ut exponit *Non.* 4, 14. Hinc in universum i. q. acumen, inventum acutum, subtile, ingeniosum: tum in bonam, tum in malam partem, et fere in plurali numero. *Cic. Brut.* 45. Hujus orationes tantum argutiarum, tantum urbanitatis habent, ut etc. *Id. Or.* 31. Argutiae et acumen Hyperidis. [*Cic. *Lael.* 13. sed nihil est, quod illi (*Graeci*) non persequantur suis argutiis, i. e. subtilitatibus. Nonnisi in hac significatione reperitur etiam] in singulari numero. *Gell.* 3, 1. Importuna atque audax argutia. *Id.* 12, 2. Levis et quasi dicax argutia. *Pallad. Insit. in prooem.* Scio, quod inclinet argutia famulorum. Adde *Appul.* 1. *init.*

ARGŪTĬŎLA, ae, f. parva, aut brevis argutia, *σοφισμάτιον. Gell.* 9, 14. *in f.* Non enim puto argutiolam istam recipiendam, ut *die* dictum quasi *ex die* existimemus, *h. e.* subtiliorem et acutiorem interpretationem. *Id.* 2, 7. Argutiola frivola et inanis, *h. e.* subtilis sententiola. Adde 18, 1.

ARGŪTO, as, a. 1. loquaciter proloqui, obstrepere loquendo. *Prop.* 1, 6, 7. Illa mihi totis argutat noctibus ignes, Et queritur nullos esse relicta Deos.

ARGŪTOR, aris, atus sum, dep. 1. loquacem esse, loquendo obstrepere. *Pl. fr.* ap. *Non.* 1, 340. Superaboque omnes argutando praeficas. *Lucil.* ap. *Eund.* 4, 14. Agite, fures, mendacia argutamini. *Naev. ib.* 34. Quando ad ludos venit, alii cum tacent, totum diem argutatur, quasi cicada. Adde *Enn. ib.* et *Petr. fr. Trag.* 46. *Burm.* ℙ Significat etiam argutias loqui, *σοφίζομαι. Pl. Amph.* 1, 1, 192. *Me.* Ego tibi istam hodie scelestam comprimam linguam. *So.* haud potes: bene pudiceque asservatur. *Me.* pergin' argutarier? ℙ Significat etiam subsilire, pedes celeriter movendo: quia *argutus* etiam celerem significat, *ut Servius* ad *Virg. Ecl.* 4, 34. docet. *Tit.* ap. *Non.* 4, 34. Terra haec est, non aqua, ubi tu solitus argutarier pedibus, cretam dum condepsis, vestimentaque eluis, *h. e.*

fulloniam facis. [*Hanc signif. *Kürcher.* l. l. primam fecit.]

ARGŪTŬLUS, a, um, adj. diminut. ab *argutus*, *Cic. Att.* 13, 18. Ego interea admonitu tuo perfeci sane argutulos libros ad Varronem, *h. e.* qui subtiles et acutas disputationes de rebus abstrusis continent. Significat autem quatuor libros Academicorum. *Appul. Met.* 1. p. 117, 20. Fotis famula forma scitula, et moribus ludicra, et prorsus argutula, *h. e.* facete loquax.

ARGŪTUS, a, um, part. ab *arguo*. [*Hinc voc. non raro, quod ad sensum attinet, respondet Gr. ὄξυς, quod significat omne id, quod aliquo modo vel sensus vel animum percellit. Facile hoc cur ita sit intelligitur, si *Döderleinii* originationem, de qua diximus sub ARGUO, veram esse sumimus.] Primum igitur ad sensus pertinet; a) ad auditum, i. e. qui multum sonat, stridulus et canorus, λιγύθροος. *Prop.* 1, 18, 30. Argutae aves. *Virg. G.* 1, 377. Arguta hirundo. *Mart.* 11, 19. Argutae cicadae. [*Virg. Ecl.* 9, 36. olor argutus. Hinc translate de Musis, i. e. canorus: *Hor. od.* 4, 6, 25. arguta Thalia. Adeoque de poetis: *id. ep.* 2, 2, 90. vexat furor argutos poetas, et quae alia hujus generis laudat *Bentl.* ad h. l.] *Id.* 6, 89. Arguto pollice petere matellam, *h. e.* crepitante. *Ov. A. Am.* 1, 80. Argutum forum, *h. e.* strepitu plenum propter voces contentionesque litigantium. *Mart.* 11, 22. et *Sil.* 17, 18. Argutum aes. *Virg. G.* 1, 143. Arguta serra. *Id. Cir.* 178. Argutae chordae. *Id. Ecl.* 7, 1. Arguta ilex, *h. e.* quae vento agitata strepit. Sic *ib.* 8, 22. Argutum nemus. [*Catull.* 68, 72. Solea. V. infra.] *Colum* 9, 5. *in f.* Argutae valles. *Prop.* 1, 18, 26. Arguto dolore queri, *h. e.* clamoso. V. infra de h. l. — Quare ponitur etiam pro celeriter et saepe loquenti, loquaci, verboso. *Pl. Truc.* 2, 6, 12. Strenui nimio plus prosunt populo, quam arguti et cati. Facile sibi facunditatem virtus argutam invenit. Sine virtute argutum civem mihi habeam pro praefica. *Id. Trin.* 1, 2, 162. Nihil est profecto stultius, neque stolidius, neque mendaciloquius, neque argutum magis, quam urbani assidui cives, quos scurras vocant. ℙ b) De odore, i. e. acutus, acris, penetrans. *Plin.* 15, 3, 4. Odor in tenui argutior, et is tamen etiam in optimo brevis. *Pallad.* 3, 25. et 4, 10. de ficu: Argutus sapor. ℙ Porro [*„id quod omnino perspicua indolis suae signa prae se fert; quod facile cognoscitur, quale revera est = perspicuus, haud dubius, haud ambiguus.“ *Kürcher.*] *Prop.* 2, 2, 34. Aureus argutum sternuit omen amor; (quanquam *Macr.* pro *argutum* legit *augustum*. V. STERNUO.) *Cic. Div.* 2, 12. *in f.* sunt enim, qui vel argutissima haec exta esse dicant, i. e. ad significandum aptissima. Eodem modo *argutae litterae* dicuntur, in quibus minute significatur et ostenditur aliquid, et de re tota diligentissime quis fit certior. *Cic. Att.* 6, 5. Obvias mihi litteras quam argutissimas de omnibus rebus crebro mittas. Sic *Cael.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. Quod tibi pollicitus sum, me omnes res urbanas diligentissime tibi perscripturum, data opera paravi, qui sic omnia persequeretur, ut verear, ne tibi nimium arguta haec sedulitas videatur. ℙ „Plenus vigoris vel vigorem prae se ferens“ *Idem.* Sic *Cic. Or.* 3, 59. Manus autem minus arguta, digitis subsequens verba, non exprimens, *h. e.* minus actuosa, et mobilis, ut non singula verba, sed universam sententiam gestu declaret. [*Cf. *Gell.* 1, 5. Hortensius — quod manus ejus inter agendum forent argutae admodum et gestuosae; qui locus egregie ostendit, quid sibi velit *argutus*.] Et *Leg.* 1, 9. et *Ov. Amor.* 3, 2. *extr.* et 3, 9. Oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur. Et *Virg. G.* 3, 80. de notis equi generosi: illi ardua cervix, Argutumque caput, brevis alvus, etc., *h. e.* ita apte compositum, ut equi generositatem vel primo aspectu satis ostendat. Tales autem solent esse, qui breve caput habent. Unde *Serv.* illud *argutum* interpretatur *breve*. *Pallad.* etiam 4, 13. arguta corpora in pullis equinis eodem sensu dixit. *Catull.* 68, 72. Arguta solea, *h. e.* bene aptata pedi, ut ejus pulcritudinem ostendat. Quin potius est stridens. Hinc *Hieron. ep.* 117. *n.* 7. Stridor caligae. V. STRIDOR. ℙ Item acutus, subtilis, quique est ingenio celer et promptus, ut rem aliquam paucis verbis celeriterque arguere, hoc est ostendere et subjicere oculis valeat. Dicitur tum de personis, tum de rebus. *Cic. Brut.* 17. de Catone: Quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in sententiis argutior? in docendo edisserendoque subtilior? [*C. Memmius, (apud *Cic. Brut.* 70.) ut litteris Graecis perfectus et latinarum fastidiosus, *argutus orator* appellatur verbisque dulcis, i. e. orator, qui nimias elegantias aucupatur. *Id. ib.* 95. *argutum* et *sententiosum* Asiaticae dictionis genus commemorat, sententiis non tam gravibus et severis, quam concinnis et venustis instructum. Sic *Ernest. lex. rhet.* p. 30.] Et *Pison.* 29. Poema facit ita festivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius, i. e. summis leporibus conditum. *Id. Or.* 2, 61. Dicta argutissima. *Id. Opt. gen. Or.* 2. Argutae sententiae. [*Cic. Or.* 12. datur etiam venia concinnitati sententiarum, et arguti certique et circumscripti verborum ambitus conceduntur, i. e. nimio quodam artis et elegantiae studio concinnati. Cf. cum h. l. locos ex *Plin.* s. v. ARGUTIA allatos, qui prorsus huc faciunt.] *Prop.* 1, 18, 26. Argutus dolor, *h. e.* ingeniose simulatus, [*supra interpretatus est *clamosus*, quod minus quadrat.] et 3, 19, 18. Arguta historia. *Hor. A. P.* 364. Acumen argutum, i. e. acre ingenium. ℙ Praeterea pro vafro, callido, astuto. *Hor. Ep.* 1, 14, 42. Calo argutus. *Veg. Mil.* 3, 6. Fidelissimi et argutissimi milites. *Pl. Ps.* 2, 4, 56. *Ps.* Ecquid argutus est? *Ch.* malorum ut facinorum saepissime Ludit *Plaut.* in ambiguo. Cum enim interrogatio sit de astuto et vafro; responsio indicat, accusatum saepe fuisse et reprehensum, adeoque convictum etc. ℙ Item significat deprehensum, accusatum. V. ARGUO. ℙ Comp. *Argutior* et Sup. *Argutissimus* v. supra.

*ARGYNA, ae, oppidum Locridis. *Plin.* 4, 3.

ARGYNNŪS vel Argynus, i, m. Ἄργυννος, (ab ἀργός, albus, seu velox, et ἵννος equuleus, hinnus) puer Boeotus, filius Leuconis, nepos Athamantis, pronepos Sisyphi, abnepos Aeoli. Hunc impense adamavit Agamemnon, exstinctoque in Cephiso amne, in quo natare crebro solebat, solemnem tumulum exstruxit, juxtaque Veneri templum dedicavit, quam ab illo casu appellavit Ἀργυννίδα. Alii dicunt in mari natantem obiisse. Alii Agamemnon accensum fuisse illius pueri amore, cum in Cephiso nantem vidisset, exstinctumque alio nescio quo mortis genere humasse etc. *Prop.* 3, 5, 51. Sunt Agamemnonias testantia litora curas. Quae notat Argynni poena natantis aqua. Al. leg. *Qua notat Argynni poena natantis aquas.* Alii: *Qua natat Argynni poena minantis aquae. Brouck.* priorem lectionem praefert: sed tertia longe praestat. ℙ Varie hujus pueri nomen a Graecis scriptoribus appellatur. *Steph. περὶ πολ.* vocat Ἄργεννον: *Plut. in opusc. mor. περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι*, dicit Ἀργαῖον: *Athen. l.* 13. *c.* 8. Ἄργυννον, alii Ἄργυνον. ℙ [Fuit etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1561, 12. C. Sufenati C. L. Argynno. *F.*]

ARGYRANCHĒ, es, f. ἀργυράγχη, Graeca vox ab ἀργύριον, argentum, pecunia, et ἄγχω, strangulo. Legitur apud *Gell.* 11, 9. V. SYNANCHE et ANGINA.

ARGYRASPIDES, um, m. plur. ἀργυράσπιδες, milites, qui clypeos argenteis laminis tectos habent: ab ἀργύριον, argentum, et ἀσπὶς, clypeus. *Liv.* 37, 40. Ab eadem parte regia cohors erat: argyraspides a genere armorum appellabantur. Adde *Curt.* 4, 13. et *Justin.* 12, 7. ℙ Legitur et *Argyroaspides* ap. *Lamprid. Alex. Sev.* 50.

*ARGYRĒ, es, Indiae insula, ultra Gangem. *Plin.* 6, 21. Mela 3, 7. prope f. *B. A.*

ARGYRĪPA, ae, f. oppidum Apuliae Dauniae, alio nomine Arpi. *Virg. A.* 11, 245. Ille urbem Argyripam patriae cognomine gentis Condebat. *Serv.* docet hoc nomen corruptum esse ab *Argos Hippium*, de quo V. supra in ARGOS.

ARGYRĪTIS, itĭdis, f. ἀργυρῖτις, hoc est argentea. Ita appellatur genus spumae ex argento factae: de qua V. *Plin.* 33, 6, 35. [*cf. *Voss.* ad *Virg. G.* 3, 449. nos: *Silberglätte.*]

*ARGYRĪTUS, fluvius, cujus meminit *Jul. Valer.* 3, 38. rer. gest. Alex. M. 6. *f. Mela* 3, 7. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

[ARGYRĪUS, ii, m. ἀργύρεος, argenteus. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1070, 2. Argyrius lanarius. *F.*]

ARGYRŌCORINTHIUS, a, um, adj. ἀργυροκορίνθιος, ex illo aere Corinthio factus, quod nitore argento quam proxime accedere, *Plin.* 34, 2, 3. tradit. *Inscr.* ap. *Grut.* 48, 1. Sanctissimo Herculi invicto crateram argyrocorinthiam cum basi sua et hypobasi marmorea, sua pecunia donum dederunt etc.

ARGYRŌDĂMAS, antis, m. ἀργυρόδαμας, lapis adamanti similis, argenteo colore: ita dictus, quasi argenteus adamas. *Plin.* 37, 10, 54.

[ARGYROS, i, f. herba, aliter mercurialis. *Appul. Herb.* 82. *F.*]

ARGYRŌTOXUS, i, m. ἀργυρότοξος, argenteum arcum habens: ab ἀργύριον, argenteum, et τόξον, arcus: epithetum est Apollinis, qui arcu et sagittis armatus fingitur, et quia enascens per summum orbis ambitum, velut arcus quidam figuratur alba et argentea specie, ex quo arcu radii in modum emicant sagittarum: quae sunt verba *Macr. Sat.* 1, 17. V. ARCIPOTENS et ARCITENENS.

*ARGYRUNTUM, i, oppidum Liburniae. *Plin.* 3, 21. *B. A.*

*ARĬA, Ἀρία, vel Arĭa, ae, Ἀρία sc. terra γῆ, Asiae regio fuit, medio inter Hyrcaniam, Gedrosiam, Indiamque loco, Ariana regio (et nude Ariana) dicta *Plin.* 6, 23. Hodie, ajunt, est Corazan. ℙ Fuit et Aria Ponti Euxini insula, non longe a Colchis, alio nomine Chalceritis. *Plin.* 6, 12. *B. A.*

*ARĬĂCAE, arum, Scythiae populi, cis Imaum. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

*ARĬĂCOS, i, oppidum Mysiae vel Tarodis. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

[ARGYRUS, i, m. ἄργυρος, argentum. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 814, 8. Sex. Perperna Argyros. *F.*]

ARĬADNA, ae, et Ariadnē, es, f. Ἀριάδνη, filia Minois regis Cretae ex Pasiphae uxore. Thesei amore capta, qui ab Atheniensibus ex foedere cum Minoe in Cretam Minotauro devorandus missus fuerat, ei arma et filum dedit, ut labyrinthi vias signaret et monstro interfecto incolumis evaderet. Victor Theseus cum Ariadna in patriam reversus est. Sed beneficii immemor abductam in Chium seu Naxon insulam ibi deseruit. A Baccho in uxorem ducta est. Interea Bacchus in Indiae expeditionem proficiscitur. Indis victis, inter ceteras captivas duxit in Graeciam regis filiam praestantissima forma. Ariadne igitur etiam a Baccho relicta est. Cum in litore fleret, Bacchus eam in coelum transtulit, et coronam quandam, quam Venus Ariadne fuerat largita, novem gemmis ornatam astris intulit, gemmasque in novem stellas transformavit. Atque haec est Corona septentrionalis, vel Gnossia, sita in parte coeli septentrionali, inter Bootem et Herculem. *Ov. A. Am.* 3, 35. Quantum in te, Theseu, volucres Ariadna marinas Pavit, in ignoto sola relicta solo. *Hyg. Astron.* 2, 5. Haec (*corona*) existimatur Ariadnes fuisse, a Libero patre inter sidera collocata. V. ibi plura hac de re.

ARĬADNAEUS, a, um, adj. Ἀριαδναῖος, ad Ariadnam pertinens. *Ov. Fast.* 5, 346. Bacchus amat flores, Baccho placuisse coronam, Ex Ariadnaeo sidere nosse potes. *Manil.* 5, 21. Ariadnaea corona.

[ARĬAGNE, es, f. valde casta, ex ἄρι particula augendae significationi inserviens, et ἁγνή, casta. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 747, 7. Ulpiae Ariagne. *F.*]

*ARIALBĪNUM, i, oppidum Galliae Belgicae, in Raurarorum agro. *Tab. Peut.* Artalbinum audit *Anton. Itin. B. A.*

*ARIALDŪNUM, i, oppidum in Hispania Baetica. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

*ARIĀNI, orum, populi Asiae, qui et Arii dicti. *Plin.* 6, 25. *B. A.*

ARIĀNIS, ĭdis, f. ἀριανίς, herba ignei coloris, cujus tactu magi tradunt ligna oleo peruncta accendi. Nascitur apud Arianos Scythicam gentem. *Plin.* 24, 17, 102.

ARIĀNUS, a, um, adj. ad *Arium* haeresiarcham pertinens. *Hieron. adv. Luciferian.* 7. Orbis Arianus. ℙ *Ariani, orum*, Arii sectatores. *Hieron. ib.* et *August. Haeresib.* 49. ℙ Scribitur et *Arrianus*, sed minus recte. V. ARIUS.

*ARIARĀTHES, is, Cappadociae rex, qui Alexandri M. temporibus vixit. *Justin.* 13, 6. ℙ Item Ariobarzanis filius; et alius, Ariobarzanis frater. *Cic. Fam.* 15, 2. *Id. Att.* 13, 2. *B. A.*

*ARIARĀTHĪRA, orum, Ἀριαράθειρα (cod. Pal. Ἀριαράθιρα) Ptolemaeo, oppidum Cappadociae, Arathia nuncupatum *Anton. Itin. B. A.*

*ARICA, ae, insula inter Galliam Britanniamque, Anglis *Little Sack. Anton. Itin. B. A.*

ARĪCĬA, ae, f. nunc *l'Aricia*, Ἀρικία, col. olim et urbs Latii, nunc oppidum Campaniae Romanae a Roma 16. M. P. Condita dicitur ab Hippolyto Thesei filio, et a nomine conjugis appellata. Gignit porros mirae magnitudinis, quos *Plin.* 19, 6, 33., et *Mart.* 13, 19. laudant. Juxta hanc urbem Silva Aricina fuit, in qua Aegeria Nympha; item lacus Aricinus, qui et Lacus Triviae, et Speculum Dianae: item clivus Aricinus, ubi multi stare solebant mendici stipem a praetereuntibus Appia via postulantes: de quo *Mart.* 2, 19. ℙ *Sil.* 4, 369. Ariciam *immitem* appellat, quia olim ibi Dianae Taurica sacra fiebant, in quibus humana victima immolabatur. ℙ [*Item Nymphae nomen, Hippolyti uxoris, postquam ille a Diana in Italiam translatus fuisset. *Virg. A.* 7, 762. *B. A.*]

*ARICĪNUM, i, n. genus caulis. *Plin.* 19, 8. *B. A.*

ARĪCĪNUS, a, um, adj. ad Ariciam pertinens. *Mart.* 10, 68. Aricina regio. *Juven.* 4, 117. Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes. V. ARICIA. ℙ *Aricini, orum*, sunt Ariciae incolae. *Liv.* 2, 14.

*ARICONĪUM, i, n. Britanniae oppidum, in regione Silurum. *Anton. Itin. B. A.*

*ARIDAEUS, i, m. Philippi nothus, Alexandri frater, cui successit, quamvis ab Alexandro praeteritus. *Justin.* 9, 8. 12, 15. et 13, 3. *Curt.* 10, 17. post init. Dictus et Philippus *Nep. Phoc.* 3. *Justin.* 13, 3.

ĀRĬDĒ, adv. *Varr.* ap. *Non.* 4, 27. Non videtis, unus ut parvulus Amor ardifera lampade aride agat amantes, *h. e.* urat, crucietque. Alii leg. *arida.*

[ĀRĪDĒLUS, i, m. ἀρίδηλος, praeclarus. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Gud.* 271, 8. Aridelus conjugi rari exempli feminae. *F.*]

ĀRĪDĬTĀS, atis, f. ξηρασία, siccitas. *Plin.* 11, 35, 41. Omnem humorem absorbens ariditatem ampliat. *Id.* 15, 29, 37. Myrtus siccata usque in ariditatem in umbra. ℙ In plur. num. *Arnob.* 2, 69. Ad terram decident imbres, ariditatibus temperamenta laturi. ℙ Item ipsa res arida. *Pallad.* 3, 21. Rosaria dolabris circumfodiuntur, et aridi-

tas, i. e. aridae virgae, universa reciditur. Et *ib.* 4. Lenticula cum fimi ariditate miscenda est. *Colum.* hoc idem tradens 2, 10. *circa med.* fimo arido permisceri debet. Simile est illud ejusd. *Pallad. ib.* 9. *ad f.* Si legatur maturitas cum acerbitate, *h. e.* maturae uvae cum acerbis.

ĂRĬDŭLUS, a, um, adj. diminut. ab *aridus. Catull.* 64, 316. de Parcis nentibus: Laneaque aridulis haerebant morsa labellis.

ĂRĬDUS, a, um, adj. ξηρός, humore carens, siccus. *Cic. Pison.* 40. Arida folia laureae. *Id. Fat.* 4. Exsiccatus atque aridus. *Virg. G.* 1, 79. Aridum solum. *Id. ib.* 3, 197. Nubila arida. *Plin.* 33, 4, 21. Montes aridi sterilesque. *Hor. Epod.* 17, 31. Cinis aridus. *Id. Od.* 3, 17, 13. Lignum aridum. *Pl. Rud.* 3, 4, 59. Ficis aridis victitare. *Id. ib.* 2, 7, 16. Vestimenta arida. *Virg. G.* 4, 98. Aridus et sicco terram spuit ore viator, *h. e.* sitiens. *Id. ib.* 3, 458. Arida febris, *h. e.* quae aridos et sitientes facit. *Lucr.* 3, 931. Arida sitis. *Id.* 4, 872. Aridus calor. Adeo ad colorem refertur: *Plin.* 12, 26, 59. Arbor folio convoluto, arido colore, i. e. qualis est in aridis foliis. ℙ Significat etiam macrum, exilem. *Auct. Priap.* 32. Uvis aridior puella passis, cui opponitur quae habet *corpus solidum, et succi plenum*, ut est apud *Ter. Eun.* 2, 3, 26. Sic *Ov. A. Am.* 3, 272. Arida crura. *Hor. Epod.* 8, 5. Aridae nates. *Id. Od.* 2, 11, 6. Arida canities. ℙ *Aridum, i*, absolute dicitur de terra sicca et opponitur mari aut flumini. *Caes. B. G.* 4, 24. Fluctibus consistendum, et cum hostibus erat pugnandum: cum illi aut ex arido, aut paululum in aquam progressi tela conjicerent. *Id. ib.* 29. Subducere naves in aridum. [*Ov. *Met.* 13. *arg. fab.* 2. animadvertit eum — in aridam ejectum, sc. terram. Sed *Burm. aridum* leg. esse censet; illius enim ellipseos, nisi in scriptura sacra, exempla non exstant.] ℙ Translate *aridus* ponitur pro exiguo, tenui, misero. *Cic. Rosc. Am.* 27. Aridus victus. *Id. Quint.* 30. Vita horrida atque arida. [*Cf. *Burm.* ad *Quint.* 2, 3. p. 134.] *Mart.* 10, 75. Sportula arida. *Id. ib.* 87. Aridus cliens, *h. e.* pauper. ℙ Item pro praeparco, tenaci, avaro. *Ter. Heaut.* 3, 2, 15. Habet patrem quendam avidum, miserum, atque aridum. *Pl. Aul.* 2, 4, 18. Pumex non aeque est aridus, atque hic est senex. ℙ Illa etiam translata sunt. *Cic. Or.* 2, 38. Genus sermonis affert non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum. *Auct. ad Her.* 4, 11. Aridum et exsangue genus orationis. [*Graeci appellabant τὸ ξηρόν, ubi vel minutis brevibusque membris et particulis composita esset oratio, vel justo tenuiori bus humilibusque verbis elata. V. *Ernest. Lex. techn. rhet. graec.* s. v. ξηρὰ σύνθεσις. Sic etiam Latini in his, quae Noster attulit; de quibus plura *Idem, lex. rhet. lat.* p. 31. sq. Loquitur autem *Auct.* ad *Her.* h. l. de Diogene dialectico, qui in summa subtilitate rerum omni orationis suavitate et concinnitate caruisset. Cf. *Senec. Contr.* 34. qui saepius rhetores et declamatores *aridos* vocat, eodem sensu, et *Gron.* ad h. l.] *Auct. Dial. de Or.* 19. Aridissimi libri. *Quint.* 12, 10. Aridus orator. *Id.* 2, 4. Magister aridus. [*Alio sensu h. v. de pueris utitur *Suet. Gr.* 4. ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur, i. e. elementis litterarum haud satis imbuti, quasi primis fontibus irrigati, ut *B. Crus.* interpretatur.] ℙ Dicitur etiam de sono et strepitu. *Lucr.* 6, 118. Aridus unde aures terget sonus. *Virg. G.* 1, 357. aridus altis Montibus audiri fragor. *Non.* 4, 31. interpretatur horrificum, acutum. *Servius* etiam ad *loc. Virg. cit.* exponit nimium. Docet enim aridum sonitum esse, qualis ex aridis arboribus, cum franguntur, fieri solet: omne enim quod aridum est, cum frangi coeperit, nimium sonum efficere. [*V. *Voss.*] ℙ *Aridum argentum* apud *Pl. Rud.* 3, 4, 21. Tu senex, si istas amas, huic arido argento est opus. *Non.* 4, 31. interpretatur purum, lucidum. Alias interpretationes ingeniose comminiscitur *Turneb. l.* 26. *c.* 2. At praestat ita explicare: Si istas mulieres a me velis abducere, argentum, *h. e.* pecunia mihi pauperrimo danda est. ℙ Veteres *ardus* dixere per syncopen. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 48. Ardum, miserrimum atque infelix, lignum sambucum vocant. *Inscr.* ap. *Grut.* 207. Caementa arda.

ARIENA, pomi nomen, quo sapientes Indorum vivunt. *Plin.* 12, 6, 12.

[ARIENSIS, se, adj. ad Ariam pertinens, Baeticae oppidum, quod nonnulli credunt *Aria*, vel *Arizza* prope Hispalin. *Arianos montes* in hoc tractu memorat *Plin.* 3, 1, 3. In antiq. edd. apud *Hard.* legitur *Arenae montes.* In *Itin. Anton.* est *Ariorum montes*, quibusdam *Sierra Morena.* At *Inscr.* ap. *Murat.* 1099, 6. Curatori coloniae Ariensium. *F.*]

ĂRĬES, ētis, m. χριός, mas ovium, qui integer est, et servatur ad generandam sobolem. *Varr. L. L.* 4, 19. docet, Veteres *ares* pro *aries* dixisse. *Virg. Ecl.* 3, 95. ipse aries etiam nunc vellera siccat. ℙ Ab hujus similitudine *aries* dicta est machina bellica ad muros subruendos apta, eratque praelonga et praegravis trabs, ferrata altera extremitate, in modum saepe arietini capitis, quae multa militum manu, magna vi, repetitisque ictibus in muros impacta, facile quantumvis crassas structuras diruebat. De ejus inventione et usu lege *Vitr.* 10, 19., *Stewech.* ad *Veg. Mil.* 4, 14. et *Lips. l.* 3. *Poliorcet. dial.* 1. et *l.* 5. *dial.* 8., ubi variae arietis formae, exhibitis figuris, describuntur. *Cic. Off.* 1, 11. Aries murum percutit. *Virg. A.* 2, 491. labat ariete crebro Janua, et emoti procumbunt cardine postes. *Id. ib.* 12, 706. quique imos pulsabant ariete muros. ℙ [*Per eandem similitudinem arietes (s. capreoli) dicuntur fulcra (*Streben, Querbalken zum Stützen*), quibus innituntur cantherii et vites. *Cic. Top.* 17. Jacere telum, voluntatis est, ferire quem nolueris, fortunae. Ex quo aries ille subjicitur in vestris actionibus: Si telum manu fugit magis, quam jecit, *h. e.* defensio, qua velut ariete adversarii accusationem evertitis. [*Hanc explicationem improbat *Ern.* in *cl. Cic.* Etenim probat *Gesner.* ad *Varr. R. R.* p. 329. qui putat ductam metaphoram e re rustica, ubi arietes s. capreoli cantherios fulciunt, cui etiam v. *subjiciendi* favet. Multum sane hoc praestat. Simul h. l. recte uteris ad explicandum Caesaris locum, qui statim sequitur.] Alio sensu *arietem subjicere.* V. in SUBJICIO. ℙ Caesar (*B. G.* 4, 17.) in descriptione pontis sui super Rhenum effecti, sublicas obliquas adactas tignis rectis pontem sustinentibus, *pro ariete subjectas* dicit, quia scilicet arietis in aliquem irruentis figuram imitari videbantur. Graecus etiam interpres δίκην κριοῦ vertit. Alii tamen legunt *pro pariete.* [*Et hanc scripturam defendit *Herzog.* ad h. l. quem V.] ℙ Est etiam *aries* inter marinas beluas, teste *Plin.* 9, 5, 4. et 44, 67. ℙ Denique *aries* est unum ex duodecim signis Zodiaci, primumque locum in eo occupans, quod cum sol ingreditur, hiemem depellit, et lacto vere annum aperit. De hoc hujusmodi fabulam narrat *Hyg. fab.* 133. Liber cum in India aquam quaereret, nec inveniret, subito ex arena aries dicitur exstitisse, quo duce aqua inventa, petiit a Jove, ut eum arietem in astra referret. *Id. Astron.* 2, 20. scribit, putari illum arietem, qui Phrixum et Hellen per Hellespontum transtulit: qui pelle aurea instructus fuisse dicitur, quae ei tamen, antequam in coelum transferretur, detracta fuit et Colchis reposita. Sunt tamen qui dicunt, non arietem illum fuisse, sed insigne ac nomen navis, qua Phrixus et Helle navigarunt, ut ex *Tac. A.* 6, 34. colligitur. Porro ipsum sidus constat stellis tredecim, positumque est inter Pisces et Taurum. *Vitr.* 9, 5. Sol cum Arietis signum init. *Manil.* 2, 246. Ut Leo et Arcitenens, Ariesque in cornua tortus. ℙ Quod nonnulli afferunt ex *Plaut. Pers.* 1, 2, 22. Albo ariete aliena oppugnare bona; al. leg. *albo rete.* V. in ALBUS. In obliquis casibus a poetis metri necessitate tertia syllaba producitur, vel cum secunda conjungitur per synaeresin, ut prima produci possit. *Stat. Th.* 1, 492. Apparet aut celsum crebris arietibus urbis Inclinare latus. Adde *Virg. A.* 2, 491.

ĂRĬĒTĀRĬUS, a, um, adj. ad arietem pertinens. *Vitr.* 10, 19. Testudo arietaria, *h. e.* qua tegitur machina bellica, aries dicta. *Id. ib.* Arietaria machina.

ĂRĬĒTĀTĬO, f. κριοκόπησις, actus arietandi, concussio. *Sen. Qu. nat.* 5, 13. Nonnunquam calor, quem modo sol fecit, modo ipsa arietatio magnorum inter se corporum conglobationem nubis rumpit.

ĂRĬĒTĀTUS, a, um, part. ab *arieto*, ariete percussus, impactus, illisus. *Sen. ep.* 56. Arietata inter se arma. *Id. Ira* 3, 4. Arietatos inter se dentes.

ĂRĬĒTĪNUS, a, um, adj. ad arietem pertinens. *Plin.* 29, 4, 27. Arietina ungula. *Id.* 30, 8, 22. Arietinus pulmo. *Pallad.* 4, 3. de ficu: Arietina cornua. ℙ *Arietinum cicer* est genus ciceris ita dicti, quia est arietino capiti simile. *Plin.* 18, 12, 32., *Petron. Sat.* 35. et *Colum.* 2, 10., apud quem quidam leg. *arietillum.* ℙ *Arietinum oraculum* quid vocaverint veteres, intelligi potest ex *Gell.* 3, 3. Ex Freto, Plauti Comoedia, duos hos versus exscripsimus, ut historiam quaereremus oraculi arietini. Nunc illud est, quod arietinum responsum magnis ludis dicitur: Peribo, si non fecero; si faxo, vapulabo. Videtur autem oraculum seu responsum arietinum dictum fuisse, quemadmodum *ceratinas* dixit *Quint.* 1, 10., seu cornutas argumentationes Stoicorum, vel dilemmata, quasi arietes gemino cornu ferientes. Ad ambiguitatem tamen oraculi Jovis Ammonis, cornuti scilicet, respicere etiam posset hujusmodi effatum. Narrat enim *Serv.* ad *Virg. A.* 4, 196. Jovi Ammoni templum et simulacrum cum capite arietino constitutum, quod ideo fingitur, quia satis ejus involuta sunt responsa.

ĂRĬĒTO, as, avi, atum, a. 1. κορύπτω, κριοκοπέω, in aliquem incurro arietis instar. Ita *Accius* apud *Cic. Div.* 1, 22. Aries cornibus connititur et in me arietat. Deinde in universum i. q. impingo, percutio. *Pl. Truc.* 2, 2, 1. Quis est, qui tam proterve nostras aedes arietat? *Virg. A.* 11, 890. Arietare in portas. *Curt.* 9, 7. Arietare aliquem in terram. *Sen. Ira* 2, 3. Acies arietant inter se, *h. e.* cum impetu concurrunt. *Id. ep.* 107. Longam viam ingressus es; et labaris oportet, et arietes, et cadas, et lasseris, et exclames. *Id. Vita beat.* 8. Arietare in aliqua re, *h. e.* incidere, incurrere, offendere. *Id. Tranq.* 1. *a med.* Ubi aliquid animum insolitum arietari percussit, *h. e.* turbari, agitari, vexari. *Plin.* 2, 82, 84. Innoxium cum concurrentia tecta contrario ictu arietant. ℙ Metri causa *arietat* trisyllabum est per synaeresin secundae et tertiae vocalis. *Virg. l. c., Sil.* 4, 149. et *Val. Fl.* 6, 368. V. ARIES *in f.*

ĂRĬFĪCUS, a, um, adj. arefaciens, aridum reddens, exsiccans. *Coel. Aur. Tard.* 4, 1. Phlebotomia est arifica carnis, et mollifica corporis. Quidam leg. *rarifica.*

[ĂRĬGNŌTUS, i, m. valde notus, ab ἄρι particula significationem augente, et γνωτός, notus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 515, 204. CN. Domitii Arignoti. *F.*]

*ĂRĬI, orum, populi Asiae ulterioris, Ariam vel Arianam incolentes, dicti et Ariani. *Manil.* 4, 802. In *Plin.* 6, 23. Arion est genitivus Graecus (Ἀρείων vel Ἀρίων) pro Ariorum. Ceterum inter Arios et Arianos discrimen statuere videtur *Plin.* 6, 25. Habet (Parthia) ab ortu Arios, a meridie Carmaniam et Arianos. ℙ Item Germaniae populi. *Tac. G.* 43. ℙ Mons Ariorum. *B. A.*

ARILĀTOR. V. ARRILATOR.

[ARILICENSIS, se, ad Arilicam pertinens, oppidum in ora lacus Benaci, qua Mincius effluit, nunc *Peschiera. Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 146, 3. Item dedit Collegio nautarum Arilicensium HS XII. N. *Alia* ap. *Grut.* 449, 6. In Collegio naviculariorum Ardelicensium. Corrige *Arilicensium*, ut probat *Maff. l. c.* Vox enim videtur negligentia *Velseri*, qui lapidem Gruterianum excepit, corrupta fuisse. *F.*]

[ĂRĪMĂNĬUS, ii, m. unus ex nominibus, quibus Pluto appellabatur a Persis. V. *Hesych.* V. Ἀρειμανής. *Diogen. Laert. prooem.* Τῷ μὲν (*h. e.* Ἀγαθοδαίμονι) ὄνομα εἶναι Ζεὺς καὶ Ὡρομάσδης, τῷ δὲ (Κακοδαίμονι) Ἅιδης καὶ Ἀρειμάνιος. *Inscr.* ap. *Visconti. Mus. Pio-Clem. T.* 2. p. 25. *ed. Mediol.* Deo Arimanio Agrestius Vir *Clarissimus* defensor, magister et pater patrum voti *Compos* Dedicavit. V. AGATHODAEMON et SUMMANUS.

ĂRĪMĂSPI, orum, m. plur. Ἀριμάσποι, populi Sarmatiae Europaeae, in Moscovia, ubi nunc Ingria, et Duc. Novogradensis et Plecoviensis. Etymon vocis habes apud *Herod.* 4, 27., nempe a Scythicis vocabulis ἄριμα, unus, et σπού, oculus. Unicum in media fronte habere crediti sunt oculum, et cum gryphis auri custodibus continue proeliari. *Plin.* 7, 2, 2., *Gell.* 9, 4. et *Mela* 2, 1. Hoc tamen profecto est fabulosum. Neque enim altero oculo caruisse credendi sunt, sed cum arcu et sagittis excelluerint, quas cum dirigerent, alterum, ut fit, oculum claudebant, assiduique in eo studio essent, uno tantum oculo uti dicti sunt. Similis huic est de centauris fabula et historia. *Lucan.* 7, 756. Quodque legit dives summis Arimaspus arenis.

ĂRĪMĪNENSIS, se, adj. ad Ariminum pertinens. *Epod.* 5, 42. Folia Ariminensis. *Plin.* 10, 21, 25. Ariminensis ager. ℙ *Ariminenses, ium*, sunt Arimini incolae. *Cic. Verr.* 2, 1, 14.

ĂRĪMĪNUM, i, n. *Rimini*, Ἀρίμινον, urbs Aemiliae in ora maris Adriatici, ad ostia Arimini fluvii, qui nunc dicitur *Marecchia*, et ipsi oppido nomen dedit, teste *Festo.* Conditum est P. Sempronio et Appio Claudio Coss., deinde ampliatum ab Augusto, et ornatum ponte lapideo mirae structurae, denique a Liburnis dirutum, a Diocletiano repositum est, qui arcum triumphalem in eo exstruxit. *Plin.* 3, 15, 20. et *Eutrop.* 2, 16. et 3, 8. *Lucan.* 1, 231. Vicinumque minax invadit Ariminum, ut ignes, etc.

[ARIMPHAEUS, a, um, adj. ad Arimphaeos pertinens, incolas Scythiae prope Riphaeos montes, qui mares et feminae capillus juxta feminis virisque in probro existimatur. *F.*]

ARINCĂ, ae, f. Gallicum vocabulum, quo significatur frumenti quoddam genus, quod nunc a Gallis in Delphinatu appellatur *riguet*, ut ex *Nic. Chorier. Harduinus* docet *Plin.* 18, 8, 19. Arinca Galliarum propria, copiosa et Italiae est. Et *ib.* 10, 20. *n.* 4. Ex arinca dulcissimus panis: ipsa spissior quam far, et major spica; eadem et ponderosior, etc. *Id. ib.* et 22, 25, 57. docet, Graece *olyran* dici. [Haec descriptio in *far adoreum* convenire videtur, de quo *Gesner.* ad *Colum. l.* 2. *c.* 9. *F.* *V. ARVIGA.]

*ARIOBARZĂNES, is, m. Ἀριοβαρζάνης, Cappadociae rex. *Cic. Fam.* 2, 17. et 15, 2. *Id. Att.* 5, 20. et *de Prov. Cons.* 5. *B. A.*

ARIOLOR, etc. HARIOLOR.

ĂRĬON et Ario ōnis, m. Ἀρίων, citharoedus nobilis, et poeta Lyricus ex Methymna Lesbi civitate, qui primus dithyrambos creditur invenisse. Venit in magnam Graeciam, et Tarenti diu habitavit, ubi, et in aliis urbibus, arte sua ingentem pecuniae vim cumulavit. Cum in patriam rediret,

nautae de eo interficiendo deliberarunt, ut illius opibus potirentur. Arion nonnihil spatii ab iis sibi concedi postulavit, quo veluti cycnus moriturus suas sibi exsequias caneret. Quod cum impetrasset, stans celsa in puppi, carmen orthium Diis marinis cecinit, eoque peracto, se in mare praecipitem dedit. Statim delphinus accurrit, et exceptum dorso Arionem vexit ad Taenarum Laconiae promontorium, unde citharoedus sese ad Periandrum Corinthiorum tyrannum contulit. Periander immissis navigiis cum militibus nautas comprehendit, qui rem, uti gesta erat, confessi, gravissimo supplicio sunt affecti. Hoc merito delphinum Juppiter astris recepit, et stellas novem jussit habere, ut narrat *Ov. Fast.* 2, 80. et seqq. Paulo minutius rem edisserunt *Gell.* 16, 19. ex *Herod.* et *Serv.* ad illud *Virg. Ecl.* 8, 56. Orpheus in silvis, inter delphinas Arion. *Ov. l. c.* 83. Quod mare non novit, quae nescit Ariona tellus? *Gell. l. c.* Vetus et nobilis Ario cantator fidibus fuit. ℙ Est etiam *Arion* nomen equi, quem primum omnium Neptunus, percussa terra tridenti, produxisse fertur et Adrasto Argivorum regi donasse, qui a Nereidibus nutritus, et vocalis et fatidicus fuit. *Claud.* IV. *Cons. Hon.* 553., *Stat. Silv.* 1, 1, 52. et *Th.* 11, 443.

ĀRIŌNĬUS, a, um, ad Arionem pertinens. *Ov. Fast.* 2, 93. Nomen Arionium Siculas impleverat urbes. *Id. A. Am.* 3, 326. et *Prop.* 2, 20, 18. Arionia lyra.

*ARIOVISTUS, i, Ἀριόβιστος, rex Germanicus, temporibus Julii Caesaris vixit. *Caes. B. G.* 1, 31. seqq. *B. A.*

ARIPENNIS. V. AREPENNIS.

[ARIS, idis, f. ἀρίς, herba apud *Plin.* 24, 16, 94. Est et aris, quae in Aegypto nascitur, similis aro, minor tantum, minoribusque foliis, et utique radice, quae tamen olivae grandis magnitudinem implet. *F.*]

*ARISBA, ae, vel Arisbe, es, f. oppidum Troadis, Mitylenaeorum colonia. *Virg. A.* 9, 264. *Plin.* 5, 30. ℙ Item Lesbi oppidum. *Mela* 2, 7. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

ĀRISTA, ae, f. ἄθηρ, extrema spicae pars, quae prima arescit, veluti spinis seu aculeis constans, quibus frumentum ab avium minorum morsu tuetur. *Varr. R. R.* 1, 48. Arista, quae ut acus tenuis longa eminet e gluma; proinde ut grani theca sit gluma, et apex arista. *Cic. Sen.* 15. Fundit frugem spici ordine structam, et contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum. *Ov. Her.* 5, 111. Et minus est in te, quam summa pondus arista. *Id. Trist.* 4, 1, 57. Aestu numerare aristas, proverb. de re impossibili. *Hieron. ep. ad Theoph.* 82, 5. Super aristas gradi, proverb. de eo, qui gradum non figit, et sententiam certo non statuit: quia qui super aristas graditur, ne ab iis laedatur, pedem minime firmat. ℙ Quandoque accipitur pro spica ipsa, imo pro frumento. *Ov. Fast.* 5, 357. maturis albescit messis aristis. *Virg. G.* 1, 8. Liber, et alma Ceres, vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista. ℙ Dicitur etiam de spica nardi, ut est apud *Plin.* 12, 12, 26. Hinc *Ov. Met.* 15, 398. casias et nardi lenis aristas. *Stat. Silv.* 5, 3, 43. odoratas nec Arabs decerpsit aristas. ℙ Per metalepsin ponitur pro aestate, vel anno. *Virg. Ecl.* 1, 70. Post aliquot mea regna videns mirabor aristas. *Claud.* IV. *Cons. Hon.* 371. Necdum decimas emensus aristas. [*Virg.* locus, ad cujus similitudinem *Claud.* suum effinxisse videtur, ab *Heynio*, quem jam plerique omnes sequuntur, melius explicatus est, ita ut hujus significationis unus auctor putandus sit *Claudianus*, qui *Virg.* perperam intellexit.] ℙ A similitudine dicitur *arista* de pilis corporis, qui, cum inhorrescimus, erigi aristarum instar solent. *Varr. L. L.* 5, 6. In corpore pili, ut arista in spica hordei, horrent. *Pers.* 3, 115. Alges, cum excussit membris timor albus aristas. ℙ In tabula marmorea apud *Grut.* 341. arista est nomen equi Circensis, vel a pilis horrentibus, vel a levitate, vel a membrorum tenuitate, aut macritudine. ℙ Pro ossiculis et spinis piscium. *Auson. Mosell.* 85. Squameus herbosas Capito inter lucet arenas, Viscere prae tenero fartim congestus aristis. Adde *ib.* 119. ℙ Pro herbis aridis inutilibus ac silvestribus. *Val. Fl.* 7, 365. validas scopulis effodit aristas. ℙ [*Permutantur a librariis *aristae* et *avenae*, *Virg. G.* 1, 226. et *Voss.* ad h. l. — et *arenae*, V. *Burm.* ad *Calpurn.* 2, 74. coll. *Virg. A.* 7, 809.]

[ĀRISTAENĒTUS, i, m. optimas laudabilis, ab ἄριστοι, optimates, et αἰνετός, laudabilis. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 465, 5. et 6. C. Sallio Aristaeneto. *F.*]

*ARISTAEUM, i, n. Thraciae oppidum, in Haemi montis radicibus situm. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

ĀRISTAEUS, i, m. Ἀρισταῖος, filius Apollinis ex Cyrene filia Pelei fluminis Thessaliae, in Arcadia diu regnavit, primusque dicitur olivae, coaguli lactis, mellisque usum homines docuisse. Pastor etiam fuit, et cum Eurydicen Nympham, Orphei uxorem vitiare voluisset, et illa fugiens a serpente fuisset occisa, Nympharum iracundia cuncta animalia et apes amisit: quas reparare ex bubulis visceribus putrefactis, monstrante matre, didicit, ut narrant *Virg. G.* 4, 317. et *Serv. ib.* Hinc *Ov. Pont.* 4, 2, 8. Quis mel Aristaeo, quis Baccho vina Falerno, Triptolemo fruges, poma det Alcinoo? V. NOCTUA ubi simile proverb. ℙ *Justin.* 13, 7. multa de hoc Aristaeo narrat, ab iis quae dicta sunt, non parum discrepantia.

*ARISTAGORAS, ae, m., auctor Graecus, qui de rebus Aegyptiacis scripsit. *Plin.* 36, 12, 17. *B. A.*

*ARISTANDER, drus, vel dros, dri, Telmessius vates celeberrimus, temporibus Alexandri M. vixit. *Curt.* 4, 2. Scripsit de re rustica. *Varr. R. R.* itemque *Colum.* 1. Item de portentis. *Plin.* 17, 25. *B. A.*

ĀRISTARCHĒUS, a, um, adj. Ἀριστα ρχειος, ad Aristarchum pertinens. *Aristarchei*, *orum*, qui Aristarchi more aliorum scripta et dicta carpunt. *Varr. L. L.* 7, 34. Relinquitur de casibus, in quo Aristarchei suos intendunt nervos.

ĀRISTARCHUS, i, m. Ἀρίσταρχος, nomen grammatici Alexandrini, qui tantum sibi in Homeri poemate permisit, ut versus, quos vellet, velut suppositicios partus ab Homeri familia submoveret, ut testatur *Cic. Fam.* 3, 11. Hinc *Aristarchos* vocamus alienorum scriptorum censores, etiam in bonam partem. *Ov. Pont.* 3, 9, 23. Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto Magnus Aristarcho major Homerus erat. *Cic. Pis.* 30. Quoniam te non Aristarchum, sed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poetam armis persequare. *Id. Att.* 1, 14. Orationes meae quarum tu Aristarchus es. ℙ [*Fuit etiam poeta Tegeaeus, de quo mentionem fecit *Festus* in *Prolato*, et *Pl. Poen. prol.* 1. *B. A.*]

ĀRISTĀTUS, a, um, adj. aristam habens. *Festus* in *Restibilis.* Restibilis ager dicitur, qui biennio continuo seritur farreo spico, id est aristato: quod ne fiat, solent, qui praedia locant, excipere. *Farreo spico* intelligere videtur omne genus seminis, quod aristam habet, ut far, triticum, hordeum, ut vult *Salmas.*, quae genera humorem terrae valde exsugunt, et agrum macrum reddunt. *Plin.* 18, 10, 20. *n.* 4. docet far in Aegypto sine arista nasci.

*ARISTE, es, f. sic dicta est encardia gemma apud *Plin.* 37, 10. ed. *Hard.* Antea legebatur *cardisce.* V. *Cardisce. B. A.*

*ARISTĒAS, ae, m. Castrobii filius, Proconnesius poeta, scripsit Ἀριμάσπεια carmina et Θεογονίαν versibus fere mille. *Plin.* 7, 2 et 52. Vidisse se Aristeae libros testatur *Gellius* 9, 4.

*ARISTĒRA, ae, f. ἀριστερὰ *h. e.* sinistra, insula maris Aegaei, contra Argolidem. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*ARISTERĒON, ἀριστερεών, verbenaca herba. *Appul. de herb.* 3 et 72. *Eustath.* ad *Odyss.* Z. ex *Pausania*: Ἀριστερεών, φυτὸν ἐπιτήδειον εἰς καθαρμούς. *B. A.*

ĀRISTĬDA. V. HOLCUS.

ĀRISTĪDES, is, m. Ἀριστείδης, vir Atheniensis, Lysimachi filius, Themistoclis fere aequalis, ob insignem abstinentiam justus cognominatus. Cum Themistocle certavit de principatu, cujus, cum major esset apud cives auctoritas et potentia, in exilium missus est, sed post sextum annum restitutus, multam reipublicae navavit operam domi bellique: cumque diu publicam pecuniam administrasset, tamen in tanta paupertate decessit, ut, quî efferretur, vix reliquerit, ut loquitur *Nepos* in ejus vita. *Id. ib.* 2. Justitia factum est Aristidis, ut etc. *Ov. Pont.* 1, 3, 71. Pulsus Aristides patria Lacedaemona fugit. ℙ Alius Aristides Thebanus eximius pictor fuit, Apellis tempore, qui primus omnium animum pinxit, et sensus hominis expressit, item perturbationes, durior paulo in coloribus. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 19. ℙ [*Fuit et Aristides nobilis statuarius. *Plin.* 34, 8. *B. A.*] ℙ Alius fuit Milesius, qui *Milesia* scripsit, *h. e.* amatorias quasdam et lascivas narrationes. *Ov. Trist.* 2, 413. Junxit Aristides Milesia crimina secum: Pulsus Aristides nec tamen urbe sua. Et *ib.* 443. Vertit Aristiden Sisenna: nec obfuit illi Historiae turpes inseruisse jocos.

ĀRISTĪFER, a, um, adj. aristas ferens. *Prud. Cath.* 3, 51. Fundit opes ager ingenuas, Dives aristiferae segetis.

ĀRISTĪGER, a, um, id. q. aristifer, ἀθηροφόρος. *Vet. Inscr.* ap. *Murat.* 30, 3. Cereri almae, frugiferae, aristigerae, thesmophorae, etc.

[ĀRISTILLUS, i, m. diminut. aristi, ab ἄριστος, optimus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 757, 4. L. Marcius Aristillus. *F.*]

ĀRISTIPPĒUS, a, um, adj. ad Aristippum pertinens. *Cic. Fin.* 2, 6. Illud Aristippeum contemnere.

ĀRISTIPPUS, i, m. Ἀρίστιππος, philosophus ex Cyrene urbe Libyae in Africa, vel ex Larissa, ut *Plato* scribit *in Menone.* Posuit summum bonum in voluptate, quae sensum movet. Fuit princeps et auctor Cyrenaicorum et Anniceriorum. Primus Socraticorum mercede philosophatus est. *Cic. Fin.* 2, 6. Aristippus, qui voluptatem summum bonum dicit. *Hor. Ep.* 1, 1, 18. Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor. ℙ Fuit et alter Aristippus hujus nepos ex filia, *Matrodidactus* dictus, quasi *a matre doctus.* Hic in navigio a tempestate deprehensus timuit et expalluit, et interrogatus a quodam, quare philosophus timeret, cum ipse contra nihil timeret; festive respondit, non eandem sibi et illi causam esse, quoniam is non esset magnopere sollicitus pro anima nequissimi nebulonis, ipse pro Aristippi anima timeret. *Gell.* 19, 1.

*ARISTIUS, i, praenomine Marcus, tribunus militum Caesaris. *Caes. B. G.* 7, 42. *Cic. Fam.* 2, 18. ubi al. leg. *Aristo.* ℙ Fuit et Aristius Fuscus, Grammaticus et Orator, de quo *Hor. sat.* 1, 9, 61. V. et *od.* 1, 22. et *ep.* 1, 12. *B. A.*

ĀRISTO, onis, m. Ἄριστων, ονος, philosophus, Chius patria, discipulus Lysiae, et Zenonis, cognominatus est Scepticus, id est quaesitor, considerator, a σκέπτομαι, circumspicio, speculor, delibero. Nihil enim sciri putabat posse, sed de omnibus dubitabat et inquirebat. Neque formam Dei intelligi posse censebat, neque in Diis sensum esse dicebat, dubitabatque, omnino Deus animans, necne esset. Nihil bonum dixit esse, ut Stoici, nisi quod rectum et honestum esset. Praeterea rerum differentiam sustulit; ex. gr. dicebat, nihil interesse inter optime valere, et gravissime aegrotare. Idcirco tanquam naturam ipsam excludens, ab omnibus rejectus fuit. *Cic. N. D.* 3, 31. Si verum est, quod Aristo Chius dicere solebat, nocere audientibus, etc. *Id. Leg.* 1, 13. Sive Aristonis difficilem atque arduam, sed jam tamen fractam et convictam sectam secuti sunt. Alii fuere hoc nomine philosophi, Ceus, Cous, Pellaeus, etc.

*ARISTOBŪLUS, i, m. Ἀριστοβουλος, nobilis pictor, de quo *Plin.* 35, 11. *B. A.* [Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 729, 9. Sex. Rubrius Aristobulus. *F.*]

*ARISTOCLES, is, m. Ἀριστοκλῆς, pictor, pictoris Nicomachi filius ac discipulus. *Plin.* 35, 10. *B. A.* [Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Gud.* 317, 18. Claudia Ti. Claudii Aristocli (pro *Aristoclis* ut *Achillei* pro *Achillis*) filia *F.*]

*ARISTOCLĪDES, is, Ἀριστοκλείδης, nobilis pictor, pinxit aedem Apollinis Delphis. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

ĀRISTOCRĀTĬA, ae, f. ἀριστοκρατία, optimatum principatus, cum scilicet respublica non unius, neque omnium, sed optimatum tantummodo prudentia consilio et auctoritate geritur. Vox Graeca est, et Graece usurpanda, ab ἄριστος, optimus, et κράτος, imperium, vel κρατέω, imperium obtineo. Idem, quod ad usum attinet, dicendum de adj. *Aristocraticus*, Ἀριστοκρατικός, et de adverb. *Aristocratice*, Ἀριστοκρατικῶς.

[ĀRISTOCRĪTUS, i, m. optimus judex, ab ἄριστος, optimus, et κριτής, judex. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 783, 2. T. Flavio Aristocrito. *F.*]

*ARISTODĒMUS, i, m. Ἀριστόδημος, insignis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. ℙ Item pictor, pater ac praeceptor Nicomachi, pictoris insignis. *Id.* 35, 10. *B. A.* [Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 84. *n.* 148. Julius Aristodemus. *F.*]

*ARISTOGĪTON, onis, m. Ἀριστογείτων, et Harmodius, liberatores tyrannidis Pisistrati, quibus statuae in foro ab Atheniensibus positae. *Plin.* 7, 23. et 34, 8. Cf. *Thucyd.* 6, 56. seq. *Aelian. V. H.* 11, 8. *Herod.* 5, 55. *B. A.*

*ARISTŌLĀUS, i, m. Ἀριστόλαος, celebris pictor, Pausiae, celebris pictoris, filius. *Plin.* 35, 11. *B. A.* [Nomen servile. *Inscr.* ap. *Murat.* 1308, 13. Aurelia Secunda Aristolao marito. *F.*]

ĀRISTOLŌCHĬA, ae, f. ἀριστολοχία, et ἀριστολόχεια, (*Osterluzei*) herba est, cujus quatuor genera *Plin.* 25, 8, 54. enumerat: unum feminae, tuberibus radicis rotundis, foliis inter malvam et hederam, nigrioribus mollioribusque: alterum masculae, radice longa quatuor digitorum, baculi crassitudine: tertium longissimae tenuitatis, vitis novellae, (sarmentis) cujus sit praecipua vis: quae et clematitis vocatur; omnia colore buxeo, caulibus parvis, flore purpureo, et ferentia bacculas parvas, ut capparis. Quartum genus, quae et plistolochia dicitur, tenuior quam proxime dicta, densis radicis capillamentis, junci plenioris crassitudine. Latine *malum terrae* appellatur: Graece autem ideo aristolochia dicta est, quia optime opitulari creditur puerperis in partu: ab ἄριστος, optimus, et λοχὸς, gravida, vel τὰ λόχια, purgamenta partus. [*Aliam originem vocis tradit *Cic. Div.* 1, 10. aristolochia (quae nomen ex inventore reperit —); *Davis.* ad h. l. *aristolochiam serpentariam* a *Cic.* significari ait, coll. *Theophr.* 9, 22.] Habet praeterea alios quamplurimos in medicina usus. V. *Plin. l. c.* Adjective *Cic. Div.* 2, 20. *in f.* Scammoneam, aristolochiamque radicem.

*ARISTOMĀCHUS, i, m. Ἀριστόμαχος, Atheniensis, scripsit de vini apparatu. *Plin.* 14, 19. *B. A.* [Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 750, 13. P. Aelius Aristomachus. *F.*]

[ĀRISTOMĒNĒS, is, m. optimum animum habens, ab ἄριστος, optimus, et μένος, animus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Torremuzza Inscr. Sicil.* 181, 49. Aemilio Aristomeni. *F.*]

*ĀRISTON, ōnis, Ἄριστων, celebris statuarius et caelator, Mitylenaeus. *Plin.* 33, 12. et 34, 5. Adde *Gell.* 11, 18. ℙ Item pictor insignis, Ari-

stidis Thebani, nobilis pictoris, filius. *Id.* 35, 10. ℙ Ariston, philosophus, Chius. V. *Aristo. B. A.*

ĀRISTŌNEUS, a, um, adj. Ἀριστόνειος, ad Aristonem pertinens. *Cic. Fin.* 4, 15. Si omnino nos negligimus, in Aristonea vitia et peccata incidemus.

*ĀRISTŌNĪCUS, i, m. Ἀριστόνικος, Eumenis regis filius, Asiam invasit, et Pergamense regnum a Romanis Attalo donatum vi retinere conatus, Consulem Licinium Crassum vicit, sed anno post a Consule M. Perpenna superatus, in carcere strangulatus est. *Flor.* 2, 20. *Vell.* 2, 4. *Justin.* 36, 4. *Eutrop.* 4, 9. *B. A.*

*ĀRISTŌNĪDAS, ae, m. statuarius insignis. *Plin.* 34, 14. post init. *B. A.*

*ĀRISTŌNĪDES, ae, insignis pictor, de quo *Plin.* 35, 11. *B. A.*

ĀRISTŌPHĀNES, is, m. Ἀριστοφάνης, facetissimus poeta comicus, ex Lindo Rhodi oppido, lege vero Atheniensis, patre Phillo, al. Philippo. Atticae linguae splendore adeo excelluit, ut Dionysio roganti aliquem ejus sermonis eruditum, hunc miserint. Docuit Fabulas LIV. Fuit inventor versus tetrametri et octometri. Deos novos et peregrinos e civitate ejecit. Fuit maledicus, et in carpendis hominum vitiis liberrimus ac mordacissimus. Socratis aemulus fuit, quem exagitat et insectatur in *Nubibus*. Filios habuit Ararotem, Philaretum, comicos omnes. *Hor. Sat.* 1, 4, 1. Eupolis, atque Cratinus Aristophanesque poetae. ℙ [*Aristophanes Mallotes scripsit de re rustica. *Varr. R. R.* 1. ℙ Aristophanes, Byzantinus Grammaticus, temporibus vixit Ptolemaei Euergetae. Discipulus fuit Eratosthenis, et Aristarchi critici praeceptor. *Quint.* 1. et 10, 1. *Cic. Or.* 3, 33. *Fin.* 5, 19. et *Att.* 16, 11. *B. A.*] ℙ [Est etiam cognomen Romanum, ab ἄριστος optimus, et φαίνω, appareo, qui optimus videtur, optimati similis. *Inscr.* ap. *Murat.* 1255, 5. M. Herennius Aristophanes. *F.*]

ĀRISTŌPHĀNĒUS, a, um, adj. ad Aristophanem pertinens, Ἀριστοφάνειος. *Cic. Or.* 56. Ita factus est anapaestus is, qui Aristophaneus nominatur. V. ANAPAESTUS. ℙ Legitur et *Aristophanius*, ut Aristophanium metrum apud *Serv.* in *Centimetr.* p. 1818.

[ĀRISTŌPHĀNĪCUS, a, um, adj. ad Aristophanem pertinens. *Hieron. in Isaj. l.* 15. *c.* 54. *v.* 11. Ut possit illud Aristophanicum dicere cum Socrate: Ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον, quod nos in Latinum sermonem vertere possumus: *Scando aerem, solemque despicio. F.*]

*ĀRISTŌPHON, ontis, m. Ἀριστοφῶν, insignis pictor, de quo *Plin.* 35, 11. *B. A.* [Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 751. *n.* 583. T. Flavius Aristophon. *F.*]

ĀRISTŌPHŌRUM, inquit *Festus*, est vas, in quo prandium fertur, ut discus: nempe ab ἄριστον, prandium, et φέρω, fero.

ĀRISTŌRĪDES, ae, m. Ἀριστορίδης, adj. patronym. et significat Argum illum, qui centum oculis instructus appositus fuit a Junone custos Ius in vaccam conversae. Ejus enim pater fuit *Aristor* Crotopi filius. *Ov. Met.* 1, 624. Donec Aristoridae servandam tradidit Argo. *Scal.* in *castigationib. Catull. carm.* 65. errasse ait *Ovidium*, cum *Aristor* non hujus, sed alterius Argi pater fuerit, a quo Argo navis fabricata est. Hujus autem patrem fuisse *Agenorem*. ℙ Scribitur et *Arestor*, *Arestorides*. [*Ita melius habet, nam Graeci semper *Arestor*.]

ĀRISTŌSUS, a, um, adj. aristis abundans. *Venant. ep.* 9, 3. Ad hordeaceae frugis aristosa cibaria fastidioso nimium dente transire.

ĀRISTŌTĒLES, is, m. Ἀριστοτέλης, philosophus e Stagira urbe Macedoniae, unde Stagirites dictus est, filius Nicomachi medici ex Phaestiade. Fuit parvus, gibbosus, deformis, balbutiens. Sed excelluit ingenii magnitudine. Septendecim annos natus Athenas profectus est, ubi viginti annis Platonis se auditorem praebuit. Deinde a Philippo in Macedoniam evocatus, decem annis Alexandrum instituit, cui quam fuerit carus, vel illud abunde magno est argumento, quod Stagiram patriam ejus, quam diruerat, in gratiam ejus instauraverit. Alexandro deinde in Asiam profecto Athenas rediit, et in Lyceo tredecim annis philosophiam professus est. Fuit institutor Peripateticorum. Docebat enim deambulando, quod Graeci περιπατεῖν dicunt. Motus Isocratis gloria coepit eloquentiam tractare, et philophiam cum eloquentia conjungere. Fuit auctor disserendi de omnibus rebus in utramque partem. Multa scripsit, in quibus non dubitavit aliquando a Platone magistro suo dissentire. Denique accusatus, quod de Diis non recte sentiret, cedens invidiae abiit in Chalcidem, ibique reliquum vitae transegit. Alii alias mortis ejus causas narrant. Excessit aetatis anno 63. sub idem fere tempus, quo et Demosthenes. *Juvenal.* 2, 7. Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit. ℙ *Aristoteli* apud *Appul. Apol.* [*Cic. Att.* 13, 28. V. *A. Maj.* ad *Cic. Rep.* 1, 14. *B. A.*] est genitivus casus, ut *Achilli*. V. ACHILLES.

ĀRISTŌTĒLĒUS, ĀRISTŌTĒLĪCUS. V. v. seq.

ĀRISTŌTĒLĬUS et Aristoteleus, a, um, Ἀριστοτέλειος et Ἀριστοτέλιος, ad Aristotelem pertinens. *Cic. Or.* 3, 19. Aut vobis haec Carneadia, aut illa Aristotelia vis comprehendenda est. Et *ib.* 21. Aristotelio more. *Id. Att.* 2, 1. Aristotelia pigmenta. Al. hoc loco leg. *Aristotelica*. *Id. Fam.* 1, 9. *ad f.* Scripsi Aristoteleo more. *Id. ib.* 7, 19. Topica Aristotelea. Hic quoque alii *Aristotelica*.

[ĀRISTUS, i, m. ἄριστος, optimus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 256. *n.* 72. Flavius Aristus. *F.*]

ĀRISTOXĒNUS, i, m. Tarentinus, philosophus, medicus, musicus, discipulus Lampri, Zenophili, Aristotelis, cui morienti convicium dixit, quod sibi Theophrastum in scholae successione praeponeret. Excelluit in musicis. Posuit animum in harmonia corporis. *Cic. Or.* 3, 33., *Tusc.* 1, 10. et alibi.

ĀRITHMĒTĪCA, ae, f. ἀριθμητική (subaudi ars, nam revera adjectivum est) est scientia tractans de numeris, et supputandi ratione: ab ἀριθμός, numerus. *Sen. ep.* 88. Numerare me docet arithmetica, et avaritiae commodare digitos. *Vitr.* 1, 1. Per arithmeticen sumptus aedificiorum consummantur, mensurarum rationes explicantur. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 8. Omnibus litteris eruditus, praecipue arithmetice et geometrice.

ĀRITHMĒTĪCUS, a, um, adj. ἀριθμητικός, ad numeros pertinens, seu ad arithmeticam artem. *Vitr.* 10, 16. Nisi qui arithmeticis rationibus numeros, et multiplicationes habent notas, *h. e.* regulis arithmeticae. ℙ *Arithmetica, orum*, τὰ ἀριθμητικά, idem sunt ac scientia arithmetica. *Cic. Att.* 14, 12. *in f.* Homo remotus a dialecticis, in arithmeticis satis exercitatus. ℙ *Arithmeticus, i*, qui arithmetica callet. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 2.

ĀRITHMUS, i, m. ἀριθμός, Graeca vox numerum significans. *Tert. adv. Marc.* 4, 23. et 28. appellat *Arithmos* eos libros Sacrae Scripturae, qui Latine *Numeri* inscribuntur.

[ARITHRILLIS, idis, f. herba eadem ac mercurialis apud *Appul. Herb.* 82. *F.*]

[ARITIENSIS, se, adj. ad Aritium [*Aritium Praetorium, *Anton. Itin.*] pertinens, Lusitaniae oppidum a *Ptol.* memoratum *l.* 2. *c.* 5., nunc *Benavente*. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 673. *n.* 13. Jusjurandum Aritiensium, *h. e.* eorum, qui Aritium incolunt. *F.*]

ĀRĪTŪDO, inis, f. ξηρασία, ariditas, siccitas. *Pl. Rud.* 2, 6, 39. O scirpe, scirpe, laudo fortunas tuas, qui semper servas gloriam aritudinis. *Varr.* ap. *Non.* 2, 23. Frigus calore atque humore aritudinem miscet. Haec verba ipse *Varro* habet *L. L.* 4, 10., quae *Scalig.* putat esse *Ennii*. Adde *R. R.* 1, 12.

*ARIVĀTES, um, populi Pannoniae. *Plin.* 3, 25. *B. A.*

ĀRĪUS. V. AREUS. ℙ Arius est etiam nomen proprium cujusdam haeresiarchae, Graece Ἄρειος. Sunt qui scribunt *Arrius*, paenultima etiam correpta. *Prud. Psychom.* 794. Hac sese occultant Fotinus et Arrius arte. *Arator. Act. Apost.* 1, 5, 444. fusa ruit Arrius alvo. Neuter tamen est imitandus. Nam *Arrius* duplici *rr*, et paenultima correpta est nomen proprium Romanum, de quo non una affert antiqua monumenta *Manut. Orthogr.*, ubi tamen addit, etiam Arrius unico *r* legi in duob. antiq. lapidibus. ℙ [*Est et *Arius, i*, nomen fluvii per Ariam regionem perfluentis. *Plin.* 6, 23. *Arias* audit *Ammian.* 23. *sub f. B. A.*]

ĀRĪUSIUS. V. ARVISIUS.

*ARLAPE, oppidum Norici. *Anton. Itin.* ℙ Hinc ARLAPENSIS, e, adj. ut *Arlapensis classis* in *Notit. Imper. B. A.*

ARMA, orum, n. plur. ὅπλα, instrumenta, quibus utuntur homines in bello, ut corpus adversus hostium ictus muniant, vel ut hostes laedant. Prioris generis sunt galea, lorica, cassis, ocreae, scutum, etc. [*Liv. 1, 43. arma his imperata, galea, clypeum, ocreae, lorica, omnia ex aere. Cf. *Virg. A.* 2, 734. *Ib.* 7, 10. versicolori veste, pictisque et auro caelatis refulgens armis.], secundi gladius, hasta, telum, sagittae, etc. *Serv.* ad *A.* 4, 495., *Festus* et *Isid.* 18, 5. derivant ab *armus*, eo quod arma vel humeros tegunt, ut lorica et scutum, vel ab humeris pendent, ut gladius. *Varr. L. L.* 4, 24. deducit ab arcendo. Proprie enim videntur significare ea quibus tegimur, ut lorica et scutum. *Virg. A.* 10, 841. At Lausum socii exanimem super arma ferebant. *Albinov.* 1, 235. periit arma inter et enses. *Colum.* 12, 3. Seorsum arma ac tela seponere. [*Liv. 1, 25. agitatio anceps telorum armorumque.] *Sall. Cat.* 43. Armorum atque telorum portationes. [*Al. 42, 2. Cf. ad h. l. *Cort.* et quos laudat *Salm.* et *Popma*. Ac sane haec loca verum discrimen ostendunt. Sed etymologia *Varr.* nulla est. Derivantur enim *arma* rectius a Gr. etymo ἄρω, i. e. apto, adapto. Hinc etiam intelligitur, cur *arma* proprie significarint ea instrumenta, quibus nos defendimus, et inprimis *clypeum*, (V. *Gutberlet de Saliis* p. 67. *Beier.*) quo interdum solo utebantur. *Virg. A.* 12, 491. colligere se in arma, i. e. se occultare pone clipeum. Ceterum cf. *Gloss. Liv.*, ubi locos Livianos, qui huc faciunt, collectos et explicatos repe-ries; et *Heyn.* ad *Virg. A.* 1, 118.] ℙ Saepius tamen pro omni armorum genere usurpantur. Nam ut docet *Caj. Dig.* 50, 16, 41. armorum appellatio non tantum utique scuta et gladios et galeas significat, sed et fustes et lapides. [*Quod addit „*lapides*“, id non omnino verum est. Nam etsi recte habet, dici arma de iis quoque instrumentis, quibus invadimus aliquem; tamen nonnisi de rebus dicitur, quae manu tenentur, i. e. quibus cominus pugnatur, ὅπλα ἀγχέμαχα. *Telum* autem, βέλος, ea significat, quibus eminus pugnatur, ὅπλα τηλέβολα. Haec docet *id. Caj. Dig.* 50, 17, 233. qui locus totus conferendus est. Disseruit de eo pluribus *Brem.* ad *Nep. Dat.* 11, 3. qui *Caji* locum laudat et interpretatur.] *Cic. Caec.* 21. Arma alia ad tegendum, alia ad nocendum. *Id. Rabir. perd.* 7. Capere arma. *Id. Tusc.* 2, 24. sumere. *Virg. A.* 6, 184. Accingi armis. [*Tac. H.* 1, 36. complecti aliquem armis. V. intpp. ad h. l.] *Ov. Met.* 14, 798. Induere arma. [*Liv. 5, 49. aptare. *Id.* 26, 51. curare et tergere.] *Cic. Fam.* 6, 2. deponere aut abjicere. *Id. Off.* 3, 22. Decertare armis cum hoste. *Nep. Milt.* 1. Dimicare armis cum aliquo. [*Armis* cur additum sit recte explicat *Brem.* ad h. l.] *Vell.* 2, 56. Ferre arma contra aliquem. *Id. ib.* 85. submittere. *Nep. Amilc.* 1. *in f.* tradere. *Caes. B. G.* 1, 49. Esse in armis, [*i. e. bellare. *Suet. Caes.* 69.] *Caes. B. C.* 1, 42. Conquiescere tota nocte sub armis. *Plin.* 6, 19, 22. Habere L. millia peditum in armis. *Tac. A.* 11, 16. Armis equisque exercitus. *Virg. A.* 8, 80. Instruere aliquem armis. *Sen. Troad.* 775. Tractare arma. *Virg. A.* 7, 235. Bello et armis experiri aliquem. *Vulcat. Avid. Cass.* 6. Ludere armis, *h. e.* armis se exercere. [*Quint. 10, 5, 20. arma decretoria, i. e. pugnatoria, ut loquitur *Suet. Cal.* 54. Opponuntur arma lusoria (rudes etc.) apud *Senec. Ep.* 117. Scilicet gladiatores gravioribus armis discunt, quam pugnant, auctore *Senec. contr. praef. lib.* 4. *Quint.* l. l. et 6, 4, 6. metaphorice his vocibus utitur. Cf. *Spald.* et *Frotscher. Ammian.* 15, 5. armorum magister fuit hoc tempore dignitas quaedam, i. e. magister militum. Cf. 27, 12. *Id.* 25, 8. armorum magister per Gallias. Cf. ARMATURA. ℙ Saepenumero ponitur abstractum pro concreto, i. e. *arma* pro *armatis*. *Liv.* 22, 37. levium armorum auxilia (nonn. codd. *armatorum*). V. *Drak.* ad h. l. et 43, 18, 4. *Id.* 35, 35, 9. in armis decurrere. Sic Gr. ἐν ὅπλοις pro ἔνοπλος. Cf. *Gloss. Liv. Prop.* 4, 2, 52. arma feri Tatii; cf. *Burm.* ad 3, 11, 51. *Liv.* 41, 12. nulla usquam apparuerunt arma; ac saepissime apud omnes scriptores. Eodem modo pro ipso *exercitu* dicuntur. *Tac. A.* 1, 2. arma Lepidi et Antonii cesserunt in Augustum. *Id. H.* 2, 32. Hispanias armis non ita redundare. *Liv.* 21, 26, 6. obtinere armis. Cf. *Drak. Id.* 9, 9. nostro supplicio liberemus Romana arma.] ℙ *Ad arma* vox est incitantis ad arma capienda. *Liv.* 3, 15. Alternae voces, ad arma, et, hostes in urbe sunt, audiebantur. *Caes. B. C.* 1, 69. Conclamatur ad arma, atque omnes copiae exeunt. [*Etiam simpliciter *arma*, *arma!* Permulta exempla e poetis collegit *Heins.* ad *Sil.* 11, 133.] ℙ Saepe *arma* capiuntur pro bello. *Cic. Att.* 7, 3. Armorum exitus semper incerti. *Id. Phil.* 6, 4. Propter aes alienum venire ad arma. *Id. Fam.* 14, 5. Res spectat ad arma. *Vell.* 2, 57. Principatum armis quaesitum, armis tenere. *Nep. Ann.* 2. Inferre arma Italiae. [*Liv. 3, 14. ab externis armis otium fuit. *Cic. Fam.* 2, 16. arma civilia. *Hor. Od.* 4, 14, 52. arma componere. *Tac. A.* 12, 32. coeptare. *Liv.* 30, 14. aliquem in arma agere praecipitem.] *Cic. Phil.* 8, 11. Discedere ab armis. *Id. Ligar.* 3. *in f.* Esse in armis. *Liv.* 45, 3. Denunciatione armorum terrere urbes. Et *ib.* 20. Avocare aliquem ab armis. *Virg. A.* 6, 612. Sequi arma. *Id. ib.* 815. Movere viros in arma. [*Liv. 7, 29. adversus Sabinos mota arma. *Id.* 21, 5. *Id.* 4, 45. Aequorum jam velut anniversariis armis assuerat civitas. Bene ad h. l. monet *Ern.* in *Gloss.* ideo arma dici pro bello, quoniam olim perpetuus miles non fuerit, nec arma prius, quam sub initium belli sumta sint. Quare sibi opponuntur *Liv.* 3, 35. pace — armis.] *Virg. A.* 9, 22. Vocare in arma. *Cic. Rabir. perd.* 7. Vocare ad arma. [*Liv. 9, 32. (42, 2.) ire ad arma, ut *Cic. Phil.* 14, 1. ire ad saga.] *Virg. A.* 2, 87. Mittere aliquem in arma. [*Tac. H. 2, 1. arma bellumque. *Liv.* 3, 69. arma et bellum spectare. V. alia apud *Drak.* ad h. l. *Id. Epit.* l. 79. per vim atque arma. V. *Drak.*] Et in specie pro proelio. *Virg. A.* 2, 337. In flammas et in arma feror. Adde *v.* 655. ℙ Translate *arma* dicuntur ea omnia, quibus utimur vel ad muniendum, vel ad laedendum. *Virg. A.* 12, 6. Tunc demum movet arma leo. *Id. Cul.* 176. de serpente: naturae comparat arma. *Ov. Met.* 15, 471. Horrificum contra Borean ovis arma ministrat, i. e. vestes. ℙ Hinc etiam illa, quibus nitimur, et quorum fiducia aliquid agimus. *Cic. Or.* 1, 38. Armis prudentiae defendere causas. *Id. Sen.* 3. *ad f.* Aptissima sunt arma senectutis, artes exercitationesque virtutum. *Id. Har. resp.* 4. *ad f.* Arripere arma judiciorum

et legum. *Virg. A.* 2, 98. hinc spargere voces In vulgum ambiguas, et quaerere conscius arma, *h. e.* fraudes, vel dolos, ut *Serv.* exponit. *Quint.* 2, 16. Arma facundiae. [**Petr. Sat.* 5. quatiat Demosthenes arma; et *Burm.* ad h. l. p. 23. sq.] ℙ Praeterea *arma* dicuntur multarum artium instrumenta. *Virg. G.* 1, 160. Dicendum et, quae sint duris agrestibus arma, Queis sine nec potuere seri, nec surgere messes. *Id. A.* 1, 181. Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma Expediunt, *h. e.* instrumenta panis conficiendi. *Id. ib.* 5, 15. Colligere arma jubet, validisque incumbere remis, *h. e.* vela, rudentes, et alia ad naves pertinentia. *Id. ib.* 6, 353. Navis spoliata armis, *h. e.* gubernaculo. [**Ov. A. Am.* 2, 50. Nescius (Icarus) haec humeris arma parata suis; *alas* intelligit, sed simul alludit ad navium arma.] *Mart.* 14, 36. Tondendis haec arma tibi sunt apta capillis. [**Liv.* 35, 23. arma equestria, i. e. armamenta, quibus opus est ad equum regendum et exornandum.] ℙ *Armis et castris*, omni conatu, ut *viris equisque, remis velisque. Cic. Off.* 2, 24. Armis et castris tentata res est ab omni genere hominum. ℙ Denique *arma* sumi posse videntur pro insignibus nobilium domuum, quae plerumque armis insculpta esse solent. Antiquus enim est mos ille figendi arma ante januas. *Virg. A.* 1, 247. Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit Teucrorum, et genti nomen dedit armaque fixit Troia. [*Cf. 4, 490.] *Id. ib.* 5, 360. clypeum Danais de poste refixum. Adde *Hor. Ep.* 1, 1, 4. Praeterea *Tiraquell. de nobilit. c.* 6. *n.* 19. quatuor affert *Virgilii* locos *A.* 1, 187., 3, 469., 6, 507. et 10, 80., in quibus *arma* pro insignibus accipi posse putat. Sunt tamen ea loca ejusmodi, ut nihil inde certi conficiatur. [*Omnino. Etenim in omnibus his locis proprie h. v. utuntur. Arma enim in templis suspendebant et Diis dedicabant. V. *Burm.* ad *Calpurn. Fl. Decl.* 15. p. 811. et intpp. ad locos allatos.] ℙ *Armum* pro *armorum* dixit *Pacuvius* ap. *Cic. Or.* 46. et *Accius* ap. *Non.* 9, 1., sed *Cic.* improbat. ℙ [*Permutantur *arma* et *anni*, *Drak.* ad *Liv.* 6, 38, 1. maximeque ad *Sil.* 2, 94. et quos ad h. l. laudat. — et *animi*, *id.* ad *Liv.* 22, 5, 8. — et *arva*, *Drak.* ad *Sil.* 4, 295. 9, 383. et *Heins.* ad *Ov. Fast.* 2, 195. — et *ora*, *Broukh.* ad *Prop.* 3, 11, 53. 4, 4, 32. *Drak.* ad *Sil.* 4, 166. — et *parma*, *Liv.* 25, 18, 15.]

*ARMALCHAR, i. e. flumen regium, Euphratis fluvii cornu seu excursus. *Plin.* 6, 26. Ἀρμαχάλης audit *Eusebio*, et *Naarmalcha* (Hebraeis נהר מלכא) *Ammian.* 24, 21. et Ναρμάχα *Isid. Charac.* et Ναρμαλάχης *Zosimo. B. A.*

ARMAMAXA, ae, f. genus lecticae seu sellae gestatoriae undique clausae, quae apud Persas praecipue in usu fuit. *Curt.* 3, 3. Quindecim inde, quas armamaxas appellant, sequebantur: in his erant liberi regis et qui educabant eos. *Tert. Spect.* 7. indicat etiam in sacris pompis armamaxas locum habuisse. ℙ Quidam scribunt *harmamaxa*, eo quod Graece spiritu aspero notetur, ἁρμάμαξα. Alii sine aspiratione scribendum putant, ducuntque ab ἅμαξα, currus, et ἄϊρω, tollo, subveho, quod humeris hominum tollatur: tametsi alii docent mulis junctis trahi solitam. [*V. Lexx. Grr.]

ARMAMENTA, orum, n. plur. ἐργαλεῖον, σκεῦος, collectio instrumentorum, quibus in aliqua arte utimur. Hinc *armamenta navium* sunt remi, vela, ancorae, rudentes, antennae et alia, quibus navis instruitur. *Suet. Aug.* 17. Navis, in qua vehebatur, fusa armamenta et gubernaculum diffractum. *Pl. Merc.* 1, 2, 80. Complicare et componere armamenta. *Ov. Met.* 11, 456. Aptarique suis pinum jubet armamentis. Adde *Cic. Arat.* 197. [**Liv.* 21, 49. *tollere* armamenta (veniebant sublatis armamentis, i. e. elatis velis antennisque) cui opp. *ib. demere* armamenta, i. e. contrahere vela.] ℙ Interdum tamen vela *armamenti* nomine non comprehenduntur. *Caes. B. G.* 3, 14. Cum omnis Gallicis navibus spes in velis armamentisque consisteret. *Sen. Ben.* 6, 15. Stringere vela, demittere armamenta. *Liv.* 36, 44. Vela contrahit, malosque inclinat, et simul armamenta componens opperitur insequentes naves. Apud *Eund.* 21, 49. *ad f. et* 33, 48. *ad f.* vela et antennae *armamenta* sunt. ℙ *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 2. vocat *armamenta* pilum, et pilam quibus grana teruntur. Sic *armamenta vinearum* appellat pedamenta et vincula, quibus vites sustinentur 17, 21, 35. ℙ Denique *armamenta ad inclusos cantus* apud *Eund.* 16, 36, 66. ubi de arundinibus loquitur ad tibias aptis, sunt ipsae tibiae, quae sunt instrumenta, quibus sonus in iis inclusus variatur.

ARMAMENTARIUM, ii, n. ὁπλοθήκη, repositorium armorum, et fere navalium: quale fuit illud, quod Athenis Philon aedificavit mille capax navium, ut apud *Plin.* 7, 37, 38. legitur; quale item amplissimum illud, quod hodie Venetiis cernitur. *Cic. Rabir. perd.* 7. Ex aedificiis armamentariisque publicis arma populo dare. Adde *Liv.* 31, 23. [**Id.* 26, 51. 28, 35. *Cic. Har.* 14. armamentarium Telluris. Hinc per jocum *Juven.* 13, 83. armamentaria coeli.] *Inscr.* ap. *Fea*, *Var. di not.* p. 87. C. Vedennius C. F. qui Moderatus Antio..... architectus armament. imp., *h. e.* armamentarii imperatoris Vespasiani, vel Domitiani. *Sen. Tranq.* 3. Qui armamentario praeest. — [*Ultima addidit *F.*]

ARMAMENTARIUS, a, um, adj. ad armamentarium pertinens, seu ad curam armorum. *Inscr.* ap. *Grut.* 253, 5. Tito Aelio Hadriano Pio Trib. Pot. Cos. Des. II. scribae armamentarii posuerunt. Alia *ib.* 100, 7. C. Aquilius C. F. Cla. Mela ex decuria armamentaria. Haec Juliae Concordiae erat, ibi enim sagittae, Veronae scuta, Mantuae loricae fiebant.

ARMARIOLUM, i, n. parvum armarium. *Pl. Truc.* 1, 1, 33. Aut empta ancilla, aut aliquod vasum argenteum, aut armariola Graeca, etc. ℙ De repositorio librorum. *Sidon. ep.* 8, 16. Per armariola et zotheculas nostras non remanserunt digna prolatu. Adde *Hieron. in Matth.* 3, 21.

ARMARIUM, rii, n. σκευοθήκη, capsa, arca, repositorium in quo nummi, vasa, libri aliaque reconduntur. *Cic. Cluent.* 64. Cum esset in aedibus armarium, in quo sciret esse nummorum aliquantum, et auri, noctu armarii fundum exsecuit. *Petr. Sat.* 29. Grande armarium in angulo vidi, in cujus aedicula erant Lares argentei positi, Venerisque signum marmoreum et pyxis aurea non pusilla. *Pl. Capt.* 4, 4, 10. Recludere armarium. [*Interpretatur *Turn.* bene h. l. de promtuario cibi, panis etc.] *Vitr. Praef.* 7. Educere volumina ex armariis. *Cato R. R.* 11. Armarium promptuarium. *Hieron. ep.* 22. ad *Eustoch. n.* 32. Stipare armaria vestibus. *Plin.* 29, 5, 32. Senectus anguium reposita in arcis armariisque tineas necat. *Arcae* et *armaria* figura differunt: *arcae* enim depressiores sunt et humi collocantur; *armaria* altiora et plures in se velut arculas pluteosque continent. *Paul. Dig.* 33, 10, 3. Capsas et armaria librorum aut vestium aut armorum gratia parata. *Armaria* et *capsae* in eo differunt, quod capsae plerumque parvae sunt, et mobiles; *armaria* etiam capaciora et aedium parietibus interdum affiguntur, ut tolli non possint. *Vopisc. Tacit.* 8. Habet bibliotheca Ulpia in armario sexto librum etc. [*Est etiam i. q. ἀρχεῖον, tabularium publicum. V. *Gutberlet de myster. Cabir.* p. 139. *Beier.*] ℙ *Armarium muricibus praefixum*, in quo Attilium Regulum inclusum fuisse scribit *Gell.* 6, 4., fuit instrumentum in modum arcae, habens infixos tribulos ferreos aculeatos etc. ℙ *Armarium distegum* inter loca sepulcralia recensetur in quadam *Inscr.* ap. *Grut.* 383, 4., et videtur fuisse cella condendis corporibus defunctorum comparata, vel potius ipsum monumentum in duas partes, veluti in duas contignationes divisum.

*ARMATOR, oris, m. ὁπλιστής *Gloss. Cyrill. B. A.*

ARMATURA, ae, f. ὁπλισμός, habitus armorum, vel ipsa arma. *Cic. Fam.* 7, 1. Armatura varia peditatus et equitatus. *Id. Att.* 6, 1. Dejotarus habet cohortes nostra armatura. *Caes. B. G.* 2, 10. Numidae levis armaturae. Et absolute *levis armatura* ponitur pro militibus leviter armatis, in quorum numero sunt ferentarii, sagittarii, funditores, ballistarii, ut *Veg. Mil.* 2, 2. docet. Hi enim missilia tantummodo leviora, brevesque parmas et gladios habent. *Cic. Phil.* 10, 6. *extr.* Nostrae sunt legiones, nostra levis armatura, noster equitatus. *Id. Brut.* 37. Equites, pedites, levis armatura. *Id. Div.* 2, 10. Excursio levis armaturae. Contra *armatura gravis* sunt milites gravioribus armis utentes, ut sunt legionarii, quorum arma sunt scutum, ensis, pilum, verutum, praeterea galea, lorica, ocreae aliaque gravis ponderis. *Liv.* 26, 5. Magna parte impedimentorum relicta in Brutiis et omni graviore armatura. Adde *Veg. l. c.* 15. ℙ Etiam *armatura* absolute pro cujusdam generis militibus ponitur. Hinc *armaturae duplares* dicti sunt milites, qui binas annonas consequebantur, *simplares*, qui singulas, ut legitur apud *Veg.* 2, 7., ubi per *armaturas* intelligit milites juniores levis armaturae, ut colligitur ex *Eod.* 2, 15. et 17. et 3, 14., et observat *Stewech. Inscr.* ap. *Mur.* 801, 8. D. M. L. Calpurnii veteran. Leg. II. L. Calpurnius Armoriotius Comitatus armatura Leg. ejusdem. Hinc *tribuni armaturarum* legitur apud *Ammian.* 14, 11., et *rectores armaturarum*, 15, 4. Est tamen advertendum, non easdem esse apud *Ammian.* et apud *Veg.* armaturas. Nam *Vegetius* intelligit milites juniores exercitus leviter armatos, ut modo dictum est. *Ammian.* vero intelligit milites ex comitatu imperatoris, qui erant sub magistro officiorum, et dividebantur in armaturas juniores et seniores: videturque nomen habuisse ex eo, quod peculiari armaturae insignioris genere armati essent. At *armaturae* apud *Veg.* dicti sunt ex eo, quod armatura appellatur etiam ab *eod. Veg.* 1, 13. et 2, 23. exercitium militare, quo hujusmodi milites militarem artem a campidoctoribus docentur. *Salm.* ad *Spartian. Hadrian.* 26. docet non omne militare exercitium *armaturam* dici, sed illud solum, cum milites omnes armati sub signis decurrentes in campo proludunt, et verae pugnae simulacrum edunt: esse autem *exercitium armorum* cum singuli milites arma tractare discunt. De hac *armatura* multa disserit etiam *Vales.* ad *Ammian.* 14, 11. ℙ Sed et *Suet. Tit.* 8. appellat *armaturam Thracum* genus pugnae, qua gladiatores ii pugnabant, qui Thraces seu Threces dicebantur [*nos dicimus: *eine Waffenart.*]

ARMATUS, us, m. idem quod armatura. *Liv.* 37, 40. Eodem armatu Cares et Cilices mille et quingenti. et *ib.* 41. Toto fere gravi armatu. *Front. princ. hist.* Ne armatu quidem sustinendo adsueti milites. ℙ Extra ablativum casum exempla nondum vidimus.

ARMATUS, a, um, part. v. *armo*, ὁπλισμένος, arma habens. *Cic. Caec.* 21. Armatos, si Latine loqui volumus, quos appellare vere possumus? opinor eos, qui scutis telisque parati ornatique sunt. *Sen. Ben.* 5, 4. Tam tibi par sum, quam multis armatissimis nudi aut leviter armati. *Virg. A.* 9, 678. Armatus ferro. *Ov. Met.* 2, 848. Dextra Jovis armata trisulcis ignibus. *Prop.* 2, 9, 9. Manus armata sagittis. *Tibull.* 1, 4, 8. Priapus armatus falce. *Curt.* 3, 2. Armati bipennibus levibusque scutis. *Plin.* 8, 25, 37. Armatus unguibus. *Id.* 11, 37, 45. Armatus cornu. *Virg. G.* 1, 255. Classes armatae. *Ulp. Dig.* 43, 15, 1. Vi armata uti adversus aliquem. *Id. ib.* 47, 12, 3. *ad f.* Manu armata aggredi aliquem. ℙ *Armatum concilium*, in quo consultaturi conveniunt ferro et armis instructi: qui mos fuit Gallorum, quoties de re gravissima ageretur, ut videre est apud *Caes. B. G.* 5, 54. et *Liv.* 21, 20. ℙ *Armata Venus* culta est a Lacedaemoniis, ut est apud *Quint.* 2, 4. Estque de ea lepidum *Ausonii* epigramma 42. et 43. Causa hujus ritus editur a *Lactant.* 1, 20. *a med.*, quod cum Lacedaemonii Messenios obsiderent, et illi furtim deceptis obsessoribus egressi ad diripiendam Lacedaemonem cucurrissent, a Spartanis mulieribus fusi fugatique sunt etc. Propter hujus facti memoriam aedem Veneri armatae simulacrumque posuerunt. ℙ *Armati anni* dicuntur, qui aguntur inter arma, bellum gerendo. *Sil.* 11, 591. Ut longa imperia, atque armatos proroget annos. [**Armatae preces* quae sint, explicat ipse *Cic.* verbis Platonis ad *Att.* 9, 13. αἱ τῶν τυράννων δεήσεις οἶσθ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις. cf. *Ov. Met.* 2, 397.] ℙ *Armati orum*, sunt homines armati, ὁπλῖται. *Nep. Dion.* 9. Navem armatis ornare, *Id. Milt.* 5. Decem millia armatorum. Adde *Liv.* 37, 28. *ad f.* et 42, 51. ℙ Translate *armatus* est instructus, munitus, tectus. *Cic. Agr.* 2, 32. Urbs armata muris. *Virg. A.* 12, 856. Sagitta armata felle veneni. *Cic. Dom.* 55. Incredibili audacia armatus. *Id. Phil.* 7, 9. Erecti, citati, parati, armati animis esse debemus. *Plin.* 11, 17, 17. Armatus majestate. *Sil.* 11, 206. Armatum fide pectus. *Id.* 1, 188. Mens armata dolis. [**Liv.* 4, 53. Consul hoc decreto armatus. *Aur. Vict. de Vir. Ill.* 73. Marius Senatus consulto armatus; et *Arntzen.* ad h. l. et V. sub ARMO. *Armati* et *arma* saepe a librariis permutantur. V. ARMA.] ℙ *Armatus* adjectivum ab *armus* deductum. *Festus:* Armata dicebatur virgo sacrificans, cui lacinia togae in humerum erat rejecta. *Scalig.* ad hunc locum docet, virginem sacrificantem intelligendam esse maximam virginem Vestalem, quae in veteribus nummis visitur saepe habitu togae pone rejectae et disco libatorio dextra vinum invergens.

*ARMENDON, insula prope Cretam, promontorio Sammonio objecta. *Plin.* 4, 12, 20. *B. A.*

*ARMENE, es, f. Ἀρμένη et Ἀρμένη, Paphlagoniae vicus aut oppidulum, cum portu. *Plin.* 6, 2. *Mela* 1, 19. *med. B. A.*

ARMENIA, ae, f. Ἀρμενία, regio Asiae inter Taurum et Caucasum montes sita, et a Cappadocia ad Caspium mare usque protensa. Appellata est ab Armeo seu Armenio Thessalo Iasonis comite, ut inquit *Strabo*, vel ab Armeno quodam Rhodio, ut ex Antipatri sententia tradit *Steph.* Duplex est, major scilicet et minor. Major *Turcomania* et *Curdistan*, fere tota sub dominio Turcarum est ultra Euphratem. Minor *Anatoli*, tota paret Turcis et est inter Cappadociam ad Occ. et Sept., Euphratem fluvium ad Or., Syriam et Ciliciam ad Austr. *Plin.* 6, 9, 9. Hinc *Lucan.* 2, 638. populos utraque vagantes Armenia.

ARMENIACUS, a, um, adj. ad Armeniam pertinens. Ἀρμενιακός. *Plin.* 30, 2, 6. Armeniacus triumphus. *Id.* 7, 39, 40. Armeniacum bellum. ℙ *Armeniacus* cognominatus est M. Aurelius Antoninus philosophus una cum collega L. Aurelio Vero ob res prospere gestas in Armenia adversus Parthos, ut est apud *Capitol. M. Antonin. philos.* 9. et *Inscr.* ap. *Grut.* 253, 2. et 260, 2. ℙ *Armeniacum malum*, quod et *Armeniacum* absolute dicitur, μῆλον Ἀρμενιακόν, (*Apricose*) fructus arboris Armeniacae, (quae et *Armeniaca*, *ae*, absolute) ita appellatum quod ex Armenia primum advenerit, medius est inter persicum et prunum. Osse enim ad prunum, carne ad persicum accedit: est etiam pruno rotundior, persico minor: nisi quod insitione cultus in majorem molem excrescit. *Colum.* 5, 10. Sorbi quoque et armeniaci et persici non minima

est gratia. *Id.* 11, 2. *sub f.* Possunt etiam his diebus cerasi et tuberes et armeniacae ceteraeque arbores, quae primae florent, inseri commode. Adde *Plin.* 15, 13, 12.

*ARMENITA, ae, fluvius Etruriae, in mare Tuscum influens, ubi Forum Aurelii situm. *Tab. Peut. Arnina* est *Itin. marit.* hodie autem *Fiore. B. A.*

ARMĒNIUM. V. in v. seq.

ARMĒNIUS, a, um, adj. Ἀρμένιος, ad Armeniam pertinens. *Cic. Att.* 2, 7. Armenii reges. *Virg. Ecl.* 5, 29. Armeniae tigres. quia scil. in Armenia abundant. *Nep. Dat.* 8. Decem millia peditum Armeniorum. *Flor.* 4, 2. Armenios triumphos in Pompejanis theatris cantare. *Varr. L. L.* 4, 20. Armenia lingua. ℙ *Armenii, orum*, sunt populi Armeniae, Ἄρμενοι. *Mart.* 5, 59. Numquid apud Parthos Armeniosque latet? *Ov. Trist.* 2, 227. Nunc petit Armenius pacem. ℙ *Armenium, ii*, Ἀρμένιον, genus pigmenti caerulei (n. *Bergblau*), ex quodam lapide fit ex Armenia advecto, ut *Plin.* 35, 6, 12. docet. *Varr. R. R.* 3, 2. Nuncubi vides hic citrum aut aurum? num miniam aut armenium? Adde *Vitr.* 7, 5. *ad f.* Multa de hoc *Salmas. Ex. Plin.* ad *Solin.* p. 1152. ℙ Est etiam id. q. Armeniacum malum. *Colum.* 10, 404. Armeniisque et cereolis prunisque Damasci calathi. *Pallad.* 12, 7. *ante med.* Armenia prunis melius adhaerescunt.

*ARMENOCHALYBES, um, populi Asiae ulterioris, in Iberia. *Plin.* 6, 10. *B. A.*

ARMENTĀLIS, le, adj. ad armentum pertinens, ἀγελήτης, ἀγελαῖος. *Virg. A.* 11, 571. Armentalis equa, *h. e.* quae inter armenta feturae causa pascitur, ut *Serv.* exponit. *Symm. ep.* 6, 17. Reliquias longe aegritudinis armentali lacte depellere. *Prud. Cath.* 7, 166. Armentales viri, *h. e.* qui armenta curant. *Id. tetrastich.* 4. Armentale culmen, *h. e.* casa pastoralis. *Sidon. ep.* 2, 2. *a med.* Camena armentalis fistulae septiforis, *h. e.* qua pastores canunt. Adde *Calpurn.* 1, 29.

ARMENTĀRIUS, a, um, adj. ad armenta pertinens, ἀγελαῖος. *Solin.* 5. *post med.* Unguentum medicum contra armentarios morbos. *Appul. Met.* 7. Armentarius equiso, *h. e.* custos armenti equarum. ℙ *Armentarius, ii*, absolute est armenti custos. *Lucr.* 6, 1250. Praeterea jam pastor et armentarius omnis. *Varr. R. R.* 2, 5. *ad f.* Armentarium meum crebro, ut aliquid legat, curo. *Virg. G.* 3, 344. Armentarius Afer. ℙ *Armentarius* cognomento dictus est Galerius Maximianus imperator, quia ortus erat ex parentibus agrariis, et pastor armentorum fuerat, ut est apud *Aur. Vict. Ep.* 40.

ARMENTĪCIUS et Armentitius, a, um, adj. id. q. armentalis, ἀγελαῖος. *Varr. R. R.* 2, 5. Pecus armenticium sic contuendum, lactentes cum matribus ne cubent. *Id. ib.* 10. Greges armenticii et caprini, quibus rupes ac silvae ad pabulandum cordi.

ARMENTĪVUS, a, um, adj. armentalis, armenticius. *Plin.* 28, 17, 68. Fimi taurini maxime, sed et bubuli; de armentivis loquor etc. Quidam leg. *armentinis*, sed minus recte.

ARMENTŌSUS, a, um, adj. armentis abundans. *Gell.* 11, 1. Italia armentosissima.

ARMENTUM, i, n. ἀγέλη, majorum bestiarum grex. *Fest.* et *Serv.* ad *G.* 3, 49. scribunt *armentum* proprie id genus pecoris dici, quod est idoneum ad opus armorum, ut sunt equi et boves. Nam equis in bellum curritur, clypei vero boum coriis armantur. *Varro* autem *L. L.* 4, 19. boves *armenta* vocari voluit, quasi *aramenta*, tertia littera sublata, quod eorum praecipue opera in arandis agris utamur. Proprie dicitur de grege equorum et boum, qui simul aluntur fetus et lactis caseique gratia; et quidem frequentius de grege boum. *Pompon. Dig.* 50, 16, 89. Boves magis armentorum, quam jumentorum genere appellantur. *Cic. Att.* 7, 7. Ut bos armenta, sic ego bonos viros sequar. *Id. Phil.* 3, 12. Caedit greges armentorum, reliquique pecoris, quodcumque nactus est. *Tac. G.* 21. Luitur homicidium certo armentorum ac pecorum numero. *Plin. ep.* 2, 17. Multi greges ovium, multa ibi equorum boumque armenta. ℙ De solis bobus. *Plin.* 11, 37, 44. Cornua mobilia, ut aures, Phrygiae armentis. *Ov. Met.* 15, 84. Quippe equus et pecudes armentaque gramine vivunt. ℙ De solis equis. *Virg. A.* 3, 540. Bello armantur equi: bellum haec armenta minantur. ℙ In singulari numero. *Plin.* 8, 42, 66. de equis: Amissa parente in grege armenti. *Id.* 11, 49, 110. Testes pecori armentoque ad crura decidui. *Colum.* 7, 1. Asellus tardius deficit, quam ullum aliud armentum. Adde *Virg. G.* 3, 71. et *Ov. Fast.* 2, 277. et alibi. ℙ Aliquando dicitur de gregibus aliorum animalium. *Virg. A.* 1, 188. tres litore cervos Prospicit errantes: hos tota armenta sequuntur. *Id. G.* 4, 395. Armenta immania Neptuni, *h. e.* beluae marinae. *Plin.* 7, 2, 2. Armenta cynocephalorum. ℙ Item generatim de quocumque grege, etiam minuto, rarius tamen. *Plin.* 8, 16, 17. Omnium, quos venatus, aucupia, piscatusque alebant, quibusque vivaria, armenta, alvearia, piscinae, aviaria in cura erant. ℙ Interdum *armentum* de singulis bobus dicitur, sed et hoc perraro. *Hyg. fab.* 118. Hecatombe Graece dicitur, cum centum armenta occiduntur. *Lact. Plac. Narrat. fab. Ov.* 1, 10. Quia speciosior ceteris armentis. ℙ Olim etiam *armenta, ae*, f. usurpatum fuit, ut *Fest.* et *Non.* observant. *Pacuv.* ap. *Non.* 3, 3. et *Serv.* ad *A.* 3, 540. Tu pascere curvifrontes armentas soles. *Enn. ib.* Ad armentas ipsius easdem.

ARMĪDOCTOR, oris, m. qui armorum tractandorum artem milites docet, ὁπλοδιδάσκαλος: qui et *campidoctor* dicitur. *Salmas.* ad *Lamprid. Alex. Ser.* 53. hanc vocem ex conjectura tribuit *Vegetio* 1, 13., ubi sic legit: *Illo exercitii genere, quod armaturam vocant et ab armidoctoribus traditur.* Alii autem leg. *a campidoctoribus*, alii *a primis doctoribus*, ut *Idem* testatur. [At in *Not. Tir.* 75. Armidoctor. *F.*]

*ARMIFACTOR. ARMIFACTORĪA. ARMIFACTŪRA, ae, f. *Novell.* 85, 1. *B. A.*

ARMĪFER, a, um, adj. ὁπλοφόρος, ὁπλίτης, arma ferens, bellicosus. *Albinov.* ad *Liv.* 22. Dea armifera, *h. e.* Pallas. *Ov. Fast.* 3, 681. de Marte: Armifer armiferae correptus amore Minervae Uror. *Sil.* 4, 45. Gentes armiferae. *Stat. Silv.* 1, 2, 96. Armiferos memorare labores, *h. e.* bellicos. *Id. Th.* 6, 831. Armiferae irae. *Sen. Med.* 468. Arvum armiferum, *h. e.* arma ferens: alluditque ad dentes serpentis seminatos a Iasone, ex quibus armati homines exstiterunt.

*ARMIGĀTUS, a, um, adj. ad humeros alligatus. *Vulg. Sam.* 2, 6, 14. *B. A.*

ARMIGER, i, m. ὁπλοφόρος, qui lanceam, scutum galeamque ferens armatum dominum in proelio sequitur: quod officium olim etiam a summis viris praestabatur. Nam Patroclus armiger Achillis fuit, Achates Aeneae. *Cic. Dom.* 5. Sergius armiger Catilinae. *Pl. Merc.* 5, 2, 11. Egomet mihi comes, calator, equus, agaso, armiger. *Ov. Met.* 15, 386. et *Virg. A.* 9, 564. Armiger Jovis, *h. e.* aquila. *Stat. Ach.* 1, 55. Armigeri Tritones. V. CONCHISONUS. *Virg. A.* 9, 648. Armigerum esse alicui. ℙ In illo *Stat. Silv.* 2, 2, 76. Armiger hac magni patet Hectoris: significatur promontorium Miseni, quod a Miseno ibi sepulto nomen habet. Fuit autem Misenus olim armiger Hectoris, postea tubicen Aeneae. V. *Virg. A.* 6 *a. v.* 164. ℙ *Armigera, ae*, f. *Ov. Met.* 3, 165. de Diana: Nympharum tradidit uni Armigerae jaculum, phareтramque, arcusque retentos. Adde *ib.* 5, 619. ℙ Simpliciter pro eo, qui arma habet. *Accius* ap. *Cic. Fam.* 7, 33. Quod haec pennigero, non armigero in corpore tela exerceantur. *Curt.* 3, 12. Ille cum paucis armigeris in tabernaculum pervenit. Mox *armatos* dicit et *satellites.* ℙ Vel pro bellicoso. *Sil.* 7, 87. Phoebumque, armigerumque Deum, primamque Dionem, *h. e.* Martem. ℙ *Armiger sulcus* dicitur a *Claud. I. Cons. Stilich.* 324. eodem sensu, quo *armiferum arvum* a *Seneca.* V. ARMIFER. ℙ *Armigerus* in recto singulari habetur in *Inscr.* non opt. notae ap. *Mur.* 824, 6.

ARMILAUSA, ae, f. ἁρμιλαύσιον, vestis rubri plerumque coloris, militari sago similis, quae armis superinduitur: ita dicta, quod ante atque retro divisa et aperta est, in armos tantum clausa, quasi *armiclausa*, ut *Isid. Or.* 19, 22. *ad f.* describit. *Paul. Nol. ep.* 17, (al. 13.) 1. Quem primo monachali caliga et veste mirati, cum praeterea facie non minus, quam armilausa ruberet. *Id. ep.* 22, (al. 7,) 1. Sibi ergo ille habeat armilausam suam et suas caligas etc. *Schol. Juv.* ad 5, 143. *viridem thoraca* exponit *armilausam.* Legitur *armelausa* et *armilausia.*

ARMILE. V. ARMILLUM.

ARMILLA, ae, f. ψάλιον, ψέλλιον, brachiale, hoc est circulus seu annulus ex auro, argento, aliave materia, quo brachia ornantur: quo milites olim virtutis causa ab imperatoribus donabantur. *Plin.* scribit 33, 2, 10. armillas datas fuisse tantum civibus Romanis, non vero externis. *Festus* docet, putari dictam esse ab *armo*, quod antiqui humerum cum brachio *armum* vocabant. *Liv.* 10, 44. Quatuor centuriones, manipulumque hastatorum armillis, aureisque coronis donavit. *Claud. Quadrigar.* ap. *Gell.* 9, 13. Torque atque armillis decoratus. *Plin.* 28, 11, 47. Vulpinam linguam habentes in armilla, lippituros negant. *Cic. Rep.* 4. usus est, teste *Prisc.* p. 1220. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 1096, 4. ℙ Armillae etiam a mulieribus gestantur: cujus rei testimonium habes apud *Pl. Men.* 3, 3, 13. et apud *Ulp. Dig.* 34, 2, 26. ℙ A similitudine dicuntur *armillae* ferrei anuli parvi, quibus aliquid ad firmitatem cingitur. *Vitr.* 10, 6. Ferreos cnodaces uti subscudes in capitibus scaporum implumbavit, et armillas in materia ad cnodaces circumdandos infixit. ℙ *Armilla petasonis* ap. *Apicium* 7, 9. videtur esse caro armi, vel ut putat *Humelberg.*, pellis, quae armo tanquam armilla inhaeret.

ARMILLĀTUS, a, um, adj. armillis ornatus. *Suet. Ner.* 30. Armillata turba. *Id. Cal.* 52. Manuleatus et armillatus in publicum processit. *Prop.* 4, 8, 24. Armillati canes, *h. e.* vincti colla collaribus, quae sunt armillis similes.

ARMILLUM, i, n. genus est urceoli vinarii, ut *Varr.* ap. *Non.* 15, 33. interpretatur. *Festus* addit adhibitum fuisse in sacris, docetque ita dictum, quod arma, hoc est humero deportetur. Hinc *anus ad armillum redit:* proverb. de iis, qui ad ingenium, ad notas artes, et ad solita vitia revertuntur. Anus enim in vinum valde propensae sunt. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 45. Hinc a me, hinc licet anus rursum ad armillum. *Appul. Met.* 9. p. 230, 22. At illa ad armillum revertit, et ad familiares feminarum artes accenditur. ℙ Dicitur et *armile, is. Appul. Met.* 6. p. 132, 15. Interea Cupido amore nimio peresus ad armile redit. Hoc loco *armile* quidam ducunt ab *armis*, et interpretantur instrumentum, seu armamentarium versutiarum ac fraudum.

ARMILUSTRIUM et Armilustrum, i, n. ὁπλοκαθάρσιον, ὁπλοκάθαρμος, festum fuit, inquit *Festus*, apud Romanos [*XIV. Cal. Novembr.], in quo armati rem divinam faciebant, ac dum sacrificarent, tubis canebant, armorum et exercitus lustrandi et expiandi causa. [**Gutherlet de Saliis* p. 108. intelligit h. v. de pugna imaginaria militum armatorum. *Beier.*] Locus etiam, in quo hujusmodi lustratio fiebat, eodem nomine appellatus est. *Varr. L. L.* 4, 32. *a med.*, ubi *armilustrum* legitur, et 5, 3. *a med.*, ubi *armilustrium* bis in editione *Scal.* Alii ita leg. hoc posteriore loco: Armilustrium ab eo quod in armilustro armati sacra faciunt: ut distinguat *Varro* unum ab alio, et *armilustrium* sacrificium, *armilustrum* locum ipsum appellet. [*Hoc recte habet. *Liv.* 27, 37. inde iterum novemdiale instauratum, quod in Armilustro lapidibus visum pluere.] Apud *P. Vict. de regionib. Urbis Romae* in regione decima tertia legitur *vicus Armilustri*, et in veteri monumento apud *Grut.* 250. habetur *Vico Armilustri* in eadem regione.

*ARMINIUS, ii, m. Cheruscorum dux fortissimus, qui Varum cum exercitu ejus delevit. Dein a Germanico duplici proelio superatus, illo in orientem avocato, Maroboduum et Inguiomerum patruum sibi adversantes vicit. Tandem anno XII. sui principatus, aetatis vero XXXVII. dolo Adgandestrii Cattorum principis, frustra a Tiberio venenum poscentis, occubuit. *Vell.* 2, 118. *Flor.* 4, 12., *Tac. A.* 1. et 2. *B. A.*

ARMIPOTENS, entis, omn. gen. adj. χρατερὸς, ὁπλοχράτως, qui armis et bello valde potest. *Virg. A.* 6, 500. Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucrum. *Id. ib.* 9, 717. Mars armipotens. *Id. ib.* 2, 425. Divae armipotentis ad aram, *h. e.* Palladis. *Stat. Silv.* 3, 2, 20. Ausonia armipotens. Adde *Ulp. Dig.* 50, 15, 1.

ARMIPOTENTIA, ae, f. virtus armorum, et belli. *Ammian.* 18, 5. Armipotentia fretus, successibusque magnificis.

ARMISONUS, a, um, adj. qui armis sonat, aut strepit. *Virg. A.* 3, 544. Pallas armisona. *Claud Rapt. Pros.* 3, 67. Antrum armisonum.

*ARMISTAE, arum, Dalmatiae populi. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

*ARMĪTES, armati milites. ὁπλῖται οἱ ἐν ἐσχάτῃ τάξει, Armites, *Philoxen.* in *Gloss.* Sunt itaque *triarii* Romanorum, *gravis armaturae* milites, παράταξις ἔνοπλος *Gloss. Lat. Gr.* Cf. *G. Cuper. Obss.* 1, 7. *B. A.*

ARMO, as, avi, atum, a. 1. ὁπλίζω, armis induo aut munio. *Cic. Caec.* 12. Multitudinem hominum cogere, armare, instruere. *Pompej.* ad *Marcell.* et *Lentul. Coss.* post *ep.* 12. *l.* 8. ad *Att.* Armare milites armis iis, quae, etc. *Sall. Jug.* 13. Armare maximas copias. *Val. Fl.* 2, 182. Armare manus ense. *Virg. A.* 11, 682. Sparus armat manus. *Sil.* 7, 3. Armare Ausoniam. *Tac. A.* 12, 56. triremes. *Caes. B. G.* 5, 1. naves. [**Sil.* 6, 365.] *Cic. Planc.* 35. servos in dominos. *Id. Mil.* 25. cohortes contra aliquem. *Nep. Ann.* 10. Armare et excitare regem adversus Romanos. *Virg. A.* 7, 335. Armare aliquem in proelium. *Plin.* 11, 28, 33. Apes armantur aculeis. ℙ Translate ponitur pro munire, instruere. *Justin.* 12, 10. et *Virg. A.* 10, 140. Armare sagittas veneno. *Val. Fl.* 8, 302. flammas unguine picis. [**Manil. Astr.* 5, 657. pontum vinclis armare sequentem, i. e. retibus ductis infestum piscibus reddere. Ita interpretatur *Gron.* ad *Pl. Pers.* 1, 2, 22. coll. *ejusd. diatr.* in *Stat.* 1. p. 460. ed. *Lips.* ibique *Hand.*] *Virg. A.* 4, 299. classem, *h. e.* armamentis instruere ad navigandum. *Id. ib.* 3, 540. equos bello. *Mart.* 14, 9. thecam calamis. *Cic. Cluent.* 67. accusatorem omnibus rebus. *Id. Dom.* 1. perditos magistratus Deorum religione. *Id. Mil.* 1. temeritatem concitatae multitudinis auctoritate publica. *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Te ad omnia summum atque excellens ingenium armavit. *Nep. Dion.* 8. Armare se imprudentia alicujus. *Cic. Inv.* 1, 1. se eloquentia. *Sil.* 11, 186. nullo nos invida tanto Armavit natura bono. [**Plin. Pan.* 12, 3. quum ferae gentes non telis magis, quam suo coelo, suo sidere armantur?] *Claud. Cons. Prob.* et *Olybr.* 91. pulcherque severo Armatur terrore pudor. *Vell.* 2, 49. Pompejum senatus auctoritas, Caesarem

militum armavit fiducia. *Hor. A. P.* 79. Archilochum proprio rabies armavit iambo, *h. e.* concitavit, irritavit. *Virg. A.* 10, 398. mixtus dolor, et pudor armat in hostes. *Flor.* 3, 12. Cupido dominandi Caesarem et Pompejum furialibus in exitium reipublicae facibus armavit. [**Ov. Met.* 13, 544. seque armat et instruit ira. Plura collegit *Burm.* ad *Quint. Decl.* p. 311. ℙ Permutantur in libris *armare* et *ornare*, V. *Hess.* ad *Tac. G.* 38, 5. *Burm.* ad *Ov. Met.* 12, 462.]

[ARMŌDIUS, a, um, adj. ἁρμόδιος, congruus, aptus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 863, 4. Vibia Armodia. *F.*]

*ARMON, raphani genus silvestre, quod et *armoracea* dictum. *Plin.* 19, 5. *B. A.*

ARMŌRĂCĒA et Armoracia, ae, f. et Armoracium, ii, n. (*Meerrettig*) ῥαφανὶς ἀγρία, ἀρμοράκια, genus raphani silvestris, fronde copiosius, quam corpore. *Plin.* 19, 5, 26. *n.* 3. et 20, 4, 12. armoraciam appellat, *Pallad.* 11, 11. armoraceam, *Colum.* 12, 9. armoracium, ejusque cymae condiendae rationem tradit.

ARMŌRĪCUS. V. AREMORICUS.

*ARMOSATA, Ἁρμόσατα *Polybio*, Phrygiae majoris oppidum. *Plin.* 6, 9. *Arsamosata* audit *Tac. A.* 15, 10. adstipulante *Ptolemaeo. B. A.*

*ARMOZĒI, orum, populi Carmaniae. *Plin.* 6, 25. *B. A.*

*ARMŪA, ae, flumen Numidiae. *Plin.* 5, 3. *B. A.*

ARMUS, i, m. μασχάλη, proprie significat humeri commissuram cum brachio: est enim ab ἁρμὸς compages: sed accipitur pro ipso humero: quin usus obtinuit, ut *armus* de brutis animalibus [*opponitur *suffrago*], *humerus* de homine tantum dicatur. *Ov. Met.* 10, 699. de Hippomene in leonem mutato: digiti curvantur in ungues, Ex humeris armi fiunt. *Plin.* 11, 43, 98. Solus homo bipes: uni juguli, humeri; ceteris armi. *Id. ib.* 40, 95. Armi elephantis. *Id. ib.* 39, 94. leonis. *Id.* 8, 17, 23. pantherae. *Id.* 18, 17, 45. talpae. *Hor. Sat.* 2, 4, 44. leporis. ℙ Hoc tamen discrimen non est perpetuum. *Virg. A.* 11, 644. latos huic hasta per armos Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolore. Adde *Festum* in voce *Armata*, ubi *pomum in armum legere*, est tantam pomorum vim legere, ut in humeros tollenda sit, si asportare velis. ℙ Item pro brachio hominis. *Lucan.* 9, 831. Invaditque manum, quam protinus ille retecto Ense ferit, totoque simul demittit ab armo. ℙ In illo *Virg. A.* 6, 882. Seu spumantis equi foderet calcaribus armos — ponuntur *armi* pro lateribus equi, quae post anteriores ejus armos sunt: neque enim armi calcaribus fodi solent.

*ARMUZĪA REGIO fuit in Carmania. *Plin.* 6, 23. Hodie est *Ormus. B. A.*

ARNĂ, vox Graeca agnam significans: ab ἄρς, ἀρνὸς, ὁ, καὶ ἡ, agnus, et agna. *Festus:* Arnae caput, agnae caput. Al. leg. *agni* pro *agnae.* ℙ Est etiam municipium Umbriae, [quinque mill. passuum a Perusia distans, nunc *Civitella d'Arno*, memoratum *Sil.* 8, 458. *Inscr.* in *Giorn. Arcad. T.* 3. p. 283. Phileros, qui praefuit templo Arnae, *h. e.* civitatis Arnae. *F.* *Incolae hujus urbis *Arnates* dicuntur. V. paullo infra ARNAS.]

ARNĀCIS, idis, f. ἀρναχὶς, genus vestis puellaris, fortasse ex pellibus agninis, nam ἄρς, ἀρνὸς, agnum significat. *Varro* apud *Non.* 14, 38., ubi male *parnacis* a quibusdam editum est. *Suidas* τὴν ἀρναχίδα exponit pellem agninam una cum lana. Apud *Plat.* in *Sympos.* est genus calceamenti ex agninis pellibus.

[ARNĀLIA, ae, f. ita cognominatur Minerva, in *Inscr.* ap. *Murat. proleg. T.* 1. p. 50. Minervae Arnaliae Numinib. Augustor. L. Luccejus, Marcellinus Decur. V. S. L. M. *Jos. Bimard. ib.* putat hanc esse vocem Celticam, compositam ex *Ara*, honor, reverentia, et *All*, omnis, *h. e.* cunctis veneranda. [*Satis ridicule.]

[ARNAS, atis, adj. omn. gen. Ad arnam pertinens, Umbriae municipium. *Arnates*, *atum*, incolae illius municipii. *Plin.* 3, 14, 19. *Inscr.* in *Giorn. Arcad. T.* 3. p. 283. Versenus L. F. Lem. Granianus patronus municipii Arnat. Alia *ib.* Vejedio L. F. Clu. Crescenti Aed. II Vir. I. D. Q. Reip. et alimen. Arnat. *F.*]

*ARNE, es, f. Ἀρνὴ, Boeotiae oppidum. *Stat. Th.* 7, 331. ℙ Aliud, in Thessalia, Boeotorum colonia. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

[ARNENSIS, se, adj. ad Arnam pertinens, id. q. Arnas. *Inscr.* ap. *Murat.* 1446, 7. L. Caecilius L. F. Satyrus Arnensis. *F.*]

ARNIENSIS et Arnensis, e, adj. ad Arnum fluvium pertinens. Fuit hoc nomine tribus Romana, una ex rusticis, omnium remotissima ab urbe Roma, sicut Suburana erat omnium proxima. Constituta fuit circa annum Urbis 369., ut est apud *Liv.* 6, 5., et cognominata ab Arno fluvio Etruriae. *Cic. Agr.* 2, 29. A Suburana usque ad Arniensem nomina vestra proponat. *Inscr.* ap. *Grut.* 129, 5. P. Silius P. F. Arnien. Pactinus IIII Vir. Alia *ib.* 548, 1. C. Julio C. Fil. Arniens. Speratiano, etc. Alia *ib.* 1098, 2. C. Nonio C. F. Arnensi Proculo Cos. ℙ In plerisque aliis antiquis inscriptionib. designatur per litteras *Ar.* vel *Arn.* ℙ In locis *Cic.* et *Livii* in quibusdam editionibus legitur *Narniensis*, ut sit a Narnia Umbriae oppido; et putant quidam, quo tempore haec tribus facta est, non pertinuisse Romanam ditionem usque ad Arnum, ut ex eo una tribus cognominari posset.

[ARNĪON, ii, n. ἄρνιον, herba eadem atque arnoglossa. *Appul. Herb.* 1. *F.*]

ARNOBĪUS, ii, m. natione Afer, religione primum Gentilis, postea Christianus, professione rhetor, Siccae in Africa diu docuit, et declamavit, habuitque discipulum Lactantium Firmianum, quo vel uno satis commendari posset: floruit sub finem saeculi Christi tertii, Diocletiano imperatore, ut *Hieron. Scrip. Eccles.* docet. Scripsit *adversus Gentes* libros septem eruditissimos et eloquentissimos, quibus Gentilium theologiam et religionem acriter insectatur, et salse admodum irridet. Ejus stilus assurgit ubique, ferturque, velut torrens, magno impetu: sermo ut illis temporibus castigatus, verbis ex antiquo probatoque usu acceptis refertus, subinde tamen novis occurrentibus, aut audacius deductis, ut vel vulgarem nasum habenti redolere Africam facile possint. *Hieronym. ep.* 58. *ad Paulin. n.* 10. Arnobius inaequalis et nimius et absque operis sui partitione confusus.

[ARNOGLOSSA, ae, f. ἀρνόγλωσσα, [*Plantago major *L. Schafzunge*, *Wegerich.*] herba eadem atque arnion, et plantago. *Appul. Herb.* 1. *F.*]

ARNUS, i, m. Ἄρνος, fluvius Tusciae, qui oritur ex Apennino monte in conf. Romandiolae, Florentiam ac Pisas interluit, et in mare Tyrrhenum cadit. *Plin.* 3, 5, 8. ℙ Est etiam *arnus* id. q. agnus, a Graeco ἄρς, ἀρνὸς; legiturque in vetustissima quadam lege, quae Numae fuisse dicitur, apud *Gell.* 4, 3. his verbis: *Junoni crinibous demissis arnum feminam caidito.*

ĂRO, as, avi, atum, a. 1. ἀρόω, terram aratro scindere seminandi causa. *Hor. ep.* 1, 7, 87. Bos est enectus arando. *Cic. Div.* 2, 23. Cum terra araretur, et sulcus altius esset impressus. *Pl. Merc.* 2, 3, 21. Arare mavelim, quam sic amare. *Hor. Sat.* 2, 6, 11. Arare agrum. *Varr. R. R.* 1, 2. *a med.* arare terram, serere arbores. [*Lucan.* 4, 334. Cancrique sub axe, Qua nudi Garamantes arant, sedere, i. e. inhabitant. *Cort.* ad h. l. laudat *Burm.* ad *Val. Fl.* 1, 25.] ℙ Usurpatur generatim pro colere; et *arare* dicuntur, qui agros habent, ex quibus fructus percipiunt. *Sall. Cat.* 2. Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent. *Hor. Epod.* 4, 13. Arat Falerni mille fundi jugera. *Cic. Verr.* 2, 3, 5. Cives Romani, qui arant in Sicilia. V. ARATOR. *Id. ib.* 47. Fieri non poterat, ut plusquam decem medimna ex jugero ararent. ℙ Translate. *Ov. A. Am.* 2, 118. Et venient rugae, quae tibi corpus arent. [*Etiam *cutem sulcare;* V. ad *Ov. Met.* 3, 276.] ℙ Poetice transfertur ad navigationem. *Virg. A.* 2, 780. vastum maris aequor arandum. *Ov. Trist.* 1, 2, 76. Latum mutandis mercibus aequor aro. [*Plura hujus generis collegit *Heins.* ad *Ov. Am.* 2, 10, 33.] ℙ In re venerea. *Pl. Asin.* 5, 2, 24. et *Truc.* 1, 2, 48. et alii. ℙ *Arare litus* proverbio est operam perdere. *Ov. Her.* 5, 116. [*et *Heins.* ad h. l.] ℙ In illo *Tibulli* 1, 7, 16. Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas: *Brouckus.* censet *arare* positum esse pro disterminare, dividere, quia Taurus mons Cilicas a Pamphilia disterminat, ducta translatione a sulcis, quibus secatur ager, et quodammodo dividitur. Alii leg. *alat.* [*Aliam interpretationem h. l. proposuit *Heyn. obss.* p. 70.]

*ARŌCELITĀNI, orum, Aracilli oppidi incolae. *Plin.* 3, 3, 4. V. *Aracillum. B. A.*

*ARŌCHA, ae, flumen Italiae inferioris, in Bruttiis, in sinum Scylaceum influens. *Plin.* 3, 10. *B. A.*

[ĂROGUS, i, m. ἀρωγὸς, auxiliator, defensor. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 2077, 1. Cornelio Arogo. Alia apud *Fabrett.* p. 401. *n.* 294. *F.*]

ĂROMA, ătis, n. ἄρωμα, quarundam herbarum fructus odoris et saporis gratissimi, quibus utimur, vel ad fovendum ventriculum, vel ad appetentiam provocandam, ut sunt zinziber, piper, saccharum, et similia, quae vulgo *species* vocant. Usurpatur fere in plurali numero. *Colum.* 12, 20. Aromata contusa et cribrata paulatim insperges. ℙ In singulari numero *Prud.* περὶ στεφ. 8, 72. Mollisque ephebus tinctus aromate. *Id. Apoth.* 826. Solus odor sparsi spiramen aromatis efflat. Adde *Martian. Dig.* 39, 4, 16. §. 7. ℙ In dativo et ablativo plur., ut alia multa similia, habet *aromatis* pro *aromatibus. Appul. Flor.* 4, 19. p. 362, 26. Membra omnia aromatis perspersa.

ĂROMĂTĀRĬUS, ii, m. qui in aromatis negotiatur, ἀρωματοπώλης. *Inscr.* ap. *Murat.* 511, 4. T. Annius T. F. Col. Philippus Magister quinquenn. Collegii Aromatariorum.

ĂROMĂTĬCUS, a, um, adj. ἀρωματικὸς, ad aromata pertinens. *Spartian. Hadr.* 19. In honorem socrus suae aromatica populo donavit, i. munera. *Sedul.* 5, 324. Cum munere matres Messis aromaticae venere ad tumulum. ℙ [*Aromaticum*, *i*, n. absolute est collyrium ab *Oribasio* p. 50. et *Aetio* p. 659. memoratum. *Tochôn cachets des oculistes* p. 17. Psoricum, aromaticum, crocodes. *F.*]

ĂROMĂTĪTES, ae, m. ἀρωματίτης, gemma quaedam, ita dicta ab odore et colore myrrhae: quam quidam putant esse ambram. *Plin.* 37, 10, 54. Aromatites et ipsa (i. gemma) in Arabia traditur gigni, etc. ℙ *Aromatites vinum* odoramentis conditum. *Plin.* 14, 13, 15. Aromatite delectari. *Id. ib.* 16, 19. *n.* 5. Aromatiten invenio factitatum, etc. V. *ib.* rationem ejus conficiendi. V. ABROTONITES.

*ĂROMĂTIZO, are, a. 1. aromatis unguo. *Vulgat. Sirac.* 24, 20. Balsamum aromatizans, *h. e.* aromata olens. *B. A.*

ĂRONĒUS, a, um, adj. ad Aaronem pertinens. *Paulin. Nolan.* 22, 27. prisca sub imagine sanctum Foedus Aroncis pignoribus geritur.

ĂROS, i, f. et Aron, i, n. (Arum Dracunculus *L. Natterwurz.*) genus bulbi in Aegypto maxime proveniens, scillae proximum amplitudine, foliis lapathi, caule recto duum cubitorum, baculi crassitudine, radice mollioris naturae, quae edatur et cruda. *Plin.* 19, 5, 30. et 24, 16, 91. ℙ Positione Latina est *Arum*, *i.*

*ĂROSAPES, Indiae flumen, in Gedrosia, in mare Indicum influens. *Plin.* 6, 23. *Arusaces* appellatur a *Mela* 3, 7. etc. *B. A.*

[ARPĂGIUS, ii, m. pro *Harpagius*, extrita, ut saepe fit, aspiratione, raptus, ab ἁρπάζω, rapio. Ita appellantur qui admodum juvenes moriuntur. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 506. C. Corfonius Epafroditus, Corfonia Maximilla fecerunt filio suo, qui vixit ann. III. mensibus sex, mater et pater Arpagi VivaS, *h. e.* rapte, tamen in aeternum vivas. Alia apud *Mazoch. de Ascia* p. 29. Multis annis vivat, qui dixerit, Arpagi, tibi terram levem. *F.*]

[ARPĀNUS, a, um, adj. ad Arpos pertinens, Apuliae Dauniae oppidum, i. q. Arpinus. V. ARPĪNUS. *Frontin. de Coloniis* p. 91. *Goës.* Ager Canusinus, item Arpanus. *F.* *Adde *Drak.* ad *Liv.* 24, 45.]

ARPI, orum, m. plur. *Arpi*, oppidum Apuliae Dauniae a Diomede conditum. *Plin.* 3, 11, 16. Arpi aliquando Arpos Hippium Diomede condente, mox Argyripa dictum. ℙ Arpos *disertos* appellat *Mart.* 4, 55. propter Horatium, qui in ejus oppidi finibus natus est.

ARPĪNAS, atis, adj. omn. gen. ad Arpinum pertinens. *Cic. Agr.* 3, 2. Meus paternus avitusque fundus Arpinas. *Id. Att.* 1, 16. *a med.* Arpinates aquae. *Id. ib.* 12, 12. Insula Arpinas. *Id. ib.* 16, 13. Iter Arpinas. ℙ *Arpinates*, *tum*, sunt Arpini incolae. *Cic. Off.* 1, 7. Ut ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tusculanus Tusculanorum. Adde *Att.* 4, 7. ubi *Arpinatium* legitur pro *Arpinatum*, et *ib.* 15, 15. et *Plin.* 3, 5, 9. [et in *Inscr.* reperta in Arcano, Q. Ciceronis villa, edita vero in *Bibliot. Analit. Napol. Giugno*, 1814. p. 350. Q. et M. Tullius Q. et M. F. F. Ciceronibus III. virei Aed. pot. municipii Arpinatium. Huic Inscriptioni lux affulget ex *Cic. Fam.* 13, 11. Constituendi municipii causa, hoc anno aedilem filium meum fieri volui, et fratris filium, et M. Caesium: is enim magistratus in nostro municipio, nec alius ullus creari solet. *F.*] ℙ *Arpinas* absolute per antonomasiam designat Ciceronem. *Symm. carm. ep.* 1, 1. de Hortensio: Contra Arpinatem qui stetit eloquio. Item Marium apud *Sidon. carm.* 9, 259. ℙ Olim declinabant *Arpinatis*, *te. Cato* ap. *Prisc.* 4. p. 629. Si quis mortuus est Arpinatis, ejus heredem sacra non sequuntur.

ARPĪNUM, i, n. nunc *Castellaccio*, oppidum Latii, in Samnii confinio, in colle excelso, apud Fibrenum fluvium, patria M. T. Ciceronis, et C. Marii. *Cic. Att.* 2, 8.

ARPĪNUS, a, um, adj. ad Arpinum pertinens. *Mart.* 11, 51. Arpinus agellus. *Id.* 10, 19. Chartae Arpinae, *h. e.* scripta Ciceronis qui Arpinas fuit. ℙ Item ad Arpos pertinens, Apuliae Dauniae oppidum. *Liv.* 24, 45. Dasius Altinius Arpinus. [†*Drak.* ad h. l. vult ex v. *Arpi*, *orum*, Apuliae oppido, semper formari *Arpinus;* Arpinas autem pertinere ad Arpinum. Obstat tamen locus *Mart.* a Nostro allatus.] ℙ *Arpini*, *orum*, ejus oppidi cives. *Id. ib.* 47.

[ARQUĀTURA, ae, f. id. q. arcuatio. *Not. Tir.* p. 163. Arquatura. *F.*]

ARQUĀTUS, a, um, adj. idem quod arcuatus: ab *arquus* pro *arcus. Ov. Met.* 11, 589. induitur velamina mille colorum Iris, et arquato coelum curvamine signans, etc. Alii leg. *arcato. Arnob.* 2. p. 59. Arquata sellula. ℙ *Arquatus morbus*, ἴκτερος, idem est ac regius morbus, cum flava bilis per totum corpus, et praecipue in oculos diffunditur, et flavo colore inficit. Dicitur autem *arquatus*, quia virorem quodammodo arqui Iridis imitatur, ut *Non.* 5, 14. putat. [Hinc hodieque Neapoli hic morbus dicitur vulgo *solartato. Cues.* [*scribe *Cels.*] 3, 24. Aeque notus est morbus, quem interdum arquatum, interdum regium nominant. *F.*] ℙ Item qui arquato morbo laborat, ἰκτερικός. *Varr.* ap. *Non.* 1, 151. Ut arquatis et veternosis, quae lutea non sunt, aeque ut quae sunt, lutea videntur, sic, etc. *Plin.* 20, 11, 44. Semen apii datur et arquatis ex vino albo. *Colum.* 7, 5.

Vetus urinâ remedio est etiam pecori arquato. Al. leg. *arcuato* eodem sensu. Adde *Lucr.* 4, 333.

ARQUĪTĔNENS, entis, adj. arcitenens, epitheton Apollinis. *Naevius* ap. *Macr. Sat.* 6, 5. Apollo pollens sagittis inclytus arquitenens. *Hostius ib.* Invictus Apollo arquitenens. *Arnob.* 1. p. 20. Arquitenentes Diana, et Apollo. *Virg. A.* 3, 75. Quam pius arquitenens, etc. Alii hoc loco legunt *arcitenens.*

ARQUĪTES, um, sunt arcu praeliantes, ut *Festus* exponit: ab *arquus* pro *arcus.* Usitatiore vocabulo *sagittarii* dicuntur. [*V. *Reines. V. L.* 2, 14. p. 237. *B. A.*]

[ARQUO, as, are, a. 1. id. q. arcuo. *Not. Tir.* p. 163. Arquat. *F.*]

ARQUUS, i, m. id. q. *arcus*, veterum scriptione. *Non.* tamen 5, 14. statuit discrimen, ut *arcus* dicatur fornix suspensus; *arquus* qui in coelo appareret, quem Irim poetae dicunt: quo sensu *Lucr.* 6, 525. Tum color in nigris exsistit nubibus arqui. Adde *Cic. N. D.* 3, 20., ut quidem legit *Charis.* 1. p. 93. et *Enn.* ap. *Prisc.* 6. p. 712., et V. ARCUS *inf.*

ARRA. V. ARRHA. ARRĂBO. V. ARRHABO. ARRĂLIS. V. ARRHALIS.

ARRECTĀRĬUS, a, um, adj. arrectus, directus ad perpendiculum, cui contrarius est *transversarius. Vitr.* 7, 3. Sin autem in craticiis tectoria erunt facienda, quibus necesse est etiam in arrectariis, et transversariis rimas fieri, etc., *h. e.* in asseribus rectis et transversis, ex quibus craticii parietes constant.

ARRECTUS et Adr., a, um, part. v. *arrigo*, erectus, directus, ὀρθούμενος. *Virg. A.* 5, 426. Constitit in digitos extemplo arrectus uterque. *Id. ib.* 1, 55. Arrectisque auribus adstant. *Id. ib.* 2. 206. Anguium pectora arrecta inter fluctus. *Id. ib.* 4, 280. Arrectaeque horrore comae. *Id. ib.* 9, 754. Serpens arrectis horret squamis. *Id. ib.* 10, 892. Tollit se arrectum quadrupes. *Liv.* 21, 35. *ad f.* Pleraque Alpium ab Italia ut breviora, ita arrectiora sunt, i. e. praerupta. Quidam leg. *arctiora. Mart.* 10, 55. Arrectus penis, et *Auct. Priapeor.* 69. ὀρθανής. Arrectus procus, *h. e.* qui arrectum penem habet. ℙ Translate ponitur pro excitato, intento. *Virg. A.* 1, 583. His animum arrecti dictis. *Sall. Jug.* 91. Postquam plebis animos arrectos videt. Et 98. Consulis animus paululum arrectus. *Id. fr. in Or. Phil. c. Lepid.*, Reliquiae belli arrectae. *Virg. A.* 5, 138. laudumque arrecta cupido. *Id. G.* 3, 105. Arrectae spes. *Id. A.* 5, 643. mentes. *Id. ib.* 11, 452. stimulis haud mollibus irae. *Liv.* 8, 37. Arrecti animi ad bellandum. [**Tac. H.* 3, 48. ad vetus certamen.] *Tac. A.* 3, 11. Arrecta civitas omnis, quanta fides amicis Germanici, quae fiducia reo, etc., *h. e.* intenta et excitata, admiransque, quam parum fidei in amicis Germanici, quanta fiducia reo esset. ℙ Comp. *Arrectior.* V. supra. ℙ [*Confunduntur *arrectus* et *erectus*, V. *Drak.* ad *Sil.* 7, 686. *Eund.* ad *Liv.* 8, 37, 2. et *Burm.* ad *Virg. A.* 5, 138.]

ARRĔPO ARREPTANS. V. ADREPO, ADREPTANS.

[ARREPTĬCĬUS, ii, m. fanaticus, μαινόμενος, θεόληπτος, spiritu malo correptus. *Augustin. Civ. Dei* 2, 4. Veniebamus etiam nos aliquando adolescentes ad spectacula ludibriaque sacrilegiorum; spectabamus arrepticios, audiebamus symphoniacos etc. Vet. Interpres Italus ita vertit: *Vedevamo gli saltatori, udivamo gli sonatori. Hierom. c.* 29. *v.* 26. Ut sis dux in domo Domini super omnem virum arrepticium et prophetantem. Hinc *Reg.* 1. *c.* 16. *v.* 23. Spiritus Domini malus arripiebat Saul. *F.*]

ARREPTUS et Adr., a, um, partic. ab *arripio. Ov. Met.* 6, 552. Arreptamque coma, flexis post terga lacertis, Vincla pati cogit. [**Liv.* 3, 48. cultro arrepto. *Suet. Ner.* 26. pileo vel galero, i. e. sumto, sed cum vehementia quadam. *Liv.* 6, 8. arrepto repente equo. *Id.* 34, 20. cohortes arreptas in urbem inducit.] *Virg. A.* 11, 459. Arrepto tempore. *Cic. Att.* 7, 13. *ad f.* Hic sermone aliquo arrepto pro mandatis abusus est. *Suet. Vit.* 2. Inter Sejani conscios arreptus, [*i. e. deprehensus captusque. *Liv.* 3, 58. subinde arreptus a P. Numitorio Sp. Oppius invidiae proximus, sc. ad quaestionem. *Id.* 2, 23. (3, 56.) uno aut altero arrepto (in carcerem abducto) quieturos alios.]

ARRETĬUM. V. ARETIUM.

ARRHA et Arra, ae, f. ἀρραβών, id quod dari solet ad confirmationem contractus. Arrha autem instituta videtur in auctionibus, cum aeris aliquantulum daretur, quia plaustra gravis aeris eo vehi incommodum esset. *Isid. Orig.* 5, 3. Interest in loquendi usu inter pignus et arram. Nam pignus est, quod datur propter rem creditam, quae dum redditur, statim pignus aufertur. Arra vero est, quae primum pro re bonae fidei contractu empta ex parte datur, et postea completur. Est enim arra complenda, non auferenda; unde qui habet arram, non reddit, sicut pignus, sed desiderat plenitudinem. *Plin.* 33, 1, 6. Argumento est consuetudo vulgi ad sponsiones etiamnum anulo exsiliente, tracta ab eo tempore, quo nondum erat arrha velocior. *Cajus Dig.* 18, 1, 35. Quod arrhae nomine pro emptione datur, non eo pertinet, quasi sine arrha conventio nihil proficiat, sed ut evidentius probari possit, convenisse de pretio. *Capitol. Maxim. jun.* 1. Manserunt apud eum arrae regiae, *h. e.* pignora sponsaliorum. *Plin.* 29, 1, 8. mortis arrham vocat id, quod veluti pignus pretii numerandi medicis datur, ut paulo post aegrum quasi sanaturi occidant. ℙ Qui cum aspiratione scribunt, Graecae scriptioni adhaerent. Docent enim Etymologi *arrham* dictam esse per apocopen ab *arrhabo*, ἀῤῥαβών; qui aspirationem exterunt, Latinam consuetudinem sequuntur, qua nomina externa ad Latinam declinationem traducta, Latinis etiam litteris scribi solent.

ARRHĂBO et Arrăbo, ōnis, m. ἀῤῥαβών, id quod pignoris loco alicui datur; estque Hebraea vox, ab עָרַב, spondere, fidejubere, a quo עֵרָבוֹן, *arrhabon:* quam originem si spectes, producenda est paenultima. *Ter. Heaut.* 3, 3, 42. Reliquit filiam adolescentulam: ea relicta huic arroboni est pro illo argento. *Pl. Mil.* 4, 1, 11. Hunc arrabonem amoris primum a me accipe. *Claud. Quadrigar.* apud *Gell.* 17, 2. Cum tantus arrabo penes Samnites populi Romani esset. Subdit *Gellius:* Arrhabonem dixit sexcentos obsides; et id maluit quam pignus dicere, quoniam vis hujus vocabuli in ea sententia gravior acriorque est. Sed nunc arrhabo in sordidis verbis haberi coeptus: ac multo videtur rectius arra; quamquam arrha quoque veteres saepe dixerunt. Haec *Gellius.* ℙ Accipitur etiam pro arra. *Pl. Most.* 3, 1, 114. Aedes quanti destinat? *Tr.* talentis magnis totidem, quot ego et tu sumus, sed arraboni has dedit quadraginta minas. *Id. Rud. prol.* 45. Minis triginta sibi puellam destinat, Datque arrabonem et jurejurando alligat. ℙ Perridiculus sed et frigidiusculus est jocus Stratilacis servi apud *Eund. Truc.* 3, 2, 20. Tene hoc tibi: rabonem habeto, mecum ut hanc noctem sies. *As.* Perii! rabonem? quam esse dicam hanc beluam? quin tu arrabonem dicis? *St.* ar facio lucri: ut Praenestinis conia est ciconia. ℙ Qui *arrhabonem* scribunt cum aspiratione, Graecas litteras sequuntur; qui sine aspiratione, consuetudinem Latinam, ut et in *Arrha* dictum est.

ARRHĂLIS et Arralis, le, adj. ad arrham pertinens. *Impp. Dioclet. et Maximian. Cod.* 4, 49, 3. Ex arrali pacto personalis dumtaxat actio paciscentibus praeparatur.

*ARRHĒNE, es, regio Armeniae majoris. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

ARRHĒNĬCUM, i, n. ἀῤῥενικόν, id. q. arsenicum. Nam et Graecae ἀῤῥενικόν, et ἀρσενικόν idem sonant. *Plin.* 28, 15, 60. Vitia quae in eadem parte serpunt, jecur eorum combustum cum charta et arrhenico sumat. *Hard.* ita legendum docet ex quamplurimis libris editis et MSS.

ARRHĒNOGONON, i, n. ἀῤῥενόγονον, ita Graece cognominatur satyrion herba, quasi masculos generans: ab ἄῤῥην, ἄῤῥενος, masculus, et γονή, genitura; quia cujusdam satyrii speciei semen testium simile est, ut *Theophrast. l.* 9. *c.* 19. prodidit. *Plin.* 26, 10, 63. V. THELYGONON.

ARRHĒTOS, ἄῤῥητος, hoc est qui dici non potest: ab *a* privativa, et ῥέω, dico: unus est ex aeonibus Valentini haeretici. *Tert. adv. Valent.* 35.

*ARRĬA, ae, matrona Romana vel Patavia, generis nobilitate et pudicitia insignis, uxor Paeti, quae, damnato viro quod particeps fuisset Scribonianae conjurationis sub Claudio, prior se gladio confodit, eundemque denique extrahens viro tradidit, suo exemplo exhortans, ut fortiter moreretur. *Mart.* 1, 14. *Tac. A.* 16, 34. *Plin. ep.* 3, 16. *B. A.*

ARRĪDĔO et Adr. es, isi, isum, προσγελάω, ad aliquid rideo, ridendo applaudo vel approbo. *Pl. Truc.* 2, 1, 14. Oportet lacnam probam arridere quisquis veniat, blandeque alloqui. *Cic. Tusc.* 5, 20. Hic cum quidam familiaris jocans dixisset: Huic quidem certe vitam tuam committis; arrisissetque adolescens; utrumque jussit interfici. [**Id. Or.* 2, 56. cum arrisisset ipse Crassus. *Ib.* 33.] *Hor. A. P.* 101. Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt Humani vultus. *Ter. Ad.* 5, 4, 10. Clemens, placidus, nulli laedere os, arridere omnibus. [**Liv.* 41, 20. notis arridere.] *Id. Eun.* 2, 2, 19. His ultro arrideo et eorum ingenia admiror: quidquid dicunt, laudo etc. [*Proprium est adulatorum. Cf. *Donat.* ad h. l.] *Prisc.* 18. p. 1201. minus recte exponit *irrideo. Cic. Somn. Scip.* 2. Leniter arridere. *L. Piso* 3. *Ann.* ap. *Gell.* 6, 9. Cn. Flavius id arrisit, i. e. hoc videns risit. [**Cic. N. D.* 1, 28. video, quid arriseris.] Passive. *Cic. opt. gen. Or.* 4. Cum aut non adhibeantur ad causas, aut adhibiti derideantur: nam si arrideantur, esset id ipsum Atticorum. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 133. Et quandoque mihi fortunae arriserit hora, Non sine honore tuum patiar decus. *Lucr.* 2, 32. Praesertim cum tempestas arridet etc. ℙ *Arridere aliquem*, *h. e.* ad aliquem, arridere alicui. *Auct. Dirarum* 108. Vos nunc alloquitur: vos nunc arridet ocellis. ℙ Saepe significat placere. *Cic. Att.* 13, 21. Inhibere illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. *Hor. Sat.* 1, 10, 88. quibus haec sunt qualiacumque, Arridere velim. ℙ Partic. *Arridens* ap. *Sil.* 1, 398. Cui saevum arridens.

ARRĬGO et Adr., is, exi, ectum, a. 3. ἵστημι, ὀρθόω, erigo, dirigo, in rectum tollo: ex *ad* et *rego. Enn.* ap. *Macr. Sat.* 7, 4. Arma arrigunt: horrescunt tela. *Virg. A.* 10, 726. leo comas arrexit. *Ter. Andr.* 5, 4, 30. Arrigere aures, ducta loquendi ratione ab animalibus, quae aures mobiles habent. *Pl. Rud.* 5, 2, 6. Suo hic mihi sermone arrexit aures. *Mart.* 11, 62, 10. Arrigere linguam non potest. ℙ Habet obscenum sensum tum active cum accusativo apud *Auct Priapeor.* 82. *extr.* Et inquietus inguine arrigat tumor; tum absolute et neutrorum more apud *Suet. Aug.* 69. *Mart.* 3, 76. Arrigis ad vetulas, fastidis, Basse, puellas, et 10, 91. et 11, 46. etc. σπεύω, σπεύομαι. ℙ Translate est excitare. *Sall. Cat.* 40. Vetus certamen animos eorum arrexit. [**Liv.* 45, 30. libertas praeter spem data arrexit, sc. animos, quod voc. praecedit.] *Id. Jug.* 86. Eos non paulum oratione sua Marius arrexerat. *Virg. A.* 12, 251. Arrexere animos Itali. ℙ [*Confunduntur *arrigere* et *erigere.* V. *Cort.* ad *Sall. Cat.* l. l. et cf. ARRECTUS.]

ARRILĂTOR et Arilator, oris, m. πραγματευτής, μεταπράτης, negotiator, mercator, qui empturiens data arra sibi postulat credi: ab *arra*, ut *Scalig.* ad *Fest.* et *Voss. Etym.* censent. *Paulus* ex *Festo*: Arilator, qui etiam cocio appellatur, dictus videtur a voce Graeca, quae est αἴρω, tolle, quia sequitur merces, ex quibus quid cadens lucelli possit tollere. Sunt etiam qui ab *ara* derivant, propterea quod in Gloss. vet. etiam βωμοφόρος exponitur: alii a diminutivo *arula*, et scribunt *arulator.* Legitur etiam *arilator* et *arrulator.* Sed ut origo et scribendi ratio dubia sit, vera certe esse videtur significatio, quam posuimus. Usus est hac voce *Laberius* ap. *Gell.* 16, 7. V. *Voss. Etym.*

[ARRĪNUS, i, m. ab ἄῤῥιν, ινος, naso carens, vel translate naris obesae. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 23, 8. K. Aemilius K. F. Quir. Arrinus. Hinc ex more Latinorum scribitur sine aspiratione pro *Arrhinus. F.*]

ARRĪPĬO et Adr., is, ipui, eptum, a. 3. προσαρπάζω, statim corripio, vi prehendo, capio, ex *ad* et *rapio*, quasi ad me rapio. *Virg. A.* 9, 561. simul arripit ipsum Pendentem et magna muri cum parte revellit. *Suet. Galb.* 20. Arripere caput capillo. *Pl. Rud.* 3, 4, 64. aliquem barba. *Ter. Ad.* 3, 2, 18. et *Liv.* 1, 48. Arripere aliquem medium. *Pl. Curc.* 5, 1, 7. Manum arripere mordicus. *Arripi somno* est corripi. *Justin.* 11, 13. Confectum curis Alexandrum somnus arripuit. ℙ Pro simplici *capio*, aut *prehendo* sine vi. [*De *vi* in hoc v. per se non est cogitandum; verum celeritatis ac cujusdam vehementiae notio ei semper adhaeret. Loci igitur qui sequuntur, nihil differunt a superioribus.] *Nep. Alc.* 10. Hunc sequi se jubet, et id, quid in praesentia vestimentorum fuit, arripuit. *Pl. Merc.* 3, 3, 18. Coquum aliquem arripere, prandium qui percoquat. *Id. Curc.* 2, 3, 79. Talos arripere, invocare Herculem; jactare basilicum. *Id. Capt.* 4, 4, 7. gladium. *Liv.* 35, 36. arma. *Tac. Hist.* 3, 23. scutum e strage. [*Id. A.* 3, 36. arrepta imagine Principis; loquitur de supplice, qui ad arcendam injuriam ad eam tanquam ad aram confugit.] Et 41. Arripere naves, *h. e.* capere et conscendere. ℙ Pro aggredi, invadere, occupare [*ubi de repentino impetu cogitant]. *Virg. A.* 9, 13. turbata arripe castra. *Id. ib.* 11, 531. Arripere locum. *Tac. Hist.* 4, 17. *ad f.* Proinde arriperent vacui occupatos: integri fessos. [*Ac translate de iis quoque, qui verbis tantum aliquem aggrediuntur, i. e. perstringere]: *Hor. Sat.* 2, 1, 69. de Lucilio: primores populi arripuit, populumque tributim, *h. e.* delegit, sumpsit, quos versibus carperet, in quos inveheretur. ℙ Translate elegantes habet usus. [*Ac primum quidem de rebus dicitur, quas oblatas tenemus, ut iis uti possimus.] *Cic. Sext.* 32. Arripere sibi cognomen ex aliorum imaginibus. *Id. N. D.* 2, 65. aliquid ad reprehendendum. *Id. Dom.* 5. causam aliquam ad incendia, caedem, rapinas. [**Tac. A.* 15, 54. suspiciones.] *Id. Flacc.* 8. facultatem laedendi, quaecumque detur. et *Or.* 1, 57. patrocinium aequitatis. [**Id. ib.* 59. vox et gestus subito sumi et aliunde arripi non potest; juris utilitas, quamvis repente vel a peritis vel de libris depromi potest.] et *Fin.* 3, 2. verba de foro. *Id. Mur.* 6. maledictum ex trivio. *Pl. Mil.* 2, 2, 65. opem et auxilium ad rem aliquam. *Val. Max.* 1, 5. *n.* 3. omen. *Arripere occasionem* est occasionem statim capere, nec differre, quod oblatum est. *Liv.* 35, 12. *ad f.* Et primam quamque occasionem recuperandi ea, quae bello amisissent, arrepturos. *Suet. Rhet.* 6. Arripiente eo conditionem. [**Cic. Fam.* 5, 12. ad properationem meam quiddam interest, te non exspectare, donec ad locum venias, sed statim causam illam totum et tempus arripere.] Sic *Ter. Eun.* 3, 5, 23. Submonuit me Parmeno ibi servus: quod ego arripui. ℙ [*Porro est i. q. accipere, sed adjuncta notione vel vehementiae vel studii, quo ad aliquam rem fe-

rimur.] *Cic. N. D.* 3, 11. Quaerit Socrates, unde animam arripuerimus, si nulla fuerit in mundo. [**Id. Div.* 2, 11. Genus divinandi — naturale, quod animus arriperet aut exciperet extrinsecus ex divinitate.] Ac sine casu: *Id. Fin.* 2, 29. Maximus dolor, qui simulatque arripuit, interficit. ℙ De animo quum dicitur, est i. q. cupide ac celeriter apprehendere. *Cic. Sen.* 21. *ad f.* Pueri celeriter res innumerabiles arripiunt. [*Saepe ita de docilibus dicitur, ut docet *Heins.* ad *Ov. Met.* 8, 241.] Praecipue autem refertur ad studia litterarum. *Cic. Sen.* 8. Avide arripere litteras Graecas. *Nep. Cat.* 3. Litterarum studium etsi senior arripuerat, tamen etc. [*Cf. *Brem.* ad h. l. De eodem Catone *Cic. Mur.* 30. haec (philosophiae studia) arripuit.] ℙ Pro rapere in jus accusando. *Suet. Caes.* 23. Statim quaestor ejus in praejudicium aliquot criminibus arreptus est, ubi *Torrentius:* Elegans verbum, et quod aviditatem accusatoris exprimit. [**Id. Vit.* 2. post praeturae honorem inter Sejani conscios arreptus. Praecipue de magistratibus, qui quum se munere abdicarunt, in jus vocantur: *Liv.* 2, 54. abeuntes magistratu (Consules) Cn. Genucius Tribunus pl. arripuit. *Id.* 6, 6. arreptus a viatore, i. e. in jus raptus. Cf. *id.* 3, 58. sub ARREPTUS.] ℙ Quae addunt plerique Lexicographi, *arripere ad quaestionem: arripi in carcerem: arripere se foras*, et alia hujusmodi; rectius ad verbum *Abripio* pertinent: tametsi non desunt, qui etiam in his *arripio* defendunt. [*Sic e. g. *Cic. Pis.* 34. legendum est: familias abripuerunt; ac fere ubique haec vv. commutantur. V. *Burm.* ad *Prop.* 2, 22, 7. et nos sub ABRIPIO. Commutantur etiam *arripere* et *eripere; Burm.* ad *Virg. A.* 2, 619. *coll.* 7, 119.]

ARRĪSĬO, onis, f. actus arridendi, applausus risu factus. *Auct.* ad *Her.* 1, 6. *ad f.* Interpellatio aut arrisio.

ARRĪSOR, oris, f. qui arridet, adulatur. *Sen. ep*, 27. Stultorum divitum arrosor, et quod sequitur, arrisor.

ARRĪUS, nomen proprium Romanum; [hinc gens Arria Romae nobilis fuit. Id fortasse derivandum ab *Ἄρης*, Mars, vel ab *ἄρειος*, bellicosus, vel ab *Aruns* nomen proprium apud Etruscos. Hujus gentis origo repetenda ex Campania, uti probat *Bartolem. Borghesi V. C.* in opere, cui titulus: *Della gente Arria Romana Dissert.*, in qua multa et exquisita eruditione plenissima legesis huc pertinentia. V. ARIUS. *F.*]

ARRŌDO et Adr., is, osi, osum, a. 3. abrodo, circumrodo. V. ARROSUS. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 33. Ut illa ex vepreculis extracta nitedula Rempublicam conaretur arrodere. *Sidon. ep.* 7, 6. Lupus Ecclesiasticas caulas clandestino morsu arrodit.

ARRŌGANS, antis, part. v. *arrogo; ἀλαζών*, qui sibi temere atque insolenter tribuit, quae non habet. *Caes. B. C.* 3, 1. Ne arrogans in praeripiendo populi beneficio videretur. *Cic. Font.* 12. Inducimarus iste minax atque arrogans. *Id. Dom.* 12. Quid est tam arrogans, quam de religione, de rebus divinis, caeremoniis, sacris pontificum collegium docere conari? [**Cic. Verr.* 2, 1, 60. tantum dicam, paucos homines, ut levissime dicam, arrogantes, hoc adjutore Q. Opimium per ludum et jocum fortunis omnibus evertisse; de quo l. V. *Schütz.* in *cl. Cic. Id. Fam.* 5, 4. arrogans crudelitas.] *Tac. A.* 11, 21. Adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis. *Quint.* 12, 3. *sub f.* Pigritia arrogantior. [**Tac. A.* 1, 3. arrogans moderatio.] *Quint. Decl.* 7, 12. Arrogantissime percussorum, evasisse te putabas, [*i. e. in arrogando superbissime, ut *Cic. Phil.* 10, 9. quorum (veteranorum) etiamsi complecterer virtutem; tamen si essent arrogantes, non possem ferre fastidium, i. e. si suopte nutu mentes ordinis senatorii gubernare et omnia ejus dicta facta ad suam voluntatem referri velint. Ita *Schütz.*] *Quint. Decl.* 8, 9. Arrogantissima persuasio. *Macr. Sat.* 1, 11. Arrogantissimum proverbium.

ARRŌGANTER, adv. *ἀλαζονικῶς*. *Cic. Att.* 6, 1. Ad me autem, etiam cum rogat aliquid, contumaciter, arroganter, *ἀκοινωνήτως* solet scribere. *Id. Ligar.* 10. Arroganter petere aliquid. *Id.* ad *Brut.* 1, 4. Arroganter praejudicare aliquid, et ad arbitrium suum revocare. *Id. Mur.* 37. Nihil dicam arrogantius. *Id. Inv.* 2, 3. Temere atque arroganter assentiri alicui rei. *Caes. B. G.* 1, 40. Arroganter facere. *Tac. Agr.* 16. Arroganter consulere in deditos. [**Cic. Fam.* 11, 13. arroganter sustinent, sc. hostem, i. e. animose et cum contemtu hostis.] *Gell.* 9, 15. Praefari arrogantius et elatius, quam decet. *Oros.* 7, 25. Arrogantissime excipere aliquem. Et 35. *in f.* Arrogantissime praesumere.

ARRŌGANTĬA, ae, f. *ἀλαζονεία*, [**πλεονεξία*], vitium, quo quis bona, quae non habet, sibi assumit. Differt a *superbia*, quia superbus turgescit iis bonis, quae re vera habet, arrogans temere et impudenter bona sibi vendicat, quae non habet. Differt etiam ab *insolentia*, quae est ejus, qui affluentibus rebus, et arridente fortuna, cui non est assuetus, aequam mentem servare nescit, et licere sibi omnia putat. Quamquam haec discrimina perpetua non sunt. *Cic. Off.* 1, 26. Superbiam, fastidium, arrogantiamque fugiamus. [**Tac. Agr.* 9. (Agricola, ubi officio satisfactum) tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat; h. l. arr. esse videtur severus vultus et majestas quaedam, qualis decet judicem et Romanum contra provinciales.] *Cic. Inv.* 1, 28. Ex arrogantia odium, ex insolentia arrogantia. *Id. Divinat. in Verr.* 11. Cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiae multo molestissima. *Id. Mur.* 24. Sermo plenus arrogantiae. *Id. Or.* 38. Extimescere crimen arrogantiae. *Auct.* ad *Her.* 1, 5. Laudare officium suum sine arrogantia. *Id.* 1, 1. Assumere sibi aliquid inanis arrogantiae causa. *Caes. B. G.* 1, 46. Uti arrogantia. *Cic. Q. Fr.* 3, 6. Minuere arrogantiam. *Id. Cluent.* 39. Gravis et intolerabilis arrogantia. [**Tac. A.* 13, 2. arrogantia tristis.] *Quint.* 4, 1. Laborare opinione arrogantiae. ℙ Pro pertinacia, obstinatione. *Liv.* 37, 56. *in f.* Cessuros se potius arrogantiae Antipatri, quam causam turbandae pacis praebituros.

ARRŌGĀTĬO et Adr., onis, f. *νίωσις*, actus arrogandi, *h. e.* assumendi, adsciscendique aliquem in filium. Differt ab *adoptione*, quia *adoptio* est eorum, qui sub patria potestate sunt: *arrogatio* eorum, qui sunt sui juris. Illa per praetorem fit, haec per populum comitiis curiatis: unde et nomen traxit, quia per populi rogationem fit. Ejus autem rogationis formula haec est apud *Gell.* 5, 19. Velitis, jubeatis, Quirites, uti L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius sibi siet, quam si ex eo patre, matreque familias natus esset; utique ei vitae necisque in eo potestas siet, uti patri endo filio est. Haec uti dixi, ita vos, Quirites, rogo. Adde *Modestin. Dig.* 1, 7, 1., ubi *Cajus ib.* 1, 7, 2. aliam tradit rationem, cur *arrogatio* dicatur, nempe quia et is, qui arrogat, rogatur, id est interrogatur, an velit, eum quem arrogat, justum sibi filium esse; et is qui arrogatur, rogatur, an in id consentiat. *Aur. Vict. Caes.* 2. Tiberius in Augusti liberos e privigno redactus arrogatione. ℙ Translata a populo in principes reipublicae administratione, hujus auctoritate arrogationes fieri coeptae sunt, ut ex *Cajo l. c.* et ex *Justin. in Institut.* 1. *tit.* 11. colligitur.

ARRŌGĀTOR et Adr., oris, m. qui aliquem sibi in filium arrogatione assumit. *Cajus Dig.* 1, 7, 2. Subjici potestati arrogatoris. Adde *Ulp. ib.* 19. et 22. et *Modestin.* 40.

ARRŌGĀTUS et Adr., a, um, part. v. *arrogo*, *νιωθείς*, in alienam familiam arrogatione assumptus. *Aur. Vict. Caes.* 13. Nerva Trajanum arrogatum accepit. *Marcell. Dig.* 1, 7, 18. Si arrogatus permansisset in statu suo.

ARRŌGO et Adr., as, avi, atum, a. 1. ex *ad* et *rogo*, quasi ad me rogo. *Arrogare sibi aliquid* est per temeritatem attribuere, et vindicare sibi aliquid; assumere id, cui impar sis, *ἀλαζονεύομαι*. *Cic. Rosc. Am.* 32. Non enim mihi tantum derogo, tametsi nihil arrogo, ut te copiosius, quam me, putem posse dicere. *Id. Planc.* 1. Quamquam mihi non sumo tantum, judices, neque arrogo, ut Cn. Plancium suis erga me meritis impunitatem consecuturum putem. *Id. Fam.* 4, 1. *in f.* Ego tibi tantum tribuo, quantum mihi fortasse arrogo. *Id. Brut.* 85. Arrogare sibi sapientiam. *Quint. prooem. l.* 1. sibi nomen insolentissimum. *Tac. Hist.* 1, 30. sibi nobilitatem aut modestiam. *Sall. Jug.* 88. sibi aliquid ex aliena virtute. *Hor. A. P.* 121. Jura neget sibi nata: nihil non arroget armis, *h. e.* omnia in armorum vi posita esse putet. ℙ *Arrogare aliquid alicui* est tribuere vel afferre; et in bonam quoque partem accipitur. *Hor. Od.* 4, 14, 36. Fortuna Laudemque et optatum peractis Imperiis decus arrogavit. *Id. Ep.* 2, 1, 35. Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus. ℙ *Arrogare aliquem* est in propriam familiam assumere; ea ratione, quae in ARROGATIO explicata est. *Modestin. Dig.* 1, 7, 1. Adoptantur filii familiarum; arrogantur qui sui juris sunt. *Ulp. ib.* 22. Arrogare aliquem in locum filii. *Marcell. ib.* 23, 2, 32. Dare se arrogandum alicui. Adde *Capitolin. Antonin.* 4. et *Gell.* 5, 19. ubi hac de re plura. Ideo autem *arrogare* dicitur, qui aliquem in filium assumit, quia rogat, seu interrogat populum, ut suam arrogationem approbet, ut *Gell. ib.* docet, et diximus in ARROGATIO; vel quia is, qui assumitur interrogatur, an velit, ut ex *Cajo ib.* docuimus. Quo pertinet illud *Pl. Rud.* 5, 2, 45. Venus haec volo arroget te. Nam, ut ait *Turneb. l.* 26. *c.* 2., in stipulatione est adstipulator plerumque, ut in promissione adpromissor: stipulator rogat, adstipulator adrogat: cujus vice Venus hoc loco fungitur, ad cujus aram initur pactum de reddendo vidulo, accepta pecunia. ℙ *Arrogare dictatorem consuli* apud *Liv.* 7, 25. est dictatorem creare, et consuli inducere, ut in eum imperium habeat: quia etiam dictator per quandam rogationis speciem aut a senatu, aut a populo poscebatur, quamvis soli fere consuli eum dicere liceret. [*Hi igitur duo loci (*Liv.* et *Plauti*) primitivam hujus voc. significationem referunt; reliquae enim ex hac demum originem duxerunt.]

ARROSOR, oris, m. qui arrodit. *Sen. ep.* 27. Stultorum divitum arrosor, *h. e.* qui eorum bona abligurit. *Lips.* in quodam suo codice legebat *abrasor* eod. sensu.

ARROSUS, a, um, part. v. *arrodo*, abrosus [*vel adrosus.] *Plin.* 8, 57, 82. Mures, arrosis Lanuvii clypeis argenteis, Marsicum portendere bellum. *Id.* 11, 30, 36. Formicae semina arrosa condunt. *Id. ib.* 37, 85. Sues spirantes a muribus arrosae.

[ARRŌTANS, tis, part. ab inusitat. *arroto*, circum torquens, idem ac rotans. *Sidon. ep.* 6, 1. Quis febriens, arrotanti tactu pulsum distinguat incolumem? *h. e.* tactu incerto. *F.*]

*ARRUBĬUM vel Arubium, oppidum Moesiae inferioris. *Tab. Peutinger. B. A.*

ARRUGĬA, ae, f. *χρυσωρυχία*, cuniculus subterraneus, ex quo effoditur aurum. *Plin.* 33, 4, 21. Arrugias id genus vocant: siduntque rimae subito, et opprimunt operatos. *Id. ib.* Aurum arrugia quaesitum non coquitur, sed statim suum est. In *Suppositis Aul. Plauti* legitur *arrogia.*

ARRULĀTOR. V. ARRILATOR.

*ARRUNTĬUS vel Aruntius, i, sub Augusto scripsit stylo Sallustiano bellum Punicum. *Sen. ep.* 114. post med. et *praef.* in l. 7. *Controv. Plin.* 3. et 5. *Tac. A.* 1, 8. Diversus ab eo, cujus meminit *Sen. benef.* 6, 38. ℙ Arruntius, Consul, An. U. C. 732. inter scriptores illustres, scripsit Geographica. De eo V. *Tac.* 6, 47. 48. ℙ Item medicus insignis. *Plin.* 29, 1. *B. A.*

ARS, artis, f. *τέχνη* [*Quoniam nimis perfunctorie in hac v. versatus est *Forc.*, de ea accuratius egimus, maxime duce *Schützio* in *cl. Cic.* Ac primum monet *Furl.*, derivari h. v. ab aliis (*Donat.* ad *Ter. Andr.* 1, 1, 4. et *Isid. Or.* 1, 1.) ab *ἀρετή*, *virtus;* ab aliis ab *ἄρος*, *utilitas*, quod est ab *ἀρῶ* necto, apto, ut *mens* est a *μένος*. Posterius praeferendum est, ita quidem, ut ars proprie sit i. q. concinna dexteritas, hinc omnino i. q. facultas rem aliquam sive utilem sive jucundam efficiendi. *Diomed.* 2. p. 414. ita explicat: ars est rei cujusdam scientia, usu vel traditione vel ratione percepta, tendens ad usum aliquem vitae necessarium. Latissime autem patet usus h. v., ac nunc latius nunc angustius intelligendum est. Primum autem *ars* ad dexteritatem corporis et manuum refertur. *Cic. N. D.* 2, 22. Zeno — censet artis maxime proprium esse creare et gignere; quodque in operibus nostrarum artium manus efficiat, id multo artificiosius naturam efficere. *Id. Ac.* pr. 2, 7. artes eae, quarum omne opus est in faciendo atque agendo. *Id. Off.* 2, 3. ea quae inanima diximus, pleraque sunt hominum operis effecta, quae nec haberemus, nisi manus et ars accessisset etc. Enumerat *ib.* in artibus: medicinam, navigationem, agriculturam, metallifodinam, architecturam, alia. Appellantur autem artium aliae *liberales* s. *ingenuae*,] *Plin. prooem.* l. 14. artes liberales. [**Quint. Decl.* 4, 9. honestae.] *Cic. Fam.* 4, 3. ingenuae; [*aliae illiberales sive sordidae, i. e. quae a servis et opificibus exercentur. De utrisque cf. locum *Cic. Off.* 1, 42. et *Or.* 3, 32. Hippias Eleus etc. etc., ubi singulas artes utriusque generis recenset. Jam addamus alias loquendi formulas a Nostro allatas.] *Cic. Or.* 55. Notatio naturae et animadversio peperit artem. [**coll. Div.* 1, 14. ars est effecta, eadem saepe animadvertendo atque notando.] *Id. ib.* 43. factitare artem aliquam. *Id. ib.* 2, 38. tradere artem disserendi, i. e. dialectica. *Ov. Her.* 16, 364. instruere aliquem arte sc. sagittandi. *Id. A. Am.* 1, 459. discere artes. *Hor. ep.* 1, 14, 44. exercere artem. *Cic. Off.* 1, 42. versari in arte aliqua. *Ov. Am.* alicui rei. Ac de singulis artibus: *Quint.* 2, 17. imperatoria. *Tac. A.* 12, 12. militares, *h. e.* quibus 1, 15, 14. valere arte. *Plin.* 8, 51, 77. adhibere artem bellum administratur. [*Paullo aliter *Liv.* 25, 19. tanquam eaedem militares et imperatoriae artes essent, i. e. militis et imperatoris.] *Id. Agr.* 39. civiles, *h. e.* quibus domi et pacis tempore civilis vita excolitur. [*Eaedem ab *Liv.* 9, 42. *urbanae* dicuntur, i. e. juris peritia et eloquentia; opp. militares. *Tac. A.* 13, 2. diversa arte ex aequo pollere, i. e. alter bellica, alter civili. *Liv.* 25, 40. belli.] *Quint.* 2, 17. rhetorica. *Plin.* 2, 25, 23. musica. *Id.* 25, 2, 3. medendi. ℙ [**Ars* interdum absolute ponitur pro certa aliqua arte: *Prop.* 2, 10, 8. Tunc ego sim Inachio notior arte Lino, i. e. arte canendi. *Tac. A.* 1, 73. inter alios ejusdem artis, sc. histrionum. Sic *κατ' ἐξοχήν* ars dicitur pro arte navigandi. V. *Barth.* ad *Stat. Th.* 3, 29. coll. *Sil.* 4, 715. *Luc.* 7, 127 — *Ov. Trist.* 4, 10, 16. Imus ad insignes Urbis ab arte viros, i. e. vel ab arte Grammatica (v. infra); vel poetice singularis positus est pro plurali, (i. e. artes liberales), ut vult *Burm.*, quem V.] Sic dicitur *homo alicujus artis*, qui artem aliquam callet et profitetur. *Plin.* 9, 8, 8. Arion citharoedicae artis. *Id.* 30, 2, 6. *ad f.* Apion grammaticae artis. Adde 7, 39, 40. Eodem sensu interdum ars ponitur pro exquisito artificio, diligentia, cura. [**Cic. Acad.* 2,

14. majore quadam opus est vel arte vel diligentia.] *Virg. A.* 1, 643. Arte laboratae vestes. *Ov. Her.* 3, 32. Et tripodas septem pondere et arte pares. *Mart.* 10, 47. Convictus facilis, sine arte mensa. *Ov. A. Am.* 1, 113. Plausus tunc arte carebat, *h. e.* erat simplex et sincerus. Et 2, 506. Qui canit arte, canat; qui bibit arte, bibat. *Gell.* 3, 5. Arte compositus capillus. ℙ Ac poetice pro opere artis. *Hor. Od.* 4, 8, 5. divite me scilicet artium, Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas. *Virg. A.* 5, 259. clypeum efferri jussit, Didymaonis artes. ℙ Porro „ars dicitur complexus praeceptorum, quibus ipsorum artificiorum doctrina continetur *(Theorie, Kunsttheorie)*“ *Schütz.*] *Auct.* ad *Her.* 1, 1. ars est praeceptio, quae dat certam viam rationemque faciendi aliquid. [**Cic. Or.* 2, 11. non omnia, quaecunque loquimur, mihi videntur ad artem et ad praecepta esse revocanda. *Ib.* 2, 7. eloquentia res mihi videtur facultate praeclara, arte mediocris. Et quod statim sequitur: nam ars earum rerum est, quae sciuntur; arti opp. facultas (*Theorie der Praxis*). Quae in his *ars*, ea in aliis locis *scientia* dicitur. *Cic. Rep.* 1, 2. ars, quum ea non utare, scientia tamen ipsa teneri — potest. Sic artes dicuntur pro rationibus doctrinae: *id. ib.* 3, 4. philosophi verbis et artibus aluerunt naturae principia. V. *Moser.* ad h. l. Inprimis *καὶ ἐξοχήν* saepe *ars* appellatur ars rhetorica, (dialectica, physica, cf. *Goer.* ad *Cic. Fin.* 3, 15, 49.) et *artes* libri de arte rhet. scripti.] *Quint.* 2, 15. Haec opinio originem ab Isocrate (si tamen revera ars, quae circumfertur, ejus est,) duxit. [**Cic. Fin.* 4, 3. de Peripateticis: quam multa non solum praecepta in artibus, sed etiam exempla in orationibus bene dicendi reliquerunt. *Quint.* 10, 1, 15. exempla sunt potentiora etiam ipsis quae traduntur artibus; et *ib.* §. 47. nonne omnes litium ac consiliorum explicant artes, i. e. praecepta rhetorica. V. *Spald.*] *Cic. Inv.* 1, 6. neque eo dico, quod ejus (Hermagorae) ars mihi mendosissime scripta videatur; nam satis in ea videtur ex antiquis artibus (i. e. libris de arte rhet. scriptis) ingeniose et diligenter — collocasse. *Ib. paullo post*: dicere ex arte. *Auct.* ad *Her.* 4, 4. scribere ex arte.] *Cic. Top.* 8. Itaque in oratoriis artibus, quaestionis genere proposito, quot ejus formae sint, subjungitur absolute, i. e. in praeceptis artis oratoriae. ℙ Eodem prorsus modo magis etiam in specie dicitur de libris, in quibus agitur de ipsa arte Grammatica. *Serv.* ad *A.* 7, 787. Legitur in Arte, quod *tam*, *magis* positivo tantum jungantur. Sic *Ars Phocae*, *Cledonii* etc. apud *Putsch.* ℙ [**Porro*, quod Noster prorsus omisit, *ars* dicitur de iis doctrinis, quae non actione, sed certa scientia continentur, nos *Wissenschaft*. *Cic. Or.* 1, 20. (Charmadas) artem vero negabat esse ullam, nisi quae cognitis penitusque perspectis et in unum exitum spectantibus et nunquam fallentibus rebus contineretur etc., quae *ib.* leguntur. *Id. ib. c.* 23. nam si ars ita definitur, ex rebus penitus perspectis planeque cognitis atque ab opinionis arbitrio sejunctis scientiaque comprehensis, non mihi videtur ars oratoria esse ulla; sin autem etc. *Id. ib.* 1, 3. mathematici — recondita in arte et multiplici subtilique versantur. Et *ib.* artium omnium laudatarum procreatrix quaedam et quasi parens ea quam *φιλοσοφίαν* Graeci vocant. ℙ Hoc latius etiam patet, et comprehendit voc. artis omnes simul doctrinas, quae in operibus aut negotiis efficiendis elaborant. Cf. supra l. ex *Cic. Acad. pr.* 2, 7. *Cic. Fin.* 5, 6. Antiochus negabat ullam esse artem, quae ipsa a se proficisceretur. — Quoniam igitur ut medicina valitudinis, navigationis gubernatio, sic vivendi ars est prudentia; necesse est eam quoque ab aliqua re esse constitutam atque profectam. Alia exempla Ciceronis V. apud *Schütz.* l. l.] *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 9. §. 60. Me non pudebit dicere, nos ea, quae consecuti sumus, his studiis et artibus esse adeptos, quae sint nobis Graeciae monumentis disciplinisque tradita. *Id. Coel.* 30. Ejus prima aetas dedita disciplinis fuit iisque artibus, quibus instruimur ad hunc forensem usum, ad remp. capessendam, ad honorem, gloriam, dignitatem. *Id. Or.* 1. instructum esse magnarum artium disciplinis. *Id. Fam.* 7, 3. optimarum artium scientia. *Nep. Att.* 12. optimis artibus eruditus. Intellige de poesi. ℙ [**Porro* ars s. *artes* significant i. q. mores et studia, vel vitae rationem, ideoque vel virtutes (prudentia, sollertia, industria) sunt; vel vitia, (doli, fraudes). *Pl. Trin.* 1, 2, 35. si in te aegrotant artes antiquae tuae, i. e. vivendi ratio, qua olim usus es. *Id. ib.* 2, 1, 6. utram potius harum artem mihi expetessam? V. *Lind.* — *Tac. A.* 11, 24. jam moribus, artibus, affinitatibus nostris mixti.] *Hor. Od.* 3, 3, 9. Hac arte Pollux et vagus Hercules Innixus arces attigit igneas, *h. e.* justitia et constantia. [**Cic. Man.* 13. multae sunt artes eximiae, hujus administrae comitesque virtutis (i. e. fortitudinis); cf. *Matth.* ad h. l. *Id. ep. Qu. Fr.* 1, 1, 90. contende, ut omnia illa tuis artibus superasse videare; (praecedit paullo ante: quoniam ejusmodi theatrum virtutibus tuis datum est); bene autem addit *Matth.* artes non tam esse virtutes, quam earum loco et tempore exercendarum scientia. Adde *Cort.* ad *Sall. Cat.* 2, 4.] *Ter. Andr.* 1, 1, 4. Quid est, quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius? i. e. mea industria, sed cum prudentia agendi conjuncta, quae etiam *solertia* appellatur. *Id. Ad.* 4, 7, 24. Nempe tua arte viginti minae pro psaltria periere. *Tac. Agr.* 27. Ars ducis. [**Ov. Rem. Am.* 713. mores quoque confer et artes. *Id. Met.* 6, 58. cultusque artesque virorum. *Hor.* 4, 1, 15. centum puer artium. — Bonis artibus (*Nep. Att.* 12. optimis artibus eruditus) opponuntur *malae*. *Tac. A.* 14, 57. Tigellinus malas artes, quibus solis pollebat, gratiores ratus, si principem societate scelerum obstringeret. Hinc in specie pro calliditate, dolo, fraudibus. *Liv.* 2, 51. Capti eadem arte sunt, qua ceperant Fabios. [**Lucan.* 4, 449. arte antiqua parat Cilix fraudes innectere ponto. *Ib.* 744. *Virg. A.* 7, 477.] *Ib.* 1, 661. At Cytherea novas artes, nova pectore versat Consilia. *Id. ib.* 2, 152. Ille dolis instructus et arte Pelasga. *Ov. Her.* 12, 50. Decipere aliquem arte. *Id. ib.* 17, 142. Ludere aliquem arte. Adde *A. Am.* 1, 242. ℙ Artes pro musis, quae artium praesides sunt. *Phaedr. prol.* 3, 18. Tonanti sancta Mnemosyne Jovi Fecunda novies artium peperit chorum. ℙ [**Commutantur a librariis *ars* et *arx*, *Drak.* ad *Liv.* 1, 56, 3. et ad *Sil.* 13, 770. et quos utroque loco laudat. — et *Mars*, *Drak.* ad *Sil.* 7, 713. *artes* et *artus*, *id. ib.* 16, 403.; *ars* et *pars*, *Drak.* ad *Liv.* 1, 72. *Goer.* ad *Cic. Ac.* pr. 6. §. 25. et 2, 28, 92.; *arte* et *ante Drak.* ad *Liv.* 36, 11, 9.; *arte* et *apte*, *id. ib.* 23, 1, 6. et quos laudat; V. etiam nos sub APTE *in f.*; *ars* et *dos*, *Burm.* ad *Ov. A. A.* 1, 596.; *ars* et *res*, *Goer.* ad *Cic. Acad.* 2, 9, 29.]

*ARSA, ae, f. oppidum Hispaniae Baeticae, inter Juliam Restitutam et Sisaponem. *Plin.* 3, 1. V. etiam ARSUS. *B. A.*

ARSĂCES, is, m. *Ἀρσάκης*, nomen proprium Parthorum regis, cujus memoriae hunc honorem Parthi tribuerunt propter quaesitum constitutumque ab eo regnum, ut omnes deinde reges suos Arsaces appellaverint, quemadmodum Aegyptii reges suos vocaverunt Ptolemaeos, quin et Parthi ipsi ab eo *Arsacidae* dicti sunt. *Justin.* 41, 5.

ARSĂCĬDAE, arum, m. plur. Arsacis Parthorum regis successores, seu posteri. *Tac. Hist.* 1, 40. Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri. V. v. praec. *Lucan.* 8, 217. vocesque superbo Arsacidae perferre meas. Et 306. O utinam non tanta mihi fiducia saevis Esset in Arsacidis! *Id.* 10, 51. Arsacidum dominus, *h. e.* Alexander M., qui Persas devicit. *Arsacidum* pro *Arsacidarum*.

ARSĂCĬUS, a, um, adj. ab Arsace deductum, et ponitur pro Persico. *Mart.* 9, 36. Scis, quid in Arsacia Pacorus deliberat aula.

*ARSAGALĬTAE, arum, populi Indiae, trans Indum flumen. *Plin.* 5, 20. *B. A.*

*ARSAMOSATA. V. ARMOSATA. *B. A.*

*ARSANĬAS, ae, m. flumen Armeniae majoris, in Euphratem fluens. *Plin.* 5, 24. et 6, 27. *Tac. A.* 15, 15. *B. A.*

ARSE VERSE Tuscorum lingua significat *averte ignem*. Nam *arse* averte, *verse* ignem constat appellari: unde *Afranius* ait: Inscribat aliquis in ostio Arse Verse (legit *Scalig.* Arse Verse in ostio). Unde apparet superstitio veterum, qui ad deprecandum incendium inscribebant in ostio id, quod ad eam rem faceret, ut testatur *Plin.* 28, 2, 4. [Etiam parietes incendiorum deprecationibus conscribuntur. Porro *Arse* ab Hebr. פָּרַס, *vertit*, et *Verse* ab אֵשׁ, *ignis*, a quo ut, addito digammate, fit *Vesta* Romanorum Dea, sic addito rursus R (qua Tusca vocabula redundant) fit *Versa* seu *Verse*. *F.* *Nobis hae nugae videntur.]

[ARSELLĂ, ae, f. herba, alias argemonia. *Appul. Herb.* 31. *F.*]

[ARSĔNĂRĬUS, a, um, adj. ad Arsenam pertinens, Mauretaniae Caesariensis, antea Numidiae, coloniam Latinam inter Quizam et Cartennam, a mari tribus passuum millibus ex *Plin.* 5, 1, 1., quae nunc *Arzen* appellatur. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 5. Praef. Cohortis VII. Lusitan. et nation. Getulic. Arsen. quae sunt in Numidia. A *Mela* 1, 6. *Arna*, a *Plin. l. c. Arsennaria*, aliter ab aliis appellatur, sed ex nostro lapide *Arsenam* vocandam arbitror. *F.* et *B. A.*

ARSĔNĪCUM, ci, n. *ἀρσενικόν*, succus est mineralis, pinguis, inflammabilis, compositus ex pinguedine sulphurea, hydrargyro et spiritu salis candido. Duplex est, candidum, proprie *arsenicum*, et flavum, quod *auripigmentum* dicitur. *Plin.* 34, 28, 56. V. AURIPIGMENTUM. ℙ Creditur dictum a mascula et praesenti vi, quam habet hominis interimendi. Nam *ἀρσενικὸς* Graece masculum significat.

ARSĔNOGŎNON. V. in ARRHENOGONON.

*ARSI, orum, populi Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*ARSĬA, ae, Istriae fluvius. *Plin.* 3, 26. Illyrici longitudo a flumine Arsia ad flumen Drinium DCCC M. *Flor.* 2, 5. Illyrii seu Liburni sub extremis Alpium radicibus agunt inter Arsiam Titiumque flumen. Adde *Plin.* 3, 5. *B. A.*

*ARSĬA SYLVA in terra Hetruscorum fuit, Romanorum cum Veientibus et Hetruscis pugna celebris, ab Arsio heroe sic dicta. *Liv.* 2, 7. init. *Val. Max.* 1, 8. *B. A.*

*ARSIBĬLIS, e, adj. *καύσιμος*, Arsibilis, cremabilis *Vet. Gloss. B. A.*

ARSINEUM, i, n. est ornamentum capitis muliebris, ut *Festus* interpretatur. *Cato Orig.* apud *eund.* in *Ruscum*. Arsinea, rete, diadema, coronas aureas etc. Ita legit *Scalig.* alii *arsinia*; alii aliter.

*ARSINŎE, es, f. *Ἀρσινόη*, Ptolemaei Lagi filia, Ptolemaeorum Philadelphi et Cerauni soror, Lysimachi Macedonum regis uxor, mortuo marito, a fratre Ceramo, Macedoniae regnum ambiente et nuptias ejus ideo petente, decepta, illum in urbem suam Cassandream ultro invitat, filiosque suos Lysimachum sexdecim annos natum, Philippumque triennio minorem, utrumque forma insignem, coronatos occurrere jubet; quos Ptolemaeus ad occultandam fraudem cupide et ultra modum verae affectionis amplexus, osculis diu fatigat. Ubi vero ad portam ventum est, occupari arcem jubet, pueros autem interfici; qui cum ad matrem, in gremio ejus inter ipsa oscula trucidantur. Arsinoe vero spoliata filiis, scissa veste et crinibus sparsis, cum duobus servulis ex urbe protracta, Samothraciam in exsilium abiit, eo miserior, quod mori cum filiis non potuit. Mater fuit celebris Berenices, cujus capillum inter sidera Conon Mathematicus, gratiam regis Euergetae aucupatus, figmento retulit. De quo crine *Callimachus* elegiam composuit, conversam Latine a *Catullo epigr.* 67. V. omnino *Justin.* l. 17. et 24. ℙ Item alia, Ptolemaei Auletae filia minor, Cleopatrae soror, quae, dum Caesar in regia Alexandriae obsideretur, vacuam possessionem regni sperans, ad Achillam se ex regia contulit, unaque cum illo bellum administrare coepit: sed mox controversia de principatu inter eos orta, cum uterque utrique insidiaretur, Arsinoe per Ganymedum nutritium suum Achillam interfici curat, atque hoc modo imperium obtinet. *Lucan.* 10, 519. seqq. Ipsa dein ab Antonio, in gratiam Cleopatrae, interfecta est. *Hirt. B. Alex.* 4. et 33. Cf. *Appian de Bell. Alex.* 5. ℙ Item soror et uxor Ptolemaei Philadelphi, post mortem sub nomine Veneris Zephyritidis pro dea culta. Templum habuit, quod sub exitum mariti ita construxit architectus Dinocrates, ut testudo tecti magnete concamerata esset. Qui lapis cum ingenita vi ferrum attrahat, simulacrum Arsinoes ferro factum in medio aere suspensum tenuit. *Plin.* 34, 14. ℙ Item alia, uxor Agae Cyrenensium regis, quae filiam Berenicen filio fratris mariti adimere conata, ut illam Demetrio, quem parum pudice amabat, traderet, pulsa est. *Justin.* 26. c. ult. ℙ Item Hyadum una. *Hygin. fab.* 182. ℙ Fuit et Arsinoe variarum urbium nomen; quarum una in Aegypto inferiore fuit, ad sinum Arabicum. *Plin.* 5, 9. ℙ Altera fuit in Cyrenaica, dicta etiam Teuchira. *Plin. l. l.* et *c.* 5. *Mela* 1, 8. ante med. ℙ Tertia in Cilicia. *Plin.* 5, 27. ℙ Quarta etiam in Cilicia, ad partem australem. *Plin.* 5, 31. ℙ Quatuordecim urbes hoc nomine fuisse ex veteribus monumentis constat. Nos earum tantum mentionem fecimus, quarum Latina est auctoritas. *B. A.*

[ARSĪNŎĒTĬCUS, a, um, adj. ad Arsinoen, Ciliciae oppidum, pertinens. *Plin.* 36, 22, 47. Cotes Ciliciae ex oleo et aqua pollent, ex aqua Arsinoeticae. *F.*]

[ARSĪNŎĒUM, i, n. sic appellatum fuit monumentum, quod Ptolemaeus Philadelphus Arsinoe sorori suae eidemque uxori ponendum curavit. *Plin.* 36, 9, 14. *n.* 3. Hic obeliscus fuit in Arsinoeo potius a rege, munus amoris in conjugem eandemque sororem Arsinoem. *F.*]

ARSIS, sis, f. *ἄρσις*, dicitur elevatio vocis, sicut *θέσις* positio est, ut in voce *arma*, *ar* elevatio est, *ma* positio, ut docet *Diomed.* 3. p. 471. et p. 501. Est autem Graeca vox ab *αἴρω* tollo. Latino usurpatur a *Capell.* 9. p. 328.

[ARSŪRĂ, ae, f. in lemmate *Appul. Herb.* 118. habetur: Ad arsuram stomachi, *h.* e. ad sitim sedandum. Donec alia afferatur hujus vocis auctoritas, jure Latii donandum non esse equidem arbitror, cum minime innotescat quisnam et cujus aetatis sit illius lemmatis auctor. *F.*]

ARSUS, a, um, part. *ardeo*, excoctus, tostus. *Plin. Valer.* 2, 9. Ovi duri medium arsum manducare. ℙ *Arsa* fuit cognomen Romanum. *Liv.* 3, 9. C. Terentillus Arsa tribunus plebis.

ARTĂBA, ae, f. *ἀρτάβη*, mensura aridorum apud Aegyptios, quae tribus modiis Romanis et tertia unius parte constabat. *Rhemn. Fann. de Ponder.* 89. Est etiam terris, quas advena Nilus inundat, Artaba, cui superat modii pars tertia post tres; Namque decem modiis explebitur artaba triplex. Adde *Isid. Or.* 15, 26.

*ARTABĀNUS, i, Parthorum rex, ex Arsacidarum genere. *Justin.* 42, 2. *Tac. A.* 1, 3. seqq. ℙ Item unus ex Xerxis ducibus. *Nep. Reg.* 1. *Justin.* 3, 1. *B. A.*

*ARTABARĪTAE, arum, Aethiopiae populi. *Plin.* 6, 3. *B. A.*

*ARTABRI, orum, populi Hispaniae Tarraconensis, nomen ducentes ab Artabro promontorio, quod hodie *Cap finis terrae. Mela* 3, 1. post med. ℙ *Artabrum promontorium* meminit *Plin.* 2, 108. ℙ *Artabrus* in singulari numero habet *Sil.* 3, 362. *B. A.*

*ARTACABĀNE, es, oppidum Asiae ulterioris, in Aria (Ariana) regione. *Plin.* 5, 23. *B. A.*

*ARTACAEON, insula in Propontide, cum oppido cognomine. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

ARTACIĒ, es, f. Ἀρταχίη, fons apud Laestrygonas. *Tibull.* 4, 1, 59. Incultos adiit Laestrygonas, Antiphatenque, Mobilis Artacie gelida quos irrigat unda.

*ARTACOĀNA, orum, oppidum Ariae (Arianae) regionis. *Plin.* 6, 23. *Artacaena* audit *Curt.* 6, 6, 36. *B. A.*

*ARTAGERA, ae, oppidum Armeniae majoris. *Vell.* 2, 102. *B. A.*

*ARTALBĪUM, i, oppidum Galliae Belgicae, in regione Rauracorum. *Anton. Itin.* Dictum *Arialbinum* in *Tab. Peut. B. A.*

*ARTAMIS, fluvius Bactrianae. *Ammian.* 23, 26. *B. A.*

*ARTĀTUS, i, Illyridis Graecae fluvius, in Penestia regione. *Liv.* 43, 19. Hodie *Fiume della Istria. B. A.*

ARTĀTUS. V. ARCTATUS.

ARTAXĀTA, orum, n. plur. *Tauris, Tiflis,* Ἀρτάξατα, urbs Armeniae majoris ad Araxem flufluvium, in Georgiae regno. *Juven.* 2, 170. Sic praetextatos referunt Artaxata mores. *Sidon. carm.* 2, 445. Depopuletur ovans Artaxata Caspia consul. [*Tac. A.* 2, 56. habet *Artaxata, ae. B. A.*]

*ARTAXERXES, is, Ἀρταξέρξης, diversorum Persiae regum nomen fuit. Artaxerxes Longimanus (μακροχεὶρ) patrem habuit Xerxem. *Nep. Reg.* 1. *Justin.* 3, 1. ℙ Artaxerxes Mnemon, Darii Nothi filius. *Nep. Reg.* 1. *Justin.* 5, 11. ℙ Hujus filius fuit Artaxerxes Ochus. *Justin.* 10, 3. ℙ Significationem nominis habes *Herod.* 6, 98. *B. A.*

ARTĒ, adv. V. ARCTE.

[ARTĒMAS, ae, m. ἀρτεμὴς, incolumis. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 201. Aelius Artemas. *F.*]

[ARTĒMĒDIUM, i, n. herba, aliter dictamnus. *Appul. Herb.* 62. *F.*]

[ARTĒMĪCLĒA, ae, f. gloria Dianae, ab Ἄρτεμις Diana, et κλέος, gloria. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1085, 2. Flavia Artemiclea. *F.*]

*ARTĒMĪDŌRUS, i, m. Ἀρτεμίδωρος, Ephesius Geographus, vixit Olymp. CLXIX. ut *Marcianus Heracleotes* testatur in *Periplo*, p. 97. Terras descripsit et maris περίπλουν libris undecim. Hujus ἐπιτομὴ τῶν γεωγραφουμένων laudatur a *Schol.* ad *Apoll. Rhod.* et γεωγραφούμενα a *Diod. Sic. Plin.* 2, 108, 5, 6. et 9. Artemidorus philosophus Trajani tempore fuit. Ejus elogium V. apud *Plin. ep.* 3, 11. Item insignis pugil et pancratiastes, Trallianus. *Mart.* 6, 77, 3. ℙ Et statuarius apud *Plin.* 36, 5. post med. ℙ Et pictor. *Mart.* 5, 41, 1. *B. A.* [Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 439, 1. F. Flavius Artemidorus. *F.*]

ARTĒMIS, idis, f. Ἄρτεμις, Graecis eadem est, quae Diana, Luna et Lucina et Ilithyia: de qua *Macr. Sat.* 1, 15. et *ib.* 7, 16. verba facit. *Artemis Ilithyia* nominatur a *Plin.* 25, 7, 36. V. v. seq.

ARTĒMĪSIĀ, ae, f. Ἀρτεμισία, Mausoli Cariae regis uxor, insignis pudicitiae, quae virum ultra humanae affectionis fines amasse perhibetur. Nam et mortui cineres vino commisto ebibit et memoriae ejus splendidissimum erexit sepulcrum. *Gell* 10, 18. ℙ [Item insula Tyrrhenica, quae et Dianium dicta. *Plin.* 3, 6. Hodie est *Gianuti. B. A.*] ℙ *Artemisia* quoque dicta est herba quaedam insignis, absinthii modo fruticosa, majoribus foliis pinguibusque (*Beifuss*). Ejus duo sunt genera: alterum latioribus foliis; alterum tenuioribus et non nisi in maritimis nascens. Sunt qui in mediterraneis eodem nomine appellant, simplici caule, minimis foliis, floris copiosi erumpentis, cum uva maturescit, odore non injucundo, quam quidam botryn, alii ambrosiam vocant. *Plin.* 25, 7, 36. Artemisia uxor Mausoli adoptavit herbam, quae antea parthenis vocabatur. Sunt qui ab Artemide Ilithyia cognominatam putant, quoniam privatim medeatur feminarum malis. Adde *Appul. Herb.* 10.

*ARTEMISĪUM, i, n. Ἀρτεμίσιον, promontorium vel littus, ad quod primum Graecorum cum Xerxe fuit praelium commissum. *Nep. Them.* 3. De oppido, ut videtur, intelligit *Plin.* 4, 12. quod fortassis est *Ptolemaei* Ἀρτέμιδος ἱερὸν, *Dianae fanum*, in medio littoris ortum spectantis locatum. *B. A.*

*ARTEMISĪUS, i, Ἀρτεμίσιον ὄρος, mons Arcadiae. *Plin.* 4, 6. *B. A.*

*ARTEMITA, ae, f. Assyriae civitas, D. stad. a Seleucia distans, ad orientem exposita. *Tac. A.* 6, 41. In Mesopotamia ponit *Plin.* 6, 26. *B. A.*

*ARTEMITĀNUS, a, um, ad Artemitam spectans. *Cic. Att.* 1, 19. ante med. et *Graev.*, ubi in ed. *Ernest. Arretinos* editum. *B. A.*

[ARTĒMĪTIS, ītidis, f. patronymicum ab Artemide. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1430, 4. Ligariae Artemitidi. *F.*]

ARTĒMON et Artemo, onis, m. ἀρτέμων, ονος, velum quoddam in navi, ab ἀρτάομαι, appendor, suspendor: sed quale illud sit, non satis inter eruditos constat. *Bayfius de re navali*, p. 121. putat esse velum majus, quod etiam Itali vocant *artimone*, ut est in Lexico Academicorum *della Crusca.* At *Scheffer. de milit. nav.* 5, 2. secutus *Isid. Or.* 19, 3. tradit esse velum parvum, quod in summitate mali supra majus velum appenditur, et dirigendae potius navis causa, quam agendae adhibetur. Hinc *Labeonem* ap. *Jabolen. Dig.* 50, 16, 242. docere, *malum navis esse partem, artemonem non esse*, quod *artemon magis additamento, quam pars navis sit.* [*A nobis dicitur *Bramsegel.*] Atque haec videtur esse vera significatio hujus vocis: cui argumento sunt etiam ea, quae *ib. Labeo* addit. Inquit enim, ideo malum esse partem navis, quia sine eo pleraeque naves inutiles: quod idem dicendum esset etiam de artemone, si esset velum majus, ut putat *Bayfius*, quia sine hujusmodi velo navis non agitur: praesertim si loquamur de antiquorum navibus, quae non erant tot velis instructae, ut nunc sunt, navigandi arte ad summum perducta. ℙ Sunt etiam qui putant, esse velum figurae triangularis, quod ad puppim navis extenditur. Denique fuere qui *artemonem* malum ipsum navis interpretarentur. Sed vero propius, ut dixi, *Schefferus* accedit. ℙ Praeterea *artemon* dicitur trochlea pluribus orbiculis instructa et in ima parte tractoriae machinae collocata, cui respondet altera in summo machinae posita: per quas trajiciuntur ductarii funes, qui manu hominum tracti, ingentia pondera facili negotio ad summum perducunt. Hujusmodi trochlea a *Dan. Barbaro* appellatur Italice *pastecca*, ab aliis *calcese* (nobis vel in universum *der Kloben*, vel in specie *der dritte Kloben beim Hebezeuge*). V. eum et *Rusconium in architect. Vitruv.*, ubi figuram exhibent. Hoc sensu est ab ἀρτάω, tollo, suspendo. *Vitruv.* 10, 5. In radice machinae collocatur tertia trochlea: eam Graeci ἐπάγοντα, nostri artemonem appellant. ℙ *Lucil.* ap. *Charis.* 1. p. 99. et *Isid. l. c.* in recto casu singulari habent *artemo:* at *Labeo l. c.* artemon. ℙ [*Artemon, pictor insignis, de quo *Plin.* 35, 11. ℙ Et statuarius. *Id*, 36, 5. ℙ Item medicus. *Id.* 28, 1. *B. A.*]

ARTĒNA. V. ARYTENA.

*ARTĒNA, ae, urbs Italiae, Volscorum, a Romanis capta. *Liv.* 4, 61. *B. A.*

ARTENCATA. V. ATTERRANEA.

ARTĒRIA, ae, f. (*Luftröhre*) ἀρτηρία, ductus seu canalis, per quem animal spiritum ore in pulmones trahendo et expellendo respirat: ab ἀὴρ, aer, et τηρέω, servo, quia vitalem aerem servat. *Plin.* 11, 37, 66. Arteria ad pulmonem atque cor pertinens. Et *ib.* 51, 112. Pulmone et arteria carere. *Id.* 20, 6, 22. Porrum capitatum pulmonis et arteriae vitia sanat. *Id.* 22, 25, 66. Arteria exulcerata. *Id.* 27, 12, 105. Arteriae scabritia. Adde *Gell.* 17, 11. et *Scribon. Compos.* 72, 73. et 74. ℙ Haec eadem dicitur *aspera arteria*, Graece τραχεῖα ἀρτηρία, quod interius inaequalis est et scabra. *Cic. N. D.* 2, 54. Cum aspera arteria (sic enim a medicis appellatur) ostium habeat adjunctum linguae radicibus. *Cels.* 4, 1. Deinde duo itinera incipiunt: alterum asperam arteriam nominant, alterum stomachum. ℙ Usurpatur saepe in plurali numero, quia arteria in inferiore parte, qua pulmoni adnectitur, in plures dividitur ramos, quos βρόγχια Graeci appellant. *Auct.* ad *Her.* 3, 12. Laeduntur arteriae, si aeri voce compleantur. Et mox *ib.* Arteriae reticendo acquiescunt. *Gell.* 10, 26. Clamor per arterias et per fauces gradiens (*fauces* sunt ostia superiora arteriarum). *Suet. Vit.* 2. Arterias et fauces fovere. *Id. Ner.* 25. Adstante phonasco, qui moneret, parceret arteriis. *Plin.* 22, 23, 48. Arteriae exasperatae. ℙ Reperitur etiam *arteria, orum*, neutr. gen. *Lucr.* 4, 529. Praeterradit enim vox fauces saepe, facitque Asperiora foras gradiens arteria clamor. ℙ Praeterea sumitur *arteria* pro conceptaculo spiritus vitalis sanguine admixti, quod sub vena per totum corpus diffunditur, (*Pulsader*). Differt a *vena*, quia per hanc sanguis influit in cor; per *arteriam* vero a corde in totum corpus diffluit: praeterea *vena* quieta est et immobilis; *arteria* micat et pulsi indicat motum cordis. Differunt etiam in structura de qua V. Anatomicos. *Cels.* 2, 10. Juncta est vena arteriis, his nervi. Et *ib.* Arteria incisa non coit, neque sanescit. *Cic. N. D.* 2, 55. *a med.* Sanguis per venas in omne corpus diffunditur, et spiritus per arterias. Et *ib. in f.* Venae et arteriae a corde tractae et profectae. *Sen. Quaest. nat.* 3, 15. In nostris corporibus et venae sunt et arteriae: illae sanguinis, hae spiritus receptacula. *Plin.* 11, 37, 88. Arteriarum pulsus citatus, aut tardus etc. Quod vero mox subdit, *ib.* 89. Arteriae carent sensu: nam et sanguine; hoc dicit ex veterum quorundam medicorum opinione, quae satis jam experientia confutata est. Verum diceret, si per *arterias* nervos intelligeret, qui sunt vera solius spiritus receptacula.

ARTĒRIACE, es, f. ἀρτηριακὴ, medicamentum ad fovendam ac sanandam asperam arteriam, ut verbi gratia cum asperata est et vocem amisit etc. *Cels.* 5, 25. *n.* 17. Arteriace vero hoc modo fit: casiae, iridis, cinnamomi, nardi p. l. etc. *Plin.* 23, 7, 71. Fit ex pomo panchrestos stomatice, eadem arteriace appellata. Adde *Scribon. Compos.* 74. et 75.

ARTĒRIĀCUS, a, um, adj. ἀρτηριακὸς, ad asperam arteriam pertinens. *Arteriaca medicamenta* dicuntur, quae tussim movent et humorum in pectus labentium expulsionem irritant et adjuvant, Graece ἀμυκτικὰ dicta. *Coel. Aur. Tard.* 2, 6. Adhibere medicamenta arteriaca.

ARTĒRIOTOMIA, ae, f. ἀρτηριοτομία, sectio arteriae a medico facta sanguinis mittendi causa; ab ἀρτηρία, arteria, et τέμνω, seco. *Coel. Aur. Tard.* 1, 1. *ad f.* Item arteriotomiam probant et usturam.

*ARTHĒDON, onis, Troadis insula. *Plin.* 5, 31. ed. *Hard.* Ed. *Elzev.* habet *Artheidon. B. A.*

*ARTHĪTAE, arum, Dalmatiae populi. *Plin.* 3, 22.

ARTHRĒSIS, is, f. id. q. arthritis, ἄρθρησις. Male corripuit paenultimam *Prud. περὶ στεφ.* 1, 495. Nodosa torquet quos podagra et arthresis. ℙ Legitur et *arthrisis.*

ARTHRĪTICUS, a, um, adj. ἀρθριτικὸς, qui articulari morbo laborat. *Cic. Fam.* 9, 23. Non enim arbitror cocum etiam te arthriticum habere.

ARTHRĪTIS, idis, f. ἀρθρῖτις: morbus articulorum, ex humore aliquo vitioso in artubus decumbente, cujus species sunt *podagra, ischias*, et alia id genus: Graeca vox ab ἄρθρον, articulus, artus. *Vitr.* 1, 6. Vitia autem sunt, quae difficulter curantur, gravitudo, arthritis, tussis, pleuritis, phthisis. [Doctissimus *Morgagni* in *epist.* ad *Polenum Exerc. II. Vitr.* p. 142. legendum censet *ravitudo arteriae* seu *arteriarum*, vocemque *arthritis* et a vestigiis codicum, primaeque editionis, et a *Vitruvii* sententia omnino ait recedere. Non enim *arthritis* locum habet inter vitia cetera, quae hoc in loco a *Vitruvio* memorantur, quaeque ad thoracem, pulmones, asperam arteriam, ad summum ad pituitariam membranam attinent. *Arthretis* primus dedit *Jocundus* in sua *Vitruvii* edit., quod postea in *Arthritis* commutatum est. *Schneiderus* habet *gravitudo arteriaca.* Viderint eruditi, quidnam retinendum sit. V. GRAVITUDO. *F.*]

ARTĪCŪLĀMENTUM, i, n. διάρθρωσις, articulorum commissura. *Scribon. Comp.* 206. Ad luxatum omne et ejectum, et repositum articulamentum bene facit. *Id. ib.* 214. Contusa vel incisa articulamenta. *Et ib.* 263. Articulamentorum dolor.

ARTĪCŪLĀRIS, re, adj. ἀρθριτικὸς, ad articulos pertinens. Articularis morbus est idem qui arthritis, ἀρθρῖτις. *Plin.* 20, 17, 73. Anisum lenit articulares morbos. *Suet. Galb.* 21. Manibus pedibusque articulari morbo distortissimis. *Scribon. Comp.* 101. Prodest ad articularem morbum, quem ἀρθρῖτιν vocant. ℙ *Prisc.* 12. p. 938. appellat pron. demonstrativum *hic, haec, hoc*, *pronomen articulare*, quia articuli vice fungitur.

ARTĪCŪLĀRIUS, a, um, adj. id. q. articularis. *Cato R. R.* 157. Articularium morbum purgat brassica. *Plin. Prooem.* 23. Folia vitium mitigant articularios morbos. *Id.* 25, 5, 22. Helleborum nigrum medetur articulariis morbis. Adde 22, 13, 15. ℙ *Articularius, ii*, absolute dicitur, qui articulario morbo laborat. *In suppositis Mercat. Plauti, scena quae incipit: Syra non redit.* Nec podagricus nec articularius est, quem rus ducunt pedes. ℙ *Articularia pronomina* dicuntur a quibusdam Grammaticis *hic, iste*, quia more articulorum cum nominibus declinantur. *Serv. in artem secund., Donat. p.* 1785., et *Prisc.* 2. p. 574.

ARTĪCŪLĀTĒ, adv. distincte, clare, articulatim. *Gell.* 5, 9. Eoque nisu et impetu spiritus vitium nodumque linguae rupit, planeque et articulate elocutus est. *Cic. Att.* 6, 5. *in f.* Valebis igitur et puellae salutem articulate dices. *Manutius* hic, Erat, inquit, adhuc infans Attica, quae neque satis integre proloqui, neque loquentem quiret intelligere, nisi articulate pronunciasses. At optimae edd. habent *Atticulae.*

ARTĪCŪLĀTIM, adv. per articulos, membratim, ἀνὰ θρῶς. *Pl. Epid.* 3, 4, 52. Istic homo articulatim te concidit. *Id. fr.* ap. *Gell.* 3, 3. Comminuere aliquid articulatim. *Vet. Poeta* ap. *Cic. N. D.* 3, 26. Obtruncare et articulatim dividere. *Ascon. argum. Milon. a med.* Articulatim consecare. ℙ Translate est distincte, seorsum. *Lucr.* 4, 557. necesse est verba quoque ipsa plane exaudiri discernique articulatim. *Cic. Leg.* 1, 13. Quae fuse olim disputabantur ac libere, ea nunc articulatim distincteque dicuntur. *Varr. L. L.* 9. *sub f.* Articulatim explicare aliquid.

ARTĬCŪLĀTĬO, onis, f. in arboribus est, cum veluti per articulos seu nodos crescunt. *Plin.* 16, 25, 41. Tunc cernitur excrescentium cacuminum articulatio. Adde 17, 21, 35. *n.* 5. ℙ Est etiam morbus vitium peculiaris, qui tribus de causis accidere solet: una vi tempestatum germinibus ablatis; altera in supinum excisis; tertia culturae imperitia laesis. Omnes enim earum injuriae in articulis sentiuntur. Haec *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 6.

*ARTICULĀTOR, oris, m. μελοκόπος *Gloss. Gr. Lat.* Forte qui in frusta et articulos dissecat. *B. A.*

ARTĬCŪLĀTUS, a, um, part. ab *articulo*, distinctus veluti per articulos. *Articulata vox* dicitur a *Prisc. init. lib.* 1. quae exit in verba et sensum aliquem ejus, qui loquitur, significat: sicut *inarticulata* quae illi est contraria. *Solin.* 52. *a med.* Psittacus articulata verba penitus eloquitur. *Arnob.* 7. p. 217. Articulatas voces exprimere. Adde *Augustin. Doctr. Christ.* 3, 29.

ARTĬCŪLEJĀNUS, a, um, adj. ab Articulejo deductum. *Martian. Dig.* 40, 5, 51. Sed Articulejano senatusconsulto cavetur, ut in provinciis praesides provinciae cognoscant, licet heres non sit ejus provinciae, *h. e.* facto ab Articulejo Paeto consule, qui una cum Trajano consulatum gessit an. 101. a Chr. n., ut putat *Brissonius.*

ARTĬCŪLO, as, avi, atum, a. 1. *διαρθρόω*, in articulos veluti divido, distinguo. Hinc *articulare voces* est eas in verba distinguere, et proferre. *Lucr.* 4, 548. Hasce igitur penitus voces cum corpore nostro Exprimimus, rectoque foras emittimus ore, Mobilis articulat verborum daedala lingua. *Arnob.* 3. p. 111. Labia habere cum dentibus, quorum inflictu et mobilitate multijuga lingua sonos articulet, et vocem in verba conformet. *Appul. Flor. n.* 12. p. 349, 5. Articulare verba.

ARTĬCŪLOSUS, a, um, adj. *ἀρθρώδης*, articulis seu nodis plenus. *Plin.* 24, 16, 93. Radix articulosa. ℙ Translate. *Quint.* 4, 5. *ad f.* Evitanda concisa nimium et velut articulosa partitio, *h. e.* in plurimos articulos et partes divisa.

ARTĬCŪLUS, i, m. *ἄρθρον*, junctura unius ossis vel membri cum alio, nodus, articulamentum. Est autem diminutivum ab *artus*, *us.* *Plin.* 11, 37, 88. Nervi nodos corporum, qui vocantur articuli, aliubi interventu, aliubi ambitu, aliubi transitu ligantes. *Id. ib.* 67. Cervix articulorum nodis jungitur. *Id.* 11, 43, 99. Hominis digiti articulos habent ternos, pollex binos. *Id.* 8, 45, 70. Articulus suffraginis. *Id.* 10, 37, 52. Articuli alarum. *Id.* 8, 41, 63. Summus caudae articulus. *Caes. B. G.* 6, 27. Crura sine nodis et articulis. *Cels.* 5, 18. et *Cic. Att.* 1, 5. Dolores articulorum. *Pers.* 5, 58. cum lapidosa chiragra Fregerit articulos. *Hor. Sat.* 2, 7, 15. Chiragra contudit articulos. *Quint.* 2, 12. Gladiatorem vehementis impetus excipit adversarii mollis articulus, *h. e.* mollis flexus articulorum manus et corporis. Contra *Sen. Ben.* 2, 6. Presso articulo aliquid agere. [*Cf. *Spald.*] Hinc translate apud *Quint.* 11, 1, 70. *molli articulo tractare aliquem* est eum leviter perstringere. Alio modo transtulit *Plin.* 37, 13, 77. quum dicit *Articulos montium*, colles intelligens, et clivos leniter assurgentes, ad similitudinem articulorum in corpore. ℙ In illo *Cels.* 8, 19. *extr.* Potest tamen conditus articulus canaliculo aliquo contineri: *articulus* non est junctura, sed os, quod in junctura alteri ossi adnectitur: eodem vero sensu usurpatur etiam positivum *artus.* V. h. v. ℙ Per synecdochen pro digitis ponuntur. *Ov. Pont.* 2, 3, 18. sollicitis supputat articulis. *Id. Her.* 10, 140. Litteraque articulo pressa tremente labat. Adde *Prop.* 2, 25, 80. ℙ [*Exactum ad articulum* dicitur id, quod opposito digiti articulo experimur, num leve et recte fabrefactum sit. Eodem sensu dicitur homo *factus ad unguem.* V. UNGUIS. *Inscr.* in aenea statera Herculani reperta, edita vero a *Car. Rosinio Dissert. Isagog.* p. 55. *tab.* 8. *Tiberio* Claud*io* Caes*are* Augus*to*, Vitel*lio* III. Con*sulibus*, (*h. e.* an. 47. a Chr. n.) exacta ad articu*lum*, cura aed*ilium.* Haec nempe statera in ponderario Herculanensi ad examen revocata fuit ab aedilibus num congrueret cum archetypo. *F.*] ℙ In plantis *articulus* dicitur nodus, qui subinde excrescit ad similitudinem articuli digitorum. *Cic. Sen.* 15. de vitibus: Exsistit tanquam ad articulos sarmentorum ea, quae gemma dicitur. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 5. Aut in pedes, hoc est radices irrumpit vis morbi; aut in articulos, hoc est cacuminum digitos. *Id.* 16, 24, 36. Folia nervos, callumque, et articulos in superiore habent parte. *Id.* 18, 17, 45. et *Colum.* 2, 12. *ad f.* Seges it in articulum, *h. e.* cum genicula, seu nodos culmi profert. ℙ Hinc, quod articuli partes efficiunt, translate de aliis dicitur: *Aug. Caes. in ep. ad Liviam* ap. *Suet. Cl.* 4. Quid est, quod dubitemus, quin per eosdem articulos et gradus producendus sit, per quos frater ejus productus fuit? *h. e.* per easdem honorum partes et gradus. Fere ut *Plin.* 2, 16, 13. ubi de stellarum situ et motu agit, *medii articuli latitudinum*, i. e. mediae latitudinum partes seu puncta. ℙ Saepe transfertur ad orationem, ac dicitur de particulis, quae vinciunt orationem. *Auct. ad Her.* 4, 11. Genus orationis fluctuans et dissolutum, eo quod sine nervis et articulis fluctuat huc et illuc. *Cic. Or.* 3, 48. Continuatio verborum soluta multo est aptior atque jucundior, si est articulis membrisque [**κόμμασι καὶ κώλοις*] distincta, quam si continuata et producta. Hinc comparatio illa: *Cic. Or.* 2, 88. multa sunt verba, quae quasi articuli, connectunt membra orationis; intellige particulas, quas solemus appellare conjunctiones. Speciatim est minima periodi pars. *Auct. ad Her.* 4, 19. Articulus dicitur, cum singula verba intervallis distinguuntur, caesa oratione hoc modo: Acrimonia, voce, vultu adversarios perterruisti; item: Inimicos invidia, injuriis, potentia, perfidia sustulisti. ℙ Apud grammaticos articuli sunt minimae orationis partes, quae una cum nominibus declinantur, quales sunt Graecis *ὁ* et *ὅς*, et Latinis *hic*, *haec*, et *quis*, *quae.* Has enim voculas *articulos* appellat *Varr. L. L.* 9, 1., et priorem quidem articulum finitum esse docet, posteriorem infinitum. Ceterum Latini articulos proprie non habent, ut Graeci. *Quint.* 1, 4. Noster sermo articulos non desiderat: ideoque in alias partes orationis sparguntur. Interdum *articulus* accipitur pro quavis orationis parte. *Pompon. Dig.* 35, 1, 4. Articulus *Tum* extremi quinquennii tempus significat. *Id. ib.* 34, 2, 35. Articulus *Est* praesentis temporis demonstrationem continet. *Id. ib.* 28, 5, 29. Hoc articulo *Quisque* omnes significantur. ℙ Item pro particula seu membro orationis. *Julian. Dig.* 36, 1, 27. Si detracto hoc articulo: *Quisquis mihi heres erit*, substitutus ita fuerit, etc. ℙ Item pro parte, sectione, capite. *Cajus Dig.* 1, 8, 1. Summa rerum divisio in duos articulos diducitur. *Papinian. ib.* 5, 9. In multis nostri juris articulis. ℙ Item saepe pro parte brevi temporis. *Plin.* 18, 25, 59. Hi cardines singulis articulis temporum dividuntur. *Id. ib.* 35, 79. Octo articuli lunae. *Id.* 17, 2, 2. Articulus austrinus, *h. e.* tempus, quo auster flat. ℙ *In articulo* est statim, nulla mora interposita. Legitur in *Cod. Justin.* 1, 33, 3. ℙ Eleganter sumitur pro momento temporis, et opportuna rei gerendae hora. *Cic. Quint.* 5. Tum iste, qui hunc in summas angustias adductum putaret, ut eum suis conditionibus in ipso articulo temporis adstringeret, assem sese negat daturum, nisi, etc. *Ter. Ad.* 2, 2, 21, Illud vide, ut in ipso articulo oppressit! *Curt.* 3, 5. In quo me articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. *Pl. Men.* 1, 2, 31. Commoditatis omnes articulos scio. ℙ *Articulus causae* dicitur id, in quo causa vertitur, et de quo maxime agitur. *Arnob.* 7. p. 243. Ventum est ergo, dum loquimur, ad ipsum articulum causae, ventum ad rei cardinem, etc. Huc pertinet illud *Julian. Dig.* 1, 3, 12. Non possunt omnes articuli singulatim aut legibus, aut senatusconsultis comprehendi.

ARTĬFEX, fĭcis, m. et f. *τεχνίτης*, qui artem aliquam exercet; dictus ex eo, quod arte quippiam faciat. Sumitur autem non solum pro eo, qui artem mechanicam exercet, sed etiam qui liberalem. *Cic. Fam.* 5, 12. Illi artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant. *Id. Mur.* 13. Ut ajunt in Graecis artificibus, eos auloedos esse, qui citharoedi fieri non potuerint. *Nep. Att.* 13. Erant in ea familia pueri litteratissimi, anagnostae optimi, et plurimi librarii: pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni. *Cic. Arch.* 5. [**id. Quint.* 25.] Artifices scenici. (qui et *artifices* absolute a *Pl. Amph. prol. v.* 70. et *Liv.* 5, 1., et 39, 22. [*et *Duker.* ad h. l. et *Nep. Chabr.* 1, 3.] dicuntur.) *Quint.* 5, 12. Artifices statuarum. *Sen. ep.* 9. Artifici jucundius est pingere, quam pinxisse. *Curt.* 5, 1. Non vates modo, sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant. *Petr. Sat.* 109. Artifex peritus, i. e. auceps. De *aurigis* dicit *Plin.* 7, 53. *extr.*; et gladiatores *τεχνῖται* appellantur in *Chron. Alex.* p. 660. *ed. Merc.* V. *Wesseling.* ad *Diod.* 4. p. 214. Haec ex *cl. Cic.*] *Gell.* 1, 5. Artifex rhetoricus. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 6. Graeci dicendi artifices et doctores. *Id. Fin.* 2, 11. Artifex callidus comparandarum voluptatum. *Sen. ep.* 9. faciendarum amicitiarum. *Quint.* 11, 1. summus tractandorum animorum, *h. e.* Cicero. *Id. Declam.* 10, 9. Artifex in lacrimas alicujus, *h. e.* qui ingeniosus est, ut alicui luctum creet. *Cic. Verr.* 2, 5, 71. ad corrumpendum judicium. *Tac. Hist.* 2, 86. serendae in alios invidiae. *Q. Cic. Petit. cons.* 12. Cotta in ambitione artifex. *Ov. A. Am.* 1, 656. Quam necis artifices arte perire sua. ℙ Hinc ponitur pro auctore et effectore. *Cic. Univ.* 2. Artifex mundi Deus. *Plin.* 2, 1, 1. Artifex omnium natura. *Sen. Agam.* 983. Sceleris infandi artifex. *Cic. Or.* 48. Consuetudo artifex suavitatis. Et ironice: *Ter. Ph.* 2, 1, 29. O artificem probum! — omninoque saepius est i. q. vafer, callidus, astutus. *Virg. A.* 2, 125. et mihi jam multi crudele canebant Artificis scelus. *Id. ib.* 11, 406. Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit Artificis scelus, *h. e.* artifex sceleratus, quo pacto a *Plauto* dictum est *scelus viri.* ℙ Saepe usurpatur more adjectivorum, pro perito. *Suet. Tit.* 7. Tam artifices saltationis, ut mox scenam tenuerint. *Id. Cal.* 32. Miles decollandi artifex. *Tac. A.* 12, 66. Locusta artifex veneni. [**Sall. Jug.* 35, 5. per homines talis negotii artifices, i. e. qui usum insidiarum habent. V. *Cort.*, qui laudat *Davis.* ad *Caes. B. C.* 1, 58.] *Prop.* 2, 1, 60. Artifex morbi, i. e. medicus, artifex morbi sanandi. *Plin.* 6, 30, 35. Nobilitas ignea artifex ad formanda corpora. *Id.* 8, 16, 21. Vir tam artificis ingenii. [**Quint. Decl.* 10. artifices manus. V. de hac locutione *Heind.* ad *Cic. N. D.* 2, 6, 150. *Broukh.* ad *Prop.* 2, 23, 8. et *Burm.* ad *Eund.* 1, 2, 8. *Barth.* ad *Stat. Ach.* 1, 332. Sic etiam *Gell.* 12, 1. inter ipsas artifices naturae manus. *Cic. Brut.* 25. hoc in oratore Latino primum mihi videtur — apparuisse — artifex ut ita dicam stilus.] *Artifex equus*, freno assuetus, et peritus vehendi. *Ov. A. Am.* 3, 555. Sed neque vector equum, qui nuper sensit habenas, Comparibus frenis artificemque regat. ℙ Cum infinito. *Pers. prol.* 10. Magister artis, ingeniique largitor Venter, negatas artifex sequi voces. ℙ Passive dicitur de eo, quod artificio elaboratum est. *Quint.* 9, 4. Motus artifex. *Solin.* 35. Artifici plaga vulnerare corticem. *Plin.* 12, 25, 54. Manus libratur artifici temperamento. *Id.* 8, 40, 61. Artifex dimicatio. *Id.* 10, 29, 63. Tantae tamque artifices argutiae. *Pers.* 5, 40. Artifex vultus. *Prop.* 2, 31, 8. Quatuor artifices vivida signa boves, *h. e.* summo artificio elaboratae.

ARTĬFĬCĬĀLIS, e, adj. arte constans, ab arte profectus, *ἔντεχνος.* *Quint.* 6, 4. Artificialis ratio. *Id.* 12, 8. *ad fin.* Artificiale genus probationis.

ARTĬFĬCĬĀLĬTER, adv. artificiose, *τεχνικῶς.* *Quint.* 2, 17. Sed nec illa omittenda sunt, qua in re alius se inartificialiter, alius artificialiter gerat.

*ARTIFICĪNA, ae, f. officina. *Isid. Gloss.* Artificina, in qua artes exercentur. *B. A.*

[ARTĬFĬCĬŌLUM, i, n. diminutivum ab *artificium. Not. Tir.* p. 89. Artificiolum. *F.*]

ARTĬFĬCĬŌSE, adv. *τεχνικῶς.* *Cic. Or.* 1, 41. Qui illa artificiose digesta generatim componerent. *Id. N. D.* 2, 22. Quodque in operibus nostrarum artium manus efficiat, id multo artificiosius naturam efficere. *Auct. ad Her.* 4, 4. Artificiosissime facere aliquid.

ARTĬFĬCĬOSUS, a, um, adj. *ἔντεχνος*, arte constans, ab arte proveniens. *Cic. Fin.* 2, 5. Loqui de re obscura, ut physici, aut artificiosa, ut mathematici. *Id. Div.* 1, 33. Ea genera divinandi non naturalia, sed artificiosa dicuntur. [*Eodem modo opponuntur memoria *artificialis* et *naturalis*, *Auct.* ad *Her.* 3, 16 — 24. ℙ In specie *artificiosum* dicitur, quod ad artis praecepta accommodatum est. *Auct.* ad *Her.* 3, 9. ordo artificiosus, et 3, 11. artificiosae dispositiones, i. e. ad artis praecepta factae; *ib.* 3, 10. artificiosam dispositionem artificiose commutare.] ℙ Item artificio plenus, ingeniose factus. *Cic. N. D.* 2, 55. Venae toto corpore intextae vim quandam incredibilem artificiosi operis divinique testantur. ℙ Item artificium habens, vim artis possidens, arte, aut ingenio pollens. *Cic. N. D.* 2, 22. Zeno ita naturam definit, ut eam dicat ignem esse artificiosum, ad gignendum progredientem via. *Auct.* ad *Her.* 4, 4. Quod si artificiosum est intelligere, quae sunt ex arte scripta, multo est artificiosius ipsum scribere ex arte. *Cic. Inv.* 1, 35. Rhetores elegantissimi atque artificiosissimi.

ARTĬFĬCĬUM, ii, n. *τεχνιτεία*, *τεχνίτευμα*, *τέχνη*, ars, vel artis exercitatio, professio artificis. *Cic. Off.* 1, 42. Jam de artificiis et quaestibus, qui liberales habendi, qui sordidi sint, etc. *Id. Fin.* 3, 2. Ne opifices quidem tueri sua artificia possent, nisi, etc. *Id. Rosc. Am.* 17. Oblivisci artificium et studium deponere. *Martian. Dig.* 32, 63. Scire plura artificia. Et *ib.* Versari in artificio. *Paul. ib.* 6, 1, 31. Discere artificium aliquod. *Callistrat. ib.* 38, 1, 38. Exercere artificium. [**Cic. Or.* 1, 28. in artificio perquam tenui et levi (arte scenica). *Auct.* ad *Her.* 2, 30. de arte oratoris: artificii significandi causa. *Cic. Rosc. Am.* 17. artificium accusatorium.] *Ulp. ib.* 13, 7, 25. Instruere servos artificiis. *Sen. Ben.* 6, 17. Sordidissimi artificii institor. *Id. ep.* 112. vocat *artificium* cultum vinearum et agriculturam. [**Cic. Tusc.* 5, 20. ancillare. *Id. Fam.* 7, 13. metuo ne artificium tuum tibi parum prosit; i. 1Cti. Ceterum de discrimine *artificii* et *ministerii* cf. *Cujac. Obss.* 9, 17.] ℙ Est etiam idem ac scientia, industria, ingenium, quod adhibetur ab artifice in opere faciendo. *Cic. Verr.* 2, 4, 33. Simulacrum singulari opera artificioque perfectum. *Id. ib.* 21. Omnia antiquo opere et summo artificio facta. Et paulo sup.: Ut intelligatis, in homine intelligentiam fuisse, non avaritiam; artificii cupidum, non argenti fuisse, *h. e.* emblematis, quod de turibulo argenteo avulserat. [**Id. ib.* 4, 59. hic ornatus, haec opera atque artificia, signa, tabulae pictae, Graecos — delectent. *Auct.* ad *Her.* 4, 4. quae certis signis artificii notata sunt; *ib.* vis artificii.] ℙ Praeterea ponitur pro scientia cujuscumque rei, quae ex arte ac studio provenit, disciplina, institutione, praeceptione. *Cic. Or.* 1, 32. Non esse eloquentiam

ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum. [*Est igitur quod nos dicimus *Theorie*, quod *Auct.* ad *Her.* 2, 31. *artificium praeceptorum* appellat. *ib.* 3, 2. Scientia cujusdam artificii nonnunquam dicitur prudentia. *ib.* 4, 16. artificium memoriae, i. e. ars, qua traduntur praecepta artis memoriae.] *Id. ib.* 2, 19. Componere artificium de jure civili, (i. e. quod nos dicimus *System.*) ℙ Item pro calliditate, arte, peritia. *Id. Or.* 1, 17. Id ipsum quod contra me locutus es, artificio quodam es consecutus, ut et mihi, quae ego vellem non esse oratoris, concederes, et ea ipsa, etc. *Caes. B. G.* 7, 29. Non virtute, neque acie vicisse Romanos, sed artificio quodam et scientia oppugnationis. *Cic. Fam.* 9, 16. Non jam satis est consilio pugnare; artificium quoddam excogitandum est. *Id. Verr.* 2, 4, 40. Opus est non solum ingenio, verum etiam artificio quodam singulari. [*Auct.* ad *Her.* 4, 2. summum artificium.] *Id. Planc.* 9. Vicinitas non assueta mendaciis, non fucata, non fallax, non erudita artificio simulationis. *Caes. ad Oppium post ep.* 8. *l.* 9. *Cic. ad Att.* Quorum artificiis effectum est, ut respublica in hunc statum proveniret, i. e. fallaciis, malis artibus.

*ARTIGI, oppidum Hispaniae Baeticae, inter Juliam Restitutam et Cordubam. *Anton. Itin. B. A.*

ARTĪGRĂPHUS, i, m. qui artem grammaticam docet: vox hybrida ex Latino *ars*, et Graeco γράφω, scribo: quam usurpat *Serv.* ad *A.* 1, 108.

*ARTIGŪLA, ae, insula Nili, in Aethiopia. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

ARTĪO, is, ivi, itum, a. 4. arcte immitto, adigo: ab *artus* pro *arctus*, *Cato R. R.* 40. Surculum aridum praeacutum inter librum et stirpem artito primores digitos duos. Et *ib.* Surculum aridum, quem artiveras, eximito; eo artito surculum, quem inserere voles. Et 41. Duos surculos artito ad medullam. *Novius* ap. *Non.* 10, 10. Artivit linguam in palatum.

*ARTISELLIUM, ii. V. ARCISELLIUM.

ARTĪTUS, a, um, adj. bonis artibus instructus, ut *Festus* explicat. *Gloss.* Artitus, πάντεχνος, δαίδαλος. Sunt tamen qui apud *Fest.* legunt *bonis artubus;* vel si *artibus* retineas, ab *artus* nihilominus deducendum existimant, non ab *ars:* quia *artus* in dativo plurali et *artubus* habet et *artibus*. Itaque *artitum* ajunt significare robustum. Hinc illud *Pl. Asin.* 3, 2, 19. Ubi saepe causam dixeris, pendens adversus octo artitos, audaces viros, valentes virgatores. Al. leg. *astutos. Turneb. l.* 24. *c.* 31. probat *artitos* ab *artibus*, hoc est disciplinis, atque ita loqui *Plautum* dicit, quasi ille in judicio se defenderit adversus disertos et eloquentes viros: sed simul ludere in ambiguo, cum *virgatores* subjungat. ℙ Est praeterea idem ac constrictus, particip. ab *artio*, *is. Prud.* περὶ στεφ. 1, 71. Nexibus manus utrasque flexus involvit rigor, Et chalybs artita colla gravis ambit circulis. *Id. praef. Psych.* 33. ruptis expeditus nexibus Artita bojis colla liber erigit. Utroque loco al. rectius leg. *attrita.*

ARTO, as. V. ARCTO.

ARTOCOPUS. V. ARTOPTA.

ARTOCRĔAS, ātis, n. edulium pane et carne constans; vox Graeca ab ἄρτος, panis, et κρέας, caro. *Pers.* 6, 50. Oleum, artocreasque popello largior, *h. e.* epulum populo praebeo. Quidam putant, viscerationem intelligi, in qua vero simile est, non solam carnem, sed et panem distribui solitum fuisse. [Quod confirmat *Inscr.* ap. *Amaduzzium Anecd. Rom. T.* 1. p. 464. Dedicatione artocrea populo Cuprensi dedit. *F.*]

ARTOLĂGĂNUS, ni, m. ἀρτολάγανος, panis genus delicatissimi, quod cum pusillo vino, lacte, oleo et pipere coquitur, ut *Athen. l.* 3. *c.* 28. docet: ab ἄρτος, panis, et λάγανον, placenta. *Plin.* 18, 11, 17. Panis varia genera, alias ab obsoniis appellati, ut ostrearii; alias a deliciis, ut artolagani; alias a festinatione, ut speustici. *Cic. Fam.* 9, 20. Dediscendae tibi sunt sportellae et artolagani tui. ℙ Quidam putant *artolaganos* esse quas Itali dicimus *frittelle*, nempe *pasta quasi liquida fritta nell' olio.* [*Pfannkuchen.]

ARTOPTA, ae, f. ἀρτόπτη, vas, in quo panis coquitur, nec quivis panis, sed lautior et delicatior: ab ἄρτος, panis, et ὀπτάω, coquo, asso. *Pl. Aul.* 2, 9, 4. Ego hinc artoptam ex proximo utendam peto. *Plin.* 18, 11, 28. Artoptam Plautus appellat in fabula, quam Aululariam scripsit: magna ob id concertatione eruditorum, an is versus poetae sit illius. Quidam hoc *Plinii* loco perperam *artoptam* interpretantur de muliere panifica. *Juven.* 5, 72. dextram cohibere memento: Salva sit artoptae reverentia, *h. e.* verere artoptam in domini delicias, velut in usum sacrum, comparatam, neque audeas tangere panem in ea coctum: ubi praesertim Graecam appellationem *Juvenalis* irridet more suo. Hic tamen interpretes fere omnes *artoptam* dicunt panis dispensatorem et custodem, quasi sit ἀρτόπτης, masc. gen. ab ἄρτος et ὄπτομαι, video. Sed neque satyrica urbanitas, neque consequentium verborum contextus patiuntur, ut a prima significatione recedamus. *Henninius* panem assum intelligit, quam explicationem sumpsit a *Ferrario Elect. l.* 2. *c.* 10. Verum panis hujusmodi non *artopta*, sed *artopticius* dicitur, *h. e.* in artopta assatus, qua de re consulendi Graeci scriptores *Pollux. l.* 10. *c.* 25. et *Athenaeus l.* 3. *c.* 28. ℙ Neque vero est praetermittendum in vet. edit. an. 1473. legi *artocopi* ab ἄρτος, panis, et κόπος [a κόπτω, seco, id est servi, qui secando et distribuendo pani praepositi erant. In supra allato *Juvenalis* loco legendum profecto est: Salva sit artocopi reverentia: primum quia omnes omnino codd. et principes editiones *artocopi* habent, quia reipsa servus erat distribuendo pani, ut alter secandis carnibus praepositus; tum etiam quia jam in versu praecedente panis siligineus his verbis designatur: *Sed tener et niveus mollique siligine factus Servatur domino;* alioquin inutilis haec esset et inelegans ejusdem rei repetitio. Adde locum *Firmic. Math.* 8, 20. Decima octava pars Tauri si in horoscopo fuerit inventa, faciet artocopos vel pistores. *Ita *F.*; nam *Forc.* ita scripserat: „ab ἄρτος et κόπος labor, i. e. panis elaborati; vel ipsius pistoris, qui panem hunc delicatum elaboravit.“ Sed hodieque alii aliter de h. l. judicant. V. *Rupert.*, qui *artoptae* habet.]

ARTOPTĬCĬUS, a, um, adj. *Artopticius panis* dicitur a *Plin.* 18, 11, 27., qui in artopta coquitur, sicut furnaceus, qui in furno. V. *Athen. l.* 3. *c.* 28.

ARTOTRŌGUS, i, m. ἀρτοτρώγος, nomen est parasiti apud *Pl. Mil.* 1, 1, 9., ab ἄρτος, panis, et τρώγω, rodo, comedo.

ARTOTYRĪTAE, arum, m. plur. ἀρτοτυρῖται dicti sunt haeretici quidam, qui panem et caseum ad altare offerebant: ab ἄρτος, panis, et τυρός, caseus. *Augustin de Haeresib. n.* 28.

ARTRĀRE. V. ARATRARE.

ARTŪA. V. in ARTUS.

ARTŪĀTIM, adv. per artus, membratim. *Firmic. Math.* 7, 1. Intra viscera matris artuatim concisus.

ARTŪĀTUS, a, um, adj. artuatim dissectus, laniatus. *Firmic. Math.* 6, 31. *a med.* Ut sic artuatis visceris partibus, membra omnia crudelis artificii praesidio proferantur. ℙ [*Nova significatione *Auct. Itin. Alex.* 111. Ingenio inferior quam artuatas, ubi scribendum forte *artubus* censet *Maius. B. A.*]

[ARTŪLUS, i, m. diminutivum ab *artus*. Nomen servile. *Inscr.* ap. *Mur.* 992, 3. Artulus Augusti servus. *F.*]

ARTUS, uum, ubus, m. plur. ἄρθρα, commissurae, quibus ossa et membra corporis junguntur. *Festus* docet, esse vel a Graeco ἄρθρον, vel ab *arto* pro *arcto*, quod per artus membra membris artentur. *Cic. N. D.* 2, 60. Digitorum contractio facilis facilisque porrectio propter molles commissuras et artus. *Plin.* 11, 45, 101. Artus suffragium. *Id.* 31, 6, 32. Luxata corpora in artus redeunt. *Tac. H.* 4, 81. Artus elapsi in pravum. *Quint. praef.* 6. Artus moti loco. *Cic. Brut.* 60. Dolor artuum. *Suet. Cal.* 28. Membra et artus et viscera hominis tracta per vicos. *Gell.* 20, 1. Membra et artus inopis debitoris laniatu distrahere. *Lucr.* 2, 282. flecti per membra, per artus. His et aliis in locis, in quibus *artus* et *membra* conjunguntur, non semper *artus* pro *juncturis* sumuntur, sed est quaedam Latini sermonis proprietas, qua saepe duae voces idem significantes jungi solent. [*Negat *B. Crus.* ad haec *Forc.* vv., ea in universum dici posse. Sed, inquit, quaevis lingua in viva descriptione partes singulas enumerat, quamvis vere diversas, et h. l. (*Suet. Cal.*) ad oculos quasi depingitur saevitia in dilaniandis corporibus, ubi a membris ad commissuras membrorum, inde ad viscera discerpenda carnifices progrediuntur. Haec ille. Prorsus ita *Plin. Pan.* 52, 5. cernere laceros artus, truncata membra; et ad h. l. *Gierig.*] ℙ Saepe enim artus accipiuntur pro membris, τὰ μέλη. *Ov. Her.* 20, 117. Corrumpere febribus artus. *Virg. A.* 2, 173. salsusque per artus Sudor iit. *Id. ib.* 253. sopor fessos complectitur artus. *Tac. A.* 13, 16. Venenum ita cunctos ejus artus pervasit, ut vox pariter et spiritus ejus raperetur. *Id. ib.* 35. Ambusti multorum artus vi frigoris. *Id. Agr.* 11. Rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus. *Id. ib.* 37. Laceri artus. *Cic. Or.* 1, 26. Tota mente atque omnibus artubus contremiscere. [*Lucan.* 4, 290. tunc frigidus artus alligat torpor, et *Cort.* ad h. l.] ℙ *Artus constringere* apud *Scribon. Compos.* 104. est membra comprimendo perfricare. ℙ Translate *artus* dicitur de arboribus. *Plin.* 14, 1, 3. Stat per se vitis sine ullo pedamento, artus suos in se colligens. ℙ Item de robore et fortitudine. *Q. Cic. Petit. cons.* 10. Ἐπιχαρμεῖον illud teneto, nervos atque artus esse sapientiae, non temere credere. ℙ *Phaedr. Append. fab.* 4. tribuit *artus* nodis et laqueis retis. [At nihili facienda haec *Phaedri* auctoritas: nam hujus Appendicis fabulae, ut jam constat, non sunt e *Phaedri* penu, sed a *Burm.* ex antiquis codd., qui fabulas illas prosa oratione scriptas continebant, pro arbitrio numeris suis redditae, ac magna ex parte interpolatae fuerunt. *F.*] ℙ In dativo plurali etiam *artibus* olim scribebant pro *artubus*, ut colligitur ex *Vel. Long. de Orthogr.* ap. *Putsch.* p. 2229. et *Ter. Scauro ib.* p. 2260. Adde dicta in ARTITUS. ℙ In singulari numero. *Val. Fl.* 4, 310. qua primo cervix committitur artu. *Lucan.* 6, 754. tunc omnis palpitat artus. ℙ Etiam *haec artua* in neutro genere usurpatum legitur. *Pl. Men.* 5, 2, 102. Ut ego hujus membra atque ossa atque artua comminuam illo scipione. ℙ [*Confunduntur *artus* et *arctus*. V. *Broukh.* ad *Tib.* 1, 5, 53. et *Drak.* ad *Sil.* 7, 280. *artus* et *artes*, *Fea* ad *Hor. Od.* 3, 6, 22.]

ARTUS, a, um. V. ARCTUS.

*ARTYNIA, ae, stagnum Mysiae, unde oritur Rhyndacus fluvius. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

[ARUCCITĀNUS, a, um, adj. ad Aruccin pertinens, urbem Hispaniae Baeticae, a *Plin.* 3, 1, 3. memoratam, nunc *Moura. Inscr.* ap. *Grut.* 46, 11. Herculi Deo invicto et reip. Aruccitanae patrono Aruccitani D. D. Alia *ib.* 238, 7. Civitas Aruccitana. Alia *ib.* 368, 1. Qui tumultuario Baeticae bello multa pro republica Aruccitana fortissime gessit. *F.*]

*ARVA, ae, f. oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. ed. *Hard.* Antea legebatur *Axatiara. B. A.*

*ARVAE, arum. V. *Arvum* ad f. ℙ *Arvae*, *arum*, oppidum Asiae ulterioris, in Hyrcania. *Curt.* 6, 4. extr. *B. A.*

ARVĀLIS, e, adj. ad arvum pertinens. *Arvales fratres* dicti sunt, qui sacra publica faciunt, propterea ut fruges ferant arva, quemadmodum *Varr. L. L.* 4, 15. docet. Fuit autem collegium duodecim sacerdotum institutum a Romulo, qui nutrici suae Accae Larentiae, quod ipsa ex duodecim filiis maribus unum morte amiserat, in illius locum sese filium dedit, seque et ceteros ejus filios *Fratres Arvales* appellavit. Hi gestabant pro insigni spiceam coronam vitta alba illigatam, eorumque honor non nisi vita finiebatur, et exsules etiam comitabatur, ut apud *Plin.* 18, 2, 2. legitur. Verosimile videtur duodecim semper numero fuisse, licet in *Inscriptionibus*, quae de iis supersunt, modo sex, modo octo, ad summum novem, nunquam plures numerentur. In demortui locum cooptabatur novus Frater Arvalis a collegio in aede Concordiae in Capitolio, aut in Regia congregato, et quidem per suffragia, praemissa quadam precatione cooptationis; aliquoties tamen renunciabatur ab imperatoribus per tabellas, quae Fratribus Arvalibus mittebantur in haec verba: Ti. Claudius Caesar Augustus Fratribus Arvalibus collegis suis salutem. In locum N. N. Fratrem Arvalem Collegam vobis nomino N. N. Collegii praeses vocabatur magister, qui annuus erat, licet iterum et tertio idem munus obire potuerit. Eligebatur is die secunda festi Deae Diae, *h. e.* XIV vel IV. Kal. Jun. in luco ejusdem Deae, magisterium vero inibat XVI. Kal. proximi Januarii, quo die scilicet celebrabantur Saturnalia. Magistri vice, quoties hic valetudine aliave causa impeditus adesse non poterat, fungebatur unus ex Fratribus Arvalibus, qui promagister dicebatur. Eadem die etiam flamen eligebatur, qui annuus itidem erat, hujus vicem agebat proflamen. Erat etiam qui praetoris nomine in quibusdam sacris operabatur. Sacrorum ministri erant pueri quatuor, patrimi et matrimi, ingenui, et senatorum filii, qui quidem sacrificiis astabant modo praetextati, modo riciniati. Erat etiam aedituus, qui et a sacris Fratrum Arvalium vocabatur, erant praeterea calatores, publici, *h. e.* servi, commentarienses et scriba. Fratres igitur Arvales quotannis celebrabant sacrificium Deae Diae, quae quidem Ceres fuisse videtur. Id per triduum fiebat, nempe XVI. XIV. et XIII, vel VI. IV. et III. Kal. Jun. Indicebatur vero populo hujusmodi festum primis anni diebus in Capitolio, in pronao aedis Concordiae a collegii magistro, qui lautis prius manibus, et velato capite, sub divo columine, *h. e.* sub atrii fastigio, contra orientem haec pronunciabat: Quod bonum, faustum, felix, fortunatum, salutareque sit imperatori, conjugi ejus, totique domui eorum, Populo Romano, Quiritibus, Fratribusque Arvalibus, mihique, sacrificium solemne Deae Diae hoc anno erit ante diem XVI. Kal. Junias domi; XIV. Kal. Junias in luco, et domi; XIII. Kal. Junias domi consummabitur. Animadvertendum porro est, hoc festum modo XVI. XIV. et XIII., modo vero VI. IV. et III. Kal. Junias celebratum fuisse; qua vero de causa, incompertum adhuc est. Primo die Romae in domo magistri, aut promagistri, vel in Palatio in templo Augusti Fratres Arvales prima luce sumptis praetextis et coronis spiceis vittatis sacrificium Deae Diae concipiebant ture et vino tantum, Deam unguentabant, fruges aridas et virides, *h. e.* spicas novas illuc illatas, panesque laureatos tangebant, iterum Deam unguentabant, deinde in cathedris consedebant praetextati, ibique praetextis positis ad balneum sese conferebant; post meridiem a balneo iterum in cathedris consedebant, mox lautis manibus coenatoria alba accipiebant, et in tricliniaribus discumbebant, post epulas praetextas recipiebant, et super toralibus segmentatis discumbentes ture et vino faciebant, ministrantibus pue-

ris praetextatis, et per eosdem, et publicos ad aram perferebant libatas fruges, et unguenta et coronas accipiebant, et facibus accensis cum mantelis canipas, *h. e.* canistra, in quibus erant fruges, tangebant, quas per calatores domum quisque suam cum rosis mittebant. Deinde bellariorum secunda mensa afferebatur et dividebatur inter praesentes sacerdotes et ministros, sportulas etiam accipiebant singuli sacerdotes denarios C., pueri vero XXV., divisisque rosis *feliciter* clamabant, domumque redibant. XIV. autem vel IV. Kal. Junias in lucum Deae Diae ad V. ab Urbe lapidem via Campana conveniebant prima luce, ibique magister ad aram duas porcilias, quae piaculares vocabantur, immolabat luci coinquiendi et operis faciundi gratia, mox vacca alba, quae honoraria appellatur, ad foculum immolata, in tetrastylo, *h. e.* in porticu quadrata, in subselliis marmoreis una cum sacerdotibus consedebant, tum reversus ad aram reddebat extas porciliares antea elixas et ex aruspicina rite inspectas: item in Circo, in foculo, argenteo cespite ornato, extam vaccinam reddebat, et in tetrastylum in codice cavebat, *h. e.* nomen suum in libro ad hoc posito scribebat, quo constaret se ibi adfuisse et sacrum fecisse, mox praetextam deponebat, et in papilionem suum redibat. Post meridiem sacerdotes praetextati conveniebant in tetrastylum, et in subselliis consedebant, cavebantque, se adfuisse et sacrum fecisse, et positis praetextis porcilias piaculares, et sanguinem earum epulabantur; tum sumptis iterum praetextis, capite velato, vittis spiceis coronati lucum escendebant, submoto prius per publicos populo, ibique per magistrum vel promagistrum et flaminem immolabant agnam opimam, et hostiae litationem inspiciebant. Perfecto sacrificio, omnes ture et vino faciebant, deinde reversi in aedem in mensa sacrum instaurabant ollis, et ante aedem in cespite magister tantum et flamen sacrificabant. Item foras ad aram reversi dabant thesauros, (quidnam hi fuerint, ignoratur) item magister et flamen scyphos argenteos cum simpuviis, et acerras ferentes ture et vino faciebant, et ante ostium stabant; tunc duo ex eorum collegio cum publicis ad fruges petendas a populo prospectante discedebant, et reversi easdem dextera dabant, laeva recipiebant, deinde ad alterutrum sibi reddebant, publicisque tradebant; iterum in aedem intrabant, et ollas, in quibus exta coqui solebant, precabantur, et ostiis apertis per clivum jacebant; deinde in subselliis marmoreis consedebant, et panes laureatos, et alia quaedam per publicos partiebantur, et spiceis coronis, quibus redimiti erant, ante aram projectis, Deas iterum unguentabant, *h. e.* Deam Diam, et Junonem Diae (quae fuisse videtur ejus filia Proserpina), deinde aedes claudebatur, omnibus praeter sacerdotes foras egressis. Tunc Fratres Arvales, intus clausi succinctique, libellis acceptis, carmen tripodabant, *h. e.* saltando concinebant, in verba haec:

(ter) Enos Lases juvate.
(ter) Neve luerue marmar sins incurrere in pleores.
(ter) Satur furere Mars limen sali, sta berber.
(ter) Semunis alternei advocapit conctos.
(ter) Enos Marmor juvato.
(quinquies) Triumpe.

Post tripodationem, signo dato, et ostiis apertis, publici ingrediebantur, et libellos e manibus sacerdotum recipiebant. Mox novus anni sequentis magister et flamen eligebantur, deinde praetextis positis in tetrastylo discumbentes epulabantur apud magistrum, *h. e.* in papilione magistri, ibique post epulas, sportulas, coronas convivales et bellaria inter se partiebantur. Porro aliquantisper ibidem commorati, ad Circum, qui in luco Deae Diae erat, progrediebantur, et unus ex quatuor pueris ingenuis patrimis et matrimis aut praetextatus aut riciniatus, soleatus coronatusque, populo prius submoto, supra carceres escendebat, signumque cum mappa alba mittebat bigis, quadrigis et desultoribus, iis ludis praesidente uno ex Fratribus Arvalibus, et victores palmis et coronis argenteis honorabantur. Quibus peractis vespere jam adventante Romam redibant, et in domo magistri ea omnia peragebant, quae primo die fecerant, coena tantum excepta, nam haec in luco celebrata fuerat. Tertio tandem et ultimo festi die, *h. e.* XIII. vel III. Kal. Junias in domum magistri ad consummandum Deae Diae sacrificium conveniebant, eaque omnia instaurabant, quae primo die peregerant. ℙ *Cajet. Marinius* videtur addubitare, num reapse Fratres Arvales ambarvale sacrum facerent: etenim veteres scriptores, qui Arvales memorant, nunquam eos ambarvale fecisse affirmant, quique ambarvale sacrum nominant, nullam Arvalium Fratrum mentionem faciunt. Praeterea certum omnino est, ambarvale quotannis factitatum ad agros suovetaurilibus lustrandos, hasque hostias ter circum novas fruges perferri solitas, unde ambarvalis et lustrationis nomina; sed nihil horum agebatur in hisce sacris arvalibus, et suovetaurilia ab Arvalibus immolabantur ad lucum duntaxat lustrandum. Putat igitur, eodem ferme tempore, quo festum Deae Diae publice, ambarvale sacrum a singulis patribusfamilias in arvis suis privatim celebratum fuisse, in eoque carmen cantari consuevisse ab arvali diversum. Cum vero minime liceret in lucum Deae Diae ferrum inferre, sacrificium piaculare fiebat, ut a Diis operandi venia impetraretur; nec tamen ideo totum Arvalium collegium, sed calatores tantum et ceteri ministri in lucum sese conferebant. In hujusmodi sacrificio immolabatur porca et agna opima, ob ferrum scilicet illatum scripturae et sculpturae marmoris causa; opere autem perfecto, aliud huic simile sacrificium fiebat, quod appellabatur ob ferrum elatum. Constat ex *Inscriptionibus* in lucum ivisse Fratres Arvales vel ad festum Deae Diae peragendum, vel ad inculpenda in marmore collegii acta, vel ad eruendam ficum, quae in fastigio aedis Deae Diae innata erat, aedemque reficiendam, vel ad expiandas et eruendas arbores attactas a fulmine, aut vetustate collapsas, et ad reficiendas temporales luci aras. Ad haec duo postrema, causa operis inchoandi, piaculum fiebat suovetaurilibus majoribus, *h. e.* hostiis adultis, non lactentibus, deinde aliae hostiae, in variis luci locis, pluribus Diis Deabusque immolabantur. Nempe Arvales ante ostium aedis Deae Diae eidem immolabant boves feminas II., Jano patri arietes II., Jovi verveces II. altilaneos, Marti arietes altilaneos II., Junoni Deae Diae (*h. e.* Proserpinae) oves II., Deo sive Deae oves II., Virginibus, Divis oves II., Famulis Divis verveces II., Laribus verveces II., horum Matri oves II., Deo sive Deae, in cujus tutela erat lucus locusque, oves II., Fonti verveces II., Deo Summano (*h. e.* Plutoni, cum ageretur de fulminibus nocturnis) verveces II., Florae oves II., Vestae oves II., Vestae Matri oves II., Adolendae, Commolendae vel Coinquendae, et Deferundae (quae quidem Deae ipsaemet sunt) oves II., deinde ante Caesareum, sacellum scilicet imperatoribus eorumque uxoribus et filiis sacrum, totidem verveces, quot ipsi numero erant, quibus peractis licebat ferro uti in luco vel in aede Deae Diae, perfectoque opere eadem reficiebantur iisdem hostiis immolatis, ut prius factum fuerat opere nondum inchoato. Haec erant, quorum causa in lucum sese conferebant Fratres Arvales. ℙ Romae vero conveniebant plerumque in Capitolio, ibique aut in aede Deae Opis, aut in pronao aedis Concordiae, aut apud aram Providentiae, modo ante cellam Junonis reginae; aliquando in Regiam in via sacra, modo ante domum Domitianam, aut in Palatium in aede nova, modo in templum Divis Imperatoribus dicatum, praeter domum magistri, de qua supra diximus. Haec in loca conveniebant, ut festum Deae Diae indicerent, ut referrent quidquid accidisset in ejusdem Deae luco, ut collegas cooptarent, ut votivis ludis adessent, ut vota nuncuparent ob salutem, securitatem et incolumitatem imperatoris, ob ejus natalem, consulatum, itum et reditum in urbem, quod Pater patriae fuisset appellatus, quod filium adoptasset, quod uxorem creandorum liberorum causa duxisset, ob Augustae partum et incolumitatem ejusque consecrationem, ob detecta nefaria consilia contra imperatorem, ad honorandam memoriam Cn. Domitii Aenobarbi, ob restitutionem et dedicationem Capitolii ab Tito imperatore habitam, ac tandem ob solemnia vota, quae concipiebantur quotannis III. Non. Januar. propter felicitatem Domus Augustae. Tunc vero maximo religionis apparatu, praeeunte praecentore, fiebat precatio Jovi, Junoni, Minervae et aliquoties etiam Deae Saluti. ℙ Dii, quibus sacrificabant hisce in festis Fratres Arvales, sunt Juppiter, Juno, Minerva, publica Salus, Salus Augusti, Populi R., Deorum Providentia, Concordia, Fecunditas, Felicitas, Spes, Fortuna_ducis, Dii Penates, Lar vialis, Genius imperatoris, Juno Augustae, Divus Augustus, Diva Augusta, Divus Claudius. Diis maribus bovem, raro taurum; feminis vaccam, et quandoque geminam unicuique hostiam immolabant. ℙ Collegium Fratrum Arvalium permansisse constat ex *Inscriptionibus* usque ad Gordiani tempora, *h. e.* circiter ad an. Chr. 235. Num viguerit postea, ignoratur; vero tamen simile est, ad an. Chr. circiter 400. desiisse una cum reliquis gentilium sacerdotum collegiis. ℙ Haec ex opere *Cajetani Marinii*, cui titulus: *Degli atti e Monumenti de Fratelli Arvali scolpiti già in tavole di marmo, ed ora racolti, diciferati e comentati. Roma.* 1795. *Tom.* 2. in 4. [addita sunt a *Furl.*; paucissima tantum sunt *Forcellini.*]

[ARVĀLUS, i, m. arvorum Deus, qui Saturnus fuisse putatur, *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. CLXXX. Deo Arvalo Saturno Sex Commodus Valer. V. S. L. M. *Id. ib.* Diis patriis Herculi, Apollini, Arvalo. Ceterum has inscriptiones, quas ex *Octavio Rossi* sublestae fidei auctore refert *Spon. Miscell.* p. 115., improbant ut spurias *Mur. Inscr.* p. 62, 8., *Maffej. Art. Cr. Lapid.* p. 427. et ipse *Marin. ib.* p. 812. *F.*]

*ARUCAE, oppidum Hispaniae Baeticae, i. fortasse q. Arunci. *Anton. Itin. B. A.*

ARVĔHO, is, id. q. adveho; *ar* enim olim pro *ad* dictum est. *Cato R. R.* 138. Boves feriis conjungere licet. Hoc licet facere: arvehant ligna, fabalia, frumentum. Et 135. Trapetum ubi arvectum erit, ubi statues, ibi et commodato.

[ARVENSIS, se, adj. ad Arvam Baeticae urbem pertinens a *Plin.* 3, 1, 3. memoratam. *Inscr.* ap. *Grut.* 476, 1. Ordo municipii Flavii Arvensis. *F.*]

ARVERNI, orum, m. plur. populi Galliae Aquitanicae, quorum regio nunc *l' Auvergne*, oppidum *Clermont*, oriundi a Trojanis, et ob id Romanos fratres appellare quondam ausi. *Lucan.* 1, 427. Arvenique ausi Latio se fingere fratres, Sanguine ab Iliaco populi. *Plin.* 4, 19, 33. ℙ Adjective *Arvernum vinum* laudatur a *Plin.* 14, 1, 3.

ARVĪGA, ae, id. q. aries. *Varr. L. L.* 4, 19. Aries, quod eum dicebant ares veteres, nostri arviga: hinc arvignus. *Voss. Etymol.* in voce *Aries* putat *arviga* esse accusativum Graecae positionis a nominativo *arvix*, et Latinum accusativum esse *arvigem*, quo mox *Varro* utitur, ubi docet in pontificalibus libris arvigem dici eam hostiam, quae cornua habet. *Festus* scribit *harviga*, et de ea sic loquitur: Harviga dicebatur hostia, cujus adhaerentia inspiciebantur exta. *Donat.* ad *Ter. Ph.* 4, 28. habet *haruga* et interpretatur *hostiam ab hara, in qua concluditur et servatur;* nisi forte mendosa ea lectio est. *Vel. Long. in Orthogr.* habet *ariuga*, p. 2233. *Scalig.* in *Conjectan. ad Varr.* ubique putat legendum *aringa.*

ARVIGNUS, a, um, adj. id. q. arietinus. *Varr. L. L.* 4, 19. V. ARVIGA.

ARVĪNA, ae, f. λίπος, significat (ut interpretatur *Suet. in lib. de Vitiis corpor.* apud *Serv.* ad *Virg. A.* 7, 627.) durum, pingue, quod est inter cutem et viscus, *h. e.* inter cutem et carnem. Alii pro larido speciatum accipiunt, quod est pingue suillum. *Virg. l. c.* Et spicula lucida tergent Arvina pingui. [*Cf. *Heyn.*, qui comparat Hom. ἀραγῆναι δημῷ, i. e. suillo adipe.] *Pier.* monet in quodam cod. legi *arbina:* ex qua ortum est diminutivum *arbilla.* [*Aloys. Lanzius, Saggio di Ling. Etr. T.* 2. p. 678. putat, arvinam esse adipem cujuscumque victimae, sebum vero ruminantium tantum, ut ait *Nonius* 5, 22., arvinam vero appellari, quod victimis caesis apertis ἀρύεται, trahitur, interposito nempe digammate V. ἀρύω, inde *arvio, arvinus. F.*] ℙ Pro pinguedine generatim. *Prud. Cath.* 7, 9. Arvina putrem ne resudans crapulam, Obstrangulatae mentis ingenium premat. *Sidon. epist.* 8, 14. Aestuans turgidi ventris arvina. ℙ *Arvina* fuit agnomen A. Cornelii Cossi, qui dictator de Samnitibus triumphavit. *Fasti Capitol.* ap. *Grut.* p. 297. *col.* 1. et *Liv.* 8, 38.

*ARVIPENDIUM, ii, σχοῖνος γεωμετρικός, *Gloss. vet.* V. *Scal.* ad *Pl. Mil.* 5, 14. *B. A.*

ARVĪSĬUS, a, um, adj. *Arvisium vinum* dictum est ab Arvisio monte Chii insulae, ubi optimum fit, ut *Plin.* 14, 7, 9. et *Vibius Sequester de montib.* docent. *Virg. Ecl.* 7, 71. Vina novum fundam calathis Arvisia nectar. *Sil.* 7, 210. et ambrosiis Arvisia pocula succis. ℙ Pro *Arvisius* alii legunt *Ariusius.* Nam Graece apud *Strabon. l.* 14. legitur Ἀριουσία χώρα, et apud *Athen. l.* 1. *c.* 25. οἶνος Ἀριούσιος. *Pierius* ad *loc. Virg. cit.* docet nihil certi statui posse ex MSS. *Virgilii*, quorum alii aliam lectionem exhibent.

ARVIX, igis, V. ARVIGA.

ARŪLA, ae, f. parva ara. *Cic. Verr.* 2, 4, 3. Ante hosce Deos erant arulae, quae etc. In *Papiriano jure* ap. *Macr. Sat.* 3, 11. Mensa arulaeque eodem die, quo aedes ipsae, dedicari solent. *Arnob.* 3. p. 114. Arulae pecorum sanguine delibutae. ℙ *Arulae* etiam dicti sunt a Campanis, teste *Plin.* 17, 11, 15., cumuli terrae adaggeratae circa ulmos, quia brevi humilique arae similes sunt.

ARULĀTOR. V. ARRILATOR.

[ARULENSIS, se, adj. pertinens ad ignotum sodalicium in colonia Ostiensi, fortasse ab arula seu parva ara ita appellatum, quod sodales in minori alicujus numinis ara facerent sacra. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 56. L. Licinio L. fil. Pal. Herodi sodali Arulensi. Item alia apud *Grut.* 398, 7. Sodalis Aru .... *F.*]

ĀRUM. V. AROS.

*ARUNCĬ, oppidum Hispaniae Baeticae, nempe in ripa Baetica Anae fluvii, i. fortasse q. Arucae. *Plin.* 3, 1. *Cellarius* scribit *Arucci. B. A.*

ĀRUNCUS, ci, m. villus a caprarum mento dependens: a Graeco ἄρυγγος Dorice pro ἤρυγγος. Hoc idem narrat *Aristot.* IX. 3. *Plin.* 8, 50, 76. Dependet omnium mento villus, quem aruncum vocant: hoc si quis apprehensam ex grege unam trahat, ceterae stupentes spectant.

*ARUNDA, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

ĀRUNDĬFER, a, um, adj. ferens arundines. *Oc. Fast.* 5, 637. Tibris arundiferum medio caput extulit alveo.

ĀRUNDĬĀCĔUS, a, um, adj. καλαμοειδής, similis arundini. *Plin.* 18, 7, 5. Frumentis folium arundinaceum.

ĀRUNDĬNĀRĬUS, ii, m. [negotiator calamorum, quibus aut Cnidiis aut Memphiticis et Niloticis utebantur veteres ad scribendum. V. ARUNDO. *F.*]

Inscr. ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 27. A. Aemilius A. L. harundinarius. Hic vero *harundinarius* cum aspiratione, ut aliquando et *harundinetum* et *harundo*, quas voces V.

[ARUNDENSIS, se, adj. ad Arundam pertinens, Baeticae oppidum a *Plin.* 3, 1, 3. et *Ptolemaeo* memoratum, quod nunc *Ronda*. *Inscr.* ap. *Mur.* 1029, 5. Ordo Arundensis. *F.*]

ARUNDINĀTIO. V. ARUNDULATIO.

ARUNDINĒTUM, i, n. καλαμών, locus arundinibus consitus. *Cato R. R.* 6. Ibi cacumina populorum serito, et arundinetum. *Id. ib.* 24. et *Varr. R. R.* 1, 24. Salicem Graecam circum arundinetum seri oportere. *Plin.* 10, 8, 10. Ex silvis et arundinetis excitare aves. ℙ [*Harundinetum* legitur apud *Fabrett. Inscript.* p. 324. *n.* LX. *F.*]

ARUNDINĔUS, a, um, adj. καλάμινος, qui est ex arundine. *Virg. A.* 10, 710. Arundinea silva. *Plin.* 8, 32, 50. Arundineae paniculae. *Stat. Th.* 6, 174. Arundineae ripae, *h. e.* arundinibus consitae. *Colum.* 4, 29. Arundinei cuneoli. *Id.* 9, 13. Arundinei canales. *Ov. Trist.* 4, 1, 12. Pastor arundineo carmine mulcet oves, *h. e.* sono fistulae arundineae. ℙ Item arundini similis. *Plin.* 24, 16, 93. Dracontion radice arundinea. ℙ *Arundinea ficus* apud *Macr. Sat.* 2, 16. est genus fici maculas habens arundinum foliis similes, ut est apud *Plin.* 15, 18, 19. Sunt qui apud *Macr.* legendum putant *hirundinea*, ut sit eadem, quae Chelidonia. Nam χελιδών hirundinem significat.

ARUNDINŌSUS, a, um, adj. arundinibus abundans, καλαμώδης. *Catull.* 36, 13. Quaecquae Ancona, Cnidumque arundinosum Colis.

ARUNDO, undĭnis, f. κάλαμος, aquaticus frutex in longam altitudinem excrescens, cortice lignoso et inarescente, fissili, praeacuta semper acie, geniculatus, leni fastigio tenuatus in cacumine, crassiore paniculae coma, radice vivaci, et ipsa geniculata. Cetera, quae ad accuratiorem ejus descriptionem pertinent, apud *Plin.* 16, 36, 64. legere poteris. [Vocis etymon quidam deducunt ab ἀρύω, impello [*hanc significationem ego non novi, nec puto alii], quippe quae facillime a vento impellatur. *F.* *alii ab *aridus;* alii ab ἄρω, i. e. tollo, me tollo.] *Hor. Sat.* 2, 3, 248. equitare in arundine longa. *Virg. G.* 2, 414. Fluvialis arundo. *Id. A.* 10, 205. Glauca arundo. *Id. Ecl.* 7, 12. tenera. *Ov. Met.* 13, 891. viva et procera. *Id. A. Am.* 2, 77. tremula. [**Hor. Sat.* 1, 8, 6. importunas aves arundo terret fixa, i. de summa arundinis parte, quae spissior est et facile vento movetur.] ℙ Differt a *canna*, quae est et ipsa arundinis genus, sed minor graciliorque: tametsi unum pro altero promiscue a scriptoribus passim usurpatur. *Colum.* 4, 32. Ea est autem arundineti senectus, cum vel exaruit situ, vel ita densatum est, ut gracilis, et cannae similis arundo prodeat. *Id.* 7, 9. *circa med.* Degener arundo, quam vulgus cannam vocat. *Ov. Met.* 8, 335. tenet ima lacunae Lenta salix, ulvaeque leves, juncique palustres, Viminaque, et longa parvae sub arundine cannae. ℙ Fluviorum Dii plerumque arundine coronati finguntur, quia arundines amant aquam. Hinc *Ov. Met.* 9, 2. cum sic Calydonius amnis Coepit, inornatos redimitus arundine crines. Adde *Virg. A.* 10, 205. et *ib.* 8, 34. ℙ Magnus est arundinis usus in piscatu. Nam hamo ex arundine lino appenso pisces captantur. *Pl. Rud.* 2, 1, 15. Hisce hami, atque hae arundines sunt nobis quaestu et cultu. *Tibull.* 2, 6, 23. Haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces. *Ov. Met.* 13, 923. Moderari arundine linum. ℙ Item in aucupio. Nam calamis visco illitis insidiae avibus tenduntur. *Petr. Sat.* 109. Tectis arundinibus tangere volucres. Allegorice *Pl. Bacch.* 1, 1, 17. Duae unum expetitis palumbem: perii, arundo alas verberat. ℙ Etiam ad scribendum arundine usi sunt. Nam chartam exarabant calamis acuminatis, et atramento illitis, ut nos calamo. *Pers.* 3, 11. Inque manus chartae, nodosaque venit arundo. Tunc querimur, crasso calamo quod pendeat humor, etc. *Mart.* 1, 4. Neve notet lusus tristis arundo tuos, *h. e.* calamus severi scriptoris. *Auson. ep.* 7, 49. Nec jam fissipedis per calami vias Grassetur Cnidiae sulcus arundinis. *Cnidiam arundinem* dicit, quia ex arundine Cnidi insulae probatissimi fiebant calami ad scribendum, ut *Plin. l. c.* docet. Hinc *Mart.* 9, 14. *Acidaliam arundinem* dixit. V. ACIDALIUS. ℙ Ex arundinibus majoribus fiebant baculi ad varios usus. Hinc *arundo Indica*, apud *Plin.* 16, 36, 65. V. GRAMINEUS. *Petr.* 134. Arundinem ab ostio rapuit, iterumque nihil respondentem mulcavit: ac nisi primo ictu arundo quassata verberantis impetu minuisset, forsitan etiam brachia mea caputque fregisset. *Pl. Stich.* 2, 3, 23. Efferte huc scopas, simulque arundinem, ut operam omnem aranearum perdam. *Varr. R. R.* 1, 8. docet arundine etiam vites fulciri quod hodieque passim videre est in agro Romano. Adde *Plin. l. c.*, qui scribit etiam ad domos contegendas arundinem utilem esse: quod et *Mart.* indicat 14, 38. et *Liv.* 35, 27. [*Et poetice de pectine textorio, qui constat arundinibus, *Ov. Met.* 6, 55. Stamen secernit arundo. V. *Voss.* ad *Virg. G.* 1, 294.] In illo *Prop.* 2, 20, 71. Jam licet et Stygia sedeat sub arundine remex, etc, quidam *arundine* cymbam Charontis significari putant: et allusisse poetam ad ea quae scribit *Plin. l. c.* et 7, 2, 2. *circa med.* de arundibus Indicis, quas arboreae magnitudinis esse dicit, singulaque earum internodia navigiorum vicem praestare: et 7, 56, 57. *a med.* Naves in Nilo fieri ex papyro, scirpo et arundine. Quo pertinet illud *Juven.* 5, 89. Canna Micipsarum prora subvexit acuta. Alii intelligunt de arundinetis circa Stygem enatis, quod praestat: alii de pertica, seu virga, qua portisculus remigibus signum dat: alii denique de tuguriolo arundinibus tecto, sub quo Charon consisteret, et cymbam subduceret. ℙ Usus aliquos arundinum in medicina refert *Plin.* 17, 28, 47. *in f.* et 24, 11, 50. Insignis vero est locus *Suet. Aug.* 80. Coxendice et femore et crure sinistro non perinde valebat, ut saepe etiam inde claudicaret: sed remedio habenarum atque arundinum confirmabatur, *h. e.* fasciarum et fulcimentis arundineis. [Ita legit et interpretatur *B. Crus.* adnotat. ad hunc locum, cum alii aliter legant et interpretentur. *F.*] Fissa arundine luxata ossa confirmantur. *Cato R. R.* 160. ℙ De pertica mensorum *Prud. Psych.* 826. Aurea planitiem spatiis percurrit arundo Dimensis. Respicit ad *Apocalyps.* 21, 16. ℙ A poetis per synecdochen ponitur pro sagittis. Nam arundinibus primo nudis, postea ferro armatis in bello multum usa est antiquitas. *Virg. A.* 7, 499. actaque multo Perque uterum sonitu, perque ilia venit arundo. *Id. ib.* 4, 73. haeret lateri letalis arundo. ℙ Item pro tibia seu fistula, quae ex arundine praecipue fit: multaque hac de re *Plin. l. c.* et *Solin.* 5. *a med.* disserit. *Virg. Ecl.* 6, 8. Silvestrem tenui meditabor arundine musam. *Ov. Met.* 11, 154. Et leve cerata modulatur arundine carmen. *Suet. Caes.* 32. Arundine canere. ℙ Scribitur et *harundo* cum aspiratione, quam scriptionem probat *Eutyches* ap. *Cassiodor. de Orthogr.* 9. et *Agroet. de Orthogr.* p. 2272., ubi ita distinguit, ut *arundo* sit frutex ab ariditate dicta; *harundo* sagitta: sed hoc discrimen nullum est. Legitur etiam in quodam veteri Calendario apud *Grut.* p. 138. Monet *Brisson. de verb. signif. l.* 8. in Pandectis Florentinis modo cum aspiratione legi, modo sine. Ceterum usitatior multo et probatior est ea scriptio, qua omissa aspiratione scribitur.

ARUNDULĀTIO, onis, f. suppositio arundinum ad ramos arborum fulciendos. *Varr. R. R.* 1, 8. Canusini in harundulatione in ficis. [*Pontedera* malebat *in harum jugatione. Schneiderus* mavult legere *arundinatione*, quod profecto probandum. *F.*]

ARUNGUS pro Averruncus legitur in quadam *vet. edit. Gell.* 5, 12. *in f.* Alii leg. *Averruncus.*

*ARUNS, tis, m. vates Tuscus. *Lucan.* 1, 585. ℙ Item miles Trojanus, qui Camillam occidit. *Virg. A.* 12, 94. ℙ Item frater Tarquinii Superbi, maritus Tulliae, a qua sublatus est, ut Tarquinio nuberet, qui sororem Tullii, uxorem suam, similiter veneno peremit. *Liv.* 1, 34. ℙ Et Tarquinii Superbi filius natu maximus, qui in ea pugna, quae ad Regillum lacum facta est, Junium Brutum interemit, et ab illo vicissim hasta trajectus est. *Liv.* 1, 5. et 2, 6. ℙ Et filius Porsenae. *Id.* 2, 10. *B. A.*

ARŪPĪNAS, atis, m. qui est ex Arupino seu Arupeno oppido Iapydiae, nunc *Kärnthen*, quod Graece Ἀρούπεινον, nunc *Aversperg* dici putant, vel *Rovigno* in Istria inter Parentium et Polam. *Tibull.* 4, 1, 110. Testis Arupinas et pauper natus in armis. Est qui legit *Arupinis.* ℙ [**Arupium* audit oppidum hoc *Anton. Itin.* *Arypium* autem *Tab. Peut. B. A.*]

ARURA, ae, f. ἄρουρα, vox Graeca, qua significatur ager satus, vel ipsa seges: ab ἀρόω, aro. *Vel. Long. de Orthogr.* apud *P.* p. 2246. Filicem ita credo dictam, quod sit minus felix arurae. ℙ *Marcell. Empir.* 8. *ante med.* Lacertae, quae in segetibus morantur, quas Graeci aruras vocant.

*ARUSĪNI CAMPI sic dicti forsan ab Arusia vel Arusio oppido quodam, in Lucania vel in Hirpinorum finibus sito. *Flor.* 1, 18. *Frontin. Strateg.* 4, 1. *B. A.*

ARUSPEX, etc. V. HARUSPEX.

ARUTĒNA. V. ARYTENA.

ARVUM, i, n. proprie significat campum aratum, nec dum satum, ut *Varr. R. R.* 1, 29. et *Fest.* docent: ab *aro*, *as*, deducta voce, ut *Id. Varr. L. L.* 4, 4. *sub f.* auctor est. Videtur autem prima sui origine esse adjectivum, quod sit idem quod *aratum* vel *arabile. Pl. Truc.* 1, 2, 47. Non arvus hic, sed pascuus est ager. *Isid. Orig.* 15, 13. Omnis ager, ut Varro docet, quadrifarius dividitur. Aut enim arvus est ager, i. e. sationalis, aut consitus, etc. Adde *Hor. ep.* 1, 16, 2. ℙ [*Exempla feminini generis haec sunt]: *Naevius* ap. *Non.* 3, 15. Quaque incedunt, omnes arvas obterunt. *Pacuv. ib.* Postquam calamitas plures annos arvas calvitur. [*Ad neutrum autem, quod mox substantivum factum est, *arvum* supple *solum* vel *novale;* est igitur i. q. *Ackerland.* Cf. *Döderl. syn. et etym.* III. p. 8.] ℙ Accipitur generatim pro agro, sive is aratus satusve, aut consitus sit, sive non: et usurpatur absolute more substantivi. *Sall. Jug.* 95. Numidae pabulo pecoris magis, quam arvo student. *Cic. N. D.* 1, 44. Prata et arva et pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex eis capiuntur. [**Tac. G.* 26. arva per annos mutant et superest ager. *Suet. Ner.* 31. rura insuper arvis et vinetis et pascuis varia.] *Varr. R. R.* 1, 7. Ex arvo aeque magno, sed male consito, minus multum, et minus bonum faciebant vinum. *Virg. G.* 2, 263. Optima putri Arva solo. *Hor. Od.* 3, 4, 15. Arvum pingue. *Ov. Pont.* 4, 15, 7. fertile. *Id. ib.* 2, 5, 33. sterile. *Id. Met.* 7, 129. fetum. *Virg. A.* 6, 744. Laeta arva. *Id. G.* 1, 125. subigere arva. *Id. ib.* 507. squalent abductis arva colonis. *Id. ib.* 2, 353. hiulca siti findit canis aestifer arva. *Ov. Fast.* 3, 151. Arva olivifera. *Sil.* 7, 207. uvifera. Al. leg. *vitifera:* al. *vinifera.* ℙ Interdum per synecdochen ponitur pro regione. *Ov. Pont.* 4, 7, 3. Aspicis en, praeses, quali jaceamus in arvo. ℙ Per metonymiam sumitur pro segete. *Virg. G.* 1, 316. cum flavis messorem induceret arvis Agricola. ℙ Pro litore etiam usurpatur ab *Eod. A.* 2, 209., ut monet *Servius.* ℙ *Arva Neptunia* pro mari posuit *Id. A.* 8, 695. eo modo, quo *ib.* 6, 724. *campos liquentes.* ℙ Eleganter transfertur ad muliebrem naturam. *Lucr.* 4, 1100. ut muliebria conserat arva, *Virg. G.* 3, 135. Genitale arvum. ℙ [*Commutantur in libris *arvis*, *oris*, *agris*, V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 224. *Drak.* ad *Sil.* 5, 260. et quos ibi laudat. *Arva* et *herbae*, *Burm.* ad *Virg. G.* 1, 339. *arva* et *arma* V. ARMA.]

ARX, arcis, f. ἄκρα, ἄκρος, locus excelsus, cacumen, vertex. Dicta est auctore *Varr. L. L.* 4, 32. ab arcendo, quod is sit locus munitissimus urbis, a quo facillime possit arceri hostis: sed fortasse verior vocis notatio est ab ἄκρος, per metathesin ἄρκος; nam propria et primaria ejus notio est summus et excelsus locus; unde hoc nomen montibus etiam tribuitur. *Virg. G.* 1, 240. Mundus ut ad Scythiam Riphaeasque arduus arces Consurgit. *Ov. Met.* 1, 467. umbrosa Parnassi constitit arce. *Stat. Th.* 1, 114. abrupta qua plurimus arce Cithaeron Occurrit coelo. *Sil.* 3, 496. Primus inexpertas adiit Tirynthius arces, *h. e.* Alpium cacumina. *Virg. G.* 2, 534. rerum facta est pulcherrima Roma, Septemque una sibi muro circumdedit arces, *h. e.* septem colles. *Petr. Sat.* 116. Impositum arci sublimi oppidum. *Stat. Th.* 4, 175. Arx galeae. ℙ Item pars munitissima urbis, ἀκρόπολις: quia fere in editiori loco construi solet, vel in ipsa urbe, vel prope. Neque audiendus est *Solin.*, qui *c.* 1. docet, arcem ab Arcadibus esse appellatam, quod ii in editis montium jugis habitaverint. *Cic. Or.* 2, 67. Tarento amisso, arcem tamen retinuit. *Id. Pis.* 34. *in f.* Cum oppido desperassent, munire arcem coeperunt. *Nep. Them.* 2. Arcem alicui tradere, reliquum oppidum relinquere. *Id. Pelop.* 1. Arcem oppidi occupare. *Id. Timol.* 3. Munire arcem ad urbem obsidendam. ℙ Ponitur generatim pro urbe, oppido. *Hor. A. P.* 398. Amphion Thebanae conditor arcis. Hinc *arcem* absolute pro urbe Roma dixit *Prud. in Symm.* 1, 4. ℙ *Arces igneae* sunt coeli apud *Hor. Od.* 3, 3, 10. Quo sensu *Aetherias arces* dixit *Ov. Trist.* 5, 3, 19. et *Arcem coeli Virg. A.* 1, 254. ℙ *Arces sacrae* sunt templa apud *Hor. Od.* 1, 2, 3., nisi malis intelligere Capitolium, quod *arcis* nomine saepissime significatur. [*Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 116. *n.* 297. P. Aelio P. F. Pal. Tironi Salio arcis Albanae. Alia apud *Marin. Frat. Arv.* p. 663. Severae *Virgini Vestali* maximae arcis Albanae. *F.*] ℙ Praesertim cum de auguriis accipiendis sermo est, quia edito loco auguria captantur. *Liv.* 1, 18. Numa deductus in arcem, in lapide ad meridiem versus consedit. *Id. ib.* 24. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit. *Cic. Off.* 3, 16. Cum in arce augurium acturi essent augures. V. AUGURACULUM. ℙ Translate *arx corporis* dicitur caput, quia ceteris membris altius est, ibique tanquam in arce omnia sensuum organa natura collocavit. *Sen. Oedip.* 185. tum vapor ipsam Corporis arcem flammeus urit. *Claud.* IV. *cons. Hon.* 234. hanc (*animam*) alta capitis fundavit in arce. ℙ De loco, quod munitione et potentia ceteris antecellit, unde praesidium opemque petere licet, et quo, ut in tutum, perfugere. *Cic. Cat.* 4, 6. Videor mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, etc. *Id. Ligar.* 7. Africa omnium provinciarum arx, nata ad bellum contra hanc urbem gerendum. *Tac. Hist.* 3, 13. Classis arx commeatuum. [**Id. A.* 11, 31. arx dominationis, et *Ern.* ad h. l.] *Cic. Sull.* 28. Munite communem arcem bonorum, obstruite perfugia improborum. *Id. Pis.* 5. Cui templum illud fuit, te consule, arx civium perditorum, receptaculum veterum Catilinae militum, castellum forensis latrocinii, etc. *Id. Cluent.* 57. Constituere praesidia defensionis in arce legis. *Id. Div. in Verr.* 5. Lex repetundarum arx sociorum. *Id. Fam.* 1, 9. Invadere in arcem causae, *h. e.* aggredi ad infirmandum id, quo maxime causa adversarii nititur. *Id.*

Div. 1, 6. Arcem Stoicorum defendere. ℙ Item fastigium, apex, et quidquid est summum in re qualibet. *Stat. Silv.* 2, 2, 131. Celsa mentis arx. *Lucan.* 7, 593. Attingere arcem juris, *h. e.* summum imperium tenere. [*Sed *Cort.* hoc dici posse negat et aliter interpungit.] *Sil.* 13, 771. Perduci ad summas arces laudum. *Sidon. carm.* 2, 173. Platonis ingenium, quod in arce fuit. *Auct. Dial. de Orat.* 10. Arx eloquentiae. *Prisc. Praef. Grammat.* Arcem musicae possidere. ℙ *Arcem ex cloaca facere* proverb., *h. e.* rem abjectam verbis nimis extollere et amplificare. Habetur apud *Cic. Planc.* 40. ℙ [*Commutantur a librariis saepissime *arx* et *urbs*, V. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 1, 7, 6.; *Burm.* ad *Virg. A.* 8, 357. ac saepius; *Fea* ad *Hor. A. P.* 394. — et *axis*, *Burm.* ad *Ov. Am.* 3, 10, 21. — et *arae*, *Barth.* ad *Stat. Th.* 5, 644. *arces* et *tecta*, *Burm.* ad *Virg. A.* 4, 260.]

*ARYCANDA, ἈρύκανδαLyciae oppidum, forte ad Arycandum flumen. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

*ARYCANDUS, i, m. Lyciae flumen. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

*ARYMPHAEI, orum, populi Asiae Scythicae, ultra Pontum Euxinum. *Mela* 1, 19. *extr. B. A.*

ARYTENA et per syncopen Artena, ae, est vas ab hauriendo sic appellatum, ait *Festus:* nempe ab ἀρύτω, haurio, a quo est ἀρύταινα quam inter vasa balneatoria *Pollux. l.* 7. *c.* 33. et *l.* 10. *c.* 17. enumerat. Quidam putant esse speciem matulae. In *Gloss. Philox.* dicitur esse vas in sacrificiis adhibitum. Apud *Lucil.* teste *Charis.* 1. p. 95. legitur *arutena* Latino more Graecam *υ* in *u* vertendi. *Scalig.* ad *Fest. artena* legendum censet.

[ARYTHMUS, a, um, adj. ab *α* privativa, et ῥυθμός, numerus, *h. e.* numero carens. *Capell.* 9. p. 328. *Grot.* Alia tempora sunt, quae eurhythmica nominantur, alia quae arythma. Grotius sic legendum monet pro *arythmata.* Quid vero significent *tempora arythma*, ipse paulo post explicat *Capella:* quae sibi nulla omnino lege consentiunt, ac sine certa ratione conjuncta sunt. ℙ Quamvis apud *Capellam* scriptum sit *arythma* sine aspiratione, reponendum est *arhythma. F.* et *B. A.*]

AS

AS, assis, m. ab *aes* extrita altera diphthongi vocali, ut *Varr. L. L.* 4, 36. docet, tria significat, certum pecuniae genus, ponderis, et mensurae. Primo itaque significat pecuniam ex aere factam, qua usi sunt Romani prioribus quidem temporibus rudi, postea signata: illa appendebatur libra, ita ut tot dicerentur asses, quot essent librae aeris (unde emere *per aes et libram*, de quo V. in MANCIPIUM) haec numerabatur. Duravit illa usque ad tempora Servii Tulli, qui primus, teste *Plin.* 33, 3, 13., assem ad certam figuram et magnitudinem conformavit, et signavit nota pecudum (ovis aut bovis, aut vervecis, aut suis) unde et *pecunia* dicta: habuitque librae pondus (unde *aes grave.* V. GRAVIS) usque ad bellum Punicum primum: quo tempore imminutum est, et constitutum, ut asses sextantali pondere, hoc est duarum unciarum ferirentur, detractis a libra quinque partibus: atque ita ex libra una aeris, quae prius unicum assem efficiebat, sex asses cusi sunt. Hanc deminutionem *Fest.* in *Sextantarii* factam esse ait bello Punico secundo, *Plin. loc. cit.* primo: quod verius est. Mutata etiam fuit prior nota, et ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis impressum. Deinde bello Punico secundo A. U. 536., [*218. a. C. n.] Q. Fabio Max. dictatore, iterum imminutum est assis pondus, detracta uncia: itaque ex una libra aeris asses duodecim, unciae pondere cusi sunt. Denique circa A. U. 563. [*191. a. C. n.] L. Cornelio Scipione, C. Laelio Nepote coss. lege lata a C. Papirio Carbone trib. pleb. statutum est, ut asses, qui unciales erant, semunciales fierent; atque hac ratione ex una aeris libra asses vigintiquatuor fecere. Quod assis pondus etiam sub imperatoribus, Plinii tempore, multoque etiam post duravit. Hae ponderis assium imminutiones factae sunt ob inopiam pecuniae, qua respublica laborabat: ideoque detracto assis pondere, mansit semper idem pretium, quod ad Venetae pecuniae valorem redactum, fere valet duos solidos, vel Romanam monetam, quae *bajocco* dicitur, [*et apud nos 4 vel 4½ *Pfennige.*] *Cic. Off.* 2, 17. M. Sejus in caritate asse modium populo dedit. *Gell.* 20, 1. Crumena assium plena. *Cato* apud *Senec. ep.* 94. Quod non opus est asse carum est. *Hor. Sat.* 1, 1, 43. Vilis as. *Id. Ep.* 2, 2, 27. Perdere omnia ad assem. Sic *Plin. ep.* 1, 15. Reddere impendium ad assem. *Mart.* 1, 101. Asse cicer tepidum constat. *Id.* 9, 6. *in f.* Asse emere aliquid. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 2. Cibus uno asse venalis. *Id.* 12, 23, 49. Ammoniaci optimi pretium in libras, asses quadraginta. *Id.* 33, 13, 57. Lomentum quinis assibus aestimatum. *Catull.* 5, 3. Omnes unius aestimemus assis, *h. e.* vili pretio. Sic 42, 13. Non assis facere aliquid. *Plin. ep.* 2, 20. Assem para, et accipe auream fabulam, *h. e.* praemium: et videtur alludere ad circulatores, qui assis mercede fabellas populo venditabant. ℙ *Assem habeas, assem valeas*, proverb. apud *Petron. fragm. Trag.* 77. *Burm.*, quo significatur tanti fieri homines, quantum possident divitiarum. ℙ *Assem elephanto porrigere* proverbialis locutio ab Augusto usurpata in quendam militem, qui libellum ei supplicem, sed admodum timide porrexerat. Elephanti enim, ut narrat *Plin.* 8, 5, 5., ita aliquando cicurabantur, ut stipem a populo oblatam proboscide exciperent, quam tamen, qui dabant, non sine timore aliquo et trepidatione porrigebant. Referunt hoc proverbium *Quint.* 6, 3. et *Macr. Sat.* 2, 4. ℙ Mos fuit veteribus Romanis, ut novae nuptae ad maritum venientes tres asses ferrent, quorum alterum ipsi marito dabant; alterum in pede habentes in foco Larium familiarium ponebant; tertium in sacciperione tenebant, et mox in compito vicinali donabant. Rem narrat ex *Varr. Non.* 12, 50. ℙ Partes assis pondus librae habentis, sunt duodecim, quot scilicet sunt unciae: enumeranturque ab *Ulp. Dig.* 28, 5, 48. *uncia, sextans, quadrans, triens, quincunx, semis* seu *semissis, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx.* Dicitur *sextans*, quia est sexta pars assis, nempe unciae duae; *quadrans* quarta pars, nempe tres unciae, quae quater ductae efficiunt duodecim; *triens* habet quatuor uncias, et est tertia pars assis, quia quatuor ter ductae duodecim conficiunt; *quincunx* significat quinque uncias; *semissis* est quasi *semi as*, hoc est sex unciae; *septunx* habet septem uncias; *bes* octo, de quo V. suo loco; *dodrans* habet novem uncias, et dicitur a *dempto quadrante*, quia tres desunt ad duodecim; *dextans* dicitur a *dempto sextante*, quia desunt duae; *deunx* habet undecim uncias, et dicitur a *dempta uncia.* [*Ratio igitur, numeris ad nostrum computandi modum descripta, ita habet:

uncia = $\frac{1}{12}$ s. duodecima.
sextans = $\frac{2}{12} = \frac{1}{6}$ s. sexta.
quadrans = $\frac{3}{12} = \frac{1}{4}$ s. quarta (etiam *triuncis* dicta).
triens = $\frac{4}{12} = \frac{1}{3}$ s. tertia.
quincunx = $\frac{5}{12}$ s. sextans cum quadrante.
semis s. semissis = $\frac{6}{12} = \frac{1}{2}$ s. dimidia pars assis.
septunx = $\frac{7}{12}$ s. quadrans cum triente.
bes s. bessis = $\frac{8}{12} = \frac{2}{3}$ s. bini trientes assis.
dodrans = $\frac{9}{12} = \frac{3}{4}$ s. terni quadrantes, quibus *deest quadrans.*
dextans = $\frac{10}{12} = \frac{5}{6}$ s. quini sextantes, quibus *deest sextans.*
deunx = $\frac{11}{12}$ undecim unciae, quibus *deest uncia.*

Cf. *Grotef.* gr. lat. II. p. 211., ubi plura etiam reperiuntur.] Ipsa quoque uncia dividitur in *semunciam;* in *sicilicum*, hoc est quartam unciae partem; in *sextulam*, hoc est sextam unciae partem, etc. ℙ Porro hujusmodi as libralis, cum hisce suis partibus accipitur frequenter pro toto aliquo, quod in partes duodecim dividi possit: et praesertim pro hereditate, ut *Ulp.* docet *loc. cit.* Hinc *heres ex asse*, cui omnia defuncti bona relicta sunt; *ex semisse*, qui dimidium obtinuit; *ex triente*, cui tertia pars obtigit, etc. *Plin. ep.* 5, 5. Instituere aliquem heredem ex asse. *Mart.* 7, 66. Relinquere aliquem heredem ex asse. *Papinian. Dig. l. c. l.* 66. Asse nominatim dato, vel duodecim unciis distributis, residua portio non invenitur. Et *mox.* Assis residuum accipere. *Ulp. ib.* 36, 3, 3. Debere legatum ex asse, vel ex parte. *Martian. ib.* 34, 9, 2. Auferre hereditatem ex asse. *Cic. Caecin.* 6. Facere aliquem heredem ex deunce, et semuncia, ex duabus sextulis, etc. *Suet. Caes.* 83. Instituere heredes ex dodrante, ex quadrante, etc. ℙ Dicitur etiam de aliis rebus, ut de tota summa rei, de qua societas mercaturae initur, de integro fundo, de integro alicujus rei pretio, et de summa usurae (V. USURA), et similibus. *Procul. Dig.* 17, 2, 76. Nerva constituit, ut tu ex triente socius esses, ego ex besse. *Julian. ib.* 21, 2, 39. Bessem fundi emere ab aliquo. *Paul. ib.* 6, 1, 8. Quadrans, et semissis fundi. *Ulp. ib.* 17, 1, 12. Exsolvere bessem pretii pro praedio. ℙ Hinc *in assem* significat in totum, in integrum, in solidum. *Scaev. Dig.* 39, 5, 35. Quaesitum est, utrum in assem Sticho actio detur eorundem nominum, quae in peculio habuit, an utrisque heredibus pro portionibus hereditariis. *Ulp. ib.* 36, 4, 5. Satisdare in assem. *Id. ib.* 42, 7, 1. Si non in assem, in aliquid tamen satisfacere creditoribus. *Modestin. ib.* 20, 6, 9. Vendere fundum in assem. *Colum.* 2, 13. *ad f.* Ut sit in assem autumnalis satio modiorum CCL. *Id. ib.* paulo post *in asse* dixit pro *in assem* eod. sensu: Sic in asse fiunt octo menses, et dies decem. ℙ *Ex asse*, omnino, prorsus, universim. *Macer Dig.* 2, 8, 15. Ex asse, aut ex parte possidere aliquid. *Sidon. ep.* 2, 1. Ut sanguinem, fortunasque miserorum, quas ille ibi ex parte propinaverat, hic ex asse misceret. *Id. ep.* 6, 12. Metiri ex asse vota alicujus. *Id. ep.* 8, 6. *circa med.* Rem ex asse cognoscere. *Id. ep.* 2, 2. Ex asse turbatus. ℙ Accipitur etiam *as* cum suis partibus pro certo quodam plenoque pondere, quale est librae, ut *Fannius Ponder. v.* 41. et *Auson. in Eclogar. de rat. lib.* 10. docent. *Ov. Medic. fac.* 55. Par ervi mensura decem madefiat ab ovis, Sed cumulent libras hordea nuda duas. Et quae prima cadunt vivaci cornua cervo, Contere: in haec solidi sexta face assis eat. ℙ Item pro certa quadam plenaque mensura. Sic in re agraria *as* est idem ac jugerum, ut *Colum.* 5, 1. diserte docet; qua significatione etiam partes assis usurpantur, ut ibidem videre est. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Proscindere semissem, iterare assem. ℙ Est etiam idem ac pes. *Colum. ib.* 3. bis hac ratione usurpat. ℙ *As* et *as publicus* interdum ponitur pro tributo, aut vectigali. *Cassiod. Var. epist.* 12, 10. et *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 11, 28, 12. ℙ Mathematici praesertim Pythagorici, qui senarium numerum omnium perfectissimum esse dicunt, eundem vocant *assem*, et in sex partes dividunt, ut est apud *Vitr.* 3, 1. quarum nomina haec sunt: *sextans, triens, semissis, bes, quintarium.* Unciae respondet *sextans*, quia est sexta pars assis: *triens* duo significat, et est tertia pars: *semissis* est assis dimidium, hoc est tres: *bes* est quatuor, hoc est duae tertiae assis partes: *quintarium* sunt quinque. Supra sex si addas unitatem, appellant ἕφεκτον, ab ἐπὶ, supra, et ἕκτος, sextus: si addas duo, *tertiarium*, Graece ἐπίτριτον, ab ἐπὶ, supra, et τρίτος, tertius, quia est tertia pars supra sex, seu assem: si addas tria, *sesquialterum*, Graece ἡμιόλιον, ab ἥμισυ, dimidium, et ὅλος, totus, quia est integer as cum dimidia parte: si addas quatuor, appellant *bes alterum*, Graece ἐπιδίμοιρον, ab ἐπὶ, supra, et δίμοιρον, quod significat duas partes totius in tres divisi; quatuor autem addita ad sex continent assem, et duas ejus partes: quod si assi addas quinque, eum numerum dicunt *quintarium alterum*, Graece ἐπιπεντάμοιρον, ab ἐπὶ supra, πέντε, quinque, et μοῖρα, portio; pars: denique διπλασίονα appellant senarium senario, seu assem assi additum, hoc est numerum perfectum duplicatum, a διπλοῦς, duplex. [*Cf. *Grotef.* l. l.] *Vitruvius* autem haec omnia enarrans assem pro unitate sumit, dum inquit: Cum ad supputationem crescat, supra sex adjecto asse, ἕφεκτον. Quod illorum opinionem probat, qui putarunt *as* esse a Graeco εἷς, unus, pro quo Dores et Siculi dixerunt αἴς, Tarentini ἄς. Nos hoc loco haec addidimus, non quod quidquam faciant ad Latinum sermonem, quia Latini assem semper in duodecim secant partes, ut dictum est; sed ut haec ipsa conjunctim explicata habeantur, quae deinceps iterum occurrent, fere omnia suis locis. ℙ Reperitur etiam *assis* in recto casu singulari pro *as:* ita enim usurpat vetus *Persii Scholiastes* ad 2, 59. Item *Donatus* ad *Ter. Ph.* 1, 1, 9.

ĀSA, ae, f. id. q. ara: antiqua vox, nec in usum facile advocanda. *In fragm. antiq. legis* ap. *Gell.* 4, 3. Pelex asam Junonis ne tagito: si taget, Junoni crinibous demissis arnum feminam caidito. Adde *Serv.* ad *A.* 4, 219. et V. dicta in ARA.

*ASACHAE, arum, populi Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *Asachaei* audiunt *ib.* 8, 13. et *Solin.* 30. *B. A.*

*ASAEI, orum, populi Scythiae vel Sarmatiae Asiaticae. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

*ASAMA, fluvius Mauritaniae Tingitanae, dictus et Asana. *Plin.* 5, 1. *B. A.*

*ASAMPATAE, arum, gens Scythica. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

*ASANA. V. *Asama.*

*ASANUM, i, oppidum Dalmatiae. *Tab. Peut. B. A.*

*ASAR, Aethiopiae oppidum, prope Meroen insulam. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

ĀSĀROTĬCUS, a, um, adj. asaroti opere elaboratus, tessellatus. *Sidon. carm.* 23, 56. aureasque portas Exornas asaroticis lapillis.

ĀSĀROTUM, i, n. ἀσάρωτον, genus pavimenti tessellati, hoc est parvis lapillis varii coloris strati: Graeca vox, et per se adjectivum. *Plin.* 36, 25, 60. Pavimenta originem apud Graecos habent elaborata arte, picturae ratione, donec lithostrota expulere eam. Celeberrimus fuit in hoc genere Sosus, qui Pergami stravit quem vocant asaroton oecon, quoniam purgamenta coenae in pavimento, quaeque everri solent, veluti relicta, fecerat parvis e testulis, tinctisque in varios colores. Mirabilis ibi columba bibens, et aquam umbra capitis infuscans. Apricantur aliae, scabentes sese in canthari labro. Hactenus *Plin.* Dictum est autem *asarotum* ab *α* privativa, et σαίρω, verro, scopis purgo, quoniam in hujusmodi pavimento, quasi purgamenta coenae remansissent humi, sic erant depicta et expressa. *Stat. Silv.* 1, 3, 54. Splendor ab alto Defluus, et nitidum referentes aera testae Monstravere solum, varias ubi picta per artes Gaudet humus, superatque novis asarota figuris. [Alii minus recte hunc locum vexant; at *Visconti. Mus. Pio-Clem. T.* 7. p. 228. *edit. Mediol.* ita legendum probat; additque, ea verba, *testae referentes aera nitidum*, significare fenestras vitro clausas aut lapide speculari; deinde poetam affirmasse

humum pictam, seu musivum opus *superare* novis exquisitisque figuris mirabile illud asarotum Pergami a Plinio laudatum. *F.*]

ĂSĂRUM, i, n. ἄσαρον, [*Asarum Europ. *L. Haselwurz.*] teste *Plin.* 12, 13, 27. herba folia habens similia hederae, rotundiora tamen et molliora, florem purpureum, radicem Gallici nardi, semen acinosum, saporis calidi et vinosi. Aliqui nardum silvestre vocant, quia nardi vim habet. *Id.* 21, 6, 16. dicit ideo asarum vocari, quia in coronas non additur; nempe ab *α* privativa, et σαίρω, quod etiam *ornare* exponitur.

ASBESTĪNUM, i, n. *intellige* linum, dicitur genus quoddam lini, quod igne non absumitur: ab *α* priv., et σβέννυμι, exstinguo, consumo. *Plin.* 19, 1, 4. Inventum jam est etiam, quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant; ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicae, corporis favillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisque sole Indiae, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes, assuescitque vivere ardendo, rarum inventu, difficile textu propter brevitatem. Rufus de cetero colos, splendescit igni. Cum inventum est, aequat pretia excellentium margaritarum. Vocatur a Graecis asbestinum, ex argumento naturae. Haec *Plinius*. Videtur idem vocari et *amiantus*, quam v. videsis.

ASBESTOS, nomen gemmae apud *Plin.* 37, 10, 54., quae in Arcadiae montibus invenitur, coloris ferrei; ita dictae, ut docent *Solin.* 7. *ante med.* et *Augustin. Civ. Dei* 21, 7., quia semel accensa nequit exstingui: ab *α* privativa, et σβέννυμι, exstinguo. ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Lupoli de Inscr. Corfiniensi* p. 105. A. Plautius Asbestus. *F.*]

ASBOLUS, canis Actaeonis: ab ἄσβολος, fuligo, a colore pilorum. *Ov. Met.* 3, 218. et villis Asbolus atris.

*ASBYSTAE, arum, populi Africae, ultra Cyrenaicam. *Plin.* 5, 5, 5. *B. A.*

ASCĂLĂBOTES, ae, m. ἀσκαλαβώτης, [*Lacerta Gecko *L.*] animal ex genere stellionum, in Italia non nascens, plenus lentiginosis maculis, et stridorem acerbum habens. *Plin.* 29, 4, 28. V. STELLIO.

ASCĂLĂPHUS, i, m. Ἀσκάλαφος, filius Acherontis et Orphnes, Avernalis nymphae, *al.* Acherontis et Stygis. Hic vidit Proserpinam, quae a Plutone rapta fuerat, septem grana mali Punici ex arbore decerpti in horto comedentem. Cum Ceres filiae suae reditum a Jove ea lege impetrasset, si nihil apud Inferos gustasset cibi, Ascalaphus eam prodidit. Indignata Proserpina sibi Ascalaphi indicio negatum esse reditum, convertit eum in bubonem avem funestam, et tristium semper rerum nunciam. *Ov. Met.* 5, 533. et *Serv.* ad *A.* 4, 462. ℙ Ascalaphus alius fuit Martis et Astyoches filius. Alius Lyci et Pernidis filius (nisi forte idem est cum filio Martis) unus ex procis Helenae, qui cum triginta navibus ad Trojam venit, ibique a Deiphobo occisus est. *Hyg. fab.* 81. 97. 113. et 159. et *Serv.* ad *A.* 10, 470.

ASCĂLĬĂ, ae, f. ἀσκαλία, cactus, carduus sativus (*Artischocke*). *Plin.* 21, 16, 57. [*Plinii* vv. haec sunt: semen ei lanuginis, quam pappon vocant: quo detracto et cortice, teneritas similis cerebro palmae est: vocant ascalian (*Theophr.*: χαλοῦσι δὲ αὐτὸ ἀσκαλίαν). — Significat igitur imam partem in flore cacti, qua vescimur, (n. *der essbare Boden der Artischocke, der sogen. Käse*). Ceterum v. ἀσκαλία Graecis lexicis addenda est.]

ASCĂLŌNĬUS, a, um, adj. ad Ascalonem pertinens, quae est urbs Palaestinae maritima, Graece Ἀσκάλων, Latine *Ascalo* ap. *Plin.* 5, 13, 14. ℙ Hinc *Ascalonia caepa*, quae et *Ascalonia* absolute, genus caepae capite non admodum crasso, de qua multa *Plin.* 19, 6, 32., Italis *scalogno* et *scalogna* (*Schalotte*): ita dicta quod in agro Ascalonis abunde proveniat. *Colum.* 11, 3. *ad f.* Capita maxima generis Ascalonii.

[ASBAMAEUS, a, um, adj. Asbamaeus Juppiter in Cappadocia appellatus esse traditur ab *Ammian.* 23, 6. Apud Asbamaei quoque Jovis templum in Cappadocia stagno effluens fons cernitur. *F.*]

*ASCANDALIS, oppidum Lyciae. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

ASCĂNĬUS, ii, m. qui et Ilus et Iulus dictus, Ἀσκάνιος, Aeneae ex Creusa Priami regis filia natu maximus, qui incensa Troja, una cum patre in Italiam venit, et post ejus mortem Lavinii regnavit annos octo et triginta, Albam longam condidit, eoque regni sedem transtulit. *Liv.* 1, 3. et *Serv.* ad *A.* 1, 11. dicunt duos habuisse Aeneam filios hoc nomine, alterum ex Creusa, ex Lavinia alterum, incertumque esse, a quonam Alba condita sit. De Ascanio Creusae filio *Virg. A.* 1, 271. puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo Additur: Ilus erat, dum res stetit Ilia regno. *Serv.* hic addit, dictum esse ab Ascanio Phrygiae fluvio, de quo *Virg. G.* 3, 270. et *Plin.* 5, 32, 40. ℙ Aliis etiam nominibus hic Ascanius appellatus est, nempe Dardanus et Leontodamas, ad exstinctorum fratrum solatium, teste eodem *Serv.* ad *A.* 4, 159. ℙ [**Ascania*, *ae*, insula maris Aegaei, non procul a Creta, prope Anaphen Theramque insulas. *Plin.* 4, 12. ℙ Fuit et *Ascania*, *ae*, Phrygiae locus vel regio. *Id. ib.* 32. In loco, qui Ascania Phrygiae vocabatur. *B. A.*]

ASCĂNĬUS, a, um, adj. *Ascanius lacus* est in Bithynia prope Nicaeam, nunc *lago di Nicea*, de quo *Plin.* 5, 32, 43., ubi et *Ascanium sinum* memorat in Propontide. Et *ib.* 40. Ascanium flumen. ℙ *Ascanius portus* est in Troade, in Aeoliae confinio, qua Ionicae regioni jungitur. *Id.* 5, 30, 32. ℙ *Ascaniae insulae* sunt in mari Aegaeo ante Troada. *Id. ib.* 31, 38.

ASCAULES, is, m. ἀσκαύλης, tibicen, utricularius, qui tibia utri inserta, inflataque sonat: ab ἀσκός, uter, et αὐλός, tibia. *Mart.* 10, 3. credis hoc, Prisce, Voce ut loquatur Psittacus coturnicis, Et concupiscat esse Canus ascaules? *Canus* fuit choraules nobilissimus tempore Galbae, cujus meminit *Id.* 3, 5. et *Suet. Galb.* 12. *Id. Ner.* 54. hujusmodi artificium vocat *utricularium*, nempe artem.

ASCENDENS, tis, part. ab *ascendo*, qui ascendit. *Vitr.* 10, 19. appellat *ascendentem machinam* eam, quae occulto quodam artificio et expeditis machinationibus in sublime crescit; cujus usus praecipue est in oppugnationibus urbium. ℙ *Ascendentes* dicuntur a JCtis in linea consanguinitatis parentes et majores, a quibus procreati sumus; sicut *descendentes*, qui a nobis nati sunt. *Paul. Dig.* 23, 2, 68. Incestum committit, qui ex gradu ascendentium vel descendentium uxorem duxerit.

ASCENDIBILIS, le, adj. qui ascendi potest. *Pomponius in armor. judicio:* Tum prae se portant ascendibilem semitam, quam scalam vocant. Ita refert *Lactant.* seu *Lutat. vet. Scholiast. Statii ad Th.* 10, 841., quem penes hujusce rei sit fides. Videntur autem verba illa, *quam scalam vocant*, ab alio adjecta esse explicandi gratia.

ASCENDO et Adscendo, is, endi, ensum, a. 3. ἀναβαίνω: ex *ad* et *scando:* sursum sive ad aliquid editum scando. *Cic. Or.* 2, 24. Lex peregrinum vetat in murum ascendere. [**Id. Att.* 1, 13. in castellum.] *Virg. A.* 9, 507. Scalis ascendere muros. [*Codices saepe variant in vv. *ascendere* et *escendere;* V. quos laudat *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Vir. Ill.* 58, 3. Rectius tamen habet *ascendere* in locis allatis; *escendere* enim est fere i. q. in locum arduum scandere. V. *Oud.* et *Wolf.* ad *Suet. Caes.* 61.] *Cic. Div.* 1, 28. Adversam ripam equo ascendere. *Caes. B. G.* 1, 21. Ascendere jugum montis. *Nep. Them.* 8. et *Epam.* 4. et *Pl. Merc.* 2, 1, 35. Ascendere in navem. *Tac. A.* 2, 75. classem. *Ter. Ad.* 4, 5, 69. navem. *Lucr.* 5, 1300. currum. *Cic. Sen.* 10. in equum. *Liv.* 23, 14. equum. *Cic. Att.* 4, 2. in concionem. Et *Verr.* 2, 4, 23. et *Fam.* 15, 4. in oppidum. [**Liv.* 42, 38. ad Gitanas Epiri oppidum decem millia ab mari quum ascenderent, i. e. in altiorem regionem progrederentur. *Kreyssig.* scr. *escenderent*, sed non opus. (Cf. *Drak.* ad 41, 22. Delphos ascendit.) Sic etiam absolute, nullo casu addito: *id.* 5, 47. ascendens hostis. *q.*] *Plin. Pan.* 61. propius ad aliquid. *Mart.* 11, 99. Sedeas in alto tu licet tribunali, Et e curuli jura gentibus reddas: Ascendet illa basiator, atque illa. [*Tibull.* 4, 1, 12. Deus ascensurus olympum. *Caes. B. G.* 1, 79. Si mons erat ascendendus. *F.*] ℙ Passive. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. Coenacula excelsa, porticusque ascenduntur nonagenis gradibus. [**Vitr.* 3, 3. cum dextro pede primus gradus ascendatur.] V. ASCENSUS, a, um. ℙ Translate. *Cic. Off.* 2, 18. Non ut ne affligantur, sed ut altiorem gradum ascendant. Al. leg. *ad altiorem.* [*Illud praeferendum.] *Id. Dom.* 28. Quibus tanquam gradibus mihi videor in coelum ascendisse. *Id. Brut.* 81. Ad summam amplitudinem pervenisset, ascendens gradibus magistratuum. *Id. Mur.* 27. Ascendere unum gradum dignitatis. [*Eodem prorsus modo etiam absolute dicitur: *Plin. Pan.* 58, 3. An consularis viri triumphalisque filius, quum tertio Consul crearetur, ascendit? i. e. dignitate auctus est?] *Cic. Partit.* 4. A minoribus ad majora. *Id. Brut.* 68. ad honores. *Id. Or.* 36. Ornatus ille mirabilis, propter quem ascendit in tantum honorem eloquentia. *Id. Cluent.* 55. Ascendere in summum locum civitatis. [**Id. Mil.* 35. gloriam esse, cujus gradibus etiam homines in coelum viderentur ascendere, translate de iis, qui se felicissimos existimant.] *Curt.* 7, 1. ad gradum aliquem amicitiae. *Brut.* in *ep.* 4. *l.* 1. *Cic. ad Brut.* Timeo, ne Caesar tuus altius ascendisse se putet decretis tuis, quam, etc. [**Liv.* 7, 30. usque ad nos contemtus Samnitium pervenit, supra non ascendit, i. e. alios non tetigit.] *Cic. Or.* 3, 61. Vox gradatim ascendit. *Lucr.* 2, 137. Sic a principiis ascendit motus, et exit Paulatim nostros ad sensus. *Val. Fl.* 6, 45. Ascendere thalamum, *h. e.* matrimonium contrahere. ℙ [*Confunduntur *ascendere* et *escendere*, V. supra. *ascendere* et *accendere*, V. *Drak.* ad *Sil.* 3, 671. — et *accedere*, V. *Drak.* ad *Sil.* 13, 182. ad *Liv.* 28, 16.]

ASCENSĪBĬLIS, le, adject. qui ascendi potest *Coel. Aur. Tard.* 3, 1. Ascensibili itinere grndiantur.

ASCENSIO et Adscensio, onis, f. ἀνάβασις, ascendendi actus. *Pl. Rud.* 3, 1, 6. Ad hirundinum nidum visa est simia, Ascensionem ut faceret, admolirier. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 36. Quorum (*oratorum*) quae fuerit ascensio, et quam in omnibus rebus difficilis optimi perfectio atque absolutio, etc., *h. e.* profectus, progressus. Alii leg. *assensio.* [*Male.]

ASCENSOR et Adscensor, oris, m. ἀναβάτης, qui ascendit. *Hieron. in Rufin.* 1. *in f.* Ascensor montis Dominici.

ASCENSUS et Adscensus, us, m. ἀνάβασις, significat tum actum ascendendi, tum ipsum locum, quo ascenditur. *Cic. Or.* 1, 61. Inambulans atque ascensu ingrediens arduo. *Id. Verr.* 2, 4, 23. Ipse in oppidum accedere noluit, quod erat difficili ascensu atque arduo. *Ov. Met.* 11, 150. Nam freta prospiciens late riget arduus alto Tmolus in ascensu. [**Liv.* 5, 47. animadverso saxo ascensu aequo, i. e. cujus ascensus opportunus, facilis erat, minus molestiarum praebebat. *q.* *Id.* 28, 16. iniquus ascensus.] *Claud. III. cons. Honor.* 46. Ascensu vincere montes. *Eumen. Pan. ad Constantin.* 19. Quod supererat ascensui, extentis corporibus aequabant. *Liv.* 25, 36. Hosti aditum ascensumque difficilem praebere. *Cic. Dom.* 21. Repellere aliquem ab aditu atque ascensu templi. *Liv.* 27, 18. Planitiem crepido haud facilior in ascensum ambibat. Et *ib.* Mollioris ascensus viam invenire. Et in plurali num. *Id.* 36, 24. Scalis ascensus tentare. ℙ *Ascensus siderum* apud *Plin.* 29, 4, 15. est eorum exortus et elevatio supra nostrum horizontem, vel cum versus Arcticum polum elevantur. ℙ Translate. *Cic. Leg.* 3, 3. Ollisque ad honoris ampliores gradus is primus ascensus esto. *Id. Har. resp.* 20. Hic primus est aditus ad popularem jactationem atque ascensus. [**Id. Planc.* 25. in virtute multi ascensus, i. e. gradus.]

ASCENSUS et Adscensus, a, um, part. ab *ascendo*, ascensu superatus. *Suet. Tib.* 2. Ascenso simul curru. *Prop.* 4, 3, 63. Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris, *h. e.* ne tanti aestimes partam gloriam ob subacta Bactra.

ASCĒTĒRĬA, orum, n. plur. ἀσκητήρια, sunt loca, in quae secedunt homines divinarum rerum contemplationi addicti: ab ἀσκέω, exerceo, quod ibi in piis exercitationibus occupantur. Quidam putant eadem esse ac monasteria, sed manifesto distinguuntur in *Cod. Justin.* 1, 3, 33. et 41.

ASCĒTRĬAE, arum, f. plur. ἀσκήτριαι mulieres Deo dicatae et divinarum rerum contemplationi addictae, atque ob id a ceterorum hominum coetu solitariam vitam degentes: ita dictae ab ἀσκέω, exerceo, quia in divinis exercitationibus occupantur. Harum fit mentio in *Novell. Constitut. Justin.* 123.

ASCHĒTOS, i, m. ἄσχετος, nomen est equi apud *Stat. Th.* 6, 524., ita dicti a velocitate et impetu: ab *α* privativa, et σχέω, habeo, retineo.

ASCĬA, ae, f. σκέπαρνον: [videtur esse ab ἀξίνη, securis, vel potius ab assula, vel ab asse, eo quod ea assulas eximit, vel asses secando exaequat. *F.*] Instrumentum ferreum, quo utuntur fabri lignarii ad ligna dolanda et polienda, ferrum habens latum et incurvum, manubriumque breve, ita ut tractari una manu possit: quod inventum fuisse a Daedalo *Plin.* 7, 56, 57. scribit: licet alii alium inventorem assignent. Ejus figura visitur in vet. lapide apud *Grut.* 644, 2. et alibi: item apud *Mur. Inscr.* 534., etc. *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 3. Tilia celerrime ascias retundit. *Lex XII. Tab.* ap. *Cic. Leg.* 2, 23. Rogum ascia ne polito. ℙ *Asciam suis cruribus illidere*, proverb. apud *Appul. Met.* 3. de iis, in quorum perniciem vertitur, si quid moliuntur. Sic *Petron. fragm. Tragur.* 74. *Burm.* Ipse mihi asciam in crus impegi. ℙ Item instrumentum ferreum simile dolabrae, quo utuntur rustici terrae fodiendae, herbis evellendis, radicibus exstirpandis. *Pallad.* 1, 43. Secures simplices, vel dolabratas: sarculos vel simplices, vel bicornes; vel ascias in aversa parte referentes rastros. *Murator.* mallet *rostrum: Mazzochius* rejicit: at nihil mutandum. ℙ Item quo utuntur fabri caementarii in calce maceranda, rutrum. Est autem ejusdem fere figurae cum illo fabri lignarii, nisi quod longius manubrium habet et aciem obtusiorem. *Vitr.* 7, 2. Sumatur ascia et quemadmodum materia dolatur, sic calx in lacu macerata ascietur: si ad asciam offenderint calculi, non erit temperata etc. *Pallad.* 1, 14. Ascia calcem, quasi lignum dolabis. ℙ Videtur etiam esse ferramentum lapicidarum ad saxa polienda, ἀξίνη. *Hieron. ep.* 106. *in f.* Λαξευτήριον, pro quo Latinus *asciam* vertit, nos genus ferramenti interpretamur, quo lapides dolantur. Huc enim pertinere putantur lapides plurimi inscriptionum sepulcralium, in quibus aut ascia depicta est, aut adjecta verba *sub ascia posuit*, ut apud *Grut.* 760, 3., aut *consummatum hoc opus sub ascia est*, ut apud *Reines. cl.* 6. *n.* 112., aut *ad asciam dedicatum posuerunt*, ut apud *Gud.* 237, 6., aut *hoc sax. sub asc. ded. est*, ut apud *Grut.* 709, 5., aut denique, quod frequentissimum est in Gallicis mo-

numentis, praesertim Lugdunensibus et viciniae, *sub ascia dedicavit*, vel per notas *S. A. D.* Postrema haec formula hucusque valde torsit eruditorum ingenia: variasque ejus interpretationes commenti sunt. *Alex. Symmachus Mazzochius* edita epistola sane longa, in qua XXX. et amplius doctorum virorum interpretationes recitat, suam adjicit, et *dedicare* ait esse usui tradere, encaeniare: quod fit cum primum sepulcro cadaver infertur: (tunc enim religiosum esse incipit, ut *Mart. Dig.* 1, 8, 6. et *Gall. Ael.* ap. *Fest.* in *Religiosus* docent.) *Asciam*, qua significat instrumentum fabrum caementariorum, per metonymiam sumi pro ipsa muri structura et fabrica. Itaque *sub ascia dedicare* esse sub ipsa sepulcri structura, *h. e.* statim ac perfectum est, vel cum parum abesset, ut perficeretur (V. *Plin. ep.* 6, 10.) usui traditum esse, cadavere, vel cineribus eo illatis. Quod legitur in *Inscr.* ap. *Mur.* 537, 3. Se vivo ab ascia fecit monimentum muro cinctum: ab *ascia* esse a primo asciae usu, cum fundamenta substruuntur, seu ab initio structurae. (Contra vero quod legitur in lap. apud *Maff. Mus. Ver.* 166, 1. A solo et ab ascia; ipse *Maffejus* significari vult, a principio constructionis ad finem.) Pergit *Mazzochius*, similia esse *sub ascia posuit* ap. *Grut.*, et *consummatum sub ascia est:* item *ad asciam dedicatum posuerunt;* quae supra indicavimus. Quoties vero in hujusmodi lapidib. alius est qui sepulcrum posuit, alius qui dedicavit, ut apud *Grut.* 631, 7. Divitia Domitiola conjugi Karissimo ponendum curavit et filii sub ascia dedicaverunt: sententiam esse, positum quidem fuisse a Divitia sepulcrum, sed a filiis cadavere patris eo statim condito dedicatum. Si quando legatur aliquis *vivus sibi sub ascia dedicavisse*, ut apud *Grut.* 646, 14. et 991, 4. et apud *Spon. Antiquit. Lugdun.* 4. *p. m.* 60., sic intelligendum, ut vivus monimentum exstruxerit, et statim post moriens illatus sit, epigraphe ab alio posita. Si quaeratur, cur in Lugdunens. potissimum inscriptionibus asciae mentio fiat, respondet *Mazzochius* nusquam magis, quam in ea provincia sepulcra violari consuevisse, vel diruendo, vel inarando, vel alienum mortuum inferendo, praesertim si vel imperfecta essent, vel vacua et nondum usurpata. Itaque et asciam appingere et formulam adscribere morem fuisse, ut sciretur, eum locum jam esse religiosum, ac proinde non violandum. Exemplum haberi ejus rei apud *Sidon. ep.* 3, 12. ℙ *Muratorius* in fine *T.* 1. *Inscr. Thes.*, omnium qui de re scripsere, hoc est *Aldi Manutii*, *Reinesii*, *Fabretti*, *Mazzochii* et *Mabillonii* conjecturas refert, et sibi non placere fatetur: suam autem profert. Cum enim asciae figura, quae in lapidibus appingitur, saepe ligonis, aut securiculae formam referat, ait, putare se, illud *sub ascia* continere hortationem et preces ad posteros, ut locum sepulcri purgatum servent, nec sinant stirpibus, herbis, vepribus horrescere et impediri. Hoc pluribus copiose confirmat, quae ibi legenda prostant. ℙ Alia ratione *Jac. Facciolatus* magister meus haec intelligenda putat. Nam S. C. et decreto pontificum cautum erat, ut postquam mortui cadaver, aut cineres in sepulcrum illati essent, liceret nemini locum illum religiosum factum attingere aut mutare, nisi a praeside provinciae venia peteretur, et ad collegium pontificum referretur. Id cum provincialibus Roma longe dissitis perincommodum esset, asciam sepulcris et formulam apponebant, ut significarent, aedificatum quidem esse sepulcrum et usui traditum; sed non exaedificatum, et extrema manu politum, et adhuc sub ascia positum, quo liceret domino aut heredibus mutare aliquid, addere, ampliare, aut transferre, tanquam inchoatum tantummodo et imperfectum. ℙ [*Morcellus*, qui rem hanc postremo attigit, *de Stilo Inscr. Latin. T.* 2. p. 76. *edit. Pat.* litem jam diremptam existimat a *Maffejo*, cujus opinionem probat, ac per eam formulam *sub ascia dedicavit* nihil aliud significari ait, quam *novum intactumque addixit*, sive *ab ascia* statim tribuit, adsignavit. Hanc autem explicationem novo exemplo confirmat. Citat enim radulam aeneam *Musei Kircheriani*, quam templi donarium fuisse putat, et in qua legitur SUB ASCIA P., per quae verba significari putat, *instrumentum ante dicatum*, *quam quisquam uteretur*. Ex hoc autem exemplo illud etiam se didicisse addit, *asciam* pro quocumque instrumento accipi, quo opus quodlibet perficiatur. *F.*]

ASCIA Loca, ἄσκια, dicuntur ea, in quibus nullae sunt solis umbrae, quod contingit cum sol est in meridie, et vertici incolentium imminet, ut fit sub torrida zona statis anni temporibus. Graeca vox ab α privativa, et σκιὰ, umbra. Legitur apud *Plin.* 2, 73, 75.

*ASCIBURGIUM, i, Galliae Belgicae oppidum, in ripa Rheni situm, inter Geldubam et Vetera. *Tac. H.* 4, 33. et *G.* 3. Adde *Tab. Peut.* Hodie est *Asburg. B. A.*

ASCIO, as, a. 1. ascia dolare, cum de ascia lignaria sermo est: item calcem subigere, cum de ascia caementariorum fabrum loquimur. V. locum *Vitr.* in ASCIA, ae.

[ASCIOLA, ae, f. parva ascia. *Isid. Or.* 19, 19. Ascia ab astulis dicta, quas a ligno eximit, diminutivum nomen est asciola. Haec vox legitur etiam in *Not. Tir.* p. 193. *F.*]

ASCISCO cum derivatis. V. ADSCISCO.

ASCITAE, arum, haeretici quidam. V. in ASCODROGITAE.

ASCITES, ae, m. ἀσκίτης, species hydropis, cum humoris aquosi copia in membrana abdominis interiore, velut in utre quodam continetur. Graeca vox, ab ἀσκὸς, utris. *Coel. Aur. Tard.* 3, 8. et *Plin. Valer.* 3, 12. *Celsus* enim 3, 21. Graecis litteris scribit.

*ASCLEPIADES, ae, m. Ἀσκληπιάδης, medicus Prusiensis, ex Bithynia, Philosophicus nominatus. *Cic. Or.* 1, 14. *Cels.* 3, 4. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 8. *Plin.* 26, 3. et 7, 37. *Appul. Flor.* med. p. 32, 13. ℙ Item Eretricus philosophus, oculis captus. *Cic. Tusc.* 5, 39. ℙ Asclepiades Mendes scripsit Θεολογούμενα. V. *Mendes.* ℙ Et alius philosophus, qui tempore Juliani Imperatoris vixit. *Ammian.* 1, 22. ℙ Asclepiades poeta. V. *Asclepiadeus, a, um. B. A.*

ASCLEPIADEUS, a, um, adj. Ἀσκληπιάδειος, ad Asclepiadem pertinens. *Asclepiadeum metrum* dictum est ab Asclepiade poeta Graeco, qui fuit discipulus Isocratis, et aliquot tragoedias scripsit: atque hoc metrum vel invenit, vel frequentavit. Tale est illud *Hor. Od.* 1, 1, 1. Maecenas atavis edite regibus. *Diomed.* 3. p. 508. ℙ Scribitur et *Asclepiadius.*

ASCLEPIAS, adis, f. ἀσκλήπιας, [*Asclepias Vincetoxicum *L. gemeine Schwalbenwurz.*] herba est folia hederae habens, ramos longos, radices numerosas, tenues, odoratas, floris virus grave semen securidacae; nascitur in montibus. *Plin.* 27, 5, 18.

*ASCLEPIODORUS, i, m. Ἀσκληπιόδωρος, insignis statuarius. *Plin.* 34, 8. ℙ Item pictor celebris, qui Apellis temporibus vixit. *Id.* 35, 10. *B. A.* [Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 277, 10. Marcius Asclepiodorus. *F.*]

ASCLEPIODOTON, i, n. ἀσκληπιόδοτον, medicamentum praestantissimum et exquisita arte compositum, praesentissimum aegro remedium, tanquam si ab ipso Aesculapio datum sit: ab Ἀσκλήπιος, Asclepius, seu Aesculapius, et δίδωμι, do. Gentiles ita appellabant ea medicamenta, quibus sumptis statim convalescebant. Legitur apud *Tert. Apol.* 23. Iste ipse Aesculapius medicinarum demonstrator, alia die morituris Socordio et Thanatio et Asclepiodoto vitae subministrator, nisi se daemonem confessus fuerit Christiano mentiri non audens, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. ℙ [Sed locum *Tertulliani* attentius legenti apparebit, Asclepiodotum non pharmaci, sed hominis nomen esse ab Aesculapio in vitam revocati. Si tamen cum *Forcellino* velis esse pharmacum quoddam, cur non ille *Socordium* et *Thanatium* suis locis posuit, et interpretatus est, cum non minus, quam Asclepiodoton, pro pharmacis debeant agnosci? *F.*]

*ASCLEPIODOTUS, i, m. Ἀσκληπιόδοτος, vitam Diocletiani descripsit. *Vopisc.* in *Aurel.* 44. V. et in *Probo* 22. *B. A.* [Cognomen Romanum. *Tac. A.* 16, 33. Cassius Asclepiodotus. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* 203. Aemili Asclepiodote. *F.*]

[ASCLEPION, ii, n. panacis herbae genus sic dictum, quod Asclepius, seu Aesculapius filiam suam Panaceam appellavit. *Plin.* 25, 4, 11. *F.*]

ASCLEPIUS, ii, m. Ἀσκλήπιος, idem qui Aesculapius apud Graecos. V. CATAMITUS. Atque hoc nomine appellatus legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 21, 2., apud *Don. cl.* 1. *n.* 92. et apud *Hyg. fab.* 14. 202. 274. et alibi. ℙ *August. Civ. Dei* 8, 26. Asclepium facit Aesculapii nepotem. ℙ Est inter opera *Appuleji* libellus de natura Deorum, a Trismegisto ad Asclepium quendam inscriptus, quem quidam, in Latinum versum fuisse ab *Appulejo* olim putarunt. Plures tamen Eruditi eam versionem alii inferioris aevi scriptori attribuunt.

*ASCLETARIO, onis, Mathematicus, de quo *Suet. Dom.* 15. *B. A.*

ASCODROGITAE, arum, m. plur. haeretici quidam, qui in suis ecclesiis utrem inflatum ponebant, et coopertum venerabantur, circaque eum lascivientes more bacchantium discurrebant, quorum mentio fit in *Cod.* 1, 5, 18., et ita appellati sunt ab ἀσκὸς, uter: unde et *Ascitae* dicuntur, ut est apud *Augustin. Haeres.* 62.

*ASCOMARCI, orum, populi Scythici, ultra Maeotidem paludem. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

ASCONIUS PEDIANUS vel Paedianus, Patavinus, grammaticus doctissimus, scripsit breves commentarios in quasdam orationes Ciceronis, qui adhuc exstant, stilo puro, et supra grammaticum, suaque aetate non indigno. *Servius* enim ad *Virg. Ecl.* 3, 105. scribit, vixisse eum tempore Virgilii, quod plerique alii eruditi confirmant, arguuntque μεταχρονισμοῦ D. Hieronymum, qui multo serius ejus aetatem ponit, et mortuum esse septimo anno Domitiani, scribit. Quidam vero, ut eum excusarent, duos Asconios commenti sunt, alterum grammaticum, alterum historicum. Memoratur etiam a *Quint.* 1, 7, 24. et 5, 10, 9. [*Vixit sub *Claudio* vel ad summum *Nerone*. Cf. *Marcl.* praef. ad quat. *Cic. orr.* p. LXXVI. *ed. Wolf.*] ℙ Dictus est *Pedianus*, quia in gentem Pediam adoptatus fuit: scribiturque sine diphthongo in *Inscr.* ap. *Grut.* 987, 15., et corripitur a *Sil.* 12, 212. ut et *Pedius* a *Pers.* 1, 85. Nihilominus Ἀσκώνιος Παιδιανὸς scribitur a *Suida*, et aliis Graecis scriptoribus.

ASCOPERA, ae, f. ἀσκοπήρα, sacculus coriaceus in modum utris factus, quo viator pedes necessaria utensilia secum portat: sicut *hippopera* dicitur, qua viator eques utitur. Graeca vox ab ἀσκὸς, uter, et πήρα, pera. *Suet. Ner.* 45. Ascopera collo deligata.

*ASCORDUS, i, Macedoniae flumen, in confinio Thessaliae. *Liv.* 44, 7. *B. A.*

ASCRA, ae, f. Ἄσκρα, vicus Boeotiae, in aspero et sterili loco positus, in dextera parte Heliconis montis, ubi *Hesiodus* vitam duxit. *Ov. Pont.* 4, 14, 31. Esset perpetuo sua quam vitabilis Ascra, Ausa est agricolae Musa docere senis.

ASCRAEUS, a, um, adj. Ἀσκραῖος, ad Ascram pertinens: et dicitur de Hesiodo. *Virg. Ecl.* 6, 70. Ascraeus senex. *Id. G.* 2, 176. Ascraeum carmen. *Ov. Fast.* 6, 14, Ascraeae oves, *h. e.* quas pavit Hesiodus Ascrae, ubi rusticam et pastoralem vitam aliquandiu egit. ℙ *Ascraeus* absolute pro Hesiodo. *Ov. Amor.* 1, 15, 11. Vivet et Ascraeus, dum mustis uva tumebit. ℙ Heliconius et ad Musas pertinens, quia Ascra ad radices Heliconis fuit. *Prop.* 2, 8, 29. Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes.

ASCRIBO et Adscribo, is, ipsi, iptum, a. 3. προσγράφω, significat scribendo addere, subscribere. *Cic. Verr.* 2, 3, 66. Hoc quidem non reprehendo, quod ascribit ACCENSUS. [*Id. Agr.* 2, 20. Non credo ascripturum esse MAGNO. Est hoc modo etiam i. q. ἐπιγράψειν. *Suet. Aug.* tumulo — ascripserant. *Id. Ner.* 45. *Galb.* 2. Cum praep. *ad*, *Id. Aug.* 70. ad statuam ejus ascriptum est.] *Id. Dom.* 44. Non est ausus suum nomen emptioni illi ascribere: posuit scilicet Scatonem illum etc. *Id. Caecin.* 33. Hoc tibi respondeo, ascripsisse eundem Sullam in eandem legem: Si quid jus non esset etc. Et *ib.* Nam nisi esset, hoc in omnibus legibus non ascriberetur. [*Suet. Ner.* 21. Suum nomen in albo ascribi jussit, quo loco praep. *in* notanda, non autem loco movenda.] *Cic. Att.* 1, 5. Terentia tua magnos articulorum dolores habet et te sororemque tuam et matrem maxime diligit, salutemque plurimam tibi ascribit et Tulliola, deliciae nostrae. — [*Ascribere igitur is tantum dicitur, qui ipse superiora scripsit, non qui alienis litteris aliquid mandat. Ascripserant scilicet *Ter.* et *Tull.* iis litteris, quas ad Ciceronem miserant, non iis, quas nunc Attico mittit; utraque enim aberat. Cf. *ib.* 6, 1. Alexis quod mihi toties salutem ascribit, est gratum, sc. in iis litteris, quas tuo nomine mihi scribit. Is enim puer Attici amanuensis fuisse videtur *Barthol. Riccio epist.* 1, 4. *Beier.* Similiter *Suet. Ner.* 17. cautum — ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi ascriberet.] ℙ Saepe sumitur generatim pro adjungere, annumerare, addere. *Cic. Rabir. Post.* 1. Ascribat ad judicium suum meam sententiam. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 5. Si quem forte tui cognosti amantiorem, hunc ad tuum numerum libenter ascribito. *Id. Phil.* 2, 13. *in f.* Tu vero ascribe me talem in numerum. *Id. Off.* 3, 10. *in f.* Ascribere aliquem ad amicitiam. *Id.* ad *Dolabell. post ep.* 17. *l.* 14. *ad Att.* socium laudibus alicujus. *Id. Balb.* 8. poenam foederi. *Liv.* 39, 42. notam motis senatu, *h. e.* infamiae notam addere. *Cic. Manil.* 19. aliquem comitem alicui. *Id. Flacc.* 30. tutorem alicui. *Id. Arch.* 4. aliquem in civitatem, *h. e.* civem facere. Et *ib.* civitati. *Hor. Od.* 3, 3, 35. ordinibus Deorum. *Tac. H.* 2, 94. aliquem militiae. *Id. Germ.* 46. Fennorum nationes Germanis, an Sarmatis ascribam, dubito. ℙ Speciatim *ascribere* est homines in coloniam mittendos alicui agro attribuere, et veteribus colonis addere. *Liv.* 32, 1. Colonosque eo trecentos ascripserunt. [*Id.* 31, 49. colonos Venusiam ascripserunt.] *Id.* 35, 9. Tertia pars agri dempta est, quo postea, si vellent, novos colonos ascribere possent. Adde 33, 24. et 38. et 34, 42. et 8, 14. ℙ Pro attribuere, imputare. *Cic. N. D.* 3, 37. Bonos exitus ascribere et attribuere Diis immortalibus. Al. aliter leg. *Plin.* 10, 5, 6. Jovi aquila ascribitur. *Pacat. Paneg. Theod.* 8. Bellicae rei gloriam fortunae ascribere. *Claudian. I. Cons. Stilich.* 79. nec si quid iners atque impia turba Audeat, ascribis juveni. *Papir. Just. Dig.* 49, 1, 21. Ascribere alicui damnum. [*Cic. Inv.* 1, 49. Quare hoc incommodum Scipioni ascribendum videtur. *F.*]

ASCRIPTIO et Adscriptio, onis, f. προσγραφὴ, adjectio in scriptura. *Cic. Caecin.* 33. Declarat ista ascriptio, esse aliquid etc. Dixerant autem antea, *ascripsisse* Sullam in eandem legem: Si quid jus non esset, rogari etc.

ASCRIPTICIUS et Adscripticius, a, um, adj. ascriptus, ascitus, annumeratus, allectus, προσ-

γεγραμμένος, ἐπίσακτος. Ascripticius civis opponitur originario. *Cic. N. D.* 3, 15. Quos quasi novos et ascripticios cives in coelum receptos putant. ℙ *Ascripticii servi* seu *coloni* dicuntur, qui alicui agro colendo ascripti et attributi sunt, ut ei agro adhaerescant, et quasi ipsius praedii pars sint, bonaque omnia agri domino acquirant: differuntque ab *originariis*, qui ibi nati sunt, et ab ipsa nativitate ei colendo addicti. *Impp. Valentin., Valens* et *Gratian. Cod.* 11, 47, 6. et alibi. ℙ *Ascripticii milites*, V. in v. seq. ℙ Scribitur et *adscriptitius.*

ASCRIPTĪVUS et Adscriptivus, a, um, adj. idem quod ascripticius, ascriptus, allectus. *Ascriptivi milites* dicti sunt, qui olim ascribebantur inermes, qui succederent armatis militibus, si quis eorum deperisset, et legionum numerum supplerent. Ita *Varr. L. L.* 6, 3. *a med.* ad illud *Plauti Men.* 1, 3, 1. Extra numerum es mihi. *Pe.* idem istuc aliis ascriptivis ad legionem fieri solet. *Festus* hos eosdem appellat *ascripticios*, quos et *accensos* et *velatos* et *ferentarios* et *rorarios* appellatos fuisse, docet. Quamquam *ferentarii* et *rorarii* ab his distincti fuisse videntur. ℙ Aliud ascripticiorum militum genus. V. in VACANS.

ASCRIPTOR et Adscriptor, oris, m. προσγραφεύς, qui adscribit, subscriptor: et translate qui aliquid approbat favetque. Nam qui subscribit, approbat id, cui subscribit. *Cic. Dom.* 19. Ille novicius Ligur, venalis ascriptor tuus. *Id. in Senat.* 4. Dubitatis, quo animo fuerit in me conservando futurus, cum in restituendo auctorem fuisse ascriptoremque videatis? Et *ib.* 10. Non modo salutis defensor, verum etiam ascriptor dignitatis meae. (*Hotomann.* monet, his duobus posterioribus *Cic.* locis tangi morem in senatu servari solitum, ut senatusconsultis apponerentur eorum nomina quorum de sententia facta essent.) *Id. Agr.* 2, 9. Collegas suos adscriptores legis agrariae non repudiabit.

ASCRIPTUS et Adscriptus, a, um, part. v. *ascribo*, scribendo additus, προσεγγραμμένος: et generatim additus, allectus, ascitus. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 3. Antiquior dies in tuis erat ascripta litteris, quam in Caesaris, *Suet. Vit.* 14. Libertus coheres alteri ascriptus. *Plin.* 25, 6, 27. Herba Mithridatis ipsius manu ascripta, *h. e.* addita catalogo aliarum herbarum et descripta. ℙ *Ascriptus civis* dicitur, qui non origine, sed allectione in civitatem ascitus est. *Cic. Arch.* 4. Archias Heracleae ascriptus. Et *ib.* Legati hunc ascriptum Heracliensem dicunt. ℙ *Ascriptus miles* dicitur, qui extra ordinem et ita adscitus, ut commodis fruatur, labore careat. *Lamprid. Alex. Sev.* 15. Jurejurando deinde se constrinxit, ne quem ascriptum haberet, ne annonis rempublicam gravaret. ℙ Speciatim dicitur de iis, qui in colonias nomina dederunt, ut ceteris colonis adderentur: ut *Festus* docet. *Tac. A.* 14, 27. Veterani Tarentum, et Antium ascripti. V. ASCRIBO ℙ Item attributus. *Plin.* 25, 4, 11. Panaces Diis inventoribus ascriptum. *Paul. Dig.* 19, 2, 54. Servus colonae ascriptus. *Id. ib.* 40, 7, 10. Ascriptus libertati. ℙ Item definitus, praescriptus, fatalis. *Phaedr.* 4, 10, 7. Tamen, sceleste, spiritu culpam lues, Olim cum adscriptus venerit poenae dies.

*ASCRIVĪUM, i, n. Dalmatiae oppidum, hodie (ait *Harduinus*) *Cattaro. Plin.* 3, 22. *B. A.*

*ASCŪA, ae, Hispaniae oppidum. *Liv.* 23, 27. ed. *Drak.* ubi in ed. *Gronov. Asenam. B. A.*

ASCŪLĀNENSIS, e, et

ASCŪLĀNUS, a, um, et

ASCŪLĪNUS, a, um, ad Asculum pertinens, oppidum mediterraneum Apuliae Dauniae, cognomine *Satrianum*, nunc *Ascoli di Satriano;* Graece Ἄσκλον. *Inscr.* ap. *Lupoli Iter Venus.* p. 174. Asculanensium colonia.... pat. col. qui ob honorem quinquennalitat., etc. *Frontin. de Colon.* p. 110. Ager Asculinus. ℙ Olim *Auseculanus* vel *Ausculanus* scribebatur. Sic in nummis apud *Mionnet Descript. des médaill. T.* 1. *Supplem.* p. 262. ΑΥΣΚΑΙΩΝ. *Plin.* 3, 11, 16. Auseculani, Abellinates cognomine Protropi. *Inscr.* ap. *Grut.* 414, 1. P. Fundanio P. F. Pap. Prisco patron. civit. Auscul. ℙ *Asculanus* etiam pertinet ad Asculum oppidum Piceni ad Truentum fluvium in confinio Aprutii, de quo *Plin.* 3, 13, 18. *Id.* 7, 43, 44. Asculanus triumphus, *h. e.* quem egit Pompejus capto Asculo bello sociali. Apud *Cic. Font.* 14. Asculani sunt ejus oppidi incolae. ℙ *Silius* 8, 440. metri causa Asclum dixit Graecorum more. ℙ Apud *Vell.* 2, 16. legitur: *Minatius Magius atavus meus Asculanensis;* at *Guarinius Ricerche sulla Citta di Eclano* p. 94. et seqq. invicte probavit ibi legendum esse *Aeculanensis*, atque ideo *Vellejum* non Asculi, sed Aeculani seu Aeclani natum fuisse. [Pleraque ex his adjecit *F.*]

*ASCURIS, idis, f. Thessaliae palus, in confinio Macedoniae. *Liv.* 44, 2. *B. A.*

*ASCURUM, i, oppidum in Mauritania Tingitana. *Auct. B. Afr. c.* 23. *B. A.*

ASCYRŌIDES, is, n. ἀσκυροειδές, herba ascyro similis, majores tamen ramos habens, ferulaceos, omnino rubentes, capitula parva, lutea, semenque in calyculis pusillum, nigrum, resinosum. *Plin.* 27, 5, 20.

ASCYRON, i, n. ἄσκυρον, herba, quae et *androsaemon* appellatur, quod V.

ASDRŪBĀLĪĀNUS, a, um, adj. ad Asdrubalem pertinens. Fuit hic frater Annibalis, in proelio prope Fanum urbem a Claudio Nerone, et M. Livio una cum exercitu caesus. *Sidon. ep.* 1, 5. Fanum Asdrubaliano funere infectum. V. *Liv.* 27, 43. et sqq.

*ASEL, Aethiopiae oppidum. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

ĀSELLĀ, ae, f. ὀρίσκη, diminut. ab *asina*, ut *asellus* ab *asinus. Ov. A. Am.* 3, 290. Ut rudit ad scabram turpis asella molam. [*Ac saepius legitur ap. *Colum.*] ℙ [Est quoque cognomen Lucretii praetoris apud *Ascon. comment. orat. Cic. in Toga Candida. F.*]

*ASELLĪO SEMPRONIUS, Historicus, ac Tribunus militum sub Scipione Aemil. *Gell.* 2, 13. et 13, 3. *B. A.* ℙ Alius est, cujus mentionem facit *Val. Max.* 9, 7. *n.* 4. Caput Sempronii Asellionis praetoris urbani. *F.* *Cf. *Liv. Epit.*l. 74. et intpp. ad h. l.]

ĀSELLŬLUS, i, m. diminut. ab *asellus. Arnob.* 3. p. 109. Si aselluli, canes, porci humanum aliquid saperent.

ĀSELLUS, i, m. ὀνίδιον, ὀνίσκος, diminut. ab *asinus. Virg. G.* 1, 273. Saepe oleo tardi costas agitator aselli, Vilibus aut onerat pomis. [*Hor. *Sat.* 1, 9, 20.] *Cic. Att.* 1, 16. Asellus onustus auro. *Varr. R. R.* 2, 6. Aselli dossuarii, *h. e. Saumthiere.* ℙ Item furca, pertica, fulcrum alicui rei sustinendae. *Pallad.* 1, 18. cupas asellis altioribus impositas possumus collocare. Al. leg. *basellis.* ℙ Est etiam nomen piscis marini, ita dicti, quod sit colore cinericio, ut *Varr.* docet *L. L.* 4, 12. Ejus duo genera docet esse *Plin.* 9, 17, 18., alterum quod appellatur *callarias*, mole minor, alterum *bacchus* dictus, qui non nisi in alto capitur. Hujus magnum pretium fuit apud antiquos post acipenserem et lupum, ut *Nepos*, et *Laber.* ap. *Plin. ib.* tradidere. *Hard.* eorum opinionem rejicit, qui putant asellum eundem esse ac *merluche* Gallorum. Nec minus fortasse errant, qui eum faciunt, qui ab Italis *nasello* (*Schellfisch*) dicitur. *Auct. Halieut.* 131. Et tam deformi non dignus nomine asellus. ℙ Apud *Petr. Sat.* 24. proverbii modo legitur: *Post asellum diaria non sumo;* hoc est post pretiosum et delicatum cibum non comedo vilia. Sed latet praeterea obscenus sensus. Nam *asellus* dicitur etiam de homine magnis conditionibus instructo. *Juven.* 9, 92. atque alium bipedem sibi quaerit asellum. *Hieron. ep.* 27. *n.* 3. Verum revertimur ad nostros bipedes asellos. ℙ Translate significat corpus humanum pronum ad libidinem. *Hieron. Vit. S. Hilar.* Ego, aselle, faciam ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis; fame te conficiam, et sitis gravi onerabo pondere: per aestus indagabo et frigora, ut cibum potius quam lasciviam cogites. ℙ Apud *Petr. Sat.* 31. *asellus Corinthius cum bisaccio in promulsidari positus* non est vas, aut amphora aurita, sed vere asellus ex aere Corinthio factus, et ad ornatum luxumque in mensa positus, ut saniores docent interpretes. ℙ Asellus in via cum lassus fuerit, diverticula quaerit. *Hieron. ep.* 107. *ad Laetam. n.* 10. Sensus est, a nimio labore et fatigatione abstinendum, ne pertaesi omnia deponamus. ℙ Praeterea est *asellus* nomen duarum stellarum in signo Cancri. Juppiter enim bello adversus gigantes edixit, ut omnes Dii sibi opem ferrent. Adfuerunt Satyri quoque, et Sylvani asinis insidentes, qui, cum in conspectu hostium essent, consternati sunt, eoque perstrepuere tumultu, ut gigantes metu perterriti diffugerent. Asini ergo princeps causa victoriae Diis fuerunt. Hoc merito a Jove inter sidera collocati sunt. Exiguum inter has duas stellas spatium nubecula occupat, quam *Praesepia* dicunt. Porro hanc fabulam narrat *Hyg. Astron.* 2, 23., ubi etiam addit aliam de iisdem hoc modo. Bacchus furore objecto a Junone cum fugeret per Thesprotiam, ad Jovis Dodonaei templum tendens, pervenit ad paludem quandam, quam duorum asellorum ope feliciter transvectus, eos inter astra collocavit. (V. etiam *Lactant.* 1, 21.) *Plin.* 18, 35, 80. Sunt in signo Cancri duae stellae parvae, Aselli appellatae, exiguum inter illas spatium obtinente nubecula, quam Praesepia appellant. Haec cum sereno coelo apparere desierit, atrox hiems sequitur. ℙ *Vicus Asellus* fuit Romae in regione tertia. *P. Vict. de reg. Urb. Rom.* ℙ Denique *Asellus* cognomen viri proprium, apud *Cic. Or.* 2, 64. Cognomen certe fuit in gente Claudia, ut Ti. Claudius Asellus apud *Liv.* 27, 41. et 28, 10.

ĀSĒMAE Tunicae, χιτῶνες ἄσημοι, sunt tunicae simplices, nullamque purpuram intextam, nullum clavum assutum habentes: ab *a* privativa, et σῆμα, signum, nota. *Lampr. Alex. Sev.* 33. *in f.* Chlamydes hirtas Severi, et tunicas asemas ad usum revocavit suum.

*ASĒNI, orum, Indiae populi, trans Indum, quorum caput Bucephala. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

*ASGILĪA, ae, f. insula Aeoliae adjacens. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

ĀSIA, ae, f. Ἀσία, una ex tribus orbis terrae partibus, ut antiquis cognitus fuit, quae reliquas simul acceptas magnitudine superat. Nam quarta, quae est America, post linguae Latinae interitum detecta est. Dicta est ab *Asia* nympha, Oceani, et Tethyos filia, Japeti conjuge, ex qua Prometheum ortum ferunt; sive, ut quidam volunt, ab *Asio* Manei Lydi filio. In orientem maxime extensa est, habetque ab ea parte Oceanum Eoum, a meridie Indicum, ab occidente sinum Arabicum, et Aegaeum mare, a septentrione Scythicum, seu Tartaricum. Accuratiorem ejus descriptionem V. apud geographos, et *Plin.* 5. *a c.* 9. deinceps. *Cic. Manil.* 6. eam laudat ab ubertate soli et divitiis. Hinc *ditem* appellat *Hor. Sat.* 1, 7, 19., et *pingues Asiae campos* vocat *Ep.* 1, 3, 5. *Virg. G.* 3, 30. Addam urbes Asiae domitas, pulsumque Niphatem. ℙ Est etiam nomen nymphae Nereidis, Nerei, et Doridis filiae, ut est apud *Hyg. Prooem. fab.*, et primam syllabam producit *Virg. G.* 4, 343. Atque Ephyre, atque Opis, et Asia Deiopea; quem versum ita scande, docente *Pierio: Atq' Ephyre, at-qu' Opis, et-Asia-Deiopea.* ℙ De *Asia palude*, V. ASIUS. ℙ [*Etiam urbis nomen in Lydia. V. *P. Petitus* de Amazonibus p. 239. *Beier.*] ℙ Secale, quod est genus frumenti, Taurini sub Alpibus *asiam* vocant, teste *Plin.* 18, 16, 40.

ĀSIĀCUS, a, um, adj. ad Asiam pertinens. *Ov. Met.* 12, 588. Ecquid, ubi Asiacas casuras aspicis arces, Ingemis? etc. Ita quidam leg., sed plerique alii multo rectius: Ecquid ubi has jam jam casuras aspicis arces.

ĀSIĀGENES, is, m. in illo *Sidon. carm.* 7, 80. Sulla, Asiagenes, Curius, Paulus, Pompejus; est L. Cornelius Scipio, qui devicto Antiocho, Asiaticus cognominatus est, ut est apud *Liv.* 37, 58. Sunt qui mallent legere *Asiagetes*, [sed perperam; nam nonnulli codices *Livii* habent *Asiagenes;* et *Inscr.* ap. *Viscont. Monum. degli Scipioni.* Cornelius L. F. L. N. Scipio Asiagenus Comatus annoru gnatus XVI. Hic fuit filius Scipionis, qui Asiaticus fuit appellatus. *F.*]

ĀSIĀNĒ, adv. Asiano more. *Quint.* 12, 10. Neque Attice pressi, neque Asiane sunt abundantes.

ĀSIĀNUS, a, um, adj. ad Asiam pertinens. *Liv.* 31, 2. His legationibus responsum est, curae Asianam rem senatui fore. ℙ *Asiani, orum*, sunt Asiae populi. *Cic. Att.* 1, 17. *a med.* Asiani questi sunt in senatu, etc. Adde *Plin.* 21, 26, 98. ℙ Appellat *Asianos Quintil.* eos, qui dicendi genus *Asiaticum* sequuntur. *Prooem.* 8. et 9, 4. et 11, 10. V. ASIATICUS.

ĀSIĀRCHA, ae, m. Ἀσιάρχης, qui asiarchiae dignitate decoratus est. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod. Theod.* 15, 9, 2. ℙ Est autem *Asiarchia, ae*, Ἀσιαρχία, supremum Asiae sacerdotium annuum, et omnium sacrorum, ludorum, spectaculorum certaminumque publicorum praesidatus, quae dignitas non nisi opulentissimis et nobilissimis viris concedi solebat, propterea quod sumptuosissima erat, et magno splendore administranda. Vide *Eckhel. D. N. V. T.* 4. p. 207.

ĀSIĀTĪCIĀNUS, a, um, adj. ad Asiaticos pertinens. *Inscr.* ap. *Donat.* 238, 2. Scaenici Asiaticiani, et qui in eodem corpore sunt, vivi sibi fecerunt. *F.*]

ĀSIĀTĪCUS, a, um, adj. ad Asiam pertinens. *Cic. Manil.* 7. Bellum Asiaticum. Et *ib.* Asiaticae pecuniae. *Plin.* 5, 27, 28. Asiaticum mare. *Id. ib.* 25. Asiatica jurisdictio. *Id.* 15, 12, 11. Asiatica persica. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 7. Asiaticum picturae genus. *Cic. Or.* 8. Inclinata, ulalantique voce, more Asiatico, canere. ℙ *Asiatica* absolute sunt mala ex Asia, quae *Plin.* 15, 12, 11. appellat *Asiatica persica. Colum.* 10, 412. Frigoribus pigro veniunt Asiatica fetu. ℙ *Asiaticus* cognominatus est L. Cornelius Scipio Africani majoris frater ob devictam Asiam, debellatumque Antiochum, ut est apud *Liv.* 37, 58. V. etiam *Gell.* 7, 19. ℙ *Asiatici oratores* dicuntur a *Cic. Brut.* 13. qui genus dicendi tumidum, nimisque redundans sequuntur, quod *Asiaticum genus* ab eodem appellatur *ib.* 95. Nam cum Asianorum ingenia inaniora esse soleant, ut est apud *Liv.* 45, 23., ut eloquentia e Piraeeo evecta est, et tota Asia peregrinari coepit, facile fuit, ut se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticae dictionis, quasi sanitatem, perderet, et in ubertatem verborum nimis luxuriantem degeneraret. *Quint.* 12, 10. Antiqua quidem illa divisio inter Asianos, et Atticos fuit, cum hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur; et in his nihil superflueret, illis judicium maxime ac modus deesset. ℙ *Asiaticum dicendi genus* duplex fuit: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis, quam concinnis et venustis: alterum non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre atque incitatum, qualis Ciceronis tempore Asia tota

fuit, nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum. *Cic. Brut.* 95.

[ASIDONENSIS, se, adj. ad urbem Hispaniae Baeticae spectans, cui nomen Asido, a *Plin.* 3, 1, 3. memoratam, ubi nunc *Xerez de la frontera. Inscript.* ap. *Grut.* 870, 10. Fabiae Cn. F. Priscae Asidonensi. *F.*]

ASILUS, i, m. οἶστρος, (*Bremse*) genus muscae gregibus infestissimae, quam aculeum in ore habere *Plin.* 11, 28, 34. scribit. *Virg. G.* 3, 146. Est lucos Silari circa, ilicibusque virentem Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo Romanum est, oestrum Graji vertere vocantes: Asper, acerba sonans, quo tota exterrita silvis Diffugiunt armenta, etc. [*Cf. *Voss.* ad h. l.] *Sen. ep.* 58. docet, hanc vocem suo tempore desiisse usurpari tanquam nimis antiquam: quod et *Plin. l. c.* significat, ubi *asilo* nominato, *sive tabanum*, inquit, *dici placet.*

ASINA, ae, f. ἡ ὄνος, femina asini. *Varr. R. R.* 2, 8. Ex equo et asina fit hinnus. *Paul. Dig.* 33, 7, 18. Asina molendaria. ℙ In dativo, et ablativo plurali habet *Asinis* magis Latine, quam *Asinabus.* Nam, ut docent grammatici, nomina feminina primae declinationis in iis casibus desinunt in *is:* sic *filiis* rectius dicitur, quam *filiabus*, *equis* quam *equabus*, *libertis*, quam *libertabus. Plin.* 11, 40, 95. Mammae asinis a fetu dolent. ℙ Hoc intellige cum aut epithetum, aut ipsa verborum constructio satis per se genus indicat, nec ullam parit ambiguitatem. Nam ad distinctionem adhibendam, et vitandam ambiguitatem licet aliquando hac positione in *abus* uti. Et sic legimus *filiabus*, *equabus*, *libertabus*, etc. V. suis locis. ℙ Fuit etiam *Asina* cognomen Romanum, propriumque familiae in gente Cornelia (ut Cn. Cornelius L. F. Cn. N. Scipio Asina, apud *Grut.* 297. *col.* 2.) ex eo natum, quod princeps ejus empto fundo, seu filia data marito, cum sponsores ab eo solemniter poscerentur, asinam cum pecuniae onere produxit in forum, quasi pro sponsoribus praesens pignus. Ita *Macr. Sat.* 1, 6.

[ASINAEUS, a, um, adj. ad Asinen pertinens. Tres fuere urbes hoc nomine appellatae: una Messeniae, altera Laconiae, tertia Argolidis. *Plin.* 4, 5, 7. Asinaeus sinus ab oppido Asine. *F.*]

ASINALIS, le, adj. ὀνικός, asinarius. *Appul. Met.* 4. p. 153, 3. Asinali verecundia ductus.

ASINARIUS, a, um, adj. ad asinum pertinens. ὀνικός. *Cato R. R.* 10. Molas asinarias duas, trusatiles unas, *h. c.* quae ab asinis versantur. ℙ *Asinaria via* fuit inter Latinam et Labicanam; e *porta* itidem *Asinaria* nuncupata exibat, et duobus circiter ab Urbe millibus passum vias Latinam Appiamque secabat, et Ardeatinam pertingebat; ita appellata videtur a gente Asinia, ut ab aliis gentibus aliae quaedam urbis viae et portae: nunc clausa est, ejusque vestigia apparent prope portam, quae nunc *Lateranense*, aut *di S. Giovanni Laterano* dicitur. Ejus meminit *Festus* in V. *Retricibus.* ℙ *Asinarius, ii*, absolute est qui asinos pascit, custodit et agit, ὄνηγος, ὀνοφορβός. *Cato R. R.* 10. et *Varr. R. R.* 1, 18. Bubulcum, asinarium, subulcum. Adde *Suet. Aug.* 87. *Appul. Met.* 7. Mulierem putantes asinariam, concedebant liberos abitus. ℙ Asinarii per convicium dicuntur Christiani apud *Tert. Apol.* 16. et *adv. Gent.* 11. crimine, ut ibi ostenditur, ab Judaeis tracto, qui adorare caput asininum falso credebantur, vulgata nempe a *Tac. Hist.* 5, 4. fabula. *Tert. Apol.* 16. Hoc forsitan improbandum, quod inter cultores omnium pecudum bestiarumque asinarii tantum sumus. ℙ *Asinaria* inscribitur una ex *Plauti* Comoediis, quia in ea memoratur pecunia ex asinorum venditione collecta.

*ASINASTRA (ficus), *Macr. Sat.* 2, 16. V. *Asinusca. B. A.*

*ASINE, es, f. Messeniae oppidum. *Plin.* 4, 5. *Mela* 2, 3. *post med. B. A.*

*ASINES, ae, fluvius Siciliae. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

ASINIANUS, a, um, adj. apud *P. Vict. de reg. Urb. Rom.* fuerunt in regione Urbis octava, et dicti sunt ab aliquo Asiniae gentis. *Cic. Cluent.* 13. Asinianum crimen.

ASININUS, a, um, adj. ὀνικός, ὄνειος, ad asinum pertinens. *Varr. R. R.* 2, 8. Asininus pullus. Et *ib.* 38. stercus. *Plin.* 8, 21, 30. pilus. *Id.* 17, 9, 6. fimum. *Id.* 28, 14, 58. lac. *Appul. Met.* 6. Inepta prorsus et asinina cogitatio. *Fulg. Mythol.* 3, 9. Asininae aures. ℙ *Asinina pruna* cognominata sunt a vilitate, ut idem docet 15, 13, 12., sunt enim sine gustu, iisque rustici saginare sues solent.

ASINIUS, ii, m. nomen gentile Romanum ab asinis ductum, quemadmodum *Porcius* a porcis, etc. Fuit autem gens plebeja, ex qua orti sunt inter alios C. Asinius Gallus orator et poeta, Asinius Pollio, qui fuit consul, etc. *Vell.* 2. 128. *Val. Max.* 8, 13. *extern. n.* 4. apud *Cic. Fam.* 10, 31. et *sqq. Hor. Od.* 2, 1, 13. *Virg. Ecl.* 4. V. *Suidam.*

[ASINO, onis, m. augmentum asini, magnus asinus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 518, 1. L. Valerius Ursio L. Valerio Asinoni filio pientissimo. *F.*]

ASINUS, i, m. ὄνος, jumentum equo simile in multis, minus tamen et deformius, pilo longiore et horridiore, praelongis auriculis, insignique tarditate; sed idem laboris omnium patientissimum. Inter multa asinorum genera celebres fuere Arcadici (V. ARCADIA), et Reatini, ut *Plin.* docet 8, 43, 68. Adde *Colum.* 7, 1., ubi plura de his. *Cic. N. D.* 2, 64. Mulorum utilitates et asinorum, quae certe ad hominum usum paratae sunt. *Afr. Dig.* 32. *l.* 58. et *Ulp. ib.* 33, 7, 12. Asinus machinarius. V. MACHINARIUS. ℙ Hoc animal Priapo sacrum est, eique immolabatur, seu quia hortis est inimicus; avidissime enim olera appetit, et areolas nullo discrimine proculcat: seu quia olim dicitur cum Priapo de conditionis magnitudine certasse, victusque poenas morte dedisse, ut *Hyg. Astron.* 2, 23. narrat; tametsi *Lactant.* 1, 21. victum fuisse ipsum Priapum, asserit: seu tandem quia ruditu eundem Priapum detexerit, cum Vestae dormienti insidiaretur, ut apud *Ov. Fast.* 6, 320. legitur. *Id. ib.* 345. Lampsacos hoc animal solita est mactare Priapo: Apta asini flammis indicis exta damus. Hoc tamen distichon eruditi plerique *Ocidio* abjudicant, sed minus recte. ℙ Per convicium dicitur de homine stulto, stupido, tardo, duro. *Ter. Heaut.* 5, 1, 3. In me quidvis harum rerum convenit, quae sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus. *Cic. Pis.* 30. Quid nunc te, asine, litteras doceam? non opus est verbis, sed fustibus. *Pl. Ps.* 1, 2, 4. Neque ego homines magis asinos unquam vidi. *Cic. Att.* 4, 5. Scio te voluisse, et me asinum germanum fuisse, *h. c.* stupidum, qui quae suasisti, non feci, nec salutaria esse intellexi. ℙ Translate significat corpus humanum ad libidinem proclive. *Paul. Nolan. carm.* 21, 617. Sic fortis anima mortificans asinum suum. ℙ Usurpatur etiam ad irrisionem. *Ter. Eun.* 3, 5, 49. Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem: Qui esset status, flabellum te tenere, asinum tantum. ℙ In illo *Catull.* 97, 10. Et non pistrino traditur atque asino: *asinum* volunt multi significare metam molendariam, quae a Graecis quoque ὄνος dicitur. In his est *Vulpius*, qui locum praeclare illustrat. [*At eo modo idem bis diceret *Catullus.* Imo intelligendum est: et non traditur pistrino, sc. in quo pinsatur; vel asino, i. machinario, sc. quem agitet. Ita *Kircher. ephem. schol. l. l.*, nescio utrum ex sua an ex alius sententia.] ℙ *Asinus ad lyram*, ὄνος λύρας, subaudi ἀκροατής, proverbium de homine hebete, et ad litteras minime nato. Ductum est ex eo, quod cum pleraque animalia lyrae sono delectari quodammodo videantur, solus asinus nihil prorsus eo moveatur; sumptumque est ex *Varr.*, qui quandam e suis satyris Ὄνος λύρας inscripsit. *Gell.* 3, 16. refert fragmentum ex alia ejusdem satyra, quae inscribitur *Testamentum*, his verbis: *Si filii erunt ὄνοι λύρας, exheredes sunto. Hieron. ep. ad Marcellam* 27, 1. Asino lyra superflue canit. ℙ Qui asinum non potest, stratum caedit, proverb. apud *Petr. fr. Trag.* 45. *Burm.* de iis, qui cum non possunt verum injuriae acceptae auctorem ulcisci, in debiliorem et innocentem saeviunt. ℙ Asinus in tegulis apud *Eund. ib.* 63. videtur esse proverbium de re nova, insolita, stupenda ac prodigiosa.

ASINUSCA, genus est quoddam uvae parvi pretii, nec aspectu gratae. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 9. et *Macr. Sat.* 2, 16.

ASIO, ōnis, m. ὦτος, genus avis, seu potius noctuae, de quo ita *Plin.* 10, 23, 33. Otus bubone minor est, noctuis major, auribus plumeis eminentibus: unde et nomen illi (*nempe* ab οὖς, ὠτὸς, *auris*, *die Ohreule.*) quidam Latine asionem vocant: imitatrix alias avis, ac parasita, et quodam genere saltatrix. *Id.* 29, 6, 38. Asio noctuarum est genus, quibus pluma aurium modo micat.

ASIS, idis, f. adj. quae est ex Asia. *Ov. Met.* 9, 447. Aegeas metiris aquas, et in Aside terra Moenia constituis. *Id. ib.* 5, 648. Jam super Europen sublimis et Asida terram Vectus erat juvenis. *Asida* accusativus est Graecae positionis, poetis familiaris, pro *Asidem. Heins.* autem legit *terras* ex optimo cod., qua ratione *Asida* substantive usurpatur pro *Asiam.*

ASISINATES, um, Asisii cives. *Vetus Lapis* ap. *Grut.* 21, 11. Municipium Asisinatium. Adde *Plin.* 3, 14, 19., ubi *Hard.* ex MSS. legit *Asirinates. Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 237. Bonum eventum municipio, municipibus et incolis Asisinatibus Tiresius Primigenii Lib. Campanus VIvir Aug. S. C. L. D. Est autem Asisium nunc *Assisi* Umbriae municipium, Ἀσίσιον Ptolemaeo, inter Perusiam et Fulginium. ℙ Sunt qui scribunt *Assisium.*

ASIVEHIDA. V. in CALYBA.

ASIUS, a, um, adj. Asia palus est in Lydia regione Asiae, olim *Maeonia* dicta, ut est apud *Plin.* 5, 29, 30., cui cohaeret fluvius Caystrus. *Virg. A.* 7, 701. sonat amnis, et Asia longe Pulsa palus. ℙ Dicta est ab ipsa provincia, quae olim et *Asia* nominabatur, ejusque populi *Asii*, teste *Strabone* 13., Caystrus autem ab aliis Maeander minor dictus est. Hinc *Asia prata*, quae circa eum fluvium, ac paludem sunt. *Virg. G.* 1, 383. Jam varias pelagi volucres, et quae Asia circum Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri. ℙ *Asia myrtus*, quae plurima ibi provenit. *Catull.* 61, 21. Floridis velut enitens Myrtus Asia ramulis. ℙ De *Asio lapide*, V. ASSIUS.

[ASMENUS, i, m. ἄσμενος, gaudens, gratus, libens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 264. *n.* 91. Macci Asmeno. *F.*]

*ASNAUS, i, mons Macedoniae, quem inter et Aeropum montem Aous fluvius decurrit. *Liv.* 32, 5. *B. A.*

*ASOI, orum, Indiae populi, cis Gangem. *Plin.* 6, 21. *B. A.*

ASOMATUS, a, um, adj. ἀσώματος, incorporeus: Graeca vox ab *a* privativa, et σῶμα, corpus. Legitur apud *Capell.* 3. *init.*

ASOPIADES, ae, m. Ἀσωπιάδης, est Aeacus Asopi nepos. Fuit enim filius Aeginae, cujus pater Asopus. *Ov. Met.* 7, 484. Huic Asopiades, petis irrita dixit, et urbi, etc.

ASOPIS, idis, f. Ἀσωπίς, Aegina Asopi filia, quam Juppiter in ignem versus compressit, et Aeacum genuit. *Ov. Met.* 6, 113. *de Jove.* Aureus ut Danaen, Asopida luserit igneus. Adde *ib.* 7, 616. ℙ Asopis etiam dicta est Evadne nympha, filia ejusdem Asopi, quam Nilus fluvius adamasse fertur. *Ov. Am.* 3, 6, 41. *de Nilo.* Fertur in Evadne collectam Asopide flammam Vincere gurgitibus non potuisse suis. ℙ Adjective *Stat. Th.* 4, 370. Hic jam dispersos errare Asopide ripa. V. ASOPUS. ℙ Etiam Euboea olim Asopis dicta est, teste *Plin.* 4, 12, 21. ℙ Item Phliasia, quae est Achajae regio. *Id. ib.* 5, 7.

ASOPUS, i, m. Ἄσωπος, fluvius Boeotiae, item Thessaliae, [*Liv.* 36, 22.] item Macedoniae, item Achajae, item Lydiae. [*Plin.* 5, 29.] ℙ De Asopo fluvio Achajae, seu Boeotiae (quem alii regem Boeotiae dicunt) fabulantur, eum Oceani, et Terrae filium fuisse, liberos habuisse Hypseum, et Aeginam, licet alii filiam Aeaci nepotis Asopi faciant: Aeginam a Jove vitiatam fuisse, Asopum adeo aegre tulisse, ut furore commotus undis in sidera bellum moverit: Juppiter iratus fulmine illum interfecerit. Alii alias etiam narrant fabulas, quas referre omnes nimis longum esset. *Ov. Am.* 3, 6, 33. Quid referam Asopon, quem cepit Martia Thebe, etc. V. *Stat. Th.* 7, 315.

ASOTIA, ae, f. prodigalitas, luxus, incontinentia in sumptibus, ἀσωτία et ἀσωτεία. V. ASOTUS. *Gell.* 10, 17. Est persona divitis avari, et parci, sumptum plurimum, asotiamque adolescentis viri deplorantis. Veteres edit. Graece habent ἀσωτίαν τε. *Id.* 19, 9. Ut in tali asotia, atque nequitia artium vinceretis.

ASOTUS, a, um, adj. ἄσωτος, incontinens in sumptibus voluptatum parandarum causa, luxus et ganeae studio perditus, nepos. Vox Graeca ab *a* privativa, et σώζω, servo, salvum et incolumem reddo. Est enim ἄσωτος ὁ δι' ἑαυτὸν ἀπολλύμενος, ut interpretatur Aristoteles *l.* 4. *de Morib. c.* 1. hoc est qui per se, suaque opera perit. *Cic. Fin.* 2, 7. et 8. non semel hanc vocem Latine usurpat, et qui sint asoti, demonstrat. *Id. N. D.* 3, 31. asotis opponit *acerbos*, hoc est eos, qui voluptatem omnem etiam honestam excludunt, et acerbam quodammodo, tristemque vitam vivunt.

ASPALATHUS, i, m. ἀσπάλαθος, spina candida, in Aegypto nascens, magnitudine arboris modicae, flore rosae, cujus radix ob odoris suavitatem in unguentis expetitur. *Plin.* 12, 24, 52. [*Schneider. in lex. gr.* putat esse spartium spinosum *L.*] ℙ Ex hac fit etiam oleum, ut *Id.* 15, 7, 7. docet. Usi sunt etiam ad condiendum vinum aromatiten, teste *Eod.* 14, 16, 18. *n.* 5. ℙ Alius ab hoc videtur esse frutex eodem nomine appellatus, quem describit *Id. l.* 24. *c.* 13., et in Nisyro, et Rhodiorum insulis nasci tradit. Fortasse est is, quem nunc lignum Rhodium appellant.

ASPALAX, ācis, f. inter herbas hortenses enumerat *Plin.* 19, 6, 31., sed quae ea sit, incompertum esse notat *Harduinus.*

*ASPARAGIUM, i, Illyridis Graecae oppidum, circa Dyrrachium, ad Genusum flumen. *Caes. B. C.* 3, 30. *extr. c.* 41. *init.* et *c.* 76. *B. A.*

ASPARAGUS, gi, m. ἀσπάραγος, herba est foeniculi folio, nudum caulem, seu turionem prius emittens, quam folia, parvis baccis, et cum maturuerint, rubris: cujus duplex est genus, silvestre alterum, quae et *corruda* dicitur; alterum hortense. *Plin.* 19, 8, 42. Omnium hortensiorum laudatissima cura asparagis. V. ibi plura de his. *Id. ib.* 4, 19. *n.* 2. Silvestres fecerat natura corrudas, ut quisque demeteret passim: ecce altiles spectantur asparagi, etc. *Juven.* 11, 69. et montani Asparagi, posito quos legit villica fuso. ℙ Scribitur et *aspharagus*, et ita legitur apud *Appul. Herb.* 84.; nam Graece etiam ἀσφάραγος dicitur: frequentius tamen ἀσπάραγος, quo nomine Graeci intelligunt generatim quoscumque teneros caules ad fructus aut seminis productionem crescentes, ut docet *Galen. l.* 2. *Aliment. facult. c.* 58. Qua

acceptione etiam Latini aliquando *asparagum* usurpant. *Plin.* 23, 1, 17. Vitis nigrae, seu bryoniae asparagos Diocles praetulit veris asparagis in cibo, urinae ciendae, etc. *Id.* 21, 15, 54. In totum spina est asparagus, scorpio: nullum enim folium habet. ℙ *Velocius quam asparagi coquuntur*, proverb. ad exprimendam festinatae rei velocitatem. Augustus Caesar frequenter eo utebatur, ut narrat *Suet. Aug.* 87. ℙ Apud *Non.* 17, 1. in verbis *Varron.*, quae ibi recitat, legitur *sparagus;* sed mendum est.

ASPARGO. V. ASPERGO.

*ASPASIA, ae, f. Ἀσπασία, sophistria Milesia celebris, Socratis in eloquentiae studio magistra, Periclis tandem uxor: de cujus natalibus, artibus, vitae genere, etc. accurate agit *Plut. in Pericl.* *Cic. Inv.* 1, 31. ℙ Alia ejusdem nominis, a Cyro primum, mox ab Artaxerxe Mnemone impense amata. *Justin.* 10, 2. *B. A.*

[ASPASIUS, ii, m. ἀσπάσιος, amplectendus, acceptus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 854, 13. P. Aelius Aspasius. *F.*]

*ASPAVIA, ae, oppidum Hispaniae Baeticae, vulgo *Espejo.* *Auct. B. Hisp.* 24. *B. A.*

ASPECTABILIS et Adspectabilis, le, adj. ὁρατός, qui sub aspectum cadit, visibilis. *Cic. Univ.* 4. Deus animal unum, aspectabile, in quo omnia animalia continerentur, effecit. Et *ib.* Corporeum autem, et aspectabile, itemque tractabile omne necesse est esse, quod natum est. ℙ Item dignus qui aspiciatur. *Appul. Apolog.* p. 282, 14. An tu ignoras, nihil esse aspectabilius homini nato, quam formam suam?

ASPECTAMEN et Adspectamen, inis, n. idem quod aspectus. *Claud. Mamert. de statu anim.* 2, 12. *a med.* Sunt ne haec omnia genti mortalium vel convenientia usui, vel jucunda aspectamini? Al. leg. *expectamini*, eod. sensu.

ASPECTIO et Adspectio, onis, f. βλέψις, actus aspiciendi. *Festus* in *Spectio.* Spectio in auguralibus ponitur pro aspectione.

ASPECTO et Adspecto, as, avi, atum, a. l. ἐφοράω, ἐνοράω, saepe vel attente specto, intueor: frequentativum ab *aspicio.* *Cic. Planc.* 42. Quid me aspectas? quid mea promissa repetis? quid meam fidem imploras? *Pl. Most.* 4, 3, 32. Quaeso edepol huc me aspecta, et responde mihi. *Id. Epid.* 5, 1, 16. Est ne, ut tibi dixi? aspecta. *Id. Amph.* 4, 2, 8. Quid me aspectas stolide? ℙ Translate. *Virg. A.* 1, 424. collem, qui plurimus urbi Imminet, adversasque aspectat desuper arces. *Tac. A.* 12, 32. Mare, quod Hiberniam insulam aspectat. *Id. ib.* 1, 4. Omnes exuta aequalitate, jussa principis aspectare, *h. e.* diligenter attendere. ℙ Pro suspicere, admirari. *Lucr.* 3, 75. Macerat invidia, ante oculos illum esse potentem, Illum aspectari, claro qui incedit honore.

ASPECTUS et Adspectus, a, um, part. ab *aspicio*, spectatus, visus. *Tac. Agr.* 40. *in f.* Ut plerique viso aspectoque Agricola, quaererent famam, pauci interpretarentur. *Sidon. ep.* 8, 14. Vultus aspectus.

ASPECTUS et Adspectus, us, m. actus aspiciendi, ὄψις, active: *Cic. N. D.* 2, 57. Oculi aspectum quo volunt, facile convertunt. *Id. Prov. consul.* 16. Referre aspectum in aliquem locum. *Id. Or.* 2, 87. Venire sub aspectum. *Id. Univ.* 4. Cadere sub aspectum. *Id. Or.* 68. Res venusta ad aspectum. *Id. Verr.* 2, 4, 52. Situs urbis praeclarus ad aspectum. *Id. N. D.* 2, 35. Primo aspectu in animum quiddam se putat videre. *Id. Brut.* 54. Intelligens dicendi existimator uno aspectu et praeteriens de oratore saepe judicat. *Q. Cic. Petit. cons.* 1. Ponere multa sub uno aspectu. *Cic. Har. resp.* 5. Violare sacra Bonae Deae aspectu virili. *Id. Tusc.* 1, 30. Amittere aspectum. In plural. num. *Virg. A.* 9, 657. Mortales medio aspectus sermone reliquit. ℙ Sumitur etiam pro praesentia, conspectu. *Tac. A.* 16, 28. *in f.* Exuere aspectum alicujus rei. Et *ib.* 15, 61. *in f.* Parcere aspectui alicujus. *Cic. Sull.* 26. Vitare aspectum hominum et lucem. *Virg. A.* 6, 465. Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro. (*Aspectu* dictum est pro *aspectui*, qua ratione *anu* pro *annui*, *concubitu* pro *concubitui*, *ornatu* pro *ornatui* usurpatum legitur, ut *Gell.* 4, 16. et *Non.* 9, 15. adnotarunt. His adde *jussu*, *nutu*, *venatu*, *manu*, *victu*, etc. quae V. suis locis. Sic enim olim a multis declinabantur hujusmodi nomina.) *Cic. Fam.* 4, 9. Privare aliquem aspectu suo. *Id. Cat.* 7. Carere aspectu civium. Et *ib.* Aspectum civium, praesentiamque vitare. *Id. Arch.* 6. Proferre aliquid in aspectum et lucem, *h. e.* in publicum edere. *Tac. A.* 13, 16. Vesci in aspectu propinquorum. *Id. Hist.* 5, 17. Esse in aspectu. *Aur. Vict. Caes.* 21. Dare se aspectui alicujus. ℙ Item pro ore, vultu, cum de animalibus sermo est; et pro praesentia, seu re ipsa, quae se offert aspicienda, [*i. e. specie ac figura, qualis cernitur] cum de aliis rebus loquimur. *Cic. N. D.* 2, 63. Pomorum jucundus non gustatus solum, sed odoratus etiam et aspectus. *Id. Phil.* 2, 29. aspectus miserabilis auctionis. *Hor. Sat.* 1, 8, 26. Sagana et Canidia horrendae aspectu. *Plin.* 11, 18, 19. Apes horridae aspectu. *Id.* 13, 22, 40. Cortex tristis aspectu. *Id.* 34, 3, 6. Foedus aspectu. (Nisi malis his et aliis hujusmodi locis *aspectu* pro supino accipere.) *Nep. Iphicr.* 3. Fuit et animo magno et corpore, imperatoriaque forma, ut ipso aspectu cuivis injiceret admirationem sui. *Gell.* 14, 4. Aspectu vehementi et formidabili esse. *Tac. A.* 14, 10. Vultu et aspectu exterrere legiones. *Plin.* 8, 42, 64. Bucephalus aspectu torvo. *Id. ib.* 45, 70. Tauris generositas in aspectu. *Id.* 9, 9, 11. Tristitia aspectus. *Tac. A.* 14, 32. Oceanus cruento aspectu. *Plin.* 35, 10, 37. Urbes pingere blandissimo aspectu. ℙ Item pro specie, et figura. *Plin.* 24, 19, 113. Herba aspectu roris marini. *Id.* 10, 40, 56. Caprimulgi grandioris merulae aspectu. ℙ De coloribus. *Plin.* 37, 7, 25. Carbunculi aspectus nigrioris. *Id.* 31, 2, 20. Columnae aspectu discolori. ℙ *Aspectus morum* ab eodem *Plin.* 11, 52, 114. dicuntur signa et indicia in vultu et aspectu alicujus, ex quibus ejus mores licet cognoscere. ℙ *Aspectus siderum* dicitur eorum apparentia et praesentia: aspicere enim nos videntur, cum a nobis conspiciuntur. *Plin.* 2, 68, 68. ℙ *Aspectus coeli* est totum coelum, quod a nobis conspicitur. *Id.* 2, 54, 55. In sexdecim partes coelum in eo aspectu divisere Tusci. ℙ Olim *aspectus, cti*, declinatum est. *Accius* ap. *Non.* 8, 15. Mihi miseritudine commovet animum excelsa aspecti dignitas.

*ASPELIA, ae, f. Cypri insulae nomen antiquum. *Plin.* 5, 21. ubi *Spheciam* eo vult legi *Hard.*, quod Σφήκεια est *Steph. Byz.* et *Lycophr.* in *Cass.* 447. *B. A.*

ASPELLO. V. ABSPELLO.

ASPENDIOS, ἀσπένδιος, genus vitis, ex qua libare aris vinum nefas putabant: unde et nomen habuit, nempe ab α privativa, et σπένδω, libo. Ferunt etiam eam nec ab alite ulla attingi. Haec *Plin.* 14, 18, 22.

ASPENDIUS, a, um, adj. Ἀσπένδιος, ad Aspendum pertinens, quod est oppidum Pamphyliae ab Argivis conditum, ut est apud *Mel.* 1, 14. [*Cf. *Liv.* 37, 23.] ℙ Hinc *Aspendii, orum*, sunt ejus oppidi incolae: *Nep. Dat.* 8. ℙ *Aspendius* dictus est quidam insignis citharoedus, qui originem praebuit proverbio *intus canere.* Cum enim citharoedi dextera manu plectrum teneant, quo chordas pulsant, quod est *foris canere;* sinistrae vero digitis chordas carpant, ad sonorum differentias exprimendas, quod *intus canere* dicitur; *Aspendius* tantae subtilitatis fuisse dicitur, ut sola sinistra utens, universam cantionem complecteretur: qua ratione sonus citharae exiguus quidem erat, et ad ipsum tantum citharoedum, aut certe ad proxime adstantes perveniebat; magnam tamen omnium admirationem tam exquisitae artis excitabat. Hinc callidi fures a Graecis *Aspendii citharistae* proverbio dicti sunt, quod, ut ille carminis, ita isti furtorum occultatores sunt: et quia, ut ille sinistra utebatur in cithara pulsanda, ita hi eadem utuntur in furtis faciendis. Sinistra enim furtis apta est dicta, ut patet ex *Catull. carm.* 12. et 47. et *Ov. Met.* 13, 111. Valet etiam in eos, qui multum intestinis suis commodis consulunt praeter honestatem. Qui etiam dicuntur *in se canere*, aut *sibi canere*, quia suam tantum rem ut bene gerant, student, et quidquid agunt, sua tantum causa faciunt, nihil aliorum damna curantes. *Cic. Agr.* 2, 26. Atque hoc carmen hic tribunus plebis non vobis, sed sibi intus canit. *Id. Verr.* 2, 1, 20. hujus Aspendii meminit: rem vero totam enarrat ibidem *Asconius.*

ASPER, a, um, adj. τραχύς. Proprie dici videtur de loco saxis, sentibus et squalore obsito, partesque inaequales et salebrosas habente, atque adeo ad culturam inepto. Graeci enim agricolae hujusmodi loca ἀσπόρους appellabant, ut *Jul. Scalig.* docet apud *Voss. Etymol.*, ab α privativa, et σπείρω, semino. [*Sed recte ab aliis dubitatur, an h. v. a graeco aliquo etymo derivandum sit.] Hoc sensu *Cic. Partit.* 10. In locis autem et illa naturalia, maritimi, an remoti a mari; plani, an montuosi; leves, an asperi; salubres, an pestilentes, etc. [*Liv. 25, 36. erat adeo nudus tumulus et asperi soli, ut nec virgulta vallo caedendo, nec terra cespiti faciendo, aut ducendae fossae aliive ulli operi apta inveniri posset. *q.*] *Suet. Tib.* 60. A tergo insulae per aspera et devia erepere. *Id. Tit.* 8. In asperrima insularum devehi. [*Lucan. 1, 42. aspera Leucas, i. e. scopulosa. *Plin.* 3, 5, 9. Aspera et confragosa loca. — Hinc translate de oratione, quae salebrosa, horrida, inculta est. *Cic. Or.* 5. aspera, tristis, horrida oratio. [*Eleganter eam describit *Sen. ep.* 114. Quidam, inquit, praefractam et asperam compositionem probant: disturbant de industria, si quid placidius effluxit: nolunt sine salebra esse juncturam; virilem putant et fortem, quae aurem inaequalitate percutit. — Suppeditavit nobis h. l. *Ern. lex. techn. lat.* p. 35. quem V.] Eodemque modo de voce, quae inaequalis et rudis ex asperatis faucibus emittitur. *Quint.* 11, 3. [*Ac de pronuntiatione: *Cic. Or.* 3, 57. In vocis et pronuntiationis generibus aliud est asperum aliud lene.] Sic etiam littera *r* ab *Ov. Fast.* 5, 481. aspera appellatur. Et *asper spiritus* dicitur a grammaticis, qui syllabae sonum vehementiorem et asperiorem quodammodo reddit, et in Graecis vocibus appingi solet figura parvae ʽ: cui contrarius est lenis, cujus nota est ʼ inversa. *Prisc.* 2. p. 572. ℙ *Asper* etiam dicitur qui asperum reddit. *Mart.* 11, 87. Leniat ut fauces medicus, quas aspera vexat Assidue tussis, etc. ℙ Universim accipitur pro omni eo, quod inaequalitate superficiei, et scabritie tactum laedit: cui opponitur *levis. Cels.* 4, 1. Arteria aspera. V. ARTERIA. *Mart.* 6, 13. Manus aspera. *Enn.* ap. *Appul. Apol. in carm.* Aspra ostrea (per syncop. pro *aspera.* Adde *Scribon. Compos.* 180.) *Virg. Ecl.* 10, 49. Glacies aspera. *Id. A.* 5, 267. et *ib.* 9, 263. Pocula aspera signis, *h. e.* quae habent signa exstantia, et quae vasis superficiem inaequalem reddunt. [*Plura hujus generis exempla V. apud *Drak.* ad *Sil.* 11, 279.] Sic *Claud. Laud. Stil.* 2, 89. cingula baccis aspera. Et *Val. Fl.* 5, 578. Balteus asper. Hinc *asper nummus* dicitur, qui bene percussus est, et alte expressas notas habet, quales sunt recenter cusi, et qui manibus hominum nondum detriti sunt, totumque pondus suum retinent. *Suet. Ner.* 44. Exegit ingenti fastidio et acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, etc. *Senec. ep.* 19. Nec voles, quod debeo, nisi in aspero et probo accipere. ℙ Ponitur etiam pro acuto, et ad pungendum aut caedendum apto. *Tibull.* 1, 9, 32. nec amplexus aspera barba terit. *Virg. A.* 2, 379. aspris sentibus anguem premere. *Id. Ecl.* 3, 89. Rubus asper. *Lucan.* 7, 139. Nec gladiis habuere fidem, nisi cotibus asper Exarsit mucro. ℙ Hinc translate dicitur a) De saporibus. Est autem proprie *asper sapor*, qui terreum gustum reddit, ut docet *Jul. Scalig. ad l.* 2. *Theoph. de causis plant. c.* 18. Quo pertinet fortasse illud *Pl. Capt.* 1, 2, 85. Asper meus victus sane est. *Par.* sentesne esitas? *He.* terrestris coena est, multis oleribus, etc. Ubi et tenuem esse suam coenam significat, et ex natis terra herbis paratam. [*Ideo dicit victum asperum, quoniam in locis scruposis quaerendus sit; de sapore *h. l.* minime cogitandum. V. *Lind.* ad h. l. Cf. *ib.* 3, 1, 37. redibo — ad coenam asperam.] Sed generatim *asper* dicitur quicumque sapor palatum offendit, cui opponitur lenis. *Ter. Heaut.* 3, 1, 49. Asperum hoc (*vinum*) est: aliud lenius, sodes, vide. *Plin.* 2, 100, 104. Asper sapor maris. *Id.* 19, 6, 34. Allium asperi saporis: quo plures nuclei fuere, hoc est asperius. *Id.* 12, 7, 14. Asperrimum piper. *Id.* 25, 13, 101. Herba asperrimi gustus. *Id.* 20, 9, 39. Acetum quam asperrimum. b) De odoribus insuavibus et nimis acribus. *Plin.* 27, 8, 41. Herba odoris asperi. ℙ Porro in universum de iis dicitur, quae aliquo modo pungunt, i. e. vexant; est igitur i. q. infestus, molestus, (periculosus). *Liv.* 37, 16. et *Virg. A.* 6, 351. maria aspera. *Vell.* 2, 113. asperrima hiems. *Justin.* 2, 1. coelum asperum. [*Tac. G.* 2. Germania — aspera coelo; opp. mite coelum. V. intpp. ad h. l.] Hinc ad alia transfertur, quae aliquo modo pungunt aliquo modo similia sunt, i. e. difficilis, calamitosus. ℙ *Cic. Corn. Balb.* 9. In periculis et asperis temporibus. *Sall. Cat.* 10. Dubias atque asperas res tolerare. *Id. Jug.* 103. Asperum negotium. *Id. Cat.* 21. Mala res, spes multo asperior. *Virg. A.* 8, 318. Venatus asper victu. Omninoque *asperum* generatim dicitur, quicquid grave est et molestiam ac fastidium creat. *Val. Fl.* 5, 489. aspera regum juga perpeti. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. Dominatio nimia atque aspera. Hinc explicandus *Virg. A.* 8, 364. Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum finge Deo, rebusque veni non asper egenis, i. e. infestus, ideoque fastidiosus, aspernator. [*Liv. 22, 59. asperrimos illos ad conditionem pacis, i. e. quod attinet ad conditionem pacis parum mobiles. *q.*] ℙ Item pro immiti, duro, intractabili. *Cic. Planc.* 16. Homo natura asper atque omnibus iniquus. *Hor. A. P.* 163. monitoribus asper. [*Cic. Fin. 4, 28. Peripatetici — evadunt horridiores, asperiores (i. e. morosiores, difficiliores), duriores oratione et moribus.] Cum infinito. *Sil.* 3, 387. de equo: Asper frena pati, aut jussis parere magistri. Adeoque pro crudeli, fero, saevo. *Virg. A.* 12, 124. et *ib.* 11, 635. Pugna aspera. *Sall. Jug.* 52. Bellum asperrimum. *Virg. G.* 3, 57. Bos aspera cornu. *Tibull.* 1, 6, 20. Aspera turba canum. *Ov. Met.* 11, 402. Asper lupus. *Virg. A.* 1, 295. Aspera tunc positis mitescent saecula bellis. *Id. ib.* 6, 883. Fata aspera. *Id. ib.* 2, 96. Odia aspera. ℙ Item pro acri, mordaci, maledico. *Cic. Brut.* 34. Licinius asper, maledicus, genere toto paulo fervidior. *Tibull.* 4, 4, 14. Dicere verba aspera in aliquem. *Hor. Epod.* 6, 11. Asperrimus in malos. *Cic. Planc.* 14. Asperioribus facetiis perstringere. *Ov. Pont.* 2, 6, 8. Aspera verba. *Curt.* 7, 1. Vox asperior, i. e. dictum mordens. ℙ Item pro severo, acri, forti, cui opponitur remissus, mollis, [*luxuriosus], effeminatus. *Liv.* 3, 40. Asperior sententia, cui opponi-

tur lenior. *Vell.* 1, 10. Aspera censura. *Quint.* 4, 3. Aspera lex. *Sil.* 7, 51. Aspera virtus. [*Cic. Mur.* 29. de philosophia morali Stoicorum: accessit his doctrina non moderata nec mitis, sed — paullo asperior (i. e. rigidior) et durior.] *Virg. A.* 1, 18. Carthago studiis asperrima belli. *Justin.* 2, 3. Gens laboribus et bellis aspera. [*Hor. Sat.* 2, 6, 82. asper et attentus quaesitis, i. e. parcus et severus. V. *Hdf.*] *Sen. Med.* 87. Virgo aspera, *h. e.* Diana virilibus severisque studiis dedita, et muliebres artes aversata. Eodem modo *aspera* dicitur Camilla a *Virg. A.* 11, 664. Sic *asperiora studia* apud *Hor. Od.* 3, 24, 53. opponuntur pravis elementis Cupidinis. ℙ Fuit *Asper* cognomen Romanum: et ita primum appellatus est quidam L. Trebonius, quia in tribunatu plebis patres acerbissime insectatus fuerat, ut narrat *Liv.* 3, 65.

ASPĔRĀTĬO, onis, f. actus asperandi, exasperatio. *Macr. Sat.* 7, 12. *sub f.* Calor sensum occupat, et gustatum linguae fervor interpedit: ideo ex asperatione oris praeventa suavitas excluditur. Est qui legit *exasperatione.*

ASPĔRĀTUS, a, um, part. v. *aspero*, asper factus, τραχυνθείς. *Plin.* 29, 6, 34. Alopeciae folio ficulneo asperatae, *h. e.* perfricatae. *Varr. R. R.* 1, 52. Tribulum fit e tabula lapidibus, aut ferro asperata. *Cels.* 6, 6. *n.* 26. Specillo asperato radere palpebras. ℙ Translate. *Tac. Hist.* 3, 38. Vitellius asperatus. Et *ib.* 82. Asperatus proelio miles. *Nazar. Pan. ad Constant.* 17. Natio asperata memoria acceptae cladis. ℙ Per syncopen dicitur *Aspratus. Sidon. ep.* 4, 8. Lima asprata polire aliquid. *Id. carm.* 2, 418. Hic domus aurorae, rutilo crustante metallo, Baccarum praefert leves asprata lapillos.

ASPĔRĔ, adv. τραχέως, χαλεπῶς, σκληρῶς, dure, severe, rigide, acerbe. *Cic. Fam.* 1, 5. Aspere et acerbe accusare aliquem. *Id. Q. Fr.* 2, 6. Aspere tractare aliquem. *Id. Or.* 1, 53. Aspere et vehementer loqui. [*Id. Att.* 2, 22, 5. asperrime loqui in aliquem.] *Id. Planc.* 13. Aspere et ferociter et libere dicere maledicta in aliquem. *Tac. A.* 4, 31. Aspere accipere aliquid. *Cic. Att.* 9, 15. Asperius scribere de aliquo, quam, etc. *Vell.* 2, 7. Asperrime saevire in aliquem. [*Liv.* 3, 50. nihil placet aspere agi.]

ASPERGO et Adspergo, inis, f. ῥανὶς, προσράντισις, aspersio, stilla, aut gutta aspersa. *Petr. Sat.* 102. Nec aquae asperginem imposituram aliquam corpori maculam. *Virg. A.* 3, 534. Objectae salsa spumant aspergine cautes. *Ov. Met.* 3, 86. Sanguis virides aspergine tinxerat herbas. *Id. ib.* 14, 796. Flammifera gemini fumant aspergine postes. *Plin.* 22, 21, 30. Trichomanes umbrosas petras, parietumque aspergines sequitur, *h. e.* nascitur in parietibus aquae guttis aspersis, et humentibus. ℙ In recto casu singulari. *Cato R. R.* 128. Delutare parietes, ne aspergo noceat, neque mures cava faciant. *Schneiderus* tamen *curculio* legendum pro *aspergo* probat. ℙ *Aspargine* pro *aspergine* legitur a *Callistrat. Dig.* 14, 2, 4. *in edit. Torrentini*, quod et in loc. cit. *Virg.* legit *Vel. Long. Orthogr.* p. 2234., et alii adstruunt in *Tert. adv. Jud.* 6. et alibi ex quibusdam MSS. ℙ Translate. *Prud. Apoth.* 1005. Fraude carens, omni culparum aspergine liber. ℙ *Prisc.* 5. p. 658. apud *Putsch.* docet, antiquissimos etiam in masculino genere usurpasse.

ASPERGO et Adspergo, ergis, ersi, ersum, a. 3. αἰωρέω, προσπάσσω, respergo, conspergo, perfundo. *Cic. N. D.* 3, 36. Aspergere aram sanguine. *Pl. Epid.* 4, 1, 28. alicui pectus aqua. *Id. Bacch.* 2, 3, 13. Aspergere aquam. (proverbialiter hoc dicit. V. AQUA.) *Plin.* 15, 6, 6. Aspergere olivam sale. *Id.* 8, 38, 57. Corpus adustum leontophoni aliis carnibus. *Cic. Cluent.* 26. guttam bulbo. (Hic festive jocatur *Cic.* in nominibus *Guttae* et *Bulbi*. V. integrum locum.) Apud *Virg. G.* 3, 419. *Aspergere virus pecori* est pecora viru inficere. Hinc translate i. q. admiscere. *Cic. Or.* 26. huic generi orationis aspergentur etiam sales. *Id. Mur.* 31. comitatem et facilitatem gravitati et severitati. *Id. Or.* 2, 59. genus facetiarum mendaciunculis. [*Id. Qu. Fr.* 2, 10. jucunditatis plena epistola hoc aspersit molestiae. Omninoque aliquo modo addere. Sic *Id. Fam.* 2, 16. *ad f.* Hoc aspersi, ut scires me tamen in stomacho solere ridere, *h. e.* addidi epistolae, immiscui, leviter attigi. Praecipue ponitur de mala nota vel vituperatione s. probro in aliquem conjecto. *Cic. Vatin.* 17. Clarissimo viro nonnullam laudatione sua labeculam aspergis. *Id. Planc.* 12. Hunc tu vitae splendorem maculis aspergis istis? *Id. Fam.* 6, 6. Eodem fonte se hausturum intelligit laudes suas, e quo sit leviter aspersus. *Id. Coel.* 10. et *Liv.* 23, 30. Aspergi suspicione. *Cic. ib.* et *Nep. Alc.* 3. Aspergi infamia. *Ulp. Dig.* 37, 14, 17. Aspergere alicui notam. *Auct. ad Her.* 4, 49. Aspergere aliquem lingua, *h. e.* conviciis insectari. Sic *Hor. Sat.* 1, 4, 87. Aqua quavis aspergere cunctos. V. AQUA. ℙ Est etiam idem ac spargo. [*Minime. Etiam in his praepositio vi sua non prorsus caret.] *Virg. G.* 4, 62. Huc tu jussos asperge sapores, Trita melisphylla et cerinthae ignobile gramen. *Plin.* 18, 26, 63. Aspergere glandem bubus, *h. e.* dare. ℙ Aspergere alicui Sextulam. V. SEXTULA. ℙ *Aspergere aures alicujus gemitu*, nimis longe petita translatione dixit *Val. Max.* 3, 3. *n.* 1. *extern.* pro obstrepere auribus gemendo. ℙ Aspersum esse cognitione alicujus rei, est ea esse leviter imbutum. *Gell.* 13, 19. Etiamsi hunc M. Catonem, quis fuerit, ignoras, auditiuncula tamen quadam de Catonis familia aspersus es. ℙ *Aspargo* pro *aspergo* legitur apud *Marcell. Empir.* 36., sed non est imitandus. [*V. de hac forma, quae collegit *Cort.* ad *Lucan.* 1, 385.]

[ASPĔRĪNUS, i, m. ad asprum pertinens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 788, 4. L. Avillius L. F. Asperinus. *F.*]

ASPĔRĪTĀS, atis, f. τραχύτης, τραχυσμός, inaequalitas superficiei, quae tactum laedit: cui contraria est *levitas. Cic. N. D.* 2, 39. Asperitates saxorum. *Plin.* 11, 37, 79. Asperitas denticulata ventris. *Id. ib.* 64. Asperitas imbricata linguae. *Gell.* 2, 6. Asperitas squamarum. *Plin.* 33, 11, 49. Vasa anaglypta in asperitatemque excisa, *aspera signis* dixit *Virg. A.* 9, 263. ℙ De locis inaequalibus, salebrosis, et aditu difficilibus. *Cic. Phil.* 9, 1. Asperitas viarum. *Sall. Jug.* 78. et *Liv.* 32, 12. *in f.* Oppidani locorum asperitate muniti. *Id. ib.* Supervadere omnes asperitates. ℙ De saporibus, qui palatum insuavitate offendunt, ut in ASPER dictum est: cui opponitur *lenitas. Plin.* 14, 19, 24. Mitigare asperitatem vini. *Id.* 12, 10, 21. Asperitas pomi, et *ib.* 9, 20. Asperitas aquarum, *h. e.* salsitudo. *Id.* 9, 35, 58. Asperitas aceti. ℙ De faucibus, voce, et respiratione. *Lucr.* 4, 553. Asperitas vocis. *Tac. G.* 3. Asperitas soni. *Plin.* 30, 4, 11. Lenire asperitatem faucium. *Id.* 22, 24, 51. Asperitatem animae mitigare succo dulciore. Et absolute. *Id.* 27, 12, 165. Bibitur rhacoma contra asperitates, capitis gravitates, etc. ℙ Translate. *Ov. Pont.* 4, 4, 22. et *ib.* 14, 36. Asperitas loci, i. e. ariditas. *Id. Fast.* 4, 88. frigoris. *Tac. A.* 4, 56. hiemis. ℙ Est etiam vox architecturae propria. *Vitr.* 3, 3. Ut aspectus propter asperitatem intercolumniorum haberet auctoritatem, h. e. ut adspectus per vacuas partes, quae intercolumniis efficerentur, majestatem nancisceretur. *Id.* 7, 5. Cum aspectus ejus scenae propter asperitatem eblandiretur omnium visus, i. e. quum adspectus ejus scenae per gratam quandam luminis et umbrae varietatem (*pel contrasto del chiaroscuro* Noster vertit) omnibus vehementer placeret. Hic de pictura loquitur *Vitruv.*, supra autem de architectura. ℙ Saepe refertur ad animum et ad mores. *Ov. Pont.* 1, 6, 8. artibus ingenuis Pectora mollescunt, asperitasque fugit. *Nep. Att.* 5. Habebat avunculum difficillima natura, cujus sic asperitatem veritus est, ut etc. *Cic. Amic.* 23. Asperitas et immanitas naturae. *Vell.* 2, 89. Senatus sine asperitate, nec sine severitate lectus. *Hor. Ep.* 1, 18, 6. Asperitas agrestis et inconcinna gravisque. *Val. Max.* 5, 8. *n.* 1. Asperitas tragica. ℙ Dicitur et de aliis rebus. *Cic. Or.* 2, 53. Nulla est temperatior oratio, quam illa, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius humanitate conditur. *Id. Or.* 1, 1. In his vel asperitatibus rerum, vel angustiis temporis. *Ov. Met.* 14, 526. Asperitas verborum. *Tac. A.* 1, 44. Asperitas remedii. *Sall. Jug.* 29. Asperitas belli, *h. e.* difficultas.

ASPĔRĬTER, adv. idem quod aspere. *Naevius* ap. *Non.* 11, 32. Ubi tu nequaquam cubares asperiter. *Plaut.* quoque usus est, teste *Prisc.* 15. p. 1010.

ASPĔRĬTŪDO, inis, f. idem quod asperitas. *Tert. Poen.* 11. Asperitudo sacci et horror cineris. ℙ Translate. *Appul. Met.* 1. p. 103, 20. Asperitudinem fabularum lepida jucunditas levigabit. ℙ Per syncopen dicitur *aspritudo:* estque usitatior. *Cels.* 6, 6. *n.* 26. Extenuare aspritudinem oculorum. Et mox. Ex aspritudine lippitudo fit, atque ipsam deinde aspritudinem auget. *Scribon. Compos.* 113. Cum ungui nulla pateat aspritudo. Adde *ib.* 32. et 33. et iterum *Cels.* 7, 7. *n.* 7. et 15. et 23. et 26, 2.

ASPERNĀBĬLIS et Adspernabilis, le, adj. dignus quem asperneris, contemnendus, contemptibilis. *Accius* ap. *Non.* 2, 854. Facere aliquem aspernabilem. *Gell.* 16, 8. *sub f.* Cognitio aspernabilis et insuavis. *August. Mor. Manich.* 8. Quid stercore aspernabilius?

ASPERNĀMENTUM et Adspernamentum, i, n. contemptus, aspernatio. *Tert. Adv. Marc.* 4, 14. et *Pudic.* 8. Apernamento habere aliquid.

ASPERNANTER et Adspernanter, adv., contemptim. *Ammian.* 31, 4. Quae res aspernanter a nostris inter initia ipsa accepta est. *Sidon. ep.* 7, 2. Haud aspernanter resalutari. *August. Mus.* 4, 9. Hos pedes aspernantius poetae, soluta libentius assumit oratio.

ASPERNĀTĬO et Adspernatio, onis, f. actus aspernandi, et rejiciendi, καταφρόνησις. *Cic. Tusc.* 4, 14. Animorum omnes morbi et perturbationes ex aspernatione rationis eveniunt. *Sen. ep.* 121. *ad f.* Naturales a contrariis aspernationes sunt.

ASPERNĀTOR et Adspernator, oris, m. ἀποπυστής, qui aspernatur et rejicit. *Tert. adv. Marc.* 4, 15. Divitum aspernator, mendicorum advocator.

ASPERNĀTUS et Adspernatus, a, um, partic. passivae significationis ab *aspernor*, contemptus, rejectus. *Arnob.* 5. p. 175. Aspernatam sumit atque ebibit potionem. *Liv.* 34, 40. Quem Quinctius adspernatum excedere castris jussit. Al. leg. *adspernatus.* Adde 11, 22. *extr.* [*et *Drak.* ad 8, 28, 3. ubi alia affert.] ℙ Activa significatione. *Prop.* 2, 10, 41. Nos aspernata sepultos. [*Cic. Rep.* 3, 22. naturam hominis aspernatus — luet poenas.]

ASPERNOR et Adspernor, aris, atus sum, dep. 1. καταφρονέω, ἀποπτύω, rejicio, respuo, aversor, fugio: ex *ad*, et *sperno*, quasi valde, aut prorsus sperno: saepe enim *ad* in compositione auget. [*Melius h. v. cum *J. M. Heusing. in obss. antib.* p. 327. sq. derivat *Döderl. lat. Syn.* II. p. 179. a praepositione *ab* sive *abs* (ut *asportare* pro *absportare*) et *spernari*, cujus auctoritates affert. Plura V. apud ipsum l. l.] *Cic. Fin.* 2, 10. Animal appetit voluptatem, aspernatur dolorem. *Id. Or.* 2, 37. Philosophiam haec civitas aspernata nunquam est. *Id. Cluent.* 68. Cujus ego furorem atque crudelitatem Deos immortales a suis aris atque templis aspernatos esse confido. *Id. Rosc. Am.* 53. Hanc proscriptionem nisi hoc judicio a vobis rejicitis et aspernamini, videte, etc. *Id. Or.* 3, 25. Gustatus, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit. [*Suet. Caes.* 53. oleum — aspernantibus ceteris, solum etiam largius appetisse. *Id. Ner.* 48. panem oblatum.] *Id. Rab. Post.* 16. Virtutem non modo non aspernari ac refutare, sed complecti et augere. *Id. Cluent.* 16. Aspernari sermonem alicujus. *Id. Verr.* 2, 4, 51. Aspernari, contemnere, negligere querimonias alicujus. *Id. Sext.* 13. Aspernari preces. *Stat. Silv.* 1, 2, 105. vultu non aspernata rogari. *Cic. Acad.* 4. *in f.* sententiam alicujus. *Id. Tusc.* 5, 32. liberalitatem regis. *Id. Pis.* 20. Oculis fugere, auribus respuere, animo aspernari malos homines. [*Et i. q. removere, rejicere: *Suet. Vesp.* 8. adolescentulum fragrantem unguento nutu aspernatus.] *Brut.* ap. *Cic.* ad *Brut.* 1, 17. Non aspernari servitutem honorificam. *Nep. Milt.* 1. conditionem aliquam. *Vell.* 2, 65. concordiam. [*Cic. Tusc.* 5, 32. liberalitatem alicujus; sic *id. Fam.* 4, 9. *id. Coel.* 17. oculis pulchritudinem rerum.] *Sall. Cat.* 3. vitia. *Suet. Vesp.* 8. aliquem nutu. [*Liv.* 9, 41. pacem petentes, quod uti ea quum daretur, noluissent, aspernatus, i. e. precibus eorum locum non reliquit, pacem repudiavit. *Id.* 4, 45. curam urbis ut ingratam ignobilemque aspernari, i. e. rejicere. Sic *id.* 6, 4. aspernantium imperium fremitus. *id.* 8, 13. pacem ob agri ademti dolorem aspernabantur. *id.* 8, 28. postquam aspernabantur flagitium aures, i. e. cum horrore accipiebant. *q.* *Cic. Acad.* 4. *in f.* habeo sententiam tuam, neque eam admodum aspernor. *Id. Att.* 15, 12. Cassius frumentariam rem aspernabatur, i. e. nolebat sibi frumenti curationem imponi. — Eodem redit quod dicit *Cic. Pis.* 1. qui colore ipso patriam aspernaris, oratione genus, moribus nomen, i. e. repudias et abs te alienum esse monstras, nos *verläugnen.* Cf. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Pro contemnere, negligere, despicere. *Ter. Ph.* 2, 3, 23. Nunquam tam graves inimicitias caperem in vestram familiam, quam is aspernatur nunc tam illiberaliter. *Prop.* 2, 10, 41. cave, sis, nos aspernata sepultos. [*Et sine casu: *Liv.* 21, 38. nec temere credendo nec aspernando. *q.*] ℙ Passiva significatione. *Cic. fragm.* ap. *Prisc.* 8. p. 792. Qui habet, ultro appetitur, qui est pauper, aspernatur. *Hirt. B. Afr.* 93. Postquam intellexit, regem vagum, a suis desertum, ab omnibus aspernari. [*Cf. ASPERNATUS.] ℙ Particip. *Aspernans* ap. *Cic. Fam.* 15, 10. Non aspernante, ut confido, senatu. *Tac. Hist.* 3, 80. Aspernante milite conditiones pacis. *Aspernandus* apud *Virg. A.* 11, 106. haud aspernanda precantes. *Cic. Fam.* 15, 16. Honor non nimis concupiscendus, sed minime aspernandus.

ASPĔRO, as, avi, atum, a. 1. τραχύνω, asperum facio. *Colum.* 8, 3. Asserculi paulum formatis gradibus asperantur ne sint advolantibus lubrici. *Virg. A.* 3, 285. Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas, *h. e.* mare antea quietum et planum, motis undis miscet, et procellosum reddit. (Adde *Val. Fl.* 2, 435. et *Lucan.* 8, 195.) *Prud.* περὶ στεφ. 14, 275. Minervae pectus asperare hydris, *h. e.* asperum et horribile facere. ℙ *Asperari* dicuntur *apes*, cum ex morbo aliquo contrahuntur, horridae fiunt, et macescunt: sicuti e contrario nitidae sunt, cum optime valent. *Varr. R. R.* 3, 16. ℙ Significat etiam acuere. *Tac. A.* 15, 54. Asperare pugionem saxo. *Id. G.* 46. Sagittas inopia ferri asperant ossibus. [*h. l. non est tam *acuere*, quam ossibus spiculorum vice praefixis aptas reddere ad transfigendum. Sic *Lucan.* 6, 801. abrupta saxa asperare.] ℙ Item duriorem reddere. *Pallad.* 3, 31. Limum dysentericae passionis medicabiliter asperare. Contrarium est *levare*: unde *levitas intestinorum.* V. LEVITAS. ℙ *Asperare ignem* est vehementiorem facere, et molestiores

calores accendere. *Val. Fl.* 5, 368. Sirius asperat ignes. ℙ Translate. *Quint.* 9, 4. Asperare compositionem orationis, *h. e.* minus aequabilem reddere. *Stat. Th.* 1, 137. Asperat indomitos praeceps discordia fratres, *h. e.* irritat. [*V. *Barth.* ad h. l. Sic *Sil.* 4, 776. asperat haec (patris imago) foedata genas — Imilce; ubi cf. *Drak.* Eodem modo *acerbare* dicitur.] Et *Tac. A.* 1, 72. Asperare aliquem carminibus. *Id. Hist.* 2, 48. iram victoris. *Id. A.* 2, 29. *in f.* crimina, *h. e.* atrociora facere. [**Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3, 64. Indignatio asperabatur. *B. A.*]

ASPERSIO et Adspersio, onis, f. *ῥάντισμα, ῥαντισμός*, actus aspergendi. *Cic. Leg.* 2, 10. Aspersio aquae. [*Cf. de h. l. *Schütz.* in *cl. Cic.* De coloribus utitur h. v. *id. Div.* 1, 13. num Veneris Coae pulchritudinem effingi posse aspersione fortuita putas?] Adde *Macr. Sat.* 3, 1.

ASPERSUS et Adspersus, us, m. aspersio. *Plin.* 8, 37, 56. Calidae aquae aspersu. *Id.* 11, 53, 115. olei. *Id.* 13, 12, 26. aceti *Id.* 14, 20, 25. picis. ℙ Extra ablativum casum exempla nondum vidimus.

ASPERSUS et Adspersus, a, um, part. v. *aspergo, ῥανθείς, ῥαντός*, inspersus. *Hor. Ep.* 1, 11, 11. imbre, lutoque aspersus. *Juven.* 5, 104. Aspersus maculis. [**Liv.* 41, 13. vaccam aeneam Syracusis ab agresti tauro initam ac semine aspersam. *q.* *Prop.* 4, 11, 34. vincire comas adspersas vitta, quod referendum ad ritum nuptialem, quo nubentium crines aqua aspergebantur.] ℙ Est etiam idem ac sparsus. *Plin.* 12, 8, 18. Liquor aspersus oculis. *Suet. Aug.* 18. Flores aspersi. *Prop.* 1, 12, 16. Aspersae lacrimae. *Cic. Div.* 1, 13. Pigmenta temere aspersa in tabula. ℙ Translate. *Cic. Coel.* 10. Aspersus suspicione aut infamia. [**Suet. Ner.* 3. nonnulla infamia aspersus.] *Sil.* 8, 121. Nam somno aspersam dirus me impleverat horror. Al. leg. *Namque asper somno*, etc. *Senec. Herc. Fur.* 135. Aspersa die dumeta, *h. e.* illustrata. [**Mela* 1, 18. aspersus urbibus.]

ASPERŪGO, ūgĭnis, f. herba lappagini, sive lappae canariae similis, asperioribus tamen foliis. *Plin.* 26, 10, 65. [*Asperugo procumbens *L. grosses Klebekraut.*]

[ASPHALES, is, m. *ἀσφαλής*, tutus adversus fortunam, tutus a lapsu. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 316. *n.* 398. A. Saufejus ☽. L. Asphales, *F.*]

ASPHALTĬON, ii, n. *ἀσφάλτιον*, trifolium majore folio, ita dictum ab odore gravi et bituminoso, asphalti simile, ut *Colum.* 6, 17. docet. *Plin.* 21, 9, 30. [*Apud Graecos *μινύανθες* (*τρίφυλλον*) appellatur. Verisimiter est Psoralea bituminosa *L.*]

ASPHALTĪTES lacus et Asphaltites, ae, m. absolute, *Ἀσφαλτίτης*, lacus Palaestinae in Judaea, in quem Jordanis fluvius, Arnon, Vibon, et Zered torrentes fluunt, cinctus altissimis montibus, et ita dictus a bitumine, quod gignit. Nam *ἄσφαλτος* bitumen significat. *Plin.* 5, 15, 15. et *ib.* 16, 15.

ASPHODĒLUS, i, m. *ἀσφόδελος*, [*Asphodelus ramosus *L.*] herba, alio nomine anthericon dicitur, cum sermo est de spica ejus florescente. Ejus duae sunt species, sexu discretae: marem albucum nominant, feminam hastulam regiam, quod, dum floret, regii sceptri effigiem referat. *Plin.* 21, 17, 68. de eo plura, et 22, 22, 32. enumerat varios ejus usus in medicina. Apud *Pallad.* 1, 37. legitur *asphodilus.* Ejus flores albi in spicae formam dispositi, fragrantissimo odore praediti (hinc eos *Hesych. εὐόσμους* vocat) apibus gratissimi, *Colum.* 9, 4. Alimon etiam dicitur, quia antiquitus Graeci tuberibus hujus plantae vescebantur, dictus etiam a *Plut. Conviv. VII. Sapientum* *ἅλιμος* et *ἄθυρος*, quod ea planta Epimenides vitam protraxerit. Male igitur eos carpit *Plin.* 22, 22, 33., qui alimon eandem plantam esse putaverint atque asphodelum. Hinc Graeci gratissimis his tuberibus nec mortuorum manes post mortem carere posse autumabant, cumque fama esset, Hispaniam, quae manes post mortem exciperet, hoc cibo imprimis abundare, orta esse videtur fabula de pratis asphodeli in Hade, sive in Inferno occurrentibus. Hinc etiam *Plin.* 21, 17, 68. narrat, asphodelum ante portas villarum satum esse remedium contra veneficiorum noxas.

*ASPĪAS vel Arpias, ae, Italiae flumen, in Piceno, inter Anconam et Potentiam. *Tab. Peut. B. A.*

*ASPICIĀLIS et Adspicialis, e, adj. *ὁρατὸς Gloss. Gr. Lat. B. A.*

ASPĬCĬO et Adspicio, ĭcis, exi, ectum, a. 3. *ἐμβλέπω, δέρκω, προσβλέπω*, intueor, conspicio, video: ex *ad*, et *specio* vel *spicio. Cic. Div.* 1, 33. Subito exaudivit hinnitum respexitque et equum alacrem laetus aspexit. [**Ov. Fast.* 3, 184. quae fuerit nostri si quaeris regia nati, aspice de canna straminibusque domum; h. l. et aliis apud *Ov.* a librariis saepe commutatur cum *inspicere*, quod voc. illius explicatio esse videtur. — *Liv.* 9, 7. ut nemo eorum forum aut publicum aspicere vellet, i. e. ut loquitur *Cic. Sull.* 26. hominum aspectum lucemque vitare. *q.*] *Id. Phil.* 2. 30, At etiam aspicis me, et quidem, ut videris, iratus. *Id. Cat.* 3, 5. *in f.* Furtim nonnunquam inter se aspiciebant. *Id. Sull.* 27. Aspicite ipsum, contuemini os. *Pl. Ps.* 1, 2, 9. Aspicere faciem alicujus. *Id. Most.* 5, 1, 55. Surge, aspice dum contra me. *Id. Amph.* 2, 2, 118. Sosia age, me huc aspice, et *v.* 146. Age, aspice huc, sis, nunc jam. *Id. Capt.* 3, 4, 38. Quaeso hercle, agedum, aspice ad me. *Id. Cist.* 4, 2, 25. Ad terram aspice et dispice. *Id. Merc.* 5, 2, 38. Aspice nunc ad sinistram. (Adde *vetus epitaph. Pacuvii* apud *Gell.* 1, 24.) *Id. Mil.* 4, 6, 2. Ad laevam videto, aspicito limis oculis. *Virg. A.* 4, 372. Aspicere aliquid aequis oculis. [**Suet. Aug.* 16. rectis oculis aliquid.] *Plin.* 11, 37, 55. in obliquum. [**Tac. G.* 13, 6. nec rubor inter comites aspici, i. e. conspici, ut saepius *Tac.* V. *Hess.*] ℙ De situ rerum inanimatarum. *Colum.* 8, 8. Tabulatum aspicit meridiem, *h. e.* versum est ad meridiem. [**Tac. Agr.* 24. ea pars Britanniae, quae Hiberniam aspicit. Sic saepe poetae, maxime *Virgilius.*] ℙ Translate. *Cic. Rosc. Am.* 22. Ut propter quos hanc suavissimam lucem aspexerit, eos indignissime luce privarit. [*i. e. per quos natus sit. Itaque *lucem aspicere* est etiam i. q. vita frui. *Cic. Att.* 3, 7. Odi celebritatem, fugio homines, lucem aspicere vix possum. *Beier.*] *Id. Or.* 3, 31. Neque tanta tamen est in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo aspexerit. *Nep. Chabr.* 4. Chabrias privatus omnes, qui in magistratu erant, auctoritate anteibat, eumque magis milites, quam qui praeerant, aspiciebant, [*i. e. intuebantur, ut alias loquuntur Latini.] *Senec. Med.* 82. Si forma velit aspici. *Ov. Fast.* 6, 29. Si genus aspicitur, [*i. e. si spectatur; librarii explicant per *arguitur.*] *Albinov.* 1, 345. Quid deceat Drusi matrem, matremque Neronis, Aspice: quo surgas, aspice, mane toro, *h. e.* inspice, considera. *Virg. A.* 2, 690. Juppiter omnipotens precibus si flecteris ullis, Aspice nos, *h. e.* adjuva, quia intuentes Dii juvant. Ita *Servius* exponit. [*Singulari modo usus est *Senec. prov.* 6, 3. quos pro felicibus aspicitis, i. e. habetis.] ℙ Pro visere. *Liv.* 42, 37. Marcio et Acilio Epirus et Thessalia circumeundae assignantur: inde Boeotiam, atque Euboeam aspicere jussi. [*Similiter *id.* 42, 42. ad visendas Larissam et Antrona. *q.* Eodem redit.] *Id.* 26, 51. Nunc operibus aspiciendis operam dabat, i. e. cognoscendis, inspiciendis. [*Cf. intpp. ad *Liv.* 42, 5.] et 32, 5. Cum situm omnem regionis aspexisset. *Id.* 42, 67. in Boeotia res aspiciendae. ℙ Partic. *Aspiciens* apud *Ov. Met.* 4, 464. rursus ab illo Sisyphon aspiciens. *Aspecturus* apud *Claudian. Rapt. Pros.* 1, 238. cupidas non aspectura sorores. ℙ *Aspexit* pro *Aspexerit* habet *Pl. Asin.* 4, 1, 25. ℙ [*Permutantur in libris *aspicere* et *suspicere*, V. *Hdf.* ad *Cic. N. D.* 2, 42. — et *inspicere*, V. supra. — et *accipere*, cf. quos laudat *Drak.* ad *Sil.* 5, 573. — et *adjicere*, V. *Burm.* ad *Ov. Am.* 3, 9, 25.]

*ASPIDEĬON. V. voc. seq. *B. A.*

*ASPIDELON, i, n. lactuca silvatica. *Appul. de herb.* 30. ubi quidam libri *aspideion.* (*ἀσπίδειον*) *B. A.*

ASPĪLĀTES, *ἀσπιλάτης*, gemma ignei coloris, quam Democritus tradit in Arabia gigni, et in avium quarundam nido inveniri, eamque ex cameli pilo spleneticis alligatam malo illorum mederi. Est et altera eodem nomine, argentei coloris, lymphaticis utilis. Utriusque meminit *Plin.* 37, 10, 54.

ASPĪRĀMEN et Adspiramen, inis, n. *Val. Fl.* 6, 465. Da precor artificis blanda aspiramina formae, Ornatusque tuos.

ASPĪRĀTĬO et Adspiratio, onis, f. *ἐπίπνοια*, actus aspirandi, hoc est flandi ad aliquem locum, item motus aeris ad aliquem locum flantis. *Cic. Div.* 1, 36. Et sunt partes agrorum aliae pestilentes, aliae salubres; aliae quae acuta ingenia gignant, aliae quae retusa: quae omnia fiunt et ex coeli varietate, et ex disparili aspiratione terrarum. *Id. N. D.* 2, 33. Animantes aspiratione aeris sustinentur. *Id. Div.* 1, 57. Pingue et concretum esse coelum, ut ejus aspiratio gravis et pestilens futura sit. Et *Lactant.* 7, 3. *in f.* et 4. aspiratio ventorum. ℙ [*Translate, i. e. favor. *Ammian.* 15, 2. aspiratio superni numinis.] ℙ A grammaticis *aspiratio* dicitur littera *h*, qua syllaba vehementiore et quodammodo asperiore sono pronuntiatur: item ejusmodi pronunciatio. *Cic. Or.* 48. Cum scirem ita majores locutos esse, ut nusquam, nisi in vocali, aspiratione uterentur. *Quint.* 1, 4. Nota aspirationis. *Id. ib.* 5. inter varias barbarismi species *aspirationem* enumerat, ut si quis, verbi gratia, *chommoda*, et *hinsidias* diceret, pro *commoda*, et *insidias*, ut ille apud *Catull. carm.* 84. ℙ [*Aspirationis nota apud Romanos erat haec: H sive dimidiata litera H. V. *Osann.* ad *Appulejos* p. 73. *Beier.*]

ASPĪRO et Adspiro, as, avi, atum, a. 1. *ἐμπνέω*, afflo, spiritum emitto ad aliquem locum. *Cic. N. D.* 2, 55. Pulmones se contrahunt aspirantes. *Plin.* 13, 22, 43. Si minima aspiret aura. *Cels.* 2, 17. Curiose vestimentis involvendus est, ut ne ad eum frigus aspiret. *Virg. A.* 1, 698. ubi mollis amaracus illum Floribus, et dulci aspirans complectitur umbra. *Id. ib.* 7, 8. Aspirant aurae in noctem *h. e.* flatu secundo spirant. ℙ Cum accusativo. *Virg. A.* 5, 606. Irim de coelo misit Saturnia Juno Iliacam ad classem, ventosque aspirat eunti. [**Ammian.* 19, 6. aspiravit auram quandam salutis fortuna. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 370.] ℙ Passive. *Solin.* 22. Insula aspiratur freto Gallico. ℙ Translate ponitur pro favere, ductum a ventis secundo flatu spirantibus. *Virg. A.* 2, 385. Aspirat primo fortuna labori. *Id. ib.* 9, 525. Vos o Calliope, precor, aspirate canenti. *Ov. Met.* 1, 2. Dii coeptis Aspirate meis. *Auct. ad Her.* 4, 35. Magno se praedicat auxilio fuisse, quia paululum in rebus difficillimis aspiravit, *h. e.* paululum auxilii afflavit. Huc reducitur et illud *Hor. A. P.* 203. Tibia tenuis, simplexque foramine pauco Aspirare, et adesse choris erat utilis, *h. e.* sono suo adjuvare choros, seu histriones in scena agentes, qui ad tibiam fabulas recitabant. [**Doering.* eleganter pro *accinere* dictum esse vult, quod tibia spiritu inflatur. Hoc nobis simplicius esse videtur, eo magis, quod in v. *adesse* demum adjuvandi notio inest.] ℙ Item pro inspirare, infundere. *Quint.* 4. *Prooem.* Ut quantum nobis exspectationis adjecit, tantum ingenii aspiret. *Virg. A.* 8, 373. dictis divinum aspirat amorem, *h. e.* ut *Serv.* exponit, dictis addit venustatem, ut amabiliter sua audiatur oratio. ℙ Saepissime sumitur pro accedere. Ducitur haec loquendi ratio ab iis, qui insequentes spiritu suo proximos afflant, ut *Serv.* ad *Virg. A.* 12, 352. docet. [*Hanc explicationem et artificiosiorem esse nec satis quadrare, proximum statim exemplum docet. Est omnino i. q. spiritum aliquem locum versus emittere; quod quoniam nonnisi propius accedendo fieri potest, pro hoc ipso verbo usurpari coeptum est.] *Lucil.* ap. *Non.* 4, 142. Has e fenestris in caput dejiciam, qui prope ad ostium aspiraverint. *Val. Fl.* 7, 584. Sed non incendia Colchis Aspirare sinit. *Cic. Pis.* 5. Erat domus mea civitate omni referta, cum tu non modo ad eum Ciceronem, quem, etc. nunquam aspirasti, sed, etc. [*i. e. eum convenisti, ut amico opem ferres vel consolarere.] *Id. Tusc.* 5, 9. Occupavi, inquit, te fortuna, atque cepi, omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me aspirare non posses. *Id. Verr.* 2, 1, 31. Quando autem homo tanta luxuria atque desidia, nisi Februario mense aspirabit in curiam? *Id. Sull.* 18. Quis tum dicat, in campum aspirasse Sullam? [*i. e. vel e longinquo ad campum appropinquasse. Sic etiam in seqq. exemplis intelligendum.] *Id. Fam.* 7, 10. Subinvideo tibi, ultro te etiam arcessitum ab eo, ad quem ceteri propter occupationem aspirare non possunt. *Id. Brut.* 21. Ex bellica laude aspirare ad Africanum nemo potest. *Id. Or.* 41. Sed haec ad eam laudem, quam volumus, aspirare non possunt. *Gell.* 14, 3. *ad f.* Postea ex alieno certamine ad eos quoque ipsos contagium certationis aspirat. ℙ Inest tamen vis quaedam major, quam in *accedo*, et voluntatem, vel conatum quendam, seu cupiditatem significat tendentis ad rem aliquam: quod tum ex allatis exemplis intelligitur, tum ex his, quae sequuntur. *Virg. A.* 12, 352. nec equis aspirat Achillis. *Cic. Div. in Verr.* 5. *in f.* Quisquam tam impudens reperietur, qui ad alienam causam, invitis iis, quorum negotium est, accedere, aut aspirare audeat? Ubi *Asconius*: Accedere est proximum fieri; aspirare, in eam partem, qua quid quaesitum est, vultum et oculos ac spiritum oris advertere: quod indicat voluntatem ac propositum accedere volentis. [*Recte in *Cl. Cic.* monet *Schütz.* plus esse h. l. *accedere*, quam *aspirare*, (ut in loco infra allato *Caec.* 14. sese excipiunt: *intrare — aspicere — aspirare.*) Est etiam in his, ut supra diximus i. q. appropinquo, sed ita, ut non proxime accedas. Quod addit *Forc.* de cupiditate quadam vel conatu, id per se in voc. ipso minime inest, neque in omnibus locis aptum esset.] *Cic. Verr.* 2, 1, 54. *ad f.* Quid enim quisquam ad meam pecuniam, me invito, aspirat? quid accedit? *Id. Caecin.* 14. Cum mihi ante occurratur, ne, non modo intrare, verum etiam aspicere, aut aspirare possim. ℙ Apud grammaticos significat syllabam vehementiore sono et quodammodo asperiore pronunciare; item spiritum asperum appingere. *Nigid.* ap. *Gell.* 13, 6. Rusticus fit sermo, si aspires perperam. *Quint.* 1, 5. Diu servatum, ne consonantibus aspiraretur, ut in *Graecis*, et *triumpis. Id. ib.* 4. Graece aspirare solent *Φ.*

ASPIS, ĭdis, f. (*Natter, Viper,*) *ἀσπίς*, genus serpentis parvi, tardo motu, hebetique visu praediti, sed cujus morsus praesentissimum venenum habet, et per torporem ac somnum inducit mortem, ut *Plin.* 29, 4, 18. docet. *Cic. Rabir. Post.* 9. Demetrium, aspide ad corpus admota, vita esse privatum. *Id. N. D.* 3, 19. Boves igitur et equos, aspidas, crocodilos in Deorum numero reponemus. *Lucan.* 9, 701. Aspida somniferam tumida cervice levavit. ℙ Plura sunt aspidum genera, de quibus *Solin.* 27. *circa med.*, ut *dipsas*, ita dicta quia siti necat, *hypnale*, quia somno; *ptyas*, quia venenum inspuit etc. ℙ *Aspis a vipera mutuatur*, proverbium. *Tert. adv. Marc.* 3, 8. Desinat nunc haereticus a Judaeo, aspis, quod ajunt, a vipera mutuari venenum. ℙ Haec vox Graece etiam scu-

tum significat et hoc sensu adhibetur a *Justiniano novell. Constitut.* 85. *sub f.* ℙ Pro curvatura, aut fornice, V. in ABSIS. ℙ De Aspide oppido. V. CLUPEA. ℙ Fuit et Aspis insula juxta promontorium Spiraeum, in Argolide. *Plin.* 4, 12, 19. ℙ [*Item insula Lyciae. *Id.* 5, 31, 35. *B. A.*]

*ASPLĒDON, onis, Ἀσπληδών, oppidum Boeotiae, ad flumen Melam. *Plin.* 4, 7. In Phocide ponit *Steph. Byz. B. A.*

ASPLĒNUM, ni, n. (*Milzkraut*) ἄσπληνον, herba est folia multa habens trientalia, radicem limosam et cavernosam sicut filicis, candidam, hirsutam, caule, flore et semine carens; nasciturque in petris et parietibus opacis et humidis. Hujus foliorum in aceto decocto, per dies quadraginta poto, lienem absumi ajunt: unde et nomen traxit. (ab *a* privativa, et σπλήν, lien.) *Plin.* 27, 5, 17. V. etiam *Vitr.* 1, 4.

*ASPŌNA vel Aspuna, Gallograeciae oppidum. *Ammian.* 15. *extr. Anton. Itin. B. A.*

ASPORTĀTĬO, onis, f. actus asportandi, ἀποχωμιδή. *Cic. Verr.* 2, 4, 49. *in f.* His signis pulcritudo periculo, amplitudo saluti fuit, quod eorum demolitio atque asportatio perdifficilis videbatur.

ASPORTĀTUS, a, um, part. v. *asporto*, alio avectus. *Cic. Verr.* 2, 1, 20. Signa plaustris evecta et asportata.

ASPORTO, as, avi, atum, a. 1. ἀποκομίζω, abduco, aveho, ex uno in alium locum deporto: ex *abs* et *porto*, extrito *b. Cic. Verr.* 2, 4, 49. *in f.* Hoc simulacrum e signo Cereris avellendum asportandumque curavit. *Id. Divin. in Verr.* 9. Non te ex Sicilia litteras in Verrem deportare velle arbitrantur, sed asportare te velle ex Sicilia litteras suspicantur. *Id. Parad.* 1, 2. Cum ceteri ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent. *Nep. Them.* 2. Suaque omnia, quae moveri poterant, Troecenem asportant. ℙ Sumitur et pro deportare, abducere: praesertim si navi id fiat. *Virg. A.* 2, 778. nec te hinc comitem asportare Creusam, Fas, aut ille sinit etc. *Pl. Rud. Prol.* 67. Quoniam video virginem asportarier. *Id. Merc.* 2, 3, 19. Asportare ancillam venum trans mare. *Ter. Ph.* 3, 3, 18. Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi.

ASPRĀTĬLIS, le, adj. asper. *Aspratiles pisces* dicuntur, qui asperas squamas habent. *Plin. Valer.* 5. 8. 10. 25. 36. et 41. *Edict. Dioclet.* p. 15. Piscis aspratilis marini Ital. p. 1. ✕ viginti quatuor, piscis secundi Ital. p. 1. ✕ sedecim. Hi manifesto sunt pisces majores qui propterea asperiores habent squamas et spinas. ℙ *Aspratilis terminus*, hoc est ex lapide non perdolato, apud *Var. Auct. Limit.* p. 305. *Goes.* Sic *aspratilis petra*, *ib.* p. 228.

ASPRĀTUS. V. ASPERATUS.

ASPRĔDO, inis, f. aspritudo, asperitas, τραχύτης. *Cels.* 5, 28. *n.* 15. Circa totum corpus aspredo quaedam fit, et *n.* 2. Aspredine quadam et magnitudine sua. Ita in plerisque opt. editionibus principe A. 1478. Gryphiana, Almelov. et al. Sunt tamen qui ex quibusd. MSS. reponere malunt *aspritudo.*

[ASPRĒNAS, ātis, omn. gen. illustre cognomen Romanum, sed incertae originis, a loco, vel urbe quadam, ut videtur, deductum. Nonius Asprenas, amicus Augusti, de quo *Suet. Aug.* 43. et 56. *Inscr.* ap. *Grut.* 307, 4. L. Nonius Asprenas. *Tac. H.* 2, 9. memorat Calpurnium Asprenatem. *F.*]

ASPRĒTUM, ti, n. locus asper, inaequalis, difficilis, saxis, aut spinetis impeditus, τραχών. *Liv.* 9, 24. Saxa erant et temere jacentia, ut fit in aspretis et de industria etiam, quo locus tutior esset, ab oppidanis congesta. *Id.* 35, 28. Tabernacula statuere in aspretis et inaequabili solo, difficile erat. Adde 36, 15. *ad f. Grat. Cyneg.* 241. Aspretis medius qua clauditur orbis.

ASPRĪTŪDO. V. ASPERITUDO.

ASSA. V. ASSUS.

ASSABĪNUS, Deus est Aethiopum, quem illi messi cinnamomi praeferunt, sacrumque ei, antequam metant, faciunt et post messem partem offerunt. Hoc nomine putant alii significari Jovem, alii Solem. *Plin.* 12, 19, 42.

ASSĀMENTA, orum, n. plur. *Plin.* 16, 40, 77. Rigorem fortissime servat ulmus: ob id cardinibus, assamentisque portarum utilissima, quoniam minime torquetur: permutanda tantum sic, ut cacumen ab inferiore sit cardine, radix superior, *h. e.* tabulis sectilibus. Ita habetur in omnibus fere *Plin.* editionibus etiam antiquis A. 1470. et 1472. At iis antiquior A. 1469 habet *crassamentis*, quod etiam in omnibus MSS. suis legi testatur *Harduinus.* Sunt autem *crassamenta* hoc loco crassiora tigna directa et transversa, quibus foris munitur. Multo autem aptius cohaeret haec vox et significatio cum ceteris *Plinii* verbis, quam *assamenta.* [Hactenus *Forcellinus;* at *Schneiderus* in *Ind. Scriptor. R. R.* in V. *Assis* probat legendum *axamentisque*, *h. e*, axibus: hi cardinem superiorem et inferiorem exstantem habebant, qui liminis superioris et inferioris foramini velut axis currus modiolis rotae insebatur, in eoque vertebatur. Id colligitur ex loco simili *Theophr. Hist. Pl.* 5, 4., quem Plinius respexit. Vides igitur, amandandas esse variantes lectiones hic a *Forcellino* allatas. *F.*] ℙ Sunt etiam *Assamenta* quaedam poematum genera. V. ASSO, as.

ASSĀRĀCUS, i, m. Trois filius ex Acalide Eumedis filia, qui uxorem habuit Clytodoram Laomedontis filiam, et genuit Capyn, ex quo, et nympha Naide natus est Anchises pater Aeneae ex Venere. Alii dicunt, Assaracum esse filium Erichthonii filii Dardani ex Jove et Electra et genuisse Capyn, ex quo Anchises natus sit, ut apud *Ov. Fast.* 4, 31. et apud *Serv.* ad *A.* 8, 130. legitur. Fuit autem rex Trojae, ut *Id. Serv.* docet ad illud *ib.* 6, 650. Ilusque, Assaracusque et Trojae Dardanus auctor. ℙ Hinc gens Assaraci est Romanus populus ab Aenea descendens, Assaraci pronepote. *Virg. A.* 9, 643. ℙ Frater Assaraci est Ganymedes, sidus Aquarii. *Ov. Fast.* 4, 943.

ASSĀRĀTUM. V. ASSIRATUM.

ASSĀRĬUS, a, um, adj. qui ex asse constat. *Cato R. R.* 132. Daps Jovi assaria pecunia, urna vini Jovi caste. Ita legendum probat *Pontedera Op. post. T.* 1. p. 283., nempe *assaria pecunia* ea dicitur, quae as pendat, *h. e.* libralis, ab asse. Alii minus recte legunt: *Daps Jovi assir a pecu in urna vini.* [*Haec a *F.* reficta sunt; *Forc.* explicabat *h. l.* per *assus*; alii interpretantur *assarius* per *assandus.*]

ASSĀRĬUS, ii, m. ab antiquis dicebatur pro *as*, ut docent *Varr. L. L.* 7, 38. *a med.* et *Charis.* 1. p. 58. Ex *Varrone* autem colligitur, in usu fuisse, ut in genitivo plurali *assarium* diceretur pro *assariorum*, ut *Equum publicum mille assarium.*

*ASSĀTOR, oris, m. qui assat. *Vet. Gloss.* Assator, ὀπτανεύς, ὀπταλίριος. *B. A.*

ASSĀTŪRA, ae, f. cibi non elixi, sed assati, sive ii tosti sint, sive frixi. Ita enim exponere videtur *Salmas.* ad illud *Vopisci in Aurel.* 49. Convivium de assaturis maxime fuit. Adde *Apicium* 7, 5.

ASSĔCLA et Adsecla, ae, m. παίδιορος, σύμφορος, assectator, comes, ab *assequendo* dictus, et significat eum, qui alicujus commodi spe alterum sequitur et dicitur plerumque in contemptu. *Front.* p. 2193. docet, *comitem* esse proprie, qui in itinere alterum sequitur; *sodalem* esse nomen adolescentiae; *asseclam*, qui sequitur potentiorem: ita *comitem* esse tutum; *sodalem* amicum; *asseclam* officiosum. Quamquam haec discrimina non semper vera sunt. [*Intellige servum vel scribam aut alius ejus generis hominem, qui magistratum vel quemcunque hominem nobilem ac divitem comitatur. Sic *Schütz.* in *cl. Cic.* Gloss. MSS. (quas laudat *Ruhnken.* ad *Vell.* 2, 83.): assecla, buccellarius, scurra. Glossae editae: assecula, παράσιτος.] *Cic. Div.* 2, 37. Cum ei tetrarchiam eripuisset et asseclae Pergameno nescio cui dedisset. *Id. Verr.* 2, 1, 25. Asseclae legatorum. *Id. fr. pro Cornel.* ap. *Ascon.* Pauci praeterea assentatores eorum atque asseclae subsequuntur. *Id. Att.* 6, 3. Qui potentissimorum hominum contumaciam nunquam tulerim, ferrem hujus asseclae? *Auct. Decl. in Sall.* 8. Omnium mensarum assecla, i. e. parasitus. ℙ In quibusdam MSS. Ciceronis *Sext.* 64. *in f.* legitur *assecula.* ℙ *Charis.* 1. p. 37. docet asseclam esse communis generis: nullo tamen allato exemplo confirmat.

ASSECTĀTĬO et Adsectatio, onis, f. ἀκολουθία, παρακολούθησις, actus assectandi: et dicitur fere de comitatu, qui officii causa alicui praestatur. *Q. Cic. Petit. cons.* 9. Et quoniam assectationis mentio facta est, id quoque curandum est, ut quotidiana cujusque generis et ordinis et aetatis utare. *Cic. Mur.* 34. Homines tenues unum habent in nostrum ordinem aut promerendi aut proferendi beneficii locum, hanc in nostris petitionibus operam atque assectationem. ℙ Pro observatione, animadversione: qui enim alterum assectatur, observandi et adnotandi occasionem habet. *Plin.* 2, 20, 18. Latet plerosque, magna coeli assectatione compertum a principibus doctrinae viris superiorum trium siderum ignes esse, qui etc.

ASSECTĀTOR et Adsectator, oris, m. ἀκόλουθος, qui assectatur et comitem se praebet officii aut utilitatis causa. *Cic. Verr.* 2, 2, 11. Cum ab eo quidam vetus assectator et ex numero amicorum non impetraret, uti etc. *Q. Cic. Petit. cons.* 9. Hujus autem rei (*assectationis*) tres sunt partes: una salutatorum cum domum veniunt; altera deductorum; tertia assectatorum. Et *ib.* Assidua assectatorum copia. [*Vell. 2, 83. humillimus assectator reginae. Sic *Ruhnk.* pro *assentator* correxit. Idem est hoc sensu quod *assecla.*] *Cic. Balb.* 27. Cum ducibus ipsis, non cum comitatu assectatoribusque confligant. *Sen. Tranq.* 1. Assectator comesque patrimoniorum pereuntium populus. *Plin.* 9, 42, 66. Assectator dapis cancer. *Id.* 8, 17, 21. et 18, 28, 68. *n.* 3. Assectator sapientiae sc. philosophus. *Id.* 29, 1, 5. eloquentiae. *Id.* 20, 14, 57. Portii Latronis clari inter magistros dicendi assectatores, i. e. discipuli. *Gell.* 5, 10. Auditor assectatorque Protagorae.

ASSECTĀTUS et Adsectatus, part. V. in v. seq.

ASSECTOR et Adsector, aris, atus sum, dep. 1. ἀκολουθέω, sequor, comitem me alicui praebeo officii aut utilitatis causa. *Cic. Or.* 1, 56. Cum aedilitatem P. Crassus peteret, eumque major natu, etiam consularis, Ser. Galba assectaretur. *Plin.* 33, 12, 54. Cum Arellium Fuscum celebritate assectarentur adolescentium scholae. *Suet. Caes.* 19. Omnibus officiis Pompejum assectatus est, i. e. prosecutus. [*Hor. Sat. 1, 9, 6.] ℙ *Assectari feminam* apud JCtos dicitur is, qui tacitus frequenter sequitur: ideoque injuriarum tenetur, quia assidua frequentia quasi praebet nonnullam infamiam. Ita *Ulp. Dig.* 47, 10, 15. ℙ Passiva significatione. *Enn.* ap. *Prisc.* 8. p. 792. Assectari se omnes cupiunt. ἀκολουθεῖσθαι. *Alpheus Philologus ib.* Themistocles cum a formoso assectaretur. ℙ Hinc particip. passivum *assectatus*, *a*, *um. Festus:* Adsectata femina vel in bonam partem dicitur, velut honorata: vel in malam, quasi ad extremum periculum adducta: *Jos. Scalig.* testatur, in vet. editionibus haberi *affectata*, et ita prorsus legendum esse: affertque in hanc rem locum *Pl. Rud.* 2, 4, 4. Accipiam hospitio, si mox venis, item ut affectatam. Ita nimirum ea verba emendanda esse censet, quae alii aliter ediderunt. Est enim is locus crux Interpretum. V. *Taubmann.*

ASSĔCŪLA et Adsecula, ae, m. idem qui assecla. *Juven.* 9, 48. Vos humili adseculae, vos indulgebitis unquam etc. Quidam leg. *adseclae* paenultima longa. Adde loc. *Cic.* in ASSECLA allatum [*et glossas ibi allatas a nobis.]

ASSĔCŪTOR et Adsecutor, oris, m. qui assequitur, comes. *Capell.* 9. p. 306. Himeros Cupidinis assecutor.

ASSĔCŪTUS et Adsecutus part. in V. ASSEQUOR.

ASSĔDO et Adsedo, onis, m. assessor. Hanc vocem affert *Non. Grammat.* 1, 312., sed nullo confirmat Latini scriptoris testimonio.

ASSĔFŎLĬUM, ii, n. herba alio nomine gramen dicta, et Graece agrostis. *Appul. Herb.* 77.

ASSELLO. V. ADSELLO.

ASSENSIO et Adsensio, onis, f. ὁμολογία, συγκατάθεσις, actus assentiendi, assensus, consensus. *Cic. Acad.* 4, 12. Vitia in ipsorum esse potestate, nec peccare quemquam nisi assensione. *Id. Fat.* 18. Assensio non potest fieri, nisi commota viso. Hinc i. q. approbatio, praecipue eorum, qui oratorem audiunt. *Id. Brut.* 30. Genus orationis exile, nec satis populari assensioni accommodatum. *Id. ib.* 84. Cum surgit is, qui dicturus sit, significetur a corona silentium; deinde crebrae assensiones, multae admirationes. *Id. Inv.* 1, 31. Inductio est oratio, quae rebus non dubiis captat assensionem ejus, quicum instituta est: quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur. ℙ [*Interdum hoc voc. librarii commutarunt cum v. *assertio.* V. *Goer.* ad *Cic. Acad. post.* 1, 12.]

ASSENSOR et Adsensor, oris, m. σύμψηφος, qui assentitur, approbator. *Cic. Fam.* 6, 21. Quotidie commemorabam, te unum in tanto exercitu mihi fuisse assensorem, et me tibi. [*Auct.* ad *Her.* 3, 4. non omnes habemus assensores.] *Sen. Hipp.* 1207. Tuque semper, genitor, irae facilis assensor meae, *h. e.* vota a me irato facta exaudiens. *Val. Max.* 6, 3. *n.* 6. Assensor vindictae.

ASSENSUS et Adsensus, us, m. συγκατάθεσις, συμφώνησις, assensio, approbatio, consensus. *Cic. Acad.* 4, 33. Assensu suo comprobare aliquid, et *ib.* 34. Obsistere opinionibus, assensus lubricos sustinere. [*Assensus sustinere est graecum ἐπέχειν. V. *Goer.*] Et 29. Cohibere assensum a rebus certis. *Id. Brut.* 49. Vulgi assensu et populari approbatione judicari solet. *Id. N. D.* 2, 2. Quod ni ita esset, qui potuisset assensu omnium dicere Ennius? Aspice hoc sublime, candens etc. *Liv.* 8, 5. Adsensu populi excepta vox consulis. [*Adde *id. ib.* 5, 9. omnium assensu comprobata oratio. *Ib.* 8, 4. clamare et assensu omnes permiserunt. Praepositionem addit *id.* 3, 72. non silentio modo, sed cum assensu etiam audiri. *Ib.* 4, 36. Et 24, 27. crebriores deinde eae voces et cum haud dubio assensu multitudinis esse. *q.*] *Plin. Pan.* 71. Jam quo assensu senatus, quo gaudio exceptum est etc. [*Ab *eod. ib.* senatorius assensus appellatur.] *Ov. Met.* 1, 244. Dicta Jovis pars voce probant . . . . . alii partes assensibus implent. ℙ Translate. *Virg. G.* 3, 45. Et vox assensu nemorum ingeminata remugit. *Id. A.* 7, 615. Aereaque assensu conspirant cornua rauco, *h. e.* quasi approbantia ardorem euntium ad pugnam. ℙ Est etiam *assensus*, cum non tam approbandi, quam gaudendi sensus exprimitur. *Liv.* 27, 51. L. Veturius planius omnia, quae acta erant (*in pugna et victoria*) exposuit, cum ingenti assensu, postremo etiam clamore universae concionis, cum vix gaudium animis caperent.

ASSENSUS et Adsensus, a, um, part. ab *assentior*, qui consensit, vel approbavit. *Cic. Att.* 7, 1. Ei assensus est unus familiaris meus Favonius. ℙ Passiva significatione, ὁμολογηθείς. *Cic. Acad.* 4,

31. Multa sequitur probabilia non comprehensa, neque percepta, neque assensa, sed similia veri.

ASSENTĀTIO, onis, f. actus assentandi, hoc est assentiendi, assensus. *Petr. Sat.* 17. Tacentibus adhuc nobis et ad neutram partem assentationem flectentibus. Quidam leg. *assensionem. Impp. Arcad.* et *Honor. Cod. Theod.* 10, 3, 5. Si cui adversus praecepta hujus sanctionis veniendi aditum assentatione praestiterint. *Vell.* 2, 128. Qui M. Tullio tantum tribuere, ut paene assentatione sua quibus vellet, principatus conciliaret, *h. e.* commendatione, favore, suffragio. ℙ Saepius sumitur pro blando assensu quo aliquis alterius gratiam captat, blandis mendaciis et sermone ad gratiam composito, *κολακεία, θωπεία. Cic. Amic.* 25. Nullam in amicitiis pestem esse majorem, quam adulationem, blanditiam, assentationem. [*Plin. *Pan.* 85.] *Id. Cluent.* 13. Blanditiis et assentationibus immergere se penitus in consuetudinem alicujus. *Id. Amic.* 24. Assentatio vitiorum adjutrix. *Id. Att.* 13, 28. Assentatio turpis. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 5. Graeci diuturna servitute ad nimiam assentationem eruditi. *Id. Amic.* 25. Callida assentatione capere aliquem.

ASSENTĀTIUNCŬLA, ae, f. parva assentatio. *Cic. Fam.* 5, 12. Ac non vereor, ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar. *Pl. Stich.* 1, 3, 76. Assentatiunculae.

ASSENTĀTOR, oris, m. id. qu. assensor. *Tert. adv. Herm.* 10. Etsi non auctor, sed assentator mali invenitur Deus, *h. e.* qui malum non quidem vult, sed permittit. ℙ Elegantius sumitur pro adulatore, qui ad gratiam captandam alteri in omnibus assentitur, *κόλαξ, θώψ. Cic. Amic.* 26. Semper enim auget assentator id, quod is, cujus ad voluntatem loquitur, vult esse magnum. *Id. ib.* et *Off.* 1, 26. Patefacere aures assentatoribus. [*ib. 2, 18.] *Id. Caec.* 5. Assentator mulierum. *Guilielmius* inclinabat in *assectator*, ut notat *Gruter.*

ASSENTĀTORIĒ, adv. cum assentatione, *θωπικῶς. Cic. Q. Fr.* 2, 15. *ad f.* Dubitare te non assentatorie, sed fraterne veto.

ASSENTĀTRIX, icis, f. quae assentatur, adulatrix, *κολαξ. Pl. Most.* 1, 3, 100. Nunc assentatrix scelesta est: dudum adversatrix erat.

ASSENTĬO et Adsentio, is, ensi, ensum, a. 4. *συγχατατίθημι*, consentire, approbare. *Cic. Att.* 9, 9. Assentio tibi, ut in Formiano potissimum commorer. *Id. Fam.* 1, 1. Advertebantur Pompeji familiares assentire Volcatio. Est qui legit *assentiri.* [*Hoc rectius habet; nam in eodem versu praecedit *assentitur Volcatio.* Sic etiam in seq. loco recentiores edd. deponens praeferunt. Ceterum Ciceroni activum tribuit *Diomed.* 1. p. 377. coll. *Heusing. obss. antib.* c. 4, 450.] *Id. Off.* 1, 6. Ne his temere assentiamus. Al. leg. *assentiamur. Liv.* 1, 54. Cum de aliis rebus adsentire se Gabinis diceret. *Tac. H.* 5, 3. Assensere, atque omnium ignari etc. *Pl. Amph.* 2, 2, 192. Mihi quoque assunt testes, qui illud, quod ego dicam, assentiant. *Quint.* 9, 3. *circa med.* Inveni, qui et hoc vocaret *πλοκήν:* cui non assentio. *Gell.* 6, 5. Hoc ergo assentimus. *Curt.* 4, 13. Omnes Parmenioni assentiebant. V. v. seq. Et adde *Acc.* et *Pompon.* ap. *Non.* 7, 8. *Cic. Div.* 2, 50. Ennius, qui magno plausu loquitur assentiente populo. *Id. Acad.* 4, 21. Sapientem, si assensurus esset, etiam opinaturum *Tac. A.* 14, 48. Ceteris inde assentientibus. ℙ *Assentire* pro *assentari. Pers.* 1, 36. Assensere viri. V. *integrum loc.* ℙ In illo *Liv.* 41, 24. *sub f.* Cum iidem huic orationi, qui litteris regis adsentierant, adsentirentur: lege *adsensi erant.* Error ortus est ex prava scriptione litterae *t*, et conjunctione vocum.

ASSENTĬOR et Adsentior, iris, ensus sum, dep. 4. idem quod assentio, sed magis usitatum. *Varr.* ap. *Gell.* 2, 25. *Sentior* nemo dicit, et id per se nihil est: *assentior* tamen fere omnes dicunt. Si senna unus *assentio* in senatu dicebat: et eum postea multi secuti: neque tamen vincere consuetudinem potuerunt. *Cic. Fam.* 1, 1. Huic assentiuntur reliqui consulares praeter Afranium, qui assentitur Volcatio. *Id. Acad.* 4, 21. Si ulli rei sapiens assentietur unquam. Et *ib.* Vitiosum est assentiri quidquam aut falsum aut incognitum. *Id. Or.* 1, 9. Cetera, inquit, assensior Crasso. *Id. N. D.* 3, 25. Vehementer assentiri alicui rei. [*Liv. 24, 30. omnes assensi sunt partibus dividundis, i. e. censuerunt opportuna loca dividenda praefectis esse, ut suae quisque partis tutandae reus sit, quemadmodum *Liv.* antea scripserat.] *Id. Att.* 16, 15. Valde assentiri alicui in aliqua re. Al. aliter leg. Et *ib.* 7, 13. Assentiri alicui de aliqua re. [*ut etiam *Or.* 1, 49.] ℙ Impersonaliter. *Cic. Fam.* 1, 2. Bibulo assensum est.

ASSENTOR, aris, atus sum, dep. 1. idem quod assentior. [*Hoc tamen discrimine. *Assentior*, si mihi de aliqua re persuasum est; *assentor*, si, quod alius dixit, affirmo, sive id serio fiat sive per simulationem.] *Pl. Most.* 1, 3, 89. Nunc ne ejus causa vapulem, tibi potius assentabor. Quidam leg. *assentiar.* [*Minus bene. Cf. *Döderl. Synon.* etc. II. p. 174.] *Vell.* 2, 48. Iis, qui a Caesare dimittendos exercitus contendebant, assentabatur, iis, qui ab ipso, adversabatur. *Tert. Exhort. ad castit.* 4. Cui ergo consilio assentabimur? [*Justin. 12, 16. assentante majore convivarum parte. *F.*] ℙ Saepius et elegantius sumitur pro ad voluntatem et gratiam loqui, assensum dare alicui in omnibus, obsequendi et placendi causa, adulari, *θωπεύω, κολακεύω. Ter. Eun.* 2, 2, 21. Negat quis, nego: ait, ajo: postremo imperavi egomet mihi, omnia assentari. *Id. Ad.* 2, 4, 6. Vereor coram in os te laudare amplius, Ne id assentandi magis, quam quo habeam gratum, facere existimes. *Cic. Fam.* 3, 11. Mihi ipse assentor fortasse, cum ea esse in me fingo. *Id. Acad.* 4, 14. Ut nihil nobis assentati esse videamur. [*Id. *Amic.* 26. Ita fit, ut is assentatoribus patefaciat aures suas maxime, qui ipse sibi assentetur, i. e. sibi ipse nimium tribuat.] ℙ Scribitur et *adsentari.*

[ASSĒQUĔLA, ae, f. id quod sequitur. *Marius Victorin.* p. 2500. Nam neque per se versus hexameter sine sequente pentametro elegiacum metrum implebit; neque in epodis singuli versus sine clausulis suis et assequelis audiri poterunt *ἐποῳδοί. F.*]

ASSĒQUOR et Adsequor, eris, quutus, et cutus sum, dep. 3. *ἐπιλαμβάνω, ἐφικνέομαι*, ad eum, quem sequor, pervenio, consequor. [*Aliquantum tamen differunt *consequi* et *assequi.* Nam qui *assecutus* est aliquid, eo quo opera data tenebat, pervenit; qui *consecutus* est aliquid, alicujus voti, quo tenebatur, vel sua vel *aliorum opera* compos fit. V. *Döderl.* III. p. 147. sq.] *Cic. Att.* 3, 5. Si es Romae, jam me assequi non potes: sin es in via, cum eris me assequutus, coram agemus. *Liv.* 28, 16. Adeo citato agmine ducti sunt, ut si via recta vestigia sequentes issent, haud dubie adsequuturi fuerint. [*Saepe *Liv.* sine casu utitur h. v., ut 33, 8. nondum assecuta parte suorum, i. e. quum sui nondum ad ipsum pervenissent; et 24, 20. in Bruttios raptim, ne Gracchus assequeretur, concessit.] *Cic. Tusc.* 1, 39. Nonne modo adolescentes, in cursu, a tergo insequens, nec opinantes assequuta est senectus? Peculiare est illud *Cic. Verr.* 2, 1, 57. Quid ergo? Rabonius istam diem quomodo assequetur? *Asconius* explicat, *quomodo accurret ad diem?* quae scilicet operi cuidam faciendo erat praestituta. ℙ Translate est ad aliquid pervenire, aliquid adipisci. *Cic. N. D.* 2, 19. *in f.* Assequi maturitatem. *Sall. Jug.* 4. magistratum. *Cic. Planc.* 25. gradus honorum. *Curt.* 4. 6. regnum. *Id.* 5, 10. aliquid fraude. *Cic. Or.* 1, 30. aliquid precibus, et *ib.* 29. aliquid in dicendo. *Id. Planc.* 37. immortalitatem. *Id. Off.* 1, 31. Nec quidquam sequi, quod assequi nequeas. *Id. Rosc. Am.* 34. Qua in re nihil aliud assequeris, nisi ut ab omnibus audacia tua cognoscatur. *Justin.* 2, 4. Assequi virtute, ne segnior videare. *Cic. Fam.* 6, 4. *in f.* Quae cum faciam, benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar. [*Cf. *Manut.* ad h. l.] Et *ib.* 1, 4. Qui si vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videar tuorum meritorum assequutus. *Auct. ad Her.* 4, 20. Assequi et exaequare aliquid. *Cic. Har. resp.* 9. Assequi prudentiam alicujus. *Plin. ep.* 4, 8. ingenium alicujus aliqua ex parte. *Cic. Leg.* 1, 2. *ad f.* Eum velle dumtaxat imitari videtur: quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. [*Assequi igitur plus est quam imitari. Imitatur enim, qui post sequitur; assequitur autem, qui ad eum, quem sequebatur, jam pervenit. Sunt haec verba *Manut.* l. l.] *Id. ad Brut.* 1, 15. Quibus igitur litteris tam accurate scriptis assequi possum, subtilius ut explicem, quae gerantur, quam tibi is exponet? ℙ Ponitur saepe pro intelligere, percipere. *Cic. Inv.* 2, 47. Ut essent, non qui scriptum suum recitarent, sed qui cogitationem assequi possent, et voluntatem interpretari. *Id. Att.* 7, 13. Assequi aliquid conjectura. *Id. ad Pompejum ante ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* aliquid suspicione. *Curt.* 4, 16. aliquid animo. *Caecil.* ap. *Gell.* 20, 1. Obscuritates non assignemus culpae scribentium, sed inscientiae non assequentium. *Id.* 3, 1. Quid istuc sit, videor ferme assequi. ℙ Passive. *Cic. Verr.* 2, 2, 73. *ad f.* Ut hac diligentia nihil horum investigari, nihil assequi potuerit. Al. leg. *haec diligentia — investigare.*

ASSER, ĕris, m. *δοκίς, δοκίδιον*, trabecula, tignum parvum integrum, vel fissum, sudis, palus, contus. *Tac. Hist.* 4, 30. Eduxerant Batavi turrim duplici tabulato, quam praetoriae portae propinquantem promoti contra validi asseres, et incussae trabes perfregere. *Caes. B. C.* 2, 2. Asseres pedum duodecim, cuspidibus praefixi, in terra defigebantur. *Liv.* 44, 5. Longi duo validi asseres ex inferiore parte in terra defigebantur: in eos transversi incumbentes tigni injungebantur. *Id.* 30, 10. Asseres ferreo unco praefixi: harpagones vocant, etc. *Id.* 38, 5. Asseribus falcatis detergere pinnas murorum. Adde *Vitr.* 7, 3. *Inscr.* apud *Grut.* 207. *col.* 2. Trabeculas inasserato asseribus abiegneis sectilibus crassis quoque versus unciis quatuor. ℙ Pro vectibus, quibus lecticae gestantur. *Juven.* 7, 132, Perque forum juvenes longo premit assere Medos. Adde 3, 245. et *Suet. Cal.* 58. ℙ Videntur etiam sumi *asseres* pro tabulis sectilibus, quae *asses* vel *axes* frequentius dicuntur. *Vitr.* 4, 2. Supra cantherios templa; deinde insuper sub tegulas asseres, ita prominentes, ut parietes projecturis eorum tegantur, etc. Aptius tamen hic intelliguntur tigilla. *Festus* etiam *asseres* tabulas esse censet. Scribit enim, ita dictos esse, *quod assideant parieti, trabibusque*; quod etymon non quilibet stomachus facile concoquet. [*Kürcher. *ephem. schol.* 1828. p. 918. derivat a gr. *ἄγνυμι* i. e. frangere, quoniam idem sit voc. cum assis et axis, gr. *ἄξων.*] Apud *Plaut.* quoque *asseres* pro tabulis accipiendos esse quidam putant, *Aul.* 2, 6, 8. Ligna hic apud nos nulla sunt. *Co.* sunt asseres? *Sta.* sunt pol. *Co.* sunt igitur ligna, etc. Sed hic intelligit *Plautus* quamcumque materiem ligneam fabricae quidem utilem, sed quae etiam igni alendo idonea sit. Denique addunt alii locum *Colum.* 6, 19., ubi pro *asseribus* legendum est *axibus.* ℙ Legitur aliquando antique scriptum *axeres* pro *asseres.*

ASSERCŬLUM, i, n. et Asserculus i, m. *δοκίδιον*, parvus asser. *Cato R. R.* 12. Assercula quinque. *Id. ib.* 152. Facito scopas virgeas ulmeas aridas, in asserculo alligato. *Colum.* 8, 3. Ascensus avibus ad tabulata datur junctis parieti modicis asserculis. *Id.* 12, 50. Asserculos inter se distantes semipedalibus spatiis supra solum ponito, et cannas diligenter spisse textas injicito.

ASSĔRO et Adsero, is, evi, itum, juxta sero. V. ADSERO.

ASSĔRO et Adsero, is, erui, ertum, a. 3. ex *ad*, et *sero*, qua jungere et nectere significat. *Asserere manu* est manu prehendere, et ad se trahere: et dicitur de iis, qui aliquem in libertatem ex servitute vindicant, quia is, qui aliquem ex servo liberum facere volebat, eum manu prehensum ad se adjungebat, manuque capiti ejus imposita liberum esse ajebat. *Varr. L. L.* 5, 7. *a med.* Dicimur asserere manu in libertatem, cum prehendimus. *Ter. Ad.* 2, 1, 39. Neque vendundam censeo, Quae libera est: nam ego liberali illam assero causa manu. Ubi *Donatus:* Ordo est: Ego liberali causa, manu assero; et sunt verba juris: a quibus etiam assertores dicuntur vindices libertatis. *Pl. Poen.* 4, 2, 83. Manu eas asserat suas populares, liberali causa. *Id. Curc.* 5, 2, 68. Si quisquam hanc liberali asseruisset manu. *Id. Pers.* 1, 3, 83. Continuo tu illam a lenone asserito manu. ℙ Huc refer illud *ejusd. Rud.* 4, 3, 33. Pisces cum capio, si quidem cepi, mei sunt; habeo pro meis: nec manu asseruntur, neque illinc partem quisquam postulat, *h. e.* nec quisquam est, qui suos esse dicat, et manu ad se trahat. *Mart.* 1, 16. Gaudia non remeant, sed fugitiva volant. Haec utraque manu, complexuque assere toto, *h. e.* prehende, ne fugiant. ℙ Dicimus etiam *asserere aliquem in libertatem*, ut est in citatis *Varronis* verbis, *h. e.* in libertatem vindicare. Adde *Suet. Vit.* 10. et *Ulp. Dig.* 47, 10, 11. *in f.* Sic *Masur. Sabin. ib.* 40, 14, 2. Ex libertinitate asserere se ingenuitati. ℙ Et *asserere* absolute eod. sensu. *Cic. Flacc.* 17. Cum in causa liberali eum, qui asserebatur, cognatum suum esse diceret, non crediderunt. *Ov. Amor.* 3, 11, 3. Scilicet asserui jam me, fugique catenas. [*Suet. *Vesp*, 3. civem pronunciatam, patre asserente. *Id. Gramm.* 3. quanquam asserente matre, permansit tamen in statu servitutis. *Lucan.* 3, 56. namque asserit urbes Sola fames.] ℙ *Asserere in servitutem* est in servitutem rapere. *Liv.* 3, 44. M. Claudio negotium dedit, ut virginem in servitutem assereret. Adde *Suet. Tib.* 2. ℙ Sumitur etiam pro ad se adjungere, arrogare, vindicare, assumere, suum facere. *Justin.* 44, 3. Gallaeci Graecam sibi originem asserunt. *Suet. Oth.* 9. Asserere sibi dominationem. *Id. Cal.* 22. sibi majestatem divinam ex re aliqua. *Ov. Met.* 1, 462. sibi laudes alienas. *Curt.* 8, 1. sibi patrem Jovem. *Quint.* 4, 2. aliquem tanquam filium. *Id.* 12, 1. sibi nomen sapientis. *Id.* 9, 3. Sed haec adeo sunt vulgaria, ut sibi artem figurarum asserere non possint. ℙ Item pro vindicare, tueri, defendere, velut manu capiendo et tenendo. *Flor.* 1, 11. Latini quoque Tarquinios asserebant. *Id.* 3, 16. Saturninus Gracchanas leges asserere non destitit. *Id. id.* 17. Asserere senatum. Et *ib.* 20. Pudorem Romanum Crassus asseruit. *Suet. Claud.* 10. Consules Capitolium occuparant, asserturi communem libertatem. *Id. Caes.* 16. In asserenda dignitate. [*Quocum confert *B. Crus.* in *cl.* apud *eund. Caes.* 33. *defendere* et *ib.* 72. *tueri* dignitatem.] *Vell.* 2, 60. Fata asserebant conditorem et conservatorem Romani nominis. *Mart.* 14, 142. Hoc focale tuas asserat auriculas, *h. e.* foveat, et audiendis malis carminibus liberet. *Id.* 11, 99. Non te cucullis asseret caput tectum, *h. e.* tutum a basiis non reddet. *Quint. Decl.* 5, 6. Asserere aliquid in aliquo per mutuas auxiliorum vices, *h. e.* tueri, et a calamitate vindicare. V. locum. ℙ Item pro liberare, eripere. *Plin. ep.* 2, 10. Habe ante oculos mortalitatem, a qua asserere te hoc uno monimento potes. *Id. ib.* 3, 5. Asserere aliquem ab injuria oblivionis. [*Haec nihil differunt a praecedd.] ℙ *Asserere*

aliquem, vel *aliquid alicui rei* est addicere, adjungere, assignare, tribuere. *Id. ep.* 1, 3. Quin tu humiles et sordidas curas aliis mandas; et ipse te in alto isto pinguique secessu studiis asseris? *Sen. Const. Sap.* 10. Haec non nego sentire sapientem: nec enim lapidis illi duritiam, ferrive asserimus. Sic apud *Ov. Met.* 1, 761. *asserere aliquem* coelo est ejus originem e coelo ductam palam facere, tueri, confirmare. ℙ Apud *Mart.* 10, 35. *asserere aliquid* ponitur pro scribendo aliquid referre, et quodammodo approbare. V. locum. ℙ *Asserere* pro dicere, affirmare. *Tac. A.* 2, 83. Asseruit Tiberius, solitum, paremque ceteris (*clypeum*) dicaturum. [*Dudum h. l. e cod. *Flor.* restitutum est *asseveravit*, quod unice probandum.] *Pallad.* 2, 3. Quae terra si tunc aretur, asseritur per triennium sterilis fieri. *Sen. Excerpt. controv.* 7, 1. *ad f.* Quod Passienus non probabat, asserens, minus verecundum esse, etc. *Quint. Decl.* 7, 6. Non vacat asserere quae finxeris, cum vix prodest et verum fateri. Add. *Justin.* 38, 2. [*H. l. alii legi volunt *asseveret.*] *Arnob.* 1. p. 18. et *Aur. Vict. Caes.* 21. ℙ Afferri solent pro hac notione alia, etiam meliorum scriptorum exempla, ut *Cic. Off.* 3, 13. Qui proscribunt villam (ut ipsi asserunt) bene aedificatam. Sed vetus editio sine loco, anno, aliaeque longe optimae non habent, *ut ipsi asserunt.* Leguntur tamen in illa A. 1477. Huic addunt *Vet. Poetam* apud *Eund. Or.* 2, 59., *Varr. L. L.* 4, 10., *Caton. in quodam fragm.*, *Auct. ad Her.* 4, 46., *Pl. Rud.* 3, 3, 3., *Caes. B. C.* 3, 15., *Justin.* 38, 2. et alios: quib. omnib. loc. ita dubia est lectio, ut etiam probabilior ea videatur, quae *assero* excludit: qua de re multa *Cellar.* et uterque *Borrich.*, qui miras hac de re lites excitarunt. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 60. *Hdf.* ad *Cic. N. D.* 1, 5.]

ASSERTĬO et Adsertio, onis, f. vindicatio in libertatem, *παρησμός*, ut est in *Vet. Gloss.*, et sumitur etiam pro judicio de alicujus libertate constituto, quod et *causa liberalis* dicitur. *Quint.* 3, 6. Sitne liber qui est in assertione. *Id.* 5, 2. Aut cum de eadem causa pronunciatum est, ut in reis deportatis, assertione secunda, et partibus centumviralium. (*Assertio secunda*, quam memorat etiam 11, 1., est judicium secundum, in quo de libertate alicujus agitur. Licebat enim in hujusmodi causis provocationem facere, atque iterum judicio agere.) *Trajan. ad Plin. ep.* 10, 72. Ideo nec assertionem denegandam iis, qui in libertatem vindicabuntur, puto. [**Suet. Dom.* 8. recuperatores ne se perfusoriis assertionibus accommodarent, i. e. ne judices iis operam darent, qui per calumniam servos in libertatem asserentes dominos justos fraudatum irent. Ita *B. Crus.* quem V. pluribus.] ℙ Item affirmatio. *Arnob.* 1. p. 18. Cum in eadem culpa sit et assertio talis rei, et abnegatio refutatoris increduli. *Id.* 4. p. 141. O Deorum assertio religiosa! *h. e.* ratio probandi Deos esse. *Ciceronem* quoque afferunt quidam *Acad.* 1, 12. et *ib.* 3, 12., sed ibi leg. plerique al. *assensio*, [*quod unice probandum.]

ASSERTOR et Adsertor, ōris, m. qui aliquem ex servitute in libertatem asserit, vindex libertatis, *παρησιαστής*. *Suet. Caes.* 80. Populo detrectante dominationem, atque assertores flagitante. *Sen. ep.* 13. Catoni gladium assertorem libertatis extorque. ℙ Translate. *Mart.* 1, 53. de libellis suis: Si de servitio gravi queruntur, Assertor venias. Adde *Lucan.* 4, 214. et *Ov. Remed.* 73. ℙ De eo, qui in servitutem trahit. *Liv.* 3, 44. et 45. appellat *assertorem* M. Claudium, qui Virginii filiam, quasi servam suam, repetebat. ℙ Generatim pro liberatore, vindice, aut defensore. *Suet. Tib.* 2. Claudios omnes assertores dignitatis ac potentiae patriciorum semper fuisse. *Id. Galb.* 9. Assertor generis humani. *Mart.* 1, 25. Qui loquitur Curios, assertoresque Camillos. *Quint.* 1, 6. Verba a vetustate repetita non solum magnos assertores habent, sed, etc. [*Hieron.* in *Isaj. l.* 16, *c.* 58. *v.* 6. Non ergo praecipit, ne exigat unusquisque quod debitum est, maxime quod juste dedit, et juste repetit; alioquin tribuniciae esset seditionis adsertor, *h. e.* approbaret populi Romani seditionem, qua tribuni plebis facti sunt. *Eutrop.* 4, 16. Viriathus assertor contra Romanos Hispaniae, *h. e.* vindex. *Hieron. adv. Jovin. n.* 48. Epicurus voluptatis adsertor. In nummo Galbae apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 298. Mars adsertor. In alio *ib.* Hercules adsertor. *F.*] Apud *Macr. Sat.* 7, 4. assertor quaestionis est, qui de re, quae ambigitur, perite et docte disputare et definire potest, et veritatis quodammodo assertor esse. ℙ [In *Codicis Theodosiani fragm.* a *Peyron.* editis semper *Adsero*, *Adsertio* et *Adsertor* scriptum in codice membranaceo saeculi V. *F.*]

ASSERTORĬUS et Adsertorius, a, um, adj. ad assertorem pertinens, ut Assertoriae lites. *Imp. Justin. Cod.* 7, 17, 1. h. e. in quibus de asserenda alicujus libertate agitur.

ASSERTUM, i, n. assertio, confirmatio. *Capell.* 6. p. 195. Terram in medio mundi immobilem stare, multiplicibus monstratur assertis.

ASSERTUS et Adsertus, a, um, partic. ab *assero*. *Suet. Aug.* 74. Mena libertinus assertus in ingenuitatem. *Mart.* 7, 52. Asserto orbe.

ASSERVĀTUS et Adservatus, a, um, part. ab *asservo*, servatus, custoditus, *φυλαχθείς*. *Cic. Arch.* 5. Cum Appii tabulae negligentius asservatae dicerentur. *Plin.* 9, 25, 41. Piscis in sale asservatus.

ASSERVIO et Adservio, is, ivi, itum, a. 4. idem quod *servio*, nisi quod praeposit. *ad* vim quandam addit. *Cic. Tusc.* 2, 24. Toto corpore, atque omnibus ungulis, ut dicitur, contentioni vocis asserviunt.

ASSERVO et Adservo, as, avi, atum, a, 1. *φυλάττω*, *διατηρέω*, idem quod servo, conservo. *Plin.* 9, 15, 18. Asservare pisces sale. Et *ib.* 25, 41. pisces in sale. *Id.* 7, 16, 16. corpora mortuorum in conditorio. *Id.* 7, 56, 57. ignem in ferula. ℙ Aliquem in custodia habere, custodire. *Cic. Cat.* 1, 8. Ut domi meae te asservarem, rogasti. *Id. Verr.* 2, 3, 22. Imperat, dum res judicetur, hominem ut asservent. *Id. ib.* 2, 5, 30. Asservare aliquem liberis custodiis. [**Liv.* 5, 40.] *Id.* 8, 20. aliquem in carcerem. *Pl. Bacch.* 4, 4, 98. aliquem vinctum domi. *Id. Capt.* 1, 2, 6. captivos magna diligentia. *Curt.* 9, 7. Arce, quae quasi negligentius asservata erat, occupata. *Ter. Heaut.* 3, 3, 33. Atqui nunc, here, hic tibi asservandus est. Simili modo usurpavit *Cic. Att.* 10, 16. Consilium nostrum spero vacuum periculo fore. Nam et dissimulabimus (etsi, ut opinor, acerrime asservabimur) custodiemur sc. aliorum attentione. Est igitur fere i. q. observari, sed multo fortius, et quae quidem consilio provideri poterunt, cavebuntur. [Ita legit *Schützius* pro *asservabimus*, quod locum obscurabat. *Id. ib.* 10, 18. Custodiae, quibus asservor, [i. e. speculatores qui me observant. *F.* *Quare etiam confuderunt librarii *asservare* et *observare*. V. *Burm.* ad *Virg. A.* 2, 763.]

*ASSESIĀTES, incolae Asisiae, vel Assesiae, quod oppidum fuit Liburniae. *Plin.* 3, 21. *B. A.*

ASSESSĬO et Adsessio, onis, f. *παρεδρία*, *συνεδρία*, actus assidendi, [*cum amicus consolationis causa assidet.] *Cic. Fam.* 11, 27. Oblitumne me putas, qua celeritate ad me Tarento advolaris? quae tua fuerit assessio, oratio, confirmatio animi mei?

ASSESSOR et Adsessor, oris, m. *πάρεδρος*, *συγκάθεδρος*, qui ab habente judicandi potestatem assumitur in consilium, ut sibi in causarum cognitione in libellis, edictis, decretis, epistolis assideat et laborum partem sustineat. *Cic. Div.* 1, 43. Lacedaemonii regibus suis augurem assessorem dederunt. *Sen. Tranq.* 3. *ante med.* Urbanus praetor adeuntibus adsessoris verba pronunciat. *Suet. Galb.* 14. Cornelius Laco ex assessore praefectus praetorii. Adde *Dig. l.* 1. *t.* 22. qui est *De officio Assessoris.* [*Cf. *Heinecc. Ant. R.* 4, 6, 9.]

ASSESSORĬUS et Adsessorius, a, um, adj. ad assessorem pertinens. *Ulp. Dig.* 47, 10, 5. Sabinus in assessorio ait, etc., *h. e.* in libro De officio assessoris.

ASSESSŪRA, ae, f. *παρεδρία*, officium assessoris. *Ulp. Dig.* 50, 14, 3.

ASSESSUS et Adsessus, us, m. actus assidendi. *Prop.* 4, 11, 49. Quamlibet austeras de me ferat urna tabellas: Turpior assessu non erit ulla meo, *h. e.* nulli feminae, quicum assidere mihi concessum fuerit, dedecori ero.

ASSESSUS et Adsessus, a, um, part. ab *assideo*. *Sil.* 12, 453. Assessos Capuae muros, *h. e.* obsidione cinctos. Al. leg. *obsessos*. Sed nihil mutandum. V. ASSIDEO.

ASSESTRIX et Adsestrix, icis, f. quae assidet. *Afran.* ap. *Non.* 2, 39. Dimittit adsestricem, me ad sese vocat. Adde *eund. Non.* in voce *Possestrix* 2, 631. ℙ Est autem *assestrix* eadem quae obstetrix, quia puerperae adsidet. Ita interpretatur *Scal.* in *Conject. ad Varr. p. m.* 78. [at *Bothe in fragm. poet. scen.* p. 173. rectius *conciliatricem* intelligit. *F.*]

ASSĒVĒRANTER et Adseveranter, adv. *καταφατικῶς*, cum asseveratione, affirmate. *Cic. Att.* 15, 19. Statius scripsit ad me, locutum secum esse Q. Ciceronem valde asseveranter, se haec ferre non posse. *Id. Acad.* 4, 19. Haec Antonius fere et Alexandriae tum, et multis annis post, multo etiam asseverantius in Syria, etc.

ASSĒVĒRĀTE et Adseverate, adv. *Gell.* 7, 5. Polus histrio tragoedias poetarum nobilium scite atque asseverate actitavit, eleganter et audacter ac fidenter, quod est illorum, qui ea, quae recitant, probe intelligunt, et ex animo pronunciant, *βεβαίως*.

ASSĒVĒRĀTĬO et Adseveratio, onis, f. *κατάφασις*, actus asseverandi, affirmatio. *Cic. Att.* 13, 23. Omni tibi asseveratione affirmo, quod mihi credas velim, mihi majori offensioni esse, etc. *Quint.* 4, 2. *a med.* Quorundam probatio sola est in asseveratione et constantia. *Id.* 11, 3. Nulla probatio tam firma est, ut non perdat vires suas, nisi adjuvetur asseveratione dicentis, *h. e.* acri confidentique pronunciatione. *Plin. Pan.* 67. Quae enim illa gravitas sententiarum, quam inaffectata veritas verborum, quae asseveratio in voce, quae affirmatio in vultu! ℙ In illo *Tac. A.* 4, 19. Igitur multa asseveratione, quasi aut legibus cum Silio ageretur, aut Varro consul, aut illud respublica esset, coguntur patres: *asseveratio* est seueritatis simulata species. [*Alia laudat *Oberl.* ad h. l.] *Front. Laud. fum.* Summa in hoc genere orationis virtus est adseveratio. ℙ A grammaticis quibusdam dicta est *asseveratio* particula orationis exprimens vehementem affectum et intentionem, atque adeo affirmationem dicentis, ut *heu* vel *eheu*. *Quint.* 1, 4. Adjiciebant et asseverationem, ut *heu*.

ASSĒVĒRO et Adsevero, as, avi, atum, a. 1. *καταφημι*, *βεβαιοῦμαι*, *ἰσχυρίζομαι*, constanter serioque affirmo, assero. *Cic. Brut.* 85. Bella ironia, si jocaremur: sin asseveramus, vide, ne religio nobis tam adhibenda sit, quam si testimonium diceremus. *Id. Or.* 71. Neque hoc meum judicium, de quo tantopere hoc libro asseveravi, unquam affirmabo esse verius, etc. *Id. Brut.* 57. Quemadmodum adversarius de quaque re asseveret. *Id. Cluent.* 26. *ad f.* Pulcre asseverat se ab Oppianico destitutum. *Id. Att.* 10, 14. Unum illud firmissime asseverabat, in exsilium se iturum. [**Suet. Vesp.* 5. constantissime asseveravit fore ut etc.] *Tac. Hist.* 3, 22. Asseverare ordinem agminis, *h. e.* affirmate dicere, qualis fuerit ordo agminis. *Pl. Mil.* 3, 1, 163. Sed iidem homines nunquam dicunt, quamquam oppositum est ampliter: jube illud demi; tolle hanc patinam; remove pernam, *etc.* neminem eorum haec asseverare audias, *h. e.* serio dicere, et, velle se, ostendere. *Tac. A.* 13, 18. Viri gravitatem asseverantes, *h. e.* affectantes, ostentantes, prae se ferentes. ℙ *Asseverare aliquid* interdum est probare, confirmare. *Tac. Agr.* 11. Rutilae comae, magni artus Germanicam originem asseverant. ℙ Passive impersonaliter *Cic. Verr.* 2, 2, 10. Quae est ista defensio? utrum asseveratur in hoc, an tentatur? ℙ Apud *Appul.* reperitur non semel pro severum reddere. Nam *asseverare frontem* dixit 3. p. 135, 10. et 8. p. 203, 24. *Met.*, hoc est caperare et ad severitatem componere.

ASSICCĀTUS et Adsiccatus, a, um, part. ab *assicco*, *sicco*, idem quod siccatus, vel valde siccatus. *Colum.* 1, 6. *ad f.* Plurimum refert non assiccato succo fimum vires continere. *Id.* 12, 9. Faseoli assiccati.

ASSICCESCO et Adsiccescо, is, n. 3. idem quod siccesco, vel prorsus siccesco, quia praeposit. *ad* auget. *Colum.* 12, 9. Caules in cratibus pandere, dum assiccescant.

ASSICCO et Adsicco, as, avi, atum, a. 1. *ξηραίνω*, idem quod sicco, vel probe sicco: nam *ad* vim verbo addit. *Colum.* 12, 16. Uvam passam foliis ficulneis involvere, et assiccare. Et *ib.* 15. *in f.* Assiccare aliquid in sole. Et *ib.* 50. *a med.* Spongia omnem humorem assiccare. *Id. Arbor.* 28. *in f.* Assiccare aliquid in umbra. *Senec. Consol. ad Polyb.* 26. Assiccare lacrimas.

ASSĬCŬLUS. V. AXICULUS.

ASSĬDĔO et Adsideo, es, edi, essum, a. 2. *παρεδρεύω*, *προσεδρεύω*, [**παραχαθίζεσθαι*], sedeo, consideo, prope sedeo: ex *ad*, et *sedeo*. *Pl. Stich.* 1, 2, 35. Asside hic, pater. *An.* non sedeo istic: vos sedete. *Cic. Rosc. Am.* 22. Peroravit aliquando; assedit: surrexi ego. *Id. Div.* 2, 3. Tum in bibliotheca, quae in Lyceo est, assedimus. *Id. Or.* 1, 22. Assidere in schola. [**Suet. Aug.* 64. neque coenavit una, nisi ut in imo lecto assiderent.] *Sall. Jug.* 11. Hiempsal dextra Adherbalem assedit. *Aur. Vict. Caes.* 10. Se utrumque assidere jussit, *h. e.* apud se sedere. [*V. quos laudat *Arntz.* ad h. l. Absolute h. v. utitur *Suet. Tib.* 33. assidebat juxtim vel ex adverso. *Id. Dom.* 11. assidere in toro juxta coegit, i. e. jussit eum proximum sibi locum occupare.] *Pl. Rud.* 2, 6, 48. Assidere apud carbones. *Cic. Fin.* 2, 18. super aspidem. *Pl. Bacch.* 3, 3, 28. in sella. *Suet. Aug.* 64. in lecto. *Id. Ner.* 53. humi. [*V. de his locis ASSIDO.] ℙ *Assidere alicui* est adesse, officii, vel custodiae causa, adsistere, praesto esse. *Cic. Planc.* 11. Principes civitatum Macedoniae, hujus repentino periculo commoti, huic assident, pro hoc laborant. *Id. Pis.* 32. Cum Pompejus Lentulo frequens assideret. *Hor. Epod.* 1, 19. Assidens implumibus pullis avis Serpentum allapsus timet. *Id. Sat.* 1, 1, 81., *Liv.* 21, 53., *Senec. ep.* 9. et *Plin. ep.* 7, 19. Assidere aegro. Sic *Tac. Agr.* 45. valetudini alicujus. [*Multis explicavit hanc vim *Heins.* ad *Ov. Her.* 20, 134. et *Burm.* ad *Prop.* 4, 3, 41.] Item dicitur, de iis, qui afflictis consolandi causa assident. *Cic. Verr.* 2, 5, 63. quum lacrimans in carcere mater noctes diesque assideret, i. e. sedendo maneret. ℙ Interdum absolute ponitur pro fungi officio assessoris, et ita usurpatum legitur a *Tac. A.* 2, 57. et a *Paul.*, *Martian.*, *Papin. JCtis*, *Dig.* 1. 22. 1. 2. 3. 4. 6. ℙ *Assidere alicui rei* est interesse, assiduum esse in re aliqua, operam dare. *Plin. Pan.* 81. Assidere gubernaculis. *Tac. A.* 1, 75. judiciis. *Plin. ep.* 3, 5. *ad f.* tota vita litteris. Adde *Senec. ep.* 72. [*Habet enim h. v. notionem diuturnitatis et assiduitatis.] ℙ Quare etiam dicitur pro *obsidere*, quoniam, qui urbem expugnare student, castra diutina ad eam

habent. *Virg. Cir.* 268. Ille, vides, nostris qui moenibus assidet hostis. *Plin. Pan.* 12. An audeant? qui sciant, te assedisse ferocissimis populis etc.? *h. e.* castris prope positis eos compressisse. [**Gell.* 7, 1. assidebat oppugnabatque oppidum.] Et passive *Sall. fr.* apud *Prisc.* 8. p. 830. Amisumque assideri sine proeliis audiebat. ℙ Et cod. sensu active cum accusativo. *Sil.* 9, 623. ut qui castella per altos Oppugnat munita locos, atque assidet arces. Quidam leg. *obsidet:* sed *Heins. Drak.* et alii *assidet* acriter tuentur ex MSS., et quibusdam etiam editis libr. [**Virg. A.* 11, 304. muros assidet hostis; al. *obsidet*, quae illius explicatio est. V. *Burm.* ad h. l. et quos laudat.] *Liv.* 26, 22. Vix dum requiesse aures a strepitu et tumultu hostili, quo paucos ante menses adsederint prope moenia Romana. ℙ Translate *Hor. Ep.* 1, 5, 13. Parcus ob heredis curam, nimiumque severus Assidet insano, *h. e.* insano est similis.

ASSĪDO et Adsido, is, n. 3. idem omnino quod *assideo*, et ejusdem usus: nisi quod in praeterito, et supino *assideo* frequentius in usu est. [*Non hoc solum discrimen est; nam *assidēre* est verbum intransitivum et significat aliquo in loco considēre; *assidere* autem est verbum reciprocum, et significat i. q. sedem capere, sessum ire; hoc igitur voluntatem sedendi, illud factum ipsum significat. Quare etiam ex locis supra sub *assideo* allatis huc referendi sunt, ut *Cic. Div.* 2, 3. *Id. Fin.* 2, 18. *Pl. Bacch.* et *Rud.* Inprimis *assidere* hoc sensu dicitur de oratoribus, qui quum stantes dixissent, post perorationem assident. Quo pertinet *Cic. Rosc. Am.* l. l. et *Att.* 1, 11. mihi ut assedit (sc. post dictam in senatu sententiam) dixit. *Id. Or.* 37. Sic denique locus *Sall. Jug.* 11. ubi cum accus. construitur.] *Cic. Acad.* 1, 4. Et simul, assidamus, inquam, si videtur. *Cato R. R.* 157. *a med.* Eo mulier assidat. *Varr. R. R.* 3, 16. Nulla apum assidit in loco inquinato. *Ter. Heaut.* 1, 1, 72. Assido: occurrunt servi: soccos detrahunt. *Pl. Rud.* 3, 3, 26. Assidite hic in ara. *Id. Bacch.* 3, 3, 28. In sella apud magistrum assidēres.

ASSĪDŬĒ et Adsidue, *συνεχῶς*, continenter, non intermisse, usque. *Cic. Div.* 1, 34. Gallos gallinaceos sic assidue cantare coepisse, ut nihil intermitterent. *Id. Fam.* 5, 15. Litterae, quibus assidue utor. *Id. Brut.* 91. Assiduissime mecum fuit Dionysius. *In SCto* apud *Frontin. Aquaed.* 104. Ut salientes publici quam assiduissime aquam in usum populi funderent. *Auct.* ad *Her.* 4, 56. Frequenter et assidue. *Plin.* 11, 53, 115. Assidue recens, *h. e.* semper. *Id.* 24, 1, 1. Innumera praeterea alia, quae suis locis dicentur assidue, *h. e.* diligenter et pluribus verbis. *Virg. Ecl.* 2, 4. Adsidue veniebat.

ASSĪDŪĪTAS et Adsiduitas, atis, f. [*est i. q. *προσεδρεία* et proprie, ut etymon demonstrat, de iis negotiis dici debuit, quae sedendo perficimus; transfertur autem latiori sensu ad ea, in quae uno tenore nec intermisse incumbimus. Est igitur i. q. perpetuitas s. crebritas; magna frequentia], *συνέχεια*, *ἐνδελεχεια*. *Cic. Att.* 16, 5. Commutatus est totus et scriptis meis quibusdam, et *ib.* assiduitate orationis, et praeceptis. Et *Off.* 2, 21. Assiduitas bellorum, *h. e.* frequentia. Sic *Fam.* 16, 25. Assiduitas epistolarum. Et *Rosc. Am.* 53. molestiarum. [**Suet. Aug.* 43. spectaculorum et assiduitate (i. e. saepe repetita celebratione) et varietate etc. omnes antecessit. *Id. Dom.* 22. concubitus.] *Auct.* ad *Her.* 4, 12. Vitare ejusdem verbi assiduitatem nimiam, *h. e.* crebram repetitionem. Hinc i. q. continua in aliqua re diligentia, [*maxime de diligentia alios conveniendi iisque assistendi, V. ASSIDEO.] *Cic. Att.* 2, 15. Terentiae pergrata est assiduitas tua et diligentia. *Id. ib.* 12, 32. Medici assiduitas et tota domus in omni genere diligens. Hinc i. q. perseverantia. *Id. Fam.* 7, 6. Assiduitate et virtute consequi aliquid. *Id. Acad.* 1, 5. Assiduitas exercitationis. ℙ In plural. num. *Cic. Fin.* 1, 15. Nec patientia, nec assiduitates, nec vigiliae. Quidam leg. *assiduitas.* [*Sic edidit *Orell.* ex melioribus codd.] ℙ Speciatim dicitur de frequenti praesentia ejus, qui aliquem honoris et officii causa assectatur, eique frequens assidet, ut asseclae et clientes solent; item amicorum qui candidatos in petitionibus comitantur, iisque praesentia sua favorem conciliant. *Q. Cic. Petit. cons.* 1. Quotidiana amicorum assiduitas et frequentia. *Id. ib.* 13. Hominum nobilium voluntas, adolescentulorum frequentia, eorum, qui abs te defensi sunt, assiduitas, ex municipiis multitudo eorum, quos tua causa venisse appareat. *Cic. Dejot.* 15. Praebere assiduitatem alicui. ℙ Item de eo, qui quotidie in foro comparet, et ob oculos versatur, nullique officio deest. *Cic. Verr.* 2, 1, 39. Nisi forte dubium est, quomodo iste praetor factus sit: homo scilicet aut industria, aut opera probata, aut frugalitatis existimatione praeclara, aut denique, id quod levissimum est, assiduitate. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. Dicendum de illa altera petitionis parte, quae in populari ratione versatur: ea desiderat nomenclationem, blanditiam, assiduitatem, benignitatem, etc. V. quae ibi paulo post sequuntur. *Suet. Tib.* 10. Ut vitato assiduitatis fastidio auctoritatem absentia tueretur, i. e. continuae praesentiae. Adde *Cic. Sext.* 3. et *Rosc. Am.* 51.

ASSĪDŬO et Adsiduo, adv. idem quod assidue. *Pl. Mil.* 1, 1, 59. Dum talem facies, qualem adhuc, assiduo edes. *Id. Truc.* 2, 4, 67. Postidea ego tota tecum usque ero assiduo. Adde *Cist.* 1, 3, 37. et *Most.* 4, 2, 60. et *Plin.* 26, 3, 8.

ASSĪDŬO, as, a. 1. assidue vel continuo aliquid facio. *Vulgat. Interpr. Siracid.* 30, 1. Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella.

ASSĪDŪUS et Adsiduus, a, um, adj. *συνεχὴς*, *ἐνδελεχὴς*, qui jugiter adest alicui rei, frequens, diligens, cum dicitur de personis. *Varr. L. L.* 6, 5. *a med. Qui adest, adsiduus.* Ex quibus verbis colligitur, putare *Varronem* dici *adsiduus* ab *adsum*, et *assiduus* ab *assum*, quod pro *adsum* saepe legitur. *Festus* autem deducit ab *assidendo*, quod *assiduus* sit is, qui in ea re, quam frequenter agit, quasi consedisse videatur. *Cic. Att.* 4, 8. Audivi, Romae esse hominem et fuisse assiduum. *Id. Or.* 2, 39. Magistri assidui uno opere eandem incudem diem noctemque tundentes. *Id. Senect.* 16. Bonus et assiduus dominus, [*i. e. non i. q. diligens, sed qui frequenter adest in praediis, ut quid operis fiat, inspicere possit. *Cl. Cic.*] *Cic. Rosc. Am.* 7. Cum hic assiduus in praediis esset. *Id. Coel.* 4. Fuit assiduus mecum, praetore me. *Id. Brut.* 5. Flagitator non ille quidem molestus, sed assiduus tamen et acer. *Id. Rosc. Am.* 24. Hae sunt impiis assiduae domesticaeque Furiae. *Liv.* 2, 48. Vejens hostis assiduus magis, quam gravis. [**Id.* 1, 20. flamen Jovi assiduus, i. e. qui perpetuam sacrorum curam obiret. Sic *ib.* assiduae templi antistites. *q.* Explicat hanc signif. pluribus *Arntz.* ad *Aur. Vict. V. Ill.* 25. — *Liv.* 34, 9. cujus (portae) assiduus custos semper aliquis ex magistratibus erat. Nonnulli h. l. referebant *semper* ad *assiduus.* De quo pleonasmo egit *Duker.* ad h. l.] *Suet. Tib.* 11. Assiduus circa scholas. *Prop.* 2, 9, 16. Assiduus bella gerit, pro assidue. Sic *Pallad.* 1, 29. Allio rostra phasianorum debebis assiduus perfricare. *Varr. R. R.* 2, 9. de canibus: Villatico gregi satis esse duo marem et feminam: ita enim sunt assiduiores. ℙ Speciatim *assidui* dicuntur, qui candidatis adsunt, officii causa, eisque assectatione sua favorem conciliant. *Q. Cic. Petit. cons.* 9. Qui per aetatem ac negotium poterunt, ipsi tecum ut assidui sint. V. ASSIDUITAS. *Pl. Trin.* 1, 2, 165. scurras definit *urbanos assiduos cives*, intelligens eos, qui per fora urbis assidue vagantur, omnia otiosorum hominum conciliabula frequentant, omnium sermonibus adsunt, et sese immiscent, vera et falsa excipientes narrantesque. ℙ *Assiduus* cum dicitur de rebus, ponitur pro continuo aut frequenti. *Ov. Met.* 2, 70. assidua rapitur vertigine coelum. *Lucr.* 1, 993. assiduo motu res quaeque geruntur. *Suet. Aug.* 71. Vasa aurea assiduissimi usus. *Cic. Or.* 3, 15. Labor assiduus et quotidianus. *Id. ib.* 1, 33. Assidua ac diligens scriptura. *Tac. Hist.* 5, 11. Assidua damna. [**Liv.* 4, 48. duo assidua bella.] *Tac. Agr.* 43. Assiduae adulationes. *Pl. Asin.* 2, 4, 22. Dare operam assiduam alicui rei. *Prop.* 3, 9, 56. assiduo lingua sepulta mero. *Tibull.* 1, 1, 6. assiduo luceat igne focus. *Hor. Epod.* 15, 13. Assiduae noctes. [**Cic. Att.* 13, 16. assidui imbres. *Id. Fam.* 10, 21. febricula assidua, cui opponitur intermittens. *Id. Planc.* 8. assidua frequentia.] *Plin.* 15, 21, 23. Sorborum genus assiduum proventu, *h. e.* semper ubertim proveniens. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 58. Assidui honores. [**Virg. G.* 2, 149. assiduum ver. *Prop.* 1, 19, 24. assiduae minae.] ℙ Olim ponebatur etiam pro locuplete; et ita usurpatum invenitur in leg. XII. Tabul., ut refert *Gell.* 16, 10. Assiduo vindex assiduus esto: proletario quisquis volet vindex esto. *Cic. Top.* 2. Cum lex assiduo vindicem assiduum esse jubeat, locupletem jubet locupleti. Locuples enim est assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab asse dando, (*h. e.* lex XII. Tabular., nam *Aelia Sentia*, quod additur in plerisque editionibus, glossema est.) [*Eadem habet *Quint.* 5, 10, 55.] *Cicero* his verbis tum notionem vocis ostendit, tum notationem. Est enim ab *assibus dandis*, ut *Gell. l. c.* et *Charis.* l. p. 58. adnotarunt. Recte igitur *proletarius* et *assiduus* opponuntur, quia *assidui* divites, *proletarii* pauperes erant. Hoc sensu usurpavit etiam *Pl. Amph.* 1, 1, 14. Huc pertinet illud *Festi* docentis, *adsiduum militem* dictum esse existimari, qui sumptu proprio militabat. ℙ Translate *Gell.* 19, 8. *ad f.* Classicus assiduusque aliquis scriptor, non proletarius, *h. e.* notae auctoritatis, non e vulgo. ℙ Volunt autem *Gell.* et *Charis. l. c.* hanc esse primam propriamque significationem; ab ea alias, quas posuimus, derivari, nec unquam *adsiduus* sed *assiduus* scribendum esse. Verba *Charisii* sunt: Assiduus quidam per *d* scribunt, quasi sit a *sedendo* figuratum: sed errant. Nam cum a Servio Tullio populus in quinque classes esset divisus, ut tributum, prout quisque possideret, inferret; ditiores, qui asses dabant, *assidui* dicti sunt: et quoniam soli in negotiis publicis frequentes aderant, eos, qui frequentes assunt, assiduos ab assibus dixerunt. Hactenus *Charisius*, [cujus sententiae suffragatur locus *Cic. Rep.* 2, 22. Servius verbis ac nominibus ipsis fuit diligens, qui cum locupletes assiduos appellasset ab aere dando, eos, qui aut non plus mille quingentum aeris, aut omnino nihil in suum censum praeter caput attulissent, proletarios nominavit. *F.*] Nihilominus *adsiduus* passim legitur tum in MSS., tum in editis lib. et in vet. inscript. optimae notae apud *Grut.* 484, 6. et 950, 8., tum etiam in cod. palimpsesto *Cic. Rep. l. c.* Quin et *atsiduus* scriptum vidisse se testatur *Pier.* ad *Ecl.* 2, 4. in aliquot *Virg. codd.*, tametsi et ipse fatetur per duplex *ss* scribi. [Concludendum itaque *assiduus* scribendum, cum de eo loquimur, qui assem dat; *atsiduus* vel *adsiduus* cum de eo, qui adsidet. *F.* *Nemo hoc faciet. Imo etymologiam illam (ut derivetur *assiduus* ab *aere dando*) in falsis illis habebimus, quarum tam multas veteres excogitarunt. Nam etiam in illo XII. tabb. loco *assiduus* proprie is est, qui aliquo in loco fixam sedem habet, qui agros, praedia, domum possidet (nos dicimus eum *ansässig*); is sane est is qui *locuples*, hac ipsa de causa, quod suo gaudet Lare, proprium habens fundum. Ea autem significatio prima putanda est, ex qua paullatim *perpetuitatis* notio derivata est. Sic jam *B. Crus.* in *cl. Suet.* quod mihi unice verum videtur. Nobiscum sentit etiam *Beier.* in schedis ad nos datis. Notandum tamen, ut disco ex annotatione *Döderl. Syn.* etc. tom. III. p. 312. in additt., *Niebuhrium Röm. Gesch. t.* I. p. 470. *ed.* II. statuere duo diversa vocc. homonyma, alterum derivatum a *sedendo*, alterum ab *asse dando.* Neque tamen muto meam sententiam.] ℙ Comp. *Assiduior.* Sup. *Assiduissimus.* V. supra.

ASSIGNĀTĬO et Adsignatio, onis, f. *προσαπόθεσις*, actus assignandi, attributio, [*praecipue de agris, qui novis colonis dantur.] *Cic. Fam.* 13, 8. Cum Caesar Sullanas venditiones et assignationes ratas esse velit, quo firmiores existimentur suae. *Id. Phil.* 6, 5. Assignatio agrorum. [**Val. Max.* 4, 3. *n.* 7. (de M'. Curio Dentato): Decretis a senatu septenis jugeribus agri populo, sibi quinquaginta: popularis assignationis modum non excessit, i. e. ipse non majorem jugerum numerum accepit, quam qui populo assignatus erat.] *Ulp. Dig.* 38, 4, 1. Sed et si exheredato filio libertum quis assignaverit, valet assignatio. V. ASSIGNO.

ASSIGNĀTOR et Adsignator, oris, m. qui aliquid alicui assignat seu attribuit. *Ulp. Dig.* 38, 4, 3. Praeferri filio nepotem assignatoris. V. ASSIGNO.

ASSIGNĀTUS et Adsignatus, a, um, part. ab *assigno*, attributus, datus. *Cic. Verr.* 2, 3, 25. Hoc quoque attendite, apparitores a praetore assignatos habuisse decumanum. *Id. Somn. Scip.* 3. Munus a Deo assignatum defugere. *Id. Phil.* 5, 19. Agri dati, assignati. *Id. Pis.* 36. Assignati ordines. V. ASSIGNO. *Scaev. Dig.* 20, 1, 32. Assignati ei servi culturae necessarii. [*In nummo Trajani* apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 439. Regna adsignata. *F.*] ℙ Item traditus, commissus. *Ulp. Dig.* 4, 9, 1. *ad f.* Si in navem res missae ei assignatae sunt; an etsi non sunt assignatae, hoc tamen ipso, quod in navem missae sunt, receptae videntur? *Senec. ep.* 110. Sive assignati sumus, sive neglecti, et fortunae dati, *h. e.* suo quisque Deo in custodiam traditi.

ASSIGNĪFĪCO. V. ADSIGNIFICO.

ASSIGNO et Adsigno, as, avi, atum, a. 1. *προστίθημι*, *προσπάσσω*: ex *ad*, et *signo*; et dicitur saepissime de agris aliisque locis, quae suis limitibus signata, hoc est divisa et definita alicui tribuuntur. *Cic. Phil.* 5, 19. Uti consules rationem agri habeant, qui sine injuria privatorum dividi possit; isque militibus ita daretur, assignaretur, ut quibus militibus amplissime dati, assignati essent. *Id. Agr.* 3, 3. recitans legem Rulli: Quae post Marium, et Carbonem coss. publice data, assignata, vendita, concessa sunt. *Id. Phil.* 2, 17. Duo millia jugerum alicui assignare. *Id. Dom.* 44. alicui inferiorem partem aedium. [*Nullo casu addito *Liv.* 21, 25. qui ad agrum venerant assignandum, sc. deductis coloniis. *q.*] V. *Sicul. Flacc.* p. 18. *Goesii*, ubi multa *de divisis et assignatis agris.* ℙ Accipitur etiam generatim pro attribuere, dare. [**Cic. Att.* 3, 19. mihi ex agro tuo tantum assignes, quantum corpore meo occupari potest, sc. in sepultura.] *Liv.* 42, 33. *in f.* Assignare alicui ordinem aliquem in militia. *Plin.* 25, 4, 8. Mercurio inventionem herbae alicujus. *Quint.* 12, 10. cuique rei sua nomina. *Tac. G.* 13. alicui dignationem principis. *Id. Hist.* 1, 30. alicui imperium. *Justin.* 13, 4. curam castrorum. *Plin. Pan.* 36. judicem. *Ulp. Dig.* 38, 4, 1. alicui libertum. (Is titulus totus est *De assignandis libertis.*) *Assignare libertum* apud JCtos est testificari, cujus ex liberis libertum eum esse quis voluit, ut *Modestin. Dig.* 50, 16, 107. exponit. *Ulp. ib.* 28, 2, 15. Assignare alicui patrem adulterum. *Cels.* 3. 18. Alii corporis affectus, qui certis partibus assignari possunt, etc. *Colum.* 12, 2. *in f.* Unumquodque facilius consideratur, cum est assignatum suo loco. *Quint.* 9, 4. Paeon, cui clausulam assignant, *h.*

e. cui locum dant in clausulis. ℙ Ponitur etiam pro tradere, committere. *Modestin. Dig.* 18, 1, 62. Res aversione empta ad periculum emptoris pertinebit, etiamsi assignata non sit. *Justin.* 14, 4. *in f.* Eumenem assignari custodibus praecepit. *Varr. L. L.* 5, 3. Horti tutelae Veneris assignantur. [*Cum fut. pass. hoc sensu *Liv.* 5, 22. quibus deportanda Romam regina Juno assignata erat.] ℙ Item pro obsignare. *Pers.* 5, 81. Assigna, Marce, tabellas. *Scaev. Dig.* 26, 8, 20. Praesente tutore, sed non assignante instrumento divisionis. *Paul. ib.* 45, 1, 126. Scripsi coram subscribente et assignante domino. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 995, 9. ℙ Translate. *Plin. ep.* 6, 23. Mire concupisco bonos juvenes ostendere foro, assignare famae. [*Similiter *Cic. Oecon.* 1. hunc sexum custodiae et diligentiae assignaverat, i. e. destinaverat; nam praecedit: a natura comparata est opera mulieris ad domesticam diligentiam.] ℙ Saepe est imputare, tribuere, ascribere, causam seu culpam in aliquem transferre. *Cic. Rabir. Post.* 10. Nec vero id homini tum quisquam, sed tempori assignandum putavit. *Id. Brut.* 19. Haec si minus apta videntur huic sermoni, Attico assigna, qui, etc. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 18. Hoc omne assignatum iri aut pertinaciae meae, aut timori videbam. *Cic. Q. Fr.* 1, 4. Ne improbitati et sceleri meo potius, quam imprudentiae assignes. *Id. Verr.* 2, 5, 50. Assignare culpam fortunae. [*Liv. 35, 31. ne unius amentiam civitati assignaret, i. e. vitio, crimini daret. *q.*] *Tac. G.* 14. fortia facta gloriae principis. *Vell.* 2, 38. gloriam alicujus rei cuipiam. *Nigid.* ap. *Gell.* 4, 9. Ea res vitio assignabatur. *Gell.* 11, 9. Gloriae quoque hoc sibi assignavit. ℙ Singularis est usus in illo *Quint.* 9, 4, 29. Saepe est vehemens aliquis sensus in verbo: quod si in media parte sententiae latet, transiri intentione [**Spalding.*: transire intentionem] et obscurari circumjacentibus solet: in clausula positum assignatur auditori, et infigitur, *h. e.* injicitur, et veluti obsignando imprimitur.

ASSĬLĬO et Adsilio, is, lui, ultum, n. 3. ἐπιπηδάω, ἀπάλλομαι, ἐπιθορέω, ad aliquid salio, saliendo accedo: ex *ad*, et *salio*. *Val. Fl.* 1, 257. Ut puer ad notas erectum Pelea voces Vidit, et ingenti tendentem brachia passu, Assiluit, caraque diu cervice pependit. *Plin.* 9, 42, 6. Torpedo cornicula exserit, assultantes pisciculos attrahens, donec tam prope accedant, ut assiliat. *Ov. Fast.* 3, 591. Assiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus Vertitur. *Sil.* 7, 700. Alipedem planta currum premit, atque volanti Assilit a tergo. *Ov. Met.* 11, 526. miles Cum saepe assiluit defensae moenibus urbis. *Sil.* 10, 2. [*Id. 15, 695. coll. *Drak.*] Ceu fera, quae, telis circumcingentibus, ultro Assilit in ferrum. *Stat. Th.* 5, 56. innumeris (*insulis*) quas spumifer adsilit Aegon. ℙ Translate *Cic. Or.* 2, 53. Neque assiliendum statim est ad illud genus orationis, etc. [*sc. in quo vis et contentio quaeritur; judices enim antea argumentis persuadendi sunt.] Adde *Senec. Prooem. controv.* 5. ℙ Partic. [*Ov. Fast.* 5, 611. Saepe puellares subduxit ab aequore plantas, Et metuit tactus assilientis aquae. *F.* *Interdum in perf. pro *assilui* reperitur *assilii*, ut *Ov. Met.* 11, 526. Illam autem formam diserte commendat *Prisc.* X. p. 906. ℙ Confunduntur *astitit* et *assilit*, V. ad *Sil.* 15, 695.]

ASSĬMĬLANTER et Adsimilanter, adv., ὁμοίως, cum similitudine. *Nigid.* ap. *Non.* 1, 190. Sunt etiam assimilanter dicta haec canatim, suatim, bovatim, quae ab animalibus sumuntur.

ASSĬMĬLĀTĬO et Adsimilatio, onis, f. similitudo, ὁμοίωσις. *Plin.* 11, 49, 109. Mulierum paucis prodigiosa assimilatio.

ASSĬMĬLĀTUS et Adsimilatus, a, um, particip. verbi *assimilo*, similis factus, ὁμοιωθείς. *Cic. Verr.* 2, 2, 77. Litterae lituraeque omnes assimilatae, expressae, de tabulis in libros transferuntur.

ASSĬMĬLIS et Adsimilis, le, adj. ὅμοιος, idem quod similis, vel valde similis, *ad* enim in compositione saepe auget. *Cic. N. D.* 2, 55. In pulmonibus inest raritas quaedam, et assimilis spongiis mollitudo. *Virg. A.* 6, 603. cadentique Imminet assimilis. *Ov. Pont.* 2, 2, 85. Fratribus assimilis. *Id. Trist.* 4, 5, 27. Assimilemque sui fecit.

ASSĬMĬLĬTER et Adsimiliter, adv. ὁμοίως, similiter, vel prorsus similiter. *Pl. Bacch.* 4, 9, 27. Assimiliter mihi hodie obtigit.

ASSĬMĬLO et Adsimilo, as, avi, atum, a. 1. ὁμοιόω, similem facio. *Cic. Inv.* 1, 28. Simile autem ex specie comparabili; comparabile autem ex conferenda assimilandaque natura judicatur. *Ov. Met.* 5, 6. Inque repentinos convivia versa tumultus Assimilare freto possis. *Claud. carm. de Hystrice* 5. os longius illi Assimilat porcum. *Tac. G.* 9. Nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare. [*V. nos infra sub ASSIMULO.]

[ASSĬMŪLĀTĪCĬUS, a, um, adj. id. q. assimulatus. *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 6, 22, 5. Qui insignibus consularium emendicatis atque assimulaticiis vestiuntur. *F.*]

ASSĬMŪLĀTĬO et Adsimulatio, onis, f. actus assimulandi, προσποίησις. *Auct.* ad *Her.* 4, 37. appellat *assimulationem* eam *licentiae* speciem, quae astutiore ratione comparatur, cum aut ita objurgamus eos, qui audiunt quomodo ipsi se cupiunt objurgari; aut id, quod scimus facile omnes audituros, dicimus nos timere, quomodo accipiant, sed tamen veritate commoveri, ut nihilo secius dicamus. V. ibi reliqua.

ASSĬMŪLĀTUS et Adsimulatus, a, um, part. v. *assimulo*, παραποιητός, simulatus, fictus. *Cic. Cluent.* 13. Assimulata familiaritas. *Id. Coel.* 6. Species quaedam virtutis assimulatae. *Quint.* 9, 2. Assimulatus et arte compositus. Et *ib.* Assimulatos hominum sermones dicere διαλόγους malunt. *Tac. A.* 16, 17. Assimulatae litterae.

ASSĬMŪLO et Adsimulo, as, avi, atum, a. 1. προσποιέομαι, simulo, fingo. *Ter. Eun.* 3, 2, 8. Adibo atque assimulabo, quasi nunc exeam. *Id. Heaut.* 5, 1, 15. Assimulare se laetum. *Id. Ph.* 1, 2, 78. se amicum alicujus. *Id. Andr.* 1, 1, 141. nuptias. *Ov. Met.* 14, 655. Innitens baculo, positis ad tempora canis, Assimulavit anum. *Virg. A.* 10, 638. clypeumque, jubasque Divini assimulat capitis. *Sil.* 7, 136. retroque abitum, fictosque timores Assimulat. *Plin.* 8, 30, 44. Assimulare sermonem humanum. ℙ Cum infinito. *Ter. Andr.* 4, 3, 20. Venire me, assimulabo. *Vetus Poeta* (fortasse *Pacuv.*) ap. *Cic. Off.* 3, 26. Ulysses assimulavit furere. *Pl. Cist.* 1, 1, 98. Assimulare amare oportet: nam si ames, extempulo Melius illi multo, quem ames, consulas, quam rei tuae. [*Multa disputata sunt a VV. DD. de formis *assimilare* et *assimulare*. Nimirum volunt alii in quibusdam locis, ubi codices assentiunt, verum esse assimilare; alii ne latinum quidem hoc vocabulum esse affirmantes, ubique assimulare scribendum esse censent. Hoc qui contendunt sunt maxime *Gronov.* in *diatr. Stat.* p. 72. sq. *ed. Lips.* et *Hand.* ad h. l. cum iis quos laudat, quibus alii critici recentiores (*Brem.* ad *Suet. Tib.* 57., *Spald.* ad *Quint.* 7, 10, 9., *Frotscher.* ad *Eund.* 10, 2, 11.) assentiuntur, excepto uno *Passovio*, qui ad *Tac. G.* 9. (ubi *Besselium misc. phil. crit.* 1, 5. aliosque ab eadem parte stantes laudat) etiam assimilare non falsum esse judicat. Et *Gron.* quidem, quod dicatur nonnisi simulare (non similare) et simulacrum (non similacrum): ob analogiam ubique assimulare scribendum esse censet, complectique hoc verbum utramque significationem, tum eam, qua pictor dicatur aliquid simulare (i. e. simile reddere); tum eam, qua notio comparandi insit. Sed unde factum est, ut codices passim varient in utraque forma, quum semper consentiant in vv. insimulare, dissimulare? Id *Handius* inde repetit, quod litterarum *i* et *u* alius apud alius aetatis scriptores usus fuerit. Antiquissimos enim scriptores pronuntiasse ac scripsisse simulare, assimulare (ut et simulis pro similis et simulter pro similiter); deinde vero, quum vulgus literam *u* medio inter *u* et *i* sono (nostro *ü*) pronuntiare coepisset [optumus maxumus = optimus, maximus etc.], attamen cultioris styli auctores antiquiorem scribendi formam retinuisse; in *Cicerone* igitur et in *Virg.* negat *similare* ferendum esse; concedendum autem scriptoribus aetatis post Augustum ac semper tribuendum recentissimis, ut *Appulejo*. *Passovius* contra, ut diximus, neutram formam damnans, pro cujusvis loci indole ac natura alteram eligendam esse censet, ac vel simulare vel similare scribendum, prout sensus vel similitudinis vel simulationis notionem postulet. Relinquit igitur in *Tac.* l. l. similare. Videamus igitur de caeteris locis, a Nostro allatis. Apud *Cic. Inv.* 1, 28. (v. ASSIMILO) in plurimis codd. reperitur; ipsum tamen synonymum, quod *Cic.* addit, *conferre*, suadet *assimulare* scribendum esse, quod dederunt *Orell.* et *Lindem.* Eadem ratio obtinet in loco *Ov. Met.* 5, 5. (coll. *Burm. ib.* 3, 158.). Omnino probabile est, quum librarii minus nossent rariorem illam *assimulandi* notionem, qua est i. q. simile reddere, eos in iis locis, ubi similitudinis ratio haberi videretur, de suo dedisse assimilare. Sentimus igitur cum *Gron.* et *Handio*, nixi iis argumentis, quae attulimus, in quibus etiam afferendus est locus *Diomed.* p. 364, 4. „Similo non dicimus, sed similis est. Sane dixerunt auctores simulat per u, hoc est ὁμοιάζει, ut *Cic. Rep.* [1, 21. *ed. Or.*] nullum est exemplum; quasi alius assimulare rempublicam. *Virg.* [*A.* 12, 224.] formam assimulata Camerti." Jam hujus voc. significationes hae sunt: primum est i. q. similem reddere, imitando similitudinem exprimere: *Quint.* 7, 10, 9. quis pictor omnia, quae in rerum natura sunt, adumbrare didicit? sed percepta semel adumbrandi ratione, assimulabit quicquid acceperit. (Praecedit paullo ante: ut fiat usus et ad *similia* transitus.) Huc pertinet *Tac. G.* 9. et *Cic. Verr.* 2, 2, 77. V. ASSIMULATUS. Passive etiam *Tac. A.* 4, 8. quo (veneno) paullatim irrepente, fortuitus morbus assimularetur, i. e. similitudo referretur morbi. *Id. ib.* 11, 11. fabulosa et externis miraculis assimulata. — Deinde est i. q. comparare, conferre. *Ov. Met.* 5, 5. *Cic. Inv.* 1, 28. V. supra. *Tac. Agr.* 10. Formam totius Britanniae — oblongae scutulae vel bipenni assimulavere. *Id. A.* 1, 28. Id miles — suis laboribus defectionem sideris assimulans. *Coll. ib.* 15, 39. Hinc i. q. referre aliquid quod non est, i. e. fingere, cujus signif. exempla Noster supra attulit.]

[ASSĪNUS, a, um, adj. id. q. assus. *Cato R. R.* 157. Ubi esse volet, carnem assinam dato. Ita legit *Pontedera Op. post.* p. 291., non improbante *Schneidero*, pro *assam dato*, fretus auctoritate codd. qui habent *asinam* prisca scribendi ratione unico *s*, quemadmodum ex *juncus* est *juncinus*. *F.*]

ASSĬPONDĬUM, ii, n. assis pondus, hoc est librae. As enim habuit a principio librae pondus. *Varr. L. L.* 4, 36. Dupondius a duobus ponderibus: quod unum pondus, assipondium dicebatur: id ideo, quod as erat librae pondus.

ASSIR. V. v. seq.

ASSIRĀTUM, apud antiquos dicebatur genus quoddam potionis ex vino et sanguine temperatum, quod Latini prisci sanguinem assir vocarent. Haec *Festus:* ubi alii leg. *assaratum*, et in *Vet. Gloss.* legitur asser αἷμα, pro *assir*, ut *Scalig.* refert. *Voss.* tamen in *Etymol.* reponit *assir*, additque *assiratum* esse adjectivum, et intelligi vinum. Porro ipsum *assir* usurpatum fuisse putat a *Catone R. R.* 132., quem locum in ASSARIUS, a, um attulimus.

ASSIS, is, m. et f. σανίς, tabula sectilis, vel lignum dissectum planum aut quadratum. *Caes. B. C.* 2, 9. Supra ea tigna transversas trabes injecerunt, easque assibus religaverunt. *Plin.* 36, 25, 62. Pavimentum quernis assibus contabulare. *Colum.* 6, 30. Assibus roboreis constrata stabula. *Gell.* 2, 12. Leges Solonis assibus ligneis incisae. *Vitr.* 7, 1. Ne commisceantur asses aesculini quernis. *Pall.* 1, 9. Ut asses quernae cum aesculeis non misceantur. *Plin.* 26, 11, 74. Mandragorae radix secatur in asses, ut cucumis. Ita enim hoc loco legendum censet *Hard.* ℙ In multis optim. codd. eorum auctorum, quos hic attulimus, habetur *axis* pro *assis*. Nihilominus *assis* rectius scribitur. Apud *Caesar.* et *Gell.* quaedam edd. habent *axeribus*, et apud *Pallad. axeres:* quod *Scalig.* ad *Festum* in *Asseres* antiquae declinandi rationis esse existimat. Veteres enim, sicut *suis sueris*, *Jovis Joveris*, *bovis boveris;* ita *axis axeris* declinasse. Neque putet aliquis *axeres* esse a recto *axer* pro *asser:* nam *asser* non tabulam sectilem, sed tignum seu tigillum significat, ut suo loco dictum est. ℙ *Assis* pro *As* in recto casu. V. AS.

ASSĬSTO et Adsisto, istis, stiti, παρίσταμαι (ex *ad*, et *sisto*) prope, seu ad aliquid sto, sisto me vicinum, adsto. *Cic. vertens carmen Sophoclis Tusc.* 2, 9. Accede, nate, assiste, miserandum aspice Evisceratum corpus. *Pl. Most.* 4, 2, 2. Mane tu, atque assiste illico. *Id. Ps.* 1, 3, 123. Pseudule, assiste altrinsecus, atque onera hunc maledictis. *Id. ib.* 1, 2, 23. Assistite omnes contra me, et quae loquor, advortite animum. *Ter. Ad.* 2, 1, 15. Hic propter hunc assiste. *Ov. Fast.* 5, 457. Umbra cruenta Remi visa est adsistere lecto. Et 1, 631. Si quis amas ritus veteres, adsiste precanti. *Cic. Verr.* 2, 1, 26, Assistere ad fores alicui. *Id. Leg.* 2, 4. Ut contra omnes hostium copias in ponte unus assisteret. *Caes. B. G.* 6, 17. Assistere in conspectu alicujus. *Virg. A.* 10, 490. Quem Turnus super assistens. [*Absolute: *Plin. Pan.* 40, 1. Nemo observator, nemo castigator assistet, sc. funeri, quod ex antecedd. supplendum.] *Suet. Vit.* 9. ℙ Cum accusativo sine praeposit. quae inest in ipso verbo. *Stat. Th.* 3, 296. soli cui tanta potestas Divorumque, hominumque meis occurrere telis Impune, et media quamvis in caede frementes Hos assistere equos. *Val. Fl.* 5, 640. nec illas Adstiteris impune trabes. ℙ Pro simplici sto, stas, stare. *Lucr.* 2, 358. completque querelis Frondiferum nemus assistens. *Id.* 1, 964. Nec refert, quibus assistas regionibus. *Cic. Fin.* 3, 16. Ita jacere talum, ut rectus assistat. *Ov. Met.* 7, 640. Ac se tollere humo, rectoque assistere trunco, *h. e.* stare erecto corpore. [*Non prorsus in his otiosam esse vim praepositionis, me non monente quivis intelligit.] ℙ Pro adesse, interesse. *Hor. Sat.* 1, 6, 113. vespertinumque pererro Saepe forum: assisto divinis: inde domum me, etc. *Suet. Dom.* 17. Puer assistens curae Larium cubiculi. *Quint.* 1, 2. Neque enim ediscenti, scribenti, cogitanti praeceptor assistit. *Tac. Hist.* 3, 31. Assistere deprecatorem causae. *Id. A.* 13, 4. Consulum tribunalibus Italia, et publicae provinciae assistunt, *h. e.* comparent jura accepturi. ℙ Speciatim ponitur pro adesse alicui in judicio, patrocinandi causa, quod *adesse* elegantius dicimus. *Plin. ep.* 7, 6. Assistebam Vareno jam tantum, ut amicus, et tacere decreveram. Adde *ib.* 10, 85. et *Ulp. Dig.* 6, 1, 54. ℙ Particip. *Assistens* apud *Quint.* 9, 2. Quanto minus aut ipsi, in quos dicimus, aut judices, aut assistentes oderint hanc maledicendi lasciviam, etc. et 11, 1. In quibus vel judici, vel etiam assistentibus ratio nostrae moderationis probari debet. ℙ Praeteritum *astiti* commune est cum *asto*, eadem fere significatione.

*ASSISTRIX, icis, f. quae assistit. *Vulgat. Sa-*

pient. 9, 4. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam. Gr. *πάρεδρον*, ut suspicari liceat *assestricem. B. A.*

ASSĬTUS. V. ADSITUS.

ASSĬUS, a, um, adj. ad Assum pertinens. Est autem *Assus* seu *Assos* urbs Troadis, in cujus agro invenitur lapis *Assius* dictus, sarcophagus, fissili vena, in quo condita defunctorum corpora absumi dicuntur intra quadraginta dies exceptis dentibus. *Mucianus* specula quoque, et strigiles, et vestes, et calceamenta illata mortuis lapidea fieri, auctor est. Habet etiam aliquos in medicina usus, quos enumerat *Plin.* 36, 17, 27. ℙ Scribitur et *Asius.*

ASSO, as, avi, atum, a. 1. *ὀπτάω*, assum coquo. [Est ab *ἄζω* id. q. *ἀάζω*, halo, torreo, arefacio. *F.*] *Appul. Met.* 2. p. 119, 12. Cum paratus sim super istum ignem porrectus assari. *Apic.* 2, 1. Assare jecur porcinum. ℙ *Assare* etiam dicuntur tibicines, cum canunt tibia, nulla aliorum voce admixta. Poetae quoque *assare* dicebantur, cum in unum solum hominem poema condebant. Et illa poemata dicta sunt *assamenta*, ut est maxima pars silvarum *Statii*, et olim Saliorum fuit. Erant enim *assamenta* Janualia, Junonia, Minervia, priva poemata, et carmina in singulos eos Deos conscripta. Haec omnia docet *Scalig.* in *Conjectan. ad Varr. L. L.* 6. p. 78., additque in illo *Ennii* apud *Varr. l. c. Subulo finitimas propter astabat aquas;* pro *astabat* legi posse *assubat.* V. AXAMENTA et AXARE. ℙ Denique *assare* esse tabulis tegere, contabulare, docent plerique Lexicographi, afferuntque *Vitr.* 7, 1. *Cum assatum fuerit*, etc., sed ibi passim legitur *coassatum*, vel *coaxatum* etiam in vetustis exemplarib. quae vidimus.

ASSOCIĀTUS et Adsociatus, a, um, adj. in socium adscitus. *Aur. Arcad. Dig.* 1. *t.* 11. Cum dictatores magistros equitum sibi eligerent, qui associati principali curae militiae gratia, etc.

ASSOCĬO et Adsocio, as, avi, atum, a. 1. socium adjungere. *Stat. Th.* 3, 452. juxtaque Amythaone cretus Jam senior, sed mente virens, Phoeboque Melampus Associat passus, *h. e.* jungit gradum. Est autem in his verbis allegoria. V. integrum loc. *Claud. B. Gild.* 480. ipsique rudentes Expediunt, et vela legunt, et cornua summis Associant malis, *h. e.* jungunt, adnectunt.

ASSOCĬUS et Adsocius, a, um, adj. idem quod socius, vel similis. *Cassiod. Var.* 3, 47. Salamandra subtile ac parvum animal, lubricis lumbricis associum.

ASSOLĔO et Adsoleo, es, n. 2. idem fere quod soleo, nisi quod praepositio *ad* vim quandam addit significationi. Adhibetur plerumque impersonaliter. *Cic. N. D.* 2, 4. Gracchus ad senatum retulit: senatus, quos assoleret, referendum censuit. Al. rectius leg. *quos ad soleret.* [*Sic *Hdf.*] *Id. Inv.* 2, 42. In testamento ita scripsit: Si mihi filius genitus unus, pluresve, is mihi heres esto: Deinde quae assolent, *h. e.* quae addi solent in testamentis. *Liv.* 34, 44. Ludos magnos tanta pecunia, quanta assoleret, faciendos. *Id.* 40, 54. *ad f.* Cum multa adsoleat veritas praebere vestigia sui. *Ter. Andr.* 3, 2, 1. Adhuc, Archilis, quae assolent, quaeque oportet signa esse ad salutem, omnia huic esse video. *Pl. Epid.* 1, 1, 5. Venire salvum gaudeo. *Th.* quid ceterum? *Ep.* quod eo assolet: coena tibi dabitur. *Id. Pers.* 5, 1, 7. Statuite hic lectulos: ponite hic quae assolent. ℙ *Ut assolet*, ut fieri solet, ut fit. *Cic. Phil.* 2, 33. Prima classis vocatur: renuntiatur: deinde, ut assolet, suffragia. *Id. Amic.* 2. Cum in hortos Bruti commentandi causa, ut assolet, venissemus. [*Monet *Brem.* ad *Suet. Ner.* 7. assolet (sc. fieri) pro fieri solet maxime argenteo aevo usurpari coeptum esse.]

ASSONO. V. ADSONO.

[ASSORĪNUS, a, um, adj. ad Assorum [**Ασσώριον Steph. Byz.*] pertinens Siciliae urbem mediterraneam ad flumen Chrysam, nunc *Asero*, in cujus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* I. p. 178. ASSORV. *Cic. Verr.* 2, 4, 44. Hanc virtutem Agrigentinorum imitati sunt Assorini postea, viri fortes et fideles, sed nequaquam ex tam ampla, neque tam ex nobili civitate. *F.*]

[ASSOTĀNUS, a, um, adj. ad urbem pertinens in Hispania Tarraconensi, quae *Asso* dicitur *Ptol.*, *Assota* a *Luitprando. Inscr.* ap. *Grut.* 174, 4. Patronus Reip. Assotanae. *Alia* ap. *Murat.* 2016, 5. Collegium Assotan.

ASSŪDASSIT et Adsudassit, hoc est sudat, vel valde sudat, *ad* enim auget. *Pl. Cas.* 2, 6, 9. Stimulus eo nunc sum tibi: eo dico, corculum assudassit jam ex metu. (*Juvenal.* eadem ratione l. *sub f.* rubet auditor, cui frigida mens est Criminibus: tacita sudant praecordia culpa.) Al. leg. *assudascit*, ut sit ab *assudasco:* vel *assudescit*, ab *assudesco.* Alii vero, quia ex metu frigus potius oritur, et tremor, mallent *corculum assultascit jam ex metu*, quod praestat.

ASSŪDESCO et Adsudesco, is, n. *Varr. L. L.* 4, 22. *a med.* Dictum assum, quod ab igne assudescit. V. v. praec.

ASSUĒFĂCIO et Adsuefacio, ăcis, eci, actum, a. 3. *ἐθίζω*, *προσεθίζω*, assuetum reddo, usu doceo. *Cic. Fam.* 4, 13. Orbus iis rebus omnibus, quibus et natura me, et voluntas, et consuetudo assuefecerat. *Id. Brut.* 2. Assuefacere se armis. *Val. Max.* 4, 6. *ext. n.* 1. se equo. *Auct. Dial. de Orat.* 29. parvulos probitati et modestiae. *Val. Max.* 8, 7. *n.* 15. *ext.* se sermoni Persico. *Cic. Prov. cons.* 13. Ceteras nationes imperio populi R. parere assuefecit. *Caes. B. G.* 4, 2. Equosque eodem remanere vestigio assuefaciunt. *Liv.* 3, 52. *extr.* Nec suo sanguine ad supplicia patrum plebem assuefaciant. [*Construitur igitur cum dativo atque cum accus. et praep. *ad.* De utraque constructione disputavit *Oud.* ad *Suet. Aug.* 64.] ℙ *Assuefio* passive cum genitivo, Graecorum more. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 172. Publicarum rerum assuefiam, ut scripturarius. *Id. Non.* aliter haec verba refert 4, 315. Publicanus vero ut Asiae fiam scripturarius, etc.

ASSUĒFACTUS et Adsuefactus, a, um, part. ab *assuefacio*, usu doctus, assuetus, *ἐθισθείς. Cic. Cat.* 2, 5. Stuprorum ac scelerum exercitatione assuefactus. *Id. Or.* 3, 10. Quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui nisi Latine. [*Cic. *Brut.* 59. puro sermone assuefacta domus.] *Caes. B. G.* 4, 1. A pueris nullo officio aut disciplina assuefacti. *Tac. A.* 12, 5. *in f.* Luxui aut voluptatibus assuefactus. *Plin.* 10, 43, 60. Corvus assuefactus sermoni. ℙ Cum infinito. *Caes. B. G.* 6, 24. Paulatim assuefacti superari, multisque victi proeliis.

ASSUESCO et Adsuesco, escis, evi, etum, n. 3. *ἐθίζομαι*, usu aliquid disco, assuetus fio. *Cic. Fam.* 9, 22. Ego servo et servabo (sic enim assuevi) Platonis verecundiam. *Cels.* 8, 10. *ad f.* Deligando cogit os assuescere vetustae sedi. *Prop.* 3, 3, 6. Assuescent Latio Partha tropaea Jovi. *Quint.* 10, 1. Optimis assuescendum est. *Tac. Agr.* 21. Per voluptates quieti et otio assuescere. *Suet. Aug.* 38. Assuescere reipublicae. *Liv.* 1, 19. legibus. *Quint.* 2, 4. in re aliqua. *Caes. B. G.* 6, 28. Uri assuescere ad homines et mansuefieri, ne parvuli quidem excepti, possunt. *Cic. Fin.* 5, 2. Ad fluctum ajunt declamare solitum Demosthenem, ut fremitum assuesceret voce vincere. *Ov. Trist.* 2, 504. Assuescunt oculi multa pudenda pati. *Virg. G.* 1, 42. votis jam nunc assuesce vocari. *Quint.* 1, 2. Puer assuescat a tenero non reformidare homines. *Vell.* 2, 33. Lucullum Pompejus Xerxem togatum vocare assueverat, *h. e.* solebat. *Suet. Aug.* 49. Cohortes circa finitima oppida dimittere assuerat. *Ov. Met.* 8, 335. Qua se demittere rivi Adsuerant pluvialis aquae. ℙ *Assuescere alicui* interdum significat consuetudinem libidinis cum aliquo habere. *Curt.* 6, 5. ℙ Ponitur etiam active pro assuefacere, ita tamen ut semper verbum aliquod intelligatur. *Hor. Sat.* 2, 2, 109. qui Pluribus assuerit mentem, corpusque superbum. *Stat. Th.* 4, 655. et Icaria Rhodopen adsueverat umbra. V. ICARIUS. *Flor.* 4, 12. Armenios in hoc unum servitutis genus Pompejus assueverat, ut rectores a nobis acciperent. *Vell.* 2. 79. Contrahendo militi ac remigi, navalibusque assuescendo certaminibus praefectus M. Agrippa. [*V. quae de hac cum accus. constructione hujus v. et aliorum compositorum (insuescere, consuescere, desuescere) disseruit *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 105. coll. *Hdf.*, qui comparat Gr. *εἴθισμαι τοῦτο.* Alia V. apud *Cort.* et *Bentl.* ad *Lucan.* 5, 776. Sic etiam intelligendus *Virg. A.* 6, 833. Ne, pueri, ne tanta animis assuescite bella, quem locum Noster per hypallagen interpretatur pro: ne tantis bellis assuescite animos. Sed minime ea est hypallage, ut diximus. Cum Virgiliano loco comparat *Döderl. Syn.* etc. I. p. 69. locum *Liv.* 21, 33. Galli — perversis rupibus juxta invia ac devia assueti decurrunt, conjungens ita: Galli juxta assueti invia ac devia; qui est accus. graecus eodem modo ut apud *Virgilium.* (Sic *Liv.* 21, 34. sollicitus omnia 10, 39. paratus omnia 1, 32. cetera egregium *ψ.*) Accusativum eodem modo positum habent codd. *Ov. Trist.* 3, 3, 7. nec aquas assuevimus istas; sed vulgo legitur *aquis istis.*] ℙ Cum infinito *Prud. in Symm.* 1, 541. remque Quirini Assuescit supero pollere in saecula regno. ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 2, 1. Caritas ipsius soli, cui longo tempore assuescitur. ℙ [*Videntur viris doctis commutata *acquiescere* et *assuescere.* V. ad *Suet. Tib.* 31.]

ASSUĒTŪDO et Adsuetudo, inis, f. *συνήθεια*, consuetudo. *Liv.* 25, 26. Assuetudine mali efferaverant animos. *Id.* 27, 39. Duodecim annorum assuetudine perviis Alpibus factis. *Ov. Met.* 10, 173. longaque alit assuetudine flammas. *Tac. H.* 2, 62. Degenerabat a labore ac virtute miles assuetudine voluptatum et contemptu ducis. *Id. A.* 1, 11. Tiberio, seu natura sive assuetudine, suspensa semper et obscura verba. *Varr. L. L.* 8, 14. Amor assuetudinis ad nova vestimenta traducit. ℙ Pro turpi consuetudine libidinis causa. *Tac. A.* 13, 46. Nero assuetudine Actes devinctus.

ASSUĒTUS et Adsuetus, a, um, part. ab *assuesco*, assuefactus, suetus, *συνήθης. Cic. Or.* 3, 15. Homines labore assiduo et quotidiano assueti. *Id. Planc.* 9. Vicinitas non assueta mendaciis. *Virg. A.* 7, 746. Gens assueta multo venatu nemorum. *Justin.* 31, 1. Assuetus imperio et immoderata licentia militari. *Flor.* 1, 1. Aves assuetae sanguine et praeda. [*Constructionem cum ablat. defendit ad h. l. *Freinshem.*, quem laudat *Burm.* ad *Ov. Met.* 13, 554. praedaeque assuetus amore. (*coll.* 15, 484.) V. etiam *Gron.* ad *Liv.* 31, 35. genus pugnae, quo assuerant.] *Vell.* 2, 117. Bellicae assuetus militiae. *Virg. A.* 7, 490. mensaeque assuetus herili. *Liv.* 22, 18. Hispanorum cohors assuetior montibus. *Virg. A.* 7, 33. Assuetae ripis volucres et fluminis alveo. *Id. ib.* 9, 511. Assueti longo muros defendere bello. *Hor. Sat.* 2, 2, 11. Assuetus graecari. *Suet. Dom.* 15. Assuetus dare laetam sortem. *Plin.* 9, 30, 48. Polypus assuetus exire e mari. *Liv.* 38, 17. Romani Gallici tumultus assueti. *Sall. fr.* ap. *Prisc.* 6. p. 707. Male assuetus ad omnes vis controversiarum. *Sen. Troad.* 152. Manus assuetae ad sceptra. [*Lucan. 8, 452. sceptris.] *Liv.* 24, 5. Jam inde a puero in omnia familiaria jura assuetus. *Senec. Troad.* 1067. turris assueta Priamo i. e. quam Prianus saepe scandere solebat. [*Liv. 5, 34. regio oculis assueta, i. e. notissima visuque laeta. *q.*] ℙ Ponitur saepe pro solito, seu pro eo, cui quis assuevit. *Cels.* 1, 3. Sumere cibum assueto leviorem. *Phaedr. prol.* 3, 14. otium des corpori, ut assuetam fortius praestes vicem. *Vell.* 2, 120. Assuetam sibi causam suscipit. *Plin.* 8, 43, 68. Nec nisi assuetos potant fontes. *Ov. Pont.* 1, 5, 36. Tempus et assueta ponere in arte juvat. *Sil.* 7, 312. Assueto belli de more. *Ulp. Dig.* 19, 2, 15. Solis fervor non assuetus. ℙ *Assueto* absolute. *Ov. Her.* 6, 72. Longius assueto lumina nostra vident. *Stat. Th.* 12, 306. assueto propior premat orbita terras.

ASSŪLA, ae, f. *σχίδαξ*, *σχίδιον*, segmentum seu fragmentum, quod e ligno, aut asse scissa in longitudinem dissecatur. *Festus* in *Fomites.* Assulae, quae sunt securibus excussae. *Plin.* 16, 11, 22. Flos crudus resinae cum multa assula tenui brevique avulsus. *Id.* 9, 15, 18. Melandrya vocantur, caesis quercus assulis simillima. *Id.* 29, 2, 9. Assulis taedae subjectis. *Pl. Merc.* 1, 2, 20. At etiam cesso foribus facere hisce assulas? ℙ De fragmento lapidis. *Vitr.* 7, 6. Caementa marmorea, sive assulae dicuntur, quae marmorarii ex operibus dejiciunt. ℙ Pro parva asse, (*Schindel*) *Bibaculus* ap. *Suet. Gr.* 11. Depictae minio assulae. *Pl. Most.* 2, 2, 23. Pultando pedibus paene confregi assulas. Alii rectius leg. cum Taubm. *hasce ambas:* sc. fores. ℙ In locis *Plinii* citatis 16, 11, 22. et 29, 2, 9. legitur *hastula* pro *assula* in edd. princip. A. 1469. 1470 et 1472. ut et in MSS. quos *Harduin.* habuit. V. ASTULA.

ASSŪLĀTIM, adv. per assulas, minutatim, [*per posterius voc. explicat *Non.* p. 72.] *σχιδακηδὸν. Pl. Capt.* 4, 2, 52. Aperite hasce ambas fores, priusquam pultando vel [*alii omittunt *vel*] assulatim foribus exitium affero. *Pl. Men.* 5, 2, 105. Securim capiam ancipitem, atque hunc senem exossabo, dein dedolabo assulatim viscera. [**Döderl. Etym.* etc. I. p. 177. derivare videtur h. v. ab *assilire*, *i* mutata in *u;* cui derivationi obstat locus *Plauti.*]

ASSŪLĪTANS et Adsulitans, antis, part. ab inusit. *assulito* pro *assulto*, assultans, vacillans. *Catull.* 17, 1. O Colonia, quae cupis ponte ludere longo, Et salire paratum habes; sed vereris inepta Crura ponticuli assulitantis, irredivivus Ne supinus eat. *Voss.* leg. assulis stantis, *h. e.* axiculis. [**Assulitans* sane non est voc. et e Lexicis expellendum.]

ASSŪLOSĒ, adv. assulatim. *Plin.* 12, 22, 48. Calamus, qui assulose potius, quam raphani modo frangitur, *h. e.* in multas assulas.

ASSULTIM et Adsultim, adv. *πηδητικὸν*, per saltus, saltando. *Plin.* 11, 24, 28. Phalangia assultim ingredientia.

ASSŪLTO et Adsulto, as, avi, atum, n. 1. *ἐπιπηδάω*, assilio, saltu accedo: ex *ad* et *salio. Plin.* 2, 83, 85. Duo montes inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes. *Id.* 8, 40, 61. Canis assultans, contraque belluam exsurgens. ℙ Saepe adhibetur in re bellica. *Sil.* 7, 401. Jam cernes Libycum hunc vallo assultare leonem. *Tac. A.* 2, 13. Tertia vigilia assultatum est castris. *Id. Agr.* 26. Assultare tergis pugnantium. *Id. Hist.* 4, 22. Assultare per campos. *Id. A.* 1, 51. Assultare latera et frontem exercitus. *Stat. Th.* 11, 243. Portarumque moras frenis assultat et hastis.

ASSŪLTUS, us, m. *ἐπιπήδησις*, saltus ad aliquem locum. *Virg. A.* 5, 441. Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat Arte locum, et variis assultibus irritus urget. *Tac. A.* 2, 21. Assultibus et velocitate corporum uti in proelio.

ASSUM. V. ADSUM.

ASSŪMO et Adsumo, is, umpsi, mptum, a. 3. *προσλαμβάνω*, sumo, capio, ad me sumo: ex *ad*, et *sumo. Cels.* 1, 3. Assumere cibum bis die. Et *ib.* Assumere per cibos et potiones maxime dulcia et pinguia. (*Scribon. Compos.* 200. *de medicamentis usurpat.* Et absolute de cibis. *Cels.* 5, 27. *n.* 17. Si fungos inutiles quis assumpsit, i. e. edit.)

Cic. Fam. 7, 25. Aliquantum noctis assumere. *Id. Fin.* 1, 10. voluptatem, depellere [*repellere] dolorem. *Id. Or.* 1, 50. sibi artem aliquam. *Id. ib.* 37. dicendi copiam. *Id. Or.* 62. Genus orationis neque totum assumendum ad causas forenses, neque totum repudiandum. *Id. Or.* 2, 39. Assumere aliquid foris ad probandum, vel refellendum. [**Quint.* 10, 2, 25. quid noceret vim Caesaris, asperitatem Coeli — quibusdam in locis assumere? i. e. foris arcessere et suam facere. Cf. *Frotscher. Id. ib.* 6, 3. paullatim usus assumendus, i. e. in auxilium vocandus.] *Id. Mur.* 14. sibi laudem ex re aliqua. *Id. Balb.* 24. sacra Cereris de Graecia. *Liv.* 2, 22. Hernicos in societatem armorum. *Plin. ep.* 3, 19. aliquem in consilium rei familiaris. [**Tac. Agr.* 13. in partem virium, ut *ib.* 25. Cf. de his et similibus *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 110. et 2, 29.] *Suet. Tib.* 65. sibi collegam in consulatu. *Tac. A.* 15, 54. consilium alicujus. *Plin. ep.* 8, 18. aliquem in nomen. *Id. Pan.* 8. aliquem sibi filium. Et *ib.* 7. aliquem in laborum curarumque consortium. Et *ib.* 83. et *Tac. A.* 12, 5. uxorem. *Justin.* 2, 4. aliquam in matrimonium. *Hor. Ep.* 1, 5, 28. aliquem convivam. *Id. Sat.* 1, 6, 51. aliquem amicum. *Tac. A.* 14, 20. arma. *Id. Hist.* 2, 90. et *A.* 15, 71. sibi nomen aliquod. *Id. Agr.* 3. spem, fiduciam. *Ov. Met.* 15, 421. robur, vires. *Quint.* 10, 2. aliquid in exemplum, *h. e.* ad imitandum. ℙ In argumentationibus *assumi* dicitur id, quod in Scholis *medius terminus* argumenti appellatur. *Cic. Div.* 2, 52. Assumit autem Cratippus hoc modo: Sunt autem innumerabiles, etc. Adde *ib.* 51. ℙ Interdum est tribuere, arrogare. *Cic. Off.* 1, 1. Si id mihi assumo, videor id meo jure quodammodo vindicare. [*Ut *id. Or.* 1, 12. orator tractationem orationis — sibi assumet, i. e. sibi vindicabit; eam in se positam esse dicet] *Id. Fam.* 1, 9. Neque vero ego mihi postea quidquam assumpsi, neque hodie assumo, quod quemquam jure possit offendere. *Id. Sull.* 30. Dico illud, quod in his causis conjurationis non auctoritati assumam, sed pudori meo. *Id. Planc.* 23. Ut eorum reprehensionem, vos vestrae prudentiae assumere, meae modestiae remittere debeatis. ℙ [*Est etiam aliquid sumere tanquam certum, aliquo modo intelligere. *Ulp. Dig.* 45, 1, 41. easque (Calendas) assumemus. — Et *Cod. Theod.* 9, 42, 6. quam (majestatis quaestionem) si quis sacrilego animo assumit etc., i. e. si quis crimen illud in se admittit, si committit. — De aliis cf. ASSUMPTUS.]

ASSUMPTIO et Adsumptio, onis, f. actus assumendi, *πρόληψις. Cic. Fin.* 3, 5. Artes propter se assumendas putamus, quia est in his aliquid dignum assumptione. [*Int. h. l. de approbatione eorum bonorum, quae *προηγμένα* Stoici dicebant. V. totum locum.] ℙ In argumentationibus *assumptio* dicitur minor propositio, quae ad id, quo de agitur, probandum assumitur, ut ex *Cic. Inv.* 1, 37. et *Quint.* 5, 14. colligitur. *Cic. Div.* 2, 53. Jam assumptione non concessa, nulla conclusio est. ℙ Est etiam adjectum, aut circumstantia. *Mart. Dig.* 28, 5, 46. *extr.* Si in patre, vel patria, vel alia simili assumptione falsum scriptum est, dum de eo, qui demonstratus sit, constet, institutio valet.

ASSUMPTĪVĒ, adv. *Capell.* 5. p. 147. ubi *de constitutione causae assumptiva* disserit. V.

ASSUMPTĪVUS et Adsumptivus, a, um, adj. qui assumitur, *προσληπτικός*. Constitutio juridicialis assumptiva est ea probationum pars, in qua ratio externa ad defensionem recte facti, vel ad accusationem male facti assumenda est, ut Ann. Milo recte Clodium occidit, qui vitae suae insidiatus est. *Cic. Inv.* 1, 11. Constitutio juridicialis in duas distribuitur partes, absolutam et assumptivam. Absoluta est, quae ipsa in se continet juris et injuriae quaestionem. Assumptiva est, quae ipsa ex se nihil firmi dat ad recusationem; foris autem aliquid defensionis assumit. [*Cf. *ib.* 2, 24. et *Auct.* ad *Her.* 1, 14.] *Quint.* 7, 4. Alterum defensionis genus, in quo factum per se improbabile, assumptis extrinsecus auxiliis tuemur: id vocant *προσληπτικήν*. Latini hoc quoque non ad verbum transferunt: assumptiva enim dicitur causa. V. *Capell.* 5. p. 146.

ASSUMPTUS et Adsumptus, a, um, part. verbi *assumo*, *προσλαμβανόμενος. Cic. Balb.* 24. Sacra Cereris assumpta de Graecia. *Ov. Met.* 3, 558. Assumptumque patrem, commentaque sacra fateri, *h. e.* adscitum et fictum. [*Ut h. l. *assumtus pater* dicitur, volunt etiam legi *Vell.* 1, 11. assumtis regni insignibus. V. *Ruhnk.* ℙ Porro *assumta verba*, *Cic. Part.* 7. sunt i. q. *ἐπίθετα*. At apud *Quint.* 10, 1, 121. sunt i. q. translate usurpata, metaphorica.] ℙ Scribitur et *assumtus:* sic *emtus*, *promtus*, et alia id genus: qua de re plura *Dausquius* in *Emtum.*

ASSŪO. V. ADSUO.

ASSŪRA, ae, f. *Varr. R. R.* 3, 9. Ego quae requiro sarsurae, assurae, membra de palumbis, de gallinis, dic sodes, Merula. Ita habetur in multis edd., et ita legit *Turneb. l.* 24. *c.* 22., et *assuram* interpretatur assiduitatem et diligentiam in nutricando, curando, habendo: nam assas nutrices dici, quod fere semper assint iis, quos nutriunt, nec vel exiguo divellantur [*minime! V. ASSUS.], ut *Non.* 1, 280. interpretatur. *Sarsuram* a *sarciendo* deduci ait: et sensum esse: peto, ut sarcias et expleas membra omnia, quae ad hanc nutricationem pertinent. In editione principe A. 1472. legitur: Egoque requiro farturae a sura membra de palumbis. De gallinis, etc. Alii alia comminiscuntur. Videtur *Victorio* desperatus locus, item *Schneidero.*

*ASSURAE, arum, oppidum Africae Propriae, in Zeugitana. *Antonini Itin. B. A.*

ASSURGO et Adsurgo, urgis, urrexi, urrectum, a. 3. *ἐναΐσσομαι*, idem quod surgo: ex *ad*, et *surgo. Cic. Cluent.* 69. Quae dum laudatio recitatur, vos quaeso, qui eam detulistis, assurgite. *Liv.* 3, 24. et *Tac. Hist.* 2, 99. Ex quo semel fuerit aeger, non modo visum, sed ne assurrexisse quidem ex morbo. *Claud. Epithal. Pallad. et Celer.* 29. Mollibus assurgit stratis. Al. leg. *exsurgit. Val. Fl.* 3, 476. intortis assurgens arduus undis. ℙ *Assurgere alicui* est ad conspectum alicujus surgere honoris causa. *Cic. Pis.* 12. An quisquam in curiam venienti assurrexit? *Virg. Ecl.* 6, 66. Utque viro Phoebi chorus assurrexerit omnis. *Ov. Am.* 3, 2, 53. Ruricolae Cereri, teneroque assurgite Baccho. *Sall. fr.* ap. *Non.* 4, 5. Assurgere de sella alicui. Al. leg. *surgere. Stat. Th.* 2, 60. honori numinis. ℙ Translate. *Virg. G.* 2, 60. Sunt etiam Ammineae vites, firmissima vina, Tmolius assurgit quibus, et rex ipse Phanaeus, *h. e.* cedit. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Inv.* 1, 30. Ut majoribus natu assurgatur. *Liv.* 9, 46. Cum assurrectum ei non esset. *Plin.* 16, 4, 5. Ludos ineunti semper assurgi, etiam ab senatu, in more est. ℙ In illo *Cic. Senect.* 18. Haec enim ipsa sunt honorabilia, salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, etc. *assurgi* per figuram *ξεῦγμα* dictum est: neque enim eadem ratione efferri potest, qua *salutare*, *appetere*, et alia, quae activa sunt. ℙ Pro extolli, (aut crescere). *Virg. G.* 3, 355. Septemque assurgit in ulnas. *Id. ib.* 109. Assurgere in auras. *Id. A.* 11, 283. in clypeum. *Plin.* 13, 22, 42. Ferula assurgens in altitudinem. *Id.* 36, 12, 17. Pyramis assurgit trecentis sexaginta tribus pedibus. *Id.* 4, 12, 22. Delos assurgit Cyntho monte. *Liv.* 22, 4. Paulo latior patescit campus: inde colles adsurgunt. *Tac. Hist.* 4, 23. Pars castrorum in collem leniter assurgens. *Id. A.* 13, 38. Colles clementer assurgentes. *Virg. A.* 4, 86. Non coeptae assurgunt turres, *h. e.* non exstruuntur. [**Id. ib.* 10, 797. subiit (Lausus) mucronem dextra assurgentis Aeneae plagamque ferentis, ubi poeta ipse explicat; nam assurgere dextra est i. q. dextram tollere, ut faciunt aliquem ense petituri.] ℙ Item pro oriri, erumpere. *Virg. A.* 1, 539. subito assurgens fluctu nimbosus Orion. *Val. Fl.* 5, 566. Assurgens nox aurea. *Cels.* 2, 8. Tumores oriuntur, deinde desinunt, deinde rursus assurgunt. ℙ Translate. *Virg. A.* 10, 95. nunc sera querelis Non justis assurgis. *Id. ib.* 12, 494. Tum vero assurgunt irae. *Flor.* 3, 1. Assurgere in ultionem. *Vell.* 2, 51. in triumphum et pontificatum. *Stat. Th.* 10, 227. Gaudet in adversis, animoque assurgit Adrastus. *Quint.* 10, 1. Raro assurgit Hesiodus, *h. e.* raro utitur sublimi dicendi stilo.

ASSURIUS. V. ASSYRIUS.

ASSUS, a, um, *ὀπτός*, igni tostus: cui opponitur elixus. *Varr. L. L.* 4, 22. dictum putat, quod ab igne assudescit. *Non.* 2, 70. docet, ideo *assos* dici cibos igni tostos, quia sunt sine pigmento saporis alieni, et solo suo sapore conditi: *assus* enim etiam solum significat. Alii derivant ab *ardeo*, quasi *arsum.* [Sed esse videtur ab *ἄζω* id. q. *ἀΐζω*, halo, torreo, ut sit quasi *aridus. F.* *Radix sane est ass = as = ar, unde *areo.*] *Hor. Sat.* 2, 2, 73. simul assis Miscueris elixa. *Cels.* 2, 18. Res eadem magis alit jurulenta, quam assa; magis assa, quam frixa. *Plin.* 30, 15, 51. Assus pulmo praesumptus. *Scribon. Compos.* 221. Assa ova. ℙ *Assum*, *i*, absolute. *Cic. Fam.* 9, 20. Integram famem ad ovum, [*i. e. initium coenae] affero. Itaque usque ad assum vitulinum [*quo claudebatur coena] opera perducitur. V. OVUM. Ab hac significatione descendit altera, qua *assus* pro sicco sumitur, nam assi cibi sicci sunt, et jure carentes. Hinc *assae sudationes* dicuntur a *Celso* 3, 27., quae solo et sicco calore eliciuntur: et opponuntur iis, quae balneo fiunt, ut ipse exponit 2, 17. Graeci *ξηροὺς ἱδρῶτας* appellant. Hinc locus, seu cella, in qua hujusmodi sudor elicitur, *assum* appellatur. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. In balneariis assa in alterum apodyterii angulum promovi, propterea quod ita erant posita, ut eorum vaporarium esset subjectum cubiculis. *Gloss. vet.* Assa cella, *ἀφιδρωτήριον. Senec. ep.* 51. *sudatorium* appellat, *in quod siccus vapor corpora exsuturus includitur.* ℙ *Assus sol* dicitur sol siccus, hoc est sine unctione adhibitus, *ἥλιος καθαρός. Cic. Att.* 12, 6. Et pro isto asso sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, a te nitidum solem unctumque repetemus, *h. e.* tu in nostro pratulo siccus ad solem inambulasti, neque antea lavisti, aut unxisti corpus: nos non contenti erimus uno et sicco sole, sed prius lavare et ungi volemus. Veteres enim solebant uncti nudum corpus ad solem exponere: idque maxime ad praesidium valetudinis. ℙ *Assa nutrix* dicitur sicca, hoc est, quae non [*amplius] lac praebet infantibus, sed solum diligentiam et munditiam adhibet, ut docet *Vet. Schol.* ad illud *Juven.* 14, 208. *Hoc monstrant vetulae pueris reptantibus assae.* Sic enim is ibi legit, cum in vulgatis etiam antiq. edd. habeatur *pueris poscentibus assem.* [*Haec vera est interpretatio.] At *Non.* 1, 280. alia ratione *assam nutricem* interpretatur. Nempe ita dictam putat, quod assit infantibus, ut supra in ASSURA dictum est. *Inscr.* ap. *Murat.* 1512, 6. Volumniae Dynamidi Volumnia C. F. Procula nutrici assae et libertae Vixit Annos CV. *Front. ad Antonin. Imp.* 1. *Ep.* 5. Assae nutricis est infantem magis diligere, quam adultum: succensere etiam pubertati stulta nutrix solet, puerum de gremio sibi abductum, et campo aut foro traditum. ℙ *Assi lapides* sunt sici, hoc est sine caemento, quibus maceria construitur, [*sive sine calce compacti.] *Servius* ad *G.* 2, 417. ℙ Ab altera hac *assi* notione descendit tertia, qua solum significat, ex eo fortasse ducta, quod cibi assi solo suo condiuntur sapore, sine pigmento saporis alieni, ut *Non.* 2, 70. loquitur. [*Mira interpretatio! Assus nunquam est i. q. solus. Sed ut *assa caro (Röstfleisch)* ea caro dicitur, quae sine jusculo est (*Carbonnade*) fere ut Germani loquuntur, *trocken Brot* dicentes, ut lapides assi, assa nutrix etc. dicta sunt, sic ad eandem analogiam] *assa vox* dicitur ore tantummodo prolata, non adhibitis aliis vocibus tibiae, [*fidium] aut alterius musici instrumenti, ut *Non. l. c.* docet. *Varr. ib.* In conviviis pueri modesti, ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, et assa voce, et cum tibicine. *Cato ib.* Melos alterum in cantibus est bipartitum, unum quod est in assa voce, alterum quod vocant organicon. *Ascon. in Divin. Cic. in Verr.* 17. Cani remigibus celeusma per symphoniacos solebat, et per assam vocem, id est ore prolatam; et ut in Argo navi per citharam. ℙ Simili ratione *assae tibiae* dicuntur, quae solae adhibentur sine voce hominis. *Serv.* ad *G.* 2, 417. Assae tibiae dicuntur, quibus canitur sine chori voce. *Festi* quoque huc pertinent verba: *Assa dicuntur cantus tibiarum:* quae tamen non *Festi*, sed *Pauli Diaconi* ejus epitomatoris, atque adeo mutila et depravata esse, quidam merito suspicantur.

ASSYRIA, ae, f. nunc *Arzerum*, *Ἀσσυρία*, regio Asiae, contigua Mesopotamiae, et ab ea Tigride fluvio divisa. Appellata est ab Assur filio Sem, ut *Augustin. Cic. Dei* 16, 3. tradit. *Plin.* 5, 12, 13. et 6, 13, 16. ℙ Scribitur et *Assuria* Latinis litteris. V. in v. seq.

ASSYRIUS, a, um, adj. ad Assyriam pertinens. *Senec. Herc. Oet.* 553. Taurus puellae vector Assyriae, *h. e.* Europes filiae Agenoris Phoeniciae regis. Phoenicia autem veteris Assyriae provincia est. *Justin.* 18, 3. Assyrium stagnum, *h. e.* mare Tiberiadis in Palaestina, quae et ipsa Assyriae veteris provincia fuit. *Virg. Ecl.* 4, 25. Assyrium vulgo nascetur amomum, *h. e.* quod solum in Assyria nascitur, ut *Servius* adnotat. Hoc ipsum *Stat. Silv.* 2, 6, 88. Assyrium gramen appellat. *Virg. G.* 2, 465. Alba nec Assyrio fucatur lana veneno, *h. e.* purpura. *Servius:* Assyrii populi sunt adjacentes Syriae, apud quos primum usus inventus est purpurae. Sic *Sil.* 11, 41. madefacta veneno Assyrio vestis, *h. e.* Tyria purpura. Tyros enim in Syria est. Et *Claud. Rapt. Pros.* 2, 96. vellera Assyrii spumis fucantur aheni. *Colum.* 10, 114. Assyrio venit quae semine radix. *Id.* 11, 3. hoc idem *Syriacam radicem* vocat. V. RADICULA. *Ov. Am.* 2, 5, 40. Assyrium ebur, *h. e.* dentes elephantini, qui ex India advehuntur. Poetae autem saepe conterminas regiones confundunt. Assyria Indiam attingit. *Claud. Phoen.* 86. perfusam murice vestem Assyria signatur acu, *h. e.* Phrygia. *Lucan.* 6, 429. nec Assyria scrutetur sidera cura; scilicet quia Assyrii astrologiae apprime dediti fuere, ut et *Cic.* sub initio *Div.* 1. tradit. *Lucan.* 4, 298. Assyrii scrutator pallidus auri. Al. rectius leg. *Astyrii*, *h. e.* Asturii. V. ASTUR. *Stat. Silv.* 3, 3, 212. liquor Assyrius, *h. e.* amomum. *Mart.* 5, 7. Assyrii nidi, *h. e.* nidi Phoenicis, quae in Assyria vivere dicitur. ℙ *Assyria malus* arbor est Assyriae, Mediae et Persidis, foliis unedonis et lauri simillimis, intercurrentibus spinis, omni anni tempore fructum ferens, quod *malum citreum* et *malum Medicum* (*Citrone*) appellatur a *Plin.* 15, 14, 14. et 23, 6, 56., succum habens acrem seu acidum, quem *Virg. G.* 2, 126. appellat *tristem tardumque saporem*, ubi plura hac de re. *Plin.* etiam accurate describit 12, 3, 7. Quo vero nomine ab Italis appelletur, utrum *arancio*, an *limone*, an *cedro* (quod veri simillimum videtur), difficile est definire, aliis alia sentientibus. Probabile est, ad omnia haec, eorumque species, tanquam commune nomen transferri.

Vide, si lubet, *Pier. ad cit. G.* 2, 134., *Salmas.* in *Exercitat. Plin. ad Solin.* 46., et praeterea *Matthiol. in Dioscor.*, *Gesner.*, *Heynium* [*maximeque *Vossii* egregiam dissertationem de malo medico s. Assyrio (*der Citrone*) et malo citreo (*der Pomeranze*)] ad *Virg. l. c.* ℙ *Assyrii*, *orum*, sunt Assyriae populi. *Cic. Div.* 1, 1. ℙ Scribitur et *Assurius* ex consuetudine Latinorum, qui saepe Graecam *v* in *u* vertunt, ut dicemus in *Sulla:* et ita legitur in quibusdam edd. *Dig.* 45, 1, 1. et alibi.

AST, *αὐτὰρ*, *ἀλλὰ*, idem omnino quod *at;* estque familiarissimum poetis, quamquam et ab oratoribus [*a *Cic.* nonnisi in oratione familiari, ut in epistolis,] non raro usurpatur. [*Ac primum quidem est particula adversativa]: *Cic. Att.* 1, 16. *in f.* Tu crebras a nobis litteras exspecta: ast plures etiam ipse mittito. *Id. ib.* 6, 5. Hoc tu indaga, ut soles: ast hoc magis, etc. *Id. Prognost.* ap. *Prisc.* 18. p. 1170. Ast autem tenui quae candent lumine Phatnae. *Virg. A.* 3, 330. Ast illum, etc. *Ov. Met.* 6, 685. Ast ubi, etc. [*Deinde est i. q. vicissim, contra, atque eo modo simul vim quandam conjunctivam habet. *Pl. Capt.* 3, 5, 25. Si ego hic peribo, ast ille, ut dixit, non rediit, at erit mi hoc factum memorabile, etc., quare nonnulli h. l. legi volunt *atque.* Sed cf. *Cic. Leg.* 2, 8, 19. Divos colunto — et ollos, quos endo coelo merita locaverunt, Herculem etc.: ast olla etc. ibique *Goerenz.* qui legem regiam comparat et infra *ib.* 3, 3, 9.] *Pl. Trin.* 1, 2, 37. neque mores antiquos servas, ast captas novos. [*Quare fit, ut apodosin magna cum vi incipiat, ut *Liv.* 10, 19. ex antiqua formula: Bellona si victoriam duis, ast ego templum tibi voveo, i. e. tum vero. *Id.* 9, 1. quodsi nihil — relinquitur inopi: at ego ad Deos vindices intolerandae superbiae confugiam. *Id.* 36, 1.] ℙ Alios hujus conjunctionis usus refert *Charis.* 1. p. 204., ubi scribit legisse se in Glossis antiquitatum, usurpatam fuisse ab antiquis pro atque, ac, ergo, tamen, tum, cum; sed nullo haec exemplo confirmat.

ASTĀ. V. ASTENSIS.

[ĀSTĀBĬLIS vel Adstabilis, le, adj. qui astat. *Not. Tir.* p. 40. Adstabilis. *F.*]

*ASTABŌRAS vel Astabores, Aethiopiae flumen, in Nilum influens. *Plin.* 5, 9. qui de eo, tanquam de laevo Nili alveo, loquitur. Cf. *Mela* 1, 9. *Strabони* et *Ptolemaeo* est *Ἀσταβόρας: Ἀσταβόρρας Josepho. B. A.*

*ASTACĒNI, orum, Astacenes, Parthorum regionis, incolae. *Plin.* 2, 105. (*al.* 109.) *B. A.*

ASTĀCĒNUS, a, um, adj. ad Astacum oppidum Bithyniae pertinens, ut *Astacenus sinus*, nunc *Golf von Nicomedien. Plin.* 5, 32, 43.

*ASTĀCES, ae, Ponti fluvius. *Plin.* 2, 103. In Ponto fluvius Astaces rigat campos; ubi *Hard.* ut videtur, *Astaces* pro casu secundo accipit. *B. A.*

ASTĀCĪDES, ae, m. Astaci filius, et est quidam Menalippus, qui cum Tydeum in bello Thebano letali vulnere percussisset, ab eo moribundo capite truncatus, et dentibus corrosus fuit. *Ov. Ib.* 515. Astacidaeque modo decisa cadavere trunco, Digna feris, homini sit caput esca tuum. V. *Stat. Th.* 8. *sub f.*

ASTĀCUS, i, m. *ἀστακός*, genus cancri marini, fluviatili cancro valde similis, sed majore tamen mole, colore violaceo exsaturato, et ad nigrum accedente, maculisque variis caeruleis, rubris, candidis asperso. Non unum est astacorum genus: sed *Plinius* marini tantum meminit 9, 31, 51., ut *Hard.* adnotat. ℙ Astacus Menalippi pater, V. voc. praeced. ℙ [*Porro est Astacus, Astacos vel Astacum, i, Bithyniae oppidum, in ora Propontidis. *Plin.* 5, 32. *Mela* 1, 19. ante med. *Ammian.* 22, 12. *Trebell. Poll.* in *Gallienis* 4. ubi V. *Salm.* ut et ad *Solin.* p. 879. *B. A.*]

*ASTAE, arum, *Ἄσται Strab.* et *Steph. Byz.* Thraciae populi; ad Pontum Euxinum, Astii dicti *Liv.* 38, 40. *B. A.*

ASTANS et Adstans, antis. V. ASTO.

*ASTĀPA, ae, Hispaniae Baeticae oppidum. *Liv.* 28, 22. et 23. *Plinio* est Ostippo, judice *Hard. B. A.*

ASTĀPHIS, idis, f. *ἀσταφίς*, uva passa: Graeca vox. *Plin.* 23, 1, 12. Uva passa, quam astaphida vocant, stomachum tentaret, nisi, etc. ℙ *Astaphis agria*, *ἀσταφὶς ἀγρία*, eadem quae *Staphis* ap. *Plin. ib.* 13. V. STAPHIS.

ASTĀPHĪUM, ii, n. nomen est ancillae in Comoedia *Plauti*, quae inscribitur *Truculentus:* eademque per blanditiam dicitur *Astaphilitium* diminutiva voce, *ib. a.* 5. *v.* 5.

*ASTĀPUS, odis et i, *Ἀστάπους*, *Ἄσταπος*, vel Astapes, is, Aethiopiae fluvius, in Nilum cadens. Sic *Ptolemaeus* et *Strabo. Mela* autem 1, 9. *post init.* de cornu Nili altero, ad Meroem urbem, *Astapem* intelligit, quemadmodum laevum cornu, ad Meroen eandem, *Astaboras* appellatur. A *Plinio Astusaspes* nuncupatur Nili dextrum cornu. *B. A.*

ASTARTĒ, es, et is, f. *Ἀστάρτη*, Dea Syrorum, et Sidoniorum; estque Venus hujus nominis quarta, Syria Tyroque concepta, quam Adonidi nupsisse proditum est. Ita *Cic. N. D.* 3, 23. At *Varr. L.* *L.* 4, 10. dicit, Astartem esse apud Phoenices eandem ac Terram, sicut Taautem eundem ac Coelum: qui duo sunt omnium Deorum principes: tametsi hoc loco corruptam esse *Varronis* lectionem censet *Scalig.* in *Conjectan.* Alii cum *Luciano* censent eandem esse ac Lunam. Docent etiam, ita appellatam esse a divitiis, quia haec vox Phoenicum lingua greges significat. Antiquorum autem divitiae olim pecorum gregibus constabant. Denique *Augustin. Quaestion. super Judic.* 7, 17. scribit, a Poenis nomine Astartis appellari Junonem. Hanc in sacris Litteris nomine *Astaroth* designari, tradit praeter alios *Scalig. l. c.* Meminit etiam *Tert. Apol.* 24. et *adv. Gnostic.* 3., sed utrobique masculini generis facit, *Astartes*, *is*, si modo ea lectio sana est. Nam alii aliter leg., et *Scioppius* priore loco *Adargatis* reponit. V. plura apud *Selden. de Diis Syris*, *syntagm.* 2. *c.* 1. [*et cf. *Lex. Myth. Nitzschii.*]

ASTĀTOR et Adstator, oris, m. qui astat, adest, seu praeest. *Inscr.* ap. *Fabrett. c.* 3. *n.* 297. Deo Sancto Numini Deo Magno Libero Patri, et Adstatori, et Conserbatori hujus Collegii Velabrensium.

[ASTECTUS, i, m. *ἄστεκτος*, idem quod *ἄστεγος:* ab *α* privativa, et *στέγω*, tego, tecto carens, seu arcana in pectore non retinens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 84, 4. P. Gavius Astectus. *F.*]

ASTĒISMUS, mi, m. *ἀστεϊσμός*, Latine urbanitas, est tropus multiplex numerosaeque virtutis. Nam asteismus putatur, quicquid rustica simplicitate caret, et faceta satis urbanitate exponitur, ab *ἄστυ*, urbs, vel *ἀστεῖος*, urbanus, ut illud *Virg. Ecl.* 3, 90. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Moevi. Aliud hujus schematis exemplum affert *Diomed.* 2. p. 458. Adde *Charis.* 4. p. 247. ℙ Scribitur et *astismus:* sed utcumque scribas, Graeca vox est, et Graece usurpanda; licet Latinis litteris legatur apud *Serv.* ad *A.* 2, 547.

*ASTELĒPHUS, i, m. fluvius Colchidis, *Astelephas* dictus a *Plin.* 6, 4. *B. A.*

[ASTENSIS, se, adj. ad Astam pertinens, Liguriae urbem ad Tanarum fluvium sitam, nunc *Asti*, de qua *Plin.* 3, 5, 7. *Spon. Miscell.* p. 158. Civitas Astensis. ℙ Item ad Astam regiam, coloniam Romanam in Hispania Baetica, de qua *Plin.* 3, 1, 3. et *Mela* 3, 1. *Liv.* 39, 21. Ager Astensis. *Auct. B. Hisp.* 26. Equites Romani Astenses. *F.* et *B. A.*]

ASTER, ĕris, m. *ἀστὴρ*, cognomento *Atticus*, herba est cauliculum habens foliis oblongis duobus, aut tribus; in cacumine capitula stellae modo radiata: unde et nomen traxit; nam *ἀστὴρ* stellam significat. Prodest ad inguinum tumores: unde et *bubonion*, a *βουβών*, inguen, et tumor inguinis; et Latino vocabulo *inguinalis herba* appellatur. *Plin.* 27, 5, 19. et *Appul. Herb.* 60. [*Aster Amellus *L.*, *die ital. Sternblume.*] ℙ *Aster*, cognomine *Samius* genus est terrae Samiae, de qua *Plin.* 35, 16, 53. ℙ Graece *aster* stellam significat, ut dictum est: atque hoc sensu Latine legitur apud *Macr. Somn. Scip.* 1, 14.

ASTĒRIA, ae, et Asterie, es, f. *Ἀστερίη*, Poli et Phoebes filia, soror Latonae, mater Herculis quarti. *Cic. N. D.* 3, 16. *Hyg. fab. Prooem.* ℙ Alia est Atlantis filia, mater Oenomai ex Marte. *Hyg. fab.* 250. ℙ Alia Titanis filia a Jove adamata, et ab eodem in aquilam converso rapta: quae cum ejus amorem contemneret, in coturnicem mutata est. *Ov. Met.* 6, 108., *Hyg. fab.* 53. *Serv.* ad *A.* 3, 73. hanc Asterien cum priore Poli filia confundit, narratque, cum eam Juppiter vitiare vellet, impetrasse a Diis, ut in avem converteretur: quam cum Juppiter volantem vidisset, afflatam in lapidem mutasse, qui diu sub fluctibus latuit, et tandem super aquas apparuit, et Delos insula facta est. V. ibi plura. ℙ Est etiam nomen gemmae, quae inclusam lucem pupillae modo quandam continet, ac transfundit cum inclinatione, velut intus ambulantem ex alio atque alio loco reddens, eademque contraria soli regerens candicantes radios: unde nomen invenit; nempe ab *ἀστὴρ*, stella, vel scintillans radius: Itali vocant *girasole*, [**Katzenauge* Germani.] *Plin.* 37, 9, 47. V. ASTERITES. ℙ Fuit etiam olim nomen duarum insularum Rhodi et Deli, ut legitur apud *Plin.* 5, 31, 36. et 4, 12, 22. ℙ Denique *Asterie* nomen est proprium mulieris, apud *Hor. Od.* 3, 7.

ASTĒRIACE, es, f. a *Celso* 5, 14. enumeratur inter ea medicamenta simplicia, quae carnem alunt, et ulcus implent. Videtur autem intelligere ipsum *asterem Samium*, cui eandem vim tribuit *Galen. Compos. pharmac. secundum loc. l.* 7. *c.* 4.; at hoc in loco variant codd., hinc *Targa* censet, fortasse legendum *erythace* pro *asteriace.*

ASTĒRIAS, ae, m. *ἀστερίας*, genus est ardeolarum, de quo diximus in ARDEA.

ASTĒRĬCUM, i, n. *ἀστερικόν*, herba a Latinis *urceolaris* dicta (fortasse quia tergendis urceis apta sit) folio similis ocimo, nigrior tantum, nascitur-que in tegulis parietinisque. *Plin.* 22, 17, 20.

ASTĒRION, ii, n. *ἀστέριον*, genus phalangii, subnigro colore virgulis albis intertexto, cujus morsus genua labefactat. *Plin.* 29, 4, 27. ℙ Est etiam *Asterion*, *ontis*, nomen fluvii Argolidis in Peloponneso e monte cognomine per silvam Nemeam effluens, *Ἀστερίων. Stat. Th.* 4, 122. et 714. ℙ Item nomen proprium viri, Cometis filii, qui unus fuit ex Argonautis. *Val. Fl.* 1, 355.

*ASTĒRIS, idis, f. *Ἀστερὶς*, insula maris Ionii, non procul a Cephallenia Ithacaque. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

ASTĒRISCUS, i, m. *ἀστερίσκος*, parva stella. Sumitur pro notula in modum parvae stellae sic * formata, quae in libris ad distinctionem aliquam appingi solet. *Isid. Or.* 1, 21. docet, asteriscum apponi in iis locis, in quibus aliquid deest. *Hieronym. in Ruf.* 2, 8. Omnia veteris instrumenti volumina obelis asteriscisque distinguere. *August. ep.* ad *Hieron.* 10, 2. Asteriscis notasti quae in Hebraeo sunt, et in Graeco desunt; obeliscis autem quae in Graeco inveniuntur, et in Hebraeo non sunt.

ASTĒRITES, ae, m. *ἀστερίτης*, genus basilisci stellatam cutem habentis, qui quidquid viderit, arefacere et occidere dicitur. *Appul. Herb.* 128. ℙ Est etiam gemma eadem quae *Asteria* ap. *Isid. Or.* 16, 10. quam *Capell.* vocat *Astriten* l. p. 19., et *Plin.* 37, 9, 47. *Asteriam.* V. ASTERIA.

[ASTĒRĬUS, ii, m. *ἀστέριος*, sidereus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 758, 9. Claudius Asterius. *F.*]

ASTERNO et Adsterno, is, a. 3. *παραστορέω*, *καταστρωννύω*, juxta sterno. *Ov. Met.* 2, 342. Non auditurum miseras Phaetonta querelas Nocte dieque vocant, adsternunturque sepulcro.

[ASTĒRŌPE, es, f. *ἀστεροπή*, fulgur. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1140, 9. Cominasiae Asterope. *F.*]

ASTHMĀTĬCUS, a, um, adj. *ἀσθματικός*, qui suspirio seu difficultate spirandi laborat, quae Graece *ἄσθμα* dicitur (de qua *Cels.* 4, 4. *n.* 2.). *Plin.* 20, 21, 84. Asthmaticis ac dysentericis in vino bibendum dedit. *Id.* 26, 7, 19. Hyssopum asthmaticis.

*ASTĬCA, ae, vel Astice, es, f. regio Thraciae, circa Pontum Euxinum. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

[ASTĬCUS, a, um, adj. *ἀστικός*, urbanus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1297, 3. L. Annius Asticus. *F.*] ℙ Astici ludi. V. ASTYCUS.

ASTĪFER. V. HASTIFER.

[ASTIGITĀNUS, a, um, adj. ad Astigin pertinens, Hispaniae Baeticae urbem, a *Plin.* 3, 1, 3. memoratam, inter Cordubam et Hispalin, olim *Coloniam Augustam Firmam* cognominatam, nunc *Ecija* in *Andalusia. Inscr.* ap. *Grut.* 1, 5. P. Numerius Martialis Astigitanus. Alia *ib.* 351, 5. Colonia Astigitana. Alia apud *Murat.* 1029, 7. Respublica Astigitana. *F.* et *B. A.*]

ASTĪPŪLĀTĬO et Adstipulatio, onis, f. *συγκατάθεσις*, actus astipulandi, affirmatio. *Plin.* 29, 1, 5. Videbamus senes consulares usque in ostentationem rigentes. Qua de re exstat etiam Annaei Senecae astipulatio. *Quint.* 11, 3. *sub f.* An non haec *misellus* et *pauperculus*, summissa atque contracta; *fortis* et *vehemens* et *latro* erecta et concitata voce dicenda sunt? Accedit enim vis et proprietas rebus tali astipulatione: quae nisi adsit, aliud vox, aliud animus ostendat, *h. e.* affirmatione et vi vocis remissae aut contentae.

ASTĪPŪLĀTOR et Adstipulator, oris, m. *προσεπιφωνητής*, qui alteri stipulanti et spondenti quippiam accedit, et simul cum eo astipulatur, quo pacta et conventa firmiora sint: estque valde similis fidejussori. *Auct. ep. ad Octav. sub f.* Esse quendam, cujus avus fuerit argentarius, astipulator pater; uterque vero precarium quaestum fecerit, etc. Designari videntur hoc loco ii, qui in foro ad argentariorum tabernas assistebant, et mercede aliqua accepta, aliorum contractus sua astipulatione et fide firmabant. *Cajus Institut.* (ed. *Goeschenio*) 3, 110. Possumus ad id, quod stipulamur, alium adhibere, qui idem stipuletur: quem vulgo adstipulatorem vocamus. *Id. ib.* 117. Adstipulatorem fere tunc solum adhibemus, cum ita stimulamur, ut aliquid post mortem nostram detur, quod stipulando nihil agimus. Adhibetur autem adstipulator, ut is post mortem nostram agat; qui, si quid fuerit consecutus, de restituendo eo mandati judicio heredi tenetur. ℙ In judiciis *astipulator* dicitur, qui actori aut reo vadimonii facti, vel constituti, vel etiam alterius cujuspiam forensis actionis testis accedit, et simul cum eo adpromittit seu stipulatur. *Cic. Quint.* 18. Testes tot cum astipulatore tuo comparabuntur. *Id. Pis.* 9. Qui, isto non modo propugnatore, tutiorem se, sed advocato, aut astipulatore, paratiorem fore putaret. ℙ Translate est, qui alteri assentitur, ejusque opinionem approbat et confirmat. *Cic. Acad.* 4, 21. Illud falsum esse, et Stoici dicunt, et eorum astipulator Antiochus. *Val. Max.* 7, 1. *in f.* Dum astipulatorem vanae opinionis Deum habere concupiscit.

ASTĪPŪLĀTUS, us, m. idem quod astipulatio. In sexto casu sing. *Plin.* 7, 47, 48. Consecratus est oraculi jussu, et Jovis Deorum summi astipulatu.

ASTĬPŬLOR et Adstipulor, aris, atus sum, dep. 1. *συγχαταίθεμαι*, alicui stipulanti et spondenti quidquam accedo, simulque stipulor. *Caj. Instit.* (ed. *Goeschenio*) 3, 112. Si verbi gratia ego ita stipulatus sim: Dari spondes? adstipulator sic adstipulari potest: Idem fide tua promittis? vel, Idem fidejubes? vel contra. Idem minus adstipulari potest, plus non potest. ℙ Translate assentior, alterius sententiam approbo, confirmo. *Liv.* 39, 5. Astipulari irato consuli. *Plin.* 7, 48, 49. Hellanicus (prodit) quosdam in Aetolia CC. annos explere: cui astipulatur Damastes, memorans, Pictoreum etiam CCC vixisse. ℙ ASTIPULO, *as*, a. 1. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1, 18. Quaeso uti istud astipulare praesenti mihi ut filio praestes. *B. A.*

ASTĬTŪO et Adstituo, uis, ui, utum, a. 3. *προστίθημι*, statuere, seu collocare apud aliquid: ex *ad*, et *statuo*. *Pl. Capt.* 4, 2, 66. Juben', an non jubes astitui aulas, patinas elui? *Auct. ad Her.* 3, 20. Astituere reum ad lectum aegroti. *Appul. Met.* 9. p. 222, 1. Die sequenti molae matutinus astituor. Et post *init. l.* 3. Ejusque tribunal astituor.

[ASTĬTŪTUS et Adstitutus, a, um, partic. v. *astituo*. *Pl. Cas.* 5, 2, 49. Continuo in genua astituto pectus mihi pedibus percutit. *F.*]

ASTO et Adsto, as, astiti, n. 1. *παρίστημι*, idem quod sto, vel prope, aut praesens sto, assisto; ex *ad*, et *sto*, *as*. *Virg. A.* 3, 123. Hoste vacare domos, sedesque astare relictas. *Pl. Ps.* 3, 2, 74. Si iste ibit, ito: stabit, astato simul. *Id. Cist.* 2, 3, 53. Adolescens asta, atque audi. *Id. Epid.* 1, 1, 61. Abeo. *Ep.* asta; abire hinc non sinam. *Id. Most.* 1, 4, 11. Cave, ne cadas; asta. *Id. Capt.* 3, 4, 104. Tu subsultas: ego miser vix asto prae formidine. Et *Ter. Ph.* 5, 6, 27. Ad fores Suspenso gradu ire perrexi; accessi, astiti, Animam compressi, aurem admovi. *Pl. Cas.* 5, 2, 41. Astare in genua. *Ov. Met.* 3, 187. in latus obliquum. *Virg. A.* 2, 303. atque arrectis auribus asto. *Pl. Capt.* 3, 5, 6. Ut confidenter mihi contra astitit. *Cic. Arch.* 10. Cum Alexander in Sigeo ad Achillis tumulum astitisset. *Id. Cat.* 4, 2. Astare in conspectu alicujus. *Tac. A.* 12, 36. tribunali. *Suet. Tib.* 61. et *Mart.* 8, 56. mensae. *Suet. Tib.* 32. et *Oth.* 3. pro foribus. *Lucr.* 1, 89. ante aras. *Virg. A.* 3, 150. ante oculos. *Id. A.* 4, 702. Iris supra caput astitit. *Ov. Her.* 14, 89. et *Tac. A.* 2, 9. Astare in ripa. *Sen. Herc. Fur.* 356. juxta aliquem. *Sil.* 17, 478. Astare praesentem alicui. [*Proprium esse h. v. nocturnis visis annotavit *Cort.* ad *Lucan.* 1, 189. Ingens visa duci patriae trepidantis imago — astare. Sic etiam de Diis, ut *Virg. A.* 3, 150., omninoque de aliis quibusque rebus celeriter supervenientibus.] ℙ Cum ablat. sine praeposit. *Tac. A.* 15, 37. Crepidinibus stagni lupanaria astabant. *Stat. Th.* 9, 606. tum limine divae Astitit, et tali nequidquam voce precatur. ℙ Cum accusat. sine praeposit. *ad*, quae inest in ipso verbo. Nam *Prisc.* 18. p. 1181. docet Latine dici *Astitit illum locum*, et *illo*, et *illi*, et *circa illum*. Hinc *Plin. Pan.* 23. Occursantium populus te quoque, te immo maxime astabat. [*Cf. de h. l. quae diximus s. v. ARCTO. Nam *artaret* legendum esse probabile est.] ℙ Translate. *Lucr.* 3, 1092. finis vitae mortalibus astat. *Pl. Amph.* 3, 4, 10. Amanti supparasitor, hortor, asto, admoneo, gaudeo, *h. e.* adsum, praesto sum. *Id. Cas.* 3, 3, 4. Contrivi diem dum asto advocatus cuidam cognato meo. ℙ Particip. *Astans*, *antis*. *Cic. in Senat.*10. Astante atque audiente Italia tota. *Id. Har. resp.* 6. Maxima frequentia civium astante. *Tac. A.* 3, 14. Inter aliena servitia, et tot astantium visu. ℙ *Astans* pro erectus, aut hirtus. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 1. Phidias fecit Minervam Athenis, quae est in Parthenone astans. *Virg. G.* 3, 545. attoniti squamis astantibus hydri. ℙ Pro manens, vigens, incolumis. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 3, 19. Adstante ope Barbarica, *h. e.* Priami dum regna manebant, ut *Virg. A.* 2, 22. loquitur. ℙ *Adstassent* est *statuerunt*, ut apud *Festum* legitur, quae tamen verba, ut recte monet *Scalig.*, corrupta sunt, legendumque *Adstassint*, *steterint*. ℙ *Astari* passive *Sall. fragm.* ap. *Non.* 14, 11. Postquam ex sarcinis paludamenta astari, et delectae cohortes intelligi coepere. *astari* hic fortasse positum est pro astitui, collocari; sed totus locus depravatus videtur. In editionib. princip. A. 1476. et 1480, legitur *obstari*. Alii etiam aliter leg. [*Sed in *Cortii* ed. p. 979. legitur *adstare* nihilque de diversitate scripturae ascriptum est.] ℙ [*Partic. *astatus* et *astitus* ap. *Prisc.* V. *Praestitus. B. A.*]

ASTŌMĂCHĒTUS, a, um, adj. *ἀστομάχητος*, ab *α* priv. et *στόμαχος*, stomachus, stomachi vitio, et translate animi aegritudine carens. *Inscr.* ap. *Grut.* 750, 14. P. Aelio Celeri Clodia Helpis conjugi benemerenti, qui vixit annis XC astomachetus. Alia apud *Reines. cl.* 12. *n.* 124. Fuit hic vitae nitidus, culto (*leg.* cultu) decoratus, formae (leg. forma) speciosus, qui et astomachetus.

ASTŌMI, orum, m. plur. *Ἄστομοι*, populi ad extremos fines Indiae habitantes, circa fontem Gangis, qui sine ore esse crediti sunt, corpore toto hirti, frondium lanugine vestiti, halitu tantum viventes, et odore, quem naribus trahant ex variis radicibus, floribus et silvestribus malis. Haec ex Megasthene refert *Plin.* 7, 2, 2. Dicuntur autem *ἄστομοι* ab *α* privativa, et *στόμα*, os, oris.

ASTRĂBA, ae, f. *ἀστράβη*, Graeca vox, in *Gloss. Isid.* exponitur tabella, ubi pedes requiescunt. In *Gloss.* etiam Lat. Gr. legitur: *Astrama*, *σανὶς ὑποπόδιον*: ubi *Salmas. not. ad Spartian. in Carac.* 7., *Voss. Etym.* et alii emendant *astraba*, et putat *Salmas.* intelligi gradus ligneos, vel ferreos, quibus in equum ascenditur; aut lignum illud in ephippiis, quod sessor manu tenet. Ita enim exponitur ab *Hesychio*, et in Etymologico Magno *ἀστράβη τὸ ἐπὶ τῶν ἵππων τιθέμενον ξύλον, ὃ κρατοῦσιν οἱ καθεζόμενοι*. Significat etiam clitellas, quae asinis vel mulis imponuntur ad vehenda onera: item quodvis jumentum clitellas ferens (ut ex eodem *Hesychio* constat), quod *dossuarium* et *clitellarium* Latine dicitur. Ducitur ab *α* privativa, et *στρέφω*, verto, torqueo, quia clitella onus aut equitem regit, ne labatur. Hinc *Astraba*, et Latine *Clitellaria* inscripta est una ex fabulis *Plauti* deperditis, cujus aliquot solum fragmenta ad nos pervenere. *Probus* in vita *Virgilii* (si modo aliqua est ei habenda fides) docet, *astrabam* esse vehiculum quoddam; et ideo a *Plauto* inscriptam fuisse eo nomine fabulam, quia in ea mulieres in ejusmodi vehiculis induxit. *Gell.* 11, 7. et *Non.* 2, 11. dubitant, an ea comoedia inter genuinas *Plauti* referenda sit: *Varr. L. L.* 5, 7. et *Festus* in *Subscudes* non dubitant.

ASTRAEA, ae, f. *Ἀστραία*, Astraei et Aurorae, sive, ut alii malunt, Jovis et Themidos filia, justitiae antistita, quam poetae fabulantur aureo illo saeculo e coelo in terram migrasse, et tandem mortalium sceleribus offensam coelum repetivisse. *Ov. Met.* 1, 149. et Virgo caede madentes Ultima Coelestum terras Astraea reliquit. Adde *Juven.* 6, 19. et *Senec. Octav.* 424. ℙ Apud *eund. Sen. Herc. Fur.* 1068. dicitur Astraea mater Somni, quia beneficio Justitiae secure dormiunt homines. ℙ Est hujus Deae signum in coelesti Zodiaco, quod et *Libra* appellatur. V. LIBRA. *Lucan.* 9, 534. aut Aries donat sua tempora Librae, Aut Astraea jubet lentos descendere Pisces.

ASTRAEUS, a, um, adj. *Ἀστραῖος*. *Astraei fratres* sunt venti, Astraei filii. *Ov. Met.* 14, 545.

ASTRAEUS, i, m. *Ἀστραῖος*, unus ex Titanibus, qui cum Aurora concubuit, et ex ea ventos genuit. *Serv.* ad *A.* 1, 136. ex *Hesiodo*, et *Hyg. Prooem. fab.*, qui quatuor ei filios tribuit, Zephyrum, Boream, Notum et Favonium. *Caesar Germ. in Arat.* 104. et *Avien. ib.* 279. hunc faciunt patrem omnium Astrorum et sideris Virginis, quae Astraea esse putatur. ℙ Quidam scribunt *Astreus*, et disyllabum putant, ut *Orpheus*: sed obstat Graeca dictio, qua *Ἀστραῖος* dicitur ab *Hesiod.*, *Apollod.*, *Arato*, aliis.

ASTRAGALIZONTES, *ἀστραγαλίζοντες*, hoc est astragalis seu talis ludentes; ab *ἀστραγαλίζω*, talis ludo. Ita appellabatur signum a Polyclete factum duorum puerorum talis ludentium: quo opere nullum absolutius plerique judicarunt. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 2.

ASTRAGĂLUS, li, m. et Astragalum, i, n. *ἀστράγαλος*. Graeca vox significans talum pedis tum in homine, tum in animalibus. Item talum lusorium. Habet etiam alias notiones: sed tum istae, tum aliae Graecorum sunt. Usurpatur Latine a *Vitruvio* pro membro architecturae, quod figura astragalum imitatur: habetque locum in basibus columnarum, in superciliis, in coronis, et alibi. *Vitruv.* 3, 3. Astragali faciendi sunt octavae partis trochili. *Id.* 4, 6. In hyperthyro scalpendum est cymatium, astragalum Lesbium sima scalptura. ℙ Est etiam *astragalus* herba, quae folia habet longa incisuris multis, et obliqua circa radices, caules tres, aut quatuor foliorum plenos, florem hyacinthi, radices villosas, implicatas, rubras, praeduras. Nascitur in petrosis, apricis, et iisdem nivalibus. *Plin.* 26, 8, 29.

*ASTRĂGON, i, castellum Cariae, urbi Stratoniceae vicinum. *Liv.* 33, 18. *post init.*

*ASTRĂGUS, i, fluvius Aethiopiae. *Plin.* 7, 2.

ASTRĂLIS, le, adj. ad astra pertinens, astricus, *ἀστρικός*. *Augustin. Civ. Dei* 5, 7. *extr.* Falsae et noxiae opiniones de astralibus fatis.

ASTRANGŪLĀTUS. V. ADSTRANGULATUS.

ASTRĀPE, es, f. *ἀστραπή*, Graeca vox fulgetrum significans: nomen est tabulae, in qua Apelles fulgetrum pinxit. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 17. Pinxit et quae pingi non possunt, tonitrua fulgetraque: Bronten, Astrapen, Ceraunobolian appellant.

ASTRĀPIAS, ae, m. *ἀστραπίας*, gemma nigri aut cyanei coloris, discurrentibus e medio fulminis radiis: unde et nomen habet: ab *ἀστραπή*, fulgetrum *Plin.* 37, 11, 73.

ASTRĀPOPLECTĂ, n. plur. *τὰ ἀστραποπληκτά*, hoc est fulgetro seu fulgore icta: ab *ἀστραπή*, fulgetrum, et *πλήσσω*, percutio, ferio. *Senec. Qu. nat.* 1, 15. Ab his (*fulgoribus*) tecta videmus icta sine fulmine, quae astrapoplecta Graeci vocant.

[ASTRAPTON, ontis, m. *ἀστράπτων*, fulgurans. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 3. *n.* 9. Astrapton Caesaris vilicus. *F.*]

*ASTRĀTUS, a, um, *Vet. Schol. in Juvenal. sat.* 16, 8. ed. *Cramero:* Quicunque non est astratus ad militiam, non audet injuriam referre militanti, i. e. allectus, adscriptus, ut exponit *Cramerus*. Vox etiam *Cangio* ignota. *B. A.* [*Nescimus, quomodo V. D. hanc interpretationem explicarit, non enim librum ad manus habemus.]

ASTRĒANS, antis, radios, lucemque astri instar emittens. Vox est paene monstrosa a *Capell.* usurpata 8. p. 273.

ASTRĒPO et Adstrepo, is, ui, itum, n. 3. apud aliquem strepo, vel simul strepo, *ἐπικτυπέω*, *ψοφέω*. *Sen. Hipp.* 1022. totum mare Immugit, omnes undique scopuli astrepunt. *Tac. A.* 1, 18. Astrepebat vulgus diversis incitamentis: hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes. *Plin. Pan.* 26. Plerique irritis precibus surdas principis aures astrepebant. ℙ *Astrepere alicui* interdum ponitur pro strepitu ac murmure assentiri et applaudere. *Tac. A.* 11, 17. Astrebebat huic alacre vulgus. Et *ib.* 12, 34. Haec dicenti astrepere vulgus. Et *Hist.* 2, 90. Vulgus, solitas adulationes edoctum, clamore et vocibus astrepebat. ℙ *Astrepere aliquid* est murmure et clamore dicere aut repetere. *Id. Hist.* 4, 49. Magna voce, laeta Pisoni omnia, tanquam principi continuare: obvios, et subitae rei miraculo attonitos, ut eadem astreperent hortari.

ASTRICTĒ et Adstricte, adv. arcte, stricte, strictim, *στενῶς*. Translate. *Cic. Or.* 3, 48. Illud assentior Theophrasto, qui putat, orationem, quae quidem sit polita, atque facta quodammodo, non astricte, sed remissius numerosam esse oportere, *h. e.* non stricte ligatam (nimis accuratam) numeris, ut versus. *Plin. ep.* 3, 18. *ad f.* Cum ea potius, quae pressius et astrictius, quam illa, quae hilarius et quasi exsultantius scripsi, possint videri, etc. *Sen. ep.* 8. *sub f. Alienum est omne, quidquid optando venit.* Hunc versum a te dici non paulo melius et astrictius memini. *Non est tuum, fortuna quod fecit tuum*, h. e. pressius. *Plin. ep.* 1, 20. Non minus non servat modum, qui infra rem, quam qui supra: qui astrictius, quam qui effusius dicit. *Quint.* 10, 1. Densior ille, hic copiosior: ille concludit astrictius, hic latius.

ASTRICTĬO et Adstrictio, onis, f. *στύψις*, actus astringendi. *Plin.* 27, 10, 59. Herba odoris tetri, gustus amari cum astrictione, *h. e.* cum vi astringendi.

ASTRICTŌRĬUS et Adstrictorius, a, um, adj. *στυπτικὸς*, astringendi vim habens. *Plin.* 24, 13, 71. Paliuri folia astrictoriam vim habent.

ASTRICTUS et Adstrictus, a, um, part. ab *astringo*, strictus, constrictus, stricte alligatus, angustus, *καθαπτὸς*, *προσεσταλμένος*. *Cic. Verr.* 2, 4, 42. Quis est hic, qui ad statuam astrictus est? *Tac. A.* 4, 70. Quantum, astrictis faucibus, niti poterat. *Hor. Od.* 3, 8, 10. Corticem astrictum pice dimovere. *Id. Ep.* 2, 1, 174. Astrictus soccus. *Ov. Fast.* 4, 929. Conatusque aliquis vagina educere ferrum, Adstrictum longa sentiat esse mora. *Id. A. Am.* 3, 146. Astrictae comae. *Curt.* 3, 13. vestes. *Id.* 4, 8. Astricti crepidis pedes. *Ov. Pont.* 3, 3, 26. Et coit astrictis barbarus Ister aquis, i. e. gelatis. Et *Trist.* 3, 4, 48. Astricto terra perusta gelu. [*Lucan. 8, 67. astrictos refovet complexibus artus, i. e. torpentes. Cf. *Cort.* Sic *id.* 6, 750. astrictus cruor.] *Id. Amor.* 3, 1, 50. Limen astrictum, *h. e.* janua obserata et custodita. *Mart.* 11, 40. Astricta frons, *h. e.* contracta. [*Burm. ad *Prop.* 2, 18, 74. putat astrictam frontem posse h. l. intelligi de fronte avari hominis; avari enim astricti dicuntur. V. infra. Sed hoc argutius.] *Quint.* 3, 3. Equus, cujus astricta sunt ilia. [*Explicat h. l. *Gron. diatr. Stat.* p. 249. ed. Lips. ubi pluribus agit de h. v.] Sic *Prooem.* 8. Astrictum corpus. [*Scilicet *astricta* corpora opp. *fluentibus*, eamque metaphoram ait *Burm.* ad h. l. a medicis sumtam esse qui corpus fluere dicant, quum alvus nimium dejiciat. V. eum l. l. Sed alio etiam sensu *corpus astrictum* dicunt medici. V. sqq.] *Cels.* 2, 2. Astricta tempora, i. e. genae aridae, tabidae. *Id.* 1, 3. Alvus fusior aut astrictior. Et 3, 6. Corpus astrictum, i. e. alvus dura. *Id. Praef.* 1. Genus morbi astrictum, h. e. quum homines sunt alvo obstructa. — ℙ Etiam de gustu dicitur; est autem *gustus astrictus* idem qui astringens, acerbus, *στρυφνός*. *Plin.* 27, 12, 96. Polygala palmi altitudinem petit, in caule summo foliis lenticulae, gustu astricto. — *Astrictus color.* V. in ASTRINGO. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 4, 42. Vinctus et astrictus religioni. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 3. Astrictum esse legibus. *Id. Parad.* 1. *init.* voluptatibus. [*Plin. Pan.* 93, 4. non disjunctos nos et quasi dimissos consulatu, sed quasi astrictos et devinctos putemus.] *Lucr.* 4, 1180. in amore. *Ov. A. Am.* 1, 361. Pectora astricta dolore. [*Contrarium est: *gaudio solvi* et similia, de quibus agit *Burm.* ad *Ov. Her.* 13, 116.] *Sall. Jug.* 73. Omnes res exsequi solitus, quae Jugurthae fesso, aut majoribus astricto superaverant. [*Id. *ib.* 60, 6. illis

studio suorum astrictis. Utroque loco explicant per *occupatus*. Bene autem observat *Cort.*, propius ad simplicem significationem explicari posse per: *captus*, *attentus*. Hinc etiam intelligi, cur aliquis dicatur *religioni astrictus*, vide supra.] *Cic. N. D.* 1, 7. *in f.* Astrictus necessitate. *Id. Pis.* 13. Quorum mens oppressa praemio, lingua astricta mercede, [*i. e. impedita, obstricta.] Sic *Cic. Sull.* 29. Tanto scelere astrictis hominibus statuerunt nihil auxilii ferri oportere. Adde *Pis.* 39. *in f.* ubi alii leg. *obstrictus*. [Illud recte dictum esse monstrat *Garat.* ad h. l., monente *Orell.*, quanquam recepit *obstrictus*.] *Id. Brut.* 90. Dialectica quasi contracta et adstricta eloquentia putanda est, i. e. in brevitatem redacta. *Id. ib.* 25. Simplex quidem L. Mummius, et antiquus; Spurius autem nihilo ille quidem ornatior, sed tamen astrictior: fuit enim doctus ex disciplina Stoicorum, i. e. brevior, concisior. [*Ac de vinculis numeri oratorii vel poetici]: *Id. Or.* 1, 16. Est finitimus oratori poeta, numeris astrictior paulo, verborum autem licentia liberior. *Id. ib.* 60. Histrio astrictus certa quadam numerorum moderatione et pedum. *Id. Brut.* 95. Comprehensio verborum astricta et perfecta exercitatione. ℙ *Astrictus homo*, in sumptibus parcus. *Prop.* 2, 18, 73. nec poscet garrula, quae te Astrictus ploret saepe dedisse pater. [*V. *Burm.* ad h. l.] Adde *Cic. Fam.* 3, 8. ubi alii leg. *restrictus*. [*Sic *Schütz.* et *Matthiae.*] Sic *Tac. A.* 3, 55. Praecipuus astricti moris auctor Vespasianus fuit, *h. e.* parsimoniae. *Suet. Tib.* 18. Commeatus ad certam formulam astrictus. [*Hic locus huc non pertinet.] *Val. Mal.* 2, 10. *n.* 8. Exiguum patrimonium, astricti continentia mores. *Justin.* 44, 2. Astricta parsimonia. ℙ Comp. *Astrictior*. V. supra.

ASTRĬCUS, a, um, adj. ἀστρικός, ad astra pertinens. *Varr.* ap. *Non.* 6, 16. Repente noctis circiter meridiem Cum pictus aer fervidis late ignibus Coeli choreas astricas ostenderet, etc.

ASTRĪDENS et Adstridens, entis, idem quod stridens, vel prope aut in aliquem stridens. *Stat. Th.* 11, 494. de Tisiphone, premit astridentibus hydris, Intentatque faces.

ASTRĬFER, a, um, adj. poet. qui astra fert. *Stat. Th.* 8, 83. astriferos inclinat Juppiter axes. *Val. Fl.* 6, 752. Nox simul astriferas profert mortalibus umbras, *h. e.* quae stellas afferunt. ℙ Item qui in astra translatus est. *Mart.* 8, 28. Quem (Timavum) prius astrifero Cyllarus ore bibit, *h. e.* ore, quod postea una cum Castore inter astra positum fuit, seu quod modo astra sustinet.

ASTRĬFĪCANS, antis, astra faciens, astrificus. *Capell.* 6. p. 191. Hanc mundo assimilem stupuit Trinacria tellus, Archimedea astrificante manu.

ASTRĬFĪCUS, a, um, adj. astra faciens. *Capell.* 2. *init.* Sed purum astrificis coelum scandebat habenis Nox, revocans merso fulgentia sidera Phoebo.

ASTRĬGER, a, um, adj. poet. astra gerens, astrifer. *Stat. Th.* 10, 828. astrigeros Capaneus tollendus in axes. *Claud. B. Get.* 245. astrigera senior cum conjuge Cepheus, *h. e.* Cassiopea. *Solin. fr.* ap. *Pithoeum*, p. m. 267. tibi primum candidus aether Astrigeram faciem nitido gemmavit Olympo.

ASTRĬLŌQUUS, a, um, adj. qui de astris loquitur. *Capell.* 8. p. 273. Viliaque astriloquae praefers commenta puellae.

ASTRĬLŪCUS, a, um, adj. lucens ut astrum, vel astrorum splendore fulgidus. *Capell.* 9. *init.* Ruricolae omnes, cunctique fluctigenae, quamplures etiam astriluci assensere Divi.

ASTRINGO et Adstringo, is, inxi, ictum, a. 3. προστέλλω, idem quod stringo, vel valde stringo, vel juxta aut ad aliquid stringo, arcte ligo. *Cic. Univ.* 4. Vinculorum id est aptissimum, quod ex se, atque de his, quae astringit, quam maxime unum efficit. *Hor. Epod.* 15, 5. Arctius atque hedera procera astringitur ilex. *Cels.* 5, 26. *n.* 24. Fascia sic deliganda est, ut et contineat, nec astringat. *Pl. Capt.* 3, 5, 9. Astringite isti vehementer manus. *Id. Bacch.* 4, 7, 25. Astringite ad columnam fortiter. *Ov. Met.* 11, 75. Astringere vinculum. *Petr. Sat.* 9. *extr.* toto pectore aliquem. Et *Curt.* 5, 1. Coctili laterculo specus structi sunt: totum opus bitumine astringitur. [*Lucan.* 2, 362. balteus haud fluxos gemmis astrinxit amictum.] ℙ Pro contrahere, in angustum cogere, cui opponitur dilatare. *Colum.* 5, 6. Frondes arboris amputare, aut astringere, ne umbra viti noceat. *Cic. N. D.* 2, 54. Alvus tum astringitur, tum relaxatur, atque omne, quod accipit, cogit et confundit. *Senec. ep.* 106. Astringere frontem. *Quint.* 11, 3. vultum superciliis. *Id. ib.* Astringere aut diducere labra. *Virg. G.* 2, 91. durat magis et venas astringit hiantes. ℙ A medicis *astringere* dicuntur ea, quae alvum sistunt, ἐπιστύφειν. *Cels.* 1, 3. Alvum astringit labor, sedile, *etc.* Contra solvit aucta ambulatio atque esca, etc. Adde 2, 30. ℙ Item ea, quae habent vim siccandi, humores depascendi, partesque roborandi. *Scribon. Compos.* 256. Malagma, quod confirmat partem et astringit. ℙ Dicitur etiam de frigore, quia contrahit et cogit. *Curt.* 8, 4. Imbrem vis frigoris concreto gelu astrinxerat. *Id.* 7, 3. Vis frigoris ita astringebat corpora, ut ad surgendum conniti non possent. [*Lucan. 5, 436. Bosporus undas, et *Cort.* ad h. l.] ℙ Hinc ponitur etiam pro refrigerare. *Plin. ep.* 5, 6. Si natare tepidius velis, in area piscina est; in proximo puteus, ex quo possis rursus astringi, si poeniteat teporis. Al. perperam leg. *abstergi*. *Mart.* 1, 50. remissum corpus astringas brevi Salone, qui ferrum gelat. *Astringor* hac significatione eleganter habet in praeteritio *astrinxi* pro *astrictus sum*; ea ratione, qua *lavi* dicimus pro *lautus sum*, et alia. Ita enim consuetudo obtinuit. *Varr. L. L.* 8. apud *Gell.* 2, 25. ℙ Praeterea *astringere* dicuntur ea, quae sunt acerbi gustus, qualia sunt poma immatura et acida, quae dentes et linguam quodammodo stringunt et ligant. *Plin.* 27, 10, 60. Radix glycysides gustu astringit. ℙ Pro vellicare, leniter titillare. *Plin.* 29, 2, 9. Mutantes aquam, donec linguam astringat leniter, nec mordeat. ℙ Translate. *Pl. Trin.* 3, 2, 73. Astringere affinitatem inter aliquos. *Cic. Prov. cons.* 14. Una atque altera aestas vel metu, vel spe, vel poena, vel praemiis, vel armis, vel legibus potest totam Galliam sempiternis vinculis astringere. *Id. Planc.* 30. *ad f.* Hujus tanti officii servitutem astringam testimonio sempiterno, *h. e.* obligabo, confirmabo. *Id. Off.* 3, 31. Nullum vinculum ad astringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. *Id. Cluent.* 57. Astringi lege. *Flor.* 4, 12. Astringere hostes obsidibus, *h. e.* imperatis acceptisque obsidibus obnoxios tenere. *Cic. Quint.* 5. aliquem suis conditionibus. *Id. Brut.* 10. disciplinam legibus. [*Etiam absolute de disciplina. *Id. Att.* 10, 6. pater nimis indulgens, quicquid ego astrinxi, relaxat. Cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 7, 1.] *Id. Or.* 3, 44. orationem numeris. *Id. Leg.* 2, 19. Astringi sacris, *h. e.* teneri lege de sacris familiae servandis. *Ulp. Dig.* 50, 6, 2. et *Arcad. ib.* 4. *l.* 18. muneribus, *h. e.* obligari ad munera praestanda. *Cic. N. D.* 1, 7. necessitate. *Plin. ep.* 7, 1. *in f.* Astringere aliquem ad temperantiam. *Suet. Aug.* 49. militem ad certam formulam stipendiorum. *Quint*, 2, 16. se ad servitutem alicujus. *Id.* 7, 3. se ad certa verba. *Ov. Her.* 20, 27. aliquem alicui, *h. e.* subdere, obnoxium reddere. Et *ib.* 16, 319. se in sacra jura. *Suet. Caes.* 84. se jurejurando pro salute alicujus. *Ter. Eun.* 1, 2, 22. suam fidem alicui. *Liv.* 39, 1. Inops regio milites parsimonia astringit. ℙ *Astringere* pro paucis colligere, breviter dicere. *Cic. Tusc.* 3, 6. *in f.* Breviter astringere argumenta. *Quint.* 10, 4. Humilia extollere (*in oratione*), luxuriantia astringere. Hinc de brevitate argumentorum. *Cic. Fat.* 14. Arctius astringi ratio non potest. ℙ Pro obstringere, alligare, *Pl. Rud.* 4, 7, 34. Astringere se et alium furti. *Cic. Phil.* 4, 4. se magno scelere. ℙ *Astringi* color dicitur a *Plin.* 9, 38, 62. qui minus splendidus fit, et quodammodo pressior: cui contrarium est *excitari*. ℙ Ab eodem 36, 26, 65. dicuntur arenae Beli amnis *astringi a morsu marino*, cum undis maris alluuntur, et salis acrimoniam ac mordacitatem imbibunt. ℙ *Astringere flumen ponte* pro jungere dixit *Sil.* 13, 765.

ASTRĪOS et Astrion, ii, ἀστριος, gemma est candida, inquit *Plin.* 37, 9, 48. crystallo propinqua, in India nascens, et in Pallenes litoribus: intus a centro ceu stella lucet fulgore lunae plenae. Quidam causam nominis tradunt, quod astris opposita fulgorem rapiat ac regerat. *Isid. Orig.* 16, 13. Astrion ex India est, crystallo propinqua, etc. [*Recentiores putant esse vel quem nos appellamus *den Sternsapphir*, vel *den Adular*.]

ASTRĪSŌNUS, a, um, adj. *Capell.* 9. p. 308. Astrisonus Juppiter, *h. e.* qui volvendo astra sonum edit.

ASTRĪTES, ae, m. ἀστρίτης, gemma siderum fulgorem referens. *Capell.* 1. p. 19. V. ASTERITES.

ASTRŌARCHĒ, es, f. Ἀστροάρχη, *h. e.* astrorum princeps a Phoenicibus dicta est Dea, quae ab Afris Urania, seu Coelestis dicitur, nempe Venus. *Capell.* 8. p. 273., ubi alii aliter leg.

ASTRŌBOLOS, i, f. gemma esse dicitur oculis piscium similis, candida luce in sole radians. *Plin.* 37, 9, 50. [*Katzenauge; secundum alios *Chalcedon*.]

ASTRŌĪTES, ae, m. ἀστροίτης, gemma est celebrata miris laudibus a magis. *Plin.* 37, 9, 49.

ASTROLOGIA, ae, f. ἀστρολογία, scientia tractans de natura et motu astrorum, quae et *Astronomia* dicitur. Aliqui ita distinguunt, ut *Astronomia* sit, quae de motu astrorum disserit, *Astrologia*, quae influxum siderum spectat, et ex astris praedicit futura contingentia circa vitam et fortunam hominum. Hinc *Hieron. adv. Pelagian.* 1, 8. tanquam duas diversas artes enumerat. Sed tamen fere Latini scriptores *astrologiae* nomine utramque complexi sunt. *Cic. Div.* 2, 42. Eudoxus Platonis auditor, in astrologia facile princeps. (Hujus meminit etiam *Petr. Sat.* 88.) *Id. Orat.* 1, 16. Ignarus astrologiae. Adde *Off.* 1, 6. *Varr. R. R.* 2, 17. Quas capras etiam astrologia in coelum recepit, non longe ab Tauro. ℙ *Astrologiae* inventor dicitur fuisse Atlas Libyae filius: alii Aegyptiis eam inventionem tribuunt, alii Assyriis, et Belo Babyloniae regi. *Plin.* 7, 56, 57. et 6, 26, 30. ℙ Libri de astrologia tractantes. *Plin.* 18, 25, 57. Occasum matutinum Vergiliarum Hesiodus (nam hujus quoque nomine exstat Astrologia) tradidit fieri, cum, etc.

ASTROLŌGUS, i, m. ἀστρολόγος, qui astrologiae scientiam habet. *Cic. Verr.* 2, 2, 52. Iste novus astrologus, qui non tam caeli rationem quam caelati argenti duceret. [*Id. Div.* 2, 42. Archelaus et Cassander summi astrologi illius aetatis. ℙ Deinde is, qui ex astris futura praedicit]: *Id. Div.* 1, 6. Augurum aut astrologorum praedictio. *Id. Fam.* 6, 6. Ut augures et astrologi solent. *Enn.* ap. *Eund. Div.* 1, 58. Non habeo denique nauci Marsum augurem, Non vicanos haruspices, non de circo astrologos, etc. intelligit eos, de quibus *Juven.* 6, 552. et *Suet. Ner.* 36. ℙ Hercules *astrologus* dictus est, quod eo die se flammis injecit, quo futura erat obscuratio solis, inquit *Festus* in *Hercules:* vel potius quod astrologiae peritus fuit, quam eum doctum fuisse ab Atlante *Servius* tradit ad *A.* 1, 745. Unde et pro ipso coelum sustinuisse fingitur.

*ASTRON, i, Mysiae (vel Troadis) fluvius. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

ASTRONOMIA, ae, f. ἀστρονομία, scientia, quae ex ratione motus siderum aliquid colligit, et ad usum vitae transfert: v. g. ad rationem temporis, dierum, mensium, anni constituendam; item ad navigationem, etc. Graeca vox, ut et *astrologia:* sed *astronomia* Latini scriptores parcius usi sunt. *Petr. Sat.* 88. Ubi est dialectica? ubi astronomia? ubi sapientiae consultissima via? *Sen. ep.* 95. Scita vel placita, quae in geometria et in astronomia invenies. Adde *August. Civ. Dei* 18, 39. et *Macr. Somn. Scip.* 2, 4.

ASTRONŌMĪCUS, a, um, adj. ad astronomiam pertinens, ἀστρονομικός. *Astronomicon* est liber vel opus de astronomia tractans. Ita inscribitur *Manilii* poema, et *Hygini* liber.

ASTRONŌMUS, i, m. ἀστρονόμος, astronomiae peritus. *Firmic. Math.* 5, 13. Faciet divinos sortilegos, astronomos. Adde *ib.* 15.

ASTRŌSUS, a, um, adj. infelix. *Isid. Or.* 10. Astrosus, ab astro dictus, quasi malo sidere natus. ℙ Idem ac lunaticus. *Id.* in *Gloss.* Astrosus, lunaticus. [*Cf. *Barth. Adv.* 19, 22. *B. A.*]

ASTRUCTĬO et Adstructio, onis, f. actus astruendi. *Capell.* 5. p. 149. Illa autem ratio ex oratoris plerumque astructione colligitur, *h. e.* ex probationibus, quas orator addit. *Id.* 9. p. 314. Bene modulanti solertia, quae rhythmicis, et melicis astructionibus continetur, *h. e.* compositionibus musicis.

ASTRUCTOR et Adstructor, oris, m. *Venant. de vita Mart.* 2. *ad f.* Assertor validus, superans fora, jura, togatos, Nobilis astructor, facundus concionator, *h. e.* argumentorum ac rationum inventor ingeniosus ad probanda ea, de quibus dicit.

ASTRUCTUS et Adstructus, a, um, partic. v. *astruo*, appositus. *Appul. Met.* 11. Ad istum modum fusis precibus et astructis lamentationibus.

ASTRUM, i, n. ἄστρον, Graeca vox, quae proprie significat *sidus*, h. e. constellationem, seu signum pluribus stellis constans (ab ἀστὴρ, stella) sicut *aster* unam stellam significat: et ita saepe usurpatur a Graecis, ut *Macr. Somn. Scip.* 1, 14. docet. V. SIDUS. *Virg. G.* 1, 231. orbem Per duodena regit mundi sol aureus astra. *Id. ib.* 218. averso cedens Canis occidit astro. *Mart.* 8, 21. Astrum Ledaeum, *h. e.* sidus Castoris et Pollucis. *Id. ib.* 55. Herculeum astrum, *h. e.* signum Leonis. Adde *Manil.* 3, 318., 2, 666. et alibi saepe. ℙ Saepius tamen ponitur pro stella, ἀστὴρ. *Virg. Ecl.* 9, 47. Ecce Dionaei processit Caesaris astrum. *Hor. Od.* 3, 21, 24. fugat astra Phoebus. *Cic. Tusc.* 1, 25. Et astra suspeximus, tum ea, quae sunt infixa certis locis, tum illa non re, sed vocabulo errantia. *Id. N. D.* 2, 46. In aethere astra volvuntur. *Id. ib.* 7. Cursus astrorum dispares. *Id. Div.* 2, 41. Antecellere cognitione astrorum. *Virg. A.* 8, 590. Astrorum ignes. *Id. ib.* 4, 352. Astra ignea. *Id. ib.* 5, 838. Aetheriis delapsus ab astris. *Id. ib.* 2, 460. Turris educta sub astra, *h. e.* in magnam altitudinem: hyperbole poetis familiaris. Sic *Ov. Met.* 1, 316. Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus. *Virg. A.* 3, 567. Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra. *Id. ib.* 9, 641. Sic itur ad astra, *h. e.* in coelum ascenditur. *Ov. Met.* 9, 272. et *ib.* 15, 846. Inferre aliquem astris. *Hor. Od.* 4, 2, 23. Educere aliquem in astra, *h. e.* laudibus in coelum ferre, et aeterna fama donare. Et eod. sensu *Id. Sat.* 2, 7, 29. absentem rusticus urbem Tollit ad astra. *Virg. Ecl.* 5, 52. Daphnin ad astra feremus. *Cic. Att.* 2, 25. Tollere in astra laudes alicujus. *Hor. Ep.* 2, 187. Natale astrum, *h. e.* sub quo quemque nasci credidit antiquitas: quodque influere unicuique vel faciles, vel duros mores; prosperam, vel adversam afferre sortem putabatur. *Id. Od.* 2,

17, 21. Utrumque nostrum incredibili modo Consentit astrum. *Petr. Sat.* 44. Malo astro natum esse. ℙ In illo *Stat. Silv.* 1, 1, 97. Ibit in amplexus natus, fraterque, paterque, Et soror: una locum cervix dabit omnibus astris: *astra* ponuntur pro hominibus inter Deos relatis: alluditque *Stat.* ad Julium Caesarem, post cujus mortem stella crinita, quae per aliquot dies in coelo apparuit, ejus anima esse in astrum conversa credita est, ut narrat *Suetonius* in ejus vitae fine. ℙ De sole et luna. *Censorin. de die Nat.* 23. Babylonii a solis exortu ad exortum ejusdem astri diem statuerunt; *astri diem* in quibusd. codicib. desunt. *Cic. Somn. Scip.* 7. Homines annum tantummodo solis, id est unius astri reditu metiuntur.

ASTRŬO et Adstruo, is, uxi, uctum, a. 3. *προσοικοδομέω, παροικοδομέω*, juxta struo, prope exstruo: ex *ad*, et *struo*. *Plin. ep.* 9, 7. Hae mihi causae utrique *(villae)* quae desunt astruendi. *Colum.* 1, 5. Astruere recens aedificium veteri. *Caes. B. C.* 2, 9. contignationem laterculo, *h. e.* laterculo structo munire. *Justin.* 23, 3. Sicut ante secunda fortuna Italiae Siciliaeque imperium, et tot de Romanis victorias astruxerat; ita nunc adversa destruens, quae cumulaverat, etc. *Scrib. Comp.* 227. Culumare et astruere medicamentum. ℙ Saepissime sumitur pro addere, superaddere. *Ov. A. Am.* 2, 119. Jam molire animum, qui duret, et astrue formae. Quidam leg. *formam*. [*Illud praeferendum, ut monstrant *Heins.* et *Burm.* ad h. l.] *Plin.* 9, 35, 58. Astruere aliquid magnificentiae. *Plin. Pan.* 35. aliquid edicto alterius. *Id. ib.* 74. et *ep.* 3, 2. et *Vell.* 2, 55. aliquid dignitati aut gloriae alicujus. *Plin. Pan.* 46. alicui laudem. *Tac. Hist.* 1, 78. nobilitatem ac decus alicui. [*Id. Agr.* 44.] *Sil.* 4, 8. Astruit auditis, docilis per inania rerum Pascere rumorem vulgi, pavor. *Vell.* 1, 17. Ut Livium quoque priorum aetati astruas, *h. e.* annumeres. *Quint.* 8, 3. An quisquam tam procul a concipiendis imaginibus rerum abest, ut cum illa in Verrem legit (*Verr.* 2, 5, 33.) *Stetit soleatus praetor populi R. cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in litore*, non solum ipsum os intueri videatur, et locum, et habitum, sed quaedam etiam ex iis, quae dicta non sunt, sibi ipse astruat? i. e. imaginando superaddat. Hinc i. q. attribuere, ut *Mart.* 3, 20. Ut quae Neroni falsus astruit scriptor. ℙ Pro subornare, instruere. *Curt.* 10, 1. Gentis levissimos falsis criminibus astruxit, monitos, tum demum ea deferre, cum ipse jussisset. ℙ Pro affirmare, asseverare. *Plin.* 12, 18, 41. Periti rerum astruxerunt, non ferre tantum annuo fetu, etc. Ita habetur in edd. antiquis A. 1470. et 1472. et in omnib. MSS., quos vidit *Hard.:* in editione A. 1469. et in aliis fere omnibus legitur *asseverant*. Hanc affirmandi notionem huic verbo tribuunt etiam *Agr. Orthogr.* p. 2268, et *Beda ib.* p. 2334.

ASTU, nomen est neutrum indeclinabile a Graeco *ἄστυ, εος, τὸ*, urbs, *υ* in *u* mutata ex Latinorum consuetudine (quamquam et *asty* interdum, servatis Graecis litteris, legitur) et dicitur per antonomasiam de urbe Athenarum, quemadmodum *πόλις* de Alexandria apud eosdem Graecos, et *urbs* apud Latinos de Roma; tametsi proprie *Astu* pars Athenarum fuit. *Accius* ap. *Non.* 4, 330. Omnes qui arcem, astuque accolunt cives. *Cic. Leg.* 2, 2. Ut vestri Attici priusquam Theseus eosdem migrare ex agris, et in Astu, quod appellatur, omnes se conferre jussit, etc. *Nep. Them.* 4. Xerxes Thermopylis expugnatis, protinus accessit Astu, idque, nullis defendentibus, incendio delevit. *Id. Alc.* 6. Postquam Astu venit. *Ter. Eun.* 5, 6, 17. An in Astu venit? *Vitr.* 8, 3. Et in Asty, et ad portum Piraeeum ducti sunt salientes. Adde *Praef.* 7. *sub f.*

ASTŬLA, ae, f. *σχίδιον*, idem omnino quod assula. *Plin.* 16, 11, 22. Flos resinae cum multa astula tenui brevique avulsus. Et *ib.* 12, 23. Nec corpori ipsi (piceae) parcitur, quoniam astula in fructu est, *h. e.* etiam astula piceae abscissa utilitatem habet. Ita posteriore hoc *Plinii* loco habetur in MSS. omnibus, quos vidit *Hard.*, et utroque in edd. princip. A. 1469. 1470. et 1472., nisi quod in his addita aspiratione *hastula* editum est. Alii quidam *assula* malunt. Eadem varietas lectionis est apud *Celsum* 5, 26. *n.* 35. Eadem offensa etiam in filicis astula est. *Casaubon.* enim hanc veram lectionem esse ait: at *Almeloveen.* edidit *in filice est:* multo rectius. Legitur praeterea *astula* ap. *Paul. Nol. carm.* 25. *in natal. Fel.* 10, 137. vicit brevis astula flammam. (*Voss. Etymol.* legit *assula*) Et *ep.* 31. (al. 11.) In segmento paene atomo astulae brevis. Et *Plin. Valer.* 1, 36. Taedas pingues in astulas concides. [*Verior lectio in his omnibus *assula* esse videtur; nam ab *hasta* non videtur derivari posse; contra *assulatim*, quod bis apud *Pl.* legitur, commendat alterum vocabulum, quanquam quodammodo et huic obstat *seq. voc.*, quod, si recte habet, non potest non ex *Plinii astula* formatum esse.] ℙ De astula regia V. in HASTULA. ℙ *Isid. Or.* 17, 6. scribit, astulam a tollendo esse nuncupatam, quasi *abstulam*. Sed *Voss. Etymol.* docet *astulam* pro *assulam* ea ratione dictam esse a Latinis, qua *pultare* pro *pulsare*, *aggretus* pro *aggressus*, et similia.

ASTŪLOSUS, a, um, adj. ut *resina astulosa* ap. *Marcell. Empir. Medicam. sub f.* ubi fortasse intelligit resinam ex astulis piceae, de qua *Plin.* 16, 12, 23., cujus verba in voce superiori retulimus.

ASTŪPĔO et Adstupeo, es, ui, n. 2. *ἐκθαυμάζω*, idem quod stupeo, vel valde stupeo, vel ad aliquam rem stupeo. *Senec. Tranq.* 8. Non te pudet quisquis divitiis astupes? *Stat. Th.* 3, 405. cui fida manus proceresque socerque Astupet oranti: *Ov. Met.* 3, 418. Astupet ipse sibi. ℙ Tribuitur etiam rebus inanimis. *Stat. Th.* 2, 13. Tum steriles luci, possessaque Manibus arva, Et ferrugineum nemus astupet, ipsaque tellus Miratur patuisse retro.

ASTUR, ŭris, adj. ad Asturiam pertinens. Est autem *Asturia* provincia Hispaniae Tarraconensis, in ora Boreali Oceani, olim aurifodinis et equis, qui *asturcones* dicuntur, nobilis. *Mart.* 10, 16. Callaicis quidquid fodit Astur in arvis. *Id.* 14, 199. Venit ab auriferis gentibus Astur equus. V. ASTURCO. *Sil.* 1, 252. tremuitque exercitus Astur. *Id. ib.* 231. Astur avarus Visceribus lacerae telluris mergitur imis, Et redit infelix effosso concolor auro. *Id.* 12, 748. Belliger Astur. *Plin.* 4, 20, 34. Asturum regio. *Flor.* 4, 12. Cantabri et Astures, validissimae gentes. ℙ Tradit, vel fingit *Sil.* 3, 332. dictos esse *Astures* ab armigero Memnonis Aurorae filii, cui nomen *Astyr*, qui, domino ad Trojam occiso, in Hispaniam migraverit. ℙ Est etiam *Astur* genus avis, ex accipitrum genere, cujus formam naturamque *Aldrovand. l.* 5. *Ornithol. c.* 1. describit; et putat derivari a Graeco *ἀστερίας*. *Firm. Math.* 5, 7. *sub f.* Accipitres, falcones, astures, aquilas alere.

ASTŪRA, ae, f. fluvius Hispaniae in Asturia. *Flor.* 4, 12. ℙ Item fluvius, insula, et oppidum Latii apud Circaeos. *Cic. Att.* 12, 40. et alibi.

ASTŪRCO, onis, m. equus ab Asturibus Hispaniae gente, unde venit, appellatus, molli et glomerato alternantium crurum passu incedens, et sessorem non succutiens, atque ob id magno in pretio habitus. [*nos appellamus ejusmodi equos *Passgänger.*] *Plin.* 8, 42, 67. In Hispania Gallaica gens est, et Asturica: equini generis, (hi sunt quos thieldones vocamus, minori forma appellatos asturcones) gignunt, quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio, etc. *Mart.* 14, 199. cui titulus est *Asturco*. Hic brevis, ad numerum rapidos qui colligit ungues, Venit ab auriferis gentibus Astur equus. *Sil.* 3, 336. Aut inconcusso glomerat vestigia dorso, Aut molli pacata celer rapit esseda collo. *Sen. ep.* 87. Non omnibus obesis mannis et asturconibus et tolutariis praeferres unicum illum equum, ab ipso Catone defrictum? *Auct. ad Her.* 4, 50. Asturconi locus ante ostium suum detur. ℙ Etiam de aliis, qui tolutim, ac molliter gradum glomerant, *asturco* dicitur. Hinc *asturconem Macedonicum* legimus apud *Petr. Sat.* 86. tametsi alii ibi aliter lectionem mutare conati sunt. V. *Varior.* notas in *Burm. ed.*

[ASTŪRENSIS, se, adj. ad Asturam pertinens, urbem Latii, nunc quoque *Astura*. *Asturensis* nomen servile apud *Marangonium Acta S. Victorin.* p. 147. *F.*]

ASTŪRIA. V. in ASTUR.

[ASTŪRICENSIS, se, adj. ad Asturicam pertinens Asturiae urbem. V. ASTURICUS. *Inscr.* ap. *Grut.* 521, 1. L. Antejo Flavino Bene*Ficiario* Consulis, civi Asturic*ensi*. Alia *ib.* 110, 6. Genio conventus Asturicensis. *F.*]

ASTŪRĪCUS, a, um, adj. ad Asturiam seu ad Astures pertinens, ut Asturica gens apud *Plin.* 8, 42, 67. et *Sil.* 16, 584. Laelius Asturica rapidos de gente jugales. ℙ *Asturica*, nunc *Astorga* urbs est Asturiae, ad fluvium Teram. *Plin.* 3, 3, 4.

ASTŪRĬUS, a, um. V. ASSYRIUS.

ASTUS, us, m. *πανουργία*, calliditas, astutia; et fere in malam partem. Origo, si *Festo* credimus, est a Graeco *ἄστυ*, urbs, quia qui in urbibus versantur assidue, cautiores et acutiores esse videntur, quam qui in agris et pagis degunt. [*Hoc verum esse nemo facile hodie credat. Addimus igitur *Döderl.* suspicionem, *Syn. etc.* III. p. 217. esse *astus* partic. vetustum e radice *acuo*, formatum ita ut *vastus* a *vacuo*, *testa* a *tego*, aliaque, quae l. l. affert. Hanc derivationem si probas, *astus* proprie est i. q. *acumen*, et *astus* adj. = *astutus* i. q. *acutus*. Ibidem agit V. D. de synonymia vv. *astutus*, *vafer*, *versutus*, *callidus*, quae omnia ad mentem et intelligentiam s. ad acumen pertinere vult, opponique illis *dolum*, si quis malo animo alteri insidietur.] Usurpatur raro in recto casu singulari; interdum in recto et quarto casu plurali; saepissime in ablativo singulari, et quodammodo adverbialiter. *Sil.* 16, 32. Non ars, aut astus belli, vel dextera deerat. *Tac. A.* 2, 20. Astus hostium in perniciem ipsis vertebat. *Id. ib.* 12, 45. Nil tam ignarum barbaris quam machinamenta et astus oppugnationum. *Gell.* 11, 18. Firmare animum ad astus oppugnationum. *Val. Fl.* 5, 222. Exsequi astus. *Petr. Sat.* 97. Ulyxem astu simillimo vicit. *Tac. A.* 2, 64. Astu aggredi aliquem. *Ter. Andr.* 1, 3, 3. et *Ph.* 1, 4, 5. providere aliquid. *Id. Eun.* 5, 4, 2. rem tractare. *Virg. A.* 11, 704. Consilio versare dolos ingressus et astu. *Pl. Capt.* 2, 1, 26. Doli non doli sunt, nisi astu colas. *Id. Poen. prol.* v. 111. Docte atque astu aliquid quaerere. *Ciceroni* quoque tribuerunt quidam *Off.* 3, 16. *in f.* Non placuisse majoribus nostris astus. Sed ibi passim legitur *astutos*. [*Alii libri habent *astutias*. Sed *astutos* recc. edd. praeferunt. ℙ Apud *Liv.* 27, 20. Tarentum captum astu magis quam virtute, multi libri habent *ingenio* pro *astu*. V. *Drak.*] ℙ Adjective *astus, a, um*, pro astutus. *Accius* ap. *Non.* 1, 54. Nisi ut asta ingenium lingua laudem. *Pl. Poen.* 5, 4, 80. Misera timeo, quid hoc sit negotii: mea soror ita stupida est sine animo asto. Ita *Cujacius* refert haec duo loca ad *lib.* 1. *de Feud. tit.* 2., sed aliter res se habet. Rectius enim alii plerique priore quidem loco leg. *astu* pro *asta;* [*Minime damnandum videtur *Död.* adj. *astus, a, um* in *Accio*. Illud autem verum est, aureo aevo h. v. ex usu hominum sublatum esse per alterum, quod est *astutus*. V. *Döderl.* l. l.] posteriore autem sic: *Misera timeo quid hoc sit negotii, mea soror: ita stupida sine animo asto;* ut *asto* sit verbum. Addunt alii et illud ejusdem *Pl. Truc.* 4, 4, 39. Nae istum ecastor hodie astis confertum fallaciis; *subaudi* dimittam: sed alii leg. *astutis*. [*Omnino.] ℙ [*Astus* est etiam nomen servile, et fortasse est ab *ἀστὸς*, civis, popularis. *Inscr.* ap. *Grut.* 36, 3. Astus villicus. *F.*]

*ASTUSASPES. V. ASTAPUS. *B. A.*

ASTŪTĒ, adv. *πανούργως*, callide, versute. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 1. Nihil enim nec temere dicere, nec astute reticere debeo. *Id. Att.* 10, 6. Astute aliquid agere. [*Id. Fam.* 11, 28. ibique *Manut.*] *Ter. Eun.* 3, 3, 3. labefactare aliquem. *Pl. Epid.* 2, 2, 96. comminisci aliquid. *Id. Most.* 5, 1, 21. Docte atque astute captare. *Id. Rud.* 4, 7, 14. Consulte docte atque astute cavere. *Varr. L. L.* 9, 1. *ante med.* Sed ne astutius videar posuisse, etc. *Gell.* 18, 4. *ad f.* Levia inaniaque pro gravibus et veris astutissime componere. *Lactant.* 1, 22. Astutissime excogitare.

ASTŪTĬA, ae, f. *πανουργία, κακοπονία*, calliditas, malitia, perversum et callidum ingenium in inveniendis dolis et falliciis: et differt ab *astu*, ut actus ab habitu: *astutia* enim habitum significat; *astus* actum. *Cic. Cluent.* 65. Quod si aut confidens astutia, aut callida esset audacia, vix ullo obsisti modo posset. *Id. Off.* 3, 17. Aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias. *Ter. Andr.* 4, 3, 8. Nunc opus est tua mihi ad hanc rem expromptа malitia atque astutia. *Pl. Capt.* 2, 1. *in f.* Inest spes nobis in hac astutia. *Id. ib.* 3, 3, 15. Machinari corde astutiam aliquam. *Id. Epid.* 3, 2, 27. et *Mil.* 2, 2, 82. instituere. *Id. Epid.* 3, 2, 39. Permeditatus dolis, astutiisque onustus. *Id. Mil.* 2, 2, 78. In regionem astutiarum mearum te induco. ℙ Accipitur etiam pro urbana quadam calliditate et solertia, qua et nocemus nemini, et rem nostram provide prudenterque agimus. *Cic. Fam.* 3, 10. Quae ego omnia in expetenda tua amicitia non astutia quadam, sed aliqua potius sapientia secutus sum. ℙ Pro acumine, perspicacia. *Pacuv.* ap. *Cic. Fin.* 5, 11. Quibus (*feris*) abest ad praecavendum astutia.

ASTŪTŪLUS, a, um, adj. diminut. ab *astutus*. *Appul. Met.* 6. p. 184, 29. Nec tamen astutulae anus milvinos oculos effugere potui.

ASTŪTUS, a, um, adj. *πανοῦργος, πανουργὴς ἀστικὸς*, astu plenus. Primo significat urbane callidum, solertem, sagacem, et quod in rem suam est diligentissime providentem: ab *astu*, quod ab *ἄστυ*, urbs. Nam in urbe degentes sagaciores cautioresque esse solent, quam qui in agris, ut ex *Festo* in ASTUS diximus. [*Cf. quae addidimus.] Quod in eodem *Festo* legitur *Astutus*, *arte tutus*, ne ipsi quidem *Vossio* placet; suntque illa non *Festi*, sed *Pauli Diaconi* verba. *Cic. Verr.* 1, 2, 11. *in f.* Ita fiet, ut tua ista ratio existimetur astuta; meum hoc consilium necessarium. *Ascon. ib. Astuta:* urbana; etenim urbs *ἄστυ* dicitur. *Cic. Or.* 19. Oratio philosophorum nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum. *Id. Mur.* 4. Labores, per quos praemia ceperis, cum adeptus sis, deponere, esset hominis et astuti et ingrati. *Plin.* 36, 26, 66. Astuta et ingeniosa solertia. [*Prop. 3, 7, 54. astuta fuga Parthorum. V. *Burm.*] *Mart.* 12, 89. Solers et astutus. ℙ Saepe in malam partem accipitur pro versuto, malitioso, ad decipiendos alios ingenioso, doli machinandi perito. *Cic. Off.* 3, 13. Hoc celandi genus est hominis non aperti, non simplicis, non ingenui, non justi, non viri boni; versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. *Gell.* 5, 10. Consilium astutum capere. *Tac. G.* 22. Gens non astuta nec callida. *Pl. Cas.* 5, 1, 6. Nec fallaciam astutiorem ullus fecit poeta. *Cic. Fam.* 3, 8. Quod si quis me astutiorem fingit. *Id. Amph.* 1, 1, 112. Malus,

callidus, astutus admodum. *Hor. Sat.* 1, 3, 62. pro bene sano, Ac non incauto, fictum astutumque vocamus. *Augustin. Civ. Dei* 21, 6. Astutissima calliditas.

ASTY. V. ASTU.

*ASTYĂGES, is, Ἀστυάγης, Mediae rex, pater Mandanae, Cyri, a quo de throno deturbatus fuit, avus. *Justin.* 1, 4. seqq. ℙ Astyages, a Perseo, ope capitis Medusae, in lapidem mutatus. *Ov. Met.* 5, 203. *B. A.*

ASTYĂNAX, actis, m. Ἀστυάναξ (Graece urbis regem significans, ab ἄστυ, urbs, et ἄναξ, rex) filius Hectoris ex Andromache, natus post inchoatum bellum inter Trojanos et Graecos; etiam *Scamander* dictus. Hunc Ulysses, antequam naves e Sigaeo solverent, e turri dejecit, ne quid reliquiarum superesset, quod excidium Trojae ulcisceretur. Sed *Dionysius* narrat, Scamandrum et alios Hectoris filios a Pyrrho in Graeciam captivos ductos fuisse, deinde ab illo dimissos, ad regnum paternum in Troadem rediise ductu Ascanii filii Aeneae, ad quem in agro Dascylitico regnantem se contulerant. *Ov. Met.* 13, 415. Mittitur Astyanax illis de turribus, unde, etc. *Virg. A.* 2, 457. et avo puerum Astyanacta trahebat. *Daret.* 24. habet Astyanact*em*. ℙ Frigidus est jocus *Mart.* 8, 6. Miratus fueris cum prisca toreumata multum, In Priami cyathis Astyanacta bibes, *h. e.* licet cyathi Priamum ipsum recordentur, tamen vinum novum in iis contentum bibes. ℙ [*Item nomen tragoedi apud *Cic. Att.* 4, 15. *med. B. A.*]

[ASTYDĂMĪA, ae, f. filia Ormeni. V. ORMENIS. *F.*]

ASTYCUS, a, um, adj. ἀστυκὸς, ad *asty* seu *astu*, hoc est urbem Athenarum pertinens. Hinc *astyci ludi* videntur fuisse, quos Athenienses in honorem Bacchi in urbe instituerant. *Jul. Scalig. Emend. temp.* 5. scribit, fuisse ludos scenicos. Ad horum imitationem etiam Caligula *Syracusis astycos ludos edidisse* legitur apud *Suet. in ejus Vita* 20., ubi alii leg. *asticos* aeque recte; nam et ἀστικὸς Graece scribitur. Quidam cod. habent *Atticos*, alii *Actiacos:* quidam etiam *hasticos*, quod quidam interpretantur ludos militares, in quibus simulacro quodam pugnae hastis luderetur, quemadmodum in gladiatoriis gladio dimicabatur. [*Alii denique *iselasticos* reponendum putant, quod unice probandum. *F.* *Sic *B. Crus.*]

ASTYLIS. V. in infra ASTYTIS.

[ASTYLUS, i, m. Ἄστυλος, unus ex Centauris, qui augurio valens fratres monuerat, ne bellum adversus Lapithas sumerent; sed exorto inter nuptias bello ipse sibi timens una cum Nesso Centauro fugam arripuit. *Ov. Met.* 12, 307. Quique suis frustra bellum dissuaserat augur Astylus. ℙ *Hesiod. Scut. Herc.* 185. hunc eundem *Asbolum* vocat, ex quo *Ovidii* locus emendandus, nam secunda syllaba in *Astylus* longa est; derivatur enim ab *a* privativa, et στῦλος, columna. ℙ Est etiam nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Donat.* 309, 1. Astylo Caesaris serv*o*. *F.*]

ASTYNOMĒ, es, f. Ἀστυνόμη, Chrysae sacerdotis filia, de qua V. in CHRYSES. ℙ [*Item Amphionis filia. *Hyg. fab.* 69. ℙ Alia, Talai filia, Hipponoi uxor, mater Capanei. *Id. fab.* 70. *B. A.*]

*ASTYOCHE, es, f. Ἀστυόχη, Priami filia, uxor Tlepolemi. *Dict. Cret.* 2, 5. *B. A.*

[ASTYOCHUS, i, m. ἀστύοχος, urbem tuens, ab ἄστυ, urbs, et ἔχω, habeo. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 928, 16. Julius Astyochus. *F.*]

ASTYPĂLAEĂ, ae, f. Ἀστυπάλαια, nunc *Stimpalia*, insula est maris Carpathii, una ex Cycladibus, cum urbe ejusdem nominis, ab Astypale Ancaei matre nominata. *Plin.* 4, 12, 23. [*Mel. 2, 7.] *Ov. A. Am.* 2, 82. Cinctaque piscosis Astypalaea vadis.

[ASTYPĂLAEENSIS, se, adj. id. q. Astypalaeicus, *Astypalaeenses* sunt incolae insulae Astypalaeae apud *Cic. N. D.* 3, 18. Achillem Astypalaeenses insulani sanctissime colunt. *F.*]

ASTYPĂLAEĬCUS, a, um, adj. ad Astypalaeam pertinens, ut *Astypalaeicae cochleae*, quarum varios usus in medicina refert *Plin.* 30. *c.* 4. 6. et 14.

ASTYPĂLAEĬUS, a, um, adj. id. q. Astypalaeicus. *Ov. Met.* 7, 461. Hinc Anaphen sibi jungit, et Astypalaeia regna.

*ASTYRA, ae, vel Astyre, es, f. Mysiae, vel Aeolidis, oppidum. *Mela* 1, 18. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

ASTYRĬUS. V. in ASSYRIUS.

[ASTYSMUS, i, m. urbanitas sine iracundia (ab ἄστυ, urbs). Ita *Isid. Or.* 1, 37. *F.*]

ASTYTIS, idis, f. ἀστύτις, ita appellata ab *a* privativa, et στύω, arrigo, quia Veneri refragatur, genus lactucae rotundae minima radice, latis foliis. *Plin.* 19, 8, 38., ubi alii leg. *astylis:* sed *astytis* defenditur ab *Hard.* auctoritate *Eustathii* ad *Iliad. χ.*

*ASUM, i, n. oppidum Cretae. *Plin.* 4, 12. Ἄσος est *Steph. Byz.* qui πολίχνιον vocat. *B. A.*

ĂSYLA, ae, f. herba est Latine *ferus oculus* dicta. *Plin.* 25, 13, 92.

ĂSYLUM, i, n. ἄσυλον, templum, aliusve qui-

vis locus inviolabilis, consecrationis lege tutus, ad quem confugientes sine summo piaculo avelli non poterant: ab *a* privativa, et συλάω, spolio, rapio: vel quasi *asyron*, ab *a* privat., et σύρω, traho, quod inde extrahi neminem fas esset, ut *Serv.* docet ad *A.* 2, 761. [*Ne crede homini.] ℙ Asylum primum Athenis sibi constituerunt Herculis posteri, veriti vim eorum, qui ab illo fuerant vexati, ut *Serv.* scribit *loc. cit.* Alii a Cadmo primum Thebis apertum fuisse putant. Deligebantur autem ad hoc templa praecipue et luci propter religionem, quae talia loca magis verenda reddit et tuta. Tale fuit templum et lucus Apollinis in Delo insula, *ea religione et jure sanctum, quo sunt templa, quae asyla Graeci appellant*, ut *Liv.* 35, 51. loquitur. Graecos imitatus Romulus, et ipse asylum in ipso urbis primordio, Romae constituit, inter Capitolium et arcem, loco densis arboribus septo; quo ex finitimis populis turba omnis, sine discrimine, liber, an servus esset, avida rerum novarum perfugit: idque primum ad coeptam magnitudinem roboris fuit, ut *Liv.* 1, 8. narrat. Confugientes in asylum rei a legibus tuti erant; neque abstrahi inde poterant, ne loci sanctitas violaretur. *Tac. A.* 3, 60. Crebrescebat Graecas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi: complebantur templa pessimis servitiorum: eodem subsidio obaerati adversum creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur. *Liv.* 1, 8. Aperire asylum. *Cic. Verr.* 2, 1, 33. Confugere in asylum. *Gell.* 6, 2 *ad f.* Perfugiunt ad fati necessitatem tanquam in aliquod asylum.

ĂSYMBŎLUS, a, um, adj. ἀσύμβολος, qui symbolum non dedit, hoc est nullo collato pretio una cum aliis convivio adest, quem *Hor. Od.* 4, 12, 23. vocat *immunem:* ab *a* privativa, et σύμβολον, vel συμβολή, collatio, collecta, quae fit a singulis ad communes dapes. *Ter. Ph.* 2, 2, 25. Tene asymbolum venire, unctum atque lautum a balneis? Adde *Gell.* 6, 13.

[ĂSYNCRĪTUS, i, m. ἀσύγκριτος, incomparabilis. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 384, 2. L. Aemilius Asyncritus. *F.*]

ĂSYNDĔTON et Asynthĕton, i, n. ἀσύνδετον et ἀσύνθετον, figura, (Latine *dissolutio*) qua, demptis conjunctionibus, dissolute plura dicuntur, ut *Cic.* ait *Or.* 39. Talis est illa apud *Auct. ad Her.* 4, 30. Gere morem parenti, parce cognatis, obsequere amicis, obtempera legibus. Et *Ciceronis* ap. *Quint.* 9, 3. Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci jussi: in senatu sunt positi etc. ℙ *Asyndeton* est ab *a* privat. et σύνδετος, colligatus, a συνδέω, simul ligo. *Asyntheton* ab *a* privativa, et σύνθετος, compositus, coagmentatus, a συντίθημι, compono, conjungo. Quamquam, *asyntheton* hoc schema recte dici, negat *Voss. Instit. Orat.* 5, 2. ℙ Dicitur praeterea ἀσύνδετον a *Charis.* 4. p. 250. cum pluralis dictio singulari verbo concluditur, ut in illo *Virg. A.* 1, 20. *hic illius arma, Hic currus fuit*: Debuit enim dicere *fuerunt*. ℙ Adjective *asyndetus Mercurius* ap. *Sidon. ep.* 8, 11. est astrologorum propria vox, quibus signum aliquod asyndetum dicitur, cum nulla ratione aut aspectu cum alio signo jungitur.

[ĂSYNTROPHON, i, n. quoddam fruticis genus. *Appul. Herb.* 87. *F.*]

ĂSYSTATOS, a, um, adj. ἀσύστατος, instabilis, ab *a* privat., et συνίστημι, constituo. *Lactant.* 3, 6. Arcesilas introduxit genus philosophiae ἀσυστατον, quod Latine instabile, sive inconstans possumus dicere. *Id. paulo post.* Quod in scholis proponi solet in asystati generis exemplum.

A T

AT, ἀλλὰ, sed, verum; conjunctio adversativa, quam ab ἀτὰρ (quod eandem fere habet significationem) derivari putat *Voss. Etymol.* in *Ad.* [*Alia excogitavit *Scheid.* ad *Sanct. Min.* p. 670. Videtur autem cognatum esse cum *aut*, omninoque, ut hoc, oppositioni inservit (*Burm.* ad *Anth. Lat.* 1. p. 227.) eique gravi (*Hor. Od.* 3, 7, 22.); plane enim tollit priora et seponit vel missa facit, eoque differt a *sed* (orto ex praepos. *se* et *d* paragogico. V. *Jahn.* ad *Ov. Trist.* 5, 7, 13.), quod uti nostrum *sondern* (i. e. *sondere ab*) sententiae partem tollit. Per *at* igitur duae res ita opponuntur, ut aliqua concessionis et affirmationis notio sit adjuncta (si non dives — at bonus est); per *sed* autem mera oppositio et contradictio efficitur (non dives, sed bonus est). Ex his varius hujus particulae usus satis explicari potest. Cf. etiam *Ramshorn.* p. 540.] *Cic. Att.* 7, 11. Non est in parietibus respublica, at in aris et focis. *Id. Mil.* 17. Vidit necesse esse Miloni proficisci illo ipso die, itaque antevertit: at quo die? *Id. Cluent.* 70. Una mater oppugnat: at quae mater? ℙ Jungitur eleganter aliis particulis. *Liv.* 5, 9. Ceteri tribuni nihil contradicere: at enimvero Sergius, Virginiusque intercedere, etc. *Cic. Verr.* 2, 5, 26. At contra quacumque iter fecit, etc. [*Suet. Aug.* 93. *Galb.* 15. *Vit.* 9.] *Pl. Bacch.* 4, 2, 12. Nimis iracunde. *Pi.* at scin', quam iracundus siem? *Id. Amph.* 1, 1, 20. At scin' quomodo? faciam ego hodie te superbum, nisi hinc abis. Estque haec saepe minitantis formula. *Id. Trin.* 5, 2, 63. At jam posthac temperabo. *Ter. Ad.* 2, 1, 7. Leno sum, at ita, ut usquam fuit fide quisquam optima. ℙ *At*, inquit *Festus*, notat etiam rerum differentiam, ut cum dicimus: *Scipio est bellator;* at *M. Cato orator:* qua ratione vim disjunctivae *et* habere videtur. [*Simpliciter id esse quod *et* ne crede. In hoc exemplo praedicata *bellator*, *orator* tanquam paria sibi opponuntur. Conceditur Scipionem esse bellatorem et hanc laudem esse non negatur; sed additur Catonem oratorem esse, idque et ipsum non minus laudabile esse. Volunt *et* pro *at* positum esse apud *Virg. G.* 2, 50., defenditque eo sensu *Voss.;* sed codd. fluctuant, aliique legunt *et*, alii *aut*, quorum hoc a pluribus praefertur. *Forc.* autem (V. MUTATUS) *et* legit.] ℙ In principiis servit transitioni et continuationi orationis, ut *ac* et *atque*. [*Hoc inde explica, quod sic auditoris vel dubitationem vel interrogationem, quam erat facturus, occupamus, eamque ipsi subjicimus.] *Cic. Dom.* 44. At videte hominis intolerabilem audaciam cum projecta quadam et effrenata cupiditate. *Id. Phil.* 1, 8. At quae est ista tertia decuria? Centurionum, inquit *Serv.* ad *A.* 7, 363. et ad *ib.* 9, 144. docet aliquando non tam conjunctionis vim habere, quam incipiendi, et ad ornatum pertinere. *Appul.* saepe *at enim* usurpat pro *autem*, ut *Met.* 9. At enim casulae parvulae conterminos agros magnos possidebat vicinus dives. ℙ [*Ab initio *at* est se corrigentis. *Tibull.* 1, 10, 5. at nihil ille miser meruit. V. *Klindworth.* ad h. l. *Id.* 2, 4, 21. Ponitur eodem prorsus modo post digressionem. *Tibull.* 1, 10, 25., ubi respicitur ad v. 15.] ℙ Servit frequenter anteoccupationi. *Cic. Phil.* 2, 9. At ego suasi. Scilicet is animus erat Milonis, ut prodesse reipublicae sine suasore non posset. At laetatus sum. Quid? ergo in tanta laetitia, etc. *Id. Fam.* 6, 6. Caesar nunquam, nisi honorificentissime, Pompejum appellat. At in ejus personam multa fecit asperius. Armorum ista, et victoriae sunt facta, non Caesaris. *Id. Att.* 9, 10. At Sulla, at Marius, at Cinna recte, imo jure fortasse. Sed quid eorum victoria crudelius? Adde *Fam.* 9, 6. et *Div.* 2, 21. 29. 31. et 32. [*Saepius per anaphoram bis terque repetitur in enumeratione plurium oppositorum: *Hor. Sat.* 1, 3, 32. at est bonus — at tibi amicus, at ingenium ingens. *Virg. G.* 2, 467. nec — nec —: at secura quies, at latis otia fundis, at frigida Tempe. Sic etiam ab initio orationis ponitur, ita ut oppositio supplenda sit. *Ov. Am.* 3, 7, 1. At non formosa est, at non bene culta puella, at, puto, non votis saepe petita meis! i. e. putet aliquis non esse formosam etc. Mimine vero. Est et formosa et culta etc. Igitur tota enunciatio est affirmativa, et ironice intelligenda. V. *Burm.* ad h. l., qui simm. laudat. Sic ab initio periodi ponitur quum is, qui dicit, aliquid reticuit, ut apud *Eund. Her.* 12, 1. At tibi Colchorum (memini) regina vacavi, i. e. tu mei oblitus es, me deseruisti: et tamen etc. Inservit igitur h. l. indignationi, ut imprecationi (V. infra) et exclamationi. Dixerunt de hoc usu *Heins. l. l.*, *Donat.* ad *Ter. Andr.* 4, 1, 43. *Gron.* ad *Justin.* 4, 4, 10. *Burm.* ad *Prop.* 1, 20, 1. Omnino ab initio ponitur, ubi singulare quiddam affertur. *Lucan.* 4, 811. ibique *Cort.* Haud inepte huc traxeris *Hor. Sat.* 1, 5, 60. O, tua cornu Ni foret exsecto frons, quid faceres? — At illi foeda cicatrix setosam laevi frontem turpaverat oris. Est h. l. i. q. nimirum, videlicet.] ℙ Ponitur etiam pro *atqui*, et saepe subjectioni servit. *Cic. Cat.* 1, 11. Quid tandem impedit te? mosne majorum? at persaepe etiam privati in republica perniciosos cives morte multarunt. An leges? at nunquam in hac urbe, etc. *Id. Verr.* 2, 1, 55. Quid ita? ne vitiosum opus fieret? at erat probatio tua. Ne parum locuples esset? at erat, et esset amplius, etc. *Id. Mil.* 6. Quid porro quaerendum est? factumne sit? at constat. A quo? at patet. *Id. Div.* 2, 29. At mors insecuta Gracchum est. Causa quidem, credo, aliqua morbi gravioris, etc. *Ter. Andr.* 4, 1, 56. Parum succedit, quod ago: at facio sedulo. ℙ Pro saltem. *Cic. Quint.* 31. Obsecravit, ut aliquam, si non propinquitatis, at humanitatis rationem haberet. *Id. Verr.* 2, 2, 43. Cognitorem adscribit Sthenio, quem? cognatum aliquem aut propinquum? non. Thermitanum aliquem, honestum hominem ac nobilem? ne id quidem. At Siculum, in quo aliquis splendor dignitasque esset? minime. *Id. Verr.* 2, 5, 27. Si minus supplicio affici, at custodiri oportebat. *Id. ib.* 2, 3, 85. Si non bonam, at aliquam rationem afferre. [*Hor. Sat.* 1, 3, 43. et *Hdf.* in *indice.*] ℙ Interdum servit concessioni. *Cic. Att.* 3, 15. Sed Axius — non ita laudat Curionem. At potuit ille aliquid praetermittere; tu, nisi quod erat, profecto non scripsisti. [*Non video, qui hic concessioni sit locus. Opponuntur sibi *Axius* et *Atticus;* at igitur, quae propria ejus vis, affirmationem efficit, negationi antecedenti oppositam; nam idem sensus est, si transponis membra: tu nihil scripsi-

sti, nisi quod erat: at ille potuit etc.] ℙ Interdum exclamationi et implorationi. *Cic. Verr.* 2, 1, 46. At per Deos immortales, quid est, quod de hoc dici possit? *Hor. Epod.* 5, 1. At o Deorum quisquis in coelo regis, etc. ℙ Interdum exsecrationi et imprecationi. *Ter. Hec.* 1, 2, 59. At te Dii, Deaeque perduint, etc. *Virg. A.* 2, 535. At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis, etc. Adde *Pl. Most.* 1, 1, 37. [*Hor. Sat.* 1, 8, 37. mentior at si quid, merdis caput inquiner albis, i. e. at inquiner, si etc. V. *Hdf.* Sic *ib.* 2, 2, 40. V. *Burm.* ad *Prop.* 2, 5, 23.] ℙ Jungitur eleganter cum *vero* et *enim*, habetque varios usus. *At vero* adversativa est saepe. *Cic. Marc.* 4. Nihil est opere aut manu factum, quod aliquando non consumat vetustas. At vero haec tua justitia et lenitas animi florescet quotidie magis. Adde *Off.* 2, 20. et 23. ℙ *At vero* et *at enim* [*ἀλλὰ γάρ, ἀλλὰ δή;* de quorum usu cf. *Heind.* ad *Plat. Prot.* 71.] serviunt etiam occupationi. *Cic. Phil.* 2, 15. At vero Pompeji voluntatem a me abalienabat oratio mea. An ille quemquam plus dilexit, etc. *Id. ib.* 2. At enim te in disciplinam meam tradideras (sic enim dixisti) domum meam ventitaras. Nae tu, si id fecisses, melius famae consuluisses. Adde *Verr.* 2, 5, 17. et *Manil.* 17. et 20. ℙ Adhibetur eleganter *at enim*, cum vehementius adversamur. *Cic. Off.* 1, 40. Bene Pericles, cum casu formosus puer praeteriret, dixissetque Sophocles: O puerum pulcrum, Pericle! At enim praectorem, Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere. [*V *Beier.* ad h. l. Etenim talia, ut in graeco sermone, per ellipsin explicanda. Hoc loco ita solvendum: at indignus est persona tua hic sermo. Praetorem enim etc. Alia laudat *Beier.* coll. *Cort.* et *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 51, 25.] *Id. Or.* 3, 12. Id si feceris, multa hic hodie vitia ponemus. At enim non sine meo periculo, Crassus inquit, possum, Sulpici, te reprendere. *Ter. Ph.* 3, 2, 2. Audi quod dicam. *Do.* at enim taedet jam audire eadem millies. [*i. e. at nolo audire; taedet enim etc.] *Pl. Ps.* 2, 2, 45. Si dare vis mihi, magis erit solutum, quam ipsi dederis. *Ha.* at enim scin' quid est? reddere hoc, non perdere herus me misit. [*Sic non *at enim* tantum, sed etiam *at* solum ponitur. Atque inprimis eo modo cum gravitate quadam apodosin inchoat. *Pl. Capt.* 3, 5, 26. si ego hic peribo, ast ille, ut dixit, non redit: at erit mi hoc factum mortuo memorabile etc. *Id. Trin.* 2, 4, 127. *Virg. A.* 6, 405. Si te nulla movet tantae pietatis imago: at ramum hunc agnoscas. Et cum quadam indignatione: *Caes. B. G.* 1, 43. si nullam partem Germanorum domum remittere posset, at ne quos amplius Rhenum transire pateretur. *Nep. Iph.* 3, 4. Matrem, inquit, (pluris facio). Id quum omnibus mirum videretur: at, ille, merito, inquit facio. ℙ Ex hoc prosaicorum usu, qui in sententiis conditionalibus post *si non* adhibent *at* (*Gernhard.* ad *Cic. Off.* 1, 11, 35.) ortus est poetarum usus *at* pro *tamen* dicendi. *Virg. A.* 4, 615. hic terminus haeret: at bello audacis populi vexatus et armis — auxilium imploret. V. *Jahn.* ad *Virg. G.* 4, 241. Item pro *attamen* dicitur. *Gron.* ad *Liv.* 34, 37. *Virg. G.* 4, 208. — Raro postponitur a poetis: *Virg. Ecl.* 7, 67. Saepius at si me — revisas. Plura ex his debemus *Jahnio.*] ℙ *At enim* et *at etiam* serviunt nonnunquam indignationi. *Cic. Phil.* 2, 34. Quid indignius, quam vivere eum, qui imposuerit diadema? etc. At etiam ascribi jussit in fastis: C. Caesari dictatori Antonium cons. populi jussu regnum detulisse, etc. *Pl. Trin.* 4, 2, 149. At etiam maledicis? *Ter. Eun.* 4, 4, 1. Exi foras, sceleste: at etiam restitas? *Liv.* 3, 19. *ad f.* At enim divinis humanisque obruti sceleribus, legem vos hoc anno perlaturos dictitatis? ℙ *At at* repetitum, V. infra suo loco. ℙ Olim *at* et *ad* promiscue scribebatur et usurpabatur ob affinitatem, quam *t* et *d* inter se habent: idque observasse se non in codicibus solum, sed etiam in antiquis monumentis testatur *Pierius* ad illud *Virg. A.* 4, 1. *At regina gravi:* ubi *Ad regina* in antiquo codice legisse se ait; et in illo *A.* 3, 371. *meque ad tua limina*, scriptum esse *at tua limina.* Sic *adque* pro *atque* legitur in antiq. inscript. Quae scribendi ratio etiam tempore *Quintiliani* vigebat, ut colligitur ex ejus verbis 1, 7. *sub init.* Sed grammatici eam postea legem statuerunt, ut praepositio per *d*, *ad;* conjunctio per *t*, *at* scriberetur. Quae lex ita paulatim receptissimo usu firmata est, ut nequaquam sit ab ea recedendum. ℙ [*Incredibile est, quam saepe haec particula librariorum oscitantia oblitterata sit et cum aliis commutata. Nos potiora tantum commemorabimus. Confunduntur *at* et *ac.* V. *Drak.* ad *Sil.* 6, 190. *Goer.* ad *Cic. Ac.* 2, 2, 5. et locos, de quibus agit *B. Crus.* in *cl. Suet.* s. AC. — *at* et *ait.* V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 56, 12. 24, 37, 11. — *at* et *sed*, V. *Lindem.* ad *Cic. Invent.* 1, 10. — *at* et *an*, *Burm.* ad *Virg. A.* 9, 144. Ponitur enim *at* etiam in interrogationibus, ut *Cic. Fin.* 1, 8, 28. At me — censes hoc dicturum fuisse? — *At* et *ab*, *Bentl.* ad *Lucan.* 6, 793. — *at* et *ut*, *Heins.* ad *Ov. Her.* 12, 1. *Drak.* ad *Liv.* 1, 18, 9. *at* et *ah*, *Burm.* ad *Prop.* 2, 5, 23. at — *et*, *Cort.* ad *Lucan.* 1, 141. *Bentl.* ad *Eund.* 10, 136. *at* et *ad*, *Drak.* ad *Liv.* 3, 17, 3. ac saepius. *at* et *aut*, *id. ib.* 2, 45, 5. *at enim* et *etenim*, *Goer.* ad *Cic. Fin.* 2, 27, 87.]

ATABULUS, i, m. ventus Apuliae peculiaris, frigidissimus, qui si flavit circa brumam, omnia exurit arefaciens, ut nullis postea solibus recreari possint, ut ait *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 8. Videtur derivari posse ab *ἄτη*, damnum, et *βάλλω*, infero, quia satis perniciem affert. Hunc *Gell.* 2, 22. vocat *Horatianum*, quia ejus meminit *Hor. Sat.* 1, 5, 77. Incipit ex illo montes Apulia notos Ostentare mihi, quos torret Atabulus, et quos, etc. Fortasse idem fuit qui Iapyx, de quo *Id. Od.* 1, 3, 4. V. SCIRON. [*Is ventus est, qui hodie *Sirocco* appellatur. Sic *Hdf.* ad *Hor.* l. l., qui hanc in rem laudat *Brydone's Reise durch Sicilien und Malta*, *Bd.* 1. — ℙ [*Atabuli, orum, Aethiopiae populi. *Plin.* 5, 30. *B. A.*]

ATABYRIUS, a, um, adj. ad Atabyrin pertinens, montem in insula Rhodo, in quo templum habuit Juppiter, Atabyrius dictus, cujus meminit *Strab. l.* 14. et *Pindar. Olymp.* 7. *ad f. Lactant.* 1, 22. Sic constituta sunt templa Jovi Atabyrio, et Jovi Labrandeo: Atabyrius enim, et Labrandeus hospites ejus atque adjutores in bello fuerunt ℙ *Atabyria*, *ae*, cognominatur insula Rhodus a *Plin.* 5, 31, 36. Rhodus vocitata est Atabyria ab rege. [*Hesych. Ἀταβυρία, ἡ Ῥόδος πάλαι.* Sic enim videtur corrigendum. Vulgo legebatur mendose, *Ἀταβυρία, ἡ ὀγόδος, πάλαι. B. A.*] ℙ Fuit etiam *mons Atabyrius*, ibique templum *Jovis Atabyrii*, in Sicilia prope Agrigentum, coloniam Rhodiorum, teste *Polyb.* 9, 22. ℙ *Atabyrius mons* fuit item in Phoenice ex *Josepho Flav. B. Jud.* 4, 6., quem *Itabyrium* vocat *Hieron. ep.* 58. *n.* 8. *ad Paulin.*, qui idem ac mons *Thabor* fuisse videtur, *Id. in Hos. c.* 5. Thabor, quem LXX. *Ἰταβύριον* transtulerunt.

ATACINUS, a, um, adj. ad Atacem fluvium pertinens. *Atacini*, *orum*, dicti sunt populi Galliae Narbonensis: unde ipse Narbo *colonia Atacinorum et Decumanorum* a *Mela* 2, 5. appellatur. ℙ *Atacinus* etiam dictus est *P. Terentius Varro* poeta ab eodem Atace fluvio, ut docet *Porphyr.* ad illud *Hor. Sat.* 1, 10, 46. experto frustra Varrone Atacino. Fuit enim ex Gallia Narbonensi, floruitque temporibus fere iisdem, quibus *M. Varro*, aut paulo post sub Caesare dictatore, et triumviris. Scripsit Argonautica libris quatuor, secutus Apollonium Rhodium, quem curiose adeo imitatus est, ut ejus interpres dici possit: praeterea bellum Sequanicum, epigrammata quaedam et elegiam, in qua cantavit puellam nomine Leucadiam, quam adamabat, et alia. Sed horum omnium nihil superest, praeter quaedam fragmenta apud *Quint.*, *Prisc.*, *Fest.* et alios. Scripsit etiam Satyram, sed non edidit, teste *Acrone* ad *Hor. l. c.* Hujusmodi de ejus scriptis judicium tulit *Quint.* 10, 1. Atacinus Varro in iis, per quae nomen est assecutus, interpres operis alieni (*Argonautica intelligit*) non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples. Ejus meminere etiam *Ov. Am.* 1, 15, 21., *Prop.* 2, 34, 86. et *Stat. Silv.* 2, 7, 77. ℙ Quidam scribunt *Attacinus* duplici *t:* sed si ab Atace fluvio ducitur, primam brevem habet. V. ATAX.

ATAGEN. V. ATTAGEN.

ATALANTA, ae, et Atalante, es, f. *Ἀταλάντη*, (ab *ἀτάλαντος*, incomparabilis) Schoenei filia, in Schyro, vel Sciro urbe Arcadiae nata, vel ut alii malunt, Iasii Argivorum regis filia, virgo forma et viribus corporis praestans, una ex comitibus Dianae. A Meleagro Oenei, et Althaeae filio vocata ad venationem apri Calydonii cum reliqua Achaiae juventute, eum prima sagitta vulneravit. Aper a Meleagro occisus est. Hic Atalantae amore captus illi caput ferae largitus est. Cum eam rem avunculi Meleagri, Althaeae fratres, Plexippus et Toxeus indignarentur, et puellae munus ademissent, a Meleagro interfecti sunt. Althaea stipitem fatalem igni admovit, quo combusto et ipse Meleager consumptus est. *Ov. Met.* 8, 280. et sqq. ℙ Atalanta a nuptiis omnino abhorrebat, silvis tantum et venatu delectabatur. Cum mira corporis velocitate praestaret, procis suis cursus certamen proposuit, in quo victum mortis poena, victorem conjugii sui praemium sequeretur. Multis superatis, tandem ab Hippomene Megarei, et Meropes filio, tribus pomis aureis, quae ei Venus dederat, singillatim in stadium projectis, semel, iterum, tertium a currendo retardata et superata est. Irata Venus, quod sibi gratias non egisset Hippomenes, nec tus dedisset; effecit, ut in via in sacro Cybeles templo concumberent, quod erat in silva. Cybele scelus ulta est, eosque in leones convertit. Atque hi leones sunt, qui Cybeles currum trahunt. *Ov. Met.* 10, 560. et sqq. Sed *Hygin.* duas facit Atalantas, alteram Arcadem Schoenei filiam, Hippomenis uxorem, (quem alii Milanionem appellant) alteram Iasii, quam Meleagro nupsisse dicit, et ex eo Parthenopaeum genuisse, qui inter formosissimos numeratus est. V. *Eund. fab.* 99. 174. 185. et 270. *Serv.* ad *A.* 3, 113. et *Vet. Scholiast. Statii* ad *Th.* 7, 267. ℙ Etiam *Ov. Hyginum* sequitur, sed Atalantam Iasii filiam Milanioni nupsisse dicit, non Meleagro, et *Nonacrinam* vocat *A. Am.* 2, 185., quia erat ex Tegea urbe Arcadiae, ubi *Nonacris* mons. *Id. Met.* 10, 598. Et tegitur festa victrix Atalanta corona. *Id. Am.* 3, 2, 29. Talia Milanion Atalantes crura fugacis, etc. *Heins.* monet, in MSS. legi *Atalantis*, sed *Atalantes* esse retinendum, quod legitur etiam *A. Am.* 3, 775. ℙ Est etiam *Atalanta* et *Atalante* insula Euboeae adjacens. *Plin.* 2, 88, 90. et 4, 12, 23. et *Sen. Qu. nat.* 6, 24.

ATALANTAEUS, a, um, adj. possess. ab Atalanta. *Stat. Th.* 4, 309. Jamque Atalantaeas implerat nuncius aures. *Manil.* 5, 179. Atalantaei labores. *Stat. Th.* 7, 267. Schoenos Atalantaeus, *h. e.* Schoenos urbs Arcadiae dicta a Schoeneo Boeoto, qui in ea loca migraverat, cujus filia Atalanta prope eam urbem cursu certavit, ut est apud *Pausan.* in *Arcadicis.* ℙ Scribitur et *Atalanteus.*

ATALANTIADES, ae, m. Parthenopaeus Atalantae filius. *Stat. Th.* 9, 789. Trux Atalantiades.

ATANUVIUM, ii, n. est poculi fictilis genus, quo in sacrificiis utebantur sacerdotes Potitii. Ita *Festus*, ubi alii leg. *Atavium.* In Glossis *Isidori* legitur *Atanulum*, et *Attanabo*, *genus vasis.* Et in Glossis *Philox. Atnanulus*, *ἅγιον ἱερέος ὀζεῦος, χειμήλιον.* Quae voces aliquam inter se similitudinem habent, et eandem rem significare videntur. V. *Voss. Etym.* ℙ Legitur etiam *Attanulum*, quod ab *Atanuvium* factum esse, putat *Salm. Solin.* p. 830.

ATARGATIS, quae et Atargata, et Atergatis, et Adergatis, et Adargitis, et Adargidis, item Derceto, et Derce, varie a variis appellatur, Dea Assyriorum, seu Syrorum, de qua videndus *Seldenus de Diis Syris syntagm.* 2. *c.* 3. ubi ea omnia nomina corrupta esse censet ab Addirdaga, quae est Hebraea vox אַדִּיר דָּג, et significat magnificum, seu potentem piscem: additque in hanc migrasse numen Dagon, quod et ipsum derivatur ab Hebraico דָּג seu דָּגָה, piscis. Ejus enim numinis forma superne hominem, inferne piscem referebat. *Atargatis*, seu *Adargatis* legitur apud *Macr. Sat.* 1, 23. et apud *Plin.* 5, 23, 19. V. in ADAD.

*ATARNEA, ae, f. Mysiae, vel Aeolidis oppidum. *Plin.* 5, 30. Dicitur et Atarne. *Id.* 37, 10. *B. A.*

*ATARNEI, orum, Scythiae populi, ultra Maeotim lacum. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

ATARNITES, ae, f. fuit Hermias Atarnae, seu Atarneae (de qua *Plin.* 5, 30, 32.) urbis Mysiae tyrannus, qui cum a Persarum rege defecisset, ab ejus ducibus circumventus, et in regis potestatem redactus vivus in juvenci pellem insutus fuit. *Ov. Ib.* 321. Atque, ut Atarnites, insutus pelle juvenci. [*Variat scriptura et fluctuat inter *Atarnides*, *Acamites*, *Atharmides*, *Archamites*, *Atamides*, *Acharnides hirsutus*, etc. V. *Turneb. Adv.* 9, 26. *B. A.*]

AT AT (et aliquando conjunctis duabus vocibus *Atat*) interjectio variis affectibus serviens *ἦ ἦ*, *αἰ αἴ.* Modo enim est aliquid de improviso deprehendentis, aut rem diu non cognitam tandem intelligentis. *Ter. Eun.* 4, 5, 1. At at data hercle verba mihi sunt. *Id. Andr.* 1, 1, 98. At at hoc illud est; hinc illae lacrimae, haec illa est misericordia. ℙ Modo timentis. *Id. Eun.* 4, 6, 17. Militem secum ad te quantas copias adducere? At at. *Pl. Aul.* 4, 8, 10. Ille me non videt, at at eccum ipsum. ℙ Modo exclamantis et dolentis. *Pl. Aul.* 3, 1, 8. At at, perii hercle ego miser. ℙ Aliquando est simpliciter adversativa, ut *at. Pl. Cas.* 2, 7, 11. At at concedam huc: audio aperiri fores. ℙ Huc pertinent illa quoque *Naevii* in *Tarentilla* apud *Charis.* 2. p. 213. *At at tatae*, *cave cadas*, *amabo*, ubi libentius legerem *at attate*, vel *attate* solummodo. Et *ejusd. in Coroll. ib.* p. 214. *At tat tat*, et *at tatae*, quod eodem modo emendandum videtur. V. ATTATE. ℙ Legitur etiam *attat* conjunctim, et geminato *t*, praesertim in allatis, aliisque *Pl.* locis, ut *Poen.* 4, 1, 5., *Pers.* 4, 7, 12., *Truc.* 2, 7, 21. etc., sed eadem omnino est significatio.

ATAVIA, ae, f. *ἐπιμάμμη*, abavi, vel abaviae mater, tam ex parte paterna, quam materna; cui respondet *adneptis. Caj. Dig.* 38, 10, 1. et *Paul. ib. l.* 10.

ATAVUS, i, m. *ἐπίπαππος*, abavi, vel abaviae pater tam ex parte paterna, quam materna; cui respondet *adnepos*, ut *Caj. Dig.* 38, 10, 1. et *Paul. ib. l.* 10. docent. *Festus* scribit, *atavum* dici, quia tata est abavi, idest pater (al. leg. *tata est avi*) ut pueri usurpare solent. Sed hoc etymon ineptum videtur, cum *atavus* sit pro *adavus*, ex *ad* nempe, et *avus;* ut *adnepos* ex *ad*, et *nepos. Pl. Pers.* 1, 2, 5. Pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus. *Cic. Coel.* 14. Non patruum, proavum, atavum audieras consules fuisse? ℙ Aliquando pro abavo sumitur. *Vell.* 1, 2. Duces recuperandi imperii fuere Temenus, Cresphontes, Aristodemus, quorum atavus (*Hercules*) fuerat. At liquet scribendum esse *abavus*, quod habent recentiores editiones. ℙ Aliquando universim dicitur de majori-

bus. *Colum. Praefat.* 1. *circa med.* Veteres illi Sabini, atavique Romani. *Virg. A.* 7, 7. Turnus avis atavisque potens. *Hor. Od.* 1, 1. Maecenas atavis edite regibus.

ĂTAX, ăcis, m. nunc *Aude*, fluvius provinciae Narbonensis, qui e Pyrenaeo nascitur, Rubrensem lacum permeat, Narbonem alluit, et in Tyrrhenum mare infunditur. Ita *Plin.* 3, 4, 5. et *Mela* 2, 5. Hinc *Lucan.* 1, 403. Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas. Adde *Sidon. carm.* 9, 15.

[ĂTĒ, es, f. *ἄτη*, culpa, damnum ex culpa proveniens. Ita appellata a Graecis Dea, quae homines vexat, eadem videtur ac Discordia apud Latinos. *Hom. Il.* 19, 91. *Πρέσβα Διὸς Θυγάτηρ Ἄτη, ἣ πάντας ἀᾶται Οὐλομένη.* *Inscr.* ap. *Lanzium Sagg. di Lingua Etrusca T.* 2. p. 619. *Votum* Ate Divae Vettonus Erini, et Erinus pater. ℙ Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1046, 9. Venusta Ate. Alia apud *Ignarra* de *Phratriis* p. 200. Justitiae, Nemesi, Atis, quam voverat aram, Numina sancta colens Cammarius posuit, *h. e.* facinorum ultricibus.

*ATEGŬLA, ae, f. Hispaniae oppidum, non procul a Corduba. *Auct. B. Hisp.* 7. 8. et 22. *Attegua* audit *Plin.* 3, 1. *Ἀττεγούα Dioni Cass.* 1. 43. *post med. B. A.*

ATEĬUS, vel Atteius. V. CAPITO.

ĂTELLA, ae, f. *Ἄτελλα*, oppidum fuit Oscorum in Campania apud Clanium fluvium, nunc excisum, cui successit *Aversa* duobus mill. passuum ab eo sita. *Sil.* 11, 14. Jamque Atella suas, jamque et Calatia adegit, Fas superante metu, Poenorum in castra cohortes. Adde *Cic. Agr.* 2, 31. ℙ Apud *Petr. fr. Trag.* 53. *Burm.* Atellam facere, est Atellanam fabulam actitare. Alii tamen leg. *Atellanam.*

ĂTELLĀNĬCUS, a, um, adj. ad Atellanas pertinens. *Suet. Tib.* 45. Atellanicum exodium. *Petr. fr. Trag.* 68. *Burm.* Atellanici versus. V. *Atellanus.*

[ĂTELLANĬOLUS, a, um, diminut. ab *Atellanus. M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* 2, 3. Sed eum leges sexaginta inibi sint et Novianae, et Atellaniolae, et Scipionis oratiunculae, ne tu numerum nimis expavescas.

ĂTELLĀNĬUS, a, um, idem quod Atellanicus. *Cic. Div.* 2, 10. Atellanius versus. *Macr. Sat.* 1, 10. Atellania ars. Utroque loco quidam leg. *Atellanicus.* V. v. seq.

ATELLĀNUS, a, um, adj. ad Atellam pertinens. *Cic. Q. Fr.* 2, 14. Municipium Atellanum. ℙ *Atellani, orum*, sunt Atellae oppidi incolae. *Plin.* 3, 5, 9. ℙ *Atellana fabula*, et *Atellana, ae*, absolute genus est poematis maxime jocosum et ridiculum, ideo ita appellatum, tum quia primo et diu Atellanis fabellis, hoc est ab Atellanis petitis, consertum fuit, ut *Liv.* 7, 2. docet; tum quia Oscorum dialectus in eo servabatur; tum demum quia qui illud agebant, Osco more personati inducebantur. Atella autem Oscorum urbs fuit. Hujusmodi fabulae agebantur fere in fine comoediae, aut tragoediae (unde et *Exodia* dicebantur) ad exhilarandos animos affectu aliquo vehementi turbatos, quemadmodum a Graecis Satyrae, et ab Italis nunc ea, quae *Intermezzi* appellamus. *Juven.* 6, 71. Urbicus exodio risum movet Atellanae. *Suet. Ner.* 39. Histrio Atellanarum. *Id. Cal.* 27. Atellanae poeta. *Gell.* 17, 2. Novius in Atellana, quae Parcus inscripta est. *Id.* 12, 10. Pomponii fabula Atellana est, quae ita inscripta est Aeditumus. ℙ *Atellanus, i*, Atellanae fabulae actor. *Suet. Galb.* 13. Atellanis notissimum canticum exorsis. *Cic. Fam.* 9, 16. Nunc venio ad jocationes tuas, cum tu secundum Oenomaum Accii, non, ut olim solebat, Atellanum, sed ut nunc fit, mimum introduxisti. Hoc *Ciceronis* loco innuitur discrimen inter *Atellanas* et *Mimos.* Nimirum *Mimi* fabulae erant Latinae, sed valde lascivae et dicacissimae: contra *Atellanae* modestiores multo, et vetusta rudique ac severa elegantia scriptae. Praeterea mimos agebant histriones, Atellanas sibi Romana juventus retinuit, nec ab histrionibus pollui passa est, ut *Liv. l. c.* scribit. V. plura apud *Manut. ad h. l.* Et universim de Atellanis fabulis consule *Voss. Instit. poet. l.* 2. *c.* 35. [*et *Schober, über die atellanischen Schauspiele der Römer. Lips.* 1825.] ℙ Quidam scribunt *Attellanus* duplici *t*, sed minus recte.

ĂTER, atra, atrum, adj. niger, obscurus, *μέλας*. Proprie differt a *nigro*, sicut *albus* a *candido.* Nam *ater* minus obscuritatis habet, quam *niger*, sicut *candidus* plus candoris, quam *albus.* Tametsi hoc discrimen non semper a scriptoribus servatur. [*Cf. *Döderl. Syn.* etc. III. p. 195]. [Est ab *ἄζω*, vel *αὔθω*, uro, torreo. *F.* **Döderl. ib.* ab *ardeo* mavult derivari.] *Cic. Tusc.* 5, 39. Democritus luminibus amissis, alba scilicet et atra discernere non poterat. *Id. ib.* 3, 5. Atra bilis. *Ov. Amor.* 1, 13, 31. Filius ater. *Id. ib.* 14, 9. Ater capillus. *Lucr.* 6, 1145. sanguis. (Frequenter poetae *sanguinem atrum* vocant, praesertim illum, qui in caedibus effunditur.) [*Et hac de causa *Sil.* 5, 154. atrae ripae, i. e. sanguineae. V. *Drak.* — *Id.* 6, 68. atrum vulnus, de eadem causa.] *Tac. H.* 5, 6. liquor. *Petr. Sat.* 133. Atra vestis. *Hor. Od.* 2, 14, 17. Ater Cocytus. *Id. Epod.* 8, 3. dens. *Id. Od.* 2, 16, 2. Atra nubes. *Id. Epod.* 10, 9. nox. *Id. Sat.* 2, 8, 55. Ater pulvis. *Ov. Met.* 4, 165. color. *Ter. Eun.* 5, 4, 17. panis. [**Tib.* 1, 3, 46. atro viscere pascit aves (Tityus) i. e. jecinore, quod etiam Gr. appellant *μέλαν ἧπαρ.*] *Pl. Men.* 5, 5, 17. Album an atrum vinum potas? *Id. Poen.* 5, 5, 11. Atrior multo ut siet, quam Aegyptii. *Virg. G.* 2, 130. Atra venena, *h. e.* quia vel nigri sunt succi, vel nigra reddunt corpora, quae infecerint. [*Hinc etiam serpentes atrae dicuntur, *Virg. G.* 1, 129. *Ov. Met.* 3, 64. Nam virus omnia atro colore inficit.] *Hor. Od.* 3, 27, 18. Ater sinus Adriae, *h. e.* procellosus, quia mare agitatum ventis nigrescit. *Lucr.* 6, 258. et *Virg. A.* 5, 693. Atra tempestas, quia nubes solem tegunt, et tenebras inducunt. Sic *Virg. A.* 7, 214. Atra hiems. [**Hor. Sat.* 2, 2, 16. atrum defendens pisces hiemat mare, i. e. tempestuosum; Gr. ita *μελαίνειν* dicunt de ponto. V. *Hdf.*] *Id. ib.* 1, 169. Atrum nemus, *h. e.* umbrosum. ℙ *Ater* etiam dicitur, qui atratus est. *Hor. ep.* 1, 7, 6. Designatorem decorat lictoribus atris, *h. e.* ministris libitinariis, qui pullis vestibus utebantur. ℙ Translate ponitur pro foedo, turpi. *Hor. A. P.* 3. ut turpiter atrum Desinat in piscem mulier formosa superne. Adde quod pisces permulti sunt atri coloris. *Virg. G.* 3, 430. Atra ingluvies. ℙ Item pro funesto, infelici, lugubri, tristi. *Prop.* 2, 8, 34. Extremi funeris atra dies. *Virg. A.* 3, 64. Atra cupressus. *Id. ib.* 6, 429. dies. *Sen. Hipp.* 1212. lux. *Hor. Od.* 1, 28, 13. mors. *Lucr.* 2, 580. Atrum funus. *Sen. Herc. fur.* 693. Ater luctus. [**Virg. A.* 7, 457. atro lumine fumantis fixit sub pectore taedas, i. infernas, furiales. Omnino de omnibus *ater* dicitur, quae aliquo modo ad orcum pertinent. Cf. *Burm.* ad *Ov. Her.* 11, 103.] ℙ *Atri dies* sunt ominosi, infelices, et in quibus gravis aliquando calamitas reipublicae acciderit: quales erant Romanis dies omnes postridie calendas, nonas, idus, et ante diem quartum calendas, nonas, idus, ut *Gell.* 5, 17., *Paul.* ex *Festo* in *Nonarum*, et *Macr. Sat.* 1, 15. *in f.* et *ib.* 16. docent, ejusque rei causam ibidem tradunt. Addit *Gell.* hos dies imperite a vulgo *nefastos* appellari. Differunt enim. Nam omnes quidem atri dies erant nefasti, sed non omnes nefasti erant atri: verbi gratia, dies festi erant nefasti, sed non atri. Atri dies neque proeliares erant, neque puri, neque comitiales. *Varr. L. L.* 5, 4. Dies postridie calendas, nonas, idus appellati atri, quod per eos dies novi inciperent. *Turneb.* legendum putat *nihil novi inciperent*, ut constet sententia. *Afr.* ap. *Non.* 2, 40. Septembris heri calendae, hodie ater dies. Ratio autem hujus appellationis est, quod veteres felicia omnia albo, tristia et infausta atro colore notabant. V. quaedam huc pertinentia in ALBUS. ℙ Accipitur etiam *ater* pro obscuro, et intellectu difficili. *Stat. Silv.* 5, 3, 156. tu pandere doctus Carmina Battiadae, latebrasque Lycophronis atri. ℙ Item pro livido, maligno, maledico. *Hor. Ep.* 1, 19, 30. atris versibus oblinere aliquem. *Id. Epod.* 6, 15. Atro dente aliquem petere. ℙ Item pro molesto, noxio, tristi. *Hor. Od.* 3, 1, 40. et *ib.* 4, 11, 35. Atra cura. *Id. A. P.* 423. Atrae lites. *Claud. Laud. Stilich.* 1, 279. Atra fames. ℙ Tribuitur et aliis rebus. *Virg. A.* 9, 719. Immisitque fugam Teucris, atrumque timorem. *Lucr.* 6, 253. Atra formido. *Id. G.* 4, 407. Atra tigris, *h. e.* terribilis, metuenda. Sic *Id. A.* 7, 525. Atraque late Horrescit strictis seges ensibus. *Hor. Od.* 3, 4, 17. Atrae viperae. [*V. supra.] ℙ Apud *Virg. A.* 12, 591. Ater odor, est, ut exponit *Serv.*, qui ex atra re ambusta exit. [*Omnino, ut supra vidimus i. q. foedus, teter.] ℙ *Albus an ater*, etc. proverb. V. in ALBUS. ℙ Atrum olus. V. OLUS ATRUM. ℙ Comp. *Atrior.* V. supra. Exempla superl. desunt. ℙ [*Commutantur in codicibus *ater* et *alter*, *Drak.* ad *Liv.* 22, 10. — et *acer*, id. ad *Sil.* 5, 154. 17, 250. *atra* et *arta*, id. ad *Sil.* 7, 280. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 547. — et *altus*, *Burm.* ad *Ov. Am.* 3, 5, 45. ad *Met.* 12, 51.]

[ĂTĒRAMNON, i, n. herba quaedam apud *Plin.* 18, 17, 44. Circa Philippos ateramnon nominant in pingui solo herbam, qua faba necatur: teramnon, qua in macro, cum udam quidam ventus afflavit. *Dalechampius*, aliique censent, hanc herbam nusquam omnino gentium fuisse, cum vox *ateramnon*, sicuti et *teramnon*, ex male intellecto *Theophrasti* loco *de Caus. plant. l.* 4. *c.* 14. satis ridicule a *Plinio* conficta fuerit. *Hard.* tamen *Plinium* a tam supinae negligentiae culpa purgare conatus est; quam vero feliciter, judicent eruditi. *F.*]

ĂTERCAUTA. V. ATTERRANEA.

ĂTERGĀTIS. V. ATARGATIS.

*ATERIUS. V. ATERNIA lex. *B. A.*

[ĂTERNENSIS, se, adj. ad Aternum pertinens, oppidum Piceni in Frentanis, nunc *Pescara*, de quo *Liv.* 24, 47. *Frontin. de colon.* p. 120. *Goes.* Alternensis ager lege Augustea est assignatus. *F.* et *B. A.*]

ĂTERNĬA Lex denominata est ab A. Aternio Varo Fontinali, qui fuit consul cum Sp. Tarpejo [Montano Capitolino ann. U. C. 300. ut probavit *Bapt. Borghesius* in *Nuovi Frammenti dei Fasti Cons. Capitol. P.* 1. p. 72., et *Ang. Maius* et *Cic. de Repub.* 2, 35., ideoque *Aeternia*, *Ateria*, *Aterina Hateria*, lex in *Aterniam* commutanda, ubicumque ea apud scriptores Latinos legitur; hujusmodi vero nomen gentilicium ex flumine Aterno derivatum esse constat, ut *Numicia* gens ab flumine *Numico*, *Aufidia* ab *Aufido. F.*] Hi consules legem tulerunt, ut in multis, quae ob aliquod crimen indicebantur, et quae pecore solvi solebant, (nam pecore praecipue constabant illorum temporum divitiae) oves decussibus, boves centussibus aestimarentur. *Festus* in *Peculatus* hanc *legem Tarpejam* vocat; *Gell.* 11, 1. *Aterniam.* Summa autem pecoris multa fere tunc erat duarum ovium, et triginta boum, (quam ne cuiquam excedere liceret, T. Menenius Lanatus, et P. Sestius Capitolinus coss. lege lata A. U. 302. sanxerunt, ut *Fest. ib.* docet: quae lex *Menenia* dicta est) quia scilicet Italia bobus abundabat, ovibus non item. Sed quia saepe eveniebat, ut boves ovesque alias pretii parvi, alias majoris addicerentur; eaque res faciebat inaequalem multae punitionem: idcirco bobus ovibusque pretium Aternia lege constitutum est. Haec ex *Gell. l. c.* Sunt tamen qui putant, *Aterniam* legem fuisse de non excedenda in multis duarum ovium, et triginta boum summa; quod *Meneniae* tribuit *Festus:* et *Meneniam* de aestimatione ovium decussis, et boum centussis; quod *Aterniae* tribuunt *Festus* et *Gellius.*

ĂTERNUS, i, m. nunc *Pescara*, *Ἄτερνος*, fluvius est Italiae, in ejus quarta regione, ubi Frentani populi, ex Apennino oriens, Aquilam, Teatemque praeterfluens, et in Adriaticum mare influens. *Plin.* 3, 5, 6. et *ib.* 12, 17. ℙ [Aternus fuit etiam cognomen Jovis, qui ibidem colebatur. *Inscr.* ap. *Romanelli Topogr. Nap. T. III.* p. 77. Jovi Aterno L. Veturius Praef. turmae speculat. Valerien. sig. f. ex voto. *F.*]

[ĂTESTAS, atis, omn. gen. ad Ateste pertinens, coloniam Venetiae. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 432, 9. L. Lutevius Atestatis F. sibi, et L. Lutevio L. F. Prisco. ℙ Hinc gens Atestatia nomen habuisse videtur, cujus mentio in *Inscr.* ap. *Jo. Labusium*, *Antichi Monum. Bresc.* p. 90. Primio Staji Arruntii F. sibi et Atestatiae Secundae uxori, Atestatiae Primulae filiae, C. Atestatio Quartioni VI viro Brix. et C. Atestatio Quinto filiis, etc. *F.*]

ĂTESTĒ, is, n. nunc *Este*, [*Ἀτέστε*, sic *F.*] oppidum Venetiae ad radices Euganeorum montium, qua ad meridiem vergunt, fertilissimo agro dives; [olim ab Athesi alluebatur, nunc a parvo flumine, cui nomen *il Bisato*, a Medoaco minori derivato; distat Patavio XV. mill. pass. Fuit primum colonia Latina, mox municipium, tandem colonia Romana ab Augusto post bellum Actiacum deducta. V. ACTIACUS. Tribui Romiliae seu potius Romuliae adscripta fuit. Ejus historiam scripsit *Isid. Alessi* in eximio opere, cui titulus: *Ricerche Istoriche-crit. di Este. Padova* 1776. *f. F.*] *Plin.* 3, 19, 23. In mediterraneo regionis decimae, coloniae Cremona, Brixia Cenomanorum agro; Venetorum autem Ateste. *Id.* 17, 17, 26. Corellius eques Romanus, Ateste genitus. *Tac. H.* 3, 6. Inde Patavium et Ateste partibus adjunxere. *Vet. epigr.* ap. *Pithoeum p. m.* 85. Hic et Ateste jacet, qui post Antenora nomen Laudibus et titulis tollit in astra suum. ℙ Scribitur et *Atheste.*

ĂTESTĪNUS, a, um, adj. *Estense*, ad Ateste pertinens, ut Sabina Atestina apud *Mart.* 10, 93., quae scilicet Ateste patriam habebat. ℙ *Atestini, orum*, sunt Atestis incolae. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. ver.* 108, 1. Sex Atilius M. F. Saranus procos. ex Senati Consulto inter Atestinos et Veicetinos finis terminosque statui jusit. [(Haec pertinet ad ann. U. C. 619.) Alia apud *Alessi Ricerch. Ist.* p. 83. L. Caecilius Q. F. procos. terminos finisque ex Senati Consulto statui jusit inter Atestinos Patavinosque. (Haec pertinet ad ann. U. C. 613. vel 638.) *F.*]

*ATESUI, orum, populi Galliae Lugdunensis. *Plin.* 4, 18. si lectio certa. *B. A.*

*ATHĂCUS, i, oppidum in Macedonia. *Liv.* 31, 34. *B. A.*

ĂTHĂMĀNĬĂ, ae, f. Aetoliae regio, (alii in Epiro constituunt) cujus populi *Athamanes* dicuntur a *Plin.* 4, 2, 3., a *Cic. Pis.* 40. et a *Liv.* 31, 42. et alibi, *Ἀθάμανες* a Ptolemaeo. *Liv.* 36, 14. Athamania omnis in jus ditionemque Philippi concessit.

ĂTHĂMĀNĬS, ĭdis, f. adj. quae est ex Athamania. *Ov. Met.* 15, 311. Admotis Athamanis aquis accendere lignum Narratur, *h. e.* mulier ex Athamania in Dodonaeo fonte exstinctas faces mergens accendit. Est autem Dodonaeus fons in Epiro, cujus hanc accendendarum facum vim narrat etiam *Plin.* 2, 103, 106. Tres tamen editiones principes, quas vidi, itemque *Aldus* ediderunt *Admotis Athamantis aquis*, etc. ut sit *Athamantis, idis*, eodem sensu.

ĂTHĂMANTĔUS, a, um, adj. ad Athamantem pertinens, *Ἀθαμάντειος*, *Ov. Met.* 4, 496. Inoosque sinus, Athamanteosque pererrant, Inspirantque graves animas. *Stat. Silv.* 5, 3, 143. nunc ra-

mis Phoebi, nunc germine Lernae, Nunc Athamantea protectum tempora pinu, *h. e.* corona ex pinu, quae dabatur in ludis Isthmicis. Hi autem ludi instituti fuerunt ab Athamante in honorem Melicertae filii, qui cum in mare se projecisset, in Deum marinum mutatus est, et Palaemon appellatus, ut *Pausan.* in *Atticis sub f.* narrat. *Mart.* 8, 28. Athamanteum aurum, *h. e.* aureum vellus arietis, quo Phryxus Athamantis filius in Colchidem vectus est.

ĀTHĀMANTĬĀDES, ae, m. patronym. *Ov. Met.* 13, 919. Athamantiadesque Palaemon, *h. e.* Athamantis filius.

ĀTHĀMANTĬCUS, a, um, adj. ad Athamantem pertinens. *Plin.* 20, 23, 94. Mei duo genera: nobilius Athamanticum vocant, illi tanquam ab Athamante inventum; hi quoniam laudatissimum in Athamante reperiatur.

ĀTHĀMANTĬS, ĭdis, f. patronym. *Ov. Fast.* 4, 903. Et frustra pecudem quaeres Athamantidos Helles, *h. e.* Athamantis filiae. *Id. Her.* 18, 137. Fluctibus immodicis Athamantidos aequora canent, *h. e.* Hellespontus, in quod Helle Athamantis filia se praecipitavit. ℙ *Athamantis* alio sensu, V. in ATHAMANIS.

ĀTHĀMĀNUS, a, um, adj. ad Athamaniam pertinens. *Prop.* 4, 6, 15. Est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus.

ĀTHĀMAS, antis, m. Ἀθάμας, Aeoli filius Thebarum Thessaliae rex, Inonem inter alias uxorem habuit Cadmi et Harmoniae vel Hermiones filiam, ex qua duos sustulit liberos, Learchum et Melicerten. Juno indignata, quod Ino Bacchum ex Semele ejus sorore pellice sua natum nutrivisset, Athamanti furorem immisit, quo ille actus Learchum filium, feram credens, saxo illisum interfecit, uxorem autem cum Melicerta altero filio persequens, et leaenam cum catulo esse dicens, in mare se praecipitare adegit, ubi Deorum misericordia in marinos Deos versi sunt. Ipse autem Athamas, recepta tandem sanitate, in eorum honorem Isthmicos ludos instituit. Haec ex *Hyg. fab.* 2., *Ov. Met.* 4. et *Fast.* 6., *Serv.* ad *A.* 5, 241. et *Pausan.* in *Attic. sub f.* etc. *Oc. Fast.* 6, 489. Hinc agitur furiis Athamas, et imagine falsa. *Id. Met.* 4, 470. et in facinus traherent Athamanta sorores. *Cic. Pis.* 20. Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste, aut Athamante dementiorem putem? ℙ Est etiam *Athamas* mons Thessaliae, de quo *Plin.* 4, 8, 15. et 20, 23, 94.

*ATHĀNA, ae, (vel *Athene*, ut *Hard.* habet) f. urbs et emporium Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. ℙ Athana (Dorice pro *Athene*, Ἀθήνη) idem est quod Minerva apud *Petron.* 58. *med. B. A.*

*ATHANAGIA, ae, f. oppidum Hispaniae Tarraconensis, Ilergetum caput. *Liv.* 21, 61. *B. A.*

*ATHANASĬUS, i, m. Ἀθανάσιος, Praesul Alexandrinus, ab Alexandro ejus civitatis Praesule educatus, olim Diaconus, in Concilio Niceno an. Christi CCCXXV. Arianorum hostis acerrimus. Episcopus Alexandrinus nolens electus est: quod cum Ariani impedire nequirent, Meletianis et Eusebianis juncti, Conciliabulo Tyri instituto, eum *deposuerunt* [*sic! pro: ei munus ademerunt,] et per Constantinum, quem praeoccupaverant, Trevirim exsulatum abire coegerunt. Biennio post a Constante Galliarum rege, ad quem perfugerat, restitutus est. Mox iterum ab Arianis pulsus; sed Sardico Concilio absolutus, rediit ad functionem. Donec tertia vice haereticorum furore pulsus, sexque annos integros in desertis errare coactus, diem supremum obiit A. S. CCCLXXVII. cum Episcopatum Alexandrinum pace belloque gessisset annis quadraginta sex. V. *Hieron. de Script. Eccles.* et *ep.* 7. *ad Laetam. Nazianz. Orat. de Athanasio*, *Socrat. Sozom. Theodoret. Sulp. Severum*, etc. *B. A.*

*ĀTHĀNĀTUS, i, m. ἀθάνατος, immortalis, nomen datum viro prodigiosae fortitudinis, de quo sic *Plin.* 7, 20, 19. Nos quoque vidimus Athanatum nomine, prodigiosae ostentationis, quingenario thorace plumbeo indutum, cothurnisque quingentorum pondo calciatum per scenam ingredi. *B. A.*

ĀTHĒNAE, arum, f. plur. Ἀθῆναι, clarissima urbs Graeciae, metrop. Atticae, inter fl. Cephisum, et Ilissum. Primum dicta est *Cecropia* a conditore Cecrope, postea *Mopsopia* a Mopso, et *Ionia* ab Ione Xuthi filio, et *Athenae* ab Ἀθηναία, vel Ἀθηνᾶ, Minerva. ℙ *Plato* scribit, ante diluvium alias Athenas exstitisse et apud Graecos, et apud Aegyptios, quas Pallas condidit, et docuit, ea reipub. forma tradita, quam ipse in suis libris describit. Athenas in Graecia conditas fuisse mille annis ante Aegyptias; Atticam regionem a Vulcano, et Minerva gubernatam fuisse, eosque priscis Atheniensibus rempublicam tradidisse; veteres Atheniense omnium virtutum genere prae ceteris hominibus excelluisse; bellum gessisse cum regibus, et populis Atlantidis insulae, qui in Graeciam venerant, novem mille annis ante suam aetatem; Athenas veteres terrae motu absorptas fuisse. Etiam *Plin.* 4, 7, 11. duas Athenas agnoscit, unam in Attica, (de qua semper intelligendi sunt, qui *Athenas* nominant, nec aliud addunt) alteram in Arabia, *Id.* 6, 28, 32. Tertiam addidit *Varr. L. L.* 7, 18. cujus verba in voce sequent. afferemus. *Steph. de Urb.* novem Athenas memorat. V. v. seq. ℙ Fruges Athenis primum inventas, aut invectas, *Diod. Sicul.* auctor est. Inde frugum parentem *Flor.* 3, 5. vocat. Sed major laus, omnis generis litteras ibi inventas atque excultas fuisse, ut ea urbs communis magistra diceretnr. *Cic. Fl.* 26. Hinc *Athenae* aliquando pro ipsis litteris ponuntur. *Juven.* 15, 110. Nunc totus Grajas, nostrasque habet Orbis Athenas, *h. e.* Romanas et Graecas litteras. ℙ Ratio cur *Athenae* in plurali numero dicerentur, est, quia ut *Steph. de Urb.* tradit, Theseus undecim oppidorum populos in unum coegit, unaque curia et magistratu Athenis constituto, congregavit, et ob id festum συνοικίων, hoc est contuberniorum, in honorem Minervae instituit: quod et *Plut. in Theseo* narrat. Eadem est ratio inclytae nostrae Venetiarum urbis, quae ex multis parvis insulis in eam magnitudinem majestatemque coaluit, quam nunc omnes, qui adeunt, admirantur. ℙ *Athenis loquacior*, proverb. de homine verbosissimo, quod Athenienses loquacissimi habiti sunt. Huic contrarium est *Amyclis taciturnior*, de quo V. in AMYCLAE. Utrumque legitur apud *Sidon. ep.* 8, 6. ℙ *Athenae novae* vocata urbs Mediolanum, quia litteris maxime florebat, ut ex *Plin. ep.* 4, 13. colligitur. *Inscr. Med.* ap. *Grut.* 177, 4. Imp. Caes. T. Aelius Hadrianus Antoninus Aug. Pius aquaeductum in novis Athenis coeptum a Divo Hadriano patre suo consummavit dedicavitque. [*Cf. ATHANA.]

ĀTHĒNAEI, orum, m. plur. Ἀθηναῖοι, populi urbis Athenarum, non quidem ejus Atticae, sed alterius. *Varr. L. L.* 7, 18. Cum trinae fuerint Athenae, ab una dicti Athenaei, ab altera Atheniense, a tertia Athenaeopolitae. *Steph. de Urb.* novem enumerat Athenas, in Attica, in Laconica, in Caria, in Liguria, in Italia, (hoc est fortasse oppidum illud, quod *Liv.* 45, 16. vocat *Minervium*) in Euboea, in Acarnania, in Boeotia, et in Ponto Euxino. Quas vero duas ex iis *Varro* intelligat, (altera enim procul dubio Attica est) difficile est definire.

ĀTHĒNAEŌPŌLĪTAE, arum, m. plur. Ἀθηναιοπολῖται. V. v. praec.

ĀTHĒNAEUM, i, n. Ἀθήναιον, locus erat Athenis Minervae dicatus, ad quem poetae, aliique scriptores Graeci scripta sua deferebant, quemadmodum poetae Latini ad Apollinis templum: item locus, in quo poetae, rhetores, philosophi et alii sua studia profitebantur, idest carmina recitabant, oratorie declamabant, philosophice disputabant, etc. *Lampr. Alex. Sev.* 35. Ad Athenaeum audiendorum et Graecorum et Latinorum rhetorum vel poetarum causa processit. *Aur. Vict. Caesar.* 14. Ludum ingenuarum artium, quod Athenaeum vocant, constituere. Loquitur *Aurel.* de Athenaeo Romae constituto ab Hadriano ad similitudinem Athenarum; quod quidam putant fuisse in Capitolio. ℙ [*Item arx seu castellum Athamaniae. *Liv.* 38, 1. et 39, 25. *B. A.*]

ĀTHĒNAEUS, a, um, adj. Ἀθηναῖος, ad Athenas pertinens, Atheniensis. *Lucr.* 6, 749. Athenaeis in moenibus. Adde *Plin. Hist. nat.* 1. in indice *l.* 8, 11, 12. etc., ubi auctores nominat, a quibus aliquid sumpsit, dicit *v. c. Amphilochus Athenaeus*, *Aristander Athenaeus*, etc. ℙ De Athenaeis populis V. supra ATHENAEI. ℙ [**Athenaeus*, *i*, m. Naucratita Grammaticus, tempore M. Aurelii, qui librum *Deipnosophistarum* composuit, varium opus et eruditum, ut Plinius alter Graecus fere dici possit: quod ad nos sane haud integrum pervenit, epitome ejus ab Hermolao Byzantino tantum relicta. V. *Voss. de Hist. Graec.* 2, 15. Sed et integri operis fragmenta quaedam a *Schweighaeusero* habemus vulgata. *B. A.*]

*ĀTHĒNĀGŌRAS, ae, m. Ἀθηναγόρας, ad Minervae sodalicium pertinens, ab Ἀθήνη, Minerva, et ἀγορά, congregatio. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 488, 4. Virejus Athenagoras. ℙ Fuit etiam hoc nomine scriptor de re rustica. *Varr. R. R.* 1, 1. ℙ Item Graecus, in bello Persico Darii partes amplexus, tandem vinctus Macedonibus traditus. *Curt.* 4, 5. *B. A.*

[ĀTHĒNAIS, ĭdis, f. Ἀθηναΐς, Minervia. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 488, 4. Virejae Athenaidi. *F.*]

ĀTHĒNĪCA, orum, n. plur. sunt bibliothecae, quasi loca Minervae dicata, in quibus custodiuntur litteraria munumenta. *Trebell.* XXX. *Tyrann.* 10. Epistolam Claudii repertam in Athenicis, inserendam putavi. Al. rectius leg. *archivis*. V. *Salm. ad h. l.*

ĀTHĒNĪENSIS, se, adj. Ἀθηναῖος, ad Athenas Atticas pertinens. *Nep. Ep.* 4. Chabrias Atheniensis. *Id. Dion.* 8. Civis Atheniensis. *Val. Max.* 4, 1. *ext. n.* 4. Atheniensis populus. ℙ *Athenienses*, *ium*, absolute, sunt Athenarum cives, οἱ Ἀθηναῖοι. *Cic. Fl.* 26. Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortae, atque in omnes terras distributae putantur.

[ĂTHĒNĬO, onis, m. diminutivum ab Ἀθήνη, Minerva, quasi *Minerviolus*, Ἀθηνίον. Cognomen Romanum frequens. *Inscr.* ap. *Smet.* p. 54. *col.* 3. P. Baebius P. L. Athenio. *F.* ℙ *Hoc nomine fuit etiam pictor eximius, Maronites, Glaucionis Corinthii discipulus. *Plin.* 35, 11, 40. ℙ Item Siculus dux fugitivorum, et Siculorum, qui cum fugitivis se conjunxerant. *Cic. Verr.* 2, 2, 54., et *Har. resp.* 12., *Flor.* 3, 19. ℙ Hinc *Cic. Att.* 2, 12. *Athenionem* appellat Sex. Clodium, quia fuit dux servorum Romae tumultuantium, ut Athenio fugitivorum Siciliae. *B. A.*]

[ĂTHĒNIPPUM, i, n. est collyrium apud *Scrib. Comp.* 26. et 27. At *Rhodius* suspicatur *Athenippium* dicendum esse, ab auctore nempe Athenippo. *F.*]

[ĂTHĒNŌDŌRUS, i, m. Ἀθηνόδωρος, Minervae donum, ex Ἀθήνη, Minerva, et δῶρον, donum. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 267, 2. M. Antonius Athenodorus. *F.* ℙ *Fuit etiam statuarius insignis, et sculptor, Rhodius, de quo *Plin.* 34, 8, 19. et 36, 5, 4. *n.* 11. ℙ Item Tarsensis, philosophus Stoicus, Sandonis filius, Caesaris Octaviani praeceptor. *Cic. Fam.* 3, 7., *Suet. Claud.* 4. ℙ Item philosophus Rhodius, de quo *Quint.* 2, 17.]

*ĀTHENOPŌLIS, is, f. oppidum Galliae Narbonensis littorale, juxta Massiliam. *Plin.* 3, 4. *Mela* 2, 5. *B. A.*

ĀTHĔOS et Atheus, i, m. ἄθεος, qui nullos esse Deos putat: ab *a* privativa, et θεὸς, Deus, *Cic. N. D.* 1, 23. Diagoras, atheos qui dictus est, posteaque Theodorus, nonne aperte Deorum naturam sustulerunt? *Arnob.* 3. p. 116. Nos impios, irreligiosos vocetis, aut atheos. *Id.* 5. p. 178. Quemquam ex his atheum.

ĀTHĒRA, ae, f. ἄθηρα, pulmenti genus, quod ex olyra vel farre et lacte conficitur. *Plin.* 22, 25, 57. Olyram arincam diximus vocari: hac decocta fit medicamentum (lege *pulmentum*) quod Aegyptii atheram vocant, infantibus utilissimum, sed et adultos illinunt eo. *Hieron. Quaest. in Genes.* 45, 21. Porro θήραν venationem magis potest sonare, quam fruges; tametsi moris sit Aegyptiorum θήραν etiam far vocare, quod nunc corrupte atheram nuncupant. Videtur fuisse idem cibi genus, de quo *Plin.* 22, 21, 28. Est et lotometra, quae fit ex loto sata, ex cujus semine simili milio fiunt panes in Aegypto a pastoribus, maxime aqua vel lacte subacto. *Colum.* 2, 9. Milium pultem praebet, maxime cum lacte non fastidiendam. *Jablonsk. Opusc. T.* 1. p. 14. putat, *atheram* esse, quam etiamnum Aegyptii vocant *dora*, *doura*, vel *dourra*.

ĀTHERIĀNUS, a, um, adj. *Cic. Fam.* 9, 18. Tu istic te Atheriano jure delectato: ego me hic Hirtiano. *Cic.* hic ludit in ἀμφιβολία vocis juris, jubetque Paetum frui Atherio ICto, quem secum habuisse videtur, cum ipse apud Hirtium venandi magistrum, jure fervente, quod erat illi in deliciis, delectaretur. V. in JUS. Alii leg. *Aterianno*, alii *Hateriano*. Sunt autem *Atherius*, *Aterius*, et *Haterius* Romana virorum nomina.

ĀTHĒRŌMA, ātis, n. ἀθέρωμα, et ἀθήρωμα, abscessus, seu tuberculum in capite fere nascens, cum folliculo, in quo quiddam pulti simile continetur, peculiari tunica inclusum. *Cels.* 7, 6. Atheromati subest quasi tenuis pulticula; meliceridi liquidior humor. *Veget. Veter.* 2, 30. Atheroma est tuber, in quo farinosa congeries invenitur.

ĀTHĒSIS, is, m. nunc *Adige* (*Etsch*), Ἄθεσις, fluvius Venetiae, qui oritur ex Brenno M. Alpium, in Com. Tirolensi, alluit Tridentum et Veronam, labitur in mare Adriaticum inter Fossam Claudiam et Carbonariam postremum Padi ostium. *Virg. A.* 9, 681. Sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum. *Claud. VI. Cons. Hon.* 196. velox Athesis. *Sil.* 8, 595. Tum Verona Athesi circumflua. Adde *Plin.* 3, 16, 20.

ĀTHĔUS. V. ATHEOS.

[ĀTHICTUS, i, m. ἄθικτος, intactus, illibatus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 60. Cn. Caesius Athictus. *F.*]

ĀTHLA, ae, f. V. ATHLON.

ĀTHLĒTA, ae, m. ἀθλητής, qui gymnicis in certaminibus lucta, pugilatu, cursu, saltu et hujusmodi pugnat; et praesertim qui lucta aut pugilatu. Ita enim videtur a Latinis plerumque usurpari. Est ab ἆθλος, certamen, vel ab ἀθλέω, certo, pugno. Certabant athletae in circo, in gymnasiis, in amphitheatris, subligaribus virilia tecti Romae, at in Graecia nudi omnino (*Dionys. Hulic. l.* 7. p. 473.) oleo seu ceromate uncti, et pulvere conspersi corpus, cujus vires ut alerent servarentque, simplici cibo, et ad nutriendum saginandumque apto utebantur, summoque studio ab iis abstinebant, quae viribus officere possent: artem vero athleticam diligenter perdiscebant a magistris, assiduisque exercitationibus excolebant. *Cic. Sen.* 9. Milo cum jam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, etc. *Id. Or.* 68. Ut enim athletas, nec multo secus gladiatores, videmus, nihil nec vitando facere caute, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palaestram

quandam, etc. *Id. Tusc.* 2, 23. In stadio cursores exclamant, quam maxime possunt: faciunt idem, cum exercentur, athletae: pugiles vero, etiam cum feriunt adversarium, in jactandis caestibus ingemiscunt. Et *ib.* 17. Aniculae saepe inediam biduum aut triduum ferunt: subduc cibum unum diem athletae: Jovem Olympium, eum ipsum, cui se exercebit, implorabit; ferre non posse clamabit. *Nep. Ep.* 2. Magnitudo virium ad athletarum usum pertinet. *Liv.* 39, 22. Athletarum quoque certamen tum primo (*nempe ann. U. C.* 568. *ante Chr.* 168.) Romanis spectaculo fuit. *Val. Max.* 2, 4. *n.* 7. Athletarum certamen a M. Scauri tractum est munificentia. (nempe ann. U. C. 695., quo is aedilitate functus est.) ℙ Translate. *Varr. R. R.* 2, 1. Vos, qui estis Epirotici, pecuarii athletae, *h. e.* diligentes et strenui in re pecuaria procuranda. Sic 3, 5. Nos athletae comitiorum. Sic *Justin. in epist. ad Theoph. Doroth.* etc. *praefixa libris Digest. a med.* Optimi athletae judiciorum, h. e. strenue pugnantes in forensibus judiciorum certaminibus. ℙ Athletas, quia non lucri, sed virtutis causa se exercent, artem ludicram non facere, ideoque ignominiosam non esse, statuunt Jurisconsulti apud *Ulp. Dig.* 3, 2, 4.

ĂTHLĔTĬCĒ, adv. ἀθλητικῶς, athletarum more. *Pl. Bacch.* 2, 3, 14. Benene usque valuit? *Ch.* pancratice atque athletice.

ĂTHLĔTĬCUS, a, um, adj. ad athletam pertinens, ἀθλητικός. *Cels.* 4, 6. *in f.* Athletico victu corpus firmare, *h. e.* iis cibis, quibus utuntur athletae ad vires firmandas et conservandas. V. COLIPHIUM. *Gell.* 15, 16. Cum Milo jam grandis natu artem athleticam desiisset. ℙ *Athletica, ae,* absolute est athletica ars. *Plin.* 7, 56, 57. Hercules Olympiae athleticam instituit.

ĂTHLON, i, n. ἆθλον, Graeca vox, qua significatur praemium certaminis, quod victori datur: item aliquando labor, quod perfert quis in certamine. *Petr. fr. Trag.* 57. *in f. Burm.* Et habebam in domo, qui mihi pedem opponerent hac, illac: tamen enatavi. Haec sunt vera athla. Al. leg. *haec est vera athla,* ut sit femin. gen. ℙ Apud astrologos sunt *athla* opera, res, labores, studia, certamina, et quicumque casus in vita humana possunt contingere; quorum duodecim classes fecerunt astrologi, et singulis signis coelestibus assignarunt. *Manil.* 3, 162, 172, 193., etc. ℙ *Athla* Herculis dicuntur, qui et labores. *Hyg. fab.* 30. Herculis athla XII. ab Eurystheo imperata. *Ampel.* 2. Sunt qui dicant (geminos esse) Herculem et Theseum, quod similia athla sint adepti. ℙ In *Not. Tir.* p. 174. positione Latina legitur *Atletum*, quod certissime scribendum fuit *Athlum.*

ĂTHLOS, i, m. ἆθλος, Graece est certamen, qualia ab athletis et gladiatoribus edi solebant. Latine *Hyg. fab.* 91. In athlo funebri, quod ei fiebat.

ĂTHOS et Atho, m. nunc *Monte santo, dat. et ablat.* Atho; *accusat.* Athon et Atho, Ἄθως, τοῦ Ἄθω, τῷ Ἄθῳ, τὸν Ἄθω, mons altissimus Macedoniae, instar paeninsulae, LXXV. mill. passuum longitudine in mare Aegeum excurrens, cujus umbra in solstitio ad Lemnon usque insulam extenditur, LXXXVII. mill. passuum distantem, ut apud *Plin.* 4, 12, 23. legitur. Ejus radicis ambitus CL. mill. passuum colligit, ut *Id. ib.* 10, 17. auctor est. Cacumen autem adeo extolli, ut supra nubes evadat, et ab imbribus tutus sit, quidam fabulantur, quod et de Olympo dici solet. Hunc montem Xerxes perfodisse fertur, et a continenti abscidisse, immissoque mari fretum ea navigabile suae classi fecisse, cum in Graeciam tenderet. Narrant *Plin. l. c., Mela* 2, 2. et Graecorum scriptorum permulti: sed haec profecto mendacis Graeciae fabula est. *Juven.* 10, 173. creditur olim Velificatus Athos, et quidquid Graecia mendax Fingit in historia. *Liv.* 44, 11. Nec minus, quam in altum magnitudine Atho mons excurrit. *Mela* 2, 7. Atho monti Lemnos adversa. *Liv.* 45, 30. Ad Toronem ac montem Atho. *Virg. G.* 1, 331. ille flagranti Aut Atho aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo Dejicit. *Plin.* 4, 10, 17. Montem Athon Xerxes continenti abscidit. Adde 7, 2, 2. ℙ *Servius in* illo *Virg. A.* 12, 701. *Quantus Athos, aut quantus Eryx*, etc., scribit, veram lectionem esse *Athon*; nam si legeris *Athos*, *thos* esse brevem, et versum non stare. Sed hoc falsum est. Nam etiam *Athos* secundam producit, cum Graece Ἄθως sit. Ceterum declinatur etiam *Athon, ōnis,* Ἄθων, ωνος. *Cic. fr.* ap. *Prisc.* 6. p. 701. Nisi quis Athonem pro monumento vult funditus efficere. *Lucil.* ap. *Gell.* 16, 9. Asperi Athones.

*ĂTHRIBIS, is vel idis, f. Aegypti oppidum, in Delta. *Plin.* 5, 10. *Ammian.* 22. *prope f. B. A.*

ĂTHRISMUS vel Athroesmus, i, m. ἄθροισμός, figura est, qua plures sensus breviter expediti in unum locum coacervantur: ab ἀθροίζω, congrego, congero: ut in illo *Cic. Cat.* 3. *init.* Rempublicam, Quirites, vitamque omnium vestrum, bona, fortunas, conjuges, liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi imperii, etc. Est autem Graeca vox et Graece usurpanda.

[ĂTHYMUS, i, m. ἄθυμος, non animosus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Donat.* 420, 7. Q. Passerius Athymus. *F.*]

[ĂTHYRON, ontis, m. ἀθύρων, ludens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell.* p. 217. Julius Athyron. *F.*]

ĂTIA Lex dicta est a T. Atio Labieno trib. pl., qui eam tulit L. Julio Caesare, C. Martio Figulo coss., sanxitque, ut populus sacerdotia (quemadmodum olim lege Domitia) mandaret; cum antea sacerdotes lege Cornelia a pontificum collegio crearentur. *Dio l.* 37.

ĂTIĀNUS, a, um, adj. ad P. Atium Varum pertinens, qui in Pompeji exercitu legionibus quibusdam praeerat, de quo *Caes. B. C.* 1, 13. [*Cic. Att.* 7, 15. Pompejus ad legiones Atianas est profectus. *Id. ib.* 20. Cnaeus autem Luceriae dicebatur esse, et adire cohortes legionum Atianarum, non firmissimarum. *Caes. l. l.* At Caesar milites Atianos collaudat. ℙ In quibusdam edd. *Caes.* et *Cic.* perperam legitur *Actianus*, vel *Attianus*, vel *Atinianus*, vel *Appianus. F.*]

ĂTĬLĬA Lex de dediticiis lata est a L. Atilio trib. pl. ann. U. C. 544. M. Claudio Marcello IV.: M. Valerio Laevino coss. *Liv.* 26, 33. et 34. ℙ Alia fuit de tutoribus ab alio quodam Atilio lata, ut mulieribus pupillisve non habentibus tutorem, a praetore urbano, et majore parte tribunorum pleb. daretur, qui Atilianus tutor vocabatur. Haec Romae tantum locum habebat: sed lege Julia et Titia prospectum fuit, ut in provinciis quoque similiter a praesidibus tutor daretur. *Caj. Instit.* (ed. *Goeschenio*) 1. *n.* 185., *Ulp.* in *lib. regular. tit.* 11. *De tutel.* §. 18. et *Justin.* 1. *Instit. tit.* 20. ℙ Alia de senisdenis tribunis militum a populo creandis, cum antea a dictatoribus, et consulibus creari solerent, lata fuit a L. Atilio et C. Marcio trib. pl. ann. U. C. 443. V. *Liv.* 9, 30. ℙ Quidam scribunt *Attilia* et *Attilianus* duplici *tt*, sed improbante *Manut. Orthogr.* et *Cod. palimpsesto Instit. Caj.*, tum et *Mart.* 9, 86. Languidior noster si quando est Paullus, Atili. [*Plura ex his addidit. *F.*]

ĂTĬA. V. *Atius.*

*ĂTĬLĬĀNA, ae, Hispaniae Tarraconensis oppidum, inter Asturicam et Tarraconem. *Anton. Itin. B. A.*

ĂTĬLĬĀNUS, a, um, adj. ad Atilium pertinens, quod est civis R. nomen. *Cic. Att.* 5, 1. Atiliana praedia. *Val. Max.* 4, 4. *n.* 6. Atiliana virtus, *h. e.* M. Atilii Reguli. ℙ *Atilianus tutor*, qui Atilia lege datur. V. ATILIA.

*ĂTĬLĬUS vel Attilius, a, um, ad Atilium vel Attilium quempiam pertinens, ut *Atilia lex*, quod V. suo loco. ℙ *Atilius, i,* m. nomen Romanum, ut Atilius Regulus, Atilius Serranus. *Cic. Rosc. Am.* 18. *Val. Max.* l. et c. 4. Est et M. Atilius Calatinus apud *Cic. N. D.* 2, 23. Addantur Atilius Rufus, Atilius Vergilio, Atilius Verus. *Tac. Agr.* 40. *Id. H.* 1, 41. et 3, 22. Atilium, libertini generis, meminit *Id. A.* 4, 62 et 63. Atilium quendam memorat *Mart. ep.* 9, 63, 1. *B. A.*

[ĂTĬMĔTUS, i, m. ἄτιμητος, inhonoratus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 108. N. Naevius Atimetus. *F.*]

[ĂTĬMĬO, onis, m. diminutivum ab ἄτιμος, inhonoratus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 742, 3. Sucarius Atimio. *F.*]

ĂTĪNĂ, ae, f. Ἄτινα, urbs olim et colonia Latii in monte apud fines Samnii, inter Soram et Venafrum, nunc quoque *Atina. Virg. A.* 7, 630. Tela novant Atina potens, Tiburque superbum. *Serv.* ad hunc locum docet, Atinam dictam esse a morbis, qui a Graecis ἀτα dicuntur, quia circa ea loca gravis est aer propter vicinitatem paludis Pontinae. Sed in hoc peccat contra geographiam. ℙ Atina alia est in regione Venetiae, sed excisa, teste *Plin.* 3, 19, 23. [Hanc tamen illam ipsam urbem esse existimant geographi nonnulli, quae olim Venetae Forojuliensis provinciae caput fuit, quaeque ab aliis *Vedinum*, ab aliis *Hunnium*, a plerisque *Utinum*, ob sententiarum de ejus origine varietatem, dicitur, a nobis vero *Udine.* Quamvis enim *Plin. l. c.* Atinam inter oppida numeret, quae jam interierant, ex urbe tamen vicum factum non negat; ut revixisse post ea tempora videatur, nomenque vetus retinuisse, quod postea, ut plerisque contigit, paululum immutatum est, cujus paenultima ex longa brevis facta sit. Ita *Morcellus Op. Epigr. T.* 4. p. 299. *Edit. Patav.*, qui se huic opinioni ideo accessisse testatur, quod ingentes veterum aedificiorum reliquiae oppidum vetustum, et Romano more exstructum declarent; ac propterea in *Plinii* exemplaribus librariorum mendo *Atina* scriptum esse ait, reponendumque *Utina*, et hoc modo dictae urbis nomen efferendum. Adde *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 309. A. Cervidius A. Fil. Jul. Repostus Utin., *h. e.* Utino, vel Utina. ℙ Alia fuit Atina urbs mediterranea in Lucania, nunc *Atena.* V. ATINAS. *F.*]

ĂTĪNAS, atis, adj. ad Atinam Latii pertinens. *Cic. Planc.* 8. Hic est e praefectura Atinati plena virorum fortissimorum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1102, 4. Q. Herio Q. F. Ter. Octavio Justo, patrono Municipii Atinatis Dec. Aug. Arkani VI. VIR. Plebs *Plin.* 3, 5, 9. Atinates, *h. e.* incolae Atinae. ℙ Ad Atinam Lucaniae pertinens. *Plin.* 2, 103, 106. In Atinate campo fluvius (Tanager) mersus post XX. (corrige II.) M. pass. exit. *Id.* 3, 10, 15. Lucanorum Atenates (leg. *Atinates*) Grumentini, Potentini. *Inscr.* ap. *Romanelli, Topograf. Napol. T.* 1. p. 424. Jovi et Diis Penatibus Augustales Atinates. *Frontin. de col.* p. 109. In provincia Lucania praefecturae Paestana, Potentina, Athenas (leg. *Atinas*) et Consiliensis. [*Plurima ex his addidit. *F.*]

ĂTĪNĬA, ae, f. species ulmi. Ulmorum cum duo sint genera, gallicum et vernaculum: illud *atinia*, hoc *nostras* dicitur. Atinia laetior, et procerior est quam nostras: uberiorem etiam frondem emittit, et bubus gratiorem. Fructum fert rariorem, quam nostras, et inter frondes latitantem; adeo ut quidam sterilem eam, neque ullam ferre sameram putaverint. *Plin.* 16, 17, 29. et *Colum.* 5, 6. (ubi *atiniam ulmum* adjective appellat) et *de arborib.* 16. ℙ Scribitur et *Atinea.*

ĂTĪNĬĂ Lex de tribunis plebis, lata fuit a quodam Atinio. Ejus meminit *Gell.* 14, 8. his verbis: Nam et tribunis plebis senatus habendi jus erat, quamquam senatores non essent, ante Atinium plebiscitum. Ex quibus verbis colligi posse videtur lege Atinia cautum fuisse, ut tribuni plebis inter senatores censerentur, iisque senatus habendi ac sententiae dicendae jus esset. V. *Lips. l.* 2. *Elect. c.* 13. et *Sigon. de antiq Jur. Civ. R. l.* 2. *c.* 2. ℙ Alia fuit de usucapionibus, qua cavebatur, ne res furtivae, aut quoquo modo surreptae, usucapi ullo unquam tempore possent, donec ad dominum suum reverterentur. *Gell.* 17, 7. Legis veteris Atiniae verba sunt: Quod subreptum erit, ejus rei aeterna auctoritas esto. *Paul. Dig.* 41, 3, 4. hoc idem caput refert, sed aliis verbis. *Cic.* etiam hujus legis meminit *Verr.* 2, 1, 42.

ĂTĪNĬĀNUS. V. ATIANUS.

*ĂTĪNTĀNĬA, ae, f. Ἀτιντανία, Epiri regio, aliis Macedoniae. *Liv.* 27, 30. 29, 12. et 45, 30. *B. A.*

*ĂTĪNUM, i, oppidum Lucanorum mediterraneum, ad ripam Tanagri amnis, hodie *Ateno*, correpta media. *Plin.* 2, 103. *B. A.*

*ĂTĬUS, a, um, ad Atium, quempiam pertinens. Est autem *Atius, i,* m. nomen proprium Romanum, ut M. Atius Balbus. Atii, ait *Hofmannus*, plebeii fuerunt, neque Praeturae gradum excessere, cognominaque Varri, Paulli, et Balbi tulerunt. ℙ *Atia, ae,* f. Ἄτια *Plutarcho*, filia fuit M. Atii Balbi, uxor C. Octavii, mater Augusti. *Suet. Aug.* 44. ℙ *Atii, orum*, ab Ati Trojano, de quo *Virg. A.* 5, 569, 570. Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini. Quod Augusti causa scriptum *Servius* ait, qui ex Atia matre natus est. *B. A.*

ĂTĬZOES, ae, f. ἀτιζόης, gemma argenteo nitore fulgens, magnitudine trium digitorum, ad lenticulae figuram, odoris jucundi. *Plin.* 37, 10, 54.

ĂTLANTES, um, m. plur. Ἄτλαντες, Libyae populi degeneres humani ritus, quibus nec nominum inter se appellatio, sed in universum Atlantes dicuntur. Mos etiam iis est solem orientem et occidentem diris imprecationibus prosequi, ut exitialem ipsis agrisque: neque insomnia visunt, qualia reliqui mortales. *Plin.* 5, 8, 8., *Solin.* 31. et *Mela* 1, 8. ℙ Hoc nomine appellantur etiam gigantes. *Naev.* ap. *Prisc.* 6. p. 679.

ĂTLANTĔUS, a, um, adj. Ἀτλάντειος, ad Atlantem pertinens. *Ov. Fast.* 3, 105. Plejades Atlanteae, *h. e.* Atlantis filiae. *Hor. Od.* 1, 34, 10. Quo Styx et invisi horrida Taenari Sedes Atlanteusque finis Concutitur, *h. e.* extrema Libya, ubi Atlas mons, et Oceanus Atlanticus. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 280. Atlantei recessus Oceani. *Stat. Ach.* 1, 223. Atlanteus gurges. *Lucr.* 5, 36. Atlanteum litus. ℙ *Atlantei populi* sunt iidem qui *Atlantes* apud *Ammian.* 15, 3.

ĂTLANTĬĂCUS, a, um, adj. Atlanticus. *Sil.* 13, 200. Qualis Atlantiaco memoratur litore, etc. *Calpurn.* 4, 83. Si quis Atlantiaci molitur pondus Olympi, *h. e.* coeli, quod Atlas humeris sustinere dicitur a poetis. *Auson. Mosell.* 144. Talis Atlantiaco quondam balaena profundo.

ĂTLANTĬĂDES, ae, m. Ἀτλαντιάδης, patronym. ab Atlante. *Ov. Met.* 8, 627. Venit Atlantiades positis caducifer alis, *h. e.* Mercurius Atlantis nepos ex Maja ejus filia. *Id. ib.* 4, 368. Atlantiadem vocat Hermaphroditum Mercurii ex Venere filium.

ĂTLANTĬĂS, ădis, f. patronym. ab Atlante. *Sil.* 16, 136. Aurora obscuri tergebat nubila coeli, Vixque Atlantiadum rubefecerat ora sororum, *h. e.* Plejadum, quae sunt Atlantis filiae. *Auct. Priap.* 69. Circen Atlantiadenque Calypso.

ĂTLANTĬCUS, a, um, adj. ad Atlantem pertinens, Ἀτλαντικός. *Cic. Somn. Scip.* 6. Atlanticum mare, *h. e.* ea Oceani pars, quae Africam ab Occidente alluit, ubi Atlas mons. *Sil.* 10, 185. Atlanticus accola, *h. e.* qui accolit circa Atlantem montem. *Mart.* 14, 89. Accipe felices, Atlantica munera, silvas, *h. e.* lignum citri, quod in

Atlante monte optimum nascitur. *Plin.* 5, 1, 1. et 13, 15, 29. Sic *Lucan.* 10, 144. sectos Atlantide silva Imposuere orbes.

ATLANTĬDES, idum, f. plur. Ἀτλαντίδες, filiae Atlantis. Atlas duas uxores habuit, Plejonem et Aethram sorores, filias Oceani et Tethyos, ut alii malunt Deucalionis. Ex Plejone septem filias genuit Electram, Alcyonem, Celaeno, Majam, Asteropem, Taygetem, Meropem: ex Aethra filium suscepit nomine Hyanthem, et septem filias, Ambrosiam, Eudoram, Pasithoem, Coronidem, Plexauridem, Pytho, Tychem. Omnes a Jove honoribus coelestibus dignatae sunt. Illae quae ex Plejone Atlanti natae sunt, positae fuere ante genua Tauri, et *Plejades* atque *Vergiliae* dicuntur: quae ex Aethra, in Tauri capite collocatae sunt: partim in ore, partim juxta cornua, et dicuntur *Hyades* et *Suculae*. *Hyg. fab.* 192. et *Astron.* 2, 21. Hinc *Virg. G.* 1, 221. Ante tibi Eoae Atlantides abscondantur. *Servius* monet, intellgi hoc loco Plejades seu Vergilias. Adde *Colum.* 10, 54. V. alia huc pertinentia in HYADES et PLEJADES.

[ATLANTĬGĔNA, ae, m. et f. ex Atlante genitus vel genita. *Vet. Poeta* in *Anthol. Latin. Burm. T.* 2. p. 364. Mensis Atlantigenae dictus cognomine Majae. Maja enim fuit Atlantis filia, quae mensi Majo nomen dedit, ut narrat *Ov. Fast.* 5, 104. *F.*]

ATLANTĬON, ii, n. nomen est extremae colli vertebrae, dorso proximae, ita dictae tum quia sustinet reliquas colli vertebras, tum quia in ferendis dorso oneribus plurimum laborat, ad similitudinem Atlantis, qui coelum humeris sustinere dicitur. *Plin.* 28, 8, 27. Hunc spinae articulum sive nodum, Atlantion vocant: est autem primus.

ATLANTIS, idis, f. adj. ad Atlantem pertinens. *Lucan.* 10, 144. sectos Atlantide silva Imposuere orbes, *h. e.* mensas e citri ligno, quod in silvis Atlantis montis nascitur. *Prop.* 4, 1, 77. fecunda Atlantidos arva Calypsus, *h. e.* Ogygiae insulae, in qua Calypso Atlantis filia regnavit. *Ov. Fast.* 3, 659. Invenies, qui te Nymphen Atlantida dicant. *Id. ib.* 4, 31. Dardanon Electra nesciret Atlantide cretum. ℙ Absolute *Val. Fl.* 2, 72. Jamque sub Eoae dubios Atlantidis ignes Albet ager, *h. e.* Luciferi, quam plerique stellam Veneris dicunt, quidam autem fabulantur dictam esse ab Hespero Atlantis fratre. V. HESPERUS. ℙ De Atlantidibus stellis V. in voce praeced. ℙ *Atlantes, idis*, est etiam nomen insulae, quam *Plato* in *Timaeo*, et in *Critia* ad Herculis columnas fuisse dicit, Libya et Asia majorem, ex qua ad alias insulas, mox ad antipodas hujus nostri orbis facilis esset trajectus: sed terrae concussione, et ingenti eluvione aquarum superfuso mari Atlantico, absorptam fuisse: illud autem mare navibus impervium factum ex multo limo, qui ex ejus insulae reliquiis remanserit. Addit, potentissimos ibi fuisse populos, qui quondam tota Libya Aegyptum usque, et Europa adusque Etruriam imperii sui fines protulerint, donec ab Atheniensibus et Graecis ceteris devicti fugatique sint. Sed hoc est fabulosum, ut innuit etiam *Plin.* 2, 90, 92. ℙ Alia hujus nominis insula memoratur ab eodem *Plin.* 6, 31, 36. contra montem Atlantem sita: sed et ipsa incerta fama traditur. ℙ Quidam geographi putant, *Atlantidis* nomine intellexisse Veteres ipsam Americam, quam cum vere exsistere scirent, sed a nemine aditam, nondum ea navigatione tentata, idcirco in ejus situ describendo errasse, aut etiam a mari absorptam credidisse.

ATLANTĬUS, ii, m. Ita appellatur ab *Hyg. fab.* 271. Hermaphroditus, qui fuit filius Veneris et Mercurii nepotis Atlantis. ℙ Adjective *Sil.* 15, 37. Tunc etiam tentare paras Atlantia regna? *h. e.* Africam, ubi est Atlas. Alii leg. *Atlantica*.

ATLAS, antis, m. Ἄτλας, αντος, filius Neptuni, et Clitones. Regnavit in magna quadam insula, quae ab illo Atlantis dicta est. Nomen etiam mari Atlantico dedit. Sed aliis Iapeti filius fuit ex Clymene, vel ex Asia, vel ex Libya, frater Promethei et Hesperi, rex Mauritaniae. Humeris coelum sustinuisse dicitur, quia primus cursum solis, et lunae siderumque omnium deprehendit, idest astrologiam invenit, et sphaeram construxit. Vel origo fabulae est, quod in montem excelsissimum conversus est, cujus cacumen cerni non potest, coelumque tangere videtur. Cum enim monitus fuisset oraculo, ut sibi a Jovis filiis caveret, intelligens, Perseum, qui devicta Medusa ad eum venerat, filium Jovis esse, a se rejecit, quod Perseus indigne ferens, ostendit ei caput Gorgonis. Atlas statim in montem mutatus est. Historia est, Perseum, Medusa regina devicta, bellum Atlanti intulisse, et Atlantem in montes recessisse. Alii tradunt, tres Atlantes fuisse, unum regem Italiae, patrem Electrae uxoris Coryti; alterum regem Arcadiae, patrem Majae, ex qua natus est Mercurius; tertium Maurum, qui dictus est Maximus, qui primus astrologiam invenit, primus navim construxit. Alii etiam hanc fabulam narrant, Atlantem coelum hospitio excepisse, deprehensum autem, quod illi struxisset insidias, praecipitem datum esse in mare, et exinde mare Atlanticum appellari coepisse, ut Icarium ab Icaro. Hinc proverb. Graecum, *Atlas coelum*, de iis, qui sibi malum arcessunt. *Hyg. fab.* 150. narrat Atlantem ducem fuisse Titanum, qui coelum occupare conati sunt: quibus devictis, super ejus humeros impositum fuisse ipsius coeli fornicem, damnatumque eum ad illud sustinendum. Fabulas de Atlante enarrant *Serv.* ad *A.* 8, 134., ad 1, *ib.* 745. et ad 4, *ib.* 246., *Ov. Met.* 4, 630. et sqq. et alii. *Virg. A.* 4, 246. apicem et latera ardua cernit Atlantis duri, coelum qui vertice fulcit: Atlantis cinctum, assidue cui nubibus atris Piniferum caput et vento pulsatur et imbri: Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento Praecipitant senis, et glacie riget horrida barba. *Id. ib.* 6, 797., ubi coelifer Atlas Axem humero torquet stellis ardentibus aptum. *Ov. Met.* 4, 643. Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro Arbor. *Atla* vocativus est Graecae positionis, ὦ Ἄτλα, pro *Atlas*. ℙ Dicitur interdum de homine magnae staturae. *Juven.* 8, 32. Nanum cujusdam Atlanta vocamus: Aethiopem cygnum. *Atlanta* accusativus est Graecae positionis pro *Atlantem*. ℙ *Atlas* mons Mauritaniae nomen habuit ab Atlante rege. Extenditur ab ora Oceani Atlantici juxta promontorium Gerum ad Occ. usque ad conf. deserti Barcae ad Ort. Fere e medio monte nubes incipiunt, hieme et aestate nivem habet. Duplex est, major et minor, uterque in Mauritania Tingitana. Major, quem coeli columnam vocant, est prope Libyam, et Mauritaniam a Libya inferiore separat. Minor est pars Atlantis majoris, vicinior columnis Herculis. Multa de hoc monte *Plin.* 5, 1. ℙ *Atlantes* pro Telamonibus V. in TELAMONES.

[ĂTMĒTUS, i, m. ἄτμητος, non castratus, ab *a* privativa, et τέμνω, seco, Nomen equi in *Inscr.* ep. *Fabrett.* p. 273. *n.* 12. *F.*]

ATNĒPOS. V. ADNEPOS.

ĂTOCIUM, ii, n. ἀτόκιον φάρμακον, medicamentum, quod feminarum conceptus impedit et sterilitatem inducit: ab *a* privativa, et τόκος, partus: estque per se adjectivum. *Plin.* 29, 4, 27. *a med.* Vis ea annua est; quam solam ex omni atocio dixisse fas sit: *subaudi* medicamento.

ĂTOMUS, i, f. ἄτομος, corpusculum minutissimum, quod τομὴν, idest, sectionem non recipit: ab *a* privativa, et τέμνω, divido. *Democritus* excogitavit innumerabilia quaedam individua corpuscula, quae *atomos* appellavit, quaedam laevia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curvata quaedam, et quasi aduncа, quae huc, et illuc casu et temere in inani concursarent, et aliquando cohaerescerent inter se, et aliis alia apprehendentibus continuarentur: ex his mundum, et omnes mundi partes factas esse, et omnia fieri, quae in mundo gignuntur: motum atomorum aeternum esse, omnia necessitate fieri, ne ab atomis naturalis motus avellendus sit. Hunc et *Epicurus* secutus est. Refellit *Lactant.* mox citandus. ℙ Haec vox per se adjectiva est: quare tum masculino genere usurpatur, tum feminino: sed rectius in feminino, et intelligitur *particula*, aut *substantia*, aut aliquid simile. *Cic. Fin.* 1, 17. Ille atomos, quas appellat, idest corpora individua, etc. *Id. N. D.* 1, 20. In hac immensitate infinita vis volitat atomorum, quae, interjecto inani, cohaerescunt tamen inter se, et aliae alias apprehendentes continuantur. *Vitr.* 2, 2. Democritus atomos, quos nostri insecabilia corpora vocitaverunt. *Lact. Ira Dei* 10. Lucretius quasi oblitus atomorum, quas asserebat. ℙ In singulari num. *Cic. Fat.* 11. De ipsa atomo dici potest, etc. *Paul. Nol. carm.* 20. *Nat. S. Fel.* 7, 277. Nec minimae perferre atomum duramus arenae, scilicet in oculo. ℙ *In atomo*, est momento temporis, ἐν ἀτόμῳ. *Tert. Resurr. carn.* 42. et 51. ex 1. *Corinth.* 15. et *adv. Marc.* 3, 24. In atomo, in momentaneo motu oculi. ℙ Adjective *Tus atomum* apud *Plin.* 12, 14, 32. est genus quoddam turis, quod sectionem passum non est, indivisum, integrum. *Paul. Nol. ep.* 31. (al. 11.) In segmento paene atomo astulae brevis.

*ATONĬA, ae, f. Naenia: in *Vet. Gloss.* esse dicitur, quod quid sibi velit, non temere dixerim; nisi forte cantum, in quo tonus non servetur, quod fieri tum in aniculorum naeniis, tum in lugubri cantu, et in hoc non sine arte interdum, videmus. Haec *Gesnerus. B. A.*

ATQUE, καὶ, particula copulativa, idem cum *ac* vel *et* significans: et saepius [*semper] ponitur ante voces a vocali incipientes. *Cic. Flacc. init.* Cum in maximis periculis hujus urbis atque imperii, gravissimo atque acerbissimo reipublicae casu, socio atque adjutore consiliorum periculorumque meorum L. Flacco, etc. *Ter. Ad.* 2, 1, 31. Mitte ista, atque ad rem redi. *Liv.* 44, 22. In omnibus circulis, atque etiam, si Diis placet, in conviviis sunt, qui exercitum in Macedoniam ducant. *Cels.* 5, 28. *n.* 17. Oriuntur in pedibus et manibus, atque ungues quoque infestant. *Cic. Leg.* 2, 17. Non solum vita cruciati atque dedecore, verum, etc. *Plin.* 27, 9, 55. Filix singularis, atque non frutiosa. (Adde 37, 8, 27. bis, et 7, 25, 26.) *Ter. Andr.* 1, 5, 64. Propera; atque, audin'? verbum unum cave de nuptiis. *Id. Eun.* 4, 6, 19. Egon' formidolosus? nemo est hominum, qui vivat, minus. *Th.* Atque ita opus est. *Cels.* 7, 23. Urgent enim febres ardentes et vomitus; praeter haec ingens sitis, et linguae aspritudo, etc. Atque neque assumi facile cibus, neque contineri potest Atque habet hoc loco vim eandem, ac *praeterea*, *ad haec*, *item*, et similium particularum, quae continuandae orationis vim habent. [At utraque editio *Leon. Targa* hic habet *Ac neque. F.*] Quo sensu eleganter usurpatur in principiis, et in transitionibus. [*Priusquam ipsa exempla subjicimus, pauca de origine et natura hujus voc. praemittere liceat. Ortum est non tam ex *antque*, (V. *Beier.* ad *Cic. Off. tom.* I. p. 336. *Obbarius* ad *Hor. Epist.* 1, 10, 40.) vel *acque*, *und wie*, ut aliis placuit, quam ex *at* et *que*, *und aber*, *aber wol* (fere ut nos dicimus *oder aber*). Quae propria significatio multo usu obscurata est, ita quidem, ut particula *atque* in universum aliquid oppositi, quod non suae naturae necessitudine cum praecedenti conjunctum est, externo tamen vinculo, cogitationum decursu facto, prius dicto annectat: praevaletque in plerisque haec annectendi potestas. Nos haec distinguere non possumus, quoniam eadem particula (*und*) et similia et dissimilia conjungimus; interdum tamen alias particulas e. g. *doch*, addimus. — Porro quia nos, si quid vel oppositi vel diversi praegresso annectimus, frequenter dicimus *und noch*, *und dann*, *und ferner*, *und somit*, *nämlich*, etiam huic significationi inservit *atque*, quod hac de causa saepe etiam per *tum*, et *tunc* explicatur. V. infra. — Inde transitionibus inservit; etenim qui dicit vel a propositione ad singulas partes vel ab alia orationis parte ad aliam accedit; quare fit, ut etiam, maxime apud antiquiores, idem sit quod *statim*, de quo infra dicemus. — Denique locus est huic particulae in comparatione, prorsus ut particulae *ac*, quae vocula ita orta est ex *atque* ut *nec* ex *neque*. Etiam huic usui subest primaria significatio supra proposita, qua aliquid oppositi aliquo modo addit. Omnia enim, quae cum aliis prius paullo cogitatis mente conjunguntur, opponuntur iis, oppositaque simul cum iis conjunguntur. Si quis e. g. dicit: hic aliter vivit atque ille, hoc idem est ac si dicas: hic aliter vivit atque ille aliter vivit, i. e. *dieser lebt anders und jener* sc. *lebt anders* = anders *als* jener; eademque ratio est post vocabula *contrarius*, *idem* etc. quae infra afferentur. Sic etiam formula *simul atque* explicanda est. Verbi causa: *Accessit simul atque audivit*, i. e. *er kam zugleich und hörte es* sc. *zugleich* = *er kam sobald ers hörte*. — Debentur haec a nobis relata *Müllero*, Rectori Torgano, qui ea proposuit in scriptione scholastica, quae inscribitur: *Paucula annotata ad editionem Corn. Nepotis Bremianam* p. 9. sqq., unde excerpsit *Lindemann.* ad *Pl. Capt.* 2, 2, 105., cujus interdum ipsa verba retinuimus. Egregie certe ex his apparet, quo vinculo contineantur, quae in seqq. a Nostro de multifaria hujus particulae vi disputata, nullo inter se consilio conjunguntur, neque unius atque ejusdem, sed plurium ac diversarum particularum explicatio esse videntur.] Jam ad *Forc.* redeamus. Primum usurpari dixit in principiis et transitionibus. *Cic. Manil.* 8. Atque ut omnes intelligant, me L. Lucullo tantum impertire laudis, quantum forti viro, etc. [**Id. Off.* 1, 13. atque etiam, si quid singuli — permiserunt, est in eo ipso fides conservanda; nos dicimus *und ferner*. Cf. *Ov. Her.* 1, 31. 2, 83. *Gernhard.* ad *Cic. Off.* 1, 10, 33. *Virg. Ecl.* 7, 6. *A.* 10, 572. 4, 261. ibique *Wunderlich. Jahn.*] *Id. Coel.* 19. Atque scitote, judices, eas cupiditates, quae objiciuntur Coelio, etc. *Id. Verr.* 2, 3, 19. Atque perinde loquor, quasi in eo sit iniquitas ejus reprehendenda. *Id. Off.* 3, 6. Atque si etiam hoc natura praescribit, ut homo homini consultum velit, [*Sic ab initio positum, non tantum copulat, sed etiam concludit. V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 3, 10. *post med.* et quae ibi laudat. Conclusionem ibi quoque efficit, ubi simpliciter copula esse videtur. *Sall. Jug.* 39. licentia atque lascivia, i. e. licentia, et quae inde orta est lascivia, nos: *und somit*. V. plura apud *Cort.* Sic *Cic. N. D.* 1, 15, 39. communemque naturam, universa atque omnia continentem; alii malunt *universam*; *Handius* ad *Wopk.* p. 199. illud probat. Ad hanc vim probe attendendum est, quoniam saepe iis, quae vel obscure vel falso dicta esse videntur, lucem affundit. Interdum hoc modo respondet Gr. καὶ τοι, additque aliquid antecedentibus, quod aut graviter aut leniter distinguendum est, sive opponitur, sive cum vi quadam apponitur. V. *Gernhard.* ad *Cic. Off.* p. 267. *Heindorf.* ad *Cic. N. D.* 3, 35. *init.* Adde *Cic. Arch.* §. 15. atque idem ego contendo, nos *und doch*. Ceterum quae nimis subtiliter disputat *Ramshorn. gr. lat.* §. 179. de discrimine partice. *et*, *ac*, *atque*, *que*, cave ubique vera esse putes, ut jam demonstratum est in *ephemm. scholl.* a. 1825. *n.* 58.] ℙ Servit interdum praeoccupationi. *Ter. Andr.* 4, 1, 16. Atque aliquis dicat: nihil promo-

veris. Multum: molestus certe ei fuero. [*Alii aliter legunt h. l., ac certe ex aliis locis de hac potestate, quam ei tribuit *Forc.*, non constat.] ℙ Saepe ponitur pro *quam* post particulas *contra, aliorsum, aliter, secus, magis*, et similes, et post adjectiva *alius, contrarius*, et hujusmodi: interdum etiam post comparativa. *Cic. Cat.* 3, 8. Simulacrum Jovis contra atque ante fuerat, ad orientem convertere. *Ter. Eun.* 1, 2, 2. Aliorsum atque ego feci. *Cic. Verr.* 2, 1, 46. Quod iste aliter atque ut edixerat, decrevisset. (*ut* hic redundat.) [*Cic. Tusc.* 3, 33, 73. et qui suos casus aliter ferunt, atque ut auctores aliis ipsi fuerunt. Nos etiam *als wie*, ubi alterum sufficeret. *Pl. Mil.* 2, 4, 48. ad id exemplum — atque ut tu suspicatus es.] *Id. Fam.* 2, 3. Aliter atque ostenderam facio. *Id. Or.* 14. Dicendum aliquanto secus, atque in tradenda arte dici solet. *Ter. Andr.* 4, 2, 15. Non Apollinis magis verum, atque hoc responsum est. *Pl. Ps.* 4, 7, 35. Illi sunt alio ingenio, atque tu. *Cic. Leg.* 2, 7. In aliis rebus, aliisque sententiis versaris, atque ille. *Id. Somn. Scip.* 4. Orbes, qui versantur contrario motu, atque coelum. *Suet. Caes.* 14. Sententia gravius, atque ipse sensisset, excepta. *Hor. Epod.* 15, 5. Arctius atque hedera procera astringitur ilex. [*Alia laudat *Herz.* ad *Caes. B. G.* 2, 6. *Ruhnken.* ad *Ter. Andr.* 4, 2, 15. *Heindorf.* et *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 1, 1, 46.] Huc et illa *Plauti* pertinent *Amph.* 1, 1, 118. Neque se luna quoquam mutat, atque uti exorta est semel, *h. e.* neque alibi est, quam ubi erat prius. *Id. Mil.* 4, 3, 37. Numquid videtur demutare, atque ego dixi, etc.? [*Demutare est i. q. alium fieri; nihil igitur aliud sequi poterat, quam *atque*. Priorem locum jam *Gronov.* recte cepit.] ℙ Ponitur etiam eleganter (sicut *ac*) post adverb. *aeque, similiter, juxta*, et hujusmodi, et post adjectiv. *aequus, similis, dissimilis, par, talis, idem*, etc. *Cic. Fam.* 13, 69. Me colit aeque, atque illum ipsum patronum suum. *Id. Phil.* 1, 4. Neque vero illum similiter, atque ipse eram, commotum esse vidi. *Pomp. Dig.* 26, 7, 61. Perinde haberi debet, atque ipse deminuisset. *Cic. Verr.* 2, 3, 19. Cum aequam partem tibi sumpseris, atque populo Romano dederis. *Id. ib.* 83. *in f.* Aliquid ab isto simile, atque a ceteris esse factum. *Id. Att.* 2, 3. Quod non est dissimile, atque ire in Solonium, aut Antium. *Ter. Ph.* 5, 8, 39. Faxo tali eum mactatum, atque hic est, infortunio. *Cic. Inv.* 2, 23. Argumentationes ex iisdem locis sumendae sunt, atque in causam negotialem. *Nep. Milt.* 7. Ut cum totidem navibus, atque erat profectus, Athenas rediret. *Id. Dat.* 3. Pari cum, atque illos, imperio esse jussit. *Liv.* 28, 20. Trucidant inermes juxta atque armatos. *Varr. L. L.* 9, 4. Analogia non item ea definienda, quae dirigitur ad naturam verborum, atque illa, quae, etc. ℙ Interdum *atque* vim habet intensivam pro *et quidem, praecipue, in primis* [*quin etiam, imo potius]. *Cic. Att.* 5, 12. Negotium magnum est navigare, atque id mense Quintili. *Alii omittunt* id. [*Cic. Leg.* 3, 14, 32. pauci, atque admodum pauci — civitatis mores vel corrumpere vel corrigere possunt. V. *Goer.* ad h. l. et *Beier.* ad *Off.* 1, 10. *extr.* et 11. *init.* Sic *Cic. Parad.* 6, 1. testamenta amicorum exspectas aut ne exspectas quidem atque supponis. *Id. Tusc.* 5, 15. *Or.* 16. *Nep. Hann.* 2, 4. Id quum libenter accepissem atque (i. e. vel potius) ab eo petere coepissem. Auget in ejusmodi locis ac corrigit simul. Eodem modo *atque etiam* reperitur ubi addito v. *etiam* vis illa etiam intenditur. *Cic. Fam.* 6, 22. Haec quanquam nihilo meliora sunt nunc, atque etiam multo desperatiora, tamen etc. V. *Matthiae* ad *Cic. Cat.* 2, §. 27. et 4, §. 18. *Suet. Caes.* 69. non enim cessit unquam tumultuantibus, atque etiam obviam semper iit. V. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 51, 10. et 52, 26.] *Pl. Bacch.* 3, 6, 9. Num quae advenienti aegritudo objecta est? *Mn.* atque acerrima. *Id. Epid.* 1, 1, 28. Armane? *Th.* Atque quidem cito. *Id. Mil.* 2, 4, 15. Tu me vidisti? *Sc.* atque his oculis quidem. ℙ *Atque adeo*, V. in ADEO. ℙ Nonnunquam ponitur pro *aeque, atque* vel *sicut. Pl. Bacch.* 3, 6, 20. Quem esse amicum ratus sum, atque ipsus sum mihi. *Auct. Priap.* 32. Quae succo caret, atque petra pumex. *Paul. Dig.* 2, 4, 4. Conditionem inesse stipulationi, atque si hoc expressum fuisset. *Solin.* 22. *sub. f.* Gagates lapis attritu calefactus applicita detinet, atque succinum. [*Hic usus per ellipsin explicandus est.] ℙ Item pro *simul atque, statim ut. Pl. Merc.* 3, 1, 34. Ita edepol deperit te, atque hodie primum vidit. ℙ Et simpliciter pro statim, continuo, illico, celeriter. [*Hoc, ut supra vidimus, inde explicandum, quod *atque* saepenumero in apodosi est i. q. *tum. Pl. Capt* 3, 1, 19. quo imus una ad prandium? atque illi tacent. ubi V. *Lindem.*] *Virg. G.* 1, 201. Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum Remigiis subigit, si brachia forte remisit, Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni. [*Recte de h. l. judicat *Voss.*] Ita *Serv., Gell.* 10, 29. et *Non.* 12, 44. interpretantur. *Stat. Th.* 2, 26. Illos ut caeco recubans sub limine sensit Cerberus, atque omnes capitum subrexit hiatus. *Liv.* 26, 39. *a med.* Hic Quinctium incautum hasta transfigit: ille atque praeceps cum armis procidit ante proram. [*Drak.* de scriptura h. l. dubitat.] *Pl. Merc.* 2, 3, 17. Nunc si dico, ut res est, atque illam abstrahat, trans mare hinc venum asportet. Et *Most.* 5, 1, 8. Capio consilium, ut senatum congerronum convocem. Quem cum convocavi, atque illi me e senatu segregant. Et *Epid.* 2, 2, 33. Cum ad portum venio, atque ego illam illic video praestolarier. Et *Bacch.* 2, 3, 45. Dum circumspecto, atque ego lembum conspicor. Adde *Merc.* 2, 1, 32. etc. et illud in *Legib. XII. Tab.* ap. *Cic. Leg.* 2, 4. *Si in jus vocat, atque eat:* ubi tamen alii aliter legunt. [*Orell.* aliique expuncto *eat* ita legunt: *Si in jus vocat*, atque ejusmodi alias, leges nominare.] Huc pertinet *atque atque* repetitum ap. *Ennium:* de quo ita *Gell. l. c.* Atque, gemina si fiat, auget intenditque rem, de qua agitur, ut animadvertimus in Q. Ennii Annalibus: Atque atque accedit muros Romana juventus. *Non. l. c.* interpretatur *festine, intrepidanter.* ℙ *Atque* pro *certe, sane. Pl. Stich.* 4, 2, 4. Sed videone ego Pamphilippum cum fratre Epignomo? atque is est. *Id. Truc.* 1, 2, 24. Dinarchus ne illic est? atque is est. [*Hoc exemplum in superioribus ponendum erat; nam atque h. l. est i. q. atque adeo.] ℙ Pro *tamen.* Sic enim exponit *Donatus* illud *Ter. Andr.* 1, 3, 20. Mihi quidem hercle non fit verisimile: atque ipsis commentum placet. [*Ruhnken. explicat per: *et tamen, et verum.* Agit de hac vi *Cort.* ad *Sall. Jug.* 4. Est in his (ut *Cic. Att.* 6, 1. atque hoc tempore ipse impingit mihi epistolam), simpliciter i. q. *sed. Cic. Qu. Fr.* 1, 1, 54. toto imperio nihil acerbum esse, nihil crudele, atque omnia plena clementiae etc. V. *Matthiae* ad h. l. et ad *Cic. Mur.* §. 71. et *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 51, 35. et exempla in sqq. a *Forc.* allata.] ℙ Pro *atqui. Pl. Bacch.* 1, 1, 53. Atque ecastor apud hunc fluvium aliquid perdundum est tibi. *Id. Cas.* 2, 6, 12. Atque ego censui, abs te posse hoc me impetrare. Haec tamen exempla non ita clara sunt, ut rem conficiant. [*Atque* poni pro *atqui* dubitari nequit; saepius enim scriptores simpliciorem annectendi rationem praeferunt graviori, qua opponere debebant alterum alteri. V. quos laudat *Frotscher.* ad *Quint.* 10, 3, 22. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 4. et *Kritz.* ad *Eund.* loco supra l. Pro *atqui* rescripsit *atque Eilendt. Cic. Brut.* 80.] ℙ *Atque* saepius repetitum servit quodammodo amplificationi. *Cic. Verr.* 2, 3, 82. Ex hujusmodi principio, atque ex liberalitate, atque accommodatione magistratuum, consuetudo aestimationis introducta est. *Virg. G.* 4, 463. Atque Getae, atque Hebrus, atque Actias Orithyia. [*Sil. 1, 95. hic atque Hennaeae numina divae Atque Acheronta vocat etc. *Virg. Ecl.* 5, 23. *id. G.* 3, 257.] *Pl. Amph.* 4, 1, 4. Apud emporium, atque in macello, in palaestra, atque in foro. *Cato* ap. *Gell.* 7, 3. Scio, solere plerisque hominibus rebus secundis, atque prolixis, atque prosperis animum excellere, superbiam atque ferociam augescere atque crescere. ℙ Loco particulae *nec.* [*Melius dicas: interdum post negationes reperitur. Sic adeo scriptores, ut *Liv.* 21, 16. nec tam desidem unquam fuisse atque imbellem, i. e. aut. *Id. ib.* 24. ne mora atque otium animos sollicitarent. *Cic. Mur.* 12, 26. ne pulchrum se ac beatum putaret, atque aliquid ipse sua sponte loqueretur. Hos locos debemus *q.*] *Mart.* 11, 33. Nec puer, aut senior, nulla est ancilla, nec infans, Nec sera, nec clavis, nec canis atque calix. ℙ Legitur et *adque* pro *atque.* V. ADQUE.

ATQUI, ἀλλά τοι, [*ἀλλὰ μήν], at, attamen et tamen, sed enim; conjunctio adversativa. [*Compositum est hoc voc. ex *at* et *qui*, ablat. pronominis *quis* et significat proprie *aber wie*; deinde *aber vielmehr, aber so, ja wohl.* Cf. *Cic. N. D.* 1, 7, 15.] *Cic. Verr.* 2, 2, 59. Modum statuarum haberi nullum placet? Atqui habeatur necesse est. *Id. Att.* 8, 3. *ad f.* O rem, inquis, difficilem et inexplicabilem! atqui explicanda est. *Id. Sen.* 17. Tum dixisse, mirari se solertiam ejus, a quo essent illa dimensa atque descripta: et ei Cyrum respondisse: Atqui ego omnia ista sum dimensus. *Id. N. D.* 2, 7. Atqui certe nihil omnium rerum melius est mundo. [*ib. 2, 15, 21.] *Pl. Asin.* 3, 3, 80. Atqui pol hodie non feres. *Ter. Eun.* 4, 6, 2. Credo, illum jam adfuturum, ut illam a me eripiat. Atqui si illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur. *Id. Heaut.* 4, 4, 7. Atqui tu hanc jocari credis? faciet, nisi caveo. [*Cic. Leg.* 3, 5, 13. atqui pleraque sunt dicta in illis libris — sed hujus loci de magistratibus sunt propria quaedam quaesita subtilius. Hoc loco, ut oppositio monstrat, est i. q. *quidem. q.*] ℙ Eleganter adhibetur in assumptionibus seu illationibus argumentationis. *Cic. Parad.* 1. Si virtutes pares sunt inter se, paria esse etiam vitia necesse est. Atqui pares esse virtutes facillime perspici potest. ℙ Interdum servit praeoccupationi. *Cic. Brut.* 83. Atqui eae sunt notae optimae. Credo: sed nimia vetustas, etc. ℙ Item continuationi orationis ita ut *atque* et *atque etiam*, sed vi quadam majore. *Cic. Mil.* 4. Atqui si tempus est ullum jure hominis necandi, quae multa sunt; certe illud est, etc. *Id. Arch.* 8. Atqui sic a summis hominibus accepimus, ceterarum rerum studia, etc. ℙ Pro *certe, profecto* videtur accipienda in illo *Pl. Pers.* 4, 4, 30. Salvus sis adolescens. *Sa.* si quidem hanc vendidero pretio suo. *To.* atqui aut hoc tempore vendes pulcre, aut alio non potes. [*Sic etiam *Liv.* 23, 9. ut alia auxilia desint, me ipsum ferire, corpus meum opponentem pro corpore Hannibalis, sustinebis? Atqui (i. e. profecto, jam vero) per meum pectus petendus ille tibi est. Nos: *Ja!* etc. *q.*] ℙ Et pro *ideo* in illo *Ejusd. Rud.* 3, 4, 55. Atqui quia vetas, utramque jam mecum abducam. Potest tamen utroque loco aliter explicari. [*Omnino.]

ATQUIN, id. q. atqui. [*Ortum est ex *at qui ne* (uti *vin* ex *visne*)]. *Lact. Mort. persecut.* 23. Atquin homo impius misertus est illis. *Tert. Apol.* 2. Atquin invenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Et *ib.* 8. Atquin volentibus initiari etc. Et *ib.* 41. Atquin nos nullo modo laedimur. Adde *Patient.* 3., *Prud. Prooem. Cath.* 34., *Ulp. Dig.* 1, 14, 3., *Pl. Rud.* 3, 4, 55. et *Flor.* 4, 2, ut legitur in ejus edit. princ., quamquam ubique alii aliter legunt.

ATRACES, ăcum. m. plur. populi Aetoliae apud Atracem fluvium. *Plin.* 4, 2, 3. ℙ Alii volunt esse Thessaliae populos ab ejus regionis oppido Atrace.

ATRACIDES, ae, m. *Ov. Met.* 12, 208. studiisque virilibus aevum Exigit Atracides, *h. e.* Caeneus Thessalus, ab Atrace, quod est Thessaliae oppidum. V. ATRAX.

ATRĂCIS, idis, f. patronym. *Ov. Am.* 1, 4, 8. Atracis ambiguos traxit in arma viros, *h. e.* Hippodamia seu Hippodame, filia cujusdam Atracis, seu Atracii e gente Lapitharum (alii dicunt Atracis fluvii) quae Pirithoo nupsit, et in ipsis nuptialibus epulis centauros ad se rapiendam sua pulcritudine concitavit: unde acerrima illa pugna exstitit, quam *Id. Met.* 12, 219. et sqq. describit. Adde *Eund. Her.* 17, 248. ℙ Alii volunt ita dictam esse ab Atrace urbe Thessaliae.

ATRĂCIUS, a, um, adj. ad Atracem Aetoliae fluvium pertinens. *Prop.* 1, 8, 25. licet Atraciis considat in oris, Et licet Eleis. *Val. Fl.* 1, 141. Atracia subitae de virgine pugnae, *h. e.* Hippodamia, de qua V. in ATRACIS. ℙ *Atracia ars* est magica ars, qua Thessali olim infames fuere. V. ATRAX. *Stat. Th.* 1, 105. qualis per nubila Phoebes Atracia rubet arte labor, *h. e.* lunae arte magica deficientis. *Val. Fl.* 6, 447. Atracio lunam spumare veneno.

[ATRACTĬĀNUS et Atrectianus, a, um, adj. *Atractianae Alpes* memorantur in duabus inscriptionibus, quarum altera legitur apud *Don. cl.* 2. *n.* 28., et emendatior apud *Catalan. Orig. Firmav.* p. 23. T. Appalio T. F. Vel. Alfino Secundo Proc. Alpi. Atrectianar. Altera apud *Morcell. Op. Epigraph. T.* 2. p. 62. *edit. Patav.* T. Cornasidio T. F. Fab. Sabino Proc. Alpium Atractianar. et Poeninar. Quaenam Alpes fuerint ita appellatae, omnino ignoratur; sed *Catalanus* putat, eo quod simul cum Poeninis memorantur in secunda inscriptione, esse partem Alpium Poeninarum. *F.*]

ATRACTYLIS, ctylidis, f. ἀτρακτυλίς, [*Carthamus lanatus *L.*, *wolliges Bürstenkraut*], herba est alio nomine cnicos silvestris, in Aegypto maxime proveniens, contra venenata animalia maxime utilis, itemque adversus fungos. Nomen habet ex eo, quod caule ejus rigido antiquae mulieres ad colus faciendas utebantur: ab ἄτρακτος, colus. *Plin.* 21, 15, 53. et *ib.* 32, 107. ℙ [*Plinius* perperam confundit cnicum cum atractylide. *Theophr. Hist. Pl. l.* 6. *c.* 4. narrat, cnici agrestis caule feminas usas pro fuso involvendo subtemini: διὸ καὶ πηρτοὺς ἔνια τῶν ἀρχαίων ἐχρῶντο γυναικῶν. *Dioscorides* vero *l.* 3. *c.* 107. narrat, alias usas atractylide ad fusos staminum (ἀτράκτους). Male porro *Plinius* πηρτὸν accepit pro colo, cum reapse significet filum subtemminis fuso involutum, atque etiam fusum ipsum, qui alveolo includitur; ἄτρακτος vero est fusus quo stamina nentur. *F.*]

[ATRAMENTĀRĬUM, ii, n. καλαμάριον, μελανοδοχεῖον, vas illud, quod atramentum scriptorium continet. *Gloss. Philox.* Atramentarium. *Auct. Vulg. Ezech.* 9, 2. Vir unus in medio eorum vestitus erat lineis, et atramentarium scriptoris ad renes ejus. *F.*]

ATRĀMENTUM, i, n. succus seu liquor atri coloris, qualis est sepiarum, Graece θολὸς, ὄλος. *Hor. Ep.* 2, 1, 235. tractata notam labemque remittunt Atramenta. *Cic. N. D.* 2, 50. Aliae fuga se, aliae occultatione tutantur: atramenti effusione sepiae, torpore torpedines. ℙ Triplex est, *librarium* seu *scriptorium, sutorium* et *tectorium.* Librarium est, quo utimur in scribendo, γραφικὸν μέλαν. Scripsere veteres calamo et atramento in libris arborum, in lineis pannis, in papyro: stilo autem in tabulis ceratis, aliquando etiam in plumbeis laminis. *Petr. Sat.* 102. Eumolpus, tanquam litterarum studiosus, utique atramentum habet. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. Calamo et atramento temperato, charta etiam dentata res agetur. *Plin.* 27, 7, 28.

Atramentum librarium ex diluto ejus (*absinthii*) temperatum litteras a musculis tuetur. ℙ Sutorium est, quo sutores utuntur in coriis tingendis, Graece *χάλκανθον*. Est autem duplex, fóssile et factícium. Illud est, ut *Plin.* docet 34, 12, 32. colore caeruleo, perquam spectabili nitore; vitrumque esse creditur: diluendo fit atramentum tingendis coriis (*Kupfer-Vitriol*). Facticium fit pluribus modis: habetque utrumque varios usus in medicina, sed maxime fossile. V. *Plin. ib.*: *Cic. Fam.* 9, 21. *in f.* Pater ejus accusatus a M. Antonio, sutorio atramento absolutus putatur. *Ἀλληγοριχῶς* loquitur, nam sutorio atramento, *h. e.* veneno sumpto, morte voluntaria a judicio liberatus fuit. ℙ Tectorium, quod et pictorium dici potest, Graece *μέλαν ζωγραφικὸν*, adhibetur parietibus illinendis et incrustandis: cujus conficiendi rationem *Vitr.* 7, 10. docet, nempe ex fuligine collecta, ex resina aut pice exusta, vel ex carbonibus cum glutino tritis, vel denique ex vini faece arefacta, et in fornace excocta ac glutino trita: quae etiam *Plin.* 35, 6, 25. refert. Hoc utuntur etiam pictores. *Id. ib.* 10, 36. *n.* 18. narrat, Apellem consuevisse illinere opera sua absoluta atramento ita tenui, ut idipsum repercussu claritates colorum excitaret custoditetque a pulvere et sordibus; ad manum intuendi demum appareret. Hoc *Carolus Dati* in *vitis Pictor.* vertit *vernice* (*Lack*). ℙ Est etiam inter colores atramentum, quod vocant Indicum, *μέλαν Ἰνδικὸν*, (*Indig*). *Plin.* 35, 6, 25. Apportatur et (atramentum) Indicum ex India, inexploratae adhuc inventionis mihi. *Id. ib.* 27. Indicum ex India venit, arundinum spumae adhaerescente limo; cum teritur, nigrum: at in diluendo mixturam purpurae caeruleique mirabilem reddit. ℙ *Una opera ebur atramento candefacere postulas*, proverbium apud *Pl. Most.* 1, 3, 102. de eo, qui in re aliqua operam perdit et contra potius quam optat, rem evenire facit. Huic affine est *Laterem laves.*

ATRAMĪTAE, arum, m. plur. *Ἀδραμῖται*, *Ptolemaeo* populi sunt in medio fere Arabiae, pars Sabaeorum, quorum caput Sabota urbs. Tus ibi maxime provenit et myrrha laudatissima. *Plin.* 6, 28, 32. et 12, 14, 30. et *ib.* 15, 33.

ATRAMĪTĬCUS, a, um, adj. ad Atramitas pertinens, ut Atramitica myrrha, *Plin.* 12, 16, 35.

*ATRĀNI, orum, populi Hirpinorum in Italia. *Plin.* 3, 11.

[ATRĀPUS, i, m. *ἀτράπος*, callis, semita. Nomen servile in *Inscr.* ap. *Mur.* 1630, 30. *F.*]

[ATRĀTĪNUS, i, m. derivativum ab atrata. Cognomen Romanum gentis Semproniae, ut L. Sempronius Atratinus in nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 304. *F.* *Cf. *Burm.* ad *Quint.* 11, 1. p. 975. sq.]

ĀTRĀTUS, a, um, adj. atro colore infectus, *μελανθείς*. *Cic. Div.* 1, 43. Quid, quod fluvius atratus sanguine fluxit? ℙ Item atris, seu pullis vestibus indutus, ut fit in luctu ob alicujus mortem. *Cic. Vatin.* 12. *in f.* et *ib.* 13. Cedo, quis unquam coenarit atratus? *Tac. A.* 3, 2. Atrata plebs, trabeati equites. *Prop.* 3, 3, 56. Solis et atratis luxerit orbis equis *alludit ad eclipses solares.*

ATRAX, acis, m. *Ἄτραξ*, nomen est fluvii Aetoliae in Ionium mare se infundentis, ut apud *Plin.* 4, 2, 3. legitur. ℙ Item oppidi Thessaliae ad Peneum amnem. *Plin. ib.* 8, 15. [*et *Gronov.* ad *Liv.* 32, 15. coll. 36, 9.] ℙ Fuit etiam Atrax Hippodamès, seu Hippodamiae pater, ut in ATRACIS dictum est.

ATRĔBĀTES, um, m. plur. populi Galliae Belgicae, quorum regio nunc *l'Artois* Gallice appellatur. *Plin.* 4, 17, 31., *Caes. B. G.* 2, 4. Hinc *Sidon. carm.* 5, 212. Francus qua Clojo patentes Atrebatum terras pervaserat. ℙ [Singul. num. *Atrebas* apud *Caes. B. G.* 4, 35. Nactus equites circiter triginta, quos Commius Atrebas secum transportaverat. *B. A.*]

ATRĔBĂTĬCUS, a, um, adj. ad Atrebates pertinens. *Trebell. Gallien.* 6. Perdita Gallia, arrisisse ac dixisse perhibetur: Non sine Atrebaticis sagis tuta respublica est? *trabeatis sagis* alii leg., sed alteram lectionem *Salmas.* tuetur: quin et *Atrabaticis* legi ait: nam et *Atrabates* inveni. Sic Graece *Ἀτραβατικός*. Adde *Vopisc. Carin.* 19., ubi quoque multa *Salmas.* Fuerunt autem hujusmodi vestes ab Atrebatibus confectae olim in pretio Romanis. Eas xerampelino colore fuisse tradit *Suidas.*

ATRECTIANUS. V. ATRACTIANUS.

ATREUS, i, m. disyllabum, *Ἀτρεύς*, Pelopis et Hippodamiae filius, ita dictus, quasi *ἀτηρός*, noxius et inexorabilis. (!) Rex fuit Mycenarum, totiusque Peloponnesi. Ejus uxorem Aeropen frater Thyestes amavit et a viro abduxit; unde inter fratres orta discordia et Thyestes e regno pulsus. Inde Atreus nefaria scelera meditatus, fratrem revocavit, quasi ad regni societatem, eique duos ipsius filios Tantalum et Phlisthenem epulandos, eorumque sanguinem vino admixtum bibendum dedit, ad extremum capita objecit, quaerens, agnoscretne, quibus cibis pastus fuisset. Sol, ne tanta scelera cerneret, in occasum fugisse fertur. Hac de re exstat *Senecae* Tragoedia Thyestes inscripta. *Serv.* ad *A.* 1, 372. et *Hyg. fab.* 248. fabulam sic explicant: Thyestem, cum fratri, cui pessime cupiebat, dissensione nocere non posset, in simulatam gratiam rediisse, et ea occasione uxorem ejus per adulterium polluisse etc., sed veritatem hanc esse, Atreum apud Mycenas primum solis eclipsim invenisse, ei invidentem fratrem ex urbe discessisse eo tempore, quo ejus dicta probata sunt. Atreo quinque filii fuerunt, Agamemnon, Menelaus, Alco, vel Alceus, Melampus, Eumelus. Sed plerique dicunt Pelopem tres filios habuisse, Atreum, Thyestem et Phistenem. Ex Phistene Agamemnonem et Menelaum natos esse, hos fratris morientis commendatione ab Atreo educatos fuisse instar filiorum. Atreus denique ab Aegistho filio Thyestis occisus est, qui etiam post bellum Trojanum occidit Agamemnonem. Atque ita Thyestes regnum obtinuit. *Ov. Her.* 8, 27. Pelopeius Atreus. *Id. Amor.* 3, 12, 39. Aversumque diem mensis furialibus Atrei. *Sen. Thyest.* 485. Vos facitis mihi Atrea timendum. *τὸν Ἀτρέα. Id. ib.* 513. Sed fateor, Atreu, fateor. *ὦ Ἀτρεῦ*, vocativus. ℙ Tragoediam, cui nomen Atreus, scripsit *Accius*, ut est apud *Gell.* 13, 2., sed pauca tantummodo ex ea fragmenta ad nos pervenere.

ATRĒUS, a, um, *Ἀτρεῖος*, adj. trisyllabum ab *Atreo*. *Stat. Th.* 8, 743, 1., precor, Atrei si quid tibi sanguinis unquam. Hoc loco *Atreus* generatim pro Argivo poni videtur. Argivorum enim rex Atreus fuit. *Dausquio* placet scribi *Atreius*, ut omnes Graecae vocales serventur. [*Ita revera scribitur hoc adj. apud *Gramm. Pompej.* p. 113. *ed. Lindem.* Ibidem formas laudat *Atreis* et *Atreias.*]

*ATRIĀNI, orum, incolae Atriae, urbis Venetiae. Est et Atria idem quod Hadria. *Plin.* 3, 16. *B. A.*

ATRĬĀRĬUS, a, um, adj. ad atrium pertinens. *Altriarius* absolute dicitur servus atrii custos, qui opera mediastini fungitur, atque adeo vilioris officii est, quam *Atriensis. Ulp. Dig.* 4, 9, 1.

ATRICĀPILLA, ae, f. avis ex genere ficedularum, colore pennarum cinereo, excepto capite, quod habet nigerrimum: quae et *melancoryphos*, sumpto a Graecis vocabulo, appellatur, *μελαγκόρυφος*: a *κορυφή*, caput, et *μέλαν*, niger. *Paul.* in *Epit. Festi*, in *Melancoryphi.* Sed *Plin.* 10, 29, 44. docet hujusmodi aves *ficedulas* vocari autumno; aliis temporibus *melancoryphos.*

*ATRICAPILLUS, a, um, *Μελαγκόρυφος*, *μελάνθριξ Gloss. Lat. Gr. B. A.*

ĀTRĬCOLOR, ōris, adj. *μελάγχροος*, qui est atri coloris. *Ov. Met.* 11, 611. Plumeus, atricolor, pullo velamine tectus. *Plin.* 2, 7, 5. Alios esse grandaevos, semperque canos, alios juvenes, atque pueros, atricolores, aligeros, claudos. *Hard.* edidit *atri coloris* ex MSS. suis omnibus. *Auson. ep.* 7, 52. Cadmi filiolis atricoloribus, *h. e.* litteris atramento depictis.

ATRĬDES et Atrida, ae, m. *Ἀτρείδης*, patronym. filius Atrei, et dicitur fere de Agamemnone et Menelao. Cum in singulari numero effertur, et sine addito, significat plerumque Agamemnonem majorem natu: cum in plurali, utrumque. *Hor. Od.* 2, 4, 7. Arsit Atrides medio in triumpho Virgine rapta. *Prop.* 2, 11, 1. Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est. *Ov. Her.* 3, 148. Ensis in Atridae pectus iturus erat. Et *ib.* 16, 364. Instruere Atridem num potes arte mea? *Id. ib.* 3, 39. Si tibi ab Atrida pretio redimenda fuissem. *Id. Pont.* 1, 7, 32. Quantus in Atridis Tyndaridisque fuit. *Atridis* est dativus pluralis. *Hor. Od.* 1, 10, 13. Atridas superbos. *Sil.* 13, 802. geminos aspectat laetus Atridas. ℙ Adjective. *Ov. Her.* 16, 355. Nec plus Atrides animi Menelaus habebit. ℙ *Atrides minor* est Menelaus. *Ov. Met.* 12, 623. ℙ *Atriden* vocat *Juvenal.* 4, 65. Domitianum, ut ejus tyrannidem perstringat, qui se tanquam regem Romanorum gerebat, ut Agamemnon Graecorum. ℙ In vocativo est *Atride* et *Atrida.* V. AEACIDES.

ATRIENSIS, se, adj. ad atrium pertinens. *Atriensis servus*, et absolute *Atriensis*, est, cui atrii, seu potius totius domus custodia demandata est. Erat is inter servitia honoratior, qui aliquod etiam imperium in alios servos habebat, ut colligitur ex *Plaut. Asin.* multis in locis. Custodiebat quidem atrium, et observabat, ne quid ex imaginibus, stemmatibus ac ceteris, quae in atrio reponi solent, deperiret; suppellectilem aedium exponebat, simulque, atrium ut mundum ac nitidum esset, curabat: sed et alia honoratiora munia aliquando exsequebatur, quae ad *actores* pertinere solent, vendebat, emebat servabatque pecuniam domini, exigebat a debitoribus etc. Cui aliquo modo respondet is, quem dicimus (*Haushofmeister*). V. *Pl. l. c.* praesertim *a* 2. *sc.* 2. et 4. Hinc *Cic. Parad.* 5, 2. Ut in magna familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi, atrienses ac topiarii etc. Et *paulo post.* Si Mummius aliquem istorum videret matellionem. Corinthium cupidissime tractantem, utrum illum civem excellentem, an atriensem diligentem putaret? [*V. *B. Crus.* ad *Suet. Cal.* 57.] ℙ De atriensibus rusticis villae. *Colum.* 12, 3. Insistere atriensibus, ut supellectilem exponant, (al. *expoliant*) et ferramenta detersa nitidentur, atque rubigine liberentur etc. *Phaedr.* 2, 5, 11. Et alticinctis unus atriensibus, Cui tunica ab humeris linteo Pelusio Erat destricta, cir-

ris dependentibus, Alveolo coepit ligneo conspergere Humum aestuantem etc.

ATRĬOLUM, i, n. parvum atrium. *Cic. Att.* 1, 10. Typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 1. Quo loco in porticu te scribere ajunt, ut atriolum fiat, mihi, ut est, magis placebat. Neque enim satis loci esse videbatur atriolo: neque fere solet, nisi in his aedificiis fieri, in quibus est atrium majus: nec habere poterat adjuncta cubicula et ejusmodi membra.

ATRIPLEX, iplĭcis, n. *χρυσολάχανον*, *ἀτράφαξις*, (*Melde*) genus oleris, quod octavo die, postquam satum est, nascitur flexa radice, in multa primum veluti capillamenta erumpens, mox folia emittens brassicae similia, florem aureum, semen vero foliaceum et latum: duplex est, sativum et silvestre: coctum estur sativum, ut olus molle. Haec ex *Plin.* 19, 6, 31. et *ib.* 7, 75. et 20, 20, 83., ubi etiam varios ejus usus in medicina refert: item 27, 8, 43., ubi Graeco vocabulo *chrysolachanum* appellat, *h. e.* olus aureum: a *λάχανον*, olus, et *χρυσὸς*, aurum, propter colorem aureum floris. *Colum.* 10, 377. Et gravis atriplici consurgit longa phaselus, *h. e.* longa theca foliacea in modum phaseli plena seminibus. *Id.* 11, 3. Chaerephyllum, itemque olus atriplicis, quod Graeci vocant *ἀτράφαξιν*. Adde *Pallad.* 5, 5. ℙ Feminino genere *Aemil. Macer cap de Atripl.* Atriplicem tritam cum nitro etc. Masculino *Plin. Val.* 4, 7. Atriplex crudus, sive coctus, impositus etc. ℙ *Paul.* ex *Festo* ponit *atriplexum*: et antiquiorem vocem esse, quam *atriplex.*

ATRIPLEXUM, i, n. herba, quae nunc atriplex dicitur. *Festus.*

ĀTRĪTAS, atis, f. *μελανότης*, ater color, nigredo. *Pl. Poen.* 5, 5, 11. Ita replebo atritate, ut atrior multo siet, quam Aegyptii.

*ATRĪTUDO, inis, f. *μελανία Gloss. Gr. Lat. B. A.*

ATRIUM, ii, n. *αὐλή*, *πυλών*, locus intra aedes (ita dictum, ut *Varr. L. L.* 4, 33. putat, ab Atriatibus Tusciae populis, unde ejus exemplum sumptum.) [*Serv.* derivat ab *atro colore*, satis ridicule. Melius *Scal.* a Gr. *αἴθριον*, quod probat *Casaub.* ad *Suet. Aug.* 29. aliique multi.] in quem universi tecti pluvia collecta incidit, porticibus cinctus, sed aream habens sub dio patentem, in quam exterior ac major aedium janua infert. Graeci, teste *Vitr.* 6, 10., atria non habebant, sed ab janua introeuntibus itinera faciebant latitudinibus non spatiosis, et ex una parte equilia, ex altera cellas ostiariis constituebant etc. At Romanorum aedes (ditiorum et nobiliorum intellige. V. *Vitr.* 6, 8.) ita dispositae erant, ut ante januam esset vestibulum, (quod quidam perperam cum *atrio* confundunt, ut *Gell.* 16, 5. monet: nam vestibulum extra aedes est, atrium intra) post januam vero atrium continens aream vel quadratam, vel rotundam, vel alia quapiam figura: circa eam erant vel porticus tectae, columnisque fultae, laquearibus ornatae, vel etiam alae aedificii vicem porticus praebentes, in quibus solebant servare imagines majorum suis armariis conditas, item tabulas pictas, signa aliamque pretiosam supellectilem, et ostentui servientem: cui servandae, totique atrio custodiendo praecerat servus, qui inde atriensis appellabatur. ℙ „Differunt inter se *cavaedium* et *atrium*, quod omne atrium etiam cavaedium dici potest, sed non contra. Nam cavaedia tunc solum dicuntur *atria*, quum porticibus aut projecturis alarum circum tecta sunt, media area sub dio relicta: cum vero his carent, *cavaedia* tantum. V. CAVAEDIUM.“ [*Quae uncinis inclusa sunt, omiserat *Furl.*; nos reposuimus.] ℙ In atrio solebant versari mulieres, femineas artes exercentes: solebant etiam olim coenare veteres, teste *Cat.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 730. Etiam culinam ibi fuisse. *Serv. ib.* docet: sed pro temporum diversitate diversi quoque fuere atrii usus. In atriis aedium publicarum et auctiones factitatas et scholas celebratas legimus. Erant et templis sua atria, ut atrium Libertatis etc. Plura de his V. apud *Pitisc. in Lex. Antiq.* Memorari tamen debet atrium auctionarium, locus nempe publicis auctionibus attributus. *Cic. Agr.* 1, 3. At hoc etiam nequissimi homines, consumptis patrimoniis, faciunt, ut in atriis auctionariis potius, quam in triviis, aut in compitis auctionentur. ℙ [Alibi etiam hujusmodi atria fuerunt; ac tale apud Coranos cives suos fieri testamento jussit T. Pompullius ex *Inscr.*, quam refert *Morcellus Op. Epigraph. T.* 1. p. 228. T. Pompullius L. F. Lappa ex testamento atrium auctionarium fieri, et Mercurium Augustum sacrum poni jussit arbitratu Epaphrae liberti. *F.*] ℙ Usurpatur saepe (praesertim a poetis) in numero plurali. *Virg. A.* 2, 483. Apparet domus intus et atria longa patescunt. *Juvenal.* 8, 19. Tota licet veteres exornent undique cerae Atria. *Ov. Met.* 14, 260. Excipiunt famulae, perque atria marmore tecta Ad dominam ducunt, *h. e.* per porticus atrii. ℙ Neque vero putandum est, omnes Romanorum aedes atrium habuisse. Diversae enim, ut et nunc, architecturae ratione aliae fiebant. Hinc *Plin. ep.* 2, 17. Laurentinum suum describens, alia ratione

ci atrium attribuit. ℙ Per synecdochen accipitur pro totis aedibus. *Ov. Her.* 16, 184. Nec capient Phrygias atria nostra nurus. Adde *Met.* 13, 968. et *ib.* 14, 9. ℙ Hinc *atria coeli* dixit *Stat. Th.* 1, 197., ubi scilicet habitare Dii solent.

ATROCITAS, atis, f. [*cf. ATROX. *Atrocitas* et *saevitia* quid differant, V. *Döderl. Syn.* etc. I. p. 40.] crudelitas, diritas, immanitas, *δεινότης, ἀπήνεια. Cic. Acad.* 4, 44. Atrocitas ista quomodo in academiam irruperit, nescio [*i. praeceptis philosophorum nimis duris et rigidis,], quod scilicet sapientis animum nullo affectu debeat commoveri. *Id. Cat.* 4, 6. Ego, quod in hac causa vehementior sum, non atrocitate animi moveor; (quis enim est me mitior?) sed singulari quadam humanitate et misericordia. *Id. Quint.* 16. Rei atrocitas. *Id. Inv.* 2, 16. facti. *Suet. Cal.* 12. facinoris. *Id. Domit.* 11. poenae. *Id. Cal.* 29. Immanissima facta augere atrocitate verborum. *Id. Tib.* 48. Mitigare atrocitatem temporum. *Colum.* 8, 17. Atrocitas maris objectu crepidinis frangitur. *Tac. A.* 4, 13. morum, *h. e.* asperitas. ℙ In plur. num. *Appul. Met.* 10. Crudelissimae mulieris cunctis atrocitatibus diligenter expositis.

ATROCITER, adv. crudeliter, saeve, graviter, aspere, *ὠμῶς, ἀπηλεγέως. Cic. Verr.* 2, 5, 62. Nimis atrociter minitari alicui. *Liv.* 3, 9. Atrociter invehi in aliquem. *Tac. H.* 1, 2. Atrocius saevire. [**Suet. Tib.* 59. Multa Tiberius saeve et atrociter factitavit; *saeve* pertinet ad Tiberii animum; *atrociter* pertinet ad facta et sensum, quem in aliis excitarint. V. *Död. l. l.*] *Cic. Q. Fr.* 2, 16. De ambitu cum atrocissime ageretur in senatu multos dies, quod ita erant, progressi candidati consulares, ut non esset ferendum. *Sall. Jug.* 41. Seditionibus tribuniciis atrociter agitare rempublicam. *Tac. A.* 13, 19. *in f.* Atrociter deferre crimen [*sc. intendendo periculo et detorquendis rebus in pejus. Sic *Död. l. l.*, qui *Ern.* explicationem improbat.] *Id. Hist.* 2, 56. Gravius et atrocius afflictari. ℙ Translate. *Cic. Or.* 18. Contenta voce atrociter dicere et submissa leniter. *Gell.* 10, 3. Haec M. Tullius atrociter, graviter, copiose apteque miseratus est. *Id.* 13, 24. Unam eandemque rem pluribus verbis vehementer atque atrociter dicere. ℙ *Atrociter accipere aliquid*, interdum significat iniquissimo animo ferre. *Tac. H.* 1, 23. Labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperii atrocius accipiebantur. ℙ Apud *Cic. Mil.* 8. *Atrociter ferre*, est legem ferre plenam severitatis et atrocitatis.

*ATROPATĒNE, es, f. *Ἀτροπατηνή*, regio fuit Mediae. *Plin.* 6, 13. ℙ Hinc ATROPATĒNI, orum, incolae dicti ab *eod. ibid. B. A.*

ATROPHIA, ae, f. *ἀτροφία*, morbus est ex defectione nutrimenti proveniens, cum corpus ex cibo non alitur, et naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur, et, nisi occurritur, tollit. Ita *Cels.* 3, 22., sed ipsa voce Graece utitur; (quae ab *α* privat., et *τρέφω*, nutrio.) Latino autem generali vocabulo *tabem* vocat. At Latine *atrophiam* usurpat more suo *Coel. Aurel. Tard.* 3, 14. et *ib.* 3, 7. et *Theod. Prisc.* 2, 11.

ATROPHUS, a, um, adj. *ἄτροφος*, qui atrophia laborat. *Plin.* 28, 9, 33. Lac bibitur ab imbecillitate vires recolligentibus, quos atrophos vocant. *Id.* 31, 10, 46. In balineis uti solio nitri prodest atrophis, opisthotonis, tetanis. ℙ Quia vero *atrophia* aliquando in aliqua tantummodo corporis parte contingit; hinc *atropha* dicuntur membra tali vitio laborantia. *Plin.* 22, 25, 73. Ervum tostum corrigit vitia jocineris, tenesmon, et quae cibum non sentiunt, atropha appellata. *Id.* 27, 8, 40. Atropha carnosiora facere.

ATROPOS, i, f. *Ἄτροπος*, una ex tribus Parcis, ita dicta quasi *ἀτρεπτος*, immutabilis, et quod nullis precibus flecti potest: ab *α* privativa, et *τρέπω*, verto, vel quia praeteriti temporis fatum est: quae autem praeterita jam sunt, immutabilia sunt, *τὰ παρελθόντα πάντα ἀτρεπτά ἐστι*, ut ait *Aristot. in fin. l. de Mundo*, quae *Appul.* Latine vertit. *Mart.* 10, 44. Gaudia tu differs, at non et stamina differt Atropos; atque omnis scribitur hora tibi. *Stat. Silv.* 4, 8, 18. Atropos alba, *h. e.* fausta, et longam vitam promittens. *Inscr.* ap. *Grut.* 692, 10. C. Laelio C. F. decimo octavo aetatis anno ab immani Atropo vita reciso.

ATROR, oris, m. atritas, ater color, *μελανότης. Gell.* 2, 26. Rubidus autem est rufus, atrore et nigrore multo mixtus. Alii leg. rectius *rufus atrior, et nigrore multo inustus.*

ATROTUS, a, um, adj. *ἄτρωτος*, invulnerabilis: Vox Graeca ab *α* privativa, et *τιτρώσκω*, vulnero. *Hyg. fab.* 28. Alii auctores dicunt, Neptuni et Iphimedes filios fuisse atrotos. *Id. fab.* 30. Leonem atrotum necare.

ATROX, ōcis, omn. gen. adj. Proprie crudum significat, ut *Fest.* et *Non.* 2, 62. docent. Est enim origine Graeca, ab *α* privativa, et *τρώγω*, edo, a quo fit *ἀτρώξ, ῶγος*, crudus, esui ineptus. *Naevius* ap. *Non. l. c.* Simul atrocia porricerent exta ministratores. [**Lambin.* ad *Hor. Od.* 2, 1, 21. derivat ab *α* privat. et *τρέω*, i. e. tremo. Sed aliter et rectius quidem de derivatione h. v. statuit *Döderl. Etym.* etc. I. p. 38. Terminatio enim in — *ox* (ut ferox, velox etc.) h. v. compositum esse docet, cujus etymon *ater* esse jam Perottus contenderat. De mutata quantitate V. ipsum. Ceterum terminationem — *ox* eandem putat esse *Död.* cum *ὠψ*, ita ut *atrox* proprie sit i. q. atrum colorem refert, ideoque i. q. tristis, severus, teter. Igitur *atrox* per se non est i. q. crudelis, immitis; sed i. q. malum significat, malam speciem prae se fert. — In *Naevii* loco idem *exta atrocia* putat esse i. q. atrum diem significantia, tristia. — Multas igitur illas, in quas Noster h. v. divisit, significationes, ad primariam illam revocabis et ex hac judicabis.] ℙ Translate autem fere accipitur pro crudeli, saevo, immani, *ἀπηνής, ἀπηλεγής, δεινός, ἄγριος. Cic. Rosc. Am.* 22. Res scelesta, atrox, nefaria. *Tac. A.* 4, 45. Atrox facinus. *Id. A.* 14, 61. Poppaea semper odio, tum et metu atrox. [**Id. ib.* 4, 52. Agrippina semper atrox, i. e. tristi ac truci contra Tiberium erat animo. Aliter *Ernest.*, quem V. Nos assentimur *Död.* l. l. Sic *ib.* 2, 57. (Piso) atrox et dissentiendi manifestus (adversus Germanicum).] *Gell.* 20, 1. Atrocior injuria. *Sall. Jug.* 5. Bellum magnum et atrox. *Liv.* 3, 1. certamen. *Id.* 24, 16. Atrocior caedes. *Cels. Praef. circa med.* Atrocissima pestis. *Sil.* 9, 486. Gradivus atrox. *Plin.* 8, 21, 30. Atrocissimi tauri silvestres. *Liv.* 3, 11. Atrox ingenium. *Ov. Met.* 9, 274. odium. *Pl. Capt.* 3, 4, 7. Atrocem astutiam reperire, *h. e.* audacem, et animo atroci ac timoris experti dignam. [**Sic* atrox *animus*, *virtus*, quae Noster infra laudat. — *Liv.* 2, 60. atroci discordia, i. e. acerrimis certaminibus. *q.*] ℙ Cum genitivo Graeca constructione. *Tac. A.* 12, 22. Atrox odii Agrippina ac Lolliae infensa. ℙ Sumitur et pro terribili, horrendo. *Plin. Pan.* 53. Atrocissima effigies saevissimi domini. [**Saevus* enim semper ad animum pertinet, etiam quum de rebus dici videtur; *atrox* et de personis et de rebus dicitur. *Liv.* 39, 49. facinus saevum atque atrox.] *Tac. A.* 16, 10. Filia longo dolore atrox, *h. e.* quae longo dolore tristem, et quodammodo horrendum vultum trucesque atque paene feros mores induit. ℙ Item pro rigido, horrido. *Plin.* 18, 35, 80. Atrox hiems. *Tac. A.* 4, 50. Nox nimbo atrox. *Id. ib.* 11, 31. Atrox tempestas. ℙ Item pro vehementi, molesto. *Hor. Od.* 3, 13, 9. Flagrantis atrox hora canicular. *Claud. in II. Cons. Stil.* 2, 460. nec brachia Cancri Urat atrox aestas. ℙ Item pro acri, aspero. *Cic. Or.* 2, 49. Admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci genus illud alterum lenitatis et mansuetudinis. *Plin.* 27, 2, 2. Atrox peroratio. ℙ Item pro acerbo, gravi, infelici, funesto. *Cic. Fam.* 9, 25. Repente percussus est atrocissimis litteris, in quibus scriptum erat etc. *Tac. H.* 2, 99. Atrocibus undique nunciis exterritus. *Id. ib.* 1, 54. Atrox rumor. *Id. ib.* 2, 54. Atroci mendacio universos perculit, affirmans etc. *Vell.* 2, 119. Atrocissima calamitas. *Tac. H.* 3, 39. Atrox invidia. *Id. A.* 3, 64. valetudo, *h. e.* gravis et periculosus morbus. ℙ Item pro severo, rigido, constanti, in bonam partem. *Hor. Od.* 2, 1, 23. Et cuncta terrarum subacta Praeter atrocem animum Catonis. *Sil.* 6, 378. *de M. Atilio Regulo.* Atrox illa fides. *Petr. Sat.* 4. Verba atroci stilo effodere, *h. e.* valde censorio, et nihil indulgente. ℙ *Atrox* etiam dicitur, qui obfirmat animum contra amorem. *Val. Fl.* 9, 662. nec credere falsos Audet atrox vultus. ℙ *Atrox negotium* dicitur res magni momenti, metusque et periculi plena. *Sall. Cat.* 30. Itaque quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit, darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet. Sic *Cic. Marc.* 7. Atrocissima suspicio.

ATRUSCA, genus quoddam est uvae apud *Macr. Sat.* 2, 16.

ATTA, ae, m. dicitur, docente *Festo*, qui propter vitium crurum aut pedum summis plantis insistit, et attingit magis terram, quam ambulat. Quod cognomen C. Quintio poetae togatarum scriptori adhaesit, de quo *Hor. Ep.* 2, 1, 79. Recte, necne crocum, floresque perambulet Attae Fabula, si dubitem etc. Adde *Gell.* 7, 9., qui duas ejus fabulas memorat, Conciliatricem et Aediliciam, et *Prisc. l.* 7. p. 764. et *l.* 8. p. 828., ubi Tironem proficiscentem citat. Is Romae CLXXV. Olymp. an. III. *h. e.* U. C. 676. mortuus est, ut *Hieronym.* in *Chron.* narrat. ℙ *Atta* etiam appellatus est Claudiae gentis princeps, ut apud *Suet. Tib.* 1. [ubi V. annotat. *B. Crusii F.*] et *Voss. Etymol.* qui putat esse Sabinam vocem, et derivari ab *ἅττω*, subsilio, subsulto, quia qui pedum plantis laborat, stare loco nescit, sed semper quasi subsilit. [*In *Liv.* 2, 16. *Atta Clausus* habet ed. *Gronov.* ubi ed. *Drakenb.* habet *Attus C. Inscr. Bremetonaci reperta* (V. *Antiq. Bremetonacenses*): Deo. Sango. N. Trebiu. Atta. Posu. *B. A.*] ℙ Est praeterea *atta* vox, qua juniores pro reverentia senes compellant, quasi patris, aut avi eos nomine honorantes. Hoc quoque docet *Festus.* [Est autem hac etiam ratione Graeca vox *ἄττα*, qua usus est *Homer.* non semel. Habent autem quandam inter se affinitatem *atta*, et *tata*, qua etiam patrem appellant. *Eustath.* ad *Iliad.* 1, 603. *τὸ ΑΤΤΑ γλωττης φασὶ Θετταλῶν οἱ παλαιοὶ, προσφώνημα ὂν ἐκ τινος νεωτέρου ὡς πρὸς τροφέα.* Quem ad locum sic *Schol. Ven. Villois.* *τὸ ΑΤΤΑ προσφώνησίς ἐστι πρὸς τροφέα ἀμεταφράστος. F.*]

[ATTACENSIS, se, adj. ad Attacum pertinens, Celtiberiae urbem juxta *Ptolem. l.* 2. *c.* 6., quam alii putant nunc *Ateca*, alii *Daroca* appellari. *Inscr.* ap. *Grut.* 700, 13. T. Plautio P. F. de municipio Attacen. *F.*]

ATTACĔO, es, idem quod taceo. Creditur a nonnullis *Cicero* hoc verbum usurpasse *Flacc.* 25. Liceat haec nobis, si oblivisci non possumus, attacere. Sed rectius multo leges *at tacere.* [*Hoc v. del.]

ATTACTUS, a, um, part. ab *attingo*, *is*, *tigi*, tactus, *Pl. Aul.* 4, 10, 24. Tu illam scribas non tuam esse: non attactam oportuit. *Sil.* 11, 147. Stare inter proelia nullis attactum telis. *Cic. Or.* 3, 28. *in f.* Ut praeteriri fuerit satius, quam attactum deseri. Pleriqne omnes leg. *attentatum.* [*Sic *Or.*] *Fest.* in voce *Scribonianum*, post *Sceleratus.* Sacellum attactum fulgure. *Id.* in *Obstitum:* Obstitum Cloatius et Aelius Stilo esse ajunt violatum attactumque de coelo. [*Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 43. Ictu fulminis arbores attactae. *F.*] ℙ Scribitur et *adtactus.*

ATTACTUS, us, m. idem quod tactus. *Varr. R. R.* 2, 5. Corium attactu non asperum ac durum. *Virg. A.* 7, 349. de angue. Ille inter vestes et levia pectora lapsus, Volvitur attactu nullo, fallitque furentem. ℙ Extra ablativum casum exempla nondum reperi. ℙ Scribitur et *adtactus.*

*ATTĂCUS, i, m. *Ἀττακὸς*, genus locustae. *Vulgat. Levit.* 11, 22. V. *Boch. Hieroz.* 4, 2. p. 449. *B. A.*

ATTĂGEN, ēnis, m. et Attăgēna, ae, f. *ἀττα-γήν*, avis est, quam quidam putant appellari ab Italis *francolino*, [*Tetrao francolinus *L.*] a Gallis *gelinotte de bois*, hoc est gallinam silvestrem. Quidam etiam *bonosam* dicunt. Est autem in ciborum deliciis, et Ionius maxime celebratur, vocalis alias, captus vero obmutescens, ut *Plin.* 10, 48, 68. scribit. *Hor. Epod.* 2, 53. Non Afra avis descendat in ventrem meum, Non Attagen Ionicus. *Mart.* 2, 37. Communemque duobus attagenam. Adde 13, 61. ℙ Scribunt et unico *t*, sed minus recte.

ATTĂGUS, i, m. hircus, caper, lingua Phrygum. *Arnob.* 5, 159. Alii leg. *Atagus.*

ATTĂLENSIS, se, adj. ad Attaliam pertinens. *Attalenses*, *ium*, sunt populi Attaliae, quae est urbs Aeolidis seu Mysiae in Asia, ab Attalo rege condita. *Plin.* 5, 30, 33. ℙ [**Attalenses* etiam dicti incolae Attaliae, quae est urbs Galatiae. *Plin.* 5, 32. ℙ Et Attaliae, oppidi in Pamphylia. *Cic. Leg. Agrar.* 1, 2. Adde *Leg. Agrar.* 2, 19. quanquam alii alio referunt. *B. A.*]

*ATTĂLIA vel Attălēa, ae, vel Attălia, ae, *Ἀττάλη, Ἀττάλεια*, urbs Aeolidis. *Plin.* 5, 30. ℙ Et alia, in Pamphylia. *Act. Apost.* 14, 25. *B. A.*

ATTĂLICUS, a, um, adj. ad Attalum pertinens. *Hor. Ep.* 1, 11, 5. Attalicae urbes, *h. e.* urbes Asiae, ubi regnavit Attalus. ℙ *Attalica aulaea*, *Attalicae vestes* ap. *Prop.* 2, 23, 46. et 3, 16, 19. sunt, quibus aurum intextum est. *Plin.* 8, 48, 74. Aurum intexere in eadem Asia invenit Attalus, unde nomen Attalicis. Et *Sil.* 14, 659. quaeque Attalicis variata per artem Aulaeis scribuntur acu. ℙ *Attalicis conditionibus*, idest amplissimis et opulentissimis. *Hor. Od*, 1, 1, 12. Sic *Tert. Jejun.* 15. *sub f.* Attalicae divitiae.

*ATTĂLIS, idis vel idos, *Ἀτταλίς*, tribus Atticae, sic dicta ab Attalo rege, in memoriam auxilii ab eo adversus Philippum impetrati. *Liv.* 31, 15. *B. A.*

ATTĂLUS, i, m. *Ἄτταλος*, nomen Pergami regis hujus nominis tertii, pecunia ditissimi, et splendida suppellectile, quique aurum vestibus intexendi artem invenisse dicitur, ut *Plin.* 8, 48, 74. narrat. Hic, cum liberis careret, populum Romanum testamento heredem instituit. *Plin.* 33, 11, 53. Ex *Flor.* 3, 20. verba testamenti erant: *Populus Romanus bonorum meorum heres esto.* Quod larga et liberali interpretatione Romani a privatis bonis regis ad regnum ipsum extenderunt. Unde *Hor. Od.* 2, 18, 5. Nec Attali Ignotus heres regiam occupavi, *h. e.* heres non vocatus. ℙ [*Item alius, et ipse Pergami rex, qui Eumeni I. fratri successit. Gallos vicinos domuit, imperiumque suum in Asiam Tauro tenus extendit. *Liv.* 33, 21. ℙ Attalus, Agrianorum et Cretensium sagittariorum, in exercitu Alexandri Magni, dux. *Curt.* 4, 13. Forte idem, quem scribit 8, 13. Alexandro fuisse aequalem et haud disparem habitu oris et corporis. ℙ Attalus, Macedo, infensissimus hostis Alexandro fuit. *Id.* 6, 9. ℙ Attalum medicum meminit *Plin.* 32, 8. ℙ Attalus Iphemenius, homo Graecus fuit de Q. Ciceronis provincia. *Cic.* ad *Q. Fr.* 1, 2. ℙ Attalum Netinum meminit *Id. Verr.* 4, 26. *B. A.* ℙ Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 824. S. C. Sallustius Attalus. *F.*]

ATTĂMEN, *οὔ μὴν ἀλλὰ, ἀλλ' ὅμως*, conjunctio idem fere valens, quod tamen, veruntamen: ex

at et *tamen*. *Cic. Fam.* 7, 26. Attamen ne mirere, undè hoc acciderit, lex sumptuaria mihi fraudi fuit. *Ter. Andr.* 5, 3, 23. Ego audiam? quid ego audiam Chreme? *Ch.* attamen dicat, sine. *Id. Heaut.* 2, 1, 13. Etsi is quoque suarum rerum satagit, attamen habet etc. ℙ Divisim interjecto verbo. *Cic. Brut.* 4. Si non pari, at grato tamen munere. *Id. Or.* 3, 4. Etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio etc.

ATTAMĪNO et Adtamino, as, avi, atum, a. 1. *σπιλόω, μιαίνω*, contamino, polluo, corrumpo: ex *ad* et *tamino*. V. CONTAMINO. *Justin.* 21, 3. Attaminare virginem. *Impp. Gratian. Valens* et *Theodos. Cod. Theod.* 3, 1, 5. Attaminare aliquem sacramentis Judaicis. *Aur. Vict. Caes.* 16. Attaminare facta et consulta alicujus imprudentia. ℙ Pro contingere, sumere, quod non licet: quae notio facile ad superiorem refertur. *Capitolin. Gordian.* 27. Civitates integras suis civibus redderet, ita ut nihil, quod ad eorum fortunas pertineret, attaminaret.

ATTASĪNI, orum, Sogdianae populi. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

ATTAT. V. supra AT AT suo loco.

ATTĀTE, (cui similis est *ἰαττατὰ* Graecorum) interjectio eosdem fere usus habens, ut *at at. Pl. Ep.* 3, 4, 21. Attate: nunc demum scio ego hunc, qui scit. Est hoc pacto interjectio jam intelligere incipientis, et ob id quodammodo admirantis. *Id. Merc.* 2, 3, 31. Attate! meus pater hic quidem est; ibo, alloquar. *Id. Cas.* 3, 1, 14. Attate! caedundus tu homo es: nimias delicias facis. Hoc loco habet aliquid minitantis.

ATTĒGIA, ae, f. *σκηνοπηγία, καλύβη*, casa, tugurium. [Vox Arab. nam طخي *tetendit*, unde للطخية *tentorium. F.*] *Juvenal.* 14, 196. Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum. *Inscr.* ap. *Grut.* 54, 11. Deo Mercurio attegiam tegulitiam compositam Severinus Satullinus (leg. *Catullinus*) C. F. ex voto posuit L. L. M.

ATTEGRARE. V. ADTEGRARE.

*ATTEIUS Philologus, libertinus, Athenis natus, quem Atteius Capito JCtus, ejus patronus, inter Grammaticos Rhetorem, et inter Rhetores Grammaticum fuisse ait, quem juvisse Sallustium in scribendo auctor est Pollio, qui ab illo eloquentiam didicit. Scripsit quaedam, ut *An Aeneas amaverit Didonem? Suet. Ill. Gr.* 22. *Charis.* p. 102. ℙ De Atteio Capitone *Tac. A.* 3, 75. *Gell.* 4, 6. et 10, 6. V. et *Pompon. de orig. Juris.* 1. ℙ Atteium Praetextatum, alium Grammaticum, meminit modo citatus *Suet. Ib.* 7. ℙ Atteius Sanctus (vulgo *Sanotus*) Commodi Imperatoris praeceptor fuit et orator. *Lampr.* in *Commodo* 1. *B. A.*

ATTĒLABUS, i, m. *ἀττέλαβος*, et *ἀττέλεβος*, ab *ἄττω*, subsilio, locustarum minimum genus, sine pennis, quod cum pico Martio peculiares gerere inimicitias, scribit *Plin.* 29, 4, 29. [*V. *Hieron.* in comment. ad *Nahum.* 3, 16. *Bochart. Hieroz. t.* II. p. 447. et *Schneider.* ad *Arist. H. A.* 5, 13, 2. *Beier.*]

ATTEMPERĀTE et Adtemperate, adv. *Ter. Andr.* 5, 4, 13. Itane attemperate venit hodie in ipsis nuptiis, ut veniret antehac nunquam? ita scilicet temperando et disponendo adventum suum, ut adesset in ipso nuptiarum articulo.

ATTEMPERĀTUS, a, um, part. v. *attempero. Vitr.* 10, 12. de Ctesibica machina: Supra catinum paenula, ut infundibulum inversum, est attemperata, etc. *h. e.* accommodata, disposita, aptata.

*ATTEMPERIES, ei, f. idem quod temperies. *Cod. Theod.* 9, 3, 2. *B. A.*

ATTEMPĒRO et Adtempero, as, a. 1. *Sen. ep.* 30. Sic gladiator tota pugna timidissimus, jugulum adversario praestat, et errantem gladium sibi attemperat, *h. e.* accommodat, ultro corpus vulneri objiciens et aptans: quod facere cogebantur gladiatores victi, si ita populus jussisset, ut docet *Lips. Saturn.* 2, 22.

ATTENDO, endis, endi, entum, a. 3. *ἐπιτείνω*, intendo, extendo, valde tendo: ex *ad*, et *tendo. Appul. Met.* 2. p. 122, 5. Attendere arcum. *Id. ib.* 11. p. 263, 5. coelo manus. Et *ib.* 6. p. 177, 41. Nemus, quod fluvio, rupique attenditur. Et *ib.* 4. p. 145, 14. Ramices ante fores attendere. *Accius* apud *Non.* 4, 10. Attendere aurem. ℙ Translate *attendere animum* est intendere, advertere, convertere, applicare animum ad aliquid, attentum esse, *προσέχειν νοῦν, διατείνεσθαι, ἐφιστάναι. Cic. Off.* 3, 8. Si, cum animum attenderis, turpitudinem videas. *Id. Agr.* 2, 15. Attendite animos ad ea, quae consequuntur. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 10. Attendere animos dictis. *Liv.* 10, 4. Jubet peritos linguae attendere animum, pastorum sermo agresti an urbano proprior esset. [**Nep. Alc.* 5.] ℙ *Attendere animo* idem significat. *Appul. Flor. n.* 9. Quid istud sit, animo attendatis: diligentius et accuratius disputabo. *Pacuv.* ap. *Non. l. c.* Cum animo attendo ad quaerendum, quid siet. Al. leg. *animum. Ter. Hec. prol.* 20. Aequo animo attendite. ℙ Saepissime *attendere* absolute usurpatur pro attendere animum. *Cic. Or.* 13. Non aeque, quid dicant, nisi admodum attendi, intelligo. *Id. Planc.* 41. Audi, audi, atque attende, Laterensis, ut scias, quid ego Plancio debeam. *Id. Mil.* 9. Rem gestam vobis dum breviter expono, quaeso, diligenter attendite. ℙ Cum accusativo tum personae, tum rei. *Cic. Sull.* 11. Erigite mentes auresque vestras, et me dicentem attendite. *Id. Verr.* 2, 1, 10. Quis nos magnopere attendit unquam in hoc genere causarum, etc.? *Id. Phil.* 2, 12. Sed stuporem hominis attendite. *Id. Rabir. Post.* 6. Attendere primum versum legis. *Id. Fin.* 3, 12. aliquem studiose. *Id. Fam.* 4, 13. Curare et attendere aliquid. *Sall. Jug.* 93. Suorum et hostium res pariter attendere. (Adde *Stat. Th.* 12, 250.) *Aur. Vict. Epit.* 48. Annonae curam sollicitius attendere. *Lucan.* 8, 622. Saecula Romanos nunquam tacitura labores Attendunt. ℙ Passive *Cic. Or.* 3, 50. Nam versus aeque prima, et media, et extrema pars attenditur. ℙ Habet post se eleganter varias particulas. *Cic. Sull.* 11. Attende jam, quam ego defugiam, etc. [*H. l. *quam* est accus. relativi.] *Liv.* 20, 4. Attendere animum, an propior sit, etc. *Ter. Ph. prol.* 24. Quid velim, animum attendite. *Phaedr.* 2, 1, 1. Attende, cur negare cupidis debeas. ℙ Cum dativo tum personae, tum rei. *Plin. Pan.* 65. Jurat in legem attendentibus Diis: nam cui magis, quam Caesari attendant? *Id. ep.* 7, 26. Attendere sermonibus malignis. *Sil.* 8, 591. nullo attendente Deorum Votis tunc vestris. ℙ *Attendere alicui rei* [*sc. animum, ut Gr. *προσέχειν.*] interdum est incumbere, operam dare. *Suet. Cal.* 53. Attendere eruditioni. *Id. Galb.* 5. juri. ℙ Cum infinito *Pompon.* ap. *Non.* 4, 10. Quid futurum est, si pol ego hanc discere artem attenderim? ℙ Cum ablativo et *de* praeposit. *Cic. Partit.* 24. Et cum de necessitate attendemus, etsi aliquid non necessarium videbitur, videndum tamen erit, quam sit magnum. ℙ Pro contendere *Accius* ap. *Non. l. c.* Ne attendas petere a me id, quod nefas sit concedi tibi. ℙ Pro cogitare. *Cic. Or.* 1, 35. Quid est, Cotta? inquit, quid tacetis? nihilne vobis in mentem venit, quod praeterea a Crasso requiratis? Immo id mehercule, inquit, ipsum attendo. Ita *Non.* 2, 20. nec absurde. [*Hoc nihil differt ab iis, quae supra laudata sunt.] ℙ Scribitur et *adtendo.*

*ATTĒNE, es, Arabiae Felicis regio, ubi vicus Atta. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

ATTENTĀTIO, onis, f. actus attentandi, tentatio, tentamentum, *καταπειρασμός. Symm. ep.* 6, 9. Inanis attentatio comprimatur. ℙ Scribitur etiam *Adtentatio* et *Attemptatio.*

ATTENTĀTUS, a, um, part. v. *attento.* [*Proprie, ut *attentare* est periculum alicujus rei facere, ideoque eam inchoare.] Sic *Cic. Or.* 3, 28. praeteriri omnino fuerit satius, quam attentatum deseri. Translate est i. q. tentatus. *Cic. ad Quirit.* 7. *in f.* Quia suam classem attentatam magno cum suo periculo vidit. *classem* populi intellige suffragia ferentis, quam pecunia data corrumpere quidam conati fuerant. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 9. Nefarie attentatae patriae poenas dare. Adde *Liv.* 23, 15. quem consensus attentatae (i. e. tentatae) defectionis — ad transfugiendum stimulabat.

ATTENTĒ, adv. *προσεχόντως, προσεκτικῶς*, attento animo. *Cic. Brut.* 54. Assidens et attente audiens. *Id. Cluent.* 23. Ut nunquam benignius et attentius quemquam auditum putem. *Id. Or.* 1, 61. Attentissime audire aliquem. *Hor. Ep.* 2, 1, 197. Spectare aliquid attentius. *Cic. Fam.* 7, 19. Attente legere aliquid. *Id. Fin.* 5, 2. Acrius et attentius cogitare. *Sall. Cat.* 56. (al. 52, 18.) Attentius agere. *Ter. Heaut.* 1, 1, 14. Attente fungi officio. *Gell.* 4, 15. Parum attente dicere.

ATTENTIO, onis, f. *προσοχή, προσέχεια*, intentio animi ad aliquid. *Cic. Or.* 2, 35. Cura, attentio animi, cogitatio. [*Est h. v. ap. *Cic. ἅπαξ λεγόμενον.*]

ATTENTO, as, avi, atum, a. 1. tento, pertento, experior, si obtinere possim, *ἀποπειράομαι:* ex *ad*, et *tento. Claud. Rapt. Pros.* 3, 217. Attentare arcum digitis, *h. e.* flectere conari. *Val. Fl.* 4, 11. aliquem lacrimis et supplice dextra. *Stat. Th.* 4, 71. aliquem bello, *h. e.* aggredi, belli fortunam cum eo experiri. ℙ Translate. *Auct. Dial. de Or.* 22. de Cicerone: Primus excoluit orationem; locosque laetiores attentavit, et quasdam sententias invenit, *h. e.* tentavit in orationem inducere, eamque iis ornare. *Val. Max.* 5, 3. *n.* 5. Ruinam ejus majorem esse, quam ut manu mea attentari debeat, memini, *h. e.* quam ut aggredi ad eam verbis explicandam debeam. ℙ Saepe accipitur in malam partem. *Cic. Verr.* 2, 2, 54. Omnium inimicos diligenter cognoscere, colloqui, attentare. [**Cic. Sext.* 4. Capuam propter plurimas belli opportunitates ab illa impia et scelerata manu (Catilinariorum) attentari suspicabamur, i. e. sollicitari ad defectionem. *Forc.* h. l. in seqq. posuerat, explicans per adoriri, quod sane ad idem redit.] *Hor. Ep.* 2, 2, 23. Si tamen attentas mecum facientia jura, *h. e.* labefactare et convellere conaris. Sic *Val. Max.* 7, 8. *n.* 3. Attentare testamentum alicujus. *Ulp. Dig.* 12, 6, 23. sententiam judicis. *Paul. ib.* 47, 10, 10. pudicitiam. *Ulp. ib.* 11, 6. annonam, *h. e.* lucri causa conari cariorem facere. ℙ Sumitur etiam pro aggredi, adoriri. [**Tac. A.* 13, 25. vi attentantem acriter repellere.] *Phaedr.* 5, 2, 4. Cedo, inquit, illum: jam curabo sentiat, Quos attentarit. *Colum.* 7, 12. Primum est non attentari; secundum est, lacessitum fortiter et perseveranter vindicari. ℙ Translate. *Cic. Or.* 61. Cum is est auditor, qui non vereatur, ne compositae orationis insidiis sua fides attentetur. [**Cic. Har. resp.* 8. quum ea attententur ejus lingua, cujus antea manu eversa vos mihi — reddidistis, i. e. quum calumniis eripere conetur Clodius etc. — Cf. supra ATTENTATUS.] ℙ *Attentari morbo* est a morbo invadi. *Appul. Apol.* ℙ *Attentari ex crapula* est ex crapula male se habere. *Id. ib.* Sic *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 234. Quae aegritudo insolens mentem attentat tuam? ℙ Scribitur etiam *Adtento* et *Adtempto.*

ATTENTUS, a, um, part. ab *attendo*, proprie idem est quod ad aliquid extensus, intentus, *προτεταμένος*. Hoc sensu *Hyg. Astron.* 3, 20. Taurus genu defigere ad terram videtur, caput eodem habens attentum. ℙ Sed fere translate usurpatur, et significat intentum, diligentem, excitatum ad aliquid, *προσεχής, προσεκτικός. Cic. Or.* 58. Attento animo excipere aliquid. *Id. Or.* 3, 5. Acerrima et attentissima cogitatio. *Id. Off.* 1, 36. Tenere animos attentos ad aliquid. *Hor. Sat.* 2, 1, 19. Attenta auris. *Val. Max.* 6, 9. *ext. n.* 1. Attento studio facere aliquid. *Id.* 2, 2. *n.* 7. Attentissima cura examinare. *Id.* 4, 3. *n.* 9. Attenta disciplina majorum. *Ter. Andr.* 2, 1, 3. Animus in spe atque in timore attentus. ℙ *Attentus homo* dicitur, qui attentum animum habet circa aliquid. *Cic. Verr.* 2, 1, 18. Qui in re adventicia et hereditaria tam diligens, tam attentus esset. *Id. Or.* 3, 79. Facere judicem attentum et docilem. *Id. N. D.* 3, 1. Praebere se auditorem attentum. *Quint.* 4, 5. Judex attentior circa jus. *Val. Max.* 2, 5. *n.* 5. Antiqui attenti continentiae. ℙ Speciatim dicitur de eo, qui rei augendae et lucro studet, parcus, frugi. *Ter. Ad.* 5, 8, 31. Nimium ad rem in senecta attenti sumus. *Cic. Quint.* 3. Quintius ceterarum rerum paterfamilias prudens et attentus. *Id. Rosc. Am.* 15. Attenta vita et rusticana. *Hor. Sat.* 2, 6, 82. Attentus quaesitis. *Id. Ep.* 1, 7, 91. durus nimis, attentusque videris. [*V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 9, 16.] ℙ Est etiam partic. ab *attineo*, et significat detentum, occupatum. *Appul. Met.* 7. p. 194, 37. Mihi vero per diem laboriosae machinae attento furfures apponebat. *Id. ib.* 9. Licet forensi negotio officinator noster attentus ferias nobis fecerit. ℙ Scribitur et *adtentus.*

ATTĒNŪĀTE, adv. *Cic. Brut.* 55. Oratorum bonorum duo genera sunt, unum attenuate presseque, alterum sublate, ampleque, dicentium, h. e. tenuiter et demisse. V. ATTENUATUS.

ATTĒNŪĀTIO, onis, f. *λεπτυσμός, ἰσχνότης*, actus attenuandi, extenuatio, diminutio. *Auct. ad Her.* 2, 2. Defensoris narratio simplicem et dilucidam expositionem habere debet, cum attenuatione suspicionis. ℙ *Id.* 4, 11. Qui non possunt in illa facetissima verborum attenuatione versari, *h. e.* in stilo simplici ac tenui. Supra dixerat. *cap. praec.* Erit enim et attenuata verborum constructio quaedam, et item alia in gravitate, alia posita in mediocritate. V. etiam *ib.* 8., cujus loci verba referuntur in v. seq.

ATTĒNŪĀTUS, a, um, part. ab *attenuo*, tenuis factus, deminutus, *λεπτυνθείς. Liv.* 22, 1. Sortes sua sponte attenuatae. *Plin.* 21, 6, 16, Foliorum exilitas attenuata usque in fila. *Ov. Met.* 3, 389. attenuatus amore. *Id. Rem. am.* 288. Non tamen est illis attenuatus amor. *Cic. Manil.* 11. Bellum attenuatum atque imminutum. *Caes. B. C.* 3, 89. Legio proeliis attenuata. *Plin.* 5, 2, 1. Provincia attenuata bellis. *Liv.* 39, 49. Diutino morbo viribus admodum attenuatis. *Auct. ad Her.* 4, 41. Fortuna rei familiaris attenuatissima. Et *ib.* 3, 14. Paululum attenuata voce uti. *Augustus Caesar* apud *Suet. Tib.* 21. Attenuatus continuatione laborum. *Cic. Brut.* 82. Oratio nimia religione attenuata, *h. e.* demissa, humilis, tenuis: cui opponitur sublata, magnifica, ampla. [*Non tam demissa et humilis, ut est in seq. loco apud *Auct.* ad *Her.*, sed nimis accurata et polita et ad obscuritatem usque subtilis, estque ejus oratoris, qui nimium inquirit in se, ipse se observat, metuitque ne vitium colligat. Ita bene *Ernest. lex. techn. lat.* p. 37. Eodem sensu *Auct. dial de or.* 18. Calvum appellat *attritum.*] *Auct. ad Her.* 4, 8. Oratio attenuata est, quae demissa est usque ad usitatissimam puri sermonis consuetudinem. [*Graecorum *ἰσχνὸς χαρακτήρ.*] Adde *ib.* 10., et V. *Cic. Brut.* 55. et supra dicta in ATTENUATIO.

ATTĒNŪO, as, avi, atum, a. 1. *λεπτύνω, ἰσχναίνω*, tenuem facio, extenuo, deminuo. *Plin.* 11, 37, 65 Lingua imbricatae asperitatis, attenuans lambendo cutem hominis. *Id.* 36, 6, 9. Ita sectae attenuantur crustae. *Catull.* 64, 41. Non falx attenuat frondatorum arboris umbram. *Mart.* 14, 104. Attenuare nives norunt et lintea nostra, *h. e.* percolare et liquare. *Ov. A. Am.* 1, 735. Attenuant juvenum vigilatae corpora noctes. *Id. Met.*

8, 843. et *Pont.* 4, 5, 38. Attenuare opes. *Id. Trist.* 4, 1, 16. et *ib.* 6, 18. curas. *Albinov. ad Liv.* 342. luctus. *Hor. Od.* 1, 34, 13. valet ima summis Mutare, et insignem attenuat Deus. *Auct. ad Her.* 3, 3. Attenuare aliquid dicendo: *cui contrarium est* amplificare, augere. *Attenuare orationem* quid sit, V. in ATTENUATUS. ℙ Scribitur et *Adtenuo.*

ATTĔRO et Adtero, eris, trivi, tritum, *raro* atterui, atteritum, a. 3. *προστρίβω, ἐπιτρίβω*, rem aliquam ad aliam tero, adfrico. *Hor. Od.* 2, 19, 30. Cerberus leniter atterens caudam. *Plin.* 10, 74, 95. Asinus spinetis se scabendi causa atterens. ℙ Est etiam utendo et terendo minuere et consumere. *Plin.* 7, 16, 15. Dentes usu atteruntur. *Id.* 9, 35, 56. Conchylia et purpuras omnis hora atterit, *h. e.* omnibus horis homines conchyliatas vestes et purpureas induunt et consumunt. *Id.* 2, 63, 63. Quot manus atteruntur, ut unus niteat articulus! *scilicet* in gemmis anulorum elaborandis. *Ulp. Dig.* 23, 3, 10. Atterere vestem. *Pl. Pers.* 4, 9, 11. alicui aures, alludit ad morem antestandi. V. ANTESTOR. *Prop.* 4, 3, 23. num teneros urit lorica lacertos? Num gravis imbelles atterit hasta manus? *Plin.* 28, 15, 61. Feminae equitatu atteruntur. *Tibull.* 1, 4, 48. Aut opere insuetas atteruisse manus. *attenuasse* quidam reponunt. Sed praeteritum *terui* pro *trivi* agnoscit etiam *Vel. Long. Orthogr.* p. 2234. quamvis fateatur, *trivi* magis ex consuetudine esse. V. TERO. ℙ De partic. *Atteritus*, V. infra ATTRITUS. ℙ Significat etiam proterere, calcare, comminuere, frangere. *Virg. G.* 4, 11. aut errans bucula campo Decutiat rorem, et surgentes atterat herbas. *Plin.* 8, 5, 5. de elephantis: Amnem transituri minimos praemittunt, ne majorum ingressu atterente alveum, crescat gurgitis altitudo. *Cels. Praef.* Alii atteri cibum in ventre contendunt: alii putrescere. *Colum.* 5, 6. Demissum palmitem inferior atteret, et fructum decutiet. ℙ Translate. *Tac. Agr.* 9. Et vincere inglorium et atteri sordidum arbitrabatur, *h. e.* superari, opprimi, sperni: vel congredi, contendere, et quasi conflictando teri. [*Non solum superari sed ut *Ern.*, vinci et jacturam facere dignitatis; procuratores enim, quos spectat, fere libertini erant.] ℙ Saepe est imminuere, attenuare, consumere, infirmare. *Curt.* 4, 6. *in f.* Proeliis etiam secundis atteruntur copiae. *Sall. Jug.* 81. Postquam utrinque legiones, item classes saepe fusae, et alteri alteros aliquantum attriverant. *Id. ib.* 5. Annibal Italiae opes maxime attriverat. *Tac. Hist.* 1, 89. Intenta alimentorum pretia plebem attriverant. [**Tac. G.* 29. nec tributis contemnuntur (Germani), nec publicanus atterit, i. e. exhaurit et bonis omnibus exuit. coll. *Hist.* 2, 56. V. ATTRITUS.] *Juvenal.* 16, 50. Nec res atteritur longo sufflamine litis. *Sall. Cat.* 16. Atterere famam atque pudorem alicujus. *Quint. Prooem.* 8. Eo tempore quo praecipue alenda ingenia atque indulgentia quadam nutrienda sunt, asperiorum tractatu rerum atteruntur.

ATTERRANĔA, fulmina dicuntur a *Sen. Qu. nat.* 2, 49. quae in incluso fiunt. Quo loco mire variant codices. Alii enim habent *artencata*, alii *atercauta*, *attertanta*, *attercanta:* quae verborum monstra sunt. Sunt qui putant legendum esse *attegiana* ab *attegia:* sunt qui *arceranea*, ab *arcera*, quae est genus plaustri undique tectum: sunt denique qui *ateranea* malunt, ab *ater*, scilicet a nigro colore. [At prius *atterranea* praestat, nam e terra interdum fulmina exsilire, constat, ut probavit *Scip. Maffejus* in opere, cui titulus: *Della formazione dei fulmini*, *Verona* 1747. 4°. *F.*]

[ATTERTĬĀTUS, a, um, part. ab inusit. *attertio*, *as. Plin. Valer.* 1, 29. Lixivium attertiatum, *h. e.* ad tertias usque decoctum. *F.*]

ATTESTĀTĬO, onis, f. *ἐπιμαρτυρία*, actus attestandi, testimonium. *Macr. Somn. Scip.* 2, 9. Sed describi hoc nostra attestatione non debuit, cujus situs nobis incognitus perseverat. *Trebell.* XXX. *Tyrann.* 30. de Zenobia: Hac se attestatione defendit.

ATTESTĀTOR, oris, m. *ἐπιμάρτυρος*, qui attestatur. *Plin. ep.* 6, 17. Quis uno te reverentior hujus operis, quis benignior attestator? Ita legitur in quibusd. codicib. teste *Grutero:* sed plerique alii habent *aestimator*, quod praestat.

ATTESTĀTUS et Adtestatus, a, um, partic. ab *attestor. Attestata fulmina* dicuntur, quae prioribus consentiunt, hoc est quae iterato fiunt, et significationem priorum attestantur et comprobant. *Senec. Qu. nat.* 2, 49. et *Festus.* ℙ Significatione passiva, testimonio comprobatus. *Plin.* 10, 43, 60. Reddatur et corvis sua gratia, indignatione quoque populi R. attestata, non solum conscientia. Ita habetur in multis *editionib.* etiam princip. A. 1470 et 1472. Sed antiquior A. 1469. habet *testata*, atque ita etiam edidit *Harduin.*

ATTESTOR et Adtestor, aris, atus sum, dep. 1. testimonium do, testimonio comprobo, *ἐπιμαρτυρέω. Plin. praef. Hist. nat.* L. Scipio hoc attestabatur, vel inimico judici se probari posse. *Phaedr.* 1, 10. Hoc attestatur brevis Aesopi fabula. *Gell.* 4, 12. M. Cato id saepe numero attestatus est. *Cic. Sull.* 29. Attestante memoria omnium, neminem esse, etc. Quidam hic aliter leg. ℙ *Attestari aliquem* est in testem vocare. *Cic. Mil.* 25. *in f.* Te, Magne, tamen attestaretur. Al. leg. *antestaretur.* [*Et sic legendum. V. ANTESTOR.] *Paul. Recept. sentent. l.* 2. *tit.* 27. Attestando vicinos.

*ATTĔVA, ae, Aethiopiae sub Aegypto oppidum. *Plin.* 6, 29. ed. *Hard.* Antea *Attenam* legebatur pro *Atteva. B. A.*

ATTEXO et Adtexo, is, exui, extum, a. 3. *συνάπτω, παραπλέκω*, idem quod texo, vel texendo addo. *Caes. B. G.* 5, 40. Pinnae loricaeque ex cratibus attexuntur. ℙ Translate est adjungere, addere. *Cic. Univ.* 11. *in f.* Vos autem ad id, quod erit immortale, partem attexitote mortalem. *Varr. R. R.* 2, 5. Nos interea secundum actum de majoribus attexamus. *Appul. Met.* 5. Exordiis sermonis hujus quam concolores fallacias attexamus. Et *ib.* 11. p. 260, 35. Attextis capite crinibus feminam mentiebatur.

ATTHIS, ĭdis, f. adj. *Ἀτθίς*, Atticam, seu Atheniensem significat, ab Atthide Cranai Athenarum regis filia. *Mart.* 11, 54. Quale decus formae! Romanam credere matres Italides possunt, Atthides esse suam. *Sen. Hipp.* 106. Atthidum mixta choris. *Appul. Met. praef. post. init.* 1. Linguam Atthidem primis pueritiae stipendiis merui. Al. hic aliter leg. [**Ed. Oud.* habet Attidem.] ℙ Substantive est luscinia avis, in quam Philomela Pandionis Atheniensium regis filia versa est. *Mart.* 1, 54. Sic ubi multisona fervet sacer atthide lucus. ℙ Item hirundo, quia in hirundinem mutata dicitur Progne soror Philomelae. *Id.* 5, 67. Hibernos peterent solito cum more recessus Atthides, in nidis una remansit avis. ℙ Apud *Oc. Her.* 15, 18. est *Atthis* nomen proprium mulieris. ℙ Est praeterea *Atthis* regio eadem, quae Attica. *Mela* 2, 3. Hinc *Lucr.* 6, 1114. Atthide tentantur gressus oculique in Achaeis Finibus. Adde *Sidon. carm.* 5, 44. ℙ Apud *Hygin. fab.* 14. Salamina insula dicitur appellata *Atthis* ab Apollonio Rhodio. ℙ Legitur et *Attis* sine aspiratione pro *Atthis*: item pro *Atys*, de quo V. infra suo loco.

ATTĬĀNUS. V. ATIANUS.

ATTĬCA, ae, f. *Ἀττική*, regio Achajae seu Helladis, cujus caput Athenae, cujus maxima pars litoralis est: unde et *Acte* est appellata, teste *Plin.* 4, 7, 11., ab *ἀκτή*, litus. Est autem revera adj., et intelligitur *regio*, *provincia*, aut quippiam simile. *Plin.* 4, 1, 1. Laconia, Argolis, Megaris, Attica, Boeotia. *Id. ib.* 7, 11. In Attica fontes Cephissia, Larine, etc.

ATTĬCE, es, f. *Ἀττική*, genus est ochrae seu silis, ceterorum generum laudatissimi, quod in argentifodinis Atticae olim inveniebatur. *Cels.* 5, 18. *n.* 19. Miscetur ochra, quae Attice nominatur, cum duabus partibus similae. *Attice* adjectivum est *Plin.* 37, 10, 66., qui *ochram Atticam* dixit; et 33, 12, 56. *sil Atticum.*

ATTĬCĒ, adv. Atticorum more. *Cic. Brut.* 84. Ita fiet, ut non omnes, qui Attice, iidem bene; sed ut omnes qui bene, iidem etiam Attice dicant. *Quint.* 12, 10. Attice pressus orator.

[ATTĬCĬĀNUS, i, m. ad Atticos pertinens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 126. *col.* 7. T. Fisevius Atticianus. *F.*]

[ATTĬCILLĀ, ae, f. diminutivum Atticae. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 421, 4. M. Julio M. F. Vol. Attico Julia Atticilla mater fec. infelicissima filio pientissimo. *F.*]

ATTĬCISMUS, i, m. *Ἀττικισμός*, proprietas et elegantia Attici sermonis. *Quint.* 6, 3. Qualis apud Graecos Atticismus ille redolens Athenarum proprium saporem. *Cic. Att.* 4, 17. Graece usurpat. Et fortasse etiam apud *Quint.* Graece *Ἀττικισμὸς* legendum est. Nam optim. quaedam edition. etiam A. 1471. habent *Atticismos* Graeca positione.

ATTĬCISSO, as, n. *Ἀττικίζω*, Atticos imitor, Attice loquor *Pl. Men. Prol.* 11. Atque adeo hoc argumentum Graecissat; tamen non Atticissat, verum Sicilicissat. Simpliciter significat Graece loqui. *Appul. Flor. n.* 18. p. 362, 12. Quamvis optime Latine possit, tamen hodie nobis Atticissabit. ℙ Scribitur et *Atticizo.* V. BADIZO.

[ATTĬCŬLĀ, ae, f. diminutivum Atticae. Cognomen Romanum. *Cic. Att.* 6, 5. Valebis igitur et puellae salutem Atticulae dices, *h. e.* Caeciliae Atticulae filiae T. Pomponii Attici, qui ab avunculo Caecilio adoptatus *Q. Caecilius Q. F. Pomponianus Atticus* appellatus fuit. *F.*]

ATTĬCURGES, is, adj. *Ἀττικουργής*, Attico opere seu modo factus: Graeca dictio ab *ἔργον*, opus, et *Ἀττικός*, Atticus. In architectura *Atticurges* dicitur illud opus, quod Attica ratione est perfectum. Attici enim, licet Corinthia aedificandi ratione uterentur, habebant tamen aliquid peculiare, quo a Corinthiis differebant. Hinc *Atticas columnas quaternis angulis pari laterum intervallo*, *Plin.* 36, 23, 56. memorat. *Vitr.* 3, 3. Altitudo ejus, si Atticurges erit, ita dividatur, etc. et mox. Altitudo, uti Atticurgis. *Id.* 4, 6. Genera thyromatum sunt Doricum, Ionicum, Atticurges, *et post.* Atticurges iisdem rationibus perficiuntur.

ATTĬCUS, a, um, adj. *Ἀττικός*, ad Atticam et ad Athenas pertinens. *Plin.* 10, 12, 15. Attica regio. *Id.* 21, 10, 31. Atticum thymum. Et *ib.* Atticum mel. Et *Ov. Trist.* 5, 4, 32. Attica apis, *h. e.* montis Hymetti, qui est in Attica, optimo melle celebris. *Plin.* 31, 7, 41. Atticus sal, *h. e.* qui circa Atticae litora colligitur, ceteris humidior, atque adeo minus amarus. *Id.* 25, 13, 91. Atticam cicutam inter eas recenset, quae praesentissimi veneni sunt. *Id.* 29, 2, 9. Atticam lanam refert inter praecipuas. *Id.* 36, 23, 56. Atticae columnae, V. ATTICURGES. *Id.* 37, 10, 66. Attica ochra, V. ATTICE, es. *Mart.* 10, 51. Attica pellex, *h. e.* Philomela Pandionis Athenarum regis filia, a Tereo Prognes sororis suae marito stuprata: quae ideo apud *Ov. Met.* 6, 537. queritur: *pellex ego facta sorori! Stat. Silv.* 1, 1, 101. Atticus senior, *h. e.* Phidias. *Hor. Sat.* 2, 8, 13. ut Attica virgo Cum sacris Cereris, *h. e.* canephora Athenis sacra Cereris capite portans. V. CANEPHORAE. *Vell.* 2, 23. Attica fides, *h. e.* sincera, certa. Adeo enim certa Atheniensium in Romanos fides fuit, ut semper et in omni re, quidquid sincera fide gereretur, id Romani Attica fieri praedicarent. *Id. ib.* ℙ Atticae provinciae caput sunt Athenae (unde *Athenae Atticae* dicuntur a *Pl. Ps.* 1, 5, 2., *Rud.* 3, 4, 36., *Truc.* 2, 6, 16. et alibi, ad discrimen etiam aliarum Athenarum, de quibus supra in ATHENAE) sedes quondam ac regnum optimarum artium, ac praesertim puri sermonis et eloquentiae. Genus dicendi Atticum erat medium inter Asiaticum et Laconicum, hoc est neque nimis fusum, neque nimis pressum, sed prudens, acutum, sincerum, solidum, sanum. *Cic. Opt. gen. Orat.* 3. Illos potius imitemur, qui incorrupta sanitate sunt (quod est proprium Atticorum) quam eos, quorum vitiosa abundantia est, quales Asia multos tulit. *Id. Or.* 26. Quidquid est salsum aut salubre in oratione, id proprium Atticorum est. *Quint.* 12, 10. Et antiqua quidem illa divisio inter Asianos et Atticos fuit, cum hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur. Et mox. Attici limati et emuncti etc. V. ibi, et *Cic. Brut.* 82. et seqq., ubi multa de stilo Attico. *Pl. Pers.* 3, 1, 66. Dabuntur dotis tibi sexcenti logi; atque Attici omnes; nullum Siculum, etc. Alludit ad Graeca verba, quae purgatissima et nitidissima in Attica lingua erant. *Cic. Or.* 7. Demosthenes, quo ne Athenas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas, *Mart.* 3, 20. Lepore tinctos Attico sales narrat. *Id.* 4, 87. Si vis auribus Atticis probari. *Cic. Or.* 9. Atticorum aures teretes et religiosae. *Id. Brut.* 17. Attica subtilitas. *Quint. l. c.* Atticus sapor. *Virg.* in *carm.* ap. *Quint.* 8, 3. Attica febris, *h. e.* frigidus, exsuccus et insulsus sermo. Et perstringit malum rhetorem, qui Atticus videri volebat, sed frustra. [V. *Heynii* adnot. ad *Virg. Catal.* 2. ℙ *Atticus profluvius* ap. *Veg. Vet.* 1, 17., et 38. est morbi genus in jumentis, cum nempe de naribus pro muco humor defluit male olens et spissus, colore pallido; fortasse est, quod Galli *la monce*, Itali *il moccio de' cavalli* (n. *der Rotz*) dicimus. Hoc Atticum fuisse nominatum putat *Gesnerus* ad similitudinem signorum in peste Attica commemoratorum a *Thucyd.* 2, 49., ubi tamen hujus profluvii nulla fit mentio. Sed haec nimis longe petita est ratio. Hinc *Schneiderus* arbitratur, hoc morbi genus ita fuisse appellatum, quod primum observatum fuerit ab Atticis scriptoribus. Fatendum tamen est, dubiam esse his in locis codicum lectionem. ℙ Atticus est cognomen *T. Pomponii* familiaris Ciceronis, eo quod Attice optime loqueretur. *Nep. Att.* 4. Sic Graece loquebatur, ut Athenis natus videretur. *F.*]

[ATTĬDĬAS, ātis, omn. gen. adj. ad Attidium pertinens, dirutum Umbriae oppidum, e cujus ruinis *Fabriano* originem duxit. *Plin.* 3, 14, 19. *Inscr.* ap. *Donium cl.* 5. *n.* 1. M. Oppio M. F. Vel Secundioni Curatori R. P. Attidiati*um.*

ATTĬGO et Adtigo, is, a. 3. *ἐφάπτομαι*, idem quod attingo, contingo: ex *ad*, et antiquo *tago* pro *tango. Pl. Asin.* 2, 2, 106. Ne me attigas. Si me tagis, nae hodie, etc. *Id. Bacch.* 3, 3, 41. Ne attigas puerum ista causa. *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 35. Ne eum quis attollat, neve attigat. Adde *Turpil.* et *Accium* apud *eund. Non.* 2, 60. et rursus *Pl. Epid.* 5, 2, 58. et *Truc.* 2, 2, 21., quibus omnibus locis solum *attigas* legitur. Ex quo colligitur verbum defectivum esse. Addunt sane quidam alium *Plauti* locum *Most.* 2, 2, 37. Aedes ne attigatis, ut *Diomed.* legit l. p. 378. et *Prop.* 1, 17. *in f.* Si quando vestras labens Amor attigit undas, etc. Sed priore quidem loco alii leg. *attingite:* posteriore autem potest esse praeteritum ab *Attingo.*

ATTĬGŬUS et Adtiguus, a, um, adj. contiguus, proximus, *συναφής, ἐχόμενος. Appul. Met.* 4. p. 148, 7. Domus attigua. *Id. ib.* 6. p. 178, 18. Attiguum nemus. Adde *Paul. Nol. in Nat. XIII. S. Fel. edit. Murator.* 331.

ATTĬLIA. V. ATILIA.

[ATTILLO, as, a. 1. idem ac titillo. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* 3, 41. Quae dicta cum ex natura hominis meum quoque animum attillarent. *F.*]

ATTĬLUS, li, m. piscis est ingens, Padi fluminis proprius, inertia pinguescens ad mille aliquan-

do libras, catenato captus hamo, nec nisi boum jugis extractus. Ita *Plin.* 9, 15, 17. Hic piscis (Acipenser huso *Linn.*) quem Veneti vulgo *copese.* V. ICHTHYOCOLLA, Padi accolae *ládano* seu *l'ádano* appellant, similis est illi, quem Itali *storione* (*Stör*) vocant, sed est rostro acutiore.

ATTIN. V. ATYS.

ATTĪNAE, arum, f. plur. termini agrorum facti ex lapidibus in speciem maceriae congestis, ut describit *Siculus Flacc. de Condit. agror.* p. 4. et 6. *Goes.* et *Rigalt. in Glossis* docent, dictas esse ab *attinendo*, quod ii lapides se mutuo suo ipso pondere attineant. Addit *Rigalt.* locum *Palladii* 6, 3. Si lapidosus ager fuerit, per macerias saxorum attina collectas et purgari poterit, et muniri. Sed editi libri, quos vidimus, habent „*saxorum turba collecta.*“ [*Sic *Furl.* In ed. II. *Forc.* sic scriptum: *a turba collectas.*]

ATTĪNĔO et Adtineo, es, inui, entum, a. 2. *κατέχω*, teneo, detineo, ad aliquem locum teneo. *Pl. Capt.* 2, 2, 16. Nunc senex est in tonstrina: nunc jam cultros attinet, *h. e.* tonsor cultros ei admovet. *Id. Men.* 5, 1, 30. Attinere aliquid ante oculos. *Id. Bacch.* 2, 2, 3. et *Truc.* 4, 3, 63. aliquem vinctum. [**Id. Mil.* 4, 8, 18. forma hic hujus, mores, virtus, animum attinuerunt tuum, i. e. moverunt. Alii conjungunt *hic — attinuerunt*, i. e. retinuerunt.] *Tac. A.* 1, 35. prehensam dexteram vi. *Id. ib.* 3, 36. aliquem publica custodia. *Id. ib.* 2, 52. militem castris. *Id. ib.* 6, 23. Attineri in palatio. *Id. ib.* 14, 56. *in f.* domi valetudine infensa. *Id. ib.* 6, 27. Attinere aliquem, ne pergat. *Id. Hist.* 2, 14. *in f.* Delectae omnes copiae forent, ni victorem exercitum attinuisset obscurum noctis. *Id. A.* 13, 50. Attinere impetum alicujus. Et *ib.* 53. Ne tamen segnem militem attinerent, ille inchoatum aggerem absolvit. *Sall. Jug.* 116. Bocchum Punica fide simul Romanos et Numidam spe pacis attinuisse. *Tac. A.* 15, 24. Attineri religione. *Id. ib.* 1, 50. discordiis. ℙ Est etiam occupare, custodire, servare. *Tac. A.* 4, 5. Ripamque Danubii legionum duae in Pannonia, duae in Moesia attinebant. *Id. ib.* 6, 17. Signatum argentum fisco vel aerario attinebatur. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Or.* 47. Quam cara sintque, post carendo intelligunt, Quamque attinendi magni dominatus sient. ℙ Impersonaliter significat pertinere, *προσήκειν. Ter. Andr.* 1, 2, 16. Comperiebam, nihil ad Pamphilum quidquam attinere. *Id. Eun.* 4, 6, 6. Scin' tu, turbam hanc propter te esse factam; et adeo ad te attinere hanc omnem rem? *Pl. Bacch.* 2, 2, 51. Negotium hoc ad me attinet aurarium. ℙ Quod attinet, eleganter inseritur orationi. *Cic. Att.* 5, 17. Sic in provincia nos gerimus, quod ad abstinentiam attinet, ut nullus teruncius insumatur in quemquam. *Id. Verr.* 2, 2, 5. Vobis alio loco, ut se tota res habeat, quod ad eam civitatem attinet, demonstrabitur. *Pl. Poen.* 5, 4, 9. Certo enim, quod quidem ad nos duas attinuit, praepotentes, pulcrae fuimus. [**Liv.* 23, 26. quod ad Carthaginienses hostes Hannibalemque attinet, prospera modo essent; ubi non pro *attineret* positum, sed absolute dictum est, i. q. de hostibus; etsi aliis locis in orat. obl. conjunctivus modus reperitur, v. c. 23, 43. 24, 16. ℙ Construitur cum infin. *passivi* pro *inf. activi*: *Liv.* 23, 3. quia nec eosdem nominari attinebat. Cf. *Cic. Leg.* 2, 17, 42. Sic alia quoque verba impersonalia infinitivum act. et passivi, sententia non mutata, admittunt, ut pertinet, expedit, convenit, decet etc. quae V. — Interdum etiam omittitur *attinet*. *Cic. Leg.* 2, 12, 29. quod tempus (sc. attinet), ut sacrificiorum libamenta serventur etc., diligenter habenda ratio intercalandi est. *q.*] ℙ Ponitur etiam pro e re esse, interesse, opus esse. *Cic. Att.* 12, 18. Ea re non venit, quia nihil attinuit. *Id. Fin.* 4, 22. Quid attinuit, cum his, quibuscum re conveniebat, verbis discrepare? *Colum.* 2, 21. Si frumenta protinus usui destinantur, nihil attinet repoliri. *Pl. Poen.* 3, 3, 24. Sed quid istud ad me attinet? *Plin.* 17, 11, 16. Non misisset idem, si attineret, meridianam coeli partem signare in cortice. ℙ In tertia persona pluralis numeri. *Cic. Fin.* 4, 14. Cetera, quae ad colendam vitem attinebunt. [**Auct. ad Her.* 1, 1. quae nihil attinebant, ibique *Lamb.*] *Ter. Heaut.* 1, 1, 24. Ea quae nihil ad te attinent. Adde *Pl. Men.* 1, 2, 36. et *Pers.* 4, 3, 27. ℙ Cum accusativo sine praeposit. *Cic. Quint.* 19. Neque quemquam attinebat id recusare. *quemquam* potest etiam esse accusativus infinitivi *recusare.* [*sed illud melius. *Auct. ad Her.* 3, 11. *in f.* nihil nos attinet, ibique *Gron.* et *Graev.*] *Val. Max.* 1, 1. *n.* 14. In his, quae custodiam religionis attinent. ℙ Pro pertinere, hoc est pertingere, pervenire. *Curt.* 6, 2. Scythae, qui in Europa sunt, a laevo Thraciae latere ad Borysthenem, atque inde ad Tanaim alium amnem recta attinent. ℙ [*Permutantur a librariis *attinere* et *attingere*, V. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 16, 5.]

[ATTINCTUS, a, um, part. ab inusit. *attingo, is, xi, inctum*, intinctus. *Veg. Veter.* 1, 11. Post haec melle, butyro, axungia, salibus et picula, offis pro aequa omnium portione confectis, succo ptisanae ac passo involutis attinctum animal replebis. *F.*]

ATTINGO et Adtingo, ingis, igi, actum, a. 3. *ἐφάπτομαι*, idem quod tango, contingo: ex *ad*, et *tango*. *Cic. Fam.* 2, 17. De praeda mea teruncium nec attigit, nec tacturus est quisquam. *Id. Leg.* 2, 3. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, cum ad multa accesserim, ut vix pede tentare id possim. *Ter. Eun.* 4, 6, 2. Si illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur. *Nep. Eum.* 5. Pedibus terram attingere. *Gell.* 14, 6. manu aliquem. *Tac. A.* 4, 54. nullos cibos. *Pl. Cas.* 5, 2, 30. Calamitas nunquam attigit, *h. e.* grando nunquam icit. *Caes. B. G.* 2, 32. Prius quam aries murum attigisset. *Ter. Hecyr.* 1, 2, 61. et *Ph.* 5, 8, 29. Attingere mulierem, *h. e.* rem cum ea habere. [**Tibull.* 1, 6, 53. attingere puellam, i. e. fidem ejus sollicitare et labefactare; paullo ante dixit *violare.* — Similiter *Liv.* 8, 29. quos, si Vestinus attingeretur (i. e. bello lacesseretur), omnes habendos hostes. *q.*] ℙ De iis, qui in locum aliquem perveniunt. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 8. Ut primum Asiam attigisti. *Caes. B. G.* 4, 23. Navibus Britanniam attingere. *Nep. Dion.* 5. Post diem tertium, quam Siciliam attigerat. *Tac. A.* 4, 45. Postquam saltuosos locos attigerat. [**Id. ib.* 2, 55. postquam Syriam et legiones attigit.] ℙ *Attingere* etiam dicuntur, qui sunt alteri contermini. *Caes. B. G.* 2, 15. Eorum fines Nervii attingebant. *Cic. Fam.* 15, 4. Cappadociae pars ea, quae Ciliciam attingit. *Id. Pis.* 16. Macedonia, quae tantis barbarorum gentibus attingitur. *Id. N. D.* 2, 54. Utraque ex parte tonsillas attingens, palato extremo terminatur. [*Inscr.* ap. *Morcell. Op. Epigraph. T.* 2. p. 291. *edit. Patav.* Item collegia, quae attingunt eidem foro. Haec *Inscript.* pertinet ad an. Chr. 119. *F.*] ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 6. Quae res ad officium imperii tui pertinebunt, de his rebus ne quid servus attingat. *Id. Fin.* 3, 5. Ante quam voluptas aut dolor attigerit. *Id. Fam.* 3, 10. *ad f.* Providit, ne qua me illius temporis invidia attingeret. *Liv.* 27, 11. Erant perpauci, quos ea infamia attingeret. *Cic. ad Caesar. post. ep.* 11. *l.* 9. *ad Attic.* Si qua de Pompejo tuendo cura te attingit, *h. e.* afficit. *Id. Leg.* 2, 1. *a med.* Me alia quoque causa delectat, quae te non attingit. *Prop.* 1, 19, 9. Attingere gaudia, *h. e.* frui. *Val. Fl.* 2, 452. et *Claud. B. Get.* 412. Vox attigit aures. *Manil.* 1, 326. ceperat Orpheus Omne, quod attigerat cantu, *h. e.* permulserat. *Cic. N. D.* 3, 25. Attingere aliquid suspicione, *h. e.* suspicione assequi, conjicere. *Colum. R. R.* 1, 8. senectutem, *h. e.* senescere. *Cic. Att.* 2, 22. rempublicam, *h. e.* reipublicae administrandae se dare. Sic *Id. ad Caesar. post ep.* 11. *l.* 9. *ad Attic.* aliquam partem belli. *Liv.* 3, 19. arma. *Cic. Fam.* 5, 8. forum, *h. e.* in forum ad agendum accedere. ℙ Dicitur eleganter de iis, qui in aliquod studium incumbunt; et significat leviter operam dare: item de iis, qui dicendo, aut scribendo de aliqua re agunt; et significat breviter commemorare, paucis tractare. *Cic. Or.* 1, 18. Egomet, qui sero ac leviter Graecas litteras attigissem. Et *ib.* 2, 1. L. Crassum non plus attigisse doctrinae, quam quantum prima illa institutione potuisset. *Nep. Att.* 18. Attigit quoque poeticen. *Cic. Att.* 2, 1. Strictim attingere aliquem librum. *Id. Fam.* 2, 4. Scriberem plura, nisi, etc., et hoc quidquid attigi, non feci inflammandi tui causa, sed, etc. *Id. Or.* 2, 49. Breviter perstringere atque attingere aliquid. *Nep. Pelop.* 1. Summas tantummodo attingere. *Pacat. Paneg. Theodos.* 8. aliquid summatim. *Plin.* 2, 12, 9. capitulatim. *Cic Arch.* 11. res gestas versibus et inchoare. *Gell.* 14, 1. aliquid orationc. *Tac. A.* 1, 35. Ut seditionem attigit. *Plin. Prooem. Hist. nat.* Plerique ex iis, quos attigi, *h. e.* ex iis scriptoribus, a quibus delibavi, quae in meam historiam conferrem. *Pl. Truc.* 4, 4, 11. Ut planiloqua est! paucis ut rem ipsam attigit! Idem eodem sensu alibi dixit *acu rem tangere.* V. ACUS. ℙ Ad hanc, quam modo posuimus, dicendi seu commemorandi significationem pertinet etiam illud ejusdem *Pl. Bacch.* 2, 2, 19. Quod ab illo attigisset nuncius, *h. e.* dixisset, nunciasset: nisi malis sic exponere: nuncius ab illo veniens ad me pervenisset ac nunciasset. Simili ratione *Id. ib.* 3, 5, 3. Si a me tetigit nuncius, etc. *Lambin.* tamen legit *attulisset.* ℙ Sumitur etiam pro attinere, pertinere, conjunctionem aliquam cum alio habere. *Cic. Off.* 2, 20. Partim ejusmodi sunt, ut ad universos cives pertineant, partim singulos ut attingant. *Id. Off.* 1, 6. Primus ille locus, qui in veri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam. *Id. Or.* 2, 39. Ab eo, quod rem attingit, plures sunt argumentorum sedes. *Id. Verr.* 2, 5, 32. Segestana et Centuripina civitas, quae tum officiis, fide, vetustate, tum etiam cognatione populi R. nomen attingunt. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 1. Summa necessitudine attingere aliquem. *Pl. Merc.* 1, 1, 32. Quae nihil attingunt ad rem, nec sunt usui. [*Ad hunc modum scribi vult *Heins. Ov. A. Am.* 2, 701. ad Venerem attingere seram. Vulgo autem legitur *at.*] ℙ Apud *Appul. Apol.* p. 337, 12. Si quid eam humanitus attigisset, significat i. q. si mortua fuisset: quod *Cic.* dixit *Si quid mihi humanitus accidisset.* V. ACCIDO. ℙ *Attingere nomen legis* scitum aliquod dicitur, quod legis nomine appellari potest, et inter leges adnumerari. *Cic. Leg.* 2, 5. Multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis, quae non magis legis nomen attingunt, quam si, etc. ℙ *Attingem* pro *Attingam* olim dictum esse, notat *Festus* ex emendatione *Scalig.* et *Lips.* ℙ [*Permutantur *attingere* et *attinere*. V. ATTINEO.]

[ATTĬO, ōnis, m. diminutivum attae. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 687, 12. Q. Ingenuvius Attio. *F.*]

ATTIS. V. ATTHIS, et ATYS.

*ATTITŪLO, as, titulum appono. *Rufinus de Origine:* Ex his libris, quos *περὶ ἀρχῶν* attitulavit. *B. A.*

ATTĬUS. V. ACCIUS.

ATTOLĔRO, as, a. 1. sustineo. *Appul. Met.* 2. p. 90. *ed. Oud.* Atria pulcherrima, columnis quadrifariam per singulos angulos stantibus, attolerabant statuas palmaris Deae, *h. e.* Victoriae. Alii [*ut *ed. Elmenh.*] minus recte leg. *attollebant.*

*ATTOLLENTIA, ae, i. q. superbia. Usus est h. v. *Schol. Lucani* ad 1, 82. ed. a *Webero.* Cf. ATTOLLO.

ATTOLLO et Adtollo, is, a. 3. *ἐπαίρω, ἐξαίρω*, erigo, sustollo. *Quint.* 11, 3. Attollere pedem. *Ov. Halieut.* 70. caput. *Ter. Eun.* 4, 6, 31. pallium. *Pl. Cas.* 2, 6, 5. signa. *Plin.* 9, 27, 43. cornua e mari. *Virg. A.* 10, 856. se in femur. *Liv.* 8, 7. se a gravi casu. *Id.* 10, 36. manus ad coelum. *Ov. Met.* 4, 720. se in auras. *Prop.* 1, 15, 37. oculos contra solem. *Ov. Met.* 2, 448. oculos humo. [*Attollere oculos (etiam *tollere*) de iis maxime dicitur, qui contra minas et terrorem sese tollunt. *Liv.* 6, 16. nec versus dictatoriam vim aut tribuni plebis aut ipsa plebs attollere oculos aut hiscere audebat. Quem usum aliis etiam locis explicat *Bentl.* ad *Hor. Od.* 1, 3, 18. p. 11. *in f.*] *Id. ib.* 7, 847. aliquem ulnis. *Virg. G.* 4, 217. humeris. *Plin.* 34, 6, 12. aliquid supra aliud. *Id.* 36, 5, 4. *n.* 9. Attollitur opus in altitudinem vigintiquinque cubitis. Et 21, 11, 36. Herba attollens se a terra. *Id.* 5, 1, 1. Mons e mediis arenis in coelum attollitur. *Id.* 5, 29, 31. Ephesus attollitur monte Pione. *Id.* 4, 6, 10. Regiō attollitur in montes LXXVI. *Virg. A.* 3, 552. attollit se diva Lacinia contra. Ubi *Servius:* quia appropinquantibus montes surgere videntur. *Tac. A.* 6, 37. Euphratem nulla imbrium vi, sponte et immensum attolli. *Virg. A.* 2, 185. et *ib.* 3, 135. Attollere molem, et attollere arcem tectis, *h. e.* exstruere, aedificare. [*Poetice *Plin. Pan.* 14, 3. campum alacritate, discursu, pulvere attollere, i. e. alacri discursu pulverem in campo attollere, omnia complere pulvere, discursu.] ℙ Translate. *Quint.* 11, 3. Attollere vocem. *Id.* 10, 5. orationem. *Id.* 1, 2. mentem. *Tac. H.* 4, 52. rempublicam bello et armis. *Id. ib.* 2, 90. aliquem laudibus. *Id. ib.* 4, 59. aliquem praemiis. [**Vell.* 2, 65. quanto Ciceronis studio Brutus Cassiusque attollerentur, i. e. ornarentur, eveherentur. Similia laudat *Ruhnk.* ad h. l.] *Id. ib.* 1, 70. famam alicujus rei. *Cels.* 5, 26. *n.* 1. parvam rem attollere. *Virg. A.* 4, 49. Punica se quantis attollet gloria rebus! *Lucan.* 7, 11. Attollere nomen alicujus ad sidera. *Prop.* 4, 6, 51. Frangit et attollit vires in milite causa. *Virg. A.* 12. 4. Attollere animos, i. e. magis magisque irasci. *Plin. Pan.* 44. Rectos ac vividos animos non contundere ac deprimere, sed fovere et attollere. [**Liv.* 22, 26. ad consulatus spem quum attolleret animos, i. e. erigeret.] *Auct. declam. in Cic.* 2. Attollere alicui animos. [**Attollere se ex aliqua re*, *Liv.* 21, 58. ex illa strage quum se quisque attollere et levare vellet. *q.*] *Virg. A.* 2, 381. Serpens attollens iras. ℙ Pro auferre antiquum est. *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 35. Custodite istum vos, ne cum quis attollat, neve attigat. *Id. ib.* Pro imperio agendum est: quis vetat, quisve attollat? *Grotius*, ut refert *Vossius*, legendum putat: *Pro imperio agendum est: nequis attollat, veta*: qua ratione multo clarior est sententia. ℙ Praeteritum *attuli*, et supinum *allatum* V. in AFFERO. *Attollo* autem mutuatur *sustuli* a *sustollo.* ℙ [*Permutantur a librariis *attollere* et *impellere*, V. *Bentl.* ad *Lucan.* 3, 230.]

ATTONDĔO et Adtondeo, ondes, attondi, onsum, a. 2. *ξυλεύω*, idem quod tondeo, circum tondeo. *Pl. Capt.* 2, 2, 18. Strictim attonsurum dicam esse, an per pectinem nescio. *Scribon. Compos.* 10. Attondere ad cutem. ℙ Sumitur etiam generatim pro resecare, circum amputare, recidere. *Virg. G.* 2, 406. et curvo Saturni dente relictam Persequitur vitem, attondens, fingitque putando. *Id. Ecl.* 10, 7. Dum tenera attondent simae virgulta capellae. ℙ Translate. *Pl. Bacch.* 5, 1, 9. Is me usque attondit doctis dolis, *h. e.* circumvenit et per fraudem argentum abstulit. Huc pertinet etiam locus ejusdem ex *Captiv.* modo allatus. ℙ Joculariter. *Id. Epid.* 2, 3, 6. Metuo si senex resciverit, ne ulmos parasitos faciat, qui usque atton-

deant, *h. e.* ne virgas ulmeas paret, quae tergum meum, ut parasiti alienas mensas solent, attondeant et concidant. V. alia in ATTONSUS. ℙ In praeterito etiam *attotondi* habere potest, quemadmodum *detondeo* et *detondi* facit, et *detotondi* teste *Priscian.* p. 868. Itaque *attotonse* per syncopen pro *attotondisse* legunt aliqui in *Catal. Virg. carm. de Sabino* 8. Ubi iste post Sabinus, ante Quinctio Bidente dicit attotonse forcipe. Alii tamen leg. *attondisse*. *Scalig.* ex conjectura etiam aliter, [sed *attotonse* metrum postulat. *F.*]

ATTONITĒ, adverb. *Plin.* 30, 1, 4. Britannia hodieque eam (*magicen*) attonite celebrat tantis caeremoniis, ut, etc., *h. e.* ad stuporem usque superstitiosa et defixa.

ATTONĪTUS et Adtonitus, a, um, partic. verbi *attono*, ἐμβρόντητος, ἀπόπληκτος, ἔκπλαγής, proprie significat eum, qui corpore ac mente rigescit et stupet ex casu vicini fulminis, a quo afflatus sit et paene tactus, et sonitu tonitruum stupefactus, ut *Sen. Qu. nat.* 2, 27. et *Serv.* ad *A.* 3, 172. docent. *Curt.* 8, 4. Erat prope continuus coeli fragor, et passim cadentium fulminum species visebatur; attonitisque auribus stupens agmen etc. *Petr. Sat.* 101. Intremui post hoc fulmen attonitus. ℙ Generatim dicitur de eo, qui ex quacumque causa stupet et mente percellitur, ut ex morbo, ex metu, ex admiratione alicujus rei, ex subito aliquo casu etc. *Cels.* 3, 26. Attonitos quoque raro videmus, quorum et corpus et mens stupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo: hanc ἀποπληξίαν Graeci appellant. *Liv.* 3, 68. *in f.* Attonitus terrore belli. [**Tac. H.* 2, 42.] *Id.* 1, 47. novitate ac miraculo. *Tac. H.* 4, 49. subitae rei miraculo. *Virg. A.* 3, 172. Talibus attonitus visis ac voce Deorum. *Albinov.* ad *Liv.* 1, 85. Vidimus attonitum fraterna morte Neronem. [*Sine ablat., *Liv.* 10, 29. ita ut magna pars inermis corporibus attoniti concíderent. *φ.*] *Sen. Troad.* 442. Mentis attonitae stupor. *Virg. A.* 5, 529. Attonitis haesere animis. *Mart.* 8, 30. de Scaevola: attonito regnet in igne manus. ℙ Cum genitivo Graecorum more. *Sil.* 6, 231. omnis anhelat Attonitus serpentis equus. ℙ Interdum accipitur pro furenti, turbato, incitato. *Petr. Sat.* 82. Attonito vultu efferatoque nil aliud, quam caedem et sanguinem cogito. [**Lucan.* 8, 591. attonitaque metu; al. *attonitos*. Illud dedit *Cort.*, quem V.] *Albinov.* ad *Liv.* 1, 317. Quo raperis laniata comas, similisque furenti Quo ruis? attonita quid petis ora manu? ℙ *Attoniti* etiam sunt, qui numine afflati dicuntur, quales sunt vates, Bacchae et hujusmodi. *Virg. A.* 7, 580. Attonitae Baccho matres. *Stat. Silv.* 5, 1, 116. primi cui jus venerabile thyrsi Bacchus, et attonitae tribuit vexilla catervae. *Hor. Od.* 3, 19, 13. Qui Musas amat impares, Ternos ter cyathos attonitus petet Vates. ℙ Tribuitur aliquando rebus inanimis poetice, et per translationem. *Virg. A.* 6, 53. Attonitae magna ora domus, *h. e.* stupendae et attonitos facientis. Loquitur de antro, ubi Sibylla responsa dabat. *Val. Fl.* 1, 45. attonitae mactat solemnia mensae, *h. e.* convivis ob id attonitis. *Plin.* 29, 1, 8. Contra attonitas quorundam persuasiones, qui prodesse, nisi pretiosa, non putant, *h. e.* persuasiones eorum, qui res pretiosas, velut attoniti admirantes, eas solum prodesse putant. [**Sil.* 4, 7. terrificis quatit attonitas rumoribus arces, et *Drak.* ad h. l.]

ATTŌNO et Adtono, as, ui, onĭtum, a. 1. stupidum, attonitum reddo, ἀποπλήττω, ἐκπλήττω. *Ov. Her.* 4, 49. Aut quas semideae Dryades Faunique bicornes Numine contactas attonuere suo. *Id. Met.* 3, 531. Quis furor, anguigenae, proles Mavortia, vestras Attonuit mentes? ℙ Proprie est tonitru quatere, aut afflare. *Maecenas* ap. *Sen. ep.* 19. Ipsa altitudo attonat summa, *h. e.* ut ipsemet *Seneca* exponit, attonita habet summa. Allegorice autem illud dicit, magnam fortunam magnis casibus expositam esse, et in magno metu versari.

ATTONSUS et Adtonsus, a, um, part. ab *attondeo*, tonsus, κουριζόμενος. *Cels.* 4, 3. Caput attonsum habere. *Pl. Bacch.* 5, 2, 7. Attonsae hae quidem ambae usque sunt oves. *Plaut.* hic jocatur in ambiguo: alludit enim ad notionem circumveniendi aliquem, et ab eo aliquid per fraudem auferendi. V. ATTONDEO. *Lucan.* 6, 84. Arva attonsa, *h. e.* herbis nudata. *Auson. Mosell.* 203. Attonsa prata. ℙ Translate. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 5, 17. Consiliis nostris laus est attonsa Laconum, *h. e.* imminuta, aut accisa. Ἡμερώσας βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν.

*ATTORQUEO. V. ADTORQUEO.

ATTORRĒO, es, a. 2. idem quod torreo, asso. *Apic.* 4, 2. Attorrere nuces. *Id.* 7, 5. Attorrere aliquid in clibano.

ATTRACTĬO, onis, f. contractio, συστολή. *Pallad.* 5, 4. Recenter lecta poma si guttis vini veteris perfundas, efficitur, ne ea rugarum deformet attractio. ℙ Translate. *Quint.* 1, 4. Adjiciebant (*grammatici quidam*) et asseverationem, ut *heu*, et attractionem, ut *fasceatim*: quae mihi non approbantur. *Attractionem* intelligebant vocem, qua multa simul contracta et congregata significarentur. Nam *fasceatim* significat per multos fasces, ut est apud *Charis.* 2. p. 166., vel, ut alii putant, per multas fascias; legunt enim *fasciatim*. Sic *vicatim* per vicos, *ostiatim* per ostia etc. Al. leg. *attrectationem:* [quia his adverbiis utimur, cum singulas res aut manu aut mente quasi apprehendimus et contrectamus. *F.* *Hoc recepit *Spalding. Forc.* habebat: „quae vox valde obscurat sententiam.“]

ATTRACTŌRĬUS, a, um, adj. attrahendi vim habens. *Aem. Macer* 4, 19. de Sulphure: Virtus est ejus, ut dicunt, extenuatrix, Et diaphoretica, simul attractoria, calda.

ATTRACTUS, a, um, part. ab *attraho*, adductus, pertractus. *Cels.* 7, 29. Uncus fronti injicitur, deinde attractus infantem educit. *Virg. G.* 3, 505. attractus ab alto spiritus gemitu gravis. *Senec. Ira* 3, 38. *in f.* Catoni cum in frontem mediam, quantum poterat attracta pingui saliva, inspuisset Lentulus. *Appul. Met.* 9. Complicitis pedibus in superius coenaculum attractus. ℙ Item contractus, corrugatus. *Senec. Ben.* 4, 31. Cum Pollionis attractiorem vidisset frontem. [**Catull.* 15, 17. quem attractis pedibus — percurrent raphani, i. e. sursum tractis, colligatis. Sed lectio valde incerta.]

ATTRACTUS, us, m. actus attrahendi. *Sammon.* 50, 931. cimex Horridus attractu, sed gustu commodus apto. Alii rectius leg. *attactu* cum *Humelbergio*. *Dictys* 5, 11. Ima rotis suspenderat, scilicet quo attractu motus facilius foret.

ATTRĂHO et Adtraho, is, axi, actum, a. 3. ἐπισύρω, ἑφέλκω, ad me traho, adduco: ex *ad* et *traho*. *Cic. Fam.* 7, 10. Nihil nobis duobus est stultius; me, qui te non Romam attraham, te, qui non huc advoles. *Id. Verr.* 2, 3, 25. Adducitur a Veneriis, atque adeo attrahitur Lollius. *Mart.* 6, 66. Attrahere aliquem manu prope se. *Liv.* 29, 9. *ad f.* Tribunos attrahi ad se jussit. *Cels.* 6, 8. Spiritu succum (*per nares*) attrahere. *Plin.* 11, 37, 72. Attrahere animam. *Id.* 36, 16, 25. Magnes attrahens ferrum. *Ov. Rem. am.* 397. Attrahere lora. Et *ib.* 435. arcus contentius. *Senec. Ben.* 6, 7. Vultus tuus colligit rugas et attrahit frontem. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 2, 1. Ea me ad hoc negotium provincia attraxit. *Brutus inter ep. Cic. ad Brut.* 1, 17. Arcessere et attrahere malum aliquod. *Cic. Amic.* 14. Similitudo allicit et attrahit ad amicitiam. *Ov. Fast.* 3, 830. Attrahere novos discipulos. [**Id. Met.* 4, 93. in partes attrahi, i. e. ad pugnam provocari. Comparat *Burm.* cum h. l. *Cic. Att.* 10, 1.] *Val. Max.* 7, 2. *n.* 8. *ext.* ad se benevolentiam alicujus largitione.

ATTRECTĀTĬO, onis, f. ψαῦσις, ψηλάφησις, actus attrectandi, contrectatio, palpatio. *Gell.* 11, 18. Furtum sine ulla quoque attrectatione fieri posse, sola mente atque animo, ut furtum fiat, annitente. *Pallad.* 4, 12. *de Bob. domand.* Cum teneri fuerint, frequenti manus attrectatione mansuescant. *Lampr. Elagab.* 12. Exoletorum attrectatione et tactu praecipue gaudebat. *Appul. de Deo Socrat.* Dii nulla attrectatione nostra contaminantur. Addunt quidam et locum *M. Senec. Controv.* 4, 25. *a med.*, ubi alii *tractationem* legunt, alii *tractionem*. De loco *Quint.*, quem alii adjiciunt, dictum est in ATTRACTIO.

ATTRECTĀTUS, a, um, part. v. *attrecto*, tactus, contrectatus. *Gell.* 11, 18. Res furti faciendi causa attrectatae. *Cic. Coel.* 8. Qui dicerent uxores suas a coena redeuntes attrectatas esse a Coelio.

ATTRECTĀTUS, us, m. attrectatio. *Pacuv.* ap. *Cic. Tusc.* 2, 21. Jam jam mittite. Nam attrectatu et quassu saevum amplificatis dolorem.

ATTRECTO et Adtrecto, as, avi, atum, a. 1. ψηλαφάω, ψάω, manibus tracto, tango, contrecto. *Cic. Har. resp.* 13. Contaminatis manibus attrectare libros. *Virg. A.* 2, 719. Attrectare sacra. [**Tac. A.* 1, 62. attrectare feralia.] *Sabinus JCtus* ap. *Gell.* 11, 18. Qui alienam rem attrectavit, furti tenetur, *h. e.* tetigit et surripuit. *Flor.* 3, 5. Causam belli praetenderat, attrectari terminos suos a Nicomede Bithynico, *h. e.* violari, invadi. *Pl. Rud.* 2, 4, 6. Sed quid ais, mea lepida, hilara? *Am.* aha, nimium familiariter me attrectas. *Cic. Coel.* 8. Attrectare uxorem alicujus, *h. e.* impudice tangere. [*ut *Suet. Ner.* 27. et *Dom.* 1. ubi eodem sensu contrectare.] ℙ Translate. [**Cic. Planc.* 12. facilis est illa occursatio et blanditia popularis; aspicitur, non attrectatur; procul appareat, non excutitur, non in manus sumitur, trop. pro *accurate considerare.*] *Tac. A.* 3, 52. Indecorum, attrectare aliquid quod non obtineretur, *h. e.* tentare, aggredi. *Nazar. Paneg. Constant.* 3. Attrectare virtutes alicujus, *h. e.* dicendo attingere. Adde *Pacat. Paneg. Theodos.* 47. ℙ In multis codicib. *Liv.* 5, 32. et *Virg. A.* 2, 719. teste *Pierio* legitur *attractare* et *adtractare*. ℙ [*Appul. de Mundo.* Indecore attrectans cominus cuncta. *F.*]

ATTRĒMO et Adtremo, is, ui, n. 3. idem quod tremo, ad alicujus vocem contremisco. *Stat. Th.* 8, 80. Dixerat: atque illi (*Plutoni*) jamdudum regia tristis Attremit oranti, suaque et quae desuper urget, Nutabat tellus. *Sidon. ep.* 6, 1. Cum censurae tuae attremat etiam turba collegii.

ATTRĒPIDO et Adtrepido, as, avi, atum, n. 1. idem quod trepido. *Pl. Poen.* 3, 1, 41. Attrepidate saltem: nam vos approperare haud postulo, *h. e.* senili et trepido gradu, ut potestis, festinate. [ATTRIBŪLĀTUS, a, um, part. ab inusit. *attribulo*, tribulo, tritus. *Aem. Macer* 4, 6. Folliculus bene tritus et attribulatus. *F.*]

ATTRIBŪO et Adtribuo, uis, ui, utum, a. 3. ἀποδίδωμι, ἀπονέττω, προσνέμω, idem quod tribuo, do, assigno, ascribo. *Caes. B. C.* 1, 14. Gladiatores libertati confirmat, eisque equos attribuit. *Cic. Att.* 12, 30. Pueros attribue ei, quot et quos videbitur. *Id. Rosc. Am.* 4. Timor quem mihi natura pudorque meus attribuit [*i. e. indidit.]. *Tac. A.* 2, 55. Attribuere alicui locum in militia. *Cic. Cat.* 2, 3. alicui provinciam. *Liv.* 1, 20. Pontificem ex patribus legere, eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuere, i. e. assignare. *Id.* 26, 49. Attribuere alicui curam alicujus rei. *Cic. Verr.* 2, 5, 41. alicui causam calamitatis. *Id. N. D.* 3, 37. bonos exitus Diis immortalibus. *Id. Fam.* 2, 17. sibi soli, quod est commune cum alio. *Id. Sen.* 1. Si eruditius videbitur disputare, attribuito Graecis litteris. *Id. Inv.* 1, 52. Attribuere alicui legi, loco, urbi orationem, i. e. loquentem inducere. *Id. Font.* 6. alicui auctoritatem. [**Sall. Jug.* 90. alicui pecus agendum.] ℙ *Attribuere aliquid ad rem* idem est q. addere, adjicere. *Cic. Tusc.* 3, 30. Nunc illud satis est, non attribuere ad amissionem amicorum miseriam nostram, ne illos plus quam ipsi velint, si sentiant, plus certe, quam nosmetipsos, diligamus. *Cicero* hoc in loco hortatur homines, ne amicorum morte plus aequo contristentur. ℙ *Attribuere pecuniam*, est alicui ex aerario in reipublicae usus insumendam dare. *Cic. Phil.* 9, 7. Consules statuam faciendam: quantique locaverint, tantam pecuniam redemptori solvendam attribuendamque curent. *Id. Phil.* 14, 14. Monumentum quam amplissimum faciundum curent: quaestores ad eam rem pecuniam dare, attribuere, solvere jubeant. Adde *Liv.* 40, 46. *in f.* [*et c. 51. pecunia attributa, i. e. destinata.] V. ATTRIBUTUS. Singularis est loquendi ratio in *vet. Tab. aen.* ap. *Murat.* 582. *a med.* Qui eam viam tuendam redemerit, tantae pecuniae eum eosve attribuito sine dolo malo. Si is, qui attributus erit, eam pecuniam . . . . . ei, cui attributus est, non solverit, etc. ℙ Transfertur etiam a rebus publicis ad privatas: et significat dare alicui pecuniam alteri solvendam. *Cic. Att.* 13, 2. Faberius si venerit, videbis, ut tantum tribuatur, si modo attribuetur, quantum debetur. ℙ *Attribui* etiam dicuntur populi et urbes, quae alicui oppido adjunguntur, ut ejus foro et jurisdictioni pareant, eo tributa conferant, etc. V. ATTRIBUTUS.

ATTRIBŪTĬO, onis, f. ἐπινέμησις, actus attribuendi, assignatio, datio. Speciatim adhibetur in re pecuniaria, et significat assignationem pecuniae, quae fit alicui, ut alteri inde solvatur. *Cic. Fam.* 16, 24. De attributione conficies: de repraesentatione videbis. *Id. Att.* 15, 13. Scripsit ad me, sese de attributione omnia summa fecisse. *Id. ib.* 16, 1. Ait enim, attributionem in idus (*supple* esse dilatam), se autem urgeri acriter. Adde *ib.* 3. ℙ Generatim pro cujuslibet rei assignatione. *Appul. de Mundo.* Graeci Fatum μοῖραν vocant, quod ex partibus constet. Hinc νέμεσιν, quod unicuique attributio sua sit adscripta, *h. e.* suae sortis cuilibet facta sit assignatio. ℙ Est etiam id. q. adjunctum, circumstantia, et quidquid rem aliquam vel antecedit, vel comitatur, vel consequitur, [*vulgo *praedicatum.*] *Cic. Inv.* 1, 26. Ex his etiam attributionibus, sacer an profanus, publicus an privatus, alienus an ipsius, de quo agitur, locus sit, an fuerit. V. *integrum loc.* [*Haec prima est significatio.]

ATTRIBŪTUM, i, n. *Varr. L. L.* 4, 36. docet attributum dictum esse aes, quod erat assignatum tribunis aerariis, ut militi in stipendium daretur. V. v. seq.

ATTRIBŪTUS et Adtributus, a, um, part. ab *attribuo*, datus, assignatus. *Caes. B. G.* 7, 81. Suus cuique erat locus attributus. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 11. Insulae, quae erant ab Sulla Rhodiis attributae. *Plin.* 2, 8, 6. Sidera singulis attributa nobis. ℙ *Attributi* dicuntur populi aut urbes, quae proprium forum non habent, sed alteri urbi adjunctae sunt, ut inde jura petant, eoque accedant ad tributa solvenda, et alia subeunda munia publice imposita. *Plin.* 3, 20, 24. Camuni compluresque similes finitimis attributi municipiis. Et *ib.* Non sunt adjectae Cottianae civitates: item attributae municipiis lege Pompeja. Adde *Liv.* 1, 43. ℙ *Attributa alicui rei* sunt, quae ad ejus rei naturam vel circumstantias aliquo modo pertinent et *adjuncta* etiam appellantur. *Cic. Inv.* 1, 24. Omnes res argumentando confirmantur, aut ex eo, quod personis, aut ex eo, quod negotiis est attributum. Ac personis has res attributas putamus, nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, studia, consilia, facta, casus, oratio-

nes. Et *ib.* 26. Negotiis autem, quae sunt attributa, partim sunt continentia cum ipso negotio, etc. Huc pertinet illud *Gell.* 4, 1. *in f.* Massurius Sabinus etiam quod jumentorum causa apparatum esset, quibus dominis uteretur, penori attributum dicit, *h. e.* ad penus pertinere, penoris nomine contineri. ℙ *Attributa pecunia* dicta est, quae publice alicui numerabatur in usus publicos insumenda: verbi gratia, quae a quaestoribus assignabatur praesidibus in provincias euntibus, ut ex ea viatici impensas solverent, stipendium darent militibus, aliisque provinciae usibus inservirent: item ea, quae dabatur redemptoribus, quibus opus aliquod publicum faciendum locabatur, etc. *Cic. Pis.* 35. Nonne sestertium centies et octogies, quod quasi vasarii nomine, in venditione mei capitis adscripseras, ex aerario tibi attributum, Romae in quaestu reliquisti? *Id. Verr.* 2, 1, 13. Quaestor ex senatusconsulto provinciam sortitus est: pecunia attributa, numerata est: profectus est quaestor in provinciam: venit in Galliam exspectatus ad exercitum consularem cum pecunia. Adde *Ascon. ib.*, *Liv.* 40, 51. et *Varr. L. L.* 4, 36. ℙ Transfertur etiam ad res privatas. *Cic. Att.* 13, 22. Attributos quod appellas, valde probo, *h. e.* quod exigis a debitoribus meis, quos ego tibi assignavi, ut pecuniam mihi debitam tibi solverent, bene facis. Quidam vet. cod. habent *ad tribunos quod appellas:* quae lectio non videtur hic locum habere.

ATTRĪTĬO, onis, f. actus atterendi seu conterendi, ἐπίτριψις, παράτριψις. *Lamprid. Elagab.* 19. Rosatum ab aliis acceptum, pinearum etiam attritione odoratius reddidit. ℙ Alio sensu *Capell.* 3. p. 50. Lima scabros dentes levi sensim attritione purgare, *h. e.* fricatione.

ATTRĪTUS, a, um, part. v. *attero*, ἀνάτριπτος, περιτριβής, attenuatus, usu deterior factus, consumptus, imminutus, ut fit in iis, quae assidua tractatione paulatim minuuntur et consumuntur. *Virg. Ecl.* 6, 17. Et gravis attrita pendebat cantharus ansa. *Id. G.* 1, 46. sulco attritus vomer. *Plin.* 33, 12, 55. Usque adeo attritae caelaturae, ne figura discerni possit. *Mart.* 14, 125. Attrita veniet sportula saepe toga. Ita *editt.* omnes, sed legendum omnino *A trita. Cic. Verr.* 2, 4, 43. Mentum simulacri paulo attritius, quod in precibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent. *Petr. Sat.* 109. Areaque attritis ridet adusta pilis, *h. e.* caput nitet capillis absumptis et amissis. ℙ Est etiam calcatus, protritus. *Ov. Her.* 18, 133. Jam patet attritus solitarum limes aquarum, Non aliter multa quam via pressa rota. *Catull.* 6, 10. Pulvinus attritus. ℙ Item contritus, minutus. *Ov. Met.* 2, 456. attritas versabat rivus arenas. ℙ Item confricatus, detritus. *Plin.* 2, 107, 111. Attrita inter se ligna. *Juven.* 6, 108. Attritus galea. *Id.* 8, 16. pumice lumbum. *Prop.* 4, 5, 50. Attrita manus. *Mart.* 10, 72. Attrita labella. *Petr. Sat.* 126. Facies medicamine attrita. ℙ Medici *attrita membra* appellant, quae ex fricatione et pressione eroduntur, fractaque cute vulnerantur. *Plin.* 24, 7, 28. Mastiche lentisci medetur et attritis partibus. *Id.* 30, 8, 22. Attritis medetur cinis muris silvatici cum melle. *Id.* 20, 5, 20. Caepae attritae sanant. ℙ Translate *attritus* ponitur pro imminuto, debilitato, fracto. *Petr. Sat.* 133. Attritis rebus egenus. *Suet. Galb.* 3. Attritae facultates. *Petr. Sat.* 116. Attritae bellis frequentibus opes. *Plin.* 6, 29, 35. Attrita bellis Aethiopia. [*Observat *Burm.*, quem laudat *Drak.* ad *Sil.* 2, 392. *attritus* hoc sensu semper de lento bello, non de subito impetu dici.] *Sil.* 6, 301. Africa attrita opes. *Tac. H.* 2, 56. Attritae Italiae res. *Flor.* 3, 5. Attritae vires validissimi regni. *Quint.* 10, 1. Velut attrita quotidiano actu forensi ingenia, optime talium rerum blanditia reparantur. *Auct. Dial. de Or.* 8. Orator exsanguis et attritus. *Sil.* 12, 83. Sic ductor fessas luxu attritasque secundis Erigere, et verbis tentabat sistere mentes, *h. e.* animos abjectos et imminutae virtutis. ℙ Obscenum sensum habet apud *Petr. Sat.* 81. *sub f.* V. TRITUS. ℙ *Attrita frons* est perfricta, invereconda. *Juven.* 13, 242. quando recepit Ejectum semel attrita de fronte pudorem? ℙ *Atteritus* pro *attritus* a praeterito *atterui* pro *attrivi* legitur in quibusdam codicib. MSS. apud *Tac. H.* 1, 10. Mox atteritis opibus. Al. passim. hab. *attritis.* ℙ Scribitur et *Adtritus.* ℙ Comp. *Attritior.* V. supra. ℙ [*Commutantur a librariis *accitus*, *accisus* et *attritus.* V. *Drak.* ad *Sil.* 2, 392.]

ATTRĪTUS, us, m. ἐπίτριψις, παράτριψις, actus atterendi. *Plin.* 8, 52, 78. Sues indurantes attritu arborum costas. *Id.* 9, 45, 68. Pisces attritu petrae scalpentes pruritum. *Id.* 16, 40, 77. Teritur lignum ligno, ignemque concipit attritu. *Id.* 37, 3, 2. Succino pineus in attritu odor. ℙ Est etiam contritio, in minutas particulas fractio. *Id.* 11, 37, 61. Attritu subigere cibum. ℙ Dicitur etiam *attritus*, cum pars aliqua corporis, erosa cute ex pressione aut affrictione, vulneratur. *Plin.* 33, 6, 35. Ulcera ex attritu facta. *Id.* 28, 16, 62. Urina asini attritus calceamentorum sanat. *Id.* 26, 8, 58. Sedis vitia et attritus celerrime sanat plantago.

*ATTUARĪI, orum, Germaniae populi, inter Rhenum flumen et Albim. *Vell.* 2, 105. *Ammian.* 20, 10. al. 25. ℙ Forsan Chattuarii vel Chasuari, de quibus *Tac. G.* 34. *B. A.*

*ATTŪBI, orum, Hispaniae Baeticae oppidum, Charitas Julia cognominatum, hodie *Espejo. Plin.* 3, 1. *B. A.*

ATTŪBUS. V. in ATYPUS.

ATTŪLO, is, a. 3. idem quod *affero:* antiquum et obsoletum verbum, cujus tantummodo praeteritum *attuli* in usu nunc est. *Novius* ap. *Diomed.* 1. p. 376. Dotem ad nos nullam attulat. *Pacuv. ib.* p. 378. Custodite hunc vos, ne quis vim attulat neve attigat. Plerique alii leg. cum *Non.* 4, 35. ne eum quis attollat.

[ATTŪSĀ, ae, f. prosiliens, ab ἄττω, prosilio. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1547, 4. Macrio Cornelius Attusae. *F.*]

ATTYS. V. ATYS.

ATUR. V. ATURRUS.

*ATURAE vel Aturres, oppidi nomen ad Aturrum flumen, hodie *Aire* in Gasconia. *Sidon. ep.* 1, 2. *Civitas Aturensium* audit *Notit. Gall. B. A.*

ĀTURRUS, i, m. nunc *l'Adour*, vel *Dour*, fluvius Aquitaniae e Pyrenaeis montibus nascens, Tarbellam et alias insuper Aquitaniae urbes alluens, et in Oceanum Aquitanicum influens. *Auson. Parental.* 4, 11. in terris, per quas erumpit Aturrus. *Id. Mos.* 468. Tarbellicus ibit Aturrus. ℙ Graece dicitur Ἀτούριος a *Ptolemaeo.* At a *Lucano* Latine *Atyrus* seu *Ātūrus* 1, 420. Qui tenet et ripas Aturi, etc. Apud *Vibium Sequest.* est *Atyr.* Apud *Tibull.* 1, 8, (al. 7.) 4. est *Atur:* quamquam alii aliter legendum putant.

ĀTYPUS, a, um, adj. ἄτυπος, qui liguae vitio laborat, ita ut sonos verborum indistinctos confusosque exprimat, propterea quod debilitate ac torpore quodam lingua non bene feriat palatum, ut articulate proferat, vel quia ejus verba non distincte et expresse aerem feriant, ut intelligi clare, et unum ab altero seorsum exaudiri possint. Graeca vox ab α privativa, et τύπτω, ferio, pulso. *Coel. Sabin.* ap. *Gell.* 4, 2. Balbus autem et atypus vitiosi magis quam morbosi sunt. *Ulp. Dig.* 21, 1, 10. Quaesitum est an balbus, et blaesus, et atypus, isque qui tardius loquitur, et varus et vatius sanus sit? et opinor eos sanos esse. ℙ Pro *atypus* scribitur *attubus* conversa Graeca *υ* in *u* Latinum, et geminata consonante, ac *p* in *b* (quae sunt valde affines litterae) mutato. Hinc *vet. Gloss.* Attubus, μογιλάλος. *Auson. ep.* 22, 9. Canus, comosus, hispidus, trux, attubus. *Artubus* olim in plerisque libris legebatur: sed emendavit *Scal. in Lectt. Auson.* 2, 9. ℙ Etiam in locis allatis *Gellii* et *Dig.* aliter atque aliter habetur in quibusdam codicib. Nam et *atraphus*, et *atrophus*, et *aphthicus*, et *alphicus* etc. legitur, vel ex librariorum errore, vel ex quorundam conjectura. Verum *atypus*, et verior est, et in meliorib. lib. constantior.

ĀTYRUS. V. ATURRUS.

ĀTYS et Attys, yos, et Attis, idis, et Attin, inis, m. Ἄττυς, Ἄττυος, Ἄττιος, Ἄττιν, ἴνος (tot enim modis scriptum legitur) puer Phrygius ex Celaenis urbe, eximiae pulcritudinis, quem *Arnob.* 5. p. 158. scribit filium fuisse cujusdam Nanae nymphae, filiae Sangarii vel regis vel fluminis: quae hunc concepit ex malo Punico, quod decerptum in sinum suum reposuerat. V. ibi reliqua. Hunc Cybele Deum mater adamavit, suisque sacris praefecit, ea tamen conditione, ut castum se et ab omni venere integrum servaret. Sed cum is postea in Sangaritide nympha peccasset, ab irata Cybele in furorem actus, genitalia sibi amputavit; cumque prae dolore manus etiam sibi afferre, vitamque finire pararet, miserata Dea eum in pinum vertit: quam arborem sibi sacram esse postea voluit: Atyos vero memoriam in suis sacris celebrari, et sacerdotes suos eviratos esse jussit. *Ov. Fast.* 4, 223. et seqq. *Serv. ad A.* 9, 116. narrat, Atyn cum sacris Cybeles praeesset, adamatum fuisse a rege civitatis suae, a quo cum vim timeret, et in silvam profugisset, ab illo sub quadam pinu, ubi fessus jacebat, invasum, summa vi restitisse, et genitalia ei abscidisse, sed eadem poena ab ipso mulcatum mortem obiisse. Aliter etiam rem totam persequitur *Arnob. l. c.* Docet vero *Macr. Sat.* 1, 21. quemadmodum Phryges terram omnium parentem Cybeles nomine coluerunt, ita nomine Atyos significasse solem (ut Assyrii et Phoenices nominibus Veneris et Adonidis). Nam solis et terrae beneficio cuncta gignuntur. Itaque ejus simulacrum effinxisse cum fistula et virga: fistula significante ventos, qui propriam sumunt de sole substantiam; virga vero potentiam solis in cuncta et gubernationem rerum universarum. V. ibi plura. *Augustin. Civ. Dei* 7, 25. scribit, Porphyrium philosophum docuisse, Atyn flores significare: et ideo abscissum, quia flos decidit ante fructum: sed hoc de Atyos virilibus dici posse; de ipso Aty apte dici non posse. Atyos meminit etiam *Lactant.* 1, 17. *Catullus* vero integrum condidit carmen, ubi quaedam ab iis, quae dicta sunt, aliquantum discrepantia ponit, ipsumque Atyn, postquam sibi virilia absciderat, velut feminam factum, feminino genere aliquoties effert, ut *v.* 31. Furibunda simul, anhelans, vaga vadit animo egens, Comitata tympano Atys per opaca nemora dux. *Ov. Met.* 10, 103. Et succincta comas, hirsutaque vertice pinus Grata Deum matri: siquidem Cybeleicus Atys Exsuit hac hominem, truncoque induruit illo. *Catull. l. c.* 88. Tenerumque vidit Atyn prope marmora pelagi. *Inscr.* ap. *Grut.* 655, 3. Qui colitis Cybelen et qui Phryga plangitis Attin. In alia *ib.* 29, 6. scriptum est *Atthin* cum aspiratione. Alia *ib.* 308, 7. C. Camerius Crescens archigallus Matris Deum Magnae Idaeae et Attis Populi R. vivus sibi fecit, etc. (*Attis* est genitivus pro *Attyos* vel *Attidis* non facile usurpandus.) Alia *ib.* 28, 2. Dis magnis, Matri Deum et Attidi Sextilius Agesilaus, etc. Alia apud *Reines.* 1. *n.* 281. Dianae Sospitae L. Septimius L. F. Trom. Felix Victor Sacerd. Matr. D. M. I. et Attini P. R. sua pecunia ded. *Macr. l. c.* Eadem ratio quae circa Adonem et Attinem vertitur, etc. *Pers.* 1, 93. Berecynthius Attin, Et qui caeruleum dirimebat Nerea delphin. *Attis* quidam hic leg., sed reprehenduntur a *Scalig.*, *Casaubon.* et aliis. Ita enim postulat rhythmus *Attin*, *delphin*, quem rhythmum *Persius* ibi praestringit. ℙ Alius fuit *Atys* filius Herculis et Omphales, qui Lydum et Tyrrhenum genuit. *Tac. A.* 4, 55. Tyrrhenum Lydumque Attye rege genitos, etc. ℙ *Athis* fuit natione Indus, filius Limniaces, seu Limnates filiae Gangis fluvii, unus ex sociis Phinei in pugna contra Perseum et ab isto occisus. *Ov. Met.* 5, 47. ℙ Alius item fuit *Atys*, a quo gens Atia Latina originem traxit, ut docet *Virg. A.* 5, 568. ℙ Item filius Albae Albanorum regis, et ipse rex, Capis pater. *Liv.* 1, 3. ubi et *Atis* scribitur. ℙ Illud hic denique admonendum videtur, etiam *Attes*, *ae*, a quibusdam declinari, propterea quod a Graecis etiam Ἄττης usurpatum est: sed hujus positionis nos exemplum Latini scriptoris nondum vidimus.

AU

AU, interjectio variis animi affectibus exprimendis idonea: ut consternati animi. *Ter. Andr.* 4, 4, 12. Dicturan' es quod rogo? *My.* au. *Id. Eun.* 5, 2, 60. Au, tace, obsecro. Adde *ib.* 4, 4, 13. Ita autem ubique exponit *Donatus*, et a Graecis ἰοὺ dici eodem sensu docet. ℙ Item abominantis vel avertentis. *Id. Ph.* 5, 1, 27. Quid? duasne is uxores habet? *So.* au, obsecro, vide, ne in cognatam pecces. ℙ Item admonentis cum indignatione et increpatione. *Pl. Mil.* 2, 2, 62. Vigila: tibi ego dico: au! feriatus ne sis. Al. aliter leg. [*V. intpp.] ℙ Item appellantis et excitantis. *Afran.* ap. *Charis.* 2. p. 214. Au, mi homo, immo edepol vos, supremum meum concelebretis diem. ℙ Quod addunt quidam ex *Pl. Men.* 2, 2, 3. Au tergo meo; leg. al. plerique *vae tergo meo.* ℙ Scribitur etiam *hau* et *ahu.* ℙ *Prisc. l.* 15. *sub f.* enumerat hanc interjectionem inter eas, quas ipse vocat sonituum illiteratorum imitationes, ut sunt *haha*, *heu*, *ohe*, et similia. ℙ Est etiam praepositio, quae in duobus solum verbis componendis locum habet, *aufero* et *aufugio;* estque ibi posita pro *ab.* Nam *abfugio*, *abfero* turpe visum est veteribus, ut *Cic.* docet *Or.* 47., qua de re etiam *Gell.* verba facit 15, 3.

*AVANTICI, orum, populi Alpini, in Gallia Narbonensi. *Plin.* 3, 4. *B. A.*

AVAR. V. AVARES.

AVĀRĒ, adv. avide, tenaciter, sordide, φιλοχρημάτως. *Cic. Off.* 3, 8. *in f.* Nihil avare, nihil injuste esse faciendum. *Ter. Heaut. prol.* 48. Si nunquam avare pretium statui arti meae. *Nep. Lys.* 4. Multa crudeliter avareque facere. *Curt.* 4, 7. Avare et superbe imperitare alicui. *Colum.* 1, 7. Avarius exigere a colonis opus, quam pensiones. *Senec. Ot. Sap.* 32. Horas suas avarissime servare.

AVĀRES, rum, m. plur. populi Scythiae, Romano imperio maxime infesti, circa tempora Justiniani imperatoris. *Coripp. Laud. Justin.* 3, 234. Legatos Avarum jussos intrare magister. ℙ In singulari num. est *Avar*, *aris. Id. ib.* 271. Crudus et asper Avar dictis sic coepit acerbis.

AVARĪCENSIS, se, adj. ad Avaricum pertinens. Est autem Avaricum urbs Galliae in finibus Biturigum, nunc *Bourges.* [*Nomen traxit ab Avara flumine, quod hodie *Eere* audit. *B. A.*] *Caes. B. G.* 7, 47. Avaricensia praemia.

AVĀRĪTER, adv. avare, avide. *Claud. Quadrigar.* ap. *Non.* 11, 11. Crudeliter illi, nos misericorditer; avariter illi, nos largiter. *Pl. Rud.* 4, 7, 12. Avariter poscere escam. *Id. Curc.* 1, 2, 35. Ingurgitare in se merum avariter. Adde *Caton.* ap. *Non. l. c.*

AVĀRĪTIA, ae, f. φιλαργυρία, φιλοχρηματία, cupiditas habendi, aviditas. *Cic. Tusc.* 4, 11. Est autem avaritia opinatio vehemens de pecunia, quasi petenda sit, inhaerens et penitus insita. *Auct. ad Her.* 4, 25. Avaritia est injuriosa appetitio alienorum. *Cic. Or.* 2, 40. Avaritiam si tollere vultis, mater ejus est tollenda luxuries. *Sen. Const. Sap.*

12. Pueris talorum nucumque avaritia est: viris auri argentique et urbium. *Cic. Fin.* 3, 11. Quis unquam fuit avaritia tam ardenti, ut, etc.? *Id. Dom.* 23. Omnium fortunas spe et avaritia devorare. *Id. Verr.* 2, 2, 54. Avaritia hiante atque imminenti esse. *Id. Rosc. Am.* 31. Homo ardens avaritia. *Sall. Jug.* 82. Caecus avaritia. Et *ib.* 83. Avaritia profunda. ℙ In plural. num. *Cic. Fin.* 2, 2, 27. Nec enim omnes avaritias, si aeque avaritias esse dixerimus, sequitur etiam, ut aequas esse dicamus. ℙ Translate *Curt.* 9, 2. Avaritia gloriae.

AVĀRITIES, ei, f. idem atque avaritia. *Lucr.* 3, 59. Denique avarities et honorum caeca cupido, Quae miseros homines cogunt transcendere fines Juris.

AVĀRUS, a, um, adj. *φιλάργυρος, φιλοχρήματος*, avidus pecuniae, alieni appetens, tenax, sordidus: ita dictus quasi avidus aeris, ut docet *Nigid.* ap. *Gell.* 10, 5., vel simpliciter ab *aveo*, ut ipse *Gell.* malle videtur. *Cic. Or.* 2, 66. Homo avarus et furax. *Id. Verr.* 2, 3, 82. Avariores magistratus. *Id. ib.* 2, 1, 37. Homo avarissime et spurcissime. *Ov. Met.* 13, 434. Animus avarus. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Virg. A.* 3, 44. Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum, *h. e.* ubi habitant avari homines. *Hor. Od.* 4, 9, 37. Avara fraus. Et *ib.* 11, 25. Avarae spes. *Mart.* 5, 29. nec avarae verna catastae, *h. e.* in qua servi venales magno pretio emuntur. *Id.* 3, 58. Nec avara servat crastinas dapes mensa. *Hor. Ep.* 2, 2, 157. Viveret in terris te si quis avarior uno. ℙ Transfertur a pecunia ad res alias. *Hor. A. P.* 323. Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo Musa loqui, praeter laudem nullius avaris, *h. e.* cupidis. *Id. Ep.* 1, 15, 32. Quidquid quaesierat, ventri donabat avaro. *Claud. B. Get.* 606. miles caedis avarus. *Ov. Trist.* 4, 10, 52. nec avara Tibullo Tempus amicitiae fata dedere meae. *Mart.* 5, 38. Avara lex fatorum. *Prop.* 2, 21, 56. Ignis avarus. *Hor. Od.* 3, 29, 61. Avarum mare. *Virg. G.* 2, 492. Avarus Acheron. ℙ *Avarum mulierum* pro *avararum* est apud *Pl. Truc.* 2, 8, 9., ubi tamen est qui aliter legit. ℙ *Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet, γνώμη* apud *Hieron. ad Paulin.* 153. *in f.*

*AVATĪCI, orum, populi Galliae Narbonensis. *Mela* 1, 2. 5. *med. Plin.* 3, 4. *B. A.*

AUCELLA et Aucilla, lae, f. avicella, hoc est parva avis; legitur a quibusdam apud *Apic.* 4, 5., 5, 3. et 8, 7., ubi alii reponunt *avicella:* quos reprehendit inter alios *Elmenh.*, qui apud *Appul.* quoque *Met.* 9. p. 232. *aucillam* defendit ex quibusdam MSS. et ex auctoritate Papiae et Vet. Glossae. [Etiam *Oud.* p. 656. edidit *aucilla. F.*] *Pricaeus* tamen male edidit *ancilla* p. 200., quem et alii sequuntur. Utut se res habet, neque *aucella* aut *aucilla*, neque *avicella* voces sunt, quas adamare Latinus scriptor debeat et propter eas vadimonium deserere. Certe *Varr. L. L.* 7, 40. negat *avicellam* in consuetudine Latina esse.

[AUCĒO, es, a. attente observo, id. q. aucupo. *Capell.* 2. p. 46. Zeno aucebat feminam providentem. *F.*]

AUCEPS, aucŭpis, m. et f. *ὀρνιθευτής, ὀρνιθοθήρας*, avium venator: quasi *aviceps* ab avibus capiendis. *Pl. Trin.* 2, 4, 7. Olitores, myropolae, aucupes. *Ov. A. Am.* 3, 669. Non avis aucupibus monstrat, qua parte petatur. *Varr.* ap. *Non.* 1, 97. Cohortes cocorum atque aucupum. ℙ Item qui aves vendebat Romae in vico Tusco prope forum. *Hor. Sat.* 2, 3, 227. pomarius, auceps, Unguentarius, ac Tusci turba impia vici. ℙ Translate dicitur de eo, qui nimis diligenter aliquid quaerit et captat. *Cic. Or.* 1, 55. Legulejus quidam acutus, praeco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum. *Id. fr.* ap. *Augustin. c. Acad.* 3, 7. Peritissimus auceps voluptatum. *Pl. Mil.* 4, 1, 9. Circumspicito dum, ne quis nostro huic auceps sermoni siet. *Vel. Long. Orthogr.* p. 2235. mallet *aucipis* dici in genit. quam *aucupis:* sed consuetudo contra obtinuit.

AUCĒTA, saepe aucta. *Paul.* ex *Festo. Voss. Etymol.* in *Augeo* conjicit legendum esse *auctata.*

AUCHĀTAE. V. v. seq.

AUCHĒTAE, arum, m. plur. populi Scythiae, in quorum regione Hypanis fluvius oritur: ibi nunc dicitur esse *Ukrania* provincia regni Poloniae. Horum meminit *Plin.* 4, 12, 26. ℙ Iidem etiam *Auchatae* appellantur, *Αὐχάται Herod. l.* 4. Hinc in singulari numero *Val. Fl.* 6, 132. Doctus et Auchates patulo vaga vincula gyro Spargere, etc.

AUCILLA. V. AUCELLA.

AUCTĀRIUM, ii, n. *ἐπίμετρον*, quod supra mensuram aut pondus justum adjicitur, ut *Festus* exponit. *Pl. Merc.* 2, 4, 22. Tanti quanti poscit, vin' tanti illam emi? *Ch.* auctarium adjicito, vel mille nummum plus quam poscet.

AUCTĒ, adv. multum, valde. De positivo nondum exempla vidimus. De comparativo *Appul. Met.* 4. p. 153, 23. Puella auctius ejulans sese, et assiduis singultibus ilia quatiens. Ita *Elmenh.* At *Pricaeus* p. 80. [*et *Oud.* p. 290.] cum aliis recte *altius.* Addunt quidam locum *Hor. Sat.* 2, 6, 3. *auctius atque Dii melius fecere:* sed hoc loco est adjectivum.

AUCTĬFER, a, um, adj. producens, ferax: ab *auctus* et *fero*, *auctus* autem est ab *augeo* pro *gigno. Cic.* ex Graeco *Homeri* apud *Augustin. Civ. Dei* 5, 8. Tales sunt hominum mentes, quali pater ipse Juppiter auctiferas lustravit lumine terras, *h. e.* mentes hominum tali lumine vigent et cognoscunt, quale Juppiter terris infudit, unde sunt orti. Versus hos ex *Odyss.* 18, 135. memorat *Aristot. Anim.* 3, 3., ubi agit de mentis humanae cognitione. Credibile est autem a *Cicer.* translatos fuisse in libros Academicos, qui desiderantur, cum philosophi hujus sententiam referret. Porro *auctiferas terras* dixit, ut responderet voci *ἐπιχθόνιος, terrestris*, quam *Homerus* eo tribuit hominibus.

AUCTĬFICO, as, a. 1. auctiorem facio, augeo, id. quod augifico, *αὐξάνω. Arnob.* 7. p. 224. *usurpat in re sacrificali pro mactare.* Cibis novis auctificatis Deos, nidoribusque cohonestatis et succis. Et *ib.* Viscera taurorum, quibus honor a vobis auctificatur Deorum. Et p. 233. Hoccine ergo superas honorat et auctificat dignitates? V. AUGEO.

AUCTIFĪCUS, a, um, adj. augens. *Lucr.* 2, 571. Nec porro rerum genitales, auctificique Motus perpetuo possunt servare creata, *h. e.* motus, quibus corpora alimentorum accessione augentur.

[AUCTĪNUS, i, m. ad auctum pertinens. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1242, 9. Auctinus Clementis sibi et suis. *F.*]

AUCTĬO, onis, f. *αὔξησις*, actus augendi, augmentum. *Macr. Sat.* 1, 14. Modo auctio, modo retractio dierum proveniebat. *Paul.* ex *Festo* in *Auxiliares. Αὔξησις*, quod nos dicimus rerum crescentium auctionem. ℙ In illo *Tac. Agr.* 19. Frumenti et tributorum auctionem aequalitate munerum mollire, circumcisis, quae in quaestum reperta, ipso tributo gravius tolerabantur: *auctio* videtur significare augmentum frumenti ex tributo praestandi. Alii intelligunt venditionem publicam. Alii mallent legere *exactionem*, quod praestat. [*Auctio frumenti et tributorum est i. q. auctum frumentum auctaque tributa, quod a Vespasiano factum esse constat. V. *Walch.*] ℙ Saepius sumitur pro publica venditione rerum privatarum, in qua proposito pretio addicitur res ei, qui id pretium plus ceteris auget. [*Ab augendo pretio in licitando dictam esse *auctionem* vulgaris est opinio. Aliam proposuit *Schütz.* in *cl. Cic.* p. 161. *n.* 17. *Auctorem* enim infra videbimus esse etiam i. q. venditorem, qui suum esse spondet, quod vendit. Atque ab ea significatione videtur *Schützio* v. *auctio* accepisse *venditionis* vim. Quod sane haud improbabile est.] Indicebatur autem per praeconem, ut plures ad licitandum convenirent. [*Fiebant autem auctiones Romae partim in compitis, partim in atriis auctionariis. V. *Schol.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 25. et *Hdf.*] *Pl. Men.* 5, 9, 94. Vis conclamari, auctionem fore? quo die? *M. Su.* die septimi. *Mes.* Auctio fiet Menaechmi mane sane septimi. Venibunt servi, supellex, fundi, aedes, omnia Venibunt, quiqui licebunt praesenti pecunia. Venibit uxor quoque etiam, si quis emptor venerit. *Cic. Quint.* 4. Auctionem Narbone se facturum esse proscribit. *Id. Att.* 13, 37. Proscribere auctionem. *Pl. Stich.* 1, 3, 42. praedicare. *Quint.* 6, 3. *ad f.* proponere. *Cic. Rosc. Am.* 8. *in f.* Bona alicujus, auctione constituta vendere. *Plin.* 29, 4, 30. Vendere aliquid in auctione. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 20. Vendere bona alicujus auctione. *Paul. Dig.* 41, 5, 2. Emere aliquid ex auctione. *Suet. Caes.* 50. Praedia ex auctionibus hastae addicere alicui. *Id. Cal.* 39. Sedere in auctione, *h. e.* in loco, ubi auctio fit. *Appul. Met.* 9. Auctio hereditaria.

AUCTĬONĀLIS. V. ACTIONALIS.

AUCTĬONĀRIUS, a, um, adj. ad auctionem pertinens. *Cic. Agr.* 1, 3. Ut in atriis auctionariis, potius quam in triviis, aut in compitis auctionentur, *h. e.* in atriis, in quibus auctiones fieri solent. *Id. Cat.* 2, 8. Proferre tabulas auctionarias, *h. e.* in quibus alicujus bona auctioni subjicienda perscribuntur. [*Cf. de h. l. *clav. Cic.*]

AUCTĬONOR, aris, atus sum, dep. 1. auctionem facio, auctione vendo, auctioni subjicio, *ἀποκηρύττω. Cic. Dejot.* 9. Quo tum erga te rex animo fuit? qui auctionatus sit, seque exspoliare maluerit, quam tibi pecuniam non subministrare. *Id. Agr.* 1, 3. Auctionari in compitis. *Id. ib.* 2, 20. Ponite ante oculos vobis Rullum in Ponto, hasta posita, auctionantem. *Caes. B. C.* 3, 20. Difficultas auctionandi. ℙ Cum accussativo *Ascon. in Verr.* 2, 1, 23. Sectores sunt, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, *h. e.* auctione emebant.

AUCTĬTO, as, a. 1. frequentat. ab *aucto* et ejusdem fere significationis. *Tac. A.* 6, 16. Fenore auctitare pecunias. ℙ In re sacrificali *Arnob.* 7. p. 220. Sacris numinum potentiam auctitare. V. AUCTIFICO.

[AUCTĬUNCŬLA, ae, f. parva auctio. *Not. Tir.* p. 94. Auctiuncula. In *Gloss. Isid.* Aunicula (leg. *auctiuncula*) auctio minor supra fundum. *F.*]

AUCTO, as, avi, atum, a. 1. *αὐξάνω*, frequentat. ab *augeo*, auctum reddo, auctito. *Lucr.* 1, 50. Unde omnes natura creet res, auctet, alatque. *Pl. Amph. prol.* 4. Res rationesque vestras bono atque amplo auctare lucro. *Catull.* 67, 2. teque bona Juppiter auctet ope.

AUCTOR, oris, m. nomen verbale ab *auctum* supino verbi *augeo:* quare rectissime per *ct* scribitur, non per *t* simplex aut *th*, de quo V. in f. Proprie significat eum, qui auget, *h. e.* gignit ac producit. [*Possit autem quaerere aliquis, num augere sit idem quod *gignere* s. *producere* et intrans. i. q. *crescere?* Cujus significationis plures locos laudat *Forc.* in AUGEO, quos V. suo loco. *Grotef.* in *gramm. lat.* II. §. 199. radicem v. *augere* esse dicit *avere*, i. e. crescere facere („*Gedeihen geben*“); eandemque fere sententiam nuper proposuit *Handius* ad *Wopkens. lectt. Tull.* p. 34., qui *Augeo*, inquit, et *audeo* descendit ab *aueo* s. *aveo*, quod exitum et progressum, sive in re existente, sive in re accrescente, denotat. — Hactenus *Handius.* Alii, *Schneider.* in *lex. gr.* sub *αὔξω* et *Buttmann.* in *gr. gr. ampl.* II. p. 70. sub *ἀλέξω* ejusdem esse radicis volunt *αὔγω* cum *ἄγω* (unde *ἄέγω, ἀέξω* et *αὔγω, αὔξω*). Hoc modo esset prima significatio: promoveo in crescendo, crescere facio, procreo. Ad sensum igitur res eodem redit et *auctor* proprie est qui aliquid auget quocunque demum modo sive incremento, sive propagine, sive consilio, exemplo, testimonio, doctrina, sive gravitate, potestate, dignitate, jure, fide. Ad hanc radicem aperte ipse *Cic.* h. v. retulit in *or. p. Sext.* 66, 138. ubi, *qui rempublicam sustinent*, ii praedicantur *auctores* et *conservatores* civitatis: quorum aemulis gloriae *Off.* 2, 24, 85. praecipitur, ut quibuscumque rebus, vel domi vel belli possint, rempublicam *augeant.* Auctor igitur proprie is est, quem Nostrates prisco voc. appellant *den Mehrer* e. g. *des Reichs.* — Ceterum significationes h. v. paullo alio atque *Forc.* ordine recensuit *Lunemann.* in *Seebod. horreo phil. et paedag.* V. I. P. II. p. 278 sqq.] *Virg. G.* 1, 26. et te maximus orbis Auctorem frugum, tempestatumque potentem Accipiat. Sic *Tert. adv. Marc.* 5, 8. Christus viri auctor, *h. e.* creator. Sic Julianum imperatorem senatus R. alloquens, *auctorem* ejus Constantium fratrem patruelem vocat, qui eum *Caesarem* dixerat, ut est apud *Ammian.* 21, 10., qui 16, 7. apparitoris auctorem dicit eum, qui apparitorem creavit. Quo pertinet illud *Auson. Caesar. epigr.* 23. Principis hic custos, sumptum pro principe ferrum Vertit in auctorem caede Macrinus iners. ℙ Translate est, qui rem aliquam reperit, instituit, aut fecit primus. *Virg. A.* 4, 375. Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor, *ἀρχηγὸς, γενάρχης. Id. ib.* 7, 49. isque parentem Te, Saturne, refert, tu sanguinis ultimus auctor. *Suet. Claud.* 25. Ilienses Romanae gentis auctores. [*V. de hac significatione, qua auctor est *pater* s. *parens Bentlejum* ad *Hor. Od.* 3, 3, 65.] *Virg. A.* 8, 134. Dardanus Iliacae primus pater urbis et auctor, *h. e.* conditor. [*Nec tantum de eo, qui condit, sed etiam de eo, qui restituit aliquid, instaurat. *Liv.* 4, 20. Caesar, ipsius templi auctor.] *Virg. A.* 8, 269. primusque Potitius auctor, *sc.* sacri in honorem Herculis institutor. *Id. ib.* 12, 405. nihil auctor Apollo Subvenit, *sc.* medicinae inventor. *Lucan.* 9, 661. Mercurius auctor citharae liquidaeque palaestrae. [*V. *Bentl.* l. l.] *Plin.* 22, 2, 3. Auctores imperii Romani conditoresque. ℙ Item generatim qui aliquid facit. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 6. Statua auctoris incerti. [**Id. ib.* 8, 35. auctor statuae et tabulae pictae. *Id. praef.* ad *lib.* I. ubi *auctor* pro *pictore* positum est.] *Virg. A.* 9, 748. Vulneris auctor. ℙ Speciatim vero sumitur saepissime pro scriptore. [*Omnino, pro eo qui cogitando, docendo, scribendo gignit aliquid ac promovet. Quare is, qui doctor.] *Hor. Od.* 1, 28, 14. auctor naturae verique. *Cic. Off.* 2, 2. in antiquissima philosophia Cratippo auctore versaris. [**Modest. Dig.* 19, 1, 39. juris auctores responderunt. *Gell.* 2, 10. Servius Sulpicius, juris civilis auctor. Cf. *Krause* ad *Vell.* 2, 26, 2. *Gajus comment.* 2, 37. diversae scholae (*ἱτεροδοξίας*) auctores, v. c. Nerva, Proculus. Cf. *ib.* 2, 15. *Dig.* 40, 7, 36. *Papin. Dig.* 30, 112, 4.] — Ac de aliis: *Cic. Att.* 7, 3. *ad f.* Caecilius malus auctor Latinitatis, i. e. magister, sive, qui in latine scribendo exempli loco esse non potest. [*Hinc de eo, qui certum aliquem librum scripsit. *Ov. Tr.* 5, 1, 68. scripta auctori perniciosa suo.] *Suet. Gr.* 8. Evulgare libros nomine auctoris. Quare i. q. scriptor in universum, [*quem significatum in hoc voc. inesse ex recentioribus nonnulli negarunt; sed perperam.] *Cic. Att.* 12, 18. Lectitare auctores. *Suet. Aug.* 89. Evolvere utriusque linguae auctores. *Liv.* 2, 8. Invenire apud auctores. *Id.* 29, 27. Discrepat inter auctores. *Tac. Hist.* 3, 29. Inter omnes auctores constat. Praecipue de historicis dicitur. *Cic. Brut.* 11. Auctor religiosissimus rerum Romanarum. *Tac. A.* 3, 30. Sallustius rerum Romanarum florentissimus auctor. (Adde *ib.* 3.) [*Sed etiam de philosophis, poetis, cet. quatenus scriptis suis aliquid tradide-

runt.] *Cic. Or.* 3. Dicendi gravissimus auctor et magister Plato. *Id. Mur.* 14. Ut ait ingeniosus poeta et auctor valde bonus. *Liv.* 4, 20. Libri lintei, quos Macer Licinius citat identidem auctores. *Plin.* 11, 21, 24. Auctores sunt, ter novenis punctis interfici hominem, *h. e.* scribunt, tradunt. *Tac. Hist.* 3, 51. Celeberrimos auctores habeo, tantam victoribus irreverentiam fuisse, etc. [*V. plura in *cl. Cic.*] ℙ Item saepe de eo, qui aliquid dicit, nunciat, testatur. *Cic. Att.* 10, 12. Non credo, ut est luculentus auctor. *Id. ib.* 14, 8. Sibi insidias fieri: se id certis auctoribus comperisse. *Id. ib.* 3, 11. Quidam boni nuncii, non optimis tamen auctoribus. [**Id. Flacc.* 17. *Id. Off.* 2, 9. *Liv.* 1, 16. auctor gravis *id.* 2, 1. vani sermonis. *Id.* 45, 31. criminum auctores delatoresque.] ℙ *Auctor summarum*, male legitur in quibusdam editionibus *Suet. Dom.* 11., sed legendum *Actor summarum*. V. ACTOR. [*V. ad f.] ℙ Praeterea habet locum in venditionibus et alienationibus. Nam qui aliquam rem emit, aut alio quocumque legitimo jure acquirit, *auctoritatem* seu jus dominii super ea re sibi comparat: et qui eam rem ei tradit, *auctor* dicitur [**αὐθέντης*]: est itaque idem ac venditor seu alienator. Hac etiam ratione *auctor* ab *augendo* apte descendit. Nam qui dat alteri quidpiam, eum auget ea re et ditiorem facit. *Cic. Caecin.* 10. P. Caesennius auctor fundi. [*Cf. *Gronov.* ad *Senec. Cons. ad Marc.* 10.] *Cic. Verr.* 2, 5, 22. Se id quod a malo auctore emissent, diutius obtinere non posse. *Scaev. Dig.* 19, 1, 52. Quaero, an pila, quae ab auctore domui conjuncta erat, ad emptorem quoque jure emptionis pertineat. ℙ Hujusmodi auctor dicitur *auctor primus*. Nam est etiam *auctor secundus*, qui fidejussionem facit pro evictione rei ab altero venditae, *βεβαιωτής*. *Ulp. Dig.* 21, 2, 4. An is, qui mancipium vendidit, debeat fidejussorem ob evictionem dare, quem vulgo auctorem secundum vocant. ℙ Eodem sensu etiam *auctor* absolute dicitur. *Pl. Curc.* 4, 2, 10. de lenonibus: Alienos mancupatis, alienos manumittitis, alienisque imperatis: nec vobis auctor ullus est, nec vosmet estis ulli. Adde *Epid.* 3, 2, 21. ℙ Translate. *Cic. Mur.* 2. Is potissimum consul, qui consulem declaravit, auctor beneficii populi Romani, defensorque periculi esse debebit. [*Cf. intpp. ad h. l. et *Heinrich* ad *Cic. fr. or. p. Tull.* p. 79.] *Pl. Trin.* 1, 2, 70. Id ita esse, ut credas, rem tibi auctorem dabo. [**Cic. Verr.* 2, 3, 19. ita audistis, ut auctorem rumorem haberetis. Locus *Ejusd. Or.* 1, 45. ingenio auctore — corruptus esse videtur.] *Virg. A.* 5, 17. Non si mihi Juppiter auctor Spondeat. [**Liv.* 2, 48. auctores sumus (i. e. spondemus) tutam ibi majestatem Romani nominis fore. *q. Cic. Fam.* 12, 4. fama nuntiabat, — auctor erat nemo.] ℙ Saepe etiam dicitur ille, in quo est princeps consilium, et juridica facultas atque auctoritas alicujus rei faciendae: ad quem pertinet approbare interventu et voluntate sua rem aliquam vel suo nomine, vel alterius, qui ea facultate careat. *Liv.* 34, 2. Majores nostri nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt: in manu esse parentum, fratrum, virorum. *Cic. Caecin.* 25. Quod mulier sine tutore auctore promiserit. Et *mox*. Deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset. *Ulp. Dig.* 26, 8, 5. (*qui est* de auctoritate et consensu tutorum et curatorum). Pupillus obligari tutori, eo auctore, non potest. [**Cic. Cluent.* 5. Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus. Hoc loco i. auctores parentes, cognatos, tutores, qui nuptias aut confecerunt, aut probarunt, aut tabulas nuptiales obsignarunt. Sic *Sch. Auctor* autem *comitiorum*, *Cic. Dom.* 14. est qui habet comitia iisque praeest. Porro de testatore, qui heredem instituit. *Cod. Hermog. tit.* 11, *c.* 1. (V. *Schulting. jurisprud. Ante-Justin.* p. 715. is, a quo aliquid ad heredem pervenit.)] ℙ Hinc *auctorem fieri* et *auctorem esse* est rem aliquam facultate a jure concessa et voluntate approbare, et ratam esse jubere. *Cic. Dom.* 29. Cum hoc juris a majoribus proditum sit, ut nemo civis Romanus aut libertatem, aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit. Et *mox*. Te esse interrogatum, auctorne esses, ut in te P. Fontejus vitae necisque potestatem haberet, ut in filio. Et *Liv.* 1, 17. Patres deinde, si dignum crearitis, auctores fient. *Paul. Dig.* 26, 8, 3. Etiamsi non interrogatus tutor, auctor fiat, valet auctoritas ejus, cum se probare dicit id, quod agitur: hoc est enim auctorem fieri. *Ulp. ib.* 1. Regula juris civilis est, in rem suam auctorem tutorem fieri non posse. V. plura huc pertinentia toto eo titulo. ℙ Hinc et qui pro alio negotia gerit atque agit, [*defenditque] *auctor* interdum dicitur. *Paul.* ex *Festo* in *Cognitor*. Procurator absentis nomine auctor fit. *Cic. Flacc.* 22. Praeclarus iste auctor suae civitatis. Et *ib.* Si hunc habent auctorem Tralliani doloris sui, si hunc custodem litterarum, si hunc testem injuriae, si hunc auctorem querelarum, etc. [**Id. ib.* 15. ut civitatis nomen sua auctoritate sustineat — praeclarus iste auctor suae civitatis; h. l. subesse videtur simul patroni, tutoris et defensoris, qui praesidio est, notio. Cf. *Gronov. de pec. Vet.* IV. 3. p. 374. *Id. Planc.* 13. Plancus *dicitur* auctor multarum societatum fuisse, i. e. qui publicanorum defensor fuit multaque pro iis gessit cum fide. Alia V. *cl. Cic. ed. Sch. n.* 16.] ℙ Latius inde extenditur ad significandum eum, cujus auctoritate aut imperio, item consilio, opera, impulsu, suasu, vel etiam periculo aut exemplo aliquid fit: uno verbo, qui aliquo modo causa est aliquid faciendi. *Cic.* ad *Quirit.* 6. *in f.* Non solum ad me conservandum vos cohortati sunt, sed etiam rerum mearum gestarum auctores, testes, laudatores fuerunt. [**Cic. Verr.* 2, 5, 67. Senatores P. R. *nuncupat* legum judiciorumque et juris auctores. Cf. *Liv.* 1, 17. 6, 42. 8, 12.] *Cic. ad Caesar. post ep.* 11. *l.* 9. *ad Att.* Esse auctorem pacis. *Id. Fam.* 11, 27. *sub f.* Non suscipiendi belli gravissimum auctorem fuisse. *Id. ib.* 12, 2. Auctorem esse alicujus interficiendi. *Plin.* 9, 59, 85. Auctor spei. [**Cic. Acad.* 2, 2, 5. nec litterarum graecarum, nec philosophiae jam ullum auctorem requiro, sc. quum sciam Catonem et Scipionem eam didicisse. *Ern.* expl. h. l. ita: qui exemplum philosophiae colendae praebet. *Wopk.* autem in *lectt. Tull.* p. 34. eum h. l. dicit esse auctorem philos., qui eam sua vel opera vel auctoritate ornat, tuetur aut promovet. Bene probat *Hand.* coll. *Vell.* 1, 13, 3. omnis que doctrinae et auctor et admirator fuit. Et *Cic. Sext.* 66, 138. quem locum supra ascripsimus.] *Cic. Att.* 8, 3. Legibus per vim et contra auspicia ferendis auctor. *Id. Fam.* 6, 8. A me consilium petis, quid tibi sim auctor, in Siciliane subsidas, an etc. *Id. Att.* 11, 6. Esse auctorem alicui de re aliqua. *Id. ib.* 15, 5. Mihique, ut absim, vehementer auctor est. *Brut.* in l. *Cic.* ad *Brut.* 11. Illi auctor fui, ne differret etc. *Cic. Leg.* 1, 20. Tibi magnopere auctor sum, ut etc. *Tac. Hist.* 3, 71. Furens miles aderat, nullo duce: sibi quisque auctor. [**Dux* et *auctor* saepe conjunguntur. V. de hoc et aliis synonn. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 8, 47. *Cic. Fin.* 4, 16. Catone, omnium virtutum auctore, i. e. exemplo. *Id. Verr.* 2, 3, 93. Habes auctorem idoneum — et istius innocentiam M. Antonii facto atque auctoritate defendito. *Id. Rep.* 2, 25. Bruto auctore et principe conciliata civitas.] *Ter. Ad.* 5, 8, 16. Idne estis auctores mihi? *Cic. in Senat.* 4. Auctor et adscriptor in me restituendo. [**Suet. Vesp.* 11. auctor fuit Senatui decernendi.] *Cic. Dom.* 12. Hic tibi gravissimus auctor ad instituendam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adjutor ad rem perficiendam fuit. ℙ Cum infinito. *Atticus in ep. ad Cic., cujus verba refert ipse Cic. Att.* 9, 10. Tibi non sim auctor, si Pompejus Italiam relinquit, te quoque profugere. *Liv.* 2, 48. *ad f.* Auctores sumus, tutam majestatem Romani nominis fore. ℙ Eleganter adhibetur in ablativo casu. *Cic. Or.* 3, 14. Quare istos omnes, me auctore, deridete atque contemnite. *Ter. Eun.* 5, 7, 12. An poenitebat flagitii, te auctore quod fecisset adolescens? *Pl. Stich.* 4, 2, 23. Non me quidem faciet auctore, hodie ut illum decipiat. *Liv.* 37, 47. Ut coloniae duae deducerentur, retulit; et auctore eo patres censuerunt. ℙ *Auctor* et *Suasor* in eo differunt, quod *suasor* consilium tantummodo et hortationem adhibet; *auctor* vero addit auctoritatem, et aliquando etiam imperium. Hinc in *suasore* solum quid dicat, attenditur: in *auctore* dignitas quoque ac potestas. *Cic. Off.* 3, 30. Atque hujus deditionis ipse Postumius suasor et auctor fuit. *Id. Partit.* 27. Non enim supplex venit orator, sed hortator atque auctor. *Suet. Tib.* 27. Adulationes adeo adversatus est, ut *etc.* Alium dicentem *sacras ejus occupationes;* et rursus alium, *auctore eo senatum se adiisse;* verba mutare, et pro *auctore*, *suasorem;* pro *sacris*, *laboriosas* dicere coegit. ℙ [*Auctor legis vel is est, qui primus legem scivit, *Cic. Dom.* 30., vel qui eam suadet, adjuvat, laudat. *Id. Att.* 1, 19. *Agr.* 2, 5. *Leg.* 3, 16., vel, quod erat Senatus, qui legem ferri jubet. De hoc V. seqq.] ℙ Hinc in senatu dicebantur patres *auctores fieri*, cum legem aliquam a populo sciscendam, in senatu proponebant et approbabant (ex quo dicta est *senatus auctoritas.*) *Liv.* 8, 12. Ut legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent. *Cic. Brut.* 14. M.' Curius cum de plebe consules non accipiebat, patres ante auctores fieri coegit. [*Omnino, qui aliquam rem in senatu decernendam proponit. *Cic. Att.* 3, 18. Scripseras — causam nostram Pompejum suscepturum et — auctorem etiam daturum. *Id. Fam.* 15, 4. Regem Ariobarzanem, te auctore, commendatum habebam, h. e. e SCto in tuam sententiam facto. Cf. *Gron.* ad *Liv.* 24, 43. Porro *Cic. Brut.* 34. auctores in senatu, et *Or.* 1, 49. et 3, 17. auctores consilii publici *sunt* principes Senatus s. Consulares, omninoque ii, qui multum valent in senatu. Haec ex *cl. Cic.* addidimus.] ℙ *Auctor rerum* non solum significat scriptorem rerum, ut supra dictum est, sed etiam eum, qui res gessit. *Sall. Cat.* 3. Tametsi haudquaquam par gloria sequatur scriptorem et auctorem rerum. Quidam leg. *actorem*. [*Male. Cf. *Kritz.*] ℙ De rebus inanimis. *Ammian.* 22, 15. appellat *alveum auctorem* cum, per quem totus decurrit amnis; et ex quo in alios minores canales aquae derivantur. ℙ Cum nominibus generis feminini. Est enim communis generis, ut Grammatici docent. V. AUCTRIX. *Cic. Div.* 1, 15. Sibique eas aves, quibus auctoribus officium et fidem secutus esset, bene consuluisse. *Liv.* 40, 4. *ad f.* Auctor mortis instabat, *h. e.* femina. V. integrum loc. *Virg. A.* 12, 159. de Junone: Auctor ego audendi. Adde *Ov. Fast.* 5, 192., *Justin.* 7, 1., *Senec. Med.* 979. et *Arnob.* 4. p. 146. [*V. *Columnam* ad *Ennii frr.* p. 325. *ed. Hessel.*] ℙ *Salmas. in commentar. ad Trebell. Gallien.* 12. docet, *auctorem* aliquando significare etiam eum, qui operam suam locat et se auctorat ad pugnandum cum bestiis: affertque locum *Firmici* his verbis: *Faciet auctores, audaces, periculosos;* et alio loco: *Faciet sceleratos, reos facinorum, auctores, vel tortores.* ℙ Sunt qui *autor* scribi volunt; et vel ab *audeo* deducunt, vel ab *aveo*, vel ab *αὐτουργὸς* per syncopen, vel ab *αὐτὸς*, quia a se ipse pendet, et ab eo rursus alii pendent. [*V. quae de derivationibus illis dicta sunt ab initio. Haec autem, ab *αὐτός* ut derivetur, nuper acres defensores nacta est *Heinrichium*, *Cic. fr. or. p. Tullio*, l. l.; *Ballhornium*, in libro „*de dominio*“, exc. 4. §. 3. p. 246 seqq.; *Beierum*, in *exc.* II. ad *Cic. or. p. Tull.* p. 243. qui ortum esse vult a gr. voc. *αὐτώρης*. Horum sententiam refutavi in libello, quem scripsi explorationi discipulorum indicendae a. 1829. p. 8. sqq.] Alii malunt *author* cum aspiratione, et derivant ab *αὐθέντης*. Verum ea omnium probabilissima etymologia est, qua ab *augeo* deducitur, et *auctor* per *ct* scribitur. Quam scriptionem probant *Charis.*, *Valerius Prob. in Cathol.*, *Isidor.*, *Voss. in Etymol.*, *Manut.*, *Dausq.*, *Cellar. in Orthograph.* et *Pier.* ad *A.* 12, 159. et alii. Sed omni exceptione majus est testimonium veterum monumentorum et lapidum, quorum plurimos afferunt iidem *Manut.*, *Dausq.* et *Pier.* itemque *Gruter.*, quibus addendum cenotaphium Pisan. C. Caesaris *v.* 41. et nummus *Commodi* apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 118. et codex Virgil. Mediceus et Pandectae Florent. teste *Torrentino* in editione *Digest.* [*codd. palimspesti a *Majo* et *Peyronio* collatis]; in quibus omnibus *auctor* constanter legitur, ut jam nihil certius in Latina orthographia esse videatur. [*Adde *Dion. Cass.* l. 55. *ab init.*, qui ubi explicat, quid esset *auctoritas Senatus*, graecis litteris nec *αὐτώριτας* nec *αὐθώριτας*, sed *αὐκτώριτας* scripsit.] Nam quod objiciunt quidam in Notis Rom. Valerii Probi legi *Aut. Autoritas*, non est is libellus ita ab omni errorum et depravationis suspicione liber, ut certam auctoritatem facere possit. [*Etiam in codice Veronensi *Institt. Gaji* per idem compendium pro *auctor* et *auctoritas* exaratum est AUT; qua de re videndus *Goeschen. praef.* p. XLV. et LXXIX. Nota Valerii in *ed. Gothofr.* ita habet: AUT. AUTR. AUC. = auctor, auctoritas. Duo haec contra illa et plura et graviora vix in censum veniant.]

AUCTORĀMENTUM, i, n. *ἐπίχειρον*, merces, pretium, quod quis auctorando se accipit. *Auctorari* enim est, se alicui ex contractu, mercede pacta, obligare: *auctoramentum* autem est ipsa merces. Dicitur speciatim de mercede, quae dabatur gladiatoribus ad ludum conductis. *Suet. Tib.* 7. Munus gladiatorium dedit, rudiariis quoque quibusdam revocatis auctoramento centenum millium. ℙ Ipse quoque contractus obligationis, quo se gladiatores ludo addicebant, *auctoramentum* dicitur. *Senec. ep.* 37. Illius turpissimi auctoramenti verba sunt, uri, vinciri, ferroque necari. *Petr.* quoque *Sat.* 117. hoc idem refert. ℙ *Auctoramentum militiae* est nexus, quo se miles obligavit ad stipendia facienda: et accipitur etiam pro commodis et privilegiis militiae. *Senec. Ben.* 4, 37. Subinde ex praeda aliquid ei virtutis causa donaverat, et hominem venalis animae crebris auctoramentis accendebat. ℙ Translate accipitur pro quocumque praemio aut commodo. *Vell.* 2, 28. de Sullana proscriptione: Ut jugulati civis Romani publice constitueretur auctoramentum; plurimumque haberet, qui plurimos interemisset; neque occisi hostis, quam civis, uberius foret praemium; fieretque quisque merces mortis suae. *Senec. ep.* 69. Nullum sine auctoramento malum est: avaritia pecuniam promittit; luxuria voluptates; ambitio purpuram et plausus. *Appul. Apol.* Merces et auctoramentum impudentiae. *Eumen. Paneg. ad Constant.* 12. Auctoramentum discriminis. Adde *Senec. Ira* 2, 13. et *Vell.* 2, 66. ℙ Et quia ex accepta mercede oritur obligatio alicujus rei faciendae, propter quam merces data est; hinc *auctoramentum* ipsam quoque obligationem nexumque significat. *Cic. Off.* 1, 42. Illiberales autem et sordidi quaestus mercenariorum omnium, quorum operae, non quorum artes emuntur. Est enim illis ipsa merces auctoramentum servitutis. *Tert. Apol.* 39. Parasiti affectant coenas ad gloriam famulandae libertatis, sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi.

[AUCTORĀTĪCĬUS, a, um, adj. qui auctoratus

olim fuit. *Not. Tir.* p. 70. Auctoraticius. *F.* **Gloss. gr. lat.: Αὐθεντικόν*, Auctoraticium. *B. A.*]

AUCTORĀTIO, onis, f. est venditio: et speciatim ea, qua gladiatores ludo se addicunt. Sed praeter *Acronem Schol. Hor.* ad *Sat.* 2, 7, 59. et Glossas *Isid.* nullum alium, quod sciam, scriptorem Latinum auctorem habet. [*V. *Octav. Ferratius, de gladiatoribus*, p. 43.]

AUCTORĀTUS, a, um, part. ab *auctoro*, venditus, mercede conductus et addictus: et dicitur fere de homine, qui se alteri pacta mercede obligavit. *Appul. Met.* 2. p. 125, 4. Hic auctoratus ad custodiam mariti tui fidenter accessit. *Plin.* 14, 1, 3. Vindemiator auctoratus. ℙ Speciatim *auctorati* dicuntur gladiatores, qui se ludo vendiderunt, ut docet *Acron. Schol. Hor.* ad illud *Sat.* 2, 7, 58. Quid refert, uri virgis, ferroque necari Auctoratus eas, etc.? *Senec. Apocol.* Proximo munere inter novos auctoratos, ferulis vapulare placet. *Quint. Decl.* 302. Auctoratus ob sepeliendum patrem. [*Inscr.* ap. *Donat.* 275, 9. Municipibus singulis, incoleisque loca sepulturae De *Sua Pecunia* dat extra autorateis (*lege* auctorateis), et qui sibi laqueo manus adtulissent, et qui quaestum spurcum professi essent, *h. e.* gladiatoribus, suimet ipsius interfectoribus, lenonibusque. Apud *Reines. cl.* 7. *n.* 20. legitur mendose *auctoritateis. F.*] ℙ Translate accipitur pro addicto, nexo, obligato, obnoxio. *Liv.* 36, 10. Eo pignore velut auctoratum sibi proditorem ratus est. *Manil.* 5, 340. Atque auctoratos in tertia jura ministros. *Val. Max.* 6, 9. *n.* 8. Ultimam inopiam suam auctorato sociis officio sustentare. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 8. Discedentibus tabulis, et cornibus in se coeuntibus faciebat amphitheatrum, et gladiatorum spectacula edebat: ipsum magis auctoratum populum Romanum circumferens, *h. e.* majori periculo expositum et addictum, quam ipsos gladiatores. ℙ Singulari notione, nec imitanda, *Tert. Cor. mil.* 2. Observatio satis auctorata consensus patrocinio, *h. e.* satis auctoritatis habens, satis comprobata et authentica facta.

[AUCTORĪNUS, a, um, adj. ad auctorem pertinens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 438, 3. Demincilonia Auctorina. *F.*]

AUCTORĪTAS, atis, f. *αὐθεντία*. [*Primam h. v. significationem posuit *Forc.* eam, qua est i. q. *dominium*, annectitque reliquas. Eum igitur ordinem paullo alium instituimus, multis, partim e *cl. Cic. ed. Schütz.*, additis. — Ac proprie quidem *auctoritas* est *conditio ac status ejus, qui auctor est, τὸ εἶναι αὐθέντην*, quasi dicas die *Urheber-(Autor-) schaft.* Primam hanc significationem reperio in his locis]: *Pl. Poen.* 1, 1, 17. *AG.* Si tibi lubido est aut voluptati, sino; suspende, vinci, verbera, auctor sum, sino. MI. Si auctoritatem postea defugeris, ubi dissolutus tu sies, ego pendeam. (Licet apud Comicum vertas: *die Rathgeberschaft*). *Ter. Eun.* 2, 3, 98. *P.* Jubesne? *CH.* Jubeo, imo cogo atque impero: nunquam defugiam auctoritatem, i. e. non negabo, recusabo, me tibi auctorem fuisse. (Nonnulli verba illa *nunq. def. auct.*, alteri personae tribuunt et exponunt: *nunquam recusabo obtemperare*, [*sed male.] *Cic. Sull.* 11. Attende jam, quam ego defugiam auctoritatem consulatus mei. [*Cf. *Muret.* ad h. l.; (in opp. ejus p. 721. *ed. Ruhnk.* et *Victor. V. L.* 5, 22. ℙ Jam, ut auctor is est, qui primus aliquid invenit, ita auctoritas quoque est i. q. *inventio. Cic. Inv.* 1, 28. ejus facti qui sint principes (= auctores) et inventores, qui denique auctoritatis ejus et inventionis comprobatores et aemuli. ℙ Porro est auctoritas *suadentis, narrantis;* est igitur i. q. vel *consilium* (sed id consilium, cui pondus quoddam, quod in persona inest, accedit); vel *exemplum*, vel *voluntas* ac *sententia* alicujus. Primum igitur i. q. consilium. *Cic. Att.* 10, 1. Ejus igitur (Ciceroni suaserat *μέγα τι φέξαι*) mihi vivit auctoritas i. e. etiam mortui sequor consilium; statim autem subjicit: et simillimus ejus filius eodem est apud me *pondere. Id. Off.* 3, 30, 109. tribuni plebis, quod eorum auctoritate pax erat facta, dediti sunt. Cf. *Senect.* 6, 15. rempublicam consilio et auctoritate defendere. *Off.* 3, 27, 100. cujus (Reguli) quum valuisset auctoritas (dissuasit autem, ut captivi redderentur). *Ib.* 1, 26, 91. in secundissimis rebus maxime est utendum consilio amicorum, iisque major quam ante tribuenda auctoritas, i. e. plus eorum consilio utendum. Adde *Verr.* 2, 1, 42. jure, legibus, auctoritate omnium, qui consulebantur, testamentum fecit. — Quodsi infelicem consilio adjuvamus, eum consolamur; quare *solatium* licet explices ap. *Cic. Fam.* 6, 6. animum tuum hominis amicissimi — auctoritate confirmandum puto. ℙ Porro narrantis et confirmantis aliquid, i. e. *testimonium*, quo aliquid confirmamus. Utrumque conjungit *Pseudo-Cic. p. Red. in Sen.* 7. audistis non solum auctoritatem, sed etiam testimonium. *Cic. Div.* 1, 1. ab ultimis auctoritatem repetam. Ideoque i. q. *confirmatio, approbatio. Id. ib.* 43. Lycurgus leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmavit. *Id. Acad.* 4, 5. in alicujus auctoritate delitescere. *Id. Tusc.* 4, 34. amori auctoritatem tribuere. Cf. *Id. Phil.* 3, 2. *Div.* 1, 3. Hinc etiam i. q. *fides. Cic. Fl.* 22. auctoritatem esse in testimonio. *Id. Div.* 2, 23. quid habeat auctoritatis (haruspicina), judicabimus? et *ib.* 54. auctoritatem nullam debemus rebus commentitiis adjungere. *Id. Cluent.* 66. in tabellis nihil est auctoritatis. *coll.* 50. Saepe enim rebus hoc modo tribuitur, ut *Cic. Div.* 2, 59. somniorum. *Amic.* 25. quum ad vanitatem accessit auctoritas, i. e. is assentatur, qui auctor, i. e. fide dignus esse posse videtur. ℙ Porro est auctoritas ejus, qui exemplo praeit, i. e. exemplum idque grave. Quare utrumque conjungitur, ut *Cic. Balb.* 13. auctoritate et exemplo alicujus facere aliquid. *Cic. Sext.* 6. reipublicae capessendae auctoritatem disciplinamque praescribere. *Id. Tusc.* 2, 22. valuit auctoritas. *Id. Leg.* 1, 13. in disserendo aliorum auctoritati parere, i. e. ab aliis pendere nec sui juris esse. *Id. Verr.* 2, 3, 93. Habes auctorem idoneum — et istius innocentiam M. Antonii facto atque auctoritate defendito. *Id. N. D.* 3, 38. an Stoici poetis auctoritatem dederint. — Eodem pertinent loci, ubi est i. q. mos receptus (nos *Observanz.*). *Cic. Verr.* 2, 5, 32. auctoritas majorum, i. e. ea, quibus tanquam exemplo proposito majores nobis praeiverunt. Adde *N. D.* 3, 3, 7. Sed peculiariter hoc sensu *auctoritas* est *rerum judicatarum. Callistr. Dig.* 1, 3, 38. consuetudinem aut rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere. Cf. *Paul. ib. fr.* 36. *Cod. Justin.* 8, 53, 2. consuetudinisque ususque longaevi non vilis auctoritas est, h. v. valet pro norma judicandi de similibus causis. ℙ Translate *auctoritates* hoc modo sunt nomina eorum, qui praeiverunt in aliqua re; ejus faciendae auctores exstiterunt. *Cic. Sull.* 13. auctoritates principum conjurationis colligebat, h. e. (*Schützio* interpr.): qui essent principes conjurationis; quodsi essent magnis nominibus homines, facilius essent auctores. *Id. N. D.* 3, 4. auctoritates contemnis, ratione pugnas. Cf. similia in f. — In specie dicuntur *auctoritates praescriptae* nomina eorum, qui SCto scribendo affuerunt; quae nomina ipsi SCto praeponebatur. *Cic. Or.* 3, 2. auctoritates praescriptae. Cf. *Matth.* ad *Cic. Att.* 1, 19, 17. coll. *Fam.* 12, 29. 15, 16. — ℙ Porro est auctoritas ejus, qui sententiam aliquam proponit, cui vis ac pondus ab auctore accedit.] Ea vi potissimum dicitur *Auctoritas Senatus.* Ita enim vocabatur decretum a senatu factum, cui aliqua deesset conditio, quominus senatusconsultum legitimum esset. V. SENATUSCONSULTUM [*et cf. interim *Clav. Cic.*]. Est porro *judicum. Cic. Verr.* 2, 3, 44. providete, ne auctoritate vestra (i. e. Verre sententiis vestris absoluto) avaritiae patefaciatis viam. — ℙ [*Jam, ut auctoritas Senatus est i. q. sententia ejus vel decretum (*Polyb.* 6, 13, 2. *δόγματα* appellat. Cf. *M. Coelii epist.* ap. *Cic. Fam.* 8, 8.) ita etiam eodem sensu *Populi* vel *Publica auctoritas* dicitur. *Cic. Manil.* 22. populi Romani auctoritatem improbari. Quae hic et apud *Gaj. comm.* 2, §. 8. auctoritas P. R. dicitur, ea etiam dicitur *Auctoritas publica*, ut *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. §. 4. V. *Brisson.* s. h. v. et *Balthorn.* l. l. p. 283. sqq. Sic *Vell.* 2, 62, 3. sine auctoritate publica. *Ib.* 2, 91, 2. oppressi auctoritate publica, i. e. judicio publ. damnati et supplicio affecti. Contra *auctoritate sua* apud *Justin. institt.* 2, 1, §. 8. (*Theoph.* vertit: *κατ' οἰκείαν αὐθεντίαν*) i. e. q. *privatim. Marc. Dig.* 1, 8, 6. §. 3. Sed ad usum vulgarem refer *auctoritate sua Cic. Flacc.* 15. — Omninoque latiori sensu de quibuscunque sententiis et opinionibus, quae se ab aliis ratas haberi volunt. *Cic. Cluent.* 50. Errat si quis in orationibus nostris auctoritates nostras se consignatas habere arbitratur. *Id. Manil.* 20. Catonis auctoritas et sententia. *ib.* 17. auctoritates contrarias fortissimorum virorum. ℙ Qui sententiam aliquam proponit, simul, ea proposita, quid velit, aperit. Est igitur i. q. *voluntas. Cic. Verr.* 2, 1, 40. Auctoritas patris. *Id. Caec.* 18. verba servire hominum auctoritatibus; pro quo in *f. cap.* sequitur voluntatibus.] ℙ Hinc explica loquendi formulam *esse in auctoritate alicujus*, i. e. ejus sententiam ac voluntatem sequi, eique obtemperare. *Liv.* 3, 21. Nec ante moverunt de sententia consulem, quam tribuni se in auctoritate patrum futuros esse, polliciti sunt. *Id.* 9, 14. Se in auctoritate Tarentinorum manere, etc. Adde 4, 26. ℙ Inprimis dicitur pro legitima facultate, quam habet quis ad aliquid faciendum, qualis est tutoris in pupillum, magistratus in subjectos, etc., qua facultate interveniente, vim, fidem, ac pondus habet id, quod agitur. *Cic. Pis.* 2. Provincia Gallia senatus auctoritate exercitu et pecunia instructa. *Liv.* 26, 21. et 42, 21. Tribuni plebis ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, ut, etc. *Julian. Dig.* 26, 7, 17. Interponere auctoritatem tutoris. *Ulp. ib.* 1. Tutores pro his, qui supra septimum annum aetatis sunt, auctoritatem praestent. *Id. ib.* 8, 1. Accommodare auctoritatem pupillae. Et *l.* 2. Intervenit auctoritas tutoris. [*Cf. de hoc gener. auctoritatis *Ballhorn.* l. l. p. 277. et *Gajum* 2, 47. *Cic. Att.* 1, 5. et *Wieland.* ad h. l. (*vol.* 1. *annot.* 5.) Pro *imperio consulari* dicitur *auctoritas consulum*, *Vell.* 2, 68, 2. cum *annot. Krausii.* Et *Pontificum Augurumque. Cic. Leg.* 2, 19. praestantissimum in rep. jus est augurum et cum auctoritate conjunctum. *Id. ib.* nihil sine augurum auctoritate posse cuiquam probari, sc. quia augures rerum gerendarum et omittendarum auctores. (Ipsa auguria et auspicia appellantur auctoritates, V. *in f.*) Porro *imperatorum*, i. e. eorum potestas, qua bellum gerunt. *Cic. Phil.* 3, 3. legio auctoritatem Caesaris persecuta est, (al. *prosecuta.*) *Id. Fam.* 10, 8. si legiones se ad Caesaris auctoritatem contulissent. (Alii his locis explicant per: partes alicujus sequi.) Et *Legatorum: Cic. Att.* 1, 19. Senatus decrevit, ut legati mitterentur cum auctoritate, i. e. plena potestate faciendi, quid ipsis e rep. videretur. Opp. mittere aliquem cum mandatis. V. *Manut.* ad h. l. Ac *Censorum. Cic. Cluent.* 42. auctoritas censoria i. e. notae censorum, quibus auctores sunt, esse aliquem criminis alicujus reum.] — ℙ Hinc intelligitur, cur auctoritas etiam dicatur pro vi et potentia, quam vereri alii et timere solent. *Cic. Manil.* 18. Omnes socios in ultimis oris auctoritate nostri imperii salvos praestare poteramus. *Plin.* 11, 17, 17. Satellites lictoresque assidui custodes auctoritatis. ℙ Hinc demum orta est ea significatio, qua est i. q. existimatio et pondus quod habet aliquis ad faciendam fidem; eaque existimatio conjuncta est cum notione dignitatis reverendae et eximia de alicujus virtute opinione. [**Vell.* 2, 126. accessit magistratibus auctoritas, senatui majestas, judiciis gravitas. *Cic. Verr.* 2, 1, 48. Ligur (senator) non dubitat, quin aequitate causae et auctoritate sua commovere hominem possit.] *Cic. Top.* 19. Ad faciendam fidem auctoritas quaeritur. Sed auctoritatem aut natura, aut tempus affert. Naturae auctoritas in virtute inest maxime. In tempore multa sunt, quae afferant auctoritatem, ingenium, opes, aetas, fortuna, ars, usus, etc. *Id. Div.* 1, 30. Vincere aliquem auctoritate. *Id. Sen.* 17. et *Phil.* 11, 10. Habere auctoritatem. *Id. Manil.* 15. facere, *h. e.* parere. *Id. N. D.* 3, 35. afferre. *Id. Sen.* 11. tenere. *Id. Or.* 2, 37. *in f.* imminuere. *Id. Phil.* 5, 13. interponere. *Id. Amic.* 13. adhibere ad aliquid faciendum. *Id. Fam.* 6, 6. *in f.* et *Nep. Cim.* 2. Valere auctoritate apud aliquem. *Id. Dion.* 3. Auctoritate multum posse apud aliquem. *Id. Con.* 5. Constituere sibi magnam auctoritatem inter aliquos re aliqua. *Caes. B. C.* 2, 14. Praestare auctoritate inter aliquos. *Plin.* 33, 10, 37. Esse in auctoritate. *Cic. Fin.* 2, 13. Sequi auctoritatem alicujus. *Id. Dejot.* 10. Adducere aliquem ad suam auctoritatem. *Id. Att.* 9, 10. *sub f.* Ejus auctoritas multum apud me valet. [**Cic. Acad.* 4, 22. levatur auctoritas inconstantia.] *Id. ib.* 15, 13. Ejus auctoritas magna est apud me et in primis gravis. *Nep. Timoth.* 3. Magna auctoritas est in illo. *Nep. Milt.* 5. alicujus impelli. *Id. Con.* 4. et *Cic. Att.* 8, 9. alicujus moveri. *Cic. Balb.* 27. Mea auctoritas satis habet ponderis apud aliquem. *Id. Or.* 2, 37. Vir auctoritate gravis. *Id. Agr.* 2, 17. Homines auctoritate tenui. [**Cic. Off.* 1, 1. summa doctoris auctoritas et urbis.] *Plin.* 25, 1, 1. Et neminem docere, in auctoritatem scientiae est. ℙ Auctoritas, quum de rebus dicitur, est i. q. pondus ac momentum, quod habent res legitime, sapienter ac prudenter constitutae, ut sunt leges, decreta senatus, responsa prudentum, res praeclare gestae, sententiae clarorum virorum, etc. *Cic. Or.* 1, 44. Bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII. Tabularum libellus auctoritatis pondere, ut utilitatis ubertate, superare. *Id. Flacc.* 4. Totius hujusce rei quae sit vis, quae auctoritas, quod pondus, ignorant. *Pl. Trin.* 1, 2, 180. Si exquiratur usque ab stirpe auctoritas, *h. e.* si quaeratur, quis primus fuerit auctor rei, quae narratur, et quantam fidem habeat. — Quum autem de rebus mutis, de animalibus etc. dicitur, est i. q. praestantia et utilitas, pretium, quod alicui rei inest. [**Varr. R. R.* 2, 5. bos in pecuaria maxima debet esse auctoritate.] *Suet. Claud.* 30. Auctoritas dignitasque formae. *Plin.* 9, 17, 28. Auctoritas praecipua lupo pisci. *Id.* 8, 43, 68. Auctoritas saporis. *Id.* 13, 1, 2. unguentorum. *Id.* 37, 2, 11. *n.* 1. Succina eandem, quam gemmae, auctoritatem obtinet. *Id. ib.* 10, 54. Achates in magna fuit auctoritate: nunc in nulla. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 147, 2. Si major auctoritas patrimonii mei fuisset, ampliori titulo et prosecutus fuissem, piissime pater, *h. e.* majores facultates et reditus. ℙ Apud *Vitr. Praef.* 1. et 3, 2. *aedificiorum auctoritates* sunt aedificiorum rationes ita apte dispositae, ut auctoritatem dare, et pro exemplo aliis esse possint. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Senec. Qu. nat.* 2, 39. Fulmen auctoritatis est, ubi post rem factam venit, quam futuram bono malove significat. ℙ Porro quia auctor is est, penes quem est potestas vendendi, auctoritas est etiam i. q. jus et dominium super re aliqua legitime acquisita, *αὐθεντία. Cic. Top.* 4, 23. Usus auctoritas fundi biennium est: sit etiam aedium. [**Id. Caec.* 19, 54. lex usum et auctoritatem fundi

jubet esse biennium. In his *usus auctoritas* est per usum acquisita auctoritas. Cf. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 12, 37. coll. *Exc.* II. ad *or. Tull.* p. 247., quo loco de scriptura h. l. agit.] *Id. Caec.* 26. *fin.* Aquaeductus, haustus, iter, actus a patre: sed rata auctoritas harum rerum omnium a jure civili sumitur. — Caput *legis Atiniae*, relatum a *Gell.* 17, 7. quod subreptum erit, ejus rei aeterna auctoritas esto, h. e. aeternum dominium sit apud dominum, ita ut ab eo, qui surripuit, usucapi non possit, ut *Paul. Dig.* 41, 3, 4. exponit. Simile est illud in *Legg. XII. Tabb.* apud *Cic. Off.* 1, 12, 37. Adversus hostem aeterna auctoritas, h. e. adversus peregrinum, ita ut is contra civem P. R. usucapere non possit, sed rei dominium penes hunc perpetuo sit. [*Haec explicatio, quam probat etiam *Beier.* ad h. l., non prorsus recte habet; sed unice vera est, quam proposuit *A. G.* de *Schröter.* in *obss. in jus civ.* II. Jenae 1826. p. 50 — 60. Adversus hostem aeterna auctoritas est — hoc significat: ex hostibus capta et in dominium P. R. redacta, neque naturali neque civili alienatione ad eos jure redire possunt; ergo mancipi rerum solis civibus commercium. Probat hanc interpretationem ipse *Beier.* in schedis ad me datis.] *Cic. Har.* 7. habere aliquid jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipi, jure nexi, h. e. jure ex legitima usucapione acquisito. [*Cf. *Salmas.* de Usur. c. 8. p. 210. sq. et *Puchta, civilistische Abhh.;* Berlin 1823. n. 1. p. 1 — 72.] *Scaev. Dig.* 13, 7, 43. exhibere instrumentum auctoritatis, i. e. rei alicujus jure acquisitae. [*JCti vulgo *titulos acquisitionum* appellant. v. *l. ult. Dig.* de *pign. act.* Porro *Senec. Contr.* 4, 22. auctoritatis tabellas. Hinc auctoritas cum *possessione* et *usu* conjuncta dicitur a JCtis *solita proprietas* in *Dig.* 33, 2, 26. pr. *coll.* 38, 2, 35.; vel *consolidatio.* V. qui haec laudat *Beier.* in *exc.* supra laudato.] P Quia vero *auctor* aliquando fidejussorem significat (cf. *Heinrich.* ad *Cic. fr. or. Tull.* p. 79.), etiam auctoritas pro fidejussione seu praestatione periculi accipitur, quam Graeci dicunt *βεβαίωσιν.* [*Cf. *Cic. Mur.* 2, 3. et intpp. ad h. l. Hinc *Paul. Sent.* 2, 17. Venditor si ejus rei, quam vendiderit, dominus non sit, pretio accepto, auctoritatis manebit obnoxius. [*Egregie hoc explicat *Salm.* l. l. Auctoritas, inq., non proprie est actio pro evictione — — sed id, quod illi actioni locum facit. Qui enim *auctorem bonum* se venditae rei promisit et *dominum*, id praestare debet, et sic auctoritate obnoxius censetur; nisi praestet, actione tenetur pro evictione. Non est etiam jus vel titulus, quo quis possidet — — sed *ἀξιοπιστία*, qua se dominum rei spondet, qui eam vendit. — Sic *Pl. Curc.* 4, 2, 12. nec vobis auctor ullus est, nec vosmet estis ulli. *Justin. Cod. repet. Lect.* 8, 45, 22.] P Nonnunquam *auctoritas* dicitur ipsa res, quae auctoritatem et fidem habet, ut dicta vel scripta gravium vivorum, testimonia, litterae magistratuum, constitutiones principum, etc. *Cic. Or.* 1, 39. *in f.* Num destitit uterque nostrum in ea causa, in auctoritatibus, in exemplis, in testamentorum formulis versari? *Id. Manil.* 17. Omissis auctoritatibus, ipsa re et ratione possumus exquirere veritatem. *Id. Verr.* 1, 2, 3. Tot graves ab amicissimis civitatibus legationes cum publicis auctoritatibus ac testimoniis. *Id. Top.* 4. Ducere argumenta ab auctoritate. *Id. Coel.* 22. *ad f.* Recitatur vobis jurejurando devincta auctoritas. *Imppp. Honor., Theodos. et Constant. Cod. Theod.* 2, 27, 1. Auctoritatem postibus debitoris affigere. [*Cic. *Har. resp.* 14. auguria et auspicia ipsa appellantur auctoritates. Sic appellatur *Cic. Top.* 5. auct. jurisperitorum, i. e. eorum doctrina; et *decreta* JCtorum, quae ideo auctoritates appellantur. *Cod. Theod.* 2, 16, 3. innumeris auctoritatibus constat.] P Inter officia domus Augustae fuit *servus ab auctoritate*, h. e. qui facultatem habebat a domino transigendi aliquid. *Inscr.* ap. *Grut.* 590, 7. et 8. Epaphrodito Aug. lib. Peplia ab auctorita. ration. heredit. [*Gesnerus* in *Thes.* putat, servum ab auctoritate appellatum fuisse, qui ad fidem faciendam tabulis quibusdam et ad signandum adhibebatur. At *Marin. Frat. Arv.* p. 522. neutrum probat. *F.*] P De orthographia V. AUCTOR *in f.*

AUCTORO, as, avi, atum, a. 1. proprie significat vendere, alicui addicere pretio accepto: ab *auctor*, qua venditorem significat. Hinc *auctorare se* dicebantur gladiatores, qui mercede pacta addicebant se ludo et pugnae. *Quint.* in *argum. Decl.* 302. Quidam ut patrem sepeliret, auctoravit se; *et in ipsa Declam.* Illum majores prohibuerunt theatro, qui utilitate, qua gula se auctorasset. *Tert. ad Nation.* 1, 18. Non vitae amore gladio vos ad lanistas auctoratis, sed etc. V. AUCTORATUS. P Sumitur etiam generatim pro addicere, obligare. *Id. ad Martyr.* 5. Jam et ad ignes quidam se auctoraverunt, ut certum spatium in tunica ardente conficerent. V. TUNICA. P *Auctorare sibi mortem* est mortem quasi mercede sibi quaerere et arcessere. *Vell.* 2, 30. Romanis certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo auctoravit facinore. P Alia V. in AUCTORATUS. P Deponentis forma. *Appul. Met.* 9. p. 225, 40. Mulier exsecrando metallo pudicitiam suam protinus auctorata est. *Tert. ad Scapul.* 1. Ut etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedamus. P Est praeterea *auctorari*, ut quidam putant, id. q. auctorem esse, auctoritatem accommodare et interponere. *Pompon. Dig.* 26, 8, 4. Si tutor auctoretur, cui administratio tutelae concessa non est, id ratum a praetore haberi non debet. *Ulp. ib.* 27, 6, 9. Dandam actionem adversus eum, qui dolo malo adhibuit, ut alius auctoraretur inscius. Ita habetur utroque loco in optimis edd. *Torrentini*, *Haloandri*, et al. P De ratione scribendi V. in AUCTOR.

AUCTOROR, aris. V. v. praec.

AUCTRIX, īcis, f. quae auget. Docent grammatici *Charis.* 1. p. 29. et 30. *Valer. Prob. in Cathol.* p. 1452. et *Serv.* ad *A.* 12, 159. vocem *auctrix* esse femininum ab *auctor*, qua ab *augeo* descendit, ut *auctrix divitiarum*, *auctrix patrimonii:* (Hinc et pro ea, quae gignit, (nam et gignere *augere* est) usurpavit *Tert. adv. Hermog.* 5. *Materia auctrix universitatis.*) at cum *Auctor* aliunde derivatur et significat eum, qui causa est, principium, aut impulsor alicujus rei faciendae, non habere femininum, sed esse communis generis, ut allatis exemplis in voce AUCTOR *sub f.* ostendimus. P Nihilominus *auctrix* reperitur usurpatum etiam extra significationem augendi. *Impp. Dioclet. et Maximian. Cod.* 8, 45, 16. Nam super pretio evictae portionis non eum, qui dominium evicerit, sed auctricem conveniri consequens est, *h. e.* eam, quae vendidit, vel fidejussit. *Tert. Anim.* 57. Auctrix opinionum istarum Magica. *Id. adv. Marc.* 5, 10. Anima auctrix operum carnis. *Id. Spectac.* 18. Comoediae scelerum et libidinum auctrices. *auctrices* possis hic intelligere etiam, quae augent et fovent scelera. *Scioppius* mallet *actrices.*

AUCTUM, i, n. augmentum, auctus. *Gell.* 20, 8. Caepe solum olerum omnium contra lunae aucta atque damna, vices minuendi et augendi habet contrarias. Quidam MS. codex habet *augmenta.* In illo *Liv.* 27, 26. *in f.* Auctum etiam visum in capite, nec id sane haruspici placuisse, etc. *Auctum* significat incrementum visum in capite jocinoris, ut colligitur etiam ex *Val. Max.* 1, 6. *n.* 9., ubi de hac eadem re verba faciens, narrat, duplex jocinoris caput in ea hostia fuisse. Adde *Lucan.* 1, 627. P Praeterea *auctum* vocabatur spatium Circi, quod supra definitum modum victoriae adjungitur. *Festus.*

AUCTUS, a, um, part. ab *augeo*, *αὐξηθείς*, cui aliquid accessit, major factus, cumulatus. *Nep. Ages.* 7. Auctus numerus. *Id. Thras.* 2. Auctae opes. *Plin.* 10, 33, 49. Amnis auctus. *Liv.* 25, 16. Res Romana in dies melior atque auctior. *Cic. Cat.* 4, 9. Auctae exaggerataeque fortunae. *Liv.* 3, 68. Re fortunaque auctior. *Cic. Cluent.* 15. Mulier aucta pecunia. *Id. Verr.* 2, 5, 31. Auctus praeda. *Id. N. D.* 3, 36. honoribus. *Id. Att.* 1, 2. filiolo. *Vet. Poeta* ap. *Eund. Fin.* 2, 4. laetitia. *Tac. A.* 2, 14. omine, *h. e.* animo confirmatus ob faustum omen. [*Paullo aliter explicat h. l. et ejus similes *Walch.* ad *Tac. Agr.* 6. — Construit *Tac.* saepius cum *in* et *accus.*, ut *Hist.* 5, 2. aucto in barbarum cognomento. *Id. A.* 13, 16. aucta in falsum; et *ib.* 2, 82. in deterius. Sic Graeci *ἐπὶ τὸ μεῖζον* etc. Sic ap. *Eund. Agr.* 10. in codd. legitur: *auctus Oceanus* quod exponunt *celebratus.* Sed praeferunt fere *victus* ex emend. *Lipsii.*] *Lucan.* 8, 250. Auctus opes, *h. e.* opibus: Graeca dictio. *Tac. H.* 2, 4. Auctus animus. *Lucr.* 3, 451. Auctior animi vis, *h. e.* firmior, validior ad agendum. *Liv.* 4, 2. Auctior et amplior majestas. *Nep. Phoc.* 2. Auctus adjutusque a Demosthene, *h. e.* promotus. *Catull.* 64, 25. Teque adeo eximie taedis felicibus aucte. [*V. *Walch. l. l. Auctus* absolute positum saepe est i. q. honoribus auctus. *Sall. Jug.* 86. quod ab eo genere celebratus auctusque erat. *Nep. Phoc.* 2, 3. auctus adjutusque a Demosthene, i. e. Dem. ei eloquentia sua auctoritatem parabat eumque adjuvabat. P De rebus quum dicitur *auctus* est i. q. augustior, splendidior redditus. *Plin. Pan.* 50. Datur intueri pulcherrimas aedes, deterso situ auctas. — Ceterum cf. AUGEO.] P In malam partem. *Ter. Heaut.* 4, 1, 15. Auctus damno. P *Auctus* pro praeditus, instructus.. *Lucr.* 3, 627. et 631. Certe ut opinor eam (*animam*) faciundum est sensibus auctam. *Catull.* 64, 165. quae (*aurae*) nullis sensibus auctae Nec missas audire queunt, nec reddere voces. P *Auctus* est etiam cognomen Acilii proconsulis Achajae, ad quem scripsit *Cic. Fam.* 13, 50. et in *Inscr.* ap. *Murat.* 631, 1. L. Vesclarius Auctus. P Comp. *Auctior.* V. supra. Sup. *Auctissimus* perrarum est. *Trebell. Gallien.* 18. Etiam equos et currum fieri jusserat pro qualitate statuae, atque in auctissima base poni, *h. e.* amplissima. Ita enim legendum docte monet *Salmas.* Vulgo legitur acutissima.

AUCTUS, us, m. augmentum, [*incrementum.] *αὔξησις.* *Liv.* 4, 2. Maximis semper auctibus crescere. *Id.* 29, 27. Bonis auctibus augere aliquid. *Plin.* 4, 12, 24. Danubius immenso aquarum auctu. [*Tac. H.* 4, 28. auctibus immensis attollere aliquem. *coll. Vell.* 2, 40.] *Id.* 2, 19, 17. Auctus dici. [*Suet. Oct.* 7. quod — *augusta* dicantur ab *auctu*, i. e. ab aucto statu feliciore. Sic *Brem.*] *auctu*, i. e. ab aucto statu feliciore. Sic *Brem.*] *Senec. ep.* 38. In maximos auctus diffundi. *Lucan.* 9, 797. distenti corporis auctum, *h. e.* tumorem corporis veneno inflati. *Lucr.* 6, 166. caedere si quem Ancipiti videas ferro procul arboris auctum, *h. e.* ipsam arborem adultam et grandem. [*Cf. *Burm.* ad *Anthol. Lat.* T. I. p. 577.]

AUCŪPĀBUNDUS, a, um, adj. attente aucupans, captans. Translate. *Tert. Anim.* 39. Spiritus nequam ab ipsa etiam nativitatis janua animas aucupabundus.

[AUCŪPĀLIS, le, adj. ad aucupium pertinens. *Festus.* Amites, perticae aucupales. *F.*]

AUCŪPĀTIO, onis, f. actus aucupandi, *ὀρνιθοθήρα.* Item ipsa praeda aucupio parta. *Quint. Decl.* 13, 8. Multa, quae libera fuerant, transeunt in jus occupantium, sicut venatio et aucupatio. Al. leg. *occupatio*, sed minus recte.

AUCŪPĀTORĬUS, a, um, adj. ad aucupium aptus. *Plin.* 16, 36, 66. De calamis aquaticis: Cum anno permansit inundatio, proficiunt in aucupatoriam quoque amplitudinem, *h. e.* adeo crassescunt, ut possint aucupio inservire. *Id. ib. ad f.* Aucupatoria arundo. *Mart.* in lemmate *epigr.* 218. *l.* 14. Calami aucupatorii.

AUCŪPĀTUS, a, um, part. ab *aucupo*, quaesitus, captatus. *Lactant.* 5, 22. Multa, quae ad religionem pertinent, divulgata, ac per rumorem vicissim aucupata discuntur.

AUCŪPĀTUS, us, m. idem quod aucupium, *ὀρνιθοθήρα. Capitolin. Anton. philos.* 4. Amavit pugilatum, luctamina et cursum et aucupatus.]

[AUCŪPEX, pĭcis, m. qui aves captat. *Not. Tir.* p. 151. Aucupex. *F.*]

[AUCŪPĬĀMEN, inis, n. id. q. aucupium. *Not. Tir.* p. 151. Aucupiamen. *F.*]

AUCŪPĬUM, ii, n. *ὀρνιθοθήρα*, avium captatio: ab *avis*, et *capio*. *Cic. Fin.* 2, 8. et *Sen.* 16. Aucupium atque venatio. *Pallad.* 13, 6. Tendere aucupium. *Id.* 10, 12. Parare aucupium noctuae. P Translate. *Pl. Mil.* 4, 1, 43. Oculis venaturam facere, atque aucupium auribus, *h. e.* attente subauscultare aliorum sermones. *Ter. Eun.* 2, 2, 16. Hoc est novum aucupium, *h. e.* nova ratio parandi sibi alimenta et cetera adjumenta vitae. *Cic. Or.* 25. et 58. Aucupium delectationis, *h. e.* studium delectandi alios oratione elaborata. *Id. Caecin.* 23. Aucupia verborum, *h. e.* subtilium verborum captiunculae, quibus JCti in rebus definiendis uti solent. *Colum.* 3, 2. *ad f.* Aucupium nomenclationis, *h. e.* studium et inquisitio vocabulorum, quibus singulae res appellantur. P Sumitur et pro ipsa praeda, quae aucupio capitur. *Cels.* 2, 26. Minima inflatio fit ex venatione, aucupio, piscibus, pomis, etc. *Senec. Prov.* 3. In ventrem suum longinqui litoris pisces, et peregrina aucupia congerere.

[AUCŪPĬUS, ii, m. avium captator. Nomen servile Romanum apud *Fabrett.* p. 448. *XII. F.*]

AUCŪPO, as, avi, atum, a. 1. *ὀρνιθοθηράω*, aves capto: ab *avis* et *capio*. Saepissime translate sumitur pro attente observare, captare, studiose quaerere. *Pl. Asin.* 5, 2, 31. Aucupemus ex insidiis clanculum, quam rem gerant. *Id. Most.* 2, 2, 42. Circumspice, numquis est, sermonem nostrum qui aucupet. *Senec. Herc. Oet.* 482. Circumspice agedum, ne quis arcana aucupet. *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 72. Lepide mecastor aucupavi. Adde *Titinn.*, *Enn.*, *Pacuv.* et *Accium* ap. *Non.* 7, 1.

AUCŪPOR, aris, atus sum sum, dep. 1. idem quod *aucupo*, sed frequentioris usus. *Varr. R. R.* 1, 23. Alio loco ut seras ac colas silvam caeduam, alio ubi aucupere. *Cajus Dig.* 41, 1, 3. In alienum fundum venandi aucupandive gratia ingredi. P Translate est captare, consectari, quaerere, observare. *Cic. Att.* 6, 8. Navibus longis tranquillitates aucupaturi eramus. *Id. Pis.* 24. Inanem aucupari rumorem et omnes umbras etiam falsae gloriae consectari. [*Id. *Leg.* 3, 16. rumusculos.] *Id. Or.* 19. Delectationem aliquam dicendo aucupari. *Id. Or.* 2, 63. Attendere et aucupari verba. *Id. Fam.* 5, 12. Aucupari gratiam alicujus assentatiuncula. *Plin. Praef. H. N. sub f.* sibi famam obtrectatione alienae scientiae. *Flor.* 3, 13. favorem populi. *Hirt. B. Afr.* 3. occasionem. *Cic. Rosc. Am.* 8. Observare occupationem alicujus et aucupari tempus. *Justin.* 29, 4. absentiam alicujus. *Cic. Or.* 2, 14, 59. utilitatem aliquam ad dicendum. [*Lactant. epit. 55. utilitates.] *Id. Sext.* 56. ex omni genere orationem et omnes undique flosculos capere. *Auct. ad Her.* 1, 13. similitudinem ab aliqua re. *Ov. Her.* 13, 107. Aucupor in lecto mendaces coelibe somnos. P Particip. *Aucupatus* passiva significatione V. supra suo loco.

AUDĀCĬA, ae, f. *θράσος*, *τόλμα*, animi securitas, qua quis malum neque futurum timet, neque praesens horrescit: et saepe accipitur in malam partem. *Cic. Inv.* 2, 54. *ad f.* Audacia non contrarium fidentiae, sed appositum est ac propinquum et tamen vitium est. *Id. Off.* 1, 19. Ani-

mus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciae potius nomen habet, non fortitudinis. *Id. Verr.* 2, 2, 30. Homo incredibili importunitate et audacia. *Id. Dom.* 55. Incredibili armatus audacia. *Id. Flacc.* 15. Audacia atque impudentia fretus. *Tac. A.* 1, 57. Audacia promptus. *Id. Agr.* 11. Audacia in deposcendis periculis. *Cic. Phil.* 13, 10. Audacia immanis ad omne facinus. *Ter. Heaut.* 2, 3, 72. O hominis impudentem audaciam! *Id. Ph.* 5, 7, 84. Affectum esse audacia. *Curt.* 6, 11. Stolida audacia ferocem esse. *Id.* 8, 13. Temeritate atque audacia insignem esse. *Cic. Cluent.* 65. Abundare audacia. *Id. Phil.* 13, 13. *in f.* Contunderé et frangere audaciam alicujus. *Id. ib.* 10, 5. Furentis hominis conatum atque audaciam comprimere. *Tac. H.* 3, 66. Accingi in audaciam. [*Leniore sensu intellige ap. *Cic. Lig.* 8. Vide, quid licentiae, Caesar, nobis tua liberalitas det vel potius audaciae.] ℙ Translate. *Suet. Gr.* 10. *in f.* Vitare obscuritatem Sallustii et audaciam in translationibus. ℙ In plurali numero. *Cic. Sull.* 27. Quantas audacias, quam incredibiles furores etc. *Id. Verr.* 2, 3, 89. Istorum audacias ac libidines resecare. Adde *Cat.* 2, 5., *Att.* 9. 7. et *Caton.* ap. *Fest.* ℙ In bonam partem. *Sall. Cat.* 52, 11. Majores nostri, P. C., neque consilii, neque audaciae unquam eguere. [**Id. ib.* 9, 3.] *Liv.* 25, 38. Non enim frangere audaciam vestram, sed differre in majorem gloriam atque opportunitatem volui. *Prop.* 2, 8, 9. Quod si deficiant vires, audacia certe Laus erit: in magnis et voluisse sat est. Adde *Justin. Praef.* et 2, 9. et 12. *ad f.*

AUDACĬTER, adv. θρασέως, cum audacia, fidenter, animose. *Cic. Rosc. Am.* 36. Multa scelerate, multa audaciter, multa improbe fecisti. Ita legit *Prisc.* 15. p. 1014., item *Grut.*, *Graev.* et alii ex optim. codd. Alii *audacter* reponunt. Sed *audaciter* usurpavit etiam *Sall. Hist.* 2. teste *Prisc. ib.* [*Cf. *Cort.* p. 960.] Sic. *Sen. Prov.* 4. Audaciter veteranus cruorem suum spectat *Appul. Met.* 3. Audaciter resistunt. Et *ib.* 5. Audaciter dextera elata. Adde *Liv.* 22, 25. [*cf. h. l. *Duker.*] et alibi, ubi alii leg. *audacter:* quod sane usitatius est. Hinc *Quint.* 1, 6, 17. reprehendit quorundam molestissimam diligentiae perversitatem, ut audaciter potius dicant, quam audacter, licet omnes oratores aliud sequantur.

AUDACTER, adv. θρασέως, per syncop. ab *audaciter*, et ejusdem omnino significationis, sed multo usitatius, tum in bonam, tum in malam partem. *Cic. Rosc. Am.* 11. Libenter, audacter libereque dicere aliquid. *Id. Verr.* 2, 2, 54. Callide, audacter, impudenter. *Id. Acad.* 4, 25. Respondere audacter alicui. *Ter. Heaut.* 1, 1, 6. Audacter et familiariter monere. *Nep. Epam.* 9. Audacius instare hostibus. *Liv.* 30, 30. Omnia audacissime incipere. *Pl. Capt.* 2, 2, 98. Concredere filium suum alicui audacter. ℙ Translate. *Cic. Or.* 60. Poetae transferunt verba tum crebrius, tum etiam audacius.

AUDĀCŬLUS, a, um, adj. diminut. ab *audax. Gell.* 5, 21. Reprehensor audaculus verborum. *Id.* 15, 5. Rabula audaculus. *Firmic. Praef.* 1. Audacula nimis pollicitatio. Habet etiam *Paul.* ex *Festo* in *Audax.*

AUDAX, ācis, adj. θρασὺς, θαρσὺς, confidens, audens. Sumitur saepe in malam partem. *Cic. Q. Fr.* 2, 4. Homo petulans et audax. *Id. Inv.* 1, 3. Temerarius et audax. *Id. Fin.* 1, 18. Audax et protervus. *Id. Cat.* 2, 5. Paulo ad facinus audacior. *Nep. Dion.* 9. Adolescentes audacissimi. *Ter. Andr.* 2, 3, 27. Facinus audax. *Liv.* 35, 35. Consilium audax. *Plin.* 28, 4, 7. Spes audacior. ℙ In consuetudine forensi *malos* et *audaces* appellabant eos, qui ejiciebant vicinos, qui testamenta subjiciebant, qui adolescentulos circumscribebant, teste *Cic. Phil.* 14, 3. ℙ In bonam partem. *Pl. Amph.* 2, 2, 207. Quae non deliquit, decet audacem esse, confidenter loqui etc. *Virg. G.* 1, 40. Da facilem cursum atque audacibus annue coeptis. (Adde *A.* 5, 67.) *Claud. III. Cons. Hon.* 56. Fregit Hyperboreas remis audacibus undas. ℙ Translate. *Quint.* 10, 5. Verba poetica libertate audaciora. *Id.* 8, 6. Audacior hyperbole. *Hor. Od.* 4, 2, 10. Audaces dithyrambi. *Id. Ep.* 2, 1, 182. Audax poeta. ℙ Cum casus ei adjunguntur, saepe habet post se ablativum. *Virg. A.* 5, 67. Audax viribus. *Stat. Th.* 10, 495. audax animis Spartana juventus. *Virg. G.* 4, 565. Virgilius Audax juventa. ℙ Cum genitivo, Graeca constructione. *Stat. Silv.* 3, 2, 64. et *ib.* 5, 3. 135. Audax ingenii. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 4. Audax animi. [**Sil.* 14, 416. V. *Drak.*] ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 1, 3, 25. Audax omnia perpeti. *Prop.* 4, 5, 13. Audax cantatae leges imponere Lunae. Adde *Lucan.* 7, 246. et *Sen. Herc. Fur.* 547. ℙ Translate. *Stat. Silv.* 5, 3, 48. aeriam educere molem Cyclopum scopulos ultra, atque audacia saxa Pyramidum, *h. e.* audaci conatu exstructa. ℙ Pro superbo. *Catull.* 50, 18. Nunc audax cave sis, precesque nostras, Oramus, cave despuas, ocelle.

*AUDĒNA, ae, Etruriae fluvius, in flumen Macram cadens. *Liv.* 41, 19. *B. A.*

AUDENS, tis, part. ab *audeo*, fidens, audax, θαρσὺς. Fere in bonam partem sumitur. [*V. de hoc usu, quo differt ab *audax*, *Burm.* ad *Ov. A. A.* 1, 608.] *Virg. A.* 10, 284. Audentes fortuna juvat. *Id. ib.* 6, 95. Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. *Tac. A.* 14, 58. Nihil gravius audenti, quam ignavo patiendum esse. *Id. Agr.* 33. Audentissimus quisque miles. *Gell.* 7, 2. Annibal ille audentissimus atque fortissimus. *Val. Fl.* 4, 284. Spes audentior. ℙ Translate. *Quint.* 12, 10. Aeschines latior et audentior et excelsior. *Auct. Dial. de Or.* 14. Oratio laeta et audentior, poetarum quam oratorum similior. ℙ In malam partem. *Pacat. Paneg. Theodos.* 35. Tanto ceteris satellitibus audentior, quanto etc.

AUDENTER, adv. θαρσαλέως, fidenter, intrepide, audacter. *Scaev. Dig.* 28, 2, 29. *ad f.* Nisi (quod audenter licet) possis dicere etc. *Ulp. ib.* 5, 4, 1. Non audenter tamen dicetur. *Tac. A.* 13, 40. Audentius progredi. *Id. ib.* 4, 68. Audentius onerare aliquem. *Auct. Dial. de Or.* 18. Agere fortius et audentius.

AUDENTĬA, ae, f. animi fidentia, audacia, θάρσος. *Non.* 5, 84. recte docet, audentiam in bonam partem sumi, et esse fortitudinis: audaciam plerumque in malam accipi, et esse temeritatis. *Tac. A.* 15, 53. Tribuni et centuriones, ut quisque audentiae habuisset, accurrerent. *Id. G.* 34. Nec defuit audentia Druso Germanico, sed obstitit Oceanus. ℙ Translate. *Plin. ep.* 8, 4. Si datur Homero et mollia vocabula, et Graeca ad lenitatem versus contrahere, extendere, inflectere; cur tibi similis audentia negetur?

AUDĔO, es, ausus sum, n. 2. τολμάω, non vereor, non dubito, fidens sum ad aliquid faciendum. *Cic. Ligar.* 3. Vide, quaeso, Tubero, ut qui de meo facto non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri. *Id. Manil.* 9. Nunquam est ausus optare. *Brut.* ad *Cic.* ad *Brut.* 1, 16. Verba tua recognosce, et aude negare, servientis istas esse preces. [**Sall. Cat.* 20, 3. animus ausus est maximum facinus incipere.] ℙ *Audere aliquid* est aggredi, tentare, conari facere. Videtur autem ellipsis esse, ut intelligendum sit *facere* aut *aggredi*, aut aliquid simile. *Vell.* 2, 47. Tantas res audere, vis hominis; perficere paene nullius, nisi Dei, fuerit. *Ter. Eun.* 5, 5, 17. Qua audacia tantum facinus audet? *Justin.* 5, 9. Audendum aliquid pro patria etiam cum periculo, ratus. *Virg. Ecl.* 3, 16. Quid domini faciant, audent cum talia fures? *Liv.* 3. 2. Desperatio audere ultima et experiri cogit. *Id.* 26, 40. Exsules, obaerati, capitalia ausi plerique. *Tac. H.* 4, 15. Multa hostilia ausus. [**Sil.* 6, 209. magna.] *Id. A.* 2, 12. Ausuros hostes castrorum oppugnationem. *Id. ib.* 12, 28. Obvius hostis et aciem ausus. *Id. H.* 4, 23. Machinas etiam, insolitum sibi, ausi, *h. e.* aggressi machinis oppugnatoriis uti. *Id. ib.* 3, 76. Audere periculum. *Id. A.* 12, 55. vim alicui: *et* in aliquem. *Id. ib.* 2, 40. poenam alicujus. *Id. ib.* 62. ultionem. *Id. H.* 1, 55. Nihil ultra fremitum et minas ausae legiones. *Vell.* 2, 56. *sub f.* Antonius omnibus audendis paratissimus. ℙ Cum particula *quin*, et conjunctivo. *Pl. Asin.* 1, 1, 10. Ita me obstinate aggressus, ut non audeam profecto, percunctanti, quin promam omnia, *h. e.* non audeam non promere omnia. ℙ Absolute, sed ita, ut semper aliquid intelligatur. [*Non necesse est, intelligatur aliquid; nam *audere* in seqq. exemplis est i. q. *audacem esse.* Sic *Liv.* 21, 40. nec nunc illi, quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt. *ib.* 4. neque milites alio duce plus confidere, aut audere.] *Sall. H.* 4. *sub f.* Romani audendo et fallendo et bella ex bellis serendo magni facti. *Tac. H.* 2, 71. Ingratus principi, ut adversus Neronem ausus. [*Audere absolute positum est saepe i. q. magna, egregia audere. V. *Drak.* ad *Sil.* 9, 451. Sed etiam sine hac vi interdum absolute ponitur. *Tac. Agr.* 15. periculosius est deprehendi quam audere. Similia laudat *Walch.* ad *Tac. Agr.* 32. *Quint.* 10, 1, 33. Audeo, quia M. Tullius nec Thucydidem quidem aut Xenophontem utiles oratores putat. Ad *audeo* supple *dicere.* Alii aliter legunt, ac mihi quidem vix ita dici posse videtur; alius enim generis est locus ap. *Cic. Or.* 3, 24, 94. hos vero novos magistros nihil intelligebam posse docere, nisi ut auderent sc. dicere, orationes habere. In h. l. facile ex reliquis, quid sit audendum, intelligitur; nos eodem modo absolute utimur nostro voc. — Plene loquitur *Cic. Fin.* 5, 28, 84. audeo dicere.] *Virg. A.* 2, 347. Audere in proelia. [*Ut *id. ib.* 10, 455. meditari in proelia.] ℙ Transfertur ad orationem et scriptionem. *Quint.* 2, 4. Audeat haec aetas plura, et inveniat, et inventis gaudeat. *Et paulo post.* Audere aliquid licentius et laetius. ℙ Passive. *Liv.* 29, 9. Multa dolo, pleraque per vim audebantur. *Nep. Milt.* 4. *in f.* Si animadverterent, auderi adversus se tam exiguis copiis dimicare. ℙ Hinc participia *ausus* et *audendus*, passiva itidem significatione. *Tac. A.* 3, 67. Defensionem sui deseruit, ausis ad Caesarem codicillis, quibus invidiam et preces miscuerat. *Liv.* 35, 35. Agenda res est audendaque, quam etc. *Suet. Domit.* 14. Ne bono quidem exemplo audendam esse patroni necem. ℙ Quidam putant *audere* idem esse ac posse in illo *Pl. Truc.* 4, 3, 44. Lapideus sum: commovere me miser non audeo. [*Ita quoque *Lucr.* 6, 1070. (V. sqq.) quem l. laudat *Broukh.* ad *Prop.* 1, 15, 37. (coll. ad *Tib.* 1, 10, 15.) *Posse* vice versa poni pro *audere* monstrat. *Id. l. l.* et *Burm.* ad *Eund.* 1, 6, 3.] ℙ Et pro velle in illo *Ejusd. Men.* 1, 2, 40. Ecquid audes de tuo istuc addere? [*Hoc fieri posse nemo credet. *Audere* propria h. l. vi positum est.] ℙ Tribuitur aliquando rebus inanimis. *Lucr.* 6, 1070. Vitigeni latices in aquai fontibus audent Misceri, cum pix nequeat gravis, et leve olivum, *h. e.* possunt. ℙ Olim habuit in praeterito *ausi. Cato* ap. *Prisc.* 9. p. 868. Non ausi recusare. ℙ Hinc *ausim*, *is*, *it* (quod ex *auserim* per syncopen esse videtur) frequenter usurpatur. *Liv. Prooem.* Nec, si sciam, dicere ausim. *Stat. Th.* 11, 126. absentibus ausint Ista Deis etc. [**Ausus sim* semper habet adjunctam praet. temporis notionem; *ausim* inservit modestae affirmationi.] ℙ Ipsum vero *auserim* usurpatum legitur ab Auctore cujusdam carminis *de Passione Domini* (quod quidam *Lactantio* tribuunt) *v.* 66. efficient ne spe captatus inani Mobilis occiduis fortunae fidere rebus Auseris, aut vitae sperare fugacibus annis. *Cellarius* tamen edidit *ausis.* ℙ [*Confunduntur a librariis *audeo* et *addo.* V. intpp. ad *Quint.* 10, 1, 33.]

AUDĬENS, entis, part. v. *audio. Cic. Fam.* 13, 36. Eidem Dolabellae me audiente Caesar dixit, nihil esse etc. ℙ Saepe ponitur pro auditore. *Cic. Brut.* 80. Inflammare animos audientium. *Id. ib.* 23. Ad animos audientium permovendos. [**Liv.* 21, 10.] ℙ Aliquando idem est quod obediens. *Pl. Truc.* 1, 2, 25. Tibi servio, atque audiens sum imperii. Hinc *dicto audiens*, de quo V. in AUDIO. ℙ Idem ac catechumenus. *Tert. Poen.* 6. An alius est intinctis Christus, alius audientibus? ℙ Sup. *Audientissimus* est in fragm. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 6. *n.* 194.

AUDIENTĬA, ae, f. attentio in audiendo. *Audientiam facere* est silentium audiendi causa indicere, ὑποσηρύττειν. *Pl. Poen. prol.* 11. Exsurge praeco, fac populo audientiam. Adde *Liv.* 43, 16. et *Auct.* ad *Her.* 4, 55. ℙ Est etiam *audientiam facere*, silentium auditorum et attentionem conciliare. *Cic. Sen.* 9. Facit persaepe ipsa sibi audientiam diserti senis compta et mitis oratio. *Id. Divin. in Verr.* 13. Audientiam orationi meae improbitas illius factura est. *Appul. Met.* 3. p. 131. 14. Audientiam alicui tribuere ℙ Accipitur pro auditione et cognitione causarum, quae fit ab habente jurisdictionem. *Cod.* 2, 13, 1. Inter litigatores audientiam tuam impertiri debebis. Et 3, 13, 1. Eligere audientiam procuratoris principis. Et 7, 19, 7. Praebere audientiam direptorum negotiorum. Adde *tit.* 4. *lib.* 1. qui est *De episcopali audientia*, hoc est de iis, de quibus cognoscere ad episcopos pertinet. [*Impp. Arcad.* et *Hon. Cod. Theodos.* (ed. *Wenckio*) 1, 5, 13. Ad audientiam viri illustris comitis sacri aerarii ferro obrutus dirigatur. *Auct. Decl. cui titulus: Tribunus Marianus*, 9. An enim erat ad audientiam admittendus? *F.*] ℙ Sumitur etiam generatim pro quacumque auditione. *Arnob.* 3. p. 117. Janus quem in cunctis anteponitis precibus, et viam vobis pandere Deorum ad audientiam creditis. *Id.* 6. p. 192. Ita quoque convenit audientiam numinum nulli esse clausam linguae. Adde 5. p. 178. ℙ Videtur etiam ad ipsam auditorum coronam transferri posse. *Id.* 1. p. 16. Utinam daretur in unius speciem concionis toto orbe contracto, oratione hac uti, et in humani generis audientia collocari. ℙ Denique sic dicitur ipsa audiendi facultas. *Prud.* περὶ στεφ. 954. Surdis fruendam reddere audientiam.

AUDĬO, is, ivi, et ii, itum, a. 4. ἀκούω, auribus sentio, percipio, intelligo, cognosco. *Varr. L. L.* 5, 8. *a med.* ducit ab *aveo*, quod auribus avemus discere semper. [Alii ab αὐδή, vox, quod ab αὔω, clamo, hinc αὔδω, mox αὐδίω, *scil.* vocem loquentis percipio. *F.*] *Ter. Ad.* 2, 1, 30. Audi si vis, nunc jam. *Id. Hec.* 3, 1, 60. Phidippe ades, audi paucis. *Id. Heaut.* 2, 3, 2. Mulier tibi adest, audin' Clinia? *h. e.* audisne? *Id. Ph.* 1, 3, 7. Non potitus essem: fuisset tum illos mihi aegre aliquot dies: At non quotidiana cura haec angeret animum. *Ph.* audio, et est quaedam ironia, ut *Donat.* monet. [**Cic. Rosc. Am.* 18, 52. „Imo vero, inquit est: nam istum exheredare in animo habebat.“ Audio: nunc dicis aliquid. V. *Matth.*] *Cic. Att.* 1, 1. *ad f.* In quo, ut audio, magnum odium Pompeji suscepistis. Et *Petr. Sat.* 104. *extr.* Audio, non licere cuiquam in nave neque ungues, neque capillos deponere. *Ter. Eun.* 3, 1, 32. Plus millies audivi. *Cic. Fam.* 3, 20. *in f.* Te enim, ut spero, propediem censorem audiemus. [*Sic intelligendus *Cic. Leg.* 3, 3, 7. sed tamen huic amoenitati, quam ex Quinto saepe audio, Thyamis nihil concesserit. *Goerenz.* dictum esse vult

pro: laudatam audio. Sed *audire aliquid ex aliquo* est i. q. de aliqua re. Sic etiam *Catull.* 61, 129. sq. audire aliquem loquentem desertus domini audiens concubinus amorem, *h. e.* de amore alieno.] Sic passive. *Cic. Att.* 5, 18. Bibulus nondum audiebatur esse in Syria. [**Tac. A.* 4, 23. quae (copiae) ex longinquo in majus audiebantur. *Id. G.* 41, 4. nunc tantum auditur (Albis).] *Cic. Cluent.* 23. et *Orat.* 1, 61. Attente audire aliquem. *Id. Att.* 5, 17. Tamen etsi hoc te ex aliis audire malo. Et *Brut.* 26. Audivi ista de majoribus natu. Et *Or.* 3, 33. Saepe hoc audivi de patre et de socero meo. Et *Senect.* 13. Saepe audivi a majoribus natu, qui se porro pueros a senibus audisse dicebant. *Nep. Them.* 7. A quibus cum audisset, non multum superesse munitionis, etc. *Cic. Mur.* 28. Majores natu audivi dicere. *Id. Pis.* 28. Audistis dici. ℙ Eleganter ei subjicitur particula *cum*. *Cic. Dom.* 35. Quis unquam audivit, cum ego de me, nisi coactus et necessario dicerem? *Id. Or.* 2, 33. Ex eo audivi, cum diceret, sibi certum esse, etc. [**Id. Fam.* 3, 7. *in.*] ℙ *Audire de aliquo* vel *de re aliqua* est etiam sermonem de re aliqua audire. *Cic. Att.* 7, 20. De malis nostris tu prius audis, quam nos. *Id. Acad.* 4, 2. Delectabatur mirifice lectione librorum, de quibus audiebat. *Id. Senect.* 23. Neque eos solum convenire aveo, quos ipse cognovi, sed illos etiam, de quibus audivi. ℙ *Audire* dicuntur judices, qui de causa cognoscunt. *Cic. Flacc.* 39. Nemo illorum judicum, clarissimis viris accusantibus, audiendum sibi de ambitu putavit. *Senec. Ben.* 2, 12. Audire de capite alicujus. *Virg. A.* 6, 567. de Rhadamantho: Castigatque auditque dolos subigitque fateri. [**Suet. Dom.* 14. nec nisi solus plerasque custodias — audiebat *(verhören).*] *JCti* hac ratione saepe usurpant. ℙ Item discipuli, qui scholam alicujus frequentant. *Cic. Off.* 1, 1. Te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum, abundare oportet praeceptis institutisque philosophiae. *Id. N. D.* 1, 14. Cleanthes, qui Zenonem audivit. *Id. Fat.* 2. Ponere aliquid, ad quod audiam, si tibi non est molestum, volo, *h. e.* de quo te disputantem, et ad illud pertinentia disserentem audiam. ℙ Saepe *audire* est assentiri, approbare. *Cic. Marc.* 8. Saepe venit ad aures meas, te istud nimis crebro dicere, satis te tibi vixisse: credo: sed tum id audirem, si tibi soli viveres. *Id. Tusc.* 1, 26. Nec Homerum audio, qui Ganymedem a Diis raptum ait, etc. [**Id. Fin.* 2, 28, 90. Socratem audio dicentem. *Ib.* 5, 28, 83.] ℙ Item pro exaudire, locum precibus dare. *Id. Pis.* 19. In quo Dii immortales meas preces audiverunt. *Hor. Od.* 4, 13, 1. Audivere, Lyce, Dii mea vota. *Virg. A.* 9, 65. Audiit, et coeli genitor de parte serena Intonuit laevum. [**Ov. Am.* 1, 6, 27. orantem nequicquam, janitor, audis. Cf. *Burm.* ad *Eund. ib.* 2, 9, 51.] ℙ Item pro obsequi, obedire (nam et *obedio* ab *audio* est). *Cic. Att.* 7, 1. Vellem a principio te audisse amicissime monentem. *Id. Phil.* 13, 3. Nae ego istam sapientiam, quamvis sit erudita, non audiam. *Id. N. D.* 1, 20. Tanta imbueremur superstitione, si vos audire vellemus, ut etc. ℙ Et cum dativo *Appul. Apol.* p. 326, 34. Nefario homini ne auscultarent, sibi potius audirent. ℙ Hinc *dicto audientem esse alicui* est ei obtemperare. *Cic. Verr.* 2, 5, 32. *extr.* Quorum opera Syracusani nobis dicto audientes sunt, eos Syracusanis dicto audientes esse jussisti. *Nep. Ages.* 4. Audiens dicto fuit jussis magistratuum. Adde *Eund. Lys.* 1. et *Iph.* 2., *Liv.* 5, 3., ubi *dicto audientem*, et *obedientem* conjungit, et *Cic. Verr.* 2, 4, 12. et alibi. Putarunt quidam dici etiam *alicujus dicto audientem esse*, afferentes illud *Nep. Dat.* 2. *Is regis dicto audiens non erat.* Sed plerique alii leg. *regi.* Sic *Liv. l. c.* Nec plebs nobis dicto audiens atque obediens sit. [**Forc.* igitur *dicto* tertium casum esse sumit, eaque est vulgaris opinio. *Brem.* autem ad *Nep. Lys* 1, 2. *dicto* ablat. casum esse mavult, cui assentitur *Ramshorn.* gr. lat. p. 201. Esset igitur haec formula ita explicanda: audientem esse alicui, quum dictum est aliquid, *auf ein Wort hin.* Recte autem *Stallbaum.* ad *Rudim.* II. p. 124. pro dativo habet. Romani enim dicebant *dicto audire*, s. *audientem esse;* quod quum in formulam abiisset, alium etiam addebant dativum. Ceterum V. *Vorst. de lat. falso susp. c.* 12. et intpp. ad *Liv.* 29, 20, 11. et nubem locorum, allatorum ab *Arntzen.* ad *Aur. Vict. V. Ill.* 7, 4. Nunquam genitivus pro dativo reperitur; non enim huc pertinet locus *Liv.* 8, 4. Non Romanorum solum, sed Samnitium quoque dicto pareamus; *Gronov.* enim etiam h. l. *Romanis — Samnitibus* scribi vult; sed perperam.] ℙ In hac parendi significatione tribuitur figurate rebus inanimis. *Virg. G.* 1, 514. Fertur equis auriga, nec audit currus habenas. *Stat. Th.* 5, 412. clavumque audire negantem Lassat agens Tiphys. *Ov. Met.* 5, 381. de mille sagittis Unam seposuit, sed qua nec acutior ulla, Nec minus incerta est, nec quae magis audiat arcum. [*Alia attulit *Burm.* ad h. l.] *Plin.* 16, 43, 83. Cornum maxime audit sorbus, carpinus, buxus, *h. e.* admittit, et glutino accedente facile adhaeret. [*Etiam quum abest parendi significatio, de rebus inanimatis dicitur: *Ov. Her.* 4, 106. et tenuis tellus audit utrumque mare. V. *Heins.* ad h. l.] ℙ Interdum *audire* est dici, perhiberi, ea ratione, qua Graeci *ἀκούω* usurpant. *Hor. Ep.* 1, 16, 17. Tu recte vivis, si curas esse, quod audis. Et *ib.* 7, 7. rexque paterque Audisti coram. [**Id. Sat.* 2, 6, 20.] ℙ Hinc *bene* vel *male audire* est bonam vel malam existimationem habere, laudari, vel vituperari, *εὖ ἢ κακῶς ἀκούειν.* Facete *Cicero* in ambiguo ludens *Tusc.* 5, 40. Erat surdaster M. Crassus: sed aliud molestius, quod male audiebat; etiamsi, ut mihi videbatur, injuria. *Id. Att.* 6, 1. Qui me idcirco putant bene audire velle, ut ille male audiat; et recte facere non meae laudis, sed illius contumeliae causa. *Id. Fin.* 3, 17. Est hominis ingenui et liberaliter educati velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris. *Ter. Hec.* 4, 2, 24. Sine me, obsecro, hoc effugere vulgus, quod male audit, mulierum. Adde *Ph. prol.* 20. *et* 2, 3, 12. et *Cic. Leg.* 1, 19. et alibi. Sic *minus commode audire* apud *Eund. Verr.* 2, 3, 58. Et *male audire in aliqua re* apud *Quint. Decl.* 377. in scortis reus male audio. [*et *Macr. Sat.* 2, 2. Plancus in Maevia Galla nupta male audiebat.] ℙ Elegans ellipsis est in illo *Cic. Or.* 2, 70. Cum laesisset testis Silus Pisonem, quod se in eum audisse dixisset, *h. e.* se audisse de crimine in eum illato. Dixerat enim Silus, se audisse, qui affirmarent, Pisonem revera crimen illud admisisse, de quo accusabatur. ℙ *Audiri* vel *non audiri debere; audiendus* vel *non audiendus* esse dicitur a *JCtis*, qui aliquid apud judicem postulat, offert, agit, quod vel justum, vel injustum sit. Exempla passim habentur in *Digestis*, ut ex *Papiniano* 28, 6, 10. ex *Paulo ib.* 39, 2, 18. et *ib.* 4, 4, 24. et alibi. Sic *non facile apud judicem audiri*, apud *Eund. Paul. Dig.* 11, 3, 14. *in f.* ℙ *Audiri* pro intelligi, subaudiri. *Quint.* 8, 5. Eras dignus, ut haberes integram manum. Sic enim auditur, ut depugnares. *Id.* 9, 3. Stupere gaudio Graecus. Simul enim auditur, coepit. ℙ *Audibam* pro *audiebam*, et *audibo* pro *audiam* poetica sunt. *Ov. Her.* 14, 36. Et tamen audibam: quodque verebar, erat. [**Id. Fast.* 3, 507. Cf. *Voss. Anal.* III, 34.] *Catull.* 84, 8. Audibant eadem haec leniter et leviter. *Pl. Capt.* 3, 4, 86. Ex me audibis vera. Adde *Poen.* 1, 2, 97., *Caecil.* apud *Gell.* 7, 17. *in f.* et *Enn.* et *Caecil.* ap. *Non.* 10, 11. ℙ In praeterito et *audivi* habet et *audii*, ut dictum est: sic in aliis temporibus ab eo nascentibus modo *v* retinet, modo abjicit. Quamquam *audiveram*, *audivissem*, *audiverim*, *audivero*, *audivisse* magis apud veteres in usu fuerunt, ut monet *Quint.* 1, 6. et cum secutus *Diomed.* 1. p. 349.

AUDĪTĀRE frequentativum est ab *audire*. *Festus:* Auditavi, saepe audivi, ubi *Scalig.* monet male in quibusdam libris legi *audivitavi.*

AUDĪTIO, onis, f. *ἀκοή, ἀκρόασις*, actus audiendi. *Cic. Fin.* 5, 15. Fabellarum auditione duci. *Id. Verr.* 2, 4, 45. *in f.* Auditione expetere aliquid. *Id. N. D.* 2, 37. Accipere aliquid fama et auditione. ℙ Speciatim sumitur pro auditione magistrorum in scholis. *Plin.* 26, 2, 6. Sedere in scholis auditioni operatos gratius erat, quam etc. *Gell.* 14, 1. Egressus ex auditione propere adnotavi, etc. *Id.* 19, 8. Obire auditiones. *Id.* 18, 2. Easdem auditiones, eosdemque doctores colere. *Cic.* quoque hoc sensu usurpat *Or.* 2, 30. Usus, auditio, lectio. V. *integrum loc.* ℙ Ponitur etiam pro acroasi seu ipsa disputatione, quae a magistro fit. *Gell.* 20, 5. Illas vero *ἐξωτερικὰς* auditiones exercitiumque dicendi eodem in loco vesperi faciebat. V. ACROASIS. ℙ Item universim pro quacumque re, quae auditur. *Cic. Planc.* 23. Ne fictis auditionibus, ne disseminato dispersoque sermoni fortunas innocentium subjiciendas putetis. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. Romam cum venissem, ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi. [*Jure vituperat *Manut.* ad h. l. hanc loquendi rationem tanquam duriorem et horridiorem.] *Caes. B. G.* 4, 5. His rumoribus atque auditionibus permoti. Et *ib.* 7, 42. Levem auditionem habere pro re comperta. *Tac. A.* 4, 11. Falsas auditiones depellere. ℙ Pro auditu seu sensu audiendi. *Appul. Dogm. Plat.* p. 9, 27. Auditionem aeriae naturae participem, aeriis nunciis percipere sonores.

AUDĪTIUNCŪLA, ae, f. brevis auditio, seu doctrina, quam quis audiendo didicit, *ἀκουσμάτιον. Gell.* 13, 19. Auditiuncula quadam de Catonis familia aspersus es.

AUDĪTOR, oris, m. *ἀκουστής*, qui audit. *Cic. Dom.* 24. *in f.* Illi ne auditores quidem suae gloriae, ego etiam spectator meae laudis esse potuissem. *Id. N. D.* 3, 1. Praebere se auditorem attentum. *Id. Brut.* 51. Habere aliquem auditorem. *Id. Or.* 35. Conciliare aut erigere auditorem. *Id. Att.* 16, 2. *in f.* Bonos auditores nactus. ℙ Item discipulus. *Cic. N. D.* 1, 7. *sub f.* Nolo existimes, me adjutorem huic venisse, sed auditorem, *παρονομαστά. Id. Fin.* 5, 19. Ptolemaeus Theophrasti auditor. *Id. N. D.* 1, 14. Perseus Zenonis auditor. *Senec. Contr.* 4, 25. *ad f.* Initio contumeliae causa a deridentibus discipuli Latronis auditores vocabantur: deinde in usu verbum esse coepit, et promiscue poni pro discipulo auditor. ℙ Et qui librum legit, *auditor* quodammodo dici potest. *Varr. L. L.* 5, 1. Atque si qua erunt ex diverso genere adjuncta, potius cognationi verborum, quam auditori calumnianti geremus morem.

AUDITORIĀLIS, le, adj. ad auditorium et scholam pertinens, ut Scholastici auditoriales apud *Augustin.* 2. *c. Pelag. c. ult.* et *ib.* 6, 11.

AUDITORIUM, ii, n. [*neutrum adj. auditorius, a, um. Commode suppleas *aedificium.*] Proprie igitur ita dicitur locus, in quem conveniunt homines *alicujus audiendi causa, ut sunt magistrorum scholae, recitantium loca; et ea in quibus sedent judices, cum causas audiunt, etc. *Quint.* 2, 11. Cujus rei gratia plenum sit auditorium. *Id.* 10, 1. Non eandem esse conditionem litium ac disputationum, fori et auditorii, praeceptorum et periculorum. *Suet. Tib.* 11. Cum circa scholas et auditoria professorum assiduus esset. *Auct. Dial. de Or.* 9. Auditorium exstruere. *Paul. Dig.* 49, 9, 1. Non oportet, per alium causam agi, sed ipsum adesse auditorio debere, sciendum est. *Ulp. ib.* 4, 4, 18. Auditorium principis. *Paul. ib.* 42, 1, 54. Qui ad majus auditorium vocatus est, si litem inchoatam deseruit, contumax non videtur, *h. e.* ad majus tribunal. ℙ Hinc etiam de auditorum turba, concione. *Plin. ep.* 4, 7. Nuper, adhibito ingenti auditorio, librum de vita ejus recitavit. *Appul.* auditorio, librum de vita ejus recitavit. *Appul. Apol.* p. 320, 33. Mox auditorio misso. ℙ Pro auditione causae, *Callistrat. Dig.* 4, 8, 41. Si temere auditorium receperit.

AUDĪTORIUS, a, um, adj. ad audiendum pertinens. *Coel. Aur. Tard.* 2, 3. Sensuales aurium viae, sive auditoriae cavernae, *πόροι ἀκουστικοί.*

AUDĪTUS, a, um, part. ab *audio*, audiendo perceptus. *Hor. Od.* 3, 1, 2. Carmina non prius Audita. *Cic. Balb.* 6. Cujus audita virtus dubitationi locum non daret, hujus praesens, experta atque perspecta obtrectatorum voce laedetur? *Id. Att.* 9, 3. *sub f.* Audita navicularii hominis liberalitas est. *Tac. A.* 5, 10. Auditum id Poppaeo Sabino. [*Hoc particip. solvas licet per *quod. Liv.* 24, 37. intenderunt eum tot auditae proditiones, i. e. quod auditae erant. *Id.* 6, 2. tantum Camillus auditus imperator terroris intulerat, i. e. ipsum nomen Camilli, quod auditum erat. Eadem ratione explicandus est locus *Ejusd.* 28, 26. *q.*] *Pl. Bacch.* 3, 3, 66. Vidi: non ex audito arguo, et *Merc.* 5, 2, 62. Vidistin? an ex audito nuncias? (Quidam utroque *Plauti* loco *auditu* leg.) *Vell.* 2, 25. Audito crudelior. [*V. *Ruhnk.*, qui, an recte habeant haec vv., dubitare videtur.] ℙ Ablativus *audito* significat re audita, vel postquam auditum est. *Liv.* 28, 7. Audito, Machanidam territum refugisse Lacedaemonem. *Sall. fr.* apud *Prisc.* 18. p. 1130. [*p. 992. *ed. Cort.*] Audito, Q. Marcium in Ciliciam tendere. *Tac. A.* 14, 7. Audito, venisse nuncium.

AUDĪTUS, us, m. *ἀκοή*, sensus audiendi. *Cic. N. D.* 2, 57. Auditus autem semper patet: ejus enim sensu etiam dormientes egemus. *Plin.* 8, 32, 50. Cervi cum erexere aures acerrimi auditus. *Id.* 24, 11, 50. Obtundere auditum. *Id.* 23, 4, 42. Auditus gravitatem discutere. ℙ In plurali numero *Appul. Dogm. Plat. init.* Auditus hominum Deorumque mulcens. ℙ Item auditio. *Tac. A.* 4, 69. Quonam modo ea plurium auditu acciperentur, *h. e.* a pluribus audirentur. *Id. Hist.* 2, 59. Brevi auditu quamvis magna transibat, impar curis gravioribus. *Cic. Off.* 1, 10. Si verum est Labeonem (nihil enim praeter auditum habeo) arbitrum Nolanis a senatu datum. [*Non est h. l. substantivum, sed neutrum participii.] ℙ *Ex auditu nunciare* V. in praec.

AVĒ, *χαῖρε*, salve, verbum imperativi modi, quo praecipue utebantur Latini in salutationibus: quod *Sen. Benef.* 6, 34. appellat *vulgare* et *publicum verbum* et *promiscuum ignotis.* Videtur autem significare *vive*, si verum docent Etymologi, et duci ab Hebraeo חָיָה, quod est *vivit.* [**Döderl. Syn.* etc. I. p. 27. sq. et *Grotef. gr. lat.* II. p. 199. non idem esse verbum putant *ave* et *avere;* et ille quidem *ave* et *salve* unum atque idem habet vocabulum, comparans *Suet. Cl.* 21. *Ave* esse leniorem dicit formam; *salve* pleniorem. V. ipsum. Sane vix aliquis dixerit, quomodo *avere*, i. e. optare in imperativo significet i. q. salve. *Festus* enim, qui dicit esse *avere* i. q. gaudere (V. AVEO in f.) non est audiendus; excogitavit enim, quod ave et Gr. *χαῖρε* ejusdem sunt significatus. *Grotef.* autem, ut *aveo* idem esse putat quod *ἄω, ἄϋω*, i. e. anhelo, anhelando appeto: ita *aveo* unde *ave* ortum putat ab *ἀϝέω*, unde *ἀϝέκω, ἄϝκω* s. *αὔγω*, i. e. crescere, valere.] Est autem defectivum verbum, cujus personae usitatae in subjectis exemplis apparent. *Cael.* ad *Cic. Fam.* 8, 16. Dicere alicui ave. *Mart.* 3, 95. Nunquam dicis ave, sed reddis, Naevole, semper. *Cat.* ap. *Sall. Cat.* 36. Aveto. *Mart.* 3, 5. Marcus avere jubet. (*Aveo, avebo, avere* huc pertinentia V. in AVEO. ℙ Praecipue autem adhibebatur in salutationibus matutinis amicorum

et clientum. Nam in vespertinis dicebant *vale, ἐυτ-αυε*, ut *Suet. Galb.* 4. docet. *Mart.* 1, 56. Et matutinum portat ineptus ave. *Id. ib.* 109. Mane tibi pro me dicat avere liber. *Id.* 4, 79. nec ulla cathedra est, Cui non mane feras irrequietus, ave. Adde 7, 39. ℙ Dicebant *ave* etiam mortuis, quemadmodum et *vale. Catull.* 101, 10. Atque in perpetuum, frater, ave, atque vale. *Inscr.* ap. *Grut.* 735, 6. Avete animae innocentissimae. Adde *ib.* 649, 2. In illo *Mart.* 9, 8. non vis, Afer, avere, vale; *avere* accipiendum est eo sensu, quo vivos salutamus; *vale* eo, quo mortuos. ℙ Est etiam festiva ambiguitas ap. *Suet. Claud.* 21. ubi narrat, commissa a Claudio naumachia, cum naumachiarii ante pugnam proclamassent: *Ave Imperator: morituri te salutant:* isque respondisset, *Avete vos;* recusasse illos post hanc vocem dimicare, putantes se ab eo esse dimissos venia pugnandi data: (Non solum enim accedenti alicui *ave* dicere mos fuit, sed etiam discedenti. [*Sive, ut *Brem.* explicat: referebant illi *avete vos* unice ad voc. *morituri*, ideoque interpretabantur per *vivite!*]) Sed Claudius ad morem salutandi mortuos respexerat; illisque pugnae ac morti proximis dixerat *avete vos.* ℙ Scribitur et *have* cum aspiratione, et quidem saepius, quam sine ea, in antiquis monumentis, ut monet *Manut. Orthogr.* allatis tredecim veteribus lapidib., quibus adde alios ap. *Grut.* 661, 6., 822, 7., 1123, 2. et alibi. Favet enim Hebraica vox הַוָּה, quae primam litteram aspiratam habet. Adde *Quintiliani* aetate *havē* receptum fuisse, *avē* autem obsoletum, qui reprehendit 1, 6. multum litteratum, qui sine aspiratione, et producta secunda syllaba salutavit *avē*. Nihilominus aspirationem abjiciendam putat *Dausq. in Orthogr.*, cujus sententiam, praeter cetera, usus communior, qui nunc est, confirmare videtur. [*Cf. *Grotef. gr. lat.* II. p. 168.]

ĀVĔCTUS, a, um, part. v. *aveho*, *ἀπαχθείς*, alio vectus. *Pl. Mil.* 2, 1, 38. Ubi amicam herilem Athenis avectam scio. *Tac. A.* 6, 34. Iason post avectam Medeam etc. *Virg. A.* 11, 205. Avecta corpora. *Liv.* 5, 51. *sub f.* Sacra, avecta in finitimas urbes, amovimus ab hostium oculis. ℙ Item qui alio discessit et recessit. *Virg. A.* 2, 43. Creditis avectos hostes? *Sil.* 6, 240. Catervae longius avectae. ℙ Scribitur et *Abvectus.*

ĀVĔHO, is, exi, ectum, a. 3. *ἀπάγω*, abduco, alio veho. *Pl. Rud.* 3, 6, 24. Eam hinc abduxisti. *La.* non: avexi. *Id. Bacch.* 4, 1, 2. Amicam secum avexit ex Samo. *Id. Men.* 5, 9, 56. Avehere aliquem a patria. *Id. ib. prol.* 27. aliquem ad mercatum. *Liv.* 45, 33. aliquid domum. *Stat. Th.* 6, 188. juvencum duras avexit pastor ad aras. *Tac. H.* 5, 3. Avehere in alias terras. ℙ Et omissa praepositione. *Virg. A.* 1, 516. penitusque alias avexerat oras. *Liv.* 31, 43. *a med.* Equites mercede conductos Aegyptum avexit. ℙ Absolute sine loci indicatione. *Just.* 20, 2. Obtentoque quod petebant, haud secus laeti, quam si Deos ipsos secum avecturi essent. ℙ *Avehi ex proelio*, a proelio recedere. *Liv.* 27, 16. Cum citato equo ex proelio avectus esset. [*Dicunt enim *equo vehi* et *avehi.*] ℙ Scribitur et *abveho.* Testatur enim *Pierius* ad *cit. Virg. loc.* in omnibus fere codd. quos vidit, *abvexerat* se legisse. ℙ [*Saepe commutantur *avehere* et *advehere.* V. intpp. ad *Sil.* 4, 318. *avehere* et *auferre* V. *Arntzen.* ad *Aur. Vict. V. Ill.* 35, 9.]

[AVĒJAS, atis, omn. gen adj. ad Avejam pertinens, dirutum oppidum Vestinorum a *Sil.* 8, 518. memoratum, prope urbem, quae nunc *Aquila* vocatur. *Inscr.* ap. *Donat.* 457, 1. C. Sallio C. F. Quir. Proculo patrono Decur. et pop. Avejat*ium* Vestinor*um. F.*]

ĀVELLĀNĀ, ae, f. *λεπτοκάρυον*, parvae nucis genus, molli barba protectae, putamen habentis et nuncleum solidae rotunditatis, et in medio nucleo intus germen, velut umbilicum. [*Eine *Art Haselnuss.*] Ita *Plin.* 15, 22, 24. describit. Sunt etiam avellanae putamine et nucleo oblongo et ex crasso in acutum desinente. *Auct. Priap.* 51. Nucemve longam, quam vocant avellanam. ℙ *Macr.* 2, 14. docet *avellanam* esse fructum arboris, quae dicitur *corylos*, quod et *Servius* admittit, ad illud *Virg. G.* 2, 65. Plantis et durae coryli nascuntur etc. Sed *Harduin.* ad *l. Plin. c.* et *Dalecamp. in not.* ad *Hist. plant. Theophr.* id negant, affirmantes *avellanae* quam coryli specialius nomen esse. Porro *avellana*, ut *Plin. ib.* scribit, primum dicta est *Abellina* ab *Abellino* Campaniae oppido (de quo idem *Plin.* 3, 5, 9. verba facit) ubi abundat. *Servius* autem *l. c.* tradit dictam esse ab *Avellano*, altero ejusdem Campaniae oppido: quod est id. q. *Abella* ap. *Virg. A.* 7, 740. et *Avella* ap. *Sil.* 8, 543. ut est in quibusdam libris. Dicta est etiam *Praenestina*, teste *Macr. l. c.* Hinc natio quaedam hominum circa Praenestinum agrum *Carsitani* vocati sunt, *ἀπὸ τῶν καρύων. Plin.* tamen 17, 13, 21. avellanas nuces a Praenestinis distinguit. Appellatur etiam *Pontica nux*, quia in Asiam Graeciamque ex Ponto advenit, ut *Plin. c. l.* 15, 22, 24. narrat. ℙ Haec vox adjectiva est, et cum absolute ponitur, *nux* intelligitur. *Plin.* 37, 4, 15. Avellanae nucleus. *Id.* 16, 30, 53. Quaedam arbores sunt fructicosi generis, ut paliurus, myrtus, item nux avellana. Apud *Scribon. Compos.* 167. legitur *nux Abellana.*

ĀVELLO, is, avulsi et avelli, avulsum, a. 3. *ἀποσπάω*, vi vello, abstraho, divello. *Cic. Senect.* 19. Poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur; si matura et cocta, decidunt. *Id. Verr.* 2, 4, 49. *in f.* Simulacrum e sinu Cereris avellendum asportandumque curavit. *Lucan.* 9, 764. sepem Avulsitque manu, piloque adfixit arenae. Al. leg. *avellitque. Curt.* 5, 6, 5. Abrupta simulacrorum membra, ut quisque avellerat, trahebat. *Ter. Hec.* 4, 1, 39. Avellere sese ab amica derepente. [*Ov. *Trist.* 1, 3, 81. non potes avelli! simul, ah, simul ibimus ambo.] *Cic. Font.* 17. Filium de complexu matris avellere atque abstrahere. *Tac. A.* 1, 44. Avellere milites castris. [*Id. ib.* 4, 20. libertatem Augusti, i. e. ab Augusto datam adimere.] *Stat. Th.* 3, 299. ensem dextra. Et *Virg. A.* 2, 165. sacrato templo Palladium. *Prop.* 4, 1, 118. Quam vetat avelli veste Minerva sua. *Plin.* 7, 15, 13. Bitumen non quit sibi avelli. *Appul. Met.* 1. Cor ipsum mihi avelli putavi. ℙ [*Tropice. *Cic. Tusc.* 4, 11. aegrotatio avelli non potest. *Id. Off.* 3, 21. ab errore avelli.] ℙ Est etiam auferre. [*In his quoque proprie dicitur.] *Ter. Eun.* 3, 3, 14. Credo ei placere hoc (*rus*): sperat a me avellere. *Marc. Dig.* 23, 7, 17. Fundus emptori avelli non potest. *Ulp. ib.* 40, 7, 3. Avelli nummi ei, qui accepit, non possunt.

ĀVĒNA, ae, f. *βρόμος* vel *βρόμος*. Duplex est: altera sativa et esculenta, quae jumentis in cibum datur, folio et stipula tritico similis: cujus serendae rationem *Colum.* 2, 11. tradit. Hujus meminit *Virg. G.* 1, 77. Urit enim lini campum seges, urit avenae. Adde *Hor. Sat.* 2, 6, 84. ℙ Altera est sponte nascens ac sterilis, eadem fere forma cum sativa, nisi quod asperiores longioresque aristas habet, et in folliculis fere vacuis semen evanidum. Haec inter vitia segetum enumeratur. *Virg. G.* 1, 154. interque nitentia culta Infelix lolium et steriles dominantur avenae. *Cic.* quoque hujus meminit *Fin.* 5, 30. De utraque V. *Plin.* 18, 17, 44. ℙ Sumitur etiam pro culmo seu stipula cujuscumque herbae. *Plin.* 19, 1, 1. de lino: Tam parvo semine nasci, tam gracili avena, tam non alte a tellure tolli. *Id.* 24, 18, 103. Eriphiam multi prodidere. Scarabaeum haec in avena habet sursum deorsum decurrentem cum sono haedi: unde et nomen accepit. *Scilicet ἐρίφιον parvum haedum significat.* ℙ Item pro fistula, tibia. Nam avenae calami intus vacui sunt, ut arundinum. Hinc *Plin.* 6, 30, 35. scribit, quoddam hominum genus uno tantum foramine spirans, potum calamis avenae trahere. Et *Tibull.* 3, 4, 71. pellucenti cantus meditabar avena. *Virg. Ecl.* 1, 2. Silvestrem tenui musam meditaris avena. *Ov. Met.* 2, 677. et structis cantat avenis, *h. e.* calamis inaequalibus in unum compactis. Sic *ib.* 8, 191. Sic rustica quondam Fistula disparibus paulatim surgit avenis.

ĀVĒNĀCĔUS, a, um, adj. qui est ex avena. *Plin.* 22, 25, 67. Avenacea farina decocta in aceto naevos tollit. Adde 30, 8, 22.

ĀVĒNĀRIUS, a, um, adj. ad avenam pertinens. *Avenaria cicada*, item *frumentaria* dicitur a *Plin.* 11, 26, 32. genus cicadae apparens simul cum frumentis arescentibus.

*AVENDO, onis, oppidum Liburniae. *Tab. Peut.* et *Anton. Itin. Ὀυενδὼ* est apud *Strabonem* in MSS. *B. A.*

*AVENĬO et Avenion, onis, *Ἀυενιὼν*, Galliae Narbonensis oppidum, in regione Cavarum vel Cavarorum, hodie *Avignon. Mela* 2, 5. *Plin.* 3, 4. ℙ *Avennio* est *Tab. Peut. B. A.*

*AVENNĬCUS, a, um, ad Avennionem pertinens. *Sidon. ep.* 6. *ep. ult. B. A.*

ĀVENS, tis, partic. ab *aveo*, cupiens, cupidus. *Ov. Met.* 2, 503. propiusque accedere aventi Vulnifico fuerat fixurus pectora telo. *Val. Fl.* 2, 123. Talem diva sibi scelerisque dolique ministram Quaerit avens. *Aur. Vict. Caes.* 3. Caligula aventibus cunctis deligitur. *Avens pro libens* usurpavit *Laevius* ap. *Gell.* 19, 7. [*Cf. AVEO.]

ĀVENTER, adv. cupide. *Ammian.* 18, 5. et 19, 9. Aventer suscipere aliquem. *Sidon. ep.* 2, 2. Contubernio nostro aventer insertus.

[AVENTĬA, f. peculiaris Dea Aventicensium in Helvetia. *Inscr.* ap. *Grut.* 110, 3. Deae Aventiae T. Tertius Severus . . . . cui incolae Aventicens. tabulam argenteam posuerunt. Alia apud *Eund.* 319, 10. Julia Alpinula Deae Avent. sacerdos.

[AVENTĪCENSIS, se, adj. ad Aventicum pertinens, Helvetiorum oppidum, nunc *Avenches.* [*Tac. *H.* 1, 68. *Ammian.* 15, 27. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*] *Inscr.* ap. *Murat.* 1102, 5. Hanc pecun*iam* incol*is* Colon*iae* Aventicensium dari volo. Alia apud *Grut.* 110, 2. Incolae Aventicens. *F.*]

ĀVENTĪNENSIS et Aventiniensis, se, adj. ad Aventinum pertinens. *Festus* in *Nesi.* Ara Dianae Aventinensis. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 1. Aventiniensi Dianae immolare, *h. e.* quae in Aventino monte templum habet. *Inscr.* ap. *Grut.* 39, 5. Porticus Minervae Aventinens. ℙ [Est quoque cognomen Romanum ab incolatu in Aventino. *Inscr.* ap. *Grut.* 290, 2. Cn. Genucius Aventinensis. *F.*]

AVENTĪNUS, a, um, ad Aventinum montem pertinens. *Ov. Fast.* 3, 82. Aventina humus. Et *ib.* 728. arx. *Id. Fast.* 3, 329. silva. *Id. ib.* 4, 67. Aventinae herbae. *Prop.* 4, 1, 50. Remus Aventinus; *scil.* quiai n Aventino auspicatus fuit de urbe condenda, deque ejus imperio obtinendo, ut *Fest.* in *Remurinus* et *Liv.* 1, 6. docent. ℙ [*Vicus Aventinus* dictus olim, qui nunc *Voghenza* appellatur, a Foro Alieno, nunc *Ferrara*, urbe Italiae ad Padum sita, decem mill. pass. remotus, orientem versus. *Inscr.* ap. *Grut.* 1102, 5. M. Vettio M. F. An. Valenti Caesaris Nerv. Trajani Opt. Aug. Ger. Dacici Part. IIVir. Quinq. Praes. (*corrige* Praef.) Flamini, Auguri, patrono Coloniae Vicani Vici Aventini optimo civi, patrono suo. V. *Baruffaldi, Osservaz. intorno al Vico Aventino.* Ferrara. 1810. *F.*]

ĀVENTĪNUS, i, m. et Aventinum, i, n. unus e septem collibus urbis Romae, a Tiberi, a quo alluitur, secundum Velabrum et Appiam portam, ad portam usque Capenam excurrens, et ab ea conversus usque ad portam Ostiensem pertingens, indeque ad Tiberim rediens: longior, quam latior et angusta valle divisus duos vertices extollens. Quidam ita dictum putant ab *avibus*, quod eo se ab Tiberi ferrent aves: alii ab Aventino Albanorum rege, qui fuit filius Romuli Silvii, ibique sepultus est: alii ab *adventu* hominum, quod commune Latinorum ibi Dianae templum sit constitutum. Ego maxime, inquit *Varr. L. L.* 4, 7. ubi eas opiniones refert, puto ab advectu. Nam olim paludibus mons erat ab reliquis disclusus: itaque eo ex urbe qui advehebantur ratibus, quadrantem solvebant. Idem tamen *Varro De vita pop. Rom.* apud *Serv.* ad *A.* 7, 657. tradit Sabinos a Romulo in civitatem acceptos, hunc montem primos incoluisse, et ab *Avente* fluvio provinciae suae denominasse. ℙ Quando masculino genere effertur, additur vox *mons* vel certe intelligitur. Absolute usurpatur etiam neutro genere. *Hor. Ep.* 2, 2, 69. Extremo in Aventino. *Liv.* 1, 33. Ut jungeretur Palatio Aventinum. *Id.* 3, 67. Aventinum capitur. ℙ Fuit etiam *Aventinus* unus ex filiis Herculis. *Virg. A.* 7, 656. satus Hercule pulcro Pulcher Aventinus.

ĀVĔO, es, a. 2. verbum defectivum, *ἐπιθυμῶ, γλίχομαι*, cupio, concupisco. [*Derivat *Grotef. gr. lat.* II. §. 199. ab *ἄω*, *αὔω* i. e. anhelo, anhelando appeto.] Usurpatur fere cum alterius verbi infinito: raro cum accusativo. *Cic. Att.* 1, 15. Aveo scire quid agas. *Id. Fin.* 2, 14. Etiam quid in coelo fiat, scire avemus. *Id. Att.* 2, 18. Quam suspenso animo scire averes, quid esset novi. *Tac. A.* 4, 71. Avebat animus antcire. *Colum.* 3, 21. Si capere fructum aveat. *Lucr.* 3, 1096. dum abest, quod avemus. *Hor. Sat.* 1, 1, 93. finire laborem Incipias, parto, quod avebas. *Cic. Att.* 15, 11. *ad f.* Aveo genus legationis, ut cum velis introire, exire liceat. *Sil.* 9, 371. Aspera semper avens. Al. leg. *amans.* ℙ Pro valere, usurpavit *Mamertin. Gratiar. act. ad Julian.* Cum enim eum salutans Imperator dixisset *Ave consul amplissime*, respondit is *c.* 29. Aveo plane, Imperator et avebo. Neque enim eventus esse potest optati hujus ambiguus, cum is avere jubeat, qui jam fecit, ut averem. ℙ Scribitur et *haveo* cum aspiratione: sed sine ea est usitatius. ℙ Si *Paulo* credimus *Festi* epitomatori, significat etiam gaudere. [*V. AVE.] ℙ *Ave* in salutationibus, V. supra suo loco. ℙ [*Saepe confunduntur *avere* et *amare.* V. *Bentl.* ad *Hor. Ep.* 1, 14, 9. et *Drak.* ad *Sil.* l. l. et 12, 451. — et *habere*, *id. ib.* 15, 373. et 16, 209.]

ĀVERNĀLIS, le, adj. ad Avernum pertinens. *Hor. Epod.* 5, 26. Spargens Avernales aquas. *Ov. Met.* 5, 540. Avernales Nymphae. *Stat. Silv.* 2, 6, 101. Avernales Najades. *Prop.* 4, 1, 49. Avernalis tremulae cortina Sibyllae, *h. e.* quae apud Avernum lacum habitavit.

ĀVERNUS, a, um, adj. *Avernus locus* dicitur, unde teter exhalat odor et ubi aves non degunt: ab *α* privativa et *ὄρνις*, avis. *Lucr.* 6, 738. Nunc age Averna tibi quae sint loca cumque, lacusque, Expediam; quali natura praedita constent. Principio quod Averna vocantur, nomen id ab re Impositum est, quia sunt avibus contraria cunctis, etc. Adde *Sil.* 6, 154. ℙ Speciatim dicitur de Averno lacu Campaniae. *Virg. G.* 2, 164. Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis. *Id. A.* 6, 118. et *ib.* 564. Luci Averni. *Ov. Met.* 10, 51. Avernae valles. ℙ Item de ipsis Inferis. *Virg. G.* 4, 493. Stagna Averna. *Sil.* 15, 76. Tenebrae Avernae. *Ov. Met.* 14, 114. et *Sil.* 13, 601. Juno Averna, h. e. Proserpina.

ĀVERNUS, ni, m. *Ἄορνος*, lacus est in Campania, teste *Plin.* 3, 5, 9. apud antrum Sibyllae Cumanae, Cumis, Bajis et Puteolis proximus, Lucrinoque olim junctus: qui nunc dicitur *lago d' Averno* et *lago di Tripergola.* Ejus aquae densis opertae silvis adeo putentes olim fuerunt, ut supervolitantes aves odore gravi exanimatae deciderent,

ut *Varro* docuit apud *Plin.* 31, 2, 18. et *Lucr.* 6, 738. Unde nomen ab *a* privativa et ὄρνις, ιθος, avis, quia nullae ibi aves degerent. *Cic. Tusc.* 1, 16. Inde in vicinia nostra Averni lacus. Hinc fabulantur poetae, esse ibi descensum ad Inferos: ipsumque Avernum pro Inferis ponunt. *Mart.* 7, 46. taciti regnator Averni, *h. e.* Pluto. *Ov. Amor.* 3, 9, 27. Hunc quoque summa dies nigro submersit Averno. *Lucan.* 6, 636. Extractus Stygio populus pugnasset Averno. *Claud. Rapt. Pr.* 1, 116. Fulgidus umbroso miscebitur axis Averno. In plur. num. *Virg. A.* 7, 91. atque imis Acheronta affatur Avernis. ℙ Interdum poetica libertate confunditur cum Acheronte et Styge, ut in ACHERON ex *Servio* adnotavimus. *Stat. Th.* 11, 588. pigri sulcator Averni, *h. e.* Charon. ℙ Narrat idem *Serv.* ad *A.* 3, 442. lacum Averni ab Augusto fuisse purgatum, excisisque circa silvis salubrem redditum et amoenum: quod colligitur etiam ex *Mart.* 1, 63. ℙ *Id. Serv. ib.* docet, hanc vocem in plurali numero neutrius generis esse, quia dixit ibi *Virg.* et Averna sonantia silvis. Et *A.* 3, 732. Averna per alta. Sed ibi subaudiendum est *loca*; est enim adjectivum. V. v praec. ℙ Avernus ipse pro Deo est habitus et simulacro honestatus. *Serv.* ad *Virg. G.* 2, 162. simulacrum Avernisudasse memorat.

AVERRO, ris, erri, ersum, a. 3. verrendo amoveo: et translate aufero, asporto. *Licin. Macer* ap. *Prisc.* 10. p. 900. Quos oportuit amissa restituere, hisce etiam reliquias averrerunt.

AVERRUNCASSO. V. in v. seq.

AVERRUNCO, as, a. 1. ἀποτρέπω, averto, depello, prohibeo, ex *ab*, et *verruncо*, verto. Dicitur fere de malis, quae averti a nobis optamus. [*V. quae de h. v. disputavit *Gron.* ad *Liv.* 29, 27, 2.] *Cato R. R.* 141. Uti calamitates intemperiasque prohibessis, defendas averruncesque. *Cic. Att.* 9, 2. Contra igitur? Dii, inquis, averruncent. *Liv.* 8, 6. Placuit averruncandae Deum irae victimas caedi. *Id.* 10, 23. Eo anno prodigia multa fuerunt: quorum averruncandorum causa supplicationes in biduum senatus decrevit. *Arnob.* 1. p. 18. Haec procul a nobis averruncetur amentia. ℙ *Averruncasso, is*, antique pro *averruncavero, is*, ut *levasso, impetrasso*, etc. *Pacuv.* apud *Fest.* in *Verruncent*, et *Varr. L. L.* 6, 5. *a med.* Dii monerint meliora, atque amentiam averruncassint tuam. *Non.* 2, 49. haec verba *Lucilio* tribuit: at 10, 22. *Pacuvio.* ℙ *Averruncassere* futurum est infiniti antiquis usitatum, ut *impetrassere, expugnassere*, et alia. *Pacuv.* ap. *Non. l. c.* Possum ego istam capite cladem averruncassere? Ubi notandus est ablativus omissa praeposit, quae inest in ipso verbo. Simul advertendus modus hic conjungendi futurum infiniti cum verbo *possum*, per archaismum non imitandum.

AVERRUNCUS, i, m. ἀποτρόπαιος, qui mala depellit, avertit, arcet: et ita dicebatur a Latinis Deus malorum depulsor. *Varr. L. L.* 6, 5. *ad f.* A vertendo, averruncare: ut Deus, qui iis rebus praecst, averruncus. Itaque ab eo precari solent, ut pericula avertat. *Gell.* 5, 12. *in f.* In istis autem Diis, quos placari oportet, uti mala a nobis, vel a frugibus natis amoveantur, Averruncus quoque habetur et Robigus. [*De hoc voc. alii aliter. Faciunt agricolarum Deum, cui sacra facta, quando *runcantur*, i. e. a terra auferuntur fruges, a *rauca* s. *raucina*. Alia V. ap. *Gron.* l. l.]

AVERSABILIS, le, adj. dignus quem aversemur, fugiendus, abominandus, ἀπεχτός, ἀποτροπος. *Lucr.* 6, 389. Scelus aversabile. Quidam leg. *adversabile*, sed minus recte. *Arnob.* 7. p. 249. Aversabilis foeditas.

AVERSĀTIO, onis, f. actus aversandi, recusatio, fastidium, ἀποτροπιασμός. *Quint.* 8, 3. Mihi cernere videor et deformes utriusque blanditias, et eorum, qui aderant, tacitam aversationem ac timidam verecundiam. *Senec. Tranq.* 2. *a med.* Aversatio alienorum processuum, et suorum desperatio.

AVERSĀTRIX, icis, f. quae aversatur atque odit. *Tert. Anim.* 51. Non reliquiis animae adulatrix, sed crudelitatis aversatrix.

AVERSĀTUS, a, um, partic. ab *aversor, aris. Ov. Pont.* 3, 5. afflictum non aversatus amicum. ℙ Passiva significatione. *Aur. Vict. Epit.* 28. Petulantius cachinantem vultu notare aversato.

AVERSIM, adv. avertendo. *Cl. Mamert. de statu anim.* 1, 25. Duabus paribus lineis sive aversim positis, sive a capite contingentibus figura non clauditur. Al. leg. *adversim*, *h. e.* ex adverso. [*Ut apud *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1, 4. Una cum dictis adversim Philippum discumbit. *B. A.*

AVERSIO, onis, f. ἀποτροπή, fastidium, nauseatio. *Arnob.* 7. p. 231. Aversionibus stomachorum Dii laborant, et ad expellenda fastidia caporum varietas quaeritur, ut modo bis assa, modo cruda ponantur, semicocta modo et semicruda. ℙ Est hoc nomine figura rhetorum, quae a proposita quaestione abducit audientem, ut in illo *Virg. A.* 4, 425. Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem Aulide juravi. Est hoc schema species quaedam apostrophes, et fit multis et variis figuris, cum aut aliud exspectasse nos, aut majus aliquid timuisse simulamus, aut plus videri posse ignorantibus, quale est prooemium pro Coelio. Haec ex *Quint.* 9, 2, 38. [*Cf. *Aquila Rom.* p. 15. qui similiter explicat, et exemplo utitur *Cic. Rosc. Am.* 49. Rogat oratque etc. V. *Ernest. lex. rhet.* p. 37. sq.] ℙ Apud JCtos *aversione*, vel *per aversionem emere* vel *vendere* est aliquid simul et acervatim uno pretio emere vel vendere, sive illud sit unius tantum generis, v. gr., vinum in multa quantitate; sive plurium generum, ut supellex aliqua, instrumenta domus, et hujusmodi: ὠνεῖσθαι ἢ πωλεῖν ἀθρόως ἐν ὁμάδι; quod facere solebant sectores, qui, ut ait *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 23. *extr.*, bona contemnatorum semel auctionabantur, proque iis pecunias pensitabant singulis; ac postea pro compendio suo singulas quasque res pecunia populo venditabant. De hac re multa *Caj. Dig.* 18, 1, 35. Videtur autem *Hotomano* hac notione *aversio* non ab *avertendo*, sed ab *averrendo* deduci: quia omnia simul uno tempore quasi everriculo averruntur. *Modestin. Dig.* 18, 1, 62. Res aversione empta, vel si non dolo venditoris factum sit, ad periculum emptoris pertinebat. *Ulp. ib.* 6, 4. Vino per aversionem vendito finis custodiae est avehendi tempus. ℙ *Aversione* vel *per aversionem locare* aut *conducere aliquid* est ita locare vel conducere, ut non per partes vel mensuras, sed universim locetur aut conducatur. Verbi gratia, si navem amphorum duorum millium aversione conduxisti, pro duobus millibus pretium debes: si pro numero impositarum amphorarum merces constituta est, contra se habet; nam pro tot amphoris pretium debes, quot portasti, inquit *Labeo Dig.* 14, 2, 10. ex *Paulo.* Simili ratione opus aliquod aversione conductum, donec approbetur, conductoris periculo est. Quod vero ita conductum sit, ut in pedes mensurasve praestetur, eatenus conductoris periculo est, quatenus admensum non sit. Ita *Florent. ib.* 19, 2, 36. Sic *Ulp. ib.* 14, 1, 1. Navem a domino per aversionem conducere. ℙ Sunt qui has locutiones ita explicant, ut *aversione vendere* vel *locare* dicatur is, qui rei venditae vel locatae periculum omne a se in emptorem vel conductorem avertit: et *aversione emere* vel *conducere*, qui rei emptae, vel conductae periculum omne in se suscipit. Sed eodem recidit. Nam qui in universum aliquid vendit aut locat, nullum ejus rei periculum praestare solet: et qui ita emit, in se recipere consuevit. Sunt etiam qui *adversionem* malunt, ut *adversione emere* significet emere aliquid eo jure, ut omnis ejus rei fructus in ementis commodum vertantur. Atque in hunc sensum trahunt locum *Tert. adv. Marc.* 2, 13. quem tamen alii aliter explicant. Sed in optim. edd. Dig. *Torrentini*, *Haloandri* et aliis *aversio*, non *adversio* constanter legitur. ℙ Denique *aversio* sumitur pro animo averso, odio, *Dictys B. Trojan.* 4, 18. Non metu mortis se patriam deserere, sed Deorum coactum aversione. *Auct. B. Hisp.* 22. Ex aversione legatos jugularunt. Al. aliter leg.

AVERSOR, aris, atus sum, dep. 1. ἀποτρέπομαι, ἀποτροπιάζομαι, vultum alio verto, et fastidium aut indignationem significo: et generatim refugio, recuso, abominor. *Cic. Verr.* 2, 2, 76. Quaerere incepimus de Carpinatio, quisnam esset is Verrutius: haerere homo, aversari, rubere. Al. leg. *adversari*: al. *versari*. *Id. Cluent.* 63. Aversari advocati et jam vix ferre posse. *Liv.* 8, 7. Extemplo filium aversatus [*i. e. videre noluit, rejecit. *Id.* 3, 12. alii aversabantur preces, i. e. effugiebant; non ut *Scheller.* explicat: abominabantur. *q.*] *Ov. Pont.* 2, 3, 5. afflictum non aversatus amicum. *Id. Fast.* 1, 5. Aversari honores. *Tac. A.* 14, 51. aspectum alicujus. *Liv.* 3, 12. *in f.* preces. *Suet. Tib.* 27. adulationes. *Curt.* 8, 10. imperium, *h. e.* detrectare. *Id.* 6, 7. scelus. *Ov. Am.* 3, 11, 38. crimina. ℙ [*Permultis in locis *aversari* et *adversari* a librariis permiscentur. Videtur enim medio aevo moris fuisse, ut ubique scriberent *adversari* et utroque voc. promiscue uterentur. V. *Ernest.* ad *Tac. Hist.* 1, 1.]

AVERSOR, oris, m. qui aliquid avertit, et intercipit. *Cic. Verr.* 2, 5, 58. Verres aversor pecuniae publicae.

AVERSUS, a, um, part. verbi *averto*, ἀποτρεπόμενος, i. e. in aliam partem conversus. *Plin.* 2, 80, 82. Aversus fluminum cursus. *Id.* 4, 12, 26. sol. *Colum.* 12, 4. locus a sole. *Liv.* 2, 8. *in f.* Aversus a proposito, *h. e.* digressus, seu omittens id, quod agebat. *Id.* 40, 57. *in f.* Romanis aversis in Bastarnarum bellum, recuperaturum se quae amisisset. Et 43, 18. Ne quid, averso se in Romanum bellum, periculi subesset. ℙ *Pecunia aversa* dicitur quae in alios usus insumpta est, ac destinata erat, ablata, intercepta. *Cic. Verr.* 2, 1, 13. Aversa pecunia publica. Sic *Id. ib.* 2, 3, 69. *in f.* Innumerabilis frumenti numerus aversus a republica. Huc pertinet *oneris aversi actio* apud JCtos: et dicitur ea, quae datur adversus nautam, cujus in nave onus seu sarcina aliqua ejus culpa interversa ac surrepta sit. *Alfen. Dig.* 19, 2, 31. An ceteri pro sua parte frumenti cum nauta agere possent oneris aversi actione, etc. ℙ Est item *aversus*, qui in posteriorem partem versus est: cui opponitur *adversus*. *Cic. Fam.* 15, 4. Cum viderem copias a Cappadocia aversas, *h. e.* quae terga verterent Cappadociae, et ab ea discesserant. [*Liv. 34, 14. adeo turbati erant, ut quosdam Consul — aversos in hostem verterit, i. e. quaerentes fugam.] *Galba* ad *Cic. Fam.* 10, 30. Aversos hostes aggredi, i. e. tergo. [*Caes. B. G. 1, 26. 2, 26. *Sil.* 7, 595. Sed *Caes. B. C.* 2, 12. *milites aversi a proelio* sunt ii, qui non amplius pugnant. V. infra.] Et *Virg. G.* 4, 423. juvenem in latebris aversum a lumine Nympha Collocat. *Id. A.* 6, 224. subjectam more parentum Aversi tenuere facem. *Plin. Pl. Rud.* 1, 2, 87. Aversus dextrovorsum. *Plin.* 8, 36, 54. Ursi arborem aversi derepunt. [*Prop. 4, 9, 12. aversos cauda traxit in antra boves] *Plin.* 11, 37, 47. et *ib.* 52, 113. Aversa pars capitis, *h. e.* occiput. [*Suet. Ner.* 48. ad aversam villae parietem evasit; *aversae* opp. *adversa. Tac. A.* 1, 66. aversa hosti porta.] *Plin.* 7, 2, 2. Homines aversis post crura plantis. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 8. Theatra duo inter se aversa, *h. e.* a postica parte se respicientia. *Juven.* 6, 475. Si nocte maritus Aversus jacuit, *h. e.* tergum vertens. *Mart.* 11, 43. Briseis multum quamvis aversa jaceret. [*Huic simile est ap. *Ov. Her.* 12, 63. disjectamque comas aversaque in ora jacentem invenit, i. e. ore in culcitis condito vel abdito, ut facere solent pudore et moestitia agitati.] ℙ Item inversus. *Val. Fl.* 4, 332. averso siccabat vulnera caestu. *Plin.* 11, 45, 103. et 28, 4, 11. Aversa manus. *Mart.* 8, 62. Scribere in charta aversa, *h. e.* in tergo, ut ait *Juven.* 1, 6. ℙ *Aversum, si*, absolute. *Liv.* 37, 27. Ad aversa insulae trajicere. *Vell.* 2, 63. Per aversa castrorum. [*V. *Ruhnk.*] *Plin.* 4, 11, 18. Aversa montis. *Id.* 37, 8, 33. Aversa Indiae, *h. e.* ultimae et longinquiores regiones Indiae. *Id.* 11, 45, 101. Suffraginum artus in aversum. Et *ib.* 47. Circumagere collum in aversum. ℙ Translate significat alienum, abhorrentem, iratum, inimicum, contrarium. *Virg. A.* 2, 170. fractae vires, aversa Deae mens. *Id. ib.* 12, 647. Aversa voluntas. *Hor. Sat.* 1, 5, 29. aversos componere amicos. [*Liv. 37, 7. virum sicut ad cetera egregium, ita a comitate, quae sine luxuria esset, non aversum.] *Id.* 24, 26. Aversis auribus animisque. *Petr. Sat.* 141. Stomachus aversus, *h. e.* cibum fastidiens. *Tac. H.* 4, 80. Aversus animus. [*Id. A.* 14, 26. avèrsi nobis animis.] *Cic. Tusc.* 4, 15. Motus aversi a ratione et inimicissimi mentis. *Cic.* ad *Brut.* 1, 16. Dii aversi a salute populi Romani. *Id. Arch.* 20. Aversus a musis. *Id. Cat.* 3, 9. Aversus a vero. *Id. Att.* 11, 5. *in f.* Aversissimo animo esse ab aliquo. *Senec. Ira* 2, 24. Vultus aversior. *Id. ep.* 50 Aversissimus ab istis prodigiis sum. Et omissa praeposit. quae inest in ipso verbo. *Hor. Sat.* 2, 3, 107. Aversus mercaturis. *Colum.* 12, 1. Villicus aversus contubernio. Nisi malis his locis esse dativum casum. Nam et hunc regit. *Quint.* 7, 1. Judex reliquorum defensioni aversior. [*Dativos esse vult his locis *Hdf.* ad *Hor.* l. l., qui alia quoque affert.] ℙ Cum genitivo more Graeco. *Tac. A.* 14, 20. Quos nobis ob regem aversos animi cognoverat. ℙ Comp. *Aversior*, et Sup. *Aversissimus.* V. supra. ℙ [*Confunduntur innumerabilibus locis *aversus* et *adversus.* V. ADVERSUS, a, um, et *Burm.* ad *Virg. A.* 6, 832. 11, 691. etc.]

AVERTA, ae, f. ἀποχής, pera, mantica, quae equo imponitur in itinere. Ita *Acron Schol. Hor.* ad *Sat.* 1, 6, 106. interpretatur. Videtur autem inde nomen sumpsisse, quod in aversa seu posteriore equi parte ferri solet. *Imp. Leo Cod.* 12, 51. qui est *De cursu publico*, 12. Sexaginta libras sella cum frenis, sexaginta itidem averta non transeat. In *Cod. Theodos.* 8, 5, 47. haec eadem verba habentur. *Imppp. Valent., Theod. et Arcad. ib. l.* 48. Sint praeterea duo palatini prosecutores singularum rhedarum, cum tribus servis, habentes quinquagenarum librarum avertas, etc. *Edict. Diocl.* p. 24. Avertae primae formae mille quingentis. Ex quibus satis liquet, perperam a *Bud. in Adnott. poster. in Pandect.* accipi *avertam* pro loro latiore, quod per terga equi excurrit, sub alis ejus succinctum: et ab *Accursio* et *Alciato* pro pectorali equi vel ornamento, quo habenae figuntur.

AVERTARIUS, ii, m. subaudi *equus*, est qui ferendis avertis, seu manticis in itinere assumitur. *Impp. Valent. et Valens Cod. Theod.* 8, 5, 22. Ut parhippum vel avertarium nullus accipiat, nisi, etc.

AVERTENS, tis, partic. ab *averto*, qui avertit. *Avertentes Dii* sunt, qui praesunt malis avertendis et propulsandis, qui *et Averrunci* dicuntur. *Tarquitius Prisc.* ap. *Macr. Sat.* 2, 16. Arbores, quae inferum Deorum avertentiumque in tutela sunt.

AVERTO, is, erti, ersum, a. 3. ἀποτρέπω, ab una in aliam partem verto, abduco, removeo: ex *a* et *verto*: cui contrarium est *adverto. Cic. Phil.* 5, 14. Lepidus, Antonio diadema Caesari imponente, se avertit. *Id. Balb.* 5. Removere oculos et se totum avertere. [*Liv. 22, 28. avertit oculos hostium, i. e. in alium locum convertit. *Id.* 6, 23. tota in se averterat castra, i. e. a Camillo in se converterat. *q.*] *Cic. N. D.* 2, 60. *in f.*

Flumina arcere, dirigere, avertere. *Id. Caecin.* 12. Repellere, fugare, avertere aliquem. *Id. N. D.* 2, 56. Avertere aliquid ab oculis alicujus. [**Id. Rep.* 2, 35. Censores multis dicendis vim armentorum a privatis in publicum averterant.] *Caes. B. G.* 1, 16. iter ab aliquo loco. *Cic.* ad *Brut.* 1, 3. hostem ab urbe. *Pl. Rud.* 1, 2, 76. scapham ab saxo ad litus. [**Liv.* 21, 49. tres (naves) in fretum avertit aestus, i. e. detulit. Aliter habet locus *Ejusd.* 23, 32. erant, qui Magonem cum classe ea copiisque, omissa Italia, in Hispaniam averterent, i. e. missuri, dimissuri erant. *q.*] *Liv.* 4, 20. ora civium a curru dictatoris in se. *Pl. Amph.* 3, 2, 18. Te volo uxor colloqui: quonam te avertisti? *Alc.* ita ingenium meum est: inimicos semper osa sum obtuerier. *Cic. Phil.* 6, 7. Avertere conatus alicujus a republica. *Id. Mur.* 21. aliquem a spe adipiscendi. *Liv.* 23, 18. ab incepto. *Cic. Att.* 9, 10. ab amore. Et *ib.* 16, 7. ab infamia. *Id. Amic.* 1. et *Or.* 40. et *Sext.* 31. mentem, *aut* animum alicujus ab aliqua re. *Id. Fam.* 6, 1. cogitationem a miseriis. *Liv.* 3, 24. certamen ab lege in disceptationem comitiorum. *Caes. B. C.* 1, 4. se totum ab amicitia alicujus. *Suet. Ner.* 52. aliquem a philosophia. *Tac. A.* 15, 45. a se invidiam. *Cic. N. D.* 3, 8. Avertere orationem. *Suet. Oth.* 3. suspicionem. *Id. Claud.* 29. Ad avertendum transferendumque periculum. [**Id. Cal.* 68. ad avertendos rumores in Senatum.] *Hor. Ep.* 2, 1, 136. Avertere morbos. *Id. Sat.* 1, 5, 14. ranaeque palustres Avertunt somnos. *Sall. Jug.* 119. Avertere animos popularium. Sic *Id. fr. Hist.* 4. *in ep. Mithrid.* §. 6. aliquem per dolum. *Virg. Ecl.* 8, 66. sensus sanos alicujus sacris magicis, *h. e.* incantamentis a sanitate mutare, pervertere. ℙ Saepe habet post se solum accusativum cum praeposit. *in* vel *ad:* et tunc intelligitur semper ablativus aliquis. *Liv.* 22, 19. Avertere classem hostium in fugam, *supple* a proelio. *Id.* 31, 11. culpam in alium, *h. e.* a se avertere, et in alium transferre. (Eodem modo locutus est *Quint.* 11, 1.) *Id.* 36, 7. aliquem in cogitationem alicujus rei. Et *mox:* se ad consuetum imperium. [*Non necesse est suppleas verbum aliquod. Est potius praegnans loquendi genus, ubi duae notiones in unam quasi conjunguntur, ut saepe fit in Graeco sermone.] ℙ Passive. *Caes. B. G.* 1, 20. Qua ex re futurum, uti totius Galliae animi a se averterentur, *h. e.* alienarentur. *Stat. Silv.* 2, 1, 7. Odistique chelyn surdaque averteris aure, *h. e.* audire recusas. *Petr. Sat.* 110. Libidine averti usque ad furorem, *h. e.* prae libidine a recto et honesto discedere usque ad furorem. *Sall. Jug.* 107. Bocchus statim avertitur, *h. e.* fugatur. ℙ Et deponentis more cum accusativo. *Virg. G.* 3, 499. Equus fontes avertitur, *h. e.* avertit se et fontes fastidit. [**Voss.* comparat Gr. ἀποστρέφεσθαι τὸ ὕδωρ et νοσφίζεσθαι.] *Petr. Sat.* 124. Mitis turba Deum terras exosa furentes Deserit, atque hominum damnatum avertitur agmen. Adde *Stat. Th.* 6, 192. [**Virg. A.* 4, 106. Lybicas averteret oras, regnum Italiae.] ℙ *Dii omen avertant*, formula deprecantis malum omen. *Cic. Fam.* 12, 6. Qui si conservatus erit, vicimus: sin (quod Dii omen avertant) omnis omnium cursus est ad vos. Sic *Id. Phil.* 4, 4. Quibus M. Antonius (o Dii immortales avertite et detestamini, quaeso, hoc omen) urbem se divisurum esse promittit. ℙ *Avertere pecuniam*, aut rem hujusmodi aliam, est intervertere, intercipere, auferre. [**Gron. obss.* 4, 5. avertere, inq., proprium est de iis rebus, quas ex aliena in nostram potestatem et ditionem, ut plurimum fraude et malis artibus, redigimus. Cf. *Drak.* ad *Sil.* 3, 321. *Hdf.* ad *Hor. Sat.* 2, 4, 37. coll. *Bentl.*, qui male *averrere* legi vult.] *Cic. Verr.* 2, 1, 4. Reperiemus, quibus probemus, istum in quaestura pecuniam publicam, Carboni consuli datam, avertisse. *Id. Fam.* 12, 26. Ne patiare, Erotem Turium, ut adhuc fecit, hereditatem Turianam avertere. *Caes. B. G.* 3, 59. Stipendium equitum fraudabant, et praedam omnem domum avertebant. *Catull.* 64, 5. Auratam optantes Colchis avertere pellem. *Liv.* 37, 8. *extr.* Ingentem praedam intra paucos dies averterunt. [**Virg. A.* 1, 472. ardentisque avertit equos in castra (Tydides), i. e. abducit.] ℙ Habet interdum ablativum sine praeposit., quae inest in ipso verbo. *Hor. Sat.* 2, 4, 37. cara pisces avertere mensa. [*V. quae paullo ante annotavimus, coll. *Hdf.*] *Virg. A.* 1, 42. Nec posse Italia Teucrorum avertere regem. *Lucr.* 4, 1266. atque locis avertit seminis ictum. *Stat. Th.* 7, 110. animumque avertere veris. Adde 4, 92. et *Catull.* 64, 407. ℙ Raro dativum. *Colum.* 6, 37. Ne femina admissario ascendenti avertere se possit, *h. e.* vertere se a suo loco contra admissarium. *Prop.* 3, 23, 9. Quod mihi non patrii poterant avertere amici, *h. e.* a me avellere. *Val. Fl.* 3, 491. Avertere aliquem alicui, *h. e.* abducere. ℙ Nonnunquam usurpatur sine casu, more neutrorum, et significatione passiva: ita tamen ut accusativus aliquis facile intelligatur. [**Pl. Mil.* 2, 2, 50. ecce avortit. Et *ib.* 4, 2, 83.] *Virg. A.* 1, 406. Dixit et avertens rosea cervice refulsit, *h. e.* avertens se. *Id. ib.* 108. tum prora avertit, et undis Dat latus. *Gell.* 4, 18. Id cum dixisset, avertit, et ire in Capitolium coepit. [**Id.* 1, 8. ubi alii *avertitur.*] Adde *Sil.* 15, 587. et *Sever. Aetn.* 150. ℙ [Part. *Aversurus* apud *Liv.* 31, 7. Aversuri bellum. *F.* *Commutantur saepissime *avertere* et *advertere.* V. ADVERTERE.; *avertere* et *avellere*, V. supra. — et *avehere*, *Burm.* ad *Virg. A.* 1, 512.]

AUFANIAE matronae, de quibus mentio est in duabus *Inscr.* ap. *Spon. Miscell.* p. 106. Pro salute Dom. N. Imp. L. Sept. Severi Aug. totiusque domus ejus Aufaniis matronis et matribus Pannoniorum et Delmatarum Ti. Cl. Pompejanus Trib. Mil. Leg. I. Minerviae loco exculto cum discubitione et tabula V. S. *Alia* p. 107. Matronis Aufaniabus T. Albinius Januarius V. S. L. M. Quae vero fuerint hujusmodi *Matronae Aufaniae* ignorare se idem *Sponius* affirmat. Videntur tamen nomen habuisse ab oppido vel pago iisdem in provinciis sito. V. MATRONA. [*ita haec immutavit *Furl.* In IIda ed. a *Forc.* manu haec leguntur: Auf. M., de quibus mentio fit in *Inscr.* apud *Grut.* p. 90. *n.* 11. et apud *Reines. class.* 1. *n.* 175. videntur rectius appellandae *Taufaniae* a Dea Taufana, cujus templum celeberrimum fuit apud Marsos Germaniae populos, ut in *Tac. A.* 1, 51. legitur. Ita de his judicat ipse *Reines.* l. l.]

AUFEIA Lex dicta est a quodam Aufejo trib. pleb., qui tulerat de restituenda Ariarathis filio possessione regni paterni Cappadociae, quod armis Mithridates occupaverat. Contra quam dixit C. Gracchus: ejusque orationis fragmentum exstat apud *Gell.* 11, 10. [**et Gronov.* ad h. l.] ℙ Praeterea *Aufeja* dicta est primum ea aqua, quae postea *Marcia* appellata est, teste *Plin.* 31, 3, 24. ℙ Quia vero *Aufejae familiae* nulla alibi in veteribus monumentis mentio fit, mallent eruditi *Saufeja* utroque loco reponi, quae ex *Cicerone*, ex nummis, ex lapidibus celeberrima est.

AUFĔRO, ers, abstuli, ablatum, a. anom. ἀφαιροῦμαι, ἀποφέρω, tollo, adimo, detraho, abduco: ex *au*, et *fero* (V. AU.) Saepe ponitur pro tollere, removere, asportare. *Ter. Andr.* 1, 1, 1. Vos isthaec intro auferte. *Pl. Men.* 4, 3, 16. Tibi habe, aufer, utere. *Id. Mil.* 3, 1, 165. Remove, abi, aufer. [*Cf. *Hdf.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 236.] *Pl. Aul.* 3, 6, 46. Auferre aulam in fanum. *Id. Asin.* 2, 4, 18. stercus ab janua. *Id. Men.* 4, 2, 63. Aufer manum, *h. e.* abstine manum; ne tangas. *Ter. Ad.* 5, 8, 14. Insanis? aufer, *h. e.* vel te, vel manum: aut pro eo, quod est *abi*, ut sit, *aufer te.* Ita *Donatus.* *Cic. Fin.* 2, 8. Asoti, qui in mensam vomant, et qui de conviviis auferantur. Sic *Or.* 8. *extr.* Quis eum ferret? aut quis potius non juberet auferri? *Pl. Amph.* 1, 1, 203. Auferere, non abibis, si ego fustem sumpsero. *Tac. Agr.* 31. Hi per delectus alibi servituri auferuntur. *Sil.* 10, 280. Auferre equum calcaribus, *h. e.* subducere, alio agere. ℙ *Auferre se* est abire, amovere se, abripere se. *Pl. Rud.* 4, 3, 93. Te obsecro hercle, aufer te modo. *Id. Asin.* 2, 4, 63. Aufer te domum. *Ter. Ph.* 3, 3, 26. Aufer te hinc. *Virg. A.* 11, 713. conversisque fugax aufertur habenis. *Id. ib.* 867. Opis ad aetherium pennis aufertur Olympum. ℙ Cum ablat. sine praeposit. *Phaedr.* 1, 8. Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput Incolume abstuleris, et mercedem postules. ℙ Significat etiam omittere, linquere. *Ter. Ph.* 1, 4, 46. Aufer mihi *oportet:* quin tu quod faciam, impera. [*Similia comparat *Ruhnk.* ad h. l., conferre jubens *Burm.* ad *Phaedr.* 3, 6, 8.] *Pl. Curc.* 2, 1, 30. Aufer ista, quaeso; atque hoc responde, quod rogo. *Id. Pers.* 5, 2, 19. Jurgium hinc auferas. *Id. Truc.* 4, 4, 8. Aufer nugas. Et seq. infinito *Hor. Sat.* 2, 7, 44. aufer me vultu terrere. ℙ Item accipere ab aliquo, impetrare, consequi, obtinere. [*Exemplis illustravit hanc signif. *Graev.* ad *Cic. Div.* 6, 12. Ambiguitas quaedam est in h. v. ap. *Suet. Caes.* 54. ibique *Brem.*] *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 58. Tuo arbitratu, dum auferam abs te id, quod peto. *Cic.* ad *Planc.* post *ep.* 16. *l.* 16. ad *Att.* Verba fecimus pro Buthrotiis: liberalissimum decretum abstulimus. *Id. Quint.* 9. Unde eo plus opis auferret, quo minus attulisset gratiae. *Id. Or.* 1, 56. Auferre responsum ab aliquo. *Id. Quint.* 5. paucos dies ab aliquo. *Pl. Rud. prol.* 20. litem. *Hor. Ep.* 2, 1, 55. aufert Pacuvius docti famam senis, Accius alti. *Cic. Verr.* 2, 1, 8. Quis est in populo R., qui hoc non ex priore Actione abstulerit, omnium ante damnatorum scelera, si in unum locum conferantur, vix cum hujus parva parte aequari posse? *h. e.* non didicerit, cognoverit. *Asconius:* pro certo habuerit, persuasum sibi crediderit. Huc et illa pertinent *Pl. Asin.* 4, 1, 7. Suspendas potius me, quam tacita haec tu auferas, *h. e.* obtineas, ut haec a me taceantur. *Ter. Andr.* 3, 5, 4. Id inultum nunquam auferet. [*Hac significatione saepius utuntur simplici *ferre*, quod V.] Et *Ad.* 3, 5, 8. Nisi facient, quae illos aequum est, haud sic auferent. ℙ Joculariter *Plautus* de eo, qui malum aliquod reportat, *Amph.* 1, 1, 298. Si me irritassis, lumbifragium hinc auferes. ℙ Pro extorquere. *Cic. Verr.* 2, 2, 59. Quoties et quot nominibus a Syracusanis statuas auferes? ut in foro statuerent, abstulisti: ut in curia, coegisti. [*Hoc nihil differt a superioribus.] ℙ Saepissime ponitur pro adimere, detrahere. *Cic. Div. in Verr.* 5. Eripere et auferre alicui aliquid. *Id. Quint.* 27. Auferre et abducere aliquid. *Id. Or.* 62. Detrahere, auferre, tollere. *Id. Verr.* 2, 4, 16. Ab hoc abaci vasa omnia abstulit. *Id. Att.* 7, 21. Pecuniam de aerario auferre. *Id. Or.* 2, 60. pecuniam in ventrem, *h. e.* in ventrem insumendam. *Id. Q. Fr.* 3, 4. alicui auriculam mordicus. *Liv.* 23, 45. et *Virg. A.* 9, 332. alicui caput. [**Tac. H.* 4, 48. legionem alicui.] *Quint.* 9, 2. *ad f.* alicui vitam veneno. *Cic. Verr.* 2, 5, 45. alicui spiritum cum cruciatu. *Id. Off.* 3, 2. *in f.* alicui spem imitandi. *Id. Amic.* 23. Aufert solitudo fructum voluptatum omnium. *Hor. Od.* 2, 16, 15. Timor aufert somnos. [**Liv.* 3, 12. aetas fervorem et audaciam.] *Tibull.* 3, 6, 3. Auferre dolorem. *Virg. A.* 12, 316. metum. [**Tac. H.* 3, 85. deformitas oris abstulerat misericordiam. *Ib.* 1, 80. nox obsequia meliorum.] *Flor.* 3, 10. fugam alicui, *h. e.* impedire, ne fugiat. *Plin.* 23, 1, 6. fastidium. *Id.* 14, 22, 28. alicui gloriam. *Id.* 16, 30, 53. Arbor non aufert solum. *Cic. Verr.* 1, 2, 10. Hi ludi dies quindecim auferent. *Plin.* 4, 12, 24. Mare septem stadiorum intervallo Europam auferens Asiae, *h. e.* ab Asia separans. Sic 6, 9. Armenia Euphrate amne aufertur Cappadociae. [*Hinc i. q. furari. *Liv.* 6, 15. *extr.* eo plus vereor, ne abstuleritis observantibus etiam oculos. Est proverbium, quod ad eos spectat, qui summa calliditate vel acutissimos fallunt. *q.*] ℙ Eleganter mors *auferre* dicitur. *Hor. Od.* 2, 16, 29. Abstulit clarum cita mors Achillem. *Vell.* 2, 55. *in f.* Labienum Varumque acies abstulit. [**Liv.* 7, 8. quidquid hinc aut illinc communis Mars belli aufert, i. e. qui in proelio cadunt. *q.*] ℙ Eximere, subducere. *Plin. ep.* 6, 20. Auferri periculo. *Flor.* 1, 3. Abstulit virtus parricidam. ℙ Item abripere, rapere, ferre. *Plin.* 10, 12, 16. Bubo volat nunquam quo libuit, sed aufertur transversus. *Ov. Met.* 9, 592. Auferor in scopulos. [**Prop.* 1, 8, 14. aufert unda rates. Cf. *Oud.* ad *Lucan.* 9, 319. et *Bentl.* ad *Ter. Ph.* 4, 4, 8. *Drak.* ad *Liv.* 35, 11, 10. *Ov. Met.* 1, 306. cervus ablatus, sc. undis.] *Sil.* 10, 72. mediosque aufertur in hostes. *Tac. A.* 4, 73. Pavore fugientium auferebantur. *Flor.* 2, 6. Annibalem aut fatum Urbis, aut ipsius mens mala in diversum abstulerunt, *h. e.* post Cannensem pugnam ab urbe recedere coegerunt. *Quint.* 12. *Prooem.* Auferri in altum, *h. e.* provehi: ductum a navigantibus. ℙ Translate. [*Est *auferre* hoc sensu i. q. de statu mentis dejicere, ut non sis compos animi et consilii; in diversum deducere de pristina sententia animi cupiditatibus aliisque rebus. V. *Gron.* ad *Liv.* 35, 11, 10. *Burm.* ad *Ov. Her.* 6, 131. (*ib.* 15, 140.) coll. *Am.* 2, 4, 8. et cf. *Clav. Cic.*] *Cic. Fam.* 2, 7. Te hortor, ut omnia gubernes prudentia tua; ne te auferant aliorum consilia, *h. e.* transversum agant, et a recta sententia dimoveant. *Plin.* 28, 1, 1. Auferre aliquem transversum, *h. e.* vi et impetu quodam ab instituto deducere. *Id.* 27, 13, 120. Quae contemplatio aufert rursus nos ad ipsorum animalium naturas, *h. e.* rapit, trahit. Sic 36, 15, 24. *n.* 8. Aufert animum et digredi cogit contemplatio, etc. [**Quint.* 4, 5, 6. affectibus perturbandus et ab intentione auferendus auditor. *Id.* 12, 1, 36. judici auferre veritatem.] *Liv.* 35, 40. Abstulerunt me velut de spatio Graecae res immixtae Romanis, [*i. e.* ab incepto abduxerunt. *q.*] *Quint.* 8, 3. Auferri admiratione. *Ov. Rem.* 343. Auferimur cultu, *h. e.* allicimur ad amandas puellas ab earum cultu et decipimur. *Hor. Sat.* 1, 5, 83. Somnus me aufert. ℙ In illo *Corn. Severi in fr. de morte Cicer. ap. Senec. Suasor.* 7. sed enim abstulit omnes, Tanquam sola foret, rapti Ciceronis imago: *auferre* est tegere, obscurare, ita perstringere oculos, ut ad alia non advertant. ℙ *Auferre ruinam* ap. *Lucan.* 7, 505. est trahere, ruinam facere. ℙ *Auferendi casus* apud Grammaticos est ablativus. V. *Voss. l.* 3. *de Gramm. c.* 45. ℙ Part. [*Ablaturus* ap. *Pers.* 1, 100. Et raptum vitulo caput ablatura superbo. *F.*]

AUFĪDĒNAS, atis, adj. comm. gen. ad Aufidenam pertinens, Samnii urbem, nunc *Alfidena* ad Sarum amnem prope Aeserniam. *Plin.* 3, 12, 17. Samnitium Aufidenates, Aesernini, Saepinates.

AUFĪDIA Lex de ambitu lata fuit a M. Aufidio Lurcone Trib. pleb. an. U. C. 693. M. Valerio Messala, M. Pupio Pisone coss. Haec ad alias ambitus poenas hoc addebat, ut qui nummos in tribus pronunciasset, si non dedisset, impune esset; si dedisset, quoad viveret, singulis tribubus HS. CIↃ CIↃ CIↃ deberet. *Cic. Att.* 1, 16.

AUFĪDIĀNUS, a, um, adj. ad Aufidium pertinens. Est autem *Aufidius* Romani hominis nomen proprium. *Cic. Fam.* 16, 19. De Aufidiano nomine nihil te hortor, *h. e.* de ea pecunia, quam debet Aufidius.

*AUFĪDIĒNUS RUFUS, insignis castrorum prae-

fectus, tempore Tiberii Imperatoris. *Tac. A.* 1, 20. *B. A.*

*AUFIDIUS, a, um, adj. V. *Aufidia Lex.* ℙ Aufidius Bassus, nobilis fuit historicus, Quintiliani tempore. De rebus Germanicis Historiam scripsit. *Plin. Praefat. med.* et 6, 9. *Quint.* 10, 1. *Plin. Ep.* 3, 5. *ante med.* Ejus filium Bassum Aufidium meminit *L. Senec. ep.* 30. ℙ Cneius Aufidius, civis Romanus, vixit sub finem regni Ptolemaei Lathuri. *Plin.* 6, 9. *Cic. Tusc.* 5, 39. *Id. Fin.* 5, 19. et pro *Dom.* 13. ℙ Aufidius Luscus, Fundorum Praetor. *Hor. Sat.* 1, 5, 34. ℙ M. Aufidius Fronto, Consul, cum P. Corn. Anulio, an. U. C. 951. ℙ Aufidius Victorinus, bis Consul et Praefectus Urbi, inter condiscipulos et amicos M. Antonini. *Capitol.* in *Antonino*, *c.* 3. *B. A.*

AUFĬDUS, i, m. nunc *l' Ofanto*, fluvius Apulorum, qui oritur in principatu ult. ex Apennino M. in fin. Hirpinorum, quem secat, supra Compsam 6. M. P. quam alluit, et inter Daunios, et Peucetios, illos separans in mare Adriaticum defertur. Fertur autem cursu valde praecipiti, cum per montium declivia longo spatio defluat. Hinc *longe sonantem* appellat *Hor. Od.* 4, 9, 2. et *violentum* atque *acrem ib.* 3, 30, 10. et *Sat.* 1, 1, 57. Vocat etiam *tauriformem Od.* 4, 14, 25., quia multis flexibus decurrit, et imbribus valde auctus, furentis tauri more has et illas ripas impetere videtur. Saepe autem a poetis cornua fluminibus tribui solent. ℙ Adjective *Sil.* 10, 171. Aufida stagna.

*AUFĪNA, ae, f. vel Aufinum, i, n. Italiae oppidum, in regione Vestinorum, Aquilam inter et Pinnam, hodie *Ofena*. Hinc

*AUFĪNAS, atis, adj. comm. gen. ad Aufinam pertinens, Vestinorum oppidum, nunc *Ofena*. *Plin* 3, 12, 17. Vestinorum Angulani, quibus junguntur Aufinates cismontani. *B. A.*

AUFŪGIO, ūgis, ugi, n. 3. *ἀποφεύγω*, alio fugio, diffugio, abscedo: ex *au* et *fugio*. (V. AU.) *Cic. Fam.* 13, 77. Cum multos libros surripuisset, aufugit. *Ter. Hec.* 3, 4, 10. Aufugerim potius, quam redeam. *Pl. Men.* 5, 3, 5. Ne me indicetis, qua platea aufugerim, *Id. Mil.* 2, 6, 99. Jam aliquo aufugiam. *Id. Capt.* 4, 2, 95. Aufugere domo. *Liv.* 1, 55. ex aliquo loco. *Pl. Ps.* 4, 3, 14. Aufugere exulatum. *Id. Aul.* 1, 2, 16. Tu aquam aufugisse dicito, si quis petet. *Q. Catulus* ap. *Gell.* 19, 9. Aufugit mi animus. *Appul. Apol. ad f.* Aufugere ad aliquem. ℙ Cum accusativo. *Cic. N. D.* 2, 43. ex *Arat.* Andromeda aufugiens aspectum moesta parentis. [*Hdf. ex codd. nonn. scripsit: *Andromede fugiens*, quia in nullo loco certa est haec cum accus. constructio. *Orell.* tamen retinuit: *Andromeda aufugiens.*] Al. leg. *haud fugiens. Prop.* 1, 9, 30. assiduas aufuge blanditias. Al. leg. *effuge*. [*V. intpp. ad h. l.] *Petr. Sat.* 81. Aufugi judicium. Al. leg. *au fugi. Hyg. fab.* 258. Quae sol, ne polluceretur, aufugit. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 3, 23, 1. Ab his, quos aufugit, comprehensus.

[AUGAZO, onis, m. qui splendet, ab *αὐγάζω*, splendeo. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 21. M. Tuccius Augazo. *F.*]

AUGĒ, es, et Augēa, ae, f. *Αὐγή*, *Αὐγεία*, Alaei Arcadis filia, et Minervae sacerdos, ex qua Hercules Telephum genuit: sed mox neglectam cum partu, arcaeque inclusam mari exposuit. Illa Minervae beneficio Cariae litoribus appulit, ubi a Teuthrante rege benigne excepta, et in uxorem ducta fuit, educato etiam Telepho filio. Ejus mentio fit ab *Ov. Her.* 9, 49., *Sen. Herc. Oet.* 366. et a *Serv.* ad *Ecl.* 6, 72. ℙ [* Item Horarum una. *Hygin. fab.* 183. *B. A.*] ℙ [*Auge* est etiam cognomen Romanum: ab *αὐγή*, *auge*, lux, splendor. *Inscr.* ap. *Murat.* 2066, 2. Juliae Nigri *Libertae* Auge matri suae. *F.*]

AUGĒAS. V. AUGIAS.

AUGENTER, adv. pro *valde* usurpatur a *Frontin. Limit. Goes.* 2. p. 308., ubi tamen alii aliter leg.

AUGĒO, es, auxi, auctum, a. 2. *αὐξάνω*, *αὔξω*, majus facio, amplifico, crescere facio: habetque latissimam significationem, et tum ad res, tum ad personas refertur. [*De originatione h. v. vide quae supra disputavimus sub AUCTOR. Simplicissimum videtur etiamnum, quod ibi e sententia *Schneideri*, *Buttmanni*, aliorum, proposui, ut etymon *ἄγω* esse statuamus. Prorsus autem, ut apud Graecos, augeo dupplicem habet significationem; alteram intransitivam, i. e crescere; alteram transitivam, i. e. crescere facio, amplifico. Hanc, quam antiquiorem puto, *Forc.* alteri postposuit. V. *sub f.*] *Nep. Att.* 12. Augere possessiones suas. *Cic. Rabir. Post.* 14. rem bonis et honestis rationibus. *Id. Rosc. Am.* 18. et agris et urbibus et nationibus rempublicam. *Suet. Ner.* 3. classem. [*Tac. A.* 2, 6. augebatur in speciem ac terrorem classis alacritate militum. *Id. H.* 4, 35. turres et vallum, i. e. plures addebat. Nam, quomodo exponunt, i. q. *firmare* esse non potest.] *Id. Aug.* 37. numerum. [*Id. *Vesp.* 16. auxisse tributa provinciis, nonnullis et dupplicasse; h. l. non ad multitudinem, sed ad magnitudinem refer.] *Id. Caes.* 65. iter. *Id. Claud.* 33. vocem, i. e. intendere. [*Sed apud *Eund. Ner.* 20. augere vocem est i. q. fortiorem reddere.] *Stat. Th.* 6, 937. vires. *Cic. Att.* 11, 22. alicui dolorem. *Id. Flacc.* 12. molestiam. *Id. Off.* 2, 20. Munus suum verbis non augere, sed extenuare. *Id. Amic.* 9. Consuetudo auget benevolentiam. *Id. Att.* 10, 14. Augere animum alicujus, *h. e.* animum addere. [*Pariter ut genit. ita dativo (*alicui*) in hac formula utuntur; exempla collegerunt *Gron.* et *Drak.* ad *Liv.* 7, 7, 4.] *Stat. Th.* 10, 23. animos, *h. e.* sumere animos et fiduciam. *Cic. Coel.* 19. Vitium ventris et gutturis non minuit aetas, sed auget. *Ter. Eun.* 3, 1, 46. Augere suspicionem. *Caes. B. G.* 5, 57. opinionem. *Id. B. C.* 2, 31. alicui licentiam. Et *ib.* alicui spem. *Vell.* 2, 130. dignitatem alicujus. *Suet. Tib.* 10. auctoritatem. *Id. Aug.* 21. gloriam. *Id. Cal.* 17. laetitiam. ℙ *Augere aliquem aliqua re* est instruere, ornare, rem aliquam alicui adjicere, qua instructior, major, clarior, honoratior fiat. *Cic. Har. resp.* 27. Eodem tempore et suscipimur in lucem, et hoc coelesti spiritu augemur. *Id. Agr.* 2, 26. Augere aliquem divitiis. *Tac. A.* 13, 18. amicos largitione. *Id. Agr.* 6. Augeri filia. [*V. *Walch.* ad h. l. et *Ejusd. emend. Liv.* p. 34.] *Cic. N. D.* 2, 39. Aer in nubes cogitur, humoremque colligens terram auget imbribus, *h. e.* instruit et fecundat. *Id. Phil.* 11, 14. Augere aliquem commodis. *Id. Off.* 1, 1. Quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis. *Id. Phil.* 14, 6. Idem dies me celeberrima populi R. gratulatione auxit. *Id. Sen.* 6. Senectus augetur consilio, ratione, sententia. *Id. Har. resp.* 26. et *Phil.* 9, 6. Augeri honore aliquo. *Tac. A.* 12, 26. Augetur Agrippina cognomento Augustae. *Id. ib.* 1, 3. Augere aliquem nominibus imperatoris. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Fin.* 2, 4. Tanta laetitia auctus sum, ut mihi non constem. ℙ *Augere aliquem* absolute. *Cic. Fam.* 7, 17. Te augendum atque ornandum putavi. *Suet. Claud.* 12. In semet augendo parcus atque civilis, *h. e.* in recipiendis honoribus. *Pl. Men.* 3, 3, 27. Dii me equidem omnes adjuvant, augent, amant, *h. e.* provehunt ad ea, quae opto, compotem voti faciunt. [*Docet *Goerenz.* ad *Cic. Fin.* 1, 16, 51. Ciceronem saepe verbo addito, quo sensu *augere* sit intelligendum, explicare. Hoc saepe sane fit. Sed apud argenteae aetatis scriptores saepissime absolute reperitur hoc modo, ac tantum orationis tenor significationem declarat. *Plin. Pan.* 24. solum ergo te commendat augetque temporis spatium, i. e. augustiorem, clariorem reddit. *Id. ib.* 26. quos nisi larga manu fovet, auget, amplectitur. *Auget*, sc. beneficiis.] — Apud *Ov. Her.* 3, 30. Auxerunt blandae grandia dona preces, *h. e.* donis additae sunt preces, quo plus illa valerent. Et in malam partem. *Ter. Heaut.* 4, 1, 15. Augeri damno, *h. e.* damnum pati, damno affici. *Pl. Stich.* 1, 1, 54. moerore. ℙ *Augere aliquid* saepe significat verbis amplificare. *Cic. Or.* 1, 21. Eloquens est, qui mirabilius et magnificentius augere potest atque ornare quae velit. *Id. Or.* 36. Augere et amplificare res. *Id. Brut.* 12. Rem augere laudando, vituperando affligere. *Auct.* ad *Her.* 2, 6. Augere atrocitatem peccati. *Quint.* 9, 2. affectus. *Id. ib.* 4. sententias. [*Plin. *Pan.* 38. Augeo Principis munus, quum ostendo etc., i. e. ejus magnitudinem ostendo.] ℙ *Augere aliquem* interdum est laudare, ornare, verbis extollere. *Cic. Part.* 6. Cum aut augendi alterius aut minuendi sui causa, alia dici ab oratore, alia existimari videntur. ℙ [*Augeat tibi Juppiter annos*, solemnis fuit acclamatio populi R. imperatoribus suis. *Tert. Apol.* 35. De nostris annis tibi Juppiter augeat annos. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 651. Saepe de nostris annis augeat tibi Juppiter annos. *Ov. Fast.* 1, 613. Augeat imperium nostri ducis, augeat annos. *F.* *Dictum hoc est a poeta cum allusione ad nomen *Augusti*, de quo in vss. antecedd. agit.] ℙ Est etiam verbum sacrorum. Itaque *augere aram* est aliquid arae imponere sacrificii causa. *Pl. Merc.* 4, 1, 11. Aliquid cedo, qui hanc vicini nostri aram augeam. Sic *Virg. A.* 9, 407. Si qua tuis unquam pro me pater Hirtacus aris Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi. *Id. ib.* 8, 284., *ib.* 11, 50. et alibi, eadem ratione *cumulare aras* dixit. *Arnobius* quoque hoc sensu usus est vocibus *auctifico*, *augmen* et *augmentum*. Huc etiam referuntur *Macto* et *Mactus*. Quod vero addi solet ex *Suet. Aug.* 96. *augere hostias:* eo loco solum significat augere et multiplicare hostiarum numerum. [*Fiebat enim interdum, si hostia non addiceret, ut plures mactarent, donec fausta reperiretur. Id appellabant *augere hostias.*] ℙ Ponitur et pro gignere, ut in AUCTOR dictum est. *Lucr.* 5, 323. Nam quodcunque alias ex se res auget alitque, Deminui debet, recreari, cum recipit res. ℙ Interdum neutrorum more usurpatur et significatione passiva pro *crescere;* ita tamen, ut accusativus aliquis intelligatur. [*Quomodo hoc vel cur? Nihil supplendum est.] *Sall. fr.* 1. *Hist. in or. Phil. c. Lepid.* §. 7. Ignoscendo populi Romani magnitudinem auxisse. *Cato* ap. *Gell.* 18, 12. Eodem convenae complures ex agro accessitavere: eo res eorum auxit. *Lucr.* 2, 1163. pereunt fetus, augentque labores. *Augens* idem quod *auctus* ap. *Catull.* 64, 324. O decus exi-

mium magnis virtutibus augens? *h. e.* auctum. [*V. de his locis et intransitiva in iis vi *Duker.* ad *Liv.* 3, 6, 3. coll. *Drak. ib.* Etiam Graeci suo voc. active et neutraliter utuntur.] ℙ *Auxim*, *is*, *it*, olim dictum est pro *augeam*, *as*, *at*, conjunctivi praesenti, vel, ut alii volunt, pro *auxerim*, *is*, *it*, per syncopen. *Liv.* 29, 27. *referens antiquam precationis formulam*: Divi, divaeque, vos precor quaesoque, uti quae in meo imperio geruntur, ea vos omnia bene juvetis, bonis auctibus auxitis etc. ℙ [*Confunduntur a librariis *augere* et *agere*, V. intpp. ad *Liv.* 3, 2. *coll.* 27, 9. — et *augere*, *Drak.* ad *Eund.* 4, 51. — et *urgere*. *Id. ib.* 34, 62. Saepissime commutantur *auxerunt* et *hauserunt* et reliquae formae perfecti, V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 218. *Burm.* ad *Ov. Trist.* 1, 11, 16. *Drak.* ad *Sil.* 9, 230. et quos ibi laudat.]

AUGESCO, is, n. 3. *αὐξάνομαι*, augeor, cresco. *Cic. Sen.* 15. Uva succo terrae et calore solis augescens. *Id. N. D.* 2, 10. Semina temperatione caloris et oriri et augescere. *Id. ib.* 19. Animantes aluntur et augescunt. *Liv.* 27, 17. Hostium res tacitis incrementis augescunt. *Ter. Heaut.* 3, 1, 14. Quotidie magis augescit aegritudo de filio. *Sall. Jug.* 38. *in f.* Animi augescunt. *Tac. H.* 2, 34. Flumen augescens. *Id. ib.* 4, 1. Augescente licentia. *Id. ib.* 61. Augescente superstitione. [*Plin. *Pan.* 57. non (vocat) consulatus ipse? qui sibi tuis humeris attolli et augescere videtur.] Adde *Lucr.* 2, 76. et alibi.

AUGĪAS et Augēas, ae, m. *Αὐγείας*, Solis et Naupidames Amphidamentis filiae filius, Eliensium rex, qui bubile habuit tria millia boum capiens: quod cum per triginta annos expurgatum non fuisset, foedoque tam alte congesti stercoris odore regioni pestilentiam intulisset, ab Hercule uno die purgatum fuit, immisso illac Alpheo vel Peneo fluvio; vel, ut alii dicunt, utroque. Reddita itaque regioni salubritate, cum Augias pactam Herculi mercedem negaret, ab ipso interfectus fuit. *Hyg. fab.* 30., *Serv.* ad *A.* 8, 300. et *Sen. Herc. Fur.* 246. Hinc factus est proverbio locus *Augiae stabulum purgare*: quod significat rem agere valde difficilem et immensi laboris. *Sen. Apocol.* Tu scis, quantum illic miseriarum pertulerim, cum causidicos audirem et diem et noctem: in quos si incidisses, valde fortis licet, maluisses cloacas Augiae purgare. *Plin.* 17, 9, 6. tradit Augiam in Graecia primum agros stercore laetificare excogitasse: divulgasse vero Herculem in Italia. *Hyg. fab.* 14. Augiam numerat inter Argonautas. [*Apud *Appul. de orthogr. fr.* 33. genitivus scribitur *Augei* pro *Augiae*, quasi nominativus sit *Augeus*, disyllabon. *Beier.*]

AUGĪFĪCO, as, a. 1. idem quod augeo. *Enn.* ap. *Non.* 2, 61. Quid fit seditio? tabesne an numeros augificat suos? Alii leg. *tabetne*, *an numeros augificat suos?*

*AUGĪLAE, arum, populi Aethiopiae. *Mela* 1, 4. et 8. *Augylae* audiunt *Plin.* 5, 4. et 8. *B. A.*

AUGINOS, i, herba, communiori vocabulo hyoscyamos appellata: ita dicta a splendore floris: ab *αὐγή*, splendor. *Appul. Herb.* 4.

*AUGĪNUS, i, Liguriae mons. *Liv.* 39, 2. *B. A.*

AUGĪTES, ae, m. *αὐγίτης*, nomen cujusdam gemmae, ita dictae a splendore: nam *αὐγή* splendorem significat. *Plin.* 37, 10, 54.

AUGMEN, ĭnis, n. *αὔξησις*, augmentum, incrementum. *Lucr.* 6, 607. Augmen aequoris. *Id.* 5, 1306. Addere alicui augmen. Et *ib.* 680. cum noctes augmina sumunt. *Id.* 3, 269. perfectum corporis augmen, *h. e.* moles corporis. ℙ Aliam hujus vocis notionem V. in AUGMENTUM.

*AUGMENTARĬUS, a, um, adj. *Αὐξητικὸς Gloss. Gr. Lat. B. A.*

AUGMENTO, as, a. augmentum do, augeo. *Firmic. Math.* 5, 6. Ut thesauros suos augmentent.

AUGMENTUM, i, n. *αὔξησις*, *ἐπαύξησις*, incrementum. *Plin.* 37, 6, 21. Augmentum fulgoris. *Claud. IV. Cons. Honor.* 495. Impia continui cessant augmenta tributi. *Pompon. Dig.* 30. *l.* 8. Augmentum fundi. *Ulp. ib.* 2, 13, 8. Augmentum aut diminutio. *Pallad.* 13, 6. Augmentum lunae. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Multiplicatis augmentis. Adde *Symm. ep.* 7, 112. et *Mamertin. Gratiar. act. ad Julian.* 15. ℙ Est etiam nomen libi, quo in sacrificiis ara augetur. *Arnob.* 7. p. 231. [*In ed. *Harald.* (p. 289.) legitur *augmina.*] V. AGUMENTUM. ℙ Apud *Pallad. l. c.*, item apud *Ulp. Dig.* 26, 7, 8. *ad f.* in quibusdam libris legitur *augumentum.*

AUGUR, ŭris, m. *οἰωνοσκόπος*, qui avium volatum aut cantum, item pastum et tripudium observat, et ex iis futura divinat. Multus fuit augurum et usus et honos apud Romanos, praesertim post insigne illud experimentum auguralis scientiae ab Accio Navio datum, de quo *Liv.* 1, 36. Nam tanta inde sacerdotio augurum accessit auctoritas, ut nihil postea belli domique Romani gererent, nisi prius per augures Deorum voluntatem explorassent. Itaque eorum collegium Romae institutum fuit, quod primo ex tribus constabat; deinde paulatim usque ad quindecim, et fortasse etiam plures auctum est. Eorum officium erat Deorum mentem

ex avibus explorare: de prodigiis, somniis, oraculis responsa dare; quae ad expiationes procurationesque prodigiorum pertinebant, curare, edicere; vatum libros exponere et alia, quae in lege augurali apud *Cic. Leg.* 2, 8. et 9. leguntur. Tanta autem fides eorum dictis habebatur, ut si quid affirmarent a Diis non probari, id agere summa esset religio. Itaque comitia eorum monitis, proeliaque (si eundum in hostes esset; non vero si aggressus hostis repellendus) in aliud tempus differebantur; abdicabant se magistratus, etiam summi, si vitio creatos dixissent etc. V. *Cic. l. c. c.* 12. [*Agitur h. l. de augurum auctoritate, i. e. potestate, cujus regiam originem attingit *Cic. Div.* 1, 40. *extr.* ubi V. *Hottinger.* Exemplum ejus narrat *Liv.* 4, 31. *Amplissimi sacerdotii collegium* appellat *Cic. Div.* 3, 10, 29. — Vulgo dicuntur augures *cooptari;* aliter *Liv.* 25, 2. augur creatus. *q.*] Si quis iis non paruisset, capitale erat. Sacerdotium nunquam amittebant, tametsi judicio aliquo damnati fuissent; sed usque ad mortem retinebant. Utebantur assidue trabea, gestabantque coronam in capite. Augurium captaturi in loco puro sub mediam noctem, sereno coelo stantes, ac lituo templum seu circulum in coelo designantes tamdiu exspectabant, donec aves a dextra, aut sinistra advolantes aut addicerent, aut vetarent. V. *Rosin. l.* 3. *c.* 8. *et* 9. *Pitisc. in Lex. Antiq. Rom.* et alios. *Cic. Phil.* 2, 32. Augures nunciationem solum habent; magistratus etiam inspectionem. Et *ib.* 33. Confecto negotio bonus augur alio die, inquit. *Ov. Met.* 12, 18. Augur veri Calchas. ℙ [Augures etiam in coloniis et municipiis erant decem numero. *Cic. Agr.* 2, 35. Huc (Capuam) isti decemviri cum quingentos colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, sex pontifices constituerint. Praeterea *Bartol. Borghesius* in *Giorn. Arcad. T.* 3. p. 61. probat, augures fuisse etiam Fabrateriae, Spoleti, Brundusii et alibi. *F.*] ℙ Dicitur etiam *augur* quicumque rem aliquam divinat. *Ov. Nuc.* 79. Est etiam, par sit numerus, qui dicat, an impar, Ut divinatas auferat augur opes. *Stat. Th.* 3, 6. Pessimus in dubiis augur timor. ℙ *Augur imaginis nocturnae* apud *Ov. Am.* 3, 5, 31. est nocturni visi seu somnii intérpres. ℙ Cum feminin. nominibus; est enim communis generis, ut *Prob. in Cathol.* p. 1455. et *Phocas ib.* p. 1695. docent. *Hor. Od.* 3, 17, 12. augur annosa cornix. *Stat. Th.* 9, 629. simque augur cassa futuri.

AUGŪRA pro *auguria*, ut sit a recto *augurum*, *i*, n. usurpavit *Accius* ap. *Non.* 8, 35. Ejus verba ita leguntur ex emendatione *Vossii.* Pro certo arbitrabor sortes, oracla, adytus, augura. [At *Bothe* legendum putat: *oracla*, *adytus*, *augurum. F.*]

AUGŪRĀCŬLUM, i, n. *οἰωνιστήριον*, locus, in quo augures auspicantur. *Paul.* ex *Festo:* Auguraculum appellabant antiqui, quam nos arcem dicimus: quod ibi augures publice auspicarentur. V. ARX.

AUGŪRĀLIS, le, adj. ad augures seu ad auguria pertinens, *οἰωνικὸς*, *οἰωνιστικός*. *Cic. Div.* 1, 33. Augurales libri, *h. e.* qui de augurum arte tractant. *Id. Brut.* 77. Auguralis juris peritus. *Id. Fam.* 7, 26. Auguralis coena, *h. e.* quae dabatur ab augure, quo primum die eam dignitatem suscipiebat. V. ADITIALIS. *Suet. Gr.* 12. Sacerdotium augurale. *Liv.* 10, 7. Insignia auguralia. *Gell.* 6, 6. Augurale verbum. ℙ *Augurale*, *lis*, absolute. *Tac. A.* 2, 13. Nocte coepta, egressus augurali, per occulta et vigilibus ignara etc. *Id. ib.* 15, 30. Structam ante augurale aram subdita face accendit. *Augurale* est locus in castris prope praetorium, vel potius ipsius praetorii pars dextra, ubi imperator auspicia captabat. Nisi malis per *augurale* totum ipsum praetorium significari, ut ab ea parte, quae sanctior erat, et auspiciis (quae solius erant imperatoris) dicata, denominatum sit. Hinc *Quint.* 8, 2. Cum res communis pluribus, in uno aliquo habet nomen eximium: ut carmen funebre proprie naenia et tabernaculum ducis, augurale. Al. male leg. *augustale.* ℙ Apud *Sen. Tranq.* 11. *a med.* ponitur *augurale* pro insignibus augurum: et praecipue pro lituo, quod est clarissimum auguratus insigne, inquit *Cic. Div.* 1, 17.

AUGŪRĀTĬO, onis, f. *οἰωνισμὸς*, *οἰωνοσκοπία*, actus augurandi, auspicium. *Cic. Div.* 2, 30. Quae tandem ista auguratio est ex passeribus? ℙ Item augurium, seu disciplina augurandi. *Lact.* 2, 16. Eorum inventa sunt astrologia et haruspicina et auguratio.

AUGŪRĀTO, adv. capto augurio, auspicato, *αἰσίως*. *Augurato* aliquid agere, est capto prius rite augurio et Diis approbantibus. *Liv.* 1, 18. Sicut Romulus augurato in urbe condenda regnum adeptus est.

AUGŪRĀTŌRĬUM, ii, n. locus seu aedificium auguriis capiendis destinatum. *Inscr.* ap. *Grut.* 128, 4. Imp. Trajanus Hadrianus cos. III. auguratorium dilaps. a solo pe..... Fortasse est illud idem *auguratorium*, quod a *P. Victore de regionibus Urb. R.* in regione decima ponitur. *Lips.* ad *Tac. A.* 2, 13. affert locum *Hygini*, a *Schelio* emendatum ad *Hyg.* p. 52. Auguratorium parte dextra praetorii, ad viam principalem adponemus, ut dux in eo augurium recte capere possit: parte laeva tribunal statuitur, ut augurio accepto insuper ascendat, et exercitum felici auspicio adloquatur.

AUGŪRĀTRIX, icis, f. quae auguratur. *Paul.* ex *Festo* in *Lingulaca.* Lingulaca genus piscis vel mulier auguratrix. Quidam leg. *garrulatrix.* [*Hieron.* in *Isaj.* 16, 57. Quod verbum Hebraicum עֹנְנָה, nos juxta Symmachum in *auguratricem* vertimus, quod scilicet semper Jerusalem, quae est mater audientium, idololatriae dedita fuerit. *F.*]

AUGŪRĀTUS, a, um, adj. *Augurata res* dicitur, de qua augurium rite captum est. *Cic. Vatin.* 10. In Rostris, in illo, inquam, augurato templo ac loco etc. [**Id. Phil.* 13, 5, 12. auguratus locus.]

AUGŪRĀTUS, us, m. dignitas et officium auguris. *Cic. Div.* 1, 17. Lituus iste vester; quod clarissimum est insigne auguratus. Et *ib.* Scientia auguratus. [*Inscr.* ap. *Jo. Labusium*, *Ara antica in Hainburg.* p. 5. T. Fl. T. F. Serg. Probus ob honorem auguratus T. Fl. Probi fil. sui. *F.*] ℙ Item augurium, praedictio. *Tert. Anim.* 26.

[AUGŪRĬĀLIS, e, adj. idem quod auguralis. *Not. Tir.* p. 92. Augurialis. *F.* **Appul. de not. aspir.* §. 8. avis augurialis.]

*AUGURĪNA, ae, f. oppidum Segeda sic cognominatum. Fuit autem Segeda in Hispania Baetica. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

[AUGŪRĪNUS, i, m. illustre Minuciorum cognomen in *Fastis Capitol.* ab auguratu accepto, ut ex eorum nummis apud *Morell. Fam. Rom.* lituo augurali insignitis satis constat. Ad gentem quoque Genuciam aliasque pertinet. *F.*]

[AUGŪRĬŌNĀLIS, le, adj. idem quod augurales. *Not. Tir.* p. 70. Augurionalis. *F.*]

AUGŪRĬUM, ii, n. *οἰώνισμα*, *οἰωνοσκοπία*, signum et divinatio rei futurae: et proprie ea, quae fit ex avium volatu, pastu, tripudio: latiore autem significatione ea, quae ex fulminibus, fulguribus, tonitribus, item ex ceteris animalibus aliisque rerum signis capitur. His enim creditum est Deorum voluntatem circa actiones humanas significari. Ex volatu avium capiebant Romani augurium prosperum quidem, si a sinistra parte auguris advolassent: adversum autem, si dextera. (V. OSCEN, PRAEPES et ALES.) Ita ex fulmine laevo laetum, ex dextero triste augurium esse putabant. (V. LAEVUS et SINISTER.) Si pulli avide pascerentur, felicia portendi, si contra, adversa existimabant. (V. TRIPUDIUM.) Similiter a laeva vel dextera parte coeli auditum tonitruum, occursus quadrupedis cujuspiam ominosi aut laeti, inter felicia vel infelicia auguria habebantur. V. *Rosin. l.* 3. *Antiq. Rom. c.* 9., ubi plura de his [*et *Clav. Cic.* ed. *Schütz.*] *Varr. L. L.* 5, 6. Augures augurium agere dicuntur, cum in eo plura dicant, quam faciant. *Cic. Off.* 3, 16. Cum in arce augurium augures acturi essent. *Suet. Aug.* 95. Capere augurium. *Ov. Trist.* 3, 1, 36. dare alicui. *Flor.* 1, 5. Experiri aliquid augurio. *Plin.* 7, 56, 57. Auguria ex avibus invenit Car, a quo Caria appellata: adjecit ex ceteris animalibus Orpheus. [**Aur. Vict. V. Ill.* 1, 4. quam (urbem) Romulus augurio victor, quod ipse XII, Remus VI vultures viderat, Romam vocavit. Volunt h. l. esse intpp. pro *auspicio.* V. infra.] ℙ *Augurium salutis* quid sit, V. in SALUS. ℙ Sumitur etiam pro quocumque indicio, divinatione, praesensione rei futurae. *Cic. Phil.* 2, 35. O mea frustra semper verissima auguria rerum futurarum! *Id. Tusc.* 1, 15. Sed nescio quomodo inhaeret in mentibus quasi saeculorum quoddam augurium futurorum. *Plin.* 28, 6, 19. Auguria valetudinis ex urina. *Id.* 21, 10, 31. Thymum augurium mellis est. *Ov. Her.* 17, 234. Fallitur augurio spes bona saepe suo. ℙ Aliquando accipitur pro praedictione prosperae rei. *Tac. Agr.* 44. Augurio votisque ominari aliquid. ℙ Item pro interpretatione augurii. *Ov. Met.* 1, 395. Conjugis augurio quamquam Titania mota est. ℙ Item pro scientia augurii. *Virg. A.* 9, 328. de Rhamnete augure: Sed non augurio potuit depellere pestem. *Flor.* 1, 5. Attius Navius, vir summus augurio. ℙ Item pro munere ac dignitate auguris. *Virg. A.* 12, 393. acri quondam cui captus amore Ipse suas artes, sua munera laetus Apollo, Augurium citharamque dabat, celeresque sagittas. *Suas artes* dixit, quia Apollo auguriorum Deus et augurum praeses habitus est, ut *Serv.* ad *A.* 3, 20. docet. Etiam *Hygin. augurium alicui dare* hoc sensu dixit *fab.* 19. ℙ Inter *augurium* et *auspicium* non unum tradi solet discrimen. Quidam docent *augurium* esse, quod ex avium garritu seu cantu capitur: *auspicium*, cum ex avium pastu aut volatu. Sed nulla profecto differentia est. Nam utraque vox passim de utroque dicitur a scriptoribus. *Serv.* ad *A.* 1, 402. tradit hoc interesse, quod *augurium* et petitur et certis avibus ostenditur; *auspicium* qualibet avi demonstratur et non petitur: hoc ipsum tamen speciem augurii esse. *Id.* ad *ib.* 3, 20. *auspicia* ait esse omnium rerum, *auguria* certarum. Nam auspicari cuivis etiam peregre licere; auguria agere, nisi in patriis sedibus, non licere. Hinc putarunt alii, illud statui posse, ut *augurium* diceretur, quod in urbe capitur, *auspicium*, quod in agro. Denique *Non.* 5, 30. scribit *auspicium* esse avium inspectionem et quod ex volatu avium significetur et vocibus: *augurium* autem rerum omnium conjecturas prudenter ac diligenter amplecti. Fortasse unum aliquod horum discriminum verum est (licet nullum sit perpetuum). Nam aliquando hae duae voces a scriptoribus, tanquam inter se diversae, adhibentur. *Cic. Div.* 1, 47. Quibus nulla videbatur in auguriis aut auspiciis praesensio aut scientia veritatis futurae. *Varr. L. L.* 6, 2. Dictum templum locus augurii aut auspicii causa quibusdam conceptis verbis finitus. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48. Dant operam simul auspicio augurioque. ℙ Cum dixit *Pl. Asin.* 2, 1, 15. Quantum ex augurio auspicii intelligo; per *augurium* interpretationem auspicii intellexit, ea ratione, qua *Ovid.* supra allatus. Possis etiam hoc modo interpretari: quantum intelligo ex augurio, quod ex avium spectione cepi: nam *auspicium* proprie *spectionem avium* significat.

AUGŪRĬUS, a, um, adj. *Jus augurium* est augurandi scientia. *Cic. Fam.* 3, 9. Cognitionem juris augurii consequi cupio. *Gell. praefat.* Paucula remotiora super augurio jure et pontificio. Adde 6, 6. ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 947, 4. L. Metius Augurius. *F.*]

AUGŪRO, as, avi, atum, a. 1. *οἰωνίζομαι*, *ὀσσεύομαι*, augurium capio, auguror. *Cic. Leg.* 2, 8. Sacerdotes vineta virgetaque et salutem populi auguranto. ℙ Passive *L. Caes.* ap. *Prisc.* 8. p. 791. Certaeque res augurantur, *οἰωνοσκοποῦνται*. ℙ Translate est divinare, conjicere, praesentire. *Cic. fr.* ap. *Non.* 7, 7. Praesentit animus et augurat quodammodo, quae futura sit suavitas. *Id. ib.* Cui utinam vere auguraverim. *Virg. A.* 7, 273. hunc illum poscere fata, Et reor et (si quid veri mens augurat) opto. *Enn.* et *Pacuv.* ap. *Non. l. c.* Propemodum animus conjectura de errore ejus augurat. *Val. Fl.* 3, 356. Augurare sibi annos longos. ℙ Apud *Pl. Cist.* 4, 2, 26. Oculis investigans astute augura, *h. e.* circumspice diligenter in omnem partem, ut augures faciunt, cum augurium ex avibus volantibus exspectant. ℙ Inter *auguro* et *auguror* ponit *Servius* (*ad l. c. Virg.*) hoc discrimen ex *Plinio in lib. dub. serm.*, quod *auguro* dicamus, cum praesagio mentis futura colligimus: *auguror* vero, cum futura veris captamus auguriis. Sed tum ex modo allatis exemplis, tum ex iis, quae in voce sequenti afferemus, satis apparet, id aut verum aut perpetuum non esse.

AUGŪROR, aris, atus sum, dep. 1. *οἰωνίζομαι*, *ὀσσεύομαι*, augurium ago, et ex eo futura praedico. *Cic. Div.* 1, 33. Calchas ex passerum numero belli Trojani annos auguratus est. *Id. Fam.* 6, 6. Augurari alicui ex alitis involatu, e cantu sinistro oscinis, ex tripudiis etc. *Id. Div.* 1, 15. Augurari vere. ℙ Translate est quovis modo futura praedicere, conjicere, ominari, existimare, judicare. *Cic. Tusc.* 1, 40. Augurari alicui mortem. *Id. Mur.* 31. Quantum ego opinione auguror. *Id. Or.* 1, 21. Ego enim, quantum conjectura auguror, non despero, fore etc. *Id. Verr.* 2, 2, 6. Ex nomine istius, quid in provincia facturus esset, perridicule homines augurabantur. *Caes.* ad *Cic. post ep.* 16. *l.* 9. *ad Att.* Recte auguraris de me (bene enim tibi cognitus sum) nihil a me abesse longius crudelitate. *Curt.* 10, 5. Augurari aliquid mente. *Id.* 4, 4. Macedones, iter monstrasse eam, augurabantur. *Ov. Pont.* 3, 4, 79. Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas: Hac ego contentos auguror esse Deos. [*Et cum accusativo: *Tac. H.* 1, 50. erant qui Vespasianum et arma Orientis augurarentur.] ℙ [Partic. *Augurans* ap. *Plin.* 6, 3, 35. Motu ejus (*canis*) imperia augurantes: *Augurandus* ap. *Cic. N. D.* 2, 64. Aves quasdam rerum augurandarum causa esse natas putamus. *F.*] ℙ De discrimine inter *auguror* et *auguro* V. v. praec. in f.

AUGUSTĀ, ae, f. Ex quo Romani imperatores honoris causa *Augusti* nominari coepere, eorum quoque uxores *Augustae* dictae sunt: cujus rei testimonia in nummis et lapidibus passim exstant. Neque solum uxores, sed et matres aliquando, filiae, sorores, etc. ut videre est apud *Tac. A.* 15, 23. et *H.* 2, 89. [*V. de hoc cognomine *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 84, 6.] ℙ Multae etiam urbes *Augustae* vocatae sunt, quia vel Augusti Caesaris jussu et auspiciis conditae, vel ab ipso coloniae in eas deductae, vel ab suis earum civibus, aut ab externis principibus in honorem ejus ita nominatae: quae a Graecis *Σεβασταὶ* dicuntur. ℙ [*Sunt autem hae: *Augusta Praetoria*, urbs Salassorum in Italia fuit. *Plin.* 3, 5. et 17. ℙ *Augusta Taurinorum*, Italiae transpadanae civitas, hodie *Turino* vel *Turin. Plin.* 3, 17. *Tac. H.* 2, 66. ℙ *Augusta Rauracorum*, urbs olim florentissima, totius gentis caput, ad sinistram Rheni ripam. *Plin.* 4, 17. *Tab. Peut. Colonia Rauriaca* et *Rauricum* dicta, ab ipsismet incolis (V. in *Rauraci*), combusta tempore Julii Caesaris. *Caes. B. G.* 1, 5. Hodie jacet in ruinis, restante tantum nomine *Augst*,

vel, quod magis Italicum, *Osta*. ℙ *Augusta Emerita*, urbs Lusitaniae, hodie *Merida* in Estremadura. *Plin.* 4, 22. ℙ *Augusta Trevirorum* vel *in Treveris*, Galliae Belgicae oppidum fuit, hodie *Trier*. *Mela* 3, 2. *med.* ℙ *Augusta Vindelicorum*, celeberrima ac pervetusta Germaniae superioris urbs, nunc *Augsburg*. *Anton. Itin.* V. *Vindelici*. ℙ *Augusta Suessionum* vel *Suessonum*, urbs Galliae Belgicae, hodie *Soissons*. *Anton. Itin.* ℙ *Augusta Ausciorum*, urbs Galliae Aquitanicae, dicta et Climberrum, vulgo *Ausch* vel *Auch*. *Caes. B. G.* 3, 27. *Plin.* 4, 19. *Mela* 3, 2. ℙ *Augusta Gaditana* vel *Augusta Julia Gaditana*, dicta est urbs Gaditana seu Gades, Graecis *Γάδειρα*, quod J. Caesar et Augustus coloniam hanc diversis temporibus deduxissent. Vulgo est *Cadiz*. *Plin.* 4, 22. ℙ *Augusta Gemella*, urbs Hispaniae Baeticae, dicta et Tucci. *Plin.* 3, 1. ℙ *Augusta Firma*, aliud oppidum Hispaniae Baeticae. V. *Astigi*. ℙ *Augusta Nova*, oppidum Hispaniae Tarraconensis, in regione Arevacarum. *Plin.* l. l. et c. 3, 5. *Ptolemaeus* nomen corrupte scribit *Νουβαυγουστα* pro *Νεοαυγουστα* vel *Νέα Αὐγούστα*. ℙ *Augusta Vagiennorum*, Liguriae urbs, hodie, ut nonnullis placet, *Saluzzo*. *Plin.* 3, 5. ℙ *Augusta Tricastinorum*, in Gallia Narbonensi fuit. *Id.* 3, 4. ℙ *Augusta Bracarum*, vel ut est in *Inscr.* ap. *Grut.* p. 156. *n.* 3. *Bracara Augusta*, oppidum Bracarum vel Bracarorum. Propinqui autem sunt Durio Bracari populi. *Plin.* 4, 20. ℙ *Augusta Veromanduorum*, Galliae Belgicae civitas fuit, nunc *S. Quentin*. *Anton. Itin.* ℙ *Augusta Dacica*, oppidum Dacorum, non procul a Zarmigethusa. *Inscr.* ap. *Grut.* p. 437. *n.* 1. ℙ *Augusta Treba*, nunc *Trevi*, oppidum prope fontes Anienis. *Frontin. de aquaed.* p. 247. Fuit et *Augusta* oppidum in Cilicia Trachea. *Plin* 5, 27. *Augustopolis* audit *Notit.* ap. *Cellar.* ℙ *Julia Augusta*. V. *Parma*. *B. A.*]

AUGUSTĀLE, is, n. tabernaculum ducis in castris. Legitur apud *Quint.* 8, 2., ubi tamen alii rectius *augurale* reponi malunt. V. AUGURALIS.

AUGUSTĀLIĀNUS, a, um, adj. *Impp. Theod. et Valent. Cod. Theod.* 11, 5, 3. Augustalianum officium, *h. e.* Praefecti Augustalis. Sic Augustalianum judicium, *ib.* 24, 6.

AUGUSTĀLĪCIUS, a, um, adj. qui augustalitate jam functus, ut quinquennalicius, qui quinquennalitate, aedilicius, qui aedilitate functus est. *Inscr.* ap. *Fabrett. c.* 6. *n.* 163. Ob quarum dedicationem heredes ex testamento ejus decurionibus singulis ℋ IIII., augustalicis ℋ III., plebei intra murum habitantibus ℋ II., liberis omnium eorum dimidium dederunt. Lapis habet *augustalicis* pro *augustaliciis*, gemino scilicet I ex more veterum Latinorum in unum contracto; hic vero *augustalicius* illum significat, qui augustalitate fungebatur, tum etiam qui functus jam fuerat. [*Haec refinxit et auxit *Furl.*; nam *Forc.* habebat AUGUSTALICUS laudata *inscr.* ap. *Fabr.*]

AUGUSTĀLIS, le, adj. ad Augustum pertinens. *Tac. A.* 1, 15. et 54. Augustales ludi, *h. e.* in honorem Augusti instituti, qui in vet. quodam Calendario ap. *Grut.* 133. in mense Octobr. *Augustalia* absolute appellantur. *Id. ib.* 54. et *Suet. Claud.* 6. Sodales Augustales, *h. e.* sacerdotes viginti et unus a Tiberio instituti, quibus postea quatuor supra numerum adjecti, qui sacra curarent in honorem Augusti inter Deos relati. *Tac. A.* 2, 83. *Sacerdotes Augustales* appellat, et *H.* 2, 95. absolute *Augustales*. ℙ [*Schol. Porph.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 281. Ab Augusto Lares, i. e. Dii domestici in compitis positi sunt; ex libertinis sacerdotes dati, qui Augustales sunt appellati. — Eadem fere tradit *ib. Acron.* Sed jure cum *Heind.* ad h. l. dubites, an vera tradiderint. Certe aliunde non constat, fuisse *Augustales*, quales ab illis fuisse perhibentur.] ℙ Etiam in coloniis ac municipiis Augustalium collegia instituta fuere ad eundem finem: in quibus sex primo nominati, *Seviri Augustales* dicebantur, creabanturque a decurionibus. Postea cum ad multo plures excrevissent, in plura collegia partiti sunt, nempe juvenum ac seniorum, quibus distincti VI. Viri praerant. De his mentio fit in *Petr. Sat.* 30. et in quamplurimis antiquis inscriptionibus, quarum multas affert *Noris.* in Cenotaph. Pis. *dissertat.* 1. *c.* 6., ubi etiam refellit eorum opinionem, qui Augustales fuisse magistratus, non sacerdotes arbitrati sunt. V. ibi plura erudite disputata. [At constat, Augustales primo fuisse institutos in municipiis et coloniis, uti Romae, in honorem Augusti et sacris iisdem faciendis praefectos, mox progressu temporis medios fuisse (ut Romae equites inter senatum et populum) inter decuriones et plebem et novum ordinem civium ex his constitutum, ideoque etiam ipsos equestrem ordinem fuisse appellatos. Id patet ex *Inscr.* ap. *Grut.* 431, 1. Sex. Ligurius Sex. Fil. Galeria Marinus Curator *Civium Romanorum* provinciae Lugdunensis, Quaestor, IIviralib. ornamentis suffragio sanctissimi ordinis honoratus, IIvir. designatus ex postulatione populi ob honorem perpetui pontificatus dat, cujus doni dedicatione decurionibus ℋ V., ordini equetri IIIII. viris Augustalibus negotiatoribus vinariis ℋ III., et omnibus corporibus Lugduni licite coeuntibus ℋ II., item ludos Circenses dedit. L. D. D. D. *F.*] ℙ *Augustales* etiam dicti sunt milites ab Augusto ordinariis juncti, ut docet *Veg. Mil.* 2, 7. ℙ Denique *Praefectus Augustalis* dictus est praefectus Aegypti, quia, lege ab Augusto lata, datum est ei imperium ad similitudinem proconsulis, ut *Ulp.* loquitur *Dig.* 1. *t.* 17. qui est *De officio Praefecti Augustalis*. Qua de re exstat etiam testimonium *Tac. A.* 12, 60. ℙ Hic idem *vir spectabilis Augustalis* vocatur *Cod.* 10, 31, 57. et 59.

AUGUSTĀLĪTAS, atis, f. dignitas sodalis. *Inscr.* ap. *Grut.* 215, 2. Subire onus augustalitatis. Alia *ib.* 354, 7. Decernere alicui honorem augustalitatis. ℙ Dicta est etiam aliquando *Augustalitas* dignitas praefecti Aegypti. Ita enim accipienda videtur in *Cod. Theod.* 13, 11, 11. V. AUGUSTALIS.

[AUGUSTAMNICA provincia in Aegypto, a Nilo, quem Augustum amnem vocavere, appellata. *Ammian.* 22, 16. Tres provincias Aegyptus fertur habuisse temporibus priscis, Aegyptum ipsam et Thebaidem et Libyam, quibus duas adjecit posteritas, ab Aegypto Augustamnicam et Pentapolin a Libya sicciore dissociatam. In Augustamnica Pelusium est oppidum nobile, et Cassium, et Ostracine, et Rhinocolura. *F.*]

AUGUSTĀNEUS, a, um, adj. Augustanus. Legitur apud *Var. Auct. Limit.* p. 265. *ed. Goes.*

AUGUSTĀNUS, a, um, adj. ad Augustum pertinens. *Tac. A.* 14, 15. de Nerone: Tunc primum conscripti sunt equites Romani, cognomento Augustanorum, aetate ac robore conspicui, etc. Videntur hi iidem fuisse, qui memorantur a *Suet. Ner.* 20. ℙ *Augustana colonia* ab Augusto deducta. *Ulp. Dig.* 50, 15, 1. Berytensis colonia Augustana. *Torrentin.* et *Haloander* habent *Augustiana*. Eadem lectionis varietas habetur in lapidibus quos V. in AUGUSTIANUS. ℙ [*Augustani* dicebantur incolae Augustae Asturicae, quae hod. *Astorga*. *Plin.* 3, 1. et 3, 5. et generaliter cujusvis oppidi cui nomen Augustae, Augustani appellati. ℙ *Augustana castra*, locus fuit, forte oppidum, Vindeliciae. *Anton. Itin. B. A.*]

AUGUSTĀTUS, a, um, adj. *In Papiriano jure* apud *Macr. Sat.* 3, 11. In templo Junonis Populoniae augustata mensa est, *h. e.* dedicata, consecrata, et veluti augusta facta. Ita legit cum aliis quibusdam *Turneb. l.* 18. *c.* 4., sed plerique alii *augusta*.

AUGUSTĒ, adv. *σεμνῶς*, rite, augurato, sancte, religiose. *Cic. N. D.* 2, 24. Liber, quem nostri majores auguste sancteque cum Cerere et Libera consecraverunt. Et *ib.* 3, 21. Deos omnes auguste sancteque venerari. *Id. Brut.* 21. Non quod de religione dici possit augustius.

AUGUSTĒANUS, a, um, adj. ad Augustum pertinens. *Frontin. Colon.* p. 140. *Goes.* Ager limitibus Augusteanis pro parte assignatus. V. v. seq.

AUGUSTĒUS, a, um, adj. *Αὐγουστειος*, ad Augustum pertinens. *Suet. Claud.* 11. Currum elephantorum Augusteo similem decernendum curavit. Al. leg. *Augustino*. [*ita *B. Crus.*] al. *Augusto*. *Frontin. Colon.* p. 119. 121. et 122. *Goes.* Augustei termini, *h. e.* rotundi ad modum columnae, ita dicti quia Augustus eos recensuit, ut in *Gloss. Rigalt.* exponitur. *Id. ib.* p. 121. Ager lege Augustea assignatus. ℙ *Augusteum*, *i*, est aedes in honorem Augusti dicata. *In Cenot. Pis. C.* et *L. Caesar.* Pisis in Foro, in Augusteo scrib. adfuer. Q. Petilius, etc. V. *Noris. ibi dissertat* 1. *c.* 4.

AUGUTĪANUS, a, um, adj. Augustanus. *Suet. Ner.* 25. Sequentibus currum ovantium ritu plausoribus, Augustianos militesque se triumphi ejus clamitantibus. (V. AUGUSTANUS.) *Frontin. Colon.* p. 1. 106. et 139. *Goes.* Augustianum bellum. *Inscr.* ap. *Grut.* 599, 7. Praepositus velariorum domus Augustanae. Ita *Gruter.*, at *Gudius* in ipso lapide *Augustianae* se vidisse testatur, ut et in alio in quo habetur *Praepositus Opificibus domus Augustianae*. V. AUGUSTANUS.

AUGUSTĪNUS, a, um, adj. V. AUGUSTEUS. ℙ *Augustini*, *orum*, dicuntur ab *Aggen. Urb.* p. 72. *Goes.* habitatores Coloniae Augustae. ℙ D. Aurelius Augustinus, Africanus ex Tagaste oppido, scriptor sanctissimus et eloquentissimus floruit sub finem saeculi Christi IV. et initio V.

AUGUSTO, as, a. 1. augustum ac venerabilem reddo. *Arnob.* 6. p. 201. Jamdudum istos videretis Deos, quos exterior levitas lenocinia fulgoris augustat, laminarum flatilium esse crates, etc.

*AUGUSTOBONA, ae, oppidum Galliae Celticae sive Lugdunensis, hodie *Troyes*, ut credibile est. *Anton. Itin.* ℙ *Ptolemaeo* est *Αὐγουστόμανα* (Cod. *Pal.* habet *Αὐγουστόβανα*). ℙ De quantitate paenultimae V. *Vindobona*. *B. A.*

*AUGUSTOBRIGA vel Augustobrīca, ae. f. Hispaniae Tarraconensis oppidum, ad Tagum flumen. *Anton. Itin.* ℙ Item aliud, inter Numantiam et Turiasonem. *Anton. Itin. B. A.*

[AUGUSTOBRIGENSIS, se, adj. ad Augustobrigam pertinens, quam *Plin.* 4, 22, 35, inter Lusitaniae urbes recenset, quaeque nunc *el Pedroso* vocari putatur. *Augustobrigenses*, *ium* sunt incolae illius urbis apud *Eund. ib. Inscr.* ap. *Murat.* 1030, 7. Flaviae Rufinae Augustobrigensi. *F.*]

*AUGUSTODŪNUM, i, oppidum Galliae Celticae sive Lugdunensis, in regione Aeduorum, hodie *Autun*. *Mela* 3, 2. *Tac. A.* 3, 43. *B. A.*

*AUGUSTOMĀGUS, i, Galliae Belgicae oppidum, in regione Silvanectensium, hodie *Senlis*. *Anton. Itin. B. A.*

*AUGUSTONEMETUM, i, oppidum Galliae Aquitanicae, in Arvernorum regione, hodie *Clermont*. *Tab. Peut. B. A.*

*AUGUSTOPOLIS. V. *Augusta*. ℙ Fuit et Augustopolis, *Αὐγουστόπολις*, urbs Phrygiae Majoris. *Notit. Episc. B. A.*

*AUGUSTORĪTUM, i, *Αὐγουστόριτον*, oppidum in Gallia Aquitanica, quod alii de *Poitiers* hodierno intelligunt, alii melius de urbe Lemovicum praecipua, *Limoges* vulgo dicta. *Anton. Itin. B. A.*

[AUGUSTŪLUS, a, um, diminutivum Augusti. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Donat.* 472, 2. Terentiae Augustulae. *F.*]

AUGUSTUS, a, um, adj. *σεβαστὸς*, *σεμνὸς*, *ἱερὸς*, proprie dicitur de loco augurato, sacro, religioso, sancto, vel ab *augeo*, vel ab avium gestu gustuve, quibus auguria captantur, ut docet. *Suet. Aug.* 7. Augustus potius vocaretur, quod loca quoque religiosa, et in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur, ab *auctu* (i. e. a verbo *augere*), vel ab avium gestu gustuve. [*Ultima vv. *Wolf.* putat esse assuta ex *Festo*.] *Ov. Fast.* 1, 609. Sancta vocant augusta patres: augusta vocantur Templa, sacerdotum rite dicata manu. Hujus et augurium dependet origine verbi; Et quodcumque sua Juppiter auget ope. [*Utroque loco verior est illa derivatio, qua h. v. originem esse putant *augeo*, ut diserte docet *Gramm. ined.*, laudatus ab *Osann. Auct. Lex. gr.* p. 182. s. v. *antonomastice*. Ab augeo, *inquit*, habetur *augustus* quilibet Rom. imperator, ab augendo imperium, unde et antonomastice Octavianus dictus est Oct. Augustus, quasi super omnes alios auxit Rom. imperium. — (Adjectivum autem augustus, a, um, idem ille satis mire derivari vult ab *ave* et *gusto!*) *Augustus* igitur (ut ab *ango* fit *angustus*) est is, qui splendore quodam, majestate, amplitudine, religione, insignis est; ac dicitur pariter et de locis et de personis.] *Cic. Dom.* 53. Ara consecrata in loco augusto. *Accius* ap. *Non.* 4, 330. Ut omnes ominibus faustis augustam faventiam adhibeant, *h. e.* religiosam. *Virg. A.* 7, 153. Augusta ad moenia regis, *h. e.* augurio consecrata, ut et *Servius* exponit. *Enn.* ap. *Varr. R. R.* 3, 1. Augusto augurio postquam inclyta condita Roma. *augustum augurium* potest etiam exponi magnum et propitium, quo quis bono aliquo augetur. ℙ Generatim pro venerabili, magno, majestate pleno, quales sunt religiosae res et sacrae. *Cic. N. D.* 1, 42. Eleusina sancta illa et augusta. *Id. Tusc.* 5, 13. Ex hoc Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio. *Virg. A.* 7, 170. Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis. *Id. G.* 4, 228. Sedes apum augusta, *h. e.* nobilis, et quasi majestatis plena, ut *Servius* explicat. Nam, Esse apibus partem divinae mentis, et haustus Aetherios, dixere quidam, ut *ib.* 220. habetur. *Suet. Ner.* 1. Juvenes gemini augustiore forma. *Liv. Praef.* Miscendo humana divinis primordia urbium augustiora facere. *Id.* 1, 8. Cum cetero habitu se augustiorem, tum maxime lictoribus duodecim sumptis fecit. *Ov. Met.* 9, 279. de Hercule inter Deos relato: majorque videri Coepit et augusta fieri gravitate verendus. *Stat. Silv.* 4, 8, 20. Ausoniae pater augustissimus urbis. *Plin. Pan.* 60. Augustissimum tribunal consulum. ℙ *Augustus* honoris causa appellatus est a senatu Octavius Caesar post devictos triumphatosque undique R. imperii hostes, clauso Jani templo, firmataque per orbem pace A. U. 717., ipso VII., M. Vispanio Agrippa III. coss., cum quibusdam censentibus, Romulum appellari oportere, quasi et ipsum conditorem Urbis, praevaluisset Munatii Planci sententia, ut *Augustus* potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine, ut ait *Suet. in ejus Vita* 7., ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nomine ac titulo consecraretur, ut ait *Flor.* 4, 12. *in f.*, et *ὡς καὶ πλεῖόν τι, ἢ κατὰ ἀνθρώπους, ὤν*, ut est apud *Dion. l.* 53. Ejus deinde successores et ipsi *Augusti* sunt appellati, eorumque uxores *Augustae:* quin crescente adulatione, *semper Augusti*, ut est apud *Auct. Pan. ad Maximian. et Constantin. cap.* 1. et apud *Symm. ep.* 2, 30. et alibi. ℙ Mensis quoque Sextilis in ejusdem Octavii honorem *Augustus* dictus est, quia eo mense primum consulatum inierat, tres triumphos in Urbem intulerat, Aegyptum in ditionem populi R. redegerat, finemque imposuerat bellis civilibus, ut est in ipso senatusconsulto hac de re lato, quod a *Macr. Sat.* 1, 12. *ad f.* refertur. Adjective. *Juven.* 3, 9. Augusto recitantes mense poetas. *Mart.* 12, 68. Augustis redit Idibus Diana. *Plin.* 2, 47, 47. Ante calendas Augustas. Adde

Colum. 11, 2. et *Inscr.* ap. *Grut.* 731, 3. ℙ De iis, quae ad Caesarem Augustum pertinent. [*Hac vi praecipue in nummis frequentatur.] *Ov. Pont.* 2, 5, 18. et *Vell.* 2, 126. Pax Augusta, *h. e.* ab Augusto parta. *Ov. Pont.* 2, 2, 76. Domus Augusta. Et *ib.* 1, 2, 117. Augustae aures. Et *ib.* 4, 5, 10. Forum Augustum, *h. e.* ab Augusto aedificatum in regione Urbis octava, cum aede Martis ultoris, ut est apud *Suet. in ej. Vita* 29. quod forum inter magnifica Urbis opera *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 1. recenset. *Ov. Trist.* 3, 8, 13. Augustum numen. *Mart.* 7, 39. Augusta aula, h. e. Domitiani. ℙ *Augusta aqua* dicta est, quam Augustus in supplementum Marciae perduxit, et in ipsam Marciam immisit, ut est apud *Frontin. aquaed.* 12. et *in Monum. Ancyr.* ap. *Grut.* 232. ℙ Alia est *Augusta aqua* ab eodem Romam perducta, quae ex Alsietino lacu concipiebatur. *Frontin. ib.* 11. V. ALSIETINUS. ℙ Apud *Plin.* 15, 30, 39. et 17, 10, 11. dicitur *augusta laurus*, quae amplissima est et arbore et folio, baccis gustatu quoque non asperis: *regia* etiam ob id appellata. ℙ Via Augusta (ab auctore nominata) in Faliscis fuisse dicitur, et per Anniam in Flaminiam desiisse. V. ANNIA. ℙ *Augusta charta* vocata est ea, quae, officinis Romam translatis, lota ibi diligentius et retractata est, tenuitque aliquamdiu principatum, donec sub Claudio melior excogitata est. Antea *hieratica* dicebatur, religiosis tantum voluminibus dicata. *Plin.* 13, 12, 23. ℙ Praeterea *Augustum* dictum est genus marmoris sub Augusto in Aegypto repertum. *Id.* 36, 7, 11. Idem marmor *Isid. Orig.* 16, 5. appellat *Augusteum*. V. TIBERIUS, a, um. ℙ Inter varia ficorum genera *augustas* enumerat *Macr. Sat.* 2, 16., et fortasse intelligit ficos virides biferas, quas Augustus maxime appetebat, ut narrat *Suet. in ejus Vita* 76. ℙ *Historia Augusta* est historia Augustorum. *Vopisc. Tac.* 10. Cornelius Tacitus scriptor historiae Augustae. ℙ Comp. *Augustior* et Sup. *Augustissimus*. V. supra.

*AUGYLAE. V. AUGILAE. *B. A.*

AVIA, ae, f. *μάμμη, μαμμία*, patris, vel matris meae mater. [*Proprie adject. est *avius, a, um* ab *avus*, Supple *uxor*.] *Pl. Truc.* 4, 3, 34. Matres duas habet, et avias duas. ℙ Metonymice *Pers.* 5, 92. Dum veteres avias tibi de pulmone revello, *h. e.* inveteratas et diu conceptas animo opiniones, quas vel ab avia puer didicisse videri potes. ℙ Est etiam nomen cujusdam herbae. *Colum.* 6, 14. *ad f. ex Celso.* Herba, quae vocatur avia cum sale trita et imposita. ℙ Si divinare quis velit, non absurde dicere possit, aviam esse eandem ac *senecionem*, quam ita appellarunt Latini, quod vere canescat, et ob id ipsum Graeci *ἡριγέροντα*. Juvat hanc conjecturam *Appul. Herb.* 74., ubi tradit, senecionis flores a Graecis *πάππους* vocari, a nobis *avos* dici posse. *Pontedera Antiq. Graec. Lat.* p. 542. *aviam* apud *Colum.* dictam putat errore librarii, quae apud *Plin.* 22, 14, 16. *lamia* seu *lamium* appellatur. [At *Schneiderus* neutrum probat. *F.*]

[AVIANUS, i, m. ad aves pertinens. Cognomen Romanum. M. Aemilii Aviani meminit *Cic. Fam.* 13, 21. *Inscr.* ap. *Grut.* 4, 4. Avianus Aug. Lib. *F.*]

AVIARIUM, ii, n. *ὀρνιθών*, locus conclusus, in quo aves altiles custodiuntur et aluntur: de quo multa *Varr. R. R.* 3, 3. et 5., ubi docet hoc nomine primum significatam esse eam villae partem, quae et gallinis et columbis alendis assignata erat: postea ita dictum esse locum, in quo alebantur delicatiores aves, ut turdi, pavones et hujusmodi, ad luxum coenarum. *Colum.* vero 8. l. tradit, *aviaria* appellari etiam piscinas, in quibus nantes volucres servantur, ut anates, anseres: quamvis haec loca proprium insuper nomen habeant. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. Nihil ei restabat praeter balnearia et ambulationem et aviarium. *Plin.* 10, 50, 72. Aviaria primus instituit inclusis omnium generum avibus M. Laenius Strabo, equestris ordinis, Brundusii. Eadem narrat *Varr. R. R.* 3, 5. ℙ *Aviaria* etiam dicuntur cubilia avium in nemoribus. *Virg. G.* 2, 430. Sanguineis inculta rubent aviaria baccis.

AVIARIUS, a, um, adj. ad aves pertinens. *Varr. R. R.* 3, 5. Pro pariete rete aviarium est objectum.

AVIARIUS, ii, m. *ὀρνιθοκόμος*, qui aviarii curam gerit. *Colum.* 8, 3. de gallinariis: Aviarius subinde debet speculari aut incubantis aut parturientis fetus. *Inscr.* ap. *Murat.* 971, 6. Priscus L. Varl Ambiboli aviarius altiliarius, *h. e.* qui altilia curat et farcit, qui et *fartor avium* dictus est.

[AVICANTUS, i, m. nomen cujusdam numinis vel fontis apud Gallos, prope Nemausum, quem nunc *Vistre* appellari affirmat *Jos. Bimardius* ad *Inscr. Murat. Prolegom. T.* 1. p. 54. Laribus Aug. sacrum, et Minervae, Nemauso, Urniae, Avicanto T. Cassius T. L. Felicio exs voto. *F.*]

AVICELLA. V. AUCELLA.

AVICULA, ae, f. *ὀρνίθιον, ὀρνιθάριον*, parva avis. *Gell.* 2, 29. Aviculae nidulus. *Appul. Met.* 11. p. 260, 21. Aviculae cantrae. ℙ Quidam putarunt esse etiam diminutivum ab *avia*, afferentes illud *Cic. Flacc.* 36. *in f.* Festivus filius aviculae minime suspiciosae, etc., sed ibi legendum est *aniculae*.

AVICULARIUS, ii, m. idem quod aviarius, ap. *Apic.* 8, 7.

AVIDE, adv. *ἐπιθυμητικῶς, ἁρπαλέως, λίχνως*, cum aviditate, cupide. *Petr. Sat.* 111. Avide replere se cibo. *Suet. Cal.* 18. Hilarius et avidius vesci. *Plin.* 17, 2, 2. Avide esurire. *Cic. Sen.* 8. Graecas litteras sic avide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens. *Id. ib.* 20. Avide appetere aliquid. *Liv.* 23, 18. Avidius immergere se in voluptates. *Cic. Phil.* 14, 1. Avidissime exspectare aliquid. *Id. Att.* 12, 41. Avide sum affectus de fano, *h. e.* vehementer cupio, ut fanum fiat. *Liv.* 34, 15. Extra ordinem avidius procurrere. *Id.* 28, 27. Avide credere. *Curt.* 3, 6. Avide intueri aliquem. *Petr. Sat.* 22. Avidius rixari.

AVIDITAS, atis, f. *ἐπιθυμία*, cupiditas, desiderium. *Cic. Sen.* 14. Senectus mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit. *Plin.* 20, 16, 65. Aviditas ad cibos. *Cic. Fin.* 3, 2. Inexhausta aviditas legendi. *Id. Off.* 2, 11. Ad divitias plerique inflammati aviditate rapiuntur. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 16, Infinita aviditas gloriae me tenet. *Tac. H.* 1, 52. Aviditas imperandi. ℙ Speciatim ponitur pro nimia pecuniae aviditate. *Pl. Merc. prol.* 29. Inhaeret etiam aviditas, desidia, injuria. ℙ Item pro appetentia cibi. *Plin.* 23, 1, 7. Uvae in ollis servatae et os et stomachum et aviditatem excitant. *Id. ib.* 8, 75. Amygdalae aviditatem faciunt. *Id.* 20, 7, 26. Lactuca in cibis aviditatem incitat inhibetque eadem. [*Et in specie pro nimia cibi appetentia, pro intemperantia dicitur. *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 126. comparat *Cels. praef.* Aegrorum enim, qui sine medicis erant, alios propter aviditatem primis diebus protinus cibum assumsisse.] ℙ In plurali numero. *Plin.* 11, 6, 5. Alveum illinunt amarioribus succis contra aliarum bestiolarum aviditates. *Id.* 20, 21, 84. Adeo malvae Veneri nascuntur, ut senem unicaulis aspersum genitali, feminarum aviditates augere ad infinitum Xenocrates tradat.

AVIDITER, adv. avide. *Appul. Met.* 4. [*p. 145, 27. *Elm.* e cod. Pal. Sic etiam ed. *Oud.* p. 251. illos invasisse aviditer (pocula); dulcedine potionis captos hausisse etc.] Aviditer ingurgitare merum. *Arnob. sub init. l.* 5. Invadere aviditer pocula.

AVIDUS, a, um, adj. *κατεπίθυμος, ἐπιθυμητός*, cupidus, vehementer appetens: ab *aveo*. [*P. Crinit. de hon. discipl. l.* 2. *c.* ult. cum *Verrio Flacco* a *non ridendo* derivat, propter nimiam cupiditatem. Satis ridicule.] *Ter. Eun.* 5, 4, 16. Avidus cibi. [*Praecipue de aegris, (etiam absolute *avidi* dicuntur) qui intemperantiores sunt. V. *Hdf.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 126. coll. *ib. Bentl.* et ad *Od.* 2, 13, 32. Perperam explicat h. l. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 35, 3.] *Justin.* 9, 8. vini. *Liv.* 22, 21. Hispanorum inquieta avidaque in novas res ingenia. *Ter. Eun.* 1, 2, 51. Ejus frater aliquantulum ad rem est avidior. *Cic. Phil.* 5, 8. Avidus in pecuniis locupletum. *Plin.* 7, 55, 56. Avidos nunquam desinere. *Ov. Met.* 10, 472. cognoscere amantem. *Lucan.* 6, 696. Et Chaos innumeros avidum confundere mundos. *Cic. Manil.* 3. Avidus laudis. *Id. Marcell.* 8. Avidissimus gloriae. *Id. Or.* 29. *in f.* Aures avidae et capaces. *Ov. Her.* 4, 15. Avidus ignis. *Id. Trist.* 1, 11, 31. Rapina avida. *Mart.* 1, 50. Avida sitis. *Plin.* 14, 22, 28. Avidi oculi. *Lucr.* 4, 595. Humanum genus est avidum nimis auricularum, *h. e.* habet aures avidas audiendi. ℙ Cum dativo, *Tac. H.* 1, 7. Servorum manus subitis avidae. ℙ Speciatim ponitur pro nimis cupido pecuniae. *Cic. Rosc. Com.* 7. Callidum imperitus, liberalis avidum fraudavit. [*Hor. Od.* 1, 28, 18. avidi nautae. Cf. *Bentl.* et *Burm.* ad *Quint. Decl.* 1. p. 3.] *Pl. Pers.* 2, 3, 14. Triparcos homines, vetulos, avidos, aridos. *Id. Trin.* 4, 1, 6. Avidis moribus esse. *Id. Aul. prol.* 9. Avido ingenio esse. ℙ [*Absolute etiam ponitur pro *gloriae avidus*. Aliis exemplis hunc usum illustrat *Walch.* ad *Tac. Agr.* 22. nec per alios gesta avidus intercepit. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 35. *avidum* explicat *avidum vitae*. Sed perperam. V. supra.] ℙ In illo *Lucr.* 5, 201. quantum coeli tegit impetus ingens, Inde avidam partem montes, silvaeque ferarum Possedere, etc., *avidam partem* interpretari possumus vastam, ingentem: quia avidus magna appetit [*Sic *Eichst.* in *ind.* s. h. v.]: nisi malis esse hypallagen et *avidam* partem dici, hoc est avide occupatam. Al. leg. *aliam*, al. *habitant.* Similiter apud *Eund.* 2, 1064. et 5, 471. *avidum complexum aetheris* intelligunt nonnulli vastum, ingentem. ℙ [*Confunduntur a librariis *avidus* et *uvidus*, V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 71. coll. *Gron. Diatr.* p. 406. *ed. Lips.* ibique *Hand.*]

AVIENUS, i, m. Rufus Festus Avienus poeta patria, ut multi putant, Hispanus, ut alii, Italus, multa scripsit, e quibus adhuc supersunt Metaphrasis Arati et Periegeseos Dionysii Alexandrini, Fabulae aliquot Aesopi (quamquam has *Flavio Aviano* alii merito tribuunt), et quaedam alia minutiora. Vixit Theodosii Junioris, Marciani et Leonis Thracis temporibus, Macrobii fere aequalis (qui eum in Saturnalibus suis loquentem inducit), post initium saeculi Christi quinti: scripsitque, ut illis temporibus, adeo eleganter et Latine, ut dignus videri possit, qui inter superioris aetatis scriptores referatur.

AVILLAS, agnas esse recentis partus, scribit *Paul.* ex *Festo*. [At legendum *anillas*, quod pro *ovillas* est: ductum enim videtur ab *ἄρνες*, quasi *anillas* sit pro *arnillas*. *F.*]

*AVINENSE OPPIDUM fuit in Africa Propria, s. Zeugitana, Avina etiam, ut credibile, vel Avinum nuncupatum. *Plin.* 5, 4. ubi *Avinense* lectionem omnium MStorum esse testatur *Hard. Hermolaus* mavult *Avittense*, ut sit Avitta oppidum. *Avinense oppidum* putat *Hard.* idem esse quod *Vinense*, sc. Vinam *Antonini. B. A.*

[AVIOLA, ae, m. Cognomen Romanum, diminutivum ab *avis*. Apud *Suet. Claud.* 45. mentio est M. Acilii Aviolae, qui consul fuit cum M. Asinio Marcello an. U. C. 807., a Chr. n. 54. *F.* ℙ *Alius Acilius Aviola, Tiberii in Galliis legatus, de quo *Tac. A.* 3, 41. Hic consularis ille quibusdam esse creditur, qui in rogo revixit. *Val. Max.* 1, 8. *Plin.* 7, 52. ℙ Alius, curator aquarum publicarum sub Vespasiano et Domitiano Imperatoribus, cui *Frontinus* in eo munere se successisse scribit. ℙ Alius, Consul cum Cornelio Pansa, an. U. C. 874. sub Adriano. ℙ Alius denique, Consul cum T. Q. Flaminio, an. U. C. 603. *B. A.*]

*AVIONES, um, populi Germaniae borealis. *Tac. G.* 40. *B. A.*

[AVIPES, ĕdis, comm. gen. idem quod alipes, qui pedibus velocibus, instar avis alis praeditus est. *Serenus* ap. *Capell.* 5. p. 169. Peritavit (*corrige* perit, abit) avipedis animula leporis. Eundem versum proceleusmaticum afferunt, omisso auctoris nomine, *Terent.* p. 2415. et *Victor.* bis p. 2546. et p. 2595. Alii perperam leg. *alipedis. F.*]

AVIS, is, f. *ὄρνις, ιθος*, volucris omnis, quae ova parit et pennis praedita est. Itaque hoc nomine veniunt etiam gallinae, anates, anseres. Hinc *Paul. Dig.* 32. *l.* 63. docet, avibus legatis, anseres, phasianos et gallinas et aviaria deberi. Hinc etiam liquet, minus late patere *avis* vocem, quam *volucris*. Nam apes, vespae, muscae, papiliones, *volucres* quidem sunt, non tamen *aves*. Quamquam hoc discrimen non est perpetuum. *Varr.* enim *R. R.* 3, 16. apes aves appellat. *Cic. Div.* 2, 70. *de aquila*. Ista enim avi volat nulla vehementius. *Hor. A. P.* 13. Serpentes avibus geminentur, tigribus agni. ℙ De variis avium volandi rationibus fuse et curiose *Plin.* 10, 38, 54. ℙ Quia vero *aves* habent praecipuum in auguriis locum, *bona avis* pro omine, *adversa et mala* pro malo ponitur. *Ov. Fast* 1, 513. Este bonis avibus visi natoque patrique. *Liv.* 6, 12. Dii, qui secundis avibus in proelium miserint. *Pl. Epid.* 2, 2, 2. Avi sinistra exire. *Hor. Od.* 1, 15, 5. Mala ducis avi domum etc. *Vetus Poeta* ap. *Cic. Div.* 1, 16. Adversa avi solvere. ℙ *Alba avis* proverb. de re admodum rara et fausta. Paucae enim eo colore aves sunt. *Cic. Fam.* 7, 28. Quasi avem albam videntur bene sentientem civem videre. ℙ In illo *Pl. Poen.* 5, 2, 15. Quaenam illaec avis est, quae huc cum tunicis advenit? *avis* dicitur tunicatus homo et in tunica habens manicas alarum instar. ℙ In ablativo sing. potest et *ave* dici sine reprehensione, ut *Varr. L. L.* 7, 37. et *Prisc.* 7. p. 765. docent: quamquam *Charis* 1. p. 96. id negare videatur. *Varr. L. L.* 6, 5. Ave sinistra. *Ov. Am.* 2, 6, 62. Ora fuere mihi plus ave docta loqui.

*AVISIO, onis, portus Liguriae, inter portum Herculis Monoeci et Nicaeam. *Anton. Itin. B. A.*

AVISPEX, ispicis, qui aves inspicit auguriis captandis. V. EXTISPICUS.

AVITE, adv. ab avo. *Tert. adv. Valent.* 39. Dominus Jesus filius hominis avite pronunciatus. Al. aliter leg.

AVITIUM, ii, n. grex avium, quemadmodum *servitium* servorum turbam significat. *Appul. Flor. sub f.* Tam pulcra ales, quae ex omni avitio longe praecellit.

*AVITTENSIS, se, adj. ad Avittam, sive Abittam pertinens, Byzacenae in Africa urbem, ultra Sisaram paludem ad meridiem sitam, *Ptol.* et *Tab. Peut.* cognitam. *Plin.* 5, 4, 4. Oppida libera triginta: ex quibus intus Avittense, Abziritanum. V. AVINENSE oppidum. *B. A.*

AVITUS, a, um, adj. *προγονικός*, qui ab avis et majoribus nostris ad nos pervenit. *Cic. Agr.* 2, 30. Paternae atque avitae possessiones. *Id. Fam.* 13, 34. Avitum mihi hospitium est cum Lysone. *Id. Tusc.* 1, 19. Patria atque avita philosophia. *Prop.* 2, 19, 23. Sanguine avito nobilis. *Id.* 4, 11, 29. Avita tropaea. *Tac. A.* 2, 38. Avita nobilitas. *Justin.* 1, 1. Avitus gentium mos. *Ov. Met.* 6, 239. aviti nominis heres. *Id. ib.* 650. sedens solio sublimis avito. *Liv.* 1, 6. Avitum malum regni cupido. *Ov. A. Am.* 696. Avitum merum, *h. e.* vetus, quasi ab avis conditum. ℙ De brutis animalibus. *Colum.* 6, 37. Ubi asina et onagro natus admittitur equae, quidquid ex eo provenit, pater-

nam formam et modestiam, fortitudinem celeritatemque avitam refert. Adde 7, 2. *ad f.*

AVĬUS, a, um, adj. *ἄτροδος, ἄβατος*, qui est sine via vel a via remotus. *Hor. Od.* 1, 23, 2. Avii montes. *Virg. G.* 2, 328. Avia tum resonant avibus virgulta canoris. *Vell.* 2, 55. Solitudines aviae. *Sall. Jug.* 58. Nocturnis et aviis itineribus Metellum sequitur. [*Liv.* 9, 19. avia commeatibus loca gravis armis miles timere potest, i. e. in quae commeatus vehi non possunt, inaccessa. *φ.*] ℙ Substantive. *Auct.* ad *Her.* 4, 21. Hunc avium dulcedo ducit ad avium. *Virg. A.* 2, 736. namque avia cursu Dum sequor et nota excedo regione viarum. *Vell.* 2, 75. Avia itinerum. *Tac. A.* 6, 21. Per avia ac derupta praeire. *Id. ib.* 2, 15. Avia Oceani, Et *ib.* 68. saltuum. *Id. ib.* 13, 37. Armeniae. ℙ *Avius* etiam dicitur, qui a via recedit. *Virg. A.* 11, 810. Continuo in montes sese avius abdidit altos, Occiso pastore, lupus. ℙ Translate. *Lucr.* 2, 81. Avius a vera longe ratione vagaris. *Id.* 3, 464. Quin etiam morbis in corporis avius errat Saepe animus, dementit enim, deliraque fatur. *Sil.* 12, 493. init nunc avia coepto consilia, *h. e.* quae a coepto abducunt.

AULA, lae, f. *αὐλή* in Graecorum aedificiis est idem quod atrium, seu locus sub dio in aedibus. Docet enim *Vitr.* 6, 10., ubi de eorum aedificiis disserit, mesaulas dici itinera inter eorum peristylia et hospitalia, *quod inter duas aulas media sunt interposita*, hoc est per quas ab uno ad aliud atrium transitur. Hoc sensu *Virg. A.* 3, 353. Illos porticibus rex excipiebat in amplis: Aulai in medio libabant pocula Bacchi, pro *aulae*. Sic *terrai, pictai* et alia. Et quia domus principum utpote amplior ceteris, plures aulas seu atria habere solet, factum est, ut *aulae* nomine a Latinis appellaretur et per metonymiam ipsi principum ac regum servi et ministri. *Hor. Od.* 3, 11, 16. janitor aulae Cerberus, *h. e.* regiae Plutonis domus. *Id. ib.* 2, 10, 7. caret invidenda Sobrius aula. *Cic. Fam.* 15, 4. Rex sine tumultu ac sine armis, omni auctoritate aulae communita, regnum cum dignitate obtinuit. *Sen. Ira* 2, 33. Rarissimam rem in aula consequi, senectutem. *Tac. A.* 2, 43. Divisa et discors aula erat, tacitis in Drusum aut Germanicum studiis. *Id. ib.* 6, 43. Potiri aula, i. e. in aula sibi auctoritatem comparare. *Suet. Ner.* 6. Esse inter ludibria aulae. *Lucan.* 8, 494. exeat aula, Qui volet esse pius. ℙ *Aula regia* erat locus in scenae medio ceteris ornatius, quod regum (praesertim in tragicis) domicilium referebat. *Vitr.* 5, 7. Graeci *βασίλειον* dicunt et *οἶκον ἔνδοξον*. ℙ *Virgilius* aulam vocat sedem et cellam regis apum, *G.* 4, 201. ipsae regem, parvosque Quirites Sufficiunt, aulasque et cerea regna refingunt. ℙ Antrum etiam hac voce significari quidam putant, afferuntque illud *Virg. A.* 1, 144. illa se jactet in aula Aeolus et clauso ventorum carcere regnet. Et *Sil.* 6, 216. Jamque ubi feralem strepitu circumtonat aulam etc., ubi de antro loquitur, in quo immanis serpens degebat. Verum aptius dicemus, aulam Aeoli ejus regiam esse, ubi ventis imperat; aulam serpentis locum, in quo caedibus et veneno quodammodo regnat. ℙ Significat etiam septum animalium, caulam, stabulum, tum apud Graecos, teste *Polluce l.* 1. *c.* 12. et *l.* 9. *c.* 4. et aliis, tum apud Latinos. *Prop.* 3, 11, 39. vacuam pastoris in aulam Dux aries saturas ipse reduxit oves. *Petr. Sat.* 119. Tigris aurata gradiens vectatur in aula, *h. e.* in cavea. V. locum et *Burm.* notas. *Gratius* quoque in *Cyneg.* 167. aulam vocat septum, ubi custodiuntur canes venatici. ℙ *Aulae* etiam dicuntur, si *Servio* credimus ad *A.* 9, 60., septa in sacris aedibus et in tribunalibus, quae turbas prohibent. ℙ Est praeterea *aula* vas illud, quod frequentius *olla* dicitur. Facile enim *au* in *o* longum vertitur, ut a *caudex codex*, a *plaustrum plostrum* etc. *Cato R. R.* 86. Postea in aulam indat et aquam puram coquatque. *Pl. Curc.* 2, 3, 89. Poculum grande, aula magna. *Id. Cas.* 4, 1, 16. Aulas pervortunt, ignem restinguunt aqua. Adde in *Aul.* saepe et in *fr. Amphitr.* ap. *Non.* 15, 1. [*V. *Gronov.* ad *Gell.* 17, 8. *init.*]

AULAEA, ae, f. *αὐλαία*, idem quod aulaeum. *Curt.* 8, 5, 21. Cum post aulaeam, quae lectos obduxerat, staret. [At *Oud.* ad *Appul. Met.* 5, 356. ex probabili conjectura scribendum putat: *Post aulaea, quae lectis obduxerat. F.* *Sic ed. *Zumpt.*]

AULAEUM, i, n. *αὐλαία, περιπέτασμα, τὰ περιστρώματα*, velum intextum et picturatum, quo parietes aedium teguntur, lecti et mensae insternuntur, peripetasma, peristroma: ita dictum, quod illo aulae ornari solent. *Serv.* ad *Virg. G.* 3, 25. docet, *aulaea* dicta esse a Latinis ab aula Attali regis, in qua primum hujusmodi vela inventa sunt, cum ejus hereditatem populus Romanus adiit: quod etiam *Varro* indicat apud *Non.* 14, 4. [*Cum *Servii* loco cf. *Hesych.* et *Suidas* s. v. *Αὐλαῖα.*] Usurpatur saepius in plurali numero, quam in singulari. *Curt.* 9, 15. Lectis circumdare aulaea, purpura auroque fulgentia. *Virg. A.* 1, 701. aulaeis jam se regina superbis Aurea composuit sponda. *Hor. Sat.* 2, 8, 54. Aulaea suspensa. *Prop.* 2, 23, 46. Porticus aulaeis nobilis Attalicis. ℙ De sipario, quo scena obtegitur. *Cic. Cael.* 27. Scabilla concrepant, aulaeum tollitur. *Phaedr.* 5, 7. Aulaeo misso. *Ov. Met.* 3, 111. ubi tolluntur festis aulaea theatris. *Hor. A. P.* 154. Si plausoris eges, aulaea manentis etc. *Juven.* 14, 262. ergo omnia Florae, Et Cereris licet et Cybeles aulaea relinquas, *h. e.* ludos, Floralia, Cerealia etc. ℙ De toga picta et sinuosa, *Juven.* 10, 38. et pictae Sarrana ferentem Ex humeris aulaea togae.

*AULANĬUS Evander, sculptor. *Plin.* 36, 5. *A. A.*

AULAR, aris, n. aulae vel alterius vasis operculum, *πῶμα. Varr. R. R.* 3, 15. Cum aular imposita est in doliis, fiunt pingues. Ita *Scalig.* ex conjectura emendat: nam editi fere omnes habent *cum cumulatim:* [at *Pontedera* legit *cum affatim positum est. F.*]

*AULARĬUS, i, m. Aulicus, palatinus. *Gloss. Isid. B. A.*

AULAX, ăcis, *αὔλαξ, ακος, ἡ*, Graece est sulcus, qui aratro fit in agro. *Auson. ep.* 10, 9. Et si Pierias patitur lirare sorores, Nunquam ipse torquet aulaca; *aulaca* accusativus est Graecae positionis, et in pluribus optim. editionib. Graece legitur. V. AULIX. ℙ [Fuit etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 2077, 5. Stenniae Veneriae C. Sentius Aulax uxori. *F.*]

*AULERCI, orum, populi Galliae Celticae sive Lugdunensis, supra Carnutes habitantes, a Sequana in Armoricam usque peninsulam extensi. *Caes. B. G.* 2, 34. In tria genera divisi erant, Eburovices, Diablintes, Cenomanos. Antiquum nomen Aulercorum etiam a *Liv.* 5, 34. in Gallis invasoribus Italiae numeratum. *Aulerci Eburovices* nominantur a *Caes. B. G.* 3, 17. *Plin.* 4, 18. *B. A.* [*Apud *Ptol. Αὐλέρκιοι Ἐβουρονῖκοι.* Inde corrupto nomine dicti *Ebroici*, h. *Evreux*, *Dep. de l'Eure*, *en Normandie.* Caput eorum olim erat *Mediolanum.*] *Aulerci Diablintes* memorantur a *Ptol.*, simpliciter *Aulerci Diablintes* dicti *Caes. ib.* 3, 9. *B. A.* [*Apud *Plin.* Diablindi, *Ptol.* Diablintae. Caput eorum fuit *Noeodunum* s. *Nudionnum*, h. *Alençon*, *Dep. de la Sarthe.*] *Aulerci Cenomani* agnoscuntur a *Caes. B. G.* 7, 75. *Plin.* 4, 18. [*Hodie *Dep. de la Sarthe.*] ℙ *Aulerci Brannovices*, qui hodie *le Briennois* incolunt. Meminit *Caes. B. G.* 7, 75. *B. A.*

AULĒTES, tae, m. *αὐλητής*, idem ac tibicen: ab *αὐλός*, tibia. Legunt quidam perperam apud *Cic. Mur.* V. AULOEDUS. ℙ *Auletes* cognomine dictus est Ptolemaeus pater Cleopatrae, quod tibia adeo delectaretur, ut eam palam sonare, choraulae more, eum non puduerit, ut narrat *Strabo l.* 17.

*AULĒTĬCA, ae, f. 1. herba eadem ac chamaemelon. *Appul. Herb.* 23. *B. A.*

AULĒTĬCUS, a, um, adj. *αὐλητικός*, ad tibiam pertinens, quae Graece *αὐλός* dicitur. *Plin.* 16, 36, 66. Orchomenius calamus est continuo foramine pervius, quem auleticum vocant: hic tibiis utilior.

AULĬCŌQUUS, a, um, adj. qui in aula, seu olla coquitur. *Paul.* ex *Festo* in *Aulas:* Aulicoqua exta, quae in aulis coquebantur, dicebant, id est elixa. Al. leg. *aulicoctia* vel *aulicocia.*

AULĬCUS, a, um, adj. *αὐλικός*, ad aulam seu domum principis pertinens. *Suet. Dom.* 4. Aulicus apparatus. *Id. Ner.* 45. Luctatores aulici. *Id. Oth.* 2. Libertina aulica. ℙ *Aulici, orum*, sunt servi et ministri aulae. *Nep. Dat.* 5. Aulicorum invidia. *Suet. Cal.* 19. Aulici interiores. Adde *Mamertin. Gratiar. act. ad Julian.* 11. et 19. ℙ *Aulicus* est etiam id. qui auleticus. *Capell.* 9. p. 314. Ischiadas quis nesciat expelli aulica suavitate?

[AULĪNUS, i, m. ad aulas pertinens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 874, 4. Ti. Julius Aulinus. *F.*]

AULĬS, is et ĭdis, f. *Αὐλίς*, regiuncula saxosa Boeotiae, e regione Chalcidis urbis Euboeae, cum urbe et portu capaci. Huc Graecos convenisse ferunt, deliberandi causa, bellumne Trojanis inferendum esset. Hinc locus *Aulis* nominatus est, ab *αὐλίς*, castra, tentorium. *Virg. A.* 4, 425. Non ego cum Danais Teucrorum exscindere Gentem Aulide juravi. *Lucan.* 5, 236. ad iniquam classibus Aulin.

[AULĪUM, ii, n. id. quod aulaeum. *Not. Tir.* p. 172. Aulium. *F.*]

AULĬUM, ii, n. parva aula seu olla. Afferunt quidam locum *Catonis* apud *Varr. R. R.* 2, 4. In Italia in scrobes terna atque quaterna millia aulia succidia. At *Scalig.* monet legendum *a vila* pro *villa:* nam antiqui non geminabant consonantes. [Verum nihil inde extricas, cum locus corruptissimus sit. *F.*]

AULIX, ĭcis, m. videtur idem esse, quod *aulax. Veget. Vet.* 1, 56. *sub f.* In sicco aequalique solo digeritur creta ad similitudinem stadii, quod aulicibus asperius sit. Et *mox.* In quo spacio cum equus frequentissime exerceri coeperit, in illos aulices necessario offendit, et ungulas impingit. [*At Schneiderus aulax* utrobique reposuit, Graecam vocis *αὔλαξ* derivationem secutus. V. AULAX. *F.*]

*AULOCRĒNE, es, *Αὐλοῦ κρήνη*, mons Phrygiae Majoris, unde Maeander exoritur. *Plin.* 5, 29. Ibi fuit et vallis *Aulocrenae* appellata. *Id. ib.* Regio circumjacens *Aulocrene* dicitur ab *eod.* 16, 44. *B. A.*

AULOEDUS, i, m. qui alicui tibias inflanti vocem accommodat, *αὐλῳδός:* ab *αὐλός*, tibia. *Cic. Mur.* 13. Ut ajunt in Graecis artificibus, eos auloedos esse, qui citharoedi fieri non potuerint. Ita *Manut.* edidit, et ita legit *Quint.* 8, 3. hunc eundem locum referens: at *Victorius* perperam auletas. [*Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1, 66. Uni tibicinum forte consilium subit aptare tibias, et melos quam posset flebile canere; tunc auloedus ille manibus extensis etc. *B. A.*]

*AULON, onis, (ab *αὐλών*, vallis, convallis,) locus, forte vallis vel regio (alii de monte intelligunt) Calabriae, contra Tarentinam regionem, vigni ferax. *Mart. epigr.* 13, 125, 1. Baccho fertilis Aulon., ubi al. leg. *Felix vitibus Aulon. Hor. Od.* 2, 6, 10. Et amicus Aulon Fertilis Baccho. Notandum *Serv.* ad *Virg. A.* 3, 553. et *Acronem*, Schol. ad *Hor. l. c.* Aulonem pro monte accipere. ℙ Item oppidum Peloponnesi, in Elide. *Plin.* 4, 5. ℙ *Aulon Cilicius*, fretum illud appellatum, quod Ciliciam a Cypro separat. *Plin.* 5, 31. ℙ Aulon vel Aulonia, Corinthiorum colonia in Macedonia. *Plin.* 4, 5. *B. A.*

[AULŬLA, ae, f. diminutivum aulae, parva olla. *Appul. Met.* 5. Lucernam claro lumine praemicantem subde aliquo claudentis aululae tegmine. Ita habent optimae edd., ac praecipue *Oud.*, quod profecto rectius est, quam *aulae* vel *auleae* vel *aulaeae*, quae duo postrema procul dubio mendosa sunt. *F.*]

AULŬLĀRĬA, ae, f. titulus comoediae Plautinae, in qua inducitur senex avarus aulam, seu ollam habens auri plenam. Ipsa vox est ab *aulula* diminutivo ab *aula.*

AULUS, i, m. praenomen est Latinum, quod passim reperitur in Romanorum civium appellationibus, ut *A. Postumius Albus*, *A. Hostilius Mancinus.* In libello *de nominibus Romanorum* (quem alii *Valerio Maximo*, alii *C. Tito Probo*, alii *Julio Paridi*, alii aliis tribuunt) dicuntur *Auli, qui Diis alentibus nati sunt.* Alii censent, ita dictos esse ab aulis, id est ollis faciendis. ℙ Est etiam *aulus* piscis quidam e pectinum genere: ita appellatus a similitudine tibiae, quae Graece *αὐλὸς* dicitur. *Plin.* 32, 9, 39. [*Kammmuschel.*]

AUMĀRĬUM, ii, n. *Petr. fr.* p. 868. *Burm.* In aumarium memet conjeci. *Fulgent. De prisco serm. in f.* interpretatur locum secretum publicum, sicut in theatris, aut circo: v. c. latrinam publicam. Alii leg. *aumatium* eodem sensu. *Turneb. l.* 26. *c.* 10. suspicatur legendum *automatium*, ut locus significetur theatri, vel circi, ubi erant machinae, quae *automata* a Graecis vocantur. Alii putant corruptum esse ex *armarium.*

*AUNĬOS, i, insula Galliciae Hispanicae adjacens, hodie ex sententia *Hard. Blydones. Plin.* 4, 20. *B. A.*

*AVO, onis, fluvius Hispaniae Tarraconensis, in Groviorum vel Graviorum regione. *Mela* 3, 1. *post med. B. A.*

AVOCĀMENTUM, ti, n. *ἀποτροπή*, id, quo ab aliqua re avocamur et abstrahimur. *Plin. ep.* 8, 23. Omnia mihi studia, omnes curas, omnia avocamenta exemit, excussit, eripuit dolor. Et *ib.* 5. Admittere avocamenta doloris. Adde *Pan.* 82. et *Appul. Apol.*

AVOCĀTĬO, onis, f. actus avocandi et abstrahendi ab aliqua re. *Cic. Tusc.* 3, 15. Levationem aegritudinis in duabus rebus ponit, avocatione a cogitanda molestia, et revocatione ad contemplandas voluptates. [*Cf. intpp. ad *Auct.* ad *Her.* 3, 2.] *Senec. ep.* 56. *ante med.* Quae me sine avocatione circumstrepunt. [*Zerstreuung.*]

AVOCĀTOR, oris, m. qui avocat. *Tert. Carn. Christ* 5. *in f.* Nec mortuorum suscitator, sed vivorum avocator.

AVOCĀTRIX, ĭcis, f. quae avocat. *Tert. Anim.* 1. Vis perniciosissima, omnis veritatis avocatrix.

AVOCĀTUS, a, um, part. ab *avoco*, alio vocatus, abstractus. *Liv.* 4, 61. Pars tribunorum ad Volscum avocata bellum. *Tac. A.* 3, 37. Solus et nullis voluptatibus avocatus, moestam vigilantiam et malas curas exerceret.

AVOCO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποκαλέω, ἀποτρέπομαι*, ab aliqua re revoco, abstraho, abduco, averto: ex *a* praeposit. et *voco*, *as. Cic. Phil.* 2, 10. Nihil praetermisi, quin Pompejum a Caesaris conjunctione avocarem. *Id. Rosc. Am.* 32. Quos jam aetas a proeliis avocabat. *Id. Senect.* 5. Senectus avocat a rebus agendis. *Id. Phil.* 2, 45. Ne metus quidem te a foedissimis factis potest avocare. *Id. Har. resp.* 9. Deterrere atque avocare animos a religione. *Id. Fin.* 1, 1. aliquem a philosophia. *Id. Balb.* 26. *in f.* aliquem a contentione. *Id. Leg.* 2, 4. Vocare ad recte facta et avocare a peccatis. [*Liv.* 1, 6. quum pubem Albanam in arcem praesidio armisque obtinendam avocasset, i. e. sevocasset proditionis causa. Cf.

Gron. Similiter *Quint. Decl.* 357. p. 749. ibique *Burm.*] *Quint.* 6, 5. *ad f.* Avocare judicem in aliam quaestionem, *h. e.* a re proposita ad aliam avertere. *Senec. ep.* 56. *ante med.* Animum cogo sibi intentum esse, nec avocari ad externa. [*Liv.* 37, 9. Ad Antiochum multitudinis animos avocantibus. *F.*] *Senec. Consol.* ad *Polyb.* 36. *sub f.* Luctum suum intempestivis avocare lusibus. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 1, 4. Avocare philosophiam a rebus occultis, et ab ipsa natura involutis, et ad vitam communem adducere. *Id. Or.* 14. Avocare controversiam a propriis personis et temporibus. ℙ *Avocare concionem ab aliquo magistratu* est concionem a magistratu, qui eam advocavit, abducere. *Messala* apud *Gell.* 13, 15. Consul ab omnibus magistratibus et comitiatum et concionem avocare potest. ℙ Cum dativo. *Id. ib. sub f.* Nec avocare alius alii posset, si concionem habere vellet. ℙ *Avocare se* est se delectare et tempus fallere. *Arnob.* 7. p. 215. Parvuli pusiones, ut abstineant a ploratibus, passerculos, pupulos, equuleos, panes accipiunt, quibus avocare se possint. [**Graec.* ad *Auct.* ad *Her.* 3, 2. avocant, inquit, quae animum a curis et sollicitudinibus abducunt, res jucundae aut studia. Cf. *Vomanus* in *Anthol. Burm.* 3, 51. Oblectat hortus, avocat, pascit, tenet etc. Cf. *Spalding.* ad *Quint.* 10, 3, 23. ubi *Frotscher.* comparat *Plin. ep.* 9, 36, 2.] ℙ *Avocare aquam* apud *Paul. Dig.* 39, 2, 26. est ab una in aliam partem derivare et abducere. Ita enim ibi legitur in opt. edition. *Torrentini.* Nam *Haloand.* habet *evocare.* ℙ *Avocare factum alicujus* pro revocare, efficere, ut factum non sit. *Ulp. ib.* 5, 6. ℙ Pro revocare, recipere, auferre ab aliquo. *Scaev. Dig.* 22, 3, 6. Ut partem ejus, quod in fraudem datum esset, posset avocare. *Pompon. ib.* 19, 1, 3. Avocare possessionem. ℙ Cum dativo personae. *Paul. Dig.* 35, 2, 1. *a med.* Si legatarius possessionem nactus est, et non potest avocari ei res etc. ℙ [*Permutantur passim a librariis *avocare* et *advocare.* Cf. *Drak.* ad *Sil.* 9, 86. et quos laudat.]

AVŌLO, as, avi, atum, n. 1. *ἀρίστασθαι*, volando fugio, evolo. *Cajus Dig.* 41, 1, 5. Pavones, qui ex consuetudine avolare et revolare solent. ℙ Translate est celeriter fugere. *Virg. A.* 11, 712. avolat ipse, Haud mora, conversisque fugax aufertur habenis. *Cic. Att.* 9, 10. Experiar certe, ut hinc avolem. *Id. Fin.* 2, 32. Fluit voluptas corporis et prima quaeque avolat. *Liv.* 1, 57. Citatis equis avolant Romam. *Id.* 3, 61. Avolat deinde ad equites. Utroq. loc. al. *advolant.* Utraque lectio proba. [*Illud praefert *Drak.*, quem V.]

AURA, ae, f. *αὔρα* et *αἴρα*, aer lenis et placide spirans. Graeca quidem vox, sed usu Latina facta. *Plin. ep.* 5, 6. Semper aer spiritu aliquo movetur: frequentius tamen auras, quam ventos habet. *Virg. A.* 2, 726. Et me, quem dudum non ulla injecta movebant Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graji, Nunc omnes terrent aurae. Adde *Plin.* 2, 45, 45. ℙ *Aeris auras* saepe dixit *Lucr.*, ut 1, 207., 2, 203., 3, 753., 6, 1225. etc., sic *auras aerias* non semel, ut 5, 502. et 4, 931. et *Virg. A.* 5, 520., qua loquendi ratione ostenditur, *auram* proprie significare aerem spirantem et se moventem. Nam ut multi Graeci etymologi docent, est aura ab *ἄω*, spiro, vel ab *ἀήρ*, aer, et *ῥέω*, fluo. [*Illud verius.] *Isid. Orig.* 13, 11. Agitatus aer auram facit. *Ov. Met.* 15, 246. tenuatus in auras, Aeraque humor abit. ℙ Sumitur tamen saepe generatim pro aere aut vento. [*V. *Burm.* ad *Quint.* 12, 10. p. 1103. Ac de vehementiori etiam vento dici probat *Drak.* ad *Sil.* 9, 501. et *Heins.* ad *Ov. A. A.* 2, 650.] *Virg. Ecl.* 9, 53. Omnes ventosi ceciderunt murmuris aurae. *Id. G.* 4, 171. taurinis follibus auras Accipiunt, redduntque. *Id. A.* 3, 356. aurae Vela vocant tumidoque inflatur carbasus austro. *Hor. Od.* 1, 2, 48. Ocyor aura. *Senec. Med.* 304. de navigantibus: Animam levibus auris credere. *Id. Oedip.* 599. Trahere auras, *h. e.* spiritum ducere. *Virg. A.* 1, 550. et *ib.* 2, 339. Vesci aura, *h. e.* vivere. Sic *ib.* 1, 391. Auras vitales carpere. Et *Quint. Prooem.* 6. Auram communem haurire. *Virg. A.* 6, 194. Dirigere cursus per auras. Sic *ib.* 4, 357. Deferre aliquid per auras. ℙ *In auras, ad auras, sub auras* est in altum, per aera. *Virg. A.* 4, 176. Attollere se in auras. *Id. G.* 2, 291. Tendere ad auras. [*Id. A.* 6, 554. stat ferrea turris ad auras, i. e. alta; et *ib.* 561. qui tantus plangor ad auras.] *Id. G.* 3, 109. Assurgere in auras. *Id. A.* 3, 422. Erigere fluctus sub auras. *Senec. Agam.* 854. Fugere in auras. *Virg. G.* 2, 47. de arboribus: Sponte sua quae se tollunt in luminis auras, *h. e.* crescunt. [*Cf. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 1, 22, 18.] ℙ *Ferre aliquid sub auras* apud *Eund. A.* 2, 158. est vulgare, manifestare. Sic *reddere ad auras*, in apertum educere, *ib.* 259. Contra *fugere auras* est diem hominesque vitare, abdere se. *Id. A.* 4, 388. Apud *Eund. G.* 4, 86. *venire ad auras superas* est ab Inferis in nostrum orbem ascendere. *Ferre auras* est aeri et coelo assuescere. *Virg. G.* 2, 422. de oleis: Ut semel haeserunt arvis auras-que tulerunt. ℙ In illo *Ejusd. G.* 3, 251. si tantum notas odor attulit auras: *Servius* monet, hyperallagem esse, pro, si aurae odorem apportaverint notum. Nam aura est, quae odores diffundit, et pro odore ponitur. *Id. G.* 4, 415. et liquidum ambrosiae diffundit odorem, Quo totum nati corpus perduxit: at illi Dulcis compositis spiravit crinibus aura. Adde *Val. Fl.* 5, 589. Sic *Mart.* 3, 65. Quod de Corycio quae venit aura croco. [*Aliis exemplis docte hunc usum illustrat *Heins.* ad *Ov. Met.* 15, 394.] *Stat. Th.* 10, 46. pinguesque ab ovilibus aurae. [*Dicitur vero etiam de ingrato et insalubri halitu vel spiritu, de ingratis odoribus, qui aerem inficiunt. *Burm.* ad *Quint.* supra laudavimus. Adde *Eund.* ad *Ov. Trist.* 3, 8, 23. nec coelum nec aquae faciunt, nec terra nec aurae.] ℙ Interdum *aura* significat tenue quiddam et varium ex aere et lumine aut colore vel odore resultans. *Virg. A.* 6, 204. Discolor unde auri per ramos aura refulsit. [*V. *Heyn.*, qui similia comparat.] *Servius* huc trahit illud *Hor. Od.* 2, 8, 24. tua ne retardet Aura maritos, *h. e.* splendor et pulcritudo. Hic plerique intelligunt odorem ex corpore puellae emissum, quo aliarum mulierum maritos ad se alliceret, ducta nempe metaphora a juvencis. [*Ommino. V. intpp. ad h. l. Talia enim non ad nostrum sensum judicanda sunt. Pertinet igitur hic *Hor.* locus ad superiora.] Item mixtum quid ex aere et calore. *Varr.* ap. *Non.* 4, 33. Simul ac languido corpore solis calidior visa est aura. Et pro flatu, qui exspiratur ab animali. *Ov. Fast.* 5, 507. Ipse genu posito flammas exsuscitat aura. [*Non tantum de animalium flatu, sed etiam de halitu sive spiritu hominum; de anima, ut *Prop.* 2, 20, 73. Si modo clamantis revocaverit aura puellae, ubi multis explicat *Burm.*, quem V. Adde *Heins.* ad *Val. Fl.* 3, 108. Ad idem redit, si cum *Ruhnk.* intelligis de sono vocis; quicquid enim aliquo modo ad sensus accidit, generatim apud poetas *aura* dicitur. Ita explicat *Burm.* ad *Prop.* 3, 8, 26. *auram viae vicinae* vel de strepitu turbae concurrentis, vel de cantu, tibiis et convivii hilaritate.] ℙ Similiter pro repercussu vocis, quae *echo* dicitur, quia medio aere fit. *Prop.* 1, 20, 50. Sed illi nomen ab extremis fontibus aura refert, [*ubi cf. *Broukh.*] ℙ Translate. *Ov. Pont.* 2, 3, 25. En ego non paucis quondam munitus amicis, Dum flavit velis aura secunda meis, *h. e.* dum prospera utebar fortuna: ducta translatione a navigantibus secundo vento. *Liv.* 3, 37. Captare auram libertatis. *Id.* 42, 39. Levi aura spei objecta, *h. e.* spe instar aurae aspirante. *Virg. A.* 7, 646. Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura, *h. e.* tenuis rumor. *Cic. Mur.* 17. Totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris. *Id. Sext.* 47. *in f.* Quem neque periculi tempestas, neque honoris aura potuit unquam de suo cursu dimovere. *Id. Verr.* 2, 1, 13. Sperat, sibi auram posse aliquam afflari voluntatis assensionisque etc., *h. e.* favorem. Adde *Hor. Od.* 1, 5, 11. Hinc *aura popularis* est favor et plausus vulgi. *Cic. Har. resp.* 20. *in f.* Sulpicium longius, quam voluit, popularis aura provexit. *Virg. A.* 6, 817. jam nimium gaudens popularibus auris. *Liv.* 3, 33. Omnis popularis aurae captator. *Id.* 42, 30. Esse aurae popularis, *h. e.* popularem esse, populo placere, studere. [*Id. 22, 26. aura favoris popularis; pro quo vulgo dicunt: aura popularis. Cf. 30, 45. Sine hoc adjectivo legitur apud *Eund.* 6, 11. criminando Patres, alliciendo ad se plebem, jam aura, non consilio ferri. *q.*] ℙ Genitivus *aurai* pro *aurae* soluta diphthongo per diaeresim. *Virg. A.* 6, 747. atque aurai simplicis ignem. ℙ *Auras* etiam pro *aurae* legit *Servius* apud *Eund. A.* 11, 801. nihil ipsa, nec auras etc., atque hanc esse antiquam lectionem asserit. Nam apud majores ductum fuisse aliquando genitivum singularem a Graeco *τῆς αὔρας.* Sic *Sall.* dixisse *custodias* pro *custodiae:* et *familias* pro *familiae* adhuc in usu esse, junctum nominibus *pater*, *mater.* Veteres tamen codices MSS. habent *aurae*, teste *Pierio*, et sic passim in editis quoque legitur. ℙ [*Confunditur h. v. a librariis c. v. *hora*, V. quos laudat *Drak.* ad *Sil.* 15, 67. — et *auris*, cf. *Id. ib.* 10, 366. — et *umbra*, *ib.* 13, 524. — et *ira*, *Burm.* ad *Ov. A. A.* 1, 373.]

*AURAMENTUM, i, n. *χρύσωμα Gloss. B. A.*

AURĀRIUS, a, um, adj. ad aurum pertinens. *Pl. Bacch.* 2, 2, 51. Negotium hoc ad me pertinet aurarium, *h. e.* efficiendi aurum, seu inveniendi pecuniam. *Plin.* 34, 13, 34. Auraria fornax, *h. e.* in qua aurum purgatur. *Id.* 37, 12, 74. Auraria metalla. Et *Varr.* ap. *Non.* 6, 41. Auraria statera. ℙ In *Cod.* 10, 47, 10. dicitur *aurarius canon* praestatio pecuniae, quae a mercatoribus et negotiatoribus conferebatur principi; quae *auraria pensitatio* appellatur *ib.* 11, 61, 2. et *auraria* absolute *Cod. Theod.* 12, 6, 29. ℙ Est etiam *auraria* absolute, aurifodina. *Tac. A.* 6, 19. Publicare aurarias alicujus. ℙ Item femina in auro negotians. *Inscr.* ap. *Murat.* 964, 1. Marcia T. F. Severa auraria et margaritaria de via sacra. ℙ *Aurarius, ii*, est faber aurarius. *Inscr.* ap. *Grut.* 12, 6. Pro S. Imperatoris Colleg. Aurariorum L. Calpurnius D. D. ℙ *Aurarii* praeterea sunt fautores, si *Servio* credimus ad *A.* 6, 817., ducta appellatione ab aura populari.

AURĀTA, ae, f. *χρύσοφρυς*, piscis, ita dictus, quia aurata habet supercilia: quem tamen quidam negant eum esse, quem nos *orata (Goldfisch)* dicimus. Nominatur a *Cels.* 2, 18. et 28., *Plin.* 9, 16, 25. et *Mart.* 13, 90. ℙ Scribit idem *Plin.* 32, 5, 16. iis, qui mel venenatum comederint, auratam pro antidoto esse. ℙ Quidam C. Sergius civis Romanus, quod hoc pisce admodum delectaretur, cognominatus est *Aurata*, (ut legitur apud *Cic. Or.* 1, 39.) seu *Orata*, *au* in *o* converso, ut est apud *Plin.* 9, 54, 79., itemque apud *Macr. Sat.* 2, 11., ubi addit, ex simili causa etiam *Muraenas* appellatos fuisse. Aliam causam *Oratae* appellationis affert *Fest.* in ORATA. V.

AURĀTILIS, le, adj. aureus. *Solin.* 15. *ad f.* Mares punctillis ad gratiam interlucentibus auratilis pulvisculus variat.

*AURĀTOR, oris, m. *Vet. Gloss. χρυσωτής. B. A.*

AURATURA, ae, f. *χρύσωσις*, inductio auri in rem aliquam. *Quint.* 8, 6, 28. Quia non est nisi pars auratura. Al. leg. *aurata.* [*Illud *Spald.* praefert.] ℙ Servus *ab auraturis* est in veteri *Inscr.* ap. *Grut.* 583, 4. M. Ulpio Aug. Lib. Dionysio, qui fuit ab auraturis etc.

AURĀTUS, a, um, adj. *κεχρυσωμένος*, auro obductus, inauratus. *Cic. in Senat.* 11. Currus auratus. *Id. Parad.* 6. *ad f.* Aurata tecta in villis. [*Similia collegit *Gron. diatr.* p. 395. *ed. Lips.*] ℙ Item universim auro ornatus. *Liv.* 9, 40. Aurati milites, *h. e.* scuta habentes auro caelata. *Virg. A.* 12, 536. Aurata tempora, *h. e.* tecta galea aurata. *Ov. A. Am.* 2, 299. Aurata est; ipso tibi sit pretiosior auro, *h. e.* induta vestibus auro intextis. *Prop.* 3, 11, 57. Auratos lacertos gerere. *Juven.* 6, 122. de Messalina: Tum nuda papillis Constitit auratis, *h. e.* monili aureo collum et mamillas ornata. [*Ov. Fast.* 2, 310. aurato sinu, i. e. veste auro sparsa sive distincta, acu picta.] ℙ Interdum est id. quod aureus. *Catull.* 64, 5. Auratam optantes Colchis avertere pellem, *h. e.* vellus aureum arietis Phryxei. *Ov. Met.* 5, 52. ornabant aurata monilia collum. **Claud. II. Cons. Stilich.* 226. Auratos Rhodiis imbres, nascente Minerva, Indulsisse Jovem perhibent. ℙ Item aureum colorem habens. *Plin.* 37, 10, 66. Gemma nunc sanguineis, nunc auratis guttis. ℙ Comp. *Auratior* legitur apud *Tert. Idol.* 6. *in f.* Saginatiorem et auratiorem et majorem hostiam caedere. ℙ [*Confunduntur a libr. *auratus* et *aeratus.* Cf. *Burm.* ad *Ov. Met.* 15, 620.]

AURĒA, ae, f. frenum. *Paul.* ex *Festo* docet, *aureas* dictos esse frenos, quibus equorum aures religabantur: quod confirmat etiam in sequenti voce AUREAX; ubi addit *oreas* seu *orias* dictas, quibus equorum ora coercebantur. Nonnullis videntur *aurea*, et *oria* unum et idem esse, et eo modo dici, quo *plaustrum plostrum*, *caudex codex*, et similia, ut adnotavit *Salmas.* ad *Vopisc. Carin.* 19. Nemo enim fortasse putet, frenos equorum auribus unquam inditos; [at constat antiquitus auribus equos regi solitos, ut postea freno in os indito. V. AURIGA. *F.*]

AURĒĀTUS, a, um, adj. *Sidon. carm.* 9, 396. In castris hedera ter aureatus, *h. e.* decoratus, ornatus.

AURĒAX, auriga, ab *aurea*, frenum. *Paul.* ex *Festo.* In *Gloss. Philox.* exponitur *ἱππονώμης*, quae vox et de equite, et interdum etiam de equo ipso dicitur. In *Gloss. Isid.* Aureax, equus solitarius. V. AURIGA et CELES.

AURĒLIA, ae, f. *Αὐρηλία*, familia Romae in primis celebris, a Sabinis, *Festo* auctore, oriunda, cui locus publice designatus erat, in quo Soli sacra faceret. Olim *Auselia* dicebatur, ut *Valesia*, *Papisia* pro *Valeria*, *Papiria.* Putarunt autem nonnulli, teste eodem *Festo*, a sole nomen habuisse, qui Graece *ἥλιος* dicitur. Alii derivant ab *ausum*, quod Sabinorum lingua significat aurum, ut idem *Festus* docet in voce *Aurum.* [At praestat sententia *Viscont.* qui in *Mus. Pio-Clem. T.* 4. p. 185. *edit. Mediol.* putat, gentem Aureliam nominis originem ducere *ἀπὸ τοῦ ἕλκειν τὰ αὐρία*, *ab auribus agitandis*, *h. e.* ab aurigandi peritia. V. AUREA et AURIGA. Hinc in duobus nummis illius gentis apud *Morell. Famil. Rom. Numism.*, et in alio Aureliopolitarum Lydiae apud *Vaillant. Numism. Imp. Gr.* p. 67. videre est duos centauros, in alio vero Imp. M. Aurelii Antonini in *Mus. Odescalch.* quatuor itidem centauros currui junctos. V. CENTAURUS.] ℙ Fuit etiam nomen proprium matris C. Julii Caesaris. *Suet. Caes.* 74. ℙ Item nobilis scorti tempore Ciceronis, cujus meminit *Fam.* 9, 22. ℙ Denique hoc nomen tribuitur quibusdam urbibus, quarum praecipua est in Gallia Celtica ad Ligerim fluvium, nunc *Orleans.* V. Geographos.

AURĒLIĀNENSIS, se, adj. Aurelianensis urbs apud *Sidon. ep.* 8, 15. est Aurelia in Gallia Celtica nunc *Orleans* dicta, quam ferunt conditam ab Au-

reliano Imperatore. *Inscr.* ap. *Murat.* 1031, 4. P. Metilio P. F. Pal. Tertullino civi Aurelianensi.

AURĒLIĀNUS, i, m. unus ex Romanis Imperatoribus, cujus vitam scripsit *Vopiscus.* ℙ Adjective *Aureliani sodales* dicti sunt sacerdotes instituti ad similitudinem *Augustalium.* V. *Capitolin. M. Anton. philos.* 7. *in f.* ℙ *Balneum Aurelianum* legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 178, 3. ex liberalitate M. Aurelii exstructum. ℙ [**Aurelianorum civitas* est quae hodie *Orleans. Notit. Lugdun. Senon.* apud *Cellar. B. A.*]

AURĒLIUS, a, um, adj. deductum ab *Aurelio,* quod est nomen Romanum. *Aurelia Via* dicta est ab Aurelio viro consulari, qui eam stravit. Duplex fuit, vetus et nova, ut colligitur ex *Inscr.* ap. *Grut.* 457, 6. Vetus incipiebat a porta Janiculensi, cui deinceps substituta fuit ea, quae nunc *porta di S. Pancrazio* appellatur, et per maritima Etruriae ducebat Pisas, mox Arelate usque: nova a *porta* itidem *Aurelia* nuncupata, quae fuit ante Hadriani sepulcrum, nunc *Castel S. Angelo,* quatuor ab Urbe mill. pass. veterem viam Aureliam pertingebat, eo nempe loci, ubi nunc est *Valcanuta.* Hujus viae meminit *Cic. Cat.* 2, 4. et *Phil.* 12, 9. Multa de eadem disserit *Fabrett. Dissert.* 1. *de aquis et aquaed. n.* 92. [**Plura et his accuratius descripsit addiditque. F.*] ℙ *Aurelia aqua* eadem fuit ac Trajana, quae a Sabatino agro ad summum Janiculum et Transtiberinam regionem deducta fuit: sic dicta, quia per duo fere passuum millia secus viam Aureliam deferebatur: vel, ut alii volunt, appellata est a L. Aurelio qui consul fuit A. U. 630. et eam deduxisse creditur. V. *Fabrett. l. c.* ℙ *Aurelia lex* judiciaria denominata est a C. Aurelio Cotta praetore, qui eam tulit M. Licinio Crasso, Cn. Pompejo Magno coss. an. U. C. 684. ut judicia, quae penes solos senatores erant, inter senatores et equestrem ordinem et tribunos aerarios communicarentur. *Ascon.* in *Divin. Verr.* 3. ℙ Alia fuit de tribunis plebis, lata a C. Aurelio Cotta, qui consul fuit cum L. Octavio an. U. C. 679., qua permissum est tribunis plebis, ut ad alios quoque magistratus capessendos accederent: quod antea lege a Sulla dictatore lata, facere prohibebantur. *Ascon.* in *Orat. pro C. Cornel. majestatis reo.* ℙ *Forum Aurelium* fuit oppidum Etruriae, ut quidam putant, medium inter Centumcellas et Cosam. *Cic. Cat.* 1, 9. [**Forum Aurelii* appellatur in *Anton. Itin. B. A.*] ℙ *Aurelium tribunal,* cujus meminit *Cic.* ad *Quirit.* 5., *Sext.* 15. et alibi, fuit in foro: putantque nonnulli factum fuisse ab eodem Aurelio, qui legem Aureliam judiciariam tulit. De hoc tribunali intelligendus est ille etiam locus *Cic. Cluent.* 34. Gradus illi Aurelii tum novi, quasi pro theatro illi judicio aedificati videbantur. Adde *Flacc.* 28.

AURĒLIUS, ii, m. Sextus Aurelius Victor, Afer vulgo creditus, sub Constantio Imperatore floruit, hoc est medio saeculo Christi IV. ignobili quidem loco, tenuique patre ortus, sed propter virtutem ad amplissimos honores promotus. Putatur autem esse is, cujus meminit *Ammian.* 21, 10. Ei tribuuntur libelli *De origine gentis Romanae, De Viris illustribus,* et *De Vitis Caesarum* ab Augusto usque ad decimum consulatum Constantii: in quibus apparet stilus, ut illa aetate, satis nitidus et elegans, et ab Africanorum salebris omnino remotus. Auctor vero *Epitomes de vita et moribus Impp. Rom.,* quae eodem Sexti Aurelii Victoris nomine inscribitur, junior certe est priore, et diverso etiam dicendi genere utitur, quin aliquando ab illo dissentit. De utroque plura *Vossius de histor. Lat., Martin. Hanckius de Rom. rer. Scriptorib., Andr. Schott. in praef. ad Sext. Aur. Vict.* et alii, [**ut Schoell.* et *Bähr.* in hist. litt. Romm.]

AURĔOLUS, a, um, adj. χρυσοῦς, ὁ, χρυσῆτις, ἡ, χρυσοῦν, auri colorem referens: diminut. ab *aureus. Varr. R. R.* 3, 9. Galli salaces, lacertosi, rubenti crista, rostro brevi, collo vario, aut aureolo. Adde *Colum.* 9, 3. ℙ Item auro constans. *Pl. Epid.* 5, 1, 34. Anellus aureolus. *Id. Rud.* 4, 4, 122. Ensiculus aureolus. *Catull.* 2, 12. Aureolum malum. ℙ Et auro ornatus. *Prud. περὶ στεφ.* 9, 196. Tecta corusca super rutilant De laquearibus aureolis. *Lucil.* ap. *Non.* 18, 3. Aureolus cinctus. ℙ Translate ponitur pro formoso, pulcro. *Catull.* 61, 166. Transfer omine cum bono Limen aureolos pedes. ℙ Et pro pretioso, eximio, praestanti. *Cic. Acad.* 4, 44. Est enim non magnus, verum aureolus, et ad verbum ediscendus libellus. *Id. N. D.* 3, 17. Aureola oratiuncula. ℙ *Aureolus, i,* absolute, (subaudi *nummus*) idem est q. *aureus,* licet diminutivum ab eo sit. *Mart.* 12, 36. Aureoli manu crepantes. Adde 5, 19.

AURESCO, is, n. 3. aureum colorem sumo. *Varr. L. L.* 6, 5. Aurora dicitur ante solis ortum, ab eo, quod ab igne solis tum aureo aer aurescit.

AURĔUS, a, um, adj. χρυσοῦς, qui est ex auro. *Pl. Amph.* 1, 1, 104. Patera aurea. *Virg. A.* 4, 139. Aurea fibula. *Ov. Met.* 2, 107. Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae Curvatura rotae, radiorum argenteus ordo. ℙ *Aureus nummus* et absolute *aureus, i,* est pecunia ex auro. *Plin.* 33, 3, 13. Aureus nummus post annum LXII. percussus est, quam argenteus, (nempe an. U. C. 547. M. Livio Salinatore, C. Claudio Nerone coss.) ita ut scrupulum valeret vicenis sestertiis, quod effecit (lucri) in libras, ratione sestertiorum qui tunc erant, sestertios noningentos. Post haec (nempe intra annos U. C. 700. et 705., ut probavit *Letronne Considérations sur l' évaluation des monnaies Grecq. et Rom.* p. 76.) placuit ✠. XL. signari ex auri libris: paulatimque pondus imminuere principes; minutissime Nero (*corrige* vero) ad XLV., *h. e.* ad quintam et quadragesimam partem librae. Ex quo *Plinii* loco patet, an. U. C. 547., ante Chr. 207., Romae primum nummos aureos percussos fuisse pondere scrupulari, qui, licet auri scrupulum tunc Romae vulgo quaternis denariis, sive sestertiis sedecim valeret, ut affirmat *Id.* 19. 1, 4. *Quaternis denariis scrupula byssi permutata quondam, ut auri, reperio;* tamen vicenis sestertiis permutabantur; ac proinde, cum auri libra scrupulis CCLXXXVIII. constet, his quater in se ductis fit summa sestertiorum MCLII., quibus si demperis sestertios CCLII. in monetae cudendae manipretium insumendos, reliqui erunt sestertii noningenti, quos lucri fecit respublica in singulas auri libras. Hi vero nummi signati sunt numero XX. (nempe sestertiorum) duplares XXXX., et triplares LX., ratione habita ad scrupulare pondus; verum intra spatium temporis, quod est inter an. 700. et 705. U. C., nummi aurei XL. tantum percussi sunt ex singulis libris, quemadmodum ex eisdem denarii argentei LXXXIV.; deinde subsecuti imperatores ita eorum pondus paulatim imminuerunt, ut *Plinii* tempore, nempe Vespasiano imperante, XLV. ex singulis libris percuterentur. *Cic. Phil.* 12, 8. Cum aquilae primipili nummos aureos daret, de meis bonis se dare dixit. *Suet. Cal.* 42. Super aureorum acervos volutari. *Id. Dom.* 7. Addidit et quartum stipendium militi, aureos ternos. ℙ Hinc *aureus* sumitur pro numero XXV. in illo *Mart.* 10, 24. vitae tribus aureis peractis, *h. e.* annis LXXV. aetatis completis. Alii tamen aliter explicant. V. AREA. ℙ Dicitur etiam *denarius aureus. Petr. Sat.* 33. Pro calculis albis ac nigris aureos argenteosque habebat denarios. *Plin.* 34, 7, 17. Lysippum solitum ex manipretio cujusque signi denarios seponere aureos singulos. *Id.* 37, 1, 3. Indicatus sex aureis denariis smaragdus. *Id.* 33, 3, 13. *denarium ex auro* dixit. Atque *Hard.* affirmat, *denarium aureum* idem omnino esse ac *nummum aureum.* Alii vero *denarium aureum* ideo appellatum recte putant, quod apud Graecos drachmam unam auri (*h. e.* aureum) decem argenteis valeret, ut constat ex *Liv.* 38, 11. Pro argento si aurum dare mallent, darent convenit, dum pro argenteis decem aureus unus valeret. Plura de his V. apud *Gronov. de Pecun. Veter., Sperling., Hotoman.* et praecipue apud *Letronne Considérat. sur l' évaluat. des monnaies Grecq. et Rom.* [**Plurima ex his addidit F.* ex iis, quos dixit, libris.] ℙ *Aurea corona* donabantur apud Romanos milites, qui in acie strenue pugnando victores fuissent. *Inscr.* ap. *Mur.* 310, 1. Donato bello Dacico donis militaribus, corona murali, vallari, classica, aurea. *Liv.* 7, 37. Consul P. Decium, praeter militaria alia dona, aurea corona et centum bobus, eximioque uno albo opimo auratis cornibus donat. ℙ Est etiam *aureus* id. q. inauratus, auro ornatus. *Cic. Phil.* 2, 34. Sedere in sella aurea. *Virg. A.* 1, 496. Aurea cingula. ℙ Item auri colorem habens. *Virg. G.* 1, 431. Aurea Phoebe. *Id. A.* 2, 488. Aurea sidera. *Plin.* 37, 5, 20. Aureus color. *Virg. A.* 8, 659. Aurea caesaries. *Id. Ecl.* 3, 71. Aurea mala, *h. e.* poma ea, quae vulgo *aurantia* dicimus, ut quidam putant. *Mart.* 3, 60. Aureus turtur, *h. e.* pinguis: pinguedo enim aureum colorem refert. ℙ Translate ponitur pro eximie pulchro, nitenti, splendido. *Virg. A.* 10, 16. Venus aurea. *Ov. Amor.* 2, 18, 36. Aureus Amor. [**Cf. Broukh.* ad *Prop.* 2, 2. 34.] *Mart.* 11, 81. Litus aureum, *h. e.* pulchrum, amoenum. *Manil.* 5, 383. Olor aureus, *h. e.* nitidissimi splendentisque candoris. Nisi malis eodem sensu hic *aureum* dici, quo *sidera aurea* a *Virg.* Nam *Manil.* de Olore sidere loquitur. ℙ Praeterea *aurea* dicuntur quae optima sunt; sicut aurum est optimum et praestantissimum metallorum. *Hor. Od.* 2, 10, 5. Aurea mediocritas. *Id. ib.* 4, 2, 23. Aurei mores. *Virg. Ecl.* 4, 9. Gens aurea. *Id. A.* 6, 794. Aurea saecula. *Ov. Met.* 1, 89. Aurea aetas. *Hor. Epod.* 16, 64. Aureum tempus. *Albinov.* 2, 23. Sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo, *h. e.* Astraea. *Tibull.* 1, 7, 64. iras aurea vincit anus, *h. e.* optima, et quae auro contra non est cara, ut *Pl. Epid.* 3, 3, 30. loquitur. Huc pertinet et illud *Hor. Od.* 1, 5, 9. Qui nunc te fruitur credulus aurea: Qui semper vacuam, semper amabilem Sperat, *h. e.* credens, te esse moribus aureis et fide stabili. ℙ [**Non raro in *aureus* (ea, eis, ei) posteriores syllabae per synizesin pronuntiandae sunt, maxime in clausula versus, ut *Virg. A.* 5, 352. 8, 553. *Ov. Met.* 7, 159. ibique *Heins.* Sed etiam ab initio versus, ut *Virg. A.* 1, 698. Aurea composuit sponda.]

AURICHALCUM et Orichalcum, ci, n. ὀρείχαλκος. *Serv.* ad *A.* 12, 87. docet ex auctoritate *Lucretii,* cum primum homines silvas incendissent, nullarum adhuc rerum periti, terram fertilem omnium, ex incendii calore desudasse metalla, in quae *orichalcum* pretiosius visum fuisse, quod et splendorem auri et aeris duritiem possideret. Quibus verbis significare videtur hanc vocem hybridam esse, conflatam nimirum ex Latino *aurum,* et Graeco χαλκὸς, aes. *Festo* autem magis placet, totam Graecam esse, ab ὄρος, mons, et χαλκὸς, aes, quod in montuosis locis inveniatur. Sed valde ambigitur, quodnam metalli genus hac voce intelligatur. Et quidem *Servius* videtur innuere, orichalcum esse mixturam aeris, auri et argenti igne percolati et in unum commixti. Quae si ejus sententia est, frustra *Lucretii* auctoritatem interponit, qui 5, 1240. et sqq. docens, qua ratione metalla primum reperta sint, nullam orichalci aut similis mixturae mentionem facit. Alii putarunt esse non casu, sed a natura productum metallum, quod ex auro et aere constaret: sed hujusmodi mixturam exstare, negat *Aristot.*, ut *Scalig. in adnott. ad Festum* testatur. *Plin.* 34, 2, 2. enumerat inter varia aeris genera, et praecipuam bonitatem admirationemque diu obtinuisse dicit: sed longo jam tempore non reperiri, effeta tellure. Ex quibus intelligimus, putasse *Plinium* nativum ac fossicium fuisse: simulque discimus, qualecumque illud fuerit, in maximo pretio ab antiquis fuisse habitum. Hinc *Pl. Curc.* 1, 3, 45. Auro contra cedo modestum amatorem: a me aurum accipe. *Pa.* Cedo mihi contra aurichalco, cui ego sano serviam. *Id. Mil.* 3, 1, 64. Cedo tres mihi homines aurichalco contra cum istis moribus. Adde *Ps.* 2, 3, 22. ℙ Successit in idem nomen metalli genus facticium, quod nos *Messing* appellamus. Fit autem ex aere et cadmia seu cadmea, ut *Festus* docet in *Cadmea,* et nos diximus in Aes. *Cic. Off.* 3, 23. *sub f.* Si quis aurum vendens, orichalcum se putet vendere. *Suet. Vit.* 5. Proque auro et argento stannum, et aurichalcum supposuisse. *Plin.* 37, 9, 42. Chrysolithi perspicuae funda includuntur: ceteris subjicitur aurichalcum, *h. e.* bractea tenuis ex aurichalco. ℙ Videtur etiam aliquando esse genericum metalli nomen. *Virg. A.* 12, 87. auro squalentem alboque orichalco Circumdat loricam humeris, *h. e.* argento. *Hor. A. P.* 202. Tibia non, ut nunc, orichalco juncta, etc. *h. e.* metallo ferruminata. ℙ Postremum hunc hujus vocis usum confirmat etymon *Festi* ab ὄρος, et χαλκὸς, utcunque alii *Virgilium* et *Horatium* interpretentur. Nam qui *aurichalcum* scribere maluerunt, eo fortasse decepti sunt, quod crederent, metallum hoc ex *auro* fieri: de quo V. *Voss. Etymol.* et *Spanhem.* ad *Callim. Hymn. Pallad. v.* 19. ℙ Per synecdochen. *Val. Fl.* 3, 60. ecce super foribus Bellona reclusis Nuda latus, passuque movens orichalca sonoro, *h. e.* tubam ex aurichalco. Alii intelligunt arma, quibus induta erat. *Stat. Th.* 10, 658. ipsa insanire videtur Sphinx galeae custos, visoque animata cruore Emicat effigies, et sparsa orichalca renident, *h. e.* armorum ornamenta. ℙ [**Adjective *Aurichalceus, a, um. Marcian. JCtus* l. 45. *ff. de contrah. emt.* Si vas aurichalcum pro auro vendidisset ignorans, tenetur, ut aurum, quod vendidit, praestet. Sic etiam in cod. *Flor. B. A.*]

*AURICHALCUS, a, um, adj. V. voc. praec. *in f. B. A.*

AURĬCILLA et Oricillă, ae, f. diminut. ab *auricula. Catull.* 25, 1. mollior cuniculi capillo, Vel anseris medullula, vel imula oricilla, *h. e.* ima parte auriculae, quae mollissima est. Ita legit et interpretatur *Scaliger.* V. AURICULA. Est autem *oricilla* dictum pro *auricilla* eo modo, quo *auricularius oricularius, plaustrum plostrum, caudex codex,* etc.

AURĬCOCTOR, oris, m. faber qui igne aurum purgat. *Inscr.* ap. *Murat.* 976, 6. C. Selius Alexander auricoctor.

AURĬCOLOR, oris, m. et f. χρυσόχρους, aureum colorem habens. *Juvenc. in Euang. de bapt. Chr.* 1, 359. Scinditur auricolor coeli septemplicis aethra.

AURĬCOMANS, antis, m. et f. adj. χρυσοκόμης, comam habens aurei coloris. *Auson. Edyll.* 6, 11. En crocus auricomans et murice pictus Adonis.

AURĬCOMUS, a, um, adj. auricomans. *Val. Fl.* 4, 92. Sol auricomus. *Sil.* 3, 608. Batavus auricomus [**i. e. coma rutila. V. intpp. ad *Tac. G.* 4, 2.]. *Virg. A.* 6, 141. Auricomi fetus arboris, *h. e.* ramus aureus.

AURĬCŬLĂ, ae, f. οὖς, ὠτὸς, membrum, quo quo animal audit: et primo ac proprie significat exteriorem auris partem. *Cic. Q. Fr.* 3, 4. Auriculam alicui mordicus auferre. *Suet. Aug.* 69. Auriculae rubentes. *Pl. Asin.* 3, 3, 78. et *Poen.* 1, 2, 163. Sine, te prendam auriculis, sine, dem savium. *Plin.* 20, 9, 40. Auriculas fractas curare. Adde 11, 37, 50. ℙ Proverbium est *auricula infima mollior,* de homine valde remisso ac leni in agendo, non acri, non iracundo. *Cic. Q. Fr.* 2,

15. Tu quemadmodum me censes oportere esse in republica, et in nostris inimicitiis; ita et esse et fore auricula infima scito' molliorem. Apud *Ammian.* 28, 12. usurpatur de eo, qui levis est ingenii et valde mobilis. Huc etiam pertinet, quod attulimus ex *Catullo* in AURICILLA, ubi *imula oricilla mollior* dicitur homo mollis ingenii et effeminati. ℙ Sumitur etiam *auricula* generatim pro tota aure. *Auct. ad Her.* 4, 10. Cui etiam nunc paedagogi lites ad auriculas versarentur. *Mart.* 3, 28. Garrire alicui in auriculam. *Lucr.* 4, 595. Humanum genus est avidum nimis auricularum, *h. e.* cupidum audiendi. *Pers.* 2, 29. qua tu mercede Deorum Emeris auriculas, *h. e.* obtinueris, ut tibi faciles aures Dii praeberent. ℙ Etiam *oricula* dictum est, ut *oricularius* pro *auricularius*. *Trogus* ap. *Plin.* 11, 52, 114. Oriculârum magnitudo loquacitatis et stultitiae nota est. *Fest.* in *Orata*. Aurum rustici orum dicebant, ut auriculas oriculas. ℙ [Fuit etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1281, 1. Q. Pullius Q. F. Auricula. *F.*]

AURĬCŬLĀRĬUS, a, um, adj. *ὠτικὸς*, ad auriculas pertinens. *Ulp. Dig.* 50, 13, 1. Medici, qui alicujus partis corporis, vel certi doloris sanitatem pollicentur; ut puta, si auricularius, si fistulae, si dentium. V. ORICULARIUS. ℙ [*Substantive *Auricularius*, *i*, m. *Vulgat. Sam.* 2, 23, 23. Fecit eum David sibi auricularium, i. e. consiliatorem. *Vet. Gloss.* Ὠτακουστής, Auricularius. *B. A.*

[AURĬCŬLO sive Orĭcŭlo, onis, m. qui magnas auriculas habet, ut Naso et Mento, qui magno praeditus est naso et mento. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1067, 9. L. Calvisius P. F. Oriculo. Hic *Oriculo* est pro *Auriculo*. V. AURICILLA. *F.*]

*AURICULOSUS, a, um, adj. Ὠτικὸς *Vet. Gloss. B. A.*

AURĬFER, a, um, adj. aurum ferens aut producens, *χρυσοφόρος*. *Plin.* 4, 22, 35. Tagus auriferis arenis celebratur. *Id.* 5, 1, 1. Auriferum nemus. *Flor.* 4, 12. Regio aurifera. *Sil.* 4, 639. Aurifera arbor, *h. e.* aurea poma ferens in hortis Hesperidum. Et 16, 25. Aurifera arva, *h. e.* Hispania, in qua Tagus aurifer. *Tibull.* 3, 3, 29. Lydius aurifer amnis, *h. e.* Pactolus.

AURĬFEX, ĭcis, m. *χρυσουργός*, *χρυσοποιὸς*, *χρυσοτέκτων*, faber aurarius. *Cic. Verr.* 2, 4, 25. Cum vellet sibi annulum facere, aurificem jussit vocari, et ei palam aurum appendit. *Id. Or.* 2, 38. Quae non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. *Inscr.* ap. *Grut.* 258, 7. Collegium aurificum. ℙ In alia inscriptione *ib.* 639, 1. scriptum est *aurufex*.

*AURIFĬCĪNA, ae, f. Aurificis taberna. *Gloss. Cyrill. B. A.*

[AURĬFĬCUS, a, um, adj. deauratus. *Inscr.* ap. *Grut.* 67, 2. T. Vibius Zoticus VI. Vir Augustal. Liberum Patrem cum redimiculo aurifico, et thyrso, et cantharo argenteis P. II. S. $\frac{ss}{ss}$ (*h. e.* pondo bilibri, semisse, et duabus unciis) testamento poni jussit. *F.*]

AURIFLŪUS, a, um, adj. auro fluens. *Prud. adv. Symm.* 2, 604. Quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Iberus.

AURIFODĪNA, ae, f. *χρυσωρυχεῖον*, locus ubi aurum effoditur. *Plin.* 33, 4, 21. Lex censoria Ictimulorum aurifodinae, Vercellensi agro.

AURĬFUR, ūris, m. *χρυσοκλέπτης*, qui aurum furatur. *Pl. Poen.* 5, 5, 55. Et mihi hic aurifur est. Alii *auri fur* divisim scribunt.

AURĪGA, ae, m, *ἡνίοχος*, qui in curru sedens equos habena regit. [Etymon vocis repetendum ab *auris* et *ago*, nam primi homines, antequam frenum equorum ori inderent, equos auribus huc illuc ductabant, inde appellati centauri *ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τὰ ὦτα*. V. CENTAURUS et AUREA. *F.*] *Virg. A.* 12, 624. in faciem soror conversa Metisci Aurigae, currumque et equos et lora regebat. *Ov. Met.* 2, 327. Phaethon currus auriga paterni. *Id. Amor.* 3, 12, 37. hunc eundem absolute *aurigam* vocat. ℙ Cum nominibus femininis. *Virg. A.* 12, 918. Nec currus usquam videt aurigamque sororem. Adde *Prisc. init. lib.* 6. ℙ Speciatim aurigae dicti sunt, qui in ludis Romanorum equis, seu curribus insidentes cursu certabant. Cujus rei summum erat studium fervensque vincendi contentio: ipsaque aurigandi ars magna diligentia addiscebatur: victores summis honoribus afficiebantur, non secus ac qui apud Graecos Olympia vicissent. Quatuor autem erant in Circo aurigarum factiones a colore vestis, quo earum aurigae utebantur, appellatae, *Prasina*, *Veneta*, *Russata*, *Alba*, quibus Domitianus duas addidit *Auratam* et *Purpuream*, ut *Suet.* narrat *in* ejus *Vita* 7. V. FACTIO. *Cic. fr.* ap. *Non.* 4, 154. Ut auriga e curru trahitur, operitur, elidĭtur. *Suet. Cal.* 54. Sed et aliorum generum artes studiosissime et diversissimas exercuit: Thrax et auriga, idem cantor atque saltator. *Inscr.* ap. *Fabrett. cl.* 6. *n.* 26. M. Aurelius Mollicius Tatianus natione verna, qui vixit annos XX. m. VIII. d. VII., qui vicit palmas n. CXXXIII. Sic in Russeo LXXXIX., in Prasino XXXII., in Veneto n. V., in Albo n. VII. praemia XXX. V. OVUM. ℙ Est etiam *auriga* signum coeleste, Graeco nomine *Heniochus*, constans stellis, secundum *Hygin.* XI., secundum alios XIV., secundum alios XXVII. aut XXXI., quarum praecipua est in sinistro ejus humero et *capella* appellatur; deinde duae in sinistra manu, quas *hoedos* vocant. Situm est in Lactea via, inter Perseum et Geminos, dextrum pedem habens super sinistrum Tauri cornu. Fabulantur esse Erichthonium, qui primus quadrigas invenisse fertur: et ob id fingitur lora tenens et verber. *Hygin. Astron.* 3, 12. *Cic. N. D.* 2, 43. *ex Arat.* Auriga Sub laeva Geminorum obductus parte feretur. *Colum.* 11, 2. Quarto non. Octobr. Auriga occidit mane. ℙ Aliquando sumitur pro equite, qui solitarium equum insidet et regit. *Auct. Pan. ad Pison.* 49. Sic auriga solet ferventia Thessalus ora Mobilibus frenis in aperto flectere campo, Qui modo non solum rapido permittit habenas Quadrupedi, sed calce citat, etc. ℙ In illo *Virg. A.* 12, 85. Circumstant properi aurigae, manibusque lacessunt Pectora plausa cavis, et colla comantia pectunt: *aurigae* sunt agasones et curatores equorum, ut et *Servius* adnotavit. ℙ De gubernatore navis. *Ov. Trist.* 1, 14, 16. Aurigam video vela dedisse rati. ℙ Adjective *Tert. Spectac.* 9. Merito et aurigis coloribus Idololatriam vestierunt. Al. leg. *et aurigas coloribus Idololatriae vestierunt.*

[AURĪGĀLIS, le, adj. ad aurigam pertinens. *Edict. Dioclet.* p. 26. Corrigiam aurigalem X duobus. *F.*]

*AURĪGANS, antis, auro collucens. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1, 58. *extr.* Aquae quoque aurigantem colorem. *B. A.*

AURĪGĀRĬUS, ii, m. qui in circo aurigatur. *Suet. Ner.* 5. Mercede palmarum aurigarios fraudare. *Torrentius* suspicatur, significari hoc loco non ipsos aurigas, sed eorum ministros, nimirum qui ornandi instruendique eos curam gerebant, ut *auriga* apud *Virg. A.* 12, 85. [At constat, *aurigarios* fuisse eosdem atque aurigas: nam ex *Inscr.* ap. *Donat.* 225, 3. Q. Vivius Volscinius Proc. Colleg. Aurigariorum IIII. Factionis. *F.*]

AURĪGĀTĬO, onis, f. *διφρεία*, *ἁρματηλασία*, actus aurigandi. *Suet. Ner.* 35. Ex aurigatione sero reversus. ℙ Translate. *Gell.* 7, 8. Delphini amantis, et pueri non abhorrentis consuetudines, lusus, gestationes, aurigationes.

AURĪGĀTOR, oris, m. qui aurigat. *Inscr.* ap. *Grut.* 340, 3. M. Vipsanio Eroti aurigatori, etc. Alia apud *Reines. cl.* 10. *n.* 12. Collegium aurigatorum. *Avien. Phaenom. Arat.* 405. Aurigatorem par sit quoque cura videre, *h. e.* Aurigam sidus coeleste.

AURĪGĔNĂ, ae, comm. gen. ex auro genitus, auri filius. *Ov. Met.* 5, 250. Hactenus aurigenae comitem Tritonia fratri, etc. *h. e.* Perseo filio Danaes, quam Juppiter imbris aurei figura delapsus matrem fecisse dicitur. Adde *Sidon. carm.* 6, 14.

AURĪGER, a, um, adj. id. q. aurifer. *Cic.* vertens quaedam *Homeri* carmina *Div.* 2, 30. Aurigeris Divum placantes numina tauris, *h. e.* aurata habentibus cornua, ut in victimis ornandis mos fuit. *Val. Fl.* 8, 110. Aurigera arbor, *h. e.* in qua suspensum erat vellus aureum.

*AURIGINĔUS, a, um, adj. auriginis colorem habens, ut *aurigineus color* apud *Coel. Aurel.* 2, 11. *B. A.*

[AURIGITĀNUS, a, um, adj. ad Aurigim pertinens (*Liv.* 24, 42. *Aurigin* vocat) oppidum Hispaniae Baeticae, nunc *Jaen. Inscr.* ap. *Grut.* 407, 3. Q. Fabius Ficulnus VI. vir Aurigitan. *F.*]

*AURIGINOSUS, a, um, adj. *ἰκτεριώδης*, qui auriginem patitur. *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

AURĪGO, as, avi, atum, a. *ἁμαξεύω*, *ἡνιοχέω*, currum et equos rego. *Plin.* 33, 5, 27. Visum est Neronis principis spectaculis arenam circi chrysocolla sterni, cum ipse concolori panno aurigaturus esset. *Suet. Ner.* 24. Aurigavit quoque plurifariam: Olympiis vero etiam decemjugem. ℙ Translate *Gell.* 14, 1. Si homines nihil sua sponte faciunt, sed ducentibus stellis et aurigantibus.

AURĪGO, iginis et AURIGINOSUS. V. AURUGO, AURUGINOSUS.

AURĪGOR, aris, dep. 1. idem quod *aurigo*, *as*. Translate *Varr.* ap. *Non.* 2, 14. et 4, 322. Asse vinum, asse pulmentarium, sed eo quo natura aurigatur, non necessitudo, *h. e.* moderatur ac regit, ut et *Non.* exponit. Al. leg. *sed edas quo natura*, etc. Alii *sed ita quo*, etc. [*Muretus Var. Lect. l.* 7. *c.* 5. fortasse sagacius ita legit: *sed eas quo naturae aurigatur necessitudo. F.*]

AURĪLĔGŬLUS, li, m. *χρυσολόγος*, qui aurum legit. Dicti sunt *aurileguli*, qui aurum inter arenas, ubi abundabat, scrutabantur: item generatim quicumque in metallis auri effodiendi causa laborant. *Impp. Valent. et Theodos. Cod.* 11, 6, 5. et *Cod. Theod.* 11, 19, 9. et *Paulin. Nolan. carm.* 17. *ad Nicet.* 269.

*AURINGIS, is, oppidum Hispaniae Baeticae, quod et Oringis dictum. *Liv.* 24, 42. *B. A.*

*AURINIA, ae, f. oppidum Etruriae, postea dictum Saturnia; cujus incolae *Aurinini* appellabantur, postea autem Saturnini. *Plin.* 3, 5. ℙ Item fatidica mulier, superstitiose a Germanis olim culta. *Tac. G.* 8. *B. A.*

AURINUS Deus. V. AESCULANUS.

AURĬPIGMENTUM, i, n. *ἀρσενικόν*, genus est arsenici flavum colorem et auro similem habentis, quo pictores quoque utuntur. Ex eo aurum fieri posse, parvi tamen ponderis, *Plin.* 33, 4, 22. docet. *Vitr.* 7, 7. Auripigmentum, quod *ἀρσενικὸν* Graece dicitur, foditur in Ponto. Adde *Cels.* 5, 5.

AURIS, is, f. *οὖς*, *ὠτὸς*, et in plural. num. Aures, ium, *τὰ ὦτα*, membrum duplex in capite animalis utrinque positum, quo sonus et voces percipiuntur. [Quibusdam dicta videtur ab aura, quam in audiendo recipit. *Lactant.* vero *De opif. Dei* 8. Auribus est inditum nomen a vocibus hauriendis, unde *Virg. A.* 4, 359. *Vocemque his auribus hausi*; aut, quia vocem ipsam Graeci *αὐδὴν* vocant ab auditu, per immutationem litterae, aures velut audes sunt nominatae. At potius *auris* ducenda ab *αὖρα*, *αὔρας*, auris, dialecto nempe Laconum pro *αὖς*, *αὐτὸς*, qui *ὅ* pro *ς* utebantur. Hinc *αὔρωι* apud *Suidam* et *Hesych.* sunt lepores, ut qui auriti vocantur. V. AURITUS. *F.*] *Cic. N. D.* 2, 56. Et aures, cum sonum percipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatae sunt. *Id. Sull.* 11. Erigere aures, *h. e.* attente audire. Sic *Ter. Andr.* 5, 4, 30. arrigere. *Id. Ph.* 5, 6, 29. Admovere aurem. Et *Cic. fr. Acad.* ap. *August. c. Acad.* 3, 7. Admovere aures huc et illuc. *Id. Or.* 1, 50. et *Ter. Hecyr.* 3, 3, 3. Accipere auribus, *h. e.* audire. Sic *Plin. ep.* 4, 19. excipere. *Ter. Hecyr.* 3, 5, 32. Sermo accessit ad aures meas. *Nep. Milt.* 3. Pervenit ad aures. *Liv.* 38, 53. et 40, 8. Praebere alicui aurem. [*Quomodo ab hoc differat *praebere aures* docet *Oud.* ad *Suet. Cal.* 22.] *Pl. Bacch.* 4, 9, 72. Dicare alicui operam aurium. *Cic. Att.* 1, 4. Dare aures suas alicui, *h. e.* praebere se auditorem. Sic *Arch.* 10. *in f.* dedere. *Id. Or.* 2, 84. *in f.* Ferire aures. *Tac. H.* 4, 7. imbuere honestis sermonibus. *Id. ib.* 1, 90. Implere aures populi. *Id. ib.* 3, 67. Aures surdae ad fortia consilia. *Cic. Cluent.* 24. Dicere aliquid, quod sit dignum auribus alicujus, *h. e.* dignum quod audiatur. *Curt.* 4, 10. *a med.* Parcere auribus alicujus, *h. e.* reticendo ea, quae auditu gravia essent. *Pl. Cist.* 1, 120. Obtundere aures. *Tac. A.* 11, 32. Adire aures alicujus, *h. e.* convenire alloquendi causa. *Id. ib.* 4, 69. vitare, *h. e.* colloquia hominum. *Vell.* 2, 130. Apud aures Deorum queri. *Caes. B. C.* 2, 27. Servire auribus alicujus, *h. e.* loqui ad voluntatem, adulari. Et eod. sensu *Trebon.* ad *Cic. Fam.* 12, 16. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare. *Cic. Or.* 51. Capere aures, *h. e.* delectare, tenere, jucunda auditu proferendo. Adde *Phaedr. prol.* 2, 6. ℙ *In aurem*, *in aure*, *ad aurem dicere aliquid* secreto et submissa voce aliquem alloqui. *Hor. Sat.* 1, 9, 9. in aurem dicere nescio quid puero. *Juven.* 11, 59. pultes Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas. *Cic. Fin.* 2, 21. Admonere aliquem ad aurem. *Id. fr.* ad. *Macr. Sat.* 3, 12. In aurem Pontius, Scipio, inquit, vide quid agas. Adde *Mart.* 1, 90. ℙ *Aurem vellere* admonendi causa. *Virg. Ecl.* 6, 3. Cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem Vellit et admonuit etc. Sic *aurem pervellere* ap. *Sen. Ben.* 4, 36. et *ep.* 94. Est enim, ut ait *Plin.* 11, 45, 103., in aure ima memoriae locus, quem tangentes antestamur. ℙ *Frangere aures*, quod solebant facere ephebis magistri, sive exercitores in gymnasio. *Mart.* 7, 32. At juvenes alios fracta colit aure magister. ℙ *Dormire in utramvis aurem*, *ἐπ' ἀμφοτέρα τὰ ὦτα καθεύδειν*, proverbio de summa alicujus securitate. *Ter. Heaut.* 2, 3, 100. Ademptum tibi jam faxo omnem metum, in aurem utramvis otiose ut dormias. [*Adumbratus locus ex Plocio Menandri. Cf. *Gell.* 2, 23. *B. A.*] *Plaut.* dixit eodem sensu joculariter, in utramvis oculum conquiescere, *Ps.* 1, 1, 121. Eodem sensu *Plin. ep.* 4, 21. Nihil est, quod in dexteram aurem fiducia mei dormias. *dexteram aurem* dixit, quia nobilior est et quia in eam partem dormire arctius et commodius homines solent. ℙ Translate *aures* sumuntur pro judicio, quod fit de rebus auditis, praesertim in re litteraria. *Cic. Or.* 9. Atticorum aures teretes et religiosae. *Id. Brut.* 32. Haec oratio puerilis est locis multis: de amore, de tormentis, de rumore loci sane inanes: veruntamen nondum tritis nostrorum hominum auribus, nec erudita civitate tolerabiles. *Hor. A. P.* 386., si quid tamen olim Scripseris, in Metii descendat judicis aures etc. *Mart.* 6, 1. Tergere libellum aure diligenti. ℙ *Aures regiae*. V. OTACUSTA. ℙ Per similitudinem *aures* in aratro sunt duo asses circa vomerem utrinque aptati, quibus sulcus latior fit et lira seu porca elatior. *Virg. G.* 1, 172. Binae aures, duplici aptantur dentalia dorso. [*V. *Voss.* ad h. l.] *Pallad.* 1, 43. aratra ita facta appellat *aurita*, et locis planis apta esse dicit. Nam iis sata celsiore sulco attoli, contra stationes humoris hiberni.

AURISCALPĬUM, ii, n. *ὠτογλυφὶς*, instrumentum, quo scalpuntur et purgantur aures. *Mart.* 14, 23. cui titulus *Auriscalpium*. Si tibi morosa prurigine verminat auris, Arma damus tantis apta libidinibus. ℙ Hoc instrumento utuntur etiam chir-

urgi ad easdem fere res, ad quas specillo. *Scribon. Compos.* 41. *ad aurium dolorem.* Injicere medicamentum per lanam et auriscalpium. *Id. ib.* 230. Uvam nimis jacentem sine periculo per auriscalpium lana involutum perunctam etc. Et *ib.* 228. *ad haemorrhoidas.* Sensim tentare auriscalpio aversо: quam partem *κνα0ίσκον* Graeci vocant.

AURĪTŪLUS, a, um, diminut. ab *auritus. Phaedr.* 1, 11. de asello: hic auritulus Clamorem subito totis tollit viribus. Al. aliter leg, sed nihil mutandum.

AURĪTUS, a, um, adj. *ὠτώεις* magnas habens aures. *Virg. G.* 1, 308. Auritosque sequi lepores. *Oc. Amor.* 2, 7, 15. Auritus asellus. Adde *Mart.* 7, 86. ℙ Hinc *auritum* absolute pro lepore dixit *Avien. Phaenom. Arat.* 788. Quo pertinet illud *Afran.* ap. *Macr. Sat.* 6, 5, pron. ex persona Priapi: quod vulgo praedicant, aurito me parente natum, *h. e.* lepore patre natum, fortasse quia Priapus *pulpamentum quaerere* dicitur, ut est apud *Ter. Eun.* 3, 1, 36. Possis tamen *auritum parentem* interpretari *asinum*, ut creditus sit Priapus asini filius esse propter ingens peculium. ℙ Ponitur etiam pro audiente, attento. *Pl. Asin. prol.* 4. Fac jam tu, praeco, nunc omuem auritum populum. *Id. Mil.* 3, 1, 14. Ne quis nostro consilio venator adsit cum auritis plagis, *h. e.* auribus venans et aucupans dicta nostra. *Hor. Od.* 1, 12, 11. de Orpheo: auritas fidibus canoris Ducere quercus, *h. e.* sensum audiendi habentis. Ita *Sidon. carm.* 16, 4. de Amphione: auritos erexit carmine muros. ℙ *Auritus testis* est, qui de re audita testimonium dicit. *Pl. Truc.* 2, 6, 8. Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem. ℙ *Auritas leges* dixit *Prud. Apoll.* 835. *h. e.* auribus exceptas, auditas; vel verbis et voce prolatas et intimatas. ℙ *Auritus* etiam dicitur ad similitudinem aurium factus. *Plin.* 10, 49, 70. Gryphes aurita aduncitate rostri. ℙ *Auritum aratrum* quid sit V. AURIS.

AURĪVOMUS, a, um, adj. ut *Cassis aurivoma* ap. *Sil.* 4, 518., *h. e.* cassis aurea fulgorem emittens. Alii leg. *auricoma*, alii melius *Aurunca.* [*Ita *Drak.*]

AURO, as, a. 1. auro obduco, inauro: *χρυσόω. Tert. Cor. mil.* 12. Hinc auratur lamnulis, unguentis delibuitur. Al. aliter leg. Agnoscit hoc verbum etiam *Prisc.* 8. p. 828., nullum tamen affert exemplum.

AURO, ontis, m. abrotonum. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 10. [*Nec viscum prodest et cytisus, nec auro, quod halimon Graeci vocant. *Harduin.* legendum probat: et *cytisus necatur eo, quod* etc. *B. A.*]

AUROCLĀVĀTUS, a, um, adj. aureis clavis ornatus, ut *Auroclavatae vestes* ap. *Vopisc. Tac.* 11. et *Auroclavata tunica* ap. *Eund. Bonos.* 15. ℙ Scribitur et divisim *auro clavatus.*

*AUROCLĀVUS, a, um, adj. i. q. auroclavatus. *Vet. Schol.* in *Juven.* 6, 482., ubi al. leg. *auriclavias. Vossius* mavult *auriclavas.* Sed recte *auroclavus* edidit *Cramerus.* V. ad l. *B. A.*

AURORA, ae, f. *ἠως, ἠώς*, initium dici, quo aer ab igne solis tum aureo aurescit, ut ait *Varr. L. L.* 6, 5. Est autem vox fere poetica. *Pl. Poen.* 1, 2, 8. Nos usque ab aurora, ad hoc quod dici est, nunquam concessavimus. *Virg. A.* 3, 521. Jamque rubescebat stellis aurora fugatis. *Plin.* 11, 12, 12. Prima aurora folia arborum melle roscida inveniuntur. ℙ In fabulis est filia Hyperionis et Aethrae seu Thiae, vel ut alii volunt, Titani et Terrae, uxor Tithoni filii Laomedontis (*Serv.* ad *A.* 1, 493. fratrem Laomedontis fuisse dicit), quem eximia ejus pulchritudine capta, rapuisse dicitur, et ex eo suscepisse filium Memnonem, qui postea ad Priamum missus auxilii causa, belli Trojani tempore, quamvis esset armis a Vulcano factis munitus, ab Achille occisus fuit; quem mater deflere quotidie matutino rore dicitur. Porro Tithonus cum diu vixisset, jam decrepitus in cicadem conversus traditur. Dicitur etiam Aurora amasse Cephalum. (V. CEPHALUS.) Astraeum quoque, unum ex Titanibus, ex quo ventos genuit, Argestem, Zephyrum, Boream et Notum. Quadrigis seu bigis roseis vehi fingitur, quas albi equi trahunt: et pro sceptro facem aut lampada habere. *Virg. A.* 4, 585. Tithoni croceum linquens Aurora cubile. *Id. ib.* 6, 535. roseis Aurora quadrigis etc. *Id. ib.* 7, 26. Aurora in roseis fulgebat lutea bigis. ℙ Pro populis Orientis. *Claud. I. Cons. Stilich.* 1, 154. totam pater undique secum Moverat Auroram. *Sidon. carm.* 2, 432. et *Ov. Fast.* 5, 160.

*AURORANS, antis. Illuminans *Gloss. Isid. B. A.*

AURORESCO, is, n. aurorae in modum fulgeo. *Adelhelm. de Virginit.* 30. Cum Euangelii splendor auroresceret.

AURŌSUS, a, um, adj. aureum colorem habens, auro similis. *Pallad.* 1, 5. Aurosus pulvis. *Lambrid. Elag.* 31. *in f.* Aurosa arena. *Veg. Veter.* 2, 17. Aurosus color.

AURUGĪNĔUS, a, um, auruginis colorem habens. *Coel. Aur. Tard.* 2, 11. Aurugineus color. Al. leg. *dolor.*

AURUGĪNO, as, n. l. aurugine laboro. *Tert. Anim.* 17. Qui redundantia fellis auruginant, amara sunt omnia.

[AURUGĪNOSUS, a, um, adj. qui aurugine laborat. *Appul. de orthogr.* p. 137. ed. Maji. [*apud *Osann. fr.* 41.] Augurinosus, cui color et oculi virentes. Adde *Gloss. Isid.* Auruginosus, arquatus. [**Osann.* addit p. 66. Varronis auctoritatem apud *Tortellium de orthogr.* (Venet. 1484. fol. 110. a.)] Utrobique tamen legitur *auriginosus. F.*]

AURŪGO, uginis, f. *ἴκτερος*, morbus regius seu arquatus: ita dictus a colore auri, quo aeger inficitur, flava bile ad cutem sese effundente. *Scribon. Compos.* 110. Aurugo, quam quidam regium, quidam arquatum morbum vocant. Adde *ib.* 127. *Varro* quoque hac voce usus est, si credimus *Isid.*, cujus haec sunt verba *Orig.* 4, 8. Auruginem vero Varro appellari ait a pallore auri. *Auriginem* hoc loco alii legunt. Sic *Appul. Herb.* 85. Herba Sabina auruginem discutit. [*Cf. interpp. ad *Appul. de orthogr.* §. 41.]

AURULA, lae, f. diminut. ab *aura. Tert. Anim.* 28. Quid si defectae jam traditionis superstites aliquas famae aurulas hausit? *Hieron. ep.* 34. ad *Marc. n.* 3. Graecarum quoque litterarum quandam aurulam ceperat. Alii leg. *auram.*

AURULENTUS, a, um, adj. aureum colorem habens. *Prud. περὶ στεφ.* 6, 49. Bracteolas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta Lux esset intus, ceu jubar sub ortu.

AURUM, i, n. *χρυσὸς*, metallum omnium pretiosissimum, quod unum nihil igne deperit, quinimmo quo saepius arsit, proficit ad bonitatem. Ob id enim maxime praecipuam gratiam huic materiae esse, *Plin.* 33, 3, 19. scribit. *Cic. N. D.* 2, 60. Nos aeris, argenti, auri venas penitus abditas invenimus. *Id. Fam.* 9, 16. Quasi aurum igni, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici potest. *Id. Tusc.* 5, 21. Abacos ornare argento auroque caelato. *Virg. A.* 10, 527. Aurum factum et infectum. *Id. ib.* 6, 32. Effingere aliquid in auro. *Plin.* 33, 3, 19. Aurum nere ac texere. *Ter. Ph.* 1, 2, 18. Montes auri polliceri, proverb. notissimum. *Sil.* 1, 233. Concolor auro, *h. e.* pallidus. ℙ *Auro contra* V. CONTRA. ℙ De auro coronario, Tolosano etc. V. CORONARIUS, TOLOSANUS etc. ℙ Quid sit *aurum maceratum* apud *Pl.* V. in COMICUS, a, um. ℙ Per synecdochen ponitur pro opere ex auro facto. *Ter. Heaut.* 3, 1, 43. Ancillae ornatae veste atque auro, *h. e.* monilibus, inauribus, anulis ceterisque hujusmodi ex auro ornamentis muliebribus. *Juven.* 1, 28. Ventilet aestivum digitis sudantibus aurum, *h. e.* anulum. *Stat. Th.* 5, 188. Vacuare aurum mero: *h. e.* poculum. (Adde *Virg. A.* 1, 743.) *Id. Silv.* 3, 4, 2. Aurum coronatum, *h. e.* pyxis aliudve aureum vas [*in quo comae auro coronatae asservantur. V. *Gron. diatr.* p. 351. *ed. Lips.* — *Mart.* 4, 1, 5. Hic colat Albano Tritonide multus in auro, i. e. in corona aurea oleaginea.] Adde *ib.* 11. *Virg. A.* 4, 138. crines nodantur in aurum, *h. e.* veluti retiolum, quod colligit comas, quae Graece *χρυσίλη* dicitur, ut *Servius* exponit. *Id. A.* 7, 279. de equis: fulvum mandunt sub dentibus aurum, *h. e.* frenum aureum. [**Id. ib.* 5, 817. jungit equos auro genitor, i. e. jugo aureo.] ℙ *Servus ab auro* dicitur, qui aureae supellectilis curam habet. *Inscr.* ap. *Grut.* 582, 5. Philetaero Aug. lib. praepos. ab auro gemmato etc. (Adde aliam apud *Don. cl.* 17. *n.* 17., Et *ib.* 9. M. Ulpio Eridano Aug. L. ab auro escario praeposito etc. ℙ Pro pecunia et divitiis. *Pl. Aul.* 4, 2, 4. et 10. Aula onusta auri. *Cic. Att.* 12, 6. Vide quaeso, ne qua lacuna sit in auro. *Prop.* 3, 11, 48. Aurum omnes, victa jam pietate, colunt. Auro pulsa fides, auro venalia jura, Aurum lex sequitur etc. *Virg. A.* 3, 56. quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames? *Spartian. Sever.* 12. Cum magnam partem auri per Gallias, per Hispanias, per Italiam imperator fecisset. ℙ Pro aurea aetate. *Hor. Od.* 4, 2, 39. quamvis redeant in aurum Tempora priscum. V. AETAS. ℙ Item pro splendore, fulgore, qualis ab auro emicat. *Val. Fl.* 5, 369. saevo cum nox accenditur auro, Luciferas crinita faces. Et pro colore auri. *Ov. Met.* 9, 688. cum spicis nitido flaventibus auro. ℙ Rustici dicebant *orum* pro *aurum*, ut *oricola* pro *auricula. Fest.* in *Orata.*

AURUNCA, ae, f. oppidum Campaniae, [cujus vestigia apparent in monte, qui *S. Croce* appellatur, ex iis nempe, qui *Rocca Monfina* constituunt: *F.*] conditum ab Ausone Ulyssis et Calypsus filio (*Fest.* in *Ausonia* docet) ubi Aurunci populi fuere. Patria fuit Turni poetae satyrici, temporibus Titi et Domitiani, qui fratrem habuit Scaevam Memorem, poetam tragicum, ut *Vet. Juvenal. Scholiast.* ad 1, 20. et *Mart.* 11, 10. docent. Hujus Turni etiam *Rutil.* meminit *Itiner.* 1, 604. Addit idem *Scholiast.*, ex eodem illo oppido fuisse Lenium et Silium, itidem poetas satyricos. *Juven.* tamen *l.* c., ubi *magnum Auruncae alumnum* memorat, nullum horum intelligere videtur, sed Lucilium, qui Suessae, Auruncorum colonia, ortum habuit. V. v. seq.

AURUNCUS, a, um, adj. ad Auruncum pertinens. *Virg. A.* 7, 206. Aurunci senes. Et *ib.* 795. Auruncae manus. *Vell.* 1, 14. Suessa Aurunca, *h. e.* quae olim Auruncorum colonia fuit: postea a Romanis quoque deducta, [nunc *Sessa. F.*] ℙ *Aurunci, orum*, sunt Auruncae populi. *Plin.* 3, 5, 9., *Virg. A.* 11, 318. ℙ Docet *Serv.* ad *A.* 7, 227. hos Graece Ausones nominari. ℙ [*Auruncus* fuit etiam cognomen Romanum originem gentis declarans in *Postumo Cominio* cos. an. U. C. 253. et 261. ex Anonymo Norisiano, aliisque Fastorum collectoribus. *F.*]

AUSCĀRIPĒDA, ae, f. genus vermiculi pilosi, qui solet esse in fronde, cum multis pedibus. *Varr. L. L.* 6, 3. *ad f. Scalig.* in *Conjectan.* mallet *ascaripeda.*

*AUSCENSIS, se et

*AUSCUS, a, um, ad Auscos pertinens, Aquitaniae populum, quorum urbs nunc *Auch*, vel *Ausch. Sidon. ep.* 7, 6. Vasates, Convenae Auscenses. *Mela* 3, 2. Aquitanorum clarissimi sunt Ausci. Adde *Plin.* 4, 19, 33. Etiam Climberrum, urbs eorum capitalis, *Ausci* (olim *Augusta*) dicta est. *Ammian.* 15, 28. Inde *Auscenses* dicti ejus incolae. *Sidon.* l. l. — ℙ *Auscus* fuit etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 789, 3. Aurelius Auscus. *B. A.*

AUSCULANUS et AUSECULANUS. V. ASCULANUS.

AUSCŪLĀRI dicebant antiqui pro *osculari:* quod est os cum ore conferre. *Festus.* Hinc in quibusdam MSS. *Plauti* legitur ausculari *Merc.* 3, 3, 10. et 14. teste *Pareo*, *Taubm.* et al. ℙ Sic *ausculum* pro *osculum* olim a priscis dictum est, teste *Prisc.* 1. p. 562.

AUSCULTĀTĬO, onis, f. *ἀκρόασις*, actus auscultandi et dictis alicujus parendi. *Pl. Rud.* 2, 6, 18. Quid mihi scelesto tibi erat auscultatio? ℙ Item actus audiendi et aliena dicta ex insidiis aucupandi. *Senec. Tranq.* 12. Illud deterrimum vitium, auscultatio et publicorum secretorumque inquisitio.

AUSCULTĀTOR, oris, m. *ἀκροατής*, qui auscultat, auditor. *Cic. Partit.* 3. Causa auditorum genere distinguitur, nam aut auscultator est modo, qui audit; aut disceptator, id est rei sententiaeque moderator. ℙ Item qui obtemperat. *Appul. Met.* 7. p. 195, 1. Pastor mandati dominici serus auscultator.

AUSCULTĀTUS, us, m. *ἀκρόασις*, auscultatio, auditio. *Appul. Met.* 6. p. 178, 21. Nec auscultatu poenitendo diligenter instructa. *Fulgent. Cont. Virg.* Quae mensualibus stipendiis grammatici distrahunt puerilibus auscultatibus.

AUSCULTO, as, avi, atum, a. l. *ἀκροάομαι*, audio, aures admoveo. [*Non tam *audire* significat, quam *audire velle*, *horchen*, (*lauschen*) quae est sententia *Döderl. Syn.* III. p. 294. Est igitur frequentativum. Quod noster addit, esse i. q. clam *audire*, hoc per se minime inest.] *Cato* ap. *Gell.* 1, 15. Ita est cupidus orationis, ut conducat qui auscultet. *Hor. Sat.* 2, 7, 1. Jamdudum ausculto et cupiens tibi dicere servus Pauca, reformido. [**Hdf.* ad h. l. observat, videri h. v. proprium esse servorum qui ad portam stantes ad dominorum jussa attendant: Gr. *ὑπακούειν.*] *Ter. Andr.* 3, 3, 4. Ausculta paucis. *Ch.* Ausculto: loquere quid velis. *Pl. Poen.* 4, 2, 19. Nimis eum ausculto libens. *Catull.* 67, 39. Auscultare populum. ℙ Aliquando est clam atque ex insidiis aliorum sermones excipere. *Pl. Merc.* 2, 4, 9. Omnia ego istaec auscultavi ab ostio. *Id. Truc.* 1, 2, 1. Ad fores auscultate, atque asservate aedes. *Id. Poen.* 4, 1, 6. Quid habeat sermonis, auscultabo. ℙ Saepe plus est quam *audire:* significat enim non solum auribus accipere, sed etiam fidem habere dictis alicujus, eique aliquid praecipienti aut monenti obtemperare, obsequi, [*ut nos *auf Jemand horchen*, quod majorem attentionem significat, quam simplex *audire* (*hören*).] *Cato l. c.* Auditis, non auscultatis, tanquam pharmacopolam: nam ejus verba audiuntur; verum ei se nemo committit, si aeger est. *Pacuv.* ap. *Cic. Div.* 1, 57. Istis qui linguam avium intelligunt, magis audiendum, quam auscultandum censeo. *Cic. Rosc. Am.* 36. Mihi auscultа: vide, ne tibi desis. *Pl. Trin.* 3, 2, 36. Nisi me auscultas, atque hoc, ut dico, facis. *Ter. Ad.* 5, 8, 12. Quid? tu autem huic, asine, auscultas? Adde *Varr. L. L.* 5, 8. *ad f.* et *Caecil.* atque *Enn.* ap. *Non.* 4, 36. ℙ Passive impersonaliter. *Pl. Merc.*, 2, 3, 127. Ad portum ne bitas, dico jam tibi. *Ch.* auscultabitur. ℙ *Auscultare crimina* est audire et fidem habere criminibus de aliquo delatis. *Pl. Ps.* 1, 5, 12. ℙ In illo *Afranii*, Videt ludos: hinc auscultavi procul, *Nonius l. c.* exponit *spectavi:* vereor ut satis apte: et alii leg. *huic auscultavi.*

*AUSELII dicebantur qui nunc Aurelii. *Festus B. A.*

*AUSER, eris, Etruriae fluvius, prope Lucam, in Arnum influens. *Plin.* 3, 5. Hodie est *Osari. Rutil.* 1, 566. *Ausur* audit. *B. A.*

*AUSETĀNUS, a, um, adj. ad Ausam spectans. Fuit autem Ausa oppidum Hispaniae Tarraconensis, ad Iberum flumen. *Liv.* 29, 2. et 39, 5. Ausetanus ager. ℙ *Ausetani, orum*, Ausae incolae. *Caes. B. C.* 1, 60. *Plin.* l. l. et 3. *Liv.* 21, 23. et 61. *B. A.*

AUSIM, is, it. V. in AUDEO.

AUSON, onis, m. filius Ulyssis et Calypsus, ut docent *Fest.* in *Ausonia* et *Serv.* ad *A.* 3, 171., quamquam hic ad *A.* 8, 328. dicat, Circes filium fuisse. Hic eam partem Italiae, in qua fuerunt Amyclae, Fundi, Cajeta, Formiae, Minturnae, Vescia, Cales et Ausona gentis caput, *Ausoniam* a se nominavit: quod nomen postea toti Italiae, quae Apennino finitur, datum est. Haec ex *Festo* in V. *Ausonia* et *Plinio* 3, 5, 9. Sed a. U. C. 419. a Romanis Ausonum exercitus fusus est et eorum urbs Cales vi capta, a. vero U. C. 440. ab eisdem tria illorum oppida Ausona, Minturnae et Vescia uno impetu capta et deleta Ausonum gens, quae loca veteri Latio adjecta, novo Latio nomen dederunt. Haec ex *Liv.* 8, 16. et 9, 25. ℙ Adjective *Avien. in Arat.* 102. de Arctis: Ausone easdem Voce feras, Ursasque et Plaustra vocare solemus, *h. e.* vocabulo Latino.

AUSŌNĀ, ae, f. oppidum veteris et proprie dictae Ausoniae. *Liv.* 9, 25. [*Dirutae urbis vestigia adhuc apparent in loco, cui *Fratte* nomen, prope fontem fluvii, quem *Ausente* vocant, haud longe a Minturnis. *F.*]

AUSŌNES, um, m. plur. populi veteris Ausoniae: quorum urbes V. in AUSON. ℙ Item populi Magnae Graeciae, quae et ipsa quondam *Ausonia* dicta est, quoniam Ausones tenuere primi, ut est apud *Plin.* 3, 10, 15. ℙ Latius inde sumuntur pro ipsis Italis. *Stat. Silv.* 4, 5, 37. ℙ Aurunci quoque a Graecis *Ausones* dicti sunt, teste *Serv.* ad *A.* 7, 727. ℙ Denique etiam Sabini olim *Ausones* sunt appellati, si eidem *Servio* credimus ad *G.* 2, 167.

AUSŌNĬA, ae, f. *Αὐσονία*, olim fuit pars Italiae maritima inter Amyclas et Cales, ut dictum est in AUSON. ℙ Item Magna Graecia. V. v. praec. Sed paulatim tota ipsa Italia, quae Apennino finitur, *Ausonia* appellata est. *Virg. A.* 10, 54. magna ditione jubeto, Carthago premat Ausoniam.

AUSŌNĬĀNUS, a, um, adj. ad Ausonium pertinens. *Fulg. Mythol. prooem.* 1. Bissula Ausoniana, *h. e.* puella Bissula nomine, cujus laudes peragit *Ausonius Edyll.* 7. 8. 9. et 10.

AUSŌNĬDAE, arum, m. plur. Ausoniae populi. *Virg. A.* 10, 563. ditissimus agri Qui fuit Ausonidum et tacitis regnavit Amyclis. *Ausonidum* dictum est per syncopen pro *Ausonidarum*, ut *Serv.* et h. l., et ad *A.* 12, 121. monet: nam *Ausonidum* est simpliciter genitivus pluralis ab *Ausonis*, *idis*, f. ℙ Late etiam sumuntur pro Latinis, Romanis aut Italis. *Virg. A.* 12, 121. Procedit legio Ausonidum, etc. *Lucan.* 9, 998. grata vice moenia reddent Ausonidae Phrygibus, Romanaque Pergama surgent.

AUSŌNIS, idis, f. adj. ad Ausoniam pertinens: et sumitur plerumque pro Romana aut Itala. *Ov. Fast.* 2, 94. Ausonis ora. *Sil.* 9, 187. pater ipse superbus aquarum Ausonidum Eridanus. *Claud. B. Get.* 627. Ausonidum gemmata monilia matrum. *Avien. Perieg.* 308. Ausonis dextra. Et *ib.* 309. Ausonis gens.

AUSŌNĬUS, a, um, adj. ad Ausoniam pertinens: et accipitur fere pro Romano aut Italo. *Virg. A.* 4, 349. Ausonia terra. *Id. G.* 2, 385. Ausonii coloni. *Id. A.* 5, 83. Ausonius Tibris. *Hor. Od.* 4, 4, 56. Ausoniae urbes. *Ov. Met.* 5, 350. Ausonium Pelorum, *h. e.* promontorium Siciliae, quod ad Italiam spectat. *Id. Pont.* 2, 2, 72. Ausonium imperium, *h. e.* Romanum. *Mart.* 9, 87. Ausonio ore potens, *h. e.* Latina facundia. *Id. ib.* 9. Ausonius pater, *h. e.* Domitianus imperator. *Id.* 12, 6. Ausonia aula, *h. e.* imperatoris R. domus. ℙ *Ausonium mare* dicitur a geographis, quod alluit Magnam Graeciam, quae quondam *Ausonia* dicta est, nempe inter Tyrrhenum, quod ad fretum Siculum terminatur, et Ionium, quod alluit Salentinos. *Plin.* 3, 10, 15. et 14, 6, 8. *n.* 6. ℙ *Ausonii*, *orum*, sunt Ausoniae populi: et saepe accipiuntur pro Latinis, Romanis aut Italis. *Virg. A.* 12, 834.

AUSŌNĬUS, ii, m. Decimus Magnus Ausonius, grammaticus et rhetor sui temporis doctissimus, poeta etiam elegans et ingeniosus, patriam habuit Burdigalam Aquitaniae urbem, fuitque praeceptor Gratiani ac Valentiniani fratrum Impp. ob id promotus ad quaesturam et praefecturam praetorii, et demum ad consulatum, a. Chr. 379. Obiit sub Honorio ann. 394. Exstant ejus carmina varii generis atque argumenti: quaedam etiam prosa oratione scripta et praecipue Oratio ad Gratianum imp., in qua gratias ei agit pro delato consulatu: in quibus omnibus apparet studiosissimum fuisse, atque in omni Latinae ac Graecae eruditionis genere apprime versatum, et in optimorum scriptorum lectione assiduum: licet subinde a puritate verborum ac phrasium Latini sermonis discedat, et saeculum prodat, in quo scripsit, plerisque nihilominus suae aetatis, multis etiam superioris temporis scriptoribus sine dubio praeferendus.

AUSPEX, auspĭcis, m. et f. *οἰωνοσκόπος*, quasi *avispex*, qui spiciendis, hoc est spectandis avibus, ex eorum volatu, cantu aut pastu Deorum voluntatem interpretatur et res futuras praedicit. *Cic. Att.* 2, 7. Latores et auspices legis curiatae, *h. e.* qui legem tulerunt, et qui pro ea ferenda de coelo servarunt. *Hor. Od.* 3, 27, 8. ego cui timebo Providus auspex, Oscinem corvum prece suscitabo. ℙ Dicitur praeterea *auspex*, qui auspicium praebet. *Plin.* 10, 21, 24. de gallis gallinaceis: Hi magistratus nostros quotidie regunt: hi fasces Romanos impellunt, aut retinent: jubent acies, aut prohibent, victoriarum omnium toto orbe partarum auspices. ℙ Item qui auctor et princeps est alicujus rei faciendae: ductum a more Romanorum, apud quos soli magistratus summi et in bello summus imperator, auspicia captabant et habere auspicia dicebantur. V. AUSPICIUM. *Hor. Od.* 1, 7, 27. Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro. [*Male *Bentl.* ad h. l. censet, hoc sensu non de homine, sed tantum de Deo dici posse. Sed V. *Burm.* ad *Ov. Fast.* 1, 26.] ℙ Hinc in specie in nuptiis *auspex* est conciliator ex parte viri (sicut *pronuba* ex parte mulieris) cujus ductu et consiliis matrimonium contrahitur, quique adest dum dos adnumeratur, tabulae nuptiales conficiuntur, et cetera conjugii solemnia celebrantur. Quod ex eo ductum est, quia apud antiquos non solum publice, sed etiam privatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumpto: quo ex more etiamnum *auspices* interponuntur: qui quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpant, ut *Val. Max.* 2, 1. *n.* 1. loquitur. Hoc idem docet etiam *Cic. Div.* 1, 16. Hujusmodi *auspex* dicitur Graece *παρατυμπος*. *Cic. Cluent.* 5. Nubit genero socrus nullis auspicibus, etc. *Pl. Cas. prol.* 85. Argentum si quis dederit, ultro ibit nuptum, non manebit auspices. *Suet. Claud.* 26. Messalinam C. Silio nupsisse, dote inter auspices consignata. Adde *Tac. A.* 15, 37. et *ib.* 11, 27., *Juven.* 10, 336., *Lucan.* 2, 731. et denique *Claud. in Rufin.* 1, 83., ubi in feminino genere usurpat: loquitur enim de Megaera, qua auspice nuptiae celebratae sunt inter Oedipum et illius matrem Jocastam et inter Thyesten et illius filiam Pelopeam. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 3, 12. fidibusne Latinis Thebanos aptare modos studet auspice musa? *h. e.* bona quasi auspicia dante ac favente. Sic *Dii auspices* dicuntur, qui auxilium pollicentur, favent, secundant bono omine conatus nostros. *Virg. A.* 3, 19. Sacra Dionaeae matri, divisque ferebam Auspicibus coeptorum operum. *Id. ib.* 4, 45. Diis equidem auspicibus reor et Junone secunda, etc. *Ov. Fast.* 1, 615. Auspicibusque Deis tanti cognominis heres, Omine suscipiat, quo pater, orbis onus. [**Dis auspicibus* inscriptum Lapidi. V. *Recueil de monumens antiques par Grivaud de la Vincelle* Tom. II. Tab. XVIII. 4. *Beier.*] ℙ Praeterea *auspex* dicitur qui alicui rei initium praebet, sicut *auspicium* pro initio ponitur. *Eumen. Paneg. ad Const.* 3. O Calendae Martiae, sicuti olim annorum volventium, ita nunc aeternorum auspices imperatorum! *Pacat. Paneg. ad Theodos.* 3. Ille felicitatis publicae auspex dies. ℙ Adjective interdum usurpatur pro fausto et laeti auspicii. *Claud. IV. Cons. Honor.* 610. Auspice mox laetum sonuit clamore tribunal. *Id. VI. Cons. Honor.* 653. Auspex victoria. *Id. in ep. ad Serenam* 51. Auspex purpura.

AUSPĬCĀBĬLIS, le, adj. bonum praebens auspicium: vel cujus auspicium optabile est. *Arnob.* 4. p. 131. Cujus horrenti fascino vestras inequitare matronas, et auspicabile ducitis et optatis. Adde 7. p. 237.

AUSPĬCĀLIS, le, adj. ad auspicium pertinens, *οἰωνοσκοπικός*. *Plin.* 32, 1, 1. Res est etiam auspicalis pisciculus, *hoc est* unde auspicium peti potest. *Mamert. Pan. ad Maxim.* 6. Primus consulatus tui auspicalis dies. V. AUSPICOR. ℙ [*Auspicalis lapis* dicitur qui primus auspicii causa statuitur in fundamentis alicujus operis inchoandi. *Inscr.* ap. *Grut.* 39, 5. Lapis Auspicalis Sacer Q. Caecilio Metello Pont. Max. sollemni cum precatione palam Populo Romano conjectus in fundamenta porticus Minervae Aventinensis. De hoc ritu V. *Tac. Hist.* 4, 53. *F.*]

AUSPĬCĀLĬTER, adv. auspicato, auspicio prius capto. *Hygin. Limit. constit.* p. 153. *Goes.* Posita auspicaliter groma.

AUSPĬCĀTO, adverbialis vox, qua significatur captis auspiciis, augurato, *αἰσίως*. *Cic. Div.* 1, 2. Romulus non solum auspicato urbem condidisse, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. [*Cf. infra AUSPICATUS, us.] *Id. ib.* 16. Nihil unquam gerere, nisi auspicato. *Liv.* 6, 41. *a med.* Auspicato creare magistratus. ℙ Et quia quod captis prius auspiciis fit, feliciter evenire creditur, hinc et pro feliciter, prospere ponitur. *Pl. Pers.* 4, 4, 56. Vide, ut ingrediare auspicato. *Ter. Andr.* 4, 5, 12. Haud auspicato huc me attuli. *Plin.* 7, 9, 7. Auspicatius enecta parente gignuntur. *Id.* 3, 11, 16. Auspicatius mutato nomine.

AUSPĬCĀTUS, a, um, part. ab *auspicor*, quod V. ℙ Est etiam partic. ab *auspico*, id. q. auguratus, capto auspicio rite factus aut consecratus. *Hor. Od.* 3, 6, 9. Jam bis Monoeses et Pachori manus Non auspicatos contudit impetus Nostros. *Cic. Rabir. perd.* 4. Qui in campo Martio, auspicato in loco, crucem ad civium supplicium defigi jubes. ℙ Ponitur etiam pro fausto, felici, et boni ominis; talia enim esse creduntur, quae captis prius rite auspiciis fiunt, tanquam a Diis approbata. *Vell.* 2, 79. Auspicatis ominibus ducere uxorem. *Justin.* 4, 5. Neque in bello male auspicato amplius perseverandum. *Id.* 18, 5. Urbs toto orbe auspicatissima. *Plin.* 13, 22, 38. Auspicatior arbor. *Catull.* 45, 25. Quis ullos homines beatiores Vidit? quis Venerem auspicatiorem? *h. e.* amorem feliciorem. *Quint.* 10, 1. Auspicatissimum exordium dare. *Tac. G.* 11. Auspicatissimum initium rebus agendis.

AUSPĬCĀTUS, us, m. id. q. auspicium. *Plin.* 10, 18, 20. Pici Martio cognomine insignes et in auspicatu magni. Ita *Hard.* Alii leg. *auspiciis*. [**Cic. Rep.* 2, 29. In ea re publica, quam auspicatu Romulus condiderit. Ita *Cod.* a prima manu; mox factum *auspicato:* quae lectio melior, ut observat *A. Mains*, qui et sic edidit; sed et illa haud prorsus absurda. *B. A.*]

AUSPĬCĬUM, ii, n. *οἰωνισμός*, avium observatio et ex earum volatu, cantu, pastu, etc. praedictio futurorum. Credebant enim voluntatem Deorum per hujusmodi signa hominibus manifestari: quasi *avispicium*, a spiciendis seu aspiciendis avibus. [*V. *Varro L. L.* 5, p. 73. *ed. Bipp.*] Quomodo differat ab *augurio* in ea voce dictum est. *Cic. Div.* 2, 38. Cur aliis a laeva, aliis a dextera datum est avibus, ut ratum auspicium facere possint? [**Auspicia* et *omina* non raro conjunguntur; quae quomodo differant, docet *Brem.* ad *Suet. Aug.* 92. *auspicia* quaedam et *omina* pro certissimis observabat. (Sequitur „et *ostentis* maxime movebatur“ et „observabat et *dies* quosdam.“) Cf. *Galb.* 9. *Ner.* 46. Interdum alterum pro altero reperitur, ut *Virg. A.* 11, 589. omina ni repetant Argis.] ℙ Saepissime sumitur pro augurio ex quacumque re capto. *Cic. Div.* 2, 18. Fulmen omnibus rebus optimum auspicium habemus, si sinistrum fuerit. (V. LAEVUS.) *Pl. Stich.* 3, 2, 6. Auspicio optimo exivi foras: mustela murem mihi abstulit praeter pedes. *Plin.* 18, 12, 30. Fabam e frugibus referre auspicii causa. *Justin.* 1, 10. Felix auspicium equus domino primus emisit. *Suet. Ner.* 41. Frivolo auspicio mente recreata, cum annotasset insculptum monumento, etc. *Cic. Sen.* 4. Optimis auspiciis gerere aliquid. *Id. Att.* 8, 3. Ferre leges contra auspicia. [*Hinc explicandus *Cic. Rep.* 2, 9. Romulus, qui sibi essent in *auspiciis*, ex singulis tribubus singulos cooptavit *augures*. Cf. *Eund. Div.* 2, 34, 71.] ℙ De variis auspiciorum generibus *caduco*, *jugi*, *pedestri*, etc. V. suis locis. ℙ *Facere auspicia* dicuntur ea, ex quibus auspicium capitur, ut est in allato exemplo *Cic. Div.* 2, 38. et apud *Liv.* 1, 34. ℙ *Auspicia habere* dicuntur, qui auspiciorum captandorum jus habent. Hi autem apud Romanos fuere omnes urbani magistratus, secundum illud *Cic. Leg.* 3, 3. *Omnes magistratus auspicium*, *judiciumque habento.* Sed in militia unus imperator auspicia habebat. Nam legati aliique imperatori subjecti licet aliquando rem militarem administrarent, non tamen suis, sed imperatoris auspiciis omnia gerere dicebantur. Neque vero minor inde laus imperatoribus ipsis contingebat, quod vel morbo vel publica alia causa impediti ab exercitu abfuissent. Credebatur enim ab iis ipsis felix rei eventus provenisse, quibus Deorum voluntatem per auspicia aucupari, et omnium, quae vel per se, vel per alios gessissent, approbationem quodammodo obtinere contigisset. Hinc quibus aliquid pro se gerendum mandassent, suos ipsi Deos tradere dicebantur, ut est apud *Hor. Od.* 4, 14, 33. et apud *Ov. Trist.* 2, 173. Hinc si ipsi per se gessissent, *ductu et auspiciis suis* vel *imperio et auspiciis suis* gessisse dicebantur: si per alios, *auspiciis* tantum. Vetus *Inscr.* ap. *Plin.* 3, 20, 24. Ejus ductu auspiciisque gentes Alpinae sub imperium Pop. Rom. redactae. Alia apud *Liv.* 41, 28. Tib. Sempronii Gracchi consulis imperio auspicioque legio exercitusque Populi R. Sardiniam subegit. *Suet. Aug.* 21. Domuit partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, etc. *Tac. A.* 2, 41. Recepta signa ductu Germanici, auspiciis Tiberii. *Plin.* 2, 67, 67. Septentrionalis Oceanus majore ex parte navigatus est auspiciis D. Augusti, *nempe* ductu Drusi aut Tiberii. *Pl. Amph.* 1, 1, 41. Gessit rempublicam ductu, imperio, auspicio suo. ℙ Aliquando *auspicium* sumitur pro potestate, jure, imperio. *Virg. A.* 4, 102. Communem hunc ergo populum, paribusque regamus Auspiciis. *Servius* interpretatur aequali potestate; et ductum est a comitiis, in quibus iisdem auspiciis creati, licet non simul crearentur, parem tamen habebant honorem: unde et consules pares sunt, cum necesse esset, ut unus prior crearetur. ℙ Aliquando etiam pro privato cujusque arbitrio ac potestate. *Virg. A.* 4, 340. Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis, et sponte meas componere curas,

etc. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 1, 85. cui si vitiosa libido Fecerit auspicium, etc., *h. e.* si eum incitarit, et velut avis, auspicium laetum obtulerit. *Stat. Silv.* 5, 2, 8. Quid si militiae jam te, puer inclyte, primae Clara rudimenta, et castrorum dulce vocaret Auspicium? *Justin.* 27, 1. Auspicia regni a parricidio capere.

AUSPICO, as, avi, atum, a. 1. id. q. auspicor. *Pl. Rud.* 3, 4, 12. Non hodie isti rei auspicavi, ut cum furcifero fabuler. *Id. Stich.* 3, 2, 46. Auspicare mustelam, *h. e.* sumere in auspicium. *Id. Pers.* 4, 6, 7. Auspicare lucro faciendo, *h. e.* capere auspicium pro lucro faciendo. *Gell.* 3, 2. super re aliqua. Adde *Attam*, *Caecil.* et *Naevium* ap. *Non.* 7, 5. ubi *Naev.* auspicare auspicium dixit.

AUSPICOR, aris, atus sum, dep. 1. *οἰωνοσκοπέω*, auspicium capio, avium inspectionem facio ad divinanda futura. *Cic. N. D.* 2, 4. Cum pomoerium transiret, auspicari est oblitus. *Id. Div.* 1, 35. Cum tripudio auspicaretur, pullarius diem proelii committendi differebat. *Liv.* 27, 16. Fabio auspicanti aves non addixere. ℙ *Auspicari aliquid* est capere auspicium pro re inchoanda. *Suet. Ner.* 37. *in f.* In auspicando opere Isthmi. ℙ *Auspicari alicui* est auspicium alicui facere. *Hyg. Astron.* 2, 16. Sacrificanti ei aquila auspicatur. ℙ Porro credebant veteres, ea prospere toto anno successura, quae ipso anni initio, hoc est Cal. Jan., inchoassent. Quare eo die suam quisque artem leviter, et tantum boni ominis causa tractare solebant: id cum facerent, auspicari dicebantur, isque dies *auspicalis* vocabatur. *Colum.* 11, 2. *sub f.* Per hos quoque dies abstinent terrenis operibus religiosiores agricolae: ita tamen ut ipsis Cal. Januariis auspicandi causa omne genus operis instaurent: ceterum differant terrenam molitionem usque in proximas idus. V. *Senec. ep.* 83. et *Ov. Fast.* 1, 165. *et sqq.*, ubi hoc idem diserte tradit. ℙ Sed et aliis temporibus, cum novi aliquid inchoandum erat, prima die delibare aliquid solebant, auspicii causa, ut primo die initi magistratus et hujusmodi. *Tac. A.* 4, 37. Feriarum Latinarum diebus praefectus Orbis Drusus auspicandi gratia tribunal ingressus, etc. *Suet. Ner.* 7. Auspicari jurisdictionem. *Plin. ep.* 3, 5. Lucubrare a Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causa, sed studendi, *h. e.* non leviter, et auspicii tantum causa, sed etc. ℙ Hinc factum est, ut *auspicari* saepe ponatur pro incipere, aggredi. *Plin. Prooem. l.* 7. Auspicari vitam a suppliciis. *Suet. Aug.* 38. Auspicari militiam. *Solin.* 52. Ab Emodis montibus auspicatur India. ℙ Et cum infinito. *Plin.* 31, 3, 24. Primus eam (*aquam*) in urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius. *Suet. Ner.* 22. Auspicatus est cantare. *Sen. ep.* 83. Auspicabar in Virginem (*aquam*) desilire. ℙ Apud eund. *Sen. ep.* 47. auspicari gradum senatorium per militiam est ad senatorium ordinem per militiae gradus accedere, et ex ea velut auspicium capere ad eum obtinendum.

AUSTELLUS, i, m. parvus auster. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 229. Rex Cotys ille duos ventos, Austrum, atque Aquilonem Novisse ajebat solos se, demagis istos Ex nimbo Austellos, nec nosse putare necesse.

AUSTER, stri, m. *νότος* (etymon vocis V. in AUSTERUS) ventus meridionalis humidus et calidus, Graeco vocabulo notus dictus: cui contrarius est a septentrione spirans septentrio seu aparctias. [*Döderl. Etym.* III. p. 115. derivat ab *ardeo*. Malim cum *Handio* ab *αὔω* „ut sit ventus siccans et calore sudorem excitans.“ V. ad *Gron. diatr.* 1. p. 483.] *Cic. Somn. Scip.* 6. Quis in ultimis aut aquilonis austrive partibus tuum nomen audiet? *Hor. Sat.* 2, 6, 18. Plumbeus auster. *Id. Od.* 2, 14, 15. Auster nocens corporibus. [*Id. Sat.* 2, 2, 41. praesentes Austri. In his locis int. de vento, qui h. *Sirocco* audit.] *Ov. Met.* 1, 66. pluvius. *Virg. G.* 4, 261. frigidus. *Macr. Somn. Scip.* 2, 5. docet, hunc ventum natura quidem frigidum esse, sed quia per calida Africae loca ad nos permeat, calidum fieri. Dici etiam potest, a *Virgilio* poni pro quolibet vento: quod poetis est familiare. Ceterum *Prop.* quoque 2, 20, 36. frigidum dicit. Et *Tibull.* 1, 1, 41. Aut gelidas hibernus aquas cum fuderit auster. ℙ *Floribus austrum*, et *liquidis immittere fontibus apros:* proverbialis locutio apud *Virg. Ecl.* 2, 58. de eo, qui ipse sibi malum creat: nam auster ob violentiam flatus, et nimium humorem flores corrumpit; apri fontes coeno perturbant. ℙ Aliquando ponitur pro regionibus ad meridiem sitis. *Plin.* 2, 9, 6. Luna nunc in aquilonem elata, nunc in austros detecta. Adde *Varr. L. L.* 8, 18. ℙ *Auster* pro *austerus*. V. AUSTERUS.

AUSTERALIS, herba, apud *Appul. Herb.* 105. est eadem quae sisymbrium.

AUSTERE, adv. *αὐστηρῶς*, severe, duriter. *Cic. Mur.* 35. Agit mecum austere et Stoice Cato.

AUSTERITAS, atis, f. *αὐστηρότης*, severitas, nimia gravitas, triste ac durum ingenium. [V. AUSTERUS.] *Quint.* 2, 2. de praeceptore: Non austeritas ejus tristis, non dissoluta sit comitas. ℙ De coloribus. *Plin.* 9, 38, 62. Buccinum pelagio admodum alligatur, nimiaeque ejus nigritiae dat austeritatem illam nitoremque, qui quaeritur, cocci, *h. e.* quandam saturitatem coloris. Et 35, 10, 36. *n.* 18. Nimis floridis coloribus austeritatem dare. ℙ Item de saporibus. *Colum.* 11, 2. *a med.* Quaedam genera uvarum nunquam dulcedinem capiunt propter austeritatem nimiam. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 3. et *ib.* 6, 8. *n.* 3. Austeritas vini. *Id.* 19, 6, 32. Austeritas caepae. *Id.* 14, 1, 3. Austeritas picis. ℙ In plur. numero. *Pallad.* 1, 35. Aqua lupinorum psilotri austeritatibus juncta.

AUSTERULUS, a, um, diminut. ab *austerus*. *Appul. Flor. n.* 20. Cratera musicae dulcis, dialecticae austerula.

AUSTERUS, a, um, adj. est ab *αὐστηρός*, quod ab *αὔω*, sicco, arefacio; hinc *Auster* apud Latinos est ventus urens: consuetudine vero Latina vox facta; et dicitur proprie de saporibus, non quidem acerbis et ingratis, sed linguam tamen adstringentibus et contrahentibus: qualis est gustus meri vini, sed non dulcis, et sapor pomorum, quae nondum plenam maturitatem consecuta, sunt tamen satis matura. Huic opponitur sapor lenis. [*Vere monet *Döderl. Syn.* III. p. 231. ante *Celsi* aetatem ad sensus relatum non reperiri. Cicero enim et ejus aequales h. v. nonnisi de animo utuntur, ita ut haec significatio antiquior esse videatur et prior ponenda. *Austeritas* in vultu cernitur; *severitas* in moribus et actionibus. Quod igitur supra dixit *Forc.*, „esse nimiam gravitatem, triste ac durum ingenium“ id verum non est.] *Cels.* 3, 24. Vinum nigrum austerum. *Plin.* 25, 5, 20. Herba austero sapore. *Colum.* 12, 12. Austerior gustus. *Scrib. Comp.* 142. Vinum austerissimum. ℙ Dicitur etiam de odoribus. *Plin.* 12, 25, 54. Balsami succus debet esse lenis, non subacidus: odore tantum austerus. Item de coloribus. Est autem *austerus color*, qui saturior est, et lucet obscurius, *χλωρὸν καὶ πυρρὸν χρῶμα*, cui opponitur floridus et eximie fulgens. *Plin.* 35, 6, 12. Sunt autem colores austeri, aut floridi, etc. *Id. ib.* 11, 29. Athenion pictor et austerior colore, et in austeritate jucundior. ℙ Et de statuaria ratione. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 7. de Euthycrate Lysippi filio et discipulo: Quamquam is constantiam patris potius aemulatus, quam elegantiam, austero maluit genere, quam jucundo placere. ℙ Transfertur ad mores hominum et ponitur pro severo, rigido, gravi: et quidem in utramque partem. [*Nos simili metaphora utimur in voc. *trocken*, quanquam hoc non prorsus respondet v. austerus.] *Cic. Pis.* 29. Si fuisset in discipulo comparando meliore fortuna, fortasse austerior et gravior esse potuisset. *Id. Coel.* 14. Austero more agere cum aliquo. ℙ Item pro gravi, molesto. *Hor. Sat.* 2, 2, 12. Austerus labor. *Plin.* 24, 7, 28. Aeger omnem austeram curationem recusans. ℙ Item pro saevo, tristi. [*Haec non erant sejungenda; eadem enim est significatio.] *Prop.* 4, 11, 49. Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas. ℙ De genere dicendi graviore et minus voluptatis habente. *Hor. A. P.* 342. Celsi praetereunt austera poemata Rhamnes. *Cic. Or.* 3, 26. Ita sit nobis ornatus et suavis orator, ut suavitatem habeat austeram et solidam, non dulcem atque decoctam. ℙ *Auster* in recto singulari. *Scrib. Comp.* 188. *Aconiti gustus est auster, atque subamarus*, sed non est imitandum: et fortasse ibi mendum est, ut adnotavit *Jo. Rhodius*. ℙ Comp. *Austerior*. Sup. *Austerissimus*. V. supra. ℙ Superlativum *austerrimus* legitur apud *Messal. Corvin. De progen. Aug.* 5. Austerrimus rex.

AUSTRALIS, le, adj. *νότιος*, ad austrum pertinens: item meridionalis. *Ov. Pont.* 4, 4, 1. Australes nimbi. *Id. Met.* 2, 131. Australis polus. *Cic. N. D.* 2, 19. regio. [*Claud. Eutrop.* 1, 403. australis annus, i. e. qualis esse solet in Aegypto. V. *Gron. diatr.* I. p. 266. *ed. Lips.*]

*AUSTRANIA, ae, insula Oceani septentrionalis, a Romanis Glessaria dicta, nempe a succino quod Germani *glessum* appellant. *Plin.* 4, 13. ℙ Item insula maris Celtici, hodie *Ameland*, dicta et Austravia. *Plin.* 37, 2. *B. A.*

AUSTRIFER, a, um, adj. australes flatus, vel pluvias ferens. *Sil.* 12, 2. austrifero nebulosam vertice frontem Immitis condebat hiems.

AUSTRINUS, a, um, adj. australis. *Virg. G.* 2, 271. Austrini calores, *h. e.* calores solis meridiani. *Plin.* 17, 2, 2. Austrinus flatus. *Id.* 2, 68, 68. vertex, *h. e.* polus australis. *Id.* 6, 34, 39. Austrina Cypri, *h. e.* loca Cypri ad meridiem conversa. Sic *paulo post.* Austrina Sardiniae. Et *mox.* Cappadociae. *Id.* 2, 47, 47. Austrinum tempus, *h. e.* quo auster flat, et humidi sunt dies. Sic 16, 26, 46. Austrinum coelum. Et 17, 2, 2. Austrinus dies. Et 17, 24, 37. *n.* 7. Austrinae pluviae. *Colum.* 11, 2. Quarto Non. Septembr. piscis austrinus desinit occidere, *h. e.* alter ex piscibus coelestibus, qui ad australem polum versus est.

AUSTROAFRICUS, i, m. ventus est africo et austro utrinque junctus, ut *Isid. Orig.* 13, 11. docet: qui et libonotus dicitur Graeca appellatione. Vetus lapis apud *Grut.* 137. *Λιβόνοτος*, austroafricus. *Plin.* 2, 47, 46. Inter liba et noton compositum ex utroque medium, inter meridiem et hibernum occidentem, libonotos. *Senec. Qu. nat.* 5, 16. *extr.* A meridiano axe euronotus est: deinde notus, Latine auster: deinde libonotus, qui apud nos sine nomine est. Al. hic leg. *Leuconotus.*

AUSTRONOTUS, ti, m. apud *Isid. Orig.* 3, 32. et 36. est idem ac polus australis seu antarcticus.

[AUSUCIATES, um, m. plur. nomen populi ad lacum Larium ante insulam nunc *di S. Giovanni* olim *Christopolin* appellatam, pago nomen nunc est *Ossuccio*. *Inscr.* ap. *Amoretti Viagg. ai tre laghi* p. 261. Matronis et Geniis Ausuciatium. *F.*]

*AUSUGUM, i, Rhaetiae oppidum, inter Feltriam et Vicentiam. *Anton. Itin.* ℙ *Alsuca* dicitur a *Paul. Diac. Longob.* 3, 31. *B. A.*

AUSUM, i, n. *τόλμημα*, factum, quod quis aggredi audet, tum in bonam, tum in malam partem. Est autem vox fere poetica, quam *Servius* ad *A.* 2, 535. in prosa dici posse negat, et ad *A.* 12, 351. neminem ante Virgilium usurpasse affirmat. *Virg. A.* 2, 535. At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis Dii persolvant grates dignas. *Id. ib.* 9, 281. Fortia ausa. *Ov. Her.* 14, 49. crudelia. *Id. Met.* 9, 620. ausorum semper memor esse meorum. *Plin.* 3, 2, 108. 112. Ausum improbum. *Sil.* 11, 366. compos memorabilis ausi. *Stat. Th.* 4, 368. magnique fugit non inscius ausi. *Ov. Met.* 11, 242. Potiri auso. *Id. ib.* 2, 328. magnis excidere ausis.

*AUSUR, fluvius. V. *Auser. B. A.*

AUSUS, a, um, part. v. *audeo. Liv.* 26, 40. *ad f.* Exsules, obaerati, capitalia ausi plerique. *Ov. Met.* 1, 199. studiisque ardentibus ausum Talia deposcunt. ℙ Passiva significatione *ausa res* dicitur, quam quis facere ausus est. *Tac. A.* 3, 67. Ausis ad Caesarem codicillis, quibus invidiam et preces miscuerat. *Appul. Flor. n.* 7. Multa sublimia facinora, vel belli ausa, vel domi provisa. ℙ Activa et passiva significatione in eodem versu. *Virg. A.* 6, 624. Ausi omne immane nefas, ausoque potiti.

AUSUS, us, m. idem quod ausum. *Val. Fl.* 3, 613. Jamque morae impatiens, cunctantes increpat ausus, Tiphys. [Cum *Val. Flacc.* pluries usurpet vocem *ausum*, *i*, verosimile non est hic tantum adhibuisse *ausus*, *us:* ad haec quid sibi velint *cunctantes ausus*, nescio. Videtur igitur optime conjecisse *Harles.* hic legendum *actus*. *F.* *Ausus, us etiam in nonn. codd. apud *Virg. A.* 6, 624. *Val. Max.* 4, 7, 5. *Ov. Met.* 11, 242. legitur, ut *Burm.* ad *Virg.* et *Ovid.* monet, qui etiam *Oros.* 4, 5. laudat. Sed editores his locis omnibus *ausum*, *i*, praeferunt.] *Impp. Leo et Anthemius Cod.* 1, 2, 14. Qui protervo ausu ecclesiatica praedia acquirere tentarit.

AUT, *ἤ*, vel, conjunctio variis usibus inserviens: et plerumque est separativa. [*Aut semper dissimilia conjungit; *aut — aut* diversissima quaeque sibi opponit (*aut Caesar aut nihil*); *vel* autem et *vel — vel* in rerum similium cognatarumve enumeratione usurpatur. — Alterum *aut* saepe a librariis deletum esse monent *Bentl.* et *Hdf.* ad *Hor. Sat.* 1, 1, 8. illeque ad *Od.* 3, 19, 12.] *Cic. Or.* 1, 9. Cetera, inquit, assentior Crasso, ne aut de C. Laelii, aut de hujus generi aut arte aut gloria detraham. *Liv.* 6, 18. Audendum est aliquid universis, aut omnia singulis patienda. [*Liv.* 24, 3. ex occasione aut opportunitate hujus aut illius partis; quo loco etiam *vel illius partis* dicere potuisset. *q.*] ℙ Sequente *vel. Tac. Hist.* 2, 76. Ne contra Caji quidem, aut Claudii, vel Neronis domum exsurgimus. *Mart.* 3, 3. Aut aperi faciem, vel tunicata lava. [*In hoc loco non justa est oppositio, sed alterum membrum per *vel* adjectum, urbanius dictum est et lenius; in illo opponuntur sibi Cajus et Claudius; inter Claudium autem et Neronem similitudinem quandam intercedere significatur. Quanquam hoc tenendum est, Ciceronem non ita fuisse locuturum, esseque talia huic aetati condonanda nec semper ad vivum resecanda.] ℙ Jungitur particulis, *vero*, *certe*, *etiam*. *Cic. Verr.* 2, 4, 35. Quem tibi aut hominem, invitis Diis immortalibus, aut vero Deum auxilio futurum putas? *Id. Or.* 3. Video hanc primam ingressionem meam aut reprehensionis aliquid, aut certe admirationis habituram. *Id. Fam.* 1, 9. Quod de illo acceperant, aut etiam suspicabantur. ℙ Addit *Diomed.* 1. *sub f.* aliquando esse diminutivum, ut in illo *Virg. A.* 1, 73. Incute vim ventis submersasque obrue puppes, aut Age diversas. Petit enim Juno primum quod gravius est: deinde quod minus. Est igitur i. q. *aut certe*. Aliquando comminativam, ut *Id. Ecl.* 7, 21. Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen, Quale meo Codro, concedite: proxima Phoebi Versibus ille facit: aut si non possumus omnes, Hic arguta sacra pendebit fistula pinu. [*Etiam ironicam vim tribuit huic voculae *Goerenz.* ad *Cic. Leg.* 1, 13, 36. et scilicet tua libertas disserendi amissa est: aut tu is es, qui etc. (h. l. alii pro *an* dictum volunt.) et *ib.* §. 41. Verum quivis, credo, intelligit, non in particula inesse vim, vel dimin., vel commin., vel iron., sed in tota orationis conformatione illam esse quaerendam.] Aliquando conjunctivam pro *et*, *atque*, ut *Virg. G.* 1, 410. Tum liquidas corvi

presso ter gutture voces Aut quater ingeminant, i. e. *terque quaterque*. Adde *Prisc.* 18. p. 1170. [**Liv.* 24, 31. vana aut levi aura. 21, 2. bello aut armis. 22, 7. quonam duce aut quibus copiis. *q. Tac. A.* 12, 12. industriosque aut ignavos pax in aequo tenet. *coll.* 15, 47. Alii hujusmodi loci, in quibus *aut* pro *et* positum esse dicas, facile inveniuntur; sed hoc inde fit, quia *aut* non semper disjungendis, sed etiam copulandis sententiis inservit, ut vice versa *atque (et)*, quod V., interdum iis in locis reperitur, in quibus exspectes particulam adversativam. Cf. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 40. Verum autem non est, quod affirma *Goer.* ad *Cic. Fin.* 4, 28. *et — aut*, vel *aut — et* sese vicissim excipere; certe parum idoneis exemplis utitur. Saepe in ejusmodi locis confunduntur *et* atque *aut*. V. *Bentl.* ad *Hor. Epod.* 9, 34. Neque tamen h. l. necesse est legas *aut.*] ℙ Est interdum dubitativa et ponitur pro *an*. *Cic. Rosc. Am.* 21. Quaesivit num ille aut ille defensurus esset. [*Hoc loco ne putes esse pro *an* dictum. Nam, ut optime *Matth.* ad h. l. non, inq., significatur dubitatio, quis e pluribus defensurus sit, sed an omnino quisquam hoc sit facturus. — Sic *ib.* §. 40. num aut ille lanista — aut hic discipulus. V. quos locos afferat in *addendis* p. 229. *in f.* (Alii addunt *Sall. Jug.* 14. *an* quoquam adire licet, ubi non majorum monumenta fuit? *aut* quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit? Sed h. l. *aut* continuat interrogationem, *an* alteram opponit. *q.* Prorsus ita *Cic. Fam.* 9, 26. an quidquam me aliud agere censes? aut possem vivere, nisi in litteris viverem.)] *Pl. Aul.* 2, 6, 11. Coenaene causa aut tuae mercedis gratia nos nostras aedes postulas comburere? *Plin. Pan.* 84. Dubitare cogatur, utrum sit efficacius ad recte vivendum, bene institui, aut feliciter nasci. *Quint.* tamen 1, 5. monet minus recte hac ratione adhiberi. ℙ [*Saepe sequitur *aut* post negationes, quas constat vim suam cum particulis seqq. communicare; in his igitur est pro *nec* vel *neque*. *Liv.* 21, 4. nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. *Ib.* 31. nulla Gallica gente opibus aut fama inferior. *Id.* 23, 26. Sic nunquam aut — aut; et paulo post: ne multum quidem. [*Suet. Cal.* 24. ne pro concione quidem populi, aut apud milites; ut *Tac. H.* 2, 76. quem locum Noster supra attulit.] *Liv.* 24, 5. nemo aut — aut. et *ib.* 9. ne quis aut — aut. *Id.* 22, 12. minus aut — aut. *Id.* 22, 19. nondum aut — aut; et 1, 11. nihil — aut; ut *Cic. Tusc.* 1, 27, 66. nihil ne aut humidum quidem aut flabile. *Liv.* 23, 26. nec — aut — aut; (*Caes. B. G.* 4, 29. neque — aut — aut. Cf. *Herzog.*) *Id.* 24, 8. non Dei aut belli curam; et 24, 16. ne in portis quidem aut valle. *Id.* 21, 22. nusquam — aut; *id.* 21, 17. 24, 26. neque — aut. — Durius dictum est *aut* pro *neque* in loco *Liv.* 22, 2. Galli neque sustinere se prolapsi, neque assurgere ex voraginibus poterant; aut corpora animis aut animos spe sustinebant. *q.* Notandus etiam locus *Suet. Dom.* 20. nunquam aut historiae carminibusve, aut stilo operam dedit.] ℙ Pro *alioqui*. [*Idem fere est cum vulgari *aut;* sed ab initio positum gravius est.] *Plin.* 2, 70, 75. Neque enim mundus hoc polo excelsiore se attollit: aut undique cernerentur haec sidera. Et 19, 5, 30. Effodiuntur bulbi ante ver, aut deteriores illico fiunt. *Ov. Met.* 10, 50. de Orpheo et Eurydice: Hanc simul et legem Rhodopeius accipit heros, Ne flectat retro sua lumina, donec Avernas Exierit valles: aut irrita dona futura. Adde *Lucr.* 1, 1010. *Quint.* 2, 17. et *Tert. Orat.* 13. Simile est illud *Virg. A.* 10, 630. Nunc manet insontem gravis exitus: aut ego veri Vana feror. Et *Prop.* 4, 1, 75. Certa feram certis auctoribus: aut ego vates Nescius aerata signa movere pila. Et *Ov. Her.* 18, 189. Aut ego non novi, quam sit temerarius, aut me In freta non cautum tunc quoque mittet Amor. In loco *Propertii* al. leg. *haud*, quod minus elegans est. ℙ [*Saepe confunduntur *aut* et *haud*, cf. *Burm.* ad *Virg. A.* 3, 43. 11, 393. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 9, 26. *aut* et *an*, V. supra et *Hdf.* ad *Cic. N. D.* 2, 44, 115. et *Ellendt.* ad *Ej. Brut.* 44, 162. *aut* atque *et*, *id. ib.* 40, 144. *aut* et *atque*, V. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 82, 2.]

*AUTACHĀTES, ae, m. legitur apud *Plin.* 37, 10. ed. *Hard.* ubi alii *Antachates*. *Salmas.* ad *Solin.* mavult *Stactachates*. V. ANTACHATES. *B. A.*

*AUTARIĀTAE, arum, populi Macedoniae. *Justin.* 1, 15. c. 2. ed. *Graev.* Al. leg. *Abderitas*. *B. A.*

AUTEM, δέ, vero, sed, conjunctio continuandae orationi inserviens. Est proprie accusativus ab αὖτις, unde αὖτε, iterum, autem. Semper postponitur uni, interdum etiam pluribus verbis: habetque multiplicem usum. *Cic. Or.* 1, 16. Est enim finitimus oratori poeta, numeris adstrictior paulo; verborum autem licentia liberior; multis vero ornandi generibus socius, ac paene par. *Id. Div.* 2, 56. Croesus hostium vim se perversurum putavit: pervertit autem suam. *Id. Caec.* 6. Cum pecunia Caesenniae deberetur: eam porro in praedia collocari, maxime expediret; essent autem praedia, quae mulieri maxime convenirent; ea venirent, etc. *Id. Cluent.* 60. Per quem porro datum venenum? unde sumptum? quae deinde interceptio poculi? cur non de integro autem datum? *Ter. Eun.* 5, 5, 22. Atque adeo autem cur non egomet intro eo? *Cic. Verr.* 2, 3, 89. Vultis autem istorum audacias ac libidines aliqua ex parte resecare? Desinite dubitare, etc. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 1. *ad f.* Subgrande cubiculum autem valde probavi. *Ter. Ad.* 3, 5, 16. Salve, Demea. *De.* quid autem? *Id. Eun.* 5, 7, 4. Quid hoc autem est? ℙ Nonnunquam in interrogationibus servit correctioni. *Cic. Rabir. Post.* 5. Num quis testis Postumum appellavit? testis autem? num accusator? etc. *Id. Att.* 5, 13. Quid in republica fiat: fiat autem? immo vero etiam quid futurum sit, perscribe ad me omnia. *Liv.* 21, 44. Parum est quod Siciliam ademit, nisi adimat etiam Hispaniam: et, si inde cessero, in Africam transcendet: transcendet autem dico? duos consules, etc. Aliquando omittitur. *Cic. Att.* 12, 43. Sed ferendus tibi in hoc meus error, ferendus? immo vero etiam adjuvandus. ℙ Pro at, atqui. *Pl. Rud.* 3, 4, 21. *La.* Tu, senex, si istas amas, huc arido argento est opus. *Dae.* hae autem Veneri complacuerunt. *La.* habeat, si argentum dabit. ℙ Hinc adhibetur in assumptione syllogismi. *Cic. Top.* 2. *ad f.* Jus civile est aequitas constituta iis, qui ejusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas: ejus autem aequitatis utilis est cognitio. Utilis est ergo juris civilis scientia. ℙ *Ecce autem, porro autem, tum autem* eleganter habent locum in connexionibus. *Ter. Ad.* 1, 2, 72. Sperabam jam defervisse adolescentiam: gaudebam: ecce autem de integro, etc. *Sall. Cat.* 47. Porro autem anxius erat, quid facto opus esset. *Ter. Hec.* 2, 1, 14. Tum autem, ex amicis inimici ut sint nobis affines, facis. ℙ Neque autem. *Cic. Fam.* 5, 12. Neque autem ego sum ita demens, ut etc. Adde *Lucr.* 6, 779. et *Appul. Flor. n.* 9., ubi paulo post etiam *nec autem* legitur. ℙ Et autem. *Pl. Poen.* 4, 2, 19. Et adire lubet hominem: et autem nimis eum ausculto libens. ℙ Interposito verbo, est mollius. *Lucr.* 1, 1008. Et quod inane autem est, finiri corpore cogit. *Suet. Aug.* 73. Et forensia autem, et calceos, etc. *Plin.* 16, 27, 50. Et caprifici autem, etc. ℙ Habet vim similem τῷ *etiam* in his. *Pl. Most.* 3, 2, 91. Vehit hic clitellas: vehit hic autem alter senex. *Id. Mil.* 3, 1, 82. Liberae sunt aedes: liber sum autem ego. *Id. ib.* 4, 4, 13. Facile istuc quidem est, si et illa volt, et ille autem cupit. *Id. Merc.* 1, 2, 9. Et currendum et pugnandum et autem jurgandum est in via. ℙ Putat *Servius* abundare in illo *Virg. A.* 2, 101. Sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo? [*Integra haec, qualia a F. profecta sunt, reliqui. Quae si comparaveris cum hujus particulae doctrina in *Handii Tursellino*, non poteris non confiteri, haec toto quasi coelo inter sese distare. Itaque liceat mihi in hoc uno vocabulo appendicis loco, (quanquam in compendium redacta) adjungere rectiora illa, uberiora, doctiora, quae *Handius* proposuit, ut si qui, maxime apud exteras nationes, egregium illum librum nondum fortasse noverint, hoc specimine lecto ad eum comparandum excitentur. — Summa autem disputationis Handianae haec est: Ejusdem est haec particula originis cum v. *aut;* utrumque autem affine Gr. αὖ. Syllaba *tem* (v. *dem*) eadem est, quae in aliis vocc. apparet, ut in *item*, *itidem*, *quidem;* proprie igitur significat *autem* i. q. *contra*, *dagegen eben;* (vis enim syllabae *tem* exprimi potest per nostrum voc. *eben*). Est autem propria hujus particulae vis *oppositiva*, i. e. non rejicit aut restringit aliud quid, sed indicat discrimen, et quae sibi hac partic. opponuntur, sibi respondent invicem. Etenim quae re discreta intelligi volumus, oratione connectimus. Minus igitur recte, ut multi voluerunt, propriam h. v. vim dixeris *adversativam*. (Nostrum voc. *aber* proprie idem significat, quod Gr. αὖ, ut monstrat voc. *abermals*, *und aber.*) — I. Usus autem hujus voc. hic est: 1) rem opponit alii rei cum quodam distinctionis atque affirmationis adminiculo. *Cic. Acad.* 2, 28, 91. si haec et horum similia judicat, de se ipsa judicat. Plus autem pollicebatur, i. e. *at vero*, (at quidem). 2) Sed vulgari usu simpliciter opponit aliam rem alii rei, ut Gr. δέ, praegresso μέν, i. e. contra. *Pl. Men.* 5, 3, 9. ait se obligasse crus fractum Aesculapio, Apollini autem brachium. — Sic praecipue post pronomina, ut *ego, tu, ille autem* etc. *Id. Men.* 2, 1, 43. tu magnus amator mulierum es, Messenio: ego autem homo iracundus. *Id. Mil.* 4, 4, 13. si et illa vult, et ille autem cupit. — Oppositio diversas quidem res continet, neque tamen ideo vis particulae adversativa est: *Cic. Or.* 1, 8, 30. neque vero mihi quidquam praestabilius videtur, quam posse dicendo — voluntates impellere, quo velit, unde autem velit, deducere. 3) Ut apud Graecos δέ modo ad καί, modo ad ἀλλά propius accedit, ita *autem* nunc magis ad conjunctionem inclinat, nunc adversativam vim habere videtur. Hoc modo comparari potest cum *at;* nunquam tamen est i. q. *sed;* illo modo, quum copulativam vim habet, non est simpliciter i. q. *item*, *etiam*, *praeterea*, sed est i. q. *ex altera parte praeterea*, *item ex altera parte*. *Cic. Div.* 2, 56, 115. nam quum sors illa edita est opulentissimo regi Asiae, Croesus — hostium vim sese perversurum putavit, pervertit autem suam, i. e. at, at re vera. Pro *item* poni volunt in his: *Cic. Acad.* 1, 4, 17. quum Speusippum — Plato philosophiae quasi heredem reliquisset, duos autem praestantissimos studio et doctrina, Xenocratem Chalcedonium et Aristotelem Stagiritem. [**Suet. Cal.* 16. *f. pluribus enumeratis honoribus*, *quos in Caligulam contulerant*, *ita pergit:* decretum autem, ut etc. Cf. *Heusing.* ad *Cic. Off.* 1, 4, 2.] 4) In continuanda oratione per *autem* transitur ab alia in aliam rem. Inservit hoc modo ornatui et perspicuitati et orationem concinnam reddit. *Cic. Acad.* 2, 42, 131. alii voluptatem finem esse voluerunt. — Voluptatem autem et honestatem finem esse Callipho censuit. 5) Historici *autem* usurpant in re describenda, *Caes. B. C.* 3, 9. oppidum oppugnare instituit. Est autem oppidum et loci natura et colle munitum. — Philosophi autem ad aliam demonstrationis vel conclusionis partem transeunt. Exempla sunt ubivis obvia, ut locus quem supra primum posuit *F.*, *Cic. Or.* 1, 16, 70. — 6) Plures adeoque multas sententias continuat *autem;* cf. *Heusing.* ad *Cic. Off.* 1, 8. 7) Interdum in hac sententiarum continuatione etiam omittitur, ut *Cic. Sen.* 18, 65. haec morum vitia sunt, non senectutis. — 8) Notio aliqua ante proposita per autem iterum excipitur, eademque cogitatio per aliam sententiam ex altera quidem parte promovetur. *Cic. Pis.* 38, 94. admoneri me satis est. Admonebit autem nemo alius, nisi reipublicae tempus. *Id. Phil.* 11, 10, 24. — 9) Saepe legitur post parenthesin; nam hac particula excipitur superior sententia ab altera parte posita. *Nep. Dio* 3, 3. eodemque tempore etc. et *Brem.* ad h. l. *Cic. Off.* 1, 1, 2. nostra legens — de rebus ipsis utere tuo judicio (nihil enim impedio) orationem autem latinam efficies profecto legendis nostris pleniorem. 10) Ibi quoque post parenthesin additur, distinctionis quidem causa, ubi non cohaerent membra. *Cic. Fin.* 3, 7, 24. — 11) Porro huic particulae locus est in enumerando, quum plura jam commemorata sunt. *Cic. Mur.* 13, 29. magnus dicendi labor, magna res, magna dignitas, summa autem gratia. Cf. *Matth.* ad h. l. — 12) Habet etiam locum in assumptione, et est i. q. *at*, *atqui*. Exempla V. supra. 13) *Ego autem*, ab initio sententiae ita positum, quasi esset *equidem*, ab hoc ita differt: *equidem*, ἔγωγε est i. q. ego ex mea parte, ego certe; *ego autem*, ἔγω δέ est i. q. ego ex altera parte, quod saepe reddi potest per *ego etiam*. *Cic. Att.* 9, 13. ita paratus est, ut, etiamsi vincere non possit, quo modo tamen vinci ipse possit, non videam. Ego autem non tam γοητείαν hujus timeo, quam παιθανάγκην. 14) In interrogationibus affectum animi et commotionem significat. Ac primum quidem exprimit a) quaerentis impetum et vehementiam, sive ea ab admiratione proficiscitur, sive ab indignatione et iracundia, maxime in reprehensione. *Pl. Asin.* 3, 3, 126. quem te autem Deum nominem? i. e. tandem. *Flor.* 3, 10, 11. Veni ad Caesarem? quis est autem Caesar? b) in epanorthosi s. in correctione. Exempla V. supra. c) tum ponitur, quando interrogatione interposita accuratiorem considerationem in rem dictam intendimus. *Cic. Pis.* 37, 91. nobiles urbes atque plenas fateris ab hostibus esse captas, quibus autem hostibus? nempe iis etc. d) ponitur *autem* quum duae interrogationes sese excipiunt, quarum altera alteram tollere videtur. *Cic. Cluent.* 60, 167. quid unquam Avitus in se admisit, ut hoc tantum facinus ab eo abhorrere videatur? quid autem magno opere Oppianicum metuebat? e) inservit reprehensioni vel ejus, qui ante locutus est, vel nostri ipsius. *Pl. Truc.* 3, 2, 27. *St.* Heu aedepol hominem nihili. AS. anne autem ut soles? V. *Lambin.* Et *Virg. A.* 2, 102. sed quid ego haec autem nequidquam — revolvo? 15) Nunquam ab initio ponitur. Saepe autem Comici post tertium quartumque demum voc. ponunt, neque semper ei voc. adjungunt, in quo fit oppositio. Exempla V. supra *sub f.* — [*De formulis: *quis est autem* et *quis autem est*, V. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 49.]. *Quint.* 10, 1, 15. ibique *Frotscher.*, qui tamen male non improbat hanc scripturam: imitator est autem Atticorum. — ℙ II. Usus hujus particulae, cum aliis vocabulis connexae. Ponitur autem 1) ubi distinguendi vim habet, post vocc. *primum*, *principio* etc. et est i. q. deinde. Sic Gr. πρῶτον μέν — δέ. *Pl. Ps.* 4, 3, 9. primum omnium jam hunc comparem metuo meum, ne deserat me atque ad hostis transeat. Metuo autem, ne dominus redeat. *Cic. Off.* 1, 14, 44. ibique *Heus.* et *Beier.* 2) Saepissime reperitur praecedente *quidem*. *Id. ib.* 2, 10, 36. admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quae magna et praeter opinionem suam animadverterunt: separatim autem in singulis etc. 3) Excipiunt sese *autem* et *sed*. *Cic. Off.* 1, 11, 36. Popilius imperator tenebat provinciam: in cujus exercitu Catonis filius tiro militabat. Quum autem

Popilio videretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium dimisit. Sed quum amore pugnandi in exercitu permansisset, etc. 4) Efficiuntur hac particula hae formulae *si — si autem* et *nisi — si autem*. *Pl. Cist.* 1, 1, 69. si quid est, quod doleat, dolet: si autem non est, tamen hoc hic dolet. Dicitur etiam *sin autem*, majore vi: *Id. Pers.* 4, 1, 5. si malus aut nequam'st, male res vortunt, quas agit: sin autem frugi 'st, eveniunt frugaliter. 5) Componitur *autem* saepe cum particulis temporis, ut *post*, *porro*, *tum*, *nunc autem*. Exempla V. supra ap. *Forc.* 6) Copulantur apud poetas et comicos adversativae particulae cum *autem*. *Virg. A.* 2, 101. V. supra *in f. Pl. Rud.* 2, 6, 15. sed autem quid si hanc hinc abstulerit quispiam sacram urnam Veneris? 7) Adjungitur etiam particulis copulativis, *et autem*, *et — et autem*. *Pl. Poen.* 4, 2, 19. V. supra. — Posteriori tempore, quum *autem* inserviret contradictioni, non conjungebantur *et autem*, nisi ubi *et* ab initio enuntiationis pro *praeterea* positum, sententiae nectendae inserviret, praesertim in formula *et haec autem*. *Suet. Aug.* 73. et forensia autem et calceos nunquam non intra cubiculum habuit. *Id. Vesp.* 32. 8) *Neque autem* rarior forma est pro *neque vero*, quod in continuata et adscendente negatione dicitur. Exempla V. supra ap. *F.* 9) Conjunguntur etiam *modo — modo autem*, *tum — tum autem*. *Cels.* 5, 28, 14. modo unum, modo autem plura nascuntur. Sic edd. antiquae omnes. 10) *Autem etiam* raro conjuncta reperiuntur. *Cic. Fin.* 1, 18, 61. ecce autem alii minuti et angusti —: alii autem etiam amatoriis levitatibus dediti. Denique 11) saepe conjungitur *autem* cum *ecce*. Exempla V. supra. 12) Interdum *autem aut* sese excipiunt, neque talis collocatio falsa putanda est. *Cic. Phil.* 12, 9, 23. Si autem aut domi est etc. ℙ Confunduntur *autem* et *ante*, V. *ante* et intpp. ad *Pl. Cas. prol.* 8. *autem* et *enim*, V. *Wopk. ll. Tull.* p. 90. *ed. Hand.* — et *item*, V. *Heus.* ad *Cic. Off.* 1, 4, 2. 3, 3, 13. — et *etiam*, *Id.* ad *Off.* 1, 39, 8.]

AUTHENTĂ et Autenta, ae, m. *αὐθέντης*, Graeca vox, qua significatur dominus, qui pro arbitrio quidlibet agere potest, nec ab ullo alio pendet: item auctor, cui refragari nemo potest. *Fulgent. continent. Virgil.* de Virgilio: O vatum Latiaris authenta! itane tuum ingenium clarissimum, etc.?

AUTHENTĬCUS, a, um, adj. *αὐθεντικός*. Apud JCtos *authenticum* dicitur, quod auctoritatem indubitatam et legitimam habet: qualia sunt instrumenta, quae vulgo dicimus originalia. *Paul. Dig.* 22, 4, 2. Quicumque a fisco convenitur, non ex indice et exemplo alicujus scripturae, sed ex authentico conveniendus est. *Ulp. ib.* 10, 2, 4. Heredem enim exemplum debere dare, tabulas vero authenticas ipsum tenere. *Id. ib.* 29, 3, 12. Testamentum authenticum. *Id. ib.* 10, 2, 8. Authenticae rationes. *Tert. Monog.* 11. Sciamus, non sic esse in Graeco authentico. ℙ *Authentici* absolute sunt vel libri vel scriptores S. Scripturae utriusque Testamenti, *Sidonio ep.* 7, 9. et *Claud. Mamert. de statu anim.* 1, 2. et *ib.* 2, 9. *in f.*

AUTHEPSĂ, ae, f. *αὐθέψης*, vas duos habens fundos, in quorum superiore ponitur aqua cum iis cibis, qui coquendi sunt: in inferiore ignis, qui ita inclusus majorem vim habet, ac minima impensa rem conficit: ita dictum ab *αὐτός*, ipse, et *ἕψω*, coquo, elixo, quia ipsum per se coquit, foculi simul et vasis vicem praestans. *Cic. Rosc. Am.* 46. Domus referta vasis Corinthiis et Deliacis, in quibus est authepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, ut qui praetereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur. *Lamprid. Elag.* 19. Primus authepsas argenteas habuit. Al. hic aliter leg.

AUTHOR cum derivatis. V. AUCTOR.

AUTOCHTHŌNES, um, m. plur. *αὐτόχθονες*, populi in ipsa terra, seu regione orti, quam incolunt, non aliunde advecti; quales esse se praedicabant Athenienses, de quibus ita loquitur *Justin.* 2, 6. Soli, praeterquam incremento, etiam origine gloriantur: quippe non advenae, neque passim collecta populi colluvies originem urbi dedit, sed eodem innati solo, quod incolunt; et quae illis sedes, eadem origo est. *Tac. G.* 2. etiam Germanos hujusmodi fuisse dicit. Est autem Graeca vox ab *αὐτός*, ipse, et *χθών*, terra. *Appul. Met.* 11. p. 259. Autochthones Attici Cecropiam Minervam nominant. V. CICADA.

[AUTODĪCE, es, f. *αὐτοδίκη*, quae se ipsam judicat, nec alius judicio stare cogitur. *Inscr.* ap. *Gud.* 360, 8. Nona Heliadis L. Autodice. *F.*]

AUTOGRĂPHUS, a, um, adj. *αὐτόγραφος*, propria alicujus manu scriptus, non aliunde descriptus: vox Graeca ab *αὐτός*, ipse, et *γράφω*, scribo. *Suet. Aug.* 71. Autographa quadam epistola, Coenavi, ait, mi Tiberi, etc. Et *ib.* 87. Litterae ipsius autographae ostentant. ℙ *Autographum*, *i*, absolute, quod *Gell.* 9, 14. *idiographum* appellat. *Symm. ep.* 3, 11. Vetustatis exemplum de autographo tuo sumere.

AUTOLŌLES, um, m. plur. populi Mauritaniae inter Gaetulos, mira pedum pernicitate celebres. *Plin.* 5, 1, 1., *Lucan.* 4, 677. et *Sil.* 3, 306.

AUTŌLYCUS, ci, *Αὐτόλυκος*, m. (ab *αὐτός*, ipse, et *λύκος*, lupus, *h. e.* rapax.) Mercurii filius, et avus maternus Ulyssis, artificiis furtorum clarus. *Mart.* 8, 59. Non fuit Autolyci tam piceata manus. Adde *Pl. Bacch.* 2, 3, 41., *Ov. Met.* 11, 313. et *Serv.* ad *A.* 2, 79. ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 613. *n.* 112. Q. Catucius Autolycus. *F.*]

[AUTŌLYTUS, i, m. a se ipso solutus, ab *αὐτός*, ipse, et *λυτός*, solutus. Nomen Romanum servile. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 292. *n.* 242. Autolytus M. Fabii dispensator. *F.*]

AUTOMĂTĂRIUS, a, um, adj. ad automaton pertinens. *Paul. Dig.* 30. *l.* 41. *ad f.* Sed et automataria (*sc.* opera) et canthari, per quos aquae saliunt, poterunt legari. ℙ *Automatarius faber*, qui automata facit. *Inscr.* ap. *Grut.* 642, 5. et *Fabrett. c.* 10. *n.* 385. C. Caecilio Saturnino fabro automatario P. Domitius Maximus amico. Adde aliam apud *Murat.* 935, 8. V. CLEPSYDRARIUS.

*AUTOMĂTE, es, *Αὐτομάτη*, insula maris Aegaei, dicta et Hiera. *Plin.* 2, 87. et 4, 12. *B. A.*

AUTOMĂTON, ti, n. *αὐτόματον*, quod ab *αὐτός*, ipse, et inusit. *μάω*, moveor, unde *μέμαα*, vehementer cupio: machina ita artificiose contexta, ut dispositis intus ingeniosis rationibus, ipsa sua sponte moveri videatur, qualia sunt horologia et aliae id genus machinae versatiles. *Suet. Claud.* 34. Si automaton [**B. Crus.* habet *automatum*], vel pegma, vel quid tale aliud parum cessisset. Quaedam optimae edition. habent Graece *αὐτόματον*. *Petr. Sat.* 140. Dum frater sororis suas automata per clostellum miratur, *h. e.* motus sororis, quae cum ab alio extolleretur, per se videbatur surgere. ℙ Adjective. *Id. fr. Trag.* 50. *Burm.* Plausum post hoc automatum familia dedit, *h. e.* spontaneum. *Serv.* ad *A.* 1, 724. Automata Venus, *h. e.* quae sponte adfuit, favitque Alexidi, et Meliboeae: de quorum nuptiis historiam ibi narrat. V. EPIDAETIA. ℙ [Est etiam nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 2042, 4. Automato Caesaris *Nostri* Servus contrascriptori pistorum. *F.*]

*AUTOMATOPOEĒTUS, a, um, adj. *αὐτοματοποιητός*, per se factus. *Vitr.* 9, 8. (*al.* 9.) Item aquarum expressione automatopoecetas machinas multaque deliciarum genera, in his etiam horologiorum ex aqua comparationes explicuit. Sic ed. *Schneider.* Sed Graeca vox est, et Graecis literis scribenda. *B. A.*

AUTOMĒDON, ontis, m. *Αὐτομέδων*, auriga Achillis, ut *Ascon.* ad *Cic. Rosc. Am.* 35. docet, itemque *Virg. A.* 2, 476., ubi quia *armigerum* etiam vocat, subdit *Servius*, fuisse armigerum Pyrrhi. Per synecdochen ponitur pro quovis auriga. *Juvenal.* 1, 61. dum pervolat axe citato Flaminiam: puer Automedon nam lora tenebat. Adde *Cic. l. c.*

AUTONŌĒ, es, f. *Αὐτονόη*, filia Cadmi et Hermiones, soror Semeles, uxor Aristaei, mater Actaeonis. *Ov. Ib.* 471.

AUTONŌĒĬUS, a, um, adj. ad Autonoen pertinens. *Ov. Met.* 3, 198. fugit Autonoeius heros, *h. e.* Actaeon Autonoes filius.

AUTOPYROS, i, m. *αὐτόπυρος*, panis cibarius, *h. e.* factus ex farina, cui nihil, aut sane parum admodum furfuris demptum sit, ut *Cels.* 2, 18. docet: ubi tamen Graece utitur. Est enim ab *αὐτός*, ipse, et *πυρός*, triticum. Latine legitur apud *Plin.* 22, 25, 68. et apud *Petr. fr. Trag.* 66. *Burm.*

AUTOR cum derivatis. V. AUCTOR.

*AUTRIGONES, um, *Αὐτριγόνες*, populi Hispaniae Tarraconensis, in parte boreali. Autrigonum oppida Flaviobriga, Virovesca, Tritium, *etc. Plin.* 3, 3, 4. *n.* 4. *Flor.* 4, 12. edd. *Graev.* et *Duker.* ubi al. leg. *Aurigonas*, minus recte. *B. A.*

AUTRONĬĀNUS, a, um, adj. ad Autronium pertinens: quod est nomen Romani hominis, ut Autroniana domus. *Cic. Att.* 1, 13. *sub f.*

AUTUMNAL pro *autumnalis* vel pro *autumnale*, eadem ratione, qua *animal*, *capital*, etc. *Varr.* ap. *Charis.* 1. p. 94. Aequinoctium autumnal.

AUTUMNĀLIS, le, adj. *ὀπωρινός*, ad autumnum pertinens. *Liv.* 31, 47. Jam autumnale aequinoctium instabat. *Varr. R. R.* 1, 39. Autumnale tempus. *Ov. Met.* 8, 665. Corna autumnalia. *Plin.* 21, 4, 10. Rosa autumnalis. *Id.* 19, 3, 13. Imbres autumnales. *Id.* 37, 8, 37. Coelum autumnale.

AUTUMNESCIT, ebat, n. autumnus incipit. *Capell.* 6. p. 196. Cum hic ver pubescit, illic edomita aestas temporibus autumnescit. Al. leg. *autumnascit.*

[AUTUMNĪNUS, a, um, adj. ad autumnum pertinens, autumnalis. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 422, 4. Attia Autumnina. *F.*]

AUTŪMNĬTAS, atis, f. autumni tempus. *Cato R. R.* 155. Prima autumnitate cum pluvius est, [*ita *Schneider.*, antea *pulvis*], tum maxime ab aqua periculum est. *Id. ib.* 5. Circum oleas autumnitate ablaqueato. Adde *Varr.* apud *Non.* 2, 22. et *Arnob.* 2. p. 96. ℙ Item autumni proventus, *ὁπωρισμός*. *Arnob.* 1. p. 12. Ex olivis atque vinetis plenam faciant autumnitatem fundi. *Varr.* apud *Non. l. c.* (ut legit *Scalig.* in *Conjectan.* ad *Varr.* p. 47.) Cape hanc caducam Liberi mollem dapem, De fronde Bromiae autumnitatis uvidam.

AUTUMNO, as, n. 1. dies autumnales facere, autumnum inducere. *Plin.* 2, 50, 51. Mobilior aer mitiore hieme, et aestate nimbosa semper quodammodo vernat, vel autumnat. *Id. ib.* 47, 47. Corus autumnat.

AUTUMNUM, i, n. idem quod autumnus. *Varr.* ap. *Non.* 2, 22. Etesiae uberius flaverant, et autumnum ventosum fuerat. *Charis.* quoque 1. p. 21. autumnum neutro genere agnoscit.

AUTUMNUS, a, um, adj. *ὁπωρινός*, ad autumnum pertinens, autumnalis. *Ov. Met.* 3, 720. frondes autumno frigore tactae. *Plin.* 19, 6, 33. Seritur ab aequinoctio autumno. *Manil.* 2, 269. Autumna sidera. Et *ib.* 425. Autumnum tempus. *Gell.* 19, 6. Autumna tempestas.

AUTUMNUS, i, m. *ὀπώρα*, unum ex quatuor anni temporibus, medium inter aestatem et hiemem, quo tempore vindemiae et majoris partis frugum collectio fit. Incipit, secundum veteres Latinos agricolas, pridie vel VI. aut VII. id. Augusti, occasu Fidiculae, ut *Varr. R. R.* 1, 28., *Plin.* 18, 28, 68. *n.* 2. et *Colum.* 11, 2. docent: desinit cum occasu Vergiliarum, nempe circa V. id. Novembr. ut *Varr.* et *Colum. ib.* tradunt. *Cic. Partit.* 11. Quae temporis quasi naturam notant, hiems, ver, aestas, autumnus. *Hor. Od.* 4, 7, 11. Pomifer autumnus fruges effudit. *Ov. Met.* 2, 29. Autumnus calcatis sordidus uvis. *Juven.* 4, 56. Letifer autumnus, *scil.* quia eo tempore solent morbi ingravescere. [**Hor. Sat.* 2, 6, 19. gravis.] *Plin.* 11, 29, 35. Locustae pariunt autumni tempore. *Id. ib.* 36, 43. Insecta autumno moriuntur. *Ov. A. Am.* 2, 315. sub autumnum. Al. leg. *sub autumno*. *Tac. A.* 11, 31. Adulto autumno. *Id. ib.* 4. vergente. Sic *Id. Hist.* 5, 23. Flexu autumni. ℙ In *plur.* numero. *Hor. Od.* 2, 14, 15. per autumnos nocentem Corporibus metuemus austrum. *Ov. Met.* 1, 117. Inaequales autumni, *h. e.* qui modo serenos et calidos dies, modo pluvios et gelidos habent. *Id. ib.* 3, 326. Septem autumni, *h. e.* septem anni per metalepsim. ℙ Per metonymiam ponitur pro fructibus autumni. *Mart.* 3, 58. Et multa fragrat testa senibus autumnis, *h. e.* vino vetere. ℙ Quidam scribunt *auctumnus*, assensi etymologis, qui *Festo* auctore derivant a supino *auctum* verbi *augeo*, quod eo tempore maxime augeantur hominum opes, coactis agrorum fructibus. Verum usus obtinuit, ut saepius sine c scriberetur: quod et *Scalig.* ad *Fest.* et *Dausq.* in *Orthograph.* approbant. [*Non item probant recentiores, qui jure eam scripturam praeferunt, quam etymologia postulat.]

AUTŪMO, as, avi, atum, a. censeo, judico, existimo, puto, opinor, *οἶομαι*, *νομίζω*. *Cic. Or.* 49. Bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri. *Ter. Heaut. prol.* 18. Factum hic esse id non negat, et deinde facturum autumat. *Hor. Sat.* 2, 3, 43. Quem mala stultitia, et quaecumque inscitia veri Caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex Autumat. *Pl. Ps.* 4, 2, 28. Quem hanc misisse ad me autumas? [*At his locis est, ut in sqq. i. q. dicere, affirmare, neque unus affertur locus, in quo sit i. q. putare, censere, licet hanc signif. *Gell. l.* infra *l.* agnoscat. V. *Ruhnk.* ad *Vell.* 1, 6. (qui conferre jubet *Casaub.* ad *Appul. Apol.* p. 131.) et *Hdf.* ad *Hor. Sat.* l. l. *Cic.* l. l. ideo dixisse videtur *autumas*, ne bis ipsi dicendum esset *dicis*. Illud nobilius est et a vulgari usu remotius nec temere pro *dicere* usurpandum.] ℙ Praeterea sumitur pro dicere, narrare. *Pl. Amph.* 1, 1, 150. Quatuor viros sopori se dedisse autumat. *Id. Trin.* 2, 2, 43. Ob eam rem haec, pater, autumavi, quia etc. *Id. Capt.* 4, 2, 111. Iterum natus videor, si vera autumas. *Id. Men.* 5, 2, 7. Res plurimas affert, quas si autumem omnes, nimis longus sermo sit. Adde *Pacuv.* et *Lucil.* ap. *Non.* 4, 7. Passive. *Pl. Poen.* 1, 2, 31. Soror, cogita, amabo, item nos perhiberi, quasi salsa muriatica esse autumantur, etc. ℙ *Non. l. c.* pro *sperare* positum esse ait in illo altero *Pacuvii* loco: *Aut hic est aut hic adfore actutum autumo;* sed commodius ad primam putandi notionem trahitur. *Nigidius* ap. *Gell.* 15, 3. docuit factum esse ex *ab*, et *aestumo* seu *aestimo*: quod *Gellius* improbat. *Voss.* putat derivari ab antiquo et obsoleto *auquo*, quod videtur significasse: ad agendum aliquem meo consilio et auctoritate impello; vel ab *auctor* eliso *c*, ut autumare proprie sit *auctorem esse*. Viderint alii. [*Ultimum maxime mihi arridet.]

AVULSĬO, onis, f. *ἀπόσχισις*. Inter sex modos, quos enumerat *Plin.* 17, 10, 9., quibus arbores et plantae per artem proveniunt, unus est *avulsio*, qua stolones una cum fibris et radiculis e stirpe aut corpore arboris abscinduntur, et sulcis seu scrobibus mandantur. *Id. ib.* 13, 21. Sabina herba propagine seritur et avulsione. *Virg.* de hac

avulsione intelligendus est *G.* 2, 23. Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum Deposuit sulcis.

ĀVULSOR, oris, m. qui avellit, ἀποσχίζων. *Plin.* 9, 45, 69. de spongiis: Intellectum inesse his apparet, quia ubi avulsorem sensere, contractae multo difficilius abstrahuntur.

ĀVULSUS, a, um, part. ab *avello*, ἀνάσπαστος, ἀπόσπαστος, divulsus, abstractus, divisus. *Cic. Dom.* 57. Ut perpetuum dolorem, avulsus a meis, sustinerem. *Virg. A.* 2, 558. Avulsumque humeris caput. *Id. ib.* 4, 616. complexu avulsus Iuli. *Plin.* 4, 12, 23. Thera insula: ex ea avulsa postea Therasia. Et *ib.* 21. Euboea avulsa Boeotiae. *Id.* 17, 10, 13. Avulsi arboribus stolones.

ĀVUNCŪLUS, li, m. μητράδελφος, matris meae frater; nam patris mei frater *patruus* appellatur. Dictus est *avunculus*, quasi minor avus, quia minus habet auctoritatis in filios sororis, quam avus in nepotes. *Cic. Or.* 2, 84. P. Tubero Africanum avunculum laudans. ℙ *Avunculus magnus* est frater aviae, ut *Cajus Dig.* 38, 10, 1. et *Paul. ib.* 10. docent. *Cic. Brut.* 62. M. Drusus tuus magnus avunculus. ℙ *Avunculus major* est frater proaviae, qui et *proavunculus* dicitur. *Paul.* et *Cajus l. c.* ℙ Latini scriptores ponunt *avunculum majorem* pro *avunculo magno*, hoc est pro fratre aviae, non proaviae. Sic *Suet. Claud.* 3. Augustum vocat avunculum majorem Claudii. Erat autem Augustus frater Octaviae, ex qua nata est Antonia minor Claudii mater. Eadem ratione C. Julius Caesar dictator ab eodem *Suet. Aug.* 7. et a *Vell.* 2, 59. dicitur avunculus major Augusti, licet esset tantummodo avunculus magnus, nempe frater Juliae minoris, quae fuit mater Atiae, ex qua Augustus genitus est. ℙ *Avunculus* absolute pro avunculo majore usurpatur a *Tac. A.* 4, 75. [**Id. ib.* 2, 43. avunculus *pro* proavunculus. V. *Lips.*] ℙ *Avunculus maximus* est frater abaviae, qui et *abavunculus* nominatur. *Paul. l. c.* ℙ Accipitur aliquando *avunculus* latiore significatione pro marito sororis matris meae. Sic enim adhibetur a *Seneca Consol. ad Helv.* 17. ℙ In duobus lapidib. apud *Maff. Mus. Ver.* p. 308, 10. et 310, 7. legitur *avonculus.*

ĀVUS, i, m. πάππος, patris, vel matris meae pater, ut *Paul. Dig.* 38, 10, 10. docet. *Cic. Mur.* 7. Et proavus L. Muraenae, et avus praetores fuerunt. *Hor. Sat.* 1, 6, 3. Nec quod avus tibi maternus fuit, atque paternus. *Ter. Ph.* 2, 3, 48. Progeniem usque ab avo et atavo proferens. ℙ Supra avum sunt *proavus*, *abavus*, *atavus*, *tritavus*, ut eos ordine recenset *Pl. Pers.* 1, 2, 5., de quib. V. suis loc. Deinceps carent proprio nomine, et *majores* appellantur. ℙ Interdum tamen *avos* dicunt poetae quoscumque majores, sive consanguinei sint, sive non. *Ov. Her.* 16, 173. Plejada, si quaeras in nostra gente, Jovemque Invenies: medios ut taceamus avos. *Id. Pont.* 4, 8, 17. Equites ab origine prima, Usque per immensos inveniemur avos. *Id. Fast.* 2, 30. Hoc apud intonsos nomen habebat avos. [**Hor. Sat.* 1, 6, 3.] ℙ De homine sene. *Albinov.* 2, 4. Longius annoso vivere dignus avo. ℙ De apibus. *Virg. G.* 4, 209. Stat fortuna domus et avi numerantur avorum. ℙ *Avum* pro *avorum* habet *Stat. Th.* 3, 560.

[AUXĀNON, ontis, m. et

[AUXĀNUSĂ, ae, f. αὐξάνων, et αὐξάνουσα, crescens, Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 127. *col.* 4. P. Aelius Auxanon. Alia apud *Fabrett.* p. 141. *n.* 150. Aeliae Auxanusae. *F.*]

AUXĒSIS, is, f. αὔξησις, Graeca vox et Graece usurpanda, quae significat augmentum, incrementum. Sumitur a rhetoribus pro parte orationis, in qua amplificamus et dicendo augemus rem aliquam. ℙ Est etiam nomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 941, 1. Auxesi citharoedae conjugi optimae C. Cornelius Nerisus.

AUXĬLĬĀBUNDUS, a, um, adj. qui auxiliatur vel ad auxilium ferendum intentus. *Appul. de Deo Socr.* p. 48, 10. Hinc illa Virgiliana Juturna, quae mediis millibus auxiliabunda fratri conversatur.

AUXĬLĬĀRIS, re, adj. βοηθητικός, ἐπικούριος, qui auxilium fert, vel ad auxilium ferendum aptus. *Ov. Met.* 9, 698. de Lucina: Dea sum auxiliaris opemque Exorata fero. *Lucan.* 6, 523. Numen auxiliare. *Plin.* 23, 1, 11. Acotum auxiliarem contra eadem vim habet. *Id. ib.* 4, 40. Oleum auxiliare lethargicis. *Id.* 28, 2, 4. Carmen auxiliare luxatis membris. *Ov. Met.* 4, 334. Cum frustra resonant aera auxiliaria Lunae, *h. e.* Lunae eclipsi laborantis. ℙ *Auxiliares milites* et *auxiliares* absolute in exercitu sunt, qui ab sociis et foederatis gentibus in auxilium mittuntur, σύμμαχοι. *Caes. B. G.* 3, 25. Auxiliares, quibus ad pugnam non multum Crassus confidebat. *Liv.* 30, 34. Auxiliares terga dant repente. *Tac. A.* 12, 39. Auxiliares cohortes. *Id. ib.* 1, 39. Auxiliares equites. *Vell.* 2, 112. Legiones nostrae auxiliaresque. *Tac. A.* 11, 18. Gannascus dux auxiliaris et diu meritus. V. AUXILIUM. ℙ *Auxiliaria fulmina* sunt quae advocata seu advocantium bono veniunt. *Senec. Qu. nat.* 2, 49. *in f.*

AUXĬLĬĀRĬUS, a, um, adj. idem quod auxiliaris. *Pl. Truc.* 2, 1, 6. Amicus consiliarius magis, quam auxiliarius. ℙ *Auxiliarii milites*, qui in auxilium ad exercitum accedunt, σύμμαχοι. V. AUXILIUM. *Cic. Prov. cons.* 7. Res in Sicilia a propraetore una cohorte auxiliaria gesta. *Asinius Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. *ad f.* Militem non modo legionarium, sed ne auxiliarium quidem ullum quoquam misi. *Sall. Jug.* 50. Auxiliarii equites.

AUXĬLĬĀTĬO, onis, f. auxilium. Usurpatur a *Non.* 4, 403. Est etiam qui legit apud *Liv.* 2, 33. quibus auxiliatio adversus consules esset. Sed pleriq. omn. *auxilii latio.*

AUXĬLĬĀTOR, oris, m. βοηθός, ἐπίκουρος, qui auxiliatur. *Petr. Sat.* 89. (in carmine): Infirmus auxiliator. *Quint.* 12, 3. Litigantium auxiliator. *Tac. A.* 6, 37. Ornospades Tiberio auxiliator. *Stat. Silv.* 3, 4, 23. de Aesculapio: maximus aegris Auxiliator adest.

AUXĬLĬĀTRIX, icis, f. παραστάτις, quae auxiliatur. *Cassiod. ep.* 2, 40. Auxiliatrix gratia.

AUXĬLĬĀTUS, a, um, part. verbi *auxilior*, qui auxilium tulit. *Auct.* ad *Her.* 4, 27. Nihil Numantinis vires corporis auxiliatae sunt. ℙ Passiva significatione, qui auxilium accepit, βοηθηθείς. *Lucil.* apud *Prisc.* 8. p. 791. et 11. p. 927. A me auxiliatus si est. *Vitr.* 5, 8. Vox ab imis auxiliata, cum incremento scandens, ingreditur ad aures.

AUXĬLĬĀTUS, us, m. idem quod auxilium. *Lucr.* 5, 1038. Alituum porro genus alis omne videmus Fidere, et a pennis tremulum petere auxiliatum.

AUXĬLĬO, as, a. 1. idem quod auxilior. *Gracchus* apud *Diomed.* 1. p. 395. Quibus ego primus quomodo auxiliem? Adde *Prisc.* 8. p. 797. Hinc *auxiliatus* particip. passivum. V. AUXILIATUS, a, um.

AUXĬLĬOR, aris, atus sum, dep. 1. βοηθέω, auxilium do, opem fero. *Caes. B. G.* 7, 50. *ad f.* Conantibus auxiliari suis, frustra, inquit, meae vitae subvenire conamini. *Cic. Fam.* 5, 4. Si mihi neque magistratum, neque senatum, neque populum auxiliari licuerit. *Ter. Heaut.* 5, 1, 50. Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare, tibi non posse auxiliarier? *Sall. Jug.* 26. Neque mihi patris mei beneficia, neque vestra decreta auxiliantur. *Caes. B. G.* 4, 29. Neque ulla nostris facultas auxiliandi dabatur. *Plin.* 10, 8, 9. Columbae contra naturam accipitris auxiliantes sibi. ℙ De auxilio in medicina. *Id.* 27, 12, 98. Phalangitis flore vel semine auxiliantur contra scorpionum ictus. *Id.* 13, 22, 43. Ferulam quibusdam morbis auxiliari, dicunt medici. *Ov. Pont.* 1, 3, 23. Tollere nodosam nescit medicina podagram, Nec formidatis auxiliatur aquis.

AUXĬLĬUM, ii, n. βοήθεια, ἐπικουρία, adjumentum, subsidium, opem significat. Est ab αὔξω, augeo. *Cic. Rosc. Am.* 40. Auxilium sibi se putat adjunxisse, qui rem cum altero communicavit. *Virg. A.* 2, 691. Dare auxilium. *Cic. Verr.* 2, 2, 3. Ferre opem et auxilium alicui. *Id. Cat.* 2, 9. ferre alicui contra aliquem. [**Sall. Cat.* 6, 5. auxilia portare, quod in nonn. libris legitur, ex aliis MSS. mutandum est in *praestare. Beier.* Minime. *Portare* enim in his locutionibus dicitur quum de re magna, sive bona sive mala, sermo est. V. *Kritz.* ad h. l. et quem laudat *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 2, 2, 1. et ad *Hec.* 3, 5, 63. Adde *Döderl. Syn.* I. p. 150.] *Cic. Balb.* 9. Juvare aliquem auxilio laboris et commeatus. *Nep. Milt.* 4. Auxilio alicujus facere aliquid. Et *ib.* 5. et *Att.* 11. Esse auxilio alicui. *Id. Thras.* 3. Venire auxilio alicui. *Id. Timol.* 1. Mittere aliquem auxilio alicui. *Suet. Aug.* 10. Contrahere milites in auxilium reipublicae. *Caes. B. G.* 3, 15. Reperire auxilium alicui rei. *Cic. Or.* 41. petere ab aliquo. *Liv.* 37, 1. *extr.* Est mihi plus auxilii in te, quam in illo. *Sall. Jug.* 57. Noctis auxilio integri abeunt. *Quint.* 5, 14. Uti auxilio legis. *Suet. Caes.* 60. Eripere alicui auxilium fugae. *Id. ib.* 54. Emendicare pecuniam in auxilium aeris alieni. *Liv.* 5, 37. Civitas ultima experiens auxilia dictatorem dixisset. *Quint.* 7, 1. Auxilia liberorum. *Ov. A. Am.* 3, 259. Auxilia navis, *h. e.* gubernaculum aliaque instrumenta, in quibus est auxilium contra tempestates. ℙ Saepe dicitur de ope et remedio, quod ex medicina adhibetur morbis, ut ex *Celso* 2, 9. discimus. *Id. ib.* 11. *in f.* Nec posse vehementi malo nisi aeque vehemens auxilium succurrere. *Id. Praef.* 1. *sub in.* Auxilia adversae valetudinis. *Id.* 5, 26. *n.* 21. Auxilium adversus profusionem sanguinis. *Id.* 4, 22. Valentissimum auxilium. *Plin.* 25, 3, 6. Reperta est auxilio herba, quae vocatur Britannica. ℙ In re militari *auxilia* sunt milites sociorum et foederatorum, qui augendarum virium, et opis ferendae causa ad exercitum se adjungunt, σύμμαχοι, συμπαραστάται, τὸ ἐπικουρικόν. Tales erant in Romano exercitu pedites et equites sociorum et Latini nominis, qui levis armaturae loco habebantur, obtinebantque in acie proprium ordinem extra legiones. Interdum tamen auxilia a sociis distinguuntur, et *auxiliorum* nomine significantur milites exterarum nationum; *sociorum* vero Latini nominis et Italici. V. *Lips. l.* 1. *Milit. Rom. Dial.* 7. et in *Analect.* et alios. Porro nonnulli putant, hanc esse primam et propriam hujus vocis significationem. *Auxilia* enim dicta esse ab *augendo*, quod augeant exercitum et vires ejus, ad quem accedunt, ut *Varr. L. L.* 4, 16. et *Festus* in *Auxiliares* tradiderunt. Ceterum legitur passim hac significatione apud Latinos scriptores, praesertim historicos. *Cic. Parad.* 6, 1. Tueri sex legiones et magna equitum ac peditum auxilia. *Id. Dejot.* 8. et *Sall. Jug.* 7. Imperatoribus nostris auxilia mittere. *Caes. B. G.* 3, 24. Duplici acie instituta, auxiliis in mediam aciem conjectis. *Suet. Aug.* 49. Legiones et auxilia provinciatim distribuere. ℙ In sing. num. *Ov. Met.* 11, 386. colloque infusa mariti, Mittat ut auxilium sine se, verbisque precatur Et lacrimis. ℙ Interdum *auxilia* dicuntur propriae alicujus ducis militares vires et copiae. *Caes. B. C.* 3, 106. Sed Caesar confisus fama rerum gestarum, infirmis auxiliis proficisci non dubitaverat. *Justin.* 1, 6. Astyages contractis undique auxiliis ipse in Persas proficiscitur. ℙ Apud veteres *Auxilium* Deus fuit, quemadmodum Salus, Fides, Victoria etc. Hunc Deum *Plautus* prologum facientem inducit, *Cist. a.* 1. *sc.* 3. ℙ In illo *Hor. Epod.* 1, 21. non ut adsit, auxili Latura plus praesentibus: *auxili* pro *auxilii* dictum est, contractis per synaeresim duabus vocalibus, metri causa. Sic *oti* pro *otii* dixit *Virg. G.* 4, 564. et *peculi* pro *peculii*, *Ecl.* 1, 33. ℙ *Appul. Met.* 11. Antistes manibus ambabus gerebat altaria, i. e. auxilia, quibus nomen dedit proprium Deae summatis (*Isidis*) auxiliaris providentia.

AUXILLA, olla parva. *Festus.*

AUXIM, is, it. V. AUGEO.

*AUXĬMA, oppidum Hispaniae, i. q. Uxama. *Flor.* 3, 22. *extr.* V. *Uxama. B. A.*

AUXĬMĀTES, um, m. plur. cives Auximi, quod est oppidum Italiae in Piceno, nunc *Osimo*, de quo *Vell.* 1, 15. *Inscr.* ap. *Grut.* 258, 2. et 259, 9. Auximates publice. *Caes. B. C.* 1, 14. At Caesar Auximatibus agit gratias. [*Adde *Plin.* 3, 5. *Caes. B. C.* 1, 13. ℙ *Auximon* audit Auximum oppidum *Lucan.* 1, 466. et *Ausimum Tab. Peutinger.* Alii *Auxumates* scribunt. *B. A.*]

*AUXIQUA, oppidum maritimum in regione Syrtica. *Anton. Itin. B. A.*

[AUXON, ontis, m. αὐξων, augens, amplificans. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 101. *n.* 232. L. Aurelio Auxonti. *F.*]

[AUZIENSIS, se, adj. ad Auziam sive Auzeam pertinens, coloniam Numidiae, cujus meminit *Tac. A.* 4, 25. nunc *Burgh-Hamza. Inscr.* ap. *Donat.* 287, 1, 9. Gargilio Q. F. Dec. duarum. Coll. Auziensis et Ruscuniensis. *F.*]

AX

AXAMENTĂ dicebantur carmina Saliaria, quae a Saliis sacerdotibus componebantur in universos homines. (V. AXARE.) Nam in Deos singulos versus facti a nominibus eorum appellabantur, ut Janualii, Junonii, Minervii. Haec *Festus.* Legitur et *assamenta.* Contraria *Festo* docuit *Jos. Scal.* in *Conjectan.* ad *Varr.* nempe assamenta fuisse carmina in unum solum hominem condita etc. Ejus verba V. in ASSO, as V. ASSAMENTA et AXARE.

AXĀRE, nominare. *Festus.* Legitur et *assare.* Ab hoc videtur duci *axamenta*, fortasse quia in iis nominabantur illi, de quibus ea carmina composita erant. *Scal.* tamen, quem sequitur *Voss.* in *Etymol. axamenta* seu *assamenta* ideo dicta putat, quia ea carmina in *axibus* seu *assibus*, hoc est tabulis describebantur, quemadmodum Solonis leges ab Atheniensibus. (V. AXON.) Quia enim legitime concepta erant illa carmina, propterea non minus ediscebantur a Saliis, quam a Legulejis actiones et juris formulae: et Cicero ait a pueris praetextatis carmen Saliare, tanquam legitimas formulas, disci solitum. Haec *Scal.* [*Cf. *Gutberlet.* de Saliis p. 114. sq. *Beier.*]

*AXATITĀNUS, a, um, adj. ad Axatin pertinens oppidum Hispaniae Baeticae. *Inscr.* ap. *Grut.* 432, 7. L. Lucretio Severo in municipio Flavio Axatitano decurioni. *B. A.*

AXE adglomerati, universi stantes, i. e. cohortibus, aut legionibus. *Festus.* Illud *axe* quid sit, nemo interpretum docet: nec vero expedire facile est.

AXĒDO, onis, videtur esse idem quod axis vel asserculus. *Marcell. Empir.* 33. *sub f.* Ubicumque minxerit, supra lotium ejus obicem, id est axedonem ex usu figes.

AXĒNUS PONTUS, ἄξενος, hoc est inhospitalis dictus est olim, qui nunc Euxinus appellatur: ab *a* privativa, et ξένος, peregrinus, hospes; quia illud mare quondam vix adibatur propter barbariem Scytharum, qui loca maritima incolentes, mactare appulsos hospites eorumque carnibus vesci solebant. *Ov. Trist.* 4, 4, 55. Frigida me cohibent Euxini

litora Ponti: Dictus ab antiquis Axenus ille fuit. *Id. ib.* 3, 13, 27. Dum me, terrarum pars paene novissima, Pontus, Euxini falso nomine dictus, habet. [*Cic. Rep.* 3, 9. Quam multi, ut Tauri in Axino, ut rex Aegypti Busiris. Fortasse legendum Axeno. *B. A.* *Altera forma non minus recte habet.]

*AXETODŪNUM, oppidum Britanniae, aliis hodie *Hexham*, aliis *Brough. Notit. Imper. B. A.*

*AXIĂCAE, arum, populi Scythiae Europaeae vel Sarmatiae. *Mela* 2, 1. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*AXIĂCES, ae, Scythiae Europaeae vel Sarmatiae fluvius. *Mela* 2, 1. *Plin.* 4, 12. Hodiernum nomen *Solina. B. A.*

AXIĀRIUS, ii, m. qui axibus fabricandis artificium exercet, vel qui axes vendit. *Inscr.* ap. *Murat.* 977, 7. M. Sergius M. L. Eutychus axiarius sibi, et M. Sergio M. L. Philocalo axiario patrono. In lapide est *axearius.*

AXĬCIÀ, ae, f. forfex, qua tondentur capilli, *ψαλίς.* Videtur dicta esse a secando: nam *seco* in compositis mutat aliquando *e* in *i*, ut *exsico* pro *exseco*, apud *Pl. Rud.* 1, 2, 34. et *prosico* pro *proseco*, apud *Eund. Poen. a.* 2. *v.* 8. Itaque a *seco* fit *adsico* seu *assico*, a quo *assicia*, quae paulatim in *axiciam* transiit cognatione litterarum. *Id. Curc.* 4, 4, 21. At ita meae volsellae, pecten, speculum, calamistrum meum bene me amassint, meaque axicia linteumque extersui. Pro *axicia*, quidam leg. *exicia*, vel *exsicia* eod. sensu, ut sit ab *exseco*, seu *exsico*, *as*, quod verbum certe est in usu, non item *assico*. *Lambinus* de suo reposuit *excutia*, exponens parvam scopam, qua excutitur pulvis e vestibus. Sed ejus conjectura minus placet *Vossio Etym.* in *Prosecta*, et aliis.

AXĬCŬLUS, li, m. parvus axis, circa quem aliquid vertitur, *ἄξων. Vitr.* 10, 14. Tympanum versatile, in cultro collocatum, et in axiculo conclusum. ℙ Item trabecula, vectis, palus. *Vitr.* 10, 21. Axiculi ex torno facti duo, e quibus funes alligati retinebant arietem. *Colum.* 6, 19. Ut velut in caveam quadrupes possit induci, nec exire alia parte prohibentibus axiculis. ℙ Item parva tabula sectilis. *Ammian.* 21, 2. Axiculis, queis orbis *(h. e. scutum)* erat compaginatus, in vanum excussis, ansa remanserat sola. *Id.* 16, 8. Dionysius aedem, ubi cubitare solebat, alta circumdedit fossa, eamque ponte solubili superstravit; cujus disjectos asseres et axiculos secum in somnum abiens transferebat. ℙ Legitur et *assiculus* in locis nonnullis supra allatis.

AXĬES, mulieres sive Dii dicebantur una agentes. *Fest.* in *Axitiosi.* Sed legendum est *Axites, mulieres, sive viri*, etc. ut *Scalig.* et *Voss. l.* 5. *Gramm. c.* 41. monent. [*Gloss. Gr. Lat.* Axites, *ἀποτελεσματικαί.* Cf. *Turneb. Advers.* 23, 18. *B. A.*] *Axites* autem est ab *axim* antique dicto pro *egerim*, ut *Fest. ib.* tradit.

AXILLÀ, ae, f. *μασχάλη*, locus sub brachiis concavus, ubi enascuntur pili. Vox obsoleta, pro qua *alam* Latini elegantiae causa usurpant, ab ea per syncopen factam. *Cic. Or.* 45. Quomodo enim vester axilla, ala factus est [*V. paullo infra], nisi fuga litterae vastioris? quam litteram etiam e maxillis, et taxillis, et vexillo, et paxillo consuetudo elegans Latini sermonis evellit. [*Axilla etiam est cognomen Serviliorum, quorsum respicit *Cic. l. l.* Quomodo enim vester *Axilla*, *Ala* factus est, nisi fuga literae vastioris? V. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 5. *Vaillant. Numism. Aer. Imper.* 1. p. 89. *B. A.*]

AXIM. V. AGO.

*AXIMA, oppidum Galliae Narbonensis, in regione Centronum, ut placet *Ptolemaeo. Axuna*, quod habet *Tab. Peutinger.*, fortasse mendum est. *B. A.*

AXĪNŌMANTĬÀ, ae, f. *ἀξινομαντεία* divinatio quae per secures seu ascias fit: ab *ἀξίνη*, ascia, securis, et *μαντεία*, divinatio. *Plin.* enim 30, 2, 5. species magices, seu divinationis enumerat per aquam, aerem, lucernas, pelves, secures etc. *Id.* 36, 19, 34. Hoc dicuntur uti magi in ea, quam vocant axinomantiam. *Salmas.* in *Solin.* legit *causimomantiam*, hoc est divinationem per ea, quae uri possunt, a *καύσιμος*. Putabant enim magi, si quid, quod facile cómburi solet, in ignem injectum peruri nequiret, significari id eventurum, quod quis in votis haberet.

AXĬOMÀ, ătis, n. *ἀξίωμα*, Graeca vox, quae Latine pronunciatum, enunciatio, enunciatum, effatum a *Cic.*, profatum, proloquium a *Varr.*, verbum etiam a *Ter. Eun.* 1, 2, 95., teste *Donato.* appellatur: est autem oratio seu propositio, aut dictum absolutam aliquam sententiam complectens, quam necesse est, aut veram, aut falsam esse, ut si dicam, *Scipio Numantiam delevit*, *Neque bonum voluptas est*, *neque malum.* Ejus varia genera faciunt dialectici, de quibus *Gell.* 16, 8. et *Appul. Dogm. Plat.* 3. seu *De syllog. categor.* ℙ Dicitur etiam *ἀξίωμα* in disciplinis effatum verum per se et clarum, nec ulla indigens probatione, quod vulgo *principium* vocant, quale est illud: *Quae eidem sunt aequalia, inter se quoque aequalia esse necesse est.* ℙ Haec vox Latine scripta legitur apud *Appul. l. c.*, rectius tamen Graece adhibebitur a Latino scriptore.

*AXIOPŌLIS, is, f. *Ἀξιόπολις*, oppidum Moesiae inferioris. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

[AXĬŌTHĒÀ, ae, f. digna spectaculo, spectanda, ab *ἄξιος*, dignus, et *θέα*, spectaculum. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1490, 5. Pompejae Axiotheae. *F.*]

AXIS, is, m. *ἄξων*, lignum illud teres, circa quod rota currus, aut alia quaepiam res vertitur, ab agendo dictum, est *axis. Virg. G.* 3, 172. valido nitens sub pondere faginus axis Instrepat. *Ov. Met.* 2, 317. temone revulsus Axis. *Vitr.* 9, 9. Tympano medio axis versatilis est inclusus; inque eo axe mollis catena est involuta etc. *Id.* 3, 3. Axes volutarum ne crassiores sint quam oculi magnitudo. V. Interpretes. *Plin.* 15, 8, 8. Axes amurca ungere. ℙ Per synecdochen accipitur pro ipso curru. *Ov. Her.* 4, 160. de sole: Purpureo tepidum qui movet axe diem. *Prop.* 3, 3, 13. spoliis onerato Caesaris axe. *Senec. Herc. Oet.* 1442. Phoebeus axis. *Sil.* 16, 360. Sinuare axem. Et *ib.* 407. propellere. Adde *Val. Fl.* 5, 431. ℙ In plur. num. *Ov. Met.* 4, 632. qui solis anhelis Aequora subdit equis et fessos excipit axes. Adde *Met.* 2, 148. ℙ Saepe *axis* dicitur linea imaginaria, quae ab uno coeli cardine seu polo per centrum terrae transiens, in alterum terminatur: circa quam universa mundi machina circumvolvi dicitur. Simili ratione tribuitur aliis minoribus sphaeris, seu circulis in ipso coelo contentis. Omnes enim circa proprium axem verti dicuntur. *Cic. Acad.* 4, 39. Terra circum axem se summa celeritate convertit et torquet. *Id. N. D.* 1, 20. Mundus versatur circum axem coeli admirabili celeritate. *Lucan.* 4, 333. Axis Cancri, *h. e.* Tropicus Cancri. *Sever. Aetn.* 231. de luna et sole: Haec brevior cur bissenos cita pervolet axes, Annuus ille meet, *h. e.* duodecim signa Zodiaci. ℙ Saepe accipitur pro ipso polo, seu cardine coeli, ubi axis infigitur. Per *axes* itaque intelligitur uterque polus arcticus et antarcticus. *Lucan.* 7, 422. Te geminum Titan procedere vidit in axem. *Id.* 8, 175. Axis inocciduus, gemina clarissimus Arcto. *Id.* 9, 876. Imus in adversos axes. *Vitr.* 6, 1. Meridianus axis. ℙ Interdum etiam *axem* absolute dicimus polum arcticum, quia is a nobis semper cernitur, cum alter sub terra lateat. *Cic. Tusc.* 1, 28. Globum terrae duabus oris habitabilem: quarum altera, quam nos incolimus, sub axe posita; altera australis ignota nobis. *Virg. G.* 2, 270. qua parte calores Austrinos tulerit, quae terga obverterit axi. [*et *ib.* 3, 351.] *Ov. Pont.* 4, 7, 1. Missus es Euxinas quondam, Vestalis, ad undas, Ut positis reddas jura sub axe locis. Adde *Manil.* 4, 589. ℙ Frequenter sumitur pro toto coelo. *Virg. A.* 4, 482. maximus Atlas Axem humero torquet stellis ardentibus aptum. *Ov. Trist.* 1, 2, 46. Aetherius axis. *Stat. Th.* 5, 86. serenus. [*Id. Silv.* 3, 3, 76. stelliger.] *Id. Th.* 10, 758. in terras supero demissus ab axe. ℙ Hinc *sub axe* aliquando est sub dio, sub aere aperto. *Virg. A.* 2, 512. Aedibus in mediis nudoque sub aetheris axe. *Id. ib.* 8, 28. in ripa gelidique sub aetheris axe. ℙ Aliquando accipitur pro aliqua coeli plaga, regione, climate. *Plin.* 27, 1, 1. Exustus sideribus axis, *h. e.* zona torrida. *Ov. Met.* 4, 214. et *Lucan.* 3, 359. Hesperius axis, *h. e.* Occidens vel Hispania. *Ov. Trist.* 4, 8, 41. Axis boreus, *h. e.* regio septentrionalis. ℙ *Axis* etiam vocatur ferrum illud, in quo januae cardo vertitur. *Stat. Th.* 1, 346. jam claustra rigentis Aeoliae percussa sonant, *etc.* venti transversa frementes Confligunt, axemque emoto cardine vellunt. V. ASSAMENTA. ℙ A *Vitruvio*, ubi describit machinam Ctesibicam ad extollendam aquam, appellatur *axis* epistomium vel potius tabella epistomii vicem reddens, qua obturatur os seu naris canalis aquam effundentis. Ejus verba sunt 10, 12. In quo catino fiant axes, in superioribus naribus fistularum, coagmentatione subtili collocati, qui praeobturantes foramina narium, non patiuntur exire id, quod spiritu in catinum fuerit expressum. ℙ *Axis stellatus* significat rotam radiatam, cui humi positae agger seu turris latericia inaedificatur, quae, phalangis suppositis, urbis expugnandae moenibus admovetur: cujus fabricandae rationem docet *Caes. B. C.* 2, 9. et 10. *Lucan.* 3, 455. Stellatis axibus agger Erigitur, geminasque aequantes moenia turres Accipit: hae nullo fixerunt robore terram, Sed per iter longum causa repsere latenti. Alii leg. *cursu. Sil.* 13, 109. Hic latera intextus stellatis axibus agger, *h. e.* agger, sive turris tum in basi, tum in lateribus tignis cancellatim in stellae modum dispositis colligabatur. ℙ Sunt qui putent significare etiam clivum, montem, locum editum, ducta fortasse significatione a polo septentrionali, qui nobis sublimis est, et proprie axis dicitur. Afferunt locum *Juven.* 4, 117. Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes (Sed *axes* rectius alii exponunt currus et rhedas illac transeuntes. [*Alii malunt *arces.*] *Prop.* 4, 1, 125. Scandentisque axis consurgit vertice murus (Al. rectius leg. *arcis*) *Claud. Cons. Mall. Theod. in prooem.* 16. Contulit alternas Pythius axis aves, *h. e.* mons Parnassi: sed alii commodius interpretantur oram, regionem. ℙ *Axis, is*, f. nomen est ferae in India, hinnulei pelle, pluribus candidioribusque maculis. *Plin.* 8, 21, 31. ℙ *Axis* scriptum pro *assis.* V. ASSIS. ℙ [*Commutantur passim *axe*, *ante*, *arte*, V. *Burm.* ad *Prop.* 2, 19, 66. *axis* et *arx*, *Burm.* ad *Ov. Am.* 3, 10, 21. V. etiam supra.]

*AXĪTES, V. v. seq. et supra AXIES.

AXĪTĬOSI factiosi dicebantur, cum plures una quid agerent, facerentque: ab antiquo *axit* pro egerit. *Fest.* Hinc *Plaut. in fragm.* apud *Varr. L. L.* 6, 3. Axitiosae annonam caram e vili concinnant viris. Al. leg. *actiosae.* [*Scal.* ad h. l. laudat e glossario hanc vocem: Axites, *ἀποτελεσματικαί.* Sed neque ex hac interpretatione loco Plautino lux affunditur. Sed V. AXIES.]

*AXĬUS, i, *Ἄξιος*, Macedoniae amnis, in Paeonia, in sinum Thermaicum cadens. *Mela* 2, 5. *Plin.* 4, 10. *Liv.* 39, 54. 44, 26. et 43. et 45, 29. ℙ *Axius, i*, nomen Romanum, ut Q. Axius, de quo *Varr. R. R.* 3, 2. seqq. *Cic. Att.* 3, 15. et 4, 15. *etc. B. A.* [*Gruter.* 374, 5. *F.*]

AXON, ōnis, m. *ἄξων*, in horologiis solaribus est linea *πρὸς ὀρθὰς* posita radio aequinoctiali: ita dicta a mathematicis ad similitudinem axis coelestis, qui Graece *ἄξων* vocatur. *Vitr.* 9, 8. ℙ Item unum ex membris balistae in modum axis rotae formatum. *Id.* 10, 17. ℙ *Axones* sunt axes, seu tabulae, in quibus descriptae erant leges Solonis, ut *Gell.* 2, 12. docet. Atque ob id ipsae leges *axones* dicuntur ab *Ammiano* 16, 5. ℙ Denique *Axon* fluvius est Cariae apud *Plin.* 5, 27, 29.

AXŌNĂ, ae, nunc *l'Aine*, fluvius Belgarum in extremis Remorum finibus, Augustam Suessionum alluens. *Auson. Mos.* 461. Non tibi se Liger anteferet, non Axona praeceps.

AXŌNES, um, m. plur. populi Galliae Belgicae. *Lucan.* 1, 423. et Biturix longisque leves Axones in armis. *Grotius* monet legendum *Suessones.* [*Sic etiam in libris reperitur. *Mart. Lag.* versum insititium esse putat.]

AXUNGĬÀ, ae, f. *στέαρ, ὕῶδες*, adeps suillus inveteratus, ita dictus ab *ungendis axibus*, ut *Plin.* 28, 9, 37. docet, quia eo perunguntur curruum axes, ut rotae facilius vertantur. Graeci quoque recentiores *ἀξυγγίαν* et *ὀξύγγιον* appellant sumpto a Latinis vocabulo, ut *Plin. ib.* testatur: ubi varios ejus usus in medicina percenset. *Id. ib.* 10, 43. Axungiam cum calce tusam admovere. *Edict. Diocl.* p. 24. Axungiae Ital. P. unum ✠ duodecim.

AXŪRUS. V. ANXUR.

*AXYLOS, *Ἄξυλος* (sc. terra, est enim proprie adjectivum), Galatiae regio, vel forte in confinio Bithynorum et Galatarum. *Liv.* 38, 18. *B. A.*

AZ

*AZA, ae, Armeniae minoris oppidum. *Plin.* 6, 9. *Anton. Itin. B. A.*

[AZALĪI, orum, m. plur. populi Pannoniae a *Ptol. Ἄζαλοι* appellati. *Inscr.* ap. *Grut.* 490, 2. L. Volcatio V. F. Vel. Primo in Pann. Praef. ripae Danuvii, et civitatium duarum Boior., et Azalior. *Plin.* 3, 25, 28. Praeterea Arivates, Azali, Amantes, Belgites. *F.*]

AZAN, anis, m. mons Arcadiae, Cybelae Deorum matri sacer. *Stat. Th.* 4, 292. Idaeis ululatibus aemulus Azan.

AZĀNĬAE nuces pineae dicuntur, quae, si non decerpantur in tempore, se ipsae in arbore dividunt. Estque haec Graeca vox ab *ἀζάνω*, arefio, quia longiore mora in arbore aridiores factae dehiscunt. *Plin.* 16, 26, 44.

*AZANĬUS, a, um, ad Azaniam spectans. Fuit autem Azania Aethiopiae regio maritima, secundum *Ptol. Azanium mare* sive *sinum Azanium* meminit *Plin.* 6, 24. 28. et 29. *B. A.*

[AZĒTĪNUS, a, um, adj. ad Azetium pertinens, urbem Apuliae Peucetiorum seu Calabriae, prope Norbam, nunc *Rutigliano*, in cujus nummis apud *Romanelli*, *Topograf. Napol. T.* 2. p. 178. legitur *AZETINΩN. Plin.* 3, 11, 16. Calabrorum mediterranei Aegetini, Apamestini (*corrige* Azetini, Apanestini) Butuntinenses, Norbanenses. *F.*]

[AZIZUS, i, m. nomen Martis apud incolas Edessae Mesopotamiae urbis, quia Syriace عزيز *aziz* fortem significat. *Imp. Julianus II. Orat.* 4. p. 150. *ed. Lips.* *Ἄρης Ἄζιζος λεγόμενος ὑπὸ τῶν οἰκούντων τὴν Ἔδεσσαν Σύρων, Ἥλιου προπομπεύει, *h. e.* Mars a Syris Edessam incolentibus Azizus dictus, Solis est anteambulo. *Inscr.* ap. *Neumannum*, *Popul. et Reg. nummi vet. ined. T.* 1. p. 87 Deo Azizo bono propugnatori pro salutem *(sic)* DD. *NN. Impp. Gallieni*, et Valeriani Augg., et Corneliae Saloninae *Aug.*, et Legionis V. Macedonicae III. *(tertium)* Piae Fidelis Donatus Praef. Leg. ejud. templum inceptum perfecit. *F.*]

AZONI Dii, *Ἄζωνοι*, dicuntur, qui certas in coelis zonas seu sphaeras non habent, ut habent

Juppiter, Venus, Mars, Saturnus etc.: ab *α* privativa, et *ζώνη*, zona. *Capell.* 1. p. 17. Ex cunctis igitur coeli regionibus advocatis Diis, ceteri, quos Azonos vocant, ipso commonente Cyllenio convocantur. *Serv.* ad *Virg. A.* 12, 118. Dii communes sunt, qui *ἄζωνοι* dicuntur, id est, qui coeli certas non habent partes, sed generaliter a cunctis coluntur: ubique enim eos esse manifestum est: ut Mater Deum, cujus potestas in omnibus zonis est, et cum omnibus est communis. V. COMMUNIS.

[AZONICUS, a, um, adj. *ἀζωνικός*, ad Azonam pertinens, quae fuisse videtur eadem ac Deum Mater. V. AZONI. *Not. Tir.* p. 88. Azona, Azonicus. *F.*]

*AZORIUM, i, *Ἄζώριον*, oppidum Thessaliae, in Pelasgiotide, ut placet *Ptolemaeo*, Azorus vel Azorum dictum *Liv.* 42, 53. et 44, 2. *B. A.*

*AZOTUS, i, *Ἄζωτος*, oppidum Judaeae, quod et *Asdod* dictum. *Plin.* 5, 13. *B. B.*

*AZURITANUM OPPIDUM, idem quod Assuros vel Assurae, in Numidia. *Plin.* 5, 4. *B. A.*

AZYMUS, a, um, adj. *ἄζυμος*, non fermentatus: ab *α* privativa, et *ζύμη*, fermentum: et dicitur de pane. *Scribon. Compos.* 133. Cibos assae carnis dare cum pane azymo. ℙ Paenultima corripitur a *Prud. Apoth.* 421. Lascivire choris, similaginis azymon esse, Cum fermentati turgescant crimine mores. (*Azymon* Graeca positione dictum est pro *azymum*; et absolute neutrorum more positum est pro pane azymo.) Graeci tamen produxere, ut *Nicand. in Ἀλεξιφαρμ. v.* 521. *Μὴ μὲν δὴ ζύμωμα κακὸν χθονὸς ἀνέρα κήδοι.* Quare si quis Latine proferret longa paenultima, haberet quo se tueretur, nam *Prudentius* malus habendus prosodiae auctor.

DE LITTERA B

B Littera muta [*quam, ut *Capell.* dicit 3. p. 58. *labris per spiritus impetum reclusis edicimus*] est, quae non in sonum suum, sed in sonum *e* litterae finitur. Hanc Graeci *βῆτα* nominant. Gerit virtutem et potestatem mediam inter *p* et *ph*. Quare nos ob litterarum affinitatem dictiones Graecas traducentes nonnunquam *p* et *ph* in *b* convertimus, ut *πύξος*, buxus, *ἀμφω*, ambo. [*V. *Quint.* 1, 4. qui *Byrrhum* pro Pyrrho et *Benam* pro Helena antiquos scripsisse monet. Quin *fascinum* dixere pro *βασκάνιον*.] Et e contrario, quod illi *b* scribunt, nos cum *ph* traducimus, ut *θρίαμβος*, triumphus. ℙ Saepe transit in *v*, cujus rei exempla multa habentur in veteribus inscriptionibus etiam probae aetatis. Hinc *ababus* pro *abavus*, *abe* pro *ave*, *bixit* pro *vixit*, *curbatus* pro *curvatus*, et alia sexcenta apud *Grut.* et *Reines.* V. eorum Indices *cap. De his, quae ad Grammaticam pertinent*, et *Pier.* ad *A.* 7, 627. [*Quae quidem permutatio litterarum *B* et *V.* inprimis in iis monumentis, quae a saeculo quarto prodierunt, frequens facta est. Eadem perpetua fere est in Cod. antiquissimo *Pandect. Florentin.* Cf. *Lips. Var. Lectt.* 2, 28. *Lambin.* ad *Cic. Att.* 1, 15. *Spanhem. de U. et Pr. Numm.* dissert. 2. p. 120.] His adde *habeo* pro *aveo* apud *Cic. Tusc.* 1, 8. *ad f.* ex optim. MSS. codicib. [*V. *Maj.* ad *Cic. Rep.* 1, 4. *B. A.*] ℙ B in praepositione *ab* in duobus tantum verbis mutatur in *u*, *aufero* et *aufugio*, ut advertit *Cic. Or.* 47. In aliis transit etiam in *c*, ut *occurro*; in *f*, ut *sufficio*; in *g*, ut *suggero*, in *m*, ut *summitto*; ut *p*, ut *nubo*, *nupsi* etc. ℙ In notis lapidum inscriptorum fere est *bene*. [*Item *B* significat in litteris antiquis *Brutum* vel *Balbum*. Item *Bonum*, ut B. AV. *bonis auspiciis* seu *bonis avibus*; B. I. I. *Bonum judicis judicium*; B. F. *Bonum factum*, qua formula in edictis proprie utebantur. V. *Turneb. Adv.* 3, 22. *Brisson. Form.* p. 173. Graece *ἀγαθῇ τύχῃ*. ℙ Elegans exstat de hac littera, epigr. *Mart.* 5, 27. quod V. — Nec minus est elegans epigr. aenigmaticum in *Symposio Lactant. n.* 42. *Tota vocor Graece, sed non sum tota Latine: Ante tamen mediam cauponis scripta tabernam: In terris nascor, lympha lavor, ungor olivo. Gesner.* p. 86. sic exposuit: Versu primo significatur *βῆτα*, *be*; altero B littera, quae notat *bonum*; tertio *beta* olus. Haec *Gesnerus*.]

BA

BA, interjectio avertentis aut fastidientis. *Pl. Asin.* 1, 1, 24., ubi plerique omnes leg. *ah.*

BAAL et Bahal, m. indecl. *Βαάλ*, Hebraice בַּעַל, nomen est Dei, ab Assyriis, Phoenicibus, et aliquando etiam a Judaeis culti, qui et *Bel* seu *Belus* dictus est, consecratus a Nino Beli filio in honorem patris, ut *Hieron. in cap.* 23. *Ezech.* docet. *Augustin.* autem *Quaest. super Jud. quaest.* 7, 17. Punicam vocem esse scribit, et significare *dominum*: eoque nomine Jovem cultum fuisse. ℙ Prima syllaba est longa apud *Prud. Apoth.* 393. Fluxerat ornatus, caput et jam coctile Baal etc. *Sedul.* tamen corripuit 5, 147. Tunc coluere Baal, nunc elegere Barabbam.

BABA, ae, m. insignis fatuitatis homo temporibus *Senecae*, cujus is meminit *ep.* 15. et *Apocol. ante med.*

BABAE, *βαβαὶ*, *παπαὶ*, interjectio admirantis, plaudentis et approbantis. *Pl. Pers.* 5, 2, 25. Hui! babae! basilice te intulisti et facete. *Id. Ps.* 1, 3, 130. *Ca.* Fur. *Ba.* babae. *Ps.* fugitive. *Ba.* bombax. *Ca.* fraus populi. *Ba.* planissime. ℙ Apud eund. *Pl. Stich.* 5, 7, 3. *babae*, *tatae*, *papae* sunt voces hilariter ludentium, saltantium, atque invicem plaudentium.

*BABANENSES, ium, populi Hispaniae citerioris, in Conventu Carthaginiensi, quos inter celeberrimos stipendiariorum collocat *Plin.* 5, 4. *B. A.*

*BABBA, ae, f. oppidum Mauritaniae Tingitanae, Caesaris Augusti colonia, dicta et Julia Campestris. *Plin.* 5, 1. *B. A.*

[BABBIUS, ii, m. idem ac baba, stultus, a *βαβάζω*, inarticulatam vocem edo, ideoque etiam in *Gloss. Isid.* Babiger, et baburrus, stultus. *Inscr.* in *Giorn. Arcad. T.* 5. p. 274. Gajus Nonius Vitalis, qui et Babbius. *F.*]

BABECALUS vel Babaecalus, i, m. Est vox a Graeco *βαβάξ*; hinc Latine in *Gloss. Philoxeni* legitur *babit*, gloriatur, et *babiger*, *baburrus* in *Gloss. Isid.* et *Orig.* 10., unde recte derivatur *babecalus*, seu *babaecalus* Campana fortasse pronunciatione: Itali dicunt *babbaccio*, *babbione*, quae omnia stultum, ineptum, nugatorem denotant. Frustra itaque sunt, qui lectionem sollicitant. Ejusdem originis est *babulus*, quam V. infra. *Arnob.* 4. p. 141. Pellicibus atque amiculis delectatus impatientiam suam spargebat passim, ut babecali adolescentes solent. *Petr. fr. Trag.* 67. *Burm.* Videtis, inquit, mulieris compedes? Sic nos babaecali despoliamur. Adde *ib.* 37. *in f.* [*V. *Cangii Glossar.* in v. *Baburrus. B. A.*]

*BABEL, elis, civitatis Assyriae nomen, quod a confusione linguarum accepit. Transfertur mystice ad Ecclesiam corruptam. *Augustin. de Civ. Dei* 16, 3. et 11. Cf. *Joseph. Jud. Antiq.* 1, 5. *Ἑβραῖοι γὰρ τὴν σύγχυσιν Βαβὲλ καλοῦσι. B. A.*

*BABIA, ae, f. oppidum Italiae inferioris, vitibus ferax nequaquam spernendis, ut auctor est *Plin.* 14, 6. *B. A.*

*BABIGER, a, um, adj. Fatuus, stultus, ineptus. *Gloss. Isid.* Cf. v. seq. *B. A.*

BABULUS, i, m. idem fortasse, quod stultus, ineptus. *Appul. Met.* 4. p. 149, 7. Tunc e re nata subtile consilium ego et iste babulus tale comminiscimur. Alii leg. *baburrus* eadem significatione. V. v. seq.

*BABURRUS, Stultus, ineptus *Gloss. Isid.* et *Orig.* 10. *Gloss. Gr. Lat.* Barburra (*sic*), *ἄφρων*, *ἀνόητος*, *μάταιος*. Graecis *Βάβαξ* est vanus, fatuus. Antepenultimam corripuit *Guald. in vita S. Anschar.* 95. Ac quidam de plebe truces, hominesque baburri. Cf. *Babiger. B. A.*

*BABYLO, onis, m. Nomen servi apud *Ter. Ad.* 5, 7, 17. ubi interpp. disceptant, utrum casus rectus sit *Babylus* an *Babylo*. Hoc unice verum. Vide post *Bentl.*, *Burm.* ad *Suet. Ner.* 36. *Ruhnk.* ad *Ter.* p. 208. *Schopp.* (Gr. *Βαβυλῶν* et *Βάβυλος* et *Βαβυλᾶς* dicitur. V. *Salm.* ad *Solin.* p. 185. *B. A.*)

BABYLON, ōnis, f. *Βαβυλών*, urbs Chaldaicarum gentium caput, in Babylonia, celeberrima et ex maximis Asiae, ad Euphratem fluvium interfluentem, in vastissima et laetissima planitie. Condita est a Nembroth seu Belo filio Chusan, nep. Cham, postea a Semiramide amplificata et moenibus cincta, quibus sexaginta passuum millia complectebatur: obtinuitque diu summam claritatem in toto orbe. Nunc tota in ruinis jacet. V. apud *Plin.* 6, 26, 30. et *Curt.* 5, 6. plura. *Mart.* 9, 76. Nec latere cocto, quo Semiramis longam Babylona cinxit etc. *Babylona* accusativus est Graecae positionis pro *Babylonem*. [*Vide *Bremi* ad *Corn. Them.* 2, 8. ad *Cic. Fat.* 15.] *Sil.* 14, 657. Vestis spirantes referens subtemine vultus, Quae radio caelat Babylon, *h. e.* variis coloribus intexta ex arte acu pingendi, quae Babylone ortum habuit. Sic *Mart.* 14, 150. Babylonis acus. V. BABYLONIUS.

BABYLONIA, ae, f. pars Mesopotamiae atque Assyriae, ita dicta a Babylone urbe, quae ejus regionis caput fuit. *Plin.* 6, 26, 30. ℙ Sumitur etiam pro Babylone. *Justin.* 1, 2. Haec Babyloniam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit. *Id.* 12, 13. Ejus adventum Babyloniae operiri. Adde *Curt.* 4, 6.

BABYLONIACUS, a, um, adj. Babylonius. *Manil.* 4, 578. Cum Babyloniacas submersa profugit in undas, *h. e.* in Euphratem, qui Babyloniam interluit.

BABYLONICUS, a, um, adj. *Βαβυλωνικός*, ad Babyloniam pertinens. *Mart. Dig.* 39, 4, 16. §. 7. Pelles Babylonicae, pelles Parthicae, *h. e.* ex Babylonia advectae. *Pl. Stich.* 2, 3, 54. Babylonica peristromata, *h. e.* variis coloribus intexta. V. BABYLONIUS. Sic *Mart.* 8, 28. Babylonica picta superbe texta. [**Festus* s. v. Solla: Solaria quibus illa insternuntur vocantur Babylonica.] ℙ *Babylonica pellis*, Itali dicunt *marrocchino*, a loco, in quo comparabatur, appellata est nobilior, ac peculiari *βυρσοδεψικῇς* artificio parata, quae cum pelle Parthica jungitur in *Dig.* 39, 4, 16. §. 7. Species pertinentes ad vectigal, cinnamomum, piper, opus byssicum, pelles Babylonicae, pelles Parthicae etc. *Edict. Diocl.* p. 22. De pellibus Babylonicis, sive Trallianis, sive foeniceis (*lege* phoeniceis). Pellis Babylonica primae formae ✕. quingentis (fortasse legendum *quinquagenis*), formae secundae ✕. quadraginta. *Id.* p. 24. Socci Babylonici puri. ℙ *Babylonicum*, *ci*, et frequentius *Babylonica*, *orum*, absolute sunt vestes Babylonia arte pictae. *P. Syrus Mimogr.* ap. *Petr. Sat.* 55. Plumato amictus aureo Babylonico. Al. leg. *aulaeo* pro *aureo. Lucr.* 4, 1023. Cum Babylonica magnifico splendore rigantur. *Ulp. Dig.* 34, 2, 26. Stragula et Babylonica, quae equis insterni solent. *Haloander* edidit *Babylonicas*, ut sit femininum pluralis numeri.

BABYLONIENSIS, e, adj. Babylonius. *Pl. Truc.* 1, 1, 66. Babyloniensis miles.

BABYLONIUS, a, um, adj. ad Babylonem pertinens, *Βαβυλώνιος*. *Pl. Truc.* 2, 5, 19. Babylonius miles. *Ov. Met.* 2, 248. Euphrates Babylonius. *Curt.* 5, 1. Babylonia arx. *Lucan.* 6, 50. Babylonia moenia. *Plin.* 6, 26, 30. Seleucia Babylonia, *h. e.* quae in provincia Babylonia condita fuit a Nicatore, in confluente Euphratis fossa perducti et Tigris, ut *Id. ib.* narrat. *Id.* 21, 18, 72. Babylonius juncus, *h. e.* juncus odoratus, qui laudatissimus circa Babylonem nascitur. ℙ *Babylonii*, *orum*, sunt Babylonis incolae. Horum celebre fuit studium in astrorum totiusque coeli motibus perscrutandis, atque in universa astronomia perdiscenda, ex qua futura praesciri arbitrabantur. *Cic. Div.* 2, 46. *in f.* Nam quod ajunt, quadringenta et septuaginta millia annorum in periclitandis experiundisque pueris quicumque essent nati, Babylonios posuisse, falsum est. *Hor. Od.* 1, 11, 2. nec Babylonios Tentaris numeros, [*i. e. noli vitae exitum explorare ex subducto secundum Babyloniorum artem stellarum numero. Pro *Babyloniis rationibus* eodem sensu *Chaldaicas rationes* ponit *Cic. Div.* 2, 47.] ℙ Horum quoque inventum fuit et subtiliter exculta ars pingendi acu vestes variis coloribus, atque in illis varias texendo figuras exprimendi, non secus ac pictores in tabulis penicillo. *Plin.* 8, 48, 74. Aurum intexere in Asia invenit Attalus rex: colores diversos picturae intexere Babylon maxime celebravit et nomen imposuit.

*BABYTACE, es, f. oppidum memorabile, de quo sic *Plin.* 6, 27. In septemtrionali Tigris alveo oppidum est Babytace. Abest a Susis CXXXV. mill. pass. Ibi mortalium soli aurum in odio contrahunt, id defodiunt, ne quo cui sit in usu. Adde *Solin.* 54. p. 85. *Steph. Byz. Βαβυτάκη, πόλις Περσική. B. A.*

[BACALUSIA, ae, f. vox composita a *baca* seu *bacca* et *lusia*, *h. e.* bacca, quae per lusum comedi solet. Erat fortasse carica, praesertim Thebaica, quam otiosi convivae comedebant, ut hodie edimus ciceres virides, qui vulgari sermone *spassapensieri* appellantur. [*Rectius comparaveris eum apud nostros usum, ex quo amygdalae cum putaminibus (*Krachmandeln*) in mensa apponuntur, quae per lusum saepe fractae comeduntur.] *Petr. fr. Trag.* 41. Postquam itaque omnes bacalusias consumpsi, duravi interrogare etc. *Burm.* habet *babazusias*, at *cod. Trag.* diserte *bacalusias*. Haec deprompta ex *Francisco Orioli* in *Opusc. Letter. di Bologna T.* 1. p. 65., qui putat id nominis impositum principio quidem veris dumtaxat bacis, postea latius usurpatum fuisse ad indicandos edules fructus omnigenos, quorum usus in epulorum pausis erat, ne scilicet, dum carnes scinderentur, otiarentur maxillae. *F.*]

*BACACUM, i, oppidum Galliae Belgicae, in regione Nerviorum. *Tab. Peut.* Dicitur etiam Bagacum. *Anton. Itin. B. A.*

BACAR, vas vinarium simile bacrioni. *Festus.* [*Ex eo quod cum bacrione comparatur, patet genus vasis fuisse longiore manubrio instructi.] *Scalig.* docet scribendum esse *baccar* duplici *cc*. Nam legi in *Gloss. Isid.* Baccarium, vas aquarium. In *Gloss.* tamen *Philox.* Bacar, *εἶδος ἀγγείου*. [Adde *βίκος*, *βικίον*, *βικίδιον* idem significare, quod Itali dicunt *bicchiere*. Hinc est in *Gloss. Philoxeni* Bacario, *ποτροδιάκονος*, *h. e.* meretricibus aquam infundens. (V. de hoc hominum genere *Salm.* in *Vopisc. Carin.* 21. *B. A.*) V. AQUARIOLUS. *F.*]

BACCA, ae, f. *κόκκος*, *ἀκροόδρυον*, nomen generale, quo significantur minutiores ac rotundiores fructus arborum, praesertim silvestrium, ut oleae, lauri, corni, myrti, platani etc., item quarundam herbarum, ut hyssopi, ebuli etc. Quomodo differant ab acinis, V. in ACINUS. *Cic. Div.* 2, 6. Agricola cum florem oleae videt, baccam quoque se visurum putat. *Cat. R. R.* 101. Baccae myrti.

Virg. G. 1, 306. lauri. *Id. Ecl.* 10, 27. sanguineae ebuli. *Plin.* 16, 27, 50. cupressi. *Id.* 12, 7, 14. juniperi. *Id.* 15, 7, 7. platani. *Id.* 24, 5, 11. cedri. *Id.* 26, 11, 70. et *ib.* 12, 76. hyssopi. *Id.* 32, 2, 11. Baccae curalii. ℙ Per antonomasiam dicitur de bacca oleae, quia est omnium utilissima hominibus. *Ov. Pont.* 4, 15, 10. Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla favos. Adde *Hor. Od.* 2, 6, 16. et *Mart.* 13, 101. ℙ Interdum generatim significat quoscumque arborum et plantarum fructus. *Cic. N. D.* 2, 51. Semen inclusum est in intima parte earum baccarum, quae ex quaque stirpe funduntur. *Id. Tusc.* 1, 14. Ergo arbores seret diligens agricola, quarum aspiciet baccam ipse nunquam. *Id. Sen.* 2. In arborum baccis, terraeque frugibus. Adde *Div.* 1, 51. et *Sil.* 15, 535. ℙ Per similitudinem dicitur de variis rebus baccae, vel globuli figuram habentibus. *Pallad.* 2, 14. Si caprini stercoris baccam subula subtiliter excavaveris, et in ea semen lactucae immiseris. [*Colum.* 8, 10. bacca stercoris caprini. *Plin. Valerian.* eas eandem ob rationem *pilulas* appellat. Vide *Schoettg.* in *Ind. Script. R. R.*] ℙ Pro uniobus aut gemmis. *Virg. Cul.* 66. Indi conchea bacca maris. *Ov. Met.* 10, 116. parilesque ex aere nitebant Auribus in geminis circum cava tempora baccae. Adde *Hor. Epod.* 8, 13. ℙ Similiter nodi vinculorum et catenarum anuli *baccae* dicuntur. *Prud. περὶ στεφ.* 1, 46. Carcer illigata duris colla baccis impedit. *Id. Psychom. prooem.* 33. Artita baccis colla liber erigit, *bojis* utroque loco alii leg. [*Nempe non simpliciter anuli catenarum *baccae* dicuntur, sed eximie ii, quibus similitudo aliqua cum baccis intercedit. Hinc, ut hoc utar, collario ex electro, coralliis (V. supra) etc. facto, recte *baccas* tribuas; sed catenae aureae non item, nisi forte ad hanc formam efficta sit. V. *Heins.* ad *Prud. Psych. praef.* 33.] ℙ Scribitur et *baca*, unico *c*. [*Probat hanc scripturam *N. Heins.* Cf. *Drak.* ad *Sil.* 8, 134.] Putant autem nonnulli, *baccam* scribi, cum fructum arboris significat; *bacam* vero, cum unionem. Aliis semper *baca* scribi placet. Sed et *bacca* optima scriptura est: quin frequentius in libris reperitur, et est consuetudine usitatior.

BACCĂLIĂ, ae, f. *Plin.* 15, 30, 39. scribit *baccaliam* appellari a nonnullis lauri illud genus, quod vulgatissimum est, baccarumque fertilissimum. V. v. seq.

BACCĂLIS, le, adj. baccas ferens, ut *baccalis laurus* apud *Plin.* 17, 10, 11., quam 15, 30, 39. appellavit *baccaliam*, nempe laurum feminam, quae baccas fert, seu Cypria; non triumphalem, vel Delphicam, quae mas est, ideoque sterilis.

BACCAR, ăris, n. et Baccăris, is, f. [*de genere vide *Ruddim. Institutt.* I. p. 18.] herba alio nomine *nardum rusticum*, radice tantum odorata, ex qua ab antiquis unguenta fiebant: odorem habet cinnamomo proximum, provenitque gracili solo, nec humido. Usum habet in coronamentis. Creditur etiam habere vim contra fascinationes. Quidam vulgo appellant *chirothecas D. Mariae*, teste *Ruellio*, alii *Digitalem*. [*Sprengelius* putat esse Valerianam celticam *Linn. F.*] *Plin.* 12, 12, 26. Baccaris vocatur nardum rusticum. *Id.* 21, 6, 16. Combrettum procerius, quam baccar. *Virg. Ecl.* 7, 27. baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro. [*Id. ib.* 4, 19. errantes hederas passim cum baccare — tellus — fundet; ad quem locum vid. *Serv.* Credunt esse nostrum *Sanguineum Gnaphalium (Ruhrkraut). Billerb. flor. class.* p. 215.] ℙ Est et alia herba hoc nomine, quam Graeci asaron vocant. V. ASARUM. Hanc rectius quam priorem, nardum rusticum appellari posse, docet *Plin.* 21, 6, 16. ℙ Scribitur etiam *bacchar* et *baccharis* cum aspiratione. Nam apud Graecos quoque et *βάκκαρις* apud *Hesych.* et *βάκχαρις* apud *Dioscor.* legitur.

BACCĀTUS, a, um, adj. baccas habens. *Monile baccatum* apud *Virg. A.* 1, 659. et *Sil.* 8, 134. est margaritis consertum. Adde *Lamprid. Alex. Sev.* 41. [*Cf. quae s. v. *Bacca. sub f.* observavimus.] ℙ Scribitur et *bacatus*. V. BACCA.

BACCHĂ, ae, et Bacche, es, f. *Βάκχη*, quae vox Graece *furore percitam* significat. *Bacche* dicta est nympha, quae cum Brome sorore sua Bacchum nutrivit in Nysa monte, ut *Serv.* ad *Ecl.* 6, 15. docet. Praeterea ita appellatur mulier Bacchi sacra celebrans. Conveniebant enim statis temporibus, hoc est singulis trienniis, mulieres (maxime in Thracia et Thebis) thyrsis pro hasta armatae, viteis et hederaceis ramis caput coronatae, cervinaque pelle ad sinistrum latus pendente amictae, ut est apud *Ov. Met.* 6, 591., discurrebantque passis capillis per vias furentum more, validis ululatibus adstrepentes, et Bacchi laudes canentes: et si quos obvios habuissent, thyrsis caedentes. Vagabantur per agros, nemora et montes, in quibus sacra Bacchi caesis victimis perficiebant. Hujuscemodi comitatum habuisse dicebatur is Deus, cum ad expeditionem Indicam proficisceretur. Immiserat enim iis ejusmodi furorem, quo hostibus terribiles, licet feminae, videri possent. Quem ipsum furorem, quae illud sacrum celebrabant, omnibus insanientis animi signis imitari studebant: adeo ut aliquando ipsae sibi brachia pectusque crebris vulneribus perfoderent, ut ex *Ov. Trist.* 4, 1, 41. et *Val. Fl.* 3, 20. colligitur. *Ov. Her.* 10, 48. Qualis ab Ogygio concita Baccha Deo. *Id. Met.* 9, 640. Ismariae celebrant repetita triennia Bacchae. *Id. Trist.* 4, 1, 41. Utque suum Bacche non sentit saucia vulnus, Dum stupet Edonis exululata jugis. Al. leg. *Bacchis*. *Lucan.* 5, 74. Delphica Thebanae referunt trieterica Bacchae. *Liv.* 39, 9. et 10. Initiare aliquam Bacchis, *h. e.* sacris Bacchanalium, quibus Bacchae sacerdotes praeerant. *Pl. Amph.* 2, 2, 71. Bacchae bacchanti si velis adversarier, ex insana insaniorem facies; feriet saepius: si obsequare, una resolvas plaga. Proverb. de eo, qui furenti obsistere velit. ℙ Pro muliere furiosa. *Pl. Bacch.* 3, 1, 4. Bacchides, non Bacchides, sed Bacchae sunt acerrimae. ℙ [*Baccha, vinum in Hispania. *Varr. L. L.* 6, 5. p. 79. Sed quae est *Baccha Honoraria Alba*, quam *ad foculum immolavit Q. Licinius Nepos magister* fratrum Arvalium, in *Inscr.* ap. *Phil. a Turre Monum. Vet. Antii* p. 392.? *Porcam* convenire huic sacrificio novi; *Bach* in Germania porcum marem significare, constat. Haec *Gesnerus. B. A.*]

BACCHĂBUNDUS, a, um, adj. baccans, vino et comissationibus deditus, hilari crapula amens. *Curt.* 9, 10. Hoc modo per dies septem bacchabundum agmen incessit. ℙ Item clamans, obstrepens Baccharum more. *Appul. Apol.* p. 326, 8. In medio foro bacchabundus.

BACCHAEUS. V. BACCHEUS.

BACCANAL, is, n. *Βακχεῖον*, locus quo Bacchae conveniunt sacra facturae. *Pl. Aul.* 3, 1, 3. Ad Bacchas veni in Bacchanal. Et *ib.* 8. Aperit Bacchanal. *Liv.* 39, 18. Omnia Bacchanalia Romae et per totam Italiam diruere. ℙ Item ipsum Bacchi sacrum. *Pl. in supposit. Amph. scena*, *quae incipit* Tun' me mactes? *v.* 12. Bacchanal te exercuisse oportuit senex, *h. e.* Bacchi sacris adfuisse, atque ibi in furorem actum esse. *Id. Mil.* 3, 2, 44. Vos in cella vinaria bacchanal facitis.

BACCHĂNĂLIĂ, ium et iorum, n. *Βακχεύματα*, *Διονύσια*, festa et sacra in honorem Bacchi: quibus initiati, praeter insanos ritus, omnibus se vitiis polluebant: quae fuse persequitur *Liv.* 39, 9. *et seqq.*, ubi narrat de iis sacris Romae detectis et abolitis. [*Cic. Legg.* 2, 15. Senatus auctoritas de Bacchanalibus, sc. sublatis.] *Tac. H.* 2, 68. Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac Bacchanalibus, quam disciplinae et castris propiora. *Liv.* 39, 41. Reliquias Bacchanalium quaestionis cum omni exsecutus est cura. *Sall. fr. Hist.* 3. ap. *Non.* 8, 49. Exauditique sonus Bacchanaliorum. V. SATURNALIA. ℙ *Vivere Bacchanalia* est dissolute ac luxuriose vitam agere. *Juven.* 2, 3. Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt. [*Ubi attende ad insolitam verbi *vivere* juncturam. Plane sic idem *Juven.* 12, 128. vivat vel Nestora totum. Alia tam Graeca quam Latina vide apud *Bernhardy wissenschaftliche Synt.* p. 108.] ℙ Significat etiam interdum loca, in quibus Bacchanalia fiunt. V. BACCHANAL. ℙ In singulari numero adjective quidem dici poterit *Bacchanale festum*, sed non *Bacchanale* absolute, quia hujusmodi nomina festorum dierum singulari numero carere solent. Ita docet *Macr. Sat.* 1, 4.

BACCHĂNĂLIS, le, adj. ad Bacchum, vel ad Bacchanalia pertinens, *Διονύσιος*, *Βακχικός*. *Macr. Sat.* 1, 4. Bacchanale festum. *Val. Max.* 1, 3. *n.* 1. Bacchanalium sacrorum mos. *Aur. Vict. Caes.* 3. et *Epit.* 3. Bacchanalis torus. Al. rectius leg. *chorus*.

BACCHANS, antis, part. v. *bacchor*. *Βακχεύων*, qui bacchatur, et furit Baccharum more. *Pl. Amph.* 2, 2, 71. Bacchae bacchanti si velis adversarier, ex insana insaniorem facies. [*Cf. *Baccha ab init.*] *Cic. Cat.* 4, 6. Versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi et furor in vestra caede bacchantis. ℙ *Bacchantes*, *um*, sunt ipsae Bacchae, *Βάκχαι*. *Curt.* 8, 10. Ut passim hederae ac vitium folia decerperent, redimitique fronde toto nemore similes Bacchantibus vagarentur. *Ov. Met.* 3, 702. Vadit, ubi electus facienda ad sacra Citheron Cantibus, et clara Bacchantum voce sonabat. ℙ Translate. *Hor. Od.* 1, 25, 11. Thracius ventus bacchans, *h. e.* vehementius flans. *Prud. Ham.* 376. stolidi bacchantia gaudia mundi.

BACCHAR. V. BACCAR.

BACCHĂTIM, adv. Bacchantium more. *Appul. Met.* 1. p. 108, 3. Quin igitur, inquit, soror, hunc primum bacchatim discerpimus? [*respicitur misera Penthei sors, qui a sororibus discerptus esse dicitur.]

BACCHĂTĬO, onis, f. *Βακχεία*, *Βάκχευμα*, bacchantum ludus et furor. *Cic. Verr.* 2, 1, 12. Nocturnae bacchationes ac vigiliae. [*Ubi tamen vox *bacchatio* non propria significatione de bacchantibus ponitur, sed translate de hominibus furibundis.]

BACCHĂTUS, a, um, part. v. *bacchor*. *Prop.* 3, 15, 1. Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris: Da mihi bacchato vela secunda, pater. Al. melius leg. *pacato*. ℙ Translate. *Val. Fl.* 6, 632. velut hiberno promptus ab arcu Imber agens scopulos, nemorumque operumque ruinas: Donec ab ingenti bacchatus vertice montis Frangitur. ℙ Passive dicitur de loco, in quo Bacchi festa celebrata sint. *Virg. G.* 2, 487. et virginibus bacchata Lacaenis Taygeta. [*Id. A.* 3, 125. Bacchata Naxos.] *Val. Fl.* 3, 20. Dindyma sanguineis famulum bacchata lacertis. [*Ex Graeco fonte hic usus derivandus; Graecis enim *βακχευθεὶς* sic adhibetur.]

BACCHĒIS, ĭdis, ĭdos, f. adj. *Stat. Silv.* 2, 2, 34. si subeas Ephyres Baccheidos altum Culmen, *h. e.* Corinthi, quam urbem familia Bacchiadum per ducentos annos tenuit.

BACCHĒIUS, a, um, adj. ad Bacchum pertinens. *Ov. Met.* 3, 691. Accensis aris Baccheia sacra frequento. *Virg. G.* 2, 454. Baccheia dona, *h. e.* vites et vina.

BACCHĒUS, a, um, adj. ad Bacchum pertinens, *Βακχεῖος*. *Ov. Met.* 11, 16. Tympanaque, plaususque, et Bacchei ululatus. *Id. Fast.* 2, 313. Bacchea vineta. *Calp.* 4, 56. Bacchei corymbi, *h. e.* fructus hederae, qua coronantur poetae. *Stat. Th.* 7, 603. Baccheus cultor. Adde *ib.* 12, 791. ℙ Item ad Bacchas pertinens. *Stat. Th.* 1, 328. Ogygiis ululata furoribus antra Deserit et pingues Baccheo sanguine colles, *h. e.* fuso a Bacchantibus cum Penthea discerperent. [*Colum.* 10. 223. Bacchea voce frementem.] ℙ Legitur et *Bacchaeus*.

*BACCHĪA, ae, f. poculi genus primum a Baccho nominatum. *Isid.* 20, 5. *B. A.*

BACCHĪĂDAE, arum, m. plur. gens vel familia Corinthi, a Bacchia Bacchi filia appellata, quae ut *Strabo* 8. narrat per CC fere annos tyrannidem in patria exercuit: a Cypselo tandem expulsa in Siciliam venit, et Syracusas condidit. [*Adde *Herodot.* 5, 22. *Aelian. V. H.* 1, 19.] *Ov. Met.* 5, 407. Et qua Bacchiadae bimari gens orta Corintho, Inter inaequales posuerunt moenia portus.

*BACCHIAS, adis, f. *Βακχίας* sc. *νῆσος*. Insula in sinu Arabico, cujus mentio fit apud *Plin.* 6, 29, 34. *Βάκχου νῆσος* est *Ptol.*

BACCHĪCUS, a, um, adj. ad Bacchum pertinens, *Βακχικός*. *Mart.* 7, 62. Aoniae Bacchica serta comae. *Macr. Sat.* 1, 18. Hedera coronantur Bacchico ritu. Et mox: Speluncae Bacchicae. V. BACCHĪUS. ℙ Bacchicum metrum est tale: *Laetare*, *baccare praecinge frontem*. Hoc mihi videtur magis ad prosam convenire. Et sane multis pedibus in oratione utimur. Haec *Diom.* 3. p. 513,

BACCHĪLĪDĪUM metrum constat dimetro hypercatalecto, ut *Floribus corona texitur*. *Serv. in Centimetr.* p. 1819.

BACCHIS, ĭdis, f. mulier Bacchi sacerdos. *Ov. Trist.* 4, 1, 41. Utque suum Bacchis non sentit saucia vulnus, etc. Quidam leg. *Bacche*. ℙ *Bacchides* titulus est comoediae Plautinae, in qua inducuntur duae sorores, quarum utrique nomen erat *Bacchis*, quia earum parentes Bacchi sacris initiati fuerant.

BACCHĪSŌNUS, a, um, *Βακχευτικός*, Bacchum sonans, Bacchicus. *Paul. Nol. Nat.* XI. *S. Fel. ed. Murat.* 281. Evoe Bacchisonum fractis imitantur anheli Vocibus.

BACCHĪUS, a, um, adj. idem quod Bacchicus. *Ov. Met.* 3, 518. Orbus, ait, fieres, ne Bacchia sacra videres. Ita Heins. ex variis codicib. MSS. Sed editiones tres principes, quas habemus, item Aldina, et aliae habent *Bacchica*. Similiter apud *Eund. Trist.* 1, 6, 2. Bacchia serta, *Id. Heins.* legi monet in MSS., cum tamen in editis fere habeatur *Bacchica*. Idem dic de illo *Stat. Th.* 9, 479. Bacchia buxus. Et *Ach.* 2, 4. Bacchia Naxos.

*BACCHIUS, i, m. scriptor de re rustica, Milesius. *Varr. R. R.* 1, 8. *Colum.* l. et c. 1. ℙ Bacchius et Bithus, gladiatores nobilissimi, qui pares aetate et audacia fuere. Hinc natum proverbium: *Bithus contra Bacchium*. V. *Erasm. Adag.* et *Sueton.* in *Augusto*. *Hor. Sat.* 1, 7, 20. Uti non Compositus melius cum Bitho Bacchius. Hi cum multos interfecissent, tandem congressi mutuis vulneribus se confoderunt. *B. A.*

BACCHĪUS, ii, m. *Βακχεῖος*, pes metricus trisyllabus, constans prima brevi et duabus longis, ut *Catones*. Ita *Donat.* p. 1739. *Quint.* 9, 4. et *Ascon. Div. Verr.* 7., ubi illam Ciceronis clausulam *cujus ego causa laboro*, ex spondeo et duobus bacchiis constare docet. Alii contra definiunt, quod constet duabus longis, et brevi, ut *Romanus*. Ita *Terentian.* p. 2414. et *Atil. Fortunat. ib.* p. 2687. Sed satius est definire cum *Val. Prob.* p. 1491. *bacchium a brevi* eundem esse atque *antibacchium; bacchium* vero *a longa* fuisse a *Terentiano* vocatum simpliciter *bacchium*. Dictus est autem *bacchius*, quia praecipue in iis canticis, in quibus laudatur Bacchus, locum habet: vel quia aptissimus est saltationibus Baccharum.

BACCHOR, aris, atus sum, dep. I. *βακχεύομαι*, proprie significat Bacchi sacris operam dare Baccharum ritu. *Plin.* 3, 1, 3. Lusum Liberi Patris, aut Lysam cum eo bacchantem nomen dedisse Lusitaniae. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 205. ululatibus Ide

bacchatur. ℙ *Bacchari evoe* est bacchando *evoe* inclamare. *Cat.* 64, 61. et 255. ℙ Saepissime accipitur pro furere, impotenter se gerere in aliqua re, impetu ferri, more Baccharum. *Colum.* 10, 197. Nunc amor ad coitus properat, nunc spiritus orbis Bacchatur Veneri, stimulisque Cupidinis actus, etc. [*h. e.* tota mundi anima jam nihil aliud potest, quam generare et gignere.] *Virg. A.* 4, 300. Saevit inops animi, totamque incensa per urbem Bacchatur. *Hor. Od.* 2, 7, 26. non ego sanius Bacchabor Edonis: recepto Dulce mihi furere est amico. *Cic. Or.* 28. *ad f.* Furere apud sanos et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur. ℙ Speciatim *bacchari* dicitur quidquid violentius commovetur et concutitur. *Virg. A.* 6, 77. At Phoebi nondum patiens immanis in antro Bacchatur vates, magnum si pectore possit Excussisse Deum. *Santra* ap. *Non.* 2, 78. Ita obsoletum sono furenter ab omni parte bacchatur nemus. ℙ Hinc et ventus *bacchari* dicitur, cum vehementius spirat. *Ov. Trist.* 1, 2, 29. gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto. [*Cf. locos sub *Bacchans* allatos.] ℙ Est etiam vagari, discurrere. *Virg. A.* 4, 666. concussam bacchatur fama per urbem. *Lucr.* 5, 821. atque animal prope certo tempore fudit Omne, quod in magnis bacchatur montibu' passim. [*ubi quod de animali dictum est, valde insolitum est habendum.] *Pl. Mil.* 3, 2, 42. Bacchabatur hama, casabant cadi. ℙ Item saevire, grassari, crudeliter se gerere. *Claud. B. Get.* 155. cum vilis Spartacus omne Per latus Italiae ferro bacchatus et igni. *Suet. Cal.* 56. Ita bacchantem atque grassantem non defuit plerisque animus adoriri. ℙ Item immodice laetari. *Cic. Cat.* 1, 10. Hic tu qua laetitia perfruere! quibus gaudiis exsultabis! quanta in voluptate bacchabere! [**Cic. Cat.* 4, 6. furor in vestra caede bacchantis.] ℙ Eleganter dicitur de actione et oratione oratoris nimis ardenti. *Cic. Brut.* 80. Eos, quorum altior oratio actioque esset ardentior, furere et bacchari [**schwärmen und rasen*] arbitrabatur. Adde *Quint.* 12, 10. ℙ Item de poetis carmina fundentibus: divino enim furore intus agi dicuntur. *Stat. Silv.* 1, 2, 257. tecum similes, junctaeque Camenae, Stella mihi, multumque pares bacchamur ad aras. [*Item passive de locis, in quibus Bacchi festa celebrantur. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 206. ululatibus Ide bacchatur. Frequentius etiam partic. *Bacchatus* sic ponitur, de quo v. supra.]

BACCHUS, i, m. *Βάκχος*, [videtur vox derivata a *βάζω*, quo proprie notatur, qui sonum inconditum *βὰ βὰ* edit; hinc inserto ϰ *Βάκχοι* dicti, qui furore Bacchico perciti sunt, deinde eorum Deus *Bacchus F.* *Ita tradit *Furl.* de etymo. Rectius haud dubie statuis, eandem vocem esse *Βάκχος* et *Ἰαϰχος*; hoc autem descendit ab *ἰάχω, ἰά, ἰή.*] filius Jovis et Semeles, quae cum, adhuc gravida, ictu fulminis arsisset, puer ab ipso patre servatus fuit, et proprio femori assutus atque abditus; exactis justis mensibus in lucem editus, nymphisque educandus datus. Hoc vero inde fictum est, quod veteres Indi tradunt, Bacchum fuisse nutritum in specu montis apud Nysam, qui meros dicitur. Graece autem *μηρὸς* femur significat, ut *Solin.* tradit 52. Alii scribunt, non a Jove, sed a nymphis ereptum incendio matris fuisse, et aqua infusa fotum atque recreatum. Hinc *Stat. Th.* 9, 428. Hac tibi flagrantem Bromium restinximus unda. Ubi de Ismeno amne loquitur, qui est in Boeotia prope Thebas, quae Bacchi patria sunt. V. NYSA. Natus est autem cornutus, ut quidam Graeci auctores tradidere: a Latinis quoque ei cornua tribuuntur, *Tib.* 2, 1, 3., *Hor. Od.* 2, 19, 29. et aliis: nempe quia vinum *addit cornua pauperi*, ut ait idem *Hor. Od.* 3, 21, 18., vel quia homines nimio vino truces fiunt, ut *Fest.* in *Cornua* docet. Adolescens factus multas res admirabiles gessit, assumptisque secum pluribus feminis comitibus, quibus vires supra sexum furorique similes animos indidit, varias terras peragravit, Indos bello perdomuit, et de iis triumphavit. Tigres et lynces currui suo adjunxit, vitium colendarum rationem mortales docuit: ex quo vini repertor et praeses habitus est. Hinc semper ebrius esse fingitur, semperque sitiens. Currum habere dicitur vitium pampinis et uvis ornatum, pampineis frenis tigres regens, pro sceptro thyrsum gestans, hoc est hastam frondibus viteis aut hederaceis ornatam, coronam in capite ejusdem materiae, cervinamque pellem ab humeris dependentem: quo ornatu ejus quoque comites Bacchae incedunt. Habet pro magistro et custode Silenum, senem hominem et vinosissimum, qui ejus currum asello sedens sequitur, Satyris comitantibus et subinde labantem sustinentibus. Ipse autem Bacchus perpetua juventa eximiaque pulcritudine florere dicitur, ut est apud *Ov. Met.* 4. *init.*, ubi multa de eo narrantur, variaque ejus cognomina recensentur. V. etiam *Sen. Oed.* a *v.* 403., ubi de ejus laudibus. et *Nemes. ecl.* 3. a *v.* 17. ℙ *Cic. N. D.* 3, 23, quinque Bacchos commemorat, primum e Jove et Proserpina natum: secundum Nilo, qui Nysam dicitur interemisse: tertium Caprio patre, qui in Asia regnasse fertur, cui Sabazia sunt instituta: quartum Jove et Luna, cui sacra Orphica putantur confici: quintum Niso natum et Thyone, a quo Trieterides institutae putantur. Poetae passim per Bacchum intelligunt filium Jovis et Semeles, ut dictum est. Appellatur etiam *Liber*, et *Liber Pater*, *Dionysius*, *Iacchus*, etc., quae V. suis locis. *Macr. Sat.* 1, 18. docet, Bacchum eundem esse atque Apollinem seu Solem: idque multis veterum auctoritatibus confirmat. ℙ Metonymice ponitur pro vitibus. *Virg. G.* 2, 112. apertos Bacchus amat colles, aquilonem et frigora taxi. *Manil.* 5, 238. Et te Bacche tuas nubentem junget ad ulmos. *Lucan.* 9, 433. ora vicina perusti Aetheris exurit messes, et pulvere Bacchum Enecat. ℙ Saepissime pro vino. *Virg. Ecl.* 5, 69. Et multo in primis hilarans convivia Baccho. *Id. G.* 1, 344. Cui tu lacte favos, et miti dilue Baccho. *Hor. Od.* 3, 16, 34. Nec Laestrygonia Bacchus in amphora Languescit mihi. [**Ter. Eun.* 4, 5, 6. Sine Cerere et Baccho friget Venus. Quod in proverbium abiit.] ℙ Est etiam poetarum Deus et fautor. Dicitur enim illis poeticum furorem afflare, quia vini potus hilaritatem inducit, facitque disertos. V. *Hor. Ep.* 2, 2, 78. et *Od.* 2, 19. ℙ Denique Bacchus nomen est piscis cujusdam marini, qui non nisi in alto capitur, ideoque pretium habet. *Plin.* 9, 17, 28. et 32, 11, 53. [**ib.* 32, 7, 25. ubi traditur eundem *myxon* dici.]

*BACCIBALLUM. V. BACIBALLUM.

BACCĬFER, a, um, adj. baccas ferens. *Plin.* 16, 10, 20. Taxus baccifera. *Sen. Oed.* 414. Hedera baccifera. ℙ Item ferax olivae, quae saepe absolute *bacca* dicitur. *Sil.* 3, 596. Bellatrix gens baccifero nutrita Sabino. ℙ Scribitur et *bacifer*. V. BACCA.

BACCĬNĂ, ae, f. herba alio nomine Apollinaris dicta. *Appul. Herb.* 22.

BACCŬLA, ae, f. parva bacca. *Plin.* 25, 8, 54. Ferunt bacculas parvas, ut capparis. *Arnob.* 5. p. 159. Pomis atque aliis bacculis sustentatur. Adde 2. p. 58. et 1. p. 2.

*BACENIS, *Βακέννη* vel *Βακέννης*, silva grandis in Germania. *Caes. B. G.* 6, 10. Hodie est *Hartzwald*, ut nonnullis placet. *B. A.* *Sic *Reichard.* Secundum alios *der Buchoniawald*.

BĂCĔOLUS, stultus, forte a Graeco *βάκηλος*, quod ab *Hesych.* exponitur etiam *ἀνόητος*. Hac voce utebatur Augustus teste *Suet. in ejus Vita*, 87., ubi alii leg. *bateolum*, alii *bacelum*. [*Hoc *bacelum* unice videtur probari debere. Nempe Augustus, quae consuetudo ei erat admodum familiaris, Graeca voce tanquam latina usus est.]

[BĂCĬBALLUM, seu Bacciballum, i, n. vox composita ex *baca* et *βάλλω*, jacio. Dicitur translate de puella amata, quae Gallice *bijoux*, Italice *giojello* dici posset. *Petr. fr. Trag.* 61. *Burm.* Noveratis Melissam Tarentinam, pulcherrimum Baciballum. Ita interpretatur *Franc. Oriolius Opusc. Letter. Bologn.* p. 223., itaque habet *Cod. Trag.* quod perperam alii aliter efferunt. *F.*]

BĂCILLUM, i, n. *ῥάβδος, ῥάβδης, λύγος*, parvus baculus, virga. *Cic. Fin.* 2, 11. Bacillum aliud est inflexum et incurvatum de industria, aliud ita natum. *Juven.* 3, 27. pedibus me Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo. ℙ *Bacilla* saepe dicuntur virgae lictorum. [*Sed non ubivis *bacilla* locum habent de lictorum virgis, sed tantum quatenus insigne erant magistratuum in municipiis, fascium loco. Vid. *Turneb.* ad *Cic. Agr. loco* infra *cit.* Cf. *Id. Att.* 2, 6.] *Cic. Verr.* 2, 5, 54. Sex lictores eum circumsistunt valentissimi, caedunt acerrime virgis: denique proximus lictor, converso bacillo, oculos misero tundere vehementissime coepit. *Id. Agr.* 2, 34. Anteibant lictores non cum bacillis, sed, ut hic praetoribus anteeunt, cum fascibus duobus, *h. e.* non cum solis bacillis sine securibus, sed cum duobus fascibus virgarum, cum quibus secures colligatae erant. ℙ [Apud *Varr. R. R.* 1, 50. bacillum ligneum incurvum, in quo sit extremo serrula ferrea, est idem ac merga, instrumentum scilicet metendis spicis. Hic quaedam editiones habent perperam *batillum*, sed *Schneid.* probavit *bacillum* reponendum. V. MERGAE. *F.*] ℙ *Bacillus, i*, m. gen. legitur apud *Isid. Orig.* 20, 13. A baculo bacillus per diminutionem.

*BACIS, idis, m. vates Boeotus. *Cic. Div.* 1, 18.

BACRĬO, onis, m. genus vasis, [*urceolus.] *Festus:* Bacrionem dicebant genus vasis longioris manubrii: hoc alii trullam appellant. Al. leg. *Baccionem*. Al. *Batrionem*. Videtur autem esse idem, quod in *Gloss.* dicitur *Baccario:* et in *Gloss. Isid.* legitur *Baccarium*. [*In *gloss. gr. lat.* vertitur *ποϱνοδιάϰονος*, i. e. qui aquam meretricibus ministrat.]

BACTRĂ, orum, n. plur. *τὰ Βάϰτϱα*, nunc *Balk*, urbs ad Bactrum fluvium sita sub monte Paramiso, caput regionis Bactrianae. *Curt.* 7, 4. Ipsa Bactra sita sunt sub monte Paramiso. Bactrus amnis praeterit moenia. ℙ Dicitur et *Bactrum* in sing. num. *Plin.* 6, 16, 18. Bactri, quorum oppidum Zariaspe (quod postea Bactrum) a flumine appellatum est. ℙ *Bactrum, i*, fluvius est modo dictus, nunc *Dahas*, ex Tauro monte profluens, Bactra alluens, et in Oxum amnem influens. *Lucan.* 3, 268. *Bactros* dixit Graeca terminatione.

BACTRI, orum, m. plur. Bactrianae regionis incolae. *Plin.* 6, 16, 18. [**Pomp. Mel.* 1, 2.]

BACTRIĀNUS, a, um, adj. ad Bactra, vel Bactros pertinens. *Curt.* 6, 6. Bactriana regio. V. geographos. *Id.* 9, 7. Bactriana arx. *Plin.* 37, 5, 17. Bactriani smaragdi. ℙ *Bactriani, orum*, sunt Bactrianae regionis incolae. *Plin.* 6, 23, 25., *Curt.* 4, 6.

BACTRĪNUS, a, um, adj. Bactrianus. *Appul. Met.* 7. p. 194, 4. Frenum camelo Bactrino sufficiens.

BACTRŌPĔRĪTĂ, ae, m. qui baculum et peram gestat, et dicitur de philosophis Cynicis, qui contemptores saeculi, et omnia pro nihilo ducentes, cellarium secum vehebant, ut loquitur *Hieron. in Matth.* 10. Graeca vox est a *βάϰτϱον*, baculus, et *πήρα*, pera, saccus. ℙ [*Scribitur et *Bactroperata* vel *Bactropereta*, ut mavult *Car. Du Fresne.* Bactroperitarum habitus meminit *Herodian. l.* 1. *Ἀνὴϱ φιλοσόφου φέϱων σχῆμα, βάϰτϱον γὰϱ ἦν μετὰ χεῖϱας, ἡμιγύμνου δὲ ἐϰϰϱεμὴς πήϱα.* Cf. *Martial. epigr.* 4, 53. *Laert.* in *prooem.* et quae de baculo vel clava philosophorum commentati sunt *Savaro* et *Sirmondus* ad *Sidon. ep.* 4, 11. et ad *ep.* 9. *B. A.*]

BACTRUM, BACTRUS. V. BACTRA.

BĂCŬLUS, li, m. et Baculum, li, n. *βαϰτηϱία, βάϰτϱον*, [est a praeter. *βέβαϰα* verbi *βαίνω*, quod ab inusit. *βάω*, eo, vado: nam viatores olim baculo semper sunt usi, praecipue homines agrestes, et pastores, *F.*] scipio, fustis. [*Nota *baculum, scipionem* et *fustem* ita esse diversos, ut fuste ad verberandum inprimis utamur; scipioni et baculo inter eundum et standum innitamur. In scipione ornamentum cernitur, in baculo communis usus spectatur. V. *Doederl. Synon.* III. p. 267.] *Cels.* 8, 20. Habenas ad valida bacula deligare. *Ov. Met.* 15, 655. Baculum agreste. *Sil.* 13, 334. pastorale. *Ov. Fast.* 1, 177. Incumbens baculo, quem dextra gerebat. *Appul. Met.* 7. p. 194, 30. Baculo, quem gerebat, obverberans. *Ov. Met.* 6, 27. Sustinere artus baculo. *Id. ib.* 8, 218. et *ib.* 14, 655. Inniti baculo. [*Utebantur etiam baculis, ut et fustibus, ad spicas excutiendas. *Colum.* 2, 21. — Porro *baculi ilignei* occurrunt apud *Vitr.* 10, 6. ad obfirmandas res, ut baxillorum fere locum sustineant.] ℙ Pro sceptro. *Suet. Ner.* 24. In tragico quodam actu cum elapsum baculum resumpsisset. [*Regis enim partes agebat Nero, ut sceptro ei opus esset. V. *Bremi* ad h. l.] *Flor.* 4, 11. Aureum in manu baculum, ad latus acinaces, purpurea vestis, diadema, etc. Adde 3, 19. ℙ *Pera et baculus* fuere veluti insignia Cynicorum philosophorum. His enim solum instructi divitiarum contemptum prae se ferebant. *Appul. Apol.* p. 288, 6. Hoc Diogeni et Antistheni pera et baculus, quod regibus diadema, etc. *Aus. epigr.* 53. Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex Ista fuit Cynici. *Mart.* 4, 53. V. BACTROPERITA. ℙ Est etiam instrumentum ferreum, quo utuntur tectorii operis artifices, quod Itali vocant *mazzuola*, *mazzapicchio* (*Schlägel*). *Vitr.* 2, 4. Arena fluviatica propter macritatem, uti Signinum, baculorum subactionibus in tectorio recipit soliditatem. *Id.* 7, 3. *a med.* Sed et baculorum subactionibus fundatae soliditates. Alii utrobique leg. *liaculorum*, quod praestat. V. LIACULUM.

*BACUNTIUS, i, m. fluvius in Pannonia, qui haud procul a Sirmio in Savam influit. *Plin.* 3, 25. Hodie vocatur *Bazuncha Lazio*.

[BACURDUS, i, m. Germanorum Deus. *Inscr.* ap. *Grut.* 86, 9. et 10. Bacurdo sacrum. *F.*]

*BADACUM, i, oppidum Norici, *Bidacum* dictum *Anton. Itin.*

*BADANATHA, ae, urbs in Arabia felice. *Plin.* 6, 28, 32.

*BADIA, ae, oppidum in Hispania Baetica, ad Anam amnem. *Val. Max.* 3, 7.

[BĂDIOLUS, a, um, diminut. badii. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 87, 12. Arrius Badiolus. *F.*]

BĂDIUS, a, um, adj. color in equis rubeus cum exuberantia et splendore: qui dicitur etiam phoeniceus et spadix. [*Nobis dicitur, ni fallor, *eine Falbe.*] *Varr.* ap. *Non.* 2, 87. Equi colore dispares ita dati, hic badius, iste gilvus, ille murinus. *Grat. Cyn.* 536. optima nigri Crura illi, badiosque legunt in pectore crines. Adde *Pallad.* 4, 13. [*Cf. *Isid. Orig.* 12. p. 1114, 45.] Porro *bajo* est a *βαΐς*- quae in *Gloss.* est palma, seu palmae ramus, spadix: quae et *βάϊς*, et *βάϊον*. [Vox tamen non Graecae originis est, sed Aegyptiacae: nam apud Aegyptios, ut probat *Jablonsk. Opusc. T.* 1. *p.* 48., *bai* ramum palmae significat. *F.* **Gloss. lat. gr.* badius, *χελιδονιαῖος*.]

BĂDIZO, as, n. *βαδίζω*, Graecum verbum, quod ire, incedere, ambulare significat. *Pl. Asin.* 3, 3, 116. Demam hercle jam de hordeo, tolutim ni badizas. [*Ut nos per jocum: *wenn du dich nicht gleich in Trab versetzest.*] ℙ Scribitur et *badisso*, quemadmodum et *patrisso* pro *patrizo* dicitur, et

atticisso pro *atticizo*; sic *lachanisso*, *sicidisso*, *betisso*, *obrussa*, et alia. Saepe enim Latini, teste *Prisc.* 1. p. 452. Graecum ζ in duos *ss* vertere solent. Quod si *Isidoro* habenda fides est *Orig.* 1, 4., fuit hic scribendi modus apud antiquos usque ad Augusti tempora. Quare utraque scriptio probabilis est, immo vero probabilior quae duplex *ss* adhibet: nam *z* Graeca littera est, non Latina.

*BADUHENNAE LUCUS, in Germania septentrionali fuit, in Frisiis. *Tac. A.* 4, 73. *B. A.*

BAEBĬUS, a, um, adj. ad Baebium pertinens, quod est nomen proprium Romanum. *Baebia lex* de praetoribus, qua jubebatur, ut alternis annis quaterni praetores crearentur, cum sex quotannis creari solerent, denominata est a M. Baebio trib. pleb., qui eam tulit circa A. U. 570. *Liv.* 40, 44. et *Festus* in *Rogat.*

*BAERRO, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

*BAECŬLONENSIS, se, adj. ad Baeculam pertinens, oppidum Hispaniae Tarraconensis: duplex fuit, unum in ora Hispaniae Baeticae, in finibus Oretanorum, de quo *Liv.* 27, 18. et 28, 13.; alterum ad fluvium Iberum, in regione Ausetanorum, cujus meminit *Ptolem.* 2, 6. *Plin.* 3, 3, 4. memorat *Baeculonenses* incolas hujus oppidi. *B. A.*

*BAELON (*Ptolem.*) vel Belon, onis (*Plin* 3, 1.), vel Belo, onis (*Mela* 2, 6. *extr.*), oppidum Hispaniae Baeticae, ad fluvium cognominem. *B. A.*

*BAESIPPO (*Plin.* 3, 1.), vel Besippo (*Mela* 2, 6. *extr.*), oppidum in Hispania Baetica. *B. A.*

*BAETERRA, ae (*Mela* 2, 5. *post init.*), vel Beterrae, arum (*Id. ib. post med. Anton. Itin.* et *Plin.* 14, 6. ed. *Hard.* nam ed. *Elz.* habet *Biterrae*), vel Baeterrae (id quod habet *Plin.* 3, 4. ed. *Hard.*), oppidum Galliae Narbonensis, in regione Tectosagum, hodie *Beziers*. *Βατταῤῥα* est *Steph. Byz. Βατιῤῥα Ptol. B. A.*

BAETĬCĀTUS, a, um, adj. indutus vestibus ex lana provinciae Baeticae. Ibi enim oves lanam ferebant coloris rutili valde grati, et satis se sine alia tinctura commendantis. *Mart.* 1, 97. Et Baeticatus et leucophaeatus.

BAETĬCOLA, lae, comm. gen. accola Baetis fluvii. *Sil.* 1, 146. Baeticolasque viros furiis agitabat iniquis.

BAETĬCUS, a, um, adj. ad Baetim fluvium pertinens. *Baetica provincia*, quae et *Baetica* absolute dicitur, est Hispaniae ulterioris pars ad meridiem versa, ubi urbes celebres Hispalis, Corduba, Gades, Munda, Eliberis, etc., nunc *Andalusia* cum majori parte regni Granatensis. Dicta est a Baeti fluvio, qui eam ab oriente in occasum interfluit. *Plin.* 3, 1, 3. Baetica a flumine eam mediam secante cognominata, etc. V. ibi plura. *Id.* 11, 37, 76. Cuniculorum in Baetica saepe geminae (*fibrae*) reperiuntur. *Tac. H.* 1, 78. Provinciae Baeticae Maurorum civitates dono dedit. ℙ *Baetici*, *orum*, sunt ejus incolae. *Plin. ep.* 1, 7. Excusare Baeticis contra unum hominem advocationem. Et paulo post. Adesse contra Baeticos. ℙ Interdum toto ulterior Hispania, quamvis latius pateat, *Baetica* dicitur. *Plin.* 3, 1, 2. Hispania ulterior appellata, eadem Baetica. ℙ *Baeticae lanae* olim in pretio fuerunt propter colorem nativum rutilum, et nulla alia tinctura adhibita, valde nobilem, ut in BAETICATUS dictum est. *Plin.* 8, 48, 73., *Mart.* 12, 66. et 14, 133. et *Juv.* 12, 40. ℙ Primam syllabam corripit *Seren. Sammonic. cap. ult.* Sal niveum sumes, Beticum quod nomine dicunt; quod et *Auson.* facit in voce BETIS. Sic enim scribendum est, abjecta prima diphthongi littera, ut corripiendi ratio constet; cave tamen imiteris.

BAETĪGĒNĂ, ae, comm. gen. natus circa Baetim fluvium, Baeticola. *Sil.* 9, 234. Baetigenaeque viri.

BAETIS, is, m. nunc *Guadalquivir*, fluvius nobilis Hispaniae olim ab incolis *Circe* dictus, qui oritur in confinio provinciae Tarraconensis, et per ulteriorem Hispaniam fluens in occidentem, nomen dat Baeticae, quam mediam secat, receptisque aliquot aliis fluviis in oceanum immittitur. Celebris est tum multis oppidis, quibus dextra laevaque accolitur, tum lanis nativi coloris rutili, de quibus dictum est in BAETICUS, tum denique copia olearum et vini. *Plin.* 3, 1, 3. *Mart.* 12, 99. Baetis olivifera crinem redimite corona, Aurea qui nitidis vellera tingis aquis. Quem Bromius, quem Pallas amat, etc. ℙ In accusativo *Baetim* Latino et *Baetin* Graeco more habet. *Mart.* 9, 62. Qua dives placidum Corduba Baetin amat. ℙ In ablativo et *Baeti* habet et *Baete*. *Liv.* 28, 22. Marcius superato Baete amni, quem incolae Circen appellant. *Plin. l. c.* Quae regio a Baeti ad fluvium Anam tendit. ℙ *Paul. Nol.* scribit *Betis*, et primam corripit *carm. ad Auson.* 10, 236. Qua Betis Oceanum, Tyrrhenumque auget Iberus. V. BAETICUS.

*BAETON, onis, m. *Βαίτων*, Historicus Graecus, qui vixit temporibus Alexandri Magni, cujus *σταθμοὺς* scripsit. Saepe a vett. laudatur. *Plin.* 5, 17. et 19. et 7, 2. *Solin.* 53, 55. V. *Athen.* 10, 12. *itin. B. A.*

*BAETŬLO, onis, oppidum Hispaniae Tarraconensis, cis Iberum flumen, hodie *Badalona* in Catalonia. *Plin.* 3, 3. *Baetullo* appellatur a *Mela* 2, 6. ℙ Est et nomen fluvii vicini. *Mela ib.* ℙ Scribitur et *Betulo* et *Betullo*. *B. A.*

*BAETURĬA, ae, *Βαιτουρία*, Hispaniae Baeticae tractus, Anam inter et Baetim fluvios. *Liv.* 39, 3. ed. *Drak.* nam in ed. *Gronov.* est *Beturia*. Adde *Plin.* 3, 1. ed. *Hard. B. A.*

[BAETYLUS, i, m. *Βαίτυλος*, ita appellatus est apud orientis populos Deus quidam, qui sub rudis lapidis figura colebatur. Hinc *Hesych. Βαίτυλος, οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς λίθος τῷ Κρόνῳ ἀντὶ Διός.* Hujusmodi numen originem habuisse a lapide prope Bethel a Jacobo in voti memoriam consecrato (ut traditur in *Genes. c.* 28.) probat *Zoega*, *De orig. et usu Obelisc.* p. 201. Hinc *Plin.* 37, 9, 51. Sotacus et alia duo genera facit cerauniae gemmae, nigrae, rubentisque, ac similes eas esse securibus: iis, quae nigrae sunt et rotundae, urbes expugnari et classes, easque betulos (lege baetilos) vocari: quae vero longae sunt, ceraunias. V. ABADIR. *F.*]

*BAGACUM. V. BACACUM.

BAGAUDA et Bacauda, ae, Vox Gallica agrestem et latronem significans. Hujusmodi enim hominum magna manus, ducibus Aeliano Amandoque, temporibus Diocletiani coepit in Gallia rapinis et caedibus grassari, populatisque late agris, plerasque etiam urbes tentare, quos Maximianus magna clade fudit, ut est apud *Aur. Vict. Caes.* 39. et *Eutrop.* 9, 20. [*Salvian. de gubern.* 5. p. 171. *Rittersh.*] ℙ Haec vox ab aliis aliter effertur. Nam et *Baganda* et *Baucauda* et *Bagoda* et *Vocanda* legitur. Sed nihil haec ad Latinam linguam.

BAGAUDĬCUS, a, um, adj. ad Bagaudas pertinens. *Eumen. pro restaur. schol.* 4. Civitas latrocinio Bagaudicae rebellionis obsessa.

BAGENNI (s. Bagienni). V. VAGENNI.

BĂGOUS, i, m. et Bāgōas, a, m. *Βαγῶος* et *Βαγῶας*, vox Persica spadonem significans, ut ait *Plin.* 13, 4, 9. ubi legitur *bagou* in Genitivo retenta Graeca positione *τοῦ Βαγώου*. Erant autem hujusmodi semimares, qui custodes puellis apponnebantur. *Ov. Amor.* 2, 2, 1. Quem penes est dominam servandi cura, Bagoe. *Quint.* 5, 12. Statuarum artifices pictoresque clarissimi nunquam in hunc inciderunt errorem, ut Bagoam aut Megabyzum aliquem in exemplum operis sumerent.

*BAGRADA, ae f. *Βαγράδας*, Africae fluvius, inter Uticam et Carthaginem. *Caes. B. C.* 2, 24. et 26. *Plin.* 3, 4. et 8, 14. *Liv.* 30, 25. *Lucan.* 4, 587. *Gell.* 6, 3. *Sil.* 1, 407. *Val. Max.* 1, 8. *B. A.*

BAHAL. V. BAAL.

BAJAE, arum, f. plur. *Βάϊαι*, oppidum Campaniae, litorale, inter Cumam et Puteolos, cum portu: locus celebris amoeno situ, et aquis calidis tum ad voluptatem, tum ad morbos sanandos accommodatissimis; cui nomen dedisse perhibent Bajum quendam, qui fuit unus ex sociis Ulyssis, ut est apud *Strab. l.* 5. et *Serv.* ad *A.* 3, 441. Itaque magna assiduaque frequentia eo concurrebant ex Romanis lavandi studio, et loci amoenitate, fruendi, ibique parvulis cymbis navigare, convivia et comissationes celebrare solebant: adeo ut paulatim sedes luxuriae et vitiorum diversorium factum sit, ut est apud *Sen. ep.* 51. Hinc *Stat. Silv.* 4, 7, 18. Non tamen portu retinent amoeno Desides Bajae. *Prop.* 1, 11, 27. quamprimum corruptas desere Bajas. ℙ Adjective *Prop. ib.* 30. Ah pereant Bajae, crimen amoris, aquae. ℙ Hinc quibuscumque aliis balneis calidis, et locis amoenis ac voluptariis, item lacubus, quos privatim ditiores in hortis suis habere solebant deliciarum causa, *Bajarum* nomen aliquando datum est. *Cic. Coel.* 16. Cujus in hortos, domum, bajas jure suo libidines omnium commearent. Adde *Tib.* 3, 5, 3.

BAJĀNUS, a, um, adj. ad Bajas pertinens. *Plin.* 2, 103, 106. Bajanus sinus. *Id.* 14, 6, 8. *n.* 1. Bajanus lacus. *Hor. Sat.* 2, 4, 32. Bajanus murex, *h. e.* qui in mari prope Bajas capitur. *Cic. Att.* 14, 8. Bajana negotia. *Mart.* 6, 43. Bajani soles. *Id.* 1, 60. Bajana sportula, *h. e.* quae Bajis datur. *Id.* 13, 82. Concha ebria Lucrino Bajano, *h. e.* ostrea pasta in lacu Lucrino Bajis proximo. Aliquando enim Bajanus et Lucrinus lacus propter vicinitatem commutant nomina. ℙ *Bajanus*, *i*, absolute. *Plin.* 9, 8, 8. Ex bajano Puteolos in ludum litterarium itare, *h. e.* ex Bajano agro. *Id. ib.* 54, 79. Ostrearum vivaria in Bajano, *h. e.* in lacu Bajano, seu Lucrino. [*Varr. R. R.* 3, 17. In Bajano tanta ardebat cura (Lucullus), ut architecto permiserit, ut suam pecuniam consumeret, dummodo perduceret specus e piscinis e mari.]

*BAIOCASSES, um, et Baiocassi, orum (i. q. *Viducasses*, et *Civitas Baiocassium* in *Notit. civit. Gall.*), urbis et populi commune nomen. *Auson.* in *Profess. carm.* 4, (al. 5.) 7. Doctor potentum Rhetorum, Tu Baiocassis stirpe Druidarum satus. Urbis nomen nunc *Bayeux*. *B. A.*

*BAJULATĬO, onis, f. *Gloss. Vet.* Haec bajulatio, *βαστακμός*. *B. A.*

*BAJULĀTOR, oris, m. i. q. bajulus, *βαστακτής*, *ἀχθοφόρος Gloss. Cyrill.* Legitur et apud *Ulp. Dig.* 15, 1. *de Usufruct.* ubi alii *balneatorem*. *B. A.*

BAJŬLĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad bajulandum aptus. *Coel. Aur. Acut.* 1, 11. Ut scilla bajulatoria leniter atque mediocriter moveantur.

BAJŬLO, as, avi, atum, a. 1. *βαστάζω*, fero, porto: et dicitur proprie de iis, qui proprio corpore ferunt. [*Tradunt vett. grammatici, vocem derivandam esse a *Bajis*, qui locus aquarum salubritate valde notus est. Plurimos enim illo loco homines confluxisse volunt, qui aegrotis operam suam commendarent. Rectius *Doederl. Synon.* 1. p. 151. Graecum *βαστάζω* comparat, cui radix BAR subest.] *Pl. Asin.* 3, 3, 70. Ego bajulabo: tu, ut decet dominum, ante me ito inanis. *Quint.* 6, 1. *ad f.* Ego te bajulare non possum. *Phaedr.* 3, 20. Asinus bajulans sarcinas. *Caj. Dig.* 50, 16, 235. Bajulare suo corpore. [*Inprimis de iis qui quaestum inde faciunt.]

[BAJŬLONA, ae, f. *Isid. Orig.* 20, 11. Bajulona est lectus, qui in itinere bajulatur, a bajulando, id est deportando. Alii leg. *bajonula*. *F.*]

BAJŬLUS, i, m. *φορεὺς*, *βαστάζων*, qui corpore portat. *Gell.* 5, 3. Vecturas onerum corpore suo factitavisse: quod genus Graeci *βαστάζοντας* vocant; Latine bajulos appellamus. *Pl. Poen.* 5, 6, 17. Collo rem solvam jam omnibus, quasi bajulus. *Cic. Par.* 3, 2. Utrum bonis est quaerendum, quid bajuli atque operarii, an quid homines doctissimi senserint? ℙ *Festus* docet, *bajulos* dictos esse ab antiquis, quos nunc dicimus *operarios*: unde adhuc *bajulari* dici. Sed haec exemplorum confirmatione indigent. [*Observa *bajulos* et *operarios* conjungi, ut *Cic. Brut.* 73. *Parad.* 3, 2. (V. supra.) et *Or.* 2, 10, 40. *remiges* et *bajuli*, unde, quae *Festus* tradit, haud parum probantur.] ℙ Bajulus est idem ac gerulus, nutricius. *Hieron. ep.* 3. *ad Rufin. n.* 5. Ut iidem nos nutricum sinus, iidem amplexus foverint bajulorum. ℙ *Bajulus* etiam dictus tabellarius, qui litteras ad aliquem defert. *Hieron. ep.* 6. *ad Julian. n.* 1. Objurgatus de silentio litterarum dicam: Saepe scripsi, sed negligentia bajulorum fuit? *Id. ep.* 15. *ad Damas. n.* 5. Et ne forte obscuritas loci, in quo dego, fallat bajulos litterarum, ad Evagrium, quem optime nosti, dignare scripta transmittere. ℙ Aliquando *bajuli* dicti sunt vespillones, *νεκροφόροι*, ut docet *Fulgent. De prisc. serm. n.* 2. Hinc *Sidon. ep.* 3, 12. Ut locum auderent corporum bajuli rastris funebribus impiare. *Amm.* 14, 7. Ejulans bajulorum praecentor. Adde *August. ep. ad Hieron.* 19, 2. ℙ Legitur et *bajolus*.

[BAJUS, i, m. *Serv.* ad *Virg. A.* 3, 441. Haud longe a Bajis, qui locus a socio Ulyssis Bajo, illic sepulto, nomen accepit. *F.*]

*BAL, i. q. Baal. Lingua Punica Bal Deus dicitur, ut ait *Serv.* in *Virg. A.* 1, 733. *Id. Serv.* addit: Apud Assyrios autem Bel dicitur quadam sacrorum ratione Saturnus et Sol. *B. A.*

[BALA, ae, m. Videtur vox Hebraica, nam בִּלְהָה seu בִּלְהָ vocatur ancilla quaedam in *Gen.* 29, 29. Fuit cognomen Romanum gentis Aeliae apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 120., et Alexander I. Syriae rex Balae cognomen habuit, fortasse a matris nomine. *F.*]

BĂLAENĂ, ae, f. *φάλαινα*, piscis seu potius belua marina ingentis magnitudinis, quae pilos in cute habet, et vivum animal, non ova parit, fetusque suos mammis nutrit, ut *Plin.* 9, 8, 7. et *ib.* 13, 15. et 11, 40, 95. tradit. *Juven.* 10, 14. Quanto Delphinis balaena Britannica major. Adde *Pl. Rud.* 2, 6, 61. ℙ De sidere coelesti, V. in CETE.

BĂLAENĀRĬUS, a, um, adj. ex balaena factus. *Petr. Sat.* 21. Quartilla balaenariam tenens virgam, alteque succincta jussit infelicibus dari missionem. Hic *Petron.* meretricem inducit, quae domi suae virgam ex balaenae cartilagine factam manu tenens, et tunica tantum ad poplites usque succincta, more palaestrici doctoris aut lanistae, adolescentibus illactenus Veneris palaestra defatigatis a voluptaria pugna missionem dat. Alii perperam leg. *balaenatam*, vel *balaenatiam*. [*Plurima ex his addidit. *F.*]

*BALAENATUS, a, um, V. v. praec.

*BALANAEA s. Balanea, ae, f. Syriae oppidum in Seleucide. *Plin.* 5, 21.

BĂLĂNĀTUS, a, um, adj. unguento balanino perfusus. *Pers.* 4, 37. cum maxillis balanatum gausape pectas, etc. V. MAXILLA.

BĂLĂNĪNUS, a, um, adj. *βαλάνινος*, qui est ex balano. *Plin.* 13, 1, 2. Balaninum oleum. V. BALANUS.

*BALANISCUS, i, m. *βαλανίσκος*, i. e. balneator. Ita legit *Reines.* ad *Petron. Fragm.* p. 62. et retinet *Nodot.* p. 204. ubi fuit *baliscus*. Cf. *Burm.* p. 188. qui proprium nomen putat. *B. A.*

BĂLĂNĪTES, ae, m. *βαλανίτης*, dicitur lapis seu gemma a figura glandis. Hujusmodi gemmarum duo sunt genera apud *Plin.* 37, 10, 55., nempe

subvirides, et Corinthii aeris similitudine: illae Copto, hae ex Troglodytica venientes, secante medias flammea vena.

BĂLĂNĪTIS, ĭdis, f. balani, seu glandis figuram referens. Hinc *balanitis castanea*, quae rotundior et oblonga est, et glandi similis. *Plin.* 15, 23, 25.

BĂLANS, antis, part. v. *balo;* hinc balans est ovis τὸ βληχητόν; ovium enim est balare. *Virg. G.* 1, 272. Balantumque gregem fluvio mersare salubri. *Id. ib.* 3, 457. ima dolor balantum lapsus ad ossa. *Lucr.* 2, 369. Balantum pecudes. ℙ Adjective *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 21. Balantes hostiae. *Juven.* 13, 233. Pecus balans.

BĂLANTĬUM, ii, n. appellatum est a *Naevio* ipsum: Palatium, hoc est collis Palatinus, quod quidam eum a pecore ovillo dictum putant. *Varr. L. L.* 4, 8. *a med.*

BĂLĂNUS, i, f. [*Etiam masculino genere *Sardianos balanos* dixit *Plin.* 15, 23. V. *Ruddim. Institutt.* I. p. 31.] βάλανος, Graeca vox idem significans, quod *glans* Latine. *Plin.* 16, 6, 8. de quercu: Probatur et ea, cujus in balano, utrinque ex longitudine, extrema lapidescit duritia. *Id.* 17, 20, 34. de aesculo: Nascitur e balano, sed non nisi aesculi. ℙ *Balani* quoque aliquando dicuntur genera quaedam castanearum excellentioris magnitudinis, vulgo *marroni.* V. *Plin.* 15, 23, 25. [*Secundum *Plin.* 13, 4, 9. palmae in Phoenicia et Cilicia *balani* vocantur.] ℙ Idem *Plin.* 26, 8, 34. tribuit chamaecisso *balanum*, quam alias *acinum*, alias *baccam* dixit. ℙ Speciatim *balanus* dicitur, et ejus succus *myrobalanus*, glans cujusdam arboris simile heliotropio folium habentis, et fructum magnitudine nucis avellanae. Est ea plurium generum, ut apud *Plin.* 12, 21, 46. videre est: succumque seu oleum habet grati odoris, quod unguentarii e cortice premunt. Hinc *Hor. Od.* 3, 29, 4. Pressa tuis balanus capillis. [At fallitur *Plinius*, cum *l. c.* affirmat, balanum esse ex arbore foliis heliotropio similibus, ita et sibi minime constat, cum 23, 5, 52. ait, myrobalanum esse fructum ex palma Aegyptia. *Myrobalanus* enim est *Phyllanthus Emblica Linn.*, quaeque nascitur in *Cochinchina. F.* *Alii, ut *Vahl.* volunt esse Hyperantheram semidecandram, *die arabische Behennuss (eine Balsamfrucht)*, quod praeferendum est.] ℙ Medici etiam nucleum tundunt, affusa paulatim aqua calida, et tum eo, tum oleo ex cortice expresso ad varios morbos utuntur. *Plin.* 22, 20, 23. de radice anchusae: Datur et ad renum dolores drachma ejus potui in vino; aut si febris sit, in decocto balani. *Id.* 23, 8, 74. Nuclei nucis pineae bilem pellunt, poti ex balanorum decocto. ℙ Arbor quoque balanum ferens vocatur *balanus* ab eodem *Plin.* 13, 9, 17. ℙ Item *balanus* est medicamentum rotundum et oblongum, glandis figura, quod in anum immittitur alvi subducendae causa [nobis *Seifenzäpfchen.*] *Plin.* 20, 5, 20. Caepae ventrem molliunt, suppositae pro balanis. *Id.* 26, 8, 34. Solvit alvum cyclaminos ex aqua pota, aut balanis subditis. Adde 24, 6, 21. [**Coel. Aur. Acut.* 2, 12.] ℙ Denique *balanus* genus est piscis marini ita dicti, quia querneae glandis figuram refert (*Meereichel*). *Plin.* 32, 11, 53., *Colum.* 8, 16. Ab ichthyographis refertur inter testacea: estque non unius generis. Nam *Metellus* ap. *Macr. Sat.* 2, 9. describens pontificalem coenam enumerat inter alia *patinam ostrearum*, *peloridum*, *balanos nigros*, *balanos albos*, etc. *Pl.* quoque in *Rud.* 2, 1, 8. inter testacea recenset. V. CHAMA.

*BALARI, orum, populi Sardiniae. *Liv.* 41, 6. et 12. *Plin.* 3, 7. *B. A.*

BĂLATRŌNES, um, m. plur. vox incertae significationis. Varie enim a variis explicatur. Illud certum est, dici de vilibus, nugatoriis, nequam, perditis hominibus, quales sunt scurrae, decoctores, parasiti, et hujusmodi popelli faex. *Hor. Sat.* 1, 2, 2. Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne Moestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli. *Vopisc. Carin.* 21. Ne patrimonia sua proscriptis legitimis heredibus, mimis et balatronibus deputarent. *Festus* docet, olim *balatrones* et *blateas* dictas esse bullas luti ex itineribus, aut quod de calceamentorum soleis eraditur. [*Quod jure probat *Heind.* ad *Hor. l. l.*] *Vet. Hor. Schol.* tradit, luxuriosos et perditos homines *balatrones* esse appellatos a Servilio Balatrone, qui luxu perditam vitam duxit (de quo multa *Id. Hor. Sat.* 2, 8.). Sed veri similius est ipsum Servilium ita cognominatum fuisse a luxuria vivendi, non balatronibus nomen dedisse. Idem addit, legi etiam *baratrones*, quod bona sua devorando, quasi in barathrum mittant: item *blaterones* a *blatiendo*, quia hujusmodi homines vaniloqui sunt. Sed profecto *balatrones* et *blaterones* longe diversa nomina sunt. ℙ Usurpat hanc vocem etiam *Varro* pro convicio leniter et jocose mordentis potius quam acerbe pungentis. Ejus verba sunt *R. R.* 2, 5. Cum alius eum salutasset, alius conviciatus esset, qui tam sero venisset ad constitutum, Videbo jam vos, inquit, balatrones, et huc afferam meum corium et flagra.

BĂLĂTUS, us, m. βλήχημα, vox ovium. *Virg. A.* 9, 62. tuti sub matribus agni Balatum exercent. Adde *Ov. Met.* 7, 319. et 320. ℙ Item caprarum. *Plin.* 20, 14, 55. Pulegium gustatum a pecore caprisque, balatum concitat. *Aus. epigr.* 76, 3. Caprigenumque genus . . . balatu assimilas.

BĂLAUSTĪNUS, a, um, adj. V. v. seq.

BĂLAUSTĬUM, ii, n. βαλαύστιον, flos mali Punicae seu granatae. *Plin.* 13, 19, 34. Flos balaustium vocatur, et medicinis idoneus, et tingendis vestibus, quarum color inde nomen accepit. ℙ Quod *Plin.* dixit: *Quarum color inde nomen accepit*, putant quidam Lexicographi, probari posse adjectivum *balaustinus*, *a*, *um*, ut scilicet *color balaustinus* sit. ℙ Graeci scriptores, ut *Hard.* notat, *balaustium* dicunt esse florem mali Punicae silvestris, non domesticae: *Plin.* promiscue et silvestris et domesticae, tum *l. c.*, tum 23, 6, 60. *Colum.* tamen Graecos sequi videtur, *sterile* cognominans 10, 297. Carpite narcissique comas, sterilisque balausti; *balausti* dixit pro *balaustii*, ut *peculi* pro *peculii*, *auxili* pro *auxilii*, etc. per synaeresim. [*V. *Ezech. Spanhem. de usu et praestant. Numism.* 6, 4. p. 315 seqq.] ℙ *Balaustii* mentio fit et a *Scribon. Compos.* 85. et 112.

BALBE, adv. balbutiendo. *Lucr.* 5, 1021. Vocibus et gestu cum balbe significarent. ℙ Translate obscure, involute, implicate. *Varr.* ap. *Non.* 2, 89. Praeterquam duobus in primis scriptum est balbe, spectare velit potius, etc. Sunt qui illud *balbe* omittunt.

[BALBILLUS, a, um, adj. diminutivum balbi. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 32, 6. Ti. Julius Balbillus. Alia ap. *Murat.* 20, 3. Caecilia Balbilla. *F.* **Balbillus* quidam erat praefectus Aegypti imperante Nerone. *Tac. A.* 13, 22. *Senec. N. Q.* 4, 2.]

[BALBINUS, a, um, adj. ab Balbum pertinens. *Inscr.* ap. *Murat.* 1533, 3. M. Cornelio Balbino M. Cornelius Balbus liberto fecit. Alia ap. *Grut.* 322, 8. Albiae C. F. Balbinae. *F.*]

*BALBURA, oppidum Lyciae. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

BALBUS, a, um, adj. ψελλός, blaesus, hoc est qui propter haesitantiam linguae verba profert inarticulata et indistincta; quales sunt qui *r* litteram exprimere non possunt, sed pro ea *l* dicunt. [*Attamen *blaesus* a *balbo* diversus est. Patet id ex *Ulp. Dig.* 21, 1, 10. §. 5. ubi junguntur: Quaesitum est an balbus et blaesus et atypus, isque qui tardius loquitur et varus et vatius sanus sit?] *Cic. Or.* 1, 61. Demosthenes cum ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam litteram non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur. *Hor. Ep.* 2, 1, 126. Os tenerum pueri, balbumque. *Id. Sat.* 2, 3, 274. Balba verba, *h. e.* balbe prolata. [**Tibull.* 2, 5, 94. verba balba dicere.] *Id. Ep.* 1, 20, 18. Balba senectus. *Pers.* 1, 33. Balba de nare loqui, *h, e.* ita vocem per nares loquendo emittere, ut difficiliter sermo intelligatur. [*Quod artificium Romani illo tempore affectabant.] ℙ *Balbus melius balbi verba cognoscit*, proverbium apud *Hieron. ep. ad Domnion.* 50, 4., quod significat, barbare loquentem melius intelligi a barbaro, quam ab ullo alio. ℙ Ex hoc linguae vitio orta sunt Romana cognomina *Balbus*, [**Balbillus.*] *Balbinus*, *Balbilius*, *Balbutius*, etc.

BALBŪTIO, ūtis, ivi, itum, a. 4. ψελλίζω, ambigue pronuncio, inarticulata verba profero: et translate, obscure loquor, aut inepte dissero. [*Proprio sensu de senibus, qui morbi vi ita affecti sunt, ut vocem emittant incertam, apud *Cels.* 5, 26, 31. alii (sc. senes), quamvis mentis suae compotes sunt, balbutiendo vix sensus suos explicant. Sic etiam *Cod.* 15, 6, 22. nec necessaria sunt momenta verborum, quae forte seminecis et balbutiens lingua profudit.] *Cic. Tusc.* 5, 26. *in f.* Academici balbutire desinant aliquando, aperteque, et clara voce audeant dicere, etc. *Id. N. D.* 1, 3. Epicurus balbutiens de natura Deorum. *Id. Acad.* 4, 45. Stoicus perpauca balbutiens. [*In his *Cic.* locis *balbutire* sensu improprio de iis dictum observa, qui iis quae loquuntur obscuritatem afferunt. In ultimo loco attende ad accusat. cum hoc verbo junctum.] *Hor. Sat.* 1, 3, 48. Balbutit Scaurum pravis fultum male talis. ℙ Tribuitur et avibus. *Plin.* 10, 29, 42. Merula canit aestate, hieme balbutit, παταγεῖ, καὶ φθέγγεται θορυβώδες, dixit *Arist. Hist. Anim.* 9, 49.

BALEARES INSULAE et absolute Baleares, ium, f. plur. insulae duae in mari Mediterraneo e regione Hispaniae Tarraconensis, quarum major *Majorca*, minor *Minorca* appellatur: ita dictae vel a Baleo Herculis comite ibi relicto: vel a βάλλω, jacio, quia earum incolae in fundarum usu peritissimi fuisse dicuntur, eaque arte in proeliis formidabiles. [Sed profecto ita appellatae videntur a בַּעַל־יִרָה princeps jaculandi, ut probat *Bochart. Geogr. Sacr.* p. 631. *F.*] Lege *Liv.* 28, 37., *Ep. Liv.* 60., *Flor.* 3, 8. et *Veget.* 1, 16., ubi tradunt in more apud eos fuisse, ut cibum puer a matre non acciperet, nisi quem, ipsa monstrante, lapide funda jacto percussisset. Graeci has insulas Gymnasias, Γυμνησίας, vocaverunt, teste *Plin.* 3, 5, 11., quia incolae nudi aestatis tempore in fundae jactu se exercebant. *Liv.* 28, 37. Baleares insulae. *Plin.* 10, 48, 68. Phalacrocoraces, aves Balearium insularum peculiares. *Id.* 8, 58, 83. Cuniculi scatent in Hispania Balearibusque. ℙ Legitur et *Baliares*, praesertim in MSS. et lapidib. non unis.

*BALCEA, ae, Βαλκεία, Troadis oppidum, in ora Propontidis. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

BALEĀRĬCUS, a, um, adj. ad Baleares insulas pertinens. *Plin.* 3, 5, 10. Balearicum mare. *Id.* 11, 37, 44. Balearica grus. *Id.* 14, 6, 8. *n.* 6. Balearica vina. [**Id.* 18, 7, 12. triticum Balearicum.] *Ov. Met.* 2, 727. Non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum Funda jacit. V. v. praec. ℙ *Balearici*, *orum*, sunt Balearium insularum populi. *Plin.* 8, 55, 81. de cuniculis: Certum est, Balearicos adversus proventum eorum auxilium militare a divo Augusto petiisse. ℙ *Balearicus* cognominatus est Q. Caecilius Metellus ob devictos Baleares populos, bello Balearico, ut *Flor.* 3, 8. narrat, ipso Metello, et T. Quintio Flaminino coss. ann. U. C. 631. Hujus meminit etiam *Cic. Div.* 1, 2. et *Rosc. Am.* 50. ℙ Scribitur et *Baliaricus.*

BALEĀRIS, re, adj. ad Baleares pertinens. *Plin.* 35, 19, 59. Balearis terra. *Virg. G.* 1, 309. Balearis verbera fundae. *Lucan.* 3, 710. excussa Balearis tortor habenae Glande petens. *Sil.* 1, 314. Hic crebram fundit Baleari verbere glandem. *Id.* 7, 279. Telum Baleare. ℙ *Baleares*, *ium*, sunt Balearium insularum populi. His, propter peritiam, utebantur Romani in exercitu pro funditoribus. *Caes. B. G.* 2, 7. Cretas sagittarios et funditores Baleares subsidio oppidanis mittit. Adde *Liv.* 28, 37. ℙ In singulari num. *Sil.* 3, 365. Funda bella ferens Balearis et alite plumbo. ℙ Scribitur et *Baliaris.*

*BALESĬUM, i, oppidum Calabriae, dictum et Valesium. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

BĂLĬNĔAE, arum, f. plur. balnea: et speciatim balnea publica. Nam quia, ut *Varro* docet *L. L.* 8, 41., publica balnea duobus constabant aedificiis conjunctis, in quorum altero viri, in altero mulieres lavabant; ideo *balineas* in plurali dicere consueverunt. Aliquando tamen vitio corruptorum temporum promiscue mulieres cum viris lavasse legimus: quam licentiam multi principes severis legibus coercuerunt. Hadrianus enim lavacra pro sexibus separavit. *Spart. Hadr.* 18. Alex. Severus balnea mixta Romae exhiberi prohibuit, quod quidem jam ante prohibitum, Elagabalus fieri permiserat. *Lampr. Alex. Sev.* 24. *Plin.* 9, 54, 79. Ut qui primus pensiles invenerit balineas. Adde *Pl. Most.* 3, 2, 68., *Rud.* 2, 3, 51. et alibi non semel: quamquam alii ubique *balneae* reponunt. ℙ Dicuntur etiam de balneis privatis. *Plin.* 13, 3, 4. Spargi parietes balinearum unguento. *Id.* 33, 12, 54. Stratas argento mulierum balineas. ℙ Nonnunquam ponuntur pro ipsa lavatione in balineis. *Plin.* 28, 19, 77. Caventur pridianae balineae. *Id.* 20, 14, 57. Cuminum morbo regio in vino albo a balineis datur. Adde 13, 15, 30. et 21, 19, 118. ℙ Sunt qui putant paenultimam producendam esse. Ducunt enim a Graeco βαλανεῖον, quod idem significat. Quae origo si vera est, Latini alteram diphthongi vocalem extriverunt. [*Singularis *balinea* legitur in *Inscr. Reines.* 11, 115.]

BĂLĬNĔĀRĬUS, a, um, adj. ad balineas pertinens, ut *Balinearius lacus* in *Inscr.* ap. *Grut.* 171, 8.

BĂLĬNĔUM, ei, n. βαλανεῖον, idem quod balneum. Habet non semel *Varro L. L.* 8, 41., cui adde *Plin. ep.* 2, 17. Balinei cella frigidaria. [*et 3, 14, 8. ubi cf. *Schaefer.*] *Plin. alter* 7, 53, 54. A balineo reversus. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 9. Gratuita praebita balinea centum septuaginta. [**Pallad. R. R.* 1, 40. balineorum colluvies.] Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 178, 8. et *Cic. Att.* 2, 3., ubi tamen alii leg. *balneum.* [*Cf. de utraque forma *Drak.* ad *Liv.* 23, 18. et *Oud.* ad *Suet. Aug.* 76.] ℙ [Reperitur etiam *balineus* gen. mascul. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* 532. In praediis Aureliae Faustinianae balineus lavat more urbico, et omnis humanitas praestatur. ℙ De quantitate paenultimae V. in BALINEAE. *F.*]

*BALINIENSES, ium, cognominati sunt Trebulani, Latii populi. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

BĂLĬOLUS, i, m. qui colore fusco est. *Pl. Poen.* 5, 5, 22. Non pudet puellam amplexari baliolum in media via? *Plaut.* hoc loco Afrum hominem alloquitur. Afri enim fusci coloris sunt. Est autem *baliolus* a *balius* pro *badius*, ut *Voss.* in *Etym.* docet. Porro badius color licet splendoris aliquid habeat, ad fuscum tamen accedit. [At *Bothe* hic legit *alliolum*, nempe allium olentem, nam idem homo infra *v.* 34. dicitur *plenior allii ulpicique*, *quam Romani remiges. F.*] ℙ Quidam *balium* dicunt esse colorem tritici: qui sane a *badio* non longissime recedit.

[BALIS, idis, f. herba quaedam, de qua *Plin.* 25, 2, 5. Xanthus historiarum scriptor in prima earum tradit, occisum draconis catulum revocatum ad vitam a parente herba, quam balin nominat:

eademque Thysonem, quem draco occiderat, restitutum saluti. *F.*]

BĂLĪTANS, antis, part. frequentat. a *balans*. *Pl. Bacch.* 5, 2, 5. Pastor harum dormit, cum hae eunt sic a pecu balitantes. Plerique alii leg. *palitantes*.

[BALLĀTOR, oris, m. 3. qui ballat, a verbo *βάλλω*, jacio nempe corpus. Sic vero vocati sodales, seu cultores Cybeles, qui etiam *gallantes* appellantur a *Varr.* (V. GALLO) quia Galli sive evirati erant. Hinc *Lampr. Etag.* 7. Jactavit caput inter praecisos fanaticos, et genitalia sibi devinxit, et omnia fecit, quae Galli facere solent. Et *August. Civ. Dei* 7, 24. Itane tympanum, turres, Galli, jactatio insana membrorum vitam cuiquam pollicentur aeternam? Hi etiam fanatici vocabantur. V. FANATICUS. *Inscr.* ap. *Murat.* 185, 4. T. Flavio Citturso (*lege* ex *Margarino*, *Inscr. Basil. S. Pauli* p. 52. *n.* 570. C. F. Turuso) patrono Sodales ballatores Cybelae benemerenti fecerunt. ℙ Legitur etiam in *Not. Tir.* p. 151. Ballat, ballator, ballatrix. *F.*]

[BALLĀTRIX, icis, f. quae ballat. V. BALLĀTOR. *F.*]

*BALLIO, onis, m. prodigiosae nequitiae et perfidiae lenonis nomen in *Pl. Ps.* 1, 2, 59. Dedit loco proverbio, ejusque nomen pro quovis lenone dicitur. *Cic. Rosc. Com.* 7. C. Fannium Chaeream hoc nomine sugillat; et *Phil.* 2, 6. Antonium. *B. A.*

BALLISTĂ et Balista, ae, f. *πετροβόλος, λιθοβόλος, ἀφετήριον ὄργανον*, militaris machina, qua ingentia saxa mirabili impetu torquentur: a *βάλλω*, jacio. *Cic. Tusc.* 2, 24. Ballistae lapidum, et reliqua tormenta telorum, eo graviores emissiones habent, quo sunt contenta atque adducta vehementius. *Sil.* 1, 334. adductis stridula nervis Phocais effundit vastos ballista molares. *Tac. H.* 4, 23. Excussa ballistis saxa. *Lucil.* apud *Non.* 18, 22. Ballistae centenariae. *Sisen. ib.* talentariae. ℙ Differt a *catapulta*, qua tela et grandiores sagittae jaciuntur. *Tac. A.* 12, 56. Catapultas ballistasque tendere. *Gell.* 6, 3. Ballistis atque catapultis oppugnare. *Vitr.* quoque hanc differentiam agnoscit describens 10, 15. catapultas, quibus sagittae, et *ib.* 16. ballistas, quibus saxa emittuntur. Nihilominus non raro promiscue usurpantur, *ballista* quae sagittas et alia id genus tela majora, *catapulta* quae saxa. *Caes. B. C.* 2, 2. Asseres cuspidibus praefixi, atque hi maximis ballistis missi. *Id. ib.* 9. Ne saxa ex catapultis latericium discuterent. *Lucan.* 3, 464. Lancea tenso ballistae turbine rapta. [*Adde *ib.* 2, 186.] *Sidon. carm.* 22, 123. stridentes torquet catapulta molares. ℙ Plura de ballistis V. apud *Ammian.* 23, 4., ubi totam machinam diligenter describit, *Vitr. l. c.*, *Lips. Poliorc. l.* 3. *dial.* 2. *et* 3. et *Stewech. in comment. ad Veget.* 4, 22., ubi etiam figuras exhibent. ℙ Videtur aliquando *ballista* sumi pro ipso telo, quod ballista jacitur. *Pl. Trin.* 3, 2, 42. Ita est amor: ballista ut jacitur; nihil sic celere est, neque volat. ℙ Translate. *Pl. Poen.* 1, 1, 73. Cui jam infortunii intenta ballista est probe, [*i. e. in quem jam omnia mala irruunt.] *Id. Bacch.* 4, 4, 58. De ducentis nummis primum intendam ballistam in senem. ℙ Scribitur et *balista* unico *l*, ut dictum est: sed duplici *ll* tutior scriptio est. ℙ Legitur et *ballistra* in *Vet. Gloss.*, quam scriptionem *Lips. cit. dial.* 3. prae aliis probare videtur: tametsi consuetudo *r* extrivit.

BALLISTĀRĬUM et Balistarium, ii, n. locus in quo ballistae servantur. *Pl. Poen.* 1, 1, 73. Cui jam infortunii intenta ballista est probe, quam ego haud multo post mittam e ballistario. *Lips. Poliorc. l.* 3. *dial.* 2. legit *ballisterium*, et interpretatur ipsam machinam: *ballistam* autem *intentam* id quod emittitur.

BALLISTĀRĬUS et Balistarius, ii, m. *Veget. Milit.* 2, 2. recenset ballistarios cum ferentariis, sagittariis, funditoribus, qui omnes sunt levis armaturae milites. Fuere autem ii, qui minoribus ballistis missilia jaciebant: quos *Id.* 4, 21. *manuballistarios* vel *arcuballistarios* appellat. *Ammian.* 16, 2. Et ne qua interveniret mora, adhibitis cataphractariis solis et ballistariis, Autosidorum pervenit. *In Gloss.* legitur *Ballistrarii*, *ὀφενδονῆται*. ℙ Sunt praeterea *ballistarii* artifices, qui ballistas faciunt. *Tarrunt. Patern. Dig.* 50, 6, 6. Naupegi, ballistarii, specularii, fabri etc., [*ubi inter eos nominantur quibus ob munus vacatio est tribuenda.] *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 10. *n.* 6. Collegium Balistariorum et Ferrariorum.

BALLISTĒA, orum, n. plur. saltationes vel potius carmina in saltationibus canenda. Vox est origine Graeca: a *βαλλίζω*, salto, quod a *βάλλω*, jacio, jacto. Nam saltantes *τὰς χεῖρας βαλλίζουσι*, manus jactant. *Vop. Aurel.* 6. Adeo ut etiam ballistea pueri, et saltatiunculas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus festis militariter saltitarent: Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollavimus etc. ℙ Legitur et *balistea* unico *l*.

[BALLO, as, n. 1. *βάλλω*. V. BALLĀTOR. *August. serm.* 215. Davidico more ballare et saltare paganorum observatione. *F.*]

BALLONOTI, orum, m. plur. pop. Scythiae, apud *Val. Fl.* 6, 160.

BALLŌTE, es, f. *βαλλώνη*, herba fruticosa, angulosis caulibus nigris, hirsutis foliis vestientibus, majoribus quam porri et nigrioribus, graveolentibus. Vis ejus efficax adversus canis morsus, ad condylomata etc. Alio nomine porrum nigrum et marrubium nigrum dicitur. *Plin.* 27, 8, 30. [*nobis *der schwarze Andorn*, Ballata nigra *L.* Alii pro striato Lamio habent (*Taubenessel*). *Billerb. Flor. Class.* p. 152.]

BALLŪCA et Baluca, ae, f. *χρύσαμμος*, arena aurosa, seu minuta auri ramenta terrae mixta, et nondum excocta. Videtur esse Hispanica vox. *Impp. Valentin. et Valens Cod.* 11, 6, 1. Octonos scrupulos in balluca, quae Graece *χρύσαμμος* appellatur, exsolvere. Adde *ib.* 2. Quae referuntur etiam *Cod. Theod.* 10, 19, 3. et 4. [**Veget. R. R.* 1, 20. ballucae siliqua. Quod quid sit, haud facile dicas. *Dufresnius* interpretatur arenam aurosam; sed quo sensu *siliqua* additum?] ℙ Dicitur haec eadem *balux* vel *ballux*, *ucis*, f. *Plin.* 33, 4, 21. Palacras Hispani, alii palacranas: iidem quod minutum est balucem vocant. *Mart.* 12, 57. Illinc balucis malleator Hispanae. *Just.* 44, 1. de Hispania: Amnes plerique etiam divites auro, quod in balucibus vehunt. Ita *Turneb.* in loco *Mart.* legendum putat *l.* 30. *Advers. c.* 26. et *Salm. in Ex. Plin.* in loco *Justini*. Nam passim in editis habetur *paludis* et *paludibus*. Et quod pertinet ad *Mart.*, quidam eum loqui putant de lino et saetabo, quod in paludosis Hispaniae locis seritur, et maceratum siccatumque fuste in saxo confringitur. Locus *Martialis* integer est: Illinc paludis malleator Hispanae Tritum nitenti fuste verberat saxum. Magis tamen placet prior lectio: nam malleator ad metalla et monetam refertur in *Inscr.* ap. *Grut.* 1070, 1. neque ad lini artifices apte referri potest.

BALNĔAE, arum, f. plur. *βαλανεῖον*, balnea praecipue quae publice exhibentur lavaturis, quaestus gratia: per syncopen dictae pro *balineae*, ut et *balneum* pro *balineum*. Ideo autem dicuntur de publicis, quia ejusmodi aedificia ad lavandum destinata duobus membris constare solebant, ut possent mulieres a viris sejunctae lavare: quod et in BALINEAE ex *Varr.* adnotavimus. [*Vid. *Ruddim. Instit.* p. 110.] *Cic. Coel.* 25. Constitutum factum esse cum servis, ut venirent ad balneas Senias. Et *ib.* 26. Cur enim balneas publicas potissimum constituerat? *Id. Rosc. Am.* 7. Occiditur ad balneas Palatinas rediens a coena Sex. Roscius. ℙ In singulari numero. *Insc.* ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 115. L. Paullus L. L. Auctus a balnea custos H. S. E. L. Paullo Melampo mulio, *balnea* hic privatum balneum significat.

BALNĔĀRIS, re, adj. ad balneas pertinens. *Paul. Dig.* 34, 2, 33. Balneare argentum, *h. e.* vasa et supellex argentea, qua in balneis utebantur. *Lampr. Alex. Sev.* 42. Balnearis vestis, *h. e.* tunica, vel alia quaepiam, qua a balneo exire solebant sine toga. *Spart. Hadr.* 17. Balnearis jocus. ℙ *Balnearia*, *ium*, absolute *Appul. Met.* 3. p. 134, 36. Milo, jussis balnearibus adsequi, producit me ad lavacrum proximum, *h. e.* balnearum instrumentis, nempe ampullis, oleo, strigilibus, linteis etc.

BALNĔĀRĬUS, a, um, adj. idem quod balnearis. *Cat.* 33, 1. O furum optime balneariorum, *h. e.* qui ad balneas stabant, et lavantium vestes depositas subripiebant, de quibus est titulus 17. *De furibus balneariis* inscriptus, *DD. l.* 47. *Paul. ib.* 3. [*Iidem *fures balnearum* dicuntur apud *Tert. Apol.* 44. et *de fuga in persequut.* 13.] In furto balneario deprehensus. *Mart. Dig.* 33, 7, 17. Instrumentum balnearium. ℙ *Balnearia*, *orum*, absolute sunt locus balneis destinatus, atque adeo ipsum balneum. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. Nihil ei restabat praeter balnearia et ambulationem et aviarium. Et *paulo post.* In balnearii assa in alterum apodyterii angulum promovi. [**Id. Att.* 13, 29.] *Sen. Qu. nat.* 4, 9. Minora balnearia et minora miliaria citius calefiunt. Adde *Eund. Tranqu.* 9. et *Colum.* 1, 6. [*balnearia (sc. cubicula) occidenti aestivo advertantur, ut sint post meridiem et usque in vesperum illustria.]

BALNĔĀTĬCUM, ci, n. *τὸ βαλανικόν*, pretium, quo pro lavatione in balneis meritoriis solvitur. Usus est *Vet. Schol. Juven.* ad 2, 152., sed parvam admodum eamque valde incertam auctoritatem habet. [*V. *Cramer.* ad h. l. — *Vet. gloss.* Balneaticum, *βαλανικόν*. *B. A.*]

BALNĔĀTOR, oris, m. *βαλανεύς*, *βαλανείτης*, qui balnei curam habet, ejusque usum praebet advenientibus. [*Vox *balneatoris* duplicem habet potestatem, primum ut ponatur de eo qui balnea praebet (*der Bademeister*, *Herr des Bades*). Atque in hunc sensum adhibetur loco *Cic.* proxime allato. Apparet haec significatio ex *Ulp. Dig.* 3, 2, 4. §. 2. sive balneator fuerit, velut in quibusdam provinciis fit, in balneis ad custodienda vestimenta conducta habent mancipia, hoc genus observantia in officina. *Alfen. Dig.* 19, 2, 30. §. 1. respondit posse agi cum balneatore ex conducto, ut pro portione temporis, quo lavationem non praestitisset, pecuniae contributio fieret. Deinde ponitur de servo qui balnei usibus deservit. *Mart. Dig.* 33, 7, 17. §. 2. dictum est balneatorem instrumento contineri balneario — cum balneae sine balneatoribus usum suum praebere non possint.] *Cic. Coel.* 26. Nisi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori. [**Id. Verr.* 13, 12. Visejus nescio qui, fortis ut aiunt latro, quem tamen temperantem fuisse ferunt Pisauri balneatorem. Ad h. l. *Manutius* haec observat: Aquam temperant balneatores. Balneator autem fuerat Visejus, quem quum latronem Cicero appellasset, quasi probrum emendare cupiens subjunxit: *quem tamen temperantem*, ut laudem *temperantiae* in eum conferre videatur, quum ignobilitatem vitaeque sordes objiciat.] *Inscr.* apud *Fabrett. c.* 2. *n.* 67. Faber balneator. ℙ Potest etiam *balneator* feminino genere efferri, si vera est *Servii* doctrina. Is enim ad *A.* 12, 159. docet, nomina in *tor*, si a verbo descendant, habere femininum in *trix*, ut *lector lectrix*, *doctor doctrix*: si a verbo non descendant, utroque genere usurpari posse, ut *hic*, *et haec senator*, *hic*, *et haec balneator*. Fatetur tamen *balneatrix* usurpari a *Petron.*

BALNĔĀTORĬUS, a, um, adj. balnearius. *Mart. Dig.* 33, 7, 17. Instrumento balneatorio legato, dictum est, balneatorem sic instrumento contineri balneario etc. Ita legitur apud *Torrent.* At *Halo-ander* utrobique habet balneario.

BALNĔĀTRIX, icis, f. quae balneas curat. Usus est hac voce *Petron.* teste *Serv.* ad *A.* 12, 159. V. BALNEATOR.

BALNĔŎLAE, arum, f. plur. parvae balneae. *Cic.* in *Hortens.* ap. *Non.* 3, 24. Primus balneolas suspendit, inclusit pisces, [*accipe de balneis pensilibus, de quibus cf. *Plin.* 9, 54, 79.] Al. leg. *balneola*. *August. contr. Acad.* 3, 4. Certe vel istae balneolae aliquam decoris gymnasiorum faciunt recordationem.

BALNĔŎLUM, li, n. parvum balneum. *Sen. ep.* 86. Balneolum angustum, tenebricosum, ex consuetudine antiqua. *Juven.* 7, 4. Balneolum Gabiis, Romae conducere furnos. V. v. praec.

BALNĔUM, i, n. *βαλανεῖον*, locus, in quo sanitatis, aut voluptatis causa, simul ut abstergerent sordes, corpora lavare veteres consueverunt: per syncopen dictum pro *balineum*. Hujus aedificii plures erant cellae: *frigidaria*, *tepidaria* et *caldaria* ad lavandum: aqua ita disposita, ut ex frigidaria in tepidariam influeret, ubi modico igne calefiebat: inde majore addito calore in caldariam: item *assa cella*, vehementius calefacta, sed sine aqua ad sudandum: *apodyterium*, ubi vestes deponebant: *unctuarium* seu *unctorium*, ubi ungebantur: praeterea *sphaeristerium*, ubi pilae lusu se exercebant etc. Quae omnia V. suis locis. In cellis ad lavandum destinatis erant vel *labra* aquam continentia, vel *alvei* in quos per gradus descendebatur: ibique solium erat sedendi causa. [**Colum.* 1, 6. balnea rustica jungantur fumariis. — De balnei aedificandi ratione vide *Pall. R. R.* 1, 40.] Plura de balneis V. apud *Mercur. De art. gymn. l.* 1. *c.* 10., *Ferrar. in Dissert. de baln.*, *Pitisc. in Lex. Antiqu.*, *Vitr.* 5, 10. et alios. *Cic. Att.* 13, 52. Caesar ambulavit in litore: post horam octavam in balneum. *Varr. L. L.* 7, 25. docet *balneum* ex consuetudine carere plurali numero. Solum enim *balneas* dicimus ad significandas publicas lavationes, ut supra in BALNEAE dictum est. *Balneum* autem privatam lavationem notat. Verum hanc consuetudinem poetae non servant, apud quos *balnea* et de publicis et de privatis usurpantur. *Mart.* 12, 50. Daphnonas, platanos ac aerias cyparissos, Et non unius balnea solus habes. Adde 9, 20. ℙ *Servus a balneis* fuit inter officia domus Augustae. *Inscr.* ap. *Spon. Misc.* p. 213. ℙ Differunt *balnea* a *thermis*. Nam *thermae* sunt loca aquis sponte calentibus instructa, ut in Aponi fonte et in Bajis; vel etiam subjecto igne calefacta ad lavandum et sudandum: a *θερμός*, calidus: in *balneis* autem sunt etiam frigidariae cellae, quae *thermarum* nomine venire non possunt. Praeterea *balnea* et publica et privata sunt: *thermae* non nisi publicae. Interdum tamen promiscue usurpantur. V. THERMAE. ℙ Aliquando *balneum* pro cella frigidaria et *thermae* pro caldaria unius ejusdemque balnei sumitur. Lege *Mart.* 9, 76. de balneo Tuccae: ubi hac ratione usurpari videntur. ℙ *Balneum Venerium*. V. VENEREUS *sub f.*

BĂLO, as, avi, atum, n. 1. *βληχάομαι*, verbum exprimens vocem ovium: pro quo et *Belo* dicitur (minus tamen frequenter), quod ad eam vocem propius accedit. Oves enim clamando *bee* dicunt. *Pl. Bacch.* 5, 2, 19. Oves aetate credo esse mutas: ne balant quidem, cum a pecu cetero absunt. *Ov. Fast.* 4, 740. Tactaque fumanti sulphure balet ovis. *Quint.* 1, 5. *in f.* Jam ne *balare* quidem aut *hinnire* fortiter diceremus, nisi judicio vetustatis niterentur. ℙ De altero *belo*, *as*, *Varr. R. R.*

2, 1. Oves enim sua voce appellarunt *μῆλα*. Nec multo secus nostri ab eadem voce, sed alia littera (vox earum non *me*, sed *bee* sonare videtur) ovis belare vocem efferentes dicunt, extrita littera, uti in multis. [Ita hunc locum refinxit *Pontedera Oper. post. T.* 1. p. 219. probante *Schneid.*, cum antea in editionibus aliter legeretur. *F.* **Scil. Forc.* ita h. l. exhibuerat: Vox earum non *me*, sed *bee* sonare videtur. Oves beelare, vocem efferentes: a quo belare dicunt, extrita littera.] ℙ *Balantes* sunt ipsae oves. V. BALANS. ℙ Translate *balare* dicitur, qui absurda dicit, et more pecudis stulte loquitur. *Arnob.* 3. p. 122. Si novenarius numerus cognomen Novensilium ducit, Cornificius balare convincitur etc. Al. rectius leg. *labare*. Huc referri potest illud *Varr. R. R.* 2, 3. Quoniam satis balasti, inquit, o Faustule noster, accipe a me de capellis, et quemadmodum oporteat breviter dicere, disce. Festive *Varro* et locutum illum esse de ovibus indicat, et nimis multa dixisse, et quasi blaterasse, lepide arguit.

*BALSA, ae, oppidum Lusitaniae, in eo spatio inter Oceanum et Anam amnem, quod *Cuneus* a figura dicebatur. *Mela* 3, 1. *Plin.* 4, 22. Hodie est *Tavira*. *B. A.* Hinc Balsenses, ium, incolae Balsae oppidi. *Plin. ib.*

BALSAMĔUS, a, um, adj. balsaminus. *Auct. carm. de Phoenice* 118. Unguine balsameo myrrhaque et ture soluto, Condit et in formam conglobat ore pio.

BALSAMĪNUS, a, um, adj. *βαλσάμινος*, balsamo constans. *Plin.* 23, 4, 47. Balsaminum (*subaudi* oleum) longe pretiosissimum omnium, contra omnes serpentes efficax.

BALSAMODES Casia, *βαλσαμώδης κασία*, est quaedam casiae species, ab odore balsami ita appellata, amara gustu, atque utilis in medicinis. *Plin.* 12, 19, 43.

BALSĂMUM, i, n. *βάλσαμον*. [Est vox Hebraica, composita ex בַּעַל princeps, et שֶׁמֶן oleum, Amyris opobalsamum *Linn. F.*] Succus cujusdam arbusculae, quae in Judaea solum nascitur, viti similior, quam myrto, cujus tria genera: alterum tenui et capillacea coma, quod vocant *eutheriston:* alterum scabro aspectu, incurvum, fruticosum, odoratius, quod *trachy* appellant: tertium quod dicunt *eumeces*, reliquis procerius, laevi cortice. Semen fert vino proximum gustu, colore rufum, nec sine pingui. Ramum crassiorem habet, quam myrtus. Folium proximum rutae, perpetua coma. Malleolis seri dicitur, et implet colles vinearum modo: tondeturque similiter fruticans ac rastris nitescit. Ex ejus cortice ita leviter inciso, nihil ut ultra eum laedatur, (aliter enim emoritur) succus manat, quem *opobalsamum* vocant, suavitatis eximiae, principatum inter unguenta obtinens, multi quoque usus in medicina. Fit autem incisio vel vitro, vel lapide, vel osseis cultellis, quoniam ferro laedi vitalia odit. Ipsa quoque sarmenta in merce sunt: coquuntur enim in unguentis, vocaturque *xylobalsamum*, qui inde exprimitur liquor. Praecipua autem gratia lacrymae (*opobalsamo*), secunda semini (*carpobalsamo*), tertia cortici, minima ligno (*xylobalsamo*). Haec ex *Plin.* 12, 25, 54. et *Solin.* 35., apud quos plura de re hac tota videsis. V. et *Theophr. Hist. plant.* 9, 6. et *Dioscor.* 1, 18. ℙ Fere autem hac voce ipse succus significatur. *Plin.* 13, 1, 2. Unguentum appellatum megalium ex oleo balanino, balsamo, calamo, junco, xylobalsamo, casia, resina. *Mart.* 3, 63. Balsama qui semper, cinnama semper olet. Adde *Justin.* 36, 3. ℙ Sed et ipsa arbor *balsamum* dicitur. *Tac. H.* 5, 6. Balsamum modica arbor: ut quisque ramus intumuit, si ferri vim adhibeas, pavent venae etc. Adde *Serv.* ad illud *Virg. G.* 2, 119. Quid tibi odorato referam sudantia ligno Balsamaque etc. Ubi tamen *Virg.* succum intelligit, non arborem. ℙ *Oleum balsamum* dixit *Appul.* quasi vox adjectiva sit, *Met.* 10. De stanneo vasculo multo sese perungit oleo balsamo.

*BALSĬO, onis, oppidum in Hispania Tarraconensi. *Anton. Itin. B. A.*

BALTĔĀRĬUS, ii, m. qui balteos facit. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 8. *n.* 69. M. Critonius M. F. Apollonius miles ex armamentario Augustorum balteārius fecit sibi et suis liberis. *Spon. Misc. antiqu.* p. 253. intelligit eum, qui in armamentario Augustorum balteis curandis praeerat, sive iis conservandis, sive subministrandis, sive resarciendis vel ornandis incumberet. Sic *cassidarius ex armamentario Caesaris Domitiani*, qui eandem curam circa cassides gerebat, ut docet alia *Inscr.* ap. eund. *Spon.* p. 254.

BALTĔĀTUS, a, um, adj. cinctus. *Capell.* 5. *init.* Pectus exquisitissimis gemmarum coloribus balteatum. Al. legunt *subbalteatum:* quod idem est.

BALTĔŎLUS, li, m. parvus balteus. *Capitol. Maxim.* 2. Propositis praemiis argenteis, i. e. armillis, torquibus et balteolis.

BALTĔUS, i, m. et Balteum, i, n. *ζωστὴρ*, [etymon fortasse est a *βάλλω*, injicio, cujus praeterit. pass. inusit. *βέβλται F.*] cingulum militare, quod aliquando ab humero dextro sub sinistrum brachium descendens, transversum pectus cingit, saepius tamen medium hominem ambit zonae modo; e corio plerumque factum, et bullis aereis argenteisve, aut auratis distinctum, a quo arma dependent. *Varr.* ap. *Char.* 1. p. 59. tradit, esse Tuscum vocabulum: at *L. L.* 4, 24. docet ex eo dici, quod bullatum est. Ejus verba sunt: Quod cingulum e corio habebant bullatum, balteum dictum. *Accius* ap. *Non.* 3, 25. Manuleos, baltea, machaeras. *Virg. A.* 5, 313. Alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis Threiciis, lato quam circumplectitur auro Balteus, et tereti subnectit fibula gemma. *Id. ib.* 12, 941. infelix humero cum apparuit alto Balteus et notis fulserunt cingula bullis. *Id. ib.* 273. teritur qua sutilis alvo Balteus, et laterum juncturas fibula mordet. *Val. Fl.* 5, 579. quem balteus asper Subligat. [**Caes. B. G.* 5, 44. transfigitur scutum Pulfioni et verutum in balteo defigitur.] ℙ Dicitur etiam de quovis cingulo, [*de poetis tantum, opinor, hoc valet.] *Lucan.* 2, 361. de Marcia Catonis uxore: Balteus haud fluxos gemmis astrinxit amictus, Colla monile decens. Adde *Mart.* 14, 207., ubi de Veneris cesto usurpat. ℙ *Claud. epigr.* 21. et *Appul. Met.* 10. balteum dixere zonam, qua ephippia equorum dorso adstringuntur: vel potius lorum pectorale, quod bullis ornari solet, [*quae alias *cingula* dici solet, nobis *der Gurt- oder Bauchriemen.*] ℙ Translate *Juven.* 9, 111. quod enim dubitant componere crimen In dominos? quoties rumoribus ulciscuntur Baltea? *h. e.* verbera loreis cingulis seu generatim loris inflicta. ℙ Pro Zodiaco. *Manil.* 1, 677. Sed nitet ingenti stellatus balteus orbe. Adde 3, 361. ℙ Est etiam *balteus* in opere pistorio, et est id quo cingitur placenta, seu est ipsum illius solum replicatum. *Cat. R. R.* 76. de placenta facienda: Indito mellis boni P. IV. 5., id una bene commisceto cum caseo. Postea in tabula pura balteum ponito, folia laurea uncta supponito, placentam fingito. Adde *ib.* 78. ℙ *Plin.* 16, 37, 68. de salicibus: In proceritatem magnam emittunt: jugis vinearum perticas, pariuntque balteo corticis vincula, *h. e.* cortice in baltei modum secto in longas taenias et vinculorum usum praebente. ℙ Apud *Vitr.* 3, 3. *baltei bulvinorum* in capitulo Ionico sunt veluti funes aut cingula, quibus volutarum pulvini terminantur et veluti ligantur, [*nobis *Polstergurt.*] ℙ A *Tert. Spect.* 3. dicuntur *baltei* in theatris, quas *praecinctiones* appellat *Vitr.* 5, 3., et Graeco vocabulo *diazomata*, *ib.* 7., nempe quasi transversa cingula erantque latiores areolae cum altiore gradu totum amphitheatrum ambientes, quibus aliquot graduum ordines ab aliis separabantur. V. plura apud *Lips. de Amphith. c.* 13., ubi et figuram exhibet. Quod vero *Tert. l. c. cardines balteorum* dixit, videtur intelligere ipsarum praecinctionum fores, per quas in ipsos balteos spectaturi ingrediebantur. De hoc theatri balteo est etiam locus *Calpurn. Ecl.* 7, 47. quem V. Consule etiam *Maff. Ver. illustrat. l.* 2. *c.* 8. §. 4. ℙ In singulari numero fere est generis masculini, in plurali vero communis. Nam praeter *Vitr. l. c.* etiam *Tac. H.* 1, 57. et *Plin.* 33, 12, 54. *balteos* dixere. Quod vero discrimen tradit *Plin.* apud *Charis. l. c.* inter *balteus* et *balteum*, ut ille vinculum significet, hoc lora ad ligandum, subtilius profecto est quam verius, ut et *Voss.* censet *l.* 3. *Gramm. c.* 36. ℙ Legitur et *baltheus* addita aspiratione, sed rectius puto sine ea, cum Latina vox sit, vel saltem longissima consuetudine Latina facta. Sic optime scribitur *silva*, *stilus*, *caritas* Latinis litteris, licet, si earum originem spectes, *stylus*, *sylva*, *charitas* scribendum sit. Voces enim externae si Latine diu usurpentur, Latino etiam more scribi plerumque solent. [Adde, si etymon jam supra allatum admiseris, nullum esse aspirationi locum. *F.*]

*BALTIA, ae, aliud nomen Scandinaviae, quae et *Basilia* audiebat, nisi alterum ex altero corruptum est. In ea immensae magnitudinis peninsula hodie universa Suedia, Norwegia, Lapponia, Finnmarchia continentur. *Plin.* 4, 13. Xenophon Lampsacenus, a littore Scytharum tridui navigatione, insulam esse immensae magnitudinis, Baltiam tradit. Eamdem Pytheas Basiliam nominat. ℙ Notandum est, Pytheam apud *eund.* 37, 2. insulam eam Abalum dixisse, quam Timaeus Basiliam. *B. A.*

BALUX. V. BALLUCA.

BAMBALĬO, onis, m. vocabulum est ignominiosae appellationis usurpatum a *Cic. Phil.* 3, 6. Tuae conjugis Bambalio quidam pater, homo nullo numero: nihil illo contemptius, qui propter haesitantiam linguae, stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxerit. [Hic vero *Cic.* loquitur de M. Fulvio Bambalione Fulviae M. Antonii uxoris patre, de quo plura *Garat.* in adnot. ad h. l. *F.*] Est autem *bambalio* a Graeco *βαμβάλειν* aut *βαμβαλίζειν*, quae apud *Hesych.* significant tremere labiis aut dentibus; quod facere videntur ii, qui ore tumultuantur, balbutiunt, et haesitantes loquuntur. Illud etiam huc pertinere potest, quod in eodem *Hesych.* legitur, *βάμβαλον* apud Phryges significare *τὸ αἰδοῖον*.

BAMBĂTAE. Apud *Colum.* ita in libris paucis legitur 12, 34. quod *de aceto scyllitico* inscribitur. *Qui scylliticum acetum facere volunt, decem bambatae in tres amphoras musti mitis* etc., sed locus plane corruptus est, et vox *bambatae* monstro similis. Emendandus itaque, et assumptis aliquot verbis (quae perperam divulsa sunt), ex fine capitis praecedentis, legendum. *Alii hoc ipsum scyllae pondus, quod supra dixi, in aceti duas urnas adjiciunt, et per XL. dies inesse patiuntur, qui scylliticum acetum facere volunt.*

De Embammate. Cap. 34.

In tres amphoras musti mittis aceti acris congium. etc. Ita recte praeter alios *Hieron. Mercur. var. lect.* 1, 14., quidquid ingeniose magis, quam vere, ut *bambatae* vocem defenderet, commentus sit *Turn. Advers.* 17, 13. Vide *Jo. Bapt. Morgagni epist. in Auct. R. R.* 4. §. 1., ubi rem totam luculenter exsequitur. [Idem probat *Pontedera Op. post. T.* 2. p. 251. *F.*]

*BAMBOTUS vel Bambotum, Africae flumen, in Mauritania vel Libya. *Plin.* 5, 1. *B. A.*

BAMBYCĬUS, a, um, adj. ad Bambycen, *Βαμβύκην*, pertinens, quae est urbs Coelesyriae, eadem atque Hierapolis, ubi Dea Atargatis colebatur, ut *Plin.* 5, 23, 19. docet. Hinc *Bambycii* dicuntur ab *Av. Arat.* 542. et 646. Pisces, signum coeleste, quod Atargatim (quae eadem ac Venus esse creditur) servaverint a morte, cum se in Euphratem praecipitasset: vel quod ipsa Atargatis se in piscem aliquando mutaverit. V. PISCIS.

BAMPLUS, i, m. *Fulgent. De prisco serm. n.* 44. Celocem dicunt genus naviculae modicum, quod bamplum dicimus. Alii rectius leg. *lembum*.

*BANASA vel Banassa, ae, dicta et Valentia, oppidum Mauritaniae Tingitanae, colonia Caesaris Augusti. *Plin.* 5, 1. *B. A.*

*BANATA, Mesopotamiae oppidum, fortasse idem quod *Βανάβη Ptol. Tab. Peut. B. A.*

*BANCHUS et Bancus, i, m. piscis genus, cujus mentio est apud *Coel. Aur. Acut.* 2, 37. Item ex mari mullos, squillas, bancos, acus, labraces. Quidam etiam *banchus* legere malunt apud *Plin.* 32, 9, 32. et *ib.* 11, 53., ubi tamen editio *Hard.* habet *Bacchus*, quam vocem V. *ad f. B. A.*

*BANDUSIA. *Hor. Od.* 3, 31, 1. O fons Bandusiae. Fons erat in Sabino, ubi villa Horatii sita erat; ex Bandusia rivus Digentia ortus videtur. *B. A.*

*BANĬENSES, ium, m. plur. Lusitaniae populi. *Inscr.* ap. *Grut.* 162, 5. Municipia provinciae Lusitaniae stipe conlata opus pontis perfecerunt, Arabrigenses, Banienses, Paesures. *B. A.*

*BANIURAE, arum, gens Gaetulica, Mauritaniam Caesariensem incolentes. *Plin.* 5, 2. ed. *Hard.* In ed. *Elzev.* est *Banurri*. Adde *Sil.* 3, 303. *B. A.*

BANNANĪCA Vitis memoratur a *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7., et fallax esse dicitur, hoc est incerti proventus. Unde autem nomen duxerit, adhuc est incompertum.

BANTĪNUS, a, um, adj. ad Bantiam pertinens, urbem Apuliae Dauniae prope Venusium, nunc *S. Maria de Vanze. Liv.* 27, 24. *Hor. Od.* 3, 4, 5. Bantini saltus. *Acron.* ad *Hor. l. c.* Bantina civitas Apuliae contermina Venusiae. ℙ *Bantini, orum*, sunt *Bantiae* incolae. *Plin.* Lucanis attribuit, quia in eorum confinio fuere, 3, 11, 15.

[BĂPHE, es, f. *βαφή*, tinctura. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 994, 10. Baphe Liviae L. *F.*]

*BAPHIARĬUS, i, m. tinctor a *βάπτω*, tingo 11. *C. de Murileg. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient.* 75. *B. A.*

BĂPHEUS, i, m. disyllab. *βαφεύς*, tinctor, et praesertim qui murice tingit: a *βάπτω*, tingo. *Imp. Constantin. Cod.* 11, 7, 2. Baphei et gynaeciarii. Alii leg. *baphii* et *gynaecii*, quod praestat.

BĂPHĪUM, ii, n. *βαφεῖον*, tinctorum officina, praesertim eorum, qui murice et fuco tingunt. [*Inscr.* ap. *Carli Antich. Ital. T.* 3. p. XIV. Q. C. Petronio M. C. Petronii F. VI. viro Augustali Procuratori baphii Cissae Histriae, et Collegii purpurariorum Cissensium Histriae patrono T. Corvilus Chrysomalus purpurarius Augusti libertus. *F.*] *Lampr. Alex. Sev.* 40. Purpura, quae vulgo Probiana dicitur, idcirco quod Aurelius Probus baphiis praepositus id genus muricis reperisset. *Impp. Theod. et Valentin. Cod.* 11, 8, 5. et *Cod. Theod.* 10, 20, 18. Ad baphia Phoenices ad certum tempus mitti praecipimus. [*Hujusmodi multa baphia et in orientis et in occidentis partibus imperatores habebant, quae sub dispositione Comitum sacrarum largitionum in *Notit. Imp. Rom.* ponuntur. De *baphiis* Phoenices videndus est *Strabo* XVI. p. 1098.] ℙ In loco *Lampridii* cit. alii leg. *baphis praepositus*, hoc est tincturis, seu tingendis lanis praepositus: *βαφὴ* enim tincturam, seu colorem significat, sed ex allata inscriptione apparet *baphiis* esse retinendum.

*BAPHYRUS, i, Thessaliae amnis, juxta Olympum montem. *Liv.* 44, 6. *B. A.*

BAPTAE, arum, m. plur. *Βάπται*, fuerunt Athenis molles et effeminati sacerdotes Cotyttus impudicitiae Deae, cui nocturna sacra faciebant omni petulantis licentiae et prodigiosarum libidinum genere lascivientes, non secus atque in Bacchanalibus Romae deprehensis Bacchae. In hos Eupolis Graecus poeta comoediam scripsit, *Βάπται* inscriptam, in qua omnia eorum flagitia depinxit: quam ob causam ab ipsis in mare praecipitatus est, vel, ut tradit *Vet. Schol. Juven.*, ab Alcibiade necatus est, quod eum praecipue perstrinxerat. Dicti sunt a *βάπτω*, tingo, quia mulierum instar faciem fuco tingebant. *Juven.* 2, 92. Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytto. Ille supercilium madida fuligine tactum Obliqua producit acu, pingitque trementes Attollens oculos etc. [*De dea Cotytto ejusque sacerdotibus ac sacris peculiaris exstat *Buttmanni* disputatio *über die Kotyttia und die Baptae*, in consessu Academiae Berolinensis anno 1821. recitata. Cui adde *Meineke Quaest. Scenic. Spec. Prim.* p. 42. seqq.]

BAPTES, ae, m. *βάπτης*, gemma est colore veluti artificiali tincta, mollis alioqui, odore excellens. *Plin.* 37, 10, 54.

BAPTISMĂ, ātis, n. et Baptismus, i, m. *Βάπτισμα*, *Βαπτισμός*, ablutio, a *βαπτίζω*, mergo, abluo. *Prud. Psychom.* 103. Expiat ergo aciem fluviali docta lavacro Victricem victrix, abolens baptismate labem Hostilis juguli. [**id. Apoth.* 697 (765.) terra baptismate lota, i. e. terra sputo humefacta.] ℙ Per excellentiam ita appellatur primum novae Legis sacramentum, quo per externam corporis ablutionem significatur et efficitur interior ablutio animae a sordibus peccatorum. *Tert. Bapt.* 1., *August.*, *Hieron.* et alii. [*In *Cod. Just. Lib.* I. *Tit.* 6. exstat titulus: *ne baptisma iteretur.*] ℙ Dicitur etiam *Baptismum*, *i*, n. *Tert. l. c.* 15. Quoniam unus Dominus et unum baptismum et una Ecclesia in coelis. *Casp. Schop. in not. ad Tert.* legit *baptisma. August. Serm. de Temp.* 36. *a med.* Quale est hoc baptismum, ubi purior est fonte ille, qui mergitur?

BAPTISMUM. } V. v. praec.
BAPTISMUS. }

BAPTISTĂ, ae, m. *βαπτιστής*, qui abluit et baptizat. Ita per excellentiam dictus est D. Joannes Christi praecursor, tum quia baptizare instituit, tum quia Christum ejus sacramenti auctorem baptizavit. *Sedul. De op. Pasch.* 2, 143. Hunc baptista potens ut vidit ab amne Joannes.

BAPTISTĒRĬUM, ii, n. *βαπτιστήριον*, ampla piscina prope cellam balinei frigidariam ad natandum. *Plin. ep.* 2, 17. balinei cella frigidaria, spatiosa et effusa, cujus in contrariis parietibus duo baptisteria velut ejecta sinuantur abunde capacia, si innare in proximo cogites. *Id. ep.* 5, 6. Cella frigidaria, in qua baptisterium amplum atque opacum. Adde *Sidon. ep.* 2, 2. Huic basilicae appendix piscina forinsecus, seu, si Graecari mavis, baptisterium ab oriente connectitur, quod viginti circiter modiorum millia capit. V. PISCINA. ℙ Apud Ecclesiasticos scriptores est locus, in quo Baptismi sacramentum solemni ritu administratur. *Sidon. ep.* 4, 15. Nam baptisterium, quod olim fabricabamini, scribitis jam posse consecrari. [Cf. *Lupi Antonmaria Dissert.* 1., ubi plurima habes de Baptisteriis christianis. *F.*]

*BAPTIZATIO, onis, f. *βαπτισμός*, actus baptizandi. *Ambros. serm. de temp.* 17. p. 22. Baptizatio Christi consecratio est elementi. *B. A.*

BAPTIZĀTOR, oris, m. *βαπτιστής*, qui baptizat. *Tert. Bapt.* 12. Joannes baptizator. Adde *August. ep.* 23. *a med.*

BAPTIZĀTUS, a, um, part. v. *baptizo*, Baptismi sacramento ablutus. *August. ep.* 23. Parvuli baptizati.

BAPTIZO, as, avi, atum, a. *βαπτίζω*, Graeca vox idem significans, quod abluo, lavo. [*Proprio tamen sensu non videtur hoc verbum dictum esse, quanquam *baptisma* ita ponitur.] Apud Ecclesiasticos scriptores est Baptismi sacramentum administrare. *Tert.*, *August.*, *Hieron.* et alii.

[BAQUĀTES, ium, m. plur. populi Mauretaniae Tingitanae ad Ibericum pelagus, memorati a *Ptol.* 4, 1. *Inscr.* ap. *Marin. Inscriz. Alb.* p. 101. D. M. Memoris filii Aurelii Canarthae principis gentium Baquatium, qui vixit ann. XVI. *F.*]

BĂRĀTHRO, onis, m. homo insatiabilissimus atque avidissimus, qui omnia in ventrem tanquam in barathrum congerit et absumit. [**Barathro* proprie dicitur is, qui barathro dignus est, homo quem alii aversantur. *Burm.* ad *Anth. Lat. Tom.* I. p. 511. *Jahn.* *Ita *Thom. Mag.* s. h. v. *ὁ βαράθρου ἄξιος*, ibique *Hemsterhus.* Quare *Eichst.* in loco *Lucr.* scripsit *barathre.* Idem tamen addit in ind. s. h. v.: vel i. q. *barathrum*, pernicies quasi ac vorago vitae bonorum. — *Barathro* igitur est voc. dubiae fidei.] *Lucr.* 3, 968. Aufer abhinc lacrimas, barathro, et compesce querelas. Ita *Lamb.* Alii leg. *barde.* Adde dicta in voce BALATRONES.

BĂRĀTHRUM, i, n. *βάραθρον*, *ὄρυγμα*, *βάθος*, Graeca vox, qua significatur locus in altissimam profunditatem depressus, qualis fuit Athenis profunda vorago, in quam noxios morti damnatos praecipitabant, ut *Suidas* docet. Latini scriptores ita appellant locum omnem profundum et praecipitem, unde evadere difficile est. [*Vid. *Burm.* ad *Val. Fl.* 2, 86. *Jahn.*] *Vitr.* 10, 22. *sub f.* Quibus locis fossa non potuerat fieri intra murum; barathrum longitudine et amplitudine, uti piscinam, fecerunt etc. *Virg. A.* 3, 420. Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus. *Sil.* 9, 497. se postquam Aetnae mersit candente barathro. *Cat.* 68, 108. Abruptum barathrum. ℙ Speciatim de Inferorum locis. *Virg. A.* 8, 245. superque immane barathrum Cernatur, trepidentque immisso lumine Manes. *Pl. Bacch.* 1, 2, 41. O barathrum ubi nunc es? ut ego te usurpem lubens! Adde *Rud.* 2, 7, 12. et *Val. Fl.* 2, 86. et 192. ℙ Transfertur ad alia. *Pl. Curc.* 1, 2, 29. Age, effunde hoc cito in barathrum, *h. e.* in ventrem. Est enim sermo de anu bibacissima. *Hor. Sat.* 2, 3, 166. quid enim differt, barathrone Dones quidquid habes, an nunquam utare paratis? *h. e.* in ventrem congeras, absumas, perdas. *Id. Ep.* 1, 15, 31. Pernicies et tempestas, barathrumque macelli. *Mart.* 1, 88. Extremo ructus cum venit a barathro, *h. e.* ab imo stomacho. Apud eund. *Mart.* 3, 81. barathrum femineum est *τὸ αἰδοῖον*. ℙ [**Barathrum* et *Lutum* vocabant homines vilissimos et nullius frugis. Vid. *Valcken.* ad *Ammon.* 1, 10. *Jahn.*] ℙ In plurali numero caret adhuc exemplis. [Sed nunc exstat apud *Phaedr. f.* 30. *ed.* a *Jannellio.* O sortem miseram, ductam de barathris, ait. Hic loquitur papilio ad vespam; *barathri* nempe sunt folliculi, quibus bombyces, antequam papiliones fiant, sese includunt. Ceterum versus ille paene totus est ex conjectura *Jannellii*, quod *codex* ibi pluribus scatet lituris. *F.* *In cod. sic legitur: o sortem m..... d.... m.. ba.. t... s.]

*BARATHRUS, i, V. BARATHRO.

*BARAXMALCHA, oppidum Mesopotamiae. *Ammian.* 24, 2. (al. 4.) *B. A.*

BARBĂ, ae, f. *πώγων*, pili in mento hominis. [Fortasse est a *παρειὰ* seu *παρεὰ*, maxilla, mox *παρεφὰ*, tum *παφὰ*, ac tandem, mutato *π* in *β*, barba. *F.*] *Cic. Tusc.* 5, 20. Tondere barbam et capillum. [*Etiam *radere barbam* dicitur; sed hoc diversum a *tondere barbam. Suet. Aug.* 79. modo tondere, modo radere barbam. Ubi hoc, ni fallor, nostrum est, *den Bart abzwicken.* Scilicet hoc fiebat forcipe, illud novacula. Cf. *B. Crus.* ad *Suet. Caes.* 45.] *Plin.* 6, 28, 22. abradere. *Gell.* 3, 4. rasitare. *Ov. Met.* 13, 767. recidere. *Hor. A. P.* 298. ponere. [**Suet. Cal.* 5. 10. *Ner.* 12.] *Lucr.* 5, 673. mollem malis demittere barbam. [*Nota, barbam demittere alterius infamandi causa, quae injuriae species. *Ulp. Dig.* 47, 10, 15. §. 27.] *Tac. A.* 2, 31. promittere. [*Nota *Livium* aliosque scriptores narrare, antiquos *barbam promisisse* in luctu, etiam quum barbam radere nondum receptum esset. V. *Drak.* ad *Liv.* 6, 16, 4.] Et summittere. *Id. G.* 31. eod. sensu. *Sen. Qu. nat.* 1, 17. prominentem depectere. *Lampr. Elagab.* 31. *a med.* psilothro accurare. *Plin.* 7, 4, 3. Barba provenit. *Lucr.* 6, 945. crescit. *Ov. Met.* 12, 295. incipiens. *Juven.* 8, 166. prima *Plin.* 6, 28, 32. intonsa. *Nep. Dat.* 3. promissa. *Gell.* 9, 2. ad pubem usque porrecta. *Ov. Met.* 15, 656. longa. *Id. Fast.* 1, 259. mulcens propexam ad pectora barbam. *Cic. Verr.* 2, 2, 25. Homo maxima barba. *Id. Agr.* 2, 5. Capillatior quam ante, barbaque majore. *Pl. Bacch.* 5, 1, 15. Homo cano capite atque alba barba. ℙ *Barbam facere* est radere. *Lampr. Elagab.* 31. *extr.* Novacula barbam facere. ℙ *Barbam plenam habere* est barbam omnem emisisse, perfectaeque aetatis esse. *Spart. Antonin.* 10. Nulli vitem, nisi robusto et bonae famae, daret, nec tribunum, nisi plena barba, faceret. ℙ *Barba* et *pallium* fuere velut insignia philosophorum, praesertim Stoicorum, quibus se commendare populo, et verendos reddere studebant, vultu ipso habituque morum severitatem gravitatemque prae se ferentes. Hinc de quodam, qui se philosophum ementiebatur. *Gell.* 9, 2. Video barbam et pallium: philosophum nondum video. *Quint.* 11, 1. *ante med.* Philosophiam ex professo ostentantibus parum decori sunt plerique orationis ornatus. Verba exquisitiora non conveniunt barbae illi atque tristitiae. *Hor. Sat.* 2, 3, 34. sapientem pascere barbam, *h. e.* Stoicum philosophum profiteri. Adde *Lactant.* 3, 25. ℙ *Aurea barba* ornari solebant Deorum statuae, quos maxime colere quis volebat. Ea enim re valde iis gratificari credebant. [**Cic. N. D.* 3, 34. Idem Aesculapii Epidauri barbam auream demi jussit. Neque enim convenire barbatum esse filium, quum in omnibus fanis pater (scil. Apollo) imberbis esset.] Hinc *Pers.* 2, 56. nam fratres inter ahenos, Somnia pituita qui purgatissima mittunt, Praecipui sunto; sitque illis aurea barba. *Petr. Fr. Trag.* 58. *Burm.* Aut ego me non novi, aut non deridebis; licet barbam auream habeas, *h. e.* Deus sis: vel ditissimus et potentissimus. ℙ Apud *Juven.* 16, 31. dicitur aliquis *dignus esse barba et capillis majorum*, qui probis est moribus et antiquis. Prisci enim homines, qui castigatissimis moribus fuisse dicuntur, neque barbam, neque capillum tondere consueverunt. Primi enim tonsores in Italia fuisse dicuntur post an. U. C. CCCCLIV., ut *Varr. R. R.* 2. *sub f.* et ex eo *Plin.* 7, 59, 59. narrat: quo tempore ex Sicilia in Italiam venere tonsores: primusque omnium radi quotidie instituit Africanus sequens, ut *Plin. ib.* tradit. Inde mos inductus, ut viri raderent, adolescentes alerent, ut mox dicetur. Hinc barbatuli juvenes. *Cic. Att.* 1, 14. [*De *barba* ac de *tonsoribus* plurima docte disputata et diligenter collecta habes apud *Boettiger.* in *Sabina* Tom. II. p. 57. seqq.] ℙ *Barbam alicui vellere*, *τὸν πώγωνα τίλλειν τινὶ*, atrox injuria, magnumque ludibrium est. *Hor. Sat.* 1, 3, 133., *Pers.* 1, 133. et 2, 28. ℙ Primam barbam solebant Romani, ut primum totondissent, Diis consecrare, praesertim Apollini, Jovi et Veneri. Fere autem id fiebat circa vigesimum secundum aetatis annum (comam enim aliquot annis ante id tempus detondere, atque itidem Diis dicare mos fuit) eratque ille dies solemnis ac laetus, et celebrabatur coacto consanguineorum atque affinium coetu, conviviis missisque ultro citroque muneribus, etc., tanquam alter natalis dies. Videbantur enim quodammodo pueritiam exuere, et ad virilem statum transire. *Suet. Ner.* 12. Barbam primam posuit, conditamque in auream pyxidem, et pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecravit. *Juven.* 3, 186. Ille metit barbam: crinem hic deponit amati: Plena domus libis venalibus. Adde *Petr. Sat.* 29. ℙ Dicitur etiam *barba* de brutis animalibus, qui vel villos habent a mento pendentes, vel aliquid barbae simile. *Plin.* 12, 17, 37. Barbae hircorum. *Id.* 26, 8, 30. caprarum. *Id.* 30, 11, 29. gallinaceorum. *Id.* 9, 17, 30. Mulli barba gemina insigniuntur inferiori labro. *Id. ib.* 30, 48. Polyporum barbae, *h. e.* crines, cirri, flagella barbae modo e capite pendentia. *Hor. Sat.* 1, 8, 42., ubi de veneficiis agit Canidiae et Saganae, lupis quoque *barbam* tribuit: et videtur significare partem rostri inferiorem, vel totum rostrum, parte pro toto accepta. ℙ *Barba hirquina* est in conviciis. *Pl. Ps.* 4, 2, 12. Heus tu, qui cum hirquina astas barba. ℙ *Serv.* ad *G.* 3, 311, et *Vel. Long. in Orthogr.* p. 2243. docent, *barbam* in singulari numero dici de hominibus, in plurali vero de brutis animalibus: quod sane discrimen aut falsum est, aut certe non perpetuum. Nam ipse *Virg. G.* 3, 366. de hominibus *impexas barbas* dixit, ut et *Charis.* observavit l. p. 74., (licet *Serv.* aliter explicare malit) cui adde *Sil.* 13, 310. et *Petr. Sat.* 99., ubi *barbas horrentes* uni tantum nautae adtribuit. [**Appul. Met.* 4. p. 157, 1. Portunus caerulis barbis hispidus.] Contra in singulari de pluribus etiam hircis *barbam* dixit *Plin.* 28, 13, 56. ℙ Denique *barba* dicitur de summis arborum ramulis, seu tenuioribus foliis extremis, de lanugine in plantis, et similibus. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 22. Rami a projectu digitorum modo subrigi, tonsili in his tenuium quoque virgultorum barba, ne obumbrent. *Id.* 15, 22, 24. Ponticas nuces mollis protegit barba. ℙ *Barba Jovis* species est fruticis, in opere topiario tonsilis, et in rotunditatem spissa, argenteo folio. *Plin.* 16, 18, 31. ℙ [Fuit etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 343, 3. L. Avilius L. F. Gal. Barba. Adde *Cassium Barbam* ap. *Cic. Att.* 13, 52. et *Phil.* 13, 2. *F.*]

*BARBAMENTUM, i, n. gena. *Vet. Gloss.* Barbamentum, *γένειον*. *B. A.*

*BARBANA, ae, Dalmatiae fluvius, in regione Labeatum, juxta oppidum Scodram. Hodie est *Bajana. Liv.* 44, 31. bis. *B. A.*

*BARBĂRA, ae, f. genus emplastri, idem quod barbarum. *Scribon. Larg. compos.* 207. *init.* V. Barbarum. *B. A.*

BARBĀRĒ, adv. *βαρβαρικῶς*, *βαρβαριστί*, barbaro more: et refertur tum ad sermonem, tum ad mores. *Cic. Tusc.* 2, 4. Si grammaticum se professus quispiam, barbare loquatur. *Quint.* 1, 6. *inf.* Barbare exclamare. *Hor. Od.* 1, 13, 14. Barbare laedens oscula. ℙ Quia vero Graeci omnes externas gentes *barbaras* vocabant: hinc *barbare* pro Latine usurpatur in illo *Pl. Asin. prol.* 10. Huic nomen Graece est Onagos Fabulae: Demophilus scripsit, Marcus vortit barbare. Adde *Trin. prol.* 19., *Varr. L. L.* 7, 36. et *Fest.* in *Barbari.*

BARBĀRI, orum, m. plur. *οἱ Βάρβαροι*. Appellati ita sunt a *βάρβαρ*, voce ficta ab Atheniensibus, cum exteros irridere vellent, quod eorum sermo vernaculus inconcinnus videretur, et quod loqui Graece volentes, difficulter, duriter aspereque Graeca sonarent. [*Vocem ab Atheniensibus certe non fictam esse patet inde, quod *Herod.* 2, 158. narrat Aegyptios eadem voce usos esse, qua omnes qui sua lingua non uterentur designarent. Docta extat de hac voce disputatio *F. Rothii über Sinn und Gebrauch des Wortes Barbar*, *Nürnberg*, 1814.

quam legas si plura cupis.] ℙ Hujus generis ceterae omnes gentes erant praeter Graecos; quod nulli praeter ipsos viderentur eleganter loqui, nam πᾶς μὴ Ἕλλην Βάρβαρος, ut est apud *Serv.* ad *A.* 2, 504. Unde *Pl. Mil.* 2, 2, 56. Naevium poetam Latinum *barbarum* dixit. Quo pertinet et illud ejusdem *Curc.* 1, 2, 60. Pessuli gerite amanti mihi morem: fite causa mea Lydi barbari. V. LYDUS. Adde *Cat.* ap. *Plin.* 29, 1, 7. et *Festum.* [*Saepius conjunguntur *alienigenae ac barbari*, i. e. homines diversae stirpis ac diversa lingua utentes. V. *Drak.* ad *Liv.* 31, 29, 15.] ℙ Hoc deinde nomen Latini usurparunt: eoque omnes appellavere, qui vel Latini, vel Graeci non essent. Graecis enim hunc honorem habuere propter culturam litterarum, legum et artium, quas ab iis acceperant. *Plin.* 11, 37, 45. Urorum cornibus barbari septentrionales potant. *Id.* 8, 27, 41. Pantheras perfricata carne aconito barbari venantur. Adde 13, 15, 30. [*Apud *Suet. Dom.* 12. *barbari* dicuntur Germani, Galli, Britanni, ad quem l. V. annot. *Brem.*] V. BARBARIA et BARBARUS. ℙ Denique *barbaros* dixere eos omnes, qui Romano imperio subjecti non essent: qua ratione etiam Itali in Gallia comata, in Liguribus, etc. interdum significantur. Cujus rei testimonia occurrunt apud *Cic. N. D.* 2, 4., item *Liv.*, *Flor.* et *Ammian.*: item in *libb. Dig. et Cod. Justin.*, ut est apud *Brisson. de V. S.* ℙ *Barbarum* pro *Barbarorum* in genitivo plur. *Phaedr.* 4, 6. In perniciem Grajum et Barbarum.

BARBĂRĬA, ae, f. et Barbaries, ei, f. a Latinis dicitur omnis externa regio praeter Italiam et Graeciam; item gentes in iis regionibus incolentes. *Cic. Fin.* 2, 15. A quo non solum Graecia et Italia, sed etiam omnis Barbaria commota est. *Id. ib.* 5, 4. Omnes fere civitates, non Graeciae solum, sed etiam Barbariae. [*Cic. *Rep.* 1, 3. Themistoclem non in Graeciae portus, per se servatos, sed in barbariae (i. e. Persiae) sinus confugisse, quam afflixerat. *B. A.*] *Ov. Met.* 15, 829. Quid tibi Barbariem, gentes ab utroque jacentes Oceano numerem? *Lucan.* 8, 812. adde subactam Barbariem gentesque vagas. ℙ Hoc sensu in plurali num. usurpavit *Tert. adv. Judaeos* 7. et *Virgin. vel.* 2. ℙ Speciatim dicitur de Phrygia. *Hor. Ep.* 1, 2, 7. Graecia Barbariae lento collisa duello. [*De Gallis, *Cic. Font.* 19. nos vero — non isti immani atque intolerandae barbariae resistemus? i. e. Gallis, quas paulo ante immanissimas et crudelissimas nationes appellaverat.] ℙ Apud Graecos omnis externa regio *Barbaria* est. *Pl. Poen.* 3, 2, 21. Macerato hoc pingues fiunt auro in Barbaria boves, *h. e.* in Italia. Est enim Graecus homo, qui ibi loquitur. Adde *Eund. fr.* apud *Fest.* in *Vapula.* ℙ Dicitur etiam de barbaris ac feris moribus. *Cic. Balb.* 19. Inveteratam barbariam ex Gaditanorum moribus disciplinaque delere. [*ubi *barbariem* dixit ritum hostiarum humanarum immolandarum.] *Flor.* 4, 12. de Sarmatis: Tanta barbaries est, ut pacem non intelligant. *Ov. A. Am.* 2, 551. Oscula vir dederat (memini) suus: oscula questus Sum data, barbarie noster abundat amor, *h. e.* feritate quadam et nimia zelotypia. ℙ Sumitur item pro rusticitate, ignorantia, aut stultitia. *Ov. Am.* 3, 8, 3. Ingenium quondam fuerat pretiosius auro: At nunc barbaries grandis, habere nihil. Justin. 43, 4. Ab his igitur Galli et usum vitae cultioris, deposita et mansuefacta barbaria, et agrorum cultus didicerunt. ℙ Item pro vitio sermonis. *Cic. Brut.* 74. Sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur. *Id. Or.* 1, 26. Si multitudo litium, si varietas causarum, si haec turba et barbaria forensis dat locum vel vitiosissimis oratoribus, *h. e.* turba illitterata et barbara.

*BARBARIĀNA, ae, locus in Hispania Baetica. *Anton. Itin. B. A.*

BARBĂRĬCĀRĬĬ, orum, m. plur. iidem qui Phrygiones, hoc est textores artificesque barbaricae vestis, exprimentes ex auro et coloratis filis hominum formas, et diversorum animalium et specierum imitatam subtilitate veritatem. Ita *Don.* ad illud *Virg. A.* 11, 777. Pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum. Ubi *Serv.* quoque de textura Phrygionum intelligit. Hi autem ideo *barbaricarii* dicti sunt, quia *Barbaria* speciatim pro Phrygia aliquando sumitur, et *Barbaricus* pro Phrygio. [*Cf. *Barbaria* et *Barbaricus. Inscr.* ap. *Murat.* 971, 5. Hermes barbaricarius ministrator, *h. e.* qui vestes barbaricas servabat. *F.*] ℙ Legitur praeterea in *Cod. Justin.* 12, 24, 7. *in f.* et in *Cod. Theod.* 10, 22, 1., ubi *barbaricarii* sunt, qui aurum argentumve operibus illinunt (*Vergolder.*) ℙ [*In *Notit. Dign. Imper. n.* 42. *brambaricarii* vitiose vocantur. V. *Guther. de Off. Dom. Aug.* 3, 22. *B. A.*]

BARBĂRĬCĒ, adv. βαρβαρικῶς, Barbarorum more. *Capit. Ver.* 10. Barba prope barbarice demissa.

BARBĂRĬCUS, a, um, adj. βαρβαρικός, idem quod Barbarus. *Suet. Cl.* 47. Barbarica nomina. *Pl. Cas.* 3, 6, 19. et *Sall. or.* 1. *ad Caes. De rep. ord.* 3. *extr.* Neque barbarico ritu caede caedem, sanguine sanguinem expiandum. *Claud. Eutr.* 2, 226. Barbarica vita, *h. e.* Barbarorum similis, et plena feritatis. *Ov. Her.* 3, 1. Quam legis, a rapta Briseide littera venit. Vix bene barbarica Graeca notata manu. *scil.* quia Briseis erat e Lyrnesso insula. Omnes autem qui Graeci non essent, a Graecis barbari dicti sunt. *Pl. Capt.* 4, 2, 104. Barbaricae urbes, *h. e.* Italae. Graecus enim ibi homo loquitur. Sic *Id. Capt.* 2, 3, 32. Barbarica lex, *h. e.* Romana. *Flor.* 3, 3. Barbarica stoliditas. *Virg. A.* 8, 685. Hinc ope barbarica, variisque Antonius armis, *h. e.* Orientalium nationum exercitu contra Romanos bellum ferens. ℙ Ponitur etiam pro Phrygio. Phryges enim speciatim *barbari* dicti sunt. [*Scilicet obtinuit apud Latinos usus loquendi ab Homero receptus, nam et Homerus Phrygas barbaros appellat.] *Enn.* [*in *Andromache*] ap. *Cic. Tusc.* 3, 19. O pater, o patria, o Priami domus! Vidi ego te, astante ope barbarica, Tectis caelatis, etc. *h. e.* dum staret regnum Phrygum incolume. *Virg. A.* 2, 504. Barbarico postes auro, spoliisque superbi. Ubi *Servius:* aut multo, quia barbari copiae magis quam elegantiae student: aut a Barbaris capto: aut vere barbaro idest Phrygio; nam et *Homerus* Phrygas *Barbaros* appellat. *Lucr.* 2, 499. Barbaricae vestes, *h. e.* Phrygio more pictae. ℙ *Barbarica silva* ab agricolis dicitur, quae conseminea est, et aut nulla, aut certe levi cultura colitur. *Colum.* 11, 2. *a med.* Silvam si quis barbaricam, idest conseminea velit facere. ℙ Accipitur etiam *barbaricus* pro peregrino, externo. [*Lucr. 2, 499. vestes barbaricae. *Virg. A.* 2, 204. aurum barbaricum. *Ammian.* 18, 2. sermo barbaricus.] Hinc *Plin.* 21, 6, 16. errasse eos dicit, qui Baccaris radicem *barbaricam* appellavere, quia nempe in Italia non proveniret, sed solum in externis regionibus: ita enim ibi interpretatur *Hard.* (quamquam *Salm. Exerc. Plin.* p. 1068. aliter legendum putat). Eadem fortasse ratione dicta videntur ab eodem *Plin.* 15, 15, 16. pyra barbarica. Et 36, 25, 61. barbarica pavimenta: quia nempe ab exteris regionibus in Italiam primum invecta fuerint. [*Veget. 4, 7. Frequens opinio est, barbaricis (sc. equis, i. e. non in Italia, sed in terra peregrina natis) nulla adhibenda medicamina.] *Prud. Apoth.* 211. Barbarici sinus, *h. e.* vestes Babylonicae. ℙ De *sphaera barbarica* dicemus in SPHAERA. ℙ *Barbaricum, ci*, absolute (subaudi *solum*) est barbarorum regio non subjecta Romanis. [*Barbaricum* pro regione barbarorum dictum, ut Noricum, Vindelicum, Illyricum celt. pro regione Noricorum, Vindelicensium, Illyriorum celt. V. *Gronov. Observ.* II. 3. p. 233.] *Spart. Sever.* 47. Milites expeditionis tempore sic disposuit, ut in mansionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria XVII. dierum, nisi in barbarico. *Ammian.* 18, 2. Visus in barbarico miles. *Eutrop.* 9, 4. Utorque in barbarico interfecti. [*Eutrop. 7, 8. Albis in barbarico, longe ultra Rhenum est. V. *Gronov. Observ. l.* supra *l.*] ℙ Est praeterea *Barbaricum*, teste *Festo*, clamor exercitus, quia eo barbari uti solent, qui clamor *barritus* etiam appellatur barbaro vocabulo, ut infra in BARRITUS dicemus. ℙ Denique *barbaricum* adverbii more pro *barbarice* ponitur. *Sil.* 12, 418. Barbaricum atque immane gemens. [*Ceterum observa adject. *barbaricus* nullum scriptorem pedestrem aureae aetatis usum esse. Fuit forma poetica pro *barbarus*, quae, ut fit, postea in vulgarem usum transiit. Primus ex prosae auctoribus *barbaricus* dixisse videtur *Plinius major.*]

BARBARIES. V. BARBARIA.

BARBĂRĬSMUS, i, m. βαρβαρισμός (Graeca vox, Latine *sermo rusticus*, teste *Gell.* 13, 6.) vitium orationis, quod fit in singulis verbis: nam si in plurium verborum constructione fiat, *soloecismus* dicitur. Fit autem pluribus modis, ut cum peregrinam et barbaram vocem usurpamus; vel utimur quidem vocibus Latinis, sed eas corrumpimus vel declinatione, aut conjugatione, ut si *legebo* dicamus pro *legam*, vel *carmini* pro *carminis;* vel pronuntiatione, longam *v. gr.* pro brevi proferendo; vel scriptione, ut si aspirationem adscribamus, ubi locum non habet; vel denique alio quopiam modo verba invertamus: qua de re plura grammatici. V. *Quint.* 1, 5., *Charis.* 4. *init.*, *Diomed.* 2. p. 446. et alios. *Auct. ad Her.* 4, 12. Barbarismus est, cum verbum aliquod vitiose effertur. [*ubi *barbarismus* distinguitur a *soloecismo.*] *Mart.* 6, 17. Cinnam, Cinname, te jubes vocari: Non est hic, rogo, Cinna barbarismus? ℙ *Gell.* 13, 6. Id vocabulum quod dicitur vulgo barbarismus, qui ante divi Augusti aetatem pure atque integre locuti sunt, an dixerint, nondum equidem inveni. ℙ Potest etiam ad animi naturam referri: et quemadmodum *barbarum* dicimus, qui est incultis ac feris moribus, ita *barbarismum* pro feritate et barbarie usurpare licebit. *Quint.* enim *l. c.*, ubi *barbarismi* genera enumerat, Alterum, *inquit*, genus barbarismi accipimus, quod fit animi natura, ut is a quo insolenter quid, aut minaciter, aut crudeliter dictum sit, barbare locutus existimetur. *Sidon. ep.* 9, 3. Quidam barbarismus est morum sermo jucundus, et animus afflictus. ℙ Si qui apud poetas reperiantur *barbarismi*, schematismos, schemata, metaplasmos appellari docent *Quint.* 1, 8., *Charis.* 4. *in.* et *Diom.* 2. p. 446. et 449. V. METAPLASMUS.

BARBAROLEXIS, is, f. βαρβαρολέξις, vitium est orationis barbarismo simile: in eo tamen differens, quod barbarismus fit in nostra loquela, inquit *Charis.* 4. *in.*, βαρβαρολέξις in peregrina, hoc est, ut *Isid. Or.* 1, 312. explicat, barbarismus in verbo Latino fit, dum corrumpitur; quando autem barbara verba Latinis eloquiis inseruntur, βαρβαρολέξις dicitur. Refertur autem inter figuras orationis; ac tales sunt *gaza* et *magalia* apud *Virgil.*

[BARBĂRŬLUS, a, um, diminut. barbari. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1575, 3. Barbarulae, quae *vixit* annos XXII. *menses* II. *dies* IIII. Barbara et Philumenus L., et Helicon Contubernali Kar. *F.*]

BARBĂRUS, a, um, adj. Βάρβαρος, a Graecis dicitur quicumque Graecus non est, ut in BARBARI docuimus. Hinc apud *Plaut.* qui in suis Fabulis plerumque Graecos homines loquentes inducit, legitur *Barbaria* pro Italia, et *Barbaricae urbes* pro Italis. Sic *Mil.* 2, 2, 56., ubi poetam barbarum memorat, *Naevium* Latinum poetam intelligit. Huc pertinet etiam illud ejusdem *Pl. Stich.* 1, 3, 40. Haec verba subigunt me, mores ut barbaros discam, atque ut faciam praeconis compendium: itaque auctionem praedicem, ipse veneam, *h. e.* mores omnino inusitatos in Graecia, et peregrinos, qualis est, ut qui praeconem agit, et auctionem facit, ipse se vendat. ℙ Latini quoque Barbaras dixerunt omnes externas Gentes, Graecis exceptis (V. *Sen. Ira* 3, 2.), idque non ob eam solum rationem, quod externi essent, sed tum propter asperiorem sermonem, tum propter rudia ingenia, stultitiam, ignorationem litterarum, agrestem duramque vivendi rationem, morum feritatem et saevitiam. Tribuitur autem non solum hominibus ac rebus ipsis, sed etiam locis ipsis cultu et caelo mitiore carentibus. *Cic. Verr.* 2, 4, 50. Neque tam barbari lingua et natione illi, quam tu natura et moribus. [*Vell. 2, 108, 2. barbarus natione magis quam ratione Marobod.; quo loco eleganti figura utraque vocis significatio adhibetur, qua et peregrinitatem et absueditatem hominum rerumque notare consueverunt Romani.] *Id. Marc.* 2. Gentes immanitate barbarae, multitudine innumerabiles. *Id. Font.* 10. Immanis ac barbara consuetudo hominum immolandorum. [*Eadem adjectiva sed inverso ordine, conjungit *Appul. Met.* 3, p. 131, 36. illi barbari prorsus et immanes homines. Ubi de praedonibus agitur.] *Petr. Sat.* 96. Rabiosa et barbara voce perorare. *Ov. Pont.* 3, 2, 78. Sacra suo facio barbariora loco. *Curt.* 5, 5. Barbarae litterae. *Hor. Od.* 2, 6, 3. Barbarae Syrtes. Et *ib.* 19, 17. Mare barbarum. [*i. e. mare Indicum. Loquitur poeta de Baccho plurimarum victoriarum apud Indos auctore.] *Tac. A.* 1, 61. Barbarae arae, *h. e.* a Barbaris exstructae. *Treb.* XXX. *Tyrann.* 23. *de Saturnino.* Victoriae Barbarae, *h. e.* de Barbaris reportatae. Al. aliter leg. [*Est *barbarus* omnino is, qui diversa ab incolis ejus loci ubi domicilium habet lingua utitur. Sic *Ov. Trist.* 5, 10, 37. de se ipso apud Scythas degente: barbarus hic ego sum quia non intelligor ulli.] ℙ *Barbarum, i*, genus emplastri, de quo *Cels.* 5, 19. *n.* 1. et *ib.* 26. *n.* 23. *a med.* et *Scrib. Comp.* 207. [*Idem emplastrum apud *Scrib. Larg. compos.* 207. *in.* etiam *barbara* dicitur, ad quam vocem fortasse *compositio* cogitandum.] ℙ *In barbarum* est in morem barbarorum. *Tac. A.* 6, 42. Civitas non in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. *Id. H.* 5, 2. Accolas Idaeos, aucto in barbarum cognomento, Judaeos vocitari. [*Est hoc ex Graecorum more dictum, apud quos ἐς οὖν ὁρμᾷ est i. q. *apri more impetum facit.* V. *Ruhnk. praef.* ad *Schelleri Lex.* p. 10. coll. *Schaefer.* ad *Theocrit. Id.* 14, 28. Sic *Wustem.* Ego illum potius Graecorum usum compararim, quo dicunt εἰς καλόν et simm. pro καλῶς. V. *Matth. Gr. Gr.* §. 578. d., p. 1146. Eadem est Graecorum imitatio, quum *Tac.* dicit *ex facili*, *ex affluenti* etc. pro advv. *facile*, *affluenter*, ut Gr. ἐκ τοῦ ἐμφανοῦς pro *palam.*] ℙ Speciatim *Barbari* dicti sunt Phryges. [*Barbarus eximie appellatur rex Persarum apud *Cornel. Themist.* 4.] *Hor. Epod.* 9, 5. Sonante mixtum tibiis carmen lyra, Hac Dorium, illis Barbarum. *Virg. A.* 11, 777. Pictus acu tunicas, et barbara tegmina crurum. V. PHRYGES. [*BARBARIA et BARBARICUS.] ℙ [*Barbari casus* dicuntur, qui terminationem habent tantum Latinam, non vero Graecam. *Cic. Or.* 48. Et cum *Phrygum* et *Phrygibus* dicendum esset, absurdum erat aut tantum barbaris casibus Graecam litteram adhibere, aut recto casu solum Graece loqui; nunc tamen et *Phryges* et *Phrygum* aurium causa dicimus. *Gesn.* in *Thes. L. L.* in V. *Casus* censet, Ciceronem vocasse casus barbaros *Phrygum* et *Phrygibus*, quod eos Latini cum Graecis communes non habent; *Phryx* enim et *Phryges*, casus recti, etiam Graeci sunt; in his igitur Graecae litterae *ph* et *y* ferri possunt; ergo, ait *Cicero*, cur non eadem

retineri possint etiam in barbaris casibus *Phrygum* et *Phrygibus*, aurium scilicet causa? ℙ *Barbarum* pro *Barbarorum*. *Phaedr.* 4, 6. In perniciem Grajum et Barbarum, *h. e.* barbarorum. ℙ Comp. *Barbarior*. V. supra. *F.*]

*BARBATĬA, ae, f. oppidum ad Tigrim fluvium. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

BARBĀTORIA, ae, f. *πωγωνοκουρία*, barbae recisio. *Barbatoriam facere* ap. *Petr. fr. Trag.* 73. *Burm.* est primam barbam ponere, quod solemni ritu fieri solebat, ut in BARBA dictum est. Verba *Petronii* sunt: Amici, inquit, hodie servus meus barbatoriam facit. Itaque usque in lucem coenemus. [*Haec vox *barbatoria* ex sermone rustico videtur petita esse. Cf. *Boettigeri Sabina*, Tom. II. p. 57.]

BARBĀTŬLUS, i, m. *ἀρτιγένειος, λειογένειος*, [qui barbae florem habet in extrema genarum parte prope aures. Ita vero *Bartol. Borghesius Dissert. della gente Arria* p. 67. et seqq. Romae vocatos fuisse probat adolescentes, qui ornatus gratia barbulam illam circa genas alebant, quam etiamnum gerere solent nostri juvenes venerei nepotuli, donec ad plenam virilitatem pervenerint, quamque maturiores annis tandem deponunt. [*Sic *Furl. Forc.* haec habebat: „qui primam barbam vix emisit, aut qui exiguam habet barbam.“ Ego quidem non video, cur de illa maxime genarum barba intelligendum sit nostrum voc., quum non minus bene intelligi possit de minore aliqua labii superioris et menti barba, qualem hodieque delicatuli adolescentes, maxime milites et litterarum studiosi, in deliciis habent. V. *Cic. Coel.* 14. quem *Forc.* affert s. v. seq. ab in.] *Cic. Att.* 1, 14. Concursabant barbatuli juvenes, totus ille grex Catilinae. [*Id. ib.* 16. Ut nostri isti comissatores conjurationis, barbatuli juvenes, illum (*Pompejum*) in sermonibus Cnaeum Ciceronem appellent. *Hieron. ep.* 117. *ad matr. et fil. n.* 6. Dabit tibi barbatulus quilibet manum, sustentabit lassam, et pressis digitis aut tentabitur, aut tentabit. Et *n.* 10. An tu negligens, dissoluta, contemptrix, quae annos nata XXV. adolescentem necdum bene barbatulum ita brachiis tuis, quasi cassibus, inclusisti? V. BARBULA. *F.*] ℙ Translate de piscibus. *Cic. Parad.* 5, 2. Barbatulos mullos exceptans de piscina. V. BARBULA.

BARBĀTUS, a, um, adj. *πωγωνίας, ἐκπώγων*, barbam habens. *Cic. Coel.* 14. Aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis, non hac barbula, qua ista (mulier) delectatur, sed illa horrida, quam in statuis antiquis et imaginibus videmus. [*Hic locus vide an ad seq. referri debeat. Rectius, opinor, huc trahas *Cic. Cat.* 2, 10. ubi juvenes de grege Catilinae, qui lanuginem nondum deposuerunt, ita significat: quos pexo capillo, nitidos aut imberbes aut bene barbatos videtis. — Juppiter audit *barbatus*, quod cum barba effingitur in statuis; opponitur *imberbis* Apollo. *Cic. N. D.* 1, 30. Isto modo dicere licebit Jovem semper barbatum, Apollinem semper imberbem.] *Id. Att.* 2, 1. Si mulli barbati sint, qui ad manum accedant. [*Plin.* etiam 9, 30. mullos dicit barba gemina insigniri inferiori labro.] ℙ Saepe dicitur de antiquis hominibus, quia veteres nec capillum tondere, nec barbam radere solebant. V. BARBA. *Cic. Mur.* 12. Haec jam tum apud illos barbatos ridicula, credo, dicebantur. *Id. Sext.* 8. Unum aliquem ex barbatis illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis intueri. *Juven.* 4, 103. facile est barbato imponere regi, *h. e.* stulto, aut minus astuto, simplici ac rudi. Tales enim prisci illi fuere. ℙ Item de philosophis qui barbam alere solebant. *Pers.* 4, 1. barbatum haec crede magistrum Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae, h. e. Socratem. Adde *Juven.* 14, 12. ℙ *Barbatus* substantive. *Petr. fr. Trag.* 40. *Burm.* Non ille Carpus accessit, sed barbatus ingens, fasciis cruralibus alligatus. *Mart.* 14, 81. Ne mendica ferat barbati prandia nudi, Dormiat et tetrico cum cane pera rogat, *h. e.* philosophi Cynici. *Phaedr.* 4, 8. *barbatum* pro hirco posuit. ℙ Translate. *Mart.* 14, 84. Ne toga barbatos faciat, vel paenula libros, *h. e.* assiduo attritu libros villosos reddat, dum sinu gestantur. ℙ *Barbata nux* dicitur a *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 3. quae lanugine, ceu barba, tegitur. ℙ Apud *Eund.* 10, 3. inter varias aquilarum species est etiam *barbata*, quam a Tuscis ossifragam appellari ait. ℙ De *Fortuna barbata*, *h. e.* viri barbati specie culta, cujus aediculam fuisse Romae in II. regione affirmat *Panvinius*, exstat figura et vet. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell.* p. 104. [et apud *Murat.* p. 81. Hujusmodi numen fuisse Jovem hoc titulo veneratum, apparet ex *August. Civ. Dei* 4, 11. Ipse Juppiter sit et Fortuna barbata, quae adultos barba induat; quos honorare noluerunt, ut hoc qualecumque numen saltem masculum Deum, vel a barba Barbatum, sicut a nodis Nodosum, vel certe non Fortunam, sed quia barbas habet, Fortunium nominarent. *F.*]

*BARBESCO, *γενειάζω*. *Gloss. Cyril. B. A.*

*BARBESŪLA, ae, oppidum Hispaniae Baeticae cum flumine cognomine, inter Carteiam et Saldubam. *Plin.* 3, 1. *Barbesola* appellatur a *Mela* 2, 6. *ad f. B. A.*

BARBĬGER, a, um, adj. *πωγωνοφόρος*, qui barbam fert: et dicitur fere de capris. *Lucr.* 5, 898. Barbigerae pecudes. Et 6, 970. Barbigerae capellae.

BARBĬTĬUM, ii, n. idem ac barba. *Appul. Met.* 5. p. 162, 21. Juvenis lanoso barbitio genas inumbrans. *Id. Met.* 11. p. 260, 40. Hircino barbitio philosophum fingere.

*BARBĬTONDĬUM, i, n. Occurrit haec vox ap. *Schol. Antiq.* ad *Juvenal. sat.* 3, 186. edente *D. A. G. Cramero. B. A.*

BARBĬTOS, i, m. et f. et Barbiton, i, n. *ὁ καὶ ἡ βάρβιτος*, et *βάρβιτον τὸ*, genus musici instrumenti multas chordas habentis (nam *Theocritus* appellat *πολύχορδον*) et graviorem edentis sonum: unde et *βαρύμιτον* dicitur, ut *Poll.* 4, 9. docet, a *βαρύς*, gravis, et *μίτος*, quae vox tum filum, tum fides seu nervos significat. A Latinis poetis pro lyra sumitur: cumque Graeca vox sit, libenter Graeca positione effertur. *Hor. Od.* 1, 32, 3. age dic Latinum, Barbite, carmen. *Id. Od.* 3, 26, 3. defunctumque bello Barbiton hic paries habebit. *Ov. Her.* 15, 7. Flendus amor meus est: elegeia flebile carmen. Non facit ad lacrimas barbitos ulla meas. *Auson. ep. ad Philom. Gramm.* 44. Hoc genere et chordas et plectra et barbita conde. *Claud. prooem. ad Epith. in nupt. Hon. et Mar.* 9. Terpsichore facilem lascivo pollice movit Barbiton.

*BARBOSTHĒNES, is, mons Peloponnesi, in regione Laconica, X. mil. pass. distans a Lacedaemone. *Liv.* 35, 27 et 30. *B. A.*

BARBŬLĂ, ae, f. *γένειον*, exigua barba, qualem Romae alebant adolescentes. V. BARBATULUS. *Cic. Coel.* 14. Aliquis ex barbatis illis, non hac barbula qua ista delectatur, sed illa horrida, etc. ℙ Translate. *Plin.* 21, 8, 25. Bellio flos pastillicantibus quinquagenis quinis barbulis coronatur. *Id.* 27, 11, 74. Gerit juxta folia singulas veluti barbulas. ℙ Fuit cognomen Romanum in gente Aemilia, ut Q. Aemilius Barbula. *Liv.* 9, 20.

[BARBŬLUS, i, m. piscis, quem Histri vulgo vocant *mormora*, Veneti improprie *dentale* (Gadus barbatus *Linn.*) *Gloss. Philox. φάγρος ἰχθύς*, dentatus, barbulus, puellius, dentex. V. v. seq. *F.*]

BARBUS, i, m. piscis fluviatilis et marinus, idem qui mullus, vel ex mullorum genere (unde *barbatos mullos* dixit *Cic. Att.* 2, 1. *a med.*) ita appellatus, quia veluti barba gemina insignitur in labris. [*Cyprinus barbulus *L.* Fortasse *barbulus* (V. v. praec.) diminutivum est.] *Aus. Mosell.* 94. Liberior laxos exerces, barbe, natatus. Et *ib.* 134. Propexique jubas imitatus gobio barbi. ℙ [Fuit etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 360, 3. P. Aquius Barbus. *F.*]

BARCĂ, ae, f. *ἑφολκίς, σκάφος*, genus parvi navigii phaselo, aut scaphae simile, et vehendis oneribus aptum. Scribit *Isid. Orig.* 19, 1. barcam esse, quae cuncta navis commercia ad litus portat; eamque in pelago, propter nimias undas, in navi ipsa vehi. Sed *barca* in Latina lingua vox est recentioris aevi. *Paul. Nol. carm.* 21, (al. 13.) 95. *ad Cyther.* Ut mox salubri barca praesidio foret Puppi superstes obrutae. ℙ [Habetur tamen in *Not. Tir.* p. 77. Barca, barcula, barcella. *F.*]

BARCAEI, orum, m. plur. Populi Africae a Barce oppido denominati, Carthaginensium hostes. *Virg. A.* 4, 43.

BARCAEUS, a, um, adj. Barcaeus juvenis *Sil.* 10, 355. et 12, 200. est Annibal, qui ortus Sarrana prisci Barcae de gente vetustos A. Belo numerabat avos, ut ait *Id.* 1, 72.

*BARCANII, orum, populi Hyrcaniae, *Barcani* appellati a *Curt.* 3, 2. *B. A.*

*BARCĀRĬUS, ii, m. qui in barcis militant. *Not. dign. utriusque Imper.* p. 65. Barcariorum classis praefectus. Adde *n.* 63. *B. A.*

BARCĒ, es, f. *Βάρκη*, nutrix Sichaei ap. *Virg. A.* 4, 632., ubi *Servius* notat, hoc cognomen fuisse etiam familiae Annibalis. ℙ Item oppidum Africae quod postea *Ptolemais* dictum est inter Aegyptum et Syrtes majores, ubi Cyrenaica et Marmarica regiones; ita dicta a *Barce* regina, ut *Serv.* ad *A.* 4, 42. docet. *Plin.* 5, 5, 5. ℙ [*Item oppidum Indiae, ad Indi ostium. *Justin.* 32, 10. ubi pro *Barcen* legendum forsan *Baracen*, quod malunt nonnulli. ℙ Item oppidum in Media, ut videtur. *Justin.* 1, 7. ubi tamen *Barene* malunt viri docti. Barene autem Mediae oppidum est. *B. A.*

[BARCELLA. V. BARCA. *F.*]

BARCHĪNUS, a, um, adj. ad Barcham pertinens, quae fuit familia Carthagine nobilissima et potentissima, ex qua Annibal fuit. Hinc *Barchinos* et *Barchinam factionem* et *Barchinam familiam* memorat *Liv.* 21, 3. et 9. et 23, 13. ℙ Barchinam cladem *Sidon. carm.* 2, 532. appellat, qua victus fuit a C. Claudio, et M. Livio, ad amnem Metaurum Asdrubal frater Annibalis, et in ipso proelio occisus: de qua *Liv.* 27, 47. et seqq. ℙ Legitur et *Barcinus.*

BARCĪNO et Barcinon, ōnis, f. nunc *Barcellona*, urbs nobilis Hispaniae citerioris maritima cum portu, caput Catalauniae, olim colonia Romanorum, cognomine Faventia, ut apud *Plin.* 3, 3, 4. legitur. *Aus. ep. ad Paul.* 24, 89. Tarraco et ostrifero superaddita Barcino ponto. *Prud.* 4. *περὶ στεφ.* 33. Barcinon claro Cucufate freta Surget, et Paulo speciosa Narbo.

BARCĪNONENSIS, e, adj. ad Barcinonem pertinens, ut *Barcinonensis muria* apud *Aus. ep.* 21.

[BARCŬLĂ. V. BARCA. *F.*]

BARDAĪCUS, a, um, adj. *Juven.* 16, 13. Bardaicus judex datur haec punire volenti Calceus et grandes magna ad subsellia surae, *h. e.* miles habens calceum Bardaicum et grandes suras datur judex etc. [*Haec interpretatio poetae optime videtur convenire. Similiter Graeci *ἀσπίς, λόγχη, κρηπῖδες* pro militibus ponunt. Vid. *Markl.* ad *Eurip. Iph. Aul.* 189. *Schaefer.* ad *Long.* p. 373. *Interpp.* ad *Theocr. Id.* 15, 5.] Est autem *Bardaicus* vox deducta a *Bardaeis*, qui fuere populi Illyrici; apud quos fortasse militares illi calcei vel inventi sunt, vel in magno usu fuere. Hinc *Bardaicum* absolute pro Bardaico calceo posuit *Mart.* inter ea, quae mali sunt odoris, enumerans, 4, 4. Lassi bardaicus quod evocati. ℙ Sunt qui aliter verba *Juven.* interpretantur, nempe ut *Bardaicus* ad judicem referatur, non ad calceum. Qua ratione *Bardaicus judex* esse dicitur miles cucullo amictus, quae vestis est militaris vilior a Bardaeis itidem denominata, et alio nomine *bardocucullus* dicta. Hinc *bardaicos cucullos* legimus apud *Capit. Pertin.* 8., ubi multa *Salm.* in hanc rem. Similiter apud *Mart.* exponunt *bardaicum* non calceum, sed bardocucullum, qui diu a milite gestatus, et sudore perfusus, satis habet tetri odoris. Itaque *Liburnici cuculli*, qui apud *eund. Mart.* leguntur in lemmate *epigr. lib.* 139, 14., iidem esse videntur qui *Bardaici*. Nam et Liburnia in Illyrico est. ℙ Plura qui volet ad haec loca, quae varie praeterea a variis exponuntur, ipsos adeat eorum interpretes. ℙ Sunt qui ubique legunt *Bardiacus*, eodem tamen sensu: sed *Bardaicus* magis placet eidem *Salm.*, *Grut.* et aliis, quia ut ab *Achaeus* fit *Achaicus*, sic a *Bardeus* vel *Bardaeus* (ut mallet legi *Salm.*) fit *Bardaicus.*

BARDĒI vel Bardaei, orum, m. plur. populi Illyrici, qui quondam ut in Italia sedes figerent, bellum cum Cinna et Mario gessere, ut in quibusdam *Vet. Gloss.* legitur apud *Salm.* ad *Capitol. in Pertin.* 8. [*Populus antiquis temporibus *Ardyaei* nominatus, unde *Vardaei* et *Bardaei* dicti sunt. Cf. *Liv.* 27, 30. et ad h. l. *Gronov.* observ.]

*BARDERATE, oppidum Liguriae. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

BARDI, orum, m. plur. apud Gallos dicti sunt, qui poeticae studiosi erant, et carminibus celebrabant laudes virorum fortium, magno ob id a suis in honore habiti, ut *Fest.* et *Suid.* 4. tradunt. [*Retinuit ac servavit hanc vocem nostra lingua. Ex vulgari usu hodieque vates illos dicimus *Barden*, eorumque carmina *Bardengesaenge.* Descendit autem a verbo *baren*, i. e. clamare, canere, unde *baritus* s. *barditus* dicitur.] Est autem haec appellatio non gentis, aut loci, sed sectae, seu ordinis. Tria enim hominum genera apud Gallos honestissima fuisse, docent *Suid.*, *Diod. Sic.* 5, 31. et *Strabo* 4.; nempe Euhages, qui sacrificiis et praeterea contemplandae naturae operam dabant. V. EUHAGES; Druidas, qui praeter hanc philosophiam de moribus etiam disceptabant; et Bardos. *Lucan.* 1, 447. Vos quoque qui fortes animas belloque peremptas Laudibus in longum vates dimittitis aevum, Plurima securi fudistis carmina Bardi. *Ammian.* 15, 9. Per haec loca viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos et Euhages et Druidas. Et Bardi quidem fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus cum dulcibus lyrae modulis cantitarunt: Euhages vero scrutantes seriem et sublimia naturae pandere conabantur: inter hos Druidae ingeniis celsiores, ut auctoritas Pythagorae decrevit, sodaliciis adstricti consortiis, quaestionibus occultarum rerum altarumque erecti sunt, et despectantes humana pronunciarunt animas immortales. Hic *Valesius* ex auctoritate *Athenaei*, *Appiani* etc., ostendit solitos fuisse Bardos castra sequi, et regum ac ditiorum mensas, veluti parasitos et scurras, consectari, carmina in eos laudum plena, et conviciorum in hostes fundendo, quibus se commendabant.

BARDĬĂCUS. V. BARDAICUS.

BARDĪTUS. V. BARRITUS.

*BARDO, onis, oppidum Hispaniae ulterioris. *Liv.* 33, 21. *B. A.*

BARDŌCŬCULLUS, i, m. genus vestis e viliore ac villoso panno, quae cucullum seu tegmen capitis assutum habet, qua utebantur rustici, milites et servi viliores pluvio tempore, et in ea etiam, si opus esset, cubabant. Sunt qui putent non vestem, sed solum capitis tegmen significari. Quod probari videtur illo *Juven.* 8, 145. Tempora Santonico velas adoperta cucullo; ubi *bardocucullum* procul dubio designat. Aptius tamen pro tota veste sumitur tegmen capitis habente. Fiebant hujusmodi vestes praecipue in Gallia apud Santones

et Lingones: putantque nonnulli denominatas esse a *Bardis*, de quibus dictum est in V. BARDI, orum: alii tradunt dictas esse a *Bardeis* populis Illyrici, et esse easdem, quas *Capitol. Pertin.* 8. appellat *cucullos Bardaicos*. V. BARDAICUS. [Videtur esse vestis eadem, qua hodie utuntur Venetiis piscatores et nautae, quaeque *cappotto* appellatur; eademque fortasse *palla Gallica* dicitur a *Mart.* 1, 93. Dimidiasque nates Gallica palla tegit. *Strabo l.* 4. *Οἱ Βέλγαι ἀντὶ χιτόνων σχιστοὺς χειριδωτοὺς φέρουσι μέχρι αἰδοίων καὶ γλουτῶν. F.*] *Mart.* 14, 128. Gallia Santonicò vestit te bardocucullo. Cercopithecorum paenula nuper erat. *Id.* 1, 54. Sic interpositus villo contaminat uncto Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

*BARDŪLI, orum, fortasse idem quod Varduli. *Plin.* 4, 22. *B. A.*

BARDUS, a, um, adj. *βραδὺς, δυσμαθὴς*, qui tardus est ingenio, hebes, stolidus, stupidus, stultus: a *βραδὺς* facta metathesi, ut *Fest.* et *Non.* 1, 32. docent. *Cic. Fat.* 5. Zopyrus stupidum esse Socratem dixit et bardum. *Pl. Bacch.* 5, 1, 2. Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones. *Id. Pers.* 2, 1, 2. Barda et rustica mulier. *Tert. adv. Hermog.* 36. Pictor te bardior non est.

*BARĒA vel Baria, ae, *Βάρεια*, oppidum Hispaniae Baeticae maritimum, in confinio Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 3, 3. *B. A.* ℙ [Item cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 107, 8. Q. Marcius Barea. Apud *Tac. A.* 16, 23. Soranus Barea. Desumptum videtur a Barea Baeticae urbe, cujus mentio est apud *Plin.* 3, 3, 4. et a *Ptol.* 2, 6. *Βάρεια* vocatur. *F.*]

*BARGĒNI, orum, populi Africae, in terra Troglodytica. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*BARGINA vel Barginna, ae, m. Homo gentis vitiosae, ut exponunt Grammatici. *Gloss. Vet.* Barginna, *νεκροφόρος, βάρβαρος, προσφώνησις βαρβάρου. Caper de Orthogr.* p. 2245. Bargina, non Bargenna, *i.* homo vitiosae gentis. *Voss. Etymol. ex Gl. MSS.* Barginae peregrinae: et al. *Gloss.* Varginus alienigena peregrinus, quasi barbaris genitus. Cf. *Vargus*, quod cognatum videtur. Bargus *ἀφὴν Adamantius* ap. *Cassiod. de Orthogr.* p. 2299. *B. A.*

*BARGŪLUM, i, oppidum Illyrici vel Dalmatiae. *Liv.* 29, 12. *B. A.*

*BARGUS, i, Thraciae amnis, in Hebrum cadens. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

*BARGUSĪI, orum, populi Hispaniae Tarraconensis, inter montes Pyrenaeos et Iberum fluvium, Ausetanorum Ilergetumque finitimi. *Liv.* 21, 19 et 29. *B. A.*

[BARGYLĬĒTAE, arum, m. plur. *Βαργυλιῆται*, incolae urbis Cariae, quae Bargyliae vocata est. *Cic. Fam.* 13, 56. Heracleotae et Bargyletae (leg. *Bargylietae*) aut pecuniam solvant, aut fructibus suis satisfaciant. ℙ De scriptione vocis alii alia probant; sunt enim qui *Bargyletae* pro *Bargylietae* scribunt, sed apud *Liv.* 32, 33., et 33, 18. *Bargyliae* scribitur, et plures nummi ap. *Mionnet Descr. des médaill. Ant. T.* 3. p. 336. habent *ΒΑΡ-ΓΥΛΙΗΤΩΝ. F.*]

[BARGYLĬĒTĬCUS, a, um, adj. ad Bargylias pertinens, Cariae urbem maritimam, mediam fere inter Mindum et Miletum, quae nunc in ruinis jacet. *Liv.* 37, 17. Bargylieticus sinus. *Plin.* 5, 29, 31. Bargyletici (leg. *Bargylietici*) campi. *F.*

*BARGYLUS, i, mons Phoeniciae. *Plin.* 5, 20. ℙ Bargylus, oppidum. V. *Bargylietae. B. A.*

[BARIAMMAS, ae, m. est nomen compositum ex *Chald.* בַּר, filius, et יַמָּא, mare, *h. e.* filius maris. Nomen servile Romanum apud *Fabrett.* p. 281. *n.* XVI. D. M. Harnes Q. vix. an. XX. Bariammas conjugi B. M. F. cum qua vix. an. VIII. et sibi. *F.*]

BARINŪLAE, arum, m. plur. sunt scrutatores et repertores aquarum, qui usitatiore vocabulo *aquilices* dicuntur. Legitur ap. *Serv.* ad *G.* 1, 109. Sed est tamen dubiae admodum auctoritatis.

[BĂRĪNUS, a, um, adj. ad Barium pertinens, Apuliae urbem, nunc *Bari. Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 330. . . . . itius L. F. Cl. Barinus Baris. Hic *Baris* est ablativus casus pro *Bariis*: hinc colligitur etiam *Barii, orum* fuisse declinatum nomen hujus urbis, ut ap. *Hor. Sat.* 1, 5, 97. *Bari* est pro *Barii*, casus genit. singul. num. *F.*]

BARIPPE. V. BAROPTĒNUS.

BĂRIS, ĭdis, et ĭdos, f. *βᾶρις*, genus navigii apud Aegyptios, quod contis propellitur, magnorum quidem ponderum capax, sed Nilo tamen solum, non mari idoneum. *Prop.* hoc nomine appellat naves, quibus Cleopatra cum Antonio contra Augustum pugnavit: non quod revera *barides* fuerint; nam maximas eas fuisse et munitissimas, nec contis, sed pluribus remorum ordinibus actas, ex *Flor.* 4, 11. constat: sed ad irridendas Aegyptiorum opes, qui cum fortissima atque invicta Romanorum classe concurrere ausi fuerint. Locus *Prop.* est 3, 9, 41. Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin, Et Tiberim Nili cogere ferre minas, Romanamque tubam crepitanti pellere sistro, Baridos et contis rostra Liburna sequi. [*De *Baride* agunt *Grangaeus* ad *Prud. c. Symm.* p. 167. *Pignor.* ad *Mens. Isiac.* p. 71. *Brodaeus* ad *Anthol. Gr.* III. 32, 16. p. 420. (ed. Obsop.). *Potter.* ad *Lyc.* 747. *Jac. Gronov.* ad *Herod.* 2. p. 886. quos collegit *Burm. Sec.* ad *Prop.* 3, 9, 44. p. 594. *Jahn.*] ℙ [De vocis etymo, num Aegyptia an Persica ea sit, disputat *Sturz. de dial. Maced. et Alex.* p. 89., quem videsis. *F.* ℙ *Item Pisidiae oppidum, non procul a Galatia. *Plin.* 5, 32. *B. A.*]

BARĪTUS. V. BARRITUS.

*BARĪUM, i, oppidum Apuliae, hodie *Bari. Mela* 2, 4. *Plin.* 3, 11. *Liv.* 40, 18. et *Anton. Itin.* ℙ *Bari* in *Hor Sat.* 5, 97. est pro *Barii*, contracte positum. *B. A.*

BARO, ōnis, m. vox est contumeliae, et significat stultum, bardum, fatuum, hebetem. Legitur non semel ap. *Cic. Fin.* 2, 23. *ad f.* Haec cum loqueris, nos barones stupemus. [*Scilicet ridentur Epicurei, quod, quum in voluptate summum bonum ponant, magnifica tamen de virtute et officio loquantur.] *Id. Div.* 2, 70. Huic quidem Antipho, baro, inquit, te victum esse non vides? Quidam leg. *tu vero, inquit*, quod *Victor.* valde improbat. [*Verum est *baro*. V. *Schütz.* in Ind. s. v.] *Id. Fam.* 9, 26. Ille baro te putabat quaesiturum, unum coelum esset, an innumerabilia. Al. leg. *ille vero.* Quidam *ille non:* sed a *Victor. Man.* et aliis rejicitur. [*Baro h. l. significat ineptum hominem, quem nos dicimus *einen Pedanten*. V. *Schütz.* in Ind. s. v.] *Id. Att.* 5, 11. *ad med.* Apud Patronem, et reliquos barones te in maxima gratia posui. *Pers.* 5, 138. eheu, Baro regustatum digito terebrare salinum Contentus perages, si vivere cum Jove tendis. ℙ Sunt qui in omnibus hisce exemplis pro *baro* reponunt *varo* vel *varro*, eadem tamen manente sententia: nam *b* et *v* saepissime commutantur, ut initio hujus litterae diximus. *Varo* enim vel *varro* significat stipitem non dolatum, praedurum atque enodem: a quo *vallum* dictum est. Recte itaque *varo* seu *baro* pro hebeti ac stolido usurpatur, cum etiam *stipes* eleganter eum sensum habeat. Posset etiam deduci a *vara*, quae lignum, aut perticam significat. *Vet. Pers. Schol.* docet, *barones* seu *varones* Gallorum lingua dici servos militum, qui utique stultissimi sunt, servi videlicet stultorum. Hoc sensu *Hirt. B. Al.* 53. Concurritur ad Cassium defendendum: semper enim barones compluresque evocatos cum telis secum habere consueverat. Al. leg. *Berones.* V. BERONES. ℙ Quidam scripserunt *baronem* fuisse mulierem philosophiae studiosam, et ab ea hanc convicii appellationem ortam esse. Sed ridet hoc *Grut.* in notis ad *Cic. Att.* 5, 11., rejicit etiam *Voss.* in *Etym.* ℙ Porro quod in quibusdam *Gloss.* exponeretur *baro*, *ἀνὴρ* et *vir fortis in laboribus*, putarunt quidam *baronem* vocabulum esse dignitatis et honoris, qua ratione hodieque apud Germanos usurpatur: *Cic.* autem ac *Pers.* per ironiam aut jocum locutos fuisse: sed haec significatio ad corruptae Latinae linguae aetatem referenda est. V. *Du Fresne in Gloss.* ℙ Vox *baro* legitur etiam bis in *fr. Trag. Petr.* 53. et 63. *Burm.* ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 393, 7. L. Coelius L. A. Ouf. Baro. *F.*]

BAROPTĒNUS, gemma est nigri coloris, sanguineis et albis notis: alio nomine barippe dicta. *Plin.* 37, 10, 55. [*Etiam *barippe* audit, et sic habet *ed. Hard.*]

[BAROSUS, i, m. Ex *Gloss. Philox. βάκηλος, σοβαρὸς*, stultus, mulierosus, mollis. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 12. Barosus *Ret. Tir.* 7. (*h. e.* centurio retiariorum tiro). *F.*]

*BARPĀNA, ae, insula Tyrrheni maris. *Plin.* 3, 6. *Carbania* appellatur a *Mela* 2, 7. *post med.* hodieque est *Cerboli* vel *Corboli. B. A.*

*BARRA, ae, Galliae transpadanae oppidum, in regione Orobiorum. *Plin.* 3, 17. *B. A.*

*BARRĪGĒNAE, arum, f. plur. antistites quaedam in Sena, nunc *Sein*, insula maris Britannici, de quibus sic *Mela* 3, 6. Sena in Britannico mari, Osismicis adversa litoribus, Gallici numinis oraculo insignis est; cujus antistites perpetua virginitate sanctae numero novem esse traduntur; Barrigenas vocant, putantque ingeniis singularibus praeditas, maria ac ventos concitare carminibus, seque, in quae velint animalia, vertere, sanare, quae apud alios insanabilia sunt, scire ventura et praedicare: sed non nisi deditas navigantibus, et in id tantum, ut se consulerent. Al. leg. *Gallicenas. B. A.* [Has vero virgines *Vopisc. Aurel.* 44. vocat *Gallicanas Druidas. F.*]

BARRĪNUS, a, um, adj. ad barrum seu elephantem pertinens. *Sidon. ep.* 3, 13. Gerit aures immanitate barrinas.

BARRĪO, is, n. *τρίζω*, verbum exprimens vocem barrorum seu elephantorum, ut *Fest.* docet. *Spart. Get.* 5. Elephanti barriunt, ranae coaxant, equi hinniunt.

BARRĪTUS, us, m. verbum exprimens vocem barri seu elephanti, quam *Plin.* 11, 51, 112. similem esse ait tubarum raucitati. *Appul. Flor. n.* 16. p. 358, 2. Taurorum mugitus, elephantorum barritus, equorum hinnitus. *Isid. Orig.* 12, 2. Elephas apud Indos a voce barrus vocatur, unde et vox ejus barritus dicitur, et dentes ebur. ℙ Est praeterea clamor ingens et inconditus, quem edere solent milites ipso pugnae initio ad terrendos hostes. *Veg. Mil.* 3, 18. Clamor autem, quem barritum vocant, prius non debet attolli, quam acies utraque se junxerit. *Ammian.* 16, 12. Cornuti et Bracati barritum civere vel maximum: qui clamor ipso fervore certaminum a tenui susurro exoriens, paulatimque adulescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum. *Id.* 26, 7. *in f.* Pro terrifico fremitu, quem Barbari dicunt barritum. ℙ Ex postremo hoc loco apparet *barritum* non esse Latinam vocem, sed barbaram: quod confirmatur 31, 7., ubi tradit, Romanos clamorem edidisse, quem *gentilitate appellant baritum*, hoc est lingua gentium seu Barbarorum. Quod vero ibidem subdit: *Barbari vero majorum laudes clamoribus stridebant inconditis*, explicat illud idem, quod de Germanis narrat *Tac.* ita loquens *G.* 3. Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem barritum vocant, accendunt animos, futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur. *Lips.* hoc loco legi mallet *baritus* unico *r*. Putat enim Germanicam vocem esse, a verbo *beren* seu *baeren*, quod clamare significat. [*Verior utique est scriptura *baritus*. De qua re ne longi simus, lectores jubemus *Passov.* consulere ad *Germ.* l. l.] Alii leg. *barditum*, derivantque a *Bardis*, qui apud Gallos sequi exercitum, et versus canere solebant. V. BARDI.

BARRUS, i, m. elephantus. *Gloss. Philox.* Ἐλέφας, Elephantus: barrus. Ita etiam exponitur a *Cassiod. Orthogr.* 5. ex *Adimant. Mart.* et ab *Acrone* ac *Porphyr.* ad illud *Hor. Epod.* 12. Quid tibi vis, mulier, nigris dignissima barris? Ubi *Hor.* vel revera elephantos intelligit; vel potius, ut placet *Turn.* 14, 30., *Torrent.*, et aliis, significat sordidos, deformes ac valentes amatores, quibus libidinosa illa anus digna esse videbatur. [*De voce *Barrus* vid. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 596. *Sirmond.* ad *Sidon. Apollin.* 3, 13. p. 219. quos affert *Burm. Sec.* ad *Anth. Lat.* Tom. II. p. 439. *Jahn.*] V. BARRITUS. ℙ Haec vox non est Latina, sed barbara, ab Afris, aut Indis petita, quemadmodum barbarum est animal, cujus appellatio est. *Voss.* tamen more suo a Graecis, vel ab Hebraeis ducere conatur. ℙ Est etiam cognomen Romanum. *Cic. Brut.* 46. T. Betucius Barrus Asculanus.

*BARSA, ae, insula Galliae adjacens, inter Galliam Britanniamque. *Anton. Itin. B. A.*

BĂRYCAE Aedes et Bărycephălae dicuntur a *Vitr.* 3, 2. quae sunt araeostylae, quae cum raras habeant columnas, non possunt in magnam altitudinem attolli, ne pondere ipso fatiscant: itaque humiles fiunt et latae. Ductae sunt eae voces a *βαρὺς*, gravis, et *κεφαλὴ*, caput, quia ejusmodi aedes, quasi graviores sint, non ascendunt, neque caput extollunt; ducta fortasse similitudine a brutis animalibus, quae quo crassius graviusque caput habent, eo in terram proniora ingrediuntur. Aedem hujusmodi Itali nunc vocant *baracca*, olim Romae plebs *baraca* [*unde ortum videtur nostrum *Barake*, de aedibus in usum militum exstructis.]; nam Dorica dialectus, quam imitati sunt Latini, *v* saepissime in *a* mutat, teste *Theocr. Eid.* 15, 88. *ἐκκαιδεύτει πλατειάδοισαι ἄπαντα.* [*Theocriti locum huc trahi nolim a Forc.; longe alium ei subesse sensum in Syracusani poetae editione ostendimus.]

BĂRYPICRON, *βαρύπικρον*, cognominatur a Graecis absinthium, propter gravem amaritiem, a *βαρὺς*, gravis, et *πικρὸς*, amarus. *Appul. Herb.* 100.

[BĂRYTHON, ōnis, m. *βαρύθων*, herba, quae alias herba Sabina vocatur. *Appul. Herb.* 85. *F.*]

*BASABOCATES, ium, populi Galliae Aquitanicae. *Plin.* 4, 19. *Hard.* putat eosdem esse quos Vocates appellat *Caes. B. G.* 3, 23. etc. *B. A.*

*BASAG, insula Arabiae vicina. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

BASALTES, is, m. marmor Aegyptium, de quo *Plin.* 36, 7, 11. Invenit eadem Aegyptus in Aethiopia, quem vocant basalten, ferrei coloris atque duritiae. [Unde et nomen ei dedit. Hebr. בַּרְזֶל, ferrum significat, unde primum *barzalten*, dein *basalten* derivatum videtur. *F.*] Aethiopibus vero *basal* dicitur.

BASANĪTES Lapis, *βασανίτης λίθος*, (a *βάσανος*, quod idem significat) est lapis Lydius, cujus tactu aurum argentumque exploratur. *Plin.* 36, 20, 38. et *ib.* 22, 43.

[BASCĂNĬUS, i, m. *βασκάνιος*, contra fascinum factus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Rosin. Dissert. Isag. tab.* 15. Q. Moecius Bascanius. *F.*]

BASCAUDA, ae, f. (*Spülnapf, Spülgelte*) vas Anglicum, in quo calices et cacabus lavabantur, ut est apud *Vet. Schol.* ad illud *Juven.* 12, 46. Adde et bascaudas et mille escaria, etc. ℙ Ipsa quoque vox Britannica est, ut indicat *Mart.* 14, 99. Barbara de pictis veni bascauda Britannis: Sed me jam mavult dicere Roma suam.

BASCŪLI, orum, m. plur. populi Hispaniae Baeticae, ad fretum Gaditanum, Turdulis vicini. *Varr.*

R. R. 2, 10. Non omnis apta natio ad pecuariam: quod neque Basculus neque Turdulus idonei. ℙ Hos populos *Bastulos* appellant *Plin.* 3, 1, 3., *Mela* 3, 7., *Strabo* 3., *Ptolem.* 2, 4. aliique, atque ita appellandos ex lingua Arabica probat *Bochart. Geogr. Sacr.* 1, 34. *Inscr.* ap. *Grut.* 349, 1. habet *Bastetanos*, *Plin.* vero 3, 1, 3. eorum regionem *Bastitaniam* appellat.

BĂSELLĂ, ae, f. parva basis. *Pallad.* 1, 18. de cella vinaria: Medium spatium cupis deputabitur, quas ne ambulacra prohibeant, basellis altioribus impositas, etc. Al. minus recte leg. *asellis.* V. ASELLUS. [*Recte *Forc.* probat *basellis*, quanquam haec deminutivi forma ad eorum verborum numerum referenda, quae alii linguae originem, alii compositionis formam debent. Sed haud major est licentia, ex qua *basella*, quam ex qua *basicula* fingitur. *Bases* saepe memorantur collocandorum vasorum causa paratae.]

BĂSĬĀTĬO, onis, f. *φίλημα.* actus basiandi. *Cat.* 7, 1. Quaeris, quot mihi basiationes, etc. Adde *Mart.* 7, 95.

BĂSĬĀTOR, oris, m. *φιλητής*, qui basiat. *Mart.* 11, 98. Effugere non est, Basse, basiatores. [*Quo loco haud scio an data opera quaesitus sit similis vocum *Basse* et *basiatores* sonus.]

BĂSĬĀTUS, a, um, part. a *basio*, basio affectus. *Mart.* 12, 59. Hinc sutor modo pelle basiata.

[BĂSĬCŬLĂ, ae, f. parva basis. *Not. Tir.* p. 163. Basis, basicula. *F.*]

BĂSĬLEĂ, ae, f. urbs Helvetiorum ad Rhenum media inter Constantiam et Argentoratum. Prima ejus mentio est apud *Ammian.* 30, 3., ubi al. leg. *Basilia.*

BĂSĬLĬĂ, orum, n. plur. *τὰ Βασίλεια*, hoc est regia, ad reges spectantia. *Tert. adv. Marc.* 4, 14. Sic et retro in Basiliis, Anna mater Samuelis, etc. *h. e.* in libris S. Scripturae, qui Regum inscribuntur.

BĂSĬLĬCĂ, ae, f. *βασιλική*, vox Graeca est, quae proprie domum regiam significat [*unde *Stat. Silv.* 1, 1, 29. verbo Latino facto eam *regiam* appellavit: Illic belligeri sublimis regia Pauli.]: a *βασιλεύς*, rex. Est autem per se adjectivum, et intelligitur *domus.* Quia vero regum aedes ampliores esse solent atque ornatiores, Latini *basilicas* appellarunt aedes publicas spatiosis membris (*mit Säulen*) et ambulationibus instructas, porticibusque amplis saepe circumdatas: quae multae in Foris Urbis Romae diversis temporibus exstructae, eorum, qui exstruxerunt, nominibus appellatae sunt. Basilicae faciendae rationem pluribus docet *Vitr.* 5, 1., ex quo earum, quae Romae fuere, formam facile colligere nobis licet. Erant autem hujusmodi aedificia ad populi commodum facta, ut haberet, quo convenire posset ab aeris injuriis munitus, et negotia sua sub tecto agere. Nam in basilicis plura judiciorum genera exercebantur, *v. gr.* Centumviralia, ut ex *Quint.* 12, 5. *in f.* et ex *Plin. ep.* 2, 14. et *ep.* 6, 33. apparet. Tribunos etiam plebis in basilica Porcia jus dixisse, testatur *Plut. in Cat. min.* [*Basilicam Porciam primam Romae exstructam esse testis est *Aurel. de vir. ill.* 47. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 39, 44, 7.] Praeterea conveniebant eo negotiatores, vendendi emendive causa, mercesque suas venales proponebant, ut ex *Paul. Dig.* 34, 2, 33. colligitur. *Cic. Att.* 2, 14. Basilicam habeo, non villam, frequentia Formianorum, *h. e.* adeo frequentes ad me accedunt Formiani, ut non in villa mea esse, sed in publica basilica videar. *Id. Verr.* 2, 5, 58. Forum plenum, et basilicas istorum hominum videmus. [*Lege de *basilicis* quae *Bremi* disputavit ad *Suet. Caes.* 10. *Cal.* 37.] ℙ Accipitur aliquando pro parte aedis ampla, columnis ornata, aut pro porticu, in qua ambulare et spatiari licet. *Capit. Gordian.* 32. Villa Gordianorum Praenestina, ducentas columnas in tetrastylo habens: in qua basilicae centenariae tres, *h. e.* centum pedum longitudinis. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 704. *n.* 252. Respublica, populusque Corfiniensis sacellum Luccejum vetustate dilapsum adjectis basilicis sua pecunia restituit decreto decurionum, *h. e.* adjectis porticibus ad sacelli ipsius latera, vel e regione exstructis. ℙ *Pallad.* 1, 18. nomen *basilicae* de cella vinaria usurpavit: fortasse quia latior exstrui solet, quam cetera aedium membra. ℙ Apud christianos scriptores *basilica* dicitur aedes sacra augustior et celebrior. *Sulpic. Sev. Hist. sac.* 2, 33. *de Helen. Constant. matre.* Mox usa regni viribus, basilicam in loco Dominicae passionis, et resurrectionis, et ascensionis constituit. *Id. ib.* 38. In basilica Martyrum, extra oppidum sita. ℙ *Hieron. ep. ad Heliod.* 60. *n.* 12. appellat *basilicas Ecclesiae* minora sacella, seu aediculas in ipsa Ecclesia positas.

*BĂSĬLĬCĬĂRĬUS, i, m. qui in basilica frequens est. *Gloss. Lat. Gr.* Basiliciarius, *μαλακὸς, ἀγοραῖος.* Cf. *Subbasilicanus. B. A.*

BĂSĬLĬCĒ, adv. *βασιλικῶς*, more regis, regie, magnifice. *Pl. Pers.* 4, 2, 1. Euge euge, exornatus basilice! Tiara ornatum lepide condecorat tuum. *Id. ib.* 1, 1, 29. Basilice agito eleutheria. Et 5, 2, 25. Hui! babae! basilice te intulisti et facete! *h. e.* regio quasi fastu. ℙ Translate. *Id. Epid.* 1, 1, 54. Dii immortales, ut ego interii basilice! *h. e.* omnino, funditus, magna ruina perii: nam reges si quando adversa utantur fortuna, de magno statu decidunt.

BĂSĬLĬCE, es. V. v. seq.

BĂSĬLĬCON, i, n. nomen collyrii cujusdam Euelpidis apud *Cels.* 6, 6. *n.* 31., quod ad oculos scabros mire facit. ℙ Apud *Scribon. Compos.* 210. est *basilicon* emplastrum nigrum Tryphonis, quod facit ad contusa, ad canis morsus, ad furunculos etc. Hoc ab *eodem Compos.* 238. appellatur *basilice, es.* ℙ [*Basilicon, genus juglandis. V. *Basilicus* ad f. *B. A.*]

BĂSĬLĬCŬLĂ, ae, f. parva basilica seu aedes sacra. *Paulin. Nolan. ep. ad Sever.* 32. *n.* 17. Basiliculam consecrare.

BĂSĬLĬCUS, a, um, adj. *βασιλικὸς*, regalis, splendidus, magnificus. *Pl. Ps.* 1, 5, 43. Statum vide hominis, Callipho, quasi basilicum. *Ca.* Bene confidenterque adstitisse intellego. *Id. Capt.* 4, 2, 31. Basilicas edictiones atque imperiosas habet. *Id. Pers.* 1, 1, 32. Veni, vives mecum: basilico accipiere victu, [*i. e. ut rex excipieris; regalem apud me habebis victum.] *Pl. Trin.* 4, 3, 25. Basilica hic quidem facinora inceptat loqui. *Id. Rud.* 2, 4, 18. At ego basilicus sum, quem nisi oras, guttam non feres, [*i. e. magnus aliquis vir sum, qui ut alteri aliquid impertiat multum orari vult. Quibus verbis eorum spiritus deridentur, qui quum ad altiorem aliquem gradum pervenerint superbiores fiunt, aliis et pauca tribuentes et nonnisi precibus moti ardentissimis.] ℙ Apud *Eund. Epid.* 2, 2, 48. refertur *basilicum* inter varia vestimentorum nomina: et certe significat vestem quandam magnificam et plane regalem. ℙ In ludo talorum *basilicus jactus* dicitur, qui est omnium fortunatissimus, et victoriam dat: et videtur esse idem, qui *Venerius. Id. Curc.* 2, 3, 79. Talos arripio: invoco almam meam nutricem Herculem: jacto basilicum. ℙ *Basilica* dicitur a Dyrrachinis vitis, quam Hispani cocolobin vocant, rariorem ferens uvam, aestus austrosque tolerantem; capiti inimicam, copia largam. Suntque ejus duo genera: unum oblongo acino, alterum rotundo. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 4., *Colum.* 3, 2. ℙ Tradit idem *Plin.* 15, 22, 24. inter nucum juglandium genera, quod optimum est, *basilicon* appellari. *Macr. Sat.* 2, 14. docet ipsam juglandem a Graecis *basilicam* vocari.

*BĂSĬLĬDAE, arum, Sarmatiae Europaeae populi, sub Hamaxobiis, ab Hercule et Echidna originem sumentes. Trans Gerrum amnem incolebant, supra isthmum Tauricae Chersonesi. *Plin.* 4, 12. *Mela* 2, 1. *B. A.*

BĂSĬLĬSCĂ, ae, f. herba est, Latino vocabulo *regula* dicta, in illis locis nascens, ubi fuerit serpens basiliscus, et vim antidoti contra ejus venenum habens. Est autem similis rutae, foliis oblongioribus, angustis, asperis et nigrioribus, radice pedis ursini simili, flore coloris aurei simul et crocei, lacteque auroso simili chelidoniae. *Apul. Herb.* 128.

BĂSĬLĬSCUS, i, m. *βασιλίσκος*, genus serpentis, in Cyrenaica Africae regione praecipue nascentis duodenum non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, ut quodam diademate. Sibilo omnes fugat serpentes: nec flexu multiplici, ut reliquae serpentes, corpus impellit, sed celsus et erectus in medio incedens: necat frutices, non contactos modo, verum etiam afflatos: exurit herbas, rumpit saxa. Haec *Plin.* 8, 21, 33. Sed *Apul. Herb.* 128. tria basiliscorum genera enumerat, quorum primus est totus aurei coloris, et afflatu nocet: alter stellatus, nocetque solo visu: tertius coloris sanguinei, ut minium, capite tamen aureo: et quidquid viderit vel tetigerit, defluere facit, ut si animal tangat, ossa sola remaneant, carne in tabem resoluta. ℙ Dicitur autem *basiliscus*, h. e. parvus rex: id enim sonat Graeca vox. Hinc a quibusdam *regulus* Latine dicitur. *Lucan.* 9, 725. late sibi submovet omne Vulgus et in vacua regnat basiliscus arena. Adde *ib.* 828. ℙ [Fuit etiam cognomen Romanum apud *Cic. Verr.* 2, 4, 11. Cn. Pompejus Basiliscus. *F.*]

[BĂSĬLĬSSĂ, ae, f. *βασίλισσα*, regina. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 813, 3. Omidia Basilissa. *F.*]

[BĂSĬLĬUM, ii, n. *βασίλειον*, regia domus. Translate puella appellatur basilium Florae, quae nempe in pueritia obiit. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 293, 2. Liciniae Q. F. Lampetiae basilio Florae C. Mussius Chrysonicus et Aurelia Soteris nutritores lactanei. ℙ Est etiam ornamentum capitis, quod regi, vel reginae convenit. *Inscr.* ap. *Mur.* 139, 1. Isidi Fabia L. F. Fabiana avia in honorem Avitae neptis, ornamenta in basilio unio et margarita N. VI., zmaragdi duo, cylindri N. VII., gemma carbunculus, gemma hyacinthus, gemmae cerauniae duae. ℙ Item collyrium, quod basilicon vocat *Galen. De compos. pharm. sec. loc.* p. 156. *F.*]

[BĂSĬLĬUS, ii, m. *βασίλειος*, regius. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 839, 14. Saturnius Basilius. *F.*]

[BĂSĬLUS, i, m. fortasse a *βασιλεύς*, rex. Cognomen Romanum. *Cic Off.* 3, 18. L. Minucius Basilus. *F.* *Caes. *B. G.* 6, 29. 7, 90. *B. A.*]

BĂSĬO, as, avi, atum, a. 1. *φιλέω*, basium dare, osculari: et dicitur tum de officiosis, tum de impudicis osculis. Est tamen verbum minus, ut ita dicam, civile, quam *osculor*, et poeticum magis, quam oratorium. [*Fortasse rectius statuas, *basium* vocem esse, quae in vulgari et quotidiano sermone locum habuerit, quemadmodum fere nostrum *ein Mäulchen.*] *Petr. Sat.* 18. Basiare aliquem spissius. Et *ib.* 135. Semel iterumque basiare aliquem. *Cat.* 7, 9. Basiare basia multa. *Mart.* 7, 95. Audes tu tamen osculo nivali Omnes obvios hinc et hinc tenere, Et totam, Line, basiare Romam. *Id.* 1, 95. Basianda non es. Adde 11, 98., ubi morem basiandi obvios acerrime detestatur.

[BĂSĬO, onis, f. *φιλημάτιον*, diminut. basii, ut Ambivia Felicio apud *Passionei Iscriz. cl.* 10. *n.* 1. et Aelia Philematio apud *Grut.* 883, 3. *Inscr.* ap. *Eund.* 959, 2. Acilia P. L. Basio sibi et T. Cartorio Scirto uxor viro. Haec *Inscriptio* adhuc exstat Patavii in *Mus. Lapidario. F.*]

BĂSĬOLUM, i, n. parvum basium. *Petr. Sat.* 85. Aliquot basiolis invadere aliquem. Adde *Appul. Met.* 10. p. 248, 35.

BĂSĬS, is, f. *βάσις*, fulcrum, et veluti pes, qui a fundamento consurgit, et columnas, statuas aliaque hujusmodi sustinet: a *βαίνω*, incedo, ingredior, quia est veluti pes, quo animal sustinetur et ingreditur. [*Proprio sensu *basin* de infima parte pedis jumentorum saepe legimus apud Script. Rei Rust., ut *Colum.* 3, 13. *Veget.* 1, 25. 26. 56. 2, 46. 4, 1.] *Cic. Verr.* 2, 2, 63. Videmus in basi statuarum maximis litteris incisum. *Id. Tusc.* 5, 23. Basis columellae. *Id. Pis.* 38. tropaeorum. *Ov. Pont.* 3, 2, 52. Quoque minus dubites, stat basis orba Dea. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Topiarium laudavi: ita omnia convestit hedera, qua basim villae, qua intercolumnia ambulationis. *Basim villae* appellat imam parietum partem, quae super substructionem a solo emergit, [*nobis *die Grundmauer.*] ℙ Cum de columnis sermo est, *basis* duo significare potest, tum ipsum stylobaten: quo sensu intelligenda est in allato *Ciceronis* exemplo 5. *Tusc.*, tum ipsas spiras, quae scapo columnae subjiciuntur, et stylobatae imponuntur, ut docet *Philand. ad Vitr.* 4, 1., qua ratione usurpatur a *Festo* in voce *Spira* et a *Serv.* ad *A.* 2, 217. Quod vero *Id. Vitr. l. c.* basim scapi appellavit et paulo post *basi spiram supposuerunt* etc., utroque loco *basis* intelligenda est de ima parte ipsius scapi, quae ideo *basis* dicitur, quia est inferior columnae pars. ℙ *Basis arcus* est, quam mathematici vocant *chordam. Colum.* 5, 2. *ad f.* Esto arcus, cujus basis habeat pedes sexdecim. ℙ *Basis trianguli*, ima pars, qua triangulum sedet. *Cic. N. D.* 2, 49. *ad f.* Basis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tanquam a puppi ventis adjuvatur. ℙ De basibus vasorum V. dicta in ABAX. ℙ Radix alicujus verbi derivati est ipsa vox simplex, unde illud derivatur: eaque *basis* dicitur a *Varr.* apud *Non.* 2, 86. ℙ *Metiri aliquem cum sua basi* proverbiali locutione est prava mensura metiri. Nam si statuae magnitudinem scire volens, metiendo basim quoque comprehendas, justo major illa videbitur. Eleganter hoc proverbio utitur *Sen. ep.* 76. *s. f.* ℙ *Valer. Prob.* in *Cathol.* p. 1472. docet etiam *basidis* in genitivo dici posse: nullum tamen affert exemplum. ℙ In accusativo habet etiam *basem*, et in ablat. *base*, sed rarius. *Inscr.* ap. *Grut.* 52, 2. et 63, 3. et *Reines. in Append. n.* 3.

BĂSĬUM, ii, n. *φίλημα*, osculum, suavium: inter quae *Don.* ad *Ter. Eun.* 3, 2, 3. ita distinguit, ut *basium* sit pudici affectus, *osculum* officii, *suavium* libidinis. *Serv.* vero ad *A.* 1, 260. scribit, quosdam docere, *osculum* filiis dari, uxori *basium*, scorto *suavium.* Sed haec discrimina vera non sunt. Nam *basium* sacpissime usurpatur de osculo venereo et impuro: itemque de officioso. V. BASIO, as. *Petr. Sat.* 110. Dare alicui basium. *Id. ib.* 31. Spississima basia alicui impingere. *Id. ib.* 24. Disterere aliquem basiis. Et *ib.* 23. Conspuere aliquem basio immundissimo. *Cat.* 99, 16 Surripere alicui basium. *Mart.* 12, 55. Blandiri alicui longo basio. *Phaedr.* 5, 7. et *Juven.* 4, 118. Jactare basia, [**eine Kusshand zuwerfen.* Vide *Büttiger* Sabina *Tom.* 2. p. 51.] *Mart.* 11, 98. Nuptiale basium.

*BĂSSANĬA, ae, oppidum Illyrici, fortasse in Dalmatia. *Liv.* 44, 30. Hinc Bassanītae, arum, ejus incolae. *B. A.*

BĂSSĂREUS, i, m. *Βασσαρεύς*, [est ab Hebr. בָּצַר, vindemiavit *F.*], vox trisyllaba, quae est cognomen Bacchi, a quodam genere vestis usque ad talos demissae, quae fiebat in Bassara, loco Libyae, qua veste utebantur ipsae Bacchae, ob id *Bassarides* dictae. Ita *Acr.* et *Porph.* ad illud *Hor. Od.* 1, 18, 11. non ego te, candide Bassareu, In-

vitum quatiam. *Bassareu* vocativus est Graecae positionis, *ὦ Βασσαρεῦ*. Quidam putant, *Bassareum* denominatum esse a vulpibus, quae Graece a Thracibus *βασσάραι* dicuntur, quia earum pellibus Bacchae succingebantur. *Vet. Schol. Persii* ad 1, 101. ℙ Scribit *Macr. Sat.* 1, 18. Graecos, qui Bacchum Bassarei nomine colunt, ejus simulacrum barbata et senili specie fingere: cum tamen alioquin juvenis et imberbis esse dicatur, ut in BACCHUS dictum est.

BASSĂRĪCUS, a, um, adj. *Βασσαρικός*, ad Bassareum, id est Bacchum pertinens. *Prop.* 3, 15, 30. Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.

BASSĂRIS, ĭdis, f. *Βασσαρίς*, Baccha. V. dicta in BASSAREUS. *Pers.* 1, 100. Et raptum vitulo caput ablatura superbo Bassaris.

[BASSILLUS, a, um, diminut. Bassi. Cognomen Romanum; *Inscr.* ap. *Grut.* 698, 10. Oppia T. F. Bassilla mater infelicissima fecit Basso fil. optimo et piissimo. *F.*]

*BASSIĀNA, ae, oppidum Pannoniae inferioris. *Anton. Itin. B. A.*

*BASSILĪTAS, atis, f. *Gloss. Gr. Lat. παχύτης*, bassilitas *B. A.*

[BASSĪNUS, a, um, adj. ad Bassum pertinens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 46, 2. M. Aurelius Bassinus. *F.*]

[BASSŪLUS, a, um, diminut. Bassi. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 305, 1. Stertiniae L. F. Coccejae Bassulae. *F.* *Bassŭlus, a, um, adj. dimin. a *bassus* (quod a *βάσσων*, profundior). *Gloss. Lat. Gr.* Bassulus, *παχὺς, ὑποχοριστικῶς. B. A.*]

BASSUS, a, um, adj. In multis Romanorum familiis cognomen est, ut apparet ex *Indic. Gruteri* etc. Aliquando transit in nomen, ut M. Bassus Aquila, *ib.* 12, 7. Videtur autem duci a *basis*, geminato *ss:* unde quidam *bassum* interpretantur humilem, depressum, quia basis imo loco stat: alii custodem populi, ea ratione, qua *βασιλεὺς* dicitur *Βάσις τοῦ λεώ:* alii denique crassum, pinguem, succulentum, quia qui tales sunt, humiliores videntur: unde in *Glossis vet.* exponitur bassus, *ἔγχυλος, παχύς.* Hoc vero magis placet. [At potius est a *βάσσων* Dorice comparativum a *βαθύς*, profundus, abjectus. *F.*]

*BASTA, ae, Calabriae oppidum. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

BASTĂGĂ vel Bastagia, ae, f. vox a Graeco *βαστάζω*, hoc est porto, bajulo, veho, deducta, quae significat onus, sarcinam, *βαστα γή:* sumitur in *Cod. Justin.* pro munere et officio transvehendi jumentis res publicas, aut principis de uno in alium locum, [*nobis *Frohnfuhren.*] *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod.* 12, 58, 3. Jubemus eos non ad sollicitudinem bastagae, non ad functionem navicularium devocandos. Al. leg. *bastagiae.* [*Notit. *Imp. Orient. c.* 74. collocat bastagam privatam sub dispositione comitis largitionum privatarum divinae domus, praepositos vero bastagarum sub dispositione comitis sacrarum largitionum. — Ceterum scribitur etiam *Vastaga*, nota litterarum V et B permutatione.]

BASTĂGĀRII vel Bastăgĭārĭi, orum, m. plur. qui bastagis, hoc est oneribus transvehendis praesunt. *Impp. Valentin.* et *Valens Cod.* 11, 7, 4. Quintum animal bastagariis pro reportatione praebeatur. Adde *Cod. Theod.* 10, 20, 11.

BASTARNAE et Basternae, arum, m. plur. *Βαστάρναι*, populi Sarmatiae Europeae, [qui regiones nunc *Podolia* et *Ukrania* appellatas incolebant. *F.*] V. *Cell. Geogr. antiq.* 2, 5. Apud *Plin.* 4, 12, 25. legitur *Basternae:* apud *Liv.* 40, 57. et 58. [*ad quem locum vide annot. *Drak.* et ad *Liv.* 44. 26. 2.] *Bastarnae*, ut et in *Inscr.* apud *Grut.* 453.

*BASTERBĪNI, orum, populi Italiae inferioris. *Plin.* 3, 11. Fortasse sic dicti a Bausta *Ptolemaei*, quod oppidum fuit Sallentinorum, judice *Harduino. B. A.*

BASTERNĂ, ae, f. *φορεῖον*, genus lecticae muliebris, tectae, binos asseres utrinque prominentes habentis, quae a duobus jumentis gestatur. *Incert. Poet. in Anth. lat. epigr.* 3, 183. Aurea matronas claudit basterna pudicas, Quae radians patulum gestat utrinque latus. Hanc geminus portat duplici sub robore burdo, Provehit et modico pendula septa gradu. Provisum est caute, ne per loca publica pergens, Fucetur visis casta marita viris. *Pallad.* 7, 2. A tergo vehiculi duo brevissimi temones figurantur, velut amites basternarum. *Lampr. Elag.* 21. Eunuchos pro apophoretis dedit: dedit quadrigas, equos stratos, mulos, basternas et rhedas. Adde *Ammian.* 14, 6. et *Hieron. ep.* 22. *ad Eustoch. n.* 16., ubi *caveas basternarum* appellat: quia hujusmodi vehicula undique clausa erant et tecta, in caveae modum. *Salm. ad Lamprid. l. c.* multa disserit de hac voce, et derivari putat a *βαστὸς*, quo significari ait quidquid ferendo est: unde et *βαστάζω* ortum esse. [*Praeter *Salm.* accuratissime egit de basternis *Cujac. Observatt.* 13, 30. *Jo. Scheffer. de re vehic. vett.* 2, 6. p, 115 seqq.] ℙ Aliquando virorum etiam usui fuit, ut colligitur ex *Symmacho*, cujus verba vide in v. seq. ℙ [*Significant *basterniae* s. *basternae* etiam ambulacra vel exhedrae, ex quibus prospectus esse potest. *Cod.* 8, 10, 12. §. 4.]

BASTERNĀRĬUS, ii, m. auriga mulorum basternam ferentium. *Symm. ep.* 6, 15. Itaque fratrem vestrum continuo ad vos opto dimittere, cui basternarios mox praebere dignemini, ut festinationi ejus jumentorum adminiculis adjuvetur.

BASTERNĪNI, orum, m. plur. incolae Bastae urbis Salentinorum in Italia, nunc *Vaste. Plin.* 3, 11, 16. Salentinorum Basternini, Neretini, Uxentini. *F.*]

*BASTERNIUM. V. basternae in f. *B. A.*

*BASTI, oppidum in Hispania Tarraconensi, unde Bastitani dicti. *Anton. Itin.* Hodie est *Baza. B. A.*

*BASTITĀNI vel Bastetani, orum. V. BASCULI. *B. A.*

BASTŪLI. V. BASCULI.

BAT, *Charis.* 2. p. 213. ex *Cesellio Vindice* docet, esse sonum cornicinis lituum ex ore eximentis. Usurpat *Pl. Ps.* 1, 3, 6., sed pro sono vocis, qua irridet alterum, qui *at* pronunciaverat. Verba *Plauti* sunt *Ps.* Potin' aliam rem ut cures? *Ca.* at. *Ps.* bat. *Ca.* crucior. *Ps.* cor dura.

BATAE, arum, f. plur. Legitur apud *Cels.* 2, 17. et 3, 21. Sed emendandum esse *Bajae*, censent Interpp. [et praecipue *Leon. Targa. F.*]

*BATALARIA, ae, f. genus bellici navigii. *Vet. Schol.* ad *Juven. sat.* 3, 134. Locum V. in *Multisonalis. B. A.*

*BATAVA (sc. castra), Vindeliciae oppidum, hodie *Passau. Notit. Imp. B. A.*

BĀTĀVĬA, ae, f. regio Germaniae inferioris ad Oceanum Germanicum, quae Hollandiae maximam partem constituit. *Eumen.* pro *Restaur. Schol. in f.* et *Pacat. Paneg.* ad *Theod.* 5. ℙ A *Caes. B. G.* 4, 10. et a *Plin.* 4, 15, 29. dicitur *Batavorum insula*, quia sita est inter duo cornua Rheni fluvii. ℙ [Etymon Bataviae vide in V. PATAVIUM. *F.*]

BĀTĀVODŪRUM, i, n. oppidum Bataviae in Geldriae ducatu. *Tac. H.* 5, 20.

BĀTĀVUS, a, um, adj. ad Bataviam pertinens. *Mart.* 8, 33. Et mutat Latias spuma Batava comas, *h. e.* sapo. ℙ *Batavi, orum*, sunt Bataviae populi, de quibus *Tac. H.* 4, 12. et *G.* 29. ℙ Ambiguae quantitatis est paenultima: saepius tamen producitur. *Lucan.* 1, 431. Vangiones, Batavique truces, quos aere recurvo etc. *Juven.* 8, 51. Hic petit Euphraten juvenis, domitique Batavi etc. *Sil.* 3, 608. Jam puer auricomo praeformidate Batavo. ℙ *Aurem Batavam* habere est nescium esse aut abhorrentem a dictis lascivioribus et foedis jocis. Batavi enim barbari, rustici, et a luxu alieni. *Mart.* 6, 82. Cujus nequitias, jocosque novit, Aurem qui modo non habet Batavam. Al. aliter explicant. Al. leg. *severam.*

*BATĒNI, orum, populi Asiae, ultra mare Caspium. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

BĀTERNAE, arum, m. plur. populi iidem qui *Bastarnae. Val. Fl.* 6, 96. Illinc juratos secum trahit Aea Baternas.

*BATHA, Aethiopiae oppidum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

BATHIA. V. BADIA.

BĀTHYLLUS, i, m. *Βάθυλλος*, diminut. a *βαθὺς*, profundus, puer Samius ab Anacreonte adamatus. *Hor. Epod.* 14, 9. ℙ Item Alexandrinus quidam pantomimus celebris Augusti tempore, quem Maecenas, cujus libertus fuit, teste *Vet. Persii Schol.*, effuse dilexit. Habuit hic in eadem arte aemulum Pyladem, cum quo magna contentione, variantibus vulgi studiis, certavit. De eo *Tac. A.* 1, 54., *Juven.* 6, 63., *Pers.* 5, 123. V. plura apud *Macr. Sat.* 2, 7. Quem enim hic *Hylam* nominat, *Bathyllum* esse, multi autumant. ℙ [Est etiam cognomen frequens libertorum. *Inscr.* ap. *Grut.* 623, 6. M. Aurelio M. Aug. Lib. Bathyllo. *F.*]

*BATHYMI, orum, Arabiae populi. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*BATHYNĬAS, ae, flumen Thraciae, juxta Byzantium. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

*BATHYS (*Βαθὺς*, i. e. profundus.), Siciliae flumen, ubi Segesta urbs, in mare Tyrrhenum influens. Haec *Ptolemaeus.* ℙ Item aliud, in Colchide. *Plin.* 6, 4. *B. A.*

BĀTĬA, ae, f. *βάτις*, piscis genus, cujus fel auribus est utilissimum. *Plin.* 32, 7, 25.

BATĬĀCA. V. BATIOLA.

BĀTILLUM, i, n. et Batillus, li, m. *πύραυνον, πυράμη*, instrumentum ferreum ad palae similitudinem, quo utimur ad ignem circumferendum, vel in foco miscendum. [*Plurima de hac voce collegit *Casaub.* ad *Script. Hist. Aug.* p. 224.] *Plin.* 33, 8, 44. Batillis ferreis candentibus ramento imposito, quod candidum permaneat probatur. *Trebell. Claud.* 14. Ligni quotidiani pondo mille: coctilium quotidiana batilla quatuor. *Marc. Empir.* 27. *a med.* Deinde super batillum candentem defundes et coques. *Hor. Sat.* 1, 5, 35. de Aufidio Lusco, qui Fundis praetor erat: insani ridentes praemia scribae, Praetextam, et latum clavum, prunaeque batillum. Ridet *Hor.* Aufidii insaniam, qui sibi praetori a Fundanis praeferri jubebat foculum in batillo, ad instar virorum principum, quibus ejusmodi ignis praelatus summae potestatis et auctoritatis index erat. Quidam hoc loco docent, jus fuisse hujusmodi praetoribus prunas e publicis balneis in usum culinae accipere. Alii putant, *batillum* fuisse vasculum ferreum, in quo pro felici hospitum adventu accensis odoribus, Jovi hospitali sacra fiebant. Plures editt. et codd. legunt *vatillum*, diminut. a *vas.* [*Cf. *Heind.* ad h. l.] ℙ Est praeterea *batillus*, quo utuntur rustici ad purgandum et egerendum. *Varr. R. R.* 3, 6. de pavonibus: Utrumque locum purum esse volunt hae volucres. Itaque pastorem earum cum batillo circumire oportet, ac stercus tollere. ℙ Fuit etiam hoc nomine lignum incurvum, et batilli forma, in extremo habens serrulam ferream, quae comprehendens spicarum fascem desecat, et stramenta stantia relinquit, ut postea subsecentur. Eo Picentes olim usi sunt. *Varr. R. R.* 1, 50. [At hic *Schneid.* probat legendum, ut in quibusd. editt. et codd., *bacillum. F.*] ℙ In quibusdam lib. legitur *vatillum.* Sunt enim valde affines *b* et *v*, ut dictum est initio hujus litterae.

BATĪNUS. V. BANTINUS.

BATĬŌLĀ, ae, f. *ποτήριον*, genus poculi. *Pl. fr.* ap. *Non.* 15, 19. Batiolam auream octo pondo habebat. *Id. Stich.* 5, 4, 11. Quibus divitiae domi sunt, scaphio, et cantharis, batiolis bibunt: at nos nostro Samiolo poterio tamen vivimus. ℙ Al. leg. *batioca* pro *batiola*, ut est in *Gloss. Isid.*, ubi habetur: *batioca, patera.* Alii mallent *batiaca*, propterea quod apud *Athen.* 11, 10. *βατιάκη* et *βατιάκιον* inter poculorum genera enumeratur, et magnum esse, latum, auribusque patulis, significatur. Apud *Arnob.* quoque 2. p. 59. alii *batiaca* leg., alii *batiola;* alii etiam omittunt. ℙ Sunt qui scribant *battiola* duplici *tt.*

BĀTIS, is, et ĭdis, m. et f. *βατις*, genus piscis marini, alio nomine *raja;* ita dictum a similitudine rubi, quem *βάτον* Graeci vocant. Est enim aculeis aspera, praesertim in cauda. Ejus meminit *Plin.* 32, 11, 53. ℙ Est etiam genus herbae, quam in duo genera dividit *Plin.* 21, 15, 50. marinam et hortensiam: hanc quidam Gallicum asparagum nominant: illam portulacam sativam, cujus species quaedam est *crethmos*, de quo V. suo loco. *Colum.* 12, 7. Flos nepetae et lapsanae et batis. *Id. ib.* 13. Olus cordum, quod quidam sativum batim vocant. [*Gesner. et *Schneid.* utroque loco scribunt *battis.* Nostrum *Meerfenchel* putatur esse.] ℙ *Batim* vim habere ad emolliendam alvum et adversus podagram, docet *Plin.* 21, 27, 101. ℙ Apud *Isid.* 19, 21. est *batis* inter vestes sacerdotales, nempe linea feminalia usque ad genua pertingentia: [at rectius legitur *badim* seu *baddim* ab Hebr. בַּדִּים, linea feminalia. *F.*]

*BATNAE, arum, oppidum Mesopotamiae. *Ammian.* 23, 4. *Batne* audit apud *Eund.* 14, 9. *B. A.*

BATRĂCHĪTES, ae, m. gemma ita dicta a similitudine ranae, quae Graece *βάτραχος* dicitur. *Plin.* 37, 10, 55.

BATRĂCHĪUM et Batrachion, ii, n. *βατράχιον*, herba Latino vocabulo *ranunculus* appellata, (*βάτραχος* enim ranam significat; et videtur ideo appellari, quia iis plerumque locis nascitur, ubi ranae degere solent) cujus quatuor genera enumerat *Plin.* 25, 13, 109. Unum pinguioribus, quam coriandri, foliis, et ad latitudinem malvae accedentibus, colore livido, caule alto, gracili, radice alba: nascens in limitibus humidis et opacis. Alterum genus foliosius, pluribus foliorum incisuris, altis caulibus. Tertium minimum omnium, gravi odore, flore aureo. Quartum simile huic, flore luteo. Omnibus vis caustica, si cruda folia imponantur, pusulasque, ut ignis, faciunt. Ideo ad lepras et psoras eis utuntur, etc. Haec *Plin.*, pergens deinde varios ejus usus in medicina describere. V. etiam *Appul. Herb.* 8. et 9. [*Cf. *Billerbeck. Flor. Class.* p. 144.]

BATRACHOMYOMĀCHĬA, ae, f. *βατραχομυομαχία*, pugna ranarum et murium; a *βάτραχος*, rana, *μῦς, ὸς*, mus, et *μάχομαι*, pugno. Hoc nomine inscribitur poemation, quod *Hom.* tribui solet. *Stat. praef.* ad *Silv.* 1. Sed et Culicem legimus, et Batrachomyomachiam etiam agnoscimus. Adde *Mart.* 14. in lemmate 183. ℙ Quamvis littera *i* in hac voce sit natura brevis, tamen metri necessitate produci posse videtur, cum *Nicand. Ther.* 795. eandem produxerit in V. *μυοδόχος.*

BATRĂCHUS, i, m. genus piscis marini, inter aculeatos recensitum a *Plin.* 32, 11, 53. Nomen habet a similitudine ranae, quae Graece *βάτραχος.*

*BATTARUS. *Scalig.* ad *Caton. Dir.* 1. *Anthol. Lat.* T. II. p. 650. eum habet fluvium Corsicae, hodie *Guattarus*, inter Coassinum et Halteriam. *Heins.* eod. loco dicit idem esse ac *βατταριστής* a *βάττος*, hinc *βαττολογεῖν* i. q. *βαττολογεῖν. Battara* ap. *Cic. Fam.* 7, 9. *Jahn.*

BATTĬĀDES, ae, m. patronym. Ita cognominatus est Callimachus, poeta Graecus, qui se prae-

dicabat filium Batti Laconis, a quo Cyrene condita est: vel certe eum sui generis auctorem jactabat. *Stat. Silv.* 5, 3, 157. tu pandere doctus Carmina Battiadae. *Ov. Ib.* 53. Nunc quo Battiades inimicum devovet Ibin, Hoc ego devoveo teque tuosque modo. (V. CALLIMACHUS.) *Id. Trist.* 2, 367. Nec tibi, Battiade, nocuit, quod saepe legenti Delicias versu fassus es ipse tuas. *ὦ Βαττιάδη.* ℙ *Battiadae, arum*, sunt incolae Cyrenes urbis a Batto conditae. *Sil.* 3, 252. Nec non Cyrene Pelopei stirpe nepotis Battiadas pravos fidei stimulavit in arma. Adde 2, 61. et 17, 592.

BATTIS, idis, f. *Βαττίς*, puella Coa formosissima, quam Philetas itidem Cous, elegiarum scriptor suis versibus celebravit. *Ov. Trist.* 1, 6, 2. Nec tantum Coo Battis amata suo. *Id. Pont.* 3, 1, 58. Inferius Coa Battide nomen habes. ℙ [*Est etiam genus herbae, quod alii *batio* scribunt. V. *Batis.*]

BATTOLŎGĬA, ae, f. *βαττολογία*, Graeca vox: vitium est orationis, quo idem verbum, vel eadem sententia sine causa iteratur. Dicta est a quodam *Batto* inepto poeta, qui, ut legitur apud *Suid.*, longos hymnos condidit, et inanis loquacitatis plenos, idem saepe repetens et farciens potius, quam componens. Haec eadem dicitur etiam *tautologia.* Graeca vox utraque adhibetur a grammaticis.

*BATTUARĬUM, i, n. *Gloss. Gr. Lat.* Battuarium, *κοπανιστήριον.* Al. leg. *batuatorium. B. A.*

BATTŬO, is. V. BATUO.

BATTUS, i, m. vir Lacon, qui Cyrenem in Africa condidit, vel eo coloniam deduxit, ibique regnavit, ut est apud *Paus.* in *Laconicis*, et *Sil.* 8, 57. ℙ Fuit etiam hoc nomine pastor quidam, qui quod furtum Mercurii male celasset, postquam accepta mercede se id celaturum promiserat, ab eo in lapidem, qui *Index* dicitur, mutatus est. *Ov. Met.* 2, 688. et sqq. et in *Ib.* 586. ℙ Item ineptus quidam poeta, de quo V. in BATTOLOGĬA.

*BATTUATORES. V. BATUALIA.

*BATŪA, ae, Dalmatiae oppidum, hodie *Budua, Tab. Peut. Butua* audit *Plin.* 3, 22. *B. A.*

*BATUALIA. *Adamantius* apud *Cassiod. de Orthogr.* p. 2300. Battualia (*sic*), quae vulgo battalia dicuntur, quae B mutam habere cognovimus, exercitationes autem militum vel gladiatorum significant; inde etiam battuatores *τοὺς βαναυσικὰς* dici puto. *B. A.*

BĂTŪLUM, i, n. oppidum Campaniae a Samnitibus conditum. *Virg. A.* 7, 739. et *Sil.* 8, 566.

*BATUM (flumen) vel Batus (fluvius) in Italia inferiore fuit, fortasse in Lucania. *Plin.* 3, 5. Oppidum Blanda, flumen Batum. Conferri possunt quae nos addidimus in *Metaurus. B. A.*

BĂTŬO, is, ui, a. 3. *τύπτω, κατακόπτω*, concidere, verberare, contundere. *Pl. Cas.* 2, 8, 61. Qui, quaeso, potius, quam sculponeas, quibus batuatur tibi os, senex nequissime. ℙ Dicitur etiam de iis, qui velitandi causa pugnant, armisque se invicem verberant. *Suet. Cal.* 54. Batuebat pugnatoriis armis, aurigabat, etc. Et *ib.* 32. Mirmillonem e ludo rudibus secum batuentem, et sponte prostratum confodit ferrea sica. ℙ Habet praeterea obscenum sensum, idemque valet, quod *βατεύειν:* a quo etiam derivari, *Voss.* in *Etym.* existimat. *Cic. Fam.* 9, 22. Batuit, inquit, impudenter, depsit multo impudentius. [**Batuere* hîc de coitu dicitur. Sumptum verbum e gladiatoria arte, in qua quid sit *rudibus batuere*, docet *Lipsius Saturn.* 1, 15. Cum *βατεύειν* autem nihil commune habet.] ℙ *Batuere ulcera* pro comprimere, arcte stringere, exponi solet in illo *Plin.* 31, 9, 45. Sal imposuere crocodilorum morsibus ex aceto in linteolis, ita ut batuerentur antehac ulcera. *Hard.* tamen ex conjectura aliter legendum putat. ℙ Etiam *battuo* duplici *tt* scriptum legitur, sed minus recte. ℙ Partic. *Batuens.* V. supra. [*Supino caret. *Ruddim. Instit.* Tom. I. p. 227.]

BATUS, genus herbae, inquit *Festus.* Fortasse eadem est ac *batis:* vel significat rubum, sentem, qui Graece *βάτος* dicitur. *Gloss. Phil.* Batum, *πράσον, h. e.* porrum. *Gloss. Isid.* Batus, genus oleris. ℙ Apud Hebraeos est mensurae genus, *h. e* decima pars cori, quia decem bati corum faciunt, ut [habetur apud *Hieron.* in *Isaj.* 2, 5, 10., *F.*] ubi locum *Ezech.* 45, 14. explicat.

BAUBOR, aris, dep. 1. *βαΰζω*, latrare [*nos *knurren, knüffen*]: verbum exprimens vocem canum, qui latrantes *bau bau* proferunt: qua ratione etiam Graecum *βαΰζω* formatum est. *Lucr.* 5, 1070. Et cum deserti baubantur in aedibus. ℙ Differunt autem *baubari* et *latrare.* Latrant canes cum irati sunt: baubantur sine ira, sed potius cum queruntur: quod ex ipso *Lucr.* colligitur. V. *ib.* 1058. et sqq. *Vet. Schol. Theocr. ad Id.* 6. docet, *ὑλακτεῖν*, quod est latrare, proprie dici de canibus jam adultis: *βαΰζειν*, quod est baubari, catulorum.

*BAUCA, ae, f. patera. *Anastasius Biblioth. in vita Leonis IV.* Baucas exauratas tres. *Id. in Bened. III.* Baucas ex auro purissimo duas pensantes libras. *Vet. Gloss. βαυκη*, viniferum, ut *oenophorum.* Haec *Salmas.* ad *Trebell. Poll.* in *Claud.* 14. p. 382. seq. Sed vix (inquit *Gesnerus*) est hujus loci, multo minus *Baucalium* et similia. V. BACA. *B. A.*

*BAUCIDĬAS, adis, f. insula quaedam in mari Aegaeo, Peloponneso, ut credibile, adjacens. *Plin.* 4, 12. ℙ In sinu Saronico ponit doctissimus *Martiniere. B. A.*

BAUCIS, ĭdos, f. anus paupercula, quae una cum marito Philemone Jovem ac Mercurium, humanam speciem mentitos, hospitio pauperrimae casae excepit; a quibus ob id meritum ab aquarum inundatione erepta est; casam suam in templum versam vidit; et post longos felicis senectutis annos una cum marito in arborem mutata est. *Ov. Met.* 8, 630. et sqq. ℙ A *Pers.* 4, 21. ponitur pro quavis anicula. ℙ [*Baucis* est etiam cognomen Romanum, a *βαυκὸς*, delicatus. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 630. *n.* 254. Minuciae Baucidi. *F.*]

*BAUCONICA, ae, oppidum in regione Vangionum, ad Rhenum flumen. *Anton. Itin. Bonconica* appellatur in *Tab. Peut.* Hodie est *Oppenheim. B. A.*

*BAUDOBRĪGA, ae, oppidum Galliae Belgicae, in agro Trevirensi. Hodie est *Boppart. Anton. Itin.* In. *Tab. Peut.* est *Bontobrice. B. A.*

[BAULĀNUS, a, um, adj. ad Baulos pertinens, Campaniae oppidum. *Inscr.* ap. *Roman., Topogr. Napol. T.* 3. p. 509. Locum emit ab ordine Baulanorum Demetrius villicus. *F.*]

[BAULENSIS, e, adj. ad Baulos pertinens, Campaniae oppidum. *Not. Tir.* p. 136. Bajae, Bajanus, Bauli, Baulensis. *F.*]

BAULI, orum, m. plur. oppidum juxta Bajas in Campania, prius dictus *Boaulia*, hoc est boum stabulum, nunc *Bacoli*: a *βοῦς*, bos, et *αὐλή*, caula. Nam eo loco fertur Hercules ex Hispania adveniens consedisse, et abducta, occiso Geryone, armenta boum septo conclusisse. [**Varr. R. R.* 3, 17. ad Baulos piscina Hortensii. Villae Hortensii ad Baulos meminit etiam *Cic. Ac.* 4, 40.] *Symm. ep.* 1, 1. Huc Deus Alcides stabulanda armenta coegit, Eruta Geryonis de lare tergemini. Inde recens aetas corrupta Boaulia Baulos Nuncupat, occulto nominis indicio. [*Recens aetas in loco *Symmachi* antiquissimis temporibus opponitur, quod ex *Cic.* loco allato apparet.] *Serv.* ad *A.* 7, 662. hoc idem tradit: sed *Baulas* ponit in femin. genere, et ad *ib.* 6, 107. Baulias.

BAVĬUS, ii, m. malus poeta Virgilii et Horatii aequalis, et ambobus infensus: qui una cum Maevio, sui simili versificatore, ausus est ipsum Virgilium reprehendere, quod *G.* 1, 210. dixisset *hordea* in plurali numero, illo versu: *Hordea qui dixit, superest, ut tritica dicat. Virg. Ecl.* 3, 90. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi. *Serv.* tum hoc, tum loco *Georg.* cit.

*BAVO, insula maris Hadriatici, e regione Tragurii Dalmatiae oppidi, hodie *Bua. Plin.* 26, 30. ed. *Hard.* Al. aliter leg. *Boa* audit *Cod. Theod.* 16, 5. leg. 53. *Boae* autem *Ammian.* 22, 3. *B. A.*

*BAUZANUM, i, Rhaetiae oppidum, hodie *Botzen* in *Tyrol. Paul. Diac. Longob.* 4, 36. Dictum et *Bauxare* (secundum *J. Gothofr.*) in *Cod. Theod.* 6, 30, 3. ubi ablativus *Bauxare* occurrit.

BAXĔAE, arum, f. plur. genus calceamenti crepidis simile, quo philosophi potissimum usi sunt *Pl. Men.* 2, 3, 40. Peniculus, qui extergentur baxeae. *Appul. Met.* 2. p. 127, 6. Linteis amiculis intectus, pedesque palmeis baxeis indutus. *Id. ib.* 11. p. 260, 39. Qui pallio baculoque, et baxeis et hircino barbitio philosophum fingeret. *Id. Flor. n.* 9. Vestem de textrina emere, baxeas de sutrina praestinare. ℙ In singulari numero *Tert. Pall.* 4. Si philosophus in purpura, cur non in baxea Tyria calceare, etc. Adde *Idol.* 8. ℙ Videtur orta esse a Graeco *πᾶξ*, quod *Hesych.* interpretatur *ὑπόδημα εὐτυπόδητον*, hoc est calceamentum, quod facile indui potest. ℙ Legitur et *Baxa.*

[BAXĔĀRĬUS vel Baxĭārius, ii, m. qui baxeas conficit. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 12. Collegium fabrum soliarium baxiarium, *h. e.* solearium baxeariorum. *F.*]

*BAZARĬA, ae, regio Scythiae Asiaticae, cujus caput Basistris. *Curt.* 8, 3. *B. A.*

BD

BDELLĬUM, ii, n. *βδέλλιον*, [*Borassus flabelliformis *L.*] arbor nigra est, magnitudine oleae, folio roboris, fructu et natura caprifici, exsudans odoratum gummi, quod quidam eodem nomine appellant, alii aliis: habetque magnum usum in unguentis. *Pl. Curc.* 1, 2, 6. Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa, tu crocinum et casia es, tu bdellium. [*Ubi, quum sit vox blandientis, patet non de arbore dici, sed de humore odorato, ex arbore profluente.]. V. plura de eo apud *Plin.* 12, 9, 19. [**Veget.* 4, 14. meminit *bdellii Arabici*, quod cum aliis ad causticum componendum adhibeatur. Eandem vocem inferre vult *Morgagn. Veget.* 3, 28. ubi quod legitur *depli* corruptum est. ℙ Item genus lapidis, monente *Prisc.* 1, 10, 56. p. 564.]

BE

BĔĀTĔ, adv. *μακαρίως*, feliciter, sine ulla calamitate. *Cic. Par.* 1. *in f.* Profecto nihil est aliud bene et beate vivere, nisi honeste et recte vivere. *εὖ καὶ καλῶς ζῆν. Catull.* 14, 10. Non est mi male, sed bene ac beate. *Sen. ep.* 92. Rectius vivat oportet, ut beatius vivat. *Id. Cons. ad Helv.* 9. Beatissime vivens. ℙ In plausibus *beate* significat feliciter, prospero successu. *Mart.* 2, 27. Effete, graviter, cito, naviter, euge, beate. ℙ Translate. *Sen. prooem. contr. de Alb. declam.* 3. Locum beate implebat, *h. e.* nihil ei deerat ad implendam orationem, et causam perorandam.

BĔĀTĬFĬCO, as, a. beatum facio, beo. *August. Trinit.* 14, 14. et *Genes. ad lit.* 8, 12. ℙ [Partic. *Beatificatus* in *Not. Tir.* p. 192. *F.*]

BĔĀTĬFĬCUS, a, um, adj. qui beatum facit. *Appul. Doct. Plat.* 1. p. 3, 29. Deus beatus et beatificus. Adde *August. Confess.* 2, 5. [et *Not. Tir.* p. 68. *F.*]

BĔĀTĬTAS, atis, f. beatitudo, felicitas, beata vita, *μακαριότης. Cic. N. D.* 1, 34. vocabula *beatitatis* et *beatitudinis* omnino quidem dura esse ait, veruntamen usu putat posse molliri: quod et *Quint.* 8, 3. adnotavit. [*Hae duae voces, ut ex l. d. patet, a *Cicerone* primo usurpatae sunt, nec posterior aetas eas videtur probavisse. Quam ob rem ab earum usu tutius abstinebis.] *Macr. Somn. Scip.* 1, 9. Ad beatitatem pervenire. *Appul. Doct. Plat.* 2. Virtutes, quarum beatitas fructus est.

BĔĀTĬTŪDO, inis, f. *μακαριότης*, beata vita, felicitas. Judicium *Cic.* de hac voce V. in v. praec. *Petr. fr. Trag.* 38. *Burm.* Vides tot culcitas? nulla non aut conchyliatum, aut coccineum tomentum habet: tanta est animi beatitudo, *h. e.* divitiae: nam et *beatus* saepe pro divite ponitur. Al. leg. *Tanta est homini beatitudo. Appul. Met.* 6. Vitae totius beatitudo. *Nazar. Paneg. ad Const.* 33. Cumulatissima urbis beatitudo. *Mamert. Grat. act. ad Julian.* 23. Beatitudo praestantior. *Imp. Const. Cod.* 12, 47, 1. Augere beatitudinem militum, *h. e.* commoda vitae [*s. immunitatem, quo ipsis melius sit.].

[BĔĀTRIX, icis, f. quae beat. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 703, 3. Publiciae Beatrici. *F.*]

BĔĀTŬLUS, a, um, adj. diminut. a *beatus. Pers.* 3, 103. tandemque beatulus alto Compositus lecto, crassisque lutatus amomis, etc.

BĔĀTUS, a, um, adj. *μακάριος*, felix, nullo malo pressus, cui bene est ab omni parte. *Cic. Tusc.* 5, 10. Neque ulla alia huic verbo, cum beatum dicimus, subjecta notio est, nisi, secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio. Et *ib.* 8. Qui beatus est, non intelligo quid requirat, ut sit beatior. Si est enim, quod desit, ne beatus quidem est. [*Alii aliter de notione voc. *beatus* disputant. Ipsos audiamus veterum philosophos apud *Ciceronem*, ex quo hos locos, utpote maxime notabiles, huc transferam. *Fin.* 2, 28. Metrodorus, paene alter Epicurus, *beatum* esse describit his fere verbis: quum corpus bene constitutum sit, et sit exploratum ita futurum. *Acad. pr.* 2, 43. Zeno in una virtute positam beatam vitam putat. Quid Antiochus? Etiam, inquit, beatam, sed non beatissimam. *Tusc.* 5, 39. Si omne beatum est cui nihil deest, et quod in suo genere expletum atque cumulatum est, certe omnes virtutis compotes beati sunt. *Tusc.* 5, 14. Volumus eum qui beatus sit tutum esse, inexpugnabilem, septum atque munitum, non ut parvo metu praeditus sit, sed ut nullo. *Tusc.* 5, 6. illi beati quos nulli metus terrent.] *Id. N. D.* 3, 33. Opulentissima et beatissima civitas. [*Qui locus rectius videtur ad §. 2. referri debere.] *Id. Am.* 7. Illorum beata mors videtur, horum vita laudabilis. *Hor. Ep.* 2, 1, 139. Agricolae prisci fortes, parvoque beati, *h. e.* contenti et felices. *Ov. Met.* 7, 797. Beatum tempus. ℙ Quia vero divites omnium felicissimi videntur, quod in divitiis omnia vitae commoda constare videntur, *beatus* saepe pro divite ponitur. [**Burm.* ad *Prop.* 2, 19, 33. p. 385. *Jahn.*] *Varr. L. L.* 4, 17. Dives a Divo, qui, ut Deus, nihil indigere videtur: beatus, qui multa bona possidet. *Nep. Ages.* 8. Ut eorum ornatus non modo in his regem neminem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem praeberet. *Juven.* 1, 39, Vetulae vesica beatae. *Hor. Od.* 3, 7, 3. Thyna merce beatus. *Id. ib.* 1, 29, 1. Gazae beatae Arabum. *Prop.* 2, 16, 25. Munera beata. *Hor. Od.* 3, 29, 11. mitte mirari beatae Fumum, et opes, strepitumque Romae. *Ov. Her.* 12, 24. Regna beata. *Id. Am.* 1, 15, 34. auriferi ripa beata Tagi. *Id. Pont.* 2, 8, 5. Argentum felix, omnique beatius auro, *h. e.* pretiosius. *Mart.* 9, 76. Idem beatas lautus exstruit thermas, *h. e.* sumptuosas. ℙ *Beatus locus* aut *res* dicitur aliquando, quae beatos quodammodo facit. *Hor. Ep.* 1, 10, 14. Novistine locum potiorem rure beato? *Mart.* 9, 12. Beatum nectar. *Cat.* 65, 14. Ne amplius a misero dona beata petas, *h. e.* carmina consolatoria, quibus a tristitia animum tuum liberes. ℙ

Videtur etiam significare nobilem [*ὄλβιον] in illo *Hor. Od.* 2, 4, 13. Nescias, an te generum beati Phyllidis flavae decorent parentes. ℙ Translate ponitur pro affluenti, abundanti. *Quint.* 10, 1. Immortalis ingenii beatissima ubertas. *Id. ib.* Beatissima rerum verborumque copia. *Id.* 11, 3. Ornata est pronunciatio, cui suffragatur vox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, *h. e.* abundans. ℙ Aliquando *beati* dicuntur mortui, ut Graece *μακαρίται*; idque *ἐξ εὐφημισμοῦ* ad evitandum mali ominis vocabulum. *Ammian.* 25, 3. Anatolium quaesivit Officiorum magistrum: quem cum beatum fuisse Sallustius respondisset praefectus, intellexit occisum. V. FELIX. Huc quidam trahunt etiam illud. *Hor. Epod.* 8, 11. Esto beata: funus atque imagines Ducant triumphales tuum. ℙ Apud Christianos scriptores *beatae memoriae* vir dicitur, qui pie vita functus est. *Hieron. ep. ad Marc. laud. Asellae* 24. et *ep.* 76. *ad Abigaum.* [*Superlativus *beatissimus* dicitur de patriarchis, archiepiscopis et episcopis. *Auct. Collat.* 9, 6. *Novell.* 123, 3. *Justin.* in *Ep.* ad *Joh. Papam* §. 5. t. C. *de summ. trinit. August. Epist.* 11, 76, 139.]

BEBER et Bebrinus V. in CASTOR.

*BEBIANA (villa) in Etruria fuit, non procul a Fregenis Lorioque. *Tab. Peut. B. A.*

*BEBIANI. Ligures Bebiani populi fuere Italiae inferioris, in Hirpinorum agro. *Plin.* 3, 11. ℙ Probabile est ita dictos a Bebia quodam oppido. *B. A.*

BEBRA, ae, f. genus pili, aut hastae, qua Barbari utuntur, et binas ac ternas in proeliis portant: quod teli genus prorsus hoc tempore ignotum esse, docet *Stewech. in comm. ad Veg. Mil.* 1, 20., ubi haec vox legitur.

BEBRIACENSIS et Bedriacensis, se, adj. ad Bebriacum pertinens. *Plin.* 10, 49, 69. Bebriacensia bella civilia, *h. e.* inter Vitellium et Othonem de Imperio Romano decertantes ad Bebriacum oppidum. *Suet. Vit.* 10. Bebriacensis victoria, *h. e.* qua Vitellius Othonem devicit. *Tac. H.* 2, 66. Bebriacensis acies.

BEBRIACUM, ci, n. oppidum inter Veronam et Cremonam, ubi Otho a Vitellio victus est. *Cell. Geogr. ant.* 2, 9. *n.* 114. probat fuisse supra confluentes Ollii et Clusii, ubi nunc *Caneto.* V. *Suet. Oth.* 9. Hinc *Juven.* 2, 106. Bebriaci in campo spolium affectare Palati. ℙ Alii rectius scribunt *Bedriacum* et *Plut.* Graece habet *Βηδριακόν.*

BEBRUS, i, m. idem qui fiber. Haec vox nullum habet alium auctorem Latinum praeter *Vet. Schol. Juven.* ad 12, 34.

BEBRYCES, ycum, m. plur. *Βέβρυκες*, populi Asiae in Bithynia, quae ideo *Bebrycia* dicta est, ut *Solin.* 42 et *Serv.* ad *A.* 5, 373. docent. Nomen habuisse dicuntur a Bebryce una ex filiis Danai, quae et ipsa secundum quosdam, una cum Hypermnaestra marito suo pepercerit, et in haec usque loca ex Graecia profugerit. *Val. Fl.* 4, 315. Bebrycas extemplo spargit fuga. Adde *Plin.* 5, 50, 33. ℙ Alii fuerunt in Gallia Narbonensi, ita denominati vel a Bebrycibus Asiaticis, a quibus originem duxerint; vel a Bebryce rege, qui in ea parte Galliae Narbonensis, quae Pyrenaeos montes tangit, regnavit: cujus filia Pyrene cum Hercule concubuit. Vide *Sil.* 3, 420. et sqq. ℙ De quantitate paenultimae V. in BEBRYX.

BEBRYCIA, ae, f. provincia Asiae minoris postea Bithynia appellata. *Val. Fl.* 5, 502. Nec tamen aut Phrygios reges, aut arva furentis Bebryciae spernendus adi. V. v. praec.

BEBRYCIUS, a, um, adj. ad Bebryciam regionem Asiae, vel ad Bebryces populos pertinens. *Virg. A.* 5, 373. Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat. *Val. Fl.* 4, 99. Proxima Bebrycii panduntur litora regni: Rex Amycus, etc. *Id. ib.* 220. Bebrycium fretum. *Stat. Silv.* 4, 5, 28. Bebrycia arena, *h. e.* locus ubi Pollux cum Amyco caestibus pugnavit, eumque occidit. In illo autem *Tert. carm de Sodoma* 2. caesusque cruorem Fundere Bebrycium; notatur ejusdem Amyci saevus mos, qui cum caestu valeret maxime, hospites quoscumque ad certandum cogebat, et victos occidebat: atque ob id in quodam nemore insidias posuerat, quibus ignaros advenas caperet. Hinc *Stat. Th.* 3, 352. servatoremque cruentum Bebrycii nemoris. ℙ Est etiam *Bebrycius* pertinens ad Bebrycem regem, qui in ea parte Galliae Narbonensis regnavit, ubi Pyrenaeis montibus jungitur, ubi etiam *Bebryces* populi. *Sil.* 3, 443. Bebryciae Poenus fines transcenderat aulae. Adde 15, 497. ℙ *Bebrycia virgo* est Pyrene Bebrycis regis filia, quae Pyrenaeis montibus nomen dedit, ab Hercule ibi sepulta. *Sil.* 3, 420. Nomen Bebrycia duxere a virgine colles.

BEBRYX, ycis, qui est ex Bebrycia seu Bithynia, Asiae provincia. *Val. Fl.* 4, 315. ℙ *Bebryx* etiam dicitur Amycus, qui in Bebrycia regnavit, et a Polluce occisus fuit certamine singulari caestibus inito. *Id. ib.* 261 et 290. ℙ Item rex Galliae Narbonensis, qua Pyrenaeis montibus jungitur. V. BEBRYCES. *Sil.* 3, 423. Possessus Baccho, saeva Bebrycis in aula. *Bebrycis* hoc loco paenultimam habet longam, cum apud *Val. Fl.* 2, 649. et 4, 315. et apud *Stat. Ach.* 1, 190. corripiatur. Ex quo intelligimus ancipitis esse quantitatis, tutius tamen corripi. [*Nihil interesse dixerim utrum paenultima producatur an corripiatur. Nam Graeci poetae ne ipsi quidem sibi sonstant. Cf. notata ad *Theocr. Id.* 22.]

BECCO, m. Gallica vox, rostrum galli gallinacei significans, quo cognomine appellatus fuit Antonius Primus, qui Vitellium oppressit. *Suet. Vit.* 18. Antonius Primus Tolosae natus, cui cognomen in pueritia Becco fuerat: id valet gallinacei rostrum. [*B. Crus.* derivat a nomin. *Beccus.*] ℙ [Item significat hircum, syllaba prima breviore sono pronunciata. *Inscr.* ap. *Amoretti Viagg. ai tre laghi* p. 90. *Vivus Fecit* Becco Mocconis *filius* sibi, et Utiliae Veccati *filiae* uxori, et Frontoni *filio*, et Craccae Livonis *filiae* uxori, et Mascio *filio*, et Primae Octavii *filiae* uxori, et Sexto *filio*. Hic lapis, qui hodieque Mediolani exstat, apud *Grut.* 838, 9. habet *Vecco* pro *Becco* (facile enim V in B mutatur); eidemque in fronte insculptus est hircus, qui nomini *Becco* ex consuetudine respondet: quemadmodum apud *Grut.* 624, 2. inscriptio T. Statilii Apri aprum, et apud *Morell. Fam. Rom.* nummus Q. Voconii Vituli vitulum habet. Adde Pana pastorum Deum, qui hircipes fuit, eodem nomine fuisse apud Phrygas appellatum. *Tert. ad nat.* 1, 8. Prima loquela Bekkos renunciata est: interpretatio ejus Panis apud Phrygas nomen est. *F.* *Ab hujus loci vera explicatione plane aberravit *Furl.* Nempe *Panis* non est a casu recto *Pan*, sed *panem*, i. e. alimentum hominum designat. *Tertulliani* verba lucem unice accipiunt ex iis quae *Herod.* 2, 2. narrat. Ex quo rectius scribetur *Bekos*, quam *Bekkos.*]

BECHION, ii, n. *βήχιον*, herba eadem quae *tussilago* (*Huflattich*): a *βήξ*, *βηχός*, tussis, quia tussim sedat. *Plin.* 26, 6, 16.

*BECHIRI, orum, populi in Ponto degentes. *Avien. descr. orb. terr.* 945. *Bicheres* audiunt *Plin.* 6, 4. *B. A.*

*BEDAIUM, i, oppidum Norici. *Tab. Peut.* Dictum et Bidaium *Anton. Itin. B. A.*

BEDELLA, ae, f. videtur idem esse ac bdellium. *Marc Emp.* 19. Balsama, peucedanum, spicam, crocum, atque bedellam.

*BEDESIS, is, Italiae amnis, Ravennam alluens. *Plin.* 3, 15. Hodie *Bedese* appellatur et *Ronco. B. A.*

BEDRIACUM. V. BEBRIACUM.

BEE, vox ovium balantium. *Varr. R. R.* 2, 1. V. BALO.

BEELO. V. BEE et BELO.

BEELPHEGOR, indecl. *Βεελφεγώρ*, בַּעַל־פְּעוֹר, Moabitarum idolum nomine *Bahal*, quod *Phegor* dicebatur vel a monte cognomine, in quo colebatur, vel a פָּעַר, aperuit, quia, ut Priapus apud Romanos, aperiendo virginum hymeni praecrat. *Tert. adv. Gnost.* 3. Adorant Deos gentis, et Beelphegor initiantur. [*Hieron. Nom. Hebraic. de Num.* Beelphegor, quod interpretatur simulacrum ignominiae. Est autem idolum Moab, cognomento Baal, super montem Phogor, quem Latini Priapum vocant. *Id.* in *Oseam* 2, 9. Denique interpretatur Beelphegor idolum tentiginis, habens in ore, id est in summitate, pellem, ut turpitudinem membri virilis ostenderet. *F.*]

BEELZEBUB, indecl. et Beelzebul, ūlis, m. *Βεελζεβούβ* et *Βεελζεβούλ*, Deus ab Accaronitis cultus, ut abigeret muscas, a quibus vexabantur. Nam בַּעַל dominum significat, et זְבוּב muscam. Ita Graecis cultus est *Ζεὺς ἀπόμυιος*, seu *μυιάγριος*. Dictus est etiam בַּעַל־זְבוּל, quod significat dominum habitaculi. Sed quia זְבוּל non solum habitaculum valet, sed aliquando etiam stercus, idcirco *Beelzebul*, quasi *Deus stercoreus* saepe per contemptum vocatus est ab iis, qui Accaronitas eorumque numina irridebant. ℙ In sacris Litteris significat principem daemoniorum, ut *Luc.* 11, 15. habetur. *Tert.* secundam appellationem non semel usurpavit *adv. Marc.* 4, 26. Sic *Prud. περὶ στεφ.* 2, 267. Sed Beelzebulis callida Commenta Christus destruit.

*BEGORRITES LACUS in Macedonia fuit. *Liv.* 42, 53. *B. A.*

BELA, oves, antiquo nomine. *Varr. R. R.* 2, 1. Graeci appellarunt *μῆλα*. Nec multo secus nostri ab eadem voce, sed ab alia littera, *bela* vocarunt. non enim *mee*, sed *bee* sonare videntur oves vocem efferentes: a quo belare dicunt, extrita littera, ut in multis.

BELATUCADRUS, i, m. veterum Britannorum Deus; idem fuit ac Mars, nam *Cadr* apud illos fortem significat. [*Inscr.* ap. *Mur.* 43, 1. Deo Marti Belatucadro. *F.*] Aliae apud *Grut.* 87, 1. Deo sancto Belatucadro. Et *ib.* 2. Belatucadro Julius Civilis opt. V. S. L. M.

*BELBINA, ae; *Βελβῖνα*, insula maris Aegaei, in sinu Saronico, Argolidem inter Atticamque. *Plin.* 4, 12. ℙ Belbina, oppidum. V. v. seq.

*BELBINATES vel Belbinites, ae, ad Belbinam pertinens. Fuit autem Belbina oppidum Laconiae, *Βελβῖνα* *Plutarcho* et *Steph. Byz. Liv.* 38, 34. Belbinates ager. Sic ed. *Drak.* In ed. *Gronov.* posterior forma obtinet. *B. A.*

BELBUS, i, m. idem atque hyaena. *Capitol. Gordian.* 33. Fuerunt sub Gordiano Romae elephanti XXXII., alces X., tigres X., leones LX., leopardi XXX., belbi, id est hyaenae X. Al. leg. *belbi, item hyaenae*, X., qua ratione essent belbi hyaenis dissimiles. *Salm.* primam lectionem tuetur, docetque *belbos* dictos esse pro *beluos* (facile enim *u* in *b* mutatur) *beluos* autem pro *beluas*, eo modo quo *luscinius* et *luscinia* dicitur, *simius* et *simia*, etc. Porro *beluas* pro hyaenis usurpasse videtur *Arnob.* 7. p. 223. Cur non et canes, ursos et vulpes, camelos et beluas et leones? Ubi alii leg. *benuas* eodem sensu: alii *belbas*, ut sit *belba, ae*, f. [*Gloss. Phil. Ταῦρα, ζῶον*, bellua. Scribe *belva* seu *belba. F.*]

BELENA pro *Helena* dictum est ab antiquissimis, teste *Prisc.* 1. p. 547. qui id confirmat etiam auctoritate *Quint.* 1, 4., ubi alii male legunt *balaena.* [*Nempe antiquitus digamma habuit.]

*BELENDI, orum, populi Galliae Aquitanicae. *Plin.* 4, 19. *B. A.*

BELENUS et Belinus, i, m. *Βέλενος* et *Βέλινος*, Deus peculiaris Norici provinciae, ut est ap. *Tert. Apol.* 24., item Aquilejensium. *Vet. Inscr.* Aquilejae reperta apud *Grut.* 36, 12. Apollini Beleno C. Aquilejens. Felix. Et *ib.* 14. Belino Sex. Caesernius Faustus, etc. Et *ib.* 15. Beleno Aug. Sacr. L. Cornelius L. Fil. Vel. Secundinus Aquil. Evoc. Aug., etc. Ex his colligimus, Belenum eumdem fuisse atque Apollinem: quod confirmatur etiam ex *Capitol. Maxim.* 22. Etiam Deum Belenum per haruspices spopondisse, Maximinum esse vincendum. Unde etiam postea Maximini milites jactasse dicuntur, Apollinem contra se pugnasse. ℙ Galli quoque Apollinem suum *Belenum* appellarunt, ut indicat *Auson. Profess.* 4 et 10. ℙ Hanc vocem ductam esse putant aliqui a *βέλος*, sagitta, quia Apollo sagittis potens passim a poetis laudatur. *Philipp. a Turre* in *Diss. de Beleno* conatur probare ducendam esse ab Heleno Trojano, qui Trojanis ea loca, ubi Aquileja est, monstraverit, et ut in iis considerent, persuaserit: illi autem ut pro beneficio gratiam referrent, eum tanquam numen coluerint. V. ℙ In alia Aquilejensi *Inscr.* ap. *Grut.* 37, 3. legitur: Fonti Beleno C. Aquilejensis Diadumenus B. V. S., etc., ubi significatur Fons Beleni nomine cultus. Nam et fontibus divinitatem tribuit superstitiosa antiquitas.

BELGAE, arum, m. plur. populi Galliae Belgicae, quos olim omnium Gallorum fortissimos fuisse, docet *Caes. B. G.* 1, 1., propterea quod a cultu et humanitate provinciae longissime aberant, minimeque ad eos mercatores commeabant, qui ea, quae ad effeminandos animos pertinent, importarent. *Id. ib.* 2, 4. tradit, plerosque eorum ortos esse a Germanis, Rhenumque antiquitus transductos, propter loci fertilitatem, ibi consedisse, Gallosque, qui ea loca incolebant, expulisse. ℙ In singulari numero. *Lucan.* 1, 426. Et docilis rector rostrati Belga covini. *Claud. Cons. Stich.* 1, 226. Pascat Belga pecus. ℙ [*Venta Belgarum*, Britanniae urbs, hodie *Winchester.* Meminit *Ptol. B. A.*]

BELGICUS, a, um, adj. ad Belgas pertinens. *Virg. G.* 3, 204. Belgica vel molli melius feret esseda collo. *Sil.* 10, 80. Ut canis occultos agitat cum Belgicus apros. *Prop.* 2, 14, 30. Turpis Romano Belgicus ore color. *Plin.* 16, 36, 65. Belgici calami. ℙ *Gallia Belgica*, quae et *Belgica* absolute, est ea Galliae pars, quam incolunt Belgae, nimirum tota illa regio, quae Matrona, Sequana, Rheno et Oceano includitur. V. geographos. *Plin.* 7, 16, 17. Belgicae Galliae rationes procurans. *Id.* 15, 25, 30. de cerasis: Principatus duracinis, quae Pliniana Campania appellat: in Belgica vero Lusitanis. *Tac. H.* 1, 58. Pompejus Propinquus procurator Belgicae. [*Belgica, ae*, oppidum Galliae Belgicae, in regione Ubiorum, medio situ inter Rhenum et Roram fluvios. *Anton. Itin. B. A.*]

*BELGINUM, i, oppidum in Gallia Belgica, inter Noviomagum Treverorum et Bingium. *Tab. Peut. B. A.*

*BELGITES, Pannoniae populi. *Plin.* 3, 25. *B. A.*

BELGIUM, ii, n. nunc ponitur pro tota Belgica. Sed Latinis est ejus pars tantummodo, qua comprehenduntur Bellovaci, Atrebates et Ambiani. *Caes. B. G.* 5, 24. Tres legiones in Belgio collocavit. Adde *Hirt. B. G.* 8, 46 et 47.

BELIAL, indecl. et Belia, ae, m. nequam et malignus spiritus. *Isid. Orig.* 8, 11. interpretatur *sine jugo.* Hebraice est בְּלִיַּעַל (a בְּלִי, non, et יָעַל, profuit; vel עוֹל, jugum) et exponitur nequitia. *Tert. Habit. mul.* 2. Quod est commercium damnaturis cum damnandis? opinor, quod Christo et Beliae. *Prud. Psych.* 714. Praeceptor Belia mihi, domus, et plaga mundus. Al. leg. *Praeceptor Belial mihi fit, domus est plaga mundi;* qua ratione prima et secunda corriperentur. Sed hoc minus placet. Producuntur enim ab *eod. Hamart.* 522. Prin-

cipe Belia, rectoribus horret iniquis. Al. leg. *Belial*.

BĒLĬAS, ădis, f. patronym. Beli neptis, filia Danai. *Sen. Herc. Oet.* 959. nec memor castae facis, Stricto cruenta Belias ferro stetit. Al. leg. *Belis in ferro stetit*: ut sit *Belis, idis.* ℙ Est etiam patronym. a *Belial*, seu *Belia* deductum. *Prud. Hamart.* 612., ubi secundam syllabam corripit, cum in *Belial* bis producat. Sed frustra est, qui prosodiae leges a *Prudentio* exigit.

*BELĬAS, ae, Mesopotamiae fluvius. *Ammian.* 23, 6. *B. A.*

BĒLIDES, ae, m. *Βηλίδης*, patronym. filius vel nepos, vel utcumque a Belo ortum trahens. *Ov. Her.* 14, 73. Surge age, Belide, de tot modo fratribus unus. *Belide* vocativus est, *ὦ Βηλίδη*. Intelligit autem Lynceum Aegypti filium, Beli nepotem. *Virg. A.* 2, 81. si forte tuas pervenit ad aures Belidae nomen Palamedis. *Servius* hic docet ex *Apollon.* Palamedem septimo gradu a Belo originem ducere. *Stat. Th.* 6, 291. Belidae fratres, *h. e.* Danaus et Aegyptus Beli filii.

*BELIPPO, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

BĒLIS, ĭdis, f. patronym. Beli filia vel neptis. *Ov. A. A.* 1, 73. Quaque parare necem miseris patruelibus ausae Belides, et stricto stat ferus ense pater, *h. e.* quinquaginta Danai filiae, Beli neptes, quae maritos suos prima nuptiarum nocte, una excepta, occiderunt; (V. DANAUS, i,) eaque historia picta erat Romae in porticu Apollinis Palatini ab Augusto constructa. Adde *Trist.* 3, 1, 61. ℙ Dicuntur hae Belides apud inferos ea poena multari, ut aquam assidue ingerant in dolium pertusum, quod nunquam implere possint. *Ov. Met.* 4, 462. Assidue repetunt, quas perdant Belides undas. Adde *ib.* 10, 43. et *Ib.* 177 et 355.

*BELISAMA, in *Inscr. Vet.* ap. *Selden. de Diis Syris syntag.* et 2. p. 246. Regina coeli vel Astoreth. *B. A.*

[BELISĀNĂ, ae, f. Gallorum Dea, artium inventrix credita, quam Romani cum Minerva commiscuerunt. *Inscr.* ap. *Murat.* 53, 13. Minervae Belisanae sacrum Q. Valerius Montanus. *F.*]

[BELITĀNUS, a, um, adj. ad Belitem sive Belejam pertinens, Tarraconensis provinciae urbem in Edestania, nunc *Belchite*, a *Ptol.* memoratam. *Belitani, orum* sunt incolae urbis Belitis. *Plin.* 3, 3, 4. Ex his civium Romanorum Belitani, Celsenses. *F.*]

BELLANS, antis, part. v. *bello*, qui bellum gerit, aut pugnat. *Hor. Od.* 3, 2, 7. Matrona bellantis tyranni. *Id. carm. saec.* 51. Imperet bellante prior, jacentem Lenis in hostem. *Hirt. B. A.* 61. Gaudium bellantibus fortuna tribuere non decrevit.

BELLĀRĬA, riorum, n. plur. *τραγήματα, τρωγάλια, πέμματα*, cupediarum omne genus, poma, nuces, cibi saccharo aut melle conditi, aliaque hujusmodi irritamenta gulae: qualia sunt, quae secundis mensis inferri solent. Videntur autem ita appellari, quia *bella* sunt, hoc est gulae valde grata, jucundaque stomacho, praesertim si solidioribus cibis satur jam sit. Hinc *bellissimas res* dixit eodem sensu *Ter. Ad.* 4, 2, 51., ut *Don.* adnotavit: et *pulcralia* appellavit *Cato* apud *Fest.* in *Pulcralibus.* Eademque ratione Graeci *ὡραῖα* dixerunt cupedias, ut *Scalig.* ad *Fest.* in *Etym.* docent: *ὡραῖος* enim etiam pulcrum significat. *Varr.* ap. *Gell.* 13, 11. Bellaria ea maxime sunt mellita, quae mellita non sunt. *πέμμασιν* enim cum *πέπει* societas infida. *Pl. Truc.* 2, 5, 27. Fer huc verbenam mihi, tus et bellaria. *Suet. Ner.* 25. Incedenti passim victimae caesae, sparso per vias identidem croco, ingestaeque aves ac lemnisci et bellaria. ℙ Addit *Gell. l. c.* etiam vina dulciora hoc nomine significata olim fuisse, dictaque esse *Liberi bellaria:* ejusque rei exempla in antiquioribus comoediis inveniri: quod ab eo exscripsit *Macr. Sat.* 2, 8.

BELLĀRĬUM et bellaria res aptas bellis appellabant. Ita *Paul.* ex *Fest. Scalig.* autem putat legendum: *Bellarium et Bellaria res bellas appellabant;* et significari cupedias secundae mensae. Al. leg. *res aptas epulis appellabant*, eodem sensu. V. v. praec. ab in.

BELLĀTOR, oris, m. *πολεμιστής*, qui bello est aptus, bellicosus, pugnax. *Cic. Tusc.* 4, 24. Quis est, qui aut bellatori, aut imperatori, aut oratori quaerat aliquid, neque eos existimet sine rabie quidquam fortiter facere posse? [*Balb. 23. an accusatori majores nostri majora praemia, quam bellatori esse voluerunt? Notabilis est locus *Cic. Att.* 8, 12. ecqua pacifica persona desideretur, an in bellatore sint omnia. ubi *bellator* dicitur is qui ad bellum gerendum instigat. Ceterum rarius videntur pedestres scriptores hac voce usi esse, inprimis vero ubi ipsa actionis notio declaranda erat. Sic apud Cic. quae in vicinia collocata sunt, aut opposita *accusator, imperator, orator*, suadebant etiam *bellator.* Idem statue de *Vell.* 2, 25, 3. bellator et victor dissimilis Sulla, *h. e.* aliter in bello, aliter post victoriam se gessit.] *Virg. A.* 9, 721. Bellatorque animos Deus incidit, *h. e.* Mars. *Liv.* 7, 26. *ad f.* Nec Graeci terra, nec Romanus mari bellator erat. [*i. e. nec Graeci terrestris, nec Romani maritimi belli gerendi satis gnari erant. *Tac. A.* 1, 67. Equos dehinc, orsus a suis, legatorum tribunorumque . . . fortissimo cuique bellatori tradit., i. e. cuique, qui belli gnarus idemque vir fortis esset.] ℙ De brutis, et de rebus aliis ad pugnandum aptis. *Virg. G.* 2, 145. et *Ov. Fast.* 2, 12. Bellator equus. *Stat. Th.* 12, 603. taurus. *Sil.* 13, 376. ensis. *Stat. Th.* 8, 378. campus. [*i. e. locus pugnae; quod, quantum ego intelligo, satis insolitum et durum est.] V. VENATOR. ℙ Absolute de equo. *Juven.* 7, 126. ipse feroci Bellatore sedens curvatum hastile minatur. ℙ Dicitur etiam de calculis, quibus in ludo utebantur. *Ov. A. A.* 3, 359. Bellatorque suo prensus sine compare bellat Aemulus.

BELLĀTORĬUS, a, um, adj. ad bellandum pertinens. *Plin. ep.* 7, 9. Sed non ideo semper pugnacem hunc et quasi bellatorium stilum suaserim. [*Recentiores id dicendi genus *polemicum* vocant.] *Ammian.* 23, 5. Bellatoria jumenta.

BELLĀTRIX, īcis, f. bello et pugnae apta, bellicosa, pugnax. *Cic. Tusc.* 4, 24. Bellatrix iracundia. [*i. e. fortitudo bellica, quam esse sine iracundia non posse quidam opinabantur.] *Virg. A.* 1, 497. Penthesilea bellatrix. *Ov. Trist.* 1, 5, 76. diva, *h. e.* Pallas. *Id. ib.* 2, 321. Roma. *Stat. Th.* 6, 262. cohors. *Sil.* 9, 576. belua, *h. e.* elephas. *Stat. Th.* 757. Bellatricesque carinae. Et *Val. Fl.* 7, 612. Bellatrix gleba, *h. e.* quae armatos viros emittit. V. VENATOR.

BELLĀTŪLUS, a, um, adj. diminut. idem ac bellulus: et adhibetur in blanditiis. *Pl. Cas.* 4, 4, 28. Bella bellatula. Sunt qui aliter legi mallent. In *Inscr.* ap. *Grut.* 350, 4. *Bellatula* est nomen propr. mulieris. Et *ib.* 943, 3. cognomen.

BELLAX, ācis, adj. bellicosus, *πολεμιστής*. *Lucan.* 4, 466. Illic bellaci confisus gente Curetum.

BELLĒ, adv. bene, apte, commode, scite, eleganter, *καλῶς, ὀρθῶς, κομψῶς:* diminutive dictum a *bene*, ut docet *Festus* in *Bellule.* Differt aliquo modo a *bene*, quia *belle* commodum, venustatem et convenientiam significat; *bene* omnimodam perfectionem in genere quolibet. [*Hinc multum interest, utrum *belle* an *bene* aliquem aliquid facere dicas. Cf. locum *Mart.* 10, 46., §. 4. allatum. *Doederl. Syn.* III. p. 23.] *Pl. Truc.* 2, 2, 35. Quia istas buccas tam belle purpurissatas habes. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. Aquam belle sane fluentem vidi. *Id. Att.* 1, 1. *In f.* Hermathena belle posita. *Id. ib.* 16, 3. Praediola belle aedificata. *Id. Fam.* 16, 9. Inde Corcyram bellissime navigavimus. [*i. e. sine ulla molestia, cum maxima commoditate nostra.] *Id. Att.* 7, 2. Ita belle nobis flavit lenissimus ventus. *Id. Fam.* 14, 14. Modo ut haec vobis loca tenere liceat, bellissime vel mecum, vel in nostris praediis esse poteritis. *Id. Att.* 4, 16. Dices tu: ergo haec quo modo fers? Belle mehercule: et in eo me valde amo. *Id. ib.* 5, 10. Persuasum est omnibus, serviendum esse famae meae, belle adhuc. *Id. ib.* 13, 33. Horum ego vix attigi paenulam: tamen remanserunt; ceciditque belle. *Id. Div.* 2, 31. Haec non tam mirabilia sunt, quam conjecta belle. *Id. Att.* 6, 1. *a med.* Epistola belle scripta. *Id. ib. sub f.* Haec te volui *περιεστορῆσαι*: sumus enim ambo belle curiosi, scite diligentes in aliorum negotiis perscrutandis. Et *ib.* 12, 37. Attica belle se habet. *Id. Fam.* 9, 9. Terentia minus belle habuit. *Samm. Comp.* 136. Purgat belle chamaelea. *Id. ib.* 150. Calcifraga ad calculosos belle facit, *h. e.* prodest. [*Est haec vox propria hoc sensu apud medicos de effectu medicinae, quanquam ex vulgari usu saepius *bene* ita dicitur. *Cato R. R.* 157. id bene faciet, *h. e.* id vim salutarem exercebit.] *P. Syr.* ap. *Gell.* 17, 14. Pars beneficii est, quod petitur si belle neges. [*i. e. cum gratia, cum bonae voluntatis significatione.] *Quint.* 6, 3. Uti belle aliqua re. [*i. e. ad eum finem, quem praestare debet res.] *Id. ib.* Verba, quae belle respondent. ℙ *Belle tractare*, et *belle tangere* aliquem apud *Pl. Cas.* 4, 4, 25. et *Rud.* 2, 4, 12. est molliter, placide, et blandiendo contrectare et tangere. ℙ *Belle ire* est pedetentim, placideque ingredi, molli quadam gravitate incedere. *Pl. Asin.* 3, 3, 86. I sane bella belle. *Id. Curc.* 4, 2, 35. Sequere istum bella belle. ℙ *Belle facere aliquid* interdum non tam significat bene facere, quam venuste, scite, eleganter et ad speciem jucunde. *Mart.* 2, 7. Causas agis, Attale, belle. *Et* Componis belle mimos, epigrammata belle. Sic Belle cantare, belle saltare, *ib.* V. integrum epigramma. Huc pertinet illud *Ejusd.* 10, 46. Omnia vis belle, Matho, dicere: dic aliquando Et bene: dic neutrum: dic aliquando male. Apud *Cic.* quoque *Quint.* 30. *belle dicere* hoc sensu legitur. ℙ Belle nonnunquam idem est ac facete, salse et simul apposite. *Mart.* 5, 78. Narratur belle quidam dixisse, Marulle, Qui te ferre oleum dixit in auriculam. *Sen. praef. Exc. controv.* 3. Declamat tam male, ut videar belle optasse, cum dixi: Nunquam surgas. *Et paulo post.* Id quod bellissime Censorinus ajebat, etc. ℙ Est etiam vox plaudentium recitantibus. *Pers.* 1, 48. Sed recti finemque, extremumque esse recuso Euge tuum, et belle, nam belle hoc excute totum, etc. *Cic. Or.* 3, 26. Bene et praeclare, quamvis nobis saepe dicatur: belle et festive, nimium saepe nolo, *bene et praeclare* refertur ad orationem gravem et perfectam; *belle et festive* ad dulcem et floridam. ℙ Sup. *bellissime.* V. supra.

BELLĔRŌPHON, ontis, m. *Βελλεροφῶν*, et Bellerophontes, ae, m. *Βελλεροφόντης*, filius Neptuni et Eurynomes Nisi filiae, ut est apud *Hyg. fab.* 157., vel, ut alii volunt, filius Glauci, nepos Sisyphi, pronepos Aeoli. Primum Hipponous dictus est, deinde Bellerophontes, a Bellero quodam Corinthio, quem occidit. Fuit rex Ephyrae, sed regno spoliatus a Proeto Argivorum rege, apud illum ejus jussu aulicam vitam vixit. Corporis pulcritudine excelluit, ornatus simul praeclarissimis maximisque virtutibus. Cum ab Anthia seu Stenoboea uxore Proeti interpellatus esset, veritus hospitalis Jovis iram, lascivam feminam repulit. Quare exardens repulsa mulier, apud virum, innocentem hospitem accusavit, qui hospitii jure motus illum domi interficere non sustinuit, sed datis codicillis ad Ariobatem seu Jobatem socerum in Lyciam misit. Lectis ergo codicillis Jobates in ultionem criminis ad Solymos domandos Bellerophontem misit, ut sub praetextu memorabilis pugnae interiret. Verum cum et Solymos facile vicisset, et aliis plerisque periculis objectus semper victor rediisset, postremo ad interimendam Chimaeram missus est: quem etiam laborem, nactus Neptuni beneficio Pegasum equum, summa cum laude superavit. Jobates virtutem juvenis admiratus, alteram illi ex filiis, Achimenen appellatam, cum regni parte uxorem dedit: ex qua Isandrum, Hippolochum et Laodamiam suscepit. Haec cum audisset Stenoboea sibi ipsa mortem conscivit. Bellerophontes felici rerum successu elatus, cum in coelum evolare cum Pegaso conaretur, immisso a Jove oestro, equo excussus est, deciditque in eum campum, qui Alejus appellatus est. *Hyg. fab.* 57. et 2. *Astron.* 18., item *Serv.* ad *A.* 5, 118. ℙ In recto casu *Bellerophontes* legitur apud *Auson. ep.* 25. *in f.* et apud *Serv.* tum *loc. cit.*, tum ad *A.* 6, 288., item ap. *Hygin. l. c.* At *Bellerophon* habetur apud eund. *Hyg. fab.* 57. et *Fulg. Myth.* 3, 1., ubi etiam *Bellerophonta* in accusativo, Graeca positione. Sed *Bellerophontem* Latino more dixere *Hor. Od.* 4, 11, 28., *Manil.* 5, 97. et *Pl. Bacch.* 4, 7, 11. ℙ Praeterea *Hor. Bellerophonti* dixit in dativo, *Od.* 3, 7, 15., et in ablativo *Bellerophonte*, *ib.* 12, 8., quae sunt a recto *Bellerophon.* ℙ Apud *Pl. l. c. Bellerophontem jam tuus me fecit filius*, proverbii modo dicitur, ex eo ducti, quod Bellerophon nescius litteras ad eam attulit, a quo occidendus erat. Simile est illud *litteras Uriae ferre*, quod e sacris Litteris ductum est, *Reg.* 2, 11.

BELLĔRŌPHONTĒUS, a, um, adj. *Βελλεροφοντεῖος*, ad Bellerophontem pertinens. *Prop.* 3, 2, 2. Bellerophontei qua fluit humor equi. V. PEGASUS. *Rutil. Itin.* 1, 449. Sic nimiae bilis morbum assignavit Homerus Bellerophonteis sollicitudinibus.

*BELLIĀTUS, a, um, adj. i. q. bellulus. *Pl. Rud.* 2, 5, 6. Hem ubi aquam, mea tu belliata. Sic MSS. et ed. *Junt.* (1514.) optimae notae. In aliis, v. g. edd. *Gronov. Parei*, etc. est *bella. B. A.*

[BELLĪCĒUS, a, um, adj. ad bellicum pertinens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1637, 10. C. Asinii C. L. Bellicei hic sita sunt ossa. *F.*]

[BELLĪCĪNUS, a, um, adj. ad bellicum pertinens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 367, 4. Veponiae Bellicinae. *F.*]

BELLĪCOSUS, a, um, adj. *πολεμικός*, ad bella gerenda aptus, bellica virtute valens. *Cic. Prov. Cons.* 13. Gentes barbarae et bellicosae. *Liv.* 37, 8. Gallograeci bellicosiores ea tempestate erant. *Nep. Ham.* 4. et *Caes. B. C.* 3, 1. Bellicosissima gens. [*Cic. Manil.* 10. bellum Hispaniense mixtum ex civitatibus atque ex bellicosissimis nationibus.] *Liv.* 9, 6. *in f.* Cepisse eos non Romam, sicut ante Gallos, sed quod multo bellicosius fuerit, Romanam virtutem ferociamque, *h. e.* quod magis bellicam virtutem ostenderit. *Id.* 10, 9. Bellicosus annus. [*i. e. in quo plurima bella gesta sunt.]

BELLĪCRĒPAM SALTATIONEM (*ἐνόπλιον ὄρχησιν*) dicebant quando cum armis saltabant: quod a Romulo institutum est, ne simile pateretur, quod fecerat ipse, cum a ludis Sabinorum virgines rapuit. *Festus.*

BELLĪCUS, a, um, adj. *πολεμικός, πολέμιος*, ad bellum pertinens. *Cic. Div.* 2, 36. Rem bellicam administrare. *Id. Leg.* 2, 18. Insignia bellica. *Prop.* 2, 15, 43. Bellica navis. *Id.* 4, 4, 14. Bellicus equus. *Cic. Leg.* 2, 24. Bellica mors, *h. e.* in bello obita. [*Ubi conjunguntur bellica peregrinaque mors. Utrumque sumtum ex Legg. XII. tabb.] *Id. N. D.* 2, 64. disciplina. *Id. Off.* 3, 29. Jus bellicum. *Id. Mur.* 10. Bellica virtus. *Id. Brut.* 21. laus. *Tac. A.* 1, 52. gloria. *Flor.* 3, 8. Bellica nomina, *h. e.* bello parta, ut *Africanus*,

Macedonicus, *Creticus*, etc. *Plin.* 16, 4, 4. Bellicae coronae, *h. e.* quae in bello dantur victoribus. ℙ *Bellica columna* quaenam fuerit, V. in BELLONA. ℙ *Bellicum* absolute dicitur sonus tubae ad arma vocans. Hinc *bellicum canere* est milites tubae cantu ad bellum et proelia animare. *Liv.* 35, 18. A Macedonia Philippum, ubi primum bellicum cani audisset, arma capturum [**bei dem ersten Aufruf werde er die Waffen ergreifen.*]. *Cic. Mur.* 14. Simul atque aliquis motus novus bellicum canere coepit. *Justin.* 12, 15, Bellicum canere inter aliquos. ℙ Translate. [**Cic. Phil.* 7, 1. iidem me bellicum cecinisse dicunt, i. e. ad bellum invitasse. *Id. Mur.* 14. omnia ista nobis studia de manibus excutiuntur, simul atque aliquis motus novus bellicum canere coepit.] *Cic. Or.* 12. Thucydides incitatior fertur, et de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum. [*De historici genere dicendi gravi et vehementi.] ℙ Est etiam *bellicus* idem ac bellicosus. [*Hac tamen significatione in oratione pedestri cautius abstinebis, licet *Vell.* ita scripserit.] *Vell.* 2, 38. Bellica civitas. *Ov. Fast.* 2, 814. Dea, *h. e.* Pallas. [*Quae apud *Virg. A.* 1, 14. Studiis asperrima belli dicitur.] *Id. ib.* 478. Bellicus Deus, *h. e.* Romulus. Et *ib.* 3, 1. Bellicus Mars.

BELLĬFER, a, um, adj. belliger, bellicosus. *Claud. Eutrop.* 1, 429. quid belliferam communibus urunt Italiam maculis? etc.

BELLĬFĪCOR, aris, atus sum, dep. 1. idem quod gratificor, belle alicui facio, belle cum aliquo ago. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10. Quare tibi suadeo, quicumque est istic status rerum, diligenter et caute perscribas, ne aut bellificatus alicui dicaris, aut aliquid, quod referret scire, reticuisse. *Velificatus* leg. plerique alii, et quidem rectius.

BELLĬGER, a, um, adj. qui bellum gerit, bellicus, bellicosus. *Ov. Trist.* 3, 11, 13. Belligerae gentes. *Id. Met.* 3, 534. Belliger ensis. *Id. A. A.* 2, 672. Belligerae manus. *Mart.* 5, 25. Hasta belligera. *Stat. Th.* 12, 717. Belligerae acies. *Sil.* 3, 124. viris ignobile letum Belligeris in pace mori. Et *ib.* 162. Belligera mens. *Val. Fl.* 5, 617. Belligeri labores. *Sil.* 8, 261. Ars belligera. *Id.* 11, 567. Fera belligera, *h. e.* elephas, qui et armatos gerit, et in acie pugnat.

BELLĬGĔRĀTOR, oris, m. πολεμιστής, bellator, bellicosus. *Avien. Perieg.* 55. Belligeratores nutrit tellus Arimaspas. *Venant. De vita Martini*, 3, 370. Belligeratori valeat ne femina jungi.

BELLĬGĔRO, as, avi, atum, n. 1. πολεμέω, πολεμίζω, bellum gero, bello, pugno. [**Liv.* 21, 16, 4. Cum Gallis tumultuatum verius, quam belligeratum. In aliis tamen locis *belligerare* et *bellum gerere* confunduntur a librariis. V. *Drak.* ad *Liv.* 22, 39, 9. 24, 48, 4. 25, 38, 21.] *Cic. Font.* 12. Excitandus nobis erit ab inferis C. Marius, qui Indutiomaro isti par in belligerando esse possit. [**Id. Off.* 1, 12. nec cauponantes bellum, sed belligerantes. Locus ex *Ennii* Annalibus desumtus videtur.] *Tac. A.* 4, 46. Belligerare adversum accolas. ℙ Translate. *Cic.* ad *Quir.* 8. Belligerare cum fortuna. *Pl. Truc.* 1, 2, 80. Isti, qui cum geniis suis belligerant, parcipromi. ℙ Deponentis forma, *Hyg. fab.* 274. *in f.* Belus Neptuni filius gladio belligeratus est. ℙ Particip. *Belligerans.* V. supra.

[BELLILLĀ, ae, f. diminut. bellae. Nomen Romanum servile. *Inscr.* ap. *Gud.* 353, 13. Coelia C. L. Hilara sibi et Bellillae libertae. *F.*]

[BELLĪNUS, i, m. derivat. belli. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 918, 13. T. Messius Bellinus. *F.*]

BELLĬO, onis, m. flos pratensis, lutei coloris, pastillicantibus quinquagenis quinis barbulis, ut est apud *Plin.* 21, 8, 25. ℙ Est etiam cognomen diminutivum belli. *Inscr.* ap. *Grut.* 951, 5. Pollinius Bellio.

BELLĬPŌTENS, entis, adj. in bello potens, εὐπολέμιος. *Virg. A.* 11, 8. tibi, magne, tropaeum Bellipotens, *h. e.* Mars. *Stat. Th.* 2, 715. Diva bellipotens, *h. e.* Pallas. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 2, 56. stolidum genus Aeacidarum Bellipotentes sunt magi', quam sapientipotentes. Adde *Val. Fl.* 1, 529.

BELLIS, idis, f. [*Bellis perennis *L. Gänseblümchen*, *Maasslieben*], herba in pratis nascens, flore albo, aliquatenus rubente. *Plin.* 26, 5, 13.

BELLĬSŌNUS, a, um, adj. bella sonans. *Paulin. Nolan. Natal. S. Felicis*, *carm.* 8, 23. *sub f.* Sic modo bellisono venientes flumine pugnas De nostris averte locis.

BELLĬTŪDĬNEM, sicut magnitudinem *Verrius* dixit. *Festus.*

BELLO, as, avi, atum, n. 1. πολεμέω, πολεμίζω, bellum gero, belligero. [**Liv.* 35, 18, 3. Tanquam non, utrum bellandum esset, necne, consuleretur; sed ubi, et qua ratione bellum gereretur. V. alios locos congestos a *Drak.* ad *Liv.* 40, 47, 3.] *Cic. Man.* 12. Longe a domo bellare. *Id. Verr.* 2, 4, 33. Cum illa civitas cum Poenis suo nomine, ac sua sponte bellaret. *Tac. A.* 12, 60. Bellare de aliqua re. [*Notabilis inprimis structura apud *Tac. H.* 1, 89. in unius sollicitudinem aut decus populus Romanus bellaverat.] *Curt.* 9, 4. inter se. *Val. Fl.* 6, 373. contra aliquem. *Nep. Them.* 9. adversus aliquem. *Id. Con.* 2. Cum Agesilaum bellatum misissent in Asiam. *Id. Ann.* 1. Bellare animo cum aliquo. *Liv.* 8, 39. *in f.* Hoc bellum a consulibus bellatum est. Est qui legat *debellatum.* [**Tac. H.* 2, 40. non ut ad pugnam, sed ad bellandum profecti. Ubi frustra agunt qui *debellandum* scribendum putant. Vulgata bene se habet; cujus sensus etiam ita exprimi poterat: profecti erant non ad pugnam aliquam subeundam, sed ad bellum gerendum, ad bellum igitur, quo res ipsa dirimeretur. Etiam apud *Liv.* 6, 31., qui locus mox afferetur, vulgata frustra sollicitatur.] *Front. Princ. hist.* Bella igitur duo maxima a duobus maximis imperatoribus adversum Parthos nostra memoria pari eventu bellata contendere inter sese pergam. *Ov. A. A.* 3, 359. Bellatorque sua prensus sine compare bellat. [**Liv.* 6, 31. donec bellatum esset; i. e. donec bello finis impositus esset.] *Tac. H.* 1, 1. Postquam bellatum est apud Actium. *Plin.* 5, 1, 1. Romana arma primum, Claudio principe, in Mauritania bellavere. ℙ Significat etiam pugnare, apud poetas. *Stat. Th.* 6, 829. Bellare caestu. *Sil.* 3, 235. ense. *Id.* 8, 498. manu. [*Saepius apud pedestres scriptores *bellare* latiore sensu ponitur, ut *pugnare* substitui posse videatur. Inde factum, ut nonnunquam librarii hoc ipsum ex interpretatione scriberent. V. *Drak.* ad *Liv.* 8, 2, 13.] ℙ Cum dativo poetice. [*Nempe ad Graecorum structuram hoc dictum, qui πολεμεῖν τινί, alia habent.] *Stat. Th.* 8, 505. citius me fulmina contra (Infandum) ruere et magno bellare parenti Aspiciat. *Sil.* 9, 503. et bellare maniplis Jussa laetatur rabie. Adde 16, 565. ℙ Deponentis forma. *Virg. A.* 11, 660. et pictis bellantur Amazones armis. ℙ Particip. *Bellaturus* apud *Claud. Cons. Stil.* 1, 321. Messis cum proprio mox bellatura colono.

*BELLOCASSI, orum, *Caes. B. G.* 7, 75. Etiam *Velocasses* et *Veliocasses* dicti. Habitabant in Gallia ad dextrum Sequanae littus. Urbs eorum fuit *Rothomagum* (*Rouen*). Secundum *d'Anville* est hodie is tractus, qui appellatus *Le Vex* in *Francois et Normand.*

BELLONA, ae, f. Ἔννω, Dea praeses armorum et belli (*Duellona* olim dicta, ut *duellum* pro *bellum. Varr. L. L.* 6, 3. *a med.*) dissidiis gaudens, caedibus et sanguine. Alii dicunt, esse sororem Martis, alii nutricem, alii aurigam: quidam ejus filiam, quidam uxorem faciunt. Nonnulli putant, esse ipsam Palladem, quae belli inventrix habetur. *Lact.* 1, 21. tradit, Bellonam Romanis eandem esse ac Virtutem. *Pl.* tamen distinguit *Amph. prol.* 42. ℙ *Tartaream* dicit *Sil.* 5, 222., quia ex Tartaro prodire creditur: unde omnia mala in genus humanum. V. *Petr. Sat.* 124., *Sen. Herc. Oet.* 1311. et *Claud. Eutrop.* 2, 145. ℙ Romae templum habuit in nona regione non procul a Circo Maximo ante portam Carmentalem; ab Appio Claudio Coeco exstructum: quod ante posita erat columella, quae *bellica* dicebatur, super quam hastam jaciebant bellum indicturi, ut *Fest.* in *Bellona*, et *Ov. Fast.* 6, 201. *et seqq.* tradunt. Cujus rei ratio est, quia cum olim Romani bellum indicebant finitimis populis, Fecialem mittere solebant, qui in eorum fines hastam jaceret, eaque caeremonia bellum indiceret. Prolato deinde imperio, cum trans mare quoque bellum aliquando inferendum esset, nec inveniretur locus, ubi is hastae jaciendae ritus fieret, columnam ad id ante Bellonae aedem consecrarunt. ℙ In hoc templo dabatur senatus iis, quos in Urbem admittere nolebant. Nam regio nona tota fuit olim extra Urbem. ℙ Describitur Bellona a poetis facem et hastam aut flagellum quatiens, tuba sonans, bellicum canens, ac per acies discurrens ad pugnam conciendam. Ejus sacerdotes proprio cruore ei faciebant. V. BELLONARII. *Virg. A.* 8, 700. Saevit medio in certamine Mavors Caelatus ferro, tristesque ex aethere dirae, Et scissa gaudens vadit Discordia palla, Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello. *Hor. Sat.* 2, 3, 223. gaudens Bellona cruentis.

BELLONĀRĬA, ae, f. dicta est herba solanum, sive solata, quia ea utebantur olim in bello ad tingendas cuspides: vel potius quia eam adhibebant Bellonarii, putantes ejus auxilio facilius se vaticinaturos. *Appul. Herb.* 74.

BELLONĀRII, orum, m. plur. sacerdotes Bellonae. Hi statis temporibus (praesertim IX. cal. April. qui dicebatur *dies sanguinis*, teste *Trebell. Claud.* 6.) sacra ei faciebant, oestroque perciti, quem ab ipsa Dea sibi immitti credebant, cultris humeros et brachia sua secabant, proprio cruore se aliosque aspergentes: quo tempore futura etiam vaticinabantur. Cujus rei meminere *Juven.* 4, 123., *Lucan.* 1, 565., *Tert. Apol.* 9., *Lact.* 1, 21. et alii. Apud *Lamprid. Comm.* 9. legitur, Commodum ex studio crudelitatis praecepisse, ut Bellonae servientes vere exsecarent brachia. Ex quo intelligimus, plerumque ficta et simulata fuisse tantum vulnera Bellonariorum. ℙ Ipsa vox *Bellonarii* legitur apud *Acron. Vet. Hor. Schol.* ad *Sat.* 2, 3, 223., ut est in ejus *edit. Bas.* apud *Valent. Curion.* 1527, 8. p. 685.

[BELLONARIS, re, adj. ad Bellonam pertinens. *Not. Tir.* p. 133. Bellona, bellonaris. *F.*]

BELLONE, es, f. quae legitur apud *Hyg. fab.* 274. et prima acum invenisse dicitur, videtur esse eadem, quae *Bellona.* Sed fortasse legendum est *Belŏne*, a Graeco βελόνη, quod acum significat. Unde et piscis quidam, qui *acus* Latine dicitur, Graece *belone* appellatus, ut est apud *Plin.* 9, 51, 76. V. ACUS, i.

BELLOR, aris. V. in BELLO, as.

BELLOSUS, a, um, adj. idem quod bellicosus. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 96. Tantum bellum suscitare conari adversarios contra bellosum genus.

BELLOVĀCI, orum, m. plur. [**Strab.* Βελλοάκοι. *Ptol.* Βελλουάκοι, ὧν πόλις Καισαρόμαγος. Hodie *Beauvois.*] populi Galliae Belgicae, quorum praecipua urbs *Bellovacum.* Fuere inter Parisios, Velocasses, Belgium et Suessones. *Plin.* 4, 17, 33., *Caes. B. G.* 2, 4.

BELLUA et Beluă, ae, f. θήρ, θηρίον, proprie dicitur de fera immani et formidabili, ut sunt leones, elephanti, tigres, apri, item pisces majores, ut balaenae, delphini, phocae et hujusmodi. Hinc distinguitur a *fera* et *bestia*, quae ampliorem significationem habent, et dicuntur etiam de minoribus brutis animalibus. *Suet. Aug.* 72. *in f.* Immanium belluarum ferarumque membra praegrandia. *Cic. N. D.* 1, 35. Elephanto belluarum nulla prudentior. *Id. Ac.* 4, 34. Fera et immanis bellua. *Id. Div.* 1, 25. vasta et immanis. [**Id. N. D.* 3, 16. Singulas stellas numeras deos, eosque aut belluarum nomine appellas, ut Capram, ut Nepam, ut Taurum, ut Leonem, aut rerum inanimatarum.] *Hor. Od.* 1, 12, 23. saeva. *Sen. Hippol.* 1047. squamosa. ℙ Frequenter usurpatur de elephantis, ut apud *Flor.* 1, 18., *Arnob.* 7. p. 223. et apud *Curt.* multis in locis. Sic Gaetula bellua *Juven.* 10, 158., Inda *Ov. Trist.* 4, 6, 7. Adde *Ter. Eun.* 3, 1, 25. et *Cic. Fam.* 7, 1. *a med.* [**Graev.* ad *Flor.* 2, 6. p. 323. *Ruhnk.* dict. in *Terent.* p. 113.] ℙ Saepissime tamen ponitur pro quocumque animali bruto. *Pl. Aul.* 3, 6, 26. Quo quidem agno sat scio magis curiosam nusquam esse ullam belluam. *Cic. N. D.* 2, 39. In mari quot genera, quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium et innantium belluarum, partim ad saxa nativis testis inhaerentium! [**Id. Off.* 2, 5. Belluarum repentina multitudo. Ubi recte *Heusinger.* interpretatur non tantum ferarum, sed et minorum bestiarum, murium, ranarum, scorpionum, serpentium, talparum, locustarum. *Ib.* 1, 30. Quantum natura hominis pecudibus reliquisque belluis antecedat. Quo loco tamen nonnulli codd. et editt. vett. habent *bestiis.*] ℙ Crebro adhibetur in conviciis, [*de homine fero, immani, crudeli.] *Cic. Verr.* 2, 5, 42. Sed quid ego hospitii jura in hac tam immani bellua commemoro? *Id. Pis.* 1. Jamne vides bellua, jamne sentis, quae sit hominum querela frontis tuae? [**Legg.* 3, 9. de Clodio: Sed ille quas strages edidit? Eas videlicet quas sine ratione ac sine ulla spe bona furor edere potuit impurae belluae, multorum inflammatus furoribus.] *Liv.* 7, 10. Si tu permittis, volo ego illi belluae ostendere, me ex ea familia ortum, quae etc. *Pl. Rud.* 2, 6, 59. Impurata bellua. *Ter. Ph.* 4, 2, 11. Sed quid pertimui autem bellua? ℙ Translate. *Suet. Tib.* 24. Principatum recusavit, adhortantes amicos increpans, ut ignaros, quanta bellua esset imperium. *Sall. Orat. ad Caes. De rep. ord.* 2, 51. Avaritia bellua fera, immanis, intoleranda est. ℙ Rectius scribitur duplici *ll:* ita enim frequentius legitur, placetque *Man.* et *Cellar.* Confirmatur auctoritate *Festi*, qui *bellum* a *belluis* ductum putat. Si unico scribatur, prima corripi potest. *Varr.* ap. *Non.* 3, 69. Quid dubitatis, utrum nunc sitis cercopitheci, An colubrae, an beluae?

BELLŪĀLIS, le, adj. belluinus. *Macr. Sat.* 5, 11. Educatio bellualis et aspera.

BELLŪĀTUS, a, um, adj. *Pl. Ps.* 1, 2, 14. Alexandrina belluata conchyliata tapetia, *h. e.* belluarum imaginibus picta. V. BELLUTUS et POLYMITUS.

[BELLŪĪLIS et Beluilis, le, adj. idem ac belluinus. *Jul. Valer. Res gest. Alex. M.* 3, 88. Ac prorsus belluile [*Cod. habet *beluile. B. A.*] saevientes. Gloss. *Philox.* Belluile, θηριώδες. *F.*]

BELLŪĪNUS, a, um, adj. θηριώδης, ad belluas pertinens, belluae similis. *Gell.* 19, 2. Qui istis belluinis voluptatibus sese dediderunt. *Prud. Cath.* 7, 114. Belluinae fauces.

BELLŪLĒ, adv. diminut. a *belle. Appul. Met.* 11. p. 272, 34. Liberali Deum providentia jam stipendiis forensibus bellule fotus. *Id. ib.* 10. p. 246, 23. Bellule suffarcinatus. *Id. ib.* 5. *in f.* Aetatem portat bellule. *Plautus* quoque hac voce usus est, teste *Festo.* [*ut *Appul.*, quod saepe fecit, comici vocem denuo in usum vocasse putandus sit.]

BELLŬLUS, a, um, adj. pulchellus: diminut. a *bellus*. *Pl. Mil.* 4, 1, 42. Aedepol haec quidem bellula est. Adde *Cas.* 4, 4, 22. [*Inscr.* apud *Murat.* 1514, 3. Bellule cresce puer. *F.*]

BELLUM, li, n. πόλεμος, dissensio populorum, cum arma sibi mutuo inferunt. Olim *duellum* dictum est, ut est apud *Varr. L. L.* 6, 3. *a med.*, *Cic. Or.* 45. et *Quint.* 1, 4., ea nimirum ratione, qua a *duis* factum est *bis*, a *duonum bonum*, a *Duellona Bellona*. Putat *Festus* ductum esse a belluis, quia earum propria est dissensio. Alii tradidere *bellum* dictum esse, quia sit minime bellum. Sed haec levia sunt. [**Bellum* est quum populi armorum vi inter se decertant, sed ex jure gentium. Hinc *bellum* opponitur *latrocinio*. V. *Drak.* ad *Liv.* 21, 35, 2. idem *justum piumque* dicitur *Liv.* 30, 31, 4.] *Cic. Verr.* 2, 3, 18. Hae terrae, in quibus bellum acerbum diuturnumque versatum est. *Id. Att.* 9, 10. crudelissimum et maximum. *Id. Div.* 1, 47. triste ac turbulentum. *Id. Att.* 8, 14. pestiferum. *Id. Manil.* 2. grave et periculosum. *Id. Balb.* 2. durissimum. *Suet. Caes.* 35. difficillimum. *Ov. Ib.* 646. Bella acria. *Hor. Ep.* 2, 1, 7. aspera. *Cic. Fam.* 9, 13. Commovere bellum. *Id. Att.* 9, 13. parare. *Id. ib.* 10, 4. terra et mari comparare. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. alere. *Cic. Off.* 1, 11. *a med.* denunciare et indicere. *Id. Sext.* 27. Magna belli contentione superare aliquem. *Id. Manil.* 20. *in f.* Administrare bellum cum aliquo, *h. e.* contra aliquem. Sic *Id. Div.* 1, 46. gerere cum aliquo, *eodem sensu.* (V. alia huc pertinentia in GERO.) [**Haec satis diversa sunt*: bellum gerere, agere, administrare. Accurate de harum locutionum discrimine exposuerunt *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 3, 27. *Ramshorn. Gr. Lat.* p. 586. Notabilis est inprimis locus *Nep. Chabr.* 2. Chabrias multa bella in Europa administravit, quum dux Atheniensium esset. Multa in Aegypto sua sponte gessit.] *Cic. Pis.* 24. conficere, *h. e.* finire. *Id. Fam.* 7, 3. ducere, *h. e.* in longum trahere. *Id. Dom.* 23. et *Phil.* 2, 22. inferre alicui et contra aliquem. *Id. Agr.* 2, 28. facere atque instruere. *Id. Mil.* 23. et *Cat.* 3, 9., *Caes. B. G.* 3, 29., *Liv.* 1, 38. et *Nep. Dion.* 4. facere alicui. (Hoc sensu *bellum agere* dixere *Id. Nep. Ann.* 8. et *Caes. B. G.* 3, 28.) [**Vide quae modo adnotavimus coll.* V. AGO. Injuria *Senec. Ep.* 114. locutionem *bellum facere* pro soloecismo habet. Contrarium docent *Liv.* 1, 32. *Caes. B. G.* 5, 28. 7, 2. 3, 29.] *Nep. Dat.* 8. *in f.* Sedare bellum. *Id. Hamilc.* 1. componere. *Id. Con.* 4. Bello persequi aliquem. *Id. Ann.* 3. subigere gentes. *Id. Chabr.* 2. devincere insulam. *Id. Dat.* 1. Vir manu fortis et bello strenuus. *Id. Epam.* 5. Bello exercitatus. ℙ *Deferre bellum ad aliquem* est belli gerendi facultatem atque imperium tradere. Sic *Dare alicui bellum.* Utraque phrasis est *Cic. Phil.* 11, 8. ℙ Genitivus *belli* (quemadmodum et *militiae*) significat in bello: et jungi solet cum *domi*, cui opponitur. *Cic. Off.* 2, 24. Praeterea quibuscunque rebus vel belli, vel domi poterunt, rempublicam augeant. *Sall. Jug.* 45. Paucorum arbitrio belli domique agitabatur. Adde *Liv.* 1, 36. et 3, 43. *Id.* tamen 9, 26. *sub f.* Post res tot domi belloque gestas [**et Drak.* ad hos locos.] ℙ Si vox *domi* non sequatur, pro *belli* dicimus *in bello. Cic. Fam.* 9, 5. Magis illos, qui in bello occiderunt. Adde *ib.* 12, 10. et alibi. At legitur *belli* tantum, non sequente vocabulo *domi*, apud *Ter. Heaut.* 1, 1, 60. Simul et rem et gloriam armis belli repperi. [*ubi vide *Ruhnk.* in dictat. p. 147.] ℙ Ablativus *bello* saepe significat tempore belli. *Cic. N. D.* 2, 2. Ut apud Regillum, bello Latinorum, cum Postumius cum Octavio Mamilio proelio dimicaret. *Id. Div.* 1, 44. Vejenti bello, cum lacus Albanus praeter modum crevisset. Imo idem quandoque significat ac genitivus *belli*. *Liv.* 1, 34. *ad f.* Notitiamque eam brevi in familiaris amicitiae adduxerat jura, ut publicis pariter ac privatis consiliis bello domique interesset. *Drak.* mavult legere *belli*. ℙ Dicitur aliquando *bellum navigare*, *ascendere* etc. *Cic. Man.* 12. Quam celeriter, Pompejo duce, belli impetus navigavit! *Flor.* 2, 2. Regulo duce jam in Africam navigabat bellum. *Id. ib.* Serpente latius bello. *Id.* 4, 12. Alpes et nives, quo bellum non posset ascendere. ℙ De iis rebus, quibus bellum geritur. *Ov. Met.* 12, 24. Permanet Aoniis Nereus violentus in undis, Bellaque non transfert. *Heins.* mavult legi *relaque:* fatetur tamen, in omnibus libris *bella* haberi. Huc trahi potest illud *Silii* 7, 472. Sed victae fera bella Deae vexere per aequor etc., *h. e.* arma et milites. *Stat. Th.* 9, 490. quid faciat bellis obsessus et undis? *h. e.* armis et hostibus. ℙ Differt a *proelio*, quod *bellum* significat totum illud tempus, quo homines sunt in armis, etiamsi cessetur a conflictu: *proelium* vero est, cum acies utrinque congrediuntur: itaque proelium belli pars est. *Cic. N. D.* 2, 28. Nec vero Dii bellis proeliisque caruerunt. *Id. Or.* 9. Thucydides et bella narrat et proelia. *Liv.* 30, 35. *extr.* Annibal fassus in curia est, non proelio modo se, sed bello victum. *Id.* 9, 18. et *Lucil.* ap. *Non.* 5, 61. Quod populus R. etsi nullo bello, multis tamen proeliis victus sit. [**Tac. A.* 2, 88. belli et proelii discrimen. Cf. *ib.* 12, 39.] Adde *Virg. A.* 11, 541. ℙ Aliquando *bellum* pro *proelio* ponitur. [**Drak.* ad *Liv.* 3, 61, 2. multis exemplis accurate examinatis docet, probis scriptoribus non dici *bellum* pro *proelio*, eamque consuetudinem posteriore demum aetate invaluisse, ut librarii, sui saeculi lingua abrepti, saepe hoc perperam substituerint. Idem *Drak. l. l.* observat infimae aetatis scriptores eo usque progressos esse, ut *bellum* de *certamine singulari* adeo usurpaverint. Cf. *Du Cange Gloss. med. Latin.* s. h. v.] *Varr. L. L.* 6, 3. *a m.* Rorarii dicti a rore: qui bellum committebant ante. *Justin.* 2, 12. Artemisia inter primos duces bellum acerrime ciebat. Adde 18, 1. *in f.* et 24, 8., *Virg. A.* 2, 439. et *Stat. Th.* 3, 666. [**Bellum*, ut πόλεμος saepe est *pugna*, πολεμεῖν *pugnare. Klotz.* ad *Tyrt.* p. 109. *Kuinoel.* ad *Ov. Her.* 1, 69. *Jahn.*] ℙ Et vicissim *proelium* pro *bello. Liv.* 31, 2. Consultatio de Macedonico bello integra ad consules, qui in proelio cum Bojis erant, rejecta est. *Petr. Sat.* 89. Decenne proelium, *h. e.* bellum Trojanum. Adde *Justin.* 3, 6. [*Noli putare, in his locis *proelium* pro *bello* positum esse, quod nunquam fit. Proelium idem valet quod *dimicatio.* Sic in loco Liviano proelium cum Bojis dicitur, quoniam non justum bellum erat, sed dimicatio tantum s. contentio.] ℙ Pro oppugnatione. *Liv.* 21, 8. Itaque acrius de integro obortum est bellum. V. integr. loc. ℙ Translate. [**Tac. H.* 3, 13. bellum inferre provinciae. De legato turbas in sua provincia movente.] *Cic. Sull.* 9. *extr.* Suscipere aeternum bellum cum improbis. [**Liv.* 3, 24. Hoc bello perfecto, tribunicium domi bellum Patres territat. De contentionibus tribuniciis ibi agitur. Locutioni paulo insolentiori occasionem videntur dedisse verba quae praecedunt *hoc bello confecto*, cui deinde alterum quasi bellum, quod domi gestum est, opponitur. Miro errore verba *tribunicium bellum* tanquam ex Cicerone petita afferuntur in *Clav. Cic. Schütz.* s. v. Bellum.] *Cic. N. D.* 2, 49. Milvo est quoddam bellum quasi naturale cum corvo. *Id. Or.* 2, 37. Philosophiae bellum indicere. [**Cic. Fam.* 12, 22. Bellum gerimus, sed non pari conditione, contra arma verbis.] *Hor. Sat.* 1, 5, 7. ventri. *Liv.* 3, 25. falsum testem justo ac pio bello persequebatur.

BELLŬOSUS, a, um, adj. belluis abundans. *Hor. Od.* 4, 14, 47. belluosus qui remotis Obstrepit Oceanus Britannis. Adde *Avien. Ora marit.* 204.

BELLUS, a, um, adj. καλὸς, aptus, commodus, appositus, congruens, idoneus: diminutive factum a *bonus* (ut docet *Prisc.* 3. *sub f.*) [*et 1, 7, 39. p. 556. *Jahn.*] pro quo *benus* olim dictum fuisse, et inde *bellus*, docet *Voss.* in *Etym.* Itaque minus significat, quam *bonus.* Nam *bona* dicimus ea, quae perfectionem habent in quolibet genere: *bella* autem non item. Alii docent esse ab obsoleto *duellus*, quod idem significat. *Varr.* ap. *Non.* 4, 45. Socius bellum ita geris, ut bella omnia domum auferas. *Petr. Sat.* 25. Bellissima occasio. *Cic. Att.* 5, 17. Illum pueris locum esse bellissimum duximus. *Id. ib.* 13, 20. Theatrum quidem sane bellum habuisti, *h. e.* locum et occasionem commodam. *Id. Or.* 1, 60. Subsidium bellissimum existimo esse senectuti otium. *Id. Att.* 15, 11. Bella est hujus juris quinquennii licentia. *Id. ib.* 10, 14. Haec potius conquire de Hispaniis, de Massilia: quae quidem satis bella Servius affert. *Id. ib.* 4, 16. *med.* Recordor enim quam bella paulisper, nobis gubernantibus, civitas fuerit, *h. e.* quam tranquillus et jucundus reipublicae status [**Cic. Rep.* 2, 40. Est tibi ex iis ipsis, qui adsunt, bella copia.] ℙ *Epistolam valde bellam* vocat *Cic. Att.* 4, 6. *in f.* quae scite scripta est et apposite ad impetrandum. ℙ *Bellum est*, commodum est, utile, jucundum est. *Cic. Fam.* 9, 2. Mihi jampridem venit in mentem, bellum esse aliquo exire, ut ea, quae agebantur hic, quaeque dicebantur, nec viderem, nec audirem. *Id. Or.* 1, 58. Etiam sine cognitione juris, quam sit bellum cavere malum, scire possumus. *Id. Att.* 13, 49. Est bellum aliquem libenter odisse. ℙ *Belli cibi* dicuntur qui suaves et delicati sunt. Ex qua notione *bellariorum* nomen ortum est. *Ter. Ad.* 4, 2, 51. Unumquodque, quod erit bellissimum, carpam. [*Locus est de cibis, qui ad prandium pertinent. Verba autem sic exhibet *Bentl.*: atque unum quicquid, quod quidem erit bellissimum, carpam. Cf. *Ruhnk. dict.* p. 198.] *Colum.* 12, 19. Vinum bellissimum. ℙ Dicitur nonnunquam de rebus affabre factis. *Varr. L. L.* 7, 16. Non solum vasa ad victum habilia, sed etiam figura bella. ℙ Saepe transfertur ad mores. Hinc *bellus homo* dicitur, qui lepidus est, facetus, festivus, urbanus, blandus, suavis, ἀστεῖος, ἄφυκος, εὐμμετρος. *Cic. Fin.* 2, 31. Haec non possum dicere, non esse hominis et belli et humani: sapientis vero nullo modo. *Id. Fam.* 14, 7. Cicero bellissimus tibi salutem plurimam dicit. *Id. Att.* 1, 1. Durius accipere hoc mihi visus est, quam homines belli solent. *Pl. Capt.* 5, 2, 3. Fui ego bellus, lepidus; bonus vir nunquam. [*ubi vides quantum intersit inter *bellus* et *bonus.* Illud refertur ad externam formam morumque elegantiam, hoc ad indolem.] *Id. Merc.* 4, 5, 10. Tuus pater bellissimus amicam adduxit intro in aedes. εἰρωνικῶς. Adde *ib.* 4, 1, 22. Jocus est in illo *Mart.* 1, 10. Bellus homo et magnus vis idem Cotta videri: Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est. *bellus* enim cum sit diminutivum a *bonus*, ut dictum est; diminutiva autem de rebus parvis dicantur, non potest idem et bellus et magnus esse. [*Locus est notatu dignus apud *Cic. Att.* 5, 10. haec ipse fero quidem fronte ac vultu bellis, sed angor intimis sensibus, *h. e.* vultu meo non prodo animi auxietatem *(ich mache äusserlich eine gute Miene dazu).*] ℙ *Bellus* quoque est, qui bene se habet, et sano corpore ac mente hilari est. *Cic. Fam.* 16, 18. Fac, bellus revertare. Adde *Pl. Curc.* 1, 1, 20. Hinc *belle habere*, hoc est valere. V. BELLE. ℙ Dicitur de rebus in speciem elegantibus et ingeniosis. *Mart.* 2, 7. Historias bellas, carmina bella facis. ℙ *Bella fama* est bona fama. *Hor. Sat.* 1, 4, 114. ℙ Refertur aliquando ad pulcritudinem corporis, ὡραῖος: sed hoc saepius apud poetas. [*Cic. Att.* 6, 4. Puella Caecilia bellissima.] *Varr.* ap. *Non.* 4, 45. Quid enim est, quod homo masculus lubentius videre debeat, quam bellam uxorem? *Pl. Asin.* 3, 3, 84. Nimis bella es atque amabilis. *Id. Rud.* 2, 5, 6. Accipe aquam, mea tu bella. *Mart.* 2, 87. Dicis amore tui bellas ardere puellas. Adde 1, 65. et *Ov. Amor.* 1, 9, 6. ℙ Comp. *Bellior* perrarum est. *Varr.* apud *Non.* 2, 74. In quo Graeci belliores, quam Romani nostri, *h. e.* meliores, ut ipse *Non.* exponit. [*Scilicet *bellior* obsoleta forma est, ex qua *melior* ortum videtur. *Döderl. Syn.* 1. p. 45.] Sup. *Bellissimus.* V. supra.

BELLŪTUS, belluae similis. *Festus.* Suspicatur *Voss.* in *Etym.* legendum esse *belluatus.* At potius idem est ac vellutus, qui nempe ob pilorum densitatem ac prolixitatem belluae similis est. V. VELLUTUS.

BELLŪUS, a, um, adj. belluinus, θηριώδης. Legitur tum in *Gloss. Isid.*, tum apud *August. Gramm. c. de partic.* p. 2012.

BELO, as, n. idem quod balo. *Varr. R. R.* 2, 1. V. BALO.

[BĒLŌĀCOS seu Bēlōtōcos, herba, alias dictamnus. *Appul. Herb.* 62. *F.*]

*BELON vel Baelon, Βελὼν, Βαῖλων, oppidum (cum fluvio cognomine) in Hispania Baetica, ubi initium freti Gaditani. *Plin.* 3, 1. ubi *Belon* legitur. *Belo*, *onis*, habet *Mela* 2, 6. et ablativus *Belone* occurrit apud *Plin.* 5, 1. *B. A.*

BĒLŌNE. V. BELLONE.

*BELSĪNUM, i, oppidum in Hispania Tarraconensi, non procul ab Ibero flumine, interque eum Bilbilimque oppidum. Meminit *Ptol.* Fortasse idem est quod *Balsio* audit *Anton. Itin. B. A.*

BELUA cum derivatis. V. BELLUA.

BELŪNUM et Bellūnum, i, n. urbs Venetiae in Marchia Tarvisina ad Plavim fluvium, h. *Belluno. Plin.* 3, 19, 23. [*Inscr.* ap. *Oderic. Syllog.* p. 196. M. Orejus M. F. Pap. Secundus Belluno. *F.*]

BĒLUS, li, m. Βῆλος, per simplex *l*, Nembroth filius Chusan, nepos Cham, pronepos Noe, pater Nini, primus rex Assyriorum, ita nominatus a sole, qui illorum lingua *Bel* dicitur. Huic vita functo templum erexere Babylonii et divinis honoribus illum coluere. Alii illum Saturnum, alii primum Jovem appellant. ℙ Alius item fuit cognomento *Priscus*, filius Epaphi, nepos primi Jovis, frater Libyes, quae ex Neptuno Busiridem peperit, pater Danai, Aegypti, seu Aegisthi, et Agenoris, avus Phoenicis, proavus Beli junioris, et Philisthenis, qui Sichaeum genuit Didonis maritum. Dominatus est in Aegypto, ubi rerum caelestium scientia inventa templum meritus est Babylone, nomine *Jovis Beli.* Sunt qui Belum Priscum Jovem secundum existiment. Ab illius nomine quinquaginta Danai filiae Belides appellatae sunt. ℙ Est etiam hoc nomine parvus fluvius in Phoenice, qui e palude Cendevia, a radicibus Carmeli profluit, vitri fertiles arenas parvo litori miscens. *Plin.* 5, 19, 17. ℙ Est etiam gemma *Beli oculus* dicta, quam vulgo *felis oculum* appellant, albicanti colore pupillam cingens nigram, et e medio aureo fulgore lucentem. *Id.* 37, 10, 55.

*BEMBINATĪA (sc. regio), alias Nemea dicta, in Peloponneso fuit, in Argolide. *Plin.* 4, 6. *B. A.*

*BEMMARIS, Syriae oppidum, in Cyrrhestica. *Anton. Itin. B. A.*

BENĀCENSIS, se, adj. ad Benacum pertinens. *Benacenses*, *ium*, Benaci accolae. *Inscr.* ap. *Grut.* 260, 2. etc.

BENĀCUS, i, m. *Lago di Garda*, Βηνάκος, lacus Venetiae in finibus Cenomanorum, inter Brixiam et Veronam, ex quo Mincius fluvius effusus Mantuam defertur. *Plin.* 2, 103, 106. *Virg. G.* 2, 160. teque Fluctibus et fremitu adsurgens Benace marino.

*BENDĪDIUS, a, um, adj. ad Bendin pertinens,

quae lingua Thracum Diana seu Luna erat, ut narrat *Hesych.* *Βένδις ἡ Ἄρτεμις Θρακιστί. Παρὰ δὲ Ἀθηναίοις ἑορτὴ Βενδίδεια.* In honorem hujus Deae feriae Athenis Bendidia vocabantur; nam ejus sacra ex Thracia adsciverant Athenienses, et in Piraeo celebrabant vigesimo die mensis Thargelionis. *Liv.* 38, 41. Romanorum primum agmen extra saltum circa templum Bendidium castra loco aperto posuit. Hic *Livius* narrat bellum quod Cn. Manlius consul Thracibus intulerat. *B. A.* et *F.*

BĔNĔ, *καλῶς, εὖ*, recte, probe, cum ratione: adverbium ab antiquo et obsoleto *benus*, quo pro *bonus* usos fuisse veteres, tradunt etymologi: quemadmodum et *hemo* pro *homo*, et *Apello* pro *Apollo* dixere. Latissime autem patet ejus vis et significatio: dicitur enim de omnibus iis rebus, quae aliquo modo bona sunt. *Ter. And.* 1, 1, 78. O factum bene! *Id. Hec.* 3, 5, 6. Bene factum, te advenisse, Pamphile. *Id. Ad.* 5, 8, 25. Bene facere aliquid alicui. *Pl. Asin. in f.* sibi. *Cic. Att.* 1, 24. Bene fecit Silius, qui transegerit. *Gell.* 5, 3. Ingenium bene faciendi habere. [*i. e. voluntatem in alios beneficia conferendi promtam.] *Cic. Att.* 13, 6. Quod coheredes convenisti, plane bene. *Id. ib.* 33. Sane bene narras. *Id. Fam.* 1, 8. Rem valde bene gerere. [**Liv.* 28, 9, 7. bene et feliciter rem gerere. Cf. infra *sub f.* *Id.* 31, 48, 12. rempublicam bene gerere.] *Ter. Ad.* 5, 8, 30. Bene et sapienter dicere. *Id. Andr.* 2, 2, 36. Bene mones. *Id. Ad.* 3, 4, 70. Bene praecipere aliquid. *Id. Andr.* 1, 1, 145. adsimulare nuptias. [**Id. ib.* 1, 1, 104. bene dissimulatum amorem. *Bene* est docte, perite, callide, opponitur male dissimulatus. *Ruhnk. dict.* ad *Ter.* p. 21.] *Ter. Hec.* 3, 5, 11. et *Cic. Tusc.* 5, 5. vivere. [*i. e. recte vivere. *Tac. A.* 6, 48. bene usus est morte, i. e. bene fecit s. recte egit, quod mortem sibi intulit. At *Cic. Fin.* 2, 8. bene vivere, i. e. vitae comoditatibus frui, jucunde vivere.] *Pl. Asin.* 1, 3, 23. agere cum aliquo. *Id. Most.* 1, 3, 82. loqui in aliquem. *Ps.* 4, 3, 7. velle alicui. *Virg. A.* 4, 316. Si bene quid de te merui. *Cic. Sen.* 14. *in f.* Viri prudentes et bene instituti. Et *ib.* 16. Ager bene cultus. *Id. Fat.* 15. Viator bene vestitus. *Caes.* ad *Cic. post. ep.* 16, *l.* 9. *ad Att.* Bene cognitus. *Cato R. R.* 130. Ligna neque fumosa erunt et ardebunt bene. ℙ *Bene dicere alicui.* V. in BENEDICO. ℙ *Bene mereri, bene audire.* V. in MEREOR, AUDIO. ℙ Bene vendere aut emere, [*i. e. ita emere aut vendere ut quaestum inde facias.] *Pl. Curc.* 4, 2, 34. et *Pers.* 4, 4, 38. [*Ceterum non *Plautus* tantum hac locutione usus est, sed locum habet in vulgari sermone. Saepius igitur reperitur in libris jure consultorum. Apud eosdem etiam frequenter dicitur *bene collocare pecuniam*, i. e. tuto s. bonis nominibus collocare. Porro *bene credere*, i. e. sine ullo periculo et damni metu, cui contrarium est *male credere.*] ℙ *Bene esse alicui* est eum bene tractari, bene cum eo agi, pulcre esse. *Pl. Curc.* 4, 2, 31. Quaeso, ut hanc cures, bene ut sit isti. *Id. Ps.* 4, 7, 36. Qui neque tibi bene esse patere, et illis, quibus est, invides. *Id. Men.* 3, 2, 20. Minore nusquam bene fui dispendio. *Hor. Ep.* 1, 1, 88. jurat, bene solis esse maritis. ℙ *Bene esse alicui aliqua re* est abundare. *Hor. Sat.* 2, 2, 120. bene erat, non piscibus urbe petitis, Sed pullo atque haedo. *Pl. Cas.* 2, 3, 37. Ubi illi bene sit ligno, aqua calida, cibo, vestimentis. ℙ *Bene habere* est bene vivere, bene se tractare. *Pl. Mil.* 3, 1, 129. Huic homini dignum est divitias esse, qui et rem servat, et qui bene habet, suisque amicis vult bene. *Id. Aul.* 2, 8, 2. Ut bene haberem filiae nuptiis. ℙ Item bene nobiscum agitur, res nobis bene procedunt. *Cic. Att.* 2, 8. Bene habemus: nos, si in his spes est, opinor, aliud agamus. Est autem hoc loco ironia. ℙ Bene, aut male habere aliquem. *Pl. Men.* 5, 2, 50. et 4, 1, 11. ℙ Bene est, bene habet. *Cic. saepe in principiis epistolar.* Si vales, bene est; ego valeo. *Id. Mur.* 6. Bene habet: jacta sunt fundamenta defensionis. *Liv.* 8, 6. Bene habet: Dii pium movete bellum. *Juven.* 10, 72. bene habet: nil plus interrogo. *Stat. Th.* 11, 557. bene habet: non irrita vovi. Sic *Ter. Ph.* 2, 3, 82. Bene habent tibi principia, *h. e.* succedunt. *Pl. Ps.* 4, 1, 24. Ornatus hic satis me condecet? *Pseud.* Optime habet. ℙ *Bene facis* est approbantis, laudantis et gratias agentis. [**Liv.* 6, 18, 9. bene facitis, quod abominamini.] *Ter. Eun.* 5, 9, 61. Bene fecisti: gratiam habeo maximam. *Id. ib.* 1, 2, 106. Merito te amo. *Ph.* bene facis. Ubi *Don.:* in consuetudinem venit, *bene facis* et *bene fecisti* non judicantis esse, sed gratias agentis. [*Etiam *bene dicis* est gratias agentis; contra *male dicis* querentis et indignantis. *Bentl.* ad *Ter. Andr.* 4, 4, 15.] ℙ *Bene facere* dicuntur etiam medicamenta, quae prosunt et sanant. *Cato R. R.* 157. Id bene faciet et mali nihil sinet in corpore consistere. *Scribon. Compos.* 1. Ad capitis dolorem bene facit serpyllum. Adde *ib.* 5. 9. 13. 41. 42. etc., ubi etiam *benefacit* junctis vocibus scriptum legitur. [*Etiam *belle facere* in hunc sensum dicitur. V. *belle.*] ℙ Frequenter *bene* locum habet in plausibus et acclamationibus. *Cic. Or.* 3, 26. Bene et praeclare quamvis nobis saepe dicatur: belle et festive nimium saepe nolo. V. BELLE. ℙ Item in precationibus et ominibus, quae a bibentibus fieri solent: cum accusativo aut dativo. *Ov. Fast.* 2, 636. Parca precaturae sumite vina manus, Et, bene nos, patriae, bene te, pater, Optime Caesar, Dicite: suffuso sint rata verba mero. *Pl. Pers.* 5, 1, 20. Bene mihi, bene vobis, bene amicae meae. Adde *Stich.* 5, 4, 27., *Tib.* 2, 1, 31. et *Ov. Art. Am.* 1, 601. ℙ Interdum accipitur pro large, liberaliter. *Sall. Cat.* 42. Bene polliceri. [**gute Versprechungen machen.* V. *Herz.* ad h. l.] *Pl. Men.* 1, 2, 12. Lanam, aurum, vestem bene praebere. ℙ Item pro prospere. *Cic. Div.* 2, 17. Quae autem inconstantia Deorum, ut primis minentur extis, bene promittant secundis? *Pl. Truc.* 2, 4, 33. Cumque bene provenisti salva, gaudeo. *Cato R. R.* 141. Quod bene eveniat. ℙ Item saepe pro valde. *Cic. Att.* 14, 7. Litterae bene longae. *Id. Tusc.* 2, 19. Dolor bene plane magnus. [*ubi nota *bene* cum alio adverbio conjunctum. *Id. Verr.* 2, 2, 70. bene penitus in istius familiaritatem se dedit.] *Id. Fam.* 10, 33. Inermes bene multi. *Id. Att.* 4, 9. Bene mane haec scripsi. ℙ Jungitur eleganter cum aliis adverbiis. *Cic. Phil.* 5, 15. Respublica et bene et feliciter gesta. *Id. Fam.* 5, 12. Bene et naviter esse impudentem. *Pl. Most.* 3, 2, 129. Bene benigneque facere. *Id. Cas.* 5, 1, 1. Bene et commode accipere aliquem. *Sall. Cat.* 55. Bene et composite disserere. *Plin. init. Paneg.* Bene ac sapienter majores instituerunt. ℙ Gradus hujus adverbii *melius, optime.* V. suis locis.

BĔNĔDĪCĔ, adv. *εὐφήμως, εὐηγόρως*, bonis et lenibus verbis. *Pl. Asin.* 1, 3, 54. Cum illiciebas me ad te blande ac benedice.

BĔNĔDĪCO et Bene dico, is, xi, ctum, a. 3. *εὐλογέω*, bene de aliquo loquor, laudo. *Cic. Sext.* 52. Cui bene dixit unquam bono? bene dixit? immo quem fortem et bonum civem non petulantissime est insectatus? *Ov. Trist.* 5, 9, 9. Nec tibi cessaret doctus bene dicere lector. ℙ Quidam his locis *benedico* scribunt junctis vocibus: rectius tamen divisis scribitur. Hinc interjectis etiam aliis verbis usurpari solet. *Pl. Mil.* 4, 8. 31. Omnes bene valete, et vivite: bene, quaeso, inter vos dicatis, et mihi absenti tamen. *Id. Rud.* 3, 2, 31. Bene equidem tibi dico, qui te digna ut eveniant, precor. ℙ *Bene dicere* absolute est bona verba dicere, et boni ominis, *εὐφημεῖν. Pl. Asin.* 3, 3, 155. Heja bene dicite: ite intro cito, valete. *Id. Aul.* 4, 10, 57. Bono animo es, et benedice, *ἀγχιῦχῶς* pro *benedic. Id. Cas.* 2, 5, 38. Quid si sors aliter, quam voles, evenerit? *St.* benedice: Diis sum fretus: Deos sperabimus. *Bona verba quaeso* dicebant hoc eodem sensu. ℙ *Bene dicere* pro ornate dicere, semper divisim scribendum est. *Cic. Or.* 2, 2. et *ib.* 1, 6. ℙ Reperitur etiam cum accusativo, sed apud inferioris aevi scriptores: atque hoc sensu fere junctim scribitur. *Appul. Trismeg. sub f.* Restat hoc solum nobis, ut benedicentes Deum, orantesque, ad curam corporis redeamus. Et passive. *Tert. Or.* 3. Benedici Deum omni tempore condecet ob debitam memoriam beneficiorum ejus. Adde *Sulpic. Sever. Hist. sacr.* 1, 5. ℙ Hinc particip. *benedicendus. Appul. l. c.* Nomen unum, quo solus Deus benedicendus. ℙ Pro consecrare, sanctum reddere. *Lact.* 7, 14. Perfectis operibus, requievit die septimo, eumque benedixit. *Sulpic. Sever. De vita S. Martini, dial.* 2. *c.* 2. Cum altarium benediceret. ℙ Sunt qui putant cum accusativo legi etiam apud *Tib.* 2, 1, 31. Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat. Sed illud *bene Messalam* formula est bene precantis, in compotationibus usurpata. V. in BENE *sub f.*

[BĔNĔDĬCTĀ, ae, f. Est nomen dignitatis, sive gradus in sacris Mithriacis. *Inscr.* ap. *Don.* 79, 1. Claudia Januaria benedicta sacrorum hic sita est. *F.*]

BĔNĔDĬCTĬO, onis, f. *εὐλογία*, actus benedicendi, laus. *Appul. Trism.* p. 92, 11. Deus ab hominibus laudum praeconiis, benedictionibusque celebretur. Adde *Tert. Testim. anim.* 2. ℙ Quemadmodum apud Graecos *εὐλογία* aliquando sumitur pro re benedicta et consecrata, ita apud Christianos scriptores *benedictio.* Hinc *Paulin. Nolan. ep.* 32. *c.* 8. *benedictionem crucis* vocat frustum sanctae crucis pro sacra reliquia asservatum. ℙ Et quemadmodum eadem *εὐλογία* donum aliquando significat, ita et *benedictio. Sulpic. Sever. De vita S. Martini, dial.* 2. *c.* 12. Dicens, benedictionem illius minime respuendam, quae etc.

BĔNĔDĬCTUM et Bene dictum, i, n. *εὐλογία*, bona verba. *Ter. Ph. prol.* 20. Benedictis si certasset, audisset bene. *Pl. Curc.* 4, 2, 27. Indignis si male dicitur, maledictum id esse dico: verum si dignis dicitur, benedictum est, meo quidem animo. Adde *Pers.* 4, 3, 25. ℙ *Benedictum* pro benedictione. *Paulin. Nolan. Ep.* 43. *c.* 4. Ut ficus quae sterilis fuerat benedicto Domini, fieret arida maledicto. ℙ *Bene dictum*, recte, prudenter, aut ornate dictum. *Cic. Brut.* 93. Philosophia mater omnium benefactorum, beneque dictorum. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. *ad f.* Cascellii scripta non exstant, nisi unus liber Bene dictorum.

BĔNĔDĬCTUS, a, um, part. ex *benedico*, consecratus, sanctus, *εὐλογητὸς*, apud Ecclesiae scriptores. *Hieron. Vit. Hilar. a med.* Oleum benedictum. *Tert. Martyr.* 1. Benedicti martyres. ℙ Item laudatus, hoc est, de quo bene loquuntur homines. *Inscr.* ap. *Grut.* 875, 3. Hic super ossa, cineresque tuos benedicta quiescis. ℙ *Herba benedicta* dicitur ab *Appul. Herb.* 61. quae *lagopus* et *leporinus pes* appellatur.

BĔNĔFĂCĬO et Bene facio, is, eci, actum, a. 3. *εὐποιῶ, εὐεργετῶ*, boni aliquid facio, bene mereor, beneficium confero. *Cic. Inv.* 1, 55. Quod ab iis, a quibus minime conveniat, male tractemur, propinquis, amicis, quibus benefecerimus. *Pl. Poen.* 3, 3, 22. Malo si quid bene facias, id beneficium interit. *Id. Trin.* 5, 2, 4. Si quid amicum erga bene feci. *Id. Mil. a.* 5. *v.* 27. et *Pers.* 4, 3, 18. Dii tibi benefaciant. ℙ *Bene facere* pro recte facere, fere divisim scribitur. V. in BENE. ℙ *Benefacere ad aliquid* junctis vocibus, usurpatur de medicamentis, quae prosunt et sanant: et saepissime legitur apud *Scribon.* ut in BENE indicavimus. Sic *benefacientes compositiones* apud *Eund. in perorat.*

BĔNĔFĂCTĬO, onis, f. *εὐεργεσία*, actus benefaciendi, beneficium. *Tert. c. Marcion.* 4, 12. *sub f.* Ipsum sabbati diem benedictionem patris a primordio sanctum, benefactione sua effecit sanctiorem.

BĔNĔFĂCTOR, oris, m. *εὐεργέτης*, qui benefacit. *Coripp. Laud. Anast. Quaest.* 19. fons maximus aulae Communis benefactor herus. Adde *Laud. Justin.* 1, 314.

BĔNĔFĂCTUM et Bene factum, i, n. beneficium, *εὐεργεσία.* Adhibetur fere in plurali numero. *Enn.* ap. *Cic. Off.* 2, 18. Benefacta male locata, malefacta arbitror. *Pl. Capt.* 5, 1, 20. Pro benefactis ejus uti ei pretium possim reddere. [*Hac significatione tantum apud poetas reperies.] ℙ Item recte, prudenter, honeste, fortiter factum. *Cic. Sen.* 3. *in f.* Conscientia bene actae vitae, multorumque benefactorum recordatio. [**Id. Tusc.* 2, 25. omnia benefacta in luce se collocari volunt.] *Prop.* 2, 1, 24. Cimbrorumque minas et benefacta Mari. *Sall. Jug.* 87. Benefacta mea reipublicae procedunt. *Marius* ipse loquitur. [*Rectius ex meo judicio haec significatio primo loco ponitur.]

BĔNĔFĂCTUS et Bene factus, a, um, part. a *benefacio*, recte et sapienter factus, perfectus. *Cic. Univ.* 13. Nisi quatenus ipse *(humanus animus*, vel *homo)* benefactus, sua culpa sibi aliquid miseriae quaereret. Al. leg. *beneficiis sua culpa:* al. *beneficio suo, h. e. culpa sua.*

BĔNĔFĪCĔ, adv. cum beneficentia, liberaliter, benigne. *Gell.* 17, 5. *ad f.* Benefice liberaliterque facere.

BĔNĔFĪCENTĬĂ, ae, f. *εὐεργεσία*, benignitas, liberalitas, propensio ad benefaciendum et bene merendum. *Cic. N. D.* 1, 43. Quid enim est melius, aut quid praestantius bonitate et beneficentia? [*ubi beneficentia est studium aliis bene faciendi. *Id. Or.* 2, 84. Virtutes in moribus hominum et quadam comitate et beneficentia positae. Ubi significat recte agendi studium praesertim erga alios, quo continentur clementia, justitia, benignitas, alia. Quo sensu rectius scriberetur *beneficientia.* V. *Forc.* in seqq.] *Id. Off.* 1, 7. Justitiae conjuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem, vel liberalitatem appellari licet. *(Beneficientia* hoc loco legitur in quibusdam MSS.; est enim a *beneficiens* ea ratione, qua ab *efficiens efficientia* fit, et a *despiciens despicientia.* Consuetudo tamen in *beneficentia* medium *i* extrivit; recte enim deducitur a *beneficus.) Tac. A.* 12, 20. Uti beneficentia adversus aliquem.

BĔNĔFĪCĬĀRĬUS, ii, m. *εὐπαθῶν, εὐεργετούμενος*, qui beneficium accepit. In militia *beneficiarii* dicuntur, qui ad militarem aliquem gradum aut commodum beneficio tribuni, praetoris, proconsulis, aut consulis alteriusve magistratus promoti sunt. *Caes. B. C.* 1, 75. Petrejus *(qui legatus Pompeji erat)* cum praetoria cohorte barbarisque equitibus, beneficiariis suis, quos suae custodiae causa habere consueverat, improviso ad vallum advolat. *Veg. Milit.* 2, 7. Beneficiarii ab eo appellati, quod promoventur beneficio tribunorum. *Inscr.* ap. *Grut.* 525, 3. L. Aufidio Felici B. F. Cos. etc., *h. e.* beneficiario consulis. Alia *ib.* 130, 5. P. Aelius Veranus B. F. Proc., *h. e.* beneficiarius proconsulis. Alia *ib.* 555, 4. L. Octavius L. F. Pob. Marcellinus beneficiarius Praetor etc. *Ib.* 393, 5. C. Coelio Aniceto Mil. Coh. II. Pr. sing. Trib. spe beneficiar. etc., *h. e.* cui tribunus promiserat, eum se promoturum. ℙ Dicebantur etiam *beneficiarii*, qui militaris muneris vocationem praemii loco acceperant, ut est apud *Paul.* ex *Festo.* De quibus intelligendum quidam putant illud *Caes. B. C.* 3, 88. Cohortes evocatorum circiter duae, quae ex

beneficiariis superiorum exercituum ad eum convenerant. In loco *Pauli* allato ubi legitur: *Beneficiarii dicebantur milites, qui vacabant muneris beneficio;* sententia obscura videtur *Lips. De mil. Rom.* 5, 6. Quare legendum putat, *qui vacabant muneribus, beneficio* (quin potius lege *munere, ducis beneficio*). Docet autem, duo fuisse immunium genera in militia: unum eorum, qui ex lege et more ab opere faciendo vacabant, ut tribuni, centuriones, equites, veterani, evocati: alterum eorum, qui beneficio imperatorum eam immunitatem obtinebant, quos *beneficiarios* hoc loco *Paulus* vocat. [*Nomen assumebant ab eo, cujus beneficio illam immunitatem fuerant consecuti. V. *Grut. Inscr.* p. 458. 4. 445. 4. 1102. 2. Ceterum istud beneficium ratum non fuisse, nisi, simul ac in urbem venirent, apud aerarium profiterentur ostendit *Casaub.* ad *Suet. Tib.* 12.] ℙ Hujusmodi beneficiariis militaribus varia officia posterioribus temporibus assignata fuisse leguntur. Nam et exhibitio cursus publici, et vectigalium exactio, reorum conquisitio, et alia id genus munera iis demandabantur, ut est apud *Tert. Fug. in persec.* 13., *Cod. Theod.* 8, 4, 7. et *Spart. Hadr.* 2., ubi V. quae adnotavit *Salm.* [**Reines.* ad *Inscr.* p. 524.] ℙ [Praeter milites, qui muneris vacationem acceperant, dicti sunt etiam, ut aliquibus placet, *beneficiarii* quicumque magistratibus et curatoribus negotiorum publicorum apparebant; quo sensu vox haec nihil militare sonat. [*Nimirum quum beneficiarii plerumque in urbe vel in provinciis in magistratuum vel ducum, quorum beneficio immunitatem obtinuerant, comitatu essent, factum est inde, ut beneficiarii, tempore procedente, dicerentur magistratuum officiales, adjutores, apparitores.] Hoc vero colligi videtur ex iis, quae scribit *Plin.* ad *Traj. ep.* 10, 36. Maximus libertus et procurator tuus, Domine, praeter decem beneficiarios, quos assignari a me Gemellino, optimo viro, jussisti, sibi quoque confirmat necessarios esse milites. *Plinius* enim de *Virbio Gemellino* loquitur procuratore Augusti ad comparationem frumentorum; quo in munere a *Maximo* ejusdem Augusti liberto adjuvabatur, ut apparet ex *Trajani* responso *ejusd. lib. ep.* 37. Verum hoc etiam in loco *beneficiarii militares*, *h. e.* milites, qui a munere vacabant, intelligi possunt, quibus, uti diximus, alia atque alia hujusmodi officia posterioribus temporibus demandata sunt; videturque proinde hoc verbum ad eos semper referri, quibus stipendia dabantur vel ob honestiorem in militia locum, in quo alicujus beneficio essent, vel ob exactam de more ac secundum leges militiam, vel ob immunitatem a militiae muneribus imperatorum dono acceptam. *F.*]

[BĔNĔFĪCIOSUS, a, um, adj. beneficia elargiens. *Not. Tir.* p. 56. Beneficiosus, beneficiarius. *F.*]

BĔNĔFĪCĬUM, ii, n. εὐεργεσία, εὐεργέτημα, benevola actio dantis aliquid liberaliter juvandi causa, benefactum, munus, meritum. Quomodo differat beneficium ab officio, et a ministerio, statuit *Sen. Ben.* 3, 18. Sunt qui ita distinguunt, quaedam beneficia esse, quaedam officia, quaedam ministeria. Beneficium esse, quod alienus det: alienus est, qui potuit sine reprehensione cessare: officium esse filii, uxoris et earum personarum, quas necessitudo suscitat, et ferre opem jubet: ministerium esse servi, quem conditio sua eo loco posuit, ut nihil eorum, quae praestat, imputet superiori. [*Opponitur maleficium. *Cic.* ad *Fam.* 6, 5. Praestat beneficii quam maleficii memorem esse. V. *Drak.* ad *Liv.* 37, 1, 2.] *Cic. Fam.* 13, 8. Dare beneficium alicui. *Id. ib.* 8, 8. Dare alicui aliquid pro beneficio. *Id. Off.* 1, 15. *ad f.* Deferre beneficium. Et *ib.* 14. *in f.* conferre in aliquem. Et *ib.* 2, 20. collocare apud aliquem. *Id. Fam.* 13, 54. ponere apud gratos homines. [**Id. Fin.* 2, 35. Non si tuam ob causam cuiquam commodes beneficium illud habendum est, sed foeneratio.] *Id. Agr.* 1, 4. *ad f.* Afficere aliquem beneficio. *Id. Planc.* 33. complecti aliquem. *Id. ad Quirit.* 5. Ornare aliquem maximis beneficiis. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 12. Debere alicui magna beneficia. *Petr. Sat.* 126. Effice, ut beneficium debeam. *Sall. Jug.* 9. Vincere aliquem beneficiis. *Ter. Ad.* 2, 3, 1. Accipere beneficium ab aliquo. *Id. ib.* 1, 1, 47. Adjungere sibi aliquem beneficio. *Id. Heaut.* 2, 4, 14. devincire aliquem. *Cic. Fam.* 13, 4. Obligare sibi aliquem beneficio in perpetuum. *Id. Verr.* 2, 2, 11. Deferre aliquid alicui in beneficii loco, *h. e.* tribuere alicui aliquid beneficii nomine. Sic *Id. ib.* 5, 48. Petere aliquid ab aliquo in beneficii loco. *Liv.* 4, 7. *ad f.* Tribuni plebis certamen sine effectu in beneficio apud primores patrum reliquere. *Cic. Verr.* 2, 3, 48. Impetrare aliquid in summo beneficio. *Id. ib.* Concedere aliquid alicui beneficii gratiaeque causa. *Id. ib.* 83. Concedere aliquid alicui per beneficium et gratiam. [*Plurali numero apud *Cic. Manil.* 24. Ego me hoc honore (praeturae) praeditum, tantis vestris beneficiis affectum statui, Quirites etc., de studiis civium, honores suffragiis suis deferentium. *Suet. Claud.* 15. *beneficia liberorum* sunt commoda, quae patribus ob plures liberos susceptos conceduntur. V. *Brem.* ad h. l.] ℙ Beneficium est idem ac bonum factum, [*κατόρθωμα.] *Cato R. R.* 5. Si villicus passus erit familiam male facere, dominus impune ne sinat esse; pro beneficio gratiam referat, ut aliis recte facere libeat. ℙ *Beneficium alicui facere* legitur apud *Gell.* 7, 20. ℙ *Facere aliquid beneficii sui* est aliquid ita administrare et distribuere, ut tanquam beneficium ab aliis accipiatur. *Justin.* 13, 4. Reversus inde inter principes provincias dividit, simul ut et removeret aemulos, et munus imperii beneficii sui faceret. ℙ Ablativus *beneficio* eleganter ponitur pro *per beneficium*, per auxilium. *Cic. Fam.* 11, 22. Nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse salvum. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 1. *in f.* Nostri consulatus beneficio se incolumes fortunas habere arbitrantur. *Caes. B. G.* 1, 53, Sortium beneficio se esse incolumem. [*Etiam *Cic. Q. Fr.* 1, 1. sortium beneficio.] *Quint.* 3, 1. Gorgias Leontinus beneficio longissimae aetatis cum multis simul floruit. ℙ Saepe apud JCtos accipitur pro privilegio, aut jure. *Triphon. Dig.* 48, 5, 42. Beneficium anulorum. *Ulp. ib.* 29, 1, 3. Qui voluit jure communi testari, statim beneficio militari renunciavit. ℙ *Modestin. ib.* 3, 3, 18. Beneficium religionis. ℙ Est etiam militaris vox, et significat promotionem ad aliquem militiae gradum, vel commodum, quod qui adepti essent, *beneficiarii* dicti sunt. Ideo autem *beneficium* vocatur, quia ex gratuita promoventis benignitate provenit: nam si virtute sua quis ad altiores ascendat gradus, minus proprie *beneficium* id dicetur. *Hirt. B. Afr.* 54. Cum ordines in meo exercitu beneficio, non virtute consecuti, ita vos gesseritis etc. *Tac. H.* 1, 25. Primores militum, per beneficia Nymphidii, ut suspectos stimulant. *Id. ib.* 4, 48. Aequatus inter duos beneficiorum numerus, [*i. e. numerus locorum militarium, quae assignabantur arbitrio proconsulis, inter utrumque ita dividebatur, ut uterque totidem crearet. Haec sunt *Ernestii* ad h. l. verba, cujus totam annotationem legas, qua vulgaris multorum error corrigitur, qui diversas vocis *beneficii* significationes confundunt.] *Suet. Tib.* 12. Venit etiam in suspicionem per quosdam beneficii sui centuriones, [i. e. a se ad centurionatum promotos. Cf. *Lips.* ad *Tac. H.* 4, 48. De beneficiariis cf. etiam *Casaub.* et *Salm.* ad *Spart. Adr.* 2. quos laudat *B. Crus.* in *cl.*] ℙ Usurpatur etiam generatim pro jure et facultate promovendi seu eligendi aliquem ad aliquod munus: item pro ipsa promotione seu electione. *Cic. Amic.* 25. Meministis quam popularis lex de sacerdotiis C. Licinii Crassi videbatur: cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. *Id. Phil.* 2, 36. Ne qua post idus Martias immunitatis tabula, neve cujus beneficii figeretur. Adde *Liv.* 9, 30. ℙ Praeterea *beneficium* dictum opera laudabiliter impensa in republicam ab eo, qui magistratui in provincia praesto fuisset, diligenterque inservisset. Ipse autem magistratus in Urbem reversus hujusmodi bene meritorum nomina deferre ad aerarium solebat tum honoris, tum commendationis causa, ut prodesset illis aliquando quod publicae rei adjutores fuissent. *Cic. Arch.* 5. Et in beneficiis ad aerarium delatus est a L. Lucullo praetore et consule. *Id. Fam.* 5, 20. Quod scribis de beneficiis, scito, a me et tribunos militares et praefectos et contubernales dumtaxat meos delatos esse etc. V. AERARIUM. *Liv.* 9, 30. Ut tribuni XVI. a populo crearentur, quae antea dictatorum et consulum ferme fuerant beneficia. ℙ *Liber beneficiorum*, cujus meminit *Hygin. Limit. constit.* p. 193. *Goes.*, erat, in quo perscripti erant agri beneficio principis concessi, aut assignati coloniis. Hic liber dictus est etiam *beneficium. Arcad. Aug. inter var. auctor. De limit. ib.* p. 260. Qui beneficium nostrum legerit, hoc observet etc. Huc pertinet *servus a commentariis beneficiorum* in *Inscr.* ap. *Grut.* 578, 1., qui commentarii non solum, quot agros princeps concessisset, sed alia quaecumque largitus esset, continere poterant. ℙ Beneficium et Poenam Deos esse, credi voluit Democritus, teste *Plin.* 2, 7, 5. ℙ Denique *beneficium* per quandam ironiam pro maleficio, fraude, culpa, malitia ponitur. *Ulp. Dig.* 39, 2, 40. Consequens est dicere detrimentum hoc, quod beneficio ejus contigit, ipsum sarcire debere. *Id. ib.* 47, 2, 47. Res quae beneficio furis abfuit. [*Rectius dixeris *beneficium* latiore significatu de facti occasione poni. Quo sensu ut usurparent JCti hanc vocem, iis locutionibus permoti videntur, de quibus supra dictum *beneficio sortium* etc. Omnem autem ironiam a legibus abesse debere, non est ut multis ostendatur.] ℙ Huc pertinere quidam putant *Inscr.* ap. *Grut.* 687, 5. Mater misera et in luctu aeternali beneficio novercae. Sed verius est beneficio scriptum esse pro *veneficio*. Nam saepe *b* et *v* in lapidib. commutantur.

BĔNĔFĪCUS, a, um, adj. εὐεργέτης, εὐεργὸς, qui bene alicui facit, benignus, liberalis. *Cic. Leg.* 1, 18. Ubi enim beneficus, si nemo alterius causa benigne facit? *Id. Off.* 1, 14. Qui gratificantur cuipiam quod obsit, non benefici, neque liberales, sed perniciosi assentatores judicandi sunt. *Id. ib.* 2, 9. Benefica voluntas. [**Cic. N. D.* 2, 25. Juppiter a majoribus nostris optimus maximus, et quidem ante optimus, id est beneficentissimus, quam maximus.] *Pl. Epid.* 1, 2, 14. Beneficus oratione. ℙ Gradus sunt *beneficior*, *beneficissimus*. *Cato* ap. *Prisc.* 3. p. 603. De Ptolemaeo rege optimo et beneficissimo. ℙ Usitatiora sunt *beneficentior*, *beneficentissimus* ab inusitato *beneficiens*, extrita *i* littera. *Cic. Amic.* 14. Liberalissimum esse et beneficentissimum. *Sen. Benef.* 4. Me aliquid eorum doce, per quae beneficentior gratiorque adversus bene merentes fiam. *Voss. Gramm.* 4, 25. docet, in quibusdam MSS. *Cic. Amic.* et *Senecae* scriptum esse *beneficientior*, *beneficientissimus*. ℙ Grammatico cuidam apud *Vel. Long. Orthogr.* p. 2235. placebat, ut *benificus* per *i* scriberetur: sed hoc quoque consuetudo repudiavit.

*BENEFIO vel Bene fio, is, pass. *Pl. Capt.* 2, 2, 108. Quod bonis benefit beneficium. [**Lind.* ad h. l. cum *Lamb.* conjunctim scribendum esse censent. Graece enim dictum esse, ut πλουτεῖν πλοῦτον et simm. Comici vero ita loqui amant. Non idem valet de loco seq.] *Plin. Pan.* 70. Quidquid a quoque in provinciis benefieret, scire. *B. A.*

[BĔNĔGESTUS, i, m. vox composita a *bene* et *gestus*. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 251. *n.* 30. Q. Vennonius Benegestus. *F.*]

*BENEHARNUM, i, oppidum in Gallia Aquitanica, sub Pyrenaeis montibus. *Anton. Itin.* Hodie forsan *Lescar* nuncupatur. *B. A.*

BĔNĔMĔRENS. V. MERENS.

BĔNĔMĔREOR. } V. MEREO.
BĔNĔMĔRĬTUS. }

BĔNĔOLENS, entis, partic. ab inusit. qui bene olet, εὐώδης, εὔοσμος. *Virg. Ecl.* 2, 48. Narcissum et florem jungit beneolentis anethi. *Prop.* 3, 15, 27. per mediam beneolenti flumine Naxon. ℙ Saepius divisim scribitur *bene olens*.

BĔNĔSUĀDUS, a, um, adj. qui bona suadet, ἀγαθοσυμβουλος. *Appul. Apol.* Paupertas habitu secura, cultu simplex, consilio benesuada. [*Rectius duabus vocibus scribitur. V. SUADUS.]

BĔNĔVĀLENS, entis, partic. ab inusit. bene valeo qui bene valet. *August.* ap. *Gell.* 15, 7. Quem spero laetum et benevalentem celebrasse quartum et sexagesimum natalem meum. Al. leg. *benevolentem*. ℙ Scribitur et divisim *bene valens*.

BĔNĔVENTĀNUS, a, um, adj. ad Beneventum pertinens. *Cic. Verr.* 2, 1, 15. Beneventanus ager. *Juven.* 5, 46. Beneventanus sutor. V. NASUS. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 15. Beneventani plerique Sullani erant.

BĔNĔVENTUM, ti, n. oppidum et colonia Hirpinorum ad Calorem et Sabatum fluvios confluentes: conditum a Diomede. Prius *Maleventum* dictum est, dum incolebatur a Graecis, postea, cum eo colonia Romanorum deduceretur, auspicatius mutato nomine, *Beneventum*, ut docent *Liv.* 9, 27., *Plin.* 3, 11, 16. et *Festus*.

BĔNĔVOLĔ et Bĕnĭvolē, adv. cum benevolentia, amice, εὐμενῶς, εὐνοϊκῶς. *Cic. Fin.* 1, 10. Amice et benevole facere aliquid. *Id. Fam.* 13, 21. Fideliter benevoleque praesto esse alicui. ℙ Gradus sunt *benevolentius*, *benevolentissime* a *benevolens*. *August. ad Aurel.* 64. Benevolentissime accipere. ℙ De ratione scribendi V. in BENEVOLUS.

BĔNĔVOLENS et Bĕnĭvolens, entis, adj. εὐμενὴς, εὐνοϊκὸς, qui bene vult alicui. *Pl. Bacch.* 3, 6, 24. Quis is est? *Mnes.* benevolens vivit tibi. *Id. Merc.* 5, 2, 46. Amicus multum benevolens. *Id. Truc.* 2, 2, 61. At pol hero benevolens ut is est suo! (Est qui hoc loco legit *benevolentus*, sed minus recte.) *Cic. Fam.* 13, 60. Benevolentior, quam semper fui, esse non possum. *Id. ib.* 5, 16. *in f.* Fungi officio benevolentissimi atque amicissimi. *Pl. Mil.* 4, 8, 41. Ite cum Diis benevolentibus, *h. e.* propitiis. ℙ Absolute more substantivi. *Pl. Cist.* 2, 3, 42. Se quandam ajebat mulierem suam benevolentem convenire. Adde *Trin.* 1, 2, 8. ℙ De ratione scribendi V. in BENEVOLUS. ℙ Comp. *Benevolentior*, et Sup. *Benevolentissimus*. V. supra.

BĔNĔVOLENTĬA et Bĕnĭvōlentĭă, ae, f, εὔνοια, εὐμένεια, benevolus animus, amor, caritas. *Cic. Off.* 2, 9. Benevolentia quidem beneficiis capitur maxime: secundo autem loco voluntate benefica benevolentia movetur, etiam si res forte non suppetit. *Id. ib.* 1, 15. Habere benevolentiam erga aliquem. [**Suet. Cal.* 3. benevolentia singularis (inter Germanici virtutes) nos *ein wohlwollendes Gemüth.*] *Id. Fam.* 4, 11. Praestare alicui benevolentiam. *Id. ib.* 10, 20. Esse benevolentia singulari in aliquem. *Id. ib.* 6, 14. Complecti aliquem summa benevolentia. *Id. ib.* 10, 5. Conferre benevolentiam erga aliquem. *Id. Or.* 2, 43. Conciliare aliquem ad benevolentiam erga alium. Et mox. Conciliare benevolentiam. *Id. Off.* 2, 14. Oratione benigna animos multitudinis ad benevolentiam allicere. *Id. ad Quir.* 10. Colere memoriam beneficii benevolentia sempiterna. *Id. Fam.* 13, 60. Bo-

nam benevolentiam hominum et fidem perspicere. *Id. ib.* 1, 5. Experiri fidem et benevolentiam alicujus erga se. *Id. Mur.* 20. Adjungere sibi benevolentiam alicujus. *Id. Off.* 2, 15. comparare. *Auct. ad Her.* 1, 5. captare. *Nep. Dat.* 5. consequi. *Quint.* 3, 8. acquirere sibi. *Auct. ad Her.* 1, 4. colligere civium. ℙ In plurali num. [*Quo significat res benevolo animo factas, ut haud multum differat a beneficiis. Sed posterioris aevi est hic usus.] *Arnob.* 6. *sub in.* Individuas cunctis benevolentias exhibere. *Spart. Carac.* 1. Non ille in litteris tardus, non in benevolentiis segnis. ℙ Inter benevolentiam, caritatem, et amorem quid differat, diximus in AMOR *ab in.* ℙ Idem est ac desiderium satisfaciendi. *Cic. Or.* 1. Quod quoniam me saepius rogas, aggrediar, non tam perficiendi spe, quam experiundi voluntate. Malo enim, cum studio tuo sim obsecutus, desiderari a te prudentiam meam, quam, si id non fecerim, benevolentiam [*der gute Wille.*]. ℙ Aliquando sumitur pro benignitate, facilitate. *Marc. Dig.* 29, 2, 52. Interponere se suam benevolentiam, divus Pius rescripsit, ut si filiusfamilias adierit, perinde habeatur, atque si paterfamilias adiisset. *Justin. Instit. tit.* 2, 20. *a med.* Quod plerique prudentum contra benevolentiam introducebant, *h. e.* aequitatem et benignam juris interpretationem [*die Geneigtheit, mehr die Billigkeit als das strenge Recht eintreten zu lassen.*] ℙ De ratione scribendi V. in BENEVOLUS.

BĒNĒVŌLENTUS. V. in BENEVOLENS.

BĒNĒVŌLUS et Bĕnĭvŏlus, a, um, adj. *εὐμενὴς*, benevolens, amicus, animo in aliquem propensus. *Cic. Or.* 2, 19. Ut eum, qui audit, benevolum nobis faciamus et docilem et attentum. [*Id. Or.* 2, 79. Judices benevolos beneque existimantes efficere.] *Id. Cluent.* 63. Illum servum et sibi benevolum esse et patri fuisse arbitrabatur. [*Ubi animadverte benevolentiam servo tribui erga dominum. Est enim benevolus latissimo sensu de studio hominis de alio bene merendi. Alias benevolus est is, qui alteri favet.] *Id. Verr.* 1, 2, 8. *in f.* Benevolo animo facere aliquid. *Ter. Hec.* 5, 1, 35. Reddere aliquem sibi facilem et benevolum. *Pl. Capt.* 2, 2, 100. Benevolum esse erga aliquem. *Val. Max.* 6, 8. *fin.* Benevolo studio facere aliquid. ℙ *Benevolus, Benevolentia*, etc. rectius scribatur, an *benivolus, benivolentia*, difficilis dirempti controversia est. *Eutyches* ap. *Putsch.* p. 2152., *Beda ib.* p. 2331., *Isid. Orig.* 12, 1., *Lips., Voss.* et *Dausquius* malunt *i* in secunda vocali, confirmantque tum auctoritate multorum vet. libror., Pandect. Florent., et inscr. apud *Grut.* 443, 6., ubi *benivolentiae*, et 651., ubi *benivolentibus* legitur; tum ratione, quia in compositionibus verborum fere *e* in *i* mutatur. [*Benivolentia* habent optimi libri apud *Suet. Aug.* 66. ubi V. *Oud.*] Sed quia vox *bene* in aliis compositis *e* retinet, ut in *beneficium, benedico*, videtur omnino consuetudo adhuc recepta retineri posse: quae *Cellarii*, praeter alios, sententia est.

*BENI, orum, populi Thraciae, quos alluit Hebrus, Bessorum vicini. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

BĒNIGNĒ, adv. *εὐμενῶς, φιλανθρώπως, ἐλευθερίως*, liberaliter, comiter, benefice, libenti et propenso animo. *Cic. Verr.* 2, 3, 85. Benigne ac liberaliter facere aliquid. [*Id. Balb.* 16. viam comiter monstrare, benigne et non gravate (*höflich.*) *Id. Fam.* 4, 13. Nigidio ne benigne quidem polliceri possum.] *Id. Verr.* 1, 1, 11. Benignissime communicare aliquid cum aliquo. *Id Att.* 3, 4. Benigne invitari. [*Suet. Aug.* 89, 6. et patienter audire.] *Id. Leg.* 1, 18. et *Off.* 1, 14. facere alicui. [*Etiam *benigne facere* absolute, pro: liberalem et munificum esse. *Ruhnk.* ad *Rutil. Lup.* II. p. 127. *Dictat.* in *Ter.* p. 206.] *Ter. Hec.* 5, 2, 2. praebere quod opus est. *Cic. Flacc.* 23. defendere aliquem. *Id. Phil.* 13, 2. (et *Pl. Aul.* 1, 2, 36.) salutare. *Id. Cluent.* 3. *in f.* Benigne attenteque audire. *Sall. Jug.* 11. Benigne respondere. Et *ib.* 101. appellare aliquem. *Id. ib.* 121. habere aliquem. *Curt.* 8, 6. Benignius alloqui. *Tac. A.* 1, 57. Benigne excipere aliquem. *Hor. Ep.* 1, 17, 11. Benignius tractare se. [*i. e. plus sibi tribuere, magis genio suo indulgere.] *Plin.* 33, 11, 50. Benigne vivere inter se [*h. e. ita ut alter alteri lubenter officia praestet]. *Liv.* 3, 26. Plebs benigne arma cepit, *h. e.* libenter. *Hor. Ep.* 1, 16, 8. si rubicunda benigne Corna vepres et pruna ferant, *h. e.* abundanter, feraciter. *Plin.* 31, 2, 2. Aquae emicant benigne, passimque in plurimis terris, *h. e.* abundanter et in utilitatem telluris. *Ter. Hec.* 5, 2. Quod opus sit, benigne praebeatur. *Hor. Od.* 1, 9, 6. Atque benignius Deprome quadrimum Sabina, O Thaliarche, merum diota, *h. e.* largius. (Contra *Liv.* 39, 9. Maligne omnia praebentibus suis, *h. e.* parce.) *Cat.* 67, 3. Janua, quam Balbo dicunt servisse benigne. [*Ruhnk. dict. ad Ter.* p. 232.] ℙ Nonnunquam *benigne* in responsionibus est gratias agentis pro benignitate et comitate. *Ter. Ph. sub f.* At ego ecastor posthac tibi, quod potero, et quae voles, Faciamque et dicam. *Ph.* benigne dicis. ℙ Recusantes etiam cum gratiarum actione oblatum beneficium, hac formula eleganter utimur. [*Cic. Verr.* 2, 3, 85. benigne ac liberaliter: nam ego tribus sestertiis non possum vendere.] *Hor. Ep.* 1, 7, 61. dic Ad coenam veniat, non sane credere Mena: Mirari secum tacitus, quid multa? benigne, Respondet. Negat ille mihi? etc. Et *ib.* 15. vescere sodes. Jam satis est. at tu quantumvis tolle. benigne. [*Urbanitatis hoc est. Eodem sensu ponitur *recte* apud Latinos. Cf. *Donat.* ad *Ter. Hec.* 3, 2, 20. *Bentl.* ad *Heaut.* 3, 2, 7. Graecis est *αἰνῶ σε, ζηλῶ σε. Valcken.* ad *Adon.* p. 415. *Brunck.* ad *Eurip. Med.* 59. *Blomf.* ad *Aesch. Prom.* 338. *Gloss.* p. 133.] ℙ *Benigne* pro ex aequo et bono, seu clementer. *Paul. Dig.* 50, 17, 155. In poenalibus causis benignius interpretandum est. [*Hac significatione saepissime legitur in libris Jure consultorum. *Marc. Dig.* 37, 14, 4. benignissime rescripserunt. *Gaj. Dig.* 44, 7, 1, §. 13. benignius acceptum est.]

BĒNIGNĬTAS, atis, f. *εὐεργεσία, ἐλευθερία*, liberalitas, propensus ad benefaciendum animus. *Cic. Off.* 1, 14. Videndum ne major benignitas sit, quam facultates. [*Id. Off.* 2, 15. Largitio quae fit ex re familiari fontem ipsum benignitatis exhaurit. Ita benignitate benignitas tollitur, i. e. nimia liberalitate bene faciendi facultas aufertur.] *Id. Verr.* 2, 3, 83. Qui benignitate adducti, per beneficium et gratiam civitatibus concesserunt, ut, etc. *Id. N. D.* 2, 53. Quanta benignitas naturae, quod tam multa ad vescendum gignit! *Id. Att.* 4, 2. *in f.* Amicorum benignitas exhausta. *Ter. Eun.* 1, 2, 83. Num solus ille dona dat? nuncubi meam Benignitatem sensisti in te claudier? [*Cic. Off.* 1, 16. plurimum benignitatis in aliquem conferre, h. e. liberalem ac propensum animum alicui praestare.] ℙ In plurali num. *Pl. Stich.* 4, 2, 53. Benignitates hominum periere et prothymiae. ℙ Sumitur etiam generatim pro humanitate, comitate, facilitate, clementia. [*Ter. Andr.* 5, 1, 7. neque modum benignitatis cogitas, i. e. neque finem humanitati meae s. facilitati statuis. *Ruhnk. dict.* p. 78.] *Cic. Sext.* 13. Etsi me attentissimis animis summa cum benignitate auditis. *Id. Caec.* 3. Nimiae vestrae benignitati pareremus, si alia ratione jus nostrum recuperare possemus. *Id. Rosc. C.* 12. Nunc, Deum immortalium benignitate, omnium fortunae sunt certae. [*Tac. H.* 2, 30. benignitas animi (*Guthmüthigkeit*) qua promtior habebatur.] *Mart. Dig.* 48, 19, 11. In gravioribus poenis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. [*Modest. Dig.* 1, 3, 25. nulla juris ratio aut aequitatis benignitas, quae opponitur duriori interpretationi. Cf. *Benigne in f.*] ℙ Si stricta significatione accipiantur, differunt inter se *liberalitas* et *benignitas*. Nam *liberalitas* versatur tantummodo in largitione: *benignitas* significat inclinationem ad benefaciendum quocumque modo possumus. Differunt etiam a *comitate*. Haec enim consistit in blandis ac benevolis verbis: illae in re et factis. *Cic. Fin.* 5, 23. Justitia, cui adjunctae sunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas.

BĒNIGNĬTER, adv. Benigne. *Titinn.* ap. *Non.* 11, 9. Nimium te patrocinari censeo benigniter.

*BENIGNOR. In *Gesneri* thesauro affertur haec vox ex *Vulg. Esdr.* 2, 4, 39.

BĒNIGNUS, a, um, adj. *εὐεργετικὸς, ἐλευθέριος*, idem fere ac liberalis: nisi quod *benignus* est is, qui ad quocumque modo juvandum propensus est, latiusque patet, cum *liberalis* in largiendo tantummodo spectetur. *Benigno* opponitur *malignus*, qui parcum illiberalemque significat. *Cic. Leg.* 1, 18. Quid? liberalitas gratuitane est, an mercenaria? si sine praemio benigna est, gratuita; si cum mercede, conducta: nec est dubium, quin is, qui liberalis benignusve dicitur, officium, non fructum sequatur. *Id. N. D.* 1, 45. Homines benefici et benigni. *Id. Off.* 1, 14. Qui benigniores volunt esse, quam res patitur, in eo peccant, etc. *Id. Verr.* 2, 4, 3. Benignus ad commodandum. *Pl. Rud.* 5, 3, 33. Benignum esse erga aliquem. *Id. Trin.* 3, 3, 12. et *Hor. Od.* 3, 29, 52. alicui. *Ter. Hec.* 3, 5, 22. Benigno animo esse in aliquem. *Plin.* 35, 2, 2. Benignissimum inventum, *h. e.* beneficentissimum. [*Sen. in fragm. a Niebuhrio edit.* p. 102. Cogitationibus pessimis facies benignissima obducitur. *F.*] ℙ Videtur aliquando in malam partem sumi pro prodigo. *Pl. Truc.* 1, 1, 20. Atque est benignius potius, quam frugi bonae. [*Certe ponitur pro: nimium facilis, comis apud *Ter. Ph.* 5, 2, 2. ubi *bonus atque benignus* junguntur. *Burm.* ad *Petron.* 44. *Ruhnk. dict. in Ter.* p. 262.] ℙ Praeterea saepe accipitur pro largo, abundanti, copioso. *Hor. Od.* 1, 17, 15. hinc tibi copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorem opulenta cornu. *Id. ib.* 2, 18, 10. ingenii benigna vena. Et *Epod.* 17, 66. Egens benignae Tantalus semper dapis. ℙ Item pro feraci, fertili. *Plin.* 18, 1, 1. Quaeque alia praeter arbores, aut frutices benigna tellure proveniunt. *Tib.* 3, 3, 6. Et magnas messes terra benigna daret. *Ov. Am.* 1, 10, 56. Benignus ager. *Mela Prooem.* Materia benigna, *h. e.* quae dicendo facile excoli et facunde tractari potest. ℙ Item pro propitio, favente. *Hor. Od.* 4, 4, 74. Quas et benigno numine Juppiter Defendit. *Id. Ep.* 1, 11, 20. vultum servat fortuna benignum. *Gell.* 7, 3. Benevolos benignosque sibi auditores parare. ℙ Item pro blando, placido, benevolentiae pleno. *Liv.* 30, 14 Benigno vultu excipere aliquem. *Cic. Off.* 2, 14. Oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam allicere. *Prop.* 1, 10, 24. Verba benigna. ℙ Item pro jucundo, grato. *Hor. Ep* 1, 5, 11. Aestivam sermone benigno tendere noctem. ℙ Item pro facili, comi, humano, aequo, placido. [*Attende ad gradationem, quae apud *Cic. Balb.* 16. est: Comes, benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur.] *Plin.* 35, 10, 37. *n.* 13. Apelles et in aemulis benignus. *Id. Prooem. H. N.* Est enim benignum et plenum pudoris fateri, per quos profeceris. [*i. e. est hominis ingenui ac liberalis] Huc referuntur illa *Ulp. Dig.* 39, 5, 16. Dominium ad libertos benigna interpretatione pertinere dixi, *h. e.* ex aequitate. [*Opponitur interpretatio dura, quae ad ipsa legis verba exigitur. Cf. *Benigne* et *Benignitas.*] *Id. ib.* 32, 5. Fideicommissum valere, benignum est. *Papin. ib.* 37, 6, 8. Benignior sententia, *Caj. ib.* 36, 1, 10. Benignius est, intelligi tunc translatas videri actiones. [*Ulp. Dig.* 50, 17, 56. Semper in dubiis benigniora praeferenda sunt.] ℙ Item pro fausto, felici. *Stat. Silv.* 5, 1, 108. Benignus dies. *Id. Th.* 10, 116. Benigna nox. ℙ Cum genitivo, Graeca constructione. *Hor. Sat.* 2, 3, 3. vini somnique benignus, *h. e.* vino et somno large indulgens.

BENNA, ae, f. Gallica vox, qua significatur genus quoddam vehiculi, ut *Festus* docet. Addit *Voss.* in *Etym.* hodieque a Gallis et Belgis vocari *benne* vel potius *banne* (ut et a rusticis nostris *bena*) corbem, cistam, item vehiculum vimineum quadratum, duabus rotis volubile. Legitur apud *Cat. R. R.* 23., ubi enumerat, quae ad vindemiam opus sunt. In *Edit. Jenson.* 1472. habetur hoc loco *maenae* pro *bennae*, quod mire placet *Auson. Popmae* [et *Pontederae*, atque adeo *Schneid.* qui ita edendum curavit. *F.* *Cf. *Scheffer. de re vehic.* 2, 21.] ℙ Hinc *combennones* dicuntur in eadem benna sedentes. *Fest. ib.*

*BENNARĬUS, *σκηνάρχης. Gloss. Lat. Gr. B. A.*

*BENNAVENNA vel Bennaventa, ae, oppidum in Britannia. *Anton. Itin. B. A.*

BĒO, as, avi, atum, a. 1. *μακάριον ποιεῖν*, beatum facio, laetum et felicem reddo. *Hor. Od.* 2, 3, 6. Seu te in remoto gramine per dies Festos reclinatum bearis Interiore nota falerni. *Id. ib.* 4, 8, 29. Caelo Musa beat. *Id. Ep.* 1, 18, 75. Beare aliquem munere. *Ter. Andr.* 1, 1, 78. O factum bene! beasti: metui a Chryside. *Beasti* responsum est audientis bonum nuncium. Sic *Id. Eun.* 2, 2, 46. Sex ego te totos Parmeno hos menses quietum reddam: Ecquid beo te? *h. e.* afferone tibi laetum ac jucundum nuncium, ac talem prorsus, ut beatus et felix tibi videaris? [*Scilicet apud Comicos *beare* significat alicui grata sive facere sive dicere. *Ruhnk. dict.* ad *Ter.* p. 17.] Pro solari, recreare. *Pl. Amph.* 2, 2, 12. Hoc me beat saltem, quod perduelles vicit, et domum laudis compos revenit: id solatio est. *Id. Capt.* 1, 2, 34. Neque unquam quicquam me juvat, quod edo domi: Foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat. ℙ Pro prodesse, utilem esse. *Ulp. Dig.* 50, 16, 49. Naturaliter bona ex eo dicuntur, quod beant, hoc est beatos faciunt: beare est prodesse. ℙ Et quia divitiae maxime omnium recreant et prosunt, accipitur etiam pro ditare: eademque ratione *beatus* pro divite ponitur. Translate. *Hor. Ep.* 2, 2, 121. Fundet opes Latiumque beabit divite lingua.

BERBĔCŬLUS, i, m. parvus berbex. *Petr. fr. Trag.* 37. et 67. *Burm.* et *Arnob.* 4. p. 141., sed utroque loco incerta est lectio. V. BABECALUS.

BERBEX pro *Vervex* legitur apud *Petr. fr. Trag.* 57. *Burm.* Apud *Vopisc. Aurel. fin.* legitur *berbicem* in accusativo pro *berbecem* in quodam optimo cod., ut adnotavit *Salm.*

*BERCORCĀTES, ium, populi Galliae Aquitanicae, quorum meminit unus *Plin.* 4, 19. *B. A.*

BĔRĔCYNTĬA, ae. V. BERECYNTIUS.

BĔRĔCYNTĬĀCUS, a, um, adj. idem ac Berecyntius. *Prud. c. Symm.* 2, 51. Cur Berecyntiacus perdit truncata sacerdos Inguina?

BĔRĔCYNTĬĀDES, ae, m. *Ov. Ib.* 508. ut legit *Heins.* Phryx tu venator sis Berecyntiades, *h. e.* venator quidam Phrygius in Berecynto monte. Quid autem *Ov.* significet, obscurum est. Alii aliter leg.

BĔRĔCYNTĬUS, a, um, adj. *Βερεκύντιος*, ad Berecyntum montem pertinens. *Plin.* 5, 29, 29. Berecyntius tractus. *Claud. in Eutr.* 2, 300. Berecyntia juga. ℙ Quia vero is mons Cybele sacer fuit, ibique a Gallis sacerdotibus ejus sacra celebrabantur, fere dicitur de iis, quae ad Cybelen, atque ad ejus sacra pertinent. *Hor. Od.* 4, 1, 22. Berecyntia tibia, *h. e.* quam inflabant sacerdotes Cybeles, ejusque sonitu ad furorem incitabantur. *Id. ib.* 1, 18, 13. saeva tene cum Berecyntio Cornu tympana. (Etiam in Bacchi sacris tibiae et cornua adhibebantur. Hinc *Ov. Met.* 11, 16. ingens Cla-

mor, et inflato Berecyntia tibia cornu, Tympanaque, plaususque et Bacchei ululatus) *Mart.* 4, 43. Berecyntii furores. *Pers.* 1, 93. Berecyntius Attin, *h. e.* Cybele adamatus, eodem ob id cognomine dictus. [**Ov. Met.* 2, 106. Berecyntius heros, i. e. Midas, sive quod Cybeles filius fuit, sive quod in regione ad montem Berecyntum regnum obtinuit.] ℙ *Berecyntia mater*, et absolute *Berecyntia* est ipsa Cybele. *Ov. Fast.* 4, 355. Quod bene mutarit sedem Berecyntia, etc. *Virg. A.* 6, 785. qualis Berecyntia mater Invehitur curru Phrygias turrita per urbes. *Id. ib.* 9, 82. Deum genitrix Berecyntia. *Servius* hoc loco, et *Pier.* ad *A.* 9, 619. recte monent scribendum esse sine aspiratione, quia etiam *Berecyntus* ea caret. Neque enim est a Cyntho Deli monte, qui Apollini sacer est, et *th* aspiratam semper habet. Nihilominus saepissime in libris tum editis, tum MSS *Berecynthius* legitur.

BERECYNTUS, i, m. *Βερέκυντος*, mons Phrygiae cum oppido cognomine, ad Sangarium fluvium, ut *Serv.* ad *A.* 6, 785. et ad *ib.* 9, 82. et *Vib. Sequ. de montib.* docent. Ibi Cybele Deum mater a Phrygibus culta fuit. ℙ Scribitur et *Berecynthus*, sed minus recte. V. v. praec. *in f.*

*BEREGRĀNUS, a, um, adj. ad Beregram pertinens, coloniam Piceni in agro Praetutiano, nunc *Civitella del Tronto*, vel secundum alios *Montorio. Plin.* 3, 13, 18. Intus Auximates, Beregrani, Cingulani. *Front. De col.* p. 126. Veragranus (lege *Beregranus*) ager ea lege continetur, qua et ager Teatinus. *F.* et *B. A.*

*BERELIDES INSULAE Sardiniam circumjacentes. *Plin.* 3, 12. *B. A.*

BĔRĒNĪCĔ, es, f. *Βερενίκη*, Ptolemaei Philadelphi et Arsinoes filia, quae Ptolemaeo Evergetae fratri nupsit. [At *E. Q. Viscont. Iconogr. Gr. T.* 3. p. 320. *ed. Med.* probat, hanc Berenicen fuisse filiam Maga, fratris Ptolemaei Philadelphi, regisque Cyrenarum, et Apames uxoris ejus, quae Ptolemaeo Evergetae fratri patrueli nupsit. *F.*] Haec cum Ptolemaeus expeditionem in Asiam suscepisset, vovit, se comam sibi detonsuram, qua nihil pulcrius unquam visum est, Venerique dicaturam, si incolumis reverteretur. Igitur Ptolemaeo reverso Berenice abscissos crines tulit in templum Veneris. Cum postridie coma non apparuisset, aegre id ferente rege, Conon mathematicus regis gratiam per adulationem captans, inter sidera collocatam affirmavit, septem ei figura vacuas ad caudam leonis ostendens stellas, in quas Berenices comam mutatam asserebat. Haec et alia etiam narrat *Hyg. Astr.* 2, 24. Exstat etiam de hac Berenices coma elegans Catulli carmen, *n.* 66. ℙ Etiam *Plin.* 2, 70, 71. memorat *crinem Berenices*, sed cum stellam esse dicat, quam Italia non videt, procul dubio aliam a *coma Berenices* intelligit, ut et *Hard.* adnotavit. ℙ [*Berenice, Ptolemaei Lagi uxor, mater Philadelphi, rara mulier forma, et viro dilectissima, memoratur a *Theocrito*. Urbem cognominem eam condidisse narrat *Plin.* 6, 29. ℙ Alia, Herodis Ascalonitae filia, Agrippae fratri nupsit. *Juven.* 6, 156. ℙ Item alia, Herodis, Antipatri filii ex sorore Salome, neptis, Aristobuli, Herodis ejusdem filii, uxor. ℙ Fuit et Graecorum Berenice, cognomine Callipatra, spectatrix certaminum gymnicorum prae caeteris omnibus mulieribus sola, quod et mater, et soror, et filia esset Olympionicarum. *Val. Max.* 8. *c. ult.* Berenicae contigit, quod nulli alii mulieri, ut Gymnico spectaculo interesse contigerit. Adde *Plin.* 7, 41. ℙ Item filia Ptolemaei Auletae, uxor Archelai. ℙ Berenice regina amata Tito Vespasiano, florens aetate famaque, seni quoque Vespasiano magnificentia munerum fuit grata. ℙ Item uxor Ptolemaei III. quae de suo nomine urbem appellavit, cui et Hesperis et Hesperides prius nomen erat. *Steph. Byz.* *Ἑσπερὶς πόλις Λιβύης, ἡ νῦν Βερενίκη. Plin.* 5, 1. *Solin.* 27. ℙ Fuit et urbs Berenice dicta in Aegypto superiore, ad mare rubrum. *Plin.* 6, 23. *Mela* 3, 8. ℙ Et alia urbs, in terra Troglodytica, ad maris rubri ostium, Epidicos cognominata. *Plin.* 6, 29. ℙ Alia demum, Panchrysos cognominata, eodem fere loco sita. *Plin. ib. B. A.*] ℙ Legitur et *Beronice*, et Graece *Βερονίκη*. Utraque autem scribendi ratio suos habet auctores, ut videre est ap. *Dausq. in Orthogr.*, qui eo inclinare videtur, ut *Beronicen* praeferat. *Berenice* videtur esse *Φερενίκη*, victoriam referens. Sed *Beronice* scribitur etiam cognomen Ulpiae in *Inscr.* ap. *Grut.* 926, 12.

BĔRĒNĪCĔUS, a, um, adj. ad Berenicen pertinens, *Βερενίκειος*. *Cat.* 66, 8. E Bereniceo vertice caesariem.

BĔRĒNĪCIS, ĭdis, f. *Lucan.* 9, 523. nam quidquid pulvere sicco Separat ardentem tepida Berenicida Lepti, etc., *h. e.* regionem Pentapolitanam Libyae, dictam a *Berenice*, quae una est ex quinque ejus urbibus. *Sil.* 3, 249. Affuit undosa cretus Berenicide miles.

*BERGE, Africae oppidum, in regione Syrtica. *Anton. Itin. B. A.*

*BERGI, orum, insula Germaniae septentrionali adjacens. *Plin.* 4, 16. *B. A.*

*BERGĪDUM, i, oppidum in Hispania Tarraconensi, in regione Asturum. *Anton. Itin. Inscr.* ap. *Grut.* p. 478. C. Valesio Albino Flamini E Bergido. *B. A.*

[BERGĪMUS, i, m. ita est appellatum quoddam numen a Gallis Cenomanis, ac praecipue a Brixianis cultum, qui ei templum, aram et sacerdotes tribuerunt. Hujusmodi nomen componitur ex Celticis, nunc Germanis vocabulis *Berg*, mons, et *Heim*, habitatio: inde etiam Bergomum Gallorum, item urbs Brixiae proxima nomen traxit, cujus incolae a *Plin.* 3, 17, 21. *Orobii* appellantur, *h. e.* montium habitatores, ab *ὄρος*, mons, et *βίος*, vita, item populus. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 89, 6. Sex. Nigidius Fab. Primus aedilis Brixiae, decurio honore gratuito, *Decreto Decurionum* ex postulatione plebis aram Bergimo restituit. Alia ap. *Eund. ib.* 99, 1. L. Vibius Visci L. Nymphodotus Bergimo votum, C. Asinio Gallo, C. Marcio Censorino Cos., L. Salvio Apro, C. Postumio Costa II. viris Quinquennalibus. (Hi consules pertinent ad an. U. C. 746.) Item alia apud *Spon. Misc.* p. 117. Noniae Macrinae sacerdoti Bergimi bene merenti Camuni. Adde alias apud *Eund. ib.* et apud *Murat.* 97, 3. et 5. *F.*]

[BERGION, onis, m. filius Neptuni, qui una cum fratre Albione contra Herculem pugnavit. *Mela* 2, 5. V. ALBION. ℙ Ejus etymon est a lingua Celtica: nam *Berg* significat montem; is vero dicitur pugnasse lapidibus e proximo monte sumptis. *F.*]

*BERGISTĀNI et Bergitani, orum, populi Hispaniae Tarraconensis; inter Ilergetas. *Liv.* 34, 16 et 17. Forte a Bergista oppido quodam sic dicti, vel a Vergio, cujus meminit *Liv.* 34, 21., unde et Vergiani et Vergitani, ut credibile, audivere. *P. de Marca Hisp.* 23, 7. Ad montes Bergitanos est Vergium. *B. A.*

BERGOMĀTĒS, um, m. plur. populi Bergomi, quod est oppidum Italiae in Cenomanis in edito loco situm. Et populorum et oppidi mentio fit a *Plin.* 3, 17, 21. Adde 34, 1, 2., ubi *Bergomatium ager* legitur. V. BERGIMUS.

*BERGOMUM, i, *Βέργομον*, oppidum Italiae superioris, in Gallia transpadana, hodie *Bergamo. Plin.* 3, 17. *Justin.* 20, 5. *B. A.*

*BERGŪLA, ae, vel Bergule, es, oppidum Thraciae, trans Hebrum flumen, ultra Hadrianopolim, *Bergulae* appellatum *Anton. Itin. B. A.*

[BERGUSIANUS, a, um, adj. ad Bergusiam pertinens, mansionem inter Augustum et Viennam in Gallia, nunc *Bourguin*, de qua mentio est in *Itin. Anton.* ℙ *Bergusianus* est incola Bergusiae. *Inscr.* ap. *Murat.* 1032, 9. T. Vipongius Homullus Bergusianus hic sepultus est. *F.*]

BERINUS. V. CERINUS.

*BERMIUS, i, mons Thessaliae. *Plin.* 4, 8. *B. A.*

BERNA, pro *verna* scribi volunt *Cassiod.* et *Beda De orthogr.* p. 2299. et 2330., quando significat domi genitum, *verna* vero a *vere*, ut verna tempora. Sed contra est consuetudo. [Ceterum legitur in *Inscr.* apud *Fabrett.* p. 651. *n.* 437. M. Titucius Daphnus bernis suis B. M. F. Ita vero lapidem insculptum fatetur *Petrus Del-Signore*, *Marmi Riccard.* p. 315., qui etiamnum Florentiae exstat. *F.*]

[BĔRŌĒ, es, f. *Βερόη*, Semeles, matris Bacchi, nutrix. *Ov. Met.* 3, 278. Ipsaque fit Beroe, Semeles Epidauria nutrix. ℙ Beroe fuit etiam mulier Trojana, conjux Dorycli apud *Virg. A.* 5, 620. Iris Fit Beroe, Tmarii conjux longaeva Dorycli. ℙ Beroe altera nympha Penei filia Oceani, soror Clius. *Virg. G.* 4, 341. Clioque et Beroe soror, Oceanitides ambae. *F.*]

*BEROEA vel Berrhoea, ae, Macedoniae oppidum, inter Axium et Aliacmonem fluvios, ad radices Bermii montis. *Liv.* 44, 45. 45, 29. *Cic. Pis.* 36. *extr. Plin.* 4, 10. ubi passim *Beroea* scribitur. ℙ Beroea, oppidum Syriae. Hinc *Beroeenes. B. A.*

*BEROEAEUS, a, um, ad Beroeam pertinens, Macedoniae oppidum. *Liv.* 42, 5. et 58. et 23, 39. ed. *Drak.* In ed. *Gronov.* est *Berraeus. B. A.*

[BĔROEENSIS, se, adj. ad Beroeeam pertinens, Cyrrhasticae regionis in Syria urbem, nunc *Aleppo.* In nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 259. est *ΒΕΡΟΛΑΙΩΝ. Plin.* 5, 23, 19. Arethusii, Beroenses, Epiphanenses. *F.*]

*BĔRO falsa lectio in *Dig.* 19, 2, 31. ubi nunc recte editur *aero*, q. v.

BĔRŌNES, um, m. plur. *Βήρωνες*, inter Hispaniae populos enumerantur a *Strab.* 3. Hinc quod scribit *Auct. B. Al.* 53. Cassium semper berones, compluresque evocatos cum telis secum habere consuevisse; multi ita interpretantur, ut ex ea gente custodes corporis habuerit: verum alii legunt *barones*, quos *Vet. Schol. Pers.* ad 5, 138. docet, Gallica lingua servos militum significare. V. BARO.

*BĔRŌSUS vel Bērossus, ī, m. *Βηρωσσός*, Babylonius, Beli sacerdos, scripsit tempore Ptolemaei Philadelphi historiam Babyloniam vel Chaldaeam et Medicam. Fuit et astronomus, et horologium invenisse traditur *Vitruvio* tale, cujusmodi astrologi veteres in suis supputationibus utebantur, quod diebus tantum aequinoctialibus duodecim partes ostendebat. Ejus meminere *Plin.* 7, 37, 37., *Vitr.* 9, 9., *Tert. Apol.* 19. *B. A.*

*BĔROUS, i, m. collis Taurorum, tres habens fontes sine remedio et sine dolore mortiferos. *Plin.* 2, 103. *B. A.*

[BERŪENSIS, se, adj. ad Beruam pertinens, excisam Rhaetiae urbem, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Fea*, *Fasti Cons.* p. 82. C. Antonius C. F. Antullus Beruae. ℙ *Beruenses*, *ium*, sunt incolae urbis Beruae. *Inscr.* ap. *Grut.* 409, 8. C. Firmio C. F. Menen. Rufino patrono collegiorum Fabr. Centonariorum Dendrophororum Feltriae, itemque Beruensium. *Plin.* 3, 19, 23. Fertini, Tridentini, et Beruenses, Rhaetica oppida. *F.*]

[BERŪLA, ae, f. herba quaedam ap. *Marc. Empir.* 36. *med.* Appones herbam, quae in aquae jugis decursu nascitur, quam Latine berulam, Graece cardaminen vocant. *F.*]

BERYLLUS, li, m. *βήρυλλος*, gemmae, seu lapidis pretiosi nomen. Beryllorum multa genera *Plin.* 37, 5, 20. enumerat. Probatissimos dicit esse, qui colore viriditatem puri maris imitentur: proximos qui vocantur chrysoberylli, et sunt paulo pallidiores, sed in aureum colorem exeunte fulgore. Vide ibi reliqua. *Id. ib.* India beryllos gignit, raro alibi repertos. Et *ib.* Indi et alias quidem gemmas adulterare repererunt, sed praecipue beryllos. [*Quem *Plin.* beryllum aeroidem dicit, eum lapidem hodie *Sapphirum* appellamus.] *Juven.* 5, 37. ipse capaces Heliadum crustas, et inaequales beryllo Virro tenet phialas, *h. e.* beryllo undique inserto asperas. *Prop.* 4, 7, 9. Et solitum digito beryllon adederat ignis. [*In *Dig.* 39, 5, 7. beryllus refertur inter eas res, quae ad vectigal pertinent. Adde de beryllo *Solin.* 53. *Isid. Etym.* 16, 7.] ℙ Primam corripuit *Prud. Psych.* 855. Hinc sibi sapphirum sociaverat, inde beryllum.

BĔRYTENSIS, e, adj. idem ac Berytius, ut *Berytensis colonia* ap. *Ulp. Dig.* 50, 15, 1., ut legitur in *ed. Torrent.*; nam apud *Haloandr.* est *Berytiensis:* quod habetur etiam in *Praef. Justin. ad Sen. et omn. pop. init. Digest. ante. med. Inscr.* ap. *Murat.* 231, 4. Imp. Caesari Divi Nervae F. Nervae Trajano Opt. Aug. Cultores Jovis Aeliopolitani Berytenses, qui Puteolis consistunt.

BĔRYTĬUS, a, um, adj. ad Berytum pertinens. Est autem Berytus, i, f. nunc *Baruti*, *Βήρυτος*, urbs Phoenices ad montem Libanum quondam colonia Romanorum, ab Agrippa Augusti genero deducta, et Felix Julia appellata. Ejus ager vinum producit inter laudatiora enumeratum a *Plin.*, apud quem legitur 14, 7, 9. Berytium vinum. Et *ib.* 15, 17, 18. Coa uva et Berytia nullius suavitati postferendae. [*Eadem urbs legum studiis celebrata est; scholaque ibi constituta a Diocletiani aetate per aliquot saecula floruit. *Constit.* 10, 49, 1. Sed in *Dig.* 50, 15, 1. Berytensis colonia jam Augusti beneficiis gratiosa dicitur.] ℙ Paenultima in *Berytus* corripitur ab *Avien. Descr. orb. terr.* 1080. Hic Tyrus est opulens, et Berytus optima, Biblos etc. *Prisc.* vero recte produxit *Perieg.* 853. Antiquamque Tyrum, Beryti et moenia gratae, et *Auson. Praef.* ad *Syagr.* 20. Aemilium aut Scaurum, Berytiumque Probum.

BES, bessis, m. *δίμοιρος*, *διμοιρία*, pars assis octo uncias significans: de cujus etymologia haec habet *Varr. L. L.* 4, 36., ubi de assis partibus verba facit. Reliqua obscuriora, quod a deminutione; et ea, quae deminuuntur, ita sunt, ut extremas syllabas habeant, ut a duodecim una dempta, deunx; dextans dempto sextante; dodrans dempto quadrante; bes, ut olim des dempto triente. *Festus* docet, *bes* dictum esse, quod *bis triens* sit: sed ineptam et duram esse ajunt *Voss.* et *Scal.*, qui proinde priorem *Varronis* probant. Tertium etymon ponit *Voss.*, quod dicatur ab obsoleto *des*, quasi *de asse*, quia partes assis (quas V. in AS) usque ad septimam nominantur ab unciarum additione et augmento, reliquae deinceps detrahendo ab asse appellationem trahunt, ut est etiam in allatis verbis *Varronis.* Alii denique afferunt quartum, quod *bes* conflatum sit ex *bis*, et *as*, quia ex tribus assis partibus, quae sunt trientes, duas continet. Sed de etymologia jam plus satis. ℙ Accipitur *bes* pro pondere et pro mensura. Cum *as* pro libra ponitur, *bes* significat pondus octo unciarum. *Plin.* 18, 11, 26. In binos semodios farinae satis esse besses fermenti. *Scrib. Compos.* 157. Cerae pondo libram et trientem, magmatis pondo bessem. ℙ Cum *as* mensuram aliquam significat, *bes* est ejus partes duae tertiae. Sic *bes jugeri* est duae tertiae partes jugeri apud *Colum.* 5, 1. Et *bes sextarii* est octo cyathorum mensura apud *Scrib. Compos.* 126. ℙ Universim significat duas tertias partes totius alicujus, adhibita ea proportione, quae est octavi numeri ad duodecimum. Hinc bes usurarum, bes hereditatis, societatis, pretii etc. *Cic. Att.* 4, 15. Fenus ex triente Idib. Quint. factum erat bessibus. [*h. e.* quum antea pro centenis numis singulis mensibus triens usurae nomine solveretur, nunc bessibus erant solvendae, qua ratione usurae duplicatae sunt, sive: *von vier Procent war es auf acht Pro-*

cent gestiegen.] *Procul. Dig.* 17, 2, 76. Ut tu ex triente socius esses, ego ex besse. *Ulp. ib.* 1, 12. Exsolvere bessem pretii. *Julian. ib.* 21, 2, 39. Bessem fundi emere. *Manil.* 3, 367. Bisque novem Nemeaee, dabis, bessemque sub illis, *h. e.* 18. annos et menses octo. ℙ Accipitur aliquando absolute pro octo. *Mart.* 11, 36. Quincunces, et sex cyathos, bessemque bibamus, Caius ut fiat, Julius et Proculus, *h. e.* bibamus quinque, sex et octo cyathos: totidem enim sunt litterae in illis nominibus *Caius*, *Julius*, *Proculus*. V. BIBO. ℙ Apud mathematicos, qui assem accipiunt pro senario numero, *bes* quatuor significat. *Vitr.* 3, 1. V. AS. ℙ *Bes alterum* est as cum besse, *h. e.* si senarius numerus pro asse sumatur, bes illius erit quaternarius; addito igitur ad sex hoc besse, orientur decem, et denarius relatus ad senarium erit bes alterum: si vero as sit numerus duodenarius, bes erit octonarius. *Vitr.* 3, 1. *a med.* Duabus partibus additis, et decussi facto, bes alterum fit, quem *ἐπόγδοον* vocitant. *Fest.* in V. *Trientem.* Qua consuetudine hodieque utimur, cum lignum bes alterum dicimus, id est pedem et bessem latitudinis habens, et sestertium, id est duos asses et semiassem tertium, item si tres asses sunt et quadrans, quadrans quartus. Hic vero *bes alterum* respondet unciis viginti. ℙ *Bessis* in recto casu pro *bes*. *Paul.* ex *Festo:* Bessis unciae octo sunt, triens quatuor. Al. leg. *trientis* pro *triens*. Adde *Prisc. De ponderib.* p. 1348.

*BĔSA, ae, m. *Βησᾶ*, numen quoddam Aegypti, urbis fortasse aut regionis proprium. *Ammian.* 19, 12. Oppidum est Abydum, in Thebaidis parte situm extrema, hic Besae Dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat, priscis circumjacentium regionum caeremoniis solitum coli. *Jablonsk. Panth. Aegypt.* 5, 7. plura de hoc numine docet, ejusque cultum ex *Photii Bibl. Cod.* 279. probat ex Abydo Antinoopolin fuisse translatum. *B. A.* et *F.*

*BESARO, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

*BESBĪCOS vel Besbĭcus, i, parva insula in Propontide, juxta Cyzicum. *Plin.* 5, 32. 2, 88. Al. leg. *Besbycus*. *B. A.*

BESĔVUS. V. VESEVUS.

*BESIDIAE, arum, oppidum Italiae inferioris, in Bruttiis, ad Crathim flumen. *Liv.* 30, 19. Hodie, credunt, est *Bisignano*. *B. A.*

*BESSA, ae, f. *Βῆσσα*, Opuntiorum Locrorum urbs et campus. *Senec. Theb. v.* 848. *B. A.*

BESSĀLIS, le, adj. a *bes*, *bessis* deductum. *Vitr.* 5, 10. et 7, 4. Laterculis bessalibus pilae struantur, *h. e.* octo unciarum, seu pollicum. Pedis enim mensura in duodecim uncias, seu pollices dividitur. [*Petr. Sat.* 58. §. 5. comula bessalis, *h. e.* vilissimi pretii.] *Mart.* 8, 71. Bessalis scutula, *h. e.* vas octo unciarum capax.

*BESSAPARA, Thraciae oppidum, in terra Bessorum. *Anton. Itin. B. A.*

BESSI, orum, m. plur. *Βέσσοι*, populi Thraciae, seu Mysiae, in confinio, juxta Hebrum fluvium inter Haemum et Pangaeum M., quorum praecipua urbs Philippopolis. Gens fera est et latrociniis sueta. Metallorum divites et in effodiendo auro solertes fuisse significat *Claud. Cons. Mall.* etc. 41. Quidquid luce procul venas rimata sequaces Abdita pallentis fodit solertia Bessi. Adde *Veg. Milit.* 2, 11. et *ib.* 4, 24. ℙ Etiam in num. sing. usurpatur. *Inscr.* ap. *Murat.* 774, 3. P. Aelius Bassus natione Bessus.

BESSĪCUS, a, um, adj. ad Bessos pertinens. *Cic. Pis.* 34. Bessicae gentis princeps.

BESTIA, ae, f. *θηρίον*, proprie dicitur de animalibus, quae natura fera sunt, et hominibus noxia, ut *Ulp. Dig.* 3, 1, 1. et *ib.* 9, 1, 1. docet, ut ursi, leones, apri, tigres, item canes feri, serpentes venenatae, aranei et hujusmodi alia, quae aliquo modo in hominem saeviunt: illa vero, quae per se quidem fera sunt, sed domari tamen possunt, ut cameli, elephanti, quadrupedum, aut pecudum nomine, postquam domita sunt, contineri possunt, ut Idem tradit *cit. lib.* 9., quamquam in *lib. regul. tit. De dominio, et acquisitt. rer.* camelos et elephantos bestiarum numero esse affirmat: et re vera *Auct. B. Afr.* 72. elephantos ita vocat. Differt itaque *bestia* a *bellua*, quod in hac magnitudinem, in illa feritatem spectamus. [*Etiam apud *Liv.* 33, 9, 7. de elephantis: Extemplo terga vertere Macedones, terrore primo bestiarum aversi. Ad quae verba *Duker.* ita scribit: Elephanti utique bestiae sunt; sed quum de proeliis agitur, eos magis *belluas*, quam *bestias* dici puto. Cf. tamen *Interpp.* ad *Flor.* 1, 18, 8. 2, 6, 49.] *Nep. Dat.* 3. Feram bestiam captam ducere. [*quo loco quum *feram* adjectum sit, patet *bestiam* latiore illo significatu, qui *n.* 2. declaratur, positum esse. Cf. *Bremi.*] *Cic. Fam.* 7, 1. Cum homo imbecillus a valentissima bestia laniatur. *Id. Div.* 1, 7. Herbarum genera et radicum ad morsus bestiarum. *Id. Pis.* 36. Populari illi sacerdoti sexcentos ad bestias amicos, sociosque misisti, *h. e.* qui cum bestiis depugnarent in ludis. V. BESTIARIUS. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. Bestiis cives Romanos objicere. *Gell.* 5, 14. et *Modestin. Dig.* 48, 8, 11. Dare aliquem ad bestias, *h. e.* cum bestiis committere depugnandi causa. [*Sed probe discernendum est. Dari ad bestias aliquis dicitur, aut quum supplicii ergo iis objicitur, aut quum citra damnationem cum bestiis depugnandi causa in arenam immittitur. Sic apud *Modestin.* accipiendum de bestiariis proprie dictis; illo significatu legitur apud *Macr. Dig.* 48, 19, 12.] *Modestin. ib.* Tradere aliquem ad bestias depugnandas. *Gell. ib.* Servus ad pugnam bestiarum datus. *Suet. Cal.* 27. Condemnare aliquem ad bestias, *h. e.* ut ab iis laceretur. [*Hinc explica *Ulp. Dig.* 48, 13, 6. Moderanda poena est usque ad bestiarum damnationem, i. e. damnationem ad bestias. Breviore loquendi ratione usus est quod praepos. *ad* jam praecessit. — Ceterum qui bestiis objiciebantur, ii ad stipitem alligabantur, ut discimus ex *Vopisc.* in *Aurel.* 37.] ℙ De quibuscumque brutis animalibus. *Cic. Tusc.* 5, 13. Natura alias bestias nantes, aquarum incolas esse voluit; alias volucres coelo frui libero; serpentes quasdam, quasdam esse gradientes; earum ipsarum partim solivagas; partim congregatas; immanes alias; quasdam autem cicures; nonnullas abditas, terraque tectas. *Id. Am.* 21. Hoc apparet in bestiis volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris. *Id. Rosc. Am.* 20. Canes, tametsi bestiae sunt, tamen etc. Adde N. *D.* 2, 48. *fin.*, ubi inter aquatiles bestias enumerat etiam testudines. [*Non desunt tamen loci, in quibus bestiae piscibus et avibus opponuntur. *Instit.* 2, 1, 12.] ℙ Adhibetur aliquando in conviciis. *Pl. Bacch.* 1, 1, 21. Mala tu es bestia. [*Etiam jocose dicitur, apud *Catull.* 69, 7. Tibi fertur Valle sub alarum trux habitare caper (i. e. odor caprinus). Hunc metuunt omnes; neque mirum: nam mala bestia est (sc. caper ille).] ℙ Est etiam *Bestia* inter Romana cognomina. *Sall. Cat.* 17. enumerat L. Bestiam inter participes conjurationis Catilinae. Et *Jug.* 29. memorat L. Bestiam Calpurnium, (*Flor.* 3, 1. Calpurnium Bestiam appellat) qui consul fuit cum P. Scipione Nasica an. U. C. 643. Adde *Plin.* 27, 2, 2.

BESTIĀLIS, le, adj. *θηριώδης*, belluinus. *Prud. Cathem.* 7, 153. Impexa villis virgo bestialibus. ℙ Translate. *Sidon. ep.* 4, 1. Bestialium rigidarumque nationum corda cornea. [*Hac voce iis, qui pure emendateque volunt scribere, prorsus abstinendum est. *Günther. Latin. restit. P.* 1. p. 26. *Cellar. Cur. post.* p. 136. et *Antibarb.* p. 12. *Borrich. Cogitatt.* p. 26.]

BESTIĀRIUS, a, um, adj. ad bestias pertinens. *Sen. ep.* 70. Jam ego istam virtutem habere tam multa exempla in ludo bestiario, quam in ducibus belli civilis ostendam, *h. e.* in ludo, in quo homines cum bestiis depugnant. ℙ *Bestiarius* absolute, qui cum bestiis pugnat, *θηριομάχος*, *ἀναιρέτης*, *παράβολος*. Duplex fuit bestiariorum genus: alterum eorum, qui mercede conducebantur, ut cum bestiis pugnarent, vel ipsi ultro virium et virtutis ostentandae causa in arena cum bestiis congrediebantur, populi oblectandi causa. Hi certis utebantur armis, quibus bestias confoderent, quarum tamen ictibus ita expositi erant, ut maximus esset virtuti locus: itaque victores si evasissent, praemio et laude afficiebantur. Eorum pugna *venatio*, ipsi etiam *venatores* dicti sunt. Alterum genus erat eorum, qui ob admissa scelera damnabantur ad bestias, ut ab iis lacerarentur: hi plerumque inermes contra eas prodire cogebantur, nonnunquam etiam colligati iis discerpendi objiciebantur, ut ex *Tert. Pudic.* 22. colligitur. *Cic. Sext.* 64. Praeclara aedilitas: unus leo, ducenti bestiarii. *Id. Q. Fr.* 2, 6. Vindex gladiatorum et bestiariorum. Adde *Senec. Ben.* 2, 19. [*Epist.* 1.] et *Tert. Apol.* 9., ubi de bestiariis secundi generis mentio fit. [*Cf. *Suet. Claud.* 34. *Caes.* 10. et *Bremi* ad h. l. Porro ea, quae allata sunt s. v. ARENARIUS.]

BESTIŎLA, lae, f. *θηρίδιον*, *ζῴδιον*, parva bestia: et dicitur de quibuscumque minutis animalibus. *Cic. N. D.* 2, 48. Sic dissimillimis bestiolis [*pinnae et squillae] communiter cibus quaeritur. *Plin.* 22, 25, 81. Leguminibus innascuntur bestiolae venenatae. *Id.* 18, 17, 64. *n.* 3. Bestiola aranei generis. [*Veg. R. R.* 3, 15. bestiola, quae vocatur buprestes.]

BĒTA, ae, f. *τεῦτλον*, (*Beete*, *Mangold*) genus oleris, quod omnium hortensiorum levissimum esse *Plin.* scribit 19, 8, 40., simplici et carnosa radice, foliis viridibus et succulentis, caule candido. Ejus duo sunt genera, vernum et autumnale, a temporibus satus: quamquam et Junio seritur. Graeci distinguunt in nigrum et candidius. Gemina quoque ei natura, oleris, hoc est brassicae, et bulbi capite ipso radicis exsilientis: species summa in latitudine, quae adjuvatur imposito lapillo latiore, aut testa fictili, quo pondere pressa beta in latum adeo folia extendit, ut nulli alii hortensiorum latitudo major contingat. In binos enim aliquando pedes expanditur. *Colum.* 10, 254. folio viridis, pede candida beta. [*Cic. Fam.* 7, 26. Beta et malva.] *Mart.* 13, 13. Ut sapiant fatuae, fabrorum prandia, betae etc. *fatuae* dicuntur, quia per se insipidae sunt, nisi probe condiantur. *Id.* 3, 47. Pigroque ventri non inutiles betas. V. *Plin.* 20, 8, 27., ubi varios betae in medicina usus recenset.

BĒTA, indeclinab. nomen secundae Graecorum litterae, *βῆτα*. *Juven.* 14, 209. Hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae. ℙ Translate ponitur pro secundo, sicut *alpha* pro primo. V. ALPHA. ℙ Declinatur aliquando *beta*, *ae*. *Auson. Technopaegn. c. de litt. monosyll.* Dividuum betae monosyllabon Italicum B. ℙ Etymologi putant, *betam* herbam ita esse appellatam, quod ejus semen, cum turget, figuram Graecae B referat. Paulo aliter *Colum.* 10, 251. Nomine tum Grajo, ceu littera proxima primae, Pangitur in cera docti mucrone magistri; Sic et humo pingui ferratae cuspidis ictu Deprimitur folio viridis, pede candida beta. ℙ Latini efferebant hanc litteram *Be* tantum. *Sympos. Aenigm.* 42. Tota vocor Graece, sed non sum tota Latine.

BĒTĂCĔUS, a, um, adj. ad betam herbam pertinens. *Varr. R. R.* 1, 2. *ad f.* Quemadmodum pedes betaceos seri oporteat. ℙ *Charis.* 1. p. 24. et 2. p. 128., item *Prisc.* 3. *fin.* docent dici substantive *hic betaceus*, *i:* eademque ratione a malva *hic malvaceus*, *i*: et *ὑποκοριστικῶς*, hoc est diminutive, dici pro parva beta aut malva. *Apic.* 3, 2. Facies betaceorum fasces etc. Et mox eandem vocem repetit et *Varronem* citat. *Arnob.* 4. p. 133. Cur enim Deus praesit melli uni tantummodo, non ficis (*lege* viciis) betaceis, caulibus? Al. male leg. *betis*. *Turn.* 11, 3. putat, cum *betaceus* absolute dicitur, intelligi *pes:* qua ratione *betaceus* potest diminutiva vox dici, quia *beta* integram herbam significat: *betaceus* autem *pes* solum caulem, vel radicem.

BĒTĂLIS, le, adj. betaceus. *Petr. fr. Trag.* 58. *Burm.* Longe tibi sit comula ista betalis, *h. e.* mollis et diffusa, qualis est beta. Alii rectius leg. *bessalis*, hoc est vilis et parvi pretii.

*BETASI (*Plin.* 4, 17.), vel Betasii vel Bethasii (*Tac. H.* 4, 56.), populi Galliae Belgicae. *B. A.*

[BĒTERRENSIS et Baeterrensis, se, adj. ad Beterras pertinens, urbem in Gallia Narbonensi prope Orobim fluvium, nunc *Beziers*, a *Plin.* 3, 4, 5. memoratam et in nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 67. *Inscr.* ap. *Grut.* 272, 10. M. Julio Philippo nobilissimo principi juventutis Septimanorum Baeterrensium civitatis. ℙ Sunt qui nomen aliter efferant, nempe *Biterrensis* apud *Sidon. ep.* 8, 4. et in *Not. Tir.* p. 137., sed a lapidibus et nummis standum videtur. *F.*]

BĒTHLĒEM, f. indecl. *Βηθλεέμ*, antea Ephrata, urbs Judaeae.

BĒTHLĒĒMĪCUS, et

BĒTHLĒMĪTĪCUS, a, um, et

BĒTHLĒMĪTIS, e, adj. ad Bethleem pertinens. *Hieron. ep.* 108. *Epitaph. Paulae fin.* Romam patriamque relinquens, Divitias, sobolem, Bethlemiti conditur antro. Al. leg. *Bethleemi*. *Id. ib.* Pauperiem Christi et Bethlemitica rura secuta est. *Juvenc.* 1, *in cap. Matth.* 2, 262. Crudeli tinxit Bethleemica compita caede.

BĒTHLĒUS, a, um, adj. Bethlemiticus. *Paulin. Nolan. carm.* 32. (*al.* 15.) 583. Aut cum Bethleis infantibus in Paradiso. *Sedul. De op. Pasch.* 2, 73. Talia Bethleis dum signa geruntur in oris. ℙ Quidam scribunt *Bethlaeus*.

BĒTIS, is, f. herba eadem ac beta. *Seren. Sammon. c. de nerv. incis. et dolent. atque contr. c.* 54. *v.* 983. Carica, vel betis lento cum melle jugatur. ℙ Est etiam nomen fluvii, quod rectius per diphthongum scribitur. V. BAETIS.

BĒTISSO vel Bētizo, as, n. a *beta*, pro languere usurpare solitus est *Augustus*, teste *Suet. in ejus Vita* 87. Beta enim tenerrimum ac mollissimum caulem et folia habet. [*Recte explicuit *Forc.* A vero aberravit *Bremi* ad *Suet. l. d.*, qui *betizare* pro languere dictum existimat, quod olera insuavi sapore sint.] Quo pertinet illud *Catulli* 67, 21. Languidior tenera cui pendens sicula beta etc. ℙ De ratione scribendi V. in BADIZO.

BETO, is, n. *ποσεύομαι*, idem quod eo, ambulo, [*a *βάω*, *βῆμι*]. *Varr.* ap. *Non.* 2, 73. Multos foras betere jussit. *Id. ib.* Si ire conor, prohibet betere. *Pacuv. ib.* Vos hinc defensum patriam foras betite. ℙ Est etiam *Bito*, *is*, eod. sensu. *Pl. Merc.* 2, 3, 127. Ad portum ne bitas, dico jam tibi. *Id. Curc.* 1, 2, 52. Qui me in terra aeque fortunatus erit, si illa ad me bitet? *Id. Ps.* 1, 3, 23. Licetne, obsecro, bitere, an non licet? *Ps.* vah manta. Ita legendum censet *Lips. epistol. quaest. ep.* 1, 14., alii *vivere* retinent, quod est in codicib. passim. Adde *Stich.* 4, 2, 28., ubi *Pareus* legit *ebito*, h. e. exeo. ℙ Etiam *Bitio*, *is*, *ire*, usurpatum fuisse videtur, a quo *Bitientes*, hoc est assidue peregrinantes, apud *Festum*. Ita monet *Scalig.* ad *Fest.* Sed cum nullum aliud suppetat hujus conjugationis argumentum, non est ea facile usurpanda.

BĒTONĪCA et Vetonica seu Vettonica, ae, f.

κέστρον, ψυχροτρόφον, (*Betonie, Betonienkraut*) herba de qua *Plin.* 25, 8, 46. Vettones in Hispania invenere eam, quae vettonica dicitur in Gallia, in Italia autem serratula, a Graecis cestron, aut psychrotrophon, ante cunctas laudatissima. Exit anguloso caule cubitorum duum, a radice spargens folia fere lapathi, serrata, semine purpureo. Folia siccantur in farinam ad plurimos usus. Fit vinum ex ea, et acetum stomacho, et claritati oculorum. Tantumque gloriae habet, ut domus, in qua sata sit, tuta existimetur a piaculis omnibus. Haec *Plin.*, qui aliis in locis passim infinitos prope ejus usus in medicina refert. [**Scribon. Larg. Compos.* 153.] *Seren. Sammon.* 14, 202. Vetonicae mansus siccabit lumina succus. [**ib.* 821.] ℙ Ad scriptionem quod attinet, rectius *vettonica* scribitur, cum sit a *Vettonibus:* reperitur tamen et *vetonica;* et propter affinitatem litterarum *b* et *v*, etiam *betonica.* ℙ Exstat de ea libellus *Antonii Musae*, qui Augusti medicus fuit, nomen praeferens: indignus tamen ea aetate, in qua Latina lingua maxime floruit.

BĔTŬLLA, ae, f. (*die Birke*) arbor Gallica lentissima, mirabili candore, atque tenuitate: ex qua olim consulares fasces plerumque fiebant. Eadem circulis flexilis, item corbium costis, hoc est crassioribus et firmioribus viminibus, quibus reliqua, quae tenuiora sunt et subtiliora, firmantur atque nectuntur. Bitumen quoque ex ea Galliae excoquunt. *Plin.* 16, 18, 30. [*et 16, 37, 69.] ℙ Scribitur et *betula* unico *l.*

[BĔTŬLONENSIS vel Baetulonensis, se, adj. ad Betulonem pertinens, Hispaniae Tarraconensis urbem, nunc *Badelona* in *Catalonia.* ℙ *Betulonenses, ium* sunt incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Murat.* 1033, 3. et 4. Ordo Betulonen*sium.* Alii rectius leg. *Baetulonensium. F.*]

BĔTŬLUS. V. BAETYLUS.

*BEUDOS VETUS, Βεῦδος παλαιὸν *Ptol.*, oppidum in Pisidia. *Liv.* 38, 15. *extr. B. A.*

*BEVUS, i, Macedoniae fluvius. *Liv.* 31, 33. *B. A.*

*BEZABDE, es, vel Bezabda, ae, oppidum Mesopotamiae, cum castello. *Ammian.* 20, 15. et 26. *B. A.*

B I

BIAEON vinum. V. BION.

BIAEOTHANĀTOS. V. AHORUS et BIOTHANATUS.

*BIĀNOR, oris, m. Βιάνωρ, Centaurus. *Ov. Met.* 12, 345. ℙ Bianor, cognomento Ocnus, Tiberis et Mantus filius, Mantuam condidit. V. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 9. *v.* 60. et notam *Heynii. B. A.* ℙ [Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 610, 1. Ti. Claudius Bianor. *F.*]

BĬARCHĬA, ae, f. Βιαρχία, officium biarchi. *Imper. Constant. Cod.* 1, 31, 1. Ad biarchiam nemo suffragio perveniat.

BĬARCHUS, i, m. Βίαρχος, militaris gradus est ejus, qui commeatibus comparandis praeest [**Proviantcommissär*]: a βίος, victus, annona, et ἄρχων, praefectus. *Hieron. adv. Joann. Hieros. n.* 19. Ante primicerius, deinde senator, ducenarius, biarchus, circitor, eques, deinde tiro. *Imp. Leo Cod.* 14, 20, 3. Biarchorum nomen meritumque.

*BIAS, antis, Βίας, unus ex septem Graeciae sapientibus, philosophus Prienaeus, Solonis temporibus vixit. *Cic. Parad.* 1, 1. *Id. Amic.* 16. *Val. Max.* 7, 2. Cf. *Laert.* 1, 82. ℙ Item Priami filius, non autem ex Hecuba. *Biantes* audit *Hygin. fab.* 90. *B. A.*

*BIBACTA, insula Gedrosiae adjacens, ut refert Ptolemaeus, *Bibaga* dicta *Plin.* 6, 21. *B. A.*

BĪBĀCŬLUS, i, m. qui strenuus potator est. Ita cognominati sunt quidam apud Romanos, quod largis poculis delectarentur, ut M. Furius, quem inter grammaticos *Suet.* referre videtur de *Gr.* 4. et inter poetas *Quint.* 10, 1. enumerat: de quo *Plin. Prooem. H. N.* Ut qui Bibaculus erat et vocabatur. ℙ De L. Furio Bibaculo V. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 9. Adde *Liv.* 22, 49.

*BIBALI, orum, Βιβαλοὶ, populi Hispaniae Tarraconensis, oceanum Atlanticum versus, Braccarorum pars. *Plin.* 3, 3. *B. A.*

[BĪBĀRĬUS, a, um, adj. qui bibendo aptus est. Hinc *bibaria, orum*, n. plur. ea omnia, quibus animantes et homines in bibendo utuntur, ut *cibaria* sunt ea, quibus utuntur in cibo. *Not. Tir.* p. 169. Bibit, bibaria, bibulus. *F.*]

BĪBAX, ācis, comm. gen. adj. πολυπότης, bibendi avidus. *Gell.* 3, 12. Bibendi avidum P. Nigidius in commentariis grammaticis bibacem et bibosum dicit. Bibacem ego, ut edacem, a plerisque aliis dictum lego: bibosum dictum etiam nusquam reperi, nisi apud Laberium. Haec *Gellius.*

BĪBER, vox indecl., quae ab infinito *bibere* mutilata videtur, et significat potum. *Hinc* dare alicui biber. *Titinn.* ap. *Charis.* 1. p. 99. Date illi biber: iracunda haec est. *Fannius* 8. *Ann. ib.* Jubebat biber dari. Adde *Cat. Orig. ib.*

BĪBĔRĬUS pro *Tiberius* joculariter dictus est Tiberius Nero imperator ob nimiam vini aviditatem. Appellabatur enim *Biberius Caldius Mero* pro *Tiberius Claudius Nero*, ut est apud *Suet. in ejus Vita*, 42.

BĪBĔSĬA, ae, f. *Festus* in *Peredia.* Perediam et Bibesiam Plautus cum dixit, intelligi voluit cupiditatem edendi et bibendi. *Plauti* locus est *Curc. a.* 3. *v.* 74., ubi Curculio ridicule refert inter varia provinciarum et populorum nomina has etiam voces, quasi et ipsae provinciae sint: sed pro *bibesia* legitur passim *perbibesia.*

*BIBĪBĪLIS, e, adj. i. q. bibilis. *Gloss. Gr. Lat.* πότιμον, bibibile. *B. A.*

BĪBĪLIS, le, adj. qui bibi potest. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 11. *fin.* Cibum damus varium atque bibilem, ut ovum sorbile etc.

BĪBĬO, onis, m. parva musca, quae in vino nascitur. *Isid. Orig.* 12, 8. Bibiones sunt, qui in vino nascuntur, quos vulgo mustiones a musto appellant, unde et *Afranius;* Ad me cum spectas, fabularique incipis, Ex ore in oculos tuos bibiones involant. *Salm.* ad *Spart.* in *Hadr.* 16. legit *bibones*, et interpretatur culices; at *culex* genus est, cujus species est *bibio* ex vino natus. ℙ *Bibiones* legitur etiam apud *Plin. H. N.* 1. in indice *l.* 10. *n.* 69., sed ibi significat *vipiones*, hoc est minores grues, ut est apud *Eund.* 10, 49, 69.

BĪBĪTOR, oris, m. qui bibit, πότης. *Sidon. ep.* 1, 8. Quem utique raro bibitor Araricus inspexerim.

BĪBĪTUS, a, um, partic. verbi *bibo*, potus. *Aemil. Macer c. de porro.* Commixtus porri succus lacti muliebri, Et bibitus tussim fertur sedare vetustam. *Plin. Valer.* 2, 18. Equi lingua invetcrata ex vino bibita valet: [*Fuerunt qui substantivum *bibitus*, ûs, usurparent. Sed hoc inauditum, observante *Ruhnk.* ad *Muret. Opp. Tom.* II. p. 65.]

BIBLĪNUS, a, um, adj. βύβλινος, qui est ex biblo, seu papyro, ut epistolae biblinae, apud *Hieron. ep.* 51. *n.* 1. h. e. papyraceae. V. hic interpretes.

BIBLĬŎPŌLA, lae, m. βιβλιοπώλης, librorum venditor: Graeca vox a βιβλίον, liber, et πωλέω, vendo. *Plin. ep.* 9, 11. Bibliopolas Lugduni esse non putabam. *Mart.* 4, 72. Exigis, ut donem nostros tibi, Quincte, libellos: Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon. ℙ Legitur et *bybliopola. Inscr.* ap. *Fabrett. c.* 10. *n.* 386. M. Ulpius Aug. Lib. Dionysius bybliopola F. S. et S. Vide vocem sequent.

BIBLĬŎTHĒCA, cae, f. βιβλιοθήκη, βιβλιοφυλάκιον, locus, in quo libri studiorum causa asservantur: Graeca vox a βιβλίον, liber, et θήκη, repositorium. *Cic. Fam.* 7, 28. Abdere se in bibliothecam. Adde *Vitr.* 1, 2., 6, 7. et 10. etc. [**Fest.* s. h. v.: Bibliothecae et apud Graecos et apud Latinos tam librorum magnus per se numerus, quam locus ipse, in quo libri collocati sunt, appellantur.] ℙ Interdum dicitur de armario, seu pluteo, in quo libri ponuntur. *Paul. Dig.* 30. *l.* 41. Bibliothecae parietibus inhaerentes. Adde *Ulp. ib.* 32. *l.* 50. *med.* [*Memorabilis est locus apud *Eund. ib.* 32, 3, 52. §. 8. Si bibliothecam legaverit, utrum armarium solum vel armaria, an vero libri quoque contineantur, quaeritur? et eleganter Nerva ait, interesse id quod testator senserit: nam et locum significari bibliothecam; eo alias armarium (sicuti dicimus, *eboream bibliothecam* emit) alias libros (sicuti dicimus, *bibliothecam*, emisse). Quod igitur scribit Sabinus, libros bibliothecam non sequi, non per omnia verum est: nam interdum armaria quoque debentur, quae plerique *bibliothecas* appellant. — Nec desunt loci, in quibus libri opponuntur bibliothecae. Sic *Ulp. Dig.* 33, 7. 12, 34. *Paull. Sentent.* 3, 6, 51.] ℙ Sumitur etiam pro ipsa librorum multitudine. *Cic. Fam.* 13, 77. Dionysius servus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit, cum multos libros surripuisset, aufugit. *Id. Att.* 1, 7. Conficere bibliothecam. [**Id. ib.* 1, 8. Bibliothecam tuam cave cuique despondeas, quamvis acrem amatorem inveneris.] *Vitr. praef.* 7. instituere. *Suet. Aug.* 56. *fin.* et *Gr.* 22. ordinare. Et *ib.* 21. Praeesse bibliothecae. *Plin. Prooem. H. N.* narrat, Diodorum, Graecum scriptorem, historiam suam βιβλιοθήκην inscripsisse. ℙ *Servus a bibliotheca* est, qui bibliothecae custodiendae et curandae praepositus est, βιβλιοφύλαξ. *Inscr.* ap. *Grut.* 584, 6. Antiochus Ti. Claudii Caesaris a bybliotheca Latina Apollinis. Et *ib.* 4. Hymenaeus medicus a bybliothecis. Adde *ib.* 7. et 576, 9. et 578, 5. Quod vero ubique *bybliotheca* per Graecam *v* scribitur ex eo factum est, quia charta, ex qua libri constant, ex papyro olim fiebat: papyrum autem Graeci βύβλον vocant, eodemque vocabulo librum significant. Quia tamen consuetudo obtinuit, ut etiam βίβλος (et quidem saepius) per *ι* scriberetur, etiam Latine *bibliotheca* ex eadem consuetudine scribi consuevit. Quare ea scribendi ratio, quae *y* adhibet, neque improbari omnino potest, neque sane contra consuetudinem passim imitanda videtur. ℙ Dicitur etiam *bybliothece, es*, positione Graeca. *Inscr.* ap. *Grut.* 584, 2. Alexio Caesaris Aug. ab bybliothece.

BIBLĬŎTHĒCĀLIS, le, adj. ad bibliothecam pertinens. *Sidon. ep.* 8, 4. Thesauris bibliothecalibus large refertus, *h. e.* ampla bibliotheca instructus. *Capell.* 2. p. 55. Bibliothecalis copia.

[BIBLĬŎTHĒCĀRĬUS, ii, m. bibliothecae custos, a bibliotheca. *M. Aur.* apud *Front. ad M. Caes.* 4, 5. Tiberianus bibliothecarius tibi subigitandus. Adde *Gloss. Isid.* Bibliothecarius, qui codices secat (*corrige* servat). *F.*]

BIBLĬŎTHĒCŬLA, lae, f. parva bibliotheca. *Symm. ep.* 4, 18. Sume ephemeridem C. Caesaris decerptam bibliotheculae meae, ut tibi muneri mitteretur.

BIBLIS. V. BYBLIS.

BIBLUS, i, f. βύβλος, papyrus, ex qua charta primum facta est. Ita enim significat Graeca vox allata. *Lucan.* 3, 222. Nondum flumineas Memphis contexere biblos Noverat; *flumineas biblos* dixit, quia papyrus in palustribus Aegypti locis circa Nilum nascitur, ut *Plin.* 13, 11, 22. docet. *Sedul.* 1, 6. Plurima Niliacis tradunt mendacia biblis, *h. e.* litteris mandant. ℙ Quod vero *biblus* scribitur, non *byblus*, ut est in Graeca voce, id consuetudini tribuendum est. V. dicta in BIBLIOTHECA.

BĪBO, is, bĭbi, bibitum, a. 3. πίνω, potum ore assumere. [**Bibere* et *potare* quomodo diversa sint, docent hi loci. *Plaut. Curc.* 1, 1, 88. Agite, bibite, festivae fores, Potate, fite mihi volentes, propitiae. *Fronto* de *Fer. Alsiens.* p. 209. Proavus vester summus bellator . . tamen *potavit* satis strenue; tamen ejus opera P. R. in triumphis mulsum saepius *bibit.* Cf. *Doederl. Synon. Fasc.* I. p. 149. *Fasc.* III. p. 313.] *Cic. Tusc.* 5, 34. Darius in fuga cum aquam turbidam bibisset, negavit unquam se bibisse jucundius: nunquam videlicet sitiens biberat. *Id. Att.* 13, 52. Edere et bibere ἀδεῶς et jucunde. *Plin.* 10, 34, 52. Bibere large. *Ov. Fast.* 3, 274. exiguis haustibus. *Prop.* 2, 20, 32. ex aqua. *Mart.* 12, 11. amne. *Prop.* 4, 4, 14. ex fonte. [*At *Plin. ep.* 4, 30, 3. ex ipso fonte potas, ubi haec vox cum delectu posita est. Scilicet *bibimus* ex fonte, quum aquam poculo aliave re haustam sumimus; *potamus* ex fonte, quum, animalium instar, aquam ex ipso statim fonte sorbemus. Cf. *Doederl. Synon. Fasc.* III. p. 313.] *Juven.* 10, 25. fictilibus. *Virg. G.* 2, 506. gemma, *h. e.* poculo ex gemma facto. *Prop.* 3, 3, 26. e gemma. *L. Varius* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. *med.* ex solido auro. Et *Sen. Thyest.* 453. in auro, *h. e.* in poculis aureis. [*Sic etiam *Flor.* 3, 4. in ossibus capitum bibere, pro quo *Plin.* 7, 2, 2. dicit: ossibus capitum bibere. *Pompon. Dig.* 34, 2, 21. in argento potorio, in quo bibi potest.] *Pl. Stich.* 5, 4, 27. Bibe, si bibis, *formula hortantis alium, ut sine mora bibat: cui similis est illa*, ite, si itis apud *Eund. Poen.* 5, 4, 67. [*Vide alia hujus formulae exempla apud *Par. Lex. crit.* v. Age p. 62. et quae *Forc.* habet sub AGO et AGE. Ex graeco fonte derivanda est. V. notata ad *Theocr. Id.* 5, 78.] ℙ *Bibere Graeco more* est merum cyathis libare, salutando Deos primum, deinde amicos nominatim, et ad singula nomina bibendo, ut *Ascon.* exponit ad illud *Cic. Verr.* 2, 1, 26. Discumbitur: fit sermo inter eos, et invitatio, ut Graeco more biberetur, etc. Sed et illud Graeci moris erat, praesertim apud Athenienses, ut minoribus primo poculis biberent, deinde, ut fit, majoribus, postquam incalescentibus animis invicem ad bibendum provocabantur. Solebant enim alter alterum propinando nominare: qui toties respondere cogebatur, eodemque poculo paria facere. ℙ *Aut bibat, aut abeat*, ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι, jocosa lex in conviviis Graecorum, qua jubebantur convivae omnes ei, qui modimperator erat, (quem *Hor. Od.* 2, 7, 25. arbitrum bibendi appellat) parere, et singuli aliorum in bibendo conditionem subire. Transit autem in proverbium, quo admonemur, ut aut tempori locoque nos accommodemus, aut hominum consuetudinem fugiamus. *Cic. Tusc.* 5, 41. Mihi quidem in vita servanda videtur illa lex, quae in Graecorum conviviis obtinetur: aut bibat, inquit, aut abeat. Et recte; aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi, aut ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante discedat: sic injurias fortunae, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas. ℙ *Bibere mandata* apud *Pl. Pers.* 2, 1, 3. est prae nimio potu oblivisci quod mandatum fuerat. V. similem locum *Amph.* 2, 1, 84. ℙ Apud *Eund. Stich.* 5, 4, 38. *bibere pro summo* est strenue bibere, tanquam pro ultima vice potaturi simus. [*Apprime respondet Germanica locutio *wie um sein Leben trinken.*] Alii aliter explicant. ℙ *Bibere nomen alicujus.* In hilarioribus conviviis mos fuit, ut compotores amicorum nomina proferrent, ac tot haurirent pocula, quot litteris ea constabant. *Mart.* 8, 51. Ut jugulem curas, nomen utrumque bibam. *Id.* 1, 72. Naevia sex cyathis, septem Justina bibatur, Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus. Adde 9, 94. et 11, 36. ℙ Apud *Appul. Met.* 2. p. 115, 29. *bibere nutricem* est lac a nutrice sugere. ℙ Poetice *bibere flumen aliquod* dicuntur ii, qui ei flumini appositam regio-

nem incolunt. *Virg. A.* 7, 715. Qui Tiberim Fabarimque bibunt, quos frigida misit Nursia, etc. *Id. Ecl.* 1, 64. Ante, pererratis amborum finibus exsul aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim. *Lucan.* 8, 213. populosque bibentes Euphraten. ℙ *Bibere* etiam dicuntur, quae humorem hauriunt, et ad se trahunt. *Virg. Ecl.* 3, 111. Claudite jam rivos, pueri; sat prata biberunt. *ἀλληγορικῶς* dicit: jam cantare cessate: satiati enim audiendo sumus. *Plin.* 13, 4, 6. Palma toto anno bibere amat. *Id.* 8, 48, 73. Lanarum nigrae nullum colorem bibunt. *Id.* 31, 11, 47. Spongiae ad pruinas sternuntur inversae, ut candorem bibant. *Hor. Od.* 3, 8, 11. Amphora fumum bibere instituta. V. FUMARIUM. ℙ Arcus etiam coelestis *bibere* dicitur. Veteres enim vulgo credebant, Iridem demissis in terram cornibus aquam haurire e mari et fontibus, quam postea in altum sublatam per nubes effunderet. Hinc inter varia pluviae signa *Virg.* enumerat, cum *bibit ingens arcus*, *G.* 1, 380. Hinc festive *Plaut.* de anu ob aetatem curva, simulque bibacissima, *Curc.* 1, 2, 41. Ecce autem bibit arcus: pluet credo hercle hodie. ℙ Sumitur etiam *bibere* pro elicere, haurire. *Virg. A.* 11, 803. Hasta sub exsertam donec perlata papillam Haesit, virgineumque alte bibit acta cruorem. *Plin.* 9, 36, 60. Purpurae flos liquoris est minimi in candida vena, unde pretiosus ille bibitur nigrantis rosae colore sublucens. ℙ Translate. [**Cic. Phil.* 11, 5. de L. Antonio: Quid eum non sorbere animo, quid non haurire cogitatione, cujus sanguinem non bibere censetis?] *Hor. Od.* 2, 13, 31. Pugnas et exactos tyrannos Densum humeris bibit aure vulgus, *h. e.* studiose audit. Sic *Prop.* 3, 4, 8. Incipe: suspensis auribus ista bibam. *Virg. A.* 1, 753. Infelix Dido, longumque bibebat amorem. *Stat. Ach.* 1, 393. totisque novum bibit ossibus ignem. *Claud. Nupt. Hon.* et *Mar.* 231. Maternosque bibit mores. *Quint. prooem.* 1. Nudae illae artes omnem succum ingenii bibunt. ℙ [Particip. *Bibiturus* ap. *Hieron.* in *Isaj.* 8, 25, 8. Vinum, quod se Dominus cum sanctis suis in regno Patris sui bibiturum esse promisit.] [**Alibi* frustra quaeras hanc formam. *Döderl. Synon.* I. p. 150. Partic. passivi *Bibitus* legitur apud *Aemil. Mac. cap. de porro*, et apud *Plin. Val.* 2, 18. Sed an supinum *bibitum* usquam reperiatur, valde dubito. Haec, ni fallor, causa est, cur etiam pedestres scriptores graecam constructionem ponere maluerint, quam formam usurpare, Romanis auribus insuetam. Certe *Liv.* 40, 47. dare bibere, ut locum *Ter. Andr.* 3, 2, 4. non afferam. *Cic. Tusc.* 1, 26. Ganymedem a diis raptum ait, propter formam, ut Jovi bibere ministraret, ubi si Cicero *potum ministraret* scripsisset, hoc alium haberet sensum. Cf. alios locos s. *Biber.*]

BĪBO, ōnis, m. bibax. *Firm. Math.* 5, 4. *fin.* Homines vitiosi, epulones et bibones. ℙ *Bibones* alio sensu V. supra in BIBIO.

**BIBONĬUS*, *πολυπότης*. *Vet. Gloss. B. A.*

BĪBOSUS, a, um, adj. *πολυπότης*, bibendi avidus. *Laber.* ap. *Gell.* 3, 12. Non mammosa, non annosa, non bibosa, non procax. Adde *P. Nigid. ib.* V. BIBAX.

**BIBRACTE*, is, n. et Bibracte, es, f. *Βίβρακτα, Βίβραξ*, ap. *Strab. φρούριον Βίβρακτα*, ap. *Ptol. Αὐγουστόδουνον*, oppidum Galliae Celticae sive Lugdunensis, in regione Aeduorum. Verisimiliter est *Autun en Bourgogne*, *Dep. de Saone et Loire. B. A.*

**BIBRAX*, ctis, oppidum Galliae Belgicae, in regione Remorum. *Caes. B. G.* 2, 6. ubi rectum habes *Bibrax*. In *Tab. Peut.* Bibe. Hodie secundum *Reichard.* Braine; secundum *d'Anville* Bièvre. *B. A.*

BĪBRĔVIS, e, adj. Pes bibrevis apud *Diom.* 3. p. 471. et 472. Latine est idem, qui Graece Dibrachys. V.

**BIBROCI*, orum, Britanniae populi. *Caes. B. G.* 5, 21. *Camdeno* sunt *the hundred of Bray. B. A.*

BĪBŬLUS, a, um, adj. qui facile humorem bibit et sorbet. *Virg. A.* 6, 227. Favilla bibula. *Id. G.* 1, 114. arena. *Id. ib.* 2, 348. Lapis bibulus, *h. e.* lapis arenarius bibendo humori idoneus, ut *Serv.* exponit. Nam alii ideo dictum putant, non quod ipse humorem bibat, sed quod per eum humor ad radices arborum admittatur. *Colum.* 12, 43. *fin.* Ollae bibulae, et male coctae. *Plin. ep.* 8, 15. Charta bibula. *Lucan.* 4, 136. Conseritur bibula Memphitis cymba papyro. *Ov. Met.* 4, 743. Medulla bibula. *Id. ib.* 6, 9. lana, *ἐμβάφιος*. *Id. ib.* 14, 368. Bibulae nubes. *Val. Fl.* 1, 289. vestes. *Mart.* 11, 32. Bibula palus. *Suet. Aug.* 76. Caseus bibulus, *h. e.* recens, quia tunc condituram facile imbibit. Sed alii rectius leg. *bubulus*. ℙ Item qui bene bibit, bibax, *πολυπότης*. *Hor. Ep.* 1, 18, 91. Potores bibuli. Et *ib.* 14, 34. Bibulus falerni. ℙ Hinc ortum est Romanum cognomen *Bibulus*, ut L. Publicius Bibulus ap. *Liv.* 22, 53. M. Calpurnius Bibulus, qui cum C. Julio Caesare consul fuit. *Suet. Caes.* 19. ℙ Translate. *Pers.* 4, 50. Nequicquam populo bibulas donaveris aures, *h. e.* ad audiendum paratas et avidas.

BĪCĂMĔRĀTUS, a, um, adj. *Hieron. adv. Jovin.* 1, 17. Si arca plures habuit mansiones, et nidulos, et bicamerata, et tricamerata, et diversas bestias, etc. *h. e.* duplici et triplici camera, seu fornice.

[BĪCAPS, bĭcăpĭtis, omn. gen. idem ac biceps. *Inscr.* in *Giorn. Pis. T.* 11. p. 79. Hermes Aug. Lib. vilicus ejusdem loci aram et crateram cum basi bicapiti D. D. *Gloss. Phil.* Bicapites, *διπέφαλοι. F.*]

**BICE* vel Byce, es, *Βύκη λίμνη*, nomen paludis in Chersoneso Taurica, juxta Isthmum. *Val. Fl.* 6, 68. Quique lacum cinxere Bicen. A *Plinio* appellatur *Buges*, qui 4, 12. inquit: A tergo lacus Buges, fossa emissus in mare. Ipse Buges a Coreto, Maeotis lacus sinu, petroso discluditur dorso. Recipit amnes Bugem, Gerrhum, etc. ubi et paludis et fluvii nomen est. *Buces* appellatur fluvius a *Mela* 2, 1. *ante med. B. A.*

BĪCEPS, bīcĭpĭtis, omn. gen. adj. duo capita vel vertices habens, *δικάρηνος, δικέφαλος*. *Cic. Div.* 1, 53. Si puella nata biceps natus puer. *Pers. prol.* 2. Nec in bicipiti somniasse Parnasso. ℙ Translate. *Varr.* ap. *Non.* 6, 36. Civitas biceps. [*Quae in duas partes s. factiones divisa est.] (Adde *Flor.* 3, 17.) *Appul. Flor. n.* 18. Argumentum biceps. ℙ Veteres *bicipes* in recto dixere, ut testatur *Prisc.* 6. *in f.* et 7. p. 754., eo modo, quo *ancipes* pro *anceps*, *praecipes* pro *praeceps*.

BĪCEPSOS, i. *Varr. L. L.* 4, 8. *med.* affert plura nomina hujus positionis, quae sunt *primiceps*, *bicepsos*, *tercicepsos*, (corrige *terticepsos*), *quadricepsos*, *quinticepsos*, *sexticepsos*, *septicepsos*. Videtur autem nonnullis ibi sermo esse de septem collibus Urbis Romae. Putat *Scalig.* in *Conject.* legendum ubique *biceps*, *terticeps*, *quadriceps*, etc.: alii contra priorem lectionem ita retinent, ut et primam vocem *primiceps* in *primicepsos* vel *princepsos* mutandam censeant. Utcumque vero legas, nihil aliud significare plerique putant, quam primum caput, seu cacumen, seu verticem montis, secundum caput, et sic deinceps. [Sed *Jo. Bapt. Brocchius*, *Memor. sullo stato fisico del suolo di Roma*, p. 47. et seqq. probat, *bicepsos*, *terticepsos*, etc. esse voces compositas ex *caput*, quod idem significat quod Italice *capostrada*, initium viae. Hinc apud *Varr. l. c.* legere est *caput Sacrae viae*, apud *Victor. de Reg. U. R. n.* 12. *caput viae novae*, apud *Rufum de Reg. U. R. n.* 3. *caput Suburae:* et apud eundem *Varr. ib.* verba *bicepsos simplex* significant *secondo capostrada*, quod nec bivium, nec trivium habet. *Varro* autem *ib.* postquam narrasset, antiquitus urbem Romam in IV. tribus, et in XXVII. partes divisam fuisse, ac totidem exstructa *sacraria*, quae *Victor*, et *Rufus* vocant *aediculas* [**Capellen*] haec habet: Cum Coelio conjunctae Carinae; sed inter eas, quem locum Cerioleusem appellatum apparet, quod primae regionis quartum sacrarium scriptum sic est: Ceriolensis quarticeps circa Minervium. Adde, aedem Junonis Lucinae, teste *Ov. Fast.* 2, 435., fuisse *monte sub Exquilio*, quod confirmavit vetus haec *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 1. P. Servilio, L. Antonio Cos. (*h. e.* an. U. C. 713.) A. D. IV. K. Sext. locavit Q. Pedius Q. Urb. murum Junonis Lucinae HS. CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ IↃↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ (*h.* e. sesteriorum CCCLXXX. millibus) eidemque probavit. Haec reperta est an. a Chr. n. 1770. ad radices montis Oppii, qui fuit unus e montis Exquilii verticibus. *Varr. l. c.* Cispius mons: septiceps apud aedem Junonis Lucinae. Hinc patet, septicepsos significare septimum caput viae, verticis Cispii, quod vertici Oppio, et templo Junonis Lucinae conterminum erat. *Aloys. Nardius* in *Giorn. Arcad. T.* 23. p. 348. et seqq. putat, vocem *septiceps* idem significare ac *septicepsos*, hac vero vulgus, illa cultiores homines usos fuisse; idemque hanc affert Ariminensem *Inscr.* Exquilinus *vicus*, septiceps *Herculi Victori. F.*]

BĪCESSIS, idem valet ac duo decusses. *Varr. L. L.* 4, 36., ubi al. leg. *vicessis*, hoc est viginti asses. Nam duo decusses viginti asses continent.

BĪCHORDŬLUS, a, um, adj. duas habens chordulas. V. BICODULUS.

**BICIRRES*, *δίμαλλοι, δίχροσσοι*. *Gloss. Vet.* V. in *Bigerrica. B. A.*

BĪCLĪNĬUM, ii, n. coenatio, in qua duo tantum lecti sunt ad discumbendum: vel lectus, qui duos discumbentes capit, ut triclinium tres. Est autem hybrida vox, ut et *Quint.* docet 1, 5. *extr.* ex Latino *bis*, et Graeco *κλίνη*, lectus. *Pl. Bacch.* 4, 4, 69. Ubi est biclinium vobis stratum. Et *ib.* 102. Jam facite, in biclinio cum amica sua uterque accubitum eatis.

[BĪCODŬLUS, a, um, adj. qui duplicem habet codam seu caudam. *Appul. Apol.* Sauri, illices bicodulae, *h. e.* iynges, quae caudam vibrando duplicare videntur, Graece *οὐσοπιγγίδες;* ut serpentes bilingues dicti a linguae vibratione. Alii minus recte leg. *Aureae illices bichordulae*, alii *bitortilae. F.*]

BĪCOLOR, oris, omn. gen. adj. *δίχροος*, qui duorum est colorum. *Ov. Met.* 8, 664. Ponitur hic bicolor sincerae bacca Minervae. *Id. ib.* 10, 98. Bicolor myrtus. *Virg. A.* 5, 566. Equus bicolor albis maculis. *Plin.* 10, 52, 74. Intus omne ovum volucrum bicolor.

BĪCOLORĔUS, a, um, et

BĪCOLORUS, a, um, adj. idem ac bicolor. *Vop. Aurel.* 13. Hastas puras decem, vexilla bicolora quatuor. Al. leg. *bicolorea* a recto *bicoloreus*. Sic apud *Appul. Apol.* Taeniae alterplices, bicoloreae. Sed hic quoque alii aliter.

BĪCŎMIS, e, adj. duplicem habens comam, ut *Equus bicomis*, ap. *Veg. Veter.* 1, 56. hoc est, qui comam habet utrinque dependentem.

BĪCORNĪGER, a, um, adj. idem ac bicornis. *Ov. Her.* 13, 33. Ut quas pampinea tetigisse bicorniger hasta Creditur, *h. e.* Bacchus, qui bicornis fingitur.

BĪCORNIS, e, adj. *δίκερος* et *δίκερως*, bina habens cornua. *Cels.* 8, 1. *med.* Maxillae partes extremae quasi bicornes sunt. [**Plin.* 11, 49, 106. bicorne (animal) nullum.] *Ov. Her.* 4, 49. Faunique bicornes. *Id. Met.* 15, 304. Caper bicornis. *Virg. G.* 1, 264. Furcae bicornes. [*Etiam *Ov. Met.* 8, 647. nobis: *eine zweizinkige Gabel. Col.* 10, 148. bicorni ferro herbam pectere.] *Hor. c. saec.* 35. Luna bicornis. *Virg. A.* 8, 727. Rhenus bicornis, ubi *Serv.:* aut quia commune est omnibus fluviis (cornua enim amnibus tribuunt poetae) aut quia duplici alveo fluit, uno, qua Romanum imperium est; altero, qua interluit Barbaros, et insulam Batavorum facit. [*Etiam Granicus ap. *Ov. Met.* 11, 763. bicornis appellatur, quod duobus ostiis in mare exit: quae *Burmanni* est interpretatio.] ℙ *Bicornes* absolute, appellantur bos, et aries ad aram stantes, in qua taurobolium et criobolium celebratur. *Inscr.* ap. *Grut.* 27, 4. Vota Faventinus bis deni suscipit orbis, Ut mactet repetens aurata fronte bicornes.

BĪCORPOR, is, *δίσωμος*, duo habens corpora. *Cic.* vertens quosdam versus *Sophocl. Tusc.* 2, 9. Haec dextra Lernam tetram, mactata excetra, Placavit; haec bicorporem afflixit manum, *h. e.* Centauros ab Hercule interfectos, ut est apud *Hyg. fab.* 34. Versus autem Soph. his respondentes sunt: *Λερναίαν θ' ὕδραν, διφυῆ τ' ἄμικτον ἱπποβάμονα στρατὸν θηρῶν*, et *Accius* ap. *Prisc.* 6. p. 699. Pallas bicorpor anguium spiras trahit. *Naevius ib.* p. 679. Titani bicorpores, gigantes, magnique Atlantes.

BĪCORPŎRĔUS, a, um, adj. idem ac bicorpor. *Firm. Math.* 2, 12. Gemini est signum in coelo masculinum, bicorporeum, bipes, rationale, etc.

[BĪCORS, ordis, adj. comm. gen. cui duplex cor, vel translate qui subdolus et bilinguis. *Commodian. Instr.* 11. Officio vervecis potuit scire bicordem, *h. e.* Daphnen, quae Apollinem sibi insidias struentem cursu fefellit. *F.*]

**BICOXUM*, *δίμηρον*. *Gloss. gr. lat. B. A.*

BICRŌTA. V. DICROTUM.

BICŪBĪTĀLIS, e, adj. *δίπηχυς*, duorum cubitorum. *Plin.* 20, 23, 94. Meum foliis aniso simile, et caule aliquando bicubitali.

BICŪBĪTUS, a, um, adj. bicubitalis. *Appul. Herb.* 72. Herba ramulis tenuibus, bicubitis, etc.

BĪDENS, tis, adj. [*In vetere glossario etiam nominativus *bidentis* legitur: qui an alibi reperiatur nescio et fere dubito.] Qui duos habet dentes. *Auct. Priap.* 82. Bidens amica, Romuli senis memor, *h. e.* anus, cui duo tantum supersunt dentes. *Plin.* 7, 56, 57. Ancoram (*invenit*) Eupalamus: eandem bidentem Anacharsis. *Virg. Cat.* 8. Bidens forfex. V. ATTONDEO. *Id. Cir.* 213. ferroque manus armata bidenti, *h. e.* forfice. ℙ *Bidens* absolute, *δίελλα*, instrumentum rusticum ferreum, duobus veluti dentibus ex una parte instructum, aptumque ad terram fodiendam. [**Col.* 4, 17. fossores quoque liberius et aptius jactant bidentes. *Pall.* 8, 5. bidentes cuprei. Cf. *Pall.* 1, 43. *Ulp. Dig.* 33, 7, 8. *Plin.* 17, 21. bidente pastinari solum vineae praecipit.] *Ov. Fast.* 4, 927. Sarcula nunc, durusque bidens, et vomer aduncus, Ruris opes, niteant. *Virg. G.* 2, 400. glebaque versis Aeternum frangenda bidentibus. *Tib.* 2, 3, 6. Versarem valido pingue bidente solum. *Juven.* 3, 128. Bidentis amans, *h. e.* agriculturae studiosus. ℙ Praeterea *bidens*, *tis*, f. est ovis bima, apta ad sacrificium. Fere enim dicitur de ove, quae in hostiam eligitur. Ratio autem hujus appellationis est, vel quia duorum annorum aetas in hujusmodi pecore requiritur: quod neque minores, neque majores licebat hostias dare, ut *Serv. ad A.* 4, 57. docet: itaque dicta est (si *Servio* et *Nigidio* apud *Gell.* 16, 6. credimus) primo *bidennis*, *d* littera immissa, quasi *biennis* a *bis*, et *annus:* tum longo usu loquendi corrupta vox est, et ex *bidenni* facta *bidens*. Vel potius appellata est *bidens* a *bis*, et *dens*, quia oportet, ut ovis, quae hostia est, habeat dentes octo, et in his duos ceteris eminentiores, qui non nisi circa bimatum apparere solent, per quos apparet ex minore aetate in majorem transcendisse: quae sententia est *Julii Hygini* ap. *Gell. l. c.*, *Festi* in *Bidental*, *Servii* tum *l. c.*, tum ad *A.* 6, 39. et *Isid. Orig.* 12, 1., probaturque a *Scal.* in *Conject. ad Varr.* p. 45. et a *Voss.* in *Etym.*

Quod enim putarunt nonnulli, *bidentes* esse, quae duos tantum dentes habeant, absonum et falsum est: ridenturque a *Gell. l. c.* et *Non.* 1, 264. *Virg. A.* 4, 57. mactant lectas de more bidentes Legiferae Cereri, etc. *Id. ib.* 7, 93. Centum lanigeras mactabat rite bidentes. *Id. ib.* 12, 170. intonsamque bidentem Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris. *Hor. Od.* 3, 23, 14. Tentare multa caede bidentium Deos. *Plin.* 8, 51, 77. Coruncanius ruminales hostias, donec bidentes fierent, puras negavit. ℙ Idem *Nigid. l. c.* scripsit, non solas oves, sed omnes bimas hostias *bidentes* vocari. Quo pertinet illud *Pomponii* ap. *Gell.* et *Non. l. c.* Mars, tibi voveo, me facturum, si unquam redierit, bidenti verre. ℙ Dicitur interdum *bidens* generatim de quacumque ove, et extra sacrificium. *Phaedr.* 1, 17. Bidens jacentem in fovea prospexit lupum.

BIDENSES, ium, m. plur. populi Siciliae, quorum oppidum *Bidis* non longe a Syracusis. *Cic. Verr.* 2, 2, 22. ℙ Hi frequentius *Bidini* dicuntur, ut videre licet *ib.* 23, 24 et 25., et apud *Plin.* 3, 8, 14. ℙ [*Bidensium etiam appellantur nomine incolae Bidae, Mauritaniae Caesariensis oppidi. *Notit. Maurit. B. A.*]

BIDENTAL, alis, n. *Festus.* Bidental dicebant quoddam templum, quod in eo bidentibus sacrificaretur. *Id.* Minora templa fiunt ab auguribus cum loca aliqua tabulis, aut linteis sepiuntur, ne uno amplius ostio pateant. Ergo per *Festum* omnia minora templa quibuscumque Diis sacra, in quorum medio ara est ad bidentes sacrificandas, bidentalia dicebantur. *Car. Rosin. Dissert. Isag. Tab.* 18. mutilam inscriptionem sed probabili conjectura a se suppletam affert, quae reperta est prope duo aedificia, quorum alterum parvi templi formam referebat cum cella, alterum duplex, cujus bina septa uno aditu patebant, et aram mediam solidam ac cubicam, minime vero putealia, sive aras cylindricas pertusas, habebant. *Inscr.* vero talis est: D. D. *M.* Caesius Daphnus *duo bident*al. Nuceriae, et *vetustam* aedem Genl Stabiar. *labantibus* marmorib. vexata *provide* restituit. ℙ Itaque templum illud, quod sepimenti loco circa puteal, sive aram fulguritam statuebatur, ob similitudinem et ipsum appellabant bidental, et quidem ad aliorum templorum discrimen *triste* et *evitandum*. *Hor. Art. P.* 471. Minxerit in patrios cineres, an triste bidental Moverit incestus. *Pers.* 2, 27. Triste jaces lucis evitandumque bidental. *Appul. de Deo Socr.* p. 46, 41. Tuscorum piacula, fulguritorum bidentalia. *Sidon. carm.* 9, 189. Nec, quae fulmine Tuscus expiato, Septum numina quaerit ad bidental. Idem *Rosin. ib. Tab.* 19 et 20. habet figuram bidentalis Pompejis effossi, quod puteal medium et templum rotundum octo columnarum sine tecto, sed epistylio tantum ornatum habebat, cum inscriptione Oscis litteris exarata quae Latine ita sonat: Nitrebes ter meddix tuticus septo conclusit. [*Ita haec refinxit F. Apud *Forc.* haec tantum legebantur: „Bidental, *τόπος κεραυνοπλήξ*, locus fulmine ictus. Mos fuit Romanis ab Hetruscis acceptus, ut quo loco fulmen decidisset, eum locum haruspex mactata bidenti expiaret (dispersos ignes colligendo et terra tegendo: quod dicebatur *fulmen condere*), exsecratum consecraret, consecratum clauderet sepimento aliquo, quia calcari nefas erat.“ Jam sequuntur loci supra allati *Hor.* et *Appul.*]

BIDENTALIS, le, adj. *Sacerdotes bidentales* dicti sunt, qui Herculi et fortasse etiam aliis Semonibus, *h. e.* Diis minorum gentium, erant saeri, quibus minora templa, bidentalia appellata, statuebantur: hi in decuriam redacti fuerunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 96, 5. Semoni Sanco Deo Fidio sacrum Sex. Pompejus Sp. F. Col. Mussianus Quinquennalis Decur. Bidentalis donum dedit. Et *ib.* 6. Sancteo Sanco Semoni Deo Fidio sacrum decuria sacerdotum Bidentalium reciperatis vectigalibus.

*BIDENTATIO, onis, f. fossio, quae fit ope bidentis. *Gloss. gr. lat.* *σκαφεύς*, occatio, bidentatio. *B. A.*

*BIDIL, oppidum Mauritaniae Caesariensis. *Anton. Itin. B. A.*

BIDINI. V. BIDENSES.

*BIDUANUS. Tempus biduanum in aliquot codd. et editt. legitur apud *Liv.* 27, 24, 3. Sed legendum biduum tempus. V. *Drak.*

BIDUUM, i, n. *δυήμερον*, duorum dierum tempus. *Nep. Hann.* 6. Biduo, et duabus noctibus Adrumetum pervenit. *Id Att.* 22. Cum biduum cibo se abstinuisset. *Ter. Eun.* 1, 2, 110. In hoc biduum Thais vale. *Liv.* 10, 23. Supplicationes in biduum decretae. *Cic. N. D.* 2, 38. Tantae tenebrae finitimas regiones obscuravisse dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnosceret. *Id. Att.* 8, 14. In his locis, quae a Brundusio absunt propius, quam tu, biduum, aut triduum. *Id. ib.* 5, 16. Castra, quae aberant bidui. *Id. Fam.* 10, 17. Ventidius bidui spatio abest ab eo. *Id. Att.* 4, 3. Concio biduo nulla. *Suet. Caes.* 16. Biduo post. *Id. Aug.* 10. Post biduum. *Id. Cal.* 19. Bi duo continenti. *Ter. Andr.* 2, 6, 9. Sollicitudo bidui, aut tridui. [**Tempus* additur *Liv.* 27, 24, 3. Quum Senatus biduum ad considerandum peteret tempus. Ubi editt. varia moliuntur. Sed *Drak.* recte vulgatam defendit, similibus allatis exemplis.]

BIENNALIS, le, adj. biennium durans. *Justin. Cod.* 5, 37, 27. Biennalis meta.

BIENNIS, e, adj. *διετής*, duorum annorum. *Plin.* 2, 82, 84. Cum quidam annuo, et bienni spatio duraverint. Al. leg. *biennii*. Ita enim habent tres editt. princ. A. 1469. 1470 et 1472. *Ald.* et alii. *Hard.* cum aliis quibusdam edidit *annuo et biennio spatio*. At *Suet. Galb.* 15. Bienni spatio determinaturus senatoria et equestria officia. Ceterum vox *biennis* affertur etiam a *Beda De orthogr.* p. 2331. et *Nigid.* ap. *Gell.* 16, 6. docet, *bidentes primo dictas* bidennes, d *littera immissa: quasi* biennes.

BIENNIUM, ii, n. *τὸ διετές, διετία*, duorum annorum tempus, sicut *triennium* trium. *Cic. Phil.* 5, 3. Tribuni plebis tulerunt de provinciis contra acta Caesaris, ille biennii, iste sexennii. *Ter. Hec.* 1, 2, 12. Biennium ibi perpetuum misera illum tuli. *Pl. Bacch.* 2, 1, 1. Biennio postquam hinc abii. *Id. ib.* 3, 2, 4. Hoc factum est ferme abhinc biennium. *Id. Merc.* 3, 1, 35. Jam biennium est, cum mecum rem coepit habere. *Liv.* 5, 14. Comitia biennio habita.

[BIERIS, is, f. *διήρις*, idem ac biremis. *Not. Tir.* p. 177. Bieris, trieris, quatrieris, quinqueris, hexeris, hepteris, penteris. *F.*]

BIFARIAM, adv. *διμερῶς, διχῆ*, bipartito, (etymon est a *δίς*, bis, et *φάω*, findo.) *Liv.* 3, 63. Gemina victoria duobus bifariam proeliis parta. *Suet. Aug.* 100. Bifariam laudatus est: pro aede D. Julii a Tiberio, et pro Rostris sub Veteribus a Druso. *Liv.* 10, 21. *a med.* Jam castra bifariam facta esse, quia unus locus capere tantam multitudinem non possit. *Cic. Tusc.* 3, 11. Bifariam quatuor perturbationes aequaliter distributae sunt. *Varr. R. R.* 2, 4. Annus divisus bifariam. *Pl. Aul.* 2, 4, 3. Dispartire obsonium bifariam. ℙ Item duabus vicibus, dupliciter. *Messala* ap. *Gell.* 13, 15. Bifariam cum populo agi non potest. *Appul. Dogm. Plat.* 3. *ad f.* Quoniam utraque acceptio bifariam tollitur. ℙ Item duobus modis. *Modestin. Dig.* 38, 10, 4. Cognationis substantia bifariam apud Romanos intelligitur: nam quaedam cognationes jure civili, quaedam naturali continentur.

BIFARIUS, a, um, adj. duarum partium, vel duorum generum, duplex: est a *διφάσιος*, mutata littera *s* in *r*, ex consuetudine Latinorum. V. litteram R. *Appul. Dogm. Plat.* 3, 3. p. 39, 16. Ut bifaria sit sublata illatio. Al. leg. *bifariam*. *Amm.* 18, 4. Ratione bifaria.

*BIFAX vel DIFAX, acis, adj. duas habens facies. *Gloss. lat. gr.* Bifax, difax, *διπρόσωπος*. Cf. *Trifax* et V. *Meurs. Exerc.* 2, 4.

BIFER, a, um, adj. qui bis in anno fructum fert, *δίφορος, δίκαρπος*. *Virg. G.* 4, 119. biferique rosaria Paesti. *Cato R. R.* 7. Biferae arbores. *Varr. R. R.* 1, 7. Malus bifera in agro Consentino, vites biferae apud mare Smyrnae. *Plin.* 16, 27, 50. Ficus biferae, *h. e.* arbores fici bis ferentes. *Suet. Aug.* 76. Caseum bubulum et ficos virides biferas maxime appetebat, *h. e.* fructus arborum fici bifer arum. [*De fructibus etiam *Col.* 10, 403.] *Manil.* 4, 230. signum sagittarii vocat *biferum Centauri corpus*, quia constat equina et humana forma. ℙ Rectus casus singularis rectius est *bifer*, quam *biferus*. Nam composita a *fero* frequentius hoc modo desinunt, *aestifer, anguifer, armifer, falcifer, furcifer, letifer, pestifer*, et alia. Quamquam et *biferus* defendi potest, cum *mortiferus* et *pestiferus* apud *Cels.* legantur 2, 6. et 4, 2. *n.* 2.

BIFESTUS, a, um, adj. a *bis* et *festus*. *Prud. περὶ στεφ.* 12, 66. festum SS. Petri et Pauli vocat *diem bifestum*.

BIFIDATUS, a, um, adj. idem ac bifidus. *Plin.* 13, 4, 6. Folia cultrato mucrone, lateribus in sese bifidatis.

BIFIDUS, a, um, adj. *δίχηλος*, in duas partes fissus, seu divisus: a *bis* et *findo*. *Ov. Met.* 14, 303. setaeque cadunt, bifidosque relinquit Rima pedes. *Plin.* 11, 37, 65. Lacertis lingua bifida et pilosa. *Id.* 17, 20, 34. Bifida stirps. *Id.* 16, 39, 76. Bifidi venarum cursus. [**Col.* 4, 33. bifidae ridicae.] *Val. Fl.* 1, 570. In bifidum discessit iter.

BIFILUM, i, n. duplex filum. Affertur a *Servio* ad illud *Virg. A.* 12, 375. *bilicem loricam*: sed nullo confirmatur Latini scriptoris exemplo.

BIFISSUS, a, um, adj. idem ac bifidus. *Solin.* 52. *med.* Sunt praeterea boves solidis ungulis, nec bifissis.

BIFORIS, re, adj. binas habens fores, seu valvas, *δίθυρος*. *Ov. Pont.* 3, 3, 5. Nox erat, et bifores intrabat luna fenestras. [**Ov. Met.* 2, 4. bifores valvae.] ℙ Item duo habens foramina, seu portas. *Solin.* 2. *ad f.* Nidos moliuntur bifori accessu. *Appul. Dogm. Pl.* 1. Nares quarum bifori via odor cum spiritu commeat. ℙ Translate. *Virg. A.* 9, 617. O vere Phrygiae, neque enim Phryges: ite per alta Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum, ubi *Serv.:* bisonum, imparem. Et servavit eis tibiarum suarum, idest Phrygiarum naturam. Tibiae aut Serranae dicuntur, quae sunt pares, et aequales habent cavernas: aut Phrygiae, quae et impares sunt, et inaequales habent cavernas. Ergo *biforem*, dissonum, dissimilem: non enim sunt pari modulatione compositae. Ut enim ait *Varro*, Tibia Phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo, quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem. Haec *Serv. Stat. Th.* 4, 668. Aeraque, tympanaque, et biforem reticere tumultum Imperat.

BIFORMATUS, a, um, adj. idem ac biformis. *Cic.* vertens aliquot versus ex *Soph.*, *Tusc.* 2, 8. non biformato impetu Centaurus ictus corpori infixit meo. [**Biformatus impetus* est is qui ex duobus corporibus inter se junctis Centaurorum fit.]

BIFORMIS, e, adj. *δίμορφος*, duas habens formas. *Tac. A.* 12, 64. Biformes hominum partus. *Virg. A.* 6, 25. mixtumque genus, prolesque biformis Minotauris inest. *Hor. Od.* 2, 20, 2. Non usitata, nec tenui ferar Penna biformis per liquidum aethera Vates. *Ov. Fast.* 1, 89. Janus biformis. [*cum duplici facie, i. q. bifrons. *Col.* 10, 427. biformes Panas, i. e. qui et hominis et hirci figuram prae se ferunt.] Adde *Justin.* 2, 6. [*Verba sunt: quem (Cecropem) biformem tradidere.]

BIFORUS, a, um, adj. idem ac biforis, hoc est binas habens fores, seu valvas. *Vitr.* 4, 6. *fin.* Ipsaque forium ornamenta non fiunt cerostrota, neque bifora, sed valvata.

BIFRONS, ontis, adj. *διμέτωπος*, duas habens frontes. *Virg. A.* 7, 180. Saturnusque senex, Janique bifrontis imago. Adde *ib.* 12, 198.

BIFURCUS, a, um, adj. *δίχρους*, duas habens cuspides, seu acumina. *Liv.* 33, 5. *fin.* Bifurci valli. *Plin.* 16, 39, 53. Bifurcae arbores. *Col.* 3, 18. Pastinum vocant agricolae ferramentum bifurcum. *Ov. Met.* 12, 442. Ramus bifurcus. ℙ Substantive usurpant *Col.* 4, 24. Vocatur focaneus palmes, qui solet in bifurco medius prorepere. *Veg. Vet.* 2, 40. Duae autem venae a capite descendunt, et conveniunt se sub maxillis usque ad gulam; ne bifurcum tangas, et jumentum occidas. [*bifurcum intellige de venarum conjunctione.] Et *Petr. Sat.* 62. Mihi sudor per bifurcum volabat, *h. e.* per femora et crura, quae in homine furcam assimilant, seu potius per inferiorem maxillarum partem usque ad gulam.

BIGA, ae, f. *ζεῦγος, συνωρίς*, currus duorum equorum: item duo equi ad currum juncti sub uno jugo: vel etiam duo alterius generis animalia. Usurpatur saepissime in plurali numero. *Plin.* 7, 56, 57. Bigas primas junxit Phrygum natio: quadrigas Erichthonius. *Id.* 37, 10, 57. Bigis vehi. *Virg. A.* 2, 272. Hector raptatus bigis. *Id. ib.* 5, 721. Nox bigis subvecta. *Id. ib.* 7, 26. Aurora in roseis fulgebat lutea bigis. *Id. ib.* 12, 164. bigis et Turnus in albis. *Cat.* 55, 26. Rhesi niveae, citaeque bigae. ℙ Negat *Varr. L. L.* 9, 2. usurpari in singulari numero. Ratio enim exigit, ut quae pluribus constant, plurali tantum dicantur. Reperitur tamen apud idoneos scriptores. *Tac. H.* 1, 86. Omissas habenas bigae, cui Victoria insiterat. *Suet. Tib.* 26. Unius bigae adjectione. *Stat. Silv.* 3, 4, 46. olorinaque jubet considere biga. Adde *Id. Th.* 1, 338., *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 12. et 35, 11, 40. *n.* 34. et *Inscr.* ap. *Grut.* 352, 1. et 440, 1. [*In his exemplis plurima ex poetis petita vides, nullum ex pedestri aureae aetatis scriptore. Cf. *Ruddim. Instit.* p. 159. seq. *n.* 81.] ℙ Adjective *Manil.* 5, 3. Quadrijugis et Phoebus equis, et Delia bigis meant. ℙ *Bigas cornutas* joculariter dixit *Varro* ap. *Non.* 2, 731. duos boves aratores, quos ad aratrum junxerat Triptolemus, qui frumenti sementem mortales docuit.

BIGARIUS, ii, m. qui bigam agit. *Inscr.* ap. *Murat.* 621, 2. Florus ego hic jaceo quondam bigarius infans, Qui cito dum currus capio, cito decido ad umbras. [Ita legit *Car. Fea* ex MS. *Chigiano T.* 4. p. 300. Operum *Jo. Aloys. Bianconi ed. Med. F.*] ℙ Item bigarum artifex. *Arnob.* 2. p. 70. Bigarii, salinatores, unguentarii, aurifices. Al. rectius leg. *cybiarii*.

BIGATUS, a, um, adj. *Bigatus nummus* et *bigatus* absolute est, qui bigae notam impressam habet. *Plin.* 33, 3, 13. Nota argenti fuere bigae atque quadrigae: et inde bigati quadrigatique dicti. [*Cf. *Festus* in v. Grave aes.] *Liv.* 23, 15. *fin.* Laeto juveni bigatos quingentos quaestorem numerare jubet. *Tac. G.* 5. Pecuniam probant veterem, et diu notam, ferratos bigatosque. ℙ *Argentum bigatum* est pecunia argentea cum nota bigae. *Liv.* 33, 23. Aeris translata ducenta et quinquaginta quatuor millia, argenti bigati quinquaginta tria millia. [**Id.* 33, 37. Aeris trecenta viginti millia, argenti bigati ducenta triginta quatuor millia. *Ib.* 36, 21. Argenti bigati prae se tulit ceritum triginta millia; et extra numeratum duodecim millia pondo auri.]

BIGEMMIS, e, adj. duas habens gemmas. *Valer. in ep.* ap. *Treb. Claud.* 14. Balteum inauratum unum, anulum bigemmem uncialem, etc. ℙ Dicitur etiam de arboribus. *Col.* 5, 5. Pro custodibus autem bigemmes reseces fiunt. [*De vitibus quae duos oculos habent.]

BĬGĔNĔRUS, a, um, adj. *διγενής*, qui est duorum generum. [**Bastard.*] *Festus:* Bigenera animalia dicuntur ex diverso genere nata, ut leopardus ex leone et panthera, mulus ex equa et asino. *Varr. R. R.* 2, 8. Nam muli et hinni bigeneri atque insiticii, non suopte genere ab radicibus.

*BIGERRA, ae, oppidum Hispaniae Tarraconensis, ad mare Mediterraneum, in Bastitanorum regione. *Liv.* 21, 41. *extr.* ℙ Bigerra, vestis gufa. V. in *Bigerriga. B. A.*

BĬGERRI, orum, m. plur. populi Galliae Aquitanicae ad Pyrenaeos montes: quorum oppidum Tarbe; regio nunc *la Bigorre. Paul. Nol. ep. ad Auson. carm.* 10, 246. Dignaque pellitis habitas deserta Bigerris. ℙ Hi dicuntur *Bigerrones* vel *Bigerriones* a *Caes. B. G.* 3, 27.

BĬGERRĬCUS, a, um, adj. ad Bigerros pertinens. *Sidon. ep.* 8, 12. Quia solet Bigerricus turbo mobilium aggerum indicia confundere, *h. e.* ventus a regione Bigerrorum flans.

BĬGERRĬGA seu Bigerrica vestis est ex vili, crasso panno et villoso: ita dicta a Bigerris populis, qui ea maxime usi sunt adversus frigora et nives Pyrenaeas. *Sulp. Sev. Dial.* 2, 1. A proximis tabernis bigerrigam vestem, brevemque atque hispidam, quinque comparatam argenteis rapit. *Venant. De vita S. Martini* 3, 49. Induitur Sancto hirsuta bigerrica palla. ℙ In *Gloss. Isid.* legitur: *bigerra, vestis gufa, vel villata.* Ubi *Salm.* in not. ad *Capitol. in Pertin.* 8. docet, *bigerram* corrupte dici pro *bicirram*, hoc est utrinque cirros seu villos habentem, *δίμαλλον*. Pro *gufa Faustin. Arevalo* legendum monet *rufa.*

BĬGERRĬTANUS, a, um, adj. idem quod Bigerricus. *Auson. ep.* 11. *in f.* In fundo patriae Bigerritanae.

BĬGERRŌNES. V. BIGERRI.

BIGNAE, geminae dicuntur, quia bis una die natae sunt: quasi *bigenae. Festus.*

*BIGRADUM, i, n. *Gloss. gr. lat. δίβαθμον*, bigradum. *B. A.*

BĬJŪGIS, e, adj. idem ac bijugus: ut bijugis currus, bijuges equi. *Suet. Cal.* 10. Commeavit quadrigario habitu, curriculoque bijugi famosorum equorum. *Virg. G.* 3, 91. Martis equi bijuges. *Ov. Met.* 4, 24. tu bijugum pictis insignia frenis Colla premis lyncum.

BĬJŪGUS, a, um, adj. a *bis*, et *jugum. Bijugi equi* et *bijugi* absolute, sunt duo equi uno jugo ad currum juncti. *Virg. A.* 10, 586. ut pronus pendens in verbera telo Admonuit bijugos. Et *ib.* 299. bijugis fugiens Rhoeteus. Et *ib.* 453. Desiluit Turnus bijugis, *h. e.* curru a bijugis tracto. Et *ib.* 253. bijugique ad frena leones. *Val. Fl.* 7, 218. quae te bijugis serpentibus egit Hinc fuga? ℙ *Bijugus currus* est, quem equi uno jugo juncti trahunt. *Lucr.* 5, 1298. bijugo curru belli tentare pericla. *Stat. Th.* 2, 723. qua te bijugo temone frementem Intemeratarum volucer rapit axis equarum. Adde *Sil.* 2, 82. ℙ *Certamen bijugum* est, quod in Circo editur curribus bijugis. *Virg. A.* 5, 144. Non tam praecipites bijugo certamine campum Corripuere, ruuntque effusi carcere currus. ℙ Translate. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 233. Atque uno bijuges tolli de limine fasces, *h. e.* una de domo consulibus fratribus simul procedentibus duodecim lictores alius post alium uno ordine praecessisse.

BĬLANX, ancis, comm gen. libra duas habens lances. *Capell.* 2. p. 42. Sine bilance libra.

*BILBĬLIS, is, oppidum Celtiberorum, in Hispania Tarraconensi, ad Salonem fluvium, optima ferri temperatura nobile. Hodie est *Xalon.* Ex hoc oppido Martialis poeta originem traxit, ut ipse testatur *epigr.* 1, 50, 3. Adde *ib.* 10, 103, 1 et 10. *ib.* 104, 6. Bilbilis ferrariorum metallorum meminere *Plin.* 34, 14. *Justin.* 44, 3. ℙ Item ipsius fluvii Salonis nomen aliud. *Justin. ib. B. A.*

*BILBILITĀNAE AQUAE, aegrotantibus salutares, memorantur in *Anton. Itin.* Sitae prope Bilbilim, ut videtur. *B. A.*

BILBĬO, is, n. 4. verbum est factum a similitudine sonitus, qui fit in vase. *Gloss. Phil.* Bilbit, *βομβύζει. Naevius* ap. *Fest.* Bilbit amphora.

BILBIS. V. BILLIS.

BILEX. V. BILIX.

BĬLĪBRĂ, ae, f. duarum librarum pondus. *Liv.* 4, 15. Bilibris farris sperasse libertatem se civium suorum emisse. Al. leg. *bilibre*, ut sit *Bilibre, is*, n.

*BILIBRĀLIS, e, adj. *Gloss. Cyrill.* Bilibralis, *διλιτριαῖος. B. A.*

BĬLĪBRIS, bre, adj. pondus vel mensuram continens duarum librarum. *Hor. Sat.* 2, 2, 61. oleum cornu ipse bilibri Caulibus instillat. *Pl. Mil.* 3, 2, 30. Aqualis bilibris. *Mart.* 3, 45. Mullus bilibris. *Plin.* 18, 11, 26. Bilibres offae. [**Veg. Vet.* 2, 6. singulas bilibres per dies singulos cum furfure et paleis dabis, i. e. portiones binarum librarum.]

BĬLINGUIS, e, adj. *δίγλωσσος*, qui duas habet linguas. Hinc joculariter *Plaut.* de mutuo osculantibus, *Ps.* 5, 1, 14. Ubi amans complexus est amantem; ubi labra ad labella adjungit; ubi alter alterum bilingui manifesto inter se prehendunt, *h. e. μαρδαλωτῷ.* V. PROSERPO. ℙ Translate *bilinguis* est duarum linguarum peritus. Hinc *Ennius*, teste *Festo*, *bilingues Brutates* dixit, quod Brutii et Osce et Graece loquerentur. Sic *Hor. Sat.* 1, 10, 29. patriis intermiscere petita Verba foris malis, Canusini more bilinguis. *Curt.* 7, 5. Sed jam bilingues erant, paulatim a domestico, externoque sermone degeneres. ℙ Praeterea dicitur *bilinguis*, qui subdole loquitur, et fide parum sincera, fraudulentus, fallax [**doppelzüngig.*]. *Virg. A.* 1, 665. Quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilingues. *Pl. Pers.* 2, 4, 28. Tanquam proserpens bestia est bilinguis et scelestus. *Phaedr.* 2, 4. Quantum homo bilinguis saepe concinnet mali. *Sil.* 16, 157. Bilingues socii. *Claud. B. Gild.* 284. Bilingues insidiae. [**Arnob.* 5. p. 228. *Har.* Bilingues fabulae dicuntur quae non tam propriam, quam allegoricam interpretationem admittunt.] ℙ *Bilinguus* pro *bilinguis. Varr.* ap. *Non.* 3, 256. si sana est lectio.

BILĬOSUS, a, um, adj. *χολώδης*, bile abundans. *Cels.* 2, 8. Nihil plus adversus surditatem, quam biliosa alvus, potest. *Id. ib.* 6. Sputum biliosum et purulentum. *Id.* 1, 3. Vomitus utilis plenis et biliosis omnibus.

BĪLIS, is, f. *χολή*, nomen est commune duobus humani corporis humoribus, quorum alter, qui calidus est et siccus, ab aureo colore *flava bilis* appellatur, estque idem ac *fel*, praecipuam in vasis hepatis sedem habens: alter qui frigidus est, *atra bilis:* quamvis uterque saepius *bilis* absolute dicitur. Sed plures praeterea a medicis recensentur *bilis* colores, prout ex morbosa aliqua causa varie tingitur. [*Noli credere idem esse *bilem* et *fel.* In nulla enim lingua duae voces idem plane sonant. Teneas igitur hoc: *fel* est humor ex cibis secretus; *bilis* vesica in qua fel secernitur. Hinc *fel* metaphorice ponitur de eo quod amarum, acutum, venenatum est, nusquam vero de indignatione s. ira. quamobrem nemo dicat *fel movere, commovere.*] *Cels.* 7, 18. Nonnunquam stomachus quoque affectus primum rufam bilem per os reddit, deinde viridem, quibusdam etiam nigram. *Cic. Tusc.* 4, 10. Cum pituita redundat, aut bilis, in corpore morbi nascuntur. *Hor. A. P.* 302. Purgare bilem. *Plin.* 23, 8, 74. Nuclei nucis bilem pellunt. *Id.* 27, 4, 10. Androsaemon bilem trahit. *Id. ib.* 12, 93. Peplis semine bilis detrahitur. ℙ *Biles* in plurali numero cum dicuntur, utraque bilis atra et flava intelligitur. *Plin.* 20, 9, 34. Biles detrahere brassicam non percoctam putant. *Scribon. Compos.* 136. Chamelaea biles purgat. ℙ *Bile suffusus* dicitur, qui regio morbo laborat, bile flava exundante, et ad cutem effusa: et *bilis suffusa* est ipse regius morbus. *Plin.* 22, 20, 23. Datur anchusae radix et bile suffusis. Et *ib.* 21, 26. Anthemis inflationes, jocinerum vitia, bilem suffusam sanat. *Sen. ep.* 95. vocat *suffusionem luridae bilis.* ℙ *Flava bilis* et *bilis* absolute saepe ponitur pro ira, aut indignatione, quia accendendis et concitandis spiritibus inservit. *Cic. Att.* 2, 7. Si ut scribis, bilem id commovet. *Hor. Sat.* 2, 3, 140. maledicit utrique, vocando Hanc furiam, hunc aliud, jussit quod splendida bilis. *Id. Od.* 1, 13, 4. Fervens difficili bile tumet jecur. *Id. Sat.* 1, 9, 66. Meum jecur urit bilis. *Pers.* 3, 9. Turgescit vitrea bilis: Findor. *Id.* 4, 6. commota fervet plebecula bile. *Juven.* 5, 159. Effundere bilem. *Id.* 15, 15. et *Hor. Ep.* 1, 19, 20. movere alicui. *Juven.* 13, 143. Mediocri bile ferre aliquid. *Plin. ep.* 4, 11. Cui sententiae tantum amaritudinis inest, ut, etc. *h. e.* ea sententia adeo plena est indignationis, etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 787, 2. et 1040, 3. Q. Cavius Severus Rutiliae Primitivae conjugi suae dulcissimae, cum qua vixit annis XX sine bile, *h. e.* astomachetus. ℙ *Bilem habere*, irasci, moveri ad iracundiam. *Sen. Ira* 2, 25. [*Hoc loco haec verba non reperiuntur.] ℙ Bilem concire in nasum. *Plaut. in suppos. Amph. scena: Dii vostram fidem*, 40. Vetus est adagium: Fames, et mora bilem in nasum conciunt. ℙ *Atra bilis* Graece *μελαγχολία*, ponitur interdum pro furore, quia furoris causa est. *Sen. ep.* 94. Bilis nigra curanda est, et ipsa furoris causa removenda. *Pl. Amph.* 2, 2, 95. Uxor atra bili percita est: *bili* ablativus pro *bile* legitur etiam apud *Lucr.* 4, 665. Quippe ubi cui febris bili superante coorta est.

*BILITIO, onis, Rhaetiae castellum. *Greg. Tur.* Hodie est *Bellenz* sive *Bellinzona* in Helvetia. *B. A.*

BĪLIX, īcis, adj. *δίμιτος*, duobus constans liciis. *Bilicem loricam* cum dixit *Virg. A.* 12, 375. duplicem loricam significavit, hoc est duplici textura munitam: ducta similitudine a pannis, quae duplici licio contexta spissiora sunt et firmiora. Nisi malis intelligere loricam linteam duplicis texturae. Nam veteribus hujusmodi munimenta corporis in usu fuere. Itaque loricae linteae mentio fit a *Suet. Galb.* 19., *Liv.* 4, 20., *Sil.* 9, 587. et *Nep. Iph.* 1., qui narrat, Iphicratem genus loricarum mutasse, et pro ferreis atque aeneis linteas militibus dedisse, quo expeditiores essent ad pugnam. Docet autem *Casaub. ad l. c. Suet.*, hujusmodi linteas loricas fieri consuevisse ex lino, quod aceto, vel vino austero cum sale maceratum esset, deinde ita probe coactum et multoties complicatum (vel in funiculos contortum) ut crassitiem et soliditatem acquireret, et contra aciem ferri posset resistere. Plura hac de re V. apud *Lips. Mil. Rom.* 3, 6. [At *Heynius* ad *Virg. l. c.* putat potius fuisse contextam ex binis liciis seu filorum ordinibus, lineis aut aeneis; bracteolis nempe, catenulis, squamis, quemadmodum idem *Virg. A.* 3, 467. vocat loricam trilicem consertam hamis auroque. *F.*]

BILLIS apud Afros appellatur semen humanum humi profusum. *Festus* ubi *Scalig. ad Priap.* p. 461. legit *bilbis* aut *bilbil.* [At بَلَ *bal*, Arabice, et בָּלַל, Hebraice significat *madefecit*, unde vox *billis*, non *bilbis* ducta videtur. *F.* ℙ *Deinde flumen Bithyniae, in Paphlagonum vicinia, inque Pontum Euxinum sese exonerans. *Plin.* 6, 3. ed. *Hard.* ubi al. leg. *Bilis. B. A.*]

*BILUDĬUM, i, oppidum Dalmatiae. *Anton. Itin. B. A.*

BILUSTRIS, e, adj. *δεκαετής*, duo lustra durans, hoc est decem annos. *Ov. Am.* 2, 12, 9. Pergama cum caderent bello superata bilustri.

BĪLYCHNIS, e, adj. *δίλυχνος*, duos habens lychnos. *Petr. Sat.* 30. Etiam lucerna bilychnis de camera pendebat. Adde *vet. Testam.* ap. *Grut.* 215, 2. Comparari volo candelabra et lucernas bilychnes.

BIMAMMIAE Vites, de quibus *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 8., ita dictae sunt, quia geminas semper uvas ferunt, quae crassitudine mammas aemulantur, colore autem purpureae sunt. Eaedem *bumasti* etiam appellantur, et *bumammae.* V.

*BIMARCUS, Bimargus, vel Vimargus (tot enim modis scriptum invenitur), nomen Satirae *Varronis*, in qua videtur fastum et arrogantiam stolidam et ineptam Romanorum incessisse, idque Romano praenomine, quo sibi placebant, duplicato indicasse, quasi quis non semel, sed *bis Marcus* sit. Sic *Trimalchionem* Petronianum dictum putamus. Haec *Gesnerus. B. A.*

BĪMARIS, re, adj. duo habens maria. *Bimaris* dicitur Corinthus, quia cum in parte septentrionali Peloponnesi sita sit, ab occidente Ionium mare prospectat, ab oriente mare Graecum, seu Aegaeum. *Hor. Od.* 1, 7, 2. bimarisve Corinthi Moenia. *Ov. Her.* 12, 27. Hic Ephyren bimarem, etc. *Ephyre* est Corinthus. *Id. Met.* 7, 407. bimarem pacaverat Isthmon, *h. e.* Isthmum Corinthiacum, qui a duobus illis maribus alluitur. ℙ Translate *bimaris morbus* dicitur libido eorum, qui simul pathici et drauci sunt. *Auson. epigr.* 131. bimarem nisi quod patientia morbum Appetit: et tergo femina, pube vir es.

BĪMARĪTUS, i, m. *δίγαμος*, qui duas habet uxores. *Cic. Planc.* 12. Jacis adulteria, quae nemo non modo nomine, sed ne suspicione quidem possit agnoscere: bimaritum appellas, ut verba fingas, non solum crimina. [*Vocabulum ergo novum, a Plancio fictum, quod nec posteriori aetate valde probatum est.] *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 49. Legant, nullum sacerdotem digamum, nullum flaminem bimaritum.

BĪMĀTER, tris, m. [*Rectius nominativum dixeris *Bimatris.*] *διμήτωρ*, qui duas habet matres: cujusmodi dicitur esse Bacchus, qui a Semele genitus, et ab Jove in lucem editus fingitur. *Ov. Met.* 4, 11. Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyaeumque, Ignigenamque, satumque iterum, solumque bimatrem.

BĪMĀTUS, us, m. *διετές*, duorum annorum aetas. *Varr. R. R.* 2, 5. *fin.* Vitulos castrare non oportet ante bimatum. *Plin.* 9, 30, 48. Polypi ultra bimatum non vivunt. Adde *Colum.* 7, 3. [*Post bimatum. *Id.* 7, 4. Bimatu expleto.]

BĪMEMBRIS, e, adj. duplicia habens membra. *Juven.* 13, 64. Egregium, sanctumque virum si cerno, bimembri Hoc monstrum puero, vel mirandis sub aratro Piscibus inventis, et fetae comparo mulae. [**Bimembris* vox a Cornificio facta. *Heyn.* ad *Virg. A.* 8, 293. *Jahn.*] ℙ *Bimembres* sunt etiam Centauri, quia supra humana, infra equina specie. *Virg. A.* 8, 293. Nubigenae bimembres. *Sil.* 3. 41. Centauri bimembres. Et absolute. *Ov. Met.* 15, 283. illic lavere bimembres Vulnera. *Id. Her.* 9, 99. Forma bimembris.

BĪMENSIS, is, m. duorum mensium tempus. *Liv.* 45, 15. Ut ad sarta tecta exigenda anni et bimensis tempus prorogaretur.

*BIMENSTRŪUS, a, um, adj. bimestris. *Gloss. Cyrill.* Bimenstruus, *διμηνιαῖος. B. A.*

BĪMESTRIS, e, adj. *δίμηνος*, duos menses durans. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. *fin.* Consulatus bimestris. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 3. Triticum bimestre, *h. e.* quod intra duos menses seritur et metitur. ℙ Sextus casus et in *e*, et in *i* desinit. *Hor. Od.* 3, 17, 15. cras Genium mero Curabis, et porco bimestri. *Ov. Fast.* 6, 158. Extaque de porca bimestre tenet.

BĪMĒTER, tra, trum, adj. *δίμετρος*, duobus metris constans: vox hybrida, ex Latino *bis*, et Graeco

μέτρον conflata. *Dimeter* autem (quam V. suo loco) idem significans, tota Graeca est. *Sidon. ep.* 9, 15. Litterae bimetrae, *h. e.* in quibus duo genera carminum insunt, cujusmodi est ejusdem libri decima tertia.

BĪMŪLUS, a, um, adj. διετής, qui duos annos aetatis habet. Proprie de iis dicitur, teste *Valla Eleg.* 1, 5., quae post eam aetatem adhuc incrementum possunt accipere. Veluti puer proprie *bimulus* dicitur, bos aut canis non ita. *Catull.* 17, 12. Nec sapit pueri instar bimuli. Adde *Suet. Cal.* 8.

BĪMUS, a, um, adj. διετής, qui est duorum annorum. *Varr. R. R.* 2, 5. Taurum unum anniculum, alterum bimum. [**Ib.* 2, 1, 13. (vacca s. juvenca) a bima aut trima fructum ferre incipit. a bima dictum ut a puero, a pueritia.] *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. In castris Bruti una veterana legio, altera bima octo tironum. *Plin* 18, 24, 54. Semen optimum anniculum, bimum deterius, trimum pessimum, ultra sterile. [**Pall. R. R.* 3, 25. bimae plantae, i. e. quae per biennium durant.] *Id.* 17, 14, 24. Bimi surculi. *Id.* 35, 14, 49. Lateres aedificiis non nisi bimos probant. *Hor. Od.* 1, 19, 15. Bimum merum. *Mart.* 12, 32. Pensio bima. *Ov. Pont.* 4, 9, 63. Bimus honor. Al. leg. *binus* minus recte. *Id. Trist.* 3, 10, 16. Nix bima. [*Quae per biennium non soluta s. liquefacta est.] *Pomp. Dig.* 33, 2, 6. Aestimatio bima usufructus. [*i. e. aestimatio quae pro biennio fit.] *Ulp. ib.* 33, 1, 3. Legatum relictum bima die. V. DIES. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 3, 8. *fin.* Hortensium roges, ut si unquam mea causa quidquam aut sensit, aut fecit, de hac quoque sententia bima recedat, *h. e.* qua agitur de prorogando mihi imperio provinciae ad biennium.

BĪNĀRIUS, a, um, adj. duo continens. *Lampr. Alex. Sev.* 39. Formas binarias, ternarias, et quaternarias resolvi praecepit, *h. e.* typos nummorum, qui binis aureis valebant, aut ternis, aut quaternis.

*BĪNGIUM, i, oppidum ad Rhenum flumen, hodie *Bingen. Tac. H.* 4, 70. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut.* Hinc *Bingenses* milites, ad Bingium oppidum stationem tenentes. *Notit. Imper. B. A.*

BĪNI, ae, a, adj. δύο, δισσοί, σύνδυο, idem ac duo; et locum habet praecipue in distributionibus. *Cic. Verr.* 2, 2, 53. Describebat censores binos in singulas civitates. *Id. Agr.* 2, 31. Unicuique binos pedes assignare. *Id. Verr.* 2, 3, 70. *fin.* Fenerari binis centesimis. V. CENTESIMUS. *Id. Fam.* 7, 1. Venationes binae per dies quinque. *Caes. B. C.* 1, 25. Turres binorum tabulatorum. ℙ Extra distributionem significat duo, non separatim, sed simul sumpta. [*Hinc si quis binas uxores habuerit, is poena dignus; nam simul habuit; sed qui duas habuit, non item puniendus, quum alteram duxit, priore mortua.] *Cic. Or.* 3, 51. *fin.* Itaque illi veteres, cum circuitum, et quasi orbem verborum conficere non possent, terna, aut bina, aut nonnulli singula etiam verba dicebant, etc. *Id. Att.* 6, 1. *med.* Quibus de rebus propter casum navigandi, per binos tabellarios misi Romam litteras. *Pl. Pers.* 2, 5, 16. Boves bini hic sunt. [**Ein Paar Ochsen. Macr. Somn. Scip.* 1, 6. bis bini, qui sunt quatuor; bis bina bis, quae sunt octo.] Jungitur fere cum nominibus, quae singulari numero carent: item cum iis, quae numerum, aut mensuram significant: in plurali autem genitivo *binum* habet pro *binorum. Cic. Att.* 6, 1. *med.* Credo, te binas meas litteras accepisse, unas a Pindenisso, alteras a Laodicea. *Id. Phil.* 12, 11. Pompejus cum duce Marsorum inter bina castra collocutus est. *Id. Verr.* 2, 2, 52. *fin.* Inter binos ludos. *Id. Man.* 4. Binae hostium copiae. *Quint.* 6, 3. Bina millia passuum ambulare. [**Cic. N. D.* 2, 18. *in f.* Si bis bina quot essent, didicisset Epicurus, certe haec non diceret.] *Mart.* 12, 55. Quater bini nummi, *h. e.* octo. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 18, 16. Verutum pedum binûm. *Plin.* 31, 6, 31. Crassitudo binûm digitorum. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 88. Ad binûm millium numero sauciis utrinque factis. *Scrib. Comp.* 8. Salis, nitri, mellis, aceti, singulorum P. binûm. *Serv.* ad *A.* 8, 168. narrat *Ciceronem* per epistolam culpasse filium, quod dixisset *Direxi duas litteras* pro *binas:* contra *epistolas duas* dici non *binas*, quia *litterae* pro *epistola*, numeri tantum pluralis sunt. [*Cf. de usu distributivorum *Bremi* ad *Suet. Oth.* 10. *Herz.* ad *Sall. Cat.* 6, 7. ad *Caes. B. G.* 5, 53.] ℙ Nihilominus *bini* usurpatur universim pro *duo. Cic. Verr.* 2, 4, 14. Binos scyphos habebam: jubeo promi utrosque. [*In pedestri oratione valde equidem dubito *bini* simpliciter pro *duo* poni posse. *bini scyphi* sunt duo pocula, tam sibi similia, ut par efficiunt.] *Virg. A.* 1, 317. Bina manu lato crispans hastilia ferro. *Serv.* ad illud *A.* 1, 97. duplices tendens ad sidera palmas: *duplices* duas dicebant, ut hoc loco et *binos* duos; et *utrosque* pro utrumque. Rursus *Virg. G.* 1, 172. Binae aures. *Id. A.* 8, 168. Bina frena. *Lucr.* 1, 533. Secare aliquid in bina. ℙ Ponitur aliquando pro duplici. *Lucr.* 4, 550. uti videantur Omnia, quae tuimur, fieri tum bina tuendo, Bina lucernarum florentia lumina flammis. ℙ Et in singulari numero. *Lucr. ib.* Binaque per totas aedes geminare supellex. *Id.* 5, 877. Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo Esse queat duplici natura et corpore bino Ex alienigenis membris compacta potestas. ℙ Quod ex *Ov.* quidam huc addunt, *Pont.* 4, 9, 63. Inque domo binus conspicietur honor: *bimus* multo rectius alii plerique reponunt. ℙ In illo *Cic. Fam.* 9, 22. Cum loquimur terni, nihil flagitii dicimus: at cum bini, obscenum est, etc.; ambiguum est in voce *bini*, quae potest etiam esse imperativum *βίνει*, a *βινέω*, liberis operam do.

[BĪNIO, onis, m. δυάς, numerus binarius, et dicitur de duobus punctis, quae in jactu tesserarum exsistunt. *Isid. Orig.* 18, 65. Jactus quisque apud lusores veteres a numero vocabatur, ut unio, binio, trio, quatrio, quinio, senio. V. SENIO. *F. *Gloss. Philox.* Biniones, δηνάρια. *Lexic. S. Germ.* ap. *Turneb.* Biniones, δινούμμια καὶ δηνάρια. *B. A.*]

BĪNOCTĬUM, ii, n. duarum noctium tempus. *Tac. A.* 3, 71. Plusquam binoctium abesse. *Ammian.* 30, 1. Biduum et binoctium.

BĪNOMĪNIS, e, adj. m. et f. duo habens nomina, διώνυμος. *Ov. Pont.* 1, 8, 11. urbs ripae vicina binominis Istri, *h. e.* qui et *Danubius* dicitur. *Id. ib.* 417. fortuna binominis Iri, *h. e.* qui et *Arnaeus* est appellatus. *Id. Met.* 14, 609. sub Ascanii ditione binominis, *h. e.* qui et Iulus vocabatur. ℙ Rectus casus *binominis* probatur auctoritate *Serv.* ad *A.* 382., et analogia adj. *cognominis.*

BĪNOMĬUS, cui geminum est nomen, ut Numa Pompilius, Tullus Hostilius, *Festus.* ubi *Scal.* vult legi *binominis.*

BĪNUS, a, um. V. in BINI.

BIOCOLYTA, ae, m. βιοκωλύτης, officialis praepositus violentiis cohibendis: cujus mentio fit apud *Justin. Nov. const.* 145. Est autem Graeca vox a *βία*, vis, violentia, et *κωλύω*, prohibeo.

BĬON, genus quoddam vini celebratissimi apud Graecos, et ad plurimos valetudinum usus excogitati, quos recenset *Plin.* 23, 1, 26., ejus autem conficiendi rationem docet 14, 8, 10. Videtur ita appellatum a *βίος*, vita, quoniam valetudini tuendae utilissimum creditum est. A *Dioscor.* 5, 12. vocatur *οἶνος ὁμφακίτης*, quia fit ex uva paulo ante maturitatem decerpta, et sole acri siccata per triduum, quarto die expressa, dein in cadis sole inveterata. ℙ Sunt qui legant *Biaeon*, sunt qui *Abion*, sed contra omnes libros tum MSS. tum editos, *Harduino* teste.

BĬON, ōnis, m. *Βίων, ωνος*, patria Borysthenites, libertino patre ortus, professione philosophus et sophista, perditam et voluptariam vitam duxit, jocisque mordacibus non homines solum insectatus est, sed etiam Deos, de quibus impie sentiebat. V. plura apud *Laert.* 4., ubi novem alios *Biones* recenset.

BĬONĔUS, a, um, adj. *Βιώνειος*, ad Bionem pertinens. *Hor. Ep.* 2, 2, 60. hic delectatur iambis: Hic Bioneis sermonibus et sale nigro.

BIONIAS. V. BRYONIA.

BĬOTHANĀTUS, a, um, adj. βιοθάνατος, violenta morte occumbens: a *βία*, violentia, et *θάνατος*, mors. *Lampr. Elag.* 33. Praedictum eidem erat a sacerdotibus Syris, biothanatum se futurum. *Firmic. Math.* 3, 14. *fin.* Damnari, ac biothanatos interire. Adde 4, 1. ℙ Apud *Tertull. Anim.* 57. *Biaeothanatus* legitur eodem sensu, nempe a *βίαιος*, violentus: additque *Tertull.* esse proprium magicae artis vocabulum. Magi enim inter varias de hominum vita praedictiones *βιοθανασίαν* ponebant. ℙ *Biothanatum* perperam *Isid. Orig.* 10. interpretatur *bis mortuum:* putat enim conflatum esse a Latino *bis.* At editio *Arevali* habet *vi mortuum*, quod retinendum.

BIOTĬCUS, a, um, adj. *βιωτικός*, ad vitam pertinens [**practisch, im gemeinen Leben üblich.*]: Graeca vox, a *βίος*, vita. Hinc *bioticum metrum*, de quo ita *Diom. in. l.* 3. Metrum tripliciter auditur, nam aut *βιωτικὸν* est, aut *ποιητικόν*, aut commune. Bioticum metrum est, quod in usibus est conversationis humanae. Adde *Mar. Victor. Art. Gramm.* l. p. 2494. Eadem ratione *Serv.* bioticos epilogos *A.* 3. *fin.* vocat, in quibus *Virg.* posuit res in vita evenire solitas. ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 998, 3. Dis Manibus Cn. Turpilii Biotici. *F.*]

BĬPĀLĬUM, ii, n. instrumentum rusticum ferreum, palae instar latum, et ligneo oblongo manubrio praefixum, ad terram versandam et fodiendam. *Cato R. R.* 45. Locus bipalio subactus siet. *Id. ib.* 6. et *Plin.* 18, 26, 62. Terram bipalio vertere. [**Varr. R. R.* 1, 37. Ad quaedam bipalio vertenda terra plus aut minus.] *Liv.* 3, 26. Fossam fodiens bipalio innixus. *Colum.* 11, 3. *in.* Ubi copia est rigandi, satis erit non alto bipalio, id est minus quam duos pedes ferramento, novale converti. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 4. Solum apricum bidente pastinari debet ternos pedes bipalio alto. *Plin.* hoc loco non bipalii, sed ipsius bidentis ferramentum intelligit, fortasse quia bidentes aliquando ita fieri solent, ut ex una parte ferrum palae instar expansum habeant, ex altera in duos dentes seu cornua divisum. ℙ Bipalii simplicis figuram exhibet marmor apud *Fabrett.* 8. *n.* LX.

BĬPALMIS, e, adj. δικάλαιστος, duorum palmorum mensuram habens. *Varr. R. R.* 3, 7. Tabulae bipalmes. *Liv.* 42, 65. Spiculum bipalme.

[BĬPALMUS, a, um, adj. idem ac bipalmis. *Appul. Herb.* 7. Thyrsi bipalmi. *F.*]

BĬPARTĬO, is, ivi, itum, a. 4. in duas partes divido, διχοτομέω. *Colum.* 11, 2. Undecimo calendas Majas ver bipartitur. *Cic. Cat.* 2, 2. Atque ibi in proximis villis ita bipartiti fuerunt, ut Tiberis inter eos, et pons interesset. ℙ Legitur et *Bipertio.*

BĬPARTĬTO, adv. διμερῶς, δίχα, in duas partes. *Cic. Flacc.* 14. Classis bipartito distributa. *Caes. B. G.* 1, 25. Romani conversa signa bipartito intulerunt. *Ov. R. A.* 443. Secta bipartito cum mens discurrit utroque, *h. e.* diducta, et ad duo intenta. [**Cic. Inv.* 2, 29. id fit bipartito, i. e. duobus modis.] ℙ Legitur et *Bipertito.*

BĬPARTĪTUS, a, um, partic. a *bipartio*, διμερής, in duas partes divisus. *Varr. L. L.* 4, 3. Bipartita divisio. *Plin.* 5, 8, 8. Bipartiti Aethiopes. *Colum.* 11, 2. Sexto cal. Febr. Leonis quae est in pectore clara stella, occidit: nonnunquam significatur hiems bipartita. ℙ Legitur et *Bipertitus.*

BĬPĀTENS, entis, partic. ab inusit. *bipateo*, qui duabus partibus aperitur, vel qui habet duos aditus. *Virg. A.* 2, 330. portis alii bipatentibus adsunt. *Id. ib.* 10, 5. Considunt tectis bipatentibus. Ubi *Serv.:* Physice dixit: nam coelum patet ab ortu et occasu. Est autem sermo Ennianus, tractus ab ostiis, quae ab utraque parte aperiuntur: unde et modo *bipatentibus* apertis intelligimus, quod intrantibus et exeuntibus pateant.

BĬPĔDA, ae, f. lapis, vel later quadratus, aut oblongus, binum pedum mensura, quo pavimenta sterni solent. *Pallad.* 1, 19. Solum omne bipedis sternatur, vel minoribus laterculis, quos suffuso testaceo pavimento debemus imprimere. Et *ib.* 40. Aream bipedis sternere. Et *ib.* Bipedas constitues ferreis ancoris colligatas. *Id.* 6, 11. Antequam rudus siccetur, bipedas, quae per omnia latera canaliculos habeant digitales, jungemus, ita ut calce viva ex oleo temperata bipedarum canales, qui inter se connectendi sunt, impleantur, etc. Loquitur hic *Palladius* de pavimentis, quae sub dio fiunt: descripsit autem a *Vitr.* 1, 7., qui, quas *Palladius* bipedas, bipedales tegulas appellat. *Bipedae* vox legitur etiam inscriptione coctilis lateris apud *Fabrett.* p. 511. *n.* 159.

BĬPĔDĀLIS, le, adj. mensuram habens duorum pedum, διπόδης. *Caes. B. C.* 2, 10. Musculum ex materia bipedali facere instituerunt. *Id. B. G.* 4, 17. Bipedales trabes. *Colum.* 8, 3. *fin.* Bipedalis latitudo. *Hor. Sat.* 2, 3, 308. Modulus bipedalis. *Cato R. R.* 14. Clathri in fenestras bipedales. ℙ *Bipedale, is*, absolute usurpatum est later duorum pedum longus. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 500. *n.* 39. C. Aquilii Aprilis ex praediis Caesaris bipedale doliare.

BĬPĔDĀNĔUS et Bipedānus, a, um, adj. idem ac bipedalis. *Plin.* 17, 20, 32. Populus alba seritur bipedaneo pastinatu. *Colum.* 4, 1. Altitudo bipedanea. [**ib.* 11, 2. bipedanea latitudine.] Et *ib.* 30. Spatium bipedaneum. *Id.* 2, 2. Bipedana humus. Ita editum est ab *Ald.*, *Commel.*, *Gryph.*, atque etiam *Jenson.* A. 1472.

*BĬPĔDĬMŪI, orum, populi Galliae Aquitanicae. *Plin.* 4, 19. ubi in ed. *Hard.* est *Bipudimni*, errore forsan typographico. Quidam Codd. habent *Pimpedumni. B. A.*

BĬPENNĬFER, a, um, adj. bipennem ferens, πελεκυφόρος. *Ov. Met.* 8, 391. Bipennifer Arcas. *Id. ib.* 4, 22. bipenniferumque Lycurgum.

BĬPENNIS, ne, adj. δίστομος, δίθηκτος, utrinque aciem habens; a *bis* et *pinna*, quae rem etiam acuminatam significat, ut *Quint.* 1, 4. docet. Sic *Isid. Orig.* 19, 19. Bipennis dicitur, quod ex utraque parte habeat acutam aciem, quasi duas pennas. Pennum autem antiqui, acutum dicebant: unde et avium pennae, quia acutae. *Varr.* apud *Non.* 2, 82. Ferens ferream humero bipennem securim. *Virg. A.* 11, 135. ferro sonat icta bipenni Fraxinus. ℙ Absolute significat securim utrinque caedentem, δίστομος, ἀξίνη, πέλεκυς. *Hor. Od.* 4, 4, 57. Duris ut ilex tonsa bipennibus. *Virg. A.* 5, 307. caelatamque argento ferre bipennem. *Id. ib.* 2, 479. correpta dura bipenni Limina perrumpit. *Plin.* 8, 8, 8. Praecuta bipenni poplitem caedere. ℙ [*In accusativo legitur bipennem *Virg. A.* 5, 307. et bipennim, *Ov. Met.* 8, 766.] In ablativo *bipenne* pro *bipenni* habet *Tib.* 1, 7, 55., ubi pro novacula seu cultro usurpat. [*Bipenni est apud *Plin. loc. cit. Virg. A.* 2, 479.] ℙ Quia vero *pinna* alam quoque significat, hinc *bipennis* aliquando dicitur, qui binas utrinque alas habet, δίπτερος. *Plin.* 11, 28, 35. Nullum insectum, cui aculeus in alvo, bipenne est. *Varr.* apud *Non.* 2, 82. ut ciconiae, Quarum bipennes fulminis plumas vapos Perussit alte, *h. e.* utramque alam.

BĬPENSĬLIS, le, adj. *Varr.* ap. *Non.* 2, 237

Hic bipensiles forcipes, dentarpagae, *h. e.* quae cum duo manubria habeant, utraque suspendi possunt.

BĬPERTĬO, etc. V. BIPARTIO.

BĪPES, ĕdis, adj. *δίπους*, animal duos habens pedes. *Cic. Dom.* 19. Omnium non solum bipedum, sed etiam quadrupedum impurissimus, *h. e.* non solum hominum, sed etiam bestiarum. Hanc loquendi rationem leges etiam apud *Lampr. Alex. Sev.* 9. et *Appul. Met.* 4. [**Plin. Ep.* 1, 7. Regulus omnium bipedum nequissimus.] *Virg. G.* 4, 389. de Proteo: Et juncto bipedum curru metitur equorum. V. EQUUS. *Juven.* 9, 92. Bipes asellus. *Mart.* 12, 32. Bipes mensa. *Plin.* 10, 65, 85. Aegyptii mures bipedes ambulant. [**duobus pedibus incedunt.*] ℙ Ultimam corripuit *Auson. Id.* 11, 39. Qui bipes, et quadrupes foret, et tripes, omnia solus.

*BIPINNA, apud *Martialem* ex sententia *Turnebi*, vocatur pars ea, qua viri sunt, male crassa, quae duarum pennarum tubos, vel cannas duplicis pennae amplitudine, id est crassitudine non superet. Locus est *l.* 11. *epigr.* 73. Dranci Nata sui vocat bipinnam etc. Al. leg. *pipinnam* et a *pipillando* ducunt: alii *vepenem* et penem intelligunt parvum. Hoc apparet, esse deminutivum nomen rei nequam. Hactenus *Gesnerus*. Nonnullos codices habere *bipennem*, notavit *Domitius Calderinus*. *B. A.*

*BIPLEX, icis, adj. *Gloss. Gr. Lat.* *διπλοῦς*, biplex, duplex. *B. A.*

BĬPRORA Navis dicitur, quae duas habet proras, *δίπρωρον πλοῖον*. *Plin.* 6, 22, 24. memorat naves utrinque proram habentes, quarum usus in angustis fretis, et canalibus, ut si revertendum sit, utrinque possint procedere. *Hyg. fab.* 168. Tum primum dicitur Minerva navem fecisse biproram, in qua Danae profugeret. Adde *fab.* 277. *fin.*

BĪRĒMIS, e, adj. *διήρης, δίκροτον πλοῖον*, duos remos habens, vel duos remorum ordines. Priori modo intelligendum est illud *Hor. Od.* 3, 29, 62. Tunc me biremis praesidio scaphae etc. Neque enim scapha duplicem remorum ordinem capere potest. Item illud *Liv.* 24, 40. Lembis biremibus centum viginti flumine adverso subvectus. Et *Lucani* (ut monet *Scheffer. De mil. nav.* 2, 2.) 8, 562. non longa vecta biremi Appulerat scelerata manus. Hanc enim eandem mox 565. *parvam ratem* appellat, Et *ib.* 611. *alnum:* quin *Plut. in Pomp. ἀλιάδα*, hoc est scapham, cymbam, lembum fuisse narrat. Adde 10, 56., ubi quam *parvam biremem* vocat, *Plut. in Caes. ἀκάτιον μικρὸν* nominat, quod est navigiolum, magnitudine lembum, aut etiam scapham non excedens. ℙ Ceterum saepius significat navem majorem, duobus remorum ordinibus instructam, mari trajiciendo, itemque agendis bellis idoneam, quam Erythraeos primum invenisse, *Plin.* 7, 56, 57. scribit. *Caes. B. C.* 3, 40. Quatuor biremes, subjectis scutulis, impulsas vectibus transduxit. *Tac. H.* 5, 23. Complet quod biremium, quaeque simplici ordine agebantur. In loco *Livii* supra allato pro *lembis biremibus* legunt alii *levibus biremibus*. Et *Bayfius ex Appiano* docet, biremes leves easdem esse ac Liburnicas. V. DECEMREMIS.

*BIRICIANA, oppidum in Vindelicia. *Tab. Peut. B. A.*

BĪRŎTUS, a, um, adj. *δίτροχος*, duas habens rotas. *Non.* 2, 139. Cisium vehiculi biroti genus. ℙ *Birota, ae*, f. absolute (subaudi *rheda*, aut aliquid simile) *Imp. Constantius Cod. Theod.* 8, 5, 8. Rhedae mille pondo tantummodo superponi, birotae ducenta, veredo triginta: non enim ampliora onera perpeti videntur. Octo mulae jungantur ad rhedam, aestivo videlicet tempore, hiemali decem: birotis trinas sufficere judicavimus. ℙ In genit. plurali *birotum* pro *birotarum*. *Id. ib.* 9. Nec passim rhedarum tractorias, vel evectiones birotum faciat. [**ib.* 6, 29, 2. aut rhedam usurpet, cui birotum vel veredum postulare permissum est.] ℙ [In *Not. Tir.* p. 181. est *birodium* neutrius gen., pro quo fortasse scribendum *birotum*. *F.*]

BIRRUS, ri, m. genus vestis, vel lacernae simile, vel idem omnino ac lacerna, quod aliis vestibus superinjicitur, et pro toga gestatur: a Graeco *πυῤῥός*, rufus, quia fere isto colore fuit: in quo differt a lacerna, quae certum colorem non habuit. Quemadmodum autem lacernae materia aliae aliis pretiosiores fuerunt, ita birri, alii nempe lanei, alii serici. Celebres fuere *Atrebatici*, qui ab Atrebatibus conficiebantur, et *Canusini* ex Canusina lana, quorum meminit *Vopisc. Carin.* 20., ubi multa adnotavit *Salm.* V. Etiam *Ferrar. De re vest.* Hujus vestis mentio est etiam in *Edict. Diocl.* p. 20. Pro birro qualitatis primae . . . pro birro qualitatis secundae ✠ quinquaginta. [**De birro*, nobis *Regenmantel*, vid. *N. Loens. Miscell. Epiphyll. l.* 6. *c.* 5. *Rosweyd. Onom. ad vitas patr.* p. 1017., omnino *Burm.* ad *Anth. Lat. Tom.* II. p. 408. Inde descendit *reburrus*, *h. e.* crispus. *Jahn.*] ℙ Haec vox per se adject. est, quemadmodum et Graecum *πυῤῥός:* quare *lacernum birrum*, quod ex actis S. Cypriani affert *Salm. l. c.*, significat lacernam rufam. *Lacernum* autem pro *lacernam*, cadente latinitate, aliquando dictum est. *August.* quoque *in Serm.* 1. *de vita et mor. Cleric.*, *qui est* 49. *De divers.*, *birrum* absolute neutro gen. dixit. ℙ Scribitur et *byrrhus*, quod est Graecis litteris inhaerere: item *burrus* Graeco *υ* in *u* Latinum converso.

BIS, adv. *δίς*, duabus vicibus: ab antiquo *duis*, ut *Cic. Or.* 45. docet. *Id. Fam.* 9, 16. De quo mihi scripseras bis eodem exemplo. *Id. Phil.* 8, 4. Bis falleris, *h. e.* duplici ratione falleris. Sic *Mart.* 3, 6. Dies bis celebranda. *Id.* 6, 27. Bis vicinus, *h. e.* duplici modo vicinus. Rursus *Cic. Verr.* 2, 5, 23. In una civitate bis improbus fuisti. *Id. Q. Fr.* 3, 8. Ludos apparat magnificentissimos: stulte bis terque non postulatus. *Mart.* 9, 40, 6. Contigit hunc illi quod bis amare diem. *Ter. Hec.* 3, 2, 8. Bis stulte facere. *Pl. Truc.* 1, 1, 26. Bis periit amator, ab re, atque animo simul. *Cels.* 1, 1. et 8. et 3, 27. *n.* 2. et *Virg. Ecl.* 3, 34. Bis die. *δὶς τῆς ἡμέρας*. Sic *Plin.* 2, 73, 75. Bis anno. *Varr. R. R.* 2, 11. Quidam oves hirtas in anno bis tondent. *Cic. Tusc.* 5, 35., *Liv.* 44, 16. et *Cels.* 7, 4. *n.* 4. bis in die. (Sic *ter in anno*, apud *Cic. Rosc. Am.* 46.) *Pl. Amph.* 3, 2, 62. Bis tanto amici sunt inter se, quam prius. Eadem ratione *Men.* 4, 3, 6. et *Merc.* 2, 2, 26. locutus est. Sic *Virg. A.* 6, 578. Tartarus ipse Bis patet in praeceps tantum, tenditque sub umbras, Quantus ad aetherium coeli suspectus Olympum. *Varr. R. R.* 3, 2. Bis tantum reddit ea pars villae, quam tuus fundus. *Gell.* 12, 6. Bis minus. ℙ Cum nominibus numeralibus. *Cic. N. D.* 2, 18. *fin.* Si, bis bina quot essent, didicisset Epicurus, *h. e.* quatuor. [**Nos diceremus: wenn Ep. das Einmaleins gelernt hätte.*] *Hor. Epod.* 4, 8. Cum bis ter ulnarum toga, *h. e.* sex ulnarum. Al. leg. *bis trium*. *Id. Ep.* 2, 1, 24. Bis quinque viri, *h. e.* decemviri. *Virg. Ecl.* 2, 44. Bis seni dies. *Liv.* 38, 55. et *Hirt. B. Afr.* 90. Bis millies. [**sc. sestertium*. V. *Drak.* ad *Liv.* 38, 45.] *Mart.* 4, 37. Trecenta debet Titius, hoc bis Albinus, [**i. e. alterum tantum debet Albinus. — Nota bis non jungi numeris cardinalibus apud pedestres scriptores. In aliquot *Livii* editt. olim vulgabatur bis mille pro: duo millia. 33, 4, 5. et bis centum pro: ducenti. 22, 52, 4. Nunc utrobique altera scriptura a *Drak.*, quem consule, restituta.] ℙ *Bis*, et *iterum* in eo differunt, quod *bis* utramque simul rem complectitur: *iterum* secundam respicit. *Cic. Dom.* 52. Audierat, se a me bis salutem accepisse, separatim semel, iterum cum universis. ℙ Itaque *bis consul* est, qui duos consulatus gessit; quia *bis* refertur ad numerum, at *iterum consul* est, qui secundum consulatum gerit; quia *iterum* refertur ad tempus. *Cic. Acad.* 4, 5. C. Flaminius, qui legem agrariam tribunus plebis tulerit, et postea bis consul factus sit. [**V. *Drak.* ad *Liv.* 23, 30, 18.] *Id. Amic.* 11. Bis una consules. *Suet. Ner.* 35. Messalina Tauri bis consulis abneptis. *Cic. Div.* 1, 35. Bello Punico secundo, nonne C. Flaminius consul iterum neglexit signa rerum futurarum magna cum clade reipublicae? *Val. Max.* uno loco utramque notionem complexus est, 4, 1. *n.* 3. Marcius Rutilus Censorinus iterum censor creatus, ad concionem populum vocatum quam potuit gravissima oratione corripuit, quod eam potestatem bis sibi detulisset. ℙ *Bis* pro *iterum* ponitur in illo *Mart.* 10, 48. De Nomentana vinum sine face lagena, Quae bis Frontino consule prima fuit. [**Usus rarior, inprimis apud prosaicos scriptores. Posteriores quidem eo non plane abstinuerunt. *Coll. Leg. Mos. et Rom.* 1. §. 11. Prid. Kal. Febr. Lacto bis consule.] ℙ Bis cincta mulier est, quae duplici zona utitur, una nempe ad mammas, alia ad ventrem. *Auson. epigr.* 39, 4. Nec bis cincta Diana placet, nec nuda Cythere. Hinc *Claud. Rapt. Pros.* 2, 33. Crispatur gemino vestis Gortynia cinctu. ℙ *Bis ad eundem* (supple *lapidem offendere*) proverb. apud *Cic. Fam.* 10, 20. de iis, qui in eadem re bis errant. ℙ *Bis pueri senes*, *δὶς παῖδες οἱ γέροντες* unum est ex illis proverbialibus dictis, quibus *Varro* Satyras suas inscripsit: et dicitur de iis, qui etiam provecta aetate puerilia consectantur, vel de senibus puerorum more desipiscentibus.

BĪSACCĬUM, ii, n. duplex saccus, seu mantica. *Petr. Sat.* 31. In promulsidari asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras.

BĪSĂCŪTUS, a, um, adj. utrinque acutus, ut bisacutus gladius, *August. Confess.* 12, 14. ℙ Scribitur et *bis acutus*.

BĪSALTAE, arum, m. plur. *Βισάλται*, populi Macedoniae, Thraciam versus, juxta Strymonem fluvium circa Amphipolim, et Philippos, ubi Bisaltes fluvius, et Bisaltia regio, a Bisalte Solis, et Terrae filio denominati. *Plin.* 4, 10, 17., *Liv.* 45, 29. Quare errasse videtur *Serv.*, qui ad illud *Virg. G.* 3, 461. Bisaltae quo more solent, acerque Gelonus: vult esse Scythiae populos, qui sanguine equino lacte permixto victitent.

BĪSALTĬA et Bisaltĭca, ae, f. *Βισαλτία*, regio Thraciae ad Strymonem fluvium, ita dicta a Bisalte Solis, et Terrae filio, aut a Bisalte vicino fluvio. *Liv.* 45, 29. Bisalticam, *Gell.* 16, 15. Bisaltiam vocat.

BĪSALTĬS, ĭdis, f. filia Bisaltis, cui nomen Theophane, quam in ovem commutatam Neptunus in arietem conversus compressit. *Ov. Met.* 6, 117. aries Bisaltida fallis. *Bisaltida* est accusativus Graecae positionis. *Hyg. fab.* 188. Theophane Bisaltidis (*lege* Bisaltis) filia, quacum Neptunus aries factus concubuit, ex quo natus est aries chrysomallus, qui Colchos Phryxum vexit.

*BISANTHE, es, *Βισάνθη*, Thraciae oppidum, ad Propontidem. *Plin.* 4, 11. In *Melae* 2, 2. *med.* ed. *Gronov.* et *Nep. Alc.* 7. plerisque edd. *Bysanthe* impressum, minus recte. *Ptol.* et *Procop.* *Ῥαιδεστὸν* vocat. *B. A.*

BĪSELLĬĀRĬUS, ii, m. qui honorem bisellii est consecutus. *Inscr.* ap. *Grut.* 1099, 2. Cn. Plaetorio VI. Viro Augustali biselliario honorato ornamentis decurionalibus populus Abellinus etc. Adde aliam *ib.* 1103, 6.

[BĪSELLĬĀTUS, us, m. dignitas eius, qui honorem bisellii est consecutus. *Inscr.* apud *Murat.* 484, 3. M. Senlio (*lege* Sentio) Crispino C. V. omnibus honoribus in R. P. functo ordo et universus populus ob merita et labores ejus honorem biselliatus et ornamenta decurionatus gratuita obtulerunt. *F.*]

BĪSELLĬUM, i, n. *δίφρος*, [sella plicatilis, latior, et duorum capax, quamvis unus tantum in ea sedeat. Accipitur pro sella splendida atque honesta, et honoris causa praeclaris viris concedi solita, atque Augustalium in municipiis et coloniis propria, ut publice in ea sederent, in ludis, in theatro, in foro, in curia, ea ratione, qua Romanis magistratibus sella curulis, cui simillima erat. *F.*] *Varr. L. L.* 4, 28. Ab sedendo appellantur sedes, sedile, sella, deinde ab his subsellium. Ut subsipere, quod non plane sapit, sic quod non plane erat sella, subsellium dictum; ubi in ejusmodi duo bisellium dictum. Hactenus *Varro*. [Ejus forma et mensura conspicitur in marmoreo cenotaphio Pompejis in suburbio inter reliqua sepulcralia monumenta an. 1812. reperto, lato pedes Parisiacos tres, alto unum cum parvo suppedaneo, sine anconibus, et reclinatorio. Id affabre delineatum exhibuit *F. Mazois* in opere, cui titulus: *Les ruines de Pompéi.* 1, 24. In parte superiore haec legitur *Inscr.:* C. Calventio Quieto, Augustali: huic ob munificent. decurionum decreto, et populi consensu (*ἀοχαϊκῶς pro* consensu) bisellii honor datus est. *F.* *Adde, qui etiam de h. v. egit, *Millin, Descr. des tombeaux*, p. 76.] Alia (quae pertinet ad an. a Chr. n. 26.) apud *Fabrett. c.* 3. *n.* 324. Centumviri municipii Augusti Vejentis Romae in aedem Veneris Genetricis cum convenissent, placuit universis, permitti C. Julio Divi Augusti *Liberto* Geloti honorem justissimum decerni, ut Augustalium numero habeatur, aeque ac si eo honore usus sit, liceatque ei omnibus spectaculis municipio nostro bisellio proprio inter Augustales considere etc. Alia apud *Grut.* 475, 3. C. Titio Chresimo Aug*ustali* II., huic ordo decurionum honorem bisellii, et Titio Chresimo filio ejus ob merita patris honorem decurionatus gratuitum decrevit. Adde aliam apud *Fabrett. c.* 3. *n.* 604. Q. Largennius Chresimus ob honorem bisellii HS. L. N. Rei P. Pisanor. dedit. Quia vero hae inscriptiones ad Augustales tantum pertinent, putat *Fabrettus*, non absurde conjici posse, honorem bisellii fuisse proprium Augustalitatis, non quod omnibus Augustalibus communiter daretur, sed iis, qui in eadem Augustalitate honoratiores et digniores essent.

BĪSĒTA, porca dicitur, cujus a cervice setae bifariam dividuntur, cum jam esse incipit major sex mensium. *Festus.*

[BĪSEXTĬĀLIS, le, adj. qui duos sextarios continet. *Marc. Empir.* 15. Manipulum tenerum urticae unipetiae in ollam rudem bisextialem cum aqua mittes. ℙ Sunt qui scribant *bissextialem*. *F.*]

[BĪSEXTĬUM, ii, n. duplex sextarius. *Not. Tir.* p. 147. *F.*]

*BISGARGITĀNI et Biscargitani, orum, incolae Bisgargidis vel Biscargidis, Hispaniae Tarraconensis oppidi. Fuit autem Biscargis, *Βισκαργίς*, in agro Ilercaonensi, ad Iberum flumen. *Plin.* 3, 3. *B. A.*

[BĪSĬUS, a, um, adj. cinereus. Confer *Ducangii Glossar.* in V. *Bisus*. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 332, 7. Flavius Bisius. Alia apud *Eund.* 438, 7. Minicia L. F. Bisia. *F.*]

[BĪSŎLIS, le, adj. binas soleas habens. *Edict. Diocl.* p. 20. Gallicae virilis rusticanae bisolis par ✠ octoginta, Gallicae virilis monosolis par ✠ quinquaginta. *F.*]

BĪSŌMUS locus, et Bīsōmum, Trisomus, Quadrisomus, aut Tetrasomus, sepulcrum duo, tria, quatuor corpora continens: vel in duas, tres, quatuor partes, seu membra divisum: a *bis* etc. et *σῶμα*, corpus. Voces sunt partim hybridae, *h. e.* ex Latino et Graeco conflatae; et omnes parum Latinae: quae leguntur apud *Reines.* in quibusdam Christianis, et sequioris aevi lapidib. *cl.* 2. *n.* 40.

43. 116. et 437. Sic vas disomum apud *De Vita, Antiquit. Benevent. cl.* 9. *n.* 2.

BISON, ontis, m. et f. [*Oppian. Cyn.* 2, 155. auctor est *bisones* nomen traxisse a Thracia *Bistonide*, quae eorum patria sit.] βίσων, bos ferus, cervi figura, cujus a media fronte inter aures unum cornu exsistit excelsius, magisque directum his, quae nobis nota sunt, cornibus; ab ejus summo rami quam late diffunduntur. Eadem est feminae marisque natura; eadem forma, magnitudoque cornuum. Ita tacito tamen nomine *Caes. B. G.* 6, 26. describit. *Plin.* inter alia ferorum boum genera, quae in silvis Germanorum nascuntur, recenset *bisontes jubatos*, 8, 16, 15. Et *Sen. Hipp.* 63. *villosos* appellat. *Solin.* 20. setosa illis colla tribuit et horridas jubas. *Mart. Spect.* 23. Illi cessit atrox bubalus atque bison. ℙ Est quibusdam cervus tarandus *Linn.*, idemque ac rheno apud *Caes. B. G.* 6, 21. V. RHENO. Ceterum recentiores Historiae naturalis scriptores in ea sunt sententia, ut *bison*, Italice *bisonte*, [*nobis *Auerochse*, *Buckelochse*] sit animal e boum genere, et a *Plinio* 8, 15, 16. *Aristot. H. N.* 9, 41. secuto *bonasus* appellatus fuerit.

BISONUS, a, um, adj. duplicem habens sonum. *Serv.* illud *Virg. A.* 9, 618. *biforem dat tibia cantum*, exponit *bisonum*, *imparem*.

*BISONTII, orum, i. q. Vesontio. *Ammian.* 15, 11. (*al.* 27.) V. *Vesontio. B. A.*

BISPELLIO, onis, m. versutus, versipellis, fraudulentus, quasi duas habens pelles, πολύτροπος. *Marc. Dig.* 47, 3, 72. Num et si bispellionem, aut alias turpem dederit hominem, idem sit. ℙ Dicitur et *vispellio*. Facile enim *b* in *v* mutatur, ut dictum est initio hujus litterae. *Maetian. Dig.* 36, 1, 7. Sed et salutis et dignitatis ratio habenda erit. Quid enim si morbo implicitus Alexandriam jussus sit adire, vel nomen vispellionis testatoris ferre? *Ulp. ib.* 21, 2, 31. Si ita quis stipulanti spondeat sanum esse, furem non esse, vispellionem non esse etc. Ita tribus hisce locis legitur in *ed. Torrent.*: Atque *Haloander* ubique edidit *vespillo*: nisi quod postremo loco monet ab aliis legi *versipellem*. Mallet *Hotomanus* ubique reponi *bipellio*: *vespillonem* autem ideo rejiciendum putat, quia vespillones liberos homines fuisse constat, in allatis autem exemplis de servis sermo est. ℙ In *vet. Glossar. bispelliones* exponuntur vespillones, a binis palliis, quia lugubres vestes suis superinducebant, cum ad efferenda cadavera admovebantur.

BISSENI, ae, a, adj. bis seni. *Auson. Monosyll. Idyll.* 12. Bissenas partes quis continet aequipares? as. *Prud. Cath.* 12, 192. Bissena fratrum semina. ℙ In singulari numero *Stat. Th.* 3, 574. Bisseno premit ora die. ℙ Frequentius divisim scribitur *bis seni*.

BISSEXTIALIS, le. V. BISEXTIALIS.

BISSEXTUS et Bisextus, a, um, adj. dies intercalaris, qui quarto quoque anno mense Februario inseritur post diem vigesimum quartum, ἐμβόλιμος ἡμέρα: a *bis*, et *sextus*, quia bis, hoc est duobus diebus continuis, nempe 24. et 25., *sexto calendas Martii* dicimus, duos dies pro uno computantes. *Ulp. Dig.* 4, 4, 3. Proinde etsi bissexto natus est (sive priore, sive posteriore die) Celsus scribit nihil referre: nam id biduum pro uno die habetur, et posterior dies Calendarum intercalatur. Adde *Celsum Dig.* 50, 16, 98. [*Adde *Ammian.* 25. p. 334. *Macr. Sat.* 1, 14. *Isid.* 6, 17. *Dig.* 4, 4, 3. §. 3. *August. de trinit.* 4. quos affert *Lindenbr.* ad *Censor. l. d.*] ℙ Neutro genere usurpant *Censor. de die nat.* 20. Dies unus intercalatur, quod bissestum vocatur. Et *Ammian.* 26, 1. Bissextum vitans Februarii mensis tunc illucescens. ℙ *Bissextus annus* est, in quo dies ille intercalaris inseritur. *August. ep. ad Januar.* 119, 7. Non plantem hoc anno vineam, quia bissextus est. V. *Macr. Sat.* 1, 14. ℙ *Bissextus honos* est consulatus, in quo bis sex lictores cum fascibus praeferuntur. *Stat. Silv.* 4, 1, 9. ℙ *Bisextus* unico *s* scribendum docet *Heusing.* in *Observ. antibarb.*, ideoque primam syllabam corripiendam, ut in *Biseta*, *Bisellium*, *Bisulcus*.

BISTONES, um, m. plur. Βίστονες, iidem qui Thraces, populi bellicosissimi ac feri: ita dicti a Bistone, Martis et Callirrhoes filio, qui in iis regionibus urbem condidit. Regnavit ibidem Diomedes, qui equis suis hospites devorandos dabat: quem Hercules occidit. *Lucan.* 7, 568. Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum, Bistonas aut Mavors agitans. *Sil.* 2, 76. lunatis Bistones armis. Adde *Val. Fl.* 3, 83. ℙ Sunt tamen inter Thraces, qui peculiari nomine Bistones appellantur: de quibus *Plin.* 4, 11, 18. [*Hoc igitur priore loco ponendum erat; poetae gentis nomen ad totum populum transtulerunt.]

BISTONIA, ae, f. V. BISTONIUS.

BISTONIS, idis, f. adj. ad Bistones, seu ad Thraciam pertinens. *Hor. Od.* 2, 19, 20. Bistonidum crines, *h. e.* mulierum Thracum. *Ov. Her.* 16, 344. Bistonis ora, *h. e.* Thracia. *Sen. Agam.* 673. Bistonis ales, *h. e.* Procne Terei regis Thraciae filia in lusciniam, vel hirundinem versa. ℙ Paenultimam produxit *Virg. Cir.* 165. Saeva velut gelidis Ciconum Bistonis in oris. Al. legebant *Sithonum Bistonis oris*. Rectius cum *Scalig.* legas *Edonum Bistonis oris*.

BISTONIUS, a, um, adj. ad Bistones seu Thraces pertinens. *Ov. Met.* 13, 429. Phrygiae contraria tellus Bistoniis habitata viris. *Id. Pont.* 1, 3, 59. Bistoniae sarissae. *Id. Ib.* 379. Bistonia Minerva, *h. e.* quae praeest Thracibus, bellicosis populis: vel cujus simulacrum ex Thracia asportatum a Spartanis exstructo templo cultum fuit. *Lucan.* 2, 163. Bistonii tyranni stabula, *h. e.* Diomedis Thraciae regis. *Id.* 3, 200. Bistoniae aves, *h. e.* grues. *Id.* 4, 767. Bistonius turbo, *h. e.* aquilo vehementius flans. *Claud. Rapt. Pros. praef.* 2, 8. Bistonia chelys, *h. e.* lyra Orphei, qui Thracius fuit. *Stat. Th.* 2, 586. Bistonius ensis Tydei, *h. e.* in Thracia elaboratus: vel quia munus Oenei Martis filii. ℙ *Bistonia*, *ae*, absolute est Bistonum regio, seu Thracia. *Val. Fl.* 3, 159. qui dulci festis assistere mensis Pectine, Bistoniae magnum post ausus alumnum, *h. e.* Orpheum.

*BISTRUTICIUS equus. *Veg. R. R.* 1, 25. ubi alii legunt dysentericus, sideratus.

*BISULA, ae, i. q. Visula. *Ammian.* 22, 18. *B. A.*

BISULCILINGUA, ae, m. linguam habens bisulcam, et translate qui duplici lingua loquitur, fraudulentus. *Pl. Poen.* 5, 2, 72. Hercle esse te oportet et sycophantam et subdolum, qui huc advenisti nos captatum, migdilybs, bisulcilingua, quasi proserpens bestia.

BISULCUS, a, um, adj. δίχηλος, bifidus, in duas partes divisus, quasi duplicem habens sulcum. *Ov. Met.* 7, 113. Pulvereumque solum pede pulsavere bisulco. *Id. ib.* 9, 65. Lingua bisulca. *Plin.* 9, 29, 46. cauda. *Id.* 8, 21, 30. ungula. *Id.* 11, 28, 34. Cornua bisulcis dentata forcipibus. [*Et *Plin.* 11, 45, 105. est enim bisulcus pes imus.] ℙ *Bisulca* dicuntur bruta animalia, quae bifidas habent pedum ungulas, quibus opponuntur *solidipedes*. *Plin.* 11, 37, 85. Cornigera sevo pinguescunt, bisulca adipe. *Id.* 10, 65, 84. Contra naturam solidipedum aut bisulcorum. [*Etiam singulari numero. *Id.* 11, 46, 106. unicorne et bisulcum oryx.] *Solin.* 31. Animal bisulco vestigio. [*Pertinet ad locos ab in. allatos.] ℙ Reperitur etiam *bisulcis*, *ce. Pacuv.* apud *Non.* 10, 12. Linguae bisulcis actu crispo fulgere. Al. rectius leg. *Linguae bisulcae jactu crispo fulgere*.

BISULTOR, oris, m. Martis cognomen, a bis ulciscendo. Augustus enim, cum Brutum et Cassium vicisset ac signa a Parthis recepisset, Marti templum dedicavit, quem *Bisultorem* cognominavit, quod primum C. Caesaris, deinde Crassorum M. patris, et P. filii necem ultus esset. *Ov. Fast.* 5, 595. Rite Deo templumque datum, nomenque Bisultor. Al. leg. *bis ultum*. Ex meliorib. lib. *bis ulto* reposuit *Heinsius*. Hanc *Heinsii* conjecturam confirmat *Fogginius* ad *Verr. Flacc. Fast.* p. 119.

BISYLLABUS, a, um, adj. δισύλλαβος, duas habens syllabas. *Varr. L. L.* 8, 52. Sic socer, macer, quod in transitu fiat ab altero trisyllabum soceri, ab altero bisyllabum macri.

*BITHYA, ae, urbs Thraciae, quae et Βυθιόλας, memoratur a *Vopisc.* in *Aurel.* 22. *B. A.*

*BITHYAE, arum, f. feminae Scythicae, quae pupillas binas in oculis singulis habent. Inest autem illis ea vis naturalis, ut visu effascinent, interimantque quos diutius intueantur. Haec *Plin.* 7, 2. *Solin.* 1. si lectio certa. Nam scripta exemplaria habent *Vitiae*. Unus codex *Bitiae* praebet; unde legendum *Salm.* conjicit *Bituae*, *h. e.* δίχοροι, [*V. infra.] a *bis* sc. *tuendo*. Cf. *Ov. Amor.* 1, 8, 13. (*de saga*), *Gell.* 9, 4. *B. A.*

BITHYMUM Mel dicitur, quod ex utriusque thymi candidi et nigri floribus apes conficiunt. *Plin.* 11, 16, 15. Album mel non fit, quod bithymum est, sed oculis et ulceribus aptissimum existimatur. *Hard.*, quod in suis libris haec verba non exstarent, spuria et suppositia esse judicavit, et in sua editione omisit.

BITHYNIA, ae, f. Βιθυνία, regio Asiae, Ponto finitima ad mare Euxinum, adversa Thraciae, et proxima Troadi ad Propontidem. Primum Bebrycia dicta est, postea Mygdonia, denique Bithynia a Bithyno rege, vel a Thynis populis Thraciae, qui in eam regionem transierunt. Appellata etiam est Thracia Asiatica, Maliande, Cronia, Strymonis, Thessalis, ut est apud *Plin.* 5, 32, 44. ℙ Thracum sua terra egressorum sedes quondam fuit. *Claud. in Eutrop.* 2, 247. Thyni Thraces erant, quae nunc Bithynia fertur.

*BITHYNIARCHIA, ae, f. sacerdotium Bithyniae provinciae. V. in *Cappadocarchia. B. A.*

BITHYNICUS, a, um, adj. ad Bithyniam pertinens. *Cic. Fam.* 13, 9. Bithynica societas. *Plin. ep.* 10, 115. Bithynicae civitates. *Flor.* 3, 5. Nicomedes Bithynicus. Adde *Juven.* 15, 1. Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens etc. ℙ Bithynicus cognominatus est A. Pompejus ob devictam Bithyniam. *Festus* in *Rutrum*.

*BITHYNION, i, Βιθύνιον, Bithyniae oppidum. *Plin.* 5, 32. *Claudiopolis* est *Anton. Itin.* adstipulante *Ptol. B. A.*

BITHYNIS, idis, f. adj. Βιθυνίς, quae est ex Bithynia. *Ov. Am.* 3, 6, 25. Inachus in Melie Bithynide pallidus isse Dicitur etc., *h. e.* Melie matre Amyci regis Bithyniae.

BITHYNIUS, a, um, adj. Bithynicus. *Colum.* 1, 1. Diophanes Bithynius. ℙ *Bithynii*, *orum*, Bithyniae populi. *Plin.* 7, 16, 14. Prusiae regis Bithyniorum filius.

BITHYNUS, a, um, adj. Bithynicus. *Hor. Ep.* 1, 6, 33. Ne Cybiratica, ne Bithyna negotia perdas. *Tac. A.* 2, 60. Bithynum mare. *Juven.* 7, 15. Bithyni equites. *Id.* 10, 162. Bithynus tyrannus. Hoc postremo loco primam syllabam *Juven.* produxit, ut et ceteri omnes poetae, sed priore praeter consuetudinem corripuit. [*Non desunt tamen exempla apud Graecos quoque poetas, in quibus eadem correptio est. V. *Fr. Jacobs.* ad *Anthol. Palat.* Tom. III. p. 429. Ceterum in editt. Italicis Forcell. in quattuor his adject. Bithynicus, Bithynis, Bithynius, Bithynus male signum correptae syllabae supra i positum erat, quod monemus quoniam idem error in alia quoque lexica, ut *Schelleri*, transiit.] ℙ Bithynus caseus laudatur a *Plin.* 11, 42, 97. ℙ *Bithyni*, *orum*, Bithyniae populi. *Tac. A.* 12, 22. et *Plin.* 5, 32, 43.

BITIENTES *Festus* interpretatur eos, qui assidue peregrinantur. V. BETO.

BITO, is. V. BETO.

*BITON, onis, *Bίτων*, Cleobis frater, Argivus, de quorum pietate in Argiam sacerdotem parentem suam V. *Cic. Tusc.* 1, 47. collatis *Herod.* 1, 31. *Pausan.* in *Corinth.* ℙ V. et *Cleobis. B. A.*

*BITORTILUS, a, um, a *bis* et *tortus*, *Appuleii* est *Apol. ante med.* p. 294, 13. Alii aliter legunt. *B. A.*

BITUAE dictae sunt feminae in Scythia, δίχοροι, hoc est singulis in oculis binas pupillas habentes: a *bis* et *tueor*. Legit hanc vocem *Salm.* 3. *exerc. Plin.* in *Solini* 1. et in *Plin.* 7, 2, 2., sed utroque loco alii aliter.

BITUMEN, inis, n. ἄσφαλτος, limus pinguis et sulphureus, lentus tamen ac tenax, qualis in Asphaltide lacu Judaeae, et qui oleacei liquoris specie gignitur in Agragantino fonte Siciliae. Bitumine abundans est supra ceteras Assyriae, et Chaldaeorum regio; adeo ut etiam e terra emergat pluribus locis: quod crebris fulminibus in ea loca incidentibus tribuendum putat *Serv.* ad illud *Virg. Ecl.* 8, 82. et fragiles incende bitumine lauros. (Nam *bitumen* hoc loco interpretatur divinum ignem, qualis est fulminum, quae ab Jove immittuntur.) Unde Semiramis Babylonis muros bitumine pro arena et calce struxisse dicitur, ut est apud *Justin.* 1, 2. et *Vitr.* 8, 5. *fin.* De variis bituminum generibus, deque eorum usu in medicina multa disserit *Plin.* 35, 15, 51. et speciatim de bitumine lacus Judaeae, *Tac. H.* 5, 7. [*Bitumen Apollonium commemoratur apud *Veg. R. R.* 4, 14. Bitumen Judaicum apud *Veg.* 1, 20. 2, 56. 3, 84. ejus pulvis *ib.* 2, 57.] ℙ *Bituminis*, quod igni admotum arderet (facile autem accenditur, quod sulphur habet admixtum) usus erat in sacris, quae incantamenti et veneficii, aut expiationis causa Diis inferis fiebant: quod nigra illa flamma delectari eos crederent, et quod purgationibus aptissima esset. Huc pertinet locus allatus ex *Virgilio*. Sic *Claud. VI. Cons. Honor.* 324. Lustralem sic rite facem, cui lumen odorum Sulphure caeruleo, nigroque bitumine fumat, Circum membra rotat doctus purganda sacerdos.

BITUMINATUS, a, um, adj. bitumine mixtus. *Plin.* 31, 6, 32. Est utilis aqua bituminata aut nitrosa, bibendo atque purgationibus.

BITUMINEUS, a, um, adj. bitumine mixtus. *Ov. Met.* 15, 350. de Aetnae ignibus: Sive bitumineae rapiunt incendia vires.

BITUMINOSUS, a, um, adj. bitumine abundans, ἀσφαλτώδης. *Vitr.* 8, 3. Cum per bituminosam terram vis erumpit aquae. *Id. ib.* Bituminosi fontes.

BITURICUS, a, um, adj. ad Bituriges pertinens. Biturica uva laudatur a *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 3. et a *Colum.* 3, 2, 7. et 9. propter ubertatem et bonitatem ad aliquot annos. Biturigum porro Ubiscorum potius, quam Cuborum intelligendum esse, putat *Hard.* [*Col. R. R.* 3, 21. Bituricae fructibus opimae.]

BITURIGES, igum, m. plur. populi Galliae Aquitanicae, cognomine *Cubi* dicti, quorum praecipuum oppidum Avaricum fuit, inter Aeduos (a quibus eos Ligeris dividit, ut *Caes.* docet *B. G.* 7, 5.) Lemovices, Pictones et Turones. Eorum regio nunc dicitur *le Berri*, et urbs *Bourges*. *Caes. l. c.*, *Plin.* 4, 19, 33. ℙ Alii sunt Bituriges, cognomine *Ubisci* seu *Vibisci*, ad Oceanum Aquitanicum, quorum urbs Burdigala: nunc ii *les Bourdelois*, urbs *Bourdeaux* appellatur. *Plin. l. c.* ℙ

In singulari numero *Lucan.* 1, 423. Et Biturix, longisque leves Suessones in armis.

BIVERTEX, ĭcis, omn. gen. adj. qui binos vertices habet; et solet esse epithetum Parnassi, cujus duo juga sunt, Helicon et Cytheron. *Stat. Th.* 1, 628. Delius insurgit, summaque biverticis umbra Parnassi residens, etc. *Sidon. in carm. epist.* 15, 9. Montemque victor ipse per biverticem.

BIVĪRĂ, ae, f. quae vidua cum esset, alteri nupsit. [*Potest etiam esse mulier quae cum duobus viris rem habet, ut opponatur *bimarito.*] *Varr.* ap. *Non.* 2, 83. Ad biviram venio.

BIVIUM, ii, n. ἀμφοδος, locus ubi duae viae concurrunt. *Virg. A.* 9, 238. Qui patet in bivio portae. Adde *Plin.* 6, 28, 32. ℙ Translate. *Varr. R. R.* 1, 18. *fin.* Bivium enim nobis ad culturam dedit natura, experientiam et imitationem Et *ib.* 55. Olea, ut uva per idem bivium redit in villam: alia ad cibum eligitur, alia ut eliquescat. *Ov. Rem. Am.* 486. Ut tuus in bivio distineatur amor. [*i. e. in duabus puellis, in amore duarum puellarum.]

BIVIUS, a, um, adj. qui duas habet vias. *Virg. A.* 11, 516. Ut bivias armato obsidam milite fauces. *Val. Fl.* 5, 395. Bivii calles. ℙ *Dii bivii, trivii, quadrivii* in *Inscr.* ap. *Grut.* 84, 5. et 1015, 1. sunt biviorum, triviorum et quadriviorum praesides, similes iis, quos *Viales* et *Semitales* appellabant.

BIURUS, i, m. quasi *diurus*, hoc est duplicem habens caudam; ab οὐρὰ, cauda. *Plin.* 30, 15, 52. M. Cicero tradit, animalia biuros vocari, qui vites in Campania erodunt. ℙ Quidam *byturus* scripsere.

BIXIT, pro *vixit* legitur in *vet. Inscr.* ap. *Grut.* 307, 6. et alibi. V. initium hujus litterae.

*BIZONE, es, f. *Βιζώνη*, oppidum Moesiae inferioris, ad Pontum Euxinum. *Mela* 2, 2. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

*BIZYA, ae, Thraciae oppidum, in Astica, ad mare Ponticum. *Plin.* 4, 11. ℙ Scribitur et *Byzia. B. A.*

BL

BLACTĔRO, as, n. 1. verbum est exprimens vocem arietis. *Auct. carm. Phil.* 56. Blacterat hinc aries, et pia balat ovis. *Voss.* in *Etym.* in V. *Blaterones* putat legendum esse *bratherat* ex quodam MS. Al. leg. *blaterat.* Sed *blaterare* proprium est camelorum, ut docet *Festus.*

BLAESIĀNUS, a, um, adj. ad Blaesum pertinens, quod est nomen proprium Romani hominis. *Mart.* 8, 38. Quod donas, facis ipse Blaesianum.

[BLAESILLUS, a, um, adj. diminut. blaesi. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 753, 5. Albucia Blaesilla. *F.*]

BLAESUS, a, um, adj. ψελλὸς, balbus, hoc est, qui linguam impeditam habet, et litteram unam alteramve, ut *R*, pronunciare non potest, vel in pronunciando litteram excludit, vel male profert. Hanc vocis pronunciationem puellae delicatiores affectabant *Ovidii* aetate, ut ipse innuit *A. A.* 3, 294. [*Unde suspiceris recte *Popmam de differ.* p. 133. *blaesum* explicare per: *cui litterae sibilantes* (C. S. Z.) *molestae sunt vitioseque pronuntiantur.* Apud nostrates quoque puellae haud raro hoc vitium pro elegantia habent, quam studiose affectant.] *Juven.* 15, 48. Blaesis atque mero titubantibus. *Mart.* 10, 65. Os blaesum, tibi, debilisque lingua est. *Ov. A. A.* 3, 294. Blaesa lingua. *Id. Am.* 6, 24. de psittaco: Reddebas blaeso tam bene verba sono. [*Ulpian. Dig.* 21, 1, 10. Quaesitum est, an balbus et blaesus et atypus, isque qui tardius loquitur et varus et vatius sanus sit. — Unicus hic mihi innotuit locus apud pedestrem scriptorem, ubi *blaesus* usurpatum exstat. Quod casu accidisse certum est.] ℙ Ab hoc vitio factum est cognomen Romanum in gente Sempronia, ut C. Sempronius Blaesus, in Fastis Capitol. ap. *Grut.* 292. [*Junius Blaesus nominatur apud *Tac. A.* 3, 35.]

*BLANDAE, arum, oppidum Lucaniae. *Liv.* 24, 20. *Blanda* appellatur a *Mela* 2, 4. et *Plin.* 3, 5. ℙ Item oppidum Hispaniae Tarraconensis, ad mare Mediterraneum, in regione Laletanorum, inque agro Barcenonensi. *Plin.* 3, 3. *Blanda* appellatur etiam hoc oppidum a *Mela* 6. favente *Ptol.* Hodie est *Blanes. B. A.*

BLANDĔ, adv. ἡπίως, μειλιχίως, blandiendo, suaviter, placide, comiter. *Cic. Rosc. Com.* 16. Rogare blande et concinne. *Id. Or.* 1, 24. Petere aliquid blandius. *Id. Cluent.* 26. Appellare aliquem blandissime. *Ter. Ad.* 5, 4, 24. Blande dicere. [*i. e. humanum esse sermone ac verbis. *Ruhnk. dict.* p. 206.] *Lucr.* 2, 320. agni ludunt, blandeque coniscunt. *Id.* 5, 1368. fructusque feros mansuescere terra Cernebant indulgendo, blandeque colendo, *h. e.* paulatim, et molli cultura. *Quint. Decl.* 1, 13. Suspensa manu blande flectere cardinem sonantem. [*behutsam.]

*BLANDĒNO et Blandēnon, onis, oppidum Italiae, non longe a Placentia. Hodie est *Broni.*

Cic. Q. Fr. 2, 15. ed. *Ernest.* Litteras datas Placentia, deinde postridie Blandenone. Al. leg. *Placentiae — Blandenonae. B. A.*

BLANDICELLA Verba, verba blandula. *Festus.*

BLANDICŬLĒ, adv. blande. *Appul. Met.* 10. p. 252, 6. Blandicule respondere.

BLANDĬDĪCUS, a, um, adj. qui blanda verba dicit, blandiloquus, χρηστολόγος. *Pl. Poen.* 1, 1, 10. Nunc mihi blandidicus es: heri in tergo meo tres facile corios contrivisti bubulos.

BLANDĬFĪCUS, a, um, adj. blandum faciens. *Capell.* 9. p. 301. Blandificaque libens stringere corda face.

BLANDĬFLŬUS, a, um, adj. blande et suaviter fluens. *Venant. carm.* 11, 10, 10. blandifluus odor.

BLANDĬLOQUENS, entis, partic. verbi inusit. blandiloquor, qui blande loquitur, blandidicus, χρηστολόγος. *Laber.* ap. *Macr. Sat.* 2, 7. Viri excellentis mente clemente edita Submissa placide blandiloquens oratio.

BLANDĬLOQUENTĬĂ, ae, f. χρηστολογία, blandus sermo, suavia verba. *Vet. Poeta* [*Ennius in Medea*] ap. *Cic. N. D.* 3, 25. *extr.* Nam ut ego illis supplicarem tanta blandiloquentia?

BLANDĬLOQUENTŬLUS, a, um, dimin. *Pl. Trin.* 2, 1, 13. Amor ab re consulit blandiloquentulus, harpago, mendax, avarus.

BLANDĬLOQUĬUM, ii, n. blandiloquentia. *August. ep. ad Hieron.* 19, 4. Insidiosum blandiloquium.

BLANDĬLŎQUUS, a, um, adj. blandiloquens, blandidicus. *Pl. Bacch.* 5, 2, 54. Ut blandiloqua est! hei mihi, metuo. *Sen. Agam.* 289. Quid voce blandiloqua mala consilia dictas?

BLANDĪMENTUM, i, n. blanditiae, illecebrae. Usurpatur fere in plurali numero. *Cic. Coel.* 17. Multa nobis blandimenta natura ipsa genuit, quibus sopita virtus conniveret. [*Tac. A.* 15, 64. *blandimenta vitae*, quae eadem 63. *delinimenta vitae* dixerat; res quae vitam jucundam reddunt.] *Id. Tusc.* 5, 31. Sequetur igitur vel ad supplicium beata vita virtutem, nec eam minimis blandimentis corrupta deseret. *Liv.* 2, 9. Multa blandimenta plebi per id tempus ab senatu data: annonae in primis habita cura. *Ov. Met.* 2, 815. Jactare blandimenta et preces. *Plin. ep.* 2, 19. Captus blandimentis. *Tac. A.* 13, 13. Aggredi aliquem per blandimenta. *Id. ib.* 12, 64. Devincire aliquem blandimentis. [*Tac. H.* 1, 74. muliebribus blandimentis infectae epistolae.] ℙ Blandimenta in cibis sunt condimenta. *Petr. Sat.* 141. Aliqua inveniemus blandimenta, quibus saporem mutemus. *Tac. G.* 23. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. [*Etiam ad alias res haec vox transfertur. *Pall. R. R.* 10, 17. blandimenta aestivi caloris (*die Annehmlichkeit.*), quemadmodum frigus dicitur blandum. V. *Blandus ab in.* — *Veg. R. R.* 1, 56. Blandimenta vecturae, de molli vectura, qua corpus non jactatur, sed leniter movetur.] ℙ In singulari numero. *Tac. A.* 14, 4. Blandimentum sublevavit metum. *Plin.* 17, 13, 21. Hoc blandimento impetratis radicibus, etc. *h. e.* hac blanda cultura.

[BLANDINUS, a, um, adj. ad blandum pertinens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 395, 7. Corneliae Blandinae L. Cornelius Themison pater, et Cornelia Blanda mater posuerunt. *F.*]

BLANDĬOR, iris, itus sum, dep. 4. μειλίσσω, χρηστολογέω, κομίζομαι, ἀρέσκομαι, molliter contrectando et palpando alicui adulor et placere studeo. [*Liv.* 21, 1. de Hannibale: pueriliter blandientem patri ut in Hispaniam duceretur. Sic etiam *Plin.* 34, 8, 19. cujus verba ultimo loco ponit *Forc.* Haec tamen prima et propria vocis significatio videtur fuisse.] *Ov. Her.* 21, 195. Et minus audacter blanditur, et oscula rara Accipit. *Plin.* 10, 37, 52. Columbae blandiuntur inter se. *Id.* 10, 42, 59. Blandiri avibus cibo. [*i. e. eo quod cibum saepe praebeas avi, eam cicurem et mansuetam reddere.] *Id.* 34, 8, 19. *n.* 29. Infans blandiens matri mortuae. ℙ Saepius refertur ad animum. *Pl. Cist.* 1, 1, 35. Nostro ordini palam blandiuntur: clam si occasio usquam est, aquam frigidam subdole suffundunt. *Cic. Q. Fr.* 2, 12. De Commageno rege, quod rem totam discusseram, mirifice mihi et per se, et per Pomponium blanditur Appius. *Ov. A. A.* 2, 527. Postibus et durae precibus blandire puellae. Al. rectius, *supplex blandire puellae. Plin. ep.* 1, 2. *fin.* Blandiri auribus alicujus. [*i. e. ea loqui quae alteri valde placeant; nos dicimus *kitzeln.*] *Tac. H.* 2, 12. Blanditur coeptis fortuna, *h. e.* favet coeptis, et ad ulteriora tentanda invitat. [*Rectius hic locus ponendus erat infra post *Suet. Ner.* 20.] *Ov. Met.* 4, 531. Venus sic patruo blandita suo est, *h. e.* blande rogavit. ℙ *Blandiri sibi* est in sua causa sibi aliquid vani persuadere, sibi indulgere. *Ulp. Dig.* 26, 7, 3. Blandiuntur enim sibi, qui putant honorarios tutores omnino non teneri, etc. [*Hoc sensu saepius legitur in Digg. libris et in Cod.] Huc pertinet illud *Ov. Am.* 2, 11, 53. Omnia pro veris credam, sint ficta licebit: Cur ego non votis blandiar ipse meis? ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Cic. Ac.* 4, 45. Video quam suaviter voluptas sensibus nostris blandiatur. *Quint. Decl.* 14, 4. Levior est calamitas, cui blanditur aliquid de voluptate laetitia. *Suet. Ner.* 20. Blandiente profectu, prodire in scenam concupivit, *h. e.* invitante. *Tac. H.* 5, 4. Blandiens inertia. *Id. Agr.* 16. Vitia blandientia. *Ov. Met.* 10, 555. Opportuna sua blanditur populus umbra. *Plin.* 13, 9, 17. Pomi suavitas blanditur. [*i. e. allicit.] *Id.* 31, 2, 19. Quaedam aquae blandiuntur aspectu. [*i. e. invitant ad bibendum.] Et *Cels.* 5, 28. *n.* 2. *med.* Imponendo lenia medicamenta, quae quasi blandiantur. ℙ Cum accusativo *Colum.* 7, 5. Lac caprinum infusum tantum valet, ut et blandiatur igneam saevitiam. [Pro *et blandiatur*, ut est in antiquis editionibus, *Gesn.* et *Schneid.* reponunt *eblandiatur.* V. EBLANDIOR. *F.*] ℙ Passive etiam usurpari potest teste *Prisc.* 8. p. 792. V. BLANDITUS, a, um.

BLANDĬTER, adv. idem quod blande. *Pl. Ps.* 5, 2, 3. Magis cogito, saeviter, blanditerne alloquar. *Id. Asin.* 1, 3, 69. Compellare blanditer. Adde *Tit.* ap. *Prisc.* 15. p. 1010. et ap. *Non.* 11, 7.

BLANDĬTĬĂ, ae, f. αἰμυλία, κολακία, ἀρέσκεια, χρηστολογία, actus blandiendi, adulatio, illecebra. [*Non satis recte ad *blanditiam* explicandam adhibetur *adulatio.* Haec est hominis ignavi ac timidi, qui ad aliorum gratiam aucupandam dignitatis suae rationem non habet; blanditiae ex solo placendi studio proficiscuntur. V. *Doederl. Syn. Fasc.* II. p. 177.] *Pl. Truc.* 2, 7, 19. Velut meretrix meum herum miserum sua blanditia intulit in pauperiem. *Cic. Am.* 25. Sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse majorem, quam adulationem, blanditiam, assentationem. [*Observa gradationem quae in hoc ordine substantivorum inest, *adulatio* minus nocet quam blanditia: adulator facile se prodit; blande brevi se insinuat.] *Id. Planc.* 12. Illa occursatio et blanditia popularis. Adde *Rep.* 4, ap. *Non.* 3, 27., *Q. Cic. Pet. Cons.* 11., *Prop.* 1, 16, 16. et *Quint.* 10, 1. ℙ Saepius usurpatur in plurali numero. [*Tum saepe haud multum differt a *blandimentis.*] *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Elicere aliquem blanditiis ad judicium. *Id. Att.* 1, 19. *fin.* Exprimere nummulos ab aliquo blanditiis. *Id. Am.* 17. Colligere benevolentiam civium blanditiis et assentando. [*Id. Fin.* 1, 33. corrupti ac deliniti blanditiis praesentium voluptatum.] *Tac. A.* 14, 56. Velare odium fallacibus blanditiis. [*Tac. H.* 1, 15. Irrumpet adulatio, blanditiae, pessimum veri affectus venenum. *Id. ib.* 2, 59. Eo ipso ingratus, quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret, pro quo alii *humilibus* aut *juvenilibus.* Illud *Lipsius* recte dicit germanissimum. *vernilis* h. l. non multum distat a *servilis.*] *Suet. Ner.* 34. Dicere aliquid per blanditias, *h. e.* blandiendo. *Tib.* 1, 1, 86. et *Ov. Her.* 13, 153. Dicere alicui blanditias, *h. e.* blanda verba. *Ov. Met.* 10, 259. Adhibere blanditias. *Id. Am.* 1, 4, 66. Blanditiae taceant.

BLANDĪTĬES, ei, f. idem ac blanditia. *Appul. Met.* 9, p. 230, 11. Talis sermonis blanditie cavillatum deducebat, etc.

BLANDĪTIM, adv. blande, blanditer. *Lucr.* 2, 173. Ut res per Veneris blanditim saecla propagent.

*BLANDĪTOR, oris, m. κόλαξ, qui blanditur, assentator. *Auct. Itin. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 90. Qui epulo accubabat una blanditoribus regis. *B. A.*

BLANDĪTUS, a, um, part. v. *blandior. Ov. Met.* 4, 531. Sic patruo blandita suo est: o numen aquarum, etc. ℙ Interdum transit in nomen, et ponitur pro grato, jucundo et allicienti. *Prop.* 4, 6, 72. Blanditaeque fluant per mea colla rosae. *Plin.* 10, 23, 33. Hanc initio blandita peregrinatione avide profectam, poenitentia in volatu, cum labore scilicet, subit. ℙ Passiva significatione, *Verr.* ap. *Prisc.* 8. p. 792. Blanditusque labor molli curabitur arte. κολακευθεὶς, ut idem *Prisc.* exponit.

BLANDĪTUS, us, m. blanditia. Quidam hanc vocem leg. in illo *Lucr.* 2, 173. Ut res per Veneris blanditum saecla propagent. Sed plerique omnes leg. *blanditim.*

BLANDŬLUS, a, um, dimin. a blandus. *Hadr. Imp. in carm.* ap. *Spart. in ejus Vita* 25. Animula vagula, blandula, Hospes, comesque corporis. ℙ Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 266. Sedatia Blandula.

BLANDUS, a, um, adj. ἐπαγωγὸς, μείλιχος, ἄρεσκος, χρηστολόγος, placens, adulans, suavis, lenis. Dicitur tum de personis, tum de rebus. *Nep. Alc.* 1. Affabilis, blandus, temporibus callidissime inserviens. *Ter. Hec.* 5, 4, 21. Hominum te vivit nusquam quisquam blandior. *Cic. Off.* 2, 10. Voluptates, blandissimae dominae. *Petr. Sat.* 126. Blandissima oratio. [*Plin. Pan.* 25, 1. adulantia verba blandasque voces edocere. de gradatione in his verbis vide in BLANDITIA.] *Ov. Her.* 15, 27. Blandissima carmina. *Cic. Tusc.* 4, 6. Blandae illecebrae voluptatis. *Ov. A. A.* 1, 362. Blanda arte subit Venus. *Id. Met.* 2, 100. Blandis lacertis tenere colla alicujus. *Sen. Tr.* 1071. Blando

sinu fovere aliquem. *Plin. Praef. H. N.* Res blandae legentibus. *Virg. G.* 3, 185. Gaudere blandis laudibus. *Id. ib.* 127. Blandus labor. [*Blandus labor est, quod eum lubenter subeunt. Loquitur poeta de admissura. *Plin.* 9, 8, 9. saltu quod est alias blandissimum (gratissimum, voluptarium) his (delphinis) nullus conatur evadere.] *Ov. Pont.* 1, 5, 46. Alea blanda. *Id. Fast.* 3, 19. quies. *Id. Met.* 4, 344. Blandarum aquarum temperies. *Stat. Silv.* 3, 5, 96. Blandissima litora. *Plin.* 11, 37, 54. Blandi oculi. *Id.* 35, 10, 37. Blandissimus aspectus. *Id.* 37, 9, 40. Color aspectu leniter blandus. *Lucr.* 2, 846. Blandus liquor amaracini, *h. e.* suavem spirans odorem. *Plin.* 12, 1, 2. Blandiores succi, *h. e.* mitiores et suaviores. *Manil.* 2, 147. Blandus sonus, i. e. gratus auribus. *Claud. epith. Pall. et Celer.* 1. blando quaesitum frigore somnum. [**Col. R. R.* 7, 3. blanda pabula sunt ea, quibus oves lubenter vescuntur; *angenehmes Futter.*] ℙ De eo, qui non nocet. *Id. IV. Cons. Hon.* 163. blandi angues. *Id. Cons. Prob. et Olybr.* 191. Blandus fluctus. *Ov. Fast.* 1, 157. de verno tempore: Blandi soles. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 209. blandasque leones Submisere jubas. *Id. IV. Cons. Hon.* 604. irent blandae sub vincula tigres. ℙ Speciatim *blandus* dicitur, qui pollet arte persuadendi et impetrandi. *Pl. Cas.* 2, 3, 55. Tu eum orato: ego autem orabo villicum. Jam hic erit: nunc experiemur, uter nostrum sit blandior. *Stat. Th.* 11, 104. blandamque precatu Antigonem timeo, ne, etc. *Tib.* 3, 3, 2. Blanda tura, *h. e.* quibus Dii placantur. ℙ Et cum genitivo more Graecorum. *Stat. Ach.* 2, 236. blandusque precum compellat Ulysses. ℙ Et cum infinito *Hor. Od.* 1, 12, 11. de Orpheo: Blandum et auritas fidibus canoris Ducere quercus. Adde *Stat. Th.* 5, 456. ℙ Cum accusativo Graeco more. *Stat. Th.* 9, 155. Blanda genas vocemque. ℙ *Blandum* adverbialiter positum pro *blande. Petr. Sat.* 127. Delectata illa risit tam blandum, ut, etc. ℙ [Est etiam cognomen Romanum in nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 295. C. Rubellius Blandus. *F.*]

[BLANUS, a, um, adj. βλάνος, lippus, caecutiens. Nomen servile Romanum in *Inscr.* ap. *Grut.* 357, 4. *F.*]

*BLASCON, onis, Βλάσκων, ωνος, insula maris Mediterranei, ad littus Gallicum, non procul ab Agatha oppido. *Plin.* 3, 8. Hodie est *Brescon. B. A.*

BLAPSĬGŌNĬA, ae, f. βλαψιγονία, morbus est apum, cum prolem non generant ad familiam propagandam: Graeca vox a βλάπτω, laedo, et γονεία, fetura: et Latine legitur ap. *Plin* 11, 19, 20.

[BLASIO, onis, m. dimin. *blaesi*, ut censet *Sigon. De nom. Rom.* 1. Cognomen Romanum. *Liv.* 15, 17. Cn. Cornelius Blasio. *F.*]

[BLASIUS, a, um, adj. idem videtur ac blaesus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1074, 15. C. Pupius Blasius. *F.*]

BLASPHĒMĀBĬLIS, le, adj. dignus conviciis et vituperationibus. *Tert. Cult. fem.* 12. Quanto blasphemabile est, si, quae sacerdotes pudicitiae dicimini, impudicarum ritu procedatis cultae?

BLASPHĒMĀTĬO, onis, f. βλασφημία, convicium, probrum, vituperatio. *Tert. Cult. fem.* 12. Optemus ne justae blasphemationis causa simus.

BLASPHĒMĬA, ae, f. βλασφημία, convicium, obtrectatio, dictum laedens famam: a βλάπτω, laedo et φήμη, fama. *Hieron. ep.* 62. *n.* 2. et *Augustin. Verb. Dom. serm.* 11, 14 et 15. et *Mor. Manich.* 2, 10., quo posteriore loco intelligit tum quod in Deum, tum quod in homines convicium dicitur: licet alioquin saepius dicatur de eo, quod in Deum ingeritur. ℙ *Prud.* neutro genere extulit *blasphemium* in *Psych.* 715. Non tulit ulterius capti blasphemia monstri Virtutum regina Fides.

BLASPHĒMĬUM, ii, n. V. BLASPHEMIA.

BLASPHĒMO, as, avi, atum, a. βλασφημέω, convicium in aliquem dico, alterius famam dictis laedo. *Prud. Apoth.* 415. et *August. Tract. in Joann.* 27. *fin.* Inter illos malos, qui blasphemant Christum. *Tert. adv. Jud.* 13. *ad f.* Nomen Domini per ipsos blasphemaretur. Adde *Hieron. ep.* 61. *n.* 4.

BLASPHĒMUS, a, um, adj. βλάσφημος, qui dictis alterius famam laedit. *Prud. περὶ στεφ.* 1, 75. Blasphemus satelles. Adde *Tert. Res. carn.* 26. ubi substantive usurpatur.

[BLASTĀNES, etis, f. fructuosa, a βλαστάνω, germino. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 800, 2. C. Licinius Blastus fecit sibi, et Liciniae Blastaneti filiae. *F.*]

[BLASTUS, i, m. βλαστὸς, germen, surculus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1570, 15. L. Annaeus Blastus. *F.*]

BLĀTĒA. V. BLATTEA.

BLĀTĒRĀTUS, a, um, partic. v. *blatero. Appul. Met.* 4. p. 153, 18. His et similibus blateratis. *Id. Apol.* p. 275, 8. Quae etsi ab his futiliter blaterata, etc.

BLĀTĒRĀTUS, us, m. actus blaterandi, stulta loquacitas, ineptus sermo. *Sidon. ep.* 9, 11. *fin.* Redeamus ad causam, super cujus abundante blateratu precor, ut, etc. *Capell.* 9. *fin.*

BLĀTĒRO, as, avi, atum, a. 1. ματαιολογῶ, est stulte et percupide loqui, inani loquacitate obtundere; et a Graeco βλὰξ, originem ducit, ut *Festus* docet. Est autem βλὰξ, ακὸς, stultus, hebes, stupidus. Rectius tamen duci videtur a *blatio, is*, quod eandem habet significationem. *Hor. Sat.* 2, 7, 35. ecquis Audit? cum magno blateras clamore, fugisque. *Gell.* 1, 15. Homines stulta et immodica blaterantes. *Appul. Flor.* 9. p. 345, 19. Incondita et vitiosa verba blaterare. ℙ Significat etiam confingere per mendacia, ut *Non.* exponit. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 79. Sine blaterare: nihil agit in amore inermus. *Afran. ib.* Illud memento, ne quid in primis blateres. ℙ *Fulg. De prisc. serm. n.* 12. docet, *blaterare* esse verba trepidantia metu balbutire: affertque in hanc sententiam illud *Pacuvii:* Ni ego te blaterantem aspicerem, his nuncium indicassem. Ita etiam usurpavit *Appul. Met.* 10. p. 242, 39. At ego perspiciens malum istum verberonem blaterantem, atque inconcinne causificantem. At fortasse ad unam eandemque notionem, quam §. 1. posuimus, hi loci referri possunt, qui hoc et §. 2. afferuntur. ℙ Etiam cameli cum vocem edunt, *blaterare* dicuntur, teste *Festo.* Et ranae apud *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* ℙ Quidam tribuunt etiam arieti. V. BLACTERO. ℙ Sunt qui *blattero* scribunt duplici *tt*, sed invito *Horatio*, qui primam corripuit, et *Dausq.* in *Orthogr.*

BLĀTĒRO, onis, m. ἀκαιροβόας, γλωσσαργὸς, λάλος, stulte loquax, immoderate ac temere in verba profusus, levis, futilis et importunus locutor. *Gell.* 1, 15. Neque minus insigniter veteres nostri hoc genus homines in verba projectos, locutulejos et blaterones et lingulacas dixerunt.

*BLATO, onis, m. i. q. blatero. *Vet. Gloss.* Blato, ματαιολόγος, nisi forte legendum *blatero.* In *Gloss. Isid.* Blato est Cubicularius. *B. A.*

*BLATO vel Blatto, as, n. in *Vet. Gloss.* exponitur φλναρῶ. Al. *Gloss. Gr. Lat.* φλυαρῶ, arguto, garrio, blatto, effutio. Sed forte (ait *Gesnerus*) pro *Blatto* legendum est *Blatio. B. A.*

BLĀTĬO, is, n. idem quod blatero. *Pl. Amph.* 2, 1, 79. Qui, malum, intelligere quisquam potis est? ita nugas blatis. Adde *Curc.* 3, 82. et *Epid.* 3, 1, 13.

*BLATOBULGĬUM, i, (Blatum Bulgium,) oppidum Britanniae, in regione Brigantum. *Anton. Itin. B. A.*

BLATTA, ae, f. σῆψη, insectum est nauseosum foedique odoris, in humidis locis nascens, lucisque inimicum, scarabaeo gryllove simile: cujus tria genera *Plin.* 29, 6, 39. [*Adde *Plin.* 9, 28, 34.] enumerat, alias molles, quas in oleo decoctas, verrucis efficaciter illini ajunt: alterum genus *mylaecon* dictum (a μύλη, mola, et οἶκος, domus) circa molas fere nascens: tertium genus et odoris taedio invisum, exacuta clune: has autem omnes varios habere in medicina usus, tradit *Virg. G.* 4, 242. nam saepe favos ignotus adedit Stellio, lucifugis congesta cubilia blattis. [**Pallad.* 1, 37. Blattae apibus inimicae. *Col.* 9, 7. Blattae lucifugae.] ℙ Est ex iis ea blatta, quae vestes chartasque erodit. *Hor. Sat.* 2, 3, 118. cui stragula vestis Blattarum et tinearum epulae, putrescat in arca. *Mart.* 14, 37. Constrictos nisi des mihi libellos, Admittam tineas, trucesque blattas. ℙ Apud sequioris aevi scriptores *blatta* accipitur pro panno colore purpurae. Cujus appellationis eam esse rationem putat *Voss.* in *Etym.*, quod purpureus color illi colori similis est, quo apprehensa *blatta* manum hominis tingit. *Turneb.* vero *Advers.* 28, 33. *fin.* docet, *blattam* non purpurae, sed cocci colorem esse: blattas enim esse vermiculos, qui e cocci granis rubentes erumpunt, quorumque cruore floridissimus inficitur color. Sed *blattam* et *coccum* diversos colores esse, satis ostendit illud *Lampr. Elag.* 33. Paraverat funes blatta, et serico et cocco intortos, etc. *Salm.* in *Adnot. ad Vop. in Aurel.* 46. tradit, ideo *blattam* pro purpura accipi, quia aliquando sanguinis concreti bullam significat: unde in *Gloss.* legitur: Blatta, θρόμβος αἵματος. Purpurae autem color ille laudatissimus est, qui sanguinem concretum refert, nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens, ut *Plin.* 9, 38, 62. docet. Quae sententia ceteris praeferenda videtur. *Imppp. Gratian., Valent.* et *Theod. Cod.* 4, 40, 1. Purpura, quae blatta, vel oxyblatta, vel hyacinthina dicitur. *Impp. Theod.* et *Valent. Cod. Theod.* 10, 20, 18. Trecentas libras blattae sericae. *Sidon. carm.* 5, 48. Pontus castores, blattam Tyrus, aera Corinthus, Sardinia argentum defert. [**Cassiod. Var. Ep.* 1, 2. Cum blatta, quam nostro cubiculo dare singulis annis consuevisti, venire festina.] ℙ Proverbium *Laberii* apud *Non.* 15, 4. Amore cecidi, tanquam blatta in pelvim. [*Schneid.* Amore cecidi, tanquam blatta in pelvim. *F.* *Emendatione non opus videtur: Amore i. e. ob amorem cecidit s. se praecipitavit, blattae instar, quae in pelvim cadit. Amoris quasi est barathrum, in quod se praecipitant, qui nimio amoris ardore flagrant. *Appul. Met.* 8. p. 509. In profundam ruinam Cupidinis sese paulatim nescius praecipitaverat. Cf. annot. ad *Theocr. Id.* 3, 42.]

BLATTĀRĬUS, a, um, adj. ad blattam pertinens. *Blattariae balneae* dicuntur, quae tenebrosae sunt, quia blattae in humidis locis, et praecipue in balneis nascuntur et tenebras amant, ut *Plin.* 11, 28, 34. tradit. *Sen. ep.* 86. At nunc blattaria vocant balnea, si qua non ita aptata sunt, ut totius diei solem fenestris amplissimis recipiant. ℙ *Blattaria* herba est verbasco similis, foliis minus candidis, cauliculis pluribus, flore luteo: sic appellata, quia abjecta blattas in se contrahit. *Plin.* 25, 9, 60. [*Verbascum blattaria *L. Mottenkraut.*]

BLATTĒA et Blātea, ae, f. bulla luti ex itinere contracta. *Festus* in voce *Balatrones.* ℙ Est etiam idem ac *blatta*, hoc est purpura. *Venant. carm.* 2, 3, 19. Serica cui niveis agnata est blattea telis.

*BLATTEARĬUS, i, πεταλουργὸς *Gloss. Vet.* i. e. bractearius, e quo vitio blaesi hominis dictantis ortum videtur. *B. A.*

BLATTĔUS, a, um, adj. blattae, hoc est purpurae colorem habens. *Vop. Aur.* 46. Concessit, ut blatteas matronae tunicas haberent. *Eutr.* 7, 9. de Nerone: Retibus aureis piscabatur, quae blatteis funibus extrahebat. *Suet. Ner.* 30. hanc eandem rem narrans *funes purpura coccoque nexos* appellat.

BLATTĬĀRĬUS seu Blattearius, i, m. qui sericum purpureo colore tingit. *Imp. Const. Cod. Theod.* 13, 4, 2. Fusores, blattiarii, tessellarii. Al. leg. *bractearii*, quod probandum videtur. [*De blatta serica et blattiariis vid. *Salm.* ad *Script. Hist. Aug.* p. 388 et 395.]

BLATTĬFER, a, um, adj. blattam, hoc est purpuram ferens. *Sidon. carm. ep.* 9, 16. Blattifer senatus.

BLATTŌSĒRĬCUS, a, um, adj. serico textus, et purpura tinctus. *Vop. Aur.* 45. Cum ab eo uxor sua peteret, ut pallio blattoserico uteretur. Ita legit *Salm.* ex veteri edit. Al. *blatteo serico.* Adde *Imppp. Arcad., Hon. et Theod. Cod. Theod.* 20, 18., ubi pro *blattosericae* al. leg. *blattae sericae.* ℙ Eodem sensu legitur *sericoblattus* in *Cod. Theod.* 10, 20, 13. et in *Cod. Justin.* 11, 7, 10.

*BLAVĬA, ae, f. (*Auson. Ep.* 10, 16. et *Tab. Peut.*), vel BLAVĬUM, i, n. (*Anton. Itin.*), oppidum Galliae Aquitanicae, in Santonum regione, ad Garumnam fluvium, hodie *Blaye* dictum. *B. A.*

[BLAUNDENIUS, a, um, adj. ad Blaundum urbem pertinens, quam *Notitiae* in Lydia, *Stephanus* in Phrygia collocat, in cujus nummis apud *Sestinium Class. gener.* p. 106. est ΒΛΑΥΝΔΕΩΝ. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Altera epistola est de Blaundenio (*corrige* Blaundenio) Zeuxide, quem scribis certissimum matricidam tibi a me intime commendari. *F.*]

*BLAX, acis, m. βλάξ, vox Graeca est, quae Bardum et stupidum significat, ut ait *Festus* in Blitum. Dictionem autem hanc inflexam tradit *Caelius* a pisce prorsus inutili et siluro persimili, quem ne canis quidem attingat, *Lect. Ant.* 9, 11. *Gloss. Gr. Lat.* Blanx, εὐήθης, quod *Scaliger* ad *Fest.* merito emendat in *Blax. B. A.*

[BLĒCHNON, i, n. βλῆχνον, herba quaedam, de qua *Plin.* 27, 9, 55. Pterin Graeci vocant, alii blechnon, cujus ex una radice complures exeunt filices. *F.* **Eine Art Farrenkraut.*]

[BLĒCHON, onis, m. βλήχων, herba, cujus meminit *Plin.* 20, 14, 55. Pulegium gustatum a pecore caprisque balatum concitat. Unde quidam Graeci littera mutata blechona vocaverunt. *F.*]

BLĒMYAE, arum, et Blēmyi, orum, et Blēmyes, yum, m. plur. Βλέμυες, populi in Aethiopia fabulosi, qui capite carere dicuntur, ore et oculis pectore affixis. [Haec fere ex *Plin.* 5, 8, 8. ℙ At *G. B. Niebuhr. Inscr. Nubiens.* p. 14. et seqq. probat, Blemyos fuisse populos prope Nili cataractas a *Dion. orb. Descr.* 220. primum, deinde a *Strab.* 17. aliisque memoratos, eosque originem ducere a gente Libyca: hos Trajano imperante Romanis primo innotuisse, et ab Aureliano, mox a Probo domitos, ac tandem rebellantes a Maximiano devictos; subacta vero ab Arabibus Aegypto eorum nomen penitus interiisse. *Claud. carm. de Nilo* 19. Per Meroen, Blemyasque feros, utramque Syenem. *Prisc. Perieg.* 209. Nec longe fervent Blemyorum collibus agri. *Avien. Descr. orb.* 329. Post Blemyes medii succedunt solis habenas. *F.*] Adde *Vopisc. Aurel.* 33. et *Prob.* 17., et *Mamert. Genethl. Maxim.* 17. ℙ [Apud *Strabon.*, *Plin.* aliosque scriptores perperam legitur haec vox duplici *m*, nam contra est auctoritas poetarum Latinorum, qui *l. c.* primam syllabam corripiunt, ut et *Dion. l. c.*, et *Theocr. Id.* 7, 115. *F.*]

*BLENDĬUM, i, portus in Hispania Tarraconensi. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

BLENDĬUS, ii, m. pisciculus quidam marinus, cujus meminit *Plin.* 32, 9, 32. Ceterum *Plinii* locus in omnibus editionibus, praeter Harduini, habet *blenius*, quod magis verosimile; nam ab *Athen.* 8, 10. hic idem pisciculus vocatur βέλεννος, ab *Oppian.* vero βλέννος, fortasse a βλέννα *mucus*, quia mucosus est.

*BLENNA, ae, Cretae insulae oppidum. *Tab. Peut. B. A.*

BLENNUS, a, um, adj. stultus, stupidus, ignavus, vecors. Videtur esse a Graeco *βλέννα*, mucus, qui per nares emittitur: nam stupidi et ignavi homines sordidi etiam esse solent, et muco madentes. *Pl. Bacch.* 5, 1, 2. Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones. ℙ *Dentes blenni* sunt stupidi, rubiginosi, et tanquam mucosa illuvie obsiti. Tales habere se dentes ait famelicus ille diu esuriens apud *Pl. Curc.* 2, 3, 39. Os amarum habeo, dentes blennos; lippiunt fauces fame. Al. leg. *plenos*.

BLĒPHARO, onis, m. nomen est personae a *Plauto* inductae in *Amph.* Significat autem hominem magnas palpebras vel cilia habentem: a *βλέφαρον*, palpebra, vel cilium.

BLĒRANI, orum, m. plur. populi Tusciae: quorum oppidum Blera, *Βλῆρα*, nunc *Bieda*. *Plin.* 3, 5, 8. [Adde *Inscr.* apud *Schiassium*, *Guida del forast. al Mus. di Bologna* p. 31. Curatori Ocriculanorum, curatori Bleranorum. *F.*]

*BLESTĬUM, i, oppidum Britanniae, vulgo, ex *Camdeni* sententia, *Oldtown*. *Anton. Itin. B. A.*

*BLETISA, ae, oppidum Lusitaniae, juxta Durium amnem, hodie *Ledesma* prope Salmanticam. *Inscr.* ap. *Grut.* p. 199. *n.* 2. *B. A.*

BLĪTĔUS, a, um, adj. *ἀνόητος*, insulsus, fatuus, stultus: a *blitum*. *Pl. Truc.* 4, 4, 1. Blitea et lutea est meretrix, nisi quae sapit in vino ad rem suam. Adde *Laber.* ap. *Non.* 2, 93.

BLĪTUM, i, n. et Blītus, i, m. *βλίτον*, *μινύον*, genus est oleris insipidi gustus, celerrime nascens, radice flexa, plurimis capillamentis, semine adeo abundans, ut ejus dejectione per multos annos ipsum se reparet, ut etiam si velis, vix possit aboleri, ut *Pall.* 4, 9. *fin.* loquitur. [**Pl. Ps.* 3, 2, 26. Apponunt rumicem, brassicam, betam, blitum. Ubi inter olera nominatur, quae injucunda sint hominibus. *Paullus* ap. *Festum*. Blitum genus oleris a saporis stupore appellatum esse ex Graeco putatur, quod ab his *βλάξ* dicitur stupidus. *Isid. Or.* 17, 10. Blitum genus oleris saporis evanidi, quasi vilis beta.] *Varr.* apud *Non.* 17, 2. Empedocles natos homines ex terra ait, ut blitum. *Plin.* 20, 22, 93. Blitum iners videtur, ac sine sapore, aut acrimonia ulla. *Pall. l. c.* Hoc mense blitus seritur solo qualicumque, sed culto. [**Putatur esse Spinacia oleracea L.; nobis Spinat.*]

BO

BŎĂ, ae, f. *ὕδρος*, genus est serpentis aquatilis, in miram magnitudinem crescentis, adeo ut in unius Claudio principe occisi alvo integer infans inventus sit, testib. *Plin.* 8, 14, 14. et *Solin.* 2., qui ideo hoc nomine appellari scribunt, quod boum lacte mire delectetur. Adhaeret enim vaccis, easque exsugit usque ad sanguinem. Alii ita dictum putant, quod qui ejus morsu icti sunt, boum instar foede turgescant. *Hieron. in Vit. Hilarion. n.* 39. tradit, boas dici, quia tam grandes evadunt, ut boves glutire soleant. *Salm. in Solin.* p. 87. haec omnia fabulosa videntur. Docet autem, *boam* esse a Graeco *δύης*, pro quo Aeoles *βύης* dixere, unde *boa* factum esse. Porro *δύης* idem est ac *δύτης*; hoc est urinator, a *δύνω*, seu *δύω* subeo. In Gloss. quibusdam vet. *boa* eadem est quae *natrix*. ℙ Addit *Festus*, crurum quoque tumorem viae labore collectum, *boam* appellari. *Plin.* 24, 8, 35. docet, *boam* appellari morbum papularum, cum rubent corpora: quod confirmat 26, 11, 73. *n.* 2. *Id.* vero 28, 18, 75. scribit, ita vocari hunc morbum, quia boum fimo sanatur. De *boa* qua morbum significat, intelligendum est illud *Lucilii* ap. *Fest.* in voce *Tama*. Inguen ne exsistat, papulae, tama, ne boa noxit. ℙ In quibusdam codd. apud *Plin.* 28, 18, 75. et 30, 15, 47. et apud *Fest.* scriptum est *bova*. ℙ [**Fuit et Boa insula maris Hadriatici, juxta Dalmatiam, exadversum Tragurium oppidum. *Cod. Theod.* 16, 5, 53. *Boae* audit *Ammian.* 22, 3. et 28, 5. *Bavo* autem *Plin.* 3, 26. ed. *Hard.* Hodie est *Bua*. *B. A.*]

*BOAGRĬUS, i, *Βοάγριος*, Locrensium amnis, inter Cnemides et Scarphiam, juxta Thronium urbem in Sinum Maliacum delatus. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

*BOARIS, idis, insula prope Sardiniam. *Tab. Peut. B. A.*

BŌĂRĬUS, a, um, adj. *βοάριος*, ad boves pertinens. *Inscr.* apud *Grut.* 265, 2. *sub Severo Imp.* Negotiantes boarii. ℙ *Forum boarium* Romae fuit in regione octava prope Circum maximum, partem Velabri continens: quo loco nunc esse creditur Aedes S. Georgii in Velabro. Dictum est *boarium*, quia ibi boves vendebantur, ut *Festus* docet, vel quia in eo positum erat signum bovis ex aere Aeginetico, ut *Plin.* narrat 34, 2, 5. Hinc *Ov. Fast.* 6, 477. Pontibus et magno juncta est celeberrima Circo Area, quae posito de bove nomen habet. Vel tandem quia eo loco Hercules quondam boves suas, Caco interempto, ad pascendum dimiserat, ut innuere videtur *Prop.* 4, 9., *ubi v.* 19. *arva boaria* appellat. *Liv.* 21, 62. In foro boario bovem in tertiam contignationem sua sponte scandisse. ℙ *Lappa boaria* herba est apud *Plin.* 26, 11, 66. *n.* 4.

BŌĂTIM. V. BOVATIM.

BŌĂTUS, us, m. mugitus, clamor, *βόημα*. *Appul. Met.* 3. p. 130, 17. Praeconis amplo boatu citatus accusator.

*BOAULIA, i. e. boum stabulum. *Symm. Ep.* 1, 1. Recens aetas corrupte Boaulia *Baulos* nuncupat. V. s. v. *Bauli. B. A.*

[BOBĒRĬUS, ii, m. bubulcus, pastor boum. Confer *Ducang. Gloss.* in V. *Bovarius*. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 250. *col.* 1. L. Domitius L. L. Boberius. *F.*]

BOBSĒQUĂ. V. BUBSEQUA.

BOCAS, piscis genus est a boando, i. e. vocem emittendo appellatus. *Fest.* Quidam leg. *Boca*. [**et duplici c Isid. Orig.* 12, 6. boccas dicunt etiam boves marinos, quasi boacas.] Videtur autem esse idem qui *box* dicitur a *Plin.* 32, 11, 53., tergum habens pictum, Graece *βῶξ* et *βόηξ* et *βόαξ παρὰ τὴν βοὴν*, hoc est a voce, quam edit: item *βόωψ* ab oculis praegrandibus. *Rondeletius* tradit in Gallia Narbonensi appellari *bogue*. [**Hodierni Romani eum appellant *boga*.*]

BOCCAR, ăris vel Bocchor, ōris, m. nomen regis cujusdam Maurorum: [**Liv.* 29, 30. Bocchar ea tempestate rex Maurorum erat.] et per synecdochen ponitur pro Mauro quolibet, ut in illo *Juven.* 5, 90. Propter quod Romae cum Boccare nemo lavatur. Al. leg. *Bocchore*. [**Apud *Liv.* 29, 30. eadem est varietas.] ℙ Apud *Arnob.* 1. p. 20. Titanes et Bocchores (vel Bocores) Mauri inter Deos Gentium connumerantur. [**In *edit. Harald.* p. 25. legitur Bucures.]

BOCCHO. V. BUCCO.

[BOCCHORĪTANUS, a, um, adj. ad Bocchorim seu Bocchorum pertinens, oppidum foederatum in insula Balearium majore, nunc *Majorca*, quodque memoratur a *Plin.* 3, 5, 11. *Inscr.* ap. *Spaletti*, *Tavola ospit.* p. 123. M. Aemilio Lepido, L. Aruntio Cos. (*h. e.* an. U. C. 759.) K. Majis, ex insula Baliarium majore senatus populusque Bocchoritanus M. Atilium M. F. Gal. Vernum patronum cooptaverunt: M. Atilius M. F. Gal. Vernus senatum populumque Bocchoritanum in fidem clientelamque suam suorumque recepit: egerunt Q. Caecilius Quinctus, C. Valerius Incesta praetores. *F.*]

BOCCHUS, i, m. Mauritaniae rex, [**amicus populi Romani, socer Jugurthae, quem L. Syllae ligatum tradidit. *Sall. Jug.* 19. (*al.* 22.) et 80. (*al.* 82.) *Plin.* 5, 2. *Flor.* 3, 1. *Vell.* 2, 12. Huic successit Juba. *Claud. de Consul. Honor.* 4, 39. *B. A.*] Adde *Plin.* 8, 5, 5. ℙ [Eodem nomine fuit appellata herba quaedam fortasse a Juba rege in honorem regis Bocchi, cum *Plin.* 5, 1, 1. narret, illum regem de pluribus plantis scripsisse. *Hesych. Βῶχ, βοτάνης εἶδος. Virg. Cul.* 405. Et Bocchus Libyae regis memor; hic amarantus. Hinc *Id. Ecl.* 3, 106. Dic, quibus in terris inscripti nomina regum Nascantur flores. *F.*]

[BODINCOMĀGENSIS, se, et

[BODINCOMĀGUS, a, um, adj. ad Bodincomagum pertinens, Liguriae oppidum, alias Industriam appellatum, quodque nonnulli putant fuisse, ubi nunc est *Casale*. *Plin.* 3, 16, 20. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 165. T. Lollius T. L. Masculus Ilvir Bodincomagensis. Alia apud *Grut.* 555, 7. P. Ovinconius P. F. Ingenuos domo Bodincomagus. ℙ *Inscr.* primo loco posita habetur etiam apud *Grut.* 431, 5., sed mendose legitur *Bondicomensis*. *F.* et *B. A.*]

*BODIOCASSES, Galliae populi, dicti et Vadicassii, quod V. *Plin.* 4, 18. *B. A.*

*BODIONTICI, orum, Galliae Narbonensis populi, quorum caput Dinia dictum. *Plin.* 3, 4. *B. A.*

BODONES, um, sunt termini agrarii quoddam genus. *Paul. Sent.* 5, 22. Qui terminos effodiunt, vel exarant, arboresve terminales evertunt, vel qui convellunt bodones etc. [**Recte tamen dubitat *Schulting.*, haec verba ipsius Paulli esse ac suspicatur ea ab *Aniano* potius profecta esse. Nullus enim scriptor saeculo quarto antiquior hac voce usus est. Cf. *du Fresne in Gloss. Latin. med. et inf. aet.* Hoc auctore *bodones* significant tumores ex terra congesta ad agrorum fines.] Videntur idem esse ac *botones*, *botontini*, et *botontones:* quae voces leguntur apud auctores rei agrariae. *Faust.* et *Valer.* ap. *Goes.* p. 306. In limitibus vero, ubi rariores terminos constituimus, monticellos plantavimus de terra, quos botontinos appellavimus. ℙ Sunt tamen hae cadentis Latinitatis voces non adhibendae.

*BODOTRIA, ae, aestuarium in Britannia, hodie *the Frith of Forth*, nempe in ea Britanniae parte, quae Scotia nominatur. *Tac. Agr.* 23. *B. A.*

*BOEA, ae, f. *Βοία*, oppidum Laconiae. *Plin.* 4, 5. ℙ *Βοιαὶ* est *Pausan. Lacon.* 3, 21. V. *Pleiae. B. A.*

BOEBE, es, f. *Βοίβη*, oppidum Thessaliae, cui vicina est palus *Boebeis* dicta. *Ov. Met.* 7, 231. juncosaque litora Boebes. [**Potest tamen hic *Boebe* etiam de palude dictum esse, ut *Liv.* 31, 4. Qui circumcolunt Boeben paludem.]

BOEBĒIS, ĭdis, f. *Βοιβηΐς*, palus, seu lacus Thessaliae ad radices Ossae montis. *Lucan.* 7, 176. Ire per Ossaeam rapidus Boebeida sanguis. Adde *Plin.* 4, 8, 11. [**Liv.* 27, 32. Per Achaiam Boeotiamque et Boebeidem in Thessaliam pervenit. Sed *Drak.* ibi edidit Euboeam.] ℙ *Sanctas undas* hujus lacus nominat *Prop.* 2, 2, 63., quod in iis dicatur olim Minerva pedes lavisse.

BOEBĒĬUS, a, um, adj. ad Boeben oppidum, vel ad Boebeidem lacum pertinens: et ponitur generatim pro Thessalico. *Val. Fl.* 3, 543. de Hyla: Praereptum quanto proles Boebeia questu Audiet! etc. Fuit enim Hylas Argivus, hoc est Argis Thessaliae oppido (de quo in ARGOS dictum est) ortus.

BOEBĪCĬUS, a, um, adj. idem ac Boebeius seu Thessalicus. *Lucan.* 6, 382. Pinguis Boebicio discessit vomere sulcus. Al. leg. *Boebiaco* eod. sensu.

BOEOTARCHES, ae, m. *Βοιωτάρχης*, h. e. Boeotorum princeps: nomen supremi magistratus apud Boeotos. *Liv.* 33, 27.

BOEOTĬA, ae, f. *Βοιωτία*, regio Graeciae inter Atticam, Euripum, Phocidem, et sinum Corinthiacum: cujus praecipua urbs fuere Thebae cognomento Boeotiae, duorum numinum, Liberi atque Herculis patria, ut est apud *Plin.* 4, 7, 11. Nomen habuit a bove, quo duce Cadmus in ea loca pervenit, ubi Thebas condidit, ut est apud *Ov. Met.* 3. *init.*, vel a Boeoto filio Neptuni et Menalippes, vel Antiopae, vel Arnes Aeoli filiae, ut est apud *Hyg. fab.* 186. Sunt in ea nemus Heliconis, mons Cithaeron, fontes Arethusa, Dirce, Hippocrene, et Aganippe, a poetis passim celebrata nomina. *Plin. l. c.* ℙ Fuit etiam *Boeotia* uxor Hyantis, mater Plejadum. *Hyg. Astron.* 2, 21. ℙ Una etiam ex amissis Plauti comoediis *Boeotia* inscripta fuit, de qua V. *Gell.* 3, 3.

BOEOTĬCUS, a, um, adj. ad Boeotiam pertinens. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 2. Frumentum Boeoticum. *Id.* 19, 5, 23. Boeoticus cucumis. Et *ib.* 25. Boeoticus napus. *Liv.* 42, 43. Boeoticum concilium.

BOEOTIS, ĭdis, f. idem ac Boeotica. *Mela* 2, 3. Locris, Phocis, Boeotis.

BOEOTĬUS, a, um, adj. ad Boeotiam pertinens, *Βοιώτιος*. *Cic. Div.* 1, 18. Bacis Boeotius. *Ov. Met.* 3, 13. Boeotia moenia. *Prop.* 2, 7, 83. Boeotius Haemon. *Val. Fl.* 5, 80. Boeotia Thyas.

BOEOTUS, a, um, adj. *Βοιωτὸς*, idem ac Boeotius. *Stat. Th.* 7, 424. Boeota flumina. *Ov. Fast.* 5, 493. Quorum si mediis Boeoton Oriona quaeris etc. *Boeoton* accusativus est Graecae positionis pro *Boeotum*. *Stat. Th.* 4, 360. Boeotae urbes. *Ov. Met.* 12, 9. Boeota tellus. *Lucan.* 3, 174. Boeoti duces. ℙ *Boeoti*, *orum*, sunt Boeotiae populi, qui ingenio hebeti propter aeris crassitudinem habiti sunt. *Hor. Ep.* 2, 1, 244. Boeotum in crasso jurares aere natos. Adde *Liv.* 33, 29.

BOĒTHĬUS, ii, m. Anicius Manlius Torquatus Severinus Boethius patria Romanus, genere nobilissimus, religione christianus floruit initio saeculi Christi VI. sub Theodorico Gothorum rege. Praecipuis honoribus in patria functus, et ad consulatum ter evectus est. Ex Elpide uxore duos habuit filios, Patricium et Hypatium, qui et ipsi patre vivo consulatum gesserunt. Sed cum tandem in suspicionem venisset ipsi Theodorico de mutando reipublicae statu atque Italia in libertatem vindicanda, Ticinum in exsilium pulsus est, publicatis omnibus bonis, ibique in carcerem conjectus, atque post sex circiter menses ejusdem regis jussu interfectus an. a Chr. n. DXXVI. Vir fuit in omnibus fere disciplinis eruditus: scripsitque multa, quorum bona pars adhuc exstat, inter quae praecipue laudantur libri quinque *De consolat. Philosophiae*, quos in carcere confecit, partim soluta, partim ligata oratione, tanta doctrina et elegantia Latini sermonis, quantam vix aetas illa ad barbariem inclinata capere potuisse videtur.

[BOĒTHUS, i, m. *βοηθὸς*, adjutor, auxiliator. Speciatim ita appellantur adjutores scribarum. *Impp. Theod. et Valentin. Cod.* 10, 69, 4. Boethi, legistae. [**V. s. v. *Adjutor.*] ℙ [**Item caelator et statuarius, Carthaginiensis. *Cic. Verr.* 2, 2, 14. *Plin.* 23, 55. 33, 12. et 34, 8. ℙ Item Stoicus, prognosticorum causas elicere conatus. *Cic. de Div.* 1, 8. et 2, 21. *B. A.* Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 391. M. Ulpius Boethus. *F.*]

[BOGUDIANUS, a, um, adj. ad Bogudem pertinens, Mauritaniae Tingitanae regem, de quo *Hirt. B. Alex.* 3, 59. et 62. *Plin.* 5, 2, 1. Mauritania Bogudiana, *h. e.* quae Bogudis imperio subjecta erat. *F.*]

BOJA, ae, oppidum vel regio Bojorum, apud *Caes. B. G.* 7, 14., ubi tamen lectio eruditis suspecta est. [**Cf. infra BOJI.]

BOJAE, arum, f. plur. *χλοιοὶ*, vincula ferrea, vel lignea, vel lorea, quibus noxiorum colla adstringuntur. *Pl. Asin.* 3, 2, 5. Nervos, catenas.

carceres, numellas, pedicas, bojas. *Prud. praef. Psych.* 34. Attrita bojis colla. *Pl. Capt.* 4, 2, 108. Bojam terere. V. BOJI. *Hieron.* 5. *in Hierem. n.* 27. Fac tibi vincula et catenas, sive χλοιοὺς, qui Hebraice appellantur *mothot*, et sermone vulgari bojas vocant. ℙ Putant etymologi dictas esse a βόιος, bubulus; et proprie significare vinculum colli ex corio bubulo factum.

BOĪCUS, a, um, adj. ad Bojos pertinens, ut Boicus ager. *Festus.*

BOJI, jorum, m. plur. *Βόϊοι*, populi Galliae Lugdunensis, ubi nunc sunt Borbonienses, hodie *le Bourbonnois*. *Plin.* 4, 18, 32. ℙ Hi Alpes aliquando transgressi Poenino monte, ut est apud *Liv.* 5, 35., in Italia pedem fixerunt, pulsisque indigenis, varia tenuere oppida, et Laudem Pompejam condidere, ut *Plin.* 3, 17, 21. narrat. Habitarunt in iis locis, ubi nunc Ducatus Parmensis, et Mutinensis, et ager Bononiensis; multaque cum Romanis bella gessere: a quibus tandem devicti sunt. Coacti igitur alio migrare in Germaniam transiere, et in ea regione consederunt, quae nomine ab iis accepto *Bojemum* a *Tac. G.* 28. appellatur, et *Bojohemum* a *Vellejo* 2, 109., nunc [*Boehmen*, i. e. Bo heim s. *Bojorum domicilium.*] Sed inde quoque pulsi sunt a Marcomannis. *Tac. ib.* 42. Plura de *Bojis* V. apud geographos. ℙ *Bojus est*, *Bojam terit* dictum est jocose a *Plauto* de quodam servo compedito. Ejus verba sunt *Capt.* 4, 2, 107. *Er.* Stalagmus cujus erat tunc nationis cum hinc abiit? *He.* Siculus. *Er.* at nunc Siculus non est: Bojus est, Bojam terit: liberorum quaerundorum causa ei, credo, uxor data est, *h. e.* nunc est in vinculis, boja constrictus. Ludit autem in ambiguo. Videtur enim velle dicere, uxorem eum ex Bojorum gente duxisse. Cui simile est illud, *Gallam subigere*, dictum a quodam sutore apud *Macr. Sat.* 2, 2.

*BOĪON, i, *Βόϊον*, oppidum Doridis. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

[BOĪSCUS, i, m. *βοαχὸς* vel *βοϊαχὸς*, pastor. Cognomen Romanum. *Inscr.* apud *Grut.* 983, 3. Magidius Boiscus. *F.*]

BOLA seu Vola, ae, f. vetus oppidum Latii in Aequis, via Appia. *Virg. A.* 6, 776. Pometios, castrumque Inui, Bolamque, Coramque. ℙ *Liv.* 4, 49. *Volas* appellat plurali numero.

BOLĀNUS seu Volanus, a, um, adj. ad Bolam pertinens. *Liv.* 4, 49. Volanus ager. ℙ *Bolani*, seu *Volani*, *orum*, sunt Bolae populi. *Liv. l. c.*, *Plin.* 3, 5, 9. ℙ Fuit etiam *Bolanus* inter Romana cognomina, ut *M. Vettius Bolanus* ap. *Tac. A.* 15, 3. [**Cic. Fam.* 13, 77. *B. A.*]

[BOLBĪO, onis, m. magno bulbo seu tubere vel capite in bulbi formam praeditus: a Graeco *βολβὸς*, bulbus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Rosin. Dissert. Isag. tab.* 15. M. Caninius M. L. Bolbio. *F.*]

*BOLBĪTINE, es, oppidum in Aegypto, in Delta. Inde *ostium Bolbitinum* apud *Plin.* 5, 10. vel *Bolbiticum* ap. *Melam* 1, 9. *extr.*, nempe unum ex septem Nili ostiis. *B. A.*

BOLBĪTON, i, n. *βόλβιτον*, vox Graeca fimum bubulum significans. *Plin.* 28, 17, 68. Fimi taurini, sed et bubuli, (de armentivis loquor) quod bolbiton vocant, cinis etc.

*BOLBŪLAE, arum, insula prope Cyprum. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*BOLELASGUM, i, Galatiae oppidum. *Anton. Itin. B. A.*

*BOLENĪA, gemma, quae nimbo invenitur, glebae similitudine. *Plin.* 37, 10. Sed *Hard.* mavult *bolae*, i. e. *βῶλοι*. *B. A.*

BOLĒTAR, āris, n. vasis genus, in quo boleti apponebantur; sed usurpatum est pro quolibet escario vase. *Mart.* 14, 101., cui titulus *Boletaria*. [*Pluralis *boletaria* etiam apud *Schol.* ad *Juven.* 11, 137. ad vocem *Pergula* adscribentem: coquina qua boletaria ponuntur.] Cum mihi boleti dederint tam nobile nomen, Prototomis (pudet heu!) servio cauliculis. *Trebell. Claud.* 17. Boletar halieuticum argenteum librarum XX. *Salmas.* putat ideo *halieuticum* dici, quia *ἁλιέα*, hoc est piscatorem haberet insculptum. In vet. editionib. quibusdam legitur *voletar*. Facile enim *b* in *v* transit, ut diximus initio hujus Litterae. Sunt qui legendum putant *boleter halieuticum*, et exponunt rete aut quidpiam simile ad pisces capiendos. Ceterum *boletar* legitur etiam apud *Apic.* 2, 1., 5, 2. et 8, 7., et ubique vas escarium seu culinarium significat.

BOLĒTUS, i, m. *βωλίτης*, genus fungi omnium optimi, sed simul maxime periculosi, ut qui facillime venenum attrahat, ut *Plin.* 22, 22, 46. ostendit. Dictus est a *βῶλος*, vel qua glebam significat, quia figura sua globosa rotundae glebulae similis est; vel qua rubricam significat propter colorem. *Mart.* 3, 60. Sunt tibi boleti: fungos ego sumo suillos. ℙ Nascitur primo tuberis figura, quam *volvam* dicunt, colore albo; intus est boletus rubei coloris, ceu in ovo est luteum. Ipsa quoque tunica boleti adhuc infantis gratiam habet in cibis. Boleto nascente ea rumpitur; mox increscente in pediculi corpus absumitur. Haec ex *Plin. l. c.* ℙ Hoc fungorum genere Claudius imperator, Agrippinae fraude sublatus dicitur: quam rem tanquam certam narrat *Plin. l. c.*, *Mart.* 1, 21., *Juven.* 5, 147. et alii; ut dubiam affert *Suet. Claud.* 44. ℙ In magno pretio tale cibi genus olim fuit. *Mart.* 13, 48. Argentum atque aurum facile est laenamque, togamque Mittere; boletos mittere difficile est.

BOLIMUS. V. BULIMUS.

*BOLINGAE, arum, Indiae populi, ad Indum flumen. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

BOLIS, ĭdis, f. *βολίς*, Graeca vox, quae significat missilem hastam seu jaculum: a *βάλλω*, jacio. Hinc *bolides* dicuntur coelestes faces, totae ardentes, et longum limitem trahentes. *Plin.* 2, 26, 25.

BOLĪTES, ae, m. *βολίτης*, vocatur ab Asianis radix lychnidis herbae. *Plin.* 21, 26, 98.

BOLOE, *βῶλοι*, gemmae sunt, quae nimbo cadere dicuntur, glebae similitudine. *Plin.* 37, 10, 55.

BOLONAE, arum, m. plur. *Arnob.* 2. p. 70. Cybiarios, salinatores, bolonas, unguentarios etc. *Don.* ad illud *Ter. Eun.* 2, 2, 26. *Cetarii*, *lanii*, *coqui* etc. Cetarii, qui cete, id est magnos pisces venditant, et bolonas exercent. *Muret.* docet *bolonas exercere* dici eos, qui solent non singulos pisces, sed universos retis jactus simul vendere: a *βόλος*, retis jactus; quod a *βάλλω*, jacio. In *Gloss. Isid.* Bolonae dicuntur, qui diversa genera piscium emunt. In *Gloss. Philox.* bolonae exponuntur *μεταπράται*, *παλιγκάπηλοι*, hoc est qui emunt, ut postea vendant. [*Bolona s. bolonae duas igitur significationes habet; primum dicitur de homine qui pisces venditat; tum de negotio quod quis ponit in venditandis piscibus.] ℙ In quibusdam *Arnob. codicib.* legitur *volones:* sed facile *b* in *v* transit, ut dictum est initio hujus Litterae.

BOLTĪNĬA Tribus pro *Voltinia* legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 546, 2. Saepe enim *v* in *b* transit, ut initio hujus Litterae dictum est.

BOLUS, i, m. *βόλος*, Graeca vox, quae jactum significat: a *βάλλω*, jacio. Latine sumitur aliquando pro jactu talorum. *Pl. Rud.* 2, 3, 29. O Neptune lepide salve, nec te aleator ullus est sapientior. Profecto nimis lepide jecisti bolum. *Id. Curc.* 5, 2, 12. Si vis tribus bolis, vel in chlamydem. Adde *Auson. Profess.* 1, 26. Omnes enumerasse bolos. ℙ Item pro jactu retis, et pro piscibus, qui uno retis jactu capiuntur. Ad hanc item notionem pertinet locus *Pl. Rud.* 2, 3, 29. supra allatus. *Suet. Rhet.* 1. Adolescentes urbani litus ingressi piscatores trahentes rete adierunt et pepigerunt, bolum quanti emerent. ℙ Hinc translate accipitur pro praeda, aut lucro. [*Non recte haec tradit Forc., qui has voces non distinguit. Sed differunt ita: bolus ubi *jactum* significat aut talorum aut piscium, penultimam corripit, siquidem Graecis eo significatu sonat *ὁ βόλος;* at alia est vox bolus, quae proprie *offam* significat, tum transfertur ad *lucri damnive* notionem exprimendam: hac significatione penultimam producit, quod a *βῶλος*, *gleba*, *globulus* descendit.] *Varr. R. R.* 3, 14. Cochleae magnum bolum deferunt aeris. [**werfen einen tüchtigen Klumpen Geld ab.*] *Id. ib.* 2, 16. Sed ut ad hunc bolum pervenias. [*Hic error aliquis subest. Varronis liber secundus in undecim tantum capita divisus est. Sed leguntur haec verba apud *Varr. R. R.* 3, 2. Verte: *aber dass so ein guter Bissen an dich kommt.*] *Ter. Heaut.* 4, 2, 6. Crucior, bolum tantum mihi ereptum tam subito e faucibus. [**einen so guten Bissen.*] Adde *Pl. Truc.* 4, 2, 12. *Id. Pers.* 4, 4, 106. Dabit tibi grandes bolos. ℙ Et pro jactura, damno. Hinc *tangere*, aut *multare aliquem bolo* est circumvenire, decipere, damno afficere; ducta translatione a piscatoribus, qui rete jaciendo pisces decipiunt et capiunt. *Pl. Poen. prol.* 101. Quia amare cernit, tangere hominem vult bolo. *Id. Truc.* 4, 3, 70. Verum hoc ego te multabo bolo: sex talenta magna a dote demam pro ista inscitia. Adde *ib.* 1, 1, 10.

*BOLUS, i, V. *voc. praec. med.*

*BOMARĒI, orum, populi Asiae ulterioris, in Bactriana, vel Bactrianae saltem vicini. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

BOMBAX! Interjectio est hominis laete, vel cum admiratione approbantis, vel etiam negligentis et contemnentis. *Pl. Ps.* 1, 3, 131. Fur. *B.* babae. *P.* fugitive. *B.* Bombax. *P.* fraus populi. *B.* planissime. ℙ Etiam Graeci hoc habent adverbium, a quibus mutuatus est *Plautus*. Legitur enim apud *Aristoph. in Thesmoph. v.* 46. ubi vim habet irridentis et contemnentis.

BOMBĪCUM, i, n. bombus, clamor. *Venant. de Vita Martini* 4, 450. Intolerabilium per inania bombica jactans.

BOMBILO. V. BOMBITO.

BOMBINĀTOR. V. BOMBITATOR.

'BOMBIO. V. BOMBITO *in f. B. A.*

BOMBĪTĀTĬO, onis, f. est sonus apum, ait *Festus*, ab ipso sono dictum, sicut mugitus boum, hinnitus equorum. Al. leg. *Bombizatio*, al. *Bombigatio.* [**Grot.* mavult *Bombilatio. B. A.*]

BOMBĪTĀTOR, oris, m. qui bombum edit instar apum. *Capell.* 9. *fin.* [ubi tamen *ed. Vulcan.* habet *bombinatore*, *Grot.* proponit *bombitatore.*]

BOMBĪTO, as, n. *βομβῶ*, bombum edere, quod est apum. *Auctor carm. Philom.* 36. Bombitat ore legens munera mellis apis. Ita enim legendum, non *bombilat*, ut monuit *Giphan.* ad *Lucr.* 2, 1114. in voce *Perfice*, et *Voss.* in *Etym.* in *Bombus.* [**Vet. Gloss. Βομβῶ*, bombio.]

BOMBOMĀCHIDES, ae, m. nomen imperatoris fictum risus causa a *Pl. Mil.* 1, 1, 14. quasi *clamore pugnans*: a *βόμβος*, clamor, et *μάχομαι*, pugno.

*BOMBOS, i, flumen Ciliciae. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

BOMBUS, i, m. *βόμβος*, Graeca vox a sono ficta. Dicitur de murmure apum, de tubarum cantu, de clamore plaudentis turbae et similibus. Primo autem et proprie dici videtur de apibus: unde *bombitare*, *bombitatio*, *bombitator. Varr. R. R.* 3, 16. Ex apibus conjecturam capiunt, si intus faciunt bombum. *Lucr.* 4, 545. Tuba reboat raucum bombum. *Cat.* 64, 263. Multi raucisonis efflabant cornua bombis. *Capell.* 2. p. 34. Ut Musarum cantus aliquanto bombis tympani obtusior redderetur. *Ennius* apud *Fortunatian. in Dialect.* sonum pedum *bombum pedum* dixit. *Suet. Ner.* 20. narrat, tria plausuum genera edi solita ab adolescentibus, quos ut sibi cantanti acclamarent, Nero delegerat, vocata fuisse *bombos*, et *imbrices*, et *testas. Bombi* autem fuisse videntur cum eadem vox ab omnibus simul magna voce bis terque repetebatur: *imbrices* plausum significabant ad similitudinem pluviae super tegulas crepitantis obstrepentem: *testae* ideo fortasse dictum est tertium plausuum genus, quod testarum collisarum crepitus similem sonum edebat. Haec ex *Casaub. ad Suet.*

*BOMBYCINĀTOR, oris, m. purpuram faciens. *Gloss. Isid. B. A.*

*BOMBYCĪNO, as, purpuram facio. *Isid. Gloss. B. A.*

BOMBYCĪNUS, a, um, adj. *βομβύκιος*, qui est ex bombyce, sericus. V. BOMBYX. *Juven.* 6, 258. Hae sunt, quae tenui sudant in cyclade, quarum Delicias et panniculus bombycinus urit. *Mart.* 14, 24. Taenia ne madidos violet bombycina crines. *Plin.* 11, 22, 26. Bombycina vestis. ℙ *Bombycina* absolute sunt vestes bombycinae. *Mart.* 11, 50. Nunc furtiva lucri fieri bombycina possunt. Adde 8, 68. ℙ [**Bombycinum* genere neutro de textura bombycum. *Isid.* 19, 22. Bombycina vestis a bombyce vermiculo, qui longissima ex se fila generat, quorum textura *bombycinum* dicitur, conficiturque in insula Coo.]

BOMBYCĬUS, a, um, adj. *βομβύκιος*. *Bombyciae arundines* ap. *Plin.* 16, 36, 66. dicuntur, quae lanugine bombycis simili obductae sunt. ℙ [*Potest autem esse *Bombyciae* nom. plur. voc. *Bombycias*, *ae;* quod magis placet. *Bombycias* Graece est *βομβυκίας* et *κάλαμος βομβυκίας* apud *Theophrastum*, *Hist. Plant.* 4, 12. Cf. *Salm.* ad *Tert. de Pallio* p. 234. et *Exerc. Plin.* p. 296. Adde *Isid.* 12, 15. *B. A.*]

BOMBYLĬUS, ii, m. *βομβυλιός*. V. in v. seq.

BOMBYX, ycis, m. *βόμβυξ*. Primo ita appellatur insectum quoddam ex vesparum genere, in Assyria proveniens, majus tamen, quam vespa. Nomen habet a *bombo*, quem apum instar edit. Nidum luto fingit salis specie, applicatum lapidi, tanta duritie, ut spiculis perforari vix possit. In eo ceram largius, quam apes, facit; deinde majorem vermiculum. *Plin.* 11, 22, 25. ℙ Secundo *bombyx* dicitur aliud insectum e grandiore nascens vermiculo, et gemina protendente cornua. Hoc primum eruca fit; deinde quod vocatur bombylius (al. leg. *bombylis*) ex eo necydalus; ex hoc in sex mensibus bombyx. Telam araneorum modo texit ad vestem luxumque feminarum; quae bombycina appellatur. Hujusmodi telas redordiri, rursusque texere prima invenit in Ceo insula mulier Pamphila, Latoi filia. *Plin. l. c.* ℙ Etiam in Co insula bombycas nasci traditur ex floribus cupressi, terebinthi, fraxini, et quercus imbre decussis et putrefactis. Fieri autem primo papiliones parvos nudosque: mox frigorum impatientia villis inhorrescere, et adversum hiemem tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radendo lanuginem foliorum. Hanc ab iisdem cogi unguium carminatione, mox trahi inter ramos, et tenuari ceu pectine: postea apprehensam corpori involvi nido seu folliculo volubili. Tum ab homine tolli, fictilibusque vasis tepore et furfurum esca nutriri; atque ita subnasci sui generis plumas, quibus vestitos ad alia pensa dimitti. Eam vero lanuginem nidi forma coactam aqua macerari, ut lentescat, mox in fila tenuari junceo fuso: inde vestes confici. *Plin. ib.* 23, 27. ℙ Ex his satis apparet, quos nunc habemus bombyces, alterius quidem speciei esse ab iis, quos *Plinius* memorat, similes tamen, ut eadem omnibus appellatio aptissime tribui possit. Putat nihilominus *Salm.* ad *Tert. Pall.* 3., nec ab-

surde, bombyces *Plinii* eosdem omnino fuisse cum nostris, sed *Plinium*, cum apud falsum quendam scriptorem eam invenisset descriptionem, quam attulimus, sine delectu arripuisse, quod veram esse putaverit. [*Primos bombyces anno 551. p. Ch. a duobus monachis Constantinopolin delatos esse auctor est *Procop. de bello Goth.* 4, 17.] ℙ Saepe *bombyx* sumitur pro veste ex bombyce, vel pro ipsa bombycis lanugine. *Prop.* 2, 2, 25. Nec siqua Arabio lucet bombyce puella. *Arabium bombycem* appellat, quia in Arabia felici bombycinae vestes optime texebantur. *Lucere* autem puella dicitur, quia ex bombyce fiebant vestes pellucidae, et visum transmittentes: iisque ditiores feminae, et luxui deditae utebantur: quod et *Plin.* adnotavit 11, 22, 26., queriturque *Sen. ep.* 90. et *Ben.* 7, 9. nihil in iis esse, quo defendi corpus aut denique pudor possit. *Mart.* 8, 68. Femineum lucet sic per bombycina corpus. ℙ *Bombyx* cum pro lanugine aut veste bombycina ponitur, etiam feminino genere effertur. *Plin.* 11, 23, 27. Assyria tamen bombyce adhuc feminis cedimus. ℙ Sed et ipsum animal femineo genere usurpatum legitur. *Tert. Pall.* 3. Prorsus haud latet, bombycem, quae per aerem aliquando araneorum more etc. ℙ Aliquando accipitur pro quavis tenuiore ac molliore lanugine. *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 3. *de frutice ferente gossipium.* Parvus est, similemque barbatae nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur. ℙ Lis est inter eruditos non levis, utrum *serica* et *bombycina* antiquorum idem sint vestis genus, an diversum. Distincta esse putat *Lips.* in *Exc. I.* ad *Tac. A.* 2.: bombycina enim e verme, serica ex arborum lana fuisse. Distinguit etiam *Paul. Sent.* 3, 7. *a med.* illis verbis: Veste legata, ea cedunt, quae ex lana et lino texta sunt, item serica, et bombycina. [**Ulp. Dig.* 34, 3, 23. Vestimentorum sunt omnia lanea lineaque vel serica vel bombycina.] Contra *Salm. Exerc. Plin.* ad *Solin.* 24., in *adnotat.* ad *Tert. Pall.* 3. et *ad Vop. Aurel.* 45. pluribus ostendit, sericum et bombycinum eandem omnino rem esse. Quod enim Seres, a quibus *sericum* denominatum est, lanuginem arborum depectere dicuntur tum a *Virg. G.* 2, 121., tum a *Plin.* 6, 17, 20. et aliis, eam ipsam lanuginem nihil aliud esse, quam telam ac texturam bombycum, quos in ramis arborum texere idem *Plin.* tradit, ut supra dictum est. Re itaque haec duo idem esse, nomine tamen distincta, quia sericum dictum sit, quod a Seribus texebatur; bombycinum, quod in Cea insula. *Salm.* adstipulantur *Isid. Orig.* 19, 27. et *Serv.* ad *loc. Virg. cit.*, eaque sententia vero propior videtur. ℙ [Ex his autem omnibus omnino apparet, sero admodum Romanos Italosque ceteros, omnesque Occidentis regiones cognovisse, quale esset bombycinum opus, quid serica materies. Putabant enim lanuginem esse, quae ex arborum frondibus depecteretur, quemadmodum mollis illa et alba lana, quam *gossipion* dicunt. *Virg. G.* 2, 121. Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres. *Plin.* 6, 17, 20. Seres lanicio silvarum nobiles perfusam aqua depectentes frondium canitiem. *Ammian.*, qui vixit saeculo Christi IV. sub Constantio proximisque imperatoribus usque ad Theodosii tempora, 23, 6. Apud Seres silvae sublucidae, a quibus arborum fetus aquarum adsperginibus crebris velut quaedam vellera mollientes, ex lanugine et liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesque subtegmina conficiunt sericum. Tradit vero *Zonar. Annal.* 14, 9. Imperante Justiniano, *h. e.* circa dimidium saeculi VI., ova bombycum a Monachis quibusdam ex India in Graeciam translata fuisse, ac tunc primum apud nos integrum animalium opus, totumque sericum artificium innotuisse. *Isid. Orig.* 19, 27. Sericum dictum, quia id Seres primi miserunt. Vermiculi enim ibi nasci perhibentur, a quibus haec circum arbores fila ducuntur. Vermes autem ipsi Graece *βόμβυκες* nominantur. Hac de re legenda omnino est adnotatio *Camilli Silvestri* ad *v.* 66. *sat.* 2. *Juven.*, ubi pluribus verbis et firmissimis argumentis ostendit, sericum multo nobilius fuisse bombyce, quippe quod respondeat illi filo, quod nos *orsojo*, bombycem vero illi materiae quam *bavella*, *bavelline* aut *capecciole* nominamus. *F.*]

*BOMILCAR, aris, m. Amilcaris filius, Poenorum dux, veniens in suspicionem Carthaginiensibus, quod cum Agathocle conspiraret, in medio foro patibulo suffixus est. *Justin.* 22, 7. ℙ Bomilcar alius, a Jugurtha impulsus, Massivam sustulit; mox contra ipsummet cum Nabdalsa conspirans, re detecta poenas dedit. *Sall. Jug.* 35, 36. *B. A.*

*BOMITAE, arum, Syriae oppidum, in Antiochena, ad Amanum montem. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[BOMONĪCAE, arum, m. plur. *βωμονείκαι*, a *βωμὸς* ara, et *νεικέω* contendo, ita appellati Lacedaemone pueri impuberes, qui super aram Dianae impositi contendebant de sustinendis verberibus, donec ex eorum corpore sanguis efflueret, qui instar esset sacrificii. *Hyg. fab.* 261. Ad Laconas Diana translata est, ubi sacrificii consuetudo adolescentum verberibus servabatur, qui vocabantur bomonicae, quia aris superpositi contendebant, qui plura posset verbera sustinere. Haec eadem leguntur apud *Serv.* ad *A.* 1, 116. Adde *Lactant.* ad *Stat. Th.* 8, 437., ubi tamen Graece scribit. *Pl. Capt.* 3, 1, 12. *plagipatidas* appellat. V. SPARTANUS. *F.*]

BONA Dea, *Ἀγαθὴ Θεά*. Hoc nomine terra ipsa culta est a Romanis: quia omnium nobis ad victum bonorum causa est. Dicta est etiam *Fauna*, quia omni usui animantium favet: item *Fatua* a fando, quod infantes partu editi non prius vocem edunt, quam terram attigerint: (vel quia mulieribus fata canere consueverat, ut *C. Bassus* apud *Lactant.* 1, 22. docet.) *Opem* quoque appellarunt, quod ipsius ope et auxilio vita constet. Haec ex *Cornelio Labeone* tradit *Macr. Sat.* 1, 12., ubi addit alios putare, eandem esse ac Majam, alios Junonem, alios Semelem, alios Medeam. Sed *Varro* apud *eund. Macr.* et *Lactant. ib.* docent, Bonam Deam Fauni filiam fuisse, adeo pudicam, ut extra *γυναικωνίτην* nunquam sit egressa, nec nomen ejus in publico fuerit auditum, nec virum unquam viderit, nec a viro visa sit: propter quod ejus aedem ingredi, et sacris adesse viris nefas erat. Solae enim mulieres, et in operto, ei operabantur. Quam religionem violavit P. Clodius. Cum enim C. Caesaris Pont. Max. uxorem Pompejam deperiret, repertus est aliquando in ejusdem Caesaris domo, ut *Suet. Caes.* 6. et 74. narrat, muliebri habitu inter matronas sacrificantes, et ab Aurelia C. Caesaris matre agnitus atque expulsus. Cujus rei toties fere mentio fit a Cicerone, quoties in P. Clodium invehitur. Adeo autem masculini sexus vitabatur consortium, ut etiam picturae masculorum animalium eo loco contegerentur, ut *Sen. ep.* 97. et *Juven.* 6, 340. docent. Multa tamen impudicitiae crimina a mulieribus in hujus Deae sacris admitti solita perstringit *Id. Juven. ib.* 313. ℙ [*Viscont. Monum. degli Scip.* p. 38. *edit. Mediol.* putat antiquissimum hujus Deae nomen derivari a *Δηὼ*, *Ceres;* hinc factum *Deona* et *Duona* ut a *Δηὼ*, *Latona*, deinde *Buona Mater*, seu *Δημήτηρ*, hinc *Bona Mater. Ov. A. A.* 3, 637. vocat *Bonam Divam. F.*] ℙ Hujus sacrificia erant instituta pro salute populi Romani. In his porca caedebatur, et vas cum vino inferebatur, mutatis tamen nominibus, ut vas ipsum *mellarium*, vinum *lac* appellaretur: quia ejus Deae pater stuprum ei obtulisse traditur, et reluctantem decipere per ebrietatem voluisse. *Macr. l. c.* ℙ [*Juven.* 2, 86. Atque Bonam tenerae placant abdomine porcae E magno cratere Deam: sed more sinistro Exagitata procul non intrat femina limen: Solis ara Deae maribus patet. Hoc *Juven.* loco Minervae Quinquatria intelligi nonnulli interpretes arbitrantur, quae in Albano celebrabantur, collegio a Domitiano instituto, ut narrat *Suet. Dom.* 4., Bonam autem dici putant, quod haec Minervae sacra ita celebrarentur, ut sacra Bonae Deae, porca scilicet caesa et vino illato; sed contrario ritu, amotis scilicet feminis, ut in Bonae sacrificiis excludebantur mares. Haec vero de sacerdotibus Minervae in monte Albano commode intelligi nequeunt; nam dissimiles dubio procul fuerunt Minervae et Cybeles cultus; praeterea minime probandum est, tantae infamiae auctoritatem quasi publicam praebuisse Domitianum, etsi malum principem; nullum insuper ea de re etiamnum exstat monumentum; denique ideo tantum institutum a Domitiano collegium et Minervae dicatum fuerat, ut *ederet eximias venationes, et scenicos ludos, superque oratorum ac poetarum certamina*, ut ait *Sueton. l. c.* Alii eadem dici volunt de sacris ipsis Bonae Deae, quae tunc temporis Romae privatim a solis maribus colerentur, ut falso existimavit *Jo. Ant. Vulpius* ad *Tib.* 1, 6, 22. Unde vero qui ita explicant, haec acceperunt? Cum igitur ex mera conjectura potius, quam alio quovis monumento freti hujus loci interpretationem dederint eruditi, nos putamus illa sacra fuisse simulata, et verorum Bonae Deae sacrorum parodiam ridiculam ab impiis hominibus in orgiis privatis peractam, ad irridendam potius religionem, quam in ejus honorem inventam. Consule, si vacat, *Juvenalis* locum, et mecum senties profecto, si sequentes etiam versus attente perlegeris. *F.*] ℙ Etiam Venus *Bona Dea* dicta est, ut apparet ex *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 92. ℙ Plura de hoc Numine V. apud *Macr. l. c.*

BONĀ, orum. V. BONUM.

BONĀSUS, i, m. *βόνασσος* et *βόνασος*, fera esse traditur in Paeonia nascens juba equina, cetera tauro similis, cornibus tamen ita in se flexis, ut sint inepta pugnae: quapropter fuga sibi auxiliari, fimum in ea reddens, interdum et trium jugerum longitudine, cujus contactus insequentes, ut ignis aliquis, amburat. Haec *Plin.* 8, 15, 16., cui similia habet *Solin.* 40., ubi al. male leg. *Bonacus*, et *Bonnacus*, quae mutuata ab *Aristot. Hist. An.* 9, 45. V. BISON.

*BONCONĪCA, ae, oppidum Galliae Belgicae, ad Rhenum flumen, in agro Vangionum, hodie *Oppenheim. Tab. Peut.* In *Anton. Itin.* appellatur *Bauconica. B. A.*

BONĒ, adv. idem ac bene, *καλῶς*. *Lucr.* 2, 7. Sed nil dulcius est, bone quam munita tenere. *Id.* 4, 573. Quae bone cum videas etc. *Id.* 6, 996. bone confirmata atque locata. Ita *Gifan.* edidit ex quibusd. vet. codicib., addens etiam a *Sosipatr. Charis.* hoc adverbium probari. Alii passim *bene* reposuerunt.

[BONĪCIUS, a, um, adj. ad bonum pertinens. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 716, 2. Ulpius Bonicius. *F.*]

*BONIFACIES, adj. *Εὐπρόσωπος Gloss. Gr. Lat. B. A.*

*BONIFĀTUS, a, um, adj. *Εὔμοιρος Gloss. Gr. Lat. B. A.*

*BONIMŌRIS, e, adj. *Καλότροπος Gloss. Gr. Lat. B. A.*

*BONITARĬUS, verbum est a *Theophilo* et similibus fictum: item ut ejus contrarium *Quiritarius.* Duplex est (*inquit*) dominium: legitimum, quod jure Quiritium competit et appellatur dominus jure Quiritario: naturale, quod in bonis est, unde Bonitarius dominus dicitur. Causam autem harum (dicta *Gesneri* sunt) appellationum ex *Ulpiani Instit.* apparet, ubi ait: In bonis tantum alicujus servus est, velut hoc modo, Si civis Romanus a cive Romano servum emerit, isque traditus ei sit, neque tamen mancipatus ei, neque in jure cessus, neque ab ipso anno possessus sit. Nam quamdiu horum quid fiat, is servus in bonis quidem emtoris est: ex jure Quiritium autem, venditoris est. *Hotoman. B. A.*

BONĪTAS, atis, f. *ἀγαθότης*, *ἐσθλότης*, [*bona alicujus rei conditio, ejus praestantia ac virtus.] *Cic. Rosc. Am.* 7. Bonitas praediorum. *Id. Or.* 18. vocis. *Id. Off.* 3, 3. ingenii. *Phaedr.* 8, 4. aquae. *Plin.* 14, 4, 6. vini. *Id.* 13, 9, 17. Materies Persicae arboris bonitate, firmitudine, nihil differens a loto. *Id.* 37, 8, 37. Bonitates gemmarum distinguere. *Id.* 34, 12, 32. Atramentum quantum colore, tantum bonitate deterius. *Id.* 33, 3, 19. Aurum quo saepius arsit, proficit ad bonitatem. *Pomp. Dig.* 12, 1, 3. Mutuum eadem bonitate solvatur, qua datum est, [*i. e. eodem statu, ut usu non detritum s. in pejus mutatum sit.] *Cic. Dom.* 22. Bonitas causae, *h. e.* causa quae justa est, et facile probari ac defendi potest. *Id. Or.* 49. Bonitate potius nostrorum verborum utamur, quam splendore Graecorum. ℙ Saepius refertur ad animum et mores. *Cic. Off.* 1, 32. *fin.* Nonnulli sive felicitate quadam, sive bonitate naturae, sive parentum disciplina rectam vitae consecuti sunt viam. *Id. Dom.* 42. Vir singulari bonitate et modestia praeditus. *Nep. Tim.* 5. Hominis excellens bonitas. *Cic. Fam.* 13, 4. Commendare aliquid fidei justitiae et bonitati alicujus. [*Sic exponit hanc vocem *Ernesti* ap. *Cic. N. D.* 31, 30. Ut donum hoc divinum rationis et consilii ad fraudem hominibus, non ad bonitatem impertitum esse videatur. Ubi alii explicant: in eorum commodum s. utilitatem.] ℙ Speciatim sumitur pro benignitate, liberalitate, clementia. *Cic. N. D.* 1, 43. Quid enim est melius, aut quid praestantius bonitate et beneficentia? *Id. ib.* 3, 34. Uti bonitate Deorum. *Id. ib.* 2, 23. et *Pl. Capt.* 2, 1, 48. Bonitas alicujus erga aliquem. *Cic. Rosc. Com.* 10. Affluere bonitate. [**Tac. H.* 1, 52. Id comitatem bonitatemque faventes vocabant. Ubi *Gronov.* ostendit bonitatem esse liberalitatem vel munificentiam; alibi (*Ann.* 13, 30. 15, 21.) *Tacitum* dicere *malitiam* pro avaritia.] ℙ Item pro justitia et pietate in parentes. *Id. Part.* 22. *extr.* Justitia erga Deos, religio; erga parentes, pietas, vulgo autem bonitas; creditis in rebus, fides nominatur.

BONNENSIS, e, adj. ad Bonnam pertinens, urbem Germaniae inferioris ad Rhenum, inter Coloniam et Confluentiam, cujus meminit *Tac. H.* 4, 19. *Id. ib.* 20, Cum castris Bonnensibus propinquarent. Adde *ib.* 62.

BONŌNIA, ae, f. nunc *Bologna*, urbs nobilis Aemiliae, octava Italiae regione, ad Rhenum fluvium, colonia quondam Romanorum. V. *Liv.* 37, 57. Dicta est etiam Felsina: fuitque antiquitus totius Etruriae caput, licet ipsa in Etruria non sit. *Sil.* 8, 601. Ocni prisca domus, parvique Bononia Rheni. *Mart.* 3, 59. culta Bononia. Adde *Plin.* 3, 15, 20. et *Melam.* 2, 4. ℙ Est etiam hoc nomine urbs Pannoniae, cujus meminit *Ammian.* 31, 11. [*Item *Anton.* in *Itin.* ℙ Fuit et Bononia oppidum in Gallia Belgica, hodie *Boulogne. Tab. Peut. B. A.*]

BONONIENSIS, e, adj. ad Bononiam pertinens. *Cic. Brut.* 46. C. Rusticellus Bononiensis. *Plin.* 16, 36, 65. Rhenus Bononiensis amnis.

[BONOSĀ, ae, f. V. ATTAGEN. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 371, 5. Antonia Bonosa. *F.*]

[BONOSUS, i, m. Cognomen Romanum consulis incerti. *Inscr.* apud *Maff. Mus. Ver.* 358, 5. Leontio et Bonoso Coss. *F.* *Item Romanus Imperator, filius literarii paedagogi, auctore *Vopisco* 1.

omnium bibacissimus fuit, de quo *Aurelianus* dicebat, *Non ut vivat, natus est, sed ut bibat. Id. ib.* Laqueo, a Probo superatus, vitam finivit. Inde jocus: *Amphoram pendere, non hominem. Vopisc.* in *Bonoso* 15. ℙ Item scholasticus quidam, cujus haec acute dicta in vet. exempl. *Salmasius* reperit. De incestu: *Incestum si promiseris, perii ..... si negaveris, tu periisti.* De funambulo: *Vidi hominem pendere cum via, cui latior erat planta, quam semita* etc. Multi alii ejusdem nominis occurrunt in Veterum scriptis: ejus vero origo a *Bonus* est, pro quo *Bonosus* aetas illa loquebatur, sicut *Canosus* pro *Canus* legimus in quadam *Epist. Valerian. Imp.* ap. *Vopisc.* in *Probo*, 5. V. *Salm.* ad *Vopisc.* in *Bonoso*, 14. *B. A.*]

*BONTOBRICE, oppidum Treverorum in Gallia Belgica. *Tab. Peut.* V. *Baudobriga. B. A.*

BONUM, i, n. τὸ ἀγαθὸν, id quod est honestum, aut utile, aut jucundum, perfectum in suo genere, et naturae consentiens. *Cic. Tusc.* 5, 30. Tria genera bonorum, maxima animi, secunda corporis, externa tertia. *Id. Fin.* 3, 6. Summum illud hominis per se laudandum et expetendum bonum, positum est in eo, quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellamus convenientiam. [**Id. ib.* 5, 28. Concede nihil esse bonum, nisi quod honestum sit, concedendum est in virtute sola positam esse beatam vitam. — Dolere malum, in crucem si quis agitur, beatus esse non potest. Bonum, liberi; miserum orbitas. Bonum patria; miserum exilium. Bonum valetudo; miserum morbus. Bonum integritas corporis; miserum debilitas. Bonum incolumis acies; miserum caecitas. Cf. *de Fin.* 5, 6. *Lael.* 6.] *Cic. Tusc.* 5, 23. Bonum mentis est virtus. [**Pall. R. R.* 1, 7. bonum foecunditatis.] *Cic. Univ.* 14. Philosophiam adepti sumus, quo bono nullum optabilius, nullum praestantius. *Id. Ac.* 1, 5. Bona animi et corporis. *Id. Am.* 13. Bona et incommoda. [*res secundae et adversae.] *Id. Fam.* 15, 14. Uti bono litterarum. [*facultatem litterarum scribendarum non praetermittere.] *Quint. prooem.* 1. Eloquentiae bonis male uti. *Id. ib. fin.* Bona ingenii studiique corrumpere. *Id.* 11, 3. Bona vocis. *Tac. H.* 3, 81. pacis. *Sall. Cat.* 44. Maximum bonum in celeritate putare. *Id. ib.* 39. Bonum publicum simulare. *Plin. fin. Prooem. H. N.* Quia occupationibus tuis bono publico parcendum erat, [*i. e. publicae utilitatis causa.] *Liv.* 34, 5. Facere aliquid bono publico. *Id.* 36, 31. Pax bono omnium parta. [**Id.* 9, 38. Ne ira obstaret bono publico, legatos ad eum mittendos censuit Senatus. *Symm. Ep.* 3, 42. Imperator ad bonum publicum natus. *Id. ib.* 10, 22. Liberi ad bonum publicum nati. ℙ Bonum de pulchritudine dicitur. *Ter. Ph.* 1, 2, 57. Vis boni, i. e. praestantia pulchritudinis. *Ruhnk. dict.* p. 239.] ℙ *Bono esse alicui* est utile, aut commodum alicui esse. *Liv.* 8, 12. Quin etiam bono fuisse Romanis adventum eorum constabat. *Cic. Rosc. Am.* 5. Accusant ii, quibus occidi patrem Sex. Roscii bono fuit. ℙ Hinc *cui bono fuerit*, dictum celebre est L. Cassii summae severitatis viri, qui quoties quaesitor judicii alicujus erat, in quo quaereretur de homine occiso, suadebat, atque praebat judicibus, ut quaererent, cui bono fuisset perire eum, de cujus morte quaerebatur, hoc est cuja interfuisset, e cujus re fuisset, qui bonum aliquod ex ea morte sperasset: eum enim probabiliter reum esse. *Ascon.* in *Cic. Mil.* 12. Adde *Cic.* tum *l. c.*, tum *Phil.* 2, 14. ℙ Quid mihi sit boni, si mentiar? *Pl. Most.* 2, 1, 23. Simile est illud: *Quod bonum est? h. e.* quae utilitas est? quod saepe legitur apud JCtos. *Ulp. Dig.* 37, 4, 10. Quod enim bonum est, eis favere, ut partem faciant, nihil habituri? Adde *Cajum ib.* 16, 1, 13. et alibi. Sed ubique alii legunt *quo bonum est?* [*Atque hoc unice hodie probatur. Cf. *Duker. de Lat. Vet.* JCtorum p. 399. — Porro adde *Tac. A.* 2, 15. infensis rursum hostibus, nulla boni spe, i. e. nulla felicis exitus spe. *Ernest.* offendit ad haec verba, *Tac.* dedisse arbitrans: nulla bona spe. Sed hoc ipsum magis displicet: dicendum erat: non bona spe. *Edit. Bipont.* recte affert *Auct. orat. post red. in Sen.* 5. quis enim ullam ullius boni spem haberet. Ubi vide *Wolf.*] ℙ *Facere sibi bona multa* apud *Pl. Cas.* 2, 8, 34. est genio suo valde indulgere. ℙ *Facere aliquid boni alicui, h. e.* beneficium conferre. *Pl. Amph. prol.* 47. ℙ *Bona, orum*, sunt facultates, fortunae, patrimonium, τὰ ὑπάρχοντα, οὐσία. *Ulp. Dig.* 50, 16, 49. Naturaliter bona ex eo dicuntur quod beant, hoc est quod beatos faciunt: beare est prodesse. *Cic. Caec.* 13. Ad incertum revocari bona, fortunas, possessiones omnium. *Id. Quint.* 10. Possidere bona alicujus ex edicto. *Id. ib.* 29. Bonorum possessio spectatur non in aliqua parte, sed in universis, quae teneri ac possideri possunt. [*Scaev. *Dig.* 33, 2, 37. Bonorum appellatione continentur et praedia et mancipia et supellex et calendarium. *Ib.* 50, 16, 83. Proprie bona dici non possunt, quae plus incommodi, quam commodi habent. *Quint. Decl.* 273. Bona sunt, ut opinor, ea, quae detractis alienis deprehensa sunt. Sed latiore significatione bona dicuntur non eae tantum res, quarum proprietas ad heredes proprie pertinet, sed etiam agri vectigales, et quae pignori data sunt et quae bona fide possidentur. *Dig.* 36. 4. 5. 6.] *Cic. Caec.* 7. Esse in possessione bonorum, *Id. Top.* 3. Legare alicui usumfructum bonorum suorum. *Id. Off.* 2, 23. Bona civium voci subjicere praeconis. *Ter. Eun.* 2, 2, 4. Bona patria abligurire. *Quint.* 6, 1. Cedere bonis. ℙ *Esse in bonis* est esse in possessione bonorum. *Cic. Fam.* 13, 30. Nullam arbitramur de ea hereditate controversiam eum habiturum; et est hodie in bonis. ℙ Praeterea *esse in bonis alicujus* dicitur, quod in ejus patrimonio est. *Cajus Dig.* 1, 8, 1. Quod divini juris est, id nullius in bonis est. *Paul. ib.* 40, 12, 38. Servus, quem venditor emptori tradidit, et nondum pretio soluto, in bonis emptoris esse coepit. ℙ *Habere in bonis* est possidere. *Ulp. Dig.* 27, 10, 10. ℙ De *bonis Porsenae.* V. PORSENA. ℙ *Bonum* in singulari pro bonis, seu fortunis. *Pl. Trin.* 4, 1, 3. Quos penes mei potestas boni, navisque foret, et meae vitae. ℙ Pro beneficio. *Inscr.* ap. *Grut.* 787, 5. L. Baeb. Pardus omni bono de se meritae fecit. ℙ *Bonum* aliquando more interjectionis interseritur et exsultantem laetitiam significat. *Appul. Met.* 10. Sciscitatus, quid, bonum! rideret familia. (Ita *malum* contrario sensu. *Id. ib.* 4. Anus subiratior dicere eam jubebat, quid, malum! fleret.)

BONUS, a, um, adj. ἀγαθὸς, ἐσθλὸς, καλὸς, probus, integer, absolutus, perfectus, conveniens naturae: ab absoleto *duonus*, quod legitur apud *Fest.* et idem significat. Latissime autem patet ejus vis, ut significatio: dicitur enim non solum de hominibus, sed de omnibus rebus, quae gratiam, voluptatem, utilitatem, commoditatem aliquam habent. Ejus gradus *melior* et *optimus* suis loc. ponemus. *Cic. Tusc.* 5, 15. Quidquid est, quod bonum sit, id expetendum est. *Id. Agr.* 3, 3. *fin.* Vir multum bonus. *Id. Att.* 12, 5. auctor. *Id. Or.* 2, 46. *fin.* poeta. *Id. Leg.* 3, 19. augur. *Tac. G.* 19. *fin.* Boni mores, bonae leges. *Id. A.* 6, 46. Bonae artes. *Cic. Sext.* 16. Bona causa. [*Ov. *Trist.* 1, 8. Quaelibet officio sit bona causa tuo.] *Cic. Att.* 2, 2. conditio. [**Dig.* 21, 1, 54. Bonis conditionibus emere, aut distrahere, i. e. nullis adjectis appositisve legibus gravibus aut duris.] *Cic. Att.* 7, 26. fama. *Id. ib.* 8, 4. memoria. *Id. Top.* 17. fides. V. FIDES. [*Bonus dolus. *Ulp. Dig.* 4, 2, 3. §. 3. Non fuit contentus praetor *dolum* dicere, sed adjecit *malum;* quoniam veteres *dolum* etiam *bonum* dicebant, et pro solertia hoc nomen accipiebant: maxime si adversus hostem latronemve machinaretur.] *Cic. Fam.* 13, 60. benevolentia. *Id. Man.* 24. Bonam gratiam sibi quaerere. [**Ulp. Dig.* 24, 1, 32, 10. Plerique cum bona gratia discedunt, plerique cum ira sui animi et offensa. — Nempe cum bona gratia dissolvi matrimonium olim dicebatur, quod neutrius ex conjugibus culpa, et sine animi ira, consensu mutuo solvebatur. Similia haec sunt: *bona venia, bona pace*, et addita praepositione, *cum bona venia, cum bona pace* formulae sunt ejus, qui alicujus rei veniam ab alio petit. *Liv.* 29, 17. cum bona venia audiatis id quod invitus dicam. *Ter. Ph.* 2, 3, 31. primum abs te hoc bona venia expeto. *Ruhnk. dict.* p. 251.] *Cic. Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 17. Bona mens. *Quint. fin.* 12. voluntas. *Id.* 9, 2. conscientia. [**Tac. A.* 4, 38. bonae recordationes, sc. eorum qui lubenter et cum grato animo alicujus memoriam recolunt.] *Cic. Fin.* 2, 35. spes. *Id. Off.* 1, 33. Bono consilio aliquid facere. [*Hinc *boni consulere* quod saepius in JCtorum libris usurpatur. *Quint.* 1, 10. interpretatur: bonum judicare.] *Cic. Q. Fr.* 2, 2. Bona tempestate navigare. *Quint.* 11, 3. Bona vox. *Lucr.* 2, 418. Bonus color. [**Cic. Off.* 3, 23. boni nummi, opponuntur adulterini.] *Suet. Cal.* 33. Bona cervix. *Ter. Heaut.* 3, 2, 13. Mulier forma bona. *Pl. Bacch.* 5, 2, 11. Bona ovis. *Sen. Vit. beat.* 22. Bonus dies. *Ov. Fast.* 1, 72. Bonus dies. [*Apud *Senec.* dies bonus proprio sensu est dies serenus, apud *Ov.* dies faustus, felix.] *Cic. Dom.* 4. Bona tempora. *eod. sensu.* Re bona copiosum esse apud *Gell.* 16, 19. est divitiis affluere. *Cato R. R.* 4. Vicinis bonus esto. *Liv.* 42, 20. Prodigium vertetur in bonum. [**Cic. Att.* 13, 23. bono modo, i. e. moderate, non nimis acriter. Cf. *Q. Fr.* 2, 5.] ℙ *Boni, orum*, sunt viri boni, integris probatisque moribus. *Hor. Ep.* 1, 16, 52. Oderunt peccare boni virtutis amore. Adde *Cic. Tusc.* 5, 10. et *Am.* 14. et alibi saepe. In illo *ejusd.* ad *Brut. ep.* 3. *ad f.* Consules duos, bonos quidem, sed dumtaxat bonos, amisimus: *bonos* intelligit probos viros, et bene de republica sentientes, sed non strenuos, fortes, animosos. [**Id. Leg.* 1, 7. Solent enim, id quod virorum bonorum est, admodum irasci; nec vero ferent, si audierint, te primum caput viri optimi prodidisse.] ℙ *Bonus* aliquando dicitur eleganter per quandam ironiam. *Ter. Andr.* 3, 5, 10. Ehodum bone vir, quid ais? viden' me consiliis tuis Miserum impeditum esse? *Cic. Verr.* 2, 5, 6. Quid ais, bone custos defensorque provinciae? Adde *Sil.* 2, 240. [*atque ad h. l. *Drak.*] et *Stat. Th.* 2, 460. ℙ *O bone* est blande compellantis. *Hor. Sat.* 2, 6, 51. o bone (nam te Scire, Deos quoniam propius contingis, oportet) Nunquid de Dacis audisti? Et *ib.* 95. quo, bone, circa, Dum licet, in rebus jucundis vive beatus. Adde *Ep.* 2, 2, 37. et *Pers.* 6, 43. ℙ *Boni* aliquando dicuntur divites et felices. *Cic. Att.* 8, 1. Ut quemcumque fors tulerit, casum subeam potius cum iis, qui dicuntur esse boni, quam videar a bonis dissentire. Etsi propediem video bonorum, id est lautorum et locupletum, urbem refertam fore. Et *ib.* 9, 12. Praetores jus dicunt, aediles ludos parant, viri boni usuras perscribunt. *Pl. Capt.* 3, 4, 51. Est miserorum, ut malevolentes sint, atque invideant bonis. ℙ Item nobiles. *Ter. Ph.* 1, 2, 64. Illam civem esse Atticam bonam, bonis prognatam. *Pl. Pers.* 4, 4, 93. Bono genere natus. *Optimatum* appellatio hinc orta est. [*Etiam apud pedestres scriptores hoc significatu ponitur. *Cic. Leg.* 3, 9. bonis viris quid juris reliquit tribunatus C. Gracchi?] ℙ *Bonae res* idem sunt ac bona. *Nep. Ages.* 8. Praeter vitulina et hujusmodi genera obsonii nihil accepit: unguenta, coronas, secundamque mensam servis dispertiit: cetera referri jussit. Quo facto eum Barbari magis contempserunt: quod eum ignorantia bonarum rerum illa potissimum sumpsisse arbitrabantur. [**bonae res* h. l., ut apud Graecos τὰ ἀγαθὰ, de cibis delicatioribus dictae. Cf. *Bremi.*] ℙ Dicuntur etiam *bonae res*, quae sunt in bono statu. *Cic. Att.* 15, 13. Res Hispanienses valde bonae. *Id. ib.* 12, 21. Quod me in forum vocas, eo vocas, unde etiam bonis meis rebus fugiebam. ℙ *In re bona esse* est bona fortuna uti, divitiis abundare. *Laber.* apud *Gell.* 10, 17. ℙ *Bona aetas* est adolescentia et juventus, et *mala aetas* senectus. *Cic. Sen.* 14. Voluptatibus bona aetas fruitur libentius. V. MALUS. ℙ Interdum *bona aetas* est, quae vergit ad senium. *Sen. ep.* 76. Bona, inquis, aetate. Quidni bona? quid autem stultius, quam quia diu non didiceris, non discere? Alii rectius hoc loco ironiam agnoscunt. ℙ Saepe *bonus* idoneum significat, aptum, commodum. *Varr. R. R.* 1, 9. Terra cujusmodi sit, refert et ad quam rem bona, aut non bona sit. *Tac. A.* 2, 14. Campi militi Romano ad proelium boni. *Virg. G.* 2, 447. At myrtus validis hastilibus et bona bello Cornus. ℙ Item peritum, doctum, praestantem. *Cic. Ac.* 4, 31. Bonus gubernator. *Virg. Ecl.* 5, 1. boni quoniam convenimus ambo, Tu calamos inflare leves, ego dicere versus. (Adde *Sil.* 14, 453.) [**Appul. Met.* 1. p. 105, 30. boni latrones, qui 4. p. 146, 16. bonae frugis latrones appellantur. Sic *Catull.* 33, 1. furem optimum dicit furem callidissimum et artis furandi peritissimum.] *Tac. A.* 1, 3. Agrippa militia bonus. [*Item pulcrum, formosum. *Catull.* 15, 10. infesto pueris bonis malisque, i. e. formosis et deformibus. *Ruhnk.* ad *Ter. Ph.* 1, 2, 57. Sed dubito, an idem recte huc trahat *Hor. Od.* 4, 1, 3. qualis eram bonae sub regno Cinarae. quo loco ad animi indolem potest referri.] ℙ Item fortem. *Sall. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 199. Sane bonus ea tempestate contra pericula et ambitionem. *Id. Cat.* 34. *ad f.* Libertatem nemo bonus, nisi cum anima simul amittit. [*Vid. multa exempla apud *Klotz.* ad *Tyrt.* p. 8. *Jahn.*] ℙ Item amicum, faventem, propitium. *Cic. Att.* 10, 8. *in f.* Eo velim tam facili uti possem et tam bono in me. [**Planc. in epist. Cic. Fam.* 10, 8. bonae voluntatis vir. *Sen. Clem.* 1, 13. bonae ac fidae voluntatis ministri. *Vell.* 2. *fin.* Varus sane gravis et bonae voluntatis vir. Recentiores inprimis scriptores hac locutione usi sunt. Vid. *Vales. ad Excerpt. post Ammian. Tom.* III. p. 399. ed. Erf.] *Virg. Ecl.* 5, 65. Sis bonus o felixque tuis. *Id. A.* 12, 647. vos o mihi Manes Este boni. Adde *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 21. [*Hinc faustum, felicem. Nota locutio *bona verba dicere* in sacris, ubi significat: verbis, quae malum omen habeant, abstinere. *Tibull.* 2, 2, 1. Dicamus bona verba, ubi vid. *Broukh.* Translata inde ad alias res. *Ter. Andr.* 1, 2, 33. Bona verba quaeso, i. e. loquere meliora; noli putare, te a me deludi posse. *Ruhnk. dict.* p. 28. Pertinet huc formula, quae paullo infra legitur.] *Bona* vocatur a *Ter. Heaut.* 2, 4, 8. meretrix, quae nullam pro concubitu mercedem exigit; ut et *Tib.* 2, 4, 45. ubi opponitur *avarae.* At bona, quae, nec avara fuit, centum licet annos Vixerit; ardentem flebitur ante rogum. Item *Ter. ib.* 2, 2, 4. vocat *matrem* meretricis *malam*, quae avara est. [**Ruhnk. dict. in Ter.* p. 156.] ℙ Cum iis nominibus, quae quantitatem significant, ponitur pro multo vel magno. *Cic. Or.* 2, 3. *ad f.* Ajebat, bonam partem sermonis in hunc diem esse dilatam. *Hor. Ep.* 1, 18, 109. Sit bona librorum et provisae frugis in annum Copia. [*Bonus et magnus passim junguntur. *Ter. Eun.* 1, 2, 43. hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit. *Valer. Max.* 2, 9, 7. *Ruhnk. dict. in Ter.* p. 94.] ℙ Bonum est. *Pl. Curc.* 1, 3, 20. Bonum est, pauxillum amare sane; insane non bonum est.

[*Bonum est, i. e. prodest. *Cat. R. R.* 158. Eodem silphium irradito, bonum est. Bonum dictum pro: facetum dictum (Gallis *bons mots*) apud *Cic. Or.* 2, 54. Bona dicta tenere sapiens vix potest.] ℙ *Bonum factum.* V. FACTUS. [*V. *Bremi* ad *Suet. Vit.* 14. *coll. Caes.* 80.] ℙ *In bonum exire*, succedere, evenire ex sententia. *Sen. Vit. beat.* 8. *ad f.* Nihil inopinatum accidet, sed quidquid aget, in bonum exibit. ℙ *Quo bonum est?* h. e. ad quid utile est? *Cui bono fuerit*, h. e. cui utile fuerit. V. in BONUM, i. ℙ *Quod bonum, faustum, felix fortunatumque sit* solemnis praefatio bene precandi in omnibus paene rebus agendis. Legitur apud *Cic. Div.* 1, 45. et *Liv.* 3, 34. et 54. etc. [*In ejusmodi praefationibus *bonum est utile. Ov. Fast.* 3, 27. Utile sit faustumque precor.] Dicebant etiam *quod faustum felixque sit*, teste *Donato* ad *Ter. Ph.* 1, 2, 81.; item *quod bonum atque fortunatum sit*, ut est apud *Pl. Cas.* 2, 6, 30. V. plura apud *Brisson. De formul. l.* 1. ℙ *O bone Deus*, exclamandi formula, quae idiotismum sapere videtur, legitur apud *Scrib. Compos.* 84. *in f.* Dubitat autem *Rhodius*, an aliunde irrepserit: non enim sibi videri aetati *Scribonii* congruere. ℙ [*Reperitur etiam forma *buonus. Front.* ad *M. Anton. de Or. l.* 2. *fragm.* 1. Feres profecto buona venia veterem potestatem *etc.* Cf. voces *Duonus*, *Duellum*, *Duellona*, *Duellator etc. Buono* superest adhuc in vulgari Italorum lingua. *B. A.*]

BONUSCŬLA, orum, n. plur. dimin. a *bona* scil. possessiones. *Sidon. ep.* 9, 6. Quantum de bonusculis avitis et paternis sumptuositas domesticae charybdis abligurisset. *Imppp. Honor., Theod.* et *Constant. Cod. Theod.* 10, 10, 29. Uno petitorio singulorum bonuscula jubemus adscribi.

BOO et Bovo, as, avi, atum, n. et Boo, is, n. *βοάω*, resonantem clamorem edo. Ducitur vel a boum voce, ut *Varr. L. L.* 6, 5. et *Non.* 2, 80. docent, vel ab allato *βοάω*, ut *Festus* tradit. *Ov. A. A.* 3, 449. Redde meum, clamant spoliatae saepe puellae: Redde meum, toto voce boante foro. *Enn.* ap. *Varr. l. c.* clamore bovantes. *Pl. Amph.* 1, 1. 77. Boat coelum fremitu. *Pacuv.* ap. *Non. l. c.* Clamore et sonitu colles resonantes bount. ℙ Est etiam clamare, vociferari. *Varr.* ap. *Non. l. c.* Exeunt citi, strepunt, bount. *Appul. Met.* 5. Quam maxime boans, honesta, inquit, haec etc. *Id. Flor. n.* 17. Tragoedi identidem boando purgant ravim.

*BOOPES, is, n. *βοῶπες*, herbae genus. *Appul. Herb.* 104. Graeci paederota vocant, alii boopes, alii arctophyllon, Latini caerefolium. *B. A.*

BOOTES, ae, m. *Βοώτης*, Latine *bubulcus*, *ἀπὸ τοῦ βόας ὠθεῖν*, hoc est boves et plaustrum agere; vel *vociferans*, a *βοάω*, clamo. [*Est simpliciter factum ex *βοῦς* et *της* est terminatio.] De hoc satis dictum est in ARCTOPHYLAX. *Juven.* 5, 23. illo tempore, quo se Frigida circumagunt pigri sarraca Bootae. *Ov. Fast.* 5, 733. Auferat ex oculis veniens Aurora Booten. ℙ Legitur etiam *Bootis* in genitivo, ut sit tertiae Latinorum declinationis. *Avien. Perieg.* 364. sed latior axe Bootis. Et *ib.* 456. plaga dura Bootis. Et *ib.* 856. vel qua riget ora Bootis. Nisi malis esse adj. *Bootis*, *idis*, ut *Maeotis.*

*BORA, ae, mons Macedoniae, prope Illyricum. *Liv.* 30, 29. *B. A.*

*BORBETOMĂGUS, i, oppidum Galliae Belgicae, in agro Vangionum, hodie *Worms. Tab. Peut. Borbitomagus* dictum *Anton. Itin. B. A.*

*BORCĂNI, orum, populi Apuliae. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

*BORCOBE, es, urbs Scytharum Aroterum, prope Thraciam. *Plin.* 4, 11. *B.* A.

BORĔA, ae, f. *βόρειος*, *ἰασπὶς*, gemma ex genere iaspidum, colorem habens coelo autumnali matutino similem: alio nomine *aerizusa. Plin.* 37, 8, 37. ℙ Item urbs Africae, fortasse ad promontorium Boreum in Cyrenaica, ad Syrtim majorem. *Cic. Att.* 16, 4. Sunt qui in Hispania ponunt. V. *Borium.* Etiam Boria scribitur.

BORĔĂLIS, le, adj. *βόρειος*, ad Boream pertinens. *Avien. Phaen. Arat.* 951. borealia flamina. Adde *Perieg.* 84. et 292.

BORĔAS, ae, m. *Βορέας*, ita dicitur Graeca appellatione ventus Aquilo, de quo V. suo loco. *Non.* 1, 251. dictum putat a *βοή*, clamor, pugna, quod sonorus sit et procellosus. *Virg. A.* 3, 687. Ecce autem Boreas angusta e sede Pelori, etc. *Ov. Met.* 6, 682. Boreae Tereus Thracesque nocebant. (De Borea tanquam Deo et amatore loquitur.) *Id. ib.* 15, 471. Horriferum contra Borean ovis arma ministrat. *Borean* Graeca positione dicit pro *Boream. Colum.* 10, 288. Boreas nubifugus. ℙ Qui quatuor tantum ventos posuere, Boream eundem fecerunt ac Septentrionem seu Aparctiam, ex adverso Noti. *Ov. Trist.* 1, 2, 29. Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto. *Manil.* 4, 589. Asper ab axe ruit Boreas: fugit Eurus ab ortu. ℙ Quia Graece etiam *Βοῤῥᾶς* dicitur, quidam Latine dixerunt *Borra*, seu *Borrha*, *ae*, m. *Prud. Psych.* 847. algida Borrae aetas, *h. e.* senectus. *Paul. Nol. carm.* 17, (al. 30.) 245. Te patrem dicit plaga tota Borrae. Male alii utroq. loco leg. *Boreae.*

[BORĔOTIS, ĭdis, f. *Βορεῖτις*, idem ac borealis. *Prisc. Perieg.* 577. Ast aliae oceani juxta boreotidas actas Sunt geminae, *h. e.* geminae insulae Albion et Hibernia juxta litora oceani borealia. *F.*]

BORĔUS, a, um, adj. *βόρειος*, septentrionalis. *Oc. Trist.* 4, 8, 41. Vita procul patria peragenda sub axe boreo est. ℙ Paenultima correpta, extrita nempe altera vocali diphthongi, *Prisc. Perieg.* 271. Oceanum boreo contingunt frigore durum. Et *ib.* 315. Et Mysi Thracum boreis in finibus orti. *Id. ib.* 789. Ad latus istorum boreum sunt moenia clara. ℙ Hac ratione scribitur et *Borius.* ℙ [*Boreum promontorium, vel Boreon, vel Borion, *Βόρειον ἄκρον Ptol.*, in Africa fuit, in Cyrenaica, ubi Berenice oppidum. *Plin.* 5, 4. ubi *Borion* forma occurrit. *Borion* etiam legitur a nonnullis apud *Melam* 1, 7. ubi *Vossius* mavult *Bryon* (*βρύων*, *i. e.* muscorum) ut et in loco *Plinii* supra allato. Et profecto *Bryon* lectio est editionis *Gronovianae. B. A.*]

*BORITH, herba saponaria. De hac herba sic *Isid.* 16, 2. Crepitat in aqua, quomodo calx viva, et ipsa quidem disperit, sed aquam lavationi aptam reddit. Quae tamen verba absunt ab antiqua editione *Isidori* 1489. fol. a *Gothofredo* ex MSS. addita. *Jo. Mich. Langius* Dissertationes tres de ea edidit, et saponem vel smegma esse contendit: sed *Ol. Rudbeck.* purpuram vel coccum fuisse statuit. Cf. *Vulgat. Jerem.* 2, 22. et *Mal.* 3, 2. *B. A.*

*BORIUM urbem, ultimam Pentapoleos, versus occidentem, meminit *Anton.* in *Itin.* et *Procop. περὶ τῶν κτισμάτων* 6, 2. Idem fortasse est quod Boria. V. *Borea. B. A.*

BORĬUS. V. v. praec.

*BORMANNI, orum, oppidum et populi Galliae Narbonensis. *Plin.* 3, 4. Bormanni, Comacina etc. Sic ed. *Hard.* Antea, v. g. in ed. *Elzev.*, *Bormannico*, *Marcina* legebatur. *B. A.*

*BORNI, orum, Thraciae oppidum, circa Propontidem. *Nep. Alc.* 7. ubi *Bornos* habes, in quarto. *B. A.*

BORRA. V. in BOREAS.

*BORSYCITES, ae, gemma quaedam, cujus meminit *Plin.* 37, 11. *B. A.*

BORYSTHĔNES, is, m. nunc *Dnieper*, *Βορυσθένης*, fluvius Sarmatiae Europaeae. *Plin.* 4, 12, 26. et *Mela* 2, 1., ubi addunt etiam lacum et gentem per ea loca eodem nomine esse. *Mela* 2, 7. Leuce insula Borysthenis ostio objecta. ℙ *Borysthenes* fuit etiam equus Hadriani imperatoris, in quem exstat epigramma in *Auth. Lat. Burm. T.* 2. p. 288. Borysthenes Alanus, Caesareus veredus, Per aequor et paludes, Et tumulos Etruscos Volare qui solebat. ℙ *Borusthenes* pro *Borysthenes* legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 453, 1. ex consuetudine Latinorum Graecam *υ* in *u* vertentium.

BORYSTHĔNĬDAE, arum, m. plur. ad Borysthenem habitantes. *Prop.* 2, 6, 18. Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.

BORYSTHĔNĬS, ĭdis, f. urbs ad ostia Borysthenis sita. *Mela* 2, 1. de Borysthene: Secundum Borysthenida, et Olbiam, Graeca oppida, egreditur. ℙ Adjective *Calvus* ap. *Valer. Prob. Gramm.* 1. p. 1394. Frigida jam celeri peragrata Borysthenis ora.

BORYSTHĔNĪTAE, arum, m. plur. Borysthenidae. *Macr. Sat.* 1, 11.

BORYSTĔNĬUS, a, um, adj. ad Borysthenem pertinens. *Ov. Pont.* 4, 10, 53. Cumque Borysthenio liquidissimus amne Dyraspes.

BOS, bovis, comm. gen. *βους*, *βοὸς*, animal notum, quo agri coluntur. Dicitur tum de mare, tum de femina. [**Bos* ex graeco *βοῦς* dictum putat *Prisc.* 6, 36. p. 554. 6, 32. Forsitan ex *βός*, quod Aeolum est, qui et *πός* pro *ποῦς* dixerunt. *Jahn.*] *Cic. N. D.* 2, 63. Boum cervices natae ad jugum: tum vires humerorum et latitudines ad aratra extrahenda. [**Pompon. Dig.* 50, 16, 89. Boves magis armentorum, quam jumentorum generis appellantur. *Ulp. Dig.* 21, 1, 38, 6. Jumentorum appellatione eos (boves) non contineri verius est; sed pecoris appellatione continebuntur.] *Id. Div.* 1, 52. Bos opimus. [**Col.* 6, 20. bos castratus. *ib.* 6, 2. bos cubitor. *Varr.* 2, 1. boves perferi. 2, 5. boves honore ceteras pecudes superant.] *Ov. Fast.* 4, 631. Forda ferens bos est, fecundaque. *Hor. Epod.* 9, 22. Intactae boves. *Liv.* 1, 7. Bove eximia capta de grege. [**Liv.* 41, 21, 4. Pestilentia priore anno in boves ingruerat. ubi vide *Drak.* — *Paul. Dig.* 21, 1, 43. Bovem, qui cornu petit, vitiosum esse plerique dicunt.] ℙ In genitivo plurali habet *boum* per syncopen pro *bovum*, et in dativo *bobus* pro *bovibus*, ut *Prisc.* 7. p. 773 et 774. docet. *Virg. G.* 3, 211. Sive boum, sive est cui gratior usus equorum. *Hor. Od.* 3, 6, 43. et juga demeret Bobus fatigatis. *Id. Carm. saec.* 49. Quaeque vos bobus veneratur albis. Ita enim *Prisc. ib.* legit utroque loco; eodemque modo edidit *Bentl.* Pro *bobus* saepissime dicitur *bubus. Cic. N. D.* 2, 63. Quid de bubus loquar? Et mox. Tanta putabatur utilitas percipi ex bubus. *Ov. Her.* 5, 16. Non profecturis litora bubus aras. *Tac. G.* 40. Dea vecta bubus feminis. [*De forma *bubus* vide *Drak.* ad *Liv.* 7, 26, 10. 22, 10, 7.] ℙ Reperitur etiam *bubum* pro *boum. Ulp. Dig.* 32, 55. *a med.* In quibusdam provinciis et editu bubum ad hanc rem utuntur. Ita leg. in celebri edit. *Torrentini. Haloand.* edidit *boum.* Veteres olim dixerunt etiam *boverum* pro *boum* teste *Varr. L. L.* 7, 38. *sub f.* Sic enim declinabant, *bovis*, *boveris.* Itaque *quot juga boverum* [*ex codd.] legendum censet *Turneb.* 6, 23. apud *Cat. R. R.* 62., ubi plerique editi habent *boum.* ℙ Prima in *bobus*, seu *bubus* producitur, quia ex bovibus contracta est. Corripuit tamen *Auson. epigr.* 62. Aes veluti spirans cum bubus exagites. ℙ *Boves mortui* sunt lora bubula in illo *Pl. Asin.* 1, 1, 21. Apud fustitudinas ferricrepidas insulas, ubi vivos homines mortui incursant boves. ℙ *Bos lassus fortius figit pedem*, proverb. quo utitur *Hieron. ep. ad August.* 102. *n.* 2., volens eum deterrere, ne se juvenis senem ad pugnam provocet, quia plus interdum senex valet, quam juvenis. ℙ *Bovi clitellas imponere*, aliud proverb. apud *Cic. Att.* 5, 15. *h. e.* munus alicui imponere, quod ei accommodatum non sit. Boum enim terga ipsa declarant, non esse se ad onus accipiendum figurata, ut *Id. N. D.* 2, 63. loquitur. *Quint.* 5, 11. Non nostrum, inquit, onus: bos clitellas. Adde *Ammian.* 16, 5. Huc pertinet illud *Hor. Ep.* 1, 14, 42. *Optat ephippia bos piger*, *optat arare caballus.* quo significatur neminem sua sorte contentum esse. ℙ *De bove Luca*, V. Lucas Bos. ℙ De bove sancto Aegyptiorum, V. APIS. ℙ Est etiam piscis marinus *bovis* nomine, apud *Plin.* 9, 24, 40. [**Id. ib.* 32, 11, 54.] Hunc *Galenus βοῦν θαλάσσιον* vocat. *Ov. Hal.* 94. Nam gaudent pelago, quales scombrique, bovesque, etc. ℙ Quod *Plin.* scribit 18, 3, 3. Servium regem primum effigie ovium boumque aes signasse, putarunt quidam, *boves* esse nomen pecuniae bovem impressum habentis, in illo *Pl. Pers.* 2, 5, 16. Boves bini hic sunt in crumena. Verum *Pl.* non binos nummos eo loco intelligit, sed binum boum pretium. V. ℙ Reperitur et *bovis* in recto singulari. *Petr. fr. Trag.* 62, *Burm. ad f.* Miles meus jacebat in lecto, tanquam bovis.

[BOSENSES, ium, m. plur. incolae urbis Bosae [*meminit ejus *Anton. Itin.*] in Sardinia insula, nunc *Bosa. Plin.* 3, 7, 13. Bosenses, Caralitani civium Romanorum. *F.*]

BOSCIS, ĭdis, f. *Colum.* 8, 15. Nessotrophii cura similis, sed major impensa est. Nam clausae pascuntur anates, querquedulae, boscides, phalerides, similesque volucres, quae stagna et paludes rimantur. *boscides* sunt aves anatibus similes, sed minores. Apud *Colum.* alii leg. *boscades:* Graece enim dicitur *βοσκάς*, *άδος.*

BOSPHORĀNUS, a, um, adj. ad Bosphorum pertinens. *Tac. A.* 12, 15. Mithridates Bosphoranus. *Val. Max.* 7, 6. *in f.* Bosphoranus tractus. ℙ *Bosphorani*, *orum*, populi ad Bosphorum incolentes. *Cic. Man.* 4. et *Tac. A.* 12, 16. Uterque autem intelligit eos, qui Bosphorum Cimmerium habitant.

BOSPHORĔUS, a, um, et
BOSPHORĬCUS, a, um, et
BOSPHORĬUS, a, um, adj. ad Bosphorum pertinens, *Βοσπόριος*. *Ov. Trist.* 2, 298. Ionium Bosphoriumque mare, *h. e.* Pontus Euxinus. *Sidon. carm.* 2, 55. Bosphoreis elephas inglorius ora tributis. *Gell.* 17, 8. Mare Bosphoricum.

BOSPHORUS, i, m. *Βόσπορος*, angustae maris fauces, ita dictae a meabili bovis transitu, quasi *βοὸς*, bovis, et *πόρος*, via, iter. Sunt autem duo *Bosphori* Thracius et Cimmerius tanta uterque angustia, ut et alitum cantus, et canum latratus ab ulteriore litore invicem audiantur. *Bosphorus Thracius* est angustia maris inter Thraciam et Asiam minorem, seu inter Byzantium in Europa, et Chalcedonem in Asia, seu inter Pontum Euxinum et Propontidem. Patet passus D. seu stadia quatuor, ut *Plin.* 5, 32, 43. et 4, 12, 24. docet, qua Darius pater Xerxis copias ponte transvexit. *Val. Fl.* 4, 345. et seqq. fabulatur, Io puellam in vaccam commutatam per hasce angustias in Asiam transisse, inde fretum illud Bosphorum nominari coepisse. *Bosphorus Cimmerius*, al. Fretum Cimmerium, est angustia maris inter Tauricam Chersonesum in Europa, et Sarmatiam in Asia, seu inter Maeotidem paludem, et Pontum Euxinum, per quam illa in Euxinum defluit, multo latior Bosphoro Thracio, cum pateat passus MMD., ut *Plin.* 4, 12, 24. tradit. Dictus est autem *Cimmerius* a Cimmeriis populis ibi accolentibus. Sed ipsi Cimmerii vicissim ab eo *Bosphorani* dicuntur. ℙ Scribitur et *Bosporus* sine aspiratione, et quidem rectius, si Graecas litteras attendas, in quibus nulla aspiratio est: sed si consuetudinem, et quosdam antiquos opt. cod., aspiratio defendi potest, et sane defenditur a *Dausq. in Orthogr.* ℙ In plur. num. neutr. genere extulit *Prop.* 3, 9, 60. Et modo Pompeja Bospora capta manu. Sic *Taenara*, *Ismara*, *Maenala.* In singulari feminino *Sulp. Sev. dial.* 1, 26. Bosporus exclusa. *Sic* Aegyptus.

*BOSTAR, vates Poenus, de quo *Sil.* 3, 647. seq. ℙ In *Gloss. Isid.* Bostar est locus ubi stant boves. *B. A.*

BOSTRYCHĪTES, ae, m. *βοστρυχίτης*, gemma crinibus mulierum similis. *Plin.* 37, 10, 55.

BOSTRYCHUS, i, m. *βόστρυχος*, Graeca vox cincinnum seu cirrum significans. *Etym. M.* deducit a *βότρυς*, racemus, ut significet caesariem in modum racemi compositam. Sunt etiam qui putant, proprie dici de crinibus muliebribus. [*Recte vero Etym. auctor. Apud *Meleagr. Epigr.* 105. *βότρυς χαίτης*, ubi vide *Graefe.*] Adjective. *Firm. Math.* 4, 12. Crispos quoque aut crinibus bostrychis comatos. ℙ Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1134, 3. Bostrychus pater.

[BOTĀNĪCUM, i, n. *βοτανικόν*. *Isid. Orig.* 4, 10. *Botanicum* herbarium dicitur, quod ibi herbae notentur. *F.*]

BOTĀNISMUS, i, m. *βοτανισμός*, runcatio, herbarum evulsio. Nam *βοτάνη* herbam significat, et *βοτανίζειν*, herbas evellere. *Plin.* 18, 18, 47. Pauci runcant: quod botanismon vocant.

BOTELLUS, i, m. *φύσκη*, intestinum delicatiore aliquo cibo fartum, puta ex carne suilla minutatim concisa, aut hujusmodi: diminutivum a *botulus*. *Mart.* 5, 78. Et pultem niveam premens botellus. Adde 11, 31. ℙ *Apic.* 2, 3. peculiaris cujusdam botelli conficiendi rationem docet, nempe ex ovi vitellis coctis, nucleis pineis concisis, addita caepa, porro conciso, admixtoque ture crudo ac pipere minuto: quibus omnibus intestinum sarciri jubet, adjectoque liquamine et vino coqui.

BOTHYNUS, i, m. *βόθυνος*, genus quoddam cometae, in modum foveae, seu scrobis: Graeca vox a *βόθρος*, scrobs. *Sen. Quaest. nat.* 1, 14. Sunt *bothynoë*, cum velut corona cingente introrsus ingens coeli recessus est, similis effossae in orbem speluncae. *Bothynoë* scriptum est Graeca servata diphthongo, *οἱ βόθυνοι:* sed Latine bis usurpatum legitur ab *Appul. De Mundo.*

*BOTONES, um, et BOTONTINI, orum, apud *Auct. rei agr.* p. 225, 306. V. *Bodones.*

BOTRONĀTUM, i, n. capillorum strues corymbiata, corymbium, ornamentum feminarum, baccis margaritarum ita contextis, ut racemum uvae referant [*V. dicta s. v. Bostrychus.]: a *βότρυς*, racemus. *Tert. Cult. fem.* 10.

BOTRŪOSUS, a, um, adj. *βοτρυώδης*, racemosus, a *βότρυς*, racemus. *Plin.* 12, 13, 28. Amomum frutice botruoso. Ita *Salm.* legit: sed *Hard. myrtuoso*, ex omnibus MSS. et edit. libb. *Appul. Herb.* 66. Brionia fructu sive semine botruoso.

*BOTRUS, i. e. uva. *Vulg. Mich.* 7, 1.

BOTRYĪTES, ae, m. *βοτρυίτης, ὁ*, gemma incipienti uvae similis: estque duplicis generis, nigra, et pampinea. *Plin.* 37, 10, 55.

BOTRYĪTIS, idis, et itis, f. *βοτρυῖτις, ἡ*. Ita appellatur genus quoddam cadmiae cameris in modum uvae pendentis: a *βότρυς*, uva, racemus. *Scrib. Comp.* 24. et 220. *Plin.* 34, 10, 22. et *Cels.* 6, 6. *n.* 6.

BOTRYO et Botryon, onis, m. *βοτρυών*, uva, racemus. *Pall.* 3, 33. Ut vitis botryones et albos afferre possit et nigros. Adde [*10, 17.] 12, 12. ℙ In illo *Mart.* 11, 27. Nec dignam toto se botryone putat. *botryonem* alii interpretantur racemum uvae conditiciae; alii liquamen ex ovis piscium, quia ova sic condita ita mutuo adhaerescunt, ut in uva acini. ℙ Est etiam *botryon* medicamentum quoddam apud *Plin.* 28, 4, 10. [*Hoc medicamentum, observante *Hard.* ad *Plin. l. l.* ap. *Sext. Empir.* 17. appellabatur etiam *botrys*, *βότρυς*, i. e. uva, quia forsitan maturae uvae modo nigresceret. *B. A.*]

[BOTRYODES Cadmia, eadem quae botrytis. Sic de *Morgagni* sententia legendum putant *Gesn.* et *Schneid.* ad *Veg. Veter.* 4, 11. *F.*]

BOTRYS, yos, f. *βότρυς*, Graece racemum uvae significat. A *Plin.* 25, 7, 36. et 27, 4, 11. ita appellatur herba quaedam, quae et *artemisia* et *ambrosia* dicitur. Aliam iisdem nominibus appellatam describit *ib.* 8, 31, 8. V. AMBROSIA. ℙ [*Item oppidum Phoeniciae. *Plin.* 5, 20.]

[BOTTĪAEI, orum, m. plur. incolae Bottiaeae, quae est parvus tractus Macedoniae, versus sinum Thermaicum, inter Axium et Ludiam amnes, ubi est Pella, de quo *Liv.* 26, 25. *Plin.* 4, 11, 18. Beni, Corpilli, Bottiaei. *F.*]

BOTŪLĀRIUS, ii, m. qui botulos conficit et vendit. *Sen. ep.* 56. Et botularium cogita, et crustularium, et omnes popinarum institores.

BOTŪLUS, li, m. *φυσκος, φύσκη*, genus farciminis vel ex carne minutatim concisa, cujusmodi dicitur [**Cervelatwurst*], vel ex sanguine animalium intestinis infuso, et percocto, quod vulgo vocant [**Blutwurst*]. *Gell.* 16, 7. Laberius in mimo, qui Saturnalia inscriptus est, botulum pro farcimine appellat. *Mart.* 14, 72. Qui venit botulus medio tibi tempore brumae, etc. *Tert. Apol.* 9. Botulos cruore distentos admovetis. Adde *Arnob.* 2, 73. ℙ Aliud hujusmodi farciminum genus describit *Ap.* V. BOTELLUS. ℙ Translate *Tert. De jejun. adv. Psych.* 1. appellat Psychicorum *botulos interiores* intestina cibis luxuriosis farta, *exteriores* vero distenta libidine veretra. ℙ *Gell. l. c.* hanc vocem enumerat inter vocabula sordidiora, quibus *Laberius* usus est.

BOVA, ae, f. V. BOA. ℙ In illo *Varr.* apud *Non.* 1, 95. Aes defraudasse cauponem, bovam luto oblevisse, etc. *Turneb.* 17. interpretatur vas vinarium longum turgidum, et amplum, boaeque seu bovae serpentis similem. Sed alii leg. *obbam.*

BOVĀTIM, adv. boum genere: item ad similitudinem boum. Ita exponit *Non.* 1, 190., et auctorem affert *Nigidium.* Al. leg. *Boatim.*

*BOVENNA, ae, insula prope Sardiniam. *Tab. Peut. B. A.*

[BOVIĀNENSIS, se, adj. ad Bovianum pertinens, Samnii oppidum, nunc *Bojano. Bojanenses, ium*, sunt incolae illius oppidi. *Inscr.* ap. *Roman. Topogr. Napol. T.* 2. p. 443. Clodio Octaviano U. C. ordo Bovianensium patrono jam privato. *F.*]

BOVIĀNIUS, a, um, adj. ad Bovianum pertinens. Est autem *Bovianum* duorum oppidorum in Samnio nomen, quorum alterum Bovianum vetus, nunc *Bojano*, de quo *Liv.* 9, 31.; alterum Bovianum Undecimanorum, quod eo milites legionis undecimae coloni deducti sunt. *Plin.* 3, 12, 17. ℙ De priore *Sil.* 9, 566. Qui Batulum Nucrasque metunt, Boviania quique Exagitant lustra.

BOVĪCĪDIUM, ii, n. caedes boum. *Solin.* 1. Ritus sacrorum, factis bovicidiis, Potitios docuit.

BOVILE, is, n. *βοαύλιον, βουστάσιον*, statio duorum boum in stabulo. *Phaedr.* 2, 8. Et opportuno se bovili condidit. Al. leg. *bubili.* [**Veg. R. R.* 3, 1. Bovile loco sicco statuendum est.] *Cato* etiam et *Varr.* usi sunt, teste *Charis.* 1. p. 81. Sed idem *Varr. L. L.* 30. docet a *bove* non *bovile*, sed *bubile* dici, quod certe multo est usitatius. V. BUBILE.

*BOVILLA, *βοοσταοία Vet. Gloss. B. A.*

BOVILLAE, arum, f. plur. vetus oppidum Latii in Appia via, quod propter parvitatem alii vicum, seu pagum fuisse dicunt: ita appellatum quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens bos jam consecratus, ibi comprehensus est. Ita docet *Vet. Schol. Persii* ad 6, 55. Paulo aliter *Non.* 2, 410. Hillas, inquit, intestina veteres esse dixerunt. Unde *Bohilla* (sic enim scribit) oppidum in Italia, quod eo bos intestina a vulnere trahens advenerit. *Suburbanas* appellant *Ov. Fast.* 3, 667. et *Prop.* 4, 1, 33., quia Urbi Romae id oppidum valde vicinum fuit. ℙ [*Est et *Bovilla, ae*, singularis numeri, apud *Frontin. de Colon.* p. 103. *B. A.*]

BOVILLĀNUS, a, um, adj. ad Bovillas pertinens. *Cic. Planc.* 9. Bovillana vicinitas. *Id. Q. Fr.* 3, 1. Bovillanus fundus.

[BOVILLENSIS, se, adj. ad Bovillas pertinens, oppidum Latii. ℙ *Bovillenses, ium*, sunt incolae illius oppidi. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 654. Locus adsignatus ab C. Dissinio C. F. Quir. curatore reipublicae Bovillensium. Alia apud *Fabrett.* p. 456. *n.* 74. Albani Longani Bovillenses decuriones, *h. e.* decuriones Bovillenses, qui a proxima Alba Longa tunc diruta ita sunt appellati. *F.*]

BOVILLUS, a, um, adj. *βοϊκὸς*, bubulus. [**Liv.* 22, 10. in antiqua formula: ex Suillo, ovillo, caprino, bovillo grege.] *Theod. Prisc.* 1, 7. Bovillas carnes in carbonibus superpones. ℙ [**Bovillam pugnam* jocularitер vocat *Cic Att.* 5, 13. caedem Clodii, qui ad Bovillas oppidum a Milone interfectus est. *B. A.*]

BOVĪNĀRI est conviciari, teste *Festo.* Alii exponunt tergiversari, cunctari malitiose: et ductum esse ajunt a bubus macilentis et in arando strigantibus. Vox est obsoleta.

BOVĪNĀTOR, oris, m. tergiversator, cunctator, qui rem malitiose differt, *Lucil.* ap. *Gell.* 11, 7. et *Non.* 2, 84. Hic strigosu', bovinatorque, ore improbu' duro. V. STRIGOSUS.

BOVĪNUS, a, um, adj. *βοϊκὸς*, bubulus. *Theod. Prisc. de diaeta* 15. Medulla bovina.

*BOVIS, nominat. pro bos apud *Petr.* 62. V. BOS *ad f. B. A.*

*BOVĪUM, Britanniae urbecula, in agro Silurum. *Anton. Itin.* Hodie est *Bangor. B. A.*

BOVO. V. BOO.

*BOVUS, non nisi singularem numerum capit. Nam pluralem nemo dixit. Haec *Charis.* 1. p. 58. neque quidquam aliud constat. *B. A.*

BOX, bocis, m. *βώξ*, genus piscis, de quo V. in BOCAS.

BR

BRĂBĒUM, seu Brăbĭum, aut Bravĭum, ii, n. *βραβεῖον*, victoriae praemium, ejus praecipue, quae in ludis publicis paritur. Hinc hodieque *bravo* ei acclamant, quem in aliquo certamine victorem cernunt. *Novatian. ep. de cibis Judaic.* 1. et *Prud. περὶ στεφ.* 5, 538. brabii duplicis palmam tulisti. ℙ Translate *Tert. ad mart.* 3. Bonum agonem subituri estis, in quo brabium angelicae substantiae politia in coelis, gloria in saecula saeculorum.

BRĂBEUTĀ, ae, m. *βραβευτής*, Graeca vox, qua significatur praeses et judex certaminum gymnicorum, quique victoribus sua praemia distribuit. Latine *designator* dici potest, propter similitudinem officii. *Ulp. Dig.* 3, 2, 4. Designatores autem, quos Graeci *βραβευτὰς* appellant, artem ludicram non facere, Celsus probat, quia ministerium, non artem ludicram exerceant. *Suet. Ner.* 53. Nec aliter certamina gymnica Graecia tota spectaverat, quam brabeutarum more in stadio humi assidens. ℙ Inter *agonothetam* et *brabeutam* quidam hoc statuunt discrimen, quod ille scenicis ludis praesit, hic vero gymnicis. Sed vereor ut probari possit.

BRABYLA, ae, f. herba quaedam, quae spissandi vim habet cotonei mali modo: nec amplius de ea tradunt auctores, inquit *Plin.* 27, 8, 32.

BRĂCA, ae, f. *ἀναξυρὶς, βράκα*. [Vocis etymon est a *βράκος* Aeolice pro *ῥάκος*, quod a *ῥήσσω*, frango: hinc bracas *Eustath.* appellat *διερρωγὸς ἱμάτιον, h. e.* vestem bifariam divisam. Quidquid igitur effutiant grammatici, amandanda est scriptio *bracca* et *bracha. F.*] Vestis barbarorum propria, ut Persarum, Medorum, Sarmatarum, Gallorum, Germanorum, et hujusmodi, nostris femoralibus valde similis, laxior tamen et longior, ut quae non femora solum, sed et crura, imo et ventrem contegat. Talis putatur, quam Dalmatae e plebe adhuc gestant. A Romanis, sicut neque a Graecis, diu adhibita non fuit. Quamvis enim de Augusto narret *Suet. in ejus Vita* 82. feminalia et tibialia hieme gestasse; ea tamen non bracae, sed fasciae fuerunt, quibus femora et tibias involvebat, ut praeter alios *Casaub.* eo loco pluribus docet. Posterioribus tamen temporibus etiam ad Romanos transiit. Scribit enim *Lampr. Alex. Sev.* 40. *in f.* illum imperatorem *bracas albas habuisse, non coccineas, ut prius solebant.* Ex quo intelligitur aliquanto etiam ante bracas a Romanis gestari coeptas. Qui mos postea adeo invaluit, ut latis legibus coercendus fuerit. Hinc *Impp. Arcad. et Honor.* sanxerunt, ut nemini liceret intra Urbem bracas gestare, ut in *Cod. Theod.* 14, 10, 2. legitur. V. *Salm. ad l. c. Lamprid.* Usurpatur fere in plurali numero. *Ov. Trist.* 5, 7, 49. Pellibus et laxis arcent male frigora bracis. *Tac. H.* 2, 20. Versicolore sagulo, bracas, tegmen barbarum indutus, togatos adloquebatur. *Prop.* 4, 10, 43. Bracae virgatae. *Val. Fl.* 6, 227. pictae. *Id.* 5, 424. Sarmaticae. [*De bracarum usu vide *Pont.* in *Gloss. Prisc. Gall.* in *braca p.* 207., *Berrald.* et *Prop.* 3, 3, 17. *Manil.* ad *Pers. Sat.* 3, 53. *Casaub.* ad *Suet. Aug.* 82. et *Burm.* ad *Anth. Lat.* T. II. p. 518. qui hos collegit. Graecio *τὰ Σαγάβαρα* vocabantur. *Jahn.*] ℙ In singulari. *Ov. Trist.* 5, 10, 33. Hos quoque qui geniti Graja creduntur ab urbe, Pro patrio cultu Persica braca tegit. V. BRAX.

BRĂCĂRA, ae, f. *Braga* cognomento *Augusta*, urbs Hispaniae Tarraconensis occidentalis ad fluvium *Cavado*, non longe a Gallaecia. Nunc pertinet ad regem Lusitaniae. *Auson. de Urb.* 9, 5. Quaeque sinu pelagi jactat se Bracara dives. ℙ [**Augusta* simpliciter vocatur a *Plin.* 4, 20. et *Bracara Augusta* vel *Bracaraugusta* in *Inscr.* ap. *Grut.* p. 156. *n.* 3. et p. 465 et 562. ℙ Est et Braccara appellata, geminata *c*, in *Inscr.* ap. *eund.* p. 158. *B. A.*]

BRĂCĂRAUGUSTANUS, a, um, adj. ad Bracaram Augustam pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 324, 11. [Alia apud *Fea, framm. Cons.* p. 86. M. Silaccius C. F. Col. Coranus Praef. Coh. V. Bracaraugustanorum. *F.*]

BRĂCĂRI, orum, m. plur. populi Hispaniae, quorum caput Bracara. *Plin.* 3, 3, 4. et 4, 20, 34. [*Etiam Bracares; *Plin.* 3, 3. et 4, 20. *B. A.*]

BRĂCĂRIUS, ii, m. qui bracas conficit. *Lampr. Alex. Sev.* 24. Bracariorum, linteonum, vitreariorum vectigal instituit. Al. leg. *bracteariorum.* Adde *Cod. Justin.* 10, 64, 1., ubi eadem est lectionis varietas; [quae tamen tollitur auctoritate *Edict. Diocl.* p. 20. Bracario pro excisura et ornatura, pro birro qualitatis primae, pro birro qualitatis secundae, pro caracalli majori, pro caracalli minori, pro bracibus, pro udonibus. Ex his apparet, bracarium Diocletiano imperante generaliter significasse vestificum, cum ei pretium pro quacumque veste assignetur. Adde apud *Marin. Papir. Diplom. n.* 88. pluries haberi in *Diplom.* an. a Chr. n. 572. *exarato:* Bonus vir honestus bracarius. *F.*]

BRĂCĀTUS, a, um, adj. bracis indutus. *Cic. Fam.* 9, 15. Bracatae et Transalpinae nationes. *Prop.* 3, 3, 17. Bracatus miles. *Pers.* 3, 53. Bracati Medi. *Cic. Pis.* 23. Bracatae cognationis dedecus. *Bracata* cognatio est cum hominibus e natione bracata Gallorum. [*Nempe intelligitur avus maternus Calventius, qui ex Transalpina Gallia in Italiam venerat et Placentiae consederat.] ℙ *Bracata Gallia* dicta est ea Galliae pars, quae postea Narbonensis est appellata, cujus populi bracis utebantur. Ideo autem ea praecipue regio *bracata* dicta est, quia provincia Romanorum fuit, idque vestimenti genus et primo, et saepius propter commercium, Romani conspiciebant: eoque nomine a Togata et Comata distinguebatur. *Mela* 2, 5., *Plin.* 3, 4, 5. [*Hinc *bracati* dicebantur milites auxiliarii ex iis Galliae regionibus, quarum incolae

fluxiore vestitu ad femora tegenda utebantur. *Ammian.* 15, 5, 30. 16, 12, 43.] ℙ Quos dixit *Juven.* 8, 234. *Bracatorum pueros*, Gallorum Narbonensium filios significavit. ℙ Interdum *bracatus* dicitur, qui veste laxa et bracas referente indutus est. *Mela* 2, 1. Satarchae totum bracati corpus, et nisi qua vident, etiam ora vestiti.

BRĀCE, es, f. vox Gallica, qua significatur genus farris in Gallia provenientis, quod a *Colum.* 2, 9. *hordeum distichum* et *Galaticum* dicitur. *Plin.* 18, 7, 11. Galliae quoque suum genus farris dedere: quod illic bracen vocant, apud nos sandalam (lege *scandalam* sive *scandelam*) nitidissimi grani. Ex *brace* factum Italicum *bracciatello*, bellariorum genus ita appellatum, quod armillae figuram habet, quodque vulgo Itali *brazzadella* Germani *Brätzeln* dicunt. V. SCANDALA.

[BRĀCĔUS, a, um, adj. ad bracas seu braces pertinens. *Auct. Priap.* 74. Quod movear, non est: quia, si furaberis ipse Grandia poma, tibi bracea mala dabo, *h. e.* in te stuprando malis seu testiculis, utar, quae bracibus continentur. Adde poetam jocatum fuisse in ambiguitate soni vocis *bracea*, nam *βράχεα*, *h. e.* brevia opponit grandibus, mala opponit pomis. Alii leg. *bracica* eodem sensu. *F.*]

BRĀCHA. V. BRACA.

BRĀCHĬĀLE, lis, n. *βραχιόνιον, περικάρπιον*, circulus armillae modo in ornamentum brachii. *Plin.* 28, 7, 23. Menstruum in lana arietis nigri, brachiali argenteo inclusum. ℙ Reperitur etiam *brachialis*, *is*, m. *Trebell. Claud.* 14. Balteum inauratum unum, anulum uncialem, brachialem unum unciarum septem. ℙ Revera haec vox adjectiva est; et, cum neutro genere effertur, cogitandum *ornamentum;* cum masculino *torques*, aut aliquid simile.

BRĀCHĬĀLIS, le, adj. ad brachium pertinens. *Pl. Poen.* 5, 4, 99. Condamus alter alterum in nervum brachialem, *h. e.* brachiorum vinculo jungamur. *Plin.* 17, 17, 27. et 20, 23, 96. Brachialis crassitudo. *Vopisc. Aurelian.* 7. Torquem brachialem habeat miles.

BRĀCHĬĀTUS, a, um, adj. brachiata arbor dicitur, quae ramos utrinque in brachiorum modum compositos habet. *Colum.* 5, 5. Nam duae species hujus quoque culturae sunt: alii capitatas vineas, alii brachiatas magis probant. Quibus cordi est in brachia vitem componere, convenit, ut, etc. *Plin.* 16, 30, 53. Arborum aliae ab radice brachiatae, ut ulmus: aliae in cacumine ramosae, ut pinus.

[BRĀCHĬŌLĀRIS, is, adj. musculus brachiolaris ap. *Veg. Veter.* 1, 25. V. v. seq. *F.*]

BRĀCHĬOLUM, li, n. parvum brachium. *Cat.* 61, 181. Mitte brachiolum teres. ℙ *Brachiola* videntur esse venae quaedam in utroque latere equorum. *Veg. Veter.* 1, 25. Minuendus est sanguis ex venis, quae positae sunt in dextra et sinistra, ubi brachiola conjunguntur, et flexura fit, cum armus plicatur. Quibus vero armus est in causa, de brachiolis sanguis mittatur, quae venae positae sunt interius, ubi centuriae, i. e. musculi brachiolares sunt.

*BRACHIONARĬUM, i, n. *Gloss. Gr. Lat. ψέλλιον ἀνδρὸς*, brachionarium. Est itaque armilla. *B. A.*

BRĀCHĬUM, ii, n. *βραχίων*, [videtur ita appellatum ab Hebr. בְּרִית vectis; *F.*] membrum hominis a cubito ad manum, duobus ossibus constans, quorum alterum *radius*, alterum *cubitus* et *ulna* appellatur. Ita vocem brachii accipit *Cels.* 8, 1., item *ib.* 10. *n.* 3., ubi agit de brachio fracto. Nam reliquam partem, quae est a cubito ad humerum, *os humeri*, atque etiam *humerum* appellat: alii Latini scriptores *lacertum*. *Ov. Met.* 1, 500. laudat digitosque, manusque, et nudos media plus parte lacertos. *Tac. G.* 17. Feminae nudae brachia ac lacertos. ℙ Ceterum saepius *brachium* dicitur totum illud, quod est ab humero ad manum. [*Cic. *Coel.* 5. Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutus. Hoc quid sit docet *Senec. Decl.* 5. Apud patres nostros qui forensia stipendia auspicabantur, nefas putabant brachium extra togam exserere. Nam in toga pars quaedam in dextra parte excurrebat, quae sinus dicebatur, et in dextrum humerum ita rejiciebatur, ut obvolveret.] *Id. Or.* 18. Projectio et contractio brachii. *Id. ib.* 2, 59. Extendere brachium. *Ov. Met.* 2, 270. exserere. *Virg. G.* 1, 34. contrahere. Et *ib.* 202. remittere. *Id. A.* 5, 364. attollere. *Quint.* 2, 13. demittere. *Virg. A.* 5, 377. Jactare brachia. *Ov. Met.* 9, 210. et *ib.* 293. tendere coelo, et ad coelum. *Id. ib.* 1, 766. porrigere. *Id. ib.* 2, 82. curvare. *Varr.* ap. *Gell.* 16, 15. diducere. *Hor. Od.* 3, 4, 50. Fidere brachiis. *Id. Epod.* 15, 6. Lentis brachiis adhaerere alicui, *h. e.* amplexu adhaerere. *Id. Od.* 3, 9, 2. et *Virg. A.* 6, 700. Dare brachia collo. *Ov. Met.* 9, 458. Circumdare brachia collo. *Id. ib.* 1, 762. implicare. *Id. ib.* 3, 389. injicere. [*Tac. *A.* 15, 63. brachia exsolvere ferro, i. e. venas incidere.] ℙ Brachia jactare in numerum. *Lucr.* 4, 770. candida molli deducere brachia motu. *Stat. Silv.* 3, 5, 66. muneris brachia mota suis. *Ov. Rem. Am.* 754. numerosa brachia ducere. *Id. Amor.* 2, 4, 29. mollia mobiliter brachia mittere. *Lucr.* 4, 791.; pertinent haec omnia ad saltationem. V. SALTO. ℙ Translate *praebere brachia sceleri* ap. *Ov. Her.* 7, 126. est dare manus et cedere scelus facienti. ℙ *Molli* aut *levi brachio aliquid agere* est remisse, leniter, vel negligenter agere. *Cic. Att.* 2, 1. Quod me quodammodo molli brachio de Pompeji familiaritate objurgas. *Id. ib.* 4, 16. Consules, qui illud levi brachio egissent, rem ad senatum detulerunt. ℙ *Dirigere brachia contra torrentem* ap. *Juven.* 4, 89. proverbialis locutio est, sumpta a natantibus, qui si adverso flumine natare velint, vi aquae abripiuntur. Dicitur de iis, qui majori potentiae resistere volunt. ℙ Per similitudinem tribuuntur brachia multis animalibus, ut loliginibus, sepiis, polypis, scorpionibus, cancris, et hujusmodi, quae similia humanis brachiis membra habent. *Plin.* 9, 29, 47. de nautilo pisce: Prima duo brachia retorquens membranam extendit, etc. *Id.* 11, 48, 108. Octonos pedes esse dicimus polypis, sepiis, loliginibus, cancris, qui brachia in contrarium movent, pedes in orbem, aut in obliquum. Et *ib.* 37, 86. Leoni in feminum et brachiorum ossibus exigua medulla, *h. e.* pedibus anterioribus. *Virg. G.* 1, 34. jam brachia contrahit ardens Scorpius. *Plin.* 9, 31, 51. Dextrum brachium omnibus cancris majus. ℙ In arboribus. *brachia* sunt rami, seu potius minores rami e majoribus erumpentes. *Virg. G.* 2, 298. de aesculo: Tum fortes late ramos et brachia tendens. (Adde *Val. Fl.* 8, 114.) *Id. ib.* 368. de vitibus: tunc stringe comas, tunc brachia tonde. (Adde *Colum.* 4, 21., et V. DURAMEN.) *Plin.* 16, 34, 62. Omnium hederarum generi radicosa brachia. *Id.* 13, 9, 18. In brachia ramorum spargi. ℙ Item mari, ubi ex oceano per medias terras variis sinibus se effundit. *Ov. Met.* 1, 13. nec brachia longo Margine terrarum porrexerat Amphitrite. ℙ In munitionibus sunt projecti aggeres, aut fossae, et hujusmodi opera in longum protensa ad claudendum et muniendum. *Liv.* 4, 9. *extr.* Et alia parte consul muro Ardeae brachium injunxerat, qua ex oppido sui commeare possent. [**Communicationslinie.*] Et 22, 52. Brachio objecto, flumine eos excludit. [*V. *Drak.* ad h. l.] Et 44, 35. Degressus ad imam partem castrorum, veluti per devexum in mare brachium transitum tentaturus. Et 38, 5. Superato brachio in urbem penetrat. *Lucan.* 3, 386. densas tollentia pinnas Cespitibus, crudaque extraxit brachia terra. *Id.* 4, 266. Aut circum brachia fontes. *Suet. Claud.* 20. Portum Ostiae exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio. *Auct. B. Al.* 30. Castellum brachiis cum opere castrorum conjungere. Adde *Auct. B. Afr.* 56. et *B. Hisp.* 13. Simile est illud *Curt.* 6, 4. Duo terrae ejus velut brachia excurrunt. Et *Prop.* 3, 20, 24. Scandam ego Theseae brachia longa viae. Et *Plin.* 5, 27, 27. Taurus mons dictus Caucasus, ubi brachia emittit, subinde tentanti maria similis. ℙ In navi sunt antennae, veluti brachia mali. *Virg. A.* 5, 829. Attolli malos, intendi brachia velis. [**Stat. Silv.* 5, 1, 244. lataque veliferi porrexit brachia mali.] ℙ Denique in balistis *brachia* sunt, quae extenduntur et remittuntur in jaciendo. *Vitr.* 1, 1. ℙ Vult *Manut.* in *Orthogr.* scribi bracchium duplici *cc.* ex *Virg. Carpensi*, et aliis veterib. libb. Sed ea scriptio non obtinuit.

BRACHMĀNAE, arum, et Brachmanes, num, m. plur. *Βραχμᾶνες*, sapientes in India citeriori diligentissimi siderum observatores, alterum genus gymnosophistarum. Nam Bardesanes Babylonius gymnosophistarum duo tradit genera, quorum illi, qui ex generis successione veluti hereditariam sapientiae professionem amplectebantur, *Brachmanae* dicti; qui vero electione ad philosophiae professionem assumebantur, Samanei. Ex *Strab.* 15. Horum mentio fit etiam ab *Appul. Flor. n.* 15. et a *Tert. Apol.* 42. et ab *Ammian.* 23, 6. et 28, 1. Eos quoque suppresso nomine, describit *Curt.* 8, 9. ℙ A *Plinio* memorantur *Brachmanae* populi circa Gangen 6, 17, 21.

*BRACHODES, *Βραχώδες*, prom. Africae, in extremo cornu Syrtis parvae. *Plin.* 4, 3. *B. A.*

BRĀCHYCĀTĀLECTUM et Brachycatalecticum metrum, *βραχυκατάληκτον, βραχυκαταληκτικόν*, dicitur cui pes deest. *Diomed.* 3. p. 501. et *Serv. Centim.* p. 1817.

BRĀCHYLŌGĬĀ, ae, f. *βραχυλογία*, quae Latine dici potest *copulata dissolutio*, figura est, qua conjunctiones omittuntur, cum quid instantius dicitur, et singula inculcantur, et quasi plura fiunt, ut in illo *Cic. contr. conc. Metell*: Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci jussi, in senatu sunt positi, etc. Haec *Quint.* 9, 3., qui tamen ipsam vocem tum hoc loco, tum infra *eod. cap.*, tum etiam 8, 3. Graece scribit: est enim a *βραχὺς*, brevis, et *λόγος*, sermo. Dicitur etiam *Asyndeton*. V.

BRĀCHYSYLLĀBUS Pes, *βραχυσύλλαβος*, idem qui tribrachys, tribus syllabis brevibus constans, ut *legere*. *Diomed.* 3, p. 475.

*BRACĪCUS vel Braccicus, a, um, ad braccas pertinens, in braccis latens. *Priap. carm.* 74, 2. si lectio certa. Si furaberis ipse Grandia mala, tibi braccica mala dabo. *Sensus obscoenus. Priapus loquitur.* V. BRACEUS. *B. A.*

BRACTĔA, ae, f. *πέταλον*, lamina tenuis ex metallo, vel alia quapiam materia, quae alicui rei superinducitur. Videtur esse a *βράχειν*, crepitare, quia bractea jactata manu plicatur et crepitat. Differt a lamina, quae crassior est et durior. *Virg. A.* 6, 208. Talis erat species auri frondentis opaca Ilice: sic leni crepitabat bractea vento. *Lucr.* 4, 728. ut aranea bracteaque auri. *Ov. A. A.* 3, 232. Aspice, quam tenuis bractea ligna tegat. *Mart.* 8, 33. astuti derasa est ungue ministri Bractea. *Plin.* 16, 43, 84. Ut una arbor saepius veniret, excogitatae sunt et ligni bracteae. ℙ Per similitudinem *bractea viva* dicitur a *Mart.* 9, 62. pellis ovium auratum vellus habentium. ℙ Translate *Solin. ep. ad Advent. praef. Polyhist.* 2. Cui libro si animum propius intenderis, velut fermentum cognitionis magis ei inesse, quam bracteas eloquentiae deprehendes, *h. e.* fucum verborum. ℙ Scribitur et *brattea*, sed minus recte. *Pier.* ad *Virg. l. c.* docet, eos qui *brattea* scripsere, deceptos esse characteribus Longobardicis, in quibus *c* et *t* eadem paene forma figurantur. Addit, juniores quosdam etiam *brachtea* scripsisse, sed contra omnes orthographiae leges.

BRACTĔĀLIS, le, adj. ad bracteam pertinens. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 1024. Nec non et auro frons coruscat hostiae, Setasque fulgor bractealis inficit.

BRACTĔĀMENTUM, ti, n. *Fulgent. Planc. de contin. Virg. init.* Ascraei fontis bracteamento saturior, *h. e.* poetica facundia: ea ratione, qua *bracteas eloquentiae* dixit *Solin.* V. BRACTEA.

BRACTĔĀRĬUS, ii, m. qui bracteas facit, *πεταλουργός*. *Inscr.* ap. *Grut.* 1074, 12., at emendatior apud *Visconti Mus. Jenkins cl.* 1. *n.* 5. Concordiae collegi Brattiariorum (leg. *Bracteariorum*) et inauratorum Q. Hordionius Primigenius S. P. D. D. *Firmic. Mathes.* 4, 15. Facit enim artifices, inauratores, bractearios, argentarios. [*Adde *ib.* 8, 26.] V. BRACARIUS. ℙ *Bractearia*, *ae*, f. quae bracteas facit. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 19. Fulvia Melema bractearia.

BRACTĔĀTOR, oris, m. *πεταλουργός*, bractearius. *Firmic. Mathes.* 8, 16. Aurifices, bracteatores, inauratores. [**Inscr.* ap. *Don. cl.* 9. *n.* 1.]

BRACTĔĀTUS, a, um, adj. bracteis, et fere semper aureis, inductus. *Sen. ep.* 41. Bracteatus leo, *h. e.* jubam auratam habens. *Sidon. ep.* 8, 8. Sellae gestatoriae bracteatae. *Id. ep.* 2, 10. *in carm.* Bracteatum lacunar. Adde *Capell.* 1. p. 20. Comae bracteatae. ℙ Translate *Sen. ep.* 115. Omnium istorum quos incedere altos vides, bracteata felicitas est, *h. e.* fucata, non sincera, non solida, ut quae in exteriori tantum specie et velut crusta consistit. ℙ *Bracteatum dictum* est elegantissimum et ornatissimum. *Auson. Grat. act.* ad *Gratian.* 8. O mentis aureae dictum bracteatum!

BRACTĔŌLA, ae, f. parva bractea. *Juven.* 13, 150. minor exstat sacrilegus, qui Radat inaurati femur Herculis et faciem ipsam Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat. Adde *Arnob.* 6. p. 205.

*BRADĀNUS, i, Italiae flumen, a Mediolano per Picenum fluens. *Anton. Itin. B. A.*

[BRADŬS, ae, m. a *βραδὺς*, tardus, gravis corpore. Cognomen Romanum plurium consulum, ac praecipue an. a Chr. n. 191., de quo multa habet *Marin. Frat. Arv.* p. 181. M. Valerius Bradua Mauricus. *F.*]

*BRAGAE, insulae quaedam desertae, in Arabia. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

*BRANA, oppidum in Hispania Baetica. *Plin.* 3, 1. si lectio certa. *B. A.*

[BRANCA, ae, f. idem quod extremus pes. *Vet. Auct. De limit.* ap. *Goes.* p. 310. Branca lupi, branca ursi. *F.*]

BRANCE. V. BRACE.

BRANCHĬAE, arum, f. plur. *τὰ βράγχια*, sunt partes hiantes in piscibus follium more juxta cervicem, quibus anhelitum reddere, ac per vices respirare existimantur: a *βρόγχος*, guttur, quia gutturis officio in reddenda aqua, quae ore accepta est, funguntur. Balaenae et delphini excipiuntur, qui fistulis spirant, balaenae a fronte, delphini a dorso. *Plin.* 9, 7, 6. et *ib.* 18, 33. ℙ In singulari munero *Auson. Mosell.* 266. Reddit mortiferos exspirans branchia flatus.

BRANCHĪDAE, arum, m. plur. Apollinis Didymaei sacerdotes, apud Posideum oppidum, et promontorium Ioniae, qui locus prius Branchidarum Oraculum dicebatur. *Plin.* 5, 29, 31., *Mela* 1, 17., *Curt.* 7, 5.

BRANCHOS, i, m. *βράγχος, ὁ*, raucedo ex acris humoris in fauces destillatione proveniens. Graeca vox est, sed Latine scripta legitur apud *Coel. Aurel. Tard.* 2, 7.

BRANCHUS, i, m. *Βράγχος*, filius Simari, et filiae cujusdam Patroni, quae cum gravida esset,

vidit in somnis per fauces suas introiisse solem, et exisse per ventrem: ideo infantem quem peperit, Branchum vocavit, *ἀπὸ τῶν βραγχίων*, hoc est a faucibus. Alii patrem ei assignant ipsum Apollinem, et matrem quandam Jauci filiam, Sucronis uxorem. Hic cum in silvis Apollini occurrisset, eumque osculatus esset, accepit ab eo coronam et virgam, et vaticinari coepit, subitoque nusquam comparuit. Ideo templum ei factum est, quod Branchiadon appellavere: et Apollini quoque Philesio (*ἀπὸ τοῦ φιλεῖν*, osculari) templa sunt consecrata, quae ab osculo Branchi, sive certamine puerorum, philesia sunt nuncupata. Haec et alia plura *Vet. Schol. Statii* ex *Varrone*, ut quidem ait, tradit. Meminit hujus Branchi *Stat. Th.* 3, 479. et *ib.* 8, 198.

*BRANCOSI, orum, Indiae populi, cis Gangem. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

*BRANNODŪNUM, i, oppidum Britanniae, in agro Icenorum. *Notit. Imper. B. A.*

*BRANONĪUM, i, oppidum Britanniae, in regione Cornaviorum. *Anton. Idin. B. A.*

BRASMA. V. BRECHMA.

BRASMĀTĪAE, arum, m. plur. *βρασματίαι*, Graece dicuntur ebullitiones, aestus veluti aquae ferventis, et sursum agitatae: a *βράζω*, ferveo, bullio. Hinc *Ammian.* 17, 7. docet, *brasmatias* appellari terraemotus quandam speciem, qua humus molestius suscitatur, sursumque propellit immanissimas moles, ut in Asia cum Delos emersit, quae antea maris undis tecta fuerat. [*V. *Wagner.* ad h. l. Tom. II. p. 276.]

BRASSĪCĂ, ae, f. *κράμβη*, [etymon a *βράσσω*, sono; nam a crepitatione ita appellata videtur, ut etiam *bractea F.*] genus oleris frequentissimi et usitatissimi, caule et foliis magnis, cujus plura genera recenset ac describit *Plin.* 19, 8, 41. et 20, 9, 33. post *Cat. R. R.* 157., qui eam miris laudibus commendat. [**Col.* 10, 120.] *Cic. N. D.* 2, 47. Vites a caulibus brassicisque, si propter sati sint, ut a pestiferis et nocentibus, refugere dicuntur. ℙ Brassica Pompejana ea esse creditur a quibusdam, quae ab Italis *cavolfiore*: brassica capitata, vel Cumana, *cavolo cappuccio:* brassica Sabellica, *broccoli.* Sed de his ad botanicos. Habet etiam multos olus hoc usus in medicina, quos refert *Plin. l. c.* 20, 9, 33. et *Cato ib.* Quin per DC. fere annos solam brassicam in medendis morbis Romanos adhibuisse, scribit ex Catonis testimonio *Plin. ib.* et *Plin. Valer.* 4, 29.

BRASTAE, arum, m. plur. *βράσται*, eadem terrae motus species, quae *brasmatiae* dicuntur: quod V. Haec quoque Graeca vox est, a *βράζω*, ebullio; legiturque apud *Appul. de Mundo* p. 65, 25.

[BRATHY, ys, n. *βράθυ*, herba apud *Plin.* 24, 11, 61. Herba Sabina, brathy appellata a Graecis duorum generum est. Adde *Appul. Herb.* 85. *Scribon. Compos.* 154. Habet genitivum brathys. *F.*]

BRATTĒA. V. BRACTĒA.

*BRATTĪA, ae, insula maris Hadriatici, prope Illyricum, hodie *Brazza. Plin.* 3, 26. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

BRATUS, i, f. arbor quaedam in finibus oppidi Sittacae in Zagro monte Asiae, cupresso fusae similis, exalbidis ramis: odorem emittens cum accenditur, cedro proximum atque jucundum. *Plin.* 12, 17, 39., ubi ita legendum monet *Hard.* ex MSS., non *bruta*, quod est in quibusdam editis.

*BRATUSPANTĪUM, i, oppidum Galliae Belgicae, in agro Bellovacorum, inter Sequanam et Samaram fluvios. *Caes. B. G.* 2, 13. *Cellarius*, adstipulante *Mannettio*, idem oppidum hoc fuisse existimat, quod postea *Caesaromagus* audiebat. Quod si verum sit, hodie est *Beauvais;* quanquam *Danvillius* asserit abhinc annos bis centum oppidi vestigia remansisse, cui nomen fuit *Bratuspante*, aliquot millia passuum ab hodierno *Beauvais* distantis. *B. A.*

BRĂVIUM. V. BRABEUM.

*BRAURON, onis, *Βραύρων*, oppidum Atticae, juxta Marathonem. *Plin.* 4, 7. *Stat. Th.* 12, 675. *Brauronia* appellatur a *Mela* 2, 3. *med. B. A.*

[BRAX, ācis, f. *βράκος*, eadem ac braca. *Not. Tir.* p. 157. Brax, bracatus. Adde alium locum in V. BRACARIUS. *F.*]

BRECHMA, Indorum lingua significat semen piperis cassum et inane, ut est apud *Plin.* 12, 7, 14. [*Locus *Plinii* est: Quod vocant brechma, sic Indorum lingua significante abortum, ubi ed. *Elzev.* pro *brechma*, *sic* habet *brechmasin. B. A.*] ℙ *Dioscor.* hoc idem vocat *βράσμα:* ex quo quidam [**Salm.*] etiam apud *Plin. brasma* legere malunt.

*BREGETĪO. onis, oppidum Pannoniae inferioris. *Anton. Itin. Bregitio* audit *Ammian.* 30, 20. *B. A.*

*BREGMA, atis, n. *βρέγμα*, a medicis proprie appellatur pars anterior capitis, supra frontem capillis tecta, quae et sinciput a Latinis dicitur. *Marc. Empir.* 1. Ad dolores capitis puerorum, maxime ejus partis, quam bregma Graeci appellant. Sed pura puta vox est Graeca, et Graece scribit *Coel. Aurel. Acut.* 1, 76. *B. A.*

*BREGMENTĒNI (MSS. *Bregmeni*), orum, populi Phrygiae. *Plin.* 4, 30. *B. A.*

*BREMENĪUM, i, oppidum Britanniae. *Anton. Itin. B. A.*

*BREMETONĀCUM, i, Britanniae oppidum. *Anton. Itin.* Dictum est etiam *Bremeturacum. Notit. Imper.* ℙ *Camdeno Ribchester* videbatur esse, nempe viculus Lancastrensis: sed sententiam postea commutavit. Consentiunt (ait *Wesselingius* ad *Antoninum*) esse *Overborough*, ubi praeter nomen, numi, lapides insculpti et pavimenta tessellata Romanam stationem figunt, ut praestantissimi (pergit ille) *Th. Galei* verbis utar e *Comment.* p. 119. V *Rauthmelii Antiq. Bremetonacenses. B. A.*

[BRĒMUSA, ae, f. fremens, murmurans: a *βρέμω*, fremo. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. Grut. 724, 5. Calpurniae Bremusae Flavia Thymele matri piissimae. *F.*]

*BRENDA, vel Brendum, vel Brentium, Brundusium. V. *Brunda. B. A.*

BRENNI, orum, m. plur. populi Norici in Alpibus, quos *veloces* appellat *Hor. Od.* 4, 14, 11. Horum meminit etiam *Flor.* 4, 12. Eorum oppidum creditur esse *Bruneck* in comitatu Tyrolensi. ℙ Apud *Hor.* al. leg. *Breuni*, [quod praeferendum videtur; nam *Breunos* in Vindelicia ponit *Ptolem.* 2, 13. intra Lycum et Oenum, eosque memorat *Inscr.* ap. *Don. T.* 1. p. 561. Marti sacrum nomine C. Geminii Prisci Praef. Coh. 1. Breun*orum* libero commeatu. *F.*]

BRENNĪCUS, a, um adj. ad Brennum pertinens. *Sidon. carm.* 7, 561. cum Brennica signa Tarpejum premerent.

BRENNUS, i, m. dux Gallorum, qui Romanos ad Alliam fudit urbemque cepit, ut est ap. *Liv.* 5, 38. et *Serv.* ad *A.* 6, 826. ℙ Dicitur Brennonam condidisse, quae postea *Verona* dicta est. Apollinis Delphici templum praedae causa ingressus, ira numinis se ipsum interfecit. *Val. Max.* 1, 1, *n.* 18. ℙ Est etiam *Brennus* mons Galliae cisalpinae, Brixiae proximus.

[BRENTĒSIA, ae, m. *Brenta*, idem ac Medoacus major, flumen Patavium urbem praetervehens. *Messala*, *Aug. progen.* 10. Antenor adverso flumine, quod Brentesia dicitur, sursum contendens, terra potitus, sedem sibi suisque elegit. Alii male leg. *Brentensia.* ℙ Idem flumen a *Venant. Vita S. Martini*, 4, 677. vocatur *Brinta. F.*]

*BRENTONĪCUM, i, oppidum Tritentinorum secundum *Paul. Diac. Langob.* 3, 31. *B. A.*

BRĒPHOTROPHĒUM et Brephotrophium, ii, n. *βρεφοτροφεῖον*, locus, in quo infantes aluntur et educantur, Graeca vox a *βρέφος*, infans, et *τρέφω*, nutrio. *Imp. Justinian. Cod.* 1, 2, 19.

BRĒPHOTRŌPHUS, i, m. *βρεφοτρόφος*, qui alit infantes. *Imp. Justin. Cod.* 1, 3, 42. §. 9. V. v. praec.

[BREUCI, orum, m. plur. Pannoniae populi. *Plin.* 3, 25, 28. Savus per Colapianos, Breucosque defluit. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 5. C. Minicio C. Fil. Vel. Italo Praef. Coh. I. Breucor. Equit. C. R. *F.* ℙ *Sunt et Alpini populi in Rhaetia, Vindeliciam versus, Genaunis vicini. Hic melius scribitur *Breuni* cum *Plin.* 3, 20. *Hor. Od.* 4, 14, 11. edd. *Bentl.* et *Jani* et *Flor.* 4, 12. *post init. B. A.*]

*BREUCOMĀGUS, i, oppidum Galliae Belgicae, in regione Triboccorum, dictum et Brocomagus in *Tab. Peut.* Hodie, credunt, est *Brumt* vel *Brumat* in Alsacia.

BRĒVIĀRIUM, ii, n. *ἐπιτομή*, summarium, compendium, epitome. *Sen. ep.* 39. Haec, quae nunc vulgo breviarium dicitur, olim, cum Latine loqueremur, summarium vocabatur. *Suet. Gramm.* 10. Breviarium rerum omnium Romanarum. *Id. Galb.* 12. Breviarium rationum. [*Breviarium imperii apud *Suet. Aug.* 101. quod idem 28. rationarium imperii dicit, et *Cal.* 16. rationes imperii. Fuit is libellus, in quem, ipso docente *Suet.*, numerus legionum ac classium, magnitudo aedium publicarum etc. relatae erant. Videtur igitur comparari posse quod nos diceremus *ein Staatsinventarium.*] *Plin.* 18, 26, 62. Peragere breviarium totius culturae. [**Suet. Vesp.* 21. simpliciter dicit breviarium nobis *ein Wirthschaftsbuch.* Apud *Nep. Att.* 13. appellatur libellus in similem usum scriptus *ephemeris.*]

BRĒVIĀRIUS, a, um, adj. in compendium redactus. *Scaev. Dig.* 33, 8, 26. Cum rationibus breviariis et sortem et usuras complexus sit.

BRĒVIĀTIO, onis, f. contractio, decrementum. *August. ep. ad Hesych.* 80. *med.* Breviatio dierum.

BRĒVIĀTOR, oris, m. qui in compendium redigit. *Oros. Hist.* 1, 8. Pompejus historicus, ejusque breviator Justinus. ℙ [*Breviator est etiam brevium, i. e. tabellarum, in quibus nomina debitorum consignabantur, scriptor. *Novell.* 105, 2, 4. Nec his, qui vocantur breviatores, adulterare aliquid horum, quae a vobis disposita sunt, liceat.]

BRĒVIĀTUS, a, um, partic. a *brevio*, brevis factus, contractus. *Paulin. Nolan. carm. Nat. S. Fel.* 24, 9, 13. et breviatas Cogit hiems horas. *Sidon. ep.* 2, 2. Non breviatis angustatisque gradibus ascenditur. *Sev. Sulp. Hist. sacr.* 1, 1. Ea, quae de sacris voluminibus breviata digessimus.

BRĒVĪCŪLUS, a, um, adj. dimin. *brevis. Pl. Merc.* 3, 4, 54. Homo ventriosus, bucculentus, breviculus. *Front. de eloq.* Coturnicum potius pinnis breviculis, quam aquilarum majestate volitare. *Appul. Met.* 1. p. 107. 18. Grabatulus breviculus. Et *ib.* 6. p. 183. 35. Breviculo tempore. ℙ *Breviculum*, vel *Breviculus*, *i*, absolute, est parvus libellus, brevis scriptura. In *Cod. Justinian. l.* 7. titulus 44. et in *Cod. Theod. l.* 4. titulus 17. inscribuntur *De sententiis ex breviculo recitandis.* In legibus enim, quae eo titulo continentur, praecipitur, ut judices sententias suas perscribant et ex libello partibus legant. Ita *Budaeus*, *Alciat.* et alii. *Cujac.* vero in *Cod.* 4, 19. *ad leg.* 5, 6, 7. *in fin.* legi jubet *ex periculo:* sed non satis probat, ut apparet sedulo examinanti auctoritates, quas affert. Denique alii volunt legi *ex pariculo*, quod in quibusdam ex infima Latinitate scriptoribus *paricula charta* accipiatur pro exemplo seu descriptione, ut est in *Gloss. Du Fresne.*

*BREVIGERŪLUS, i, m. qui breve gerit. *Isid. Gloss.* Ex eo intellectu fortasse esse *Gesnerus* censet, quo *breve* i. q. epistolam significat barbara aetate. *B. A.*

BRĒVĪLŌQUENS, entis, adj. *βραχυλόγος*, qui breviter et pauca loquitur. *Cic. Att.* 7, 20. Breviloquentem jam me tempus ipsum facit.

BRĒVĪLŌQUENTIA, ae, f. *βραχυλογία*, brevis sermo, pauca verba. *Cic. fragm.* ap. *Sen.* 22. *epist. mor.* (ita enim refert *Gell.* 12, 2.) Breviloquentiam in dicendo colat. Addit *Gell.* reprehendi a *Seneca* Ciceronem, quod *breviloquentiam* et *suaviloquentiam*, Enniana verba, usurpaverit.

*BREVILŌQUUS, a, um, vel Breviloquis, e, adj. *βραχυλόγος. Gloss. ambo Labbaei:* item *H. Steph.* p. 413. *B. A.*

BRĒVIO, as, avi, atum, a. 1. *βραχύνω*, brevem facio, abbrevio. *Quint.* 1, 9. Versus paraphrasi audacius vertere, qua et breviare quaedam et exornare, salvo modo poetae sensu, permittitur. [**Ib.* 5, 13, 41. Si callide quid tacuisse, breviasse, obscurasse dicuntur.] *Id.* 11, 3. Breviatur cervix et gestum quendam humilem atque servilem facit, cum se in habitum metus fingunt. Adde *Manil.* 3, 461. [*Ex illa totidem per partes sic breviatur Lanigeri ad fines. *Lactant. Epit. Praef.* Prolixa breviare (in scribendo). ℙ Est tamen haec vox apud argenteae aetatis scriptores tantum usurpata. Vid. *Cellar. Cur. Poster.* p. 202. *Vorst. Not.* ad *Sulpic. Sev.* 1, 1. *Censorino* etiam ex Ms. restituit *Barth. Advers.* XXVII. 19. quem vide. Haec collegit *Burm.* ad *Anth. Lat.* 1, 89. T. I. p. 76. *Jahn.*] ℙ *Breviare syllabam* est brevi mora proferre. *Quintil.* 12, 10. Detraxit aspirationem, breviavitque secundam ejus nominis syllabam.

BRĒVIS, ve, adj. *βραχύς*, qui parvo tempore fit: cui opponitur *longus* et *diuturnus. Cic. Amic. fin.* Omnia brevia tolerabilia esse debent, etiam si magna sint. *Id. Arch.* 11. In hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi. *Id. Fam.* 12, 2. Respublica brevi tempore jus suum recuperabit. ℙ *Brevi* idem est ac brevi tempore. *Cic. Ver.* 2, 5, 54. Brevi postea est mortuus. *Gell.* 1, 15. *ad fin.* Brevi antequam moreretur. et 13, 18. Fuit Aeschylus non brevi antiquior. [*Monendum tamen, comparativum *brevius* non recte usurpari ad temporis notionem significandam. *Bremi* ad *Suet. Dom.* 18.] ℙ *In brevi* pro *brevi* rarum est. *Quint.* 9, 4. *ante med.* Haec arbitror, ut in brevi, de ordine fuisse dicenda. *Auct. ep. ad Octav., quam quidam olim Ciceroni tribuebant.* O miserum et in brevi tam celerem et tam variam reipublicae commutationem! [*Adde *Flor.* 1, 1, 15.] ℙ Significat etiam *brevi* paucis verbis. *Cic. Fam.* 3, 8. Tamen cum tu multis verbis ad me scripsisses, faciendum mihi putavi, ut tuis litteris brevi responderem. [* *Id. Leg.* 2, 14. Reddam brevi. *Sext.* 45. Brevi circumscribi potest. Unde apparet errare eos, qui praecipiunt *brevi* de tempore tantum adhiberi.] ℙ *Ad breve* (subaudi *tempus*). *Suet. Tib.* 68. Oculi, qui noctu etiam et in tenebris viderent, sed ad breve. ℙ Dicitur etiam *brevis*, qui parvo tempore durat. *Hor. Od.* 2, 3, 14. nimium breves Flores amoenae ferre jube rosae. Et *ib.* 14, 24. Brevis dominus. Et *ib.* 1, 36, 16. Breve lilium. *Ter. Eun.* 3, 5, 56. Occasio brevis. ℙ Item qui pauca continet. *Cic. Or.* 2, 80. brevis oratio. ℙ Item qui pauca loquitur. *Cic. Inv.* 1, 20. Multos imitatio brevitatis decipit, ut cum se breves putent esse, longissimi sint. ℙ *Breve*, *is*, n. absolute est libellus, in quo summatim aliquid perscriptum est. *Vopisc. Aurel.* 36. Breve nominum conscripsit. Et *mox.* Breve legit singulis, quorum nomina continebat. *Id. Bonos.* 15. Dabis ei, juxta breve infra scriptum, omnia quae praecipimus. *Grut.* et *Salm.* ubique legunt *brevem* ex MSS., ut sit *brevis*, *is*, m. et intelligatur *libellus.* Sic *id. ib.* 15. Brevis munerum fuit etc. Et *Lampr. Alex. Sev.* 21. Milites suos sic ubique scivit, ut in cubiculo haberet breves etc. Et *Hieron. ep.* 5. *n.* 2. Libros, quos me non habere brevis subditus edocebit etc.

Impp. Arcad. et *Honor. Cod.* 1, 32, 1. Breves etiam quadrimenstruos ad officium palatinum noverint dirigendos. ℙ Dicere aliquid breve [**etwas kurz machen;* paucis rem complecti.] *Cic. Sext.* 5. Longum est ea dicere: sed hoc breve dicam etc. ℙ Facere aliquid breve. *Auct. Decl. in Sall.* 1. Jam dabo operam, quam maxime potero, ut breve id faciam. ℙ Cogere aliquid in breve. *Liv.* 39, 47. Erant de rebus singulis in breve coactae causae. *Alio sensu Hor. Ep.* 1, 20, 8. *ad librum suum* et scis, In breve te cogi, cum plenus languet amator, *h. e.* involvi et complicari. Nam veterum volumina evolvebantur, si legi opus esset, rursusque involvebantur, si claudi et deponi. ℙ Sumitur praeterea brevis pro exiguo, parvo. *Hor. Sat.* 1, 2, 88. Breve caput, ardua cervix. [**Pall. R. R.* 1, 29. brevissimae offulae. *Plin.* 8, 23. Pantheris breves in candido macularum oculi.] *Id. ib.* 2, 2, 37. Breve pondus. *Id. Ep.* 1, 14, 35. Coena brevis. *Id. Od.* 2, 15, 13. census. *Ov. Fast.* 2, 574. mus. *Pallad.* 5, 8. Brevissimum vasculum. [**Pall. R. R.* 1, 28. breves insulae.] *Juven.* 1, 73. Breves Gyari. *Claud. B. Gild.* 107. *ex persona Romae.* brevior duxi securius aevum: Ipsa nocet moles. ℙ Item pro contracto, non longo. *Ov. Her.* 2, 119. Brevis coluber. *Virg. Ecl.* 9, 23. via. ℙ Item pro humili. *Cic. Or.* 2, 60. Pusillus testis processit: sed sedebat judex L. Aurifex, brevior etiam, quam ipse testis. *Suet. Galb.* 3. Homo brevi corpore. [**Quint.* 2, 3, 8. Homines statura breves.] *Sen. Herc. Oet.* 1640. Brevior ilex. ℙ *Brevia vada* et *brevia, ium*, absolute, sunt, ubi aqua profunda non est et transiri pedibus potest. *Sen. Agam.* 572. Has inopis undae brevia comminuunt vada. *Virg. A.* 1, 115. tres Eurus ab alto In brevia et Syrtes urget. Adde *Tac. A.* 1, 70. Sic apud *Juven.* 3, 226. puteusque brevis, nec reste movendus. ℙ Syllaba brevis dicitur, quae brevi mora temporis profertur, cui contraria est longa, aut producta. Itaque brevis syllaba dicitur esse unius temporis, longa duorum, ut *Quint.* 9, 4. docet. Hoc autem duplici ratione intelligendum est, nempe vel quantitate, vel pronunciatione. Quantitate, ut in pedibus metricis: quo sensu *Hor. A. P.* 251. Syllaba longa brevi subjecta vocatur iambus. Pronunciatione, cum plus, minusve morae trahitur in syllaba aliqua pronuncianda, etiam contra rationem quantitatis. Quantitas enim syllabae ex ipsius natura aut positione petitur: pronunciatio ex usu atque instituto loquendi. Ex quo fit, ut aliquando quae quantitate longa est, brevis pronunciatione dicatur et contra. Hinc *Cic. Or.* 48. *Inclitus* dicimus prima brevi littera, *Insanus* producta, *inhumanus* brevi, *infelix* longa. V. *Gell.* 2, 17. et 4, 17. Haec facilius intelligerentur, si Latinae pronunciationis vim ac sonum legitimum, quem jam penitus amisimus, calleremus. [**Schuetz.* de hac re in Ind. sic exponit: Hic non agitur de brevitate syllabarum, quae vulgo dicitur, sed de syllabae longae pronuntiatione vel acuta vel flexa, ut Germani partiuntur longas syllabas in *geschärfte* (quae pronuntiando acuuntur) et *gezogene* (quae tractim pronuntiantur). Hac significatione syllaba prima in *Maasse* producte, rectius fortasse tractim (*gezogen*) dicitur pronuntiari, in *Masse* breviter (*geschärft*).]

BREVITAS, atis, f. βραχύτης, contractio, parvitas. Tot modis accipitur quot *brevis. Cic. Att.* 1, 10. Brevitate temporis tam pauca cogerer scribere. *Nep. Epam.* 5. Concinnus in brevitate respondendi. *Cic. Or.* 51. *in fin.* Omnium longitudinum et brevitatum in sonis judicium natura in auribus collocavit. [**Cic. Or.* 57. brevitas syllabarum.] *Caes. B. G.* 2, 30. Gallis prae magnitudine corporum suorum brevitas nostra contemptui est, [*i. e. parva statura corporum nostrorum.] Et *Claud. epigr.* 20. *de zona* etc. Brevitas doni. *Plin.* 8, 34, 52. crurum. *Id.* 12, 2, 6. arborum. [**Pall. R. R.* 9, 3. brevitas vineae.] *Gell.* 10, 26. angusti freti. *Vitr.* 7, 8. guttae. *Plin.* 18, 25, 57. Brevitatis gratia. *Cic. Har. resp.* 19. *fin.* Cujus tanta in dicendo gravitas, tanta jucunditas, tanta brevitas fuit, ut posset, vel ut prudentes errarent, vel ut boni minus bene sentirent, perficere dicendo, *h. e.* stilus pressus. [**Id. Or.* 2, 80. Narrare vero rem quod breviter jubent; si brevitas appellanda est, quum verbum nullum redundat, brevis est L. Crassi oratio; sin tum est brevitas, quum tantum verborum est, quantum necesse est; aliquando id opus est, sed saepe vel maxime obest in narrando. *Brut.* 13. Brevitas laus est interdum in aliqua parte dicendi; in universa eloquentia laudem non habet.]

BRĔVĬTER, adv. brevibus seu paucis verbis, βραχέως. *Cic. Or.* 15. *in f.* Summatim breviterque describere aliquid. *Id. Fin.* 4, 10. Quod ego pluribus verbis, illi brevius. *Id. Div.* 1, 32. Exposui, quam brevissime potui, somnii et furoris oracula. ℙ Item brevi tempore. *Cic. Or.* 48. Quibus in verbis eae primae litterae sunt, quae in *sapiente* et *felice*, producte dicitur, in ceteris omnibus breviter. *Gell.* 19, 1, *fin.* Cum breviter et strictim colore atque vultu motus est. ℙ *Plin.* 2, 67, 67. Parvo brevius, quam totus, hinc aut illinc septentrio eremigatus, *h. e.* paulo minus quam totus. ℙ De loco *Tib.* 4, 1, 94. equum curvo brevius compellere gyro, *h. e.* angustiore spatio.

BRIA, ae, f. εἶδος ἀγγείου, genus vasis seu poculi, ut exponitur in Gloss. *Philox.*, sed quale tandem vas sit, ignoratur. [Etymon fortasse est repetendum a βρύω, mano, scateo, unde est etiam βρῦν, vox infantium potum petentium, qua adhuc utuntur Venetorum infantes, vulgo *brun brun* iterantes: quod videtur factum ex sono aquae ex vase aliquo defluentis. *F.*] *Arnob.* 7. p. 235. (p. 295. *Har.*) Date, quaeso, Diis immortalibus bibant, scyphos, brias, pateras, simpuviaque depromite. ℙ *Charis.* 1. p. 63. non *briam*, sed *hebriam* seu *ebriam* vocat; quod vel mendum est, ut quidam putant, vel dicendum, articulum cum nomine coaluisse, ut *hebria* sit ex ἡ βρία, ea ratione qua *temetum* ex τὸ μέθυ factum esse videtur. ℙ Ab hac *bria* seu *hebria* ducunt etymologi *ebrius* et *ebrietas*, item *sobrietas*, *sobrius*. ℙ *Charis. ib.* p. 37. docet, *hebriam* esse communis generis, allato testimonio *Pomponii* in *Auctorato:* Neque ego sum Memmius, neque Cassiu', nec Mimatius Ebria. [At hic *ebria* est cognomen Mimatii. *F.*]

BRIĂREĬUS, a, um, adj. ad Briareum pertinens. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 187. nostros an forte penates Appetiit centum Briarcia turba lacertis?

BRIĂREUS, i, m. Βριαρεύς, vox trisyllaba; nomen est cujusdam gigantis filii Titani, vel, ut alii volunt, Aetheris et Terrae, qui in bello fortissimus fuit: ita dictus vel a βρῖ, valde, et Ἄρης, Mars; vel a βριαρός, robustus, validus. Hunc poetae finxerunt centum habuisse brachia et quinquaginta ventres. *Virg. A.* 6, 287. Et centumgeminus Briareus et bellua Lernae. ℙ *Homerus* narrat 1. *Iliad.* Briareum suasione Tethydis, cum Pallas, Juno, Neptunus aliique ex Diis nonnulli adversus Jovem conjurassent, in coelum ascendisse, ut Jovi suppetias ferret, Deosque conjuratos illius adventu territos a coeptis destitisse et cum Jove in gratiam rediisse. Ubi etiam hoc addit, a Superis quidem *Briareum* dictum fuisse, ab hominibus autem *Aegaeonem.* ℙ Alii *Briareum* inter eos numerant gigantes, qui adversus Jovem bellum gesserunt. Unde a *Virg. l. c.* cum aliis monstris in vestibulo Inferorum collocatur. Adde *Lucan.* 4, 596. et *Serv.* ad *l. Virg. c.*

[BRĪCĀ et Briga et Briva et Bria, ae, f. Veteres Galli, seu Celtae ita pontem appellabant, hinc etiamnum Germani superiores *Brücke*, inferiores *Brucke*, Anglo-Britanni *bridge* dicunt. Inde etiam plurimae civitates in Gallia et Hispania nomen sumpserunt, ut Samarobriva, nunc *Amiens*, Sogobriga, nunc *Segorbe. Strabo l.* 7. et *Stephan. Byzant. Βρίαν* apud Thraces urbem, *Hesych.* vero vicum significare affirmant. Quae vero urbes apud *Ptolemaeum* in *briga* finiuntur, apud *Plinium* plerumque in *brica* exeunt. ℙ Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* apud *Mur.* 1422, 2. Calliae Bricae uxori. *F.*]

*BRIGAECĪNI, orum, populi Hispaniae Tarraconensis, circa Asturiam, quorum caput Brigaecum (Brigecum) audit *Anton. Itin.* Statio fuit legionis VII geminae, postea inde *Legio* ipsa proprio nomine appellata. Hodie est *Leon. Flor.* 4, 12. ubi vulgo legitur *Trigaecini*, legendum *Schellerus* censet *Brigaebini. B. A.*

BRĪGANTES, um, m. plur. apud *Marcell. Empir.* 8. sunt vermiculi, qui cilia arare et exulcerare solent. ℙ Sunt etiam hoc nomine populi Britanniae, apud *Tac. Agr.* 17.

[BRĪGANTĪCUS, a, um, adj. ad Brigantes populos pertinens. Fuit cognomen Romanum. Julius enim Briganticus nepos ex sorore Claudii Civilis memoratur a *Tac. H.* 2, 22. *F.*]

[BRĪGANTĪNUS lacus; nunc *Bodensee*, prope Brigantium oppidum Vindelicorum a *Plin.* 9, 17, 29. memoratus. *F.*]

*BRIGANTĬUM, i, oppidum Vindeliciae, hodie *Bregenz*, dictum Brigantia in *Anton. Itin.* ℙ Item oppidum Galliae cisalpinae, in Alpibus, et ipsum Brigantia appellatum in *Anton. Itin.* Hodie est *Briançon* in Delphinatu. *B. A.*

*BRIGIĀNI, orum, populi Alpini. *Plin.* 3, 20. Iidem sunt qui Brigantii, incolae scilicet Brigantiae cisalpinae, judice *Harduino. B. A.*

*BRIGOBANNA vel Brigobannis, Vindeliciae oppidum. *Tab. Peut. B. A.*

*BRILESSUS, i, Βριλησσός, mons Atticae. *Plin.* 4, 7. Fortasse idem quod Brilettus vel Briletus. *Plin.* 11, 37. Bina jecinora leporibus circa Briletum et Tarnen. *et mox:* At in Brileto et Tharne quaterni renes cervis. *B. A.*

BRĪMO, us, f. Βριμώ, Hecates seu Proserpinae cognomentum: a βριμάω seu βριμέω, leonis voce utor terrendi causa: vel a βριμόομαι, excandesco, fremo, minitor, quod credita est pueris noctu terriculamenta immittere. Graeci grammatici aliquot narrant, Mercurium Proserpinae concubitum appetiisse. Quo respexit *Prop.* 2, 2, 64. Mercurio et sanctis fertur Baebeidos undis Virgineum Brimo composuisse latus. *Stat. Silv.* 2, 3, 38. Immitem Brimo, stagna invida et invida tela, *h. e.* Dianam, quae eadem est cum Hecate. ℙ Aliter de *Brimo* narrat *Arnob.* 5. p. 170. (p. 213. Har.) nempe Jovem aliquando matris concubitum appetiisse, (haec autem mater Ceres fuit) atque in taurum versum obscene in eam irruisse: qua injuria vehementer commotam Cererem adeo indignatam aestuasse et fremuisse, ut inde *Brimus* nomen acceperit.

*BRINIĀTES, ium, populi Liguriae. *Liv.* 39, 2. *post med.* et 41, 19. *init.* Ita ed. *Gronov.* In ed. *Drakenb.* est *Friniates. B. A.*

BRINTA. V. BRENTESIA.

BRĪSA, ae, f. vinaceus uvae, cum calcatur, vel potius vinaceorum massa, ex qua vini vel aquae affusione fit vinum secundarium: videturque esse a βρύω, mano, scaturio, quia cum calcatur, vini liquorem effundit. *Colum.* 12, 39. Subactam brisam prelo subjicere. Graeci vocant τὰ βρύτεα vel βρύτια. ℙ Est etiam Brisa, Βρίσα, promontorium Lesbi, in quo Bacchus colebatur; inde *Brisaeus* dictus. Quare in *Persii* 1, 76. ita legunt quidam: Est nunc, Brisaei quem vinosus liber Acci: ut *Accius Brisaeus* dicatur, quod *Bacchas* tragoediam scripserit, vel quod in Bacchi tutela esset. Alii autem putant, Bacchum ipsum dictum esse *Brisaeum* non a promontorio, sed ab uva, quae *Brisa* dicitur. Sed apud *Pers.* alii aliter legunt.

BRĪSAEUS, a, um, adj. V. vocem praec.

BRĪSĒIS, ĭdis, f. Βρισηΐς, Lyrnessia puella a patre *Brisa* ita appellata, cum suo nomine *Hippodamia* vocaretur. Haec, capta Lyrnesso urbe, Achilli victori in sorte cessit: postea ab Agamemnone erepta, implacabilis inter eos dissidii causa fuit. Detrectabat enim Achilles Agamemnonis imperium, neque unquam adduci potuit, ut arma sumeret, donec Patrocli mors nunciata eum ad vindictam impulit. *Hor. Od.* 2, 4, 3. Serva Briseis niveo colore Movit Achillem. *Ov. Amor.* 2, 8, 11. Thessalus ancillae facie Briseidos arsit. *Id. Her.* 3, 137. Respice sollicitam Briseida, fortis Achille.

BRĪSEUS, i, m. Βρισεύς, disyllab. unum est ex cognominibus Bacchi a Graecis ei impositum, ut *Macr. Sat.* 1, 18. docet. Videri possit ductum a βρύσις, quam *Varinus* in *Lex.* interpretatur fontem pellucidum solvendo curis animo accommodatum. Nam vinum quoque curas jugulare solet. ℙ Sunt qui scribunt *Bryseus*, et ducunt vel a Graeca voce allata, vel a Brysea Laconiae urbe, ubi praecipue Bacchus colebatur.

[BRĪSO, onis, m. a βρίζω, post sumptum cibum dormito caput inclinans, ideo deses, et gravis. M. Antius Briso trib. plebis memoratur a *Cic. Brut.* 23. *F.*]

*BRISOĀNA, flumen Persidis. *Ammian.* 23, 23. *B. A.*

BRĪTANNĬĀ, ae, f. Βρεττανία, insula maxima in Oceano septentrionali. Prius dicta est *Albion* ab Albis montibus, qui ad eam navigantibus primo apparent, deinde *Britannia* a Britone rege. Ab ortu abluitur Oceano Germanico, ab occ. Hibernico, a sept. Caledonio, ad mer. angusto freto a Belgio dirimitur. Dividitur in duo regna, Angliam in austrum, et Scotiam ad septentr. *Plin.* 4, 16, 30. ℙ Ob hanc causam usurpatur etiam in plurali. *Catull.* 29, 21. Hunc Galliae timetis et Britanniae? Adde 45, 22. et *Plin.* 25, 3, 6. et 33, 1, 5. V. ALBION.

BRĪTANNĪCĬĀNUS, a, um, adj. ad Britanniam pertinens. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 177. M. Secund. Silvanus negotiator cretarius Britannicianus, *h. e.* qui in Britannia cretifodinas exercebat.

BRĪTANNĪCUS, a, um, adj. ad Britanniam pertinens, Βρεττανικός. *Cic. N. D.* 3, 10. Aestus maritimi Britannici. *Juven.* 10, 14. Quanto delphinis balaena Britannica major. *Plin.* 4, 19, 33. Oceanus Britannicus. ℙ *Britannica herba* est, quam alio nomine *hydrolapathum* appellari quidam putant, foliis oblongis nigris, radice nigra, flore qui vibo appellatur. Utilis est ad vitia oris, ad anginas, et ad serpentum ictus. *Plin.* 25, 3, 6. et *Appul. Herb.* 29. ℙ *Britannicus* fuit etiam cognomen eorum, qui Britanniam expugnarunt, ut filii Claudii imperatoris ex Messalina, qui primo *Germanicus*, mox *Britannicus* fuit appellatus, ut patet ex *Suet. Claud.* 27., tum etiam Commodi imperatoris. *Lampr. Commod.* 8.

[BRĪTANNIS, ĭdis, f. idem ac Britannica. *Priscian. Perieg.* 577. Ast aliae Oceani juxta boreotidas actas Sunt geminae, Rhenique Britannides ostia cernunt, *h. e.* insulae Britannides, nempe Albion et Hibernia. *F.*]

BRĪTANNUS, a, um, adj. Britannicus. *Prop.* 2, 1, 86. Esseda caelatis siste Britanna jugis. *Juven.* 15, 111. Gallia causidicos docuit facunda Britannos. *Claud. II. Cons. Stilich.* 301. Canes Britannae. ℙ Substantiv. *Britannus, i*, et in plur. num. *Britanni, orum*, Britanniae populi. *Hor. Epod.* 7, 7. Intactus aut Britannus ut descenderet Sacra catenatus via. *Virg. Ecl.* 1, 67. Et penitus toto divisos Orbe Britannos. [*V. voc. seq.] ℙ Sunt etiam *Britanni* populi Galliae, qui et *Britones* appellantur. *Sidon. ep.* 1, 7. et *ep.* 9, 9. ℙ

Primam syllabam, quam poetae passim corripiunt, produxit *Lucr.* 6, 1104. Nam quid Britannis coelum differre putamus. Ex quo quidam putant etiam duplici *tt* scribi posse.

BRĬTO, ōnis et ōnis, m. idem qui Britannus. *Auson. epigr.* 110. Silvius hic Bonus est, quis Silvius? iste Britannus. Aut Brito hic non est Silvius, aut malus est. [**Brito* deducit *Camdenus* in Britannia p. 27. a verbo *Brit*, quod proprie versicolorem, depictum et coloratum esse statuunt. Eum sequuntur *Tempelius* et *Cannegieter de Brittenb.* p. 6. et *Schrader. Observatt. Lib.* 1. *Cap.* 1. p. 6. *Pontanus* in *Gloss. Prisc. Gall.* p. 210. eos Britonas a vicinis vocatos putat, quod in ore semper haberent vocab. *prut*, quod excultum et politum designet. Aliam etymologiam eamque phoeniciam proposuit *Bochart.*, quem sequitur *Rapin.* in *Introd. ad Hist. Angl.* p. 5. Utrorumque sententiam improbat *Schrader.* l. d. *Jahn.*] ℙ Sunt etiam populi Galliae ad Oceanum Britannicum siti, quorum regio *Britannia minor* dicitur. *Juven.* 15, 124. Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam. *Mart.* 11, 21. Quam veteres braccae Britonis pauperis et quam etc. ℙ Sunt qui putant, nec absurde, etiam *Ausonium* Galliae populos designare, non insulae Britanniae. Nam illi quoque *Britanni* dicuntur. ℙ Scribitur et *Britto. Inscr.* ap. *Grut.* 569, 5. M. Ulpio Justo Vix. annos XLV. natione Britto etc.

BRĪTOMARTIS, is, f. *Βριτόμαρτις*, Cretica vox, quae *dulcem puellam* significat, ut *Solin.* 11. docet. Cretes hoc nomine Dianam appellarunt, ut *Id. ib.* tradit. Sed alii nympham quandam Cretensem fuisse dicunt, quae ut vim suae pudicitiae imminentem effugeret, in mare se praecipitavit. V. dicta in APHAEA. *Claud. II. Cons. Stil.* 251. Ignea Cretaea properat Britomartis ab Ida.

BRITTII. V. BRUTTII.

[BRĬULĪTAE, arum, m. plur. incolae Briulae [*leg. in *Notit. Prov.*], Lydiae urbis, in cujus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 96. est *ΒΡΙΟΛΙΤΩΝ* et *ΒΡΙΟΛΕΙΤΩΝ. Plin.* 5, 29, 31. Mastaurenses, Briulitae, Hypaepeni. *F.*]

BRIXELLĀNUS, a, um, adj. ad Brixellum pertinens, quod est oppidum Galliae Cisalpinae ad Padum fluvium inter Parmam et Mantuam, non procul a Rhegio Lepidi, nunc *Bersello. Plin.* 7, 49, 50. et *Suet. Oth.* 9. Hinc *Inscr.* apud *Grut.* 1057, 1. L. Callidius Primus Brixellanus etc. ℙ Legitur et *Brixillum* et *Brixillanus* in *Inscr.* apud *Murat.* 2039.

*BRIXENTES, um, Rhaetiae populi, ubi nunc *Brixen* in Comit. Tyrol. *Plin.* 3, 20. *Βριξάνται* sunt *Ptol. B. A.*

BRIXĬA, ae, f. *Brescia*, clara urbs Transpadanae regionis ad Melam fluvium, coloniam olim Romanorum. *Liv.* 32, 30. *Plin.* 3, 19, 23.

BRIXĬĀNUS, a, um, adj. ad Brixiam pertinens. *Liv.* 21, 25. *extr., Tac. H.* 3, 27., *Inscr.* ap. *Grut.* 397, 1. et 631, 6. et 1098, 1. et 1100, 8. et apud *Murat.* 1034, 4. et alibi.

*BRIXĬAS vel Brixia, ae, flumen Asiae ulterioris, in Elymaide. *Plin.* 6, 27. ubi ablat. *Brixia* reperitur. *B. A.*

BRIXĬENSIS, se, adj. idem qui Brixianus. *August. ep.* 222. *edit. Benedict. Paris.* Philastrius quidam Brixiensis Episcopus, quem cum Sancto Ambrosio Mediolani etiam ipse vidi. Idem *Augustin. Haeres.* 41. hunc eundem Philastrium *Brixianum Episcopum* vocat.

*BRIXINO, oppidum Norici, hodie *Bressanone. Plin.* 3, 20. *B. A.*

*BRIZĀNA, Persidis fluvius, alio nomine Brisoana. *Ammian.* 23, 23. *B. A.*

*BROCAVUM, i, n. oppidum Brigantum, non procul a Luguvallio, hodie (ait *Wesselingius*) *Brougham Castle. Anton. Itin.* V. *Martiniere, le grand Dictionnaire Geographique etc.* in v. *Luguvallium. B. A.*

[BROCCHILLUS, a, um, adj. dimin. brocchi. Cognomen Romanum *Inscr.* ap. *Don. cl.* 7. *n.* 164. Valeria Brocchilla. *F.*]

BROCCHĪTAS vel Brochitas, atis, f. dentium prominentia. *Plin.* 11, 37, 64. Senectus in equis, et ceteris veterinis intelligitur dentium brochitate, superciliorum canitie.

BROCCHUS vel Brochus, a, um, adj. *προόδους*, qui est producto ore, et dentibus prominentibus, ut *Non.* 1, 102. exponit. *Lucil. ib.* Brocchus novit lanius dente adverso eminulo. Adde *Pl. fragm.* ap. *Fest.* in *Valgus.* [*Adde *Non. c.* 1. *n.* 102.] ℙ Ipsi quoque dentes, qui prominent, *brocchi* dicuntur. *Varr. R. R.* 2, 9. Canes debent esse mento suppresso, et ex eo enatis duobus dentibus dextra et sinistra, paulo eminulis superioribus, directis potius, quam brocchis. *Id. ib.* 7. *de equo.* Dentes cum facti sunt brocchi, et supercilia cana, *h. e.* cum gingivis ob senium retractis prominentes fiunt. ℙ Fuit etiam cognomen Romanum: hinc L. Furius Brocchus in nummo apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 221. et T. Furius Brocchus apud *Cic. Lig.* 11. ℙ Legitur etiam *broncus*, *bronchus*, et *broccus*, sed scriptio superius allata rectior videtur.

BRŌCHON, i, n. gummi, quod ex bdellio arbore manat. *Plin.* 12, 9, 19.

*BROCOMĀGUS (Brocomacus), i, oppidum Galliae Belgicae, in regione Triboccorum. *Tab. Peut.* V. *Breucomagus. B. A.*

*BRODIONTII, orum, populi Alpini. *Plin.* 3, 20. ed. *Hard.* Antea legebatur *Ebroduntii. B. A.*

*BROGA, vox Gallica agrum significans. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 8, 234. Ideo autem dicti Allobrogae, quoniam *broga* Galli agrum dicunt, *allo* autem, aliud. Dicti igitur, quia ex alio loco fuerant translati. *B. A.*

BROME, seu Brŏmĭe, es, f. nympha, quae Bacchum educavit. *Bromen* appellat *Serv.* ad *Ecl.* 6, 15., *Bromien* vero *Hyg. fab.* 182.

*BROMIĀLIS, le, adj. ad Bromium pertinens, Bacchicus. *Capell.* 8. p. 271. Famulicium Veneris, vernaculae, quae Bromiales tantos cachinnos concussis admodum tulere singultibus, ut etc. *B. A.*

BROMIUS, ii, m. *Βρόμιος*, unum ex nominibus Bacchi: vel a *Brome* nympha, quae una cum sorore Bacche ipsum nutrivit, ut *Serv.* ad *Ecl.* 6, 15. docet: vel a *βρόμος*, fremitus, fragor, quia inter fragores tonitruum, matre Semele fulmine icta, editus fertur: vel quia ebrii fremere, minari et furere solent. [**βρόμιος* est *tumultuans*, quod epith., quum proprie de Bacchi cultoribus adhiberi debeatur, ad deum ipsum translatum est.] *Ov. Met.* 4, 11. Turaque dant, Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyaeumque. ℙ Adjective *Claud. II. Cons. Stil. fin.* taurinaque pulsu Baccharum Bromios invitant tympana remos. Al. aliter leg. *Varr.* ap. *Non.* 2, 22. Cape hanc caducam Liberi mollem dapem De fronde Bromiae autumnitatis uvidam.

BRŌMOS, i, f. *βρόμος*, avena sativa, jumentorum cibus. *Plin.* 18, 10, 20. *n.* 4. ℙ Ab *Eod.* 22, 25, 79. sic appellatur etiam avena silvestris, folio, et stipula triticum imitata, et inter vitia segetum enumeranda.

BROMOSUS, a, um, adj. graveolens, *βρωμώντης:* Graeca vox. *Coel. Aurel. Acut* 2, 37. *a med.* Caro neque pinguis, neque bromosa. *Id. Tard.* 3, 2. Qualitas bromosa vel fumosa. ℙ Legitur et *brumosus.*

BRONCHUS. V. BROCCHUS.

*BRONIA, V. v. seq.

BRONTE, es, f. *βροντή*, Graece est tonitru. Hoc sensu *Plin.* de Apelle 35, 10, 36. *n.* 17. Pinxit et quae pingi non possunt, tonitrua, fulgetraque: Bronten, Astrapen, Ceraunobolian appellant. ℙ Est etiam nomen unius ex equis Solis apud *Hyg. fab.* 183. ℙ Item gemma e capitibus testudinum tonitribus cadens, ex quo nomen traxit. Nam *βροντή* tonitrum significat. Huic similis nomine est *Brontia*, *βροντία*, quae et ipsa imbribus et fulminibus cadere dicitur. De utraque *Plin.* 37, 10, 55. [*Brontia legendum esse videtur apud *Isid.* 16, 14. ubi nunc legitur *bronia.*]

BRONTES, ae, m. *Βρόντης*, Cyclops, unus e tribus Vulcani ministris. *Virg. A.* 8, 424. Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro, Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon. Adde *Ov. Fast.* 4, 288. et *Claud. III. Cons. Honor.* 193. ℙ Haec nomina sic interpretatur *Serv* ad *l. c. Virg.* Quid facturi sint, ex nominibus docet: nam Brontes a tonitru dictus est, *ἀπὸ τῆς βροντῆς:* Steropes a fulgetra, *ἀπὸ τῆς στεροπῆς:* Pyracmon vero, qui nunquam a calenti incude discedit, *ἀπὸ τοῦ πυρὸς, καὶ τοῦ ἄκμονος;* nam *πῦρ* ignis est, *ἄκμων* incus.

BRONTIA. V. BRONTE.

BRONTON, ontis, adj. (Graeca vox) *βροντῶν*, tonans. *Juppiter Bronton* est Juppiter tonans. *Inscr.* ap. *Grut.* 34, 5. Sacerdos Dei brontontis. Adde 17, 12.

BROTĒAS, ae, m. Vulcani, vel, ut alii volunt, Jovis et Minervae filius, qui cum ob deformitatem contemni se ab omnibus cerneret, in ardentem pyram se conjecit. *Ov. Ib.* 517. Quodque ferunt Brotean fecisse cupidine mortis, Des tua succensae membra cremanda pyrae. [*Alii legunt *Brotheum;* alii Proteam. ℙ Broteas Lapitharum unus, ab Grynaeo centauro injecta ara oppressus. *Id. Met.* 12, 262. ℙ Broteas et Ammon gemini fratres fuerunt caestibus clari, qui a Phineo occisi sunt in aula regis Cephoniorum. *Id. ib.* 5, 107. *B. A.*]

*BROVONIACUM, i, Britanniae oppidum. *Anton. Itin. B. A.*

*BRUCHĪON, i, fuit locus, sive regio, urbis Alexandriae in Aegypto, ubi Museum fuit, de quo *Spartian.* in *Hadriano* 20. Pro Museo ipso accipit *Ammian.* 22, 16. ubi ait fuisse *diuturnum praestantium hominum domicilium.* V. *Casaub.* et *Salm.* ad locum *Spartiani;* qui nomen interpretantur per *prytaneum*, quasi *πυρουχεῖον* i. *πυρὸς ταμεῖον*, Vestae templum. *Πυρουχεῖον* habet *Euseb. Hist.* 7, 32. *B. A.*

BRŪCHUS, i, m. *βροῦχος* vel *βροῦκος*, insectum e locustarum genere, tenera germina herbarum arborumque erodens: a *βρύκω*, rodo. Quidam eum definiunt locustam minime alatam. *Prudent. Hamartig.* 229. Aut populator edet gemmantia germina bruchus.

BRUCTĒRUS, i, et Bructeri, orum, m. populi Germaniae ad silvam Hercyniam. *Claud. IV. Cons. Honor.* 450. venit accola silvae Bructerus Hercyniae. *Tac. A.* 1, 51. Excivit ea caedes Bructeros, Tubantes etc. ℙ Sunt qui aliam sedem iis attribuunt. V. geographos.

BRUGES pro Phryges, olim a Latinis scriptum fuit, quemadmodum et *Burrus* pro *Pyrrhus. Quint.* 1, 4.

BRŪMA, ae, f. *χειμερινὴ τροπή*, tempus solstitii hiemalis, cum dies brevissimi sunt: quod incidit secundum Latinos auctores a. d. VII. cal. Januar., ut est apud *Plin.* 18, 25, 59., vel XVI. cal. Januar., ut ex Hipparcho docet *Colum.* 11, 2. *ad f.*, sole Capricorni signum ingrediente et per tres fere dies durat. Et quia eo tempore sol fine ulterius recedendi facto, rursus ad nos incipit accedere, et quodammodo renovari, ideo bruma dicitur novissimum veteris solis tempus, et novi primum, atque adeo anni ipsius principium. *Varr. L. L.* 5, 2. *a med.* Tempus a bruma ad brumam, dum sol redit, vocatur annus. *Ov. Fast.* 1, 163. Bruma novi prima est, veterisque novissima solis. *Cic. N. D.* 2, 7. Possetne tot rebus ipsis se immutantibus, solis accessus discessusque solstitiis brumisque cognosci? *Ov. Trist.* 5, 10, 7. Nec mihi solstitium quidquam de noctibus aufert: Efficit angustos nec mihi bruma dies. *Virg. G.* 1, 210. serite hordea campis Usque sub extremum brumae intractabilis imbrem. *Plin.* 18, 24, 56. Inter omnes convenit, circa brumam serendum non esse. *Id.* 16, 39, 74. Si competant lunae coitus in novissimum diem brumae. ℙ Metaleptice ponitur pro anno. *Manil.* 3, 603. Per quinquagenas complet sua munera brumas. Adde *Mart.* 10, 104. ℙ Saepe a poetis accipitur pro ipso hieme. [*Etiam apud *Cic. Div.* 11, 14. et si non de hieme, tamen de tempore circa brumam dicitur. Verba sunt haec: musculorum jecuscula bruma dicuntur augeri et pulejum aridum florescere ipso brumali die. Ubi oppositionem vides inter *bruma* et *brumalis dies.*] *Hor. Od.* 4, 7, 9. ver proterit aestas Interitura, simul Pomifer autumnus fruges effuderit, et mox Bruma recurret iners. *Phaedr.* 4, 23. *de musca.* Aestate me lacessis; cum bruma est, siles. *Virg. G.* 3, 321. nec tota claudes foenilia bruma. *Id. ib.* 443. Horrida bruma. *Id. A.* 2, 472. frigida. Adde *Ov. Ib.* 37., *Stat. Silv.* 4, 1, 24. et *Manil.* 1, 267. ℙ Saniores etymologi dictam docent cum *Varr. l. c.* a brevissimis diebus: nempe *brumam* esse per syncopen a *brevissima*, unde *brevima*, *breuma*, *bruma.* [*Eadem contractionis ratio est *infimus*, *imus.* Recentiores *brumam* barbare vocant *solstitium* hibernum; veteres *solstitium* simpliciter dicebant solstitium aestivum. *Ruhnk. dict.* in *Ter. Ph.* 4, 4, 28. Opponuntur igitur *bruma* et *solstitium.* V. annot. *Drak.* ad *Liv.* 35, 49, 7.]

BRŪMĀLIS, le, adj. ad brumam pertinens. *Cic. Or.* 3, 45. Ut sol accedat ad brumale signum, et inde sensim ascendat in diversam partem, *h. e.* ad signum Capricorni. *Id. Fat.* 3. Brumali die natus. *Plin.* 2, 47, 46. Brumalis ortus, *h. e.* ea coeli pars, qua sol brumae tempore oritur. [**Col. R. R.* 1, 6. Brumalis oriens. *Ib.* 9, 5. Brumalis meridies. Quod ita explicant: Potest locus *brumalem meridiem* spectare dici, cui nihil obstat, quo minus etiam brumae tempore radiis meridiani solis collustrari queat.] *Censor. De die nat.* 16. Brumalis hora, *h. e.* omnium brevissima, nam Romani diem naturalem in duodecim partes dividebant. ℙ Item ad hiemem pertinens. *Mart.* 13, 16. brumali gaudentia frigore rapa. *Id.* 14, 136. Brumale tempus. [**Ov. Pont.* 4, 5, 4. Nix brumalis. *Plin.* 10, 54, 74. Duobus mensibus hyemis brumalibus. Ubi vox *hyemis* ex abundantia adjecta est.]

BRŪMĀRĬA, ae, f. herba eadem, quae leontopodium. *Appul. Herb.* 7.

BRŪMOSUS. V. BROMOSUS.

BRUNDA, ae, f. idem ac Brundusium, a poetis aliquando usurpata vox, brevitatis causa, *Festo* teste. Legitur etiam apud *Arnob.* 2. p. 50. (p. 64. Har.) ℙ Apud *Fest.* quidam legunt *Brenda*, alii *Brendum*, vel *Brentium.*

BRUNDĪSĬĀNUS, a, um, adj. Brundisinus, ut *Brundisiana ostrea*, apud *Plin.* 32, 6, 21., h. e. quae in Brundisii portu capiuntur.

BRUNDĪSĪNUS et Brundusinus, a, um, adj. ad Brundisium pertinens. *Cic. Att.* 4, 1. Brundisina colonia. ℙ *Brundisini* vel *Brundusini*, *orum*, sunt Brundisii incolae. *Cic. Att.* 4, 1. Summa Brundisinorum gratulatione celebrata est.

BRUNDĪSĬUM et Brundusium, ii, n. *Βρεντήσιον* et *Βρεντέσιον*, oppidum Salentinorum cum portu, conditum ab Aetolis sociis Diomedis, vel, ut alii volunt, a Cretensibus quibusdam, qui e Creta cum Theseo Minotauri victore profugerant. *Plin.* 3, 11, 16. Describitur etiam a *Lucano* 2, 610. et seqq. *Sil.* 8, 576. Nec non Brundisium, quo desinit Itala tellus. ℙ Scribitur et *Brundusium* recte: sed *Brundisium* frequentius in vett. libb. invenitur, ut

et in *Inscr.* ap. *Grut.* 151, 2. et 801, 5. ℙ In celebri editione *Torrentini Dig.* 14, 1, 1. et 19, 1, 3. legitur *Brundesium*, et *ib.* 45, 1, 22. *Brentesium.*

*BRUNDŪLUS, i, m. portus Galliae Transpadanae, in Venetis, inter Athesim amnem et Venetiam. Prope abest *fossa Clodia. Plin.* 3, 16. *Harduinus* vult hodiernum esse *Brondolo*, et sic *Martiniere (Dictionnaire Géographique etc.)*

BRUSCUM, i, et Molluscum, i, n. sunt tubera aceris arboris, bruscum quidem intortius crispum, molluscum simplicius sparsum, hoc est magis recto venarum discursu. E brusco fiunt et mensae nigrescentes: e mollusco autem pugillares, et similia minora opera. *Plin.* 16, 16, 27.

BRUTA, arbor. V. BRATUS.

BRŪTĀTES, um, m. plur. iidem qui Brutii. *Enn.* ap. *Fest.* in *Bilingues.*

BRŪTESCO et Brūtisco, is, n. brutus fio, bruto similis sum. *Sidon. ep.* 4, 1. *fin.* Illorum ferocia stoliditasque, quae secundum belluas ineptit, brutescit, accenditur. *Venant. ep. praef. carm.* 6, 5. Mens tabe morbescente brutiscens. ℙ Quidam tribuunt etiam *Lactantio* 2, 5. *fin.* Animal quia sensu praeditum est, etiam membra ejus habent sensum, nec, nisi a corpore divulsa, brutescunt, *h. e.* sensum amittunt. Nam *brutum* proprie dicitur, quod sensu caret. Alii leg. *putrescunt.* [**Id.* 7, 12, 24. Brutescit.]

BRŪTIĀNUS, a, um, adj. ad Brutum pertinens, Brutinus. *Vell.* 2, 72. Brutiana castra, *h. e.* M. Bruti, qui Caesarem interfecit. Sic *ib.* 74. Brutianae Cassianaeque partes. Et *Lactant.* 2, 7. *sub f.* Bello civili Brutiano. *Val. Max.* 4, 7. *n.* 6. Brutiana ultio. ℙ *Brutianus* ad Brutios pertinens. V. in BRUTTIANUS.

[BRŪTILLUS, a, um, adj. dimin. bruti. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1615, 32. C. Servilius Brutillus. *F.*]

BRŪTĪNUS, a, um, adj. Brutianus. *Cic.* ad *Brut.* 1, 15. Consilia inire coepi Brutina plane, reipublicae liberandae.

[BRUTTĬĀCE, es, f. adj. idem ac Bruttiana. Cognomen Romanum. *Inscr.* apud *Grut.* 568, 13. Villiae Bruttiace conjugi B. M. *F.*]

BRUTTĬĀNUS, a, um, adj. ad Bruttios pertinens, Bruttius. *Plin.* 19, 8, 41. *n.* 3. Bruttiani caules, *h. e.* qui in Bruttio agro nascuntur. ℙ *Bruttiani* dicebantur, qui officia servilia magistratibus Romanis in provinciis praestabant, eo quod Bruttii primi totius Italiae ad Annibalem defecerant, et cum eo perseveraverant, usque dum recederet de Italia. Quibus propterea eam ignominiam Romani imposuere, ut neque milites scriberent, neque pro sociis haberent, sed magistratibus in provincias euntibus praesto esse servorum vice juberent. Haec *Fest.* et *Gell.* 10, 3., apud quem *Cato* in *lib. de falsis pugnis.* Dixit, a decemviris parum sibi bene cibaria curata esse: jussit vestimenta detrahi atque flagro caedi: decemviros Bruttiani verberavere. ℙ *Bruttianae parmae* dicebantur scuta, quibus Bruttiani sunt usi. *Festus.* ℙ Scribitur et *Brutianus.*

BRUTTĬI, orum, m. plur. *Βρέττιοι*, populi extremae Italiae, inter Lucaniam et fretum Siculum, et inter mare Tyrrhenum et sinum Tarentinum. *Caes. B. C.* 1, 30. [*Bruttii pro terra Bruttiorum *Varr. R. R.* 2, 1. In Bruttiis pecuariae nobiles. *Liv.* 34, 53. Duae coloniae, una in Bruttios, deduceretur. *Id.* 32, 1. In Bruttiis quaestiones perficeret.] ℙ In singulari numero *Sil.* 8, 570. Bruttius haud dispar animorum, unaque juventus Lucanis excita jugis. Adde 11, 10. ℙ Scribitur et *Brutius* unico *t:* sed alteram scriptionem magis probant *Manut.* et *Dausqu.* ex vet. libb. et lapidib. ℙ Item *Brittius. Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 102. *n.* 234. Correctori Lucaniae et Brittiorum.

BRUTTĬUS, a, um, adj. ad Bruttios pertinens. *Plin.* 3, 5, 10. Bruttium litus. *Id. ib.* Bruttius ager. *Sil.* 17, 433. vastabat Bruttia signa. Adde *Pers.* 6, 27. [**Col. R. R.* 10, 139. Bruttia tellus.] ℙ *Bruttia pix*, quam probatissimam antiqui habuere, praesertim ad dolia picanda, est secundus liquor, qui ex taeda excoquitur, et aceto spissatur. Ideo autem *Bruttia* cognominata est, quia in Bruttio agro optima coquebatur. Eam laudat *Plin.* 16, 11, 22. item 24, 7, 23., ubi aliquot ejus usus in medicina enumerat. [**Col. R. R.* 12, 18. *Veg. R. R.* 4, 14, 15, 23. et 25.] *Bruttia* absolute dicitur a *Calpurn. Ecl.* 5, 80. [**Britia* vel *Brittia* scribitur apud *Veg. Vet.* 4, 14. et alibi. *B. A.*] ℙ *Bruttius angulus* ap. *Flor.* 3, 20. videtur fuisse locus quidam apud populos Bruttios. ℙ Scribitur et *Brutius.* V. v. praec.

BRŪTUS, a, um, adj. *βαρὺς, ἀναίσθητος*, proprie terrae tribuitur, quasi quae sine sensu immota et gravis maneat. *Hor. Od.* 1, 34, 9. Quo bruta tellus et vaga flumina etc. Ad quem locum *Vet. Schol.* Bruti, inquit, graves et tardi dicuntur, quod terrae perpetuum est. *Festus:* Brutum antiqui gravem dicebant. *Serv.* ad *A.* 10, 102. Terra semper immobilis: unde Horatius: *Et bruta tellus.* [*Eodem sensu *terra iners* apud *Hor. Od.* 3, 4, 45.] *Appul. de Deo Socr.* p. 47, 5. Corpora neque tam bruta, quam terrea, neque tam levia, quam aetheria. *Levibus* corporibus *bruta*, hoc est gravia opponit. [**Lactant.* 7, 4, 12. Homo ex rebus diversis atque repugnantibus configuratus est, animo et corpore, id est coelo atque terra, tenui et comprehensibili, aeterno ac temporali, sensibili atque bruto. Ubi brutus est: sensus expers, sensu destitutus. *Arnob.* 6. p. 252. *Har.* Quod in primigenio corpore iners fuerit, et brutum et sensus mobilitate privatum. *Ib.* Quum pateat, rebus fieri verba cum brutis, exaudiri vos remini, i. e. vos preces facere ad simulacra omni sensu carentia.] Huic significationi astipulantur etymologi, qui brutum *ἀπὸ βαρύτητος*, hoc est a gravitate ductum putant; ita ut *brutus* sit per syncopen pro *barutus.* ℙ Hinc dicitur de animalibus, iis praecipue, quae minus sensu vigent, magisque tarda sunt ac stupida. *Plin.* 11, 37, 70. Bruta existimantur animalium, quibus cor durum riget; audacia, quibus parvum est; pavida, quibus praegrande. Quae *Plin.* hic bruta, *Aristot. de part. anim.* 3, 4. *ἀναίσθητα* appellat. Rursus *Plin.* 9, 29, 46. *de polypo.* Et cum alioqui brutum habeatur animal, ut quod ad manum hominis adnatat, in re quodammodo familiari callet. *Id.* 8, 51, 77. *de sue.* Animalium hoc maxime brutum; animamque ei pro sale datam non illepide existimatur. Adde 11, 39, 92. ℙ Ab animalibus ad alia eleganter transfertur. *Pacuv.* ap. *Auct.* ad *Her.* 2, 23. Fortunam insanam esse et caecam et brutam perhibent philosophi, *h. e.* stolidam, et more bruti animalis temere operantem, ut quae *dignum atque indignum nequeat internoscere*, ut *ib.* subditur. *Plin.* 2, 43, 43. *bruta fulmina* appellat, quae nulla veniunt ratione naturae: cujusmodi sunt, quibus percutiuntur montes, maria omnesque alii irriti e coelo jactus. Quibus opponit *fatidica*, quae statis de causis veniunt, et ex suis sideribus. *Id.* 15, 15, 16. pira bruta (ex emendat. *Harduini:* nam alii aliter leg.) dici ait, quae corium laneum habent Nam stultissima animalium lanata esse, *Id.* 8, 49, 75. tradit. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 66. Scitumque brutum Caesaris, *h. e.* sine consilio et ratione factum. ℙ De homine hebeti, stupido, stolido. *Pacuv.* apud *Non.* 2, 75. Ea obnoxium esse, aut brutum, aut clinguem putes. *Sen. Ben.* 3, 37. *a med.* T. Manlius relegatus a patre ob adolescentiam brutam atque hebetem. *Appul. Met.* 7. p. 191, 30. Non sum quidem tam brutus, vel certe temerarius, ut scitum vestrum inhibeam. [*Ludit in hac voce *Cic. Att.* 14, 14. Ista culpa Brutorum minime illorum quidem, sed aliorum brutorum.] ℙ Ab hac notione cognomen traxit L. Junius ille, qui, referente *Livio* 1, 56., ut tutus esset a Tarquinio Superbo avunculo suo, stupiditatem simulavit, et Brutorum familiae nobilissimae nomen reliquit. ℙ Sup. *Brutissimus* apud *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3, 67. Effigies, quas haud dubie divinas esse vel brutissimus sentiat.

BRYĂ, ae, f. frutex in Achaja, quem Dioscorides *μυρίκην*, Romani tamaricem appellant. *Plin.* 13, 21, 37.

*BRYANĬUM, i, oppidum Macedoniae, in Paeonia, quod Erigonus flumen alluit. *Liv.* 31, 39. *B. A.*

*BRYAXIS, is (idis), sculptor marmorarius insignis Graecus. *Plin.* 34, 7. et 8. *Colum. Praefat.* 1. Mausoleum una cum aliis fecit, teste *Plin.* 36, 5. *B. A.*

*BRYĂZON, ontis, fluvius Bithyniae. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

*BRYĂZUS, i, templum in Bithynia, cum deo cognomine. *Plin.* 31, 2. *B. A.*

*BRYLLĬON, i, oppidum Bithyniae, in confinio Phrygiae. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

BRYON, i, n. *βρύον*, uva populi albae. *Plin.* 12, 28, 61. ℙ Item frutex folio lactucae, rugosiore tantum. *Id.* 13, 25, 49. Adde 27, 8, 33. et 32, 9, 36., ubi varios ejus usus in medicina recenset. ℙ [*Bryon (*Βρύων*, genitiv. plur. i. e. muscorum) promontorium, in Cyrenaica. *Mela* 1, 7. Dictum et Boreum. V. *Boreus. B. A.*]

BRYONĬA, ae, f. et Bryōnĭas, ădis, f. *βρυωνία*, herba est duplicis generis, altera alba, quae et vitis alba appellatur, et sarmenta, capreolos et folia habens sativae viti non dissimilia, omnia tamen hirsutiora, a nonnullis psilothrum, quod acinos ferat rubentes, quibus tergora depilantur. Hujus meminit *Plin.* 23, 1, 16. et *Scribon. Compos.* 59. Altera est nigra, quam proprie brioniam vocant, similis priori, praeter quam colore. De ea plura *Plin. ib.* 17. *Colum.* 10, 250. indomitasque bryonias alligat alnos.

*BRYSAE, arum, populi Thraciae. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

BU

BU, *βοῦ*, particulam solebant Graeci magnis et amplis rebus praeponere, a magnitudine scilicet bovis. Hinc *bupaedas* magnos pueros dixerunt, et mariscam ficum *busycon*, et magnam famem *bulimum. Festus.* Adde *Varr. R. R.* 2, 5. [*Copiosissime de his compositionibus egit *Barker. Epist. crit.* ad *Schaef.*, in *Arcad. edit. de accent.* p. 226. seqq.] ℙ Praeterea *bu* est idem quod *bua* puerilis vox potionem petendi. *Fest.* in *Imbutum.*

BŪA, ae, f. *βοῦν*, vox est, qua infantes utuntur, cum potum petunt. *Varr.* apud *Non.* 2, 97. Cum cibum ac potionem buas ac papas dicunt, et matrem mammam, patrem tatam. Hinc *vinibuae* dicuntur mulieres vinolentae, *Lucil. ib.*

BŪBĀLĬNUS, a, um, adj. ad bubalum pertinens. *Valer. Imp. in ep.* apud *Vopisc. Prob.* 4. Vini veteris sextarios decem cum larido bubalino: salis olerum, lignorum quantum satis est.

BŪBĀLĬON, ii, *βουβάλιον*, cucumis silvaticus. *Appul. Herb.* 113.

BŪBĀLIS, le, adj. idem ac bubalinus. *Petr. Sat.* 35. Super Arietem cicer arietinum; super Taurum bubale frustum, *h. e.* frustum carnis bubulae. Al. rectius leg. *bubulae frustum.*

BŪBĀLUS, li, m. *βούβαλος*, animal ferum in Africa, vitulo ac cervo simile. Ita definit *Plin.* 8, 15, 15. et *Solin.* 20., ubi addunt male imperitum vulgus hoc nomine appellare uros, qui sunt tauri feri in Hercynia silva Germaniae. Hunc autem bubalum *Plinii* longe diversum esse ab eo, quem Itali vocant *bufalo*, recte existimat *Harduin. ad h. l.* Fortasse autem et *Martialis* ex vulgi opinione locutus est, bisontem Hercyniae silvae cum bubalo conjungens *Spectac.* 23. Illi cessit atrox bubalus atque bison. ℙ *Front. Strat.* 1, 5. *sub f.* Ligurum bubalos commemorans, bovinum pecus universim videtur intelligere. Alii tamen rectius *buculos.*

BŪBĀSIS, idis, f. ad Bubasum pertinens, quae est urbs et regio Cariae, cujus meminit *Plin.* 5, 28, 29. et *Bubassum* vocat. *Ov. Met.* 9, 642. Byblida non aliter latos ululasse per agros Bubasides videre nurus. [**Βύβασσος* audit ap. *Steph. Byz.*]

BŪBASTIS, is, f. *Βούβαστις*, nomen Dianae apud Aegyptios, quo *nova luna* eorum lingua significatur, qui et urbem eodem nomine habuerunt, ut est apud *Mel.* 1, 9., a qua *Bubastites* praefectura denominata est, de qua *Plin.* 5, 9, 9. verba facit. *Ov. Met.* 9, 689. cum qua latrator Anubis, Sanctaque Bubastis, variusque coloribus Apis. V. *Jablonsk. Panth. Aegypt.* 2, 3.

BŪBASTĬUS, a, um, adj. ad Bubastim pertinens. *Grat. Cyn.* 42. Vix operata suo sacra ad Bubastia lino Velatur sonipes aestivi turba Canopi.

BUBBATIO. V. BULLATIO.

*BUBEIUM, i, Africae natio vel oppidum. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

[BŪBELLĂ, ae, f. dimin. bubulae. *Not. Tir.* p. 167. Bubula, bubella. *F.*]

*BUBESSĬUS, a, um, ad Bubessum vel Bubassum pertinens. *Mela* 1, 16. Bubessius sinus. *B. A.*

*BUBETĀNI, orum, populi, incolae vetusti cujusdam oppidi in Latio, quod Bubetum forte vel Bubentum audiebat. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

BŪBETĬI, orum, m. plur. *Plin.* 18, 3, 3. Ludos boum causa celebrantes, Bubetios vocabant.

BŪBILE, is, n. *βουστάσιον*, locus, in quo par boum stabulatur, proprie est statio duorum boum jugandorum; stabulum est nostrum *Stall. Vitr.* enim 6, 9. distinguit stabulum a bubile. *Cato R. R.* 4. Bubilia bona, bonas praesepes. *Colum.* 1, 6. Domitis armentis duplicia bubilia sint, hiberna atque aestiva. [**Varr. R. R.* 1, 13.] Adde *Varr. de L. L.*, cujus verba V. in BOVILE. [**Phaedr.* 2, 8, 4. Et opportuno se bubili condidit. Sic *Burm.*, *Bentl.* bovili edidit.] ℙ Revera vox adjectiva est, et cogitandum *stabulum* aut quippiam simile. *Bubilem* in accusativo dixit *Pl. Pers.* 2, 5, 18., ubi cogitari potest *caula.*

BŪBĪNĀRE est menstruo mulierum sanguine inquinare. *Festus.* Est a *βουβών*, inguen. V. IMBUBINO. [**Isid. Gloss.* Buvinare, sanguine inquinare mulieris menstruatae. *B. A.*]

BŪBĬO, is. V. BUTIO.

BUBLĒUM, genus quoddam vini. *Festus:* ubi al. leg. *bublinum*, al. *bubeum*, al. denique *byblinum*, cujus meminere *Hesiod.* et *Theocrit.*

BŪBO, ōnis, m. et f. *βύας*, avis nocturna, noctuae similis, magnitudine tamen aquilam paene aequans, pennis in capite utrinque aurium similibus, volatu transverso, uncis unguibus, hebetibus oculis, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu: unde et funebris avis habetur: deserta incolit, raroque interdiu, et in urbibus visitur; quod si accidat, dirum ostentum est, et lustratione piandum: quod bis Romae factum fuisse, *Plin.* 10, 12, 16. et *ib.* 13, 17. narrat. Poetae fabulantur, in hanc avem mutatum fuisse Ascalaphum Acherontis seu Stygis filium. V. ASCALAPHUS. Multa ex augurum disciplina de hac ave disputat *Serv.* ad illud *Virg. A.* 4, 462. Solaque culminibus ferali carmine bubo Saepe queri et longas in fletum ducere voces. *Ov. Met.* 15, 791. Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo. *Id. ib.* 5, 550. Ignavus bubo, dirum mortalibus omen. Et *ib.* 6, 431. profanus. Et *ib.* 10, 453. funereus. ℙ Superstitiosa vetustas has aves inauspicatas, cum penetra-

verint domum quampiam, sollicite prehensas foribus affigebat, quod et nostrates etiamnum faciunt, ut nempe quod infaustis volatibus familiae minantur exitium, suis luerent cruciatibus. V. *Appul. Met.* 2. et *Colum.* 10, 348. *Pall. Veter.* 1, 35. Contra grandinem noctua pennis patentibus extensa suffigitur. ℙ Negat *Serv. l. c.* esse feminini generis, et ubi a *Virg.* dicitur *sola*, subaudiendum esse *avis*. Sed *Non.* 3, 23., *Priscian.* 6. p. 683. et *Palaemon Art. gramm. ib.* p. 1370. femininum quoque genus admittunt. [*Cf. *Voss. Aristarch.* 3, 22.]

BŪBO vel Būbĭo, is, n. verbum exprimens vocem butionis avis. *Auct. carm. Philom.* 42. Inque paludiferis butio bubit aquis. Al. leg. *butit*, ut sit *butio*, *is*, n.

*BUBON, onis, *Βουβών*, oppidum Lyciae, in regione Cabaliae. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

[BŪBŌNĂ, ae, f. Dea apud Romanos, quae boum curam gerere credebatur. *August. Civ. Dei* 4, 34. Sine Segetia seges, sine Bubona boves, mella sine Mellona, poma sine Pomona, ab uno vero Deo multo felicius acceperunt Hebraei. *F.*]

BŪBŌNĬUM, ii, n. *βουβώνιον*, herba, quae tumoris inguinum praesentaneum remedium est: a *βουβών*, *inguen*, *tumor inguinis*. Hinc Latine *inguinalis* dicitur. Vocatur etiam Aster Atticus a capitulis quibusdam, quae in cacumine habet, stellae in modum radiata. *Plin.* 27, 5, 19.

*BUBROSTIS. Inter mala venena enumerat *Marcian. Dig.* 48, 8, 3, 3. Alio senatus consulto effectum est, ut pigmentarii, si cui temere cicutam, salamandram, aconitum, pituocampas aut bubrostim dederint, poena teneantur hujus legis. Bubrostis habetur cantharidum species, corpus maxime inflammans et adurens, de qua vid. *Plin.* 30, 4. Fortasse in *Dig.* loco scribendum *Buprestis*. V. s. h. v.

BŪBSĔQUĂ, ae, m. *βοῦκος*, bubulcus, qui boves sequitur. *Appul. Met.* 8. *in.* p. 201, 13. Equisones, opiliones et bubsequae. *Sidon. ep.* 1, 6. Bubsequae rusticani. ℙ Scribitur et *bobsequa* et *busequa*.

BŪBŪLĀRĬUS, ii, m. Legitur in ludicro testamento M. Grunii Corocottae porcelli (cujus meminit *Hieron. in prooem. lib.* 12. *comment. in Esaj.*) quod affertur a *Brisson. de form. l.* 7., a *Lambec. in adnotat. ad Apic.* 8, 7., et inter spuria *Gruteri* p. 18. his verbis: Donabo sutoribus setas, surdis auriculas, bubulariis intestina, isiciariis femora. *Bubularii* videntur esse qui farcimina faciunt ex carne bubula concisa. *Vicus bubularis novus* in regione Urbis octava memoratur in *Inscr.* ap. *Grut.* 621, 4. In eadem regione prope Palatium locus fuit *capita bubula* dictus.

*BUBULCARIUS, i, m. bubulcus. *Gloss. Gr. Lat. βοώτης*, bubulcarius. *B. A.*

BŪBULCĬTO, as, n. et Bubulcitor, aris, dep. *βουκολέω*, boves pasco, bubulcum ago. *Pl. Most.* 1, 1, 50. Decet me amare et te bubulcitarier. paragoge pro *bubulcitari*. *Appul. Florid. n.* 6. p. 343, 14. Est apud illos gens, qui nihil amplius, quam bubulcitare, novere. ℙ Translate est declamitare more bubulcorum verius, quam oratorum. *Varr.* ap. *Non.* 2, 85. Vinicius meus, quod apud Plotium rhetorem bubulcitaret, alteri in dolore non defuit.

BŪBULCUS, i, m. *βοῦκος*, qui boves curat et agit, arator. [**Paul. Dig.* 33, 7, 18, 6. De bubulco quoque ita respondit: sive de eo qui bubus ibi araret, sive de eo qui boves ejus fundi aratores pasceret, quaereretur, deberi.] Qualis is esse debeat, et quod ejus in arando officium, docet *Colum.* 1, 6. et 2, 2. et 3. [**Col.* 1, 9.] *Cic. Div.* 1, 27. Mane bubulco praesto ad portam fuisse. *Ov. Trist.* 3, 12, 30. Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit. *Juven.* 11, 151. Pastoris duri est hic filius, ille bubulci. ℙ In Junia gente Romana *Bubulcus* cognominatus est, qui bubus optime utebatur, inquit *Plin.* 18, 3, 3. *Liv.* 27, 6. et 9, 20.

BŪBŪLĪNUS, a, um, adj. idem quod bubulus. *Veg. Veter.* 1, 13. Stercus bubulinum. *Id. ib.* 2, 28. *fin.* Fimum bubulinum. Adde 3. 4. 8. et 47.

BŪBŪLO, as, n. verbum exprimens bubonis vocem. *Auct. carm. Philom.* 37. Bubulat horrendum ferali carmine bubo.

BŪBŪLUS, a, um, adj. *βόειος*, bovinus. *Varr. R. R.* 2, 1. Bubulum pecus. *Pl. Poen.* 1, 1, 11. Tres facile corios contrivisti bubulos, *h. e.* lora, flagra. *Plin.* 6, 29, 34. Utres bubuli. *Id.* 11, 41, 96. Bubulum lac. Et 28, 10, 43. Bubula caro. *Colum. Praef.* 1. Bubulum armentum. *Suet. Aug.* 76. Caseus bubulus. *Cat. R. R.* 40. et *Plin.* 17, 14, 24. Lingua bubula, *h. e.* buglossa. ℙ *Bubula*, *lae*, absolute, bubula caro. *Pl. Aul.* 2, 8, 3. Venio ad macellum, rogito pisces: indicant caros; agninam caram, caram bubulam, vitulinam, cetum, porcinam. Adde *Curc.* 2, 3, 88. et *Cels.* 2, 24.

BŪCA. V. BUCCA.

BŪCAEDA, ae, m. servus, qui bubulis loris caeditur. *Pl. Most.* 4, 2, 1. Illi bucaedae erunt multo potius quam ego sim restio. Alii leg. *bucidae*, quod idem est.

[BŪCĀNUS, a, um, adj. ad Bucam pertinens, excisum Frentanorum oppidum, nunc *Penna*, cujus mentio est apud *Plin.* 3, 12, 17. *Inscr.* ap. *Mur.* 1032, 4. Imp. Caes. T. Aelio Hadriano Divi F. Antonino Bucani ob merita P. *F.*]

BŪCARDĬA, ae, f. *βουκαρδία*, gemma est bubulo cordi similis: a *βοῦς*, bos, et *καρδία*, cor. *Plin.* 37, 10, 55.

BŬCCĂ, ae, f. *στόμα*, *γνάθος*, pars interior oris humani concava, qua dentes et lingua continentur, quae collecto et retento spiritu inflatur: item pars exterior, qua hilaritas et risus indicatur, ut *Plin.* 11, 37, 59. loquitur. Usurpatur saepe in plurali numero, praesertim cum pars exterior significatur, quia utrinque in ore apparet. [Etymon est a praet. perf. *βέβυκα*, verbi *βύω*, turgere facio. Hinc recte etiam scribitur *buca*. *F.* **Arnob.* 6. p. 252. *Har.* Si (accipiant hominum) auriculas, nasos, buccas, labra, oculos, cilia, continuo dii fiant.] *Juven.* 3, 262. Bucca excitare foculum. *Pl. Poen.* 5, 2, 43. Miseram esse praedicat buccam sibi. *Mart.* 1, 42. Bucca loquax. *Cato* ap. *Gell.* 2, 23. Implere buccam. *Cic. Or.* 2, 66. Gallus distortus, ejecta lingua, buccis fluentibus. V. FLUENS. *Suet. Rhet.* 5. Fulvia, cui altera bucca inflatior erat. *Pl. Stich.* 5, 4, 42. Age, tibicen, refer ad labia tibias, suffla celeriter tibi buccas. *Id. ib.* 5, 6, 7. Inflare buccas. *Mart.* 3, 17. Sufflare buccis. [**Cic. Pis.* 11. cerussatae buccae.] *Pl. Truc.* 2, 2, 35. Buccae purpurissatae. ℙ *Buccas inflare* dicuntur irati et superbi. *Hor. Sat.* 1, 1, 20. Quid causae est, merito quin illis Juppiter ambas Iratus buccas inflet? Graeci quoque *φυσᾶν τὰς γνάθους*, dicunt de iis, qui irascuntur. ℙ *Quod in buccam venit dicere*, hoc est, quidquid venit in mentem. *Cic. Att.* 1, 12. *fin.* Tu velim saepe ad nos scribas: si rem nullam habebis, quod in buccam venerit, scribito. *Id. ib.* 12, 1. Cum coram sumus et garrimus quidquid in buccam. [*Videtur tamen haec locutio in vulgari tantum sermone, quo utimur in epistolis scribendis, locum habuisse, ut cautius ea abstineas, ubi dicendi genus adhibetur ultra quotidianum sermonem exsurgens.] ℙ Apud *Pers.* 5, 11. *scloppo tumidas buccas rumpere* allegorice est ventosa et inania verba, seu, ut *Hor.* loquitur *A. P.* 97. ampullas et sesquipedalia verba projicere. ℙ *Durae buccae homo* est idem, qui improbi ac duri oris. *Petr. fr. Trag. Burm.* 43. Durae buccae fuit, linguosus, discordia, non homo. ℙ In illis verbis *ejusd. Petr. ib.* 64. *bucca, bucca quot sunt hic?* innuitur quidam ludus puerilis, de quo multa *Scheffer. in adnotat.* ℙ *Buccae* interdum dicuntur ipsi tibicines, quia canendo buccas inflant. *Juven.* 3, 34. Quondam hi cornicines et municipalis arenae Perpetui comites notaeque per oppida buccae. Al. praecones *interpret.* ℙ Item inepti declamatores et viles rabulae, qui inflatis buccis in foro latrant. *Juven.* 11, 34. te consule, dic tibi, quis sis, Orator vehemens, an Curtius et Matho, buccae. Noscenda est mensura sui etc. Alii ita conjungunt: *buccae Noscenda est mensura tuae*, *h. e.* videndum, quam polleas facultate dicendi. ℙ *Bucca* pro *buccea*, quantum scilicet bucca capit. [**Suet. Aug.* 76. duas buccas manducavi, ubi alii *bucceas* legunt.] *Mart.* 10, 5. Oret caninas panis improbi buccas. *Petr. fr. Trag.* 44. *Burm.* Non mehercule hodie buccam panis invenire potui. Al. leg. *bucceam*. ℙ De brutis animalibus. *Plin.* 11, 37, 65. *de ranis coaxantibus.* Tunc extenti buccarum sinus perlucent, oculi flagrant labore propulsi. ℙ Per similitudinem usurpatur de cavitate aliqua buccae simili. *Plin.* 11, 45, 103. In ipsa genu utriusque commissura, dextra laevaque, a priore parte gemina quaedam buccarum inanitas est. ℙ [Fuit cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 729, 11. L. Messius M. F. Bucca. Adde aliam *ib.* 468, 7. In tribus nummis Julii Caesaris apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 8. habetur *Buca* simplici *c ἀρχαϊκῶς*, cognomen nempe L. Aemilii, qui ab *Ascon. in or. pro Scauro fin.* appellatur L. Aemilius Bucca. *F.*]

BUCCĔA, ae, f. *ψωμὸς*, *ἔνθεσις*, a *bucca* fit et significat frustulum alicujus rei esui aptae, quantum scilicet bucca commode capit. *Aug.* ap. *Suet. in ejus. Vita* 76. Duas bucceas manducavi, priusquam ungi inciperem.

BUCCELLA, ae, f. parva buccea, *ψώμιον*. *Mart.* 6, 75. Cum mittis turdumve mihi, quadramve placentae, Sive femur leporis, sive quid his simile; Buccellas misisse tuas te, Pontia, dicis. ℙ Est etiam *buccella* panis in modum coronae factus, qui ab imperatoribus populo Romano distribui aliquando solebat. *Impp. Valentin.* et *Valens Cod. Theod.* 14, 17, 5. Civis Romanus, qui in viginti panibus sordidis quinquaginta uncias comparabat, triginta et sex uncias in buccellis sex mundis sine pretio consequatur. V. *Salm. in adn.* ad *Vopisc. Aurel.* 35., ubi plura hac de re. Quod vero *mundae buccellae* in allata lege dicuntur, intelligendae sunt purae, non sordidae et furfuraceae, sed ex optimo frumento confectae. ℙ *Buccella* est etiam diminutivum buccae, buccula. [*Not. Tir.* p. 127. Bucca, buccula, buccella, buccosus, bucciferus. *F.*]

BUCCELLĀRIS, re, adj. *Buccellaris farina*, quae legitur apud *Plin. Valer.* 1, 6., videtur esse farina ex buccellato bene tunso confecta. ℙ *Buccellare*, *is*, n. absolute est vas quoddam ad coquendum aptum apud *Marcell. Empir.* 23. Aeris florem mittes in acetum, simulque in buccellari decoques. Al. leg. *bucculari*, ut sit a *buccula*.

BUCCELLĀRĬUS, ii, m. verna, cliens, parasitus [*Vid. *Gloss. Isid.*], item satelles, qui cibi causa dominum armatus sequitur, ejusque corpus custodit: ita dictus a *buccella*, qua panem significat, quia domini panem edit. *Impp. Leo*, et *Anthem. Cod.* 9, 12, 10. Omnibus per civitates et agros habendi buccellarios, vel Isauros, armatosque servos licentiam volumus esse praeclusam. [*Copiose de *buccellariis* egit *Salm.* ad *Script. Hist. Aug.* p. 197. 238. 321. et 419.]

BUCCELLĀTUM, i, n. panis militaris ad usus diuturnitatem excoctus, qui militi in expeditionibus distribui solet. [**Ammian.* 17, 8. (17). Frumentum ex eo, quod erat in sedibus consumendum, ad usus diuturnitatem excoctum, buccellatum, ut vulgo appellant, humeris imposuit libentium militum, ubi vide *Vales.* et *Lindenbr.* p. 279. *Wagner.*] *Spartian. Nigr.* 10. Pistores sequi expeditionem prohibuit, buccellato jubens milites contentos esse. Adde *Vulcat. Gallic. in Avid. Cass.* 5. et *Impp. Constant.* et *Julian. Cod. Theod.* 7, 4, 6. et *ib.* 5, 2. ℙ Dictum est a *buccella*, qua panem significat et fortasse idem sunt *buccellatum* et *buccella*, cum hoc tamen discrimine, quod *buccella* recens, et semel tantum cocta civibus dabatur, ut dictum est; *buccellatum* bis coctum militibus. [*Sic Germani *Zwieback.*]

[BUCCĬFĔRUS, a, um, adj. qui magnam buccam fert. V. BUCCELLA. *F.*]

BUCCINĂ, cum derivat. V. BUCINA.

BUCCO, onis, m. [**γνάθων*, *ὁ. φυσγναθος*, *ὁ.*] *Isid. Or.* 10. bucconem interpretatur garrulum, quod ceteris oris loquacitate, non sensu praestet. Alii exponunt scurram, parasitum, qui implendae buccae causa alienas mensas sectatur. A *Plauto* et *Appulejo* sumitur pro stulto, stolido, fatuo. Nam qui magnas buccas habent, stulti esse saepe consueverunt. *Pl. Bacch.* 5, 1, 2. Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones. *Appul. Apol.* p. 325. 30. Omnes isti, si cum hac una Rufini fallacia contendantur, macci prorsus et buccones videbuntur. ℙ Docet *Lips. epist. quaest. ep.* 2, 22. Maccum et Bucconem esse personas stolidas, fatuas, stultas poetis Atellanarum. Hinc *Pomponius* quasdam fabulas suas inscripsit *Bucconem adoptatum* et *Maccos geminos* etc., ut est apud *Charis.* 2. p. 187. et apud *Non.* 2, 840. et alibi. ℙ [Est quoque cognomen Romanum. Nummus apud *Mionnet. Descr. des medaill. T.* 1. p. 39. *L.* Pompejus Bucco. Adde *Martial.* 11, 76. *F.*]

BUCCONĬĀTIS Vitis a *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7. recensetur inter eas, quae in Thurinis collibus non ante demetuntur, quam gelaverit.

[BUCCOSUS, a, um, adj. qui magna bucca praeditus est. *Not. Tir.* p. 127. V. BUCCELLA. *F.*]

BUCCŬLĂ, ae, f. *στόμιον*, parva bucca. *Suet. Galb.* 4. Constat, Augustum puero adhuc salutanti se inter aequales, apprehensa buccula dixisse: *καὶ σύ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παραιρώξῃ*. *Appul. Met.* 3. p. 137, 40. Tuis istis micantibus oculis et rubentibus bucculis et renitentibus crinibus. [**Ib.* 6. p. 182, 17. Juppiter pressa Cupidinis buccula, manuque ad os suum relata consacrat.] *Arnob.* 2. p. 73. Bucculas inflantis tibiis distendere. ℙ Item pars cassidis buccam et genas utrinque tegens, *παράγναθος*. [*Germanis *das Visier.*] *Liv.* 44, 34. Alii galeas bucculasque, scuta alii loricasque tergere. *Juven.* 10, 133. truncis affixa tropaeis Lorica et fracta de casside buccula pendens. ℙ Est etiam *buccula* umbo scuti, hoc est media ejus pars et eminentior, in qua saepe facies hominis vel animalis cujuspiam effingi solet, cujus bucca seu os medium scuti obtinet. Porro quemadmodum *umbo*, sic et *buccula* pro ipso scuto ponitur. *Capitol. Maxim. jun.* 3. Fecit et spathas argenteas; fecit etiam aureas: fecit et galeas gemmatas; fecit et bucculas. *Imppp. Valentin.*, *Valens* et *Gratian. Cod. Theod.* 10, 22, 1. Cum senae per tricenos dies ex aere a singulis barbaricariis cassides, sed et bucculae tegerentur, octo vero cassidas, totidemque bucculas et tegerent argento et deaurarent etc. [**Tarrunt. Pat. Dig.* 50, 6, 6. bucclarum structores. ubi *Turn.* buccularii. Ceterum dubitationi valde obnoxium est, an in his locis *buccula* de scuti parte aut de toto scuto intelligi debeat. Equidem nullam causam video, quae nos moveat, ut a vulgari significatione recedendum sit.] *Gloss. Philox.* Buccula, *παράγναθος*, *ὀμφαλὸς*. ℙ Per similitudinem *bucculae* dicuntur in catapultis parva oscula, seu labella ipsius canalis, in quo telum ponitur, ne vacillet: quae et regulae appellantur. *Vitr.* 10, 15.

BUCCŬLĀRĬUS, ii, m. qui bucculas facit. *Aurel.*

Arcad. Dig. 50, 6, 6. Fabri sagittarii, aerarii, buccularii, structores, carpentarii etc. Ita legendum censet *Turneb. Advers.* 9, 16. Verum optimae editiones aliae *buccularum structores;* aliae *bracteararii, structores* habent.

BUCCŬLENTUS, a, um, adj. qui magnam buccam habet, *πλαντοτομος, στομίας. Pl. Merc.* 3, 4, 54. Canus, varus, ventriosus, bucculentus, breviculus.

*BUCĔPHĂLA. V. v. seq.

BUCĔPHĂLUS, i, m. a *βοῦς*, bos, et *κεφαλή*, caput, fuit equus Alexandri M., sic dictus per excellentiam, a figura taurini capitis armo impressa, quae generosioribus Thessaliae equis imprimebatur, ex qua omnes *bucephali* dicebantur, vel quod latitudine frontis bubulum caput referret; vel ab aspectu torvo; vel simpliciter a magnitudine, quia *βοῦ* magnum significat. *Plin.* 8, 42, 64. ℙ [**Bucephalas* audit *Gell.* 5, 2. *init.* et *Curt.* 6, 5. *Βουκεφάλας Arriano* et *Straboni.* ℙ *Bucephala* in recto habet *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3, 11. *B. A.*] ℙ Eo mortuo in India in proelio adversus Porum, urbem condidit Alexander, quam ab ejus nomine Bucephalam vel Bucephalon appellavit. *Plin.* 6, 20, 23., *Solin.* 45., *Gell* 5, 2.

BŪCĔRAS, ātis, n. *βούκερας*, herba quam foenum graecum vulgo appellant: ita dicta a *βοῦς*, bos, et *κέρας*, cornu, quia semen habet corniculis simile. *Plin.* 24, 19, 120.

BŪCĔRĬAE, arum, f. plur. greges boum. *Lucr.* 2, 660. Lanigerae pecudes et equorum duellica proles, Buceriaeque greges. Ita *Non.* 2, 94. Alii legunt *buceraaeque greges*, a Graeco *βουκέρως* pro *βουκέρως:* alii *buceraeque* retinent, ut sit choraeus primo loco positus pro spondeo vel dactylo: quod in *Lucretio*, qui poetica licentia saepe utitur, mirum esse non debet.

BŪCĔRUS, a, um, adj. *βουκέρως* et *βούκερας*, idem quod bubulus: a *βοῦς*, bos, et *κέρας*, cornu. *Festus:* Bucerum pecus de bobus dicimus. *Lucr.* 5, 864. Lanigeraeque simul pecudes et bucera saecla. *Ov. Met.* 6, 395. Bucera armenta.

BŪCĒTUM, i, n. locus, ubi boves, vel armenta pascuntur. *Gell.* 11, 1. Buceta in ea terra gigni pascique solita sunt plurima. Ita legit *Gronov.* ex MSS., pro quo quidam leg. *bucera. Lucan.* 9, 185. Calidi lucent buceta Matini. Ubi al. *buxeta.* At *Sidon.* sine controversia *buceta* habet *ep.* 2, 2. *post med.* Tityri nostrorum montium inter greges per depasta buceta reboantes. ℙ Scribitur et *bucitum.* Ita enim legendum censet *Scalig.* illud *Varr. L. L.* 4, 34. Porta Mugionis, a mugitu, quod ea pecus in bucita tum antiquum oppidum exigebat. *Gloss. Isid.* Bucita, pascua, ubi cientur boves.

*BUCHIANOS. *Fest.:* Buccinam quam nos appellamus, Graeci Buchianon a similitudine soni dicunt. *Scalig.* emendat *βυκάνην. B. A.*

BŪCĪTUM. V. BUCETUM.

BŪCĪNĀ et Buccĭna, ae, f. *σάλπιγξ*, tuba, ea praecipue, cujus sonitu signum militibus datur. *Cic. Mur.* 9. Te gallorum, illum bucinarum cantus exsuscitat. *Id. Verr.* 2, 4, 44. Signum bucina dare. *Virg. A.* 11, 475. bello dat signum rauca cruentum Bucina. ℙ De pastorali tuba. *Varr. R. R.* 2, 4. Subulcus debet porcos consuefacere, ut omnia faciant ad bucinam. *Id. ib.* 3, 13. Apros ad bucinam convenire. [*Adde *Col.* 6, 23.] *Prop.* 4, 10, 29. pastoris bucina cantat. [*De bucina pastorali vid. *Broukh.* ad h. *Prop.* l.] ℙ Sed et ad alios usus bucina adhibetur. *Id.* 4, 1, 13. Bucina cogebat priscos ad verba Quirites. [*Buccina convivium dimittitur. *Tac. A.* 15, 30. et annot. *Lipsii* ad h. l.] ℙ *Prima, secunda, tertia bucina* est prima, secunda, tertia vigilia noctis. Nam in castris vigiliarum signum bucina datur. *Prop.* 4, 4, 61. Et jam quarta canit venturam bucina lucem. *Liv.* 26, 15. Ut ad tertiam bucinam praesto essent. Adde *Sil.* 7, 154. ℙ Diei quoque partes bucinae sono aliquando, nondum horologiis sonantibus inventis, indicari solitae. Nam quemadmodum noctem in quatuor vigilias, ita diem in quatuor partes dividebant. *Sen. Thyest.* 798. Nondum in noctem vergente die, Tertium dedit bucina signum. Adde *Sen. Contr.* 3. cujus verba infra in BUCINO referemus. ℙ Translate. *Juven.* 14, 152. Sed qui sermones? quam foedae bucina famae? etc. Nam Fama cum tuba pingi solet. ℙ Inter *tubam* et *bucinam* hoc interest, quod *tuba* aliquando directa est; *bucina* in semetipsam aereo circulo flectitur, ut *Veget. Mil.* 3, 5. docet. Hinc *Ov. Met.* 1, 335. describens Tritonis bucinam, tortilem fuisse dicit, *in latum quae turbine crescit ab imo.* Hoc tamen discrimen non semper servatur. Nam *Lucan.* 1, 431. tubam recurvam dixit. *Tert. Pall.* 2. bucinam dicit concham marinam, quam *Plinius* bucinum. V. ℙ Variam hujus vocis originem varii assignant etymologi: ex quo sequitur varia scribendi ratio. Alii derivant a *bucca* et dupplici *cc* scribi volunt: alii vel a similitudine vocis *bu bu* et *cano*, vel a *vocando*, quasi *vocina*, vel denique a Graeco *βυκάνη*, quod idem significat; et simplici *c* scribunt, quod magis placet *Manut.* et *Dausq.*, pluraque habet ex vet. lapidib. et codd. testimonia. V. etiam BUCCA. [*Utraque scriptura *bucina* et *buccina* in Lapidibus reperitur; haec tamen frequentior est. Vid. *Drak.* ad *Liv.* 7, 35. Cf. *Schneider. Gr. Lat. P.* 11. p. 402.]

BŪCĪNATOR et Buccinator, oris, m. qui bucina canit, tubicen, *βυκανιτής, σαλπιγκτής. Caes. B. C.* 2, 35. *fin.* Bucinatore in castris et paucis ad speciem tabernaculis relictis. *Inscr.* ap. *Mur.* 834, 8. D. Memmius D. Lib. Xenophon bucinator Leg. III. Parth. *Grut.* 1116, 4. L. Volusio Urbano nomenclatori praetorio Papias servos publicus buccinator nominum. ℙ Translate est praedicator, laudator. [*Germanis: *ein Posaunenbläser.*] *Cic. Fam.* 16, 21. Quod polliceris, te buccinatorem fore existimationis meae, firmo id constantique animo facias licet.

*BUCINNA, ae, insula prope Siciliam, Africam versus. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

BŪCĪNO et Buccino, as, n. 1. *βυκανίζω*, bucina cano. *Varr. R. R.* 1, 4. *fin.* Cum bucinatum est. *Sen. prooem. Contr.* 3. Saepe, declamante illo, ter buccinavit. *Appul. Met.* 4. p. 157. 3. Triton concha sonaci leniter bucinat.

BŪCĪNUM et Buccinum, i, n. idem quod bucina, vel bucinae sonus. *Plin.* 9, 33, 52. Conchae aliae ad plausum apertae, aliae ad bucinum recurvae. *Id.* 11, 10, 10. de apib.: Noctu quies in matutinum, donec una excitet gemino, aut triplici bombo, ut bucino aliquo. ℙ Est etiam genus conchae marinae minoris, quae non nisi petris adhaeret, et circa scopulos legitur, ore rotundo, et in margine inciso, (quemadmodum ejus figuram exhibent *Rondelet. et Gesn.*) unde et nomen accepit: nempe quia illa rotunditate refert vel bucinam, qua sonus editur, vel bucinatorem ipsum rotundantem os, dum bucina canit. Porro quia bucinator Graece *κήρυξ* dicitur, ex hac voce factum est aliud nomen huic conchae, *murex*, parva litterae mutatione. Ex bucino eliciebant olim pretiosum illum succum purpurae, quo vestes tingebantur: cujus usus nunc omnino amissus est. Haec et alia de bucino *Plin.* 9, 36, 61. et seqq.

BŪCĪNUS et Buccinus, i, m. bucinator. *Petr. fr. Trag.* 74. *Burm.* de gallinaceo cantante: Non sine causa hic bucinus signum dedit. ℙ *Caper de Orthogr.* p. 2243. docet, *bucinum* masc. gen. significare ipsum bucinae sonum; sed nullo id testimonio confirmat.

BŪCŌLĬCUS, a, um, adj. *βουκολικός*, pastoralis: a *βουκολέω*, boves pasco: quod a *βοῦς*, bos, et *κόλον*, cibus. *Colum.* 7, 10. Ut Bucolicon loquitur poema, *h. e. Virgilii* eclogae, in quibus res pastorales tractantur: quae ideo *Bucolica, orum*, inscribuntur. *Gell.* 9, 9. Cum legerentur utraque simul Bucolica Theocriti et Virgilii. Sic de eodem *Virgilio Ov. Trist.* 2, 538. Bucolicis juvenis luserat ante modis. ℙ Bucolice tome, *βουκολική τομή, h. e.* pastoralis sectio seu caesura: dicitur ab *Auson.* cum in versu hexametro pes quartus est dactylus, dictionem terminans: ut in illo *Virg. Ecl.* 1, 8. Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus. *Auson. ep.* 4, 88. Sunt quos hexametri creant revulsi, Ut penthemimeris prior locetur, Tum quod bucolice tome relinquit. *Bucolice* et *bucolicon* Graeca positione dicuntur. ℙ *Bucolici* milites, quorum mentio fit a *Capitol. Anton. Philos.* 21. et a *Vulcat. Avid. Cass.* 6., sunt milites Aegyptii, ita appellati a locis, quae in Aegypto incolebant, quae *Bucolia* dicebantur, quod a barbaris et ferocibus hominibus, atque armentorum curae apprime deditis, habitarentur. ℙ Bucolicon panaces, *πάνακες βουκολικόν*, est, quod in Macedonia nascitur: ita dictum, quod armentarii succum ejus sponte erumpentem excipiunt. *Plin.* 25, 4, 11.

*BUCOLĬUM, i, oppidum Arcadiae. *Plin.* 4, 7. ed. *Hard.*

[BŪCŌLUS, i, m. *βούκολος*, bubulcus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1750, 17. C. Lucilius Bucolus. *F.*]

BŪCRĀNĬUM, ii, n. *βουκράνιον*, caput bovis recisum. *Inscr.* ap. *Murat.*, in qua de Taurobolio agitur, 333. Aram et bucranium suo impendio consacravit. V. *Philipp. a Turr. explicat. Taurobol. Lugd.* ap. *Sullengr. T.* 3. *novi Thes. Antiq. R.* ℙ Item herba bubuli capitis similitudinem referens. *Appul. Herb.* 86.

BŪCŬLA, ae, f. *βοΐδιον*, parva bos. *Virg. G.* 1, 375. aut bucula coelum Suspiciens, patulis captavit naribus auras. [*Scriptoribus melioris aevi usitatius est hoc verbum quam *vaccula*, monet *Burm.* ad *Anth. Lat.* Tom. II. p. 670. *Jahn.*] ℙ De bucula ex aere Atheniensibus a Myrone statuario egregie elaborata, multisque poetarum versibus celebrata, mentionem facit *Cic. Verr.* 2, 4, 60. [*Adde *Div.* 1, 24.] et *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 3. V. epigrammata *Auson.* 58. 59. et seq.

BŪCŬLUS, li, m. *βοΐδιον*, parvus bos, parvus juvencus. *Colum.* 6, 2. Cum buculos comprehenderis, extra stabulum producito.

[BŪDĀ, ae, f. storea, V. *Glossar. Ducang.* in V. *Buda.* [**Buda* posteriore aetate appellabatur papyrus, stuppa vel stramentum ex papyro. Ex buda s. papyro cera obducta olim fiebant ellychnia, quam et pro funalibus s. facibus ad lumen praebendum adhibebant. *Salm.* ad *Solin.* Tom. I. p. 1003. *Lindenbr.* in *Glossar.* ad *Cod. Leg. Antiq. in Bombucina papyrus* p. 1364. *Niliaca* interdum buda vocatur, quoniam Aegyptus papyri ferax. V. *L. Allat. Animadv.* ad *Antiq. Etrusc. Fragm.* p. 118. 119. *Muncker.* ad *Fulgent. Mythol.* Lib. I. p. 19. et quae de ratione chartae ex papyro apud Aegyptios conficiendae ad descriptionem *Plin.* 13, 2. seqq. longa digressione disseruit *Salm.* ad *Hist. Aug.* p. 444. sqq. et peculiari commentario *Melchior Guilandinas.* Haec et plura habet *Burm.* ad *Anth. Lat.* Tom. II. p. 462. *Jahn.* Adi porro *Is. Voss.* ad *Mel.* 3, 9. p. 599.] Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1001, 10. Troila Buda. Alii leg. *Bula. F.*]

*BUDALĬA, ae, vicus vel oppidum Pannoniae inferioris, in agro Sirmiensi, patria Decii Imperatoris Romani. *Eutrop.* 9, 4. *Anton. Itin. Bubalia* appellatur ab *Aur. Vict.* in *Epit.*, minus recte. *B. A.*

*BUDĪNI, orum, populi Sarmatiae Europaeae. *Mela* 1, 19. *Plin.* 4, 12. A Budino monte ibi sito fortasse sic dicti. *B. A.*

*BUDROAE, arum, insulae duae prope Cretam. *Plin.* 4, 12. ed *Hard.* Antea legebatur *Budorae. B. A.*

*BUDŪA, ae, oppidum Lusitaniae. *Anton. Itin. B. A.*

BŪFO, ōnis, m. genus ranae terrestris, venenatae, nimiae magnitudinis. *Φύσαλος* a Graecis dicitur, a *φυσάω*, inflo, quia immaniter inflari solet. *Virg. G.* 1, 184. Inventusque cavis bufo et quae plurima terrae Monstra ferunt.

*BUGES, ae, m. palus cum fluvio cognomine, in Sarmatia Europaea, in Isthmo Chersonesi Tauricae. *Plin.* 4, 12. Palus *Bice* audit *Val. Fl.* 6, 68. Quin et *Buces* appellatur fluvius a *Mela* 2, 1. *post. init.* V. *Bice* et *Buces. B. A.*

[BŪGILLO, onis, m. herba eadem, quae vulgo bugula aut ajuga reptans appellatur. *Marcell. Empir.* 8. Bugillonis succus. *F.*]

BŪGLOSSA, ae, et Buglossos, i, f. *βούγλωσσον* et *βούγλωσσος*, herba boum linguae similis: a *βοῦς*, bos, et *γλῶσσα*, lingua. *Plin.* 25, 8, 40. Jungitur huic buglossos: cui praecipuum, quod in vinum dejecta, etc. *Appul. Herb.* 41. Buglossa dicta est eo, quod folia aspera in modum linguae bubulae habeat. *Seren. Sammon.* 424. Capparis atque apium, buglossaque jungitur una. *Aemil.* tamen *Macer* primam syllabam corripit, *de bugloss.* 1. Lingua bovis Graeco sermone buglossa vocatur. Adde *ib.* 10. Sed non imitandus.

BŪGONĬA, ae, f. *βουγονεία*, apum generatio: a *βοῦς*, bos, et *γονεία*, fetificatio, quia apes ex putrefactis bobus gigni dicuntur: ex quo Graeci eas *βουγόνας* vocant. *Varr. R. R.* 2, 5. Non minus fatisfaciam tibi, quam qui bugoniam scripsit.

BŪLAPĀTHUM, i, n. *βουλάπαθον*, genus lapathi altitudine radicis ab aliis differens. *Plin.* 20, 21, 86.

*BULARCHUS, i, *Βούλαρχος*, pictor insignis. *Plin.* 7, 38. et 35, 8. *B. A.*

BULBA. V. VULVA.

BULBĀCĔUS, a, um, adj. bulbosus. *Plin.* 21, 26, 97. Hyacinthi radix est bulbacea.

BULBĪNE, es, f. *βολβίνη*, herba ex bulborum genere, foliis porraceis, bulbo rubicundo. *Plin.* 20, 9, 41. [*Adde *Plin.* 19, 5, 30.]

*BULBĪTUM, i, n. fimus. *Plin.* 28, 17. *B. A.*

BULBŌSUS, a, um, adj. bulbos habens, *βολβώδης. Plin.* 21, 21, 90. Hemerocalles radice odorata atque bulbosa. Adde *ib.* 17, 60.

BULBŬLUS, li, m. parvus bulbus, *βολβάριον, βολβίον. Pall. R. R.* 3, 21. Ne oculos circa radicem nascentes et minores bulbulos sauciemus.

BULBUS et Vulvus, i, m. *βολβός*, radix quarundam herbarum vel florum, in modum caepae rotunda et tunicata, quales sunt narcissi, lilii, arundinum, squillae et hujusmodi. *Isid. Orig.* 17, 9. Bulbus appellatus, quod radix ejus volubilis sit, et rotunda. *Cels.* 2, 18. inter bulbos enumerat etiam caepam et allium. *Plin.* 17, 20, 33. Arundo seritur bulbo radicis, quem alii oculum vocant. *Id.* 21, 5, 11. Croci bulbus. *Id.* 22, 22, 32. asphodeli. *Id.* 19, 4, 21. In hortis nascentium alia bulbo commendantur, alia capite, alia caule, alia folio. ℙ Speciatim *bulbus* dicitur quaedam herba hortensis, bulbos in radice habens esui aptos, quam plerique nobis incognitam putant: cujus varia fuerunt genera, quorum celebratius Megaricum. Meminere *Ov. Rem. Am.* 797., *Plin.* 19, 5, 30., [**Cat.* 8.] *Colum.* 10, 106. et alii. ℙ *Bulbus fabrilis*, ita appellatus, quia *Theophr. Hist. Plant.* 7, 13. *βόλβος ἰριοφόρος, h. e.* lanosus, in arenosis locis maritimis nascens, cujus pars lanosa sub primis tunicis, pars interior edulis, in Taurica Chersoneso, Hyacintho Peruviano affinis. *Apic.* 8, 7. Mittitur in porcello hortulano pullus isiciatus, lucanicae, dactyli exossati, fabriles bulbi. *Edict. Diocl.* p. 16. Vulvi Afri sive fabriles N. viginti ℵ duodecim: vulvi minores N. quadraginta ℵ duodecim. *Plin.* 19, 5, 30. Bul-

bi in Africa nati maxime laudantur. ℙ Cognomen fuit Romanum in gente Atilia, ut C. Atilius Bulbus, qui bis consul, et censor fuit A. U. 519. ut est in Fastis consularib. apud *Grut.* 292. Lepidum jocum *Ciceronis* in nomine *bulbi* V. in CONDITOR.

BULE, es, f. *βουλή*, Graeca vox, quae inter alia significat collegium senatorum, seu decurionum, quorum consiliis et voluntate civitas gubernatur: praesertim apud Graecos. *Plin. ep.* 10, 117. Solent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare. Et *ib.* 113. In bulen a censoribus legi. Et *ib.* 111. Et bule et ecclesia consentiente.

*BULENSES, ium, m. plur. incolae Bulis, urbis Phocidis. *Plin.* 4, 3, 4. Oppidum Crissa et cum Bulensibus Anticyra. *B. A.*

*BULEPHORUS, *βουλήφορος*, vocabatur Summae rei rationalis. *Const. Imp. Cod.* leg. 8. V. *Panciroll. Notit. dign. Imp. Orient.* 75. *B. A.*

BULEUTA, ae, m. *βουλευτής*, senator, qui in bulen lectus est. *Plin. ep.* 10, 48. Ex ea pecunia, quam buleutae additi beneficio tuo aut jam obtulerunt aut conferent. Adde *ib.* 113. et *Spart. Sever.* 17.

BULEUTERIUM, ii, n. *βουλευτήριον*, locus, ubi senatores conveniunt, curia. *Cic. Verr.* 2, 2, 21. In curia Syracusis, quem locum illi buleuterium vocant. Adde *Plin.* 36, 15, 23.

BULGA, ae, f. *διφθέρα, μολγός*, *Festus* ait esse vocem Gallicam, et significare sacculum scorteum. *Nonius* 2, 76. interpretatur folliculum, hoc est sacculum ad brachium pendens, quem veteres etiam crumenam appellarunt: cujusmodi est, qui a viatoribus gestari solet. *Lucil.* ap. *Non. ib.* Cui neque jumentum est, nec servus, nec comes ullus: Bulgam, et quidquid habet nummorum, secum habet ipse. Cum bulga coenat, dormit, lavit: omnis in una Spes hominis bulga: hac devincta est cetera vita. Adde *Varr. ib.* ℙ Per similitudinem dicitur de feminarum utero. *Lucil. ib.* Ut quisque nostrum de bulga est matris in lucem editus. ℙ Eadem videtur esse *vulga:* de qua *Non. ib.* 908. afferens illud *Varr.* Eo ut viaticum ex arcula adderem in vulgam. Et *Lucilii:* in vulgam penetrare pilosam.

BULIMANS, antis, adj. *βουλιμῶν*, intolerabili fame laborans: Graeca vox a *βοῦ*, quod in compositione auget, et *λιμός*, fames. *Theodor. Priscian.* 2, 29. ubi alii aliter leg.

[BULIMIO, onis, m. *βουλιμίων*, qui magna fame laborat. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 125. *n.* 35. Bulimioni Lib. Claudiae Actes fecit Dionysia cojugi B. M. *F.*]

[BULIMUS, i, m. *βούλιμος*, magna fames, morbus quidam, quo aeger insatiabili edendi cupidine cruciatur. [*Festus:* Bulimon Graeci magnam famem dicunt. Adde *Not. Tir.* p. 166. inedia, bulimus. Graecis litteris scribit *Gell.* 16, 3. Erasistratus vim quandam famis non tolerabilem, quam Graeci *βούλιμον* appellant, in diebus frigidissimis accidere ait. Adde *Veg. Veter.* 3, 35. *B. A.*]

BULLA, ae, f. *πομφόλυξ*, tumor globosus in aqua, aut aliquo alio liquore excrescens, cum bullit aut spumam facit, et repente evanescens. *Ov. Met.* 10, 731. Sic fata cruorem Nectare odorato spargit, qui tactus ab illo Intumuit sic, ut pluvio perlucida coelo Surgere bulla solet. *Mart.* 8, 33. offensae bulla tumescit aquae. ℙ Ad hanc significationem respexit [*Varr. R. R.* 1, 1. Cogitans, esse properandum, quod, ut dicitur, si est homo bulla, eo magis senex. ℙ Ab similitudine dicuntur bullae umbellata clavorum capita, quibus ditiorum fores exornari solent, item quae cingulis et balteis infigi ad ornatum. *Cic. Verr.* 2, 4, 56. Bullas aureas omnes ex his valvis non dubitavit auferre. *Virg. A.* 12, 942. et notis fulserunt cingula bullis. Et *ib.* 9, 359. aurea bullis cingula. ℙ Hujusmodi bullatis clavis foribus, vel tabulae impactis mos fuit aliquando dies, qui boni, quique incommodi essent, notare: cujus rei testimonium exstat apud *Petr. Sat.* 30. ℙ Bullam in tympano horologii, quae bullato clavo similis esse debuit, memorat *Vitr.* 9, 9., ubi de variis horologiorum rationibus agit. ℙ Sed praecipue *bulla* dicta est insigne quoddam, quod a pueris Romanis e collo ante pectus loro suspensum gestabatur ad ingenuitatem testandam. Nam tempore sumendae togae bullam una cum praetexta deponebant, et Laribus donabant, sicut puellae Veneri pupas suas. *Pers.* 5, 30. Cum primum pavido custos mihi purpura cessit, Bullaque succinctis Laribus donata pependit. Narrat *Plin.* 33, 1, 4. hunc bullae gestandae morem originem habuisse a Tarquinio Prisco, qui filium suum, quod adhuc praetextatus hostem in bello occidisset, aurea bulla donaverit. Ex eo factum esse, ut equitum filii praetextati insigne id haberent. Alii vero scribunt, non modo equitum, sed omnium ingenuorum filios bullam auream gestasse. Nam libertini, et aliquando etiam tenuiores vel lorum tantum, vel bullam scorteam ex loreo nodo pendentem habebant, ut *Asc. in Verr.* 2, 1, 58. docet. Hinc *Juven.* 5, 153. Etruscum puero si contigit aurum, Vel nodus tantum, et signum de paupere loro. *Etruscum* dicit, quia ab Etruscis morem hunc Romani mutaverant, vel quia ejus auctor fuit Tarquinius in Etruria natus. *Macr. Sat.* 1, 6. tradit, peritissimos vetustatis referre hoc inventum ad Romulum, qui infantem ab Hersilia Sabina ante alias omnes primum editum tali insigni decoraverit. ℙ Fuit etiam gestamen triumphantium, quod in triumpho prae se gerebant, inclusis intra illud remediis, quae crederent adversus invidiam valentissima. *Macr. ib.* [*Bullae etiam bestiis, quas quis inprimis diligeret, alligabantur. *Ov. Met.* 10, 114. Bulla super frontem parvis argentea loris Vincta movebatur.] ℙ Solebant in puerili bulla humani cordis figuram effingere, ut eam inspicientes pueri, ita demum se homines cogitarent, si corde praestarent, ut *Macr. ib.* ait. *Cic. Verr.* 2, 1, 58. Bulla ornamentum pueritiae, indicium atque insigne fortunae. ℙ *Bulla dignus* dicitur, qui ineptit et puerilia facit: dignus propterea qui inter pueros referatur. *Juven.* 13, 33. Dic, senior bulla dignissime, nescis, Quas habeat Veneres aliena pecunia? ℙ Bullae puerilis figuram habes apud *Spon. Miscell. erud. antiq.* p. 299. et elegantioris in *Mus. Borbon. Neap. T. tab.* 2, 14.

BULLATIO, onis, f. *Plin.* 34, 14, 42. Lapis hic et in Cantabria nascitur, non ille magnes verus caute continua, sed sparsa bullatione, *h. e.* bullarum instar per agros sparsus, non e continua rupe excisus. Ita legit et interpretatur *Hard.*; nam editi alii habent *bubbatione.*

BULLATUS, a, um, adj. bullam habens. *Juven.* 14, 4. Heres bullatus, *h. e.* parvulus, ut qui adhuc bullam gestat. *Scip. Afr.* ap. *Macr. Sat.* 2, 10. Bullatus puer. *Val. Max.* 3, 1. *n.* 1. Bullata statua, *h. e.* statua pueri cum bulla. [*Varr. L. L.* 4, 24. cingulum bullatum, i. e. bullis s. clavis distinctum. Cf. *Bulla.*] ℙ Translate *Fulgent. in carm. Myth.* 1. Luna bicornis Bullatum bijugis conscenderat aethera tauris, *h. e.* stellis tanquam bullis distinctum. *Pers.* 5, 19. Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis Pagina turgescat, *h. e.* inflatis, tumidis instar bullarum in aqua excrescentium. Al. leg. *pullatis.*

[BULLESCO, is, n. idem ac ebullio. *Ampel. lib. mem.* 8. Cum manibus supplodas, pix alte extollitur, et quasi ab aqua bullescit, *h. e.* in bullas abit, ebullit. *F.*]

[BULLIDENSIS et Byllidensis, se,

[BULLIENSIS et Bylliensis, se,

[BULLINUS et Byllinus, a, um, et

[BULLIO, onis, m. ad Bullidem seu Byllidem pertinens, Illyrici urbem litoralem infra Apolloniam, a *Cic. Phil.* 11, 11. memoratam, in cujus nummis apud *Eckel. D. N. V. T.* 2. p. 195. *ΒΥΛΛΙΟΝΩΝ. Plin.* tamen 4, 10, 17. eam in Macedonia ponit, et coloniam Bullidensem vocat. ℙ *Bullidenses*, et *Bullienses*, et *Bullini*, et *Bulliones* sunt incolae urbis Bullidis. *Caes. B. C.* 3, 12. Hos sequuntur Bullidenses, Amantiani, et reliquae finitimae civitates. *Cic. Pis.* 40. Parthini et Bullienses illusi. *Liv.* 44, 30. Bullinorum et Apollonatium auxilia. *Cic. Fam.* 13, 42. Omnino ostenderunt, Bulliones sese Luccejo Pompeji arbitratu satisfacturos. *F.*]

BULLIO, is, ivi, itum, n. 4. *βράζω*, ferveo, bullas emitto: a *bullis*, quas in aqua fervida videmus. *Cels.* 5, 19. *fin.* spumae argenti selibra cocti, donec bullire desierit. *Pers.* 3, 34. et alto Demersus, summa rursus non bullit in unda, *h. e.* non emergit: aqua enim bulliens in altum ejicit quidquid immixtum habet. ℙ Translate *Appul. Met.* 10. p. 250, 34. Bullire indignatione, *h. e.* ardere iracundia.

BULLITUS, a, um, partic. verbi *bullio*, fervefactus. *Veg. Veter.* 1, 45. *fin.* Castoreum, lauri baccas, ammoniacum mittis in ollam, et bullita atteres, dabisque ad bibendum.

BULLITUS, us, m. agitatio aquae bullientis, *ἀναβρασις. Vitruv.* 8, 3. Capita fontium cum sunt angustiis compressa, ruunt in summo spiritus aquae bullitus.

BULLO, as, avi, atum, n. 1. bullas emitto, bullio, *πομφολυγέω. Cels.* 2, 7. Si urina bullat, aut male olet. *Cat. R. R.* 105. Mustum in ahenum infundito, ignem subdito: ubi bullabit vinum, ignem subducito. *Plin.* 9, 7, 6. Bullantium aquarum sufflatio. *Id.* 18, 31, 74. Rugae mali torcularis bullantes per cochleas, *h. e.* spirae crassiores, exstantes, et in bullae morem rotundatae.

BULLULA, ae, f. parva bulla. *Cels.* 2, 5. *extr.* Si urina bullulas excitat. Adde 5, 28. *n.* 17. ℙ Est etiam diminutivum bullae, quae puerorum ingenuorum erat insigne. [*Hieron. in Isaj.* 2, 3, 18. Habent mulieres in lunae similitudinem bullulas dependentes. *F.*]

*BUMADUS, i, Assyriae fluvius, prope Gaugamela. *Curt.* 4. 9. *B. A.*

BUMAMMA, ae, f. *βούμαστος*, genus uvae crassioris, rotundique acini: a *βοῦς*, bos, et *mamma*, quia instar mammae bovis turgescit, ut *Serv.* ad *G.* 2, 102. docet. *Varr. R. R.* 2, 5. Novi majestatem boum, et ab his dici pleraque magna, ut *βούαυχον, βούπαιδα;* uvam quoque bumammam. Adde *Macr. Sat.* 2, 16. [*Cf. *Bu.*]

*BUMASTA, ae, f. et

BUMASTUS, i, f. *βούμαστος*, uva eadem quae bumamma ac duracina: a *βοῦς*, bos, et *μαστός*, mamma. *Edict. Dioclet.* p. 18. Uvae duracinae seu bumastae pondo I. ℔ quattuor. Distinguitur tamen a *Macr. Sat.* 2, 16. Apicia, bumamma, aut, ut Graeci dicunt, *βούμασθος*, duracina, labrusca, etc. *Virg. G.* 2, 102. et tumidis, bumaste, racemis. *Plin.* 14, 1, 3. Tument mammarum modo bumasti. Adde *Colum.* 3, 2.

BUMELIA, ae, f. *βουμελία*, species fraxini amplissimae et lentissimae: a *βοῦ*, quod in compositione auget, et *μελία*, fraxinus. *Plin.* 16, 13, 24.

*BUNI, orum, populi Liburniae. *Plin.* 3, 21. ed. *Hard.* Antea legebatur *Dudini. B. A.*

BUNIAS, adis, f. genus napi. *Plin.* 20, 4, 11. Naporum duas differentias et in medicina Graeci servant. Angulosis foliorum caulibus florentis, quod bunion (*βούνιον*) vocant, purgationibus feminarum et vesicae et urinae utile decoctum, etc. Alterum genus buniada (*βουνιάδα*) appellant, et raphano et rapo simile, seminis praeclari contra venena, etc. *Colum.* 10, 422. Quaeque Amiterninis defertur bunias arvis.

BUNION. V. v. praec.

*BUNITES, ae, m. *βουνίτης* sc. *οἶνος*. V. *Plin.* 24, 16. *B. A.*

BUPAEDES. V. in BU.

BUPALUS, li, m. Chius quidam marmorarius, aut pictor. Hic una cum fratre Athenide cum imaginem Hipponactis poetae, ob insignem foeditatem, ridendam exposuisset, eos Hipponactes tam amaro carmine est persecutus, ut ad laqueum compulerit. *Hor. Epod.* 6, 14. Qualis Lycambae spretus infido gener, Aut acer hostis Bupalo. ℙ Hanc tamen historiam vanam arguit *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2.

BUPHTHALMOS, i, m. *βούφθαλμος* et *βούφθαλμον*, a *βοῦς*, bos, et *ὀφθαλμός*, oculus, herba est similis boum oculis, folio foeniculi, fruticosa caulibus, qui et manduntur decocti: circa oppida nascitur. *Plin.* 25, 8, 42. ℙ Item genus aizoi majoris, quod in fictilibus vasculis seri solet, et in subgrundiis fere nascitur. Itali vocant sedum magnum, aut oculum, aut digitellum. *Id. ib.* 13, 102.

BUPLEURON, i, n. *βούπλευρον*, herba, quam in sponte nascentium olerum numero Graeci habent, caule cubitali, foliis multis longisque, capite seu umbella anethi simili, laudatam in cibis ab Hippocrate, in medicina a Glaucone et Nicandro. Herbariis nostris nunc incognita esse creditur. Meminit *Plin.* 22, 22, 35.

*BUPRASIUM, i, Achaiae oppidum. *Plin.* 4, 5. *B. A.*

BUPRESTIS, is, f. *βούπρηστις*, animal ex genere cantharidum, scarabeo longipedi simile, venenatum, sanguine carens: a *βοῦς*, bos, et *πρήθω*, incendo, quod boves inter herbas fallit, devoratumque tacto felle ita inflammat, ut rumpat, ut *Plin.* 30, 4, 10. docet. *Id. ib.* Buprestis cum hircino sevo illita lichenas ex facie tollit. *Id.* 31, 10, 46. *n.* 4. Nitrum succurrit et venenis fungorum, ex posca potum; aut si buprestis pasta sit. [*Veg. R. R.* 3, 15. et 78. Cf. BUBRESTIS.] ℙ Est etiam hoc nomine herba ex olerum genere. *Plin.* 22, 22, 36.

BURA, ae, et Buris, is, f. *ἔλυμα*, curvamentum aratri, hoc est praecipua aratri pars curva, cui a posteriori parte stiva, a priori dentale, aures et temo infigitur: quasi *βοὸς οὐρά*, bovis cauda, quia instar caudae bovinae incurvata est. *Varr. R. R.* 1, 19. Terram boves proscindere nisi magnis viribus non possunt, et saepe fracta bura relinquunt vomeres in arvo. [*Schneid.* ad hunc *Varr.* loc. haec monet: Bura est aratri pars posterior curva, olim latine *urvum* dicta, Graece *γυῆς*, quae si cum temone fuerat ex eadem materia continuata, nulla intercedente junctura, aratrum Graece dicebatur *αὐτόγυον. F.*] *Virg. G.* 1, 169. magna vi flexa domatur In burim, et curvi formam accipit ulmus aratri. *Serv. ad h. l.* affert quoddam *Varronis* fragmentum, in quo *buris* masculino genere effertur: *Totum burim indici ab urbe.* [*V. *Voss.* ad *Virg.* l. l.] ℙ *Turn. Advers.* 22, 30. buram dicit esse temonem illum longum aratri, qui inter boves est protensus. Sed profecto fallitur. Nam *Virg. l. c.* post *burim* enumerat *temonem*, *aures*, *dentalia*, et *stivam*, quibus partibus totum aratrum componitur.

*BURBARATA vel Buragara, oppidum Moesiae inferioris. *Anton. Itin. B. A.*

*BURCHANA, ae, insula Germaniae septentrionalis, hodie, ut credunt nonnulli, *Borkum*, inter ostia Amisis amnis. *Plin.* 4, 13. *B. A.*

BURDIGALA, ae, f. urbs Aquitaniae ad Garumnam amnem. Patria fuit Ausonii poetae, ut idem testatur *de clar. urbib.* 14, 8. ℙ Scribitur et *Burdegala.*

BURDIGALENSIS, se, adj. ad Burdigalam pertinens. *Sidon. ep.* 9, 13. *in carm.* Coram discipulis Burdigalensibus. ℙ Scribitur et *Burdegalensis.*

[BURDO, onis, m. et Burdus, i, m. *ἡμίονος*,

(etymon est ab Hebr. פֶּרֶד mulus) mulus ex equo et asina genitus. *Isid. Orig.* 12, 1. *f.* Mulus ex equa et asino: burdo ex equo et asina. [*Cf. *Isid.* 9, 1.] *Ulp. Dig.* 32, 49. Legato continentur jumenta, vel lectica, vel sella, vel burdones. [*Quemadmodum lecticis gestandis homines, ita ferendis basternis burdones adhibebantur. V. *Scheffer. de re veh.* 2, 6. p. 116.] *Schol. Hor.* ad *Od.* 3, 27, 5. Manni equi dicuntur pusilli, quos vulgo burdos vocant. *Id.* ad *Epod.* 4, 14. eosdem *burrichos* appellat. V. BURRICHUS. ℙ Est quoque cognomen Romanum. *Tac. Hist.* 1, 58. Julius Burdo. *Inscr.* ap. *Murat.* 513, 5. C. Vibius Burdo. *F.*]

[BURDONĀRĬUS, ii, m. qui mulos pascit et curat. *Edict. Dioclet.* p. 19. Camelario, sive asinario, et burdonario pasto diurni ✠ viginti. Differt a mulione, qui deinde memoratur, et cui diurni ✠ vigintiquinque statuuntur: quippe is erat, qui mulas currui jungebat et regebat. *F.*]

[BURDUNCŬLUS, li, m. herba, quae et lingua bovis appellatur. *Marcell. Empir.* 5. ℙ Est etiam dimin. burdonis. *Not. Tir.* p. 181. Burdo, burdunculus. *F.*]

BURGĀRII, orum, m. plur. qui in burgis habitant. [*Isid. Or.* 9, 4. Burgarii a burgis dicti, quia crebra per limites constituta habitacula burgos dicunt.] Exstat de his titulus in *Cod. Theod.* 7, 14., ubi intelligi videntur ii, qui in burgis, seu castellis custodiendae provinciae causa ponuntur.

*BURGINACĬUM, i, oppidum Galliae Belgicae, in Batavorum insula. *Anton. Itin.* ℙ V. *Quadriburgium. B. A.*

BURGILLUS, i, m. dimin. burgi. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 868, 2. L. Valerius Burgillus. *F.*]

BURGUNDIONES, um, m. plur. populi Galliae Celticae, quos quondam a Druso et Tiberio adoptivis filiis Caesaris devictos, et per varia habitacula dispositos ajunt in magnam coaluisse gentem; indeque nomen accepisse, quod crebra per limitem habitacula constituta burgos vocant. Haec *Oros.* 7, 32. et *Isid. Orig.* 9, 4. In singulari numero, *Sidon. carm.* 7, 234. Burgundio trux. [*Burgundio* etiam adjective accipitur. *Veg.* 4, 6. Burgundiones equi.]

BURGUS, i, m. Vox est cadentis Latinitatis, qua significatur parvum castellum muniendi causa exstructum. Videtur esse a Graeco πύργος, turris. *Veg. Mil.* 4, 10. Quod si ultra jactum teli, in clivo tamen civitatis, subjecta sit vena, castellum parvulum (quem burgum vocant) inter civitatem, et fontem convenit fabricari, ibique balistas sagittariosque constitui, ut aqua defendatur ab hostibus. *Imp. Justin. Cod.* 1, 27, 2. Ubi ante invasionem Wandalorum respublica Romana fines habuerat, et ubi custodes antiqui servabant, sicut ex clausuris et burgis ostenditur. ℙ *Burgus* etiam dicitur plurium domorum congregatio, per limites alicujus provinciae constitutarum: item vicus quilibet munimento aliquo conclusus. *Inscr.* ap. *Grut.* 164, 3. et 4., *Isid. Orig.* 9, 4. et *Oros.* 7, 32. Burgum Pontii Leontii describit *Sidon carm.* 22.

*BURĬI, orum, populi Germaniae, in agro Marcomannorum et Quadorum. *Tac. G.* 42. *B. A.*

BURIS. V. BURA.

*BURĬUS, i, m. genus ferarum. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3, 31. Scorpii cancrique una elephantis et buriis. Ita cod., nisi mavis *buricis. B. A.*

[BURNISTAE, arum, m. plur. incolae Burni oppidi Liburniae. *Plin.* 3, 21, 25. Liburnorum civitates, e quibus Lacinienses, Stlupinos, Burnistas, Olbonenses nominare non pigeat. *Inscr.* ap. *Paulovich. Marm. Trag.* p. 18. Praetorium conlapsum Burnistae ex pec... Scapula Leg. Augg. restit... *F.*]

*BURNUM, i, Dalmatiae oppidum. *Plin.* 3, 22. ℙ Aliud, in Liburnia, cujus incolae Burnistae appellati. *Id. ib.* 21. *B. A.*

BURRAE, arum, f. plur. gerrae, nugae, res vanae et nullius pretii. *Auson. praef.* ad *Latin. Pacat.* 3. At nos illepidum, rudem libellum, Burras, quisquilias ineptiasque etc. *Scalig. in lect. Auson.* 2, 13. putat esse vocem Aquitanicam; majorem enim Aquitanicarum nationum partem quisquilias appellare *burras.* Quidam apud *Voss.* in *Etym.* in *Burrus* docent, *burram* esse vestis cujusdam vilioris genus: ex quo burras dici res quaslibet minimi pretii.

BURRANĪCĀ Potio appellatur lac sapa commixtum: a rufo colore, qui *burrus* dicitur. *Festus.* Hujusmodi potionem designavit *Ov. Fast.* 4, 480. Lac niveum potes, purpureamque sapam.

BURRANĪCUM, genus vasis, teste *Festo.* Videtur autem ductum a potione burranica, ut scribit *Voss.* in *Etym.* in *Burrus.*

BURRHĪNON, i, n. βοῤῥῖνον, herba, quae et cynocephalion dicitur: a βοῦς, bos, et ῥὶν, ῥινὸς, naris, quod bovinis naribus similis est. *Appul. Herb.* 86.

[BURRĪCHUS et Buricus, i, m. parvus equus, idem ac mannus et burdo. A colore rufo dictum, quasi πύῤῥιχον, recte censet *Salm.* ad *Vopisc. Carin.* 19. Hinc *Varr. R. R.* 2, 8. eum *rubicundiorem* appellat. *Paulin. Nolan. ep.* 29. (al. 10.) ad *Sever.* 12. Macro illa et viliore asellis burico sedens. Adde *Veg. Veter.* 4. *in f.* V. BURDO. *F.*]

BURRIO, is, n. verbum fictum ad exprimendam trepidationem illam et concursationem, quae videtur in formicarum aedificiis. *Appul. Met.* 8. p. 211, 21. In carioso stipite formicarum nidificia burriebant et ultro citroque commeabant multijuga scaturigine. Al. leg. *bulliebant*, al. *aberrabant* vel *oberrabant.*

*BURRĬUM, i, oppidum Britanniae. *Anton. Itin. B. A.*

BURRUS, a, um, adj. rufus, a Graeco πυῤῥός, quod idem significat, *υ* in *u* converso. Hinc rustici *burram* appellant buculam, quae rostrum habet rufum. Pari modo rubens cibo ac potione ex prandio *burrus* dicitur. *Festus.* ℙ Etiam *Burrus* nomen proprium R. et *Burra* praenomen muliebre, a rufo colore imposita sunt, ut videre est in *lib. De nominib. Rom.*, quem alii *C. Tito Probo* tribuunt, alii *Val. Max.* ℙ Olim *Burrus* pro *Pyrrhus* a veterib. scribebatur, ut *Quint.* 1, 4. docet, et factitatum fuisse ab *Ennio* narrat *Cic. Or.* 48. [*Cf. *Wolf.* ad *Suet. Ner.* 35. *Schneider. Gram. Lat. Tom.* I. p. 42.]

[BURSA, ae, f. βύρσα, [*unde Germanicum *die Börse.*] crumena ex corio. Est etiam cognomen Romanum. *Cic. Fam.* 7, 2. T. Munatius Plancus Bursa. *F.*]

[BURSAONENSIS, se, adj. ad urbem pertinens in Celtiberia, quae nunc putatur esse *Trillo*, quaeque *Bursada* dicitur a *Ptolemaeo* 2, 6., cui lectioni favet inscriptio Celtiberica in nummis apud *Sestinium Descriz. delle medaglie Ispane* p. 113. *Plin.* 3, 3, 4. Bursaonenses, Calagurritani, qui Fibularienses cognominantur. *Bursaones* vero dicuntur in *Fragm. Liv. l. XCI.* ex recens. *Niebuhrii* et *Bursavolenses* apud *Hirt. B. Hisp.* 22. *F.*]

[BURSĬO, onis, m. diminutivum bursae. Cognomen Romanum. Nummus apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 227. L. Julius Bursio. *F.*]

*BURTĪNA, ae, oppidum Hispaniae Tarraconensis. *Anton. Itin.* Hodie creditur esse *Almuderar. B. A.*

*BURUNCUM, i, oppidum Galliae Belgicae, in regione Ubiorum. *Anton. Itin. B. A.*

BUSĔLĪNUM, i, n. βυσέλινον, herba sativo apio similis, sola caulis brevitate, et rufa radice differens. *Plin.* 20, 12, 47.

BUSĒQUA. V. BUBSEQUA.

BUSĪRIS, genit. Busiris, et Busiridis, Βούσιρις, Neptuni et Libyes filiae Epaphi filius, crudelissimus Aegyptiorum tyrannus fuit, quo tempore Danaus Argivis imperavit. Hic cum hospites omnes ad aras Jovis immolaret, ab Hercule in Aegyptum delato, cum easdem illi insidias pararet, una cum Amphidamante filio, et praecone Chalbe, et ministris arae interfectus est. *Virg. G.* 3, 5. Aut illaudati nescit Busiridis aras. *Ov. A. A.* 1, 649. Cum Thrasius Busirin adit, monstratque piari etc. ℙ *Statius* mediam syllabam corripuit *Theb.* 12, 576. Non trucibus monstris Busirim, infandumque dedisti Cercyona. Alii tamen rectius leg. *Sinin.* ℙ Est et nomen urbis in Aegypto nunc *Bosire*, ad Nilum fluvium a *Busiride* condita, in qua fuit templum magnum Isidis. *Plin.* 5, 10, 11.

BUSTAR, aris, idem quod bustum. Affertur a *Charis.* 1. p. 25. sed nullo Latini scriptoris exemplo confirmatur.

BUSTĒUS, a, um, adj. a busto derivatum. *Plauto* quidam olim tribuebant, *Truc.* 2, 7, 58. Odio es confossus, busteus, *h. e.* busto seu morti proximus. Ubi nunc ita legitur: *hic odiose es, confessus omnibus reus:* vel *omnibus te iis.*

BUSTĬĀLIS. V. BUSTUALIS.

BUSTĪCĒTUM, ti, n. locus in quo multa sunt busta: item ipsum bustum. *Arnob.* 1. p. 24. (p. 30. *Har.*) Hercules, quem vos fertis vivum arsisse, et concrematum in funestis busticetis. *Id.* 7. p. 222. (p. 279. *Har.*) Arae istae, quas dicitis, altariaque haec pulcra infelicissimi animalium generis ustrinae, rogi sunt, et busticeta in opus structa foedissimum.

BUSTĬRĂPUS, i, m. qui lucri causa busta spoliat, seu qui ex ipso rogo coenam sepulcralem rapit, ut constat ex *Cat.* 59. τυμβώρυχος. *Pl. Ps.* 1, 3, 126. Impudice, sceleste, verbero, bustirape, furcifer.

BUSTŪĀLIS, le, adj. ad bustum pertinens. *Sidon. ep.* 3, 12. Campus refertus bustualibus favillis. *Prudent. Cathemer.* 9, 52. Suetus antro bustuali sub catenis frendere. Al. leg. *bustiali.*

*BUSTUARĬUM, i, n. bustum. *Gloss. Gr. Lat.* Καῦσις νεκρῶν, bustuarium, ustrina. *B. A.*

BUSTUĀRĬUS, a, um, adj. ἐπιτύμβιος, bustualis, ut bustuarii gladiatores, qui ante busta dimicabant. *Cic. Pis.* 9. ℙ *Bustuaria moecha*, quae inter busta prostat. *Mart.* 3, 93. ℙ *Bustuarius, ii*, substantiv. *Ammiano* 28, 1. est libitinarius, qui curat funera, et corpora comburit. [*qui uno verbo vespillones appellantur. V. *Vales.* ad h. l. *Tom.* II. p. 217. *Erf.*] ℙ *Bustuarium altare* in quo humanae victimae immolantur. *Tert. Pall.* 4. Ubi Busiris et bustuaria altaria?

BUSTUM, sti, n. καῦσις νεκρῶν: ab *urendo* derivata vox, a *Festo* definitur locus, in quo mortuus comburitur et sepelitur. Nam ubi quis combustus tantummodo est, alibi vero sepultus, ustrina vocatur. Haec *Festus.* ℙ Sic etiam dicitur ipsa cadaveris combustio. *Lucr.* 3, 920. At nos horrifico cinefactum te prope busto Insatiabiliter deflebimus. ℙ Item ipsum cadaver combustum. *Stat. Th.* 12, 247. haud procul Ogygias domos et egena sepulcri Busta jacere reor. ℙ Quia vero plerumque Romani eodem loco et cremabantur et sepeliebantur, hinc saepe accipitur pro ipso sepulcro, τύμβος. [*Suet. Ner.* 33. bustum consepire, *h. e.* locum ubi quis sepultus est septo circumdare. V. *Bremi* ad h. l.] *Cic. Leg.* 2, 26. De sepulcro autem nihil est apud Solonem amplius, quam ne quis ea deleat, neve alienum inferat; poenaque est, si quis bustum (nam id puto appellari τύμβον) aut monumentum violarit etc. [*Hoc loco bustum est in universum locus, ubi aliquis sepultus est.] *Id. Tusc.* 5, 35. Sardanapalus incidi jussit in busto: Haec habeo, quae edi. *Id. Phil.* 1, 2. Bustum facere. [*In his locis bustum ponitur de monumento quod in sepulcro erigitur.] V. INSEPULTUS. [*Notandus usus hujus vocis apud *Qu. Cic. de petit. Cons.* 2. aliquem ad bustum agere, i. e. aliquem ad locum supplicii ducere. Ex nexu enim apparet, bustum ibi non de sepulcro dictum esse. Originem hujus signif. hanc esse puto, quod qui supplicio afficerentur, eodem etiam loco, quemadmodum idem mos apud nos obtinet, apud Romanos sepeliebantur.] ℙ Hoc sensu differt a *monumento*, quod *bustum* cremati cadaveris reliquias habet, *monumentum* non habet, sed ad memoriam tantummodo defuncti exstructum est. Hinc duo ista distinxit *Suet. Ner.* 38., ubi narrat, plebem Romanam, incensa a Nerone Urbe, *ad monumentorum, bustorumque diversoria* fuisse compulsam. Porro *diversoria* quod appellat, significat varia subterranea cubicula, quae in bustis exstrui a ditioribus solebant, ad quae per gradus descendebatur. Quibus in locis prostare solebant viliores meretrices, quas proinde *bustuarias moechas* vocat *Mart.* 3, 93. ℙ *Ad Busta Gallica* locus fuit in Urbe Roma in regione quarta, ubi Gallorum, qui eam ceperant, ossa coacervata et condita fuerant. *Varr. L. L.* 4, 32. *fin.* et *Liv.* 22, 14. ℙ Translate. *Cic. Pis.* 5. Templum illud fuit, te consule, castellum forensis latrocinii, bustum legum omnium ac religionum. Et *ib.* 4. Cum tu interim, bustum reipublicae, qui etc. Sic *Plin.* 5, 17, 15. oppidum excisum *bustum* vocat. ℙ *Bustum* est etiam effigies dimidiata illius, qui in busto cremandus erat. Hinc Itali etiamnum eam *busto*, Germani *eine Büste*, dicunt, quam Graeci προτομὴν, Latini *vultum, thoracem* appellabant. Huc fortasse spectat locus *Inscr.* apud *Murat.* 1514, 3. Eja age, conduntur ustaque, bustaque humo. Plura de etymo, significatione et usu vocis Italicae *busto* habet *Viscont. praef. T.* 6. *Mus. Pio-Clementin.*

BUSYCON. V. in BU.

BUTĔO, onis, m. genus accipitris subnigri coloris, alio nomine triorches, τριόρχης, quod tres habere dicatur testiculos. Huic quidam principatum in auguriis dedere. Apud Baleares in honore mensarum est. Romanae familiae in gente Fabia cognomen dedit, cum prospero auspicio in ducis navi sedisset. Hac ex *Plin.* 10, 8, 9. et 11, 49, 110. [*Adde *Arnob.* 7. p. 280. *Har.*] ℙ Putant quidam, esse buteonem, quem Italorum multi vocant *pojana.* V. *Aldrovand. Ornithol.* 5, 7. et alibi. [*Germani hanc avem dicunt *Bussaar.*] ℙ De hac ave haec habet *Festus:* Buteo genus avis, quae ex eo se alit, quod accipitri eripuerit: vastitatisque est causa his locis, quae intraverit, ut bubo: a quo etiam appellatur buteo. Quaedam ex his, ut minus vera, reprehendit *Voss.* in *Etym.* ℙ Fuit cognomen Romanum in gente Fabia, ut Q. Fabius Buteo, *Liv.* 33, 26. M. Fabius, et Numer. Fabius Buteo, *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 292, 1. et 2.

BUTES, ae, m. Βούτης, filius fuit Amyci, Bebryciorum regis, qui ob saevitiam patris ab Argonautis caesi regno pulsus parvo navigio Drepanum in Siciliam confugit, ubi a Lycaste nobili meretrice hospitio susceptus est, a qua cum ob formae morumque et aetatis elegantiam diligeretur, ejus concubitu usus Erycem filium ex ea suscepit. Et quoniam Lycaste ob eximiam pulcritudinem *Venus* vocabatur, datus est locus fabulae, Butem ex Venere filium Erycem suscepisse. Narrat *Virg. A.* 5, 370. hunc a Darete juxta tumulum Hectoris occisum fuisse. ℙ Alius fuit Butes Teleontis et Zeuxippes Eridani (corrige *Apidani*) fluminis filiae filius, Atheniensis, de quo mentionem facit *Hyg. fab.* 14. ℙ Fuit alius Pallantis filius. *Ov. Met.* 7, 500. ℙ Item armiger quidam Anchisae. *Virg. A.* 9, 647. ℙ Alius denique fuit Butes Trojanus a Camilla in proelio occisus. *Virg. A.* 11, 690.

BUTHROTĬUS, a, um, adj. ad Buthrotum pertinens. *Cic. ad Planc. post. epist.* 16. l. 16. *ad Att.*

Buthrotius ager. Et *ib.* Buthrotia causa. ℙ *Buthrotii, orum*, sunt Buthroti incolae. *Cic. ib.*

BUTHROTUM, ti, n. et Buthrotus, ti, f. *Βουθρωτὸν*, oppidum Epiri in ora, contra Corcyram, colonia olim Romanorum. *Plin* 4, 1, 1. Colonia Buthrotum, maximeque nobilitatus Ambracius sinus. *Ov. Met.* 13, 720. regnataque vati Buthrotus Phrygio. ℙ Est etiam nomen fluminis apud Locros, urbem Magnae Graeciae in Italia, nunc *Novito*. *Liv.* 29, 7. Annibal a Buthroto amni (haud procul his ab urbe Locris abest) nuncio praemisso.

BŪTHYSĬA, ae, f. *βουθυσία*, magnum ac solemne sacrificium, in quo multae et magnae victimae caeduntur, qualis est hecatombe: Graeca vox a *βοῦς*, quod in compositione auget, et *θύω*, macto, sacrifico: vel a *βοῦς*, bos, quia bos est maxima victimarum. [*Haec ratio unice vera.] *Suet. Ner.* 12. Gymnico, quod in septis edebat, inter buthysiae apparatum, barbam primam posuit. [*Cf. *Bremi* ad h. l.]

BŪTĬCUM linum, genus lini Aegyptii a Buto urbe, circa quam nascitur, denominatum. *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 3.

BŪTĬO, ōnis, m. ardea stellaris minor, seu asterias. *Auct. carm. Phil.* 42. Inque paludiferis butio bubit aquis. Fortasse est eadem avis, quae *buteo* appellatur V. suo loco.

*BUTOA, ae, insula maris Mediterranei, prope Cretam. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*BUTOS vel Butus, i, f. *Βοῦτος*, Aegypti oppidum, in Delta. *Plin.* 5, 10. *B. A.*

*BUTRĬUM, i, *Βούτριον*, urbs Umbriae, in Italia superiore, ad mare Hadriaticum, non procul a Ravenna. *Plin.* 3, 15. *B. A.*

*BUTROTUS, i, m. flumen Magnae Graeciae inter Locros, in Bruttiorum agro, hodie *Novitto*. *Liv.* 29, 7. *init.* ubi pro *a Butroto amni* legere *Gronovius* mavult *ab Alece* (*Halece*) *amni*, propter situm fluminis. *B. A.*

[BUTTO, onis, m. idem ac magnus buttus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 746, 2. Veitroni Buttoni Butto F. *F.*]

BUTTUBATA seu Butubata *Naevius*, teste *Festo*, pro nugatoriis posuit, hoc est nullius dignationis. De vocis origine multa *Scalig.* ad *Fest.* et *Voss.* in *Etym.* ℙ [*Buttubata, ae*, h. e. homo levis, est *Petronii* 45. ed. *Anton.* ubi ed. *Burm.* habet *burdibasta*, ut sit asini stratum. Alii aliter legunt. *B. A.*]

[BUTTUS, i, m. idem ac butta, cupa, *βοῦττις*. *Gloss. Philox.* Antelabra, *χεῖλη σκευῶν ὡς καὶ βουττῶν*. V. *Ducang. Gloss.* in V. *Butta*. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 563, 8. L. Baebius Buttus. *F.*]

*BUTŪA, ae, oppidum Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. Hodie est *Budua*.

[BŪTUNTĪNENSIS, se, et Butontinus, a, um, adj. ad Butuntum pertinens, Calabriae urbem, nunc *Bitonto*, in cujus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 144. *ΒΙΤΟΝΤΙΝΩΝ. Plin.* 3, 11, 16. Argentini, Butuntinenses, Deciani. *Frontin. De col.* p. 111. Butontinus ager, Caelinus, Genusinus. *F.*]

BŪTYRUM, i, n. *βούτυρον*, spuma lactis sero concretior, et multa agitatione pinguior, Romanis quondam ignota: Graeca vox a *βοῦς*, bos, et *τυρὸς*, coagulum, quia ex bubulo lacte plerumque fieri solet. *Plin.* 28, 9, 35. E lacte fit et butyrum, barbararum gentium lautissimus cibus, et qui divites a plebe discernat. Plurimum e bubulo; et inde nomen: pinguissimum ex ovibus. Fit et ex caprino, sed hieme, calefacto lacte. *Id.* 11, 41, 96. Mirum, barbaras gentes, quae lacte vivant, ignorare, aut spernere tot saeculis casei dotem, densantes id alioqui in acorem jucundum et pingue butyrum. Spuma id est lactis, concretiorque, quam quod serum vocatur. Non omittendum, in eo olei vim esse, et barbaros omnes, infantesque nostros ita ungi. Adde *Cels.* 4, 15. et 18. et 5, 26. *n.* 30. [*Col.* 6, 12. Supra ustum butyrum (*braune Butter*) vel caprinus instillatur adeps.] ℙ Paenultima longa est. *Sidon. carm.* 12, 7. Infundens acido comam butyro. (*Homerus* quoque *in Batrach.* primam in *τυρὸς* produxit.) Corripuit *Aemil. Macer De herb. c. de ruta.* Cum butyro, modicoque oleo decocta tumorem, etc., sed non est imitandus. Turpius tamen peccavit primam quoque corripiendo. Est enim Graeca diphthongus: qua in re et *Sidon.* erravit, et quicumque auctor est illius versus, quem quidam perperam *T. Valgio* tribuunt: Lac niveum, butyrumque novum cum melle comedit. ℙ Scribitur quoque *buturum* ob Y et U affinitatem. *Edict. Dioclet.* p. 15. Buturi Ital. P. I. ✕ sedecim.

BUXANS, antis, part. ab inusit. *buxo*, buxum colore referens. *Appul. Met.* 8. p. 211, 5. Refert sese buxanti pallore trepidus.

[*BUXENTĪNUS, a, um, et

[*BUXENTĪUS, a, um, adj. ad Buxentum pertinens, Lucaniae urbem, nunc *Policastro*, quae Graece *πυξοῦς* dicebatur, quia *πύξω*, *h. e.* buxo abundabat. *Frontin. De colon.* p. 90. Ager Buxentinus. *Sil.* 8, 583. et quae Buxentia pubes Aptabat dextris irrasae robora clavae. *B. A.* et *F.*]

BUXETUM, ti, n. *πυξεών*, locus buxo consitus. *Mart.* 2, 14. Lotus ad Europes tepidae buxeta recurrit. *Id.* 3, 58. Tonsile buxetum.

BUXĔUS, a, um, adj. *πύξινος*, qui est e buxo. *Colum.* 7, 8. *fin.* Caseus vel manu figuratur, vel buxeis formis exprimitur. *Solin.* 52. *med.* Buxei luci. ℙ Item qui colore est buxo simili. *Plin.* 8, 20, 29. Buxeus color. *Varr.* ap. *Non.* 6, 65. Anates tremipedas, buxeis rostris pecudes. *Mart.* 2, 41. Dentes piceique, buxeique. *Petr. fr. Trag.* 58. *Burm.* Buxei anuli, *h. e.* aurei, ut quidam interpr. exponunt: auri enim color buxeo similis est. [*Fortasse ironice *buxei* dicuntur, quod, quum ex auro non facti sunt, pallidum colorem habent.] *Appul. Met.* 1. p. 110, 30. Buxeus pallor. [**Appul. Met.* 9. p. 231, 4. luror buxeus.]

BUXĬFER, a, um, adj. *πυξώδης*, buxos ferens. *Catull. de phaselo* 4. Amastri Pontica, et Cytore buxifer.

*BUXINUS, i. q. buxeus. Ex conjectura *Bynkersh.* et *Schulting.* restituendum esse censent loco *Paulli Sent. rec.* 3, 6, 67. Cf. *Byssinus.*

BUXIS, ĭdis, f. idem ac pyxis, Graeco *v* in *u* Latinum converso. Legitur in quibusdam editionibus *Pauli JCti lib. 3. recept. sentent. tit. De legatis sub f.*

BUXOSUS, a, um, adj. *Plin.* 12, 25, 54. de xylobalsamo. Buxosum est optimum, quod est odoratissimum, *h. e.* buxo simile.

BUXUM, i, n. *πύξος*, lignum et arbor buxi. *Virg. G.* 2, 449. et torno rasile buxum. *Enn.* ap. *Phylarg.* longique cupressi Stant rectis foliis, et amaro corpore buxum. *Plin.* 11, 43, 84. Quae in lamina secantur, praecipua sunt citrum, terebinthus, buxum. ℙ Per synecdochen accipitur pro tibia e buxo (V. vocem sequentem) *Ov. Met.* 14, 537. tinnitibus aera pulsi Aeris, et inflati complevit murmure buxi. *Prop.* 4, 8, 42. Jactabat truncas ad cava buxa manus, *h. e.* saltabat ad tibiam. Adde *Stat. Th.* 7, 170. ℙ Item pro trocho, quo pueri ludunt. *Virg. A.* 7, 382. Volubile buxum. *Pers.* 3, 51. buxum torquere flagello. ℙ Et pro pectine e buxo. *Juven.* 14, 194. caput intactum buxo, naresque pilosae. *Ov. Fast.* 6, 229. Crines depectere buxo.

BUXUS, i, f. *πύξος*, [*unde ortum. *Prisc.* 1, 5, 26. p. 549. *Jahn.*] arbor exigua, foliis minutis, densis, rotundis et concavis, semperque virentibus, ligno vero coloris aurei, adeoque duro ac ponderoso, ut neque cariem sentiat, et in aqua subsidat. *Ov. A. A.* 3, 691. Nec densae foliis buxi. *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 3. Spississima, ideo et gravissima judicatur ebenus et buxus. ℙ Per synecdochen sumitur pro opere aliquo ex buxo facto, ut pro tibia. Nam multae e buxo tibiae fiebant, praesertim illae, quas in sacris adhibebant, ut ex *Plin.* 16, 36, 66. colligitur. *Virg. A.* 9, 619. Tympana vos, buxusque vocant Berecynthia matris Idaeae. *Stat. Th.* 2, 77. plurima buxus, *h. e.* tibiae. (Adde *Th.* 9, 480.) *Juven.* 14, 194. caput intactum buxo, *h. e.* pectine.

*BUZAE, arum, Indiae citerioris populi. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

*BUZYGAEUS, i, mons Thessaliae. *Plin.* 4, 8. *B. A.*

[*BUZYGES, ae, m. *Βουζύγης*, heros Atheniensis, qui omnium primus junctis bubus arasse terram dicitur: a *βοῦς*, bos, et *ζύγον*, jugum. *Plin.* 7, 56, 57. *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 19. ipsum Triptolemum dictum Buzygen fuisse tradit, ut et *Auson. ep.* 22, 46., qui et Epimeniden vocatum ait. *Varr. R. R.* 2, 5. Ab hoc pecore Athenis Buzyges nobilitatus est. *B. A.* et *F.*

BY

[BYBLĬAS, ădis, f. ad Byblon pertinens, urbem Syriae, Adonidi sacram, ubi templum erat Bybliae Veneris, et peragebantur Adonidis orgia, de qua V. *Lucian. de Dea Syr.* 6. *Reposian. Concubit. Mart.* et *Ven.* 90. Solvite Bybliades praeduri pectora Martis, *h. e.* puellae, quae Byblon incolebant. Hinc *Id. ib.* 66. de Venere: Ludebat teneris Bybli permixta puellis. *F.*]

BYBLIS, ĭdis, f. *Βύβλις*, filia Mileti regis Mileti urbis, et Cyanees nymphae, quae a fratre Cauno, cujus amore deperibat, repulsa, impatientia amoris in fontem sui nominis mutata est, ut *Ov. Met.* 9, 662. narrat: qui tamen *A. A.* 1, 282. laqueo vitam finisse dicit. *Hyg.* quoque *fab.* 243. ipsam sibi vim intulisse scribit. *Ov. Met.* 9, 451. Cyanee praestanti corpora forma, Byblida cum Cauno prolem est enixa gemellam. Byblis in exemplo est, ut ament concessa puellae. Et *ib.* 650. Bybli taces, frondesque tuo premis ore caducas. ℙ Legitur et *Biblis*, sed minus recte. ℙ [*Item insula maris Aegaei, quae Melos, Siphnus, etc. appellata. *Plin.* 4, 12. Melos, cum oppido, quam Aristides Byblida appellat, Aristoteles Zephyriam, Callimachus Mimallida, Heraclides Siphnum et Acyton. Haec insularum rotundissima est. *B. A.*

*BYBLUS, urbs Syriae, Adonidi sacra. V. *Burm. Anth. Lat.* Tom. I. p. 43. *Jahn.*

*BYBLUS vel Byblos, i, f. *Βύβλος*, oppidum Phoeniciae. *Plin.* 5, 20. *Mela* 1, 12. *B. A.*

*BYGOIS Nympha *de Arte fulgurali* librum edidit, apud Tuscos, uti *Servius* refert ad *Virg. A.* 6, 71. *B. A.*

BYLLĬDENSIS, Bylliensis et Byllinus. V. BULLIDENSIS.

*BYLLIS vel Bullis, idis, f. *Βουλλίς*, *Βυλλίς*, oppidum maritimum Illyrici, e regione Brundisii oppidi Italiae, Aulonem inter et Amantiam. *Caes. B. C.* 3, 40. *Cic. Phil.* 11, 11. *B. A.*

BYRRHUS. V. BIRRUS. [*V. *Salm.* ad *Script. Hist. Aug.* p. 514.]

BYRSA, ae, f. *Βύρσα*, arx in media Carthaginiensium urbe, a Didone exstructa et appellata. V. CARTHAGO. *Virg. A.* 1, 371.

BYRSĪCUS, a, um, adj. ad Byrsam pertinens, *Sidon. ep.* 7. *in carm.* 17, 17. Spernis Elissaeae Byrsica tecta domus.

BYSSĪCUS, a, um, adj. idem, ac byssinus. *Martian. Dig.* 39, 4, 16. Opus byssicum, pelles Babylonicae, etc., *h. e.* pannus ex bysso. Ita legitur in celebri editione *Torrentini*. Al. hab. *byssinum.*

BYSSĪNUS, a, um, adj. *βύσσινος*, qui ex bysso est. *Plin.* 19, 1, 4. Lino, quod ignibus non absumatur, principatus in toto orbe. Proximus byssino, mulierum maxime deliciis circa Elim in Achaja genito. Quaternis denariis scripula ejus permutata quondam, ut auri, reperio. *Appul. Met.* 11. p. 269, 10. Byssina vestis. [*Apud *Paull. Recept. Sent.* 3, 6, 67. commemorantur *vasa byssina*. Sed viri docti ibi recte rescribendum esse censent *vasa buxina*; facilis enim permutatio litterarum y et u, ss et x. — *Paullin.* in *Jamb.* ad *Cyther.* 779. Contexta bysso vestis irruptam fidem Signat, valente stamine. Nam fila byssi fortiora et sparteis Feruntur esse funibus. Quem locum *Heinecc.* affert, ut quum *sparteae urnae*, *amphorae* commemorentur, etiam *bussina vasa* defendi posse ostendat.] ℙ *Byssinum, i*, absolute pro veste byssina. [*Ubi *opus* cogitandum videtur. V. *Byssicus.*] *Tertull. Cult. femin.* 13. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiae.

BYSSUS, i, f. *βύσσος*, ἡ, בּוּץ, Hebr. genus lini, (quod *linum byssinum* dicitur a *Plin.* 19, 1, 4.) subtilissimi et delicatissimi circa Elim in Achaja nascentis, adeoque pretiosi, ut auro contra aestimatum sit, habitumque in deliciis feminarum. [*Adde *Plin.* 13, 1. *Isid. Orig.* 19, 27.] *Appul. Met.* 11. p. 258, 20. Vestis multicolor, bysso tenui pertexta. ℙ *Forsterus* in *lib. De bysso antiquor.* probavit, byssum esse *gossipium* (*Gossipium arboreum* Linn.), ibique plura huc spectantia habet quem videsis.

BYTHĬOS, *Βύθιος*, hoc est profundus, idem ac Bythos apud *Tertull. adv. Valent.* 8.

BYTHOS, i, m. *Βυθὸς*, hoc est profundum, unus ex aeonibus Valentini apud *Tertull. adv. Valent.* 7. et *adv. Haeretic.* 49.

BYTŌRUS. V. BIURUS.

BYZACĒNUS, a, um, adj. ad Byzacium pertinens. Est autem *Byzacium* regio Africae CCL. M. pass. per circuitum, fertilitatis eximiae, cum centesima fruge agricolis fenus reddente terra. Varia habet oppida, quae *Plin.* 5, 4, 3. enumerat. Ejus cultores Libyphoenices dicuntur. *Imp. Justin. Cod.* 1, 27, 2. Dux Byzaceniae provinciae. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 361, 1. et 362, 1.

BYZACĬUS, a, um, adj. idem ac Byzacenus, *Βυζάκιος*. *Sil.* 9, 204. seu sunt Byzacia cordi Rura magis, centum Cereri fruticantia culmis. Al. leg. *Byzantia* cod. sensu, quia Byzacenae provinciae incolae a Graecis *Βυζαντες* dicuntur. [**Varr. R. R.* 1, 44. In Africa ad Byzacium item ex modio nasci centum (dicunt). *Plin.* 5, 4. 17, 5. 18, 10. Utpote cum e modio si sit aptum solum, quale in Byzacio Africae campo, centeni quinquageni modii dicantur. *Salm.* ad *Solin.* 27. observat, videri *Byzacium* Varronem pro urbe accipere, quae tamen sit regio. Verum ex sola particula *ad* hoc colligi non licet.]

BYZANTĬĂCUS, a, um, adj. Byzantius. *Stat. Silv.* 4, 9, 13. Aut Byzantiacos colunt lacertos.

BYZANTĪNUS, a, um, adj. Byzantius. *Auson. de clar. urbib.* 2. Byzantina Lygos. *Sidon. ep.* 7, 17. *in carm.* Romuleos refugis, Byzantinosque fragores. *Id. ep.* 4, 7. Byzantini chironomuntes, *h. e.* periti coenarum structores, quales aliquando fuerunt Byzantini.

BYZANTĪUM, ii, n. *Βυζάντιον*, urbs Thraciae ad Bosphorum contra Chalcedonem urbem Bithyniae. Antea *Lygos* dicta est, postea Constantinopolis a Constantino M., qui eam instauravit. *Plin.* 4, 11, 18. [**Ib.* 9, 15, 20. *Mela* 2, 2. *Nep. Paus.* 2. *Liv.* 38, 16.] ℙ Ab incolis hodie *Stambul* vel *Stambol* dicitur, corrupto nomine ex his verbis *εἰς τὴν πόλιν*, quae Graeci circa incolentes, cum illam adirent, usurpabant.

BYZANTĪUS, a, um, adj. *Βυζάντιος*, ad Byzantium urbem pertinens. *Ov. Trist.* 1, 9, 31. Quaque tenent Ponti Byzantia litora fauces. *Plin.* 9,

15, 20. Byzantius portus. ℙ *Byzantii, orum*, sunt Byzantii incolae. *Cic. Prov. cons.* 4. [**Liv.* 31, 33. *Nep. Timoth.* 1.] ℙ Item ad Byzacium Africae regionem pertinens. V. BYZACENUS.

BYZĒRES, um, m. plur. *Βύζηρες*, populi Asiae inter Cappadoces et Colchos, qui *Buzēri* a *Plin.* 6, 4, 4. et *Mela* 1, 19. dicuntur. *Val. Fl.* 5, 152. Byzeresque vagi, Philyraeque a nomine dicta Litora. ℙ Scribitur et Bizeres, *Βίζηρες*.

C.

C Tertia Latinorum Littera, eaque muta, sonum habet κ Graecorum, lenem quidem, si praeponatur vocalibus *e*, et *i*; durum vero, si ceteris. In his nominibus *Cneus*, et *Cajus* pronunciatur ut G, docente *Quint.* 1, 7. Nam Latini olim G non habebant, sed pro ea C utebantur: quae postea in illis vocibus tantummodo remansit. (Etiam in *Cnidus* hac ratione proferri quidam volunt, et si qua sunt alia, quae *n* post *c* habeant.) Hinc in columna Duiliana legitur *leciones*, *macistratus*, *Cartacinienses*, *pucnando*, pro *legiones*, etc. In notis verborum C. Cajum significat, et si inversa scribatur Ↄ, Cajam: in notis numerorum valet centum: In tabellis judicum est nota condemnationis, sicut A absolutionis. Hinc illa dicitur *tristis*, haec *salutaris* a *Cic. Mil.* 6.

CA

*CABALACA, oppidum Asiae ulterioris, in Albania. *Plin.* 6, 10. *Χαβάλα* est *Ptolemaeo*. *B. A.*

CABALĪA, ae, (sc. *regio*) *Καβαλία*. V. vocem sequentem.

[CABALĪENSIS, se, adj. ad Cabaliam pertinens, Lyciae regionem, memoratam a *Plin.* 5, 27, 28. Lycia comprehendit in mediterraneis Cabaliam, cujus tres urbes Oenoande, Balbura, Bubon. *Inscript.* apud *Grut.* 566, 8. T. Valerius T. F. Fab. Titulus Cabaliensis veteranus. *F.*]

*CABALLARĪUS, i. m. *Gloss. Lat. Gr.* Caballarius, *κέλης ἱππεύς*. Item *ἱπποκόμος* (i. qui equos curat), Caballarius in *Gloss. Vet. Firmico* etiam sub *Equi coelestis sidere nati Caballarii* dicuntur. *B. A.*

CABALLĀTĬO, onis, f. pabulum caballi, annonae loco praebitum. *Impp. Honor.* et *Theodos Cod.* 12, 38, 14. et *Cod. Theod.* 7, 4, 34.

CABALLĪNUS, a, um, adj. *ἵππειος*, ad caballum pertinens, equinus. *Pers. prol.* Fons caballinus, *h. e.* Hippocrene. *Plin.* 28, 20, 81. Caballina caro. *Id.* 30, 8, 22. Caballini dentes. *Id. ib.* 13, 38. Caballinum fimum.

[CABALLĪO, onis, m. idem ac equuleus. *Veget. Veter.* 1, 20. Equulei, id est caballiones marini. Sunt qui putant hos esse *hippocampos*. *F.*]

CABALLĪON, herba eadem quae cynoglossa. *Appul. Herb.* 96.

CABALLODŪNUM. V. CABILLONUM.

CABALLUS, i. m. *καβάλλης*, [idem ac cantherius, equus castratus. Sunt qui vocem derivandam putent a *καββάλλω* Dorice pro *καταβάλλω*, dejicio, simili fere ratione, ut apud Latinos *clitella* et *clitellarius* a verbo *clino*. Alii deducunt a *κάω*, excavo, inde factum *cavo*, vel *cabo*, a quo *caballus*, seu castratus, ut etiam *caper*, et *capus*. Hujusmodi equis usi sunt veteres versandis in pistrino molis, oneribus portandis, et vecturis trahendis. Quod patet ex *Senec. ep.* 87. M. Cato censorius cantherio vehebatur, et hippoperis quidem impositis, ut secum utilia portaret. *Mox:* O quantum erat saeculi decus; imperatorem, triumphalem, censorem uno caballo esse contentum, et ne toto quidem! partem enim sarcinae ab utraque parte dependentes occupabant. Ita non omnibus obesis mannis, et asturconibus, et tolutariis praeferes unicum illum equum ab ipso Catone defrictum? Hic vides *Senecam* eundem equum prius cantherium, deinde caballum appellare. *Varr. R. R.* 2, 7. Peritus belli alios equos eligit, atque alit atque docet, aliter quadrigarius, ae desultor: neque item qui vectarios (*Schneiderus* legit *vecturarios*) facere vult, neque eodem modo parantur ad ephippium aut ad rhedam: quod ibi ad castra habere volunt acres, sic contra in viis habere malunt placidos. Propter quod discrimen maxime institutum, ut castrentur equi: demptis enim testiculis fiunt quietiores, ideo quod semine carent: ii cantherii appellantur, ut in subus majales, in gallis gallinaceis capi. *F.*] *Lucil.* ap. *Non.* 2, 134. Succussatoris, tetri, tardique caballi. *Hor. Ep.* 1, 18, 36. aut olitoris aget mercede caballum. *Id. Sat.* 1, 6, 59. vectari rura caballo. ℙ *Lassus tanquam caballus in clivo*, proverb. de valde defatigato: legiturque apud *Petron. Satyr.* 134. ℙ De equo nobili ac generoso dici videtur a *Juvenal.* 3, 118., ubi Pegasum *Gorgoneum caballum* appellat: item 10, 60. et 11, 195., item ab *Horat. Sat.* 1, 6. 59, nisi quod satyrice, *h. e.* ridendo, et per contemptum loquuntur. ℙ [*Caballus* fuit etiam cognomen Romanum. Hinc ludit in ambiguo *Martial.* 1, 42. Qui Galbam salibus tuis, et ipsum Possis vincere Sextium Caballum. Ludit qui stolida procacitate, Non est Sextius ille, sed caballus. *F.*]

CABARDĬACENSIS, se, et

CABARDĬACUS, a, um, adj. Cognomen Minervae, a loco, ut videtur, deductum, in quo colebatur. *Tabula aliment. Vell.* 2, 47. memorat fundum Aestinianum, Antistianum, Cabardiacum, et *ib.* 65. fundum Cabardiacum veterem in Vellejate. *Inscr.* ap. *Grut.* 81, 8. Minervae Cabardiacensi. Alia apud *De Lama Iscriz. ant.* p. 34. Minervae Medicae Cabardiac*ensi*. *F.*]

CABASA, ae, oppidum Aegypti in Delta; hinc

*CABASĪTES, is, m. adj. ad Cabasam pertinens. *Ptol.* 4, 5. *Plin.* 5, 9, 9. Cabasites nomos. *B. A.*

CABĀTOR, oris, m. Legitur in *Inscr.* apud *Grut.* 622, 1. Putat *Salmas.* ad *Vopisc. Saturn.* 8. et alii, idem esse quod *cavator:* (Facile enim *v*, et *b* invicem mutantur. V. initium litterae B.) Eo autem loco accipiendum esse pro sculptore gemmarum. Nam qui gemmas scalpunt, quasi quosdam sulcos in iis cavant.

*CABELLĪO, onis, oppidum in Gallia Narbonensi, in Cavarum sive Cavarorum regione, ad Druentiam fluvium, hodie autem *Cavaillon*. *Plin.* 3, 4. *Anton. Itin. B. A.*

*CABIALIS resina, ait *Gesnerus* in Lexico, est Cavealis, dolis picatis derasa vel qualis condiendo vino adhibetur. *Veget. de re vet.* 3, 53. et 4, 14. *B. A.* V. *Cadialis* et *Cavealis*.

CABILLONENSIS, se, adj. ad Cabillonum pertinens. Est autem Cabillonum oppidum Aeduorum in Gallia Celtica ad Ararim fluvium, cujus meminit *Caes. B. G.* 7, 42. Nunc *Challon* dicitur. *Eumen. Paneg. ad Constantin.* 18. Cabillonensis portus. ℙ **Cabillo* appellatur oppidum hoc ab *Ammian.* 14, 31. et plur. *Cabillones*, 15, 26. et *Cabellio*, quanquam minus recta, in *Anton. Itin.* Denique *Caballodunum* audit *Notit. Imper.* et *Cabilio Tab. Peutinger. B. A.*

*CABILLONUM. V. CABILLONENSIS.

*CABĪRA, orum, *τὰ Κάβειρα*, urbs Ponti, in confinio Armeniae. *Eutrop.* 6, 7. Nominata est et Diopolis a Pompejo Magno. Posterius Sebaste dicta. *B. A.*

CABĪRUS, i, m. *Κάβειρος* et *Κάβιρος*, ab Hebr. כַּבִּיר *cabbir*, valde potens, Deus Macedonum et Samothracum. *Lactant.* 1, 15. Aegyptii Isidem, Macedones Cabirum, Romani Quirinum summa veneratione coluerunt. *Inscr.* fidei tamen sublestae apud *Reines. cl.* 1. *n.* 143. Samothracibus Cabiris. *Nummus Claudii Goth.* ap. *Vaillant. Numism. Imp. P.* 1. *p.* 206. Deo Cabiro. ℙ Plures fuere hoc nomine Dii. Aegyptii et Phoenices septem coluerunt, quos *Diodor. Sic. l.* 1. recenset, Solem nempe, Saturnum, Rheam, Jovem Ammonem, Junonem, Vulcanum, Vestam, hisque addit Mercurium eorum administrum. Hos memorat etiam *Herodot.* 3, 37. ℙ Alii tres fuerunt a Samothracibus et Atheniensibus culti, quos etiam *Διοσκούρους*, Anaces et Tritopatores appellarunt. Horum meminit *Cic. N. D.* 3, 21., quem locum vide supra in V. ANACES, in quo tamen sunt, qui pro *Zagreus* scribendum putent *Triptolemus*. ℙ *Schol. Apollon. Argonaut.* 1, 918. Cabiros appellat *Axieron*, *Axiocersam* et *Axiocerson*, *h. e.* Cererem, Proserpinam et Plutonem, hisque addit Mercurium, quem appellat casmillum, eorum nempe administrum, ut ait *Varr. L. L.* 6, 3. ℙ Progressu temporis horum Cabirorum loco, qui mystici facti sunt et initiatis tantum noti, successerunt Castor et Pollux, qui iidem fuerunt ac Penates et Dii patrii et Divi potes Romanorum. *Varr. L. L.* 4, 10. Terra et Coelum, ut Samothracum initia docent, sunt Dei magni, et hi, quos dixi multis nominibus. Nam neque quas Ambracia ante portas statuit duas viriles species aheneas, Dei magni; neque, ut vulgus putat, hi Samothraces Dii, qui Castor et Pollux: sed hi mas et femina; et hi quos augurum libri scriptos habent sic, Divi potes: et sunt pro illis, qui in Samothrace *Θεοὶ δυνατοί*. Haec duo, Coelum et Terra, quod anima et corpus, humidum et frigidum. ℙ *Pherecydes* in *fragm.* Cabirorum parentes vocat Vulcanum et Cabiram. Hinc in nummo Thessalonicensium apud *Eckhel. D. N. V. T.* 2. *p.* 77. Cabirus stat succinctus, dextra clavum, sinistra malleum attollit, cui pro pedibus incus prominet. ℙ Tripolitae in Phoenicia nummos exciderunt in honorem Antonii Pii, M. Aurelii, L. Veri, Commodi et Annii Caesaris, quos Deos Cabiros in iisdem appellarunt. V. *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 375. [*Totum hunc locum retractavit et egregie, ampliavit *Furl. Forc.* paucis rem absolverat.] ℙ *Fuit et Cabirus Asiae fluvius, non procul ab Indo flumine. *Plin.* 6, 23. ed. *Hard. B. A.*

*CABYLE, es, vel Cabyla, ae, f. Thraciae oppidum, inter flumen Panysum et Pontum Euxinum. *Eutrop.* 6, 8. *Ammian. B. A.*

*CABYLĒTAE, arum, incolae Cabylae oppidi. *Plin.* 3, 11. ed. *Hard. B. A.*

CĀCĂ, ae, f. soror Caci, quae, quia Herculi furtum fratris prodidit, divinitate donata est, atque ara sacelloque culta, in quo ei per virgines sacrificabatur. *Lact.* 1, 20. et *Serv.* ad *A.* 8, 190.

CĀCĂBĀCEUS et Caccabaceus, a, um, adj. ad cacabum pertinens. *Tert. adv. Hermog.* 41. Motus non turbulentus nec cacabaceus, sed compositus et temperatus, *h. e.* qualis est liquoris in olla ferventi ebullientis.

CĀCĂBĀTUS et Caccabatus, a, um, adj. fuligine aspersus, fumidus, denigratus instar cacabi. *Paul. Nolan. ep.* ad *Serv.* 32. (al. 12), 9. Cum aedificia, quae immaculata adhuc operis tui gratia splendent, obscurata naeniis insipientiae meae et ut digno meis versibus verbo utar, cacabata conspicies.

CĀCĂBO, as, n. 1. *καχχαβίζω*, verbum exprimens vocem perdicis: ductumque est a Graecis, qui perdicem *καχχάβαν* et *καχχαβίδα* appellant. *Auct. carm. Philom.* 19. Cacabat hinc perdix, hinc gratitat improbus anser. *Auct. fragm. de Aucup.* 12. maculosaque terga Inficiunt pullae cacabantis imagine guttae, *h. e.* ad similitudinem perdicis. In priore versu prima syllaba producitur, in posteriore corripitur, minus recte tamen: nam Graece duplici κκ scribitur.

CĀCĂBŪLUS, li, m. vel Cacabŭlum, i, n. *καχκάβιον*, parvus cacabus. *Tert. Apol.* 13. Domesticos Deos domestica potestate tractatis, pignerando, venditando, demutando aliquando in cacabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva. Adde *Arnob.* 6. p. 200. et *Apic.* 4, 1. ℙ Scribitur et *caccabulus*. ℙ Sunt qui putant, *cacabulum* dici etiam lasanum, a *cacando*, sed non probant.

CĀCĂBUS, i, m. *καχκάβη* et *κάκκαβος*, vas vel fictile vel ex aliquo metallo, in quo cibi coquuntur. Quomodo ab aheno differat, V. in AHENUM Videtur esse a *κάω*, uro, et *κάβη*, cibus. *Varr. L. L.* 4, 27. Vas, ubi cibum coquebant, ab eo cacabum appellarunt. *Colum.* 12, 46. Radiculam in cacabo aeneo coquito. *Id. ib.* 41. Cacabus stanneus. *Ulp. Dig.* 34, 2, 20. Cacabi argentei. *Scribon. Compos.* 220. Cacabus fictilis. *Stat. Silv.* 4, 9, 44. Aut unam dare synthesim quid horres Alborum calicum atque cacaborum? ℙ *Cacabus* erat plerumque vas fictile; hinc quoties ex metallo constabat, addebatur adj. *aeneus* vel *stanneus* vel *argenteus*. Scriptores Latini et Graeci saepe monent adhibendum esse *cacabum novum* ad quosdam cibos coquendos, propterea quod *invetriatura* non utebantur veteres. V. *Plin.* 30, 8, 22. et 35, 6, 16. etc. ℙ Scribitur et *caccabus* duplici *cc*, quod est Graecos imitari, a quibus *καχκάβη* dicitur.

CACALĬA, ae, f. *καχαλία*, herba, quae et leontice dicitur, in montibus fere nascens, semine minutis margaritis simili, dependente inter folia grandia. *Plin.* 25, 11, 85.

[CĀCALUS, i, m. diminut. a *κακὸς*, malus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 963, 10. Cacalo Avioli Lib. *F.*]

CĀCĀTŪRĬO, is, n. 4. *κεσείω*, *κεζητιάω*, cacare cupio, nitor. *Martial.* 11, 77. In omnibus Vacerra quod conclavibus Consumit horas et die toto sedet, Coenaturit Vacerra, non cacaturit.

CĀCĀTUS, a, um, part. verbi *caco*, *κεχεσμένος*. Translate. *Catull.* 36, 1. Annales Volusi, cacata charta, *h. e.* annales cacando compositi: vel conspurcati malis versibus. Hinc *Martial.* 12, 61. Scribit carmina, quae legunt cacantes.

*CACCĂBE, es. f. *Καχκάβη*, olim appellata fuit Carthago. Significat autem haec vox proprie *caput equinum*, V. quod omen fuit futurae magnitudinis. *Drakenb.* ad *Sil.* 2, 410. *B. A.*

CACCĂBUS etc. V. CACABUS.

CĀCEMPHATON et Cacephaton, i, *καχέμφατον* et *καχέφατον*, vitium sermonis, idem quod cacophaton: a *κακὸς*, malus, et *φημὶ*, dico. *Charis.* 4. p. 242. et *Diomed.* 2. p. 446., sed uterque Graece scribit. Latine autem legitur apud *Serv.* ad *G.* 2, 13. et ad *A.* 1, 197. et *cacemphaton* apud *Isid. Orig.* 1, 33.

CĀCHECTES vel Cachectă, ae, m. *καχέκτης*, dicitur a medicis, qui cachexia laborat: a *κακῶς*, male, et *ἔχω*, habeo. *Plin.* 28, 9, 33. Lac bubulum bibunt phthisici, syntectici et cachectae.

CĀCHECTĬCUS, a, um, adj. *καχεκτικὸς*, idem qui cachectes. *Plin.* 32, 10, 39. Cachecticis, quorum corpus macie conficitur, tethea utilia sunt cum ruta ac melle.

CĀCHEXĬA, ae, f. *καχεξία*, malus corporis habitus, quo alimenta omnia corrumpuntur: quod fere fit, cum longo morbo vitiata corpora, etiamsi illo vacant, refectionem tamen non accipiunt; aut cum malis medicamentis corpus affectum est; aut cum diu necessaria defuerunt; aut cum inusitatos et inutiles cibos aliquis assumpsit. Ita describit *Celsus* 3, 22., ubi tamen hanc vocem Graece scribit. Est enim Graeca a *κακὸς*, malus, et *ἕξις*, habitus. Attamen Latine non semel usurpat *Coel. Aurel. Tard.* 3, 6.

CĀCHINNĀBĬLIS, le, adj. *Appul. Met.* 3. Totus populus risu cachinnabili diffluens, *h. e.* risu in cachinnos effuso. *Id. Dogm. Plat.* 3. Homo animal cachinnabile.

CĂCHINNĀTĬO, onis, f. *καγχασμὸς*, actus cachinnandi, risus effusus. *Cic. Tusc.* 4, 31. Ut si ridere concessum sit, vituperetur tamen cachinnatio.

CĂCHINNO, onis, m. *καγχαστὴς*, qui cachinnat. *Pers.* 1, 12. Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.

CĂCHINNO, as, avi, atum, a. et Cachinnor, aris, atus sum, dep. 1. *καγχάζω*, effuse, immoderate rideo. Fortasse deducendum est etymon ab Hebr. שָׂחַק *sachàc*, irrisit. *Lucr.* 4, 1169. Quam famulae longe fugitant, furtimque cachinnant. *Id.* 2, 974. et risu tremulo concussa cachinnant. *Cic. Verr.* 2, 3, 25. Ridere convivae, cachinnari ipse Apronius. ℙ Cum accusativo junxisse videtur *Appul. Met.* 3. At ille non contentus, quod mihi nec assistendi solatium praebuit, insuper exitium meum cachinnat. Nisi dicamus esse casum praeposit. *insuper*, quam *Vitruv.* quoque accusativo junxit 10, 20. Alii apud *Appul.* leg. *exitio meo.* ℙ Quia vero effuse ridentes magnam etiam vocem emittere solent, hinc per catachresim *cachinnare* dicuntur, quae strepitum vehementiorem edunt. *Acc.* apud *Non.* 6, 86. de mari: Simul et circum magnisonantibus Excita saxis, saeva sonando, Crepitu clangente cachinnat *unda* scilicet. Ita hos versus anapaesticos dispescendos monet *Scalig.* in *Varr. L. L.* p. 86. ℙ Particip. *Cachinnans* apud *Aurel. Vict. Epitom.* 28. Petulantius cachinnans.

CĂCHINNOSUS, a, um, adj. facile cachinnans. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 3. *ad f.* Hilares natura, atque cachinnosi.

CĂCHINNUS, i, m. *καγχασμὸς*, risus solutior, effusus, incompositus et perstrepens. *Cic. Brut.* 60. Curio in agendo cachinnos irridentium commovebat. *Id. Fat.* 5. In quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. *Pers.* 3, 87. Ingeminant tremulos naso crispante cachinnos. *Catull.* 31. Ridete quidquid est domi cachinnorum. *Suet. Cal.* 32. Effundi in cachinnos. Et *ib.* 57. Edere cachinnum. *Ov. A. Am.* 3, 287. Distorquere ora cachinno perverso. *Juven.* 3, 100. Cachinno concuti. *Id.* 11, 3. Excipere aliquid cachinno. ℙ Per catachresim dicitur de strepitu maris, ea ratione qua in CACHINNO, as diximus. *Catull.* 64, 272. Quae tarde primum clementi flamine pulsae Procedunt, leviterque sonant plangore cachinni.

CACHLA, ae, f. *κάχλα*, herba eadem, quae buphthalmos. *Plin.* 25, 8, 42.

CACHRYS, yos, f. *κάχρυς*, et *κάγχρυς*, ros, semen resinaceum rorismarini. *Plin.* 24, 11, 60. ℙ Item pilula quaedam nascens in roboribus praeter glandem; item in abiete, larice, picea, tilia, nuce, platano, postquam folia cecidere, hieme durans. Continet nucleum pineis similem: is crescit hieme: aperitur vere pilula tota: cadit, cum folia coepere crescere. In medicina urendi vim habet. *Plin.* 16, 8, 11. et *Cels.* 5, 18. *n.* 5. ℙ Item nucleus candidus in semine crethmi. *Plin.* 26, 8, 50. ℙ Scribitur et *canchrys.*

*CACIDĂRI, orum, gens Scythiae Asiaticae. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

CĂCIZOTĔCHNOS, i, m. *κακιζότεχνος*, hoc est artem damnans, aut corrumpens: a *κακίζω*, damno, improbo, et *τέχνη*, ars. Ita cognominatus fuit ab Atheniensibus Callimachus statuarius, quod semper esset calumniator sui, nec finem haberet diligentiae. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 35. ℙ *Vitruv.* 4, 1 hanc eandem rem narrans, catatechnon appellatum fuisse tradit: hoc est artificiosum, industrium. Sed alii leg. *cacotechnon*, hoc est male in arte se exercentem, *κακότεχνον.*

CĂCO, as, avi, atum, a. 1. *χέζω*, alvum exonero. Videtur esse a *καχᾶν*, seu *καχᾶν*, qua voce pueri utuntur cacare significantes. *Hor. Sat.* 1, 8, 38. in me veniat mictum, atque cacatum Julius, etc. *Phaedr.* 4, 17. Canes odorem mixtum cum merdis cacant. *Pompon.* ap. *Non.* 2, 114. Ego quaero quod edim: has quaerere quod cacent, contra jus est. *Martial.* 3, 89. Nam faciem durum, Phoebe, cacantis habes, *h. e.* vultum nitentis. V. NITENS.

CĂCOĒTHES, is, n. *κακόηθες*, mala consuetudo, malus mos: a *κακός*, malus, et *ἦθος*, mos. *Juven.* 7, 51. tenet insanabile multos Scribendi cacoethes et aegro in corde senescit. ℙ A medicis dicitur vitium ex genere carcinomatum, quod difficile quidem sanari potest, curationem tamen recipit. Sic autem vocatur propter obstinatam repugnantiam adversus remedia. *Cels.* 5, 28. *n.* 2. Discernere cacoethes, quod curationem recipit, a carcinomate, quod non recipit. *Plin.* 22, 25, 64. Sesama prodest ulceribus, quae cacoethe vocant, *τὰ κακοήθη.* Sic 24, 10, 47. Hedera illinitur omnium ulcerum generi, etiamsi cacoethe sint. *Id.* 24, 3, 3. Glans intrita duritias, quas cacoethes vocant, sanat. *τὰς κακοήθεις.* Ex his apparet, vocem adjectivam esse.

CĂCŌMEMNON, ōnis, m. *κακομέμνων*, titulus est unius ex mimis *Laberii* ap. *Gell.* 16, 7.

CĂCŌPHĀTON, i, n. *κακόφατον*, *κακοφωνία*, vitium sermonis, quod etiam *cacemphaton* et *cacephaton* et *cacophonia*, item *aeschrologia* dicitur, cum vel duo verba junguntur, quae durum sonum efficiunt, ut *Dorica castra* apud *Virg. A.* 2, 27. et *numerum cum navibus aequat*, *A.* 1, 197., et *legere leges* apud *Liv.* 3, 34., et *data mandata*, 7, 31. *a med.*, et *negligens gens*, 5, 46.; vel obscenum, ut *cum nos te voluimus convenire* apud *Cic. Fam.* 9, 22.; vel cum vox vel sententia usurpatur, quae honestam simul et obscenam significationem habere potest, ut quod *Sall. Jug.* 78. usurpavit, *patrare bellum* et illud *Ter. Andr.* 5, 4, 30. Arrige aures, Pamphile: et *Virg. A.* 6, 406. aperit ramum, qui veste latebat. V. *Quint.* 8, 3., ubi hanc vocem modo Graecis, modo Latinis litteris scriptam reperies.

CĂCOSYNTHĔTON, i, n. *κακοσύνθετον*, hoc est incompositum, male collocatum: a *κακῶς*, male, et *σύνθετον*, compositus. Est vitium sermonis ex indecenti structura verborum, ut in illo *Virg. A.* 9, 610. versaque juvencum Terga fatigamus hasta. Nam *terga* cum eodem fine casus terminatur, ut *versa hasta. Quint.* 8, 3., *Charis.* 4. p. 243. et *Serv.* ad *Virg. l. c.*, qui omnes Graecis litteris scribunt. Latine tamen legitur in illo *Lucil.* ap. *Vel. Long. Orthogr.* p. 1214. At non multum abit hoc cacosyntheton atque canina etc.

CĂCOTĔCHNIĀ, ae, f. *κακοτεχνία*, h. e. mala ars: a *κακὸς*, malus, et *τέχνη*, ars. Graeca vox est, et Graece adhibetur a *Quintil.* 2, 20.

CĂCOTĔCHNOS. V. in CACIZOTECHNOS.

CĂCOZĒLIĀ, ae, f. *κακοζηλία*, mala et indecora affectatio, quoties inscite aliquid imitantes in vitium labimur. Graeca vox a *κακὸς*, malus, et *ζῆλος*, aemulatio, imitatio. *Diomed.* 2. p. 446. duplici ratione peccari per *κακοζηλίαν* docet, aut nimio tumore, ut in illo: *Juppiter omnipotens, coeli qui sidera torques, Ore tuo dicenda loquar.* Aut nimio ornatu, ut apud *Ov. Met.* 2, 107. *Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae Curvatura rotae*, et quae sequuntur. *Sen. Controv.* 4, 24. *in f.* Gorgonius in hac controversia pessimo genere cacozeliae usus est. *Id. Suas.* 7. *a med.* Dixit sententiam cacozeliae genere humillimo, et sordidissimo. Apud *Quint.* 8, 6. modo Graecis, modo Latinis litteris scripta legitur. ℙ *Id.* 8, 3. hoc idem vitium *κακόζηλον* appellat.

CĂCOZĒLON, i, n. *κακόζηλον*, mala affectatio. V. vocem praeced.

CĂCOZĒLUS, a, um, adj. *κακόζηλος*, qui cacozeliae vitio in dicendo peccat, affectatus et infelix imitator. *Suet. Aug.* 86. Cacozelos, et antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit. *Ascon.* in *Divin. Verr.* 6. Haec in loco nec oxymora, nec cacozela judicanda sunt; aut enim inferioribus dictis, aut supra positis leniuntur.

CACTOS, i, m. *κάκτος*, herba est folio lato et spinoso, caule a radice emisso et in terram serpente, semine lanuginis; quam *pappon* vocant. In Sicilia tantum nasci, *Plin.* 21, 16, 57. tradit. Ipse quoque caules *cactos* dicitur, et detracto cortice, gratus in cibis est. Semen *ascalia* vocatur. *Plin. ib.* ℙ Quidam putant, *cactum* esse cinaram, quam Itali dicunt *carciofo*, vel cardum sativum. ℙ Translate a spinis foliorum *Tert. Pall.* 2. *in f.* Revera orbis cultissimum hujus imperii rus est, eradicato omni aconito hostilitatis, et cacto et rubo subdolae familiaritatis.

CACUBALUM. V. CUCULUS in *f.*

CACŪLĀ, ae, m. *δοῦλος στρατιώτου*, idem qui calo, hoc est servus militis, qui fustibus clavisque ligneis ad tutelam domini armatur, ut docet *Festus*; qui ideo a Graeco *κᾶλον*, lignum, derivari putat. Aptius tamen *Scalig.* ducit a *κακὸς*, qua imbellem, ignavum, timidum significat, quia caculae non sunt in numero militum, sed imbellium, et qui primi fugam capessere solent. *Plaut. Trin.* 3, 2, 95. Video, caculam militarem me futurum haud longius. Etiam apud *Varr. L. L.* 9, 3. *ad f.* haec vox legitur, et in *Argum. Pseud. Plautini*, *ed. A. Majo*, p. 24.

CACŪLĀTUS, servitium, caculae munus. *Festus.*

CĂCŪMEN, inis, n. *κορυφή*, *ὖψος*, proprie est summitas cujuscumque rei in acutum desinens: videturque esse ab *acumen*, addito *c*, ut *Voss.* docet. *Caes. B. G.* 7, 73. Cacumina ramorum. *Lucret.* 6, 463. summa montis. *Ov. Trist.* 3, 12, 12. Cacumen herbae. *Plin.* 10, 54, 75. ovi. *Id.* 36, 12, 17. *n.* 3. pyramidis. *Id.* 36, 5, 4. *n.* 9. In metae cacumen se contrahens. *Id.* 2, 11, 8. Metae effigies in cacuminis finem desinens. *Id.* 16, 36, 64. Tenuari in cacumen. *Horat. Epod.* 16, 30. Cacumina Matina, *h. e.* vertices Matini montis Apuliae. ℙ Sumitur etiam pro extremitate. *Lucr.* 1, 592. quoniam extremum cujusque cacumen Corporis est aliquod. *Plin.* 11, 37, 88. Arteriarum pulsus in cacumine maxime membrorum evidens. ℙ Translate. *Lucr.* 5, 1450. Namque alid ex alio clarescere corde videbant Artibus, ad summum donec venere cacumen. *Laber.* ap. *Macrob. Saturn.* 2, 7. Floris cacumen famae nostrae frangere. ℙ *Capell.* 3. p. 63. accentus, qui adscribuntur syllabis, tum cacumina, tum fastigia appellari docet.

CĂCŪMĪNĀTUS, a, um, particip. a *cacumino*, summitatem habens in acutum desinentem. *Plin.* 10, 52, 74. Ova aquatilium rotunda; reliqua fere fastigio cacuminata.

CĂCŪMĪNO, as, avi, atum, a. 1. acutum in summitate facere. *Ov. Met.* 3, 194. Dat sparso capiti vivacis cornua cervi, Dat spatium collo, summasque cacuminat aures. *Sidon. carm.* 7, 414. saxoque cacuminat ensem.

[CĂCŪNUS, i, m. Jovis cognomen apud Sabinos, quod in excelsi montis vertice colebatur. *Inscr.* apud *Murat.* 8, 9. Jovis Cacunus. De eo ex professo disseruit *Aloys. Biondius* in *Giornal. Arcad.* et *Jo. Labusius* in opere, cui titulus: *Dissert. de la certitude de la science des antiq.* p. 52. *F.*]

CĂCŪRĬUS, ii, m. a cacando, ut Mercurius a mercando, Biberius a bibendo, Stercorius a stercorando. Cognomen Romanum. *Inscr.* apud *Grut.* 768. 2. M. Cassius M. F. Ouf. Cacurius.

CĂCUS, i, m. *Κάκος*, insignis latro temporibus Euandri regis: fortasse a *κακὸς*, malus: quamvis prima syllaba repugnet. Hic Latium undique latrociniis et incendiis infestabat: demum Herculis quoque ex Hispania occiso Geryone redeuntis, et apud Euandrum hospitantis boves noctu cauda traxit in antrum suum. Quas cum mane diminutas cerneret Hercules, nec quorsum errassent, scire posset, forte fortuna ad hoc antrum pervenit; sed cum vestigia omnia foras versa videret, cum reliquis abiit. Abeuntibus autem ceteris, occlusae boves aliarum desiderio mugierunt. Hercules audito mugitu, Caci fraudem cognovit, raptaque clava iratus recurrit, extractumque occidit. Quidam dicunt, ipsius Euandri servum fuisse, et non ab Hercule, sed a domino damnatum extremo supplicio, cum ejus furtum Caca ejus soror, quae postea Dea habita est, Herculi prodidisset. Rem narrant *Liv.* 1, 7., *Ov. Fast.* 1, 549. et *sqq. Aur. Vict. de Or. Gen. Rom.* 6. et 7. et *Serv.* ad *A.* 8, 190., ubi ipse *Virg.* 193. et *seqq.* poetarum more fabulas secutus, Cacum dicit Vulcani filium fuisse, semihominem, et ore ignem vomentem. *Prop.* etiam 4, 9, 10. et 15. tricipitem fuisse fingit. *Id. Serv. ib.* ad *vers.* 203. ex *Verrio Flacco* tradit, eum qui Cacum occidit, fuisse Garanum quendam, pastorem magnarum virium: omnes autem hujusmdoi apud veteres *Herc.* dictos. *Juven.* 5, 125. Duceris planta, vel ut ictus ab Hercule Cacus.

[CACYRĪNI, orum, m. plur. incolae Cacyri (*Κάκυρον*), urbis Siciliae in ora occidentali, a *Ptol.* 3, 4. memoratae. *Plin.* 3, 8, 14. Stipendiarii Cetarini, Cacyrini, Drepanitani. *F.*]

*CADARA, insula in sinu Arabico. *Plin.* 9, 2. *B. A.*

CĂDĀVER, ĕris, n. *θνησιμαῖον*, *νεκρὸν*, *πτῶμα*, *πέσημα*, corpus animalis mortuum, et nondum sepultum, sed praecipue hominis. *Isid. Orig.* 11, 2. Cadaver nominatum a cadendo, quia jam stare non potest. Hinc Graeci *πτῶμα* dicunt. *Cic. Mil.* 13. P. Clodii cruentum cadaver infelicissimis lignis semiustulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. *Virg. A.* 8, 264. Informe cadaver. *Lucret.* 2, 415. tetrum. *Aur. Vict. Epit.* 23. caninum. ℙ De homine foede macilento. *Quint. Decl.* 12, 13. *in f.* Prona est cervix, tergum ossibus inaequale, infernis imaginibus similes, foeda etiam cadavera. Adde *Senec. Th.* 36. ℙ Translate per convicium ponitur pro homine vili, abjecto et omnibus abominando. *Cic. Pis.* 9. Ego istius pecudis, ac putidae carnis consilio scilicet, aut praesidio uti volebam? ab hoc ejecto cadavere quidquam mihi aut opis, aut ornamenti expetebam? Adde *ib.* 33. Dicitur autem *ejectum cadaver*, quod honore exsequiarum caret, (quod ultimae censebatur apud veteres ignominiae) et quod propter paupertatem, cum sumptus funeris deesset, e cella ejectum a sandapilariis ad bustum sine ulla pompa efferebatur, ut *Turneb. Advers.* 21, 15. docet. ℙ De oppidis dirutis et neglectis, *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Cum uno loco tot oppidum cadavera projecta jaceant.

CĂDAVĔRĪNUS, a, um, adj. *νεκρώδης*, qui est cadaveris. *Tert. Anim.* 32, 9. Cadaverina caro.

CĂDAVĔRŌSUS, a, um, adj. cadaveri similis, *νεκρώδης*. *Ter. Hec.* 3, 4, 26. Magnus, rubicundus, crispus, crassus, caesius, cadaverosa facie.

*CADAX, acis, adj. Claudus, qui saepe cadit. *Gloss. Isid.* Cf. *Barth. Advers.* 35, 9. V. *Catax. B. A.*

CADETUM. V. CANDETUM.

CĂDI, orum, m. plur. *Κάδοι*, urbs, et populi Mygdoniae seu Phrygiae apud *Strab. l.* 12., nunc *Kedus.* Hinc *Prop.* 4, 6, 8. Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis, *h. e.* tibia Phrygia. Sunt qui haec intelligenda putant de pythaule, ut *cadi* non urbem, sed *πίθους* significent, quibus tibiae inserebantur. Sunt etiam qui legendum putant *modis* vel *sonis.* At hic verba *tibia libet* accipienda sunt de tibicine libationibus accinente, quem Graeci *σπονδαύλην* vocabant. V. SPONDAULES. ℙ [*Cadorum urbis incolae Cadueni (vel Cadiani) etiam appellabantur, teste *Plin.* 5, 19. ubi codd. plerique apud *Harduinum* praebent *Cadieni.* ℙ *Macedones Cadueni.* V. *Macedo* in f. *B. A.*]

CĂDĬĂLIS, le, adj. ad cadum pertinens. *Cadialis resina* dicitur a *Coel. Aur. Tard.* 2, 7. *a med.* quae liquidior est, et cadis condi atque advehi solet.

*CADISTUS, i, m. mons Cretae. *Plin.* 4, 12. ed. *Hard.* Antea *Cadiscus* legebatur. *B. A.*

CĂDIVUS, a, um, adj. qui per se cecidit, caducus, πτώσιμος: ut *cadiva poma*, quae per se cadunt, non manu decerpta, aut decussa. *Plin.* 15, 16, 18. Colligi mala post aequinoctium autumnale: cadiva separari. Adde *ib.* 17, 18. *n.* 2. ℙ Ap. *Marcell. Empir.* 20. *a med.* dicitur cadivus, qui caduco morbo laborat.

CADMAEUS. V. *Cadmeus* in f.

CADMĒA. V. *Cadmia.*

CADMĒIS, ĭdis, f. patronym. a Cadmo deductum, *Καδμεὶς. Ov. Met.* 3, 287. Talibus ignaram Juno Cadmeida dictis Formarat, *h. e.* Semelem Cadmi filiam. Adde *ib.* 4, 544., ubi de Ino altera Cadmi filia loquitur. *Senec. Herc. fur.* 758. Errant furentes impiae Cadmeides, *h. e.* Agave, Ino, Autonoe, Cadmi filiae, quae Penthea discerpserunt. ℙ Ponitur etiam pro Thebana. Nam Thebas Cadmus condidit. *Ov. Met.* 9, 304. matres Cadmeides adsunt, Et *ib.* 6, 217. Contigerant tecti Cadmeida nubibus arcem. ℙ In vocativo est *Cadmei. Id. Fast.* 6, 553. Una ministrarum solita est, Cadmei, tuarum etc., *h. e.* Ino.

CADMĒIUS, a, um, adj. idem quod Cadmeus. *Stat. Th.* 4, 565. Genitrix Cadmeia, *h. e.* Agave Cadmi filia. *Id. ib.* 8, 453. et 520. Cadmeius Aemon, *h. e.* Thebanus: Thebas enim Cadmus condidit. *Id. ib.* 3, 366. Cadmeius heros, *h. e.* Polynices rex Thebarum. *Val. Fl.* 7, 282. Cadmeia seges, *h. e.* dentes draconis a Cadmo sati.

CADMĒUS, a, um, adj. *Καδμεῖος*, ad Cadmum pertinens. *Stat. Th.* 8, 601. Cadmea juventus, *h. e.* Thebana: a Cadmo conditore. *Senec. Oedip.* 1006. Cadmea mater, *h. e.* Agave mater Penthei. *Lucan.* 3, 175. Dirce Cadmea, *scil.* fons Thebis proximus. A *Prop.* 3, 11, 7. Tyros *Cadmea* appellatur, quia Cadmus fuit filius Agenoris regis Tyriorum. Sic apud *Sil.* 1, 6. et 106. et 17, 582. *gens, stirps, manus Cadmea* dicuntur Carthaginienses, qui a Tyriis erant oriundi. ℙ *Cadmea, ae,* absolute est arx urbis Thebarum a Cadmo aedificata. *Nep. Pelop.* 1. et *Epam.* 10. ℙ Legitur et *Cadmaeus*, sed minus recte.

CADMĬA, ae, (etiam *Cadmea* scribi potest) f. *καδμεία*, lapis quidam aerosus, ex quo aeri admixto fit aes illud, quod Itali *ottone* vocant. *Plin.* 34, 1, 2. et *ib.* 10, 22. et *Fest.* ℙ Est praeterea *cadmia*, quae in aeris fornacibus fit, egesta flammis atque flatu tenuissima parte materiae, cameris lateribusque fornacum adhaerens. Tria ejus genera persequitur *Plin.* 34, 10, 22., ubi addit, etiam in argenti fornacibus cadmiam fieri, candidiorem et minus ponderosam, sed nequaquam aerariae comparandam. V. ibi plura. Videtur nomen accepisse a *Cadmo*, quem primum Thebis aes invenisse, *Hygin. fab.* 274. tradit. *Plin.* autem 7, 56, 57. auri, ejusque conflaturae, item lapicidinarum inventionem ei tribuit.

[CADMĬGĔNA, ae, comm. gen. qui ex Cadmo genitus est. *Acc.* ap. *Non.* 2, 332. Deum Cadmigena natum Semela adfare, et famulanter pete. Ita legit locum corruptissimum *F. H. Bothe* in *Poet. Latin. Scen. fragm. T.* 1. p. 243. *F.*]

*CADMĪTIS, idis, f. gemma. *Plin.* 37, 10. Cadmitis eadem esset, quam ostracitin vocant, nisi quod hanc caeruleae interdum cingunt bullae, ubi Mss. ap. *Harduinum* habent *calamitis. Herm. Barbarus* legendum conjicit *cheramis*, quam lectionem hausit ex *Strabone. B. A.*

CADMUS, i, m. *Κάδμος*, Agenoris Phoenicum regis filius, qui ab eo missus ad Europen sororem conquirendam, in Boeotiam pervenit, ibique Thebas condidit, interempto prius dracone eum locum infestante, ex cujus satis dentibus homines nati, ipsum Cadmum in urbis aedificatione juverunt. Ipse tandem post varia discrimina in draconem mutatus est. V. *Ov. Met.* 3, 1. *et seqq.* ℙ Hic primus litteras invenisse dicitur, vel certe in Graeciam intulisse e Phoenicia, sive omnes, sive, ut est ap. *Plin.* 7, 56, 57., sedecim tantum: nam octo reliquas Palamedes, et Simonides Melicus adjecere. Hinc *Auson. ep.* 4, 72. et 7, 52. litteras *Cadmi filias* appellat. ℙ Alius fuit *Cadmus* Milesius, qui primus prosa oratione scripsisse, et historiam condidisse dicitur a *Plin.* 5, 29, 31. et 7, 56, 57. ℙ Ap. *Hor. Sat.* 1, 6, 39. *tradere aliquem Cadmo* est ad carnificem dare: quia ejus aetate carnifex quidam fuit notae crudelitatis nomine *Cadmus*, ut *Acron*, et *Porphyr.* adnotarunt. ℙ [*Cadmus, mons Phrygiae, juxta Laodiceam, e quo Lycus fluvius exoritur. *Plin.* 5, 29. ℙ Et nomen artificis, cujus meminit *Hor. Sat.* 1, 6. 38. *B. A.*]

CĂDO, is, cĕcĭdi, casum, n. 3. *πίπτω*, ruo, delabor; cui contrarium est *sto, consisto. Suet. Aug.* 43. Ut laxatis sellae compagibus caderet supinus. *Plaut. Rud.* 1, 2, 89. Cadere deorsum. *Virg. G.* 4, 80. Apes cadunt praecipites. *Id. A.* 6, 310. Lapsa cadunt folia. *Id. Ecl.* 6, 38. Cadunt imbres. *Cic. Or.* 28. Alte cadere. *Lucr.* 2, 209. Non cadere in terram stellas, et sidera cernis? *Enn.* apud *Cic. Top.* 16. et *Plin.* 2, 97, 99. Cadere ad terram. *Ov. Fast.* 3, 20. Cadit a mento manus. *Plaut. Mil.* 4, 4, 15. Cadere a summo. *Martial.* 11, 50. Gemma vel a digito, vel cadit aure lapis. *Plin.* 10, 38, 54. Cadere ab alto. *Cic. Cluent.* 62. ex equo. *Plaut. Mil.* 3, 1, 125. de equo. *Petr. fragm.* 677. *Burm.* Coelo cadunt fulmina. *Lucr.* 3, 595. Molliaque exsangui cadere omnia corpore membra. *Val. Fl.* 1, 355. Asterion, quem matre cadentem Cristatus gemino fovit pater amne Cometes, *h. e.* ex utero matris egressum. Alii leg. *carentem.* [*Claud. in Rufin.* 1, 92. quem prima meo de matre cadentem Suscepi gremio. *F.*] ℙ Saepe sumitur pro *mori* praesertim in pugna. *Nep. Pausan.* 1. Eo proelio ipse dux cecidit. *Id. Dat.* 6. Cadit in proelio adolescens. *Sall. Cat.* 60. Mallius et Faesulanus in primis pugnantes cadunt. *Ov. Met.* 7, 142. Cadere acie. *Cic. Fam.* 7, 3. in acie. *Liv.* 23, 21. pugna Cannensi. *Val. Fl.* 1, 812. ense. *Tac. G.* 33. telis. *Quint.* 2, 15. pro patria. *Id. Ann.* 15, 7. Silvanus quamvis absolutus, sua manu cecidit. ℙ Cadere ab aliquo. *Ov. Met.* 191. magna feres solatia mortis, A tanto cecidisse viro. *Suet. Oth.* 5. Cadere ab hoste in acie. ℙ Et omissa praeposit. *Claud. IV. Cons. Honor.* 88. Non hostes victore cadunt, sed judice sontes. *Grat. Cyneg.* 315. Sic et Achaemenio cecidisti, Lydia, Cyro. ℙ Victimae etiam cum mactantur, *cadere* dicuntur. *Hor. Od.* 3, 18, 5. Si tener pleno cadit haedus anno. *Virg. A.* 1, 337. Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra. *Ov. Fast.* 4, 652. geminas rex Numa mactat oves. Prima cadit Fauno, leni cadit altera Somno. ℙ Hinc translate *Cornel. Sever. fragm. de morte Cic.* 24. nostraeque cadens ferus Annibal irae. ℙ Astra quoque *cadere* dicuntur, cum ad occasum accedunt. *Hor. Epod.* 10, 10. Qua tristis Orion cadit. *Virg. A.* 4, 480. Sol cadens. *Ov. Met.* 4, 626. Cadente die. ℙ Item venti cum flare desinunt, aut leniores fiunt. *Ov. Met.* 8, 2. cadit Eurus, et humida surgunt Nubila. *Liv.* 26, 39. Venti vis omnis cecidit. *Id.* 36, 43. *a med.* Ubi primum aquilones cecidere. Adde 25, 27. *ad f.* Sic *Virg. A.* 1, 158. cunctus pelagi cecidit fragor. ℙ Contra incumbere et flare in illo *Varr.* ap. *Non.* 4, 42. Adversi venti ceciderunt; quod si pergunt diutius mare volvere, vereor, ne me quoque etc. *La Cerda* huc trahit et illud *Virg. G.* 1, 354. Quo signo caderent Austri. *Servius* tamen exponit: desinerent. ℙ Item tesserae in ludo, cum jaciuntur. *Ter. Adelph.* 4, 7, 21. Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris. Si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit, Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas. ℙ Translate varios habet usus. *Nep. Pelop.* 2. Quorum imperiosa majestas ab hoc initio perculsa cecidit. *Cic. Har. resp.* 20. Si tanta civitas cadet, quod Dii omen obruant. Et *ib.* 28. Auctoritas principum cecidit. Et *mox.* Jam pridem humana consilia ceciderunt. *Hor. Art. P.* 70. Multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque Quae nunc sunt in honore vocabula. *Cic. Off.* 2, 13. Tua laus pariter cum republica cecidit. *Id. Dom.* 52. Sed tibi tamen oculi, vultus, verba cecidissent, cum etc. *Id. Fam.* 6, 10. Nostrum uterque cecidit. *Liv.* 2, 40. et *Pers.* 5, 91. Ira cadit. *Liv.* 2, 6. Spes cadit ad irritum. Sic *Tac. Ann.* 15, 39. et 51. Cadere in irritum. Et *Pl. Poen.* 1, 2, 147. incassum. *Cic. Tusc.* 1, 32. in morbum. *Id. N. D.* 1, 30. in offensionem alicujus. *Id. Fam.* 6, 1. animis. *Id. Amic.* 7. et *Liv.* 1, 11. Cadit animus. ℙ *Cadere fabula* dicitur, cum displicet spectatoribus *(durchfallen)*; sicut contra *stare*, cum placet. *Hor. Ep.* 2, 1, 176. Securus, cadat, an recto stet fabula talo. ℙ Cadere formula, causa. V. FORMULA, CAUSA. ℙ *Cadere dentes* dicuntur non solum pueris, cum eos circa septennium mutant, ut est apud *Pl. Men.* 5, 9, 57. et *Censorin. De die nat.* 7. et 14., sed etiam senibus, cum eos amittunt. Hinc jocus *Senec. ep.* 83. Earinus ait, nos eandem crisim habere, quia utrique dentes cadunt. Adde *ep.* 12. ℙ *Vota cadere* dicuntur, cum irrita sunt. *Prop.* 1, 17, 4. ingrato litore vota cadunt. Contrario sensu, succedunt, rata sunt. *Tibull.* 2, 2, 17. Vota cadunt, viden' ut etc. ℙ Frequenter est venire, redigi. *Cic. Tusc.* 1, 22. Cadere in conspectum. *Id. Orat.* 3. sub oculos. *Id. Inv.* 1, 30. sub sensum. *Id. Orat.* 2, 2. Quaecumque in hominum disceptationem cadunt. *Id. Off.* 1, 3. Cadere in deliberationem. *Id. N. D.* 1, 9. Quod ne in cogitationem quidem cadit. *Id. Off.* 1, 4. Quod in nostram intelligentiam cadit. *Id. Font.* 1. Cadere sub imperium et ditionem populi Romani. *Id. Att.* 8, 3. in potestatem alicujus. *Quint.* 4, 1. *in f.* abrupte in narrationem. *Cic. Att.* 15, 20. In eam diem cadunt nummi, *h. e.* solutio nummorum incidit in eam diem. *Id. Fam.* 15, 14. Ne in alienissimum tempus cadat adventus tuus. ℙ Item evenire, accidere. *Cic. Fam.* 5, 19. Aliter res cecidit, ac putabas. *Id. Quint.* 16. Nihil ipsis jure incommodi cadere potest. *Id. Orat.* 2, 4. Hoc cecidit mihi peropportune. *Id. ib.* 1, 21. Insperanti mihi cecidit, ut etc. *Id. Att.* 3, 1. Nihil mihi optatius cadere potest. *Id. Q. Fr.* 1, 3. A te mihi omnia semper honesta et jucunda ceciderunt. *Id. Att.* 3, 24. Verebar, quorsum id casurum esset. *Virg. G.* 4, 165. quibus ad portas cecidit custodia sorti. ℙ Item convenire, quadrare, locum habere. *Cic. Orat.* 56. Pedes, qui in orationem cadere possunt. *Id. Har. resp.* 26. In eum maxime cadit hoc verbum. *Id. Att.* 13, 19. Haec academica sane in personas non cadebant: erant enim *λογικώτερα. Id. Sull.* 27. Non cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem ista suspicio. *Virg. Ecl.* 9, 17. Heu! cadit in quemquam tantum scelus? *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 11. Non cadit in alium tam absolutum opus. ℙ Item desinere, terminari. [*Cic. De rep.* 1, 44. (ed. *Maio*) Nimiaque illa libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit. *F.*] *Id. Orat.* 57. Trochaeus eo est vitiosus in oratione, quod verba melius in syllabas longiores cadunt. Et *ib.* 67. Quae incisim, aut membratim efferuntur, ea vel aptissime cadere debent. *Quint.* 12, 10. Nullum Graece verbum *m* littera cadit. *Cic. Or.* 3, 54. Et illa, quae similiter desinunt, aut quae cadunt similiter. *Similiter desinentia*, et *similiter cadentia* verba differunt in eo, quod illa (Graece *ὁμοιοτέλευτα*), similes exitus habent, sive similia sint, sive dissimilia, quae declinantur, ut in illo *Cic. Manil.* 16. Ut ejus semper voluntatibus non modo cives *assenserint*, socii *obtemperarint*, hostes *obedierint*, sed etiam venti tempestatesque *obsecundarint.* At *similiter cadentia*, Graece *ὁμοιόπτωτα*, sunt, quae similiter declinantur, licet dissimiles exitus habeant, ut apud *Cic. Verr.* 2, 1, 1. Est Verres ut ad audendum *projectus*, sic *paratus* ad audiendum. Et *ib.* 2, 5, 8. Qui non ita *defendatur*, ut mediocris praetor, sed ita *laudetur*, ut optimus imperator. [*Id. de re publ.* (ed. *Maio*) 1, 44. Nimiaque illa libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit. *B. A.*] ℙ Interdum habet obscenum sensum, nempe succumbendi. *Pl. Pers.* 4, 4, 105., *Tibull.* 4, 10, 2. et *Senec. Controv.* 1, 3. *sub f.* ℙ *Cadit* pro *cadat* dictum videtur a *Pl. Rud.* 1, 2, 89. *ἀρχαϊκῶς* usurpatum ea ratione, qua *duit, edit*, pro *duat, edat.*

*CADRA, collis in Asia Minore, circa Taurum montem. *Tac. Ann.* 6, 2. *B. A.*

*CADRŪSI, orum, Asiae populi, in Paropamiso, ad Caucasum montem. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

CĂDŪCĀRIUS, a, um, adj. *Caducaria lex* dicitur ab *Ulp. lib. regular. tit.* 28., quae de bonis caducis publicandis lata est. Ejus lator videtur fuisse C. Octavius Caesar Augustus. Verba *Ulpiani* sunt: Si nemo sit, ad quem bonorum possessio pertinere possit, aut sit quidem, sed jus suum omiserit, populo bona deferuntur, ex lege Julia caducaria. Adde *Dig.* 30, 93., ubi *Id. Ulp.* hanc eandem legem memorat, sed omisso *caducariae* nomine. ℙ Apud *Augustin. Vita beata*, *ad med.* dicuntur *caducarii homines*, qui comitiali morbo laborant. Sed paulo post *vulgare verbum* appellat et *male Latinum.*

CĂDŪCĔĀTOR, oris, m. legatus, qui pacis petendae causa mittitur: ita dictus a caduceo, quo utitur. *Cato* ap. *Fest.* Caduceatori nemo homo nocet. *Liv.* 32, 32. Caduceator ab rege venerat. Adde *Curt.* 3, 1. et 4, 2. ℙ Apud *Arnob.* 5. p. 174. caduceator enumeratur cum ministris sacrorum, hierophantis et praeconibus. *Herald.* putat esse, quos *Pollux* 1, 1, 35. *σπονδοφόρους* appellat, *h. e.* libationes ferentes, et cum *ἱεροφάνταις*, et *δαδούχοις*, et *κήρυξι* ipse quoque conjungit.

CĂDŪCĔĀTUS, a, um, adj. caduceum ferens. *Inscr.* ap. *Grut.* 927, 6. Mercurius petasatus et caduceatus.

CĂDŪCĔUS, i, m. et Cādūceum, i, n. *κηρύκειον*, [(etymon vocis est ab allata voce Graeca, mutata littera *ϱ* in *δ*) *F.*] virga Mercurii duobus serpentibus illigata, quam illi Apollo donasse dicitur, cum ab eo lyram accepisset. Hi serpentes, ut describit *Macr. Sat.* 1, 19. *ad f.* parte media voluminis sui invicem nodo, quem vocant Herculis, obligantur: primaeque partes eorum reflexae in circulum pressis osculis ambitum circuli jungunt, et post nodum caudae revocantur ad capulum caducei, ornanturque alis ex eadem capuli parte nascentibus. Hac virga Mercurius animas evocat Orco Pallentes: alias sub tristia Tartara mittit: Dat somnos, adimitque, et lumina morte resignat; Illa fretus agit ventos, et turbida tranat Nubila. Ita *Virg. A.* 4, 242. hujus virgae usus enumerat. Addit *Serv.* tum hic, tum ad *A.* 8, 138. hac eadem uti Mercurium ad concordiam inter certantes componendam. Narrat etiam *Hygin. Astron.* 2, 7. Mercurium, cum ab Apolline discessisset, vidisse duos angues inter se implicito corpore dimicantes, quos interposita virga diremit et pacavit. Hinc factum est, ut ejusmodi virga serpentibus implexa signum pacis haberetur. *Macr. l. c.*

duos illos angues non dimicantes, sed coeuntes repraesentari scribit: quod et ipsum corcordiae signum est. *Plin.* 29, 3, 12. Hic complexus anguium, et efferatorum concordia, causa videtur esse, quare exterae gentes caduceum in pacis argumentis, circumdata effigie anguium, fecerint. ℙ Hujusmodi virgam solebant exterarum nationum legati pacem petentes praeferre. Romani enim sagmina, seu verbenam pro ea habebant, ut *Mart. Dig.* 1, 8, 8. docet. *Cic. Or.* 1, 46. Eum virum conquirimus, qui possit non tam caduceo, quam nomine oratoris ornatus, incolumis vel inter hostium tela versari. *Nep. Ann.* 11. Tabellarium in scapha cum caduceo mittit. ℙ Genus hujus vocis neutrum esse quibusdam placet: a Graeco *κηρύκειον*, vel *κηρύκιον*, vel *καρύκιον* seu *καρυκεῖον*, (ut Tarentini et Syracusani dixerunt) *ϱ* in *d* mutata. *Gell.* 10, 27. In altera caduceum, in altera hastae simulacra fuerunt incisa. *Macr. l. c.* Caduceum, quod in specie draconum conjunctorum figuraverunt. Adde *Appul. Met.* 10. et *Serv. l. c.* ℙ Alii tamen musculini generis faciunt. *Varr.* apud *Non.* 12, 37. Verbenarius ferebat verbenam: id erat caduceus pacis signum. *Appul. Met.* 11. Attollens Mercurialem caduceum. *Quidam leg.* Mercuriale. *Hygin. l. c.* Cum faciunt caduceos, duos dracones implicitos virgula faciunt. Adde *Caprum De verb. dub.* p. 2247., ubi diserte negat, neutrius generis esse. [*Quum proprie adjectivum sit, (sicut Graecorum *κηρύκειον*, *scil. ὀκήπτρον*, vel simile quid) utrumque ferri quidem possit, prout vel *baculus* vel *sceptrum* subintellexeris; sed nescio an neutrum genus praeferendum propterea, quod Latini non universum adjectivum *κηρύκειος*, sed neutrum tantummodo a Graecis transtulisse videntur.] ℙ Lis est etiam de quantitate paenultimae, quam alii correptam volunt cum *Alciat. in Emblem.*, alii productam. Graece et per diphthongum *ει* scribitur, et per simplex *ι*, seu *ε*. Mihi nullus adhuc visus est Latini poetae locus, qui litem dirimat.

CĂDŪCĬFER, ri, adj. qui caduceum gestat: epitheton Mercurii. *Ov. Met.* 8, 627. Venit Atlantiades positis caducifer alis. *Id. Fast.* 5, 449. Venit adoratus Caducifer.

CĂDŪCĬTER, adv. praecipitanter, ut *Non.* 2, 172. exponit. *Varr. ib.* Frigidos nimbos aquae caduciter ruentis.

CĂDŪCĬTOR, oris, m. idem qui caducifer, apud *Arnob.* 3. p. 118. Alii rectius leg. *caduceator.*

CĂDŪCUS, a, um, adj. *πτώσιμος*, cadens; item casui vicinus; item qui cecidit. *Ov. Pont.* 2, 7, 40. caducis Percussu crebro saxa cavantur aquis. *Cic. Senect.* 15. Vitis, quae natura caduca est, et nisi fulta sit, ad terram fertur. *Id. ib.* 2. Arborum baccae maturitate tempestiva vietae et caducae. [*Pertinet hic locus ad eos, qui translatam vocis significationem exhibent: Sed tamen necesse fuit, esse aliquid extremum et, tanquam in arborum baccis terraeque frugibus, maturitate tempestiva quasi vietum et caducum. Ita *Orell.* legit.] *Hor. Od.* 2, 13, 11. Lignum caducum in caput domini. *Id. ib.* 3, 4, 43. immanemque turmam Fulmine sustulerit caduco. *Prop.* 4, 2, 53. Tela caduca. *Virg. G.* 1, 368. Frondes caducae volitant. *Varr. R. R.* 2, 2. Spica caduca, *h. e.* quae cecidit inter metendum, et in agro relicta est. *Colum.* 12, 50. *sub f.* Oliva caduca. *Lucr.* 5, 1362. glans. *Martial.* 8, 64. moro coma nigrior caduco. *Plin.* 13, 12, 25. Scabritia chartae laevigatur dente, sed caducae litterae fiunt, *h. e.* fugaces et evanescentes. *Hadrian. Imp.* ap. *Spartian. Ael. Ver.* 6. In caducum parietem incumbere. ℙ In aquaeductibus *caducae aquae* dicuntur, quae ex lacu abundant, aut ex castellis effluunt, vel ex manationibus fistularum, ut est apud *Frontin. Aquaed.* 94. (*Abfall*). ℙ *Caduca auspicia* dicebantur, cum aliquid in templo excidebat, veluti virga e manu. *Festus.* ℙ Caducus morbus est idem qui comitialis, quoniam eo correpti repente cadunt, *ἐπιληπτα. Appul. Herb.* 60. *Aemil. Macer. c. de Aristoloch.* ℙ *Caducus homo*, qui caduco morbo laborat, *ἐπιληπτικός. Appul. Met.* 9. Detestabili morbo caducus. *Id. Apol.* Quibus caducis a dextra morbus occipiat, eorum difficiliorum esse medelam. Adde *Firm. Matth.* 3, 6. *n.* 8. et *Aemil. Macer. Herb. c. de Paeonia.* ℙ Generatim corpus caducum dicitur, quod aegrotare et mori potest. *Cic. N. D.* 1, 35. Ex animo constare, et corpore caduco et infirmo. *Virg. A.* 10, 622. Si mora praesentis leti, tempusque caduco Oratur juveni, *h. e.* morituro. ℙ *Caducus bello*, qui in bello periit. *Virg. A.* 6, 481. Hic multum fleti ad superos, belloque caduci Dardanidae. ℙ [*Caducum ignem* vocat *Senec. Q. N.* 2, 23. quoddam genus fulminis imbecilli, quod cito interiturum est, quia non ex solida materia oritur, nec in qua possit consistere, ac propterea simile videtur fulguri. *F.*] ℙ Translate. *Cic. Phil.* 4, 5. Omnia alia incerta sunt, caduca, mobilia: virtus est una altissimis defixa radicibus. *Id. Amic.* 27. Res humanae fragiles caducaeque sunt. *Id. Somn. Scip.* 4. Infra lunam nihil est, nisi mortale et caducum. *Ov. Pont.* 4, 8, 46. Fama caduca, *h. e.* quae perit. *Id. Fast.* 1, 181. Caducae preces, *h. e.* incassum fusae. *Id. Ib.* 86. Votum caducum. *Id. Met.* 9, 596. Spes caducae. *Plin. Pan.* 55. Mortales caducique tituli. *Appul. Apol.* Vanae et caducae calumniae. ℙ Apud JCtos *caduca bona* dicuntur, quae deficiente eo, cui jure civili debebantur, in alium ceciderunt. *Ulp. lib. regular. tit.* 17. Quod quis sibi testamento relictum, ita ut jure civili capere possit, aliqua ex causa non ceperit, caducum appellatur, quia veluti cecidit ab eo. *Marc. Dig.* 28, 4, 3. Cum bona ejus, ut caduca, a fisco vindicarentur. *Paul. ib.* 23, 2, 38. Dos data non fit caduca. *Cic. Phil.* 10, 5. Caducae hereditates. *Juvenal.* 9, 88. Legatum omne capis, nec non et dulce caducum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* 10. *n.* 319. D. Laberius Secundus procur. caducorum. ℙ Allegorice. *Cic. Or.* 3, 31. Nostra est omnis ista prudentiae doctrinaeque possessio, in quam homines, quasi caducam atque vacuam, nobis occupatis, involaverunt.

[CĂDŪĒNUS, a, um, adj, ad Cados pertinens, Phrygiae Epicteti urbem, nunc *Kedus*, in cujus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 142. *ΚΑΔΟΗΝΩΝ. Plin.* 5, 29, 30. Conveniantque Macedones Cadueni. *F.*]

CĂDURCI. V. CADURCUS.

CĂDURCUM, ci, n. *χωρωπεῖον*, velum, tentorium, aut stragulum lineum, quo lectus operitur. Dictum videtur a Cadurcis Galliae populis, quos celebres fuisse in velis e lino texendis. *Plin.* 19, 1, 2. scribit. *Juvenal.* 7, 221. Institor hibernae tegetis, niveique cadurci. *Id.* 6, 536. Magnaque debetur violato poena cadurco. (Hic ponitur pro ipso lecto per synecdochen: vel metonymice refertur ad sacra Isidis, per quae mulieres a viris secubabant.) *Sulpicia poetria* ap. *Vet. Schol. Juven. ad cit.* 6. Ne me cadurci destitutam fasciis Nudam Calaeno concubantem proferat. Alii leg. *cadurcis*, ut sit adjectivum. ℙ Sunt qui putant *cadurcum* non tentorium esse, sed culcitam, propterea quod *Plin.* non longe post citata verba iisdem Cadurcis tribuit praecipuam gloriam in culcitis faciendis; additque *Galliarum hoc, et tomenta pariter, inventum. Italiae quidem mos etiam nunc durat in appellatione stramenti.* Alii *cadurcum* interpretantur cucullum candidum, propter hiemes et nives comparatum: alii *τὸ αἰδοῖον γυναικεῖον.* Sed prima, quam dedimus, notio aptissima omnium esse videtur.

CĂDURCUS, a, um, adj. ad Cadurcos pertinens. Sunt autem *Cadurci* (de quibus *Plin.* 4, 19, 33.) populi Galliae Aquitanicae Narbonensi provinciae contermini, quorum oppidum nunc *Cahors*, ager *le Quercy* dicitur. *Auson. Prof. n.* 17. Tempora praedives finisti sede Cadurca. *Sidon. carm.* 9, 282. Natales puer horruit Cadurcos. *Sulpicia poetria.* Cadurcae fasciae. V. CADURCUM.

CĂDUS, i, m. *κάδος, πιθάκνη*, [ab Hebr. כַּד *cad*, *F.*] vas vinarium condendo servandoque vino aptum, ut *Non.* 15, 9. docet. Ejus figura turbinata fuit, ore non admodum lato, quippe quod obturamento ex subere facto claudi solebat, ut *Plin.* docet 16, 8, 13., item 27, 4, 5., ubi tradit aloen seri in turbinibus cadorum. Ex quo etiam intelligitur ex fictili materia fuisse, quemadmodum et dolia. Hinc *Ov. Met.* 12, 243. *fragiles cados* dixit; et *Martial.* 1, 56. et 4, 66. rubrum cadum appellat, quia fictilia igni cocta rubri fere coloris, vel ad rubrum accedentis esse solent: qua ratione *rubram testam* vocat *Id.* 13, 7. Sed et ex ophite lapide albo cados aliquando factos, *Plin.* 36, 22, 43. narrat. *Virg. A.* 1, 199. Vina, bonus quae deinde cadis onerarat Acestes. *Hor. Od.* 3, 15, 16. Cadus potus faece tenus. *Id. ib.* 1, 35, 26. diffugiunt cadis Cum faece siccatis amici. *Id. ib.* 4, 12, 17. cadus, Qui nunc Sulpiciis accubat horreis. *Ov. Fast.* 5, 518. fumoso condita vina cado. ℙ Habuit praeterea alios usus. *Plin.* 34, 11, 26. *de aerugine facienda.* Aere candido perforato, atque in cadis super acetum suspenso. *Id.* 15, 19, 21. Cadi ficis siccis implentur. Et *ib.* 13, 12. Poma cadis condita. *Id.* 18, 30, 73. Condere fabam et legumina in cadis olearii, *h. e.* in quibus oleum antea fuit. *Id. ib.* Cadi salsamentarii. *Martial.* 1, 44. Nec de Picenis venit oliva cadis. *Id.* 1, 56. Flavaque de rubro promere mella cado. ℙ Est etiam mensura liquidorum, continens urnas tres, seu congios duodecim (urna enim quatuor habet congios) sextarios LXXII., ponderis vero libras CXX., vel secundum alios C., secundum alios LXXX. Difficile enim est invenire rationem, quae omnibus regionibus ac temporibus aeque respondeat. *Rhemn. Fann. De ponderib. et mensuris* 84. Attica praeterea discenda est amphora nobis, Seu cadus: hanc facies, nostrae si adjeceris urnam. *nostrae*, *h. e.* amphorae Romanorum, quae duarum urnarum capax est, ut *ib.* 64. dicitur. Porro *amphoram Atticam* appellat, quia tum vox ipsa, tum vas et mensura Graeca sunt, et usu Latina facta. Hinc *Plin. H. N.* cum de Graecis vinis loquitur, fere *cadum* usurpat, *amphoram*, cum de Latinis, ut 14, 15, 17. Caesar dictator triumphi sui coena vini Falerni amphoras, Chii cados in convivia distribuit. ℙ In hac significatione *cadum* saepius facit in genit. plurali, quam *cadorum. Varr.* ap. *Non.* 15, 9. ap. *Plin.* 14, 14, 17. Hortensius supra decem millia cadûm heredi reliquit. *Plin. ib.* Millia cadûm in congiarium divisit. In veterib. editionib. anni 1469. 1470 et 1472. habetur *cadorum. Lucil.* ap. *Non. l. c.* Millia ducentum frumenti tolle medimnum, Vini mille cadûm. ℙ *De Cadis Mygdoniis* ap. *Prop.* 4, 6, 8. V. supra in CADI orum.

*CADUSIA. V. v. seq.

*CADUSII, orum, *Καδούσιοι, Καδδούσιοι*, Asiae populi, ad mare Caspium. *Mela* 1, 2. *Curt.* 4, 12. *Plin.* 6, 16. Eorum regio est Cadusia, prope Albaniam. *Id.* 13, 15. ℙ Reperitur et *Caddusii*, nempe apud *Liv.* 35, 48. *B. A.*

CADYTAS, ae, m. *καδύτας*, herba est in Syria, non tantum arboribus, sed etiam ipsis spinis circumvolvens sese. *Plin.* 16, 44, 92.

CAEA, ae. V. CEA.

CAECĀTOR, oris, m. qui caecat. *Paulin. Nolan. carm. Nat. S. Fel.* 24, 9, 618. Inveniam puteos: sed ne precor obruat illos Invidus, et viventis aquae caecator Amalec, *h. e.* qui obstruit. Respicit ad illud *Genes.* 26, 14. Invidentes ei Palaestini, omnes puteos obstruxerunt, implentes humo.

CAECĀTUS, a, um, part. v. *caeco*, *τυφλωθείς*, caecus factus. *Paul. Nol. carm. Nat. S. Fel.* 20, 7, 292. Perdita caecatis qui lumina reddidit. ℙ Translate. *Cic. Dom.* 23. Argenti et supellectilis meae cupiditate caecatus. *Id. Tusc.* 1, 30. Caecati libidinibus. *Liv.* 44, 6. *extr.* Caecata mens subito terrore. *Cic. Brut.* 76. Praeceps quaedam, et cum idcirco obscura, quia peracuta, tum rapida, et celeritate caecata oratio. *Ov. Pont.* 2, 7, 45. Pectora quam mea sunt serie caecata laborum, *h. e.* atris curis molestiarum perturbata et confusa.

*CAECIAE INSULAE, in sinu Saronico, prope Argolidem, numero binae. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[CAECIANUS, a, um, adj. ad Caecian ventum pertinens, qui Graece *Καικίας*. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 864, 11. L. Cassius Kaecianus. *F.*]

CAECĬAS, ae, m. *Καικίας*, ventus spirans ab oriente solstitiali, seu inter aquilonem et exortum aequinoctialem, ut *Plin.* 2, 47, 46. docet. Vox Graeca est, et Latino caret nomine, ut ait *Senec. Q. N.* 5, 16. Hujus hoc peculiare esse tradit ex *Arist. Gell.* 2, 22., ut nubes non procul propellat, sed ad se attrahat: unde factum est Graecum proverbium, *καὶὰ ἑῳ' αὐτὸν ἕλκων, ὡς ὁ Καικίας νέφος*, mala ad se trahens, ut Caecias nubes. *Appul. de Mundo* scribit, Caecian putari de iis ventis, qui non continuo, sed reflabro et reciproco flatu, hoc est alternante, spirant. Meminit etiam *Vitr.* 1, 6.

CAECĬGĒNĂ, ae, comm. gen. et

CAECĬGĒNUS, a, um, adj. *τυφλογενής*, qui caecus genitus est. *Gloss. Phil. Τυφλογενής*, caecigena. *Lucr.* 2, 740. Nam cum caecigeni, solis qui lumina nunquam Adspexere, tamen cognoscant corpora tactu, etc. ℙ Eadem forma *ventigenus* legitur apud *Eund.* 5, 701.

CAECĬLIA, ae, f. *τυφλίας, τυφλῖνος*, genus serpentis caecae et venenatae, quam dehiscente ventre parere, a partu vulnere rursus coalescente, tradit *Arist.*, ut *Plin.* 9, 51, 76. refert. *Colum.* 6, 17. Vipera et caecilia saepe, cum in pascua bos improvide supercubuit, lacessita onere morsum imprimit. Et *paulo post.* Caeciliae morsus tumorem suppurationemque molitur. [Hanc *Isid. Orig.* 12, 4. *caelulam* vocat. *F.*] ℙ Est etiam genus lactucae, apud *Colum.* 10, 190. V. v. seq. et CAECILIUS.

CAECĬLIĀNUS, a, um, adj. ad Caecilium pertinens. *Cic. Tusc.* 3, 23. Hic commemoratur Caecilianum illud: Saepe est etiam sub palliolo sordido sapientia. *Id. Rosc. Am.* 16. Senex ille Caecilianus, *h. e.* a Caecilio in fabula inductus. Sic *Quint.* 11, 1. Caecilianus pater. *Cic. Att.* 1, 16. *ad f.* Caeciliana fabula. ℙ *Caeciliana cerasa* omnium rotundissima memorantur a *Plin.* 15, 25, 30. ℙ Genus quoque lactucae purpureae, maximaeque radicis, Caeciliana lactuca vocatur ab *Eodem* 19, 8, 38., nempe a Q. Caecilio Metello, ut est apud *Colum.* 10, 182., ubi hujus lactucae duo genera facit, *altera crebra viret, fusco nitet altera crine.* (Adde 11, 3.) Caeciliam appellat *ib.* 190. Caeciliam primo deponit Aquarius anno. ℙ *Est et *Caecilianus*, *i*, nomen proprium, ut Caecilianus Senator, calumniae damnatus, eo quod Cottam Messalinum in accusatione prompserat. *Tac. A.* 6, 7. ℙ *Caeciliana* (castra). V. *Caecilius*, *a. um*, *in f. B. A.*

CAECĬLĬUS, a, um, adj. ad Caecilium pertinens. *Vellej.* 2, 11. Caeciliae familiae claritudo. ℙ *Caecilia lex* multiplex fuit. Alia de censoribus, ut censoria potestas a P. Clodio imminuta restitueretur. Tulit Q. Caecilius Metellus Pius consul, circa annum U. C. 700. ℙ Alia de jure Italiae, ut Italia a vectigalibus esset immunis. Tulit Q. Caecilius Metellus Nepos praetor, Q. Caecilio Metello Celere, L. Afranio Coss. circa annum U. C.

690. Alia de repetundis, cujus meminit *Val. Max.* 6, 9. *n.* 10. Alia denique de legibus ferendis, quae *Caecilia et Didia* appellatur, quia lata est a Q. Caecilio Metello et T. Didio Coss. circa annum U. C. 655. Duo haec capita habuit: in altero cavebatur, ne diversis de rebus lex ferretur; in altero ut leges omnes trinundino promulgarentur. Hujus meminit *Cic. Dom.* 20. et *Phil.* 5, 3. ℙ Apud *Eund. Sull.* 22. legitur *rogatio Caecilia*, cujus auctor fuit L. Caecilius trib. qui, ut P. Sullae fratri de ambitu damnato consuleret, legem ferre conatus fuerat, ut poenae ambitus, aliis jam legibus constitutae, minuerentur. ℙ *De Caecilia luctuca* (ita enim appellat *Colum.* 10, 190) V. in CAECILIANUS. ℙ **Caecilia castra* oppidum fuit Lusitaniae. *Plin.* 4, 22. *Caeciliana* (castra) audit *Anson. Itin. B. A.*

CAECĪLĬUS, ii, m. nomen proprium Romanum, quod putant alii a Caeculo Vulcani filio Praenestis conditore ductum; alii a Caecade Trojano Aeneae comite, teste *Festo.* Alii docent, qui primus hoc nomine appellatus est, ita dictum esse ab oculorum parvitate. ℙ *Statius Caecilius* poeta comicus, Ennii contubernalis, natione Gallus fuit, variasque scripsit fabulas, quarum aliquot solummodo fragmenta adhuc restant apud *Cic., Gell., Macrob., Non., Donat., Serv.* et alios grammaticos veteres. Eum *Cic. Att.* 7, 3. *malum auctorem Latinitatis* esse dicit; *Quint.* quoque 10, 1. parum honorifice de eo sentit. Contra *Hor. Ep.* 2, 1, 59. eum laudat a *gravitate. Varr.* ap. *Non.* 4, 377. dat ei palmam in argumentis comicis: et *Vulcatius Sedigitus* ap. *Gell.* 15, 24. inter comicos primum facit. ℙ *Q. Caecilius Epirota*, Tusculi natus, conditione libertus, professione grammaticus, circa tempora Ciceronis vixit. *Suet. Gramm.* 16. ℙ Alius fuit *Sex. Caecilius* jurisconsultus, quem laudat *Gell.* 20, 1. ℙ *Est et *Caecilia, ae*, nomen proprium mulierum Romanarum, ut Caia Caecilia, Tarquinii Prisci uxor, prius Tanaquil dicta, maximi animi femina et lanificii peritissima. *Plin.* 8, 47. *B. A.*

*CAECĪNA, ae, m. cognomen Romanum in gente Licinia, ut P. Licinius Caecina, de quo *Plin.* 20, 18, 76., et A. Licinius Caecina, pro quo exstat *Cic.* oratio. Haec gens ex Etruria, forte ex Volaterris, oriunda. Hinc Caecina Volaterranus ap. *Eund. Att.* 16, 8. Hujusmodi cognomen a Caecina Etruriae amne juxta vada Volaterrana in mare sese exonerante derivandum videtur, de quo mentio est apud *Plin.* 3, 5, 8., quem et *Mela* 2, 4. memorat, qui tamen perperam urbem, non amnem, ita cognominatam putat. De Caecinis multus est *Dempsterus Etrur. Reg.* 1, 2, 59. (cf. *Ernest. clav. Ind. hist.* s. v. *A. Caecina*) docetque, etiamnum hanc familiam Volaterris florere. *F.* et *B. A.*

CAECĪNĬĀNUS, a, um, adj. ad Caecinam pertinens, quod est cognomen Romanum, ut Caeciniana oratio, quam Cicero pro A. Caecina habuit. *Capell.* 5. p. 172.

[CAECĪNUS, a, um, adj. ad caecum pertinens. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1283, 4. C. Valerius C. F. Caecinus. *F.*]

CAECĬTAS, atis, f. τυφλότης, ἀβλεψία, privatio visus. *Cic. Tusc.* 5, 39. Asclepiadem ferunt, cum quidam quaereret, quid ei caecitas attulisset, respondisse, puero ut uno esset comitatior. *Plin.* 12, 8, 18. Inferre caecitatem alicui. *Id.* 11, 37, 55. Liberari caecitate. ℙ Translate refertur ad animum. *Cic. Har. resp.* 18. Caecitas libidinis. *Id. Dom.* 40. mentis. Et *ib.* 50. Furor animi et caecitas.

CAECĬTŪDO, inis, f. caecitas. *P. Opilius Aurelius grammaticus* (de quo V. *Suet. Gramm.* 6.) apud *Fest.* in *Nusciciosus.* P. Opilius Aurelius nusciciones ait esse caecitudines nocturnas. [*Not. Tir.* p. 179. Caecitudo. *F.*]

CAECO, as, avi, atum, a. 1. τυφλόω, caecum facio. *Lucr.* 4, 325. Sol etiam caecat, contra si cernere pergas. *Colum.* 4, 9. de vitibus. Defluens humor caecat oculum, nec patitur frondescere. Adde *ib.* 24. ℙ Translate. *Pallad.* 1, 6. Fossorem si apertus vitis oculus viderit, caecabitur spes vindemiae. ℙ Eleganter refertur ad animum. *Cic. Sex.* 66. Largitione caecare mentes imperitorum. *Id. Tusc.* 5, 13. *ad f.* Si animi acies ita curata est, ut ne caecetur erroribus. ℙ Pro obscurare. *Avien. Perieg.* 504. denso caecantur stipite silvae.

CAECŪBUM, i, n. *Καίκουβον*, locus palustris (ut et *Martial.* indicat 13, 115.) in confinio Campaniae ad sinum Cajetanum, Fundis et Amyclis vicinus, in quo optima vina nascebantur, et apud Latinos celebratissima. *Strabo* 5.

CAECŪBUS, a, um, adj. ad Caecubum pertinens. *Plin.* 2, 95, 96. Quaedam insulae semper fluctuant, sicut in Caecubo agro. *Id.* 17, 4, 3. Caecubae vites. ℙ *Caecubum vinum*, quod et *Caecubum* absolute dicitur, celebratissimum olim fuit, et principatum inter generosissima obtinuit, laudaturque ab *Hor.* et *Martial.* passim, itemque a *Colum.* 3, 8. *in f.* et aliis. *Plinii* tamen tempore jam interciderat, tum incuria coloni, locique angustia, tum vero magis fossa Neronis, quam a Bajano lacu Ostiam usque navigabilem inchoaverat, ut ipse 14, 6, 8. tradit. *Hor. Od.* 1, 37, 5. Depromere Caecubum cellis avitis. *Id. Sat.* 2, 8, 15. Caecuba vina. *Martial.* 13, 115. Caecuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis.

CAECŪLA, ae. V. CAECILIA.

CAECULTO, as, n. 1. caeco proximus sum, oculorum acie obtusa, caecutio. Ita *Festus:* affertque haec verba ex *Plauti fragment.* Numnam mihi oculi caecultant? est ne hic noster Hermio? *Voss.* in *Etymol.* in *Caecus* dubitat, an *caeculco* non sit rectius: legi enim in *Onomast. vet.* Caeculco, ἀμβλυόττω. Fatetur tamen, constanter apud *Fest.* haberi *caecultant.* Est qui hanc vocem tribuit etiam *Livio*, et quidem activa significatione, 27, 3. Inter multas magnasque res, quae nunc secundae, nunc adversae caecultabant cogitationes hominum, etc. Sed legendum est *occupabant.*

[CAECŪLUS, li, m. Latini regis filius, qui Praeneste condidit: ita dictus, quod minores haberet oculorum orbes. In fabulis est, ejus matrem cum ad focum sederet, ex scintilla insilente concepisse, et tempore suo enixam, juxta templum Jovis puerum adjecisse: quem virgines quasdam aquatum euntes juxta ignem inventum sustulisse atque educasse. Quibus de causis Vulcani filius habitus est. Quam de se opinionem de industria fovens, collecta primum agrestium manu, diu omnia circa loca latrociniis infestavit; deinde cum ad ludos invitasset vicinos populos, ad secum habitandum hortatus, seque Vulcani filium jactans, cum persuadere non posset, invocato Vulcano, omnis illa turba flamma repente circumdari visa est: quo facto commoti omnes simul habitaverunt, et Praenestinam urbem constituerunt. *Virg. A.* 7, 678. et ibi *Serv.* ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 700, 7. M. Feridius Caeculus. *F.*]

*CAECŪLUS, a, um, adj. dimin. a *caecus*, qui parum videt. *Pl. Pers.* 2, 4, 11. Tua caecule causa? Alii cum *Gronovio* legunt *cucule. B. A.*

CAECUS, a, um, adj. τυφλός, oculorum sensu carens. *Cic. Fin.* 4, 23. *in f.* Catuli, qui jam despecturi sunt, caeci aeque, et ii, qui modo nati. *Hor. Sat.* 1, 2, 90. Hypsaea caecior. *Id. Ep.* 1, 17, 4. ut si Caecus iter monstrare velit, *prov. Liv.* 32, 34. Apparet id quidem etiam caeco, *aliud prov.* Sic *Quint.* 12, 7. *ad f.* Caecis hoc, ut ajunt, satis clarum est. ℙ Translate significat obscurum, lumine carentem. *Cic. Mil.* 19. Caeca nox. *Virg. A.* 3, 203. caligo. *Et ib.* 87. tenebrae. *Sil.* 11, 456. chaos, caeca sine sidere moles. *Id.* 7, 350. Caeca silentia, *h. e.* tempus nocturnum. ℙ *Caeca domus, paries, cubiculum* dicitur quod fenestram non habet. *Cic. Or.* 67. Domus depressa, caeca, jacens. *Virg. A.* 5, 589. Parietes caeci. τυφλὰ τείχη. Adde *Varr. L. L.* 8, 38. *circ. med.* ℙ Caecae fossae, quibus *patentes* opponuntur. *Colum.* 2, 2. V. FOSSA. ℙ *Caecae gemmae* dicuntur a *Plin.* 37, 6, 22., quae non translucent Sic *caeci smaragdi, ib.* 5, 18. ℙ In arboribus *caeci rami* dicuntur, qui non germinant; nam gemmae arborum *oculi* sunt. *Plin.* 16, 30, 54. ℙ Ponitur etiam *caecus* pro occulto, latente. *Cic. Or.* 2, 87. Res caecae, et ab aspectus judicio remotae. *Id. Agr.* 2, 14. Hoc est obscurum atque caecum. *Lucr.* 3, 317. Rerum caecas exponere causas. *Senec. Oedip.* 92. Sphinx nectens verba caecis modis. *Lucr.* 1, 778. Natura clandestina et caeca. *Id.* 4, 113. tabescunt vulnere caeco. *Hor. Od.* 2, 13, 16. Caeca fata. *Plin.* 18, 24, 56. Nimia, et ideo caeca subtilitas. *Liv.* 5, 31. Caecum crimen, *h. e.* quod probari non potest. *Virg. A.* 2, 453. Caecae fores. *Ov. Fast.* 2, 214. et *Sil.* 5, 3. Caeca arma, *h. e.* milites in insidiis dispositi. *Virg. A.* 12, 591. murmure caeco Intus saxa sonant. *Val. Fl.* 2, 461. Caecus clamor. ℙ *Caeci morbi* dicuntur a *Colum.* 1, 5., quorum causae ignorantur. Sic *caeci dolores* a *Plin.* 29, 2, 10. et *ib.* 3, 13. ℙ *Caecum vallum* est, in quo praeacuti pali terrae affixi herbis vel frondibus occuluntur, ut *Fest.* exponit. *Caes. B. C.* 1, 38. Moniti a Brundusinis, ut vallum caecum, fossasque caveant. ℙ *Caeci fluctus*, quos Graeci κωφοὺς dicunt, hoc est surdos, sunt, quorum non apparet causa, quiescentibus quidem ventis, sed nihilominus aestuante mari et fluctuante. *Sisenn.* ap. *Non.* 6, 7. Subito mare perhorrescere, caecosque fluctus in se provolvere leniter coepit. *Liv.* ap. *Senec. Suasor.* 7. Cum ipse jactationem navis caeco volvente fluctu pati non posset. ℙ *Caecus ictus, caecum vulnus*, quod a tergo alicui et non videnti infligitur. *Liv.* 34, 14. *ad f.* Non caecis ictibus procul ex improviso vulnerabantur. sed pede collato, tota in virtute ac viribus spes erat. *Virg. A.* 10, 733. fugientem haud est dignatus Oroden Sternere, nec jacta caecum dare cuspide vulnus. Adde *Sil.* 9, 105. ℙ *Caecum corpus* est aversa pars corporis, qua nec hostem videre, neque tela vitare possumus. *Sall. Jug.* 115. In maximo metu nudum et caecum corpus ad hostes vertere. ℙ Saepe transfertur ad animum, et temeritatem, praecipitantiam, stultitiam significat. *Cic. Amic.* 15. Non solum ipsa fortuna caeca est, sed eos etiam plerumque efficit caecos, quos complexa est. *Id Sext.* 7. Caecus atque amens tribunus. *Id. Planc.* 3. Caecum et praecipitem ferri in re aliqua. *Id. Har. resp.* 23. Caecus amentia. *Id. Cluent.* 70. crudelitate et scelere. *Id. Quint.* 26. cupiditate et avaritia. *Hor. Sat.* 2, 3, 43, quemcumque inscitia veri Caecum agit. *Phaedr.* 4, 19. Caeca mens. *Gell.* 13, 28. Caeco judicio esse. *Cic. Fin.* 4, 23. *in f.* Caecus animo. ℙ Cum genit, more Graecorum. *Quint.* 1, 10. et *Gell.* 12, 13. Caecus animi. *Luc.* 2, 14. Mens hominum caeca fati futuri, *h. e.* ignara. Adde *Claud. Rapt. Pros.* 1, 138. ℙ Dicitur etiam de affectibus, qui homines caecos faciunt. *Cic. Pis.* 24. Cupiditate caeca rapi. *Id.* 1, *Fin.* 13. Caeco impetu incurrere in aliquem. *Id. Lig.* 1. Caecus timor. *Hor. Epod.* 7, 13. furor. *Id. Od.* 1, 18, 14. amor sui. *Tac. Hist.* 2, 82. Lymphati caeco pavore animi. *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Caeca suspicio, *h. e.* quae sine justa ratione habetur [*imo, quae impedit, quominus aliquis videat, quibus facile possit amoveri.] *Liv.* 40, 10. Caecae exsecrationes, *h. e.* quae caeco impetu feruntur in aliquem. ℙ Pro incerto, dubio. *Cic. Agr.* 2, 25. Nolo suspensam et incertam plebem Romanam obscura spe, et caeca exspectatione pendere. [**Caeca exspectatio* est, cujus felicem eventum nemo potest perspicere.] *Virg. A.* 6, 157. caecosque volutat Eventus animo secum. ℙ *Caeca die emere*, vel *vendere* est emere solutione in diem incertam prolata contra *oculata die emere*, vel *vendere* est praesenti pecunia emere. *Pl. Ps.* 1, 3, 67. Eme caeca die olivum, id vendito oculata die. ℙ *Caecus* pro improvido: sic enim interpretatur *Non.* 12, 29. illud *Varr. fragm.* Neque id caeci consules fecissent. [*Potius *caecos Consules* dixerim, qui verum, idoneum non videant, licet omnibus facile appareat; i. q. stulti, ad res gerendas parum apti.] ℙ *Caeca* adverbialiter positum eo modo, quo *acerba* pro *acerbe*, et *transversa* pro *transverse*, etc. *Tertull. Patient.* 1. Bonum patientiae etiam qui caeca vivunt, summae virtutis appellatione honorant. *Sciopp. in not.* ad *Tertull.* legit *caeci.* ℙ De caecorum sede V. CHALCEDON. ℙ Fuit etiam cognomen Ap. Claudii consulis et censoris, qui viam Appiam stravit, quique a luminibus deperditis ita est appellatus. *Fasti Capit.* ap. *Grut.* 291. Ap. Claudius C. F. Ap. N. Caecus. ℙ Comp. *Caecior* Sup. *Caecissimus* non habet, quod sciam, exempla.

CAECŪTIO, ūtis, n. 4. caesus sum, male video, caeculto. *Varr.* ap. *Non.* 2, 133. Utrum oculi mihi caecutiunt, an ego vidi servos in armis contra dominos? *Id. ib.* 1, 149. Non mirum, si caecutis, aurum enim non minus praestringit oculos. *Appul. Flor. n.* 2. Omnes quodammodo caecutimus.

CAEDES, is, f. concisio, recisio: a *caedendo*, ἐκτομή, ἐκκοπή. *Gell.* 19, 12. Ligni atque frondium caedem facere. *Appul. Met.* 3. Capilli, qui caede cultrorum desecti humi jacebant. ℙ Accipitur etiam pro percussione, qua homo vulneratur. *Cic. Caecin.* 14. Nemo, inquit, occisus est, neque saucius. Quid ais? tu vim negabis esse factam, si caedes et occisio facta non erit? *Nep. Ep.* 9. Magna caede facta, multisque occisis. ℙ Saepissime vero pro ipsa occisione hominis, φόνος. *Cic. Mil.* 5. Caedem, qua P. Clodius occisus est, senatus judicavit contra rempublicam esse factam. Al. leg. in qua [*ita *Or.* Recte! nam c. 6. eadem verba repetuntur, omnibus edd. *in qua* exhibentibus. Caeterum significat h. l. *Caedes* non ipsam occisionem hominis, sed *pugnam*, vel potius *trucidationem* multorum. Etenim non solus Clodius sed plures interfecti sunt.] *Id. ib.* 32. Magistratuum privatorumque Clodius caedes effecit. *Id. Catil.* 1, 1. Notare et designare oculis aliquem ad caedem. *Sall. Jug.* 34. Caedem facere in aliquem. *Liv.* 45, 5. perpetrare. *Suet. Tib.* 37. admittere. *Liv.* 5, 45. et *Just.* 2, 11. edere. *Luc.* 3, 580. peragere. *Curt.* 8, 2. et *Ov. Her.* 14, 59. committere. *Tac. Ann.* 13, 2. Ire in caedes. *Virg. A.* 10, 119. Sternere caede viros. *Curt.* 3, 11. Hostes ingenti caede prosternere. *Virg. A.* 2, 499. Furere caede. *Liv.* 45, 5. Arguere aliquem caedis. ℙ Dicitur etiam de occisione bestiarum. *Hor. Od.* 3, 23, 14. Tentare Deos multa caede bidentium etc. Adde *Mart.* 14, 4. ℙ Pro verberatione, *Donat.* ad *Ter. Adelph.* 2, 1, 46. Contumeliosa caedes colaphus, et digna lenone. Et *ib.* ad 4, 2, 19. *Occidit* nimiae caedis verbum, non occisionis intelligi oportet. Adde *ib.* ad 2, 1, 18. ℙ Per metonymiam sumitur pro sanguine. *Ov. Met.* 4, 125. Arborei fetus aspergine caedis in atram Vertuntur faciem. *Virg. A.* 9, 455. tepidaque recentem Caede locum. ℙ In recto casu singulari *caedis* pro *caedes* legitur apud *Plaut. Most.* 1, 2, 44. (quamquam *caedis* quidam reponunt) et in quibusdam MSS. *Just.* 21, 1. Sic *torquis* dicitur pro *torques* a *Prop.* 4, 10, 44. Sic *canes* legitur, et *canis*, teste *Voss.* 1. *De analog.* 1, 15. Sic *aedes*, et *aedis* etc. ℙ In genitivo plurali reperitur etiam *caedum* pro *caedium. Sil.* 4, 353. Exoritur rabies caedum, et vix tela furori Sufficiunt. Adde *ib.* 423. et 796. et 5, 220. et 10, 233. et *Prisc.* 7. p. 771.

*CAEDICI, orum, populi Italiae forte in Samnio. *Plin.* 3, 12. *B. A.*

CAEDICIĀNUS, a, um, et

[*CAEDICIUS, a, um, adj. ad Caediam, seu Caedias pertinens, excisam Campaniae urbem prope Sinuessam, a *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 2. memoratam. *Inscr.* ap. *Pratill.*, *Via Appia* 2, 6. L. Papius L. F. Ter. Pollio duovir mulsum et crustam colonis Sinuessanis et Caedicianis (dedit). *Plin.* 11, 42, 97. Proximus Urbi Vestinus (leg. *Vescinus*) caseus, isque e Cedicio (leg. *Caedicio*) campo laudatissimus. *Festus.* Caedicae tabernae in via Appia a domini nomine sunt vocatae. At ex locis supra allatis patet, non a domini, sed ab urbis nomine vocatas fuisse has tabernas. *F.*]

*CAEDICIUS, i, m. judicis severissimi nomen apud *Juven. sat.* 13, 197. *B. A.*

CAEDO, is, cĕcīdi, caesum, a 3. *κόπτω*, seco, abscindo. *Cic. Div.* 2, 14. Arbores cum luna simul senescentes tempestive caedi. *Caec. B. G.* 3, 29. silvas. *Hor. Ep.* 2, 1, 220. vineta. *Cic. Verr.* 2, 1, 56. lapidem. *Virg. G.* 3, 364. caeduntque securibus humida vina. *Tibull.* 1, 8, 34. viridem caedere falce comam. *Plaut. Merc.* 2, 3, 63. et *Luc.* ap. *Non.* 4, 97. Caedere lignum. *Plaut. Dig.* 7, 4, 13. foenum. *Plin. prooem.* 12. montes in marmora. ℙ Est etiam percutere, verberare, *πλήττω*. *Cic. Verr.* 2, 1, 27. Caedere januam saxis. *Id. Verr.* 2, 3, 28. aliquem virgis ad necem. *Id. Phil.* 8, 8. aliquem loris. *Petr. Satyr.* 138. lenta manu. *Plaut. Curc.* 1, 3, 43. pugnis. *Id. Poen.* 3, 3, 71. calcibus. *Curt.* 9, 1. ferro. *Ov. Pont.* 3, 2, 59. ense. Et absolute. *Sall. Jug.* 102. Equites, pedites permixti caedere alios, alios obtruncare. *Quint.* 1, 3. Caedi vero discentes, quamquam receptum sit, minime velim. *Id.* 11, 3. Caedere pectus. *Pers.* 1, 105. pluteum. ℙ Item occidere. *Cic. Att.* 5, 20. A. d. III. Id. Octobr. magnum numerum hostium cecidimus. Alii leg. *occidimus*. *Liv.* 4, 61. Infra arcem caesi, captique multi mortales. *Curt.* 7, 5. Caedere proditores ad unum. Adde *Virg. A.* 2, 266. Rursus *Cic. Phil.* 3, 12. Caedere greges armentorum. ℙ Item mactare, immolare. *Cic. Cluent.* 68. Caesis hostiis Deos placare. *Id. Att.* 1, 13. et *Liv.* 45, 7. Caedere victimas. *Virg. A.* 5, 96. caedit quinas de more bidentes. *Juven.* 6, 466. Caedere Silvano porcum. In veteri formula se devoventium, quam refert *Liv.* 8, 10. *ad f. Caedere piaculum hostia*, *h. e.* caeca hostia piaculare sacrificium facere: hypallage. ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 3, 3. Quo quidem in judicio odio premitur omnium generum; maxime testibus caeditur, accusatoribus frigidissimis utitur, *h. e.* urgetur, affligitur. ℙ *Caedere sermones* est disserere, colloqui, confabulari. *Ter. Heaut.* 2, 3, 1. Interea dum sermones caedimus, illae sunt relictae. *Prisc.* 18. p. 1188. docet, Graecos quoque eodem sensu dicere *κόπτειν τὰ ῥήματα*. ℙ *Caedere pignora* est in auctione vendere: ea ratione, qua bonorum venditio sub hasta *sectio* appellatur: vel qua *caedere* ponitur pro minutatim concidere et consumere: quo sensu *Lucil.* ap. *Non.* 4, 97. et 6, 81. Lanae opus omne perit; pallor, tineae omnia caedunt. V. PIGNUS. ℙ Habet etiam obscenum sensum, ut *praecido*, *concido*. *Plaut. Cas.* 3, 1, 14., *Auct. Priap.* 26., *Lucil.* ap. *Non.* 1, 80. etc. V. etiam. *Cic. Verr.* 2, 3, 66.

CAEDŪUS, a, um, adj. qui caedendo aptus est: et dicitur de arboribus, quae succidi sine detrimento possunt; et de iis, quarum totus fructus in caedendo est. *Cajus Dig.* 50, 16, 30. Silva caedua est, ut quidam putant, quae in hoc habetur, ut caederetur. *Servius* eam esse ait, quae succisa rursus ex stirpibus aut radicibus renascatur. *Cato R. R.* 1. et *Varr. R. R.* 1, 7. *ad f.* septimum gradum nobilitatis atque usus agrorum *silvae caeduae* tribuunt. *Plin.* 12, 19, 42. Caeduae naturae frutex. *Id.* 16, 37, 68. Caedua salici fertilitas. *Id.* 17, 20, 34. Castanea regerminatione caedua vel salice laetior. Et *ib.* 32. Arbores caeduo ligno. Et *ib.* 34. Plantaria caedua.

CAEL pro *Caelum* per apocopen dictum est ab *Ennio* ea ratione, qua *do* pro *domus* et *gau* pro *gaudium*. In quo Graecos poetas est imitatus, qui *δῶ* pro *δῶμα*, *domus*, et *κρῖ* pro *κριθή*, *hordeum* dixerunt. *Auson. Technopaegn. Idyll.* 12. *sub f.* Unde Rudinus ait, Divum domus altisonum Cael? Et cujus de more quod astruit, endo suam do? E *paulo ante*. Ennius ut memorat, replet te laetificum gau.

CAELĀMEN, inis, n. caelatura, opus caelatum, *γλύμμα*, *γλυφή*. *Ov. Met.* 13, 291. neque enim clypei caelamina norit. *Appul. de Deo Socrat.* Suspicientes in hoc perfectissimo mundi, ut ait Ennius, clypeo, miris fulgoribus variata caelamina. [*Id. Flor. n.* 7. Alexander edixit, ne quis effigiem regis temere assimilaret aere, colore, caelamine; quippe ni solus eam Polycletus (*corrige* Lysippus, testantibus id *Plin.* 7, 37, 38. et *Cic. Fam.* 5, 12. aliisque quamplurimis) aere duceret, solus Apelles coloribus delinearet, solus Pyrgoteles caelamine excuderet, *h. e.* in gemma scalperet, ut ait *Plin.* 37, 1, 4. *F.*]

CAELĀTOR, oris, m. *γλύπτης*, qui caelat. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. Mittit rogatum vasa ea, quae pulcherrima apud illum viderat: ait se suis caelatoribus velle ostendere. *Quint.* 2, 29. *in f.* Caelator caelum desiderat et pictor penicilla. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 25. Eunicus et Hecataeus argenti caelatores. *Juven.* 9, 145. caelatorem *curvum* appellat, quia caelando incurvatur. [*Tertull. Idol.* 3. Neque interest, an plastes effingat, an caelator exsculpat, an phrygio detexat, quia nec de materia refert, an gypso, an coloribus, an lapide, an aere, an argento, an filo formetur idolum. *F.*] ℙ Fuerunt *caelatores* inter officia domus Augustae. *Inscr.* ap. *Grut.* 583, 5. Amiantus Germanici Caesar. caelator fecit.

CAELĀTŪRA, ae, f. *γλυφή*, *γλύμμα*, opus caelatum. *Quint.* 2, 4. Tenuis nimium lamina et quam caelatura altior rumpat. *Senec. ep.* 5. Argentum, in quod solidi auri caelatura descendit, *h. e.* argenteum vas aureis caelatisque emblematis ornatum. *Suet. Ner.* 47. Duos scyphos (duos calices crystallinos vocat *Plin.* 37, 2, 10.) gratissimi usus, quos Homerios a caelatura carminum Homeri vocabat, solo illisit. *Plin.* 33, 12, 55. Usque adeo attritis caelaturis, ne figuris discerni possit. [*Festus* in *Grave aes*, Nummi quadrigati et bigati a figura caelaturae dicti. *F.*] ℙ Quod legitur apud *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 2. Super pistrinarum operibus et caelaturis vivere: *caelaturas* pistrinarum interpretatur *Hard.* varias rerum imagines, quas panibus et crustulis pistores effingere solent. ℙ Pro arte ipsa caelandi. *Quint.* 2, 21. Caelatura auro, argento, aere, ferro opera efficit: sculptura etiam lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, praeter ea, quae supra dixi, complectitur. *Plin.* 35, 12, 45. Pasiteles plasticen matrem statuariae, sculpturae et caelaturae esse dixit. [Ex quibus locis *Garatonius* ad *Cic. Verr.* 2, 2, 52. probat, caelaturam esse artem, quae in metallis versatur et eandem esse ac toreuticen; sculpturam, quae in marmore, ligno, aliisque rebus; statuariam, quae in statuis ex metallo elaborandis; plasticen vero, quae in argilla et gypso versatur. *F.*] Contra *Manut. ep.* 9. *De quaesit. per epist.* non a materia, in qua versantur, sed a forma operis, quam efficiunt, distingui oportere arbitratur, ut nempe *sculptura* sit, qua opera integra undique et solide fiunt, ut statuae: *caelatura* vero, qua opera in aliqua materia plana vel tumida vel convexa ita fiunt, ut ei adhaereant et solum aliqua parte promineant; quae et anaglypta appellantur. [Fatendum tamen est, quandoque improprie caelaturam accipi de arte elaborandi in argilla. *Plin.* 35, 12, 46. Durant nunc plerisque in locis talia simulacra (fictilia). Fastigia quidem templorum, etiam in Urbe crebra et municipiis, mira caelatura et arte aevique firmitate sanctiora auro, certe innocentiora. In marmore. *Id.* 36, 5, 4. *n.* 9. Caelavit Scopas pteron ab oriente, *h. e.* columnas, quae ad orientem spectant, figuris vel sigillis in marmore sculptis ornavit. In ligno. *Virg. Ecl.* 3, 36. pocula ponam Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis. *F.*] [*Manet sententia *Manutii*, nihilque contra probatur exemplis, quae frustra *Furl.* adjecit. Versatur *caelatura* in eo, quod opera qualiacunque sive sculpta sive plastica, materiae ratione nulla habita, extrinsecus ornet.]

CAELĀTUS, a, um, part. verbi *caelo*, caelando elaboratus, *ἀνάγλυπτος*. *Cic. Or.* 70. Caelatum aurum et argentum. *Id. Inv.* 2, 40. Vasa magnifica et pretiose caelata. *Id. Verr.* 2, 4, 44. Galeae aeneae caelatae opere Corinthio. *Virg. A.* 1, 644. caelataque in auro Fortia facta patrum. *Ov. Met.* 13, 110. clypeus vasti caelatus imagine mundi. *Plin.* 33, 12, 55. Centauri caelati in scyphis. *Vitr.* 7, 3. Coronae caelatae, quibus *purae* opponuntur. ℙ *Caelata* etiam dicuntur, quae pretiosiore aliqua materia ornata sunt. *Liv.* 7, 10. Pictis et auro caelatis refulgens armis. *Virg. A.* 5, 307. Caelata argento bipennis. *Ov. Her.* 21, 119. Balteus caelatus auro. *Id. Fast.* 2, 79. Delphin caelatus stellis. *Val. Fl.* 5, 6. Velamina caelata multa arte, *h. e.* varie intexta et ornata. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 2, 2, 92. Caelatumque novem Musis opus, *h. e.* ipsis veluti Musarum manibus factum et elaboratum, ut multi exponunt interpretes. Sed aliter omnino *Bentl.*, (et recte quidem!) quem consule. ℙ Graeca constructio est in illo *Val. Fl.* 1, 402. Tum caelata metus alios gerit arma Eribotes, *h. e.* habentia alios metus, seu alias res terribiles caelatas. Et *Sil.* 10, 175. Phorcys caelatus Gorgone parmam.

CAELEBS, ĭbis, adj. *ἄζυγος*, *ἄλεκτρος*, qui est sine conjugio sive aliquando sive nunquam matrimonium inierit. *Cic. Leg.* 3, 3. Censores prolem describunto, caelibes esse prohibento. *Pl. Stich.* 4, 1, 37. Ille caelebs erat senex. *Mart.* 4, 69. Diceris hac factus caelebs quater esse lagena. Et *Catull.* 68, 5. et *Ov. Her.* 13, 107. Quem neque sancta Venus molli requiescere somno Desertum in lecto caelibe perpetitur. *Hor. Ep.* 1, 1, 87. lectus genialis in aula est? Nil ait esse prius, melius nil caelibe vita. *Gell.* 5, 11. Caelibem vitam vivere. *Plin.* 10, 34, 52. Columba caelebs aut vidua. ℙ Translate *caelibem platanum* vocat *Hor. Od.* 2, 15, 4., quia ei arbori non maritantur vites, sicut ulmis. Sic *Ov. Met.* 14, 663. caelebs sine palmite truncus. Adde *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 23. ℙ Per diphthongum *ae*, rectissime scribitur. Sic enim habetur in libris vet., teste *Manut.* et *Cellar. in Orthogr.*, et in *Inscr.* ap. *Grut.* 574, 6. Neque tamen damnandi, qui per *ae* scribunt: pro quibus facit altera inscriptio apud *Eund.* 575, 1. et Graecum *κοίλιψ*, carens lecto, ex quo *coelebs* a *Scalig.* et *Voss.* ducitur: quasi a *κοίτη*, lectus, et *λείπω*, *ἔλιπον*, deficio. Fuerunt etiam, qui a *coelo* derivarent, quia coelibes quasi coelestem vitam agant, improbante *Quint.* 1, 6. *ad f.* Prior tamen scriptio eruditis placere magis videtur. Alii denique a *κοίλοβος* pro *κολοβός*, orbatus, derivant. Fuit qui *caeleps* per *p* scribi mallet, ex affinitate *b* et *p*, ut *obsonium* et *opsonium*.

CAELES, ĭtis, adj. *οὐράνιος*, idem ac caelestis. *Ov. Fast.* 1, 236. Caelitibus regnis ab Jove pulsus erat. *Appul. Apol.* Geminam esse Venerem Deam, alteram vulgariam, alteram caelitem. *Capell.* 1. p. 17. Imperio Jovis convocati in aulam caelitem venere. *Paul. Nol. carm. Nat. S. Fel.* 24, 9, 403. Apostolici cineres sub caelite mensa depositi. Adde *v.* 207. et *carm.* 21 (al. 13,), 773. et 873. ℙ Absolute pro Deo. *Ov. Pont.* 4, 6, 17. Quale tamen potui de caelite, Brute, recenti Vestra procul positus carmen in ora dedi, *h. e.* de Augusto nuper in Deos relato. Adde *ib.* 9, 132. et *Tertull. Pall.* 4. *a med.* ℙ Sed hac ratione saepius adhibetur in plurali numero. *Caelites* enim sunt ipsi Dii. *Cic. Somn. Scip.* 1. Grates ibi ago, summe sol vobisque reliqui caelites. *Hor. Ep.* 16, 56. Rex caelitum. *Plaut. Rud. prol.* 2. civitas caelitum. *Ov. Met.* 5, 321. Emissumque ima de sede Typhoea terrae Caelitibus fecisse metum. ℙ In recto singulari qui usurpaverit, vidi adhuc neminem.

CAELESTIĀNUS, a, um, adj. ad Caelestium pertinens, ut Caelestiana haeresis, *Hieron. ep.* 143. *n.* 1.

CAELESTĪNI, orum, populi, incolae vetusti cujusdam oppidi Italiae, in Umbria, ut videtur. *Plin.* 3, 14.

[CAELESTĪNUS, a, um, adj. idem ac caelestis, olympius. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 430. *n.* III. Jovi optimo maximo caelestino, Fontibus et Minervae et collegio sanctissimo, quod consistit in praediis Larcii Macedonis in Curia Flavius successus cum suis. *F.*]

CAELESTIS, e, adj. *οὐράνιος*, ad caelum pertinens. *Cic. Somn. Scip.* 4. Orbis caelestis extimus, qui reliquos omnes complectitur. *Id. Divin.* 2, 44. Si concedamus, aliquid vim caelestem ad eos, qui in terra gignuntur, pertinere. *Id. Acad.* 4, 41. Cogitantes supera atque caelestia, haec nostra, ut exigua et minima, contemnimus. *Tibull.* 3, 4, 53. Caelestia numina. *Ov. Art. am.* 2, 237. Nubes caelestis. *Plin.* 11, 14, 14. arcus. *Hor. Od.* 3, 10, 20. aqua. *Lucr.* 2, 384. ignis fulminis. *Festus:* Caelestia auguria vocant, cum fulminat aut tonat. *Virg. A.* 6, 730. Caelestis origo. *Ov. Am.* 1, 11. Belia caelestia, *h. e.* Gigantum cum Diis. *Id. Met.* 15, 930. Petere auxilium caeleste. *Tac. A.* 12, 69. Caelestes honores alicui decernere. *Id. ib.* 1, 30. et *Liv.* 2, 36. Ira caelestis, *h. e.* ira Deorum. *Aug.* ap. *Suet. in ejus Vita* 71. Efferre aliquem ad caelestem gloriam, *h. e.* ad gloriam caelitum. *Plin.* 18, 28, 69. *n.* 1. Caelestes injuriae, *h. e.* grandines, procellae et similia. *Senec. ep.* 66. Nihil est divino divinius, caelesti caelestius. ℙ *Caelestes*, *ium*, absolute Dii ipsi. *Cic. Phil.* 4, 4. *in f.* Quid est, quod de voluntate caelestium dubitare possimus? *Liv.* 1, 16. *ad f.* Nuncia Romanis, caelestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit. *Ov. Met.* 6, 72. Bis sex caelestes. *Id. Art. am.* 1, 147. cum pompa frequens caelestibus ibit eburnis, *h. e.* imaginibus Deorum ex ebore. *Tibull.* 1, 10, 5. Parcite caelestes. ℙ In singulari num. *Id.* 2, 4, 35. quicumque dedit formam caelestis avarae. ℙ *Caelestis* (quemadmodum *divinus*) saepe accipitur pro eximio, praestanti, excellenti, tanquam e caelo sit et mortalium rerum conditionem superet. *Cic.* ad *Brut.* 2, 7. Res a te gesta memorabilis et paene caelestis repellit omnes reprehensiones. *Id. Phil.* 5, 11. Caelestes divinaeque legiones. *Quint.* 10, 2. Cicero caelestis in dicendo vir. *Ov. Art. am.* 1, 185. Ingenium caeleste. *Mart.* 5, 5. Caelestia carmina. *Suet. Ner.* 21. Caelestis vox. *Vell.* 2, 60. animus. Et *ib.* 24. vita. Et *ib.* 66. Caelestissimum os Ciceronis. Et *ib.* 104. Caelestissima opera. *Hor. Od.* 4, 2, 17. Quos Elea domum reducit Palma caelestes, *h. e.* summis honoribus affectos et Diis aequatos. ℙ In ablativo et *caelesti* habet et *caeleste*. *Lucr.* 6, 394. Turbine caelesti subito correptus. *Ov. Art. am.* 2, 237. imber caelesti nube solutus. *Id. Met.* 15, 743. specie caeleste resumpta. *Id. Her.* 16, 277. a caeleste sagitta. ℙ In genitivo plurali *caelestium* et *caelestum*. *Pers.* 2, 61. O curvae in terris animae et caelestium inanes. *Virg. A.* 7, 430. Caelestum vis magna jubet. *Lucr.* 6, 1272. Caelestum templa. *Ov. Met.* 1, 150. Ultima caelestum.

CAELESTIS, is, f. *Οὐρανία*, Dea Afrorum, quam alii Venerem, alii Junonem, plerique Lunam esse arbitrantur. [Imago hujus Deae Carthagine apprime cultae habetur in nummis Septimii Severi apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 183., qui *Appuleji* testimonio innixus invicte probat, fuisse Junonem, etsi eam Afri cum Luna commiscuerint, quemadmodum etiam Romani sub imperatoribus saepissime Junonem cum Lucina confuderunt. *Inscr.* ap. *Mur.* 17, 9. Invictae Caelesti Uraniae. Alia apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 26. C. Varius Apolaustus princeps sacerdotium Deae Caelestis. *F.*] Ejus mentio fit etiam apud *Tertull. Apol.* 24. et in *Inscr.* ap. *Grut.* 59, 4. et 318, 4. ℙ Perperam apud *Tertull. l. c.* veteres editiones habent genere mascul. *Caelestum.*

CAELIA. V. CELIA.

CAELIBALIS, le, adj. a caelebs, agnoscitur tanquam Latinum a *Prisc.* 4. p. 631.

CAELIBARIS, re, adj. *Caelibaris hasta* ea dicta est, qua novae nuptae caput comebatur, ut *Fest.* docet in *Celibaris. Arnob.* 2. p. 91. Cum in matrimonia convenitis nubentium crinem caelibari hasta mulcetis. ℙ De hac intelligi quidam volunt illud *Ov. Fast.* 2, 559. Nec tibi, quae cupidae matura videbere matri, Comat virgineas hasta recurva comas. Sed quia *recurva* appellatur, alii potius comatoriam acum intelligunt. ℙ Porro hastam illam stetisse oportebat in corpore gladiatoris abjecti et occisi, ad significandum, quod, quemadmodum illa conjuncta fuerat cum corpore gladiatoris, sic nova nupta cum viro esse debebat: vel quia matronae erant in tutela Junonis Curitis, quae ita appellabatur a ferenda hasta, quam Sabini *curim* dixerunt: vel etiam hasta illa ominabatur, nascituros fortes viros: vel tandem significabat viri imperium in uxorem, quia hasta summa armorum et imperii est. Haec ex *Festo l. c.*, ubi sine diphthongo scribitur, litterarum ordine ita postulante.

CAELIBATUS, us, m. ratio vitae sine conjugio, *ἀζυγία*, *ἀγαμία*. *Senec. Benef.* 1, 9. In consensu vidui caelibatus. *Suet. Claud.* 26. Permanere in caelibatu. Adde *ib.* 16. et *Galb.* 5. ℙ [Caelibatus Romae diu non legibus, sed moribus interdictus erat: et primum an. U. C. 350. M. Furius Camillus et M. Postumius censores eos, qui caelibes ad senectutem pervenissent, aera, poenae nomine, in aerarium deferre jusserunt, ut narrat *Val. Max.* 2, 9. *n.* 1. Hoc aes appellabatur *uxorium*, ut ait *Fest.* in hac voce. V. *Gell.* 1, 6. At Augustus lege Julia Papia Poppaea sanxit de maritandis ordinibus, quam abrogavit Constantinus M., testibus *Eusebio* in ejus *Vita* 4, 26. et *Sozomeno Hist. Eccl.* 5, 9. *F.*] ℙ *Nova significatione et sine diphthongo *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 67. Sed enim, ut vides, adscitus convivio celibatum ago una cum Diis etc. *B. A.*

CAELICOLAE, arum, m. plur. *οὐρανίδαι*, *οὐρανίωνες*, qui caelum incolunt, atque adeo ipsi Dii. *Virg. A.* 6, 554. non ipsi exscindere ferro Caelicolae valeant. *Id. ib.* 2, 552. qualisque videri Caelicolis et quanta solet. *Id. ib.* 6. 787. centum complexa nepotes, Omnes Caelicolas, omnes supera alta tenentes. ℙ Adjective. *Val. Fl.* 5, 111. blandosque Jovis quae luserat ignes, Caelicolis immota procis. *Appul. Dogm. Plat.* 1. caelicolae. *Prudent. Symm.* 1, 170. nec caelicolam descendere Ephebum etc. ℙ Genitivus plural. *caelicolarum*, et per syncopen *caelicolum. Juven.* 13, 42. Nulla super nubes convivia caelicolarum. *Virg. A.* 3, 21. Caelicolum regi. ℙ *Caelicolae* dicti sunt quidam inter Judaeos haeretici, qui caelum tanquam summum numen colebant. Exstat in *Cod. Justin. lib.* 1. *tit.* 9. *de Judaeis et Caelicolis.* Ibique eorum mentio fit ab *Impp. Honor.* et *Theodos. l.* 11. Adde *Cod. Theod.* 16. *tit.* 8. ℙ Sed et universi olim Judaei per convicium *Caelicolae* sunt appellati: de quibus *Juven.* 14, 97. *Nil praeter nubes et caeli numen adorant.* Cum enim nullam Dei figuram manu factam admitterent Deumque orantes caelum suspicere solerent, illud ipsum adorare crediti sunt. ℙ In singulari numero legitur apud *Prisc.* 5, 668. et *Isid. Or.* 10. ad litt. C.

CAELICUS, a, um, adj. *οὐράνιος*, caelestis. *Stat. Silv.* 2, 3, 14. Caelica tecta subit, *h. e.* aedes magnificas et caelo dignas. *Auct. carm.* De nomine Jesu, (*quod quidam Paulino Nolano tribuunt*) 64. quod omnes caelici, medi, inferi Nomen genu flexo audiunt. **Caelia* s. *Caelica*, a monte Coelio, legit *Heins.* ad *Ov.* 4. *Fast.* 375. monente *D. A. G. Cram.* ad *Comment. Vetust.* in *Juven. sat.* 15, 146. p. 556 *B. A.*

CAELIFER, a, um, adj. caelum ferens; estque epithetum Atlantis et Herculis. *Virg. A.* 6, 797. ubi caelifer Atlas Axem humero torquet stellis ardentibus aptum. *Senec. Herc. fur.* 527. Alcmena genitus bella per omnia Monstris exagitet caeliferam manum.

CAELIFLUUS, a, um, adj. (ut *mellifluus*, *multifluus*) *Paul. Nol. Nat. XII. S. Fel.* 780. Caeliflui fontes, *h. e.* e caelo fluentes.

CAELIGENUS, a, um, adj. (ut *caecigenus*, *ventigenus*) in caelo genitus. *Varr. L. L.* 4, 10. Victoria et Venus dicitur caeligena. *Appul. de Mundo.* Stellae caeligenae.

[CAELILUCUS, a, um, adj. *Commod. Instr.* 60. Caelilucus doctor Isaias, *h. e.* qui caelesti numine praeditus arcana profert. *F.*]

*CAELINA, ae, Italiae oppidum, in Venetis, ad amnem cognominem. *Plin.* 3, 19. *B. A.*

[CAELINUS, a, um, adj. ad Caelium pertinens, Calabriae oppidum mediterraneum, nunc *Ceglie*, in cujus nummis apud *Sestin. Class. gen.* p. 15. *ΚΑΙΝΙΝΩΝ*, et apud *Plin.* 3, 11, 16. Lupia Balesium, Coelium (*corrige* Caelium). *Front. De col.* p. 111. Botontinus, Caelinus, Genusinus ager. *F.*]

CAELIOMONTANUS. V. COELIMONTANUS.

CAELIPOTENS, entis, adj. qui in caelo potest, seu imperat. *Pl. Pers.* 5, 1, 3. Juppiter, Diique alii caelipotentes.

CAELISPEX vel Coelispex, ispicis, adj. qui caelum spicit, hoc est aspicit; estque epitheton Apollinis. Fuit enim locus Romae in regione XI. *Apollo Caelispex* appellatus, testibus *Sex. Rufo* et *P. Vict. De reg. Urb. Rom.* Quidam putant non a Caelo, sed a Coelio monte dictum esse. Fuisse nimirum statuam Apollinis vultu ad Coelium montem positam. Sed haec omnia valde incerta sunt.

CAELITES, um, m. plur. V. CAELES, itis.

CAELITUS, adv. *οὐρανόθεν*, e caelo. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Omnia, quae caelitus mortalibus exhibentur. *Lact.* 4, 2. Statuerat Deus ducem magnum caelitus mittere. (Adde *de Opif. Dei* 20.) *Ammian.* 23, 6. Ignis caelitus lapsus. Adde *Prud. Cathemer.* 12, 79. ℙ Ex quo Romani imperatores divinis honoribus ac nominibus coli coepere, *caelitus* aliquando idem significabat, ac *a principe.* Hinc *Impp. Valent.* et *Martian. Cod.* 12, 41, 10. Si qui dignitates quascumque caelitus impetraverunt. Adde *Const. Imp. ib.* 26, 2.

*CAELIUM, i, oppidum Apuliae. *Plin.* 3, 11. ubi ed. *Hard.* habet *Caelium. Numus Caracallae* ap. *Hard.* Ael. Munic. Cael. Ant., *h. e.* Aelium municipium Caelium Antoninianum. *Κελία* est *Strab.* ac *Ptol. B. A.*

CAELIUS. V. COELIUS.

CAELO, as, avi, atum, a. 1. *γλύφω*, incido, insculpo. *Cic. Div.* 1, 36. Atque hanc speciem Praxiteles caelavit argento. *Ov. Met.* 5, 188. clypeo quoque flumina septem Argento partim, partim caelaverat auro. *Id. ib.* 13, 684. Caelare cratera longo argumento. *Virg. A.* 1, 644. Caelare aliquid in auro. *Plin.* 33, 12, 55. Caelare satyrum in phiala. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 34. Caelare argentum. *Id. prooem.* 33. libidines in poculis. *Id. prooem.* 35. Morosa caelandi subtilitas. [*Id.* 36, 26, 66. *de vitro.* Aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo caelatur. *Liv.* 23, 24. Calvam Postumii auro caelavere Boji. V. CAELATURA. *F.*] ℙ Est etiam materia aliqua pretiosiore ornare. *Liv.* 9, 40. Duo exercitus erant: scuta alterius auro, alterius argento caelaverunt. V. CAELATUS. ℙ *Caelassis* antique dictum pro *caelaveris. Festus.* ℙ Quomodo differant *caelare* et *scalpere* V. in CAELATURA. ℙ *Caelo* pro occulto. V. CELO.

CAELUM, li, n. *γλυφεῖον*, *ἐγκοπεύς*, instrumentum caelatoris, scalprum: [etymon a *κοιλὸς*, cavus, quod caelum est instrumentum quo cavatur aes, argentum, aurum; hinc etiam est caelum, quia concavum est: scalprum autem est *scarpello*, quo marmor caeditur. *Isid. Orig.* 20, 4. Caelata vasa argentea vel aurea sunt, quae signis eminentibus intus extrave expressis a caelo vocata, quod est genus ferramenti, quod vulgo cilionem vocant, *h. e.* cestrum aut vericulum, Italice *cesello.* V. CAELATURA. *F.*] *Varr.* ap. *Non.* 2, 235. et 5, 55. Num nam caelatus in manu dextra scyphus Caelo dolitus artem ostentat Mentoris? *Quint.* 2, 21. Caelator caelum desiderat et pictor penicilla. *Stat. Silv.* 4, 6, 26. laboriferi vivant quae marmora caelo Praxitelis. *Mart.* 6, 13. Statua formata caelo Phidiaco. *Id.* 4, 46. Et crasso figuli polita caelo Septenaria synthesis Sagunti, *h. e.* rota ignobili figuli, *εἰρωνικῶς*. ℙ In plural. numero. *Auson. ep.* 57. *de Venere a Praxit. sculpta.* Talem fecerunt ferrea caela Deam. ℙ *Serv.* ad *A.* 1, 644. et ad *G.* 2, 291. vult *celum* et *celo*, *as*, sine diphthongo scribi et nihilominus *caelatus* cum diphthongo, ea ratione, qua *aesculus* est ab *esu*: sed haec sine ratione dici videntur.

CAELUM, li, n. et Caeli, orum, m. plur. *οὐρανὸς*, pars mundi extima, quae totum orbem complectitur. *Cic. Somn. Scip.* 4. Novem orbibus vel potius globis connexa sunt omnia: quorum unus est caelestis, in quo infixi sunt illi, qui volvuntur stellarum cursus sempiterni: cui subjecti sunt septem, qui versantur retro, contrario motu, atque caelum. ℙ Sed et alii caeli orbes eodem nomine appellantur. *Lucr.* 2, 1095. Quis pariter caelos omnes convertere? etc. *Varr. L. L.* 4, 3. Caeli dicuntur loca supera, et ea Deorum: terrae loca infera, et ea hominum. ℙ Putant quidam, *Ciceronem* quoque *caelos* usurpasse *in fragm. Hortensii* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 335. Epicurei plures volunt esse caelos. Ita *Muret. var. lect.* 15, 1. *Sigon. in Cic. fragm.* et alii. Sed locum plane corruptum esse, ostendit *Voss. de vit. Serm.* 1, 21. cujus emendationem confirmat *Masvicius* in editione *Virgilii Leovardiae* 1717. Sane *Cic.* alibi non *innumerabiles* caelos dixit, sed absolute *innumerabilia*, respiciens ad genus neutrum singularis numeri. Ejus verba sunt *Fam.* 9, 26. Ille te putabat quaesiturum, unum caelum esset, an innumerabilia. Neque tamen ideo putandum est, *caela* posse usurpari. Caret enim *caelum* plurali numero, ut ex *Caesare De analog. Gellius* 19, 8. docet. *Caeli* autem a *caelus* sunt, de quo V. infra. ℙ Multiplex est hujus vocis usus in Latina syntaxi. *Sen. Agamemn.* 812. Allegere aliquem caelo, *h. e.* referre in Deorum numerum. *Tac. Ann.* 1, 73. Decernere caelum Augusto. *Plin.* 29, 1, 1. Dicare caelo, *h. e.* Diis. *Ov. Met.* 1, 194. Dignari aliquem honore caeli. *Hor. Od.* 4, 8, 29. Caelo Musa beat. ℙ Per hyperbolem adhibetur ad significandam immensam altitudinem. *Virg. A.* 4, 89. aequataque machina caelo. *Plin.* 5, 1, 1. Mons e mediis arenis in caelum attollitur. ℙ Saepe etiam pro culmine felicitatis, honorum, aut laudis. *Hor. Ep.* 1, 10, 9. Efferre aliquem ad caelum. *Cic. Att.* 6, 2. *ad f.* Salaminii nos in caelum decretis suis sustulerunt. *Just.* 12, 5. Caelo tenus extollere aliquid. *Id.* 5, 4. Ponere aliquem in caelo. *Cic. Phil.* 4, 3. Caesar in caelum fertur, laudantur legiones, etc. (Adde *Att.* 14, 18.) *Lucr.* 1, 79. nos exaequat victoria caelo. *Petr. Sat.* 37. In caelum abiit, et Trimalchionis *τὰ πάντα* est. *Cic. Att.* 2, 9. Si vero quae de me pacta sunt, ea non servantur, in caelo sum. *Id. ib.* 19. Bibulus in caelo est: nec quare, scio: sed ita laudatur, quasi Unus homo nobis cunctando restituat rem. *Id. Phil.* 2, 42. Detrahere aliquem de caelo. ℙ Digito caelum attingere, summam fortunam se assecutum esse putare. *Cic. Att.* 2, 1. Nostri autem principes digito se caelum putant attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant. Sic *Auson. Idyll.* 8. *in f.* Tunc ero bis consul, tunc tangam vertice caelum. [Et *Ov. Met.* 14, 844. caelum accepisse fatebor. *F.*] ℙ *De caelo delapsus*, aut *missus* dicitur eximiis virtutibus praeditus vir, et animi veluti caelestis. *Cic. Man.* 14. Omnes quidem Cn. Pompejum, sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de caelo delapsum intuentur. *Plin.* 26, 3, 7. Universum prope hominum genus circumegit in se, non alio modo, quam si caelo emissus advenisset. *Just.* 5, 4. Hunc quasi de caelo missum, et ut ipsam victoriam contuentur. ℙ *Caelo missus* aliquando dicitur, qui ex improviso adest, (talis enim caelestium adventus esse solet) ut *Lactant.* 1, 11. ex *Minucio Felice* in *Octavio* 22. docet. *Tib.* 1, 3, 89. Tunc veniam subito, ne quisquam nunciet ante, Sed videar caelo missus adesse tibi. Adde *Min. Fel. loc. cit.* et *Tert. Apol.* 10. ℙ *Miscere caelum et terram*, V. MISCEO. ℙ *Toto caelo errare*, vehementer errare, *Macr. Sat.* 3, 12. Toto, ut ajunt, caelo errasse Virgilium, cum, etc. ℙ *Quid si nunc caelum ruat? τί, εἰ οὐρανὸς ἐμπέσοι;* proverbium est in eos, qui vano timore correpti etiam in tutissimis rebus pavent. *Ter. Heaut.* 4, 3, 41. Quid si redeo ad illos, qui ajunt: Quid si nunc caelum ruat? *Varr.* ap. *Non.* 9, 7. Tanta invasit cupiditas honorum plerisque, ut vel caelum ruere, dummodo magistratum adipiscantur, exoptent. ℙ Aliquando inservit constructioni significanti partem diei. *Nep. Pelop.* 2. Ut vesperascente caelo Thebas possent pervenire. *Hirt. B. Afr.* 11. et 80. Albente caelo. ℙ Saepe sumitur pro aere, seu pro regione aeris. *Lucr.* 4, 132. Constituuntur in hoc caelo, qui dicitur aer. *Plin.* 2, 38, 38. Et hoc caelum appellavere majores, quod alio nomine aera. *Cic. Tusc.* 1, 19. Caelum hoc, in quo nubes, imbres ventique coguntur, quod et humidum et caliginosum est propter exhalationes terrae. *Id. Cat.* 1, 6. Potestne tibi hujus vitae lux, Catilina, aut hujus caeli spiritus esse jucundus? *Id. Att.* 11, 22. Corpore vix sustineo gravitatem hujus caeli. *Id. Div.* 1, 57. Pingue et concretum caelum, cujus aspiratio gravis et pestilens futura est. *Id. Fat.* 4. tenue. Et *ib.* crassum. *Id. Nat. D.* 2, 5. Commoda, quae percipiuntur caeli temperatione. *Virg. G.* 1, 51. varium caeli praediscere morem. *Plin.* 2, 47, 47. Caelum hibernum molliunt favonii. *Id.* 16, 26, 46. austrinum, *h. e.* in quo auster spirat. *Id. ib.* nubilum. *Virg. G.* 1, 260. serenum. *Tac. Agric.* 12. crebris imbribus, ac nebulis foedum. *Plin.* 18, 12, 31. austerum. *Id.* 15, 18, 19. mite. *Suet. Tib.* 69. turbatum. *Stat. Theb.* 1, 455. Tecto caelum prohibere, *h. e.* pluviam. (V. *ib.* 378. et 404.) *Suet. Tib.* 36. grave. *Cic. Div.* 1, 57. salubre. *Flor.* 1, 16. et *Plin.* 18, 26, 62. molle: cui opponitur apud *eund. Flor.* 3, 2. atrox. *Plin.* 24, 6, 19. Ille caeli aer plus proficit, quam, etc. *Virg. A.* 6, 15. *de Daedalo.* Praepetibus pennis ausus se cedere caelo. ℙ Caelo committere. *Plin.* 36, 22, 50. Quae ex lapide rubro laesa fuerint, in subterranea structura aptantur utilius: quae restiterint, tutum est vel caelo committere. ℙ *De caelo*, aut *e caelo ici*, aut *tangi*, est fulmine percuti. *Cic. Div.* 1, 10. Summanus e caelo ictus.

Virg. Ecl. 1, 17. De caelo tactae quercus. V. TACTUS ℙ *De caelo servare* est augurum auspicia e caelo captantium. *Cic. Att.* 4, 3. Proscripsit se per omnes dies comitiales de caelo servaturum. ℙ Hinc *aliquid de caelo fieri*, apud *Eund. Div.* 1, 42. est novum aliquid et ominosum in caelo contingere, ex quo auguria peti possint. ℙ *Caelum* pro certo aeris spatio. *Cic. Or.* 1, 39. Cuicumque particulae caeli officeretur, mutari lumina aedium putabat. ℙ Nonnunquam sumitur pro caeli climate, aut regione. *Hor. Ep.* 1, 11, 27. Caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt. *Plin.* 8, 54, 80. Hoc animal negatur vivere in alio, quam Aethiopiae, quo gignitur, caelo. *Id.* 17, 2, 2. Caeli cujusque mores. *Flor.* 4, 12. *ad f.* Ipse hominum color ab alio venire caelo fatebatur. ℙ Et pro regione viventium: et opponitur Inferis, ubi sunt mortui. *Virg. A.* 6, 897. Sed falsa ad caelum mittunt insomnia Manes. Ubi *Macr. Somn. Scip.* 1, 3. Caelum hic vivorum regionem vocat, quia sicut Dii nobis, ita nos defunctis superi habemur. ℙ Per similitudinem dicitur de aliis rebus. *Vitr.* 7, 3. Caelum camerae. *Plin.* 11, 37, 49. Cerebrum est proximum caelo capitis. Adde *Flor.* 3, 5. *ad f.* ℙ Scribi potest per *ae*, vel per *oe* diphthongum. Pro prima scriptione stant, qui a *caelando* derivant, in quibus est *Plin.* 2, 4, 3., quod sit stellis veluti caelatum et distinctum; quibus favent *Inscriptiones* bene multae, et *Virg. Carpensis* ap. *Manut.* et *Cellar.* in *Orthogr.* Alteram defendunt, qui a *κοῖλον*, cavum, deducant: afferuntque et ipsi suas *Inscr.* ap. *Grut.* 115, 10. et 180, 3., etc. Prior videtur praeferenda, [quam confirmat locus *Cic. Verr.* 2, 2, 52. Novus astrologus, qui non tam caeli rationem, quam caelati argenti duceret. *F.* *Doctissimus Voigtländer, quum ab initio hujus operis *coelum* typis exprimi jussisset, id quod nobis etiam probatur, *caelum* in his retinuimus, ne, quem *Forc.* instituisset, verborum ordinem immutaremus.]

CAELUS, i, m. id. ac caelum. *Enn.* ap. *Non.* 3, 44. et apud *Charis.* 1. p. 55. Caelus profundus. *Petr. fragm. Tragur.* 39. *Burm.* Caelus hic, in quo duodecim Dii habitant. Adde *ib.* 45. ℙ In fabulis est pronepos Demogorgonis, nepos Erebi, filius Aetheris, et Diei, Vestae maritus, ex qua Saturnum, Opim, Tethyn, et alios hujusmodi majorum gentium Deos genuit. *Enn.* ap. *Non.* et *Charis. loc. cit.* Saturno, quem Caelu' genit. *Inscr.* ap. *Grut.* 4, 12. Caelus aeternus ℙ Alii Caelo non Vestam, sed Diem uxorem attribuunt, ex quibus Mercurius, et Venus prima nata sit. *Cic. Nat. D.* 3, 22. et 23. et *Serv.* ad *A.* 1, 301. ℙ Alii Caeli parentes statuunt Aetherem et Diem. *Cic. ib.* 17. ℙ Huic traditur Saturnus virilia amputasse, ex quibus in mare delapsis Venus secunda genita est. *Cic. ib.* 13. et *Serv.* ad *A.* 5, 801. ℙ Ex cruore autem et guttis ab illo vulnere manantibus natus est Silenus. *Serv.* ad *Ecl.* 6, 13. ℙ Hic idem *Caelus* neutro genere effertur ab *Hygino praefat. fabular.*

CAEMENTA, ae, f. [est illud lateris genus, quod Itali vocant *cantone*, quodque in angulis aedificiorum ponitur, ideoque etiam *caementa angularia* appellatur. Ita recte admodum *J. B. Zannonius, Antico marmo scritto di Pozzuoli* p. 38. interpretatur locum *Inscr.* optimae notae apud *Grut.* 207, 2. Caementa (lege *caementas*) struito, quamque (lege *quaeque*) caementa arda pendat P. XV., nive angolaria (lege *angularium*) altiorem = = | facito. *F.*] *Enn.* ap. *Non.* 3, 42. Labant, labuntur saxa, caementae cadunt.

CAEMENTĀRĬUS, ii, m. qui caementa componit, et muros struit. *Hieron. ep.* 53, 6. Agricolae, caementarii, fabri metallorum, lignorumve caesores.

CAEMENTĪCĬUS, et Caementitius, a, um, adj. ex caemento factus. [*Inscr.* ap. *Amaduzz. Anecd. Letter. T.* 2. p. 466. Magistri Lavernis murum caementicium, portam, porticum, templum Bonae Deae pagi decreto faciendum curaverunt, probaruntque. *F.*] *Vitr.* 2, 4. Caementitiae structurae. *Id. ib.* 8. Caementicii parietes. ℙ *Caementicium saxum* idem est ac *caementum:* cui opponitur *saxum quadratum. Vitr. ib.* Parietum structurae caementicio, aut quadrato saxo.

CAEMENTUM, ti, n. *λατύπη, σκίρος, οἱ χάλικες*, lapis caesus in lapicidinis; item fragmenta, quae ex majoribus saxis exciduntur, ad muros exstruendos, aut farciendos. Differt a *silice*, [qui est lapis multangulus: *F.*] item a *lapide quadrato*, qui arte caesus et quadrangulus est. Est autem a *caedendo*, quasi *caedimentum.* Adhibetur saepe in plurali numero. *Cic. Mil.* 27. In eam insulam materiam, calcem, caementa atque arma convexit. *Liv.* 21, 11. Caementa muri non calce durata erant, sed interlita luto. *Vitr.* 2, 7. Lapicidinae, de quibus quadrata saxa, et caementorum ad aedificia eximuntur copiae. *Id. ib.* 8. et *Plin.* 36, 22, 51. Farcire muros in medio caementis fractis. *Vitr.* 7, 6. Caementa marmorea, sive assulae, quae marmorarii ex operibus dejiciunt. [*Id.* 2, 8. Incerta vero caementa alia super alia sedentia, inter seque implicata, non speciosam, sed firmiorem, quam reticulata, praestant structuram. *F.*] ℙ In singulari numero. *Id.* 8, 7. *s. f.* Caementum de silice frangere. *Id.* 1, 5. *ad f.* Ubi sunt saxa quadrata, sive silex, sive caementum, etc. *Mart.* 9, 77. Non silice duro, structilique caemento. Adde *Plin.* 35, 14, 48.

CAENA. V. COENA.

[CAENĀLUS, i, m. fortasse a caenando ita cognominatus est. C. Julius Caenalus in *Inscr.* apud *Mur.* 1080, 5. *F.*]

*CAENE, es, f. *Καινή*, i. e. nova, insulae nomen Siciliae adjacentis, Africam versus. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

CAENEUS, i, m. disyll. *Καινεύς*, vir Thessalicus, Elati filius. Hic primum puella fuit, *Caenis* appellata, quam cum Neptunus compressisset, mercedis loco praecepit, ut quidquid optabat, peteret: illa petiit, ut in virum mutaretur, ne talia deinceps pati posset. Annuit Neptunus, addiditque insuper, ut esset invulnerabilis. Vir factus *Caeneus* dictus est. Sed cum superbia elatus Deos contemneret, juberetque Lapithas, quibus imperabat, per hastam suam jurare, a Jove punitus est. Nam proelio inter Lapithas ac Centauros in nuptiis Pirithoi et Hippodames inito, cum ingentum hostium stragem edidisset, tandem ab ipsis conjectu arborum oppressus est, sed antequam efflaret animam, in avem mutatus. Rem fuse narrat. *Ov. Met.* 12, 189. et seqq. *Serv.* ad 6. *A.* 448. tradit, Caeneum post mortem in feminam rursus transiisse. *Virg. ib.* Et juvenis quondam, nunc femina Caenis, Rursus et in veterem fato revoluta figuram. *Ov. l. c.* Clara decore fuit proles Elateia, Caenis. Et *ib.* 471. Et te, Caeni feram? Et *ib.* 172. Corpore non laeso Perhaebum Caenea vidi. Et *ib.* 531. Maxime vir quondam, sed nunc avis unica, Caenéu.

*CAENI, orum, Thraciae populi, inter Panysum amnem et Pontum Euxinum. *Liv.* 38, 40. *B. A.*

[*CAENĬCUS, a, um, adj. ad Caenos pertinens, Thraciae populos, inter Panysum amnem et Pontum Euxinum, quorum mentio apud *Liv.* 38, 40. *Plin.* 4, 11, 18. Caenica regio. ℙ *Caenici, orum*, sunt incolae illius regionis, qui et Caeni appellantur. *Id. ib. F.* et *B. A.*

CAENĪNA, ae, f. *Καινίνη*. V. v. seq.

CAENĪNENSIS, e, adj. ad Caeninam pertinens, urbem Latii, a *Plin.* 3, 5, 9. memoratam. Caeninense sacerdotium, de quo mentio fit in *Inscr.* ap. *Grut.* 436, 5. et 484, 6., erat sodalitium sacerdotum Herculis. ℙ *Caeninenses, ium*, sunt Caeninae incolae. *Liv.* 1, 9.

CAENĪNUS, a, um, adj. ad Caeninam urbem pertinens. *Prop.* 4, 10, 7. portas Caeninum Acronta petentem. Et *ib.* 9. Caenina arx.

CAENIS. V. CAENEUS. ℙ [*Caenis, idis*, f. dimin. *καινή*, nova. Fuit cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 715, 5. Flavia Caenis Viniciae Caenidi filiae. *F.*]

*CAENOPHRURĬUM, i, *καινὸν φρούριον*, Thraciae oppidum, ad Propontidem, Perinthum inter et Byzantium. *Eutrop.* 9, 9. *Vopisc.* in *Aurel.* 35. et *Anton. Itin. B. A.*

*CAENYS, yos, f. *ἡ Καινύς*, promontorium in extrema Italiae parte, in Bruttiis, exadversum Peloro promontorio. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

CAEPA, ae, f. et Caepe, n. indeclinab. *κρόμμυον*, olus hortense notum, cujus plura genera apud Graecos sunt: apud Latinos duo praecipue, *condimentarium* et *capitatum.* Primum *pallacana* dicitur, Graece *γηθυον, gethyon:* est autem paene sine capite, cervicis tantum longae; et ideo totum in fronde; saepiusque resecatur, ut porrum. *Condimentarium* appellatur, quia condiri potest et servari. De eo *Mart.* 3, 77. et putri caepas alece natantes. Alterum genus ideo *capitatum* dicitur, quia in caput extuberat, itidemque in multa genera dividitur. Quae omnia fuse *Plin.* 19, 6, 32. persequitur. *Varr.* ap. *Non.* 3, 67. et *Cels.* 2, 21 et 22. Sinapi, allium, caepa. *Plin. l. c.* Caepas ter fosso solo seri jubent. *Ov. Fast.* 3, 340. hortis eruta caepa. *Colum.* 11, 3. Caeparum thalli. *Pers.* 4, 31. Caepe tunicatum. *Gell.* 20, 8. Pelusiotae caepe non edunt. *Hor. Ep.* 1, 12, 21. seu porrum, et caepe trucidas. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 5. Neque triste quaeritat sinapi, neque caepe moestum, *h. e.* lacrimas ciens. Sic *Lucil.* ap. *Non.* 3, 67. flebile. ℙ Quod autem affertur ab *eodem Non. ib.* ex *Varr. in Eumenidib., Caepam esse et vesci cuminum:* proverbialiter dictum esse, quidam putant, pro *flere et pallere.* Caepa enim gustata lacrimas ciet, ut modo diximus; et cuminum pallorem inducit, teste *Plin.* 19, 6, 32. et 20, 14, 57. ℙ *Caepe* neutrum in genitivo singulari. *Appul. in Medicin.* ap. *Prisc.* 6. p. 681. Caepe succum melle mixtum. Adde *Coel. Aurel. Acut.* 3, 4. ℙ *Caepe* neutrum plurali numero caret, ut *Charis.* 1. p. 23., *Diomed.* 1. p. 314. et *Prisc.* 5. p. 673. docent. Quod vero quidam afferunt ex *Virg. Mor.* 74. et capiti nomen debentia caepe, *Jos. Scal.* legi vult *porra.* Sane hujusmodi positionem in *e* in nominibus neutris pluralis numeri Latini non habent, ut videre est ap. *Prisc. c. de nominat. pluralí tertiae declinationis* 7. p. 768. Quod si quis objiciat *cete*, et *Tempe*, Graeca haec sunt, non Latina. ℙ *Charis.* 1. p. 43. declinat hoc *caepe, pis*, *pi*, etc. Sed hoc non habet adhuc, quod sciam, idoneum Latini scriptoris exemplum. ℙ Allium et caepe apud Aegyptios pro Diis habebantur. *Juven.* 15, 9. et *Plin. l. c.* ℙ Scribitur etiam *cepa*, et *cepe* sine diphthongo. Sed priorem scriptionem frequentius in optimis libris invenies. Confirmant *Dausq.* et *Voss.* in *Etymol.* V. CAEPIO.

CAEPĀRĬA, ae, f. ap. *Marcell. Empir.* 33. est morbus inguinum externus, cujus ipse eo loco remedia docet. Quodnam autem morbi genus sit, videant medici.

CAEPĀRĬUS, ii, m. qui caepas vendit, vel qui caepis delectatur. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 67. Lippus edenda acri assidue caepariu' caepa.

CAEPĒTUM, i, n. *χρομμυών*, locus caepis consitus. Quidam legi putant ap. *Gell.* 20, 8. Caepetum revirescit, et congerminat decedente luna. Alii libri habent *caepe tum*, etc. Sed meliores *caepe enim.* Ita edd. Jenson. 1472. et Brixiae 1485.

CAEPĪCĬUS et Caepitius, ii, m. vel Caepitium, ii, n. caepae caput, vel ipsa caepa. Legitur non semel ap. *Arnob.* 5. *s. in.* Adde *Prisc.* 6. p. 681., ubi docet ex *Capro* veteres et *caepitius*, et *caepitium* dixisse.

CAEPĪNA, ae, f. [caepa, aut caepae semen, ipsa caepa sata, ut napina, porrina et rapina, quas voces videsis. Adde, quae hic tradit *Colum.* eadem esse ac illa, quae tradunt *Plin.* 19, 6, 32. et *Pallad.* 3, 24., ubi alter habet *caepa*, alter *caepulla. F.*] *Colum.* 11, 3. *ad f.* Caepina non minus debet, quam quater sarriri.

CAEPĬO, onis, m. cognomen Romanum in gente Servilia a caepis colendis impositum, ut plerique eruditi existimant. Quod cum passim per *ae* diphthongum scribatur in lapidib., libris et nummis, teste *Manut.* in *Orthogr.*, satis confirmat scriptionem vocis caepa per diphthongum *ae.* ℙ [*Q. Servilius Caepio avus fuit Luculli pueri. *Cic. de Fin.* 3, 2. ℙ Q. S. Caepio, collega C. Laelii in Consulatu, ejus filius videtur esse, qui sequitur. *Id. Brut.* 43. ℙ Q. Servilius Caepio, fusus a Cimbris, causam dixit, decem annis post reus factus a Cn. Julio Norbano. Damnatus de repetundis post praeturam Galliae ex Consulatu, quem cum Atilio Serrano gessit, Smyrnae vixit. Avaritia stimulatus, templis Tolosanis spoliatis, immensam auri argentique vim confecit. De eo V. *Cic. Or.* 2, 48 et 49. *Brut.* 56 et 62. et *Tusc.* 5, 5. *Liv. Epit.* 67. *Auct. ad Her.* 1, 12 et 14. *Gell.* 3, 9. *Justin.* 32, 3. *Oros.* 5, 15. *B. A.*]

CAEPŪLA, ae, f. Quas *Coel. Aurel. Acut.* 3, 4. *ad f.* memorat *caepulas germanas*, putant quidam esse eadem cum bulbis vomitoriis: de quibus V. medicos.

CAEPULLĀ, ae, f. idem ac caepa. *Pallad.* 3, 24. Satureja caepullis mixta seminatur. Hoc etiam mense caepullas seres, etc. Adde 11, 11. ℙ Quidam putant, *caepullam* non caepam simpliciter, sed ejus quoddam genus tantummodo significare. Sed cum quae hoc loco tradit *Pallad.* de caepullis serendis, eadem sint ac illa, quae tradunt *Plin.* 19, 6, 32. et *Colum.* 11, 3. de caepis, manifestum est, caepam et caepullam idem omnino esse. ℙ Ap. *Plin. Valer.* 2, 3. legitur *cibulla:* unde Gallica vox *ciboule.*

[CAEPŪLUS, i, m. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1285, 14. L. Vibius Caepulus. *F.*]

*CAERAESI, orum, populi Germanici, qui una cum Eburonibus et Condrusis inter Belgas numerantur a *Caes. B. G.* 2, 4. *B. A.*

[*CAERĀTEUS, a, um, adj. ad Caeratum pertinens, Cretae urbem, quae et Gnossus dicta est, et cognominem fluvium, qui illam praeterfluebat, cujus mentio est apud. *Call. Hymn. in Dian.* 44. *Virg. Cir.* 113. Carpathium fugiens, et flumina Caeratea, *h. e. τὸν Καιρατεῖον ποταμόν.* F. et *B. A.*

CAERE, n. indecl. et Caeres, ĭtis, et ētis, f. *Καῖρε* et *Καίρεια*, urbs Tusciae prope Tarquinios, a Pelasgis condita, et primum *Agylla* appellata. (V. AGYLLA.) Mutandi autem nominis occasio fuit hujusmodi. Lydis, qui Tyrrheni dicti sunt, adversus Agyllinos bellum gerentibus, quidam ad urbem propius accessit, nomenque urbis interrogavit: a Thessalo autem e muro responsi loco accepit *χαῖρε.* Id omen accepere Tyrrheni, captaque urbe, *Chaere* ei nomen fecerunt, et dempta aspiratione *Caere.* [Id narrat *Steph. Byzant.* in V. *Agylla. F.*] *Serv.* ad *A.* 8, 597. non Lydos occasione belli, sed Romanos urbi nomen mutasse, scribit. *Liv.* 1, 60. Qui exsulatum Caere in Etruscos abierunt. *Id. ib.* 2. Caere, opulento tum oppido imperitans. *Plin.* 35, 3, 1. Durant picturae et Caere, antiquiores et ipsae. *Virg. l. c.* Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem. *Id. ib.* 10, 183. Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis. Ubi *Serv:* Ac si diceret, *qui sunt domo Carthagine.*

CAEREFŌLĬUM, ii, n. *χαιρέφυλλον*, oleris ge-

nus, quod et chaerephyllum, et paederota Graeci vocant. Graece inde dictum videtur, quod foliis gaudeat: a *χαίρω*, gaudeo, et *φύλλον*, folium: ex quo corrupta voce *caerefolium* Latini dixere. Est autem foliis apii hortensis similibus, radice alba, caule multiplici ramoso et concavo, floribus albis, parvis, quinque foliolis constantibus, semine oblongo et tenui. Radix saporem habet ferme pastinacae. *Plin.* 19, 8, 54. Aequinoctio autumni seruntur coriandrum, anethum, caerefolium, etc. Adde *Pallad.* 3, 24. et 10, 13. et *Appul. Herb.* 104. ℙ Scribitur et *cerefolium*.

CAERES, ĭtis, et ētis, adj. ad Caere oppidum pertinens. *Liv.* 7, 19. Caeritem populum Tarquiniensibus adjunctum fama ferebat. *Val. Max.* 1, 6. *n.* 9. Caerites aquae. *Inscr.* ap, *Grut.* 226, 4. Imp. Caesari Divi F. Augusto Pontif. Maxim. S. P. Q. Caeres. *Liv.* 22, 1. Aquas Caeretes sanguine mixtas fluxisse. Al. leg. *Caerete*. ℙ *Caerites, tum*, absolute sunt Caere oppidi cives. *Liv.* 7, 20. Tum primum Caerites belli terror invasit. Et *ib.* 19. Praedae pars in Caeritum fines avecta. ℙ Caerites primi fuerunt, quos Romani fecerunt municipes, sine jure tamen suffragii. Cum enim bello Gallico Romanorum sacra recepissent, et servassent, concessum est illis praemii loco, ut Civitatis Romanae honorem quidem caperent, sed negotiis tamen et oneribus vacarent, ut *Gell.* docet 16, 13. ℙ Hinc *Caerites tabulae*, in quas censores referri jubebant eos, quos notae causa suffragii jure privabant. Censores enim sic notabant cives, ut senatorem quidem senatu ejicerent; equiti equum publicum adimerent; plebejum vero in Caeritum tabulas referrent, et aerarium facerent, ut per hoc non esset amplius in albo centuriae suae, sed ad hoc esset civis tantum, ut pro capite suo tributi nomine aera penderet. Ita *Ascon. in Divin. Verr.* 3. et *Gell. l. c.* Dictae sunt autem Caerites hujusmodi tabulae, non quod Caeritibus ignominiae fuissent, sed quod suffragii jure privabant. Hinc *Hor. Ep.* 1, 6, 62. Quid deceat, quid non obliti, Caerite cera Digni, remigium vitiosum Ithacensis Ulyssei. ℙ De ipso oppido Caere. V. in ea voce. ℙ Quidam scribunt *Ceres*, sed minus recte.

CAERETĀNUS, a, um, adj. ad Caere oppidum pertinens, ut *Caeretanus amnis*, qui ipsum Caere praeterfluit ap. *Plin.* 3, 5, 8. *Caeretanum vinum* ap. *Mart.* 13, 124. ℙ *Caeretani, orum*, sunt ipsi Caerites. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 10. ℙ Scribitur et *Ceretanus*.

CAERĬMŌNIA, ae, f. *θρησκεία*, sacri ritus, quibus Deum colimus, religio sacrorum. *Cic. Invent.* 2, 53. Religio est, quae superioris cujusdam naturae, quam divinam dicunt, curam caerimoniamque affert. *Id. Balb.* 24. Conficere sacra Cereris summa religione et caerimonia. *Id. Har. resp.* 17. Facere sacrificium incredibili caerimonia. *Id. ib.* 10. Servare solemnia et justa ludorum summa cum caerimonia. *Nep. Them.* 8. Colere sacrarium summa caerimonia. *Plin.* 30, 1, 4. Celebrare magicen multis caerimoniis. *Cic. Rosc. Am.* 39. Polluere caerimoniam legationis, *Id. Tusc.* 1, 12. Caerimoniae sepulcrorum. *Id. Rabir.* 10. Praeesse caerimoniis. *Tac. H.* 4, 83. Caerimoniarum antistes. *Plin.* 37, 7, 28. Habere aliquid in caerimoniis. *Id.* 6, 27, 31. Amnis est in magna caerimonia, *h. e.* in magna religione. *Caesar* ap. *Suet.* in *ejus Vita* 6. Est ergo in genere (*familiae*) et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et caerimonia Deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges, *h. e.* religio Deorum. Sic *Id. B. G.* 7, 2. Quo more eorum gravissimae caerimoniae continentur. Et *Tac. A.* 4, 64. Augere caerimoniam alicui loco. Et *Gell.* 4, 9. Cum castitate caerimoniaque adire et revereri aliquid. ℙ Variae ab etymologis afferuntur hujus vocis origines. Alii deducunt a *carendo*, quasi *caremonias*, eo quòd observantes careant his rebus, a quibus abstinent, ut est ap. *August. Retract.* 2, 37. Adde *Massur. Sabin.* ap. *Gell.* 4, 9., *Serv. Sulpic.* ap. *Macr. Sat.* 3, 3. et *Isid. Orig.* 6, 19. Alii derivant a *Cerere*, et ejus sacra proprie hoc nomine appellari putant. Alii a *caritate*, teste *Festo*. Alii a *caelo*, quasi *caelimonia*. Alii ab obsoleto *cerus*, hoc est sanctus et bonus. Alii denique ab oppido *Caere*, quod illo Romani bello Gallico omnia sacra sua transtulerint, et Caeritum custodiae commiserint, a quibus postea, devictis Gallis, sancte et cum fide servata receperint. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 10. ℙ Scribitur ergo *ceremonia*, *caeremonia* et *caerimonia:* quae postrema scriptio probatur duob. vet. lapidib., quorum alterum *Manut.*, alterum affert *Cellar.* in *Orthogr.* Confirmant *Dausq.* et *Voss.* in *Etymol.* ℙ Duas priores syllabas corripuit *Prudent.* malus fere prosodiae servator, *contra Symmach. praef.* 1, 5. Immansueta suas ut cerimonias Gens pagana Deo sperneret agnito.

CAERIMŌNIĀLIS, le, adj. ad caerimonias pertinens. *Arnob.* 7. p. 237. O Deorum sublimitas praepotens, quam venerari, quam colere officiis omnibus caerimonialibus debeas.

CAERĬMŌNĬOSUS, a, um, adj. i. q. caerimonialis. *Ammian.* 22, 15. Per septem caerimoniosos dies, quibus sacerdotes Memphi natales celebrant Apis, *h. e.* dies religiosos.

[CAERĬMŌNĬUM, ii, n. idem ac caerimonia. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 342. *n.* 524. Flaviae Ammiae sacerdoti Cereris ob honorem Caerimoniorum honestissime praebitorum decreto ordinis. *Murat.* 164, 1. eandem affert, et *cerimoniorum* legit, ideo reprehensus a *Gallettio*, *Capena* p. 9., qui legit ibid. *caeremoniorum*. *F.*]

CAERĪTES, um, V. CAERES.

CAERŪLANS, antis, part. ab inus. *caerulo*, caeruleum colorem referens. *Fulg. Mythol.* 1. Musa caerulanti peplo circumdata.

CAERŪLĔATUS, a, um, adj. caeruleo colore obductus. *Vell.* 2, 83. Plancus cum caeruleatus et nudus, caputque redimitus arundine [et caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset in convivio, *h. e.* colore caeruleo obductus, quali putabantur esse Dii marini. *F.*]

CAERŪLĔUM, i, n. *κυανὸς*, genus coloris caerulei intensioris admixtis aureis maculis. Duplex est, nativum et facticium. *Naticum* est arena, seu lapis sabulo, arenaeve durae similis. Ejus tria genera antiquitus fuere: Aegyptium, quod maxime probatur; Scythicum, quod facile diluitur, cumque teritur, in quatuor colores mutatur, binos candidiores plus minusve ex caeruleo tenui, binos magis minusve nigros ex caeruleo crasso. Tertium genus est Cyprium, quod Scythico praefertur. *Facticium* multas habet species, de quibus non est hoc loco dicere. Plura V. apud *Plin.* 33, 13, 57. ℙ Ejus temperandi rationem docet *Vitr.* 7, 11.

CAERŪLĔUS et Caerŭlus, a, um, adj. *κυάνεος*. *Color caeruleus* (Graece *κυανὸς*) est color coeli, cum serenum est, quasi *caeluleus;* item maris, quod sereni coeli colorem repraesentat. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 20. Coeli caerula templa. *Ov. Met.* 14, 814. Tollere aliquem in caerula coeli. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 2, 717. Mare caeruleum. *Id. N. D.* 1, 30. Caerulei oculi Neptuni. *Catull.* 64, 7. Caerula aequora. *Ov. Her.* 16, 104. Caerulea via, *h. e.* navigatio. *Juven.* 2, 97. vestis. *Suet. Aug.* 25. Caeruleum vexillum. *Ov. Met.* 3, 38. Caeruleus serpens. *Prop.* 2, 14, 27. Tingere tempora fuco caeruleo. *Plin.* 22, 21, 29. Caeruleus flos heliotropii, *h. e.* ejus plantae, quam recentiores herbarii *herbam caneri* appellant, ut *Harduin.* hic docet. *Id.* 37, 9, 51. Gemma splendoris caerulei. ℙ *Caeruleum, i*, absolute, V. in voce praeced. ℙ *Caerulei* dicuntur Germani ab *Hor. Epod.* 16, 7., et Britanni ab iis oriundi a *Mart.* 11, 54. propter oculos caeruleos, quibus eae nationes (sicut et flava coma) ab aliis velut peculiari nota distinguuntur, teste *Tac. G.* 4. ℙ *Caerula* neut. plural. sunt ipsa maria (subaudi *freta*, aut *aequora*). *Virg. A.* 8, 622. fluctu spumabant caerula cano. *Id. ib.* 4, 583. torquent spumas, et caerula verrunt. Adde *Stat. Th.* 3, 250. ℙ Hinc ipsi Dii maris *caerulei* dicuntur, et quae ad ipsos pertinent. *Ov. Met.* 2, 8. Caeruleos habet unda Deos, Tritona canorum. Proteaque ambiguum. *Prop.* 3, 5, 16. Caeruleus Deus, *h. e.* Neptunus. *Ov. Her.* 9, 14. Caerulus Nereus. *Prop.* 2, 7, 53. caerula mater, *h. e.* Thetis. *Ov. Her.* 7, 50. Caeruleis Triton per mare curret equis. *Virg. A.* 5, 819. Caeruleus currus Neptuni. ℙ Amnes quoque. *Virg. A.* 8, 64. Tibris caeruleus. *Ov. A. Am.* 1, 224. Coma caerula Tigridis. ℙ Item naves, quae ex aqua contrahere colorem quodammodo videntur. *Ov. Fast.* 2, 112. Spargitur impulsa caerula puppis aqua. ℙ Plures sunt caerulei coloris gradus, prout aut dilutior, aut intensior est. Cum mari aut fluminibus tribuitur, plerumque de intensiore intelligendus est, et ad fuscum, seu nigrum accedente, qualem aquae praesertim cum altiores sunt, prae se ferunt. Hinc *Serv.* illud *Virg. A.* 8, 64. Caeruleus Tibris; exponit *altus, profundus.* [*Eodem modo dictum, quo *flavus;* quem e regione, quam percurrit, colorem *Tiberis* accipit et propter lene fluminis agmen ita auget, ut quasi solenni hoc epitheto a Romanis ornetur.] Et ad illud *ib.* 5, 123. Scyllaque Cloanthus Caerulea; aut nigra, inquit, aut alta carina: omne enim altum nigrum est. ℙ Frigida etiam *caerulea* dicuntur, scil. fusca, quia lux calida videtur, et a calidis fere proficisci. *Virg. G.* 1, 135. *de zonis frigidis.* Quem circum extremae dextra laevaque feruntur Caerulea glacie concretae, atque imbribus atris. Ubi *Serv. caerulea* frigore scilicet, quia ipse color frigori convenit. [*Non de frigore cogitandum, sed *caerulea* ideo glacies dicitur, quod e longinquo caerulei coloris ad album dilutioris adspectum praebet.] *Val. Fl.* 7, 563. Nix et caerulei Boreae ferus horror. ℙ Hinc saepe *caeruleus* pro fusco aut nigro ponitur. *Virg. A.* 3, 63. stant Manibus arae Caeruleis moestae vittis, atraque cupresso. *Serv.* hic ex *Catone* docet, feminas olim in luctu, purpurea veste deposita, caeruleam sumpsisse. *Ov. Fast.* 4, 446. Equi caerulei Plutonis. *In Cenotaph. Pisano L. Caesaris.* Bos et ovis atri infulis caeruleis infulati Diis Manibus ejus mactentur. *Tibull.* 3, 4, 18. Jam nox caeruleas laverat amne rotas. *Stat. Th.* 2, 528. Nox et caeruleam terris infuderat umbram. *Id. Silv.* 1, 6, 85. Nox caerula. *Albinov.* ad *Liv.* 1, 93. Caerulea mors. *Virg. A.* 3, 194. Caeruleus imber. ℙ Huc referri possunt etiam illa *Virg. A.* 6, 410. Caerulea puppis Charontis (nam *v.* 303. *ferrugineam* dixerat). Et *G.* 4, 482. Caerulei angues Eumenidum. Et *Ov. Met.* 14, 45. Velamina caerula. Et *Juven.* 14, 128. Mucida caerulei panis consumere frusta, *h. e.* jam nigricantis. Adde *Val. Fl.* 3, 400. ℙ *Caeruleus* color dilutus ad album, aut subviridem prope accedit. Hac ratione intelligi possunt, quae subjiciuntur. *Prop.* 4, 2, 43. Caeruleus cucumis. *Ov. Met.* 11, 158. Caerula quercus. *Id. A. Am.* 2, 518. Caerula quot baccas Pallados arbor habet. (Adde *Plin.* 15, 30, 39.) *Manil.* 5, 26. Caeruleum foliis, viridemque in gramine collem Consecrere. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 3. campi caerula, laetaque prata. ℙ Huc referri possunt et illa *Virg. A.* 8, 622. cum caerula nubes Solis inardescit radiis, longeque refulget. Et *Manil.* 1, 399. Caeruleus vultus Caniculae, *h. e.* pallidior, cum a sole longius distat. ℙ *Cornel. Fronto* discrimen statuit inter *caerulum* et *caeruleum*, ut illud sit naturae color, hoc naturam fingat. Sed falsum id esse, ex allatis exemplis satis constat. Illud verius, utrumque idem omnino significare, sed *caerulum*, a poetis tantummodo (quibus adde *Appul.* qui poeticis floribus passim stilum aspergit), *caeruleum* etiam a prosae scriptoribus adhiberi.

CAESA, ae, f. id. ac caesio, seu ictus caesim inflictus: sicut *puncta*, *ae*, est ictus punctim illatus. *Veg. Milit.* 1, 12. Caesa quovis impetu veniat, non frequenter interficit: at puncta duas uncias adacta, mortalis est. Deinde dum caesa infertur, brachium dextrum latusque nudatur: puncta autem tecto corpore infertur. Haec *Veg.*, qui tamen non est imitandus. ℙ *Caesa et porrecta* quid sint, V. in CAESUS, a, um. ℙ *Ruta caesa*, V. in RUTA. ℙ *Caesa*, teli genus. V. GAESUM. Sic enim scribendum. ℙ *Caesa* et *Caesai*, hoc est elephas. V. in CAESAR. ℙ *Caesa, orum*, hoc est commata, incisa. V. in CAESUS, a, um.

*CAESĀNI, orum, populi Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

CAESĀPON, i, n. genus lactucae in arvis nascentis, cujus folia trita, et cum polenta illita ulceribus medentur. *Plin.* 1. *in ind. libri* 20. *n.* 25. et 20, 7, 25., ubi docet a Graecis hanc appellationem ductam esse. ℙ Quidam legunt *aesapon*. Sed utriusque vocis origo aeque ignota est.

CAESAR, āris, m. *Καίσαρ*, cognomen Romanum in gente Julia. Qui primus ita est cognominatus, dictus est, quod caeso mortuae matris utero natus fuerit, ut *Plin.* 7, 9, 7. et *Non.* 19, 1. docent: vel a caesarie, cum qua e matris ventre prodierit, ut est apud *Fest.:* vel quod manu sua elephantum occiderit, qui Poenorum, vel Maurorum lingua *Caesar* (apud *Spart. Ael. Vero* 2. alii legunt *caesa*, alii *caesai*) dicitur, ut tradit *Serv.* ad *A.* 1, 290.: vel denique quod oculis caesiis, et ultra humanum modum viguerit, quod addit *Spart. l. c.*, postquam alias quoque illas opiniones retulit, quae modo dictae sunt. Sed postremum hoc etymon rejicitur a *Voss.* in *Etym.* in *Caesones.* Primum autem ceteris praeferendum videtur propter auctoritatem *Plinii.* [*Cf. *Döderl. synon. et etym. lat.* 3, 17. qui recte originationem, quam *Plin.* laudat, ad nugas Gramm. rejicit.] ℙ *Serv.* ad *A.* 11, 743. tradit, vocem *caesar* Gallica lingua significare *dimitte*. Narrat enim, cum C. Jul. Caesar in Gallia dimicaret, et ab hoste raptus, equo ejus portaretur, occurrisse quendam ex hostibus, qui cum noverat, et insultantem clamasse *caesar, caesar:* quo factum esse, ut ille dimitteretur. Hanc historiam ex ipsius Caesaris ephemeride traxisse se affirmat. ℙ In familia Caesarum clarissimus fuit *C. Julius Caesar* C. Julii Caesaris, et Aureliae filiae Aurelii Cottae filius, qui democraticum Romani imperii statum in monarchicum mutavit, et ad se transtulit. Nam devictis Germanis, Gallis Britannisque, et Romanae reipublicae additis, arma vertit in Pompejum, qui senatus partes tutabatur. Quo in bello pulsis Roma in Graeciam usque hostibus, et omnino devictis, rerum omnium potitus est. Sed non longo post tempore a conjuratis in curia impetitus, et tribus ac viginti vulneribus confossus, Idib. Mart. infeliciter exstinctus est. Ab eo *Caesares* postea appellati sunt imperatores Romani, ut *Augusti* ab Augusto. Sed aliquando haec nomina separata sunt, ita ut *Augustus* esset, qui imperabat, *Caesar* vero, qui futurus erat in imperio successor. Primus qui hac ratione *Caesar* factus sit, fuit L. Aelius Verus ab Hadriano in spem successionis adscitus, ut est apud *Spartian. Ael. Vero* 1. et *Aur. Vict. Caes.* 13. *in f.* ℙ Fuit vero C. Jul. Caesar non modo belli, sed etiam domi laude ingenii clarissimus, optimus orator, poeta etiam valde bonus. Sed orationes omnes et poemata injuria temporum interciderunt. Satis tamen ostendunt, quam fuerit in scribendo felix, et Latine sciens, quae adhuc supersunt Commentaria de bellis a se gestis Gallico, et Civili, in quibus et sermonis nitorem lucidissimum, et rerum mirabilem perspicuitatem

nemo satis pro dignitate unquam laudaverit. V. *Cic. Brut.* 72. et 75., *Suet. Caes.* 55. et 56. et *Solin.* 1. ℙ In antiquis aliquot monumentis scriptum legitur *Caisar*, *ai* pro *ae* diphthongo adhibita: cujus rei plura exempla *Dausq.* in *Orthogr.* 2, 5. congessit. In quo Latini Graecos secuti sunt, quorum diphthongus *ai* eundem habet sonum. De hac scribendi ratione disserit etiam *Quint.* 1, 7., et a veteribus Latinis saepissime usurpatam dicit. V. *Noris. dissertat. in Cenotaph. Pisan.* 5. ℙ [*A septem Caesaribus*, et *a septem Caesares* fuit vicus Romae ita fortasse appellatus, quia ibi septem Caesarum statuae erant. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 245. Negotiator vinarius a septem Caesaribus. Alia *ib.* L. Domitio Agathemero Paridis Lib. a septem Caesares argentario, coactori. *F.*]

CAESARAUGUSTA, ae, f. urbs Hispaniae Tarraconensis ad Iberum fluvium, antea Salduba dicta, colonia Romanorum, ab Octavio Caesare Augusto sic appellata. Patria fuit *Prudentii* poetae Christiani, qui ejus meminit *περὶ στεφ.* 4, 53. Tu decem sanctos reveches et octo, Caesaraugusta studiosa Christi. Adde *Plin.* 3, 3, 4. ℙ In nummis apud *Vaillant. Numism. Impp. in Colon.* saepe legitur C. C. A., *h. e.* Colonia Caesarea Augusta. *Auson. ep.* 24, 88. Caesareae Augustae domus est.

CAESARAUGUSTĀNUS, a, um, adj. ad Caesaraugustam pertinens, ut *Caesaraugustanus conventus* ap. *Plin.* 3, 3, 4.

[*CAESARĒA, ae, f. *Καισάρεια*, nomen urbis in Palaestina, quae et *Turris Stratonis* et *Apollonia*, in Samaria fuit, urbs post Hierosolyma primaria. Postmodum metropolis Palaestinae facta est, nomine *coloniae Romanae* honorata, eo quod Vespasiani copias humaniter exceperit. *Plin.* 5, 13, 14. ℙ Alia fuit in Trachonitide vel Panea, dicta et *Caesarea Philippi*. *Plin.* 5, 15, 15. et *ib.* 18, 16. ℙ Alia, in Mauritania Caesariensi, prius Iol denominata. *Plin.* 5, 2, 1., *Mela* 1, 6., nunc *Algeri* vel, ut alii putant, *Ser-Sel.* ℙ Alia, in Armenia Minore. *Plin.* 6, 9, 10. ℙ Alia, in Cappadocia. *Id.* 6, 3, 3., *Eutr.* 7, 6. ℙ Alia, in Cilicia. *Plin.* 5, 27, 22. *ed. Hard.* ℙ Alia, in Pisidia, dicta etiam Antiochia. *Plin.* 5, 27, 24. ℙ Caesarea etiam dicta est Norba urbs Lusitaniae, quae *Colonia Norbensis Caesariana* audit *Plin.* 4, 22, 35. ℙ Fuit et insulae nomen inter Britanniam Galliamque, hodie *Jersey*. *Anton. Itin. F.* et *B. A.*]

CAESĀREUS, a, um, adj. ad Caesares pertinens. *Ov. Met.* 1, 201. Sanguine Caesareo Romanum extinguere nomen. *Id. Pont.* 2, 1, 17. Caesarea mens. Et *ib.* 8, 13. Caesarei vultus. *Id. Trist.* 1, 1, 70. Caesarea domus. *Stat. Silv.* 1, 1, 85. Caesareum forum, *h. e.* a Jul. Caesare Romae exstructum. *Mart. Spect.* 1. amphitheatrum. *Id.* 1, 7. Caesarei leones, *h. e.* a Domitiano in arena exhibiti. ℙ *Caesareum*, *i*, n. id. est q. Augusteum, hoc est aedes sacra in honorem Caesaris [Augusti primum constructa, deinde aliorum etiam imperatorum, qui eidem successerunt. Hujusmodi aedes seu templum cum Romae, tum in coloniis et municipiis fuit, in quo omnium imperatorum, qui in Divorum numerum adscripti fuerant, statuas aut imagines, quas Itali *busti* dicunt, fuisse probat *Marin. Frat. Arv.* p. 384. V. DIVUS. *Suet. Galb.* 1. Tacta de coelo Caesarum aede, capita omnibus simul statuis deciderunt; Augusti etiam sceptrum e manibus exciderunt; Augusti etiam sceptrum e manibus exciderunt; Augusti etiam sceptrum e manibus exciderunt est. *Id. Cal.* 60. Ut quidam senatores abolendam Caesarum memoriam ac diruenda templa, censuerint. *Inscr.* ap. *De vita*, *Antiq. Benevent.* p. 264. P. Veidius P. F. Pollio Caesareum Caesari Augusto et Coloniai Beneventanai. Alia *Hispan.* ap. *Mur.* 134, 1. Cornelius Bassus Caesareum D. S. F. Alia ab *eod. Marin. ib.* relata et a *Jo. Labusio*, *Certitude de la science des antiquites* p. 70. suppleta. *Nomina eorum* qui *pecuniam* contulerunt in *Caesareum* faciun*dum*. F.] ℙ Legitur etiam *caesarius in fragm. marmor.* ap. *Grut.* 41, 10.

CAESĀRIĀNUS, a, um, adj. id. q. Caesareus. *Cic. Att.* 16, 10. Caesariana celeritate uti, *h. e.* Julii Caesaris. *Cleric.* et *Gron.* leg. *Caesarina*. *Nep. Att*, 7. Caesarianum bellum. *Mart.* 8, 1. Pallas Caesariana, *h. e.* a Domitiano culta. *Id.* 9, 80. Sed domini mores Caesarianus habet, *h. e.* aulici et servi Domitiani. ℙ [*Caesarianus* id. est ac imperatorius. *Vopiscus* in *Carin. init.* narrat, Carum imp. in orientem profectum reliquisse in occidente filium Carum *imperio Caesariano*, *ea lege*, *ut omnia faceret*, *quae Augusti faciunt*. *F.*] ℙ *Caesariani*, *orum*, dicuntur, qui bello civili Julii Caesaris et Pompeji, illius partes contra hunc defendebant. *Hirt. B. Afr.* 13. Equites ita condensaverant, ut procul Caesariani pedestres copias arbitrarentur. *Flor.* 4, 2. Eoque acrior Caesarianorum impetus fuit. ℙ Sunt etiam *Caesariani*, [qui et *Caesarienses* et *Catholiciani* vocantur, officiales procuratoris Caesaris,] [ap. *Forc.* erat: *Principis*. *F.*] qui in provinciis sunt et aliquam earum habent administrationem. Horum mentio est in *Cod. Justin.* 10, 1, 5. et 7. in *Cod. Theod.* 10. *tit.* 7. qui est *De Caesarianis*. ℙ *Caesarianas orationes* appellat *Serv.* ad *G.* 2, 131. eas, in quibus Cicero C. Caesarem impense laudat, ut sunt pro Marcello, pro Dejotaro, de Provinciis consularibus. ℙ *Caesarianum*, *i*, ap. *Cels.* 6, 6. *n.* 27. est nomen collyrii. ℙ *Serv.* ad *A.* 1, 181. monet, etiam *Caesareanus* scribi posse (quemadmodum *Cerealis* et *Cerialis*, *Caesareus* et *Caesarius*) judice euphonia. ℙ Colonia Norb. Caesariana. V. CAESAREA.

CAESĀRIĀTUS, a, um, adj. comatus, *κομήτης*. *Pl. Mil.* 3, 1, 173. Miles usque caesariatus. ℙ Translate. *Appul. de Mundo.* Vides viridantibus comis caesariatam esse terram. *Tert. Pall.* 4. Numidae etiam equis caesariati, *h. e.* qui capiti aut galeae equinas jubas impositas gestabant, juxta illud *Virg. A.* 10, 869. Aere caput fulgens, cristaque hirsutus equina.

CAESĀRIENSIS, e, adj. ad Caesarem pertinens. *Tac. H.* 2, 58. et 59. Mauritania Caesariensis. *Ulp. Dig.* 50, 15, 1. Colonia Caesariensis in Palaestina. ℙ *Caesarienses*, *ium*, Caesareae incolae. *Paul. Dig. l. c. l.* 8., cui adde *Plin.* 5, 29, 31.

CAESĀRIES, ei, f. *κόμη*, coma. *Pl. Mil.* 1, 1, 64. Caesaries quam decet! *Liv.* 28, 35. Promissa caesaries. *Hor. Od.* 1, 15, 14. Pectere caesariem. *Juven.* 13, 165. Flava caesaries. *Ov. Met.* 10, 139. Horrida. *Virg. A.* 1, 590. decora. ℙ Dicta est a *caedendo*, ideoque de viris tantum dici volunt *Serv.* ad *A.* 1, 594. et *Isid. Orig.* 11, 1., qui in feminis caedi ac tonderi non solet; atque in eo distingui a *coma*, quae viris feminisque communis sit. Sed et de feminis usurpatam legimus. *Virg. G.* 4, 337. *de Nymphis*. Caesariem effusae nitidam per candida colla. *Ov. Am.* 3, 1, 31. et movit pictis innexa cothurnis Densum caesarie terque, quaterque caput. (Adde *Met.* 4, 491.) *Catull.* 66, 8. E Bereniceo vertice caesariem. ℙ Transfertur etiam ad barbam. *Ov. Met.* 15, 656. Caesariem longae dextra deducere barbae. [*cf. de voc. etym. *Döderl. l. l.* 3, 17. qui ad *caeruleus* refert, coll. Gr. *κυάνεος*.] ℙ [De canibus etiam usurpat *Grat. Cyneg.* 272. Discretaque collo Caesaries, non pexa nimis, non frigoris illa Impatiens. *F.*]

CAESĀRĪNUS, a, um. V. CAESARIANUS.

*CAESĀRIO, onis, Julii Caesaris ex Cleopatra filius, jussu Augusti occisus. *Suet. Aug.* 17. Adde *eund. Caes.* 52. *B. A.*

*CAESAROBRICENSES, ium, Lusitaniae populi. *Plin.* 4, 22. *B. A.*

*CAESAROMĀGUS, Galliae Belgicae oppidum. V. BRATUSPANTIUM. ℙ Fuit et Caesaromagus Britanniae oppidum. *Anton. Itin. B. A.*

CAESĒNAS, atis, omn. gen. adj. ad Caesenam pertinens, urbem Senonum in Gallia Cispadana ad Sapin fluvium, nunc *Cesena*, cujus *Plin.* 3, 15, 20. meminit. *Id.* 14, 6, 8. *n.* 5. Caesenatia vina.

*CAESĬA SYLVA in Germania fuit, partim in Clivensi Ducatu, partim in Westphalia, inter Vesaliam et Koesfeldum interjecta. Pars fuit magnae illius Hercyniae. Haec *Cluverius*. *Tac. Ann.* 1, 50. *B. A.*

CAESĪCIUS, a, um, adj. *Pl. Epid.* 2, 2, 46. Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum caesicium. *Non.* 14, 17. exponit purum, candidum, a *caedendo*, quod ita ad candorem perveniat, vel quod oras circumcisas habeat. [At fortasse *caesicius* est, cui villi sunt tonsi, ut *Virg. G.* 4, 377. Tonsisque ferunt mantelia villis. *F.* *Cf. quae egregie in hanc rem disputata sunt a *Döderl. l. l.* 3, 17.] ℙ Scribitur et *caesitius*.

CAESIM, adv. *τμητικῶς*, *τμήδην*, significat caedendo, sicut *punctim* pungendo. *Liv.* 22, 46. Hispano punctim magis, quam caesim, assueto petere hostem. (Adde 7, 10.) *Suet. Cal.* 58. Gladio caesim percutere aliquem. *Colum.* 4, 25. Caesim vitem ictu falcis petere. [*Veg. Milit.* 1, 12. docet, Romanos in proeliis non caesim, sed punctim ferire solitos fuisse. *F.*] ℙ Translate *caesim dicere* est idem ac incisim, hoc est per incisa loqui, sicut *membratim* per membra, ut in illo *Cic. Or.* 1, 8. Quid porro tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? *Id. Or.* 67. Membratim adhuc; deinde caesim diximus. *Quint.* 9, 4. *ad f.* Ubicumque acriter erit et instanter pugnaciterque dicendum, membratim caesimque dicemus.

CAESIO, onis, f. *ἐκτομή*, caesura. *Colum.* 4, 33. Castanea post quinquennium caesa more salicti recreatur, atque in palum formata fere usque in alteram caesionem perennat. ℙ [Est etiam idem ac caedes, verberatio. *Tert. Apol.* 39. Inde discedditur non in catervas caesionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiae ac pudicitiae. Huc spectat locus *Suet. Ner.* 26. Redeuntes a coena verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacisque demergere assueverat. *F.*]

CAESITIUS. V. CAESICIUS.

CAESĬUS, a, um, adj. *γλαυκὸς*, qui colore est subviridi, seu glauco, qualis est in mari, et in oculis felium ac leonum; habetque aliquid de caeruleo dilutiore: quasi *coelius*, ut *Nigid.* ait ap. *Gell.* 2, 26., quia ad coeli colorem accedit. Dicitur de oculis, et de iis, qui hujusmodi oculos habent. *Cic. N. D.* 1, 30. Caesii oculi Minervae, caerulei Neptuni. *γλαυκῶπις Ἀθήνη*. *Ter. Heaut.* 5, 5, 18. Rufa virgo, caesia, sparso ore, adunco naso. *Catull.* 45, 7. Leo caesius. Adde *Ter. Hec.* 3, 4, 26. et *Auct. ad Her.* 4, 49. *ad f.* ℙ Habet superlativum *caesissimus*, sed caret comparativo, teste *Varr. L. L.* 7, 39. ℙ Est etiam nomen propr. Romanum, ductum ab oculis caesiis, ut M. Caesius, Sex. Caesius, *Cic. Verr.* 2, 1, 50. et *Flacc.* 28. Sic in *Inscr.* ap. *Grut.* 535, 1. M. Caesio L. F. Mutilo, etc. ℙ Scribitur et *coesius*.

CAESO, ōnis, m. praenomen Romanum, ei primum impositum, qui e caeso mortuae matris utero natus est, ut *Plin.* 7, 9, 7. *Festus* docent. Fuit proprium gentis Fabiae, ut Caeso Fabius ap. *Liv.* 2, 43. et 48., Caeso Quintius 3, 11. In veteribus *Inscr.* per K. scribi solet. V. in f. vocis CALUMNIA. ℙ [Deinde, ut etiam cetera praenomina minus obvia, cognomen evasit. Hinc *Inscr.* ap. *Grut.* 105, 12. C. Cornelius C. F. C. N. Gal. Caeso. *F.* ℙ **Kaeso* passim ap. *Liv.* scribit *Drakenb.*, non *Caeso*. *B. A.*]

*CAESONIA, ae, Caligulae Imperatoris uxor, luxuriae ac lasciviae perditae mulier. *Suet. Cal.* 25. 50 et 59. *Plin.* 7, 5. *Juven. sat.* 6, 615. *Pers. sat.* 6, 47. *B. A.*

CAESONIĀNUS, a, um, adj. ad Caesonium pertinens. Est autem *Caesonius* Romanum nomen. *Colum.* 1, 4. Caesonianum praeceptum, *h. e.* cujusdam Caesonii, qui de re rustica scripsit.

*CAESONĪNUS, i, cognomen fuit Pisonum, antequam Frugi dicerentur. *Cic. post Red. in Sen. Pis.* 6, 6. *extr.* et *Prov. cons.* 4. ubi est L. Piso is, qui cum A. Gabinio Consul fuit. Sed MSS. et edd. plures habent *Caesonius*, analogia sic, ut videtur, postulante. *B. A.*

CAESOR, oris, m. qui caedit. *Hieron. ep.* 53. *n.* 6. Caementarii, fabri metallorum, lignorumve caesores, *ὑλοτόμοι*. Agnoscit hanc vocem etiam *Val. Prob. in Cathol.* p. 1458.

CAESPES, ĭtis, m. *χορτόπλινθος*, terra in modum lateris caesa cum herba, ut *Festus* exponit, sicut *gleba* terrae pars est sine herba. Etymon vocis V. infra. *Cic. Caecin.* 21. Non esse arma caespites, neque glebas. ℙ Caespitum usus erat in exstruendis aris, tegendis tumulis, aggeribus aut subito tribunali castrensi faciendo, tuguriis et mapalibus erigendis aut contegendis. *Ov. Trist.* 5, 5, 9. Araque gramineo viridis de caespite fiat. *Hor. Od.* 3, 8, 2. Quid velint flores et acerra turis Plena, miraris, positusque carbo in Caespite viro, *h. e.* cum viridi vivaque herba exciso. *Juven.* 12, 2. festus promissa Deis animalia caespes Exspectat. *Serv.* ad illud *A.* 12, 118. *et Diis communibus aras gramineas*, docet Romani moris fuisse, caespitem arae superimponere et ita sacrificare. *Virg. A.* 3, 304. Hectoreum ad tumulum, viridi quidem caespite inanem etc. *Tac. A.* 1, 62. Exstruendo tumulo caespitem ponere (Adde *Germ.* 27.) *Id. ib.* 1, 18. Congerere caespites. Et *ib.* 19. aggerere. Et *ib.* 65. excidere. *Plin. Pan.* 56. Tribunal viridi caespite exstructum. *Virg. Ecl.* 1, 69. Pauperis et tuguri congestum caespite culmen. *Sen. ep.* 8. Domum utrum caespes erexerit, an varius lapis gentis alienae, nihil interest. *Horatii* quoque illud huc pertinere videtur *Od.* 2, 15, 17. Nec fortuitum spernere caespitem, *h. e.* tugurium, quod forte alicui ad habitandum contigisset. ℙ [*Caespes argenteus* est ille ornatus arae, sive foculo superpositus ex argento, ita appellatus, quod in similitudinem vivi caespitis erat effictus. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 584. In foculo argenteo cespiti ornato. ℙ *Caespes* est etiam pro ipsa ara. *Appul. Flor. n.* 1. Caespes libamine fumigatus. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 186. quas ad aras praecipis, Vervece caeso fumet ut caespes meus? *F.*] ℙ Interdum ponitur pro ipsa terra herbosa non excisa, in agro aut campo. *Virg. A.* 11, 565. atque hastam cum virgine victor Gramineo donum Triviae de cespite vellit. *Petr. Sat.* 120. Non haec autumno tellus viret, aut alit herbas Caespite laetus ager. *Plin.* 17, 4, 3. Subest arena tenuissimo caespitum corio. *Id.* 16, 31, 56. Oleae et cupressis radices per summa caespitum, *h. e.* in summa terra adrepunt. ℙ Pro tellure. *Avien. Perieg.* 227. Caespite Paphiaco prodit saxosa Charambis. Et *ib.* 388. Istius extenti sola caespitis undique sulcant Gentes innumerae, quae sparsae litore longo, etc. ℙ Per similitudinem dicitur alicujus rei globus. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 1. Hoc vocatur in vite gemma, cum ibi caespitem fecit. ℙ Sumitur etiam pro complexu unius, aut plurium herbarum, aut virgultorum. *Plin.* 21, 7, 20. Saliunca herba verius, quam flos, densa veluti manu pressa; breviterque caespes sui generis. ℙ Scribitur et *cespes* sine diphthongo. Sed quia *Festus* a *caedendo* deducere videtur, potiorem diphthongum putat *Cellar. in Orthogr.*, a quo stare videtur etiam *Dausq.* [Ceterum *Marin. Frat. Arv.* p. 585. contendit auctoritate veter. lapidum scribendum esse *cespes*, quae vox videtur esse pro *cepses* ab inusit. *cepo* pro *capio*. Addit etiam verba *cado*, *caedo*, *cedo* et *cudo* ejusdem esse originis, a Graeco nempe *κέω*. *F.*]

CAESPITĀTOR, oris, m. *Serv.* ad illud *A.* 11,

671. suffuso revolutus equo: *suffuso*, inquit, casuro, nam suffusi equi dicuntur, quos vulgo *caespitatores* vocant. [Sed alii leg. apud *Virg. l. c. suffosso. F.*]

CAESPĪTĬCĬUS, a, um, adj. ex caespite factus. *Vopisc. Prob.* 10. Caespiticium tribunal. *Capitol. in Pio* 5. Murus cespiticius.

CAESPOSUS, a, um, adj. densis herbis et caespite abundans. *Colum.* 10, 130. veteres caesposo litore Cumae. Al. leg. *caeposo*, *h. e.* caepis abundante. [**Scal.* ad *Virg. Cul.* 14. legit *Thesprota. B. A.*]

CAESTĪCUS, a, um, adj. ad caestus pertinens, ut *Caestici ludi* ap. *Tac. Ann.* 16, 21., in quibus caestu inter alia pugnabatur. Ita enim cum locum legendum et explicandum putat cum multis *Theodor. Ryckius.* Sed mira est hic lectionum varietas. Alii enim *cestici* legendum censent a *cesto* Veneris, alii *Astici*, alii *Xystici*, quod in tecta porticu celebrarentur; alii *Iseldstici.*

CAESTRUM. V. CESTRUM.

CAESTUS, us, m. a *caedendo*, seu percutiendo dictus, ideoque rectius cum diphthongo ae scribitur, ut ait *Manut.* mox citandus, et *Serv.* ad 5. *A.* 69. [At videtur potius esse a praet. perf. pass. κέκεσται verbi κέω, moveo, impello, unde est et *cestus*, quam vocem V. suo loco; scribitur autem per diphthongum *ae* more Latinorum, qui plerumque in lapidibus *scaena* scribunt, licet a σκηνὴ derivetur, et contra *cena* in iisdem, licet a δοίνη, epulum, vel a κοινὸς, communis, derivanda vox videatur. *F.*] ℙ Sunt autem *caestus* arma pugilum, nempe lora ex corio bubulo crudo, multiplici anfractu circa manum utramque, et medium paene brachium circumducta et convoluta, ac praeterea interdum plumbo insuto graviora facta, ad similitudinem arietini cornus: de quo *Plin.* 11, 37, 45. Natura dedit cornua convoluta in anfractum arietum generi, ceu caestus daret. Plura de his *Manut. de quaesit. per epist. n.* 8. et *Fabrett. de col. Trajan.* 8, 260. Hujusmodi armis pugnabant pugiles, adeo saevis ictibus invicem caedentes, ut raro sine caede pugna desineret. Certamen caestuum inter Daretem et Entellum *Virg. A.* 5, 362., inter Pollucem et Amycum *Val. Flacc.* 4, 261., inter Capaneum et Alcidamantem *Stat. Theb.* 6, 760. describit *Cic. Tusc.* 2, 17. Pugiles caestibus contusi ne ingemiscunt quidem. *Prop.* 3, 12, 9. Nunc ligat ad caestum gaudentia brachia loris. *Virg. A.* 5, 379. manibus inducere caestus. Et *ib.* 420. Exuere caestus. *Val. Flacc.* 4, 251. induere. *Stat. Theb.* 6, 829. Bellare caestu. *Virg. l. c.* 479. Librare caestus. Et *ib.* 69. crudo pugnam committere caestu. ℙ *Festus* addit caestum significare etiam genus muliebris ornatus; sed de hoc. V. CESTUS. ℙ Reperitur etiam *caestus*, *i*, pro armis pugilum. *Varr.* ap. *Non.* 8, 71. Quaero a vobis, si adversarius supercilia mi caestis descobinarit, num quis vestrum sua mihi est daturus?

CAESULLAE dicebantur, qui caesios habebant oculos. *Paul.* ex *Festo* in *Ravillae.* [*Legitur et *caesuliae. B. A.*]

CAESŪRA, ae, f. ἐκτομὴ, id. ac caesio, caedes, sectio. *Plin.* 16, 43, 84. Tempestiva caesura ligni major ad firmitatem causa, quam immatura. *Id.* 17, 20, 34. Caesura silvae. ℙ Item locus, ubi quid caesum est. *Plin.* 8, 26, 40. *de hippopotamo.* Assidua satietate obesus exit in litus recentes arundinum caesuras speculatum: atque, ubi acutissimum videt stirpem, imprimens corpus, venam in crure vulnerat. ℙ Translate *caesura* est apud grammaticos certa sectio dictionis, cum syllaba in versu post pedem remanet, quae cum sequentis vocis syllaba una, aut duabus alterum pedem efficit, τομὴ: ut in illo *Ov. Her.* 1, 1. Hunc tua Penelope *lento* tibi mittit, Ulysse. De pluribus ejus speciebus, quae variis etiam nominibus appellantur *penthemimeris*, *bucolice*, *trochaica*, etc. consule grammaticos, v. gr. *Diomed.* 3. p. 496.

CAESŪRĀTIM, adv. per caesuras et commata, seu incisa, succincte, breviter, συντόμως. *Sid. ep.* 4, 3. Tota illa dictio sic caesuratim succincta, quod profluens.

CAESUS, a, um, part. verbi *caedo*, κοπτὸς, τομαῖος, sectus, abscissus. *Enn.* ap. *Cic. Top.* 16. Trabes caesa. *Plin.* 9, 15, 18. Thynni membratim caesi. ℙ Item ictus, percussus. *Ter. Andr.* 1, 2, 28. Caesus verberibus. *Hor. Sat.* 1, 2, 65. pugnis. ℙ Item occisus. *Cic. Mil.* 5. Ille dies, in quo Ti. Gracchus est caesus. *Liv.* 22, 7. Quindecim millia Romanorum in acie caesa, decem millia sparsa fuga per omnem Etruriam. *Id.* 2, 47. Ibi hostes iterum caesi. *Plin.* 34, 6, 11. Injuria caesus. ℙ Item mactatus. *Suet. Cal.* 14. Caesae victimae. ℙ [*Intra cutem caesus* est stupro corruptus. *Tert. Pall.* 4. Pugil Cleomachus intra cutem caesus et ultra inter fullones jam Novianos coronandus. V. FULLO. *F.*] ℙ *Inter caesa et porrecta*, proverbium a sacrificiis ductum. Nam primum caeditur, seu mactatur victima, deinde ejus exta porriciuntur, hoc est porriguntur altaribus, seu Diis per oblationem: inter quae duo solebat interdum aliquantum temporis intercedere, ut patet ex *Varr. L. L.* 5, 4. et ex *Macr. Sat.* 1, 16., ubi docent, intercisos dies inde appellari, quod in iis cum hostia caeditur, fari nefas est; inter caesa et porrecta fari licet; rursus cum adoletur, non licet: et ex *eod. Varr. l. c.* 3., ubi tradit, flaminem Dialem auspicari vindemiam, et ut jussit vinum legere, agna Jovi facere; inter cujus exta caesa et porrecta prorsus vinum legere. Quod si eo temporis interstitio sinistri aliquid accidisset, litare non licebat, sed novam hostiam mactari necesse erat. Inde itaque natum proverbium est, cum quis veretur, ne male cadat negotium jam inceptum, et jam jam perficiendum, si medio illo tempore impedimentum aliquod suboriatur. *Cic. Att.* 5, 18. Quorum κεφάλαιον, ne quid inter caesa et porrecta, ut ajunt, oneris mihi addatur, aut temporis. ℙ Translate *caesa oratio* dicitur, cum singula verba quodvis significantia proferuntur, ut in illo. *Cic. Verr.* Comites illi delecti manus erant tuae; accensi, medici, haruspices tuae erant manus. Haec *Capell.* 5. p. 173. ℙ *Caesum*, *i*, est interdum idem ac incisum. *Id. ib.* Nonnullis caesis interrupta oratio.

*CAESUS, us, m. idem ac caesio. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 102. Id primum explet caesu frondium, et adgestu humi, saxorumque opere perficaci. *B. A.*

CAETĒRĀ cum derivatis. V. CETERA.

CAETRA. V. CSTRA.

CAEUS, i. V. COEUS.

CAEYX. V. CEYX.

CAJA, ae, f. nomen mulieris proprium. V. CAJUS. ℙ Item fustis, clava, baculus. *Isid. Orig.* 18, 6. scribit, catejam ab *Horatio* appellari *cajam.* Quamvis autem neque ap. *Horat.* neque apud alium praeterea Latinum scriptorem haec vox reperiatur, retinendam tamen censet *Salmas. in notis* ad *Trebell. Claud.* 14. Hinc enim factum esse *cajo*, *as*, verbero, et *cajatio*, *onis*, verberatio, de quib. V. infra.

CAJĀNUS, a, um, adj. ad Cajum pertinens. *Senec. Tranq.* 11. Cajanae custodiae, *h. e.* C. Caligulae. Et *ib.* 14. *in f.* Cajana clades, *h. e.* ab eodem Caligula facta. *Suet. Tit.* 1. nex, *h. e.* caedes Caligulae. ℙ *Cajanus as* est minimi pretii nummus, inde dictus, quod C. Caligula cum nepotinis sumptibus omnium prodigorum ingenia superasset, et ingentem pecuniae summam a Tiberio relictam brevi tempore absumpsisset, ut est apud *Suet.* in *ejus Vita* 37., ad inopiam redactus, inter cetera avaritiae suae inventa illud quoque instituit, ut assium pondus, eodem pretio manente, imminueretur, quo minore sumptu magnam pecuniae vim conflare posset. Itaque as, qui primo libralis fuerat, deinde paulatim in variis reip. necessitatibus decreverat (ut dictum est in AS.) unius avaritia principis ad vilem parvitatem redactus est. *Stat. Silv.* 4, 9, 21. De capsa miseri tabellionis Emptum plus minus asse Cajano. Ita *Barthius:* aliter *Turneb. Advers.* 20, 32.

[CAJĀTĪNUS, a, um, adj. ad Cajatiam pertinens, Samnii urbem cis Vulturnum in via Latina, nunc *Cajazzo*, cujus meminit *Liv.* 9, 43. In Samnio quoque novi motus exorti. Calatia (leg. *Cajatia*), et Sora, praesidiaque, quae in iis Romana erant, expugnata. *Inscr.* ap. *Romanelli Topogr. Napol. T.* 2. p. 433. L. Pacidejo L. F. Ter. Carpiano Patrono Municipii Cajatini. It. *Nummus ib.* Cajatino. *Liv.* 22, 13. Annibal per Allifanum, Calatinum (leg. *Cajatinum*) et Calenum agrum in campum Stellatem descendit. ℙ Haec tamen urbs non modo *Cajatia*, et gentilicum nomen inde derivatum *Cajatinus* dictus, sed saepissime etiam *Calatia*, et *Calatinus*, ita ut cognominis fuerit alteri Calatiae, quae in Campania fuit trans Volturnum in via Appia prope Capuam, nunc *le Galazze.* V. CALATINUS. *F.*]

CAJĀTIO, onis, f. verberatio: a *caja*, fustis, baculum. *Fulgent. Contin. Virgil.* In septimo vero Cajeta sepulta nutrice, idest magistriani timoris projecta gravedine: unde Cajeta dicta est, quasi coactrix aetatis. Nam et apud antiquos cajatio dicebatur puerilis caedes. Unde et *Plautus* in Cistellaria comoedia ait: Quid tu amicam times, ne te manuleo cajet? Haec *Fulgent.* Quia vero in *Cistellaria*, quae nunc exstat, haec verba non habentur, putant eruditi, legendum esse *Clitellaria*, cujus aliquot tantummodo supersunt fragmenta.

CAĪCUS, i, m. Καΐκος, fluvius Aeolidis, seu Mysiae, inter Elaeam, et Pitanen fluens in Aegaeum mare. *Mela* 1, 18. et *Plin.* 5, 30, 32. Hinc *Virg. G.* 4, 370. Mysusque Caicus. ℙ Fuit etiam *Caicus* unus ex Aeneae sociis. *Virg. A.* 1, 187. et *ib.* 9, 35. ℙ Legitur et *Caycus.*

CAJĒTA, ae, *et Graeca terminatione*, Cajete, es, f. nomen nutricis Aeneae, quae cum in ora Campaniae prope Formias vita functa et sepulta fuisset, nomen oppido et portui dedit, quibus hodieque *Gaeta* nomen est. *Virg. A.* 7, 1. Tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix, Aeternam moriens famam, Cajeta, dedisti. (*Serv.* notat in philologis legi, classem Trojanam hoc loco casu concrematam fuisse: unde Cajetam dictam esse ἀπὸ τοῦ καίειν, urere: quod confirmat *Aurel. Vict. Orig. Rom.* 10., ubi docet ex *Caesare*, et *Sempronio* hoc esse cognomen, non vero nomen nutricis Aeneae, inditum illi, quod ejus consilio Trojanae matres classem incendissent. Aliam originem V. in CAJATIO) *Ov. Met.* 14, 443. Hic me Cajeten notae pietatis alumnus, etc.

CAJĒTĀNUS, a, um, adj. ad Cajetam pertinens, ut *Catejana villa* ap. *Val. Max.* 1, 4. *n.* 5.

[CAĪLLLĀ, ae, f. diminutivum Cajae. Nomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1232, 9. Zeuxidamus, et Cailla parentes Epicharidi filiae pientissimae. *F.*]

*CAINAS, ae, Indiae flumen, in Gangem influens. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

CAJO, as, a. 1. fuste seu baculo verbero. V. CAJA. Sunt qui exponunt coercere, compescere: sed hoc eatenus admittendum, quatenus fit verberibus. Legitur in fragmentis *Plauti.* V. CAJATIO.

CAĪŎLUS, li, m. diminutivum *Caji. Stat. Silv.* 1, 1, 17. Molles Caioli, Lagunculique, *h. e.* cupediae, in quibus impressae erant formae istorum puerorum. Ita quidam interpretes. Alii leg. *Molles caseoli*, *lucunculique.*

CAĪPHAEUS, a, um, adj. ad Caiphas (Hebraei hominis nomen) pertinens. *Juvenc. Matth.* 4, 26, 402. Pulcra Caiphaeae collucent atria sedis.

CAĪPOR, puer, h. e. servus Caji. *Fest.* in *Quintipor.*

CĀĪUS, ii, m. Γάϊος, praenomen Rom. quod per C. quidem scribitur, sed *Gajus* pronunciatur, teste *Quint.* 1, 7., ductumque est a gaudio parentum (ut est ap. *Auct. de nominib. Rom.*, quem quidam *Val. Max.* putant) nimirum a γαίω, glorior, efferor, gaudeo. Aliquando tamen per G scriptum reperitur, ut in *Cenotaphio Pisano C. Caesaris.* Duae equestres inauratae Gai et Luci Caesarum statuae ponantur. ℙ *Caja* praenomen femininum, Ↄ inversa sribitur in antiquis monumentis, et *Guja* itidem pronunciatur. Fuit autem celebre apud Romanos praesertim in nuptiis, in quibus sponsus *Cajus*, sponsa *Caja* solemni appellatione vocabatur. Cum enim sponsa ad viri domum pervenerat, ante ipsas fores interrogabatur, quaenam esset: illa ominis causa, se Cajam esse, respondebat inquiens: *Ubi tu Cajus, ego Caja.* Quibus verbis vel significabat, fore se dominam et matremfamilias, ubi ille dominus et paterfamilias fuisset: vel potius (ut est ap. *Fest.* in *Gaja*) promittebat, futuram se honestam mulierem et frugi, similemque moribus Cajae Caeciliae, seu Tanaquilis, Tarquinii Prisci uxoris, quae optima lanifica fuerat, simulque pudicitia insignis: quam ob rem nubentes virgines colus compta, et fusus cum stamine comitabatur, ut *Plin.* 8, 48, 74. et *Fest. ib.* tradunt. [*Quint.* 1, 7. *a med.* Nam et *Gajus* C littera notatur, quae inversa mulierem declarat; quia tam Cajas esse vocitatas, quam Cajos, etiam ex nuptialibus sacris apparet. Adde *Vel. Long.* p. 2218. et *Prob. Not.* p. 1502. *F.*] *Cicero* etiam *Mur.* 12. tangit hunc morem, ut omnes mulieres, quae coemptionem facerent, *Cajae* vocarentur. Assumebant enim hujusmodi praenomen boni ominis causa, ut dictum est. ℙ [Hinc patet, in inscriptionibus, ubi habetur Ↄ. L. aut C. Lib., legendum esse *Cajae*, seu mulieris *Liberta*, vel *Libertus.* Quod confirmant *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 611. M. Licinius M. Ↄ. L. Tertius patronis fecit M. Licinio M. L. Felici, et Liciniae M. L. Erotini. Alia ap. *Murat.* 734, 3. P. Poblicio M. L. (*corrige* M. V. L. *h. e.* Municipii Vicetini Liberto: ita enim legitur in lapide, qui etiamnum Vicetiae exstat) Valenti Imm. vir., Matienae Q. L. Rufae Matienа P. et Ↄ. L. Suavis patronis, et sibi viva fecit. ℙ Aliquando *Cajus* in nomen transit. *Inscr.* ap. *Grut.* 1025, 9. M. Cajus Maximi Praef. Praetor. etc. ℙ Apud Scriptores historiae Augustae *Cajus* fere significat C. Caligulam. ℙ Vox est fere trisyllaba. *Catull.* 10, 30. Cinna est Caius: is sibi paravit. *Martial.* 11, 37. Caius ut fiat, Julius et Proculus. Adde 9, 93. et 5, 14. et *Stat. Silv.* 4, 9, 21. ℙ Raro est disyllaba. *Auson. epigr.* 75. *in Eunom. Medic.* Languentem Cajum moriturum dixerat olim. ℙ Ideo autem primam syllabam habet longam, quia veteres scribebant *Caiius* per duplex *ii*, quod longae quantitatis indicium est. ℙ In vocativo habet, *Cai. Martial.* 10, 16. Si donare vocas promittere, nec dare, Cai.

CĀLA, ae, f. fustis, vectis, κᾶλον, lignum, a κάω, Attice pro καίω, uro. *Serv.* ad *A.* 6, 1. Calas dicebant majores nostri fustes, quos portabant servi sequentes dominos ad proelium: unde etiam *calones* dicebantur. Nam consuetudo erat militis Romani, ut ipse sibi arma portaret et vallum. Vallum autem dicebant calam. *Lucil. ib.* Scinde puer calam, ut caleas. ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.*, quam vidit *Jo. Labusius* in *Mus. Ver.* L. Calpurnio Calai viatori tribunicio, accenso a patrono. *F.*]

CALABARRĪUNCŬLUS et Calabarrio, duae voces sunt, quarum significatio quaenam sit, non satis constat. Quidam intelligunt calatorem, qui populum ad concionem vocabat in Curiam Cala-

bram. *Gell.* 16, 7. Laberius in Restione calabarriunculos dicit, quos vulgus calabarriones.

CALABER, bra, um, adj. ad Calabriam pertinens. *Hor. Ep.* 1, 7, 14. Non quo more piris vesci Calaber jubet hospes. *Id. Od.* 3, 16, 33. Calabrae apes. *Id. ib.* 4, 8, 20. Pierides Calabrae, *h. e.* carmina Ennii, qui patria Calaber fuit. *Plin.* 3, 26, 30. Calabrum litus. ℙ Ipse quoque Horatius *Calaber* dicitur a *Mart.* 8, 18., quia Venusia ejus patria Calabriae vicina fuit. ℙ *Calabrae ores* olim eximii generis habitae sunt, teste *Colum.* 7, 2. ℙ *Calabri, orum,* sunt Calabriae populi. *Mela* 2, 4., *Sil.* 12, 396.

CALABRA Curia fuit proxima casae Romuli in Capitolio. Dicta est a *calando*, idest vocando, quod ante Fastorum evulgationem in eum locum convocato populo statim post novilunium pontifex minor, a rege sacrificulo facto sacrificio, pronunciabat, quot dies inter calendas et nonas intercederent, ut nonis convenirent aduituri, quinam dies eo mense fasti, quinam nefasti, quinam festi essent, qui ludi, quae sacrificia celebranda. *Macrob. Sat.* 1, 15. Adde *Varr. L. L.* 5, 4. *Fest.* in *Curia* et *Serv.* ad *A.* 8, 652., ubi monet, Curiam Calabram designari a *Virg.* illis verbis *v.* 654. Romuleoque recens horrebat regia culmo. ℙ Reperitur etiam *Kalabra* ea ratione, qua *Kalare* et *Kalendae.* V. CALO, as.

CALABRIA, ae, f. a Graecis Messapia dicta, regio est extremae Italiae, in secunda ejus regione, in modum peninsulae excurrens in mare Ionium. Quae nunc *Calabria* dicitur, latiores multo habet fines. V. geographos. *Hor. Od.* 1, 31, 5. aestuosae grata Calabriae armenta. Adde *Plin.* 3, 11, 16.

CALABRICO, as, a. 1. calabrica ligo. (V. CALABRICUS.) *Plin. Valer.* 3, 13. *in f.* Lanis involves et calabricabis.

CALABRICUS, a, um, adj. ad Calabriam pertinens, Calaber. *Colum.* 12, 49. *in f.* Olea Calabrica, quam quidam propter similitudinem oleastellum vocant. *Pallad.* 10, 14. Calabrica tubera. ℙ *Calabrica, ae,* videtur esse genus ligaminis, seu fasciae, qua utuntur medici in vulneribus alligandis. Si locus conjecturae est, fortasse a Calabris ovibus denominatio venit. *Plin. Valer.* 3, 13. Haec pariter coques et in modum cataplasmi linteo grosso induces et locis dolentibus impones et calabricis ligabis bis in die per triduum.

CALABRIX, icis, f. genus spinae silvestris, cui tuberes (quod est maliferae arboris genus) optime inseri docent *Plin.* 17, 10, 14. et *Pallad.* 10, 14.

*CALACTA, ae, f. *Καλὴ ἀκτὴ* (*h. e.* pulcrum littus) *Herodoto*, hodie *Galati. Anton. Itin. Calacte* audit *Sil.* 14, 251. more Graeco. *B. A.* V. voc. seq.

[CALACTINUS, a, um, adj. ad Calactam pertinens, urbem maritimam in septentrionali Siciliae plaga prope oppidum, quod nunc *Caronia* appellatur, in cujus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 199. *ΚΑΛΑΚΤΙΝΩΝ. Cic. Verr.* 2, 4, 22. Eupolemus Calactinus. *Id. Fam.* 13, 37. Contra leges Calactinorum. *Id. ib.* Hippias Calactinus. *Id. Verr.* 2, 3, 43. Calactinis quamobrem imperasti anno tertio, ut decumas agri sui, quas Calactae dare consueverant, Amestrati M. Caesio decumano darent. *F.*] *Galatini* appellantur a *Plin.* 3, 8. *B. A.*

*CALADES, *Καλάδης*, insignis pictor, de quo *Plin.* 35, 10. *B. A.*

CALAGURITANUS, a, um, adj. ad Calagurim pertinens. Duplex autem fuit Calaguris in Hispania citeriore, altera in finibus Vasconum, ad Iberum fluvium, patria Quintiliani et Prudentii, cognomine Nascica, nunc *Calahorra*, altera in finibus Ilergetum dicta Fibularia, nunc *Loharra. Plin.* 3, 3, 4. Calaguritani, qui Nascici et Calaguritani, qui Fibularenses cognominantur. ℙ De Calaguri *Auson. Profess.* 1, 7. Adserat usque licet Fabium Calaguris alumnum. ℙ Scribitur et *Calagurris* et *Calagurritanus;* item *Calagorris* ap. *Auson. ep.* 25, 57. ℙ *Reperitur et *Calagurium, i,* ap. *Liv. Epit.* 93. ed. *Gronov.*, ubi occurrit genitivus *Calagurii*, pro quo in ed. *Drakenb.* impressum *Calagurris. B. A.*

CALAIS, is, m. Boreae ex Orithyia conjuge filius alatus, qui una cum Zethe fratre similiter alato cum Argonautis Colchos profectus est. Cum in ea expeditione a Phineo rege Arcadiae Argonautae humaniter essent accepti, Harpyias, quae regnum illius infestabant, persequi constituerunt. Quas cum et alarum auxilio et sagittandi peritia in Plotas usque insulas fugassent, ab Iride admoniti sunt, ne Jovis canes ulterius persequerentur. Ii itaque retrorsum conversi, duas illas insulas, in quibus Harpyias reliquerunt, a conversione sua Strophadas appellarunt, nempe *ἀπὸ τῆς στροφῆς*, a conversione. Postremo ab Hercule occisi dicuntur et in ventos commutati, qui Caniculae exortum dies fere octo praecedunt. Unde *πρόδρομοι*, idest *praecurrentes*, appellantur. *Ov. Met.* 6, 716. et *ib.* 7, 3., *Val. Fl.* 4, 465. et *seqq.*, *Hyg. fab.* 14. et 19. et *Serv.* ad *A.* 3, 209. et alibi. *Ov. Met.* 6, 716. Implumes Calaisque puer Zethesque fuerunt etc.

*CALAMA, oppidum Numidiae. *Aug. de Civ. Dei* 22, 8. *post med. B. A.*

CALAMARIUS, a, um, adj. ad calamos pertinens, qui calamos recipit. *Calamaria theca* dicitur vasculum illud, aeneum plerumque, quod *atramentarium* etiam appellatur, in quo calami ad scribendum inficiuntur, Itali dicunt *calamajo*, Graeci *μελανοδοχεῖον. Suet. Claud.* 35. Vix remisit, ne cuivis comiti aut librario calamariae aut graphiariae thecae adimerentur. Adde titulum *epigr. lib.* 19, 14. *Mart.*, [ubi *theca calamaria* legitur. Sortitus thecam calamis armare memento, Cetera (*Aerea* scribendum contendit *Jacob. Martorellius, de R. theca calamar.* p. 183.) nos dedimus, tu leviora paras. V. THECA. *F.*]

[CALAMAULES, ae, m. *καλαμαύλης*, qui calamo canit, a *κάλαμος*, calamus, et *αὐλέω*, cano. *Not. Tir.* p. 173. Calamaulos. Leg. *Calamaules. F.*]

*CALAMENSIS, e, ad Calamam pertinens. *Notit Afr.* in *Numidia. B. A.*

[CALAMENTUM, i, n. lignum aridum et igni destinatum, a *κάλον*, lignum: est itaque pars sicca vitis, quae Latine *cala* etiam dicitur. *Colum.* 4, 27. Sic deinde ordinata vineta festinabimus emundare sarmentisque et calamentis liberare. Ita edidit *Schneiderus* ex codd., cum antea mendosa lectio haberetur *calametis.* Comparemus loca, quae huc spectant, *Pallad.* 3, 15. Statim post putationem sarmenta decisa a vineis et rubi et impedimentum fossoris omne tollatur. *Cato R. R.* 50. Ubi vineam deputaveris, acervum lignorum virgarumque facito. *F.*]

[CALAMINTHA, ae, f. *καλαμίνθη*, herba eadem ac mentastrum. *Plin.* 19, 10, 57. Senecta degenerat sisymbrium in calamintham. *F.*]

CALAMINUS, a, um, adj. *καλάμινος*, qui ex calamo constat, ut cannabinus ex cannabi. *Plin.* 2, 95, 96. In Lydia insulae, quae vocantur Calaminae, non ventis solum, sed etiam contis, quo libeat, impulsae multorum civium Mithridatico bello salus. *Varr. R. R.* 3, 17. [et *Capell.* 9. p. 3. 14. earundem insularum meminerunt. Sed apertius *Solion* in *Eclogis: Ἐν Λυδίᾳ ἐστὶ λίμνη, καλαμίνη καλουμένη, ἱερὰ δὲ οὖσα Νυμφῶν, ἣ φέρει καλάμων πλῆθος.* V. CHOREVUSA. *F.*]

*CALAMIS, idis, m. caelator egregius et statuarius. *Cic. Brut.* 18. *post init. Ov. Pont.* 4, 1, 33. *Propert.* 3, 8, (al. 9., al. 7.), 10. *Plin.* 34, 7. et 8. *med. Quint.* 12, 10. Cf. *Pausan.* p. 9. 53. 134. 443. 447. 479. etc. ed. *Kuhn.* et laudatos *Hard.* ad *Plin. l. c. B. A.*

*CALAMISSUS, i, Graeciae oppidum, in Locris Ozolis. *Plin.* 4, 3. *B. A.*

CALAMISTER vel Calamistrus, i, m. et Calamistrum, i, n. *καλαμίς*, acus ferrea, qua capilli crispantur: intus cava instar calami arundinis: unde a *Nonio* 15, 27. fistula appellatur. Differt ab acu crinali seu comatoria, quae crinibus discernendis et sustinendis inservit. *Varr. L. L.* 4, 29. Calamistri, quod his calefactis in cinere capillus ornatur: discerniculum, quo discernitur capillus. *Cic.* in *Senat.* 7. Frons calamistri notata vestigiis. *Petron. Satyr.* 102. Crines calamistro convertere. *Arnob.* 2. p. 72. Calamistris vibrare caesariem. *Inscr.* ap. *Mur.* 991, 2. Corneliae A. L. a calamistro, *h. e.* Corneliae Saloninae Aug. libertae a calamistro. ℙ Translate significat exquisitum cultum ornatumque orationis. *Cic. Or.* 23. *ad f.* Tum removebitur omnis insignis ornatus, quasi margaritarum: ne calamistri quidem adhibebuntur. *Id. Or.* 75. *de commentar. Caesaris.* Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit. *Auct. Dial. de Or.* 26. Malim hercle C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem, quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis. ℙ *Calamistrum* neutro genere clare usurparunt *Varr.* ap. *Charis.* 1. p. 61. et *Pl. Curc.* 4, 4, 21. ℙ Rectus casus singularis masculinus plerisque est *calamister*, quibusdam *calamistrus:* neutrius exempla adhuc vidimus.

CALAMISTRATUS, a, um, adj. capillus calamistro intortus: item qui hujusmodi capillos habet, *περιοστιγχωμένος. Cic. Sext.* 8. Alter unguentis affluens, calamistrata coma. *Id.* in *Senat.* 6. Calamistratus saltator. Adde *Pl. Asin.* 3, 3, 37.

CALAMITAS, atis, f. *καλαμοζοσία*, proprie significat imminutionem clademque calamorum segetis, quae grandine vel impetuoso aliquo turbine aut alia quapiam de causa fit. *Serv.* ad *G.* 1, 151. Robigo genus est vitii, quo culmi pereunt, quod a rusticanis calamitas dicitur. *Donat.* ad illud *Ter. Eun.* 1, 1. *in f.* Sed ecca ipsa egreditur, nostri fundi calamitas. Proprie, *inquit*, calamitatem rustici grandinem dicunt, quod comminuat calamum, hoc est culmum ac segetem. *Pl. Cas.* 5, 2, 29. Profecto non fuit quidquam olerum: nisi quidquid erat, calamitas profecto attigerat nunquam etc. Adde *Pacuv.* ap. *Non.* 3, 15., cujus verba in voce ARVUM attulimus. Huc respexisse videtur etiam *Cic. Verr.* 2, 1, 16 *in f.* Quacumque iter fecit, ejusmodi fuit, non ut legatus populi R., sed ut quaedam calamitas pervadere videretur. Festive *Pl. Capt.* 4, 3, 3. Quanta pernis pestis veniet! quanta callo calamitas! Hinc *calamitas fructuum* est redituum penuria. *Cic. Verr.* 2, 3, 98. Annona pretium, nisi in calamitate fructuum non habet: si autem ubertas in percipiendis fructibus fuit, consequitur vilitas in vendendis. ℙ Saepissime adhibetur translate pro quacumque pernicie, infortunio, re adversa, *ἀτυχία, συμφορά, κακοπάθεια. Cic. Div.* 1, 16. Ob eam causam populus R. calamitatem maximam cepit. *Id. Att.* 3, 9. Valde fuit ei properandum, ne quid absens acciperet calamitatis. *Id. Cluent.* 71. Affligit aliquem calamitas. *Ter. Heaut.* 2, 4, 15. incidit alicui. *Id. Hecyr. prol.* 2, 22. opprimit aliquem *Nep. Datam.* 6. et *Pelop.* 3. Hoc est mihi calamitati. *Caes. B. G.* 1, 12. Inferre insignem calamitatem alicui. *Id. ib.* 31. Frangi calamitatibus. *Sall. Cat.* 45. Esse in magna calamitate. *Gell.* 2, 3. Perpeti calamitatem. *Varr. R. R.* 2, 1. *ad f.* Afficere aliquem calamitate. [**Cic. Off.* 1, 39. Hic in domum multiplicatam non repulsam solum retulit, sed ignominiam et calamitatem. Cf. *Beier.* ad h. l.] *Nep. Timol.* 4. Ferre moderate calamitatem. *Caes. B. G.* 3, 19. perferre. *Cic. Att.* 3, 14. tolerare. *Id. Rosc. Am.* 3. levare innocentium. *Ter. Hecyr. prol.* 2, 23. sedare. ℙ In genitivo plurali et *calamitatum* habet et *calamitatium. Justin.* 16, 4. Tanta calamitatium necessitas fuit. Sunt qui aliter leg.

CALAMITES, ae, m. *καλαμίτης, βατραχος*, genus ranae omnium minimae et viridissimae, et inter arundineta et frutices viventis: a *κάλαμος*, arundo. *Plin.* 32, 10, 42. Ex ea rana, quam Graeci calamiten vocant. Et *ib.* 50. Jecur ranae diopetis, vel calamitae. Et *ib.* 7, 24. Ranae, quas diopetes et calamitas vocant. ℙ Dicitur *calamites rana* ea ratione, qua *vinum myrtites*, etc. V. ABROTONITES.

CALAMITOSE, adverb. *ἀθλίως*, infeliciter, misere. *Cic. Off.* 3, 29. Nam quod ajunt, turpiter potius, quam calamitose, an est ullum majus malum turpitudine?

CALAMITOSUS, a, um, adj. calamitatem inferens et cladem segetibus, *χαλαζοκοπῶν.* V. CALAMITAS. *Cic. Verr.* 2, 1, 38. Te per omnes partes provinciae, tanquam aliquam calamitosam tempestatem pestemque pervasisse. Adde *Ulp. Dig* 19, 2, 15. ℙ Item hujusmodi calamitati obnoxius. *Plin.* 18, 7, 18. Hordeum ex omni frumento minime calamitosum, quia ante tollitur, quam triticum occupet rubigo. *Cic. Agr.* 2, 29. Ager loco et coelo calamitosus. *Cato R. R.* 35. Fabam in locis validis, non calamitosis serito. ℙ Translate est detrimentum afferens, perniciosus, damnosus *ἀτηρός. Cic. Phil.* 11, 13. Acerbissimum et calamitosissimum bellum. *Sall. Cat.* 49. Incendium plebi maxime calamitosum. *Flor.* 3, 18. Quid hac clade tristius? quid calamitosius? ℙ Item calamitatibus oppressus, miser, infelix, *ἄθλιος. Cic. Fam.* 9, 13. Homines miseri, et fortuna magis, quam culpa calamitosi. *Id. Tusc.* 4, 38. Miseri, afflicti, aerumnosi, calamitosi. *Id. Fin.* 5, 19. Calamitosum otium. [*Quod calamitate, npe. *exilio*, factum est.] *Id. Rosc. Am.* 28. O rem miseram et calamitosam!

CALAMOCHNUS. V. ADARCA.

CALAMUS, i, m. *κάλαμος*, idem atque arundo, vel potius ipsius arundinis truncus internodiis distinctus, ut colligitur ex *Plin.* 16, 36, 65. et 66., ubi de arundine, et calamis ex professo agit, docetque varios eorum usus ad sagittas, tibias, fistulas et scriptorios calamos conficiendos. Pro ipsa arundine, *Plin.* 16, 21, 33. Non decidunt folia et in fruticum genere cuidam rubo et calamo. *Mart.* 4, 30. Dum praedam calamo tremente ducit, *h. e.* arundine piscatoria. Adde *Colum.* 2, 2. ℙ De calamo hujusmodi fabulam tradit. *Serv.* ad *Ecl.* 5, 48. Calamus Maeandri fluvii filius amavit, et amatus est a Carpo filio Zephyri, et unius ex Horis, pulcherrimo puero. Accidit ut Carpus in Maeandrum fluvium caderet, et exstingueretur. Calamus patrem propter hoc detestatus aufugit, rogavitque Jovem, ut finem suis luctibus daret, mortemque sibi praestaret, ut amato puero post obitum jungeretur. Juppiter Calamum in arundinem vertit, quae circa fluvios nasci amat: Carpum vero in fructus rerum omnium, (*καρπὸς* Graece fructum significat) ut semper renasceretur. ℙ Per metonymiam dicitur de tibia et fistula. *Virg. l. c.* Nec calamis solum aequiparas, sed voce magistrum. *Id. Ecl.* 2, 33. Pan primus calamos cera conjungere plures instituit. ℙ Item de sagitta. *Hor. Od.* 1, 15, 17. Hastas, et calami spicula Gnossii. Adde *Virg. Ecl.* 3, 13. ℙ Item de instrumento, quo in charta scribitur. *Cic. Att.* 6, 8. Cum instituissem ad te scribere, calamumque sumpsissem. *Hor. Art. P.* 446. incomptis illinet atrum Transverso calamo signum. [*Quint.* 10, 3. Membranae ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum, et cogitationis impetum frangunt. *F.*] ℙ Per simi-

litudinem dicitur de culmo segetum (unde *calamitas*). *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 7. Calamus altior frumento, quam hordeo. *Virg. G.* 1, 75. tristisque lupini Sustuleris fragiles calamos. ℙ Item de tereti virgula, aut surculo cujuscumque arboris: qualis est, quae ad insitionem reciditur. *Plin.* 17, 14, 24. *de insitione.* Multa in hoc servanda: primum omnium, quae patiatur coitum arbor, et cujus arboris calamus. Et *ib.* Calami exacutio medullam ne nudet. Et *ib. ad f.* Pomorum calami. Et *ib.* 18, 30. *n.* 2. Inseritur oleaster calamo, et inoculatione. *Id.* 24, 14, 75. Rubus Idaeus tenerior ac minor, rarioribus calamis innocentioribusque, *h. e.* spinis longiusculis, et surculorum similibus. ℙ Item de virga ad capiendas aves visco illita. *Mart.* 14, 218. cui titulus *Calami aucupatorii.* Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales. Adde 13, 68. et *Senec. Octav.* 411. ℙ [Item de iis calamis, qui in Aegypto terrae infigebantur ad ostendendam viatoribus viam. *Plin.* 6, 29, 33. Unum iter a Pelusio per arenas, in quo nisi calami defixi regant, via non reperitur, subinde aura vestigia operiente. *Hos calamos Graeci vocant σημεῖα.* V. *Jablonsk. Opusc. T.* 1. p, 164. *F.*] ℙ *Calamus odoratus*, qui et *calamus* simpliciter dicitur: vulgo *calamus aromaticus*, est, qui in Arabia, Syria et India nascitur, multis nodis geniculatus, praestantissimo odore: quare multi est usus in unguentis. *Plin.* 12, 22, 48. Calamus quoque odoratus in Arabia nascens. *Id.* 13, 1, 2. Unguentum, quod constat oleo myrteo, calamo, cupresso, lentisco etc. Sic saepe *ib.* et *ib.* 2, 2. ℙ **Calamos* vel Calamus i, oppidum Phoeniciae septentrionalis. *Plin.* 5, 20. *B. A.*

CALANTĬCA. V. CALVATICA.

CĂLĂRIS. V. CARALIS.

CALARITANUS. V. CARALITANUS.

CALARNĒA TURRIS, nomen loci in Macedonia, inter Strymonem fluvium et montem Athon. *Mela* 2, 2. *p. med. B. A.*

CĂLĂSIS, is, f. tunicae genus, quod Graeci *χαλάσιριν* dicunt. Alii dicunt, esse nodum tunicae muliebris, quo connexa circa cervicem tunica submittitur. Haec *Festus.* Magis placet *Vossio* in *Etymol.* secunda significatio: deducitque a *χαλάω*, laxo, remitto, ut sit *κάλασις* pro *χάλασις*. Ap. *Fest.* est *calassis.*

CALASTER. V. CATASTUS.

CALASTĬCUS. V. CHALASTICUS.

CALĂTHA, orum, vicus Epiri. *Liv.* 32, 13. Legitur et *Calathana. B. A.*

CĂLĂTHĬĀNUS, a, um, adj. ad calathum pertinens. *Calathianae violae* dicuntur, quod calathi similem figuram habeant. *Plin.* 21, 6, 14. In totum vero sine odore, minutoque folio calathiana, munus autumni, ceterae veris. Alii leg *calthiana*, hoc est calthae similia: al, *calatina*, ab urbe Calatia.

CĂLĂTHISCUS, i, m. *καλαθίσκος*, parvus calathus. *Catull.* 64, 318. candentis mollia lanae Vellera virgati custodibant calathisci.

CĂLĂTHUS, i, m. *κάλαθος*, vas ex vimine, vel alio ligno plerumque factum, rotunda figura, in fundo angustius, paulatimque sese dilatans, et in amplius os desinens, quale est lilii flos, quem scilicet calatho *Plin.* 21, 5, 11. assimilat. Capituli quoque Corinthii figura, si folia demas, calathum refert: qua de re V. *Vitr.* 4, 1. ℙ Vox Graeca est, usu tamen Latina facta, quamquam habent Latini eadem significatione *quasillum*, ut docent *Festus*, et *Serv.* ad *Ecl.* 2, 45. Est autem vas feminarum proprium, in quo lanam nendam reponere, flores colligere, et similia his solent. *Virg. Ecl.* 2, 46. tibi lilia plenis Ecce ferunt nymphae calathis. *Ov. Fast.* 4, 435. Haec implet (*floribus*) lento calathos e vimine textos. *Juven.* 2, 54. Vos trahitis lanam, calathisque peracta refertis Vellera. *Virg. A.* 7, 805. *de Camilla.* non illa colo, calathisve Minervae Femineas assueta manus, sed proelia virgo, etc. Adde *Ov. Her.* 9, 73. et 76. ℙ Habet etiam alios usus. *Ov. A. Am.* 2, 263. Dum bene dives ager, dum rami pondere nutant, Afferat in calatho rustica dona puer. *Virg. G.* 3, 400. Quod surgente die mulsere, horisque diurnis, Nocte premunt: quod jam tenebris, et sole cadente, Sub lucem exportant calathis, etc. Ubi *Serv.* vasis aereis, in quibus lac, vel recens caseus in urbe distrahitur. (Quod ait *aereis*, mallem *junceis:* unde opus illud lacteum, quod dicimus *giuncata.*) *Colum.* 7, 8. calathis uti docet recenti caseo percolando. *Plin.* 34, 16, 47. In calathis, in quibus aurum colligitur. *Appul. Met.* 9. Calathus fetui gallinaceo destinatus, *h. e.* in quo gallinae ova excludunt. ℙ Sunt etiam *calathi* vinaria vasa, ceu calices. *Virg. Ecl.* 5, 71. Vina novum fundam calathis Ariusia nectar. Adde *Mart.* 9, 60. et 14, 107. ℙ [Etiam pro ipso floris calice usurpatur. *Colum.* 10, 99. Calathisque virentia lilia canis, *h. e. verdeggianti gigli coi canuti panier*, ita vertit *Benedictus Del-Bene.* Adde *Auson. Idyll.* 14, 31. *de rosa.* Ridentis calathi patefecit honorem, Prodens inclusi semina densa croci. Et *Auct. incert. epigr. de rosis* 5. Tertia non totum calathi patefecerat orbem. *F.*]

CALATHUSA, ae, insula maris Aegaei. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

CĂLĀTĪNUS, a, um, adj. ad Calatiam pertinens, Campaniae urbem in via Appia trans Vulturnum fluvium prope Capuam, nunc *le Galazze:* hujus meminit. *Cic. Fam.* 16, 8. Octavianus veteranos, quique Casilini, et Calatiae sunt, perduxit ad suam sententiam. Adde *Liv.* 26, 5. ℙ *Calatini, orum*, ejus urbis incolae. *Id.* 22, 61. Defecere ad Poenos Atellani, Calatini, Hirpini Apulorum pars, Samnites praeter Pentros. ℙ Alii *Calatini* fuerunt in Samnio, qui et Cajatini sunt nominati. V. CAJATINUS. Horum urbem Calatiam memorat *Sil.* 8, 542. nec parvis aberat Calatia muris. ℙ *Plin.* 3, 5, 9. has duas urbes in Campania collocat, et conjunctim nominat plur. num. *Calatias:* nam usque ab Augusti temporibus Campania plures regiones complectebatur, quae ad Latium, ad Volscos, ad Hirpinos, ad Samnites, aliosque populos antea pertinebant. ℙ Celeber fuit A. Atilius Calatinus, qui bis consul fuit, et semel dictator et censor, quem tamen plerique putant non a Calatia dictum, sed a *calando*, id est vocando, quia cum valde pauper esset, ab aratro ad honores calatus est. Id confirmat locus *Cic. Sext.* 33., quem vide infra in V. CALATUS. Hujus viri meminit *Id. Sen.* 17. V. et *Livii Epit.* 19. et *Flor.* 2, 2.

CĂLĀTĬO, onis, f. vocatio, *κλῆσις*, a calo, as. *Varr. L. L.* 4, 1. *extr.* Nec curia Calabra sine calatione potest aperiri.

CALATIS, idis, f. *Κάλατις*, oppidum Moesiae inferioris, ad Pont. Euxinum, non procul a Tomis. *Mela* 2, 2. *med. Plin.* 4, 11. *Eutrop.* 6, 8. *Callatis* audit *Tab. Peut. B. A.*

CĂLĀTOR, oris, m. *κλήτωρ, κλητήρ*, vocator: a calo, as. *Calatores* dicti sunt servi publici, qui sacerdotibus apparebant, eorumque jussu ad aliquem vocandum, vel indicendum aliquid mittebantur, viatorum simillimo munere. *Serv.* ad *G.* 1, 268. Sunt aliqua, quae si festis diebus fiant, ferias polluant: quapropter et pontifices sacrificaturi praemittere calatores suos solent, ut, sicubi viderint opifices adsidentes opus suum, prohibeant, ne caeremonias Deorum attaminent. *Suet. Gramm.* 12. Cornelius Epicadius L. Cornelii Sullae dictatoris libertus, calatorque sacerdotio augurali. *Inscr.* ap. *Grut.* 307, 6. Vinicio Coctaeo calat. VII. vir. Epul. liberto optimo patronus. Et 304, 9. Q. Caecilio Feroci Kalatori sacerdotii Titialium Flavialium etc. *Kalator* hic per K scribitur ea ratione, qua *Kalare* et *Kalendae.* V. CALO, as. ℙ Sed et in privatis familiis *calatores* fuere. *Festus* quidem docet, hoc nomine omne servorum genus significari, quia semper vocari possunt ob necessitatem servitutis. Alii dicunt, *calatorem* esse qui nomina dictat domino, qui et *nomenculator* appellatur: alii eum, qui alios vocat ad ministerium. Verius puto servos privatos a similitudine publicorum nomen accepisse, quod ultro citroque cum mandatis a domino mitterentur. *Pl. Rud.* 2, 3, 5. Estne hic Trachalio, quem conspicor, calator Pleusidippi? *Id. Merc.* 5, 2, 11. Egomet mihi comes, calator, equus, agaso, armiger. Adde *Pseud.* 4, 2, 52., quo loco, ut et in *Mercatore*, militis servum designat. Ex quo quidam putant, calatorem et calonem idem esse: quae sententia ex his locis non satis probatur.

CĂLĀTORĬUS et Kalatorius, a, um, adj. ad calatores pertinens. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 449. *n.* 58. Permissu Kalatorio, et Flaminum tricliam fecit, *h. e.* Calatorum et Flaminum. *F.*]

CALATUM, i, oppidum Britanniae, aliis hodie *Tadcaster*, aliis *Wheallep Castle* in regione Westmariae. *Anton. Itin. B. A.*

CĂLĀTUS, a, um, part. a *calo, as*, vocatus. *Macr. Sat.* 1, 15. Calata in Capitolium plebe. ℙ *Calata* primum dicta sunt omnia *comitia*, quod ad ea populus calaretur, seu convocaretur; haec postea in *curiata*, *centuriata* et *tributa* divisa sunt. Deinde *calata comitia* speciatim dicta sunt, quae pro collegio pontificum habebantur, aut regis sacrorum, aut flaminum inaugurandorum causa: item quae sacris promulgandis, aut testamento faciendo cogebantur. Haec ex *Gell.* 15, 27. ℙ Translate et joculariter hac voce usus est *Cic. Sext.* 33. *a med.* Alter vero tribunus plebis non ille Serranus ab aratro, sed ex deserto Gavii Oleli calatis granis, in Calatinos Atilios insitus, *h. e.* tribun. pleb. Atilius, non ille Sex. Atilius Serranus, sed Calatinus, qui ita cognominatus videtur a patre, qui ob paupertatem grana in horreo deserta paene numerare, seu calare, solebat. ℙ Scribitur et *Kalatus.* V. CALO, as.

CĂLAURĒA Latois. V. v. sq.

CĂLAURĬA, ae, f. *Καλαυρία*, et *Καλάυρεια*, insula sinus Argolici contra Troezenium, quingentos passus ab eo distans. In ea Demosthenes mortuus est. *Mela* 2, 7., *Plin.* 4, 12, 19. ℙ Ab hac insula Latona cognominata est *Calaurēa*, quia ibi culta fuit. Accepta deinde Delo insula, Calauriam Neptuno cessit. *Ov. Met.* 7, 384. Inde Calaureae Latoidos aspicit arva.

CALAUTĬCA. V. CALVATICA.

CALAVII, orum, Campana gens. *Liv.* 23, 2, 3. et 27, 26. *B. A.*

CALBĔI, orum, m. plur. auctore *Festo*, dicebantur armillae, quibus triumphantes utebantur, et milites ob virtutem donabantur. Dicti sunt vel a *καλὸς*, pulcher: vel a *galbeus*, viridis, vel a *καρπὸς*, junctura manus, quod primo *carpios* diceretur, deinde *calpios*, tandem *calbius*, vel *calbeus.* ℙ *Calbiae, arum*, f. plur. etiam vocatae videntur armillae in *Not. Tir.* p. 127. Comptus, incomptus, calibiae. V. GALBEI. ℙ Idem *Festus* sub littera G ponit *Galbeum ornamenti genus.* Ubi idem, quod in hac voce, significare videtur.

CALBIENSIS, se, adj. videtur esse accola amnis in Caria, cui nomen Calbis, a *Ptolemaeo* 5, 2, et *Mela* 1, 16. memorati. *Inscr.* ap. *Grut.* 36, 1. Soli Sanctissimo Sacrum Ti. Claudius Felix et Claudia Helpis et Ti. Claudius Alypus fil. eorum votum solverunt libens merito. Calbienses de coh. III.

CALBIS, is, Cariae fluvius. *Mela.* 1, 16. *B. A.*

[CALCA, ae, f. turba, multitudo hominum sese invicem prementium. Est cognomen masculinum Romanum. *Val. Max.* 9, 15. *n.* 5. Quid Trebellius Calca? quam asseveranter se Clodium tulit! *F.*]

CALCABĬLIS, le, adj. qui calcari potest. *Sidon. ep.* 1, 5. Agger calcabili silice crustatus.

CALCĀNĔUM, i, n. *πτέρνα*, pars posterior imi pedis, a calcando ita appellata, quae et *calx* dicitur. *Virg. Mor.* 36. Continuis rimis calcanea scissa rigebant. *Lamprid. Elagab.* 20. Comedit saepius ad imitationem Apicii calcanea camelorum. ℙ A quibusdam grammaticis et lexicographis ponitur etiam *calcaneus*, i, m., sed nullo adhuc firmatur auctore.

CALCAR, āris, n. *κέντρον*, stimulus ferreus calci alligatus, quo equos pungimus et incitamus. *Isid. Orig.* 20, 16. Calcaria dicta, quia in calce hominis ligantur, id est in pedis posterioris parte, ad stimulandos equos, quibus aut pugnandum est, aut currendum. *Hirt. B. G.* 8, 48. incendere equum calcaribus. *Pl. Asin.* 3, 3, 118. Calcari agitare quadrupedem adversum clivum. *Liv.* 2, 6. Concitare equum calcaribus. *Curt.* 7, 2. Subdere equo calcaria. *Id.* 4, 16. Calcaribus subditis prorueре in hostem. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 9. Equus calcaribus stimulatus. *Virg. A.* 6, 881. Seu spumantis equi foderet calcaribus armos. ℙ [*Enn. Quir. Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 2. p. 233. *ed. Mediol.* ex Amazonis statua, quae in sinistro tantum pede fibulam habet, arguit, veteres uno tantum calcare esse usos, cujus rei confirmandae causa locum affert *Virg. A.* 11, 714. Quadrupedemque citum ferrata calce cruentat Cornipedem. At ex *loc. citatis* argui potest, antiquitus Romanos calcaribus quidem usos, non item unico tantum, quia poetarum mos est singularem numerum pro plurali usurpare. *F.*] ℙ Translate ponitur pro stimulo, incitamento. *Cic. Att.* 6, 1. Adscribit etiam, et quasi calcar admovet, intercessisse se pro iis magnam pecuniam. *Id. Brut.* 56. Ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi, et lenissimo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos. *Hor. Ep.* 2, 1, 216. si munus Apolline dignum Vis complere libris, et vatibus addere calcar. *Ov. Pont.* 4, 2, 35. laudataque virtus Crescit, et immensum gloria calcar habet. *Lucr.* 5, 1074. calcaribus ictus amoris. ℙ In illo *Varr.* ap. *Non.* 6, 21. Ventus sub occasu vehementius sufflare, et calcar admovere: *Nonius* calcar exponit impetum. ℙ *Addere calcaria sponte currenti* proverb. de eo, qui alterum incitat, et hortatur jam ultro facientem. *Plin. ep.* 1, 8. V. CURRO. ℙ Per similitudinem dicitur *calcar*, quod acutum exstat in cruribus gallinarum et gallinaceorum, *πλῆκτρον. Colum.*

CALCARĬA, ae. V. CALCARIUS.

CALCĀRĬĀRĬUS, a, um, adj. ad calcariam et calcem pertinens. ut Negotians calcariarius. *Inscr.* ap. *Grut.* 641, 1. Exonerator calcariarius. *Ib.* 1117, 5.

CALCĀRĬENSIS, is, m. calcarius, qui calci excoquendae et perficiendae dat operam. *Impp. Constantius, et Constans Cod. Theod.* 12, 1, 37. Hoc et in calcariensibus et fabricensibus et argentariis observetur.

CALCĀRĬUS, a, um, adj. ad calcem muralem pertinens, ut calcaria fornax, ap. *Cat. R. R.* 38. et *Plin.* 17, 9, 6. quae et *calcaria* absolute dicitur. *Ulp. Dig.* 48, 19, 8. In calcariam vel sulphurariam damnare aliquem. *Ammian.* 27, 3. Calcarias vino exstinguere. ℙ *De calcaria in carbonariam pervenire* proverb. ap. *Tertull. Carn. Chr.* 6., quod significat de impuro loco in immundiorem venire, vel de minore in majorem calamitatem incidere. ℙ *Calcarius, ii*, absolute, qui calcem coquit. *Cato R. R.* 16. Perficit, et coquit, et ex fornace calcem eximit calcarius.

CALCĀTOR, oris, m. qui calcat, et speciatim qui calcat uvas, *ληροβάτης. Calp. ecl.* 4, 124. Ut nudus ruptas saliat calcator in uvas. *Hieron. in Isajam* 5, 16. *n.* 9. Calcatores uvarum.

CALCĀTŌRĬUM, ii, n. ληνὸς, locus in cella vinaria, in quo uvae calcantur. *Pallad.* 1, 18. de cella vinaria: Basilicae ipsius forma calcatorium loco habeat altiore constructum, ad quod inter duos lacus, qui ad excipienda vina hinc inde depressi sint, gradibus tribus fere, aut quatuor ascendatur.

CALCĀTRIX, icis, f. qaue calcat, contemptrix. *Prud. Psych.* 587. Calcatrix mundi.

CALCĀTŪRA, ae, f. πάτησις, actus calcandi, calcatus. *Vitruv.* 10, 10. Rotae modiolis aquam haurientes, et in summum referentes, sine operarum calcatura, ipsius fluminis impulsu versatae, praestant quod opus est ad usum, *h. e.* sine ope hominum, qui calcando rotas versent, ut *ib.* dicitur 9.

CALCĀTUS, a, um, part. v. *calco*, στειπτὸς, calcando pressus. *Or. Met.* 10, 23. Calcata vipera diffudit venenum. *Id. ib.* 2, 29. Autumnus calcatis sordibus uvis. *Colum.* 2, 2. Calcatis frondibus terram contegere. *Petr. Sat.* 135. Calcato radiabat marmore terra, *h. e.* calcatu pedum attrito et splendenti. *Martial.* 12, 50. Calcatusque tuo sub pede lucet onyx. ℙ Translate est proculcatus, violatus, contemptus. *Stat. Theb.* 3, 208. Calcatum foedus. *Claud. Eutr.* 2, 123. rueret derisa vetustas, Nullaque calcati starent vestigia juris. *Senec. exc. Controv. in praef.* 4. *ad f.* Verbis calcaltis, et obsoletis uti, *h. e.* abjectis, sordidis, usu damnatis. ℙ In illo *Auct. B. H.* 16. Secumque extulerunt calcatas ad fossas complendas; *crates* alii leg., alii *calcatas* retinent, et *crates* subintelligunt, alii tandem putant, *calcatam*, esse materiam sabulo, glarea et calce constantem: at praestat intelligere id genus operis, quod salignis viminibus textum, et saxis terrave repletum, Itali *gabbione*, et vulgo *volpara* appellant. ℙ *Calcatus* pro habitatus poetice. *Sil.* 3, 675. Has umbras nemorum, et connexa cacumina coelo, Calcatosque Jovi lucos prece, Bostar, adora.

CALCĀTUS, us, m. πάτησις, actus calcandi, calcatura. *Pallad.* 2, 13. *ad f.* Ne post calcatu assiduo terra effossa solidetur. **Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 77. *B. A.*

CALCĔĀMEN, inis, n. calceamentum. *Plin.* 15, 8, 8. Calceamina amurca ungi. *Id.* 19, 2, 7. Calceamina et pastorum vestis e sparto. ℙ Scribitur et *calciamen:* sic *calciamentum*, *calciarium*, *calciatus*, *calcio*, *as*, et si qua sunt alia per *i* saepe scripta reperiuntur; saepe etiam per *e*. *Dausq.* videtur *i* retinere. Fatetur tamen utramque scriptionem usu receptam esse.

*CALCEAMENTARIUS, i, m. ὑποδηματάριος, Caligarius. *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

CALCĔĀMENTUM, i, n. ὑπόδημα, nomen generale, quo calceorum omne genus significatur. *Cic. Tusc.* 5, 32. Mihi amictui est Scythicum tegmen, calceamentum solorum callum, cubile terra. *Colum.* 12, 3. Calceamenta utrique sexui convenientia. *Plin.* 28, 4, 7. Induere calceamentum. ℙ Dicuntur etiam *calceamenta*, quibus crura vestiuntur, quae et *tibialia* appellantur. *Just.* 1, 2. de Semiram. Igitur brachia ac crura calceamentis, caput tiara texit. Ita legit *Salmas. in comment.* ad *Trebell. Gallien.* 16. Alii *velamentis*. ℙ Scribitur et *calciamentum*. V. v. praeced.

CALCĔĀRĬUM, ii, n. pecunia militibus ad calceos comparandos data, sicut *vestiarium*, quod in vestes impenditur, *clavarium*, quod in clavos, etc. *Suet. Vesp.* 8. Classiarios, qui ab Ostia et Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes constitui aliquid sibi calcearii nomine, jussit excalceatos cursitare. *Ulp. Dig.* 34, 1, 21. Diariis relictis, neque habitationem, neque vestiarium, neque calcearium deberi, palam est. Adde *ib.* 2, 15, 8. ℙ Scribitur et *calciarium*. V. CALCEAMEN.

[CALCĔĀRĬUS, a, um, adj. ad calceos pertinens. *Varr. L. L.* 7, 30. Quoniam taberna, ubi venit vinum, a vino vinaria, a creta cretaria, ab unguento unguentaria dicitur; ἀναλογιχῶς si essent vocabula, ubi caro venit, carnaria; ubi pelles, pellaria; ubi calcei, calcearia dicerentur; non laniena, pellesuina, sutrina. Hinc apparet inusitata *Varronis* tempore fuisse vocabula *carnaria*, *pellaria*, *calcearia*, licet ille putet recte dici potuisse; quod tamen ne posterioribus quidem temporibus usurpatum fuit a scriptoribus Latinis. *F.*]

CALCĔĀTOR et Calciator, oris, m. qui calceat. *Inscr.* ap. *Mur.* 909, 12. M. Livius Aug. L. Menophilus calciator.

CALCĔĀTUS, a, um, part. a *calceo*, ὑποδηθεὶς, calceis indutus. *Cic. Coel.* 26. Homines calceati et vestiti. *Suet. Aug.* 78. Ita ut vestitus calceatusque erat. *Plin.* 7, 20, 19. Calceatus cothurnis. ℙ Equi pes siccus et solidus et cornu concavo *altius calceatus* dicitur a *Pallad.* 4, 13., qui altas ungulas habet, ut est ap. *Colum.* 6, 29. ℙ Joculariter *Pl. Capt.* 1, 2, 84. parasito tribuit *dentes calceatos*, hoc est munitos, paratos instructosque ad comedendum: sumpta translatione a viatoribus, qui per scruposas vias ituri, calceis diligentius se muniunt. Dixerat enim parasito is, qui ad coenam invitaverat: *Nam meus scruposam victus commeat viam.* Similis est *Ennii* sententia ap. *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 2, 2, 25. Quippe sine cura laetus, lautus cum advenis, Insertis malis, expedito brachio, Alacer, celsus, lupino exspectans impetu, Mox dum alterius abligurias bona. Ubi *insertae malae* videntur esse clausae et adstrictae, dentibus invicem presse insertis, quales esse valde esurientium solent. Sed alii leg. *infertis*, quod quid sit, non facile dixerim. [Ita *Mart.* 12, 45. *caput calceatum* festive vocat illius, qui galericulo hoedina pelle confecto calvam sibi contegebat. *F.*] ℙ Scribitur et *calciatus*. V. CALCEAMEN.

CALCĔĀTUS, us, m. idem quod calceamentum. *Suet. Cal.* 52. Vestitu calceatuque et cetero habitu neque patrio, neque civili ac ne virili quidem usus est. *Plin.* 8, 57, 82. Calceatu utebatur. *Id.* 23, 6, 59. Solutus vinculo omni cinctus et calceatus. *Id.* 28, 16, 62. Injurias e calceatu sanat ex oleo corii caprini cinis. *Id.* 11, 45, 105. Cameli in longiore itinere sine calceatu fatiscunt. ℙ Scribitur et *calciatus*. V. CALCEAMEN.

CALCĔO, as, avi, atum, a. 1. ὑποδέω, calceis vestio. *Phaedr.* 1, 14. Cui calceandos nemo commisit pedes. *Suet. Vesp.* 23. Calceare mulas. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 13. aliquem soccis. *Id.* 7, 53, 54. Obiere, dum calceantur matutino, duo Caesares. *Id.* 32, 9, 36. Fibrinis pellibus calceari. *Pallad.* 1, 24. Spartea, qua calceantur animalia, *h. e.* solea ex sparto, qua indui boves solent, cum pedibus laborant, ut *Colum.* 6, 12. et 15. docet. *Plin.* 8, 54, 80. Simias visco inungi, laqueisque calceari imitatione venantium tradunt. ℙ Scribitur et *calcio*, *as*. V. CALCEAMEN.

[CALCĔŌCĂLĪGA, ae, f. Differt a *calceo*, qui pedem tantum vestiebat et eadem videtur esse ac *caliga*, quae pedem et partem cruris tegebat. *Not. Tir.* p. 161. Calceus, caliga, calceocaliga. *F.*]

CALCĔŌLĀRĬUS, ii, m. ὑποδηματοποιὸς, qui calceos conficit. *Pl. Aul.* 3, 5, 38. Propolae, linteones, calceolarii.

CALCĔŌLUS, i, m. ὑποδημάτιον, parvus calceus. *Cic. N. D.* 1, 29. Sospita cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. *C. Memmius* ap. *Serv.* ad *A.* 4, 261. Syriaci calceoli gemmarum stellati coloribus. *Scrib. Compos.* 208. Calceolorum ligulae.

CALCES ampullae plumbeae. *Festus.* ℙ [Videtur auctor significare laminas plumbeas, quibus ampullae vitreae, vel involucra vimine et junco texta, quibus ampullae plumbeae in ima parte circumvestiri solent. *F.*]

CALCĔUS, i, m. ὑπόδημα, pedis indumentum, quod fit plerumque ex pellibus animalium, viris feminisque commune, ingenuis tamen: nam servi calceis non utebantur. Videtur esse a *calx*, *calcis*, quia non pedem tantum, sed et calcaneum vestit, sicut *solea* solum pedis tantummodo. Alii derivant a χάλον, lignum, quod olim e ligno calcei fierent. *Varr. L. L.* 8, 29. Calcei viriles et muliebres. *Cic. Inv.* 1, 30. Si multus erat in calceis pulvis, ex itinere eum venire oportebat. *Id. Or.* 1, 54. Calcei habiles et apti ad pedem. *Hor. Sat.* 1, 3, 31. male laxus In pede calceus haeret. *Id. Ep.* 1, 10, 42. ut calceus olim, Si pede major erit, subvertet; si minor, uret. *Suet. Oth.* 6. Calceus laxatus. *Cic. Or.* 1, 54. Uti calceis. *Appul. Met.* 7. Indutus calceis. *Suet. Aug.* 92. Si mane sibi calceus perperam, ac sinister pro dextero induceretur, ut dirum auspicium observabat. *Plin.* 2, 5, 7. Calceus praepostere inductus. ℙ *Calceos poscere* dicebantur convivae, cum peracta coena erant abituri. Nam discumbentes ponebant calceos, ne tricliniares lectos foedarent. *Plin. ep.* 9, 17. Quam multi, cum lector, aut lyristes, aut comoedus inductus est, calceos poscunt! ℙ *Calceos mutare*, hoc est conditionem statumque mutare. Romani senatores calceos habebant diversos a communibus, ejusque ordinis peculiares. Hinc *Cic. Phil.* 13, 13. Est etiam Asinius quidam, senator voluntarius, lectus ipse a se. Apertam curiam vidit post Caesaris mortem: mutavit calceos: pater conscriptus repente factus est. ℙ *Ammian.* 14, 6. Quidam per ampla spatia urbis, subversasque silices sine periculi metu properantes, equos velut publicos signatis, quod dicitur, calceis agitant, familiarum agmina tanquam praedatorios globos, post terga trahentes, *h. e.* tanquam si essent patricii, et nobilissimi, quorum calcei lunula ex aluta insigniti erant. V. LUNA. ℙ De universa veterum calceorum ratione eruditum condidit libellum *Benedictus Balduinus*. *Rubenius* quoque *De re vestiar.* 2. de hac eadem re disserit.

CALCHAS, antis, m. Κάλχας, proprium nomen Graeci auguris, Thestoris filii, a quo *Thestorides* a poetis appellatur, qui cum Graecis ad expeditionem Trojae profectus est: cujus consilio, quoniam divinandi arte plurimum praestabat, multa gesta sunt. Diruta Troja reversus cum Amphilocho Amphiarai filio terrestri itinere Colophonem, cum in luco Apollinis Clarii extra urbem apud fanum in Mopsum praestantissimum augurem incidisset, artis peritia ab illo superatus, dolore contabuit; quod proposita sibi a Mopso caprifico, ut refert *Hesiodus*, aut, ut *Pherecydes* mavult, sue gravida, conjicere non potuisset, quot in illa ficus essent, quotve haec utero suculas gereret, quod tamen Mopsus sine ullo errore divinavit. *Virg. A.* 2, 182. ita digerit omina Calchas. et *ib.* 122. vatem magno Calchanta tumultu Protrahit in medios. *Calchanta* accus. est Graecae positionis. *Cic. Div.* 1, 40. Calchantem augurem scribit Homerus longe optimum. ℙ Declinatur etiam *Calchas*, *ae*, ut *Prisc.* 6. p. 702. docet. *Pl. Men.* 5, 1, 48. Novistin' tu illum? *Me.* novi cum Calcha simul. Idem *Pl.* et *Pacuv.* ap. *Charis.* 1. p. 50. hunc Calchan dixerunt: et *Cn. Gell.* hujus Calchae. *Prisc. ib.* addit, in vocativo et *Calchas*, et *Calchan* dici posse. Posset etiam idem casus esse *Calcha* ea ratione, qua *Palla* dictum est a *Virg. A.* 10, 411. et *ib.* 11, 97., ubi de Pallante Euandri filio loquitur.

CALCHĔDON. V. CHALCEDON.

CALCHEDONIUS. V. CARCHEDONIUS.

[CALCHIMĔRA, ae, f. purpurae desiderium habens: a χαλχὴ, purpura, et ἵμερος, desiderium. Nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1274, 8. Calchimerae fecit Cale et Successus. *F.*]

CALCĬĀRĬUM et CALCĬĀTUS etc. V. CALCEARIUM etc.

CALCĪFRĂGA, ae, f. ἔμπετρος, σχολοπένδριον, herba, quam nunc foeniculum marinum, vel marinam cristam vocant, Galli *percepierre*, Itali, ut quidam putant, *citracca*, nascens in marinis montibus, fere in saxo, et quo propius mari fuerit, minus salsa est; quo longius, magisque terrena, amarior sentitur, ut est ap. *Plin.* 27, 9, 51. ℙ Nomen habet a frangendis calculis vesicae, ut *Dioscorides* 3, 151. docet. *Scrib. Compos.* 150. Herba σχολοπένδριον, quam nos calcifragam appellamus. Adde *ib.* 153. Utroque autem loco calculosis prodesse tradit.

CALCĬO, as. V. CALCEO.

CALCĬOPE. V. CHALCIOPE.

CALCĪTRĀTUS, us, m. λακτισμὸς, actus calcitrandi. *Plin.* 8, 44, 69. Mulae calcitratus inhibetur vini crebriore potu.

CALCĪTRO, as, avi, atum, n. 1. λακτίζω, calcibus ferio. *Plin.* 30, 16, 53. Mulas non calcitrare, cum vinum biberint. ℙ Translate *Cic. Coel.* 15. Illum filium familias patre parco ac tenaci, habere tuis copiis devinctum non potes: calcitrat, respuit, non putat tua dona esse tanti. ℙ *Calcitrare contra stimulum*, proverb. ap. *Ammian.* 18, 5., de quo V. in CALX, alcis.

CALCĪTRO, onis, m. λακτιστὴς, qui calcibus ferit. *Varr.* ap. *Non.* 1, 214. Equum mordacem, calcitronem horridus miles non vitabat. *Pl. Asin.* 2, 3, 10. Ita haec morata est janua: extemplo janitorem Clamat, procul si quem videt ire ad se calcitronem, *h. e.* qui fores aedium calcibus pultat. Adde *Coel. Sabin.* ap. *Gell.* 4, 2.

CALCĪTROSUS, a, um, adj. λακτιστικὸς, id. q. calcitro. *Colum.* 2, 2. *ad f.* Nunquam stimulo lacessat juvencum, quod retrectantem calcitrosumque eum reddit. *Ulp. Dig.* 9, 1, 1. Si equus calcitrosus calce percusserit. Adde *ib.* 21, 1, 4.

CALCO, as, avi, atum, a. 1. πατέω, στείβω, ἐπιστείβω, calce et pede premo. *Ov. Met.* 12, 390. terraque ferox sua viscera traxit, Tractaque calcavit, calcataque rupit. *Tac. H.* 4, 81. Alius manu aeger, ut pede ac vestigio Caesaris calcaretur, orabat. *Cato R. R.* 112. Calcare uvam in torcolario. *Plin.* 18, 32, 75. musta. ℙ Nonnunquam ponitur pro ambulare, peragrare, sed fere poetice. *Hor. Od.* 1, 28, 16. Calcanda semel via leti. *Petr. Sat.* 118. Ceteri aut non viderunt viam, aut visam timuerunt calcare. et *ib.* 122. Haec ubi calcavit loca Caesar milite laeto, Oravitque locum etc. *Ov. Her.* 2, 121. Moesta tamen scopulos, fruticosaque litora calco. *Id. Trist.* 3, 10, 39. durum calcavimus aequor. *scil.* glacie concretum. *Claud. VI. Cons. Honor.* 515. patulum prospectans Narnia campum Regali calcatur equo. ℙ *Calcare* dicitur gallus gallinam iniens. *Colum.* 8, 5. *ad f.* Quae velut mares cantare, atque etiam calcare coeperunt. Sunt qui putent hic *calcare* poni pro pedibus scalpere, quemadmodum saepe solent gallinae more gallorum: ita etiam accepit *Benedict. Del-Bene*, qui locum hunc vertit Italice *scalpitare*. ℙ Pro habitare, V. CALCATUS. ℙ Saepe est inculcare, calcando immittere, arcte infarcire et implere. *Cato R. R.* 117. Calcare oleas in orculam manibus. *Varr. L. L.* 4, 35. tomentum in culcita. *Stat. Th.* 8, 542. alicui clypeum in pectora. *Virg. G.* 2, 243. Huc ager ille malus, dulcesque a fontibus undae Ad plenum calcentur. [*Inscr.* ap. *Don. cl.* 11. *n.* 6. Locum emit massam calcavit, cupam aedificavit, *h. e.* murum in quo olla, sive cupae in suis loculis collocarentur, exstruxit. *F.*] ℙ Item proculcare, contemnere, nihili ducere. *Prop.* 2, 7, 82. Insultetque rogis, calcet et ossa mea. *Justin.* 12. *in f.* Cum nullo hostium unquam congressus est, quem non vicerit; nullam gentem adiit, quam non calcaverit. *Ov. Amor.* 3, 11, 5. Vicimus, et dominum pedi-

bus calcamus amorem. *Auct. Pan. ad Pison.* 107. non humilem calcat fastosa clientem. *Quint.* 5, 13. *ante med.* Simulatio huc usque procedit, ut quae dicendo refutare non possumus, quasi fastidiendo calcemus. *Id. Decl.* 321. Calcare patientiam alicujus. V. CALCATUS.

CALCŪLĀRIUS, a, um, adj. ad calculos pertinens. *Modest. Dig.* 50, 8, 8. Calcularii erroris retractatio etiam post decennii tempora admittetur.

CALCŪLĀTĬO, onis, f. *λιθίασις*, calculorum generatio in vesica. *Coel. Aur. Tard.* 5, 4. In vesica speciales plurimae passiones eveniunt, tumor, collectio, debilitas, paralysis, calculatio. ℙ Item computatio. *Cassiod. Variar. ep.* 1, 10. Crescit nova conditione, per se redeundo, addita sibi semper ipsa calculatio. Adde *Venant. ep.* 5, 6. *ad Syagrium.*

CALCŪLĀTOR, oris, m. *λογιστής*, qui rationes conficit. [*Isid. Orig.* 10. litt. *C.* Calculator a calculis, id est lapillis minutis, quos antiqui manu tenentes numeros componebant. V. ABACUS. *F.*] *Martial.* 10, 62. Nec calculator, nec notarius velox. *Ulp. Dig.* 38, 1, 7. Si forte vel librarius, vel nomenclator, vel calculator sit. *Inscr.* ap. *Grut.* 376, 7. P. Caecilius Epaphroditus VI. Vir. Aug. calculator. [*Edict. Dioclet.* p. 22. Magistro instituto litterarum in singulis pueris menstruos ✕. L.: calculatori in singulis pueris menstruos ✕ septuaginta quinque. *Isid. Orig.* 1, 3. Primordia grammaticae artis litterae communes exsistunt, quas librarii et calculatores sequuntur; nam veteres Graeci et Romani iisdem litteris seu signis utebantur in scribendo et calculando. ℙ Ex locis supra allatis patet, hallucinari *Morcell. De stil. Inscr. T.* 3. p. 79. *ed. Pat.*, qui putat, *calculatorem* alium esse a *ratiocinatore*, atque ita fuisse appellatum, qui pueros litteras docebat. *F.*]

[*CALCŪLĀTŌRĬUS et Calcŭlātōrĕus, a, um, adj. qui calculis subducendis inservit. *Inscr.* ap. *Fea*, *Var. di notiz.* p. 172. Philura calculatorea, *h. e.* philyra, in qua rationes subducuntur. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 7, 73. Alveolus est tabula calculatoria, lusoria. *F.* et *B. A.*]

CALCŪLENSIS, se, adj. *Plin.* 9, 37, 61. Purpurae genera plura: lutense putri limo, et algense nutritum alga, vilissimum utrumque: melius taeniense in taeniis maris collectum: calculense appellatur a calculo maris, mire aptum conchyliis. Ita *Harduin.*

CALCŪLO, as, a. 1. *λογίζω*, *ψηφίζομαι*, calculum pono, rationem ineo. *Prud. περὶ στεφ.* 3, 131. Nam calculanda est primitus, Tum subnotanda est summula. ℙ Translate *Sidon. in concione post ep.* 9. *l.* 7. Solam clericatus diuturnitatem pro meritis autumant calculandam.

CALCULO, onis, m. id. q. calculator. *August. de Ord.* 2, 12. Quibus duobus repertis nata est illa librariorum et calculonum professio. Adde *Ruf. Fest. in. Breviar.*, ubi tamen plerique alii leg. *calculator.*

CALCŪLOSUS, a, um, adj. *λιθώδης*, calculis abundans. *Plin.* 35, 14, 49. Lateres non sunt e sabuloso, neque arenoso, multoque minus calculoso ducendi solo. *Colum. Arbor.* 21. Ficus loca aprica, calculosa, glareosa, interdum et saxosa amat. ℙ Item calculis vesicae laborans, *λιθιῶν. Cels.* 7, 26. *n.* 2. Adhibere curationem calculosis. *Plin.* 28, 4, 9. Ejectus lapillus calculoso, alligatusque supra pubem, levare ceteros dicitur. Adde *Scrib. Compos.* 150. et 153.

CALCŪLUS, i, m. *λιθίδιον*, *κόχλαξ*, *ψῆφος*, lapillus, ita dictus per deminutionem a *calx*, *calcis*, qua lapidem significat, ut *Fest.* in voce *Cancri* docet. *Serv.* ad *G.* 2, 180. et *Isid. Orig.* 16, 3. tradunt, *calculum* esse lapillum terrae admixtum, atque ita appellari, quod sine molestia calcetur. *Cic. Or.* 1, 61. Demosthenes conjectis in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronunciare consuescebat. *Virg. G.* 2, 18. Tenuis ubi argilla et dumosis calculus arvis. *Vitr.* 7, 2. Si ad asciam offenderint calculi, calx non erit temperata. *Plin.* 28, 9, 33. Calculi marini, *h. e.* qui in fundo maris sunt. *Id.* 4, 8, 15. Peneus amnis viridis calculo, *h. e.* virides calculos in fundo habens. *Id.* 7, 40, 41. Calculi candore laudatus dies. *Id. ib.* narrat, morem fuisse Thraciae gentis, ut calculos colore distinctos pro experimento cujusque diei, qui dies felix cuique isset, vel infelix, in urnam condere, ac supremo die separatos dinumerare, ad dignoscendum, utri frequentiores fuissent; atque ita de quoque pronunciare, felixne, an infelix jure dici posset. Quo pertinent loca *Martial.* 12, 34. et 9, 53., item *Plin. jun. ep.* 6, 11. et *Pers.* 2, 1. etc. ℙ Dicitur etiam de lapillo, qui in renibus et vesica gigni solet, *λιθίασις*. *Cels.* 7, 26. Urina non redditur, quia calculus intus se opposuit. V. ibi plura. *Plin.* 21, 27, 100. Calculorum valetudo. *Id.* 20, 21, 86. Curare calculos. et *ib.* 22, 87. discutere. et *ib.* 4, 13. comminuere et ejicere. *Id.* 20, 22, 91. et 11, 18, 70. ciere, movere. *Id.* 20, 10, 42. exturbare. *Id.* 22, 21, 26. pellere. et *ib.* 29. frangere. *Id.* 23, 8, 80. rumpere. ℙ Sunt etiam calculi lusorii, nempe iidem, qui *latrunculi* et *latrones*, Graece *πόλεις:* ludus valde similis ei, quem Itali dicunt *scacchi.* Dicti sunt *calculi*, quia primum lapillis ad id ludi genus usi sunt: deinde ex alia materia fecere, sed frequentissime e vitro, aliquando etiam ex ebore, auro, argento. Triginta duo erant, bicolores, fere autem sexdecim albi, ac totidem nigri, vel rubei: disponebantur in tabula lusoria hinc atque inde in duas turmas divisi, suisque regionibus lineisque conclusi, movebanturque multa arte, ne circumvenire alter alterum posset. Si qui calculus incomitatus a duobus aliis discoloribus circumveniretur, vinci dicebatur, et *capi (schlagen):* si duo simul contra leges ludi moti loco fuissent, *capi* quidem ab uno adversario non poterant, sed *ligari*, hoc est ita concludi, ut exire loco non amplius possent, fierentque lusori inutiles, dicebanturque *calculi inciti:* ex quo natum proverb. ad *incitas redigi.* V. INCITUS. *Isid. Orig.* 18, 67. tres calculorum species enumerat: alios *ordinarios*, qui ordine (seu, ut *Varr. L. L.* 9, 1., per ordines transversos vel directos) movebantur: alios *vagos*, qui vage: alios *incitos*, quos modo diximus. Universam tractandorum calculorum rationem ita describit *Auct. Pan. ad Pison.* 180. Callidiore modo tabula variatur aperta Calculus, et vitreo peraguntur milite bella, Ut niveus nigros, nunc et niger alliget albos. Sed tibi quis non terga dedit? quis te duce cessit Calculus? aut quis non periturus perdidit hostem? Mille modis acies tua dimicat: ille petentem Dum fugit, ipse rapit: longo venit ille recessu, Qui stetit in speculis: hic se committere rixae Audet, et in praedam venientem decipit hostem. Ancipites subit ille moras, similisque ligato Obligat ipse duos: hic ad majora movetur, [Ut citus, et fracta prorumpat in agmina mandra, Clausaque dejecto populetur moenia vallo. Interea sectis quamvis acerrima surgant Proelia militibus; plena tamen ipse phalange, Aut etiam pauco spoliata milite, vincis, Et tibi captiva resonat manus utraque turba. *F.*] Hujus ludi victoria in eo sita erat, ut alter alterum calculis omnibus spoliaret, aut omnes ad incitas redigeret. Calculorum turba *milites* dicebantur, vel, ut alii volunt, erant utrinque duo centuriones, duo elephantes, duo equites, duo satellites, et octo pedites. Totus vero hic ludus imago fuit militaris aciei, quem propterea illi potissimum callere solebant, qui in re bellica versabantur. Qui superior discedebat, imperator exiisse dicebatur, cujus rei testimonium habetur apud *Vopisc. Procul.* 13. ℙ Sunt qui putant, calculorum ludum a latrunculis distinctum esse, sed unam eandemque rem esse *Wernsdorfius Poet. Latin. min. T. IV. Excurs. XI.* p. 404. et *seqq.* pluribus probat, et confirmant exempla, quae subjicimus. *Ov. A. Am.* 2, 207. Sive latrocinii sub imagine calculus ibit: Fac, pereat vitreo miles ab hoste tuus. Et *ib.* 3, 357. Cautaque non stulte latronum proelia ludat, Unus cum gemino calculus hoste perit. *Martial. epigr.* 14, 20., cui titulus *Calculi.* Insidiosorum si ludis bella latronum, Gemmeus iste tibi miles et hostis erit. V. MANDRA. ℙ Translate. *Cic. Att.* 8, 12. Nunc saltem ad illos calculos revertamur, quos tum abjecimus, ut non solum gloriosis consiliis utamur, sed etiam salubribus. ℙ Praeterea quoniam lapillis rationes inire mos olim fuit, eorumque adjectione, aut detractione aliquid numerare, *calculus* ponitur pro supputatione, *λογισμός. Quint.* 7, 4. In tutelae judicio solet quaeri, an alia de re, quam de calculis, cognosci oporteat. *Cic. Amic.* 16. et *Liv.* 5, 4. Vocare aliquid ad calculum, ut par sit ratio acceptorum et datorum. Sic *Val. Max.* 4, 7. *n.* 1. Revocare aliquid ad calculos. *Petr. Sat.* 115., *Plin. Pan.* 20. et *Colum.* 3, 3. Ponere calculum cum aliquo. *Cic. Fin.* 2, 19. Subducere calculum. *eodem sensu.* Sic *Colum.* 5, 1. Imposito calculo rationem computare. *Capitol. Pertin.* 1. Puer litteris elementariis et calculo imbutus. *Paul. Dig.* 4, 3, 29. Calculi ratione convenire aliquem. *Ulp. ib.* 3, 2, 6. Calculum judicio dirimere. *Macer ib.* 49, 8, 1. Error calculi. ℙ Translate. *Plin. ep.* 1, 14. *ad f.* Hic quoque in conditionibus deligendis ponendus est calculus. *Id. ep.* 2, 19. *ad f.* Omnes, quos ego movi, in utraque parte calculos pone, *h. e.* omnia rationum momenta, quae ego proposui, perpende, et veluti rationem ini. *Id. ep.* 5, 2. Accepi pulcherrimos turdos, cum quibus parem calculum ponere non possum, *h. e.* par pari referre, et quasi parem rationem adscribere. ℙ Item quia lapillis vel nigris, vel albis in urnam conjectis suffragium, aut sententiam ferebant veteres, sumitur *calculus* pro sententia, aut suffragio. *ψῆφος. Ov. Met.* 15, 41. Mos erat antiquus, niveis, atrisque lapillis, His damnare reos, illis absolvere culpae. Nunc quoque sic lata est sententia tristis; et omnis Calculus immitem demittitur ater in urnam. *Quint.* 8, 3. *sub in.* Causae paucorum calculorum, *h. e.* paucorum judicum. *Imp. Justin. Cod.* 3, 1, 12. Judicialis calculus. *Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 7, 62, 10. Deteriorem calculum reportare, *h. e.* adversam sententiam. *Appul. Met.* 7. Calculis omnibus ducatum alicui deferre. ℙ Translate. *Plin. ep.* 1, 2. Si modo tu fortasse errori nostro album calculum adjeceris, *h. e.* approbaveris. ℙ Est etiam nomen ponderis. *Auct. de ponder.* ap. *Goes. Agrar.* p. 322. Ponderum pars minima calculus est, qui constat ex granis siceris duobus, et apud quosdam siliqua pensante, quae tribus granis hordei declaratur in pondere. Duo calculi ceratium faciunt. Quatuor calculi, sive duo ceratia, obolum reddunt.

CALDA, ae, f. V. CALDUS.

CALDĀMENTUM, i, n. fomentum calidum. *Marcell. Empir.* 5. Caldamentis adhibitis sopiri.

CALDĀRIA. V. CALDARIUS.

CALDĀRIŎLA, ae, f. parva caldaria, parvum vas ad aquam calefaciendam, vel ad alium similem usum. Legitur apud *Vet. Schol. Juven.* ad illud 5, 47. Siccabis calicem nasorum quatuor, ac jam Quassatum, etc. [*Vulgo legitur *Calvariola. B. A.*]

CALDĀRĬUM. V. CALDARIUS.

CALDĀRĬUS et Călĭdarius, a, um, adj. ad calefaciendum, vel calescendum pertinens. *Caldaria cella* in balneis erat, in qua aqua calida lavabant; cui annexa erat *tepidaria*, inde *frigidaria:* Italice *stufa* dici potest. *Plin. ep.* 5, 6. Frigidariae cellae connectitur media, cui sol benignissime praesto est, caldariae magis. ℙ *Calidaria maltha* est qua in caldaria balnei cella utebantur, si quando ejus parietes scinderentur: sicut *frigidaria*, qua utebantur in cella frigidaria. Utriusque meminit *Pallad.* 1, 41., ubi earum conficiendarum rationem tradit. ℙ *Caldaria cella* dicitur etiam *caldarium*, et *calidarium*, *ii*, et *caldaria*, *ae*, absolute. *Vitruv.* 5, 10. Ipsa autem caldaria tepidariaque lumen habeant ab occidente hiberno. *Senec. ep.* 86. Diem in caldarium latis specularibus admittere. *Cels.* 1, 4. Si in balneum venit, in tepidario insudare, tum transire in calidarium. *Marcell. Empir.* 25. Deinde ad balneum ducas, et, cum sudaverit, diutissime compellas in tosta caldaria commorari. ℙ Etiam vas, in quo aqua in balneis calefit, *caldarium* dicitur, (subaudi *ahenum*, vel *vas*). *Vitruv. ib.* ℙ Hoc idem etiam *caldaria*, *ae*, appellatur. *Appul. Herb.* 59. Herbae radices in caldaria decoquere. ℙ Apud *Plin.* 34, 8, 20. dicitur *caldarium aes*, quod tantum funditur, sed malleis duci non potest: cui contrarium est *regulare*, quod et funditur, et in regulas malleo ducitur.

[CALDĬUS pro Claudius joculariter dictus est imperator Tiberius Claudius Nero, non a potu caldae, sed quod mero frequenter incalesceret, et caldus potator esset. *Suet. Tib.* 42. In castris, tiro etiam tum, propter nimiam vini aviditatem pro Tiberio Biserius, pro Claudio Caldius, pro Nerone Mero vocabatur. *F.*]

CALDOR, oris, m. *θέρμη*, calor. *Varr. R. R.* 1, 55. Olea lecta, si nimium diu fuit in acervis, caldore fracescit, et oleum foetidum fit. *Id. ib.* 3, 9. Evitare caldorem et frigus. *Gell.* 17, 8. Vinum semina quaedam caldoris in sese habet. *Arnob.* 7, 240. Lavacrorum se refovere caldoribus.

CALDUS, a, um, adj. *θερμός*, per syncopen a *calidus*, idemque omnino significans. *Varr. L. L.* 4, 22. in testu caldo coquere. Et *ib.* 27. Caldam pultem apponere. *Id. R. R.* 3, 2. Sol caldus. *Martial.* 2, 28. Calda bucca. *Id.* 8, 67. aqua. Adde *Senec. ep.* 85. ℙ *Calda*, *ae*, absolute est aqua calida. *Senec. ep.* 83. In frigidam descendi: hoc apud me vocatur parum calda. *Plin.* 23, 4, 41. Oleum cicinum bibitur cum pari caldae mensura. *Colum.* 6, 13 et 30. Fovere os calda. *Martial.* 1, 12. Jam defecisset portantes calda ministros. Adde *Val. Max.* 2, 4. *n.* 5. ℙ Negare videtur *Varro L. L.* 7, 39. *caldius*, et *caldissimum* in usu esse: nihilominus *Hor. Sat.* 1, 3, 53. Caldior est? acres inter numeretur, *h. e.* ad irascendum pronior, translate. Hoc sensu Itali quoque dicunt *uomo caldo* [*nos: *ein hitziger Mensch.*] Sic *Cic. Invent.* 2, 9. Ut si dicamus, idcirco aliquem Caldum vocari, quod temerario et repentino consilio sit. ℙ *Quint.* 1, 6. narrat, solitum fuisse Augustum reprehendere in C. Caesare, quod *calidum* dicere, quam *caldum* mallet, non quia illud Latinum non esset, sed quia odiosum, et, ut ipse Graeco verbo significabat, *περίεργον*, *h. e.* nimis exquisite et curiose dictum. Porro *odiosum* appellasse videtur, quia valde proximum voci *callidus*, quod fere in malam partem usurpari solet. Ex hoc intelligimus, Augusti aevo *caldum* pro *calidum* usitatissimum fuisse. ℙ Fuit cognomen Romanum in gente Coelia, ut C. Coelius Caldus, ap. *Cic. Fam.* 2, 19. et in nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 175.

[CALE, es, f. V. CALUS. *F.*]

*CALE, oppidum Mysiae. *Plin.* 5, 30. ℙ Item portus Hispaniae, in Gallaecia. *Anton. Itin.* Inde et nomen profectum est Gallaeciae sive Callaeciae. Quin et hodiernum vocabulum Portugal nihil aliud est, nisi *Portus Cale* corruptum. ℙ Fuit et in

Gallia hoc nomine oppidum, quod *Sallust.* in *fragm.* a Perpenna captum fuisse tradit. *B. A.*

CALECANDUS. } V. CALICATA.
CALECATUS. }

CALĔDŌNĬA, ae, f. *Καληδονία*, regio Britanniae, in media fere parte regni Scotiae, ubi Caledonii populi. *Tac. Agr.* 10., *Plin.* 4, 16, 30., *Solin.* 22. ℙ In ea regione ingens silva fuit, horrore saltuum, ferarumque immanitate terribilis. V. CALEDONIUS. ℙ Scribitur et *Calidonia.*

CALĔDŌNES, um, m. plur. populi Caledoniae. *Eumen. Paneg. ad Constantin.* 7. Non dico Caledonum, aliorumque Pictorum silvas et paludes, sed nec Hiberniam proximam, etc. ℙ Scribitur et *Calidones.*

CALĔDŌNĬCUS, a, um, adj. Caledonius. *Solin.* 22. Caledonicus angulus. ℙ Scribitur et *Calidonicus.*

CALĔDŌNĬUS, a, um, adj. *Καληδόνιος*, ad Caledoniam pertinens. *Flor.* 1, 17. Caledonius saltus. Et 3, 10. Caledoniae silvae. *Martial. Spectac.* 7. Nuda Caledonio sic pectora praebuit urso. *Id.* 10, 44. et *Lucan.* 6, 68. Britanni Caledonii. *Val. Flacc.* 1, 8. Caledonius Oceanus. ℙ Scribitur et *Calidonius:* sed *Calydonius* per *y* V. infra suo loco.

CALĔFĂCĬO, et per syncop. Calfacio, is, eci, actum, a. 3. *θερμαίνω*, calidum facio. *Cic. N. D.* 2, 60. Ad calefaciendum corpus igni adhibito. Al. leg. *calfaciendum. Lucr.* 6, 687. calefecitque omnia circum. *Ov. Fast.* 4, 698. calfacit igne focum. *Gell.* 13. *in f.* Vinum quod neque refrigerat, neque calefacit. *Augustus* ap. *Suet. in ejus Vita* 71. Lusimus per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus. *Ov. A. Am.* 2, 214. Algentis manus est calfaciendа sinu. ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 3, 2. Eodem die Gabinium ad populum luculenter calefecerat Memmius, *h. e.* vehementer accusando exagitaverat. *Id. Fam.* 16, 18. Iste nos tanta impensa derideat? calface hominem, *h. e.* commove, hortare, accende. Adde *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. ℙ *Calefacior* passivum. *Vitr.* 5, 10. Testudines alveorum ex communi hypocausi calefacientur. *Id.* 4, 7. simili ratione *concalefaciuntur* dixit. Sed non est imitandus. *Quint.* 1, 6. tradit *calfacio* suo quoque tempore usitatius fuisse, quam *calefacio.*

CALĔFACTĬO, onis, f. *θέρμανσις*, calefaciendi actus. *Hermogenian. Dig.* 50, 4, 1. Calefactiones thermarum. *Arcad. ib.* 18. Calefactio publici balnei.

CALĔFACTO, as, avi, atum, a. 1. *θερμαίνω*, id. q. *calefacio:* sed quia frequentativum est, majorem quandam vim habet. *Hor. Ep.* 2, 2, 169. lignis calefactat ahenum. *Pl. Rud.* 2, 3, 80. Calefactare aquam. *Gell.* 17, 8. Oleum vim in corporibus calefactandis habet. ℙ Festive *Pl. Cas.* 2, 6, 48. Ipse actutum virgis calefactabere.

CALĔFACTORĬUS, a, um, adj. calefaciendi vim habens. Usurpant *Plin. Valer.* 1, 38. et *Theodor. Priscian. de diaeta* 10.

CALĔFACTUS, et per sync. Calfactus, a, um, part. a *calefacio*, vel *calfacio*, *θερμανθείς*, calidus factus. *Varr. L. L.* 4, 29. Calamistris calefactis in cinere capillus ornatur. *Virg. A.* 12, 65. cui plurimus ignem Subjecit rubor, et calefacta per ora cucurrit. ℙ Translate. *Id. ib.* 269. Turbati cunei, calefactaque corda tumultu, *h. e.* commota, accensa. *Ov. Ib.* 47. petit primo plenum flaventis arenae Nondum calfacti velitis hasta solum, *h. e.* nondum accensi in pugnam. *Claud. B. Gild.* 182. Ut vino calefacta Venus.

CALĔFACTUS, et per sync. Calfactus, us, m. calefactio, *θέρμανσις*. *Plin.* 29, 3, 11. Calfactu fovere. *Lactant. Opif. Dei* 14. Jecur cibos concoquit amplexu et calefactu suo. ℙ Extra ablativum casum nondum exempla vidimus.

CALĔFĬO, is, passiv. anom. *θερμαίνομαι*, calidus fio. *Cic. Att.* 2, 3. *in f.* Balineum calefieri jubebo. *Auct. ad Her.* 3, 12. Fauces calefiunt, et arteriae complentur. ℙ *Calfio* per syncop. est ap *Charis.* 3. p. 220.

CALENDAE, arum, f. plur. *νουμηνία*, et *νουμηνία*, primus dies cujusque mensis, a *καλεῖν*, vocare, a quo *calo, as* factum est. Primis enim reipublicae temporibus, antequam Fasti vulgarentur, solebat minor pontifex populum calare, seu convocare in Curiam Calabram, ibique re divina facta pronunciare inter alia, quot numero dies a primo ad nonas superessent, quinquene, an septem. Qua in re utebatur his verbis (ap. *Varr. L. L.* 5, 4. ex emendatione *Scalig.*) *Quinque dies te calo, Juno novella: Septem dies te calo, Juno novella, h. e.* hoc mense per quinque vel septem dies invoco te, Juno novella. (V. CALO.) Primi enim cujusque mensis dies Junoni sacri erant, ut docent *Ov. Fast.* 1, 55. et *Macr. Sat.* 1, 15., ubi plura de hac re. Hinc factum est, ut primus mensis dies *calendae* appellarentur. Conscriptis postea Fastis et calendario constituto, cessatum est a populi calatione, mansit tamen *calendarum* vocabulum. *Varr. l. c.* Primi dies mensium nominati calendae ab eo, quod his diebus calentur ejus mensis nonae a pontificibus. *Cic. Att.* 13, 17. Rogat magnopere, ut sim calendis in senatu. *Id. Q. Fr.* 3, 4. Haec scripsi a. d. IX. calend. Novemb., *h. e.* die vigesima quarta Octobris. (De hac loquendi ratione tum in hac voce, tum in illi cognatis per totum mensem, grammaticos consule.) *Id. Att.* 3, 17. Ex ante diem non. Jun. usquè ad pridie cal. Sept. *h. e.* usque ad diem ultimum Augusti. *Cato R. R.* 149. Pabulum frui occipito ex calend. Septembribus. *Solin.* 1. Ante diem duodecimum calendarum Januariarum. ℙ Per synecdochen *Calendae* sunt menses. *Ov. Fast.* 3, 99. Nec totidem veteres, quot nunc, habuere calendas. ℙ Dicuntur etiam *Calendae primae, secundae, tertiae*, etc., hoc est primus, secundus, tertius mensis. *Cato R. R.* 147. Locus vinis ad cal. Octobr. primas dabitur: si non ante ea exportaveris, dominus vino, quod volet, faciet. (Adde *ib.* 148.) *Martial.* 1, 100. Atque intra, puto, septimas calendas Mortes hoc tibi quatuor dederunt *Id.* 10, 75. Transierant binae forsan, trinaeve calendae. *Paul. Dig.* 45, 1, 46. Centesimis calendis dari utiliter stipulamur. ℙ Sic dicimus *calendis proximis, sequentibus, futuris*, eod. sensu. *Ulp. Dig.* 45, 1, 13. et 41. et *Paul. ib.* 12, 1, 40. ℙ Apud *Ov. Fast.* 6, 180. *sextae calendae* est primus dies mensis Junii, qui est sextus anni, si a Januario incipias. ℙ Quaerit *Gell.* 12, 13. quid significet *intra calendas*, num ante calendas, an vero in ipsis calendis: respondetque ex recepta vulgi consuetudine idem esse ac *ante calendas*, sed si verborum vim spectes, significare etiam *in ipsis calendis.* Lege integrum illud cap. ℙ *Calendae* propriae sunt Latinorum: neque enim Graeci hac appellatione, quamvis origine Graeca sit, sed alia utuntur ad denotandum primum mensis diem. Hinc *Calendas Ausonias* vocat *Ov. Fast.* 1, 55. Hinc etiam de iis, qui debita nunquam soluturi sunt, proverbio dicitur, *ad calendas Graecas* soluturos; quo saepe usum Augustum, *Suet.* narrat *in ejus Vita* 87. ℙ *Calendis* cujusque mensis solebant creditores usurarum solutionem a debitoribus exigere. Feneratores enim calendis pecuniam fenori dare, et calendarum diem pro solutione definire solebant. *Hor. Epod.* 2, 67. fenerator Alphius Omnem relegit idibus pecuniam: Quaerit calendis ponere. *Id. Sat.* 1, 3, 87. cum tristes misero venere calendae, Mercedem aut nummos unde extricat. *Ov. R. Am.* 561. Qui puteal, Janumque timet, celeresque calendas. ℙ *Calendae Martiae* solemnes erant matronis Romanis. In iis enim matronalia celebrabant (de quibus *Ov. Fast.* 3, 170. et seqq.) et munera invicem missitabant, et a viris accipiebant, servis coenas ponebant, similiaque iis faciebant, quae viri Saturnalibus, ut *Macr. Sat.* 1, 12., *Solin.* 1. docent. *Festus* scribit, Martias calendas a matronis celebratas, quod eo die Junonis Lucinae aedes coli coepta sit. Alii, in memoriam dirempti proelii inter Romanos, et Sabinos feminarum interventu: alii in honorem Iliae, quae ex Marte Romulum Remumque peperit. *Juven.* 9, 53. Munera femineis tractas secreta calendis. Adde *Suet. Vesp.* 19., *Martial.* 5, 85. et *Paul. Dig.* 24, 1, 31. ℙ Ex illo *Hor. Od.* 3, 8, 1. Martiis caelebs quid agam calendis, Quid velint flores, et acerra turis, etc., colligimus non solum a matronis, sed etiam a maritis eum diem sacrum solemnemque habitum fuisse. *Horatius* autem, qui caelebs erat, peculiarem privatamque habuit causam Diis supplicandi, quam ibi affert. ℙ Neque mariti solum, verum etiam amantes, uti docet *Tibull.* 3, 1., et dona mittebant puellis suis. ℙ Saepissime scribitur per K Graecum. V. in CALO, as.

*CALENDALIS, e, adj. ad calendas pertinens, ut tributa calendalia ap. *Justin. edict.* 13. *h. e.* quasi in strenam solvi solita calendis Januarii. *B. A.*

CALENDĀRIS, re, adj. ad calendas pertinens. *Macr. Sat.* 1, 14. Ut idus omnes Jovi, ita omnes calendas Junoni tributas, et Varronis, et pontificalis affirmat auctoritas: quod etiam Laurentes patriis religionibus servant, qui et cognomen Deae ex caerimoniis addiderunt, Calendarem Junonem vocantes. ℙ *Calendares* item fuerunt appellati officiales et ministri, qui calendarii curatori inserviebant; hi et collegium quoddam constituebant. *Inscr.* ap. *Grut.* 478, 9. L. Val. L. fil. Gal. Faventino II. virali, qui annona frumentaria empta plebem adjuvit, et ob alia merita ejus Collegia Kalendarium (al. leg. *Kalendariorum*), et Iduaria duo (al. leg. *Iduariorum*) civi gratissimo posuerunt. ℙ *Saepe scribitur *Kalendaris.* V. CALO, as. *Pithoeum Advers. subsec.* 2, 4. et *H. Noris. Cenotaph. Pisan.* p. 37. *B. A.*

CALENDĀRĬUM, ii, n. *ἡμερολόγιον*, liber in quo anni, mensium ac dierum ac lunarium mutationum ratio perscribitur. Veteris calendarii specimen non unum exstat ap. *Grut.* 133. et seqq. et ap. *Manut. De dier. veter. ratione*, ubi ejus notas explicat. ℙ Latini saepius hoc nomine appellant librum, in quo feneratores perscribebant nomina eorum, quibus pecuniam fenori dederant, et pensionis solvendae quantitatem: quoniam calendis pecunia fenebris collocari solebat, et calendis itidem, vel idibus ejus usura solvi, ut in CALENDAE dictum est. *Senec. Benef.* 7, 10. Quid fenus et calendarium et usura, nisi humanae cupiditatis extra naturam quaesita nomina? *Id. ep.* 87. Divitem illum putas, quia in omnibus provinciis arat, quia magnus calendarii liber volvitur. *Id. ep.* 14. *in f.* Versare calendarium. *Id. Benef.* 1, 2. Nemo beneficia in calendario scribit. *Afr. Dig.* 12, 1, 41. Praeponere aliquem calendario. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 12, 11, 1. Calendario alicujus obnoxium esse. *Scaev. Dig.* 15, 1, 58. Debitorem esse alicui ex ratione calendarii. *Id. ib.* 40, 7, 40. Inferre aliquid calendario. *Papin. ib.* 26, 7, 38. Convertere pecuniam in calendarium, *h. e.* fenori ponere. *Afr. ib.* 32, 62. Pecuniae calendario, id est nominibus faciendis destinatae. *Scaev. ib.* 32, 39. Exercere calendarium, *h. e.* usuras factitare. *Id. ib.* 33. Praelegare alicui calendaria, *h. e.* ipsam pecuniam fenori positam: quo sensu usurpatur ab *eod. Scaev.* 33, 2, 37. et *ib.* 7, 6. ℙ Translate *Tertull. Habit. mulier.* 9. *ad f.* Graciles aurium cutes calendarium expendunt, *h. e.* universum domus censum quasi in extima auricula appendunt, circumferunt. ℙ In coloniis et municipiis *curatores calendarii* dicebantur, qui curam habebant tabularum, in quibus perscribebantur nomina eorum qui pecuniam fenebrem a civitatibus acceperant, et usuras solvebant. Hi successisse videntur proquaestoribus coloniarum, quibus cura fuit et pecuniam publicam et tabulas custodire, in quibus reditus et expensae coloniae descriptae erant. Valde enim simile, et fortasse etiam idem fuit hujusmodi curatorum officium. Horum mentio fit [in *Inscr.* ap. *Grut.* 446, 7. P. Otacilio L. F. Pal. Rufo curatori Kalendarii R. P. Aeclanensium electo a Divo Pio, patrono municipii ob eximiam munificentiam ejus Ordo Dec. pecunia publica ponendum cens. *F.*] Aliae item ap. *Noris. Cenotaph. Pis. Dissert.* 1, 3. et ap. *Grut.* 440, 6., 441, 5., 444, 5., 1029, 7. et 1091, 7. et alibi. Exstat praeterea de his titulus in *Cod. Theod. l. c.* ℙ Fuit etiam inter Officia domus Augustae. *Inscr.* ap. *Murat.* 889, 8. Aurelius Hermas Aug. Lib. Proc. K. etc. ℙ Saepissime scribitur *Kalendarium.* V. CALO, as.

CALENDĀRĬUS, ii, m. V. CALENDARIS.

[CALENDĪNUS, i, et Kalendinus, a, um, adj. ad Kalendas pertinens. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 170, 1. M. Tintorius Kalendinus Capus. *Fea, Framm. di Fast. cons.* p. 55. *n.* 36. ex lapide ipso *Capua* legit. *F.*]

CALĒNS, entis, part. verbi *caleo. Hor. Od.* 2, 16, 18. Terrae sole calentes. ℙ Translate. *Id. Ep.* 11, 13. Calens mero. *Ov. A. Am.* 3, 571. Pueri aetate et amore calentes. *Liv.* 25, 39. Romani calentes adhuc ab recenti pugna ferocesque victoria. *Ἐλληνισμὸς* est illud *Prudent. contra Symmach.* 2, 8. sub imagine avita Eductos exempla domi congesta calentes Orator catus instigat.

*CALENTUM, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 35, 14. *B. A.*

CALĒNUM, i, n. *Calvi*, oppidum Campaniae, cujus ager laudatissima vina tulit, a Latinis scriptoribus saepe celebrata. *Plin.* 3, 5, 9. Bovillae, Calatiae, Casinum, Calenum. ℙ Appellatur etiam *Cales, ium*, plurali numero. *Cic. Agr.* 2, 35. Lanuvium, Ariciam, Tusculum cum Calibus, Teano, Neapoli. *Id. Phil.* 12, 11. *ad f.* Inter Cales et Teanum. ℙ In sing. num. *Sil.* 12, 525. Threiciamque Calen, vestras a nomine nati, Orithyia, domos. *Threiciam* dicit, quia ejus conditor fingitur fuisse Calais filius Boreae regis Thraciae, quem rapta per auras Orithyia vago Geticis nutrivit in antris, ut est ap. *eund.* 8, 514. V. ORITHYIA.

CALĒNUS, a, um, adj. ad Calenum seu Cales oppidum pertinens. *Cic. Fam.* 9, 13. M. Planius, qui est Calenus. Et mox. Municipium Calenum. *Plin.* 2, 103, 106. Calenus ager. ℙ *Calenum vinum* inter nobiliora recenset *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 3. ita tamen, ut suo tempore pretium amisisse non obscure significet. *Hor. Od.* 1, 20, 9. Caecubum et prelo domitam Caleno Tu bibes uvam. *Juven.* 1, 69. Molle Calenum. ℙ *Caleni, orum*, sunt ejus oppidi cives. *C. Gracchus* ap. *Gell.* 10, 3. ℙ Sunt qui, cum de vino sermo est, scribendum putant *Caloenus*, ut sit a Graeco *καλὸς*, pulcher, et *οἶνος*, vinum: sed hoc nimis subtile commentum est. ℙ De Melicis calenis V. in MELICUS. ℙ [*Calenus* est etiam cognomen Q. Fufii consulis an U. C. 707., ut ex *Fastis Capitol.* ap. *Grut.* 295. *F.*]

CALĒO, es, ui, n. 2. *ἀλεύζω*, *ἀλεαίνω*, calidus sum, ferveo. *Cic. Fin.* 1, 9. Sentiri hoc putat, ut calere ignem, nivem esse albam. *Pl. Rud.* 2, 6, 48. Qui apud carbones assident, semper calent. *Id. Bacch.* 1, 1, 72. Aqua calet: eamus hinc intro, ut laves. *Juven.* 10, 218. Calere febre. ℙ Translate varios elegantesque habet usus, ut *fervere, ardere* et hujusmodi. *Cic. Verr.* 2, 1, 26. Hortatur hospes: poscunt majoribus poculis: celebratur omnium sermone laetitiaque convivium. Posteaquam satis res calere Rubrio visa est etc. *Hor. Od.* 21, 12. et *Stat. Th.* 5, 263. Calere mero. *Cic. Sext.* 23. Illud crimen de nummis caluit re recenti, nunc in causa refrixit, *h. e.* multis sermonibus pervulgatum est. *Hor. Od.* 4, 11, 33. Non enim posthac alia calebo Femina. *Petr. Sat.* 126. Quaedam

feminae calent sordibus. *Eod. sensu.* Sic *Mart.* 5, 55. Calere igne aliquo. *Id.* 7, 32. amore. *Ov. Met.* 7, 731. desiderio alicujus rei, *h. e.* valde cupere. *Hor. Ep.* 2, 1, 108. studio scribendi. *Curt.* 4, 1. Animi calent spe, *h. e.* valde sperant. *Val. Fl.* 3, 216. Et rabie magis ora calent. *Stat. Th.* 3, 382. commotae questibus irae, Et mixtus lacrimis caluit dolor. *Mamertin. Geneth. Maxim.* 10. Cuncta gaudio calere, cuncta plausibus tripudiare. *Mart.* 4, 35. Calere furore. *Stat. Th.* 4, 356. Bellator nulli caluit Deus, *h. e.* Martis et belli amore nemo accensus fuit. ℙ Cum infinito pro vehementer cupere. *Stat. Th.* 4, 260. Prosilit audaci Martis percussus amore, Arma, tubas audire calens et pulvere belli Flaventem sordere comam. *Claud. ep.* 1, 29. leones Quae stravisse calent, eadem prostrata relinquunt. Sic *Virg. A.* 4, 281. Ardet abire fuga dulcesque relinquere terras. ℙ *Calere vitio aliquo* est laborare, ducta metaphora a calore febrili. *Hor. Sat.* 2, 3, 79. Quisquis luxuria, tristive superstitione Aut alio mentis morbo calet. ℙ *Calere* etiam res dicitur, quae magna vi agitur, seu exercetur. *Cic. Att.* 4, 16. Hoc tamen agitur severius, itaque judicia calent. Al. leg. *indicia. Tibull.* 1, 11, 53. Veneris bella calent. *Virg.* eadem ratione *fervet opus* dixit *G.* 4, 169. ℙ [Item febrire. *M. Aur.* ap. *Front.* ad *M. Caes. ep.* 5, 11. Caluit et hodie Faustina, *h. e.* febre caluit: nam *ep.* 8. narraverat, eam angulo parietis costam in flixisse. ℙ Item illi, qui in re aliqua fervidi et operosi sunt. *Juven.* 6, 148. Interea calet et regnat. *Cic. Brut.* 66. *ad f.* Calere in agendo. *Hirt.* ad *Cic. post ep.* 6. *l.* 15. *ad Att.* An ego, cum omnes caleant, ignaviter aliquid faciam? *Propert.* 4, 3, 62. Succinctique calent ad nova lucra popae. ℙ Item qui aestuant et dubitant. *Cic. Att.* 7, 20. Haec velim explices et me juves consilio. Etsi te ipsum istic jam calere puto. Sed tamen quantum poteris. ℙ Item loca, quae frequentantur. *Mart.* 7, 6. Et ungularum pulsibus calens Ister. Sic *aures calere* dicuntur ab *Auct. declam. in Sallust.* 1., quae rem aliquam saepissime audierunt. ℙ Item res, quae recentes sunt et vigent. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. Nam illi rumores de comitiis Transpadanorum, Cumarum tenus caluerunt. *Pl. Poen.* 4, 2, 92. At enim nihil est, nisi dum calet, hoc agitur. ℙ Cum accusativo more Graecorum, *Prud. contra Symmach.* 2, 10. exempla domi congesta calentes, *h. e.* accensi, incitati ad virtutem propter domestica avorum exempla. ℙ Passive impersonaliter. *Pl. Truc.* 1, 1, 45. Nunc lenonum et scortorum plus est fere, quam olim muscarum, cum caletur maxime, *h. e.* aestatis medio. Adde *Capt.* 1, 1, 12. ℙ Caret supino: reperitur tamen part. *Caliturus* ap. *Ov. Met.* 13, 590. Des mihi sacrificos caliturasque ignibus aras. ℙ Docet *Prisc.* 8. p. 797. antiquissimos dixisse *caleor* pro caleo personaliter, sicut careor pro *careo*, *copulor* pro *copulo* etc., hujusque rei testem *Caprum* appellat.

[CALĒPHĂSIS, sis, f. pulcrae famam habens, a *καλή*, pulcra, et *φάσις*, fama. Nomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1088, 6. P. Aelius Aug. Lib. Epaphus Calephasi alumnae suae. *F.*]

CĂLES. V. CALENUM.

CĂLESCO, is, n. 3. *θερμαίνομαι*, calidus fio, caleo. *Cic. Sen.* 16. Calescere vel apricatione vel igni; umbris aquisve refrigerari. *Id. N. D.* 2, 55. Quae spiritu in pulmones anima ducitur, calescit ab eo spiritu. ℙ Translate. *Ov. Fast.* 6, 6. Est Deus in nobis: agitante calescimus illo. *Id. Her.* 18, 177. Quo propius nunc es, flamma propiore calesco, *h. e.* amore magis accendor.

*CALĒTES vel Calētes, um, *Κάλετοι Strab. Καλεταὶ Ptolem.* populi Galliae Belg. (sec. *Caes.*), cis Sequanam colentes. Hos Augustus, ignotum qua causa, cum Velocassibus Lugdunensi Galliae attribuit, ideoque *Plin.* et *Ptolem.* in Lugd. recensent. *Caes. B. G.* 5, 75. Dicti et *Caleti, orum, id. ib.* 2, 4. 8, 7. *Plin.* 19, 1. et *Galleti* 4, 18. Sunt qui credunt inde profectos esse, qui circa *Caux* in Normandia. ℙ *Valesius*, nescio quo libro usus, Caletas *Ptolem. Καλήτας* vocare, in *Gall. Not.* retulit. Quin et metaphrastes *Caes.* 2, 4. *τοὺς Καλήτας* reddidit; ut ita hujus vocabuli accentus sit ambiguus. *B. A.*

*CALĒTRA, ae, vel Caletrae, arum, veteris oppidi nomen in Etruria, ut probabile; unde *Caletranus ager* ap. *Liv.* 39, 55. Adde *Plin.* 3, 5. *B. A.*

*CALĒTRANUS, a, um. V. in CALETRA. *B. A.*

[CĂLĒTYCHE, es, f. pulcram fortunam habens, a *καλός*, pulcher, et *τύχη*, fortuna. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 694, 4. Cornelia Caletyche. *F.*]

CALFĂCIO. } V. CALEFACIO, CALEFACTUS.
CALFACTUS. }

[CĂLHĒMĔRĂ, ae, f. pulcros dies agens, a *καλός*, pulcher, et *ἡμέρα*, dies. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1140, 3. Marcia Calhemera. *F.*]

[CĂLĬĂ, ae, f. *καλιά*, nidus. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 701. *n.* 228. Furia Calia. *F.*]

[CALIBIAE. V. CALBEI. *F.*]

CĂLĪCĀTA Aedificia, *hoc est* calce polita. *Festus.* Graece *κεκονιαμένα. Scalig.* ad hunc locum notat, veteres dixisse *calecata*, adducitque veterem lapidem, qui habetur etiam ap. *Grut.* 171, 8. *L. Betilienus L. F. Vaarus haec, quae infera scripta sunt, de senatus sententia facienda coiravit, semitas in oppido omnis, porticum qua in arcem eitur, campum ubi ludunt, horologium, macelum, basilicam calecandam* etc. *Voss.* in *Etymol.* ad vocem *Calx* docet, prius fuisse *calix*, a quo factum esse *calicatus.* Hinc est etiam *decalicatus* vel *decalecatus* idem significans quod *calicatus*, ap. *eund. Fest. in lit.* D.

*CALICLARIUM, ii, n. *ποτηριοθήκη Gloss. Gr. Lat. B. A.*

CĂLĪCŬLĂRIS, re, adj. ut *herba calicularis*, quae caliculos habet, qualis est hyoscyamos, ap. *Appul. Herb.* 4. ℙ Rectius tamen scribitur *calycularis.* V. CALYX.

CĂLĪCŬLUS, li, m. *κυλίκιον, κυλίσκιον*, parvus calix. *Cato R. R.* 108. Dimidium acetabuli in caliculum novum indito. *Cels.* 2, 11. Caliculus oris compressioris. *Plin.* 9, 30, 48. Caliculi urnales. Adde *Pallad.* 12, 7. *de pinu.* ℙ *Caliclus* syncope, est in Natali *XI. S. Fel. Paulini Nol. edit. Mur.* 416. ℙ Aliud est *calyculus* per *y*, de quo V. suo loco.

CĂLĬDĂ, ae, f. V. CALIDUS.

CĂLĬDĀRĬUM. } V. CALDARIUS.
CĂLĬDĀRĬUS. }

CĂLĬDĒ, adv. *θερμῶς*, cum calore. Translate. *Pl. Epid.* 2, 2, 99. Tu te igitur calide, quidquid acturus age, *h. e.* prompte, sine mora. Al. leg. *callide*, *h. e.* astute, prudenter.

CĂLĬDĬĀNUS, a, um, adj. ad Calidium pertinens, quod est nomen proprium R. civis. *Cic. Verr.* 6, 20. Dilue sane crimen hoc Calidianum.

CĂLĬDŌNĬA. } V. CALEDONIA etc.
CĂLĬDŌNĬUS. }

CĂLĬDUS, a, um, adj. *θερμός*, calorem habens. *Cic. N. D.* 2, 9. Omne quod est calidum et igneum, cietur motu suo. *Id. Tusc.* 1, 18. *in f.* Calidior est animus vel potius ferventior, quam hic aer. *Vitruv.* 2, 1. Calidissimae hiemes. *Colum.* 12, 50. *a med.* Calidissima lixivia. *Quint.* 11, 3. Calidus dies. *Gell.* 3, 1. Ambulare sub calido sole. *Pl. Curc.* 2, 3, 14. Calidum bibere, *h. e.* calidam potionem. Adde *Varr. L. L.* 4, 27. ℙ *Calida*, absolute est aqua calida. *Cato R. R.* 156. Qui poturus erit, lavet calida. *Senec. ep.* 77. *ante med.* Calida subinde suffusa. Adde *Plin.* 25, 7, 38. Hinc *servus a calida* inter officia domus Augustae. *Inscr.* apud *Spon. Miscell.* p. 206. Julius Cypsus Aug. ser. a cal., *h. e.* qui Augusto aquam calidam (cujus usus fuit illis temporibus frequentissimus) ministrabat. ℙ Translate *calidus* est praeceps, audax, promptus, ferox. *Hor. Od.* 3, 14, 27. Non ego hoc ferrem calidus juventa. *Id. ib.* 27, 70. Calida rixa. *Virg. G.* 3, 119. Equus calidus animis. *Sil.* 15, 337. Calidus Gradivus. ℙ Sumitur et pro veloci, celeri: nam calor agilitatem praestat, sicut frigus inertiam. Quare *caldos pedes*, quod legitur in quodam *Varronis* fragmento, *Non.* 4, 76. interpretatur citatos, veloces. Verba *Varronis* sunt: Ecce caldis pedibus quidam navicularius semiustulatus irrupit se in curiam. Huc pertinet illa *Pl. Ep.* 1, 2, 38. Huic homini opus est quadraginta minis celeriter calidis. Et *Most.* 3, 1, 135. Calidum hercle audivi esse optimum mendacium, *h. e.* celeriter et subito excogitatum. Alii *callidum* malunt. ℙ *Calidum consilium* est quod subito alicui venit in mentem, fervidum, ferox, audax, animosum, atque adeo inconsultum, praeceps, temerarium. *Pl. Ep.* 2, 2, 71. Reperiamus aliquid calidi conducibilis consilii. *Liv.* 22, 24. *de Minutio mag. equit. Fabii dictat.* Agitabantur pro ingenio ducis consilia calidiora. *Id.* 35, 32. *ad f.* Consilia calida et audacia prima specie laeta, tractatu dura, eventu tristia esse. *Cic. Off.* 1, 24. Periculosa et calida consilia. Sunt qui tum hic, tum ap. *Liv.* reponi malunt *callida:* quod profecto non apte cohaeret. [*Adde *Cic. Att.* 15, 6. Exorentur, ne quod calidius ineant consilium. Similiter Gr. *θερμὸν* dicitur; et *θερμαίνειν* ap. *Aeschyl. Coëph.* 1001. *πολλὰ θερμαίνοι φρενί.* Conf. etiam *Döderl. l. l.* 2, 124.] Huc pertinet illud *Ter. Eun.* 2, 3, 88. Vide, ne nimium calidum hoc sit modo. *Donatus* tamen hic mavult *callidum.* ℙ *Calida manus* dicitur furtorum rea, ut quae in re aliena tractanda concaluit: qua de re exstat jocus ap. *Macrob. Sat.* 7, 3.

CĂLĬENDRUM, i, n. ornamentum capitis muliebre, galericulo simile, quod Italice *cuffia* dici potest. Putant alii, esse comam suppositiciam, quam Itali dicunt *perrucchino* (*Perücke*). Duci solet a Graeco *κάλλυντρον*, ornamentum, a *καλλύνω*, orno: at praestat ducere a *καλινδεῖν*, vel *κυλινδεῖν*, involvere. *Hor. Sat.* 1, 8, 48. Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum Excidere. *Arnob.* 6. *sub f.* Falciculae, claves, caliendra, fomites, talaria. *Varro* quoque usurpavit (teste *Porphyr. Schol. Hor.* ad *l. c.*), qui tamen non definit, galericulumne, an capillamentum appositum significet. Ipse autem *Porphyr.* haec habet: Jocatur in Canidiam quasi quod gibba (lege *glabra*) fuerit, caliendrum, hoc est, galericulum habere consueverit. [*Acron ib.* Caliendrum dicitur ornatus capitis mulierum, quo ad exornandos crines utuntur; sive suppositus crinis, quem pro naturalibus capillis accipiebant. *Gloss. Philox.* Caliendrum, *κόσμιον κεφαλῆς.* ℙ Eruditi putant, caliendrum esse idem ac ricinium, quod Graeci vocabant *κρήδεμνον*, vel *θέριστρον*, velamentum scilicet capitis instar galeri altum atque elatum, quodque recte interpretari possis Italice *cuffia*, Latine etiam *caliptram. F.*]

CĂLĪGĂ, ae, f. *στρατιωτικὸν ὑπόδημα*, calceamentum militare, quo Romani milites gregarii utebantur, constans solea coriacea, quae ferreis plerumque clavis muniebatur, habebatque ligamenta plura, quibus tum superiori pedis parti, tum imae tibiae circumdatis ligabatur. Si clavos demas, simillima fuit calceis Fratrum, quos *Cappuccini* vocant Itali. Ejus figuram exhibet. *Jul. Nigron. Dissert. de caliga Veterum* c. 4., ubi omnia, quae ad hanc rem pertinent, diligenter persequitur, et praecipue refellit eorum sententiam, qui caligas idem esse ac femoralia, aut tibialia, arbitrati sunt. [At *Jo. Labasius*, qui lapidem cum *Inscr.* a *Grut.* 649, 1. allata, (quam vide infra in V. CALIGARIUS) diligenter inspexit, ad *Car. Rosminii Storia di Milano T.* 4. p. 451. ex insculpta ibidem imagine ipsius sutoris Atilii, qui mensulae adsidet, quam *banchetto* Itali appellant, manibusque caligam elaborandam tractat, invicte probat, illam constare solea et tegumento coriaceo, quo totus pes et minima etiam pars cruris tegebatur; quo calcei genere etiamnum utuntur apud Italos villici, *scarpa*, vel potius *scarpone* appellantes. *Edict. Dioclet.* p. 241. Caligae primae formae mulionicae sive rusticae par sine clavis ✕ CXX., caligae militares sine clavo ✕ centum, caligae senatorum ✕ centum, caligae equestres ✕ septuaginta, caligae muliebres par ✕ sexaginta. Ex his apparet, quandoque etiam senatores caligis usos fuisse, etsi id neget *Ferrarius De re vestiar. c.* 36. *F.*] *Cic. Att.* 2, 3. Etenim mihi caligae ejus, ut fasciae cretatae, non placebant. *Justin.* 38, 10. Argenti certe, aurique tantum, ut etiam gregarii milites caligas auro figerent. *Suet. Cal.* 52. Processit in publicum aliquando sericatus et cycladatus; ac modo in crepidis, vel cothurnis modo in speculatoria caliga. *Speculatoriam* dicit, *h. e.* speculatorum propriam, qui huc illuc saepius cursitantes pluribus vinculis impeditam habuere. *Tertull. Cor. mil.* 1. *speculatoriam* absolute posuit pro *caliga speculatoria.* V. SPECULATORIUS. *Hieronym. ep.* 117. *n.* 7. *ad matr.* et *fil.* Caliga quoque ambulantis nigella ac nitens stridore ad se juvenes vocat. ℙ Per metonymiam ponitur pro militia. *Sen. Brevit. vit.* 17. Marium caliga dimisit? consulatus exercet. *Plin.* 7, 43, 44. Juventam inopem in caliga militari tolerare. *Inscr.* ap. *Grut.* 445, 9. C. Oppio C. F. Vel. Basso omnibus officiis in caliga functo. ℙ A militibus ad alios quoque *caligae* usus transiit V. *citat. Nigron. c.* 2. ℙ *Caliga Maximini* proverbio dicitur de longo et inepto homine. V. CAMPAGUS.

CĂLĪGANS, antis, part. a *caligo*, caligine plenus, obscurus. *Cic. Arat.* 201. Ipseque caerulea contectus nube feretur, Atque Aram tenui caligans vestiet umbra. *Virg. G.* 4, 468. Et caligantem nigra formidine lucum. *Stat. Theb.* 1, 95. Et caligantes animarum examine campos. ℙ *Oculus caligans* est, cujus aciem caligo obscurat, *ἀμβλυώττων. Plin.* 20, 22, 87. Caligantes oculos sinapi inungere. ℙ Hinc dicitur *caligans*, qui oculis est caligantibus, *ἀμβλυωπής. Id.* 11, 37, 54. In morbo comitiali aperti oculi nihil vident, animo caligante. *Mart.* 10, 4. Qui legis Oedipodem, caligantemque Thyestem. V. CALIGO, inis. ℙ *Caligantes fenestras* dixit *Juven.* 6, 31. quae ita altae sunt, ut despicientium oculos caligare faciant. ℙ *Vultus caligans* est moerorem praeseferens, *συνεφὴς πρόσωπον. Pacuv.* ap. *Non.* 2, 869. Quis istic vultus caligans? quae tristitas? *At ibi legendum* Quid istuc est? vultum adligat quae tristitas?

CĂLĪGĀRIS, re, adj. ad caligam pertinens, ut *caligaris clavus*, qui solo caligae suffigitur. *Plin.* 9, 18, 33. Pisces squamis conspicui crebris, atque praeacutis, clavorum caligarium effigie. *Id.* 22, 22, 46. Si caligaris clavus fungo nascenti affuerit. [*Edict. Dioclet.* p. 23. Formae caligares maximae ✕ centum. *F.*]

CĂLĪGĀRĬUS, a, um, adj. id. q. caligaris. *Plin.* 34, 14, 41. *de ferri generib.* Aliud brevitate sola placet, clavisque caligariis. ℙ *Caligarius sutor*, qui et *caligarius* absolute, est qui caligas conficit; *Inscr.* ap. *Grut.* 649, 1. C. Atilius C. F. Justus sutor caligarius, etc. Alia ap. *Spon. Miscell.* p. 220. Q. Laevio Q. F. Tychico caligario de vico Cypr., etc. *Lamprid. Alex. Sev.* 33. Corpora vinariorum, lupinariorum, caligariorum.

CĂLĪGĀTĬO, onis, f. caligo, tenebrae. *Plin.* 29, 6, 38. Nubeculae et caligationes suffusionesque oculorum. *ἀμβλυωπίαι, ἀμαυρώσεις*, V. CALIGO, iginis.

CĂLĪGĀTUS, a, um, caligis indutus: et dicitur de militibus gregariis, quorum proprie caliga fuit.

Suet. Aug. 25. Dona militaria coronas murales quam parcissime, et sine ambitione, ac saepe etiam caligatis tribuit. *Id. Vitell.* 7. Tota via caligatorum quosque militum obvios exosculans. *Inscr.* ap. *Grut.* 279, 3. Imp. Caes. Valerio Diocletiano Procos. Honorati et Decuriones, et numerus militum caligatorum. *Modestin. Dig.* 27, 1, 10. Caligatae militiae. *Arrius Menand. ib.* 49, 16, 6. Caligatus, qui metu hostium languorem simulavit. *Alia* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 18. Sex. Atusius Priscius *evocatus Augusti* aram Tiberino posuit, quam caligatus voverat.

CĂLĪGĪNĔUS, a, um, adj. id. q. caliginosus. *Grat. Cyneg.* 56. Vel caligineo laxanda reponito fumo.

CĂLĪGĪNO, as. V. CALIGO, as.

CĂLĪGĪNOSUS, a, um, adj. γνοφώδης, obscurus, caligine tectus. *Cic. Tusc.* 1, 19. Coelum humidum et caliginosum est propter exhalationes terrae. *Hor. Od.* 3, 29, 29. Futuri temporis exitum Caliginosa nocte premit Deus. *Val. Max.* 1, 7. *extern. n.* 1. Caliginosae tenebrae. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 9. Pluvius et caliginosus tractus. ℙ Translate. *Augustin. ep.* 7. *a med.* Hoc me facere compellit de animae exortu caliginosissimae quaestionis obscuritas.

CĂLĪGO, ĭginis, f. γνόφος, ζόφος, ἀχλύς, aeris obscuritas ex nebula, vel fumo, tenebrae. *Virg. G.* 2, 303. *de igne.* Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram Ad coelum picea crassus caligine nubem. *Plin.* 2, 42, 42. Humidam a terra, alias vero, propter vapores, fumidam exhalari caliginem, certum est. *Colum.* 11, 2. Septimo cal. Aug. Canicula apparet: caligo aestuosa. *Pl. Mil.* 2, 4, 51. Ob oculos mihi caligo obstitit. *Plin. ep.* 6, 16. Crassiore caligine obstructus spiritus. *Virg. A.* 12, 466. densa. *Id. ib.* 11, 876. atra. ℙ Translate. *Cic. in Senat.* 3. Ex superioris anni caligine et tenebris lucem in republica dispicere coepistis. *Id. Phil.* 12, 2. Quod videbam equidem, sed quasi per caliginem. (Adde *Plin. ep.* 5, 8.) Et *paulo post.* Discussa est illa caligo, quam paulo ante dixi: diluxit, patet, videmus omnia. *Virg. A.* 6, 266. Pandere res alta terra et caligine mersas. *Catull.* 64, 207. Caeca caligo mentis. *Stat. Theb.* 2, 685. multaque operis caligine plenum Consilio dignata virum, *h. e.* mente obcaecatum. *Vellej.* 2, 36. Augustus omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginem, *h. e.* eorum famam et gloriam obscuraturus. *Plin. ep.* 3, 9. Offundere alicui multum caliginis et perturbationis. ℙ Est etiam oculorum vitium, cum eorum acies ex morbo hebetatur et obtenebratur, ἀχλύς, ἀμαύρωσις, ἀμβλυωπία. *Cels.* 6, 6. *n.* 32. oriri ait nonnunquam ex lippitudine, nonnunquam propter senectutem imbecillitatemve aliam. *Scribon. Compos.* 179. Cicutam potam caligo, mentisque alienatio insequitur. *Plin.* 34, 11, 27. Hieracium collyrium excellentis remedii contra initia glaucomatum et suffusionum, contra caligines et scabritias et albugines. *Id.* 25, 13, 92. Anagallidis succus oculorum caliginem discutit. *Id.* 20, 7, 26. Sanare caligines. Et *ib.* 23, 95. levare. *Id.* 32, 9, 31. emendare. [*Quid differat *caligo* a *tenebris*, et quae vv. synonym. sit ratio v. ap. *Döderl. l. l.* 3, 165. sqq. Idem 2, 157. a *celare* derivandam *caliginem* docet.] ℙ In fabulis *Caligo* est uxor Chao, mater Noctis, Diei, Erebi et Aetheris. *Hyg. praef. fab.*

CĂLĪGO, as, avi, atum, n. 1. ζοφόομαι, caliginosus sum. *Virg. A.* 2, 604. Aspice: namque omnem, quae nunc obducta tuenti Mortales hebetat visus tibi, et humida circum Caligat, nubem eripiam. *Colum.* 1, 5. Amnes aestate vaporatis, hieme frigidis nebulis caligant. ℙ *Caligant* etiam, qui visus caligine laborant et caecutiunt. (V. vocem praeced.) ἀμβλυώττω. *Cels.* 6. 6. *n.* 32. Caligare oculi nonnunquam ex lippitudine consueverunt. Et *n.* 34. Cuicumque oculi caligabunt, huic opus erit multa ambulatione. *Scrip. Compos.* 184. Cerussam qui biberunt, facile deprehenduntur. Linguam enim albam habent, nauseant, caligant. ℙ Translate. *Senec.. init. De vita beata*, et *Plin.* 30, 1, 1. Ad quas maxime etiam nunc caligat humanum genus. *Quint. Declam.* 18. *s. f.* Fractae malorum contentione mentes ad inexspectata caligant. *Id.* 1, 2. Caligare in sole, *h. e.* in media luce caecutire: quod et in proverbium abiit. *Stat. Silv.* 5, 3, 237. labat incerto mihi limite cursus Te sine, et orbatae caligant vela carinae. *Sil.* 14, 88. bis octonis nondum rex praeditus annis Caligare alto in solio, nec pondera regni Posse pati. ℙ Alia huc pertinentia V. in CALĪGANS. ℙ Activa significatione pro caligine obducere, obscurare, usurpavit *Fulg. in contin. Virg.* sed non est imitandus. Quidam legunt *caliginare:* sed hoc quoque improbandum.

CALĪGŬLA, ae. f. parva caliga. *Ambros. ep.* 7, 53. Vestibus candidissimis induti, caligulis calceati. Adde *Vet. Schol.* ad *Juven.* 3, 67. et *Vet. Schol.* ad *Hor. Sat.* 1, 3, 128. Soleas: caligulas bene incisas. ℙ *Caligula* cognominatus est C. Caesar filius Germanici, et Agrippinae M. Agrippae filiae, quartus Romanorum imperator, quod in castris educatus, et manipulario habitu indutus frequenter legionibus ostenderetur, ad conciliandam militarem benevolentiam, ut narrant *Suet. in ejus Vita* 9., *Tac. Ann.* 1, 41. et 69. et *Aurel. Vict. Caesar.* 3. At *Senec. Const. Sapient.* 18. narrat, non impune cessisse primipilario, quod Caligulam dixerat, et id cognominis convicium et probrum judicasse Cajum Caesarem jam cothurnatum.

CALIM antiqui dicebant pro *clam*, ut *nis* pro *nobis*, *sam* pro *suam*, *im* pro *eum*. *Festus.*

*CALINGAE, arum, Indiae populi, cis Gangem, ibique incolentes ubi in mare sese fluvius ille exonerat. *Plin.* 6, 17. qui et *promontorium Calingŏn* meminit, *h. e.* Calingorum. *B. A.*

*CALINGĬI, orum, populi Arabiae felicis, quorum caput Mariaba. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*CALINIPAXA, Indiae oppidum. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

[CĂLĬPŎDĂ, ae, f. pulcros pedes habens, a καλός, pulcher, et ποῦς, pes. Cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 629. *n.* 251. Atilia Calipoda. *F.*]

[CĂLĬPPUS, i, m. pulcros equos habens, a καλός, pulcher, et ἵππος, equus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 219. *n.* 270. M. Valerius Calippus. *F.*]

CALIPTRA, ae, f. genus vestimenti, quo capita operiebant. *Fest.* ℙ Est a καλύπτω, tego, et καλύπτρα Graece dicitur. Quare rectius *calyptra* per *y* scribetur, ut *Voss.* monet in *Etymol.* Docet autem *Pollux* 3, 3. esse genus vestimenti muliebris.

CALISTO. V. CALLISTO.

CĂLIX, icis, m. κύλιξ, ποτήριον, poculum, scyphus: [ab allata Graeca voce κύλιξ, quae a κυλίω, volvo, *h. e.* a forma rotunda ita appellatus. Latini vero Doricam dialectum secuti plerumque *v* Graecum in *a* commutant: quod confirmat locus *Macrob. Sat.* 5, 21. Κύλιξ poculi genus, quod nos una littera immutata calicem dicimus. *F.*] *Pl. Capt.* 4, 4, 8. Aulas calicesque omnes confringere. *Cic. Tusc.* 3, 19. Calix mulsi. *Hor. Sat.* 2, 8, 35. Poscere calices. *Id. ib.* 6, 68. et *Juven.* 5, 47. siccare. *Catull.* 27, 4. Inger mi calices amariores. *Mart.* 2, 15. Propinare alicui calicem. *Hor. Ep.* 1, 5, 19. Fecundi calices quem non fecere disertum? *h. e.* vini potus. ℙ Est etiam vas coquendis et inferendis cibis aptum. *Varr. L. L.* 4, 27. Calix a caldo, quod in eo calda puls apponebatur et calidum eo bibebant. *Ov. Fast.* 5, 509. Stant calices: minor inde fabas, olus alter habebant: Et fumant testu pressus uterque suo. ℙ Dicitur praeterea *calix* ea vasis pars, quae humoris est capax. *Plin.* 37, 2, 7. Murrhinum LXX talentis emptum, capaci plane ad sextarios tres calice. ℙ In aquaeductibus est modulus, hoc est fistula plerumque aenea, quae rivo vel castello induitur, cui aliae minores fistulae applicantur ad aquam derivandam, ut *Front. Aquaed.* 36. docet. ℙ Testa etiam cochleae et echinorum, *calix* dicitur. *Varr. R. R.* 3, 14. et *Plin.* 9, 56, 82. et 31, 51. Sed in hac significatione scribitur rectius *calyx.*

CALLA. V. CALSA.

CALLAECIA. V. GALLAECIA.

CALLAECUS, a, um, adj. Callaicus. *Grat. Cyneg.* 514. Callaecis lustratur equis scruposa Pyrene.

CALLĂĪCUS, a, um, adj. Καλλαϊκός, ad Callaicos pertinens. Sunt autem *Callaici* populi Hispaniae Tarraconensis extremae, ad Oceanum, Asturibus contermini, quorum regio nunc *Gallizia* dicitur. A *Plinio* et aliis *Gallaici* et *Gallaeci* vocantur: a *Strabone l.* 3. Καλλαῖοι. Olim aurifodinis abundabant, ut *Plin.* 33, 4, 21. auctor est. *Ov. Fast.* 6, 461. Tum sibi Callaico Brutus cognomen ab hoste Fecit (*h. e.* Decimus Junius Brutus devictis Gallaecis, ut est in *Epit. Liv.* 56.) *Mart.* 10, 10. Accipe Callaicis quidquid fodit Astur in arvis. *Id.* 14, 95. *de phiala.* Quamvis Callaico rubeam generosa metallo. ℙ *Callaicae lacernae,* quarum meminit *Mart.*, dictae putantur a colore auri Callaici, 14, 139. Jungere nescisti nobis o stulte, lacernas: Indueras albas, exue Callaicas. Al. leg. *callainas*, *h. e.* coloris callaidis gemmae; sed et *callaidem* gemmam *Solin. callaicam* appellat. V. CALLAIS. Aliter sentit *Voss.* in *Etym.* Scribit enim, *callaicas* dici lacernas a colore, qui est in barbis, seu palearibus gallorum gallinaceorum, quae καλλαιοι seu καλλαια dicuntur a Graecis, teste *Hesych.* et *Auct. Etym. M.* Hinc etiam *callainum colorem* dictum, nempe quem vulgo *viridem marinum* dicimus, (veteres *Venetum* appellavere) qui est purpurae dilutioris, ut in smaragdo, qui e pallido viret et aliquando propter affinitatem *purpureus aut puniceus dicitur.

CALLĂĪNUS, a, um, adj. Καλλάϊνος, qui est colore callaidis gemmae. *Plin.* 37, 10, 56. Callainas vocant e turbido callaino, *h. e.* callainas gemmas vocant, quae colorem habent callaidis, sed turbidum. *Mart.* 14, 139. Lacernae callainae. Al. leg. *Callaicae.* V. CALLAICUS.

CALLAIS, idis, f. gemma colore sapphiri, candidiore tamen, et litorosi maris simili. *Plin.* 37, 10, 56. ℙ Alia est hoc nomine apud *eund. ib.* 8, 33. topazio similis, e viridi pallens. Hanc *Solin.* 20. *Callaicam* appellat. Multa de utraque *Salm. in exercitation. Plin.* p. 236. et 237.

CALLĂRĬAS, ae, m. καλλαρίας, piscis marinus ex genere asellorum, minor tamen. *Plin.* 9, 17, 28. et 32, 11, 56.

CALLENS, entis, part. a *calleo*, ἐπιστήμων, sciens, peritus, doctus, callidus. *Plin.* 21, 31, 105. Halicacabi radicem bibunt, qui sunt vaticinandi callentes. *Gell.* 16, 10. Familiaris meus jus civile callens. *Ammian.* 16, 12. Milites bellandi usu diutino callentes.

*CALLENSES, ium, incolae oppidi cujusdam in Hispania Baetica, quod Calentum nominari retulit *Hard.* ad *Plin.* 35, 14. *B. A.*

CALLENTER, adv. perite, astute, callide, πανούργως, ἐπιστημόνως. *Appul. Met.* 4. Satis callenter inhibere aliquid.

CALLĔO, es, ui, n. 2. πυλόομαι, callum obduco, callosus sum. *Pl. Ps.* 1, 2, 4. Plagis costae callent. *Sever. Aetn.* 260. Callent rure manus. *Plin.* 11, 37, 84. Sumen antiqui abdomen vocabant; priusquam calleret, incientes occidere non assueti. ℙ Translate. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. In illis rebus exercitatus animus callere jam debet. ℙ Significat etiam perfecte scire, doctum, peritum esse, quoniam sicut pes, vel manus ex longo labore callum obducit, ita mens longa experientia colligit habitum quendam rerum, in quibus versatur. *Pl. Pers.* 2, 1, 8. Potin' ne moneas? memini, et scio, et calleo, et commemini. *Id. ib.* 2, 5, 4. Satin' ea tenes? *So.* magis calleo, quam aprugnum callum callet. *Ter. Heaut.* 3, 2, 37. Quo pacto id fieri soleat, calleo. *Plin.* 9, 29, 46. Callere in re familiari. *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 40. Omnes homines ad suum quaestum callent. Al. leg. *calent. Sisenn.* ap. *Non.* 4, 66. Quem Marcellini consiliarium fuisse, callebant. *Hor. Od.* 4, 9, 49. Duramque callet pauperiem pati. *Cic. Balb.* 14. Callere jura Poenorum. *Ter. Adelph.* 4, 1, 17. Callere pulcre sensum alicujus. *Pompon.* ap. *Non.* 7, 113. Callere canticulam in colubras. *Pl. Most.* 1, 3, 122. Perdocte callere cuncta. *Tac. Ann.* 13, 3. Callere artem aliquam. *Gell.* 20, 1. Scite atque docte callere aliquid. *Justin.* 24, 4. Nam augurandi studio Galli praeter ceteros callent. *Solin.* 8. Callere arte sagittaria. *Seren.* ap. *Non.* 4, 66. Callet senium arte vivendi. *Val. Max.* 8, 12. *n.* 1. Callere usu quotidiano alicujus rei. *Appul. Flor. n.* 18. Callere fidibus. *Hor. A. P.* 274. Legitimumque sonum digitis callemus et aure, *h. e.* mensurando et audiendo.

CALLESCO. V. CALLISCO.

*CALLET, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

*CALLEVA, ae, oppidum Britanniae, in regione, Atrebatum, recenti nomine, *Wallingford. Anton. Itin. B. A.*

*CALLIADES, ae, insignis statuarius et caelator, de quo *Plin.* 34, 8. *ed. Hard.* antea legebatur *Callias. B. A.*

*CALLIAROS, i, oppidum Graeciae, in Locride. *Mela* 2, 3. *B. A.*

CALLIBLEPHARĬUM. V. v. sq. *ad f.*

CALLIBLĔPHARUM, i, n. καλλιβλέφαρον, (subaudi φάρμακον) medicamentum ad sanandas restituendasque, aut etiam fucandas palpebras morbo aliquo deformatas: Graeca vox a κάλλος, pulcritudo, et βλέφαρον, palpebra. *Varr.* ad. *Non.* 3, 164. Calliblepharo naturali palpebrae tinctae. *Plin.* 21, 19, 73. Folia rosae uruntur in calliblepharum. *Id.* 23, 4, 51. Nuclei palmarum cremati calliblephara faciunt addito nardo. *Id.* 33, 6, 34. Stibium in calliblepharis mulierum dilatat oculos. ℙ Adjective *calliblephara* dicuntur, quae pulcras palpebras habent. *Plin.* 32, 6, 21. *de ostreis.* Addunt peritiores notam, ambiente purpureo crine fibras; eoque argumento generosa interpretantur, calliblephara appellantes. *Hard.* in quodam Ms. reperit *callipharata*, quod est pulcre amicta. ℙ Ap. *Marcell. Empir.* 8. *s. f.* legitur *calliblepharium.*

[CALLĬCHORE, es, f. καλλιχόρη, quae pulcre saltat, a κάλλος, pulcritudo, et χορός, chorea. Est cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1243, 1. Aufidiae Callichore C. Aufidius Festus matri pientissimae. *F.*]

*CALLICHORUS sc. fluvius, vel *Callichorum* sc. flumen, in Paphlagonia fuit. *Plin.* 6, 1. *B. A.*

CALLĬCĬA, ae, f. herba, qua Pythagoras aquam conglaciari tradit. *Plin.* 24, 17, 99.

*CALLICLINUS, i, Thessaliae colliculus. *Liv.* 42, 58. *B. A.*

[*CALLĬCLES, is, m. Καλλικλῆς, pulcritudinis gloriam habens, a κάλλος, pulcritudo, et κλέος, gloria. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1372, 2. P. Manlius Callicles. ℙ Hoc nomine fuit etiam insignis statuarius Megarensis. *Plin* 34, 8, 19. ℙ Item pictor celebris, de quo *Id.* 35, 10, 37. qui forte idem est cum Megarensi statuario. *F.* et *B. A.*]

[*CALLĬCRĂTES, is, m. Καλλικράτης, a κάλλος, pulcritudo, et κράτος, robur. Fuit hoc nomine artifex Lacedaemonius, qui formicas ex ebore, et alia tam parva animalia fecit, ut partes

corum cerni non possent. *Plin.* 7, 21, 21. et 36, 5, 4. *n.* 15. Cf. *Varr. L. L.* 6. ap. *Salmas.* ad *Solin.* p. 46. *Aelian. V. H.* 1, 17. ℙ Item alius, cui thesaurorum Susis receptorum tutela ab Alexandro M. permissa est. *Curt.* 5, 2. ℙ Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Gud.* 286, 2. Q. Sisinnius Callicrates. *F.* et *B. A.*

*CALLICRATĪDAS, ae, Lacedaemoniorum dux, qui, cum multa fecisset egregie, ad extremum vertit omnia, proelio nempe ad Arginusas. *Cic. Off.* 1, 24. *Diod. Sic.* 13, 98. *B. A.* [*Adde *Xenophont. Hell.* 1, 6, 23.]

*CALLICŪLA, ae, mons Italiae, in Campania, non procul a Casilino. *Liv.* 22, 15. 16. *B. A.*

CALLĪDE, adv. *ἐπιστημόνως*, scite, perite, docte. *Cic. Or.* 1, 11. Neque enim sine legum, morum, juris scientia, neque hominum natura incognita ac moribus, in his ipsis rebus satis callide versari et perite potest. *Id. Or.* 28. Callide arguteque dicere. *Pl. Asin.* 2, 2, 82. Callide nosse aliquem. *Nep. Themist.* 1. De instantibus verissime judicare, et de futuris callidissime conjicere. *Ter. Andr.* 1, 2, 30. Callide intelligere aliquid. *Id. Adelph.* 3, 4, 53. Hoc facito. *Sy.* recte sane. *De.* Hoc fugito. *Sy.* callide. *Gell.* 7, 3. Tiro confidenter et nimis callide conscripsit epistolam ad Q. Axium. Al. leg. *calide*. *Tac. A.* 6, 37. Callidius interpretari aliquid. ℙ Significat etiam astute, vafre, *πανούργως*. *Cic. Flacc.* 10. Bene testem interrogavit, callide accessit, reprehendit, quo voluit, adduxit. *Sall. Jug.* 18. Vitia sua callide occultare. *Tac. H.* 3, 53. *in f.* Simultates Antonius simplicius, Mucianus callide, eoque implacabilius nutriebat. *Gell.* 12, 12. Callide, et cum astu facere aliquid.

*CALLIDĒMUS, i, scriptor Graecus, cujus meminit *Plin.* 4, 12. *Solin.* 17. qui hoc teste, astruunt Euboeam prius Chalcidem vocatam esse, aere ibi prius reperto. V. *Voss. Hist. Graec.* 3. *B. A.*

CALLĪDĪTAS, atis, f. *ἐπιστήμη*, *ἐπιστημοσύνη*, scientia, peritia, acre ingenium, insignis solertia. *Nep. Eum.* 1. Vincebat omnes cura, vigilantia, patientia, calliditate et celeritate ingenii. *Id. Timol. in f.* Magnitudine animi et calliditate praestare omnes. *Flor.* 2, 17. Vir acerrimae calliditatis. *Cic. Har. resp.* 9. *in f.* Nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Poenos, nec artibus Graecos superavimus. *Sall. orat. ad Caes. De rep. ordin.* 2. Patres consilio valere decet; populo supervacanea est calliditas. *Ov. Fast.* 3, 380. Consilium multae calliditatis. *Plin.* 37, 12, 74. Calliditas ingenii. ℙ In malam partem pro astutia, malitiosa solertia, dolo, *πανουργία*. *Cic. Off.* 1, 19. Scientia, quae est remota a justitia, calliditas (*Lebensklugheit*) potius, quam sapientia est appellanda. *Id. Rosc. Com.* 7. Nonne ipsum caput et supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, et clamitare calliditatem videntur? [*Eadem est in his calliditas, quam Cato apud *Sall. Cat.* 52. dicit *malarum rerum audaciam*. De Gr. *πανουργία*. V. *Plat. Men.* 19.] ℙ In plurali numero. *Ter. Heaut.* 5, 1, 13. Servi venere in mentem Syri calliditates. *Lactant.* 2, 12. Omnes fallacias et calliditates suas ad decipiendum hominem intendere. ℙ Apud *Cic. Partit.* 39. ponitur pro nimia interpretandi subtilitate.

CALLĪDRŌMUS, i, m. *καλλίδρομος*, pulcher cursus: a *κάλλος*, pulcritudo, et *δρόμος* cursus. In tabula marmorea ap. *Grut.* 341. est nomen equi Circensis. ℙ [Est etiam cognomen hominis Romani. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 642. *n.* 358. Ti. Julius Callidromus. *F.*]

CALLĪDŪLUS, a, um, adj. *Arnob.* 2. p. 91. Callidula fraus.

CALLĪDUS, a, um, adj. *ἐπιστήμων*, *συνετός*, multa rerum experientia doctus, acer ingenio, perspicax, acutus, solers: a *calleo*, vel a *callum*. Proprie enim sic appellatur is (ut ait *Cic. N. D.* 3, 10.) cujus, tanquam manus opere, sic animus usu concalluit. *Id. Acad.* 4, 29. Ego enim, ut agitator callidus, prius quam ad finem veniam, equos sustinebo. *Lucr.* 6, 91. Tu mihi supremae praescripta ad candida calcis Currenti spatium praemonstra, callida Musa. *Nep. Ann.* 5. Annibal Fabio callidissimo imperatori dedit verba. *Tac. H.* 2, 31. *in f.* Nemo illa tempestate callidior rei militaris habebatur. *Id. A.* 4, 33. Callidus temporum. *Colum.* 7, 3. Aristoteles vir callidissimus rerum naturae. *Tac. A.* 2, 57. Callidus accendendis offensionibus. *Gell.* 9, 9. Doctus homo, et in intelligendis pensitandisque veteribus scriptis bene callidus. *Ov. Her.* 20, 25. Callidus natura, aut usu. *Pl. Epid.* 3, 3, 47. Homo callidus ad rem. *Id. Truc.* 2, 4, 62. Callidus ad quaestum. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 11. Venus dolo gaudens, et tanti callida voti, *h. e.* callide dissimulans votum suum. ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 3, 11, 3. Tuque testudo resonare septem Callida nervis. *Id. ib.* 1, 10, 7. Callidus, quidquid placuit, jocoso Condere furto. Adde *Pers.* 1, 118. ℙ De ipsis rebus ingeniose et solerter factis. *Nep. Eum.* 5. Callidum inventum. *Hor. A. P.* 47. Dixeris egregie, notum si callida verbum Reddiderit junctura novum. *Hirt.* ad *Cic. post epist.* 6. *l.* 15. *ad Att.* Callidius consilium inire. Al. rectius leg. *Calidius* V. CALIDUS. *Cic. Tusc.* 1, 20. *ad f.* Callidissimum artificium naturae. ℙ In malam partem pro astuto, vafro, malitioso, *πανοῦργος*. *Cic. Off.* 2, 3. Hi saepe versutos homines et callidos [*πολυτρόποι καὶ πανοῦργοι] admirantes, malitiam sapientiam judicant. *Pl. Poen.* 5, 2, 148. Malus, crudus et callidus atque subdolus. *Id. Cist.* 4, 2, 61. Mala merx haec et callida est. *Convicium in mulierem.* Rursus *Id. Pers.* 4, 4, 70. Dii istam perdant: ita cata est et callida. *Mart.* 5, 42. Callidus fur. *Pl. Bacch.* 4, 4, 4. Callidi doli. *Nep. Att.* 11. Callida liberalitas, *h. e.* ad captandos insidiose animos effusa. Sic *Stat. Ach.* 2, 171. Callida dona, Grajorumque doli. [*Cf. de h. v. *Doederl. l. l.* 3, 216. sqq.]

*CALLIFAE, arum, oppidum Italiae, sed quo situ fuerit non liquet. Forte in Samnio, vel in Hirpinis. *Liv.* 8, 25. *B. A.*

CALLĪGŌNON, i, n. *καλλίγονον*, a *κάλλος*, pulcritudo, et *γόνος*, genus, herba eadem, quae polygonon mas. *Plin.* 27, 12, 91.

CALLĪMACHĪUM Metrum constat tribus choriambis, anapaesto et Bacchio, vel amphibrachy, ut Armipotens Mars genitor Romulidum, ut venias precamur. *Serv. Centim.* p. 1823.

CALLĪMĀCHUS, i, m. *Καλλίμαχος*, filius Batti, poeta Graecus Cyrenensis, qui omne quidem poematum genus attigit, sed elegiacum praecipue, in quo mire excelluit, lascivus tamen passim, et amorum plenus, ut ex *Ov. Pont.* 4, 16, 32. et *Trist.* 2, 367. et *Rem. am.* 759. colligitur. Scripsit etiam acerbissimum carmen in adversarium suum, quem ficto nomine *Ibin* appellavit: unde idem *Ovidius* poematis sui nomen et argumentum mutuatus est. V. BATTIADES. *Quint.* 10, 1. Tunc et elegiam vacabit in manus sumere, cujus princeps habetur Callimachus. ℙ [*Item insignis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. ℙ Et medicus. *Plin.* 21, 3. ℙ Fuit et *Apollas Callimachus* historicus. *Quint.* 11, 2. ubi tamen alii legunt *Apollas* et *Callimachus*. *B. A.*

[CALLĪMORPHUS, i, m. *καλλίμορφος*, formosus: a *κάλλος*, pulcritudo, et *μορφή*, forma. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 203. Corneli Callimorfe. Tollitur hic aspirata *h*, ut saepissime apud Latinos, et scribitur *Callimorfe* pro *Callimorphe*. *F.*]

CALLĪMUS, i, m. *κάλλιμος*, hoc est pulcher, vel pulcherrimus. Nomen est lapidis cujusdam ex genere actitarum, quo nihil tenerius. *Plin.* 36, 21, 39. ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 214. Pollius Callimus. *F.*]

CALLĪNĪCUS, i, m. *καλλίνικος*, pulcre victor. Vox Graeca a *κάλλος* pulcritudo, et *νίκη* victoria. In veteri marmore ap. *Grut.* 431. est nomen equi Circensis. ℙ [Est item cognomen hominis Romani. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 401. *n.* 295. P. Aelius Aug. Lib. Callinicus. *F.*]

[CALLĪNOUS et Callīnus, i, m. *Καλλίνους* et *Καλλῖνος*, poeta Ephesius, qui primus elegiacos versus scripsit. *Terentian. de metr.* p. 2420. Pentametrum, dubitant, quis primus finxerit auctor: Quidam non dubitant dicere Callinoum. *Marius Victorin. Art. grammat.* p. 2555. Ex dactylico heroo primam ejus veluti sobolem a pentametro versu coepisse reperio, quod metrum invenisse fertur Callinous Ephesius. *Vet. Schol.* ad *Cic. Or. pro Arch.* (ed. *A. Maio* iterum *Mediol.* 1817.) p. 122. Primus autem videtur elegiacum carmen scripsisse Callinus. ℙ De hujus poetae vita et scriptis peculiarem edidit dissertationem Altonae et Lipsiae an. 1816. *Jo. Valentinus Franckius*, quam videsis. *F.*]

CALLĪON, ii, n. *καλλιάς*, herba ex genere trychni, acinis coccineis, folliculis granosis; alio nomine *halicacabum*, et Latine *vesicaria*, quoniam vesicae et calculis prodest. *Plin.* 21, 31, 105.

CALLĪONYMUS, i, n. *καλλιώνυμος*, piscis marinus exiguus, alio nomine *uranoscopus*, *οὐρανοσκόπος*. Ejus fel oculorum cicatrices sanat, et carnes eorum supervacuas consumit; caro autem omnis aurium morbis prodest, teste *Plin.* 32, 7, 24. Meminit etiam *ib.* 11, 53. ℙ *Casaubon.*, referente *Voss.* in *Etymol.*, putat eundem esse atque eum, quem Graeci iidem *λύκον*, hoc est lupum appellant; dictumque esse *καλλιώνυμον*, hoc est pulcri nominis *εὐφημίας* causa. V. URANOSCOPUS.

CALLĪOPE, es, f. *Καλλιόπη*, una ex Musis, quae praeest versibus heroicis, et Musarum princeps est. Dicta est ab excellentia cantus: *καλὸς* enim pulcrum significat, et *ὄψ*, *ὄπος*, cantum. Uxor fuit Deagri, et ex eo Orpheum genuit, ut est ap. *Hygin. fab.* 14., quod *Prop.* 2, 23, 29. confirmat. *Virg. A.* 9, 525. Vos, o Calliope, precor aspirate canenti. (synecdoche, *h. e.* Musae. Adde *Sil.* 3, 222. et 12, 390.) *Hor. Od.* 3, 4, 2. Calliope regina. *Ov Trist.* 2, 567. Inter tot populos, tot scripti millia nostri, Quem mea Calliope laeserit, unus ego, *h. e.* mea carmina: metonymia. *Mart.* 9, 87. Calliopen, et ait, tu quoque vulnus habes. ℙ *Serv.* ad *A.* 5, 864. facit Calliopen matrem etiam Sirenum ex Acheloo flumine.

CALLĪŌPĒA, ae, f. *Καλλιόπεια*, eadem quae Calliope, Orphei mater. *Virg. Ecl.* 4, 57. Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo. *Ov. Fast.* 5, 80. Prima sui coepit Calliopea chori. Adde *Prop.* 1, 2, 28.

[CALLĪOPĒĬUS, a, um, adj. ad Calliopen pertinens. Absolute *Calliopeius* appellatus Hymenaeus Calliopes filius. *Auct. Epithalam.* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 641. *v.* 77. Hinc puer elusa juga Calliopeius illis Nexuerat domina. *F.*]

[CALLĪPARTHĒNUS, i, m. pulcre virgineus, a *κάλλος*, pulcritudo, et *παρθένος*, virgineus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 892, 2. M. Valerius Calliparthenus. *F.*]

CALLĪPĔTĀLON, i, n. *καλλιπέταλον*, a *κάλλος*, pulcritudo, et *πέταλον*, folium; herba eadem ac quinquefolium. *Appul. Herb.* 2. *F.*]

*CALLĪPEUCE, es, saltus Thessaliae, prope Macedoniam. *Liv.* 44, 5. *extr. B. A.*

*CALLIPHĀNES, is, historicus Graecus. *Plin.* 7, 2. *B. A.*

[*CALLĪPHON, ontis, m. *Καλλιφῶν*, a *κάλλος*, pulcritudo, et *φάω*, dico, vel luceo. Fuit philosophus, qui voluptatem et honestatem summum bonum esse dixit. *Cic. Fin.* 2, 6. et 11. [*Ib.* 4, 18. 5, 8. 25. *Id. Acad.* 2, 42. *Off.* 3, 33. De ejus sententia cf. *Clemens Alex. Strom.* 2. p. 415. *Cic. Tusc.* 5, 30.] ℙ *J. A. Goerenz.* ad *Cic. l. c.* probat non *Callipho*, *onis*, sed *Calliphon*, *ontis* declinandum esse hujusmodi nomen. ℙ Fuit etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 477, 1. Genethlon P. Tutilii Calliphontis. *F.*]

*CALLĪPĪA, ae, fons Ephesi. *Plin.* 5, 29. ubi tamen *Hard.* mavult legere *Callippia*. *B. A.*

*CALLĪPĪDAE, arum, populi Scythiae vel Sarmatiae Europaeae. *Mela* 2, 1. *B. A.*

CALLĪPŌLIS, is, f. *Gallipoli*, *Καλλίπολις*: a *κάλλος*, pulcritudo, et *πόλις*, civitas, urbs Chersonesi Thraciae ad Hellespontum, qui ab ea nomen traxit, e regione Asiae minoris contra Lampsacum. *Plin.* 4, 11, 18. ℙ Item insula maris Aegaei, quae et Naxus et Sicilia minor est appellata. *Id.* 4, 12, 22. ℙ Item urbs Italiae in Salentinis a Graecis condita. *Id.* 3, 11, 16. et *Mela* 2, 4. ℙ Item urbs Siciliae, ap. *Sil.* 14, 249. ℙ [Est etiam cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 43. *n.* 246. Servilia Callipolis. *F.*] ℙ *Item urbs Aetoliae. *Liv.* 36, 30. *B. A.*

CALLĪPPĪDES, ae, m. *Καλλιππίδης*, tragoedus celeber, Agesilai aetate: cujus nimium motum in scena reprehensum, ut etiam a Mynisio histrione simia sit appellatus, ostendit *Aristot. A. P.* 26. Hinc ortum est proverbium in eos, qui satagunt et nihil agunt. Alii dicunt, fuisse cursorem, sed cunctatorem tardissimum. *Suet. Tib.* 38. Ad extremum vota pro itu et reditu suo suscipi passus, ut vulgo jam per jocum Callippides vocaretur, quem cursitare ac ne cubiti quidem mensuram progredi, proverbio Graeco notatum est. *Cic. Att.* 13, 12. Cum ille *Καλλιππίδης* assiduo cursu cubitum nullum processerit.

CALLĪRHOE, es, f. *Καλλιρόη*, Acheloi filia, uxor altera Alcmaeonis, quae petiit a Jove et impetravit, ut duo filii adhuc infantes confestim ad viri occisi ultionem adolescerent. *Ov. Met.* 9, 414. et 430. V. ALCMAEO. ℙ Alia item, filia Lyci, quae Diomedem liberavit ab insidiis patris, qui hospites omnes immolabat, a quo cum se desertam videret, vitam laqueo finivit. ℙ Item alia Piranthi filia vel, ut alii volunt, uxor, ex qua Argus, Aristorides et Triopas nati sunt. *Hygin. fab.* 145. ℙ Item alia Chrysaoris uxor, mater Geryonis trimembris. *Hygin. praef.* et *fab.* 145. et 151. ℙ Item filia Oceani, quae ex Neptuno Chionem peperit. *Serv.* ad *A.* 4, 250. ℙ Est praeterea nomen fontis in Attica, *enneacrunos* cognominatus, *ἐννεάκρουνος*, hoc est novem habens scaturigines. *Stat. Th.* 12, 629. Et quos Calliroe novies errantibus undis Implicat etc. Adde *Plin.* 4, 7, 11. Qui *Calliroen* et *Enneacrunon* duos diversos fontes faciunt, probe refelluntur ab *Harduino in notis et emendat. ad cit. l. Plin.* 4. *n.* 32. ℙ Item alius calidae aquae in Judaea, prope Asphaltiten lacum, medicae salubritatis, aquarum gloriam ipso nomine praeferens. *Plin.* 5, 16, 15. ℙ Item alius in Arabia apud Edessam urbem, quae et ipsa Calliroe cognominata est. *Id. ib.* 24, 21. ℙ Omnes hi fontes ab aquarum pulcritudine nomen habent vel quod molliter fluerent, quod est fontibus proprium: a *κάλλος*, pulcritudo, et *ῥοή*, fluentum. ℙ [Est etiam cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 135, 1. Caecilia Callirhoe. *F.*] ℙ Quid sibi velit *Pers.* 1, 134. His mane edictum, post prandia Calliroen do, V. Interpretes: varie enim a variis exponitur. ℙ Scribitur etiam *Callirhoe* et *Callirrhoe*: sic Graece *καλλιρόη* et *καλλιῤῥόη*.

CALLIS, is, m. *στίβος*, *τρίβος*, *ἀτραπιτός* seu *ἀτραπιτός*, proprie est semita angustior et devia, qua animalia ire solent. *Serv.* ad *A.* 4, 405. Callis est semita tenuior, callo pecorum praedurata. *Vet. Glossae*: Callis, via pecorum vestigiis trita. *Isid. Or.* 15, 16. Callis est iter pecudum inter montes angustum et tritum. *Varr. R. R.* 2, 10. Neque

senes neque pueri callium difficultatem ac montium arduitatem facile ferunt. *Cic. Sext.* 5. Cum Catilina e pruina Apennini atque e nivibus illis emersisset atque aestatem integram nactus, Italiae calles et pastorum stabula praeclara cepisset. *Virg. l. c. de formicis*, praedamque per herbam Convectant calle angusto. *Curt.* 5, 4. Calles silvestres, vix singulis pervii. *Id. ib.* 6. Calles invii. *Liv.* 22, 14. Nos hic pecorum more per aestivos saltus deviosque calles exercitum ducimus. *Non.* 3, 46. hoc loco (si modo hunc locum designat: nam paulum immutatis verbis refert citatque *l.* 12. pro *l.* 22.) legit *devias*, atque inde probat etiam in fem. gen. usurpari: additque ita frequenter apud *Liv.* legi: sed editiones omnes etiam principes A. 1470. et 1480. habent *devios*. Nihilominus *exiguam callem* feminine dixit *Ammian.* 30, 1. Addunt alii loca tria *Liv.* 31, 42., 36, 15. et 38, 2., in quibus *calles ignotas* et *ullas calles* et *notas calles*, sed ubique incerta lectione, habetur. ℙ Generatim accipitur pro via. *Val. Fl.* 3, 568. Litora curva petens, alio nam calle reverti Credit Hylam. *Id.* 5, 391. ipsaque juxta Moenia, si bivios possis dignoscere calles. Al. leg. *vivos*, hoc est vias gramine viridantes ℙ *Callium provincia*, quae magistratibus demandari solebat, erat munus callium, silvarum saltuumque administrandorum. Ex hujusmodi enim locis vectigalia exigebantur propter pecora et pascua. Haec autem provincia minimi negotii erat et a quaestoribus administrari solebat; interdum a consulibus, quando scilicet nusquam bella instabant. *Tac. A.* 4, 27. Curtius Lupus quaestor, cui provincia vetere ex more calles evenerat. Al. rectius leg. *Cales*, quod est oppidum Campaniae: qua de re *Lipsius* et *Ernestius ad hunc loc.* consulendi. *Suet. Caes.* 19. Ut provinciae futuris consulibus minimi negotii, id est silvae callesque decernerentur. *Id. Claud.* 24. Collegio quaestorum, detracta Ostiensi et callium provincia, curam aerarii Saturni reddidit. Al. leg. et *Gallica provincia*. V. ibi *Casaub.* et *Baumgarten-Crusium.*

CALLISCO, is, n. 3. *ἀρχαϊζῶς* pro callesco. *Cato B. Carth.* Aures nobis calliscerunt ad injurias, *h. e.* occalluerunt. Ita *Non.* 2, 162.

[*CALLISTHĒNES, is, m. *Καλλισθένης*, *h. e.* pulcritudine potens: a *κάλλος*, pulcritudo, et *σθένος*, robur. Hic fuit Olynthius, Aristotelis discipulus, Alexandro M. ex condiscipulatu familiaris accitusque ab ipso rege ad prodenda memoriae ejus gesta Asiatica, a quo tandem necatus est, quod eum Persico more adorare noluisset. Mors ejus a *Theophrasto* peculiari libello deplorata est. Scripsit et Troicum bellum. *Curt.* 8, 5. *Cic. Tusc.* 3, 10. et 5, 9. *Id.* pro *Rab. Postum.* 9. *Fam.* 5, 12. *Div.* 1, 24. 2, 25. *Justin.* 12, 6. 7. ℙ Fuit etiam nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 12. Callisthenes Threx veteranus. *F.* et *B. A.*]

CALLISTŌ, us, et onis, *Καλλιστώ*, Lycaonis filia, eadem quae *Ursa major;* de qua V. in ARCTOS. *Prop.* 2, 21, 25. Callisto Arcadios erraverat ursa per agros. *Catull.* 66, 66. Callisto juvenca Lycaonida. Al. leg. *Callistoe juncta Lycaoniae*, ut sit dativus Graecae positionis, *τῇ Καλλιστοΐ*. *Hyg. fab.* 176. Filiam ejus Callisto compressisse dicitur. *Serv.* ad *G.* 1, 67. Arcas Callistonis et Jovis filius. ℙ Scribitur et *Calisto.*

*CALLISTRĀTUS, i, statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. ℙ De variis Callistratis V. *Voss. de Hist. Graec.* 3. p. 338. *B. A.*

CALLISTRŪTHIA Ficus, *καλλιστρούθιον σῦκος*, genus est ficorum ex Graecia in Italiam translatum, quod *Plin.* 15, 18, 19. ait, esse parum sapore praestans, omniumque frigidissimum: sed *Athenaeus* 3, 3. mire laudat, et antecellere omnes ficus asserit, quae in universo terrarum orbe generantur. [Et *Brodaeus* cum *Dalecampio* ap. *Plin. l. c.* legendum putat *haud parum sapore praestantes. F.*] ℙ Nomen habuit a *κάλλος*, pulcritudo, et *στρουθός*, passer, vel *στρούθιον*, passerculus, fortasse quia ejus avidissimi sunt passeres: vel quod pulcritudine referat genus quoddam mali cotonei, quod *στρούθιον* Graece dicitur, ut apud *Voss.* in *Etym.* legitur. *Capitol. Albin.* 11. Quingentas ficus passarias, quas Graeci callistruthias vocant, jejunum comedisse dicit. *Marcell. Donat.* ap. *Voss. l. c.* mallet legere *passerarias*, inhaerens etymologiae modo allatae. ℙ Dicitur etiam *callistruthis, idis. Colum.* 10, 416. Et callistruthis, roseo quae semine ridet.

CALLISTRŪTHIS. V. vocem praec.

[CALLISTUS, i, m. et Calliste, es, f. *κάλλιστος* et *καλλίστη*, optimus, optima. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 261, 1. Terentius Callistus. *Alia* ap. *Grut.* 485, 4. Veronia Calliste. *F.*]

CALLĪTAS. V. CALVITAS.

*CALLITHERA, orum, Thessaliae oppidum, juxta Metropolin. *Liv.* 32, 13. *B. A.*

CALLĪTHRIX, itrichis, f. *καλλίθριξ*, herba foliis lenticulae, caule junci tenuis simili, radice minima: nascitur in opacis et humidis, gustatu fervens, et sternumentum movens. *Plin.* 25, 11, 86. ℙ Eadem dicitur etiam *trichomanes:* callithrix autem, quia illita cohibet capillos defluentes, aut si effluxerint, reparat: a *κάλλος*, pulcritudo, et *θρίξ, τριχὸς*, capillus. *Plin.* 26, 15, 90. Callithrix capillos inficit oleo trita. Adde 26, 14, 87. ℙ *Callitriches* item sunt simiarum quoddam genus toto paene aspectu ab aliis simiis differens, barbam habens in facie, et caudam late fusam priori parte. *Plin.* 8, 54, 80.

CALLĪTRICHES Simiae, *καλλίτριχες πίθηκοι*. V. CALLITHRIX.

CALLĪTRICHON, i, n. *καλλίτριχον*, herba eadem, quae *adiandum*. V.

[CALLĪTYCHUS, i, m. et Callĭtyche, ae, f. pulcram fortunam habens. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 74, 1. Callitychus Lib. *Alia* apud *eund.* 519, 10. Cassia Callityche. *F.*]

*CALLIXĒNUS, i, insignis statuarius, cujus meminit *Plin.* 34, 8. *B. A.*

*CALLON, onis, insignis statuarius, Aegineta. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

*CALLONIANA, oppidum Siciliae. *Anton. Itin. B. A.*

CALLOSĪTAS, atis, f. *τύλωμα*, durities callosa. *Scrib. Compos.* 36. Collyrium, quod proprie facit ad aspritudinem palpebrarum et callositatem. ℙ Translate. *Tertull. Testim. anim.* 8. Quid igitur vis, homo, de humanis sententiis litterarum tuarum exisse haec in usus communis callositatem? *h. e.* consuetudinem veluti callo obducto firmatam.

CALLOSUS, a, um, adj. *τυλώδης, τυλόεις*, callo obducto duratus, callis abundans. *Cels.* 6, 3. Ulcus callosum. *Plin.* 11, 39, 92. Crassior callosiorve cutis. *Auct. Pan. ad Pison.* 17. Humida callosa cum pinseret hordea dextra. ℙ Per similitudinem dicitur de variis rebus. *Hor. Sat.* 2, 4, 14. *de ovis.* namque marem cohibent callosa vitellum. *callosa ova* appellat, quae densiora et spissiora sunt ac duriuscula. *Callus* enim ovi videtur esse albumen: vel potius gutta illa albicans in vitello, quae facile in callum durescit; non, ut quidam volunt, putamen, cujus durities minus apte cum duritie calli compararetur. *Plin.* 15, 3, 4. Callosae olivae. *Id.* 14, 20, 25. Callosior resina, *h. e.* minus liquida, et solidior. *Colum.* 3, 1. Callosi acini uvae. *Apic.* 3, 4. Reddere cucurbitas callosiores ad gustum, *h. e.* firmiores solidioresque, et ita gustui gratiores.

CALLUM, i, n. et Callus, i, m. 2. *τύλος, τύλωμα*, cutis labore viae in pedibus, aut assiduo opere in manibus, parteve alia corporis densior facta, cujusmodi est in suis rostro, cervice bovis, animalium plantis, et duritia illa, quae in manibus hominum ex labore nascitur. *Cic. Tusc.* 5, 32. Mihi calceamentum est solorum callum, cubile terra. *Cels.* 5, 28. *n.* 12. *a med.* Callus fistulae neminem fallit, quia durus est, et aut albus, aut pallidus. (Masculine extulit etiam *Domit. Marsus* ap. *Charis.* 1. p. 55.) *Plin.* 11, 37, 68. Stomachus denticulatus callo, in modum rubi, ad conficiendos cibos. *Suet. Aug.* 80. Callis quibusdam ex prurigine corporis, assiduoque et vehementi strigilis usu plurifariam concretis, ad impetiginis formam. *Plin.* 22, 25, 60. Farina in pollinem subacta imponitur pedum callo, clavisque. ℙ *Callum aprugnum*, et *callum* absolute dixere veteres lumbos apri teneram quandam duritiem, et callo similem habentes, propter quam comedentibus mire commendabantur. *Pl. Pers.* 2, 5, 4. Magis calleo, quam aprugnum callum callet. *Id. Capt.* 4, 3, 4. Quanta pernis pestis veniet! quanta callo calamitas! *Id. Ps.* 1, 2, 32. Pernam, callum, glandium, sumen facito in aqua jaceant. *Cato* quoque *Censorius* in orationib. suis aprugnum callum, tanquam nimii luxus, Romanis exprobrabat, teste *Plin.* 8, 51, 78. Observat *Humelberg. in notis ad Apic.* 7, 1. non solum apri, sed et domesticorum suum laridum, seu carnem callosiorem et duriusculam *callum* appellari. Hinc *Id. Apic.* 1, 9. *callum porcinum* memorat. ℙ *Callum* quoque vocant solidam carnem piscium, quibus sunt testacea operimenta, ut ostreorum, cancrorum, et hujusmodi. *Plin.* 9, 30, 50. *de locustis.* Unum hoc animalium, nisi vivum ferventi aqua incoquatur, fluida carne non habet callum. ℙ Per similitudinem variis rebus tribuitur. *Plin.* 14, 1, 3. Uva non aliubi gratior callo: ut inde possit invenisse nomen duracina. *Id.* 18, 29, 29. *n.* 4. Uvae acini praecoquuntur in callum. *Id.* 15, 28, 34. Callo placent pira ac mala. *Id.* 16, 22, 34. Callo crassa folia. *Id.* 22, 23, 47. Tutissimi fungorum, qui rubent callo. *Id.* 19, 2, 11. Tubera cortice includuntur, ut plane nec terram esse possimus dicere, nec aliud quam terrae callum. *Id.* 17, 5, 3. Terra sterilis, densa callo facile deprehenditur. (Callum terrae vocat particulas ejus duriores et solidiores, ut in carne animalium sunt calli.) *Id.* 31, 4, 30. Coli moverique terram, callumque summae cutis solvi, aquarum interest, *h. e.* duritiem illam, qua terrae superficies tenacior est, sive herbis ipsam contiuentibus, sive quod sole et aere durescit et solidatur. *Id.* 16, 12, 23. Pix derasa navibus efficacior ad omnia, quibus pices resinaeque prosunt, videlicet adjecto salis callo, *h. e.* duritie quadam ac soliditate a sale seu marina aqua accepta. Denique *Id.* 9, 60, 86. et 32, 10, 41. vocat *callum* quorundam piscium tegumen, quod neque tam siccum ac durum est, ut testa, neque tam molle, ut caro et cutis, sed inter utramque naturam medium. Quo pertinet illud *Lucr.* 4, 933. Proptereaque fere res omnes aut corio sunt, Aut seta, aut conchis, aut callo, aut cortice tectae. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 2, 15. *in f.* Ipse labor quasi callum quoddam obducit dolori, *h. e.* ita assuefecit, ut dolor non sentiatur: callosa enim caro minus sentit. *Id. ib.* 3, 22. Quorum animis diuturna cogitatio callum vetustatis obduxerat. *Id. Fam.* 9, 2. Consuetudo diurna callum jam obduxit stomacho meo. *Senec. Consol. ad Marc.* 8. Manet quidem tibi etiamnum ingens tristitia, et jam videtur duxisse callum.

CALLUS. V. voc. praeced.

CĂLO, as, a. 1. *καλῶ*. Verbum Graecum est, quod tres habet significationes, vocandi, nominandi, et invocandi: totidemque notionibus a priscis Latinis usurpatum est. Utebantur enim voce *calandi* cum vocabant populum in Curiam Calabram, vel ad Comitia, vel ut dies nonarum cujusque mensis indicerent, eo modo, quo dictum est in CALENDAE. Ipsos quoque dies *calare* dicebantur, cum pronunciabant, quinquene an septem usque ad nonas essent futuri: quod faciebant quinquies aut septies pronunciato verbo *calo*, si credimus *Macr. Sat.* 1, 15., vel potius quia, ut est apud *Varr. L. L.* 5, 4., utebantur illa formula: *Quinque dies te calo, Juno novella* etc. Quia enim primus cujusque mensis dies Junoni sacer erat, ideo in iis diebus pronunciandis Junonem invocabant, atque itidem verbum *calo* adhibebant. *Gell.* 15, 27. Curiata comitia per lictorem curiatum calari, idest convocari, centuriata per cornicinem. (V. CALATUS.) *Varr. l. c.* Primi dies mensium nominati calendae ab eo, quod his diebus calarentur ejus mensis nonae a pontificibus, quintanae, an septimanae sint futurae, in Capitolio, in Curia Calabra sic: Dies te quinque calo, Juno novella: septem dies te calo, Juno novella. Ita *Scalig.* in *Conjectan.* haec verba *Varr.* emendat, quae in ipso textu paulo confusiora sunt. *Macr. l. c.* Hunc diem, qui ex his diebus, qui calarentur, primus esset, placuit calendas vocari. ℙ Itaque *calare comitia*, aut *populum* est convocare; *calare dies* est pronunciare, nominare, indicere: *calare Junonem* est invocare. Extra haec nullus fuit amplius hujus verbi usus. Est enim purum putum ex Graeco, ut diximus: quod in causa est, cur etiam per K Graecam litteram *Kalo, Kalatio, Kalator, Kalendae* etc. scripta saepissime reperiantur tum in lapidibus, tum in opt. codd. Et quidem *Diomed.* 2. p. 417. et *Scaur.* p. 2252. et alii quidam grammatici ita K defendunt, ut necessario tum in his, tum in aliis quibusdam vocibus scribendam putent. Sed cum pro ea Latini passim C substituerint in aliis verbis, quae a Graeco K incipiebant, ut in *cala, cacabus, cantharus, carbasus*, aliisque sexcentis, non est cur in eas scribendi angustias compellamur, ut sine piaculo *calare, calendae* etc. scribere non liceat. V. alia huc pertinentia in CALUMNIA.

CĂLO, onis, m. *ξυλοφόρος*, servus militis, a ferendis lignis palisque ad usum militiae sic appellatus. *Cala* enim lignum, seu fustem significat. *Festus:* Calones militum servi dicti, quia ligneas clavas gerebant, quae Graeci *κᾶλα* vocant. Adde *Serv.* ad *A.* 6. 1.; cujus verba in CALA allata sunt, et *Non.* 1, 310. ℙ Sed non solum ligna et vallum, verum et aquam ferebant, et alia hujusmodi viliora ministeria exhibebant. *Veg. Milit.* 3, 6. memorat calones dictos *galearios*, qui galeas dominis suppeditabant: quamquam *Stewech.* monet, tum eo loco, tum 1, 10., ubi ea vox iterum reperitur, varie in variis codd. legi. *Cic. Nat. D.* 3, 5. Eos tu cantheriis albis, nullis calonibus, obviam Vatieno venisse existimas. *Caes. B. G.* 6, 35. Ne calonem quidem extra munitionem egredi passus est. ℙ Saepe *calones* et *lixae* conjunguntur: inter quos illud interest, quod *lixae* liberi erant, et quaestus gratia exercitum sequebantur: *calones* vero mancipia. Neque enim audiendus est *Acron*, qui ad illud *Hor. Sat.* 1, 2, 44. *Hunc perminxerunt calones*, hos liberos, lixas vero servos facit: neque item movere debet *Taciti* locus *Hist.* 2, 87., ubi incerta lectio est. Praeterea *calones* erant pars exercitus: eorumque opera duces aliquando usi sunt: non enim ignari omnino militiae erant, cum omnibus fere militum exercitationibus adessent: *lixae* non item. Ad haec, *lixae* cibaria portabant ad exercitum, quod de calonibus non legitur. *Tac. Hist.* 1, 49. Caput Galbae per lixas calonesque suffixum laceratumque. *Id. ib.* 3, 20. *in f.* Lixas calonesque Bedriacum mittit, copias ceteraque usui allaturos. Adde *ib.* 33. ℙ Aliquando tamen promiscue adhibentur. Nam *Caesar in suis Commentar.* solos nominat calones, lixas nunquam: atque adeo calonum nomine utrosque intelligere videtur. ℙ Proverbii speciem habet illud *Pers.* 5, 95. *Sambucam citius caloni aptaveris alto.* Solent enim hu-

jusmodi homines crasso ingenio esse, et ad musicam ineptissimi. ℙ Dicuntur etiam *calones* viliores quique servi urbani, aut rustici. *Hor. Sat.* I, 6, 103. plures calones atque caballi Pascendi. *Senec. ep.* 110. *ad f.* Cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus. ℙ Sunt praeterea *calones* calcei lignei, teste *Festo:* qui tamen nullum hujus significationis testimonium producit: valdeque metuit *Voss.* in *Etymol.* ne *Paulus Festi Epitomator* calones cum calopodiis confuderit. ℙ Item *Festus* in voce *Procalare*, eumque secutus *Porphyr. ad l. c. Hor.* calones eosdem cum calatoribus faciunt: a *calando* enim derivant. Sed jure ac merito reprehenduntur a *Voss.* in *Etymol.* et aliis.

CALOBATARIUS, ii, m. καλοβάτης, grallator, qui in ligneis perticis incedit: a κᾶλον, lignum, et βαίνω, gradior. Habet *Non.* 2, 361., ubi alii leg. *colobathrarius*: nam κωλόβαθρα grallae sunt. In *Not. Tir.* p. 174. Colobrata, ubi fortasse corruptum est pro *colobathra*. Quod vero in multis vulgatis *Nonii* legitur *collobatarius*, aut *collobathrarius*, corruptum videtur. *Voss.* in *Etymol.* in *Grallae.*

[CALOCAERUS, i, m. pulcre opportunus, a καλός, pulcher, et καιρός, opportunitas. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 270, 6. T. Statilius Calocaerus. *F.*]

CALOENUS. V. CALENUS.

*CALON, onis, statuarius quidam. *Quint.* 12, 8. Forte idem, qui *Callon* appellatur *Plin.* V. *Callon.* ℙ Praeterea Calon est locus, forte oppidum, Galliae Belgicae, in regione Gugernorum. *Anton. Itin. B. A.*

CALOPHANTA, ae, m. καλοφάντης. *Pl. Curc.* 4, 1, 2. Calophantam, an sycophantam hunc magis esse dicam, nescio. Ita legunt *Alciatus* et *Paraeus* et exponunt χρηστολόγον, *h. e.* eum, qui honeste quidem loquitur, sed ejus facta ab oratione discrepant. Est a καλὸς, honestus, et φάω vel φημὶ, dico. Alii leg. *halophantam* et varie exponunt. Alii *halapanta*, hoc est omnia mentientem. V. *Taubman.*, qui multorum sententias collegit.

CALOPODIUM, ii, n. forma lignea, qua utuntur sutores in calceis faciendis: a κᾶλον, lignum, et ποῦς, ποδὸς, pes. Auctorem habet *Helenium Acronem* ad illud *Hor. Sat.* 2, 5, 106. *Si scalpra et formas non sutor* etc. Ubi *formas* exponit *calopodias* in feminino genere. Sed observarunt eruditi, iis temporibus, quibus scripsit *Acron*, neutra nomina fere in feminino usurpata fuisse. V. CALO, onis. ℙ *Vet. Schol. Cruq.* ad *Hor. Sat.* 2, 8, 77. Soleae calopodes ad reparandum convivium. Hic *calopodes* sunt ipsae solae ligneae, ab Italis *zoccoli* appellatae.

CALOR, oris, m. θέρμη, θερμότης, ardor, aestus. *Cic. Univers.* 14. Causae, quae vim habeant caloris et frigoris. *Vitruv.* 1, 4. Mutationibus caloris et refrigerationis corpora vitiantur. *Cic. Senect.* 15. Uva succo terrae et calore solis augescit. *Cels.* 3, 3. Quartanae incipiunt fere ab horrore, deinde calor erumpit. ℙ Saepe accipitur pro ardore solis aestivi. *Cic. Att.* 13, 34. Vitandi caloris causa Lanuvii tres horas acquieveram. *Id. Or.* 1. *in f.* Paulum requiescet, dum se calor frangat. *Id. Q. Fr.* 3, 1. Ego ex magnis caloribus (non enim meminimus majores) in Arpinati summa cum amoenitate fluminis me refeci. *Colum.* 11, 2. hujusmodi *caloris* initium statuit idus Junias. *Hor. Ep.* 1, 7, 5. dum ficus prima calorque Designatorem decorat lictoribus atris. [**Cic. Off.* 2, 4, 13. Tecta, quibus et frigorum vis pelleretur et calorum molestiae sedarentur. *Id. N. D.* 2, 60, 151. Ut tectis saepti frigora caloresque pellamus.] ℙ [Item pro calore vitali. *Cic. N. D.* 2, 10. Salutaris et vitalis calor. *Virg. A.* 4. *ad f.* omnis et una Dilapsus calor. *F.*] ℙ Aliquando pro febri. *Tibull.* 4, 11, 2. Dum mea nunc vexat corpora fessa calor. ℙ Translate ponitur pro impetu, fervore et ardore animi aut mentis. *Quint.* 2, 15. Juvenili calore inconsideratior *Id.* 10, 3. Calor ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, recipit ex integro vires. *Petr. Sat.* 5. Obruere calorem mentis viro. *Stat. Th.* 1, 3. Pierius menti calor incidit. *Id. Achill.* 2, 26. Calor Martius, *h. e.* furor, et armorum cupiditas. *Lucan.* 2, 324. juvenisque calorem Excitat in nimios belli civilis amores. *Plin. ep.* 3, 9. Calor dicentis. *Paul. Dig.* 9, 4, 9. Locatio vectigalium, quae calore licitantis ultra modum solitae conductionis inflatur. *Id. ib.* 50, 17, 48. In calore iracundiae facere aliquid. *Stat. Th.* 2, 391. rudis fandi pronusque calori. ℙ Pro amore. *Ov. Met.* 11, 305. Videre hanc pariter, pariter traxere calorem. *Id. Her.* 19, 173. Nunc male res junctae, calor et reverentia, pugnant. *Sil.* 14, 223. *de Aci.* Aemulus ille tuo quondam, Polypheme, calori. In plurali numero. *Ov. A. Am.* 1, 237. Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos. Adde *Hor. Od* 4, 9, 11. ℙ Neutro genere. *Pl. Merc.* 5, 2, 18. Neque mihi ulla obsistet amnis, neque mons neque adeo mare: Nec calor nec frigus metuo neque ventum neque grandinem. Confirmat *Philargyr.*, qui ad illud *Virg. G.* 2, 344. Si non tanta quies iret frigusque caloremque Inter; haec eadem *Plauti* verba ita refert: *Neque frigus neque calor metuo;* additque in versu *Virgilii* prius lectum fuisse *iret frigusque calorque Inter.* Item *Nonius*, qui 3, 62. hanc vocem ponit inter eas, quae, ut ipse vocat, indiscreti generis sunt. Adde, quod versus ille hypermeter sit, si *calorem* legas, ut et *Philarg.* adnotavit. Sunt qui, ut grammaticorum regulis consulant, ita ea verba distinguunt, ut *calor* non ad *metuo*, sed ad superius *obsistet* referatur. Sed hoc durius videtur. Non est tamen ideo *Plautus* facile imitandus. ℙ [**Calor* fuit etiam fluvius in Samnio, prope Beneventum, in Sabatum amnem influens atque inde in Vulturnum, nunc *Calore. Liv.* 24, 14. et 25, 17. et *Tab. Peuting.* ℙ Alius hoc nomine fluvius, in Lucania. *Anton. Itin. F.* et *B. A.*]

CALORATUS, a, um, adj. calefactus, calidus, θερμός. Translate. *Appul. Met.* 6. Cujus primae juventutis caloratos impetus freno quodam coercendos existimavi.

CALORIFICUS, a, um, adj. θερμοποιὸς, vim calefaciendi habens. *Gell.* 17, 8. Sed non secus quoque oleum calorificum est.

CALOTIBOS, pes est quinque syllabarum, quarum quatuor sunt longae et quinta brevis, ut *circumferretur. Diomed.* 3. p. 478.

CALPAR, aris, n. antiqua vox, qua significatur vas vinarium fictile condendis vinis aptum, quod postea dolium dictum est. Item vinum ipsum in tali vase conditum. *Non.* 15, 31. Calpar nomine antiquo dolium. *Varr. ib.* Quod antequam nomen dolii prolatum esset, cum id genus vasis calpar diceretur, id vinum calpar appellatum. ℙ Speciatim ita dictum est vinum novum, auctore *Festo*, quod ex dolio demebatur sacrificii causa, antequam gustaretur. Jovi enim prius sua vina libabant, ne, si non libarent, vinum omne, quod in cellis atque apothecis erat conditum, esse sacrum inciperet, et usibus eriperetur humanis, ut *Arnob.* 7. p. 236. loquitur. V. INFERIUS. Hujusmodi sacrificii dies *vinalia* appellabatur. Videtur esse a Graeco κάλπη, quod alii urceum, alii urnam, aut situlam interpretantur.

*CALPAS, ae, m. portus Bithyniae, inter Chalcedonem et Heracleam. *Plin.* 6, 1. Κάλπης λιμὴν audit *Xenoph. Exped. Cyri* 6, 2 et 4. *in. B. A.*

CALPE, es, f. mons extimus Hispaniae Baeticae freto imminens, qua Oceanus in mediterraneum mare influit. Huic monti opponitur Abyla in Africa: et dicuntur ambo columnae Herculis, ejusque laborum metae. *Plin.* 3. *prooem.* et *ib.* 1, 3., *Mela* 1, 5. et 2, 6., *Sen. Herc. O.* 1253. Ibera Calpe.

CALPETANUS, a, um, et

CALPETITANUS, a, um, adj. ad Calpen pertinens. *Avien. Prognost.* 1620. Et Calpetano tranquillum gurgite lumen Tingat. *Id. Arat.* 1023. Lucis ab exortu procul in vada Calpetitana. ℙ [Est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 200, 6. C. Statius Rufus Calpetanus curator locorum publicorum judicandorum. *F.*]

CALPHURNIUS. V. CALPURNIUS.

CALPURNIANUS, a, um, adj. id. q. Calpurnius, a, um, ut Calpurniani milites, *h. e.* sub Calpurnio praetore militantes. *Liv.* 39, 31. *ℙ Calpurniana (castra, ut probabile), oppidum Hispaniae Baeticae, non procul a Corduba. *Anton. Itin. B. A.*

CALPURNIUS, a, um, adj. ad aliquem unum pertinens ex Calpurniorum familia, quam originem traxisse a *Calpo*, seu *Calpa* Numae regis filio, docent *Auct. Paneg.* ad *Pison.* 3. et 15. et *Festus. Cic. Pis.* 23. Calpurnia familia. *Auct. Paneg. modo dicti*, 15. Calpurnia domus. ℙ Lex Calpurnia triplex fuit. Una repetundarum, lata a L. Calpurnio Pisone Frugi trib. pl. L. Marcio Censorino, M. Manilio Coss. an. U. C. 605., qui primus repetundarum reos legibus coercuit, ut docet *Cic. Verr.* 2, 4, 25. et *Off.* 2, 21. *ad f.* [*cf. ad *h. l. Beier.*] Ea lege statutum est, ut quibus in provinciis magistratus populi R. eorumve comites pecuniam contra leges cepissent, earum provinciarum homines, judicio Romae constituto, suas pecunias repeterent. ℙ Alia de ambitu lata est a C. Calpurnio Pisone, qui consul fuit cum M'. Acilio Glabrione an. U. C. 687., in qua praeter alias poenas pecuniaria quoque multa damnatis de ambitu adjecta fuit, ut *Ascon. in comment. Cic. pro. C. Cornel. majest. reo*, et *in toga candida contra C. Anton.* et *Catil.* tradit. Meminit etiam *Cic. Mur.* 23. et *Tac. Ann.* 15, 20. ℙ Alia fuit militaris, ut milites auxiliorum virtutis ergo civitate Romana donarentur. Hujus mentio fit a Sisenna ap. *Non.* 2, 300. ℙ Scribitur et *Calphurnius*: sed prior scriptio in lapidibus est frequentissima, probaturque a *Manut.* et *Dausquio* in *Orthograph.* Altera vix unum aut alterum habet, quo se tueatur, vetus monumentum.

CALPURNIUS, ii, m. T. Julius Calpurnius Siculus, Latinus poeta non vulgaris, vixit sub Caro et Numeriano imperatoribus, Nemesiano poetae aequalis, cui etiam Bucolicon suum inscripsit: tametsi *Ulitius* suspicatur, pro *ad Nemesianum. Cart.* legendum esse *ad Numerianum Caes.* Putant nonnulli, eundem esse cum Julio Calpurnio illo, cujus epistolam de morte Cari refert *Vopisc. Car.* 8. Ejus carmina Latina admodum sunt, et eleganti facilitate composita: quorum propterea lectio non nisi utilis litterarum studiosis esse potest. ℙ De ratione scribendi, V. in fine vocis praeced.

CALSA, ae, f. herba duorum generum. Una similis aro: nascitur in arationibus: colligitur, antequam inarescat, ususque eosdem habet, quos arum. Alteram quidam vocant anchusam, alii rhinochisiam: folia habet lactucae longiora, plumosa, radicem rubram. *Plin.* 27, 8, 36., ubi libri editi habent *calla*, sed MSS. omnes *calsa*, teste *Harduino.*

CALTHA, ae, f. (calendula officinalis *Linn.*) genus violae sativae, luteae, odore gravi, folio numeroso. V. *Plin.* 21, 6, 15., ubi de violis agit. *Virg. Ecl.* 2, 50. Mollia luteola pingit vaccinia caltha. *Colum.* 10, 97. Candida leucoja, et flaventia lumina calthae. Et *ib.* 307. Pressaque flammeola rumpatur fiscina caltha. ℙ Reperitur etiam *calthum*, *i*, n. 2. *Prudent. Cathemer.* 5, 114. calthaque pinguia, Et molles violas, et tenues crocos Fundit fonticulis unda fugacibus.

CALTHIANUS. V. CALATHIANUS.

CALTHULA, ae, f. genus vestis sic appellatum a colore calthae, ut *Non.* 16, 4. docet. Non est tamen eadem cum veste ianthina, quae est coloris violae purpureae, ut *Plin.* 21, 6, 14. tradit. *Plaut. Epid.* 2, 2, 45. Quid istae, quae vesti quotannis nomina inveniunt nova! Indusiatam, patagiatam, calthulam, aut crocotulam. ℙ Addit *Non. l. c.* calthulam apud *Varr.* 1. *de vita Pop. Rom.* palliolum breve significare. ℙ Scribitur et *caltula* sine aspiratione.

CALTHULARIUS, ii, m. qui vestes eas tingit, quae calthulae vocantur. *Pl. Aul.* 3, 5, 35. Caupones, patagiarii, indusiarii, flammearii, violarii, calthularii. Ita *Douza* ex auctoritate unius MS., quem et *Lambin.* se vidisse ait. Ipse tamen *Lambin.* cum aliis mavult *cerinarii*, ut intelligantur ii, qui cerino colore pannum tingunt. Plerique alii ex multis MSS. reponunt *carinarii*, cod. tamen sensu, quo *cerinarii.* Nam quae Graece communiter κηρὸς dicitur, *h. e.* cera, Dorice est καρός. *Turn. Adv.* 14, 5.

CALTHUM. V. CALTHA, ae.

CALVA, ae, f. κράνιον, os capitis carne, vel capillis nudatum. *Liv.* 23, 24. *ad f.* Purgato inde capite, ut mos iis est, calvam auro caelavere; idque sacrum vas iis erat, quo solemnibus libarent. *Mart.* 10, 83. Et latum nitidae, Marine, calvae Campum temporibus tegis comatis. *Id.* 12, 45. Haedina tibi pelle contegenti Nudae tempora, verticemque calvae.

CALVARIA, ae, f. κράνιον, os capitis cerebrum tegens, sine carne; et dicitur tam de hominibus, quam de brutis. *Cels.* 8, 1. Calvaria ex interiore parte concava, extrinsecus gibba, utrinque levis. et *mox.* Raro calvaria, solida, et sine suturis est. *Plin.* 30, 6, 28. Calvaria canis. *Pallad.* 1, 35. *in f.* equae, vel asinae. ℙ Reperitur etiam *Calvarium*, *ii*, *Appul. Apolog. n.* 2. Si dicas marinum pectinem comendo capillo quaesitum, aut venandis apris piscem apriculum, aut eliciendis mortuis marina calvaria. Adde *Met.* 3. ℙ Est etiam hoc nomine piscis marinus, quem eundem esse quidam putant ac eum, quem *Plin.* 32, 2, 5. *orbem* appellari ait, et durissimum esse piscium tradit, rotundum, et sine squamis, totumque capite constare. Sic enim quandam cum calvaria hominis similitudinem habere videtur. *Enn.* ap. *Appul. Apolog.* Polypu' Corcyrae, calvaria pinguia Atarnae. Al. leg. *calvaria pinguia Acharnes.* Sunt etiam qui non piscem aliquem, sed salsamentum e thynnis factum hoc loco esse arbitrantur.

[CALVASTER, tri, m. aliquantum calvus. Cognomen Julii tribuni militum sub Domitiano ex *Dione* 67, 11. Non igitur vox ista inter barbaras exsulare meretur. *F.*]

[CALVATICA, ae, f. κρήδεμνον, tegmen muliebre, quod capiti innectitur, ut *Non.* 14, 2. definit. *Serv.* ad *Virg. A.* 9, 616. eandem esse docet ac mitram. Est autem nomen derivatum a *calva*, quae superiorem capitis partem significat. *Eustath.* κρήδεμνον dicit esse κεφαλῆς κάλυμμα παρειμένον μέχρι τῶν ὤμων, *h. e.* tegmen capitis usque ad humeros demissum: quod cum mitra maxime convenit, cujus laciniae humeros usque, et sub mentum pertingebant. Quod vero κρήδεμνον, et *calvatica* idem fuerint, illud satis probat, quod *Auson. Perioch. Odyss.* 5. vertit *calvaticam*, quod *Homer.* κρήδεμνον dixerat. *Cic. fragm. Or. in Clod.* (edente *Amed. Peyronio V. C. Lips.* an. 1824. p. 115.) Nam rusticos ei nos videri minus est mirandum, qui manicatam tunicam, et mitram, et purpureas fascias, habere non possumus. Tunc, cum vincirentur pedes fasciis, cum calvatica capiti accommodaretur, cum vix manicatam tunicam in lacertos induceres, cum strophio accurate praecingerere, in tam longo spatio nunquam te Appii Claudii nepotem esse recordatus es? Adde *Ulp. Dig.* 34, 2, 25. *Arnob.* 2. p. 59. et *Gloss. Philox.* ℙ In omnibus auctorum locis supra allatis, uno excepto, legitur *calantica*, aut *calau-*

tica, aut *cacautica* manifesto quidem errore, cum harum vocum notationem nemo sanus extricare unquam potuerit: at primus omnium veram scriptionem ap. *Cic. l. c.* invenit laudatus *Peyronius* in MS. cod. palimpsesto Taurinensi, quam omnes critici adprobent, necesse est. ℙ Hinc ap. *Non.* 2, 314. non *decalanticare*, sed *decalvaticare* legendum, apparet. *F.*]

CALVĀTUS, a, um, adj. calvus factus. Translate *calvata a vite vinea* dicitur, in qua vites rarae sunt: quemadmodum calvi homines dicuntur, quibus vel nullus est, vel rarus capillus. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 20. ex *Catone R. R.* Si vinea ab vite calvata erit, sulcos interponito, ibique viviradicem serito. ℙ In verbis *Catonis* quaedam editiones habent, *si vinea a vite calva erit*: sed legendum esse *calvata*, satis probat tum auctoritas *Plinii*, qui verba *Catonis* repetit, tum editio princeps *Jensoniana* 1472. ℙ [Cum inusitatum sit verbum *calvo, as*, ex quo ortum habuisset *Calvatus*, et MS. et quaedam editiones in *Catone* quidem *calva*, non *calvata* praeferant, corrigendus potius est *Plinius* ex *Catone*, quam *Cato* ex *Plinio*. Nolim tamen affirmare, *Plinio* inusitatam fuisse vocem *calvata*, at contendo non improbandam *calva*. *F.*]

*CALUCŪLA, ae, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

CALVĒFIO, is, *Varr. R. R.* 1, 37. Ne decrescente luna tondens calvefiam. Ita *editio Aldi* 1514.; aliae habent *calvus fiam*.

[CALVĒNA, ae, m. a calvitio nomen fictum. *Cic. Att.* 14, 5. Calvena moleste fert se suspectum esse Bruto, *h. e.* Matius, Caesaris olim familiaris, et calvus: quem propterea Madarum etiam vocat *Id. ib.* 14, 2.: calvus enim Graece est μαδαρός.

CALVĒO, es, n. 2. φαλακροῦμαι, calvus sum. *Plin.* 11, 37, 47. Quaedam animalium naturaliter calvent, sicut struthiocameli, et corvi aquatici, quibus apud Graecos nomen est inde, *nempe φαλακροκόρακας vocant.*

CALVESCO, is, n. 2. φαλακροῦμαι, calvus fio. *Plin.* 10, 29, 41. *de picis Martiis.* Proprium his calvescere omnibus annis, cum seruntur rapa. *Colum.* 6, 14. *ad f. de bub.* Potior ratio est custodiendi, ne colla calvescant: quae non aliter glabra fiunt, nisi etc. ℙ *Calvescere* dicuntur etiam arbores, quae alicubi rarescunt, et minus densae sunt, ad similitudinem capillorum in capite hominis calvescentis. *Colum.* 4, 33. Spissius autem semen propter varios casus deponitur, nam interdum prius quam enascatur, aut siccitatibus nux inarescit, aut aquarum abundantia putrescit; interdum subterraneis animalibus infestatur: propter quae saepe novella castaneta calvescunt. V. CALVATUS.

*CALVĪNA, ae, f. meretrix insignis apud *Juven. Sat.* 3, 133. Cf. *Suet. Vespas.* 23. *B. A.*

[*CALVĪNUS, i, m. ad calvum pertinens. Cognomen Domitiorum, Sextiorum, Veturiorumque in Fastis Consularibus, aliorumque. ℙ Calvinus Ignatius, operis auctor, laudatus *Plin.* 10, 48. V. CALVUS. *F.* et *B. A.*]

[CALVĪO, is, n. idem ac *calvo*, aut *calvor. Serv.* ad *Virg. A.* 1, 720. Alii Calvam Venerem dictam tradunt, quod corda amantum calviat, id est fallat atque eludat. *F.*]

[CALVĪO, onis, m. diminutivum calvi. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1640, 7. Ti. Sempronius Ti. L. Calvio. *F.*]

CALVĪSIĀNUS, a, um, adj. *Calvisiana actio*, ita dicta a quodam *Calvisio* auctore apud JCtos est: quae datur patrono ad revocanda ea, quae in fraudem ejus libertus alienavit, ut docet *Ulp. Dig.* 38, 5, 3. et alibi. ℙ [*Calvisiana, Siciliae oppidum. *Anton. Itin. B. A.*]

CALVĪTAS, atis, f. fraus, deceptio: a *calvo*, *is. Ulp. Dig.* 17, 1, 29. Ipse autem stellionatus crimine propter suam calvitatem plectetur. Ita *Haloander.* At *Torrentinus* habet *callitatem*, et in margine *calliditatem.* Sed τὸ *callitatem* videtur esse error librarii, cui mediae litterae exciderint *calliditatem* scribere volenti.

CALVITIĀNUS, a, um, adj. *Calvitianum Senatusconsultum*, quo impar matrimonium improbatur, et jubetur non proficere ad capiendas hereditates, memoratur ab *Ulpiano in lib. regular. tit.* 46. *n.* 3., ubi *Cujac.* recte suspicatur legendum esse *Claudianum*; alii *Calvisianum.*

CALVĪTIES, ei, f. φαλάκρωσις, capillorum, aut pilorum defluvium. *Suet. Galb.* 20. Quoniam capillo prae calvitie arripere non poterat. ℙ De eo, qui sibi capillos, vel pilos derasit. *Petr. Sat.* 108. Superciliorum etiam aequalis cum fronte calvities. V. *ib.* 103. et infra CALVUS.

CALVĪTĬUM, ii, n. φαλάκρωμα, φαλάκρωσις, idem quod calvities. *Cic. Tusc.* 3, 26. Stultissimum regem in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio luctus levaretur. *Suet. Caes.* 45. Calvitii deformitatem iniquissime ferre. *Plin.* 11, 37, 47. Calvitium uni tantum animalium homini, praeterquam innatum. ℙ Translate dicitur, cum rarae arbores in aliquo solo sunt. *Colum.* 4, 29. *post med.* Pampinus cum excrevit, nepotibus orbandus est; nisi si propter penuriam, et calvitium loci sumitur in propagines. V. CALVATUS et CALVESCO.

CALUMNIA, ae, f. συκοφαντία, διαβολή, fraus, dolus, versuta et callida fallendi ratio, quae vel malitiosa juris interpretatione, [**Cic. Off.* 1, 10, 33. Exsistunt etiam saepe injuriae calumnia quadam et nimis callida, sed malitiosa, juris interpretatione. Cf. *Beier* ad *h. l.*] vel falsa accusatione, vel alia quapiam dolosa calliditate fit, ad alios perdendos aut re sua spoliandos: et locum habet praecipue in judiciis, accusationibus, litibus. Videtur esse a *calumnus* pro *calumenus* ut *Vertumnus* pro *Vertumenus*, ex καλύω pro καλύπτω, *calvo*, tego, pass. *calvor*, proprie tego me, *h. e.* tecte defraudo, decipio, ut *Prisc.* 10. p. 883. et *Charis.* 1. p. 43. existimant, et *Cajus Dig.* 50, 16, 233. non obscure indicat. *Cic. Caec.* 21. Siquidem erit armorum judicium, tum ista dicito: juris judicium cum erit, et aequitatis, cave in ista tam frigida, tam jejuna calumnia delitescas. *Id. Mil.* 27. Calumnia litium petere aliquid. *Id. Verr.* 2, 2, 27. A quo HS C. millia per calumniam malitiamque petita sunt. *Liv.* 39, 4. Afferre ad judices calumniam de re aliqua. *Sall. Catil.* 31. Calumnia impedire aliquem, ne triumphet. *Suet. Vit.* 7. Amovere creditores terrore calumniae. *Id. Rhet.* 4. Calumnia notare aliquem. *Cic. Verr.* 2, 2, 17. Imponere alicui gravissimam personam calumniae. *Id. Fat.* 14. et *Dom.* 14. Adhibere calumniam, fraudem, dolum *Ulp. Dig.* 37, 14, 1. Instruere alicui calumniam. *Cic. Acad.* 4, 20. coercere alicujus. *Id. Caec.* 7. obterere ac contundere. *Tac. Ann.* 14, 41 Condemnare aliquem calumniae. ℙ *Effugere calumniam* ap. *Cic. Cluent.* 59. est effugere damnationem calumniae. Verba sunt: Hic illo privato judicio, nobis iisdem fortasse patronis, calumniam non effugiet. Sic *puniri calumnia* apud *Paul. Dig.* 48, 16, 11. est poenam subire ob calumniam in assusando adhibitam. ℙ *Ferre calumniam* idem est ac deferre, hoc est quempiam accusare et probare eum in re quapiam usum fuisse calumnia: ea ratione qua *ferre tribum* dicimus, et ferre punctum. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. Scito C. Sempronium Rufum calumniam maximo plausu tulisse. ℙ Huc refertur illud *Auct. Decl. in Sall.* 1. Est quaedam calumnia, quam unusquisque nostrum, testante animo suo, fert de eo, qui falsum crimen bonis objectat. ℙ *Jurare calumniam*, vel *de calumnia* dicitur accusator cum jurejurando profitetur se accusatorem, et sine calumnia accusaturum. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. Nam de divinatione Appius, cum calumniam jurasset, contendere ausus non est. *Liv.* 33, 47. Nec satis habere, bello vicisse Annibalem, nisi, velut accusatores, calumniam in eum jurarent, ac nomen deferrent. *Ulp. Dig.* 39, 2, 13. Qui damni infecti caveri sibi postulat, prius de calumnia jurare debet. *Id. ib.* 7. Alieno nomine satisdare jubebo ei, qui juraverit non calumniae causa id se postulare etc. *Id.* 12, 2, 34. Jusjurandum de calumnia. ℙ Sumitur etiam latius pro quacumque vitiosa calliditate, astutia, vexatione. *Cic. Att.* 4, 3. Metellus calumnia dicendi tempus exemit. *Id. Fam.* 1, 4. Res ab adversariis nostris extracta est variis calumniis. *Id. fragm.* ap. *Non.* 4, 74. Carneades saepe optimas causas ingenii calumnia ludificari solet. *Phaedr. prol.* 3, 37. Eludere calumniam alicujus. *Gell.* 7, 2. Multa in aliquo reprehendendo, etiam per calumnias rimari. *Quint.* 10, 1. Inveni qui Calvum praeferrent omnibus: inveni, qui Ciceroni crederent, eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse, *h. e.* nimium in se inquirendo, atque sese observando, ut loquitur *Cic. Brut.* 82., ubi de eodem *Calvo* verba facit. *Caecina* ad *Cic. Fam.* 6, 7. In hac calumnia timoris et caecae suspicionis tormento quam difficile sit evadere, nos sentimus, *h. e.* in hoc vano metu, quem mihi ipse fingo nulla satis certa ratione. ℙ *Calumnia religionis* dicitur a *Cic. Fam.* 1, 1. malitiosa et ficta Sibyllinorum versuum interpretatio. ℙ Quidam grammatici *Kalumniam* scribi jubent, eam regulam statuentes, quod omnia verba, quae *a* in secunda sede habeant, per K scribenda sint, praesertim si ab externa Lingua originem habeant, ut *Kalendae*, *Karthago*, *Kaput*, *Karissimus*, *Kamenae*, *Kastra*, *Karet*, et alia, quae etiam in antiq. lapidib. saepe inveniuntur. Alii ad tria tantum verba appingi voluerunt, *Kalendas*, *Kaput*, et *Kaesonem*, quod est nomen viri proprium; ut est apud *Terent. de syllab.* p. 2400. et *Capell.* 3. p. 37. Quo respexisse videtur *Auson. Technopaegn. de litt. monosyllab.* illo versu: Haec tribus in Latio tantum addita nominibus K. Sed receptissima consuetudo, etiam aureae aetatis, eam litteram jamdiu ablegavit, cum suam C habeant Latini, quae eundem omnino sonum aptissime reddit. *Quint.* 1, 7. K quidem in nullis verbis utendum puto, nisi, quae significat, etiam ut sola ponatur. (Huc dicit, quia K olim *Kalendas*, et *Karthaginem*, et *Kaesonem*, et *Kaput*, qua legis partem notat, ut docet *Voss. D. Gramm.* 1, 17. et alia quaedam significabat, de quibus V. *Valer. Prob. De notis Rom.* p. 1515.) Hoc eo non omisi, quod quidam eam, quoties *a* sequatur, necessariam credunt; cum sit *c* littera, quae ad omnes vocales vim suam perferat. Haec *Quint.* V. CALO, as. [Hinc patet, cur etiamnum Etrusci litteram *C* ante *a* initio vocum fortiori quadam aspiratione efferant, ita ut veterum Romanorum, quae et Etruscorum fuerit, pronunciationem servasse videantur. *F.*]

CALUMNIANS, antis, part. v. *calumnior*, qui calumnia utitur. *Cic. Quint.* 21. Jacet res in controversiis, isto calumniante biennium. *Varr. L. L.* 5. *in.* Siqua erunt ex diverso genere adjuncta, potius cognationi verborum, quam auditori calumnianti geremus morem. Adde *Quint.* 6, 3.

CALUMNIĀTIO, onis, f. actus calumniandi, calumnia. *Ascon. in Div. Verr.* 14. Calumniationes, et hoc genus argumenti complexio dicitur.

CALUMNIĀTOR, oris, m. συκοφάντης, κακοπράγμων, qui calumnia utitur. *Cajus Dig.* 50, 16, 233. Si calvitur et moretur et frustretur: inde et calumniatores appellati sunt, qui per fraudem et frustrationem alios vexarent litibus. *Cic. Cluent.* 59. Est hic Ennius egens quidam, calumniator, mercenarius Oppianici. *Id. Caec.* 23. Scriptum sequi calumniatoris est; boni judicis voluntatem scriptoris auctoritatemque defendere. *Id. Verr.* 1, 1, 10. Calumniatores apposuit, qui illam hereditatem Veneri commissam esse dicerent. ℙ *Calumniator sui*, qui in se ipsum nimis inquirit, et diligentiae finem ponere nescit in eo, quod facit metu peccandi. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 25. Callimachus statuarius semper calumniator sui, nec finem habens diligentiae: ob id cacizotechnos appellatus.

CALUMNIĀTRIX, icis, f. συκοφάντρια, quae calumniatur. *Ulp. Dig.* 37, 8, 1. *post med.* Videlicet cum nemo contendit, nec calumniatricem dicit.

CALUMNIOR, aris, atus, sum, dep. 1. συκοφαντέω, διαβάλλω, calumnia utor, falsa crimina intendo, malitiose ago, fallacias dolosque adhibeo. *Auct. ad Herenn.* 2, 6. Defensoris locus est, cum accusatorem calumniari criminatur. *Cic. Rosc. Am.* 20. Aperte ludificari et calumniari. *Id. Fam.* 9, 7. Nam quod antea te calumniatus sum, indicabo malitiam meam. *Tac. Hist.* 3, 75. Innocentiam justitiamque ejus non argueres: sermonis nimius erat: id unum calumniatus est rumor, *h. e.* accusavit, reprehendit, nimis tamen, et tanquam summum scelus essset. *Phaedr. prol.* 1, 5. Calumniari si quis autem voluerit, Quod arbores loquantur etc. Et *Ascon. in Div. Verr.* 5. Frustra calumniantur Ciceronem homines. *Est qui legit* Ciceroni. *Gell.* 7, 3. Tiro verba ponit Catonis, et aliis tamen eum verbis calumniatur. *Appul. Met.* 1. Ecce frater meus, quem occisum a me calumniabaris. *Paul. Dig.* 10, 4, 10. Calumniari verba juris, *h. e.* malitiose interpretari. ℙ *Calumniari se* est nimis anxie inquirere, et damnare singula, etiam quae proba esse possunt, nimio timore peccandi. *Qnint.* 10, 3. Nec enim rursus eos, qui robur aliquod in stilo fecerint, ad infelicem calumniandi se poenam alligandos puto. Nam quomodo sufficere civilibus officiis possit, qui singulis actionum partibus insenescat. *Id.* 8. *prooem. ad f.* Quibusdam nullus finis calumniandi est, et cum singulis paene syllabis commorandi. V. CALUMNIA et CALUMNIATOR. ℙ Item falso apud se suspicari, inani metu torqueri, falsas sibi ipsi difficultates objicere, quae agentem remorentur. *Cic. Fam.* 9, 2. Ac mihi quidem jampridem venit in mentem, bellum esse aliquo exire, ut ea quae agebantur hic, quaeque dicebantur, nec viderem, nec audirem. Sed calumniabar: putabam, qui mihi obviam venisset, suspicaturum, aut dicturum etc. V. *Caecinae* similem usum in CALUMNIA, et *Sen. Tranquill.* 2. ℙ Passive *Staverius* ap. *Prisc.* 8. p. 793. A quibus interdum analogia calumniatur, *h. e.* συκοφαντεῖται, ut idem *Prisc.* exponit.

CALUMNIOSE, adv. συκοφαντικῶς, cum calumnia, fraudulenter. *Papinian. Dig.* 46, 5, 7. Calumniose petere aliquid. *August. ep.* 48. *ad Vincent. a med.* Innocentem calumniose appetere. *Symmach. ep.* 10, 76. Calumniosissime credere.

CALUMNIOSUS, a, um, adj. συκοφαντικός, calumnia plenus, fraudulentus. *Ulp. Dig.* 38, 2, 14. Accusationem calumniosam instituere. *Arnob.* 1 *in.* Calumniosas criminationes dissolvere. *August. ep.* 152. *ad f.* In qua cognitione Caecilianum innocentem, illos autem calumniosissimos judicavit. ℙ *Calumniosus*, *i*, idem est qui calumniator. *Paul. receptar. sententiar.* 1, 5. Calumniosus est, qui sciens prudensque per fraudem negotium alicui comparat. Et *mox.* Omnes calumniosi extra ordinem plectuntur. Adde *Appul. Apolog.*

CALVO, is, calvi, a. 3. decipio frustror. Etymon vocis Vide in V. CALUMNIA. Passive *Sall.* ap. *Prisc.* 10. p. 883. et *Non.* 1, 20. Contra ille calvi ratus. *Pacuv.* ap. *Non. ib.* Sentio, pater, te vocis calvi similitudine. ℙ Praeteritum *calvi* agnoscit *Prisc. l. c.*, at supinum *calutum* in usu non esse affirmat.

CALVOR, ĕris, dep. 3., i. q. calvo. *Accius* ap. *Non.* 1, 20. Sed memet calvor: vos istum, ut jussi, ocyus Abstrahite. *Lucil. ib.* Si non it, capito, inquit, eum: et si calvitur, endo Ferto manum.

(Adde *Caj. Dig.* 50, 16, 233.) *Pacuv. ib.* Me calvitur suspicio. *Id. ib.* 3, 15. Calamitas plures annos arvas calvitur, *h. e.* fructuum spe frustratur. *Plaut. Cas.* 2, 2, 3. Ubi domi sola sum, sopor manus calvitur, *h. e.* frustratur manus intentas operi.

[CĂLUS, i, m. et Călē, es, f. καλὸς, et καλὴ, pulcher, et pulcra. Cognomina Romana. *Inscr.* ap. *Mur.* 344, 2. A. Caecilius Calus. *Alia* ap. *Grut.* 368, 7. Audasia Q. F. Cale. *F.*]

[CALUSSĂ, ae, m. cogn. Rom. ignotae originis ap. *Liv.* 25, 5. Nemo, praeter P. Cornelium Calussam, pontifex maximus creatus fuerat, qui sella curuli non sedisset. *F.*]

CALVUS, a, um, adj. φαλακρὸς, cui capillus, vel pili defluxerunt: et dicitur tum de hominibus, ut in subjectis exemplis apparet; tum de brutis, ut in CALVEO et CALVESCO videre est. *Petr. Sat.* 27. Senex calvus. *Suet. Cal.* 27. Ex noxiis laniandos adnotavit, et a calvo ad calvum duci imperavit. *Appul. Met.* 5. Maritum sortita cum cucurbita calviorem. Al. leg. *glabriorem.* ℙ Dicitur etiam calvus, qui capillis est tonsis, χαρτὸς, κουρίας. *Pl. Amph.* 1, 1. *in f.* Ubi ego hodie raso capite calvus capiam pileum. Confirmat *Petr. Sat.* 107. *s. f.* et *Non.* 12, 38. ℙ De occasione, quae calva depingi solet, V. *Phaedr.* 5, 8. ℙ Calvorum, et Calvinorum familiae apud Romanos a capillorum calvitio denominatae sunt. [*V. g. C. Licinius Calvus, C. Licinii Macri historici filius, orator insignis et poeta, amicus Ciceronis et Catulli. *Cic. Brut.* 81. *Id. de Fin.* 1, 2. et *Fam.* 7, 24. 15, 21. *p. med. Val. Max.* 9. 12. *Catull.* 14, 2. *Suet. Caes.* 49. *B. A.*] ℙ De *Venere Calva* narrat *Lact.* 1, 20. cum Romani a Gallis in Capitolio obsessi, in omnium rerum penuria, ex mulierum capillis tormenta fecissent, (quod et *Veg.* tradit *Mil.* 4, 9.) soluta obsidione aedem Veneri *Calvae* cognomine consecrasse, insigne factum ac beneficium eo nomine testantes. Adde *Capitol.Maximin. jun.* 7. Sed et alias hujus appellationis causas affert *Serv.* ad illud *A.* 1, 724. Matris Acidaliae. V. ℙ *Calvae nuces*, et *calvae* absolute sunt genus quoddam nucum, quod in *Gloss. Phil.* exponitur ποντικὸν πεφρυγμένον, hoc est Pontica nux torrefacta, quasi intelligantur eae, quae tostura glabrae factae sunt: sed *Salm. in exercit. Plin.* p. 602. virides omnino, et crudas nuces esse recte tradit, nempe ex genere earum, quas λεπτοκάρυα Graeci vocant, hoc est tenue putamen habentes: calvas autem dici, quod ea lanugine, seu barba careant, qua protectas esse Ponticas nuces *Plin.* 15, 22, 24. tradit. *Cato R. R.* 8. Nuces calvas, avellanas, Praenestinas et Graecas, haec facito uti serantur. *Petr. fragm. Tragur.* 66. *Burm.* Cicer, et lupinum, calvae, arbitratu. V. *Interpr.* Has *Plin. l. c.* ubi earum varia genera ex *Catone* recenset, *galbas* appellat; atque ita legi in MSS. omnibus, *Harduinus* testatur, quamquam *Salm. l. c. calvas* restitui vult. ℙ *Mart.* 12, 32. *calvas restes* dixit *allioque*, *caepisque*, in quibus rarum allium, et paucae caepae erant, quemadmodum in calvo capite rari capilli sunt. Eadem ratione *calvescere* dicuntur loca, in quibus rarae arbores sunt, et *calvata* vinea, paucis vitibus consita. V. supra suis locis. ℙ [Est etiam idem ac vacuus. *Cato R. R.* 33. Si vinea a vite calva erit, *h. e.* vitibus vacua. *F.*]

CALX, calcis, f. *saepius quam* m. πτέρνα, pars posterior imi pedis, quae et calcaneum dicitur. Est a λὰξ, per metathesin litterarum, nempe *calx* dictum est pro *lacs* seu *lacx;* hinc λακτίζω, calcitro. [*Addidit haec *F. Döderl. l. l.* 2, 157. putat, v. *calx* facilius deduci *a cellere*, quam transpositione facta, a *Gr.* λάξ.] *Cels.* 8, 7. *ad f.* Costae, spina coxarum, os tali, calx, manus, planta. *Pers.* 3, 105. *de cadavere mox efferendo.* In portam rigidos calces extendit. *Juven.* 1, 43. Nudis calcibus anguem premere. *Pl. Merc.* 5, 2, 111. *Eu.* Sequere sis. *Ch.* sequor. *Eu.* clementer, quaeso; calces deteris. (*Du trittst mir die Fersen ab.*) *Virg. A.* 11, 714. Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat, *h. e.* calce stimulo ferreo armata. [Ceterum incertum adhuc est, num stimulus calci additus fuerit equiti, an potius ipsa calx ferrea tantum lamina armata calcaris loco esset. *F.*] *Stat. Silv.* 5, 2, 115. vexantemque ilia nuda Calce ferocis equi. *Sil.* 13, 169. Et jam ferrata rapiebat calce volantem Taurea cornipedem. Adde 7, 697. et 17, 541., quib. loc. *ferrata calce* legitur. Sunt enim qui in locis *Virgilii*, et *Silii* legant *ferrato*: sed *Non.* 3, 60. et *Charis.* 1. p. 72., *Probus*, et alii veteres grammatici *ferrata* retinent. *Pierius* quoque saepius in MSS. *ferrata*, quam *ferrato*, reperisse se affirmat. ℙ De brutis animalibus. *Varr. R. R.* 2, 5. *de vaccis.* Cauda profusa usque ad calces. Hinc *calce petere* de quadrupedibus dicitur, cum posterioribus pedibus feriunt, λακτίζειν. *Hor. Sat.* 2, 1, 55. neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos. *Nep. Eum.* 5. Jumentum verberibus cogebat exsultare, et calces remittere. (*ausschlagen.*) *Alfen. Dig.* 9, 1, 5. Mula calcem rejecit, et crus agasoni fregit. *Ov. Fast.* 3, 755. Calce ferire. *Pl. Poen.* 3, 3, 71. Caedere calcibus. *Sil.* 17, 136. Elatis calcibus pulsare aera. *Phaedr.* 1, 21. Calcibus frontem alicui exterere. ℙ *Adversus stimulum calces*, (subaudi *jactare*) proverbio dicitur de iis, qui contra eos reluctantur, quos vincere nequeunt: sibi enim ipsis magis nocent, ductumque est a bobus, qui cum a bubulco stimulis fodiuntur, si calcitrare velint, altius punguntur. Graeci etiam dicunt πρὸς κέντρον λακτίζειν (*gegen den Stachel löcken*). *Ter. Phorm.* 1, 2, 27. Nam quae inscitia est, adversum stimulum calces? ℙ Dicuntur etiam homines *calce percutere*, cum pedibus feriunt. (Nam *calx* pro toto pede etiam accipitur, ut in illo *Virg. A.* 5, 524. calcemque terit jam calce Diores.) *Cic. Tusc.* 5, 27. Certare pugnis, calcibus, unguibus. *Id. Verr.* 2, 3, 23. Pugnis et calcibus aliquem conscindere. *Ter. Eun.* 2, 2, 84. Calcibus insultare fores. *Pl. Poen.* 4, 1, 3. Incursare pugnis et calcibus. *Juven.* 3, 295. Nil mihi respondes? aut dic, aut accipe calcem. ℙ *Calcem alicui impingere* translate est rem aliquam abjicere, deserere, a se dimittere (*an den Nagel hängen*). *Petr. fragm. Trag.* 46. *Burm.* Ceterum jam Graeculis calcem impingit, et Latinas coepit non male appetere. ℙ Per similitudinem dicitur de particula ligni, quae cum ipso stolone aut surculo e corpore suae arboris avellitur, serendi gratia, quia cum in ima surculi parte sit, humani calcis speciem praebet. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 3. Solebat capitulatus utrinque e duro surculus seri: postea avelli cum sua calce coeptus est, ut in fico. *Supra ib.* 10, 13. dixerat *cum sua perna.* ℙ Notat *Charis.* 1, p. 72., etiam *Lucil.* 23. *sat.* calcem masculino genere usurpasse. ℙ De *calce*, qua finem significat, V. vocem sequent.

CALX, calcis, f. πίτυος, κονία, lapis excoctus et in pulverem redactus, quo aqua macerato et arena mixto utimur in structuris pro bitumine. [Est a κλάω, frango, cujus praet. perf. κέκλακα, ex quo κλακὸς, inde contractum κλὰξ, et per metathesin *calx*, unde etiam *calculus. F.*] Antequam macereatur, *calx viva* est, πίτυος ἀκατάσβεστος: postquam macerata fuerit, *exstincta* dicitur. *Cic. Mil.* 27. In eam insulam materiam, calcem, caementa convexit. *Vitr.* 8, 7. Calcem vivam ex oleo subactam illinere. *Id.* 2, 5. Cum calx erit exstincta, tunc materiae ita misceatur, ut etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 207. Calcis restinctae partem quartam indito. *Plin.* 36, 23, 55. Macerata calx. ℙ *Calx* est etiam generis masculini apud *Caton. R. R.* 18. bis, et in antiqua *Inscr.* ap. *Grut.* 207. Quae lita non erunt, calce arenato lita politaque, et calce uda dealbata recte facito. Videtur itaque *calce arenato* significare calce mixto cum arena, mox vero *calce uda*, *h. e.* sola calce exstincta sine arena, quod Itali dicunt *il bianco.* Nec est cur mireris, tum hic, tum apud *Catonem l. c.* calcem in genere masculino et feminino usurpari: nam in qualibet lingua peculiares sunt dicendi modi ita quibusdam rerum usibus idonei, ut aliter efferri nequeant, si germanam eorum significationem legentibus exploratam esse velis. Ita mecum sentit *J. B. Zannonius* in interpretatione hujus loci, *Antico marmo scritto* p. 36. ℙ Antiqui *calcem* dixerunt in Circo, quam postea cretam appellarunt, teste *Sen. ep.* 108. *ad f.* Erat autem linea ducta ex creta alba eo loco, ubi cursus finis erat, ut *Plin.* 35, 17, 58. docet. Hinc factum est, ut *calcem* pro cujuscumque rei fine, termino, meta usurparent, quemadmodum *carcerem* pro principio. *Lucr.* 6, 91. Tu mihi supremae praescripta ad candida calcis Currenti spatium praemonstra, callida musa. *Cic. fragm. Sen. l. c.* Quoniam sumus ab ipsa calce ejus interpellatione revocati. *Id. Sen.* 23. Nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres a calce revocari. *Id. Tusc.* 1, 8. Nunc video calcem; ad quam cum sit decursum, nihil sit praeterea extimescendum. Al. leg. *ad quem. Varr.* ap. *Non.* 3, 60. Nemini fortuna currum carcere emissum intimo Labi inoffensum per aequor candidum ad calcem sinit. [*Cic. Amic.* 27. Maxime optandum est, ut cum aequalibus possis, quibuscum tanquam e carceribus emissus sis, cum iisdem ad calcem, ut dicitur, pervenire. *F.*] ℙ *Extra calcem decurrere* proverbio dicitur pro extra rem digredi. *Ammian.* 21. 1. *extr.* Ne extra calcem, quod dicitur, sermo decurrens, lecturo fastidium ferat. ℙ Porro quia in allato *Cic.* loco 1. *Tusc.* fortasse, in verbis autem *Varr.* certo (si fides *Nonio*) *calx* masculino genere effertur, putant nonnulli, cum pro fine accipitur, non a creta Circi, sed a parte infima pedis ducendam esse: ea enim significatione utrumque genus sine controversia admittit, ut in voce praecedenti videre est. [At ex iis, quae diximus, patet falsam esse hujusmodi distinctionem. *F.*] ℙ *Calx* denique significat lapillum: a quo factum est diminutivum *calculus*, ut *Festus* in *Cancri* docet. *Voss.* in *Etymol.* derivat a Graeco χάλιξ, lapis, a quo per syncopen factum sit *calx;* additque, ideo sic appellari eam, qua in structuris utimur, quia fit ex lapide cocto. At certius vocis etymon vide supra. ℙ Pro calculo lusorio *Lucil.* ap. *Prisc.* 6, 687. Naumachiam licet haec, inquam, alveolumque putare, et Calces: delectes te, hilo non rectiu' vivas. Et *Pl. Poen.* 4, 2, 85. Profecto ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit. *Mi.* prius disperibit saxo, quam unam calcem civerit. *Non. l. c.* legit *unum:* sed *Taubman.* ex multis MSS. et veterib. editionib. fere omnib. *unam.*

CĂLYBĂ, ae, f. καλύβη, pergula est, tugurium, attegiae, quales in meritoriis tabernis fieri solent, in quibus ganeones ad potandum sedent. Id enim sonat Graeca vox, quae est a καλύπτω, tego. Ita *Salmas. in commentar. ad Vopisc. Carin.* 19. afferens illud *Virg. Cop.* 7. Sunt topia, et calybae, cyathi, rosa, tibia, chordae. *Scalig.* etiam eam lectionem agnoscit, (vulgo enim legitur: *Sunt cupae, calices* etc.) sed mavult legi *chalybes*, hoc est aera in crotalis et crepitaculis. ℙ Quia vero καλύβη Graece aliam quoque habet significationem, nempe cellam vel thalamum aliquando notat, et in veteri Graeco epigrammate ponitur pro cubiculo, seu thalamo, in quo sunt signa et pulvinaria Deorum, et praesertim Cybeles; hinc *calybitam* affirmat idem *Salm.* significare Gallum Matris Deum sacerdotem, quasi dicas cubicularium, in illis versibus *ejusdem Copae* 25. Huc calybita veni: vester jam sudat asellus. Parce illi: vestrum delicium est asinus. Constat enim etiam ex *Phaedr.* 4, 1. solitos fuisse Gallos circumducere, quaestus causa, asinum bajulantem sarcinas. Ita quidem *Salm.* At vero *Scalig.* pro *calybita* vult legi *asivehida*, factum per syncopen ex *asinivehida*, hoc est qui asino vehitur, et significari Silenum Bacchi comitem. *Pl. Bacch. prol.* 31. *loquitur Silenus.* Asinivehidam me vocitant Ionii greges. Alii denique retinent *calybita*, et interpretantur eum, qui tabernas, earumque *calybas* potandi gratia frequentant. V. CANABA. Verum haec omnia valde incerta sunt, et in scribendi usum non facile deducenda. ℙ [*Calybe, enis*, f. est nomen proprium muliebre, in *Inscr.* ap. *Mur.* 1492, 6. De nominibus femininis ita per paragogen auctis, et in inscriptionibus primo, secundo et tertio a Chr. n. saeculo passim occurrentibus agit accuratissime *Ant. M. Lupius Diss.* ad Epitaph. *S. Severae* p. 160. *F.*]

CĂLYBITA. V. vocem praec.

*CALYCADNUS, i, fluvius Ciliciae, qui inter Sarpedonis et Zephyrium promontorium in mare cadit. *Plin.* 5, 27. *Ammian* 14, 25. (*al.* 8.) ℙ Est et promontorii in Cilicia nomen. *Liv.* 38, 38. *B. A.*

CĂLYCŬLUS, li, f. καλύκιον, parvus calyx. *Plin.* 20, 19, 88. Ceratitis radice crassa, et corticosa, calyculo inflexo, ut cornicula. *Id.* 27, 5, 20. Ascyron semen habet in calyculis pusillum. *Appul. Apolog.* Calyculi echinorum. *Id. Met.* 4. Floris inodori porrecti calyculi modice punicantes. V. CALYX. ℙ Scribitur et *caliculus.*

*CALYDNA, ae, vel *Calydne, es*, f. insula Maris Aegaei Cariam versus, Coo insulae vicina *Plin.* 4, 12. 5, 31. 11, 13. *Calymne*, vel *Calymna* audit *Ov. A. Am.* 2, 81. Adde *eund. Met.* 8, 222. Calymnia appellatur a *Mela* 2, 7. ℙ Distinguuntur inter se *Calydna* et *Calymna* ap. *Plin.* 14, 12. *B. A.*

CĂLYDON, ōnis, f. Καλυδών, oppidum Aetoliae, septem millibus quingentis passibus a mari, juxta Euenum amnem, ut *Plin.* 4, 2, 3. docet, regia olim Oenei patris Meleagri, et Dejanirae. *Ov. Met.* 6, 415. Et nondum torvae Calydon invisa Dianae. *Virg. A.* 7, 305. concessit in iras Ipse Deum antiquam genitor Calydona Dianae. *Pl. Poen. prol.* 72. Ille qui surripuit puerum, Calydonem avehit. *Mart.* 9, 49. Inter quae rari Laurentem ponderis aprum Misimus: Aetola de Calydone putes. V. OENEUS.

CĂLYDONĬACUS, a, um, adj. Calydonius. *Manil.* 5, 180. Et Calydoniaca bellantem rupe puellam, *h. e.* Atalantam, quae aprum Calydonium prima vulneravit. V. ATALANTA.

CĂLYDONIS, idis, f. ad Calydonem pertinens. *Ov. Met.* 9, 112. Tradidit Aonius pavidam Calydonida Nesso, *h. e.* Dejaniram Calydone ortam. *Id. Met.* 8, 527. matres Calydonides Eueninae. Adde *Stat. Th.* 2, 736.

CĂLYDONĬUS, a, um, adj. Καλυδώνιος, ad Calydonem pertinens. *Ov. Met.* 8, 324. Calydonius heros, *h. e.* Meleager. *Id. ib.* 727. amnis, *h. e.* Achelous, qui Aetoliam alluit. *Id. ib.* 15, 769. Calydonia hasta. *Id. ib.* 14, 512. Calydonia regna, *h. e.* Apulia, in qua regnavit Diomedes Oenei nepos ex Aetolia illo transvectus. *Mart.* 11, 19. Calydonius sus. V. OENEUS, MELEAGER et ATALANTA. ℙ *Calydoniae, arum*, apud *Senec. Herc. Oet.* 582. sunt eaedem quae Calydonides matres.

CALYMNA, CALYMNE, CALYMNIA. V. CALYDNA.

CĂLYPSO, us, et onis, f. Καλυψὼ, nympha, Atlantis ex incerta matre filia, vel ut alii volunt, Oceani et Tethyos, quae regnavit in insula cognomine, ut est apud *Plin.* 3, 10, 15., in mari Siculo, quam *Homer.* Ogygiam appellavit: sed *Mela* 2, 7. *Aeaeam.* In hac insula benigne excepit Ulyssem naufragum, et sex ipsos annos, teste *Ov.* apud se retinuit; ex quo etiam filium genuit, Ausonem nomine, a quo postea Ausonii dicti sunt. *Ov.*

Pont. 4, 10, 13. *de Ulysse.* An grave, sex annis pulcram fovisse Calypso, Aequoreaeque fuit concubuisse Deae? *Tibull.* 4, 1, 77. fecunda Atlantidos arva Calypsus. *Serv.* ad *A.* 3, 171. Auson Ulyxis et Calypsus filius. ℙ *Quint.* 1, 5. non probat *Calypsonem* dici pro *Calypso:* quamquam secutus antiquos C. Caesar usus fuerit hac ratione declinandi. Jam enim a consuetudine auctoritatem superatam esse. Sed et *Appul. Met.* 1. *Calypsonis* dixit pro *Calypsus:* quin et *Livius* ipse in *fragm.* ap. *Prisc.* 6. p. 685. Apud nympham Atlantis filiam, Calypsonem.

CĂLYPTRA. V. CALIPTRA.

CĂLYX, ycis, m. *κάλυξ*, dicitur in floribus globulus ille, qui in medio foliorum est, et semen continet, habetque saepe infixa stamina, seu capillos, decussisque floris foliis, adhuc remanet, ut in rosa, in lilio, in narcisso, in papavere etc. Dictus videtur a *καλύπτω*, tego, quia semen contegit. *Plin.* 21, 5, 12. Narcissi alterum genus flore candido, calyce purpureo: tertio generi calyx herbaceus. *Id. ib.* 4, 10. *de rosa.* Paulatim dehiscit, ac sese pandit, in calycis medio sui stantis complexa luteos apices. (Adde *ib.* 18, 73.) *Id.* 20, 18, 76. Calyx papaveris. *Id.* 21, 5, 11. *de lilio.* Ita odor, colorque duplex, et alius calycis, alius staminis. ℙ Similiter in arboribus ita appellatur folliculus, ex quo primum flos, deinde fructus erumpit: et generatim quidquid earum semen continet. *Plin.* 12, 6, 13. Arbor foliis moro similis, calyce pomi. *Id.* 15, 23, 25. Castaneis armatum echinato calyce vallum. *Id. ib.* 22, 24. Nuces gemino protectae operimento, pulvinati primum calycis, mox lignei putaminis. *Id.* 23, 4, 43. Oleum laurinum auribus in calyce Punici mali calfactum illinitur. Adde 22, 22, 44. ℙ Praeterea testaceorum piscium durum corium, calyx appellatur. *Plin.* 9, 31, 51. Calyces echinometrarum. *Id.* 32, 4, 14. *de testudine.* Latitudo his in dorso pectori similis, nec convexo curvata calyce. *Id.* 9, 56, 82. Calyces cochlearum. ℙ Per similitudinem *calyx* dicitur de ovi putamine integro, postquam quis exsorbuerit. *Id.* 28, 2, 4. ℙ Item de crusta e gypso, vel cera, qua vestiuntur pomorum quaedam genera, servandi causa. *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 4. Mala generosissima crustant gypso, vel cera; quae nisi maturuerint, incremento calycem rumpunt. ℙ Item de operimento, seu crusta e luto, qua caminantur strues lignorum in carbone faciendo. *Id.* 16, 6, 8. Acervi confertis taleis recentibus luto caminantur; accensaque strue, contis pungitur durescens calyx, atque ita sudorem emittit.

[CĂMĂ, ae, f. *Isid. Orig.* 20, 11. Cama est brevis lectus et circa terram. Graeci enim *χαμαὶ*, humi, dicunt. ℙ Hinc Hispani etiamnum lectum *cama* appellant. *F.*]

*CAMĂCAE, arum, populi Scythiae Asiaticae, cis Imaum. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

CAMĂCUM, i, n. succus cinnami succo similis, in Syria nascens. *Plin.* 12, 28, 63. et 13, 2, 2. Alii aliter legunt. In *lib.* 1. *ejusd. Plin. ad indicem l.* 12. legitur *comacum.*

*CAMALDŪNUM. V. v. seq.

*CAMALODUNUM, i, (*Inscr.* ap. *Grut.* p. 439. *n.* 5.) vel Camaldunum (*Plin.* 2, 25.), vel Camulodunum (*Tac. A.* 12, 32. 14, 31. et *Anton. Itin.*), urbs ac colonia Rom. in Britannia, aliis hodie *Maldon* (vestigia nominis videtur servare) in Essexia, aliis *Doncaster* apud Eboracenses, minus probabiliter. *B. A.*

CĂMĂRA. V. CAMERA.

*CAMARĂCUM, i, oppidum Galliae Belgicae in regione Nerviorum, hodie Cambray. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

*CAMARI, insula Arabiae adjacens. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

CĂMĂRĪNĂ, ae, f. *Camarana*, *Καμαρίνη*, urbs Siciliae in ora australi inter Gelam fluvium, et Pachynum promontorium, cum fluvio, et palude cognomine. Ea palus aliquando siccata cum foetore pestilentiam creasset, consultus Apollo, an eam penitus exhaurire deberent, respondit: *Μὴ κίνει Καμαρίναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.* Quo oraculo neglecto, per eam mox ingressis in urbem hostibus, contempti numinis poenas dederunt. Ita *Serv.* ad illud *Virg. A.* 3, 700. et fatis nunquam concessa moveri Apparet Camarina procul. (Adde *Sil.* 14, 198.) *Ov. Fast.* 4, 477. Hinc Camarinan adit, Thapsonque, et Heloria tempe, *τὴν Καμαρίναν*, Graeca positione. ℙ Hinc ortum est Graecorum proverbium, *κινεῖν Καμαρίνην*, *Camarinam movere*, de iis, qui ultro ad se malum arcessunt. ℙ Scribitur et *Camerina*, *Καμερίνη*, neque sane, utra scriptio sit potior, facile est definire, cum ubique libri varient, teste *Heins.* ad *Claud.* et *Sil.* Graeci saepius per *α* scribere videntur.

[CĂMARS, tis, adj. idem fortasse ac Camers. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 101, 1. A. Annius Camars. *F.* ℙ *Oppidum Etruriae postea Clusium nominatum. *Liv.* 10, 25. V. CLUSIUM. *B. A.*]

CAMĂRUS. V. CAMMARUS.

*CAMATULLĪCI, orum, populi Galliae Narbonensis in regione Tolonensi. *Plin.* 3, 4. *B. A.*

*CAMBALĪDUS, i, Persidis mons, Caucasi ramus, in Susianis. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

CAMBĬO, is, psi, a. 4. *ἀμείβομαι*, commuto, permuto. *Appul. Apol.* Ego adeo, servos tu an habeas ad agrum colendum, an ipse mutuarias operas cum vicinis tuis cambias, neque scio, neque laboro. ℙ Agnoscunt hoc verbum etiam *Charis.* 3. p. 219. et p. 233. et ex eo *Prisc.* 10. p. 906., eique tribuunt praeteritum *campsi*, vel *cambsi*, quod a Graeco *κάμπτω*, *ἔκαμψα* esse videtur, ut *ib. Prisc.* tradit. Legitur etiam apud *Sicul. Flacc. De condit. agror.* p. 13. *Goesii.*

*CAMBITAS, atis, f. permutatio, *ἀντικαταλλαγή. *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

*CAMBODŪNUM, i, oppidum Britanniae. *Anton. Itin. B. A.*

*CAMBOLECTRI, orum, populi Galliae Narbonensis, Atlantici cognominati. *Plin.* 3, 4. ℙ Item Galliae Aquitanicae gens, cognomine, Agesinates. *Id.* 4, 19. *B. A.*

*CAMBORĪTUM, i, Britanniae oppidum. *Anton. Itin. B. A.*

*CAMBRETORCIUM, i, oppidum in Britannia. *Anton. Itin. B. A.*

*CAMBUNII MONTES, in Thessalia, in confinio Macedoniae. *Liv.* 42, 53. 44, 2. *B. A.*

*CAMBUSIS, idis, oppidum Aethiopiae. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*CAMBYSES, is, m. *Καμβύσης*, Persarum et Medd. rex, Cyri filius, qui paternis regnis Aegyptum adjecit. Poenos et Aethiopas invasurus, in Libya deserta universus exercitus ejus arenis obrutus interiit. Tandem, cum suo sese gladio imprudens laesisset, levissimo ex vulnere mortem oppetiit. *Justin.* 1, 9. *Val. Max.* 6, 3. *Lucan.* 10, 279. Secundus fuit Nabuchodonosor Judaeorum. ℙ Fuit et alius Cambyses, Persa, mediocri stirpe, ab Astyage altero, paenultimo Medorum rege, in generum ascitus, elocata ipsi Mandane filia, quo sic a nepote, periculum sibi in somno praedictum evitaret. Hinc Cyrus natus. *Justin.* 1, 4. ℙ Cambyses fluvius Asiae fuit, per Albaniam regionem ex Caucaso monte, in Cyrum influens. *Plin.* 6, 13. ℙ Fuit et hoc nomine Mediae fluvius, ut apparet ex Ptolemaeo. cf. *Mela* 3, 5. *B. A.*

CAMELA. V. CAMELUS.

CĂMĔLAE Virgines sunt, quibus supplicare solebant sponsae nupturae. *Festus.* Ad quem locum *Voss.* in *Etym.* docet Camelas virgines esse *γαμηλίους θεάς*, hoc est nuptiarum praesides Deas, *g* in *c* mutato, quemadmodum *Γάϊος*, *Cajus* etc.; *γαμηλίους* autem dictas *ἀπὸ τοῦ γαμεῖν*, uxorem ducere.

CĂMĔLĂRĬUS, ii, m. *καμηλίτης*, qui camelorum curam gerit. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. V. v. seq. Adde *Edict. Diocl.* p. 19. in V. BURDONARIUS.

CĂMĔLĂSĬA, ae, f. *καμηλασία*, publicorum camelorum, qui ex fisco principis alebantur ad convehendos militibus commeatus, cura et custodia. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. Camelasia quoque personale munus est: nam ratione habita et alimentorum et camelorum, certa pecunia camelariis dari debet. Ita *Torrent.*, qui etiam *ib.* l. *καμηλασία* habet. Sed *Haloander* edidit priore quidem loco *camelelasia*, posteriore autem *καμηληλασία*, quae vox camelorum agitationem significat, ab *ἐλαύνω*, agito, et *κάμηλος*, camelus. Quare *καμηλασία* videtur esse per syncopen a *καμηληλασία.*

CĂMĔLĂSĬUM, ii, n. annona pro alendis camelis, aut vectigal, quod ad eos alendos fisco penditur. *Ammian.* 17, 3. Ut praeter solita, nemo Gallis quidquam exprimere conaretur camelasii nomine inique. *Valesius* affirmat, ea verba *camelasii nomine* in MSS. deesse, et ab alio per summam audaciam inserta fuisse.

*CAMELIDES INSULAE, *Καμηλίδες*, numero binae, in mari Aegaeo fuere, in ora Ioniae regionis. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

CĂMĔLĪNUS, a, um, adj. *καμήλειος*, ad camelum pertinens. *Plin.* 11, 49, 109. Camelino genitali arcus intendere, Orientis populis fidissimum. *Id.* 28, 9, 33. Camelinum lac. *Arnob.* 6. p. 200. Camelina ossa.

CĂMĔLLĀ, ae, f. vox est, quam *Gell.* 16, 7. recenset inter obsoletas, et ex sordidiore vulgi usu petitas, usurpataque a *Laberio* in Mimis suis: injuria tamen, cum et apud *Ov.* et ap. *Petr.* legatur. Significat autem vas quoddam potorium, quod quidam putant ita dictum esse, quasi *camuram*, quod flexum incurvumque foret. Alii illud idem esse arbitrantur, quod *Pollux* 10, 24. *σκαμέλλαν*, seu *σκαμίλλαν* vocat, et Romanam appellationem esse, docet. *Salm.* enim cum aliis *καμέλλαν* legendum putat, et illud *σ* ex praecedenti voce *Ῥωμαίοις* perperam ei adjunctum fuisse. Sed enim *Pollux* quodnam tandem vas illud sit, non definit; solum enumerat inter vasa coquinaria, de quibus toto illo capite agit. Nos ex locis Latinorum scriptorum, quos subjicimus, illud dicere possumus, fuisse vas potorium, in sacris quibusdam adhibitum. *Ov. Fast.* 4, 779. Tum licet, apposita veluti cratere camella, Lac niveum potes, purpureamque sapam. *Petr. Sat.* 135. Camellam etiam vetustate ruptam pice temperata refecit. et *mox.* Camella lignea. et *ib.* 137. Infra manus meas camellam vini posuit. ℙ In conviviis quoque adhibitam fuisse, colligitur ex illo ejusdem in *Fragm. Trag.* 64. *Burm.* Camellam grandem jussit misceri, potiones dividi omnibus servis.

CĂMĔLŌPARDĂLIS, is, f. *καμηλοπάρδαλις*, animal forma camelum referens, pellis autem colore variegato pantheram: a *κάμηλος*, camelus, et *πάρδαλις*, panthera. *Varr. L. L.* 4, 20. Alexandria camelopardalis nuper adducta, quod erat figura ut camelus, maculis ut panthera. *Plin.* 8, 18, 27. Nabum Aethiopes vocant, collo similem equo, pedibus et cruribus bovi, camelo capite, albis maculis rutilum colorem distinguentibus: unde appellata camelopardalis, dictatoris Caesaris Circensibus ludis primum visa Romae. Ex eo subinde cernitur, aspectu magis, quam feritate conspicua: quare etiam ovis ferae nomen invenit, *h. e.* ovis peregrinae. V. FERUS. ℙ Dicitur etiam *camelopardalus*, *i. Capitol. Gordian. III.* 33. Camelopardali decem, onagri viginti. Adde *Vopisc. Aur.* 33. *Isid. Orig.* 12, 2. *camelopardum* vocat, non absurde.

CĂMĔLŌPŎDĬON, ii, n. *καμηλοπόδιον*, hoc est cameli pes, herba est eadem, quae marrubium. *Appul. Herb.* 45.

CĂMĒLUS, i, m. *κάμηλος*, vox Syriaca, [nempe Hebraica גָּמָל *gamàl* a גָּמַל, retribuit, mutata ג in ק, quod ex *Bochart. Hierozoic. T.* I. p. 74. animal sit *μνησίκακον*, injuriarum memor, et malum pro malo rependat *F.*] teste *Varr. L. L.* 4, 20., qua significatur animal quadrupes in orientalibus regionibus frequentissimum, longo, gracili obtortoque collo, capite exili, altis cruribus, pectore amplo et villoso, et in superiore maxilla primoribus carens dentibus, ut *Plin.* 11, 37, 62. tradit. Est autem duplicis generis, Bactrianum et Arabicum: illud bina habet tubera in dorso ephippiorum modo exstantia, hoc unum tantum, (unde *curvum camelum* dixit *Paulin. Nolan. carm.* 6, 229.) utrumque autem alterum sub pectore, cui incumbit, dum ad accipienda onera (quibus portandis quam aptissimum est) ultro in genua demittitur. Sitim adeo tolerat, ut quatriduum potu abstineat, eod. *Plin.* teste 8, 18, 26., ubi de eo plura. Hinc *Pers.* 5, 136. *sitientem* appellat. ℙ *Camelus* femina femin. genere effertur. *Trebell. Claud.* 14. Equos annuos tres, camelos annuas decem, mulas annuas novem. *Salm.* tamen et *Grut.* ex quibusdam MSS. leg. *camelas.* Etiam *Paulin. Nolan.* hac ratione usurpavit, nec tamen camelum feminam intellexit. Ejus verba sunt *ep.* 29, 2. Et illa nobis de Euangelio camelus ingeritur, quae facilius per foramen acus transit etc. Fortasse respexit ad *τὸν κάμιλον*, quae vox rudentem, seu funem nauticum significat. In quodam tamen MS. codice legitur *ille camelus*, *qui* etc.

CĂMĒNA, ae, f. eadem quae Musa, ita dicta a *canendo*, ut *Festus*, *Serv.* ad *Ecl.* 3, 59. et *Macr. Somn. Scip.* 2, 3. docent, quasi *canena.* Contra sentit *Varr. L. L.* 5, 8. *sub f. canere* a *camena* factum esse, *n*, permutato. Viderint etymologi. [*Döderl. l. l.* 3, 36. per syncop. factum dicit a Canimoena.] *Hor. Carm. saecul.* 61. Augur, et fulgente decorus arcu Phoebus, acceptusque novem Camenis. *Virg. l. c.* Alternis dicetis: amant alterna Camenae. *Pers.* 5, 21. tibi nunc, hortante Camena, Excutienda damus praecordia. *Plin. praef. H. N.* Libri naturalis historiae, novitium Camenis Quiritium opus, *h. e.* a nemine litteratorum Romanorum tentatum. Praesunt autem Camenae non solum carminibus, sed omnibus litterarum studiis. ℙ Per metonymiam sumitur pro carminibus. *Hor. Od.* 1, 12, 39. Gratus insigni referam Camena. *Id. ib.* 4, 9, 8. Stesichorique graves Camenae. *Id. Ep.* 1, 1, 1. Prima dicte mihi, summa dicende Camena. Adde *Ov. Pont.* 4, 13, 33. ℙ Camenarum lucus fuit extra portam Capenam, sacratus Musis a Numa, teste *Liv.* 1, 21. De hoc intellige illud *Vitr.* 8, 3. Uti nec fontanalis ab Camenis, nec Martia saliens desideretur. ℙ Scribit *Tert. adv. Marc.* 1, 13. Veteres Gentiles, quemadmodum per Junonem intelligebant aera, per Vestam ignem, ita per *Camenas* voluisse significari aquas. Nempe Camenae nymphae sunt. Nymphas autem tum Deas fontium, tum ipsos fontes appellant Graeci. ℙ Scribitur et *Camoena*, et ita legitur in quadam *Inscr.* ap. *Spon.* teste *Cellar.* in *Orthogr.*, et probatur a *Dausqu.* Videtur tamen a priscis solummodo ita scriptum fuisse, qui et *moerus* pro *murus*, et alia hujusmodi efferebant. Frequentius enim in *opt. lib. Camena* reperitur, praeferturque ob id a *Cellar. l. c.*, adeoque sequenda est haec scribendi ratio, si vera est etymologia, quam praemisimus. In quadam *Inscr.* ap. *Grut.* 47, 10. habetur *Camina:* quod non est imitandum. ℙ Olim *Casmena* et *Carmena* dictum fuit, teste *Varr. L. L.* 6, 3. et *Fest.* in *Poesnis.*

CĂMĒNĀLIS, le, adj. ad Camenas pertinens. *Avien. Phaenom. Arat.* 495. Camenalis Hippocrene.

Sidon. ep. 3, 3. Camenales modi. *Symm. ep.* 1, 53. Camenalis familia.

CĂMĔRĂ, ae, f. καμάρα, tectum incurvum in modum testudinis. Differt a fornice in eo, quod *camera* significat totum tectum fornicatum, *fornix* vero de singulis etiam camerae arcubus dicitur. Tametsi hoc discrimen perpetuum non est. *Sall. Catil.* 58. Tullianum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus vincta. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. Pavimenta recte fieri videbantur: cameras quasdam non probavi, mutarique jussi. *Suet. Ner.* 34. Solutilem navem, cujus vel naufragio, vel camerae ruina periret, commentus est. *Varr. R. R.* 3, 7. *Περιστερεών* fit, ut testudo, magna camera tectus. *Prop.* 3, 1, 50. Nec camera auratas inter eburna trabes. *Plin.* 16, 36, 64. Arundinibus cameras levissime suspendere. *Id.* 36, 25, 64. Cameras vitreas facere. *Colum.* 4, 17. *sub f.* Pampini condensati camerae more terram obumbrant. ℙ De camerarum rationibus multa *Vitr.* 7, 3. ℙ Est etiam hoc nomine genus navigii, accolis Ponti, et Bosphori usitatum, arctis lateribus, lata alvo, sine vinculo aeris, aut ferri, cujus tumente mari, prout fluctus attollitur, summam partem tabulis augent, donec in modum tecti claudatur. Ita describit *Tac. H.* 3, 47. Affertur etiam a *Gell.* 10, 25., ubi varia navigiorum nomina enumerat. Ab his navigiis, quae eodem fere modo describit, nomen habere Camaritarum gentem, Ponti accolam, ait *Eustath.* ad *Dionys. Perieg.* 700. Eorum mentionem facit *Prisc.* in *Perieg.* 682., *Avien. Descr. orb.* 886., et *Ammian.* 22, 8. ℙ Scribitur et *camara*, quod est Graecos imitari. Probant hanc scribendi rationem *Verr. Fl.* et *Festus:* item *Charis.* 1, 43., ubi tamen etiam *cameram* admittit. *Burm.* quoque *in not. ad Petr.* 30. multis contendit *camaram* scribendum esse. Sed profecto etiam *camera* saepissime apud Latinos scriptores invenitur in optim. lib., ut *Dausq.* docet in *Orthogr.* V. CAMERATUS. *V. *D. A. Cramer.* ad *Vet. Schol.* in *Juven.* 14, 61. *B. A.*

CĂMĔRĂRĬUS, a, um, adj. ad cameram pertinens. *Camerarius cucumis* dicitur a *Plin.* 19, 5, 24. qui in altum scandit, levi umbra cameras ac pergulas operiens: cui contrarium est *plebejus*, humi repens.

CĂMĔRĀTĬO, onis, f. καμάρωσις, structura in cameram curvata. *Spart. Caracall.* 9. Nam ex aere, vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est.

CĂMĔRĀTUS, a, um, part. a *camero*, καμαρωτὸς, in cameram curvatus. *Ulp. Dig.* 19, 2, 19. Si inquilinus arcam cameratam in aedes intulerit. Alii leg. *arcam aeratam.* Habetur etiam in *Inscr.* ap. *Murat.* 1004, 5., ubi tamen legitur *camaratus.* V. CAMERA.

CAMERIA. V. CAMERINUS.

CĂMĔRĪNĂ. V. CAMARINA.

CĂMĔRĪNUM. V. in CAMERS.

CĂMĔRĪNUS, a, um, adj. ad Camerium pertinens, oppidum vetus Latii, nunc excisum, de quo *Plin.* 3, 5, 9. [**Cameria* audit *Liv.* 1, 38. *B. A.*] *Camerini, orum*, sunt ejus oppidi cives. *Val. Max.* 6, 5. *n.* 1. Camerinos auspiciis suis captos sub hasta vendidit. ℙ *Camerinus* cognomen est Romanum in gente Sulpicia nobilissima. *Liv.* 3, 32., *Juven.* 7, 90. et 8, 38.

CAMERIUM. V. v. praec.

CĂMĔRO, as, avi, atum, a. 1. in modum camerae struo. *Plin.* 10, 33, 50. Publicum omnium (*avium*) est tabulata ramorum sustinendo nido provide eligere, camerare ab imbri, aut fronde protegere densa.

CĂMERS, ertis, adj. ad Camertes pertinens. *Cic. Sull.* 19. In Camerti agro. ℙ Sunt autem Camertes populi Umbriae, in montibus incolentes, qua Picenum ea provincia pertingit. Eorum oppidum est Camerinum, *Camerino. Plin.* 3, 14, 19. Arnates, Aesinates, Camertes. *Cic. Balb.* 20. Camertium foedus. *Sil.* 4, 157. Camertum phalanx. ℙ In sing. numero *Id.* 8, 463. et armis, Vel rastris laudande Camers.

CĂMERTĪNUS, a, um, adj. ad Camertem pertinens. *Cic. Balb.* 20. Camertinum foedus.

CĂMĔRUS. V. CAMURUS.

[CĂMĔSES, is, m. antiquus Italiae princeps, qui una cum Jano regnavit. *Macr. Sat.* 1, 7. *ad med.* Regionem istam, quae nunc vocatur Italia, regno Janus obtinuit, qui, ut Hyginus Protarchum Trallianum secutus tradit, cum Camese aeque indigena terram hanc ita participata potentia possidebant, ut regio Camesene oppidum Janiculum vocitaretur. *F.*]

CAMILLĬĂ Tribus Romana memoratur in *Inscr.* ap. *Grut.* 431, 6. L. Luccejo L. F. Camil. Aprili etc. *Ib.* 677, 3. Ti. Claudio Ti. F. Camil. Soterico etc. *Ib.* 528, 4. L. Aurelius L. Fil. Camilia Firmus etc. Sunt aliae praeterea Inscriptiones *ib.* non paucae, in quibus *Cam.* legitur (quod alii *Camilla* aut *Camillina* legendum putant) et ad hanc pertinere videntur. Creditur autem esse una ex illis octo tribubus, quas additas fuisse bello sociali, tradit *Vell.* 2, 20. Unde autem dicta sit, incertum est.

CĂMILLĂ, ae, f. Καμίλλη, virgo Volsca, quae venit suppetias ferens Turno contra Latinos et Aeneam, quo in bello etiam periit. *Virg. A.* 7, 803. Hos super advenit Volsca de gente Camilla. Multa de ea *Virg. A.* 7, 803. et *ib.* 11, 535. et sqq., docetque *v.* 543. prius *Casmillam* fuisse appellatam. V. CAMILLUS.

CĂMILLĂNUS, a, um, adj. a nomine proprio *Camilli* deductum. *Sidon. ep.* 1, 11.

[CĂMILLĂRĬUS, a, um, adj. ad Camillum pertinens. *Not. Tir.* p. 186. Camillus, camillarius. *F.*]

CĂMILLUM, i, n. teste *Festo* in voce *Cumera* erat vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utensilia. (*Varro* scribit, celari consuevisse quid eo contineretur, ut dicetur in voce sequenti.) Ideo autem *camillum* dicebatur, quod *camillus* vocabatur minister ille sacrorum, qui eum gerebat. ℙ Fortasse ab hujus vasis similitudine dicitur *camillum* cavitas quaedam, seu loculamentum, de quo ita *Vitr.* 10, 15. ubi agit *de catapultis, et scorpionib.* Crassitudo buculae, quae affigitur, vocitatur camillum, seu, quemadmodum nonnulli, loculamentum. *Bald. in Lex. Vitr.* suspicatur legendum *catillum*, meticulose tamen, et indefinitam rem in medio relinquens.

CĂMILLUS, m. et Camilla, ae, f. κάδωλος, prisca vox, et origine Graeca, ut *Varr. L. L.* 6, 3. arbitrari se dicit; Tusca vero, vel potius a Phoenicibus ducta, ut alii. Nam Tusci a Phoenicibus originem trahunt: ea significatur minister, aut ministra Deorum, non quidem in quocumque munere, sed in rebus et sacris occultioribus. *Varr. l. c.* In Medo Pacuvius: Coelitum Camilla exspectata advenis; salve hospita. Camillam qui glossemata interpretati sunt, dixerunt administram: addi oportet, in his, quae occultiora. Igitur dicitur in nuptiis Casmillus qui cumerum fert, in quo quid sit in ministerio, plerique extrinsecus nesciunt. Hinc Casmillus nominatur in Samothraces mysteriis dius quidam administer Diis magnis. Verbum Graecum arbitror, quod apud Callimachum in poematis ejus inveni. Haec *Varr.* ex emendatione *Scaliger. Macr. Sat.* 3. 8. ad illud *Virg. A.* 11, 543. matrisque vocavit Nomine Casmillae mutata parte Camillam: Statius Tullianus de vocabulis rerum libro primo ait, dixisse Callimachum Tuscos Camillum appellare Mercurium; quo vocabulo significant praeministrum Deorum. Unde Virgilius ait, Metabum Camillum appellasse filiam, Dianae scilicet praeministram. Nam et Pacuvius, cum de Medea loqueretur: Coelitum Camilla exspectata advenis; salve hospita. Romani quoque pueros et puellas nobiles et investes, camillos et camillas appellant, flaminicarum, et flaminum praeministros. Haec *Macr.*, quem ad verbum descripsit *Serv.* ad *Virg. l. c.* Sic *Interpres* Apollonii: Κάσμιλλος Ἑρμῆς ἐστιν. Quod vero ultimo loco ponit *Macr.*, confirmatur ex *Festo*, qui docet, *camillum* proprie appellari puerum ingenuum: et in voce *Flaminius* haec habet: Flaminius camillus puer dicebatur patrimus et matrimus (παῖς ἀμφιθαλής) qui flamini Diali ad sacrificia praeministrabat. Antiqui enim ministros Camillos dicebant. Alii dicunt, omnes pueros ab antiquis *camillos* appellatos, sicut habetur in antiquo carmine, cum pater filio de agricultura praeciperet. Hiberno pulvere, verno luto gradia farra, camille, metes. Qui versus habetur etiam ap. *Serv.* ad illud *G.* 1, 101. hiberno laetissima pulvere farra. Huc pertinet versiculus ille derisus a veteribus criticis ap. *Quint.* 8, 3. Praetextam in cista mures rosere camilli, *h. e.* exigui: vel adludit ad cistam, in qua praetexta, tanquam sacra quaedam, reposita erat. ℙ Quod in *Virg.* et *Varr.* legitur etiam *Casmillus*, idem omnino est. Nam et apud Graecos κάμιλλος, et κάσμιλλος legitur. [*Etiam *Καδμίλος* et *Κάδμος*. Cf. *Creuz.* Symb. *und* Mythol. *der alten Völker* etc. 2. p. 320. sqq.] Simile est quod priscis Latinis *casmena* dicebatur, quae postea *camena*, ut est ap. *Varr. L. L.* 6, 3. ℙ Fuit etiam *Casmillus* minister Deorum Cabirorum. V. CABIRUS. ℙ Denique *Camillus* est cognomen Romanum, ut M. Furius Camillus, de quo V. *Liv. l.* 5. et 6.

CĂMĪNĀTUS, a, um, adj. in camini, seu fornacis modum cavatus. *Plin.* 17, 11, 16. Et ubique caminata fossura ore compressiore sint, *h. e.* in imo, quam in summo patentiore.

CĂMĪNO, as, a. 1. facere in modum camini. *Plin.* 16, 6, 8. Acervi confertis taleis recentibus luto caminantur. V. CAMINUS.

CĂMĪNUS, i, m. κάμινος, (est a κάω Attice pro καίω uro) fornax igni continendo apta. Solent autem fornaces ita disponi, ut patentiores in imo, quam in summo sint, quo calor intensior fiat, et vehementior. Ex quo intelligitur, quid sit *caminare*, et *caminatus*, de quibus modo dictum est. Quidam inter fornacem et caminum eam statuunt differentiam, ut *fornax* sit balneatorum, pistorum et figulorum; *caminus* vero, in quo metallum excoquitur. Sed hoc discrimen aut verum non est, aut sane non perpetuum. *Virg. A.* 3, 580. ingentemque insuper Aetnam Impositam, ruptis flammam exspirare caminis. *Id. ib.* 6, 630. Cyclopum educta caminis Moenia. *Plin.* 33, 4, 21. Sudoris, qui e camino jactatur, spurcitia in omni metallo scoria appellatur. *Pers.* 5, 10. anhelanti coquitur dum massa camino. ℙ Allegorice *Juven.* 14, 118. Sed crescunt quocumque modo majoraque fiunt Incude assidua, semperque ardente camino, *h. e.* assiduo labore et opera crescunt patrimonia: ducta translatione a fabris metallariis. ℙ Est etiam locus in privatis aedibus, in quo ignis ad calefaciendum, aut ad coquendos cibos accenditur, qui et *focus* dicitur. *Hor. Ep.* 1, 11, 19. Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus. *Suet. Vit.* 8. Flagrante triclinio ex conceptu camini. ℙ Magna lis est inter eruditos an habuerint veteres emissaria illa seu gulas, quae foco superpositae fumum excipiunt, et extra aedes ex superiore parte ejiciunt. Negant multis argumentis *Man. ad ep. cit. Cic., Lips. Cent.* 3. ad *Belg. ep.* 76., *Phil.* ad *Vitr.* 7, 3. *Burm.* ad *Petr. Sat.* 135., ad illa verba, *fumoso suspensa tigillo*, et alii. Affirmat constanter *Ferrarius Elect.* 1, 9. et ex eo *Pitisc.* in *Lex.* allatis praecipue aliquot Graecorum scriptorum locis, ex quibus satis aperte colligi videtur, tales tubos in usu fuisse. Nos in re valde incerta, et nimis multa verba requirente, ut dilucide definiatur, ad eos lectorem remittimus. Hac super quaestione peculiarem dissertationem scripsit *Scipio Maffeius*, quam legesis apud *Calogerà Raccolt. T.* 47. p. 449., ubi affirmat, veteres nequaquam usos fuisse iis, quos Itali *Cammini* appellant. ℙ Per metonymiam ponitur pro ipso igne camini. *Cic. Fam.* 7, 10. Valde metuo, ne frigeas in hibernis: quamobrem camino luculento utendum censeo. *Hor. Sat.* 1, 5. 79. Nisi nos vicina Trivici Villa recepisset, lacrimoso non sine fumo, Udos cum foliis ramos urente camino. *Sen. Thyest.* 765. Lentis caminis dare aliquid, *h. e.* igni lento admovere. ℙ *Oleum camino addere*, proverb. *h. e.* malo addere fomentum, quo magis crescat: alitur enim ignis et vires auget oleo infuso. *Hor. Sat.* 2, 3, 321. Adde poemata nunc, hoc est oleum adde camino.

*CAMĪRUS vel *Camiros, i, Κάμειρος*, Herculis filius, Jalysi frater, a quo Camirus urbs Rhodi nominata. *Cic. N. D.* 3, 21. ℙ Item urbs ipsa, quam, una cum Jalyso, Lindoque, exhausit, ut decrescerent, urbs nova ad promontorium in orientem versum, quae commune insulae sibi nomen *Ρόδος, Rhodus*, vindicavit. *Plin.* 5, 31. *Mela.* 2, 7. *B. A.*

CĂMĪSĬĂ, ae, f. genus vestis. *Paul.* ex *Festo* in *Supparus:* Supparus vestimentum puellarum lineum, quod et subucula (id est camisia) dicitur. Illa verba, *id est camisia*, sunt a *Paulo* addita. *Hieron. ep.* 64. *de vestitu sacerdot. n.* 11. Solent militantes habere lineas, quas camisias vocant, sic aptas membris, et adstrictas corporibus, ut expediti sint vel ad cursum, vel ad praelia. [*Isid. Or.* 19, 22. Camisias vocamus; quod in his dormimus in camis, id est in stratis nostris. V. CAMA. *F.*] V. *Ferrar. De re vestiar.* 3, 5.

*CAMMARĒNE, es, regio vel ager Cappadociae. *Plin.* 6, 3. *B. A.*

CAMMĂRON, i, n. κάμμαρον, herba eadem, quae aconitum, ita dicta, quod cammari marini caudae similem radicem habeat. *Plin.* 27, 3, 2. ℙ Alii κάμμορον appellare malunt, quasi κακόμορον, quod malam mortem inferat. *Voss.* in *Etymol.* in *Cammarus.*

CAMMĂRUS, i, m. κάμμαρος, genus cancri marini, vel fluviatilis. *Varr. R. R.* 3, 11. *n.* 3. *de anatibus.* Pabulum iis datur triticum, hordeum; nonnunquam etiam ex aqua cammari. *Juven.* 5, 84. Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo Ponitur. *Mart.* 2, 43. Concolor in nostra, cammare, lance rubes. ℙ Cammari marini meminit *Plin.* 27, 3, 2. ℙ Legitur etiam *camarus* unico *m. Pl.* ap. *Fest.* in *Narica.* Muriatica autem video in vasis stagneis, Bonam naritam, et camarum, et tagenia etc. *Scal.* in *Conject.* ad *Varr.* p. 135. Camarum scriptum est uno *m*, veteri consuetudine: etiam ap. *Hesych.* κάμαρος.

CĂMOENĂ. V. CAMENA.

CAMPĂ. V. CAMPE.

CAMPACUS. V. v. sqq.

CAMPĂGUS, i, m. apud sequioris aevi scriptores idem est quod calceus patricius ac senatorius, quo etiam imperatores usi sunt, colore tamen a senatoriis distincto, nimirum rubro, vel phoeniceo, cum alii nigri plerumque essent. *Salm.* ad *Trebell. Gall.* 16. docet, dictos esse *campagnos* propter multas καμπὰς, *h. e.* flexuras corrigiarum, quibus decussatim, et in retis modum convolutis campagus tibiae alligabatur. *Trebell. l. c.* Caligas gemmatas annexuit, cum campagos reticulos appellaret. *Edict. Dioclet.* p. 24. Campagi militares ✕ septuaginta quinque. ℙ Alii putant fuisse calceamentum ex genere caligarum; in eo tamen diversum, quod longiores haberet corrigias, quibus altius quam caliga, tibiae involveretur. Quo facit illud *Capitol.*

Max. jun. 2., ubi qui primum *campagus*, mox *caliga* dicitur, his verbis: Calceamentum ejus, idest campagum regium, quidam in luco inter Aquilejam et Arziam posuerunt, quod constat pede majus fuisse hominis vestigio, atque mensura; unde etiam vulgo tractum est, cum de longis et ineptis hominibus diceretur, *caliga Maximini.* ℙ [Ex his patet, *campagum* fuisse illud calceamenti genus, quod medio crure tenus pertingit, quoque tamen ima pedis pars non obtegitur; eo ornatos saepe videre est in antiquis marmoreis anaglyptis militares viros. *F.*] ℙ Sunt qui minus recte leg. *campacus:* sunt qui *compagus.*

[CAMPĀNĔUS, vel Campānius, a, um, adj. ad campum pertinens, idem ac campestris. *Innocent. De casis lit. inter auct. rei agrar. Goes.* p. 239. Si in campaneis locis haec casa fuerit. *Id. ib.* p. 240. Si campaniis locis fuerit. *F.*]

CAMPĀNIA, ae, f. regio Italiae felicissima a Latio excurrens usque in Lucanos, multisque populis atque oppidis frequentissima, quorum praecipua fuit Capua, ausa olim cum Roma de imperio contendere. Multa de ea *Plin.* 3, 5, 9. et *Flor.* 1, 16. Dicta est autem a campestri planitie, ut in CAPUA. dicemus. *Serv.* ad *A.* 334. docet, Epirum quoque *Campaniam* olim dictam fuisse, a *Campo* rege, cujus posteri *Campylidae* dicti sunt; vel ab ejus filia *Campania.* Hinc dixisse *Virg.* Chaonios cognomine campos. ℙ Adjective *Tibull.* 1, 10, 33. Non tibi si pretium Campania terra daretur. V. ARABIA.

CAMPĀNĪCUS, a, um, adj. ad Campaniam pertinens, Campanus. *Cato R. R.* 135. Aratra Campanica. Et Fiscinae Campanicae. *Id. ib.* 107. Serta Campanica, *h. e.* herba eadem quae sertula Campana *Plin.* dicta 21, 9, 29., quia laudatissima in Campania nascitur, Graeco nomine melilotos, μελίλωτος: usum habuit praecipue in coronamentis, unde et *serta* appellata: itemque in condituris, propter odorem. Quare ubi condiendae sapae, inter alios odores *Colum.* 12, 20. misceri praecipit *cripae pampinaceae libram*, monstrum hoc verbi *Hermolaus* in *Diosc.* ita tollendum censet, *sertae Campanicae libram.* V. similem locum ap. *Caton. R. R.* 107. ℙ Apud *Pl. Pseud.* 1, 2, 13. memorantur *Campanica peristromata*, et cum Alexandrinis tapetiis conjunguntur: et sane Campanorum deliciae et luxus ex *Liv.* et aliis notae sunt.

CAMPANS. V. CAMPAS.

CAMPĀNUS, a, um, adj. ad Campaniam, et Capuam pertinens. *Cic. Fam.* 11, 20. Campanus ager. *Id. Agr.* 2, 32. Campana colonia. *Liv.* 26, 13. Campanae matres. ℙ *Campani, orum*, sunt Campaniae populi et praesertim Capuae cives. Hi superbiae ac fastus opinione apud Romanos male audiebant. *Cic. Agr.* 1, 7. Si luxuries, Annibalem ipsum Capua corrupit; si superbia, nata inibi esse ex Campanorum fastidio videtur. Et *ib.* 2. Campanum supercilium. ℙ *Campana supellex* dicuntur ab *Hor. Sat.* 1, 6, 118. vasa fictilia, quae propter soli bonitatem, plurima in Campania fiebant. Sic *ib.* 2, 3, 144. Campana trulla. ℙ *Campana vina* laudatissima fuerunt. In agro enim Campano proveniebant Falernum, Setinum, Caecubum, Massicum, et alia, ut apud *Plin.* 3, 5, 9. videre est. *Mart.* 1, 19. et 13, 118. ℙ Celebrabantur etiam *rosae Campanae*, de quibus *Plin.* 21, 4, 10. et *Mart.* 9, 61. ℙ De morbo Campano, cujus mentio fit ab *Hor. Sat.* 1, 5, 62. alii alia. Nam quidam turpitudinem et impuritatem, καὶ τὸ λεσβιάζειν interpretantur: nonnulli intelligunt arrogantiam verborum, et dicacitatem: alii lichenas, impetiginem, mentagram, aliaque id genus vitia, foeditatesque cutis, qui morbus fuerit in Campania familiaris: [hoc magis probandum videtur, nam haec habet *Vet. Schol. Cruq.* ad *Hor. l. c.* In Campania solet quidam morbus, verruca scilicet, affi cere homines in facie. Hinc etiamnum Neapoli videre est passim homines hoc verrucae genere affectos. *F.*] ℙ *Campanus pons* erat super amnem Savonem, ab urbe Capua Sinuessam tendentibus, prope eum pagum, qui nunc etiam *S. Giovanni a ponte Campano* dicitur. *Hor. l. c.* 45. et *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 2. ℙ [*Campana via*, et *Campana via publica* fuit tum Romae, tum alibi appellata, quae in campum, sive, ut Itali dicunt, in *campagna*, non quae, ut via Appia, Capuam ducebat. De Romana *Suet. Aug.* 94. Ad quartum lapidem Campanae viae (ἐν ἀγρῷ ait *Dion.* 45, 2.) in nemore prandenti ex improviso aquila panem ei e manu rapuit. *Inscr.* ap. *Mar. Frat. Arv.* p. 7. In luco Deae Diae via Campana apud lapidem V. convenerunt. Aliae ap. *Grut.* 374, 5. et *Don. cl.* 6. *n.* 36. et *Grut.* 611, 13. Usque ad viam publicam Campanam. De aliis *Inscr.* ap. *Mar. Iscriz. Alb.* p. 91. In viam publicam Campanam. (Haec ad Amiternum pertinet) *Vitr.* 8, 3. *a med.* Agro autem Falisco via Campana in campo Corneto est lucus. *F.*]

[CAMPĀRIĀ, ae, f. quae campos custodit, ut Camparius definitur in *Lexico Barbaro*, qui campos custodit. Est cognomen muliebre Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 474, 7. Titinia Camparia. *F.*]

CAMPAS Genus, idem est quod Campanum genus. *Pl. Trin.* 2, 4, 143. Credo, istuc, Stasime, ita esse: sed Campas genus multo Syrorum jam antidit patientia. ℙ Quidam grammatici declinant *Campas, atis:* sed de obliquis casibus exempla nondum vidimus. ℙ *Non.* 8, 23. legit *Campans.*

*CAMPASTE, es, Alexandri M. ex concubinis praecipue dilecta, quam cum nudam pingi, ob admirationem formae ab Apelle jussisset, eumque tum pare amore affectum sensisset, illi eam dono dedit. *Plin.* 35, 10. *B. A.*

CAMPE, es, et Campa, ae, f. κάμπη, eruca, vermis hortensis herbas et arborum frondes infestans: a κάμπτω, flecto, quod flexo obliquis tractibus corpore progreditur. *Colum.* 11. *sub f.* Ubi noxia incesserunt animalia, quae a nobis appellantur erucae, Graece autem κάμπαι nominantur. *Id.* 10, 324. teneras audent erodere frondes Implicitus concha limax, hirsutaque campe. et *ib.* 366. Volvitur ad terram distorto corpore campe. *Pallad.* 1, 35. Campas fertur evincere, qui fusticulos allii comburit. et *ib.* Campas ficulneo cinere persequi. ℙ Apud *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 50. *campas dicere* est nugari, nugas dicere: fortasse ab erucis, quae vilissimae bestiolae sunt. Sed valde dubia est lectio. ℙ Sunt etiam *campae* equi marini, quin etiam quivis ingens piscis, caudam sinuoso motu flectens, ut delphini, cete, et hujusmodi alia: a κάμπτω, flecto. *Festus:* Campas marinos equos Graeci a flexione posteriorum partium appellant. Al. leg. *Cappas.* Hinc *hippocampi* sunt equi marini, Neptuni currum trahentes, ut *Non.* 2, 397. docet. *Mart.* 9, 43. Campis dives Apollo sic marinis, Sic semper senibus fruare cycnis, *h. e.* delphinis. Ita legi volunt, et interpretantur *Scalig.* ad *Manil.* 1, 781. et *Voss.* in *Etym.* Sed alii leg. *Campis dives Apollo sic Myrinis*, vel (mutata *y* in *u* ex Latinorum consuetudine) *Murinis*, et intelligunt agrum Grynii Myrinaeorum oppidi, ut est apud *Strab. l.* 13., ubi Apollo colebatur: unde et *Gryneus* cognominatus est. In editione principe *Vindelini* habetur *Semuranis:* ex quo quidam fecerunt *Semurinis*, et intelligi volunt campum Semurium, urbi Romae proximum: ubi tamen, inquit *Raderus*, nunquam legimus, Apollinem cultum fuisse. Erit etiam fortasse, qui *campis marinis* retineat, et intelligat templum Apollini exstructum ab Augusto apud Actium, unde longus in maris aequora prospectus erat.

CAMPENSIS, se, adj. ad campum pertinens. *Appul. Met.* 11. docet, Isidem, quae templum in campo Martio habuit, Campensem cognominatam esse.

CAMPESTER, estris, estre, et Campestris, estre, adj. πεδινὸς, πεδιάσιμος, ad campum pertinens, cui *montanus*, et *collinus* opponitur. *Varr. R. R.* 1, 6. *ad f.* Campester locus is melior, qui totus aequabiliter in unam partem vergit. *Plin.* 24, 6, 22. Quaerunt, ut sit resina montana potius quam campestris. *Colum.* 3, 14. Campestris, et uliginosa planities. et *ib.* 13. Campestris locus alte duos pedes infodiendus est. *Cato* apud *Prisc.* 6. p. 696. Campestris ager. *Varr. l. c.* Tria genera agrorum, campestre, collinum et montanum. *Id. ib.* Campestres segetes. *Plin.* 25, 5, 18. Campestria culta. *Id.* 16, 15, 26. Campestre acer candidum, nec crispum; montanum crispius. *Caes. B. C.* 1, 66. Campestre iter. *Hor. Od.* 3, 24, 9. Scythae campestres, *h. e.* in campestribus locis habitantes. *Liv.* 22, 18. *campestrem* appellat *hostem*, qui in planitie et aequis locis pugnare assuevit: cui opponit *assuetiorem montibus, et ad concursandum inter saxa, rupesque* etc. ℙ *Campestria, ium*, absolute sunt loca campestria. *Tac. G.* 43. Hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montium insederunt. *Plin.* 6, 26, 30. Mox in campestribus oppida Diosprage, Polytelia, Stratonice. ℙ Item ea, quae in campestribus locis proveniunt. *Plin.* 16, 25, 41. Ex eodem genere, quae sunt in palustribus, priora germinant; mox campestria. ℙ Saepe *campestris* refertur ad campum, in quo ludicra certamina et exercitationes fiunt, qualia erant, quibus exercebatur juventus in campo Martio, cursus, palaestra, equitatio, pilae ludus, et hujusmodi: item quibus milites armorum artem perdiscebant. *Hor. Art. P.* 379. Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis. *Id. Ep.* 1, 18, 54. Proelia campestria. *Suet. Galb.* 6. Campestris decursio. *Id. Aug.* 83. Exercitationes campestres. *Plin. Pan.* 13. Cum in illa meditatione campestri, militaribus turmis imperatorium pulverem sudoremque misceres. *Plin. alter* 36, 13. Puerorum ludicra campestria. ℙ Hinc *campestre, estris*, dictum velamentum, quo pudenda operiebant, qui nudi in campo exercebantur. *Hor. Ep.* 1, 11, 17. Incolumi Rhodos, et Mitylene pulcra facit, quod Paenula solstitio, campestre nivalibus auris. *Vulcat. Avid. Cass.* 4. Processit nudus, campestri solo tectus. *Augustin. Civ. Dei* 14, 17. Consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi campestria, idest succinctoria genitalium. ℙ Eo utebantur etiam sub toga aestate. *Ascon. sub f. commentar. in orat. Cic. pro M. Scauro.* Cato praetor judicium, quia aestate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus. In forum quoque sic descenderat, jusque dicebat: idque repererat ex vetere consuetudine, secundum quam et Romuli aetatis statuae in Capitolio, et in Rostris Camilli fuerunt togatae sine tunicis. Haec *Ascon.* Simili vestitu togae, et campestris nunc utuntur, qui *Cappuccini* apud Italos, et *Reformati* appellantur. ℙ Quia vero in campo Martio comitia fiebant, *campestris* etiam ad comitia et petitiones honorum pertinet. *Suet. Aug.* 3. Hunc quoque a nonnullis argentarium, atque etiam inter divisores operasque campestres proditum. *Liv.* 7, 1. Patres praeturam Sp. Furio, aedilitatem Cn. Quintio gratia campestri dederunt. *Val. Max.* 4, 1. *n.* 14. Ne quid in persona sua novaretur, campestrem experiri temeritatem, quam curiae beneficio uti, satius esse duxit. ℙ *Campestres* Dii videntur ita appellati, qui campo Martio, seu militiae praeerant; nam inscriptiones hisce Diis dicatae a militibus positae sunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 1015, 2. Campestribus sacrum F. Quintius L. F. Quir. Terminus Trib. coh. XXIIII. Voluntariorum Civium Romanorum. Alia apud *Donat.* 59, 5. Campestribus et Eponae Ala I. Singulariorum Thracum, cui praeest Aelius Bassianus Praef. V. S. L. L. M.

CAMPESTRĀTUS, a, um, adj. subligari indutus, quod *campestre* dicitur. *August. Civ. Dei* 14, 17. Campestria Latinum quidem verbum est, sed ex eo dictum, quod juvenes, qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant: unde qui ita succincti sunt, campestratos vulgus appellat.

[CAMPESTRĪNUS, a, um, adj. ad campestrem pertinens. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 541, 10. L. Flavius Campestrinus. *F.*]

[CAMPĬCELLUS, i, m. dimin. a voce *campus*, parvus ager. *Innocent. de litter. et notis juris expon. inter auctor. rei agrar. Goes.* 12, 222. Sub se autem campicellum habens. *F.*]

CAMPĪCURSĬO, onis, f. exercitatio militaris, quae cursu in campo fit. *Veg. Mil.* 3, 4. Campicursionem, ut ipsi appellant, inspectionemque armorum assidue faciant.

CAMPĬDOCTOR, oris, m. ὁπλοδιδάσκαλος, qui milites in campo se exercentes tractandorum armorum artem, ceteraque ad militarem disciplinam spectantia docet. *Veg. Mil.* 3, 6. Interponendi ergo sunt exercitatissimi campidoctores, vicarii, vel tribuni, qui alacriores tardent, et pigrius incedentes accelerare compellant. *Id. ib.* 8. Nam singulae centuriae, dividentibus campidoctoribus, accipiunt pedaturas etc. Adde *ib.* 1, 13. V. ARMIDOCTOR. *Stewech.* vult his locis legi *campiductor:* sed *campidoctor* habetur etiam in duabus *Inscr.* ap. *Grut.* 80, 2. et 565, 5., in quarum prima legitur *campi doctor coh. I.* in altera *campi doc. coh. VII.*, ex quibus intelligimus singulas cohortes suum campidoctorem habuisse: discimus praeterea etiam *campi doctor* divisim scribi posse. Apud *Lamprid.* quoque *Alex. Sev.* 53. haec vox habetur, ubi *Salm.* pluribus verbis *campidoctorem* defendit, *campiductorem* rejicit. ℙ *Andreas Borda, Fascicul. Inscr.* p. 222. probat, *campidoctoris* officio nunc fungi solere, qui ab Italis dicitur *capo battaglione.* Observandum tamen est, *doctorem cohortis* alium esse ab ejusdem *campidoctore;* ille enim fortasse privatim tirones docebat, hic publicae eorum campicursioni praeerat. *Inscr.* apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 19. Quod cohortis doctor voverat, nunc campidoctor cohortis I. *Piae Victricis* posuit.

CAMPĬDUCTOR. V. v. praec.

CAMPĬGĔNUS, i, m. *Campigeni* in exercitu qui fuerint, in ANTESIGNANUS dictum est. V. etiam *Salmas.* ad *Lamprid. Alex. Sev.* 53., ubi de *campidoctoribus* verba facit.

*CAMPODŪNUM, i, Καμπόδουνον, oppid. Vindeliciae, hodie Kempten. *Anton. Itin. B. A.*

*CAMPŌNI, orum, populi Galliae Aquitanicae. *Plin.* 4, 19. Ab his nomen forte traxit vicus hodiernus *Campan* in Gasgognia. *B. A.*

[CAMPSĀNĔMA, ātis, n. herba eadem ac ros marinus. *Appul. Herb.* 79. *F.*]

[CAMPSĀRĬA, ae, f. locus, in quo varii generis scruta venduntur, aut emuntur, vel permutantur, unde nomen: *Campsare* enim est *mutare. Acron.* ad *Hor. Sat.* 2, 7, 110. Strigil est instrumentum aeneum, quo sudores in balneis solent homines tergere, hodieque in campsariis multae sunt strigiles Romae, *h. e.* in tabernis campsariis.

CAMPSO, as, a. flecto, deflecto. *Prisc.* 10. p. 906. Cambio, ἀμείβομαι, ponit Charisius, et ejus praeteritum campsi, quod ἀπὸ τοῦ κάμπτω, ἔκαμψα Graeco esse videtur. Unde et *campso, as*, solebant vetustissimi dicere. Ennius in decimo: Leucatem campsant. Haec *Priscian.* Falluntur autem, qui *campsant* exponunt *permutant.* Nam *campsare* hoc loco est flectere et navigando praeterire. Sic *Cic. Att.* 5, 9. Actio maluimus iter facere pedibus, qui incommodissime navigassemus; et Leucatem flectere molestum videbatur. *Id. Div.* 2, 45. Qui navigant, in flectendis promontoriis ventorum mutationes maximas sentiunt. Κάμπτειν ἄκραν Graeci

dicunt eodem sensu, et Itali *superare*, vel *passare un capo*.

CAMPTAULES, ae, m. *Vopisc. Carin.* 19. Exhibuit centum salpistas uno crepitu concinentes, et centum camptaulas, choraulas centum. *Camptaulae* qui sint, varie a variis exponitur. Alii dicunt fuisse tibicines, qui crebris vocis flexionibus, et artifici modulatione tibiis canebant: a *κάμπτω*, flecto, et *αὐλὸς*, tibia: alii eos significari volunt, qui curvis tibiis utebantur, cum eae alioquin rectae plerumque essent. *Salmas.* legendum censet *cerataulas*, *κερατα͡ύλας*, hoc est cornicines, a *κέρας*, cornu, ut sic dicatur, tria artificum genera exhibita fuisse, tubicines, cornicines et tibicines.

CAMPTER, ēris, m. *καμπτῆρ*, flexus, curvatura: et speciatim flexus metae in cursu. *Pacuv.* ap. *Non.* 1, 328. Extremum intra campterem ipsum *παρθένος* eum praegradat. *Pollux* quoque 3, 30. *καμπτῆρα* hanc significationem habere scribit. Sunt tamen qui ex quibusdam MSS. *carcerem*, aut *cancerem*, hoc est cancellum legunt. V. PRAEGRADO.

CAMPUS, i, m. *πεδίον*, planities, ager planus excultus fructuum percipiendorum causa. Ita videtur vocatus a *κάμπτω*, flecto, quia in planitiem flexus fuerit. *Varr. L. L.* 4, 4. a med. Quod primum ex agro plano fructus capiebant, campus dictus: posteaquam proxima superiora loca colere coeperunt, a colendo colles appellarunt. [*Döderl., qui l. l. 3, 8. sq. Gr. vv. *κάμπος* (ita derivat *Scal.* ad l. *Varr.* a *F.* laudat.) et *κῆπος*, *κᾶπος* (ita *Scheid.* ad *Sanct. Min.* p. 924.) cognationem quidem accipit, ad *cavus* originem vocis referre posse sibi videtur.] *Colum.* 1, 2. *a med.* Segetes campis melius, quam praecipitibus locis proveniunt. *Cic. Agr.* 2, 35. Agros vero Vaticanum, et Pupiniam cum suis opimis atque uberibus campis conferendos scilicet non putabant. *Id. N. D.* 2, 64. Cernes jam spatia frugifera atque immensa camporum, vestitusque densissimos montium. *Id. Phil.* 3, 9. Possideat in agro publico populi R. campi Leontini duo millia jugerum immunia. *Plin. ep.* 5, 6. Campi, quos nonnisi ingentes boves, et fortissima aratra perfringunt. ℙ Per metonymiam ponitur pro satis et frugibus. *Stat. Th.* 5, 528. moriturque ad sibila campus. ℙ Dicitur etiam de toto alicujus oppidi agro. *Cic. Divin.* 1, 28. Cum in villa quadam campi Atinatis maneres. *Auct. B. Hisp.* 27. *extr.* In campum Mundensem cum esset ventum. ℙ Sumitur etiam generatim pro quacumque aequabilis soli lata planitie. *Cic. Div.* 1, 42. Babylonii in camporum patentium aequoribus habitantes. *Liv.* 24, 14. Postero die signis collatis, dimicaturum puro ac patenti campo, ubi sine ullo insidiarum metu, vera virtute geri res posset. *Caes. B. C.* 3, 40. Copias ex locis superioribus in campum deducere. *Id ib.* 27. Cum esset inter bina castra campus circiter millium passuum sex. *Virg. A.* 5, 128. Campus saxi, *h. e.* planities. ℙ Saepe dicitur de campo Martio Romae (ut et *Cic.* docet *Or.* 3, 42.) in quo comitia habebantur, et ambitiones in honoribus petendis. *Cic. Q. Fr.* 2, 2. In campo Martio comitia consulum habere. *Id. Cat.* 1, 5. Cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo, et competitores meos interficere voluisti. *Hor. Od.* 3, 1, 10. hic generosior Descendat in campum petitor. *Pers.* 5, 57. Hic campo indulget, hunc alea decoquit. *Lucan.* 1, 179. letalisque ambitus urbi, Annua venali referens certamina campo. ℙ Huc pertinet proverbium *Fors domina campi.* Valde enim dominatur fortuna in suffragiis propter mobilitatem atque inconstantiam populi, qui cum aliquem unum maxime designare videtur, quem ad honores evehat, repente destituit, et ad alterum accedit. Legitur ap. *Cic. Pis.* 2. ℙ Est etiam *campus* ubi exercitationes et ludicra certamina fiunt, cursus, palaestra, equitationes, aurigationes, et hujusmodi, quae Romae in campo itidem Martio a juvenibus fieri solebant, et ab otiosis et feriatis hominibus frequenter spectari: item ubi militaria exercitia, quibus tirones armorum tractandorum rationem, et universam bellandi disciplinam edocentur: ex quo *campicursio*, et *campidoctores* dicti sunt. *Hor. A. P.* 161. Imberbis juvenis, tandem custode remoto, Gaudet equis, canibusque, et aprici gramine campi. *Id. Od.* 1, 8, 3. cur apricum Oderit campum, patiens pulveris atque solis. *Id. Sat.* 1, 1, 90. ut si quis asellum In campum doceat parentem currere frenis. *Id. Ep.* 1, 7, 58. Gaudentem parvisque sodalibus, et lare certo, Et ludis, et, post decisa negotia, campo. *Cic. Quint.* 18. Vixit semper inculte atque horride, natura tristi ac recondita fuit: non ad solarium, non in campo, non in conviviis versatus est. [*Cf. *Cic. Off.* 1, 29, 104. Suppeditant autem et campus noster, et studia venandi honesta exempla ludendi, et quos *Beier.* ad h. l. laudat.] (De *campo Martio* V. MARTIUS. De *campo minore* V. in EQUIRIA.) ℙ Item locus pugnae. *Juven.* 2, 106. Bebriaci campo spolium affectare Palati. *Veg. Mil.* 3, 25. Prior de caesis hostibus spolia capiat, et quod ipsi dicunt, colligat campum. Adde *Vopisc. Aurel.* 23. et *Trebell. in* XXX. *Tyrann.* 26. ℙ Translate. *Cic. Caecin.* 29. Me ex hoc, ut ita dicam, campo aequitatis ad istas verborum angustias, et ad omnes litterarum angulos revocas. *Id. Acad.* 4, 35. Cum sit campus, in quo exsultare possit oratio, cur eam in tantas angustias, et in Stoicorum dumeta compellimus? *Id. Orat.* 3, 31. In hoc tanto tamque immenso campo licet oratori vagari libere. *Id. Off.* 1, 18. *ad f.* Hinc rhetorum campus de Marathone, Salamine, Plataeis, etc. *h. e.* ampla dicendi materia. [*Loci communes, ut *Beier.* ad h. l. explicat.] *Plin. Paneg.* 26. Tuis laudibus materies campusque prosternitur. *Juven.* 1, 19. Cur tamen hoc libeat potius decurrere campo, Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus. *Cic. Phil.* 14, 6. *in f.* Magnus est in republica campus; multis apertus cursus ad laudem. *Id. Mur.* 8. *in f.* Nullum vobis sors campum dedit, in quo excurrere virtus, cognoscique posset. *Plin. Paneg.* 70. Patet enim omnibus honoris et gloriae campus. ℙ Quemadmodum *aequor* de planitie terrae, sic aliquando *campus* de aequore maris dicitur. *Virg. A.* 6, 724. coelum et terram, camposque liquentes. *Id. ib.* 10, 214. campos salis aere secabant. *Pl. Trin.* 4, 1, 15. Campi caerulei.

CAMULODŪNUM. V. CAMALODUNUM.

CAMŬLUS, i, m. nomen Martis apud Remos, ut probat *Morcell. De stil. inscr.* 1, 23. *ed. Patav.*, non apud Sabinos, ut quidam ex *Inscr.* ap. *Grut.* 40, 9. interpretantur; ibi enim mentio est M. Quartinii incolatu Sabini, natione Remi. *Inscr.* apud *Grut.* 56, 11. Camulo sanc. fortiss. sac. T. Claudius Ti. F. Quir. Tertius mil. coh. VII. etc. *Ib.* 12. Marti Camulo ob salutem Tiberii Claudii Caes. cives Remi templum constituerunt.

[CĂMUM, i, n. species cerevisiae ex hordeo. Videtur esse a praet. perf. pass. *κέκαυμαι* verbi *κάω* Attice pro *καίω*, uro; nam et zythum appellatur, quod est a *ζύω* pro *ζέω*, ferveo. *Ulp. Dig.* 33, 6, 9. Simili modo nec camum, nec cerevisia continebitur, nec hydromeli. *Edict. Diocl.* p. 28. Cerevisiae cami Italicum sextarium unum ✕ quattuor. V. CERVISIA et CURMI. *F.*]

CAMŪNI, orum, m. plur. *Καμοῦνοι*, populi Italiae, quos *Plin.* 3, 20, 24. Euganeis accenset: habitabant autem ad Ollium fluvium, ubi nunc *Val Camonica.*

CĂMURUS, a, um, adj. *ἕλιξ. Camura cornua* boum dicuntur, quae introrsum conversa sunt, et in se redeuntia; et *camuri boves*, qui hujusmodi cornua habent: quibus contrarii *patuli*, qui cornua diversa. *Laevi* autem sunt, quorum cornua terram spectant; *licini*, qui sursum versum reflexa habent. Haec *Serv.* et *Philargyr.* ad illud *Virg. G.* 3, 55. et camuris hirtae sub cornibus aures. Porro *licinus* in *Gloss.* vertitur *ἀνάθριξ*, *h. e.* sursum versus crispus relicinus. Quod vero ad *Virg.* attinet, *Non.* 1, 126. legit *camerus*, et exponit obtortus; atque inde *camerae* appellationem derivat, quod non placet. *Macr. Sat.* 6, 4. *in f.* peregrinam vocem esse affirmat. ℙ *Camurum arcum* dixit *Prud. περὶ στεφ.* 12, 53. de arcu columnis imposito, *h. e.* de camera.

CĂMUS, i, m. *κημός*, et Dorice *καμός*, genus ferrei freni, quod non intra equi dentes immittitur, sed ori exterius circumdatur, teste *Polluce* 1, 10., dictum ex eo, quod *κημὸς* dicatur pars labiorum totum os ambiens, ut idem docet 2, 4., qua significatione traducitur ad notandum circulum quendam in superiori parte latum, in inferiori angustum, qui super os urnae imponitur, in quam calculi suffragiorum immittuntur, ad similitudinem coli, quo vina percolantur, ne calculi foras decidant, ut ex eodem *Poll.* 8, 5. et ex *Schol. Arist. in Thesmophor. v.* 1040. colligimus. *Isid. Orig.* 20, 16. ait, esse frenum asperius, quo caballi superbi coerceri solent, et dictum esse a curvitate: *καμὸν* enim Graece curvum significare: sed non definit quodnam illud sit, et in assignanda etymologia prorsus fallitur. Adde locum hunc *Isid.* omissum fuisse a *Faustino Arevalo* in sua edit., quod spurium cognovit. ℙ Significat etiam nexum ligneum, vel ferreum, vel coriaceum, vel cannabinum, quo servorum nocentum colla constringuntur et gravantur. *Acc.* ap. *Non.* 3, 64. Quid cesso ire ad eam? hem praesto est, camo collum gravem. *Voss.* in *Etymol.* legendum putat, *praesto est, camo en collum gravem:* ut apertior sit sententia. Tribuunt etiam *Plauto Cas.* 2, 6, 37. Tu ut quidem hodie camum et furcam feras. Ita enim esse in vett. lib. testatur idem *Voss.* Passim tamen nunc *canem* legitur.

*CANA, ae, vel Cane, es, vel Canae, arum, f. oppidum Aeolidis, cum promontorio cognomine, contra Methymnam urbem Lesbi insulae, porrecto. *Liv.* 36, 45. et 37, 8. *Plin.* 5, 30., *Mela* 1, 18. [*apud *Strab. Κάναι* seu *Κάνη*, cf. *Palmer.* ad *Diod.* 13, 97.] V. CANNA. *B. A.*

CĀNA, orum, n. plur. V. CANUM.

[CĀNĂBA, et Canava, et Cannaba, ae, f. *κλωία*, baryca, calyba, seu tabernaculum temporarium stipitibus primum, viminibus, et culmo contextum, deinde etiam ex ligno factum, tegulisque coopertum, ad maris litus, et secus vias publicas exstrui solitum praetereuntium commodo et voluptati, qui ibidem bibendi et libidinandi causa consistebant. *E. Q. Viscont. Op. Var. T.* 2. p. 83. *ed. Mediol.* putat, vocem *canaba* deductam fuisse ex *καλύβη*, qua etiam Latini usi sunt (V. CALYBA.); quandoque enim Romani Graecorum *Λ* in *N* vertunt, ut a *γρυλλίζω* factum est *grunnio*, et saepissime *Γ* in *Λ* mutant. Has canabas *diversorias tabernas* vocat *Suet. Ner.* 27. Quoties Ostiam Tiberi defluueret, aut Bajanum sinum praeternavigaret, dispositae per litora et ripas diversoriae tabernae parabantur, insignes gancae et matronarum institorias operas imitantium, atque hinc inde hortantium, ut appelleret. Hactenus *Suet.* Progressu vero temporis non modo temporariae tabernae, in quibus tenuiarii caupones vinum viatoribus vendebant, sed etiam cellae ipsae vinariae, quibus vinum servabatur, quaeque nunc Itali *canove* seu *cantine* vocant, *canabae* sunt appellatae. *Inscr.* ap. *Grut.* 466, 7. L. Sentio Reguliano Eq. R. curatori corporis negotiat*orum* vinari*orum* Lugduni in canabis consisten*tium*. *August. serm.* 61. de tempore. Multa sunt, quae de horreo, canava, vel cellario aliquoties proferre non possumus. Adde et *Not. Tir.* p. 149. Caenaculum, canava. *Inscr.* apud *Fea, Framm. di Fast. Cons.* p. 77. Tegulas omnes et impensa de casulis, item cannabis et aedificiis idoneis adsigna Adrasto procuratori columnae Divi Marci, ut ad voluptatem suam hospitium sibi exstruat. Haec pertinet ad an. a Chr. n. 193. *F.*]

[CĀNĂBENSIS, se, adj. ad canabam pertinens, qui in canabis consistit. *Inscr. ap. Grut.* 73, 4. Fortunae Aug. sacrum, et Genio canabensium. *F.*]

CANĂBIS. V. CANNABIS.

CĀNĂBŬLAE, arum, f. plur. parvae canabae in viis privatis, et publicis stramine primum palcaque, aliquando ex lignea materia, aut etiam latericio opere exstructae, in quibus praetereuntes divertere solebant bibendi edendique causa, quaeque lapsu temporis pro finibus agrorum sunt habitae. Earum mentio est apud *Frontin.* aliosque gramaticos scriptores. *Auct. de limit.* p. 257. *Goes.* Variatio fluminum, rivorum cursus, canabulae, vel novercae, quae tegulis construuntur, observari debebunt. *Frontin. de colon.* p. 142. Eorum delimitatio est per rationem arcorum, vel riparum, vel canabularum, vel novercarum, quae tegulis construuntur. Alii leg. vel canalibus, et noverca; nullo idoneo sensu.

CĀNĀCE, es, f. *Καναάκη*, Aeoli filia, quae cum fratre Macareo corpore mixto puerum peperit, qui cum extra regiam ad educandum mitteretur, se ipse vagitu avo prodidit. Aeolus jussit puerum canibus objici: filiae ensem per satellitem misit, ut illo pro meritis uteretur. Illa sibi necem traditur conscivisse: Macareus fugit. Exstat hac de re *Ovidii* epistola inter Heroidas undecima. *Id. Trist.* 2, 384. Nobilis est Canace fratris amore sui. ℙ Apud eund. *Met.* 3, 217. est *canace*, vel *canache* nomen canis, a *καναχὴ*, sonitus, strepitus. Adde *Hygin. fab.* 181.

CANACHĒNUS, i, m. *Arnob.* 6, 207. Infiniti operis res esset, toto in orbe describere, quae sint fana convulsa terrae motibus, quae incensa ab hostibus, quae antistites et sacerdotes ipsi suspicione aversa nudaverint; quae ad ultimum fures, et obserata pandentes tenebrarum obscuritate canacheni. [*J. C. Orellius* in adnot. ad hunc *Arnob.* loc., putat *canachenos* dictos fuisse fures in domos irrumpentes, portasque et januarum claustra effringentes, a *καναχὴ*, strepitus: at idem in *Appendice* ad eund. *Arnob.* eorum potius sententiam probat, qui existimant hac voce significari fures clandestinos, et *canabeni* legendum, nimirum ab Hebr. גַּנָּבִים *gannabim*, fures, vel *saraceni* ab Arab. ﺳﺮﻗ *sarak*, furatus est. *F.*]

*CANĂCHUS, i, m. statuarius quidam, Sicyonius, de quo *Cic. Brut.* 18. *Plin.* 34, 8. et 36, 5. Ejus signa (ait *Cic.*) rigidiora fuerunt, quam ut imitarentur veritatem. *B. A.*

CANĂCIUS. *Appul. Flor. n.* 16. Plenius gratias, canaciusque libro mandabo, *h. e.* sonantius, et verbis valde significantibus, ut sit adverbium comparativum, a *canaciter*, et hoc a *canax*, *acis*, a *cano*, *is.* Ita legitur apud *Elmenhorst.* p. 357. Sed apage monstrum verbi. Legendum enim cum *Schioppio* et aliis: *Plenius gratias canam, ociusque libro mandabo*, vel cum *Oudendorpio:* Plenius gratias Graecatiusque libro mandabo.

*CANAE, arum, oppidum ad Sinus Arabici ostium. *Mela* 3, 8. V. CANA. *B. A.*

CĂNĂLĬCIUS. V. CANALIENSIS.

[CĂNĂLĬCLĀRĬUS, ii, m. qui canaliculas fabricatur. *Inscr.* ap. *Nardini*, *Roma ant. T.* 1. p. 203. (ed. *Ant. Nibby*) Genio sancto castrorum Peregrinorum Aur. Alexander canaliclarius. Hujus vocis auctoritatem confirmat alia Graeca *Inscr.* ap. *Boweyr*, *Miscellaneous*, *Tracts. London.* 1785. p. 153. *Ἀγ. Δομιτίνου καναλικλαρίου. F.*]

CĂNĂLĪCOLA, ae, m. Canalicolae forenses, teste *Festo*, dicti sunt homines pauperes, quod circa canales fori consisterent. *Scaliger* monet, di-

cendum fuisse *circa canalem*, non *canales*. Fuit enim locus in Foro Romano *Canalis* dictus, de quo ita *Pl. Curc.* 4, 1, 14. In infimo foro boni homines, atque dites ambulant: In medio propter Canalem ibi ostentatores meri. Sed quid fuerit ille *Canalis*, non satis constat. Quidam intelligunt viam demissiorem in foro, canalis instar excavatam: alii fossam, quae corrivatas aquas acciperet, et in cloacam immitteret: quo pertinet illud *Tert. Pall.* 5. Ego nihil officio advigilo, nulla rostra praeoccupo, nulla praetoria observo, canales non odoro, cancellos non adoro, subsellia non contundo. Ita enim *Salm.* legit ex veterib. lib. Nam aliae editiones *canales non odoro* omittunt. Alii denique suspicantur, ita aliquando appellatos fuisse ipsos fori cancellos, ad quos viliores homines starent, dum judicia exercebantur. Ceterum *Gellio* quoque vocem *canalicola* eruditi restituunt, 4, 20. Qui jurabat, cavillator quidam, et canalicola, et nimis ridicularius fuit. Quidam leg. *canicula*, et interpretantur hominem mordacibus dictis utentem.

CANĂLĬCŬLA, ae, f. *σωληνίσκος*, parvus canalis. *Varr. R. R.* 3, 5. Quibus aqua ministratur per canaliculam. *Gell.* 17, 11. Duas esse quasi canaliculas quasdam, vel fistulas etc. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 3, 50.

CANĂLĬCŬLĀTIM. V. CUNICULATIM.

CANĂLĬCŬLĀTUS, a, um, adj. in canaliculorum modum cavatus. *Plin.* 19, 7, 36. Semina quibusdam angusta, et canaliculata, ut cumino; *στενὰ, καὶ γραμμώδη*, habet *Theophrast. Hist.* 7, 3. Rursus *Plin.* 27, 9, 55. Herba foliis ad radicem canaliculata.

CANĂLĬCŬLUS, i, m. *σωληνάριον*, parvus canalis. *Vitr.* 10, 14. *in f.* Emittere per canaliculum. *Colum.* 8, 15. Perpetuus canaliculus humi depressus construatur, per quem mixti cum aqua cibi decurrant. ℙ Est etiam, quo ossa luxata continentur, ut in suam sedem redeant. *Cels.* 8, 2. *in f.* Potest conditus articulus canaliculo aliquo contineri. ℙ Item cavitas longa, securiclata, in catapultis, per quam epitoxidis musculus movetur, Graece *οὐρίγξ*. *Vitr.* 10, 15. ℙ Est etiam in triglyphis cavitas inter strias, Italice *scanalature*. *Vitr.* 4, 3. Triglyphorum latitudo dividatur in partes sex, ex quibus quinque partes in medio, duae dimidiae dextra ac sinistra designentur: regula una in medio deformetur femur, secundum eam canaliculi ad normae cacumen imprimantur.

CANĂLĬENSIS, e, et Cănălĭcĭus, a, um, adj. ad canalem pertinens. *Canaliense*, et *Canalicium aurum* dicitur, quod puteis foditur, quoniam ejus metalli venae, tanquam canales, vagantur per latera puteorum huc illuc. *Plin.* 33, 4, 21.

CANĂLIS, is, f. et m. *σωλήν*, alveus, tubus, fistula, meatus, per quem aqua deducitur. *Virg. G.* 3, 330. Currentem ilignis potare canalibus undam. *Sever. Aetna* 127. Quod si diversas emittat terra canales Hospitium fluviorum. *Varr. R. R.* 3, 5. Aquam per canales angustas serpere. *Vitr.* 8, 7. Ducere aquam per canales structiles. *Caes. B. C.* 2, 10. Aqua canalibus immissa. *Suet. Claud.* 20. Per tria passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit. *Stat. Silv.* 1, 2, 205. *de Acheloo.* Flumina demerso trahit intemerata canali. *Plin.* 6, 22, 24. Mare interest vadosum, sed certis canalibus ita profundum, ut nullae ancorae sidant. *Id.* 33, 4, 21. *de aurifodinis.* Vagantur hi venarum canales per latera puteorum. *Id.* 8, 10, 10. asperam arteriam, per quam spiritus ducitur, *canalem animae* appellat. Et *Celsus* 4, 1. *s. f.* cervicem vulvae. ℙ De canali in Foro Romano, de quo *Pl. Curc.* 4, 1, 14. V. CANALICOLA. ℙ Quem dicit *Liv.* 23, 31. canalem inter aedes Mentis, et Veneris Erycinae in Capitolio, fossam intellige in modum canalis excavatam. ℙ Dicitur etiam *canalis* instrumentum illud concavum, in quo chirurgi ossa fracta reponunt, ut coalescant. *Cels.* 8, 10. Ubi crus deligatum est, in canalem conjiciendum est. Is canalis ab inferiori parte foramina habere debet etc. ℙ In architectura *canalis* dicitur a *Vitr.* 3, 3. cavum illud in voluta Ionica, quod post abacum incipiens usque ad oculum circumagitur. ℙ Translate. *Plin.* 11, 37, 55. Cornea pupilla, cujus angustiae aciem velut canali dirigunt. *Appul. Met.* 6. Canale directo pergere, *h. e.* recta via. (Adde *ib.* 9.) *Gadullius Gallicanus* ap. *Non.* 3, 50. Ego vero confiteor, certo canali cuncta decurrere, *h. e.* certa via ac ratione. ℙ Est etiam instrumentum olearium; quid tamen sit, prorsus ignoramus. *Colum.* 12, 50. Oleo autem conficiendo molae utiliores sunt, quam trapetum; trapetum, quam canalis, et solea. ℙ *Serv. ad cit. G.* 3. docet hanc vocem melius feminino, quam masculino genere proferri. Quod an verum sit valde dubito. Frequentius enim in masculino usurpatam legi.

CĂNALIS, le, adj. canarius, caninus. *Pl. Poen.* 5, 2, 54. Ligulas canales ait se advexisse, et nuces, *h. e. fortasse* ligulas ex corio canis, quibus calceos religabant. Alii alia.

†CANAMA, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *ed. Hard. B. A.*

[CANAMENSIS, se, adj. ad Canamam pertinens. *Inscr.* ap. *Mur.* 1096, 2. Lintrarii Canamenses, Oducienses, Naevienses. *F.*]

[CANAPITĂNUS, a, um, adj. ad Canapium pertinens, urbem Africae proconsularis, quae municipium dicitur in Actis Concilii Lateranensis apud *Hard. Conc. T.* 3. p. 750. *Plin.* 5, 4, 4. Oppida libera Canapitanum, Mezitanum. Perperam in editionibus leg. *Canopitanus. F.*]

CĂNĂRĬUS, a, um, adj. ad canes pertinens. *Plin.* 18, 3, 3. *ex commentar. Pontif.* Augurio canario agendo dies constituantur, priusquam frumenta vaginis exeant, *h. e.* sacrificio, quod rufa cane fiebat Robigo Deo ipsis Robigalibus diebus, ad placandam Caniculae sideris saevitiem; cujus rei tum *Fest.* in *Catularia*, et in *Rutilae*, tum *Ov. Fast.* 4, 935., tum *Colum.* 10, 342. testes sunt. ℙ *Canaria lappa* genus est *lappae*, cujus vires in medicina *Plin.* 24, 19, 116. recenset. ℙ *Canaria herba* est, qua canes fastidium deducunt, eamque in nostro conspectu mandunt, sed ita ut nunquam intelligatur quae sit: etenim depasta cernitur. Haec *Id.* 25, 8, 51., ubi *Hard.* notat esse gramen ipsum, quod Graece *ἄγρωστις* dicitur. ℙ *Canaria insula* una ex iis, quae Fortunatae dicuntur, in Atlantico mari, dicta est a canibus ingentis magnitudinis ibi repertis. *Id.* 6, 32, 37. ℙ Ab ea etiam reliquae Fortunatae *Canariae* dictae sunt. *Arnob.* 6, 192. ℙ *Canarii, orum*, populi sunt circa Atlantem in Mauritania, *κυνοφάγοι, h. e.* caninis carnibus victitantes. *Plin.* 5, 1, 1.

*CANAS, Lyciae oppidum. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

*CANASTRAEUM, i, n. *Κανάστραιον*, Macedoniae promontorium, in peninsula Pallene, ad Sinus Toronaei ostium. *Liv.* 31, 45. ubi *Gron. Canastrum*, minus recte. Adde 44, 11. *Mela* 2, 3. *Plin.* 4, 10. *B. A.* [*Hodie quoque *Capo Canistro*, sed *Plaiur* in *Reichardi* tabula Turc. Europ.]

*CANATHA, ae, f. oppidum Palaestinae, idque Coeles Syriae, in reg. Decapolitana. *Plin.* 5, 18. *B. A.*

CANĂTIM, adv. *κυνηδὸν*, more canum. *Nigid.* ap. *Non.* 1, 190. Sunt etiam assimilanter dicta haec, canatim, suatim, bovatim, quae ab animalibus sumuntur.

*CANAUNA REGIO, in Arabia. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

[CĂNAX, acis, m. a *cano*, qui multum canit, ut loquax a loquendo. V. CANACIUS. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *E. Q. Viscont. Mon. Gab.* p. 15. C. Varinius Canax. *F.*]

CANCAMUM, i, n. *καγκαμον*, arboris est Arabicae lacrima, myrrham quandam referens, virosi gustus, ut ex *Dioscor.* 1, 25. colligitur. *Plin.* 12, 20, 44. Ex confinio casiae, cinnamique et cancamum, ac tarum invehitur.

CANCELLĂRĬUS, ii, m. qui ad cancellos januae cubiculi assistit. Olim enim imperatorum ac procerum cubicula, qua patebant, non tantum vela ad fores, sed et cancellos habebant, seu fenestratas januas, ut *Cassiod.* 11. *Variar. ep.* 6. appellat. His igitur qui praefecti erant, non solum *a velis*, et *a cancellis*, sed etiam *velarii*, et *cancellarii* appellabantur; quorum munus erat stare pro foribus, et admissiones curare. Iidem igitur erant ac ostiarii. Quam ob causam *Vopisc. Carin.* 16. eum reprehendit, quod unum ex cancellariis praefectum Urbi fecisset. V. etiam *Sidon. ep.* 1, 2. ℙ Horum tamen aliquos non tantum ostiarios fuisse, colligitur ex *Agathia*, qui *l.* 1. *de gestis Justin.* narrat, cancellarios istos *τὰ ἀρχεῖα*, archiva scil. Narsetis curasse. ℙ Etiam tribunalia habebant cancellata septa, quibus excludebantur turbae, atque iis praepositi item cancellarii dicti: quorum aliqui judicibus scribendo navabant operam. De his multa *Cassiod. l. c.* Digniores tamen erant quam scribae; eoque munere fungi etiam soliti, quo ii, qui *a secretis* dicuntur apud nos. Qui his omnibus praeerat, hodie *καὶ ἐξοχὴν* cancellarius, olim quaestor Sacri Palatii dicebatur, et in Constantinopolitana Aula *ὁ μέγας λογοθέτης*. *Inscr.* ap. *Grut.* 647, 6. Cancellarius et scriba. Vide *Casaub.* et *Salm.* in *Vopisc. Carin. l. c.* et alios. Nos enim rem leviter attigimus, quae ad sequiora tempora nimis prope accedit.

CANCELLĀTIM, adv. *διὰ κιγκλίδων*, in modum cancellorum. *Plin.* 7, 20, 19. Militem Magni Pompeji et rectos et transversos cancellatim toto corpore habuisse nervos. *Id.* 9, 33, 52. Testae distinctione virgulata, crinita, crispa, cuniculatim, pectinatim divisa, cancellatim reticulata. *Id.* 11, 37, 79. Venter terrestrium aliis denticulatae asperitatis, aliis cancellatim mordacis. V. CANCELLI.

CANCELLĀTIO, onis, f. limitatio, vel metatio agrorum. *Front. De colon.* p. 109. *Goes.* Ager Buxentinus assignatus in cancellatione limitibus maritimis. Adde *Sicul. Fl.* p. 16. ℙ Fortasse ita dicta est, quia hujusmodi termini in cancellorum morem infixi erant. Alii aliter interpretantur.

CANCELLĀTUS, a, um, part. a *cancello*, in cancellorum morem implexus. *Plin.* 8, 10, 10. *de elephantis.* Setarum nullum tegumentum, ne in cauda quidem praesidium abigendo taedio muscarum, sed cancellata cute. *Id.* 9, 33, 52. eodem sensu *cancellatim reticulatus* dixit. *Id.* 9, 51, 75. Polypus femina modo in ovis sedet, modo cavernam cancellato brachiorum implexu claudit. ℙ Est etiam idem ac deletus, quia decussatis et implexis lineolis scripta delere solemus. *Paul. Dig.* 47, 2, 84. Tabulae, cautionesve cancellatae. *Scaevola ib.* 2, 14, 47. Omnes cautiones vanae et pro cancellatis habentur.

CANCELLI, orum, m. plur. *κιγκλίδες, δρύφακτος*, septum ex rectis et obliquis lignis, aut ferramentis modicoque intervallo distinctis contextum, quo fenestrae, januae, scenae, tribunalia muniri eorumque aditus praecludi solent. *Cic. Sext.* 58. Tantus est ex fori cancellis plausus excitatus, ut etc. *Varr. R. R.* 3, 5. Perticae inclinatae et in eis transversis gradatim modicis intervallis perticis annexis, ad speciem cancellorum scenicorum ac theatri. *Colum.* 8, 17. Rivis, per quos exundat piscina, praefigantur aenei exiguis foraminibus cancelli, quibus impediatur fuga piscium. ℙ De cancellis aedium privatarum mentio fit ab *Ulp. Dig.* 30, 41. et ab *eod.* 33, 7, 12. 26. Cancellos etiam fenestrarum nominat *August. Trin.* 11, 2. ℙ De iis vero, qui in gradibus ac sedilibus Circi, insignis locus est ap. *Ov. Am.* 3, 2, 64. ℙ In singulari numero *Ulp. Dig.* 43, 23, 9. Si sera vel clavis vel specularium vel cancellus sit ablatus. ℙ In cute elephantorum *cancelli* dicuntur a *Plin.* 8, 10, 10. parvae cavernulae quadratae, instar cancellorum dispositae et limam ferrariam referentes, quibus in rugas repente arctatis muscas deprehensas elidunt. ℙ In agris *cancelli* sunt quoddam limitum genus: unde *cancellatio. Gloss. vet. Χαράδρα*, cancellus. *Cass.* ap. *Du Fresne* in *Gloss.* Intra Tusciae cancellos. ℙ Translate. *Cic. Quint.* 10. Me facile revocabitis, si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circumdedi. *Id. Or.* 1, 12. Esse quasdam oratorum proprias sententias atque causas et certarum rerum forensibus cancellis circumscripta scientia. *Hirt. B. Afr.* 15. Caesaris copiis in orbem compulsis, intra cancellos omnes conjecti pugnare cogebantur.

CANCELLO, as, a. 1. in cancellorum modum struo. *Colum.* 4, 2. Vitis, quae toto prostrata corpore, cum inferius solum quasi cancellavit atque irretivit, cratem facit etc. ℙ Significat etiam delere, quod multis cancellatim ductis lineis fieri solet. *Ulp. Dig.* 28, 4, 2. Cancellare testamentum. *Modest. ib.* 22, 3, 24. Cancellare chirographum.

CANCER, cancri et canceris, m. *καρκίνος*, piscis crusta munitus, pedibus octonis in obliquum flexis et praeterea binis brachiis in denticulatas forcipes desinentibus: cum incedit, transversim fertur: in pavore autem etiam retrorsum pari velocitate ac prorsum, redit. Cancrorum marinorum varia genera recenset *Plin.* 9, 31, 51. Sunt enim et fluviatiles, quorum meminit *Id.* 19, 10, 58. et alibi et *Pallad.* 1, 35. et alii, qui et *cammari* dicuntur. *Pl. Ps.* 4, 1, 45. Non prorsus, verum ex transverso cedit, quasi cancer solet. *Virg. G.* 4, 48. neve rubentes Ure foco cancros. *Plin.* 32, 10, 46. Carbunculos et carcinomata sanari tradunt cancro femina cum salis flore contuso. ℙ Est etiam unum ex duodecim signis, per quae sol annuo spatio decurrit, de quo narrat *Hygin. Astron.* 2, 23. cum Hercules contra hydram Lernaeam constitisset, cancrum ex palude pedem ejus momordisse, (unde *Lernaeus* cognominatur a *Colum.* 10, 313.) et ab Hercule interfectum fuisse: Junonem autem valde Herculi infensam, in sidera transtulisse. Alii ideo *cancrum* appellari id signum putant, quod sol, eo cum pervenerit, cancri more incipiat retro cedere, ut est ap. *Macr. Sat.* 1, 17. *ad f.* Constat, secundum *Hyg. ib.* 3, 22., stellis septemdecim, quarum duae *Aselli* dicuntur, de quibus suo loco dictum est. Ingreditur sol Cancri signum X. Cal. Jul. et tunc solstitium aestivum dies longissimos facit. *Colum.* 10, 313. Hauserit et flammis Lernaei brachia Cancri. *Lucr.* 5, 616. *de sole.* Canceris ut vertat metas ad solstitiales. *Lucan.* 10, 259. Calidi tetigit cum brachia cancri. ℙ Praeterea *cancer* dicitur ulcus pessimae naturae, lividum, putridum, quod ad cutem erumpit, carnem consumit, serpitque vorando et insanablile aliquando est. *At L. Targa* in *Lex. Cels.* p. 27. affirmat, id, quod ab Italis *canchero*, a Graecis *καρχῖνος*, a Latinis *carcinoma* appellari. *Cels.* 5, 26. *n.* 31. Omnis autem cancer non solum id corrumpit, quod occupavit, sed etiam serpit. *Id.* 6, 18. n. 3. Exciso cancro vulnus esse adurendum. *Cato R. R.* 157. *de brassica.* Eadem vulnera putida canceresque purgabit sanosque faciet. *Cels.* 4, 15. *ad f.* Valens est etiam adversus cancerem intestinorum. Est qui legit *adversus ulcera.* At *L. Targa* ad *h. l.* haec verba uncis inclusit, quod illi pluribus de causis suspecta sint. *Arnob.* 1. p. 30. Contumacia canceris saevi. ℙ Denique *Fest.* docet, *cancros* dictos esse ab antiquis, quos nunc per deminutionem cancellos dicimus. Quo pertinere putant illud *Appul. Met.* 6. Meas manus incidisti et inter Orci cancros jam ipsos adhaesisti. Sed *Appul.* potuit alludere etiam ad brachia cancrorum, forcipis more, quid-

quid attigerint, constringentia: nam *l.* 7. etiam Orci manus et Orci fauces dixit. ℙ Cancer pro morbo etiam neutro genere usurpatum legitur. *Claud. in hist.* 4. ap. *Prisc.* 6, 697. Quod verminatione ad cancer pervenerit. *Scrib. Compos.* 240. Hoc medicamentum cancer non patitur serpere. Adde *ib.* 206.

CANCĔRĀTĪCUS, a, um, adj. ad cancrum morbum pertinens. *Veg. Veter.* 2, 43. Canceraticus foetor, καρκινώδης.

CANCĔRO, as, n. 1. cancri ulcere putresco. *Appul. Herb.* 36. Ad vulnera etiamsi canceraverint. *Plin. Val.* 1, 10. et *Marc. Empir.* 9. Prodest etiam, si intrinsecus canceraverit auris.

CANCĔRŌMA, ātis, n. καρκίνωμα, idem quod cancer, qua ulcus significat. *Appul. Herb.* 19. Ad canceromata, quae in naribus nascuntur. Adde *ib.* 31.

*CANCHLAEI vel Canchlei Arabes, Catabanis vel Scenitis Arabibus ab Oriente juncti, memorantur a *Plin.* 5, 11. *B. A.*

CANCRĔMA, atis, n. idem quod canceroma. Habetur ap. *Veg. Veter.* 2, 22. *ad f.*, si modo salva est lectio. Omnes editiones *Vegetii* habent cum aspiratione *canchremata*. Si oculus ictu vulneris insanabilis redditur et, ut mulomedici dicunt, canchremata fecerit. V. v. seq.

[CANCRŌMA, atis, n. idem ac canchrema, *Veg. Veter.* 4, 19. Refrigeratoque melle ad cancromata et plagas, vel famices ad cicatricem reducendos uteris. Sic habetur in ed. *Schneideri*, vulgo vero *ad cancromatas plagas;* quin immo etiam superius *canchremata* in *cancromata* mutandum videtur. *Salv. adv. Avar.* 1. p. 232. Si plagas cancroma sequitur, cancrum necesse est consequatur occasus. *F.*]

*CANDACE, es, f. Aethiopum regina, tempore Augusti, maximi animi mulier, tantique in suos meriti, ut omnes deinceps Aethiopum reginae ejus nomine fuerint appellatae. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

CANDĂCUS, a, um, adj. *Varr. L. L.* 6, 6. tradit, hanc vocem usurpatam fuisse a *Naevio* et significare suavem, *tametsi* a magistris exponatur *mansuetus*. Sed *Scal.* in *Conject.* docet, manifesto legendum esse *clucidatus* vel *glucidatus*, quod *Festus* interpretatur *dulce* et *suave;* a Graeco γλυκύς. *Auson.* vero *Popma* legit *saudatus* atque idem esse putat, quod *sedatus*. Sed haec omnia solis conjecturis fulciuntur atque adeo incerta admodum sunt.

CANDĂVĬĂ, ae, f. regio est Albaniae, in qua sunt montes eam a Macedonia et Thessalia disterminantes. *Lucan.* 6, 331. qua vastos aperit Candavia saltus. Adde *Cic. Att.* 3, 7. et *Plin.* 3. 23, 26.

CANDĔFĂCĬO, is, eci, actum, a. 3. λευκαίνω, candidum facio. *Una opera ebur atramento candefacere* proverbio dicitur a *Pl. Most.* 1, 3, 102. de eo, qui rem aliquam, dum exornare aut perficere vult, corrumpit. ℙ Significat etiam ignitum facere, πυρακτέω. V. CANDEFIO et v. seq.

CANDĔFACTUS, a, um, part. a *candefacio*, candidus factus. *Gell.* 6, 5. Argentum putum dictum est, quasi exputatum excoctumque omnibusque ex eo vitiis detractis emaculatum et candefactum. ℙ Item ignitus, inflammatus, καπάπυρος. *Plin.* 34, 8, 20. Aes inter lapides candefactos. *Id.* 25, 10, 76. Rubetae patinis candefactae. *Cels.* 6, 8. Atramentum sutorium candefactum.

CANDĔFĬO, is, candens fio. *Plin.* 33, 3, 26. Aurum marmori et iis, quae candefieri non possunt, ovi candido illinitur.

CANDĔLA, ae, f. λύχνος: etymon deducendum ex candore luminis vel a verbo *candeo* (V. CANDEO.); fax ex funiculo vel scirpo, pice aut cera aut sebo vestitis. Ex totidem enim materiis candelas factas legimus. Etiam papyrus in hunc usum adhibita legitur ap. *Serv.* ad *A.* 1, 731., sed hoc non est intelligendum de papyro Aegyptia, ex qua charta fiebat, sed de nostrate, quae eadem planta est ac scirpus, ut *Salmas.* in *Exercitat. Plin.* p. 1003. et *Hard.* ad *Plin.* 16, 37, 70. adnotarunt. Detracto enim cortice e scirpo, interiorem materiem illinebant cera, eaque funalium loco utebantur. *Varr.* ap. *Serv. ib.* Facibus aut candela simplici aut ex funiculo facta, cera vestita, quibus ea figebant, appellarunt funalia. (*Candelam simplicem* appellat virgulam scirpeam. Eodem modo intelligendum est illud *Serv. ib.* Candelabra, quibus affigi solebant vel candela vel funes pice delibuti.) *Juven.* 3, 184. Me, quem luna solet deducere vel breve lumen Candelae, cujus dispenso et tempero filum. *Colum.* 2, 22. Sebare candelas. ℙ *Candelam apponere valvis* ap. *Juven.* 9, 98. est facem subdere incendendi causa. ℙ *Candelae* erant pauperiorum, sicut lucernae divitum. Colligitur hoc ex *Mart.* 14, 40. ubi *candelam* lucernae ancillam appellat: item ex *epigr.* 43. et ex *Juven. l. c.* ℙ Maximus earum usus et in funeribus, prorsus ut hodieque fit. *Plin. l. c.* E scirpis detracto cortice, candelae luminibus et funeribus serviunt. *Pers.* 3, 103. Hinc tuba, candelae; tandemque beatulus alto Compositus lecto etc. ℙ Quod *Cass. Hemina* ap. *Plin.* 13, 13. narrat de *lapide quadrato vincto candelis quoquoversus* et de eadem re *Liv.* 40, 29. verba faciens, duos fasces memorat *candelis involutos*, intelligendi sunt funiculi cera delibuti, quo diutius vetustatem ferrent. Quod vero *Vitr.* 7, 9. et *Plin.* 33, 7, 40. tectorium, in quo miniacea expolitio facienda est, cera Punica induci et ille *candela linteisque puris;* hic *candelis ac deinde linteis puris subigi* jubent vel eosdem funiculos intelligunt vel virgulas cera illitas ad similitudinem virgarum scirpearum, quae cera obductae accendebantur ad lumen faciendum.

CANDELABER et CANDELABRUS. } V. CANDELABRUM.

CANDELĂBRĀRĬUS, ii, m. candelabrorum artifex. *Inscr.* ap. *Mur.* 945, 8. Ti. Claudius Primigenius candelabr. *Alia* ap. *Don.* 316, 2. Fl. Aquilio Hedoni candelabrario.

CANDĔLĂBRUM, i, n. κηροπήγιον, instrumentum, in quo candelae infiguntur. *Cic. Verr.* 2, 4, 26. Candelabrum aeneum. Et *ib.* 28. e gemmis clarissimis, opere mirabili perfectum. *Petr. Sat.* 95. ligneum. *Quint.* 6, 3. humile. *Vitr.* 7, 5. Candelabra aedicularum sustinentia figuras. ℙ In masculino genere *Caecil.* ap. *Non.* 3, 74. Candelabrum ligneum ardentem. *Petr. fr. Tragur.* 75. *Burm.* Tam magnus ex Asia veni, quam hic candelabrus est. ℙ Etiam *candelaber* olim usurpatum fuit, ut testatur *Arnob.* 1. p. 36., ubi varias Gentilium stribligines enumerat.

CANDĔLĬFER, a, um, adj. candelam ferens. Diana, quae eadem est ac Lucina, parientium praeses, dicta est *candelifera*, quia ad candelae lumina puerperae fiunt. *Tertull.* ad *Nation.* 2, 11.

CANDENS, entis, part. verbi *candeo*, λευκὸς, albus, candidus, sed cum splendore. *Virg. A.* 9, 563. Candenti corpore cycnus. *Id. ib.* 5, 236. Candens taurus. *Id. ib.* 6, 896. elephantus, *h. e.* ebur. *Hor. Sat.* 1, 5, 26. Impositum saxis late candentibus Anxur. *Id. Ep.* 1, 29. superni villa candens Tusculi, *h. e.* candido marmore exstructa. *Lucr.* 1, 258. candens lacteus humor. *Tibull.* 4, 1, 65. Queis nunquam cadente dies apparuit ortu, *h. e.* aurora, cujus primum lumen multum candoris habet. Sic *Vitr.* 9, 4. Candens luna. ℙ Quia vero ea maxime splendent, quae ignita sunt, hinc saepe *candens* idem est ac ignitus, inflammatus, accensus, πεπυρωμένος, καπάπυρος. Hinc *Gell.* 17, 10. ex Phavorino docet, quam dixit *Virg. A.* 3, 573. *candentem favillam*, proprie significare igneam et relucentem, improprie autem et pervulgate ferventem: *candens* enim a *candore*, non a *calore* dictum est. *Cic. Off.* 2, 7. Candenti carbone capillum adurere. *Auct.* ad *Her.* 4, 46. Taedae candentes. *Hor. Ep.* 1, 15, 36. Lamna candens. *Lucr.* 6, 147. ferrum. *Id. ib.* 1196. lumen solis. *Val. Fl.* 3, 481. Candentior Phoebus. *Solin.* 52. Sidus candentissimum. ℙ Dicitur etiam de iis, quae sine splendore fervent. *Colum.* 7, 5. Candens sevum vulneri per ardentem taedam instillato. Et 12, 53. Glabrare sues aqua candente. *Sil.* 9, 502. Candentes globi arenae.

CANDENTĬA, ae, f. λευκότης, splendida albedo. candor. *Vitr.* 9, 4. Candentia lunae. V. CANDENS.

CANDĔO, es, ui, n. 2. λευκαίνομαι, candidus sum: et dicitur saepe de iis, quae candori adjunctum splendorem habent. *Ov. A. Am.* 2, 440. Ut levis absumptis paulatim viribus ignis Ipse latet, summo candet in igne cinis. Al. leg. *canet. Manil.* 1, 753. *de via lactea.* An major densa stellarum turba corona Contexit flammas et crasso lumine candet. *Claud.* 1. *Cons. Stilich.* 2, 448. Hic ferrata rigent, illic argentea candent. [*Derivatum esse dicit *Döderl.* l. l. 3, 193. sqq. *candere* a *canere* sicut *ardere* ab arere.] ℙ Item de iis, quae ignescunt et flagrant, αὔω. *Ov. Met.* 1, 119. Tum primum siccis aer fervoribus ustus Canduit. *Colum.* 1, 4. *ad f.* Sunt loca, quae tepent hieme, sed aestate saevissime candent. ℙ Item de iis, quae igneo colore splendent. *Hor. Sat.* 2, 6, 102. rubro ubi cocco Tincta super lectos canderet vestis eburnos. ℙ Translate *Claud. Cons. Mall. Theod.* 225. cum viscera felle Canduerint, *h. e.* ira inflammata fuerint. ℙ Alia huc pertinentia V. in CANDENS.

CANDESCO, is, n. 3. λευκαίνομαι, candidus fio, albesco. *Ov. Met.* 6, 47. ut solet aer Purpureus fieri, cum primum aurora movetur, Et breve post tempus candescere solis ab ictu. *Tib.* 1, 11, 43. caput candescere canis. ℙ Item accendor, inflammor, ignesco. *Lucr.* 1, 490. Ferrum candescit in igne. *Ov. Met.* 2, 230. *de Phaethonte.* currusque suos candescere sentit. *Vitr.* 7, 9. *ad f.* Ad ignem collocetur, donec lamna candescat.

CANDĒTUM, i, n. genus mensurae agrorum. *Colum.* 5, 1. Galli candetum appellant in areis urbanis spatium centum pedum; in agrestibus autem pedum centum quinquaginta. Ap. *Var. Auct. de limitib.* p. 292. *Goesii*, et *Isid. Orig.* 15, 15. legitur, *candetum* dictum esse quasi *centetum*, quod centum pedes contineat: sed haec notatio inepta est.

CANDĪCANS, antis, part. a *candico*, albidus, albicans. *Plin. prooem.* 3. Frequentes taeniae candicantis vadi carinas territant. *Id.* 11, 16, 16. *de rege apum.* In fronte macula quodam diademate candicans. *Id.* 18, 35, 82. Nube gravida candicante, grando imminebit. *Id.* 12, 13, 29. Cardamomum e rufo candicans. *Id.* 37, 10, 60. Gemma e fulvo candicans.

CANDĪCANTĬA, ae, f. candicans color. *Plin.* 37, 13, 76. Gemmae ficticiae scarificationis candicantiam fugiunt. *Hard.* ex MSS. legit *scarificationes candicantium fugiunt.*

CANDĪCO, as, n. 1. λευκόομαι, albesco, candorem habeo. *Scrib. Compos.* 237. Ulcus candicat. *Plin.* 37, 11, 73. Polyzonos nigra multis zonis candicat. Adde 34, 12, 32. *Capell.* 1. p. 19. Ipsius canities pruinosis nivibus candicabat.

CANDIDĀRĬUS, a, um, adj. *Pistor candidarius* in *Inscr.* A. Chr. 44. ap. *Mur.* 304, 3. est, qui panem candidum facit: de quo *Juven.* 5, 70. Sed tener, et niveus, mollique siligine factus Servatur domino. ℙ *Candidarius* dicitur ea forma, qua *pistor dulciarius.*

CANDIDĀTORĬUS, a, um, adj. ad candidatum pertinens. *Cic. Att.* 1, 1. Nos in omni munere candidatorio fungendo summam adhibebimus diligentiam.

CANDĪDĀTUS, a, um, adj. candidis vestibus indutus, λευκανθείς, λευκοφόρος. *Pl. Cas.* 2, 8, 10. At candidatus cedit hic mastigia. *Id. Rud.* 1, 5, 12. Mulieres candidatae. *Suet. Aug.* 98. Vectores nautaeque candidati coronatique. *Appul. Met.* 9, Farinulento cinere sordide candidatus. ℙ *Candidatus, i,* est qui honores petit, quia apud Romanos nemo ad magistratum aspirabat, quin candida toga (hoc est ad nativum lanae colorem addita creta: ex quo *cretata ambitio* ap. *Pers.* 5, 177.) indutus, dum populi suffragia per ambitionem captabat, conspiceretur. Eo itaque vestitu circuibant Tribus, prensabant, se submittebant obvio cuique, osculabantur etc., quasi significantes, se non pecunia, aut aliis illecebris munitos, sed pure ac sincere, solaque fretos virtute ad honores accedere. *Cic. Att.* 1, 1. Nemo est ex iis, qui nunc petunt, qui si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur. *Id Pis.* 23. Officiosissima natio candidatorum. *Id. Mur.* 27. Candidatus praetorius et consularis, *h. e.* praeturam et consulatum petens. *Id. Q. Fr.* 2, 15. *ad f.* Candidati tribunicii. *Suet. Tib.* 42. quaesturae. *Id. Vesp.* 2. aedilitatis. *Sen. Benef.* 7, 28. sacerdotii. In *Epit. Liv.* 1, 69. consulatus. ℙ *Candidata, ae,* f. *Quint. Declam.* 252. *ad f.* Qui candidatam sacerdotii rapuit. ℙ *Extrahere candidatos* ap. *Sen. Tranquill.* 3. est ad petendum producere, adesse, suffragari, eisque vocem ac manum accommodare, ut *Id. ep.* 8. loquitur. ℙ *Candidati principis*, vel *Caesaris* primo dicti sunt, quos princeps ipse populo commendabat, et pro iis nonnunquam civiliter prensare solebat, ut factum est aliquoties ab Augusto, teste *Suet. Aug.* 56. Hi admodum negligenter petere solebant, utpote qui subnixi favore principis, cujus commendatio maxime valebat ad dignitates obtinendas, praesertim ex quo comitia cum populo C. Jul. Caesar partitus fuerat, ut est ap. eund. *Suet. Caes.* 41 Hinc ambiguum illud festive dictum in quendam, qui pilam negligenter petebat, ap. *Quint.* 6, 3. *Sic petis tanquam Caesaris candidatus.* De hujusmodi candidatis exemplum habes apud *Vellej.* 2, 124. ℙ Sublatis postea omnino populi comitiis, totaque eligendorum magistratuum potestate ad principes translata, *candidati principis* dicti sunt quaestores quidam, qui solis libris principalibus, hoc est epistolis, decretis, orationibus in senatu legendis vacabant, ut *Ulp. Dig. tit.* 1, 13. qui est *De offic. Quaest.* docet; exstant etiam hac de re testimonia ap. *Tac. Ann.* 16, 27. et *Suet. Aug.* 65., *Ner.* 15. et *Tit.* 6. ℙ Hi dicebantur etiam *quaestores candidati*, ut legitur ap. *Suet. Claud.* 40. et in *Inscr.* ap. *Grut.* 352, 5. et 421, 3. Ratio autem hujus appellationis videtur esse, quia hujusmodi quaestores ita principi inserviebant, ut ejus commendationem sibi mererentur, et ad praeturam promoverentur; eratque eorum munus non tam quaestura, quam quoddam veluti praetoriae dignitatis petendae tirocinium. Ceterum et in aliis honoribus, candidatos se principis vocabant, qui ab eo vel commendabantur, (ut supra dictum est) vel provehebantur. Hinc honori sibi tribuebat C. ille Popilius C. F. Quir. Carus, quod *D. Hadriani Aug. in omnibus honoribus candidatus* fuisset, ut in *Inscr.* ap. *Grut.* 457, 6. legitur. ℙ *Candidati* fuerunt etiam in militia. Ita enim appellati sunt, qui prae ceteris staturae proceritate et fortitudine commendabantur, pugnabantque circa imperatoris personam, quo ei se commendarent, testem virtutis habentes; ut fidentius altiores militiae gradus petere possent. *Veget. Mil.* 2, 7. *in f.* principales milites fuisse dicit, quique variis privilegiis muniebantur. *Ammian.* 15, 5. Laniogaiso vetante, nunc tribuno, quem dum militaret candidatus, solum adfuisse morituro Constanti, supra retulimus. *Vales.* ad hunc locum docet, duas fuisse in militia candidatorum scholas: alteram a Gordiano seniore institutam, lectis fortissimis quibusque, et maximae proceritatis; alteram a Gordiano juniore, vel a

Philippo: primam *seniorum candidatorum* fuisse appellatam; secundam *juniorum:* utrosque autem ab iis *candidatis* distinguendos esse, qui a *Vegetio* memorantur. Hi enim etiam ante Gordiani tempora in legionibus fuerunt. ℙ Translate *candidatus* dicitur aliarum quoque rerum petitor et studiosus. *Quint.* 12, 2. *ad f.* Oratori nihil est necesse in cujusquam jurare leges. Majus enim est opus atque praestantius, ad quod ipse tendit, et cujus est velut candidatus. *Id. prooem.* 6. Te omnium spe Atticae eloquentiae candidatum, superstes parens tantum ad poenas, amisi. *Plin. Paneg.* 63. Candidatus non consulatus tantum, sed immortalitatis et gloriae. *Appul. Apolog.* Candidatus socer, *h. e.* qui socer esse cupit. *Id. Met.* 1. Candidatus crucis, *h. e.* quem crucis supplicium mox manet.

CANDIDĒ, adv. candido colore. *Pl. Cas.* 4, 1, 10. Candide vestitus. ℙ Translate est ἁπλῶς, ἀδόλως, sincere, simpliciter, sine dolo. *Coelius* ad *Cic. Fam.* 8, 6. Cavendum tibi erit, ne parum simpliciter et candide posuisse inimicitias videaris. *Petr. Satyr.* 107. Quod velim tam candide ad aures vestras perveniat, quam simpliciter gestum est.

CANDIDO, as, avi, atum, a. 1. λευκόω, λευκαίνω, dealbo, candidum facio. *Tertull. adv. Gnost.* 12. *ex Apocalyps.* 7, 14. Laverunt vestimenta sua, et candidaverunt ea in sanguine agni. ℙ Item candidus sum, λευκαίνομαι. *Appul. Flor. n.* 3. Lyra ejus auro fulgurat, ebore candidat. Al. leg. *candicat.* ℙ Part. *Candidans*, ap. *Sol.* 49. Mons nivibus candidans. Al. leg. *candicans.*

CANDIDŪLE, adv. diminutivum. *Arnob.* 2, 50. Sermonem candidule promere.

CANDIDŪLUS, a, um, adj. diminut. *Cic. Tusc.* 5, 16. Haec quae sunt minima, tamen bona dicantur, necesse est, candiduli dentes, venusti oculi, color suavis.

CANDIDUS, a, um, adj. qui candorem habet cum nitore conjunctum (*silberweiss*); in quo differt ab *albo*, ut in ALBUS dictum est. *Pl. Rud. prol.* 3. Stella splendens candida. *Id. Amph.* 1, 3, 49. Lux clara et candida. *Mart.* 6, 42. Aqua candida et serena. *Val. Flacc.* 8, 243. Candida flamma. *Id.* 3, 559. rota Phoebi. *Id.* 5, 70. nox. *Ov. Trist.* 2, 142. Nube solet pulsa candidus ire dies. *Virg. A.* 7, 8. Candida luna. ℙ Accipitur etiam generatim pro albo, λευκός. [*Minime! Obtinet in his quoque nitoris significatio, qua omnino caret *albus.*] *Virg. Ecl.* 9, 41. hic candida populus (*Silberpappel*) antro Imminet. *Id. G.* 2, 320. Candida avis, *h. e.* ciconia. *Sev. Aetn.* 88. Candidus ales, *h. e.* cycnus. *Flor.* 1, 11. et *Tac. G.* 10. equus. *Virg. A.* 6, 708. Candida lilia. *Quint.* 6, 3. Candidus panis. *Ov. Her.* 16, 249. Pectora puris nivibus, et lacte candidiora. *Vitr.* 10, 7. Candidissimus color. *Ov. Met.* 8, 373. Nive candidioribus ambo Vectabantur equis. [*Hor. Od.* 1, 9, 1.] ℙ Candidis vestibus indutus. *Ov. Fast.* 4, 906. Candida pompa. *Tib.* 2, 1, 16. turba. *Mart.* 8, 65. cultu Roma, *h. e.* Romani, qui togis albis utebantur. ℙ Canus, *Pl. Most.* 5, 2, 27. Capite candido esse. *Virg. Ecl.* 1, 29. Candidior barba. *Val. Flacc.* 6, 60. Candidus crinis. ℙ *Candida de nigris facere*, proverbio dicitur de simulatoribus, et adulatoribus, quique bonum in malum, vitia in virtutes convertunt, in se per fictos mores, in aliis per invidiam et calumnias. *Ov. Met.* 11, 315. et *Juven.* 3, 30. [*Opponi solet *niger:* ita *Plin.* 12, 19, 42. Cinnami duo genera tradidere, candidius nigriusque. *Virg. Ecl.* 2, 16. Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses. cf. *Döderl. l. l.* 3, 194. sq.] ℙ Candidum ovi. *Plin.* 29, 3, 11. Candidum ex ovo infundere. Et *mox.* Candido ovorum in oculis pili reclinantur. ℙ Quia vero candor in homine magna pulcritudinis pars est, saepe *candidus* sumitur pro formoso, ut *Serv.* docet ad *A.* 8, 138. et ad *Ecl.* 5, 56., atque hac ratione accipiendum esse vult in illo *Virg. A.* 5, 571. quem candida Dido Esse sui dederat monumentum et pignus amoris. Sic *Hor. Epod.* 3, 9. Ut Argonautas praeter omnes candidum Medea mirata est ducem. *Sen. Med.* 110. *de Hymenaeo.* Candida thyrsigeri proles generosa Lyaei. Adde *Tib.* 4, 17., ubi plura in hanc rem *Broukusius* congessit. [*Etiam de corporis formositate cum dicitur, candidus vim suam retinet, ita ut pulchritudinem denotet, non vulgarem illam, sed eximiam, excellentem, quam nos dicimus: *glänzende, blendende Schönheit.* Eodem modo *Gr.* λαμπρός, *Thucyd.* 6, 54. γενομένου δὲ Ἁρμοδίου ὥρᾳ ἡλικίας λαμπροῦ.] ℙ Translate varios habet usus. *Candida vox* dicitur a *Quint.* 11, 3. et *Plin.* 28, 6, 16. et a Graecis λευκὰς φωνή, quae pura et clara est (*Silberstimme*): cui opponitur fusca apud *eosd. ib. Cic.* autem *Nat. D.* 2, 58. voci fuscae opponit *canoram*, et videtur idem significare, quod alii, *candidam* appellantes; nisi quod canora puram quidem et claram, sed sonantem quoque, ut ita dicam, significat. ℙ Hinc dicitur candidum orationis genus, quod purum et liquidum est, et cujus aequabilis compositio aures valde delectat. *Cic. Or.* 16. Elaborant alii in lenitate et aequabilitate, et puro quasi quodam et candido genere dicendi. *Quint.* 10, 1. Candidum et lene et speciosum dicendi genus. *Gell.* 16, 19. Celeri admodum et cohibili oratione, vocumque filo tereti et candido fabulam scribere. ℙ Qui hujusmodi orationis genere utitur, *candidus* dici potest. *Quint. l. c.* Densus et brevis, et semper instans sibi Thucydides; dulcis, et candidus, et fusus Herodotus: ille concitatis, hic remissis affectibus melior; ille vi, hic voluptate. ℙ Pro sincero, simplici, aperto, quique fingere, aut mentiri nescit. *Hor. Sat.* 1, 5, 41. animae quales neque candidiores Terra tulit etc. *Id. Ep.* 1, 4, 1. Albi, nostrorum sermonum candide judex. *Petr. Satyr.* 129. Animumque ejus candida humanitate restitue. Et *ib.* 132. Quodque facit populus, candida lingua refert. *Ov. Pont.* 4, 14, 43. Tam felix utinam, quam pectore candidus, essem! ℙ Item pro benigno, benevolo et bono, sicut malum *nigrum* dicimus, inquit *Serv.* ad illud *Virg. Ecl.* 5, 56. Candidus insuetum miratur limen Olympi etc. *Hor. Ep.* 1, 6, 62. si quid novisti rectius istis, Candidus imperti. *Vet. epigr. inter fragm. Petr.* Omnia, quae miseras possunt finire querelas, In promptu voluit candidus esse Deus. [*Non debebant haec discerni a proxime antecedentibus, in quibus sinceri et ab omni malitia remoti animi eandem significationem candidus exhibet.] ℙ Item pro felici, prospero, auspicato. V. dicta in ALBUS et CALCULUS. *Sall. or.* 1. *ad Caes. De rep. ordin.* Qui benignitate imperium temperavere, his laeta et candida omnia visa. *Ov. Trist.* 3, 4, 33. Nam pede inoffenso spatium decurrere vitae Dignus es, et fato candidiore frui. *Prop.* 2, 12, 1. O me felicem, o nox mihi candida! *Tibull.* 3, 6, 30. Candida fata. *Id.* 1, 11, 45. pax. *Prop.* 4, 1, 67. omina. et *ib.* 6, 71. convivia, *h. e.* laeta, et hilaritatibus plena. ℙ [*Candidum promontorium* fuit in Africa propria, in Zeugitana, in confinio Numidiae, inter Tuscam flumen et promontorium Apollinis, exadversum Sardiniam insulam. *Mela* 1, 7. *Plin.* 5, 4. ubi *Hard.* notat, hodie esse *Capo Mablar* et una cum Apollinis promontorio (hod. *Capo Negro*) portum Ripponensem efficere. *B. A.*]

CANDIFĪCO, as, a. 1. λευκόω, candidum facio. *August. Civ. Dei* 21, 7. Ignis lapides coquendo candificat. ℙ Si fides habenda est *Nicolao Perotto ad Martial.* 13, 13. affert ille ex *Nonio* haec verba: *Poliens se se, et succis herbarum candificans cutem.* Quae multi Lexicographi exscripserunt, et *Naevio* tribuerunt. Fortasse *Perottus* pro *Nonio* posuit *Novium:* sed hoc ego fragmentum apud neminem adhuc inveni.

CANDIFĪCUS, a, um, adj. qui candidum facit. *Appul. Apol. in carm.* Pulvisculus candificus, *h. e.* candificandis dentibus aptus.

CANDOR, oris, m. λαμπρότης, albedo cum splendore. *Cic. N. D.* 2, 15. Solis candor illustrior, quam ullius ignis, quippe qui immenso mundo tam longe lateque colluceat. *Id. Somn. Scip.* 3. Splendidissimo candore inter flammas circus elucens. *Lucr.* 4, 232. Lux, et clarus candor. In plural. num. *Pl. Men.* 1, 2. *in f.* Solem vides satin' ut occaecatu' st prae hujus corporis candoribus! ℙ Raro ponitur pro calore. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 218. Quam neque fas Zephyris frangi, nec sole perustam Aestivo candore mori. ℙ Sumitur saepe generatim pro albedine, λευκότης. *Naevius* ap. *Non.* 4, 275. Jam solis aestu candor cum liquesceret. *Lucr.* 2, 764. Candor marmoreus. *Virg. A.* 3, 538. nivalis. *Quint.* 1, 1. simplex lanae. *Plin.* 9, 17, 28. carnis. *Id.* 22, 25, 65. dentium. *Id.* 34, 18, 54. Cerussae vis est ad candorem feminarum. *Id.* 10, 53, 74. Increscente pullo candor in medium vertitur, luteum circumfunditur. ℙ Ponitur saepe in laude pulcritudinis. *Cic. Coel.* 15. Candor hujus te, et proceritas, vultus oculique perpulerunt. *Prop.* 1, 20, 45. de Hyla. Cujus ut accensae Dryades candore puellae, etc. ℙ Translate. *Cic. Orat.* 23. *ad f.* Fucati vero medicamenta candoris et ruboris omnia repellentur; elegantia modo, et munditia remanebit. ℙ Pro animi sinceritate, simplicitate, benevolentia, cui *livor* opponitur. *Ov. Pont.* 2, 5, 5. Candor, in hoc aevo res intermortua paene. Et *ib* 3, 4, 13. Viribus infirmi vestro candore valemus. *Id. Trist.* 3, 6, 7. Candor animi. (Adde *Trist.* 2, 467.) *Plin. Paneg.* 84. Soror tua ut se sororem esse meminit! ut in illa tua simplicitas, tua veritas, tuus candor agnoscitur! *Phaedr. prol.* 3. sincerum mihi Candore noto reddas judicium, peto. Adde *Vell.* 2, 116. ℙ Item pro integritate, innocentia. *Ov. Her.* 4, 31. Si tamen ille prior, quo me sine crimine gessi, Candor ab insolita labe notandus erat. [*Cf. *Döderl. l. l.* 3, 196. seq. ubi plura de h. v. non male disputata invenies.] ℙ Candor est etiam virtus orationis. *Quint.* 10, 1. Nec indignetur Herodotus sibi aequari Livium, cum in narrando mirae jucunditatis, clarissimique candoris, etc. hoc loco significat pulcritudinem illam, quae ex perspicuitate narrandi oritur, et fidem simul facit historiae.

CANDOSOCCUS, i, m. voce Gallica, palmes prolixus in vitibus, qui summo solo obruitur, deinde iterum in arborem erigitur ad fructum gignendum. *Colum.* 5, 5. ℙ Latini *mergum* vocant.

*CANDYBA, orum, Κάνδυβα, oppidum Lyciae. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

CĂNENS, entis, part. a *caneo*, πολιὸς, qui canos habet capillos. *Virg. A.* 10, 191. Canentem molli pluma duxisse senectam. ℙ Item albescens. *Ov. Met.* 6, 81. Prodere cum baccis fetum canentis olivae. *Virg. G.* 2, 13. glauca canentia fronde salicta. *Sil.* 4, 362. Spumat canenti sulcatus gurgite limes. *Ov. Trist.* 5, 2, 66. Canens gelu. *Sil.* 3, 534. Pruina canens.

CĂNENS, entis, part. a *cano*. ᾄδων, qui canit. *Cic. N. D.* 2, 8. Tibiae modulate canentes. *Id. fragm. Oecon.* ap. *Colum.* 12, 2. Chorus canentium. *Ov. Trist.* 4, 2, 53. plausuque simul, fremituque canentum. ℙ Fuit *Canens* filia Jani, et Veniliae, uxor Pici, peritissima in arte canendi. *Ov. Met.* 14, 333. et seqq.

CĂNENTAS, ap. *Festum* legimus, esse capitis ornamenta. *Voss.* in *Etymol.* scribit fortasse derivari a Graeco κανοῦν, quod canistrum significat, et intelligi de iis, quos portabant Canephorae in sacris Palladis.

CANENTĒLUS. V. CARANTONUS.

CĂNĔO, es, ui, n. 2. πολιοῦμαι, (a κάω Attice pro καίω, accendo, inde inusit. κάνω) canus sum, hoc est capillis albeo. *Virg. A.* 5, 416. Temporibus geminis canebat sparsa senectus. *Claudian. B. Get.* 35. Totaque sub galeis Mavortia canuit aetas. Adde *Tac. G.* 31. ℙ Item albere. *Virg. G.* 3, 325. dum mane novum, dum gramina canent. *Juven.* 14, 144. et densa montem qui canet oliva. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 1. vertens e Graeco carmen *Sophocl. in Triptol.* Et fortunatam Italiam frumento canere candido. *Ov. Fast.* 3, 880. Canuerint herbae rore recente quater. *Sil.* 1, 206. Canet barba gelu. Adde *Stat.*, qui *Th.* 5, 337. de spuma maris usurpat. ℙ Reperitur etiam *cano, is*, 3. conjugation. sicut *fervo, is*, pro *ferveo, es*, et *fulgo, is*, pro *fulgeo, es*, et alia non pauca. *Prop.* 2, 14, 7. Quid si jam canis aetas mea caneret annis? *candeat* est qui reponere malit, sed *caneret* a *Scalig., Broukus.* et aliis defenditur.

CĂNĒPHŌRA, ae, vel Canephoros, i, f. ἡ κανηφόρος, canistrum ferens: a κάνης, canistrum. *Festus:* Canephora mulier appellatur, quae fert canum, idest qualum, quod est cistae genus. ℙ Speciatim *Canephorae* dictae sunt virgines Athenienses primariae et nobiliores, quae in solemnioribus festis et pompis sacra Palladis in canistris reposita, et sublatis manibus capiti imposita ferebant. *Ov. Met.* 2, 702. Illa forte die castae de more puellae, Vertice supposito, festas in Palladis arces Pura coronatis portabant sacra canistris. *Cic. Verr.* 2, 4, 3. Erant aenea duo signa eximia venustate, virginali habitu atque vestitu, quae manibus sublatis sacra quaedam, more Atheniensium virginum, reposita in capitibus sustinebant. Canephorae ipsae vocabantur. Al. scribunt *Canephoroe*, ad exprimendum Graecum αἱ Κανηφόροι. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 7. Fecit Scopas Vestam sedentem, duasque chametaeras circa eam, quarum pares in Asinii monumentis sunt, ubi et Canephoros ejusdem. Al. leg. *Canephorus*, terminatione Latina. Sed *Hard.* praefert *Canephoros*, quod feminine accipiendum est, ἡ Κανηφόρος. Sic ap. *Cic. l. c.* 8. Habe Canephoros, *h. e.* τὰς Κανηφόρους; de iisdem enim loquitur, de quibus *ib.* 3.

CĂNESCO, is, n. 3. πολιοῦμαι, canus fio. *Ov. Met.* 9, 321. queritur canescere mitis Iasiona Ceres. *Plin.* 7, 2, 2. In quadam gente Indiae genitos confestim canescere. *Id.* 30, 15, 46. Capilli canescunt. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 2. *ad f.* Cumque ipsa oratio jam nostra canesceret, haberetque suam quandam maturitatem, et quasi senectutem. *Quint.* 11, 1. *ante med.* Senibus convenit genus eloquentiae pressum et mite et limatum, et quale intelligi vult Cicero, cum dicit, orationem suam coepisse canescere. ℙ Significat etiam albescere, candescere, λευκαίνομαι. *Ov. Her.* 3, 65. canescunt aequora remis. *Id. Met.* 2, 212. Pabula canescunt, *h. e.* prae nimio solis calore arescendo albescunt. Sic *Plin.* 31, 10, 46. Canescentibus nimia siccitate convallibus. *Ov. Am.* 1, 8, 52. Canescunt turpi tecta relicta situ. *Claud. Mamert. in Genethl. ad Max.* 9. Cum ipsi anhelitus hominum, circa sua ora concreti, rigore canescerent.

*CANGI, orum, populi Britanniae. *Tac. A.* 12, 32. *B. A.*

CANIĂ, ae, f. genus urticae silvestris, acrioris, caule quoque mordaci, foliis fimbriatis. *Plin.* 21, 15, 55., ubi alii leg. *canina:* sed *cania* in omnibus suis MSS. vidit *Hard.*

CĂNĪCAE, arum, f. plur. furfures de farre, a cibo canum vocatae, ut *Festus* docet. *Non.* vero 2, 150. furfures generatim exponit. Usurpat *Lucil.* ap. *Non. ib.*

CĂNĪCĂCĔUS, a, um, adj. qui est ex canicis. *Pacuv.*: Qui apud te quasi servos est canicaceum panem. Al. leg. *caniceum* eodem sensu. *Scal.* ad *Fest.* in *Canicae*, et *Voss.* in *Etymol.* hoc fragmentum ad ipso *Festo* citari tradunt: nos neque

ap. *Fest.*, neque apud alium quemquiam veterem grammaticum invenire adhuc potuimus.

CĂNĪCŪLA, ae, f. *κυνίδιον, κυνίσκος*, parva canis. *Plin.* 32, 7, 26. Dentium dolores sedantur cerebro caniculae. *Pl. Curt.* 5, 1, 7. Ut eum eriperet, manum arripuit mordicus: vix foras me abripui atque effugi: apage istam caniculam, *de muliere loquitur.* ℙ De *canicula*, hoc est homine mordaci. V. CANALICOLA. ℙ Est etiam nomen stellae, *κύναστρον*. Ea oriente, maximi calores fiunt. Oritur autem post solstitium aestivum, sole primam partem Leonis ingrediente, ut *Plin.* 2, 47, 47. et 18, 28, 68. *n.* 2. docet. Aliter ab aliis *canicula* designatur. Quidam enim intelligunt minorem canem, qui aliquanto ante canem majorem oritur et *προκύων* ob id atque *antecanis* appellatur. V. ANTECANIS. Alii rectius significari volunt stellam lucidissimam, primae, ut vocant, magnitudinis, in ore ipsius Canis positam (quae et ipsa *προκύων* appellari potest, ut est ap. *Galen. comment.* 1, *in lib.* 1. *Hippocr. de morb. vulg.:* praecedit enim et ipsa, licet brevi intervallo totius astri, qui *canis* dicitur, exortum) quam et *Sirium* appellant, qui scriptores passim ardentissimos aestus tribuunt. Dicta est autem *canicula* vel quia tunc temporis facile canes in rabiem aguntur vel quia summum efficit calorem, cujus canes intolerantissimi sunt: vel tandem a fabulis hoc nomen sortita est, de quibus V. in CANIS. *Hor. Od.* 3, 13, 9. flagrantis atrox hora Caniculae. *Id. ib.* 1, 17, 17. Caniculae aestus vitare. *Manil.* 5, 207. Exoriturque Canis latratque Canicula flammans Et rabit ore suo. (*Id. ib.* 197. *et seqq.* jam de *Antecane* seu Procyone verba fecerat: ex quo etiam appareret, hunc a Canicula diversum esse.) *Ov. A. Am.* 2, 231. Nec grave te tempus sitiensque Canicula tardet. *Pers.* 3, 5. siccas insana Canicula messes Jamdudum coquit. ℙ Aliquando et ipse *Canis*, in cujus ore Canicula est, *Canicula* appellatur. *Varr. R. R.* 1, 41. Quod inseritur Caniculae signo, commodissime existimatur inseri. *Serv.* ad *A.* 3, 141. Canicula, in cujus ore est Sirius etc. ℙ Est praeterea hoc nomine piscis marinus, *καρχαρία*, [*l. *καρχαρίας*.] ita dictus a similitudine formae: de cujus saevitie et capiendi difficultate ac periculo (acri enim morsu ferociter homines petit) multa *Plin.* 9, 46, 70. ℙ Denique *canicula*, qui et *canis* dicitur, est infelix jactus talorum, quem qui jecisset, certo vincebatur. Sic autem appellabatur, cum quis unitatem miserat: cui contrarius erat jactus *Veneris*, omnium felicissimus. *Pers.* 3, 48. quid dexter senio ferret, Scire erat in voto; damnosa canicula quantum Raderet. *Voss.* in *Etymol.* in *Canis* ideo *caniculam* appellari hunc jactum putat, quia, instar canis mordeat eum, qui luserit.

CĂNĪCŪLĀRIS, re, adj. ad Caniculam coeleste sidus pertinens. *Pall.* 8, 7. Inchoantibus caniculariibus diebus. *Sidon. ep.* 2, 2. Clementissimo recessu fallere inclementiam canicularum. ℙ Habet etiam *Tert. contr. Marc.* 1, 19. Sed V. ibi interpretes.

CĂNĪCŪLĀTUS, a, um, adj. *Aemil. Macer* 2, 35. Jusquiamum Graeci, quam nostri caniculatam dicunt. *Marc. Empir.* 14. *ad f.* Uvam caniculatam et cochleam germanam combure. ℙ Quod ad priorem *Macri* locum attinet, recte adnotavit *Janus Cornarius* verbum *caniculatam* corruptum esse. Debuit enim dicere *caliculatem.* V. CALICULARIS. Quam vero appellat alter ille scriptor *uvam caniculatam*, nihil adhuc comperti habeo. Illud modo admonebo, esse utrumque scriptorem infirmae admodum in lingua Latina auctoritatis.

*CANIDĬA, ae, unguentaria Neapolitana, in quam tanquam in veneficam, invehitur *Hor. Sat.* 1, 8, 24. 2, 1, 48. *Epod.* 8, 95. et 3, 8. 5, 15 et 48. 17, 6. *B. A.*

*CANIFĬCO, as, a. 1. canum reddo. *Vet. poeta* ap. *Atilium* p. 2691. Nec mare canificat, nec agit freta caerula. Ita pro *Haec mare* legendum monet *Ruhnkenius. B. A.*

CĂNĪFORMIS, e, adj. qui canis formam habet. *Prudent. Apotheos.* 263. Quaeve superstitio tam sordida, quae caniformem, Latrantemque throno Coeli praeponat Anubim?

CANINEFĀTES, Cannenufates et Cannanefates, um, plur. populi Germaniae inferioris, partem ejus regionis incolentes, quae a majori Batavorum populo *Batavorum insula*, et *Batavia* dicta est. Consule *Cluver. Germ. antiq.* 2, 33., ubi plura de his. *Vellej.* 2, 105. Intrata protinus Germania, subacti Caninefates. *Plin.* 4, 15, 29. Nobilissima Batavorum insula, et Cannenufatum. *Inscr.* ap. *Grut.* 385, 1. Praef. Eq. alae primae Cannanefatum. ℙ In singulari numero *Tac. A.* 11, 18. Dux natione Caninefas. ℙ Adjective. *Id. H.* 4, 16. Caninefatem tumultum comprimere. *Id. A.* 4, 73. Alam Caninefatem circumgredi terga hostium jubet.

CĂNĪNIĀNUS, a, um, adj. a Caninio deductum, quod est nomen proprium civis R. *Cic. Fam.* 1, 7. Qui mihi semper tuae laudi favere visus est, etiam ipso suspiciosissimo tempore Caniniano, *h. e.* quo Caninius quidam tribunus pleb. rogationem ferebat de Ptolemaeo rege reducendo.

CĂNĪNĬUS, a, um, adj. Caninianus. *Caninia lex* de certo numero servorum, qui manumitti possunt, memoratur a *Vopisc. Tac.* 10. *in f.* V. FURIUS, a, um.

CĂNĪNUS, a, um, adj. ad canem pertinens, *κυνικός, κύνεος.* *Scrib. Compos.* 161. Canina pellis. *Ov. Ib.* 229. Caninum lac. *Juven.* 10, 171. Caninus rictus. *Ib.* 14, 64. Stercus caninum. ℙ *Canina, ae*, est canina caro. Hinc proverbium ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Canis caninam non est. Eod. sensu *Juven.* 15, 160. parcit Cognatis maculis similis fera. Adde *Justin.* 19, 1. ℙ *Far caninum* dicitur a *Juven.* 5, 11. quia pane ex eo confecto canes alere solebant. Hinc *canicae* et *canicaceus.* ℙ *Caninus rubus.* V. CYNOSBATOS. ℙ *Canini* dicuntur non solum in canibus, sed etiam in aliis brutis, et in homine, bini dentes, longissima radice instructi, qui hinc inde inter primores, (quos *Isid. Orig.* 11, 1. praecisores appellat) et maxillares seu molares in utraque maxilla infixi sunt, *κυνοδόντες.* Dicti sunt *canini* ob acutam duritiem, et quia quando iis utimur, canum more mandere videmur. *Cels.* 8, 1. Quaterni primi quia secant, *τομικοὶ* a Graecis nominantur. Hi deinde quatuor caninis dentibus ex omni parte cinguntur. *Plin.* 11, 37, 61. ℙ *Caninum prandium* est, in quo nihil vini potatur. Ita exponit *Gell.* 13, 30. verba illa *Varronis:* Novum vinum refrigerare, vetus calefacere, medium esse prandium caninum. Vide integrum loc. Alii intelligunt prandium, in quo vilissima quaeque comeduntur (quod unice probandum). ℙ *Canina verba* sunt dicta asperiora et mordacia, quibus alterius existimatio laeditur. Sic *facundia canina*, cujus omnis vis in criminando et conviciando posita est, et obtrectatoribus, accusatoribus rabulisque forensibus tribuitur. *Quint.* 12, 9. Ea est enim prorsus canina, ut ait Appius, eloquentia, censuram maledicendi subire. *Lactant* 6, 18. *a med.* Cicero caninam facundiam (sicut Sallust. ab Appio dictum refert) exercuit: voluit quoque hominem canino more vivere, ut remordeat lacessitus. *Colum. prooem.* 1. Sed ne caninum quidem, sicut dixere veteres, studium locupletissimum quemque adlatrandi etc. *Ov. Ib.* 232. Latrat et in toto verba canina foro. ℙ Hinc fortasse *Canina* cognominatus est C. Claudius consul, qui anno U. C. 480. de Lucanis, Samnitibus, Bruttiis triumphavit, ut est ap. *Grut.* 296, 2. *ad f.* V. Freinshemii supplem. *Liv.* 14, 38 et 39. ℙ *Caninae nuptiae* vocantur a *Hieron. ep.* 69. *n.* 2. eorum, qui vago ac meretricio concubitu, canum more, delectantur. ℙ In illo *Pers.* 1, 109. *sonat de nare canina littera:* intelligitur littera R, quam exprimere videntur canes, cum latrant; secundum illud *Lucil.* ap. *Charis.* 1, 100. Irritata canes quod, homo quam, planiu' dicit. ℙ In illo *Pl. Cas.* 5, 4, 4. Hac ibo: caninam scaevam spero meliorem fore: *canina scaeva* est augurium, quod ex canis occursu, vel latratu capitur. ℙ *Caninam pellem rodere* proverbii speciem habet ap. *Mart.* 5, 61., et videtur idem esse, ac maledicum maledictis insectari. ℙ *Caninus* refertur etiam ad philosophos Diogenis sectatores, qui Cynici appellati sunt. *Tertull. Patient.* 2. Caninae aequanimitatis stupor, *h. e. ἀναισθησία*, vacuitas omnium affectuum. *August. Civ. Dei* 14, 20. Hoc illi canini philosophi, hoc est Cynici non viderunt. ℙ [*Campi canini* fuere in Rhaetia, vel in Rhaetiae confinio, Liguriam versus. *Ammian.* 15, 6. *B. A.*]

[CĂNĪPA, ae, f. idem ac canistrum, a canum, vel a *κάνεον* Graecorum, quod idem significat. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 3. Deinde pueri canipas contigerant, quas per calatores domos suas miserunt. *Marinius ib.* p. 396. probat, per hanc vocem nihil aliud significari posse, quam canistra; his enim veteres in conviviis et sacrificiis utebantur, ut fruges et res ad sacrificium pertinentes ferrent: mos vero tangendi canistra comprobatur etiam ex *Demosth. or. contra Androtion. ad f.*, ubi ille ait, sacerdotem solere *ἅπτεσθαι χερνίβων καὶ κάνων*, *h. e.* tangere pelves et canistra. *F.*]

CĂNIS, is, m. et f. *κύων, κυνός*, animal latrans. *Cic. N. D.* 2, 63. Canum vero tam fida custodia, tamque amans dominorum adulatio, tantumque odium in externos, et tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando etc. *Id. Verr.* 2, 4, 13. Canes venatici. *Ter. Phorm.* 4, 4, 24. Introiit in aedes ater alienus canis. *Senec. Ira* 3, 37. Canis catenarius. *Justin.* 1, 4. Canis femina parvulo ubera praebens. *Senec. Controv.* 5, 30. *sub f.* Alligare canem ad ostium. *Ter. Andr.* 1, 1, 30. Alere canes ad venandum. *Virg. G.* 3, 410. Venari canibus leporem. *Id. Ecl.* 10, 57. Canibus circumdare saltus. *Id. G.* 3, 371. Immissis canibus agitare feras. *Ov. Her.* 5, 20. Agere canes per silvas. *Id. ib.* 4, 42. Hortari canes. ℙ De canibus, eorumque natura, usu, et alendi ratione multa *Varr. R. R.* 1, 21. et 2, 9., *Plin.* 8, 40, 61. et *Colum.* 7, 12 et 13. ℙ Plurima venaticorum et villaticorum nomina Graecis Latinisque usitata, et rem ipsam significantia habes ap. *Hygin. fab.* 181. *Ov. Met.* 3, 206. sqq. et 232. sqq. ubi de Actaeone: et ap. *Colum.* 7, 13. *sub f.* ℙ *Canis triformis* ap. *Senec. Herc. Oet.* 1202. et *Stygius*, 1257. et *Inquietus*, 1526. et *Tergeminus* ap. *Ov. A. Am.* 3, 322. et *Tartareus* ap. *Mart. epigr.* 9, 66., est Cerberus. ℙ Saepe feminino genere effertur, licet non de sexu agatur, sed de eo animali in genere. *Hor. Epod.* 2, 31. Aut trudit acres hinc et hinc multa cane Apros in obstantes plagas. *Virg. G.* 1, 470. Obscenae canes. *Lucret.* 1, 404. montivagae. *Hor. Epod.* 5, 23. Canis jejuna. Et *Ep.* 2, 2, 75. rabiosa. *Ov. Met.* 7, 408. Echidnaea canis, *h. e.* Cerberus. Adde *ib.* 3, 140. et alibi, et *Colum.* 7, 13. idque ad Graecorum exemplum, quibus *κύων* eodem saepe genere effertur. ℙ Canis femin. genere effertur etiam cum de masculo agitur. *Auct. Priap.* 71. Vicini canis huc subinde venit, Nidorem, puto, prosecuta fumi: quae libamine mentulae comeso, Tota nocte mihi litat rigendo, *h. e.* arrigendo. ℙ Hujus vocis *Canis* usus saepe est in conviciis, cum obtrectatorem, maledicum, impudentem, vel sordidum hominem notamus. *Ter. Eun.* 4, 7, 33. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis. *Gn.* Ain vero, canis? *Hor. Epod.* 6. Quid immerentes hospites vexas, canis, Ingnavus adversus lupos? *Pl. Men.* 5, 1, 17. Hecubam ait ideo *canem* appellatam a Graecis fuisse, quia omnia mala ingerebat, quemquem aspexerat. ℙ *Canes* etiam dici possunt, qui aliquem sequuntur cibi et praedae gratia, quales sunt parasiti et asseclae potentiorum, qui horum patrocinio et clientela protecti alere se posse et ditescere sperant. [*Sunt canes perdidissimi generis homines, qui a potentioribus quibusdam pessimorum consiliorum socii, administratores, tractatores aluntur. *Eines Creaturen.*] *Cic. Verr.* 2, 1, 48. Multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se habebat. Et *ib.* 2, 3, 11. Ista cohors quorum hominum est? Volusii haruspicis, et Cornelii medici, et horum canum, quos tribunal meum vides lambere. Adde *Senec. Consol. ad Marc.* 22. ℙ *Cane pejus, et angui vitare aliquid*, proverbium est ap. *Hor.* V. ANGUIS. ℙ *Canis assuetus corio*, aliud proverbium de iis, qui postquam semel aliqua in re peccarunt, abstinere deinceps non possunt. *Hor. Sat.* 2, 5, 81. Quae si semel uno De sene gustarit, tecum partita lucellum, Ut canis, a corio nunquam absterrebitur uncto. ℙ *Canis timidus vehementius latrat, quam mordet*: de homine ignavo et loquaci, qui ad verba promptus, ad rem gerendam segnis est. *Curt.* 7, 4. ℙ *A cane non magno saepe tenetur aper*, ap. *Ov. rem. Am.* 2, 422. Eod. sensu dicunt Itali, *picciola pietra fa versar gran carro.* ℙ *Tam facile, quam canis exta edit*, proverb. apud *Senec. Apoloc.* 10. de re, quae facillime fit. Canes enim extorum voracissimi sunt: quo pertinet Graecum proverbium, *κύων παρ' ἐντέροις.* Alii tamen rectius legunt, *quam canis excidit*, ut *canis* significet jactum illum infelicem talorum, qui et *canicula* dicitur, de quo *Prop.* 4, 8, 45. Me quoque per talos Venerem quaerente secundos, Semper damnosi subsiluere canes. V. CANICULA. Porro is jactus facillime excidere dicitur, tum quia ea erat talorum positio, ut facilius in canem sederent, quam in aliam faciem, ut pluribus ostendit *Libert. Fromond. in adnot. ad l. c. Senecae;* tum quia fere fit, ut ludo dediti saepius vincantur, quam vincant. ℙ *Venatum ducere invitas canes* est quod Itali dicunt, *far fare ad alcuno qualche cosa per forza:* quod est stulte agere. Nam facere coactus aut nihil aget, aut certe male. Habetur ap. *Pl. Stich.* 1, 2, 82. ℙ Mos fuit, et hodieque est, canem prope aedium fores alligatum tenere, custodiae causa; ad quem ne quis propius accedere auderet, *cave canem* majoribus litteris in pariete inscribebant, ut est ap. *Petr. Sat.* 29. Hinc *Varr.* ap. *Non.* 2, 647. Quod ea die mea erat praebitio, in januam, Cave canem, inscribi jubeo, *h. e.* quod ea die a me coena praebenda erat, jubeo inscribi *cave canem*, ut ignotos, et mihi parum amicos a mea mensa arceam; vel ne tam frequentes adsint convivae, et sumptus levior sit. Potest etiam illud *cave canem* proverbii speciem habere, quod admoneamur, cavendos esse maledicos et obtrectatores. Fortasse hoc sensu accipitur ab eodem *Varron.* qui unam ex Satyris suis *Cave canem* inscripsit, teste *Non.* 2, 58. ℙ Est etiam *canis* sidus coeleste, et quidem duplex, major, et minor. De minore V. ANTECANIS. Major autem in fabulis dicitur fuisse ab Jove appositus custos Europae, et ea praeditus facultate, ut nulla eum fera praeterire posset. Hic postea Minois regis fuit, a quo Procri Cephali uxori, quae venandi studiosissima erat, donatus est. Ea defuncta, Cephalus secum Thebas duxit, ubi erat vulpes, cui datum fuerat, ut omnes canes fugere posset. Quare Juppiter, ne sua in alterutro dona corrumperet, utrumque in lapidem vertit: vel, ut alii volunt, cum Thebas venisset, omnem circa regionem, quae a vulpibus infestabatur, iis occisis, liberavit: quam ob rem in coelum translatus est. Alii fabulantur fuisse canem Orionis, qui quod studiosus esset venationis, cum eo canem quoque inter astra fuisse collocatum. Alii Icarii canem fuisse dicunt, et cum cane mi-

nore confundunt. Haec *Hygin. Astron.* 2, 35. et *Serv.* ad G. 1, 218. Situs est autem in coelo in ipso Tropico Cancri, habetque ante se leporem, quem insequi videtur, post se proram navis Argo, ut et *Vitruv.* 9, 7. docet. Constat stellis secundum *Hygin. Astron.* 3, 34. viginti, secundum alios decem et octo, quarum praecipua in ejus ore, quae et ipsa *canis* dicitur, et *Canicula*, et *Sirius:* quamquam *Hygin. ll. cc. Sirium* distinguit a *Canicula*, et illum in capite, hanc in ore Canis collocat. Poetae passim pro una eademque accipiunt. *Virg. G.* 1, 218. et averso cedens Canis occidit astro. *Ov. Fast.* 4, 939. Et Canis (Icarium dicunt) quo sidere moto, Tosta sitit tellus etc. *Id. ib.* 5, 723. Canis Erigoneius. Utroque loco *Ov.* tribuit Cani majori fabulam, quam alii de minore narrant. V. ANTECANIS. ℙ Praeterea *canis* significat genus quoddam vinculi, quo nocentes servi nectebantur, qui *catellus* appellatur. *Pl. Cas.* 2, 6, 37. Tu ut quidem hodie canem, et furcam feras. Al. leg. *camum.* ℙ Est etiam hoc nomine piscis marinus, canis figura. *Plin.* 9, 35, 55. et *Virg. A.* 3, 432. V. CANICULA. ℙ *Canes* in recto casu singulari in feminino gen. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Tantidem quasi feta canes sit, dentibu' latrat. *Lucil. ib.* Nequam et magnus homo, laniorum immani' canes ut. Adde *eund.* ap. *Charis.* 1. p. 100. et *Pl. Trin.* 1, 2, 133. et 135. ℙ In ablativo habet *cane:* sed et *cani* dici posse, docent quidam grammatici. Exempla nondum vidimus.

CANISTELLUM, i, n. parvum canistrum *Paul.* ex *Festo:* Cana dicunt Graeci, nos canistra, et per deminutionem canistella. *Symmach. ep.* 2, 81. Ceteros quoque amicos eburneis pugillaribus, et canistellis argenteis honoravi. ℙ In *Not. Tir.* p. 176. est mascul. gen. Canistellus.

CANISTRUM, i, n. et Canister, tri, m. *κάνης, κάνιστρον*, vas vimineum ad panem et alia mensae inferenda; item ed alios usus. *Cic. Att.* 6, 1. In lancibus, et splendidissimis canistris, olusculis nos soles pascere; quid te in vasis fictilibus appositurum putem? *Juven.* 5, 74. Vin' tu consuetis, audax conviva, canistris Impleri, panisque tui novisse colorem? *Virg. A.* 8, 180. Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris Dona laboratae Cereris. *Ov. Met.* 8, 675. et in patulis redolentia mala canistris. *Id. ib.* 2, 704. Pura coronatis portabant sacra canistris. *Id. Fast.* 2, 650. Lata canistra. *Pall.* 12, 17. Salignis canistros fieri debere virgultis, quia genus hoc oleum dicitur adjuvare. ℙ Sunt etiam canistra argentea, qualia adhiberi solent apponendis in mensa poculis: quae *canistra siccaria* dicuntur. Haec *Serv.* ad illud *A.* 1, 710. Qui dapibus mensas onerent, et pocula ponant. ℙ Exempla in singulari numero nondum vidimus.

CANITIA. V. CANITIES.

CANITIES, ei, f. *πολιότης*, albedo capillorum, quae homini seni advenit: item ipsi capilli cani. Etymon vocis V. in CANEO. *Ov. A. Am.* 3, 163. Femina canitiem Germanis inficit herbis. *Virg. A.* 10, 549. Canitiemque sibi, et longos promiserat annos. *Id. ib.* 6, 300. Charon, cui plurima mento Canities inculta jacet. *Plin.* 11, 37, 47. Canities homini tantum, et equis: sed homini semper a priori parte capitis, tum deinde ab aversa. *Id. ib.* 64. Canities superciliorum. ℙ Metonymice est ipsa senectus. *Hor. Od.* 2, 11, 7. Arida canities pellens lascivos amores. *Id. ib.* 1, 9, 17. Canities morosa. ℙ Tribuitur etiam animalibus. *Ov. Met.* 1, 237. *de Lycaone in lupum converso.* Fit lupus, et veteris servat vestigia formae: Canities eadem est. Canities *h. l.* est color cinereus, quem referunt villi lupini. Hinc *πολιοὶ λύκοι* ap. *Homer. Iliad.* 20, 334., ubi *Schol. πολιὸς* interpretatur *τεφρώδης, h. e.* cinereus. ℙ De aliis rebus albescentibus. *Plin.* 21, 20, 84. Folia thymo similia, nisi quod molliora sunt, et lanatiore canitie. *Id.* 36, 7, 11. Tiberium marmor sparsa, non convoluta caniete. *Id.* 37. 11, 73. Canities sparti. ℙ Dicitur etiam *canitia, ae. Plin.* 31, 7, 42. Canitia in vasis summa est. Adde *Luc.* 8, 57., ut est in veterib. codicib. teste *Voss. de Gramm.* 3, 35., nam alii habent *canities. Charisius* quoque 1, 41. hanc positionem probat.

CANITUDO, inis, f. canities. *Varr.* ap. *Non.* 2, 106. Neque vetulus cantherius, quam novellus, melior, nec canitudini comes virtus. *Pl.* ap. *Fest.* Stultus est adversus aetatem, et capitis canitudinem.

*CANIUS, i, nomen propr. Romanum, ut C. Canius, eques Romanus facetus et literatus, de quo *Cic. Off.* 3, 14. *Or.* 2, 69. Fuit et Canius Rufus poeta, Martiali familiaris, natura ita hilaris, ut semper rideret. *Mart.* 1, 62, 9. 70, 2. 3, 20, 1 et 21. 7, 68, 1. *B. A.*

CANNA, ae, f. *φιλὶς*, frutex palustris ex genere arundinum, de quo V. in ARUNDO. *Ov. Met.* 4, 298. Canna palustris. *Id. ib.* 6, 326. Cannae tremulae. *Id. Fast.* 6, 406. Cassa canna. ℙ In illo *Juven.* 5, 89. Canna Micipsarum prora subvexit acuta; *canna* videtur accipi pro majori arundine, ex qua olim a quibusdam populis Indiae et Aegypti parva navigia factitari solita, *Plin.* 2, 7, 2. et *ib.* 56, 57. tradit. Illud enim discrimen inter cannam, et arundinem, quod in ARUNDO posuimus, saepe negligunt scriptores. Alii tamen interpretantur vasculum e canna, quo oleum ex Africa Romam comportari solebat. ℙ Ap. *Stat. Silv.* 1, 6, 15. *canna* est species arundinis aromaticae. At V. CAUNEUS. ℙ Canna gutturis, aspera arteria, per quam respiramus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 16. et *Tard.* 2, 12. ℙ Accipitur etiam (sicut *arundo*, et *calamus*) pro fistula, qua canitur. *Ov. Met.* 2, 682. dispar septenis fistula cannis. *Id. ib:* 11, 171. Pana jubet Tmolus citharae submittere cannas. *Sil.* 7, 439. errantes dumosa per avia tauros Arguta revocans canna. ℙ *Appul. Met.* 5. appellat *Cannam Deam* Syringam nympham, quae Pana fugiens, in palustres calamos versa fuit, ex quibus ipse Pan fistulam fecit, ut est ap. *Ov. Met.* 1, 690. ℙ *Canna*, fluvius. V. CANNAE. ℙ [*Fuit et *Canna, ae*, Aeolidis oppidum, idem, ut videtur, quod *Cana. Mela* 1, 18. *B. A.*]

CANNABA. V. CANABA.

[CANNABARIA, et Canabaria, ae, f. idem ac cannabetum, ut *cannicia* idem est ac *cannetum. Not. Tir.* p. 178. Canabus, canabaria, canabinum. ℙ Unico *n* scribuntur haec tria vocabula, ut etiam aliquando *canabis* et *canabetum.* V. CANNABIS. et v. sq. *F.*]

CANNABETUM, i, n. locus cannabe consitus. *Inscr.* ap. *Grut.* 896, 14. (quae etiamnum Ateste exstat, ibique unico *n* scribitur) Retro usque ad canabetum huic areae cedet. [Ita et alia ap. *Fabrett.* p. 223. *n.* 594. Area cum aedificiis et horreo usque ad arundinetum. *F.*] V. CANNABIS.

CANNABIFER, a, um, adj. *Inscr.* ap. *Mur.* 70, 6. Silvano sancto, patri, et custodi, pecudifero, lactifero, glandifero, pomifero, cannabifero, linifero Q. Zosimus Q. L. Tertull. grammaticus etc.

CANNABINUS, a, um, adj. *καννάβινος*, qui est ex cannabe. *Varr. R. R.* 3, 8. Mutuli, aut pali, supra quos tegeticulae cannabinae sint impositae. *Id. ib.* 5. Tecta porticus sit rete cannabina. *Colum.* 12, 50. Funes cannabini.

CANNABIS, is, f. *κάνναβις*, frutex ferulaceus, cujus siccato cortice, uti lini, utimur ad crassiores telas, et praesertim ad funes contexendas. *Plin.* 19, 9, 56. Utilissima funibus cannabis seritur a Favonio. *Varr. R. R.* 1, 23. Ubi seras cannabim, linum, juncum, spartum. *Plin.* 19, 2, 8. In sicco praeferunt e cannabi funes. *Pers.* 5, 146. Ten' mare transilias? tibi torta cannabe fulto Coena sit in transtro? ℙ Quidam scribunt *canabis* unico *n*, pro quibus est *Inscr.* quam in CANNABETUM retulimus. [Nam videtur olim vox haec simplici *n* scribi solita, a *κάναβος* nempe, lignum tenue, cui ceram, gypsum, aliaque circumligant fictores. Hoc autem repetendum a *κανὸς* pro *κενὸς*, vacuus, quod a *κάω*, vel *κέω*, cavo: etenim cavum habet culmum. V. CANNABARIA. *F.*] ℙ Reperitur etiam *cannabus, i*, m. *Varr.* ap. *Gell.* 17, 3. Cannabo, et stuppa, ceterisque sativis rebus naves fuere. *Pall.* 3, 5. Hoc mense cannabum seres terra pingui. Adde 4, 5. et *Marc. Empir.* 9, et *Fest.* in *Thomices.*

CANNABIUS, a, um, adj. idem quod cannabinus. *Grat. Cyneg.* 46. At pauper rigui custos Alabandicus horti Cannabias nutrit silvas.

CANNABUS. V. in CANNABIS.

CANNAE, arum, f. plur. vicus Apuliae prope Aufidum fluvium, ubi Annibal ingenti caede Romanos fudit. V. *Liv.* 22, 44. et seqq. et *Sil.* 9 et 10. ℙ Marcius quidam vates ap. *Liv.* 25, 12. *Cannam amnem* vocat ipsum Aufidum, qui prope Cannas fluebat, vel parvum aliquem fluvium nobis ignotum.

CANNANEFATES. V. CANINEFATES.

CANNENSIS, se, adj. ad Cannas pertinens. *Cic. Rosc. Am.* 32. Cannensis pugna. *Id. Brut.* 3. calamitas. *Liv.* 22, 50. clades. *Id.* 29, 24. exercitus, *h. e.* qui ad Cannas pugnavit. *Stat. Silv.* 1, 4, 87. Cannenses animae, *h. e.* in ea pugna caesorum. ℙ *Tit.* ap. *Fest.* (ut quidem emendat *Scalig.*) *Cannensem* pro cursore posuit, ducta appellatione a fuga, et consternatione militum, qui e Cannensi clade evaserant.

CANNENUFATES. V. CANINEFATES.

CANNETUM, i, n. *καλαμών*, locus ubi cannarum copia est. *Pall.* 3, 23. et 54. *sub f.* Canneta ponenda sunt.

CANNEUS, a, um, adj. qui ex canna est. *Colum.* 12, 50. Canneae tegetes.

CANNICIUS, a, um, adj. canneus. Legitur ap. *Pall. in lemmate tit.* 13. *l.* 1. De cameris canniciis. Eo autem titulo docet *Pall.* rationem conficiendarum camerarum in aedificiis agrestibus, ex tabulis, aut cannis. ℙ *Cannicia, ae*, idem est quod cannetum. *Innoc. De casis litt.* p. 225. *Goes.* Sub se cannicias, et res palustres habet.

CANNULA, ae, f. *φιλὶς*, parva canna. *Appul. Met.* 4. Parva casula cannulis temere contecta. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 13. Pulmonis cannula, quam Graeci arteriam vocant.

CANO, is, cecini, cantum, a. 3. *ᾄδω, μέλπω*, vocem variando et modulando cantum edo. Etymon ab inusit. *χάνω* pro *χαίνω*, hiante ore vocem edo, hisco. *Cic. Tusc.* 2, 4. *ad f.* Si absurde canat is, qui se haberi velit musicum. *Id. Or.* 8. *in f.* Inclinata, ululantique voce canere. *Id. Nat. D.* 3, 11. Canere ad harmoniam. *Id. Tusc.* 1, 2. ad tibicinem. Sic *Id. Tusc.* 4, 2. ad tibiam. Et *Quint.* 1, 10. ad citharam. *Cic. Or.* 2, 86. carmen aliquod. *Gell.* 19, 9. versus voce admodum quam suavi. *Hor. Ep.* 2, 2, 9. indoctum, sed dulce. *Cic. Div.* 1, 7. Corvus canit. *Id. ib.* 2, 26. Victores galli canere solent. *Virg. G.* 1, 378. (et *Plin.* 8, 58, 83.) Et veterem in limo ranae cecinere querelam. *Ter. Phorm.* 4, 4, 27. Gallina cecinit. ℙ Saepe ponitur pro narrare aliquid versibus; item pro laudare, praedicare, celebrare. [*Genus dicendi oriundum ex antiquissimorum poetarum more, carmina sua decantantium.] *Hor. Sat.* 1, 10, 42. Pollio regum facta canit. *Id. ib.* 2, 4, 11. Ipsa memor praecepta canam. *Id. ib.* 3, 4. Nil dignum sermone canis. *Virg. Ecl.* 6, 3. Cum canerem reges, et proelia. *Petr. Satyr.* 2. Lyrici Homericis versibus canere timuerunt. *Virg. G.* 4, 559. Haec super arvorum cultu, pecorumque canebam, Et super arboribus. *Hor. Od.* 4, 15, 29. Virtute functos, more patrum, duces, Lydis remixto carmine tibiis, Trojamque, et Anchisen, et almae Progeniem Veneris canemus. *Cic. Tusc.* 1, 2. Canere de clarorum hominum virtutibus. *Quint.* 1, 10. laudes heroum, ac Deorum. *Ov. Her.* 15, 28. Jam canitur toto nomen in orbe meum. *Stat. Theb.* 8, 553. longa laude canendus. *Mart. Spect.* 5. Quidquid fama canit, donat arena tibi. ℙ Item pro vaticinari, praedicere, tum quia vates divinandi oestrum habere dicuntur, tum quia omnia fere oracula futurorum carmine vulgari consueverunt. *Cic. Cat.* 3, 8. Ut haec, quae nunc fiunt, canere Dii immortales viderentur. *Nep. Att.* 16. Non solum ea, quae se vivo acciderunt, futura praedixit, sed etiam quae nunc usuveniunt, cecinit, ut vates. *Tibull.* 1, 7, 56. Canere eventus. *Sil.* 3, 687. responsa, Et 4, 131. omnia alicui. *Tac. Ann.* 14, 32. Et feminae in furorem actae, adesse exitium, canebant. Adde *Hist.* 4, 54. et *Liv.* 1, 7. et 5, 15. et 30, 28., *Virg. A.* 8, 534. et *Hor. Od.* 1, 15. 4. ℙ Significat etiam musicum sonum organo aliquo edere. *Cic. Div.* 2, 59. Canere voce vel fidibus. *Id. ib.* 1, 17. Lituus, quo canitur. *Varr. L. L.* 4, 23. Canere cornu. *Quint.* 1, 10. tibiis. *Tac. Ann.* 14, 14. cithara. *Cic. Verr.* 2, 3, 44. Cum in eis conviviis symphonia caneret. *Id. Or.* 12. Canere bellicum. *Sall. Cat.* 62. Catilina signa canere jubet. *Caes. B. C.* 3, 82. Classicum apud eum cani, et alterum illi jubet praetorium tendi. *Liv.* 24, 46. Ubi quartae vigiliae signum cecinisset. *Cic. Phil.* 12, 3. *extr.* Canere receptui. ℙ In illo *Sev. A.* 295. Carmineque irriguo magni cortina theatri Imparibus numerosa modis canit arte regentis; *canit* idem est ac resonat. Simile est illud *Lucr.* 1, 256. Frondiferasque novis avibus canere undique silvas. ℙ *Canere surdis auribus* proverbio dicitur pro monere, vel hortari nolentem audire (*tauben Ohren predigen*). Habet *Liv.* 40, 8. ℙ Illud etiam in proverbium abiit, quod Antigenidam tibicinem discipulo sane frigenti ad populum dixisse, narrat *Cic. Brut.* 50. *Mihi cane, et Musis:* quo monemur, pluris faciendum esse unius sapientis viri judicium, quam imperitae multitudinis: vel, ut est ap. *Val. Max.* 3, 7. *ext. n.* 2., perfectam artem, fortunae lenocinio defectam, fiducia tamen justa non exui; quamque scit se laudem mereri, eam etsi ab aliis non impetret, domestico tamen acceptam judicio referre. ℙ *Intus canere*, et *sibi canere* quid sit, V. in ASPENDIUS. ℙ *Canerit* pro *cecinerit* ex Auguralibus libris affert *Fest.* in *Rumentum:* et *canui* pro *cecini* olim dictum fuisse, ait *Serv.* ad *G.* 2, 384. V. OCCANO, et OCCINO. A *canui* est *caniturus*, ut a *nocui nociturus*, a *monui moniturus.* Habetur autem *in f. cap.* 8. *Apocalyps.* Angelorum, qui erant tuba canituri. ℙ *Cante* per syncopen pro *canite* legitur in quodam Saliari carmine ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Divum exta cante, divum Deo supplice cante. ℙ Cano, is, i. q. *caneo.* V. Caneo.

CANOBUS. V. CANOPUS.

CANON, onis, m. regula, norma, lex. Graeca vox, et Graece usurpata a *Cic. Fam.* 16, 17. Sed heus te, qui *κανὼν* esse meorum scriptorum soles. ℙ *Canones grammatici* sunt praecepta artis grammaticae. *Auson. ep.* 136. Is demum excessit grammaticos canonas. ℙ *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 2. narrat, Polycletum inter alia opera fecisse simulacrum adeo exacte ad artis leges omnes elaboratum, ut ceteri postea artifices lineamenta artis ab eo peterent, velut a lege quadam; et ob id *canona* ab iisdem fuisse appellatum. ℙ Est etiam certa, et annua pensitatio alicui persolvenda, qualis erat is, quo sub imperatoribus conferebatur quotannis certa frumenti mensura ad annonam urbis Romae: item generatim quaecumque annua praestatio. *Ascon.* ad illa verba *Cic. Verr.* 2, 2, 2. Quando illa frumentum, quod deberet, non ad diem dedit? quando id, quod opus esse putaret, non ultro pollicita est? quando id, quod imperaretur, recusavit?

Omne, *inquit*, genus pensitationis in hoc capite positum est, canonis, oblationis, indictionis. *Spart. Sev.* 8. Rei frumentariae ita consuluit, ut excedens vita septem annorum canonem P. R. relinqueret. *Lamprid. Elagab.* 27. *in f.* Canon frumentarius. *Imp. Justin. Cod.* 4, 66, 3. *a med.* Solvere emphyteuticum canonem. *Imppp. Grat., Val.* et *Theod. ib.* 10, 10, 10. Canon aurarius. *Iidem ib.* 11, 6, 2. metallicus. *Imppp. Val., Theod. et Arc. ib.* 12, 40, 1. vestium. ℙ Ap. *Vitr.* 10, 13. est *canon* arca in machina hydraulica, in qua servatur aer, et per canales distribuitur. *Vitr.* ibi modo Latine appellat, modo Graece *κανόνα μουσικόν. Id. ib.* Inter tabulam et canona regulae sunt interpositae.

CĀNONĪCĀRII, orum, m. plur. dicuntur a *Justiniano in novell. Constit.* 30. et a *Cassiod. Var. form.* 6, 8. et *ep.* 12, 13. qui publicum canonem a privatis exigunt.

CĀNONĪCUS, a, um, adj. *κανονικὸς*, ad canonem spectans, regularis. *Canonica ratio* in musica dicitur, quae longitudines et altitudines vocis emetitur, ut *Gell.* 16, 18. *Vitr.* 1, 1. Architectus musicen sciat oportet, uti canonicam rationem, et mathematicam notam habeat. Adde 5, 3. *ad f.* ℙ Apud astronomos est qua siderum motus, situm et aspectum dimetiuntur. *Plin.* 1. *Hist. nat. in elencho l.* 2. *n.* 12. Errantium motus, et luminum canonica, *h. e.* rationes et regulae, *τὰ κανονικά. Id.* 2, 17, 14. Sed ratio quoque canonica fallit. Namque apparet, absidas quoque earum etc. *Hard.* hic monet, in MSS. quibusd. legi *canonicos*, hoc est hujusmodi canonicae rationis in astronomia peritos. *August. Civ. Dei* 3, 15. Canonicae defectiones solis, *h. e.* quae statis temporibus, et certo siderum cursu fiunt. ℙ Refertur etiam ad annuam pensionem, quae *canon* dicitur. *Imp. Constant. Cod.* 12, 62, 2. Canonicae pensitationes. *Impp. Arc. et Honor. Cod. Theod.* 11, 17, 3. Canonici equi, *h. e.* qui pro canone solvuntur. *Imp. Constant. ib.* 9, 1. Vestes canonicae.

CĀNOPAEUS vel Canopīus, a, um, adj. ad Canopum pertinens, *Κανώπειος. Catull.* 66, 58. Grata Canopaeis incola litoribus. Al. leg. *Canopiis.*

CĀNOPĪCUS, a, um, adj. *Κανωπικὸς*, id. q. Canopaeus. *Plin.* 5, 10, 11. et *ib.* 31, 34. Canopicum Nili ostium. *Id.* 12, 24, 51. Canopica arbor. ℙ [*Canopica* absolute sunt genus quoddam crustulorum, quod ab urbe Canopo, boni tritici feracissima, nomen accepisse credibile est, ut alia itidem edulia Alexandrina ab *Apicio* 4, 1. memorata. *Vespae judic.* 47. ap. *Wernsdorf. Poet. Lat. min. T.* 2. p. 229. Nos adipata damus, nos grata Canopica vobis. *F.*]

CĀNOPĪTAE, arum, m. plur. Canopi incolae. *Cic.* ap. *Quint.* 1, 5. Canopitarum exercitus. A *Celso* 6, 6. *n.* 25. et 28. memoratur collyrium Canopite.

CĀNOPĪTĀNUS, a, um, adj. id. q. Canopicus. *Solin.* 31. Quod ab Atlante adusque Canopitanum ostium panditur.

*CANOPĪTIS, e, i. q. Canopicus. *Cels.* 6, 6. Canopite collyrium. *Id. ib.* Canopite. *subint.* collyrium. *B. A.*

CANOPĪUS. V. CANOPAEUS.

CĀNOPUS, i, m. nunc *Abukir*, *Κάνωπος* et *Κάνωβος:* est vocabulum ex duabus vocibus Egyptiis compositum, et significat *auream terram:* urbs cum insula Aegypti apud ostium Nili occidentale, quod inde *Canopicum* dictum est, aliis Heracleoticum, vel Naucraticum: condita a Menelao, qui, devicta Troja, eo vi ventorum cum Helena delatus est, et nominata a Canopo Amyclaeo ejus gubernatore, qui ictu serpentis, quem haemorrhoida vocant, ibi interiit, et sepultus est, ut *Plin.* 5, 31, 34., *Tac. A.* 2, 60. et *Solin.* 31. narrant. *Juven.* 15, 46. famosum Canopum vocat: ob profligatam luxuriam, qua populus ille male audiebat. Est enim ea regio fertilissima: ex abundantia autem rerum omnium luxuria viget. Hinc *Lucan.* 8, 543. Et Pelusiaci tam mollis turba Canopi. Et *Stat. Silv.* 3, 2, 111. Curve Therapnaei lasciviat ora Canopi. ℙ Pro ipsis Aegyptiis accipitur in illo *Lucan.* 10, 64. *de Cleopatra.* Et Romana petit imbelli signa Canopo. ℙ *Serv.* ad *G.* 4, 287. appellat *Canobum*, non *Canopum*, eum, qui huic urbi nomen dedit. Quin et ipsam urbem alii *Canobum* dicunt. ℙ *Inscr.* in *Antiquit. Benevent. cl.* 6. *n.* 3. C. Umbrio Eudrasto C. F. Stel. patrono coloniae Beneventanorum ..... quod is a solo Canopum propriis sumptibus perfecerit etc. *Canopus* videtur *Joanni De Vita*, esse aedificium amoenum, in quo collegium Martensium sacrorum, ludorum, coenarum causa convenirent. Simile quiddam habes apud *Spartian. Hadrian.* 26. [*Ant. Nibbyus*, *Viagg. Antiquar. T.* 2. p. 132., ubi Hadriani villam Tiburtinam describit, ex *Spartiani l. c.*, et ex reliquiis aedificiorum, quae ibidem adhuc exstant, ostendit, Canopum fuisse templum ad similitudinem illius, quod Canopi erat, ab Hadriano imperatore Tibure exstructum. Hinc verisimile videtur, idem omnino fuisse Canopum illud in Beneventana inscriptione memoratum. *F.*] ℙ Dei *Canopi* figuram passim videre est in priscis monumentis, nummis, et gemmis, quam ita describit *Rufin. Hist. Eccles.* 2, 26. Ipsum Canopi simulacrum pedibus perexiguis, attracto collo, et quasi sugillato, ventre tumido in modum hydriae, cum dorso aequaliter tereti formatur. Plura de eodem habet *Jablonsk. Panth. Aegypt.* 5, 4. [*Cf. *Creuz. l. l.* 1, 314. sqq.] ℙ Est etiam hoc nomine stella ingens, et clara, et primae, ut vocant, magnitudinis, in parte australi, et nobis inconspicua, in ipso temone navis Argo. *Manil.* 1, 215. Idcirco terris non omnibus omnia signa Conspicimus: nusquam invenies fulgere Canopum, Donec Niliacas per pontum veneris oras. Adde *Vitr.* 9, 7., *Plin.* 2, 70, 71. et *Lucan.* 8, 181. ℙ Ap. *Mel.* 2, 7. et *Lucan. l. c.* legitur *Canopos* in recto casu Graeca positione.

CĀNOR, oris, m. *μέλος. Ov. A. Am.* 3, 315. Res est blanda canor: discant cantare puellae. Pro facie multis vox sua lena fuit. Adde *Lucr.* 4, 181. et *Quint.* 1, 10. ℙ Item sonus. *Id. Her.* 16, 180. Moenia Phoebaeae facta canore lyrae. *Virg. G.* 4, 71. Aeris canor, *h. e.* tubae. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 5. et bella truci memorata canore, *h. e.* magnis versibus, et epica materia dignis.

CĀNORE, adv. *ἐμμελῶς*, canendo, cum cantu. *Appul. Doctr. Plat.* 1. Musice mundus et canore movetur.

CĀNORUS, a, um, adj. cum canore et sonitu conjunctus, *ᾠδικὸς, λιγύθροος, ἐυμελής. Cic. Brut.* 66. Vox suavis et canora. *Id. ib.* 27. Canorus orator, *h. e.* canoram vocem habens. [*Id. Off.* 1, 37, 133. sine contentione vox, nec languens nec canora.] *Id. Senect.* 9. Omnino canorum illud in voce splendescit etiam, nescio quo pacto in senectute. *Quint.* 11, 3. Canoro quodam modo in funeribus proclamare. *Cic. Div.* 2, 26. *in f.* Gallus animal canorum. *Hor. Od.* 2, 20, 15. Ales canorus, *h. e.* cycnus. *Colum.* 7, 12. Canis vasti latratus et canori. *Plin.* 11, 26, 32. Canorae cicadae. *Virg. A.* 9, 503. Aes canorum, *h. e.* tubae. *Id. ib.* 6, 120. et *Hor. Od.* 1, 12, 11. Canorae fides. *Senec. Troad.* 321. Canora chelys. *Ov. Fast.* 6, 671. turba canora, *h. e.* tibicines. *Hor. Ep.* 2, 2, 76. Canori versus. *Id. A. P.* 322. Nugae canorae, *h. e.* versus inepti. *Plin.* 4, 8, 15. Fluvius canorus avium concentu. *Hieronym. praef. ad Chron. Euseb.* Quid Psalterio canorius? ℙ Musices peritus. *Sever. Aetn.* 571. ille impiger, iste canorus.

CANOSUS, a, um, adj. id. q. canus. Legitur in quadam *epist. Valeriani Imp.* ap. *Vopisc. Prob.* 5., sed non est facile usurpanda.

CANTA. V. CANTATUS, a, um.

CANTĀBER, bra, um, adj. ad Cantabriam pertinens. *Claud. Laud. Serenae* 74. Oceanus Cantaber. ℙ *Cantaber*, *bri*, qui est e Cantabria. *Hor. Od.* 2, 6, 2. Cantabrum indoctum juga ferre nostra. *Caes. B. G.* 4, 26. Ex Aquitania et Cantabris. Adde *Plin.* 4, 20, 34.

CANTABRĀRĬUS, ii, m. vexillifer, qui cantabrum fert. *Impp. Honor. et Theod. Cod. Theod.* 14, 7, 2.

*CANTĀBRAS, ae, Indiae flumen, in Indum fluens. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

CANTABRI. V. CANTABER.

CANTĀBRĬA, ae, f. regio Hispaniae juxta Oceanum, inter Vardulos, et Astures, ubi nunc *la Biscaglia. Plin.* 34, 14, 42. et *ib.* 16, 47. et *Suet. Aug.* 21.

CANTABRĪCUS, a, um, adj. ad Cantabriam pertinens. *Hor. Ep.* 1, 18, 55. Cantabrica bella. *Suet. Aug.* 29. expeditio. *Plin.* 3, 3, 4. Cantabrici populi. ℙ *Cantabrica*, *ae*, herba est caule junceo pedali, in quo sunt flosculi oblongi, veluti calathi, in his semen perquam minutum: dicta a Cantabris, qui eam invenerunt. *Plin.* 25, 8, 47. ℙ Apud *Veg. Vet.* 3, 57. legitur *Succus Cantabricus*, nempe furfuraceus ex cantabro derivandus: sed ibi fluctuat lectio, et quidam ibidem legere malunt *cantharum aquae.*

[CANTABRĬUS, a, um, adj. idem videtur esse ac Cantabricus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 709, 2. Timotheus Cantabrius. *F.*]

CANTĀBRUM, ri, n. furfur, vel tritici purgamentum, ex quo panis sordidus fit. Quidam deducunt a Cantabrorum gente, qui utpote durum genus hominum, furfuraceo pane usi fuerint. *Coel. Aur. Tard.* 3, 2. *sub f.* Decoctio cantabri, aut succus ptisanae. Et *ib.* 4, 3. Vaporatio stymmatum, aut cantabri colligati, vel in aceto decocti. *Apic.* 7, 1. Vulvam ut tostam facias. In cantabro involve, et postea in muriam mitte etc. *Vet. Schol. Juven.* ad 5, 11. far caninum exponit cantabrum. ℙ Item genus vexilli apud imperatores Romanos: de cujus appellationis causa alii alia commenti sunt, sed valde incerta, et nimis multis enarranda, si persequi omnia velim. *Minuc. Fel. Octav.* 29. Nam et signa ipsa, et cantabra, et vexilla castrorum, quid aliud, quam inauratae cruces sunt et ornatae? *Tert. Apol.* 16. Sipara illa vexillorum, et cantabrorum, stolae crucium sunt. V. hic Interpr.

CANTĀBUNDUS, a, um, adj. cantans. *Claud. Quadrigar.* ap. *Gell.* 9, 13. Gallus sua disciplina, scuto projecto, cantabundus. Al. leg. *cunctabundus*, al. *captabundus*, quia *captare* et *captatio* gladiatoria verba sunt. Sed prior lectio praefertur ab eruditis. Confer quae habet *Liv.* 21, 28. de Gallis cantu ad pugnam procedentibus. *Petr. fr. Trag.* 62. *Burm.* Sedeo ego cantabundus et stellas numero.

*CANTĀCES, um, populi Asiae ulterioris, cis Indum, in Aziana regione. *Plin.* 6, 23. si lectio certa. *B. A.*

CANTĀMEN, inis, n. veneficium magicis carminibus factum, incantamentum, *ἐπῳδή. Prop.* 4, 4, 49. O utinam magicae nossem cantamina Musae. *Appul. Apol.* Sanguinem profluentem cantamine sistere. *Id. Met.* 2. Dira cantamina.

CANTĀTĬO, onis, f. *ᾆσμα, ᾠδή*, cantus, cantio, canticum. *Pl. Stich.* 5, 5, 19. Lepidam et suavem cantationem aliquam occipito. Alii plerique leg. *cantionem. Appul. Met.* 2. *ad f.* Cantationibus permulcere animum. *Varro* quoque hanc vocem agnoscit *L. L.* 5, 7. *sub f.* ℙ Pro incantamento, *Firmic. Mathes.* 3, 6. *post med.* Valetudines remedio aliquo, aut cantationibus compescere.

CANTĀTĪVUS, a, um. V. ANTECANTATIVUS.

CANTĀTOR, oris, m. *ἀοιδὸς, ᾠδὸς*, cantor. *Mart.* 13, 77. Cantator cycnus funeris ipse sui. ℙ *Gell.* 16, 19. Vetus et nobilis Ario cantator fidibus fuit. ℙ Agnoscit etiam *Varro L. L.* 7, 32., ubi tamen alii ita legunt, ut neget *Varro*, Latine recte usurpari.

CANTĀTRIX, icis, f. cantrix, *μολπάστρια. Claud. B. Gild.* 448. Imploret citharas, cantatricesque choreas. ℙ Item quae cantaminibus veneficia facit. *Appul. Met.* 2. Cantatrices aniculae alienam sepulturam antevortunt. Et *ib.* Cantatrices anus exuviis meis imminentes.

CANTĀTUS, a, um, part. v. *canto. Gell.* 4, 5. Versus hic scite factus cantatusque esse a pueris urbe tota fertur. ℙ Item versibus narratus, celebratus, laudatus. *Ov. Amor.* 2, 1, 29. Cantatus Achilles. *Id. Her.* 12, 137. Hymen cantatus. *Mart.* 7, 14. *de puella.* Vel Stellae cantata meo. *Id.* 9, 50. Haec est illa meis multum cantata libellis. *Sil.* 11, 447. Jussit in immensum cantatas surgere turres, *h. e.* cantando excitatas et exstructas: loquitur de Amphione, qui Thebas sono lyrae condidit. *Stat. Th.* 10, 504. gurges cantatus olore, *h. e.* in quo olor cantitavit. ℙ Item magicis carminibus ligatus. *Ov. Her.* 6, 84. Diraque cantata pabula falce metit. *Id. Met.* 7, 98. Cantatae herbae. Et *ib.* 14, 369. cantato densatur carmine coelum. *Prop.* 4, 5, 15. Audax cantatae leges imponere lunae. *Sil.* 1, 430. Cantatus ignis. *Lucan.* 6, 767. Cantata umbra. *Appul. Apol.* Puer carmine cantatus. ℙ *Canta* per syncopen pro *cantata* olim veteres dixisse, testis est *Paul.* ex *Festo*, ubi al. leg. *cante* pro *canite.* V. CANO.

CANTĀTUS, us, m. cantio. *Alcimus Carm.* 5, 144. *de plaga Aegyptiaca.* Ranarum foedis texit cantatibus urbes. Al. leg. *implevit saltibus urbes.*

CANTE. V. CANO.

*CANTĒCI, orum, Asiae populi, ultra Maeotidem paludem. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

CANTĒRĬĀTUS, a, um, adj. canteriis fultus. *Colum.* 5, 4. Vites, quae pedaminibus adnixae singulis jugis imponuntur, eas rustici canteriatas appellant. ℙ Scribitur et *cantheriatus.* V. CANTERIUS.

CANTĒRĪNUS, a, um, adj. ad canterium pertinens. *Pl. Men.* 2, 3, 44. Certe haec mulier canterino ritu hic astans somniat. *Plin.* 10, 75, 98. docet, etiam equos somniare. Porro hi etiam stantes aliquando dormiunt. ℙ *Canterinum hordeum*, cujus meminere *Colum.* 2, 10. et *Pall.* 10, 4. et 11, 1. est genus hordei, quo canterii et alia animalia, quae ruri sunt, melius quam tritico, aluntur et homines salubrius, quam malo tritico, vescuntur. ℙ Est etiam genus lapathi silvestris, quod *canterinum* dicitur, teste *Plin.* 20, 21, 85. fortasse, quia canterii eo libenter pascuntur. ℙ Scribitur et *cantherinus.* V. CANTERIUS.

CANTĒRĬŌLUM, li, n. parvus canterius ad aliquid fulciendum. *Colum.* 11, 3. Caepae cum fecerint caulem, humilioribus quasi canteriolis interpositis rigorem stilorum conservato.

CANTĒRĬUS, ii, m. caballus, equus castratus, ut *Varr. R. R.* 2, 7. *ad f.* et *Fest.* docent. *Cic. N. D.* 3, 5. *de Castore* et *Poll.* Eos tu canteriis albis obviam Vatieno venisse existimas. *Pl. Capt.* 4, 2, 34. Pisces foetidi, qui advehuntur quadrupedanti crucianti canterio. *Senec. ep.* 87. M. Cato censorius canterio vehebatur et hippoperis quidem positis, ut secum utilia portaret. ℙ *Canterius in fossa*, rusticum proverbium apud *Liv.* 23, 47., dicitur de re valde impedita et nullius usus, multi autem periculi. Canterius enim in fossa nihil propemodum valet et, si moveri liberius velit, facile prolabitur. Verba sunt Taureae hominis Campani de Claudio Asello, quem ille, ut secum e campo in cavam viam consereret ex equo pugnam, provocaverat; cum vero Asellus dicto citius equum in viam dejecisset, Taurea verbis ferocior, quam re

simulque in hostis sui cognomen jocatus, *Minime sis*, inquit, *canterium in fossa*, *h. e.* asellum in fossa relinquamus; et statim ad urbem refugit, relicto ibidem Asello, qui nullo obvio hoste in campum rursum evectus est. ℙ [Translate etiam dicitur de homine vetulo et viribus effeto. V. *Plauti* locum in V. ADHINNIO. *F.*] ℙ Dicitur aliquando de quovis viliori jumento. *Appul. Met.* 3. de asino: Quousque tandem canterium patiemur istum paulo ante cibariis jumentorum, nunc etiam simulacris Deorum infestum? ℙ In aedificiis *canterii*, Graece ἀμείβοντες, sunt trabes a tecti culmine usque ad extremam projecturam protensi. Habent enim quandam cum equi dorso similitudinem. In multis Italiae locis, retenta Latina appellatione, *cantieri* appellantur: dicuntur etiam *cavalli* et *saettoni*. Usurpantur hac notione a *Vitr.* 4, 2. ℙ Denique in vineis *canterius* est transversa pertica ad pedamenta firmanda et jugatam vitem sustinendam, ut *Colum.* 4, 12. et 5, 4. docet. Adde 4, 14. et 11. *sub f.*, quibus locis masculinum genus apparet. ℙ *Canterius* videtur etiam machina ad suspendendos equos, ne terram pede aegrotante contingere et impedire curationem possint. *Veg Vet.* 2, 47. Jumentum in canterio vel in scalis vel in suspenso loco. *Sunt qui legere malint:* in canterio vel in scalis velut suspensum locato. *F.*] ℙ Scribitur rectius *cantherius* cum aspiratione praesertim ab iis, qui a Graeco *καν-θήλιος* derivant. *Varr.* absurde a *canendo* deducit, his verbis *R. R.* 2, 7. *sub f.* Equi demptis testiculis fiunt quietiores: et ideo quod semine carent, ii canterii appellati. Utcumque sit de etymologia, etiam sine aspiratione legitur probaturque a *Dausquio* in *Orthograph.* At vide in V. CABALLUS, quomodo legendus et interpretandus sit l. c. *Varr.*

[CANTHĂRA, ae, f. idem ac cantharus. *Ter. Andr.* 4, 4, 30. Vidi cantharam suffarcinatam, *h. e.* corbem puero supponendo onustam et tectam. *Donat.* ad *h. l.* perperam putat *Cantharam* esse anum quandam, quae puerum ferebat. *F.*]

CANTHĂRĬAS, ae, m. gemma est innatam scarabaei effigiem habens. Nam *καν-θαρὶς* et *κάνθαρος* scarabaeum significat. *Plin.* 37, 11, 72.

CANTHĂRIS, idis, f. *καν-θαρὶς*, parvum animal volatile, scarabaeus etiam dictus, cujus plura genera *Plin.* 11, 28, 34. recenset. Sic etiam appellatur vermiculus frumenta erodens, teste *eod.* 18, 17, 44. *n.* 2. ℙ Sunt praeterea cantharides, quae vitibus nocent, ut docet *Pall.* 1, 35. ℙ Porro ex his praesentissimum venenum habent et, expresso succo, potae statim interimunt, quae in summitate ramorum fraxini vel olivae nascuntur et quae in eo rosarum genere, quae cynorrhoidi vocantur, item quae ex vermiculis ficorum, pyri, peuces et cynacanthae: qua de re multa disserit *Plin.* 29, 4, 30. et 11, 35, 41. Hinc *Ov. Ib.* 308. Cantharidum succos, dante parente, bibas. *Cic. Fam.* 9, 21. C. Carbo, accusante L. Crasso, cantharidas sumpsisse dicitur. *Plin.* 29, 4, 30. Cantharides objectae Catoni Uticensi, ceu venenum vendidisset. ℙ Est tamen non unus ex iisdem usus in medicina, ut ap. *eund. ib.* et 11, 35, 41. videre est.

CANTHARĪTES Vinum, *καν-θαρίτης οἶνος*, quod inter transmarina nobiliora *Plin.* 14, 7, 9. enumerat, dictum est a quodam vitis genere, quae *καν-θάρου ἄμπελος* a *Theophr. de caus. plant.* 2, 20. appellatur. V. ABROTONITES.

[*CANTHĂROLETHRUS, i, m. a *κάνθαρος*, scarabaeus, et *ὄλεθρος*, pernicies, locus parvus in Thracia, juxta Olynthum montem, in quo scarabaei omnes intereunt. *Plin.* 11, 28, 34. *F.* et *B. A.*]

CANTHĂRŪLUS, li, m. *καν-θάριος*, parvus cantharus. *Arnob.* 6. *sub f.* Cantharuli, forcipes, cornuaque pomifera. *Paul. Nol. in Nat. XI. S. Fel. ed. Mur.* 462. de parvo lychno usurpat.

CANTHĂRUS, i, m. *κάνθαρος*, genus poculi ansati. Sunt qui putant, hujusmodi nomen derivatum fuisse a Cantharo quodam inventore et opifice hujus poculi, hujus meminit *Pollux Onomast.* 6, 96. *Athen.* 11, 6. et *Plin.* 34, 8, 19. Cantharus Sicyonius. *Virg. Ecl.* 6, 17. *de Baccho.* Et gravis attrita pendebat cantharus ansa. *Pl. Asin.* 5, 2, 56. Mihi cantharo mulsum date. *Id. Stich.* 5, 4, 30. Propinare alicui cantharum. *Id. Pers.* 5, 2, 40. Dare bibere plenis cantharis. *Hor. Od.* 1, 20, 1. Potare modicis cantharis. ℙ Quemadmodum scyphus Herculis, ita cantharus Bacchi proprium poculum est, ut *Macr. Sat.* 5, 21. docet: quo pertinet locus *Virgilii* modo allatus, et quae de C. Mario cantharis bibente exemplo Liberi patris, narrant *Plin.* 33, 11, 53. et *Val. Max.* 3, 6. *n.* 6. ℙ Est etiam genus navigii, ut docet *Macr. l. c.*, ubi affert in hanc rem locum *Menandri* in *Nauclero:* quare ad Graecos potius haec notio pertinet. Addit autem, appellationem poculi ab ejus navigii forma derivatam esse, ut et *cymbii* a *cymba* etc. ℙ Item fistula, tubus epistomio instructus, per quem aqua salit. Quia enim hujusmodi salientes, seu emissaria variis figuris elaborare artifices solent, ut est ap. *Anson. in ep. Centoni nupt. praefixa;* quae in canthari modum facta sunt canthari appellantur. *Paul. Dig.* 30, 41. *ad f.* Sed et automataria, et canthari, per quos aquae saliunt, poterunt legari; maxime si impositicii sint. *Inscr.* ap. *Grut.* 182, 2. Perdiderat laticum longaeva incuria cursus, Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit. ℙ [Est etiam vas illud, quod in introitu templi ponitur, ad aquam lustralem continendam. *Paul. Nol.* 37, 150. Sancta nitens famulis interluit atria lymphis Cantharus, infrantumque manus lavat amne ministro. *F.*] ℙ Quidam putant, *cantharum* significare marculum, quo fores pultantur, in illo *Pl. Men.* 1, 2, 64. Mille passum commoratu's cantharum. *Me.* placide pulta etc. Sed negant alii, fortasse rectius. ℙ *Cantharus* praeterea dicitur piscis quidam marinus, succo ingratus gustui; cujus meminere *Ov. Halieut.* 105. et *Plin.* 32, 11, 32. ℙ Denique Aegyptii *cantharum* dixere nodum sub lingua Apis bovis. V. APIS, is, m. [*Cf. *Creuz.* l. l. 1, 482 seq.] **Cantharus*, i, insignis statuarius, Sicyonius. *Plin.* 34, 8. et *B. A.*

CANTHĒRĬUS cum derivatis. V. CANTERIUS.

CANTHUS, i, m. ferrum, quo rotae absis cingitur, teste *Quint.* 1, 5., ubi addit, Afrum vel Hispanum vocabulum esse, sed eo uti *Persium* tanquam recepto. *Casaub.* tamen vult esse Graecum, quod teste *Hesych. κάνθος* sit orbis oculorum. Porro *Pers.* pro ipsa rota usurpat per synecdochen, 5, 70. Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno, Vertentem sese frustra sectabere canthum, Cum rota posterior curras et in axe secundo. *Mart.* 14, 168. Iste trochus pueris, at mihi canthus erit. ℙ Fuit etiam *Canthus* filius Abantis vel Canethi vel Ceriontis, unus ex Argonautis, qui in reversione in Libya a Cephalione pastore occisus periit. *Hyg. fab.* 14. et *Val. Fl. l.* 1, 3. et 6.

CANTĬCO, as. V. CANTITO.

CANTĬCŬLA, ae, f. et

CANTĬCŬLUM, li, n. parvum canticum, *ᾠσμάτιον*. *Septimius Afer* ap. *Terent. de metr.* p. 2427. Pinea brachia cum trepidant, Audio canticulum Zephyri. ℙ Item breve carmen magicum. *Pompon.* ap. *Non.* 7, 113. Mirum ni haec Marsa est: in colubras callet canticulum. Ita habetur etiam in antiq. editionibus 1476. et 1480. Sunt tamen qui leg. *canticulam.*

CANTĬCUM, ci, n. *ᾆσμα*, *ᾄσμὸς*, *ᾠδή*, cantio, cantilena. *Petr. Sat.* 31. Paratissimus puer me acido cantico excepit. *Quint.* 1, 2. Omne convivium obscenis canticis strepit. *Mart.* 3, 63. Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat, *Appul. Flor. n.* 15. Canticum ore tereti, semihiantibus labellis eliquare. *Id. ib. n.* 17. Lusciniae canticum adolescentiae garriunt. ℙ Speciatim dicitur pars comoediae, in qua una tantum persona ad tibias canit. Tres enim comoediae partes assignat *Diom.* 3, 489. Diverbium, canticum et chorum. *Diverbium* est, quando diversi alternis colloquuntur: *canticum*, quanto unus tantum; ex quo *μονῳδία* Graece dicitur: *chorus*, quando plures simul junctis vocibus eandem rem canunt. Addit *Diom.* Latinas comoedias chorum non habere, sed diverbium solummodo et *canticum;* quod praeterea respondet aliqua ratione ei, quod Itali dicunt *intermezzo*, si ab uno tantum agatur: habetque locum etiam in tragoediis, sed rarius. Aliquando *canticum* dicitur tota fabula, in qua una dumtaxat persona est, quae agit. Plura V. apud *Voss. l.* 2. *Instit. poet.* variis in locis et *Jacob. Mazzon in Dantem* 2, 10. *Cic. Fam.* 9, 22. Forte nosti canticum, meministi Roscium. *Liv.* 7, 2. Agere canticum. *Suet. Cal.* 54. desaltare. *Id. Galb.* 13. Atellanis notissimum canticum exorsis etc. Adde *Phaedr.* 5, 7. [*Boettigerus, (*dissert. de quatuor aetatib. r. scen. ap.* Veteres,) quum sic statuisset, finito quoque actu actorem primarium ad tibiam saltando spectatores oblectasse idque vocatum esse canticum: *Herm.* in *dissert. de cant. in Rom. fab. scen., opusc.* 1, 290. sqq., demonstravit: Cantica fuisse partes ipsarum fabularum, quae non solo gestu, sed etiam oratione et cantu constitissent; non saltationes ad tibiam inter actus spectatorum oblectandorum causa exhibitas. Histriones autem egisse tantum cantica, canente alio.] ℙ Ab *Appul. Apol.* dicitur de carmine magico, quod etiam *cantamen* appellatur. ℙ Item de carmine probroso et dicteriis pleno. *Id. ib.* Fenestrae canticis circumstrepitae. *Paul. Receptar. sentent.* 5, 4, 15. Qui carmen famosum in injuriam alicujus vel alia quaelibet cantica, quo agnosci possit, componere etc. Et *mox.* Psalterium, quod vulgo dicitur canticum in alterius infamiam compositum. ℙ Adjective *Macrob. Somn. Scip.* 2, 3. Ita delinimentis canticis occupatur, ut etc.

CANTILĒNA, ae, f. *ᾆσμα*, *ᾠδὴ*, cantio, canticum, carmen. *Gell.* 9, 4. Notissima illa veterum poetarum de Caenide et Caeneo cantilena. *Id.* 19, 9. Et sicut in voluptatibus cultus atque victus, ita in cantilenarum quoque multis anteiretis. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 23. Qui non Graeci alicujus quotidianam loquacitatem sine usu, neque ex scholis cantilenam requirunt, sed etc., *h. e.* toties vulgata dicendi praecepta vel inanes rhetorum declamationes. *Id. Att.* 1, 19. ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurret Epicharmus cantilenam illam suam. *Νῆφε, καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν* etc. *Ter. Ph.* 3, 2, 16. Cantilenam eandem canere, *h. e.* eandem multis jam cognitam ac saepius repetitam rursus repetere: proverb. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 20. Totam istam cantilenam ex hoc pendere, ut quam plurimum lucri faciant, *h. e.* jactationem verborum et facti praedicationem. *Hieron. ep.* 109. *n.* 4. vocat *cantilenas librorum* libros nugarum plenos. ℙ Ap. *Fest.* in *Occentassint*, si sanus est locus, *cantilena* dici videtur de convicio vel carmine probroso.

CANTILĒNOSUS, a, um, adj. metricus. *Sidon. ep.* 3, 14. Meas nugas sive confectas opere prosario seu poetarum stilo cantilenosas lectione dignaris. Adde *ep.* 4, 1.

CANTILLO, as, avi, atum, a. 1. *Appul.* non semel usurpat pro cantare vel cantitare: ut *Met.* 4. Clamore ludunt, strepitu cantillant, conviciis jocantur. Et *Flor. n.* 3. Doctissime et gratissime cantillare. Adde *ib. n.* 15.

CANTĬO, onis, f. *ᾆσμα*, *ᾠδή*, canticum, carmen. *Pl. Stich.* 5, 4, 25. Cantio est Graeca: *ἢ πέντε πλέ', ἢ τρὶς πλέ', ἢ μὴ τέτταρα. Id. ib.* 5, 6, 8. Redde cantionem veteri pro vino novam. *Front.* ad *Verum* 1. An tu cycnum coges in ultima cantione cornicum voculas aemulari? ℙ Item cantamen. *Cic. Brut.* 60. Idque veneficiis, et cantionibus Titiniae factum esse dicebat. Adde *Cat. R. R.* 160.

CANTĬTO, as, avi, atum, a. 1. saepius canto. *Cic. Brut.* 19. Carmina, quae in epulis esse cantitata, in Originibus scriptum reliquit Cato. Adde *Varr. L. L.* 5, 7. *sub f.* et *ib.* 7, 32. ℙ In illo *Appul. Met.* 6. Ceterae, quae dulce cantitant aves: Quidam leg. *canticant:* sed non est facile admittendum.

*CANTIUM, i, *Κάντιον*, regio Britanniae, in ora orientali cum promontorio cognomine, ubi Caesar e Gallia profectus terram primum tetigit. *Caes. B. G.* 5, 13. et 22. Hod. regionis nomen *Kent*, promontorii forte, *North Foreland. B. A.*

CANTĬUNCŬLA, ae, f. *ᾠσμάτιον*, brevis cantus, canticulum, breve carmen. *Cic. Fin.* 5, 18. *ad f. de sirenibus.* Cantiunculis aliquem irretitum tenere.

CANTO, as, avi, atum, a. 1. *ᾄδω*, cano, cantum edo. Eosdem fere habet usus, quos *cano*, eandemque usurpandi rationem. *Cic. Catil.* 2, 10. Hi pueri cantare et saltare didicerunt. *Ter. Eun.* 3, 1, 53. Provocare aliquem cantatum. *Nep. Epam.* 2. Nam et citharizare et cantare ad chordarum sonum doctus est. Et *ib.* Cantare carmina tibiis. *Cic. Div.* 2, 26. *in f.* Deos gallis signum dedisse cantandi. ℙ Pro carmina dicere, et rem aliquam prosequi versibus, laudare, praedicare. *Hor. Od.* 1, 6, 17. Nos convivia, nos proelia virginum Cantamus vacui. *Cic. Q. Fr.* 2, 13. Istum jampridem canto Caesarem. *Virg. Ecl.* 5, 54. Dignus cantari. *Ov. Amor.* 1, 3, 25. per totum cantabimur orbem. Et *ib.* 2, 17, 33. Nec, nisi tu, nostris cantabitur ulla libellis. ℙ Item frequenter in ore habere, inculcare. *Ter. Heaut.* 2, 3, 19. Qui harum mores cantabat mihi. *Pl. Trin.* 2, 2, 10. Haec dies, noctesque tibi canto, ut caveas. ℙ Item fabulas versu narrare. *Juven.* 4, 35. Incipe Calliope: licet hic consistere: non est Cantandum: res vera agitur. ℙ *Cantare* etiam dicuntur histriones, dum in scena fabulas agunt. [*Minime! cantare dicuntur, qui versus canunt, dum histriones cantica tacentes agunt, sive saltant. Cf. *Herm. l. l.* 301. et quos ibi laudat.] (V. CANTOR.) Nam et versibus eas enarrant, et ad tibias canunt. *Suet. Ner.* 21. Cantare Nioben. Et *ib.* tragoedias. ℙ *Cantare ad manum histrioni* ap. *Liv.* 7, 2. est cantare, seu cantu recitare fabulam in scena simul cum histrione, qui eodem tempore eam manibus gesticulatur. V. integrum *Livii* locum, et *Val. Max.* 2, 4. *n.* 4. ℙ Cantant etiam mali recitatores et declamatores, qui fracto utuntur pronunciationis genere, et cantui simili. Quo pertinet illud *C. Caesaris* ap. *Quint.* 1, 8. Si cantas, male cantas: si legis, cantas. *Quint.* 11, 3. Quodcumque ex his vitium magis tulerim, quam quo nunc maxime laboratur in causis omnibus, scholisque, cantandi. V. ibi plura hac de re. ℙ *Cantare surdo* ap. *Prop.* 4, 8, 47. et *ad surdas aures* ap. *Ov. Amor.* 3, 7, 61. idem est quod *canere surdis auribus.* V. CANO. ℙ Significat etiam magicis carminibus incantare. *Virg. Ecl.* 8, 71. Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. *Sil.* 8, 498. et chelydris cantare soporem. ℙ Praeterea *cantare* dicitur de sono alicujus organi musici. *Nep. Praef.* Cantare scienter tibiis. *Pl. Epid.* 3, 4, 64. Cantare fidibus alicui. *Prop.* 4, 10, 29. pastoris buccina lenti Cantat. *Ov. Fast.* 6, 659. Cantabat fanis, cantabat tibia ludis, Cantabat moestis tibia funeribus. ℙ Festive *Pl.* cantare litteras dicit, quae aperte aliquid significant, ut *Bacch.* 4, 9, 60. Tabellas obsignatas dedit: tibi me jussit dare. Sed metuo, ne idem cantent, quod priores. Et *Rud.* 2, 5, 21. Urna haec litterata est: ab se cantat, cuja sit. [*Observandum, *cantare* dici his locis ea, quae minus laetum nuntium afferant.] ℙ Apud *eund. Most.* 4, 2, 65. Vera cantas: vana

vellem, *h. e.* aperte dicis, narras, praedicas. ℙ Part. *Cantans* ap. *Ov. Trist.* 4, 1. Cantantis ancillae labor.

*CANTOCAPTAE, arum, Asiae populi, ultra Maeotidem paludem. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

CANTOR, oris, m. ἀοιδός, ᾠδός, qui cantat. *Hor. Sat.* 1, 3, 1. Omnibus hoc vitium est cantoribus etc. ℙ Item versificator, poeta. *Id. A. P.* 407. ne forte pudori Sit tibi Musa lyrae solers, et cantor Apollo. ℙ Item histrio, qui in scena fabulam cantat. *Id. ib.* 155. donec cantor, vos plaudite, dicat. *Salm. in comment. ad Vopisc. Aurel.* 7. docet, cantorem proprie dici de eo, qui tragoediam agit, sicut *saltatorem* de eo, qui comoediam: sic *cantare* de tragoediis dici, *saltare* de comoediis. [*Quomodo haec aliter intelligenda sint, dictum est in *cantare.*] Affert in hanc rem locum *Suet. Cal.* 54. Threx, et auriga; idem cantor, atque saltator. Et *mox.* Canendi, et saltandi voluptate ita efferebatur, ut etc. *Cic.* tamen *Sext.* 55., ubi de *Simulante Afranii* comoedia verba facit, *cantores* appellat qui eam agebant. [*Graecis χορευταί.] ℙ Translate *cantor* dicitur, qui aliquid saepe dicit, et inculcat. *Cic. Or.* 1, 55. *ad f.* Jurisconsultus ipse per se nihil est, nisi legulejus quidam cautus et acutus, praeco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum. Sunt qui aliter leg. *Pl. Ps.* 1, 3, 125. *Cal.* Ingere mala multa. *Ps.* Jam ego te differam dictis meis, impudice. *Cal.* Furcifer. *Ps.* Parricida. *Cal.* Perjure. *Ps.* Fraudulente. *Cal.* Impure leno. *Ps.* Coenum. *Ball.* Cantores probos!

CANTRIX, icis, f. μολπάστρια, quae canit. *Pl. Trin.* 2, 1, 23. Flabelliferae, sandaligerulae, cantrices, cistellatrices. *Varr. R. R.* 3, 5. Intra retem aves sunt omne genus, maxime cantrices, ut lusciniolae, ac merulae. Adde *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 58.

CANTŬLUS, i, m. diminutivum cantus. *Firm. Math.* 3, 12. Cantulus et organum.

CANTŬRIO, is, n. 4. ψιθυρίζω, submissa voce cantillo. *Petron. fragm. Tragur.* 64. *Burm.* Canturire belle. *Paul.* ex *Festo* in *Dagnades.* Aves, quae vellicando, morsicandoque, et canturiendo assidue, non patiuntur dormire potantes. Al. leg. *cantitando*, sed invito, immo adversante *Scalig.* Adde *Not. Vir.* p. 173. Canturit.

CANTURNUS, nomen loci. *Festus.*

CANTUS, us, m. μέλος, vocis modulatio. *Cic. Or.* 3, 25. Quanto molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones, et falsae voculae, quam certae et severae! Et *ib.* 2, 8. Cantus dulcis. *Id. Arch.* 8. Flectere aliquem cantu. *Quint.* 5, 8. aliquem delinire. *Virg. A.* 7, 34. mulcere aethera. *Tac. A.* 13, 3. Exercere cantus. *Cic. Prognost. Divin.* 1, 8. fundere. *Catull.* 64, 306. edere. *Virg. A.* 1, 402. et *Ov. Fast.* 2, 767. Dare cantum. *Juven.* 6, 378. Gaudere cantu. *Hor. Sat.* 1, 1, 10. Cantus galli. *Tibull.* 1, 9, 4. avis. *Virg. G.* 1, 403. noctuae. ℙ Pro carminibus. *Sil.* 8, 595. Evehere aliquem ad sidera cantu. *Tac. A.* 15, 34. Per compositos cantus Diis grates agere. *Catull.* 64, 306. Veridicos Parcae coeperunt edere cantus. ℙ Et pro carminibus magicis. *Tibull.* 1, 2, 60. Cantibus, atque herbis solvere amores. *Val. Fl.* 6, 448. Aemoniis agitare cantibus umbras. Adde *Ov. Her.* 12, 167. et *Met.* 4, 49. ℙ Est etiam sonus musicus. *Cic. Rosc. Am.* 46. Quotidiano cantu vocum, et nervorum, et tibiarum tota vicinitas personabat. *Id. Verr.* 2, 5, 13. Lucum illum percrepare totum mulierum vocibus, cantuque symphoniae. *Id. Tusc.* 5, 36. Moderari arbitrio suo cantus, numerosque tibiae, aut fidium. *Id. Mur.* 9. Cantus buccinarum. *Hor. Od.* 3, 1, 20. citharae. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 12. lyrae.

CANŬLEJUS, a, um, adj. ad Canulejum pertinens, quod est nomen proprium R. *Canuleja lex* lata fuit a C. Canulejo trib. pleb. an. U. C. 309. M. Genucio, C. Curtio Coss., ut consules etiam de plebe creari possent, et ut plebeji cum patriciis matrimonio jungi possent. *Liv.* 4, 1. et seqq., *Flor.* 1, 25. *Cic. De rep.* (ed. *Maio*) 2, 37. Canuleium plebiscitum.

[CĂNUM, i, n. κάνης, ab inusit. κάω, unde Latinum *cavo:* canistrum, calathus. *Festus.* Canephora mulier appellatur, quae fert canum, id est qualum, quod est cistae genus. *Id.* Cana dicunt Graeci, nos canistra, et per deminutionem canistella. ℙ Videtur vox *canum* orta a κάνεον, Attice κανοῦν, et plur. κάνεα, κάνα, nam haec habet *Varr. L. L.* 4, 25. Tryblia, et canistra, quae putant esse Latina, sunt Graeca: τρύβλιον, et κάνεον Graeca sunt. *F.*]

CĂNUS, a, um, adj. πολιός, albus, et dicitur de capillis et pilis, qui in senectute albescunt. *Hor. Od.* 2, 11, 15. Cani capilli. *Pl. Asin.* 5, 2, 84. Cano capite esse. *Mart.* 4, 36. Cana barba. *Catull.* 61, 162. anilitas. *Id.* 108, 1. senectus. *Tibull.* 1, 9, 29. Canus amator. ℙ *Cani, orum,* sunt capilli cani. *Cic. Senect.* 18. Non cani, non rugae repente auctoritatem arripere possunt. *Ov. Met.* 8, 9. Cani honorati. ℙ Sumitur saepe pro albo. [*Tum vero albedo est cum nitore conjuncta, id. q. *candidus*, quocum cognata vox est. Nam quae h. l. *cana*, eadem alias saepissime *candida* dicuntur. V. Candidus.] *Hor. Sat.* 2, 5, 41. Cana nix. *Cic. Arat.* 71. Cani fluctus, *h. e.* spumosi. Sic *Plin. ep.* 6, 31. Canum mare. *Mart.* 9, 27. Cana ligustra. *Id.* 3, 77. pellis. *Id.* 1, 50. December canus. *Ov. Ib.* 202. Quam multa fiat grandine canus Athos. *Virg. G.* 2, 376. Cana pruina. *Id. ib.* 3, 442. Canum gelu. *Ov. Met.* 2, 373. Canae plumae cycni. *Id. ib.* 5, 590. Cana salicta. *Plin.* 12, 25, 55. Cano situ obductus color. Rursus *Ov. Met.* 10, 655. *canam segetem* appellat jam maturescentem, quia eo tempore flavescit, et a viridi ad album colorem accedit. ℙ Item pro sene, aut antiquo, prisco. [*Haec enuntiatio vera non est: nam quod primo loco exemplum positum, id recte quidem ipse *Forc.* ad colorem retulit; alterum pertinet ad proxime sequentia, ubi de translata h. v. significatione res est.] *Ov. Met.* 6, 527. velut agne pavens, quae saucia Ore excussa lupi. Hic vero *canus lupus* non senex, sed qui cinerei est coloris: qualem referunt lupi cujuscumque aetatis. *Martial.* 8, 80. Sanctorum nobis miracula reddis avorum, Nec pateris, Caesar, saecula cana mori. ℙ Hinc translate. *Id.* 1, 16. Si quid longa fides, canaque jura valent. *Varr.* ap. *Non.* 2, 138. et 4, 25. Et ecce de improviso ad nos accedit cana veritas, Atticae philosophiae alumna. *Virg. A.* 1, 296. Cana Fides, et Vesta, ubi *Servius:* Canam fidem dixit, vel quod in canis hominibus invenitur, vel quod ei albo panno involuta manu sacrificabatur: per quod ostenditur fidem debere esse secretam: [*Mira sane explicatio! *Cana fides* est, quae tanquam multorum annorum virtute probata perstitit.] unde et *Hor. Od.* 1, 35, 21. et albo rara fides colit Velata panno. *Virg. A.* 5, 744. et canae penetralia Vestae, ubi *Servius:* Aut antiquae, aut propter ignis favillas.

CĂNŪSĬA, ae, f. et Cănŭsium, ii, n. nunc *Canosa*, urbs celeberrima Apuliae Dauniae, apud Aufidum fluvium, a Diomede olim condita: ut *Plin.* 3, 11, 16. et *Hor. Sat.* 1, 5, 92. testantur. Ibi lanae nativo colore laudatissimae nascebantur. V. CANUSINUS. [*Inscr.* ap. *Murat.* 1037, 3. Q. Volumnius M. F. Asiaticus II. Vir Canusiae. Alia ap. *eund.* 659, 3. Colonia Aurelia Aug. Pia Venusium. *Hor. l. c.* Nam Canusi (pro Canusii) lapidosus panis. *F.*]

CĂNŪSĪNĀTUS, a, um, adj. Canusina veste indutus. *Suet. Ner.* 30. Muliones canusinati. *Mart.* 9, 23. Syrus canusinatus. V. v. seq.

CĂNŪSĪNUS, a, um, adj. ad Canusium pertinens. *Varr. R. R.* 1, 8. Canusinus ager. *Hor. Sat.* 1, 10, 30. Canusini more bilinguis, *h. e.* utraque lingua utentis, Graeca et Latina. Nam primi Canusii incolae Graeci fuerant. ℙ *Canusinam lanam* recenset *Plin.* 8, 48, 73, inter eas, quae ob nativum colorem laudatissimae olim fuerunt. Eum autem colorem fulvum fuisse ait (ut quidem eum locum emendat *Harduin.* Nam alii ita legunt, ut rutilum, non fulvum colorem ei tribuerit.) *Mart.* vero 14, 127. cujus lemma est *Canusinae fuscae*, eum colorem *turbato mulso simillimum* dicit: et in lemmate *epigr.* 129. Canusinas rufas appellat. Rufus autem, fulvus, et rutilus affines colores sunt. *Vopisc. Carin.* 20. Birri Canusini.

*CĂNŪTUS, a, um, adj. *Gloss. Philox.* πολιός, canus, canutus. *B. A.*

CĂPĂCĬTAS, atis, f. χώρημα, spatium capiendi, seu locus, qui capere aliquid et continere potest. *Cic. Tusc.* 1, 25. Utrum capacitatem aliquam in animo putamus esse, quo tanquam in aliquod vas, ea quae meminimus, infundantur? *Colum.* 12, 43. *ad f.* Pro capacitate vasorum. *Front. Aquaed.* 26. Capacitas moduli. *Plin.* 10, 47, 66. Mira uteri capacitas. *Solin.* 52. Quinque millia oppidorum mira capacitate. ℙ Pro mensura cibi, quam quis capere solet, edacitate, voracitate. *Plin.* 18, 7, 12. Athletarum capacitas jumentis similis. ℙ Translate pro jure, quod quis habet capiendae hereditatis, aut legati. *Cajus Dig.* 31, 57. Tractantibus nobis de capacitate, videndum est, utrum heredis etc. Et *ib.* Nullus est dominus, in cujus persona de capacitate quaeri possit.

CĂPĂCĬTER, adv. *Augustin. Trinit.* 11, 2. *ad f.* Primordia seminum sequuntur efficaciter, et capaciter intentionem maternae animae.

CĂPĂNĒĬUS, a, um, et

CAPANĒUS, a, um, ad Capaneum pertinens. *Stat. Th.* 12, 545. Capaneia conjux. *Id. ib.* 764. Capaneaque misimus umbris Pectora. Et *ib.* 10, 832. Capaneaque signa secuti.

CĂPĂNĔUS, i, m. Καπανεύς, nomen viri trisyllabum. Fuit hic Argivus Hipponoi et Astynomes filius, Euadnes maritus, pater Stheneli, unus ex septem ducibus, qui Thebas obsederunt. Dicitur in ea obsidione usum scalarum primus invenisse, sed primus etiam poenas dedisse. Cum enim murum scandere aggressus esset, tam vehementi saxorum vi a Thebanis petitus est, ut fulmine ictum sui crediderint. *Veget. Milit.* 4, 21. ℙ In fabulis est, fulmine ictum fuisse a Jove, quod contra ejus voluntatem Thebas se capturum jactasset. *Stat. Th.* 10. *sub f., Hygin. fab.* 68. et alibi. *Stat. Th.* 11, 70. dum coetu Capaneus laudatur ab omni. *Prop.* 2, 25, 40. Aut Capanei magna grata ruina Jovi. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 40. *de Theodoro pictore:* Fecit Polynicem regnum repetentem, et Capanea. *Ov. A. Am.* 3, 21. Accipe me, Capaneu; cineres miscebimus, inquit.

[CAPARITĀNUS, a, um, adj. ad Caparam pertinens, Lusitaniae urbem, quae adhuc idem nomen servat, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Grut.* 154, 3. Viam a Capara urbe ad Emeritam usque Aug. impensa sua restituit. [*Cappara audit *Ant. Itin. B. A.*] ℙ *Caparitani, orum,* sunt incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Grut.* 367, 1. Ordo splendidiss. Caparitanorum devotus numini majestatique ejus. ℙ Apud *Plin.* 4, 22, 35. et in *Inscr.* ap. *Mur.* 856, 5. iidem *Caperenses* appellantur. *F.*]

CĂPAX, ācis, adj. δεκτικός, qui capere seu continere potest, magnus, amplus, latus. *Hor. Od.* 2, 7, 22. funde capacibus Unguenta de conchis. *Id. Epod.* 9, 33. Capaciores affer huc, puer, scyphos. *Lucr.* 6, 122. capacis moenia mundi. *Ov. Amor.* 3, 6, 19. Amnis effusus ripis capacibus. *Sil.* 17, 321. Campi capaces. *Liv.* 9, 16. Vir cibi vinique capacissimus. *Ov. A. Am.* 1, 136. Circus capax populi. *Plin.* 6, 23, 26. Flumen navium capax. *Id.* 12, 1, 5. Quindecim convivarum ac ministerii capax triclinium. *Id.* 37, 2, 7. Calix capax ad tres sextarios. *Plin. alt. ep.* 2, 17. Villa usibus capax. *Senec. Herc. fur.* 658. regnum Plutonis *capax* vocat, quia omnes mortales post vitam capit. ℙ Translate. *Cic. Or.* 29. Demosthenes non semper implet aures meas: ita sunt avidae et capaces, et semper aliquid immensum infinitumque desiderant. *Ov. Met.* 8, 533. Ingenium capax. *Id. ib.* 243. Animus capax ad praecepta. *Tac. A.* 1, 13. et *Id. H.* 1, 49. Vir capax imperii. *Vellej.* 2, 127. Laboris ac fidei capacissimus. *Plin. ep.* 1, 12. Uxor omnis secreti capacissima, *h. e.* continere sciens, et celare. *Ulp. Dig.* 43, 4, 1. Doli capax. *Id. ib.* 9, 2, 5. Impubes injuriae capax, *h. e.* qui injuria alterum potest afficere. ℙ Dicitur *capax* a JCtis, qui acquirere et possidere aliquid potest ex testamento aut legato. *Paul. Dig.* 34, 3, 29. Quod si socii sint, propter eum, qui capax est, et ille capit etc.

CĂPĔDO, edinis, f. genus vasis in sacris olim adhibiti. Videntur autem capedines eaedem esse, quae *capides*, seu *capulae*, quas *Varr. L. L.* 4, 26. scribit fuisse vasa fictilia, vel in sacrificiis usurpata; et dicta, quod ansata essent, ut prehendi possent, idest capi. Confirmat *Prisc.* 6, 708., apud quem *Aruntius:* Capis vasis genus pontificalis, diminutive capidula. Et *Fest.* Capis poculi genus dictum a capiendo. Rursus *Varr.* ap. *Non.* 15, 33. Etiam nunc pocula, quae vocant capulas et capides etc. *Cic. Parad.* 1, 3. Minus ne gratas Diis immortalibus capedines, ac fictiles urnulas fuisse, quam filicatas aliorum pateras arbitramur? *Liv.* 10, 7. Cum capide, ac lituo, capite velato victimam caedat. *Plin.* 37, 2, 7. Capidem unam myrrhinam trecentis denariis parare. Adde *Petron. fragm. Tragur.* 52. *Burm.* Ex his omnibus liquet, capidem non solum vas sacrificiis aptum, sed etiam poculum in mensis adhibitum fuisse. ℙ A *capedo* diminutive fit *capeduncula. Cic. N. D.* 3, 17. Capeduncula eae, quas Numa reliquit. ℙ Porro *capula* videtur fuisse etiam genus vasis olearii. Nam inde fit *capulo, as,* et *capulator*, quae in confectione olei usurpata leguntur. V.

CĂPĔDUNCŬLA. V. v. praeced.

CĂPELLA, ae, f. χίμαιρος, diminut. a *capra*, sed pro eodem fere sumitur. *Cic. Verr.* 2, 2, 35. Etiam capella quaedam est scite facta et venuste. *Virg. Ecl.* 7, 3. Distentae lacte capellae. *Hor. Sat.* 1, 1, 110. Capella gerit distentum uber. *Id. Epod.* 16, 49. injussae veniunt ad mulctra capellae. *Virg Ecl.* 10, 7. attondent simae virgulta capellae. ℙ Adhibetur interdum in conviciis, de homine hirsuto, inculto et deformi. *Ammian.* 17, 12. narrat, milites Julianum hirsutum carpentes, clamare solitos: In odium venit cum victoriis suis capella, non homo. *Id.* 24, 8. Captivos graciles, et macie jam confectos jussit in medium duci, nostrosque respiciens, En, inquit, quos Martia ista pectora viros existimant, deformes illuvie capellas, et tetras. ℙ [Est et cognomen virile Romanum. Nummus ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5, 259. C. Naevius Capella III. Vir. A. A. A. F. F. *F.*] ℙ Est etiam sidus coeleste, hoc est stella insignis magnitudinis in sinistro humero Aurigae. Haec in fabulis est capra illa nobilis, infantis Jovis nutrix, de qua diximus in AMALTHEA. Hanc *Colum.* 11, 2. capram appellat, *Plin.* vero 18. *cap.* 26, 27. et 31. capellam. *Ov. Fast.* 5, 113. Nascitur Oleniae sidus pluviale capellae: Illa dati coelum praemia lactis habet V. ibi reliqua.

CĂPELLĀ. Martianus Mineus Felix Capella Carthaginiensis, vel, ut alii volunt, Madaurensis; Africanus certe, ut vel inde discas, quanti in Latina lingua faciendus sit; vixit saeculo Christi V. temporibus Aviti, aut Majorani imperatorum, vel etiam post; scripsitque satyricon prosa oratione, admixtis passim varii metri carminibus; in quo de nuptiis Philologiae duobus prioribus libris agit, in

reliquis vero septem de totidem artibus liberalibus, Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Geometria, Arithmetica, Astronomia, et Musica. Quo in opere multa quidem doctrinae et ingenii vestigia sunt, at dicendi stilus asper adeo est, et barbarie subinde aspersus, praesertim in prosa (nam in versu aliquando est castigatior) ut Latinae compositionis et nitoris nihil admodum, aut paene inveniatur.

CAPELLIANUS, a, um, adj. ad capellam pertinens. Capelliana ruta ap. *Mart.* 11, 31. eadem est, quae ruta capraria, ita dicta quod ea libenter vesci capellae dicuntur.

CAPELLUS, i, m. Agnoscit *Prisc.* 3. p. 617. tanquam diminutivum a *capro*: nullo tamen exemplo confirmat.

CAPĒNA, ae, f. videtur fuisse olim oppidum Tusciae, Romae proximum cis Tiberim, quod quidam exstitisse putant, ubi nunc *Civitucula*. Hujus oppidi incolae apud lucum Feroniae Capenates dicuntur. V. vocem sequent. ℙ Ita est etiam appellata porta urbis Romae, cui postea successit illa, quae nunc a proxima D. Sebastiani aede *porta di S. Sebastiano* appellatur. Capena vero dicta videtur, quod ea Capuam ducebat, ex eaque incipiebat via Appia, ut *Frontin. Aquaed.* 5. docet. Supra eam transibat ductus aquae Marciae, teste *eod. ib.* 19. Hinc *Juven.* 3, 11. Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam. *madidam* dixit, quia semper aliquid inde stillabat. Sic *Mart.* 3, 47. Capena grandi porta qua pluit gutta. *Cic. Att.* 4, 1. Cum venissem ad portam Capenam.

CAPĒNAS, atis, adj. ad Capenam Tusciae oppidum pertinens. *Cic. Verr.* 2, 2, 12. Fundus Capenas. *Id. Fam.* 9, 17. Ager Capenas. *Liv.* 5, 16. Capenati bello occupatos videbant Romanos. Et *ib.* 24. Servilio Capenas bellum sorte evenit. ℙ *Capenates, um*, ejus oppidi incolae. *Plin.* 3, 5, 8., *Liv.* 5, 8. et 26, 11. ℙ Reperitur etiam *Capenatis, e. Cato* ap. *Prisc.* 4. p. 629. Lucus Capenatis. ℙ Est etiam *Capenas* parvus fluvius Tusciae, apud lucum Feroniae. *Sil.* 13, 84. Dives ubi ante omnes colitur Feronia luco, Et sacer humectat fluvialia rura Capenas.

CAPĒNUS, a, um, adj. ad Capenam Tusciae oppidum pertinens. *Virg. A.* 7, 697. Et Cymini cum monte lacum, lucosque Capenos.

CAPER, pri, m. τράγος, idem qui hircus, hoc est vir capellarum, quemadmodum *aries* est vir ovium. [Videtur ita appellatus fuisse ab obsoleto κάπω, excavo, fodio, quia caper cornibus cavat, sive arietat: qua vero castratum significat, est a κάπρος proprie cavatus, exsectus: qua denique aprum denotat, est ita dictus a fodienda terra. *F.*] *Virg. Ecl.* 7, 7. Vir gregis ipse caper. *Colum.* 7, 6. Caper optimus habetur amplissimi corporis, cruribus crassis, exiguo capite etc. Adde *Ov. Met.* 10, 327. et *Hor. Epod.* 10, 23. ℙ Immolabatur Baccho, quia vitibus infestus est, easque erodendo urit. *Virg. G.* 2, 380., *Ov. Met.* 15, 114. et *Pont.* 2, 9, 31. et *Hor. Od.* 3, 8, 7. Addit *Serv.* ad *G. cit.* 2. cum primum cognovisset Bacchus, vites sibi a capro rosas fuisse, eum occidi jussisse, atque ex ejus pelle utrem fecisse, et vino implevisse in ultionem admissi sceleris. ℙ Ponitur etiam pro foetore hircino, qui sub brachiis hominum ex sudore collecto nascitur. *Catull.* 69, 6. tibi fertur Valle sub alarum trux habitare caper. *Ov. A. Am.* 3, 193. ne trux caper iret in alas. V. HIRCUS. ℙ Aliquando dicitur de mare caprarum castrato. *Mart.* 3, 24. Dum jugulas hircum, factus es ipse caper. *Gell.* 9, 9. docet ex *Varr.* hanc esse propriam hujus vocis significationem: ex quo sequitur illam alteram per catachresim ei attribui. Ut ut res se habeat, plures certe sunt, qui *caprum* pro hirco accipiunt. ℙ Ap. *Manil.* 2, 178. et 658. Caper idem est qui Capricornus, coeleste sidus. ℙ Denique *caper* est nomen piscis marini, qui Italice *pesce porco* vocatur. *Plin.* 11, 51, 112. Et is, qui caper vocatur, in Acheloo amne, grunnitum habet. *Caper* dicitur a *Plin.*, quia Graece κάπρος est. Verum quia κάπρος aprum significat, rectius *aper* Latine diceretur, cui (non capro) grunnitus convenit. V. APER.

CAPERĀTUS, a, um, part. a *capero*, rugosus, φαρκιδώδης. *Caperata frons* est contracta, et tristitiam, vel iram saevitiemve significans. *Pacuv.* ap. *Varr. L. L.* 6. *sub f.* et *Non.* 3, 89. Voce suppressa caperata fronte, vultu turbido. (Adde *Varr.* ap. *Non.* 1, 27.) *Appul. Met.* 9. Qui insuavis et odiosi mariti tui caperatum supercilium ignaviter perhorrescis. V. CAPERO. ℙ *Caperata vela* dixit *Id. Flor. n.* 23. quae restricta sunt et complicata, non expansa et extensa.

CAPERENSIS. V. CAPARITANUS.

CAPĒRO, as, avi, atum, n. 1. *Caperare frons* dicitur, cum contrahitur, et in rugas componitur quod est irati, aut severi, aut etiam moesti animi signum. *Varr. L. L.* 6. *sub f.* et *Non.* 1, 27. ductum esse docent a caprarum frontibus crispis. *Pl. Epid.* 5, 1, 2. Sed eccum incedit Epidicus. Quid illuc est, quod illi caperat frons severitudine? *Ascon. in f. centon. Nuptial.* Prurire opusculum Sulpitiae, frontem caperare, *h. e.* Sulpitiam in carmine lasciviorem esse, in moribus severam.

CAPESSO, is, ivi, itum, a. 3. in praeterit. 4. ἐπιβάλλω, idem quod capio, prehendo, sed cum quodam motu et nisu, quasi ad capiendum accedo. *Cic. Nat. D.* 47. Animalia partim cibum oris hiatu, et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt. *Virg. A.* 3, 234. sociis, tunc arma capessant, Edico. ℙ Etiam suscipere, inire, subire. *Pl. Capt.* 4, 1, 9. Capessere cursum ad aliquem. *Liv.* 1, 25. fugam. *Tac. Ann.* 4, 48. noctem in castris tutam et vigilem etc. *Pl. Rud.* 1, 3, 21. consilium. *Liv.* 2, 6. pugnam. *Id.* 21, 4. Ad pericula capessenda. *Justin.* 2, 12. capessere proelium, collatis viribus. *Gell.* 2, 29. laborem. *Id.* 1, 6. matrimonia. *Tac. Ann.* 11. inimicitias. *Id. ib.* 4, 52. accusationes. *Id. ib.* 13, 41. bellum. *Plin.* 6, 19, 22. militiam. *Tac. A.* 5, 13, 29. magistratum. Et *ib.* 4. imperium. *Plin. Paneg.* 66. curas imperii. *Cic. Or.* 3, 29. et *Sall. Cat.* 54. rempublicam, *h. e.* curam et administrationem reipublicae suscipere. *Id. Phil.* 10, 9. et *Sall. in or. Lepidi contra Sull.* libertatem, *h. e.* libertatis retinendae aut recuperandae curam suscipere. *Tac. Ann.* 4, 16. caerimonias. *Id. ib.* 12, 11. clementiam ac justitiam. *Hor. Sat.* 1, 7, 7. recta. *Gell.* 6, 10. philosophiam. *Tac. Ann.* 15, 29. omissis praecipitibus, tuta et salutaria. *Liv.* 37, 24. spectaculum oculis, *h. e.* haurire, percipere, spectaculo frui. ℙ Saepe significat ire, accedere, ferri ad aliquem locum. *Cic. Nat. D.* 2, 45. Omnes mundi partes undique medium locum capessentes, nituntur aequaliter. *Id. Tusc.* 1, 18. *ad f.* Animus superiora capessit. *Id. Att.* 10, 9. Melitam igitur capessamus. *Virg. A.* 4, 346. Capessere Italiam. ℙ Dicimus etiam *capessere se in aliquem locum. Pl. Amph.* 1, 1, 106. Capessere se domum. *Id. Assin.* 1, 3, 6. se navi in altum. *Id. Bacch.* 1, 2, 5. Quo nunc capessis tu te hinc advorsa via? Et translate. *Id. Bacch.* 4, 10, 2. Quam se ad vitam, et quos ad mores praecipitem inscitus capessat. ℙ *Capessere jussa* est accipere et exsequi. *Virg. A.* 1, 80. tuus, o regina, quid optes, Explorare labor: mihi jussa capessere fas est. Sic *Pl. Trin.* 2, 2, 19. Capessere imperia. *Id. Aul.* 4, 1, 3. Qui hero ex sententia servire servus postulat, in herum matura, in se sera condecet capessere, *h. e.* res domini cito, suas sero exsequi. ℙ *Capessere sensus naturae*, ap. *Gell.* 21, 1. est percipere, intelligere: quo sensu etiam *capio* adhibetur. ℙ Praeterit. *capessivi*, et *capessii* legitur ap. *Tac. Ann.* 15, 49. et *ib.* 12, 30. ℙ *Diomed.* 1. p. 367. ponit etiam *capessi*, sed nullo probat exemplo. ℙ Part. *Capessiturus* ap. *Tac. Ann.* 6, 48. Meliora capessiturum. Adde *ib.* 12, 15. ℙ Olim *capisso* dicebatur. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 337. Dubito, quam insistam viam, aut quod primordium capissam ad stirpem exquirendum.

CAPĒTUM. V. CAPĪTUM.

*CAPĒTUS, i, m. Albae rex. *Liv.* 1, 3. *Ov. Met* 14, 613. *B. A.*

*CAPĒUS, Arabiae felicis sinus. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

CAPHĀREUS, i, m. trisyllab. Καφαρεύς, nunc *Capo d'oro*, mons, et promontorium Euboeae, celebre ob naufragium Graecae classis ab excidio Trojae revertentis. Cum enim Nauplius ejus insulae rex filium suum Palamedem a Graecis interemptum audisset, videns Graecos tempestate laborare, montem illum ascendit, et elata facula signum dedit vicini portus: quo decepti Graeci, ad asperrimos scopulos naves omnes alliserunt. Haec *Serv.* ad illud *Virg. A.* 11, 260. et Euboicae cautes, ultorque Caphareus. *Val. Flacc.* 1, 371. et face saeva In tua mox Danaos acturus saxa, Caphareu, Nauplius. *Mela* 2, 7. Euboea ad meridiem promontorium Geraeston, et Capharea extrudit. Adde *Plin.* 4, 12, 21.

CAPHĀRĒUS, et Capharēus, a, um, adj. ad Caphareum pertinens, Καφάρειος. *Prop.* 3, 5, 55. Saxa triumphales fregere Capharea puppes. *Ov. Trist.* 5, 7, 36. audet Graja Caphaream currere puppis aquam.

CAPHĀRIS, idis, f. adj. ad Capharea pertinens. *Sen. Herc. Oet.* 802. Petrae Capharides. Has *Virg. A.* 11, 260. Euboicas cautes appellat.

CAPHARNAEUS, a, um, adj. *Capharnaea urbs*, est Capharnaum Palaestinae oppidum in Galilaea. *Sedul.* 4, 82. Jamque Capharnaeae synagogam intraverat urbis.

*CAPHĒRIS, insula maris Aegaei. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*CAPHYA, ae, oppidum, et Caphyae, arum, lucus Arcadiae. *Plin.* 16, 44. Platanum in Caphyis Arcadiae luco. Oppidi meminere *Pausanias, Polybius* et *Steph. Byzant.* auctor vero Latinus nullus. *B. A.*

*CAPIDAVA, ae, oppidum Moesiae inferioris. *Ant. Itin. B. A.*

CAPĪDES. } V. CAPEDO.
CAPĪDŪLA. }

CAPĪDŪLUM, genus vestimenti, quo caput tegebatur. *Festus.* V. CREPICULUM.

CAPIENS, entis, part. a *capio*, qui capit, hoc est continet, capax. *Gell.* 4, 1. Homo est mortale animal rationis et scientiae capiens.

CAPILLĀCEUS, a, um, adj. [τριχινος, ex capillis compositus. *August. Civ. Dei* 22, 8. *a med.* Capillaceam zonam, qua fuerat anulus alligatus, mirata tentavit. *F.*] ℙ Est etiam capillo similis. τριχώδης. *Plin.* 12, 25, 54. Arbor tenui et capillacea coma. *Id.* 13, 25, 48. Frutex capillaceo folio.

CAPILLĀGO, aginis, f. capilli coma. *Tertull. Anim.* 51. Pro cerebri ubertate vel affluit capillago, vel deserit.

CAPILLĀMENTUM, i, n. τρίχωμα, capillorum complexus: quo nomine veniunt et suppositiciae comae. *Tertull. Cult. fem.* 7. Adfigitis praeterea nescio quas enormitates sutilium, et textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis, et operculum verticis, nunc in cervicem retro. *Suet. Cal.* 11. Ganeas, atque adulteria capillamento celatus, et veste longa noctibus obibat. *Petr. Satyr.* 110. Decoro capillamento exornare aliquem. ℙ Dicitur etiam per similitudinem de tenuibus filis radicum et foliorum, aliarumque rerum hujusmodi. *Plin.* 19, 6, 31. Quae rectam non habent radicem, statim plurimis nascuntur capillamentis. *Id.* 16, 10, 16. Pinus folium habet capillamenti modo praetenue. *Id.* 27, 12, 80. Capillamentis fimbriata radix. *Sen. ep.* 86. *sub f.* Vitis capillamenta quoque, si fieri potest, colligenda sunt. *Plin.* 35, 15, 52. Aluminis unum genus schiston appellant Graeci, in capillamenta quaedam canescentia dehiscens. *Id.* 37, 2, 10. Capillamentum in crystallo rimae simile. *Id.* 11, 37, 83. Setarum capillamenta in vesica hominum. Adde 13, 15, 30.

CAPILLĀRIS, re, adj. ad capillum pertinens. *Capillaris arbor* ap. *Fest.* eadem est quae *capillata*. V. CAPILLĀTUS. *Capillaris herba*, ab *Appul. Herb.* 47. dicitur, quae alio nomine *capilla Veneris* appellatur. V. ADIANTUM. ℙ *Capillare, is*, est unguentum capillis ungendis aptum. *Mart.* 3, 82. Et Cosmianis ipse fusus ampullis, Non erubescit murice aureo nobis Dividere moechae pauperis capillare.

CAPILLĀTIO, onis, f. τρίχωμα, capillamentum. *Paul. Nol. ep.* ad *Sever.* 23, 23. Tunc honori fuerit capillatio, cum etc. ℙ Est etiam morbus vesicae, cum ex ea una cum crassa urina fila quaedam capilli similia egeruntur. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 4. In vesica plurimae passiones eveniunt, capillatio, debilitas, calculatio etc. τριχίασις.

CAPILLĀTURA, ae, f. τρίχωμα, capillamentum. *Tertull. Cult. fem.* 7. Frustra laboratis ornatae videri; frustra peritissimos quosque structores capillaturae adhibetis, *h. e.* cosmetas. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. Radere caput nunc pro capillatura, nunc contra capillaturam.

CAPILLĀTUS, a, um, part. a *capillor*, τριχωτὸς, capillos habens, comatus. [*Oppos. *calvus.*] *Cic. Agr.* 2, 22. Adolescens bene capillatus. *Id. ib.* 5. Capillatior, quam ante barbaque majore. *Juven.* 5, 30. Ipse capillato diffusum consule potat, *h. e.* vinum vetustissimum et eo tempore diffusum, quo consules adhuc intonsi erant. Nam tonsores primum Romae adhiberi coepti sunt an. U. C. 454. testibus *Varr. R. R.* 2. *sub f.* et *Plin.* 7, 59, 59. [**Suet. Vesp.* 23. Quum inter caetera prodigia Mausoleum derepente patuisset et stella crinita in coelo apparuisset, alterum ad Juliam Calvinam e gente Augusti pertinere dicebat, alterum ad Parthorum regem, qui *capillatus* esset, i. e. comatus. Laudat h. l. *Döderl.* 3, 15. quem cf.] Olim *capillata* [*vel capillaris] *arbor* dicta est, ad quam capillus virginum Vestalium deferebatur, cum se tondebant et Vestae cultui mancipabant. *Plin.* 16, 44, 85. et *Fest.* ℙ *Capillati* etiam dicti sunt addicti sacris Matris Deum et Bellonae, quia capillum nutriebant vel, ut alii volunt, nigro vellere caput obtegebant in sacris peragendis. *Inscr.* ap. *Grut.* 308, 5. L. Vettio Syntropho religioso a Matre Magna, capillato etc. Hinc *Val. Fl.* 7, 636. exsectos lacerat Bellona comatos. Alii legendum putant *Comanos* a Comanis populis Cappadociae, apud quos celebre fanum Bellonae fuit. Repugnat cum aliis *Harles* ad hunc locum. ℙ Praeterea capillata dicuntur ea, quae subtilia et tenuia capilli modo sunt. *Plin.* 19, 6, 31. Radices capillatae apio, malvae. *Id.* 16, 24, 38. Folia capillata pino, cedro.

CAPILLĪTĬUM, ii, n. τρίχωμα, capillamentum, capillatura. *Cels.* 4, 2. Sub quo nomine (*capitis*) nunc significo eam partem, quae capillitio tegitur. Pleriq. omn. leg. *capillo* aut *capillis*. *Appul. Met.* 2. Flavum et inaffectatum capillitium.

CAPILLOR, aris, dep. 1. capillos habeo vel emitto, τριχιάω. *Plin.* 37, 11, 73. Polytrichos in viridi capillatur, sed defluvia comarum facere dicitur.

CAPILLOR, oris, m. genus est augurii stativi, cum auspicato arbor capitur et consecratur Jovis fulguri. Haec *Serv.* ad *A.* 10, 423.

CAPILLŌSUS, a, um, adj. capillis abundans. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 4. Plurimus mictus cum arenoso vel capilloso sedimine.

CAPILLŪLUS, li, m. diminutivum capilli. *In quodam carmine, quod quidam Corn. Gallo tribu-*

unt. Pande puella, pande capillulos Flavos, lucentes, ut aurum nitidum.

CĂPILLUS, i, m. θρίξ, capitis pilus. [*De etymol. et synonym. h. v. V. *Döderl.* 3, 10. et 14. sq.] Adhibetur etiam in singulari numero ad significandam totam capitis comam. *Cic. Pis.* 11. Erant illi compti capilli et madentes cincinnorum fimbriae. *Id. Rosc. Am.* 46. Composito et delibuto capillo per forum volitare. *Id. Sext.* 8. Capillus horridus. *Ov. Am.* 1, 7, 11. Capilli digesti. *Hor. Od.* 1, 12, 41. incompti. *Ov. Her.* 9, 63. hirsuti. Et *ib.* 10, 137. demissi. *Plin.* 2, 78, 80. Capillus vibratus. *Ter. Heaut.* 2, 3, 49. passus, prolixus, circum caput rejectus negligenter. *Caes. B. G.* 5, 14. Capillo promisso esse. *Nep. Dat.* 3. longo esse. *Suet. Tib.* 68. esse pone occipitium submissiore. *Id. Aug.* 99. Comere capillum. *Ov. Am.* 2, 7, 23. ornare. *Id. A. Am.* 1, 505. ferro torquere. *Plin.* 16, 39, 75. tondere. *Id.* 24, 15, 89. alere. *Id.* 28, 8, 26. crispare. *Senec. Hippol.* 319. Dare legem rudibus capillis. *Senec. alter prooem. Controv.* 1. frangere. (Sic *Quint.* 1, 6. *ad f.* comam in gradum frangere.) *Fab. Pict.* ap. *Gell.* 10, 15. depectere. *Varr. L. L.* 4, 29. pectine explicare. *Front. de eloq.* Capillus etsi non cotidie acu ornandus, tamen pectine cotidie expediendus est. *Ov. Am.* 1, 14, 1. medicare. *Id. Medicam. fac.* 19. positu variare. *Pl. Rud.* 2, 3, 46. promittere. *Suet. Caes.* 67. submittere. *Ov. Met.* 3, 170. in nodum colligere. *Id. Am.* 3, 9, 3. solvere. *Id. ib.* 2, 75. turbare. *Id. ib.* 2, 5, 45. laniare. *Id. Her.* 3, 15. rumpere. Et *ib.* 79. scindere. *Senec. ep.* 124. *ad f.* vel effundere more Parthorum vel Germanorum vincire nodo, vel, ut Scythae solent, spargere. *Ter. Eun.* 4, 3, 4. Capillo aliquem conscindere, *h. e.* capillum alicui conscindere. *Id. ib.* 5, 2, 2. Involare alicui in capillum. *Plin.* 8, 36, 54. Capilli defluvium. *Pl. Men.* 5, 2, 117. Capillo aliquem de curru deripere. In vocativo casu *Ov. A. Am.* 2, 304. Torserit igne comam; torte capille place. ℙ *Capilli cedentes* sunt retro abeuntes et refugi a fronte, ut in senibus. *Plin. ep.* 3, 6. Signum effingit senem stantem, rari et cedentes capilli, lata frons, contracta facies. ℙ Dicitur etiam generatim de pilis humani corporis. *Senec. ep.* 92. Ex barba capillos detonsos negligimus. [*Suet. Ner.* 1. Adeo permulsisse malas, ut e nigro rutilum aerique similem capillum redderent; quod insigne mansit et in posteris ejus, ac magna pars rutila barba fuerunt. V. quos *Döderl.* 3, 13. ad hunc locum laudat, Wolf. et Burmannum, qui *pilum* conjecit.] Adde *Cic. Off.* 2, 7. [*cf. *Beier.* ad h. l.], *Acut. Priap.* 46. de pilis in pube; et *Coel. Aurel. Acut.* 3, 18. ℙ Item de pilis animalium. *Catull.* 25. mollior cuniculi capillo. *Pers.* 3, 10. bicolor positis membrana capillis. *Gell.* 12, 1. et *Macr. Sat.* 5, 11. Capillus haedi tenerior. *Colum.* 9, 10. Plenior quasi capillus in ventre regis apum. ℙ Item de tenuibus filis aliarum rerum capillo similibus. *Plin.* 21, 6, 17. Crocum pinguissimum et brevis capilli. Et *ib.* 18, 73. Capillus in rosa, *h. e.* lutea fila et apices intra rosae florem. ℙ *Capillus Veneris* nomen est herbae, quae capillaris dicitur. *Appul. Herb.* 47. V. ADIANTUM. ℙ *Non.* 3, 53. neutrius etiam generis esse putat, allato *Pl.* exemplo *Most.* 1, 3, 97. *Vide capillum satin' compositum st commode.* Sed integer locus passim ita legitur: *Suo quique loco viden', capillus satis compositu' sit commode?* ℙ Veteres singulari tantum numero hanc vocem usurparunt. Negat enim *Varr.* ap. *Charis.* 1. p. 80. pluraliter dici debere. Sed usus postea contra obtinuit.

CĂPĬO, is, cepi, captum, a. 3. λαμβάνω, prehendo, accipio. Verbum est latissimi usus, tum proprie, tum translate. *Virg. G.* 3, 420. cape saxa manu, cape robora, pastor. *Pl. Aul.* 1, 1, 9. Si hodie hercle fustem cepero aut stimulum in manum. *Cic. Verr.* 2, 1, 4. Probabo, C. Verrem contra leges pecuniam cepisse [*i. e. vi adhibita exegisse]. *Id. Rabir. perduell.* 7. Capere arma pro salute communi. *Liv.* 27, 18. locum castris. *Cic. Div.* 1, 33. castra hostium. *Vatin.* ad *Cic. Fam.* 5, 10. Sex oppida vi oppugnando capere. Et *ib.* aliquem bello. *Phaedr.* 1, 5. cervum. *Varr. L. L.* 7, 33. aves, pisces. [*Cic. Off.* 2, 14, 58. Pro se quisque, quod ceperat, afferebat.] *Liv.* 28, 39. vectigal ex agro alicujus. *Ter. Ph.* 5, 3, 6. talenta bina ex praediis. (Adde *Cic. Parad.* 6, 3.) *Caes. B. G.* 4, 36. portum. *Phaedr.* 3, 16. somnum. *Ter. Eun.* 2, 3, 76. cibum. *Propert.* 4, 9, 49. Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus. ℙ Speciatim capere dicebatur pontifex maximus, cum virginem sacris inter Vestales addicendam a paterna domo abducebat. Eam enim manu prehensam parentibus, veluti bello captam, eripiebat. *Gell.* 1, 12. In libro Fabii pictoris, quae verba pontificem maximum dicere oporteat, cum virginem capit, scriptum est. Ea verba haec sunt: Sacerdotem Vestalem, quae sacra faciat, quae jus siet sacerdotem Vestalem facere pro populo R. Quirit., uti quod optima lege fiat, ita te, amata, capio. Adde *Tac. A.* 2, 86. et *Suet. Aug.* 31. ℙ Sed et flamines Diales, item pontifices et augures *capi* dicebantur, teste eodem *Gell. ib.*, ubi affert exempla *L. Sullae* et *M. Catonis*. quibus adde *Liv.* 27, 8. ℙ *Capere tabernaculum*, V. TABERNACULUM. ℙ [*Capere augurium, auspicium. V. AUG. et AUSP.] ℙ Apud JCtos saepe significat acquirere et possidere aliquid ex testamento, donatione aut legato. *Hermogenian.. Dig.* 28, 6, 6. Ut ex bonis, quae testatoris fuerant, amplius capere non possit. *Scaevola ib.* 22, 3, 27. Capere posse usque ad certum modum. *Juven.* 1, 55. Si capiendi jus nullum uxori. *Cajus ib.* 39, 6, 30. Mortis causa capere. *Jabol. ib.* 49, 14, 42. Reddere fideicommissum non capienti, *h. e.* jus capiendi non habenti. [*Cic. Off.* 3, 24, 93. Si ex hereditate nihil ceperit.] ℙ Hinc *Ulp. Dig.* 50, 16, 71. discrimen statuit inter *capere* et *accipere*, quod *capere* cum effectu intelligatur, *accipere* autem, etiam siquis non ita accepit, ut habeat: ideoque non videri quem capere, quod est restituturus. Quamquam ne ipsi quidem Jurisprudentes hanc differentiam perpetuo servant. [*Cf. quae dicta sunt ad v. *accipere*.] ℙ Pro usucapere et suum facere, legitur ap. *Paul. Dig.* 41, 1, 48. et alibi. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 1, 17. Si patris vim et acrimoniam ceperis, si avi prudentiam, si soceri constantiam. *Id. Phil.* 3, 11. Aliquando patrium animum virtutemque capiamus. [*Cic. Off.* 1, 18, 59. Et consuetudo exercitatioque capienda; cf. *Beier.* ad h. l.] *Id. Fam.* 11, 16. Scite et commode capere tempus adeundi ad aliquem. *Pl. Ps.* 4, 3, 6. occasionem. *Id. Aul.* 4, 10, 68. numerum. *Liv.* 3, 5. conatum. *Suet. Oth.* 6. cursum. *Caes. B. G.* 7, 26. fugam. *Tac. H.* 4, 3. et *Plin.* 8, 42, 65. finem. *Ter. Andr.* 4, 2, 12. sibi inimicos omnes homines. *Id. Heaut.* 5, 2, 11. rationem. *Id. Eun.* 4, 5, 25. aliquid commodi ex aliqua re. *Cic. Fam.* 1, 9. *a med.* maximum fructum ex re aliqua. [*Amat *Cic.* hanc dicendi rationem, cf. *Amic.* 19. *Sen.* 18. *Brut.* 62. *Pis.* 14.] *Id. Planc.* 1. animo non mediocrem voluptatem. *Id. Att.* 14, 14. laetitiam justo interitu tyranni. *Id. Quint.* 31. misericordiam. *Liv.* 33, 27. *sub f.* metum. *Ter. Heaut.* 2, 3, 25. conjecturam ex re aliqua. *Id. Andr.* 4, 1, 27. exemplum de aliquo, *h. e.* imitari. *Id. Heaut.* 2, 3, 86. consilium. *Cic. Phil.* 11, 2. documentum ex aliquo. [*Cic. Amic.* 10. Atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis aetatis.] *Suet. Aug.* 42. impetum alicujus rei faciendae. *Tac. A.* 3, 56. experimentum. ℙ Saepe reciprocam constructionem habet. Dicimus enim: *cepi rem aliquam;* et *res aliqua cepit me.* [*Sed nescio an hoc discrimine interposito, ut *cepit me res aliqua* eum denotet, cujus etiam inviti omnes animi corporisque vires res aliqua sibi vindicaverit; — *cepi rem aliquam* de eo dicatur, qui sponte rem assumserit, parum imminuta cogitandi agendique libertate. Gr. ἔχειν.] *Cic. Senect.* 15. *ad f.* Capere desiderium ex filio. *Ter. Hecyr.* 1, 2, 13. Cepit me desiderium alicujus rei. Et *ib.* 2, 1, 22. Cepit me odium tui. *Id. Ph.* 2, 3, 24. Capere inimicitias graves in aliquem. *Plin.* 7, 24, 24. oblivionem alicujus rei. *Cic. Phil.* 3, 4. Cepit nos oblivio servitutis. *Ter. Eun.* 3, 1, 14. et *Liv.* 27, 49. Cepit me satietas alicujus rei. *Pl. Amph.* 1, 2, 10. Capere satietatem rei alicujus. ℙ Significat etiam eligere, assumere. *Ter. Hecyr.* 4, 1, 22. Capere aliquem generum. *Id. Heaut.* 3, 1, 94. aliquem arbitrum. *Id. Eun.* 5, 2, 48. aliquem sibi patronum. *Id. Andr.* 1, 2, 21. aliquem magistrum ad aliquam rem. *Pl. Merc.* 4, 3, 34. aliquem judicem de re aliqua. ℙ Item consequi, adipisci. *Cic. Am.* 7. *in f.* Capere maximam gloriam ob aliquam rem. [*Id. Off.* 2, 9, 32. Benevolentiae..... Quae quidem beneficiis capitur maxime.] *Nep. Phoc.* 1. summos magistratus. *Id. Att.* 7. honores aut divitias. [*Tac. A.* 1, 10. Divisiones agrorum, ne ipsis quidem, qui cepere, laudatas.] *Hirt. B. G.* 8, 8. opinionem virtutis. ℙ Item subire, ferre, pati. *Cic. Catil.* 1, 2. Ne quid respublica detrimenti capiat. *Liv.* 5, 20. Invidiam capere apud aliquem ex prodiga largitione. *Ter. Andr.* 4, 3, 4. laborem ex aliquo, *h. e.* propter aliquem. Al. leg. dolorem. *Id. Ad.* 5, 4, 22. miseriam [*Cic. Amic.* 13. Angor, qui pro amico capiendus est.] ℙ Item continere, χωρεῖν. *Cic. Off.* 1, 17. Qui cum una domo jam capi non possint, in alias domos, tanquam in colonias, exeunt. *Ter. Heaut.* 2, 3, 13. Dii boni, quid turbae est? aedes nostrae vix capient. *Pl. Curc.* 1, 2, 14. Modica est; capit quadrantal. ℙ Sic *capere* dicimur, quae in nostram naturam, mores aut vires cadunt. *Curt.* 9, 3. Quidquid mortalitas capere poterat, implevimus. *Id.* 7, 8. Concupiscis, quae non capis. *Capitolin. Vero* 11. Nota est fabula, quam Marci vita non capit. *Paul. Dig.* 40, 12, 15. Dummodo ejus aetatis sit, ut dolum capiat. ℙ Tribuitur et aliis rebus. *Plin.* 16, 40, 78. Rimam fissuramque non capit cedrus. *Id. ib.* 16, 27. Bruscum non capit magnitudinem mensarum, *h. e.* non adeo crescit, ut magnitudini mensarum sufficiat. *Ulp. Dig.* 4, 4, 19. Res non capit restitutionem cum statum mutat. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 2, 44. *in f.* Eam gloriam consecuti sunt, quae vix coelo capi posse videtur. *Id. Mil.* 32. Capere ejus amentiam civitas, Italia, provinciae, regna non poterant. *Id. Fam.* 2, 6. Nulla est gratia, quam vel non capere animus meus in accipiendo vel in remunerando cumulandoque illustrare possit. *Ov. Nuc.* 4. Non capit ira moram. *Prud. Apoth.* 154. de Deo: Nec capit humanis angoribus excruciari. *Paul. Nol. carm.* 9, 22. Sed Domini carmen tellus aliena mereri Non capit. Sic *Tertull. Pudic.* 1. *ad f.* Crimina, quae non capiunt indulgeri. *Sciopp. in not. ad Tertull.* legit *non capit indulgeri*, *h. e.* οὐκ ἐνδέχεται, fieri non potest, ut remittantur. Hac ratione usurpat etiam *Apol.* 17., *Habit. mul.* 2. et alibi. ℙ Praeterea *capere* dicimur ea, quae mente, cogitatione et intelligentia comprehendere possumus, *h. e.* intelligere, percipere. *Cic. N. D.* 1, 19. Mens et intelligentia capit, quae sit beata natura. *Id. Marc.* 2. Quae tam magna sunt, ut ea vix cujusquam mens,aut cogitatio capere possit. *Quint.* 1, 1. Capere intellectum disciplinarum. *Liv.* 27, 5. Mente aliquid. ℙ Ponitur etiam pro allicere, ad se trahere, delectare, devincire, irretire, tum in bonam, tum in malam partem. *Cic. Off.* 3, 15. Inest in his aliquid probi, quod capit ignaros. [*Id. ib.* 1, 30, 105. quamvis voluptate capiatur.] *Id. Cluent.* 5. Animum adolescentis pellexit iis omnibus rebus, quibus aetas illa capi ac deliniri potest. *Id. Amic.* 26. Animum advertant, ne callida assentatione capiantur. *Nep. Alcib.* 9. Quem adeo cepit sua humanitate, ut eum nemo in amicitia antecederet. *Hor. Sat.* 1, 4, 28. Hunc capit argenti splendor. *Ov. Her.* 4, 64. Me tua forma capit: capta parente soror. *Id. A. Am.* 3, 133. Munditiis capimur. *Tibull.* 3, 1, 7. Carmine formosae, pretio capiuntur avarae. *Quint.* 2, 5. Capi specie. *Lucr.* 1, 61. de Deo: Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira, *h. e.* flectitur, propitius redditur, ut et *Non.* exponit 4, 56. ℙ Et pro decipere, fallere. [*Non differunt haec ab iis proxime antecedentis loci exemplis, ubi in malam partem v. *capere* (*belauern*, *bethören*,) dictum est. A venatione desumptum hoc orationis genus.] *Cic. Acad.* 4, 20. *ad f.* Sapientis vim maximam esse, cavere, ne capiatur, ne fallatur, videre. *Virg. A.* 2, 196. Capi dolis lacrimisque coactis. ℙ Et pro coarguere, convincere. *Pl. Amph.* 2, 2, 188. Tu si me impudicitiae captas, non potes capere, ἁλίσκειν dicunt Graeci eod. sensu. ℙ *Capi* pro impediri, veteri more; unde oculis captus, mente captus. *Varr. R. R.* 2, 4. *ad f.* de porcellis: Cum creverunt, capiuntur sequi matrem, *h. e.* impediuntur, prohibentur. Vulgo legitur *cupiunt.* ℙ Part. *Capturus* ap. *Pl. Stich.* 4, 2, 51. Vide, quid ea capturus consilii. Adde *Cic. Amic.* 21. *Capiendus* ap. *Virg. G.* 4, 396. vinclis capiendus. ℙ *Capsis* pro *cape si vis* usurpatum testantur *Cic. Or.* 45. et *Quint.* 1, 5. *ad f.* ℙ Sed et *capso*, *is*, *it*, pro *capero*, *is*, *it*, antique dictum est. *Pl. Rud.* 2, 1, 15. Nisi quid concharum capsimus, incoenati sumus profecto. *Id. Pseud.* 4, 3, 6. Si occasionem capsit. Et *Bacch.* 4, 4, 60 Invadam extemplo in oppidum: si id capso etc. Adde *Accium* ap. *Non.* 8, 5.

CĂPĬO, onis, f. actus capiendi. Vox est JCtorum, et fere conjungitur cum *usu*, et *pignoris*, ut *usucapio*, *pignoriscapio*, quae V. suis locis. Reperitur tamen etiam sine his. *Paul. Dig.* 39, 2, 18. Consequi aliquid dominii capione. *Gell.* 7, 10. Per quod satis dilucet, hanc *capionem* posse dici, quasi hanc *captionem*, et in usu, et in pignore. ℙ Pro usucapione. *Paul. Dig.* 41, 1, 48. Perseverat per longum tempus capio. Et *infra.* Hoc enim ad jus, hoc est capionem, illud ad factum pertinet. Et *Jabolen. ib.* 3, 21. An durare nihilominus capionem ejus fundi putes? *Id. ib.* 5, 4. *extr.* Ceterarum partium non impedietur longa possessione capio.

CĂPIS, idis. V. CAPEDO.

*CAPISSA, ae, f. Asiae ulterioris oppidum, in Paropamiso. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

*CAPISSĒNE, es, regio circa Capissum oppidum. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

CĂPISSO. V. CAPESSO in f.

[CĂPISTELLUM, i, n. parvum capistrum. *Not. Tir.* 17. *F.*]

CĂPISTĒRĬUM, ii, n. *Colum.* 2, 9. Cum amplior messis provenerit, quidquid exteretur, capisterio expurgandum erit, et semper, quod propter magnitudinem ac pondus in imo subsederit, ad semen reservandum. ℙ Quidam Lexicographi exponunt cribrum ad cernendum. Sed ex *Columellae* verbis satis apparet, esse alveum, seu vas, in quod infusa aqua frumenti grana immittuntur et purgantur. Est autem a σκάφη, quae vox inter alia cavum vas significat: inde σκαφιστήριον, quod legitur in *Gloss. Philox. Aldhelmus* quoque *in carm. de laud. Virg.* 19. *capisterium* ponit pro vase, quod a quadam nutrice fractum D. Benedictus mirabiliter restituit. *Salm. in comment.* ad *Capitol. Albin.* 5. notat, σκάφας, et σκαφιστήρια fuisse alveos, in quibus infantes calefiebant, et lavabantur, vel in quibus infantilia linteamina aqua purgabantur. Quidam mallent scribere *scaphisterium.* Editio *Columellae* A. 1472. ap. *Jenson* habet *caphisterium.*

CĂPISTRĀTUS, a, um, part. a *capistro*, capi-

stro vinctus. *Ov. Her.* 2, 80. Inque capistratis tigribus alta sedes. *Sidon. carm.* 22, 23. Euan Vite capistratas cogebat ad esseda tigres.

CAPISTRO, as, a. 1. ἐμφορβιόω, φιμόω, κημόω, capistrum impono. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Fiscellis capistrari boves oportet. *Colum.* 6, 19. Capistrare jumenta ad jugum. ℙ *Capistrare* praeterea est vites, aut arbores vinculis alligare. *Colum.* 11, 2. *sub f.* Ut juga vineis imponantur et capistrentur.

CAPISTRUM, i, n. φορβειά, κημός, capitis vinculum, quod equis, et hujusmodi animalibus adhiberi solet. Est a *capio*. *Varr. R. R.* 2, 6. Pullos asinorum leniter capistris habent vinctos. *Ov. Met.* 10, 125. Frenare ora capistris. *Edict. Diocl.* p. 24. et 25. Capistrum equestre Ⅹ septuaginta, capistrum mulare Ⅹ octoginta. ℙ [Est etiam capistrum fortasse coriaceum ferreis clavis vel aculeis insertis, quo hoedorum ora constringuntur, ut si caprarum uberibus os admoveant, ipsae puncturis laesae recalcitrent. Hoc capistri genus plerumque e vimine fiebat. V. FISCELLA. *Virg. G.* 3, 399. Primaque ferratis praefigunt ora capistris. *F.*] ℙ *Capistra* etiam dicuntur vincula, quibus vites ligantur. *Colum.* 4, 20. Cum ad summum palum recta vitis extenta est, capistro constringitur. ℙ Sunt etiam retinacula prelorum. *Cato R. R.* 12. In torcularium quae opus sunt, trocleas quinque, capistra quinque, assercula quinque etc. ℙ Translate. *Juven.* 7, 43. Stulta maritali jam porrigis ora capistro.

CAPITA Minerva cognominata est a Romanis, eoque nomine culta mense Martio per quinque dies, quos *Quinquatria* appellabant. Causas hujus cognominis non unas affert *Ov. Fast.* 3, 837. Alii leg. *Minerva Capta*.

CAPITAL, alis, n. 3. *dictum per apocopen a Capitale*, κεφαλίς, genus operimenti, quod capiti imponitur. *Varr. L. L.* 4, 29. Dictum capital a capite, quod sacerdotulae in capite etiam nunc solent habere. *Festus* interpretatur linteum, quo in sacrificiis utebantur. ℙ Item facinus, quod poena capitis lui debet. *Pl. Men.* 1, 1, 16. Nunquam edepol fugiet, tametsi capital fecerit. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 175. Scimus capital esse, irascier. *Cic. Leg.* 2, 8. *in f.* Quique non paruerit, capital esto. *Liv.* 24, 37. Praesidio decedere apud Romanos capital esse. *Justin.* 2, 7. Capital esse apud Athenienses coepit, si quis etc. Apud *Cic.*, *Liv.* et *Justin.* quidam leg. *capitale*.

*CAPITALIA, ae, mons celsissimus Indiae. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

CAPITALIS, e, adj. κεφαλικός, ad caput seu vitam pertinens. *Gell.* 16, 13. Revalescere ex morbo capitali. *Pl. Trin.* 4, 3, 81. Ego miser meis periculis sum per maria maxima vectus capitali periculo. ℙ Facinus, crimen, fraus, res capitalis dicitur, quae capitis poenam meretur. *Cic. Verr.* 2, 2, 38. et 39. Aliquem rerum capitalium reum facere. Et *ib.* 28. Accusatus rei capitalis. *Vet. poeta* ap. *Cic. N. D.* 1, 6. Facinora capitalia facere. *Cic. Rabir. perduell.* 9. Fraudem capitalem admittere. *Tac. A.* 3, 60. Suspecti criminum capitalium. [*Id. ib.* 1, 21. Desertoresque ac rerum capitalium damnatos sibi jam miscent.] ℙ *Inimicus capitalis*, qui ad necem usque persequitur. *Pl. Poen.* 4, 2, 57. Scin' tu, herum tuum meo hero esse inimicum capitalem? *Cic. Catil.* 2, 2. Hostis tam capitalis. Sic *ira capitalis* ap. *Hor. Sat.* 1, 7, 13. et *odium capitale* ap. *Cic. Amic.* 1. ℙ *Triumviri capitales*, qui de rebus capitalibus inquirunt, et reos poena capitis afficiunt. V. TRIUMVIRI. ℙ Capitalis poena est, supplicium. *Suet. Caes.* 48. Capitali poena aliquem afficere. *Id. Aug.* 24. Capitali animadversione punire. ℙ Dicitur etiam *capitalis poena* damnatio ad metalla, et deportatio in insulam, ut *Callistrat.* docet *Dig.* 48, 19, 28. ℙ *Capitalis causa*, *judicium capitale*, in quo de vita, aut exsilio, hoc est aquae et ignis interdictione agitur, ut apud *Paul. Dig.* 48, 1, 2. legitur. *Appul. Met.* 9. Capitalem causam evadere. ℙ *Capitale esse* dicitur, quod vitae amittendae periculum creat. [*Idem quod *capital*, facinus supplicio dignum, ut recte explicatur §. sq., cujus verba parum recte, ab his sejuncta videntur. Caeterum haec sequi poterant ea, quae §. 2. leguntur.] *Cic. Inv.* 2, 31. Cum Lacedaemoniis lex esset, hostias nisi ad sacrificium redemptor praebuisset, capitale esset. *Suet. Cal.* 24. Risisse, lavisse, coenasse cum parentibus, capitale fuit. *Plin.* 12, 14, 32. Digredi via capitale leges fecere. V. CAPITAL. ℙ *Capitalia*, *ium*, sunt crimina capitalia. *Cic. Leg.* 3, 3. Vincula sontium servanto, capitalia vindicanto. ℙ *Capitalis homo* dicitur summe scelestus, percussor, et qui vitam hominum petit, vel petere paratus est. *Cic. Off.* 3, 21. Capitalis Eteocles, qui etc. [*cf. *Beier.* ad h. l. et quos laudat.] *Id. Phil.* 5, 12. Quidam septemvir capitalis homo. ℙ *Capitalis lucus*, teste *Festo*, est, ubi si quid violatum est, capite violatoris expiatur. *Scalig.* autem non *lucus*, sed *locus* legi vult. ℙ Accipitur etiam *capitalis* generatim pro valde pernicioso. *Cic. Off.* 2, 21. Capitalis oratio, et ad aequationem bonorum pertinens, [*i. e. seditiosa, quippe quae labefactaret fundamenta rei publicae. Ita *Beier.* q. cf.] *Id. Phil.* 4, 1. *ad f.* Cum capitalem et pestiferum Antonii reditum timeremus. *Id. Off.* 1, 13. *in f.* Totius injustitiae nulla est capitalior, [*i. e. detestabilior] quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. *Id. Senect.* 12. Nulla capitalior pestis, quam corporis voluptas, hominibus a natura data. ℙ Denique aliquando significat solertem, ingeniosum, ut docet *Ov. Fast.* 3, 839. *de Minerva Capita*, seu *Capta*. Nominis in dubio causa est: capitale vocamus Ingenium solers: ingeniosa Dea est. *Treb.* XXX. *Tyrann.* 10. Capitali etiam joco regna promeruit. Ita in antiqu. membranis, teste *Salm.* et aliis. Vulgo legitur *militari*. Huc quidam trahunt et illud *Cic. Q. Fr.* 2, 13. *de Philisto historico Siculo*. Siculus ille capitalis, creber, acutus, brevis, paene pusillus Thucydides. *Manut.* tamen exponit *gravis*, *et capita rerum attingens*. Plura hac de re *Muret. variar. lection.* 2, 5. Sed hic praestat interpretari, *scriptorem primarium* non vulgarem.

CAPITALITER, adv. κεφαλικῶς. *Plin. ep.* 1, 5. Quam capitaliter me ipsum apud centumviros lacessisset, *h. e.* usque ad periculum capitis. Sic capitaliter odisse, *Ammian.* 21, 16. Capitaliter animadvertere, *Veg. Mil.* 2, 22.

[CAPITANEUS, a, um, adj. praecipuus, principalis. *Auct. incert. rei agrar.* p. 270. *Goes.* Quas litteras singulas in terminis invenies, quae capitaneae sunt, non fundorum, sed rationis terminum ostendunt. *F.*]

CAPITARIUM Aes, quod capi potest. Ita *Festus:* sed negat *Scalig. Festum* ita scripsisse, sed *Capitarium est quod caput est;* atque id significare, capitariam dici pecuniam, quae caput est usurae, et *sors* etiam dicitur, ἀρχαῖον. Ipse tamen mallet, capitarium aes esse, quod capite penditur. Duplex enim fuit tributi collatio, alia per capitationem, alia ex censu, ut idem *Fest.* docet in *Tributorum*.

CAPITATIO, onis, f. ἐπικεφάλαιον, tributum, quod in singula capita, et viritim imponitur: *tributum capitis* ab *Ulp. Dig.* 50, 15, 3. et *exactio capitum* a *Cic. Fam.* 3, 8. appellatur. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. *ad f.* Neque ab annona, neque ab angariis, neque a capitatione (exceptis militibus, et veteranis) excusare se possunt. ℙ Dicitur etiam *capitatio*, quae in singula animalium capita indicitur, ut videre est apud *Impp. Theod. et Valent. Cod. Theod.* 11, 20, 6.

CAPITATUS, a, um, part. ab inusit. *capito*, κεφαλωτός, qui habet caput, vel in caput late crescit. *Varr. R. R.* 2, 9. *ad f.* Cingulum circum collum cum clavulis capitatis canibus imponere. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 334. Natibu' natricem impressit crassam et capitatam. *Plin.* 19, 6, 32. Caepa capitata. *Id.* 20, 6, 22. Porrum capitatum. *Id.* 24, 19, 113. Herba thyrsi modo vestita et capitata. ℙ *Capitata vinea* est, quae non in brachia, sed in caput crescere sinitur, et robur crassitudinis accipit in stirpe: quod fit, cum juxta ipsam matrem usque ad corpus sarmentum detrahitur, una, aut altera tantummodo gemma relicta, quae ipsi trunco adhaeret. Huic opponitur *brachiata*, quae in ramos spargitur. *Colum.* 5, 5.

CAPITECENSI, et Capite censi (alibi enim junctim, alibi divisim scriptum invenitur) erant, qui in plebe Romana nullo aere censebantur: a censione capitum, quod solis capitibus, idest, solis personis censerentur. Horum opera Romani in bello non utebantur, quod opes civium obsidum loco ducerent, metuerentque, ne infimae sortis homines, qui nihil quod amittere possent, in urbe reliquissent, aut segniter pugnarent, aut facile spe lucri ad hostes deficerent. Differebant a proletariis, qui reipublicae nihil praeter prolem filiorum dabant in usum belli. *Paulus* JCtus apud *Gell.* 16, 10. Qui in plebe Romana pauperrimi erant, neque amplius quam mille quingentum aeris in censum deferebant, proletarii appellati sunt; qui vero nullo, aut perquam parvo aere censebantur, capitecensi vocabantur. Extremus autem census capitecensorum aeris fuit trecenti septuaginta quinque. *Sall. Jug.* 91. Ipse interea milites scribere non more majorum, nempe ex classibus, sed capite censos plerosque. V. *Gell. l. c.* et *Sigon. de antiq. Jure Civ. Rom.* 1, 4. V. etiam PROLETARIUS.

CAPITELLUM, i, n. κεφαλίδιον, parvum capitulum, vel crassior summitas cujuscumque rei. *Varr. L. L.* 7. *sub f.* negat, hanc vocem in Latina consuetudine esse. Nihilominus reperitur ap. *Plin.* 24, 19, 113. Inde alii ramuli assurgunt sua capitella gerentes. Ita leg. in vet. editionib. 1470. et 1472., item in Aldina 1535., Elzeviriana 1637. et aliis. At omnium harum antiquissima A. 1469. habet *capitula*, quam secutus est *Hard.*, quod et in MSS. suis se ita reperisse testatur. Adde *Appul. Herb.* 60. et 72. ℙ In architectura est capitulum columnae. *Coripp.* 4, 59. Buxea populeis aptans capitella columnis; Materiaque ipsa bases firmaverat imas. *Plin.* 36, 23, 56. Columnis spirae subditae, et capitella addita. Eadem in hoc est, quae in superiori loco, lectionis varietas.

[*CAPITILAVIUM, ii, n. capitis lavatio, a *caput*, et *lavatio*. *Isid. Orig.* 6, 18. p. 140. ed. Vulput. Diem palmarum vulgus ideo capitilavium vocan. Diem palmarum vulgus ideo capitilavium vocant, quia tunc moris est lavandi capita infantium, qui ungendi sunt: ne observatione quadragesimae sordidata ad unctionem accederent. *F.* et *B. A.*

CAPITINA, ae, f. *In testamento M. Grunii (de quo V. in* BUBULARIUS) Donabo sutoribus setas, rixatoribus capitinas, surdis auriculas. *Lambecius* putat, *capitinas* significare capistra ad maxillas constringendas, vel ipsas maxillas.

[*CAPITINUS, a, um, adj. ad Capitium pertinens, urbem Siciliae mediterraneam, nunc *Capizzi*. *Cic. Verr.* 2, 3, 43. Tyndaritanam nobilissimam civitatem, Cephaloeditanam, Capitinam perditas esse hac iniquitate decumarum intelligetis. ℙ Dictum et Capytium, Καπύτιον *Ptol. F.* et *B. A.*]

[CAPITIO, onis, m. dimin. capitati, ut contra *Capito* est incrementum. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 964, 8. A. Menenius A. F. qui Capitio. *F.*]

CAPITIUM, ii, n. tegumentum est pectoris muliebre, ita dictum, quod capit pectus, idest, ut antiqui dicebant, indutu comprehendit, ut *Varr. L. L.* 4, 29. docet. *Non.* 14, 37. interpretatur tegumentum capitis, sed male. *Varr. de vita pop. Rom.* ap. *Non. ib.* Neque id ab orbita matrumfamilias instituti, quod eae pectore ac lacertis erant apertis, nec capitia habebant. *Laber.* ap. *Gell.* 16, 7. Induis capitium tunicae pictacium. *Ulp. Dig.* 34, 2, 24. Vestimenta muliebria stolae, pallia, tunicae, capitia, zonae. *Gell. l. c.* hanc vocem reponit inter eas, quas tanquam obsoletas, et ex sordidiore vulgi usu, in *Laberio* damnat. ℙ Dicitur etiam *capitium* superior tunicae pars, quae collum ambit. *Hieron. ep.* 64. *de vest. Sacerd. n.* 14. Tunica talaris assutas habens manicas, in superiori parte, qua collo induitur, aperta, quod vulgo capitium vocant, oris firmissimis ex se textis ne facile rumpatur.

CAPITO, onis, m. μεγαλοκέφαλος, qui magnum habet caput. *Cic. N. D.* 1, 29. Redeo ad Deos. Ecquos arbitramur naevum habere? ecquos silos, flaccos, frontones, capitones? ℙ Est etiam cognomen Romanum in gente Maria, quo qui primus appellatus est, insigni capitis magnitudine fuit. *In nummo antiqu.* ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 250. C. Marius C. F. Capito. Et in gente Sestia, ut P. Sestius Q. F. Capito in *Fastis Capitol.* ap. *Grut.* 289. ℙ Huc allusisse videtur *Pl. Pers.* 1, 2, 8., ubi parasitis quibusdam *duris Capitonibus* cognomentum fuisse dicit. V. interpretes. ℙ L. Attejus, vel Atejus Capito, scriptor vetus, pontificii juris valde peritus, affertur non uno loco a *Macrobio*, praesertim *Sat.* 7, 13., ubi longiusculum ex eo fragmentum recitat: item a *Festo*, *Nonio*, *Plinio*, *Gellio* etc. ℙ Est etiam *Capito* piscis marinus, qui et cephalus dicitur, a magnitudine capitis. *Cato R. R.* 158. ℙ Item piscis fluviatilis, multis spinis ventrem septum habens. *Auson. Mosell.* 85.

*CAPITOLIAS, adis, Palaestinae oppidum, trans Jordanem fluvium, in Gaulanitide, Damascum inter et Scythopolim. *Anton. Itin.* In Coelesyria ponit *Ptolem. B. A.*

CAPITOLINUS, a, um, adj. Καπιτωλῖνος, ad Capitolium pertinens. *Cic. Rabir. perduell.* 11. Clivus Capitolinus. *Id. Dom.* 57. Juppiter Capitolinus. *Mart.* 12, 21. Capitolinus collis. *Id. ib.* 48. Dapes Capitolinae, *h. e.* epulum, quod Jovi praebetur in lectisterniis. *Suet. Cal.* 7. Venus Capitolina, *h. e.* quae templum habuit in Capitolio. *Juven.* 6, 386. Capitolina quercus, *h. e.* corona querna, quae dabatur victori in certaminibus Capitolinis, a Domitiano institutis in honorem Jovis Capitolini, ut est ap. *Suet. in ejus Vita* 4. V. AGON. ℙ De amphora Capitolina, V. AMPHORA. ℙ *Capitolinus* cognominatus est M. Manlius ob defensos ab arce Capitolii Gallos, teste *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 24., quod confirmat *Plutarch. in Camillo*. Sunt tamen qui putant hoc cognomen in gente Manlia etiam ante Urbem a Gallis captam fuisse, ductumque esse ex eo, quod Manliorum quaedam familia in Capitolio habitaverit. ℙ *Capitolina palmata*, cujus mentio fit a *Vopisc. Prob.* 7. erat toga palmata, quae dabatur consulibus ab imperatore, et de Capitolio accipiebatur: unde ratio nominis. *Capitolin. Gordian.* 4. V. *Salmas. in commentar.* ad *Vopisc. Carin.* 20. [*Cf. *Hieron. Boss. de toga Romana dissert.*, ubi togam palmatam eandem fuisse atque pictam et purpuream confirmatur.] ℙ *Capitolini*, *orum*, fuerunt homines in Capitolio atque arce habitantes, ex quibus M. Furius Camillus collegium constitui jussit ad edendos ludos (itidem *Capitolinos* dictos) in honorem Jovis Capitolini, ob servatam a Gallis arcem Capitolii, ut *Liv.* 5, 50. narrat. *Cic. Q. Fr.* 2, 5. M. Furium Flaccum, hominem nequam, Capitolini et Mercuriales de collegio ejecerunt.

CAPITOLINUS, i, m. Julius Capitolinus unus ex sex scriptoribus, qui Historiam Augustam seu Vi-

tas Imperatorum Romanorum condiderunt, ab Hadriano usque ad Carinum. Reliqui sunt duo Aelii, Spartianus et Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio et Flavius Vopiscus. Hi omnes desinente saeculo Christi III. et ineunte IV., parvo annorum intervallo vixerunt. Stilo sunt pro illa aetate probabili, nec admodum inaequali.

CĂPĬTŌLĬUM, i, n. *Καπιτώλιον*, unus ex septem Romae collibus, in quo fuit arx Urbis, et templum Jovis Capitolini, totius reipublicae praesidis. Antiquitus dictus est *Saturnius mons*, et ab eo late *Saturniam terram* appellavere. Deinde *Tarpejus* a virgine Tarpeja, filia Sp. Tarpeji ejus arcis custodis, quae eam Sabinis prodidit, et ibi necata ab iisdem fuit. Denique L. Tarquinio Superbo regnante *Capitolium* appellari coepit, et *Clivus Capitolinus*, quia cum rex Jovi templum aedificaret, caput humanum integra facie aperientibus fundamenta dicitur apparuisse; quae visa species haud per ambages arcem eam imperii, caputque rerum fore portendebat. *Varr. L. L.* 4, 7., *Liv.* 1, 11. et 55. ℙ Sunt, qui ex eo derivant, quod caput illud humanum fuerit cujusdam *Toli*, seu *Oli*, seu *Auli Vulcentani*, qui eo loco sepultus fuisset. Ita *Serv.* ad *Virg. A.* 8, 345. et *Arnob.* 6. p. 194., ubi plures hujus rei testes citat. Sed *Voss.* in *Etymol.* in *Medius*, et *Territorium* illud *tolium* censet meram esse vocis productionem nihil significantem. *Virg. A.* 9, 448. Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum Accolet. ℙ *Varr. L. L.* 4, 32. *s. f.* memorat *Capitolium vetus* in colle Quirinali positum, antiquius altero illo, de quo hactenus dictum est, in quo fuit sacellum Jovis, Junonis, et Minervae. *Pub. Victor* fuisse dicit in regione Urbis sexta prope templum Florae. Alterum enim fuit in regione octava. Sed *Capitolium vetus* tunc solum ita appellari coeptum est, cum in monte Tarpejo humanum caput est repertum, et novo Capitolio nomen dedit. *Mart.* 7, 73., ubi *novum* et *veterem Jovem* nominat, de utroque Capitolio intelligendus est. ℙ Poetae etiam in plurali num. usurpant. *Virg. l. c.* Hinc ad Tarpejam sedem, et Capitolia ducit. *Ov. A. Am.* 3, 115. Aspice, quae nunc sunt Capitolia, quaeque fuerunt. Adde *Propert.* 4, 4, 25. ℙ Aliarum quoque urbium magnifica templa, et arces *Capitolii* nomine appellantur. *Suet. Tib.* 40. Cum Capuae Capitolium, Nolae templum Augusti dedicassset. *Vitruv.* 3, 2. Capitolium Pompejanum, *h. e.* quod fuit Pompejis urbe Campaniae, ut *Turneb.* 11, 2. minus recte putat: nam ibi memorantur fastigia Herculis Pompejani, item Capitolii, nempe templi Herculis a Pompejo M. erecti, et templi Jovis Capitolini. *Sidon. carm.* 123. *v.* 41. Salve, Narbo, potens salubritate, Delubris, capitoliis, monetis. *Inscr.* ap. *Morcell. De stil. inscr. T.* 2. p. 291. *ed. Patav.* memorat Capitolium Faleriense, et alia ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 107. Veronense. Adde *Sil.* 11, 267.. *Suet. Gramm.* 9. et *Eum. Orat. De restaur. Schol.* 9. ℙ Christiani scriptores Capitolia dixere omnia Gentilium templa, quippe quae plerumque in summis arcibus essent collocata. *Prudent. contr. Symmach.* 1, 632. Et quascumque solent Capitolia claudere larvas.

CAPITOLUM, oppidum. V. in CAPITULENSES.

CAPITULĀNI. V. CAPITULARII.

[CĂPĬTŪLĀRĔ, is, n. *ἐπικεφάλειος πόρος*, tributum, quod in singula capita solvitur. Ita porro est appellatum tributum illud duarum drachmarum, quod Judaeis Capitolino Jovi, jussu Vespasiani imperatoris, solvendum quotannis erat, quemadmodum in templum Hierosolymorum antea ipsi mittere solebant, testantibus id *Flav. Josepho B. J.* 7, 6., *Cic. Flacc.* 28. et *Suet. Domit.* 12. *Inscr.* ap. *Oderic. Syllog. inscr.* p. 33. T. Flavio Aug. Lib. Euschemoni, qui fuit ab epistulis, item procurator ad capitularia Judaeorum, fecit Flavia Aphrodisia patrono et conjugi benemerenti. ℙ Hinc apud sequioris temporis auctores *capitulare* seu *capitularium* est liber, in quo descripta sunt nomina eorum, qui ob agrorum domorumve possessionem annui tributi praestationem fisco debent. *F.*]

CĂPĬTŪLĀRĬI, orum, m. plur. in *Cod.* 12, 29, 2. appellantur, qui adjutores sunt arcarum praepositis, et tabulariis, hoc est exactores capitum, seu rationum publicarum. Horum mentio fit etiam a *Cassiod. Variar.* 10, 28., ubi dicuntur *capitularii horreariorum et tabernariorum*, hoc est qui exigunt quidquid ab horreariis et tabernariis tributi nomine pendi debet: item a *Symmacho ep.* 9, 10., ubi plerique leg. *capitulani* eod. sensu.

CĂPĬTŪLĀRĬUS, a, um, adj. ut *Capitularia functio*, in *Cod. Theod.* 11, 16, 14. V. CAPITULUM.

CĂPĬTŪLĀTIM, adv. summatim, per capita, *κεφαλαιωδῶς*. *Nep. Cat.* 3. Atque haec omnia capitulatim sunt dicta. *Plin.* 2, 12, 9. Breviter et capitulatim attingere aliquid.

CĂPĬTŪLĀTUS, a, um, part. ab inusit. *capitulo*, capitulum habens, capitatus. *Cels.* 8, 1. Costae primis partibus rotundae, et leniter quasi capitulatae. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 3. Surculus capitulatus.

CĂPĬTŪLENSES, ium, m. plur. populi Latii, in finibus Hernicorum, supra Praeneste. *Paul. Dig.* 50, 15, 8. ℙ Eorum oppidum fuit *Capitulum*, seu *Capitolum*, *Straboni* 5. *Καπιτούλον*, cujus meminit *Plin.* 3, 5, 9.

CĂPĬTŬLUM, i, n. *κεφάλιον*, *κεφαλίδιον*, parvum caput. *Pl. Curc.* 2, 3, 14. Ubi quid surripuere, operto capitulo calidum bibunt. *Cels.* 2, 22. Capitulum haedi. *Colum.* 11, 3. Capitulum caepae. *Plin.* 25, 5, 19. Herba quadrato caule, capitulis marrubii. *Cels.* 6, 18. *n.* 9. Ora venarum tanquam capitulis quibusdam turgentia. ℙ Adhibetur etiam in blanditiis. *Ter. Eun.* 3, 3, 25. O capitulum lepidissimum! ℙ Pro homine *Pl. Asin.* 2, 4, 89. Scribam huic te capitulo hodie facturum satis pro injuria. ℙ In architectura est pars superior columnae, *ἐπίκρανον*, *Vitruv.* 4, 1. Columnae Corinthiae, praeter capitula, omnes symmetrias habent, uti Ionicae, sed capitulorum altitudines efficiunt eas pro rata excelsiores et graciliores. Adde *Plin.* 36, 23, 56. ℙ In balistis et catapultis *capitula* sunt trabes transversariae, in quibus fiunt foramina, per quae trajiciuntur nervi ad distinenda brachia machinarum. *Vitruv.* 1, 1. et 10, 15, 17 et 18. et *Bald. in Lex. Vitruv.* ℙ Praeterea *capitulum* dicitur a *Varr. R. R.* 3, 5. appendicula lignea rotunda tabulae quadratae litterariae impacta et perforata, ut sit unde suspendi possit. *Scalig. in not. ad Varr. R. R.* ℙ Item capitium, ab *cod.* teste *Non.* 14, 37. ℙ Sumitur etiam pro brevi divisione et sectione in libris. *Tertull. adv. Jud. de Idololatr.* 9, 19. et *ad Uxor.* 2, 2., itemque *D. Hieronym, in c.* 22. *Hierem.* et *in Ezech. c.* 47. *sub f.* Quidam addunt etiam locum *Cic. Leg.* 1, 7. Te primum capitulum libri optimi prodidisse: sed plerique omnes leg. *caput.* [*Orell.* exhibet: caput viri optimi.] ℙ Pro lege, seu legis parte usurpat *Imp. Justinian. Cod.* 5, 37, 28. ℙ [*Capitulum* etiam inter ornamenta capitis muliebria recensetur ab *Isid. Orig.* 19, (alii 18.) 31. Capitulum est, quod vulgo *capitulare* dicunt. Idem et cappa, vel quod duos apices, ut cappa littera, habeat, vel quia capitis ornamentum. Fortasse idem fuit ac *capital*, quam vocem V. *B. A.* ℙ Denique sequiori aevo ita appellatum est genus quoddam praestationis, seu functionis, quae inter sordida munera enumeratur in *Cod. Theodos.* 11, 16, 15 et 18., et cum temonaria conjungitur. Eadem dicitur etiam *functio Capitularia*, ut supra dictum est. Eam qui praestare debebant, tenebantur tironem supplendo exercitui praebere, vel pro eo, aestimatione facta, pecuniam solvere. Alia etiam onera habuit, de quibus V. *Brisson. de verb. signific. Du Fresne in Glossar.* et *Gothofred. ad Cod. Theodos.* V. etiam v. seq.

CAPĪTUM, seu Capētum, i, n. *καπητόν*, pabulum jumentorum: a *κάπη*, praesepe. *Hesych. Καπητόν, παράβλημα ἀλόγων. Aurelian. Imp. in quadam ep.* ap. *Vopisc. in ejus Vita* 7. Equum sagmarium suum defricet, capitum animalis non vendat. *Ammian.* 22, 4. Totidem pabula jumentorum (quae vulgo dictitant capita), et annuum stipendium grave. *Imp. Julian. Cod. Theod.* 7, 4, 7. Milites capitum petere jussimus. Adde *ib.* 13.

CAPLĀTOR. V. CAPULATOR.

CAPNĪAS, ae, m. *καπνίας*, gemma est ex iaspidum genere, veluti fumo infecta: a *κάπνος*, fumus. *Plin.* 37, 9, 37. ℙ Eadem *ib.* 10, 56. vocatur *Capnitis.* ℙ Est et alia ex genere chrysolithorum, *Capniae* nomine dicta. *Id. ib.* 9, 44. ℙ [Est et vitis hujus nominis. *Plin.* 14, 3, 4, 7. Capnias et bucconiatis, et tarrupia in Thurinis collibus non ante demetuntur, quam gelaverit. Hujus vitis mentio est et ap. *Theophr. H. plant.* 2, 3. *F.*]

*CAPNĪON, i, n. herba eadem, quae capnos. *Plin.* 25, 13. *B. A.*

CAPNĪTIS vel Capnites, ae, m. *καπνίτης*, gemma eadem, quae Capnias. *Plin.* 37, 10, 56.

CAPNĪTIS, itidis, f. *καπνῖτις*, cadmiae species tenuissima, quae e fornacibus flamma atque flatu egesta cameris lateribusque fornacum adhaeret: a *καπνία*, fuligo. *Plin.* 34, 10, 22.

CAPNOS, i, f. *καπνός*, herba est, alio nomine pes gallinaceus, nascens in parietinis et sepibus, ramis tenuissimis et sparsis, flore purpureo, viridis: succus ejus caligines discutit oculorum. *Plin.* 25, 19, 98. qui eam vocat *Capnon primam.* Est enim altera similis nomine et effectu, fructiosa, praetenera, foliis coriandri, cineracei coloris, flore purpureo. *Id. ib.* 99.

CAPNUMARGOS. V. ACAUNUMARGA.

CĂPO, onis, m. et Cāpus, i, m. *ἀλέκτωρ ἐκτομίας*, gallus gallinaceus castratus. Etymon vocis idem est ac *caballi*, V. CABALLUS. *Varr. R. R.* 2, 7. *in f.* Equi demptis testiculis canterii appellati, ut in suibus majales, in gallis gallinaceis capi. *Id. ib.* Capi semimares. *et mox.* Gallos castrant, ut sint capi, candente ferro inurentes calcaria ad infima crura. *Colum.* 8, 2. Galli castrantur non amissis genitalibus, sed ferro candente calcaribus inustis. (Adde *Plin.* 10, 21, 25. Galli desinunt canere castrati, quod duobus fit modis: lumbis adustis candente ferro, aut imis cruribus.) *Mart.* 3, 58. Coacti non amare capones. *Pallad.* 12, 1. Faba macerata sanguine caponis. *Apic.* 4, 3. Testiculi caponum. [*Auxit hunc locum nonnullis. *F.*]

[CĂPŌNĪUS, a, um, adj. ad caponem pertinens. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 559, 7. C. Sallius Caponius. *F.*]

*CAPORI, orum, *Κάποροι*, populi Hispaniae Tarracon. *Plin.* 4, 20. ed. *Hard.* Antea leg. *Caepori. B. A.*

*CAPOTES, ae, mons Armeniae majoris, de quo sic *Plin.* 5, 24. Oritur (Euphrates) in praefectura Armeniae majoris Caranitide ut prodidere ex iis, qui proxime, viderant, Domitius Corbulo in monte Aba, Licinius Mucianus sub radicibus montis, quem Capoten appellant. V. *Salm.* ad *Solin.* p. 628. *B. A.*

CAPPA, *κάππα*, decima Graecorum et Latinorum littera, cujus loco Latini saepius litteram tertiam *G.* reponunt, de qua diximus initio hujus litterae. *Auson. Idyll. de litt. monos. Gr. et Lat.* 12, 26. Cappa fui quondam Baeotia, nunc Latium K. ℙ *Cappae* equi marini apud *Festum.* V. CAMPE. ℙ *Cappa* est etiam pilei genus. V. CAPITULUM.

*CAPPADOCARCHĬA, ae, f. *Καππαδοκαρχία*, sacerdotium Cappadociae provinciae. *Modestin. Pand.* 27, 1, 6. Provinciae sacerdotium, ut Asiarchia, Bithyniarchia, Cappadocarchia, praebet a tutelis immunitatem, dum ei muneri quis praeest. V. *Ant. Aug. lib. sing. ad Modestin.* p. 407. seq. *B. A.*

CAPPĂDŌCĬA, ae, f. *Καππαδοκία*, regio Asiae minoris, habens a septentrione Pontum Euxinum, ab occidente Galatiam, a meridie Ciliciam, ab oriente Armeniam. Nomen ei dedit *Cappadox* parvus in ea fluvius. *Plin.* 6, 3, 3. *Cic. Fam.* 15, 2.

[CAPPĂDŌCĬCUS, a, um, adj. ad Cappadociam pertinens. In *Hadriani* nummo ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 493. Exercitus Capadocicus. *F.*]

CAPPĂDŌCĬUS, a, um, adj. ad Cappadociam pertinens. *Plin.* 21, 9, 27. Cappadocia zizipha. *Colum.* 11, 3. Lactuca Cappadocia. V. v. seq. ℙ *Cappadocia gemma* in Phrygia quidem nascitur ebori similis, ut est ap. *Plin.* 37, 10, 56., sed quia in Cappadocum officinis poliri solebat, et inde Romam advehi, Cappadocia appellata est. *Harduin. ib.*

CAPPĂDŌCUS, a, um, adj. ad Cappadociam pertinens. *Colum.* 10, 184. Cappadoca gens. *Mart.* 10, 76. Nec de Cappadocis eques catastis. V. CAPPADOX. *Id.* 5, 78. Nec deerunt tibi, si soles *προσλύειν*, Viles Cappadocae, gravesque porri, *h. e.* lactucae e Cappadocia, quae *Cappadocae* dicuntur etiam a *Plin.* 19, 8, 38.; estque genus lactucae pallido et pexo densoque folio virens, ut est ap. *Colum.* 11, 3. et 10, 184 et 191. ℙ *Sal Cappadocus* ap. *Colum.* 6, 17. genus est nativi salis, quod e terra effoditur in Cappadocia, humore densato, caediturque specularium lapidum modo, ut *Plin.* 31, 7, 39. docet. *Id. ib.* 41. In Cappadocia croceus effoditur, translucidus et odoratissimus.

CAPPĂDOX, ŏcis, m. fluvius, qui Cappadociae nomen dedit. *Plin.* 6, 3, 3. ℙ Adjective, *Καππάδοξ*, ad Cappadociam pertinens. Dicitur aliquando de servis, quorum multi e Cappadocia Romam advehebantur, erantque, ut grandi corpore, ita plerumque stupidioris ingenii. *Cic. in Senat.* 6. Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres. *Pers.* 6, 77. Cappadocas rigida pingues plausisse catasta. ℙ *Cappadoces, um*, Cappadociae populi, antea *Leucosyri* appellati, ut *Plin.* 6, 3, 3. docet. *Hor. Ep.* 1, 6, 39. Mancipiis locuples, eget aeris Cappadocum rex.

*CAPPAGUM, i, oppidum Hispaniae Baet. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

CAPPĂRĂ, ae, f. herba eadem, quae portulaca. *Appul. Herb.* 103.

CAPPĂRI, n. indeclin. et Capper, is, n. et Cappăris, is, f. *ἡ κάππαρι*, frutex est firmioris ligni, fructum ferens vulgatum in cibis, et eodem nomine dictum. Est autem aculeatus, spinisque in hami modum aduncis, foliis rotundis, et mali cotoneae similibus. Fructum fert instar olivae, sed minutioris, qui cibi gratia sale conditur: sic et caulis. Ita *Diosc.* 2, 204. Ejus varia genera recenset *Plin.* 13, 23, 44. Rationem vero serendi *Colum.* 11, 3. et *Pall.* 10, 13. docent. *Plin. l. c.* Cappăris firmioris ligni frutex. *Colum l. c.* Capparis si serenda fuerit, siccum locum desiderabit. *Cels.* 4, 9. Multisque modis huic rei cappari aptum est. *Pall.* 11, 11. Seruntur thymum, et ariganum, et capper mensis initio. *Mart.* 3, 77. Capparin, et putri caepas alece natantes. Adde *Pl. Curc.* 1, 1, 90. *Varro* quoque *capparin* feminino genere dixit, teste *Charis.* 1, 79.

CAPRA, ae, f. *αἴξ*, *αἰγός*, animal notum, ita dictum, ut vult *Varr. L. L.* 4, 19. et *R. R.* 2, 3., quasi *carpa* a *carpendo.* Studiose enim de agrestibus fruticibus pascitur, atque in cultis locis virgulta carpit. *Cato* ap. *Charis.* 1, 79. Et in Italia atras capras lacte album habere. *Cic. Amic.* 17. Ut capras, et oves, quot quisque haberet, dicere

posset; amicos quot haberet, non posset dicere. Plura de his V. ap. *Varr. R. R. l. c.*, *Colum.* 7, 6., *Plin.* 8, 50, 76., ubi ex Muciano narrat duarum caprarum obviarum solertiam in angusto transitu. V. PROCULCATUS. ℙ Ap. *Virg. A.* 4, 152. *caprae ferae* sunt capreae. Sed et absolute *capram* pro capra fera dixit *Appul. Met.* 8. ℙ De foetore sub alis hominum, qui et *caper* et *hircus* vocatur. *Hor. Ep.* 1, 5, 29. Sed nimis arcta premunt olidae convivia caprae. ℙ Est etiam convicium in hirsutos. *Suet. Cal.* 50. Fuit fronte lata et torva, capillo raro, ac circa verticem nullo; hirsutus cetera. Quare transeunte eo, quacumque de causa capram nominare, exitiale habetur. V. CAPELLA. ℙ Capram Aesculapio immolari solitam fuisse, diximus in AESCULAPIUS. Sed et Ditis patris propriam hostiam esse, docet *Serv.* ad *A.* 7. 519. Narrat *Liv.* 45, 16. quinquaginta capris Romae in foro sacrificatum fuisse jussu decemvirum, ob id maxime, quod nunciatum fuerat, sanguinem e foco cujusdam per triduum et duas noctes manasse. ℙ Est etiam hoc nomine coeleste sidus. V. AMALTHEA. *Hor. Od.* 3, 7, 6. Insana Caprae sidera. ℙ Denique tradit *Sen. Q. N.* 1, 1. vocari *capras* ab Aristotele quasdam coelestium ignium species in coelo apparentes: sed ejus appellationis rationem ignorare se fatetur. *Lipsius* ita dici putat, vel quia barbulam praeferunt caprae similem, vel potius quia scintillas emittendo saltare, et locum lascive mutare videntur. V. *Arist. Meteor.* 1, 4. ℙ Fuit et *Capra* cogn. Rom. ut *Annius Capra* ap. *Varr. R. R.* 2, 1., ductum ex eo quod caprarum gregibus delectatus sit.

CAPRĀGO, aginis, f. herba, alio nomine cicer columbinum, tithymali species: ita fortasse dicta, quod ea libenter caprae pascantur. *Appul. Herb.* 108. ℙ Alia significatione V. in CAPRUGINEUS.

CAPRĀRIENSIS, e, adj. ut *Caprariense plumbum*, quod effoditur in Capraria insula prope Balearem majorem. *Plin.* 34, 17, 49.

CAPRĀRIUS, a, um, adj. ad capras pertinens. *Solin.* 1. Cum a matre locatus esset ad caprarios pastus. ℙ Caprarius, ii, caprarum pastor, *αἰπόλος*, *αἰγελάτης*. *Varr. R. R.* 3, 2. Caprarius, qui adduxit capellas ad urbem. Adde *Colum.* 3, 10. ℙ *Capraria insula* a multitudine caprarum appellata est, ut *Varr. l. c.* docet: sed ipse *Caprasiam* vocat. Eam *Plin.* 3, 6, 12. in mari Ligustico ponit prope Corsicam, nunc *Capraja*. ℙ Est et alia prope Balearem majorem, nunc *Cabrera*. *Id. ib.* 5, 11. ℙ Item alia inter Fortunatas. *Id.* 6, 32, 37. V. geographos. [*Hodie, ut volunt nonnulli, est Palma.]

CAPRĀSIA Insula. V. in v. praec. ℙ *Caprasia* etiam dictum est unum ex ostiis Padi, ubi nunc *Porto di Magnavacca*. *Plin.* 3, 16, 20. ℙ [*Fuit et Caprasia oppid. Ital. inferioris, in Bruttiis. *Tab. Peuting. B. A.*]

CAPRĒA, ae, f. *αἴξ ἀγρεία*, *δορξ*, capra fera mirae agilitatis et pernicitatis, acutissima etiam oculorum acie praedita, domesticae caprae non una in re similis, ramosa habens cornua, ut *Plin.* 11, 37, 45. docet; parva tamen, et innoxia venantibus: sola enim fuga se defendit. *Ov. Fast.* 5, 372. imbelles capreae. *Virg. G.* 2, 374. Silvestres uri, capreaeque sequaces. *Id. A.* 10, 725. Caprea fugax. *Mart.* 13, 99. Pendentem summa capream de rupe videbis: Casuram speres: despicit illa canes. ℙ Ap. *Plin.* 11, 37, 74., ubi docet, capreas fel non habere, notat *Hard.* eo loco intelligi illud caprarum silvestrium genus, quod ab Aristotele *προρξ* appellatur, et quidam Latine vertunt *damam*; sed reprehenduntur a *Salm.* in *Sol.* p. 224. ℙ Capreas inter et lupos perpetuum odium est. Hinc proverbio dicimus de re impossibili: *Jungentur capreae lupis*. *Hor. Od.* 1, 33, 8. ℙ Quidam putant, *capream* dici etiam partem vitis, ex qua prodit capreolus, ex illo *Varr. R. R.* 1, 31. Ex altera parte caprea dicta, quod parit capreolum: is est coliculus viteus intortus etc. Sed *Scalig.* locum foede interpolatum esse ait, veramque esse veterem lectionem: *Ex altera parte parit capreolum: is est coliculus* etc., atque ita etiam *Auson. Pompa* et *Schneiderus* ediderunt. ℙ *Caprea palus* (*Liv.* 1, 16. *Caprae palus*) fuit prope Romam, in qua cum esset Romulus, exercitum suum recensens, subita coorta tempestate, non comparuit, et in coelum ascendisse creditus est. *Ov. Fast.* 2, 491. Is locus postea dictus est *Caprilia*, teste *Festo*.

CAPRĒAE, arum, f. plur. *Capri*, insula est in mari Tyrrheno, Campaniae adjacens, octo mill. pass. a Surrento distans, circuitu XI. circiter mill. passuum, non XL., ut perperam legitur ap. *Plin.* 3, 6, 12., secessu Tiberii principis nobilis. Eam Teleboae populi incoluerunt. Dicta autem creditur a quodam *Capreo*, qui in illa regione potens opibus fuit, ut ap. *Serv.* ad *A.* 7, 734. et 735. legitur. *Id.* ad *ib.* 5, 864. etiam a Sirenibus aliquando habitatam fuisse tradit. Describitur a *Tac. Ann.* 4, 67. V. etiam *Suet. Tib.* 40. et seqq.

CAPRĒENSIS, et Caprensis, se, adj. ad Capreas insulam pertinens. *Suet. Tib.* 43. Capreensis secessus. [*Inscr.* ap. *Fabr.* c. 2. *n.* 74. Junoni Dorcadis Juliae Augustae L. vernae Caprensis Lycastus conlibertus conjugi carissimae sibi, *h. e.* Genio Dorcadis libertae Juliae Augustae Augusti filiae, quae a patre in insulam Pandatariam Capreis proximam est relegata, ibique per quinquennium latuit. *F.*]

CAPRĒIDA, ae, f. herba est, quam contusam et in vino veteri potam urinae ciendae prodesse, tradit *Cato R. R.* 122. Quidam putant esse *capraginem*, vel *caprariam*, quae est lactuca caprina, quaeque tamen huc non pertinet, etsi silvestris lactucae succum urinae difficultatibus prodesse affirmet *Plin.* 20, 7, 26. Alii putant, esse eandem ac clymenon, seu periclymenon, quae in officinis vulgo *caprifolium* vocatur, et urinae ciendae vim habet, teste *Plin.* 27, 12, 34. ℙ [At *Pontedera Op. post.* 1, 281., non improbante *Schneidero*, conjicit, *capreidam* esse mutandam in *cedridam*, id est *κεδρίδα*, cedri fructum, qui eundem cum juniperi fructu usum in medicina habet, teste *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 7. et 24, 5, 12. cum *Dioscorid.* 1, 105. *F.*]

[CAPRĒOLA, et Capriola, ae, f. *δορκάδιον*, diminutivum capreae, parva caprea. *Not. Tir.* p. 175. Capra, caprea, capella, capreola. *Gloss. Phil.* Capreola, *δορκάς*. ℙ Est etiam cogn. muliebre Rom. *Inscr.* ap. *Fabr.* 255, 68. Valeria Capriola. Et 258, VII. Casuria Capriola. *F.*]

CAPRĒOLĀTIM, adv. *Appul. Met.* 11. Profert quosdam libros praenotatos nodosis, et in modum rotae tortuosis, capreolatimque condensis apicibus, *h. e.* inter se implicatis instar capreolorum in vitibus.

CAPRĒOLUS, et Capriolus, li, m. *δορκάδιον*, parvus caper silvestris. *Virg. Ecl.* 2, 40. Praeterea duo, nec tuta mihi valle reperti, Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo. *Colum.* 9, 1. Ferae pecudes, ut capreoli damaeque. ℙ Est etiam ferramentum rusticum bicorne, ad terram commovendam, dictum a similitudine cornuum capreolorum. *Colum.* 11, 3. Vere deinde, priusquam coeperit germinare, capreolis, quod genus bicornis ferramenti est, terra commoveatur. ℙ *Capreoli* etiam dicuntur tigna in acclive assurgentia, proclinata et obnixa, ad aliquid firmandum. Hujusmodi sunt, quae in tectis domorum conspiciuntur, invicem incumbentia, vel hinc inde in trabem illam erectam, seu columellam, qua canteriorum pondus innititur: Italorum alii *contraffissi* appellant: alii *bracci:* Graeci *ἀγκύλιαι*, *h. e.* simul incumbentes: a similitudine horum animalium, cum adversis capitibus et cornibus assurgentes invicem incursant. Quare *luctantes* dicuntur ab *Isid. Orig.* 19, 19. *Caes. B. C.* 2, 10. *in descriptione musculi.* Duae trabes in solo collocantur, inque eis columellae defiguntur: has inter se capreolis molli fastigio conjungunt etc. *Vitr.* 4, 2. In contignationibus tigna, et axes: sub tectis columen in summo fastigio culminis, et transtra, et capreoli. Adde 10, 15., ubi de catapultis et scorpionibus agit: quorum capreolos exhibent figurae apud *Lips. Poliorc. dial.* 3, 3. ℙ Denique in vitibus, et aliis plantis capreoli sunt coliculi intorti, et veluti cincinni, quibus teneriores ramuli, et flagella serpunt, et se adminiculis innectunt, *ἕλικες*. Nomen habent ex eo, quod capreolorum inflexa cornua referunt. Hoc enim magis placet, quam quod *Varr. R. R.* 1, 31. et *Fest.* tradunt, a *capiendo* dictos esse. Dicuntur etiam *claviculae. Plin.* 17, 23, 35. *n.* 25. Nova flagella, circumcisis undique capreolis, spargantur in tabulatis. ℙ [*Capriolus* est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 262. Cominius Capriolus. *F.*]

CAPRICORNUS, i, m. *αἰγόκερως*, *αἰγοκερεύς*, unum e duodecim signis Zodiaci, in quod cum sol ingreditur, hiemale solstitium, et dies brevissimos facit. Pingitur in coelo superiori parte capri pedibus anterioribus, pectore, capite, et cornibus; inferiori piscis longa intortaque cauda, et in latum desinente. De eo ita fabulantur poetae. Cum in Aegypto Dii convivium celebrarent, repentino adventu Typhonis, seu Typhoei gigantis omnibus perterritis, alii se in alias formas transmutarunt, Pan inferiorem partem in effigiem piscis, superiorem in formam hirci commutavit, seque in flumen dejecit. Periculum ubi evaserunt, ingentes risus de Panis metamorphosi ediderunt. Juppiter vero admiratus ingenium, hanc figuram in coelum transtulisse fertur. Alii dicunt, hoc signum fingi dimidio capram referre propter capram Jovis nutricem; et capram scandentem, quia sol, ubi ad Capricorni sidus pervenerit, iterum ad nos scandit, ut est ap. *Macr. Sat.* 1, 17.; dimidio vero piscem, quia copiosissimi eo tempore imbres cadunt. *Hygin. fab.* 196. et *Astron.* 2, 28. V. AEGIPAN. *Cic. Arat.* 58. gelidum valido de corpore frigus anhelans, Corpore semifero magno Capricornus in orbe. *Hor. Od.* 2, 17, 20. tyrannus Hesperiae Capricornus undae, *h. e.* magnas in mari occidentali tempestates excitans.

CAPRIFĪCĀTIO, onis, f. *ἐρινασμός*, actus caprificandi, hoc est perficiendi, ut culices, seu vermiculi, qui e grossis caprifici gignuntur, ad alias ficus advolent, humoreque earum lacteo consumpto, ad maturitatem eas perducant. *Plin.* 15, 19, 21. Quae ratio pulvere, et caprificatione hoc quoque praestat, ne fici decidant. Adde 17, 27, 43. V. CAPRIFICUS.

CAPRIFĪCĀLIS, le, adj. Legunt quidam apud *Plin.* 11, 15, 15., sed corruptam lectionem recte e MSS. sanavit *Harduin.*, et verbum sustulit.

CAPRĪFĪCO, as, a. *ἐρινάζω*, *ἐρινόω*, est culicibus e caprifico genitis ficubus aliis maturitatem afferre, quod fit, cum lacteum humorem in iis contentum absumunt. *Plin.* 16, 27, 50. Fici caprificantur. *Pallad.* 7, 6. Mense Junio caprificandae sunt arbores fici. V. v. seq.

CAPRĪFĪCUS, i, f. *ἐρινεός*, *ἐρινός*, ficus e silvestri genere, cujus fructus (qui et ipsi *caprifici* dicuntur, ut videre est ap. *Plin.* 16, 27, 50.) nunquam maturescunt. Sed quod ipsa non habet, aliis tribuit. Parit enim culices, qui fraudati alimento in matre, quoniam tota intus post aliquod tempus computrescit, ad cognatam, nempe ad ficum sativam, volant, morsuque ficorum crebro, hoc est avidiore pastu aperientes ora earum, atque ita penetrantes, intus solem primo secum inducunt, cerealesque auras immittunt foribus adapertis: mox lacteum humorem, hoc est infantiam pomi absumunt, et brevi tempore ad maturitatem perducunt. Hinc reperta est ratio *caprificandi*, illatis aliunde caprificis, et inter domesticas ficus suspensis, ut ad eas advolare, et citius maturitatem afferre possint. *Plin.* 15, 19, 21., *Colum.* 11, 2. et *Pallad.* 4, 10. *de ficu.* ℙ Hujus autem *caprificationis* tempus est mense Junio circa solstitia, post imbrem, ut *Plin.* 17, 27, 44. et *Pallad. l. c.* et 7, 5. docent: quamquam et sub finem Julii fieri potest, teste *Colum. l. c.* ℙ Haec arbor enasci solet inter saxa et parietes, easque, quamvis praeduras, findit. Hinc *Hor. Epod.* 5, 17. Caprifici erutae sepulcris. *Mart.* 10, 2. Marmora Messalae findit caprificus. Adde *Prop.* 4, 5, 74. ℙ Translate *Pers.* 1, 24. Quo didicisse? nisi hoc fermentum, et quae semel intus Innata est, rupto jecore, exierit caprificus, *h. e.* scientia, quae foras exit, seque ipsa patefacit. ℙ De origine nominis multa etymologi. V. *Voss.* Ludit in ea *Mart.* 4, 52. tanquam si a *capro*, vel *capra*, et *ficu* derivetur.

CAPRĪGĒNUS, a, um, adj. *αἰγογενής*, ex capra genitus. *Pacuv. et Cornific.* ap. *Macr. Sat.* 6, 5. et *Cic. Prognost.* ap. *Prisc.* 6. Caprigeni pecoris custos. ℙ In genitivo plurali *caprigenum* pro *caprigenorum*, vel potius pro *caprigenarum*. Constat enim ex analogia etiam *caprigena* dici posse in recto singulari, quemadmodum *alienigena*, *terrigena*, et sexcenta alia. Quamquam *caprigena* caret adhuc exemplis. *Accius* ap. *Macr. l. c.* Caprigenum trita ungulis, *h. e.* caprarum. ℙ Jocose *Pl. Epid.* 1, 1, 16. Qui varie valent, caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus. Alludit *Pl.* ad id quod ex vulgi opinione tradunt *Varr. R. R.* 2, 3. et *Plin.* 8, 50, 76. capras nunquam febri carere.

CAPRILE, is, n. stabulum caprarum, *αἰγών*, *ῶνος*. *Varr. R. R.* 2, 3. Exigunt a grege hircos in caprilia. Adde *Vitr.* 6, 9., *Plin.* 28, 10, 42. et *Colum.* 7, 6. ℙ *Caprilia* locus prope Romam. V. CAPREA.

CAPRILIUS, ii, m. nomen proprium Romanum a *capris* ductum. *Varr. R. R.* 2, 1.

CAPRĪMULGUS, i, m. qui capras mulget. *Catull.* 22, 9. tum bellus ille, et urbanus Suffenus, unus caprimulgus, aut fossor Rursus videtur. ℙ Est etiam hoc nomine avis quaedam, Italice *calcabotto*, *αἰγοθήλης*, grandioris merulae aspectu, interdiu visu carens, noctu videns: quo tempore intrat pastorum stabula, caprarumque uberibus advolans, lac emulget: qua injuria uber emoritur, caprisque caecitas, quas ita mulsit, oboritur. *Plin.* 10, 40, 56.

CAPRĪNĒUS dictus est per convicium Tiberius imperator apud *Suet. in ejus Vita* 43., cum in secessu Capreensi variis infandarum libidinum flagitiis operam daret: fortasse a caprarum foetore, vel a *καπριάω*, prurio, vel a nomine ipso insulae, in qua degebat; Capreae enim appellabatur.

CAPRĪNUS, a, um, adj. *αἴγειος*, ad capram pertinens. *Cic. N. D.* 1, 19. Pellis caprina. *Varr. R. R.* 2, 3. Grex caprinus. *Id. ib.* 1, 2. Caprinum genus. *Plin.* 28, 9, 33. Caprinum lac. *Id. ib.* 17, 68. Sanguis caprinus. *Cato R. R.* 36. et *Varr. R. R.* 1, 38. Caprinum stercus. ℙ *Lana caprina* nullius paene pretii est. Hinc proverbio dicitur de re frivola. *Hor. Ep.* 1, 18, 15. Alter rixatur de lana saepe caprina. ℙ *Caprina, ae,* est caprina caro. *Valerian. Imp. in epist.* ap. *Vopisc. Prob.* 4. Porcinae pondo sex, caprinae pondo decem. ℙ *Caprinum proelium* inscripta fuit una ex Satyris *Varronis*, ex qua fragmenta aliquot afferuntur a *Non.* 4, 88. et 346. et alibi. Videtur autem in ea egisse de voluptate. Hac enim de re maxime capri, et hirci pugnant, pecus lascivum et petulans: quae sententia est *Turnebi l.* 24. *Adversar. c. ult.* et aliorum. Hinc apud *Non. cit. n.* 88. ubi legitur *Caprino proelio περὶ μέθης*, corrigunt alii *περὶ ἡδονῆς*. Quam emendationem adhi-

bent etiam *eod. cap.* 4. *n.*, 186., ut videre est *in notis Gothofredi.*

CAPRIOLA, ae, et

CAPRIOLUS, i. V. CAPREOLA et CAPREOLUS.

CAPRĪPES, ĕdis, adj. *αἰγίπους*, caprinos pedes habens: estque epithetum Panis, et Satyrorum. *Hor. Od.* 2, 19, 4. Aures capripedum Satyrorum. *Prop.* 3, 15, 34. Panes capripedes. Adde *Lucr.* 4, 581.

CAPRISSO, as, n. vocem caprinam imitor. *Anonym. Neveleti fab.* 29. Sta procul, haedus ait, caprissas gutture falso. Quidam legunt *caprizas* eodem sensu.

*CAPRĪUS, ii, m. *κάπριος*, aprinus, seu qui apri instar rostrum habet. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Gud.* 129, 9. C. Luccejus Caprius. *F.* ℙ **Caprius*, *i*, pater Dionysi seu Bacchi tertii *Cic. N. D.* 3, 23. ℙ Et viri nomen, quod antonomasiae locum dedit. V. *Hor. Sat.* 1, 4, 65. ibique *Acron. B. A.*]

CAPRONAE comae dicuntur, quae ante frontem sunt: quasi a capite pronae, ut *Non.* 1, 81. interpretatur, *προκόμιον*. *Lucil. ib.* Aptari caput, atque comas fluitare capronas Altas, frontibus immissas, ut mos fuit illis. *Appul. Flor. n.* 3. *de Apolline.* Crines ejus remulsis antiis, et promulsis capronis anteventuli, et propentuli. In his *Appuleji* verbis illud videtur discrimen esse inter *antias* et *capronas*, quod illae sint quae a sincipite in frontem propendent; hae quae ex temporibus in malas. *Festus* docet, capronas dici equorum jubas in frontem devexas. ℙ In quibusdam editionibus *Nonii* et *Appuleji* legitur *caproneae.*

CAPROTĪNUS, a, um, adj. *Caprotinam Junonem* veteres dixerunt, quod illi Nonis Juliis (quas itidem *Caprotinas* appellabant) sub caprifico sacra fierent ab ancillis simul, et liberis. Nam post Urbem captam, cum sedatus esset Gallicus tumultus, exhausta rep. finitimi opportunitatem invadendi Romani imperii aucupati, praefecerunt sibi Postumium Livium, Fidenatium dictatorem, qui feciale ad senatum misso, postulavit, ut si vellent, reliquias suae Urbis non deleri, matresfamilias, et virgines omnes sibi dederentur. Cum patres essent in ancipiti deliberatione, ancilla nomine Philotis, vel (ut alii malunt) Tutela, assumptis ceteris omnibus ancillis, matrumfamilias, virginumque habitu, nomine dominarum, ad hostes transiit, prosequentibus ceteris cum lacrimis ad rei fidem. Quae cum a Livio in castris distributae essent, viros plurimo vino provocaverunt, diem festum apud se simulantes: quibus somno obrutis, ex caprifico dato signo hostes trucidati sunt. Memor itaque populus Rom. accepti ab ancillis beneficii, omnes jussit manumitti, dotemque eis ex publico assignavit, diemque ipsum Nonas Caprotinas appellavit, ab illa caprifico, ex qua signum acceperant, sacrificiumque annuum Junoni Caprotinae sub caprifico instituit, cui etiam lac, quod ex caprifico fluit, ad rei memoriam adhibebatur. Haec *Macr. Sat.* 1, 11. narrat. *Varr. L. L.* 5, 3. Nonae Caprotinae, quod eo die in Latio Junoni Caprotinae mulieres sacrificant, et sub caprifico faciunt, et e caprifico adhibent virgam. *Auson. Eclogar de Fer. Rom.* 9. Festa Caprotinis memorabo celebria nonis, Cum stola matronis dempta teget famulas.

CAPRUGINĔUS vel Caprugĭnus, a, um, adj. caprinus, *αἴγειος*. *Macr. Sat.* 2, 9. Ficedulas, lumbos caprugineos, aprugnos, altilia etc. Ita leg. *Salm. in exerc. Plin.* p. 455., vel *capruginos.* Alii *lumbos*, *capragines*, *aprugnos* etc. Et videntur *capragines* idem esse quod capreae, quarum cibus in deliciis ciborum fuit, ut colligitur ex *Juven.* 11, 142. Putant alii legendum *capras*, *oryges*, quod genus est ferae in lautitiis et voluptatibus mensarum habitum, ut constat ex *Colum.* 9, 1. et *Juven. ib.* 140.

CAPRUNCŬLUM, vas fictile. Ita *Festus.* Fortasse, inquit *Voss.* in *Etym.* nomen ex eo habet, quod capri figuram referat. Fortasse etiam legendum *capunculus*, vel *capeduncutus*, quod erit diminutivum a *Capedo.*

CAPSA, ae, f. *κιβωτὸς*, *κάψα*, arca, cista, scrinium, in quo libri, et tabulae, et litterae reponuntur. *Cic. Div. in Verr.* 16. Mihi quam multis custodibus opus erit, si te semel ad meas capsas admisero! *Hor. Ep.* 2, 1, 268. Cum scriptore meo, capsa porrectus aperta Deferar in vicum vendentem tus, et odores. Adde *Sat.* 1, 4, 22. et *ib.* 10, 63. ℙ Aliis etiam usibus inservit. *Mart.* 11, 8. Poma quod hiberna maturescentia capsa. *Plin.* quoque 15, 17, 18. *n.* 4. et *ib.* 19, 21. ad servanda poma *capsas* adhiberi docet. *Vell.* 1, 16. Quemadmodum clausa capsa, alioque septo diversi generis animalia etc. *Salm. in comment.* ad *Vopisc. Procul.* 13. monet legendum *capso*, et *capsum* significare vallum, septum, mandram, in qua includuntur animalia: a Graeco *καψὸς*, quod *Hesych. τοῖχον* interpretatur, hoc est parietem. V. CAPSUS.

CAPSĂCES, ae, m. *ὁ καψάκης*, vas olearium, lecythus. Vox Graeca, quam sumpsit *D. Hieron.* ex versione *LXX. Interpr. Reg.* 3, 17, 12. et 14., eaque utitur *ep.* 54. *n.* 16. Farina seritur, et olei capsaces nascitur. Et *ep.* 22. *n.* 32. Mirum in modum capsace completo, qui alendus venerat, alit.

[CAPSĂRĬA, ae, f. ancilla, quae lavantis dominae vestes in capsa servat. *Inscr.* ap. *Mur.* 899, 1. Asia Liviae capsaria Cascelliana. *F.*]

CAPSĂRIUS, ii, m. servus, qui pueris in ludum litterarium itantibus libros defert in capsa. *Suet. Ner.* 36. Constat quosdam cum paedagogis, et capsariis uno prandio pariter necatos. Adde *Ulp. Dig.* 40, 2, 13. ℙ Item qui mercede servanda suscipit in balneis vestimenta lavantium, fortasse quia in capsis ea includit, *ἱματοφυλαξ*. *Paul. Dig.* 1, 15, 3. ubi adnotat *Haloander*, in multis libris atque etiam in Pandect. Florent. haberi *carpsarius. Torrentinus* tamen, qui easdem Pandectas ad fidem Florentini codicis edere se profitetur, *capsarius* edidit; itaque scribendum probat locus ex *Edict. Domit.* p. 22. Capsario in singulis lavantibus ✕ duos. ℙ In *Dig.* 50, 6, 6., ubi *Tarrunten.* inter eos, qui, ob munerum graviorum conditionem, vacationem aliquam habent, enumerat *mensores*, *optionem*, *medicos*, *valetudinarios*, *capsarios*, *et artifices* etc., putant quidam capsarios esse, qui *capsas* faciunt. Sed cum ibi sermo sit de iis, qui in exercitu aliquam praebent operam, aliis placet esse eos, qui libros et tabulas ad militarem rationem pertinentes, in capsis servant. Fuerunt enim et in castris sui librarii, qui in libros referebant rationes ad milites pertinentes, ut videre est tum in hac eadem lege, tum apud *Veg. Mil.* 2, 7.

CAPSELLA, ae, f. *κιβώτιον*, parva capsula ad aliquid reponendum. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. Capsellae, in quibus fructus componuntur. *Petr. fragm. Trag.* 67. *Burm.* Scintilla de cervice sua capsellam detraxit aureolam; inde duo crotalia protulit.

CAPSENSIS, se, adj. ad Capsam pertinens, oppidum Africae, quod hujus nominis duplex fuit, alterum in provincia Byzacena inter Bagradam, et Tritonem amnes, cujus meminit *Ptol.* 4, 3.; alterum in Numidia magnis undique solitudinibus cinctum, et anguibus arenisque vallatum, a C. Mario in bello Jugurthino vi captum, de quo *Sall. Jug.* 94. et *Flor.* 3, 1. ℙ *Capsenses* sunt incolae illius oppidi in Byzacena apud *Cyprian. ep.* 53. ℙ *Capsenses* vero Numidici memorantur a *Sall. Jug.* 94. Hos *Plin.* 5, 4, 4. *Capsitanos* appellat. [*Plurima hic locus debet. *F.*]

CAPSIS. V. CAPIO.

CAPSITANUS, a, um. V. CAPSENSIS.

CAPSO. V. CAPIO.

CAPSŬLA, ae, f. *κιβώτιον*, parva capsa ad libros et chartas reponendas: item ad alios usus. *Catull.* 68, 36. Huc una ex multis capsula me sequitur. *Fab. Pict.* ap. *Gell.* 10, 15. Capsula cum strue atque ferto. *Plin.* 30, 11, 30. Stellionem inclusum capsulis subjiciunt capiti et sub decessu febris emittunt. ℙ *Homo totus de capsula* dicitur, qui summopere munditiis studet et in eo totus est, ut exquisito cultu compositus ornatusque pareat. *Senec. ep.* 115. Nosti complures juvenes, barba et coma nitidos, de capsula totos: nihil ab illis speraveris forte, nihil solidum. Simile est illud *ejusd. Tranquill.* 1. Placet non in ambitionem cubile compositum, non ex arcula prolata vestis etc.

CAPSUS, i, m. in rheda est pars illa, in qua qui vectantur, sedent. *Vitruv.* 10, 14. Insuper ad capsum rhedae loculamentum firmiter figatur, habens tympanum versatile etc. *Isid. Or.* 20, 12. docet, *capsum* esse carrucam undique contextam, quasi capsam. ℙ Est praeterea *capsus* septum, vallum, locus sudibus, aliave re conclusus, in quo animalia continentur. Legit hanc vocem *Salmas.* in *Vell.* 1, 16. V. CAPSA. Addit *Id. ib.* et ad *Capitol. Anton. Pio* 12. et *Procul.* 13. appellari etiam *capsos* cellulas illas in tabula lusoria lineis distinctas, in quibus ponuntur calculi seu latrunculi. Sed nullum de hac significatione Latini scriptoris exemplum affert.

CAPTABŬLUM, i, n. V. CATABULUM.

CAPTABUNDUS. V. CANTABUNDUS.

CAPTĀTĒLA, ae, f. captio, prehensio. *Captatela pallii* est prehensio pallii, cum eo induimur, ap. *Tertull. Pall.* 5., ut quidem legit *Salmas.* Alii legunt *Spectatela.*

CAPTĀTĬO, onis, f. actus captandi. In re gladiatoria est ictus arte inflictus ad fallendum. *Quint.* 5, 13. Ut gladiatorum manus, quae secundae vocantur, fiunt et tertiae, si prima ad evocandum adversarii ictum prolata erat; et quartae, si geminata captatio est, ut bis cavere, bis repetere oportuerit. ℙ Translate. *Cic. Partit.* 23. Nam et prudentiam malitia etc., et illam disputandi prudentiam concertatio captatioque verborum et hanc oratoriam vim inanis quaedam profluentia loquendi imitatur. *Quint.* 8, 3. Captatio puerilis vocum ambiguarum. ℙ *Captatio testamenti* est callidum et blandum aucupium alienas opes occupandi per testamenta eorum, qui sine heredibus sunt. *Plin.* 20, 14, 56. Julium Vindicem assertorem illum a Nerone libertatis, captatione testamenti sic lenocinatum. *Id. prooem.* 14. Postquam coepere orbitas auctoritate summa et potentia esse, captatio in questu fertilissimo, pessum iere vitae pretia. ℙ Studiosa aucupatio. *Quint.* 8, 6. Jam in his amisimus modum et gratiam rei nimia captatione consumpsimus.

CAPTĀTOR, oris, m. *ἐφάπτωρ*, qui studiose et callide venatur et ambit aliquid. *Liv.* 3, 33. Ut plebicola repente omnisque aurae popularis captator evaderet. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 17. Ac verba primum mollia Suadendo blande effuderat, Captator ut vitulum lupus Rapturus, adludit prius. ℙ Saepe ponitur pro heredipeta, qui orbis senibus omni arte blanditur omnique obsequio et foeda etiam adulatione inservit, ut heres in eorum bonis scribatur. *Hor. Sat.* 2, 5, 57. Captatorque dabit risus Nasica Corano. *Petron. Sat.* 141. Captatores jam exhausti liberalitatem imminuerunt. *Juven.* 10, 201. Usque adeo gravis uxori natisque sibique Ut captatori moveat fastidia Cosso.

CAPTĀTŌRĬUS, a, um, ad captanda testamenta pertinens. *Captatoriae institutiones* dicuntur a *Papin. Dig.* 28, 5, 70. et *Paul. ib.* 69. et 79., quibus ita aliquis heres instituitur, si vicissim alterum heredem instituat: ut si quis in testamento suo ita scribat: Qua ex parte me Titius heredem instituit, ex ea parte heres esto. Sic *captatoriae scripturae* ap. *Cajum ib.* 30, 63.

CAPTĀTRIX, icis, f. quae captat et quaerit aliquid. *Appul. Dogm. Plat.* Rhetoricae duae sunt partes, quarum una est contemplatrix bonorum, justi tenax; alia vero adulandi scientia est, captatrix verisimilium.

CAPTĀTUS, a, um, part. a *capto. Ov. Met.* 4, 72. Inque vicem fuerat captatus anhelitus oris, *h. e.* datus invicem et acceptus. *Id. ib.* 11, 768. Hesperie saepe captata, *h. e.* adamata, adsectata, petita. *Id. ib.* 3, 279. Captatus sermo. *Id. Pont.* 3, 1, 129. Captatum tempus. *Quint.* 9, 3. Vox non captata, sed velut oblata. V. CAPTO.

CAPTENSŬLA, ae, f. captiuncula, sophisma, captiosum argumentum. *Capell.* 4. de Dialectica: Dum ambage ficta praestruis sophismata Captensulisque ludis illigantibus.

CAPTĬO, onis, f. *λῆψις*, actus capiendi, prehensio. *Gell.* 7, 10. Per quod satis dilucet, hanc capionem posse dici, quasi hanc captionem et in usu et in pignore. *Lactant. de opif. Dei* 10. odoris captio. ℙ Fere accipitur pro fallaci argumentatione, sophismate, argutia ad decipiendum facta, *ὑπαγωγὴ*, *ἀπάτημα*. *Cic. Acad.* 4, 14. Ne ab iis, quae clara sunt ipsa per sese, quasi praestigiis quibusdam et captionibus depellamur. Et *ib.* 15. Discutere captiones. *Id. Divin.* 2, 17. explicare. *Id. Fat.* 13. refellere. *Id. Brut.* 53. Multa est in verbis captio, cum in ceteris rebus, tum in testamentis, si negligantur voluntates. *Id. Fin.* 2, 6. Captiones dialecticae. *Gell.* 1, 2. Captionum laquei. *Senec. ep.* 45. Idem de istis captionibus (*dialecticis*) dico: quo enim nomine potius sophismata appellem? ℙ Item pro fraude, deceptione, qua quis capitur et jacturam rei suae facit. *Cic. Quint.* 16. Si dupondius tuus ageretur, Sex. Naevi; si in parvula re captionis aliquid vererere. *Pl. Epid.* 2, 2, 112. Nihil in ea re captio est. *Cajus Dig.* 29, 3, 7. Saepe cum magna captione a rebus nostris avocamur. *Ulp. ib.* 4, 1, 1. Incidere in captionem. ℙ *Captioni esse*, fraudi esse. *Pl. Most.* 3, 3, 19. Ne quid captioni mihi sit, si dederim tibi.

CAPTĬOSĒ, adv. cum captione et fallacia, *σοφιστικῶς*. *Cic. Acad.* 4, 29. Nec diutius captiose interroganti respondebo.

CAPTĬOSUS, a, um, adj. *σοφιστικὸς*, *ἀπατηλὸς*. ad capiendum et fallendum aptus, dolosus, fallax, *Cic. Acad.* 4, 15. Fallacibus et captiosis interrogationibus circumscribi et decipi. Et *paulo post.* Captiosissimo genere interrogationis uti. *Id. Rosc. Com.* 17. Quo nihil captiosius, neque indignius potest dici. *Id. Fin.* 1, 7. Solvere captiosa, ambigua distinguere. ℙ De iis rebus, quae cum fallacia damnum jacturamque rei conjunctam habent. *Id. Rosc. Com.* 10. Societas captiosa. *Id. Caecin.* 14. Periculosum est dissolvi hoc interdictum; captiosum est omnibus, rem ullam constitui ejusmodi, quae cum armis gesta sit, rescindi jure non possit. *Ulp. Dig.* 42, 8, 6. Pupilli ignorantia non debet esse captiosa creditoribus et ipsi lucrosa.

CAPTĬTO, as, avi, atum, a. 1. frequentativum a *capto, as. Appul. de Deo Socrat.* Ne quisquam arbitretur, omnia eum vulgo loquentium captitasse. *Gell.* quoque 9, 6. hoc verbum agnoscit.

CAPTĪVĀTOR, oris, m. *αἰχμαλωτεύων*, qui captivum facit. *Augustin.* p. 199. Tuos captivatores et depraedatores putans.

CAPTĪVĪTAS, atis, f. servitus ejus, qui bello aut alia vi servire cogitur, *αἰχμαλωσία*, *εἴρερος*. Differt a servitute, quod captivus quis potest esse, qui non serviat; et servire aliquis ultro, nec tamen esse captivus. *Cic. fragm. pro C. Cornel.* ap. *Ascon.* Cum omnibus gentibus finem diuturnae captivitatis, turpitudinis et servitutis afferret. *Senec. ep.* 85. Describe captivitatem, verbera, catenas, egestatem. *Tac. H.* 5, 21. Evadere periculum ca-

ptivitatis. *Id. A.* 12, 51. Eximere aliquem contumeliis captivitatis. *Id. ib.* 11, 23. Inferre alicui captivitatem. Adde *Justin.* 3, 5. et *Petron. Sat.* 113. ℙ Dicitur etiam de feris, cum venatu capiuntur. *Plin.* 8, 37, 56. de herinaceis: Ita terminum supremum opperientes, ut ferme ante captivitas occupet. ℙ *Tac. H.* 3, 70. Captivitates urbium. ℙ *Captivitas oculorum* est caecitas; ex eo quod caecus *captus oculis* dicitur. *Appul. Met.* 1. Difflectis paene ad extremam captivitatem oculis suis.

CAPTIUNCULA, ae, f. diminut. a *captio*. *Cic. Att.* 15, 7. Omnes captiunculas pertimescere. Adde *Gell.* 16, 2.

CAPTĪVO, as, a. 1. *αἰχμαλωτεύω*, captivum facio. *August. Civ. Dei* 1, 1. Captivandi cupiditas. Adde in *Psalm.* 63. ℙ Part. *Captivandus* ap. *eund. Civ. Dei.* 1, 7.

CAPTĪVUS, a, um, adj. *αἰχμάλωτος*, *δεσμώτης*, *ληΐδιος*, homo qui bello aut alia ratione captus est et in alterius potestatem redactus. *Cic. N. D.* 3, 33. Plures captivos, quam praedones necatos. *Id. Fam.* 5, 11. Ducere aliquem captivum in triumpho. *Auct.* ad *Her.* 3, 2. Redimere captivos ab hostibus. *Nep. Annib.* 7. reddere et remittere. *Curt.* 5, 3. libertate donare. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 264. Servitum Stygio ducor captiva tyranno. *Ov. Am.* 1, 7, 39. Ante eat effuso tristis captiva capillo. ℙ Differunt servus et captivus. *Juven.* 7, 201. Servis regna dabunt, captivis fata triumphos. V. CAPTIVITAS. ℙ De rebus ad captivos pertinentibus. *Virg. A.* 10, 510. Captivus sanguis. *Mart.* 11, 96. Captiva sitis. *Ov. Am.* 1, 14, 45. Crines captivi. *Id. Pont.* 2, 1, 43. Captiva colla. ℙ Idem de re quacumque bello capta. *Caes. B. C.* 2, 5. Naves captivae. *Sall. in ep. Mithrid. ad Arsac.* Ager captivus. *Liv.* 1, 53. Captiva pecunia. *Virg. A.* 2, 765. vestis. *Id. ib.* 7, 184. Currus captivi. *Prop.* 2, 1, 32. de Nilo: Septem captivis debilis ibat aquis. *Hor. Ep.* 2, 1, 193. Captivum ebur. *Plin.* 33, 1, 3. Aurum ferro captivisque rebus mutare. ℙ Item de animalibus venatu captis. *Ov. Halieut.* 44. Muraena captiva. *Id. Met.* 13, 932. captivi pisces. *Id. Fast.* 4, 705. captiva vulpes. *Plin.* 8, 25, 38. Crocodilos captivos agere in terram. *Mart.* 10, 37. Mullus captivus. *Capitol. Max. jun.* 2. Ut non nisi aprugnam, anates, grues et omnia captiva ederet. ℙ Ponitur etiam simpliciter pro vincto. *Ov. A. Am.* 2, 587. Vix precibus, Neptune, tuis captiva resolvit Corpora. ℙ Translate. *Id. Am.* 1, 2, 30. Mens captiva. ℙ [*Captivus* etiam active usurpatur, ut captiva necessitas, quae captivos facit. *Impp. Hon.* et *Theod. Cod. Theod.* 5, 5, 2. Diversarum homines provinciarum cujuslibet sexus, conditionis, aetatis, quos barbarica feritas captiva necessitate transvexerat, invitos nemo retineat. Eadem lex habetur etiam in *Cod. Justin.*, ubi quidam legunt *captivitatis necessitate.*

CAPTO, as, avi, atum, a. 1. *λαμβάνω*, *ἐφίεμαι*, idem quod *capio*, sive frequentativum sit, sive desiderativum; significat enim diligenter aut frequenter capere: item capere velle, consectari, sollicite petere, quaerere. *Hor. Ep.* 2, 35. Pavidumque leporem et advenam laqueo gruem Jucunda captat praemia. *Id. Sat.* 1, 1, 68. Tantalus a labris sitiens fugientia captat Flumina. *Virg. G.* 1, 139. Captare feras laqueis. *Suet. Dom.* 3. muscas. *Virg. G.* 1, 376. auras patulis naribus. *Id. Ecl.* 1, 53. frigus opacum inter fontes. *Ov. Her.* 8, 93. colla lacertis. *Mart.* 12, 82. trigonem. *Colum.* 7, 10. somnos. ℙ In re gladiatoria *captare* est insidioso ictu adversarium petere. *Auct. Pan.* ad *Pis.* 166. Arma tuis etiam si forte rotare lacertis, Inque gradu clausis libuit consistere membris, Et vitare simul, simul et captare petentem. V. CAPTATIO. ℙ Translate *captare consilium cum aliquo* ap. *Ter. Andr.* 1, 1. *in f.* idem est, quod consilium cum aliquo consultando capere. ℙ Saepissime significat studiose quaerere, aucupari, sectari cupide et diligenter. *Petron. Sat.* 3. Captare coenas divitum. *Cic. Fin.* 1, 7. voluptatem. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 4. nomen imperatorium. *Cic. Pis.* 25. plausus. *Id. Tusc.* 2, 7. risus. *Id. Phil.* 2, 34. misericordiam. *Plin. Pan.* 91. commendationem beneficiis suis ex difficultate. *Id. ib.* 4. reverentiam terrore: et amorem humanitate. *Quint.* 6, 1. favorem ex aliqua re. *Id.* 12, 3. auctoritatem contemptu ceterorum. [**Liv.* 3, 37. Circumspectare tum patriciorum vultus plebeji et inde libertatis captare auram, i. e. in patribus libertatis recuperandae spem atque fiduciam collocare.] *Id.* 11. *in f.* elegantiam. *Suet. Vesp.* 21. momenta temporum ad aliquid agendum. *Cic. Har. resp.* 25. et *Cels.* 3, 18. occasionem. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. adventum alicujus. *Liv.* 5, 6. tempestates et anni tempus observare. *Id.* 38, 7. sonitum aure admota. *Ter. Ph.* 5, 6, 30. sermonem alicujus. *Cic. Tusc.* 3, 26. solitudines. *Plin. Pan.* 48. tenebras secretumque. ℙ Cum infinito. *Colum.* 8, 11. Agricola captans undique voluptates acquirere. *Ov. Met.* 10, 58. Brachiaque intendens, prendique et prendere captans. Al. leg. *ceptans. Phaedr.* 4, 7. Quid me, inquit, stulta dente captas laedere? Et 5, 3. Muscam captans opprimere. Adde *Auson. Mosell.* 275. ℙ Interdum significat conari ad se allicere et conciliare, quemadmodum et *capio*. *Cic. Inv.* 2, 52. Est quiddam, quod sua vi nos alliciat ad sese, non emolumento captans aliquo, sed trahens sua dignitate. ℙ De iis, qui senes orbos sectantur et omni adulatione prosequuntur, ut eorum hereditates capiant. *Petron. Sat.* 116. Quoscunque in hac urbe videritis, scitote in duas partes esse divisos. Nam aut captantur aut captant etc. *Mart.* 6, 63. Scis te captari; scis hunc, qui captat, avarum: Et scis, qui captat, quid, Mariane, velit. Adde *Juven.* 16, 56. et *Plin. ep.* 2, 20. V. CAPTATOR. Sic *Hor. Sat.* 2, 5, 23. captes astutus ubique Testamenta senum. [*Proprium est vocabulum de iis, qui hereditates artibus qualibuscunque student sibi vindicare (*Erbschleicherei treiben*). Cf. *Briss. de Verb. signif. s. v.* captare.] ℙ Est etiam captiosis verbis illaqueare et ligare conari, insidiari in sermone. *Cic. Acad.* 4, 29. Quid enim ad illum, qui te captare vult, utrum tacentem irretiat te, an loquentem? *Pl. Amph.* 1, 1, 269. Quid me captas, carnufex? *Id. Men.* 4, 2, 83. Viden, uti scelestus captat? huic surrepta est, non tibi. Ap. *eund. Amph.* 2, 2, 188. captare aliquem impudicitiae, est convincere conari. ℙ *Captare cum aliquo* ap. *eund. Most.* 5, 1, 21. est captiosis verbis et callida vafraque disputatione cum aliquo contendere et captiose niti, ut decipiatur. Eadem loquendi forma *cavere cum aliquo* dixit *ib.* 5, 2, 21. ℙ *Captare verba*, captiose interpretari. *Paul. Dig.* 10, 4, 19. Non oportere jus civile calumniare, neque verba ejus captare, sed, qua mente quid diceretur, animadvertere. ℙ Est etiam quacumque ratione conari decipere. *Ter. Hecyr.* 1, 1, 15. Injurium autem est ulcisci adversarios? Aut qua via te captent, eadem ipsos capi? *Liv.* 44, 24. Dum inter se duo reges captantes fraude et avaritia certant. Et *ib.* 25. Ita nequicquam inter se captati, nihil praeter infamiam movere, *h. e.* cum invicem captavissent. ℙ Part. *Captaturus* ap. *Liv.* 22, 28. Captaturus temeritatem. *Captandus* ap. *Pl. Cas.* 2, 8, 8. Captandus est horum clanculum sermo mihi.

CAPTOR, oris, m. qui capit, v. gr. aves, feras, *ληπτής*. *Vet. Poeta* in *Anthol. Latin. T.* 2. p. 453. *Burm.* Et satur escali vulnere captor obit.

CAPTRIX, icis, f. quae captat. *Coel. Aur. Acut.* 2, 39. Injectiones clysterum sunt virium captrices, *h. e.* vires tentant et debilitant.

CAPTŪRA, ae, f. *ἄγρευσις*, *ἄγρα*, actus capiendi, venatio. *Plin.* 9, 19, 35. Uberrima piscium captura. *Id.* 19, 1, 2. *n.* 2. alitum. *Id.* 28, 8, 27. pantherae. ℙ Item ipsa praeda, quae capitur, (*der Fang*). *Suet. Aug.* 25. Aurei hami abrupti damnum nulla captura pensari potest. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 19. Pinxit venatores cum captura. Adde 10, 40, 56. ℙ Praeterea significat mercedem, quae ex sordida opera ab aliquo capitur. *Suet. Cal.* 40. Ex capturis prostitutarum, quantum quaeque mereret. *Val. Max.* 9, 4. Inhonesti lucri captura invitatus. *Id.* 3, 4. *n.* 4. Ali capturis sordidissimae mercis. Adde *Senec. Controv.* 1, 2. Huc pertinet illud *Plin.* 24, 1, 1. Hinc nata medicina; haec sola naturae placuerat esse remedia, parata vulgo, inventu facilia. Postea fraudes hominum, et ingeniorum capturae officinas invenere etc., *h. e.* artes eorum, qui ingeniose quaestum ex quacumque re captant. ℙ Dicitur etiam *captura* id quod ostiatim quotidie capiunt mendici ad vitam tolerandam. *Senec. Excerpt. controv.* 10, *declam.* 4. Tibi quotidiana captura non constat: apparet te nondum satis miserum videri. [*Val. Max.* 6, 9. *n.* 8. Quem diurnas capturas exigentem animadverterant Siculi, eundem jura dantem, classesque et exercitus regentem viderunt, *h. e.* diurnas mercedes a societate publicanorum exigentem, nam idem Rutilius antea dicitur *auctorato sociis officio vitam sustentasse*, et *publicanis operas* dedisse. Sunt qui perperam putent, *diurnas capturas* esse vectigalia, quae ipse a Siculis diurna exigebat. *F.*]

CAPTUS, a, um, part. a *capio*, prehensus, *ληφθείς*. *Cic. Catil.* 3, 7. Belli duces captos et comprehensos tenetis. [**Tac. A.* 4, 32. Fusos captosque reges — memorabant.] *Liv.* 3, 1. Ager captus, *h. e.* bello occupatus. *Id. ib.* 5. Conatus frustra capti. *Pl. Stich.* 4, 1. *in f.* Captum consilium. *Petr. Sat.* 115. Opes fraudibus captae. [**Tac. A.* 3, 56. Neque nunc propere, sed per octo annos capto experimento, i. e. opera navata et inde rerum peritia comparata.] *Liv.* 5, 20. Pecunia capta ex hoste. *In Epit. Livii l.* 20. *extr.* Ager de Gallis captus. *Ov. A. Am.* 1, 234. Captus locus. *Heins.* legit *coeptus.* Sed *captus locus* dicitur etiam, qui est ad sacrificandum legitime constitutus, teste *Festo.* ℙ *Captae pecuniae* sunt, quas quis turpi de causa ab alio accepit, v. gr. judex ob rem judicandam, magistratus vendendo honores, testis ob testimonium in judicio, et hujusmodi. *Cic. Pis.* 16. Nondum commemoro rapinas, nondum exactas pecunias, non captas, non imperatas. *Id. Cluent.* 42. *extr.* Furti, et captarum pecuniarum nomine notare aliquem. [**Tac. A.* 3, 67. Nec dubium habebatur, Saevitiae captarumque pecuniarum teneri reum. Vide quae de his dicta sunt in *capere.*] ℙ Interdum ponitur pro captivo. *Virg. A.* 2, 75. quae sit fiducia capto. *Ter. Heaut.* 3, 3, 47. Hanc esse captam ex Caria, ditem, nobilem. [**Tac. A.* 6, 1. Vim, velut in captos, exercebant.] ℙ *Captus membro aliquo* dicitur, qui ejus usu caret, quemadmodum qui vinctus et captivus est, caret usu motus et libertatis. *Cic. Rabir. perduell.* 7. Scaevola praepeditus morbo, mancus, et membris omnibus captus ac debilis. *Id. Tusc.* 5, 40. Oculis et auribus captus. *Serv.* ad *G.* 1, 183. docet, *captum oculis* proprie dici eum, qui aliquando viderit; improprie autem *Virgilium* dixisse, *talpae oculis capti*, cum ii caeci nascantur. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 4, 17. Mente captus. *Senec. Herc. fur.* 107. animo. Quidam leg. *animum:* qua ratione *Sil.* 5, 54. et 9, 644. dixit *excussus mentem*, Graeca constructione. ℙ Cum genitivo more itidem Graeco. *Tac. H.* 3, 73. Dux segnis, et veluti captus animi. ℙ Saepe *captus* dicitur, qui aliqua re vehementer afficitur, delectatur, trahitur. *Ter. Andr.* 1, 1, 55. Egomet continuo mecum: certe captus est. Sic *Cic. Cluent.* 5. Captus amore. *Nep. Att.* 4. humanitate ac doctrina adolescentis. *Tac. A.* 15, 52. amoenitate loci. *Cic. Hortens.* ap. *Non.* 7, 101. splendore virtutis. *Id. Or.* 2, 47. misericordia. *Hor. Od.* 2, 18, 36. auro. *Cic. Verr.* 2, 4, 45. oculis, *h. e.* videndo illectus. ℙ Item deceptus. *Vetus formula* ap. *Cic. Off.* 3, 17. Ne propter te fidemve tuam captus fraudatusve siem. *Id. Phil.* 12, 2. Eodem captus errore, quo nos. ℙ Item verbis, seu argumentis captiosis irretitus. *Cic.* in *Hortens.* ap. *Non.* 4, 57. Captum me fortasse putas, et id, quod nollem, confiteri coactum.

CAPTUS, us, m. *λῆψις*, *λαβή*, actus capiendi, captio. *Plin.* 24, 10, 47. Flos hederae trium digitorum captu alvum emendat. *Pompon. Dig.* 18, 1, 8. Cum captus piscium vel avium vel missilium emitur. *Val. Max.* 3, 3. *in f.* Virtus in captu bonorum suorum tibi ipsi pondus examinandum relinquit. ℙ Item ingenium, natura. *Cic. Tusc.* 2, 27. Graeci homines non satis animosi, prudentes, ut est captus hominum, satis, hostem aspicere non possunt, *h. e.* quantum capit animus, ingenium et natura Graecorum. *Ter. Ad.* 3, 4, 34. Hic Geta, ut captus est servorum, non malus, neque iners. *Caes. B. G.* 4, 3. Ubiorum fuit civitas ampla atque florens, ut est captus Germanorum. *Gell.* 1, 9. Non in omnes idem, sed aliud aliis tempus, pro aestimato captu solertiae, statuebat, *h. e.* prout alium alio plus vel minus solertem judicabat. *Appul. Met.* 1. Ea putari mendacia, quae supra captum cogitationis ardua videantur. *Id. Apol.* Ego certe pro captu meo dixerim etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 1120, 7. Filiae mansuetissimae, et supra sexus sui captum et aetatem pudenti.

CAPŪA, ae, f. *Capua*, *Καπύη*, urbs clara olim belloque potens, ut quae aliquando cum Romanis congredi ausa est; totius Campaniae caput, nunc fere diruta in loco, ubi sunt pagi *S. Maria*, et *S. Pietro in corpo* appellati, tria millia passuum ab amne Vulturno, et ab hodierna *Capua*, quae ideo *nuova* dicitur, quaeque olim Casilinum vocabatur. Ita dicta, ut est ap. *Serv.* ad *A.* 10, 145. et *Fest.*, vel ab ejus conditore, cui pollices pedum curvi erant instar falconis avis; hujusmodi autem viros Tusci *capuas*, vel *capyas* dixere: vel a falcone ave, quem Campani *capyn* vocasse lingua sua dicuntur; quod ex ejus volatu urbis aedificandae augurium sumptum fuerit: vel a *Capye* Trojano Aeneae socio, qui eam condiderit, ut ap. *Virg. A.* 10, 145. legitur: vel a *Capye* Samnitium duce, qui eam ceperit, cum *Alternum*, vel *Vulturnum* ab alluente flumine antea vocaretur: vel denique (quod fortasse verisimilius est) a camporum, in quibus sita est, planitie et latitudine, ut *Liv.* 4, 37. et *Plin.* 3, 5, 9. scribunt. Postremum hoc ex eo etiam probatur, quod a *Capua* adjectivum fit *Campanus*, non *Capuanus*, ut *Varr. L. L.* 9, 1. docet. *Hor. Epod.* 16, 5. Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer. ℙ Magni quondam luxus ac deliciarum sedes, item superbiae et fastus fuit. *Cic. Pis.* 11. Erant illi fluentes cerussataeque buccae, dignae Capua, sed illa vetere, etc. V. CAMPANUS.

CAPŪĀNUS, a, um, adj. Campanus. Negat *Varr. L. L.* 9, 1. in consuetudine Latina esse. Apud *Serv.* ad *A.* 10, 145. haec verba leguntur: Varro dicit, propter coeli temperiem, et caespitis fecunditatem, campum eundem Capuanum, sive Campanum dictum. Crediderim tamen, *Servium* non verba ipsa Varronis, sed sententiam tantummodo retulisse. Sunt etiam MSS. non una, quae *Capuanus* praeferunt apud *Cic. Agr.* 1, 7. et *Liv.* 7, 30. et 9, 26., sed non persuadent.

CAPŪENSIS, se, adj. ad Capuam pertinens, Campanus. *Inscr.* ap. *Grut.* 459, 1. Postumo Lampadio V. C. et illustri Cons. Campaniae Ordo Capuensis, etc. Alia ap. *Fabr.* 101, 232. L. Aurelio Auxonti Curatori Capuensium. Adde *Serv.* ad *A.* 7, 730.

CAPŪLA, ae. V. CAPEDO.

CAPŪLĀRIS, e, adj. ad capulum pertinens. *Lu-*

cil. ap. *Fulgent. de prisc. serm. n.* 23. Capulare cadaver. ℙ *Capularis homo* dicitur, qui morti vicinus est et capulo mox efferendus, *τυμβογέρων, μελλοθάνατος.* [*Ita *Serv.* ad *Virg. A.* 6, 222., ubi *Pl. l.* citatur; cf. idem ad *Aen.* 11, 64.] *Pl. Mil.* 3, 1, 33. Quid ais tu? itane tibi videor oppido Acherunticus, tam capularis? tamne tibi diu videor vitam vivere? *Caecil.* ap. *Fulgent. ib.* Tu ne amare audes, edentule et capularis senex? ℙ Addit *Fulgent.* appellatos esse *reos capulares*, qui capitis damnari digni erant: sed hoc nullo confirmat Latini scriptoris exemplo.

CĂPŪLĀTOR, oris, m. qui factoribus olei inservit et ex uno in aliud vas oleum, vinumve diffundit: a *capula*, de qua V. in CAPEDO. *Cato R. R.* 66. Ubi factores vectibus prement, continuo capulator concha oleum, quam diligentissime poterit, tollat, nec cesset: amurcam caveat ne tollat: oleum in labrum primum indito etc. *Colum.* 12, 50. Quod deinde primum defluxerit in rotundum labrum, protinus capulator depleat et in fictilia labra defundat. ℙ *Caplator* per syncopen. *Inscr.* ap. *Grut.* 1088, 3. Caplatores Tiburtes. *Reines. cl.* 11. *n.* 62. ex hac et alia *Inscr.* ap. *eund. Grut.* 414, 1. colligit, hujus generis mercenariorum corpora et collegia fuisse non in Urbe solum, sed et in provinciis. Hinc *Capulatorum schola* locus fuit Romae in regione tertia et *Capulatorum vicus* in regione quinta, ut est ap. *P. Victor. de Reg. Urb. Rom.*

CĂPŪLĀTUS, a, um, adj. capulo tectus. *Inscr.* ap. *Fabrett.* 90, 175. M. Nomeicius M. F. Pal. Nomesianus magister Augustalis coloniae Setin., Sal. Martialis capulatus, IV. Vir viar. curand. V. S. fecit. *Fabrett. ib.* 115. exponit, *Salius Martialis capulatus*, hoc est capulum habens seu apicem in pileo, qui apex similis erat capulo seu manubrio, ut *Id.* exhibita figura ostendit. Alia ap. *De Vita, Inscr. Benev.* 1, 32. Dato epulum capulatis sacerdotibus Aug. Alia ap. *Don.* 9, 19. Collegium capulatorum sacerdotum Dianae. Hae omnes inscriptiones pertinent ad Allifas Samnii urbem, nunc *Alife.* ℙ [Sunt qui putant, *capulatos* dictos fuisse Salios Allifanos, quod cum manibus gestassent minutos pugiones, quibus ancilia pulsabant, ut docet *Gutherlet. de Saliis* p. 96., a capulo nempe gladioli ita fuerint cognominati. Quaenam vero potior sit sententia, adhuc ambigitur. *F.*]

CĂPŪLĬCUS creditur esse nomen navigii, apud *Gell.* 10, 25., sed alii legunt *caupuli* (pro *capulici*) vel *capuli.*

CĂPŪLO, as, avi, atum, a. 1. oleum ex uno in aliud vas capula seu concha diffundere. *Cato R. R.* 67. Oleum frequenter capulent. Al. leg. *capiant. Plin.* 15, 6, 6. Oleum saepius die capulandum. Ita legit *Hard.* ex MSS. Alii *saepius decapulandum.* ℙ Ad illum locum *Melae* 2, 5. In ea regione piscem e terra oriri, qui ubi ex alto huc usque penetravit, per ea foramina ictu capulantium interfectus extrahitur; *Is. Voss.* notat, alios mutasse *captantium*, sed in omnib. lib. veterib. haberi *capulantium.* Porro *capulare* hic significat percutere, vulnerare, ducta significatione a capulo ensis.

CĂPŪLUS, li, m. *φέρετρον*, feretrum, in quo defunctorum cadavera efferuntur; a *capiendo* dictus, ut *Festo*, *Non.* 1, 13. et *Serv.* ad *A.* 6, 222. placet. *Varr.* ap. *Non. l. c.* Propter cunam capulum positum nutrix tradit pollinctori. *Lucil. ib.* Quem cum vidissent Hortensiu' Postumiusque, Ceteri item, in capulo hunc non esse aliumque cubare. *Novius ib.* Prius in capulo, quam in cuculi sella suspendit nates. ℙ *Non. ib.* interpretatur sarcophagum seu sepulcrum: sed reprehenditur a *Voss.* in *Etymol.* et aliis: ac praeterea, quae attulimus exempla, si attente expendantur, aptius de feretro, quam de sepulcro intelliguntur. ℙ Nihilominus etiam hoc sensu usurpatum legitur. [*Haec non differunt ab antecedentibus.] *Appul. Met.* 4. Capulos carie et vetustate semitectos, queis inhabitabant pulverei et jam cinerosi mortui, passim adfuturae praedae receptacula referamus. ℙ *Capuli decus* dicitur per convicium homo morti vicinus, capularis. *Pl. Asin.* 5, 2, 42. Ut osculatur carnufex, capuli decus! ℙ Significat etiam manubrium, *λαβή. Ov. Pont.* 1, 8, 57. Ipse manu capulum prensi moderatus aratri. *Id. Met.* 7, 506. Capulus sceptri. ℙ *Capulus coleorum* ap. *Auct. Priap.* 25. et absolute *capulus* ap. *Pl. Cas.* 5, 2, 26. est membrum virile. ℙ Saepe dicitur de manubrio ensis, *στάθμη. Cic. Fat.* 3. Philippus hasce in capulo quadrigas vitare monebatur: quasi vero capulo sit occisus. *Petron. Sat.* 82. Frequentiusque manum ad capulum, quem devoveram, refero. *Tac. A.* 2, 21. Miles, cui scutum pectori adpressum et insidens capulo manus. *Virg. A.* 10, 536. capulo tenus abdidit ensem. *Ov. Met.* 12, 133. capulo cava tempora pulsat. ℙ *Non. l. c.* neutro genere usurpat, sed non probat. ℙ Addit *Isid. Or.* 20, 16. aliam hujus vocis notionem, quod nempe significet funem, quo jumenta colligantur; et neutrius generis facit, sed nec ipse ullo confirmat Latini scriptoris exemplo: et ea vox videtur esse eadem ac *cable*, quo nunc utuntur Galli.

CĂPUS, i, m. V. CAPO.

CAPUT, capitis, n. *κεφαλή, κάρηνον*, princeps animalis membrum, quod collo sustentatur, in quo omnium sensuum sedes est. *Varro ad Cic.* apud *Lact. De opif. Dei* 5. inde dictum tradit, quod ab eo initium capiunt nervi et sensus. *Cic. Senect.* 10. Massinissam nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit. *Hirt. B. Afr.* 16. Capite nudo esse. *Cic. Phil.* 2, 31. involuto. Et *ib.* Aperire caput. *Virg. A.* 12, 885. contegere. *Petr. Sat.* 20. operire pallio. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 14, 2. Calvaticam capiti accommodare. *Suet. Aug.* 79. Comere caput. *Caes. B. G.* 1, 32. Capite demisso terram intueri. *Virg. A.* 9, 437. Demittere caput. *Cic. Planc.* 13. extollere. *Suet. Aug.* 23. illidere foribus. *Quint.* 6, 3. offendere ad fornicem. *Pl. Curc.* 2, 3, 3. Capite offendere aliquem. *Id. Mil.* 2, 2, 52. nutare. *Plin.* 7, 8, 6. gigni. *Virg. A.* 1, 116. pronum volvi in caput. *Ter. Ad.* 3, 2, 18. Capite aliquem in terram statuere. *Phaedr.* 5, 7. Capite aliquem foras protrudere, *h. e.* in caput, et praecipitem protrudere. [*Pl. Curc.* 2, 3, 8. Nec quisquam sit tam opulentus, qui mihi obsistat in via — quin cadat, quin capite, sistat in via de tramite, i. e. quin vultu aut capite in terram conjecto, terrae dato subsistat. Idem quod *Capt.* 4, 2, 13. dicitur: ore sistet. — *Hor. Sat.* 1, 5, 58. Caput movet. Est minitantis, indignantis. *Heindf.* comp. *Hom. Odyss.* ρ. 465. *κίνησε κάρη.*] ℙ Aliquando ponitur pro ipso homine. *Caes. B. G.* 4, 15. Cum hostium numerus capitum CCCCXXX. millium fuisset. *Hor. Sat.* 2, 1, 27. quot capitum vivunt totidem studiorum millia. *Pl. Most.* 1, 3, 142. Triginta minas pro capite tuo dedi. *Cic. Verr.* 2, 2, 32. De capite libero judicare. *Ter. Andr.* 2, 2, 34. Ridiculum caput! *Id. Ad.* 2, 3, 8. festivum! *Virg. A.* 4, 354. carum. *Senec. Med.* 465. ingratum. *Justin.* 18, 7. nefandissimum. *Cic. Fam.* 3, 8. Acerbissima exactio capitum, *h. e.* tributi, quod in singula capita, hoc est singulos homines imponitur. V. CAPITATIO. *Liv.* 2, 33. Sextantibus collatis in capita. ℙ De *Capite censis* V. supra suo loco. ℙ Item pro animali. *Virg. A.* 3, 390. Sus triginta capitum fetus enixa. *Colum.* 8, 2. *de gallinis.* Parandi modus est, ducentorum capitum, quae pastoris unius curam dispendant. *Id. ib.* 11. *de pavonib.* Quinque et viginti capitum grex. *Edict. Diocl.* p. 20. Mulomedico tonsurae, et aptaturae pedum in capite uno ✕ sex. *mox.* Tonsori pecorum in uno capite pasto ✕ duos. Adde *Ulp. Dig.* 7, 1, 68. et 70. ℙ Saepe accipitur pro vita. [*Pl. Capt.* 2, 1, 39. Nam tu non vides — carum offerre me meum caput vilitati, i. e. vitam meam et salutem vilem quasi ac venalem habere, *sein Haupt zu Markte tragen. Lindem. Cic. Phil.* 2, 38. Credo ne salvo capite negare non posses, i. e. ne sine poena aliqua insigni, sine vitae salutisque tuae periculo negare non posses.] *Pl. Trin.* 4, 2, 120. Cui, si capitis res siet, nummum nunquam credam plumbeum. *Caes. B. G.* 7, 71. Capitis poenam alicui constituere. *Curt.* 3, 8. Capite luere stolidum consilium. *Tac. A.* 12, 19. poenas expendere. *Cic. Brut.* 12. Orare causam capitis, *h. e.* in qua de vita alicujus agitur. *Id. ib.* 36. Vocare aliquem in judicium capitis. [*Tac. A.* 2, 30. Quia vetere Senatusconsulto quaestio in caput domini prohibebatur. *Cic. Off.* 1, 12, 38. Cum altero certamen honoris et dignitatis est, cum altero capitis et famae. *Id. ib.* 2, 14, 51. Ne quem unquam innocentem judicio capitis arcessas. Cf. ad h. l. *Beier.*] *Nep. Paus.* 2. Accusare capitis. *Id. Milt.* 7. absolvere. *Cic. Or.* 1, 54. condemnare. *Id. Tusc.* 1, 22. Damnare capite. *Pl. Asin.* 1, 2, 5. Ibo ad Tresviros .... capitis te perdam ego, et filiam. [*Adde *eund. Mil.* 2, 4, 18. *Bacch.* 3, 3, 86. Efformatum hoc dicendi genus ad analogiam istorum: capitis damnare, accusare.] *Nep. Timoth.* 4. Adire periculum capitis. [*Mart. epigr.* 6, 26. Capite periclitari.] *Liv.* 2, 12. Capite suo dimicare, *h. e.* suae vitae periculo. [*Pl. Capt.* 5, 1, 26. Propter meum caput labores homini evenisse optumo, i. e. meae salutis causa.] ℙ Huc pertinent illa, quibus utimur cum alicui minamur, aut summum malum imprecamur, apud *Pl. Most.* 4, 3, 10. Vae capiti tuo, *h. e.* vae tibi, vel vitae tuae. Et *Poen.* 3, 3, 32. Capiti vestro istuc quidem. ℙ Dicitur interdum *causa capitis*, cum de sola existimatione agitur, aut de exsilio, aut ejusmodi gravi jactura. *Cic. Verr.* 2, 2, 40. Cum abs te, tui capitis causa peteret. *Id. Or.* 1, 40. Capitis nostri saepe potest accidere ut causae versentur in jure. V. utrobique integrum loc. *Ter. JCtus Dig.* 37, 14, 10. Capitis accusatio est ea, cujus poena mors, aut exsilium est. ℙ Hinc *capitis diminutio*, seu *deminutio* est status mutatio, hoc est amissio eorum bonorum, per quae in statu aliquo inter homines sumus. Ejus tria sunt genera, maximum, medium, minimum. Tria enim sunt, quae habemus, libertas, civitas, familia. Cum itaque haec omnia amittimus, *maxima* capitis diminutio est, ut in servitute et deportatione: cum vero amittimus civitatem, et libertatem retinemus, *media*, ut fit in transportatione in colonias: cum vero familia tantum mutatur, *infima* diminutio est, ut accidit in adoptionibus et emancipationibus. Ita *Paul. Dig.* 4, 5. *qui est* De capite minutis, II. Adde *Fest.* in *Deminutus*, et *Justin. in Institut. lib.* 1. *tit.* 16. et *cit. tit.* 5. *Dig.*, ubi hac de re plenius. *Cic. Top.* 4. Si ea mulier testamentum fecit, quae se capite nunquam diminuit. Sic *Hor. Od.* 3, 5, 41. *de M. Regulo.* Fertur pudicae conjugis osculum, Parvosque gnatos, ut capitis minor, A se removisse. ℙ Praeterea *caput* ponitur pro vertice, aut extremitate. *Liv.* 1, 54. Summa papaverum capita baculo decutere. *Caes. B. C.* 2, 9. Ut capita tignorum extrema parietum structura tegerentur. *Curt.* 4, 2. Duas turres ex capite molis erigere. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 18. Capita pontis. *Cels.* 8, 7. fasciae, aut habenae. *Plin.* 2, 64, 64. lineae. *Id.* 34, 3, 7. et 36, 14, 20. columnae. *Id.* 37, 5, 20. beryllorum auro comprehendere, *h. e.* partem crassiorem auro colligare. *Senec. Troad.* 173. Movere silvae capita, *h. e.* cacumina. *Plin. ep.* 10, 81. Juliopolitani sunt in capite Bithyniae. ℙ *Caput extorum*, pars jecoris superior, gibbera et rotunda, quam ex omni parte diligentissime haruspices observabant, ex ea praecipue futura portendi existimantes. *Cic. Div.* 2, 13. Caput jecoris si non est inventum, nihil putant accidere posse tristius. *Plin.* 11, 37, 73. Jecur in dextra parte est: in eo quod caput extorum vocant, magnae varietatis. M. Marcello, circa mortem, defuit in extis: sequenti die geminum repertum est. *Ov. Met.* 15, 795. caesumque caput reperitur in extis. *Lucan.* 1, 627. Ecce videt capiti fibrarum increscere molem Alterius capitis. Adde *Senec. Oedip.* 360. ℙ *Caput allii* est ipse allii globus. *Cato R. R.* 71., *Plin.* 26, 7, 19. et *Pers.* 5, 188. ℙ In vite *caput* dicitur ipse pes, seu imus truncus, a quo tanquam a capite, rami propagantur. *Cato R. R.* 33. Circum capita addito stercus, paleas, vinaceas, aliquid horum, quo rectius valeat. Et *mox.* Vites subligato, pampinato, circum capita sarrito. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 20. Capita vitium putata circumfodito. ℙ Item extrema vitis pars, hoc est ultimum ejus, et productissimum flagellum, ut *Colum.* 3, 10. docet. *Cic. Senect.* 15. Adminiculorum ordines, capitum jugatio, religatio et propagatio vitium. ℙ *Caput facere* dicuntur ulcera quaedam, cum in globulum, seu apicem, collecto pure, velut in caput intumescunt. *Plin.* 22, 25, 76. Horminum discutit furunculos, priusquam capita faciant. *Id.* 26, 12, 77. Furunculis remedio sunt pycnocomi folia trita, si nondum caput fecerint. *Celsi* huc pertinet illud 8, 9. Si nusquam caput se ostendit, ubi maxime pus subsit etc. Ita *Morgagnus*, et *Targa* in suis libr. et codice MS. Alii *tumor.* ℙ *Caput fontis* est unde fons nascitur, vel unde primum fluere incipit, ut *Ulp. Dig.* 42, 19, 1. docet. *Vitr.* 8, 1. Si fontes non profluent, quaerenda sub terra sunt capita, et colligenda. *Mela* 3, 2. Rhenus prope a capite duos lacus efficit. *Hor. Od.* 1, 1, 22. nunc ad aquae lene caput sacrae. Adde *Lucr.* 6, 729. et *Plin. ep.* 8, 8. ℙ Item ostium, qua flumen in mare influit. *Caes. B. G.* 4, 10. Rhenus multis capitibus in Oceanum influit. [*Hor. Sat.* 1, 10, 37. Dumque defingit Rheni luteum caput.] ℙ In usuris *caput* dicitur ipsa pecunia occupata, ex qua usurae percipiuntur, quae etiam *sors* appellatur, *τὸ κεφάλαιον. Hor. Sat.* 1, 2, 14. Quinas hic capiti mercedes exsecat, [*i. e. exsculpit, ut *Heindorf.* videtur, quem cf.] *Liv.* 6, 36. Promulgavere legem de aere alieno, ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset etc. *Cic. Att.* 15, 26. Item de illo Tulliano capite libere cum Cascelio loquare. Parva res est; sed tu bene attendisti: nimis callide agebatur. *Id. ib.* 29. hoc *Tullianum caput* vocat *Tullianum semissem.* De Tulliano semisse M. Axianum adhibebis, ut scribis. Priore itaque loco *Cic.* memorat *caput*, quod et *sors*, apud Italos *capitale* appellatur, *(Kapital)* secundo usuram *semissem*, nempe [*VI denar. quotannis] quae usura erat dimidia centesimae. ℙ Sic in vectigalibus et decumis *caput* vocatur tota summa pecuniae, aut frumenti, quae penditur. *Cic. Verr.* 2, 1, 4. Quod aliquot nominibus de capite frumenti decumani detraxerit. Adde *ib.* 2, 3, 35. ℙ In legibus *capita* dicuntur singulae legis partes, in quibus aliquid sub una verborum sententia constituitur, qui nunc in scholis *paragraphi* appellantur. *Cic. Verr.* 2, 1, 46. Quaero abs te, sicut modo in illo capite Anniano de mulierum hereditatibus, nunc in hoc de hereditatum possessionibus; cur ea capita in edictum provinciale transferre nolueris. *Ascon. ib.* Proprie juris capita dicuntur. *Cic. Agr.* 2, 6. A primo capite legis usque ad extremum reperio, nihil aliud cogitatum, nisi ut etc. Adde *ib.* 10. et *Gell.* 2, 15. ℙ Usus hic transfertur ad scriptiones illas omnes, quae partes inter se distinctas habent; cujusmodi sunt disputatio, oratio, epistola, et similia. [*Gr. *τὰ κεφάλαια.*] *Cic. Or.* 2, 55. Cum duos lectores excitasset, et alteri de colonia Nar-

bonensi Crassi orationem legendam dedisset, alteri de lege Servilia; et cum contraria inter se de republica capita contulisset. *Id. Fam.* 3, 8. Sed prima duo capita epistolae tuae tacita mihi quodammodo relinquenda sunt. *Cels.* 5, 8. Quod proximo capite supra comprehensum est. ℙ Sic appellantur etiam dogmata et placita philosophorum. *Cic. Acad.* 4, 32. Ita nobis tacentibus, ex uno Epicuri capite, altero vestro, perceptio, et comprehensio tollitur. Quod est caput Epicuri? si ullum sensibus visum falsum est, nihil percipi potest. Quod vestrum? sunt falsa sensus visa. ℙ Praeterea summae et praecipuae partes alicujus syntagmatis, *capita* dicuntur. *Quint.* 6, 1. In peroratione quae repetemus, quam brevissime dicenda sunt, et, quod Graeco verbo patet, decurrendum per capita. Graecum autem verbum est *ἀνακεφαλαίωσις*. *Cic. Brut.* 44. Ipsa illa censoria contra Domitium collegam, non est oratio, sed quasi capita rerum, et orationis commentarium paulo plenius. *Id. Phil.* 2, 31. Caput autem litterarum, sibi cum illa mima posthac nihil futurum. *Gell. praef. in f.* Capita rerum, quae cuique commentario insunt, exposuimus hic universa. ℙ In aliis quoque rebus, quod quaque in re est praecipuum, *caput* vocamus. *Cic. Tusc.* 5, 34. Negavit, se jure illo nigro, quod coenae caput erat, delectatum. (Adde *Fin.* 2, 8. et *Mart.* 10, 31.) *Id. Or.* 2, 82. Ad consilium de republica dandum, caput est, nosse rempublicam. *Id. Amic.* 13. Caput est ad beate vivendum, securitas. *Id. Or.* 1, 19. Caput esse arbitrabatur oratoris, ut ipsis, apud quos ageret, talis, qualem se ipse optaret, videretur. *Id. Inv.* 2, 7. In hoc autem loco caput erit accusatori, si demonstrare poterit etc., secundarium, si etc. [**Cic. Off.* 2, 31, 75. Caput autem est, in omni procuratione negotii et muneris publici.] *Id. Or.* 1, 29. et *Quint.* 11, 3. Vere dictum est caput artis esse, decere quod facias. *Cic. Fam.* 3, 7. An ego tibi obviam non prodirem? primum Appio Claudio? deinde, imperatori? deinde, more majorum? deinde, quod caput est, amico? *Id. Att.* 1, 17. Si ita statueris, irritabiles animos esse optimorum saepe hominum, et id quod caput est, nobis inter nos nostra vitia esse toleranda. ℙ Item eum, qui princeps est, et auctor alicujus rei faciendae. *Cic. Fl.* 18. Caput est omnium Graecorum concitandorum Heraclides. *Ter. Ad.* 4, 2, 19. Idem, quod ego, sentit, te esse huic rei caput. *Pl. Curc.* 2, 1, 19. Caput scelerum. *Prop.* 2, 18, 86. nequitiae. *Liv.* 10, 1. Capita conjurationis ejus virgis caesi, et securi percussi (metonymia). *Id.* 26, 40. Qui capita rerum Agrigenti. [**Tac. A.* 1, 47. Non omittere caput rerum, i. e. summam imperii e manibus non dimittere.] ℙ Urbs aliqua *caput* esse dicitur, quae provinciae nobilissima et potentissima est. *Nep. Epam. in f.* Thebae totius Graeciae caput. *Flor.* 2, 9. Caput gentis Ambracia. *Plin.* 12, 14, 30. Caput regni Sabota. ℙ Eodem modo *caput* dicitur vir suae civitatis primarius. *Liv.* 26, 16. et 40. In eos, qui capita rerum erant, animadversum. *Vell.* 2, 52. Collisa inter se duo reipublicae capita, *h. e.* Caesar, et Pompejus. Adde *ib.* 101. [**Tac. A.* 1, 13. Quousque patieris, Caesar, non adesse caput reipublicae.] ℙ Item dux exercitus. *Vell. ib.* 85. Militibus, etiam detracto capite, in longum fortissime pugnandi duravit constantia. ℙ Item origo, unde aliquid manat et exit in vulgus, ducta a fontibus translatione. *Cic. Planc.* 23. Neque ego, si fontem maledicti reperietis, ut aut negligatis aut dissimuletis unquam postulabo: sed si quid sine capite manabit aut si quid erit ejusmodi, ut non exstet auctor, qui audierit etc. ℙ Et pro principio. *Cic. Top.* 9. Cum a genere ducetur argumentum, non erit necesse, id usque a capite arcessere. ℙ *Nec caput, nec pedes*, proverbium Italice *nè capo, nè coda*. *Cic. Fam.* 7, 31. Propter tuas res ita contractas, ut, quemadmodum scribis, nec caput nec pedes, *subaudi* habeant. *Pl. Asin.* 3, 3, 139. Quin nec caput nec pes sermonum apparet. *In Ep. Liv. l.* 50. Cum legatos ad pacem inter Nicomeden et Prusiam faciendam Romani misissent et unus ex iis multis cicatricibus sparsum caput haberet, alter pedibus aeger esset, tertius ingenio socors haberetur; dixit Cato, eam legationem nec caput nec pedes nec cor habere. ℙ *Capita Deorum* olim appellabantur fasciculi facti de verbenis, teste *Festo*. Fortasse eos fasciculos e verbena intelligit, quibus utebantur ad verrendam mensam Jovis et ad purgandas lustrandasque domos, ut est ap. *Plin.* 25, 9, 59. ℙ *Capita, aut navim* [**Apud nos: Schrift oder Wappen*] lusus puerilis apud Romanos, quo nummum in sublime jactantes, cum in terram reciderat, utram faciem ostenderet, observabant. Nam postquam asses sextantario pondere feriri coeperunt, eorum nota fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis; ut *Plin.* 33, 3, 13. docet. Adde *Ov. Fast.* 1, 239. Huic ludo apud Venetos nomen est *Marco Madonna*, ductum a signo minutioris pecuniae, quae in usu est. *Macr. Sat.* 1, 7. Ita fuisse signatum, hodieque intelligitur in aleae lusu, cum pueri denarios in sublime jactantes, capita aut navim, lusu teste vetustatis, exclamant. Ita leg. in editionib. Brix. A. 1483., Venet. 1521. et in Aldina 1528. et aliis. Nam in aliquot recentioribus habetur *capita, aut navia:* ut sit *navia, ae*, scapha, linter. *Paul. Nol. poem.* 38, 73. Nummus huic *(Jano)* primum tali est excusus honore, Ut pars una caput, pars scalperet altera navem. Cujus nunc memores quaecumque nomismata signant, Et veteri facto capita haec, aut navia dicunt. *Aur. Vict. Orig. gent. Rom.* 3. Hodieque aleatores posito nummo opertoque, optionem collusoribus ponunt enunciandi, quid putent subesse, caput, aut navem: quod nunc vulgo corrumpentes naviam dicunt. Hinc patet etiam apud *Macr. l. c.* legendum *navia*, cum ita Romae plebs vocem hanc pronunciaret. ℙ *Caput Africae* fuit appellatus Romae vicus quidam, in quo praesertim paedagogi habitabant. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 425. Paedagogus a caput Africae, *h. e.* a vico, qui appellatur *Caput Africae*. V. CAESAR. ℙ *Caput* usurpat pro veretro *Tibull.* in *Priap. v.* 31. et 36.

CAPYS, m. vir Trojanus, comes Aeneae, qui fertur Capuam condidisse. *Virg. A.* 1, 183. Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici. *Id. ib.* 10, 145. Et Capys, hinc nomen Campanae ducitur urbi. ℙ Item filius Assaraci, pater Anchisae, ut est apud *Ov. Fast.* 4, 34. et 35. ℙ Item octavus rex Albanorum, filius Atys, vel Epiti. Regnavit annos XXVIII. Reliquit filium nomine *Capetum*, vel *Calpetum. Liv.* 1, 3. et *Ov. Met.* 14, 613. ℙ Declinatur *Capys, yos*, et *ys. Liv. l. c.* Latino Alba ortus, Alba Atys, Aty Capys, Capy Capetus. *Ov. Fast.* 4, 45. *de Epito.* Ille dedit Capyi recidiva vocabula Trojae: Et tuus est idem, Calpete, factus avus. ℙ Scribitur et *Capis.*

CAR. V. CARES.

CARA. V. in CAREUM.

CĂRA, ae, f. *κάρα*, caput: hinc habent Hispani suum *cara*, Itali vero *cera* et *ciera* pro vultu seu facie. *Coripp. Pan. Justin.* 2, 411. Postquam venere verendam Caesaris ante caram. *F.*]

CĂRĂBUS, i, m. genus cancrorum, cauda a ceteris distans. *Plin.* 9, 31, 51., ubi *Hard.* notat, esse idem ac locustam, quae ab *Arist.* appellatur *κάραβος*, de qua *Plin. in f. c. praec. Apicius* quoque 9, 1. marinam locustam esse indicat. ℙ Addit *Isid. Orig.* 19, 1. *sub f.* esse *carabum* parvam scapham ex vimine factam, quae contexta crudo corio genus navigii praebet. Hujus meminit etiam *Gregor. M. Dialog.* 4, 57., et videtur eadem fuisse cum myoparone. ℙ [Fuit etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 940, 4. Aurelius Carabus. *F.*]

CĂRĂCALLA, ae, f. et Cărăcallis, is, f. vestis in lacernae modum ex concisis pannis consuta, non sinuosa, sed corpori adhaerens, cucullata et manicata, cujus duplex genus fuit, alterum, quo Galli praesertim utebantur, ad femora usque productum, (quod *Gallicam pallam* vocat *Mart.* 1, 93. Dimidiasque nates Gallica palla tegit); alterum ad talos demissum, cujus cum magnam copiam Aur. Antoninus Bassianus Severi filius imperator populo R. largitus esset, coegissetque plebem eo indutam ad se salutandum accedere, *Caracallae* et *Caracalli* cognomen accepit; ipsaeque vestes *Caracallae Antoninianae* sunt appellatae, et in usu postea Romanae plebis frequentatae. Utriusque formam Veneti retinent in duplici eorum *cappotto da marinajo;* nec audiendus *Ferrar. De re vest. c.* 7., qui perperam *χειριδώτους χιτῶνας*, manicatas tunicas, caracallas fuisse putat. *Aurel. Vict. Caesar.* 21. et in *Epit.* 21., *Spartian. Sev.* 21. et *Anton. Car. Auson. Caesar.* 9, 22. In risu populi tu, Caracalla, magis. *Edict. Dioclet.* p. 21. Pro caracalli majori ✕ viginti, pro caracalli minori ✕ viginti. ℙ Hujus vestimenti meminit etiam *Hieron. ep.* 64., ubi agit de vestitu sacerdotum, his verbis, *n.* 15. Efficitur palliolum mirae pulcritudinis, perstringens fulgore oculos, in modum caracallarum, sed absque cucullis. *Salm. l. c.* notat, intelligendas esse hoc loco caracallas Gallicas, non Romanas: illae enim breviores erant, ut dictum est, et paenulae aut pallio similes. [**Plurimis instruxit h. l. F.*]

CĂRĂGOGOS, i, *καραγωγός* herba eadem, quae chamaedaphne, ita dicta, quod caput a noxiis humoribus expurget: a *κάρα*, caput, et *ἄγω*, duco. *Appul. Herb.* 27.

CĂRĂLIS, is, f. *Cágliari, Κάραλις*, urbs Sardiniae primaria cum portu, in ejus parte ad Austrum sita. *Claud. B. Gild. in f.* Urbs Libyam contra, Tyrio fundata potenti, Tenditur in longum Caralis. *Tyrium potentem* vocat Carthaginienses, qui a Tyriis oriundi Sardiniam diu tenuerunt. Attamen *Sol.* 4. ab Aristaeo conditam scribit. Hic autem Aristaeus fuit Actaeonis filius, post cujus mortem in Sardiniam cum Daedalo venit, ibique regnavit, ut *Sall.* ap. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 14. narrat. ℙ Dicitur etiam *Carales, lum*, plurali numero. *Liv.* 23, 40. Navibus longis ad Carales subductis. Et *infra.* Carales perventurus erat. *Hirt. B. Afr.* 98. A Caralibus secundum terram provectus. ℙ Credet aliquis, etiam *Carala, ae*, declinari propter locum *Flori* 2, 2. Caralae urbis excidio incolas terruit. Sed ex eruditorum consensu legendum est *Aleriae urbis*, quod habetur etiam in optim. editionib. bene multis. Editio princeps sine nota anni, loci, aut typographi, habet *Valeriae urbis.* ℙ Scribitur et *Calaris*, ex quo factum est Italicum nomen *Cágliari*: sed prior scribendi ratio praefertur a *Dausq.* in *Orthogr.*

*CARACĂTES, ium, populus Germanicus, in Gallia Belgica, in Triboccorum regione. *Tac. H.* 4, 70. V. CERACATES. *B. A.*

*CARADRUM, i, n. piscis genus. *Appul. Apol.* p. 160. *B, A.*

CĂRĂLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Caralim urbem pertinens. *Liv.* 27, 6. Caralitanus ager. *Plin.* 3, 7, 13. et *ib.* 8, 14. Caralitanum promontorium. ℙ *Caralitani, orum*, sunt ejus urbis incolae. *Caes. B. C.* 1, 30. et *Plin. l. c* 3, 7, 13. ℙ Scribitur et *Calaritanus.* V. v. praec.

CĂRĂMALLUS, seu Caramālus, et Phabāton nomina sunt duorum pantomimorum ap. *Sidon. carm.* 23, 268.

*CARAMBACIS, Asiae fluvius, ad montes Riphaeos. *Plin.* 6, 13. *B. A.*

*CARAMBICUM, promontorium idem quod Carambis. *Mela* 2, 1. *B. A.*

*CARANĪTIS praefectura fuit in Armenia majore ita dicta a Caranis oppido ibi sito. *Plin.* 5, 24. *B. A.*

*CARANTŌNUS, i, Galliae fluv., hod. *le Charente. Auson. in Mosella* 473. *Cellar.* et *Danvill.* eundem esse putant cum eo, qui ap. *Ptol.* appellatur *Καντέλος;* sed *Canentelum* hod. esse *le Sevre*, sententia est *Mannerti. B. A.*

*CARANUS, i, Aradiorum portus, in Syria, forte idem quod Carne. V. *Carne.* ℙ Item primus Macedon. rex, septimus ab Hercule. *Liv.* 45, 9. *Justin.* 7, 1. *Vellej.* 1, 6. *Auson. ep.* 19. ℙ Et unus ex ducibus Alexandri M., qui cum aliis missus est, ad compescendum Satibarzanem, in Arios. *Curt.* 7, 4. *B. A.*

*CARASTASĒI, orum, pop. Asiae, ultra Maeotin lacum. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

*CARAVANTĪS, idis, opp. Illyrici. *Liv.* 44, 30. *B. A.*

*CARBANIA, ae, maris Mediterranei insula, juxta Italiam. *Mela* 2, 7. *B. A.*

CĂRĂMBIS, is, f. *Κάραμβις, Capo Pisello*, promontorium Paphlagoniae in Asia, vasto excursu in Euxinum mare se protendens. Item oppidum in eadem regione. *Plin.* 6, 2, 2. De promontorio *Val. Flacc.* 5, 107. alta Carambis Raditur, et magnae pelago tremit umbra Sinopes. *Id.* 8, 214. nubiferam transire Carambin. Adde *Ammian.* 22, 8.

CARBAS, ae, m. *κάρβας*, ventus spirans ab orientali plaga prope orientem aequinoctialem. *Vitr.* enim 1, 6. postquam docuit, Solanum flare ab oriente aequinoctiali, ad ejus dexteram et sinistram collocat Carban et Ornithias.

CARBĂSĔUS, a, um, adj. qui est ex carbaso. *Cic. Verr.* 2, 5, 12, et 31. Tabernacula carbaseis intenta velis. *Virg. A.* 11, 776. chlamidemque, sinusque crepantes Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro. Adde *Stat. Theb.* 7, 658. ℙ In illo *Tibull.* 3, 2, 21. Post haec carbaseis humorem tollere ventis: *ventos carbaseos* interpretantur telam carbaseam tenuissimi fili, eo modo quo *textilem ventum* et *nebulam lineam* appellat *Publ. Syrus* ap. *Petr. Satyr.* 55. *in f.* vestem subtilissimam, et aequantem propemodum ventos, et nebulas tenuitate texturae. Alii malunt legere *velis* eod. sensu: inter quos sunt *Brouckusius*, et *Vulpius.*

CARBĂSĪNĔUS, a, um, adj. carbaseus. Usurpavit *Varr.* ap. *Non.* 14, 28.

CARBĂSĪNUS, a, um, adj. carbaseus. *Plin.* 19, 1, 6. Carbasina vela. *Appul. Met.* 8. Mitellis, et crocotis, et carbasinis, et bombycinis injecti.

CARBĂSUS, i, f. et Carbasa, orum, n. plur. Est ab Hebr. כַּרְפַּס *carpas*, inde *κάρπασος*, et *καρβασα*, genus lini tenuissimi, quod primum in Hispania Tarraconensi repertum est, teste *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 2. ℙ Per synecdochen est vestis e carbaso aliove tenui panno facta. *Virg. A.* 8, 34. eum tenuis glauco velabat amictu Carbasus. (Ubi *Servius* vestem lineam fluminum propriam esse dicit, quia maceratur aqua, et irrigatione fluminum maxime provenit. Confirmat *Non.* 14, 28.) *Curt.* 8, 9. Corpora usque ad pedes carbaso velant. *Val. Max.* 1, 2. *n.* 7. Carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuit. Hoc est quod habet *Propert.* 4, 11, 54. Vel cui, commissos cum Vesta reposceret ignes, Exhibuit vivos carbasus alba focos. *Luc.* 3, 239. Carbasa fluxa. ℙ Ap. *Scribon. Compos.* 227. Radices haemorrhoidarum carbasis ducere, *h. e.* tenuis lini filo adstringere, ut in re eadem *Cels.* loquitur 7, 30. *n.* 3. ℙ Ponitur et pro velo. *Lucr.* 6, 108. Carbasus ut quondam magnis intenta theatris Dat crepitum malos inter jactata trabesque. ℙ Et saepissime pro velo navis. *Virg. A.* 3, 357. tumidoque inflatur carbasus Austro. *Ov. Her.* 7, 171. Cum dabit aura viam, praebebis carbasa ventis. *Id. Met.* 5, 233. Deducere carbasa i. e. vela ventis dare. *Id. Fast.* 3, 587. Subduce-

re carbasa. Adde *Luc.* 3, 596. et *Vall. Flacc.* 4, 422. ℙ Pro navi. *Rutil.* 1, 221. Aestivos penetrant oneraria carbasa fluctus. [*Sunt vela, quibus instructae naves onerariae.] ℙ Ap. *Claud. B. Get.* 232. *custos Romani carbasus aevi* sunt libri Sibyllini, qui linei fuerunt. ℙ Adjectivi more. *Prop.* 4, 3, 64. Raptave odorato carbasa lina duci. ℙ Neutro genere in singulari numero. *Pacat. Pan.* ad *Theod.* 33. Tenero perlucentes amictu, et vix leve carbasum vitando sole tolerantes. ℙ Et masculino in plurali. *Ammian.* 14, 8. A fundamento carinae ad supremos usque carbasos.

CARBATĪNA, ae, f. (calceamenti genus.) frustula. Adjective. *Catull.* 98, 3. Ista cum lingua ..... possis Culos, et crepidas lingere carbatinas. Al. scribunt *carpatinas. Pollux* 7, 22. scribit *καρβατίνην εἶναι ἀγροικῶν ὑπόδημα, κληθὲν ὑπὸ Καρῶν*, carbatinam esse calceamentum rusticorum, a Caribus appellatum. Idem docet *Hesychius*: *Καρπάτινον, ἀγροικικὸν ὑπόδημα μονόδερμον*, carpatinum, calceamentum rusticum unius corii. Probant hanc interpretationem *Ang. Polit. Misc. cent.* 1, 2. *Scal.* et *Voss.* in *Catull.* et alii. Porro *carbatinae*, et *crepidae* sunt duo nomina substantiva per figuram appositionis simul juncta, ut *urbs Roma.* V. CERCOLIPS.

*CARBIA, ae, oppidum Sardiniae. *Ant. Itin. B. A.*

*CARBILĒSI, orum, populi Thraciae. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

CARBO, onis, m. *ἄνθραξ*, ligni frustum igne perustum et percoctum. *Tarrunt. Dig.* 50, 6, 6. Torrere carbonem. *Cato R. R.* 38. De lignis carbones coquere. *Plin.* 16, 6, 8. Arbor minus utilis carboni. *Scribon. Compos.* 59. Redigere aliquid in carbonem. *Ter. Adelph.* 5, 3, 63. Tam excoctam reddam atque atram, quam carbo est. *Varr. R. R.* 1, 7. Ex quibusdam lignis combustis, carbonibus salsis pro sale utuntur. (V. *Plin.* 31, 7, 40.) *Pl. Merc.* 2, 3, 74. Impleantur meae fores elogiorum carbonibus, *h. e.* carminibus maledicis carbone scriptis. *Pers.* 5, 107. Quaeque sequenda forent, quaeque evitanda vicissim, Illa prius creta, mox haec carbone notasti, *h. e.* illa approbationis nota, haec damnationis. Adde *Hor. Sat.* 2, 3, 246., et V. quaedam huc pertinentia in ALBUS. et CALCULUS. ℙ *Serv.* ad *A.* 11, 788. docet hoc esse discrimen inter prunam, et carbonem, quod illa accensa sit, hic vero exstinctus. Sed etiam dum ardet, carbo dicitur. *Cato R. R.* 108. Imponito in carbones, facito bis inferveat. *Pl. Rud.* 2, 6, 47. Fabri ferrarii, qui apud carbones assident, semper calent. *Hor. Od.* 3, 8, 3. positusque carbo in caespite vivo. *Plin.* 34, 10, 22. Coquere aliquid carbone. *Ov. Trist.* 3, 11, 47. Lentis carbonibus urere. *Cic. Off.* 2, 7. Candenti carbone adurere capillum. *Petr. Satyr.* 135. Carbones vivi. ℙ [Apud *Auctor. Rei agrariae* passim fit mentio carbonum sub terminis positorum. *Plin.* 36, 14, 21. narrat, fundamenta templi Dianae Ephesinae fuisse calcatis substrata carbonibus, ne in lubrico atque instabili locarentur. *August. Civ. Dei* 21, 4. Eo quod carbones nulla aetate vincantur, eos substernere solent, qui limites figunt ad convincendum litigatores, quisquis post quantalibet tempora exstiterit, fixumque lapidem non esse contenderit. *Vitr.* 3, 3. Sublicaeque machinis adigantur quam creberrimae, carbonibusque expleantur intervalla palorum. *F.*] ℙ *Carbonem pro thesauro invenire* proverbio dicuntur, qui magna aliqua spe frustrantur. *Phaedr.* 5, 6. Carbonem, ut ajunt, pro thesauro invenimus. ℙ Dicuntur etiam carbones minutae scintillae ex lignis ardentibus saepe exsilientes. [*Non scintillae, sed frustula ligni ardentis candentia.] *Plin.* 2, 20, 18. Ut e flagrante ligno carbo cum crepitu, sic a sidere coelestis ignis exspuitur. *Id* 16, 10, 19. Carbonem repente exspuunt cum eruptionis crepitu, ejaculanturque longe. ℙ Pro cinere aliquando usurpari videtur. *Cels.* 4, 7. Pullum hirundinum comburere, carbonemque ejus contritum infriare. ℙ Pro carbunculo, hoc est ulcere pessimae naturae. *Ser. Sammon.* 39, 725. Horrendus magis est, perimit qui corpora, carbo. ℙ Fuit etiam cogn. Rom. in gente Papiria, ut Cn. Papirius Carbo, quem *Plin.* 7, 16, 15. cum dentibus natum fuisse narrat. Fortasse qui primus ita cognominatus est, a nigro cutis colore eam appellationem traxit.

CARBONĀRĬUS, a, um, adj. ad carbonem pertinens. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 72. Pater ejus quamvis patricius, ob paupertatem carbonarium negotium exercuit. ℙ *Carbonarius, ii*, est qui carbonem facit, vel vendit *ἀνθρακοπώλης, ἀνθρακεύς. Pl. Cas.* 2, 8, 2. Ego remittam ad te virum cum furca in urbem, tanquam carbonarium. ℙ *Carbonaria, ae*, est fornax, in qua carbo coquitur, *ἀνθρακία. Tertull. Car. Christ.* 6., cujus verba V. in CALCARIUS. ℙ [*Carbonaria praefectura *C. Theod.* de *Praet.* et *Quaestor.* Jac. Gothofred. mutavit in Charonariam, quae a Charonte quasi defertur et nomine mortui exercetur. V. Orcinus.]

CARBONESCO, is, n. in carbonem transire. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 13. Usque eo inuritur, donec carbonescat. Adde *ib*, 5, 1.

CARBONIĀNUS, a, um, adj. ad Carbonem pertinens, qua est cogn. Rom. ut *Carbonianum edictum*, cujus auctor quidam *Carbo* fuit. De hoc edicto exstat titulus in *Dig. lib.* 37. *tit.* 10.

*CARBŪSA, ae, insula maris Aegaei. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*CARBULA, ae, opp. Hispan. Baet. *Plin.* 3, 1. *Hard. Ed. Elzev.* Carbulo. *B. A.*

CARBULO. V. v. praeced.

CARBUNCŪLĀTĬO, onis, f. morbus arborum, cum verno tepore invitatis et erumpere audentibus satis mollibus insidens pruina lactescentes germinum oculos adurit, ut *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 4. docet. ℙ Hoc idem si in floribus accidat, *carbunculus* appellatur. *Plin. ib.* Quamquam etiam in vitibus ipsa carbunculatio carbunculus appellatur. V. CARBUNCULUS.

CARBUNCŪLO, as, n. carbunculatione laboro. *Plin.* 18, 28, 68. *n.* 3. In hoc temporis intervallo res summa vitium agitur, decretorio uvis sidere illo, quod Caniculam appellavimus, unde carbunculare dicuntur, ut quodam uredinis carbone exustae. *Id.* 14, 2, 4. *n.* 5. Helvenaca vitis carbunculari negatur. *Id.* 12, 7, 14. Arbores, quae piper gignunt, coeli intemperie carbunculantur, fiuntque semina cassa et inania. ℙ Item carbunculo laboro. *Id.* 24, 13, 69. Genitalia exulcerata, aut carbunculantia. *Id.* 23, 3, 34. Ulcera circa oculos carbunculantia. V. CARBUNCULUS.

CARBUNCŪLOSUS, a, um, adj. carbunculo abundans. *Colum.* 3, 11. Carbunculosum agrum nisi stercore juves, macras vineas efficit. ℙ Addunt Lexicographi locum *Plin.* 31, 3, 28. Arena carbunculosa. *Hard.* habet *arena* et *carbunculus.*

CARBUNCŪLUS, i, m. *ἀνθράκιον*, parvus carbo. *Auct. ad Her.* 4, 6. Ipse a vicinis, cum testa ambulans, carbunculos corrogaret. ℙ Translate. *Pl. Most.* 4, 2, 69. Qui cum istaec sciet facta ita, amburet misero ei corculum carbunculus. ℙ Est etiam gemma coloris ignei, et accensum carbonem referens, (*Rubin*) de qua multa *Plin.* 37, 7, 25. ℙ *Probitas est carbunculus*, dictum *Publii Syri* ap. *Petr. Sat.* 55., *h. e.* incidit in oculos, et splendet instar carbunculi. ℙ Item genus ulceris, *ἄνθραξ, ἀνθράκωσις.* Ejus hae notae sunt: Rubor, et super eum pustulae saepe nigrae, interdum sublividae, aut pallidae, in quibus sanies esse videtur: circa quasi crusta est, eaque inflammatione cingitur etc. V. *Cels.* 5, 28. *n.* 1., ubi et ejus curandi rationem docet. Adde *Plin.* 26, 1, 4. ℙ Est praeterea genus terrae, vel arenae carboni similis. *Varr. R. R.* 1, 9. Terrae species multae, in queis argilla, rubrica, creta, glarea, carbunculus, id est quae sole perferve ita fit, ut radices satorum comburat. *Vitr.* 2. 6. Quo penitus ab imo vehementia vaporis adusto, nonnullis in locis procreatur id genus arenae, quod dicitur carbunculus. *Plin.* 17, 4, 3. Et carbunculus, terra, quae ita vocatur, emendari vite macra putant. ℙ Denique ita appellatur morbus in arboribus, de quo diximus in CARBUNCULATIO. *Plin.* 18, 28, 68. *n.* 3. Rorem inustum sole acri frugibus rubiginis causam esse, et carbunculi vitibus. *Id. ib.* 29, 70. Cancros cremari jubent in arbustis, ut carbunculi non noceant. Adde *Colum.* 3, 2.

*CARCĀSO (*Caes. B. G.* 3, 20.) vel CARCASSO (*Anton. Itin.*) vel CARCASSIO (*Tab. Peut.*) onis, opp. in Gallia Narb., Tolosam inter et Narbonem, hodie Carcassone. Dicitur et *Carcasum. Plin.* 3, 4. *B. A.*

CARCASUM. V. v. praeced.

*CARCATHIOCERTHA, oppid. Arm. Majoris. *Plin.* 6, 9. *B. A.*

CARCER, is, m. *φυλακή, δεσμωτήριον*, locus in quo nocentes homines conclusi detinentur: a *coercendo*, ut *Varr. L. L.* 4, 32. placet, vel ab *ἕρκος*, septum, vel a *κάρκαρον*, carcer. [*Döderl. 1, 183. ab *arcere* deducendum putat, praeposita litt. *c.*, sicut *cacumen* ab *acuere* etc.] *Cic. Catil.* 2, 12. Sentiet in hac urbe esse carcerem, quem vindicem nefariorum, et manifestorum scelerum majores nostri esse voluerunt. *Id. Verr.* 2, 5, 28. Conjicere aliquem in carcerem. Et *ib.* 29. condere. Et *ib.* 30. ducere. *Tac. A.* 4, 68. trahere. *Id. ib.* 6, 40. rapere. *Pl. Amph.* 1, 1, 3. compingere. *Id. Poen.* 3, 3, 78. ire. *Sall. Cat.* 7, 58. deducere. *Curt.* 8, 7. Includi carcere. *Id.* 5, 5. Erumpere ex carcere. *Cic. Planc.* 12. E carcere emittere. [*Tac. *A.* 6, 48. in carcerem ferri.] ℙ Translate *carcer* dicitur homo improbus, et carcere dignus. *Ter. Phorm.* 2, 3, 26. Ain' tandem, carcer? bonorum extortor, legum contortor? Adde *Lucil.* ap. *Donat. ib.* ℙ Per synecdochen dicitur de inclusis in carcere. *Cic. Pis.* 7. *extr.* In me carcerem effudistis, conjuratos armastis. ℙ Praeterea *carcer* dicitur septum, quo clauduntur equi, et inde ad cursum emittuntur, in publicis ludis, *ἀφετηρία. Virg. G.* 3, 104. et *A.* 5, 145. ruuntque effusi carcere currus. *Ov. Her.* 18, 166. Ut celer Eleo carcere missus equus. *Auct. ad Her.* 4, 3. Intra carcerem stare. Ai. leg. *carceres.* Frequentius enim hac notione in plurali num. effertur. *Cic. Brut.* 47. Nec enim in quadrigis eum secundum numeraverim, qui vix e carceribus exierit, cum palmam jam primus acceperit. *Virg. G.* 1, 512. Ut cum carceribus se se effudere quadrigae. *Hor. Sat.* 1, 1, 114. Ut cum carceribus missos rapit ungula currus. Adde *Ov. Trist.* 5, 12, 26. ℙ Allegorice. *Cic. Senect.* 23. Nec vero velim, quasi decurso spatio ad carceres a calce revocari. *Id. Amic.* 27. Ut possis quibuscum tanquam e carceribus missus sis cum iisdem ad calcem, ut dicitur, pervenire. Adde *Varr. R. R.* 1, 3. ℙ De quolibet concluso loco. [*Quo quis invitus, vi tenetur.] *Virg. A.* 6, 734. clausae tenebris, et carcere caeco. *Id. ib.* 1, 58. ventos vinclis, et carcere frenat. *Lucan.* 6, 797. Carcer Ditis. Et *ib.* 721. Invisa clausta carceris antiqui, *h. e.* corporis, quod animae quodammodo carcer est. [*Cic. Somn. Scip.* 3. Qui ex corporum vinculis tanquam e carcere evolaverunt; i. q. mox *corporis custodias* dicit.]

CARCĔRĀLIS, le, adj. ad carcerem pertinens. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 269. Carceralis caecitas. Et *ib.* 551. Per vincla, flammas, ungulas. Per carceralem stipitem.

CARCĔRĀRĬUS, a, um, adj. ad carcerem pertinens. *Pl. Capt.* 1, 2, 20. Facere quaestum carcerarium, *h. e.* ex captivis in carcerem conjectis. ℙ Item carcere dignus. *Donat.* ad *Terent. Phorm.* 2, 3, 26. Ain' tandem, carcer. Non carcerarium, sed carcerem asperius appellavit: sic *Lucilius:* Carcer vix carcere dignus.

[CARCĔRĀRĬUS, ii, m. *εἱρκτοφύλαξ*, carceris custos. *Inscr.* ap. *Grut.* 80, 5. M. Aurelius Romanus optio Karc*erarii* chor. (*cohortis*) urb. Gordianae. *Not. Tir.* p. 108. Carcer, carcerarius. Carceres in castris agnoscunt *Tac. A.* 1, 21. et *Juven.* 6, 56. Hinc patet, vocem hanc, quae barbara habebatur, Romana civitate donandam esse.

CARCĔRĔUS, a, um, adj. ad carcerem pertinens. *Prud. περὶ στεφ.* 6, 16. Catena carcerea. *Id. adv. Symmach.* 2, 468. Antrum carcereum. Adde *Hamartig.* 853.

CARCĔRO, as, a. 1. in carcerem compingo. Legitur ap. *Messal. Corvin. de progen. Aug.* 29. Verum is libellus auctoritatis est valde dubiae.

CARCHĂRUS, i, m. *καρχαρίας*, genus piscis, qui idem putatur esse, quod *canicula*, de qua *Plin.* 9, 46, 70. multa disserit. Dictus est ab asperis dentibus, et feritate mordendi. *Κάρχαρος* enim asperum significat. *Colum.* 8, 17.

CARCHEBI sucularum foraminum etc. legitur ap. *Vitruv.* 10, 15., ubi de catapultis agit. Sed legendum esse *carchesii* vel *tracheli*, notant interpretes.

CARCHĒDŎNĬUS, a, um, adj. *Καρχηδόνιος*, Carthaginiensis. Carthago enim Graece *Καρχηδὼν* dicitur. (V. CATAMITUS.) *Pl. Poen. prol.* 53. Carchedonius vocatur haec comoedia. ℙ Hinc genus quoddam carbunculorum, *Carchedonii* appellati sunt, quia iis Carthago olim abundavit. Iidem dicti sunt etiam Garamantici, a loco, ubi reperiuntur Sunt autem nigrioris, quam ceteri, aspectus, sed igne, vel sole et inclinatione, acrius, quam ceteri, excitantur et refulgent. In umbra purpurei videntur, sub coelo flammei, contra radios solis scintillant etiam. Haec *Plin.* 37, 7, 25. ex *Archelao. P. Syrus* ap. *Petron. Sat.* 55. Quo Carchedonios optas ignes lapideos, Nisi ut scintillent? Probitas est carbunculus. ℙ Sunt et alii *Carchedonii* ceteris carbunculis multo viliores, qui nascuntur apud Nasamonas, in montibus inveniuntur ad repercussum lunae maxime plenae; omnesque quondam Carthaginem deportari consueverunt: unde et nomen sortiti sunt. *Plin. l. c.* ℙ Quod de *smaragdis Carchedoniis* addi solet ex eodem *Plin.* 37, 5, 18., eo loco *Hard.* contendit, legendum esse *Calchedonii*, ex omnib. suis MSS. ℙ Quidam scribunt *Charchedonius.*

CARCHĒSĬUM, ii, n. *καρχήσιον. Asclepiades* vir inter Graecos apprime doctus ac diligens, ait, navalis veli partem inferiorem *πτέρναν* vocari; circa mediam ferme partem *τράχηλον* dici; summam vero partem *carchesium* nominari, et inde diffundi in utrumque veli latus ea, quae *cornua* vocantur. Haec *Macr. Sat.* 5, 21., qui quod dicit *navale velum*, non ipsum velum, sed malum, quo sustinetur, intelligit. *Athenaeus* enim 11, 7., unde haec *Macrobius* sumpsit, habet *τοῦ ἱστοῦ τὸ κατωτάτω. ἱστὸν* autem prima sui significatione malum navis significat. Clarius itaque *Non.* 15, 28. et *Serv.* ad *A.* 5, 77. carchesium esse dicunt summam mali partem, in qua sunt foramina, per quae funes trajiciuntur. Porro in eo cacumine machina quaedam est, Italice *gabbia*, in qua stare vel unus, vel plures possunt: eoque ascendunt nautae, ventos et alia exploraturi. Ea ab aliquibus cum carchesio confunditur, ab aliis distinguitur. V. *Bayf.* et *Scheffer.* et alios, qui ex professo de re navali scripserunt. At *Schneid.* ad *Vitruv. l. c.* plurimis adductis Graecorum Latinorumque auctorum locis, statuit, carchesium esse apparatum illum tigno vel malo navis adjunctum et connexum, qui trochleas

aut suculas aptas habet, et idoneas ad onera tollenda, Italice *calcese*. Fere usurpatur in plurali num. *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Tertius hic mali superat carchesia summa. *Catull. ib.* Lucida qua splendent summi carchesia mali. Hunc *Catulli* versum pleraeque editiones auctore *Mureto*, interserunt post *v.* 235. *Epithal. Pelei et Thet.* Adde *Lucan.* 5, 418. ℙ In singulari numero *Appul. Met.* 11. Jam malus insurgit, pinus rotunda, insigni carchesio conspicua. Adde *eund. Florid. n.* 22. ℙ Ab hujus carchesii similitudine nomen habuit poculum quoddam procerum, et circa mediam partem compressum, ansis a summo ad infimum pertinentibus, ut *Macrob. l. c.* describit. *Virg. G.* 4, 380. cape Maeonii carchesia Bacchi, Oceano libemus, ait. *Ov. Met.* 7, 247. Aeneaque invergens tepidi carchesia lactis. *Id. ib.* 12, 317. Sopitus vinis, et inexperrectus Aphidas, Languentique manu carchesia mixta tenebat. Adde *Val. Flacc.* 2, 656. et *Sil.* 11, 302. ℙ Praeterea ab ejusdem navalis carchesii similitudine sic appellata est pars machinae alicujus, in qua aliquid ita infigitur, ut versari possit. *Dan. Barbarus* Italice vertit *parettolo*. *Vitruv.* 10, 5. Machinationes aliae rectae, aliae planae in carchesiis versatilibus collocatae. Et *ib.* 22. Supra murum machinam in carchesio versatili constituit.

*CARCĪNE, es, f. opp. Sarmatiae Europ., ad Gerrhi ostium, qui in sinum Carcinitem cadit. *Mela* 2, 1. *Plin.* 4, 12. ℙ Carcinites, sc. sinus, memoratur a *Plin. ib.* et *c.* 13. itemque a *Mela ib.* Est autem medius inter ostia Borysthenis et Bosphorum Cimmerium. *B. A.*

*CARCĪNES, ae, Ital. infer. amnis, in Bruttiis, in sinum Scylaceum influens. *Plin.* 3, 10. *Hard.* Antea leg. *Caecinus*, *Caecinos* cet. In hujus amnis ripa situm est Caecinus opp. V. CARCINUS. *B. A.*

CARCĪNĒTHRON, i, n. *καρκινηθρον*, genus herbae, cujus succus naribus infusus supprimit sanguinem. Graeci etiam polygonon, geniculatam Latini vocant. *Plin.* 27, 12, 91.

CARCĪNĪAS, ae, m. *καρκινίας*, gemma cancri marini colore. *Plin.* 37, 11, 72.

CARCĪNĪTES, sc. sinus. V. in CARCINE.

CARCĪNŌDES, *καρκινώδης*, vox Graeca Latine scripta, quae significat rem aliquam cancro similem. *Carcinodes narium* ap. *Plin.* 20, 17, 73. est polypus in naribus, qui facile in cancrum degenerare solet, ut *Cels.* docet 6, 8. *ad f.*

CARCĪNŌMA, ătis, n. *καρκίνωμα*, periculosissimum morbi genus, quod nascitur maxime in superioribus partibus circa faciem, nares, aures, labra, mammas feminarum, modo cum ulcere, modo sine eo. Habet autem quosdam gradus, quorum primus *cacoethes* curationem recipit, secundus proprie *carcinoma* dictus, et ceteri non item, sed medicaminibus irritantur. Haec ex *Cels.* 5, 28. *n.* 2., ubi plura de eo. *Id. ib.* Si levatur malum, procedere curatio potest: si protinus irritatum est, scire licet, jam carcinoma esse etc. ℙ Medici quidam distinguunt inter *cancrum*, et *carcinoma*, ut hoc exulceratum, ille sine ulcere sit. At *Celsus* in utroque et ulcus, et defectum ulceris agnoscit, ut videre est *l. c.* et 26, 31. ℙ Ipsum quoque *cacoethes*, quod curationem recipit, ceteraque vitia sanabilia, quae similitudinem aliquam habent cum carcinomate, *carcinomata* appellantur. *Cato R. R.* 157. Si quid in mammis ulceris natum et carcinoma, brassicam tritam opponito, sanum faciet. *Plin.* 29, 2, 10. Sordes caudarum prosunt gingivis, si carcinoma serpat. *Id.* 28, 18, 74. Carcinomata curat coagulum leporis. *Id.* 22, 13, 15. sanat urtica. ℙ *Augustus* nepotem Agrippam ingenii scordali et ferocis, et Julias filiam et neptem, contaminatas probris omnibus, et plane extra omnem emendationis spem positas, tres vomicas, aut tria carcinomata sua vocare solebat, ut narrat *Suet. in ejus Vita* 65.

CARCĪNOS, i, m. *καρκίνος*, Graeca vox idem significans, quod cancer. Pro coelesti sidere *Lucan.* 9, 536. Par Geminis Chiron, et idem quod Carcinos ardens, Humidus Aegoceros. ℙ Graece scribitur et *καρκῖνος*. Quare paenultima videtur etiam posse produci, quamvis a poetis Graecis semper corripiatur.

*CARCĪNUM, i, n. Magnae Graeciae promontor., Ital. longissimum. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*CARCĪNUS, i, opp. Ital. infer., in Brutt. *Mela* 2, 4. V. *Carcines. B. A.*

CARDĂ. V. CARDEA.

CARDĂCES, um, m. plur. *Κάρδακες*, militis Persici genus, forte quidem et bellicosum, (nam *κάρδα* Persis virile et bellicosum significat, teste *Suida* 15. *ad f.*) sed idem admodum furax. *Nep. Dat.* 8.

*CARDALĒNA regio, in Arabia. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

[CARDĂMĪNĂ, ae, f. herbae nomen ap. *Appul. Herb.* 20., quam a Graecis cardamon, ab Italis nasturtium vocari ait. *F.*]

*CARDAMĪNE, es, insula Arab. felicis, in sinu Arab. *Plin.* 6, 29. *Καρδαμένη* est *Ptolemaeo. B. A.*

CARDĂMŌMUM, i, n. *καρδάμωμον*, frutex odoratus amomo similis, semine oblongo. Quatuor ejus genera sunt: viridissimum ac pingue, acutis angulis, contumax fricanti, quod maxime laudatur: proximum huic e rufo candicans: tertium brevius atque nigrius. Postremum omnium varium et facile tritu, odorisque parvi. Locum habet maxime in unguentis. *Plin.* 12, 13, 29. et 13, 1, 2. et *ib.* 2, 2.

CARDĂMUM, i, n. *κάρδαμον*, herba Latine *nasturtium* dicta. *Scrib. Comp.* 129. Cardami nigri, idest nasturtii nigri seminis etc. *Rhodius* legendum putat, *Cardami*, *idest nasturtii nigri seminis* etc. Adde *Appul. Herb.* 20.

*CARDAMYLE, es, opp. Peloponn., in Lacon. *Plin.* 4, 5. *B. A.*

*CARDĂVA, ae, Arab. fel. opp. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

CARDĔA, ae, f. Dea praeses cardinibus forum. *Tertull. Cor. mil.* 13. (ubi alii leg. *Carda eod.* sensu.) *Id. Idolol.* 15., ubi alii Deum masculum, non feminam, faciunt; et *adv. Gnost.* 10. *Augustin. Civ. Dei* 4, 8. V. CARNA.

CARDIA, ae, f. *Καρδία*. V. CARDIANUS.

CARDĬĂCUS, a, um, adj. *καρδιακός*. *Cardiacus morbus* est vehemens stomachi languor et dolor, cum corporis imbecillitate, nimio sudore aliisque affectibus, de quib. V. *Cels.* 3, 19., *Coel. Aurel. Acut.* 2, 30. *et seqq.* et alios. Dicitur autem *cardiacus* a *καρδία*, cor, quia olim creditum est, cor maxime in eo morbo laborare vel a *καρδία*, qua significat os ventriculi [**Der obere Magenmund*]: quo sensu usurpari a medicis, *Galenus περὶ τροφῶν δυνάμεως*, 2, 24. testatur. *Plin.* 11, 37, 71. Cor negatur cremari posse in iis, qui cardiaco morbo obierint. ℙ *Cardiacus* dicitur, qui tali morbo laborat. *Cic. Divin.* 1, 38. Nec cardiacis hoc tribuendum est, nec phreneticis. *Hor. Sat.* 2, 3, 161. Non est cardiacus (Craterum dixisse putato) Hic aeger: recte est igitur surgetque: negabit. ℙ Cardiacis maximum remedium vinum esse putatur, ut est ap. *Cels. l. c.* et *Plin.* 23, 1, 23. Hinc *Juven.* 5, 32. Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.

[*CARDĬĀNUS, a, um, adj. ad Cardiam pertinens, urbem in Isthmo Chersonesi Thraciae, cujus meminit *Plin.* 4, 11, 18., quaeque, ut ait *Solin.* 10., quod in cordis faciem sita sit, dicta Cardia est. *Nep. Eum.* 1. Eumenes Cardianus. *F. B. A.*]

[CARDĬMŌNĂ, ātis, n. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 35. Vocatur autem secundum aliquos quaedam passio etiam cardimona, quam Graeci *καρδιωγμὸν* vocaverunt. Hanc necessario sequitur dolor oris ventris, quam plurimi idiotae cordis dolorem vocaverunt. *F.*]

CARDĬNĀLIS, le, adj. ad cardinem pertinens. *Vitr.* 4, 6. Fores ita compingantur, ut scapi cardinales sint ex altitudine luminis totius duodecima parte. *Cardinales scapi* sunt tigilla vel crassiores tabulae hinc inde erectae et ipsis foribus affixae, quibus forum ornamenta praecinguntur, secundum antepagmenta lapidea ipsius januae. Dicuntur autem *cardinales*, quia habent ex utraque parte cardinem, quo fores vertuntur. ℙ Translate *Serv.* ad illud *Virg. A.* 1, 135. Eurum ad se Zephyrumque vocat; *cardinales* hos ventos appellat, hoc est praecipuos: per hos enim omnes venti eo loco intelligendi sunt. V. CARDO. ℙ *Cardinales numeri* dicuntur a grammaticis, ex quibus formantur ordinales et distributivi, ut *quatuor* unde *quartus*, *quaterni*: *sex* unde *sextus*, *seni* etc. *Prisc. De ponderibus* p. 1351.

CARDĬNĀLĬTER, adv. per cardinem. *Firmic. Matthes.* 410.

CARDĬNĀTUS, a, um, adj. *Vitr.* 10, 21. *de testudine militari.* Arrectaria duo conjuncta capitibus transversario cardinato tigno et altero mediano inter duos scapos cardinato et laminis ferreis religato. *Tignum cardinatum* hoc loco est: (*immissum alteri ligno eadem forma excavato, ut arctius cohaereat.) Sic *Id. ib.* 20. Intercardinatae trabes. V. CARDO.

CARDĬNĔUS, a, um, adj. cardinalis. *Septimius Afer* ap. *Terent. De metris* p. 2424. Stridula cui limina, cui cardinei tumultus. ℙ *Cardinea Dea.* V. CARNA.

*CARDISCE, es, f. gemma quae et encardia appellatur. *Plin.* 37, 10. ubi *Hard.* mavult *Ariste. B. A.*

CARDO, inis, m. *γίγγλυμος*, *ὀχλεὺς*, *στροφεύς*, fulcimentum illud, cui fores incumbunt et vertuntur. Cardines apud veteres plerumque infixi erant in superiore et inferiore ostii parte, hoc est in supero et infero limine, ut *Pl.* loquitur *Merc.* 5, 1, 1., quibus proinde in imo quidem fores incumbebant, in summo autem ita detinebantur, ut huc illuc extra perpendiculum vergere et loco moveri non possent. Fiebant autem ex crassiore tigillo, in capitibus acuminato, quae capita ferream etiam cuspidem aut aeneam praefixam interdum habebant, ne assidua versatione detererentur. *Plin.* 16, 40, 77. Rigorem fortissime servat ulmus: ob id cardinibus, crassamentisque portarum utilissima, quoniam minime torquetur. Permutanda tantum sic, ut cacumen ab inferiore sit cardine, radix superior. *Id. ib.* 43, 84. Ex olea durissimo ligno, cardines in foribus diutius immoti, plantae modo germinaverunt. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 8. Theatra duo e ligno, cardinum singulorum suspensa libramento. *Pl. Amph.* 4, 2, 6. et *Asin.* 2, 3, 8. Foribus cardines effringere. *Virg. A.* 1, 480. Vellere postes a cardine. Et *ib.* 493. emoti procumbunt cardine postes. *Id. ib.* 9, 724. Portam converso cardine torquere. *Id. ib.* 1, 453. foribus cardo stridebat ahenis. *Serv.* ad hunc locum docet post obsessum a Gallis Capitolium, cautum a Romanis fuisse, ut ejus ostii cardines ex aere fierent, quorum stridore custodes, si quis clam aperire vellet, admonerentur. *Virg. Cir.* 222. sonitum nam fecerat illi Marmoreo, aeratus stridens in limine cardo. ℙ In aliis quoque machinationibus, ubicumque lignum aliquod in cavum seu foramen alterius immittitur, ut versari possit, *cardo* dicitur. *Vitr.* 10, 20. de testudine paranda: Eae arbusculae ita sint temperatae, ut habeant cardines et foramina, quo vectes trajecti versationes earum expediant. *Id.* 9, 9. Tympanum includatur cardinibus ex torno, masculo et femina inter se coarctatis, ita uti minus tympanum in majore circumagendo arcte leniterque versetur. *Cardinem* hoc loco appellat non solum id, quod vertitur, sed etiam id, in quo vertitur, illud vocans *masculum*, hoc *feminam*. ℙ Praeterea dicitur *cardo* tigni vel tabulae caput, figura cunei vel metae efformatum, quod in cavum alterius tigni eadem figura excavati immittitur, quo firmius haereat. *Vitr.* 10, 20. Supra trabes collocentur capreoli, cardinibus alius in alium conclusi. *Id. ib.* 10. Cardines securiclati. Hinc *tignum cardinatum*, de quo V. supra suo loco. ℙ Similiter in coronis *cardines* dici possunt extrema earum capita, quae invicem connectuntur ad circulum faciendum. *Plin.* 21, 4, 10. Caepio negavit, centifoliam rosam in coronas addi, praeterquam extremos velut ad cardines. ℙ Per synecdochen ponitur pro ipsa fore, quae in cardine vertitur. Hinc *Tertull. Spectac.* 3. appellat *cardines balteorum* in theatris ipsas eorum fores, ut in BALTEUS dictum est. ℙ Quoniam vero forum omne fulcimentum in cardine est, in eoque uno vertuntur, translate *cardo* dicitur in omne re id, in quo maximum momentum positum est, unde totius rei pendet eventus. *Virg. A.* 1, 676. haud tanto cessabit cardine rerum. *Stat. Teb.* 10, 853. attoniti fatorum in cardine summo. *Quint.* 12, 8. Quorum nihil refert, ubi litium cardo vertatur. *Id.* 5, 12. Hic causae cardinem ponit, in quo si victus fuerit, etiam in sequentibus ruit. ℙ Hinc proverb. *res est in cardine*, *h. e.* eo res devenit, ut ad exitum prope accedat. Refertur a *Serv.* ad *A.* 1, 676. Quidam sic intelligunt, ut dicatur res esse in cardine, cum est in incerto statu, neque quo evasura sit, cognosci potest; ducta significatione ab ipsis foribus, quae motu cardinis huc atque illuc impelluntur. ℙ Praeterea quemadmodum *axis*, ita et *cardo* pro coeli plaga saepe usurpatur. Et primo *cardines* dicuntur duo axes seu poli septentrionalis et meridianus; et praesertim ille, qui nobis semper est conspicuus, cum hic sub terra lateat. *Varr. R. R.* 1, 2. Inter circulum septentrionalem et inter cardinem coeli, ubi sol sex mensibus non videtur. *Plin.* 4, 12, 26. de Hyperboreis populis: Ibi creduntur esse cardines mundi extremique siderum ambitus etc. Adde *Ov. Pont.* 2, 10, 45. ℙ Aliquando ipsa terra *cardo* dicitur, quia circa eam coeli vertuntur. *Plin.* 2, 64, 64. Coelum cardini suo, hoc est terrae undique incumbit. *Id. ib.* 9, 6. *de luna.* Proxima ergo cardini ideoque minimo ambitu peragit spatia etc. ℙ Deinde quaecumque coeli plaga *cardo* dicitur. *Lucan.* 5, 71. Eous et Hesperius cardo. *Id.* 4, 672. Cardo medius, *h. e.* meridies. *Pall.* 3, 19. Plantas notabimus, ut ipsis, quibus steterant, cardinibus opponamus, *h. e.* ad eandem coeli regionem, quam ante respexerant. *Flor.* 4, 12. Omnes illius cardinis populi. Adde *Liv.* 37, 54. ℙ *Cardo anni* dicitur a *Plin.* 18, 28, 68. solstitium aestivum, quo dies ad summam longitudinem perveniunt et veluti in cardine se vertentes, decrescere incipiunt. ℙ Eadem ratione *cardo temporum* ab *eod. ib.* 25, 29. vocatur quadripartita anni distinctio per incrementa et decrementa lucis, quae augetur a bruma usque ad aequinoctium vernum, ab hoc usque ad solstitium, deinde minuitur usque ad aequinoctium autumni et ab hoc usque ad brumam. ℙ In vita humana *extremus cardo* est senectus, ap. *Lucan.* 7, 381. ℙ In re agraria *cardo* est via, fossa, limes a meridie ad septentrionem ductus; quemadmodum *decumanus limes* est, qui ab oriente ad occidentem. Nomen traxit a cardine mundi. *Decumanus* autem prius dictus est *duodecumanus* ab hora duodecima diei, qua sol occidit: spectat enim in occidentem. Ita *Salm.* in *exercit. Plin.* p. 676., ubi de utroque fuse disputat. Alii *decumanum* dictum putant, quia ex transverso *cardinis* currens X litterae figuram exhibet, quae decem significat. *Plin.* 18, 33, 76. Qui ita limes per agrum currit, cardo appellatur. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 7. Si major modus sit, totidem pedum cardine, quot decumano, limitari. Adde 18, 34, 77. *Hyg. De limit. constit.* ap. *Goes.* et *Fest.* Cave autem a *Servio*, qui quod hac super

re docet ad *G.* 1, 126., non probat. ℙ *Cardo convexitatis* est pars ejus media, quae a mathematicis *vertex*, et *focus parabolae* appellatur, ubi ejusdem parabolae axis infigitur. *Plin.* 31, 3, 26. Reperiuntur aquae in convallibus maxime, et quodam convexitatis cardine, aut montium radicibus, *h. e.* in parte depressiore. ℙ Feminino genere a veteribus. *Grajus* seu *Granius* ap. *Non.* 3, 75. Sonat impulsu regia cardo. *Gracchus* ap. *Prisc.* 6, 683. O grata cardo, regium egressum indicans.

*CARDO, onis, opp. Hispan. ulterioris. *Liv.* 33, 21. *B. A.*

*CARDŪCHI, orum, *Καρδοῦχοι*, pop. sinistram Tigridis ripam accolentes in confinio Armeniae et Assyriae. *Plin.* 6, 15. *B. A.*

CARDŪELIS, is, m. videtur esse avis parva, capite rubro, alis luteis, albo nigroque distinctis: ita dicta, quod carduorum semine libenter pascatur, ut apud *Isid. Orig.* 12, 7., *Serv.* ad *G.* 3, 338. et *Prob. ib.* legitur. *Plin.* 10, 42, 58. Minimae avium carduelis, imperata faciunt, nec voce tantum, sed pedibus et ore pro manibus. Adde *Petron. fragm. Tragur.* 46. *Burm.* V. ACANTHIS.

CARDŪĒTUM, i, n. locus carduis consitus. *Pallad.* 4, 9. Contra talpas prodest catos frequenter habere in mediis carduetis.

CARDUS, i, m. idem quod carduus. *Capitolin. Pertin.* 12. Dimidiatas lactucas et cardos apponere. Ita *Salmas.* legi ait in optimo quodam codice. Alii *carduos* legunt. *Veget. Veter.* 1, 17. Herba cardo silvestri paene similis. ℙ [Item *cardus*, *us*, m. *Edict. Dioclet.* p. 17. Item cardus majores N. quinque X decem. *F.*]

CARDŪUS, i, m. herba aculeata, in plura divisa genera, de quibus consulendi sunt botanici. Silvestris generis duas species describit *Plin.* 20, 23, 99., quarum altera *scolymus* dicitur, de qua *Dioscor.* 3, 16. Silvestris cardui infecundi et inutilis meminit *Virg. G.* 1, 151. segnisque horreret in arvis Carduus. ℙ Sativi et hortensis serendi rationem docent *Plin.* 19, 8, 43., *Colum.* 11, 3. et *Pallad.* 4, 9. et 11, 11. Porro *Hard.* ad *Plin. l. c.* notat, tum ipsum *Plin.*, tum *Columell.* inter carduos hortenses intelligere etiam eum, qui alio nomine *cinara* dicitur, Italice *carciofo.*

*CARDYTENSES, ium, gens vel opp. Syriae (forte Coelesyriae). *Plin.* 5, 23. *B. A.*

CĀRE, adv. magno pretio, et pluris, quam pro rei valore, *τιμίως*. *Varr. R. R.* 3, 5. Aves pingues care veneunt. *Cic. Dom.* 44. Emit domum prope dimidio carius, quam aestimabat. *Cic.* ad *Brut.* 1, 16. Valde care aestimare aliquid. *Senec. ep.* 42. Gratuita nobis videntur, quae carissime constant.

CĀRECTUM, i, n. locus caricibus plenus. *Virg. Ecl.* 3, 20. tu post carecta latebas. *Colum.* 6, 22. Melius nemoribus herbidis, et frutetis, et carectis, quam lapidosis locis, durantur ungulae. *Pallad.* 9, 3. Exstirpare carecta.

CARĒNĀRIA, ae, f. vas, in quo carenum fit. *Pallad.* 8, 7. In tribus aquae sextariis unum sextarium non despumati mellis admisces, ac diligenter per carenarias divisum etc. ℙ Scribitur et *caroenaria.* V. CARENUM.

*CARĒNE, es, *Καρήνη*, Asiae minor. opp., in Aeolide vel forte in Mysia. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

[*CARENSIS, se, adj. ad oppidum pertinens, cui nomen Cares, in Hispania Tarraconensi, nunc *Puente de la Reyna.* *Carenses* sunt incolae illius oppidi ap. *Plin.* 3, 3, 4. *Inscr.* ap. *Grut.* 324, 12. Postumiae Nepocianae Karensi. *F.* et *B. A.*]

CARENTINUS. V. SARENTINUS.

CARĒNUM, i, n. genus musti ea mensura decocti, ut ex tribus partibus duae remaneant, ut *Pallad.* 11, 18. docet. *Apic.* 2, 1. Subassare cum careno. Adde 1, 33. et *Augustin. Mor. Manich.* 2, 13. Scribitur et *caroenum* a Graeco *κάροινον*, ut sit a *κάρα*, caput, et *οἶνος*, vinum, fortasse quia valde inimicum sit capiti: vel a *Κᾶρες*, quod Cares populi primum coxerint. Sed et *κάρηνον* Graece scriptum invenitur: *κάρηνον* autem caput significat. *Schneidero* in *Indice Script. R. R.* videtur fuisse *carenum* vinum passum nigrum Asiaticum, quod *Galenus* bis memorat, et *κάρυνον* vocat. At *Edict. Dioclet.* p. 28. Item caroeni Maeonii Italicum sextarium unum X triginta. Concordant *Talmudistae* ad *Exod.* 19, 1., a quibus describitur: Vinum dulce, quod affertur ex Asia. Maeonia enim nota est Asiae regio. Hinc patet *cāroenum* esse derivandum a *κάροινον*, itaque scribendum, non *carenum.* ℙ Est etiam genus herbae, vel seminis, de quo V. in CAREUM.

CĀRĒO, es, rui, caritum, n. *ὑστερέω*, *ἀποστερέομαι*. *Cic. Tusc.* 1, 36. Carere hoc significat, egere eo, quod habere velis. Inest enim velle in *carendo:* nisi cum sic, tanquam in febri, dicitur, alia quadam notione verbi. Dicitur enim alio modo etiam *carere*, cum aliquid non habeas, et non habere te sentias, etiamsi id facile patiare. *Carere* enim in morte non dicitur: nec enim esset dolendum. Dicitur illud bono carere, quod est malum. Sed ne vivus quidem bono caret, si eo non indiget etc. Haec Cicero. [*Orell.* pro in *morte* exhibet *in malo*, ita loci sententiam constituens: sed tamen proprie ac recte *carere in malo* dici non potest, non enim id esset dolendum *malo carere.*] *Id. ad Quirit.* 1. Amicitiae, consuetudines, vicinitates quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo. *Id. Rabir. perduell.* 10. Sensu et vita carere. *Id. Senect.* 5. voluptatibus. *Id. Tusc.* 5, 22. consuetudine amicorum, societate victus. *Id. Fam.* 16, 15. febri. *Id. Amic.* 6. dolore. *Id. Rosc. Am.* 20. suspicione. *Ter. Hecyr.* 4, 4, 41. culpa. [*Eodem modo dicitur fame, siti, timore, cupidine, odio carere. Nimirum significat careo: *vaco*, *liber sum*; hinc factum, ut aeque in bonis atque in malis usurpetur. Ceterum de discrimine inter *carere* et *egere* *Döderl.* 3, 114. seq. haec habet: *Carere* dici plerumque de rebus dulcibus, utilibus; *egere* de necessariis; coll. *Sen. Vit. Beat.* 7. Voluptate virtus saepe caret, nunquam indiget. *ep.* 9. Sapiens eget nulla re; egere enim necessitatis est.] ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Quint.* 1, 1. Stilus rudis et confusus intellectu caret. *Senec. Hippol.* 554. Nullum caruit exemplo nefas. *Ov. Met.* 3, 226. adituque carentia saxa. *Id. Her.* 2, 26. Vela queror reditu, verba carere fide. ℙ Saepe significat abesse. *Cic. Mil.* 7. Caruit foro postea Pompejus, caruit senatu, caruit publico: janua se ac parietibus texit. *Id. Att.* 9, 19. Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potissimum togam puram dedi. [*Tac. A.* 4, 58. Neque enim tam incredibilem casum providebant, ut undecim per annos libens patria careret.] *Id. Brut.* 8. Isocrates magnus orator, et perfectus magister, quamquam forensi luce caruit etc. ℙ Item abstinere, non uti. *Sall. Cat.* 13. Animus imbutus malis artibus, haud facile lubidinibus carebat. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 1, 14. Magnam habet vim disciplina verecundiae: carent temeto omnes mulieres. *Nep. Epam.* 3. Amicorum in se tuendo caruit facultatibus; fide ad alios sublevandos saepe usus est. Adde *Phoc.* 1. ℙ Cum genitivo. *Laevius* ap. *Gell.* 19, 7. Carendum tui est. *Ter. Heaut.* 2, 4, 20. Tui carendum quod erat. ℙ Cum accusativo, praesertim communi. *Pl. Curc.* 1, 2, 46. Id, quod amo, careo. *Turpil.* ap. *Non.* 6, 104. et 9, 5. Meos parentes careo. *Inscr.* ap. *Grut.* 770, 9. *non tamen optimae notae.* Quae filios duos caruit. Alia *ib.* 572, 7. dulcem carui lucem, cum te amisi. ℙ *Prisc.* 9, 797. ait, *careor* etiam ab antiquissimis usurpatum fuisse, sicut *copulor* pro *copulo*, *caleor* pro *caleo:* eosque auctores ap. *Caprum* legi posse. Sed *Capri* is liber non exstat. ℙ Particip. *Cariturus* ap. *Ov. Her.* 4, 1. Qua nisi tu dederis, caritura est ipsa. Et *Pont.* 4, 5, 41. carituros arbore montes. Adde *Plin.* 20, 21, 84. *Carendus* ap. *Cic. Tusc.* 1, 12. Istuc ipsum vereor, ne malum sit, non dico carere, sed carendum esse. *Ov. Her.* 1, 50. Virque mihi, dempto fine carendus, abest. ℙ *Carint* pro *careant*, *ἀρχαϊκῶς*. *Pl. Most.* 4, 1, 1. Qui cum culpa carint, tamen malum metuunt. ℙ *Careri* passive *Marcell. Empir.* 36. *a med.*

CĀRES, um, m. plur. *Κᾶρες*, populi Cariae, qui olim insulas habitarunt. Postea Asiae minoris partem meridionalem occupaverunt, qua Rhodum spectat, ab eaque *Cares* appellati sunt. Ea enim regio *Caria* dicebatur a *Care* ejus rege. In rebus bellicis praecellebant: sed viles habiti sunt, quod mercede militarent, ac in prima acie locati primos hostium impetus sustinentes vitam suam nihili aestimarent. Hinc proverb. *In Care periculum facere*, cum periculo exponitur res, cujus jactura gravis non sit. *Cic. Flacc.* 27. Quid de tota Caria? nonne hoc vestra voce vulgatum est, si quid cum periculo experiri velis, in Care [*ita *Orell.*] id potissimum esse faciendum? Al. leg. *in Caria*, alii *in Cariam.* Graece dicitur, *ἐν Καρὶ κινδυνον.* Ita exponit hoc proverbium *Erasm.* At *Manut.* censet, ex eo ductum esse, quod Cares nulla fide essent apud ceteras nationes: proinde nihil iis, nisi cum periculo, committi solere; quod ad mentem *Ciceronis* magis accedere videtur. *Virg. A.* 8, 725. Hinc Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos. *Nep. Dat.* 1. Natus est patre Camissare, natione Care. ℙ In singulari est *Car*, *Caris.* *Auson. in Technopaegn. c. de historiis.* Fallaces Ligures, nullo situs in pretio Car. ℙ Fuit etiam *Car* vir quidam, qui primus auguria ex avibus petere instituit, et Cariae provinciae nomen dedit. *Plin.* 7, 56, 57.

*CĀRESCO, is, n. 3. idem ac careo. *Not. Tir.* p. 95. Carescit. *Gloss. Philox.* Caresco, *στέρομαι*. *B. A.*

*CARĒSUS, i, *Κάρησος*, flumen Troadis. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

*CARĒTHA, ae, insula prope Lyciam, postea Dionysia appellata. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

CĀRĒUM, i, n. herbae genus, gentis suae (hoc est Cariae populi) nomine ita appellatum, semen habens exiguum, cujus maximus usus est in condituris culinae. Laudatissimum provenit in Caria. *Plin.* 19, 8, 50. et *Apic.* 7, 2. Adde *Paul. Dig.* 33, 9, 5., ubi docet, careum in penore contineri. ℙ *Κάρος* dicitur a *Dioscor.* 3, 66., ubi ejus usum in medicina exponit, et habere ait multam cum aniso affinitatem. ℙ Sunt qui putant hanc herbam eandem esse cum ea, quae *Chara* vel *Cara* dicitur a *Caes. B. C.* 3, 48., quae lacte admixto, indeque effectis panibus, inopiam militum multum levavit. Huc facit, quod *Dioscor. l. c.* cari radicem coctam aeque edulem esse ait, ac pastinacae. ℙ Apud *Colum.* 12, 49., ubi arida condimenta, quibus sampsam misceri jubet, esse ait *carenum*, *cyminum*, *semen foeniculi*, *anisum Aegyptium;* quidam recte putant *careum* legendum esse: alii autem perperam reponunt *carpum.*

CĀREX, ĭcis, f. herba acuta et durissima, sparto similis. *Virg. G.* 3, 231. Frondibus hirsutis, et carice pastus acuta. *Catull.* 19, 2. Villula tecta vimine junceo, caricisque maniplis. *Colum.* 11, 2. *circa med.* Filix quoque, aut carex ubicumque nascitur, Augusto mense recte extirpatur.

CĀRIA, ae, f. *Καρία*, regio Asiae minoris, cujus incolae *Cares.* Habet ab oriente Lyciam, a meridie mare Rhodium, ab occidente mare Carpathium, a septentrione Ioniam et Pisidiam. Ejus oppida enumerat *Plin.* 5, 27, 29. et *ib.* 28, 29. ℙ [*Fuit et *Caria* portus, de quo sic *Mela* 2, 2. In litoribus Istro proxima est Istropolis; deinde a Milesiis deducta Calatis; tum Tomoe et portus Caria etc. ℙ Item opp. quod et Hydrela cognomin., in Phryg. Maj., vel in Caria, vel saltem in Phryg. Maj. confinio. *Liv.* 37, 56. Quin et *Caria* pro *Carina* legere mavult *Hard.* ap. *Plin.* 5, 32. deque hoc oppido locum intelligere. *B. A.*]

CARIANDA. V. CARYANDA.

CĀRIANS, antis. V. CĀRIO.

CĀRICA, ae. V. CARICUS.

CĀRĪCĒUS pro cariosus dictum est a veteribus, teste *Non.* 1, 79., ubi tamen nullum hujus adjectivi profert exemplum.

CĀRĪCUS, a, um, adj. *Καρικός*, ad Cariam et Cares pertinens. *Varr. R. R.* 1, 57. et *Plin.* 18, 30, 73. Triticum Carica creta aspergere. ℙ *Carica ficus*, quae *carica* absolute dicitur, genus est ficorum, qui in Caria abunde nascebantur, et ibidem siccabantur, ut in alias terras vehi possent. *Cic. Div.* 1, 40. Quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, cauneas clamitabat. *Caunus* oppidum est Cariae, teste *Plin.* 5, 28, 29. ℙ Idem *Plin.* 13, 5, 10. hujusmodi ficus in Syria nasci scribit, et qui in eo genere minores sunt, *cottana* appellari. Sed *caricas* generatim accipit pro quocumque ficorum genere: quod et alii scriptores faciunt, *ἰσχάδες*. *Ov. Met.* 8, 674. Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis. *Id. Fast.* 1, 185. Carica rugosa. ℙ In illo *Stat. Silv.* 4, 9, 26. Chartae Thebaicaeve, Caricaeve, *chartas Caricas* quidam exponunt, in Caria factas: sed melius chartas a Thebaicis et Caricis distinguas, et *caricas* ficus intelligas ex Caria, sicut *Thebaicas* palmas ex Thebaide Aegypti. Nam et *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. *n.* 29. palmulas Thebaicas memorat.

CĀRIES, ei, f. *εὐρώς*, corruptio, putredo ex vetustate, aut alia quapiam de causa. *Non.* 1, 79. et 2, 111. exponit vetustatem, vel putrilaginem. *Cels.* 8, 2. Ubi caries nigritiesve in osse est. *Lucil.* ap. *Non. ib.* Ne auriculam obsidat caries. ℙ Saepe dicitur de vitio ligni, aetate, aut humore, aliave aeris injuria putrescentis. *Ov. Trist.* 12, 27. Vertitur in teneram cariem, rimisque dehiscit, Si qua diu solitis cymba vacavit aquis. *Vitruv.* 7, 3. Materia, cui nec caries, nec vetustas, nec humor possit nocere. *Plin.* 16, 39, 74. Caries subnascens cortici. *Id.* 16, 40, 78. Cariem vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus, ebenus etc. Et *ib.* 39, 76. Cedri oleo peruncta materies nec tineam, nec cariem sentit. *Id.* 23, 1, 22. In materiis cariem fumus erodit. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 15. Tabula, quae carie consenuit. *Colum.* 11, 2. Infestari carie. ℙ De muris et aedificiis vetustate ruentibus, *Ammian.* 16, 2. Muri carie vetustatis invalidi. *Appul. Met.* 4. Capuli carie et vetustate semitecti. ℙ De agris. *Colum.* 3, 11. De vinetis, quae longo situ exoleverunt, inter omnes constat, pessima esse, si reserere velimus, quod solum adhuc non amiserit virus, et cariem illam vetustatis, quibus etc. V. CARIOSUS. ℙ In vinis *caries* dicitur sapor et odor ille, quem ex vetustate acquirunt, qui aliquando gratus est gustui, aliquando ingratus. *Plin.* 41, 4, 6. Nec Opimiana vina potari per se queunt, si non pervincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita. *Id.* 15, 2, 3. Invitat ad servandum inveterati vini caries. *Id.* 23, 1, 22. Aetatem addere vinis, quae per se cariem traxere. *Colum.* 3, 2. Tardius recipere cariem vetustatis. ℙ Simili ratione *caries* dicitur in succis aliorum ciborum nimia vetustate ingratis. *Appul. Met.* 9. Lactucae veteres et insuaves, quae seminis enormi senecta, ad instar scoparum, in amaram coenosi succi cariem exolescunt. ℙ De pomis aetate corrugatis, non tamen corruptis. *Mart.* 13, 29. Pruna peregrinae carie rugosa senectae. ℙ Adhibetur in conviciis de sene homine, et malae valetudinis. *Turpil.* ap. *Non. l. c.* Viden', ut osculatur caries? num illum illaec pudet.

Afran. ib. Nemo illa vivit carie cariosior. Adde *Auct. Priap.* 58.

[*CARIETES, um, m. populi Hispaniae in conventu Cluniensi. *Plin.* 3, 3, 4. In eundem conventum Carictes, et Vennenses quinque civitatibus vadunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 437, 5. Cohors Carietum et Veniaesum. *F.* et *B. A.*]

[CARILLA, ae, f. diminut. carae. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1273, 8. Portia Carilla. *F.*]

CARĪNA, ae, f. δρύοχος, τρόπις, ima navis pars, navis fundus. Etymologi volunt proprie significari trabem imam, quae totius navis fundamentum est. *Cic. Or.* 3, 46. Quid tam in navigio necessarium, quam latera, quam carinae, quam prora etc. *Liv.* 22, 20. Naves, quae carinas fixerant vadis. *Caes. B. G.* 3, 13. Carinae aliquanto planiores, quo facilius vada excipere possent. [**Tac. Ann.* 2, 6. Quaedam (naves) planae carinis, ut sine noxa siderent.] ℙ A figurae similitudine dicitur de aliis rebus. *Plin.* 15, 22, 24. *de nucibus.* Carinae putaminum bifidae, nucleorumque quadripartita distincto. *Nemesian. Cyneg.* 109. *de forma canis,* multamque gerat sub pectore lato Costarum sub fine decenter prona carinam. ℙ Per synecdochen ponitur pro ipsa navi. *Virg. A.* 2, 23. statio male fida carinis. *Ov. Her.* 17, 103. Tunc ego te vellem celeri venisse carina. Adde *Hor. Od.* 1, 35, 8. *Propert.* 1, 3, 1. etc.

CĀRĪNAE, arum, vicus celeber Romae in regione quarta, ubi templum fuit Telluris, Aedes Junonis sororiae, domus Ciceronis, Pompeji, aliorumque principum civium. *Cic. Har. resp.* 23. *in f.* Cum diceret, velle se in Carinis aedificare alteram porticum, quae Palatio responderet. [*Cf. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. *in f. Liv.* 26, 10. *Hor. ep.* 1, 7, 48. *B. A.*] *Virg. A.* 8, 360. armenta videbant Romanoque foro, et lautis habitare Carinis: *lautas* dicit propter elegantiam aedificiorum, quae in eo vico erant temporibus *Virg.*, ut *Serv. ib.* docet, ubi et alias assignat causas, cur *lautae* dictae sint, non tamen aeque probabiles. *Carinas* vero ideo appellatas esse ait, quod circa templum Telluris essent aedificia in modum carinarum exstructa: sed alii aptius appellationem ducunt ex eo, quod locus ipse ejus vici in carinae modum depressus esset. *Varr. L. L.* 4, 8. docet, hunc locum primo dictum esse *Cerolien-sem*, deinde a carinarum junctu *Carinas:* si modo is locus mendo caret. ℙ *Vellej.* 2, 77. Sex. Pompejus cum in navi Caesarem et Antonium coena exciperet, dixit, in carinis suis se coenam dare: referens hoc dictum ad loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio possidebatur.

CĀRĪNĀRĬUS, ii, m. qui cerino colore vestes inficit, juxta illud *Ov. A. Am.* 3, 184. Et sua velleribus nomina cera dedit. V. CALTHULARIUS.

[CĀRĪNAS, atis, comm. gen. adj. ad Carinas pertinens. Carinas est cognomen collegae P. Ventidii in consulatu an. U. C. 711. ex *Grut.* 298, 1., forte quod is in Carinis habitaret. *F.*]

CĀRĪNĀTUS, a, um, part. *carino*, in carinae modum formatus. *Plin.* 9, 30, 49. Concha acatii modo carinata, inflexa puppe, prora rostrata. *Id.* 11, 37, 82. Pectus homini tantum latum, reliquis carinatum, volucribus magis.

*CARĪNI, orum, populi Germaniae. *Plin.* 4, 14. Legitur et Charini. *B. A.*

CĀRĪNO, as, a. 1. carinam facere. *Carinare se* dicuntur marini pectines, dum ex sua testa veluti carinam faciunt, qua per summa aequoris navigent. *Plin.* 9, 33, 52. ℙ Praeterea *carinare* est obtrectare, illudere, ut *Serv.* ad *A.* 8, 361. interpretatur. *Enn. ib.* Contra carinantes verba atque obscena profatus. *Id. ib.* neque me decet hanc carinantibus edere chartis. *Fest.:* Carinantes, probra objectantes, a carina dicti, quae est infima pars navis, sic illi sortis infimae. In *Gloss.* quoque *Isid.* legitur: Carinantes, illudentes. Simile est Graecum γεφυρίζειν (a γέφυρα, pons), quod eandem habet significationem. In carina enim nautarum faex, ut in ponte infimi popelli homines, stare solent. *Voss.* in *Etymol.* non a *carina*, sed vel a χαρίεν, idest venustum, lepidum, deduci putat, ut proprie significet facete et salse jocari et mordere; vel a *caro*, *is*, quod carminare significat: quam postremam notationem probat etiam *Salmas.* in *Exercit. Plin.* p. 398. ut eadem ratione fiat a *caro*, *carino* paenult. correpta) qua a *nato*, *natino* etc. Quia vero in priore *Ennii* versu propter paenultimae quantitatem, mendum subesse videtur, ita emendandum putat *id. Salm.* Et contra carinans verba atque obscena profatus.

CĀRĬO, as, n. 1. putresco, cariem contraho. A quo part. *carians*, hoc est cariosus. *Capell.* 1. p. 5. Alibi arentes hederas, alibi cariantem tripodem praesagiorumque interlitam memoriam repererunt.

[CĂRĬO, onis, m. dimin. cari. Cogn. Roman. *Inscr.* ap. *Fabrett.* 616, 134. L. Aebutius Cario. *F.*]

*CARIOSUELITES, populi Galliae Celticae sive Lugdunensis. *Plin.* 4, 18. Dicti et *Curiosolites. B. A.*

CĀRĬOSUS, a, um, adj. εὐρώεις, εὐρώδης, carie plenus, putrefactus, corruptus. *Cels.* 8, 2. Os cariosum. *Phaedr.* 5, 10. et *Plin.* 32, 7, 26. Dentes cariosi et foetidi. *Id.* 18, 17, 44. Si cariosum fuit semen, cum sereretur. *Id.* 17, 23, 35. *n.* 27. Cariosas vitis partes deputare. *Mart.* 13, 120. Vina cariosa. (V. CARIES.] *Id.* 11, 50. Amphora cariosa falerni. *Varr. R. R.* 1, 67. Vetustate ficus fit pallidior, palmula cariosior, nux aridior. *Ov. Am.* 1, 12, 29. Cariosa senectus, *h. e.* aetas longa, quae cariem rebus affert. *Prud. Cathemer.* 10, 149. cariosa vetustas. *Id. in Symmach.* 1, 435. cariosi Dii, *h. e.* veteres Deorum statuae. ℙ Quam *Cato R. R.* 5. *terram cariosam* appellat docetque si colatur, triennii fructum amitti, *Plin.* 17, 5, 4. interpretatur aridam, fistulosam, scabram, canescentem, exesam et pumicosam. Et *Colum.* 2, 4. cariosam dici ait, cum post longas siccitates levis pluvia superiorem partem glebarum madefecit, infernam non attigit. ℙ Translate *Afran.* ap. *Non.* 1, 79. Nemo illa vivit carie cariosior. V. CARIES. Sunt, qui leg. *curiosior*, *h. e.* curis magis enecta et macilentior.

*CARIPETA, Arabiae felicis oppidum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

CĀRIS, ĭdis, f. χαρίς, genus piscis tenui testa vestiti et sinuosi. Quidam putant esse eundem ac squillam. *Ov. Hal.* 130. Loligo durique sues sinuosaque caris.

CARISĬA, ae. *Plin.* 3, 1. K. v. seq.

[CARISĬĂCUS, a, um, adj. ad Aureliam Carisiam seu Carissam pertinens, Baeticae urbem in conventu Gaditano, nunc *Carina*, in cujus nummis ap. *Mionnet. descr. des médaill. Supplem.* 1, 16. CARISI et CARISA et CARISSA. *Inscr.* ap. *Grut.* 357, 2. M. Antonio M. F. Carisiaco. *F.*]

CARISĬUS, ii, (rectius quam *Charisius*, ut *Manutio* et *Dausquio* placet) *Flavius Carisius Sosipater* unus est ex veteribus illis grammaticis, quibus, praeter regulas Latine loquendi, debemus fragmenta antiquorum scriptorum bene multa. Ejus dicendi stilus est ejusmodi, ut nihil assurgat supra grammaticum. Exstant hujus Institutionum grammaticarum libri quinque. Tempus autem aetatis, quo vixerit, valde incertum est. Illud constat, antiquissimum esse omnium, quorum de Latina grammatica integri commentarii ad nos pervenere. Sunt qui putant, vixisse circa tempora Plinii Secundi: sunt qui non multo post Valerium Maximum: sunt etiam, qui ad saeculum Christi V. traducunt. Fuit natione Campanus, religione Christianus, *si Georgio Fabricio* credimus.

CARISSA, ap. *Lucil.* vafram significat. *Fest.* Al. leg. *vafrum. In Gloss. Isid.* Carissa, lena vetus et litigiosa, ancilla dolosa et fallax. ℙ Quod legitur ap. *Seren. Sammon.* 46, 830. Cuspide non quisquam, longae neque caede carissae: *Robert. Keuchen.* recte monet legendum *sarissae.* ℙ [*De *Carissa* urbe V. in *Carisiacus.*]

CĀRĪTAS, atis, f. πολυτιμία, penuria frumenti et cibariorum vel alterius rei, ex qua ultra modum ejus pretium augetur: cui opponitur *vilitas. Varr. R. R.* 1, 69. Quae servari possunt, ut tum vendas, cum caritas est. *Cato R. R.* 3. Uti jubeat caritatem exspectare. *Cic. Verr* 2, 3, 93. Cum alter annus in vilitate, alter in summa caritate fuerit. *Id. Manil.* 15. Tanta repente vilitas ex summa inopia et caritate rei frumentariae consecuta est. *Id. Dom.* 10. Qua ex re primum caritas nata est, deinde inopia, (*inopia* et *caritas* in eo differunt, quod illa est ex privatione rerum, quae non exstant, haec ex penuria earum, quae exstant). [**Cic. Off.* 2, 17, 58. Quod in caritate asse modium populo dedit.] *Id. Verr.* 2, 3, 18. Vereri caritatem annonae. *Plin.* 18, 28, 68. *n.* 3. inferre. *Id. ib.* Caritas olei. Et *ib.* 30, 72. operariorum. *Suet. Aug.* 42. vini. *Cic. Att.* 9, 9. nummorum. *Inscr.* ap. *Mur.* 755, 1. Hujus pater annonae caritates saepius sustinuit. ℙ Translate sumitur pro dilectione, benevolentia, amore. Nam ea, quae magno constant, valde diligere solemus. [*Imo significat arctissimum vinculum amoris, qualis est inter proprinquos et consanguineos. *Cic. Off.* 1, 17, 54. Sanguinis autem conjunctio benevolentia devincit homines et caritate. Hinc saepissime dicitur de conjugibus, libris et parentibus cet. *Tac. Ann.* 12, 51. ob mariti caritatem. *Id. ib.* 1, 5. Multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis. *Id. ib.* 12, 4. Caritate filiae promptior. *Id. ib.* 13, 21. (De Agrippina erga Neronem.) Verba impatientia caritatis aliquando incauta.] *Cic. Amic.* 8. Caritas, quae est inter natos et parentes. *Id. ib.* 9. Natura gigni sensum diligendi, et benevolentiae caritatem. *Id. Fin.* 1, 16. Liberalitate qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant, et, quod aptissimum est ad bene vivendum, caritatem. [**Cic. Off.* 2, 8, 29. Quibus rebus possimus adipisci cum honore et fide caritatem.] *Id. Fam.* 10, 22. Tibi persuade, tantam esse apud omnes bonos tui caritatem, ut etc. *Nep. Alcib.* 5. Caritate patriae duci. [**Cic. Off.* 3, 27, 100. (de Regulo). Neque eum caritas patriae retinuit, neque suorum. cf. *Beier.*] *Liv.* 7, 40. Omnes caritate cives complecti. *Quint. prooem.* 1. Mutuae caritatis pignus. *Curt.* 3, 6. Eximia caritate diligere aliquem. Et *ib.* Caritate alicujus flagrare. *Ulp. Dig.* 34, 1, 11. Duo aequa caritate conjuncti. ℙ De discrimine inter *caritatem*, *benevolentiam*, et *amorem* diximus in AMOR. ℙ In plurali numero. *Cic. Off.* 1, 17. Cari sunt parentes, cari liberi: sed omnes omnium caritates patria una complexa est. [*Etiam hic passive dicuntur caritates, (qui cari sunt) cf. *Beier*, qui praeter *Schütz. clav. Lysiae* loc. comparat *epitaph.* p. 194, 8. οἱ μέλλοντες ναυμαχήσειν ὑπὲρ τῆς φιλότητος.] Adde *Quint. Decl.* 2, 7. et *Appul. Met.* 5. ℙ Quemadmodum *amores*, et *affectus* pro iis, quos diligimus, interdum ponuntur, ita etiam *caritates* usurpavit *Ammian.* 24, 1. Reliqui cum caritatibus suis, et supellectile Chalcida transmissi sunt. ℙ Interdum *caritas* pro gratia ponitur, qua quis apud alios carus est. *Cic. fragm.* ap. *Gell.* 16, 16. Non modo invidia pari non erant, sed etiam Claudii invidiam Gracchi caritas deprecabatur. ℙ *Caritas*, et *carus*, cum ad amorem referuntur, cum aspiratione scribi solent, tum ad differentiam *caritatis*, et *cari*, qua pretium adsignificant, tum ad Graecam originem retinendam. Derivant enim a χάρις, vel χαρίεις. Sed discriminis illius causa levis admodum est; notatio vero prorsus incerta, ut et *Voss.* fatetur. Quare rectius sine aspiratione scribetur, more antiquorum; quae sententia est ejusdem *Vossii*, *Scaligeri*, *Dausquii*, *Cellarii*, et *Manutii*, qui praeter libros veteres, Pandectas Florentinas, et Virgilium Carpensem, testes affert lapides quinquaginta, in quibus nulla aspiratio est. Quod vero in aliquot hujusmodi monumentis *Karus* per K scriptum legitur, idipsum scilicet satis probat, nullam aspirationem adhibendam esse, cum Graecum K inter tenues consonantes numeretur, et Latino C respondeat.

*CARITORES in Gloss. Papiae. Lanarii, qui lanam carunt, carpunt, dividunt. *B. A.*

CĀRĬUS, a, um, adj. ad Cariam, vel Caras populos pertinens. *Stat. Theb.* 4, 225. Plaudentique habiles Cariae resonare Dianae. Ita leg. quidam, sed *Carius* a *Caria* primam producit, ut videre est in CARES, et CARICUS. Praeterea nulla celebris Diana in Caria fuit, sed Apollo. Quare rectius alii *Caryae* legunt, et de Diana a Laconibus culta intelligi volunt, a καρύα, nux. Cum enim virgines Laconicae in templo Dianae luderent, atque illud ruinam minari coepisset, illae profugientes in nucem juxta positam ascenderunt: ex quo *Dianae Caryae* nomen haesit. *Serv.* ad *Ecl.* 8, 30. longam narrat fabulam de quadam *Carya* filia Dionis regis Laconiae a Libero Patre primum adamata, deinde in arborem sui nominis, hoc est in nucem conversa. Quod postea, inquit *Serv.*, Diana ita factum Laconas docuit: unde templum Caryatidi Dianae a Laconibus consecratum.

*CARMACAE, arum, pop. Asiae, ultra Maeotim lacum. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

CARMĀNI, orum, m. plur. *Κάρμανοι*, populi Asiae in Perside, ad Persicum sinum, quorum regio *Carmania. Mela* 3, 8. Carmani sine veste ac fruge, sine pecore ac sedibus, piscium cute se velant, carne vescuntur, praeter capita toto corpore hirsuti. Adde *Plin.* 6, 23, 25. et *Luc.* 3, 250.

*CARMANĬDES, ae, pictor quidam ap. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

[CARMĔLĬUS, a, um, adj. qui Carmelum habitat. *Hieron. in Isaj.* 9, 29, 17. Mons Carmelus, in quo fuit Nabal Carmelius, homo stultus et iniquus. *F.*]

CARMĔLUS, i, m. *Κάρμηλος*, mons Palaestinae, in ora, in confinio Phoenices, inter Sycaminum et Doram urbes, prope Porphyrion et Caipham. Est eodem nomine Deus, in eodem monte cultus, sine simulacro, aut templo, ara tantum, et reverentia, ad quem accedebant oracula petituri. De utroque *Tac. Hist.* 2, 78. Adde *Suet. Vesp.* 5. ℙ [*Item oppidum Judaeae, juxta mare mort. *Hieron. de locis.* In V, T. appellatur *Carmel.* V. *Sam.* 1, 25, 2. *B. A.*]

CARMEN, inis, n. μέλος, μέτρον, ἔπος, oratio numeris, seu pedibus vincta, et canendo apta. Putat *Voss.* dictum esse a *casmen*, ab obsoleto *casno* pro *cano.* [**Döderl.* 2, 185. deducit a *canimen.*] *Quint.* 1, 10. Versus quoque Saliorum habent carmen. *Cic. Arch.* 11. Templorum aditus carminibus exornare. *Id. Tusc.* 1, 26. Fundere carmina. *Id. ib.* 4, 2. condere. *Id. Coel.* 8. contexere. *Lucr.* 1, 931. pangere de aliqua re. *Hor. Sat.* 1, 1, 63. componere. *Id. Ep.* 2, 1, 227. fingere. *Id. Od.* 4, 12, 9. dicere. *Id. Sat.* 2, 5, 74. scribere. *Virg. Ecl.* 3, 86. facere. *Id. ib.* 10, 51. modulari avena. *Nep. Ep.* 2. cantare tibiis. *Cic. Rabir. Post.* 16. Celebrare aliquid carminibus. ℙ Saepe sumitur pro poemate. Hinc dicimus *Bucolicum carmen*, *lyricum*, *epicum*, *amoebeum*, *nuptiale*, *funebre* etc. *Hor. Ep.* 2, 1, 86. Jam Saliare Numae carmen qui laudat etc. Adde *Plin.* 2, 25, 22. et *Suet. Tib.* 70. ℙ Et pro parte poematis. *Lucr.* 6, 937. quod in primo quoque carmine claret, *h. e.* in primo libro poematis Lucretii. ℙ Et speciatim pro carmine lyrico. *Hor. Ep.* 2, 2, 59. Carmine tu gaudes, hic delectatur Iambis, Ille Bionеis sermonibus, et sale nigro. ℙ [*De fabulis, a poeta aliquo com-

positis, quae in scena ab histrionibus agantur. *Tac. Ann.* 11, 13. Claudius theatralem populi lasciviam increpuit, quod in P. Pomponium Consularem, (*is carmina scenae dabat*) probra jecerat. ℙ De libellis famosis, contumeliosis. *Tac. Ann.* 4, 31. quod C. Cominium, probrosi in se carminis convictum, Caesar precibus fratris concessit. *Id. ib.* 6, 39. Carmina in principem factitata. Adde *Hor. Sat.* 2, 1, 82. ibique *Heindf.*] ℙ Item pro titulo, epigraphe. *Virg. A.* 3, 187. clypeum Postibus adversis figo, et rem carmine signo. *Id. Ecl.* 5, 42. tumulo superaddite carmen. Adde *Ov. Her.* 7, 194. et *Sil.* 9, 266. et 15, 491. ℙ Item pro incantamento, quod verbis fit. [*Zauberformeln, ἐπῳδαὶ, *Hor. Sat.* 1, 8, 19. Quantum carminibus quae versant atque venenis humanos animos.] *Tac. Ann.* 4, 22. Uxor ejus accusata, injecisse carminibus et veneficiis vecordiam marito. *Virg. Ecl.* 8, 69. Carmina vel coelo possunt deducere lunam: Carminibus Circe socios mutavit Ulyssis. *Lex XII. Tab.* ap. *Plin.* 28, 2, 4. Malum carmen incantare. *Plin. ib.* 3. Incantamenta carminum. Adde *Virg. A.* 4, 487. et *Juven.* 6, 132. ℙ Item pro vaticinio. Poetae enim, qui vaticinari dicuntur, item oracula, carmine res futuras praedicere solent. [*Tac. Ann.* 3, 53. Tenios ejusdem (Apollinis) carmen referre, quo sacrare Neptuni effigiem jussi sunt.] *Liv.* 1, 45. Cecinere vates, cujus civitatis eam civis Dianae immolasset, ibi fore imperium: idque carmen pervenerat ad antistitem fani Dianae. *Virg. Ecl.* 4, 4. Ultima Cumaei venit jam carminis aetas. [*Tac. Ann.* 6, 12. lecto per magistros aestimatoque carmine (Sibyllae). Et *ib.* Carmina Sibyllae. *Id. ib.* 4, 43. Annalium memoria vatumque carminibus.] ℙ Aliquando *carmen* dicitur ipsa ratio carminis. *Cic. Acad.* 4, 27. Pictor videt, quae nos non videmus: et simul inflavit tibicen, a perito carmen agnoscitur. ℙ Ponitur et pro cantu. *Virg. A.* 4, 462. Solaque culminibus ferali carmine bubo Visa queri. *Ov. Met.* 14, 430. Carmina jam moriens canit exsequialia cycnus. ℙ Item pro sono. *Sever. A.* 295. Carmineque irriguo magni cortina theatri Imparibus numerosa modis canit arte regentis. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 319. trabali Vecte laborantes in carmina concitet undas. ℙ Praeterea dicuntur *carmina* formulae quaedam certis verbis compositae, ut Jurisconsultorum, Praetorum, Fecialium, Imperatorum in obsidione urbium Deos evocantium, se devoventium etc. *Cic. Mur.* 12. Praetor interea ne pulcrum se ac beatum putaret, atque aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoque carmen compositum est: Suis utrisque superstitibus, praesentibus, istam viam dico: inite viam. *Id. Rabir. perduell.* 4. Crudelissimi regis ista sunt cruciatus carmina: Caput obnubito etc. *Liv.* 1, 26. Lex horrendi carminis erat: Duumviri perduellionem judicent etc. *Plin.* 28, 2, 3. Durat immenso exemplo Deciorum patris, filiique, quo se devovere, carmen. V. *Liv.* 8, 9. et 10, 28. ℙ *Cato* quoque librum quendam, quem de moribus composuit, *carmen de moribus* inscripsit, licet versu non esset compositus (ut indicant aliquot ejus fragmenta ap. *Gell.* 11, 2.), quia habuit certa quaedam capita brevibus verbis descripta, ita ut disci et recitari possent. ℙ Denique *carmen* est instrumentum ferreum dentatum, quo lana caritur et purgatur (ξαίνειν.) *Lucr.* 4, 376. quasi carmine lana trahatur. Sunt qui aliter leg. *Claud. Eutrop.* 2, 458. Quam bene texentum laudabas carmina tutus. Quidam hic accipiunt *carmina* pro cantu: at *Burm.* reponit *stamina.*

CARMENTA. V. CARMENTIS.

CARMENTĀLIS, le, adj. ad Carmentam pertinens. *Cic. Brut.* 14. Flamen Carmentalis. ℙ *Carmentalis porta* Romae fuit ad ima Capitolini montis versus Tiberim, ita dicta a fano Carmentae, quod eo loci situm erat. Postea dicta est *Scelerata*, quod per eam sex et trecenti Fabii adversus Etruscos egressi, omnes ad unum ad amnem Cremeram interfecti sunt. Ex quo factum est, ut ea porta intrare egredive, ominosum habitum sit. *Liv.* 2, 49., *Festus* in *Scelerata*, et alii. *Virg. A.* 8, 338. Et Carmentalem Romano nomine portam. ℙ *Carmentalia*, *ium*, dicti sunt dies, in quibus sacra Carmentae fiebant. *Varr. L. L.* 5, 3. et *Macr. Sat.* 1, 16., ubi eos inter stativas ferias enumerat. In veteri Calendario apud *Grut.* 133. his sacris assignantur dies undecimus cum quatuor sequentibus Januarii: quod confirmat *Ov. Fast.* 1, 461.

CARMENTĀRĬUS. V. v. seq.

CARMENTIS, tis, f. *Καρμέντις*, cognomen Nicostrates Arcadis, matris Euandri, quae cum filio persuasisset, ut patrem suum occideret, cum eo postea ex Arcadia profugiens, in Latium venit, ante Romam conditam, aetate Herculis; habitavitque apud radices collis Capitolini Tiberim versus. Dicta est *Carmentis* ex eo, quod erat fatidica et vates: antique autem vates *carmentes* sunt appellati: unde etiam librarios, qui eorum dicta perscriberent, *carmentarios* nuncupavere. Haec *Serv.* ad illud *Virg. A.* 8, 335. matrisque egere tremenda Carmentis Nymphae monita. *Id. ib.* ad 51. scribit, hoc ideo nomine fuisse vocitatam, quod carminibus vaticinaretur: quod fortasse ab *Ov.* sumpsit *Fast.* 1, 467. Quidam etiam a *mente*, et *carendo* derivarunt, quod vates extra se esse solent. *Hyg. fab.* 277. hanc primam fuisse ait, quae Graecas litteras numero quindecim, vel sexdecim, in Latinas commutaverit. Quidam dicunt, cum ad centum et decem annorum aetatem pervenisset, ab ipso filio fuisse occisam. ℙ A Romanis fano, et sacris culta fuit, quae *Carmentalia* dicta sunt. *Varr. L. L.* 5, 3. Carmentalia nominantur, quod sacra tum, et feriae Carmentis. ℙ Ceterum hoc nomen aliis quoque Deabus commune est. Nam *Varro* ap. *Gell.* 16, 16. Postvertam et Prorsam Carmentes appellat. *Arae*, inquit, *statutae sunt Romae duabus Carmentibus, quarum altera Postverta nominata est, Prorsa altera.* Ex quo veri similius fit, quod docet *Servius*, vates olim omnes Carmentes fuisse appellatos. ℙ Sunt qui putant in recto casu esse *Carmens*, sed *Carmentis* dicitur a *Solin.* 1. ℙ Reperitur etiam *Carmenta*, *ae;* sic enim usurpant *Hyg. l. c.* et *Fest.* in *Scelerata.*

CARMINĀBUNDUS, a, um, adj. carminans. Translate *Sidon. ep.* 8, 11. *post carmen.* In Comica urbanus, multiformisque; in Bucolica vigilax, parcus, carminabundus; in Georgica sic rusticans multum, quod nihil rusticus.

CARMĬNĀTIO, onis, f. actus carminandi. *Plin.* 11, 23, 27. Lanuginem cogere carminatione unguium.

CARMĬNĀTOR, oris, m. ξάντης, qui lanam carminat. In *Inscr.* ap. *Mur.* 984, 7. Haec loca sunt lanariorum carminatorum sodalicii. Hi *lanarii carminatores* ap. *Fabrett.* 701, 221. appellantur *lanarii pectinarii.*

CARMĬNĀTUS, a, um, part. a *carmino*, διαξανθείς, carminando pexus. *Plin.* 9, 38, 62. Lana carminata.

CARMĬNO, as, avi, atum, a. 1. ξαίνω, διαξαίνω, pectendo lanam purgo, et, ut ait *Juven.* 7, 224. obliquo lanam deducere ferro. *Varr. L. L.* 6, 3. Carminari dicitur tum lana, cum caret eo, quod in ea est nequam. *Plin.* 19, 1, 4. Carminare linum. ℙ Pro carmina facere. *Sidon. ep.* 1, 9. Exeras volo in obsequium novi consulis veterem Musam, votivum quippiam vel tumultuariis fidibus carminantem. *Id. ib.* 9, 15. *in carm.* Quotiesque verba Graja carminaverit, Tenuisse celsa junctus astra Pindaro. *Cave imiteris.*

CARMONA. V. v. seq.

[*CARMONENSIS, se, adj. ad Carmonam, Baeticae oppidum, pertinens, quod hodieque *Carmona* appellatur, de quo *Hirt. B. Alex.* 57. mentionem facit. ℙ *Carmonenses*, *sium*, sunt incolae illius oppidi apud *Caes. B. C.* 2, 19. Carmonenses, quae est longe firmissima totius provinciae civitas. *F.* et *B. A.*]

CARNA, ae, f. Dea eadem quae *Cardea* ostiorum cardinibus praeses. *Ov. Fast.* 6, 101. Prima dies tibi, Carna datur: Dea cardinis haec est: Numine clausa aperit, claudit aperta suo. ℙ Fuit haec primum Nympha luci Helerni, *Grane* seu *Crane* antiquitus dicta, et deinde per metathesin *Carne*, et *Carna.* A Jano compressa accepit in praemium, ut cardinum praeses esset, et praeterea ut infantes in cunis ab infestis strigibus, quae lac ab illis sugere solent, eorumque viscera vitiare, tutaretur. V. *Ov. l. c.* Sed non solum infantium, verum universim omnium hominum vitalibus praeesse credita est. Ab ea enim petebatur, ut jocinera, et corda, quaeque sunt intrinsecus viscera, salva conservaret; ideoque pulte fabacea, et larido ei sacrificabatur, quod his maxime rebus vires corporis roborentur, ut est apud *Macr. Sat.* 1, 12. Calendis Jun. ejus sacra celebrabantur, quae Junius Brutus pulso Tarquinio primus in Coelio monte voti reus fecit. *Macr. ib.* ℙ Sunt qui putant aliam esse Deam, quae praecesset cardinibus ostiorum, *Cardam*, vel *Cardeam* appellatam, et aliam, quae vitalibus humanis, *Carnam* dictam. Quae sententia fortasse vera est. *Ovidius* tamen uni *Carnae* utrumque munus attribuit.

*CARNAE, arum, pop. Asiae, ultra Maeotidem paludem. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

CARNĀLIS, le, adj. ad carnem pertinens, σαρκικός. *Tert. Baptism.* 7. *in f.* Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur, spiritalis effectus, quod delictis liberamur. *Minuc. Fel. Octav.* 32. Deum videre oculis carnalibus. *Prud. Apotheos.* 1051. Stirps carnalis. *Tert. Poenit.* 3. Delictorum quaedam sunt carnalia, id est corporalia, quaedam spiritalia. ℙ Quid sint *carnales*, de quibus ex *Varrone Nonius* 2, 136. V. in CASNAR.

CARNĀLĬTAS, atis, f. *Augustin. serm.* 186. *de Temp.* 2. Carnalitas vetustas est, gratia novitas est.

CARNĀLĬTER, adv. σαρκικῶς, secundum carnem, seu corpus. *Tert. Baptism.* 7. *in f.* In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit. *Hieron. ep.* 54. *n.* 9. In carne non carnaliter vivere. *Prud. Apotheos.* 436. Posteritas carnis carnaliter omnia credens.

CARNĀRĬUM, ii, n. instrumentum ferreum pluribus uncis instructum, in quo caro et alia ad victum pertinentia suspenduntur. *Varr. R. R.* 2, 4. Ignavum et sumptuosum esse, qui succidiam in carnario suspenderit potius ab laniario, quam ex domestico fundo. *Petr. Sat.* 136. Sinciput in carnarium furca reponit. *Id. ib.* 135. Pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad usum reposita. *Pl. Ps.* 1, 2, 64. Nisi carnaria tria grandia tergoribus oneri uberi hodie mihi erunt etc. [*Id. Capt.* 4, 4, 6. Deturbavit totum cum carne carnarium.] *Varr. R. R.* 1, 54. Uva alia, quae in piscinam, in amphoram picatam descendat: alia, quae in aram, ut in carnarium, ascendat. Adde *Colum.* 12, 53. ℙ Item locus, ubi caro servatur. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 3. Nequam esse in domo matremfamilias, ubi indiligens esset hortus: quippe e carnario, aut macello vivendum esse. *Pl. Curc.* 2, 3, 44. *Ph.* Pernam, abdomen, sumen, suis glandium. *Cu.* Ain' tu omnia haec? In carnario fortasse dicis. *Ph.* immo in lancibus.

CARNĀRĬUS, a, um, adj. ad carnem pertinens. *Carnarius homo* dicitur, qui carne delectatur. Jocose *Mart.* 11, 100. Habere amicam nolo, Flacce, subtilem: Sed idem amicam nolo mille librarum. Carnarius sum, pinguiarius non sum. ℙ Taberna carnaria pro laniena apud *Varr. L. L.* 7, 30. V. CALCEARIUS. ℙ [*Carnarius, κρεοπώλης *Vet. Gloss.*, i. e. qui carnem vendit. *B. A.*]

CARNĀTĬO, onis, f. carnosa habitudo, obesitas. *Coel. Aur. Tard.* 1, 4. Est enim semper gravabilis carnatio, et magis si tenuibus fuerit imposita viribus.

CARNĀTUS, a, um, adj. *Carnatum corpus* dicitur quod bene habitum est, εὔσαρκον. *Coel. Aur. Tard.* 1, 4. *n.* 105.

*CARNE, es, *Κάρνη*, Syriae opp., in Seleucide, in confinio Phoeniciae. *Plin.* 5, 21. Forte idem est, quod *Κάρανος* appellatur a Strabone. *B. A.*

CARNĒA, ae, f. Dea eadem quae *Carna*, de qua V. suo loco. *P. Vict. Reg. Urb. Rom.* ponit *templum Deae Carneae* in secunda regione Urbis. Alii tamen *Carnae* legendum putant.

CARNĒĀDES, is, m. *Καρνεάδης*, Cyrenaeus fuit, novae Academiae princeps, Chrysippi studiosus, Zenonis confutator, de quo *Gell.* 17, 15. Multa de eo passim praedicat *Cicero.* Fuit enim in eo magna disserendi vis, magnum acumen, adeo ut nihil non explicare posse videretur. Sed nihil certo affirmabat. Quare cum missus ab Atheniensibus legatus, copiose de justitia disputaret Romae, postridie contraria disputatione omnia rursus subvertit, uti narrat *Lact.* 5, 14. Vixit annos nonaginta, teste *Cic. Acad.* 4, 6. *Id. Or.* 2, 38. *sub f.* Carneadis vis incredibilis illa dicendi, et varietas.

CARNĒĀDĒUS et Carneadĭus, a, um, adj. ad Carneadem pertinens, *Καρνεάδειος* et *Καρνεάδιος. Cic. Acad.* 4, 48. Carneadea sententia. *Id. Fin.* 5, 6. divisio. *Id. Or.* 3, 19. Haec Carneadia, aut Aristotelia vis comprehendenda est.

CARNĒUS, a, um, adj. σάρκινος, σαρκώδης, qui carne constat. *August. serm.* 341. *edit. recentior. circa med.* Spoliatus per mortem carnea tunica. ℙ Idem ac carnosus. *Maximian. Gall.* 1, 85. Quaerebam gracilem, sed quae non macra fuisset: Carnis ad officium carnea membra placent. V. CARNARIUS. ℙ Translate. *Prud. Apotheos.* 438. Nec enim coelo lex carnea fluxit.

CARNI, orum, m. plur. populi montani ad provinciam Forojuliensem pertinentes, quique Alpes Julias et Noricas incolebant, unde digressi septentrionem versus provinciis, quae nunc *Cargna*, *Carniola*, *Carintia* vocantur, nomen dedere. Hi etiam oppidum Pannoniae superioris, quod *Carnuntum* a *Vell.* 2, 109. et *Carnus*, *untis* a *Liv.* 43, 1. appellatur, condiderunt, ubi nunc *Haimburg*, et ab Carnutibus, Galliae populis antiquissimis, profecti videntur: nam in *Fragm. Fast. triumph.* ap. *Grut.* 298, 3. *Galli Carni* nominantur. *Plin.* 3, 18, 22. Aquileja colonia: Carnorum haec (lege *hinc*) regio, junctaque Japydum. Adde *Vell.* et *Liv. l. c.* et *Melam* 2, 4.

CARNĬCŪLA. V. CARO.

CARNĪCUS, a, um, adj. ad Carnos pertinens, ut *Carnicae Alpes*, quae et *Juliae* dicuntur. *Plin.* 3, 25, 28.

CARNĪFEX, et veteri loquendi more Carnufex, icis, m. βασανιστής, δήμιος, servus publicus, qui torquet homines, aut interficit. *Cic. Verr.* 2, 5, 45. Aderat janitor carceris, carnifex praetoris, mors terrorque sociorum etc., *h. e.* Sextius, qui licet Verris lictor, non carnifex esset, ita appellatur a Cicerone propter illius crudelitatem, *Suet. Ner.* 54. Cum ei carnifex laqueos et uncos ostentaret. *Pl. Bacch.* 4, 4, 37. Rapere aliquem ad carnificem. *Id. Capt.* 5, 4, 22. dare aliquem. *Id. Rud.* 3, 6, 19. tradere. ℙ Ex ultimo hoc *Plauti* loco quidam colligunt, carnificem aliquando intelligi custodem carceris. Sed ex hoc uno loco non satis probant. V. locum *Cic.* in §. 1. ℙ Carnifici non licebat Romae domicilium habere, hinc more prisco in Urbe supplicium de sontibus non sumebatur. *Cic. Rabir. perduell.* 5. Carnificem non modo foro, sed etiam coelo hoc ac spiritu censoriae leges, atque urbis domicilio carere voluerunt. Ad-

de *Pl. Ps.* 1, 3, 97. ℙ Translate. *Ter. Andr.* 4, 1, 26. Nescis quantas hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines meus carnifex. *Plin.* 28, 4, 7. Fortuna gloriae carnifex. ℙ Est etiam convicium in scelestum hominem, aut crudelem. *Cic. Pis.* 5. Haec sunt, o carnifex, in gremio sepulta consulatus tui. *Pl. Amph.* 1, 1, 220. Etiam clamas carnifex? *Ter. Eun.* 4, 4, 3. Illud vide, ut os sibi distorsit carnifex! ℙ Adjective. *Mart.* 11, 84. Carnificem nudo pectore pascat avem. *Id.* 12, 48. Pedes carnifices, *h. e.* podagrici, et magnos cruciatus afferentes. *Sil.* 1, 173. Manus carnifices. *Claud. B. Gild.* 178. Carnifices epulae, *h. e.* mortiferae. *Arnob.* 1. *sub f.* Quae libido tam carnifex, inexpiabile bellum indicere nihil de te merito?

CARNIFICĀTUS. V. CARNIFICO.

CARNIFICĪNA, ae, f. *κολαστήριον, βασανιστήριον*, locus, in quo sontes a carnifice torquentur et necantur. *Liv.* 2, 23. Ductum se ab creditore non in servitium, sed in ergastulum et carnificinam esse. ℙ Item carnificis officium. *Pl. Capt.* 1, 2, 26. Agre est mihi, hunc facere quaestum carcerarium: sed si ullo pacto huc conciliari potest vel carnificinam hunc facere possum perpeti. [*Conf. *Lindem.* ad h. l.] ℙ Item cruciatus, tormentum. *Cic. Tusc.* 5, 27. Aegyptii quamvis carnificinam prius subierint, quam ibim aut canem violent. *Cato* ap. *Gell.* 10, 3. Dolores atque carnificinas facere. *Auson. epigr.* 108, 10. Tam diversa locis vaga carnificina pererrat. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 3, 13. Cum omnis perturbatio miseria est, tum carnificina est aegritudo, habet ardorem libido etc.

CARNĪFĪCĪNUS, a, um, adj. ad carnificinam pertinens. *Pl. Most.* 1, 1, 52. O carnificinum cribrum: de servo loquitur, cujus tergum est a carnifice stimulis perforatum. Alii leg. *carnificum.* Alii *carnificium* gen. plural. pro *carnificum.*

*CARNĪFĪCĪUM, i, n. carnificina. *Sarisb.* 1, 4. Ad venatoris carnificium prolabi. Adde 4, 3. *B. A.*

CARNĪFĪCO, as, a. 1. est corpus humanum in frusta secare, caedere, lacerare. *Liv.* 24, 15. Neminem stantem jam vulnerari hostem, carnificari jacentes. ℙ *Prisc.* 8. p. 791. docet, *carnificor, aris*, esse verbum commune, ut *adhortor, dimetior* et alia. Pro sola tamen passiva significatione affert exemplum ex *Sisenna* his verbis p. 793. Vitam cum dolore et insigni cruciatu carnificatus amisit, *βασανισθείς*. [At significatione activa usus est *Tertull. adv. Marc.* 1, 2. Sane ceteros ad hoc tenditis et carnificatis, ut negent esse, quod esse diditis et carnificatis, ut negent esse, quod esse diditis et carnificatis, ut negent esse, quod esse di

Grut. 308, 10. Salonia Carpime. Alia apud *Gud.* 316, 13. L. Caedicius Carpimus. *F.*]

CARPĪNĔUS, a, um, adj. qui est ex carpino. *Plin.* 16, 43, 83. et *Colum.* 11, 2. *sub f.* Carpinea manubria.

CARPĪNUS, i, f. ζυγία, arbor ex acerorum genere (quamquam alii proprii generis esse volunt) rubens, fissili ligno, cortice livido et scabro: montes amat, estque in usu facum familiarissima: est autem satis firmae materiei, et ad varia opera utilis. Haec ex *Plin.* 16, 15, 26., *ib.* 18, 30. et *ib.* 40, 76. *n.* 3. ℙ Dicta est ζυγία a Graecis, quia ex ea materia juga jumentis comparant, quae apud eos ζυγὰ sunt. *Vitr.* 2, 9. ℙ [*Carpinus atra* memorata *a Catone R. R.* 31. et *Plin.* 16, 39, 75., est *carpinus ostrya Linn.*, quaeque a *Pontedera, Antiq. Graec. et Rom.* p. 46. ita describitur: Gignitur in asperis montanisque locis frequens, materia firma, et ad opera torno elaboranda perutilis, fructu in racemum lupuli modo disposito, calyce seu vesicae turgido semina obducit. Differt a *carpino* proprie dicta, quae carpinus alba vocatur; haec enim calyce multifido amplectitur semen, praeterea infra minorem altitudinem subsistit, cum utraque ante fructum iulos promittat. Materiarii Veneti, qui in publico armamentario versantur, *carpinum ostryam* vocant *sappino*, hinc nihil mirum in quibusdam editionibus et MSS. *sapinum* legi tum apud *Catonem*, tum apud *Plinium*. V. SAPINUS in f. *F.*]

[CARPĪON, onis, m. est fortasse piscis Benaco familiaris. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 268, 1. Claudius Carpion. *F.*]

CARPISCŬLUS, i, m. genus calceamenti barbarici multifariam scissi, quod Graeci πολυσχιστῆ vocant, et λεπτοσχιδῆ. Ita *Salm.* ad illud *Vopisc. Aur.* 30. Carpisculum enim genus calceamenti esse, satis notum est, *carpisclum* legitur in quodam cod., teste *eod. Salm.* ℙ Ab hujus similitudine dicitur *carpisculus* in architectura membrum quoddam in basibus, ea ratione, qua κρηπὶς Graece et calcei, et basis genus significat, ut et apud Italos *il zoccolo.* Sed quemadmodum hujusmodi calcei figura ignoratur, ita et hujus membri architectonici. *Inscr.* ap. *Grut.* 98, 8. Tegulas aeneas auratas cum carpisculis et vestituris basium, et signa Castoris, et Pollucis cum equis D. S. D. Ita *Salm.* et *Casaubon.* ad *l. Vopisci c.* At *Grut.* edidit *cum carpusculis;* quod videtur esse diminutivum Latinum a Graeco καρπὸς fructus, et significare ornamenta in columnis, aut stylobatis varia poma et frondes intextas referentia, quae Itali dicunt *festoni. Morcell. de stil. Inscr. T.* 3. p. 98. *ed. Patav.* haec habet ad *cit. Inscr.* Carpusculos bases minores esse puto, quibus hypobases subjectae sint. *Carpos* et *Carpiscos* calceamentorum genera esse ostendit *Salmasius;* unde carpusculos ab architectis appellatos statuarum plinthos crediderim.

CARPISTES, ae, m. καρπιστὴς, hoc est vindex, assertor: a καρπὸς, qua tum carpum manus, tum ipsam volam significat. Ita *Horon* suum appellavit *Valentinus* ap. *Tertull. adv. Valentinian.* 9. *in f.* V. etiam *ib.* 10. *in f.*

CARPO, is, carpsi, carptum, a. 3. δρέπω, δρέπομαι, est manu aliquid leviter et paulatim avellere, auferre, decerpere. Est a κάρφω, arefacio, seu resecando aridum reddo. [*Döderl. 1, 183. vocis originem in Gr. ἅρπω, ἁρπάζω videt. Quod praeferendum!] *Virg. A.* 6, 245. Et summas carpens media inter cornua setas, Ignibus imponit sacris. *Ov. Am.* 2, 19, 31. carpere arbore frondes. *Virg. Ecl.* 9, 50. carpent tua poma nepotes. *Id. G.* 2, 90. Carpere uvam de palmite. *Colum.* 5, 6. manibus herbas. *Ov. Met.* 9, 380. flores ab arbore. *Hor. Sat.* 2, 3, 256. ex collo furtim carpsisse coronas, *h. e.* detraxisse, *Virg. G.* 3, 176. Carpere manu frumenta. *Id. G.* 2, 366. uncis manibus frondes. *Id. Ecl.* 2, 54. Et vos, o lauri, carpam, et te, proxima myrte. *Ov. Ib.* 198. Carpere aquam de mari. *Auct. Priap.* 28. Tu qui non bene cogitas, et aegre Carpendo tibi temperas ab horto. *Id.* 73. Si commissa meae carpes pomaria curae. ℙ Pecus etiam *carpere* dicitur, cum herbas frondesque depascitur. *Virg. A.* 9, 353. Carpunt gramen equi. *Id. G.* 3, 325. Carpamus frigida rura, *h. e.* carpere cogamus animalia. *Serv.* Sic *Hor. Od.* 4, 2, 29. Apis carpens thyma. *Varr. R. R.* 3, 15. Apes e malo punico et asparago cibum carpunt. ℙ *Carpere pecus* est tondere. *Propert.* 2, 13, 8. ἀλληγορικῶς. Et stolidum pleno vellere carpe pecus. ℙ *Carpere lanam* est summis digitis trahendo purgare, vel etiam nere. *Virg. G.* 4, 334. Milesia vellera Nymphae Carpebant. Et *ib.* 1, 390. et *Hor. Od.* 3, 27, 64. Carpere pensum. ℙ Nonnunquam significat scindere, lacerare. *Petron. Sat.* 36. *in f.* Vides illum, qui obsonium carpit? Carpus vocatur. Itaque quotiescumque dicit, Carpe, eodem verbo et vocat, et imperat. *Ov. Ib.* 460. Et tua dente fero viscera carpat equus. *Lex. XII. Tab.* ap. *Serv.* ad *A.* 12, 606. Mulier faciem ne carpito. *Val. Flacc.* 8, 7. Carpere crinem genasque. *Senec. Thyest.* 1059. artus in frusta. Adde *alter. Senec. Ira* 3, 18. ℙ Item dividere. *Liv.* 26, 38. Quos neque omnes tenere praesidiis, nisi vellet in multas parvasque partes carpere exercitum, poterat. *Cic. Or.* 4, 49. Neque semper utendum est perpetuitate, et quasi conversione verborum, sed saepe carpenda membris minutioribus oratio est. *Curt.* 8, 9. Carpere fluvium, *h. e.* multifariam derivare. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 56. Non sum tam insolens in dicendo, ut ex omni genere orationem aucuper, et omnes undique flosculos carpam atque delibem. *Gell.* 9, 4. In legendo carpsi quaedam, et notavi. ℙ Saepe significat verbis lacerare, alterius existimationem imminuere, alicui detrahere. *Cic. Balb.* 26. Maledico dente carpere. *Caes. B. G.* 3, 17. Nostrorum militum vocibus nonnihil carpebatur. *Ov. Pont.* 3, 1, 64. Carpere facta alicujus. *Quint.* 11, 1. alterius carmina. *Justin.* 12, 5. Indignabatur, carpi se sermonibus suorum. ℙ Item imminuere, debilitare, auferendo paulatim absumere. *Virg. G.* 3, 215. Carpit enim vires paulatim, uritque videndo Femina. *Id. A.* 4, 2. caeco carpitur igni. *Id. ib.* 31. Solane perpetua moerens carpere juventa? *Val. Flacc.* 3, 364. aegro assidue mens carpitur aestu. *Ov. A. Am.* 3, 680. Carpi cura alicujus. [**Sil.* 15, 1. Carpebat cura Senatum, i. e. angebat.] *Id. Pont.* 4, 8, 32. carpsit opes illa ruina meas. *Id. Am.* 1, 8, 91. Et soror, et mater, nutrix quoque carpat amantem, *h. e.* emungat, aliquid ab eo corradat. *Hor. Od.* 4, 9, 33. Totve tuos patiar labores Impune, Lolli, carpere lividas Obliviones. *Senec. Herc. fur.* 874. Prima, quae vitam dedit hora, carpit. [**Sil.* 5, 591. Te dies properato funere carpsit, i. e. praematura morte occidisti.] *Val. Flacc.* 7, 533. Carpi periclis. ℙ In re militari *carpere* est recedentem hostem insequi, et in itinere identidem aggredi, modo ex una, modo ex altera parte, ac sic veluti per partes concidere et debilitare. *Caes. B. C.* 1, 79. Equitatu praemisso, qui novissimum agmen carperet atque impediret. Adde *ib.* 63. et *Tac. A.* 12, 32. Sic *Liv.* 3, 5. Superante multitudine, hostes carpere multifariam vires Romanas, ut non suffecturas ad omnia aggressi sunt: simul castra oppugnabantur, simul pars exercitus ad populandum agrum Romanum missa. [*De exercitu urbem, regionem aliquam vastante. *Sil.* 12, 530. Fregellae agmine carpuntur.] ℙ Apud poetas, et alios liberiores scriptores nonnunquam ponitur quasi pro accipere, capere, sumere. [*Hinc ap. *Sil.* 3, 712. Dum carpet auras, i. e. vivet.] *Virg. A.* 1, 392. Carpere vitales auras. *Id. G.* 3, 435. sub dio somnos. *Ov. Fast.* 3, 622. commodum alicujus rei. *Id. Her.* 1, 117. oscula. *Hor. Od.* 1, 11. *extr.* Carpe diem, quam minimum credula postero, *h. e.* cape, arripe. *Mart.* 7, 47. fugitivaque gaudia carpe. *Pers.* 5, 151. Indulge genio: carpamus dulcia. ℙ Item agere, transigere. *Val. Flacc.* 5, 48. Carpere noctes securas. *Catull.* 68, 35. illa domus, Illa mihi sedes: illic mea carpitur aetas. ℙ *Carpere viam, iter*, est iter facere, ambulare. *Petron. Sat.* 116. Hoc peracto officio, destinatum carpimus iter. *Hor. Sat.* 2, 6, 93. Carpere viam. [**Id. ib.* 1, 5, 95. Utpote longum carpentes iter et factum corruptius imbri. Cf. *Heindf.* ad h. l. *Sil.* 12, 353. fugae compendia carpens.] *Ov. Fast.* 3, 604. pede iter. *Sil.* 10, 62. fugam. *Stat. Th.* 1, 310. volatus. ℙ Huc et illa pertinent. *Ov. Trist.* 1, 9, 23. Pede carpere campos. *Id. Met.* 4, 615. Aera alis. *Propert.* 1, 6, 33. Seu pedibus terram, seu pontum carpere remis Ibis. *Ov. Met.* 11, 752. Quem mare carpentem, substrictaque crura tenentem Adspicis. *Virg. G.* 3, 142. prata fuga, *h. e.* celeriter praeterire, ut *Serv.* exponit: qui eodem modo intelligit illud *Lucilii*, quod a *Nonio* quoque affertur 4, 54. Hiemem unamquamque carpam. *Virg. G.* 3, 191. de equo: Carpere mox gyrum incipiat, *h. e.* currere in gyrum. Sic *Plin.* 8, 42, 67. Equis tolutim carpere incursus, traditur arte. ℙ [*Ap. *Hor. Od.* 2, 17, 12. Supremum carpere iter, i. e. mori.] ℙ Particip. *Carpturus* in *Inscr.* ap. *Mur.* 1951, 3. Bis nonam carptura rosam mihi decidit aetas.

CARPOBALSĂMUM, i, n. καρποβάλσαμον, fructus balsami arboris. Nam *balsamum* est aliquando ipsa arbor: καρπὸς autem fructum significat. Sic autem dicitur ipsum semen ejus arboris, de quo V. in BALSAMUM. *Cels.* 5, 23. *n.* 1. Sil, bdellium, carpobalsamum, semen papaveris albi etc. ℙ Vocem *carpobalsamum* primus jure Latii donavit *Lindenius* ap. *Cels. l. c.* nullius codicis fretus auctoritate. Hinc *Leon. Targa* eam in utraque *Celsi* editione exulare toto Latio jussit, atque ita edidit: Sil, bdellium balsami semen, piper album.

[CARPOPHŌRUS, i, m. καρποφόρος, fructifer. Nomen fuit venatoris a Domitiano dilecti. *Mart. Spectac.* 23. Dorica quam certo venabula dirigit ictu Fortis adhuc teneri dextera Carpophori. ℙ Fuit etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 678, 8. Sex. Attio Carpophoro. *F.*]

CARPOPHYLLOS, καρπόφυλλος, aut φυλλόκαρπος, genus lauri Alexandrinae, quae et *hypelate*, ita appellata, quia fructum fert in mediis foliis: a καρπος, fructus, et φύλλον, folium. *Plin.* 15, 30, 39.

CARPTIM, adv. δρεπομένως, δρεπτικῶς, hinc atque illinc decerpendo et delibando. *Sall. Cat.* 4. Statui res gestas populi Rom. carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere, *h. e.* non ipsam totam rerum seriem sequendo historiam scribere, sed habito hinc inde materiae delectu, quae maxime memoratu digna videbantur, persequi. *Nonius* tamen 11, 23. cum aliis *strictim* legit. *Plin. Paneg.* 25. Carptim breviterque perstringere aliquid. *Ammian.* 16, 7. Itaque carptim ejus praecipua, quae sunt comperta, monstrabo. Adde *Sulpic. Hist. sacr.* 1, 1. ℙ Exponitur etiam per frusta. *Colum.* 9, 15. Saligneus qualus suspenditur: in eum deinde carptim congeruntur favi. ℙ Item separatim, seorsum, per partes. Nam carpere etiam pro dividere ponitur. *Liv.* 38, 25. Edictum propositum, ut ad stipendium petendum convenirent Carthaginem, seu carptim partes, seu universi mallent. *Tac. H.* 4, 46. Quibus aetas, et justa stipendia, dimissi cum honore, alii ob culpam: sed carptim, ac singuli: quo tutissimo remedio consensus multitudinis extenuatur. *Suet. Dom.* 9. Subseciva, quae divisis per veteranos agris carptim superfuerunt. *Plin.* 18, 35, 87. Corvi singultu quodam latrantes, si continuabunt, ventos, si vero carptim vocem resorbebunt, ventosum imbrem praesagient. *Plin. alter ep.* 8, 5. Non posse perinde carptim, ut contexta; perinde inchoata placere, ut effecta. *Id. ib.* 6, 22. Agere causam carptim, et κατὰ κεφάλαια; *h. e.* non perpetua, sed interrupta, ac veluti in partes divisa oratione, pro variis rerum capitibus, quae in ea exponuntur. ℙ *Carptim aggredi* est multifariam, seu multis partibus aggredi. *Liv.* 44, 41. Si carptim aggrediendo circumagere immobilem longitudine et gravitate hastam cogas, confusa strue implicantur. ℙ Carptim dicere est loqui per intervalla, qualis est oratio ejus, qui saepe strepitu interrumpitur. *Plin. ep.* 8, 14.

CARPTOR, oris, m. δαιτρὸς, qui cibos in mensa carpit, et convivis distribuit, qui etiam structor dicitur. *Juven.* 9, 109. librarius, archimagiri, Carptores. ℙ Translate qui carpit et obtrectat. Usus est *Laevius*, qui vituperones suos *subducti supercilii carptores* appellavit, ut narrat *Gell.* 19, 7. Putat *Voss. Institut. orat.* 4, 1. *n.* 8. ita legendum esse hoc loco, quasi ex tribus vocibus una facta sit, *subductisupercilicarptores*, quia *Gell.* eam refert inter ea, quae *Laevius multiplicia ludens composuit.*

CARPTŪRĂ, ae, f. actus carpendi. *Varr. R. R.* 3, 16. Nec non etiam aliud discrimen sequuntur in carptura etc. Loquitur de apibus cibum carpentibus.

CARPTUS, a, um, part. a *carpo*, decerptus. *Ov. A. Am.* 3, 80. carpit florem, Qui nisi carptus erit, turpiter ipse cadet. ℙ Item carminatus, pexus. *Cels.* 6, 6. *n.* 1. Ubi facta unitas est, demitti debet lana mollis bene carpta. ℙ *Scribon. Compos.* 237. Linteola carpta medicamento continguntur, atque ita ulceri superponuntur.

CARPTUS, us, m. *Plin.* 24, 10, 47. Flos cujuscumque generis trium digitorum carptu, *h. e.* quantum tribus digitis carpi potest. *Hard.* edidit *captu.*

CARPUM, i, n. κάρφος, foenum Graecum. *Colum.* 12, 49. Condimenta haec sunt, carpum, cyminum etc. Al. rectius leg. *careum.* V. CAREUM.

CARPUS, i, m. καρπὸς, pars brachii extrema, qua cum manu jungitur. *Cels.* 8, 1. primam palmae partem vocat. Porro *carpum* sunt qui eidem tribuunt 3, 6. Ejus carpo manum admovere. Sed *Morgagnus* docet legendum *corpori*, et *carpum* Latinam vocem non esse: et *Leon. Targa* in secunda editione monet, *Constantinum* margini adscripsisse *carpo*, *aut thoraci:* et *Lindenium* pro emendatione accepisse, itaque edidisse. ℙ Fatendum tamen est, *Carpus* fuisse nomen servile apud Romanos, cum in *Inscr.* ap. *Grut.* saepe hujusmodi nomen occurrat, quod etiam cognomen fuit Q. Hortensii apud *Fabrett.* 332, 495.; atque ita etiam nominatum fuisse servum, qui alias carptor dictus fuit. V. CARPO et CARPTOR.

CARPUSCŬLUS. V. CARPISCULUS.

[CARRĂCUTĬUM, ii, n. *Isid. Orig.* 20, 12. Carracutium vehiculum altissimarum rotarum, quasi carrum acutum. *Scheffer.* tamen *de re vehic.* 1, 27. haec posteriora verba, etymon continentia, absurditatis postulat. *F.*]

CARRĀGO, aginis, f. munimentum ex carris atque impedimentis exercitus factum. *Trebell. Gallien.* 13. Scythae, facta carragine, per montem Gessacem fugere sunt conati. *Ammian.* 31, 7. de Gothis: Ad carraginem (quam ita ipsi appellant) aliti velocitate regressae. *Veg. Mil.* 3, 10. Omnes barbari carris suis in orbem connexis ad similitudinem castrorum, securas a superventibus exigunt noctes. ℙ Significat etiam ipsam carrorum vim, et cetera impedimenta exercitus. *Claudius Imper. in quadam epist.* ap. *Trebell. in ejus Vita* 8. Ingens carrago deserta est. Adde ipsum *Trebell. ib.* et *Aurelian. Imper.* ap. *Vopisc. in ejus Vita* 11.

*CARRĒA, ae, f. cogn. est Pollentia, Liguriae opp. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

*CARREI, orum, pop. Arab. felicis. *Plin.* 6, 28. Quod incolebant opp., Carriata audit. *Plin. ib. ed. Hard. B. A.*

[CARRĒNUS, a, um, adj. Κάρρηνος ad Carras pertinens, Mesopotamiae oppidum antiquissimum, quod olim Hebr. חָרָן *Charan* est appellatum, patria Thare patris Abrahami, Graece est Κάρραι, ubi Crassus cum exercitu a Parthis caesus est; hujus meminit *Plin.* 5, 24, 21. et *Lucan.* 1, 105. ℙ *Carreni, orum*, sunt incolae illius oppidi. *Trebell. Gallien.* 10. Nisibin, et Carras statim occupat, tradentibus sese Nisibenis, atque Carrenis. *F.*]

CARRI vel Carrhi, orum, m. plur. populi Cariae, vel Syriae piraticam exercentes. *Val. Max.* 1, 5. *extern. n.* 1. Alii rectius leg. *Cares.*

CARROBALLISTA, ae, f. balistae genus carro impositum, ut transferri facile possit. Est autem ceteris balistis major, et longius ac vehementius spicula dirigit. *Veget. Mil.* 3, 24. Adde 2, 25.

CARROCO, onis, m. genus piscis marini. *Auson. ep.* 4, 57. referuntur ab unda Carroco, lethalisque trygon, mollesque platessae. Alii leg. *corroco.*

CARRUCA, ae, f. ἁπήνη, ἅμαξα, genus vehiculi, tum in Urbem, tum extra in itineribus adhibiti, et non solum a viris (praesertim honoratioribus) sed etiam a feminis. Quidam apud *Scheffer. de re vehic.* 2, 27., docent, quatuor rotas habuisse, et fuisse undique contectum. Sed nihil paene certi de ejus forma statui potest. Diversum a *carpento* facit *Acron. Scholiast. Hor.* ad *Sat.* 1, 6, 104., sed qui fuit antiquioribus carpentorum usus, idem certe postea carrucarum fuit. V. *Scheffer. l. c.*, ubi multa hac de re. *Plin.* 33, 11, 40. Carrucas ex argento caelare. *Suet. Ner.* 30. Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur. *Mart.* 3, 62. Carruca aurea. Adde 12, 24. ℙ Quam *Scaevola* appellat *carrucam dormitoriam*, videtur esse lectica, vel lecticae similis. Ejus verba sunt *Dig.* 34, 2, 13. Carruca dormitoria cum mulis, qua semper uxor usa est. ℙ Ceterum *carruca* dicitur etiam ipsa rheda, vel quodcumque aliud vehiculum itineri faciendo aptum. Nam *Martial.* 3, 47. cum *v.* 5. *rhedam* nominasset, eandem postea *v.* 13. *carrucam* appellat: et *Lamprid. Elagab.* 31. quae primo *vehicula*, mox eadem *carrucas* dicit. ℙ Legitur et *carrucha* cum aspiratione, atque ita ex *Pandect Florent.* edidit *Torrentin.*, fortasse quia καρρῦχα ap. *Hesych.* habetur. Frequentius tamen sine aspiratione invenitur.

CARRUCĀRIUS, a, um, adj. ad carrucam pertinens. *Ulp. Dig.* 21, 1, 38. Mulae carrucariae. *Capitol. Maxim. jun.* 4. Mulio carrucarius. ℙ *Carrucarius, ii*, qui carrucam regit. *Ulp. Dig.* 19, 2, 13. Si cisiarius, idest carrucarius, dum ceteros transire contendit, cisium evertit etc. Ita legitur in quibusdam libris, etiam *Torrentini.* Sed illa verba, *idest carrucarius*, videntur esse glossema. Curruca enim est vehiculum quatuor, cisium duarum rotarum. Certe ab *Haloandro* omissa sunt. ℙ Scribitur et *carrucharius.*

CARRŪCHA. } V. CARRUCA. cet.
CARŪCHARIUS. }

CARRŪLUS, li, m. ἁμάξιον, parvus carrus. *Ulp. Dig.* 17, 2, 52. Carrulorum vecturas vel sui, vel sarcinarum suarum gratia, vel mercium recte imputabit.

CARRUS, i, m. et Carrum, i, n. ἅρμα, ἅμαξα, κάρρον, genus vehiculi oneribus vehendis aptum. *Sisenn.* ap. *Non.* 3, 35. Impedimenta collocant omnia, construunt carros, et sarraca crebra disponunt. *Caes. B. G.* 1, 26. Ad impedimenta et carros suos se contulerunt. Et *ib.* Pro vallo carros objecerant. Et *ib.* 3. Jumentorum et carrorum quam maximum numerum coemere. Adde *Liv.* 10, 28. et *Varr.* ap. *Non. l. c.* ℙ Pro altero genere *Auct. B. Hisp.* 6. Per viarum angustias carra complura, multasque balistas retraxit. Adde *Non. ib.* consuetudinem esse, ut neutro genere usurpetur. Sed de sua aetate loquitur.

CARSEOLĀNUS, a, um, adj. ad Carseolos pertinens. (Fuerunt autem *Carseoli, orum*, Καρσίολοι, oppidum Latii in Aequis prope flumen Anienem, qui locus nunc dicitur *piano di Carsoli*, cujus mentio est ap. *Liv.* 29, 15. et *Ov. Fast* 4, 683.) *Ov. Fast.* 4, 710. nam vivere captam Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat. *Colum.* 3, 9. Ager Carseolanus. *Inscr.* ap. *Mur.* 515, 2. Collegium dendrophorum Carseolanorum. ℙ *Carseolani, orum*, sunt ejus oppidi incolae. *Plin.* 3, 12, 17.

*CARSULAE, arum, Italiae opp. in Umbria. *Tac. Hist.* 3, 60. Κάρσουλοι audit *Strab. B. A.*

[*CARSŪLĀNUS, a, um, adj. ad Carsulas pertinens. *Plin. ep.* 1, 4. Quantum copiarum in Ocriculano, in Narniensi, in Carsulano tuo, *scil.* praedio. Adde *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 3. *F. B. A.*

*CARTALLUS, i, m. Κάρταλλος, fiscella. *Vulg. Deuteron.* 26, 2. et *Jerem.* 6, 9. *B. A.*

CARTEJĀNUS, a, um, adj. ad Cartejam pertinens. *Plin.* 3, 2, 3. Cartejana ora. ℙ Est autem *Carteja*, Καρτήια, et Καρτεία, urbs Bastulorum in Hispania, ad fretum Herculeum, a Graecis Tartessos dicta. *Id. ib.* 1, 3.

CARTEJENSIS, se, adj. Cartejanus. *Auct. B. Hisp.* 36. Legati Cartejenses.

*CARTENNA, ae, opp. Mauritan. Caesariensis. *Plin.* 5, 2. Κάρτεννα est *Ptolem. B. A.*

*CARTENNITĀNUS, a, um, ad Cartennam pertinens. *Not. Afr. B. A.*

*CARTERIA, ae, maris Aeg. insula, ad littus Asiat., prope Smyrnam. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

CARTHAEUS, a, um, adj. ad Carthaeam pertinens, quae est urbs Ceae insulae in Aegaeo mari, Καρθαία, ut *Plin.* 4, 12, 20. docet. *Ov. Met.* 10, 109. Carthaea arva.

CARTHĀGINIENSIS, se, adj. ad Carthaginem pertinens. *Pl. Poen.* 5, 2, 3. Has esse ingenuas ambas Carthaginienses. *Ennius* ap. *Cic. Balb.* 22. Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis. *Cic. Agr.* 2, 35. Carthaginienses fraudulenti et mendaces. *Inscr.* ap. *Grut.* 586, 9. Basso Aug. Lib. Proc. tractus Carthaginiensis Fabia Q. F. Priscilla marito piissimo etc. Adde 404, 1., ubi affertur fragmentum antiquissimae Inscr. *C. Duilio* positae bello Punico primo, in quo legitur *Cartaciniensis.* Nihilominus non desunt, qui *Cartaginensis* extrito altero *i*, dicendum putant, ut habetur in alia *Inscr.* ap. *Grut.* 349, 1. L. Aemil. M. F. Quir. Restitutus domo Rom. qui et Cartaginens. etc. Horum princeps est *Voss. de Grammat.* 1, 43., contra quem stant praeter allata monumenta, *Manut.*, *Dausq.* et *Cellar. in Orthogr.* et alii. Adde, neminem constare, allatam *Gruteri* inscriptionem, quae ad Carthaginem novam, Hispaniae urbem pertinet, mendosam non esse: in nummis vero omnibus Carthaginem cum aspiratione semper haberi. ℙ Carthaginiensis item pertinet ad Carthaginem novam in Hispania citeriore seu Tarraconensi. *Varr. R. R.* 1, 57. Alii granaria habent, ut in Hispania citeriore, puteos, ut in agro Carthaginiensi, et Oscensi. Adde *Inscr.* ab initio allatam.

CARTHĀGO, ginis, f. Καρχηδών (V. CATAMITUS) urbs Africae, in ora litorali. Condita est LXXII. annis ante Romam ab Elissa, seu Didone filia Beli junioris regis Phoenices, uxore avunculi Acerbae, vel Sichei sacerdotis Herculis. Haec fratrem regem aversata, quod virum sibi interfecisset cupiditate auri, quo hic affluebat, et Tyro fugit, et primo in Cyprum, deinde in Africae sinum delata est, ubi empto ab incolis loco, qui corio bovis tegi posset, in quo fessos longa navigatione socios, quoad proficisceretur, reficere posset, corium in tenuissimas partes secari jussit; atque ita ingens spatium occupavit. Loco inde *Byrsae* nomen fuit, a corio bovis: nam βύρσα corium significat. *Scalig.* tamen in *Animadvers. ad Euseb.* vult, *Byrsam* dictam esse a *bysra*, quo nomine Phoenices arcem significant. Confluentibus vicinis locorum, qui spe lucri multa hospitibus venalia inferebant, sedesque ibi statuentibus, ex frequentia hominum velut instar civitatis affectum est. Uticensium quoque legati dona ut consanguineis attulerunt, hortatique sunt, urbem ibi conderent, ubi sedes sortiti essent. Sed et Afros detinendi advenas amor cepit. Itaque consentientibus omnibus urbs conditur, statuto annuo vectigali pro solo urbis. In primis fundamentis caput bubulum inventum est. Auspicium fuit fructuosae terrae, sed laboriosae, perpetuoque servae urbis. Quare in alium locum urbs translata est. Ibi equi caput repertum, bellicosum potentemque populum futurum significans, urbi auspicatam sedem dedit. Moenibus urbis montem incluserunt, in quo arcem condidere, et Byrsam appellavere. Urbs vero universa Carthago vocata est a Charta opp. Phoenices haud procul a Tyro, vel a Carthagine filia Herculis. Progressu temporis facta est urbs amplissima, et Romam diu aemulata est, quam bellis gravissimis et periculosissimis vexavit, misso in Italiam Annibale, et aliis ducibus cum maximis exercitibus. Dominata est sexcentos fere annos, propter consilia et disciplinam. Eversa tandem fuit a P. Scipione Aemiliano, qui *Africanus junior* dicitur, post tertium bellum Punicum. *Justin.* 18, 3, 5. et 6. *Sil.* 1, 21. et seqq. ℙ *Carthago nova* est in Hispania Tarraconensi in ora Contestanorum, nunc *Cartagena. Plin.* 3, 3, 4. ℙ In fabulis fuit *Carthago* filia Herculis quarti, ut dictum est, qui Tyri maxime colebatur. *Cic. Nat. D.* 3, 16. ℙ In sexto singulari etiam in *i* desinit. *Pl. Cas. prol.* 71. in Graecia, et Carthagini. Adde *Liv.* 28, 25. in plerisq. MSS. ℙ Scribitur et *Karthago.* V. dicta in CALUMNIA.

CARTHĒGON. V. CRATAEGUM.

CARTHĒIUS, a, um, Καρτήϊος, idem quod Carthaeus. *Ov. Met.* 7, 368. antiquae Cartheia moenia Ceae. *Al. leg. *Carthaeia. B. A.*

CARTHĪNA, ae, f. et inde *Carthinātius* vel *Carthinacius, ii*, sunt duae voces, quae agnoscuntur tanquam Latinae a *Prisc.* 4, 635. Quam lectionem exhibent etiam *Aldus* 1527. et alii. Sed editio A. 1485. habet *carchina, carchinacius:* et in MS. cod. saec. XIV. legitur *chartina, chartinatius.* Hanc postremam lectionem quidam amplectuntur, et *chartinam*, idem esse quod *chartam*, *chartinatium* idem quod *chartaceum* putant. Ita enim locutos esse veteres, adnotatum est in *Thes. Basil. Fabri* A. 1717.

CARTĪBŬLUM, i, n. vinaria mensa lapidea, quadrata, oblonga, una columella: quae apud multos in aedibus ad compluvium ponebatur et in ea et cum ea aenea vasa. Prius dicta est *gertibulum*, a gerendo, postea *cartibulum.* Haec *Varr. L. L.* 4, 26.

CARTĪLĀGĪNĔUS, a, um, adj. χονδρώδης, ἐγχόνδρος, cartilagine constans. *Plin.* 9, 24, 40. Animalia cartilaginea, *h. e.* pisces, qui pro spina cartilaginem habent. *Id.* 19, 5, 22. Cartilaginei generis extraque terram est cucumis.

CARTĪLĀGĪNOSUS, a, um, adj. cartilagineus. *Cels.* 8, 1. Radius in caput cartilaginosum consurgens. *Plin.* 12, 25, 56. Galbanum cartilaginosum minimeque lignosum.

CARTĪLĀGO, inis, f. χόνδρος, pars corporis mediae naturae inter carnem et ossa, qualis est in auribus, naribus, extremitatibus costarum, operculis ossium, quae moventur. *Cels.* 8, 1. Illud ignorari non oportet, plurima ossa in cartilaginem desinere, nullum articulum non sic finiri. *Id. ib.* 5. Cartilago narium. Et *ib.* 6. auris. *Plin.* 11, 37, 87. rupta non solidescit. ℙ Per similitudinem dicitur de aliis rebus. *Plin.* 15, 28, 34. Carne placent palmae, succo uvae, callo pira, mora cartilagine. *Id.* 16, 36, 64. Nostratibus arundinibus fungosior subest natura, cartilagine bibula, quae superne tenui inarescit ligno. *Id.* 19, 5, 26. *n.* 1. Cortice et cartilagine constant raphani. Et *ib.* 4, 22. Cucumis cartilago.

[CARTĪMĪTĀNUS, a, um, adj. ad Cartamam pertinens, Hispaniae Baeticae oppidum, nunc *Cartama. Inscr.* ap. *Mur.* 1037, 1. L. Porcius Victor Cartimitan. *F.*]

*CARTRIS, i, q. Chersonesus Cimbrica, paeninsula Germ. Septentrion. *Plin.* 4, 13. *B. A.*

[CARTUS, i, m. a καρτὸς, tonsus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1423, 10. M. Ulpio M. F. Carto. *F.*]

[*CARVENTĀNUS, a, um, adj. ad Carventum pertinens, excisum Latii oppidum, cujus meminit *Steph. Byzant.* Arcis Carventanae mentionem facit *Liv.* 4, 53. et 55. ℙ *Carventanus* fuit cognomen consulis an. U. C. 296., cujus collega fuit C. Nautius Sp. F. Sp. N. Rutilus, et de quo multa docte disseruit *Barpt. Borghesius* in *Nuovi Framm. dei Fast. Cons. T.* 1. p. 16. *F. B. A.*]

CARVILIĀNUS, a, um, adj. ad Carvilium pertinens: quod est nomen propr. Rom. civis, ut Carvilianum divortium, ap. *Gell.* 4, 3. *in lemmate*, quod scilicet Sp. Carvilius Ruga primus Romae M. Atilio, P. Valerio Coss. ultra quingentos annos ab U. C. cum uxore fecit, quod esset sterilis, uti *Gell. ib.* et 17, 21, tradit ℙ *Carvilii Pollionis meminit *Plin.* 33, 11. ℙ Fuit et Carvilius rex ejus Britanniae partis, quae est ad Cantium. Sub Cassivellani imperio, castra navalia Caesaris improviso adortus est. *Caes. B. G.* 5, 22. *B. A.*

CARUNCŬLA, ae, f. σαρκίον, σαρκίδιον, parva caro. *Cic. Div.* 2, 24. An tu, inquit, caruncula vitulinae mavis, quam imperatori veteri credere? Adde *Cels.* 8, 4. *circa med.* et *Val. Max.* 3, 7. *n.* 6. *extern.*

*CARVO, onis, opp. Gall. Belg., in insula Batavorum sic dicta. *Ant. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

CĀRUS, a, um, adj. πολύτιμος, qui nimio pretio emitur, cui *vilis* opponitur. *Pl. Aul.* 2, 8, 3. Venio ad macellum, rogito pisces: indicant caros, agninam caram, caram bubulam, vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia. *Cic. Div.* 2, 27. Putarem annonam in macello cariorem fore. *Id. Dom.* 6. Illo ipso die carissimam annonam necopinata vilitas consecuta est. *Pl. Ps.* 3, 2, 59. Fateor me esse cocum carissimum: verum pro pretio facio ut opera appareat. *Plin. prooem.* 33. Aurum et argentum caelando cariora facere. *Justin.* 16, 4. Facere pretium alicujus rei carius. ℙ Translate *Lucret.* 1, 729. de Sicilia, quae Empedoclis patria fuit: Nil tamen hoc habuisse viro praeclarius in se, Nec sanctum magis et mirum carumque videtur, *h. e.* pluris faciendum. [**Tac. A.* 1, 67. Quae domi cara, quae in castris honesta, memorat.] ℙ Est etiam amatus, dilectus: φιλητός, ἀγαπητός, quia quae multi sunt pretii, amari solent. *Cic. Cat.* 4, 6. Homo populo R. carus atque jucundus. *Id. Or.* 2, 4. Homines mihi carissimi et amicissimi. *Id. Cat.* 4, 2. Frater carissimus atque amantissimus. *Id. Att.* 10, 11. Omnes suos caros habet; me quidem se ipso cariorem. *Id. Fam.* 1, 7. Amare aliquem carumque habere. *Id. Fin.* 1, 16. Diligi et carum esse, jucundum est. *Virg. A.* 12, 639. quo non superat mihi carior alter. *Ov. Trist.* 5, 14, 2. O mihi me conjux carior. *Cic. Off.* 1, 17. Omnium societatum nulla est carior, quam ea, quae cum republica est unicuique nostrum. *Sall. Jug.* 19. Paucis carior fides, quam pecunia fuit. *Cic. N. D.* 1, 44. Carum ipsum, verbum est amoris: ex quo amicitiae nomen est ductum. ℙ *Vita carior, me ipso carior, oculis carior, auro carior* dicitur, qui maxime carissimus est. Harum locutionum prima est *Cic.* ad *Quirit.* 1., aliae duae *Catulli* 68, *in f.* et 104, 2., postrema *Tibulli* 1, 9, 31. Sic *luce carior* ap. *Claud. B. G.* 408. ℙ *Diis*

carus dicitur, qui in aliqua re felix est. *Hor. Od.* I, 31, 13. Diis carus ipsis: quippe ter et quater Anno revisens aequor Atlanticum Impune. ℙ *Cari, orum*, aliquando sunt liberi. *Lactant.* 6, 12. Cum sciat se caros suos Deo relinquere. ℙ De orthogr. V. in CARITAS.

CARYA, ae, f. *Καρύη*, urbs Peloponnesi. *Vitruv.* I, 1. ℙ *Item opp. seu vicus Arcadiae. *Liv.* 34, 26. *B. A.* ℙ De *Carya Diana*. V. in CARIUS.

*CARYANDA vel Carianda, insula c. opp. cogn. prope Cariam, inter Myndum et Bargyliam sita, ubi natus Scylax Geographus. *Mela* I, 16. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

CARYĀTES, atium, m. plur. Caryae urbis incolae. *Vitruv.* I, 1. Bellum Caryatibus indixerunt. Et *mox.* Poena peccati Caryatium.

CARYĀTIS, idis, f. *Καρυάτις*, quae est ex Carya Peloponnesi urbe. *Caryatides* dictae sunt statuae muliebri forma in aedificiis publicis collocatae oneri ferendo. Carya enim civitas Peloponnesi cum Persis contra Graeciam consentit. Graeci bello Persico per victoriam liberati communi consilio Caryatibus bellum indixerunt. Urbe capta et deleta, viris interfectis, matronas eorum in servitutem abduxerunt, nec sunt passi ornatus matronales deponere, ut aeterno servitutis exemplo gravi contumelia pressae poenas penderent pro civitate: denique voluerunt, ut earum imagines ad ignominiam sempiternam in publicis aedificiis oneri ferendo collocarentur. Ita narrat *Vitr.* I, 1. ℙ Dictae sunt etiam *Caryatides* virgines cultui Dianae Caryae addictae. Harum meminit *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 5., ubi de Praxitelis operibus loquitur. Diana quoque ipsa *Caryatis* dicitur a *Servio* ad *Virg. Ecl.* 8, 30. V. CARIUS.

CARYINON et Caryinum, oleum dicitur, quod e nuce juglande fit, nam *καρύα* nucem significat. *Plin.* 15, 7, 7. et 23, 4, 45.

CARYITES, ae, m. *καρυΐτης*, species tithymali, cujus fructus nux appellatur: a *καρύα*, nux. *Plin.* 26, 8, 40. *Legitur et Carytis. *B. A.*

*CARYNIA, ae, locus quidam sive oppidum Achaiae. *Plin.* 14, 18. *B. A.*

CARYON, ii, n. *κάρυον*, nux juglans, Graeca appellatione. *Plin.* 15, 22, 24. docet, ita dici nuces a Graecis, a capitis gravedine, propter odoris gravitatem. Nam *καρη* caput, *κάρος* soporem veternumque significat.

CARYOPHYLLON. V. GARYOPHYLLON.

CARYOTA, ae, et Caryōtis, idis, f. *καρυῶτις, καρυωτὸς, φοῖνιξ*, fructus palmae, qui et *palmula* Latine dicitur. *Plin.* 13, 4, 9., ubi multa de hoc fructu disputat, docet, vinum etiam ex eo in oriente fieri, sed capiti inimicum, unde et pomo ipsi nomen factum, nempe a *κάρος*, gravedo capitis. Aptius tamen duxeris a *κάρυον*, quod nucem significat. Cum enim palmularum non unum sit genus, eae *caryotae* sunt appellatae, quae majores erant, et magis ad nucum similitudinem accedentes. Hinc *Coel. Aur. Acut.* 2, 37. palmulas nucales vocat. *Varr. R. R.* 2, 1. Non scitis palmulas (lege *palmas*) caryotas in Syria parere, in Italia non posse? *Scribon. Compos.* 74. Caryotarum recentium pulpae mediae detracta exteriore cute, interioribusque venis. *Plin.* 15, 28, 34. Carne palmae placent, crusta Thebaicae, succo uvae et caryotae. *Id.* 19, 5, 29. Inula mixta pinguibus caryotis. *Mart.* 11, 31. Et notas caryotidas theatris, *h. e.* quae populo in theatris spargi solebant, praesertim diebus Saturnalibus: quod confirmatur etiam ex illo *Stat. Silv.* I, 6, 19. et latente palma Praegnantes caryotides cadebant. ℙ Mos fuit Romae, ut calendis Januar. pauperiores clientes mitterent patronis et dominis suis caryotas pro munere, vel ramum palmae caryotis plenum: qui solebant etiam aurea vel argentea spuma, vel bractea tenuissima obducere, ut magis eo ornamento commendarentur. *Mart.* 13, 27. cujus lemma est *Spathalion caryotarum.* Aurea porrigitur Jani caryota calendis: Sed tamen hoc munus pauperis esse solet. *Id.* 8, 33. Hoc linitur sputo Jani caryota calendis, Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.

CARYSTĒUS, a, um, adj. ad Carystum pertinens. *Ov. Fast.* 4, 282. Quaque Carysteis frangitur unda vadis. *Capitol. Gord. III.* 32. Carysteae columnae.

CARYSTĬUS, a, um, adj. *Καρύστιος*, Carysteus. *Plin.* 26, 2, 6. Diocles Carystius. *Id.* 36, 6, 7. Carystium marmor, nunc *cipollino verde. Plin. alter ep.* 5, 6. Columellae Carystiae. ℙ *Carystii, orum*, ejus oppidi incolae. *Solin.* 11.

CARYSTOS, is, f. *Κάρυστος*, oppidum Euboeae insulae, nunc *Castel rosso*, sub monte Ocha, notum celebri marmore, quod viridi colore, et maris simili commendabatur. *Plin.* 4, 12, 21. Hinc *Tibull.* 3, 3, 13. Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis, Taenare sive tuis, sive Caryste tuis? *Senec. Troad.* 836. Ferax varii lapidis Carystos. Adde *Mart.* 9, 76. *Stat. Silv.* 2, 2, 93. Et Chios, et gaudens fluctus aequare Carystos. *Id. ib.* I, 2, 149. Concolor alto Vena mari. ℙ *Item opp. Liguriae, in agro Statiellati. *Liv.* 42, 7. *B. A.*

CARYUS, a, um, adj. De Carya Diana V. in CARIUS.

CASA, ae, f. *καλύβη, καλιὰς*, domus vilis, tugurium, mapale: cujusmodi sunt, quas rustici et pauperes habitant. *Senec. ep.* 90. Furcae utrinque suspensae fulciebant casam: spissatis ramalibus, ac fronde congesta, et in proclive disposita, decursus imbribus quamvis magnis erat. Sub his tectis habitavere securi. Culmus liberos texit: sub marmore atque auro servitus habitat. *Vitr.* 2, 1. Non casas, sed etiam domos perficere coeperunt. *Cic. Tusc.* 5, 34. Ptolemaeo peragranti Aegyptum comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus est. *Caes. B. G.* 5, 41. Casae stramentis tectae. *Plin.* 7, 2, 2. Pygmaeorum casas luto, pennisque, et ovorum putaminibus construi. *Id.* 30, 10, 27. Casae fissis arundinibus textae. *Quint.* 2, 17. Facere casas sine arte. *Hor. Sat.* 2, 3, 247. Aedificare casas, plostello adjungere mures. *Petr. Sat.* 115. Casam piscatoriam subire. *Virg. Ecl.* 2, 29. humiles habitare casas. *Lact.* 5, 16. Romanis, si justi esse velint, hoc est, si aliena restituant, ad casas esse redeundum. ℙ Et nidus volucrum casa appellatur ab *Auct. Pervigil. Ven.* 5. Amorum copulatrix inter umbras arborum Implicat casas virentes de flagello myrteo. ℙ Ponitur aliquando pro villa, in quam agri fructus convehuntur. *Mart.* 6, 43. Me Nomentani confirmant otia ruris, Et casa jugeribus non onerosa suis. *Cic.* quoque *Fam.* 16, 18. *casam* in horto appellat, in quam convehuntur ipsius horti fructus, vel in qua olitor habitat. ℙ De quibuscumque aedibus deterioribus, et male constructis. *Mart.* 12, 66. Et casa divitiis ambitiosa latet. *Veg. Mil.* 2, 10. appellat *casas*, quas ex assibus, frondibus, aut alia materia milites pro tentoriis et papilionibus aedificant. Sic *Auct. B. Hisp.* 16. Casae, quae stramenticiae a nostris hibernorum causa aedificatae erant. ℙ [*Dicuntur etiam casae umbracula, quae in sacris quibusdam Bacchi, Cereris, Veneris verno tempore celebrandis, ante focum sacrum virgis exstruebantur, floribus, sertis exornata, sub quibus potarent et luderent. *Tibull.* 2, 1, 24. Turbaque vernarum ludet, et ex virgis exstruet ante casas. Cf. *Heyn.*] ℙ *Ita fugias, ne praeter casam*, proverbium apud *Ter. Ph.* 5, 2, 3., ubi *Donatus: h. e.* ne praetereas casam tuam, quae sit tibi tutissimum receptaculum. Vel ita fugias, ne praeter casam, ubi custodiri magis et prehendi fur, et mulcari verberibus potest. Vel verbum erat ipsius custodis furem exagitantis, et interea prohibentis, ne ante casam transeat, ne in praetereundo etiam inde aliquid rapiat. Queritur senex, se, dum avari infamiam fugeret, in stulti reprehensionem incidisse. Haec *Donat.* Primam interpretationem quidam probant, ut *Erasm.* in *Adag.* Nonnulli enim ardore fugiendi, etiam ea praetereunt, ubi tuto poterant conquiescere. Monemur itaque, ne domum fugiendo praetereamus, quia in ea praesidium in periculis habere possumus: et sententia est, non sic aliquod malum fugiendum, ut in pejus incidas. Aliis placet secunda; in his *Gron. Observ.* 3, 9., ubi ait, ductum videri proverbium a servis, qui de ergastulo fugiunt, (quod indicat vox *casa*) qui monentur procul a casa domini fugam occipere, puta ex ultimis agri partibus, neque ante eam transire, ne rursus capti, dum servitutem et compedes evadere nituntur, in furcam, stigmata et crurifragium incurrant. Quod propius ad *Terentii* mentem accedit, apud quem senex se ipsum increpat, qui metu calumniae et falsarum litium illum, a quo injuria affectus erat, pecunia donaverit. Tertia *Donati* interpretatio longius petita videtur, minusque probabilis. Sunt qui ex MSS. quibusdam, et editionib. leg. *praeter causam* qua lectione et proverbii ratio corruit, et fortasse obscurior fit sensus. ℙ *Scelera non intrant casas*, aliud prov. ap. *Senec. Thyest.* 451., quo significatur, in paupere fortuna innocentiam ac virtutem saepius coli, quam in magna. ℙ *Casae litterarum* apud Auctores rei Agrariae sunt agri, et fundi litteris designati, quibus litteris ii auctoritatem, hoc est significationem dederunt secundum artificium agrimensurae, et secundum notas juris Agrimensorii. V. *Innocent.* ap. *Goes.* ℙ Hinc *casam* absolute pro fundo, possessione reperies apud *Cassiod. Var. epist.* 5, 14. ℙ *Casae Calventi* locus fuit in Mauritan. Caesariensi. *Anton. Itin.* ℙ *Casae Nigrae*, oppidum Numidiae. *Anton. Itin.* ℙ *Casae Nigrae*, oppidum Numidiae. *August. Retractat.* 1, 21. *B. A.*

CASABUNDUS, a, um, adj. *πιθώμος, πτωτὸς*, qui crebro cadit, aut nutat. *Festus.* Casabundus crebro cadens. *Naev.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Risi egomet casabundum ire ebrium. *Macr. Sat.* 5, 21. Herculem fictores veteres non sine causa cum poculo fecerunt, et nonnunquam casabundum et ebrium. Al. leg. *Quassabundum.* ℙ Ap. *Fest.* et *Varr.* legitur *Cassabundus:* sed emendat *Scalig.* alterum *s* tollendo.

CASALIS, le, adj. ad casas pertinens in re Agraria. *Casalia* sunt fines, limites, vel rigores, qui casas, hoc est agros et fundos finiunt. *Casalis* est terminus in casali positus. V. *Auct. rei Agrar.* ap. *Goes.* Sed haec cadentis, vel potius jam prolapsae Latinitatis sunt.

*CASAMARI, orum. pop. Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*CASANDRA, ae, opp. situm ad sinum Persicum, non procul a Perside. *Plin.* 6, 25. *B. A.*

[CASANICUS, i, m. ad casam pertinens, domesticus. *Inscr.* ap. *De Vita Antiq. Benev.* p. *IV. n.* 18. Pro salute et reditu L. Turseliae Maximil. Turselius Restitutus L. Silvano Casanico vot. lib. solvit. V. SILVANUS. *F.*]

CASANS, antis, part. a *caso*, cadens, nutans. *Pl. Bacch.* 2, 3, 71. Subducunt lembum capitibus casantibus, *h. e.* nutantibus, demissis et moerorem indicantibus. *Id. Asin.* 2, 3, 23. Casanti capite incedit. Ita *Lambin.* et *Pereus* utroque loco legunt et interpretantur. Alii rectius *quassans.*

CASARIA, ae, f. *οἰκουρὸς*, mulier, quae casam custodit. *Fest.*

CASARIUS, ii, m. rusticus, qui in casa habitat, agri colendi causa. *Imppp. Valentin., Valens* et *Gratian. Cod. Theod.* 9, 42, 7. V. CENSUARII.

*CASCA, ae, m. cogn. Rom. in gente Servilia, ut P. Servilius Casca, qui primum Caesari vulnus inflixit. *Cic. Att.* 16, 15. *Phil.* 13, 15. Alter C. Servilius Casca, qui ejusdem Caesaris caedi interfuit. *Cic. Phil.* 2, 11., *Suet. Caes.* 82., *Eckhel. D. N. V. T.* 5, p. 307. *B. A.*

[CASCANTENSIS, se, adj. ad Cascantum pertinens, Hispaniae Tarraconensis oppidum in conventu Caesaraugustano, nunc quoque *Cascanto*, cujus mentio in nummis ap. *Mionett. Descr. des medaill. Supplem. T.* I. p. 74. Municip. Cascantum. ℙ *Cascantenses, ium*, sunt incolae illius oppidi. *Plin.* 3, 3, 4. Latinorum veterum Cascantenses. *Casuantini* forte iidem sunt ac *Cascantini*, in *Fragm. Liv. l. XII. edit.* a *Niebuhrio. F.*]

CASCE, adv. *ἀρχαίως, ἀρχαϊκῶς*, prisco more. *Gell.* 1, 10. *in lemmate.* Adolescens casce nimis et vetuste loquens. ℙ An vero illa capitum lemmata ipsius *Gellii* sint, an *Avieni*, qui eum recensuisse dicitur, dubitant eruditi. *Jac. Gronov.* et *Falster.* Gellio attribuunt. V. *Fabr. Bibl. Lat.* 3, 3, 1.

CASCĪNUM Forum est forum vetus, et *Cascinum oppidum*, vetus oppidum, a *cascus, a, um. Varr. L. L.* 6, 3., ubi al. leg. *Cassinum.*

CASCUS, a, um, adj. *ἀρχαῖος, ἀρχαϊκὸς*, priscus, antiquus, senex. Hujus vocis origo Sabina est, quae usque radices in Oscam linguam egit, ut *Varr. L. L.* 6, 3. docet. *Cic. Tusc.* 1, 12. Priscis illis, quos cascos appellat Ennius. *Enn.* ap. *Varr. l. c.* Quam primum casci populi genuere Latini. *Actius ib.* Cascas res profari. *Manl. ib.* Cascum duxisse cascam mirabile non est. *Auson. ep.* 22, 27. Cascum sal.

CASEALE, is, n. locus, in quo fit aut servatur caseus. *Colum.* 2, 15. Culina et caseale quotidie debent emundari. ℙ *Pontedera* in *Antiquit. Lat.* et *Graec.* p. 498. vulgatum *caseale* aperte vitiosum ex *Cod. Lips.* corrigi jussit; quicum sentit *Schneid.;* nam hoc in loco sermo est de pecudum stercore, non de caseo conficiendo. Itaque reponendum putant *caprile* pro *caseale*, quod sane facit in sua editione *Schneid.;* hac praecipue de causa, quod idem *Colum.* 7, 6. jubet caprile quotidie converrere. Vides igitur, vocem hanc e Latino lexico convellendam omnino esse ac repudiandam.

CASEARIUS, a, um, adj. ad caseum pertinens. *Ulp. Dig.* 8, 5, 8. Respondit non putare se, ex taberna casearia fumum in superiora aedificia immitti posse; *taberna casearia* est, in qua caseus curatur et maligno ligni vel culmi fumo coloratur, ut est ap. *Colum.* 7, 8. Graece *τυροκομεῖον.*

CASEATUS, a, um, part. ab inusit. *caseo*, caseo admixtus *τυρόεις. Appul. Met. s. init.* 1. Polentae caseatae offula. *Hieron. ep.* 66, 10. Puer, qui inter caseatos nutritus est montes. Alludit, opinor, ad illud *Psalm.* 67, 17. Mons coagulatus, mons pinguis etc. Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.

CASEOLUS, i, m. parvus caseus. *Virg. Cop.* 17. Sunt et caseoli, quos juncea fiscina siccat. V. CAIOLUS.

CASEUS, i, m. *τυρὸς*, lac coactum et formis pressum: item ipsa casei pressi forma. Putat *Varr. L. L.* 4, 22. dici caseum quasi *coaxeum* a coacto lacte. *Cic. Senect.* 16. Villa abundat gallina, lacte, caseo, melle. *Pl. Capt.* 4, 2, 71. Mollis caseus. *Varr. R. R.* 2, 11. Facere caseos. Et *ib.* Casei molles ac recentes aut aridi et veteres. *Virg. Ecl.* 1, 35. Pinguis et ingratae premeretur caseus urbi. *Plin.* 16, 38, 72. Figurare caseos. *Pall.* 6, 9. Coagulare caseum. *Colum.* 7, 8. Ita ordinatur, ne alter alterum caseus contingat. *Varr. R. R.* 2, 11. caseus bubulus, ovillus et caprinus. *Edict. Diocl.* p. 15. Casei sicci Ital. P. I. ✠ duodecim. *Id.* p. 19. Casei recentis Ital. P. unum ✠ octo. ℙ Varia casei genera enumerat *Plin.* 11, 42, 97. Ejus vero conficiendi et servandi rationem tradunt *Varr. Colum.* et *Pall. ll. cc.* ℙ *Molliculus caseus, dulciculus caseus* ap. *Pl. Poen.* 1, 1, 154. et 177. blandientis verba sunt. ℙ Reperitur etiam *caseum, i*, neu-

tro genere. *Novius* seu *Naevius*. ap. *Non.* 3, 63. Sardeis veniens caseum. *Pl. fr. ib.* Parasito cum virgis caseum radi potest. Adde *Cat. R. R.* 76., ubi bis *caseum omne* legitur in edit. *Commelin.*, *Meurs.* et *Gryph.*, quamquam *Jensoniana* A. 1472. et *Aldina* 1514. habent *omnem.*

CĂSĬA, ae, f. *καοία* et *καοσία*, (Italice *cannella*) frutex aromaticus in Aethiopia et Arabia nascens, juxta campos cinnami multis surculosisque brachiatus ramis, in montibus autem crassiore sarmento, infirmiori virtute, tenui cute verius, quam cortice, altitudine cubitorum trium. Color ei triplex: cum primum emicat, candidus est; deinde rubescit; ultra nigricans fit. V. plura ap. *Plin.* 12, 19, 42. et 43. ℙ Est etiam genus herbae, alio nomine *cneoron* et *thymelaea*, odoratum et ramosum usumque habent ejus folia in coronamentis. *Plin.* 21. *c.* 9, 10. et 12. De hac *Virg. Ecl.* 2, 49. Tum casia, atque aliis intexens suavibus herbis etc. Adde *G.* 4, 30. ℙ Jubetur haec herba seri propter alveos apum, quae ea maxime delectantur, testibus *Virg. G.* 4, 182. et *Plin.* 21, 12, 41. ℙ *Casia* frutex usum habuit plurimum in unguentis; adhibebaturque etiam in funeribus, ut myrrha. *Mart.* 6, 55., 10, 97., 11, 54. Adde *Virg. G.* 2, 466. ℙ Item in medicina, ut videre est ap. *Cels.* 5, 23. *n.* 1. et 2. et *Scribon. Compos.* 93, 125. et alibi. ℙ Haec eadem *casiae fistula* appellatur a *Scrib. Compos.* 36., a *Pall.* 11, 14. *Veg. Veter.* 1, 59. et *Plin. Valer.* 2, 37. et a Graecis quibusdam *καοία σύριγξ*, propterea quod tunicam seu corticem habet instar fistulae, cum in vaginae morem a ligno sejungitur et divellitur, angusto foramine ac meatu, ut ex *Plin.* 12, 19, 43. exponit *Hard.* Neque enim nota fuit veteribus illa, quae Italice *cassia* appellatur et solvendae ac refrigerandae alvo adhibetur, aut si nota fuit, alia certe est ab ea, quam his locis *Plin.* describit. V. botanicos.

[CĂSĬGNĒTE, es, f. *καοιγνήτη*, *h. e.* soror germana. Ita vocatur herba quaedam ap. *Plin.* 24, 17, 102. Casigneten, quoniam secum ipsa nascatur, nec cum ullis aliis herbis; eandem Dionysonymphadem nominant, quoniam vino mire conveniat. *Hard.* tamen eam potius appellandam esse ait *acasigneten*, *h. e.* sine fratribus, nam *καοίγνητος*, *fratrem* significat: cui ipse assentio.

CĂSĬLĪNAS, atis, omn. gen. adj. et

CĂSĬLĪNENSIS, se, adj. et

CĂSĬLĪNUS, a, um, adj. ad Casilinum pertinens, urbem Campaniae, quae, teste *Plin.* 3, 5, 9., illius temporibus in ruinis jacebat, quaeque postea instaurata *Capua* nunc appellatur. Ejus meminit *Liv.* 22, 15. Casilinum, urbs Vulturno flumine direpta Falernum a Campano agro dividit. V. CAPUA. ℙ *Casilinates*, *ium*, et *Casilinenses*, *ium*, sunt incolae illius urbis. *Val. Max.* 7, 6. *n.* 2. Casilinates obsidione Annibalis clausi. *Cic. Inv.* 2, 57. Necesse est, Casilinenses se dedere Annibali. *Sil.* 12, 426. Casilina limina, *h. e.* Casini portae.

CĂSĪNA, ae, f. *καοίνα*, nomen fabulae Plauti a praecipua ejus dramatis persona tractum, quae *Casina* est et scortillum significare videtur. Nam *κάσα* seu *κάσσα* meretricem significat. ℙ Cum Graece haec comoedia, teste *Pl. prooem.* 31., *κληρούμενα* vocetur, Latine *Sortientes*, videtur vox *Casina* ficta a sortitione, nempe puella sortitione capta, licet prima et secunda in *Casina* breves sint. Adde, *Plautum* dicere *ib.* 79. Revortar ad puellam illam expositiciam.

CĂSĪNAS, atis, omn. gen. adj. ad Casinum pertinens, ut *Casinas ager*, *Casinas fundus*, ap. *Cic. Agr.* 2, 25. et *Phil.* 2, 40. et *Plin.* 2, 103, 106. ℙ Sunt, qui apud *Cic. cit. Agr.* 2. legi volunt *Casilinas*, quod probandum. [**Orell.* Casinas.] ℙ *Casinates*, *um*, Casini incolae. *Inscr.* ap. *Grut.* 431, 7. et 462, 4. ℙ Scribitur et *Cassinas.*

[CĂSĪNĒTUS, i, m. videtur esse a *καοίγνητος*, frater. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1526, 5. P. Caprilius Casinetus. *F.*]

CĂSĪNUM, i, n. nunc *S. Germano*, oppidum Volscorum in Latio ad radices montis, qui olim castrum Casinum, nunc *Monte Cassino* appellatur. *Plin.* 3, 5, 9. ℙ Scribitur et *Cassinum*; sed alterum *s* non apparet in *Inscr.* ap. *Grut.* 136, 1. et 351, 1., ut nec in iis, quas in voce CASINAS attulimus. *Dausq.* etiam unico *s* scribendum docet, afferens duo *Silii* loca, quorum primus est 12, 527. Nymphisque habitata Casini Rura evastantur. (Al. leg. *Casinis* ut sit adj. *Casinus*, *a*, *um.*) Alter 4, 227. nebulosi rura Casini.

CĂSĪTO, as, n. 1. frequentat. a *caso*, *as*. *Paul. Dig.* 8, 2, 19. Si ex tegula casitaverit stillicidium, postea ex tabulato casitare non potest. ℙ Sunt qui scribunt *cassito.*

*CĂSĬOTIS, idis, f. sc. terra, regio, *γῆ* cet. in Aegypto inferiori fuit, non procul a mari, inter Gerrum Rhinocoluram, ubi mons Casius situs itemque Casium opp. *Tab. Peut. B. A.*

CĂSĬUS Mons, nunc *Capo del Cas*, mons Aegypti, in ora litorali prope Sirbonis paludem, et confinia Palaestinae, extensus versus limites Arabiae Petreae. Ibi Pompeji Magni sepulcrum, et Jovis templum, qui inde *Casius* cognominatus est, et urbs Casium. *Plin.* 5, 13, 14. ℙ *Casius* alter, nunc *Schebal-Okrab*, mons Syriae, mare Syrium inter Ciliciam, et Phoenicem attingens, Antiochiae urbi, et Lydiae finitimus, cujus altitudo tanta est, ut sol oriens quarta vigilia noctis conspiciatur, ac eodem tempore dies sit ad Or., nox ad Occ., ut scribit *Plin.* 5, 22, 18.

CĂSĬUS, a, um, adj. ad Casium montem pertinens. *Plin.* 5, 13, 14. Delubrum Jovis Casii. *Luc.* 8, 539. Perfida qua tellus Casiis excurrit arenis. *Id.* 10, 434. Lucifer a Casia prospexit rupe etc.

CASMĒNA. V. CAMENA.

CASMILLUS. V. CAMILLUS.

CASNAR, aris, m. Oscorum lingua senem significat, ut *Varr. L. L.* 6, 3. et *Festus* docent. *Varro* ap. *Non.* 2, 136. More majorem ultro casnares arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant. Ap. *Non.* corrupte legitur *carnales*, ut *Gothofred.* cum aliis adnotavit. V. DEPONTANI Senes. ℙ *Turneb.* 29, 21. et *Voss.* in *Etymol.* in voce *Caro* falso putarunt, *carnales* eo loco significare Aediles, quorum inter alia munera, illud fuit, ut carni venali praeessent, et si quando corruptam nanciscerentur, in Tiberim, ut hodieque fit, projiciendam curarent. Quamquam *Voss. ib.* in *Caseus* eorum opinionem probat, qui *casnares* legunt. ℙ Ceterum *Quint.* 1, 5. scribit, etiam in oratione *Labieni* (sive illa *Cornelii Galli* est) vocem *casnar* usurpatam reperiri, et e Gallia ductam esse, ac proinde inter barbarismos enumerandam. V. adnotationes *Spaldingii* ad eundem locum, ex quibus apparet, plerosque *Quint.* codices habere non *casnar*, sed *casamum*, vocem ignotae admodum significationis.

CĂSO, as, n. frequentat. a *cado*, *is*, et significat nutare, pronum esse ad cadendum. *Pl. Mil.* 3, 2, 37. et 42. Bacchabatur hama, casabant cadi. ℙ Part. *Casans* V. supra suo loco.

*CASOS vel CASUS, i, f. maris Mediter. ins., inter Cretam et Carpathum, prius Achne nominata. *Plin.* 4, 12. et 5, 31. ℙ Item ins. maris Aegaei, dicta et Astrabe. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

CASPĔRĬA, ae, f. *Aspra*, opp. Sabinorum ad ortum Himellae fluvii. *Virg. A.* 7, 714. Adde *Sil.* 8, 417., ubi a Bactris hoc nomen ductum esse docet. Bactra enim sunt Caspiis contermina. Quidam hoc loco leg. *Casperula*, sed minus recte.

CASPĬĂCUS, a, um, adj. idem quod Caspius, ut *porta Caspiaca* apud *Stat. Silv.* 4, 4, 64.

CASPĬĂDAE, arum, m. plur. populi Caspii. *Val. Flacc.* 6, 106. claustrisque profusi Caspiadae, queis turba canum non segnius acres Exsilit ad lituos, pugnasque capessit heriles.

CASPĬĂNI, orum, m. plur. populi iidem qui Caspii. *Mela* 1, 2. et *Curt.* 4, 12.

*CASPINGIUM, i, opp. Gall. Belg. prope Vahalim fluv. *Tab. Peut. B. A.*

CASPĪNUS, a, um, adj. idem quod Caspius, ap. *Avien. Perieg.* 881. Caspinam late terram superabluit unda. Alii melius leg. *Caspia nam late.*

CASPĬUS, a, um, adj. *Caspia gens*, qui etiam *Caspii*, et *Caspiani*, *orum*, sunt populi Asiae in Hyrcania, in Parthiae et Armeniae confinio ad mare Hyrcanum, quod inde Caspium mare dictum est. *Plin.* 6, 13, 15. et *ib.* 15, 17. *Mela* 1, 2. Hinc *Virg. A.* 6, 799. Caspia regna. *Stat. Theb.* 10, 288. Caspia tigris. (*Hyrcanam tigrem* pro saevissima ponit *Virg. A.* 4, 267.) *Plin.* 37, 8, 37. Caspia iaspis, *h. e.* quae in Caspiorum regione invenitur. ℙ *Caspium mare* describit *Curt.* 6, 4. et dulcius ceteris esse tradit: quod confirmat *Plin.* 6, 17, 19., et ex magna amnium Asiae influentium copia ejus salem vinci scribit. ℙ *Caspius sinus* est ejus maris sinus, qua Hyrcaniam et Assyriam versus incurrit. *Plin.* 2, 68, 68. et *Mela* 1, 3. ℙ Caspiorum regio acerrimis abundat canibus, et in bello et pugna etiam utilissimis. V. CASPIADAE. ℙ *Caspiae portae*, et *Caspiae pylae*, *Κασπίαι πύλαι*, sunt angustiae montis Tauri, haud procul a Caspio mari, qua Mediam ad occidentem separat a Parthia, ita arctae, ut vix singula meent plaustra, longitudine octo mill. pass., toto opere manu facto, dextera laevaque ambustis similibus impendentibus scopulis. *Plin.* 6, 14, 17., *Mela* 1, 15. et *Sol.* 47. ℙ *Tac. Hist.* 1, 6. *Caspiarum claustra* vocat, et *Ann.* 6, 33., ubi *Caspiam viam* memorat, Caspiarum portarum angustias intelligens. ℙ *Plin.* 6, 11, 12. et *ib.* 12, 13. multorum errorem corrigit, qui putarunt Caspias portas easdem esse, atque *Caucasias*, quae non artis, sed naturae opus sunt, et in Caucasi angustiis sitae, ad Cyrum amnem. ℙ *Caspius mons* pars est montis Tauri, ubi Caspiae portae sunt. *Plin.* 5, 27, 27. Hinc *Sen. Herc. fur.* 1206. Caspiae rupes.

CASSABUNDUS. V. CASABUNDUS.

*CASSANDER, dri, m. *Κάσσανδρος*, Antipatri filius, rex Maced. p. Alex. M. mort. *Just.* 15, 1. seq. *Liv.* 44, 11. ℙ Item astrologus insignis. *Cic. Div.* 2, 42. *B. A.*

CASSANDRĂ, ae, f. (quae et *Alexandra* dicta est) *Κασσάνδρα*, Priami et Hecubae filia, quae cum ob formae elegantiam ab Apolline amaretur, eidem corporis sui copiam promisit, si vates ab illo fieret. Quod Apollo quidem ei praestitit; sed cum illa promissis non staret, iratus Deus fecit, ut ejusdem vaticiniis nulla fides haberetur. Nunquam igitur illi creditum est, cum ex Helenae raptu futura incommoda praediceret. Postea desponsata fuit Choroebo (ut ait *Virg. A.* 2, 342. Homerus vero Othryon eum nominat), qui in Auxilium Trojanis veniens postrema nocte periit. Hanc Ajax Oileus in Minervae templo vitiavit. Tandem devastata Troja, Agamemnoni in sorte contigit, cui omnia quae illi a conjuge pararentur, praedixit. Sed nihil ei creditum est. Veniens igitur cum Agamemnone Mycenas, cum eodem in convivio jussu Clytaemnestrae occisa est. *Serv.* ad *A.* 2, 247. et alibi, et *Hyg. fab.* 93. et 117. ℙ Notat *Quint.* 1, 4. in vetustis operibus urbis, et celebribus templis scriptum fuisse *Cassantra*, et *Alexanter*, propter cognationem litterae T cum D.

[CASSANDRENSIS, se, adj. ad Cassandream pertinens, Macedoniae urbem ad sinum Thermaicum, prius Potidaeam, deinde a Cassandro Antipatri filio nuncupatam, tandem coloniam Romanam nomine Juliae Augustae, nunc vero *Kassandra-Capusi*. In nummis ap. *Mionnet. Descr. des médaill.* 1, 472. Col. Jul. Aug. Cassandrens. ℙ *Cassandrenses*, *ium*, sunt incolae illius urbis. *Liv.* 44, 10. Finium is ager Cassandrensium erat. *F.*]

[CASSANDREUS, i, m. *Κασσανδρεύς*, vox trisyllab., idem ac Cassandrensis, nomen patronymicum a Cassandrea urbe Macedoniae, in qua regnavit Apollodorus tyrannorum immanissimus, cujus meminere *Cic. N. D.* 3, 33. et *Senec. Ira* 2, 5. *Ov. Pont.* 2, 9, 45. Non tibi Cassandreus pater est, gentisque Pheraeae, *h. e.* non Appollodorus Cassandrensis, nec Alexander Pheraeus pater est. *Id. Ib.* 463. Aut, ut Cassandreus, domino non mitior illo.

CASSĀTUS, a, um, part. v. *casso*, sublatus, abrogatus. *Cassiod. Variar.* 5, 14. Omnium redemptione cassata. *Impp. Leo et Anthem. Cod.* 1, 2, 16. Cassata et rescissa, quae etc.

CASSĔ, adv. *ματαίως*, frustra. *Liv.* 24, 26. Aversis auribus, animisque, casse ne tempus tereretur etc. *Rhunkenius* leg. *quase* pro *quasi*; eo enim modo *Livium* scripsisse *Quint.* 1, 7. affirmat.

*CASSĒRA, opp. Maced. non procul a Strymone fluvio. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

CASSESCO, is, n. 3. cassus fio, evanesco. *Solin.* 22. *sub f.* In cujus aede perpetui ignes nunquam cassescunt in favillas. Ita *Salm.* in *Exercitat. Plin.*, alii *canescunt.*

CASSĬA. V. CASIA.

CASSĬĀNUS, a, um, adj. ad Cassium pertinens, quod est nom. propr. R. *Caes. B. G.* 1, 13. Cassianum bellum, *h. e.* a L. Cassio Cos. gestum cum Helvetiis. *Vellej.* 2, 7. Cassianae partes, *h. e.* C. Cassii, qui Caesarem occidit. ℙ Fuit quidam L. Cassius satis severus judex, qui in cognoscendis criminalibus causis illud in primis quaerendum esse dicebat, cui bono fuisset, perire eum, de cujus morte quaereretur. Ob quam severitatem non semel in gravissimis causis a populo R. quaesitor est factus, ut narrat *Ascon.* ad illud *Cic. Mil.* 12. Itaque illud Cassianum, Cui bono fuerit, in his personis valeat. Adde *Phil.* 2, 14. et *Val. Max.* 3, 7. *n.* 9., ubi ait, *scopulum reorum* fuisse nominatum. ℙ Hinc *Cassianus judex* pro severo. *Cic. Verr.* 2, 3, 60. Hic tu medicum, et haruspicem, et praeconem tuum recuperatores dabis, aut etiam illum ipsum, quem tu in cohorte tua Cassianum judicem habebas, si qua res major esset, Papirium Potamonem. ℙ *Cassiana schola* ap. *Plin. ep.* 7, 24. dicta est a C. Cassio Longino JCto, qui consul fuit cum Quartino sub Tiberio, et plurimum in civitate auctoritatis habuit, ut ait *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. Ejus placita secuti *Cassiani* dicti sunt. *Id. ib.* et *Tac. Ann.* 12, 12. ℙ Cassiani itidem appellati fuerunt fautores Cassii Avidii, qui sub M. Aurelio imperium affectavit. *Tertull.* ad *Scapul.* 2.

CASSĬCŬLUS, i, m. parvus cassis, reticulum. *Hieron. Rufin.* 3, 6. Nequaquam aranearum mihi opponas cassiculos, sed fortissimo me constringas reti. ℙ Ap. *Fest.* et *Isid. in Gloss.* legitur *cassiculum* neutrius generis.

CĂSSĬDA, ae, f. idem quod cassis. *Virg. A.* 11, 775. Aureus ex humeris sonat arcus, et aurea vati Cassida. *Prop.* 3, 9, 15. Aurea cui postquam nudavit cassida frontem etc. *Serv.* ad *l. c. Virg.* et *Prisc.* 6, 689. docent, *cassida* esse accusativum Graecae positionis pro *cassidem*, et pro nominativo positum. Sed contra est *Charis.* 1, 80.

CASSĬDĀRĬUS, ii, m. qui cassidas facit. *Inscr.* ap. *Mur.* 959, 5. C. Julius Antiochus cassidarius. ℙ Item qui cassidis curandis praeerat. *Inscr.* ap. *Reines.* 8, 70. Q. Naevius Marinus miles ex armamentario Imp. Caesaris Domitiani Aug. Germanici cassidarius. V. BALTEARIUS.

CASSĪLAM antiqui pro casside ponebant, inquit *Festus.* Sed *Voss.* in *Etymol.* ad vocem *Cassis* putat legendum *cassidam.* V. CASSIDA.

CASSĪNUM. V. CASINUM.

CASSĬODŌRUS, i, m. Magnus Aurelius Cassiodorus scriptor Christianus, ingenio et eruditione

clarus, vixit medio saeculo Christi VI. carusque fuit Theodorico, et aliis Gothorum regibus Italiam obtinentibus, a quibus variis honoribus decoratus, quaesturae sacri Palatii, magistri officiorum, consulatus, praefecti praetorio, et patriciatus, tandem abdicatis aulae curis, in monasterium a se in finibus Calabriae conditum secedens, aetate provectus diem obiit. Ejus opera, quae magna ex parte supersunt, ut doctrina abundant, ita corruptam eorum temporum Latinitatem, quibus vixit, ubique referunt.

*CASSĬŌPAEI, orum, m. plur. populi Epiri in Chaonia, quorum caput Cassiope. Horum meminit *Plin. praef.* 4. *B. A.*

CASSĬŌPE, es, *Κασσιόπη*, et Cassiopēa, ae, f. *Κασσιόπεια*, uxor Cephei regis Aethiopum, mater Andromedae. Cum filiae pulcritudinem Nereidum formae antetulisset, ea poena multata est, ut filiam marino monstro objectam videret: tandemque in coelum translata, fingitur sedens in sella expansis manibus, et specie casum adhuc filiae lamentantis. Est autem sidus tredecim constans stellis, secundum *Hygin.*, situmque est in parte coeli boreali, prope circulum arcticum, a tergo habens Cepheum, a fronte Andromedam. *Manil.* 1, 355. Cepheusque et Cassiopea In poenas singnata suas, juxtaque relictam Andromedam. *Prop.* 1, 17, 3. Nec mihi Cassiope solito visura carinam Ominat. Adde *Hygin. fab.* 64. et *Astron.* 2, 10. et *ib.* 3, 10. ℙ Legitur et *Cassiepea*, *Cassiepeja*, et *Cassiopeja*, ap. *Hygin. ll. cc.*, ut et Graece *Κασσιέπεια*. ℙ Est etiam *Cassiope* oppidum Corcyrae cum portu, nunc *S. Maria di Cassopo*, ubi templum fuit Jovis Cassii. *Plin.* 4, 12, 19. et *Suet. Ner.* 22. ℙ Item urbs parva Epiri. *Cic. Fam.* 16, 9. Porro *Juppiter Cassius* videtur esse idem, qui *Casius* a Casio monte Aegypti denominatus. Nam et hoc modo scriptum legitur.

[CASSĬŌPĬCUS, a, um, adj. ad Cassiopen oppidum pertinens. *Plin.* 27, 9, 55. Optima filix Macedonica est, secunda Cassiopica. *F.*]

*CASSĬOS, i, Scythiae fluv., qui per Albaniam in mare decurrit. *Plin.* 6, 13. *B. A.*

*CASSIPŌLIS, is, f. *Κασσίπολις*, Ciliciae opp. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

CASSIS, idis, f. *κόρυς*, armatura capitis, ut galea, ita appellata, quod cassa, seu vacua sit ad caput recipiendum. *Caes. B. G.* 7, 45. Muliones cum cassidibus, equitum specie ac simulatione, colles circumvehi jubet. *Pl. Trin.* 3, 2, 10. Sumere cassidem in caput. *Hirt. B. Afr.* 16. Cassidem de capite dejicere. *Lucan.* 7, 586. plebeja contectus casside vultus. *Stat. Th.* 4, 302. Casside crines integere. Et *ib.* 204. claudi. *Id. ib.* 9, 541. laxare vultus. ℙ *Sub casside* est in armis, in bello, ap. *Plin.* 13, 3, 4. Sic *Juven.* 7, 33. Aetas patiens cassidis, *h. e.* apta militiae. ℙ Differunt aliquando *galea*, et *cassis*. Illa enim de corio est, ista de lamina, inquit *Isid. Orig.* 18, 14. Hinc *Tac. Germ.* 6. Paucis loricae, vix uni alterive cassis, aut galea. ℙ Saepe tamen promiscue ponuntur. *Ov. Met.* 8, 25. Seu caput abdiderat cristata casside pennis, In galea formosus erat. *Virg. A*, 5, 490. Galea aerea.

CASSIS, is, m. *δίκτυον*, rete venatorium, ita appellatum, quod cassas, seu vacuas habeat maculas in quas ingressa bestia exitum non inveniat. Adhibetur fere in plurali numero. *Ov. A. Am.* 2, 2. Decidit in casses praeda petita meos. *Id. Met.* 5, 578. nec me studiosius altera saltus Legit, nec posuit studiosius altera casses. *Id. A. Am.* 1, 392. Non bene de laxis cassibus exit aper. *Prop.* 4, 2, 33. Cassibus impositis venari. *Mart.* 3, 58. Dama impedita cassibus. *Senec. Agamemn.* 893. Aper casse vinctus. ℙ De tela aranearum, qua muscae irretiuntur. *Virg. G.* 4, 247. Laxos in foribus suspendit aranea casses. Adde *Mart.* 3, 93. et *Arnob.* 6, 202. ℙ Translate *casses alicui tendere*, ap. *Tibull.* 1, 7, 5. est insidiari. *Ov. A. Am.* 3, 554. novus viso casse resistet amans.

CASSĬTĂ, ae, f. avicula quaedam, alio nomine galerita, et alauda, cristam gerens in capite instar galeri, aut cassidis. Festivam de ea fabellam narrat *Gell.* 2, 29.

[CASSĬTĔRĬDES, um, f. plur. *Κασσιτερίδες*, insulae quaedam plures numero, (decem *Strab.* et *Ptolem.*) et plumbi feracissimae, quas *Plin.* 4, 22, 36. et *Mela* 3, 6. Celtiberiae falso attribuunt, *Herodotus* vero 3, 15., ubinam fuerint, ingenue se ignorare fatetur. At certo constat, has insulas, quas *Avien. Ora marit.* 96. vocat *Oestrymidas*, Cassiteridas fuisse appellatas a *κασσιτέρω*, stanno scilicet, quo abundant. easdemque esse cum iis, quae nunc *Sorlinghe* prope *Cornovaglia* Britanniae regionem sitae sunt, unde olim Phoenices, teste *Strabone* l. 3., magnam stanni copiam deportabant, ut pluribus probant argumentis *Tzschuckius* ad *c. Melae l.*, et *Gosselinius*, *Recherch. sur la géogr. ancienne* 3, 164. et *Bochart. Geogr. sacr.* 1, 39. *Plin. l. c.* Ex adverso Celtiberiae complures sunt insulae Cassiterides dictae Graecis, a fertilitate plumbi. *Mela l. c.* In Celticis aliquot sunt insulae, quas, quia plumbo abundant, uno omnes nomine Cassiteridas appellant.

[CASSĬTĔRUM et Cassiteron, i, n. *κασσίτερον*, Graeca vox, quae tamen originem habet ex Oriente, ut probat *Bochart. Geogr. sacr.* 1, 39, 610., et stannum, seu plumbum album significat. At a Graecis ita appellatum fuisse a monte Cassio affirmat *Avien. Ora marit.* 259. Cassius inde mons tumet; Et Graja ab ipso lingua cassiterum prius Stannum vocavit. Quod tamen improbat *Wernsdorfius* ad *h. l. Plin.* 34, 16, 47. Plumbi duo genera, nigrum, atque candidum. Pretiosissimum candidum, a Graecis appellatum cassiteron, fabuloseque narratum in insula Atlantici maris peti. Album habuit auctoritatem et Iliacis temporibus, teste Homero, Cassiteron ab illo dictum. V. STANNUM.

CASSĬTO. V. CASITO.

CASSĬUS, a, um, adj. ad Cassium pertinens. Est autem Cassius nomen proprium R. *Cassiae leges* variae fuerunt. Una fuit tabellaria, quam tulit L. Cassius L. F. Longinus trib. pleb. Lepido, et Mancino Coss. ut judices, et populus sententias, et suffragia non voce, sed tabellis ferrent, excepto crimine perduellionis. *Cic. Leg.* 3, 16. et *Sext.* 48. et *Ascon. in Verr.* 1, 10. ℙ Alia fuit lata ab eodem, C. Mario, L. Flacco Coss. ut quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu nec esset. Tulerat autem eam maxime propter simultates cum Q. Caecilio, cui populus, quia male adversus Cimbros rem gesserat, imperium abrogaverat. Haec *Ascon.* ad *Cic. fragm. pro Cornel.* ℙ Alia fuit frumentaria, quae Terentia, et Cassia dicta, quia latores habuit M. Terentium Lucullum, et C. Cassium Varum Coss. Jubebat emi in Sicilia frumentum, aequabiliter ab omnibus civitatibus. De ea verba facit *Cic. Verr.* 2, 3, 70. et *ib.* 2, 5, 21. ℙ Aliae sunt a variis Cassiis latae leges, de quibus V. *Hotoman.*, *Pitisc.* et alios. ℙ *Cassia via* dicta est, quia a Cassio strata fuit, inquit *Fest.* Quidam putant hunc fuisse C. Cassium, qui cum M. Messala censor fuit, ut apud *Plin.* 17, 25, 38. legitur. Fuit autem haec alter Flaminiae ramus, et extra portam Flumentanam ferebat Sutrium, Forum Cassii, Volsinios, Clusium. *Cic. Phil.* 12, 9. Hanc Hadrianus Imp. Florentiam usque a finibus Clusinorum perduxit, ut constat ex *Inscr.* ap. *Grut.* 156, 2. ℙ De *Jove Cassio* dictum est in CASSIOPE. ℙ De Cassio judice V. CASSIANUS.

CASSO, as, a. 1. cassum reddo, destruo. *Sidon. ep.* 1. *ult. a med.* Si objecta non improbabiliter cassaverimus, oro, ut etc.

CASSUS, a, um, adj. vacuus, inanis, *κενὸς*, *φροῦδος*, *μάταιος*. Quidam putant, esse supinum verbi *careo*: alii esse adjectivum suae originis, ut *lassus*, *fessus*, etc.: alii ab inusit, *χάω*, cavo. *Pl. Pseud.* 1, 3, 137. Te amatorem inventum esse inanem, quasi cassam nucem. Adde *Hor. Sat.* 2, 5, 36. Rursus *Pl. Rud.* 5, 2, 37. Cassa glans. *Plin.* 18, 17, 45. Granum longius fieri, sed inane cassumque, ac satum non nasci. *Ov. Fast.* 6, 406. Cassa canna. *Fab. Pictor.* ap. *Gell.* 10, 15. Annulus pervius et cassus. *Appul. de Deo Socrat.* Aer cassus ab omnibus, *h. e.* vacuus omnium rerum. ℙ Substantivi more. *Solin.* 52. *ad f.* Aut palearum cassa, aut chartarum fila ad se rapit. ℙ Est etiam carens, orbus. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Div.* 2, 64. Cochlea sanguine cassa. *Lucr.* 3, 563. Cassum anima corpus. *Id.* 4, 126. Simulacra cassa sensu. *Id. ib.* 368. Aer cassus lumine. *Pl. Aul.* 2, 2, 14. Virga cassa dote. *Ov. R. A.* 446. Cassaque seducto stipite flamma perit, *h. e.* privata pabulo. ℙ *Cassus lumine* dicitur, qui vita functus est. *Virg. A.* 2, 85. nunc cassum lumine lugent. Adde *Stat. Th.* 2, 15. Sic *aethere cassus* ap. *eund. Virg. A.* 11, 104. ℙ Cum genitivo. *Cic. Arat.* 369. Et dextra retinens non cassum luminis ensem. ℙ Translate ponitur pro vano, inutili, irrito. *Cic. Tusc.* 5, 41. Omne quod honestum nos, et laudabile esse dicimus, id illi cassum quiddam, et inani vocis sono decoratum esse dicunt. *Lucr.* 3, 1063. Sollicitamque geris cassa formidine mentem. *Id.* 4, 513. Illa tibi est igitur verborum copia cassa. *Senec. Troad.* 569. Cassa consilia. Et *ib.* 792. praesidia. *Id. ib.* 678. Furor cassus feminae. *Lucan.* 5, 130. Cassa fraus. [*Sil.* 7, 698. Cassa exterritus umbra.] *Val. Flacc.* 6, 556. ira. *Stat. Th.* 11, 449. Cassae viae, *h. e.* frustra aditae. *Arnob.* 1. p. 18. Cassus rumor. *Appul. Met.* 6. Cassa spes. *Plin. ep.* 8, 23. Cassi labores, et infructuosae preces. *Virg. A.* 12, 780. Cassa vota. *Sil.* 3, 17. Vulgatum (nec cassa fides) ab origine fani Impositas durare trabes. *Id.* 10, 117. quisnam ad cassos furor impulit ictus Exsanguem senio dextram? *Stat. Th.* 9, 770. Nunquam cassa manus, *h. e.* frustra feriens. *Id. ib.* 629. Augur cassa futuri, *h. e.* vana et mendax. *Pl. Cist.* 4, 1, 16. Non ecastor cassa memoro, [*i. e. mendacia non sunt, quae dico.] ℙ *Cassum*, et saepius *in cassum* (quod et *incassum* recte ac frequenter scribitur) est frustra, *μάτην*, *ματαίως*. *Senec. Herc. Oet.* 352. Quid cassum times? [*Cassum* pro *in cassum*, sive *incassum* dictum esse cum unico hoc exemplo non satis probetur, *Döderl.* 3, 102. (coll. *Gloss. Cyrill. μάτην* frustra, nequidquam, *cassum*) recte hunc serior. script. usum vindicare videtur ex analogia istorum: *aeternum* vivere, *praeceps* trahere, *sublime* ferre.] *Liv.* 10, 29. Vana in cassum jactare tela. *Tac. A.* 1, 4. Pauci bona libertatis incassum disserere. *Sall. in orat. Macri Licinii ad pleb.* Incassum agere aliquid. *Pl. Poen.* 1, 2, 147. Omnia incassum cadunt. *Virg. G.* 3, 100. Incassum furere. *Id. A.* 7, 421. Incassum fusi labores. *Lucan.* 2, 263. In cassum ire.

[CASTĂBĂLENSIS, se, adj. ad Castabalam pertinens, Cappadociae oppidum prope Tyanam, nunc *Kalat-Masman*, in cujus nummis ap. *Eckel. D. N. V. T.* 3. p. 192. *ΚΑΣΤΑΒΑΛΕΩΝ*. *Plin.* 8, 40, 61. Propter bella Colophonii, item Castabalenses, cohortes canum habuere. *F.*]

CASTĂLĬA, ae, f. *Κασταλία*, idem quod Castalius mons, vel fons Castalius. *Virg. G.* 3, 292. juvat ire jugis, qua nulla priorum Castaliam molli devertitur orbita clivo. *Hor. Od.* 3, 4, 61. Qui rore puro Castaliae lavit Crines solutos. Adde *Stat. Th.* 1, 697., ubi *Lactant. vet. Schol.* adnotat, fuisse quandam virginem *Castaliam* nomine, ab Apolline adamatam, quae cum ab eo sibi vim parari videret, in eum fontem se praecipitavit.

CASTĂLIS, idis, f. ad Castaliam pertinens. *Mart.* 9, 19. Quam dederis nostris, Auguste, penatibus undam, Castalis haec nobis, aut Jovis imber erit, *h. e.* aeque mihi erit grata, ac si e fonte Musarum petita fuerit. ℙ *Castalides*, *dum*, sunt ipsae Musae. *Id.* 4, 14. Sili, Castalidum decus sororum. *Id.* 7, 11. Castalidum grex.

CASTĂLĬUS, a, um, adj. *Καστάλιος*. *Castalius fons* est in radicibus Parnassi montis, quem Musae incolere dicuntur. Idem fatidicus fuisse dicitur propter Apollinem, cui sacer fuit, et oppidum Delphos, a quo non longe abfuit. *Pausan.* 10, 8. scribit, ejus aquam potu suavem esse; alios autem putare dictam esse a quadam muliere indigena, nomine *Castalia*, quae Acheloi amnis filia fuit; alios a quodam *Castalio:* esse etiam qui putent, eum fontem esse partem Cephissi amnis, quod cum Lilaeenses more majorum quaedam bellaria quotannis in Cephissum projicerent, eadem in Castalia emergentia conspicerentur. *Ov. Am.* 1, 16, 35. mihi flavus Apollo Pocula Castalia plena ministret aqua. *Senec. Oedip.* 229. Sancta fontis lympha Castalii. Adde *Plin.* 4, 3, 4. ℙ *Umbra Castalia* est, quam facit plurima laurus circa fontem Castalium, et in ipso monte Parnassi. *Tibull.* 3, 1, 16. Castaliamque umbram, Pieriosque lacus. ℙ *Castalia arbor* est laurus. *Prop.* 3, 2, 13. ℙ Quod *Ov. Met.* 3, 14. appellat *antrum Castalium*, vel ipsius fontis antrum intelligit, vel Apollinis Delphici templum. Ex utroque enim oracula petebantur. ℙ Alius fuit *fons Castalius* in radice montis Antiochiae imminentis, qui et ipse *Parnassus* dictus est. Is quoque fatidicus est habitus, ut colligitur ex *Ammian.* 22, 12., et notat *Casaubon.* ad *Spartian. Hadrian.* 2. et ad *Capitol. Anton. Phil.* 8.

CASTĂNĔA, ae, f. *κάστανον*, arbor pomum ferens nigro corio et praeterea spinoso calyce inclusum. *Voss.* in *Etymol.* docet, dictam esse a *Castana* vel ut est ap. *Plin. Hard.* 4, 9, 16. *Casthanaea* seu *Castanaea*, quae est Thessaliae urbs sub Pelio monte, ubi haec arbor felicissime provenit. *Plin.* 16, 40, 78. Tardissime cariem sentiunt robur, suber, castanea. *Id.* 17, 20, 34. Castanea pedamentis omnibus praefertur. Adde *Virg. G.* 2, 71. et *Colum.* 4, 33., ubi de ejus satione multa. ℙ *Castanea nux* et absolute *castanea* est ejus arboris fructus. *Virg. Ecl.* 2, 52. Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat. Adde *Seren. Sammon.* 29, 560. Rursus *Virg. Ecl.* 1, 82. Castaneae molles. *Plin.* 15, 28, 34. Putamine clauduntur nuces, corio castaneae. Adde 13, 18, 32.

CASTĂNĔTUM, i, n. locus castaneis consitus. *Colum.* 4, 33. Saepe novella castaneta calvescunt. Adde *ib.* 30. et *Pall.* 12, 7.

CASTĔ, adv. *ἁγνῶς*, sine labe non solum impudicitiae, sed et aliorum vitiorum, pudice, pure, sancte, integre, abstinenter, honeste. *Cic. Brut.* 95. Eloquentiam tueamur, ut adultam virginem, caste. *Curt.* 4, 10. Caste sancteque habere aliquam. *C. Gracchus* ap. *Gell.* 15, 12. A servis aliorum caste se habere. *Lact.* 6, 28. Docenda uxor, ut caste se gerat. *Ov. Pont.* 2, 1, 33. Caste placare Deos. *Cic. Fam.* 14, 4. castissime colere. *Liv.* 10, 7. Castius sacra privata facere. *Cic. Manil.* 1. Meus labor in privatorum periculis caste integreque versatus. *Id. Fin.* 4, 23. Caste et integre vivere. *Pl. Trin.* 2, 4, 148. Caste agere aetatem suam. *Macrob. Sat.* 1, 2. Cibus et potus in convivio ubertim casteque affuerunt. ℙ Translate. *Gell.* 17, 2. Caste pureque lingua Latina uti. *Id.* 7, 14. Dicendi genus caste pudiceque ornare.

CASTELLĂMENTUM, i, n. *Arnob.* 2, 73. Ut spirulas et botulos facerent, isicia castellamenta Lucanica, suminatam carnem etc., *h. e.* farcimina Lucanica in castelli figuram formata: quemadmodum circulos inter scitamenta ponit *Varr. L. L.* 4,

22., et hamos ac lacertulos *Appul. Met.* 10. Alii leg. *castellamenta*, *lucanicas* eadem manente sententia. Alii vero rectius reponunt *catillamenta*, quasi catillationes. Nam *catillare* est catillos lingere vel ligurire; et *catillo* gulosus, liguritor. Firmat hanc lectionem alius ejusdem *Arnobii* locus, ubi ait 7, 230. In exiguas arvina est miculas catillaminum insecta de more. Nam *catillamina* idem sunt quod *catillamenta*, nempe cupedia et deliciosa mattea seu farcimina minutis carnibus inculcata, quae linguntur et orexim ac gulam excitant.

CASTELLĀNUS, a, um, adj. ad castellum pertinens. *Cic. Brut.* 73. Malim mihi L. Crassi unam pro M. Curio dictionem, quam castellanos triumphos duos. At plus interfuit Reipubl. castellum capi Ligurum, quam bene defendi causam M? Curii. Credo: sed etc. *Impp. Honor.* et *Theod. Cod.* 11, 59, 2. Castellanus miles, *h. e.* qui in castelli custodia est vel qui in castelli territorio agrum possidet. ℙ *Castellani*, *orum*, qui castella habitant, *Sall. Jug.* 97. Iter castellanorum angustum admodum. *Liv.* 34, 27. Hi sunt jam inde castellani, agreste genus. Adde *Hirt. B. Alex.* 42. et *Liv.* 38, 45.

CASTELLĀRĬUS, ii, m. qui praeest custodiae castellorum in aquaeductibus. *Front. Aquaed.* 117. Villicos, castellarios, circitores, silicarios etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 601, 7. Servus castellarius aquae Claudiae. Alia *ib.* 8. Timbraeo Aug. L. castellario aquae Marciae. Alia *ib.* 9. M. Vibio M. F. Ter. fontis Rubiconis castellario. Alia ap. *Mur.* 924, 4. Servo castellario ab aqua Curtia et caerulea.

CASTELLATIM, adv. *Liv.* 7, 36 Hostes et nocturno pavore attonitos et circa collem castellatim dissipatos aggredi, *h. e.* non continuis castris dispositos, sed per varia veluti castella dispersos. ℙ *Plin.* 19, 6, 34. Quidam ulpicum et allium in plano seri vetant castellatimque grumulis imponi, distantibus inter se pedes ternos, *h. e.* acervatim, σωρηδόν. Grumulos spicarum allii ita seri jubet, ut non singuli, sed acervatim castelli more pedum ternum distantia ponantur.

CASTELLUM, i, n. locus militari opere munitus exstructo aggere vel muro cum fossa, quasi parvum castrum, ut est ap. *Veg. Mil.* 3, 9., quia in eo milites ponuntur ad custodiam regionis. Vocis etymon vide infra in CASTRUM. Construuntur enim castella in agris contra excursiones hostium; in finibus imperii, ut eorundem aditus prohibeantur; per ipsum castrorum vallum congruis in locis, ut facilius defendi possit. *Sisen.* ap. *Non.* 11, 37. Praetor festinatim de castellis ad castra maxima milites conducit. *Caes. B. G.* 2, 30. Primo adventu exercitus nostri crebras ex oppido excursiones faciebant: postea vallo pedum XII. crebrisque castellis circummuniti, oppido se continebant. *Cic. Att.* 3, 7. Castellum natura munitum. *Id. Fam.* 11, 4. Multa castella cepi, multa vastavi. *Id. Phil.* 5, 4. Aditus hostium castellis et operibus prohibere. *Nep. Dat.* 10. Expugnare castella. *Id. Mil.* 2. Loca castellis communire. *Id. Alcib.* 7. Communire castellum. *Caes. B. C.* 3, 36. munire. *Nep. Dat.* 4. Regio saltuosa et castellis munita. *Tac. A.* 3, 74. Castella et munitiones idoneis locis imponere. *Id. ib.* 4, 46. Castella rupibus indita. *Id. Agr.* 14. Promovere castella in ulteriora. *Flor.* 3, 19. *ad f.* Vicos, castella, oppida diripere. ℙ Differt ab *oppido* et *urbe*, quod illud munimenti causa exstruitur, haec tum ad munimentum, tum ad civilem hominum convictum et societatem: illud belli tantummodo est, haec etiam pacis. Saepe vero accidit, ut quae castella contra vim hostium excitata fuerant paulatim confluentibus hominibus frequentarentur et oppida urbesque fierent. Hinc aliquando *castellum* et *oppidum* aut *urbs* promiscue adhibentur, ut ap. *Curt.* 5, 3. ℙ Translate *Cic. Pis.* 5. Templum illud fuit, te consule, arx civium perditorum, receptaculum veterum Catilinae militum, castellum forensis latrocinii, bustum legum omnium ac religionum. *Liv.* 3, 57. Respicerent tribunal homines, castellum omnium scelerum. *Cic. Div.* 2, 16. Urbem philosophiae, mihi crede, proditis, dum castella defenditis. ℙ Castella sunt etiam rusticae habitationes in locis editis adeoque villae et vici in montibus aut receptacula ovium. *Virg. G.* 3, 474. Tum sciat, aerias Alpes et Norica si quis Castella in tumulis et lapydis arva Timavi, Nunc quoque post tanto videat desertaque regna Pastorum et longe saltus lateque vacantes. Ornate igitur pro saltibus et pascuis dixit *castella in tumulis*, *arva*, *regna*, *saltus*. ℙ Est etiam *castellum* receptaculum aquarum in aquaeductibus; ex quo aqua ex communi ductu per fistulas in varia loca distribuitur: unde et *dividiculum* dictum est, teste *Festo*. Appellatur autem castellum, quia altius cetero opere assurgit et latius extenditur, ut militaris castelli figuram referat. *Vitruv.* 8, 7. Cum venerit ad moenia, efficiatur castellum et castello conjunctum, ad recipiendam aquam, emissarium, collocenturque in castello tres fistulae etc. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 9. Agrippa adjecta Virgine aqua, lacus septingentos fecit, salientes centum quinque, castella centum triginta. *Front. Aquaed.* 35. Aqua, quae in castellum cadit. *Ulp. Dig.* 43, 19, 1. Aquam ex castello ducere. ℙ Eodem nomine appellatur labrum amplum in summo rotae aquariae, in quod influit aqua ex modiolis, cum ad summum elati invergi coeperint. *Vitruv.* 10, 9. ℙ In masculin. gen. *Paul. Dig.* 30, 41. *a med.* in edit. *Torrentini.*

CASTĒRĬA, ae, f. locus in quo, ubi navigatio conquiescit, remi et gubernacula conquiescunt. Ita *Non.* 2, 128. Putat *Scheffer. de milit. navali* 2, 5. Graece dictam esse ἰοτοδόκην. *Voss.* in *Etymol.* docet, esse a Graeco σχαστηρία vel σχαστήριον, (quod navis partem quandam esse, docet *Hesych.*) ducto a verbo σχάζω, dimitto, intermitto. Ex quo *Turneb.* 4, 13. scribi vult *schasteria:* quamquam 29, 21. aliter sentit, nempe esse velut γαστηρίαν, hoc est ventrem navis. *Pl. Asin.* 3, 1, 16. Quin pol si reposivi remum sola ego in casteria; ubi quiesco, omnis familiae causa consistit tibi. Alii ita distinguunt: Quin pol si reposivi remum, sola ego in casteria ubi quiesco, omnis etc. Qua ratione *casteria* non est locus ubi reponuntur remi, sed potius ubi nautae conquiescunt. *Lactant. vet. Schol. Stat.* ad *Theb.* 6, 800. perperam *casteriam* cum *portisculo* confundit.

*CASTHANAEA, ae, f. Κασθαναία, opp. Thessal. in Magnesia. *Plin.* 4, 9. ed. *Hard.* antea leg. *Castana. Castanaea* appellatur a *Mela* 2, 3. *B. A.*

*CASTHĒNES sinus, juxta Byzantium. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

*CASTIFER, qui portat flagella, ut castiget. *Vet. Voc.* et *Pap.* Castiferum, qui flagellum portat. *Gloss. Isid.* An igitur *castum* dixere pro *cesto? Cestum* quidam et *Caestum* esse lorum, certum est. V. Cestus. Dor. esse καστὸν pro κηστῷ jam observ. *Voss.* V. CASTIGO. *B. A.*

CASTĬFĬCO, as, a. 1. ἁγνεύω, castum facio. Est *August. Confess.* 9, 9. et *De bono viduit.* 7. et *Tertull. Pudic.* 19. *ex Joann.* 1, 3.

CASTĬFĬCUS, a, um, adj. castum faciens vel castus. *Senec. Hipp.* 169. Expelle facinus mente castifica horridum. *Paul. Nol. carm.* 25, 188. Castificum lavacrum, *h. e.* baptismus.

CASTĪGĀBĬLIS, le, adj. castigatione dignus. *Pl. Trin.* 1, 2, 5. Hic ille est, senecta aetate qui factus est puer: qui admisit in se culpam castigabilem.

CASTĪGĀTĒ, adv. castigatis moribus. *Senec. Excerpt. Controv.* 6, 8. Vixit modeste, castigate. Non in illa cultus luxuriosior, non conversatio cum viris licentiosior. ℙ Alio sensu *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. Haec de monade castigatius, quam se copia suggerebat, *h. e.* pressius, brevius. *August. Doct. Christ.* 4, 14. Castigatius eloqui, *h. e.* pressius et sine verborum affluentia.

CASTĪGĀTĬO, onis, f. ἐπανόρθωσις, σωφρονισμός, reprehensio, objurgatio, coercitio, animadversio corrigendi causa facta, et ad meliorem frugem revocandi. [*Vell.* 2, 114. Admonitio frequens, interdum et castigatio; vindicta rarissima. Affert hunc locum, *Döderl.* 2, 160., ubi docet: adhiberi castigationem non ad *peccati*, sed peccantis tanquam polluti emendationem mediamque esse positam inter correctionem et poenam.] *Cic. Off.* 1, 25. Omnis autem et animadversio, et castigatio contumelia vacare debet, neque ad ejus, qui punitur aliquem, aut verbis castigat, sed ad reipublicae utilitatem referri. *Id. Tusc.* 4, 20. Afficere aliquem castigationibus, reprehensionibus, ignominiis. *Senec. Ira* 1, 5. Aliquando castigatio necessaria est: sed haec sincera cum ratione: non enim nocet, sed medetur specie nocendi. *Id. ib.* 2, 27. Parentum, praeceptorum ac judicum castigatio sic accipienda est, quomodo scalpellum, et abstinentia, et alia, quae profutura torquent. [*Curt.* 10, 2. Castigatio praefectorum.] *Id. ep.* 47. Verborum castigatione uti. *Liv.* 27, 15. Cum verborum castigatione (*Strafpredigt*) accipere aliquem. *Justin.* 1, 6. Reprimere aliquem castigatione. *Plin.* 18, 6, 7. Castigatio censoria. *Val. Max.* 2, 7. *n.* 14. Aspero et abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget. *Inscr.* ap. *Grut.* 1030, 4. Militavit ann. XIX. sine ulla castigatione. *Paul. Dig.* 1, 15, 3. Castigatio fustium. *Callistrat. ib.* 48, 19, 7. flagellorum. *Appul. Met.* 9. Muli senes, costas perpetua castigatione ossium tenus renudati. ℙ Translate. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 9. Viviradix secundo anno reciditur: alias festinatione pariendi gracilis atque ejuncida, ni cohibeatur castigatione tali, in fetum exeat tota. *Id. ib.* 28, 47. Olearum nudatas radices hiberno frigori opponunt; eaque castigatione proficiunt.

CASTĪGĀTOR, oris, m. σωφρονιστής, ἐπανορθωτής, qui castigat, emendator. *Hor. A. P.* 173. laudator temporis acti Se puero, censor castigatorque minorum. *Liv.* 1, 59. Brutus castigator lacrimarum atque inertium querelarum. *Senec. Ira* 1, 15. Ad coercitionem errantium irato castigatore non opus est. Adde *Pl. Trin.* 3, 1, 13. [*Plin. Pan.* 40, 1. Nemo observator, nemo castigator assisset, i. e. delator, accusator eorum qui vicesimam hereditatis non recte solvissent.]

CASTĪGĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad castigandum pertinens. *Plin. ep.* 5, 16. Adhibere solatium non quasi castigatorium, et nimis forte, sed molle et humanum. *Sidon. ep.* 4, 1. Castigatoria severitas.

CASTĪGĀTUS, a, um, part. a *castigo*, reprehensus, objurgatus, multatus. *Juven.* 2, 35. vitia ultima fictos Contemnunt Scauros, et castigata remordent. *Tac. A.* 3, 35. Patres oblique per litteras castigati. *Appul. Met.* 9. Affatim plagis castigatus. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 2, 21. Videsne, ut obmutuerit non sedatus corporis, sed castigatus animi dolor? *August. Civ. Dei* 5, 24. Luxuria tanto castigatior, quanto posset esse liberior. *Gell.* 4, 20. Inter censorias severitates tria haec exempla in litteris sunt castigatissimae disciplinae. *Stat. Th.* 9, 687. nodis et castigata jubarum Libertas, *h. e.* collecta, et constricta ut in cervice equi compta sedeat. ℙ Dicitur etiam de forma et pulcritudine membrorum elegantissima, et in qua nihil reprehendi potest. *Ov. Amor.* 1, 5, 21. Castigatum pectus. *Stat. Silv.* 2, 1, 43. Et castigatae collecta modestia frontis. ℙ *Castigatae mamillae* ap. *Seren. Sammon.* 20, 357. sunt tumidulae, duriusculae, et quas *stantes mammas* vocat *Plin.* 30, 14, 45.

CASTĪGO, as, avi, atum, a. 1. σωφρονίζω, ἐπανορθόω, κολάζω, coerceo, corrigo, ad meliorem frugem animadvertendo revoco. Est a κάστον lignum, fustis. *Vossius* derivat in *Etym.* a καστὸς pro κηστὸς, lorum. [**Castigare* factum ex *castum agere* eodem modo quo *purgare* ex *purum agere*. *Döderl.* 2, 160.] *Cic. Tusc.* 3, 27. Pueros vero matres, et magistri castigare etiam solent, nec verbis solum, sed etiam verberibus. [**Virg. A.* 5, 387. Castigare dictis.] *Id. Leg.* 1, 23. Castigare improbos, tueri bonos. *Pl. Most.* 4, 1, 26. servos bubulis exuviis. *Virg. A.* 6, 567. dolos. [**Id. ib.* 4, 407. moras. *Curt.* 4, 13, 18. morentes] ℙ Saepe est reprehendere, objurgare. *Cic. Tusc.* 5, 1. In hoc me ipse castigo, quod etc. *Id. Or.* 1, 41. Et quoniam de impudentia dixi, castigemus etiam segnitiem hominum atque inertiam. *Liv.* 39, 55. Castigare nimiam lenitatem alicujus. *Caes. B. C.* 1, 3. Laudare promptos, castigare atque incitare segniores. *Id. ib.* 3, 25. aliquem litteris. *Pl. Bacch.* 4, 8, 66. dictis plurimis. *Justin.* 2, 15. graviter. *Juven.* 14, 54. acerbo clamore. *Virg. A.* 4, 407. moras. *Val. Fl.* 6, 660. metus. *Lucan.* 8, 71. dolorem immodicum. ℙ Item emendare, corrigere. *Plin. Pan.* 46. Castigaverunt vitia sua ipsi, qui castigari merebantur. *Hor. A. P.* 294. Carmen decies castigare ad unguem. *Juven.* 6, 454. opicae castigat amicae Verba. *Stat. Th.* 6, 700. Molis praegravidae castigat pulvere lapsus, *h. e.* discum lusorium manibus elabentem asperso pulvere asperat (ut *ib.* loquitur 671.), ut labilis esse desinat. ℙ Et translate coercere, compescere. *Petr. fragm. Trag.* 47. *Burm.* Castigare risum crebris potiunculis. [**Tac. A.* 6, 13. Incusabat Magistratus Patresque, quod non publica auctoritate populum coercuisset: — Ita castigandae plebi compositum Senatusconsultum, prisca severitate.] ℙ Item cingere et veluti constrictum tenere. *Sil.* 12, 355. Insula fluctisono circum vallata profundo, Castigatur aquis, compressaque gurgite terras Enormes cohibet etc. Sic *Liv.* 39, 25. Equus tenax non parens, frenis asperioribus castigandus est. [*Synonyma hujus verbi quid inter se differant V. apud *Döderl.* 2, 156. sqq. et *ib.* 161. ubi *reprehendere*, *vituperare*, *castigare* et *culpare* (ita disposuit, ut *reprehendere* lenissimum, *culpare* gravissimum animadvertendi modum designet) hoc discrimine separantur ab *arguere*, *accusare*, *criminare*, ut haec praeter accusatorem et accusatum vel tertium quiddam spectent (judices, populum), illa peccantis et corrigentis solam rationem contineant.] ℙ *Examen in trutina castigare*, ap. *Pers.* 1, 6. est examen, seu ligulam trutinae ita continere et componere, ut nihil extra scapi foramen inclinet, quod cum accidit, fit aequilibrium, et rei appensae pondus cognoscitur.

CASTĪMONĬA, ae, f. ἁγνότης, abstinentia a venereis corporis voluptatibus. *Cic. Verr.* 2, 4, 45. *in f.* Sacra, quae fiunt per summam castimoniam virorum ac mulierum. *Id. Leg.* 2, 10. Castimonia corporis. Adde *Liv.* 39, 9. ℙ In plur. num. *Plin.* 31, 8, 44. Superstitio castimoniarum. *Tert. Jejun.* 2. Quales castimoniae Apin, Isidem, et Magnam Matrem certorum eduliorum exceptione purificant. Adde *Appul. Met.* 11. His autem locis non tam castitatem significant, quam ritus, et sacra, quae cum certarum rerum castimonia et abstinentia celebrari oportet, eadem ratione, qua *castus*, *us*. Hinc *Id. Appul. ib. in f.* appellat *inanimam castimoniam* sacra ea et ritus, qui conjuncti sunt cum abstinentia a cibis animatis. ℙ Apud *Appul.* non *castimoniarum abstinentia*, sed *castimoniorum* legitur in optimis MSS. et editionibus, ut et in *Gloss. Phil.* Castimonium, ἁγνεία.

CASTĪMONĬĀLIS, e, adj. *Pallad.* 3, 25. liquamen quoddam ex piris, cujus conficiendi rationem docet, *liquamen castimoniale* appellat, fortasse quia ad castimoniam servandam aptum sit, vel quia

castimoniam servantibus in usu fuerit. Sic *Plin.* 31, 8, 44. quoddam gari genus memorat, a Judaeis superstitioni castimoniarum dicatum, quod fit e piscibus squama carentibus.

CASTIMONIUM. V. CASTIMONIA.

CASTĬTAS, atis, f. ἁγνότης, abstinentia a turpi libidine, castimonia, pudicitia. V. PUDICITIA. *Cic. Leg.* 2, 12. Vestae colendae virgines praesint, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis, et sentiant mulieres naturam feminarum omnem castitatem pati, *h. e.* sentiant, eam esse feminarum naturam, ut exercere possint omnis generis castitatem. [**Tac. A.* 1, 33. Nisi quod castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat.] *Hor. Od.* 3, 24, 22. metuens alterius viri Certo foedere castitas. *Tac. Agr.* 4. Femina rarae castitatis. *Plin.* 24, 9, 38. Matronae Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 2. Virginis castitatem delibare. [**Plin. Pan.* 20, 2. Affectata aliis castitas, tibi ingenita et innata, i. e. a filiabus et uxoribus civium Romanorum abstinentia, opp. saevae superiorum principum libidini.] ℙ Translate accipitur pro abstinentia a quocumque vitio, integritate, sanctitate. [*Conf. quae disputavit *Dödert.* 3, 196. sq. de discrimine inter candor et castitas cet.] *Gell.* 15, 18. Cornelius sacerdotii religionibus venerandus, et castitate vitae sanctus. *Macr. Sat.* 7, 3. L. Quintius praetor de provincia nuper reverterat, observata, quod mireris Domitiani temporibus, praeturae maxima castitate. *Vitr.* 1, 1. Nullum enim opus vere sine fide et castitate fieri potest. ℙ Dea, eadem quae Pallas. *Pallad.* 1, 6. Olivae recordati esse praesulem Castitatem.

CASTĬTŪDO, inis, f. castitas. *Accius* ap. *Non.* 2, 124. Ibi fas, ibi cunctam antiquam castitudinem.

CASTOR, ŏris, m. *Κάστωρ, ορος*. Castor et Pollux fratres gemini fuerunt, Tyndari et Ledae filii, fratres Helenae. In fabulis est, Jovem furtim cum Leda cycni specie concubuisse, illamque ovum concepisse, ex quo gemini infantes nati sunt. Alii dicunt geminum ab ea ovum conceptum fuisse, alterum ex Tyndaro marito, ex Jove alterum: ex primo natos esse Castorem, et Clytaemnestram, et quidem mortales, ut ab homine progenitos; ex secundo Pollucem, et Helenam immortales, ut ex Deo. Castor a prima aetate equis delectari coepit, Pollux pugilatu: quibus in studiis adeo uterque excelluit, ut haberent sua aetate parem neminem. Colchos cum aliis Argonautis profecti sunt, in qua expeditione Pollux Amycum Bebryciae regem caestu pugnans interfecit. Interfuerunt etiam venationi apri Calydonii. Castor tandem plurimis una cum fratre editis praeclaris facinoribus in oppido Aphidnis occisus fuisse dicitur, bello Lacedaemoniorum cum Atheniensibus, vel, ut alii volunt, in oppugnatione Spartae. Quidam dicunt fuisse interfectum ad radices Taygeti montis a Lynceo Apharei filio, cui puellam quandam desponsam eripuerat. Pollux, qui fratrem vehementissime diligebat, ab Jove impetravit, ut immortalitatem suam cum fratre divideret. Hinc alternis diebus vivere dicuntur, vel, ut alii scripsere, alterno semestri spatio. In coelum quoque translati sunt, eorumque sidus *Gemini* appellantur. *Serv.* ad *A.* 6, 121. dicit, esse duas stellas ita collocatas, ut, una oriente, altera occidat. Nautae vero sidera Castoris, et Pollucis appellarunt quasdam faculas, quae in mediis tempestatibus aliquando conspiciuntur in summitate mali, aut velorum, quae si geminae appareant, tranquillitas; si una tantum, majus periculum portendi solet. Nunc vocant Divos Nicolaum et Hermum. De his V. *Senec. Q. N.* 1, 1. et *Plin.* 2, 37, 37. Hujus autem fabulae origo ex alia fabula ducta est, quod nimirum navigantibus hisce fratribus in Argo navi, et saeviente mari procellis, cum Orpheus variis votis Deos fatigasset, apparuerunt geminae faces in eorum capitibus, et mox tempestas cessavit. Quare cum ignes illi navigantibus apparerent, Castoris et Pollucis arbitrio apparere crediti sunt. Hinc pingi consuevere albis equis sedentes, igneumque apicem in capite habentes. ℙ *Castores* in plur. numero utrumque fratrem significant. *Plin.* 10, 43, 60. Aedes Castorum. *Id.* 35, 4, 10. Tabula Castorum in foro Augusti. Adde 7, 22, 22., *Arnob.* 1. p. 20. et 2. p. 93. et *Auson. in gratiar. action. sub f.* Sic *alter Castor* ap. *Stat. Silv.* 4, 6, 15. ℙ *Per Castorem* jurare solebant mulieres, sicut per Herculem viri. Hinc *ecastor*, *mecastor*, quae V. suis locis. Legitur etiam *nae castor*, apud *Pl. Asin.* 3, 1, 29. Nisi mihi huc argenti affert viginti minas, nae ille, castor, hinc trudetur foras. Plerique rectius leg. *nae ille*, *ecastor*. ℙ Notat *Quint.* 1, 5. olim hoc nomen in obliquis casibus producta paenultima pronunciatum fuisse ab iis, qui omnia ex Latina ratione, non ex Graeca usurpanda esse censebant. ℙ Antique *Castorus* pro *Castoris* usurpatum vide in V. VENUS. in f.

CASTOR, ŏris, m. *κάστωρ*, animal ex genere amphibiorum, horrendi morsus, ut qui arbores juxta flumina, ut ferro, caedat, et si forte hominem comprehenderit, non antequam fracta concrepuerint ossa, morsus resolvat. Caudam habet piscium, ceteram speciem lutrae, pilum vero pluma molliorem. Haec *Plin.* 8, 30, 47. ℙ Latino nomine appellatur *fiber*, item *canis Ponticus*, quia in Ponto maxime abundat. *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 58. ℙ Dicitur quasi *γάστωρ*, quia ventre magno est. Vulgo fertur, cum viderit se obsideri, testiculos sibi suos ipsum dentibus avulsos projicere, gnarum ob id se peti, quia multos habent in medicina usus, quos *Plin.* 32, 3, 13. enumerat. *Juven.* 12, 34. imitatus castora, qui se Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno Testiculorum: adeo medicatum intelligit inguen. *Castora* accusativus est Graecae positionis, pro *Castorem*. *Vet. Schol. Juven.* ad *h. l.* hoc animal *bebrum* quoque vocari ait: cujus rectus casus est *beber*, seu *bebrus*, et inde adj. *bebrinus* ap. *eund. Schol.* ad 2, 99. Sed hae voces cadentis Latinitatis sunt. Nam *beber* levi mutatione ex *fiber* corruptum est. ℙ Caeterum *Plin. l. c.*, astipulante *Diosc.* 2, 26., falsum hoc esse ait, ut sibi testiculos amputet, quod parvos, et nimis substrictos habet, et adhaerentes spinae, ut sine vita animalis nequeant avelli. Addit autem esse folliculos geminos in inguinibus, graveolenti liquore plenos, et veluti mellis cerosi, gustu amaro et acri, colore ammoniaci, et friabiles. *Castorea* hi appellantur, et propter odoris gravitatem *virosa* a *Virg. l. c.* dicuntur. V. vocem sequent.

CASTŌREUM, ei, n. et Castorea, orum, n. plur. *καστόριον*, testiculi, seu folliculi in inguinibus castoris animalis, et liquor in iis existens, de quo V. in fin. vocis praeced. *Cels.* 6, 7. *n.* 8. In aurem dari debet castoreum cum aceto. *Scrib. Compos.* 3. Castorei, nucum amararum, singulorum uncias. *Virg. G.* 1, 58. At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus Castorea. *Lucr.* 6, 794 Castoreoque gravi mulier sopita recumbit. *Plin.* 32, 9, 32. Castorea emolliunt alvum.

CASTŌREUS, a, um, adj. ad castorem animal pertinens. *Plin.* 12, 24, 52. Aspalathos odore castoreo. Ita veteres edit. A. 1469. 1470. et 1472. Alii cum *Hard.* leg. *castorei*. ℙ Item ad Castorem fratrem Pollucis pertinens. *Sen. Hippol.* 810. Frenis Castorea mobilior manu Spartanum poteris flectere Cyllaron.

CASTORĪNĀTUS, a, um, adj. ad castorem animal pertinens. *Sidon. ep.* 5, 7. Incedunt albati ad exsequias, pullati ad nuptias, castorinati ad litanias, *h. e.* delicatissimis vestibus induti, quales sunt quae ex pilis castoris conficiuntur. *Isid. Or.* 19, 22. *castorinam vestem* appellat. Ita enim ibi legendum esse, non *caprinam*, monent eruditi: at alii leg. *aprinam*, alii alia.

CASTORĪNUS, a, um, adj. ad castorem animal pertinens. *Marc. Empir.* 35. Castorinum oleum. *Edict. Dioclet.* p. 23. Pellis castorina. *Isid. Or.* 19, 22. Castorina vestis. V. diction. praeced.

CASTRA, orum, n. plur. *στρατόπεδον*, locus, in quo exercitus, cum in expeditione est, subinde consistit, et vallo fossaque munit, tentoria figit, quietem capit. Caret fere singulari numero. Etymon vocis vide infra in CASTRUM. *Cic. Fam.* 15, 4. Castra in radicibus Amani habuimus apud Aras Alexandri quatriduum. *Caesar* ad *Q. Pedium* ap. *Cic. Att.* 9, 14. Pompejus se oppido tenet; nos ad portas castra habemus. *Cic. Inv.* 2, 42. Hostes prope muros castra habent. *Caesar* ad *Opp.* post *ep.* 13. *l.* 9. ad *Att.* Ponere castra ad murum. *Justin.* 1, 8. metari (eodem sensu). *Sall. Jug.* 54. Capere locum castris. *Tac. Hist.* 2, 19. Vallare castra. *Id. ib.* 5, 22. erigere. *Cic. Fam.* 15, 2. locare. *Id. Verr.* 2, 5, 12. facere stativa. *Id. Div.* 1, 35. movere versus Arretium. *Caes. B. G.* 1, 48. promovere. Et *ib.* 49. munire. Et *ib.* 40. Continere se castris. Et *ib.* 2, 11. Recipere se in castra. *Id. Div.* 1, 33. Florentissima Samnitium castra capere. [**Tac. Ann.* 11, 8. Bactrianos apud campos castra retulit.] *Id. Phil.* 12, 11. Pompejus cum duce Marsorum inter bina castra collocutus est. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 235. Castris collatis. Adde *Tac. Hist.* 3, 57. ℙ De castris faciendis multa *Veget. Mil.* 3, 8. ℙ *Castra Praetoriana*, et *Praetoria* fuit locus ad Urbem prope muros, non longe a via Nomentana, ubi Praetorianus miles continebatur. Instituta sunt ex consilio Sejani a Tiberio, qui dispersas antea, et sine castris cohortes, quas Augustus praesidii causa in Urbem induxerat, in eum locum collegit. *Suet. Claud.* 21. et *Capitol. Max.* et *Balb.* 10. V. *Tac. Ann.* 4. 2. [**Id. ib.* 11, 35.] et *Suet. Tib.* 37. Praetorias legiones, earumque subsidia factionibus aptiora, quam urbi Romae, sublata penitus a Constantino M. narrat *Aur. Vict. Caes.* 40. ℙ Eadem absolute *castra* vocantur a *Suet. Claud.* 36. nec alia intelligenda, cum in urbanis rebus de castris mentio fit. ℙ Interdum *castra* dicuntur fossa, vallum, aliaque opera militaria, quibus urbes in obsidionibus cinguntur. *Cic. Fam.* 15, 4. Oppidum sex castellis, castrisque maximis sepsi. *Caes. B. C.* 3, 9. Quinis castris oppidum circumdedit. ℙ *Castra navalia* est locus, ubi naves ad bellum paratae consistunt. *Caes. B. G.* 5, 22. Castra navalia de improviso adoriri. Sic *Nep. Alcib.* 8. Castra nautica juxta hostes habere. *Virg. A.* 4, 604. faces in castra tulissem, Implessemque foros flammis. Adde *ib.* 5, 519. et *Nep. Ann.* 11. ℙ [**Castra stativa*, *castra hiberna* (haec et absolute castra dicuntur apud *Tac. Ann.* 1, 35. Et siquae alia ex necessitate, aut adversus otium castrorum quaeruntur) quaenam fuerint v. in *stativus* et *hibernus*. ℙ *Castra lunata* sunt in lunae (semicirculi) formam posita, quorum in obsidionibus maxime usus esse solebat *B. Afr.* 80. Lunatis castris Thapsum operibus circum munivit.] ℙ Quia vero quotiescumque locum mutat exercitus, nova castra facere opus est, *castra* designant aliquando ipsa itinera militaria. *Liv.* 38, 24. Ad eos profectus consul, tertiis castris Ancyram pervenit. *Id.* 28, 16. Septuagesimis castris Tarraconem rediit. *Curt.* 3, 7. Castris motis ad urbem Mallon pervenit, inde alteris castris ad oppidum Castabalum. ℙ Saepe accipiuntur pro ipsa militia, per metonymiam. *Tibull.* 4, 1, 39. Nam quis te majora gerit castrisve, forove? *Vellej.* 2, 125. Vir, nescias utilior in castris, an melior in toga. *Nep. Ann.* 23. In castra proficisci cum aliquo, *h. e.* ire in militiam. *Id. Ep.* 5. Castris uti, non palaestra. [**Plin. Pan.* 34, 2. Atque ut ante castris, ita postea pacem foro reddidisti, cf. Gierig ad h. l. qui recte ad utrumque, et ad sedatum praetorianorum tumultum et ad disciplinam castrorum correctam refert.] ℙ Translate. *Cic. Fam.* 9, 20. In Epicuri nos adversarii nostri castra conjecimus. *Hor. Od.* 3, 16, 22. nil cupientium Nudus castra peto. Adde *Sen. ep.* 2. ℙ *Castra apium* dicuntur earum stationes a *Pallad.* 1, 37. ℙ In descriptione regionum Urbis R. sub f. leguntur apud *P. Victor.* castra lecticariorum, tabellariorum, victimariorum, salgamariorum: et videntur esse certa loca, ubi magna erat hujusmodi artificum frequentia, quo facilius a conducentibus inveniri possent. ℙ In singulari num. *castrum Poenorum* dixit *Pl.* ap. *Serv.* ad *A.* 6, 776. V. CASTRUM. ℙ Reperitur etiam *castra*, *ae*, femin. generis. *Accius* ap. *Non.* 3, 65. Castra haec vestra est etc. ℙ Castra militaria variis locis nomen dedere, ubi posita aliquando fuerant. Sic *Castra Pyrrhi*, locus prope Lacedaemonem, ap. *Liv.* 35, 27. *Castra Corneliana*, et *Cornelia* locus in Africa prope Uticam, ap. *Caes. B. C.* 2, 25. et *Plin.* 5, 4, 3. His adde *Castra Julia*, et *Castra Caecilia* oppida Hispaniae, ap. *Plin.* 4, 22, 35. et alia, de quibus V. geographos. *Castra Aelia* fuit oppidum Hispaniae prope Iberum amnem, cujus meminit *Liv. fragm. lib. XCI.* a *Niebuhrio* iterum edito. Ipse ad Iberum fluvium copias adduxit: ibi hibernaculis secundum oppidum, quod Castra Aelia vocatur, aedificatis etc. ℙ [**Castra vinaria* et *Castra gemina* loci vel oppida fuere in Hispania Baetica *Plin.* 3, 1. ℙ *Castra Hannibalis*, opp. c. portu in Ital. infer., in Brutt. *Plin.* 3, 10. ℙ *Castra nova* Daciae opp. fuit in ripa Danubii, ultra Tibisum. *Tab. Peut.* ℙ *Castra Martis* non longe a Timaco distabat, ad Istrum flumen. *Ammian.* 31, 32. (al. 11.) Vulgo Stramartis vocatur, teste Holstenio. Denique *Castra Herculis* in Batavia fuit, secundum Rheni ripam, prope Arenacum. *Ammian.* 18, 2. *Tab. Peut. B. A.*] ℙ *Castrorum filius* est appellatus Caligula imperator, teste *Suet Cal.* 22., quod in castris natus educatusque fuerit. Adde *Aur. Vict. Caes.* 3. *Castrorum* vero *mater* prima omnium Augustarum fuit appellata Faustina junior, M. Aurelii Antonini uxor, quod hanc ille secum, dum adversus Quados bellasset, in aestivis habuerat, ut ait *Capitol. M. Aurel.* 26. Hinc passim in inscriptionibus, et nummis deinde plures Augustae hoc cognomine honoratae fuerunt.

CASTRĀMĔTOR, aris, dep. 1. *στρατοπεδεύω*, metato captoque loco castra pono. *Liv.* 9, 27. Et primo circa saltus, cum utrinque ad hostem iniqua via esset, cunctati castrametatique sunt. Ita vet. editiones A. 1470. et 1480.: aliae *castrametatique* omittunt. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 1. Villam posuit peritia castrametandi. Vetus editio A. 1469. et *Hard.* junctim scribunt: aliae divisim *castra metandi*. Nam *castra metor* divisis vocibus legitur ap. *Tac. A.* 1, 63. et *Curt.* 3, 8. etc. Adde, si hujusmodi vocum conjunctio locum haberet, *castrometor*, non *castrametor* esse scribendum.

[*CASTRĀNUS, a, um, adj. ad Castrum Inui pertinens, oppidum maritimum in Rutulis, prope Ardeam, ubi nunc fluvius *Incastro* cognominatus. Hujus meminit *Virg. A.* 6, 775. Addentque superbos Pometios, Castrumque Inui. *Mart.* 4, 60, 1. Ardea solstitio, Castranaque rura petantur. *Sil.* 8, 361. *F. B. A.*

CASTRĀTĬO, onis, f. *σπαδωνισμός, ὀρχοτομία*, testiculorum exsectio. *Colum.* 6, 26. Id optimum genus castrationum, quod etc. Adde 7, 11. et *Pallad.* 6, 7. ℙ In arboribus *castratio* est ramorum amputatio certa ratione facta. *Plin.* 16, 40. 76. *n.* 3.

CASTRĀTOR, oris, m. *τομεύς*, qui castrat. *Tertull. adv. Marc.* 1, 1. Castor castrator carnis suae.

CASTRĀTORĬUS, a, um, adj. ad castrandum

pertinens. *Pallad.* 1, 43. Castratoria ferramenta, atque tonsoria.

CASTRĀTŪRĂ, ae, f. idem quod castratio, vel locus, in quo castratio facta est. *Pallad.* 6, 7. Vulnera castraturae cinere sarmentorum linere. ℙ Ap. *Plin.* 18, 9, 20. *n.* 1. *castratura siliginis* est ejus purgatio. V. v. seq.

CASTRĀTUS, a, um, part. a castro, ἐκτομίας, ἔκτομος, testiculis privatus, exsectus. *Plin.* 11, 51, 112. Castratis hominibus vox exilior. *Id. ib.* 37, 64. Equo castrato non decidunt dentes. *Id.* 10, 21, 26. Galli castrati canere desinunt. ℙ Ponitur etiam generatim pro amputato, truncato. Hinc *castrata arbor*, cui supervacui rami praeciduntur, quo minus luxurietur, et utilius crescat. *Plin.* 24, 8, 33. Humor e medulla castratae arboris effluens. ℙ *Id.* 15, 14, 15. Mala spadonia, appellata a conditione castrati seminis, *h. e.* nullum intus semen habentia. ℙ *Castrata siligio*, vel *similago* est usque ad certam mensuram cribro purgata. *Plin.* 18, 9, 20. Justum est e grano Campanae, quam vocant castratam, e modio redire sextarios quatuor siliginis, vel e gregali sine castratura sextarios quinque. Et *ib.* 10, 10. *n.* 2. Pretium huic annona media in modios farinae quadraginta asses, similagini castratae octonis assibus amplius, siligini castratae duplum. ℙ Translate *castratae vires* dicuntur a *Plin.* 11, 18, 19. *h. e.* attenuatae, attritae. Eodem sensu *Castratam rempublicam morte Africani* recte dici, negat. *Cic. Or.* 3, 41., quia deformis in eo similitudinis cogitatio inest. Adde *Quint.* 8, 6.

CASTRENSĬĀNUS, a, um, adj. *Castrensiani* dicti sunt ministri sacri Palatii, quorum varia fuere munera. Hoc enim numero fuerunt praegustatores, pincernae, fullones, vestitores, pistores, aliique hujusmodi administri, ut est apud *Lampr. Alex. Sev.* 41., ubi multa de his disputat *Salm.* Horum mentio fit in *Cod. Justin.* 12, 26., cui titulus est *De castrensianis* etc., alii leg. *castrensiariis.* ℙ Alii sunt *castrensiani*, de quibus *ib. tit.* 36. *leg.* 14., nempe milites, qui in castris, seu castellis ad finium custodiam positis degebant et excubabant.

CASTRENSĬĀRĬUS, a, um, adj. idem quod castrensis. *Castrensiarius negotiator* legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 649, 5., et significat eum, qui ad castra annonam convehens negotiatur.

CASTRENSIS, se, adj. ad castra et militiam pertinens. *Cic. Coel.* 5. Eadem erat, si statim mereri stipendia coeperamus, castrensis ratio et militaris. *Id. Cat.* 3, 7. Nisi ex domesticis insidiis in castrense latrocinium compulissem. *Id.* ap. *Plin.* 7, 43, 44. Mulio castrensis. *Plin.* 10, 21, 24. Vigilia castrensis. *Flor.* 2, 2. *ad f.* Romana classis prompta, levis, expedita et quodam genere castrensis, *h. e.* quae velut castra, quolibet facile promovetur. *Suet. Tib.* 72. Castrenses ludi, *h. e.* qui a militibus in castrorum statione eduntur. *Tac. Agr.* 9. Jurisdictio castrensis, *h. e.* quae ab imperatore in castris exercetur. *Liv.* 7, 36. Triumphus castrensis, *h. e.* in castris actus. *Plin. praef. Hist. nat.* et *Gell.* 17, 2. Verbum castrense, cujusmodi sunt *conterraneus* et *copior*, quae V. ℙ *Castrensis corona* est, qua donat eum imperator, qui primus hostium castra pugnans introivit. Ea insigne valli habet. Ita *Gell.* 5, 6. Eadem dicebatur etiam *vallaris* a vallo incenso et expugnato. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 5. Vallarem coronam ei se servare dixit, a quo castra erant oppressa. ℙ *Castrensis creditor* est, cui aes alienum debetur in castris contractum. *Ulp. Dig.* 42, 7, 1. et *Id. ib.* 49, 17, 7. ℙ *Peculium castrense* est, quod a parentibus et cognatis in militia agenti donatum est vel quod ipse filius familias in militia acquisivit, quod nisi militaret, acquisiturus non fuisset, ut *Macer Dig.* 49. *tit.* 17., qui est *De castrensi peculio*, 11. definit. Adde *Paul. sentent.* 3, 4. De eo testari potest miles etiam vivo patre. Nam quae sunt parta labore militiae, placuit non esse in corpore census, ut ait *Juven.* 16, 52. ℙ *Quasi castrense*, quod filius familias in palatina vel togata militia sibi paravit, ad similitudinem peculii militaris. *Ulp. Dig.* 37, 6, 1. *a med.* et *ib.* 1, 3. ℙ *Castrenses ministri* in sacro Palatio fuerunt iidem, qui *Castrensiani*, de quibus supra dictum est. *Lampr. Alex. Sev.* 41. Fullones et vestitores et pictores et pincernae, omnes castrenses ministri. ℙ Hi et *Castrenses* absolute dicuntur erantque sub dispositione ejus, qui *Castrensis sacri Palatii* appellabatur. V. *Cod. Theod.* 11, 18, 1. et 6, 35, 3. et alibi. ℙ *Castrensis* dicitur etiam qui ex aliqua est urbe, quae Castrum appellatur, ut *Castrensis Morinus* est civis Castri Morinorum, nunc *Cassel* in Belgica. *Grut.* 325, 12. D. M. Ti. Cl. Honoratiani Castrensis Morini in civitate sua sacerdotalis.

[CASTRĬĀNUS, a, um, idem ac Castricianus, is scilicet, qui in castris degit. *Vopisc. Aurel.* 38. *F.*]

CASTRĬCĬĀNUS, a, um, adj. ad *Castricium* pertinens, quod est nom. viri propr. *Cic. Fl.* 23. Castricianum nomen. Et *ib.* Castricianum vulnus. Adde *Att.* 12, 28. et 30.

[CASTRĬCĬUS, a, um, adj. idem ac castrensis. *Not. Tir.* p. 74. *F.*]

CASTRO, as, avi, atum. a. 1. εὐνουχίζω, ὀρχοτομέω, testiculos amputare, evirare: et cum de feminis sermo est, genitalia ita caedere, ut ad concipiendum inepta sint. Etymon est a κάω, exscindo, unde praet. perf. pass. κέκαστται, hinc *castus*, proprie *excisus*. *Pl. Aul.* 2, 2, 73. Impero, auctorque sum, ut me cuivis castrandum loces. *Varr. R. R.* 2, 5. Castrare vitulos. *Plin.* 8, 51, 77. Castrantur feminae sues suspensae pernis prioribus, vulva recisa. *Suet. Dom.* 7. Castrari mares vetuit. *Ammian.* 14, 6. Semiramis teneros mares castravit omnium prima. ℙ Ponitur etiam generatim pro amputare, truncare. *Plin.* 8, 41, 63. Si castretur morsu cauda, summusque ejus articulus auferatur, nec caudam crescere, nec canes rabidos fieri. *Colum.* 7, 12. Castrare caudas catulorum. ℙ Hinc *castrare arbores* est trunco ad imum perforato, aut supervacuis ramis praecisis, vel alia quapiam ratione nimiam luxuriam compescere, quo utilius proveniant. *Vitruv.* 2, 9. Arbusta suo quaeque tempore ad imum perforata castrantur. *Cato R. R.* 33. et ap. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 20. Vites teneras quamprimum propagato, veteres quam minimum castrato. *Id.* 17, 20, 33. Castrare arundinetum, *h. e.* cum nimis densatum est, intercidere et disrarare, ut *Colum.* 4, 32. exponit. ℙ Translate *Plin.* 18, 14, 36. Lupinum condi in fumo maxime convenit, quoniam in humido vermiculi umbilicum ejus in sterilitatem castrant, *h. e.* erodunt, ut satum nasci non possit. ℙ *Castrare alvearia* ap. *Colum.* 9, 15. et *Pallad.* 7, 7. est favos eorum praecidere, et mella eximere. ℙ *Castrare vina saccis* dixit *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 2., hoc est saccis percolare, eorumque vires frangere, ut *Idem* loquitur 14, 22, 28. Hoc enim pacto mitiora et suaviora fiunt. V. SACCO. ℙ *Castrare libellos* hoc est impuros jocos ab iis auferre, est *Mart.* 1, 36. ℙ Illa etiam translata sunt *Claudiani in Eutrop.* 1, 192. Quid nervos secuisse juvat? vis nulla cruentam Castrat avaritiam, *h. e.* compescit, vel tollit. Et *Lactant.* 6, 15. Stoici affectus non temperant, sed abscindunt, rebusque a natura insitis castrare hominem quodammodo volunt. Et *Hieronym. ep.* 22. *n.* 30. Castrare se domo, parentibus, cognatis, et consuetudine lautioris cibi, *h. e.* se abdicare, privare. *Senec. ep. de Maecenate.* Ingeniosus ille vir fuit, magnum exemplum Romanae eloquentiae daturus, nisi illum enervasset felicitas, immo castrasset. V. alia in CASTRATUS.

CASTRUM, i, n. [Etymon vocis est a *casum* sup. verbi *cado*, ut *lustrum* a *lusum. F.*] castrum enim est locus muro, fossaque munitus cum milite excubante praesidii causa: quod si angustius sit, castellum appellatur. Primo exstrui coepta sunt hujusmodi loca ad custodiam regionis arcendosque hostes, deinde et ab incolis frequentari cum coepissent, oppidorum vicem supplevere. Quare idem discrimen est inter *castrum* et *oppidum*, quod supra in CASTELLUM, posuimus. *Nep. Alc.* 9. Ei Grunium dederat in Phrygia castrum, ex quo etc. *Pompej.* ad *Dom. post ep. l.* 12, 8. *ad Att.* Caesar in castrum Truentinum venit. *Virg. A.* 6, 776. Pometios castrumque Inui, Bolamque Coramque. *Tarr.* ap. *Serv.* ad *A.* 9, 7. Castrum Laurens. ℙ Varia sunt praeter modo dicta in variis regionibus oppida, quae *Castri* nomine appellantur, ut *Castrum Julium*, alio nomine *Urgia*, in Hispania, ap. *Plin.* 3, 1, 3. *Castrum novum* in Etruria, *ib.* 5, 8. etc. V. geographos. [*ℙ Fuit et *Castrum novum* opp. in Picano, memoratum a *Plin.* 3, 5. quod et Castrum simpliciter audit *Vell.* 1, 11. et *epit.* l. 11. ℙ *Castrum altum*, in Hispania fuit Hamilcaris magni caede insigni. *Liv.* 24, 41. *B. A.*] ℙ Translate. *Pl. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 6, 776. Castrum poenarum. [Alii rectius *Poenorum. F.*]

CASTŪLA, ae, f. est palliolum praecinctui, quod nudae infra papillas praecinguntur, quo mulieres nunc et eo magis utuntur, postquam subuculis desierunt. Haec *Non.* 16, 5., cujus verba quidam *Varroni* tribuerunt. Afferuntur quidem a quibusdam Lexicographis haec *Varronis* verba: *Castulam mulier sumpserat pro succula* (forte *subucula*). Sed a quonam ea referantur, nondum inveni. ℙ [*Castula*, *ae*, f. et *Castulus*, *i*, m. est diminutivum *castae* et *casti*. *Inscr.* ap. *Grut.* 368, 4. Ieria Castula. Alia ap. *Mur.* 1506, 13, Q. Valerius Castulus. *F.*]

CASTŪLONENSIS, se, adj. ad Castulonem pertinens, quod est oppidum in finibus Hispaniae Baeticae, ad Anam fluvium, ut ap. *Plin.* 3, 2, 3. legitur. *Liv.* 22, 20. et *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. Castulonensis saltus. ℙ *Castulonenses*, *ium*, sunt ejus oppidi incolae. *Plin. ib.* 3, 4.

*CASTŪOSUS, a, um, adj. idem ac castus. *Not. Tir.* p. 92.

CASTUS, a, um, adj. ἁγνὸς, καθαρὸς, a turpi libidine immunis, continens. [*De *etymol.* vocis ejusque synonym. V. *Döderl.* 3, 196. sqq.] *Cic. Phil.* 3, 6. Quis hoc adolescente castior? quis modestior? quis autem illo maledico impurior? *Id. Har. resp.* 13. Femina, quae matronarum castissima putabatur. *Id. Coel.* 4. M. Crassi castissima domus. *Colum.* 9, 14. Castus a rebus venereis. *Mart.* 6, 28. Castus moribus, integer pudore. ℙ *Tibull.* 3, 1, 23. dicitur *casta*, quae uno amatore contenta est. Adde 1, 3, 83. et *ib.* 7, 73. et 81. ℙ Sumitur etiam generatim pro integro, sancto, innocente et ab omni improbitate immuni. *Cic. Invent.* 2, 11. Indignum demonstrabitur, cum animus omni in vita fuerit a vitiis remotissimus, eam causam putare, castissimum quoque hominem ad peccandum potuisse impellere. *Id. Rabir. perduell.* 4. Uter nostrum popularis est? tune, qui civibus Romanis in concione ipsa carnificem, qui vincla adhiberi putas, qui in campo Martio crucem constitui jubes; an ego, qui castam concionem, sanctum campum defendo servari oportere? [*Plin. Pan.* 1, 3. Castus et Sanctus princeps. *Id. ib.* 3, 5. Castam et puram mentem inferre templis.] *Pl. Poen.* 5, 4, 13. Eo sumus gnatae genere, ut deceat nos esse a culpa castas. *Hor. A. P.* 206. Populus frugi, castus, et verecundus. *Id. Carm. saec.* 42. Castus Aeneas. *Varr.* ap. *Non.* 4, 87. *castum* dicit a furtis et rapinis abstinentem, ut ipse *Non.* exponit: quo sensu etiam *Cic.* usurpat *Sext.* 43. et *Flacc.* 28. ℙ Castus est etiam idem ac ingenuus. *Hor. Carm. saec.* 6. Virgines lectas, puerosque castos, *h. e.* non meritorios, qui servilis erant conditionis. Hinc *Cic. Phil.* 2, 41. Ingenui pueri cum meritoriis versabantur. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Cic. Phil.* 13, 4. Res familiaris cum ampla, tum casta a cruore civili. *Id. Leg.* 2, 18. Ebur ex inani corpore extractum haud satis castum donum Deo. *Id. Har. resp.* 13. Castissimos ludos omni flagitio polluere. *Id. Invent.* 2, 39. Praemia virtutis sancta et casta esse oportet, neque ea aut cum improbis communicari, aut in mediocribus hominibus pervulgari. *Hor. Od.* 4, 11, 6. Ara castis cincta verbenis, *h. e.* puris, mundis. *Id. ib.* 1, 12. *in f.* Parum castis lucis mittere fulmina, *h. e.* quorum religio scelere aliquo polluta est. ℙ *Casta mola*, inquit *Festus*, est genus sacrificii, quod Virgines Vestales faciebant. ℙ Juvenca *cervice casta* dicitur a *Silio* 13, 431. quae jugum non sensit. [*Ita explicat *Heins. Drak.* autem vertit: conjugii rudem, quia erat sacrificium Proserpinae.] ℙ In illo *Virg. A.* 7, 71. castis adolere altaria taedis: *Serv.* illud *castis* exponit *piis;* eademque ratione interpretatur illud *A.* 3, 409. Hac casti maneant in religione nepotes. Et *ib.* 6, 563. Nulli fas casto sceleratum insistere limen. ℙ Eleganter *castus* dicitur, qui fidem servat, cui opponitur perjurus, perfidus: ducta translatione ab uxoribus, quae tori fidem castae custodiunt. *Cic. Rosc. Com.* 7. Considera, quis quem fraudasse dicatur, probus improbum, pudens impudentem, perjurum castus etc. *Sil.* 17, 131. casti ductoris foedera. *Id.* 3, 1. Sagunti moenia castae. Adde 14, 83. Sic dicitur *casta fides*, quae inviolata servatur. *Id.* 13, 284. Foedera, mortales, ne saevo rumpite ferro, Sed castam servate fidem. ℙ Saepissime autem *casta fides* dicitur de conjugio. *Stat. Silv.* 5, 1, 154. et *Senec. Herc. fur.* 309. et alibi. ℙ *Castus* pro suavi et jucundo. *Varr. in Parmen.* Demittis acres pectore curas, cantu castaque poesi. Ita *Non.* interpretatur *l. c.* ℙ *Castus sermo* est purus, nitidus, et ab omni barbarie ac sordidis phrasibus expurgatus. *Gell.* 19, 8. C. Caesar vir ingenii praecellentis, sermonis praeter alios suae aetatis castissimi. V. SANCTUS.

CASTUS, us, et i, m. ἄγνεια, ritus, caeremonia, sacrum. Dicitur etiam *castimonia*. Proprie autem significat sacrum illud, in quo a certis quibusdam rebus abstinentia praecipitur, et praesertim cum ministros ejus sacri a rebus venereis castos esse oportet. *Varr.* ap. *Non.* 3, 45. Et religiones, et castus id possunt, ut etc. *Id. ib.* Graeco castu facere. *Naev. ib.* Res divas edicit, praedicit castus. *Gell.* 10, 15. Castus multiplices impositi Flamini Diali. *Festus* in *Minuitur* etc. Minuitur populo luctus, cum in casto Cereris est, *h. e.* cum sacris Cereris operatur, ὅταν ἁγνεύει Δήμητρι. Porro in casto Cereris a panis alimonio abstinebant, imitati Cererem, cum violentia moeroris ob amissam filiam, diu satarum a se frugum inediam toleravit, ut *Arnob.* 5. p. 167. docet. Quid temperatus ab alimonio panis, cui rei dedistis nomen castus? *Tert. Jejun.* 16. Castus Isidis et Cybeles.

CĂSŪĀLIS, le, adj. πτωτικός. Grammatici usurpant de iis rebus, quae casus declinationis respiciunt, ut *Casuale genus*, *h. e.* quod in casus declinatur, apud *Varr. L. L.* 7, 29. et *Casualis pars* ap. *eund.* 9, 1. *a med.* Sic *casuales formae*, *h. e.* earum dictionum, quae habent casus, apud *Prisc.* 5. p. 672. ℙ Dicitur praeterea *casualis*, qui casu fit, τυχαῖος. *Imp. Justin. Cod.* 6, 27, 6. Casualis conditio, *h. e.* quae a casu pendet.

CĂSŪĀLĬTER, adv. τυχηρῶς, casu, forte. *Sidon. ep.* 9, 11. Si quid ibi vel casualiter placet. Adde *Fulgent. Mythol.* 1, 5.

*CASUENTILLĀNI, orum, opp. cujusd. incolae,

quod in Umbria fuit, quodque Frontini Casuentinum fuisse admodum credibile est. *Plin.* 3, 14. V. v. sq. *B. A.*

[*CASVENTINUS, a, um, adj. ad Casventum pertinens, Umbriae oppidum. ℙ *Casventini, orum,* sunt incolae illius oppidi, qui a *Plin.* 3, 14, 19. *Casventillani* vocantur. *Inscr.* ap. *Grut.* 411, 3. T. Fl. T. F. Clu. Isidoro patrono municipii Interamnat. Nart., Casventinorum, Vindenatium. *F.* et *B. A.*]

*CASUENTUM, i, sc. flumen, vel Casuentus, i, sc. fluvius, in Ital. inf. vel Magna Graecia, in sinum Tarentinum se exonerat. *Plin.* 3, 11. Hodiernum nomen Basiento. *B. A.*

CĂSŬLĂ, ae, f. *καλύβιον, οἰκίσκη,* parva casa. *Petr. Sat.* 111. Secundum illam casulam, in qua recens cadaver matrona deflebat. *Plin.* 35, 10, 37. Casula Protogenes contentus erat in hortulo suo. *Juven.* 11, 153. Et casulam, et notos tristis desiderat haedos. ℙ Est quoque idem ac sepulcrum. *Inscr.* ap. *Zacchar. Stor. lett. d'Ital. T.* 14. p. 89. M. Licinius M. F. Pol. Nepos hanc casulam in parvo fecit supremi temporis sedem. ℙ De casula veste V. in CUCULLATUS.

CASUS, i. V. CASOS.

CASUS, us, m. *πτῶσις, πτῶμα,* actus cadendi, ruina. *Cic. Coel.* 17. Via lubrica, qua insistere, aut ingredi sine casu aliquo vix posset. *Accius* ap. *Cic. Div.* 1, 22. cornibus in me arietare, eoque ictu me ad casum dari. *Liv.* 21, 35. Nivis casus ingentem terrorem adjecit. *Hor. Od.* 2, 10, 10. celsae graviore casu Decidunt turres. *Plin.* 2, 50, 51. Casus fulminum. *Id.* 28, 2, 4. vehiculi. *Lucr.* 1, 313. stillicidii lapidem cavat. *Id. ib.* 741. Magno casu cadere. *Id.* 5, 1332. Gravi casu terram consternere. *Phaedr.* 5, 7. Casu gravi concidere. ℙ Translate dicitur de morte alicujus. *Caes. B. C.* 1, 7. Saturnini atque Gracchorum casus. *Suet. Aug.* 65. Caji et Lucii casu non adeo fractus. ℙ Item saepissime de quacumque ruina, qua quis de suo statu aliquo modo decidit. *Phaedr.* 1, 21. Quicumque amisit dignitatem pristinam, Ignavis etiam jocus est in casu gravi. *Cic. Sext.* 24. Cum illum meum casum tam horribilem, tam gravem, tam repentinum homines lugerent. *Id. Q. Fr.* 1, 4. Relevare casum alicujus. *Id. Sull.* 21. Tutari et conservare aliquem in casu, quo afflictus jacet. *Id. Or.* 2, 85. Ferre sapienter casus adversos. *Id. Fam.* 4, 13. Aliorum opibus casus suos sustentare. *In epist. Catil.* ap. *Sallust.* 36. Hoc nomine satis honestas pro meo casu spes reliquae dignitatis conservandae sum secutus, *h. e.* pro mea conditione et statu, in quem decidi. ℙ Dicitur *casus hiemis*, cum hiems finitur: *Virg. G.* 1, 340. Extremae sub casum hiemis. ℙ A medicis *casus* dicitur ipse morbus, vel symptoma. *Hor. Sat.* 1, 1, 80. si condoluit tentatum frigore corpus, Aut alius casus lecto te afflixit. *Cels.* 4, 7. Pulmo totus afficitur: hunc ejus casum subsequitur tussis. Et *ib.* 4. *extr.* In hoc casu locis maritimis opus est. *Id.* 8, 2. In ceteris vero casibus, ubi ossa paululum recesserunt etc. *Id.* 5, 23. Antidota gravissimis casibus opitulantur. *Coel. Aur. Acut.* 2, 38. Casus virium. ℙ Praeterea sumitur pro eventu fortuito, et non praeviso, sive bonus, sive malus sit, *τύχη, συντυχία.* Veteres *casum* et *fortunam* Deos fecere, qui inopinatis eventibus praecessent, eosque cum liberet, accidere permitterent. Discrimen, quod inter haec duo statui solet, est ejusmodi, ut *Fortunae* tribuantur ea, quae ex causis quidem non necessariis proficiscuntur, et propterea fortuita dicuntur; tamen sine hominum opibus et studiis neutram in partem effici possunt, ut interitus exercituum, invidiae, exsilia, honores etc.: *Casui* vero ea assignentur, quae sine ulla hominum ope eveniunt, ut procellae, incendia, morsus bestiarum, et similia. [*Tac. A.* 1, 70. Nihil consilia differre a casu.] *Cic. Off.* 2, 6. utrumque genus *Fortunae* tribuit. Sed non solum ipse, verum alii quoque scriptores illam differentiam saepissime negligunt, quae ad philosophiam sane magis, quam ad recte loquendi rationem pertinet. [*Caes. B. G.* 6, 30. Casu magno accidit; pro quo paulo post legitur, magnae fuit fortunae.] *Cic. N. D.* 1, 32. Quis iste tantus casus? unde tam felix concursus atomorum, ut repente homines Deorum forma nascerentur? *Id. Div.* 2, 6. Quid est enim aliud fortuna, quid casus, nisi cum sic aliquid cecidit, ut vel non cadere, vel aliter cadere potuerit? Quomodo ergo id, quod temere fit caeco casu, et volubilitate fortunae, praesentiri potest? *Id. Off.* 2, 13. Habere aliquid aut a patre acceptum, aut aliquo casu, atque fortuna. *Id. Manil.* 20. Ad novos casus temporum, novorum consiliorum rationes accommodare. *Id. Or.* 28. Extimescere ancipites dicendi, incertosque casus. [*Tac. A.* 1, 61. Casus bellorum. *Eutrop.* 2, 25. Fractos tot casibus. Cf. *Tzschucke* ad h. l. *Tibull.* 1, 9, 82. Tum Veneri merenti fixa notet casus aurea palma meos. *Tac. A.* 2, 5. Ut Germanicum dolo simul et casibus objectaret. *Id. ib.* 2, 26. Satis jam eventuum, satis casuum.] *Nep. Datam.* 5. Reges hominibus casus adversos tribuunt, secundos fortunae suae. *Hor. Sat.* 1, 6, 52. felicem dicere non hoc Me possunt casu, quod te sortitus amicum. *Cic. Fam.* 7, 5. Casus mirificus quidam intervenit, quasi sponsor humanitatis tuae. [*Tac. A.* 1, 29. Quae casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus. *Id. ib.* 6, 23. Incusare casus.] *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 21. Si casus inciderit, mori paratus sum. *Caes. B. C.* 1, 78. Res plures casus recipere potest. *Liv.* 42, 62. Dare se in casum irrevocabilem. *Tac. A.* 12, 14. Rem in casum dare, proelioque experiri, *h. e.* fortunae permittere. [*Id. ib.* 1, 47. Rempublicam in casum dare.] *Juven.* 1, 90. loculis comitantibus itur Ad casum tabulae. *Curt.* 9, 6. Trahere aliquem in casum. *Planc.* inter *Cic. Fam.* 10, 8. Cum in eum casum me fortuna demisisset, ut aut etc. [*Idem quod sors, fatum (*Loos, Schicksal*). *Tac. A.* 2, 63. Idem Catualdae casus. *Id. ib.* 4, 53. Vitam suam et casus suorum posteris memoravit. *Id. ib.* 6, 7. Tractique sunt in eundem casum. *Id. ib.* 6, 51. Casus prima ab infantia ancipites. *Cic. Fam.* 4, 12. Quoniam casus et natura in bonis dominatur (ita *Orell.*) Cf. *Manutius* ad h. l. *Id. ib.* 5, 17. Casum communem et incertum nec vitare quisquam nostrum, neque praestare ullo pacto potest. ℙ Etiam i. q. rerum discrimen, eventus *(Entscheidung). Tac. A.* 6, 44. Quibus proelium et festinati casus placebant.] ℙ Ablativus *casu* adverbii loco adhibetur, et significat forte, *τύχῃ, ἀπὸ τύχης. Cic. Cluent.* 27. Casu Stalenus ipse non aderat. *Nep. Ann.* 12. Accidit casu, ut legati etc. *Cic. Fam.* 5, 15. Casu nescio quo in ea tempora aetas nostra incidit, ut etc. *Id. N. D.* 2, 2. Id evenit non temere, nec casu, sed etc. *Senec. ep.* 71. Necesse est, multum in vita nostra casus possit, quia vivimus casu. [*Tac. A.* 1, 13. Quia Tiberius casu an manibus ejus impeditus prociderat.] ℙ Aliquando *casus* ponitur pro discrimine, periculo. [*Tac. A.* 1, 17. Ac si quis tot casus vita superaverit. *Id. ib.* 2, 23. Et casuum maris ignarus. *Id. ib.* 12, 43. Navibus et casibus vita populi Romani permissa est, i. e. periculis navigationis.] *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 18. Quae res nullam habebat dubitationem, ea nunc magnam affert sollicitudinem, magnumque habet casum. *Cic. Senect.* 19. Aetas adolescentiae multo plures, quam nostra, mortis casus habet. *Virg. A.* 4, 560. potes hoc sub casu ducere somnos? ℙ Item pro occasione. *Sall. Jug.* 27. Maxime sperans, diducta manu hostium, aut vi, aut dolis sese casum victoriae inventurum. *Id. ib.* 60. Fortunam illis praeclari facinoris casum dare. *Tac. A.* 11, 9. Casus Mithridati datus est occupandi Armeniam. [*Id. ib.* 12, 28. Casum pugnae praebere. *Id. ib.* Casum invadendae Armeniae obvenisse ratus. *Id. ib.* 13, 36. Et bene gerendae rei casum offerri scripserat. *Id. ib.* 1, 13. Et si casus daretur, ausurum.] ℙ A Jurisconsultis dicitur aliquando de iis rebus, quae consulto quidem eveniunt, et ex hominum electione, sed respectu legum, sub quas cadunt, velut inopinato accidunt. *Ulp. Dig.* 24, 3, 64. in quibus casibus lex deficit. *Id. ib.* 36, 1, 16. Talis casus a divo Pio terminatus est, cum servo legato etc. *Julian. ib.* 1, 3, 10. Neque leges, neque senatusconsulta ita scribi possunt, ut omnes casus comprehendantur. ℙ A grammaticis *casus* appellatur forma nominum, quae declinatione in aliam atque aliam positionem cadunt. *Cic. N. D.* 2, 25. Juppiter, idest juvans pater, quem conversis casibus appellamus a juvando Jovem. *Id. Or.* 2, 87. Verba immutata casibus. *Id. Or.* 48. Rectus casus. *Nigid.* ap. *Gell.* 13, 25. Casus interrogandi. Sic *casus dandi*, hoc est dativus; *accusandi*, *vocandi* etc. ap. *eund. Gell.* et alios grammaticos passim. *Casus Latinus* dicitur a *Varr.* ap. *Diomed.* 1, 277. ablativus, quia Latinae linguae proprius est, cujus vis apud Graecos per genitivum [*et dativum] explicatur. ℙ *Casus barbari* quinam sint, V. in BARBARUS.

*CASYRUS, i, m. mons Asiae ulterioris, in regione Elymaeorum, cui apposita est Selencia oppid. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

*CATABANI, orum, pop. Arab. felicis. *Plin.* 6, 28. *Catabanenses* appellat *Id.* 5, 11. *B. A.*

CĂTĂBĂSIS, is, f. *καταβασις,* hoc est descensus, a *καταβαίνω,* descendo. *Macr. Sat.* 1, 21. Solis catabasi finita, *h. e.* inferiori via, qua ad signa hiemalia descendit. *Aldus* Graece edidit *καταβάσει,* rectius.

CĂTĂBATHMOS, i, m. *καταβαθμὸς,* descensus, vel locus declivis, ubi descenditur: a *καταβαίνω,* descendo. Apud *Sall. Jug.* 20. et 22. sic appellatur locus devexus Aegyptum ab Africa disterminans.

CĂTĂBŌLENSIS, se, adj. *Catabolenses* in *Cod. Theod.* 14, 3, 9. et 10. cum pistoribus conjunguntur, quod utrorumque ars quandam invicem affinitatem habebat. Fuerunt enim *Catabolenses*, qui onerariis jumentis onera transvehebant, et praesertim molenda frumenta ad pistrinum comportabant, ut censet *Cujac. Observat.* 16, 5. Dicti sunt a *catabulo.* Horum meminit etiam *Cassiod. Var. ep.* 3, 10., ubi marmora a catabolensibus transvecta memorat, et 4, 47., ubi multam statuit in catabolensem, qui ultra centum libras jumentum oneraverit. ℙ Scribitur et *catabulensis.*

CĂTĂBŌLICI, Spiritus apud *Tert. Anim.* 28. sunt Genii infausti, a *καταβολή,* jactus ex alto deorsum, quia saepe eos, in quibus sunt, prosternunt ac dejiciunt per furorem. Quidam mallent legi *Procatabolicos*, qui spiritus quidam sunt, qui non perpetuo adsunt, sed ex condicto, et quasi devincti pignore sese repraesentant: a *προκαταβάλλω,* repraesento. V. *Voss.* in *Etym.* ℙ Possis etiam interpretari spiritus calumniatores, quia *καταβολή,* aliquando calumniam significat, ut notat *Pamelius.*

[CĂTĂBŬLUM, i, n. *κατάβολον,* stabulum jumentorum publicae utilitati inservientium. *Not. Tir.* p. 17. Captabulum. Lege *Catabulum. F.*]

CĂTĂCĒCAUMĒNE, *καταικεκαυμένη,* a *καταικαίεσθαι,* comburi; est regio sole perusta, quam Mysi, et Lydi incolunt, omnibus arboribus, praeter vites, exuta. *Vitr.* 2, 6. Graece. Hinc

CĂTĂCĒCAUMĒNITES, m. vinum generosum, quod colles in Mysia producunt. *Vitr.* 8, 3. Graecis litteris: Latinis autem *Plin.* 14, 7, 9. ℙ Qua porro ratione *catacecaumenites vinum* dicatur, dictum est in ABROTONITES.

[CĂTĂCHANNĂ, ae, f. arboris cujusdam nomen, cui diversarum plantarum plures surculi ita insiti sunt, ut ex uno trunco varii fructus proferantur. *M. Aur. Aug.* ad *Front.* 2. *ad M. Caes. ep.* 14. In agro Pompeji Falconis commemini, me videre arborem multorum ramorum, quam ille suum nomen catachannam nominabat: sed illa arbor mira et nova visa est mihi in uno trunco omnia omnium ferme germina .... *Front. ad M. Anton. de orat.* 1. Confusam eam ego eloquentiam, catachannae ritu, partim igneis *(Burm.* conjicit legend. *ligneis*, h. e. *duris)* nucibus Catonis, partim Senecae mollibus et febriculosis prunuleis insitam subvertendam censeo radicitus. Eandem describere videtur *Plin.* 17, 16, 26. Tot modo insitam arborem vidimus juxta Tiburtes Tullias (alii rectius leg. *tilias)* omni genere pomorum onustam, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, piris, punicis, malorumque generibus: sed huic brevis fuit vita. ℙ De vocis etymo alii alia: *A. Maius* de eodem non disputat; et Punicum vocabulum esse putat: *Fr. Oriolius* in *Giorn. Arcad. T.* 10. p. 10. censet legendum *catacanna*, quae vox a *κατὰ* et *κάννα* sit composita, aspiratione *h* vitio librarii aut temporis inserta, et id significare, quod Itali dicunt *incalmo*, a praep. *in*, et *calamus*, quam vocem V. suo loco, ita enimvero ager *καταφύτος* dicitur, qui multis arboribus est consitus, et *κατάλιθος,* qui plurimis saxis est obrutus, et *catacanna* arbor illa dicta est, quae multis calamis, sive surculis insita est. *Id. ib.* putat *catacrianos libros*, quorum mentio est apud *Spart. Hadrian.* 16., eodem sensu interpretandos esse quasi multiplici eruditione refertos, et scribendum *catacannos*, seu *catacannas.* Viderint eruditi. *F.*]

CĂTĂCHRĒSIS, is, f. *κατάχρησις,* figura rhetorica, de qua V. in ABUSIO. Ipsa vox Graeca est, a *καταχράομαι,* abutur: quare tutius Graece, quam Latine usurpatur. *Varr.* ap. *Non.* 3, 195. *Κατάχρησις* enim vera est, cum in candelabro pendet strigilis. Alii tamen leg. *καταχρίοις,* alii *καταχλυσις.*

[CĂTĂCHYSIS, is, f. *κατάχυσις,* vas, quo aqua manibus infunditur, vel quo lavantes a balneatoribus perfunduntur. Exstat haec vox in *Not. Tir.* p. 164., ubi tamen mendose legitur *catacussis. F.*]

CĂTĂCLISTĂ Vestis, *καταικλειστὸν ἱμάτιον,* vestis est recentissima, optimique coloris, in arca diligenter servata, festisque tantummodo diebus promenda: a *καταικλείω,* circum claudo. Ita exponit *Salm.* ad *Tert. Pall.* 3. locum *Appul. Met.* 11. Eas amoenus lectissimae juventutis, veste nivea, et cataclista praenitens, sequebatur chorus. *Senec. Tranquill.* 1. hujusmodi vestes appellat *ex arcula* prolatas, et qui his vestiti incedunt, *epist.* 115. *totos de capsula.* Simili ratione *cataclista rasa* dixit *Venant.* 3. *de Vita S. Martini sub f.*, ubi alii aliter leg. Et *Tibull.* 2, 5, 7. nunc indue vestem Sepositam. ℙ Quidam tamen cataclistam intelligunt vestem undique clausam. Sunt etiam qui legendum putant *cataclita.*

CĂTĂCLISTĬCUS, a, um, adj. pretiosus: a *cataclistus*, quia quae pretiosa sunt, in arcis condita servari solent. V. v. praec. *Venant.* 4. *de Vita S. Martini ante med.* Quae manus artificis cataclistica fila rotavit? Ita *Salm. l. modo c.* Alii aliter leg. et *interpretantur.*

CĂTĂCLĪTĂ, orum, n. plur. *τὰ κατάκλιτα,* vestis stragula, qua lecti tricliniares sternuntur, a voce Graeca allata, qua lecti discubitorii significantur. *Tert. Pall.* 3. Quanquam et pavo pluma vestis, et quidem de cataclitis, *h. e.* pavi vestis est pluma, et quidem picta, et versicolor, qualis solet esse stragulum, quo tricliniares lecti operiuntur. Hujusmodi enim stragula pretioso colore tincta, et auro purpuraque insignita a ditioribus adhibebantur. Ita *Salm.* ad h. l. At praestat *cataclistis* legere.

CĂTĂCLYSMOS, i, m. *κατακλυσμὸς,* diluvium,

inundatio: a *καταχλύζω*, proluo, inundo. *Varr. R. R.* 3, 1. Thebae, quae ante cataclysmon Ogygi conditae dicuntur, *h. e.* ante diluvium, quod sub Ogyge contigit. *Ogygi* enim genitivus est pro *Ogygis*. V. OGYGES. Adde *Hygin. fab.* 153. et *Lact.* 2, 10. ℙ A medicis Graecis *cataclysmus* dicitur illisio aquae vehementius aspersae alicui parti corporis. *Coel. Aur. Tard.* 1, 1. Utendum etiam fomentis, sive vehementioribus illisionibus aquarum: Graeci cataclysmos appellant. Et *ib.* 4. Adhibenda aquarum illisio, qua patientes partes percussae mutari cogantur: quod Graeci cataclysmum appellant. Et *ib.* 2, 3. Totius capitis curatio ex illisione aquarum supercadentium, quam Graeci cataclysmum appellant.

CATADROMUS, i, m. *καταδρομος*, locus in quo decurritur. Speciatim significat funem extensum in theatro, in quo funambuli decurrunt. Graece legitur ap. *Labeon. Dig.* 19, 1, 54. Servus, qui per *καταδρομον γεράνου* descendere solitus fuerit etc. Ita enim habetur apud *Haloandr.* Sed Latine *Torrent.* edidit *per catadromum.* Praeterea *Suet. Ner.* 11. Notissimus eques R. elephanto supersedens per catadromum decucurrit. Quidam hoc *Suet.* loco, non funem, sed stadium decursionis intelligunt: sed *Xiphilin.* hanc eandem rem narrans, funem aperte nominat: *Ἐλέφας*, inquit, *ἐπὶ σχοινίων κατέδραμεν ἀναβάτην φέρων.* Praeterea elephantos funambulos legimus tum ap. eund. *Suet. Galb.* 6., tum apud *Plin.* 8, 2, 2. et *ib.* 3, 3. et *Senec. ep.* 85.

CATADUPA, orum, n. plur. locus in Aethiopia, qua Aegypto jungitur, ubi per praerupta saxa praeceps Nilus tanto fragore ruit, ut qui circa sunt accolae, aurium sensum amiserint: a *κατὰ*, et *δοῦπος*, sonus, fragor. *Cic. Somn. Scip.* 5. Sicut ubi Nilus ad illa, quae Catadupa nominantur, praecipitat ex altissimis montibus, ea gens, quae illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus sensu audiendi caret. Adde *Macr. Somn. Scip.* 2, 4. ℙ Haec loca a *Vitr.* 8, 2. et *Senec. Q. N.* 4, 2. appellantur *catarractae.* ℙ Accolae populi *Catadupi* dicuntur a *Plin.* 6, 29, 35. et 5, 9, 10.

CATAEGIS, gidis, f. *καταιγίς*, ventus procellosus, et qua perflat, divellens et perfringens: ab *αἴγλζω*, divello. *Appul. de Mundo.* Procellosus flatus cataegis dicitur, quem praefractum possumus dicere. V. AEGIS. ℙ Est etiam ventus quidam peculiaris Pamphyliae. *Senec. Q. N.* 5, 17.

CATAGELASIMUS, i, m. *καταγελάσιμος*, ridiculus, qui valde irridetur, a *καταγελάω*, irrideo. *Pl. Stich.* 4, 2, 50. Nunc ego nolo e Gelasimo mihi te catagelasimum. *Gelasimus* nomen est parasiti in ea Comoedia. Dicit ergo: nolo, te, qui adhuc ridiculus fuisti, nunc deridiculum, et derisui esse.

CATAGRAPHUS, a, um, adj. *κατάγραφος*, depictus, delineatus. *Catull.* 25, 7. Remitte pallium mihi meum, quod involâsti, Sudariumque Saetabum, catagraphosque Thynos, *h. e.* pugillares membranaceos vel buxeos diversis coloribus pictos et exornatos, quales ex Bithynia Thynis populis contermina solent provenire. Alii aliter legunt, et interpretantur. V. *Vulpium, et Doeringium.* ℙ Specialiter *catagrapha, orum* sunt picturae, in quibus imagines a latere tantummodo cernuntur; ita consentiente *Forc.*, interpretatur *Hard.* at *Aloys. Lanzius, de' vasi Etruschi* p. 154. putat, *catagrapha* eas dici imagines, quarum unum dimidium ex toto, alterum ex parte tertia, vel quarta cerni possit, has Itali vocant *dipinte, o sculte in terzo, o in quarto. Plin.* 35, 8, 34. Cimon Cleonaeus catagrapha invenit, hoc est obliquas imagines. ℙ *Cathagraphus* est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1539, 5. A. Helvius Catagraphus. [*Auxit hunc locum. *F.*]

CATAGUSA, ae, f. *καταγουσα*, hoc est quae reducit. Ita appellatum fuit signum aereum a Praxitele factum, Cereris filiam Proserpinam ab inferis reducentis, secundum id quod docet *Ov. Met.* 5, 564., statutum fuisse a Jove, ut Proserpina sex menses apud Plutonem conjugem esset, totidem apud matrem. De hoc signo *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 10.

*CATALAUNI, et Catelauni, orum, *Eutrop.* 9, 9. (al. 13.) et *Ammian.* 15, 26. V. v. seq. *B. A.*

[CATALAUNICUS, a, um, adj. ad Catalaunos pertinens, populos Galliae Belgicae, quorum caput fuit urbs, quae nunc *Châlons sur Marne. Eumen. Pan. Constant.* 4. Sine clade Catalaunica compendium pacis attulisset fraternitas Aeduorum. *F.*]

CATALECTA, orum, n. plur. *κατάλεκτα*, collectio. *Catalecta Maronis* appellantur breviora quaedam carmina a nescio quo collecta, et *Virg.* attributa. *Auson. Technopaegn.* seu *Idyll.* 12. *in Grammaticomast.* Dic, quid significent catalecta Maronis? in his al, etc. *Serv. ad princip. A.* 1. *de Virg.* Scripsit etiam septem sive octo libros hos, Aetnam, Culicem, Priapeia, Catalecton etc.

CATALECTICUS, a, um, adj. *καταληκτικός*. *Catalecticum metrum* dicitur, cui syllaba in fine deest, seu quod in pedem desinit imperfectum: a *καταλήγω*, desino, terminor: quale est illud iambicum *Hor. Od.* 2, 18, 2. *Mea renidet in domo lacunar.* Contra *acatalecticum* est, cui nihil deest, ut illud iambicum ejusdem *Epod.* 2. *Beatus ille, qui procul negotiis.* Sed non in solis iambicis metris, verum in aliis quoque carminum generibus sua sunt *catalectica*, et *acatalectica.* V. grammaticos. *Prisc. in partition. v.* 12. *Aen.* p. 1216. Catalecticos versus dicunt, quibus deest in fine aliquid: acatalecticos, quibus nihil deest.

CATALECTUS, a, um, adj. *καταληκτὸς*, idem quod catalecticus. *Diomed.* 3, 501. Species catalecta est versus minus habens etc.

[*CATALI, orum, m. plur. populi Alpini. *Plin.* 3, 20, 24. Incolae Alpium multi populi, sed illustres a Pola ad Tergestis regionem Secusses, Subocrini, Catali, Menocalenti. *Inscr.* ap. *Grut.* 408, 1. Carni, Catalique adtributi a divo Augusto Pio reipublicae nostrae (Tergestinae). *F. B. A.*]

CATALOGUS, i, m. *κατάλογος*, enumeratio, recensio multarum rerum per ordinem. *Hieron. ep.* 83. *ad Ocean.* Apostolus in catalogo virtutum, episcopum unius uxoris virum praecepit ordinandum. ℙ Specialiter dicitur de enumeratione nominum eorum, qui stipendia merentur. *Macr. Saturn.* 5, 15. Homerus praetermissis Mycaenis, unde erat rector exercitus, Boeotiam in catalogi sui capite locavit. *Auson. Perioch. Iliad.* 2. Sequitur enumeratio copiarum viritim, ut per catalogi seriem milites, naves, duces, patriae referantur.

CATAMIDIO. V. CATOMIDIO.

CATAMITUS, i, m. a veteribus Latinis dictus est Ganymedes, teste *Festo.* Cum enim Graecae linguae rudes essent, vocem *Γανυμήδης* ita corrupte pronunciabant; eademque de causa *Alumentum* pro *Laomedonte* dixerunt, et *Proserpinam* pro *Περσεφώνη*, et *Tharsomenum* pro *Thrasymeno*, et *Melo* pro *Nilo*, et *Saguntum* pro *Zacyntho*, *Telamonem* pro *Atlantem*, *Aesculapium* pro *Asclepio*, *Caduceum* pro *κηρύκειον*, *jusquiamus* pro *ὑοσκύαμος*, *Carthaginem* pro *Carchedonem*, *Καρχηδόνα*, *Crustumerium* pro *Clytemnestrum*, *Polluces* pro *Πολυδεύκης*, *promuscis* pro *proboscis*, et *alcedonem* pro *halcyone*, etc. *Pl. Men.* 1, 2, 34. Tabula picta, ubi aquila Catamitum rapit, aut Venus Adoneum. Adde *Lact.* 1, 11. ℙ Ponitur etiam pro pocillatore, pincerna: item pro amasio. Utrumque enim Ganymedes Jovi fuit. *Appul. Met.* 11. Vidi simiam pileo textili, catamiti pastoris specie, aureum gestantem poculum. *Auson. epitaph.* 33. *de Glaucia.* Aut Jovis Elysii tu catamitus eris. *Appul. Met.* 1. Hic est carus Endymion, hic Catamitus meus etc. ℙ Denique sumitur pro homine molli et effeminato. *Cic. Phil.* 2, 31. Ut te catamitum, necopinato cum ostendisses, praeter spem mulier aspiceret, idcirco etc.

CATAMPO genus est lusus, teste *Festo*: scilicet a Graeco *κατ' ἄμφω*, hoc est conjunctim, vel per duos simul, ut sit ludus, qui a duobus fiat. Sed fortasse legendum est *catambo*. a *καταμβῶ*, quod est motus *εἰς τὸ κάτω, καὶ τὸ πρηνές.* Haec *Scalig.* ad *Fest.*

CATANA. V. CATINA.

[*CATANANCE, es, f. *κατανάγκη*, herba magica, qua ad amatoria olim utebantur, est dicta a *καταναγκάζω*, cogo. *Plin.* 27, 8, 35. Catanancem Thessalam herbam, qualis sit, a nobis describi supervacaneum, cum sit usus ejus ad amatoria tantum. Illud non abs re est dixisse, ad tegendas magicas vanitates electam ad hunc usum conjectura, quoniam arescens contraheret se ad speciem unguium milvi exanimati. V. *Salm.* ad *Sol.* p. 1085. *F. B. A.*]

*CATAONIA, ae, f. *Καταονία*, regio Asiae, in Cappadocia. *Plin.* 6, 3. Cappadociae pars praetenta Armeniae majori, Melitene vocatur: Commagenae, Cataonia. In Cappad. etiam ponit *Strabo.* Id. tamen *Plin.* (not *Schell.*) *ib.* 2. de Haly loquitur tanquam Cataoniam a Cappad. dividente: qui locus, suspicor, intelligendus tantum de flumine Cataoniam a reliqua parte Cappadociae separante. In Armenia minore sitam refert *Ptol. Nep. Dat.* 4. supra Ciliciam fuisse ait, confinem Cappadociae. Facta est postea una ex decem Cappad. praefecturis, postquam illa in decem *στρατηγίας* divisa est. *B. A.*

CATAPHAGES, ae, m. *καταφαγὴς*, heluo, vorax, nepos: a *καταφάγω*, devoro. *Petr. fr. Trag.* 39. *Burm.* In Leone cataphagae nascuntur, et imperiosi.

CATAPHRACTA, ae, f. *καταφρακτη*, *θωρακομάχος*, tegmen est linteum, vel laneum, ferreis squamis consertum, quod modo pectus, modo totum hominem, et totum equum munit, quo tum pedites aliquando usi sunt, tum equites. De peditum cataphractis testatur *Veg. Mil.* 1, 20. Sed et equites iis usos fuisse, constat tum ex *Tac. Hist.* 1, 79., tum ex *Liv.* 37, 40. V. *Lips. de Mil. Rom.* 3, 6., ubi plura hac de re: et infra CATAPHRACTUS. Est a *καταφράσσω*, munio. *Veg. l. c.* Ab urbe condita usque ad tempus D. Gratiani et cataphractis, et galeis muniebatur pedestris exercitus. *Tac. l. c. de Sarmatis.* Neque conti, neque gladii usui, lapsantibus equis, et cataphractarum pondere: id principibus et nobilissimo cuique tegmen, ferreis laminis, aut praeduro corio consertum; ut adversus ictus impenetrabile, ita impetu hostium provolutis inhabile ad resurgendum. ℙ *Cataphracta* in equis Italice dicitur *barda.* ℙ Dicitur etiam *cataphracte, es*, positione Graeca. *Tertull. Pall.* 4. Triumphalem cataphracten amolitus.

CATAPHRACTARIUS, a, um, adj. cataphractus, cataphracta munitus, loricatus. In *Actis senatus* ap. *Lamprid. Alex. Sev.* 56. Cataphractarios, quos illi clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus. Adde *in epist. Decii* apud *Trebell. Claud.* 16.

CATAPHRACTUS, a, um, adj. *καταφρακτος*, *θωρακομάχος*, cataphracta armatus, loricatus. *Cataphracti milites* ita plerumque muniti fuere, ut non modo loricam haberent, sed et ocreas ferreas in cruribus, ut tecti undecumque essent. *Siseun.* ap. *Non.* 18, 28. Custodiae in muro statuuntur cataphractorum. *Prop.* 3, 10, 12. Ferreus aurato neu cataphractus equo. *Liv.* 37, 40. Tria millia equitum loricatorum (cataphractos ipsi appellant) adjunxit. *Serv.* ad illud *Virg. A.* 11, 770. Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat etc. Cataphracti equites et ipsi ferro muniti sunt, et equos similiter munitos habent; de quibus Sallustius: Equis paria operimenta erant, quae lintea ferreis laminis in modum plumae adnexuerant. *Sall.* ap. *Non. l. c.* Praegrediebantur equites cataphracti, ferrea omni specie. V. *Nazar. Pan. ad Constant.* 22, 23. et 24., ubi cataphractorum equitum pugnandi rationem describit. [*Scribitur et Catafractus, cf. *Osann. Auct. lex. gr.* p. 182. sq., qui nescio quo jure hanc vocem desiderat in Forc. lexico.] ℙ *Equus cataphractus* Italice dicitur *cavallo bardato.* ℙ *Ammian.* 22, 15. crocodilis esse ait *cataphracta terga*, quia speciem armaturae cataphractorum referunt, squamis scilicet eodem pacto contectae; ideoque cutem ita validam iisdem esse, ut vix tormentorum ictibus perforetur. Hinc *Front. princip. Hist.* Sciret, cataphractos similes esse belluis piscibus.

CATAPIRATES, ae, m. *καταπειρατὴρ*, *καταπειρατήρια*, *βολὶς*, funiculus cum appenso plumbo, quo nautae profunditatem maris explorant. *Isid. Orig.* 19, 4. affert locum *Lucilii*, quem eruditi ita legendum putant: Hunc catapiratem puer eodem deferat unctum, Plumbi pauxillum rodus, linique metaxam. Alii leg. Huc catapiratem: alii aliter, ita ut omnia incerta faciant. Nam quod addi solet ex *Pl. Aul.* 4, 1, 12., est ex mera conjectura *Lambini.*

CATAPLASMA, atis, n. et Cataplasmus, i, m. *κατάπλασμα* et *καταπλασμὸς*, medicamentum pulti simile ex variis rebus compositum, quod extimae corporis parti illinitur et imponitur: a *καταπλάσσω*, illino. *Cels.* 3, 19. Supra praecordia imponere, quae reprimunt, cataplasmata. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 210. et 314. Ventrem fovere ex molito hordeo, uti cataplasmo. *Plin.* 36, 17, 28. Fit et cataplasma ex eo podagricis, mixto fabae lomento. ℙ In dativo plurali habet *cataplasmatis* et *cataplasmatibus*, sed illud est usitatius. *Cels.* 7, 26. *n.* 5. et 4, 4. *n.* 3. Cataplasmatis calefacientibus uti. *Id.* 7, 2. Satis est cataplasmatibus efficere, ut per se pus aperiatur. Alii cum *Leon. Targa* leg. *cataplasmatis. Veget. Veter.* 2, 25. Cataplasmatibus maturare. V. EMBLEMA.

CATAPLASMO, as, a. 1. *καταπλάσσω*, cataplasma impono, cataplasmate illino. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 19. Praecordia semine lini cataplasmare. *Id. Tard.* 5, 1. Sinapi cataplasmantes.

CATAPLEXIS, is, f. *κατάπληξις*, hoc est stupor, mens attonita, admiratio. Graeca vox a *καταπλήττω*, obstupefacio, in admirationem induco. *Luer.* 4, 1156. Magna atque immanis; cataplexis, plenaque honoris, *h. e.* corporis proceritate et magnitudine attonitos reddit spectantes, et in admirationem sui rapit. Quidam Graece ediderunt *κατάπληξις.*

CATAPLUS, i, m. Graeca vox, *κατάπλους*, et proprie dicitur cum ex alto redit navis, atque in portum unde exierat, remeat; a *καταπλέω*, navigando ad portum accedo: sicut contra cum e portu solvitur, *ἀνάπλους* dicitur. Hinc saepe pro ipsa classi appulsa accipitur. *Mart.* 12, 74. Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus. Alii male leg. *catastus. Auson. de clar. Urbib.* 13. Toto tibi navigat orbe cataplus. Alii Graece habent *κατάπλους. Sidon. ep.* 6, 8. Catapli recentis nundinas adire. Adde *ep.* 7, 7. Quin et *Cic. Rabir. Post.* 14. Cataplus ille Puteolanus, vectorumque ostentatio, etc. Ubi Alexandrina classis intelligitur Puteolis portum ingrediens.

CATAPOTIUM, ii, n. *καταπότιον*, medicamentum quod non diluitur, sed integrum devoratur, ut *Scribon. Compos.* 87. definit. Formatur enim in pilulas, quae integrae deglutiuntur: a *καταπότης*, gula, guttur: vel a *καταπίνω*, qua significat deglutire, devorare. *Cels.* 4, 8. Absynthium contritum ex melle, et pipere, ejusque catapotium quotidie devorare. (Adde 5, 25.) *Scribon. Compos.* 89. Facere catapotia magnitudinis fabae. Adde *Plin.* 28, 1, 2.

CATAPULTA, ae, f. *καταπέλτης*, genus machinae militaris, qua sagittae, et tela magno impe-

tu, longoque spatio jaciuntur. Quomodo differat a *ballista*, ibi dictum est: ubi etiam allata sunt scriptorum testimonia ad *catapultam* pertinentia, et indicata loca auctorum, qui de ea scripserunt. Adde, veteres catapulta usos fuisse ad hastas et tela εὐθυτόνως, ballista vero ad ingentia saxa παλιντόνως, in hostes ejicienda: praeterea catapultas in exercitu plures, ballistas pauciores fuisse. ℙ Pro ipso telo, qui jacitur. Hinc a *Nonio* 18, 1. exponitur jaculum celere, vel sagitta. *Pl. Pers.* 1, 1, 28. Vide modo, ulmeae catapultae tuum ne transfigant latus. *Titin.* ap. *Non. l. c.* Catapulta volat. Adde *Varron. ib.*

CATAPULTARIUS, a, um, adj. καταπελτικὸς, ad catapultam pertinens. *Pl. Curc.* 5, 3, 11. Ex te hodie faciam pilum catapultarium, *h. e.* quod ejicitur catapulta.

CATARACTA vel Catarrhacta, ae, f. et Cataractes, ae, m. καταράκτης vel καταῤῥάκτης, locus angustus, praeruptus, et praeceps in flumine, ubi aqua illisa et refracta magno impetu ruit, qualis est in Nilo eo loco, quae *Catadupa* ab accolis appellantur. *Plin.* 5, 9, 10. de Nilo: Novissimo cataracte inter occursantes scopulos non fluere immenso fragore creditur, sed ruere. *et paulo post.* Intra novissimum cataracten. *Lucan.* 10, 317. *de eod.* cum lapsus abrupta viarum Excepere tuos, et praecipites cataractae. *Vitruv.* 8, 2. *de eod.* Ab his paludibus pervenit per montes ad cataractam, ab eaque se praecipitans etc. *Senec. Q. N.* 4, 2. Excipiunt eum cataractae, nobilis insigni spectaculo locus. *Ammian.* 22, 15. Aestuans inundatione ditissima, ad cataractas, idest praeruptos scopulos venit. *Solin.* 32. A cataracte ultimo tutus est: ita enim quaedam claustra ejus Aegyptii nuncupant. *Salmas. ad h. l.* tum *Solin.*, tum *Ammian.* reprehendit, quod *cataracten* de loco, et scopulis ipsis praeruptis intellexerint, cum potius sit ipsa eruptio fluminis ruentis, et non ad locum, sed ad Nilum referatur. Sane Graecum verbum καταῤῥάσσω significat cum impetu ruere, et καταῤῥάκτης praecipitem eruptionem, et descensum. Verum Latini scriptores, quos attulimus, aptius omnes de loco, quo Nilus praeceps effluit, quam de ejus praecipiti efluxu intelliguntur. ℙ Sunt etiam *cataractae* claustra in fluminibus arte facta ad aquarum impetum temperandum. *Plin. ep.* 10, 69. Cataractis aquae cursum temperare. *Rutil.* 1, 481. Cum cataractarum claustris excluditur aequor. ℙ Item genus militaris obicis in urbium portis, qui funibus, aut catenis cum aperitur, in altum tollitur, et cum opus est, iis repente solutis, citissime decidens, momento temporis aditum claudit. *Veget. Milit.* 4, 4. In ingressu portae ponitur cataracta, quae anulis ferreis, ac funibus pendet, ut, si hostes intraverint, demissa eadem exstinguantur inclusi. *Liv.* 27, 28. Porta, cataracta dejecta, clausa erat. *et mox.* Cataracta magno impetu decidit. ℙ *Cataractae* etiam dicuntur quaedam aves Diomedeae cognominatae, teste *Plin.* 10, 44, 61., fortasse quia ex alto cum impetu decidunt, cum alias aves venantur. ℙ Denique *Catarractes* fluvius est Pamphyliae, ita dictus a praecipiti aquarum cursu. *Plin.* 5, 27, 26. et *Mela* 1, 14. ℙ Utrum rectius cum simplici, an cum duplici *rr* scribatur, *Voss.* in *Etymol.* et *Dausq.* in *Orthograph.* non definiunt. Graeci quoque a quibus profluxit, promiscue scribunt: quae licentia non est Latinis deneganda: observandum tamen est, poetas Latinos secundam hujus vocis litteram corripere, ideoque constat, unico *r* eam scripsisse.

CATARACTRIA, ae, f. vox joculariter ficta a *Pl. Pseud.* 3, 2, 47. ad fictum condimentum significandum.

*CATARAEI, orum, Arab. pop. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

CATARRHUS, i, m. καταῤῥοῦς, destillatio, defluxus humoris noxii ex capite ad nares, vel fauces, vel aliam partem corporis: a καταῤῥέω, defluo. *Marcell. Empir.* 5. Ad catarrhum, sive destillationem humoris ex capite. Adde *Plin. Valer.* 1, 2. *Aemil. Macr. c. de colubrina*, et *Coel. Aurel. Acut.* 2, 17.

*CATARI, orum, pop. Pannoniae. *Plin.* 3, 25. *B. A.*

CATASCOPIUM, ii, n. diminut. κατασκόπιον, navis exploratoria: a κατασκοπέω, circumspicio. Afferunt locum ex *Cic. Att.* 5, 11. Sed lectio varia est. Refert hanc vocem inter alia navium nomina *Gell.* 10, 25.

CATASCOPUS, i, m. κατάσκοπος, navigium speculatorium, ut ait *Caes. B. G.* 4, 26., a κατασκοπέω, exploro. *Hirt. B. Afr.* 26. Litteris per catascopum missis. *Isid. Orig.* 19, 1. Scapha, quae κατάσκοπος, navigium est, quod Latine speculatorium dicitur. Etiam in *Not. Tir.* p. 177. inter navigiorum nomina recensetur *catascopus.*

CATATA, ae, f. machina lignea editior, pegma, tabulatum, in quo venales servi exponebantur, ut in eis possent omnia membra inspici: a καθίστημι, statuo, colloco: a quo κατάστασις, inde *catasta. Tibull.* 2, 3, 60. quem saepe coegit Barbara gypsatos ferre catasta pedes. [*V. quos laudat ad h. l. Broukhusius.] *Pers.* 6, 77. Rigida catasta. *Mart.* 6, 29. avara. *Suet. Gramm.* 13. Emptus de catasta. Adde *Plin.* 35, 18, 57. ℙ Apud *Stat. Silv.* 2, 1, 72. legitur *turbo catastae*, quia servi in catasta in omnes partes versabantur, ut ab emptoribus usquequaque inspicerentur. ℙ *Arcanae tabulata catastae* dixit *Mart.* 9, 60. in quibus pulcriores servos, et majoris pretii abditos intra catastam, quae plura tabulata habuisse videtur, servabant mangones, cum viliores *in primis casis*, ut ait *Id. ib.* solerent *prostituere*, *h. e.* collocare in omnium conspectu. ℙ *Mendacis deliramenta catastae*, ap. *Rutil. Itiner.* 1, 393. sunt superstitiosae Judaeorum fabulae, quos hoc nomine appellat vel quia villissimi habebantur, ut servi, vel quia, ut placet *Burmanno*, in ligneo pegmate catastae simili eorum doctores in Synagogis legere S. Scripturam solent. ℙ Dicta est etiam *catasta* lectulus ille, seu crates illa ferrea, in qua igne subjecto ponebant reos torquendos, quia eos altius a terra tollebat, quemadmodum pegma illud, quod venales servos omnium oculis offerebat. *Prud.* περὶ στεφ. 1, 56. Verberum post vim crepantum, post catastas igneas. *Id. ib.* 2, 399. appellat *catastam* cratem illam ferream ignitam, in qua D. Laurentius ambustus fuit. Adde *ib.* 10, 467. et *August. in Psalm.* 96.

[CATASTACTICE, es, f. herba eadem ac scelerata ap. *Appul. Herb.* 8. V. SCELERATUS. *F.*]

[CATASTALTICUS, a, um, adj. καταστaλτικὸς, reprimendi aut sistendi vim habens, cohibens, a καταστέλλω, reprimo. *Veget. Veter.* 4, 28. Haec bene trita et cribrata aequo pondere catastalticum (*subintellig.* medicamentum) faciunt, quod carnem supercrescentem comedendo effovet. *Id. ib.* 2, 22. Catastaltico quoque medicamento libraturam cutis consumis. *F.*]

[CATASTEMA, ătis, n. κατάστημα, constitutio. *Veget. Veter.* 1, 17. Nam Austro, et Africo vento flantibus, interpositis annorum spatiis, recursu, ut asserunt, catastematis (*scilic.* recursu coeli et siderum), sicut certo tempore homines pestilentia corrumpuntur, sic animalia ille aer corrumpit, et perimit. *F.*]

CATASTOLICUS, a, um, adj. καταστολικὸς, cohibendi et reprimendi, aut supprimendi vim habens, a καταστέλλω, supprimo, reprimo, ut *Catastolicum medicamentum* ap. *Veget. Veter.* 2, 22.

CATASTROPHE, es, et Catastropha, ae, f. καταστροφὴ, subversio, item exitus: a καταστρέφω, subverto, item claudo. Hinc extrema pars fabulae *catastrophe* dicitur, quod in ea res turbulentae in laetum exitum convertantur, ut in comoediis, aut contra res laetae sortiantur tristem exitum, ut in tragoediis. *Petron. fragm. Tragur.* 54. *Burm.* Ne his precibus periculo aliquid catastrophae quaereretur, *h. e.* ne periculum in necopinatum gaudium verteretur.

CATASTUS, i, m. exponi solet servus venalis e catasta: afferunturque loca *Vitruv.* 8, 4. et *Mart.* 12, 74. Sed in *Vitruvio* alii leg. *calastros*, *h. e.* canorae vocis, a καλιστρέω, clamo; alii melius *catlastros*, a *catulire:* in *Martiale* aliqui rectius legunt *cataplus*, navigatio, adventus navis, locus quo navigatur. V. CATLASTER.

CATATECHNOS. V. CACIZOTECHNOS.

CATATONUS. V. ANATONUS.

CATAX, acis, m. claudus, ut *Festus* exponit. *Non.* 1, 100. Catax dicitur, quem nunc coxonem vocant. *Lucil. ib.* hostilibu' contra Pestem, perniciemque catax, quam et Manliu' nobis. ℙ Etymologi docent, esse quasi *cadax*, hoc est qui saepe cadit: vel a Graeco καταξαι, quasi κατεαγὼς τοὺς πόδας, fractos habens pedes. ℙ Porro *cadax*, et *coxo*, seu *coxus* voces sunt cadentis Latinitatis. Legitur autem utraque in *Gloss. Isid.* at exstat etiam cognominis loco in *Inscr.* optimae notae ap. *Jo. Bernardin. Delfico*, *della Interamna Pretuzia* p. 124. P. Vibius P. L. Philotimus Coxso.

*CATAZETI, orum, pop. trans Maeotim lacum siti. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

CATE, adv. κουνεκῶς, τεχνικῶς, scite, accurate, acute, prudenter, callide. *Pl. Poen.* 1, 1, 3. Sapienter, docte, cordate, cate. *Id. Mil.* 3, 1, 9. Cate legere locum loquendi. *Id. Men.* 2, 3, 61. Mulier, quae te novit tam cate. *Cic. Arat.* 304. Tornare cate aliquid, *h. e.* ingeniose, artificiose.

CATECHESIS, is, f. κατήχησις, institutio, eruditio et specialiter ea, qua prima scientiae alicujus elementa traduntur. Ab ecclesiasticis scriptoribus sumitur pro institutione elementorum religionis Christianae. *Hieron. ep.* ad *Pammach.* 61, 4. Quae indesinenter in Ecclesia docemus et in catechesibus.

CATECHISMUS, i, m. κατηχισμὸς, idem, quod catechesis: item libellus catechesin continens. *August. lib. De Fide* et *operibus* 13.

CATECHISTA, ae, m. κατηχιστὴς, qui catechizat. *Hieron. ep.* 50. *n.* 1. Gregorium Nazianzenum et Didymum in Scripturis sanctis habuit catechistas.

CATECHIZO vel Catechiso, as, a. 1. κατηχίζω, instituo, erudio, praesertim in elementis Christianae religionis. *August. lib. de Fide* et *operib.* 13. et *Tertull. Cor. mil.* 11. Catechizare aliquem. *Id. adv. Marc.* 4, 29. Catechizare alicui, *h. e.* in obsequium alicujus, ut sit *dativus commodi*, ut grammatici loquuntur. *Id. Idol.* 10. Catechizare de aliqua re.

CATECHUMENA, ae, f. κατηχουμένη. *August. ep.* ad *Euseb.* 169.

CATECHUMENUS, i, m. κατηχούμενος, qui in elementis alicujus scientiae instruitur. Ab ecclesiae scriptoribus ita appellatur candidatus Christianae religionis, qui mysteriis fidei imbuitur et ad Baptismum se praeparat. *Tertull. Praescr.* 41., *Hieron. ep.* 69. *n.* 2. et *August.* saepe.

CATEGORIA, ae, f. κατηγορία, Graeca vox accusationem significans. Latinis litteris scripta legitur in quibusdam editionib. *Macr. Sat.* 7, 3. Praeterea *Hieron. ep.* 82. *n.* 9. Hucusque apologia ejus, immo categoria. ℙ Item apud logicos praedicamentum. *Sidon. ep.* 4, 1. Inter Aristotelicas categorias artifex dialecticus atticissabas.

CATEGORICUS, a, um, adj. κατηγορικὸς, ad categoriam pertinens, qua praedicamentum significat. *Sidon. ep.* 9, 9. Spiris categoricis lubricas quaestiones innodare. Liber tertius *Appul. de doctr. Plat.* a nonnullis inscribitur *De syllogismo categorico.* Hac tamen voce ipse *Appul.* in eo libro nunquam utitur.

CATEJA, ae, f. genus teli missilis. *Serv.* ad *A.* 7, 741. Catejam quidam asserunt teli genus esse tale, quales aclides sunt, ex materia quam maxime lenta, cubitus longitudine, tota fere clavis ferreis illigata, quam in hostem jaculantes, lineis, quibus eam adnexuerant, reciprocam faciebant. Similia his tradit *Isid. Or.* 18, 7. Uterque autem Gallorum proprium telum fuisse dicit. *Virg. l. c.* Teutonico ritu soliti torquere catejas. [*Cf. *Heyn.* ad h. l.] *Sil.* 3, 277. panda manus est armata cateja. Adde *Val. Fl.* 6, 83. et *Gell.* 10, 25.

CATELLA, ae, f, κυνίδιον, parva canis. *Juven.* 6, 653. Morte viri cupiant animam servare catellae. *Mart.* 3, 82. Catellae lambentes. ℙ A cura catellae. V. CURA. ℙ Item parva catena. *Caecil.* ap. *Non.* 3, 58. *Fest.* in *Redimiculum* et *Prisc.* 1, 556. Hinc pro monili, armilla, ἅλυσιον. *Liv.* 39, 31. Praetor suos equites catellis ac fibulis donavit. *Hor. Ep.* 1, 17, 55. saepe catellam, Saepe periscelidem raptam sibi flentis. Adde *Cat. R. R.* 135. ℙ Adhibetur et in blanditiis, ut *catellus. Hieron. ep.* 22, 29. Mi catella, rebus tuis utere: vive, dum vivis.

CATELLULUS, li, m. parvus catellus. Agnoscitur a *Diomed.* 1, 313.

CATELLUS, i, m. σκυλάκιον, κυνίδιον, parvus catulus canini generis. *Cic. Div.* 1, 46. Catellus mortuus. Alii leg. *Catella mortua.* Sed et *Val. Max.* 1, 5. *n.* 3. idem narrans, quod *Cic.*, *catellum* dicit. *Pl. Stich.* 4, 2, 40. Tantillum loci, ubi catellus cubet, id mihi sat est loci. *Juven.* 9, 61. Catellus lusor. ℙ Adhibetur in blanditiis amantum. *Pl. Asin.* 3, 4, 103. Dic me anaticulam, columbam vel catellum etc. *Hor. Sat.* 2, 3, 259. Sume, catelle: negat etc. Sunt qui lectionem sollicitant. Ceterum eadem ratione *agnellum*, *haedillum*, *vitellum* dicebant. V. et CATELLA. [*Cf. *Bentl.* ad *Hor.* l. l.] ℙ Est etiam genus vinculi, quo servi alligabantur. V. CANIS. *Pl. Curt.* 5, 3, 13. Delicatum de hodie faciam, cum catello ut accubes: ferreo ego dico.

CATENA, ae, f. σειρὰ, ἅλυσις, vinculum ex connexis anulis compositum. Quidam derivant a Graeco καθ' ἓν, qui varios anulos nectit atque unit; vel a κάθεμα, monile: ex quo fortasse factum est, ut *cathena* a multis scriptum sit: quod certe est contra Latinam consuetudinem. *Pl. Capt.* 1, 2, 3. His captivis indito catenas singularias: istas majores, quibus sunt vincti, demito. [**Catenae singulariae* ex *Turnebi* interpret. sunt singularum librarum. Affert exempla haec: *ballistae* centenariae, quae saxa jaciunt centenarum librarum; *talentariae*, quae saxa talenti pondere. Ita *Lindem.* ad *h. l.*] *Cic. Verr.* 2, 5, 41. Injicere catenas alicui. *Caes. B. G.* 1, 47. Conjicere aliquem in catenas. *Id. ib.* 5, 27. Tenere aliquem in catenis. *Vell.* 2, 82. Catenis aureis vincire. *Tac. A.* 2, 65. et *Hor. Od.* 3, 11, 45. Onerare catenis. [**Id. Sat.* 2, 7, 71. Se reddere *catenis. Virg. A.* 6, 558. Catenae tractae. *Id. ib.* 8, 225. Catenis ruptis dejecit saxum.] *Suet. Rhet.* 3. In catena esse, *h. e.* vinctum esse. *Pl. Capt.* 2, 1, 9. Esse cum catenis. *Hor. Od.* 1, 29, 5. Nectere catenas alicui. *Id. Ep.* 1, 2, 63. Compescere aliquem catena. *Id. Od.* 1, 37, 20. Dare aliquem catenis. *Flor.* 3, 5. Catenas dare alicui. *Id.* 2, 18. Ducere aliquem in catenis. *Sall. Jug.* 68. habere aliquem. *Plin.* 7, 28, 29. custodire. *Liv.* 29, 21. Damnare aliquem et in catenis Romam mittere. *Stat. Th.* 12, 460. manus insertare catenis. *Tac. H.* 3, 31. Catenas alicui exsolvere. *Suet. Gramm.* 15. Surripere aliquem catenis. *Pl. Men.* 1, 1, 8. Eximere se ex catenis. *Auct.* ad *Her.* 4, 39. solutus. ℙ *Catenarum colonus* dicitur per convicium servus, qui in catenis diu fuit, apud *Pl. Asin.* 2, 2, 32. ℙ Sumitur etiam pro quovis nexu, quo aliquid conjungitur et ligatur. *Vitr.* 7, 3. Hique asseres catenis dispositis ad contignationes cre-

briter clavis ferreis fixi religentur. *Pall.* 1, 13. Asseres catenis ligneis ex junipero aut oliva aut cupresso factis ad contignationem suspendemus. ℙ Item pro cingulo. *Plin.* 33, 3, 12. Habeant feminae aurum in armillis digitisque totis, collo, auribus, spiris: discurrant catenae circa latera etc. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 7. Hanc immanem bestiam vinctam auspiciis, constrictam legum sacratarum catenis etc. *Hor. Ep.* 1, 2, 63. Animum frenis et catena compescere. *Lucr.* 2, 630. inter se forte catenas Ludunt in numerumque exsultant, *h. e.* choreas agunt manibus, quasi catenis invicem nexi. Al. aliter leg. [**Tibull.* 4, 1, 117. Libera Romanae subjecit colla catenae, i. e. jugo, imperio Rom. *Id.* 4, 5, 15. Valida teneamur uterque catena.] ℙ Pro ordine rerum invicem connexarum. *Gell.* 6, 2. Fatum est sempiterna quaedam et indeclinabilis series rerum et catena. ℙ Quaestio peculatus *plena catenarum* dicitur a *Cic. Mur.* 20., hoc est plena vinctorum atque indicum. ℙ De catena inter meteora. V. HALYSIS. ℙ Quidam Paulus Constantii Imp. minister, quia erat in complicandis negotiis artifex dirus, *Catena* cognomento dictus est. *Ammian.* 14, 5.

CĂTĒNĀRĬUS, a, um, adj. *ἁλυσίδετος*, qui catena ligatur, ut canis ad fores domus causa custodiae. *Senec. Ira* 3, 37. Irasceris catenario cani. Adde *Petr. fr. Tragur.* 72. *Burm.*

*CATENĀTES, ium, populi Alpini. *Plin.* 3, 20. *B. A.*

CĂTĒNĀTĬO, onis, f. *συζυγία*, colligatio, quae catena vel alio quovis ligamine fit. *Vitr.* 2, 9. Ulmus et fraxinus aridae factae fiunt duriores et in commissuris et coagmentationibus ab lentitudine firmas recipiunt catenationes. *Id.* 10, 1. Machina scansoria catenationibus et transversariis et plexis colligationibus et erismatum futuris continetur. *Petr. Sat.* 34. Cum larvam argenteam super mensam abjecisset et catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, *h. e.* junctura et commissura partim versatilium; hic sermo est de neurospasto, quam vocem videsis suo loco.

CĂTĒNĀTUS, a, um, part. a *cateno*, *ἁλυσίδετος*, catena vinctus. *Hor. Ep.* 1, 8. Britannus catenatus. *Flor.* 3, 19. Frequentia ergastula catenatique cultores. *Plin.* 9, 15, 17. Piscis ad mille libras catenato captus homo, nec nisi boum jugis extractus. *Mart.* 1, 61. Catenatae lagenae. Adde *Suet. Aug.* 13. et *Tib.* 64. ℙ *Catenatas* equorum linguas vocat *Stat. Th.* 4, 731. frenum in ore habentium. ℙ *Catenatas palaestras* dixit *Id. Silv.* 2, 1, 110., quia luctantes se mutuo implicant brachiis et cruribus et quasi catena constringunt. *Catenatus lectus* ap. *eund. Theb.* 1, 63. est rete invisibili circumdatus a Vulcano, ut Martem cum Venere cubantem deprehenderet. ℙ *Catenatus janitor* dicitur a *Colum. praef.* 1. servus ostiarius, quem ditiores habere solebant in catenis ad ostium aedium custodiae causa. V. *Ov. Am.* 1, 6. ℙ Translate. *Quint.* 1, 1. *in f.* Versus affectatae difficultatis, ex pluribus et asperrime coeuntibus inter se syllabis catenati. *Mart.* 1, 16. Exspectant curaeque catenatique labores, *h. e.* sese invicem sequentes et non intermissi.

CĂTĒNO, as, a. 1. *σειρεύω*, catena vincio. *Venant. carm.* 2, 14. Petrus, qui coelum clave catenat. Adde *carm.* 8, 4. *post med.*

CĂTĒNOPLĬUM, ii, n. *κατενόπλιον*, vox Graeca significans genus quoddam carminis, ad quod saltabant arma quatientes: ut *Suidas* docet. *Auson. epigr.* 10. *in f.* Nobiscum invenies catenoplia, si libet uti. Al. scrib. *κατενόπλια* Graecis litteris: alii etiam aliter leg.

CĂTĒNŬLA, ae, f. *ἅλυσις*, parva catena. *Paul. Nol. carm.* 26, 462. unum de calce catenula pendens Sustinet.

CĂTERVA, ae, f. *στίφος*, praecipua pars exercitus, apud multas barbaricas gentes, ea ratione, qua *legio* apud Romanos. *Veg. Mil.* 2, 2. Macedones, Graeci, Dardani phalanges habuerunt et in una phalange armatorum octo millia censuerunt: Galli atque Celtiberi pluresque barbaricae nationes catervis utebantur in proelio, in quibus erant sena millia armatorum. Romani legiones habent etc. [**Tac. A.* 1, 56. Quatuor legiones — et tumultuarias catervas Germanorum, cis Rhenum colentium, Caecinae tradit. *Id. ib.* 2, 17. Visis Cheruscorum catervis. *Id. ib.* 2, 45. Ut apud Germanos, vagis incursibus aut disjectas per catervas. *Id. ib.* 12, 33. Catervae meliorum pro munimentis constiterant.] Ex his apparet, hanc vocem externae originis esse: quae tamen a Romanis passim recepta est atque usu Latina facta. *Hor. Od.* 1, 8, 16. Lyciae catervae. *Id. ib.* 4, 4, 23. Vindelicum catervae late victrices. [**Tibull.* 1, 2, 67. Ille licet Cilicum victas agat ante catervas.] ℙ Dicitur saepissime de quacumque militum manu. *Nep. Chabr.* 1. Catervae conducticiae fugatae. *Cic. Dom.* 42. Forum armatis catervis perditorum hominum possidere. *Petr. Sat.* 124. *de exercitib. Caes. et Pomp.* toto fluitantes orbe catervas. ℙ Aliquando ita sumitur, ut peditum multitudinem tantummodo significet; quemadmodum *turma* de equitibus dicitur. *Hor. Ep.* 2, 1, 190. Dum fugiunt equitum turmae peditumque catervae. *Virg. A.* 7, 804. et *ib.* 11, 433. Agmen agens equitum et florentes aere catervas. ℙ Item aliquando de peculiari ordine aciei quadrato. *Tac. H.* 2, 42. Cominus, eminus, catervis et cuneis concurrebant. [**Id. A.* 4, 51. Barbari catervis decurrentes.] ℙ Saepe de quacumque hominum multitudine extra militiam. *Cic. Or.* 3, 50. *in f.* Catervae et conventus hominum. *Id. ib.* 1, 40. *in f.* Vagari magna cum caterva toto foro. *Id. Verr.* 2, 5, 43. Catervae testium. *Sall. Cat.* 14. Omnium flagitiosorum atque facinorosorum circum se, tanquam stipatorum, catervas habebat. [**Suet. Cal.* 18. Quibus inseruit catervas Afrorum Campanorumque pugilum. V. v. sq.] *Virg. A.* 11, 478. Subvehitur magna matrum regina caterva. [**Id. ib.* 11, 533. sacra caterva, i. e. Nympharum comitante Dianam. *Tibull.* 1, 2, 47. Jam tenet infernas magico stridore catervas. *Id.* 3, 4, 87. Nec consanguinea redimitus terga caterva, i. e. serpentes centum, qui uno satu cum ipso editi cerberi collo inhaerebant. V. *Broukh.* ad h. l.] *Mart.* 11, 47. Catervae femineae. ℙ Item de animalibus. *Virg. A.* 11, 456. Catervae avium. *Appul. Met.* 4. canum. ℙ [**Caterva* (alias *grex*) *histrionum* omnibus, qui in scena egerant, actoribus constat, qui denuo prodibant omnes in fine fabulae, ut plausum exciperent et populo se commendarent. *Lindem.* ad *Pl. Capt. in f.*] ℙ De rebus inanimis. *Gell.* 15, 2. Vili et incondita verborum caterva hortabantur omnes ad bibendum.

CĂTERVĀRĬUS, a, um, adj. *Suet. Aug.* 45. Spectavit studiosissime pugiles, non legitimos atque ordinarios modo, sed et catervarios oppidanos, inter angustias vicorum pugnantes temere ac sine arte, *h. e.* qui non singuli cum singulis, sed confusi mixtique pugnarent et per catervas. *Inscr.* ap. *Gud.* 106, 1. Pugiles catervarii. V. *Lips. l.* 2. *Saturn. c.* 16.

CĂTERVĀTIM, adv. *ἰλαδόν*, *ὁμιλαδόν*, per varias catervas. *Liv.* 23, 27. Jam primi conseruerant manus, cum alii catervatim currerent, alii nondum castris exissent. *Sall. Jug.* 102. Non acie neque ullo more proelii, sed catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in nostros incurrnnt. *Virg. G.* 3, 556. Jamque catervatim dat stragem. *Plin.* 10, 24, 35. Sturni catervatim volant.

*CATHARCLŪDI, orum, Indiae populi. Hinc *Catharcludorum regio* ap. *Plin.* 7, 2. ed. *Hard. B. A.*

CĂTHARTĬCUS, a, um, adj. *καθαρτικός*, purgandi vim habens, ut *medicamentum catharticum*; apud medicos: a *καθαίρω*, purgo. *Cels.* 2, 12. Medicamenta stomachum fere laedunt: ideoque omnibus catharticis aloe miscenda est. Sed membrum totum videtur insiticium, ideoque *Leon. Targa* in utraque *Celsi* editione illud expunxit. *Tertull. Pall.* 5. *in f.* Dabo cathartícum impuritati Scauri, aleae Curii et vinolentiae Antonii. *Hieron. in Ezech.* 7, 23. Dantur cathartica, ut noxius humor, qui inest corporibus, egeratur.

CĂTHĔDRA, ae, f. *καθέδρα*, sedile, sella. *Juven.* 7, 47. Quaeque reportandis posita est orchestra cathedris. *Mart.* 12, 18. Ignota est toga: sed datur petenti Rupta proxima vestis e cathedra. Adde *Plin. ep.* 8, 21. ℙ Speciatim sumitur pro sella molliore et delicatiore, qua utebantur mulieres et delicati etiam homines: eaque non solum domi, sed etiam foris, lecticae loco, (quandoquidem inter sellam et lecticam discrimen est, ut *Lips.* docet *Elector.* 1, 19.) *Hor. Sat.* 1, 10, 91. Discipularum inter jubeo plorare cathedras. *Prop.* 4, 5. 37. Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra Quidlibet. *Juven.* 1, 65. cum jam sexta cervice feratur. Hinc atque inde patens ac nuda paene cathedra Signator eto. *Id.* 9, 52. strata positus longaque cathedra. *Mart.* 3, 63. Inter femineas tota qui luce cathedras Desidet. *Id.* 11, 99. Surgere de cathedra. ℙ Quas *Plin.* 16, 37, 68. appellat *cathedras supinas*, in quibusdam Italiae locis dicuntur vulgo *poltrone*. ℙ Per metonymiam *molles cathedrae* dicuntur mulieres delicatiores et luxuriosiores. *Juven.* 6, 90. famam contempserat olim, Cujus apud molles minima est jactura cathedras. ℙ In theatris *cathedra* nominatur ipse in anfractu ad consessum situs, ut ait *Tertull. Spectac.* 3. ℙ Dicitur etiam de sellis magistrorum et professorum. *Juven.* 7, 203. Poenituit multos vanae sterilisque cathedrae, Sicut Thrasimachi probat exitus atque Secundi. *Mart.* 1, 77. Illic (*h. e. in foro*) aera sonant: ac circum pulpita nostra, Et steriles cathedras basia sola crepant. ℙ Hinc aliquando sumitur pro ipso munere professorum. *Auson. Profess.* 9. Et te, quem cathedram temere usurpasse loquuntur, Nomen Grammatici nec meruisse putant. ℙ Ap. *Sidon. in conc. post epist.* 9. *l.* 7. ponitur *cathedra* pro sella et munere Episcopali.

CĂTHĔDRĀLĬCĬUS, a, um, adj. ad cathedram pertinens. *Mart.* 10, 13. Cum cathedralicios portet tibi rheda ministros, *h. e.* pueros molles, et feminis similiores, quam viris. *Cathedra* enim feminarum, et delicatiorum hominum propria fuit, ut dictum est in v. praec.

CĂTHĔDRĀLIS, le, adj. V. v. seq.

CĂTHĔDRĀRĬUS, a, um, adj. ad cathedram pertinens. *Sidon. ep.* 1, 11. Per cathedrarios servos domum reportatus est, *h. e.* qui cathedram gestatoriam portant. ℙ *Cathedraria*, *orum*, sunt ipsae cathedrae. *Paul. Dig.* 33, 10, 5. De tapetis, subsellia, et cathedraria insterni solent. Ita leg. ap. *Holoandr.* At *Torrentin.* hab. De tapetis, subsellia cathedraria quibus insterni solent. Al. leg. *cathedralia*, quod minime probandum videtur. ℙ *Cathedrarii philosophi* dicuntur a *Senec. Brevit. vitae* 10. qui philosophiam profitentur, et in *cathedra* sedentes publice docent. Eos autem praestringit tanquam vanos falsosque, et philosophiam verbis tantummodo prae se ferentes, non moribus et vita, quales erant antiqui et veri philosophi. ℙ *Cathedrarii oratores* ap. *Sidon. ep.* 4, 3. sunt qui in cathedra artem oratoriam docent, sed in forum prodire non audent.

*CATHĒI MONTES in Sarmatia Asiat., ex quibus Lagous amnis profluit. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

CATHĒMĔRĪNON, *Καθημερινῶν*, *h. e.* diurnorum, vel quotidianorum. Graeca vox est genitivi pluralis, qua *Prudentius* partem poematum suorum inscripsit, in qua varios hymnos complexus est, certis diei horis, et in aliquot etiam solemnioribus festis decantandos.

CĂTHĔTER, ĕris, m. *καθετήρ*, *ῆρος*, instrumentum chirurgicum, quod in vesicam immittitur ad ejus vitia curanda, et urinam eliciendam. Vox Graeca a *καθίημι*, demitto, immitto; legitur Latine ap. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. *n.* 13.

CĂTHĔTUS, i, f. *κάθετος*, linea perpendicularis: a *καθίημι*, demitto. *Vitruv.* 3, 3. Secundum extremi abaci quadram lineae demittendae, quae catheti appellantur.

CĂTHŎLĪCĒ, adv. *καθολικῶς*, in universum, universe. *Tertull. Praescr.* 26. Etsi quaedam inter domesticos disserebant, non tamen ea fuisse credendum est, quae aliam regulam fidei superduceret contrariam illi, quam catholice in medium proferebant. *Id. Fuga in persecut.* 3. Haec catholice fiunt, *h. e.* passim. ℙ Item secundum doctrinam Catholicorum. *Hieronym. in Ruf.* 2, 3. Catholice dictum.

CĂTHŎLĪCĬĀNI, orum, m. plur. ministri et officiales Catholicorum. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 9, 49, 9. Exceptis dumtaxat Caesarianis, vel Catholicianis, qui etc. Al. leg. *Caesarianis*, *idest Catholicianis.* Porro *Catholicorum* sequiori aevo dignitas et magistratus fuit in Africa praesertim; quos eosdem fuisse, ac procuratores fisci, non uno in loco ostendit *Cujacius*, nempe exigendis tributis praefectos: quod probat etiam *Du Fresne in Glossar.*

CĂTHŎLĪCUS, a, um, adj. *καθολικός*, universalis, ad omnes pertinens. *Plin.* 1. *Hist. nat. in elencho l.* 2. *n.* 15. Catholica siderum errantium, *h. e.* ea, quae universim pertinent ad sidera errantia. Sic *n.* 55. Catholica fulgurum. *Appul. Trismeg.* Coelestes Dii catholicorum dominantur, terreni incolunt singula. *Tertull. adv. Marc.* 2, 17. Catholica, et summa bonitas Dei. ℙ *Catholica traditio* dicitur ab eodem *Tertull. Monog.* 2. quae ubique, et apud omnes disseminata est, et ab omnibus recipi debet: qua ratione *Catholica fides*, est fides Christiana ap. *Prud.* 11. *περὶ στεφ.* 24. et alios Ecclesiasticos scriptores passim: et *Catholici populi* ap. *eund. ib.* 30. sunt Christiani. ℙ Metrica necessitate, ut in *Italia*, sic in *Catholicus* prima producitur. *Prud. Apoth.* 70.

CATI Fons dicebatur, ex quo aqua Petronia in Tiberim fluebat, quia in agro erat cujusdam Cati. *Fest.*

CĂTĬĀNUS, a, um, adj. ad Catium pertinens, quod est nomen philosophi Epicurei proprium: ut *Catiana spectra*, *Cic. Fam.* 15, 16. et *Cassius* ad *Cic. ib.* 19. Hujus philosophi fatuitatem irridet *Hor. Sat.* 2, 4. [*Cf. *Heindorf.* ad h. l.]

CATĬCARĬUS Vicus ponitur a *P. Vict.* in quinta regione Urbis Romae: sed unde dictus sit, ignoratur.

*CATIENA, ae, f. mulier quaedam famosa, de qua *Juven.* 3, 133. *B. A.*

CĂTĪLĪNA, ae, m. L. Sergius Catilina patricius R., qui cum multis aliis ex nobilitate contra rempubl. conjuravit, exercitu etiam in Etruria parato adversus patriam. Detecta conjuratione nonis Decembris prudentia M. T. Ciceronis tum consulis, in exsilium concessit. Inde exercitum Romam versus movit. Victus a C. Antonio altero consule in proelio desperatissime pugnans interiit. Hanc historiam scripsit *Sall. Lucan.* 7, 63. *de Cic.* cujus sub jure, togaque Pacificas saevus tremuit Catilina secures.

CĂTĪLĪNĀNUS, a, um, adj. ad Catilinam pertinens. *Plin.* 2, 51, 52. Catilinana prodigia. *Id.* 23, 2, 8. Catilinanae res. Alii h. l. aliter leg.

CĂTĪLĪNĀRĬUS, a, um, adj. Catilinanus. *Cic. Catil.* 2, 10. Seminarium Catilinarium futurum. *Quint.* 3, 8. Bellum Catilinarium.

CĂTILLĂ, ae, f. *Pl. Cas.* 3, 2, 21. Operam uxoris polliceor foras, quasi catillae, *h. e.* quasi feminae, quae per alienas aedes cursitat liguriendi causa: ut *catilla* dicatur ea ratione, qua homo liguritor *catillo* dicitur. Sunt qui aliter interpretantur: sunt etiam qui aliter legunt. V. CATILLO, as.

CĂTILLĀMENTĂ, et CĂTILLĀMĪNĂ. } V. CASTELLAMENTUM.

CĂTILLĀTIO, onis, f. *λιχνεία*, actus lingendi. *Festus*: Catillatio grave opprobrium objiciebatur hominibus generosis, si qui provincias amicas pop. Rom. exspoliassent.

CĂTILLĀTUS. V. CATILLO, as.

CĂTILLI, orum, m. plur. populi Sabinorum ad Catillum montem, et Anienem fluvium. Prima syllaba producitur a *Virg. A.* 7, 672. et *Sil.* 4, 225., ut legendum ibi monet *Heins.* et *ib.* 8, 366. Corripitur a *Stat. Silv.* 1, 3, 100.

CĂTILLO, as, a. 1. est catillos lingere. *Fulg. de prisco serm. n.* 22. docet *catillare* esse per alienas domos cursitare: ductum a catulis, qui per omnes domos lingendi causa circumeunt. *Pl. Cas.* 3, 2, 21. Operam uxoris polliceor foras, quasi catillatum. Ita recte leg. *Fulg.*: alii aliter. *Id. Fulg.* affert etiam haec ex *Catullo* verba: *Catillata geris vadimonia publicum prostibulum:* quae alii *Petronio* tribuunt, alii *Propertio*, sed frustra.

CĂTILLO, onis, m. *λίχνος*, liguritor, et generatim gulosus: a catillis, idest catinis lingendis. Proprie *catillones* dicti sunt, qui ad sacrificium Herculis ultimi cum venirent, catillos liguriebant. Translate etiam lupi pisces dicti sunt *catillones* a *Lucilio*, qui inter duos Tiberis pontes proxime ripas stercore vescebantur. Haec omnia habet *Macr. Sat.* 2, 12. *in f*

CĂTILLUS, i, m. parvus catinus, *λεχάνιον, λεκανίδιον. Colum.* 12, 57. Hanc mixturam cum in catillo composueris, oleum superfundito. *Asin.* ap. *Charis.* 1, 61. Volitantque urbe tota catilli. *Val. Max.* 4, 3. *n.* 5. Ligneo catillo coenans Curius. ℙ Reperitur etiam *catillum, i*, n. *Petr. fr. Trag. Burm.* 50. Facere catilla, et paropsides. *Prisc.* quoque 1, 556. genus neutrum agnoscit. ℙ In illo *Plin.* 33, 12, 54. Cum capuli militum, ebore etiam fastidito, caelentur argento, vaginae catillis, baltei laminis crepitent: *catillos* intellige lamellas in catillorum figuram formatas, quibus vaginae ornabantur, ut est ap. *Burm.* ad *Petr. l. c.* ℙ Est etiam *catillus* superior molae molendariae pars, sicut *meta* inferior. Ita *Paul. Dig.* 33, 7, 18. §. 5. V. MOLA.

CATILLUS, i, m. filius Amphiarai post patris interitum tres liberos in Italia procreavit, Tiburtum, Coram, et Catillum, qui, depulsis ex oppido veteribus Sicanis, a nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocaverunt. Haec narrat *Sol. Sil.* 2, 8, 364. Et Tibur, Catille, tuum. *Hor. Od.* 1, 18, 2. sublata altera consonante *l* Catĭlum media brevi extulit. Circa mite solum Tiburis, et moenia Catili. ℙ Primam corripuit *Stat. Silv.* 1, 3, 100. Alciden, dictumque lyra majore Catillum. ℙ *Serv.* ad *A.* 7, 672. vocat Tibur *montem Catilli.*

CĂTĪNĂ, et Catāna, ae, et *Graeca positione* Catane, es, f. nunc *Catania*, *Κατάνη*, urbs Siciliae in ora orientali, Aetnae monti vicina, colonia olim Rom. Graeci omnes per *α* scribunt secundam syllabam, Latini fere per *i*, ut in MSS. *Plin.* invenisse se *Hard.* testatur. *Dausq.* in *Orthograph.* et *Salm.* in *Exercit. Plin.* probant, ut per *i* scribamus; sic etiam *Numidas* dici, qui Graece *Νομάδες* sunt, et *Massiliam*, quae *Μασσαλία* etc. *Plin.* 3, 8, 14. Colonia Catina. *Sil.* 14, 196. Tum Catane nimium ardent vicina Typhoeo. *Sil.* hoc loco per *a* Graeco more scripsisse, veri simillimum est, quia Graecam quoque positionem adhibuit, inquit *Drakenborch.*

CĂTĪNENSIS et Catanensis, se, adj. ad Catinam pertinens. *Cic. Fam.* 13, 30. L. Manlius Catinensis. ℙ *Catinenses, ium*, *Καταναῖοι*, sunt ejus urbis incolae. *Cic. Verr.* 2, 2, 49. ℙ Hos male olim audisse ob mollitiem, effeminatosque mores, colligunt quidam ex illo *Juven.* 8, 16. Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum etc. Sed ideo *Catinensem* cognominavit, quia Catinensis ager propter incendia vicini Aetnae, eo lapide abundat. Unde *Sev. A.* 477. Sic velut in fornace lapis, torretur, et omnis Exuitur penitus venis: subit altius humor: Amissis opibus levis, et sine pondere pumex. *Vitr.* 2, 6. etiam Vesuvio similem lapidem tribuit: item *Plin. ep.* 6, 16. ℙ Ap. *Justin.* 4, 3. ter legitur *Catiniensis* in plerisque ejus codicib.

CĂTĪNĪENSIS. V. v. praec.

CĂTĪNŬLUS, li, m. catillus. Usurpatum est a *Varr.* ad *Cic.* teste *Charis.* 1, 61.

CĂTĪNUM, i, n. et Catinus, i, m. *λεκάνη, τρυβλίον*, vas escarium, et culinarium fictile, vel ligneum, vel ex alia quapiam materia. *Varr. L. L.* 4, 25. *in f.* docet, a Siculis dictum esse *κάτινον*, vel, ut *Scalig.* legi vult, *κάταινον. Id. R. R.* 1, 63. In sole ponere opertet aquae catinos, quod eo conveniunt, ut ipsi se necent, curculiones. *Id.* ap. *Non.* 15, 26. Acetabula, catini, patenae. *Maecenas* ap. *Charis.* 1, 60. fumans calido cum farre catinus. *Cato R. R.* 84. Catinum fictile oleo ungito. *Hor. Sat.* 1, 6, 115. inde domum me Ad porri, et ciceris refero, laganique catinum. *Pers.* 3, 111. positum est algente catino Durum olus, et populi cribro decussa farina. ℙ Aliis quoque usibus inservit. *Plin.* 33, 4, 21. et *ib.* 6, 35. memorat *catinos ex tasconio*, in quibus metalla coquuntur. *Suet. Galb.* 18. Senex atratus in catino vitreo tus tenens. *Appul. Apolog.* Simpulo, et catino fictili sacrificare. ℙ Per similitudinem *catini saxorum* dicuntur cavitates in saxis naturaliter excavatis, in quas aliquid congeritur. *Plin.* 34, 12, 32. Calcantum fit et in saxorum catinis, pluvia aqua corrivato limo gelante.

CĂTĬUS, ii, m. Deus apud Romanos, qui pueris praeerat, ut eos *catos*, hoc est acutos, solertes et prudentes faceret. *Aug. Civ. Dei* 4, 21., ubi aliis placet legi *Cautius* a *cautus, a, um.* V. CAUTES. ℙ Catius fuit etiam philosophus Epicureus, natione Insuber, de quo *Cic. Fam.* 15, 16. V. CATIANUS. ℙ Fuit praeterea *Catius* nomen Rom., de quo multa exstant testimonia in veteribus monumentis ap. *Grut.* A voce *Cato* ductum esse putat *Sigon. de nom. Romanor.*

CATLASTER, tri, m. grandior puer, adolescentulus. *Vitr.* 8, 4. hanc vocem restituit. *Turneb. Adv.* 24, 7. pro eo quod vulgo legebatur *catastos.* Catlastri autem forma, quam *Charis.* habet 1, 65. contracta est ex *catulaster*, quod in diminutivis ex *catulus* ponit *Prisc.* 3, 618. et 4, 628. *Gloss. Phil.* Catulaster, *βούπαις, πάλληξ.* ℙ Hinc est *Catulastra, ae*, f. puella jam grandis, et viri patiens. *Dracont. in f. lib.* 2. Non catulastra gerit puerilia: non puer audet Attrectare tener Martia tela manu.

CATLITĬO. V. CATULITIO.

CĂTO, onis, m. Catonum familia ex Tusculano municipio ortum traxit, et perillustris Romae fuit propter celebres viros, qui ex ea prodierunt. Primus M. Porcius Cato se Romam contulit, amicitia et suasione Val. Flacci. Natus est Q. Fabio Maximo, eo, qui Tarentum recepit, primum consule an. ante Chr. n. 233. Fuit aequalis Africani Superioris, et Q. Fabii Maximi. Gessit censuram summa severitate. Hinc *Censorius* dictus est. Scripsit historiam, et libros De originibus rerum, item De re Rustica, et alia. Reliquit plurimas orationes, in quibus omnes oratoriae virtutes inerant. Ex his solus liber De re Rustica superest: aliorum scriptorum aliquot solummodo fragmenta. Fuit Stoicus, sed summa humanitate. Sapiens etiam nominatus est. Filium praestantissimum genuit, qui ante patrem mortuus est praetor designatus. Diutissime vixit, et floruit in senectute. Linguam Graecam in senectute didicit. Annos natus 85. mortuus est, L. Marcio, M'. Manilio coss., annis 86. ante Ciceronem consulem. Praeter *Cic.*, qui passim in scriptis suis ejus mentionem facit, et praesertim *Senect.* et *Or.* 3, 33., summis laudibus praedicant etiam *Liv.* 34, 18. et 39, 40. et 42. *Plin.* 7, 27, 28. et 14, 4, 5. *Val. Max.* variis in locis, et alii. ℙ Fuere alii Catones, omnes viri gravissimi, de quibus legendus est *Gell.* 13, 19., ubi totam ejus familiae rationem exponit. In iis celeberrimus est M. Cato, cognomento *Uticensis*, imperator in Africa. Hic, cum ceteri omnes se Caesari traderent, mortem sibi suis manibus maluit Uticae consciscere, quam tyranni vultum aspicere. Hujus elogia exstant ap. *Sall. Catil.* 57., *Vellej.* 2, 35., *Luc.* 2, 380. et alibi, item *Senec.* multis in locis. ℙ Per translationem dicitur de viro gravi, severo, constanti, et integris moribus. *Senec. ep.* 120. Quidam alternis Vatinii, alternis Catones sunt. *Juven.* 2, 40. Tertius e coelo cecidit Cato. *Lamprid. Alex. Sev.* 68. Fabius Sabinus, alter sui temporis Cato. ℙ Et de moroso ac difficili. *Phaedr.* 4, 6. Quid possum facere tibi, lector Cato, Si nec fabellae te juvant, nec fabulae? ℙ *Contenti simus hoc Catone*, proverb. Augusti, quoties hortabatur ad ferenda praesentia, quaecumque essent. *Suet. in ejus Vita* 87. ℙ [**Valerius Cato*, Grammaticus, Romae multos et nobiles docuit tempore Sullae. Scripsit praeter Grammaticos libellos etiam poemata, ex quibus praecipue probantur *Lydia* et *Diana.* Vixit ad extremam senectam, sed in summa pauperie et paene inopia, abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat ut refert amicus ejus *M. Furius Bibaculus.* Ejus quoque meminit *Catull. epigr.* 57, 3. *Ov. Trist.* 2, 436. *Suet. Illustr. Gramm* p. 7. ed *Casaub.* ℙ *Dionysius Cato* Aviano aequalis fuisse creditur. V. *Saxii Onomast.* 1, 330. sq. Cultui deorum addictus esse videtur. Disticha de moribus, ajunt, ad filium scripsit. J. M. Bernhold conjecit, quendam Dionysium haec carmina ex aliis auctoribus collegisse, et sub Catonis nomine evulgavisse. *B. A.*]

CĂTOBLĔPAS, ae, m. *κατωβλέπας*, fera est in Aethiopia ad Nili caput, modica alioquin, ceterisque membris iners, caput tantum praegrave aegre ferens: id dejectum semper in terram (unde et nomen traxit a *κάτω*, deorsum, et *βλέπω*, aspicio); alias internecio humani generis, omnibus, qui oculos ejus videre, confestim exspirantibus. Ita eam *Plin.* 8, 21, 32. describit. Adde *Mel.* 3, 9.

*CATOBRIGA, ae, Hispan. urbs inter Cordubam et Emeritam. *Ant. Itin. B. A.*

CĂTOCHĪTES, ae, m. *κατοχίτης λίθος*, gemma est in Corsica, ceteris major; mirabilis, si vera traduntur, impositam manum, veluti gummi retinens: a *κατέχω*, retineo. *Plin.* 37, 10, 56.

CĂTOMĬDĬO, as, a. *κατωμίζω*, in humeros tollo, sublimem rapio, ad poenam nempe puerorum propriam, cum ludimagister delinquentis pueri, et alicujus humeris impositi, nates verberat, quod Itali dicunt *porre a cavalluccio, dare un cavallo.* Est autem a *κατὰ*, super, et *ὦμος*, humerus; inde etiam *κατωμάδιος*, ex humeris pendens. Poenam describit *Prud. περὶ στεφ.* 10, 696. *de puero septuenne.* Vix haec profatus (Asclepiades) pusionem praecipit Sublime tollant, et manu pulsent nates: Mox et remota veste virgis verberent, Tenerumque duris ictibus tergum secent. *Beda* in *Mart.* ad XIV. K. Dec. *de eodem.* Indignatus Asclepiades puerum catomo suspendi, et verberari jussit. Hinc in *Act. Mart.* passim legere est *catomis caedi, in catomo levari.* V. *Gloss. Lat. Ducang.* in V. *Catomus. Appul. Met.* 9. Vocatis duobus e familia validissimis, quam altissime sublato puero, ferula nates ejus obverberans etc. *Petr. Satyr.* 132. Matrona ad ultionem decurrit, vocatque cubicularios, et me jubet catomidiari. Hic *Petr.* loquentem inducit adolescentem, qui in concubitu veneream feminae libidinem explere nequiverat, ideoque ab eadem more imbecillium puerorum male mulcatus fuit. ℙ Eadem fuit poena decoctorum. *Spart. Hadr.* 18. Decoctores bonorum suorum, si suae auctoritatis essent, catomidiari in amphitheatro, et dimitti jussit. ℙ Hujus consuetudinis vestigia quaedam servabantur olim in Italia, cum nempe decoctores sola camisia induti nudas nates super lapidem in foro positum percutere cogebantur, et exclamare: *Bonis meis renuncio;* hoc Itali dicunt *dare del culo in sul petrone.* Hic lapis *pietra del bando* appellatur, qui etiamnum Patavii exstat, et in superiore extremitate hanc habet circularem inscriptionem: *Lapis vituperii, et cessionis bonorum.* ℙ Sunt qui in *l. c. Petr.* perperam legunt nullo sensu *catorogare; Burm.* vero turpi et huic loco alieno *catapygare;* alii tum hic, tum ap. *Spart. l. c.* inepte *catamidiari*, a *cătămĭdĭo, as*, quod a *καταμειδιάω*, derideo, ludibrio habeo.

CATOMITĀRĬI quid sint ap. *Ennium*, non facile dixeris. Verba *Ennii* sunt ap. *Serv.* ad *A.* 9, 329. Quo tamen temere itis citati, catomitarii? *Merula* habet: Quo tam temere iti, citate Catomeraris. ℙ Videtur utrobique vox corrupta. Si liceret reponere *catomidiari*, lux aliqua appareret in voce praecedent., et esset convicium.

CATONES. V. COTHON.

*CATONI, orum, Scythiae populi, Asiam ulteriorem incolentes, ad Maeotim lacum. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

CATONĬĀNUS, a, um, adj. ad Catonem pertinens. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Catoniana familia. *Senec. Tranquill.* 7. Catoniana aetas, *h. e.* qua Cato vixit. *Id. ep.* 94. Catoniana praecepta. *Mart.* 9, 28. Catoniana lingua.

CATONINUS. V. v. seq.

CATONĬUM, ii, n. locus inferorum, inferi: a *κάτω*, infra, vel deorsum. *Laber.* ap. *Gell.* 16, 7. Tollet bona fide vos Orcus nudas in catonium. *Gell.* enumerat inter ea, quae obsoleta et maculantia ex sordidiore vulgi usu *Laberius* adhibuit. *Cic. Fam* 7, 25. Vereor, ne in Catonium Catoninos, *h. e.* ne Caesar ad inferos demittat Catoni deditos, ejusque laudatores, ut te et me. Ap. *Laber.* alii leg. *charonium*, a Graeco *χαρώνειον*, seu *χαρωνεῖον*, quo significatur barathrum gravem odorem exhalans; et translate Orcus, Inferi. Huc referri potest, quod docet *Pollux.* 8, 9. *χαρώνειον* dictam esse portam carceris, qua damnati ducebantur ad supplicium: quasi illac via esset ad Charontem.

[*CATOPYRĪTIS, itidis, f. gemma quaedam ap. *Plin.* 37, 10, 56. Catopyritis e Cappadocia provenit. Legitur et Catopyrites. *B. A. F.*]

CĂTORCHĪTES Vinum, *οἶνος κατορχίτης*, vinum sycites, hoc est e ficu factum. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 3. ℙ Videtur ita appellatum a *κατορχέομαι*, demulceo, quia lentum admodum ac lene est.

CATTA, ae, f. *Mart.* 13, 69. cujus lemma est *Cattae:* Pannonicas nobis nunquam dedit Umbria cattas: Mavult haec domino mittere dona Pudens. *Mart.* tum in praecedentibus, tum in sequentibus distichis de variis avibus agit: quare etiam *cattae* istae inter aves censendae sunt, et quidem Pannoniae peculiares, ut ipse *Mart.* indicat, (quamvis non constet, quodnam avium genus hoc nomine designetur) neque audiendi, qui mustelas silvestres esse putant, multo minus qui *feles* interpretantur. [ℙ At in *Not. Tir.* p. 176. Catta recensetur inter bestias, nempe inter talpam, et nitelam. Adde *Evagr.* 6, 24. *Αἴλουρος, ἣν κάτταν ἡ συνήθεια λέγει. Gloss. Vet.* Catta, *αἴλουρος.* V. CATUS, i. ℙ Notationem vocis habet *Etymolog. Gr. Gudianum.*

Κάττα, παρὰ τὸ ἅττω, salio, additione litterae *κ*. ℙ Fuit etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 963, 2. Aurelia Catta. *F.*] ℙ Apud *Gell.* 10, 25., ubi varia navium nomina recenset, pro *stlatae* quidam legunt ex MSS. quibusdam *cattae*, sed hoc valde incertum est.

[CATTHARENSIS, se, adj. ad Cattharum pertinens, Dalmatiae oppidum, nunc *Cattaro.* ℙ *Cattharenses*, *ium* sunt incolae illius oppidi. *Inscr.* ap. *Mur.* 852, 7. Silvestrius Servandus Circitor *Numeri* Cattharensium. ℙ Sunt qui putent, *Cattaro* recens admodum nomen oppidi esse, ac illud antiquitus fuisse appellatum Ascrivium, quod memorat *Plin.* 3, 22, 26.; hinc fortasse eorum sententia est amplectenda, qui arbitrantur *Cattharenses* fuisse eosdem ac *Cataros* Pannoniae populos, quorum mentio est apud *Plin.* 3, 24, 28. *F.*]

CATTI, orum, m. plur. populi sunt Germaniae prope Hercyniam silvam, ubi nunc *Hassia*, eorumque regio Hassia cum parte Turingiae, et regionis caput Mattiacum, nunc *Marburg.* Horum meminere *Tac. Germ.* 30., *Juven.* 4, 147., *Suet. Dom.* 6. etc. ℙ Apud *Plin.* 4, 14, 28. legitur *Chatti* cum aspiratione.

[*CATTĪCUS, a, um, adj. ad Cattos pertinens, Germaniae populos. *Mart.* 14, 26. Cattica Teutonicos accendit spuma capillos, Captivis poteris cultior esse comis, *h. e.*, sapo, qui ex cinere et sevo factus, rutilat capillos, quo si utaris, Cattorum elegantiam tua coma superare poteris. Alii leg. *Caustica;* sed cum in MSS. sit *Catica*, et idem *Mart.* 8, 33. saponem vocet *spumam Batavam*, et Domitiano, qui de Cattis triumphasse constat ex *Suet. Dom.* 6., adulatus saepe fuerit, *Cattica* pro *Caustica* retinendum videtur. *F.* et *B. A.*]

CĂTŪLA, ae, f. parva canis, *κυνίδιον. Propert.* 4, 3, 55. Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis. *Aurel. Vict. Epit.* 23. *de Elagab.* Hujus corpus per Urbis vias, more canini cadaveris, a milite tractum est, militari cavillo appellantium indomitae et rabidae libidinis catulam.

CĂTŪLĀRĬUS, a, um, adj. ad catulum pertineus, ut *Catularia porta* Romae ita dicta, quia non longe ab ea ad placandum Caniculae sidus frugibus inimicum rufae canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur. *Festus* hic, et in *Rutilae.* ℙ Hanc portam fuisse inter colles Capitolinum, et Quirinalem probavit *Ant. Nibbyus*, *Mura di Roma* p. 136.

CĂTŪLASTER et Cătŭlastră. V. in CATLASTER.

CATŪLĬĂNUS, a, um, adj. ad Catulum pertinens, ut *Catuliana Minerva*, quam Q. Lutatius Catulus Romae infra Capitolium dedicavit. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 16.

CĂTŪLĪNUS, a, um, adj. *κυνικὸς*, qui est ex catulo, ut *catulina caro*, *Pl.* ap. *Fest.*, et *catulina* absolute ap. *Plin.* 29, 4, 14. eod. sensu.

CĂTŪLĪO, is, a. 4. *σκυζάω*, dicitur de catulis, cum libidine lasciviunt, et venerem appetunt. *Varr. R. R.* 2, 9. *de canib.* Principium admittendi faciunt veris principio. Tunc enim dicuntur catulire, id est ostendere se velle maritari. ℙ Translate *Laber.* ap. *Non.* 2, 171. Lupa catuliens, *h. e.* meretrix *ἄνδρα ἐφελκομένη*.

CĂTŪLĪTĬO, onis, f. 3. actus catuliendi, *σκύζα*. Translate *Plin.* 16, 25, 39. Catulitionem rustici vocant, gestiente natura semina accipere, eoque (*vento Favonio*) animam inferente omnibus satis. In quibusdam MSS. est *catlitionem* per syncopen testib. *Hard.* et *Turnebo Adversar.* 24, 7.

CĂTULLĬĂNUS, a, um, adj. a Catullo, ut *basia Catulliana* ap. *Mart.* 11, 6.

[CĂTULLĪNUS, a, um, adj. ad Catullum pertinens. *Catullinus* est cogn. Rom. nempe Sex. Tidii cons. an. U. C. 784. *Inscr.* ap. *Mur.* 302, 4., et Q. Fabii Cos. an. U. C. 883. in alia ap. *Grut.* 108, 6. *F.*]

[CĂTULLUS, a, um, adj. diminut. cati. *Catulla* est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 103, 1. Octavia Catulla. *F.*]

CĂTULLUS, i, m. C. Valerius Catullus poeta Veronensis, natus Sullae, Mariique temporibus, in poemate cum lascivus, tum mordax, quippe qui Caesari maximo tunc viro minime pepercit, Iambis eum criminatus. Reconciliatus nihilominus eodem die ab eo coenae adhibitus est, ut *Suet. Caes.* 73. narrat. Amavit Ipsithillam, et Clodiam, quam Lesbiam vocat. Scripsit de passere suae Lesbiae, et alia multa. Mortuus est Romae. Eum doctum appellant *Tibull.* 3, 6, 41. et *Ov. Amor.* 3, 9, 62., et elegantissimum poetarum *Gell.* 7, 20. ℙ Alius fuit Catullus urbicarius mimographus, cujus meminit *Juven.* 13, 111. et 8, 185.

CĂTŪLOTĬCUS, a, um, adj. *κατουλωτικὸς*, cicatricem inducens, ab *οὐλή*, cicatrix. *Veget. Veterin.* 4, 28. Igitur medicamentum, quod supra dixi, catuloticum est. *Id.* paulo prius dixerat: Facit ad omnia vulnera elimpidanda, et velocius curanda. Ante *Gesnerum*, qui locum ita emendavit, hic legebatur nullo sensu *cataloticum* vel *catolaticum.*

CĂTŪLUS, i, m. *κυνίδιον*, canum fetus recens editus. *Cic. N. D.* 2, 4. Omnia in perfectis et maturis esse meliora, ut in equo, quam in equulo, in cane, quam in catulo. *Hor. Ep.* 1, 2, 65. venaticus ex quo Tempore cervinam pellem latravit in aula, Militat in silvis catulus. ℙ *Aliter catuli longe olent, aliter sues*, prov. ap. *Pl. Ep.* 4, 2, 9. de rebus inter se valde dissimilibus. ℙ Saepe tota significatione accipitur pro recenti partu omnium fere animalium. *Hor. Od.* 1, 1, 27. Catuli cervae. *Id. ib.* 3, 20, 2. leaenae. *Pl. Truc.* 2, 2, 13. suum. *Virg. A.* 2, 357. luporum. *Plin.* 8, 4, 5. tigrium. *Id.* 10, 74, 95. vulpium. *Id.* 8, 54, 80. simiarum. *Id.* 10, 65, 85. lacertarum. *Id.* 29, 4, 16. mustelae. *Phaedr.* 2, 4. felis. *Plin.* 9, 8, 7. delphinorum. *Id.* 10, 74, 96. aspidis. *Id.* 10, 62, 82. viperae. *Id.* 11, 37, 55. et *Virg. G.* 3, 437. serpentium. ℙ Est etiam genus vinculi, quo servi constringebantur, qui et *canis*, et *catellus* dicitur, *Lucil.* ap. *Non.* 1, 162. Cum manicis, catulo, collarique ut fugitivum Deportem. Adde *Festum.* V. CANIS et CATELLUS.

CĂTŪLUS, i, m. *Catulorum* familia in Lutatiorum gente nobilis in primis exstitit. In ea fuit C. Lutatius Catulus, qui victis navali proelio Carthaginiensibus ad Aegates insulas, finem bello Punico primo imposuit. ℙ Catulus orator celebris laudatur a *Cicer.* multis in locis, et praesertim in *lib. de Or.* et *in Brut.* Hic a Mario bello civili mori jussus, haustis ardentibus carbonibus vitam finivit. ℙ Verisimile est horum appellationem a *catus*, *a*, *um*, derivatam esse.

CATUMĔUM, i, n. genus libi in sacris adhibiti, ap. *Arnob.* 7, 230. Videtur autem significare libum e carne desecta ex cervice animalis: a *catomum*, quod quaedam *Glossae* cervicem interpretantur, *κατ' ὤμων*. Haec conjectura ex eo firmari potest, quod non una ex iis libis, quae eo loco *Arnob.* enumerat, ex variis animalium membris ducta sunt, ut *caro strebula* ex coxendicibus, *aerumnae* ex gula, *taeniae* ex intestinis, *offa penita* ex cauda etc.

[CĂTURĪCUS, i, m. ad Caturices, seu Caturiges pertinens, Galliae populos in Alpibus Cottiis. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1096, 2. Q. Junius Caturicus Faustinus. *F.*]

[*CĂTŪRĪGES, gum, m. plur. *Κατούριγες* et *Κατόριγες*, populi Galliae in Alpibus Cottiis, quorum caput fuit urbs Catorimagum, nunc *Chorges*, inter Vapincum et Eborodunum ad Druentiam amnem. Fortasse sunt ita appellati quia *κατ' οὔρεα*, sive *ὄρεα*, *in montibus* scilicet habitabant. Memorantur a *Caes. B. G.* 1, 10., *Plin.* 3, 20, 21. aliisque. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 234. Praefectus civitatium, quae subscriptae sunt, Segoviorum, Segusinorum, Belacorum, Caturigum. *F.* et *B. A.*]

CĂTUS, a, um, adj. proprie acutum significat, estque vox a Sabinis ducta, ut *Varr. L. L.* 6, 3. docet. *Enn.* ap. *Varr. ib.* Jam cata signa fere sonitum dare voce parabant. ℙ Hinc translate *Id. ib.* Cata dicta, *h. e.* acute dicta. ℙ Sumitur saepissime pro solerti, callido, acuto, *νουνεχὴς*, *πανοῦργος*. Videtur autem significare potius solertiam et prudentiam, quae a natura est, non quae ab habitu. *Cic. Leg.* 1, 16. Quis igitur prudentem, et, ut ita dicam, catum non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa judicet? *Hor. Od.* 1, 10. Mercuri, Qui feros cultus hominum recentum Voce formasti catus. *Pl. Pers.* 4, 4, 70. Ita cata est et callida: habet cor: quam dicit, quod opus est! *Id. Most.* 1, 3, 29. Miror tam catam, tam doctam te, et bene educatam. *Id. Ep.* 2, 2, 73. Dare alicui consilium catum. *Auson. Parental.* 17. Lingua catus, ore canorus. [*Hor. Ep.* 2, 2, 39. Ille catus, quantumvis rusticus, ibit.] ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 3, 12, 10. Catus jaculari cervos. *Appul. Flor. n.* 3. Catus canere. ℙ Cum genitivo. *Auson. Mosell.* 400. legumque catos, fandique potentes. ℙ *Non.* 2, 184. *catum* interpretatur *sapientem*, sed abutitur verbis *Cic. Tusc.* 2, 19., in quibus meliores libri habent *cautus* pro *catus:* quod si *catus* legere velis, nihil aliud certe quam callidum significat. ℙ Fuit etiam *catus* (sicut et *corculus*) cognomen apud Romanos, datum iis, qui acumine ingenii ac solertia, et, quod hinc sequitur, sapientia et prudentia pollebant, ut *Plin.* 7, 31, 31, docet. *Enn. ap. Cic. Or.* 1, 45. Egregie cordatus homo, catus Aeliu' Sextus.

CĂTUS, i, m. *αἴλουρος*, *κάττος*, feles. *Pallad.* 4, 9. Contra talpas prodest catos frequenter habere in mediis carduetis. *Auct. incertus* in *Anthol. Lat. epigr.* 5, 162. *Burm.* Catus in obscuro cepit pro sorice picam. ℙ Videtur etiam significare canem; et feminino etiam genere efferri posse, si sana sunt haec verba *Serv.* ad *A.* 5, 610. Catullus, et alii feminino genere ponunt, referentes ad originem, sicut haec catus, et haec gallus legimus imitatione Graecorum, qui *ὁ καὶ ἡ κύων*, *ὁ καὶ ἡ ἀλεκτρυὼν* dicunt. ℙ Item machina militaris, eadem quae vinea, aut pluteus, qua tecti milites ad muros urbis obsessae subruendos, et fossam implendam accedunt. Quo loco *Veget. Milit.* 4, 15. habet: *Vineas dixerunt, quas nunc barbarico usu causias vocant;* fuit qui legendum putaret *catos vocant.* At praestat priorem lectionem retinere. V. CAUSIA. Adde, Italos nunc vocare *gatti* non vineas, sed testudines, quas *Veget. ib.* 16. describit, quasque Italus interpres *gatti* appellat. ℙ Scribitur et *cattus*, ut habet et *Gloss. Vet.* Cattus, *αἴλουρος*, et *Scholiast. Callimach.* ad *Hymn. C.* 111. *Τὸν αἴλουρον, τὸν ἰδιωτικῶς λεγόμενον κάττον.* V. CATTA.

[*CĀVĀ, ae, f. terra excavata, inter ea, quae finem agris praestare possunt; si aqua repleantur, non tam cavae, quam fossae sunt appellandae. *Frontin. De colon.* p. 113. *Goes.* Ceteris autem locis cavas, itinera etc. *et mox.* Rivi finales, et cavae, quae ex pactione sunt assignatae. *Item* p. 115. quod enim viarum, riparum, cavarum fuerit etc. *F.* et *B. A.*]

CĀVAEDĬUM, ii, n. locus cavus, qui inter aedes medius est conclusus, columnis suffultus, et superne partim compluvio tectus, partim apertus et sub dio, qui impluvium vocatur. Quo modo differat ab atrio, V. ATRIUM. *Varr. L. L.* 4, 33. duo cavaediorum genera ponit, alterum, quod totum testudine tectum sit, alterum, cujus media pars sub dio relicta, *impluvium*, altera protecta, qua pluvia compluebat, *compluvium* dicitur. *Vitr.* 6, 3. quinque genera ponit, Tuscanicum, Corinthium, Tetrastylon, Displuviatum, Testudinatum, quae Vide suis locis. *Plin. ep.* 2, 17. Est contra medias porticus cavaedium hilare. ℙ *Varr.* et *Vitr. l. c.*, item *Plin. alter* 19, 1, 6. *cavum aedium* dicunt.

CĀVĀMEN, inis, n. cavum, caverna, *κοίλωμα. Solin.* 9. In latebrosis rupium cavaminibus, quae fluctuum conflgiis adesa sunt.

*CAVĂRES, um, populi Galliae Narbon., quorum caput Avenio. *Plin.* 3, 4. *Mela* 2, 5. *B. A.*

CĀVĀTĬCUS, a, um, adj. *Cavaticae cochleae* dicuntur a *Plin.* 8, 39, 59. et 30, 6, 15. quae in cavis terrae, et speluncis nascuntur, neque ex iis prorepunt, neque herba vivunt, sed uvae modo inter se cohaerent. Eae in Balearibus insulis gignuntur.

CĀVĀTĬO, onis, f. *κοιλότης*, cavum. *Varr. L. L.* 4, 3. scribit Ennium ad *cavationem* respexisse, cum dixit Coeli ingentes fornices. Et *ib.* 26. Sinum majorem cavationem, quam pocula, habebat.

CĀVĀTOR, oris, m. qui cavat. *Plin.* 10, 18, 20. Pici arborum cavatores. V. CABATOR.

CĀVĀTŪRĂ, ae, f. cavamen, cavum, *κοιλότης. Veget. Veter.* 1, 25. Sub cavatura temporum vena perquiritur. *Marcell. Empir.* 12. *post med.* Cavaturae dentium.

CĀVĀTUS, a, um, part. a *cavo*, *κοιλωθείς*, cavus factus. *Colum.* 6, 59. Cavati dentes. Hos *Varr. R. R.* 2, 7. *cavos* appellat. *Virg. A.* 3, 229. Rupes cavata. *Id. G.* 4, 33. Cortices cavati. *Id. ib.* 1, 136. Alni cavatae. *Plin.* 2, 82, 84. Oppida crebris cuniculis cavata. *Id.* 36, 17, 28. Vas cavatum ex lapide. *Sil.* 7, 190. Quercus cavata in cratera. *Appul. Met.* 2. Succinum mire cavatum in capides. *Lucr.* 6, 1192. Cavati oculi. *Tertull. adv. Herm.* 29. Aquae segregatae in cavationem sinum. *Ammian.* 16, 5. *a med.* Quidam non, ut moris est, expansa chlamyde, sed utraque manu cavata *aurum* suscepit. [**Suet. Aug.* 43. Cavatum solum, i. e. structum stagnum, ut *Tac.* loquitur *A.* 12]

*CAUCADAE, arum, Asiae populi, ultra Maeotidem pal. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

CAUCĂLIS, idis, f. *καυκαλὶς*, herba est edulis, foeniculo similis, brevi caule, flore candido. Multos habet etiam in medicina usus. *Plin.* 22, 22, 40.

CAUCĂSĬGĔNĂ, ae, m. et f. ad Caucasum genitus. *Sidon. ep.* 4, 1. Alani Caucasigenae.

CAUCĂSĬUS et Caucaseus, a, um, adj. ad Caucasum pertinens. *Plin.* 6, 13, 15. Caucasii jugi. [**Mela* 1, 2, 93. Caucasii montis.] *Virg. G.* 2, 440. Caucasius vertex. *Id. Ecl.* 6, 43. Caucasiae volucres. *Pier.* notat in antiquissimis MSS. et per *e* et per *i* scriptum legi. *Prop.* 2, 1, 71. Caucasea rupes. *Claud.* in *Eutrop.* 1, 247. Caucasiae pruinae. *Val. Fl.* 5, 381. Nymphae. *Id.* 7, 565. trabes. *Id.* 4, 63. Caucaseus senex, *h. e.* Prometheus. ℙ *Caucasiae portae*, quae et *Iberiae* et *Albanae* dicuntur, sunt angustiae inter Caucasum montem et mare Caspium seu Hyrcanum, ad Cyrum amnem, ingens, inquit *Plin.* 6, 11, 12., naturae opus montibus interruptis repente, ubi fores abditae ferratis trabibus, subter medias amne diri odoris fluente citraque in rupe castello (quod vocatur Cumania) communito ad arcendas transitu gentes innumeras: ibi loci, terrarum orbe portis discluso etc. Haec *Plin.* ℙ *Caucasii*, *orum*, populi sunt Caucasum incolentes. *Mela* 1, 19.

CAUCĂSUS, i, m. *Καύκασος*, mons Asiae, ad sept. versus Mengreliam et Georgiam valde exstensus, inter mare Euxinum ad occ. et Caspium seu Hyrcanum ad orientem. Est autem pars Tauri montis, qui cum longissimo terrarum tractu protendatur, varia in variis regionibus nomina habet. *Caucasus* itaque appellatur, ubi in tantam altitudinem extollitur, ut se quoque exsuperare videatur: quod cum duobus maxime locis fiat, altero quem modo diximus, altero vero ad mare Indicum, duplex ideo *Caucasus est*, Indicus et Scythicus seu Colchicus, de quibus videndus *Salmas.* in *Solin.* et geographi. ℙ *Caucaso abruptior*, prov. *Tertull. adv. Marc.* 1, 1. Marcion hieme frigidior, Istro fal

lacior, Caucaso abruptior. ℙ In Caucaso Scythico (is enim in fabulis et apud poetas celebris est) alligatus fuit Prometheus, immissa aquila seu vulture, qui jecur ejus exederet. *Hygin. fab.* 144. ℙ Qui ad hunc montem accolunt, durissimi homines et crudelissimi perhibentur. Hinc *Hor. Od.* 1, 22, 6. et *Ep.* 1, 12. Caucasum inhospitalem appellat. Et *Virg. A.* 4, 367. duris genuit te cautibus horrens Caucasus Hyrcanaeque admorunt ubera tigres. Et *Senec. Med.* 43. Inhospitalem Caucasum mente indue, *h. e.* feritatem, crudelitatem. ℙ Graeca positione *Ov. Met.* 8, 797. rigidique cacumine montis (Caucason appellant) etc. *Stat. Th.* 4, 394. Amazoniis ululatum caucason armis. ℙ Ap. *Sil.* 16, 357. *Caucasus* est nomen equi quadrigas in Circo trahentis.

[*CAUCENSIS, is, adj. ad Caucam (*Καύκα*) pertinens, Hispaniae Tarraconensis oppidum, in regione Vaccaeorum, nunc *Coca*. ℙ *Caucenses* sunt incolae Caucae ap. *Plin.* 3, 3, 4. *B. A.* et *F.*]

*CAUCHAE CAMPI, in Babyl., ita dicti a Coche oppido, ut nonnullis placet. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

*CAUCULĀTOR, *ψηφιστής. Gloss. Lat. Gr. B. A.*

CAUCUS, i, m. genus vasis potorii. *Spartian. Pescenn. Nigr.* 10. Cum milites quosdam in cauco argenteo bibere vidisset. *Salmas.* pluribus more suo hanc lectionem tuetur additque locum ex *epist. Valer.* ap. *Treb. Claud.* 14., ubi bis legitur *in caucos* et *scyphos* et *Marc. Empir.* 25. *sub f.*, ubi *ligneus caucus*. Alii tamen ubique reponunt *caveus*. *Hieron. adv. Jovin.* 2, 14. Diogenes habens ad potandum caucum ligneum. *Laert.* de eodem habet *κοτύλην*. *Gloss. Philox. Καῦκα*, patera. ℙ *Cauci* seu *Cauchi* aut *Chauci* sunt Germaniae populi. V. CHAUCI.

CAUDĂ, ae, f. *κέρκος, οὐρά*, posterior pars pendens in animalibus omnibus praeter hominem. *Cic. Fin.* 3, 5. Cauda pavoni donata a natura ad ornanatum. *Hor. Od.* 2, 19, 31. Cerberus leniter atterens caudam. *Gell.* 5, 14. Leo caudam more adulantium canum clementer et blande movens. [**Virg. A.* 11, 812. Caudam pavitantem subjecit utero; cf. *Heyn.*] *Catull.* 63, 81. Caedere terga cauda. *Plin.* 11, 50, 111. Sues caudam intorquent, canum degeneres sub alvum reflectunt. *Id.* 8, 54, 80. Cauda late fusa. *Id.* 10, 3, 3. prominentior. [**Hor. Ep.* 2, 1, 45. Cauda equina.] *Virg. A.* 8, 674. Delphines aequora verrunt caudis. [**Id. Cir.* 453. Verbere caudarum atque oris minitantur hiatus. *Id. G.* 3, 423. Quum medii nexus extremaeque agmina caudae solvuntur.] ℙ In illo *Virg. Mor.* 23. Praeverrit cauda silices, gremiumque molarum: *cauda* est peniculus ex cauda bubula, sive equina, quo ad abstergendum utimur. ℙ *Caudam jactare popello* ap. *Pers.* 4, 15. est venditare se populo speciosis actionibus ejusque favorem captare: ductum a pavonibus caudam ostentantibus: vel a canibus, qui cum blandiuntur, caudam agitant. ℙ *Caudam trahere* ap. *Hor. Sat.* 2, 3, 53. proverbii species est et significat derisui esse: ducique ex eo posse videtur, quod pueri, quos irridere volunt, quiddam eis caudae simile appendere a tergo solent. ℙ Festive *Cic. Verr.* 2, 2, 78. Videtis Verrutium? videtis primas litteras integras? videtis extremam partem nominis, caudam illam Verris, tanquam in luto, demersam esse in litura? ℙ Pro mentula. *Hor. Ep.* 1, 45. et *Sat.* 2, 7, 49.

CAUDĒA Cistella. V. v. seq.

CAUDĒCAE, cistellae e junco a similitudine equinae caudae factae. *Fest.* Al. leg. *Caudetae*. Sed *Scalig.* vult legi *caudeae*, quod etiam ap. *Pl.* in *Rud.* habeatur 4, 4, 65. et 89. Cistellam istic inesse oportet caudeam in isto vidulo.

CAUDEX, icis, m. *στέλεχος, κορμός, σύπος*, truncus arboris, hoc est ea pars, quae a radice supra terram simplex assurgit. Differt a *caule*, qui herbarum est, *caudex* vero arborum et fruticum. *Virg. G.* 2, 30. Quin et caudicibus sectis (mirabile visu) Truditur e sicco radix oleagina ligno. *Plin.* 16, 30, 53. Arbores quaedam simplices, quibus a radice caudex unus et rami frequentes, ut olivae, fico, viti. *Id.* 11, 37, 55. Caudices robusti vetustate putres. ℙ Est aliquando convicium in hominem stupidum, fatuum, stultum. *Ter. Heaut.* 5, 1, 3. In me quidvis harum rerum convenit. Quae sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus. ℙ Antiqui *caudicem* appellarunt plurium tabularum contextum. Et quia primae rates seu naviculae piscatoriae aut ad trajiciendum aptae ex pluribus crassioribus tabulis seu potius caudicibus sine arte connexis Romae in Tibri factae fuerunt, *caudicariae* vel (quod idem est) *codicariae* dictae sunt, ut *Senec. Brevit. vit.* 13. *Fest.* et *Varr.* ap. *Non.* 13, 12. docent: item *caudicae* vel potius *caudiceae*, ut est ap. *Gell.* 10, 25. Quod nomen Tiberinis lembis aliisque quibus ad trajiciendum utimur, haesit, etiam postquam meliore forma construi coeptae sunt. Hinc Appius Claudius Caeci frater *Caudex* cognominatus est, quod primus ad explorandos hostes fretum piscatoria navi trajecit, ut est ap. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 37. et *Senec. l. c.* ℙ Tiberinas naves caudicarias designat *Plin.* his verbis 3, 5, 9. Tiberis propter aspera et confragosa, ne sic quidem, praeter quam trabibus verius, quam ratibus, longe meabilis fertur. ℙ *Caudex* pro *codice*, *libro*, usurpatur a *Catone* ap. *Front.* ad *M. Anton. ep.* 1, 2. *extr.* Jussi caudicem proferri, ubi mea oratio scripta erat. V. CODEX.

CAUDĪCAE. V. v. praec.

CAUDĪCALIS, le, adj. *στελεχώδης*, ad caudicem pertinens. *Pl. Ps.* 1, 2, 25. Caudicalem provinciam, joculariter dixit, *h. e.* munus caudicum findendorum; ita enim loquitur: Te cum securi caudicali praeficio provinciae.

CAUDĪCĀRIUS et Codicarius, a, um, adj. ad caudicem pertinens. *Caudicariae naves* quid sint, V. in CAUDEX. *Sall.* ap. *Non.* 13, 12. Contendit ad flumen Euphratem: et quamquam ad id naves codicariae occulte per hiemem fabricatae aderant etc. ℙ *Caudicarii* vel *codicarii* dicuntur ipsi nautae, qui hujusmodi navigiis utuntur. *Inscr.* ap. *Grut.* 462, 1. Nos portuenses, quibus vetus fuit cum caudicariis diuturnumque luctamen. Alia *ib.* 440, 3. Codicarii navicularii. Adde 1086, 6. et *Cod. Theod.* 14, 4, 9.

CAUDĪCĔUS, a, um, adj. ad caudicem pertinens. *Auson. Mosell.* 197. Navita caudiceo fluitans super aequora lembo. V. CAUDEX.

[CAUDILLĀ et Caudula, ae, f. diminut. caudae. *Not. Tir.* p. 156. *F.*]

CAUDĪNUS, a, um, adj. ad Caudium pertinens. Est autem *Caudium* oppidum Samnitum, nunc *Arpaja*, ubi Romanus exercitus quondam a Samnitibus interceptus et sub jugum missus fuit, ut *Liv.* 9, 2. et seqq. narrat. Ibi enim angustiae sunt inter duos saltus, quae *Furculae Caudinae* appellantur, in quas cum se Romani locorum ignari demisissent, exire inde obsessi ab hostibus nequiverunt. *Cic. Senect.* 12. Caudinum proelium. *Liv.* 9, 16. Caudina clades. *Id.* 25, 6. Caudinae legiones. *Quint.* 3. 8. Caudinum jugum. *Flor.* 2, 18. Caudini foederis ignominia. *Lucan.* 2, 137. Caudinae furcae. *Colum.* 10, 132. fauces. ℙ *Caudinus* est etiam cogn. Rom. gentis Corneliae in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 292. ob Caudium expugnatum a L. Lentulo Cos. an. U. C. 479. ℙ *Caudini, orum*, sunt Caudii incolae. *Plin.* 3, 11, 16.

CAUDIUM, V. v. praeced.

CAVĔA, ae, f. *κοίλωμα*, locus cavus et vacuus: a *cavus* vel *cavo, as:* ut *Varr. L. L.* 4, 3. *in f.* docet. *Plin.* 11, 2, 1. Natura in culice disposuit jejunam caveam, uti alvum. *Prudent. Cathemer.* 3, 92. Pulsat et incita quod resonam Lingua, sub ore latens, caveam, *h. e.* cavum oris. ℙ Saepius accipitur pro loco concluso aut septo, in quo ferae bestiae asservantur; item quo aves includuntur, *καλιά, καλιός. Hor. A. P.* 473. velut ursus, Objectos caveae valuit si frangere clathros. *Cic. Div.* 2, 35. Avis inclusa cavea. *Id. N. D.* 2, 3, Cavea liberati pulli. *Petr. Sat.* 28. Super limen cavea pendebat aurea, in qua pica varia intrantes salutabat. [**Suet. Cal.* 27. Aut bestiarum more quadrupedes cavea coercuit.] ℙ De alveari apum. *Virg. G.* 4, 58. Hic ubi jam emissum caveis ad sidera coeli Nare per aestatem liquidam suspexeris agmen. ℙ Item de septo ex lignis aut spinis, quo tenerae arbores a pecudum injuriis muniuntur. *Colum.* 5, 6. *a med.* Arbores caveis ab injuria pecoris emunire. Et *ib.* 9. Constitutas plantas circummunire caveis. ℙ Praeterea saepissime dicitur de loco, in quo sedet populus in theatris, quia concavus est et profundus. *Pl. Amph. prol.* 66. Ut conquisitores singuli in subselliis eant per totam caveam, spectatoribus, si cui fautores delegatos viderint, ut his in cavea pignus capiantur togae. *Cic. Am.* 7. Qui clamores tota cavea nuper in M. Pacuvii nova fabula! cum etc. Adde *Har. resp.* 12. *in f.* ℙ Triplex est cavea, *ima, media, summa:* in *ima* seu *prima* erant orchestra et equestria, ubi senatores et equites sedebant: *media* et *summa* assignata est populo: sed *media* erat honoratior, in qua sedere aliquem pullatum, vetuit Augustus, ut *Suet. in ejus Vita* 44. narrat: *summa* cavea minutae plebi promiscue concessa est, atque etiam feminis. Hinc *verba ad summam caveam spectantia*, apud *Senec. Tranquill.* 11., hoc est viliora et ad popelli gustum accommodata. *Cic. Senect.* 14. Turpione Ambivio magis delectatur, qui in prima cavea spectat; delectatur tamen etiam qui in ultima. ℙ De amphitheatris quoque *caveam* dictam fuisse probat *Lips. de Amphith. c.* 2. auctoritatibus petitis ex *Tertull. adv. Marc.* 1, 27., *Prud. contra Symmach.* 1, 385., *Appul. Met.* 10. *Ammian.* 29, 1. et aliis. Nam antiquiores de theatro et scena tantummodo usurparunt. ℙ Pro ipso theatro. *Cic. Leg.* 2, 15. Jam ludi publici, quoniam sunt cavea circoque divisi etc. *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 39. Venit ne in mentem tibi, quod verbum in cavea dixit histrio etc.? ℙ Et generatim pro quocumque loco ubi plures sedent ad aliquid spectandum: vel etiam pro ipso populo spectante. *Virg. A.* 5, 340. Hinc totum caveae consessum ingentis et ora Prima patrum magnis Salius clamoribus implet. *Id. ib.* 8. 635. raptas sine more Sabinas Consessu caveae. ℙ *Caveai* pro *caveae* more suo dixit *Lucret.* 4, 76.

CAVĔĀTUS, a, um, adj. in modum caveae theatri dispositus. *Plin.* 4, 8, 15. Montes omnes theatrali modo inflexi, caveatis ante eos septuaginta quinque urbibus. Ita ex MSS. et antiq. editionibus leg. *Hard.* Quidam leg. *cuneatis.* ℙ *Id.* 9, 6, 5. Orcae balaenis occurrere laborant, seseque opponere et caveatas angustiis trucidare, *h. e.* velut cavea, nimirum septo conclusas. Ita *Hard.* ex conjectura: alii aliter.

CAVĔFĂCIO, is, a. 3. idem quod caveo, evito. *Venant. carm.* 8, 4. *med.* Per stimulos gradiens, spinae cavefacit acumen Sentibus in mediis nescia ferre vepres.

CAVĔO, es, cavi, cautum, a. 2. *εὐλαβέομαι*, fugito, declino, evito: proprie est in cavo lateo, ubi tutus sim. [**Cavere* proprie est Graecorum *κήδεσθαι*, a quo descendit, notatque curam habere, sollicitum esse, *in Sorge, in Kummer seyn um eine Sache*, cum notione metuendi damni. Haec *Lindem.* ad *Pl. Capt.* 2, 3, 79.] *Nep. Alcib.* 5. Erat ea sagacitate, ut decipi non posset, praesertim cum animum attendisset ad cavendum. *Pl. Most.* 5, 2, 21. Mihi tecum cavendum est. *Cic. Dom.* 11. Metuere et cavere aliquem. *Id. Att.* 16, 11. Cavere interventum alicujus. *Id. Fam.* 11, 21. Neque metuere quidquam, et cavere omnia. *Varr.* ap. *Non.* 2, 647. canem. *Caes. B. C.* 1, 28. vallum caecum, fossasque. [**Hor. Sat.* 1, 4, 85. Hic niger est: hunc tu, Romane, caveto. *Tac. A.* 11, 1. Cavere vim atque opes Principibus infensos. *Id. ib.* 13, 13.] *Petr. Sat.* 130. paralysim. *Ov. A. Am.* 2, 302. frigora. *Suet. Caes.* 86. insidias. *Id. Tib.* 53. exitium. *Gell.* 13, 27. Cavere, et declinare pericula. *Plin.* 10, 3, 3. Cavens ruinam. *Pl. Trin.* 2, 4, 14. Sero, atque stulte, prius quod cautum oportuit. *Cic. Att.* 10, 16. Cetera, quae quidem consilio provideri poterunt, cavebuntur. [**Id. Off.* 1, 20, 68. Cavenda etiam gloriae cupiditas. *Id. ib.* 2, 24, 84. Quod multis rationibus caveri potest.] ℙ Cum ablat. et praeposit. *a*, vel *ab. Cic. Har. resp.* 12. Cavere a servitio. *Id. Phil.* 12, 10. ab homine impuro et nefario. *Id. Fin.* 5, 22. a veneno. *Sall. Jug.* 116. ab insidiis. *Pl. Men.* 2, 2, 69. Navis praedatoria, a qua cavendum nobis sane censeo. ℙ Cum infinito. *Sall. Jug.* 68. Caveret id petere a populo R. quod illi jure negaretur. *Plin.* 8, 43, 68. Pedes tingere cavent. *Virg. Ecl.* 9, 25. capro occursare caveto. Adde *Hor. A. P.* 168. et *Ov. Pont.* 3, 1, 139. ℙ Cum conjunctivo, et particula *ne. Cic. Fam.* 3, 12. *in f.* Ut caverem, ne cui suspicionem ficte reconciliatae gratiae darem. *Id. Rosc. Am.* 53. Cavete per Deos immortales, judices, ne nova proscriptio instaurata esse videatur. *Hor. Sat.* 2, 3, 177. Tu cave, ne minuas. Adde *Cic. Div.* 2, 40. Et passive impersonaliter *Caes. B. C.* 1, 86. Ne quid eis noceretur, a Caesare cavetur. [**Tac. A.* 11, 5. flagitavit legem qua cavetur, ne etc. *Id. ib.* 12, 60. Senatus quoque consulto cautum plenius quam antea et uberius, ne.] ℙ Et frequentius omissa particula: praesertim si in secunda persona imperativi usurpetur. *Cic. Ligar.* 5. Cave ignoscas. *Id. Fam.* 9, 24. Sed cave, si me amas, existimes etc. Et *ib.* 10, 12. Cave enim, putes etc. [**Virg. A.* 11, 293. Cavete, concurrant arma.] *Ter. Andr.* 4, 4, 14. Cave, faxis. *Id. Ad.* 3, 5, 12. Cave, dixeris. *Id. Heaut.* 5, 4, 8. Cave, unquam istuc verbum ex te audiam. ℙ Et cum particula *ut:* et significat operam dare. *Cic. Off.* 1, 39. Ut caveamus, ut ea, quae pertinent ad liberalitatem, moderata sint. [**Plin. Pan.* 39, 1. Cavit ut servarentur. Adde *Eund.* 40, 3.] *Colum.* 2, 8. Quamvis tempestive sementis confecta erit, cavebitur tamen, ut patentes liras, crebrosque sulcos aquarios faciamus. ℙ [*Absolute. *Hor. Sat.* 2, 7, 68. Metues, credo, doctusque cavebis; sequente particula *nisi. Id. Od.* 1, 14, 16. Tu nisi ventis debes ludibrium, cave.] ℙ *Cavere malo* pro *a malo* dixit *Pl. Cas.* 2, 6, 59. et *Bacch.* 1, 2, 39. item *Rud.* 3, 5, 48. et *Petr. Sat.* 82. Est autem formula, qua utimur, cum aliquem, ut malum vitet, admonemus. Eodem sensu dicimus *vitare infortunio.* V. VITO. Porro illud *malo* dativus est, non ablativus. Hanc eandem phrasim quidam legunt etiam apud *Auct. Priap.* 53. ubi alii *malum* legunt. ℙ *Cauto opus est*, pro cavendum est, apud *Pl.* non semel legitur, ut *Capt.* 2, 1, 29. Viso opu' st, cauto est opus, ut hoc accurate agatur. *Cist.* 2, 1, 54. Amens ne quid faciat, cauto opu' st. Adde *Most.* 4, 2, 22. ℙ Inter *cavere*, et *vitare* hoc interest; quod *cavere* est in eo diligentiam ponere, ut quae vitanda sunt, prospiciamus, *vitare* est reipsa effugere. *Lucil.* ap. *Non.* 5, 62. Quid tibi cavendum censes, quid vitandum maxime. *Cavere* itaque minus est, quam *vitare:* quamquam non semper hoc discrimen servatur. ℙ Frequenter dativum habet, et exponitur prospicere, providere, consulere, ne mali, aut incommodi aliquid alicui in posterum accidat, atque adeo in tuto eum ponere providentia earum rerum, quae accidere possunt. *Ter. Eun.* 4, 7, 12. Ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco. *Caecina* ad *Cic. Fam.* 6, 7. In Oratore tuo caves tibi per

Brutum, et ad excusationem socium quaeris. *Cic. Pis.* 12. Caverat sibi ille sororius adulter, ut si tibi provinciam dedisset etc. *Id. Verr.* 2, 1, 35. Semper existimasti, satis cautum tibi ad defensionem fore, si vetuisses etc. *Petr. Sat.* 133. Solerti cura cavere deposito suo. *Suet. Tit.* 6. Cavere securitati. *Pl. Bacch.* 1, 1, 8. Haec ita me orat, sibi qui caveat, aliquem ut hominem reperiam, ab istoc milite: id, amabo te, huic caveas. *Pi.* quid istic caveam? *Ba.* ut revehatur domum. [**Cic. Fam.* 3, 1. Melius ei cavere volo, quam ipse aliis solet. *Sil.* 8, 496. Capiti cudone cautum, i. e. tectum, munitum est.] ℙ Porro haec notio et loquendi ratio in Jure frequentissima est. Nam leges cavere alicui dicuntur, cum ea sanciunt, quae ad ejus securitatem pertinent: et ipsi jurisconsulti aliis cavent, cum suis clientibus ea respondent, quibus damnum aliquod futurum amoliri possint: similiter *cavere sibi* dicitur quicumque rem, de qua contrahit, aut jus suum per juris formulas in tuto ponit. *Cic. Leg.* 2, 24. Duae sunt praeterea leges de sepulcris, quarum altera privatorum aedificiis, altera sepulcris cavet. *Id. Inv.* 2, 41. Amentiae fuit, cum heredi vellet cavere, id adscribere, quo non adscripto, nihilominus heredi caveretur. *Id. Fam.* 7, 6. ad *Trebat. JCtum.* Tu qui ceteris cavere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris, caveto. *Id. Leg.* 1, 5. Non enim quaerimus, quemadmodum caveamus in jure, aut quid de quaque consultatione respondeamus. *Id. Agr.* 1, 4. Agri de quibus cautum est foedere. [**Tac. A.* 6, 16. Lex, qua de modo credendi possidendique intra Italiam cavetur.] *Id. Inv.* 2, 47. Non omnia scriptis, sed quaedam, quae perspicua sunt, tacitis exceptionibus caventur. *Id. Att.* 5, 8. Alicui cautum esse velle. *Id. Verr.* 2, 1, 11. Cum ita caverent: Si post cal. Januar. in consilium iretur. *Ulp. Dig.* 17, 1, 8. *ad f.* Cavere, se restituturum. *Suet. Aug.* 41. Cavere in duplum. [**Adde Tac. A.* 6, 17.] ℙ *Cavere re aliqua* est re aliqua, veluti pignore, securum facere. *Caes. B. G.* 6, 2. Civitates jurejurando inter se confirmant, obsidibusque de pecunia cavent. *Cic. Verr.* 2, 1, 54. Praedibus et praediis populo cautum est. *Plin.* 34, 7, 17. Cavere capite pro re aliqua. *Suet. Cal.* 12. Jurejurando, et chirographo cavere. *Varr. L. L.* 4, 3. *extr.* Cavere cautione. *Paul. Dig.* 24, 3, 49. Cavere instrumento se daturum decem. *Ulp. ib.* 13, 7, 9. Cavere sibi pignore. ℙ *Cavere* absolute idem est etiam ac probare. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 41. *a.* Promagister in codice cavit, *h. e.* nomen suum in codice seu libro scripsit, quo probaret illo die se adfuisse, et sacrum fecisse; *mox* enim legitur *ib.* Fratres Arvales caverunt, se adfuisse et sacrum fecisse. Id porro fiebat, ut qui se adfuisse cavissent, sportulas acciperent. ℙ *Cavere ab aliquo* est cautionem exigere, satis accipere. *Cic. Verr.* 2, 2, 23. Rogat, ut id quod ab ipsis abiisset pecuniae, curet; ab sese caveat, quemadmodum velit. *Id. Brut.* 5. Tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio sit, petiturum. ℙ Dicimus etiam *cavere alicui aliquid*, hoc est cautione praestare, satisdare alicui pro re aliqua. *Scaevola Dig.* 46, 3, 89. Post rationem propositam ejus pecuniae, quam mihi Stichus Titii servus caverat. Et *ib.* Cavere chirographum. *Venulej. ib.* 46, 8, 6. cautionem. *Scaevola ib.* 29, 2, 97. Singuli heredes Sempronio caverunt summam, qua quisque condemnatus erat. ℙ Aliquando *cavere* idem est, quod sancire, decernere, jubere. *Cic. Verr.* 2, 2, 50. Cautum est in Scipionis legibus, ne plures essent etc. *Id. Fin.* 2, 31. *in f.* Cavere testamento, ut dies natalis agatur. *Suet. Aug.* 1. Decretum, quo cavebatur, ut etc. *Plin.* 16, 5, 6. Cautum est lege XII. Tab. ut etc. *Callistrat. Dig.* 50, 6, 5. Nec omnia ei congruunt, quae principalibus constitutionibus cauta sunt. ℙ Item arcere, defendere. *Cato R. R.* 5. *ad f.* Scabiem pecori et jumentis caveto. ℙ Imperativum *cave* aliquando transit in adverbium, et jungitur cum verbis pluralis numeri, quemadmodum et *age*. *Pl. Poen. prol.* 116. Jam ne hoc tenetis? si tenetis, ducite: cave dirumpatis: quaeso sinite transigi. ℙ Huc fortasse pertinet et illud ejusdem *Men.* 5, 7, 5. Cave quisquam, quod illic minitetur, vestrum flocci fecerit. ℙ *Cave sis* (quod aliquando *cavesis* junctim legitur) pro *cave si vis*, majorem vim habet imperandi, ut caveatur. *Ter. Eun.* 4, 7, 29. Cave sis: nescis, cui maledicas nunc viro. *Pl. Amph.* 2, 2, 215. Cave sis, ne tu te usu perduis. ℙ Hujus imperativi ultima syllaba longa est secundum regulas grammaticorum. Et sane producitur ab *Hor. Epod.* 6, 11. et *Ep.* 1, 6, 32., ab *Ov. Met.* 2, 89. et *A. Am.* 1, 753., *Lucr.* 2, 754. etc. Eadem tamen corripitur ab eodem *Hor. Sat.* 2, 3, 37. et 177. et *ib.* 5, 75., item ab *Ov.*, *Prop.* et aliis variis in locis. Itaque censent nonnulli (cum *Serv.* ad *A.* 4, 409.) cum corripitur esse a *cavo*, *is*, *a*. 3. pro qua conjugatione afferunt illud *Tibulli* 1, 4, 67. ut quidem legit *Scalig.* ad *Fest.* Haec mihi, quae caverem Titio, Deus edidit ore. Sed *Broukhus.* cum aliis legit *canerem*. ℙ Supinum *cautum* factum est per syncopen a *cavitum*, quod habetur in fragmento Legis Thoriae agrariae apud *Goes.* 330. Quod C. Sempronii Tr. pl. rog. exceptum cavitumque est, nei etc.

*CAVEOLA, ae, f. dimin. a *cavea*. In *Gloss. Vet.* ζώγριον exponitur. *B. A.*

CAVERNA, ae, f. κρύπτη, κοίλωμα, locus cavus, antrum, spelunca. [**Curt.* 8, 10, 24. Infra quas cavernae et voragines longa vetustate in altum cavatae jacent. *Id.* 5, 1, 28. Sed omnium operum magnitudinem circumveniunt cavernae ingentes in altitudinem pressae (*Schleusen*), ad accipiendum impetum fluminis. *Virg. A.* 3, 674. Caverius curvis immugiit Aetna.] *Cic. N. D.* 2, 9. Magna vis terrae cavernis continetur caloris. *Id. ib.* 60. E terrae cavernis ferrum elicere. *Scrib. Compos.* 95. Si dens exesus est, medicamentum in cavernam ejus infertur. *Plin.* 11, 37, 50. Cavernas habere aurium loco. *Id.* 12, 3, 7. Cavernae vasorum fictilium, *h. e.* foramina. *Gell.* 15, 16. Immissis in cavernas arboris digitis, diducere et rescindere quercum conatus est, *h. e.* rimas. ℙ Dicitur etiam de foramine ani in animalibus. *Plin.* 8, 55, 81., 28, 8, 27. et 30, 15, 47. ℙ Item de pudendo et podice muliebri. *Auson. epigr.* 71. Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam. ℙ *Cavernas coeli* dixere *Varr.* ap. *Non.* 1, 221. et *Lucr.* 4, 171. ea ratione, qua *Ennius* ap. *Varr. L. L.* 4, 3. *coeli fornices* (quam translationem improbat *Cic. Or.* 3, 40.) et *cava coeli:* nempe convexum coeli spatium significantes. Eodem modo *cavernam aeris* leges apud *Manil.* 1, 202. ℙ Docet *Serv.* ad *A.* 2, 19. putare nonnullos, *cavernas* dici etiam fustes curvos navium, quibus extrinsecus tabulae adfiguntur: fortasse quia in cavum formantur. Sane *Lucan.* 9, 110. *cavernas puppis* dixit.

CAVERNATIM, adv. per cavernas. *Sidon. ep.* 5, 14. Aqua scabris pumicibus cavernatim ructata.

CAVERNO, as, a. 1. cavernam facere, cavare, ut *carvernare fistulam* apud *Coel. Aur. Tard.* 4, 3.

CAVERNOSUS, a, um, adj. ἀντρώδης, σπηλαιώδης, cavernis plenus, cavus. *Plin.* 26, 8, 37. Radix polypodii acetabulis cavernosa. Adde 27, 5, 17.

CAVERNULA, ae, f. *Plin.* 27, 11, 74. Cavernulas habent, et intus semen.

[CAVERNUM, i, n. idem ac caverna. *Not. Tir.* p. 160. *F.*]

CAVEUS. V. CAUCUS.

CAVIARES hostiae dicebantur, quod caviae (al. *cavae*) idest pars hostiae cauda tenus diceretur, et ponebatur in sacrificio pro collegio pontificum quinto quoque anno. *Festus.* ubi *Scalig.* locum corruptum esse ait, et legendum: *Caviares hostiae dicebantur, quod caviar pars hostiae cauda tenus diceretur:* additque loqui *Festum* de equo Octobri, cujus coda tanta celeritate in regiam perferebatur, ut sanguis recens inde in focum stillaret, ut idem *Fest.* in *October* docet, et de eo intelligendum esse illud *Prop.* 4, 1, 20. Qualia nunc curto lustra novantur equo. V. OCTOBER.

*CAVII, orum, m. plur. populi in Illyrio. *Liv.* 44, 30. *B. A.*

CAVILE. *Varr. L. L.* 4, 3. Quare ut a cavo cavea et cavile, et convallis, cavata vallis etc. *Scalig.*, *Voss.* et *Auson. Popma* manifestum errorem hoc loco esse censent, et legendum *caulae*, vel etiam *caullae*, ut et *Paullus* pro *Paulus* scribebant.

CAVILLA, ae, f. σόφισμα, verba jocosa et ambigua ad fallendum. *Pl. Aul.* 4, 4, 11. Pone hoc, sis: aufer cavillam: non ego nunc nugas ago. Adde *Capell. in carm. l.* 4. *sub f.*

CAVILLABUNDUS, a, um, adj. qui cavillatur, aut qui cavillari paratus est. *Tertull. Anim.* 34. *in f.* Decenni proelio extorquet, non fallens, non cavillabundus.

CAVILLATIO, onis, f. σόφισμα, sophisma, subtilis et inanis quaestio, vel ad rem inaniter ducendam, vel ad fallendum instituta. *Quint.* 7, 4. Hinc moventur quidem mille juris cavillationes: quid sit rempubl. laedere etc. *Ulp. Dig.* 50, 16, 177. Et *ib.* 17, 65. Natura cavillationis, quam Graeci σόφισμα appellaverunt, haec est, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea, quae evidenter falsa sunt, perducatur. *Senec. ep.* 111. docet, Ciceronem quoque (*in libris tamen, qui perierunt*) τὰ σοφίσματα cavillationes appellasse, nempe quaestiunculas quidem vafras in philosophia, ceterum ad vitam nihil proficientes. *Quint.* 8, 6. Nos omissis, quae nihil ad instruendum accusatorem pertinent, cavillationibus etc. *h. e.* inutilibus quaestionibus. *Id.* 10, 7. Infelix verborum cavillatio, *h. e.* curiosa nimis, et inutilis sollicitudo in verbis singulis expendendis. ℙ Sed et aliam huic voci notionem tribuit idem *Cic.* hac antiquiorem. Docet enim *Or.* 2, 54. duo genera esse facetiarum, alterum aequabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve: illud a veteribus *cavillationem*, hoc *dicacitatem* fuisse appellatum. Est itaque *cavillatio* hoc sensu perpetua festivitas sermonis sine aculeis contumeliarum, (ut ex *cit. et seqq. cap. Cic.* intelligitur) plena tamen jucunditatis et leporis. ℙ Quamquam et ipsa dicacitas, hoc est breve et acutum dictum, dicterium, salsus jocus, et, ut ait *Festus*, jocosa contumelia, *cavillatio* dicitur. *Pl. Stich.* 1, 2, 76. Cavillationes, assentatiunculae, ac perjuratiunculae parasiticae. *Suet. Tib.* 57. Affirmavit fore, ut ex Pompejo Pompejanus fieret; acerba cavillatione simul hominis nomen incessens, veterumque partium fortunam. *Id. Vesp.* 23. Maxime dicacitatem in deformibus lucris affectabat, ut invidiam aliqua cavillatione dilueret, transferretque ad sales. Adde *eund. Gramm. Gell.* 3, 5, 5. et *Val. Max.* 6, 2. *n.* 7.

CAVILLATOR, oris, m. σοφιστής, qui cavillationibus et sophismatis utitur. *Senec. ep.* 102. Cavillatoribus istis abunde responderimus. ℙ Item facetus, ridicularius, dicteriis utens, dicax, σκώπτης. *Cic. Att.* 1, 13. Cavillator genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur; facie magis, quam facetiis ridiculus. *Pl. Mil.* 3, 1, 47. Cavillator facetus. *Gell.* 4, 20. Cavillator et canalicula et nimis ridicularius.

CAVILLATRIX, icis, f. quae sophismatis et cavillationibus utitur. *Quint.* 7, 3. Conclusio subtilis in disputationibus potius per argumenta verborum cavillatrix, quam etc. Adde 2, 15. *a med.*

CAVILLATUS, a, um, part. a *cavillor*. *Gell.* 5, 5. Facetissime cavillatus est, *h. e.* jocatus. Sic *Appul. Met.* 3. Lepido sermone invicem cavillatus. ℙ Passive. *Id. ib.* 9. Talis sermonis blanditie cavillatum deducebat, *h. e.* deceptum.

CAVILLATUS, us, m. idem quod cavillatio. *Appul. Met.* 8. Sed ille cognito cavillatu, similis indignanti etc., *h. e.* joco, dicterio.

CAVILLOR, aris, atus sum, dep. 1. sophismate et cavillationibus utor, subtiles ac inanes quaestiones moveo. V. CAVILLATIO. *Liv.* 3, 20. Cavillari tum tribuni et populum exsolvere religione velle. *Ulp. Dig.* 38, 17, 2. §. 44, Si verba cavillatus, imputaverit matri, cur etc. *Tac. A.* 1, 46. Tiberium sedere in senatu, verba patrum cavillantem, *h. e.* calumniantem et in vanas suspiciones adducentem. *Plin.* 35, 10, 35. *n.* 12. Cavillari circa crus. *Id.* 11, 51, 112. Stridorem eum dentibus fieri, cavillantur. *Val. Max.* 9, 12. *n.* 8. Cavillari fata. *Id.* 1, 8. *extern. n.* 8. Animus demens ad Deos usque cavillandos. *Quint.* 1, 4. Cavillari artem grammaticam, ut tenuem ac jejunam. ℙ Saepe sumitur pro jocari, dicteria dicere, dictis irridere, σκώπτειν, χειρομυκτεῖν. *Cic. Q. Fr.* 2, 12. Togam sum ejus praetextam magno hominum risu cavillatus. *Id. N. D.* 3, 34. In eo etiam cavillatus est, aestate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum. *Id. Att.* 2, 1. Familiariter cavillari et jocari cum aliquo. *Liv.* 2, 58. Tribunos plebis cavillans interdum et Volerones vocabat. ℙ In illo *Suet. Tit.* 8. Saepe cum populo et voce et gestu, ut fautor, cavillatus est, verum majestate salva; *cavillatus* est significat, Titum, ut faveret iis, quos populo placere cognoscebat, cavillatum esse, hoc est jocose calumniatum et criminatum et voce et gestu eos, quos populus quoque aspernabatur. ℙ Passive *Tertull. Resurr. carn.* 21. *in f.* Per quae fere promulgatio majorum cavillatur. ℙ *Scalig.* ad *Fest.* et *Voss.* in *Etymol.* docent, proprie idem esse, quod caveo vel saepe caveo. Factum enim esse ὑποχοριστικῶς, hoc est diminutive a *caveo*, ea ratione qua *sorbillo* a *sorbeo*, *conscribillo* a *conscribo* et quemadmodum *caveo* proprium est JCtorum, cum de jure respondent, ita *cavillor* dici de legulejis et rabulis forensibus. Usurpari autem pro simplici *caveo* a *Tertull.* cum ait *Cor. mil.* 11. Omnibus modis cavillandum, ne quid adversus Deum committatur. Quae tamen verba alia ratione alii interpretantur. [*Ex *Döderl.* sententia *Cavillari* diminut. est a *calvere* 2, 115.]

CAVILLOSUS, a, um, adj. cavillis abundans. *Firm. Mathes.* 58. Astuti, callidi, cavillosi et insidiarum pleni.

CAVILLULA, ae, f. vel Cavillulum, i, n. parvum cavillum. *Pl. Truc.* 3, 2, 15. *Stra.* Dicax sum factus: jam sum cavillator probus. *Astaph.* Quid id est, amabo? istaecce ridicularia cavillationes vis fortasse dicere? *Stra.* Ita: ut pauxillum differat a cavillulis; ubi *cavillula* videntur acrius aliquid continere quam *ridicularia*. Alii pro *cavillator* leg. *cauliator*, nempe caulium cultor, alii *villator*, *h. e.* villicus: pro *cavillulis* vero alii leg. *caululis* diminut. caulae, alii *caulibus*. Sed lectio est valde incerta.

CAVILLUM, i, n. σκῶμμα, irrisio jocosa, cavillatio. *Appul. Met.* 1. Jam allubentia proclivis est sermonis ac joci, et scitum est cavillum. Adde *Fest.*

CAVILLUS, i, m. idem quod cavillum. *Appul. Met.* 2. Jam risus affluens, et joci liberales, et cavillus hinc inde.

[CAVINUS, a, um, adj. ad cavum pertinens. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1641, 8. Aurelia Cavina. *F.*]

CAVITIONEM olim dicebant, inquit *Fest.*, quam modo dicimus *cautionem*, a supino *cavitum* pro *cautum*.

CAVITUS, a, um, part. a *caveo* pro *cautus*.

Pl. Ps. 2, 3, 4. Haec cavita est mihi opportune epistola. Al. rectius leg. *allata est.*

CAULĂ, ae, f. *αὐλή*, idem quod aula, qua significat septum, quo includuntur oves: a Graeca voce allata, addito *c*, ut docet *Serv.* ad illud *Virg. A.* 9, 60. pleno lupus insidiatus ovili, Cum fremit ad caulas. ℙ *Festus* (itemque *Varr. L. L.* 4, 3. ex emendat. *Scalig.*) docet, *caulam* dictam esse a *cavo*, quia olim ante usum tectorum, oves in antris claudebantur. Favet huic opinioni *Lucr.*, qui *caulam* pro loco cavo usurpat non semel, ut 3, 255. atque animai Diffugiant partes per caulas corporis omnes. Et *ib.* 703. Dispertitur enim per caulas corporis omnes, *h. e.* per cavas partes, foramina, meatus. *Id.* 4, 621. per caulas omne palati, et rarae per plexa foramina linguae. *Id.* 6, 491. per caulas aetheris omnes. ℙ De septo et cancellis, quibus cingitur signum, aut altare cujuspiam Dei. *Inscr.* ap. *Mur.* 191, 3.... Cornelia Prima uxor ex indulgentia Colleg. signum Liber. basim caulas D. D. ℙ *Charis.* 1, 20. enumerat inter eas, quae in plurali tantum usurpantur. ℙ Etiam *caulla* olim scribebatur, ut dictum est in CAVILE.

*CAULARIS, is, Asiae fluv., in Pamphylia. *Liv.* 38, 15. *B. A.*

CAULĪAS, ae, m. *καυλίας*, succus ex caule laserpitii. *Plin.* 19, 3, 15.

CAULĪCŪLĀTUS, a, um, adj. in cauliculi modum factus. *Appul. Herb.* 90. Cauliculati rami.

CAULĪCŪLUS, i, m. *καυλίον*, parvus caulis. *Cels.* 2, 18. Imbecillissima materia est omne olus, et quidquid in cauliculo nascitur, qualis est cucurbita, et cucumis. *Scrib. Compos.* 128. Cauliculi rubi. *Plin.* 23, 7, 63. Ramorum fici teneri cauliculi. [**Suet. Gramm.* 11. (de Valerio Catone) Quem tres cauliculi et selibra farris, — ad summam prope nutriant senectam.] ℙ Apud architectos *cauliculi* sunt flexurae illae in capitulis Corinthiis columnarum, quae e quadruplici caule prodeuntes ad modum volutarum curvatae, partim ad angulos abaci, partim vero ad ipsos flores, quibus abacorum frontes mediae ornantur, cincinnatae concurrunt. *Vitr.* 4, 1. Cauliculi eandem habeant altitudinem, ex quibus folia nascuntur projecta, ut abacum excipiant.

CAULĪNUM, i, n. vinum juxta Capuam proveniens, ab agro ita nominatum. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 6.

CAULIS, is, m. idem est in herbis ac fruticibus, quod caudex in arboribus, nempe stipes, seu scapus, unde se produnt folia et ramusculi. *Cato R. R.* 157. Brassica latis foliis, caule magno. *Plin.* 12, 12, 26. Frutex caule cubitali, geniculato. *Id.* 19, 3, 15. Laserpitium caule ferulaceo. *Id.* 18, 12. 30. Caules fabarum. *Id.* 12, 26, 57. Caulis panaces. *Id.* 16, 20, 33. Rhododendron caulibus fruticosum. ℙ Speciatim dicitur de thyrso brassicae, et per synecdochen de ipsa brassica, quia amplius in ea thyrsus crescit, quam in ceteris oleribus, et est maxime edulis. *Hor. Sat.* 2, 4, 15. Caule suburbano, qui siccis crevit in agris, Dulcior. *Id. ib.* 2, 61. Cornu bilibri oleum caulibus instillare. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 10. Vitis odit caulem, et olus omne. ℙ Aliquando sumitur pro certo genere brassicae, et ab ea distinguitur. *Cic. N. D.* 2, 47. [*Cf. *Davis.* ad h. l. et *Heindorf* ad *Hor. Sat.* 2, 4, 15.] Vites a caulibus, brassicisque refugere dicuntur. ℙ In vitibus aliisque arboribus *caulis* dicitur summus ramorum surculus virescens, tener et cauli similis. *Plin.* 14, 19, 23. Vitis ipsa quoque manditur, decoctis caulibus summis, qui et condiuntur in aceto, ac muria. Adde *Varr. R. R.* 1, 31. V. COLIS. ℙ Translate de aliis quoque rebus usurpatur. *Plin.* 11, 50, 111. Boum caudis longissimus caulis, atque in ima parte hirtus, *στόλος κέρκου*. *Id. ib.* 39, 94. Pennarum caules omnium cavi, *h. e.* calami. *Id. ib.* 29, 35. Locustae pariunt, in terram demisso spinae caule, ova condensa. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 434. sibi illico telo Praecidit caulem, testesque una amputat ambo, *h. e.* colem, penem. ℙ Dicitur etiam *caules* in recto singulari. V. COLIS.

CAULŌDES, is, *καυλώδης*, hoc est qui caulem magnum habet. Ita appellatur genus quoddam brassicae lata habentis folia e caule exeuntia. *Plin.* 20, 9, 33.

CAULON, onis, m. *Καυλών* et *Καυλωνία*, et olim etiam *Αὐλωνία*, teste *Strab. l.* 6., oppidum Magnae Graeciae in Italia prope montem cognominem, haud longe a promontorio Cocintho, quod nunc *Capo Stilo*, ad flumen Sagram, nunc *Alaro*. Illud Dionysius senior Syracusarum rex vi cepit atque evertit, teste *Diod. Sic. l.* 4., mox restauratum a Campanis devastatum fuit, quod illius incolae a Romanis stetissent in bello adversus Pyrrhum Epirotarum regem, *Paus. l.* 2., tandem secundo bello Punico jussu Fabii Maximi dirutum omnino est, et adhuc in ruinis jacet. *Virg. A.* 3, 553. Caulonisque arces, et navifragum Scylaceum. *Ov. Met.* 15, 705. Romethiumque legit, Caulonaque Naryciamque. *Caulona* est accusat. sing. Graecae positionis pro *Caulonem*. ℙ Perperam *Serv.* ad *Virg. l. c.* legit *Aulonis*, et eundem esse significat, de quo *Hor. Od.* 2, 6, 18. et apricus Aulon Fertili Baccho minimum Falernis invidet uvis. At certo constat, hic *Horatium* mentionem facere montis Aulonis in agro Tarentino, de quo etiam *Mart.* 13, 125. Nobilis et lanis, et felix vitibus Aulon. [Hunc locum multis instruxit *F.*] ℙ **Caulonia*, *Καυλωνία*, appellatur a *Mela* 2, 4. *Liv.* 27, 12. et 16. *B. A.*

[*CAUMA, ae, f. *καῦμα*, aestus, calor. Est cogn. muliebre, quod ex more Romanorum declinatur *cauma, ae*, pro *cauma, atis*, n. *Inscr.* ap. *Grut.* 730, 2. Dis Manibus Geminiae Caumae C. Billienus Fructus. ℙ *Cauma, atis. Vulg. Job.* 30, 30. Ossa mea aruerunt prae caumate. *F.* et *B. A.*]

CAUNAE, arum. V. v. seq.

CAUNĒUS et Caunius, a, um, adj. *Καύνιος* et *Καυναῖος*, ad Caunum pertinens, quod est Cariae oppidum. *Cauneae ficus* dictae sunt, quae ex ejus oppidi agro Romam magna copia siccatae adferebantur, et caricarum optimae habebantur: erant tamen plebejus cibus, et parvi pretii. *Petron. fragm. Tragur.* 44. *Burm.* Habemus Aedilem trium caunearum, qui sibi mavult assem, quam vitam nostram. *Cels.* quoque hujus fici meminit 5, 21., item *Plin.* 15, 19, 21., ubi cottana, caricas, et cauneas, ut diversa genera enumerat. ℙ Narrat *Cic. Div.* 2, 40. cum Brundisii M. Crassus exercitum adversus Parthos in naves imponeret, occurrisse quendam, qui caricas Cauno advectas vendens, *cauneas* clamitabat: qua voce putabatur admonere voluisse, ne iret, quasi diceret, *cave ne eas.* Adde *Plin. l. c.* ℙ Dicuntur etiam *caunae, arum*, et, quemadmodum *caricae*, pro ficis quibuslibet siccis usurpantur. *Colum.* 10, 414. Livia Chalcidicis, et caunis aemula Chiis, *h. e.* ficus Livia aeque grati saporis, quam Chalcidicae, et caunae Chiae, *h. e.* siccae ficus ex Chio. *Stat. Silv.* 1, 6, 15. et quas percoquit Ebosea caunas. Ita recte leg. *Salmas.* ad *Solin.* p. 938., alii aliter. ℙ *Caunei* seu *Caunii, orum*, sunt Cauni oppidi incolae. *Cic. Fam.* 13, 56. et *Q. Fr.* 1, 1, 11.

[CAUNĪTES, is, omn. gen. adj ad Caunum pertinens, Cariae oppidum. *Plin.* 31, 9, 45. Sal Caunites, *h. e.* qui ex Cauno provenit. *F.*]

CAUNĪUS V. CAUNĒUS.

CAUNUS, i, m. filius Mileti ex Cyanee filia Maeandri, nepos Solis. A sorore Byblide sceleste amatus fugit e Lesbo in Cariam. V. BYBLIS. ℙ Ab eo conditum est et appellatum *Caunus* oppidum Cariae in maritima ejus ora, apud ostia Calbis fluvii, nunc *Copi*. *Plin.* 5, 28, 29. et *Cic. Div.* 2, 40. Adde *Melam* 1, 16., qui ait valetudine habitantium infame esse. ℙ [**Caunus* fuit appellatus etiam mons Hispaniae Tarraconensis, in Celtiberia, nunc *Moncayo*. *Liv.* 40, 50. *B. A.*]

CAVO, as, avi, atum, a. 1. *κοιλαίνω*, cavum facio. Est a *κάπτω*, seu *κάπω*, avide comedo. *Liv.* 21, 26. Cavare naves ex singulis arboribus. *Virg. G.* 1, 262. cavat arbore lintres. *Id. ib.* 3, 87. Equi ungula cavat tellurem. *Id. ib.* 2, 450. Tilias, et buxum ferro acuto cavare. *Plin.* 7, 16, 15. Dentes flammis indomiti, cavantur tabe pituitae. *Id.* 37, 7, 25. Carbunculi Indici cavantur in sextarii unius mensuram. *Id.* 36, 8, 12. Cavare onychen ad vasa unguentaria. *Id.* 33, 4, 41. fossas. *Id.* 8, 17, 23. Luna cavans cornua, *h. e.* decrescens. *Ov. Met.* 12, 130. parmam gladio, galeamque cavare, *h. e.* penetrare, transfodere. [*Eleganter de fabris ferrariis dixit *Virg. A.* 7, 632. Tegmina tuta cavant capitum, i. e. galeas cudunt.]

CĀVO, is. V. CAVEO.

CĀVOSĪTAS, atis, f. cavatura, locus cavus. *Tert. Anim.* 55. et *Pudic.* 20.

CAUPO, onis, m. *ξενοδόκος*, *καπηλὸς*, esculentorum poculentorumque venditor. *Cic. Div.* 1, 27. Alterum ad cauponem divertisse, ad hospitem alterum. *Mart.* 1, 57. Non potes, ut cupias, vendere, caupo, merum. *Hor. Sat.* 1, 5, 3. Forum Appi Differtum nautis, cauponibus atque malignis. [**Id. ib.* 1, 1, 29. Perfidus hic caupo. Cf. *Heindf.*] *Ulp. Dig.* 4, 9, 1. docet, *caupones* dici tum eos, qui cauponam exercent, tum eorum institores. ℙ Quidam docent, latius aliquando accipi, ut significet quemcumque mercatorem et institorem, quemadmodum et Graece *καπηλός*: afferuntque illud *Pl. Aul.* 3, 5, 35. Caupones, patagiarii, indusiarii, flammearii etc. Sed alii aliter leg. ℙ Translate *Tert. Anim.* 3. Caupones sapientiae atque facundiae. ℙ *Charis.* 1, 47. docet, hoc nomen esse communis generis: et pro *caupo* dictum esse etiam *cupo, onis.*

CAUPONĂ, ae, f. *ξενοδοχεῖον*, *καπηλεῖον*, taberna, locus, ubi caupones vinum et cibos vendunt. *Cic. Pis.* 22. Tibi solitudo erat pro frequentia, caupona pro oppido. *Hor. Ep.* 1, 11, 12. Vivere in caupona. *Gell.* 7, 11. delitescere. ℙ Item ipsa negotiatio cauponum, *καπηλική*. *Paul. Dig.* 33, 7, 13. Caupona negotiationis nomen est. Ita *Torrent.*, at *Haloand.* habet *cauponia*. *Ulp. Dig.* 23, 2, 43. Exercere cauponam. ℙ Item mulier, quae hujusmodi negotiationem facit, ut *Prisc.* 6, 684. docet, *καπηλίς*. *Lucil. ib.* Caupona hic tamen una Syra. *Appul. Met.* 1. Stabulum accessi, et de quadam anu caupona illico percontor.

CAUPONANS, antis, part. ab inusit, *cauponor*, qui cauponam exercet, *καπηλεύων*: et translate, lucri causa aliquid faciens. *Enn.* ap. *Cic. Off.* 1, 12. Nec cauponantes bellum, sed belligerantes. *Guerreggio in Asia, e non vi cambio o merco*: eadem sententia dixit *Tassus Cant.* 20. *sub f.*

*CAUPONARIA, ae, f. ars vel professio cauponandi. *Onomast. Vet.* Cauponaria, *καπηλική*. *B. A.*

CAUPONĀRIUS, a, um, adj. ad cauponam pertinens, *καπηλικός*. *Ulp. Dig.* 23, 2, 43. Sub praetextu instrumenti cauponarii. Ita *Haloand.*, sed *cauponii* habet *Torrent.* ℙ [*Cauponarius* est etiam idem ac caupo in *Gloss. Cyrilli.* Cauponarius, *καπηλός*. *F.*]

CAUPONĬA, ae, f. V. CAUPONA. et CAUPONIUS.

CAUPONIUM. V. v. sq.

CAUPONĬUS, a, um, adj. idem quod cauponarius. *Paul. Dig.* 33, 7, 13. Tabernae cauponiae instrumento legato. *Justin.* 1, 7. Cauponias artes exercere. *Pl. Poen.* 5, 5, 19. Puer cauponius, *h. e.* puer meritorius, cujusmodi in cauponis prostare solebant; ex quo cauponia ars infamis habebatur. ℙ *Cauponium, ii*, est idem ac caupona, *καπηλεῖον*. *Pomp. Dig. ib.* 15. Caballi, qui in pistrinis sunt, et in cauponio institores. *Haloand.* habet *cauponia*, ut sit *cauponia, ae*, eod. sensu. At *Not. Tir.* 156. Cauponium. Item legitur in *Gloss. Cyrilli.*

CAUPONOR. V. CAUPONANS.

CAUPONŪLĂ, ae, f. parva cauponia. *Cic. Phil.* 2, 31. Delituit in quadam cauponula, atque ibi se occultans perpotavit ad vesperum.

CAUPŪLUS, vel Caupolus, li, m. genus navigii est ap. *Gell.* 10, 25. Docet *Isid. Or. ad f.* 19, 1. designari hoc nomine idem navigium, quod lembo et cymba.

*CAURA SIARUM, opp. Hisp. Baet. *Plin.* 3, 1. *ed. Hard.* In *ed. Elzev.* est *Caurasiarum. B. A.*

*CAURANĀNI, orum, pop. Arab. fel. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

[*CAURIENSIS, is, adj. ad Caurium pertinens Lusitaniae oppidum, nunc *Coria. Inscr.* ap. *Mur.* 870, 6. L. Vitellius Maniai F. Tancinus civis Hisp. Cauriensis. ℙ **Plin.* 4, 22, 35. hujus oppidi incolas *Caurenses* appellat. *F.* et *B. A.*]

CAURĪNUS, a, um, adj. ad Caurum pertinens. *Grat. Cyneg.* 296. Verum ubi Caurino perstrinxit frigore vesper etc.

CAURĬO, is, n. verbum effictum ad exprimendam pantherae vocem. *Auct. Carm. Phil.* 50. Panther caurit amans, pardus hiando felit.

*CAUROS, i, sic dicta est olim Andros insula. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

CAURUS, i, m. *ἀργέστης*, ventus est spirans ab occidente solstitiali contra Eurum positus. *Senec. Q. N.* 5, 16., *Plin.* 2, 47, 46. et *Gell.* 2, 22. V. ARGESTES. *Virg. G.* 3, 356. spirantes frigora cauri. *Veget. Mil.* 4, 38. docet, caurum eundem esse ac libonotum, qui est inter meridiem et occidentem hibernum: sed aliorum auctoritas, qui allati sunt, potior esse debet. ℙ In libris citatorum scriptorum saepius legitur *Corus.* Sic apud *Caes. B. G.* 5, 7. Corus ventus navigationem impediebat.

CAUSĂ et Caussa, ae, f. *αἰτία*, *αἴτιον*, est ea, ex qua, vel per quam, vel a qua, vel propter quam aliquid fit, vel fieri dicitur aut simulatur. Ejus vocis etymon ignotum, aut saltem incertum est. Quidam enim ex *cavillor*, alii a *casus* deducunt, [*quod haud improbandum] nonnulli a *caiso* seu *quaiso*, h. e. *quaeso*, vel ab *αἴσα*, Aeolice *αὔσα*, sors, portio; sed forte derivandum est a *caveo*: nam JCtorum imprimis est *cavere*, quorum causae quoque sunt, unde et *causidici* appellantur: at profecto ea est, quae id efficit, cujus est causa, ut *Cic. Fat.* 15. definit. *Id. Phil.* 2, 22. Ut in seminibus est causa arborum et stirpium, sic hujus luctuosissimi belli semen tu fuisti. Et *ib.* Ut Helena Trojanis, sic iste huic reipublicae causa belli, causa pestis atque exitii fuit. *Id. Att.* 15, 7. Epistolae me delectarunt, in primis Sextii nostri. Dices, quia te laudat: puto mehercule, id quoque esse causae: sed tamen etc. *Id. Acad.* 1, 3. Quid causae est, cur poetas Latinos legant? an quia etc. *Id. Inv.* 2, 20. Atrocitas injuriarum satisne causae est, quare etc? *Ter. Eun.* 1, 2, 65. Multae sunt causae, quamobrem cupio adducere. *Cic. Phil.* 6, 1. Causa consulibus de republica referendi fuit ex eo, quod etc. *Id. N. D.* 3, 20. Ob eam causam, quia etc. *Id. Verr.* 2, 3, 46. Pensum exigendum est propter hanc causam, quod etc. *Id. Fam.* 1, 8. Ob eam causam scribo, ut etc. *Id. Verr.* 2, 2, 40. Ob eam causam, ne etc. *Sall. Jug.* 15. Ad impetrandum nihil causae habeo praeter miseram fortunam. *Cic. Or.* 2, 60. *ad f.* et *Q. Fr.* 1, 1, 2. Facere aliquid cum causa. *Id. Att.* 7, 7. Gravi de causa facere aliquid. *Id. Fam.* 5, 20. justis de causis. *Id. Div.* 1, 35. Equus sine causa repente concidit. *Id. Att.* 13, 22. Non sine causa tam diligenter exquiro. *Id. Acad.* 1, 3.

Afferre causam probabilem. *Id. Phil.* 2, 22. Causam dare alicui belli contra patriam inferendi. *Auct. ad Her.* 2, 19. *ad f.* Dare causam, qua inductus quispiam aliquid fecerit. [**Tib.* 2, 4, 29. Hic dat avaritiae causas, i. e. avaritiae semina jacit, auctor est. *Virg. A.* 7, 553. causas dedit ad culpam.] *Hor. Sat.* 1, 4, 116. Reddere alicui causas, quid vitatu, aut petitu sit melius. [**Virg. A.* 9, 218. Causas inanes nectis. *Hor. Od.* 1, 16, 19. Irae urbibus stetere ultimae causae, cur perirent. *Id. Sat.* 1, 6, 71. Si et vivo carus amicis; causa fuit pater his. *Id. ib.* 1, 7, 14. Non aliam ob causam, nisi quod. *Id. ib.* 2, 8, 92. Suaves res si non causas narraret earum et naturam dominus. *Virg. G.* 4, 397. Causam morbi expediat. *Tac. A.* 6, 22. Nexus naturalium causarum. *Curt.* 5, 12. Nexus causarum latentium, i. e. fatum. *Id.* 10, 10. certaminum causae sublatae sunt. *Tac. A.* 3, 46. Praesumpta spes hortandi causas exemerat. *Id. ib.* 12, 64. Perdita Domitia muliebribus causis. — *Hor. Ep.* 1, 12, 16. Quae mare compescant causae. *Virg. A.* 2, 285. Causa indigna foedavit vultus. *Id. ib.* 3, 584. Quae causa det sonitum. 5, 5. Quae causa accenderit ignem. 7, 197. Quae causa rates vexit. 8, 112. Quae causa subegit. cet.] ℙ Sequente infinito. [**Virg. A.* 10, 99. Quae causa fuit consurgere.] *Tibull.* 3, 2. *extr.* dolor huic et cura Neaerae Conjugis ereptae causa perire fuit. *Lucan.* 5, 463. Apso *(fluvio)* gestare carinas Causa palus. ℙ *In causa esse* idem est quod causam esse. *Plin.* 9, 30, 40. Humana calamitas in causa est. ℙ Ablativus *causa* idem est quod *propter* sequente genitivo. *Cic.* ad *Dolabell. post ep.* 14. *l.* 15. ad *Att.* Si hoc honoris mei causa susceperis. *Ter. Eun.* 1, 2, 122. Quidquid hujus feci, causa virginis feci. *Liv.* 39, 14. Ne quis convenisse aut coisse causa sacrorum velit. *Sall. Cat.* 32. Dissimulandi causa et quasi sui expurgandi, in senatum venit. [**Tac. A.* 1, 13. Deprecandi causa. *Suet. Aug.* 24. Causa sacramenti detrectandi. *Hor. A. P.* 339. Voluptatis causa.] ℙ Sic dicimus *mea, tua causa* etc., *h. e.* propter me, propter te. *Cic. Fam.* 15, 18. Te abesse, mea causa moleste fero, tua gaudeo. *Hor. Sat.* 1, 4, 97. causaque mea permulta rogatus fecit. *Ter. Ph.* 4, 4, 14. Nostra causa scilicet in nervum potius ibit. [**Pl. Capt. prol.* 14. Ego me tua causa, ne erres, non rupturus sum, i. e. ea de causa, ut tu fabulae argumentum intelligas. Ita expl. loc. *Lindem. Cic. Fam.* 3, 7. *ad f.* Ut minus mea causa debere videaris, quam ego tua laborarim. *Id. ib.* 5, 14. Si quid nostra causa vis.] ℙ Aliquando *causa* omittitur. *Tac. H.* 4, 25. E seditiosis unum vinciri jubet, magis usurpandi juris, quam quia unius culpa foret. *Pl. Rud.* 5, 3, 18. Jusjurandum rei servandae, non perdendae, conditum est. [**Caes. B. G.* 5, 8. Quas sui quisque commodi fecerat. V. *Oudendorp.* ad *Eund. ib.* 4, 1. Sic et Graeci omittere solent ἔνεκα.] ℙ Interdum sumitur pro praetextu, πρόφασις. *Nep. Amilc.* 3. Quo facilius causam bellandi reperiret. *Ter. Eun.* 1, 2, 57. Postquam sensit, me tecum quoque rem habere, fingit causas, ne det, sedulo. [**Tac. A.* 12, 45. Causas belli confingere.] ℙ Hinc per causam. *Cic. Dom.* 5. *ad f.* Cum tu in annonae caritate in consules, in senatum, per causam inopum atque imperitorum, repentinos impetus comparares. *Caes. B. G.* 7, 9. Per causam supplementi equitatusque cogendi, ab exercitu discedit. (Adde *B. C.* 3, 76.) *Tibull.* 1, 7, 25. Saepe velut gemmas ejus signumque probarem, Per causam memini me tetigisse manum. Adde *Ov. Her.* 20, 140. et *Trist.* 2, 451. et *Liv.* 2, 32. [**Suet. Caes.* 2. Per causam exigendae pecuniae. Cf. *Casaub.* ad h. l.] ℙ Nonnunquam significat excusationem. *Cic. Fam.* 16, 19. Si ob eam rem moraris, accipio causam. *Id. Verr.* 2, 1, 25. *in f.* Causam alicujus negligere. ℙ Item impedimentum, quo excusatur aliquis, quo minus quidpiam facere possit. *Cic. Phil.* 1, 11. *in f.* Nec erit justior in senatum non veniendi morbi causa, quam mortis. *Auct.* ad *Her.* 2, 13. Ut major annis LX. et cui morbus causa est, cognitorem det. *Cic. Dom.* 50. Consuluit, numquid causae esse videretur, quin id signum dedicaret. [**Hor. Sat.* 1, 1, 20. Quid causae est, quin.] *Ter. Andr.* 3, 4, 21. Quid causae est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via? Adde *Pl. Rud.* 3, 4, 53. ℙ Item morbum. *Tibull.* 1, 9, 51. Sontica causa [*cf. *Heyn.* ad h. l. et quos ille laudat.] *Plin.* 28, 15, 61. Femina atteri adurique equitatu notum est. Utilissimum est ad omnes inde causas spumam equi inguinibus illinire. *Senec. Cons.* ad *Marc.* 11. *ad f.* Corpus tenuissimis causis atque offensionibus morbidum. *Cels.* 3, 3. Atque haec quidem sanis facienda sunt, tantum causam metuentibus. ℙ Item occasionem. *Cic. Div.* 2, 2. Mihi causam explicandae philosophiae attulit gravis casus civitatis. *Caes. B. C.* 2, 28. Hanc nactus appellationis causam Quintilius etc. ℙ Saepissime ponitur pro quaestione seu controversia, quae versatur circa certas personas, loca, tempora, actiones, negotia: cujusmodi sunt, quae in foro et judiciis agitantur. *Cic. Top.* 21. Quaestionum duo sunt genera: alterum infinitum, definitum alterum. Definitum est, quod ὑπόθεσιν Graeci, nos causam etc. (Adde *Quint.* eadem docentem 3, 5.) *Id. Inv.* 1, 6. Causa est res, quae habet in se controversiam in dicendo positam, cum personarum certarum interpositione. *Id. Part.* 20. *in f.* Tria sunt causarum genera, unum quod, a meliori parte, laudationis est appellatum, deliberationis alterum, tertium judiciorum. ℙ Speciatim vero dicitur de causis judicialibus. [*Quum in judiciis id imprimis quaeratur, *qua de causa* quodque factum sit, evenit, ut omne negotium, de quo cognoscendum esset, causa vocaretur. *Cic. Fam.* 9, 21. Causas capitis aut famae agimus ornatius. Et *ib.* Causas privatas et eas tenues, agimus subtilius. *Tac. A.* 12, 58. Causa Iliensium suscepta. *Id. ib.* 13, 27. Privatim penderent causam libertorum. *Id. ib.* Ad dicendam majestatis causam retraxit. *Suet. Nero* 17. causae ab aerario ad forum translatae.] *Id. Verr.* 2, 5, 1. Causam constituere. *Id. Quint.* 24. perorare. *Id. Brut.* 47. Orare causam capitis. *Id. Or.* 2, 48. Agere causam apud judices. Et *ib.* 49. tractare. *Id. fr. pro Cornel.* defendere. *Suet. Dom.* 9. tenere. *Ov. Her.* 16, 75. vincere. *Cic. Fam.* 1, 4. obtinere. *Id. Rabir. Post.* 4. Causa judicata et damnata. *Id. Rosc. Com.* 4. Causam perdere. *Id. ib.* labefactare. Et *ib.* Confidere aut diffidere causae. *Id. Phil.* 2, 23. Rem, indicta causa, judicare. *Quint.* 4, 1. Laborare causa. [**Hor. Sat.* 1, 10, 26. Cum dura tibi peragenda rei sit causa Petilli. *Id. ib.* 7, 22. Persius exponit causam. *Id. ib.* 10, 28. Cum Pedius causas exsudet. Cf. *Heindf. Id. ib.* 2, 5, 34. causas defendere. *Id. ep.* 1, 16, 43. Et quo causae teste tenentur. *Id. ib.* 1, 5, 9. Mitte causam.] ℙ *Causam dicere*, absolute et sine addito, proprie est ejus, qui defenditur, hoc est rei. *Cic. Rosc. Am.* 5. Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt; causam dicit is, cui nihil reliquerunt. *Id. Quint.* 8. De capite suo priore loco causam dicere. *Id. Sext.* 8. Causam dicere de ambitu. *Liv.* 29, 19. ex vinculis. ℙ Causam vel causas dicere cum aliquo addito est idem quod agere sive accuses sive defendas. *Cic. Or.* 1, 2. Usus, quem ex causis, quas diximus, tot tantisque consecuti sumus. *Id. Dejot.* 2. Tantam causam dico intra domesticos parietes etc. Et *mox.* Hanc causam si in foro dicerem etc. ℙ Causam discere aut pernoscere dicitur orator sive patronus, antequam agat; unde cognitores causarum appellati. *Macr. Sat.* 1, 2. Hora omnino reperiri nulla potest, quin tuorum clientium negotia vel defendas in foro vel domi discas. Et *mox.* Sed cum essent amicorum complures mihi causae illis diebus pernoscendae, ad coenam tum rogatus, meditandi, non edendi illud mihi tempus esse respondi. ℙ Significat etiam excusationem afferre, utcumque se defendere. *Ter. Hecyr.* 1, 2, 111. Dixere causam tunc nescio quam. Et *Ph.* 2, 1, 42. Non causam dico, quin quod meritus sit, ferat, *h. e.* non deprecor, non recuso. *Cic. Quint.* 18. Nonis Febr. si Romae fuit, causae nil dicimus, quin tibi vadimonium promiserit. ℙ [**Pl. Mil.* 5, 34. *Pe.* Posthac — arcebo testibus. *Py.* Causam haud dico. *Id. Capt.* 3, 4, 92. Nullam causam dico, quin.] ℙ Aliquando est rationem afferre cur aliquid fiat. *Phaedr.* 3, 17. quare steriles sumerent, interrogavit: causam dixit Juppiter. [*Pertinet huc locus, quem supra laudavit *Forc.*, *Hor. Sat.* 1, 4, 6.] ℙ *Causa cadere* est causam amittere et videtur dici proprie de eo, qui contra formulas juris egit, neque eum servavit ordinem, qui in actionibus instituendis servandus est; quod Itali dicunt *fallar in ordine. Cic. Inv.* 2, 19. Ita jus civile habemus constitutum, ut causa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit. *Id. Fam.* 7, 14. ad *Treb. JCtum.* Minus multi jam, te advocato, causa cadent. Adde *Mur.* 4. ℙ Aliquando *causa* partes, factiones significat. *Cic. Dejot.* 10. Nemini in illa causa, studio et cupiditate concedebat, *h. e.* in favendo partibus Pompeji. Adde *Marc.* 1. et *Ligar.* 9. *a med.* ℙ Accipitur etiam pro quocumque negotio. *Nep. Paus.* 4. Quod nemo eorum rediisset, qui super tali causa eodem missi erant. *Cic. Verr.* 2, 3, 73. Halesinus Aeneas, cui senatus dederat publice causam, ut mihi fratrique meo gratias ageret. ℙ Item pro conditione, statu. *Cic. Off.* 1, 31. Nonnunquam mortem sibi consciscere alius debet, alius in eadem causa non debet. Num enim alia in causa M. Cato fuit, alia ceteri, qui se in Africa tradiderunt? Et *ib.* 3, 27. Regulus cum vigilando necabatur, erat in meliore causa, quam si domi perjurus remanisset. *Id. Agr.* 3, 2. *ad f.* Soluta meliore in causa sunt, quam obligata. Adde *Fam.* 2, 4. [**Caes. B. G.* 4, 4. In eadem causa fuerunt.] ℙ Item pro conjunctione vel causa conjunctionis. *Cic. Quint.* 15. Quicum tibi affinitas, societas, omnes denique causae et necessitudines veteres intercedebant. *Id. Prov. cons.* 17. Explicabo breviter, quae sit mihi ratio et causa cum Caesare. *Id. Fam.* 13, 19. Cum Lysone est mihi quidem hospitium vetus: sed ea causa etiam cum aliis compluribus: familiaritas tanta nullo cum hospite. ℙ A Jurisconsultis interdum ponitur pro re. *Ulp. Dig.* 2, 14, 7. Cum nulla subest causa praeter conventionem, hic constat, non posse constitui obligationem. ℙ Saepe pro conditione, titulo, jure. *Gell.* 4, 2. *ad f.* Mulier non sana est in causa redhibitionis. *Ulp. Dig.* 40, 7, 2. Usucapere aliquid cum sua causa. *Paul. ib.* 13, 7, 18. Fundus pignoratus transit cum sua causa. *Pomp. ib.* 18, 1, 67. Transferre dominium ad alium cum sua causa. *Paul. ib.* 41, 2, 3. Ex pluribus causis eandem rem possidere, *h. e.* ex pluribus titulis. *Id. ib.* 8, 2, 19. Per causam tigni possidere, *h. e.* ex eo titulo, quod tignum immissum sit. ℙ Item pro commodo, utilitate, emolumento, quod ex re aliqua percipitur. *Cajus Dig.* 6, 1, 20. Nec sufficit corpus ipsum restitui, sed opus est, ut et causa rei restituatur, idest ut omne habeat petitor, quod etc. Huc pertinet titulus *De usuris et fructibus et causis* etc., qui est primus *l.* 22. *Dig.*, ubi per *causas* intelliguntur partus et partus partuum et omnes rei extrinsecus accidentes utilitates, ut *Brisson. de verb. significat.* exponit. Huc etiam trahi potest illud *Mart.* 7, 93. Quid Nomentani causam mihi perdis agelli, Propter vicinum, qui pretiosus erat? *h. e.* utilitatem et commodum agelli, qui mihi carus erat propter amicum, qui vicinus rusticari solebat. Item illud *Pl. Asin.* 3, 1, 17. Ubi quiesco, omnis familiae causa consistit tibi. V. *Taubmann.* ℙ Saepe etiam ita usurpant, ut vacare videatur et elegantiae tantum inserviat: ut cum dicunt *causa bonorum, causa dotis, causa emptionis* etc., significant enim ipsa bona, dotem, emptionem etc. Cujus rei exempla multa ex *Dig. libris* congerit *Briss. l. c.* ℙ Ad scriptionem quod attinet, docet *Quint.* 1, 7. Ciceronem et Virgilium duplici *ss* scripsisse: simulque indicat, tum ante, tum post ea tempora simplicem *s* fuisse adhibitam. Exstant praeterea monumenta antiqua permulta pro utraque scriptione. Ex orthographis *Manut.* vult *caussa*, *Dausquio* placet *causa.* Utrumque probat *Cellarius.*

CAUSĀLIS, le, adj. ad causam pertinens, ut *Causalis ratio*, *August.* 7. *de Gen. ad litt.* 23. ℙ *Causales conjunctiones* dicuntur a grammaticis, quibus aliquo modo causa redditur rerum. *Charis.* 2, 199., *Diom.* 1, 410. et *Prisc.* 16, 1027. ℙ Quod legitur ap. *Arnob.* 5, 168. Sicut suis scribit in Causalibus Butas: *Causalia* vel *Causales libri* sunt, in quibus de causis rerum disseritur: quales sunt Plutarchi Αἰτίαι φυσικαί. Hujus vero *Butae* mentionem facit *Plutarch.* in *Romul. c.* 21.

CAUSĀLĬTER, adv. per causas. *August. de Gen. ad litter.* 5. *c. ult.* Quae terra producit potentialiter atque causaliter.

CAUSĀRĬE, adv. per causariam missionem. *Macer. Dig.* 49, 16, 13. Qui causarie missus est. Ita leg. quidam; at *Torrent.* et *Haloand.* habent *causaria*, ut subaudiendum sit *missione.*

CAUSĀRĬUS, a, um, adj. ad causam pertinens, qua morbum significat, valetudinarius. V. CAUSA. *Senec. ep.* 68. In animo nostro sunt quasi causariae partes, quibus adhibenda curatio est. *Id. praef.* l. *Quaest. nat.* Corpus hoc causarium ac fluidum periturumque. *Plin.* 25, 5, 25. Helleborum vetant dari causariis vel latere vel faucibus. ℙ *Causarii milites* sunt, qui ob valetudinem ab militia excusantur. *Liv.* 6, 6. Exercitum ex causariis senioribusque scribere. *Spart. Hadr.* 10. Omnes causarios liberalitatibus sublevavit. Al. leg. *causariis. Inscr.* ap. *Sestin. Viagg. per la Valachia* etc. p. 259. Aesculapio et Hygiae Aug. Aur. Artemidorus *Beneficiarius* Legati Legionis II. Adjutricis Piae Fidelis Severianae Agens CC. (*h. e.* Causariorum) V. S. L. M., Moesto et Probo Coss. (*h. e.* ann. a Chr. n. 228.) ℙ Hinc *causaria missio* dicitur, cum quis miles vitio animi vel corporis minus idoneus militiae renunciatur, ut *Macer* definit *Dig.* 49, 16, 13. ℙ Et translate de asino, qui ita loquitur ap. *Appul. Met.* 4. Rebar enim jam me prorsus exanimatum ac debilem mereri causariam missionem. ℙ *Causarius oculorum* dicitur a *Marc. Empir.* 8., qui oculis aeger est: et *dens causarius, ib.* 12., qui dolet.

CAUSĀTĒ, adv. cum causa. *Plin. praef. hist. nat.* Causatius defendere.

CAUSĀTĬO, onis, f. praetextus, excusatio. *Gell.* 20, 1. Ne causatio ista aegri corporis perpetuam vacationem daret. ℙ Significat etiam morbum, quemadmodum et *causa. Pallad.* 1, 4. Si salvo capite, in pulmonibus ac thorace aut nulla, aut rara causatio est. ℙ Apud *Capell.* 5. p. 151. causatio est ipse status causae, seu controversiae forensis. ℙ A *Tert. adv. Marc.* 5, 20. adhibetur pro occasione, vel praetextu, ex *D. Paul.* ad *Philipp.* 1, 18.

CAUSĀTĪVUS, a, um, adj. αἰτιολογικὸς, causam praebens, efficiens. Apud *Capell.* 5. p. 154. *Causativum litis* est res, quae controversiam facit, et statum causae constituit. ℙ *Causativus casus* idem est qui accusativus, apud *Prisc.* 5, 671.

CAUSĬA, ae, f. καυσία, genus pilei barbarici ad aestum solemque arcendum. Causiae figuram vide-

sis apud *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 3. *tab.* 33., ex qua confirmatur, eam fuisse piscatorum propriam. *Pl. Mil.* 4, 4, 41. Facito ut venias huc ornatus ornatu nauclerico, causiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam etc. *Id. Pers.* 1, 3, 75. Cape tunicam, atque zonam, et chlamydem afferto, et causiam. *Val. Max.* 5, 1. *n.* 4. *ext.* Causia caput velatum more Macedonum habere. ℙ Videtur Romanis quoque in usu aliquando fuisse. Nam illius distichi *Mart.* 14, 29. In Pompejano tectus spectabo theatro: Nam ventus populo vela negare solet: *Lipsius de Amphith. c.* 18. lemma esse ait *Causia:* alii leg. *Gausapa.* Sed *Lipsii* lectio magis placet. ℙ Legitur et *causea.* ℙ Aliquando *causiae* dictae sunt vineae militares, quibus utebantur in urbium oppugnationibus: quia sicut *causia* solem, ita vineae saxa et tela capiti defendunt. *Veg. Mil.* 4, 15. Vineas dixerunt veteres, quas nunc militari barbaricoque usu causias vocant.

[CAUSĬDĪCĀLIS, le, adj. ad causidicum pertinens. *M. Aur.* apud *Front. ad M. Caes. ep.* 4, 5. Venatores, aut vindemiatores, qui jubilis suis cubiculum meum perstrepunt causidicali prorsum odio et taedio. *F.*]

[CAUSĬDĪCĀTĬO, onis, f. oratio causidico digna, prolixa, nimis verbosa. *Front. ad Amic. ep.* 2, 6. Quod si ultra epistolae modum videbor progressus, eo eveniet, quod ea res postulat, ut cum epistola conjuncta sit quaedam causidicatio. *F.*]

*CAUSIDICATUS, us, m. causidicina. *Gloss. Gr. Lat.* διχολογία, causidicatus. *B. A.*

CAUSĬDĪCĪNA, ae, f. ars, et munus causidicorum, αἰτιολογία. *Ammian.* 30, 4. Id habet causidicina metuendum, quod etc. *Symmach. ep.* 5, 75. Causidicinae nomen dare. *Impp. Theod. et Valent. Cod. Theod.* 8, 4, 30. Causidicinam profiteri. Adde *ib.* 12, 1, 188.

CAUSĬDĪCUS, i, m. δικαιολόγος, ῥήτωρ, qui causas agit. Apud optimos scriptores valde distat ab oratore. Nam ita appellatur quicumque patronus dicendi usu aliquo praeditus, qui in foro probabilis esse videtur, et causas utcumque agit. *Cic. Or.* 1, 46. Non enim causidicum nescio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus, sed eum virum, qui etc. *Id. Or.* 9. Nam qui Lysiam sequuntur, causidicum quendam sequuntur, non illum quidem amplum atque grandem, subtilem et elegantem tamen, et qui in forensibus causis possit praeclare consistere. *Appul. Apol.* Patroni litigatorum causidici appellantur, quod, cur quaeque facta sint, expediant. Adde *Quint.* 12, 1. *circa med.* et *Auct. dial. de Or.* 1. Hinc *Juven.* 6, 138. causidicum, et praeconem conjungit, tamquam utriusque ars aeque sit digna contemptus: quod facit et *Petr. fragm. Trag.* 46. *Burm.*

CAUSĬFĪCOR, aris, dep. 1. idem quod causor, αἰτιολογέομαι. *Pl. Aul.* 4, 10, 25. Non causificor, quin ego illam habeam potissimum. *Appul. Met.* 10. Inconcinne causificans.

CAUSĬMŌMANTĬA. V. AXINOMANTIA.

CAUSOR, aris, atus sum, dep. 1. προφασίζω, αἰτιάομαι, afferre tanquam causam. [*Cf. de significatione hujus verbi et quomodo differat ab *accusare* et in *incusare* Döderl. 2, 164.] *Virg. Ecl.* 9, 56. Causando nostros in longum ducis amores. *Liv.* 3, 64. Consensum patrum causabantur. [*Tac. *A.* 1, 47. Negotia varie causatus fefellit. *Curt.* 4, 16. Praeceps in noctem diei tempus causatus est.] *Quint.* 11, 1. Nec causanti pupillo sic tutor irascatur, ut etc. *h. e.* causas afferenti, cur eum tutorem nolit. *Hor. Ep.* 1, 14, 12. Stultus uterque locum immeritum causatur inique: In culpa est animus. *Tibull.* 1, 3, 17. Aut ego sum causatus aves, aut omina dira. *Ov. Amor.* 1, 9, 13. Causari euros tumidos. *Tac. H.* 3, 59. inhabilem labori valetudinem. *Id. A.* 13, 44. adversam voluntatem patris. *Suet. Cal.* 23. aliquid in aliquo. *Id. Ner.* 49. Duos pugiones arripuit, tentataque utriusque acie, rursus condidit, causatus, nondum adesse fatalem horam. *Ulp. Dig.* 16, 3, 3. Causatus, quod semel ignarus vendiderit. *Id. ib.* 36, 1, 13. Causari aliquid, ne etc. *Trebell. in* XXX. *Tyrann. in f.* Causari cum aliquo, *h. e.* queri, expostulare: quam significationem etiam αἰτιᾶσθαι apud Graecos habet. ℙ Addunt quidam duo *Ciceronis* loca *Or.* 2, 89. et *Rosc. Com.* 14., sed utrobique leg. aliter plerique omnes. ℙ Passiva significatione *Ov. Nuc.* 125. Causabor, quare sit lapidosus ager. *Salmas.* legit *causa habeor*, quod *Heins.* probat. ℙ *Non.* 2, 157. *causari* interpretatur causam dicere, defendere: et affert exempla ex *Accio*, *Afranio* et *Pacuvio*, quae non ita aperta sunt, ut rem plane conficiant.

[CAUSTĒRĬCUS, a, um, adj. idem ac causticus, legitur in *Not. Tir.* p. 165. *F.*]

[CAUSTĬCE, es, f. καυστική, urens herba, quae alias scelerata dicitur. *Appul. Herb.* 8. *F.*]

CAUSTĬCUS, a, um, adj. καυστικός, adurendi vim habens: a καίω, uro. *Mart.* 14, 26. Caustica Teutonicos accendit spuma capillos. Alii leg. *Cattica.* V. CATTICUS. ℙ Dicitur saepe de medicamentis, quae vehementer calida sunt, et carnem arefaciunt, exedunt, adurunt. *Plin.* 27, 9, 54. Enneaphyllon est causticae naturae. *Id.* 32, 10, 52. Adarca vim habet causticam. ℙ *Causticum*, *i*, est medicamentum causticum. *Id.* 26, 8, 39. Tithymalum est tam ferventis naturae, ut per se extra corpori impositum pusulas ignium modo faciat, et pro caustico in usu sit. Et *ib.* 1, 3. Causticis curare lichenas. *Id.* 34, 18, 56. Arsenicum causticis additur, et psilothris.

CAUSŪLA, ae, f. parva causa. *Cic. Opt. gen. or.* 3. *in f.* Lysias parvarum rerum causulas scripsit, *h. e.* breves, vel leves controversias. *Hirt. B. Afr.* 54. Parvulam modo causulam nactus, *h. e.* occasiunculam.

*CAUTA, ae, f. καυτή, efflatio oris. Laudatur *Theod. Prisc.* 1, 17. *B. A.*

CAUTĒ, adv. εὐλαβῶς, prudenter, callide. *Cic. Cluent.* 42. A me omnia caute, pedetentimque dicentur. *Id. Dejot.* 6. Cautius efficere aliquid. Et *Att* 15, 26. Cautissime navigare.

CAUTĒLA, lae, f. εὐλάβεια, cautio, diligentia, providentia, qua aliquid cavemus. *Appul. Met.* 5. Exitiabile tibi periculum fortuna minatur, quod observandum pressiore cautela censeo. *Id. Met.* 2. Tantum a cautela Pamphiles abfui, ut etiam etc. *h. e.* tantum abfuit, ut a Pamphile mihi caverem etc. ℙ A JCtis adhibetur eodem modo quo cautio, ἀσφάλεια. *Pompon. Dig.* 13, 7, 6. Prius idonea cautela a debitore pro indemnitate ei praestanda. *Ulp. ib.* 3, 3, 15. Cautelam interponere. *Cajus ib.* 16, 3, 14. Cautelam idoneam reddere.

[CAUTĒLĬTAS, atis, f. idem ac cautela, cautio. *Ennod. ep.* 6, 8. An forte contra me illam tuam cautelitatem aestimas esse servandam? *F.*]

CAUTER, ēris, m. καυτήρ, idem quod cauterium. *Pallad.* 1, 43. Cauteres, castratoria ferramenta atque tonsoria, vel quae ad animalium solent pertinere medicinam. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 490. cremari stridulis cauteribus. *Pallad.* 1, 41. Picem duram, ceram albam .... junctoris adline, et cautere cuncta percurre. ℙ Item vulnus, adustio cautere facta. *Prud. ib.* 5, 229. Arvina posthinc igneum Impressa cauterem lavit. ℙ Translate *Tertull. Pall.* 5. Adigere cauterem ambitioni.

*CAUTERĀTIO, onis, f. actus cauterizandi. *Schol. Antiq.* in *Juv.* 10, 183. p. 666. ed. *D. A. G. Cram. B. A.*

CAUTĒRĬĀTUS, a, um, adj. cautere adustus. Translate *cauteriatam conscientiam* dixit *Hieronym. in c.* 1. *Abdiae* ex *D. Paul. ad Timoth.* 1, 4.

CAUTĒRĬUM, ii, n. καυτήριον, Graeca vox a καίω, uro, quae significat instrumentum, quo ignito notae et stigmata carni inuruntur: quod *cauter* a *Pallad.* appellatur. *Veget. Veter.* 1, 13. Inuri rectis cauteriis convenit; et ut efficacius prosint, cuprinis cauteriis est utendum. *Tert. Apol.* 15. Risimus et inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem. ℙ Significat etiam medicamentum carnes exedens, aut humores desiccans. *Scrib. Compos.* 240. Hoc aere est, et quasi cauterium crustam altam facit. *Plin.* 25, 8, 29. Plantagini vis mira in siccando; densandoque corpore cauterii vicem obtinens. Adde 22, 23, 49. ℙ Item vas carbones continens, quo ad parietem admoto pictores utebantur in encaustica ad colores ceris inurendos. *Mart. Dig.* 33, 7, 17. Pictoris instrumento legato, cerae, colores legato cedunt: item peniculi, et cauteria. Adde *Tertull. adv. Hermogen.* 1.

CAUTĒRĬZO, as, a. 1. cauterium adhibeo. *Veg.* 3, *Vet. altero c.* 2. Cauterizare subtiliter.

[CAUTĒRŌMA, seu Cautrōmă, ătis, n. a καυτήρ, ulcus seu vulnus a peccante cautere factum. *Plin. Valer.* 3, 47. Quod remedium et alia hujuscemodi curat, et cautromata. *F.*]

CAUTES, is, f. ῥαχία, πέτρα, saxum magnum et asperum, rupes. *Tibull.* 2, 4, 9. insanis cautes obnoxia ventis. *Caes. B. G.* 3, 13. Naves nihil saxa et cautes timebant. *Virg. A.* 4, 366. duris genuit te cautibus horrens Caucasus. *Plin.* 37, 2, 10. Cautes Alpium inviae. *Id.* 34, 14, 42. Lapis hic et in Cantabria nascitur, non ille magnes verus cautе continua, sed sparsa bullatione. *Imppp. Valent., Theod. et Arcad. Cod. Theod.* 10, 19, 14. Nobilitas cautium, *h. e.* lapidum, marmorum. [*Dicitur *cautes* et de insulis saxosis, in quas relegari condemnati ab imperatoribus solebant. *Plin. Pan.* 35, 2. Cum iisdem quibus antea cautibus innocentissimus quisque, nunc nocentissimus affigeretur.] ℙ De quocumque lapide, seu saxo. *Colum.* 10, 66. nos abruptae tum montibus altis Deucalioneae cautes peperere. ℙ *Prud.* in recto casu *cautis* dixit, ut secundam corriperet, *περὶ στεφ.* 10, 701. Quae cautis illud perpeti spectaculum etc. ℙ *Cautes*, *is*, vel *Cautus*, *i*, m. non absurde putatur fuisse Deus Noricarum gentium, ita appellatus vel a montibus, in quibus eae gentes habitabant, vel a cautela, qua indigebant ad evitanda infortunia iis locis propria. *Inscr.* ap. *Grut.* 89, 4. Deo Cauti Flavius Antistianus. Alia *ib.* 5. Cauto Pani C. Munatius Quir. Tiro. Adde tres alias apud *Guattanium Memor. Enciclop. Rom. T.* 5. p. 76. Aquilejae repertas.

CAUTIM, adv. εὐλαβῶς. *Ter. Heaut.* 4, 8, 30. Cautim et paulatim dare. *Acc.* ap. *Non.* 11, 22. Tibi cautim est adeundum ad virum.

[CAUTĪNUS, a, um, adj. ad cautum pertinens, qui cautus est. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 813, 3. P. Petronius Cautinus. *F.*]

CAUTĬO, onis, f. εὐλάβεια, providentia, qua advertimus, ne quid mali nobis accidat: a supino *cautum* verbi *caveo*. *Cic. Tusc.* 4, 6. A malis natura declinamus: quae declinatio si cum ratione fiat, cautio appellatur: quae autem sine ratione, nominatur metus. *Id. Amic.* 21. Horum incommodorum una cautio est, atque provisio, ut ne nimis cito diligere incipiamus. *Id. Or.* 2, 74. Neque illa mea cautio, et timiditas in causis negligenda est. *Id. Font.* 1. Videte, quam longe videar a consuetudine mea et cautione ac diligentia discedere. *Id. Att.* 1, 19. Adhibere cautionem et diligentiam alicui rei. *Id. Fam.* 11, 21. Quae provideri poterunt, non fallar in iis: quae cautionem non habebunt, de his non ita valde laboro, *h. e.* quae caveri non poterunt. *Id. Off.* 1, 14. Beneficentia nihil est naturae hominum accommodatius: sed habet multas cautiones, *h. e.* multa cavere oportet in ea exercenda. *Id. Fl.* 13. Defendendi facilis est cautio, *h. e.* provisio et ratio defendendi. ℙ *Cautio est*, caveo, provideo, curo. *Ter. Ad.* 3, 4, 57. Pisces hi mihi ne corrumpantur, cautio est. (Adde *Andr.* 2, 3, 26.) *Pl. Poen.* 1, 3, 36. Nunc mihi cautio est, ne meamet culpa meo amori obiexim moram. ℙ Est etiam verbum forense, et significat chirographum, syngraphan, fidejussionem, et aliam quamcumque stipulationem, qua quis sibi, vel alteri cavet, idest, se, vel alium securum reddit, συγγραφή, ἀσφάλεια. *Cic. Fam.* 7, 18. *ad Trebat. JCtum.* Quando vestrae cautiones infirmae sunt, Graeculam tibi misi cautionem chirographi mei. *Id. Dom.* 5. Facere cautiones pecuniarum. *Senec. Benef.* 3, 7. Prolatis cautionibus controversiam tollere. *Suet. Aug.* 98. Exigere cautionem ab aliquo, non alio datam summam, quam in emptionem mercium, absumpturum. *Varr. L. L.* 6, 3. *extr.* Cavere cautione. *Venulej. Dig.* 46, 8, 6. Cavere cautionem, ratam rem dominum habiturum. *Papin. ib.* 40, 4, 50. Offerre cautionem idoneam. *Julian. ib.* 44, 1, 11. interponere de solvendo. *Ulp. ib.* 43, 22, 1. polliceri damni infecti. *Papin. ib.* 3, 5, 30. praebere alicui indemnitatis. *Modest. ib.* 26, 7, 31. Cautiones soluti vectigalis. *Gell.* 4, 3. rei uxoriae, *h. e.* de reddenda dote, si divortium sequatur. *Paul. Dig.* 16, 3, 27. Conferre dotem in cautionem sub titulo depositi, *h. e.* dare dotem sub cautione. Exemplum cautionis habes in *Dig.* 12, 1, 40. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 7. Hunc Pompejus omni cautione, foedere, exsecratione devinxerat, nihil in tribunatu contra me esse facturum.

CAUTĬONĀLIS, le, adj. ad cautionem pertinens. *Ulp. Dig.* 46, 5, 1. Stipulationes cautionales, *h. e.* quibus aliquid cavetur, et securum redditur.

CAUTĬUNCŪLA, lae, f. parva cautio. Habetur in *Not. Tir.* p. 71.

CAUTOR, ōris, m. qui cavet, et providet sibi, vel alteri. *Pl. Capt.* 2, 2, 5. Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cum etiam, cavet: etiam cum cavisse ratus, saepe is cautor captus est. *Cic. Sext.* 7. Ille nefarius, parum se foedus violaturum est arbitratus, nisi ipsum cautorem alieni periculi suis propriis periculis terruisset.

CAUTUS, a, um, part. a *caveo*, ἀσφαλισθείς, cautione forensi securus factus. *Hor. Ep.* 2, 1, 105. Cautos nominibus certis expendere nummos, *h. e.* sub chirographo datos. [*Cf. *Bentl.* ad hunc locum.] *Cic. Caec.* 4. Ut mulieri res esset cautior, curavit, ut in eo fundo dos collocaretur. *Ulp. Dig.* 50, 31, 1. Si cui cautum est honorarium, *h. e.* sub cautione promissum. ℙ Translate est tutus, munitus. *Cic. Rosc. Am.* 20. In eam partem peccare, quae est cautior. *Mart.* 2, 1. Esse tibi tanta cautus brevitate videris. *Luc.* 4, 409. Cautus ab incursu belli. ℙ Saepissime activa significatione usurpatur, et significat eum, qui diligenter cavet et providet, circumspectum, providum. εὐλαβής. *Cic. Rosc. Am.* 40. Cautus et providus. *Gell.* 12, 12. Prudens et cautus paterfamilias. *Cic. Agr.* 1, 9. Cautus in periculis. *Id. Q. Fr.* 3, 9. Cautum esse in scribendo. *Liv.* 24, 32. et *Tibull.* 1, 10, 46. et *Quint.* 6, 1. Cautiorem esse ad aliquid. *Curt.* 10, 1. Cautum esse erga bona sua. *Tac. Hist.* 2, 76. Cautissima Tiberii senectus. *Cic. Phil.* 13, 3. Cautioribus consiliis uti. *Mart.* 12, 6. Hilaris clementia, cauta potestas. *Id.* 6, 25. Cauta virtus. *Sil.* 14, 188. Cautis armis invigilare. *Ov. Trist.* 3, 4, 65. Timor cautus. *Id. Fast.* 2, 336. Cautae manus. [*Hor. Sat.* 2, 6, 45. Matutina parum cautos jam frigora mordent.] ℙ Cum infinito. *Hor. Sat.* 1, 6, 51. Cautus dignos assumere. [*Virg. A.* 11, 153. Cautius te credere Marti.] ℙ Cum genitivo. *Macr. Sat.* 1, 15. Peractus totius mensis feriis dies suos, rei divinae cautus, inseruit. ℙ Pro callido, vafro. *Hor. Ep.*

I, 1, 73. quod vulpes aegroto cauta leoni Respondit. *Mart.* 5, 4. Foetere multo Myrtale solet vino, Sed fallat ut nos, folia devorat lauri, Merumque cauta fronde, non aqua miscet. ℙ In illo *Corippi* 3, 389. Debita persolvit, genitoris, cauta recepit: *cauta* sunt cautiones, syngraphae, ut et *Barth.* docet *Adv.* 44, 15.

CAUTUS, us, m. cautio. *Gell.* 10, 15. Caerimoniae impositae flamini Diali multae, item cautus multiplices. Alii plerique leg. *castus*, et quidem rectius.

CAVUM, i, n. et Cavus, i, m. locus cavus, foramen, χοιλότης, χοίλωμα. *Cato R. R.* 128. Neque aspergo nocebit, neque mures cava facient. *Liv.* 24, 34. Murum cubitalibus fere cavis aperuit, per quae cava sagittis petebant hostem. *Plin.* 2, 79, 81. Venae, et cava occulta terrae. *Id.* 20, 6, 23. Cava dentium. *Colum.* 12, 8. Cavus terebra factus. *Varr. R. R.* 3, 15. Facere cavos laxiores. *Hor. Ep.* 1, 7, 33. Macra cavum repetes aretum, quem macra subisti. *Vitr.* 3. *sub f.* Norma in cavo strigis circumacta. *Plin.* 11, 51, 112. Duobus cavis recepto spiritu. *Lamp. Elagab.* 5. Quis ferre possit principem per cuncta cava corporis libidinem recipientem? ℙ De cavo aedium, V. CAVAEDIUM.

CAVUS, a, um, adj. κοῖλος, ἀνάκοιλος, cavatus, sinuosus, foramen et spatium habens, vacuus. *Hor. Od.* 2, 19, 12. truncis Lapsa cavis iterare mella. *Flor.* 3, 20. Cavus mons. *Virg. A.* 2, 53. Cavae cavernae, *pleonasmus.* (minime!) *Id. Ecl.* 1, 18. Cava ilex. *Id. G.* 2, 186. convallis. *Id. ib.* 4, 464. testudo. *Id. A.* 3, 24. Aere cavo dare signum, *h. e.* tuba. *Id. ib.* 6, 171. cava dum personat aequora concha. *Id. ib.* 10, 475. vagina. *Id. ib.* 9, 666. galea. *Id. ib.* 46. Cavae turres. Et *ib.* 534. fenestrae, *h. e.* patentes. *Id. ib.* 2, 487. aedes, *h. e.* cameratae, ut *Serv.* exponit. *Id. ib.* 8, 69. cavis undam de flumine palmis Sustulit. *Suet. Aug.* 91. Cavam manum assem porrigentibus praebere. [*V. Casauboni largam ad hunc locum notam. *Tibull.* 2, 4, 14. Illa cava pretium flagitat usque manu.] *Virg. A.* 3, 191. vastumque cava trabe currimus aequor. *Id. ib.* 9, 633. cava tempora ferro Trajicit. *Mart.* 11, 31. Cavae lances. *Plin.* 8, 54, 80. Luna cava, *h. e.* decrescens, et in cornua diducta. *Id.* 12, 1, 5. specus. [**Tibull.* 1, 3, 80. Cava dolia, *h. e.* perforata, pertusa. *Sil.* 1, 206. Cava tempora; de cavernis in vertice montis. *Id.* 17, 18. Circum arguta cavis tinnitibus aera certabant.] ℙ *Vena cava* in corpore animalis est vena omnium maxima, quae ex ceteris venis omnibus sanguinem in cor infert. *Cic. N. D.* 2, 55. Ventriculus cordis, in quem sanguis a jecore per venam illam cavam influit. ℙ *Cava flumina* apud *Virg. G.* 1, 326. et *ib.* 4, 427. sunt profunda, alta. Sic *Lucan.* 1, 396. Lemannus cavus. Et 2, 422. Rutubamque cavum. Quo referri possunt et illa *Catulli* 95, 4. Smyrna cavas Atracis penitus mittetur ad undas. Et 17, 4. cavaque in palude recumbat. Et *Ennii* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. Lumine sic tremulo terra, et cava caerula candent. ℙ Dicitur etiam *cavus* de rebus inanibus et obscuris, ut *Non.* 6, 105. observat. *Virg. A.* 2, 360. nox atra cava circumvolat umbra, ubi *Servius:* Bonum epitheton: naturale enim est, ut obscurum sit omne concavum: vel *cava*, inani. *Id. A.* 1, 520. Nube cava amictus. *Id. ib.* 6, 293. tenues sine corpore vitas volitare cava sub imagine formae. ℙ Apud sequioris aevi scriptores legitur aliquando usurpatum pro vano, inani. *Paul. Nol. carm.* 22, 139 Dissidet a nostris cava mundi gloria regnis. *Id. carm.* 21, 912. Opibus inflati cavis. ℙ *Cavi menses* dicuntur a *Censorin. de die nat.* 20. qui XXX dies habent, et *pleni* qui XXXI.

CAYCUS, i, m. V. CAICUS. ℙ *Cayci, orum*, sunt populi Germaniae. V. CHAUCI.

CAYSTRIUS, a, um, adj. Καϋστριος, ad Caystrum pertinens. *Ov. Trist.* 5, 1, 11. Utque jacens ripa deflere Caystrius ales etc., *h. e.* cygnus.

CAYSTRUS et Caystros, i, m. Καϋστρος, fluvius Lydiae seu Maeoniae in Asia minori, nunc *Karasu*, vel *Chiay*, qui oritur in Phrygia combusta, deinde per Lydiam labitur, multos amnes deferens, alluit Philadelphiam et alias urbes et prope Ephesum in sinum Ionium influit. A quibusdam *Maeander minor* dictus est. Cygnis abundare traditur. *Senec. Quaest. nat.* 4, 2. *a med.* Nec Rhenus nec Rhodanus nec Ister nec Caystrus. *Ov. Met.* 5, 386. non illo plura Caystros Carmina cygnorum labentibus audit in undis. Al. leg. *Cayster*, sed *Caystros* est in melioribus libris, teste *Heins.* V. dicta in ASIUS.

CE

CĔ, adjectio syllabica, quae jungitur fere pronominibus articularibus, et demonstrativis, per omnes eorum casus, ut *hicce*, *haecce*, *hocce;* additque non solum elegantiam, sed etiam vim sermoni. Videtur autem proprie nihil aliud esse, quam Graecorum γὲ particula enclitica. *Cic. Divin. in Verr.* 14. *ad f.* Hujusce rei judicium. *Id. Verr.* 1, 12. Per hosce annos. *Id. Fam.* 4, 5. Hisce temporibus. *Cato R. R.* 129. Illace dape. Et *ib.* Istace dape. *Pl. Most.* 3, 1, 116. Haecce aedes ita erant. Al. leg. *haece*. *Id. Merc. prol.* 91. Iisce confectis. *Id. Rud.* 3, 4, 40. Pro istisce ambabus. *Id. Pseud.* 3, 2, 34. Cum hasce herbas hujusmodi in suum alvum congerunt. Ubi nota pleonasmum *hasce hujusmodi*. *Ter. Eun.* 2, 2, 38. Hice arbitrantur. *Prisc.* 12, 948. vult legi *hisce*, licet sit rectus casus pluralis, et litteram *s* interponi euphoniae causa. Similiter *hisce* legit *Camerar.* in illo *Pl. Capt. prol.* 35. Hisce confinxerunt dolum. Al. tamen *hice* retinent utroque loco. [*Ita *Lindem.* in *Pl.* loco.] ℙ Jungitur etiam particulae *h. sic. Pl. Rud.* 2, 4, 12. Sicce placide tangere, *h. e.* sic placide. *Lambin.* putat esse adverbium, et interpretatur sobrie: quem ridet *Schioppius* apud *Taubm.* ℙ Quando additur particula *ne*, mutatur *ce* in *ci*, ut *hiccine*, *haeccine*, *hoccine*, etc. *Ter. Andr.* 4, 1, 1. Hoccine credibile est? *Id. Heaut.* 4, 5, 3. Illanccine mulierem? *Pl. Ps.* 4, 1, 44. Illiccine est? *Arnob.* 5. p. 177. Ad haeccine nos sacra compellitis? hoscine nobis Deos importatis? *Ter. Phorm.* 5, 8, 23. Haeccine erant itiones crebrae etc.? Al. leg. *haecine*. *Id. Hecyr.* 1, 1, 13. Hiscine tu non contra insidiabere? *Pl. Curc.* 4, 4, 33. Siccine mihi esse os oblitum? *Ter. Andr.* 4, 1, 60. Hem, nunccine demum? ℙ *Hiccine?* h. e. hocne in loco? *Pl. Cist.* 1, 1, 21. hiccine istuc licet? *Le.* jus fasque est: nemo alienus hic est. *Ter. Ad.* 2, 1, 29. Hiccine libertatem ajunt esse aequam omnibus?

CĔA, ae, f. nunc *Zia*, *Kéa*, vel Κεῖος, item *Κέως*, et *Κία*, insula maris Aegaei, una Cycladum, prope Helenam insulam, et regionem Atticam, distans ab Euboea XX. M. P. *Ov. Her.* 20, 221. Insula Coryciis quondam celeberrima Nymphis Cingitur Aegaeo, nomine Cea, mari. Adde *Virg. G.* 1, 14. ℙ Dicitur item *Ceos*, *i*, item *Hydrussa*, ab aquarum copia, ut *Plin.* 4, 12, 20. docet. Ex ea profectam esse delicatiorem feminis vestem, auctor est *Varro*, teste *Plin. ib.*, qui addit 11, 22, 26. mulierem quandam nomine Pamphilam Latoi filiam, primam invenisse rationem redordiendi telas bombycum, rursusque texendi, ut molliores essent et pellucidiores. ℙ Est etiam *Cea* eadem quae *Coos* prope Cariam, de qua V. suo loco. *Plin.* 5, 31, 36. ℙ Ceterum facile haec cum priori confunditur ob similitudinem nominum: qua de re docte *Hard.* in notis et emendationib. *ad Plin. c. l.* 11. *n.* 42. ℙ Sunt qui scribunt *Caea*, sed contra *Lambin.* ad *Hor. Od.* 2, 1., *Heins.* ad *l. Ov. c.* et *Met.* 7, 369. et alios plures. ℙ Legitur et *Cia* a Graeco *Κία*.

CEBĀNUS, a, um, adj. ad Cebam pertinens, nunc *Ceva*, quod est oppidum Liguriae ad Tanarum fluvium. Hinc *Cebanus caseus* ap. *Plin.* 11, 42, 97.

CEBRĒNIS, idis, f. adj. Κεβρῆνις, a *Cebrene* fluvio Troadis, a quo *Cebrenia* ejusdem Troadis provincia est appellata. In fabulis est hunc fluvium filiam habuisse Hesperien, seu Heperien, quae morsu anguis icta periit. *Ov. Met.* 11, 769. Aspicit Hesperien patria Cebrenida ripa. Vide ibi reliqua, et V. AESACUS. ℙ Addunt alii, ipsum fluvium Cebrenem ex moerore ob natae mortem exaruisse, et factum esse paludem pestilentes exhalationes emittentem. *Stat. Silv.* 1, 5, 21. et viduae Cebrenidos arida luctu Flumina. ℙ Hujus *Cebrenis* meminit *A. Sabin. ep.* 3. *Paridis ad Oenon.* 89. et Oenones patrem facit. *Heins.*

CĔBRĒNUS, i, m. *Auson. ep. ad Paul.* 14, 19. Sic qui venalis tam longa aetate Cebrenus Non habet emptorem, sit tibi pro pretio. Al. leg. *Crebennus.* Utcumque sit, nomen est proprium fundi.

*CEBRUM, i, opp. Moesiae inferioris. *Anton. Itin. B. A.*

CĔCAUMĒNUS, a, um, adj. κεκαυμένος, vox Graeca, ustum significans: a καίω, uro. *Capell.* 1, 8. Flamma flagrantior, et ab ipsis cecaumenis exanclata fomitibus. [Graece eandem vocem usurpat *Serv.* ad *Virg. A.* 6, 795. Garamantes, populi inter Libyam et Africam juxta κεκαυμένην, *h. e.* zonam torridam. V. DIACECAUMENE. *F.*]

*CECINNA, ae, (Cecina) Etruriae amnis. *Mela* 2, 4. *Plin.* 3, 5. V. CAECINA. *B. A.*

CECRŌPIA, ae, f. Κεκροπία, oppidum Athenarum, a Cecrope conditum, et sic appellatum. *Catull.* 64, 79. Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro. ℙ Speciatim ita dicta est ejus oppidi arx, teste *Plin.* 7, 56, 67.

CECRŌPĬDES, ae, m. Κεκροπίδης, idem ac Atheniensis. Nam Athenis Cecrops primus regnavit, quatuor fere saeculis ante Trojae excidium. Quare Athenienses antiquissimam atque adeo nobilissimam generis originem jactabant. Hinc *Cecropides* pro valde nobili ponitur, ut in illo *Juven.* 8, 44. Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri, Ast ego Cecropides. ℙ In vocativo est *Cecropida* et *Cecropide*, ὦ Κεκροπίδη. *Ov. Met.* 8, 550. Inclyte Cecropida, *h. e.* Theseu. Sic *Aeacida*, *Atrida*. Al. leg. *Cecropide*. ℙ In genitivo plurali habet etiam *Cecropidum* pro *Cecropidarum*. *Ov. Met.* 7, 502. Cecropidum Cephalus peragit mandata.

CECRŌPIS, idis, f. filia Cecropis regis Athenarum. *Ov. Met.* 2, 805. quibus irritata, dolore Cecropis, occulto mordetur. ℙ Sumitur etiam pro quacumque Atheniensi. *Juven.* 6, 186. De Sulmonensi mera Cecropis. ℙ Adject. *Ov. Her.* 10, 100. Impia funeribus, Cecropi terra, tuis. *Lact.* 1, 17. *sub f.* Puerum tribus virginibus Cecropidibus commendavit.

CECROPĬUS, a, um, adj. Κεκρόπιος, ad Cecropem pertinens: et ponitur saepissime pro Atheniensi, Attico, Graeco. *Hor. Od.* 2, 1, 12. grande munus Cecropio repetes cothurno, *h. e.* tragico stilo, quia tragoedia apud Athenienses primum scripta atque acta est, auctore Thespi. *Ov. Met.* 6, 70. Pallas Cecropia. *Id. Her.* 10, 125. Cecropii portus. *Stat. Silv.* 2, 6, 55. Cecropia fides, *h. e.* amicitia Thesei, et Pirithoi. [**Hor. Od.* 4, 12, 6. Et Cecropiae domus aeternum opprobrium.] *Mart.* 9, 14. Cecropiae apes, *h. e.* Hymettiae. V. HYMETTUS. Sic *Id.* 13, 24. Mel Cecropium. [**Virg. G.* 4, 270. Cecropius thymus.] *Juven.* 2, 92. Cotytto Cecropia, *h. e.* ab Atheniensibus culta. *Stat. Silv.* 3, 2, 110. *de Nilo*: Cur vada desidant, et ripa coerceat undas Cecropio stagnata luto, *h. e.* luto eo, quo hirundines nidum in ripis Nili construunt. Ideo autem *Cecropium* dixit, quia Progne Pandionis Athenarum regis filia, in hirundinem versa fingitur. Alii *Cecropium lutum* exponunt Aegyptium, quia secundum quosdam Cecrops fuit Aegypto oriundus. *Mart.* 1, 54. Cecropiae querelae. V. QUERELA. ℙ *Cecropia voce (al.* dote) *madere* ap. *Mart.* 7, 69. est Graecis litteris eruditum esse. Similem locum habes apud *eund.* 1, 40. ℙ De *Cecropia insula* ap. *Pl.* V. CERCOPIA.

CECROPS, opis, m. Κέκροψ, antiquissimus rex Atheniensium, qui Athenas vel condidit, vel amplificavit jam conditas a Pallade. Regnavit annos 50., vixitque saeculis fere quatuor ante Trojanum excidium. Quidam eum indigenam ejus loci fuisse scribunt: alii Aegyptium origine faciunt. In fabulis est, fuisse filium Terrae, et Vulcani, ut est apud *Hygin. fab.* 48. et 158. Tradunt etiam partim hominem, partim draconem fuisse: ab eoque primo institutum esse, ut matrimonium inter virum et feminam jungeretur, cum antea homines vago concubitu uterentur. Hinc *Ov. Met.* 2, 555. *geminum* appellat. Hujus tamen appellationis alii aliam causam afferunt, quod nempe Aegypto oriundus in Graeciam pervenerat, et sic utrique genti annumerari poterat: sed prior ratio praestat. *Plin.* 7, 56, 57. huic condendi oppidi inventum tribuit.

*CECRYPHALOS, i, insula maris Aegaei, juxta Argolidem, e regione Epidauri. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

CĔDAR. V. in CEDREUS.

CĔDENTER, adv. cedendo. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 16. Ita respondentes, ut cedenter ac sine ulla constantia eum consentiendo coerceant.

*CEDIAE (sc. tabernae) arum, locus Campaniae. *Plin.* 14, 6. V. *Cedianus* et *Ceditus. B. A.*

CEDIANUS, a, um, adj. ad Cedias pertinens, urbem Campaniae prope Sinuessam. *Inscr.* ap. *Grut.* 448, 4. Colonis Sinuessaniae et Cedianis. Legendum *Caedicianis.* V. CAEDICIANUS.

CEDITIUS. V. CAEDICIUS.

CĔDO, is, cessi, cessum, a. 3. παραχωρέω, εἴκω, χάζω, locum do, me retraho, recedo, abeo. *Cic. Mil.* 34. Ego cedam atque abibo. *Id. N. D.* 2, 33. Aer, quacumque imus, videtur quasi locum dare et cedere. *Gell.* 3, 6. de palma: Ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat. [**Cic. Off.* 2, 11, 40. Cui quidem etiam exercitus nostri imperatoresque cesserunt. Etiam absolute, id. q. *fugere. Tac. A.* 4, 51. Et, si cedant, insignitius flagitium. *Id. ib.* 1, 56. Quotiens astu magis quam per formidinem cedunt. *Id. ib.* 1, 63. Germanicus cedentem in avia Arminium secutus, i. e. recedentem. De senatore ordinem senatorium relinquentes. *Id. ib.* 11, 25. Aut pudor sponte cedentium. *Id. ib.* 2, 48. Q. Vitellium movit senatu aut sponte cedere, passus est.] *Nep. Am.* 1. Nunquam cessit hosti neque locum nocendi dedit. [**Tac. A.* 2, 85. Ceteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent. *Id. ib.* 12, 22. Publicatis bonis cederet Italia.] *Cic. Phil.* 10, 4. Cedere e patria. *Id. Mil.* 25. *ad f.* patria. [**Sil.* 17, 548.] *Id. ib.* 27. *ad f.* alicui possessione hortorum. *Id. Rosc. Am.* 40. *in f.* a gladiatore. Al. leg. *recedere. Virg. A.* 3, 447. ab ordine. *Cic. Att.* 7, 22. de oppidis. *Hor. A.* p. 257. de sede. *Suet. Caes.* 72. et *Liv.* 2, 47. loco. *Id. ib.* ex acie. Et 3, 63. ex loco. Et *ib.* 17. *ad f.* Et *Sil.* 5, 677. nocti. *Cic. Fam.* 4, 8. *a med.* tempori. [**Tac. A.* 12, 34. Non telis, non vulneribus cessuros. *Cic. Off.* 3, 33, 90. An alter cedat alteri? Cedat vero! cet. V. integr. l. *Id. ib.* 1, 22, 77. Cedant arma togae. *Tac. A.* 2, 16. ut ripae fluminis cedunt, i. e. fluctibus, sinus formantibus. ℙ Id. q. obedire, morem gerere. *Id. ib.* 3, 16. Atque utinam ego potius filio juveni, quam ille patri seni cessisset. *Id. ib.* 12, 5. An jussis Populi, an auctoritati Senatus cederet? *Id. ib.* 12, 10. Cedentibus per reverentiam. *Id. ib.* 12, 41. Et Caesar adulationibus Senatus libens cessit.] ℙ Regit etiam casus et adverbia motus tum de loco, tum ad locum. *Cic.*

11, 1. Cedere ex Italia. *Prop.* 3, 16. *in f.* Caesar ab humana cessit in astra via. *Ov. Pont.* 1, 3, 75. ab Haemonia Pirenida cessit ad undam. *Pl. Cas.* 2, 8, 7. Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam. *Lucr.* 5, 841. Cedere quoquam. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 51. Si hinc aliquo cesseris. ℙ Absolute pro accedere, venire. *Pl. Aul.* 3, 5, 51. Ubi nugigerulis res soluta est omnibus, ad postremum cedit miles, aes petit. ℙ Et pro incedere, ambulare. *Hor. Sat.* 2, 1, 65. nitidus qua quisque per ora Cederet. *Pl. Ps.* 4, 1. *extr.* Non prorsus, verum ex transverso cedit, quasi cancer solet. ℙ Habet etiam accusativum rei, et significat dare, concedere. *Justin.* 10, 2. Cedere alicui pellicem et regnum. *Id.* 32, 4. victoriam hosti. *Paul. Dig.* 41, 2, 1. *a med.*, possessionem. *Cic. Off.* 2, 18. multa multis de jure suo, *h. e.* remittere. [**Tac. A.* 1, 23. Cedo alteram; quia, fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat.] ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 1, 704. cui aetherii dono cessere parentes Aeternum florere genas. *Paul. Dig.* 8, 2, 19. Si tu mihi per aream tuam in domum meam ire, agere cessisti. Ita *Torrentin.*, at Haloand. legit *concessisses*. *Hor. Ep.* 2, 1, 66. Si quaedam nimis antique, si pleraque dure Dicere cedit eos. Ita *Bentlej.* ex MS. Alii *credit*. ℙ Cum conjunctivo, et partic. *ut*, *Paul. Dig.* 8, 3, 10. Si, ut quaerere liceat, cedere possumus, etiam ut inventa ducatur, cedi potest. ℙ Translate varios habet usus. *Cedere alicui* dicitur, qui primas alicui concedit, et inferiorem se fatetur. *Caes. B. C.* 2, 6. Cedere virtute alicui. *Cic. N. D.* 2, 60. Nulla re, nisi immortalitate cedens coelestibus. *Id. Hort.* ap. *Non.* 4, 367. Cedere alicui in philosophia. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 10. Apelles cedebat Amphioni de dispositione. *Id.* 33, 3, 29. Cedere alicui per aliquid, *h. e.* in aliqua re. *Scrib. Compos.* 229. Dolores, qui ad nullum medicamentum cedunt. [**Cic. Off.* 1, 22, 76. Neque Q. Catulus Cn. Pompejo cedere videbatur. *Sil.* 1, 217. Non cedens virga lupatis, i. e. non minorem habens utilitatem, quam lupati. Absolute dicitur de iis, qui a seditione ad disciplinam redeunt. *Tac. A.* 1, 46. Cessuris, ubi principem vidissent.] ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Tusc.* 1, 3. Ut nihil omnino Graecis cederetur. ℙ Pro abire, recedere. *Val. Flacc.* 4, 89. dulces cedunt e pectore nati. *Lucan.* 5, 760. attonito cesserunt pectore sensus. *Senec. Herc. Oet.* 392. Cesserunt vultus penitus, *h. e.* abiit prior facies. *Stat. Silv.* 1, 2, 26. Cedant curaeque, metusque. *Virg. A.* 9, 126. non cessit fiducia Turno. [**Sil.* 17, 548. Simulacrum in nubila cessit, i. e. evanuit. *Id. ib.* 3, 549. Glacies cedit tepefacta cruore, i. e. mollitur, de glacie Alpina.] ℙ *Cedere tempori* est in praesenti parere necessitati, et in aliud tempus sua consilia differre. *Cic. Fam.* 4, 8. Sic dicimus *cedere invidiae*, *furori*, *insidiis*, *periculis*, ut est ap. *eund. Sext.* 29. et 30. *h. e.* retrahere se, recedere, evitare. Sed *cedere invidiae* ap. *Phaedr.* 3, 9. est subire et pati invidiam. V. integrum locum. ℙ *Cedere precibus* est flecti. *Cic.* ad *Brut.* 1, 12. ℙ *Cedere malis* est succumbere. *Virg. A.* 6, 95. ℙ *Cedere timori* ap. *Val. Flacc.* 8, 436. est timore vinci. ℙ *Cedere foro* est aeris alieni causa abstinere foro, et solum vertere: ductum fortasse ab argentariis, qui tabernas in foro habuerunt, unde recedere cogebantur, si creditorum urgentium manus effugere volebant. *Inscr.* ap. *Mur.* 610, 1. Q. Aufidius mensarius tabernae argentariae ad scutum Cimbricum cum magna vi aeris alieni cessit foro. Adde *Senec. Benef.* 4, 39., *Juven.* 11, 50., *Ulp. Dig.* 16, 3, 7. ℙ Cedere bonis, est bona sua, hoc est facultates dimittere. *Suet. Ner.* 35. Senecae commeatum petenti, bonisque cedenti juravit etc. [**Cic. Off.* 2, 23, 82. Cedere possessionibus.] ℙ In jure *cedere bonis* dicuntur, qui ob vim aeris alieni, cui solvendo non sunt, omnia sua bona renunciant, ut a creditoribus liberentur: qua de re V. JCtos, praesertim *Dig.* 42. *tit.* 3., qui est *De cessione bonorum*. ℙ *Cedere vita*, et *e vita* est mori. *Cic. Brut.* 1. Perpetua usus felicitate cessit e vita. *Tac. H.* 2, 55. Cessisse vita Othonem, attulerunt. ℙ Dicimus etiam *cedere* absolute eodem sensu. *Plin. Paneg.* 43. Donavit pater tuus multa, et ipse donasti: cesserit parum gratus: manent tamen ii, qui bonis ejus fruuntur. *Albinov.* 1. *v.* 75. Cedis, et in cassum tua nomina, Druse, levantur. ℙ Saepe significat evenire, succedere. *Nep. Dat.* 1. Ea, quae prospere ei cesserunt. [*Adde *Tac. A.* 1, 28.] *Hor. Sat.* 2, 1, 31. neque si male cesserat, usquam Decurrens alio, neque si bene. Al. leg. *gesserat*, minus recte. *Virg. A.* 12, 148. Cedunt res Latio. *Gell.* 4, 5. Ea res bene et prospere reipublicae cessit. *Plin. Paneg.* 44. *ad f.* Prout bene, aut secus cessit. *Curt.* 7, 4. Utcumque cesserit. *Senec. Hippol.* 181. Cedit in vanum labor. Adde *Ov. Met.* 10, 80. et *Senec. Benef.* 4, 33. ℙ [*In *unum cedere*, i. q. unum consilium sequi. *Tac. A.* 6, 43. Oppressa cunctantium dubitatio, et omnes in unum cedebant.] ℙ Item accedere, vel pertinere. *Cic. Verr.* 2, 2, 70. Ea feneratio erat hujusmodi, ut etiam hic quaestus huic cederet. *Hor. Sat.* 2, 2. *in f.* ager cedet in usum Nunc mihi, nunc alii. *Virg. A.* 3, 333. Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit Pars Heleno. *Cajus Dig.* 41, 1, 7. Omne, quod inaedificatur, solo cedit. [**Tac. A.* 4, 43. Suoque regi Dentheliathem agrum cessisse. *Id. ib.* 2, 64. Quod incultum — Rhescuporidi cessit. *Sil.* 1, 239. Gentes cessere tyranno, i. e. in tyranni potestatem venerunt.] ℙ Item venire, verti. *Ulp. Dig.* 24, 3, 7. Si arbores caeduae fuerint, cedunt in fructum. *Tac. A.* 1, 1. Pompeji potentia cessit in Caesarem. *Id. H.* 1, 11. Italia cessit in pretium belli. *Id. G.* 14. Epulae pro stipendio cedunt. Sic *Colum.* 12, 13. Cedit pro pulmentario. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 15. Ipsa injuria cessit in gloriam artifici. *Id.* 23, 1, 23. Cessit in proverbium, sapientiam vino obumbrari. *Liv.* 6, 34. Poena in vicem fidei cesserat. ℙ Item abire, praeterire. *Cic. Senect.* 19. Horae quidem cedunt, et dies, et menses, et anni, nec praeteritum tempus unquam revertitur. *Liv.* 2, 33. Memoria cessit, *h. e.* periit. ℙ *Cedere tempora* dicuntur a JCtis, *h. e.* currere et computari. *Ulp. Dig.* 38, 16, 2. et *Marcell. ib.* 5. et alibi. ℙ *Diem cedere* est accedere tempus, quo incipit deberi pecunia. *Ulp. Dig.* 50, 16, 213. Cedere diem significat incipere deberi pecuniam: venire diem, significat eum diem venisse, quo pecunia peti possit. Ubi ergo pure quis stipulatus fuit, et cessit, et venit dies: ubi in diem, cessit, sed nondum venit: ubi sub conditione, nempe cessit, neque venit dies, pendente adhuc conditione. *Id. ib.* 46, 7, 13. Nec fidejussoribus videtur statim dies cedere. *Papin. Dig.* 36, 1, 58. Usurarum dies post mortem creditoris cessit. ℙ Simili ratione *operae* alicui indictae *cedere* dicuntur, cum earum praestandarum tempus incepit. *Ulp. Dig.* 38, 1, 13. et *Pompon. ib.* 34. Huc pertinet illud *Tertull. Fuga in persecut.* 12. Sol cessit diem emptionis nostrae. V. ibi Interpr. ℙ *Cesse* pro *cessisse* dixit *Lucr.* 1, 1104. ℙ Partic. *Cessurus* ap. *Ov. Met.* 6, 207. nulli cessura Dearum.

CĔDO, δός. Verbum est defectivum imperativi modi, secundae personae, et significat da, praebe, porrige, exhibe. Quidam ducunt ab ipso *cedo*, *is*, quia ex eo, quod in familiari sermone dicebant *cedo*, hoc est concedo, permitto, cum alteri quidpiam postulanti annuebant, paulatim traductum sit ad significandum *da*, *praebe*. Sed obstare videtur, quod *cedo*, *is*, primam habet longam, hoc vero brevem. (Corripitur enim a *Juven.* 13, 210. et *Pers.* 2, 76.) Quare suae potius originis censendum est, et inter defectiva collocandum, ut est apud *Prisc.* 8. *sub f.* et alios grammaticos. *Cic. Brut.* 86. Cedo, quaeso, orationes, et dic etc. *Id. Att.* 16, 13. Obviam mihi fit tabellarius: ego statim, cedo, inquam, si quid ab Attico. *Pl. Most.* 2, 1, 26. Cedo, ut bibam. *Id. ib.* 1, 3, 150. Cedo aquam manibus. *Ter. Hecyr.* 4, 4, 86. Puerum mihi cedo: ego alam. *Id. Adelph.* 3, 5, 38. Postremo non negabit: coram ipsum cedo. ℙ Ponitur etiam pro dic. *Cic. Part. C. F.* 1. Quot in partes distribuenda est doctrina dicendi? *C. P.* in tres. *C. F.* cedo, quas? etc. *Id. Verr.* 2, 2, 43. Cedo, cui Siculo civis Romanus cognitor factus unquam sit. *Ter. Andr.* 2, 3, 9. Cedo igitur, quid faciam, Dave? *Id. ib.* 1, 1, 123. Qui, cedo? *Id. ib.* 4, 4, 24. Cedo, cujum puerum hic apposuisti? dic mihi. Ubi *Donatus* adscribit, dictum esse cum quadam fiducia et contemptu ejus, cum quo sermo est. ℙ Jungitur etiam nominibus pluralis numeri. *Naevius* ap. *Cic. Senect.* 6. Cedo, qui vestram rempublicam amisistis tam cito? ℙ Reperitur tamen et *cette*, per syncopen factum ex *cedite*, hoc est date. *Enn.* ap. *Non.* 2, 122. Cette manus vestras, measque accipite. *Accius ib.* Cette in conspectum. Adde *Pl. Merc.* 5, 4, 4. ℙ Pro dicite, *Pacuv.* ap. *Non. l. c.* Is vestrorum uter sit, cui signum datum est, cette. ℙ Etiam *cedite* pro *cette* ex *Plauti* fragmentis quidam afferunt: sed valde incertum est. Quod enim *Phocam* testem advocant, is *cette* habet ap. *Putsch.* p. 1718.

CEDRĀTUS. V. CITRATUS.

CĔDRĔLAEON, i, n. V. PISSELAEON.

CĔDRĔLĀTE, es, f. κεδρελάτη, species cedri majoris, et frugiferae: a κέδρος, cedrus, et ἐλάτη, abies; quia abietis proceritatem imitatur. *Plin.* 13, 5, 11. et 24, 5, 11.

CĔDRĔUS, a, um, adj. κέδρινος, cedrinus. *Vitruv.* 2, 9. Ex cedro oleum, quod cedreum dicitur, nascitur.

[CEDRĔUS, a, um, adj. ad Cedar, Κήδαρ, pertinens, in confinio Aegypti et Arabiae, quae, teste *Hieronym. de loc. Hebr.*, est regio in eremo Saracenorum, antea Ostracinorum, a filio Ismaelis ita cognominata. *Plin.* 5, 11, 12. His Arabes jungunturab oriente Canchlei, a meridie Cedrei.

CĔDRĬĂ, ae, f. κεδρία, pix nascens ex cedro majori, quae cedrelate appellatur: ex qua fit oleum, quod pisselaeon dicitur. *Cels.* 5, 28. *n.* 35., *Colum.* 6, 32. et *Plin.* 29, 3, 11. ℙ At notandum, *Leon. Targam* in utraque *Celsi* editione *loc. cit. cedri* pro *cedriae* posuisse, quod postremum *Lindenius* in textum receperat.

CĔDRĪNUS, a, um, adj. κέδρινος, qui est ex cedro arbore. *Plin.* 13, 5, 11. Apollo cedrinus. *Id.* 16, 40, 79. Tectum e cedrinis trabibus.

CĔDRIS, ĭdis, f. fructus cedri, κεδρὶς, ίδος. *Plin.* 24, 5, 12. Cedrides, hoc est fructus cedri, tussim sanant.

CĔDRĬUM, ii, n. κεδρία, pix, vel succus e cedro arbore, cedria. *Plin.* 16, 11, 21. docet, ita vocari picem in Syria, non quod *cedrium* quamcumque picem significet, sed quia Syri ex cedro tantum, et terebintho picem urunt, ut ex *Theophrast.* adnotat *Harduin.* Hujus cedrii tanta est vis, ut in Aegypto corpora defunctorum eo perfusa serventur, teste *Plin. ib.*

*CEDROSIS, idis, i. q. Gedrosia, quae est regio Asiae ulterioris, Persidi contermina. *Mela* 1, 2. *med. B. A.*

CĔDROSTIS, is, f. κέδρωστις, vitis alba, al. ampeloleuce. *Plin.* 23, 1, 16.

CEDRUS, i, f. κέδρος, arbor perpetuo virens, jucundo odore, quae a tinea immunis est, cujus pice vel succo res unctae a tineis et carie non laeduntur. *Plin.* 16, 39, 76. et *ib.* 40, 78. et *Vitruv.* 2, 9. ℙ Hinc *cedro digna loqui*, *h. e.* digna immortalitate. *Pers.* 1, 42. et *Hor. de A. P.* 331. Speramus carmina fingi Posse linenda cedro. Ubi *cedrus* pro cedri succo sumitur. Hoc enim illiti Numae libri ad annos DXXXV. durarunt, teste *Plin.* 13, 13, 27. Hinc *Mart.* ad librum suum 3, 2. Cedro nunc licet ambules perunctus etc. ℙ Fuit etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Petr. Viscont. Iscriz. presso il Cancellieri* p. 11. P. Aelius Cedrus.

CĒIUS. V. in CEUS, a, um.

[CĒLĂDUS, i, um, κέλαδος, strepitus, clamor. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 130, 5. P. Cornelius Celadus. *F.* ℙ *Celadus, i, Hispan. Tarracon. fluv., in Groviorum sive Graviorum regione. *Mela* 3, 1. *B. A.*

*CELADUSSA, ae, f. Rhene insula sic ab Anticlide nominata. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*CELADUSSAE (INSULAE), arum, in mari Hadriatico fuere, juxta Liburniam. *Plin.* 3, 26. *Mela* 3, 1. *B. A.*

CĒLAENAE, arum, f. plur. Κελαιναὶ, urbs Phrygiae magnae in monte ejusdem nominis, juxta quas Marsya fluvius decurrit. Ibi enim Marsya ausus cum Apolline de tibiarum cantu certare, victus, excoriatus et tandem in fluvium sui nominis conversus est. *Lucan.* 3, 205. et quae tua munera, Pallas, Lugent damnatae Phoebo victore Celaenae, Qua celer erectis descendens Marsya ripis etc. Adde *Stat. Th.* 4, 186.

CĒLAENAEUS, a, um, adj. ad Celaenas pertinens. *Mart.* 10, 62. Marsyas Celaenaeus. *Stat. Th.* 2, 666. Celaenaea committere proelia buxo, *h. e.* tibia. V. vocem praeced. *Mart.* 5, 41. Concubinus Celaenaeus, *h. e.* Atys a Cybele adamatus, qui Celaenis natus est: de quo *Id.* 14, 204. Aera Celaenaeos lugentia matris amores, *h. e.* tymbana Cybeles.

CĒLAENO, us, f. Κελαινὼ, una Harpyiarum. Significat atrum, tenebrosum: a κελαινὸς, niger. *Virg. A.* 3, 211. quas dira Celaeno Harpyiaeque colunt aliae. ℙ Ponitur etiam pro quacumque femina avara et rapaci. *Juv.* 8, 129. Nec per conventus nec cuncta per oppida curvis Unguibus ire parat nummos raptura Celaeno. ℙ Fuit etiam una ex septem Atlantis filiis, quae a Jove inter sidera relatae sunt dicunturque Plejades. *Ov. Her.* 19, 135. coeloque recepta Celaeno.

[CĒLAENUS, i, m. κελαινὸς, niger. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 990, 6. P. Pomponius Celaenus. Ita ex emendatione *Fabretti*, cum *ib.* perperam legatur *Caelaenus. F.*]

CĒLĀTE, adv. *Ammian.* 14, 7. Non celate ut antea, turbidum saeviebat ingenium.

CĒLĀTIM, adv. κρυφῇ, clam, occulte, tecte. *Sisenn.* ap. *Gell.* 12, 15. Quam maxime celatim poterat, in insidiis suos disponit. *Appul. Met.* 4. In quo solo poteram celatim auxilium bono ferre commilitoni.

CELATO, nomen Deae esse creditur et legi in illo *Varr.* ap. *Gell.* 13, 22. Ted Anna Perenna, Panda, Celato, Pales etc. Sed eruditi reponunt *te Lato* vel Graece, *te Λητὼ*, *h. e.* Latona. V. *Turneb. l.* 19. *Advers. c.* 11.

CĒLĀTOR, oris, m. qui celat, κρύπτων. *Lucan.* 10, 286. undarum celator, Nile, tuarum.

CĒLĀTUS, a, um, part. a *celo*, absconditus, ἀποκεκρυμμένος. *Suet. Cal.* 11. Celatus capillamento ganeas obibat. *Ter. Andr.* 1, 1, 105. Dissimulatus et celatus amor. *Prop.* 3, 23, 30. At te celatis aetas gravis urgeat annis, *h. e.* tacite subeuntibus. *Sil.* 13, 57. Nec celata Deam et minitans Tritonia virgo, *h. e.* celans se esse Deam, ἐλληνισμός. ℙ Substantive *Pl. Trin.* 2, 1, 15. Celati indagator.

CĒLĔBER, bris, bre, adj. qui frequentatur. *Cic. Part.* 10. Loci plani, an montuosi, celebres, an deserti. *Cato R. R.* 1. Via bona celebrisque. *Cic. Div.* 1, 19. Oraculum tam celebre et tam clarum.

Ov. Fast. 4, 391. Circus celeber. *Liv.* 25, 12. *extr.* dies. *Cic. Manil.* 12. Portus Cajetae celeberrimus atque plenissimus navium. *Id. Verr.* 2, 4, 48. *in f.* Festos dies agunt celeberrimo virorum mulierumque conventu. *Ov. Am.* 3, 5, 3. celeberrimus ilice lucus, *h. e.* plenissimus. ℙ Item qui colitur, laudatur, praedicatur, clarus, fama notus, διάφημος, ἔνδοξος. *Hor. Od.* 2, 12, 20. Diana celebris. *Vell.* 2, 116. Viri diversis virtutibus celebres. *Id. ib.* 18. *Vir opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii atque animi celeberrimus. *Tibull.* 2, 1, 33. celeber Messala triumphis. *Plin.* 24, 17, 102. Vir celeber arte grammatica. *Id.* 36, 25, 60. Celeberrimus fuit in hoc genere Sosus. *Gell.* 6, 7. Nomina celebria in annalibus. *Liv.* 4, 53. Maenii celebre nomen laudibus fuit. *Cic. Sext.* 67. Celeberrimum monumentum. *Id. Amic.* 3. Celeberrimus et laetissimus dies. *Plin.* 13, 1, 2. Celeberrimum unguentum, *h. e.* usitatissimum atque adeo ab omnibus laudatum. *Gell.* 10, 10. Verba celebriora, *h.. e.* magis usitata. *Id.* 11, 3. Habere usum atque notitiam celebriorem alicujus rei. [*V. quae de h. v. significatione, origination et discrimine, quo separandum a *creber* et *frequens*, doctissime disputavit *Döderl.* 1, 21 sqq.] ℙ Pro celeri. *Accius* ap. *Non.* 2, 161. Celebri gradu gressum accelerasse decet. V. ACCELEBRO. [**Döderl.* 1, 22. interpretatur *crebris gradibus.* Comparat *Sil.* 12, 518. Instincti glomerant gressus. Eodem modo intelligit, quos *ib.* affert, locos *Ov. A. Am.* 2, 705. Sponte, sua sine te celeberrima verba loquuntur. *Am.* 3, 5, 3. quem locum supra attulit. (*Id. Met.* 11, 190. Creber arundinibus lucus.)

CĔLĔBERRIME, adv. magna frequentia. *Suet. Tib.* 52. *sub f.* Et per noctes celeberrime acclamatum est, Redde Germanicum.

CĔLĔBRĀBĪLIS, le, adj. celebrandus, celebris. *Ammian.* 29, 5. Aetatum ordinumque omnium celebrabili favore susceptus.

CĔLĔBRĀTĬO, onis, f. frequentatio, celebritas. *Cic. Sull.* 26. Quae domus? quae celebratio quotidiana? [**Cic. Off.* 1, 4, 12. Impellitque ut hominum coetus et celebrationes et esse et a se obiri velit. cf. *Beier* ad h. l.] ℙ Item alicujus rei editio et administratio, quae cum celebritate et frequentia fit. *Cic. Att.* 15, 29. De celebratione ludorum Bruti tibi assentior. *Vellej.* 2, 56. Elephantorum certaminis spectacula, epulique per multos dies dati celebratio. *Plin.* 30, 1, 3. Celebratio sacri.. *Eum. restaur. Schol.* 3. Optimarum artium celebratio. [**Tac. A.* 1, 15. Mox celebratio annua ad Praetorem translata, cui inter cives et peregrinos juris dictio evenisset.] ℙ Item commendatio, praedicatio, laudatio. *Cic. Planc.* 40. Nihil est ex meis temporibus, quod minus mea celebratione commemoratum sit. Al. plerique leg. *commemoratione celebratum sit. Plin.* 34, 5, 10. Equestres statuae Romanam celebrationem habent, *h. e.* in commendatione et pretio sunt apud Romanos.

CĔLĔBRĀTOR, oris, m. qui celebrat, laudator. *Mart.* 8, 78. Hyperborei celebrator Stella triumphi.

CĔLĔBRĀTUS, a, um, part. a *celebro*, frequentatus. *Sall. Jug.* 51. Forum rerum venalium totius regni maxime celebratum. *Plin.* 33, 1, 6. Usus annuli celebratior. *Gell.* 17, 2. *ad f.* Verbum celebratius. *Sil.* 3, 319. Celebratum missile, *h. e.* ab omnibus usurpatum et cognitum. ℙ Item solemniter, et cum celebritate administratus et cultus. *Sall. Jug.* 70. Dies festus, celebratusque per omnem Africam. *Plin.* 10, 43, 60. Funus innumeris exsequiis celebratum. *Liv.* 3, 63. Supplicatio celebratior. *Ov. Met.* 7, 430. Nullus Erechthidis fertur celebratior illo Illuxisse dies. [**Suet. Aug.* 18. celebratior memoria. cf. quae Casaubonus in h. l. notavit. *Virg. A.* 8, 268. Ex illo celebratus honos, i. *e.* hinc sacrum celebrari coepit.] ℙ Item in ore omnium versatus, praedicatus, laudatus. *Cic. Phil.* 2, 23. *ad f.* Scio me in rebus celebratissimis sermone omnium versari. *Id. Mur.* 7. Vir nulla illustri laude celebratus. *Liv.* 29, 26. Vir factis fortibus ingentis ad incrementa gloriae celebratus. *Plin.* 31, 2, 3. Fontes celebrati carmine Laureae Tullii. *Id. ib.* Villa celebrata porticu ac nemore. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 25. Celebrati artifices. [**Tac. A.* 2, 54. Cupidine veteres locos et fama celebratos noscendi. *Id. ib.* 3, 6. Neminem tam flagranti desiderio celebratum. *Id. ib.* 4, 61. Q. Haterius eloquentiae, quoad vixit, celebratae. *Id. ib.* 12. 12. familia Cassia per alias quoque gentes celebrata. *Curt.* 4, 8. Memnonis Tithonique celebrata regia trahebat. *Id.* 9, 1. Celebratasque opes in ea regione eminere.] *Gell.* 19, 1. Philosophus in disciplina Stoica celebratus. *Id.* 7, 2. Celebratissimi commentarii. ℙ In malam partem. *Mart.* 9, 16. Inscripsit tumulo septem celebrata virorum, Se fecisse, Chloe: quid pote simplicius? *Al. leg. *scelerata.* Sunt qui τὸ *celebrata* de exsequiis intelligunt. Domitius Chalderinus ad. l. *Celebrata*, *i.* Solemnia et busta. Volens suam pietatem ostendere, inscripsit tumulo, se exsequias septem virorum celebrasse, quo testimonio non potuit apertius fateri septem viros a se necatos. *B. A.*

CĔLĔBRESCO, is, n. celebris fio. *Accius* ap. *Non.* 2, 158. Et qualis fuerit, fama celebrescat tua.

CĔLĔBRĬTAS, atis, f. πολυπλήθεια, frequentia, concursus. [*Cf. *Döderl.* 1, 125. *Cic. Fam.* 14, 1. Celebritas loci.] *Cic. Att.* 3, 7. Odi celebritatem, fugio homines: esset mihi ista solitudo non amara. *Id. ib.* 12, 13. Me haec solitudo minus stimulat, quam ista celebritas. *Id. Tusc.* 5, 3. Totius Graeciae celebritas. *Id. Leg.* 2, 26. virorum ac mulierum. *Id. Att.* 3, 14. viae. *Id. Mil.* 32. supremi diei, *h. e.* solemnitas exsequiarum, quae concursu hominum fit. *Id. Fam.* 7, 2. Multitudo et celebritas judiciorum. [**Quint. Inst. Or.* 1, 2. f. audientium celebritas. *Id. ib.* Orator, cui in maxima celebritate et in media reipl. luce vivendum est, assuescat jam a tenero non reformidare homines etc.] *Plin.* 33, 12, 54. Celebritate assectari aliquem. ℙ Item fama, claritas, dignitas, splendor. *Id. Off.* 2, 13. Si quis habet causam celebritatis ac nominis. *Id. Somn. Scip.* 6. Consequi celebritatem sermonis hominum. *Id. Tusc.* 1, 12. *ad f.* Celebritas famae. *Suet. Gramm.* 23. nominis. *Gell.* 7, 17. Grammaticus quidam primae in docendo celebritatis. *Plin.* 34, 1, 2. Celebritas aeris in Asia, et quondam in Campania fuit.

CĔLĔBRO, as, avi, atum, a. 1. φοιτάω, frequentare. *Cic. Coel.* 14. et *Sext.* 63. Celebrare viam aliquam. *Id. Mur.* 34. domum alicujus. *Id. Att.* 1, 19. *ad f.* conventus. *Id. Sext.* 55. conciones convicio cantorum, *h. e.* histrionum. *Id. Prov. cons.* 9. Cujus litteris, fama, nunciis celebrantur aures quotidie meae novis nominibus gentium, nationum, locorum, *h. e.* replentur. [**Tib.* 1, 3, 33. At mihi contingat patrios celebrare penates, i. e. domum redire. *Id.* 1, 4, 75. Vos me celebrate magistrum, i. e. frequentes ad me convenite. *Sil.* 6, 398. Occursu celebrabat amico (Regulum).] ℙ Est etiam frequentia hominum aliquid solemniter administrare. *Cic. Arch.* 6. Celebrare festos dies ludorum. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 39. quinquatrus. *Curt.* 4, 2. sacrum anniversarium. [**Tac. A.* 11, 31. Simulacrum vindemiae per domum celebrare. *Id. ib.* 12, 69. funeris solenne. *Suet. Cal.* 23. Vetuit Actiacas Siculasque victorias solennibus feriis celebrari. *Curt.* 3, 12. Suprema officia. *Sil.* 16, 293. Tumulos celebrare meorum est animus.] *Id.* 8, 2. *in f.* funus omni apparatu atque honore. *Liv.* 25, 17. exsequias. *Id.* 30, 11. nuptias. *Cic. Verr.* 2, 1, 26. convivium sermone et laetitia. *Id. ib.* 1, 4. *extr.* seria ac jocos. [**Tac. A.* 4, 75. Nuptias celebrari jussit. *Id. ib.* 6, 18. Diem natalem celebrans. *Id ib.* 11, 38. Solita convivio celebravit. *Suet. Claud.* 26. officium nuptiarum.] ℙ Celebrari etiam dicitur, quod a multis administratur, factitatur, exercetur. *Cic. Dom.* 50. Celebrare vicatim descriptionem servorum. *Id. Or.* 3, 28. cognitionem exercitationemque causarum. *Id. Or.* 1, 1. artes. *Pallad.* 3, 17. insitionem. *Id.* 6, 8. tonsuram ovium. *Id.* 9, 11. vindemiam. *Manil.* 5, 682, salinas. *Cic. Att.* 4, 1. *circa med.* Similis et frequentia, et plausus me usque ad Capitolium celebravit, *h. e.* comitata est. [**Tac. A.* 2, 40. Jam in urbe clandestini coetus celebrabant. *Id. ib.* 4, 62. Spectaculum gladiatorium celebrare. Adde *Eund. ib.* 11, 22. pecunia eorum qui quaesturam adipiscerentur.] ℙ Eadem ratione ponitur pro peragere, exsequi. *Pl. Pseud.* 1, 2, 35. Intro abite, atque haec cito celebrate, ne mora quae sit, cocus cum veniat. ℙ Est etiam in consuetudinem trahere, frequenter usurpare. *Cic. Or.* 3, 38. Tertius ille modus transferendi verbi late patet, quem necessitas genuit inopia coacta, post autem delectatio jucunditasque celebravit. [**Tac. A.* 6, 34. Multaque de nomine ejus, et oraculum Phryxi celebrant.] ℙ Saepe ponitur pro laudare, ornare, celebrem facere. *Cic. Phil.* 9, 5. Semper illius gravitatem, constantiam, fidem omnium mortalium fama celebrabit. *Id. Fin.* 2, 31. *sub f.* Epulis celebrare memoriam nominis alicujus. *Id. Planc.* 39. laudes alicujus. *Id. Flacc.* 38. sepulcrum hominum conventu et epulis. [**Curt.* 7, 10. Mortem carminibus et laetitia.] *Id. Rabir. Post.* 16. et *Hor. Od.* 1, 7, 5. aliquid carminibus. Et *ib.* 12, 1. virum aut heroa lyra, vel tibia. *Cic. Fam.* 5, 12. Illustrare et celebrare nomen alicujus scriptis. *Sall. Cat.* 9. facta alicujus pro maxumis. *Id. Jug.* 76. aliquid in majus. *Id. ib.* 89. se et rempublicam praeclare factis. [**Virg. A.* 3, 280. Celebramus litora ludis. *Id. ib.* 7, 555. Celebrent connubia et hymenaeos.] *Ov. Fast.* 3, 656. se et diem largo mero. *Plin.* 4, 22, 35. Tagus auriferis arenis celebratur. *Id.* 33, 2, 8. Ex eo se ordine profectum celebrans. [**Tac. A.* 11, 16. Celebrari, coli, modo comitatem et temperantiam, nulli invisam, saepius vinolentiam ac libidines, grata barbaris usurpans. *Tib.* 2, 1, 19. Celebrent vina diem. *Hor. Od.* 1, 7, 6. Celebrare carmine perpetuo arces Palladis intactae. *Sil.* 11, 496. Celebrare gaudia plausu.] ℙ *Celebrare senectutem*, *h. e.* hominem in senectute celebrem reddere, ut adeatur a multis, appetatur, colatur. *Cic. Or.* 1, 45. Senectuti vero celebrandae et ornandae quod honestius potest esse perfugium, quam juris interpretatio? ℙ Et generatim vulgare, omnibus notum facere, praedicare. *Cic. Mur.* 41. Quibus in locis paucis ante diebus, factum esse consulem Muraenam, nuncii, litteraeque celebrassent. *Id. Coel.* 3. Quod omnium accusatorum non criminibus, sed vocibus maledictisque celebratum est. *Id. Flacc.* 27. Quid porro in Graeco sermone tam tritum atque celebratum est, quam etc. *Quint.* 1, 10. In proverbium usque celebratum est, *h. e.* adeo vulgatum, ut in proverbium abierit. *Q. Cic. Petit. cons.* 13. Ad celebrandum rumorem valent dicendi laus, studia publicanorum, hominum nobilium voluntas etc. Adde *Cic. Div.* 1, 17.

CĔLĔBRUS, a, um, adj. idem ac *celebris.* Pro celeri. *Gell.* 19, 4. De urina celebra, ex igni proximo facta. Ita leg. plerique ex quibusdam editis libb. et multis codicib. MSS. Alii *de urina crebra*, vel *de urinae illecebra.*

*CELEGERI, orum, pop. Moesiae. *Plin.* 3, 26. *B. A.*

CELEIA, ae, opp. V. v. sq.

[CĔLĔJĀNUS, a, um, et

[CĔLĔJENSIS, se, adj. ad Celejam, Κέλειαν, pertinens, urbem Norici prope Sanam fluvium, nunc *Cilly*, a *Plin.* 3, 24, 27. memoratam. ℙ *Celejani*, *orum*, et *Celejenses*, *ium*, sunt incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Mur.* 1038, 4. Neptuno Aug. sacrum Celeiani publice. Alia *ib.* 3. Genio civitatis ordo Celejen*sium*. *F.*]

*CELELĀTES, ium, Liguriae pop. *Liv.* 32, 29. *B. A.*

CĔLENDĔRĪTIS, idis, f. Κελενδερῖτις, regio Ciliciae, cujus caput Celenderis oppidum maritimum, quod *Tac. A.* 2, 80. *castellum munitum* vocat, nunc *Kelnar*, aliis *Palopoli. Plin.* 5, 27, 22. Regio Celenderitis cum oppido. *F. B. A.*]

*CELENIAE AQUAE, in Hisp. Tarracon. *Ant. Itin.* ubi et *Cilinae* appellantur. *A. B.*

*CELENNA (Celene, Calenna etc.) opp. Campaniae, vel forte in Campaniae confinio. *Virg. A.* 7, 739. *B. A.*

CĔLER, ris, re, adj. ταχύς, ὠκύς, qui brevi tempore fit, velox. Est a κέλης, Dorice, et Aeolice κέλης, equus desultorius, vel a κέλλω, impello, vel a κέλω, jubeo. [*Vocis etym. est a cellere. Conf. *Döderl.* 2, 123. sq.] *Cic. Dom.* 24. Celer reditus. *Caes. B. G.* 7, 47. Elati spe celeris victoriae. *Hor. Art. P.* 261. Opera nimium celeris. *Nep. Milt.* 4. Celeri auxilio opus est. *Id. Att.* 21. Celeria remedia proponere. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 9. Uvae celeres proventu. *Ter. Phorm.* 1, 4, 1. Reperire consilium celere. *Virg. A.* 12, 507. Fata celerrima. *Tac. A.* 2, 11. Celerrimus amnis. *Hor. Od.* 3, 4, 76. Celer ignis. *Ov. Met.* 8, 86. *de Scylla*, praedaque potita nefanda Fert secum spolium celeris. *Hor. Od.* 4, 8, 15. Celeres fugae. *Vell.* 2, 73. Adolescens manu promptus, cogitatione celer. *Val. Max.* 4, 7. Celerius est propinquum avertere, quam amicum, *h. e.* brevius tempus opus est, facilius est. *Cic. Or.* 59. Nihil est celerius mente. [**Tib.* 1, 5, 70. Versatur celeri Fors levis orbe rotae. Cf. ad h. l. *Broukh. Tac. A.* 3, 1. Brundusium, quod naviganti celerrimum, fidissimumque appulsu erat. ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 3, 12. *extr.* Celer excipere aprum. *Plin.* 35, 16, 56. Terra celerrima dilui aqua. [*ℙ Cum Gen. *Gerund. Sil.* 4, 587. Celer nandi.] ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 18, 89. Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi, Sedatum celeres, *h. e.* qui impetu quodam omnia agunt. *Quint.* 9, 4. Pedes longi graviorem faciunt orationem, breves celerem ac mobilem. *Cic. Or.* 2, 21. Oratio celeris et concitata. *Hor. Od.* 1, 16, 24. Celeres iambi. ℙ *Celeris* in recto singulari fortasse masculini generis, est in illo *Caton.* ap. *Prisc. l. c.* Satis celeris sis in tempore. *Prisc.* certe ita agnoscere videtur. ℙ Reperitur etiam *celer* in feminino gen. *Liv. in Odyss.* ap. *Prisc. ib.* Celer hasta. ℙ Neutrum *celere* pro adverbio *celeriter. Pl. Curc.* 2, 3, 4. Subito, propere, celere objectum est mihi negotium. Adde *Enn.* et *Naev.* ap. *Non.* 11, 8. et *in vet. lege* ap. *Front. Aquaed.* 129. ℙ Est etiam a celeritate cognomen plurium Romanorum, et praecipue *Q. Metelli* cos. an. U. C. 694., qui, teste *Plut.* in *Romul. c.* 10. et in *Coriolan. c.* 11., quod patre defuncto munus gladiatorium populo dederit paucis diebus in apparatu consumptis, celeritatis admiratione Celer appellatus est. *Celerissimus* antiquum est. *Enn.* ap. *Prisc.* 7, 760. Exin' per terras postquam celerissimu' rumor. *Cn. Manlius ib.* celerissimus advolat Hector. *Charis.* 1, 64. barbarismum esse ait.

CĔLĔRANTER, adv. celeriter. *Accius* ap. *Non.* 11, 33. Quis est, qui cursum huc celeranter rapit?

CĔLĔRĀTIM, adv. celeriter. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 140. Quo magis celeratim poterant.

CĔLĔRĀTUS, a, um, part. a *celero*, festinatus, properatus. *Appul. Met.* 10. Celeratas hereditates excipere. *Ammian.* 31, 11. Celeratis itineribus.

CĔLĔRE, adv. V. in CELER.

CĔLĔRES, um, m. plur. trecenti equites a Ro-

mulo constituti ad custodiam sui corporis, ut *Liv.* 1, 15. narrat. *Festus* docet, ita nominatos fuisse a *Celere* interfectore Remi, quem Romulus initio iis praeposuerat, et tribunum Celerum appellaverat. Alii docent, dictos esse a Graeco κέλης, ητος, qua voce vel equus significatur, vel eques equo insidens. (V. CELES.) Sunt etiam qui a celeritate dictos putant. Quae omnia leguntur etiam apud *Serv.* ad illud *A.* 11, 603. Nec non Messapus contra, celeresque Latini. Nam *celeres Latini* est equitatus Latinorum, quem sic vocavit *Virg.* alludens ad illos *Celeres* Romuli, a quibus olim, hoc est sub regibus, omnes equites *celeres* dicebantur, teste *Festo*, et *Plin.* 33, 2, 9. Numa enim trecentis equitibus a Romulo creatis alios trecentos adjecit, qui omnes *celeres* sunt appellati. L. autem Tarquinius Priscus, teste *Cic. De rep.* 2. (ed. *Maio*) 20., prioribus equitum partibus, secundis additis, M. et CC. fecit equites. Iisdem vero temporibus, ait *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. §. 15., et tribunum celerum fuisse constat. Is autem erat, qui equitibus praeerat, et veluti secundum locum a regibus obtinebat. Ex hoc tribuno celerum originem habuit postea magister equitum, qui, quoties dictator dicebatur, secundas partes in republica sustinebat.

*CELERĪNA, ae, sponsa Palladii Consulis. *Claudian. Epithal. Pallad.* et *Celer.* 23. *B. A.*

[CĔLĔRĪNAS, atis, adj. ad celerem pertinens. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 668, 6. Annius Celerinas. *F.*]

*CELERĪNI, orum, pop. citer. Hisp. *Plin.* 3, 3. *B. A.*

[CĔLĔRĪNUS, a, um, adj. ad celerem pertinens. Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 302, 2. Julius Marcius Celerinus. Alia *ib.* 308, 3. Camurena Celerina. *F.*]

*CELERĪNUS, i, avus Celerinae, sponsae Palladii Consulis. *Claud. Epithal. Pallad.* et *Celer.* 72. *B. A.*

[CĔLĔRĬO, onis, m. dimin. celeris. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 668, 8. Annius Celerio. *F.*]

CĔLĔRĪPES, pĕdis, adj. comm. gen. ὀξύπους, qui levis est pedibus. *Cic. Att.* 9, 7. Venit autem eo ipso die ille celeripes, quem Salvius dixerat. *Auson. epigr.* 141. Nec ulla tam velox manus Celeripedis compendii.

CĔLĔRĪTAS, atis, f. ταχύτης, ὠκύτης, velocitas, pernicitas. *Cic. Tusc.* 4, 13. *in f.* Velocitas corporis celeritas appellatur: quae eadem ingenii etiam laus habetur, propter animi multarum rerum brevi tempore percursionem. *Id. N. D.* 1, 20. Mundus versatur circum axem coeli admirabili celeritate. Et *ib.* 2, 57. Facere aliquid cum maxima celeritate. *Caes. B. G.* 7, 46. Celeritas in capiendis castris. *Nep. Eumen.* 9. Adhibere celeritatem. *Cic. Att.* 16, 10. Uti celeritate. *Suet. Caes.* 57. Longissimas vias incredibili celeritate conficere. *Cic. Div.* 2, 70. Celeritas equorum. *Id. Coel.* 24. *ad f.* veneni. ℙ In plurali numero. *Id. Off.* 1, 36. Cavendum ne aut tarditatibus utamur in gressu mollioribus, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates. ℙ Translate. *Id. Senect.* 21. Celeritas animorum. *Id. Acad.* 1, 5. ad discendum. *Id. Fl.* 20. Homo quadam praecipiti celeritate dicendi. *Id. Or.* 57. Brevitate et celeritate syllabarum labi putat verba proclivius. *Id. ib.* 16. Flumen aliis verborum volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam. ℙ [*Celeritas* fuit etiam Dea, Solis filia in sexta coeli regione. *Capella* 1. p. 16. Vos quoque Jovis filii Pales, et Favor cum Celeritate Solis filia ex sexta poscimini. *F.*]

CĔLĔRĪTER, adv. ταχέως, ὠκέως, brevi tempore, propediem. *Cic. Att.* 15, 27. Librum tibi celeriter mittam. *Id. Fam.* 9, 11. Celeriter una futuros non arbitror. *Id. Verr.* 2, 3, 24. Eo celerius de isto transigamus, quo maturius ad Apronium possimus accedere. *Id. Fin.* 2, 14. Mens celerrime multa simul agitans. *Caes. B. G.* 2, 3. Cum celerius omnium opinione venisset. ℙ Proverbium est apud *Suet. Aug.* 25. ab Augusto saepe usurpatum: Sat celeriter fit, quidquid fiat satis bene.

CĔLĔRĪTŪDO, inis, f. celeritas. *Varr. R. R.* 3, 12. *ad f.* L. Aelius putabat, ab eo dictum leporem a celeritudine, quod levipes esset.

CĔLĔRĪUSCŬLĔ, adv. dimin. aliquantum celeriter. *Auct.* ad *Her.* 3, 14. Strenue quod volumus ostendere factum, celeriuscule dicemus: at aliud otiose retardabimus.

CĔLĔRĪUSCŬLUS, a, um, adj. diminut. Agnoscitur a *Prisc.* 3, 611.

CĔLĔRO, as, avi, atum, a. 1. celeriter facio, festino, propero, ταχύνω. *Cic. Univ.* 10. Genus motus, quod semper esset in eodem aeque, atque uno modo celeraret. *Lucr.* 1, 387. Aurae celerantes. *Tac. H.* 4, 24. Quam maximis itineribus celerare. *Catull.* 63, 26. Celerare aliquo. *Virg. A.* 5, 609. viam. *Id. ib.* 9, 378. fugam in silvas. *Id. ib.* 4, 641. gradum. *Val. Fl.* 3, 251. opem. *Id.* 4, 80. et 385. imperium alicujus, *h. e.* celeriter exsequi. *Lucr.* 2, 231. casum. *Tac. A.* 2, 5. Celerandae victoriae intentior. [**Id. ib.* 12, 46. Oppugnationem quoquo modo celerare. *Sil.* 7, 720. Vestigia celeret. 1, 574. Celerant gressum. *Id.* 9, 96. Nec longum celerarat iter, i. e. emensus erat. Absolute. *Id. ib.* 12, 64. Agrippina agere et celerare statuit.] *Eutrop.* 4, 20. Celerare ad Asiam. ℙ Cum infinito. *Auson. Mosell.* 353. sed celerant in te consumere nomen.

[CĔLĔRUS, a, um, adj. idem ac celer. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 549, 6. L. Labicius Celerus. Alia *ib.* 487, 4. Julia Celera. *F.*]

CĔLES, ētis, m. κέλης, ητος, apud Graecos genus est navis, quae et *celox*, de qua V. infra. *Plin.* 7, 56, 57. Cymbam invenere Phoenices, celetem Rhodii. *Gell.* 10, 25. Hippagines, cercuri, celoces, vel ut Graeci dicunt, celetes. ℙ Praeterea ab iisdem Graecis dicitur *celes* equus, qui ab uno tantum regitur freno, non jugo, ad differentiam eorum, qui bigis, aut quadrigis junguntur: item eques, qui in certaminibus publicis hujusmodi equo utitur. *Plin.* 34, 5, 10. Equestres statuae Romanam celebrationem habent, orto sine dubio a Graecis exemplo. Sed illi celetas tantum dicabant in sacris victores. *Serv.* ad *A.* 8, 635. Celetes Neptuno equestri Deo edere, *h. e.* certamina, in quibus singulis equis insidentes decurrerent. *Salm.* ad *Lamprid. Commod.* 2. eos reprehendit, qui hoc loco *celeres* legendum putant. ℙ Denique *celetes* dicti sunt trecenti illi equites a Romulo instituti, qui saepius Latino vocabulo, hinc fortasse deducto, *Celeres* appellantur. Hinc in notis *Val. Probi* p. 1534. legitur: *Tr. Cel. Tribuni Celetum*, vel ut alii leg. (sed minus placet) *Celetium.*

CĔLĔTIZONTES, κελητίζοντες, equum singularem in certamine regentes. V. vocem praeced. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 14. de Canacho sculptore: Idem et celetizontas pueros fecit. Et *paulo post.* Hegiae Minerva laudatur et celetizontes pueri.

*CELETRUM, i, Illyridis Graecae, (postmodum Macedoniae) opp., in lacus peninsula situm. *Liv.* 31, 40. *B. A.*

CĔLEUS, i, m. disyllab. Κελεύς, nomen propr. regis Eleusinae, a quo Ceres hospitio excepta omnem ei agriculturae rationem aperuit. *Virg. G.* 1, 165. Virgea praeterea Celei vilisque supellex. Adde *Ov. Fast.* 4, 507. et *Hyg. fab.* 147.

CĔLEUSMA, ātis, n. κέλευσμα, vox et clamor, quo portisculus remigibus signum dat eosque ad remigandum adhortatur: a κελεύω, jubeo. *Auson.* in *Div. Verr.* 17., ubi hanc vocem usurpat, docet, aliquando hoc celeusma cani solitum remigibus per symphoniacos et per assam vocem et, ut in Argo navi, per citharam. Quo cantu remiges a taedio laboris non parum levabantur. *Mart.* 3, 67. Lentos figitis ad celeusma remos. *Rutil.* 1, 370. Dum resonat variis vile celeusma modis. ℙ *Venant. de Vita S. Martini* 4, 423. *celeusma, ae*, f. usurpavit: non imitandus. ℙ Reperitur etiam *celeuma* extrito *s* in optimis quibusdam libris, teste *Dausq.* in *Orthogr.*, qui ejusmodi scriptionem non improbat. Nam Graeci quoque κέλευμα interdum dicunt. ℙ Hinc ait scriptum et usurpatum pro cantu vindemiatoribus proprio, qui proprie *jubilum* vocatur, legitur ap. *Hieron.* in *Isajam* 5, 10. Nequaquam in vindemia laetus vindemiator celeuma cantabit.

*CELEUSUS vel Celeusum, i, oppidum Vindeliciae. *Tab. Peut. B. A.*

[CĔLEUTHUS, i, m. n. κέλεθος, via, iter. Est nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 892, 2. Megiste Celeuthi mater. *F.*]

CELIA, ae, f. vox Hispania, qua significatur potio ex tritico facta. Madefaciebant enim Hispani triticum et macerabant, deinde siccabant et in farinam redactum molli succo admiscebant, quo fermentato sapor austeritatis et calor ebrietatis adjiciebatur, ut *Oros.* loquitur 5, 7., ubi de Numantinis a Scipione obsessis verba facit: dictamque *celiam* tradit a calefaciendo. Legitur haec vox etiam apud *Plin.* 22, 25, 82. et *Flor.* 2, 18.

CELIBARIS Hasta. V. CAELIBARIS.

CELLA, ae, f. ἀποθήκη, locus secretus in aedibus, in quo aliquid ad usum familiae pertinens reconditur et asservatur. Capit autem significationem pro ratione adjectivorum, quae illi junguntur, ut *cella vinaria*, in qua vinum servatur, οἰνὼν; *olearia*, in qua oleum; [*cf. *Cato R. R.* 13, 2.] *farinaria, pomaria, lignaria, mellaria, casearia* etc. *Cic. Senect.* 16. Semper boni assiduique domini referta est cella vinaria, olearia, etiam penaria. *Id. Pis.* 27. *in f.* Pistor domi nullus, nulla cella: panis et vinum a propola atque de cupa. *Id. Verr.* 2, 2, 2. Cato cellam penariam reipubl. nostrae Siciliam nominavit. ℙ Joculariter *Pl. Amph.* 1, 1, 4. *cellam promptuariam* vocat carcerem, in quo vincti custodiuntur, ut inde ad supplicium extrahantur. Festive etiam ludit in illo *Curc. a.* 3. *v.* 16. Edepol ne ego hic me intus explevi probe; et quidem reliqui in ventre cellae uni locum, ubi reliquiarum reliquias reconderem. ℙ *Emere aliquid in cellam* est emere in usum familiae. Hinc praetoribus Siciliae dari solebat frumentum in cellam, quod in usum suum consumerent. *Cic. Verr.* 2, 3, 87. Data est tibi pecunia, Verres, qua frumentum tibi emeres in cellam. Et in *Div.* 10. Imperare frumentum in cellam. ℙ De *cella vinaria* dictum est etiam in APOTHECA. ℙ Est praeterea *cella* cubiculum secretum in aedibus, servis destinatum. *Cic. Phil.* 2, 27. Servorum in cellis stratos lectos peristromatis videres. *Petr. Sat.* 29. Cella ostiarii. *Colum.* 1, 6. Cellae bubulcorum et pastorum. *Cato R. R.* 14. familiae. V. FAMILIARICUS. Adde *Hor. Sat.* 1, 8, 8. et *Senec. Contov.* 21, 3. ℙ Item casa angustior pauperiorum hominum. *Mart.* 3, 48. Pauperis exstruxit cellam, sed vendidit Ollus Praedia: nunc cellam pauperis Ollus habet. Adde 7, 20. ℙ Ita quoque appellantur cubicula meretricum. *Petron. Sat.* 8. Jam pro cella meretrix assem exegerat. Adde *Juv.* 6, 122. et *Mart.* 11, 45. ℙ In templis *cella* erat pars sacratior et nobilior, in qua signa Deorum stabant; et uno templo plures cellae aliquando continebantur, ut in Capitolino tres, quarum media Jovi, dextra Minervae, laeva Junoni dicata fuit: Italice dici potest *cappella.* Sciendum tamen, pro varia templorum dispositione variam cellarum magnitudinem fuisse. Aliquando enim cella majus spatium, quam ceterae partes, occupabat: quod colligimus ex *Vitr.* 3, 1. et 4, 1. Quare tunc *il corpo della Chiesa* Italice appellari posset. *Cic. Phil.* 3, 12. Armatos in cella Concordiae inclusit. ℙ De aliis quoque locis *cella* dicitur, ut de membris balinei, quae sunt frigidarium, tepidarium, caldarium ap. *Plin. ep.* 5, 5., *Pall.* 1, 40. et *Vopisc. Carin.* 17. ℙ Item de cubilibus seu loculamentis columbarum et anserum altilium, ubi habitant et pullos fovent, ap. *Colum.* 8, 8. et 14. ℙ Item de cavernulis, quae sunt in favis apum, fucorum, crabronum. *Plin.* 11, 11, 10. Apum cellae sexangulae. *Virg. A.* 1, 437. dulci distendunt nectare cellas. ℙ De *cella soleari a Spart. Caracall.* 9. memorata V. SOLEARIS. ℙ Fere sine diphthongo scribitur: est enim a *celando*, hoc est condendo, ut docent *Varr. L. L.* 4, 33. *a med.*, *Fest.*, *Serv.* ad *A.* 1, 437., *Voss.* et alii. Quia vero ipsum *celo* etiam hac significatione quidam per diphthongum scribunt: ut *Varr.* et *Fest.*, ideo et *caella* scriptum alicubi invenitur. Rectius tamen erit sine diphthongo scribere, ut placet *Manut.*, *Dausq.*, *Voss.* ex antiquis monumentis et consuetudine.

*CELLAE, arum, vicus Africae Propriae, in Byzacena, forte cis Tritonem fluv. *Ant. Itin. B. A.*

CELLĀRĀRIUS, ii, m. idem quod cellarius. *Paul. receptar. sentent. l.* 3. *tit.* 6. *n.* 72. Vestiarii et cellararii et cubicularii et arcarii. *Cujac.* ex antiq. libb. *cellarii* reponit. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. Cellararium ideo praepositum, ut rationes salvae sint. Ita *Torrent.*, at *Haloand.* habet *cellarium.* Adduntur alia loca ex *Cod. Justin.* et *Cassiod.*, sed ubique lectio variat. Sane *cellararius* minus apte e *cella* et *cellaris* descendit, quam *cellarius*, nisi retinendum sit, *cellararius*, esse a *cellarium*, ut *cellarius* est a *cella.*

CELLĀRĪENSIS, se, adj. ad cellarium pertinens. *Impp. Theod. et Valentin. Cod. Theod.* 11, 28, 16. Species cellarienses. Adde *ib.* 7, 4, 32. V. CELLARIUM.

CELLĀRĬOLUM, i, n. parvum cellarium. *Hieron. adv. Jovin.* 2, 29. Sunt et culinae in templo, sunt et cellariola, et torcularia.

CELLĀRIS, e, adj. ad cellam pertinens. *Columbi, et palumbi cellares* ap. *Colum.* 8, 8. sunt qui in columbario aluntur, et in cellis, seu caveis in eo exstructis habitant, et nidificant.

CELLĀRĬUM, ii, n. ἀποθήκιον, ταμεῖον, cella, promptuarium, locus in aedibus secretus et obseratus, in quo reconduntur, et, ubi opus est, promuntur, quae ad victum necessaria sunt. *Scaev. Dig.* 32, 39. Liberto meo diaetam, in qua habitabam, item cellarium junctum eidem diaetae ab herede meo concedi volo. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 5. Quorum agri minorem modum obtinuere, quam cellaria istorum. *Hard.* legit *sellariae.* ℙ Per metonymiam ponitur pro iis rebus, quae cellario continentur, quae sunt sal, vinum, oleum, carnes, laridum, caseus, et his similia, (praeter annonam panis, vel frumenti) quae in *Cod. Theod.* 11, 28, 16. *species cellarienses* dicuntur. *Sever. Sulpic. Hist. sacr.* 2, 41. Acciti Episcopi Ariminum convenere: quibus omnibus annonas, et cellaria dari imperator praeceperat. *Impp. Gratian., Valent. et Theod. Cod. Theod.* 1, 10, 3. Neque plus aliquid praestabitur, quam nos concessimus in annonis, seu cellariis. ℙ Inter *penum* et *cellarium* hoc interest, quod *cellarium* est paucorum dierum, *penus* vero temporis longi. Ita *Serv.* ad *A.* 1, 707. Quod sane discrimen perpetuum non est.

CELLĀRĬUS, a, um, adj. ad cellam pertinens. *Pl. Mil.* 3, 2, 31. Postea sagina ego ejiciar cellaria. ℙ *Cellarius, ii*, (subaudi *servus*) est cellae praepositus, ut condat et promat, quae opus sunt, ταμίας. *Pl. Capt.* 4, 2, 115. Sume, posce, prome quidvis: te facio cellarium. *Colum.* 11, 1. Ut cibus, et potio sine fraude a cellariis praebeatur. *Plin.* 19, 12, 62. Cellarii in saccis odorem vino gravem eximunt. *Inscr.* ap. *Mur.* 925, 5. L. Paul-

lus L. L. Paratus Aug. cellarius. ℙ *Cellaria*, *ae*, (subintellige *ancilla*) mulier cellae praeposita, ταμίη. *Pl. Mil.* 3, 1, 102. Quia nihil abstulerit, succenset cellaria. Al. leg. *ceraria*, alii *geraria*.

CELLĀTIO, onis, f. plurium cellarum series. *Petron. fragm. Tragur.* 77. *Burm.* Domus habet susum cellationem, cubiculum, in quo ipse dormio etc. Sunt qui suspicantur, aliter legendum esse.

CELLIO, onis, m. idem qui cellarius. *Inscr.* ap. *Grut.* 582, 10. D. M. Secundi Nundini Primitivi cellionis Pomp. Primitiva lib. et conj. obseq.

CELLŬLA, ae, f. parva cella. *Ter. Eun.* 2, 3, 18. Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum, *h. e.* cubiculum servi. *Petron. Sat.* 11. Risu plausuque cellulam implevit, *h. e.* cubiculum meretricis, aut diversorii. Adde *ib.* 136.

CELLŬLĀNUS, i, m. ap. *Sidon. ep.* 9, 3. est monachus, qui in angusta casa vitam agit.

[CELMIS, is, sive Celmus, i, m. unus ex Idaeis Dactylis, nutricius Jovis, cui, dum parvus erat, et fidus et admodum carus fuit. Sed cum postea vulgasset, Jovem aliquando fuisse mortalem, in adamantem ab eo conversus est. *Ov. Met.* 4, 281. Te quoque, nunc adamas, quondam fidissime parvo, Celmi, Jovi. Quidam legunt *Celme*.

CĔLO, as, avi, atum, a. 1. ἀποκρύπτω, [*κρύπτω, λανθάνω] occulto, abscondo, clam habeo, ne sciatur curo. *Cic. Off.* 3, 13. *sub f.* Neque enim id est celare, quidquid reticeas; sed cum, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui causa velis eos, quorum intersit id scire. *Id. Acad.* 4, 18. *ad f.* Cur celatis, quasi turpe aliquid, sententiam vestram? *Nep. Eum.* 9. Iter, quod habebat, omnes celat. *Ter. Hecyr.* 3, 3, 24. Te, atque alios partum ut celaret suum. *Liv.* 5, 51. *ad f.* Sacra celare terrae. *Nep. Dat.* 5. Celans, qua voluntate esset in regem. *Phaedr.* 2, 2. Mulier annos celans elegantia. *Ov. Met.* 4, 681. Celare vultum manibus. *Ulp. Dig.* 21, 1, 17. se ab aliquo. *Virg. A.* 9, 425. se tenebris. *Ter. Hecyr.* 2, 2, 11. iras. *Ov. Her.* 12, 37. quis enim bene celat amorem? *Id. Met.* 2, 37. Celare culpam sub imagine falsa. [*Tibull.* 1, 9, 3. Celare perjuria. *Id.* 1, 2, 34. Celari vult sua furta Venus. *Suet. Ner.* 34. Consilium parum celatum.] *Justin.* 24, 3. Ad celandam fraudem. [*Cic. Off.* 1, 30, 108. Facile celare, tacere, dissimulare, insidiari, praecipere hostium consilia. *Id. ib.* 3, 8, 37. Atque etiam ex omni deliberatione celandi et occultandi spes opinioque removenda est. *Tibull.* 1, 9, 23. Celandi spes nec tibi sit.] ℙ *Celare aliquem* est curare, ut alter nesciat. *Cic. Dejot.* 6. Si te interemisset, Jovis numen nunquam celare potuisset, homines fortasse celavisset. *Cic. Fam.* 7, 20. Bassus noster me de hoc libro celavit. *Id. Or.* 69. O virum simplicem, qui nos nihil celat! [*Cic. Off.* 3, 12, 52. Celabis homines, quid iis assit commoditatis et copiae? *Id. ib.* 3, 13, 56. Celare emptores.] *Ov. Her.* 18, 13. Non poteram celare meos, velut ante, parentes. ℙ Et passive. *Cic. Agr.* 2, 5. Cum me in eorum sermonem insinuarem, celabar, excludebar. *Ter. Hecyr.* 4, 4, 23. Nosne hoc celatos tamdiu? *Cic. Fam.* 5, 2. Te maximis de rebus a fratre esse celatum. ℙ [*Dicitur et more verbi medii Graecorum. *Cic. Cluent.* 66. Non est profecto de illo veneno celata mater. *Tibull.* 1, 8, 1. Non ego celari possim, quid nutus amantis *cet.* *Sil.* 13, 57. Nec celata Deam, i. e. clarissime se Deam ostendens. *Id.* 17, 580. Servat celata salutem. Cf. *Mosch. Idyll.* 1, 79. *Κρύψε θεὸν, — καὶ ἐγίνετο ταῦρος.*] ℙ Significat etiam aliquem tegere et abscondere, ne videatur, aut sciatur. *Caes. B. C.* 1, 76. Plerosque ii, quos receperant, celant, noctuque per vallum emittunt. [*Virg. Mor.* 9. Celabat cinis lumina prunae.] *Ulp. Dig.* 11, 4, 1. Qui fugitivum celavit, fur est. *Hor. Sat.* 2, 4, 11. praecepta canam, celabitur auctor. ℙ [*Vultum celare* ap. *Hor. Sat.* 2, 5, 104. Sparge subinde: et, si paullum potes, illacrimare. Est Gaudia prodentem vultus celare. Esse videtur haec loci sententia: Poteris ad laetos animi affectus jam prorumpentem animum ita lacrimis tempore obortis dissimulare, ut tristissimum omnes te accipiant. Vide interpp. h. l. *Bentl*, et *Heindf.*[ℙ *Celare diem* dicitur sol, cum occidit. *Hor. Carm. saec.* 9. Alme sol, curru nitido diem qui Promis, et celas. ℙ Cum dativo personae. *Hirt. B. Alex.* 7. Quod neque celari Alexandrinis possent in apparanda fuga. Al. leg. *Alexandrinos*. *Ov. Fast.* 4, 149. Ut tegat hoc, celetque viris. Al. leg. *viros*. *Paulin. Nolan. carm.* 18, 295. occulti fures quacumque latebra Non tibi celantur. *Nep. Alcib.* 5. Id Alcibiadi diu celari non potuit. ℙ Reperitur etiam caelo cum diphthongo ae, ut dictum est in voce CELLA. Sed hac ratione fere ponitur pro insculpere.

CĒLO, onis. V. v. seq.

CĔLOX, ōcis. f. κέλης, genus navigii parvi et celeris: a voce Graeca allata, quae sumpta est per metaphoram ab equo *celete*, quia, ut hic ab uno tantum regitur, ita hoc navigium vel uno tantum remo agitur, vel si (quod verius est) pluribus, ita tamen ut a singulis singulos remos tractantibus agatur. Fuit inventum Rhodiorum, ut *Plin.* 7, 56, 57. docet. *Liv.* 21, 17. Naves CCXX. quinqueremes, celoces viginti deductae. *Varr.* ap. *Non.* 13, 1. Nautae remivagam movent celocem. ℙ Adjective. *Pl. Poen.* 3, 1, 40. Obsecro, operam celocem hanc mihi, ne corbitam date, *h. e.* operam celerem, non tardam. Nam sicut celox citato cursu fertur, ita corbita lento, cum navis oneraria sit. ℙ Festive *Id. Pseud.* 5, 2, 12. Dic tamen, unde onustam celocem agere te praedicem, *h. e.* stomachum vino plenum. ℙ Nonnunquam accipitur pro navi praedatoria, ut ap. *Liv.* 37, 27. et *Pl. Asin.* 2, 1, 10. ℙ [*Celox publica* ap. *Plaut. Capt.* 2, 4, 94. est navigium publico usui inserviens. *Lindem.* vertit *Packetboot.*] ℙ Apud *Ennium* quoque haec vox legitur illo versu: *Labitur uncta carina per aequora cana celocis*. Ubi male quidam leg. *celonis*, et ap. *Isid. Orig.* 19, 1. *celones* pro *celoces*.

CELSA, ae, opp. V. CELSENSIS.

CELSE, adv. alte, excelse, ὑψηλῶς. *Colum.* 4, 19. Laetitia vitium celsius evagatur. *Claudian. in Eutrop.* 1, 387. Celsius assurgunt cornua. ℙ Translate. *Stat. Silv.* 3, 3, 145. celse natorum aequavit honori, *h. e.* equestris ordinis. Nam celsus de equitibus saepe dicitur. Quidam leg. *celso*.

[*CELSENSIS, is, adj. ad Celsam pertinens. Hispaniae Tarraconensis urbem, ad Iberum fluvium sitam, nunc *Xelsa*, cujus mentio in nummis apud *Mionnet. Descr. des medaill. T.* 1. p. 38. ℙ *Celsenses*, *ium*, sunt incolae illius urbis. *Plin.* 3, 3, 4. Celsenses ex colonia. *F.* et *B. A.*

CELSILLUS, a, um, diminut. celsi. Est autem *Celsillus*, *i*, m. et *Celsilla*, *ae*, f. cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 561, 4. L. Septimius Celsillus. Alia ap. *eund.* 813, 10. Atilia Celsilla. *F.*]

CELSĪNIĀNUS, a, um, adj. a *Celsinio*, quod est nomen viri proprium. *Celsinianus porcellus* ap. *Apic.* 8, 7. est peculiari quadam ratione conditus porcellus, cujus auctor quidam *Celsinius* fuerit.

[CELSĪNUS, a, um, adj. ad Celsum pertinens. Et cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 445, 2. Octavia Q. F. Secunda Octaviae Sex. F. Celsinae nepti, Sex. Octavio Sex. F. Celso genero. Apud *Grut.* mendose legitur *Caesinae*, at in lapide, qui etiamnum Ateste exstat, legitur *Celsinae*.

CELSĪTAS, atis, f. celsitudo. Quidam tribuunt. *Cic. Off.* 3, 5., sed plerique alii leg. *excelsitas*, quam vocem V. suo loco.

CELSĪTŪDO, inis, f. ὕψος, altitudo, excelsitas. *Vellej.* 2, 94. Juvenis genere, forma, celsitudine corporis, maximoque ingenio instructissimus. ℙ Sequiore aevo titulus fuit, quo appellabantur Comes sacrarum largitionum, et Praefectus Praetorio, ut est in *Cod. Theod.* 6, 26, 18. et 8, 5, 23.

CELSUS. Aulus Cornelius Celsus variae eruditionis nomine a *Quint.* 12, 11. commendatur, qui rhetoricam multo, quam antea, diligentius explicavit, et de re militari accuratissime scripsit, nullumque paene disciplinae genus intactum reliquit. Sed ex ejus scriptis ad nostra tempora nihil pervenit, praeter octo elegantissimos De re medica libros, qui omnium manibus teruntur. Columella quoque eum saepissime appellat, et laudat in suis De re rustica libris. Meruit enim propter stili nitorem, et purgatissimam Latinitatem, ut *medicus Cicero*, et propter medicinae artis peritiam, ut *Latinus Hippocrates* ab eruditis appelletur. ℙ [*Jo. Ludov. Bianconius* in opere, cui titulus: *Lettere sopra A. Cornelio Celso. Roma.* 1779. ostendit, hunc, vivo adhuc Augusto imperatore, libros De re medica edidisse, ideoque inter aureae aetatis scriptores esse reponendum. Quod ejus judicium confirmat *Hieron. Tiraboschius Stor. della Letter. Ital. T.* 2. p. 21, 2., et *Leon. Targa in praef.* ad *Celsum* p. 17. edit. secundae. *F.*]

CELSUS, a, um, adj. ὑψηλὸς, altus, sublimis, elatus: et dicitur proprie de iis, quae alta simul et erecta sunt. *Festus* docet derivari a Graeco κέλης, hoc est eques, de quo V. CELES, quasi inde hujus vocis ratio petita sit, quod homines equis insidentes, alti sunt, erectoque corpore sedent. Quo respexisse videntur *Hor. Art. P.* 342. Celsi praetereunt austera poemata Ramnes. Et *Stat. Silv.* 1, 4, 41. Non labente Numa timuit sic Curia felix, Pompejo nec celsus eques, nec femina Bruto. Et *Theb.* 8, 564. Nunc pedes ense vago, prensis nunc celsus habenis. Sic *Varr.* ap. *Non.* 1, 12. Haec postquam dixit, cedit citu', celsu' tolutim. [Omnino praeferenda videntur, quae *Döderl.* 2, 92. sq. de h. v. originatione docet: esse *celsus*, salva Gr. vocabuli cognatione, particip. antiquissimae vocis *cellere* obviae in compositis *antecellere*, *excellere* cet.] ℙ Latius tamen accipitur. *Cic. N. D.* 2, 56. Deus homines humo ut excitatos, celsos et erectos constituit. (Hinc *Ov. Met.* 1, 85. os homini sublime dedit, coelumque tueri Jussit.) *Id. Or.* 18. Status erectus et celsus. *Senec. Agamemn.* 717. Phoebas graditur celsa. *Hor. Ep.* 16, 29. Apenninus celsus. *Plin.* 11, 16, 16. Regi apium pennae breviores, crura recta, ingressus celsior. *Id.* 10, 21, 24. Graditur gallus ardua cervice, cristis celsus *Val. Flacc.* 2, 547. Taurus celsior artus. *Ov. Met.* 10, 538. Cervus celsus in cornua. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 5, 14. Vir celsus et erectus, et ea quae homini accidere possunt, omnia parva ducens. *Quint.* 1, 3. *sub f.* Animus generosior et celsior. *Liv.* 7, 16. Celsi, et spe haud dubia feroces in proelium vadunt. [*In malam partem h. Livii loco accipe *celsus*, i. q. *superbus*, *elatus*. Adde *Cic. Or.* 1, 40, 184. Haec ignorantem erectum et celsum . . . . vagari magna cum caterva toto foro — nonne inprimis flagitiosum putandum est? V. *Döderl.* 2, 96. sq. qui praeter h. *Cic.* l. laudat *Dukerum* ad *Liv.* 30, 32. et *Hor. A. P.* 341. — Cf. et *Sil.* 2, 454. Celsus profatur, i. e. superbus, magniloquus.] *Sil.* 16, 188. Celsus mente. *Cic. Sull.* 2. Celsissima sedes dignitatis atque honoris. *Impp. Valentin. Theod.* et *Arcad. Cod.* 1, 44, 2. Celsiores viri, *h. e.* in majori dignitate constituti. [*Sil. 12, 551. Celsus Senatus, *Id. ib.* 313. Celsa Senatus turba.]

CELTAE, arum, m. plur. *Κέλται*, populi Galliae ita dicti a Celto Herculis, vel, ut alii volunt, Polyphemi filio. At vero est similius, ita appellatos, a Celtico *goualth*, coma; hinc Romani Galliae Celticae, et Belgicae nomen *comatae* tribuebant. Angli etiamnum Gallos vocant *Welshes*, quod certe a *goualth* originem habuit. Celtas Graeci *Γαλάτας* appellarunt, conversa quippe littera K in *Γ*, et vocalibus paulo immutatis. Tertiam Galliae partem incoluerunt. Nam alias duas Belgae, et Aquitani habuere, ut *Caes. B. G.* 1, 1., *Plin.* 4, 17, 31. et *Mela* 3, 2. docent. Ceterum olim latius patuit hoc nomen. Celtae enim appellati sunt omnes populi Germaniam, et Galliam incolentes. V. *Cluv. l.* 1. *Germ. antiq.* et alios. ℙ Celtis se genitum dicens *Mart.* 10, 65. et 78. *Celtiberos* intelligit. V. CELTIBERIA. [*Egregie ampliatum locum debemus. *F.*]

[CELTIĀNUS, a, um, adj. ad Celtim pertinens. Hispaniae Baeticae oppidum, nunc *Puebla de los Infantes*. In nummo ap. *Mionnet. Descr. des médaill. Supplément. T. t.* 2, 23. Celtitan. *F.*]

CELTIBER, ēra, ērum, adj. ad Celtiberiam pertinens. *Mart.* 12, 18. Celtiberis Haec sunt nomina crassiora terris. *Id.* 10, 20, Ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras. *Val. Max.* 5, 1. n. 5. Celtiberae urbes. ℙ *Celtiberi orum*, sunt Celtiberiae populi. *Cic. Tusc.* 2, 27., *Caes. B. C.* 1, 38. et *Plin.* 3, 3, 4. ℙ In singulari numero *Catull.* 39, 17. Nunc Celtiber in Celtiberia terra. Quidam leg. *Celtiberus Celtiberia in terra*.

CELTIBĒRIA, ae, f. ea pars Hispaniae, quam Celtae olim occuparunt et Iberis populis immixti Celtiberi appellati sunt. *Cic. Phil.* 11, 5. et *Caes. B. C.* 1, 61. Hinc *Lucan.* 4, 9. profugique a gente vetusta Gallorum Celtae miscentes nomen Iberis.

CELTIBĒRICUS, a, um, adj. ad Celtiberiam pertinens. *Plin.* 33, 3, 12. Viriae Celtibericae. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 21. Celtibericum bellum.

CELTĪCE, adv. *Sulpic. Sever. Dial.* 1, 27. Celtice vel Gallice loqui.

CELTĪCUS, a, um, adj. ad Celtas pertinens. *Plin.* 4, 17, 31. Gallia Celtica. *Id.* 8, 3, 3. spolia. *Sil.* 1, 46. rura, *h. e.* regio Galliae cisalpinae, cis Padum. ℙ *Celtici*, *orum*, sunt populi Hispaniae prope Lusitaniam. *Id.* 3, 1, 3. V. geographos. *Celticum promont., hodie Cape Finisterre, in Gallicia, id. q. et Artabrum promont. et Nerium dictum. *Plin.* 4, 20. *Mela* 3, 1. *med. B. A.*

CELTIS, is, f. arbor de genere lotorum, magnitudine piri, in Africa. *Plin.* 13, 17, 32. ℙ [Putarunt nonnulli, quos inter *Forcellinus*, hanc vocem significare etiam scalpri genus, quo lapides inciduntur, decepti *Inscr.*, quae est ap. *Grut.* 329., in cujus versu 23. legitur: Malleolo et celte litteratus silex. Sed ea inscriptio recens figmentum est, eumque titulum *Jacobus Baduarius*, patricius Venetus, Sergio cuidam Polensi in Istria, parasito et histrioni saeculo XV. posuit. V. *Maffejum Art. Crit. Lapid.* 3, 2, 183. et *Cognolatum* in praef. huic Lexico praemissa. ℙ Fatendum tamen est, haec haberi in *Vet. Gloss. Philox.* Celte, *γλυφεῖον* et ap. *Vulg. Interpr. Job. c.* 19. *v.* 23. Quis mihi det, ut exarentur (sermones mei) in libro stylo ferreo et plumbi lamina vel celte sculpantur in silice? At textus Hebraici verba ita sunt interpretanda: Quis mihi det, ut sermones mei scribantur in libro vel stilo ferreo et plumbo in perpetuum in silice sculpantur? *h. e.* vel stilo ferreo silice cavato plumboque repleto perpetuo duraturi sculpantur. Adde *Hieron. Job. l. c.*, ubi Graecam potius versionem secutus fuisse videtur, sic vertit: *Ut scribantur in libro*, *in stilo ferreo et plumbo vel in petris scribantur*. Ita tria hic habentur, calami scriptio in libro, stili incisio in lamina plumbea et scalpri sculptura in marmore: quae quidem omnia locum habuisse apud veteres, in comperto est. *F.*]

*CEMA, ae, mons Alpinus, unde Varus flumen oritur. *Plin.* 3, 4. ed. *Hard. B. A.*

[CEMAS, ădis, f. *κεμάς*, dama, cerva. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 710. *n.* 321. Diis Manibus Poppaeae Cemadis. *F.*]

[CĒMENĒLENSIS, se, adj. ad Cemenelium pertinens, dirutum oppidum prope Nicaeam, ad Va

rum fluvium, nunc Cimios, quod male apud *Plin.* 3, 5, 7. *Cemelion* dicitur. *Inscr.* ap. *Fabrett.* 620, 168. P. Enistalius P. F. Cl. Paternus Cemenelensis. *F.*]

[CĒMUS, seu Cemos, i, m. a κημὸς, capistrum: planta quaedam, quae eadem videtur esse ac leontopodion. *Plin.* 27, 8, 35. Eadem ex causa et cemos silebitur a nobis. *F.*]

CĒNA, cum derivatis. V. COENA.

CĒNAEUS, i, Κηναῖος, epitheton Jovis a Cenaeo promontorio Euboeae, ubi Hercules Jovi aram exstruxit. V. IOLE. *Ov. Met.* 9, 136. Victor ab Oechalia Cenaeo sacra parabat Vota Jovi.

CENCHRAEUS, a, um, adj. id. q. Corinthius. Nam Cenchreae, Κεγχρεαὶ, oppidum est in Isthmo positum prope Corinthum. (Hinc *Ov. Trist.* 1, 10, 9. Cenchreas Corinthiacas appellat.) Item portus ipsius Corinthi. *Stat. Th.* 4, 60. Cenchraeaeque manus. ℙ In loco *Ov.* cit. legitur *Cenchreis* in dativo plurali disyllabum per figuram synaeresin: ex quo alii ediderunt *Cenchris.*

*CENCHRAMIS, idis, insignis statuarius. *Plin.* 34, 8. ℙ Item avis quaedam apud *Plin.* 10, 23. ubi vulgo legitur *Cychramus.* ℙ *Cenchramides,* κεγχραμίδες, ficorum grana, a κέγχρος, *milium* propter similitudinem. *Id.* 15, 19. *B. A.*

CENCHRĒAE. V. CENCHRAEUS.

CENCHRĒIS, idis, f. uxor Cinyrae, mater Myrrhae, ut *Hyg. fab.* 58. docet. *Ov. Met.* 10, 435. ℙ Est etiam nomen insulae in Aegaeo mari. *Plin.* 4, 12, 19.

CENCHRIS, idis, f. κεγχρὶς, genus avis ex genere accipitrum, ita dicta fortasse quia milio maxime delectatur, quod Graece κέγχρος dicitur. *Plin.* 10, 52, 73. Cenchris supra quaterna edit ova. Et *ib.* 74. Ova rubris coloris phasianis, cenchridi. Adde 29, 6, 38. ℙ Est etiam genus serpentis alvum habens minutissimis maculis ad instar milii variegatam. Cum incedit, non sinuatur in spiras, sed recto corpore movetur. *Plin.* 20, 22, 90. Serpyllum adversus serpentes efficax, maxime cenchrin. ℙ *Lucan.* masculini generis facit, fortasse ad Graecum ὅφις respiciens, 9, 712. Et semper recto lapsurus limite cenchris: Pluribus ille notis variatam pingitur alvum.

CENCHRITIS vel Cenchrites, ae, m. κεγχρίτης λίθος, gemma maculas habens veluti milii grana sparsa: a κέγχρος, milium. *Plin.* 37, 11, 73.

*CENCHRIUS, i, Κέγχριος, fluv. Joniae. *Tac. A.* 3, 61. *B. A.*

CENCHROS, i, m. κέγχρος, genus adamantis milii magnitudine: κέγχρος enim milium est. *Plin.* 37, 4, 15.

*CENDEVIA (palus), ae, in Samaria vel Phoenicia, ad Montis Carmeli radices. *Plin.* 5, 19. et 36, 26. *B. A.*

[CĒNĒTĀNUS, a, um, et

[CĒNĒTENSIS, se, adj. ad Cenetam pertinens, urbem Italiae superioris inter Plavim, et Liquentiam amnes, nunc *Ceneda*, cujus meminit *Venant. de Vit. S. Martin.* 4, 767. Per Cenetam gradiens, et amicos Duplavilenses. Ea inclaruit, post Opitergium a Barbaris dirutum, IV. a Chr. n. saeculo, et proprium habuit Episcopum. *Inscr.* ap. *Grut.* 228, 8. Decuriones, et Pop. Cenet. Hic *Cellarius Geogr. antiq.* 2, 9. *n.* 135. *Populus Cenetanus*, alii *Populus Cenetensis* perperam omnino legerunt, cum certo constet, eam Inscr. ad Florentiam pertinere Etruriae urbem ubi adhuc exstare affirmat *Ant. Franc. Gorius*, *Inscr. Etrur. T.* 1. p. 310., ibique legendum monet: Decuriones, et Populus cenarent. Attamen *Paul. Diacon. Hist. Langob.* 5, 27. cives *Cenetenses*, et 2, 5, 13. castrum *Cenetense* memorat. *F.*]

*CENIMAGNI, orum, pop. Britanniae. *Caes. B. G.* 3, 21. ubi legere mavult *Lipsius* ad *Tac. A.* 12, 32. *Icini*, *Cangi*. *Camdenus* conjicit *Iceni*, *Regni*. *B. A.*

CĒNINĂ, ae, f. oppidum Latii olim clarum, deinde excisum: ita dictum a Cenite ejus conditore. *Fest.* 9. Rectius scribitur ℙ *Caenina*, Graece Καινίνη.

CĒNINENSIS. V. CAENINENSIS.

CĒNINUS. V. CAENINUS.

*CENNESSERI, orum, Arab. felicis pop. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*CENO, onis, opp. Volscorum, in Latio juxta Antium. *Liv.* 2, 63. *B. A.*

CENOMANI, orum, m. plur. Κενομανοὶ, populi Galliae, qui primo in Lugdunensi tractu habitarunt, ubi sunt Cremona, Brixia, Verona, Bergomum, Mantua etc. *Liv.* 5, 33. et *Plin.* 3, 19, 23. Plura V. apud geographos, et praesertim *Cluver. de Ital. antiq.* 1. ℙ Secundae et tertiae syllabae quantitas incerta est. Produxit tertiam *Bapt. Mantuan. Agelarior.* 6, 759. et *de B. Venet. v.* 322. 347. et 414. Corripuit *Mirocles Episc. Mediolanens. Mantuano* multo antiquior, ap. *Grut.* 1161, 6. Te jubet agnatos visere Cenomanos. Prior ille duas primas syllabas corripuit: hic secundam et tertiam, prima producta. Antiquiores poetas, qui usurpaverint, inveni adhuc nullos. ℙ [In quibusdam *Livii* codd. scribitur *Caenomani*. *F.*]

CĒNŌTAPHĬŌLUM, li, n. parvum cenotaphium. *Inscr.* ap. *Mur.* 1709, 10.

CĒNŌTAPHĬUM, ii, n. κενοτάφιον, monumentum vacuum cadavere, tumulus inanis (ut appellat *Virg. A.* 3, 304.) vel honorarius (ut *Suet. Claud.* 1.) ad memoriam alicujus, qui alibi sepultus sit, colendam: a κενὸς, vacuus, et τάφος, sepulcrum. *Ulp. Dig.* 11, 7, 6. Si monumentum purum est, poterit quis hoc et vendere, et donare: si cenotaphium, posse hoc vaenire, dicendum est: nec enim hoc esse religiosum, divi Fratres rescripserunt. *Lamprid. Alex. Sev.* 63. Cenotaphium in Gallia, Romae sepulcrum amplissimum meruit. ℙ *Cenotaphia Pisana*, quorum non semel in hoc opere mentio fit, sunt duo insignes lapides Pisis inventi, in quibus perscripta sunt, quae in honorem Caji, et Lucii Caesaris Augusti ex Julia filia nepotum, immatura morte sublatorum, Pisani eo tempore decreverant. Qui lapides cum ipso Augusti aevo, et Romanis characteribus elegantissimis exarati sint, multam habent in lingua Latina auctoritatem, non solum quod ad stilum, sed etiam quod ad orthographiam pertinet. Eos insigni commentario illustravit *Henricus Card. Norisius Veronensis*, [quos tamen *Morcell. de stil. Inscr. Latin. T.* 2. p. 165. *ed. Patav.* minus commode *cenotaphia* appellatos a *Norisio* affirmat, cum potius *decreta* essent appellanda. *F.*]

*CENSENNĬA, ae, opp. in Samnio. *Liv.* 9, 44. *B. A.*

CENSĔO, es, ui, censum, vel censitum, a. νομίζω, οἴομαι, puto, arbitror, existimo. *Ter. Heaut.* 3, 3, 9. Amantes advertunt graviter, quae non censeas. *Pl. Rud.* 1, 2, 78. Non vidisse undas me majores censeo. *Cic. Fam.* 7, 13. Treviros vites, censeo. *Id. Att.* 10, 11. *ad f.* Quid mihi animi in navigando censes fore? [**Id. Off.* 2, 7, 25. Quid enim censemus superiorem illum Dionysium — quo cruciatu timoris angi solitum cet. *Id. Phil.* 12, 9, 22. Quid censetis, cum iter ingressus ero, longum praesertim, nullasne insidias pertimescendas? *Id. Off.* 1, 33, 120. Magis decere censent sapientes. *Hor. Ep.* 1, 6, 5. Quid censes munera terrae?] *Id. Verr.* 2, 5, 68. Censeo magnopere, desistas. *Nep. Thrasyb.* 2. Cives civibus parcere, aequum censebat. *Liv.* 24, 37. Claves portarum reddi sibi, aequum censebant. *Gell.* 3, 3. Comoediae, quae consensu omnium Plauti esse censebantur. *Cassius Hemina* ap. *Non.* 4, 88. Censuit, se regem Porsenam occidere. ℙ In responsionibus est approbantis. *Ter. Eun.* 2, 1, 9. Ego rus ibo, atque ibi manebo. *Par.* censeo. *Pl. Cas.* 4, 3, 9. Quid si etiam occentem hymenaeum? *Sta.* censeo. Adde *Rud.* 4, 8., ubi tota scena pluries festive repetitur. ℙ Eleganter interseritur aliis verbis, ut *opinor*, *credo*. *Cic. Cat.* 4, 6. *ad f.* Veremini, censeo, ne in hoc scelere etc. [*Hor. Ep.* 1, 14, 44. Quam scit uterque libens, censebo, exerceat artem.] ℙ Speciatim *censere* dicuntur, qui in senatu, aut concilio sententiam dicunt de re aliqua. [**Tac. A.* 1, 74. Quo loco censebis Caesar? *Id. ib.* 1, 8. Gallus Asinius — L. Arruntius censuere, ut.] *Suet. Aug.* 35. *in f.* Ut perinde quisque animum intenderet, ac si censendum magis, quam assentiendum esset. *Id. Caes.* 20. Nec quoquam reperto, qui super tali consternatione referre aut censere aliquid auderet. [*Cf. ad h. l. interpretes, ex quibus *Ernest.* recte assecutus sensum videtur.] *Caes. B. C.* 1, 67. Plerique censebant, ut noctu iter faceret. *Id. ib.* 2, 30. Erant sententiae, quae castra oppugnanda censerent. [**Cic. Off.* 1, 13, 39. Captivos reddendos non censuit.] *Cic. Phil.* 3, 15. De ea re ita censeo: ut consules dent operam etc. *Pompej. ad Marcell. et Lentul. Coss. post ep.* 12, 8. *ad Att.* Ita video censeri Marcello, et ceteris nostri ordinis. *Caes. B. G.* 7, 77. Pars deditionem, pars eruptionem censebant: *subaudi* faciendam esse. *Justin.* 13, 2. Perdicca censet, Roxanes exspectari partum. [**Tac. A.* 6, 44. Abdageses regrediendum in Mesopotamiam censebat.] *Gell.* 5, 6. Corona civica Ciceronem donari a republica censuit. Al. leg. *e republica*. ℙ Pro decernere. *Caes. B. G.* 1, 35. Senatus censuit, uti quicumque Galliam provinciam obtineret, Aeduos defenderet. *Liv.* 10, 12. Bellum Samnitibus et patres censuerunt, et populus jussit. *Sall. Jug.* 24. *in f.* S. P. Q. R. verbis nuncient, velle et censere, eos ab armis discedere. *Tac. A.* 4, 74. Aram Clementiae, et Amicitiae censuere. *Id. ib.* 2, 83. Cum censeretur clypeus auro et magnitudine insignis. [*Adde *Eund. ib.* 1, 72. Quamquam censente Senatu. *Id. ib.* 12, 38.] ℙ Frequenter ponitur pro aestimare: vel potius rationem et numerum inire, ac describere alicujus rei: quod munus censorum fuit, qui non solum omnium civium nomina describebant, sed et eorum bona, ipsis profiteri jussis, aestimabant, et in publicis tabulis, quantum quisque possideret, perscribebant, ut imponere tributa in usum reipublicae possent. Ideo autem aestimare significat, quia, ut ait *Festus*, tanti quisque rem suam aestimabat, quanti illi censuissent. *Cic. Leg.* 3, 3. Censores populi aevitates, soboles, familias, pecuniasque censento. *Id. Verr.* 2, 2, 56. Quinto quoque anno Sicilia tota censetur. Erat censa praetore Peducaeo: quintus annus cum te praetore incidisset, censa denuo est. *Id. Att.* 1, 18. *in f.* Ne absens censeare, curabo edicendum. *Plin.* 33, 1, 5. Cum capitum liberorum censa essent CLII. millia etc. *Ascon.* ad *Verr.* 1, 18. Convenerat multitudo ex municipiis, ut censeretur apud censores, qui tunc erant. *Gell.* 7, 13. Qui centum et viginti quinque millia aeris censi erant: *et mox.* Qui minore summa aeris censebantur. *Senec. Benef.* 7, 8. Censeri capite, *h. e.* solo capite in censum venire. V. CAPITECENSI. ℙ *Censui censendo*, V. in CENSUS. ℙ Dicuntur etiam *censere*, qui apud magistratum profitentur nomen, familiam, facultates suas, et ea in censum deferunt. *Cic. Flacc.* 32. In qua tribu denique ista praedia censuisti? *et paulo post.* Si aliena censendo Decianus sua facere posset. *Id. Verr.* 1, 18. Haec frequentia, quae convenit censendi causa. *Vellej.* 2, 15. Cives Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocarunt. ℙ In hac significatione videtur adhiberi etiam deponentis forma. *Cic. Flacc.* 32. Voluisti magnum agri modum censeri. Census es praeterea numeratae pecuniae triginta HS millia. Census es mancipia Amyntae. Cum te audisset servos suos esse censum. Sic *Ov. Pont.* 1, 2, 139. Hanc probat, et primo dilectam semper ab aevo Est inter comites Marcia censa suas, *h. e.* numeravit, habuit. Adde *Fast.* 5, 25. ℙ Censebantur privatorum agri tributi imponendi causa. V. locum *Spartiani* in CENSITIO. ℙ Adhibetur etiam universim pro aestimare, rationem inire. *Cic. Parad.* 6, 2. Si censenda atque aestimanda res sit, utrum pluris aestimemus pecuniam Pyrrhi, an continentiam Fabricii? *Stat. Silv.* 5, 5, 60. nimium crudelis, qui dicere legem Fletibus, aut fines audet censere dolendi, *h. e.* statuere, praescribere. [**Sil.* 15, 105. Nec bona censendum, quae Fors infida dedisse valet, i. e. nec bona sunt censenda. Gr. οὐ νομιστέον ἀγαθὰ εἶναι.] ℙ Hinc *censeri aliqua re*, est ob aliquam rem aestimari, in pretio haberi, notum et clarum esse. *Senec. ep.* 76. Id in quoque optimum est, cui nascitur, quo censetur. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. Non vitibus tantum censeri Chium, sed et operibus Antermi filiorum. *Suet. Gramm.* 10. Eratosthenes multiplici variaque doctrina censebatur. *Val. Max.* 8, 7. *n.* 4. *extr.* Censeri divitiis. *Id.* 5, 3. *n.* 3. *extr.* Aristides, quo totius Graeciae justitia censetur. Adde *Mart.* 9, 17. et 1, 62. et *Plin. Paneg.* 15. ℙ *Censere numerum gregis* ap. *Colum.* 6, 23. est inire, *numerare* Al. tamen legunt *constare*. ℙ *Censeri nomine* est appellari, quia qui censebantur, nomen suum apud censores edebant. *Val. Max.* 8, 7. *n.* 2. *extr.* Quo cognomine censeretur, interrogatus. *Appul. Met.* 5. Et nomen quo tu censeris, ajebat. ℙ Pro succensere aliquando usurpatum est. *Varr.* ap. *Non.* 4, 88. Ne vobis censeam, si ad me referretis. ℙ Partic. *Censens* ap. *Tac. A.* 14, 42. Nihil mutandum censentibus.

CENSĬO, onis, f. sententia, arbitrium *Varr. L. L.* 4, 14. Censor ad cujus censionem, idest arbitrium, populus censetur. ℙ Item aestimatio, quae fit a censore. *Gell.* 10, 28. Ut discrimina puritiae, juventae, senectutis ex ista censione Servii Tullii prudentissimi regis noscerentur. *Id.* 16, 10. Capitis censio. ℙ Item animadversio: quia censores in eos animadvertere solebant, quos in moribus peccare cognovissent. Hinc *censionem facere* dicebantur, cum equiti multam irrogabant, teste *Festo*. Legitur etiam ap. *Pl. Rud.* 4, 8, 9., sed quo sensu non satis constat. Lege integram illam scenam lepidissimam et interpretes. [**Censionem facere* h. l. est dispungere, conspicere, num quid aera digna sint, quae accipiantur et subscribantur. Sic in *Truc.* 1, 1, 54. Accipiat illico expensa, neque censeat. Debetur verissima haec hujus loci interpretatio *Lindem.* ad *Pl. Trin.* 2, 4, 12.] ℙ Item opinio, judicium. *Symmach. ep.* 1, 3. In gravi dono habeo, hanc apud vos esse de nostris epistolis censionem. ℙ *Censio hastaria* erat, cum militi multae nomine ob delictum militare indicebatur, quod hastas daret, ut idem *Fest.* docet. Festive *Pl. Aul.* 4, 1, 15. Quia ea curabit, abstinebit censione bubula, *h. e.* loris bubulis non punietur.

CENSĪTĬO, onis, f. censio, in censum relatio, aestimatio. *Frontin. de col.* p. 146. *Goesii.* Cetera autem prout quis occupavit, posteriore tempore censita sunt et possidenti assignata imp. Vespasiani censitione et jussu. ℙ Item tributum, vectigal. Nam ideo censentur agri, ut tributum imponi possit. *Spart. Pescenn. Nigr.* 7. *in f.* Palaestinis rogantibus, ut eorum censitio levaretur, idcirco quod esset gravata, respondit: Vos terras vestras levari censitione vultis: ego vero etiam aerem vestrum censere vellem.

CENSĪTOR, oris, m. qui censoris officio in provinciis jussu imperatorum extra ordinem fungebatur; qui vero ibidem quinto quoque anno eundem censum agebat, *quinquennalis* dicebatur. Item ap. *Grut.* 427, 12. appellatur *legatus Imp. Nervae Trajani ad census accipiendos* et ap. *eund.* 355, 6. *a*

censibus accipiendis, et ap. *Fabrett.* p. 411. *n.* 353. *leg. Aug. cens. acc. Hisp. Cit.*; aliquando et *censor* est appellatus, ut ap. *Schiassium*, *Guida del Mus. Bologn.* p. 72. T. Visulanius Crescens *censor Germaniae inferioris.* Adde *Tac. A.* 14, 46. Census per Gallias a Q. Volusio et Sextio Africano, Trebellioque Maximo acti sunt. *Ulp. Dig.* 50, 15, 4. Illam aequitatem debet admittere censitor, ut officio ejus congruat etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 417, 5. Q. Hedio L. F. Pol. Rufo procos. Asiae, censitori prov. Lugdunensis etc. Alia *ib.* 439, 5. Cn. Munatius M. F. Pal. Aurelius Bassus censitor civium Romanorum coloniae Victricensis etc.

CENSĪTUS, a, um, part. a *censeo*, in censum delatus, in censum acceptus, aestimatus, descriptus. *In monum. Ancyr. tab.* 2. ap. *Grut.* 230., *in quo recensentur gesta Caes. Aug.* Quo lustro civium R. censita sunt capita quadragiens centum millia et sexaginta tria. *In cod.* quoque *Justin.* non semel legitur. Hinc *recensitus.*

CENSOR, oris, m. τιμητής, qui censuram gerit, vel qui censum populi agit. Censorum munus instituit Servius Tullius rex, et ipse primus exercuit. Exactis regibus, ipsi consules primis temporibus administrarunt. Postea bellorum curis impliciti, cum ei negotio vacare non possent, peculiaris ad hoc magistratus est institutus, in quo penes duos censoria potestas esset; (V. CENSURA.) et aliquando creati, qui nondum consules fuerant. V. *Liv.* 27, 11. Censores igitur dicti, quod populi opes censerent. Quibus postea morum disciplinaeque Pop. Rom. cura data, immo et jus additum publicorum privatorumque locorum, et vectigalium. Quinto quoque anno creabantur: [*De loco *Suet. Aug.* 37. Censores, creari desitos, longo intervallo creavit: vide in *Census*, *us.*] civesque sic notabant, ut senatorem, qui in moribus deliquisset, senatu ejicerent, equitem equo publico spoliarent, plebejum jure suffragii privarent, et aerarium facerent. Pertinebat etiam ad censores legere senatum, tribus addere, tueri Urbis templa, leges condere, aut abrogare, de certis rebus cognoscere etc. [*Censores licet inter majores magistratus nominarentur, tamen nec imperium, nec ferendae legis jus habebant, neque lictoribus, aut viatoribus utebantur. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 1, 1.] Eorum magistratus usque ad imperatores perduravit, qui ad se hoc munus traxere, cum in eo esset magna vis, et amplissima dignitas: nomen quoque ipsum aliquando mutarunt, *morum praefectos* appellantes. V. in Censura. De origine censorum, atque officio V. *Liv.* 4, 8. et 40, 46. et *Cic. Leg.* 3, 3. etc. ℙ Hinc *censores* appellantur quicumque alicujus rei corrigendae munus suscipiunt, ut qui de aliorum scriptis judicium ferunt etc. *Hor. Ep.* 2, 2, 109. At qui legitimum cupiet fecisse poema, Cum tabulis animum censoris sumet honesti. *Id. Art. P.* 174. censor, castigatorque minorum. *Cic. Coel.* 11. Pertristis quidam patruus, censor, magister. ℙ Aliquot censorum insigniora acta in censura refert *Fest.* in *Religionis* ex *Varr. in lib. De vita populi R.* V. et *Gell.* 4, 12. et 20. ℙ *Censor* quandoque dictus, qui saepius *censitor*, nempe qui alicujus provinciae reditus recensebat, ut aequis portionibus singulis capitibus tributum imponeret, quod toti provinciae impositum fuerat. *Inscr.* ap. *Grut.* 366, 2. L. Arruntio L. F. Gal. Baebio Censori reip. Neap. V. CENSITOR. ℙ Censores fuerunt etiam in coloniis, qui saepius duumviri quinquennales appellabantur. *Liv.* 19, 15. Decreverunt patres, censum in iis duodecim coloniis agi ex formula ab Romanis censoribus data; dari autem placere eandem, quam populo Romano; deferrique Romam ab juratis censoribus coloniarum, priusquam magistratu abirent.

[CENSORĪĀNUS, a, um, adj. ad censorem pertinens, idem ac censorinus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 688, 7. Julia Censoriana. *F.*]

CENSORĪNUS, i, m. cogn. Rom. in gente Marcia. *Liv.* 15, 17. Censores eo anno (nempe U. C. 489.) creati Cn. Cornelius Blasio, et C. Marcius, qui, cum antea quoque censuram gessisset, in hoc honore Censorinus appellatus est. Inde profecta lex est, qua cautum: Ne quis censor iterum fieret. Adde *Val. Max.* 4, 1. *n.* 3. ℙ Item *Censorinus* fuit, qui tempore Valeriani factus imperator, ab his ipsis, a quibus creatus fuerat, interemptus est, de quo V. *Trebell.* XXX. *Tyrann.* 33. ℙ Praeterea fuit hoc nomine grammaticus quidam suae artis doctissimus, ut eum vocat *Prisc.* 1, 544. qui floruit circa A. Chr. 240. temporibus Alexandri Severi, Maximini et Gordiani impp. Scripsit libellum *De die natali*, seu de humana origine, stilo, ut grammatici, et illis temporibus, satis culto et nitido, selecta etiam eruditione et doctrina illustri. Eum laudat etiam *Sidon. epist. ad Polem. praefixa carm.* 14.

CENSŌRĬUS, a, um, adj. ad censorem pertinens, ut *censorius vir*, qui scilicet censor fuit. *Cic. Or.* 2, 89. Censoria animadversio. *Id. Cluent.* 42. [*Tac. A.* 4, 15. Patres, quamquam novo homini, censorium funus, effigiem apud forum Augusti, publica pecunia decrevere. *Suet. Rhet.* 1. Censorium edictum.] ℙ Sic quidquid grave et severum est, *censorium* dicitur. *Cic. Coel.* 15. Censoria gravitas. *Quint.* 1, 4. Censoria virgula notare versus. ℙ *Mart.* 5, 80. Mordere libellum lima censoria. ℙ *Censorius dies*, pro die extremi judicii, invenitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 1052, 8., quae tamen recentioris admodum est aetatis; pertinet enim ad saeculum XV. a Chr. n., ideoque nihili facienda illius auctoritas. ℙ Opus censorium facere, *Gell.* dixit 14, 7. *circa med.*, *h. e.* rem facere censorum animadversione dignam. [*Censorium opus*, idem est, quod *nota Censoria. Suet. Caes.* 41. Nudatos opere censorio restituit, i. e. Censoris nota ordine vel loco motos. *Colum.* 12. praef. Ne videar intempestive censorium opus objurgandis moribus nostrorum temporum suscepisse.]

CENSŪĀLIS, le, adj. ad censum pertinens. *Ulp. Dig.* 50, 15, 4. Forma censuali cavetur, ut agri sic in censum deferantur etc. Et *ib.* Si quis inquilinum, vel colonum non fuerit professus, vinculis censualibus tenetur. *Arcad. ib.* 4, 18. Censuales professiones. *Inscr.* ap. *Grut.* 478, 2. Tabularium censuale. ℙ *Censuales*, substantive dicebantur scribae publici, qui censuales tabulas conficiebant. *Capitol. Gord.* 12. Ut non scribae, non servi publici, non censuales illis actibus interessent. Hinc in *Cod. Theod.* 8. *tit.* 2. de Tabulariis, Logographis, et Censualibus. Adde *Symmach.* 10. *ep.* 43. (al. 36.) ℙ Dicuntur etiam *Censuales* ipsi censuales libri, in quibus census perscripti sunt, a *Tertull. Apolog.* 19.

CENSŪĀRII, orum, m. plur. videntur esse, qui censum, hoc est pensionem annuam domino agri, quem colunt, pendunt. Legitur in *Cod. Justin.* 9, 49, 7. At in *Cod. Theod.*, ubi eadem lex habetur, 9, 42, 7. legitur rectius *casarii*, qui nempe praediorum casis rusticis administrandis colendisque praepositi erant, quas Itali dicunt *massarie*, vulgo *casade.*

CENSŪRA, ae, f. τιμητικὴ ἀρχή, munus censorum, quod initium Romae habuit an. U. C. 311., ante Chr. 443. *Liv.* 4, 8. M. Geganio Macerino, T. Quintio Capitolino Coss. censurae initium fuit. *Cic. Inv.* 1, 30. Quod insciente collega in censura nihil egisset, post censuram consulem fecit. *Ov. Fast.* 6, 647. Agere censuram. *Suet. Claud.* 16. gerere. *Gell.* 16, 8. Censura fungi. [*Plin. Pan.* 45, 4. Censuram recipere. ℙ *Vita principis censura est, eaque perpetua. Id. ib.* 45, 5. Haec eo respiciens dixit auctor, quod imperatores Romani, nomine *praefecturae morum*, perpetuum Censoris munus, (i. e. morum legumque regimen *Suet. Aug.* 27.) sibi vindicarunt, cf. *Suet. Caes.* 76. Hinc apud *Treb. Poll.* orbis humani censura.] ℙ Ponitur etiam pro quocumque judicio, examine. *Vellej.* 2, 36. *in f.* Vivorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est. *Ov. rem. Am.* 362. Quorum censura musa superba mea est. *Gell.* 12, 2. Facere censuram de ingenio et scriptis alicujus. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 8. Facere censuram vini. Et 9, 54. 79. Peragere censuram culinarum, *h. e.* recensere omnia, quae ad culinas, et gulam pertinent. *Juven.* 2, 63. Dat veniam corvis, vexat censura columbas. ℙ Item pro gravitate, severitate. *Treb. in Gall.* 3. Non posse ferre censuram parentis. *Capitol. M. Aurel. Anton.* 22. Reprimere censura et auctoritate res turbatas. *Vulcat. Gallican. Av. Cass.* 13. Mores propensiores ad censuram et crudelitatem.

CENSUS, a, um, part. a *censeo*, is de cujus persona, et bonis census habitus est. *Liv.* 10, 47. Censa capitum millia ducenta septuaginta duo, trecenta viginti duo. *Cic. Arch.* 5. Census indicat, eum, qui sit census, ita se jam tum gessisse pro cive. ℙ Cum accusativo more Graecorum. *Hor. Art. P.* 387. praesertim census equestrem summam nummorum, *h. e.* in censendo repertus habere summam equestrem: nisi malis *census* accipere deponentis forma, ut sit idem quod *professus summam* etc. V. CENSEO. [*Hoc praeferendum.] ℙ *Ascon. in Verr.* 2, 1, 41. docet, *censos* olim a veteribus dictos fuisse, qui centum millia professione detulissent: hujusmodi enim facultates *census* vocabantur. Hanc tamen summam alii aliter tradunt. V. CLASSIS.

CENSUS, us, m. τίμημα, ἀπογραφή, descriptio, ac aestimatio bonorum et personarum, quae fit a censoribus. Census personarum ita agebatur, ut quisque civis nomen, genus, annos de se, uxore, liberis et servis, eorumque officia et artes, deinde pecunias suas, et praedia coram censoribus profiteretur. Agri ita deferebantur, ut nomen fundi, tum locus in quo esset, vicini praeterea, deinde arva, vineae, prata, silvae, pascua deferrentur. V. *Ulp. Dig.* 50. *tit.* 15. *qui* De censib. *inscribitur*, 3, et 4. Atque haec omnia jurati edebant; et si quis detrectaret, aut falleret, primis temporibus virgis caedebatur, postea vero amissione bonorum et civitatis multari consuevit. Institutus est census primum Romae a Servio Tullio sexto Rom. rege, eo consilio, ut de viribus reipubl. constare posset. In provinciis etiam census agebatur non solum ut de cujusque facultatibus constaret, sed ut tributa imponi possent. *Suet. Aug.* 27. Censum populi agere. *Cic. Verr.* 2, 2, 26. habere. *Gell.* 10, 28. facere. [*Suet. Cal.* 38. Census perperam editi.] ℙ Ad censum servi non admittebantur, sed solum ingenui, et cives Rom. Hinc *censu manumitti* ap. *Ulp. tit.* 1. *Regul.* §. 8. dicebantur servi, qui lustrali censu Romae jussu dominorum inter cives Rom. census profitebantur. *Cic. Top.* 2. Si neque censu, neque vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber. ℙ *Censere censum* idem est, quod censum agere. *Liv.* 43, 14. Legem censui censendo dicturos esse, ut praeter commune omnium civium jusjurandum haec adjurarent etc. ℙ Quandoque census actus est, quin lustrum conderetur. *Liv.* 3, 22. *de an. U. C.* 295. Census actus est eo anno. Lustrum propter Capitolium captum, consulem occisum, condi religiosum fuit. *Augustus* in *Monum. Ancyr. tab.* 2. In consulatu sexto (*h. e.* an. U. C. 726. ante Chr. n. 28.) census populi, conlega M. Agrippa, egi, lustrum post annum alterum et quadragesimum feci. *Nempe post annum U. C.* 694., quo anno, ut narrat *Liv. Ep.* 98., Cn. Lentulus, et L. Gellius censores asperam censuram egerunt, a quibus, lustro condito, censa sunt civium capita quadringenta quinquaginta millia. Hinc patet, falso affirmasse *Suet. Aug.* 37. Censores creari desitos longo intervallo, creavit Augustus. Nam censum quidem condi desitum, censores vero eo intervallo creatos fuisse constat, cum an. U. C. 690. censor fuerit L. Aurelius Cotta, an. 699. M. Valerius Messalla, et P. Servilius Isauricus, an. 704. App. Claudius Pulcher, et L. Calpurnius Piso, an. 708. C. Julius Caesar, an. 712. L. Antonius, et P. Servilius. *F.*] ℙ *Censui censendo agri* vocantur a *Cic.*, qui ea conditione sunt, ut in censum deferri possint, et a censoribus describi atque aestimari: qui proinde et emi, et vendi jure civili poterant, ut *Festus* docet. Hujusmodi erant praedia mancipi, et juris solique Italici. Nam quae erant in provinciis, nec mancipi erant, (ante *Justin.* constitutionem) et usu tantummodo a provincialibus habebantur: mancipium vero, et proprietas ad populum Romanum pertinebat. Haec *censui censendo* dici non poterant. *Cic. Flacc.* 32. Illud quaero, sint ne ista praedia censui censendo; habeant jus civile; sint necne sint mancipi. ℙ Aliquando *censum habere* significat solummodo inire numerum. *Caes. B. G.* 1, 29. Eorum, qui domum redierunt, censu habito, repertus est numerus militum centum et decem. ℙ *Census* etiam dicuntur libri, sive tabulae, in quibus census populi descriptus erat. *Marc. Dig.* 22, 3, 10. Census, et monumenta publica potiora testibus esse senatus censuit. ℙ Huc illa trahi possunt *Liv.* 39, 44. Referre in censum. *P. African.* ap. *Gell.* 7, 11. dedicare omne instrumentum fundi. *Cic. Balb.* 2 irrepere. *Ulp. Dig.* 50, 15, 4. deferre. Et *ib.* Inserere aliquid censui. ℙ Praeterea *census* saepissime significat fortunas et facultates cujusque. *Ov. Fast.* 1, 217. In pretio pretium nunc est, dat census honores, Census amicitias. *Hor. Od.* 2, 15, 13. Privatus illis census erat brevis, Commune magnum. *Ov. Amor.* 1, 10, 41. Census augere paternos. *Juven.* 6, 361. Prodiga non sentit pereuntem femina censum. *Cic. Flacc.* 22. Homo egens, sordidus, sine honore, sine existimatione, sine censu. [*Tac. A.* 2, 37. Censusque quorundam senatorum juvit.] *Hor. Ep.* 1, 7, 56. Homo tenui censu. [*Id. Sat.* 2, 3, 69. Dives antiquo censu, i. e. antiqua divitiarum aestimatione. *Schol. Acr.* Quia si quis antiquitus duo praedia habebat, dives censebatur.] *Plin.* 14. *prooem.* Senator censu legi coeptus, judex fieri censu. *Id.* 33, 1, 6. Censu opimo onerare digitos, *h. e.* gemmis maximi pretii. ℙ *Census senatorius* scil. patrimonium senatorum, erat octingenta millia HS. Nomine autem census non annuum reditum intelligendum esse, sed universorum bonorum aestimationem, sentit *Octav. Ferr. elect. l.* 1. *c.* 20. Augustus tamen senatorium censum ampliavit ad duodecies HS. *Suet. in ejus Vita* 41. Haec sunt itaque *tertia quadringenta*, quae memorat *Juven.* 14, 326. ℙ *Census equestris* erat duplo minor, *h. e.* quadringentorum HS., ut colligitur ex *Hor. Ep.* 1, 1, 57. Qui vero minus habebant, plebs erant. Sed de hac re tota fusius eruditi *Ferr.*, *Lips.*, *Manut.*, *Mazzon. in Dantem l.* 1. *c.* 41. et alii. ℙ Translate *Manil.* 1, 12. Aetherios per carmina pandere census, *h. e.* coeli divitias. *Id.* 3, 71. sua nomina cuique Attribuit, totumque hominis per sidera censum, *h. e.* quidquid est hominis, opes, artes, studia, casus etc. *Id.* 1, 792. et censu Tullius oris Emeritus coelum, *h. e.* facultate dicendi. ℙ Reperitur etiam *censum*, *i*, n. *Cic. fr.* ap. *Non.* 3, 76. Quorum luxuries fortunata censa peperit.

CENTAURĒUM, i, et Centaurĭon, ii, *n.* vel Centaurēa, ae, f. κενταύρειον et κενταύριον, herba alio nomine Chironium, foliis latis et oblongis, serrato ambitu, densa ab radice, caule ternum cubitorum geniculato, in quo caput ceu papaveris: radice vasta, rubescenti, tenera et fragili, madida succo, amara cum quadam dulcedine. Nomen habuit a Chirone centauro, qui ea pedem vulneratum sagitta

Herculis, cum ejus arma pertractaret, sanasse dicitur. *Plin.* 25, 6, 30. Centaurio sanatus dicitur Chiron etc. *Virg. G.* 4, 270. et graveolentia centaurea. ℙ Haec dicitur centaureum majus. Est enim et centaureum minus origano simile, foliis angustioribus et longioribus, caule anguloso, fruticante, flore lychnidis, radice tenui. Latino vocabulo *fel terrae* appellatur. *Plin. l. c.* 31. ℙ *Appul. Herb.* 34. et 35. feminina voce utitur.

CENTAURĔUS, a, um, adj. ad Centauros pertinens, κενταύρειος. *Hor. Od.* 1, 18, 8. Centaurea rixa cum Lapithis.

CENTAURĬCUS, a, um, adj. ad Centauros pertinens, κενταυρικὸς, ut centaurica lustra, ap. *Stat. Achill.* 1, 266.

CENTAURIS, ĭdis, f. κενταυρὶς, herba cognomine triorchis, succum habens sanguineum, quam *Theophrastus* tradit defendi a triorche accipitrum genere contra colligentes. *Plin.* 25, 6, 32.

CENTAURŌMĂCHĬA, ae, f. κενταυρομαχία, pugna cum Centauris. A *Pl. Curc. a.* 3. v. 75. ponitur joculariter pro nomine provinciae Thessaliae, in qua Centauri habitarunt.

CENTAURUS, i, m. Κένταυρος, monstrum superiori parte homo, inferiori equus. *Centauri* erant centum equites ad instar CCC. Celerum Romuli, qui regibus Lapitharum in Thessalia ad corporis custodiam et in bello et in pace aderant. Dicuntur filii fuisse Ixionis ex Nube, quia ab illo instituti sunt, ut ab iis corpus suum tegeretur. Dicti sunt Centauri a κεντέω, pugno, et ταῦρος, taurus. Cum enim Ixion bobus oestro exagitatis, satellites suos ad eos revocandos ire jussisset illique cursu non sufficerent, ascenderunt equos et eorum velocitate boves assecuti, eos stimulis ad tecta revocarunt. Haec *Serv.* ad *G.* 3, 115. Sunt tamen, qui non ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τοὺς ταύρους, sed ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τὴν αὔραν, a fodiendo aere, seu nube deducunt, eo quod Ixion cum nube coisse dicitur, unde Centauri nati sunt. Ideo autem a poetis parte superiore viri, inferiore equi finguntur, quia a rudibus hominibus conspecti, animalia ex equis et hominibus composita crediti fuere. At praestat sentensia *E. Q. Viscont.*, qui in *Mus. Pio-Clem. T.* 4. p. 185. *edit. Mediol.* vocem deducit a κεντέω. pungo, et αὐρὰ, aures (quod postremum est ab αὖρ, αὔρος, Laconum dialecto pro αὖς, αὗτὸς sive οὖς, ὠτὸς) quia primi homines auribus, non freno equos ducebant. V. AURIGA, AURIS et AURELIA. Hinc etiam *Plin.* 7, 56, 87. docet, populos illos Thessaliae, qui circa Pelium montem habitabant, universim Centauros appellatos esse, quod primi equos domuissent et ex iis pugnare coepissent. Hinc *Virg. G.* 1, 115. Frena Pelethronii Lapithae, gyrosque dedere Impositi dorso etc. *Hor. Ep.* 13, 11. Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno, *h. e.* Chiron. *Lucret.* 5, 876. Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo Esse queat etc. *Virg. A.* 7, 674. Centauri nubigenae. ℙ De pugna Centaurorum cum Lapithis, V. LAPITHAE. ℙ Est etiam hoc nomine coeleste sidus et quidem duplex: alterum idem est, qui *Sagittarius*, de quo V. suo loco; alterum vero in parte coeli australi, quem dicunt esse Chironem, artis medicae inventorem, ob id meritum inter sidera esse. Situs est inter Argo navim, quam habet a tergo et Aram, quam a fronte; habetque in manu hostiam, quasi sacrificaturus. Pedibus innixus est circulo antartico: supra caput habet extremam Hydrae caudam. Constat stellis secundum *Hygin.* vigintiquatuor: secundum alios triginta sex. Quidam dicunt, non Chironem, sed Pholon Centaurum esse, qui haruspicio praeter ceteros plurimum valuerit: ideoque ad Aram cum hostia venire Jovis voluntate figuratum. *Hygin. Astron.* 2, 38. et *ib.* 3, 37., *Cic. Arat.* 207., *Manil.* 1, 408. ℙ De priori Centauro quidam afferunt locum *Vitruv.* 9, 7., ubi tamen alii rectius leg. *Taurus.* ℙ Est etiam nomen navis ap. *Virg. A.* 5, 122. Centauro invehitur magna, *centaurus magna* Graece dicitur βουκέντανρος, ex quo nomen inditum navi, qua Venetorum dux quotannis vehebatur, *Bucentoro.* Porro ea ratione *Virg.* dixit *Centauro magna*, qua *Ter. Eun. prol.* 32. *Eunuchum suam.* Ille enim ad *navim*, hic ad *fabulam* adjectivum retulit. Sic *Plin.* 26, 14, 87. Dictamnum pota sagittas pellit, *h. e.* herba. Quae dicitur a grammaticis figura *synthesis.* ℙ Denique *centaurus* ap. *Lucr.* 2, 400. herba est eadem, quae *Centaureum.*

[CENTĒMĂLIS, is, adj. ad pungendum aptus, a κεντέω, pungo, unde κέντημα, punctio. *Centemalis* fistula ap. *Veg. Vet.* 1, 43. est instrumentum chirurgicum mulomedicorum, multis foraminibus minutisque pertusum, quo immisso in vulnus humor foras emanat. Hanc Galli vocant *trois-quarts*, Itali *il trequarti*, quod triquetra sit, qua acuta est, cetera teres; hac vero ad paracentesin utuntur chirurgi, in quam impressa acus extrahi et in vulnere relinqui argentea fistula possit. Alii leg. *centimalis* vel *centinalis*, et apud *eund. Veg. ib.* 3, 25. *centralis* in quibusdam editionibus.

CENTĒNĀRĬUS, a, um, adj. qui centum continet ἑκατοστός. *Varr. L. L.* 4, 16. Centuriae, quarum justus centenarius numerus. *Id. R. R.* 3, 6. *in f.* Grex centenarius facile quadragena millia sestertia ut reddat. *Plin.* 7, 20, 19. Centenaria pondera, *h. e.* centum librarum. *Hieron. ep.* 10. *n.* 1. Aetas centenaria. *Lucil.* ap. *Non.* 18, 22. Balistae centenariae, *h. e.* quae saxa pondo centum jaciunt. *Lamprid. Elagab.* 19. Vasa centenaria argentea, *h. e.* e centenis argenti libris conflata. *Tertull. Cor. mil.* 14. Centenariae rosae, *h. e.* centifoliae. *Capitol. Gord.* 32. basilicae, *h. e.* centum pedum. *Front. Aquaed.* 29. et 62. Fistula centenaria, *h. e.* quae habet centum digitos quadratos areae, id est luminis, ut *id. ib.* 29. docet. *Ulp. Dig.* 37, 14, 16. Centenarius libertus, *h. e.* qui centum millia HS possidet, ut *Justin. Instit.* 3, 8, 2. docet. ℙ *Centenariae coenae* dicebantur, in quas lege Licinia certis diebus non plus centussibus, praeter terra nata, impendebatur. *Fest.* et *Tertull. Apol.* 7. V. LICINIUS. ℙ *Centenaria auri* in *Cod. Justin.* 12, 51, 12. sunt centenae librae auri signati, ut contra *Dion. Gotofr.* et *Cujac.* ostendit *Salmas.* ad *Lamprid. Alex. Sev.* 39. ℙ *Centenarii, orum*, dicti sunt aliquando ipsi centuriones. *Veg. Mil.* 2, 13. Centuriones, qui nunc centenarii vocantur. ℙ Fuerunt etiam *Centenarii*, qui ad *Centenae* gradum promoti erant. V. CENTENUS. ℙ [*Centenaria* dicitur insignis illa columna cochlis, quae Romae etiamnum exstat honori M. Aurelii Antonini Imp. dicata, quia altissima est, quippe quae centum et septuaginta pedes Parisinos aequet; nam saepissime numerus centenarius pro maximo indefinitoque usurpatur, ut pluribus argumentis probavit *Car. Fea* ad *Winkelmann. Stor. della scult. T.* 3. p. 351. *F.*]

CENTĒNĬONĀLIS Nummus, de quo mentio fit in *Cod. Theod.* 9, 23, 1. et 2. creditur a quibusdam esse idem, qui centenarius aureus ab Elagabalo primum conflatus, ut docet *Lamprid. Alex. Sev.* 39. Alii autem probabilius putant, fuisse nummum argenteum minutiorem, et usui publico accommodatum, atque adeo parvi valoris, quippe qui centum in singulas argenti libras nummi signarentur, cum prius quatuor et octoginta tantum essent. *In cit. leg.* 2. Centenionalem tantum nummum in conversatione publica tractari praecipimus, majoris pecuniae figuratione submota.

CENTĒNUS, a, um, adjectivum distributivum a centum. *Tac. G.* 6. Centeni ex singulis pagis sunt. *Hirt. B. Alex.* 48. HS centenos militibus est pollicitus. ℙ Extra distributionem. *Cic. Parad.* 6, 3. Capit ille ex suis praediis sexcenta sestertia, ego centena ex meis. *Caes. B. G.* 5, 13. Omnis insula est in circuitu vicies centena millia passuum. ℙ In genitivo plurali fere habet *centenum*: quod de omnibus distributivis licet observare. *Plin.* 7, 49, 50. Centenum annorum censi sunt homines LIV., centenum denum XIV., centenum vicenum quinum II. ℙ In singulari numero. *Virg. A.* 10, 207. centenaque arbore fluctus Verberat, *h. e.* centum remis. *Pers.* 5, 6. centeno gutture niti. *Mart.* 8, 45. Centeno consule. *Stat. Silv.* 4, 4, 43. Centeni judicis hasta, *h. e.* centumvirorum. ℙ *Centenum, i*, n. frumenti genus, idem ac secale. *Edict. Dioclet.* p. 27. Centenum sive secale K. M. unum ✕. *Isid. Orig.* 17, 3. Centenum appellatum, eo quod in plerisque locis jactus seminis ejus in incrementum frugis centesimum renascatur. Hinc *Plin.* 18, 16, 40. Secale nascitur qualicumque solo cum centesimo grano. ℙ *Centena, ae*, f. dignitas, quae dabatur militantibus in sacro palatio, *h. e.* inservientibus in schola *agentium in rebus:* qui centum ex iis, qui agentes in rebus dicebantur, praeerant; et centurionatui in re militari similis erat. Colliguntur haec ex *Cod. Justin.* 12, 20, 4. et ex *Cod. Theod.* 8, 4, 3. et 6, 27, 7. Qui ad hunc gradum erant promoti, *centenarii* dicebantur *cit. leg.* 7. *tit.* 27. etc. ℙ Erat et *ducena* ejus, qui ducentis hujusmodi praeerat, qui *Ducenarius* vocabatur. In *Cod. Justin. l. c.*

CENTĒSĬMO, as, a. centesimum quemque ducta sorte punire. *Capitol. Macrin.* 12. Milites saepius decumavit, aliquando etiam centesimavit: quod verbum proprium ipsius est; cum se clementem diceret, quando eos centesimaret, qui digni essent decumatione, atque vicesimatione.

CENTĒSĬMUS, a, um, ἑκατοστὸς, adjectivum ordinale a *centum:* significat autem ultimum ex centum. *Pl. Mil.* 3, 1, 168. Haud centesimam partem dixi. *Cic. Mil.* 35. *ad f.* Centesima lux est haec ab interitu P. Clodii. *Mart. Dig.* 27, 1, 21. Ultra centesimum lapidem urbis, *h. e.* ultra centesimum milliarium. ℙ *Centesimae calendae* sunt centesimus mensis, qui intra annos octo, et menses quatuor recurrit. *Paul. Dig.* 45, 1, 46. Centesimis calendis dari utiliter stipulamur. ℙ *Centesimae, arum*, erant usurae, in quibus centesima sortis pars, hoc est unum pro centum, singulis mensibus solvebatur, atque adeo duodecim pro centum quotannis; qua ratione centesimo mense usura sortem aequabat. Haec erat usurarum gravissima et veluti as, a qua usurae minores nominibus partium assis appellabantur, *semisses*, *trientes*, *quadrantes* etc. [*Cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 5, 6.] *Cic. Att.* 5, 21. *ad f.* Nihil impudentius Scaptio, qui centesimis cum anatocismo contentus non esset. Nam aut bono nomine centesimis contentus erat, aut non bono quaternas centesimas sperabat. Et *ib.* Centesimas perpetuo fenore ducere. *Senec. Benef.* 7, 10. Sanguinolentae centesimae. ℙ *Centesima, ae*, ἑκατοστὴ, vectigal ab Augusto institutum post bella civilia, aerario militari condendo, quo solvebatur centesima pars cujusque pecuniae, quae ex rebus auctione venalibus redigeretur. Sic *ducentesima* erat tributum, quo ducentesima pars atque adeo dimidio minus pendebatur. *Tac. A.* 1, 78. Centesimam rerum venalium post bella civilia institutam, deprecante populo, edixit Tiberius, militare aerarium eo subsidio niti. *Id. ib.* 2, 42. Fructibus provinciae Cappadociae levari posse centesimae vectigal professus Tiberius, ducentesimam in posterum statuit. Anno itaque U. C. 759. Augustus centesimam urbi et Italiae imposuit, Tiberius an. 768. eam tolli posse negavit, sed postea an. 770. sustulit, et pro centesima ducentesimam substituit, an. 784. idem iterum centesimam induxit, ut affirmat *Dio* 58, 16., at Caligula an. 791. eandem remisit, inducta ducentesima, ut patet ex eod. *Dione* 59, 9.; tandem idem imperator an. 792. etiam ducentesimam remisit, ut constat ex *Suet. Cal.* 16. et ejus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 224. ℙ Antiquius tributi genus fuit illud, cujus meminit *Cic.* ad *Brut.* 1, 18. *ad f.* nempe centesima pars census cujusque, ad alendos exercitus contra M. Antonium. Tributum, inquit *Cic.*, ex centesima collatum, impudenti censu locupletum in duarum legionum praemiis omne consumitur. ℙ Aliquando *centesimus* accipitur pro centuplo, ut cum dicimus, ex agro centesimum fructum percipi, hoc est centies tantum, quantum sementis acceperat. *Plin.* 5, 4, 3. Regio fertilitatis eximiae, cum centesima fruge agricolis fenus reddente terra.

CENTĬCEPS, cipitis, omn. gen. ἑκατονταχάρηνος, centum habens capita. *Hor. Od.* 2, 13, 34. Demittit atras bellua centiceps Aures, *h. e.* Cerberus, cujus furiale centum Muniunt angues caput, ut *Id.* ait. *ib.* 3, 11, 17., vel quia revera centum capita habet, ut *Isaac. Tzetzes* ad *Lycophr.* 678. tradit. *Hesiod.* in Θεογον. *v.* 312. quinquaginta ei tribuit: ceteri poetae tria tantum.

CENTĬES, adv. ἑκατοντάκις, centum vicibus. *Ter. Heaut.* 5, 1, 8. Ut nihil credas intelligere, nisi idem dictum est centies. *Pl. Asin.* 2, 4, 16. Centies eadem imperare. *Cic. Pis.* 35. Sestertium centies et octogies ex aerario tibi attributum, *supple* millia. *Mart.* 5, 70. O quanta est gula, centies comesse! *h. e.* centena millia HS. V. SESTERTIUS. ℙ Legitur et *centiens.*

CENTĬFĬDUS, a, um, adj. qui in centum, vel in plurimas partes finditur, multifidus. *Prud. adv. Symmach.* 2, 888. Daemon adest, qui parte sinistra Centifidum confundit iter.

CENTĬFŎLIA rosa, ἑκατοντάφυλλος, rosa centum, vel plurimorum foliorum. *Plin.* 21, 4, 10. *de rosa.* Paucissima quina folia, ac deinde numerosiora, cum sit genus ejus, quam centifoliam vocant.

CENTIGRĀNĬUM triticum, tritici genus centum grana in culmo habentis. *Plin.* 18, 10, 21. Fertilissima tritici genera, ramosum, aut quod centigranium vocant. *Isid. Orig.* 17, 3. hoc genus tritici *centenum* vocat.

CENTIMALIS. V. CENTEMALIS.

CENTĬMĀNUS, us, m. (ita enim declinari vult *Prisc.* 6, 718.) ἑκατόγχειρ, centum habens manus. *Hor. Od.* 2, 17, 14. Centimanus Gyges. *Ov. Met.* 3, 303. Centimanum dejecerat igne Typhoea.

CENTĬMĔTER, tri, m. qui centum metris utitur, vel qui vario et multiplici metrorum genere carmina componit, qualis fuit *Terentianus Maurus*, de quo *Sidon. carm.* 9, 265. Sed nec centimeter Terentianus, Nec Lucilius hic, Lucretiusque est.

CENTĬMETRUM, i, n. opus de centum metris. *Serv. in Centimetro* ap. *Putsch.* p. 1817. Licet audacter, non tamen ineleganter, hunc libellum, qui voluerit, Centimetrum nominabit.

CENTĬNODĬA herba, centum, vel plurimos habens nodos. *Marcell. Empir.* 31. Plantaginis folia, et herbam centinodiam, et rubi summitatem etc. ℙ Videtur esse polygonon, quod ita dicitur a frequentia geniculorum, ut tradit *Plin.* 27, 12, 91.

CENTĬPĔDA, ae, f. πολύπους, animal e vermibus terrae, pilosum, multis pedibus arcuatim repens, tactuque contrahens se, ab aliis *millepeda*, et *multipeda* dictum. Ita *Plin.* 29, 6, 39. et *Arnob.* 2. p. 79. ℙ *Isid. Orig.* 12, 4. vocat centupedam.

CENTĬPELLĬO, onis, m. ita dicitur alter e ventriculis cervorum, (nam duo habere dicuntur) quod multis constet plicaturis et sinubus, quasi pellibus. *Plin.* 28, 9, 42. Item venter, quem centipellionem vocant.

CENTĬPES, ĕdis, comm. gen. adj. centum, vel multos habens pedes, ἑκατόμπους. *Plin.* 9, 43, 67. Scolopendrae, quas centipedes vocant.

CENTIPLEX, tiplicis. V. CENTUPLEX.

CENTISĬUM milliarium pro *centesimum* edidit *Torrent.* ex Pand. Florent. in *Dig.* 27, 1, 42. Sed

Haloand. et alii *centesimum.* Plane enim *centisium* mendum est.

CENTO, ōnis, m. κέντρων, ωνος, vestis stragula crassior et vilior, ex variis pannis veteribus, ac diversi coloris consuta, qua pauperum lecti sternuntur, ipsique pauperes, ac rustici amiciuntur. *Cato* ap. *Fest.* in *Prohibere.* Servi, ancillae, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit. *Id. R. R.* 59. Quoties cuique tunicam aut sagum dabis, prius veterem accipito, unde centones fiant. *Colum.* 1, 8. Vestitam familiam magis utiliter, quam delicate habeat, munitamque a vento, frigore, pluvia: quae cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis vel sagis cucullis. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 818. Suere centonem. *Cato R. R.* 2. sarcire. ℙ Culcitae quoque loco, in qua cubatur, centonibus utebantur. *Macr. Sat.* 1, 6. *in f.* Scrophae cadaver sub centonibus collocat, super quos uxor cubabat. *Juven.* 6, 121. Intravit calidum veteri centone lupanar. ℙ Vela etiam, quibus ostia domorum claudebantur, centones vocati. *Petr. Sat.* 7. Ut in locum secretiorem venimus, centonem anus urbana rejecit. Quod idem aliis verbis innuit *Mart.* 1, 35. At meretrix abigit testem veloque seraque. ℙ Centones etiam dorso equorum, mulorumque impositos docet *Veg. Vet.* 2, 59. ℙ Centonum usus fuit etiam ad arcendum, vel restinguendum ignem, et in pugna ad telorum ictus excipiendos. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 177. Puppes aceto madefactis centonibus integuntur. *Caes. B. C.* 2, 9. Centones insuper injecerunt, ne aut tela tormentis missa tabulationem perfringerent etc. *Id. ib.* 3, 44. Magnus incesserat timor sagittarum: atque omnes fere milites aut ex coactis, aut ex centonibus tunicas, et tegmenta fecerant. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. Acetum quoque, quod incendii exstinguendi causa paratur, item centones, siphones etc. ℙ *Centones farcire alicui*, proverbii modo significat mendacia multa gloriosa unum post aliud coacervare et congerere. *Pl. Epid.* 3, 4, 18. Proin tu alium quaeras, cui centones farcias. Al. leg. *sarcias.* ℙ Translate dicitur genus carminis ex variis alieni operis hinc inde decerptis versibus, et ad alia significanda traductis consarcinatum: qualis est *Cento nuptialis* compositus ab *Ausonio* ex Virgilianis versibus. Alios quoque centonum auctores, *Probam* et *Pomponium* refert *Isid. Orig.* 1, 38. *in f.* Porro *Auson.* in epist. suo Centoni praefixa rationem universam hujusmodi carminis fusius exponit.

CENTOBRĪCENSIS, e, adj. ad Centobricam pertinens, quae est urbs Hispaniae in Celtiberia, ut Centobricenses machinae. *Val. Max.* 5, 1. *n.* 5.

CENTŌCŬLUS, i, adj. centum, aut multos habens oculos, πολυόμματος, ut Argo centoculus, *Hieronym. in Ezech.* 1, 1. *a med.*

CENTONĀRĬUS, a, um, adj. ad centonem pertinens. *Tertull. Praescr.* 39. Homerocentonas etiam vocare solent, qui de carminibus Homeri propria opera, more centonario, ex multis hinc inde compositis in unum sarciunt corpus. ℙ *Centonarii, orum*, artifices, qui centones consuunt. Horum erant, sicut et ceterorum artificum, instituta collegia, et in oppidis quidem centones suppeditabant ad exstinguendum, si quod oriretur, incendium; in bello autem ad vestes militibus conficiendas, ad tabernacula contegenda ad munienda machinamenta contra ignem, et telorum ictus. Quare saepe cum dendrophoris, tignariis, dolabrariis, scalariis, et ejusmodi fabris, qui exercitum sequi solebant, junguntur, ut videre est in *Cod. Theod.* 14, 8., et in variis antiquis *Inscr.* ap. *Grut.* 36, 11., 45, 8., 161, 4., 322, 4., 358, 6. et alibi. V. *Burm.* ad *Petr. Sat.* 45. ℙ [Item qui centones vendebat. *Inscr.* ap. *Mur.* 946, 1. Ti. Claudius T. L. Syntrophus vestiarius centonarius H. S. E. *F.*]

[CENTONĬUS, a, um, adj. ad centonem pertinens. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1385, 10. M. Atilius Centonius. *F.*]

CENTORES, um, m. plur. populi Scythiae Europeae, fortasse iidem, qui Essedones, quos *Plin.* 6, 7, 7. Colchis junctos facit. *Val. Flacc.* 6, 150. Impulit et dubios Phryxei velleris arbor Centoras.

CENTRĀLIS, le, adj. ad centrum pertinens. *Plin.* 2, 23, 21. Terra centralis intervenit, *h. e.* quae in centro mundi posita est.

CENTRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *centro*, centralis, in centro positus. *Fulgent. Mythol.* 1, 11. Sol ardens cum ad umbilicum diei centratum conscenderit circulum.

CENTRĬAE. V. CENTURIA.

CENTRĪNAE, arum, m. plur. κεντρῖναι, vox Graeca est, qua significatur genus quoddam culilum, fucis apum simile ignavia malitiaque, cum pernicie verorum et utilium culicum, et caprificationi inservientium. Interimunt enim eos, atque ipsi moriuntur. *Plin.* 17, 27, 44.

CENTRONES, um, m. plur. Κέντρωνες, populi incolentes Alpes Grajas, quorum urbs Tarantasia, nunc *Tarantaise. Caes. B. G.* 1, 10., *Plin.* 3, 20, 24. ℙ Alii fuere Centrones, quos cum Grudiis, Levacis etc., conjungit *Caes. B. G.* 5, 39. et sub Nerviorum imperio fuisse dicit. [*In loco *Caes. Centrones* habet *ed. Oudend. B. A.*]

CENTRONĬCUS, a, um, adj. ad Centrones pertinens. *Plin.* 11, 42, 93. Centronicae Alpes.

CENTROSUS, a, um, adj. ad centrum pertinens. *Centrosa scobe* deprehendi gemmas facticias, ait *Plin.* 37, 7, 36., ubi intelligit scobem duriorem, et similem illi, quae eraditur ex nodis arborum et marmorum. Nam in gemmis adulterinis fere inest durities quaedam, et veluti callum, quod in arboribus et marmoribus *centrum* appellatur.

CENTRUM, i, n. κέντρον, Graeca vox, qua significatur pars media circuli, vel globi, punctum a quo lineae ad circumferentiam et superficiem ductae sunt aequales. *Cic. Tusc.* 1, 17. Graece utitur. Latine *Plin.* 2, 15, 13. Terra centrum coeli est. *Id. ib.* 19, 17. Sol in centrum incidens terrae. *Id. ib.* 64, 64. Vergere in centrum. Et exire a centro. *Id.* 18, 29, 69. *n.* 2. Solis terraeque centra. *Vitruv.* 3, 1. centrum circini vocat alterum ejus crus, quod in describendo circulo in centro figitur, et immobile manet, altero circumacto. ℙ Dicitur etiam *centrum* (Italice *nocchio*) pars durior, veluti nodus, seu clavus in marmoribus et arboribus, inimica serris: et in arboribus quidem saepe accidit lapide comprehenso, aut recepto in corpus, aut alterius arboris ramo. Ita *Plin.* 16, 39, 76. *n.* 1. ℙ In gemmis quoque et crystallis centra dicuntur praedurae quaedam partes, simulque fragiliores. *Id.* 37, 2, 10. Infestantur crystalli plurimis vitiis: scabro ferrumine, maculosa nube, occulta vomica, praeduro fragilique centro item sale appellato: quae vero sine vitio sunt, puras esse malunt, acenteta appellantes. *Id. ib.* 9, 39. Sapphirorum inutiles scalpturae, intervenientibus crystallinis centris. ℙ Centrum est etiam foramen κεντήσει, *h. e.* punctione factum. *Capell.* 8. p. 290. Cito superioris vasis, aqua videlicet pleni, centrum aperi, ut simul cum incipiente luna oriri aqua fluere in vas inferius incipiat, et, donec totum corpus appareat, fluat. Sic nempe legendus hic locus; ex eo enim vitiose edito nescio quod *plenicentrum* exsculpserant quidam *Lexicographi.* Centrum itaque est minutulum foramen, ut in clepsydra.

CENTUM, ἑκατὸν, nomen numerale indeclinabile, decies denarium numerum continens. *Hor. Od.* 3, 27, 33. Creta potens centum oppidis. *Caes. B. G.* 1, 29. Eorum, qui domum redierunt, repertus est numerus centum et decem. *Gell.* 16, 4. Menandrum alii centum octo, partim centum novem comoedias reliquisse ferunt. *Id.* 2, 24. Fannius centum aeris constituit, *h. e.* centum asses. *Paul. Dig.* 17, 1, 5. Emere domum centum, *h. e.* centum nummis. Sic *ib.* Vendere fundum centum. Et *mox.* Emere servum decem. *Ov. Met.* 9, 71. de hydra: nec ullum De centum numero caput est impune recisum. ℙ Saepissime accipitur indefinite pro magno aliquo numero, praesertim a poetis. *Hor. Od.* 2, 14, 26. Caecuba servata centum clavibus. Et *ib.* 16, 33. Centum greges. *Id. ib.* 3, 8, 14. Centum cyathos sumere.

*CENTUMĀLUS, i, cogn. Rom., ut Claudius Centumalus ap. *Cic. Off.* 3, 16, 66. *B. A.* [*Cf. *Beier* ad hunc locum.]

CENTUMCĀPĪTA, nomen est herbae, quae Graeca appellatione erynge alba seu eryngium dicitur. *Plin.* 22, 8, 9. Ex his candidam nostri centumcapita vocant. *Id.* 1. *in indice l.* 22. *n.* 9. De centumcapite.

*CENTUMCELLAE vel Centum Cellae, arum, opp. Hetruriae in ora littorali maris Tyrrheni, Trajano imperatori originem debens. Hodie est *Civita Vecchia. Plin. ep.* 6, 31. *Rutil.* 1, 237. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

CENTUMGĔMĪNUS, a, um, adj. *Virg. A.* 6, 287. Et centumgeminus Briareus, *h. e.* centum habens brachia. *Serv.* exponit *centies* duplex. Sed vox *geminus* juncta nominibus numeralibus, fere non duplicat, ut *tergeminus* idem est ac triplex, non sextuplex: *septemgeminus* est septemplex: *quadrigeminus* est quadruplex etc. Sic *Val. Fl.* 6, 118. Centumgemina Thebe, *h. e.* centum habens portas, ἑκατόμπυλος.

CENTUMPĔDĀ, ae, m. centum pedes habens: adeoque firmissimus. Cogn. fuit Jovis, quod vim habeat omnia firmandi et stabiliendi, ut est apud *August. Civ. Dei* 7, 11.

CENTUMPONDĬUM et Centupondium, ii, n. pondus centum librarum et accipitur pro lapide pondo centum, quo in appendendo utebantur. *Pl. Asin.* 2, 2, 37. Ad pedes quando alligatum est aequum centumpondium. ℙ *Cato R. R.* 13. inter instrumenta cellae oleariae ponit *trutinam unam, centumpondium incertum unum et pondera certa.* Id eo autem *incertum* appellat, quia una mole centum libras pendet: atque ita *certis ponderibus* opponitur, quae distincta partitaque sunt, non in unum pondus confusa. Ita *Turneb.* 7, 24. Vel significat indefinite magnum pondus et longe excedens minuta illa pondera, quibus in appendendo utebantur. Fieri enim potest, ut ex consuetudine *centumpondium* appellaretur, licet centum pondo vel non aequaret vel excederet. Itaque hoc dixit *Cato:* praeter certa pondera, quibus in trutina utimur, habendum esse etiam unum magnum pondus, sed incertum et ad libitum. Vel denique intelligit majus quoddam pondus, quod in eadem trutina ad res diversi ponderis appendendas aptum sit, prout in trutinae scapo propius vel longius ab ansa recedit, ut in nostris stateris usuvenit. Quidam, ut refert *Voss.* in *Etymol.* in *As*, legi volunt *incretum*, hoc est indivisum.

*CENTUMPUTĔA vel proprie Centum Putea, Daciae opp. *Tab. Peut. B. A.*

*CENTUMQUINQUAGĒNI vel Centum quinquageni, centum et quinquaginta. *Plin.* 36, 13. Altae (pyramides) centum quinquagenum (pedum). *B. A.*

*CENTUMVIGINTI vel Centum viginti, centum et viginti. *Colum.* 2, 2. Pedum centumviginti. Sic *edd. Gesner.* et *Schneider. B. A.*

CENTUMVĪRĀLIS, le, adj. ad centumviros pertinens, ut centumvirale judicium, *Cic. Caecin.* 18. Centumvirales causae. *Id. Or.* 1, 3. Centumviralis hasta. *Suet. Aug.* 36. V. vocem sequent. [*Suet. *Rhed.* 6. Centumviralis lis.]

CENTUMVĪRI, orum, m. plur. fuerunt judices Romae, qui de rebus privatis judicabant, ut de usucapionibus, tutelis, gentilitatibus, agnationibus, alluvionibus, nexis, mancipiis, parietibus, luminibus, stillicidiis, testamentis, hereditatibus et ejusmodi. *Cic. Or.* 1, 38. *Scaev. Dig.* 5, 2, 13. et *Paul. l.* 5. *sentent. tit.* 16. ℙ Eligebantur terni ex singulis tribubus: quae cum essent trigintaquinque, judices fuerunt centum et quinque; nihilominus quo facilius nominarentur, *Centumviri* dicti sunt. *Festus. Varr. R. R.* 2, 1. *a med.* Si numerus non est ut sit ad amussim, ut non est, cum dicimus mille naves iisse ad Trojam, centumvirale esse judicium Romae. ℙ Postea tamen is numerus valde auctus est. Nam *Plin.* de centumviris loquens 6. *ep.* 33. centum et octoginta sedisse ait, additque in quatuor consilia, seu tribunalia distributos fuisse. Hinc *quadruplex judicium* appellat *ib.* et *ep.* 1, 18. Adde *Quint.* 12, 5. *in f.* ℙ Judicabant itaque ex quatuor tribunalibus: et in unum interdum conveniebant, si causae gravitas poposcisset, ut omnes simul sententiam ferrent. *Plin. cit. ep.* 33. ℙ Instituti sunt simul cum decemviris post institutionem praetoris inter peregrinos, post an. U. C. 513. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. *circa med.* ℙ Causae centumvirales leves habebantur. Cujusmodi potissimum essent, habes ap. *Cic. Or.* 1, 38. Non legimus Ciceronem, vel alium magnum oratorem causas egisse coram centumviris, praeter Asinium Pollionem. Sed Taciti aetate primum locum obtinebant. *Auct. Dial. de Or.* 38., *Plin. ep.* 2, 14. ℙ Dicebantur *praecesse hastae*, ut est ap. *Pompon. l. c.*, quia in foro, in aliqua basilica ponebatur hasta, quotiescumque centumviri convenirent ad judicandum: qua etiam significabatur, summum et populare esse judicium, et supremam illis judicandi potestatem esse commissam. *Mart.* 7, 63. Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum. *Suet. Aug.* 36. Centumviralem hastam cogere, *h. e.* centumviros cogere ad judicandum. *Cic. Or.* 1, 38. *ad f.* Rem aliquam deferre ad centumviros. *Phaedr.* 3, 10. pertrahere aliquem. ℙ Conveniebant fere in basilicam Juliam. *Quint.* 12, 5., *Plin. ep.* 5, 21. ℙ [*Centumviri* etiam appellati fuerunt decuriones in municipiis et coloniis, quia centum numero essent, ut patet ex *Cic. Agr.* 2, 35. Huc isti decemviri, cum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, sex pontifices constituerint etc. Aenea vero tabula, quae etiamnum exstat in *Mus. Flor.*, et a *Fabr.* p. 599. *n.* 9. allata, album continet decurionum Canusinorum, qui, exceptis patronis et praetextatis, centum tantummodo in eadem recensentur. *Inscr.* ap. *eund.* p. 170. *n.* 314. Centumviri municipii Augusti Vejentis Romae in eadem Veneris Genetricis cum convenissent, placuit universis etc. *Alia* ad idem municipium pertinens ap. *Morc. De stil. Inscr.* 1, 135. *ed. Patav.* Caesiae Sabinae Cn. Caesii Athicti, haec sola omnium feminarum maaribus G. VIR*orum*, et sororibus, et filiabus, et omnis ordinis mulieribus municipibus epulum dedit etc. Alia in *Mem. Rom. di antich, e belle arti* T. 1. p. 53. Cn. Caesio Athicto adlecto inter C. Vir. omnib. honorib. exornato Augustales municipii Aug. Vejentis ex aere conlato H. C. *F.*]

CENTUNCŬLUS, li, m. parvus cento, stragulum vel vestis e centunculo facta. *Liv.* 7, 14. Mulis strata detrahi jubet binisque tantum centunculis relictis etc. *Senec. ep.* 80. Dormire in centunculo. Quidam perperam leg. *coenaculo. Appul. Met.* 7. Centunculis disparibus et male consarcinatis semiamictus. *Id. ib.* 1. Sutili centunculo faciem obtegere. V. CENTO. ℙ [*Centunculus* videtur etiam appellata multicolor illa vestis sannioni propria, quem Itali *zanni* et Galli *harlequin* dicunt. *Id. Apol.* Quid enim si choragium thymelicum possiderem; num ex eo argumentarere etiam, uti me consuesse tragoedi syrmate, histrionis crocota, mimi centunculo? ℙ *Centunclum*, *i*, n. ephippium, sive dorsuale, quo equus sternitur, cuique eques

insidet. *Edict. Dioclet.* p. 21. Centunclum equestre coactile album sive nigrum librarum trium denarios centum: centunclum ornatum auro ponderis suprascripti ℔ CC. quinquaginta. ℙ Est etiam centunculus herba in arvis jacens, foliis ad similitudinem capitis paenularum, *h. e.* cuculli, egregii effectus ad sistendam alvum: Graece clematis, *κληματίς*. *Plin.* 24, 15, 88. *F.*]

CENTŪPLEX, uplicis, adj. *ἑκατονπλασίων*. *Pl. Pers.* 4, 4, 11. Centuplex murus rebus servandis parum est. *Prud. Cathem.* 7, 220. Ditatque fructus fenerantem centuplex. Opt. edit. habent *centiplex*.

CENTŪPLĬCĀTO, adv. *ἑκατονπλασίως*. *Plin.* 6, 23, 26. India merces remittit, quae apud nos centuplicato vaeneant.

CENTŪPLĬCĀTUS, a, um, part. ab inusit. *centuplico*, *ἑκατονπλασίων*, centuplex. *Prud. contra Symmach.* 2, 1050. solertia centuplicatos Agrorum redigit fructus. Adde *Fulg. Mythol.* 1, 9.

CENTUPONDIUM. V. CENTUMPONDIUM.

CENTŪRĬA, ae, f. *ἑκατοντάς*, multitudo centum rerum. In re agraria *centuria* est ducentorum jugerum modus. Olim ab centum jugeribus vocabatur centuria: sed postea duplicata nomen tamen retinuit, ut *Varr. L. L.* 4, 4. et *Colum.* 5, 1. docent. *Siculus Fl. de condit. agror.* ap. *Goes. p.* 15. tradit, ex eo dictas *centurias*, quod antiqui Romani agrum ex hoste captum victori populo per bina jugera partiti, centenis hominibus ducentena jugera dederunt. Confirmat *Fest.* in *Centuriatus*. *Varr. R. R.* 1, 18. Si quis habebit centuriam, quae sit dimidium vineti, dimidium oliveti etc. ℙ Non in omnibus tamen regionibus idem modus centuriis assignabatur. Nam alibi L. jugerum, alibi CCX., alibi etiam CCCC. secundum agri amplitudinem, centurias fuisse constat ex *Hygin. de limit. constit.* p. 154. *Goes.* ℙ In re militari *centuria* est centum equitum numerus. Romulus enim tres equitum turmas conscripsit, quae centenos homines haberent, quibus in bello uteretur, ut *Liv.* 1, 13. narrat. Hae Ramnensium, Tatiensium et Lucerum nomine appellatae sunt. Postea crescente Romano populo, numerus quoque harum auctus est, sed appellatio mansit, ut ex eodem *Liv. ib.* 36. et 43. colligitur. ℙ Praeter has tres centurias, aliae plures fuerunt in exercitu, ex centenis aut etiam pluribus vel paucioribus militibus pro majore vel minore legionis numero. Cohortes enim in centurias dividuntur: hae in contubernia. Fere autem dicuntur de peditibus, sicut *turmae* de equitibus. *Veg. Mil.* 2, 13. et 14., *Cincius* ap. *Gell.* 16, 4., *Varr. L. L.* 4, 22. ℙ Populus quoque Rom. universus quemadmodum in tribus et curas, ita et in centurias dividebatur. Nam Servius Tullius cives omnes in sex classes distribuit, has in centum nonaginta tres centurias, habita ratione census, quem eodem tempore primus egit. In his separavit divites a pauperibus, juvenes a senioribus, ut hi domi urbem custodirent, illi foris bellum gererent, si quando ingrueret; omnibusque sua assignavit arma. Addidit et fabrum centurias, qui, quae in bello opus essent, fabricarentur. Equitum quoque centurias duodecim descripsit primisque sex illis, quarum tres Romulus instituerat, tres alias addiderat Tarquinius Priscus, adjecit. Hinc factum est, ut prima classis civium Romanorum constaret decem et octo centuriis equitum et octoginta peditum, quorum dimidium seniorum, alterum juniorum; secunda classis centuriis viginti, seniorum juniorumque et duabus fabrum; tertia viginti tantum eodem discrimine; quarta itidem viginti et duabus tibicinum et cornicinum; quinta triginta, sexta vero unica centuria ex infima et inopi plebe proletariorum et capitecensorum. Haec ita constituta primitus fuisse, affirmant *Liv.* 1, 43. et *Dionys. Halic.* 4, 16, 20., ubi plura de hac re. *Hor. A. P.* 341. Centuriae seniorum agitant expertia frugis. ℙ [Post annum vero U. C. 513., quo, teste *Liv.* 19, 66., numerus quinque et triginta tribuum expletus est, mutata fuit, sive statim sive aliquanto post, haec centuriarum distributio, aliusque earundem numerus in classibus factus, quam antea fuerat. Nam ita XXXV. tribubus accommodatae sunt centuriae, duplicato harum numero, ut, qui in quaque tribu censu essent maximo, in duas centurias, alteram seniorum, juniorum alteram, conjungerentur atque ideo, binis centuriis e singulis tribubus ad primam classem constituendam delectis, ea classis jam centurias LXX. haberet peditum, equitum XVIII. et unam fabrum tignariorum, hoc est centurias LXXXIX., reliquae vero centuriae CIV. in alias quinque classes distributae integrum CXCIII. centuriarum numerum explebant. Quo factum est, ut, si LXXXIX. centuriis, quibus prima classis constabat, octo solae centuriae secundae classis accederent in suffragiis dandis, confecta esset vis populi universa et reliqua multitudo XCVI. centuriarum neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset, nec valet nimis, ne esset periculosum. Haec ex *Liv.* et *Dion. Halic. l. c.*, tum maxime ex *Cic. De republ.* 2, 22. rectissime statuit *Godofr. Herm.* in *epist.* praem. editioni *Cic. De republ.* Lips. 1823., quam *Ferdin. Steinack.* curavit. Locum *Cic.* modo *cit.* irrito conatu emendasse sibi visus est *B. G. Niebuhr.* in adnotat. principi Romanae editioni addita, cum potius corruperit; at recte *A. Majus* edidit codicis lectionem, quam utinam secutus fuisset nuperus ap. nos Italus interpres *Petr. Odescalchius V. C. F.*] Secundum hanc divisionem admissus est populus ad suffragium in iis comitiis ferendum, quae inde *centuriata* dicta sunt, ut scilicet quisque suffragium daret in ea centuria, in qua census esset. V. CENTURIATUS, a, um. *Cic. Manil.* 1. Ter praetor primus centuriis cunctis renunciatus sum. *Id. Or.* 2, 64. Cum ex centuria sua renuntiaret Acidinum consulem. *Id. in Senat.* 11. Eaedem centuriae, quae me consulem fecerant. *Id. Fam.* 11, 16. *in f.* Cum equitum centurias tenes, in queis regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat. *Liv.* 10, 13. Populus suffragia inibat: et ut quaeque intro vocata erat centuria, consulem haud dubie Fabium dicebat. *Cic. Planc.* 20. Ferre centuriam praerogativam, *h. e.* ejus suffragium obtinere. V. PRAEROGATIVUS. *Id. Agr.* 2, 13. Ornare decemviros mulis, tabernaculis, centuriis, supellectili, *h. e.* instruere centuriis fabrum. Ita suspicatur *Graevius.* Nam *Manut.* et *Turneb.* ignorare se fatentur, quid a *Cicerone* significetur. Et ille quidem *canteriis*, hic vero *tentoriis* fortasse legi posse, autumant. *Merouvill.* interpretatur, comitatum eorum, qui decemviros stipare debebant. [*Schützius* vero putat *tentoriis* glossam esse, ex quo deinde factum sit *centuriis*, itaque vocem delevit. Quod fecit fretus auctoritate *Liv.* 42, 1. Magistratus mulis, tabernaculis et omni alio instrumento militari ornabantur. *F.*] Ap. *Veg. Vet.* 1, 25. leguntur *centuriae hoc est musculi brachiolares* in jumentis, ubi *Sambucus* monet in suis MSS. haberi *centriae:* quas quidam putant esse *ἀπὸ τοῦ κεντεῖν*, et significare loca, ubi calcaribus equi stimulantur.

CENTŪRĬĀLIS, le, adj. ad centuriam pertinens: ut *centurialis civis*, qui alicui centuriae adscriptus est ad suffragium ferendum. *Fest.* in *Ni quis scivit.* Sic *centuriales lapides* ap. *Var. Auct. de limit.* p. 298. *Goes.* sunt lapides terminales in agrariis centuriis positi.

CENTŪRĬĀTIM, adv. per centurias, *καθ' ἑκάστην ἑκατοντάδα*. *Caes. B. C.* 1, 76. Centuriatim producti milites idem jurant. *Liv.* 6, 20. *a med.* In campo Martio cum centuriatim populus citaretur. *Cic. Flacc.* 7. Tributim et centuriatim descriptis ordinibus. ℙ Translate *Pompon.* ap. *Non.* 1, 63. Continuo ad te centuriatim current, qui panem petent, *h. e.* turmatim, magno numero.

CENTŪRĬĀTĬO, onis, f. actus centuriandi. *Sicul. Flacc. de condit. agror.* ap. *Goes.* p. 16. Alii dicunt perticam, alii centuriationem, alii metationem, *h. e.* formam, et divisionem agrorum per centurias. *Hygin. de limit. constit. ib.* p. 206. Agri deducebantur per centuriationem.

CENTŪRĬĀTUS, a, um, part. a *centurio*, in centurias divisus. *Liv.* 22, 38. Equites decuriati, centuriati pedites. ℙ Festive *Pl. Mil.* 3, 2, 2. Eripiam ego hodie concubinam militi, si centuriati bene sunt manipulares mei, *h. e.* bene dispositi atque instructi. Ironice *Id. Curc.* 4, 4, 29. Miles pulcre centuriatus expuncto in manipulo, *h. e.* deceptus. Nam si manipulus expunctus erat, nullae erant centuriae, in quas manipulus dividebatur, ut *Cincius* ap. *Gell.* 16, 4. docet. ℙ *Mulus centuriatus* dictus est, quo cujusque centuriae sarcinas transvehebant. Nam soluta veteri disciplina, coeperant muli deputari, qui militum onera ferrent. *Aurelian. in epist.* ap. *Vopisc. in ejus Vita* 7. Capitum animalis non vendat: mulum centuriatum communiter curet. ℙ *Centuriata comitia* erant, in quibus populus per centurias distributus suffragium ferebat: erantque omnium maxima, quia in his universi cives intererant, non solum qui in Urbe, sed etiam qui in agris et in urbibus foederatis, quibus data fuisset civitas cum jure suffragii, iis tantum exceptis, qui a censoribus notati, ac jure suffragii privati fuissent. Nam in *tributis* comitiis soli plebeji, exclusis patribus, conveniebant: in *curiatis* ii tantummodo, qui Urbem incolebant. Porrò in comitiis centuriatis creabantur majores magistratus, et rex sacrorum; confirmabantur leges a majoribus magistratibus latae, bellum indicebatur, et judicia quaedam majoris momenti exercebantur. Fiebant autem extra urbem in campo Martio consularibus auspiciis consecrato. *Messala* ap. *Gell.* 13, 15. et *Lael. Felix* ap. *eund.* 15, 27., *Fest.* in *Populi*, et alii. *Cic. in Senat.* 11. Quo die nos comitiis centuriatis, quae maxime majores comitia justa dici haberique voluerunt, arcessivit in patriam. *Id. Phil.* 1, 8. Ferre aliquid ad populum comitiis centuriatis. *Id. Agr.* 2, 11. Lex centuriata, *h. e.* centuriatis comitiis confirmata. ℙ Joculariter *Pl. Pseud.* 4, 7, 134. Pseudolus mihi centuriata habuit capitis comitia, *h. e.* consilia habuit in caput meum omnibus artibus instructissima et callidissima. *Cic.* quoque *Leg.* 3, 19. *a med.* vocat *comitia capitis*, in quibus de capite civis rogatur: et *privilegii*, in quibus fertur lex in privatos homines. ℙ *Centuriatus ager* est in centurias, hoc est in ducenta jugera definitus, quia Romulus centenis civibus ducenta jugera tribuit. V. CENTURIA. *Fest.* et *Sicul. Flac. de condit. agror.* ap. *Goes.* p. 23.

CENTŪRĬĀTUS, us, m. divisio et distributio in centurias, *καταλοχισμός*. *Liv.* 22, 38. Ubi milites ad decuriatum, aut centuriatum convenissent, sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites conjurabant. ℙ Item centurionis dignitas, *ἑκατονταρχία*. *Cic. Manil.* 13. Cujus in exercitu vaeneant centuriatus. Adde *Pis.* 36. et *Suet. Gramm.* 24.

CENTŪRĬO, as, a. 1. *καταλοχίζω*, *καταιάττω*, milites in centurias distribuo. *Cic. ad Quirit.* 5. Cum homines in tribunali Aurelio palam conscribi, centuriarique vidissem. *Id. Att.* 16, 9. Centuriat Capuae, dinumerat. *Liv.* 6, 2. et 25, 15. Centuriare juventutem et seniores. ℙ *Centuriare milites in cohortes* ap. *Aurel. Vict. Epit.* 14. est in cohortes adlegere, cohortibus inserere. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 8. Juventus Rom., ne acies nostra jam inclinata propelleretur, equis delapsa seipsam centuriavit, *h. e.* tanquam si pedites essent, centuriatim pugnavit. ℙ *Centuriare agrum* est limitibus includere, et in centuriam redigere. *Hygin. de limit. constit.* p. 195. *Goesii.*

CENTŪRĬO, onis, m. *ἑκατοντάρχης*, qui centuriae praeest. In exercitu Romanorum plures fuerunt centuriones, qui singulis ordinibus praeerant. Legio enim in decem cohortes divisa erat: hae in ordines ternos, quorum praefecti centuriones dicti sunt. Qui triariorum primus centurio erat, aliis dignitate antestabat, et consilii particeps fiebat, vocabaturque *primipilus*, seu *primipili centurio*: qui secundus, *secundi triarii centurio;* qui tertius, *tertii triarii centurio.* Qui primus hastatorum, dicebatur *primi hastati centurio*, etc., qui primus principum, *primus princeps*, et sic de reliquis. V. *Sigon. l.* 2. *de antiq. jure Provinciar.*, *Manut. de quaest. per epist.*, *Lips. de milit. Rom. l.* 2. *dial.* 8., *Rosin.* 10, 7. et alios. *Cic. Balb.* 15. L. Marcius primipili centurio. *Suet. Tib.* 60. Primarum cohortium centurio. *Plin.* 14, 1, 3. Centurionum in manu vitis, et opimo praemio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis poenam ipsam honorat. *Hor. Sat.* 1, 6, 73. pueri magnis e centurionibus orti, *h. e.* parentibus bello claris, nobilibus et divitibus. ℙ *Centurio nitentium rerum* ap. *Ammian.* 16, 6. dicebatur magistratus ille, cui veterum monumentorum cura et custodia demandata erat. Quamvis autem hujus muneris ac magistratus mentio primum occurrat apud hunc auctorem, qui saeculo IV. scripsit, antea tamen, ac fortasse ipsius Augusti temporibus, institum fuisse, optime probant qui Artium historiam illustrarunt, ac de signorum usu, aetate hac nostra scripserunt. Hic igitur *Centurio* (qui postea *Tribunus* dictus est, ac tandem *Comes*) noctu per urbem cum militibus vagabatur, ut a veteribus monumentis dolus malus abesset; cavebatque, praecipue, ne quis signa, quae in urbe frequentissima erant, frangeret, avelleret, asportaret. ℙ *Quint.* 1, 5. tradit olim a quibusdam scriptum fuisse *chenturio:* quod et vitium illi simile, quod reprehendit *Catull.* 84. in Arrio, qui *chommoda*, et *hinsidias* dicebat.

CENTŪRĬONĀTUS, us, m. 4. est recensio et cognitio de centurionibus, ap. *Tac. A.* 1, 44. Centurionatum inde egit.

*CENTURIONES, locus Galliae Narbonensis, ad montes Pyrenaeos. *Anton. Itin B. A.*

[CENTŪRĬONĬCUS, a, um, adj. ad centurionem pertinens. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 243, 4. Sex. Pilonius Sex. F. Ste. Modestus militavit in Leg. VII. C. P. F., et VIII. Aug. XI. C. P. F., I. Miner. P. F. stipendis centurionicis ann. XVIII. Ita legit *Barptol. Borghesius*, cum in lapide exstet tantummodo *stipendis centurioni ci.... XVIII. F.*]

CENTŪRĬONUS antea, qui nunc *centurio;* et *curionus*, et *decurionus* dicebantur. *Festus.*

CENTŪRĬPAE, arum, f. plur. *τὰ Κεντόριπα*, oppidum Siciliae ad radices Aetnae montis, apud Adranum fluvium, nunc *Certolibi. Sil.* 14, 204. necnon et vertice celso Centuripae. [*In h. *Silii* loco quaedam edd. CENTURIPE habent. *B. A.*] *Plin.* 31, 7, 41. Sal Centuripis purpureus est.

[CENTŪRĬPĒTĀNUS, a, um, adj. idem ac Centuripinus *Not. Tir.* p. 139. *F.*]

CENTŪRĬPĪNUS, a, um, adj. ad Centuripas pertinens. *Cic. Verr.* 2, 2, 49. Centuripini legati. *Plin.* 21, 6, 17. Centuripinum crocum. ℙ *Centuripini, orum*, sunt ejus oppidi incolae. *Cic. Verr.* 2, 4, 23. *Plin.* 3, 8, 14.

CENTUSSIS, is, m. summa pecuniae centum assium. Neque enim fuit nummus signatus, sed usu tantum sermonis usurpatus. Erat haec summa pecuniae appellatio ab asse derivata: ultra quam, si vellent majorem vim exprimere, ad alia pecuniarum nomina confugiebant, ut ex *Varr. L. L.* 4, 36. colligitur. *Pers.* 5, 191. Et centum Graecos curto centusse licetur. *Varr.* ap. *Gell.* 15, 19. Illum qui norunt, volunt emere millibus centum: te, qui novit, nemo centussis. Al. leg. *centussi*, sed *Graevio*, et *Gronov.* repugnantibus. *Festus* in *Pecula-*

tus: Tarpeja lege cautum est, ut bos centussibus, ovis decussibus aestimaretur. ℙ *Lucil.* ap. *Macr. Sat.* 2, 13. festive *legem centussis* appellat legem Fanniam, qua cavebatur, ne quis ultra centum asses in coenam impenderet. Adde *Gell.* 2, 24.

CEOS, insula eadem quae Coos. *Plin.* 11, 22, 26. V. CEA.

CEPA, etc. V. CAEPA.

CĒPAEA, ae, f. *κηπαία*, herba similis portulacae, nigriore radice, sed inutili, nascens in litoribus arenosis, gustu amara. *Plin.* 26, 8, 52.

*CEPERARIA, ae, locus vel opp. Judaeae. *Anton. Itin. B. A.*

CĒPHALAEA, ae, f. *κεφαλαία*, dolor capitis inveteratus: a *κεφαλή*, caput. *Plin.* 20, 13, 51. de ruta: Capitis dolores lenit pota cum vino, aut cum aceto et rosaceo illita. Si vero sit cephalaea, cum farina hordeacea. Adde *Coel. Aur. Tard.* 2, 1. ℙ Videtur etiam esse adjectivum in illo *Lucil.* ap. *Gell.* 10, 20. abdomina thynni Advenientibu' priva dabo cephalaeaque carne. Vel, ut legit *Turneb.* 14, 18., carnem et cephalaeam. Sed alii reponunt *cephalaeaque*, *acarne*, ita ut hae duae voces dependeant ab aliquo verbo sequenti, quod *Gell.* non retulerit. Hac porro ratione *cephalaea*, seu *cephalea*, erit vel genus quoddam piscis, fartasse cephali, vel caro ex capite. Verum haec omnia incerta sunt, et sola eruditorum conjectura nituntur.

[CĒPHALAEOTA, ae, m. *κεφαλαιώτης*, capitationis exactor. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 11, 24, 6. Nequaquam cephalaeotis, irenarchis, logographis, publicis functionibus denegatis, nisi quid ex his, quae exigenda sunt, vel negligentia, vel contemptus distulerit. *F.*]

CĒPHALALGIA, vel Cephalargia, ae, f. *κεφαλαλγία*, dolor capitis: a *κεφαλή*, caput, et *ἄλγος*, dolor. Speciatim a medicis accipitur pro diuturno dolore capitis, ut est ap. *Scrib. Compos.* 99 et 206., qui tamen Graecis litteris vocem ipsam usurpat: sed Latine adhibet *Plin. Valer.* 1, 3., item *Aemil. Macer. c. de acidula*, qui etiam paenultimam corripit. ℙ Putant quidam, mendum esse, si *r* post tertiam syllabam ponatur pro *l:* esse enim ab *ἄλγος*. Alii contra recte per litteram *r* scribi defendunt, quod Attici *λ* in *ρ* libenter mutent (unde et *ποδαργία* legitur pro *ποδαλγία*), et quod ita constanter legatur tum Latine in allatis scriptoribus, et praeterea in *Veget. Veterin.* 1, 25., tum Graece ap. *Scrib. l. c.* Tutius tamen erit *cephalalgia*, adstipulante *Jo. Rhodio* ad *Scrib. Compos.* 99.

CĒPHALALGICUS vel Cephalargicus, a, um, adj. *κεφαλαλγικός*, qui cephalalgia laborat. *Veget. Veter.* 1, 25.

CEPHALARGIA, CEPHALARGICUS. V. CEPHALALGIA *cet.*

CĒPHALEA. V. CEPHALAEA.

CĒPHALICUS, a, um, adj. *κεφαλικός*, ad caput pertinens: a *κεφαλή*, caput: et dicitur de iis, quae ad capitis morbos sanandos faciunt; ut *Cephalicum emplastrum*, apud *Cels.* 5, 19. *in titulo n.* 7., qui tamen in ipso textu Graece scribit.

CĒPHALLĒNES, um, m. plur. Cephalleniae insulae homines. *Sil.* 15, 305. Saxa Cephallenum, et scopulosis Neriton arvis. ℙ Legitur et *Cephalenes.*

CĒPHALLĒNIA, ae, f. *Cefalonia*, *Κεφαλληνία*, insula maris Ionii, quondam Melaena dicta, postea sic appellata vel a Cephalo Deionei, vel a Cephalo Amphitryonis socio, qui in ea regnarunt. *Plin.* 4, 12, 19. ℙ Scribunt et *Cephalenia.* ℙ Est etiam hoc nomine urbs Thraciae, quae et *Same* dicitur. *Serv.* ad *A.* 7, 207.

CĒPHALLĒNĪTAE, arum, m. plur. Cephalleniae incolae, ut *Cephallenitarum oppidum* ap. *Serv.* ad *Ecl.* 8, 68.

CĒPHALO vel Cephalon, onis, m. *ἐγκέφαλον*, palmae planta. *Pallad.* 5, 5. Planta palmarum, quam cephalonem vocamus. ℙ Est etiam cogn. Rom. et idem fortasse significat, ac capito, *h. e.* magno capite praeditus. *Inscr.* ap. *Grut.* 106, 13. Q. Sertorius Cephalo. Alia ap. *Mur.* 676, 7. M. Asonio Cephaloni.

[CĒPHALOEDĬAS, adis, adj. f. ad Cephaloedin pertinens, Siciliae oppidum. *Sil.* 14, 252. Quaeque procelloso Cephaloedias ora profundo Caeruleis horret campis pascentia cete. *F.*]

[CĒPHALOEDĪTĀNUS, a, um, adj. ad Cephaloedium seu Cephaloedin pertinens, [**Ptolem. Κεφαλοιδίς.*] Siciliae oppidum inter Halesum et Himeram amnes, nunc *Cefalù*, memoratam a *Plin.* 3, 8. Oppida, Panhormum, Solus, Himera cum fluvio, Cephaloedis, Aluntium, Tyndaris colonia. *Cic. Verr.* 2, 3, 43. Tyndaritanam nobilissimam civitatem, Cephaloeditanam, Aluntinam perditas esse hac iniquitate decumanorum intelligetis. *Prisc. gramm.* 2, 596. A Cephaloedio Cephaloeditanus, a Drepano Drepanitanus. *F.*]

*CEPHALONNĒSOS, i, f. insula apud Tauricam Chersonesum, in sinu Carcinite, cum oppido cognom. *Plin.* 4, 13. *B. A.*

CĒPHALOTES, ae, m. capitatus: a *κεφαλή*, caput. *Seren. Sammon.* 23, 427. Ac thymbrae speciem, quam commemorant cephaloten. *Plin.* 32, 10, 44. hanc herbam vocat *cunilam capitatam.*

*CEPHALOTOMI, orum, pop. Asiat., inter Colchos. *Plin.* 6, 5. *B. A.*

CĒPHALUS, i, m. *Κέφαλος*, filius, vel nepos Aeoli, filius Deionei, vel Mercurii et Creusae, venator insignis. Procrin Erechthei, seu Erichthei, Atheniensium regis, vel Pandionis secundum *Hygin.*, vel secundum *Serv.*, Iphicli filiam, Orithyiae sororem in uxorem habuit. Sed non minus etiam diligebatur ab Aurora, a qua, cum venaretur, raptus est. Cum ille foedus conjugale excusaret, Aurora irata vaticinata est, futurum, ut Cephalus Procrin non habuisse vellet. Dubitans Cephalus de uxoris fide, habitu mercatoris sumpto, faciem Aurora mutante, uxorem donis sollicitare statuit. Diu repulsus est. Sed augendis muneribus Procrin dubitare coegit. Illa victa pudore, ubi se Cephalus indicavit, in silvas fugit, et Dianae comitem se adjunxit. Sed paulo post Cephalo veniam orante in urbem regressa est, et viro dona dedit Laelapam canem, cui fatis datum fuerat omnes feras currendo superare, et jaculum omnia contingens, quae vellet. Circa meridiem Cephalus venatum in silvas ire solebat sine famulis, sine equis, sine canibus, solo armatus jaculo, et cum satiatus caede ferarum esset, repetere frigus et umbras, et auram invocare. Audiens nescio quis nomen aurae saepe vocatum putavit esse nymphae, et Procri nuntiavit, nympham a Cephalo amari. Postero die Procris furtim virum in silvam secuta est, ut ipsa videret, an alteram amaret, seque venatione peracta inter virgulta abscondit. Cum maritum auram vocantem audisset, movit se paulum. Quod Cephalus sentiens, feram ratus, jaculum immisit, atque ita insciens uxorem interfecit. Aliqui scripsere, Laelapam canem, et duo jacula dono data Cephalo fuisse ab Aurora: aliqui etiam Cephalum ex Aurora, vel ex Aura filium Hesperum suscepisse. De cane Laelapa, et fera quadam, quae item invincibilis erat, *Ovidius* narrat, eos inter se certavisse apud Thebas, cumque Cephalus jaculum in feram immissurus esset, in lapides a Jove fuisse conversos. Sed alii omnes fabulantur, Laelapam in coelum translatum esse, dicique Canem Sirium, vel majorem. *Ov. Met.* 7, 665. et sqq., *Hygin. fab.* 160 et 189. et *Astron.* 2, 35. et *Serv.* ad *A.* 6, 665.

*CEPHALUS, i, m. *κέφαλος*, alieno nomine mugil, a capitis magnitudine. *Plin.* 9, 17 et 42. *B. A.*

CĒPHĒIS, idis, f. filia Cephei, hoc est Andromeda. *Ov. A. Am.* 3, 191. Alba decent fuscas: albis, Cephei, placebas. Adde *Manil.* 1, 426.

CĒPHĒĬUS, a, um, adj. ad Cepheum pertinens. *Ov. Her.* 15, 33. et 3. *Am.* 3, 17. et *Prop.* 1, 3, 3. Andromede Cepheia. *Ov. Met.* 4, 668. Aethiopum populos, Cepheia conspicit arva.

CĒPHĒNES, um, m. plur. *κηφῆνες*, fuci, apes imperfectae et inutiles operi, nisi quod multitudine, quae calorem confert, fetum adjuvant. *Plin.* 11, 16, 16. ℙ Sunt etiam hoc nomine populi Aethiopum, sub Cepheo rege. *Ov. Met.* 4, 763. et *ib.* 5, 97.

CĒPHEUS, i, m. disyllab. *Κηφεύς*, Phoenicis vel Agenoris filius, maritus Cassiopes, pater Andromedae, rex Aethiopum. Cum Andromeda a patre desponsa fuisset Perseo, qui eam a Ceto liberaverat, in ipso nuptiali convivio Phineus Cephei frater, cui illa antea promissa fuerat, Perseum cum sociis occidere tentavit: quare cruenta pugna commissa fuit, in qua post multorum caedem, Phineus cum suis in lapidem, objecto Medusae capite, versus est. Cepheus, qui fratrem omni vi, licet frustra, ab eo facinore impedire conatus fuerat, post mortem in coelum una cum conjuge, filia et genero translatus est factumque sidus constans, secundum *Hygin.* stellis XIX., secundum alios XI. vel XVII. Alii dicunt ipsum quoque in necem Persei conspirasse et ab eo in lapidem mutatum fuisse. Situs est in parte Boreali prope ipsum polum arcticum secaturque medius ab arctico circulo: vertice attingit viam lacteam, pedibus paene caudam minoris Ursae. Ante se habet sidus uxoris: figuraturque manibus utrisque projectis. *Ov. Met.* 5, 1., *Hygin. fab.* 64. et 2., *Astron.* 9. et 3., *ib.* 8., *Cic. Tusc.* 5, 3. et *Manil.* variis in loc. *Ov. ib.* 4. Exierat Cepheus, testatus jusque fidemque. Et *ib.* 42. Et sunt qui Cephea dicant Cum genero debere mori. ℙ Alius fuit Cepheus Arcas filius Alei et Cleobules, unus ex Argonautis. *Hygin. fab.* 14. ℙ Genitivus *Cepheos* paenultima producta, *Κηφῆος* Ionice pro *Κηφέος. German. Arat.* 189. minor utraque jungit Regula Cepheos vestigia.

CĒPHĒUS, a, um, adj. *Κηφεῖος*, ad Cepheum pertinens, Aethiopicus. *Prop.* 4, 6, 78. Cepheam hic Meroen fuscaque regna canat.

*CEPHIS, nobilis statuarius. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

CĒPHISĬAS et Cephissias, adis, f. adj. ad Cephisum amnem pertinens. *Ov. Met.* 7, 438. Vidit et immitem Cephisias ora Procusten, *h. e.* ea regio, quam Cephisus alluit. ℙ Est etiam hoc nomine lacus in Africa juxta Mare Atlanticum, qui a sole excalfactus, e limo dat electrum fluitans. *Plin.* 37, 2, 11.

CĒPHISIS et Cephissis, idis, f. adj. idem quod Cephisias. *Ov. Met.* 1, 369. adeunt pariter Cephisidas undas.

CĒPHĪSIUS et Cephissius, a, um, adj. *Κηφίσιος*, ad Cephisum pertinens. *Ov. Met.* 3, 351. Jamque ter ad quinos unum Cephisius annum Addiderat, *h. e.* Narcissus Cephisi filius. ℙ *Cephisia*, *ae*, *Κηφισία*, est locus in Attica, ad Cephisum amnem. *Gell.* 18, 10. ℙ Item fons in eadem regione. *Plin.* 4, 7, 11,

*CEPHISSODORUS, i, pictor insignis, de quo *Plin.* 35, 9. ℙ Item statuarius nobilis, Praxitelis filius. *Id.* 36, 5. *B. A.*

*CEPHISSODŌTUS, i, duorum statuariorum insignium nomen fuit. *Plin.* 34, 8. Cephissodoti duo fuere. Sic *ed. Hard.* nam *ed. Elz.* habet *Cephissodori. B. A.*

CĒPHĪSUS et Cephissus et *Graeca terminatione* Cephisos, i, m. 2. *Κηφισός*, fluvius Graeciae, qui oritur in Doride prope Lilaeam urbem, deinde auctus Mela fluvio Elataeam Phocidis urbem rigat, postea per Cherroneam in Boeotiam labitur et cadit in Copaidem lacum, qui ab eo *Cephissides* aliquando dictus fuit; mox per cuniculum exsiliens in Euripum se exonerat prope Larimam oppidum. Aquae Cephisi fatidicae a *Luc.* 3, 175. dictae sunt ob Themidis oraculum vicinum. ℙ In fabulis est, Cephisum cum Liriope nympha concubuisse et Narcissum genuisse. *Ov. Met.* 3, 343. clausaeque suis Cephisos in undis Vim tulit. Adde *Stat. Th.* 7, 340. ℙ *Cephissus* alter fluvius Atticae, qui juxta Athenas fluit ad occ. et in sinum Saronicum se exonerat prope Piraeeum portum. Ad hunc pertinet locus *Ovidii* in CEPHISIAS.

*CEPHUS, *κῆφος*, animal ap. Aethiopes, pedes posteriores humanis pedibus et cruribus et priores hominis manibus similes habens. *Plin.* 8, 19. Idem ex Aethiopia quas vocant cephos, quarum pedes etc. Sed *Hard. κήπους* dedit, qui tamen fatetur in *mss.* esse *cephus*, accus. plur. *B. A.*

*CEPI, orum, (*κῆποι*, i. e. horti) *Plin.* 6, 6. vel Cepae, ut habet *Mela* 1, 19. *post med.* Asiae opp fuit, ad Bosphorum Cimmerium. *B. A.*

CĒPINA. V. CAEPINA.

CĒPĪTIS sive Cepolatitis, f. gemma est candida, venarum nodis coeuntibus, candore imaginem regerens. *Plin.* 37, 10, 56.

CĒPŌNĪDES, um, f. plur. gemmae in Atarne Aetolidis nascentes, multis coloribus translucentes, alias vitreae, alias crystallinae, alias iaspideae. *Plin.* 37, 10, 56.

CĒPOS APHRŌDĪTES, m. *κῆπος Ἀφροδίτης*, hoc est hortus Veneris; nomen est herbae, quae usitatiore appellatione cotyledon dicitur. *Appul. Herb.* 43.

[CĒPŌTĀPHĬŌLUM, i, n. diminutivum cepotaphii. *Inscr.* ap. *Fabrett.* 115, 294. In hoc cepotaphiolo cum superficio Gerulonia Maria etc. Alia apud *Mur.* 162, 2. Sepulchrum hoc sive cepotafiolum Aelia Antigona sacerdos M. D. I. viva ipsa sibi fecit. Ita inscriptionem legendam monet *Marin. Frat. Arv.* p. 184., quam ipse vidit, quamque mendosam ita attulerat *Muratorius loc. cit.* Sepulchrum sive epotafiolum etc., hinc *Forcellinus* perperam eandem laudavit in V. EPITAPHIOLUM. *F.*]

CĒPŌTĀPHĬUM, ii, n. *κηποτάφιον*, sepulcrum in horto, vel hortus sepulcro religiosus factus: a *κῆπος*, hortus, et *τάφος*, sepulcrum, quod in *Evang. D. Joann.* 19, 41. *ἐν τῷ κήπῳ μνημεῖον* appellatur, et Italice dixeris *ortosepolcro. Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 178. (quae pertinet ad saec. II. a Chr. n.) M. Aurelius Augg. Lib. Carpophorus fecit sibi hoc munimentum sive cepotafium (ita nempe pro cepotaphium). Adde duas alias apud *Fabrett.* p. 80. *n.* IX. et p. 115. *n.* 293. In alia apud *Grut.* 809, 2. dicitur *hortulus religiosus.*

CEPTO. V. COEPTO.

CĒPULLA. V. CAEPULLA.

CĒPŪRICUS, a, um, adj. *κηπουρικός*, hortensis: a *κῆπος*, hortus. *Firmic. Mathes.* 2, 12. Loca cepurica et hortensia. *Plin.* 19, 10, 57. Sabinus Tiro in libro Cepuricon, *h. e.* hortorum, vel olerum, *τῶν κηπουρικῶν.*

CĒPŪROS, i, m. *κηπουρός*, hoc est olitor, hortulanus. Ita inscribitur liber *Apicii* 3., in quo agitur de ratione condiendorum olerum.

CĒRA, ae, f. *κηρός*, id quod praeter mel in apum favis invenitur. *Cic. Tusc.* 1, 45. Persae mortuos cera circumlitos condunt. *Id. Or.* 3, 45. Verba sicut mollissimam ceram, ad nostrum arbitrium formare et fingere. *Ov. Met.* 8, 198. Ceram pollice mollire. *Colum.* 9, 45. Apes figurant et fingunt ceras. Et *ib.* Favi superpositis ceris tanquam operculis obliti. *Plin.* 35, 2, 2. Expressi cera vultus. Et 8, 54, 80. Icones fictae. Et 13, 15, 30. Illinere aliquid cera. *Virg. Ecl.* 2, 32. calamos conjungere. [**Tibull.* 2, 5, 32. Calamus cera jungitur.] *Virg. G.* 4, 38. linere spiramenta. *Id. ib.* 57. Recentes ceras apes excudunt. *Id. ib.* 162. Tenaces cerae. ℙ Per synecdochen ponitur pro opere e cera facto. *Juven.* 8, 19. Veteres cerae exornant atria, *h. e.* avorum cereae imagines. *Ov. Fast.* 1, 591. dispositae generosa per atria ce-

rae. Adde *Sall. Jug.* 4. ℙ Cerae usus multus fuit in obsignando. *Plin.* 2, 51, 52. Aurum, argentum fulmine liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne confuso quidem signo cerae. Adde *Pl. Bacch.* 4, 4, 96. et *Ov. Amor.* 2, 15, 15. ℙ Plurimus vero in scribendo. Tabellis enim utebantur cera illitis, in qua litteras stilo exarabant. *Quint.* 10, 3. *ad f.* Scribitur optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi: nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget. *Pl. Bacch.* 4, 9, 73. Cerae equidem haud parsit neque stilo. Adde *Asin.* 4, 1, 22. et *Gell.* 17, 9. ℙ Hinc saepe dicitur de ipsis tabellis, in quibus aliquid perscribitur. *Quint.* 11, 2. Illud neminem non juvabit, iisdem, quibus scripserit, ceris edi-scere. *Id.* 10, 3. *ad f.* Mandare aliquid ceris. *Juven.* 1, 63. Ceras implere capaces. *Hor. Ep.* 1, 6, 62. Caerite cera digni. V. CAERES, itis. ℙ Hinc *prima, secunda cera*, hoc est prima, secunda pagina, Itali dicunt *pagina, faccia, facciata:* et *ima, extrema cera*, hoc est ima pars paginae. V. PAGINA. *Cic. Verr.* 2, 1, 36. Deinde in codicis extrema cera nomen infimum fecit. *Suet. Caes.* 83. Novissimo testamento tres instituit heredes, in ima cera C. Octavium etiam adoptavit. *Id. Ner.* 17. Cautum, ut testamentis primae duae cerae, testatorum modo nomine inscripto, vacuae signaturis ostenderentur. *Hor. Sat.* 2, 5, 53. Sic tamen ut limis rapias, quid prima secundo Cera velit versu. *Quint.* 10, 3. *ad f.* Ne latas quidem ultra modum ceras velim, expertus, juvenem praelongos habuisse sermones, quia illos numero versuum metiebatur, idque vitium, mutatis codicibus, esse sublatum. ℙ *Morcell. De stil. Inscr. Lat.* T. 2. p. 317. *edit. Patav.*, et in *Dissert. dello scrivere degli ant. Romani* (ed. *Jo. Labusio*) p. 61. contendit, *ceras* in *c. l.* significare non paginas, sed paginae partes, quas Itali *colonne* vocant. Quamvis autem inficiari non possim, veteres hac scribendi ratione lectorum commodo saepe usos fuisse, quam videre est in vetustis codicibus, et in primis librorum editionibus, tamen adhuc nos certa antiqui scriptoris auctoritate carere ausim affirmare, quae eam esse illius vocis significationem confirmet. ℙ Pictores quoque ceris usi sunt, praesertim in illo pingendi genere, quae *encaustice* dicitur. *Stat. Silv.* 1, 1, 100. Apellcae cuperent te scribere cerae. Adde *Varr. R. R.* 3, 17. et *Plin.* 35, 7, 31. et *ib.* 11, 39. et 41. ℙ Denique cera utebantur colore aliquo infecta, v. gr. miniata, adnotandis iis, quae in opere aliquo perlegendo aut placerent insigniter, aut minus probarentur. Exempla ex *Cicerone* duo V. in MINIATUS et MINIATULUS. ℙ Ponitur etiam *cera* pro quacumque mixtura tenaci, et cerae simili. *Ov. Met.* 11, 514. *de navi.* spoliataque tegmine cerae Rima patet, praebetque viam letalibus undis, *h. e.* pice. *Virg. G.* 3, 450. pingues unguine cerae. Sic *Plin.* 24, 10, 47. et 25, 8. et alibi *ceram* pro *cerato* ponit. Et *Pl. Truc.* 2, 2, 39. pro fuco, quo illinuntur feminae. Buccas, *inquit*, rubricae, cera omne corpus intinxit tibi.

CĒRACHĀTES, ae, m. *κηραχάτης*, gemma ex achatae generibus, cerae colore. *Plin.* 37, 10, 54.

*CERĀMBIS, is, vir qui in avem sive, ut alii volunt, in scarabaeum a Nymphis mutatus, diluvio Deucalioneo superfuisse dicitur. *Ov. Met.* 7, 352. *B. A.*

CĒRĀMICI, orum, m. plur. *Κεραμεικοί*, loca duo Athenarum fuere, unus in urbe, qui erat certa sedes meretricibus constituta; alter extra urbem, in quo qui in bello cecidissent, publico sumptu sepeliebantur, funebrique oratione ornabantur: a *κέραμος*, terra figularis. *Cic. Fin.* 1, 11. et *Leg.* 2, 26. et *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 5. ℙ Fortasse qui in urbe erat, idem fuit cum illo Ceramico, quem ab officina Chalcosthenis figuli appellatum esse, tradit *Plin.* 35, 12, 45.

[CĒRĀMICUS, a, um, adj. ad Ceramum pertinens, Cariae urbem, nunc *Keramo*, in cujus nummis apud *Sestin. Class gen.* p. 88. *ΚΕΡΑΜΙΗΤΩΝ. Plin.* 5, 29, 29. Habitatur inter duos sinus, Ceramicum et Iasium. *F.*]

CĒRĀMĪTES, ae, m. gemma testae colorem habens: a *κέραμος*, testa. *Plin.* 37, 10, 56.

*CERAMĪUM, i, locus Romae, in quo Cicero et Milo domum habebant. *Cic. Att.* 4, 3. *B. A.*

*CERĀMUS, i, *Κέραμος*, Cariae opp. *Plin.* 5, 29. ℙ Aliud est, quod in Arctonneso insula juxta Cariam fuit, unde sinus Ceramicus, *κόλπος Κεραμικὸς*, nomen habet. *Plin.* 5, 29. et 31. *B. A.*

*CERANAE, arum, Phrygiae maj. opp. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

CERARIA. V. GERARIA.

CĒRĀRIUM, ii, n. *Cic. Verr.* 2, 3, 78. Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant: primum pro spectatione, et collybo, deinde pro nescio quo cerario, *h. e.* pecunia, quam exigebat Verres pro impensis cerae: et videtur eam ceram intelligere, quae in scribendo a tabulariis consumebatur. ℙ [*Martorell. de R. theca calam.* p. 127. putat, *cerarium* fuisse appellatum vectigal illud, quod Verres novo exemplo pro cera signatoria exigebat, cum vel tiro noverit, publicas tabulas, et syngraphas sine signis in cera impressis nihil valuisse, imo ne ostendi quidem potuisse; id Itali vocant *dritto del bollo. F.*]

[CĒRĀRĬUS, ii, m. qui induit cera tabellas scriptorias. *Inscr.* ap. *Fabrett.* 731, 450. Cn. Sentio Cn. Fil. Ter. Felici patrono decuriae scribarum, cerariorum et librariorum. ℙ Sunt tamen, qui putent, *cerariorum* nomine eos esse appellatos, qui in ceratis tabellis, *librarios*, qui in chartis membranisque scribebant, *scribas* vero, qui iis decuriis praeerant. Sunt itidem qui affirment, *cerarios* dictos fuisse, qui publicas privatasque tabulas cera signandas curabant, quae Itali vulgo dicunt *bollatori.* V. CERARIUM. *F.* ℙ **Cerarius*, i, m. qui cera vel cereis negotiatur. In *Gloss. Gr. Lat.* exponitur *Κηροπώλης. B. A.*]

CĒRAS, *κέρας*, Graece cornu significat. Ab aliquibus ita appellatur pastinaca agrestis, quia cornu similis est. *Appul. Herb.* 80. ℙ *Ceras chryseon, Κέρας χρύσεον* apud *Solin.* 10. est promontorium illud, quod a *Plin.* 9, 15, 20. appellatur promontorium *aurei cornus:* de quo verba facit etiam 4, 11, 18., ubi *Chrysoceras* vocat. ℙ *Hesperion ceras, *Ἑσπέριον κέρας*, promontorium Africae in mari Atlantico, sub Zona torrida. V. geograph. *Plin.* 6, 30, 35. et *ib.* 31, 36.

CĒRĀSĪNUS, a, um, adj. ad cerasum pertinens. *Petr. Sat.* 28. Ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo. *Id. fragm. Trag.* 67. *Burm.* Tunica cerasina.

CĒRASTES, ae, m. *κεράστης*, serpens dictus a *κέρας*, cornu, quia gemina, et saepe etiam quadrigemina in capite velut cornicula habet, non tamen illa dura, ut cornutis quadrupedibus, sed *corporea*, ut *Plin.* appellat 11, 37, 45., hoc est carnea, vel cartilaginosa, quorum motu, occultato sub arenis cetero corpore, illectas aves veluti esca perimit, ut idem *Plin.* 8, 23, 35. docet. Est etiam maxime flexuosus, ut spinam non habere videatur. *Lucan.* 9, 716. spinaque vagi torquente cerastae. ℙ A poetis finguntur Furiae cerastas in capite pro capillo habere. *Stat. Th.* 11, 65. *de Tisiphone.* Crinalem attollit longo stridore cerasten. Adde *ib.* 1, 163. et *Claud. in Rufin.* 1, 96. et *Rapt. Pros.* 2, 346. ℙ Est etiam vermiculus cornutus in arboribus nascens, qui cum tantum eroserit, ut circumagat se, generat alium, ut *Plin.* 16, 41, 80. tradit. Adde 17, 24, 37. *n.* 3. ℙ In fabulis dicti sunt *Cerastae* populi quidam in Cypro insula, cornutam frontem habere crediti, quibus cum humanas victimas sacrificare mos esset, a Venere in juvencos mutati sunt. *Ov. Met.* 10, 222. et seqq. V. CERASTIS. ℙ Legitur etiam *cerasta, ae*, positione Latina; et quidem pro quocumque serpente, per synecdochen. *Alcim. Avit.* 5, 79. Primus adhuc mordax absorbuit ore cerasta.

CĒRASTĪBOLA. *Varr. L. L.* 6, 3. *ad f.* Cerastibola, ut de lumbo obcoenabis. Cerastibola, Opilius scribit, circum coxendices sunt nobis: id Graecum est, ab hujus loci versura. *Scaligero* in *Conjectan.* legendum videtur: *caro strebola, vitellina est: coenabis.* Haec autem verba sunt ex comoediis *Plauti* deperditis: cetera ipsius *Varronis. Auson. Popma* sic edidit: *Cerastrebula ut de lumbo obcoenabis. Cerastrebula, Opilius scribit, circum coxendices sunt bobus* etc. In notis vero mavult legere *crea strebula:* quod est *τὰ κρέα στρεβλὰ*, carnes tortuosae, vel flexiles: quales nimirum sunt in coxendicibus, quia in ambulando flectuntur, et versantur. Ex quo apte intelliguntur sequentia verba: *id Graecum est, ab hujus loci versura.*

CĒRASTIS, idis, f. *Κεραστὶς* et *Κεραστία*. Ita dicta est olim insula Cyprus, teste *Plin.* 5, 31, 35., propter crebra promontoria, quae Graece *κέρατα* appellantur: vel fortasse ab incolis cornutis, ut est in fabulis. V. CERASTES.

CĒRĀSUM, si, n. *κεράσιον*, fructus cerasi arboris. *Cels.* 24, 2. Stomacho apta sunt ex pomis cerasum, morum, sorbum. *Pallad.* 11, 12. Cerasa ut sine osse nascantur. ℙ Cerasorum plura sunt genera. *Aproniana* maxime rubent: *Lutatia* nigerrima sunt: *Caeciliana* vero etiam rotunda. *Juniana* grati sunt saporis, sed adeo tenera, ut gestatum non tolerent. *Pliniana* dicuntur in Campania, quae *duracina* alibi, principatum facile obtinentia, pulpa, et veluti callo duriore. Haec a nominibus eorum, qui insitione primi invenerunt, sunt appellata. Alia porro sunt a regionibus dicta, ut *Lusitana*, quae in Belgica optima omnium censentur: *Macedonica* parvae arboris, raroque tria cubita excedentis. A qualitate nomen habent *duracina* modo dicta, *laurea* amaritudinis non ingratae, quae ex lauro insita proveniunt; et quae ex brevi frutice verius, quam arbore nascuntur, quae ob id *chamaecerasus* dicitur. Sunt etiam, quae mixtum colorem habent ex nigro, rubenti ac viridi, similia semper maturescentibus. *Plin.* 15, 25, 30.

CĒRĀSUS, si, f. *κέρασος*, arbor nota, a Cerasunte Ponti urbe sic dicta, quam cum L. Lucullus delevisset, inde arborem Romam transtulit, et ab urbe cerasum appellavit. Nam ante Lucullum erant quidem cerasa in Italia, sed dura, et *corna* appellabantur: postea *cornocerasa* dicta sunt. Ita *Serv.* ad *G.* 2, 18. et *Isid. Orig.* 17, 7. Adde *Ammian.* 22, 8. Sed *Plin.* 15, 25, 30. negat ante Lucullum ulla in Italia fuisse: quod *Tert. Apol.* 11. confirmat, et *Hieron. ep.* 31. *n.* 3. *Ov. Nuc.* 32. Audiat hoc cerasus; stipes inanis erit. *Colum.* 11, 2. *sub f.* Possunt etiam his diebus cerasi, et tuberes, ceteraeque arbores, quae primae florent, inseri commode. ℙ De ipso pomo, *κεράσιον. Prop.* 4, 2, 15. Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna Cernis.

CĒRĀSUS, untis, f. nunc *Chirissonda*, *Κερασοῦς*, urbs Cappadociae in ora litorali Ponti Euxini. *Plin.* 6, 4, 4., *Mela* 1, 19.

CĒRĀTAULES, ae, m. *κεραταύλης*, idem qui cornicen. V. CAMPTAULES.

CĒRĀTHEUS, a, um, adj. a Ceratho fluvio Cretae, apud Gnossum. *Virg. Cir.* 113. Carpathium fugiens, et flumina Cerathea. Alii scribunt *Cerataea*, alii *Curetea*, *Κουρήτεια*, Cretensia: a *Κουρῆτη* pro *Κρήτη*, (sic enim antiquitus dicebant, teste *Strabone*) Creta; ut intelligant generatim omnes ejus insulae fluvios. At scribendum *Caeratea.* V. CAERATEUS. *Fluminis nomen ap. *Callim. Dian.* 44. *Κάιρατος. B. A.*

CĒRĀTIA, ae, f. herba uno folio, radice nodosa magna, coeliacis et dysentericis utilis. *Plin.* 26, 8, 34. *n.* 8.

CĒRĀTĪAS, ae, m. *κερατίας*, cometa cornu speciem habens: a *κέρας*, cornu: qualis visus fuit, cum Graecia apud Salamina depugnavit. *Plin.* 2, 25, 22.

CĒRĀTĪNAE, et crocodilinae quaestiones, seu ambiguitates, *κερατινοὶ, καὶ κροκοδειλινοὶ λόγοι*, de quibus mentio fit a *Quint.* 1, 10., sunt captiosae quaestiones, et sophismata, quae captandi et cavillandi causa proponi solent. Duplici autem ratione intelligi possunt, nempe ut sic dictae sint a modo proponendi, ut *ceratina ambiguitas* idem sit, quod syllogismus cornutus (nam *κέρας* cornu significat) et *crocodilina*, quae, crocodili more luctum fingentis, sub veritatis et honestatis specie ad insidiandum et fallendum proponatur: vel quod veri similius est, ut ita appellatae sint a materia: qua ratione *ceratina* erit captio illa ap. *Gell.* 18, 2. Quod non perdidisti, habes: cornua non amisisti: habes igitur cornua. *Crocodilinae* exemplum erit illud *Luciani ἐν βίων πράσει*, de illa muliere, cui filium crocodilus abstulerat, et se redditurum promiserat, si mulier verum responderet. Illa autem respondit, non redditurum: atque ob id aequum ajebat reddi. Huc pertinet illud ejusdem *Luciani in Dial. Diogen. et Pollucis. Κέρατα φύουσιν ἀλλήλοις, καὶ κροκοδείλους ποιοῦσι, καὶ τοιαῦτα ἄπορα ἐρωτᾷν διδάσκουσι τὸν νοῦν. Front. de eloq.* Discere autem ceratinas, et soritas, et pseudomenus, verba contorta, et fidicularia; negligere vero cultum orationis, et gravitatem, et majestatem, et gratiam, et nitorem, hoc indicat loqui te, quam eloqui malle, murmurare potius et friguttire, quam clangere.

*CERĀTIS, idis, f. *κεράτις*, i. q. ceratia. *Marc. Emp.* 24. *B. A.*

CĒRĀTĪTIS, is, f. *κερατῖτις*, genus papaveris silvestris, nigri, cubitali altitudine, folio minore et tenuiore quam ceteris silvestribus, semine exili, radice crassa et corticosa, calyculo inflexo, ut cornicula; unde et nomen habet. Nam *κέρας* est cornu. *Plin.* 20, 19, 77.

[CĒRĀTĬUM, ii, n. *κεράτιον*, siliqua Graeca. In ponderibus ceratium Graecorum idem est ac siliqua Latinorum. *Auct. de ponder.* ap. *Goes. Agrar.* p. 322. Ponderum pars minima calculus est, qui constat ex granis ciceris duobus. Duo calculi ceratium faciunt. Quatuor calculi, sive duo ceratia, obolam reddunt. ℙ Est etiam ejus mentio ap. *Colum* 5, 10., sed ibi Graece scribitur. *F.*]

CĒRĀTŌRĬUM, ii, n. ceratum. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 11. et *Tard.* 2, 3. Ceratorium apponere. *Marc. Empir.* 35. Chalasticum olympianum, ceratorium insigne. ℙ Legitur et *cerotarium* a Graeco *κηρωτὸν*, eod. sensu. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. Cerotariis, atque malagmatis uti. *Theod. Prisc.* 1, 9. Calcis flos cerotario mixtus.

CĒRĀTUM, ti, n. *κηρωτὸν*, medicamentum cerae modo tenax, quod impositum adhaeret. *Cels.* 4, 20. Ceratum ex cyprino. Et *ib.* 24. liquidum. *Scrib. Compos.* 250. Sulphur oleo mixtum, atque in cerati spissitudinem redactum. Adde *Colum.* 7, 7. *extr.* et *Plin.* 23, 6, 54. et alibi. ℙ Dicitur etiam *cerotum* a Graeco *κηρωτόν. Mart.* 11, 98. Nec labra pingui delibuta ceroto. *Pallad.* 1, 41. Ceroti instar efficies, et curabis adlinire. Adde *Plin.* 22, 24, 56. et 26, 14, 87.

CĒRĀTŪRA, ae, f. *κήρωμα*, cerae inductio. *Colum.* 12, 50. *a med.* Quemadmodum nova vasa si calefiant, liquidam ceram facile excipiunt, sic vetera non crediderim propter olei succum ceraturam pati.

CĒRĀTUS, a, nm, part. a *cero*, *κηρωτὸς*, cera illitus, obductus. *Cic. Div. Verr.* 7. Ceratam unicuique tabellam dari cera legitima. *Hor. Od.* 4, 2, 2. Ceratae pennae. Adde *Pl. Asin.* 4, 1, 18.

℗ Item generatim illitus. *Ov. Her.* 7, 23. inducto ceratae sulphure taedae. Et *ib.* 5, 42. Caerula ceratas accipit unda rates.

CĔRAULA, ae, m. *κεραύλης*, idem quod cerataules, cornicen. *Appul. Met.* 8. Quidam juvenis ceraula doctissimus, *mox id. ib.* Qui foris circumgestantibus Deam cornu canens adambulabat. *Id. Flor. n.* 4. Monumentarii ceraulae. ℗ Priore loco al. male leg. *choraula.*

CĔRAUNIA, ae, f. V. CERAUNIUS.

CĔRAUNIA, orum, n. plur. *Κεραύνια*, montes Epiri, qui et Acroceraunia dicuntur. *Virg. A.* 1, 506., *Caes. B. C.* 3, 6. V. ACROCERAUNIA.

CĔRAUNIUM, ii, n. V. CERAUNIUS.

CĔRAUNĬUS, a, um, adj. *Κεραύνιος*, ad Ceraunia pertinens. *Plin.* 15, 29, 36. et *Flor.* 2, 9. Ceraunii montes. *Colum.* 3, 2. Ceraunicae vites. ℗ *Ceraunia gemma* dicitur, quae cum fulmine cadere creditur, et *lapis fulminis* dicitur a *Sidon. carm.* 5, 50., a *κεραυνὸς*, fulmen. Sunt etiam *ceraunicae*, quae ita appellantur a fulgore. *Plin.* 37, 9, 51. et *ib.* 10, 65. et *Lamprid. Elagab.* 21. Pisum cum aureis, lentem cum ceraunĭis, fabam cum electris, et orizum cum albis exhibens. ℗ Dicitur etiam *ceraunium*, *ii*, n. *Claud. Laud. Seren.* 77. Pyrenaeisque sub antris Ignea flumineae legere ceraunia nymphae. Adde *Sol.* 23. ℗ Quod addunt quidam, *ceraunium* esse nomen tuberis ap. *Plin.* 19, 3, 12. *Hard.* monet legendum *geranion.*

CĔRAUNOBOLĬA, ae, f. *κεραυνοβολία*, hoc est fulminum jactus: a *κεραυνὸς*, fulmen, et *βάλλω*, jacio. Ita dicta est quaedam Apellis tabula, in qua cadentia fulmina pinxerat. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 17.

CĔRAUNUS, a, um, adj. Ceraunius. *Prop.* 2, 13, 3. Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno? *h. e.* scopulis Acroceraunĭis. ℗ Item est quod ceraunia gemma. *Prudent. Psychom.* 470. Si fratris galeam fulvis radire ceraunis Germanus vidit commilito etc. *Capell.* 1. p. 19. Tres fuerant in fronte gemmae, lychnis, astrites, et ceraunos. *℗ Fuit et Ceraunus Ptolemaei, Philadelphi fratris, cognomen, qui Seleuco rege in Syria trucidato, rex ibi factus est, ita dictus, quod in bello quasi fulminaret. *Just.* 24, 1. sq. Cf. *Paus.* 10, 19. cet. ℗ Item amnis Cappadociae. *Plin.* 6, 3. *B. A.*

*CERBĂLUS, i, Apuliae fluv., ex Apennino monte oriens, ac prope Sipontum in mare Hadriaticum se exonerans. *Plin.* 3, 10. Hodiernum nomen *Cervaro. B. A.*

*CERBĂNI, orum, populi Arab. felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

CERBERASTRUM. V. SERPERASTRUM.

*CERBERĬON, i, Asiae oppidum, ad Bosporum Cimmerium, postea Cimmerium appellatum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

CERBĔRĔUS, a, um, adj. ad Cerberum pertinens. *Lucr.* 4, 734. Cerbereasque canum facies. *Ov. Met.* 4, 500. Cerbereum os. *Stat. Silv.* 5, 1, 249. Cerberei latratus. *Id. Theb.* 8, 56. Cerbereae portae, *h. e.* janua Ditis, juxta quam Cerberus excubat.

CERBĔRUS, i, m. *Κέρβερος*, canis triceps, ex Typhone gigante, et Echidna genitus (ut *Hygin. fab.* 151. docet), serpentes pro setis habens, custos appositus januae Ditis, ne quis inde mortuorum egredi possit, aut vivorum ingredi. V. *Senec. Herc. fur.* 783., ubi eum describit. Quidam tribuunt ei quinquaginta capita: quidam etiam centum, ut dictum est in CENTICEPS. Hunc Herculles domuit, et ad Superos catenis constrictum traxit, tum videlicet, cum ad Inferos descendit, ut Theseum liberaret. Interpretatio haec est: Cerberum canem fuisse Plutonis, vel Orci regis Epiri, seu Albaniae inferioris: Epirum partem esse infernam regni Saturni secus mare inferum: in Epiro canes ferocissimos esse, qui sint instar trium canum alius generis. Alii terram interpretantur, dictamque volunt *Cerberum*, quasi *κρεόβορον*, hoc est carnivoram, a *κρέας*, caro, et *βόρος*, vorax, quia terra corpora omnia sibi credita vorat, et consumit. *Serv.* ad *A.* 6, 395., ubi addit, ideo Herculem dici eum ab Inferis traxisse, quia omnes cupiditates, et terrena vitia contempsit. Adde ad *ib.* 8, 397. ℗ Alii serpentem fuisse volunt in Taenaro Laconiae promontorio, qui populis exitiosissimus esset, et quoniam in Taenaro ad inferos dicitur esse aditus, Ditis canem esse nominatum, denique hunc serpentem ab Hercule interemptum fuisse. *Virg. A.* 6, 417. Cerberus haec ingens latratu regna trifauci Personat, adverso recubans immanis in antro. ℗ Graeca positione *Ov. Met.* 7, 412. nexis adamante catenis Cerberon abstraxit. Adde *Hor.* 9, 94.

*CERCASŌRUM, i, *Κερκάσορον*, Aegypti opp., in Heptanomide, ad sinistram Nili ripam, ubi in Delta scinditur, positum. *Mela* 1, 9. Cf. *Herod.* 2, 15. et 97. *B. A.*

CERCĔRIS, is, f. genus avis amphibiae, apud *Varr. L. L.* 4, 13. Aliae in hoc genere a Graecis, ut querquedula, cerceris: halcedo, quod ea halcyon. Quidam leg. *cercuris*: quod rejicitur a *Scalig.* in *Conjectan.*, qui mallet reponere *κερκιθαλλὶς*, quomodo placet *Scioppio*, qui ita edidit: *ut querquedula a κερκιθαλλὶς*, etc. Sed praestat hanc vocem derivare a *καρκαίρω*, tremo, pulsatus vibro, unde factum *cercĕrĕa*; hinc etiam est repetendum *querquerus*, *a*, *um*, quam V. videsis. Itaque *Varro* dicit *querquedulam* esse ab ea Graeca voce, quemadmodum *halcedo* est ab *ἁλκυών*.

*CERCĔTAE, arum, *Κερκέται*, pop. ad Bosporum Cimmerium, circa montem Caucasum. *Plin.* 6, 5. *B. A.*

*CERCETĬCI, orum, i. q. Cercetae. *Mela* 1, 19. *B. A.*

*CERCETĬUS (mons), in Thessalia. *Liv.* 32, 14. Cerceti (sc. montes vel mons) audit *Plin.* 4, 8. Item alius mons sic dictus, in Samo insula. *Plin.* 6, 31. *B. A.*

*CERCĬAE, arum, (insulae), in mari Aegaeo, prope Lesbum. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*CERCĪNA, ae, f. *Κέρκινα*, insula parva cum opp. cognom., ad promont. minoris Syrtis sita, hodie *Gamelera*, *Cercara* Italis. *B. Afr.* 8, et 34. *Liv.* 33, 48. *Plin.* 5, 7. *Tac. A.* 1, 53. *Cercinna* vocatur a *Mela* 2, 7. Straboni est *Κέρκιννα*. ℗ Hinc insulae adjacet alia parvula, nomine *Cercinitis*, *Strab. Κερκιννῖτις. Plin. ib. B. A.*

CERCINĪTĀNI, orum, m. plur. populi Cercinae insulae. *Hirt. B. Afr.* 34. C. Sallustius Crispus praetor a Circinitanis receptus frumento naves onerarias complet.

*CERCINĬUM, i, opp. Thessal. *Liv.* 31, 41. *B. A.*

CERCĪTES. V. CIRCITES.

CERCĬUS. V. CIRCIUS.

CERCO, onis, m. qui magna est praeditus cauda. Cogn. fuit Rom. in gente Lutatia, ut Q. et Cn. Lutatius Cerco ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 240. et *Liv.* 42, 6. *Κέρκος* Graece est cauda, unde ductum videtur.

CERCOLIPS, ipis, f. genus simiae, inquit *Festus*, quae ultimam partem caudae villosam habet. Quidam leg. *cercalopex* (hoc est caudata vulpes; a *κέρκος*, cauda, et *ἀλώπηξ*, vulpes) alii *cercolopis*: quae *Scaligero* non probantur. Porro *cercolips* putant nonnulli esse a *κέρκος*, cauda, et *λιπὸς*, pinguedo, quod villosa simul, et pinguis sit. Sed *Scalig.* deducit a *κέρκος*, et *λείπω* deficio, quod hac voce significetur tantummodo simia sine cauda, quae Latina appellatione *cluna* dicitur, teste eodem *Festo*. Hinc a quibusdam ita legi ap. *Catull.* 98, 3. Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis Culos, et trepidas lingere cercolipas. Nam clunibus simiae non caudatae nihil est spurcius. Alii tamen plures aliter leg. V. CARBATINA.

CERCOPIA Insula videtur joculariter appellari a *Pl. Trin.* 4, 2, 84. regio Inferorum, ubi puniuntur homines scelerati et fraudulenti, qui Graece *κέρκωπες* per metaphoram appellantur. Alii tamen leg. *Cecropia.* [*Ita *Lindem.*]

CERCOPITHĒCUS, i, m. *κερκοπίθηκος*, simiae genus caudam habentis: a *κέρκος*, cauda, et *πίθηκος*, simia. *Plin.* 8, 21, 30. tradit, nasci hos in Aethiopia nigris capitibus, et pilo asinino. *Varr.* ap. *Non.* 3, 69. Quid dubitatis, utrum nunc sitis cercopitheci, An colubrae, an beluae? *Mart.* 14, 202. Callidus emissas eludere simius hastas, Si mihi cauda foret, cercopithecus eram. Adde *ib.* 128. ℗ Hoc animal in Aegypto tanquam numen colebatur, teste *Juven.* 15, 4. ℗ Graeca positione *Mart.* 7, 87. Si Cronius similem cercopithecon amat.

CERCOPS, ōpis, m. *κέρκωψ*. Cercopa, inquit *Festus*, Graeci appellant lucrari undique cupientem: quasi *κέρδωρα*: quem nos quoque lucrionem vocamus. *Festus* haec scribens humani aliquid passus est; miscet enim *κερδῶ*, quod significat vulpem, et cognatum est nomini *κέρδος*, lucrum, cum voce *κέρκωψ*, cujus plane aliud est etymon. ℗ *Cercopes* sunt populi in insula Pithecusa, quos poetae fabulantur, ob perjura et fraudes a Jove in simias fuisse conversos. *Ov. Met.* 14, 90. Deum genitor fraudem et perjura quondam Cercopum exosus, gentisque admissa dolosae. ℗ Ita enim appellantur simiae quaedam monstrosae et caudatae, et turpissimae omnium. *Manil.* 4, 664. saevosque leones in poenas fecunda suas parit horrida tellus, Et portentosos cercopum ludit in ortus. *Ammian.* 22, 14. narrat de Juliano Apostata, quod *ridebatur ut cercops*, hoc est tanquam turpis simia.

CERCŪRUS, i, m. *κέρκουρος*, genus navis Asianae praegrandis, ut *Nonius* docet 13, 4. Inventa fuit a Cypriis, teste *Plin.* 7, 56, 57. Cyprii autem Asiae sunt contributi. Aperta erat, et vehendis oneribus comparata. *Liv.* 33, 19. Cum classe tectarum navium ad hoc levioribus navigiis, cercurisque ac lembis ducentis. Ex his *Liv.* verbis satis apparet, inter minora navigia ponendum esse. Vox ipsa est conflata a *κέρκος*, et *οὐρὰ*, quae utraque dictio caudam significat; fortasse quod praelonga esset, et velut in caudam utrinque desineret. Sunt qui deducant *a Κερκύρα*, hoc est Corcyra insula; quasi Corcyraeorum propria fuerit: quod est contra *Non.*, et *Plin.* mentem. *Pl. Merc.* 1, 1, 86. Aedificat navim cercuram, et merces emit. *Id. Stich.* 2, 3, 44. Conspicatus sum cercurum, quo ego me majorem non vidisse censeo. Adde *Lucil.* ap. *Non. l. c.*

*CERCUSIUM, i, opp. Mesopot. *Ammian.* 23, 11. *Κιρκήσιον* est, *Zosim.* 3, 11. et Circessum vel Circessus *Eutrop.* 9, 2. [*Cf. *Tzschuck.* ad h. l.] *B. A.*

CERCYON, onis, m. *Κερκύων*. V. v. seq.

CERCYONĒUS, a, um, adj. ad Cercyonem pertinens. Fuit hic Neptuni filius, latro insignis apud Eleusinem, qui validissimas arbores incurvans, alligatos iis viatores discerpebat, ut *Ov. Met.* 7, 439. narrat. Hic a Theseo occisus fuit. *Id. Ib.* 412. Quaeque Ceres vidit laeto pereuntia vultu Corpora Thesea Cercyonea manu. *Stat. Th.* 12, 576. trucibus monstris Sinin, infandumque dedisti Cercyona.

CERCYROS, i, m. *κέρκυρος*, nomen piscis marini, in scopulorum fine habitantis. *Ov. Halieut.* 102. et *Plin.* 32, 11, 54.

*CERDICIĀTES, ium, pop. Liguriae. *Liv.* 32, 29. *B. A.*

[CERDIPPUS, i, m. lucrum faciens ex equis: a *κέρδος*, lucrum, et *ἵππος*, equus. Est nom. serv. Rom. ap. *Fabrett. Inscr.* 350, 30. *F.*]

CERDO, ōnis, m. significat vilem et sordidum artificem, quique omni ratione lucellum sectatur, quales sunt infimae plebis homines, et nullius census: a *κέρδος*, lucrum. *Juven.* 8, 181. At vos Trojugenae, vobis ignoscitis, et quae Turpia cerdoni, Volesos Brutosque decebunt. *Id.* 4, 153. de Domitiano: Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus Coeperat. Adde *Pers.* 4, 51. ℗ Jungitur interdum cum aliis artificum nominibus, ut *sutor cerdo* ap. *Mart.* 3, 59. qui veteres calceos resarcit, veteramentarius, de quo *Id. ib.* 16. Et *cerdo faber* in antiqua *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. erud.* p. 221. ℗ Apud *Papin. Dig.* 38, 1, 42. et *in Inscr.* ap. *Grut.* 186, 4. Cerdo est nomen proprium servi. in *Inscr.* ap. *Mur.* 1505, 3. est cognomen. C. Pompejus Cerdo.

[CERDOPHŌRUS, i, m. a *κέρδος*, lucrum, et *φέρω*, porto, qui lucrum portat. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 1156, 5. T. Mindius Cerdophorus. *F.*]

CĔRĔĀLIS, le, adj. ad Cererem pertinens, *Δημητριακὸς*, *Δημήτριος*. *Ov. Met.* 8, 741. Cereale nemus, *h. e.* Cereri consecratum. *Id. Am.* 3, 10, 1. sacrum. *Id. Met.* 11, 121. Cerealia munera, *h. e.* fruges vel panis. *Id. Trist.* 3, 12, 11. Cereales sulci, *h. e.* in quibus seruntur segetes. *Id. Fast.* 4, 911. herbae, *h. e.* segetes. *Id. ib.* 507. Cerealis Eleusin, *h. e.* in qua Ceres colebatur. *Virg. A.* 1, 181. Cerealia arma, *h. e.* instrumenta, quibus panem conficimus. *Id. ib.* 7, 111. Cereale solum, *h. e.* liba adorea, quae pro mensa subjecta erant, ut in iis ceterae dapes reponerentur. *Plin.* 15, 19, 21. Cereales aurae, *h. e.* frugibus maxime utiles. *Aus. Mosell.* 362. fluvius Praecipiti torquens Cerealia saxa rotatu, *h. e.* molas aquarias, quibus frumenta moluntur. ℗ *Cereale papaver* dicitur a *Virg. G.* 1, 212. quod esui est, sicut frumentum: quale est sativum illud, cujus tria genera facit *Plin.* 19, 8, 53. nempe candidum, cujus semina tosta cum melle ab antiquis in secunda mensa apponebantur; et rustici panum crustis affuso ovo inspergebant: nigrum, cujus scapo inciso lacteus succus excipitur: tertium genus erraticum, quod et sponte nascitur in arvis, cum hordeo maxime. Vel *Cereale* dixit, quia eo usa est Ceres ad oblivionem doloris ob raptum Proserpinae filiae: vel quia Meconem Atheniensem dilexit et transfiguratum in papaver (*μήκων* Graece papaver significat) tutelae suae jusserit reservari. *Serv.* ad *l. c.* Potest etiam addi alia causa, quod narrat *Ov. Fast.* 4, 547. de Triptolemo a Cerere pasto papavere, ut eum faceret Deum. V. ibi reliqua. ℗ *Cerealis sapor* ap. *Plin. l. c.* est sapor tritici. Scribit enim, rusticos inferiorem panum suorum crustam apio et gith, *cereale sapore*, *condire.* Cum enim ex vilioribus et ingratis frugibus panem conficere soleant, eo condimento saporem ei triticeum et gratum conciliant. ℗ *Cerealis coena* est opima, lauta, qualis solebat in festis Cereris parari. *Pl. Men.* 1, 1, 25. Hinc *Cerealis pompa* dicitur a *Varr. R. R.* 1, 2. longus ille ferculorum ordo, quae in hujusmodi epulis inferebantur: ducta loquendi ratione a pompa Circensi. ℗ *Cerealia*, *um*, dicuntur a *Plin.* initio *l.* 23. fruges omnes, quibus aluntur homines. ℗ Sunt etiam *Cerealia*, festa in honorem Cereris, in quibus matronae albis indutae togis, discurrentes cum facibus celebrabant luctum et errores Cereris ob amissam filiam. Ludi praeterea fiebant in Circo in ejus honorem, quos albatus populus spectabat: vetitumque erat vino aut venere uti atque ante noctem cibum capere. Hinc *Pl. Aul.* 2, 6, 5. *Cereri* eos *nuptias facere* ait, qui nihil temeti in coenam attulerint. V. alia in hanc rem in CERES. ℗ Celebrabantur pridie Id. April. ut est in veteri Kalendario ap. *Grut.* 133. et *Ov. Fast.* 4. docet. *Cic. Att.* 2, 12. Emerseram commode ex Antiati ipsis Cerealibus. *Liv.* 30, 39. *in f.* Cerealia ludos dicator et magister equitum ex S. C. fecerunt. Plura de his V. ap. *Ov. Fast.* 4, 389. et seqq. ℗ *Aediles Cereales*

erant duumviri, qui annonam curabant et frumentum, cum opus esset, populo publice distribuebant: iidemque Cereris ludos in Circo faciebant. Originem habuerunt a Jul. Caesare, ut tradit *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. §. 32. C. Julius Caesar duos praetores et duos aediles, qui frumento praeessent et a Cerere Cereales, constituit. Horum mentio fit etiam in *Inscr.* ap. *Grut.* 492, 9. et 272, 5. et 6., ubi appellantur *Aedil. Pleb. Cerial.* Huc spectat nummus ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 251., in quo *Ceres sedens dextra spicas, sinistra facem, pro pedibus serpentem habet cum inscriptione.* C. Memmius Aed. Cerialia preimus fecit. Ex quo patet, etiam *Cerialis* recte scribi, quod et *Serv.* confirmat ad *A.* 1, 181., quin ita omnino scribi vult *Manut.* in *Orthogr.* Alii utramque scriptionem, et merito, probant. ℙ Beneventi vero *praefecti* erant *Cereales juri dicundo*, quorum munus fuit annonam curare, quod liquet ex *Inscr.* ap. *De-Vitam, Antiq. Benev.* p. XIII. *n.* 11. C. Adjectio C. F. Stel. Macedoni Pr. Cer. Jurid. Alia *ib. n.* 12. C. Coelio C. F. Ste. Bassaeo Donato Pr. Cer. I. D. QQ. V. CEREALITAS. ℙ Denique *cereales* dicuntur ab *Hieronymo* (cujus verba V. in ANABASIUS), qui celeriter huc illuc discurrunt, velut Ceres cum filiam quaereret vel Triptolemus ab ea per universum orbem missus ad portanda frumenti semina. ℙ *Charis.* 1, 99. docet, hoc adjectivum in *e* terminari in ablativo singulari, si de homine sermo sit; in *i*, si de re et frugibus. Sed hoc discrimen scriptores non servant.

[CĔRĔALĪTAS, atis, f. dignitas Cerealis, ut Augustalitas est Augustalis, Quinquennalitas Quinquennalis. Qui vero fuerint in provinciis *Cereales* seu *Praefecti Cereales* V. CEREALIS. *Inscr.* ap. *De-Vitam, Antiq. Benev.* p. XIII. *n.* 14. L. Stajo L. F. Stel. Scatrejo Maniliano Primo *Cereali Iuri Dicundo QuinQuennali* filio *Equitis* Romani Archiatri *Beneventi*, Hic primus ob honorem Cereal*itatis* tesseris sparsis, in quibus aurum, argentum, aes, vestem caeteraque (*forte exstat in lapide* ceteraque) populo divisit, L. Stajus Rutilius Manilius. *F.*]

CĔRĔBELLĀRE, is, n. tegumentum capitis et cerebri, ap. *Veg. Vet.* 3, 33., si modo ea lectio sana est.

CĔRĔBELLUM, i, n. ἐγκρανὶς, parvum cerebrum. *Cels.* 2, 18. Ungulae suis, rostrum, aures, cerebellum. *Plin.* 30, 13, 38. Gallinacei cerebellum. *Suet. Vitell.* 13. Phasianorum et pavonum cerebella.

CĔRĔBER, bri, qui dicunt (pro *Cerebrum, bri*) sine cerebro vivunt, inquit *Flav. Caper de Orthogr.* p. 2245.

CĔRĔBRŌSUS, a, um, adj. ὀξύχολος, αὐθάδης, qui cerebro ita laborat, ut facile irascatur, facile sententiam mutet, levis, inconstans, uno verbo ad insaniam proclivis sit. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 82. Te primum cum istis insanum hominem et cerebrosum. *Pl. Most.* 4, 2, 36. Senex hic cerebrosus est certe. *Hor. Sat.* 1, 5, 21. donec cerebrosus prosilit unus, Ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno Fuste dolat. [*Gr. μανικὸς, nos *Tollkopf.*] ℙ De brutis animalibus. *Colum.* 2, 11. *ad f.* Ervum boves cerebrosos reddit. [*Cf. *Pall.* 3, 7. Martio serendum non est (ervum), ne boves reddat insanos.)

CĔRĔBRUM, i, n. ἐγκέφαλος, substantia mollis in capite, nervorum et sensus omnis principium. [*Virg.* 9, 419. Hasta trajecto haesit tepefacta cerebro. *Id. ib.* 11, 698. Vulnus calido rigat ora cerebro.] *Cic. Tusc.* 1, 9. Alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi esse sedem et locum. *Pl. Cas.* 3, 5, 19. Cerebrum alicui dispercutere. *Aurel. Vict. Epit.* 1. *ante med.* Cerebri valido incussu (al. *incursu*) parietem pulsare. [*Suet. Cal.* 27. Offensus putrefacti cerebri odore. *Sidon. ep.* 3, 13. Taceo cerebrum crebra vibice peraratum. *Hor. Od.* 2, 17, 27. Me truncus illapsus cerebro sustulerat.] ℙ Translate ponitur interdum pro mente, animo, intelligentia, sapientia. *Hor. Sat.* 2, 3, 75. Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis. *Phaedr.* 1, 7. O quanta species cerebrum non habet! *Pl. Aul.* 2, 1, 29. Mihi misero cerebrum excutiunt tua dicta, soror: lapides loqueris. [*Suet. Cal.* 50. Ac subinde de secessu, deque purgando cerebro, cogitavit.] *Hor. Sat.* 1, 9, 10. o te, Bolane, cerebri Felicem ajebam tacitus, *h. e.* simplicis, tranquillae et sanae mentis, quae nulla re perturbatur et omnes molestias patientia vincit. Alii aliter exponunt. [*Non recte convenit loci sententiae *Forc.* interpretatio. Horatius non patientiam, sed iracundiam, rusticitatem Bolani exoptatam sibi praedicat, ut minime talia ferentem, homines importunos istos facile removentem. Hinc bene *Baxterus:* Obiter Luciliano more Bolanum istum percutit.] ℙ *Uri cerebrum, findi cerebrum* iis dicitur, qui valde indignantur et veluti extra se sunt prae iracundia. *Pl. Poen.* 3, 5, 25. Id nunc his cerebrum uritur, me esse hos trecentos philippos facturum lucri. *Id. Bacch.* 2, 3, 17. Cor meum et cerebrum finditur, istius hominis ubi fit mentio. Hinc *cerebrosus.* ℙ *Experiri cerebrum alicujus* ap. *Petr. fr. Tragur.* 75. *Burm.* est ejus mentem, animum experiri. ℙ Per similitudinem *cerebrum arboris* ap. *Plin.* 13, 4, 8. est superior medulla arboris. ℙ *Saxo cere comminuit brum* dixit *Ennius* per tmesim, non tamen ullo pacto imitandus. Locum *Enn.* afferunt *Donat. de Tropis* p. 1777. et *Serv.* ad *A.* 1, 416., sed *Enn.* nomine tacito. Simile est illud *Sempronii Gracchi* ap. *Calpurn. Pison. MS.* referente *Merula* ad *fr. Enn.* p. 308. oblatam stultum est medi spernere cinam. Et *Pompon. ib.* Lamen color tatrici mutat: lacrimis se falsis lavitat. Et *Julii Proculi ib.* Clausa sagi fera nant. ℙ Et tmesis et metathesis simul est in illo *Lucr.* 6, 962. terram sol excoquit et facit are. ℙ Insolentissima omnium est illa veteris poetae apud *Don. l. c.* Massili portant juvenes ad litora tanas.

CĔRĔFŎLĬUM. V. CAEREFOLIUM.

CĔRĔMŌNĬA. V. CAERIMONIA.

CĔRĔO pro *Creo* obsoletum verbum. V. CERUS.

CĔRĔŎLUS, a, um, adj. diminutivum a *cereus, a, um.* Apud *Colum.* 10, 404. *cereola* dicuntur pruna, quae cerei coloris sunt, a *Plin. cerina* appellata 15, 13, 12. Versus *Columellae* est: Armeniisque et cereolis, prunisque Damasci. *Plin. l. c.* Sunt et nigra, ac laudatiora cerina, nec non Armeniaca etc. *Ov.* quoque nigra, et cerina pruna memorat *Met.* 13, 817.

CĔRES, ĕris, f. Δημήτηρ, Saturni, et Opis filia, Jovis, et Plutonis soror, mater Proserpinae, quam ex Jove ipso peperisse dicitur. A Neptuno quoque sub equi specie compressam, teste *Ov. Met.* 6, 118. Arionem equum celeberrimum, et vaticinandi arte praeditum genuisse, fabulantur. Dicta est vel quasi *geres*, a gerendis frugibus, ut est apud *Cic. N. D.* 2, 26. et *Varr. L. L.* 4, 10, quemadmodum Δημήτηρ a Graecis denominata est quasi γεωμήτηρ, hoc est terrae mater: vel a *creando*, ut putat *Serv.* ad *G.* 1, 7., quod sit frugum creatrix. Ipsa enim est, quae fruges monstravit, atque agriculturam, et domandorum boum rationem homines docuit. V. TRIPTOLEMUS. Quare spicea corona caput cincta pingitur, et peculiari epitheto *alma* appellatur, quia homines alit. Quod multo magis ei convenit, si dicatur eadem esse ac Terra, quae non solum homines, sed cuncta animantia nutrit. Cererem autem esse ipsam Tellurem, docent plures mythologi. Hinc *Ov. Fast.* 4, 497. currum ei tribuit, quem juncti angues trahunt, qui maxime sunt terrae animalia. Eo autem curru vecta totam terram peragrasse dicitur, cum Proserpinam a Plutone raptam quaereret. V. PROSERPINA. A Graecis dicta est θεσμοφόρος, et a *Virg. A.* 4, 58. *legifera*, quia, ut docet *Macr. Sat.* 3, 12., ante inventa frumenta homines passim sine lege vagabantur: quae feritas inde interrupta est, atque ex agrorum divisione nata sunt jura. Adde *Serv.* ad *Virg. l. c.* ℙ Praeterea Ceres eadem ac Luna esse existimatur, quia hujus sideris influxus in terrenas fruges maxime possunt. *Macr. Sat.* 1, 18. *sub f.* ℙ In sacris Cereris porca mactabatur, quae segetes virides cupidissime depasci, et proterere solet. *Id. ib.* 1, 12., *Hygin. fab. ult.*, *Cato R. R.* 134. ℙ Mulsum quoque libabant, non vinum. Hinc nuptias Cereri facere, apud *Ptaut.*, hoc est sine vino epulas parare. V. CEREALIS. *Cato* tamen *l. c.* et *Virg. G.* 1, 344. vinum in sacrificio Cereris adhiberi jubent: quod de privatis sacrificiis intelligendum est, vel de iis, in quibus aliquid a Cerere petebatur, non de solemni illo, in quo tantummodo celebrabatur memoria luctus et doloris Cereris ob amissam filiam, et abstinebatur a vino, quod laetitiae causa est. Alia ratione hanc quaestionem solvit *Macr. Sat.* 3, 11., qui mulsum intelligendum putat: alia *Serv.* ad *G. c.* 1. quem V. ℙ Quidam duas faciunt Cereres: unam, quae dicta est: alteram filiam Coeli, et Vestae, sororem Saturni, uxorem Sicani Siculorum regis, matrem Acherontis; quae Siculos frumenti usum docuit. *Ov. Am.* 3, 10, 3. Flava Ceres, tenues spicis redimita capillos. *Manil.* 2, 442. Spicifera Ceres. ℙ *Ceres inferna*, et *profunda* dicitur a *Stat. Th.* 4, 460. et *ib.* 5, 156. Proserpina Cereris filia, quia quod quidam tradunt de Cerere, quod sit eadem ac Luna, ut dictum est, hoc alii dicunt de Proserpina, cui Juppiter ad solandam matrem concessit, ut sex menses apud Inferos, totidem apud Superos esset. Saepe autem poetae alteram cum altera confundunt. ℙ Per metonymiam ponitur pro segetibus, et frumento. *Virg. G.* 1, 397. At rubicunda Ceres medio succiditur aestu. *Ov. Am.* 3, 7, 31. Carmine laesa Ceres sterilem vanescit in herbam. *Virg. A.* 1, 181. Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma Expediunt. [*Hor. Ep.* 16, 43. Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis. *Id. Od.* 3, 24, 13. Immetata quibus jugera liberas Fruges et Cererem ferunt.] ℙ Item pro pane. *Id. ib.* 705. Cereremque canistris Expediunt. *Naev.* ap. *Fest.* in *Coquum.* Coquus enim Neptunum, Venerem, Cererem, *h. e.* pisces, olera, et panem. ℙ [Ab antiquis *Cererus* pro *Cereris* usurpatum fuit. V. VENUS *in f. F.*]

CERES, itis. V. CAERES.

CERETĀNI. V. CAERETANUS et CERRETANUS.

CEREVISIA. V. CERVISIA.

CĔRĔUS, a, um, adj. κήρινος, qui est ex cera. *Cic. N. D.* 3, 12. Nihil esset cereum, quod commutari non posset. *Hor. Epod.* 17, 76. Cereae imagines. *Virg. A.* 12, 589. Cerea castra, *h. e.* apum favi. ℙ Item cerae colorem habens. *Virg. Ecl.* 2, 59. Cerea pruna. (V. CEREOLUS.) *Mart.* 1, 93. Cerea, et trita lacerna, *h. e.* quae candorem amisit, et flava ob vetustatem facta est. Alii exponunt succidam, unctam, quasi ceratam. Sic 4, 53. Cerea abolla. *Id.* 13, 5. Cerea quae patulo lucet ficedula lumbo, *h. e.* pinguis. Nam pingue cerei coloris est. Sic *Id.* 3, 58. Cereus turtur. ℙ Translate est tener, flexilis, mutabilis. *Hor. A. P.* 163. Cereus in vitium flecti. ℙ Quod quidam afferunt ex eodem *Od.* 1, 13, 2. cerea Telephi laudas brachia, *h. e.* mollia: *Bentlej.* contendit legendum *lactea.*

CĔRĔUS, i, m. λαμπὰς, λαμπάδιον, fax e cera. *Cic. Off.* 3, 20. Omnibus vicis statuae: ad eas tus, et cerei. *Senec. Tranq.* 11. Toties in vicinia mea conclamatum est: toties praeter limen immaturas exequias fax cereusque praecessit. *Id. Brev. vitae* 20. Ducere funus ad faces et cereos. *Id. ep.* 122. Quantulum a funere absunt, et quidem acerbo, qui ad faces et cereos vivunt? *h. e.* noctu vigilant, et ad lumen facum et cerei agunt. *Pl. Curc.* 1, 1, 9. Lucere alicui cereum. ℙ Saturnalibus cereos dabant tenuiores clientes ditioribus patronis suis, lege lata a quodam Publicio trib. pleb. ad coercendam avaritiam patronorum, qui majora munera a clientibus eo tempore exigere solebant. Hic autem mos missitandi cereos ex eo ortus est, quod socii Herculis ab eo in Italia relicti Saturni aram pro humanis victimis, quae prius ad eam mactabantur, plurimis accensis luminibus excolere coeperunt, ita ab Hercule edocti ac jussi. Habebant enim oraculum, in quo erat: Καὶ κεφαλὰς Ἄδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα. Vox autem φῶτα non solum virum, sed etiam lumen significat. *Macr. Sat.* 1, 7. et 11. *ad f.* et *Mart.* 5, 18.

[CERFENNĪNUS, a, um, adj. ad Cerfennium pertinens Marsorum oppidum, ubi nunc *Colle-Armele*, non longe a Fucino lacu. *Inscr.* ap. *Mur.* 1038, 1. L. Clatrio T. F. Cerfennini, Aquenses, Albenses patrono ab origine. *F.*]

CERIA, ae, f. genus potionis ex frugibus, apud Hispanos. V. CERVISIA.

CĒRIĀLIS. V. CEREALIS.

CĒRĬFĬCO, as, avi, atum, n. 1. κηρώζω ceram facio. *Plin.* 9, 38, 62. *de pelagiis, seu purpuris.* Capi eas post Canis ortum, utilissimum: quoniam cum cerificavere, fluxos habent succos, *h. e.* cum lentorem illum suum cerae similem mutuo attritu salivavere, ut *Id.* loquitur *ib.* 36, 60. Alii leg. *fetificavere:* sed *Hard.* priorem lectionem defendit tum ex MSS. quibusdam, tum ex verbis *Aristot.* hac eadem super re: Ὅταν δὲ κηβιάζωσιν αἱ πορφύραι, etc.

CĒRĪNĀRĬUS. V. CALTHULARIUS.

CĒRĪNTHA, ae, et Cerinthe, es, f. κηρίνθη, herba apibus gratissima, folio candido incurvo, cubitalis, capite concavo, mellis succum habente. *Virg. G.* 4, 63. Trita meliphylla, et cerinthae ignobile gramen. *Plin.* 21, 12, 41. Casiam, melilotum, cerinthen.

CĒRĪNTHUS, i, m. κήρινθος, idem quod *erithace*, hoc est medium quid inter mel, et ceram, quo apes vescuntur, cum operantur, amari saporis: gignitur rore verno, et arborum succo, gummium modo: saepe invenitur in favorum inanitatibus sepositus. Vocatur etiam *sandaraca* a quibusdam. *Plin.* 11, 7, 7.

CĒRĪNUS, a, um, adj. κήρινος, κηροειδὴς, qui est cerei coloris. *Plin.* 15, 13, 12. Pruna cerina. V. CEREOLUS. *Id.* 37, 5, 20. Berylli cerini. ℙ *Cerinum, i*, n. ap. *Plaut. Ep.* 2, 2, 49. est vestimentum cerae colore, ut interpretatur. *Non.* 16, 6. Quidam leg. *berinum*, et interpretantur burrum, *h. e.* rufum.

CĒRĬOLĀRE, is, n. candelabrum cereis sustinendis aptum. *Inscr.* ap. *Grut.* 175, 4. Cum basi marmorea et ceriolarib. duobus aereis habentibus effigiem cupidinis tenentis calathos. *Alia* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 273. Ceriolare arg. alt. ped. 1. semis refecit. Adde aliam ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 83. ℙ Scribi potest et *Cercolare.*

CĒRĬON, et Cerium, ii, n. κηρίον, proprie favum significat. Translate sic appellatur ulceris genus multis foraminibus, favi more praeditum, et mellei coloris humore manans. Accuratius describitur, et in duo genera dividitur a *Celso* 5, 28. *n.* 13., qui tamen Graece usurpat. *Plin.* 20, 2, 6. Radix peponum sanat ulcera concreta in modum favi, quae ceria vocant. Adde 23, 7, 63.

CĒRĬTES. V. CAERES.

CĒRĪTIS, vel Cerites, ae, m. κηρίτης, gemma est a colore cerae appellata, quae κηρὸς Graece dicitur. *Plin.* 37, 10, 56.

CERITŪLUS, CERĪTUS } V. CERRITUS.

CERMĂLUS, locus in Urbe sic nominatus. *Festus.* ℙ Rectius tamen scribas *Germalus*, ut est

ap. *Varr. L. L.* 4, 8. *ad f.*, ubi docet, ita dictum esse a duobus germanis Romulo et Remo, et esse eum locum, in quo hi inventi sunt in alveolo in ripa Tiberis. Hinc etiam format adjectivum *Germalensis*. Meminit hujus vocis *Id. Fest.* etiam in *Septimontio*, ubi licet eum enumeret inter montes, non tamen mons est, sed locus imus ad Tiberim.

*CERMORUM, i, Maced. opp., ad Strymonis fluv. ostium. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

[CERNA, ae, m. qui decernit, vel qui discernit. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1083, 2. M. Cacius Cerna. *F.*]

*CERNE, es, f. Κέρνη, insula a pluribus laudata, sed tam variis in situ determinando, ut quidam ex Altantico mari in orientalem Oceanum transscripserint. Alii non longe a Lixo Mauritaniae ponunt: alii circa Atlantem majorem: alii denique ad aequatorem usque removent. De ea sic *Plin.* 6, 31. Contra sinum Persicum *Cerne* nominatur insula, adversa Aethiopiae, cujus neque magnitudo neque intervallum a continente constat, Aethiopas tantum populus proditur. Ephorus auctor est, a rubro mari navigantes in eam non posse propter ardores ultra quasdam columnas (ita appellantur parvae insulae) provehi. *Hard.* eam fuisse putat insulam, quam hodie *Madagascar* appellamus. *B. A.*

CERNENTIA, ae, f. visus. *Capell.* 4. p. 115. Cernentia opponitur caecitati.

*CERNITUS, a, um, i. q. cretus, cribratus, a *cerno*. *Theod. Prisc.* 2, 4. Lomentum fabaceum bene cernitum. Al. aliter leg. *B. A.*

CERNO, is, crevi, cretum, a. 3. *διαττάω, σήθω.* Proprie significat separare. Est enim a *κρίνω*, (quod idem significat) ut *Voss.* omnium probabilissime censet. Ponitur itaque pro cribro secernere, purgare. *Cato R. R.* 107. Quam minutissime per cribrum cernas. *Ov. Med. fac.* 89. Haec ubi contrieris, per densa foramina cerne. *Plin.* 18, 11, 19. *n.* 3. Arctiore cribro cernere farinam. Adde 33, 5, 26. ℙ Hinc et pro agitare usurpatur, quia quae cernuntur, agitantur. *Sever. A.* 491. Sicut cum curvo rapidum mare cernitur aestu. ℙ Translate est judicare, decernere, deliberare, quia omnis judicandi vis in eo posita est, ut vera a falsis, justa ab injustis separentur, *Cic. Leg.* 3, 3. Huic potestate pari quotcumque senatus creverit, populusve jusserit, tot sunto. *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 69. Et aequum est, et rectum quod postulas: jurati cernant. *Tac. A.* 15, 14. Locum illis tempusque destinatum, quo de Armenia cernerent. ℙ Item pro certare, dimicare, quia in bello, et proeliis de summa rerum decernitur. *Auct. argum.* 2. *Amph. Plaut.* Pro patria Amphitruo dum cernit cum hostibus. *Virg. A.* 12, 709. Inter se coiisse viros, et cernere ferro. Al. leg. *decernere* contra *Serv. Enn.* ap. *Non.* 11, 16. Severiter fortuna ferri cernunt de victoria. [**Tibull.* 4, 1, 103. Seu libeat duplici sejunctim cernere Marte.] ℙ Festive *Pl. Trin.* 2, 4, 77. Verecundari neminem apud mensam decet. Nam ibi de divinis atque humanis cernitur. [*i. e. agitur de summis rebus, de salute vitae quum de ventre implendo agitur.] ℙ Hoc sensu regit etiam accusativum. *Enn.* ap. *Cic. Off.* 1, 12. Ferro non auro vitam cernamus utrique, *h. e.* in disceptationem et discrimen adducamus, et de ea armis decernamus. [*Nos: *das Leben einsetzen. Turneb. Advers.* 16, 32. comp. ex ejusd. *Enn. Medea*: Nam ter sub armis malim vitam cernere, semel quam modo parire. *Eurip.* in ead. fab. 252. *τρὶς ἂν παῤ ἀσπίδα στῆναι θέλοιμι ἄν* cet. V. quos praeterea laudat ad h. l. *Beier.*] *Pl. Bacch.* 3, 2, 15. Cernere certamen. *Lucr.* 4, 965. bellum. *κρίνειν πόλεμον.* Alii leg. *degerere*, pro *gerere*, ut sit paeon pro dactylo: alli *degere.* ℙ Significat etiam statuere, constituere, et veluti apud se decernere. *Pl. Cist.* 1, 1, 1. Cum ego antehac te amavi, et mihi amicam esse crevi, *h. e.* constitui, inquit *Varr. L. L.* 6, 5. *a med. Prisc.* tamen 8, 898. exponit vidi, cognovi: qua de significatione infra dicemus. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 69. Postquam praesidium castris educere crevit. *Cic. Leg.* 3, 3. *a med.* Imperia, potestates, legationes, cum senatus creverit, urbe exeunto. *Catull.* 64, 150. potius germanum amittere crevi, quam etc. Ap. *Liv.* 43, 12. dicitur *sors cernere*, cum sorti permittitur, ut dijudicet, quid sortientibus obveniat. ℙ Hinc est celebris illa phrasis JCtorum, *cernere hereditatem:* quae legitur ap. *Cic. Agr.* 2, 15. *ad f.*, *Att.* 11, 2. et 12. *in f.* et alibi. Porro is dicitur *hereditatem cernere*, ut exponit *Varr. l. c.*, qui constituit se heredem esse: et cum id fecit, dicitur *crevisse.* Itaque differunt *cernere*, et *adire.* Nam *cernere* est decernere, se heredem esse, et hereditatem acceptare: at *adire* est ipsam occupare, et in possessionem ejus venire. Docet enim *Cajus Institut.* 2, 164. Extraneis heredibus solet cretio dari, idest finis deliberandi, ut intra certum tempus vel adeant hereditatem, vel, si non adeant, temporis fine submoveantur: ideo autem cretio appellata est, quia cernere est quasi decernere et constituere. Cum ergo ita scriptum sit: Heres Titius esto, adjicere debemus: Cernitoque in centum diebus proximis, quibus scies poterisque, quod si non ita creveris, exheres esto. Et qui ita heres institutus est, si velit heres esse, debebit intra diem cretionis cernere, id est haec verba dicere: Quod me Publius Titius testamento suo heredem instituit, eam hereditatem adeo cernoque. Hinc intelliges illud *Varr. L. L.* 5, 8. In testamento, cernito, idest facito, videant te esse heredem. Itaque in cretione adhibere jubent testes. Et *Cic. Or.* 1, 22. De his credo rebus, inquit Crassus, ut in cretionibus scribi solet, *Quibus sciam poteroque.* Quamvis autem prius fit *cernere*, quam *adire*, hoc tamen verbum in formula hereditatis agnoscendae priore loco ponitur. *Plin. ep.* 10, 75. Rogavit testamento, ut hereditatem suam adirem, cerneremque. *Ulp. l. c.* Cernere est verba cretionis dicere, ad hunc modum: Cum me Maevius heredem instituerit, eam hereditatem adeo, cernoque. ℙ Translate *Cic. Att.* 6, 1. Is fratris Appii amorem erga me cum reliqua hereditate crevit. ℙ Saepissime significat videre, quae notio et ipsa ab illa priore descendit, quam posuimus. Proprie enim *cernere* est oculis res internoscere, unam ab alia separando. Quare *cernere* plus est quam *videre. Cic. Tusc.* 1, 20. Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea, quae videmus. *Gell.* 5, 16. De vivendi ratione, deque cernendi natura diversas esse opiniones philosophorum. [**Cic. Off.* 1, 4, 11. Homo (quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, cet. *Tac. A.* 1, 59. Cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana. *Curt.* 9, 9, 10. Monstraque et irae deum indicia cernere videbantur, *Id.* 8, 13, 16. Eaque pugna multum fiduciam Pori crexit cuncta cernentis e ripa. *Virg. A.* 10, 20. Cernis ut insultent Rutuli? *Id. ib.* 11, 703. Isque ubi se nullo jam cursu evadere pugnae posse cernit. *Id. ib.* 3, 552. Cernitur hinc sinus. 554. Aetna procul. 8, 246. Cernatur barathrum super. *Hor. Sat.* 1, 2, 94. Matronae praeter faciem nil cernere possis. *Id. ib.* 1, 3, 26. Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum? *Gr. ὀξυδερκεῖς. Tibull.* 1, 2, 57. Nam cetera cernet omnia. (de marito).] ℙ Usus tamen haec confundit, et promiscue usurpat. Porro in hac significatione fere semper caret praeterito. *Cic. Acad.* 4, 25. Ego Catuli Cumanam ex hoc loco regionem video, Pompejanum non cerno. *Id. Fam.* 6, 3. Quem ego tam video animo, quam ea, quae oculis cernimus. *Nep. Timol.* 2. Ut non solum auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur. ℙ *Cerne* pro vide, aspice. *Cic. Somn. Scip.* 6. Hic autem alter, quem incolitis, cerne, quam tenui vos parte contingat. ℙ Saepe transfertur ad animum. *Cic. Or.* 3, 31. Neque tanta tamen est in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo adspexerit. *Id. Fam.* 5, 12. Cerno jam animo, quanto omnia uberiora futura sint. *Ter. Andr.* 1, 1, 108. Ut consuetum facile amorem cerneres. *Enn.* ap. *Cic. Amic.* 17. Amicus certus in re incerta cernitur. ℙ Per catachresim sumitur pro audire. *Titinn.* ap. *Prisc.* 10, 898. Simul ut pueras has nocte suspirare crevi. *Accius* ap. *Non.* 4, 69. Vox illius certe est: idem omnes cernimus. ℙ Praeterea eleganter accipitur pro inspicere, dignoscere. *Liv.* 35, 7. Libero fenore obruebant debitores: cujus cernendi cum ratio quaereretur, diem finiri placuit. Al. leg. *coercendi.* ℙ *Cerni aliqua re* dicitur, quod ea re constat: sic enim unumquodque distinguitur, aestimatur et cognoscitur. *Cic. Top.* 21. Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiisque cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum. *Id. Partit.* 22. *in f.* Atque hae quidem virtutes cernuntur in agendo. *Id. Tusc.* 5, 8. Vires, valetudo, divitiae, honor, gloria, quae genere, non numero cernuntur. [**Cic. Off.* 1, 20, 66. Omnino fortis animus et magnus duabus rebus maxime cernitur.] ℙ In illo *Accii*: Regnum tibi permitti malunt: cernam, tradam exercitum: *cernam* exponit *Non.* 4, 69. cedam: sed non videtur apte explicare. ℙ De praeterito *crevi*, quod commune est duobus verbis *cerno*, et *cresco*, haec habentur ap. *Fest.* Crevi modo significat hereditatem adii (a *cerno*), modo major aetate, vel censu sum (a *cresco*), modo judicavi, modo divisi (a *cerno*), quae omnia a duobus verbis cresco, et cerno veniunt; cujus unius origo ex Graeco trahitur, quod illi *κραίνειν* dicunt perficere. ℙ Part. *Cernens* ap. *Virg. A.* 6, 482. Quos ille omnes longo ordine cernens. [**Lucr*, 6, 644. Fumida cum coeli scintillare omnia templa cernentes.] *Cernendus* ap. *Ov. Met.* 51, 844. Constitit alma Venus nulli cernenda.

CERNUALIA, um, n. plur. ludi, in quibus super pelles unctas saliebant et cernuabant. *Varr.* ap. *Non.* 1, 76. Etiam pelles bubulas oleo perfusas percurrebant, ibique cernuabant: a quo ille versus vetus est in carminibus: Sibi pastores ludos faciunt coriis Cernualia. Ita legit *Scalig.* ad *Fest.* in *Coinquire.* Alii *coriis consualia.* [Alii rectius: cernui. Cernualia. V. CERNUO. *F.*]

CERNUATUS, a, um, part. a *cernuo*, cernuus, in terram pronus. *Solin.* 45. Equus adeo sprevit lupatos, ut de industria cernuatus, ruina pariter et se et equitem affligeret.

CERNULO, as, idem quod cernuo. *Senec. ep.* 8. Non evertit fortuna, sed cernulat, et allidit. Alii leg. *cernuat se. Id. Tranquill.* 3. *ad f.* Cernulat se.

CERNULUS, a, um, adj. idem quod cernuus, cernuatus. *Appul. Met.* 9. Supra mensam cernulus corruens etc. Ita leg. in quodam Cod. *Scalig.* ad *Manil.*, at plerique alii *cernuus.*

[CERNUNNUS, i, m. Numen Gallorum proprium, cujus effigies cornuta Bacchum repraesentat; hinc etiam illi nomen fuit. Hujus Numinis mentionem facit *Inscriptio*, quae prope Pollentiam Vagennorum in Liguria reperta est, quamque affert *Jacobus Durandius* in opere, cui titulus, *I Cacciatori Pollentini*, quae talis est: Deo Cernunno Servatori Fouscius Venat. V. S. L. M. Cernunni figura exstat apud *Mur. Inscr.* 1066, 5. *F.*]

CERNUO, as, avi, atum, a. 1. *κυβιστάω*, in caput vertere, cernuum ad terram dare. *Varr.* ap. *Non.* 1, 76. V. in *Cernualia. Appul. Met.* 1. Corpus exanimatum in flumen paene cernuat. Alii male leg. *corruerat. Prud. adv. Symmach.* 1, 350. Cernuat ora senex barbatus, et oscula figit Cruribus aenipedum, si fas est credere, equorum. *Front. princip. hist.* Beluae pisces alto mari cernuantes. Passive *Solin.* 17. *de tigrib.* In litore irrita rabie cernuantur.

CERNUUS, a, um, adj. *λοξὸς, πρηνὴς*, in faciem pronus, curvus. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 76. Cernuus extemplo plantas convestit honestas. *Prud. Cathemer.* 7, 43. pulverem Humi madentis ore pressit cernuo. *Virg. A.* 10, 894. *de equo.* effusum equitem super ipse secutus Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo. Ubi *Servius.* Cernuus dicitur equus, qui cadit in faciem, quasi in eam partem, qua cernimus: unde et pueri, quos in ludis videmus ea parte, qua cernunt, *κυβιστῶντες (h. e.* cernuantes se) cernui vocantur, ut etiam *Varr.* in Ludis theatralibus docet. Haec *Servius*, cui adstipulatur *Non. l. c.* quod ad etymologiam attinet. [**Sil.* 10, 256.] ℙ Hinc *cernuus* idem est, qui petaurista, vel schoenobates, *κυβιστητὴς*, in illo *Lucil.* ap. *Non. ib.*, ut putat *Scalig.* ad *Fest.* Modo sursum, modo deorsum, tanquam collus cernui, *h. e.* velut collus petauristae se cernuantis. In *Gloss.* quoque *Philox.* legitur *Cernuli, πεταυριστοί.* ℙ *Festus* docet, *cernuum* esse genus calceamenti. Sed *Voss.* in *Etym.* recte notat, deceptum esse ex illo *Lucilii* versu male intellecto, quem hic priore loco attulimus. Idem videtur dicendum de *Isid.*, *qui Orig.* 19, 34. docet, *cernuos* dici soccos sine solo.

CERO, as, avi, atum, a. 1. *κηρόω*, ceram induco, cera illino. *Colum.* 12, 50. *a med.* Fere sexta quaque olivitate dolia cerari oportere.

*CEROFERARIUS vel Ceriphorus, i, m. clericus, cujus munus erat ad sacrorum mysteriorum pompam accensos cereos ferre. Alio nomine vocabatur *acolithus* s. *Acoluthus.* V. *Isid.* 7, 12. *Ἀκόλουθος, κηροφόρος, κηριάπτης. Gl. Vet. B. A.*

CEROLIENSIS dictus est olim quidam locus in Urbe Roma, qui quod Carinis junctus erat, Carinarum postea nomine est appellatus. *Varr. L. L.* 4, 8. *V. *Nardin. Rom. Vet.* 3, 9. *Turneb. Advers.* 20, 35. *B. A.*

CEROMA, atis, n. *κήρωμα*, unguentum ex cera et oleo, quo illiniebantur corpora eorum, qui in gymnasiis se exercebant: a *κηρὸς*, cera. Adhibebant etiam genus terrae albidae ex agro Albano, vel rubeae ex Bajano pulvere; eaque oleo mixta ungebantur. *Plin.* 35, 13, 47. Plura de hac re non sum dicturus, non hercules magis, quam de terrae usu in ceromatis etc. *Mart.* 7, 32. Vera nec injecto ceromate brachia tendis. *Id.* 4, 19. Lentum ceroma teris. *Id.* 14, 50. Immundum ceroma. Adde *Plin.* 28, 4, 13. et 29, 1, 8. ℙ In illo *Senec. ep.* 57. A ceromate nos haphe excepit: *ceroma* est lutum, quo in coenosa via aspersum se dicit: et post illud pulverem excepit in crypta Neapolitana. ℙ Per metonymiam accipitur pro loco gymnasii, seu palaestrae, in quo ungebantur, *ἐλαιοθήκιον. Senec. Brevit. vitae* 12. Qui in ceromate spectator puerorum rixantium sedet. *Plin.* 35, 2, 2. Palaestras athletarum imaginibus, et ceromata sua exornant. ℙ *Oleum perdit, et impensas, qui bovem mittit ad ceroma*, proverbium apud *Hieron. ep.* 57. *n.* 12., quo significatur, eum operam perdere, qui quempiam ad aliquod munus admovet, ad quod plane ineptus est. Bos enim, tametsi magnis viribus pollet, non est tamen certe ad palaestram idoneus. ℙ In illo *Mart.* 5, 65. Et castigatum Libycae ceroma palaestrae: *ceroma* significat luctae certamen, quo Hercules in Libya Antaeum vicit. ℙ Est etiam genus morbi, fortasse idem quod *cerion:* utrumque enim est a *κηρὸς*, cera. *Plin. Val.* 1, 25. *ad f.* Draconteae succus cum melle infunditur: quae res etiam ceromata sanat. V. CERION. ℙ Quod *ceromas* apud *Arnob.* 3, 114. legimus, tanquam a *ceroma*, *ae*, f., intelligenda

sunt ipsa ceromata palaestritarum: de gen. vero femin. hujus nominis V. CAUMA.

CĒROMĂTĬCUS, a, um, adj. *κηρωματικὸς*, ceromate unctus. *Juven.* 3, 68. Et ceromatico fert niceteria collo.

*CERON, onis, *Κέρων*, fons Thessaliae, in Hestiaeotide, cujus aqua bibentes oves nigros reddit. *Plin.* 31, 2. *Sen. Q. N.* 3, 25. *B. A.*

CĒRŌNĬA, ae, f. *κερωνία*, genus arboris siliquas ferentis, trunco et ramis fertilis. Ita eam appellant Iones. *Plin.* 13, 8, 16. *V. *Salm.* ad *Solin.* p. 326. sq. *B. A.*

CĒRŌSTRŌTUM, i, n. *κεράστρωτον*, vox Graeca, qua significatur quod cornibus stratum, seu intectum est: a *κέρας*, cornu, et *στρωτὸς*, stratus. Sumitur autem pro genere picturae, quo ramenta, et tessellae ex cornibus tinguntur variis coloribus, deinde vermiculatim ligno, aut lapidi inseruntur. *Plin.* 11, 37, 45. Cornua nunc tincta, nunc sublita, nunc quae cerostrota, picturae genere, appellantur. *Vitr.* 4, 6. Ipsaque forium ornamenta non sint cerostrota, neque bifora, sed valvata. *Phil.* ad *Vitr.* et alii. ℙ *Hard.* in *Plin.* legit *cestrota*, *κέστρωτα*, et intelligi ait illud picturae genus, quo cestro, idest viriculo in ebore imagines inscribebant. Huic assentitur *Salm.* in *Solin.* ℙ Alii in *Vitr.* leg. *cerostrata*, quod idem sonat ac *cerostrota;* alii, ut *Bald.* in *Lex. Vitr.*, reponunt *clostrata*, et interpretantur portas, quae unica fore constant, ut sic opponantur *biforis*, et *valvatis.* Sunt etiam qui arbitrantur *cerostrota* esse a *κηρὸς*, cera, et significare picturas ceris fusis et stratis inustas, quod genus *encaustice* appellatur: de quo *Auson. epigr.* 26. *in divitem quendam.* Ceris inurens januarum limina. V. *Salm.* et *Bald. l. c.* et *Voss.* in *Etym.* in *Cestrum.* [Sunt denique, qui *non sint cerostrota*, *neque clathrata*, *neque bifora* legendum putent, *h. e.* quae neque ita essent constructa, ut majorem ostii partem inferne clauderent, superne vero ferreis quasi cornibus innexis introitum furibus prohiberent, neque clathris clausa, neque bifora etc. *F.*]

CĒRŌSUS, a, um, adj. *κηρώδης*. *Plin.* 32, 3, 13. Liquor veluti mellis cerosi, *h. e.* non plane defaecati, sed ceram adhuc admixtam habentis.

CĒRŌTĂRĬUM. V. CERATORIUM.

CĒRŌTUM. V. CERATUM.

CERRĒTĀNUS, a, um, adj. *Κερρῆτάνοι*, *Cerretani*, *orum*, sunt populi Hispaniae Tarraconensis ad radices Pyrenaei in finibus Vasconum: quorum regio nunc dicitur *la Cerdana.* In duo genera divisi sunt. Nam alii Juliani, alii Augustani cognominantur. *Cerretanas pernas* memorant *Mart.* 13, 54. et *Edict. Dioclet.* p. 14. De Cerretanis verba facit *Plin.* 3, 3, 4. Meminit etiam *Sil.* 3, 357. ℙ Alii sunt *Caeretani*, de quibus supra suo loco dictum est, a *Caere* oppido Etruriae. Sunt qui putant locum *Mart.* allatum ad hos pertinere. ℙ Scribitur et *Ceretani.*

CERRĔUS, a, um, adj. ad cerrum pertinens. *Plin.* 16, 6, 8. Glans cerrea. *Id.* 43, 84. Manubria cerrea. Adde *Colum.* 9, 1.

CERRĪNUS, a, um, adj. idem quod cerreus. *Plin.* 30, 10, 27. Cerrino calice bibere.

CERRĪTŪLUS, a, um, dimin. a Cerritus. *Capell.* 8, 272.

CERRĪTUS, a, um, adj. *Δημητριακὸς*, furiosus (ut interpretatur *Fest.*) insanus, quasi *cereritus*, hoc est a Cerere percussus, Cereris ira animo vexatus, et mente alienatus. Quidam docent, Cererem, idem esse aliquando, ac Erynnin, quae Furiarum una est: ex quo hujus vocis significationem petendam esse. *Hor. Sat.* 2, 3, 277. Hellade percussa Marius cum praecipitat se, Cerritus fuit, an etc.? *Pl. Amph.* 2, 2, 143. Quin tu istanc jubes pro cerrita circumferri? *Id. fragm.* ap. *Non.* 1, 113. Tu certe aut larvatus, aut cerritus es. Adde *Rud.* 4, 3, 67. ℙ Comp. *cerritior* quidam putant legi apud *Cic. Att.* 8, 7., sed libri omnes habent *certior.* ℙ Scribitur et *Ceritus:* illud tamen est rectius, teste *Dausq.* et *Scalig.* in *Conject. ad Varr.* p. 94.

CERRONES, homines leves et inepti, a cratibus dicti, quod Siculi adversus Athenienses cratibus pro scutis usi sunt, quas Graeci *γέρρας* appellant: quam ob rem inepti ac stulti sunt habiti. *Festus.* Al. leg. *gerrones*, alii *congerrones.* Idem *Fest.* in *Gerrae*, Athenienses ait contra Siculos in obsidione Syracusarum hujusmodi scutis usos, ac proinde a Siculis irrisos. Sed hoc vocis significationem nihil immutat.

CERRUS, i, f. *ὀξύη*, vel *ἄσπρις*, arbor est ex genere quercuum, procera, glandem ferens tristem, horridam, echinato calyce, seu castaneae. In Italia non omnibus locis nota est: in Gallia nec ortum, nec nomen habet. Est autem in operibus paene inutilis, quoniam celeriter marcescit. *Vitr.* 2, 9. et 7, 1., *Plin.* 16, 5, 6., *ib.* 6, 8. et *Colum.* 7, 9.

CERTĂBUNDUS, a, um, adj. certans, disceptans. *Appul. Apol.* Diogenes Cynicus cum Alexandro M. de veritate regni certabundus.

CERTĂMEN, minis, n. *ἀγών*, contentio inter duos, aut plures de re aliqua, conatus, quem quis adhibet, ut alium vincat. [**Cic. Am.* 10, 34. In optimis quibusque honoris certamen et gloriae. *Tibull.* 4, 1, 88. Laudis et assiduo vigeat certamine miles. *Tac. A.* 1, 2. Certamina potentium et avaritia magistratuum.] *Cic. Fin.* 2, 21. Certamen honestum, et disputatio splendida. *Id. Off.* 1, 12. Cum altero certamen honoris et dignitatis est, cum altero capitis et famae. *Id. Flacc.* 26. De urbis possessione inter Deos certamen fuit. *Id. N. D.* 3, 40. Est mihi tecum pro aris et focis certamen. *Id. Pis.* 32. Adducere rem in certamen. *Id. Brut.* 92. *in f.* venire cum aliquo. *Id. Acad.* 1, 11. Instituere sibi certamen cum aliquo. *Justin.* 2, 10. deferre ad judicem. (paulo post *contentionem*, et *litem* appellat.) *Sall. Cat.* 1. Diu magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis, an virtute animi res militaris magis procederet. [**Tac. A.* 4, 40. Quid, si intendatur certamen tali conjugio?] Et *Liv.* 2, 53. Certamina domi finita, *h. e.* seditiones. Et *ib.* 28. *ad f.* Apparebat atrox cum plebe certamen. *Id.* 5, 16. Nec intra muros quietiora negotia esse certaminibus patrum ac plebis. [**Tac. A.* 1, 28. Quis certaminum finis? (de exercitu seditioso.) *Id. ib.* 1, 54. Certamen histrionum. *Id. ib.* 2, 54. Provinciae internis certaminibus aut magistratuum injuriis fessae. *Id. ib.* 3, 12. Illic contumacia et certaminibus asperasset juvenem. *Id. ib.* 3, 43. Certamen ducum Romanorum, quos inter ambigebatur; utroque bellum sibi poscente. *Id. ib.* 4, 32. Plebis et optimatium certamina.] ℙ Dicitur saepe de ludis, in quibus cursu, pugilatu, lucta, equis, quadrigis etc. certabatur. *Justin.* 7, 2. Olympio certamine vario ludicrorum genere contendit. *Suet. Ner.* 12. Certamen quinquennale triplex, musicum, gymnicum, equestre. *Virg. A.* 5, 144. bijugum. *Ov. Met.* 10, 177. Inire certamina disci. *Cic. Tusc.* 2, 26. Descendere in certamen. [**Suet. Cal.* 20. Certamen Graecae Latinaeque facundiae. *Id. Claud.* 11. Neapolitanum certamen, i. e. certamen gymnicum et musicum Neapoli in Augusti honorem institutum. (Cf. *Aug.* 98.) *Id. Vitell.* 4. Certamen Neroneum. V. in Neronianus. *Id. Dom.* 4. Certamina oratorum ac poetarum. *Id. Claud.* 21. Certamen quadrigarum.] ℙ Metonymice *Virg. G.* 2, 530. pecorisque magistris Velocis jaculi certamina ponit in ulmo, *h. e.* praemia certaminis. Sic apud Graecos *ἆθλος*, certamen, et *ἆθλον* certaminis praemium significat. ℙ Saepissime ponitur pro proelio. *Caes. B. C.* 1, 46. Vario certamine pugnatum est. *Vellej.* 2, 85. Certamen classicum. *Id. ib.* et *Liv.* 7, 26. Inire certamen. *Sall. Jug.* 13. Ubi res ad certamen venit. *Curt.* 4, 15. Tentare certamen. *Liv.* 35, 4. conserere. *Flor.* 1, 13. Singulare certamen. [**Virg. A.* 7, 523. Certamen agreste. *Id. ib.* 8, 700. Saevit medio in certamine Mavors. *Id. ib.* 10, 146. Illi inter sese duri certamina belli contulerant.] ℙ Proprie differt a *proelio.* Significat enim ardorem et conatum, quo milites in proelio utuntur. *Hirt. B. G.* 8, 28. Fit proelium acri certamine. *Id. B. Alex.* 16. Minime autem erat par proelii certamen. *Cic. Cat.* 2, 11. *extr.* In hujusmodi certamine ac proelio. Sic *Ov. Met.* 12, 180. Qua tibi militia cujus certamine pugnae Cognitus. ℙ [*Significat etiam bellum apud *Eutrop.* 1, 16. Promittentes senatui et populo, per se omne certamen implendum. Comparat *Tzschuck.* ad h. l. *Justin.* 7, 2, 6. 6, 6. et *Flor.* 1, 20. et *Gruner.* qui Gr. *ἀγὼν* sic dici docet ad *Eutrop.* 3, 2.] ℙ Praeterea dicitur de studio, conatu et alacritate plurium circa eandem rem. [**Tac. A.* 4, 63. Et saepe certamen, si confusior facies et par forma, aut aetas, errorem adgnoscentibus fecerat.] *Petr. Sat.* 124. *ad f.* Opes suas summo certamine in Eumolpum congesserunt. *Curt.* 9, 4. Ingenti certamine concitant remos. Adde *Virg. A.* 5, 197. [**Sil.* 11, 72. Vocumque tremit certamine templum. *Virg. G.* 3, 103. Nonne vides, quum praecipiti certamine campum corripuere, ruuntque effusi carcere currus.] Et absolute *Sil.* 10, 536. Funereas tum deinde pyras certamine texunt. Adde 12, 268. ℙ *Certamen vini* ap. *Tibull.* 3, 6, 11. est compotatio. Adde *Plin.* 36, 21, 42. ℙ *Certamina divitiarum* ap. *Hor. Ep.* 1, 5, 8. sunt curae et labores in divitiis comparandis. ℙ Videtur etiam poni pro periculo, quia in certamine semper aliquid periclitamur. *Cic. Div.* 1, 43. Quo majus erat certamen et discrimen salutis.

CERTANTER, adv. certatim. *Paulinus Petrocor.* 6, 489. Aut si certanter rapuissent flumina coetus.

CERTATIM, adv. *ἀγωνιστικῶς*, cum certamine et aemulatione. *Cic. Sex.* 34. Cum omnes certatim, alius alio gravius atque ornatius de mea salute dixissent. *Id. Phil.* 2, 46. Certatim currere. *Plin. ep.* 2, 9. Omnes me certatim, et tamen aequaliter amant. [**Tac. A.* 3, 65. ut multi etiam pedarii Senatores certatim exsurgerent. *Id. ib.* 11, 31. Certatim ceteri circumstrepunt. *Id. ib.* 12, 7. Certatim erumpere curia. *Suet. Aug.* 100. Senatus certatim progressus est. *Id. Cal.* 57. Plures certatim experimentum artis dabant. *Hor. Sat.* 1, 5, 17. Cantat absentem amicam nauta atque viator certatim. Cf. *Bentl.* ad h. l. *Tibull.* 4, 4, 24. Certatim reddet uterque focis debita.] *Virg. A.* 5, 778. Certatim socii feriunt mare, et caerula verrunt.

CERTĀTĬO, onis, f. *ἀγωνισμὸς*, *φιλονεικία*, actus certandi, contentio, conatus ad vincendum, *Sisenn.* ap. *Non.* 1, 36. Jaculis celeriter consumptis, ad gladios certationem revocaverunt. *Cic. Leg.* 2, 15. Ludi publici sint corporum certationes, cursu et pugilatione etc. *Id. Amic.* 9. Haec inter amicos sit honesta certatio. *Id. Quint.* 22. Haec est iniqua certatio, non illa, qua tu contra Alphenum velitabaris. *Id. Fin.* 2, 14. Relinquitur non mihi cum Torquato, sed virtuti cum voluptate certatio. [**Suet. Aug.* 45. Xysticorum certationes.] *Cic. Leg.* 3, 3. Cum magistratus judicassit, irrogassitve, per populum multae, poenae certatio esto. *Certatio multae* est disceptatio, quae fit apud populum, vel apud judices de multa alicui statuenda. *Liv.* 25, 3. Tribuni ducentum millium aeris multam Postumio dixerunt: cujus certandae cum dies advenisset etc. Et *ib.* 4. Omissa multae certatione, rei capitalis diem Postumio dixerunt. Dicitur *certatio*, quia fit cum certamine et contentione accusatorum et defensorum.

CERTĀTOR, oris, m. *ἀγωνιστὴς*, qui certat. *Gell.* 12, 10. Agrestes quidam et indomiti certatores, qui nisi auctoritatibus adhibitis non comprimuntur. Adde *Appul. Doctr. Plat.* 1.

CERTĀTUS, a, um, partic. a *certo*, id de quo certatum est. *Sil.* 17, 338. Certatus nobis hodie dominum accipit orbis. Sic *Stat. Th.* 1, 1. Regna decertata odiis. ℙ Ablativus *certato* ponitur pro *cum certatum esset*, sicut *audito*, *comperto*, etc. *Tac. A.* 11, 10. Huic contra itum ad amnem Erindem, in cujus transgressu multum certato, pervicit Bardanes. Adde *Hist.* 4, 16. V. similem loquendi rationem in ERRO, as, *in f.*

CERTĀTUS, us, m. id. q. certamen. *Stat. Silv.* 3, 1, 152. ridetque benigna Parthenope gentile sacrum, nudosque virorum Certatus, et parva suae simulacra coronae.

CERTE, adv. *νὴ Δία*, *ἀληθῶς*, *γε*, profecto, sine dubio, certo. *Cic. Brut.* 32. Certe et boni aliquid attulimus juventuti, et nocuimus fortasse, quod etc. *Id. Marcell.* 2. Et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas multum juvant. *Id. Div.* 2, 9. Certe igitur ignoratio futurorum malorum utilior est, quam scientia. *Id. N. D.* 1, 2. *in f.* Alterum fieri profecto potest, alterum certe non potest. [**Id. Off.* 2, 24, 86. Sunt certe utiles. *Hor. Sat.* 1, 9, 67. Certe nescio, quid secreto velle loqui te aiebas mecum.] *Ter. Andr.* 3, 2, 15. Certe hercle hic se ipsus fallit. *Id. ib.* 3, 2, 23. Certe enim scio. *Liv.* 3, 40. *ad f.* Speculatores mittendos, qui certius explorata referant. *Tertull. Pall.* 4. *in f.* Tunc certissime pallium super omnes exuvias deducit etc. ℙ In responsionibus affirmat, aut concedit. *Pl. Asin.* 3, 3, 132. Ain vero? *Le.* certe inquam. *Cic. Or.* 42. At dignitatem docere non habet: certe, si quasi in ludo. ℙ Jungitur eleganter particulis *quidem*, et *equidem:* quod si aliis verbis praeponatur, fere dicimus *certo quidem;* si subjiciatur *quidem certe. Pl. Aul.* 2, 2, 38. Certe edepol equidem te civem sine malitia sum arbitratus. *Id. Pers.* 2, 2, 27. Certe equidem pejorem te vidi neminem. *Cic. Tusc.* 1, 29. Nunc ubi sit animus, certe quidem in te est. *Ter. Eun.* 4, 5, 5. Certe tu quidem pol multo hilarior. *Cic. Fam.* 1, 9. *ad f.* Me quidem certe tuarum actionum comitem habebis. *Id. Q. Fr.* 3, 8. *a med.* Aliud hoc tempore de republica nihil loquebantur: agebatur quidem certe nihil. ℙ Ponitur aliquando pro *saltem. Cic. Tusc.* 1, 49. Ut homines mortem vel optare incipiant vel certe timere desistant. [**Id. Off.* 1, 1, 3. Nos autem, quantum in utroque profecerimus, aliorum sit judicium: utrumque certe secuti sumus. *Id. ib.* 2, 14, 50. Semel igitur aut non saepe certe. *Id. ib.* 3, 1, 1. Si minus imitatione consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus.] ℙ Item pro *tamen. Cic. Att.* 16, 7. Quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meae, approbator certe fuisti. [**Virg. Ecl.* 9, 7. Certe equidem audieram, — servasse Menalcan. — Audieras; — sed.]

[CERTIM, adv. idem ac certe et certo. *Jul. Val. res gestae Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 31. Sese quidem accolae certim scire renuebant.

CERTĬORO, as, avi, atum, a. 1. *παρεγγυάω*, *μηνύω*, *ἐμφανίζω*, certiorem facio, denuncio, significo. *Julian. JCtus* ap. *Ulp. Dig.* 13, 6, 5. *circa med.* Neque me certiorasti, chirographum ibi esse scriptum. *Ulp. ib.* 19, 1, 1. *in f.* Nec certiorari debuit, qui non ignoravit. *Id. ib.* 29, 4, 1. Nec certioratus dominus est a servo. Adde *ib.* 16, 3, 1.

CERTISSO, as, n. 1. certior fio. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 160. Atque eccos, unde certissent. *Voss.* putat scribendum esse *certiscent*, *h. e.* certiores fient: ut sit *certisco*, *is.*

CERTĬTŪDO, inis, f. Apud *Ammian.* 30, 1. quidam leg. In eadem fidei certitudine mansit immobilis. Sed abesse eam vocem ex MSS. atque aliter legendum esse *Valesii* fratres adnotarunt.

CERTO, adv. *ἀληθῶς*, *σαφῶς*, idem quod certe. *Cic. Att.* 2, 23. Nam id te scire cupere, certo scio.

(Saepissime cum verbo *scio* jungitur ap. *Cic.*, *Ter.*, *Plaut.* et al.) *Id. ib.* 22. *ad f.* Sed certo videntur haec aliquo eruptura. Al. leg. *certe*, rectius. *Id. Tusc.* 5, 28. Nihil ita exspectare, quasi certo futurum. *Ter. Eun.* 5, 1, 9. Certo comperi. *Id. Hecyr.* 4, 2, 10. Certo decrevi. *Pl. Stich.* 2, 1, 86. Certo mecastor id fuit nomen tibi. *Id. Poen.* 3, 5, 42. Nunc pol ego perii certo, non arbitrario. ℙ In responsionibus. *Pl. Men.* 5, 9, 50. Esne tu Syracusanus? *Me.* Certo. *Id. ib.* 2, 3, 38. Egone te jussi coquere? *Er.* certo, tibi et parasito tuo. ℙ Jungitur et cum *quidem*, ut de *certe* dictum est. *Id. ib.* 2, 2, 39. Nam tu quidem hercle certo non sanus satis. *Id. Epid.* 3, 2, 42. Me quidem certo servavit consiliis suis.

CERTO, as, avi, atum, a. I. ἀγωνίζομαι, est frequentativum a *cerno*, quasi per syncopen factum ex *cernito* et significat contendere, pugnare, conari vincere. [*Cic. Off.* 3, 22, 87. Armis cum hoste certare. *Tac. A.* 1, 29. Certatum inde sententiis. *Id. ib.* 1, 45. bello certaturus. *Id. ib.* 3, 63. Et quia studiis certabatur. *Id. ib.* 6, 41. Certantibus gaudio.] *Caes. B. G.* 6, 5. Pro explorato habebat, Ambiorigem proelio non esse certaturum. *Sall. Jug.* 6. Cursu cum aequalibus certare. *Id. ib.* 52. Certare armis. *Id. Cat.* 63. maxima vi. *Cic. Or.* 2, 18. cum populo R. de imperio. *Liv.* 3, 71. bello de ambiguo agro. [*Tac. A.* 12, 22. Quod secum de matrimonio Principis certavisset.] *Hor. A. P.* 220. ob hircum. *Tac. A.* 2, 46. augendae dominationi, *h. e.* ad augendam dominationem. *Cic. Brut.* 46. cum aliquo dicacitate. *Hor. Od.* 2, 12, 18. joco. *Id. ib.* 4, 1, 31. mero. *Liv.* 5, 8. *in f.* Certatum est maledictis inter collegas. *Cic. Fam.* 7, 31. Officiis certare inter se. *Liv.* 34, 18. Parsimonia et vigiliis et labore cum ultimis militum. *Plin. ep.* 7, 7. Certare cum aliquo honestissimo certamine mutuae caritatis. *Id. Pan.* 30. Certat Aegyptus cum feracissimis terris. *Justin.* 5, 4. Certant secum ipsi, utrum contumeliosius eum expulerint, an etc. [*Cic. Off.* 1, 25, 87. Ut si nautae certarent, quis eorum potissimum gubernaret. *Tac. A.* 3, 45. Certantibus inter se signiferis. *Virg. A.* 2, 30. Certare acie hic Solebant. *Id. ib.* 4, 443. Certant inter se cruere quercum.] ℙ Certare fructibus praediorum cum usuris, ap. *Cic. Catil.* 2, 8. est tot usuris se onerare, ut praediorum fructus exaequent: qua ratione fructus cum usuris committuntur et certant; et plerumque superantur, quia usurae quotannis certae sunt, fructus autem incerti. ℙ Frequenter usurpatur in re forensi pro disceptare, lites agere. *Cic. Verr.* 2, 2, 16. Cum diceret, jus esse certum Siculis inter se quo jure certarent. Et *ib.* 13. Siculi hoc jure sunt, ut quod civis cum cive agat, domi certet suis legibus. *Hor. Sat.* 2, 5, 27. Magna, minorve foro si res certabitur olim. *Ulp. Dig.* 25, 3, 5. Certare praejudicio. ℙ *Certare multam.* V. in CERTATIO in f. ℙ In illo *Stat. Th.* 6, 6. Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem, *h. e.* certamen sacrum Olympicum certavit in honorem Pelopis. ℙ *Certare alicui rei* pro *aliqua re. Sisenn.* ap. *Non.* 9, 20. Alii saltui ac velocitati certare. ℙ A poetis interdum dativo jungitur. [*Hor. Sat.* 2, 5, 19. Certans melioribus.] *Virg. Ecl.* 5, 8. solus tibi certet Amyntas. *Id. ib.* 8, 55. certent et cycnis ululae. *Id. G.* 2, 138. Certare laudibus alicujus. *Hor. Ep.* 11, 18. imparibus. *Stat. Silv.* 5, 3, 191. Non tibi certasset juvenilia fingere corda Nestor. Adde *Sil.* 13, 222. ℙ *Certare* etiam dicuntur, qui eandem rem simul et cum conatu atque aemulatione agunt. *Virg. A.* 2, 64. certantque illudere capto. *Curt.* 9, 4. *in f.* Certat quisque evadere. *Tac. H.* 1, 47. Certare adulationibus. ℙ Pro conari, studere. *Virg. Ecl.* 5, 9. Quid, si idem certet Phoebum superare canendo? *Id. A.* 5, 194. Non jam prima peto Mnestheus, neque vincere certo. *Plin. Pan.* 81. *in f.* Nunc cum valentissimo quoque sodalium certat frangere fluctus etc. ℙ Falso putat *Non.* 7, 42. deponentis forma adhiberi *certor* pro *certo* a *Pacuv.* illis verbis: An quis est, qui te esse dignum, qui cum certetur, putet? Est enim passivum impersonale. Legitur tamen ap. *Hygin. fab.* 273. Gymnici ludi, in quibus certati sunt cursu Nestor, Helenus etc. ℙ *Certato* apud *Tac.* V. in CERTATUS, a, um. ℙ Part. *Certans* ap. *Virg. A.* 3, 668. certantibus aequora remis. *Certandus* ap. *Liv.* 25, 3. Multae certandae cum dies advenisset.

CERTUS, a, um, adj. Est a *cerno*, a quo fit *cretus* et per metathesin *certus*. Itaque *certus esse* is dicitur, qui jam decrevit et minime dubius est de re aliqua facienda. *Virg. A.* 4, 563. dirumque nefas in pectore versat Certa mori. *Albinov.* 1, 291. Certus eras nunquam, nisi victor, Druse, reverti. (Adde 170. et 228.) *Val. Fl.* 5, 47. Certa sequi quocumque ferant. *Pl. Amph.* 1, 1, 183. Certum est confidenter contra colloqui. (ita saepissime *Pl.* et *Ter.*) *Liv.* 2, 16. Certum atque obstinatum est. *Cic. Rosc. Am.* 11. Certum est deliberatumque, quae ad causam pertinere arbitror, omnia dicere. *Id. Or.* 2, 33. Cum diceret, sibi certum esse, a judiciis causisque discedere. *Id. Att.* 1, 8. *in f.* Mihi autem abjurare certius est, quam dependere. [*Curt.* 4, 13. Certum est aggredi.] *Pl. Merc.* 2, 4, 3. Cur non morior? quid mihi est in vita boni? Certum est: ibo ad medicum atque me ibi toxico morti dabo. *Id. Mil.* 2, 6, 91. Ita facere certum est me. *Id. Merc.* 3, 4, 59. Certum est exulatum hinc ire me. *Ter. Eun.* 3, 3, 30. Si istuc ita certum est tibi. *Sil.* 9, 480. Nec sat certa diu, patriis an cederet armis etc. ℙ Regit nonnunquam genitivum. *Tac. A.* 4, 34. Certus relinquendae vitae. *Id. H.* 4, 14. desciscendi. *Virg. A.* 4, 554. eundi. [*Amat prae ceteris hanc dicendi rationem. *Tac. A.* 12, 32. Destinationis certus. 66. Sceleris olim certa. *Sil.* 6, 27. Certus necis, i. e. obstinatus ad moriendum.] ℙ Saepe significat constitutum, definitum, selectum, peculiarem. *Cic. Verr.* 2, 2, 52. Cephaoedii mensis est certus, quo mense sacerdotem maximum creari oporteat. [*Tac. A.* 1, 24. Ut Drusum mitteret nullis satis certis mandatis; ex re consulturum. *Id. ib.* 12, 24. Certa spatia.] *Liv.* 1, 50. In diem certam ut conveniant, indicit. *Cic. Inv.* 2, 45. Quaerere a judicibus, cur in certa verba jurent, certo tempore conveniant, certo discedant. *Id. Quint.* 10. Totam causae dictionem certas in partes dividam. *Id. Or.* 1, 40. Certis quibusdam verbis divortium fit. *Id. ib.* 58. Certa quaedam et definita lex. [*Suet. Aug.* 91. Quotannis, die certo, emendicabat. *Id. ib.* 45. Quidquid autem ubique militum esset, ad certam stipendiorum praemiorumque formam adstrinxit. *Id. Ner.* 17. Certa justaque merces. *Tibull.* 3, 1, 3. Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa perque vias urbis munera, i. e. singula suis personis destinata. *Id.* 2, 1, 51. Cantavit certo rustica verba pede, i. e. certis numeris.] ℙ Hoc sensu adhibetur loco pronominis *quidam*. *Cic. Brut.* 16. Habet certos sui studiosos, qui etc. *Id. Marc.* 6. Insolentiam certorum hominum extimescere. [*Suet. Caes.* 43. Certae personae et aetates.] ℙ *Certus* etiam dicitur, qui aliquam rem exploratam, compertam et cognitam habet. *Gell.* 18, 13. Fac me, oro, magister, ut sim certus, an etc. *Id. ib.* 10. Certi sumus, non ignorare te, quid etc. Et *Suet. Vesp.* 25. Tam certus de sua suorumque genitura semper fuit, ut etc. *Id. Tib.* 61. Certus damnationis. *Tac. H.* 4, 3. spei. *Lucan.* 8, 120. loci. [*Tac. A.* 1, 27. Exitii certus. *Id. ib.* 12, 3. Certa matrimonii.] ℙ Hinc *certiorem facere* est alicujus rei nuntium afferre, παραγγεῖλαι, μηνύειν. *Caes. B. G.* 1, 12. Ubi per exploratores Caesar certior factus est. *Cic. Att.* 1, 14. *in f.* Tu quid agas, ubi sis, cujusmodi res sint, fac me quam diligentissime certiorem. *Id. ib.* 9, 2. Certiorem me sui consilii fecit. *Caes. B. G.* 5, 36. Eum de rebus gestis certiorem faciunt. *Id. ib.* 1, 11. Caesarem certiorem faciunt, sese non facile vim hostium prohibere. [*Suet. Aug.* 65. Et ita, ut certior fieret, qua etc.] ℙ Dicitur etiam hoc sensu *certum facere*, sed raro et fere a poetis. *Virg. A.* 3, 179. Anchisen facio certum remque ordine pando. *Pl. Ps.* 1, 1, 16. Fac me certum, quid tibi sit. ℙ Is etiam *certus* est, cujus fides explorata ac tuta est. *Cic. Fam.* 1, 7. Quoties mihi certorum hominum potestas erit, quibus recte dem (*litteras*), non praetermittam. (Adde *ib.* 6, 12. et *Att.* 5, 17. et 21. et *ib.* 8, 1.) *Pl. Trin.* 1, 2, 57. Tu ex amicis certis mihi es certissimus. *Mart.* 5, 61. sane certus et asper homo. *Nep. Paus.* 2. Si quid geri volueris, certum hominem mittas, cum quo colloquatur. *Quint.* 6, 3. Parum certus auctor. [*Tac. A.* 4, 11. Quod nullo auctore certo firmantur.] ℙ Hinc et pro veraci sumitur et non fallente. *Hor. Od.* 1, 7, 28. Certus enim promisit Apollo. Adde *Cic. Fam.* 6, 12. ℙ Et generatim pro probato, spectato. *Cic. Quint.* 3. Certus paterfamilias. *Id. Rosc. Am.* 19. Id erat certi accusatoris officium, explicare omnia vitia etc. Adde *Verr.* 2, 2, 61. Similiter *certus* dicitur, qui in jaciendo non aberrat. *Senec. Hippol.* 192. *de Cupidine.* Ipsumque Phoebum, tela qui nervo regit, Figit sagitta certior missa puer. *Val. Fl.* 1, 366. Deucalion certus jaculis. *Id. ib.* 1, 191. non illo certior alter Pinguia letifera perfringere colla bipenni. *Mart. Spectac.* 13. O quam certa fuit librato dextera ferro. *Id. ib.* 23. quam certo venabula dirigit ictu! *Virg. A.* 11, 767. certam quatit improbus hastam. *Hor. Od.* 1, 12, 23. metuende certa, Phoebe, sagitta. ℙ Item *res certa* est tuta, et cui fidere possumus. *Cic. Q. Fr.* 2, 2. *in f.* Tu, velim, quamprimum bona et certa tempestate conscendas. *Plin.* 36, 22, 49. Globosus lapis ad structuram infidelis: nec certior fluvialis. *Tac. H.* 4, 81. Certa maris opperiri. [*Curt.* 6, 10. Si certiora oraculis creditis esse tormenta.] ℙ Et quae constanter, et sine dubio evenit, aut fit. *Cic. N. D.* 2, 38. Qui tam certos coeli motus, tam ratos astrorum ordines viderit. *Id. Manil.* 2. Aguntur certissima populi R. vectigalia. [*B. Afr.* 2. Ita vento certo celerique navigio vectus. *Tibull.* 1, 4, 20. Annus agit certa lucida signa vice, i. e. intra tempus certum ac definitum.] ℙ Item *certus* dicitur, qui constans, firmus ac fortis etc. *Cic. Quint.* 24. Diffidebam mehercule, satis animo certo et confirmato me posse in hac causa consistere. *Virg. A.* 9, 249. Cum tales animos juvenum, et tam certa tulistis Pectora. *Serv.* ad *A.* 1, 58. affert in eandem sententiam haec verba *Sallustii:* Apud latera certos locaverat. ℙ Saepissime ponitur pro aperto, comperto, manifesto, noto, et minime dubio, βέβαιος, δῆλος. *Liv.* 28, 14. Vir dum satis certa luce. *Cic. N. D.* 3, 5. Qui quae affirmant, certiora esse dicunt, quam illa etc. *Id. Att.* 1, 9. Certius tibi est, me esse Romae, quam mihi te Athenis. *Caes. B. G.* 7, 45. Neque, certi quid esset, explorari poterat. *Cic. Att.* 3, 11. Ad me, obsecro te, ut omnia certa perscribas. *Id. ib.* 16, 13. *in f.* Tu mihi de his rebus omnia certa, clara, *subaudi*, scribes. *Id. Fam.* 1, 9. *ad f.* Mihi non tam de jure certum est (quamquam ne id quidem valde dubium est) quam etc. *Id. Arch.* 7. Difficile est hoc de omnibus confirmare, sed tamen certum est, quid respondeam. *Id. Fat.* 6. Quoniam certum in Fabio ponitur, ortum cum esse Canicula oriente. *Id. Sext.* 22. Certissimum signum amoris. *Id. Inv.* 1, 2. Certi liberi. *Id. Rosc. Am.* 16. Patre certo nasci. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 2. Certissimus matricida. *Id. Att.* 15, 21. Quem tu illo certiorem nebulonem? *Id. N. D.* 1, 14. Cleanthes aethera certissimum Deum judicat. *Id. Div. Verr.* 10. Certissimum crimen. *Id. Att.* 1, 1. Competitores certi, *h. e.* qui certo petituri sunt. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 3. Certior candidatus, *h. e.* quem certius est, esse designandum. *Hor. Epod.* 15, 16. Certus dolor, *h. e.* verus et acer. [*Sil.* 15, 493. Superari certior hostis, i. e. qui certiori cum spe poterat vinci.] ℙ *Certum scire*, aut *nescire*, *habere*, est certam et indubitatam rem scire, aut nescire. *Cic. Fam.* 9, 23. Cum certum sciam, faciam te paulo ante certiorem. *Id. Att.* 12, 23. De Oropo, opinor, sed certum nescio. *Ter. Ph.* 1, 2, 98. Senem quoad exspectatis vestrum? *G.* non certum scio. *Lucej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. Non habeo certum, quae te res hinc retrahat. *Cic. ib.* 12, 5. Hiemem credo adhuc prohibuisse, quo minus de te certum haberemus. ℙ *Pro certo habere*, *putare*, *dicere* etc. *Cic. Att.* 10, 6. Pompejum pro certo habemus proficisci in Galliam. *Matius* ad *Cic. post. ep.* 15. *l.* 9. *ad Att.* De adventu Caesaris pro certo habebamus. Et *ib.* Hoc pro certo putamus. *Cic. Agr.* 2, 37. Pro certo polliceri. *Id. Brut.* 3. dicere aliquid. *Sall. Catil.* 15. creditur. *Cic. Att.* 5, 21. Omnia, quae certa non erunt, pro certo negato. *Liv.* 25, 10. Sed quid rei esset, nemo satis pro certo scire. ℙ *Certum alicui facere* est certum dicere, aperire. *Pl. Men.* 2, 1, 17. Istuc quaero certum qui faciat mihi, qui sese dicat scire, eum esse mortuum. *Id. Pseud.* 2, 2, 4. Nimis velim, certum qui mihi faciat, leno ubi hic habitat. *Id. Men.* 5, 2, 12. Nec, quid id sit, mihi certius facit. ℙ *Certum* interdum adverbialiter ponitur pro *certo*. *Hor. Sat.* 2, 5, 100. Et certum vigilans, quartae sit partis Ulysses, Audieris, heres. *Id. ib.* 6, 27. quod mi obsit clare, certumque locuto. *Cic. fr. Scaur. n.* 6. (ed. iterum *A. Maio*) Qui sive patricius, sive plebejus esset, non enim certum constituerat. ℙ *Ad certum* idem quod *certo*. *Censorin. de die nat.* 19. Hoc tempus quot dierum esset, ad certum nondum astrologi reperire potuerunt. ℙ *Certo certius esse* dicitur, quod plane certissimum est. *Ulp. Dig.* 42, 9, 10. Et hoc certo certius est, et saepissime constitutum. *Pl. Capt.* 3, 4, 11?. Nihil invenies magis hoc certo certius. ℙ Adverbialiter *Appul. Met.* 9. *sub f.* Nos: quos occultaret apud se certo certius, dedere potius, quam etc.

CERVA, ae, f. ἔλαφος, femina in cervino genere. *Plin.* 11, 37, 45. Cornua nulla ovium, nec cervarum. ℙ Nonnunquam adhibetur a poetis nullo habito respectu generis, sive marem, sive feminam significet: quemadmodum Graeci τὴν ἔλαφον etiam de cervo mare dicunt. *Virg. A.* 4, 69. qualis conjecta cerva sagitta etc. *Ov. A. Am.* 3, 670. Non docet infestos currere cerva canes. *Id. Met.* 7, 545. Non aper irasci meminit; non fidere cursu Cerva. *Hor. Od.* 3, 5, 31. Si pugnat extricata densis Cerva plagis. Ita *canis*, *bos* feminine libentius dicuntur ab iisdem poetis; sic *agna parca* etc. Vide quae congessit *Brouckusius* ad *Tibull.* 4, 3, 13. ℙ Quin aliquando cervum marem significantes *cervam* tamen appellant. *Virg.* enim *A.* 6, 803., *Senec. Agamemn.* 831. et *Sil.* 3, 39. *cervam* appellant, quam Hercules cursu cepit, de qua *Hygin. fab.* 30., *Sil. l. c.* et alii mythologi narrant, cornua et quidem aurea habuisse, atque adeo marem fuisse, cum feminae cornibus omnino careant. Adde *Val. Flacc.* 6, 70. Quare *Pl. Pers.* 1, 1, 3., *Mart.* 9, 102. et *Auson. Idyll.* 19. non *cervam*, sed *cervum* appellarunt. Quidam tamen, ne quid dissimulem, ap. *Sil.* legunt *cervum*, et ap. *Mart. cervam.* Praeterea etiam cervas aliquando cornutas inventas esse, non desunt qui affirment, atque in his *Scalig.*, qui *l.* 3. *Poetices c.* 4. talem in Gallia visam et captam suis temporibus fuisse testatur. *Pindarus* quoque *Olymp. hymn.* 3. cervam hanc Herculis χρυσόκερων ἔλαφον Ὀρθίαν vocat. ℙ Cerva quaedam, quae mille annis vixerat, pro numine colebatur ab incolis Capuae, ut narrat *Sil.* 13, 115. et seqq., quam ideo videre est in nummis illius

urbis apud *Daniele*, *Numism. Capuana*. p. 57. ℙ Cervae nomen interdum canibus imponebatur, ut colligitur ex *Colum.* 7, 12. *ad f.*

*CERVARIA, ae, f. locus vel opp. in Hisp., in confinio Galliae Aquitanicae. *Mela* 2, 5. Hodie est *Cervera*. *B. A.*

CERVĀRIUS, a, um, adj. cervinus. Est quoddam quadrupedum genus, qui *cervarii lupi* appellantur, tum propter velocitatem, qua cervos aequant, quibus infensissimi sunt, tum propter aviditatem luporum similem. De his verba facit *Plin.* 8, 22, 34. et 11, 37, 79. ℙ *Cervarium venenum* dicta est quaedam herba, a Gallis limeum appellata, qua venatores sagittas tingunt, inquit *Id.* 27, 11, 76. et *Fest.* in *Toxicum*. ℙ In sacrificiis Dianae cerva immolabatur: quae si forte defuisset, ejus loco ovem mactabant, quam proinde *ovem cervariam* dicebant, teste *Festo*.

CERŪCHI, orum, m. plur. *κεροῦχοι*, Graeca vox a *κέρας*, cornu, et *ἔχω*, habeo. *Ceruchi* sunt rudentes, quibus antennae ex utroque cornu religantur ad malum, et, cum opus est, in quamcumque partem vertuntur. Quidam putant, esse ipsas antennarum extremas partes, seu cornua, quae Graeci *ἀκροκέρια* vocant. *Val. Flacc.* 1, 469. Temperet ut tremulos Zethes, fraterque ceruchos. *Lucan.* 8, 176. cum mihi semper in altum Surget, et instabit summis magna Ursa ceruchis. (*Jos. Scalig.* ad *Manil.* 1, 565. p. 73. integrum hunc *Lucani* locum diligenter exponit.) *Id.* 10, 495. Transtraque nautarum, summique arsere ceruchi. (*Virg. A.* 3, 549. ceruchos vocat *cornua velaturum antennarum*.) ℙ Sunt etiam qui putant significari summam partem prorae, et puppis: quibus favere videtur illud *Venant. de Vita Martini* 4, 407. feriunt cava vela rudentes, Nutat pinus iners, rapiuntur signa ceruchis. *Signa* enim appellare videtur Deorum icunculas, quas in summa prora, aut puppi collocare solebant.

CERVICAL, alis, n. *ὑπαυχένιον*, *προσκεφάλαιον*, pulvinar, quod vel ad mensam, vel in cubiculo, vel in lectica decumbentes cervici et capiti supponimus. [*Suet. Nero. 6. Quae fabula exorta est, deprehensis in lecto ejus, circum cervicalia, serpentis exuviis.] *Petr. Satyr.* 32. Positus inter cervicalia minutissima. *Mart.* 14, 146. Tinge caput nardi folio, cervical olebit: Perdidit unguentum cum coma, pluma tenet. Adde *Plin.* 20, 20, 82. et *Juven.* 6, 352. ℙ *Cervicale* in recto casu agnoscit *Cassiodor. de Orthogr.* p. 2303. et *Not. Tir.* p. 159.

*CERVICATUS, a, um, obstinatus, pervicax. *Vulg. Siracid.* 16, 11. *B. A.*

CERVICOSĪTAS, atis, f. obstinatus animus, pervicacia. *Sidon. ep.* 7, 9. *in conc.* Monasterialibus disciplinis aegre subditur popularium cervicositas.

CERVICŪLA, ae, f. parva cervix. *Cic. Verr.* 2, 3, 19. Tamenne putamus, patronum tuum in hoc crimine cerviculum jactaturum? *Quint.* 11, 3. Cervicula contracta. ℙ Metaphorice *Vitr.* 10, 13. *in machinae hydraulicae descriptione*. Supra cerviculam ejus coagmentata arcula etc.

CERVĪNUS, a, um, adj. *ἐλάφειος*, ad cervum pertinens. *Hor. Ep.* 1, 2, 66. Cervina pellis. *Varr. R. R.* 3, 9. Cornum cervinum incendere. *Ov. Met.* 6, 592. Cervina vellera. *Plin.* 28, 19, 77. Cervinus pilus. *Pallad.* 4, 13. color. *Mart.* 12, 29. Cervinus gelidum sorbet sic halitus anguem, *h. e.* e latebris extrahit, et cornu necat. Hinc *Ἔλαφος Plutarch. de prud. anim.* dictus *ἀπὸ τοῦ ἐλᾶν τοὺς ὄφεις*. *Juven.* 14, 251. Cervina senectus, *h. e.* diuturna et vivax. Cervi enim ultra centum annos vivere dicuntur, ut est ap. *Cic. Tusc.* 3, 28. et *Plin.* 8, 32, 50. ℙ *Cervina, ae*, absolute est cervi caro. *Edict. Dioclet.* p. 15. Aprunae Ital. P. l. ℋ. sedecim, cervinae Ital. P. l. ℋ. duodecim.

CERVISCĀ, genus piri ap. *Macr. Sat.* 2*, 15.

CERVISIĀ, ae, f. potus factus ex variis frugibus maceratis et expressis, praecipue vero ex hordeo, olim apud Gallos usitassimus. Quare ex illorum lingua vocis origo petenda est. Neque enim verisimile videtur, quod quidam docent, dictam esse per syncopen a *cerevisia*, quasi *Cereris vis*, quia frugum vis in eo liquore dominetur. *Plin.* 22, 25, 82. Ex iisdem (*frugibus*) fiunt et potus, zythum in Aegypto, celia et ceria in Hispania, cervisia, et plura genera in Gallia, aliisque provinciis. Adde *Ulp. Dig.* 33, 6, 9. V. CAMUM. ℙ *Serv.* ad *G.* 3, 379. docet, *cervisiam* designari a *Virg.* illo versu: et pocula laeti Fermento, atque acidis imitantur vitea sorbis.

CERVIX, icis, f. *αὐχήν*, *δέρη*. Proprie est posterior colli pars ab occipitio ad dorsum, in qua sunt vertebrae, et nervi caput sustinentes et moventes. Differt a *collo*, quod tum posteriorem, tum anteriorem partem (quae *jugulum* dicitur) significat. *Varr. R. R.* 2, 5. Vaccae cervicibus crassis, ac longis, a collo palearibus demissis. *Plin.* 11, 37, 67. Cervix nulli, nisi quibus utraque haec (*gula et arteria*), ceteris collum, quibus tantum gula. *Quint.* 11, 3. *circa med.* Cervicem rectam oportet esse, non rigidam, aut supinam: collum diversa quidem, sed pari deformitate et contrahitur, et tenditur. *Cic. N. D.* 2, 63. Boum cervices natae ad jugum. *Id. Sext.* 42. Aliquo praesidio caput, et cervices, et jugulum, ac latera tutari. [**Virg. Georg.* 3, 52. Optuma torvae forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix, i. e. longa, firma et crassa.] ℙ At interdum etiam anterior colli pars cervix appellatur. *Cels.* 7, 13. Interdum in cervice inter cutem et asperam arteriam tumor increscit. ℙ Saepe tamen sumitur pro ipso collo. *Cic. Verr.* 2, 5, 42. *ad f.* Frangere cervices. *Id. Phil.* 11, 2. *ad f.* Abscindere caput cervicibus. *Tac. A.* 1, 53. Offerre cervicem percussoribus. *Juven.* 10, 345. praebere gladio. *Cic. Rosc. Am.* 11. Dare cervices alicui, *h. e.* praebere se occidendum. *Id. Phil.* 2, 21. subjicere securi. *Hor. Od.* 3, 9, 3. Dare brachia cervici. *Id. ib.* 2, 12, 26. Detorquere cervicem ad oscula. *Suet. Tib.* 68. Cervice rigida et obstipa incedere. *Id. Claud.* 30. et *Ner.* 51. opima, *aut* obesa esse. *Id. Aug.* 67. Onerare cervices gravi pondere. *Juven.* 1, 64. Sexta cervice ferri, *h. e.* hexaphoro, seu lectica a sex famulis gestata. *Id.* 9, 143. Cervix locata, *h. e.* servus gestandae lecticae pretio locatus. *Id.* 6, 206. submitte caput cervice parata Ferre jugum. *Id.* 10, 88. Cervice astricta trahere aliquem. [**Virg. A.* 10, 137. Fusos cervix cui lactea crinis accipit et molli subnectens circulus auro. *Curt.* 3, 12. Cervicem alicujus amplecti. *Plin. Pan.* 24, 5. Illos ergo humeri cervicesque servorum super ora nostra; te fama, te gloria cet. vehunt. *Id. ib.* 26, 1. Ostentare parvulos impositos cervicibus, i. e. humeris. *Id. ib.* 43, 3. Delatorum supina ora, retortasque cervices intueri, i. e. erectas, ut visendam praeberent faciem.] ℙ Translate. *Cic. Mil.* 28. Clodii furores, quos nullis jam legibus frenare poteramus, hac dextera a cervicibus vestris repuli. *Id. Catil.* 3, 7. Non facile hanc tantam molem mali a cervicibus vestris depulissem. *Id. Fam.* 12, 23. Cogitabat legiones ad Urbem adducere, et in cervicibus nostris collocare. *Sall. in epist. Pompeji ad senat.* Hostes in cervicibus jam Italiae agentes, ab Alpibus in Hispaniam submovi. *Cic. Phil.* 3, 16. Dare cervices crudelitati nefariae. *Id. Verr.* 2, 5, 42. Cum istius avaritiae poenam collo et cervicibus suis sustinerent. *Id. Dom.* 56. et *Sext.* 66. Qui suis cervicibus tanta munia, et rempublicam sustinent. *Id. Verr.* 2, 3, 59. Qui erunt tantis cervicibus recuperatores, qui audeant etc? *h. e.* tanta vi et audacia. *Liv.* 44, 39. Quanto facilius abire fuit, cum procul abessemus, quam nunc cum in cervicibus sumus? Sic *Curt.* 7, 7. Stare in cervicibus alicujus. *Liv.* 22, 33. Etsi bellum ingens in cervicibus erat, *h. e.* imminebat. *Justin.* 6, 9. Philippus regnum Macedoniae cervicibus Graeciae, velut jugum servitutis, imposuit. *Pers.* 1, 98. Laxa cervice legere aliquid, *h. e.* remissa et molli, non rigida et erecta. *Claud. in Rufin.* 1, 53. Cumque Fide Pietas alta cervice vagantur, *h. e.* securae. ℙ Dicitur et de aliis rebus. *Petr. Satyr.* 136. Cervix cucumae. *Id. ib.* 34. et *Mart.* 12, 32. amphorae. *Vitr.* 10, 13. Fistulae continenter conjunctae lineis cervicibus. *Stat. Theb* 6, 855. *de cupresso.* urgentes cervicem inclinat in Austros. *Colum.* 4, 7. Decacuminare pampinum, ut in cervicem potius confirmetur, et sit robustior. *Plin.* 4, 3, 4. Boeotiae oppidum Pagae, unde Peloponnesi prosilit cervix, *h. e.* Isthmus, qui est tanquam collum, quo Graecia jungitur Peloponneso, quae Graeciae caput videri potest. *Id.* 6, 29, 44. Urbs sita in cervice longe procurrente; et 33, 4, 21. Cervices fornicum caedere, *h. e.* fulcra ad perpendiculum utrinque stantia, et fornicem sustinentia. ℙ Quod tradit discrimen *Serv.* ad *A.* 2, 507. in singulari numero *cervicem* significare collum, in plurali superbiam, falsum omnio est. Nam *Ov. Met.* 6, 174. Maximus Atlas Est avus, aetherium qui fert cervicibus axem. ℙ *Varr. L. L.* 7, 4. et 9, 4. *extr.* et *Quint.* 8, 3. docent, hoc nomen in plurali numero usitatius esse, primumque *Hortensium in poematis*, ut *Varr. l. c.* 7. testatur, usurpasse in singulari. Sane *Cicero* pluraliter ubique usus est, itemque *Cato*, *Sall.* et *Plaut.* Ceteri scriptores promiscue. Cetetum ante *Hortensium* ipsum *Pacuvius* ap. *Cic. Div.* 2, 64. et *Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 10, 396. *cervicem* dixerant. ℙ *Charis.* 1, 100. docet ex *Plin. Secundo l.* 6. *sermonis dubii*, in genitivo plurali *cervicium* dici: sed *cervicum* legitur ap. *Cic. Or.* 18. et *Plin.* 23, 2, 33.

CERŪLA, ae, f. parva cera, vel parum cerae. *Cic. Att.* 16, 11. Nostrum opus tibi probari laetor: ex quo *ἄνθη* ipsa posuisti, quae mihi florentiora sunt visa tuo judicio, cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam. Alludit *Cic.* ad ceram pictam, qua censores librorum utebantur in notandis locis, quae minus placuissent. ℙ [Est etiam, ut videtur, idem ac ceriolare. *Inscr.* ap. *Grut.* 111, 12. Deo Nemauso Sex. Titulius Perseus horologium, et cerulas II. argenteas T. P. *F.*]

CERUS MANUS, in carmine Saliari ap. *Fest.* in *Matrem matutam*, est creator bonus, ut idem *Fest.* interpretatur, et est nomen mysticum Jani. *Cerus* enim videtur esse ab obsoleto *cereo* pro *creo*, quod legitur in quibusdam antiquis editionibus *Varr. L. L.* 5, 8. teste *Voss.* in *Etymol.* in *Creo*, et *Scalig.* in *Conjectan.*, a quo et *Ceres* dicta esse creditur, quia omnia in terra creat. At idem *Scalig.* ad *Fest.* in voce *Caerimonia* docet, *cerum* veteri lingua idem esse ac sanctum. Hac ratione erunt duo adjectiva idem sonantia, quod *sanctus*, *bonus*. Nam *manum* antiqui bonum dicebant, ut docet *Varr. l. c.* 2. ℙ In carmine Saliari ap. *eund. L. L.* 6, 3. *duonus ceruses*, ut quidem legit *Scalig.*, itidem bonum creatorem significat. Sed haec omnia obsoleta sunt.

CERUSSĀ, ae, f. *ψιμύθιον*, *ψίμυθος*, pigmentum metallicum albi coloris, quod fit ex plumbi ramentis tenuissimis super vas aceti asperrimi impositis, atque ita distillantibus. Quod ex eo cecidit in ipsum acetum, arefactum molitur et cribratur, iterumque aceto mixto in pastillos dividitur, et in sole siccatur. Si rursus coquatur, rufescit. Est autem potus letalis, sicut spuma argenti. V. *Plin.* 34, 18, 54., a quo haec sumpsimus, et *Vitr.* 7, 12. ℙ Cerussa utuntur pictores, teste eodem *Plin.* 35, 6, 19. Item mulieres ad candorem cuti inducendum. Hinc *Ov. Med. fac.* 73. Nec cerussa tibi, nec nitri spuma rubentis Desit. *Pl. Most.* 1, 3, 101. Cerussa malas oblinere. ℙ In medicina, habet usum (sicut et molybdaena) in emplastris quae non alligantur, sed illita ad cicatricem perducunt, in teneris corporibus, mollissimisque partibus, ut ex *Plin. l. c.* 34. colligitur. Hinc *Mart.* 10, 22. Cur spleniato saepe prodeam mento, Albave pictus sana labra cerussa etc. ℙ [*Cerussa usta*, V. USTA et SANDARACA. *F.*]

CERUSSĀTUS, a, um, part. ab inusit. *cerusso*, *ψιμυθιωθείς*, cerussa illitus. *Cic. Pis.* 11. Erant illi compti capilli, et madentes cincinnorum fimbriae, et fluentes, cerussataeque buccae. *Mart.* 7, 25. Cerussata cutis. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 11, 27, 1. Aereis tabulis, vel cerussatis, vel linteis mappis scripta per omnes civitates Italiae proponatur lex, *h. e.* tabulis cerussa plumbea obductis, ut litterae magis conspicuae sint.

CERVŪLA, ae, f. parva cerva. Legitur inter opera *Augustini*, *Serm.* 215. *de Temp. a med.*, sed ille sermo spurius est, et nulla ratione *Augustino* adscribendus. At nutantem hanc vocem obfirma novo exemplo, in quo est nomen muliebre servile. *Inscr.* ap. *Mur.* 1777, 20. Ossa Cervulae Lentuli.

CERVŪLUS, et Cervŏlus, li, m. parvus cervus, *ἐλαφίνης*. *Not. Tir.* p. 175. ℙ Pro ramoso stipite instar cervini cornu, *Front. Strat.* 1, 5. Vallum cervolis, et alio materiae genere constructum incendit. V. CERVUS.

CERVUS, i, m. *ἔλαφος*, animal mirae velocitatis, et vitae diuturnae, cornua habens praealta et ramosa, quae quotannis mutat. *Cic. Tusc.* 3, 28. Theophrastus moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, hominibus tam exiguam dedisset. *Pl. Poen.* 3, 1, 27. Vincere cervum cursu. *Lucr.* 6, 765. Cervi alipedes. *Ov. Trist.* 3, 11, 11. Fugax cervus. *Id. Fast.* 5, 173. Pavidi formidine cervi. *Virg. A.* 3, 265. imbelles. *Id. Ecl.* 7, 30. Ramosa vivacis cornua cervi. [**Virg. A.* 10, 725. Surgentem in cornua conspexit. *Id. Georg.* 3, 369. Torpent conferto agmine. *Hor. Od.* 4, 4, 50. Cervi luporum praeda rapacium. *Id. ib.* 3, 12, 10. Catus fugientes cervos jaculari.] ℙ De cervorum natura pluribus agit more suo. *Plin.* 8, 32, 50. ℙ Eos in tutela Dianae esse scribit *Fest.* in *Servorum*: ubi et illud docet, servos fugitivos *cervos* dici, a celeritate. Sic enim ibi legendum monent critici. Hinc Dianae currum cervi trahere dicuntur. *Claud. II. Cons. Stilich.* 286. cervi currum subiere jugales etc. Proverbii speciem habet illud *Hor. Ep.* 16, 31. *tigres subsidere cervis;* cum de re impossibili sermo est. Simile est illud *Virg. Ecl.* 1, 60. Ante leves ergo pascentur in aethere cervi. ℙ De fabula cervi et equi V. *Hor. Ep.* 1, 10, 34. et seqq. ℙ Poetae saepissime *cervam* pro *cervo* usurpant. V. CERVA. ℙ Per similitudinem *cervi* dicuntur furcae ex truncis arborum, quibus utuntur rustici ad sua mapalia fulcienda, quia cornuum cervinorum similitudinem referunt. *Virg. Ecl.* 2, 29. Atque humiles habitare casas, et figere cervos. Ita *Serv.*, qui tamen melius esse ait, si *figere cervos* jaculis cervos venari intelligamus. ℙ Pedamenta etiam furcillata, quibus vites fulciuntur, *cervi* appellantur. *Tertull. Anim.* 19. Vitis sine arundine, sine cervo, si quid attigerit, ultro amabit. Alii aliter leg. ℙ In re militari *cervi* dicuntur trunci arborum ramosi, ad instar cervini cornu, quibus utuntur milites in vallo muniendo, aggeribusque firmandis. Eos enim subinde defodiunt ne terra alte congesta delabatur, et ut difficilior fiat hostibus irruptio in castra. Saepe etiam qua transiturus est hostis, humi occulte defigunt, ut incedens miles, et praesertim equitatus, implicetur et induatur. [**Spanische Reuter.*] *Varr. L. L.* 4, 24., *Caes. B. G.* 7, 72., *Liv.* 44, 11., *Tibull.* 4, 1, 84. et *Sil.* 10, 414. Ap. *Tibull.* quidam leg. *nervos*, sed male. Quod vero addit *Scalig.* in *Conjectan. ad*

Varr. l. c. hujusmodi *cervos* a *Lucano* vocari *brachia* 3, 387. et 4, 266., non omnibus probatur.

CĒRYCĬA, orum, n. plur. *κηρύκια*, insignia pacis, quae praeferuntur a caduceatoribus, nempe caduceus. Graeca vox est, a *κήρυξ*, legatus: et Latinis litteris scripta legitur *Dig.* 1, 8, 8. in quibusdam editionib. ℙ Reperitur etiam *ceryceum* in singulari pro *caduceo* Mercurii. *Capell.* 4. p. 95. Cum Cyllenius cerycco geminus anguis assurgens allambere feminam crebris linguarum micatibus attentaret.

CĒRYX, ycis, m. *κήρυξ*, Graeca vox praeconem, vel caduceatorem, vel legatum significans. *Ceryces* Athenis nobilissimae familiae homines fuere, a Ceryce Neptuni, vel, ut alii volunt, Mercurii filio originem et nomen trahentes, ex quibus fere eligebantur summi sacrorum Cereris antistites. At *ceryx* non is tantum vocabatur, qui Cereris mysteria curabat, sed etiam qui summo fungebatur officio, et rempublicam administrabat. *Senec. Tranquill.* 3. Non vis enim, nisi consul, aut prytanes, aut ceryx, aut sufes administrare rempublicam. *Inscr.* ap. *Romanelli Topograf. Napol.* 1, 360. Plisthenes Leophronis cerycibus et po*pulo* praesentibus ante porticum xylolychnuchum Proserpinae D. ℙ Addunt quidam et locum *Nepotis Alcib.* 4., sed est ibi dubia lectio.

*CESI, orum, Indiae pop., cis Gangem, inter Indum et Jomanem flumina. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

CESPES. V. CAESPES.

CESSAEUS, a, um, adj. Cessaeae manus *Val. Flacc.* 6, 130. sunt milites gentis Iberae in Asia, qui Graece *Κέσσαι*.

CESSANS, antis, partic. a *cesso*, *παυόμενος*, *ἀργός*, qui cessat, intermittit, piger, tardus, otiosus. *Plin.* 11, 10, 10. *de apib.* Cessantium inertiam notant, castigant mox. *Hor. Od.* 1, 35, 15. Concitare cessantes ad arma. *Virg. A.* 3, 430. Praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni Cessantem, longos et circumflectere cursus, *h. e.* morantem in legendis Siciliae litoribus, et longius iter facientem. *Propert.* 1, 11, 1. Cessans mediis Bajis, *h. e.* immorans et otians. *Lucan.* 3, 451. Solum cessans aratro, coli intermissus. *Id.* 3, 68. Cessantes Austri. *Ov. Trist.* 3, 2, 29. Cessantia fata, *h. e.* tarda. *Hor. Od.* 3, 28, 8. Diripere horreo cessantem amphoram, *h. e.* ex qua diu vinum defusum non est. *Id. Ep.* 1, 15, 6. Morbus cessans nervis, *h. e.* diu immorans, contumax. [**Suet. Caes.* 58. Cessantes copiae. *Plin. Pan.* 31, 5. Cessans Nilus.] *Suet. Caes.* 76. Repentina consulis morte cessans honor. [**Hor. Epist.* 1, 2, 31. Et ad strepitum citharae cessantem ducere somnum. Cf. *Bentl.* ad h. l.] ℙ *Sever. Aetn.* 175. terra, Introrsus cessante solo, trahit undique venas, *h. e.* cedente, dehiscente, hiante.

CESSĀTĬO, onis, f. *ἀνάπαυσις*, actus cessandi, *Cic. Fam.* 16, 26. Etiamsi quod scribas, non habebis, scribito tamen, ne furtum cessationis quaesivisse videaris. *Pl. Poen.* 4, 2, 103. Id negotium institutum est, non datur cessatio. *Colum.* 2, 1. Seu sponte, seu quolibet casu destituta humus, cum repetita est cultu, magno fenore cessationis colono respondet. *Gell.* 1, 25. Cessatio pugnae pacticia. ℙ Item otium. *Cic. N. D.* 1, 37. Epicurus, quasi pueri delicati, nihil cessatione melius existimat. Et *ib.* Deum sic feriatum volumus cessatione torpere, ut si se commoverit, vereamur, ne beatus esse non possit.

CESSĀTOR, oris, m. *μελλητής*, qui cessat, et intermittit, iners, piger. *Cic. Fam.* 9, 17. Haec tibi antea non rescripsi, non quod cessator esse solerem, sed, etc. *Colum.* 11, 1. Dici vix potest, quid navus operarius ignavo et cessatore praestet. *Hor. Sat.* 2, 7, 100. nequam et cessator Davus.

CESSĀTRIX, icis, f. quae cessat. *Tertull. contr. Marcion.* 1, 24. Quomodo perfecta defenditur bonitas, ex majore parte cessatrix?

CESSĀTUS, a, um, partic. a *cesso*, intermissus. *Ov. Met.* 10, 669. Illa moram celeri, cessataque tempora cursu Corrigit. (cod. modo locutus est *Sil.* 5, 533.) *Id. Fast.* 4, 617. Largaque provenit cessatis messis in arvis.

*CESSĔRO, onis, *Κεσσερών*, opp. Gall. Narbon., in Volcarum Tectosagum regione, postea Araura appellatum. *Plin.* 3, 4. et *Anton. Itin.* Hodie est *St. Tiberi. B. A.*

CESSĬCIUS, a, um, adj. cui ceditur, et qui ceditur. *Caj. Instit.* 1, 169. Is, cui ceditur tutela, cessicius tutor vocatur: quo mortuo, aut capite diminuto, revertitur ad eum tutorem tutela, qui cessit: ipse quoque qui cessit, si mortuus, aut capite diminutus sit, a cessicio tutela discedit, et revertitur ad eum, qui post eum, qui cesserat, secundum gradum in tutela habuerit. Sed quantum ad agnatos pertinet, nihil hoc tempore de cessicia tutela quaeritur. Adde *Ulp. lib. regular. tit.* 11. *De tutelis.*

CESSIM, adv. *ὀπίσθεν*, *ἄψ*, retro, retrorsum, cedendo. *Varr.* ap. *Non.* 4, 42. et 109. Cum domum ab Ilio cessim revertero. *Justin.* 2, 12. At vos, commisso proelio, ite cessim, inhibete remis, et a bello discedite. *Alfen. Dig.* 9, 2, 52. Plostrum cessim ire coepit. *Appul. Met.* 2. Lagena orificio cessim dehiscente patescens, *h. e.* quae os habet retro diductum, expansum, et patens. *Id. ib.* Haec inscenso grabatulo, super me cessim residens. Alii *perperam* utroque in loco legunt *sensim.* V. PENICULUS.

[CESSINUS, a, um, adj. ad cessum pertinens. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 401. *n.* 291. T. Petidius Cessinus. *F.*]

CESSIO, onis, f. *παραχώρησις*, cedendi actus. *Cic. Top.* 5. *in f.* Abalienatio est jus rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio. Adde *Dig.* 42, 3. qui est *De cessione bonorum.* ℙ *Cessio diei* est accessio temporis, quo incipit deberi aes alienum. *Ulp. Dig.* 36, 2, 7. Heredis aditio moram legati quidem petitioni facit, cessioni diei non facit.

CESSO, as, avi, atum, n. l. *παύομαι*, *ἀναπαύομαι*, frequentativum a *cedo*, *is*, et significat cedere ab opere, illudque intermittere, desistere ab agendo; et fere in malam partem: et dicitur de iis, qui segnitiae, aut taedii causa agere desinunt, et otium sectantur. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 3, 1, 15. Cessat desidiosus, requiescit defessus. *Cic. Prov. cons.* 7. Alterum, si tabellarii non cessarint, necesse est paucis diebus poeniteat audere. [**Cic. Off.* 3, 1, 1. Ut neque cessaret unquam et interdum colloquio alterius non egeret.] *Id. Q. Fr.* 3, 1, 4. *in f.* Cicero noster, dum ego absum, non cessavit apud rhetorem. *Id. Senect.* 5. Gorgias centum et septem complevit annos, neque unquam in suo studio atque opere cessavit. *Liv.* 4, 27. Nec, ex quo castris castra collata sunt, cessatum a levibus proeliis est. *Cic. Att.* 11, 11. Ille non cessat de nobis detrahere. *Justin.* 16, 1. Non cessavit, quoad omnem stirpem deleret. *Senec. Med.* 406. Nunquam meus cessabit in poenas furor, crescetque semper. *Phaedr.* 1, 9. Ubi pernicitas Nota, inquit, illa est? quid ita cessarunt pedes? *Plin.* 34, 8, 19. Cessavit deinde ars, ac rursus Olympiade CLV. revixit. *Mart.* 12, 1. Retia dum cessant, latratoresque molossi: [**Tibull.* 2, 1, 6. Cesset grave opus suspenso vomere. Differt *cunctari*, quod eum spectat qui de suscipiendo negotio haesitat. Ita *Döderl.* 3, 300. *coll. Liv.* 35, 18. Tantum non cunctandum neque cessandum esse, et 35. Parate animos dextrasque, ne quis in eo, quod me viderit facientem, cesset; qui cunctatus fuerit et suum consilium meo interponit, sciat sibi reditum ad penates non esse.] ℙ *Cessare* etiam dicuntur agri, cum non seruntur. *Virg. G.* 1, 71. Alternis idem tonsas cessare novales etc. *Plin.* 18, 23, 52. Gracilior terra et in annum tertium cesset. ℙ Et mulieres, cum non pariunt. *Paulin. Nolan. carm.* 6, 48. Fecundaque viscera fecit Conjugis, effecto quae jam cessabat in aevo. ℙ Item qui in judicio non comparent statuto tempore, aut actiones peragere desistunt. *Suet. Claud.* 15., *Callistrat. Dig.* 49, 14, 2. et *Ulp. ib.* 47, 10, 17. ℙ Item ea, quae deficiunt, et locum amplius non habent. *Ulp. Dig.* 39, 1, 1. Cessat edictum. *Id. ib.* 42, 9, 10. actio. *Paul. ib.* 13, 4, 10. arbitrium judicis. ℙ Saepe ponitur pro otiari, vacare, nihil agere. *Cic. N. D.* 3, 39. Cur tam multos Deos nihil agere, et cessare patitur? cur non rebus humanis aliquos otiosos Deos praeficit? *Id. ib.* 1, 9. Isto tam immenso spatio, quaero, cur pronoea vestra cessaverit: laboremne fugiebat? *Propert.* 3, 22, 15. venias hodie: cessabimus una, *h. e.* otio indulgebimus. *Lucan.* 4, 24. Prima dies belli cessavit Marte cruento, *h. e.* fuit sine ullo proelio. *Flor.* 1, 10. Sic quidem viri: sed ne quis sexus a laude cessaret, ecce et virginum virtus, *h. e.* nihil ageret laude dignum. *Hor. Od.* 1, 27, 13. Cessat voluntas? *h. e.* recusat, renuit? *Liv.* 42, 6. Cessare officio. [**Virg. Ecl.* 7, 8. Huc ades, o Meliboea, caper tibi salvus et hoedi, et si, quid cessare potes, requiesce sub umbra.] ℙ Est etiam *cessare alicui rei* ita vacuum esse, ut alicui rei operam dare queas: uno verbo, vacare. *Prop.* 1, 6, 21. At tua non aetas unquam cessavit amori; Semper at armatae cura fuit patriae. ℙ Pro morari, differre, tardum et negligentem esse in agendo. [*Cf. *Döderl.* 3, 300.] *Ter. Eun.* 4, 4, 5. Paululum si cessassem, domi non offendissem: ita jam adornabat fugam. *Id. Heaut.* 5, 1, 9. Sed interim quid illic jamdudum gnatus cessat cum Syro? *Id. Andr.* 5, 6, 15. Quid stas? quid cessas? *Id. Phorm.* 2, 1, 22. Sed quid cessas hominem adire, et blande alloqui? *Id. Adelph.* 4, 5. *in f.* Sed cesso ire intro, ne morae meis nuptiis egomet siem? Et *Eun.* 5, 6, 26. Cesso huc intro irrumpere? *Id. Heaut.* 3, 1, 1. Cesso pultare ostium vicini? *Virg. A.* 6, 51. cessas in vota precesque, Tros, ait, Aenea? cessas? [**Tibull.* 3, 6, 57. Cessas, o lente minister? *Id.* 2, 2, 10. Quid cessas? en age.] ℙ *Cessare sibi* est suo sibi incommodo et damno differre, aut morari. *Pl. Pseud.* 1, 3, 12. It dies: ego mihi cesso. Adde *Epid.* 3, 2, 8. ℙ Videtur interdum idem esse, quod omittere, negligere. *Pl. Pers.* 4, 4, 3. Numquid in principio cessavit verbum docte dicere? ℙ Item errare, peccare: Hoc enim faciunt, qui ab officio cessant, et quod debent et possunt, praestare omittunt. *Hor. Ep.* 2, 2, 14. semel hic cessavit, et, ut fit, In scalis latuit metuens pendentis habenae. *Id. A. P.* 357. Sic mihi qui multum cessat, fit Choerilus ille. Adde *Quint.* 1, 10. ℙ Alia quaedam huc pertinentia V. in CESSANS. ℙ Partic. *Cessaturus* ap. *Ov. Fast.* 4, 804. Et cessaturae supposuisse casae.

CESSUS, a, um, partic. a *cedo*, *is*, *παραχωρηθείς*. *Liv.* 7, 13. Sicubi loco cessum, si terga data hosti. *Cels. Dig.* 8, 3, 11. Jure cesso uti. *Modestin. ib.* 46, 1, 39. Cessae actiones. *Varr. R. R.* 3, 16. Hereditas me cessa, *h. e.* mihi cessa; nam *Festus:* Me pro mihi dicebant antiqui. *Aldus* tamen edidit *mi cessa.*

CESTĬANUS, a, um, adj. ad Cestium pertinens, qui fuit declamator, saepe a *Senec. Controv.* laudatus. *Id. Controv.* 7. *sub f.* Deinde ad illum colorem redit Cestianum.

CESTĬCILLUS, i, m. arculus, seu circulus, quem superponit capiti, qui aliquid est laturus in capite. *Festus.* Alii leg. *cestillus:* alii, inter quos *Salmas.* in *Exercitat. Plin.*, malunt *circitellus*, vel *circitillus.* Si *cesticillus* magis placeat, erit e *cestus*, qua cingulum significat. *Voss.* in *Etymol.*

CESTĬCUS. V. CAESTICUS.

[CESTĬFER, ĕri, m. *μαστιγοφόρος*, *ῥαβδοῦχος*, *βουβεντὴς*, qui cestum fert, lictor, qui Romae magistratui apparebat, et virga populum submovebat, idem ac viator; in Graecia agonothetas in sacris certaminibus comitabatur, et athletarum errata flagello bubulo coercebat: sequiori vero tempore apud Italos virga seu baculo argenteo usus magistratus, collegia et viros principes honoris causa praecedebat; hunc Itali *bidello*, seu *mazziere* vocant. *Gloss. Isid.* Cestiferum (*corrige* Cestifer) qui flagellum portat. Et *ib.* Viocurus, et statim cestifer. *Not. Tir.* p. 61. Viocurus, cestifer. *F.*]

*CESTIUS, i, nom. Rom., ut Cestius Gallus, legatus Syriae imperatorius, sub Vespasiano. *Tac. H.* 5, 10. V. et *Cestianus*, *a*, *um. B. A.*

*CESTRIA, ae, opp. Epiri *Plin.* 4, 1. *B. A.*

*CESTRINUS, a, um, adj. ad Cestriam pertinens. Hinc *Cestrini*, *orum*, appellantur oppidani a *Plin. praef.* 4. *B. A.*

CESTRON, i, n. *κέστρον*, Graecis herba eadem est, quae *vettonica* Latinis, teste *Plin.* 25, 8, 46.

CESTROSPHENDŌNE, es, f. *κεστροσφενδόνη*, genus teli habens bipalme spiculum hastili semicubitali crassitudine digiti infixum, et pinnas tres, velut sagitta, ad libramen circumdatas, quo primum usi sunt milites Persei bello Macedonico adversus Romanos. Nomen habet a *κέστρα*, vel *κέστρον*, quod telum veru simile significat, et *σφενδόνη*, funda, quia funda, velut glans, eminus jaciebatur. *Liv.* 42, 65.

CESTRŌTUS, a, um, adj. *κεστρωτὸς*, cestro insculptus. V. CEROSTROTUM.

CESTRUM, *vel Graeca positione* Cestron, i, n. *κέστρον*, viriculum, quo in ebore, aut cornu scalpitur. *Plin.* 35, 11, 41. Pingere cestro in ebore. ℙ Quidam minus recte putant derivari a *caedo*, *is*, et *caestrum* scribunt, cum sit a *κέω*, findo.

CESTUS, *et Graeca positione* Cestos, i, m. vas vimineum, canistrum, corbis, a *κέω*, unde *κεστὸς*, cognatum *τῷ χάω*, unde Latinum *cavus*. *Varr. R. R.* 1, 8. Vindemia facta denique discat pendere in palmam aut funiculo, aut vinctu, quod antiqui vocabant cestum. *Cato R. R.* 25. Lectos vinaceos cestibus subtento, vel cribrum illi rei parato. Ita leg. *Pontedera* et *Schneiderus:* alii perperam *lecto restibus* vel *retibus subtento.* ℙ Item balteus, seu zona picturata, omnibus Gratiarum et Venerum lenociniis imbuta, quam Juno et Venus assidue gestare dicuntur, ad conciliandos et illiciendos animos illa Jovis, haec Martis: a *κεστὸς*, acu pictus. Fingunt poetae, intextas habere cupiditates, voluptates, delicias, illecebras, suspiria, desideria, risus, jocos, blanda verba, gaudia, jurgia, et hujusmodi, quibus amatorum vita constat. Eum eleganter *Homer. Iliad.* Ξ 14, 214., *Val. Flacc.* 6, 470. et *Torquatus Tassus Gerus. Lib. XVI.* 24. et 25. describunt. *Mart.* 6, 13. Ut Martis revocetur amor, summique Tonantis, A te Juno petet ceston, et ipsa Venus. *Id.* 14, 206. Collo necte, puer, meros amores, Ceston de Veneris sinu calentem. Et *ib.* 207. Sume Cytheriaco medicatum nectare ceston. Ussit amatorem balteus iste Jovem. *Stat. Th.* 62. Jugalis cestos. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* alios usus memorat hujus cinguli: blando (inquit de Venere loquens *v.* 124.) spirantem numine ceston Cingitur, impulsos pluviis quo mitigat amnes, Quo mare, quo ventos, irataque fulmina solvit. Latina etiam positione in *Inscr.* ap. *Grut.* 225, 3. Divo Julio Lib*eralitas* Jul*ia* Ebora ob illius in mun*icipium*, et mun*icipes* liberalitatem ex D. D. D. Quojus dedicatione cestum matronae donum tulerunt Veneri Genetrici. ℙ *Vet. Statii Schol.* tum *l. c.*, tum *ad Theb.* 2, 283. docet, ita etiam appellari cingulum, quod in honestis nuptiis nova uxor marito tradit, quo significatur tum corporum, tum animorum in matrimo-

nio conjunctio. Hinc *incestas* dici nuptias, quae honestae et legitimae non sunt. ℙ De *cestu* armatura pugilum, V. CAESTUS. ℙ Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 245. A. Herennulejus Cestus.

CETA, ae. V. ZETA.

CĒTĀRIAE, arum, f. et Cetaria, um, n. plur. ἰχθυοτροφεῖν, loca stagnantia in litoribus maris, quo majores pisces statis anni temporibus convenire et a piscatoribus, qui ea loca de industria nanciscuntur et parant, ubere praeda capi juxtaque saliri solent. *Plin.* 9, 15, 19. Scombri Hispaniae cetarias replent, thynnis non commeantibus. *Id.* 31, 8, 43. Garum e scombro pisce laudatissimum fit in Carthaginis cetariis. (Adde 37, 5, 17.) *Hor. Sat.* 2, 5, 44. Plures adnabunt thynni et cetaria crescent. ℙ *Charis.* 1, 100. docet auctoritate *Plinii Secundi*, hanc vocem in neutro genere esse tertiae declinationis et *cetaribus* dicendum esse in dat. et abl. plurali, ut *moenia moenibus*, *ilia ilibus:* nihilominus *cetariis* dictum esse a *Pomponio Secundo ad Thraseam.*

*CĒTĀRĪNUS, a, um, adj. Κητάρινος, ad Cetariam pertinens, oppidum Siciliae maritimum, inter Segestanorum emporium et promontorium, ubi etiamnum cete, sive thynni magna copia capiuntur. ℙ *Cetarini*, *orum*, sunt incolae illius oppidi, memorati a *Cic. Verr.* 2, 3, 43. et *Plin.* 3, 8, 14. *B. A.*

CĒTĀRĬUS, ii, m. genus piscatorum, quod majores pisces capit et salsamentis condit, ut vendat: dictum ab eo, quod cete in mari majora sunt piscium genera. *Varr.* ap. *Non.* 1, 244. Non animadvertis, cetarios, cum videre volunt in mari thynnos, ascendere in malum etc. *Ter. Eun.* 2, 2, 26. Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes. *Colum.* 8. *sub f.* Salsamentorum omnium purgamenta, quae cetariorum officinis everruntur. ℙ *Cetarius* inscriptus est liber cujusdam C. Matii, in quo tradebatur ratio saliendorum et condiendorum piscium, teste *Colum.* 12, 44.

CĒTĒ, on, n. plur. τὰ κήτη, nomen generale omnium majorum piscium maris, praesertim eorum, qui animal, non ovum, pariunt, ut ex *Plin.* 9, 24, 40. colligitur: quales sunt balaenae, orcae, thynni, pristes, delphini et hujusmodi. *Virg. A.* 5, 822. Immania cete. *Sil.* 7, 476. Dum cete ponto innabunt, dum sidera coelo Lucebunt. *Plin.* 9, 50, 74. Delphini et reliqua cete. *Id.* 11, 37, 75. Fel eorum jecore est cetis omnibus. ℙ In singulari numero ist *cetus*, *i*, m. Latino more. *Pl. Aul.* 2, 8, 3. Rogito pisces: indicant caros, caram vitulinam, cetum, porcinam. *Cels.* 2, 18. Omnes beluae marinae, ex quibus cetus est. *Manil.* 1, 612. Et redit in Cetum squamosaque tergora Ceti etc. *Vitr.* 9, 7. Arieti et Piscibus Cetus est subjectus. ℙ Porro *Pl.* et *Cels.* loquuntur de iis piscibus, qui esui sunt et saliri plerumque solent, quales nunc quoque sunt thynni et qui salmones dicuntur etc. ℙ *Manil.* autem et *Vitr.* intelligunt coeleste sidus, quod fabulantur poetae, esse monstrum illud marinum, cui devoranda Andromeda objecta fuerat, a Perseo occisum, deinde translatum inter astra, ceu virtutis ejus illustre testimonium. *Cic. Arat.* 140., *German. Arat.* 353. et *Hygin. Astron.* 3, 30. pistricem appellant, quidam alii balaenam. Est autem situm in parte coeli Australi, cujus caput medio aequatore secatur, pedes anteriores tropico Capricorni nituntur, supra caput habet Arietem, cauda tangit effusiones Aquarii. Constant stellis secundum *Hygin.* tredecim, secundum alios 22. aut 27. ℙ Reperitur etiam *cetos* singulari num. et neutro gen. Graeca positione, τὸ κῆτος. *Plin.* 32, 1, 4. Juba tradit, cetos sexcentorum pedum longitudinis in flumen Arabiae intrasse, pinguique ejus mercatores negotiatos. Ita *Hard.* ex suis MSS. omnibus et antiquae edition. A. 1470. et 1472. Nam illa A. 1469. habet *et hos*, manifesto errore operarum, illud *cetos* non assequentium.

CĒTĔRA, ae, f. et Ceterum, i, n. (*in casibus vero obliquis etiam masculin.*) et in plur. Ceteri, ae, a, adj. ὁ λοιπὸς, ἄλλος, reliquus, alius. *Cic. Att.* 6, 2. *circa med.* Jam cetera jurisdictio nec imperita et clemens. *Id. Inv.* 2, 29. *in f.* Id confirmandum ex cetera diligentia. *Id. Verr.* 2, 4, 22. Argentum illi ceterum purum apposuerat. *Id. Fin.* 2, 1. Et illum et ceteros sophistas lusos videmus a Socrate. *Id. Fam.* 4, 4. *in f.* Ceteri et cetera ejusmodi sunt, ut etc. *Liv.* 34, 36. Veni, ut ad ceteram fidem, sic ad secreta tegenda. *Scrib. Comp.* 20. Ita ut cum cetero corpore caput quoque immergatur. *Cato R. R.* 114. Nec commisceas cum cetero vino. ℙ Absolute *Liv.* 22, 20. Quod satis in usum fuit, sublato, ceterum omne incensum est. *Ulp. Dig.* 27, 9, 5. Cetera venditionis pupillus potest perficere. *Scaev. ib.* 4, 4, 39. Cetera cognitionis differre. ℙ *Et cetera* addi solet, cum aliquid, quod facile intelligatur, subticemus. *Cic. Or.* 2, 32. Cum scriptum ita sit: Si mihi filius genitus, isque prius moritur et cetera: Tum ut mihi ille sit heres; *etcetera*, καὶ τὰ ἑξῆς. Et *ib.* 64. Ut illud Scipionis: Agas asellum et cetera. [**Tac. A.* 1, 1. Inde consilium mihi, pauca de Augusto — mox Tiberii principatum et cetera.] ℙ Et omissa *et* particula. *Lucret.* 2, 1083. Terramque et solem, lunam, mare, cetera. Adde *ib.* 857. ℙ Accusativus pluralis *cetera* eleganti hellenismo adhibetur pro quantum attinet ad cetera. *Hor. Ep.* 1, 10, 50. Excepto, quod non simul esses, cetera laetus. (Adde *Od.* 4, 2, 60.) *Liv.* 1, 35. Virum cetera egregium secuta ambitio est. *Vell.* 2, 119. Legatus Vari, cetera quietus, diri auctor exempli *Virg. A.* 3, 593. dira illuvies immissaque barba, Consertum tegmen spinis, at cetera Grajus. Adde *Suet. Cal.* 50. ℙ Hoc sensu dicitur etiam *ad cetera. Hor. Ep.* 1, 10, 2. hac in re scilicet una Multum dissimiles: ad cetera paene gemelli. ℙ Interdum *cetera* ponitu rpro *ceterum. Virg. A.* 9, 654. primam hanc tibi magnus Apollo Concedit laudem et paribus non invidet armis: Cetera parce puer. *Enn.* ap. *Serv. ib.* Cetera, quos peperisti, ne cures. *Front.* ad *Anton. Pium. ep.* 4. Quincuncen bonorum suorum nobis reliquit testamento cetera honesto, quod ad verba vero attinet, inconsiderato. ℙ *De cetero* idem est ac *ceterum. Cic. Fin.* 1, 7. De cetero vellem equidem aut ipse doctrinis fuisset instructior aut ne deterruisset alios a studiis. Adde *Plin. 3*, 4, 5. ℙ Adhibetur etiam cum post res multas ejusdem generis enumeratas transitur ad percensenda alia alterius generis. Hac ratione usurpat *Id.* 3, 5, 8., ubi post enumerata oppida, quae Romanorum coloniae sunt, transit ad ea, quae coloniae non sunt: quasi dicat *de cetero ordine.* Adde *ib.* 14, 19. ℙ Interdum significat in posterum. *Paul. Dig.* 48, 3, 10. Cum scierint, sibi quoque molestiae futurum magistratum, si facile solverint vinctos, non indifferenter de cetero facient. Adde *Imp. Justin. Cod.* 8, 54, 37. Sic *Senec. ep.* 78. *a med.* Pax in ceterum parta. ℙ De adv. *cetero* et *ceterum* V. infra. ℙ *Ceterus* nominativus singularis rarissimus est. *Cato R. R.* 22. Ceterus ornatus domi. Ita apud *Jenson* 1472. et *Aldum* 1514. legitur. Sed aliae editiones haec verba omittunt. ℙ Sunt qui ponunt etiam *ceter:* sed hoc omnino destituitur exemplis. ℙ Scribendum *caetera* cum diphthongo *ae* etymologi quidam putant, quod sit a Graeco καὶ ἕτερα. Confirmare videtur *Inscr.* ap. *Grut.* 801, 11. et *Dausq.* in *Orthogr.*, nec damnare se audere, scribit *Cellarius*, multis vero probare nititur *Heumannus.* Verum libri veteres et lapides plurimi, quos affert *Manut.* ac praecipue *Marin. Frat. Arv.* p. 686., et quod est instar omnium, Cenotaphium Pisanum C. et L. Caesaris, in quo non semel legitur, per *e* simplex scriptum exhibent. Haec insuper scribendi ratio ea etiam de causa praeferenda, quod, probante *Schaeffero* ad *Gregor. Corinth. de dial. ling. Gr.* p. 202., per crasin Doricam, qua dialecto saepissime usi sunt Latini, ex καὶ ε contractio facta fuerit in η, ut ex καὶ ἐπὶ fit κηπὶ, ex καὶ ἐκ fit κήκ, ex καὶ ἑφα fit κήφα et alia hujusmodi. [*Scripsit de discrimine inter *caeteri* et *reliqui Beier.* in *Seebod. Misc.* 1, 1. p. 183. Adde *Döderl.* 1, 183., qui quidem cognationem gr. voc. ἕτερον agnoscit, ita tamen, ut *caeteri* non a καὶ ἕτεροι deducat, sed ad *alter*, praepos. *c*, originem referat, sicut in carpere, quod a gr. ἅρπω, ἁρπάζω factum esse putat.]

CĒTĔRO, adv. *Plin.* familiarissimum, idem ac ceterum. *Id.* 3, 11, 16. Cetero intus in secunda regione Beneventum. Et 6, 26, 30. Cetero ad solitudinem rediit. Et 8, 3, 4. Hoc solum ebur est: cetero et in his vilitas ossea. Adde 10, 63, 83. et 20, 6, 23. etc.

CĒTĔROQUI et Ceteroquin, adv. ἄλλως τε, eandem vim habet ac ceterum vel alioquin. *Cic. Fam.* 6, 19. Ceteroqui mihi locus non displicet. *Id. ib.* 9, 10. Ego ceteroqui animo aequo fero. *Id. Or.* 25. Quem, nisi quod solum, ceteroquin recte quidem vocant Atticum.

CĒTĔRUM, adv. τὸ λοιπὸν, quod reliquum est, quantum ad reliqua. *Cic. Q. Fr.* 2, 14. Ego me in Cumano, praeterquam quod sine te, ceterum satis commode oblectabam. *Ter. Eun.* 1, 2, 7. Ceterum de exclusione verbum nullum. *Nep. Eumen.* 8. Via brevior per loca deserta, ceterum dierum erat fere decem. *Liv.* 1, 24. Foedera alias aliis legibus, ceterum eodem modo omnia fiunt. ℙ Elegans est usus in illo *Liv.* 38, 55. Ceterum ad hunc nimis aequum aut iniquum praetorem etc. Lege integrum locum. ℙ Servit saepe transitionibus et per *sed* aut *verum* explicari potest. *Liv.* 2, 3. Ceterum, id quod non timebant, per proditionem prope libertas amissa est. *Id.* 42, 50. Ceterum multo major pars ferocioris sententiae erat. ℙ Sumitur et pro alioquin, hoc est si aliter res sit. *Ulp. Dig.* 42, 1, 15. Non puto eos ultra procedere: ceterum longe res abibit. *Id. ib.* 37, 10, 5. Desiderandum a praetore, ne instrumenta in possessionem suam redigat: ceterum decipietur pupillus, dum etc. Adde *ib.* 39, 2, 15. *ad f.* et *Tertull.* ad *Uxor.* 2, 2. ℙ Scribitur et *caeterum.* V. CETERA.

CĒTĔRUS. V. CETERA.

*CĒTHEGUS, i, m. illustre cognomen, sed obscurae originis in gente Cornelia, ut ex Fastis Capitolinis apud *Grut.* p. 293. Eorum familia antiquissima fuit ejusque rei testandae causa veterem habitum cinctumque sine tunicis servabant etiam juniores. Quare *Cinctuti*, *Exserti*, *Nudi* non modo antiqui illi dicuntur, sed et illorum posteri. De illis *Hor. A. P.* 50. Fingere cinctutis non exaudita Cethegis Continget, *h. e.* majoribus nostris, qui omnes cinctuti pro tunicatis erant, ut nunc Cethegi. *Id. Ep.* 2, 2, 117. Quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis; cum respectu forte ad illum M. Cethegum, quem *Suadae medullam* dixit *Ennius* ap. *Cic. Senect.* 14. Adde *Quint.* 2, 15. et 11, 3. *Luc.* 2, 543. 6, 794. *Sil.* 8, 586. ℙ Ex his C. Cethegus inter Catilinae conjuratores fuit. Hinc proverbium *Clodius* accusat moechos, Catilina Cethegum, ap. *Juv.* 2, 27. Cf. *eund.* 10, 287. 8, 231. cet. *Cic. Cat.* 3, 3. *Sall. Cat.* 17. *B. A.*

*CETIUM, i, opp. Norici. *Anton. Itin. B. A.*

*CETIUS, i, Mysiae flumen. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

CĒTO, us, Κητώ, οῦς, f. uxor Phorci, mater Medusae. *Lucan.* 9, 645. Hoc monstrum timuit genitor numenque secundum Phorcus aquis Cetoque parens ipsaeque sorores Gorgones. Al. leg. *Cetosque*, ut sit a Graeco κῆτος: de qua positione V. in CETE. ℙ Praeterea *ceto* idem est ac *cetus*, marinum monstrum. *Plin.* 5, 13, 14. In saxo vinculorum Andromedae vestigia ostendunt. Colitur ibi fabulosa Ceto. Quidam leg. *Decreto*, sed *Hard.* priorem lectionem jure defendit. Addit autem, hanc *Ceton* pingi solitam Nereidis figura ex pisce feminaque composita.

CĒTOS. V. in CETE. et in v. praec.

CĒTOSUS, a, um, adj. ad cete pertinens. *Avien. Arat.* 1300. *de Ceto coelesti.* Cum primum rursus ab undis Cetosa in superum referuntur viscera coelum.

CETRA, ae. f. genus scuti brevioris ex loro, quo utuntur Afri et Hispani, teste *Serv.* ad illud *Virg. A.* 7, 732. Laevas cetra tegit. *Plin.* 11, 39, 93. tradit, ex elephantorum tergoribus impenetrabiles cetras fieri. *Tac. Agr.* 36. scribit, etiam Britannis breves cetras in usu fuisse. Harum meminere *Suet. Cal.* 19. et *Sil.* 3, 278. et 348. et 10, 231., ubi *Heins.* ex quibusdam MSS. *caetra* cum diphthongo scribendum putat: sed *Pier.* ad *l. Virg. c.* et *Dausqu.* in *Orthogr.* rectius *cetra* esse ajunt. *Lips.* in *Analect. l.* 3. *dial.* 1. *de milit Rom.* etiam *citra* invenisse se ait: sed hoc est contra receptum scribendi usum. Addit vero, consuevisse olim haec scuta caelari, aut pingi. Hinc *Sil. c. v.* 278. *versicolorem cetram* dixit. ℙ Proverbii speciem habet illud *Varr.* ap. *Non.* 2, 104. Quis rotundam facere cetram queat? De re factu difficillima. Cetrae enim figura ejusmodi fuit, ut rotundari sine corruptione non posset. V. *Lips. l. c.*

CETRĀTUS, a, um, adj. cetra armatus. *Caes. B. C.* 1, 39. Cetratae cohortes. *Id. ib.* 70. Neque equitum vim cetrati sustinere potuerunt. *Liv.* 31, 36. Cetratos, quos peltastas vocant, in insidiis abdiderat.

*CETRIBONI, orum, pop. Indiae, cis Gangem. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

*CETRONĬUS, cui praenomen Cajus, legatus primae legionis, judicium et poenas de seditiosis inferioribus Germanis militibus exercuit. *Tac. A.* 1, 44. ℙ *Cetronius Pisanus*, in Africa sub Valerio Festo legato castrorum praefectus, vinciri jussus fuit ob proprias legati simultates, tanquam conscius molitionum C. Pisonis. *Tac. H.* 4, 50. *B. A.*

CETTE. V. CEDO pro *da.*

*CETUMA, opp. Aethiop. sub Aegypto. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

CETUS, i, m. V. CETE.

CEU, οἷον, ὡς, ὥσπερ, adv. est pro *ceve*, ut *neu* pro *neve*, poetis familiarissimum, idem significans ac quemadmodum, sicut, velut. *Suet. Vitell.* 17. Reducto coma capite, ceu noxii solent. *Hor. Od.* 4, 4, 43. Ceu flamma per taedas, vel Eurus Per Siculas equitavit undas. *Virg. A.* 2, 356. Iupi ceu Raptores atra in nebula. *Plin.* 2, 28, 28. Cernuntur et stellae circa solis orbem, ceu spiceae coronae. ℙ Pro tanquam, aut quasi. *Id.* 29, 4, 30. Cantharides objectae Catoni, ceu venenum vendidisset. *Id.* 31, 1, 1. At illae, ceu parum sit in tantam pervenire altitudinem, rapiunt eo secum piscium examina etc. Adde 34, 6, 13. et *Stat. Th.* 2, 418. ℙ *Ceu vero*, quasi vero. *Plin. praef. Hist. nat.* Ceu vero nesciam, scripsisse etiam feminam. *Id.* 7, 55, 56. Ceu vero ullo modo spirandi ratio homini a ceteris animalibus distet. *Id.* 13, 22, 43. Ceu vero remedia desint. ℙ *Ceu plerumque*, ut plerumque. *Plin.* 19, 12, 62. Atque ut intelligatur vana, ceu plerumque, vitae persuasio etc.

CEVA, ae, f. V. ALTINUS, a, um.

CĒVĔO, es, n. προσκιχλίζω, etymon κινέω, unde *cieo*, et *cio:* est clunes movere, ut in re venerea, et proprie de maribus stuprum patientibus dicitur. Mulierum enim est *crissare.* Usi sunt hoc verbo *Juven.* 2, 21. et 9, 40., *Mart.* 3, 95. et *Plaut. fragm.* ap. *Non.* 2, 118. ℙ Translate est adulari, tractum a canibus, qui cum domino blandiuntur, clunes et caudam movent. *Pers.* 1, 87. An, Romule, ceves? Al. aliter interpret. ℙ *Val. prob. in*

Cathol. p. 1482. ponit praeteritum *cevi*, sed nullo confirmat exemplo. *Id. ib.* p. 1484. ait esse *cevo, cevis, cevi*, tertiae conjugationis, et in allato *Persii* loco *ceves* futurum esse putat.

CĒUS, i, m. V. COEUS.

CĒUS, a, um, adj. *Κῆος* et *Κεῖος*, ad Ceam insulam Aegaei maris, unam Cycladum pertinens. *Lucr.* 4, 1124. Interdum in pallas, Melitensia, Ceaque vertunt, *h. e.* vestes delicate textas, de quibus V. CEA. ℙ Fuit haec patria Simonidis poetae melici, seu lyrici, qui, teste *Suida*, inter alia scripsit librum, cui titulus erat *Θρῆνοι*, hoc est lamentationes, et hujusmodi tristia carmina: ad quem respexit *Hor. Od.* 2, 1, 38. Ceae retractes munera naeniae. *Id. Od.* 4, 9, 7. Ceae Camenae. ℙ *Cei, orum*, ejus insulae homines. *Cic. Div.* 1, 57. Ceos accepimus ortum Caniculae diligenter solere servare. ℙ Dicitur et *Cēius, a, um*, et Graece *Κήϊος* et *Κέϊος*. *Cic. Or.* 2, 86. Gratiam habeo Simonidi illi Ceio etc. Ita enim ibi legendum, non *Chio*, ut est in quibusdam libris. ℙ Quidam scribunt *Caeus*. V. dicta in CEA. ℙ Legitur etiam *Cius* in quibusdam lib. ap. *Lucr. l. c.*

*CEUTRONES, um, pop. Gal. Belg., in regione Nerviorum. *Caes. B. G.* 5, 39. V. Centrones. *B. A.*

CĒYX, ycis, m. *Κήυξ*, filius Luciferi, maritus Halcyones, rex Trachiniae. Ob Daedalionis fratris casum in accipitrem mutati, ad Clarium oraculum repugnante uxore navigans, in Aegaeo mari tempestate submersus est. Halcyone, cum quotidie Diis, ac praesertim Junoni, sacrificia offerret pro viri salute, ab illa per Morpheum noctu in somno monita est, maritum interiisse. Mane igitur experrecta ad litus accessit, et cadaver in mari longius aspexit, quod cum mariti esse cognovisset, ac per undas ad illud proficisci vellet, Deorum miseratione in avem conversa ad os mariti advolavit: qui oscula uxoris sentiens in avem et ipse mutatus est. Hae aves halcyones dicuntur, et habitant prope maris litora. *Ov. Met.* 11, 544. Halcyone Ceyca movet, Ceycis in ore Nulla nisi Halcyone est. V. ibi reliqua, et *Serv.* ad *G.* 1, 399. ℙ Ceyces aves memorat etiam *Plin.* 32, 8, 27., et cum halcyonibus conjungit. Ex quo intelligimus halcyones in eo genere esse feminas, ceyces vero mares. ℙ Scribitur et *Caeyx*.

CH

*CHABALA, opp. Alban., ad Caucasum montem, Cabalaca appellatum a *Plin.* 6, 10. *B. A.*

*CHABRIAS, ae, philos. Athen. et imperator inclytus. Hujus dictum, terribiliorem esse exercitum cervorum duce leone, quam leonum duce cervo. De eo V. *Nep.* passim in ejus vita. Cf. *Diod. Sic.* 16. et *Demosth. Lept.*, qui pluries ibi res gestas persequitur, et in ejus laudes digreditur. ℙ *Chabriae castra* locus fuit in Aegypto inferiore, ad mare situs non procul a Pelusio. *Plin.* 5, 12. *B. A.*

*CHABARA, ae, fons Mesopotamiae. *Plin.* 31, 3. *B. A.*

*CHADAEI, orum, populi Arab. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*CHADISĪA, ae, flumen in Ponto. *Plin.* 6, 3. ℙ Item opp. nomen ibi siti. *Plin. ib. B. A.*

CHAENŌPUS, ŏdis, adj. *χανόπους, οδος*, qui pedes habet rimis seu rhagadibus hiscentes. Vox Graeca a *χαίνω*, hisco, et *ποῦς, ποδὸς*, pes. *Lucil.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4., ubi alii mallent *coenopus*, *κοινόπους*, *h. e.* qui una cum alio pedibus iter facit: a *κοινὸς* communis.

[*CHAERĒAS, eae, m. *χαιρέας*, a *χαίρω*, gaudeo. Fuit hoc nomine nobilis statuarius temporibus Alexandri M., cujus statuam, ut et Philippi patris, fecit. *Plin.* 34, 8, 19. et *Vitr.* 10, 19. ℙ Item scriptor rei rusticae, Atheniensis. *Varr. R. R.* 1, 1. et *Plin.* 20, 23, 99. *Colum.* 1, 1. ℙ *Chaerea* est etiam cog. Rom. *C. Fannius Chaerea* memoratur a *Cic. Rosc. Com.* 1., et tribunus cohortis *Cassius Chaerea* a *Suet. Cal.* 56., qui Caligulam interfecit. *F.* et *B. A.*

CHAERĒPHYLLON, i, n. *χαιρέφυλλον*, herba, de qua V. in CAEREFOLIUM. *Colum.* 11, 3. *a med.* ℙ Extrito altero *l* paenultimam corripit *Id.* 10, 110. Jam breve chaerephylum, et torpenti grata palato Intyba, *ονοτολή*. Legitur et *chaerophyllum*.

[CHAERIPPUS, i, m. gaudens equis, a *χαίρω*, gaudeo, et *ἵππος* equus. Nomen servile apud *Cic. Att.* 4, 7. *F.*]

[CHAERON, ontis, m. *χαίρων*, gaudens. Nomen servile Romanum. *Bartoli, Antich. d' Aquil.* p. 250. *F.*]

*CHAERONĒA vel Chaeronia, ae, f. *χαιρώνεια*, Boeotiae urbs, patria Plutarchi, ubi Athenienses a Philippo rege debellati. *Liv.* 35, 46. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

[CHAERŪSĂ, ae, f. *χαίρουσα*, gaudens. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* p. 1287, 5. Cominia Chaerusa. *F.*]

*CHALAEON, i, *χάλαιον*, opp. c. portu in Locride. *Plin.* 4, 3. *B. A.*

CHALASTĬCUS, a, um, adj. *χαλαστικὸς*, relaxandi vim habens: a *χαλάω*, laxo, remitto. *Theod. Prisc.* 1, 7. Ut spongia molli vaporetur ex aquis chalasticis. Et *ib.* 15. Fomenta chalastica.

CHALASTRAEUS, a, um, adj. idem quod Chalastricus, ut *Chalastraeum nitrum*, apud *Plin.* 31, 10, 46. *n.* 4. V. v. seq.

CHALASTRĬCUS, a, um, adj. ad Chalastram pertinens, quod est oppidum Macedoniae in ora litorali ad sinum Thermaeum. Hinc *Chalastricum nitrum*, quod optimum, copiosumque ibi invenitur. *Plin.* 31, 10, 46. *n.* 1.

CHALĀTORĬUS, a, um, adj. ad laxandum pertinens: a *χαλάω*, laxo, remitto. *Veg. Mil.* 4, 15. Falx chalatorios funes, quibus antenna suspenditur, repente praecidit. Al. leg. *collatorios*, fortasse quia hujusmodi funes in inferiori parte in unum conferuntur.

CHĀLĀTUS. V. CHALO.

CHALAZĬAS, ae, m. *χαλαζίας*, gemma adamantinae duritiae, quae grandinis figuram et candorem refert: a *χάλαζα*, grando. *Plin.* 37, 11, 73.

CHALAZĬUS, a, um, adj. *χαλάζιος*, grandini similis candore, ut *chalazius lapis* apud *Plin.* 36, 22, 43. Nam *χάλαζα* grandinem significat. ℙ *Chalazia* dicuntur a medicis tubercula in palpebris nascentia, mobilia, et grandini similia. *Cels.* 7, 7. *n.* 3., ubi tamen in ipso textu Graece scribitur.

CHALBĀNE, es, f. *χαλβάνη*, succus ferulae arboris, idem quod galbanum, quod V. *Mart. Dig.* 39, 4, 16. §. 7.

CHALCANTHUM, i, n. *χάλκανθον*, corpus metallicum, quasi aeris flos: a *χαλκὸς*, aes, et *ἄνθος*, flos. Latina appellatione dicitur *atramentum*, teste *Celso* 5, 1. et *Plin.* 34, 12, 32. V. ATRAMENTUM.

*CHALCE, es, *χαλκὴ*, i. q. Chalcia. *Plin.* 5, 31. V. Chalcia. *B. A.*

CHALCĒDON et Calchedon, onis, f. *Χαλκηδὼν* et *Καλχηδὼν*, nunc *il borgo di Kadicui*, urbs Asiae in Bithynia, in ora litorali, contra Byzantium: dicta etiam caecorum oppidum, quod locum eligere nescissent, septem stadiis distante Byzantio, tanto feliciore omnibus modis sede, ut apud *Tac. A.* 12, 63. et *Plin.* 5, 32, 43. legitur. *Claud. IV. Cons. Honor.* 176. Bosphorus adversam patitur Chalcedona cerni. *Lucan.* 9, 959. *ostriferam* appellat ab ostreorum copia.

[CHALCĒDONĬCUS, a, um, adj. idem quod Chalcedonius. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1991, 3. Livia Chalcedonica. *F.*]

CHALCEDONĬUS, a, um, adj. *Χαλκηδόνιος*, ad Chalcedonem pertinens. *Cic. Or.* 3, 32. Thrasymachus Chalcedonius. *Gell.* 7, 16. Pelamis Chalcedonia. *Claud. in Ruf.* 2, 55. Et Chalcedonias contra despectat arenas. ℙ *Chalcedonii, orum*, sunt Chalcedonis incolae. *Tac. A.* 12, 63.

CHALCENTĔRUS, i, *χαλκέντερος*, intestina habens aenea: a *χαλκὸς*, aes, et *ἔντερον*, intestinum: et metaphorice indefessus, laboris patientissimus. Ita appellatus est Didymus grammaticus Alexandrinus (qui vixit sub Antonio et Cicerone usque ad Augustum) ob assiduitatem legendi et scribendi. Dicitur enim tria millia et quingenta volumina conscripsisse, ut *Suidas* narrat. Legitur ap. *Hieron. ep.* 50. *n.* 2.

[CHALCĒOS, *χαλκεῖος*, herba quaedam ap. *Plin.* 21, 16, 56. Carduus et folia et caules spinosae lanuginis habet: item acerna, leucacanthos, chalceos, enecos. *F.*]

*CHALCĒRĬTIS, idis, insula maris Euxini prope Pharnaceam Ponti opp. *Plin.* 6, 13. Appellatur etiam *Aria. Id. ib. B. A.*

[CHALCĒTUM, i, n. herbae genus ap. *Plin.* 26, 7, 25. Item herba chalcetum e vineis contrita imponitur. *F.*]

CHALCĔUS, a, um, adj. *χάλκεος*, idem quod aereus: a *χαλκὸς*, aes. *Mart.* 9, 95, 4. Chalcea donanti chrysea qui dederas.

*CHALCĬA, ae, f. *Χαλκία*, insula maris Aegaei, inter Rhodum et Telon Sporadum una. *Mela* 2, 7. *Plin.* 4, 12. ℙ Dicta et *Chalce. B. A.*

CHALCĬDENSIS, e, adj. ad Chalcidem pertinens. *Plin.* 35, 9, 35. Timagoras Chalcidensis. *Χαλκιδεύς*.

CHALCĬDĬCE, es, f. *χαλκιδική*, genus lacertae, quam et *sepa* vocant. *Plin.* 29, 5, 32.

CHALCĬDĬCENSIS, e, adj. idem quod Chalcidensis et a voce *Chalcidicus* deductum, ut *Colonia Chalcidicensis*, ap. *Gell.* 10, 16., *h. e.* Cumae, quam urbem Chalcidenses condidisse dicuntur.

CHALCĬDĬCUS, a, um, adj. *Χαλκιδικὸς*, ad Chalcidem pertinens. *Cic. N. D.* 3, 10. Euripus Chalcidicus. *Varr. R. R.* 3, 9. Chalcidici galli. *Plin.* 15, 18, 19. Chalcidicae ficus. *Val. Fl.* 1, 454. arenae. ℙ *Chalcidica arx* ap. *Virg. A.* 6, 17. est Cumarum oppidum a Chalcidensibus conditum. Et *Chalcidica litora* ap. *Stat. Silv.* 4, 4, 78. sunt ora maritima Cumarum et Neapolis. Et *ib.* 2, 2, 94. Chalcidicae turres. Sic *Chalcidicam Nolam* dixit *Sil.* 12, 161., *h. e.* a Chalcidensibus conditam. ℙ *Chalcidicus versus* ap. *Virg. Ecl.* 10, 50. est carmen Euphorionis poetae Chalcidensis, ut *Quint.* 10, 1. et *Serv.* tradunt. Alii dicunt, significari carmen a Theocrito compositum vel quia is Siculus quidem fuit et Naxum oppidum patriam habuit, sed ejus oppidi conditores Chalcide profecti sunt, ut et *Salmas.* ad *Solin.* p. 105. ex Graecis auctoribus docet: vel quia de Sicilia Chalcidem aliquando migravit. *Serv.* ℙ Sed *carmen Chalcidicum* ap. *Stat. Silv.* 5, 3, 182. sunt versus Sibyllini, quorum auctor fuit Sibylla Cumana: Cumas autem *Chalcidicas* appellari, modo diximus. *Chalcidica corona* ap. *eund. ib.* 226. est, qua coronabantur in sacris Cereris, quae Neapoli celebrabantur: quod significare videtur *Id. Silv.* 4, 8, 50. ℙ *Chalcidicum, i*, n. genus fuit aedificii, ab urbe Chalcide dictum, ut *Fest.* docet vel, ut putat *Morcell. de stil. Inscr. T.* 3. p. 100. ed. *Pat.*, a fano Minervae, quod ap. Spartanos *ἱερὸν χαλκιοίκου* appellabatur, ex aere nempe tecto, quemadmodum deinde, ut *Pausanias* 10, 5. testatur, Romae fuit Apollinis templum aereo lacunari ornatum. Videtur tamen fuisse membrum, seu pars aedificii; nam *Vitruv.* 5, 1. in extremis Basilicarum partibus jubet constitui *Chalcidica*, si locus erit amplior in longitudine. Significat autem amplam veluti porticum, in qua exspatiari homines publice possint, ut Venetiis *la piazza di S. Marco*, et Florentiae *le loggie vecchie e nuove*. Hinc *Gloss. Isid.* Calcicum (*corrige* Chalcidicum) foris deambulatorium, quod et peribulum (nempe *περίβολον*) dicitur, et iterum (lege *pteron*). Eandem profecto significationem habet in *Monum.* Augusti *Ancyrano*. Curiam, et continens ei Chalcidicum, templumque Apollinis in Palatio (feci). De eodem Augusto *Dion.* 51, 22. *Διετέλεσε τὸ τε Ἀθήναιον, καὶ τὸ χαλκιδικὸν ὠνομασμένον, καὶ τὸ βουλευτήριον. Hygin. fab.* 184. Merope credens eum esse filii sui interfectorem, qui dormiebat, in Chalcidicum cum securi venit etc. *Inscr.* Pompejis reperta an. 1820., et peculiari *Dissert.* illustrata a *Guil. Bechio*. Eumachia L. F. sacerdos publica nomine suo, et M. Numistrii Frontonis filii Chalcidicum, cryptam, porticus Concordiae Augustae Pietati sua pecunia fecit, eademque dedicavit. Alia Vellejae inventa an. 1760. apud *De-Lama Iscriz. Ant.* p. 46. Baebia T. F. *Bas*silla Calchidicum (*ita pro* Chalcidicum) municipibus suis dedit. Adde aliam apud *Reines. cl.* 7. *n.* 15. ℙ Superiores quoque aedium partes, in quibus coenacula, et solaria, et loca ampla erant vel tecta, vel sub dio posita, *Chalcidica* appellantur. Ita enim intelligendum videtur illud *Auson. Perioch. Odyss.* 1. Penelope digressa Chalcidico. Et *ib.* 23. Chalcidicum gressu nutrix superabat anili. *Homer.* enim his locis habet *ὑπερῳοθεν*, et *ὑπερῷον*; hoc vero summam aedium partem significat. Huc pertinet illud *Arnob.* 4. p. 149. Scribuntur Dii vestri in tricliniis coelestibus, atque in Chalcidicis aureis coenitare, potare, et ad ultimum fidibus et vocum modulationibus mulceri. *Id.* 3. p. 105. Avet animus atque ardet, in Chalcidicis illis magnis, atque in palatiis coeli Deos Deasque conspicere intectis corporibus atque nudis etc. ℙ *Ant. M.ª Lupius Dissert.* etc. *T.* 2. p. 133. arbitratur, *Chalcidica* fuisse *le navate traversali*, vulgo *le braccia delle Basiliche*. [*Diligenter retractatus et egregie ampliatus locus est a *F.*]

CHALCIOECUS, i, m. *χαλκίοικος*, domus aerea: a *χαλκὸς*, aes, et *οἶκος*, domus. Ita appellata est aedes Minervae a Spartanis exstructa. *Nep. Paus.* 5. In aedem Minervae, quae Chalcioecus vocatur, confugit. *Liv.* 35, 36. Aetoli circa Chalcioecum (Minervae est templum aereum) congregati caeduntur. ℙ Apud Graecos *χαλκίοικος* est epitheton ipsius Minervae, quae scilicet *domum aeream* habet, et apud *Thucydid.* 1, 134. substantive usurpatur, *ἱερὸν τῆς Χαλκιοίκου*. ℙ *Suidas* perperam putat non ab aere, sed a Chalcidensibus, qui fabricati fuerint, templo nomen inditum; sed contrarium affirmat *Paus.* 3, 17

CHALCĬOPE, es, f. *Χαλκιόπη*, uxor Mnesyli, vel, ut alii volunt, Thessali, mater Antiphi, qui ad Trojanum bellum cum aliis Graecis profectus est. *Hyg. fab.* 97. ℙ Alia fuit hoc nomine, soror Medeae, uxor Phryxi, mater Argi, Phrontidae, Melae, et Cylindri, ut apud *eund. fab.* 21. legitur. *Ov. Her.* 17, 232. Non Ipsea parens, Chalciopeque soror. *Val. Fl.* 6, 479. Chalciopen imitata sono, formaque sororem. ℙ Legitur et *Calciope*.

CHALCIS, ĭdis, f. *Negroponte*, *Χαλκὶς*, urbs primaria Euboeae insulae, ex adverso Aulidis Boeotiae portus, Euripo interfluente: ita dicta, quod aes ibi primum repertum fuerit, quod *χαλκὸς* Graece dicitur: vel a Chalcide Asopi filia. Aliis quoque nominibus vocitata est, Macris, et Macra, Abantias, et Asopis. *Plin.* 4, 12, 21. et *Mela* 2, 7. Hinc *Lucan.* 2, 710. Arctior Euboica, qua Chalcida verberat, unda. Et 5, 227. Chalcidos Euboicae regnum. *Chalcidos*, et *Chalcida* casus sunt Graecae positionis pro *Chalcidis*, et *Chalcidem*. ℙ Alia est *Chalcis* in Arabia, alia in Coelesyria, de quibus V. *Plin.* 6, 28, 39. et 5, 23, 19.

et geographos. ℙ Est etiam hoc nomine piscis sardiniae similis, de quo *Plin.* 9, 47, 7. et *ib.* 51, 74. et *Colum.* 8, 17. ℙ Item genus serpentis venenosi morsus, maculas quasdam in tergo habentis aerei coloris. *Plin.* 32, 3, 13. et *ib.* 5, 17. ℙ *Fuit et *Chalcis* insula prope Aetoliam. *Plin.* 4, 12. ℙ Item mons Aetol., juxta Chalcidem opp. *Plin.* 4, 2. *B. A.*

CHALCITES, ae, m. *χαλκίτης*, lapis idem qui *chalcitis*. *Plin.* 34, 2, 2.

CHALCĪTIS, ĭtidis, f. *χαλκῖτις*, lapis, ex quo cocto aes fit; a *χαλκὸς*, aes. Differt a *cadmia*, quod ea super terram ex subdialibus petris caeditur, chalcitis vero ex obrutis. Illa aes solummodo continet; haec tria genera, aeris, misyos, et soryos; praeterea magis est friabilis quam cadmia, et mollis natura, ut videatur lanugo concreta. *Plin.* 34, 12, 29. Chalcitin vocant lapidem, ex quo ipsum aes fit. *Cels.* 6, 6. *n.* 31. Chalcitidis aliquid, et cadmiae dimidio plus simul conteruntur. *Id.* 7. *n.* 7. Chalcitidem imponere. ℙ Est etiam nomen gemmae, a colore aeris sic appellatae. *Plin.* 37, 11, 73. ℙ *Fuit et *Chalcitis* insula in Propontide. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

CHALCOPHONOS, is, f. *χαλκόφωνος*, gemma, quae illisa aeris tinnitum reddit: a *χαλκὸς*, aes, et *φωνή*, vox, sonus. *Plin.* 37, 10, 56. ℙ Haec eadem a *Solin.* 37. dicitur *chalcophthongos:* a *φθόγγος*, vox.

CHALCOPHTHONGOS. V. v. praec.

CHALCOSMARAGDOS, i, f. *χαλκοσμάραγδος*, genus smaragdi aereis venis turbidi: a *χαλκὸς*, aes. *Plin.* 37, 5, 19.

*CHALCOSTHĒNES, is, *Χαλκοσθένης*, insignis statuarius. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

CHALCUS, i, m. *χαλκὸς*, Graece aes significat. Est etiam nomen ponderis, itidem apud Graecos, sexagesimam partem drachmae, et oboli decimam pendentis, ut *Plin.* 21, 34, 109. docet. Quamquam a Graecis scriptoribus aliter atque aliter definitur. *Diodorus* enim apud *Suid.* sextam oboli partem esse dicit, *Cleopatra* ap. *Galen.* octavam, ut *Hard.* adnotavit.

CHALDAEUS, a, um, adj. *Χαλδαῖος*. *Chaldaei* sunt populi Asiae in Babylonia, quorum regio *Chaldaea*, nunc *Caldar*. Astrologiae dediti inprimis fuerunt, et praesertim ei parti, quae ex stellarum positione, quae in nativitate contigit, de cujusque casibus ac fortuna, deque incertis aliarum rerum eventibus, quid futurum sit, praedicit: quae Italice dicitur *Astrologia giudiciaria:* adeoque in ea arte excelluerunt, ut et cum aliarum gentium hominibus, qui eam profiterentur, nomen communicaverint. *Cic. Div.* 1, 1. Qua in natione *(Assyriorum)* Chaldaei, non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut praedici posset, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset. *Id. Mur.* 9. A quibus etiam dies, tanquam a Chaldaeis, petebantur. *Juven.* 10, 94. Grex Chaldaeus. *Lucan.* 8, 226. Chaldaeum regnum. *Lucr.* 5, 726. Babylonica Chaldaeum doctrina, *pro* Chaldaeorum. *Favorin.* ap. *Gell.* 14, 1. contra Chaldaeos multa disputat, vanamque esse eorum artem ostendit. *Val. Max.* 3, 1. *n.* 2. C. *(lege* Cn.) Cornelius Hispallus praetor peregrinus M. Popillio Laenate, Cn. Calpurnio Coss. *(h. e.* an. U. C. 615.) edicto Chaldaeos intra decimum diem abire ex Urbe atque Italia jussit levibus et ineptis ingeniis fallaci siderum interpretatione quaestuosam mendaciis suis caliginem injicientes.

CHALDAĪCUS, a, um, adj. idem quod Chaldaeus, soluta Graeca diphthongo *αι*, *Χαλδαϊκός*. *Cic. Div.* 2, 42. Chaldaicum praedicendi genus. Et *ib.* 47. Chaldaicis rationibus eruditus, *h. e.* genethliaces, et divinandi arte.

*CHALDONE, Arab. Felicis promont. *Plin.* 6, 28. Hodie est Mascar — Saif, ut refert *Hard.* e Geogr. *Nub.* *B. A.*

CHALO, as, avi, atum, a. 1. demitto, laxo, remitto: a *χαλῶ* vel *χαλάζω*, quod idem significat. *Vitr.* 10, 13. *de hydraulicis machinis.* Delphini aerei in verticulis collocati, pendentia habentes catenis cymbala ex ore, infra foramina modiolorum, chalata intra arcam. *Id. ib.* Delphini, qui sunt in verticulis inclusi, chalantes in os cymbala replent spatia modiolorum. *Veg. Mil.* 4, 23. Centones et culcitas funibus chalant, et illis opponunt locis, qua caedit aries. Al. male leg. *calcant.*

*CHALONITIS, idis, f. *Χαλωνῖτις*, sc. *γῆ*, *χώρα*, regio fuit Assyriae. *Plin.* 6, 3. Dicta est ab opp. Chala ibi sito. *B. A.*

CHALYBĒIUS, et

CHALYBĒUS, a, um, adj. ad chalybem pertinens. *Ov. Fast.* 4, 405. Aes erat in pretio: chalybeia massa latebat. Al. leg. *chalybeaque massa:* alii *chalybis jam* etc.

CHALYBS, ybis, f. *χάλυψ*, ferrum, ita dictum a gente *Chalybum*, qui sunt populi Asiae circa Pontum, apud quos id metallum in magna copia eruitur, et in alias terras mittitur, ut apud *Plin.* 6, 4, 4., 7, 56, 57., *Virg. G.* 1, 58. et *Avien. Perieg.* 959. legitur. *Virg. A.* 8, 446. Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit. *Id. ib.* 10, 174. Insula inexhaustis chalybum generosa metallis. ℙ Per synecdochen *Senec. Thyest.* 364. Strictus chalybs, *h. e.* ensis. *Lucan.* 6, 398. *de equo.* primus chalybem, frenosque momordit. Et *ib.* 547. Insertum manibus chalybem, *h. e.* clavum ferreum. Et *ib.* 797. Chalybum nodi, *h. e.* catena ferrea. *Id.* 7, 518. ponit pro spiculis ferreis sagittarum, et *Val. Fl.* 6, 341. pro acumine hastae. ℙ Sumitur etiam pro nucleo ferri, hoc est parte ferri puriore, sinceriore et duriore, certa quadam temperatura, et ad acies faciendas aptissima, quae Graece dicitur *ατόμωμα*, Italice *acciajo*, *acciaro*. *Justin.* 44, 3. docet, esse fluvium in Hispania nomine *Chalybem*, quo tinctum ferrum optimam acquirat temperaturam: unde etiam ejus fluvii accolas Chalybes appellari, et ferro ceteris praestare. *Prop.* 1, 16, 29. Sit licet et saxo patientior illa Sicano: Sit licet et ferro durior, et chalybe. *Senec. Herc. Oet.* 152. Ferrum sentit hebes, lentior est chalybs.

CHAMA, ătis, n. lupus cervarius, animal effigie lupi, pardorum maculis, cervis infensus. [*Unze;* si modo vera est lectio in *Plin. l.* mox laud. Ita *K.* in *Wolf. Anal. Litt.* 1820. IV. p. 327.] *Plin.* 8, 19, 28., ubi al. leg. *chaus* (quod habetur etiam in *indice lib.* 2. *ejusd. Plinii n.* 28.) Galli *rufium* vocant. *Plin. ib.*, ubi al. leg. *raphium.*

CHAMAE, arum, f. plur. *χῆμαι*, concharum genera sunt, in eo a ceteris distantia, quod testas semper apertas habent: a *χήμη*, hiatus, quod a *χαίνω*, hio, apertus sum. Earum multae sunt species, ut *chamae striatae*, *chamae laeves*, *chamae pelorides*, *chamae glycymerides*, de quibus *Plin.* 32, 11, 53.

CHAMAEACTE, es, f. *χαμαάκτη*, genus sambuci silvestris et humilis, seu brevioris, a *χαμαί*, humi, et *ἀκτή*, sambucus. Latina appellatione *ebulus*, vel *ebulum* dicitur. *Plin.* 24, 8, 35. et 26, 11, 73.

CHAMAECĔRĀSUS, i, f. *χαμαικέρασος*, genus cerasi humilioris, et frutici potius quam arbori similis: a *χαμαί*, humi. *Plin.* 15, 25, 30.

CHAMAECISSOS, i, f. *χαμαίκισσος*, genus hederae, nunquam nisi humi repentis: a *χαμαί*, humi, et *κισσὸς*, hedera. *Plin.* 16, 34, 62. et 24, 15, 84. ℙ Est etiam species cyclamini, cognomine *chamaecissos*, uno omnino folio, radice ramosa, qua pisces necantur. *Id.* 25, 9, 69. ℙ Primam syllabam nimis licenter produxit *Seren. Sammon.* in illo spondaico versu *c.* 44. *v.* 799. Necte adipes vetulos, et tritam chamaecisson.

CHAMAECYPARISSUS, i, f. *χαμαικυπάρισσος*, genus herbae cupressi folio: a *χαμαί*, humi, et *κυπάρισσος*, cupressus. *Plin.* 24, 15, 86.

CHAMAEDAPHNE, es, f. *χαμαιδάφνη*, herba Latine *vincapervinca:* a *χαμαί*, humi, et *δάφνη*, laurus: quod sit veluti humilis laurus, ob foliorum similitudinem. *Plin.* 15, 30, 39., 21, 11, 39. et *ib.* 27, 99. et 24, 15, 39.

CHAMAEDRACON, ontos, m. *χαμαιδράκων*, genus draconis in Africa, ita dicti, quod humi tantum serpat, cum quidam sint, qui etiam arbores scandunt: a *χαμαί*, humi. *Solin.* 27. Sunt et hammodytae, elephantiae, chersydri, chamaedracontes.

CHAMAEDROPS. V. CHAMAEROPS.

CHAMAEDRYS, yos, f. *χαμαίδρυς*, herba Latine *trixago*, foliis mentae, colore et divisura quercus: unde et nomen habuit: a *χαμαί*, humi, et *δρῦς*, quercus, quasi parva quercus. *Plin.* 14, 16, 19. et 24, 15, 80.

CHAMAELAEA. V. CHAMELAEA.

CHAMAELĔON, onis, et ontis, m. *χαμαιλέων*, quasi parvus et pumilus leo: a *χαμαί*, humi, et *λέων*, leo: animal est in Africa raro, saepius in India nascens, figura et magnitudine lacertae, nisi quod crura habet recta et excelsiora. Latera ventri junguntur, ut piscibus, et spina simili modo eminet: rostrum simile suillo, cauda praelonga in tenuitatem desinens, et implicans se viperinis orbibus, ungues adunci, motus tardior, ut testudini, asperum corpus, ut crocodilo: oculi praegrandes, et corpori concolores, quos nunquam totos operit, nec pupillae motu, sed totius oculi versatione circumspicit. Ipse celsus hianti semper ore; coloris etiam natura mirabili: eum enim subinde mutat, redditque semper quemcumque proxime attingit, praeter rubrum, candidumque. Solus animalium nec cibo, nec potu alitur, nec alio quam aeris alimento. Haec et alia *Plin.* 8, 33, 51. et ex eo *Solin.* 40., item *Tert. Pall.* 3., quorum nonnulla falsa esse a posteris compertum est. *Plin.* 10, 52, 73. Chamaeleones ova gignunt. *Gell.* 10, 12. De vi, et natura chamaeleontis. *Solin. l. c.* Per omnem Asiam chamaeleon plurimus. De eodem loquitur *Ov. Met.* 15, 411. Id quoque quod ventis animal nutritur, et aura, Protinus assimulat tactu quoscumque colores. Recentiores historiae naturalis scriptores pro comperto habent, chamaeleontem muscis, quas ore aperto captat, vesci. ℙ Est etiam hoc nomine herba, alio nomine *ixia*, et Italice *camaleone*, *carlina.* Ejus duo sunt genera. Chamaeleon candidior asperiora folia habet, serpit in terra, echini modo spinas erigens, radice dulci, odore gravissimo. Quibusdam in locis viscum gignit album sub alis foliorum: unde et *ixia* appellatur (*ἰξὸς* enim viscum significat). Chamaeleon autem ideo dicitur, quia mutat cum terra colores, instar chamaeleonis animalis. Chamaeleon niger alius florem purpureum gignit: hunc marem vocant: alius violaceum: hunc feminam putant. V. *Plin.* 22, 18, 21., ubi plura hac de re. *Id.* 27, 13, 118. Chamaeleon niger quadraginta annis durat. *Scrib. Compos.* 192. Ixia, quam quidam chamaeleonta vocant. ℙ Reperitur etiam in genere feminino: sed *herba* subintelligitur. *Id.* 30, 4, 10. Vulturinus sanguis cum chamaeleonis albae (quam herbam esse diximus) radice tritus. ℙ De quantitate primae syllabae, V. dicta in CHAMAECISSOS.

CHAMAELEUCE, es, f. *χαμαιλεύκη*, herba quae et *bechion*, et *tussilago*, et *farfarus*, sive *farfugium* dicitur. Ideo autem *chamaeleuce* appellatur, quia est veluti parva populus, habens cum ea arbore foliorum similitudinem: a *χαμαί*, humi, et *λεύκη*, populus. *Plin.* 24, 15, 85. et 26, 6, 16.

CHAMAELYGOS, i, f. *χαμαίλυγος*, herba verbenaca, ita dicta a caulis et ramulorum in terra dejectione, et eorundem ad ligandum aptitudine: a *χαμαί*, humi, et *λύγος*, vimen. *Appul. Herb.* 3.

CHAMAEMĒLON, i, n. *χαμαίμηλον*, quasi parva malus: habet enim odorem mali. Herba est humilis, cujus tria genera flore tantum distantia, candido, aut melino, aut purpureo, enumerat *Plin.* 22, 21, 26.

CHAMAEMYRSĪNE, es, f. *χαμαιμυρσίνη*, hoc est parva myrtus: a *χαμαί*, humi, et *μυρσίνη*, myrtus. Ita appellatur genus myrti silvestris brevioris, quam sativae, baccis rubentibus. Alio nomine *ruscus* dicitur. *Plin.* 23, 9, 83. et 15, 7, 7.

CHAMAEPEUCE, es, f. *χαμαιπεύκη*, herba larici folio similis: ita dicta quasi parva larix: a *χαμαί*, humi, et *πεύκη*, larix. *Plin.* 24, 15, 86.

CHAMAEPITYS, yos, f. *χαμαιπίτυς*, Latine abiga, et tus terrae, herba est cubitalibus ramis, flore pinus, et odore, ut *Plin.* 24, 6, 20. docet, unde et nomen traxit, quasi pinus pumila: a *χαμαί*, humi, et *πίτυς*, pinus. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 7. Lignum chamaepityos. *Id.* 21, 29, 103. Herba chamaepityi similis. *Id.* 26, 8, 53. Hypericon, quam alii chamaepityn appellant.

CHAMAEPLĀTĀNUS, i, f. pumila platanus: a *χαμαί*, humi. *Plin.* 12, 2, 2. Et chamaeplatani vocantur coactae brevitatis: quoniam arborum etiam abortus invenimus.

CHAMAERĒPES, um, f. plur. *χαμαιρεπεῖς*, sunt humilium palmarum quoddam genus folio latiore, et molliore: a *χαμαί*, humi, et *ῥέπω*, propendeo, inclino. *Plin.* 13, 4, 9.

CHAMAEDROPS, ōpis, f. herba eadem, quae *chamaedrys*, ap. *Plin.* 24, 15, 80. et *Appul. Herb.* 24. Est autem a *χαμαί*, humi, et *ῥώψ*, *ῥωπὸς*, virgultum. Quidam rectius ap. *Plin.* legi volunt *chamaedrops*, quod *χαμαίδρωψ* dicatur a *Dioscor.* et *chamaedropis* in genitivo legatur ap. *Marcell. Empir.* 20. *post med.*

[CHAMAESTRŌTUM, i, n. *χαμαιστρωτον*, a *χαμαί*, humi, et *στρωτὸς*, stratus: videtur significari lecti genus humile. *Not. Tir.* p. 164. *F.*]

CHAMAESYCE, es, f. *χαμαισύκη*, herba est lentis folia habens, nihil se attollentia: a *χαμαί*, humi, et *συκῆ*, ficus, quia succum habet lacteum fici similem. *Plin.* 24, 15, 83. ℙ Perperam confundi cum chamaeacte, ab *Appul. Herb.* 91. adnotavit *Humelbergius.*

[CHAMAETORTUS, a, um, adj. humum versus intortus. Vox hybrida, a *χαμαί*, humi, et *tortus*. *Front. de eloq.* p. 231. *edit. Rom.* Quin erige te, et extolle, et tortores istos, qui te, ut abietem aut alnum proceram, incurvant, et ad chamaetorta detrahunt, valido cacumine tuo excute. *Plin.* 13, 4, 9. eodem sensu *chamaerepes palmas* appellat. *F.*]

CHAMAEZĒLON, i, n. *χαμαίζηλον*, herba alio nomine gnaphalion, humi tota jacens, a *χαμαίζηλος*, humilis, humi depressus. *Plin.* 27, 10, 61.

*CHAMĀVI, orum, pop. Germ., partim Rhenum, partim Visurgim fluv. accolentes. *Tac. A.* 13, 55. et *Germ.* 33. *B. A.*

*CHAMBADES, mons Asiae, Tauri pars. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

CHAMĒDYOSMOS, i, f. *χαμηδύοσμος*, herba eadem, quae ros marinus: a *χαμαί*, humi, et *ἡδύοσμος*, jucunde olens, quia per terram folia spargit, et jucundi est odoris. *Appul. Herb.* 79.

CHAMELAEA, ae, f. *χαμελαία*, hoc est olea pumila: a *χαμαί*, humi, et *ἐλαία*, olea. Ita appellatur herba quaedam, similitudinem foliorum et baccarum oleae habens, in petrosis nascens, et palmum altitudine non excedens. *Plin.* 24, 15, 82. et 15, 7, 7. ℙ Alia est chamelaea, ex qua Gnidium granum nascitur. V. COCCUM. ℙ Quidam scribunt *chamaelaea* minus recte, teste *Dausqu.*

CHAMETAERA, ae, f. *χαμεταίρα*, socia, amica humi jacens, vel sedens: a *χαμαί*, humi, et *ἑταίρα*, amica, sodalis. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 7. de Sco-

pa: Fecit Vestam sedentem, duasque chametaeras circa eam. ℙ Quidam scribunt *Chamaetaera*, sed perperam. *Dausqu.* in *Orthogr.*

CHAMEUNIA, ae, f. *χαμευνία*, humi cubatio: a *χαμαὶ*, humi, et *εὐνή*, cubile. *Hieronym. ep.* 52. *n.* 3.

CHAMULCUS, ci, m. *χαμοῦλκος*, traha, carrus humilis, quo utimur ad magna pondera vehenda: a *χαμαὶ*, humi, et *ἕλκω*, traho. *Ammian.* 17, 4. Obeliscus chamulcis impositus, tractusque lenius, per Ostiensem portam Circo illatus est Maximo.

CHANNAEUS, a, um, ad Chanaam pertinens, quae regio est Palaestinae. *Prudent. Hamartig.* 410. Surgit in auxilium Chananaeus, et agmina densat.

[CHANANITIS, ĭdis, f. patronym. quae ex Chanaam est. *Hieron. in Isaj.* 7, 19, 18. Non possumus loqui lingua Hebraea, sed lingua Chananitide, quae inter Aegyptiam et Hebraeam media est, et Hebraeae magna ex parte confinis. *F.*]

CHANĬUS dicitur a quibusdam pes Molossus tribus syllabis longis constans; ut est apud *Diomed.* 3, 475. Fortasse est a *χαίνω*, hisco, quia tot longae syllabae hiante ore proferuntur.

CHANNE et Chane, es, f. *χάννη* et *χάνη*, genus piscis: a *χαίνω*, hisco: quia semper est ore hiante. Hunc sine mare esse, et ex se concipere, tradit *Plin.* 9, 16, 23. et 32, 11, 54. ex *Ov. Halieut.* 108. et ex se Concipiens channe, gemino fraudata parente.

CHAON. V. v. seq.

CHAONES, um, m. plur. *Χάονες*, populi Epiri, quorum regio Chaonia, a Chaone fratre Heleni Trojani, postea Molossia, a Molosso filio Pyrrhi, nunc *Canina*, a castro cognom. intra montes, extensa ab Onaco sinu Buthrotum usque versus oram maris Ionii. Porro Chaon hic ab aliis dicitur fuisse comes Heleni, qui cum eum imprudens occidisset, in ejus honorem provinciam illam nominavit. Alii narrant, ipsum se devovisse ad avertendam saevissimam pestilentiam, quae in ea regione grassabatur. *Serv.* ad *A.* 3, 334. et 335. et *Plin. prooem.* 4. Hinc *Claudian. B. Get.* 135. non Chaonas, atque Molossos, Quos Epirus alit etc.

CHAONIA, ae, f. *Χαονία*, regio Epiri, in qua sunt Chaones populi. *Virg. A.* 3, 334. qui Chaonios cognomine campos, Chaoniamque omnem Trojano a Chaone dixit. Adde *Plin. prooem.* 4. et *Cic. Att.* 6, 3.

CHAONIS, nĭdis, f. *Χαονίς*, quae est ex Chaonia. *Ov. A. Am.* 2, 150. Quasque colat turres, Chaonis ales habet, *h. e.* columba. *Id. Met.* 10, 90. non Chaonis abfuit arbos, *h. e.* quercus. Sic *Senec. Herc. Oet.* 1621. Chaonis quercus quondam loquax. V. vocem sequent.

CHAONIUS, a, um, adj. *Χαόνιος*, ad Chaones, vel Chaoniam pertinens. *Virg. A.* 3, 334. Chaonii campi. *Id. G.* 1, 8. Chaonia glans, *h. e.* quae multa in Epiro colligebatur, propter abundantiam quercuum. Sic *ib.* 2, 67. Chaonique patris glandes, *h. e.* Jovis Dodonaei, cui quercus illae sacrae erant. *Id. Ecl.* 9, 13. Chaoniae columbae. *Chaonias* appellat, alludens ad celebres illas columbas, quae inter quereus Dodonaeas degebant, et fatidicae fuisse dicuntur. *Stat. Th.* 6, 98. cadit ardua fagus, Chaoniumque nemus, brumaeque illaesa cupressus, *h. e.* quercus. Sic Chaonius truncus *Val. Flacc.* 8, 461. Eadem ratione locuti sunt *Senec. Oedip.* 728. et *Ov.* V. CHAONIS. *Lucan.* 3, 180. Chaonius vertex, *h. e.* mons Chaoniae quercubus fatidicis abundans. *Claudian. Rapt. Pros.* 3, 47. Avertere gentes victu Chaonio, *h. e.* ab esu glandium.

CHAOS, n. *Χάος*, *εος*, *τὸ*, et in ablativo *Chao*, (neque enim alia praeterea positione a Latinis usurpatum legimus) proprie significat baratrum, vastitatem hiantem patentemque in profundum, ut *Festus* docet. Est enim a *χάω* vel *χαίνω*, hio, patens et vacuus sum. Hinc saepe ponitur pro Inferis (hoc est pro immensis illis spatiis, ubi degunt tenues sine corpore vitae) luce et coelo carentibus, quo fingunt poetae recasura in fine mundi omnia quae nunc orbem universum componunt: qui locus etiam pro numine invocatur, et colitur. *Ov. Fast.* 4, 600. Possidet alter aquas (*Neptunus*), alter inane Chaos (*Pluto*). *Lucan.* 6, 696. Et Chaos innumeros avidum confundere mundos. *Senec. Med.* 741. Caecum chaos. Et *ib.* 9. Noctis aeternae Chaos. *Val. Flacc.* 7, 402. profundum Per Chaos occurrunt caecae sine vocibus umbrae. *Sil.* 13, 430. quidquid ab imo Natum hominum exstinctumque Chao. *Virg. A.* 4, 510. Tercentum tonat ore Deos, Erebumque, Chaosque. Adde *ib.* 6, 264. ℙ Hinc dicitur eleganter de tenebris. *Prudent. Cathemer.* 5, 3. Merso sole, chaos ingruit horridum: Lucem redde tuis, Christe, fidelibus. Adde *περὶ στεφ.* 3, 55. Huc referendum videtur *Cimmerium chaos*, quod legitur ap. *Stat. Silv.* 3, 2, 92. Nam Cimmerii sunt populi septentrionales, apud quos longissimae noctes sunt. ℙ Saepissime accipitur pro materia coeli et terrae confusa atque informi, qualis initio fuisse non a poetis modo dicitur, sed e sacris etiam Libris cognoscitur, quae non fuit ex omni aeternitate, ut quidam philosophi, et poetae arbitrati sunt, sed a Deo ex nihilo facta est primo sex illorum dierum, quibus mundum machinatus est: de qua postmodum res omnes hujus universitatis per species varias, formasque proprias prodierunt. *Vlg. Lactant.* 1, 5. Chaos est rudis inordinataeque materiae confusa congeries. *Ov. Met.* 1, 5. Ante mare, et tellus, et, quod tegit omnia, coelum, Unus erat toto naturae vultus in orbe, Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles etc. *Senec. Thyest.* 831. Deforme Chaos. ℙ *Chaon* in accusativo quidam asserunt ex illo *Ov. Met.* 14, 404. Et Noctem, noctisque Deos Erebonque Chaonque etc. Sed rectius alii leg. *Ereboque*, *Chaoque*. ℙ Genitivus *Chai* legitur ap. *Serv.* ad *A.* 1, 668. et ap. *Prisc.* 6, 720. ℙ [*De chasmate sive intervallo, quod inter coelos inferosque est, adhibet *Vulg. Luc.* 16, 26. ubi V. *Grot. B. A.*]

CHARA, herba, vel radix herbae, de qua V. in CAREUM.

CHARACATUS, a, um, adj. *Characata vinea* dicitur a *Colum.* 5, 4. et 5. quae defixis arundinibus circummunita, per statumina calamorum materiis ligatis, in arbiculos gyrosque flectitur, ut *Id. ib.* exponit: *h. e.* quae pedamentis arundinum veluti vallata, ramis in gyrum alligatis fulcitur: a *χάραξ*, vallum, palus, pedamentum. Hic vineae colendae, modus etiamnum viget in agro Romano.

CHARACENUS, a, um, adj. ad Characem pertinens, ut *Characenorum rex* ap. *Plin.* 6, 28, 31. ℙ Porro *Charax* oppidum est in Susiana extrema ad oram intimam sinus Persici inter confluentes dextra Tigrin, laeva Eulaeum fluvium: ita dicta a vallo, quo munita aliquando fuerat contra impetum aquarum. *Χάραξ* enim Graece vallum significat. Condita est ab Alexandro M. a quo et Alexandria, et Pagus Pellaeus dicta est: fuitque patria Dionysii illustris geographi. *Plin.* 6, 27, 31. *ad f.* ℙ Regio circa posita, *Characene* appellatur. *Id. ib.*. ℙ Alia est *Charax* in Taurica Chersoneso, cujus incolae et ipsi *Characeni* vocantur ab *eod.* 4, 12, 26.

CHARACIAS, ae, m. *χαρακίας*, vallis, seu pedamentis aptus, a *χάραξ*, vallum, palus. *Characias calamus* est genus arundinis crassioris et firmioris, quod in ripis Orchomenii lacus nascens multo olim in pretio habebatur, quia pedandis vineis (quae inde *characatae* dicebantur) et vallis faciendis idoneum erat. *Plin.* 16, 36, 66. ℙ Est etiam cognomen tithymali, masculi dicti, ramos habentis quinque, aut sex digitali crassitudine, rubros, succosos, cubitali longitudine. *Plin.* 26, 8, 39. Primus cognominatur characias, qui et masculus existimatur etc. Adde *ib.* 11, 73.

CHARACTER, ēris, m. *χαρακτήρ*, nota, signum inscriptum, vel insculptum alicui rei ut dignosci possit: a *χαράσσω*, sculpo, imprimo. *Colum.* 11, 2. His etiam diebus maturi agni, et reliqui fetus pecudum, nec minus majora quadrupedia charactere signari debent. Adde *Pallad.* 2, 17., ubi eadem verba repetit. *Augustin. contr. Crescon. Grammat.* 1, 30. Characterem alicui infigere. ℙ Docet *Isid. Orig.* 20, 16. etiam ipsum instrumentum, quo hujusmodi notae imprimuntur, *characterem* nominari. ℙ Sic etiam appellantur notae quaedam occulta forma expressae, et figurae superstitiosae, quibus vim miram, et supra naturalium causarum facultatem veteres tribuebant. *August. Doctr. Christ.* 2, 20. et 29. et *Serm.* 163. *de Temp.* ℙ Translate est forma et genus dicendi. *Gell.* 7, 14. Et in carmine, et in soluta oratione genera dicendi probabilia sunt tria, quae Graeci *χαρακτῆρας* vocant, nominaque eis fecerunt *ἀδρὸν*, *ἰσχνὸν*, *μέσον*: nos primum uberem vocamus, secundum gracilem, tertium mediocrem. *Cic. Or.* 39. Sed jam forma ipsa restat, et character ille qui dicitur, qui, etc. *Varr. R. R.* 3, 2. *ad f.* L. Albutius homo apprime doctus, cujus Luciliano charactere sunt libelli. ℙ Tres poematis characteres enumerat *Serv.* ad *Ecl.* 3, 1., quatuor vero *Diomed.* 3, 481.

CHARACTERARIUS, a, um, adj. ad characterem pertinens. *Artis characterariae* videtur mentio fieri in quadam *Inscr.* ap. *Spon. Miscell.* p. 220. Aureli. Leont. qui vixit ann. XVIII. M. M. VII. D. V. artis characte . . . iari Antonia Amanda mater etc. *Spon.* putat, significari eam artem, qua lapides litteris inscribuntur.

CHARACTERISMUS, i, m. *χαρακτηρισμός*, figura, qua vita alicujus describitur. *Rutilius Lupus l.* 2. *de fig. sentent.* Characterismus: Quemadmodum pictor coloribus figuras describit, sic orator hoc schemate aut vitia, aut virtutes eorum, de quibus loquitur, deformat.

CHARADROS, i, m. *χάραδρος*, fluvius Phocidis in Achaja, magno impetu decurrens, et in Cephissum influens. *Stat. Th.* 4, 46. et 712.

CHARADRIUS. V. CHARTARIUS.

CHARAX. V. in CHARACENUS.

[CHARAXATUS, a, um, part. v. *charaxo*, exaratus. *August. de altercat. Eccles. et Synag.* Moyses in monte Sinai charaxatas decalogo tabulas accepit.

CHARAXO, as, a. 1. *χαράσσω*, scarifico. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 557. Charaxat ambas ungulis scribentibus Genas, cruentis et secat faciem notis. Adde *Apic.* 6, 9.

CHARAXUS, i, m. *χάραξος*, frater Sapphus, qui captus amore cujusdam meretricis, omnia bona sua absumpsit, et ad summam inopiam redactus piraticam exercuit. *Ov. Her.* 15, 117. Gaudet, et e nostro crescit moerore Charaxus. ℙ Item unus Lapitharum. *Ov. Met.* 12, 272.

*CHARBANUS, i, mons Mediae. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

CHARCHEDONIUS, a, um. V. CARCHEDONIUS.

*CHARES, Gall. fluv. V. *Carus.* ℙ *Chares*, *etis*, Mitylenaeus, de gestis scripsit Alexandri M. *Gell.* 5, 2. *Plin.* in indice Auctorum 12. ℙ *Chares*, Atheniensis, militavit Dario ultimo Persarum Regi, ac Mitylenen duarum millium Persarum praesidio tenuit: obsessus ab Amphotero et Egilocho, pactus ut incolumi abire liceret, urbem tradidit. *Curt.* 4, 5. ℙ Fuit et Chares, Lydius statuarius, Lysippi discipulus, qui Rhodi celebrem illum Solis colossum fecit. *Auct. ad Herenn.* 4, 6. *Plin.* 34, 7. *B. A.*

*CHARICLO, us, f. *χαρικλώ*, filia Apollinis, Chironis uxor. *Ov. Met.* 2, 636. *B. A.*

[CHARIDEMIS, ĭdis, f. et

[CHARIDEMUS, i, m. gratiosa, et gratiosus populo, a *χάρις*, gratia, et *δῆμος*, populus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* Fecit sibi, et Charidemidi. Alia ap. *Grut.* 478, 5. M. Valerius Charidemus. *F.*]

*CHARIEN FLUMEN, in Colchide. *Plin.* 6, 2. *Χαρίεις ποταμὸς* Arriano est, *Χάριστος Ptolem. B. A.*

CHARIENTISMUS, i, m. *χαριεντισμός* (vox Graeca et Graece scribenda) figura est, qua per ea, quae grata sunt, aliud dicimus, aliud significamus, ut cum interroganti, *quis eum quaesierit*, respondemus, *bona salus;* unde intelligi potest, neminem eum quaesisse. Ita *Charis.* 4, 247. At *Diomed.* 2, 458. ita definit: *Χαριεντισμὸς* est tropus, quo dura dictu gratius proferuntur. Deinde eadem subjicit, quae *Charisius.* Similiter describit *Donat. de Tropis*, *ib.* p. 1778. ℙ Videtur etiam designari a *Cicer.* iis verbis *Or.* 3, 53. *Ad hilaritatem impulsio:* cum scilicet orator ea dicit, quibus judicum animus a contentione attendendi, taedioque actionis grata quadam festivaque significatione abducatur et exhilaretur.

[CHARIESSA, ae, f. *χαριέσσα*, venusta. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 960, 6. Antonia Chariessa. *F.*]

[CHARILAMPES, edis, m. gratia splendens, a *χάρις*, gratia, et *λάμπω*, splendeo. Nomen servile, et cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 846, 6. Charilampes fratri suo. Alia ap. *eund.* 785, 1. M. Aurelio Charilampedi. *F.*]

[CHARIPPUS, i, m. idem ac chaerippus, equis gaudens, a *χαρεῖς*, gaudens, et *ἵππος*, equus. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 651. *n.* 436. P. Titilenius Charippus. *F.*]

CHARISIUS. V. CARISIUS.

CHARISMA, atis, n. *χάρισμα*, donum. Graeca vox est, quam adhibuit. *Prudent.* et quidem prima syllaba producta: qua in re non est imitandus, *prooem. Apotheos.* 11. Deus ipse fideles In populos charisma suum diffundere promptus. Adde 13. *περὶ στεφ.* 61.

CHARISTIA, orum, n. plur. *χαρίστια*, *συμπόσιον φιλικόν*, erat solemne convivium a majoribus institutum, cui praeter cognatos et affines nemo adhibebatur, ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensae, et inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiae adhibitis tolleretur: a *χαρίζομαι*, gratificor, largior, condono. Ita *Val. Max.* 2, 1. *n.* 8. ℙ Agitabatur hujusmodi convivium VIII. K. Mart., qui dies eodem nomine appellatur; videtur tamen postea obsolevisse ex edicto Neronis, qui teste *Suet. Ner.* 16., publicas coenas ad sportulas redegit, ac deinceps munuscula tantum missa fuisse. *Ov. Fast.* 2, 617. Proxima cognati dixere charistia cari, et venit ad socias turba propinqua dapes. *Mart.* 9, 56. Luce propinquorum, qua plurima mittitur ales. V. COGNATIO.

CHARISTICON, n. *τὸ χαριστικόν*, quod alicui gratificandi et remunerandi causa donatur: a *χαρίζομαι*, gratificor, dono. *Callistr. Dig.* 48, 20, 6. Bona damnatorum debent ad ea servari, quae jure praesidum solent erogari, ut puta charisticon quibusdam officialibus inde subscribere, vel si quid fortiter fecerint milites, inde donare eis. Ita *Haloander:* at *Torrent.* edidit *chartiaticum* (nota distinctionis subjecta) quod significat quidquid insumitur in chartis, quibus librarii, aliique magistratuum officiales utuntur. Quo pertinet senatusconsultum allatum a *Front. Aquaed.* 100. ubi scribis, et librariis, qui curatoribus aquarum attribuebantur, *tabulae*, *chartae*, *ceteraque*, *quae ejus curationis caussa opus essent*, praeberi jubentur.

[CHARISTION, onis, m. videtur esse sustentaculum, cui statera appenditur, a *χαρίζομαι*, in gratiam alterius aliquid facio, quasi homini gratificans, quod eum a labore liberat sustinendae state-

rae. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 67. C. Caesius C. F. Ouf. Silvester *Praefectus Pondericus* ponderarium *Sua Pecunia Ponderibus Signandis Fecit*, et charistionem aereum po*suit*, stateram et pondera, quae antea resp*ublica* emit, mensur*as* liquarias antea positas a Caesio Prisco, in eodem contulit. *Not. Tir.* p. 164. Trutina, statera, charistion. *F.*]

[CHĀRISTŌLOCHIA, ae, f. herba ap. *Appul. Herb.* 10. *F.*]

[CHĀRISTUS, a, um, adj. donatus, gratificatus: a *χαρίζομαι*, gratificor. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 861, 1. L. Axius Charistus. *F.*]

CHĀRĪTAS. V. CARITAS.

CHĀRĪTES, um, f. plur. *αἱ Χάριτες*, Graece eaedem sunt, quae Latinis *Gratiae*, de quibus plura in ea voce dicemus. *Ov. Fast.* 5, 219. Protinus arripiunt Charites, nectuntque coronas. *Senec. Benef.* 1, 4. Charites Jovis filiae sunt. Adde *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 10. et *Inscr.* ap. *Grut.* 607, 4. Cui formam Paphie, Charites tribuere decorem. ℙ In dativo plurali *Charisin* Graeca positione, *χάρισιν*, metri causa dixisse videtur *Propert.* 4, 1, 75. Aversis Charisin cantas: aversus Apollo etc. ℙ In singulari numero, sed Graeca itidem positione, *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 10. Deesse iis unam Venerem dicebat, quam Graeci Charita vocant. *τὴν Χαρίτα.* Est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 837, 1. Valeria Charis. Scribitur etiam *Chārītā*, *ae*, f. *Inscr* ap. *eund.* 839, 7. Veronia Charita. ℙ In illo quoque *Lucr.* 4, 1155. Parvula, pumilio, Chariton mia, tota merum sal. *Chariton mia* voces Graecae sunt Latinis litteris scriptae, *Χαρίτων μία, h. e. una Gratiarum.* Al. leg. *Χαρίτων ἴα*, quod idem sonat.

[CHĀRĪTĪOSUS, vel Chārītōsus, a, um, adj. qui Charites habet, Veneribus ornatus. *Inscr.* ap. *Grut.* 1119, 1. D. M. Q. Brittii Amerimui Charitiosi Q. Brittius Clemens alumno, vix. an. IX. Alia *ib.* 1059, 6. Septimia Charitosa. *F.*]

[CHĀRĪTO, onis, m. gratiosus, a *χάρις*, gratia. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 170. Q. I. Romanius Charito. *F.*]

CHĀRĪTOBLĔPHĀRON, i, n. *χαριτοβλέφαρον*, frutex marinus circa Troglodytarum insulas nascens: ita dictus a *χάρις*, gratia, et *βλέφαρον*, palpebra, quia gratiam addit utentibus, et philtri vim habet. *Plin.* 13, 25, 52.

CHĀRĪTON MIA. V. CHARITES.

*CHARMAE, arum, Indiae pop., cis Gangem. *Plin.* 6, 20. Rex Charmarum. *B. A.*

*CHARMAEI, orum, pop. Arab. Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*CHARMIDAS, vel *Charmadas*, *ae*, Carneadis auditor, eloquens, e Carneadis judicio eadem eodem modo semper docuit. *Cic. Acad.* 4, 6. ℙ *Charmidas* et *Carneades* confusi. V. *Pearcii* not. ad *Cic. Or.* 1, 10. ℙ Fuit et Charmidas vir quidam in Graecia, qui tantae fuit memoriae, ut quae quis in bibliothecis exegerit volumina, legentis modo repraesentaret. *Plin.* 7, 24. *B. A.*

CHARMĪDĀTUS. V. dictionem seq.

CHARMĪDES, is, m. *Χαρμίδης*, nomen proprium senis inducti a *Plauto* in Comoedia Trinummi; factum a Graeco *χάρμη*, laetitia, gaudium: ad quam significationem alludens *Id. ib.* 4, 2, 133. Postquam, inquit, ego me aurum ferre dixi, post tu factus Charmides. Prius tu non eras, quam auri feci mentionem. Nihil agis. Proin tu te itidem, ut charmidatus es, rursum recharmida, *h. e.* postquam aurum me ferre dixi, tu es factus Charmides, quem te esse, antea dissimulabas, et spe auri habendi gavisus es: proinde quam laetitiam concepisti, rursum depone. Vel potius ita locus interpretandus: Nihil obtinebis nomine isto falso tibi imposito; Charmidem itaque te esse nega. ℙ In vocativo habet *Charmide* Graeca positione, *ὦ Χαρμίδη*, quemadmodum dicitur *ὦ Σωκράτη*. *Id. ib.* 3, 1, 16.

*CHARMIS, Massiliensis medicus, qui spreta Therapeutica consueta, solebat balneis frigidis etiam hieme frigidissima aegrotos lavare. *Plin.* 29, 1. *B. A.*

*CHARMODARA, Syriae opp., in Commagena. *Tab. Peut. B. A.*

[CHARMOGĔNES, is, adj. cum gaudio genitus: a *χάρμη*, gaudium, et *γίνομαι*, gignor. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 79, 5. T. Vivius Carmogenes. Extrita est aspirata *h*, uti saepe apud Latinos. *F.*]

[CHARMOSYNE, es, f. *χαρμοσύνη*, laetitia. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 29, 10. Valeria Charmosyne. In lapide legitur mendose *Carmosne* pro *Carmosyne*, quod quidem recte se habet; nam saepe apud Latinos aspirata tollitur. *F.*]

CHĀRON, tis, m. nepos Demogorgonis, filius Erebi, quem animas mortuorum per tria Inferni flumina, Acherontem, Stygem, et Cocytum ad aliam ripam cymba transvehere fabulantur. Cum Herculem ad Inferos degressum, ejus minis territus transvexisset, anno integro in compedibus detentus fuit, ut narrat *Serv.* ad illud *A.* 6, 392. Nec vero Alciden me sum laetatus etc. *Cic. N. D.* 3, 17. Tum Charon, tum Cerberus Dii putandi. *Virg. Cul.* 215. Praeda Charontis agor. *Senec. Herc. fur.* 771. Dirus Charon. V. *ib.* elegantem ejus descriptionem a *vers.* 764. et ap. *Virg. cit. A.* 6, 297. ℙ Obolum, sextam nempe drachmae partem, in mortuorum os ingerebant veteres, ut illum Charonti pro naulo offerrent, cujus fabulae originem narrat *Diodor. Sic.* 2, 92. *Appul. Met.* 6. Charonti squalido seni dabis nauli nomine stipem, sic tamen, ut ipse sua manu de tuo sumat ore. *Juven.* 3, 265. Jam sedet in ripa, tetrumque novicius horret Porthmea, nec sperat coenosi gurgitis alvum Infelix, nec habet, quem porrigat ore, trientem, *h. e.* tertiam denarii partem, quae duobus obolis respondet; hunc vero posuit pro sextante, qui tantummodo solvendus erat. ℙ Est etiam convicium in hominem terrimae faciei, et saevi animi. *Appul. Apolog. bis.* ℙ Reperitur etiam in genitivo *Charonis. Fulg. Mythol.* 1. Quo ferant Charonem citius sopiturum. Adde *Vet. Schol. Juven.* ad 3, 266., ubi quod legitur, *Carinam Porthmeum dicit*, Eruditi emendant *Charonem*, vel *Caronem.* Huc facit adjectivum *Charonēus*, et Graece *χαρώνειος*: Nam a *Charontis Charonteus* dicendum fuisset. ℙ Hanc vocem *Diodor. l. c.* putat Aegyptiam esse, quae proprie portitorem significet: alii Graecam a *χαίρω*, gaudeo, *κατ' ἀντίφρασιν*, vel proprie quia Charon transferat animas ad sedes beatas: alii alia comminiscuntur. V. *Voss.* in *Etymol.* in *Charonium.* ℙ [*Fuit et *Charon* quidam Thebanus. *Nep. Pelop.* 2. *B. A.*]

*CHARONDAS, ae, m. *χάρωνδας*, Thurius, a Catana civitate unde originem habuit, Catanensis appellatus, legem tulit: *Ne quis armatus in concionem veniret;* cumque postea ipse rure rediens imprudens, ut erat gladio accinctus, in consionem veniret, admonitus legis ab eo qui proxime sedebat, eidem gladio incubuit, cum liceret culpam dissimulare vel defendere. *Val. Max.* 6, 5. *Cic. de Leg.* 1, 12. Cf. *Laert.* 8, 16. *Aelian. V. H.* 3, 17. *B. A.*

CHĀRONĒUS, a, um, adj. *χαρώνειος*, ad Charontem pertinens. *Charoneas scrobes* nonnulli appellant, teste *Plin.* 2, 93, 95., spiracula quaedam terrarum mortiferum spiritum exhalantia, et vitam hominibus, si nimis diu hauriant, eripientia: quae *Galen. de usu partium*, 7, 8. *χαρώνεια βάραθρα* nominat. V. PLUTONIUS.

CHĀRONĪUM, V. CATONIUM.

CHAROPĒIUS, a, um, adj. ad Charopum, seu Charopen pertinens, ut *Charopeia conjux*, *h. e. Polyxo*, ap. *Stat. Theb.* 5, 159., ubi alii scribunt *Caropeia.* V. CAROPEIUS.

*CHAROPS, opis, Trojanus, Hippasi filius, ab Ulysse una cum fratre Soco uno die interemptus. *Ov. Met.* 13, 260. V. v. praeced. *B. A.*

*CHAROPUS, i, *χάροπος*, Nirei pater, Symes insulae rex. *Hygin. fab.* 97. *B. A.*

CHARTA, ae, f. *χάρτης*, folia, quibus utimur ad scribendum, quae nunc a saec. XIII. post. Chr. n. fiunt ex linteis contritis, olim ex papyri libro et philuris conficiebantur: dispositis super tabula aqua madente tenuibus illis papyri tunicis, rectis et transversis, in modum cratis, deinde prelo pressis, et sole siccatis. V. PAPYRUS. Hinc orta phrasis *texere chartam* (ap. *Plin.*) quia ad modum staminis et subteminis philuras disponebant. Plura V. ap. *Plin.* 13. *c.* 11, 12. et 13., in quem locum *Melchior. Guillandin.* integrum edidit commentarium, et in eum *Jos. Scalig.* animadversiones, item *Salm.* ad *Vopisc.* in *Firmo*, etc. *c.* 3. ℙ *M. Varr.* ap. *Plin. c. c.* 11. scriptum reliquit, chartam non fuisse ante conditam in Aegypto Alexandriam. In palmarum foliis primo sriptitatum, deinde quarundam arborum libro, postea plumbeis, et linteis voluminibus, ac ceratis tabulis, denique charta, postremum omnium membranas repertas fuisse. Sed *Id. Plin. c. c.* 13. ingentia ait reperiri exempla, quae contra Varronis sententiam probent, etiam ante Alexandriam conditam chartae usum fuisse. *Cic. Att.* 5, 4. Paene praeterii, chartam tibi dari esse: siquidem ejus inopia minus multa ad me scribis. *Id. Q. Fr.* 2, 15. Charta dentata, *h. e.* levigata, dente polita. *Suet. Caes.* 56. Transversa charta scribere epistolas. *Mart.* 8, 62. Scribere epigrammata in charta aversa, *h. e.* in utraque parte chartae. Porro veteres in una tantum facie scribere solebant. *Hor. Ep.* 2, 1, 270. Amicire aliquid chartis ineptis. *Plin. ep.* 8, 15. Charta bibula. *Plin. alter* 13, 13, 24. pertranslucida. *Id.* 13, 12, 24. Scapus chartarum. *Hor. Sat.* 1, 4, 36. Illinere aliquid chartis, *h. e.* scribere. *Ulp. Dig.* 32, 50. Chartae purae, *h. e.* in quibus nihil scriptum est: quibus opponuntur *scriptae.* Et *ib.* 37, 11, 4. novae et deleticiae. *Hieron. ep.* 8. *n.* 1. Rudes illi Italiae homines, quos cascos Ennius appellat, qui sibi (ut in Rhetoricis Cicero ait) ritu ferino victum quaerebant, ante chartae et membranarum usum, aut in dedolatis e ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuo epistolarum alloquia missitabant. Unde et portitores earum tabellarios, et scriptores a libris arborum librarios vocavere. ℙ Charta *Augusta*, V. AUGUSTUS. *Liviana*, V. LIVIANUS; *hieratica*, V. HIERATICUS; *Claudia*, V. CLAUDIUS, a, um; *emporetica*, V. EMPORETICUS; *amphitheatrica*, V. AMPHITHEATRICUS; *Fanniana*, V. FANNIANUS. ℙ Differt a *membranis*, quae ex pellibus animalium confectis et levigatis fiunt. Hinc *Ulp. c. l.* 50. Librorum appellatione continentur omnia volumina, sive in charta, sive in membrana sint. ℙ Ipsa papyrus aliquando *charta* dicitur per metonymiam. *Plin.* 13, 11, 21. In Sedennytico Aegypti nomo nonnisi charta nascitur. ℙ Metonymia etiam est, cum, quod saepe fit, *charta* sumitur pro scriptura, epistola, libro. *Ulp. Dig.* 32, 50. *circa med.* Si quis sic reliquerit: Chartas meas universas; nemo dubitabit, libros deberi, nam in usu plerique libros chartas appellant. *Cic. Coel.* 17. Chartae quoque, quae illam pristinam severitatem continebant, obsoleverunt. *Id. Att.* 2, 20. Charta ipsa ne nos prodat, pertimesco. *Mart.* 10, 19. Chartae Arpinae, *h. e.* scripta Ciceronis. *Hor. Ep.* 2, 1, 161. Chartae Graecae, *h. e.* scripta Graecorum. *Id. Od.* 4, 8, 21. Si chartae sileant, *h. e.* si scriptores litteris non consignent aliquid. [*Chartae h. l. sunt *carmina*, ut recte explicat *Heindf.* ad *ejusd. Sat.* 1, 10, 4. Charta laudatur eadem. *Schol. Cruq.* in eodem poemate, cf. *Eund. Od.* 4, 9, 31. Non ego te meis chartis inornatum silebo. *Tibull.* 4, 1, 27. Nec tanto careat mihi nomine charta.] *Ov. Trist.* 3, 1, 4. Nullus in hac charta versus amare docet. *Catull.* 1, 6. Omne aevum tribus explicare chartis, *h. e.* tribus libris historiarum. *Pers.* 5, 62. nocturnis juvat impallescere chartis, *h. e.* nocturnae lectioni librorum. [*Virg. Cat.* 12, 13. Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas, i. e. in pugillares nostros relata sunt. Mos erat, ut carmina, quae in publicum exibant, in codicillos transscriberentur.] ℙ Per similitudinem *charta plumbea* ap. *Suet. Ner.* 20. est lamina plumbea. ℙ Olim *chartus*, *i*, m. usurpatum fuit. *Lucil. l.* 27. Ubi Graeci, ubi nunc Socratici charti. Ita *Non.* refert 3, 40.

CHARTĂCĔUS, a, um, adj. qui est ex charta. *Ulp. Dig.* 32, 50. Codices membranei, vel chartacei.

CHARTĀRĬUS, a, um, adj. ad chartam pertinens. *Plin. in indice* 22. *n.* 60. Farina chartaria, *h. e.* qua utuntur ad chartas glutinandas. *Id.* 18, 10, 19. *n.* 2. Chartariae officinae. *Appul. Flor. n.* 9. Calamus chartarius, *h. e.* quo in charta scribitur. *Id. Herb.* 1. Arnoglossa nascitur in chartariis locis, *h. e.* ubi papyrus. Possis tamen, paucis immutatis litteris, legere *charadriis*, a *χαράδρα*, quae significat terrae fissuram, cavernam, sulcum a torrente factum, atque etiam ipsum torrentem. Haec *Humelbergius.* ℙ *Chartarius*, *ii*, m. est qui chartas conficit, aut vendit, ut colligitur ex *Diomed.* 1, 313. et ex *Inscr.* ap. *Grut.* 480, 1. IIIII. Vir. Aug. L. Valerio Vol. Philumeno Cartario. Et alia ap. *Reines. cl.* 20. *n.* 409. Locus Valeriani Chartarii. Et alia ined. Romae in palatio *Rondanin.* Claudia Ti. F. Hermione fecit sibi, et Ti. Claudio Hermeti patri Chartario. ℙ Sequiori tempore chartarius idem fuit qui chartularius et chartophylax. *Inscr.* ap. *Oderic. Dissert.* p. 132. Gentilis *Pontifex Minor* Resivius (leg *Restutus*) cornicularius cum cartulariis Officii statuam etc. *Cassiodor. ep. Var.* 8, 23. Ut dirigat sedis suae chartarios, qui actoribus designatas massas sine aliqua dilatione contradant. ℙ Quod vero in priori Inscr. sine adspiratione scribitur, lapicidae mendum esse potest. Quamquam et in quibusdam editionib. ap. *Prud. περὶ στεφ.* 75. *cartula* scriptum legitur. ℙ *Chartarium*, *ii*, n. est locus, in quo asservantur chartae et libri. *Hieron. adv. Rufin.* 3, 6. Cur eam (*epistolam*) in Romanae Ecclesiae chartario non requiris?

CHARTĔUS, a, um, adj. chartaceus. *Auson. ep.* 10, 40. nam tota supellex Vatum piorum chartea est. *Id. in praef.* ad *Griphum.* Situs chartei pulveris. ℙ *Charteum stadium* vocat *Varr.* ap. *Non.* 4, 45. chartas et libros, quibus nos scribendo exercemus. *Turneb. Advers.* 29, 20.

CHARTĬĀTĬCUM. V. CHARISTICON.

CHARTĪNA. V. CARTHINA.

CHARTOPHYLAX, ăcis, m. *χαρτοφύλαξ*, hoc est chartarum et archivi custos, chartularius. *Inscr.* ap. *Grut.* 587, 11. M. Aurelio M. F. Rom. Venturio Aug. N. cartophila. Aurelia Procula uxor et Aurelia Proculina mat. fil. piiss. fecit, *h. e.* Augusti nostri chartophylaci.

*CHARTOPOLA, ae, m. *χαρτοπώλης*, qui chartam vendit. *Vet. Schol.* ad *Juv.* 4, 24. Sic Crispinus chartopola fuit. In edition. perperam legitur *cartapola.* V. *D. A. G. Cramer.* ad h. l. *B. A.*

CHARTOPRĀTES, ae, m. qui chartam vendit, *χαρτοπράτης.* Legitur in *lemmate tit.* 17. *lib.* 11. *Cod. Justin.*

CHARTŬLA, ae, f. diminut. chartae, *χαρτίον*, parva charta. *Cic. Fam.* 7, 18. Miror quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris. *Front.* ad *amic.* 1, 15. Aut chartulas ei aut tabellas porrigo. *Cajus Instit.* 2, 77. Quod in chartulis sive membranis meis aliquis scripserit, licet aureis litteris, meum erit. ℙ Usurpatur etiam pro tabulis vel scriptis publicis. *Impp. Valentin.* et *Valens Cod.*

Theod. 8, 2, 2. Quam fideliter dederint administratarum suo tempore chartularum apud acta rationem suo tempore chartularum apud acta rationem. *Imppp. Valentin., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 7, 22, 8. Qui in ministerio chartularum atque observatione inveniuntur. *Prud. περὶ στεφ.* 1, 75. Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit, Ne tenacibus libellis erudita saecula Ordinem, tempus modumque passionis proditum Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent. Nempe *chartulas* vocat acta Martyrum.

CHARTŪLĀRĬUS, ii, m. *χαρτοφύλαξ* vel *χαρτοχάφος*, apud sequioris aevi scriptores dictus est, qui chartas et archivum principis curabat; idem nempe qui commentariensis vel ab eo non valde dissimilis. Non enim solum chartas et scrinia custodiebat, sed quaedam etiam perscribebat et in commentarios referebat. Dicebatur qui in eo munere erat, *chartis inservire* et *chartarum tractatibus occupari* et *chartas publicas agere*, ut est in *Cod. Justin.* 3, 26, 10., 12, 21, 1. et 10, 69, 3. ℙ Varii fuerunt *chartularii*, nempe divinae domus, sacri cubiculi, largitionum, numerorum militarium etc. Horum mentio fit in *Cod. Justin.* 10, 23, 3., 12, 50. (qui est De numerariis, actuariis, chartulariis etc.) 10. et *alibi* et in *Cod. Theod.* 8, 7, 5., ubi memorantur *chartularii magistrorum equitum* et *peditum.*

CHARTUS. V. CHARTA.

CHĀRUS. V. CARITAS.

CHARYBDIS, is, f. *Χάρυβδις*, vasta profunditas in freto Siculo, prope Messanam, ubi vorticosum mare, depressis ad imum fluctibus et vicissim in miram altitudinem contortis, magnum navigantibus negotium facessit, navigia absorbens et absorpta longe revomens. Quod tamen non nisi flante vehementius austro accidere, ex *Senec. Cons.* ad *Marc.* 17. et *ep.* 79. colligitur. In fabulis est fuisse hoc nomine meretricem quandam, filiam Neptuni et Terrae, voracissimam et rapacissimam, quae amatores suos bonis spoliabat: et cum aliquando boves Herculis furto abegisset, a Jove fulmine ictam et in illud mare praecipitatam esse, ubi adhuc priscae voracitatis signa praefert, naves absorbendo, uti narrat *Serv.* ad illud *Virg. A.* 3, 420. Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis Obsidet etc. [*Id. ib.* 302. Vasta.] *Tibull.* 4, 1, 73. Charybdis violenta. *Ov. Met.* 14, 75. avida. *Id. ib.* 7, 63. ratibus inimica. *Id. ib.* 13, 730. irrequieta. *Id. Trist.* 5, 2, 73. Zanclaea Charybdis. *Id. Pont.* 4, 10, 27. Nec potes infestis conferre Charybdin Achaeis. *Cic. Phil.* 2, 27, Quae Charybdis tam vorax? Charybdim dico? quae si fuit, fuit animal unum: Oceanus medius Fidius vix videtur tot res tam cito absorbere potuisse. Adde *Har. resp.* 27. ℙ Translate *charybdis bonorum*, de eo, qui bona sua abligurit, *Ciceroni* nimis longe petita metaphora videtur *Or.* 3, 41. magisque probatur *vorago. Prud. Cathem.* 6, 107. Charybdis sanguinis, *h. e.* caedium insatiabilis cupiditas. [*Hor. Od.* 1, 27, 19. A miser, quanta laborum in Charybdi! i. e. amore perdidissimae meretricis.] ℙ [Vox composita ex duabus Hebr. חֹר־אַבַדּוֹן caverna perditionis. *Etym. M. Χάρυβδις εἴρηται πᾶν τὸ εἰς χάος, καὶ ὅλεθρον καταγον.* Loquitur ille de voragine, quae circa Gades erat; *Strabo* vero *l.* 6. *Χάρυβδιν* vocat locum Syriae inter Apamaeam et Antiochiam, in quo fluvius Orontes absorptus post XL. stadia rursus emergit. *F.*]

CHASMĀ, atis, n. *χάσμα*, hiatus, vorago: a *χαίνω*, hisco, dehisco. *Senec. Quaest. nat.* 6, 9. Tunc chasmata, tunc hiatus vasti aperiuntur. *Ulp. Dig.* 50, 15, 4. Si agri portio chasmate perierit. Adde *ib.* 18, 6, 10. ℙ Est etiam genus meteori, cum fit in coelo subita aeris veluti disruptio et hiatus, ex quo ignis apparere videtur, ut docet *Serv.* ad illud *Virg. A.* 9, 20. medium video discedere coelum. *Senec. Quaest. nat.* 1, 14. Sunt chasmata, cum aliquod coeli spatium discedit et flammam dehiscens velut in abdito ostendat. Adde *Plin.* 2, 26, 26.

CHASMATĪAS, ae, m. *Χασματίας*, species terraemotus, quo tellus hiscit: a *χαίνω*, dehisco. *Ammian.* 17, 16. Chasmatiae grandiori motu patefactis subito voratrinis, terrarum partes absorbent. Adde *Appul. de Mundo.*

*CHASUARI, (*Tac. G.* 34.), vel *Chattuarii* (*Χατουάριοι Strab.*), vel Attuarii (*Vell.* 2, 105.), pop. Germ., inter Albim et Visurgim flumina. Videntur (ait Cellar.) genus Chattorum, sive Cattorum fuisse, qui alia dialecto nominati Chassi fuerunt, sicuti nunc Hassi. Francos in illum tractum successisse, ex *Ammiano* patet 20, 25. (10 *Vales.*) *B. A.*

*CHATĒNI, orum, Arabiae Felicis pop. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*CHATRAMOTĪTAE, arum, pop. Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

CHAUCI et Cauci et Cauchi, orum, m. plur. *Χαῦκοι* et *Καῦκοι* et *Καῦχοι*, sunt populi Germaniae ad Oceanum, alii minores appellati, qui inter amnes Amisium, nunc *Ems*, et Visurgin, nunc *Weser*, ubi Frisia orientalis et ducatus Oldenburg.; alii majores inter Visurgin et Albin, nunc *Elbe*, ubi ducat. Bremens. et Lauenburg. *Plin.* 16, 1, 1. Horum fines et mores describit *Tac. G.* 35. ℙ Hos *Cāycos* vocat *Lucan.* 1, 463. Et vos crinigeros bellis (alii leg. *Belgis*) arcere Caycos Oppositi. *Claud.* in *Eutrop.* 1, 379. Germanis responsa dabat, legesque Caycis Arduus. Hic alii leg. *Caucis. Id. de laud. Stilich.* 1, 225. Ut jam trans fluvium non indignante Cayco Pascat Belga pecus. Hic alii leg. *Caycho.*

[CHAUCĬUS, a, um, adj. ad Chaucos pertinens. Est cogn. Rom., nempe P. Gabinii Secundi. *Suet. Claud.* 24. Gabinio Secundo, Chaucis, gente Germanica, superatis, cognomen Chaucius usurpare concessit. *F.*]

[CHAVONA, ae, f. placenta. Vox antiquis Dalmatis propria. *Hieron.* in *Isajam* 16, 57, 6. Nulli dubium, quin placentas significent, sive crustula, in manu artificis praeparatas. Hoc enim lingua nostra *charonas* sonat. *F.*]

*CHAUS, i, Phryg. maj. vel Pisid. opp. *Liv.* 38, 14. *B. A.*

CHAUS. V. CHĀMA.

CHĒLAE, arum, f. plur. *χηλαὶ*, denticulati cancrorum et scorpionum forcipes seu brachia. Saecrorum et scorpionum forcipes seu brachia. Saepissime dicuntur de signo illo coelesti, inter Virginem et Scorpionem posito, quod ab ipsius Scorpii brachiis occupari finxerunt: postea vero is locus Librae est assignatus. *Virg. G.* 1, 33. Erigonem inter chelasque sequentes. *Lucan.* 1, 659. minacem Scorpion incendis cauda chelasque peruris. Adde *Manil.* 1, 609. et *Colum.* 10, 56. ℙ In singulari numero *Cic. Arat.* 293. Et paucae Cheles stellae. Al. plerique leg. Et paucae e Chelis stellae. ℙ In ballistis *chele* est membrum quoddam ad similitudinem brachiorum cancri formatum. *Vitr.* 10, 17. *a med.* Exstantia cheles, *h. e.* pars cheles, quae exstat.

CHĒLE, es, f. V. in v. praec.

CHĒLĪDON, ōnis, et Chelīdŏnĭā, ae, f. *χελιδών, όνος, ἡ.* Graece eadem, quae hirundo Latine, cujus adventus veris ineuntis indicium est. Hoc nomine appellabatur etiam quaedam Verris amica: unde ludit in ambiguo avis et scorti *Cic. Verr.* 2, 1, 40. *ad f.* Nam ut praetor factus est, qui auspicato a Chelidone surrexisset, sortem nactus est urbanae provinciae. *Pentadius* in *Anthol. Lat. Burm.* 5, 69, 17. Jam modacilla canit, jam garrula luce chelidon. Alii rectius leg. *Nota tigilla linit jam* etc. ℙ Secunda longa est. *Colum.* 10, 415. Purpureaeque chelidoniae pinguesque mariscae. *Avien. Perieg* 683. Inde chelidoniae tres sese gurgite tollunt. Adde *ib. Aemil.* 184. quoque *Macer* produxit *cap. de chelidonia:* sed uno tamen eodemque versu etiam corripuit. Sic enim habet: *Indeque nomen habet chelidonia, namque chelidon* etc. Qua in re sola metri necessitate defendi potest. ℙ *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 46. nomen Verrini scorti in recto casu *Chelido* profert.

CHĒLĪDŌNĬAS, ae, m. *χελιδονίας*, Favonius ventus dicitur, a. d. VIII. K. Mart. a primo aspectu hirundinum: nonnulli *Ornithian* vocant, ab adventu avium universim. *Plin.* 2, 47, 47.

CHĒLĪDŌNĬUS, a, um, adj. *χελιδόνιος*, ad chelidones, hoc est hirundines pertinens. *Chelidonii lapilli* sunt, qui inveniuntur in ventre hirundinum pullis, magicis narrati artibus. *Plin.* 11, 37, 79. ℙ *Chelidoniae ficus* dicuntur quoddam earum genus purpureum et sub hieme maturescens: vel quod iis avide hirundines vescantur: vel quia eo tempore proveniant, quo hirundines migrant. *Plin.* 15, 18, 19. et *Colum.* 10, 415. ℙ *Chelidonia, ae*, f. (subaudi *herba*) herba est duorum generum: major fruticosa, caule, folio pastinacae erraticae ampliore, ipsa altitudine duum cubitorum, colore albo, flore lūteo: minor folia habet hederae rotundiora, minus candida. Utraque succi est mordacis, seminis papaveris. Nomen habet ex eo, quod adventu hirundinum floret, discessu marcescit. Tradunt etiam monstratam ab hirundinibus, quae ad morbos oculorum ea utuntur. *Plin.* 25, 8, 50. *Seren. Sammon* 37, 699. Herba chelidoniae fertur cum melle mederi. ℙ *Chelidonia collyria* sunt, quae ex succo chelidoniae herbae fiunt. *Plin ib. Tochon cachets des oculistes p.* 61. Sabiniani chelidon. ad clarit. *Id.* p. 64. L. Saccii Menandri chelidonium. ℙ *Chelidonia gemma* duplex est: alia hirundinum colore; alia altera parte purpureo nigris interpellantibus maculis. *Id.* 37, 10, 56. ℙ *Chelidoniae insulae* nunc *le Correnti*, tres sunt in Lycio mari contra Tauri promontorium, pestiferae navigantibus. *Id.* 5, 31, 35. et *Mela* 2, 7. ℙ Ipsum quoque promontorium *Chelidonium* appellatur, nunc *capo Cameroso. Plin. ib.* 27, 27.

CHĒLO. *Vitr.* 10, 15. Item chelo (sive manucla dicitur) longitudo foraminum etc. Ex his verbis apparet esse membrum catapultae, quod nonnulli illud esse dicunt, quo nervus attractus continetur. *Bald.* in *Lex. Vitr.* putat legendum esse *cheles* vel *cheli* vel *chelonii* (quam autem ex his praeferat, determinare non audet) genitivo casu. Quae voces videntur esse a *χηλή*, forfex cancrorum, item ungula bisulca.

*CHELONĀTES, ae, Elidis promont. *Plin.* 4, 5. *B. A.*

CHĒLONĒ, es, f. *χελώνη*, Graece testudinem significat. In fabulis est fuisse hoc nomine virginem quandam, quae cum nuptias Jovis et Junonis, ad quas celebrandas a Mercurio invitata fuerat, derisisset, ab eo in animal sui nominis mutata est, aedibus ejus, quae ad ripam fluminis sitae erant, in ipsius caput eversis. *Serv.* ad *A.* 1, 509.

CHELONĬA, ae, f. *χελωνία*, oculus est Indicae testudinis, inter gemmas connumeratus a *Plin.* 37, 10, 56. ℙ Apud *Vitr.* 10, 18. est idem quod chelonium.

CHĒLONĪTĪDES, um, f. plur. gemmae sunt testudinum similes. Nam *χελώνη* testudinem significat. *Plin.* 37, 10, 56.

*CHELONĪTIS, idis, f. *χελωνῖτις*, insula sinus Arab., Aegyptum versus. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

CHĒLONĬUM, ii, n. *χελώνιον. Vitr.* 10, 2. de machinis tractoriis. In quadris autem tignorum posterioribus, quo loci sunt divaricata, figuntur chelonia, in quae conjiciuntur sucularum capita, ut faciliter axes versentur. *Philander* docet, chelonia esse velut umbilicos aut ansas, quae affiguntur arrectariis, in quas, ceu in armillas, conjecti sucularum cardines versantur: atque ita dicta esse a similitudine tegumenti testudinis, quae *χελώνη* dicitur. ℙ Horum meminit *Id.* etiam 10, 5., sed aliquantum diversa ratione. Est, inquit, tignum, quod erigitur et distinetur retinaculis quadrifariam: sub retinaculis chelonia duo figuntur, trochlea funibus supra chelonia religatur etc. *chelonia* hoc loco sunt ligneae regulae summo capiti tigni adpactae, ne trochlea deligata defluat et ut a tigno aliquantulum in exteriorem partem promineat. ℙ Item *chelonium* pars est catapultae supra minorem columnam; et dici potest etiam pulvinus. *Id. ib.* 15. *ad f.* ℙ Est etiam *chelonium* herba, alio nomine cyclaminos. *Appul. Herb.* 17.

CHĒLONOPHĀGI, orum, m. plur. *χελωνοφάγοι*, populi in Carmaniae angulo, qui solis testudinibus vivunt earumque superficie casas tegunt: a *χελώνη* testudo, et *φάγω*, edo. *Plin.* 6, 24, 28. et 9, 10, 12.

CHĒLYDRUS, i, m. *χέλυδρος*. Si originem spectes, testudinem aquaticam vel marinam significat: a *χέλυς*, testudo, et *ὕδωρ*, aqua. Ceterum nomen est serpentis venenosi amphibii, hoc est in terra et in aqua simul degentis, gravi odore, cute praedura instar testudinis. Quidam docent eundem esse ac *τὸν δρύϊνον*, qui ita est appellatus, quod circa quercuum radices libenter degat: ita ab utraque re, scilicet a cute et a loco, quem incolit, nomen habuisse. Nam *χέλυς* testudinem, *δρῦς* quercum significat. *Sil.* 8, 495. at Marsica pubes Et bellare manu et chelydris cantare soporem. (Hic ponitur pro quocumque serpente.) *Virg. G.* 3, 415. Galbaneoque agitare graves nidore chelydros. *Serv.* ad *hunc loc.* scribit, *chelydros* dictos esse quasi *chersydros*, quia in aquis et in terris morantur: nam *χέρσος* dicimus terram, aquam vero *ὕδωρ*. Sed perperam confundit alterum genus cum altero. Vera quidem est etymologia *chersydri:* is tamen a *chelydro* distinguendus est. *Lucan.* 9, 710. Natus et ambiguae coloret qui Syrtidos arva Chersydros. tractisque via fumante chelydri.

CHĒLYON, yi, n. *χέλυον*, testudinum tegumentum, praesertim earum, quae cornigerae a Troglodytis capiuntur: a *χέλυς*, testudo. *Plin.* 6, 29, 34. Deferunt plurimum ebur, rhinocerotum cornua, hippopotamorum coria, chelyon testudinum. Adde 9, 10, 12.

CHĒLYS, yis vel yos, f. *χέλυς*, [ab Hebr. כְּלִי *cheli*, vas, quidquid elaboratum est, instrumentum, a כָּלָה perfecit, absolvit, *F.*] apud Graecos et testudinem animal significat et musicum instrumentum. Apud Latinos in secunda significatione adhibetur, quia ex testudine, exempta carne, dicitur Mercurius citharam fecisse. Cum enim, ut est apud *Serv.* ad *G.* 4, 464., regrediens Nilus in suos meatus varia in terris reliquisset animalia, relicta etiam testudo est: quae cum putrefacta esset et nervi ejus remansissent extenti intra corium, percussa a Mercurio sonitum dedit. Ex cujus imitatione cithara est composita. ℙ Differt proprie a *lyra*, quia haec chordas habet utrinque, ut ita dicam, nudas, *chelys* vero, seu cithara ventrem habet manubriatum, super quo fides extenduntur, ut pleniorem sonum edant: qui venter primum ex testudinis tegumento factus est, postea ex alia materia, figuram tamen retinuit. Sed haec a poetis promiscue usurpantur. Immo *Prud.* chelyn, et testudinem, tanquam duo diversa, distinxit *Apoth.* 455. Quidquid casta chelys, quidquid testudo resultat. *Ov. Her.* 15, 181 Inde chelyn Phoebo communia munera ponam. *Auct. paneg. ad Pison.* 154. Sive chelyn digitis, et eburno pectine pulsas. *Stat. Silv.* 1, 5, 11. Intendere chelyn. *Id. ib.* 4, 4, 33. Laxare. *Senec. Troad.* 321. Levi plectro canoram chelyn verberare. *Stat. Silv.* 2, 2, 60. Jam Methymnaei vatis manus, et chelys una Thebais, *h. e.* cithara Amphionis Thebani. Et *ib.* 120. doctam-

que trahuntur Ad chelyn, et blandi scopulis delphines aderrant. ℙ Est etiam signum coeleste idem quod *Lyra*. *Avien. Arat.* 617. et 631. V. LYRA. ℙ In vocativo est *chely*. *Stat. Silv.* 4, 3, 119. Cedamus, chely: jam repone cantus.

CHĒME, es, f. *χήμη*, mensura liquidorum continens cochlearia bina, seu tertiam partem mystri: mystrum autem est quarta pars cyathi: quare *cheme* est duodecima pars cyathi: nomen habet a *χήμη*, quae vox ostrei genus significat, cujus testa mensurandis liquidis usi sunt veteres. *Rhemn. Fann. de ponderib. et mensur.* 77. At mystrum cyathi quarta est, ac tertia mystri, Quam vocitant chemen: capit haec cochlearia bina.

*CHEMMIS, *Χέμμις*, insula in quodam lacu Aegypti, quae lucos silvasque et Apollinis grande sustinens templum natat, et quocumque venti agunt, pellitur, teste *Mela* 2, 10. Meminit et *Herod.* 2, 156. *B. A.*

CHĒMŌSIS, is, f. *χήμωσις*, Graeca vox, qua significatur vitium oculorum, cum album oculi nigro supereminet, adeo ut hiatus veluti quidam appareat: a *χημή*, hiatus: item rubra et carnosa corneae oculi tunicae inflammatio. *Theod. Prisc.* 1, 10.

CHĒNĂLŌPEX, ĕcis, f. *χηναλώπηξ*, *εκος*, genus avis in genere anserum, quandam habens cum vulpe similitudinem: a *χήν*, *ηνός*, anser, et *ἀλώπηξ*, vulpes. *Plin.* 10, 22, 29. Anserini generis sunt chenalopeces. *Mich. Ang. Macrius in Sidernografia* p. 423. putat esse *palomba di mare;* contra *Gesnerus* et *Aldrovandius* putant *anatem maritimam.*

CHĒNĔROS, ōtis, f. *χηνέρως*, *ωτος*, genus anseris minoris, quibus lautiores epulas non novit Britannia, inquit *Plin.* 10, 22, 29.

CHĒNĪSCUS, i, m. *χηνίσκος*, Graece est anserculus: a *χήν*, *ηνός*, anser. Significat etiam ornamentum navis in summitate puppis, in modum anserculi formatum. Solebant enim naupegi hujus animalis effigiem deformare boni ominis causa, ut scilicet navigium ita feliciter per undas ferretur, ut solent anseres, quae nullo periculo natant. *Appul. Met.* 11. Puppis intorta chenisco bracteis aureis vestita fulgurabat. Ita enimvero videre est cheniscum in puppi navis apud *Mazois Ruines de Pompei P.* 1. *tab.* 22. *fig.* 2.

CHĒNŌBOSCĬON, ii, n. *χηνοβοσκεῖον*, locus ubi anseres, aliaeque id genus nantes volucres aluntur: a *χήν*, anser, et *βόσκω*, pasco. Graece legitur apud *Varr. R. R.* 3, 10. Latine apud *Colum.* 8, 14. Chenoboscia ut constituantur.

CHĒNŌMYCHON, i, n. *χηνόμυχον*, herba coloris hysgini, folio spinae, nec a terra se attollens: a *χήν*, *χηνός*, anser, et *μυχός*, penetrale, quia ea visa dicuntur anseres refugere, et abdere se. Vocatur etiam *nyctegrētum*, *νυκτήγρετον*, a *νύξ*, *νυκτός*, nox, et *ἐγείρομαι*, expergefio, quia cum noctu fulgeat, nocturnas veluti excubias agere videtur. Ob eandem rationem dicitur etiam *nyctălops*, *νυκτάλωψ*, a *νύξ*, nox, et *ὄπτομαι*, video. *Plin.* 21, 11, 36.

CHĒNŌPOS. V. ECHINOPOS.

CHĒRĂGRA. V. CHIRAGRA.

CHERNĪTES, ae, m. *χερνίτης*, lapis ebori simillimus, servandis mortuorum corporibus, nec absumendis aptus. *Plin.* 36, 17, 28.

CHERRŌNENSIS et Chersonensis, e, adj. ad Cherronesum pertinens. ℙ *Cherronenses*, *ium*, sunt Cherronesi incolae. *Cic. Pis.* 35. Adde *Justin.* 9, 1., ubi legitur *Chersonensis.*

CHERRŌNĒSĬCĒ vel Chersonesice, adv. Cherronensium more. Usurpat *Varr. L. L.* 4, 31., si vera est quorundam conjectura. V. *Scalig.* in *Conjectan.*

CHERRŌNĒSUS et Chersonesus, i, f. *χερρόνησος* et *χερσόνησος*, paeninsula, terra in insulae modum mari cincta, uno tantum, eoque angusto spatio continenti adjuncta: a *χέρρος*, vel *χέρσος*, terra, et *νῆσος*, insula. Per excellentiam hoc nomine pars Thraciae appellatur juxta Hellespontum. *Plin.* 4, 11, 18. et *Liv.* 31, 16. ℙ Deinde multae aliae *Chersonesi* numerantur, nomine proprio addito, ut *Aurea Chersonesus*, *Cimbrica*, *Taurica* etc. Est item nomen multarum urbium: de quibus omnib. V. geographos.

*CHERSĬDĂMAS, antis, *Χερσιδάμας*, vir Troj., ab Ulysse interfectus. *Ov. Met.* 13, 259. ℙ Item Priami filius nothus, Chirodamas dictus. *Hyg. fab.* 90. *B. A.*

CHERSĪNAE testudines, *χερσαῖοι χέλυες*, hoc est testudines terrestres: a *χέρσος*, terra inculta. Ita appellantur, teste *Plin.* 9, 10, 12., quae in Africae desertis inveniuntur, qua parte maxime sitientibus arenis squalent, roscido, ut creditur, humore viventes. Earum testae in operibus adhibentur: sunt tamen minoris pretii, quam marinae. *Mart.* appellat *chersos* 14, 88. Femineam nobis cherson si credis inesse, Deciperis: pelagi mascula praeda sumus.

*CHERSĬPHRON, onis, *Χερσίφρων*, architectus quidam eximius, qui Dianae Ephesiae templum admirabiliter fabricavit. *Plin.* 36, 14. qui 7, 37. *Ctesiphontem* cum appellat. Sed et hic *Chersiphron* legendum, quod nonnulli videre. *B. A.*

*CHERSON, onis, *Χερσών*, opp. in Chersonneso Taur., alias Chersonnesus dictum. Est hodie *Cherson* Neo — Graecis. Meminerunt *Zonaras* et *Eustath.* ad *Dionys perieg. Cherrone* appellantur a *Mela* 2, 1. *B. A.*

CHERSŌNĒSUS, is, f. *χερσόνησος*. V. CHERRONESUS.

CHERSOS, i, f. V. CHERSINAE.

CHERSYDRUS, m. *χέρσυδρος*, genus serpentis amphibii, hoc est in aqua, et in terra degentis: a *χέρσος*, terra, et *ὕδωρ*, aqua: quem quidam eundem esse putant cum hydro, et describi a *Virg. G.* 3, 425. Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis etc. *Lucan.* 9, 710. Natus et ambiguae coleret qui Syrtidos arva Chersydrus. V. *Altrovand. de Serp. et Drac.* 1, 17.

CHĔRUB, m. indecl. et in plur. num. Cherubim, כְּרוּב et כְּרֻבִים. Sunt hoc nomine sublimiora agmina Angelorum, qui quod vicinius positi divina scientia ceteris amplius fruuntur, Cherubim, hoc est plenitudo scientiae, appellantur. Ita *Isid. Orig.* 7, 5. Hinc *Prud. Cathem.* 4, 4. Patri qui Cherubim sedile sacrum, Nec non et Seraphim suum supremo Subnixus solio tenet, regitque. ℙ *Hieron. in c.* 9. et 28. *Ezech.* docet, perperam a nonnullis hanc vocem neutro genere usurpari: additque *Cherub* dici in sing. numero, et *Cherubim* in plur. Videtur tamen in *c.* 65. *Isaj.* ad illud: *secundum dies ligni vitae* etc. dixisse *Cherubim* in singulari, quod et *August.* fecit *Enarrat. in Psalm.* 79.

CHĔRUSCI, orum, m. plur. populi Germaniae versus Visurgim fluvium, et Meliboccum montem, ubi nunc ducat. *Brunswic*, et *Lüneburg.*, qui duce Arminio Romanos magna clade affecerunt, victi deinde a Germanico, ut narrat *Tac. A.* 2, 16. *Claud. IV. Cons. Honor.* 451. et ingentes Albim liquere Cherusci.

CHĔSIPPUS, a, *χέζω*, caco. Zeno convicii causa Chrysippum nunquam nisi Chesippum vocabat, ut narrat *Cic. N. D.* 2, 34.

*CHESĬUS, i, *Χήσιος*, Sami insulae fluv. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

CHĪLĬARCHES, ae, m. et Chiliarchus, i, m. *χιλιάρχης* et *χιλίαρχος*, mille militum dux: a *χίλιοι*, mille, et *ἀρχός*, princeps. *Tac. A.* 15, 51. Erat chiliarchus in ea classe Volusius Proculus. *Nep. Con.* 3. Primum ex more Persarum ad chiliarchum, qui secundum gradum imperii tenebat, accessit. Adde *Curt.* 5, 2. ℙ Ex loco *Taciti* allato discimus etiam in Romana militia Graecam hanc appellationem, et gradum fuisse. *Hieronym. in Isajam.* 2, 3. 3. Chiliarchi, qui mille praesunt militibus, quos nos tribunos appellamus ab eo, quod praesint tribui.

CHĪLĬAS, ădis, f. *χιλιάς*, numerus millenarius. Vox Graeca est: et legitur ap. *Macr. Sat.* 1, 5.

CHĪLĬASTAE, arum, m. plur. *χιλιασταί*, millenarii. V. MILLIARIUS.

CHĪLĬODYNĂMĂ, ae, f. *χιλιοδύναμις* appellatur a Cappadocibus herba polemonia, radice crassa, exilibus ramis, quibus in summis corymbi dependent, semine nigro: cetero rutae similis. Sic autem dicta est ob multiplicem virtutem: a *χίλιοι*, mille, et *δύναμις*, virtus. *Plin.* 25, 6, 28.

CHĪLĬOPHYLLON, i, n. *χιλιόφυλλον*, nomen herbae polygoni, a multitudine foliorum. Nam *χίλιοι*, mille, *φύλλον*, folium. *Appul. Herb.* 18.

*CHILMANENSIS, e, adj. *Plin.* 5, 4. Chilmanense oppid. h. e. Cilma, *Κίλμα Ptolem.* quod in Zeugitana fuit. *B. A.*

CHĪLO, ōnis, m. *χειλών*, qui magna habet labia, idem ac labeo: a *χεῖλος*, labium. *Fest.* et *Charis.* 1, 78. ℙ Est etiam nomen servile, quod in cognomen libertini hominis transiit in gente Cocceja. *Inscr.* Venafrana ap. *Mur.* 1578, 12. C. Coccejo C. L. Chiloni. Fortasse hic idem est, qui a *Cic. Q. Fr.* 3, 1. architectus dicitur Venafri, quique libertus illius videtur fuisse, cujus titulum protulit *Cotugno*, *Mem. di Venafro*, p. 257. C. Coccejo C. F. Aed. Q. ℙ *Chilo* fuit etiam philosophus Lacedaemonius, unus ex septem sapientibus Graeciae, de quo *Plin.* 7, 32, 54. Adde *Auson. de sept. Sapient.*

CHĪMAERĂ, ae, f. *Χίμαιρα*, mons Lyciae (ut est ap. *Plin.* 2, 106, 110. et 5, 27, 28. et *Mel.* 1, 15.) in cujus cacumine degunt leones; medio ignes noctu erumpunt, instar Aetnae in Sicilia, regionem eam saepe infestantes, quos tamen circa caprae habitant, et pascuntur; in radicibus vis ingens serpentum est. Hinc datus est locus fabulae, Chimaeram esse monstrum triplex, vertice nempe leonis, media parte caprae ignem evomentis, extrema in draconem desinens. Unde incertus poeta ap. *Pithoeum* p. 119. Ore leo, tergoque caper, postremaque serpens Belua tergemino mittit ab ore faces. [*Lucr. 5, 903. Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimaera: juxta illud *Hesiod. Theog.* 323. *Homer. Il. Z.* 181. *Πρόσθε λεών, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσσα δὲ χίμαιρα. B. A.*] Ejus patrem dicunt fuisse Typhonem, matrem Echidnam. Cum ea pugnavit Bellerophon Pegaso vectus, et occidit. *Hygin. praef.* et *fab.* 57., *Serv.* ad *A.* 5, 118. et *ib.* 6, 288. Hinc *Ov. Met.* 9, 646. Quoque Chimaera jugo mediis in partibus ignem, Pectus et ora leae, caudam serpentis habebat. *Senec. Med.* 828. Habeo mediae dona Chimaerae, *h. e.* ignem. ℙ Quidam docent, hac fabula significari scortum, quod primum aggreditur saltu leonino, deinde lascivum ignem inducit, postremo venenum et poenitentiam. Alii accommodant tribus partibus rhetoricae. Nam per leones denotari judicialem, qua terrentur et puniuntur rei: per capras demonstrativam, quod in ea dictio plurimum lasciviat: per dracones deliberativam propter argumentorum varietatem, longioresque circumductus, et quasi spiras, quibus ad persuadendum opus est. *Hor. Od.* 1, 27. *extr.* Chimaera triformis. *Id. ib.* 2, 17, 13. ignea. *Id. ib.* 4, 2, 15. tremendae flamma Chimaerae. [*Tibull. 3, 4, 86. Nec flammam folvens ore Chimaera fero.] ℙ Apud *Virg. A.* 5, 118. et 223. est nomen navis propter signum Chimaerae in puppi. ℙ [*Fuit et Chimaera castellum in Epiro. *Plin.* 4, 1. ubi *Hard.* leg. *Chimera. B. A.*]

CHĪMAERĒUS, a, um, adj. *Χιμαίρειος*, ad Chimaeram pertinens. *Virg. Cul.* 14. Alma Chimaereo Xanthi perfusa liquore. Xanthus est etiam Lyciae fluvius, et oppidum. In Lycia Apollo colebatur. *Auct. carm. Laud. Herc.* 76. Chimaerea cretum de gente leonem.

CHĪMAERĪFER, a, um, adj. Chimaeram ferens, ut *Chimaerifera Lycia*, ap. *Ov. Met.* 6, 339., quia Chimaera in Lycia est.

[CHĪMĀRUS, i, m. *χίμαρος*, caper hieme natus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 444, 1. C. Julius Chimarus. *F.*]

CHIMERA, ae. V. CHIMAERA.

*CHIMERĬON, i, *χειμέριον* sc. *ἄκρον*, promontorium in Thessalia. *Plin.* 4, 8. In Epiro, in Thesprotia scil. ponunt *Thucyd.*, *Strabo* et *Pausan. B. A.*

CHĪMĬA. V. ALCHIMIA.

CHĪNAEA vel Chinnaea specula, locus est editior Brixiae imminens, castro et turri munitus. *Catull.* 67, 32. Brixia Chinaeae supposita speculae. ℙ Fortasse legendum est *cycneae.* Vulgo enim nunc dicitur *colle cignèo*, vel *cidnèo.*

*CHINNA, opp. Dalmat., quod Cinna audit *Anton. Itin.* In *tab. Peut.* est *Sinna. B. A.*

CHĪONE, es, f. *Χιόνη*, filia Daedalionis filii Luciferi. Nupsit Paeonio Epidauriensi, sed ob pulcritudinem a Diis quoque adamata fuit. Itaque et cum Mercurio, et cum Apolline eadem die concubuit, et ex Mercurio quidem Autolycum celebrem furem, ex Apolline vero Philammona cantu et cithara peritissimum, uno eodemque partu peperit. Qua ex re cum nimium superbia efferretur, et Dianae ipsi formam suam praeferret, ab ea sagittis confixa est. Ob ejus mortem doloris impatiens Daedalion e scopulo se praecipitem dedit, et ab Apolline in accipitrem mutatus est. *Ov. Met.* 11, 295. et seqq. ℙ Aliam de Chione fabulam narrat *Serv.* ad *A.* 4, 250. Fuisse filiam Nili et Callirhoes Oceani filiae: rure vitam agentem a Jove per Mercurium fuisse abductam, et inter nubes collocatam: inde factum, ut nives Graece *χίονες* appellentur: quae repraesentantes virginem, et vitam priorem montibus magis inhaerent etc. ℙ Alia fuit Chione, Aquilonis, et Orithyiae filia, quae a Neptuno compressa genuit Eumolpum. Hinc est

[CHIONĪDES, is, m. Chiones filius, Eumolpus. *Ov. Pont.* 3, 3, 40. At non Chionides Eumolpus in Orphea talis. Hic prima syllaba producitur, licet in *Chione* brevis sit, quod usuvenit saepissime, ut in *Priămīdes* a *Priămō*. *F.*]

CHĪOS et Chius, ii, f. *Χίος*, insula Asiae in mari Aegaeo, et Icario, Ioniae adjacens. Tota fere montosa est. Sola mastichen inter insulas gignit. Dividitur in duas partes, superiorem, seu Epanomeream, et inferiorem, seu Catomeream. In ea montes Pellenaeus, et Arvisius vino celebres, et marmore. Nomen habet vel *ἀπὸ τῆς χιόνος*, hoc est a nive, quae ibi plurima decidit, vel a Chione nympha Aquilonis filia, vel a Chione filia Daedalionis. *Cic. Verr.* 2, 5, 48. Athenas, Miletum, Chium, Samum. *Hor. Ep.* 1, 11, 21. Romae laudetur Samos, et Chios, et Rhodos absens. Adde *Plin.* 5, 31, 38.

CHĪRAGRĂ, ae, f. *χειράγρα*, morbus articularis, qui manus infestat: ab *ἄγρα*, captura, et *χείρ*, manus, quia manus irretit, illaqueat. *Hor. Ep.* 1, 1, 31. Nodosa corpus nolis prohibere chiragra. Et *Sat.* 2, 7, 15. postquam illi justa chiragra Contudit articulos. *Mart.* 1, 99. Sed nil patrono porrigit: haec chiragra est. ℙ Nota primam syllabam contra naturam corripi, more Graecorum, qui nonnunquam ex diphthongo alteram vocalem abjiciunt. Ob eandem rationem scribitur et *cheragra*, quod rectius esse putant *Voss. in Etymol.* et *Bentlej. in Horat.* corripere volenti. *Dausq.* in *Orthogr.* mavult semper per *i* scribi.

CHĪRAGRĪCUS, a, um, adj. *χειραγρικός*, qui chiragra laborat. *Petr. Sat.* 132. Chiragrici manibus maledicunt, lippi oculis. *Cels.* 4, 24. *in.* Quae in podagricis chiragricisve esse consuerunt. *Sidon. ep.* 3, 13. Chiragricae manus.

CHIRĂMAXĬUM, ii, n. *χειραμάξιον*, genus modici plaustri, quo unus tantum homo gestari poterat, et a servis, non ab equis, aut bobus, trahebatur, alio nomine *arcuma*, ut videtur: a *χείρ*, manus, et *ἅμαξα*, currus. *Petr. Sat.* 28. Hinc lecticae impositus est, praecedentibus cursoribus, et chiramaxio, in quo deliciae ejus ferebantur, puer vetulus, lippus.

CHIRĬDOTA Tunica, *χειριδωτὸς χιτών*, tunica manicata, ut *Cic. Cat.* 2, 10., vel manuleata, ut *Pl. Ps.* 2, 4, 48. appellat, hoc est manicas habens usque ad manum protensas: a *χείρ*, manus: quòd olim Romae, atque omni in Latio indecorum fuit. Romani enim feminis quidem vestem longe lateque diffusam decoram existimaverunt, quae crura et ulnas pudoris causa protegeret. Viri autem primo sola toga amicti fuerunt: postea substrictas et breves tunicas citra humerum desinentes habebant, quae Graece *ἐξωμίδες* dicuntur. Demum laxas et manicatas tunicas luxus invexit, quas tamen probro viris omnibus, maxime autem militibus datas legimus. *Virg. A.* 9, 616. Et tunicae manicas, et habent redimicula mitrae. *Scipio African.* ap. *Gell.* 7, 12. Qui in conviviis adolescentulus cum amatore cum chiridota tunica inferior (al. *interior*) accubuerit. *Gell. ib.* Eas tunicas Graeco vocabulo nostri chiridotas appellaverunt. ℙ Absolute *Capitolin. Pertin.* 8. Lacernas, et chiridotas Dalmatarum. ℙ Quidam scribunt *Chirodota*, quos reprehendit *Salmas.* ad *Capitolin. l. c.*

CHIRĪNUM Oleum ap. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. est quod conficitur ex leucoio luteo. *Jo. Conradus Amman.*

[CHIRĪSOPHUS, i, m. *χειρισόφος*, pantomimus, quasi manibus sapiens, a *χείρ*, manus, et *σοφὸς*, sapiens. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 760, 7. M. Aurelius Chirisophus. *F.*]

CHIROCMĒTA, ton, n. plur. *τὰ χειρόκμητα*, hoc est manu facta: a *χείρ*, manus, et *κμητὸς*, laboratus, factus, a *κάμνω*, laboro. Titulus est libri a Democrito conscripti, in quo de rebus naturalibus scripsit, signans anulo in cera quae esset expertus, ut *Vitruv.* 9, 3. tradit. *Plin.* 24, 17, 102. V. *Schneiderum* ad *Vitruv. l. c.* qui, quam varie hic locus apud utrumque scriptorem lectus sit, diligenter exponit. [*Adde *Plin.* 24, 17. corrigente *Salmasio.* V. ad *Solin.* p. 775. Edd. *Hard.* et *Elzev.* habent chirocineta. *B. A.*]

[CHIROCRĀTES, is, m. *χειροκράτης*, manibus potens, a *χείρ*, manus, et *κράτος*, robur. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 880, 11. Memmius Chirocrates. *F.*]

*CHIRODĂMAS, antis, unus e Priami filiis. *Hygin. fab.* 90. *B. A.*

CHIROGRĀPHĀRĬUS, a, um, adj. ad chirographum pertinens, ut *chirographarius creditor*, qui sibi chirographo cavit: seu qui habet chirographum debitoris, in quo hic perscripsit, se illi pecuniam debere: *chirographarius debitor*, qui sua manu se debitorem scripsit: *chirographaria pecunia*, quae ex solo chirographo, non dato pignore, debetur. Quae omnia habentur *Dig.* 42, 5, 38. et *ib.* 13, 6, 5. *circa med.* et in *Cod.* 8, 27, 1.

CHIROGRĂPHUM, i, n. et Chirographus, i, m. *χειρόγραφον*, quod nostra manu scripsimus: a *χείρ*, manus, et *γράφω*, scribo. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 21. Laterensis suo chirographo mittit mihi litteras. *Cic. Att.* 2, 20. *ad f.* Non utar meo chirographo, neque signo, si modo erunt ejusmodi litterae, quas in alienum incidere nolim. *Id. Phil.* 1, 7. An in commentariolis et chirographis et libellis acta Caesaris firma erunt? *Id. ib.* 2, 4. Convincere aliquem chirographo. *Id. Fam.* 2, 13. Extrema pagella pupugit me tuo chirographo. *Id. N. D.* 3, 30. et *Suet. Aug.* 64. Imitari chirographum alicujus. *Quint.* 6, 3. *ad f.* Interroganti, an in tabulis chirographus esset et verus, inquit, domine. [**Suet. Tib.* 6. Cum etiam chirographum ejus praeparatae apud milites concionis deprehendisset.] ℙ Speciatim sumitur pro scripto, in quo quis sua manu alicui promittit aliquid aut creditoribus suis cavet. *Cic. Fam.* 7, 18. ad *Trebat. JCtum.* Quando vestrae cautiones infirmae sunt, Graeculam tibi misi cautionem chirographi mei. *Suet. Cal.* 12. Cavere alicui jurejurando et chirographo de re aliqua. *Id. Caes.* 17. Chirographum dare alicui. *Callistr. Dig.* 49, 14, 3. Domestica cautione et chirographo obligare se ad praestandum. *Modest. ib.* 20, 1, 26. Chirographum sua manu praescribere. *Gell.* 14, 2. Exhibitio chirographi. *Juven.* 13, 135. Vana supervacui dicunt chirographa ligni, *h. e.* perscripta in ligneis tabellis ceratis. *Sidon. carm.* 16, 56. chirographon illud, Quo pervasus homo est, haec compensatio rupit; *chirographon* Graeca positio. ℙ Inter *chirographa* et *syngraphas* hoc interesse docet *Ascon. in Verr.* 2, 1, 36., quod in iis tantum quae gesta sunt, scribi solent; in syngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit et non numerata quoque pecunia aut non integre numerata, pro temporaria voluntate hominum scribi solet, more institutoque Graecorum. Praeterea chirographa ab una parte servari solent; syngraphae signatae utriusque manu utrique parti servandae traduntur. Haec *Ascon. Cajus Instit.* 3, 134. Litterarum obligatio fieri videtur chirographis et syngraphis, id e., si quis debere se aut daturum se scribat. [*Chirographum nos dicimus *Obligation;* syngraphum *Wechsel.* Caeterum conf. *Beier.* et quos laudat in excursu, quem scripsit de literarum obligatione ad *Cic. Off.* 3, 14, 59.]

*CHIROGYLĬUM, i, insula prope Lyciam ex adversus Chimaeram promont. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

CHĪRON, et Chiro, onis, m. *Χείρων*, Centaurus Saturni et Phillyrae, seu Philyrae filius, unde dictus est *Phillyrides*, homo parte superiore, equus inferiore. Fabulantur enim poetae, Saturnum, cum Phillyram Oceani filiam adamaret, ejusque frueretur concubitu, Opis uxoris interventu turbatum subito se in equum convertisse, Phillyram autem ex eo gravidam fetum peperisse, cujus anterior pars hominem, posterior equum referret. Sed fingitur hac forma, quia fuit ex genere centaurorum, qui primi equos domuisse dicuntur, et idcirco omnes forma partim humana, partim equina describuntur: vel quia medicinam invenit, quae et hominibus, et jumentis salutaris est. Fortasse etiam Chiron dictus est, quia chirurgicae artis inventor fuit. Ubi primum adolevit, in silvas sese contulit, ibique herbarum vires contemplatus, praestantissimus medicus evasit. Ludum aperuit juventuti Graecae eruditendae in antro quodam Pelii montis, ut in fabulis est. Huic Thetis Achillem filium educandum tradidit, quem leonum medullis aluisse fertur, et docuisse citharae artem, et herbarum usum. Universos suae aetatis homines bonitate et justitia superavit. Ad extremum, cum Herculem hospitio suscepisset, armaque ejus tractaret, evenit, ut sagitta quaedam Hydrae Lernaeae veneno imbuta illi in pedes decideret. Hoc malum cum nulla ope sanare posset, optavit se esse mortalem, et a Diis mortem precatus est. Mori enim non poterat, quod utroque parente immortali natus esset. Deorum itaque miseratione in coelum sublatus est, et collocatus inter signa Zodiaci figura Sagittarii. *Hygin. praef. et fab.* 274. et *Astron.* 2, 38. et *Serv.* ad *G.* 3, 91. et 550., qui tamen ad *ib.* 4, 270. scribit, Chironem sagitta Herculis vulneratum ope centaureae herbae a se inventae (quae inde *Chironion* dicta est) sanitatem recuperasse. *Ov. Met.* 6, 126. Ut Saturnus equo geminum Chirona crearit. *Chirona* Graeca positione dixit pro *Chironem.* ℙ De signo coelesti *Lucan.* 9, 536. Par Geminis Chiron, et idem quod Carcinos ardens etc. ℙ *Chiro* in recto *Liv.* ap. *Fest.* in *Ocrem.* Quem Chiro in Pelio docuit ocri.

CHIRONĪCUS, a, um, adj. ad Chironem pertinens. *Sidon. ep.* 2, 12. *ad f.* Chironica magis institutus arte, quam Machaonica. Ludit *Sidon.* in ambiguo ad Chironem medicum simul respiciens et ad Graecum *χείρων*, quae vox deteriorem, pejorem significat.

CHIRONĬUS, a, um, adj. ad Chironem pertinens, *Χειρώνειος*. Hinc quaedam herbae Chironiae sunt cognominatae, quia a Chirone vel inventae, vel adhibitae primum in medicina sunt. *Plin.* 24, 14, 77. Spina, quam et pyxacanthon Chironiam vocant. *Id.* 25, 4, 13. Tertium panaces chironium cognominatur ab inventore. Et *ib.* 16. Est Chironis inventum ampelos, quae vocatur Chironia. Adde 23, 1, 17. ℙ *Chironium* vulnus est, quod et magnum est, et habet oras duras, callosas, tumentes: sanie tenui manat, odorem malum emittit, dolorem modicum affert: nihilominus difficile coit, et sanescit. Dictum a Chirone, qui primus ejus sanandi rationem reperisse fertur. *Cels.* 5, 28. *n.* 5. et *Appul. Herb.* 22. ℙ Scribitur et *Chironēum.* ℙ *Chironius* potest etiam corripi in paenult. si exteratur praepositiva diphthongi.

CHIRONOMIĀ, ae, f. *χειρονομία*, ars, et lex gestus in dicendo adhibendi: a *χείρ*, manus, et *νόμος*, lex. *Quint.* 1, 11. *ad f.* Praesertim haec chironomia, quae ab illis temporibus heroicis orta sit.

CHIRONOMOS, i, m. et f. *χειρονόμος*, qui certa lege atque arte manibus gesticulatur: a *χείρ*, manus, et *νόμος*, lex. *Juven.* 6, 63. Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo etc. ℙ *Chironomon*, *ontis*, vel *untis*, Graeca declinatione idem omnino significat: *χειρονομέων*, *ῶν*, *έοντος*, *οῦντος*. *Id.* 5, 120. Structorem interea, ne qua indignatio desit, Saltantem spectes et chironomonta volanti Cultello, donec peragat dictata magistri Omnia, *h. e.* cibos scindentem artificiosa manuum gesticulatione. *Sidon. ep.* 4, 7. *ad f.* Ac si inter Apicios epulones, et Byzantinos chironomuntas huc usque ructaverit. Huc pertinet illud *Petr. Satyr.* 36. Processit statim scissor, et ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut etc. ℙ Reperitur etiam *chironomonta* in recto casu. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 96. Dis M. Marcellinae Florae M. Marcellius M. L. Hilarus Augg. NN. chironomonta parens.

*CHIROTHECARĬUS, i, m. Gloss. Qui chirothecas facit.

*CHIROTHECĀTUS, a, um, adj. *Sarisb.* 3, 3. Chirothecatus incessit. *B. A.*

CHIRURGIĀ, ae, f. *χειρουργία*, proprie significat opus manu factum, a *χείρ*, manus, et *ἔργον*, opus: sed *κατ' ἐξοχὴν* ita appellatur ea medicinae pars, quae manibus medetur, ut secando, urendo etc. V. *Cels. praef.* 7. *Cic. Att.* 4, 3. *ἀλληγορικῶς*. Diaeta curari incipio: chirurgiae taedet. Adde *Scrib. Compos.* 200.

CHIRURGĬCUS, a, um, adj. *χειρουργικὸς*, ad chirurgiam pertinens. *Hygin. fab.* 274. Chiron artem medicinam chirurgicam ex herbis primus instituit.

CHIRURGŪMĔNA, orum, n. plur. *τὰ χειρουργούμενα*, hoc est manu facta: a *χείρ*, manus, et *ἔργον*, opus. Ita appellantur a *Coel. Aurel. Tard.* 2, 12. libri Chirurgorum.

CHIRURGUS, i, m. *χειρουργός*, medicus, qui manu curat. *Cels. praef.* 7. Esse autem chirurgus debet adolescens, aut certe adolescentiae proximus; manu strenua, stabili, nec unquam intremiscente; acie oculorum acri claraque; animo intrepidus, immisericors etc. Adde *ib.* 11. et *Scrib. Compos.* 201. et 209. etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 581, 1. Celadus Antinous Drusi medicus chirurgus. *Auct. Priap.* 38. Chirurgique manum miser timerem.

*CHISIOTOSĂGI, orum, Indiae pop., in montibus Emodis. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

CHĪTONĒ, es, f. *Χιτώνη*, Dianae cognomen, vel a Chitone Atticae pago, vel a *χιτών*, tunica, quod ei primae puerorum vestes sacrabantur, ut narrat *Schol.* ad *Callimachi hymn. in Jovem. v.* 77. *Inscr.* ap. *Grut.* 40, 11. Virgini Chitone sacrum.

CHĬUS, i, f. *Χίος*, insula. V. CHIOS.

CHĬUS, a, um, adj. *Χῖος*, ad Chion insulam pertinens. *Varr. R. R.* 2. *prooem.* Chia insula. *Cic. Senect.* 1. Aristo Chius. *Plin.* 35, 16, 56. terra. *Id.* 36, 17, 28. Chius lapis. *Id.* 5, 31, 38. Chium marmor. Itali vocant *l'Africano*, quia inter versicolores maculas ostentat maxime nigrum colorem. ℙ *Chii*, *orum*, sunt ejus insulae homines. *Cic. Arch.* 8. et *Liv.* 37, 27. ℙ *Chium vinum*, et *Chium* absolute, laudatur passim a Latinis scriptoribus, hodieque summo in pretio est. *Pl. Curc.* 1, 1, 79. Lagena, ubi vinum solet Chium esse. *Tibull.* 2, 1, 28. et Chio solvite vincla cado. *Hor. Sat.* 2, 3, 115. Si positis intus Chii, veterisque Falerni Mille cadis etc. [*Cf. ad h. l. *Heindf.*] Adde *Plin.* 14, 7, 9. ℙ *Chia ficus*, et absolute *Chia*, *ae*, species est fici ex Chio insula grato sapore palatum pungens. *Mart.* 7, 25. Infanti melimela dato, fatuasque mariscas: Nam mihi, quae novit pungere, Chia sapit. *Id.* 13, 23. Chia seni similis Caccho, *h. e.* vino veteri. *Id.* 7, 31. Chiae flavae. ℙ *Chiam vitam gerere* ap. *Petron. fragm. Tragur.* 63. *Burm.* quidam exponunt mollem, delicatam vitam agere: alii idem esse putant atque servire, quod Chii primi omnium Graecorum servis pecunia emptis usi sint. ℙ *Chium signum* in coelo est signum Scorpii. Narrat enim *Arat. ἐν τοῖς φαινομ. v.* 637., cum laesisset Orion Dianam, omnes in Chio insula feras occidendo, eique venandi materiam subtrahendo, iratam Deam immisisse venenatum scorpionem, a quo Orion ictus interiit. Utroque postea in coelum translato, Scorpio *Chii* cognomen haesit. Hinc factum est, ut Scorpio exoriente, Orion occidat, quasi perterritus, ejusque morsus evitans. *Avien.* quoque *Arat.* 1179. et *Cic. Arat.* 424. hanc eandem plus minus enarrant fabulam. *Avien. ib.* 1136. Curva Chii coelo cum surgunt brachia monstri. Et *ib.* 251. Huc falcata Chii repserunt cornua monstri. ℙ Prima syllaba adjectivi ab *Avieno* corripitur tum *l. c.* tum *v.* 1179., et in *Chius* substantivo producitur a *Cic. l. c. v.* 426. (si modo ibi legendum est *Aegaeo defixa in gurgite Chius*, ut vult *H. Grotius*) contra communem aliorum poetarum usum, qui semper producunt adjectivum, substantivum vero corripiunt. Sic etiam Graeci adject. *Χῖος* per circumflexum scribunt, quia longa est, substant. *Χίος* per acutum, quia est brevis. Quare non videtur *Avien.* neque *Cic.* ea in re imitandus. ℙ *Chius* est etiam cogn. Rom. hominis ex insula Chio fortasse oriundi. *Inscr.* ap. *Mur.* 947, 8. Cornelius Chius. ℙ In ludo talorum *Chius jactus* Graecis idem est qui *canis*, seu *Canicula.* Apud Latinos scriptores nullum adhuc exemplum hujus rei vidimus.

CHLĂMYDA, ae, f. idem quod chlamys. *Appul. Met.* 10. Humeris dependebat pretiosa chlamyda. Adde *Flor. n.* 15. *ad f.* ℙ Fortasse etiam *Varr.* ap. *Non.* 14, 12. hac forma usus est: sed locus est valde suspectus.

CHLĂMYDĀTUS, a, um, adj. chlamyde indutus, *χλαμυδώμενος*. *Cic. Rabir. Post.* 10. L. Sulla imperator chlamydatus. Adde *Pl. Rud.* 2, 2, 9.

*CHLAMYDĬA, ae, f. dicta olim est Delos referente Aeglosthene ap. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

CHLĂMYS, ydis, f. *χλαμύς*, vestis militaris aperta, quae thoraci superinduitur, posteriora fere corporis tantummodo ambiens; similis paludamento, sed brevior, et minus fusa, ex humeris pendens, et fibula ad cervicem, vel in dextero humero connexa. *Ov. Met.* 14, 393. Purpureum chlamydis pennae traxere colorem: Fibula quod fuerat, vestemque momorderat aurum, Pluma fit. *Id.*

ib. 2, 733. chlamydemque, ut pendeat apte, Collocat. ℙ Materia chlamydis fuit lana: color, nativus ipsius lanae. Sed, ut in aliis vestibus, et in ea pretiosior, vel crassior lana, pro utentium opibus, aut dignitate adhibebatur. Color etiam purpurae, et auri intexti ornamenta in chlamydibus non raro leguntur. [**Suet. Nero* 25. Distincta stellis aureis chlamys. *Virg. A.* 9, 582. Pictus acu chlamydem.] Formam exhibent varii nummi et icones, quas affert *Ferrar. de re vestiar. par.* 2, 3, 8. ℙ Qui discrimen aliquod inter chlamydem, sagum et paludamentum assignare volunt, in re prorsus difficili versantur. Illud tantummodo dici potest, ut apud Graecos scriptores fere semper *chlamys* (quae vox Graeca est) militibus tribuitur, sic raro admodum apud Latinos, qui *sagum* potius in re militari usurpant. Illud quoque usitatissimum est, ut paludamentum peculiare sit imperatorum, sagum et chlamys militum. Prioris usus exempla sunt ap. *Cic. Pis.* 13. et *Att.* 4, 13. etc., posterioris ap. *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 30. et *Ps.* 2, 4, 45. etc. et *Virg. A.* 9, 582. Tametsi in hoc etiam aliquando contra invenitur. Nam *Sall. fr.* ap. *Non.* 14, 10. Metello imperatori sagum tribuit: contra *Liv.* 1, 26. militi paludamentum: praeterea chlamydatum imperatorem legimus ap. *Cic. Rabir. Post.* 10. et *Val. Max.* 3, 6. *n.* 2. et 3. ℙ Ceterum *chlamys* habet etiam alios usus. Ea enim usi inveniuntur etiam pueri. Hinc inter puerilia vestimenta enumeratur ab *Ulp. Dig.* 34, 2, 24. Adde *Virg. A.* 3, 484. et *Suet. Tib.* 6. Eam *Appul. Met.* 10. Ephebicam vocat. ℙ Item mulieres. *Virg. A.* 4, 137. de Didone: Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo. Adde *Tac. A.* 13, 56., ubi, chlamyde aurata Agrippinam indutam ad navalis proelii spectaculum processisse dicit. Quam eandem rem narrans *Plin.* 33, 3, 19. vocat *paludamentum.* ℙ Item citharoedi, teste *Appul. Flor. n.* 15. ℙ Mercurius quoque chlamyde indutus fingitur ab *Ov. Met.* 2, 733. ℙ Chlamys Macedonica a vulgari chlamyde in eo differebat, quod in extrema parte clausa erat, cum vulgaris tota esset aperta, ut *Ferrar. l. c.* docet. *Plin.* 5, 10, 11. tradit, Alexandriam Aegypti urbem chlamydi Macedonicae humi extentae figuram retulisse, orbe gyrato laciniosam, dextra laevaque anguloso procursu. Veteres autem omnem terram habitabilem, quam tunc noverant, extentae chlamydi assimilarunt, teste *Macrob. Somn. Scip.* 2, 9. *ad f.* ℙ In illo *Hor. Ep.* 1, 17, 30. Alter Mileti textam cane pejus et angue Vitabit chlamydem: morietur frigore, si non Rettuleris pannum: *chlamys* sumitur pro quolibet amictu, quod superinduitur. ℙ Scribitur et *chlamis*, *idis*, minus tamen recte, si *Dausq.* audias.

*CHLOE, es, f. χλόη, herba viridis. Est nomen puellae ap. *Hor. Od.* 1, 23, 1. Vitas hinnuleo me similis, Chloe. *B. A.*

CHLOREUS, i, m. χλωρεύς, vox disyllaba, avis est perpetuas inimicitias cum corvo gerens, altero alterius ova noctu exquirente, ut *Plin.* 10, 74, 95. narrat. ℙ Fuit etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 6. *n.* 101. Ti. Claudius Chloreus Neronis Claudii Caesaris Aug. corporis custos, natione Batavus.

CHLORĬON, onis, m. χλωρίων, avis magnitudine turturis, quae et *galbula* appellatur. *Plin.* 10, 29, 45. Chlorion totus est luteus, hieme non visus, circa solstitia procedit.

CHLORIS, ĭdis, f. χλωρίς, Dea eadem ac illa, quae a Romanis Flora dicta est et Dea florum habita, quae cum Zephyro nupsisset, a marito muneris loco impetravit, ut florum omnium haberet potestatem: a χλωρός, viridis, quia hortis et herbidis locis gaudet: *Ov. Fast.* 5, 195. Chloris eram, quae Flora vocor: corrupta Latino Nominis est nostri littera Graeca sono. V. ibi reliqua. ℙ Alia fuit filia Amphionis et Niobes, uxor Nelei, ex quo duodecim filios peperit, quorum decem occidit Hercules, undecimum Periclymenum Neptunus in aquilam vertit, ultimum Nestorem cum aliis Graecis ad Trojam profectum absentia morti eripuit: *Hygin. fab.* 10. ℙ Fuit etiam puella satis vetula probris lacessita ab *Hor. Od.* 3, 15, 7. Non, si quid Pholoen satis, Et te, Chlori, decet.

CHLORĪTIS, ītĭdis, f. χλωρῖτις, gemma est herbacei coloris, a χλωρός, viridis; quam dicunt magi in motacillae avis ventre inveniri, congenitam ei. *Plin.* 37, 10, 56.

[CHLORON, i, n. χλωρόν, collyrium ita dictum a colore suo viridi, claritati oculorum prospiciens. *Tochôn cachets des oculistes* p. 61. Sabiniani chloron ad *claritatem. F.*]

*CHLORUS, i, Ciliciae fluv. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

CHOA, ae, f. et Chus, m. χοεύς, έος, vel χοή, ῆς, et χοῦς, χοός, mensura liquidorum apud Atticos, continens sextarios sex, hoc est congium. *Fann. de ponderib. et mens.* 70. Adde duos, χοῦς fit, vulgo qui est congius idem. ℙ Huc pertinere putant aenigma illud, quod refertur a *Quint.* 8, 6. *Quadrantaria Clytaemnestra*, *in triclinio choa*, *in cubiculo nola:* quod ita exponitur a *Coel. Rhodig.* 29, 1. et 19, 1. ut significet in triclinio bibacem (quasi congium vini haurientem), in cubiculo loquacem et garrulam, quasi tintinnabulum, quod *nola* appellatur. At constat vocem *nolam* pro tintinnabulo sequioribus tantum saeculis fuisse usurpatum. *Turneb. Advers.* 8, 19. scribit *Coa* et putat esse proverbium de muliere valde lasciva in conviviis ad instar Veneris Coae, in cubiculo quoque impura infandae libidinis obscenitate, qua quondam Nolani notati fuisse dicuntur, ut est ap. *Auson. epigr.* 71. *Voss.* denique in *Etym.* in *Campana*, *Alciat. Parerg.* 2, 12. et *Franc. Robortell. de nominibus Romanor.* ita intelligunt, ut designetur *Coa* mulier in triclinio quidem et coram aliis lasciviens seu coire gestiens, in cubiculo vero et clam *Nola* seu nimia rusticitate nolens et detrectans. Illud forte minus ineptum, *Coam*, *h. e.* vestibus Cois nudam potius quam vestitam in triclinio, in cubiculo autem totam *Nolam* esse, *h. e.* omne impudicitiae genus in se admittere, quod male audiebant Campani et in iis praesertim Nolani. Sed nulla harum interpretationum omnibus satis facit: quod mirum esse non debet, cum nec ipsi *Quint.* satis cognitum fuisse videatur.

CHOACON, i. n. nomen est emplastri nigri, quod cruentis vulneribus imponitur, constans spuma argenti et resina in oleo cocta. *Cels.* 5, 19. *n.* 2. Alii Graece scribunt κοαχόν, unde est *Hippocratis* liber *De coacis praenotionibus.*

*CHOANI, orum, pop. Arab. felicis. *Plin.* 6, 28. unde *Choanius*, *a*, *um*, ap. *Ov. Met.* 5, 163. quod pro Chaonius ibi malunt legere *Hard.* et *Cellar. B. A.*

*CHOARA, Parthiae regio, ubi Calliope et Issatis oppida. *Plin.* 6, 15. *B. A.*

CHOASPES, is, m. *Kerkhah*, Χοάσπις, fluvius Asiae, qui in Media nascitur et Susa alluit, a Tigri recipitur et cum eo in sinum Persicum influit. At *Gossellin Geograph. des anciens T.* 3. p. 92. probat, Choaspen eundem esse ac Eulaeum, a Pasitigri recipi et cum eo in sinum Persicum influere. *Plin.* 6, 27, 31., qui 31, 3, 23. tradit, Parthorum reges ex hujus tantummodo et Eulaei fluvii aquis bibere solitos. *Tibull.* 4, 1, 140. Nec qua vel Nilus vel regia lympha Choaspes Profluit. ℙ Hic quoque amnis, ut et alii majores fluvii, in Deorum numero habitus est. *Val. Fl.* 5, 584. quid si amnigenam mirere Choaspen? ℙ * Item Indiae amnis. *Curt.* 8, 10. *B. A.*

CHOASPĪTIS, is, f. gemma est coloris viridis, fulgoris aurei, ita dicta a Choaspe fluvio, ubi reperitur. *Plin.* 37, 10, 56.

CHOĀTRAE, arum, m. plur. populus circa Moeotim. *Plin.* 6, 7, 7. et *Lucan.* 3, 246. Ubi *Grotius* pro *Coastris*, restituit *Choatras.* ℙ Fuerunt incantatores maximi cum duce suo Choaste. Unde *Val. Fl.* 6, 151. Diros magico terrore Choatras.

*CHOATRAS, ae, mons Mediae. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

*CHOBA, opp. Mauritan. Caesar. *Anton. Itin.* Χόβαι est *Ptolem. B. A.*

CHODAX. V. CNODAX.

CHOENIX, icis, f. χοῖνιξ, ικος, genus mensurae apud Atticos, duos sextarios continentis: at magna choenix, quae καπίθη dicebatur a Persis, quatuor sextarios continebat. *Fann. de ponderib. et mensur.* 68. Heminas recipit geminas sextarius unus, Queis, quater assumptis, Grajo fit nomine χοῖνιξ. Alii leg. *Qui quater assumptus.* Hic auctor loquitur de magna choenice. ℙ Ap. *Paul.* ex *Festo* legitur: Choenica, mensurae genus, ut sit *Choenica*, *ae. Poll.* 11, 14. Tribus cadis unam floris mensuram, quam Syri cadum. Graeci choenicam vocant, adjicies. *Id.* 12, 20. In olei metreta choenicas duas mittere.

CHOERĀDES, um, f. χοιράδες, Graece idem sunt, quae *strumae* Latinis: a χοῖρος, sus, quia sues iis saepe laborant. *Theod. Prisc.* 1, 9. Choeradas, quas frequenter in collo vel sub mento vel sub axillis nasci novimus, hac cura visitamus. Adde *Appul. Herb.* 2. *n.* 10.

CHOERĪLĬUS, a, um, adj. ad Choerilum poetam pertinens: hujus vero nominis plures fuerunt, quos inter qui Alexandri M. res gestas cecinit, cujus meminit *Hor. Ep.* 2, 1, 232. et *Art. P.* 355. Metrum Choerilium est dactylicae speciei, habens duos dactylos, spondaeum, duos dactylos, et syllabam, ut *Nunc age Pierios versus*, *Dea Calliope.* Est et aliud genus, quod ἀμφιλικὲς dicitur, hoc est utrinque imminutum, ut *Tibi namque decens lucet rosa vertice.* Ita *Servius* in *Centimetro* p. 1820. et *Mar. Victorin.* 3. *Art. Gramm.* p. 2558. Sed *Plotius de metr. ib.* p. 2633. octo ejus genera enumerat. V. ℙ Legitur et *Cherileum.*

*CHOEROGRYLLUS, i, m. (χοιρογρύλλιος LXX.) *Vulg. Levit.* 11, 5. quid sit disputat *Dilherr. Exerc. T.* 1, *Disp.* p. 97. V. *Bochart. Hieroz.* 3, 33. p. 1008. sq. qui hoc certe (ait *Gesnerus*) efficit, majoris muris genus esse. *B. A.*

CHOĪCUS, a, um, adj. χοϊκός, terrenus, limaceus, pulvereus: a χόος, χοῦς, pulvis, terra. *Tertull. advers. Valentinian.* 24. Homo choicus, et animalis. Adde *Anim.* 40. et *Resurr. carn.* 49.

CHOLAS, ae, m. genus smaragdi in Arabia frequentissimi. *Plin.* 37, 5, 18.

CHŌLĒRA, ae, f. χολέρα, χολή, idem quod bilis. *Lamprid. Alex. Sev.* 17. Commotione animi, stomachi choleram evomere. ℙ Pro morbo, qui ex bile nascitur. *Cels.* 2, 13. Si acutus est morbus, sicut in cholera. Et *ib.* Colera laborare. *Id.* 4, 11. Primo facienda mentio est cholerae, quia commune id stomachi atque intestinorum vitium. *Plin.* 24, 13, 73. Mora bibuntur in cholera. *Front. ad M. Caes.* 5, 40. hujus morbi symptomata accurate describit. ℙ In plurali numero. *Id.* 20, 14, 52. Mentastrum potum orthopnoicis, torminibus, choleris efficacissimum. *Id.* 20, 12, 48. Cholerae ocymo inhibentur. *Id. ib.* 14, 53. Menta choleras emendat. ℙ *Facere choleram* est bilem turbare, movere, et ejus vomitum ciere. *Id.* 20, 22, 93. ℙ *Hieronym. ep.* 50. *n.* 4. Adducere aliquem ad choleram, *h. e.* iram alicui movere.

CHŌLĒRĪCUS, a, um, adj. qui cholerae morbo laborat, χολερικός. *Scrib. Compos.* 256. Malagma intestina soluta habentibus, et cholericis prodest. *Plin.* 24, 13, 72. Coeliaci, dysenterici, cholerici.

CHŌLĪAMBUS, i, m. χωλίαμβος, versus iambicus trimeter, vel sensarius acatalecticus, qui quinto loco iambum habet, sexto spondaeum, in ceteris consentit cum iambico: ita dictus quasi claudus iambus, a χωλός, claudus, quia deturbato a sexta sede iambo, et substituto spondaeo, videtur quasi claudicare, ut illi *Mart.* 1, 1. *Cur in theatrum Cato severe venisti? An ideo tantum veneras, ut exires?* Dicitur etiam *scazon*, idest claudicans, a σκάζω, claudico. *Diomed.* 3, 503.

CHOMA, ātis, n. χῶμα, agger, sive terrae aggestae moles, qua aqua coercetur: a χόω vel χώννυμι, aggerem educo, quod a χοῦς, terra egesta. *Ulp. Dig.* 47, 11, 10. In Aegypto qui chomata rumpit, vel dissolvit (hi sunt aggeres, qui quidem solent aquam Niloticam continere) aeque plectitur extra ordinem. ℙ [*Fuit et *Choma* opp. Lyciae. *Plin.* 5, 27. *B. A.*]

*CHOMĀRI, orum, Χόμαροι, pop. Asiae ulterioris, in Bactriana. *Plin.* 6, 16. *Mela* 1, 2. *B. A.*

CHONDRILLON, i, n. sive Chondrille, es, f. χονδρίλλον et χονδρίλλη, herba est folia habens intubi, circumrosis similia, caulem minus pedali, succo madentem amaro, radicem fabae similem, aliquando numerosam. *Plin.* 22, 22, 45.

CHONDRIS, is, f. herba eadem, quae pseudodictamnum. *Plin.* 25, 8, 53. et 26, 8, 31.

[CHONĬA, ae, f. χωνεία, fusio, conflatura. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1438, 7. Fabia Chonia. *F.*]

[CHŌRA, ae, f. χώρα, regio in Aegypto, prope Alexandriam. *Plin.* 6, 34. et 13, 4. *Inscr.* apud *Spon. Miscell.* p. 20. Ti. Claudius Demetrius Proc. Augg. NN. item CC. episcepseos chorae inferioris, *h. e.* ducentesimae inspectionis regionis inferioris. *F.* et *B. A.*

CHŌRĀGĬĀRĬUS, ii, m. qui choragio praeest, vel qui choragium instruit. *Inscr.* ap. *Grut.* 475, 2. A. Titio A. L. Bellico VI. Vir. Augustali choragiario. Adde *Not. Tir.* p. 172. Choragium, choragiarius.

CHŌRĀGĬUM, ii, n. χορήγιον, scenicum instrumentum, quo scena instruitur, et apparatur, a χόρος, chorus, et ἡγέομαι, duco. *Fest.* Hinc *Pl. Capt. prol.* 61. Comico choragio agere tragoediam. Adde *Appul. Apolog.* ℙ In plurali numero. *Val. Max.* 2, 4. *n.* 6. Scenam argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornavit. ℙ Item aedificium amplum post scenam, unde promebantur omnia ad ludos necessaria. *Vitruv* 5, 9. *Inscr.* ap. *Grut.* 42, 5. Trophimianus Aug. Lib. procurator summi choragii. ℙ Translate dicitur de cujuslibet rei apparatu. *Auct. ad Her.* 4, 50. Aut aliquot fragile falsae choragium gloriae comparetur. *Appul. Met.* 2. Choragium funebre. *Id. ib.* 4. *subf.* nuptiarum. *Ammian.* 29, 1. *a med.* Mensula imprecationibus carminum secretorum, choragiisque multis a diuturnis ritualiter consecrata. ℙ In illo *Vitruv.* 10, 13., *ubi de machinis hydraulicis.* Hae regulae habent ferrea choragia fixa, et juncta cum pinnis, quarum pinnarum tactus motiones efficit regularum. *Turneb.* emendat *cnodacia*: cui assentitur *Bald.* in *Lex. Vitruv.* At nihil mutandum; nam hic *Vitruv.* proprie *choragia* vocat ea, quae Itali *salterelli* in organis pneumaticis.

CHŌRĀGUS, i, m. χορηγός, est is, qui scenicis histrionibus ornamenta agendae fabulae necessaria, vel ab aedilibus accepta praebet, vel de suo locat. *Pl. Pers.* 1, 3, 78. Ornatam adduce lepide in peregrinum modum. *Sa.* Sed πόθεν ornarmenta? *To.* Abs chorago sumito: dare debet: praebenda aediles locaverunt. ℙ Est etiam dux chori, vel coetus. *Vet. epigr. de Augusto*, ap. *Suet. Aug.* 70. Cum primum istorum conduxit mensa choragum etc.

CHORALISTRĬA. V. CROTALISTRIA.

*CHORASMĬI, orum, pop. Asiae, in Sogdiana. *Plin.* 6, 16. *Curt.* 7, 4. et 8, 1. *B. A.*

[CHŌRAULĒ, es, f. χοραύλης, quae ad chori cantum tibia sonat. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 612. Licinia M. Crassi Lib. Selene Choraule. *F.*]

CHŌRAULES, ae, et Choraula, ae, m.

χοραύλης, qui ad chori cantum tibia sonat: a χορός, chorus, et αὐλή, tibia. Differt ab auloedo, vel citharoedo, quia hi soli tibia, vel cithara canunt, choraules vero cum choro, et cantoribus. *Mart.* 5, 56. Fac, discat citharoedus, aut choraules. *Id.* 9, 78. Quod optimum sit, quaeritis, convivium? In quod choraules non venit, *h. e.* in quod non confluit turba, et quieta mensa est. Nam choraules turba semper comitatus venit. *Appul. Met.* 8. *ad f.* Erat quidam juvenis, choraula doctissimus. Al. rectius leg. *ceraula. Inscr.* ap. *Polen. AA. RR. T.* 4. p. 353. Heriae Thisbe monodiariae Ti. Claudii Glaphyri choraulae. *Fragm. Petr.* Manu puer loquaci Aegyptius choraules, *h. e.*, ut ait *Sidon. ep.* 9, 13., Digitis canentibus. *Id. ib.* Date ravulos choraulas, Quibus antra per palati Crepulis reflanda buccis Gemit aura tibialis. ℙ Addunt *Jos. Scalig. in animadvers. ad Euseb. ad ann.* 1995. et *Voss.* in *Etymol. choraulem*, qui ad tibiam saltat, ὁ πρὸς αὐλὸν χορεύων, sed non probant. ℙ *Choraulo*, *onis*, m. et *Choraulus*, *i*, m. est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 250. *col.* 2. Cn. Caecilius Coraulo. Alia apud *eund.* 525, 7. Aulus Coraulus Mil. Leg. XXII. Utrobique extrita est aspirata *h* more Latinis usitato.

[CHORAULICUS, a, um, adj. ad choraulen pertinens. *Diomed.* p. 489. Quando enim chorus canebant, choricis tibiis, id est choraulicis, artifex concinebat. In canticis autem, pithaulicis responsabat. *F.*]

CHORDA, ae, f. χορδή, funiculus in instrumento musico, qui Latine *fides* dicitur: a χορδή, intestinum, quia ex tenuioribus animantium intestinis fissis contortisque fieri solet. *Cic. Or.* 3, 57. Voces ut chordae sunt intentae, quae ad quemque tactum respondeant. *Hor. Od.* 4, 9, 4. Verba loqui socianda chordis. *Tibull.* 2, 5, 3. vocales impellere pollice chordas. *Ov. Fast.* 2, 108. Reddidit icta suos pollice chorda sonos. *Id. Met.* 5, 339. Pollice praetentare chordas. *Id. ib.* 10, 145. tentare impulsas. *Id. Amor.* 2, 4, 27. querulas agili percurrere pollice chordas. *Id. rem. Am.* 336. tangere. *Stat. Achill.* 1, 187. experiri, *h. e.* tentare, an congruenter respondeant. [*Hor. *A. P.* 356. Citharoedus ridetur, chorda qui semper oberrat eadem. *Tibull.* 3, 4, 70. Chordis similes sonos voce reddere. *Virg. Cir.* Chorda tenui sonant psalteria.] ℙ Aliquando accipitur pro fune. *Pl. Most.* 3, 2, 55. Nunc tibi chorda tenditur; inde in ferriterium, postea in crucem recta, *h. e.* tibi vincula parantur. *Lambin.* explicat: arcus intento fune in te dirigitur, et periculum tibi creatur. ℙ Est etiam cibi genus, ex intestinis animalium, omasum, ap. *Athen.* 3, 14. et 9, 1. Hinc *Petr. fr. Tragur.* 66. *Burm.* Habuimus caseum mollem, et cochleas singulas, et chordae frusta. Al. leg. *cordae* eod. sensu.

CHORDACISTA, ae, m. qui chordis, seu fidibus canit. *Capell.* 9. p. 313. Psaltas, chordacistas, hydraulas ad commodum humanae utilitatis inveni. Al. leg. *cordacistas*, et eos intelligunt, qui cordacem saltant: quod hoc loco minus aptum est.

CHORDAPSUS, i, m. χόρδαψος, morbus ventris cum inflammatione et tumore intestini plenioris instar chordae extenti: a χορδή, intestinum, et ἅπτω, accendo: vel ἀπὸ τῆς χορδῆς ἅπτεσθαι, quod qui manu tangit, tensam chordam sibi tangere videatur. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. et Graece *Cels.* 4, 14.

CHORDUS, a, um, adj. ὀψίγονος, ὄψιος, serotinus, tarde nascens, aut maturescens. De origine vocis ita *Varr. R. R.* 2, 1. Dicuntur agni chordi, qui post tempus nascuntur, ac remanserunt in vulvis intimis. vocant χορίον (*h. e.* membranam, *qua fetus involvitur*) a quo chordi appellati. *Plin.* 8, 47, 72. Oves gerunt partum diebus CL: chordos vocabant antiqui post id tempus natos. *Id.* 18, 28, 67. *n.* 5. et *Cato R. R.* 5. Foenum chordum. *Colum.* 12, 13. Olus chordum. *Fest.* Chorda frumenta. ℙ Etiam de hominibus sero natis usurpari posse, colligitur ex illo *Quint.* 1, 4. *Nomina ex casu nascentium: hinc Agrippa, et Opiter, et Chordus, et Postumus.* Hinc Cremutius Chordus, Junius Chordus etc. ℙ Legitur et *Cordus* sine aspiratione, et quidem saepissime: ut in nummo gentis Muciae ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 256.

CHOREA, ae, f. χορεία, saltatio, tripudium cum cantu: a χόρος, chorus. *Virg. Cul.* 19. celebrate Deum plaudente chorea. *Lucr.* 2, 635. *de Curetib.* Cum pueri circum puerum pernice chorea Armati in numerum pulsarent aeribus aera. ℙ Saepius adhibetur in plur. numero. *Ov. Met.* 8, 581. festas duxere choreas. *Virg. A.* 9, 615. juvat indulgere choreis. *Mart.* 1, 105. Molles choreas dare. *Manil.* 5, 239. disponere. *Claud. B. Gild.* 448. Cantatrices choreae, *h. e.* quae ducuntur ad cantum. *Prop.* 2, 8, 5. Jam tempus lustrare aliis Heliconа choreis. [*Tibull. 1, 7, 49. Et centum ludis Geniumque choreis concelebra. *Hor. Od.* 2, 19, 25. Quamquam choreis aptior et jocis ludoque dictus.] ℙ Translate dicitur de cursu siderum. *Varr.* ap. *Non.* 6, 16. Cum pictus aer fervidis late ignibus Coeli choreas astricas ostenderet. *Manil.* 1, 668. Et quinque adverso luctantia sidera mundo Exercent varias naturae lege choreas. ℙ Nonnunquam poetae, extrita altera syllaba diphthongi, paenultimam corripiunt. *Virg. A.* 6, 644. Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt. *Prop.* 2, 15, 15. Protinus et nuda choreas imitabere sura.

CHOREPISCOPUS, i, m. χωρεπίσκοπος, qui episcopi vices gerit in pagis et vicis, ejusque munera minoris momenti in iis locis obit: sive is episcopali dignitate sit, sive non: qua de re V. ap. *Du Fresne in Glossario.* Est autem quasi τοῦ χώρου, idest agri, vel τῆς χώρας, idest regionis episcopus, vel ἐν χώρᾳ, *h. e.* vice, loco episcopi. De his mentio fit a *Justin. Cod.* 1, 3, 42. [*Cf. *A. Neander, hist. univers. relig.* et *eccles. christ.* II. 1. p. 340. sq.]

CHOREUS, i, m. χορεῖος, pes metricus disyllabus, qui et *trocheus* appellatur, constans longa et brevi, ut *arma*, *vincor:* ita dictus, quod ex eo compositi versus choreis saltandis, et choreis ducendis aptissimi sunt. Est autem adjectiva vox, et subintelligitur *pes. Cic. Or.* 63., *Quint.* 9, 4. ℙ *Choreus* quoque dicitur tribrachys, pes trisyllabus tribus brevibus constans, ut *terere*, *pedibus. Diomed.* 2, 261. et 3, 475. ℙ Legitur et *Chorius.*

CHOREUTES, ae, m. χορευτής, saltator quilibet ex choro. Putant quidam legi in fragmento *Petronii* supra allato in CHORAULES, sed valde incerta res est.

[CHOREUUSA, ae, f. χορεύουσα, part. verbi χορεύω, salto: choreuusae sunt appellatae quaedam insulae, quae cum fluctuarent, choreas ducere videbantur. *Varr. R. R.* 3, 17. Cum eorum tempore insulas Lydiorum ibi choreuusas vidisses. *F.* *Cf. *Mart. Capell.* 9, 314. V. *Turn. Advers.* 4, 6. *B. A.*] V. CALAMINUS et SALTUARIS.

CHORIAMBICUS, a, um, adj. ad choriambum pertinens, ut *choriambicus versus*, apud *Sidon. ep.* 9, 13. *in carm. priore.* ℙ *Choriambicum metrum* describitur a *Diomed.* 3, 509. Tale est illud *Hor. Od.* 1, 8, 2. Te Deos ora Sybarim quid properes amando. ℙ Sed alia quatuor sunt ejus genera, quae V. apud *Serv. in Centim.* p. 1822.

CHORIAMBUS, i, m. χοριάμβος, pes metricus quatuor syllabarum, constans choreo, et iambo, hoc est prima et ultima longis, et duabus mediis brevibus, ut *nobilitas*, *distulerant. Diomed.* 3, 478. ℙ Adjective *Auson. epist.* 10, 37. Dactylicos, elegos, choriambum carmen, epodos Carpentis impone tuis.

CHORICUS, a, um, adj. χορικός, ad chorum pertinens. *Choricum metrum*, ita dictum, quod choris aptum est, est species metri anapaestici, constans monometro hypercatalecto, ut *Animus male fortis. Auson. praef. ad Centon. nupt.* et *Servius in Centim.* p. 1821. ℙ *Choricae tibiae.* V. CHORAULICUS. ℙ Dicuntur etiam *chorici*, qui choris, seu choreis, et hujusmodi delectantur. *Firmic. Mathes.* 3, 14. Faciet etiam musicos, choricos, et qui musicos choros faciant.

CHORION, ii, n. χορίον. *Vitr.* 2, 8. *de structuris parietum.* Ponunt de silice, seu de lapide duro structuram ordinariam, et ita alligant eorum alternis choriis coagmenta. Et *paulo post.* Isodomum dicitur, cum omnia choria aequa crassitudine fuerint structa: pseudisodomum, cum impares et inaequales ordines choriorum diriguntur. *Choria* appellat, inquit *Salm. in Solin.*, ordines lapidum, qui aequali crassitudine sunt in structura isodomo. Addit autem, eadem significatione dictum esse *ab eod. ib.* 3. Lateres ad lineam cum struuntur, alternis choris parietes alligantur. Et *cit. cap.* 8. Sed nostri celeritati studentes, erectos choros locantes, frontibus serviunt etc. Sic enim utroque loco legit ex veteri MS. *Choros* autem esse ait, quos ibidem dixerat *ordines*, ducta translatione a choris hominum ordine consedentium, aut ludentium, et manibus invicem connexorum. Itaque *chori*, et *choria* sunt, ex ejus sententia, ordines et series laterum, aut lapidum, quibus veluti fasciis omnis parietum structura colligatur. Alii tamen minus recte leg. ubique *coria.* Sed sive *chorion*, sive *chorus* legere mavis, perinde est, dummodo ex χορός deducas, qui proprie significat ordinem rerum apte inter se nexarum. V. CHORUS.

CHORIUS. V. CHOREUS.

CHOROBATES, ae, m. instrumentum ad perlibrandas aquas, et loca, per quae perducendae sunt. Est enim regula longa circiter pedum viginti, habens in capitibus extremis ancones ad normam coagmentatos, et inter regulam et ancones transversaria, in quibus sunt lineae ad perpendiculum descriptae, pendentiaque ex regula perpendicula in singulis partibus singula. Ea humi collocata indicat libratam collationem. Haec *Vitr.* 8, 6., ubi *Dan. Barbarus*, et *Rusconius* figuram exhibent. Dicitur a χώρα, regio, et βαίνω, gradior. Aquam enim inquit *Bald. in Lex. Vitr.* diligenter librare non possumus, nisi regionem, per quam ducenda est, obambulemus, et oculis minute perlustremus.

CHOROCITHARISTA et Chorocitharistes, ae, m. χοροκιθαριστής, qui in choro citharizat. *Suet. Dom.* 4. Praeter citharoedos, chorocitharistae quoque, et psallocitharistae. Ubi *chorocitharistae*, et *psallocitharistae* opponuntur. *Chorocitharistae* enim dicuntur, qui cum aliis canunt, *psallocitharistae* qui vel soli canunt cithara sine melodia vocis, ut *Turn.* 20, 16. placet, vel una cum voce citharam pulsant, ut *Casaub. ex Athen.* et *Platone* interpretatur. Alii rectius leg. *Psilocitharistae*, ψιλοὶ κιθαρῳδοί, sola cithara, sine voce, canentes. *Not. Tir.* p. 172. Chorocitharistes, psilocitharistes. Ubi tamen mendose legitur *chorocitarestis* et *philocitarestis.* V. v. seq.

[CHOROCITHARISTRIA, ae, f. χοροκιθαριστρια, quae in choro citharizat. *Not. Tir.* p. 172. Chorocitharistria, chorocitharistes, psilocitharistria, psilocitharistes. Ibi mendose legitur *chorocitaris, chorocitarestis; philocitaris, philocitarestis. F.*]

CHOROEBUS. V. COROEBUS.

CHOROGRAPHIA, ae, f. regionis alicujus descriptio, *v. gr.* Agri Patavini: a χώρα, regio, et γράφω, describo. V. vocem sequent.

[CHOROGRAPHUS, i, m. χωρογράφος, regionis descriptor. *Vitr.* 8, 2. Haec autem sic fieri testimonio possunt esse capita fluminum, quae orbe terrarum chorographis picta, itemque scripta plurima maximaque inveniantur egressa ad septentrionem. Ita edidit *Schneid.:* aliae editiones habent *chorographiis. F.*]

[CHOROS, i, f. herba eadem ac acoros. *Appul. Herb.* 6. *F.*]

CHORS, et Cors, ortis, f. locus est in villa, maceriis, aut sepe circumdatus, in quo altiles aves custodiuntur, et alia ad usum villae servantur. Idem prorsus significat, quod *cohors*, sed *cohors* saepius adhibetur in re militari. Etymon est a χόω pro χάω, hisco: hinc χόρτος, cujus praet. praef. pass. κέχορται, unde χόρτος, septum, et Latinum *chors*, *chortis.* Hinc *Varr. L. L.* 4, 16. Cohors, quod ut in villa ex pluribus tectis conjungitur, ac quiddam fit unum; sic haec ex manipulis copulatur cohors: quae in villa dicta, quod circa eum locum pecus coerceretur. Tametsi cohortem in villa Iphicrates dicit esse Graece χόρτον apud poetas dictam. Ita legendum probat *Scalig. Varr.* ap. *Non.* 2, 112. Ad focum hieme coenitabant, aestivo tempore in propatulo, rure in corte, in urbe in tabulino. *Colum.* 2, 15. Filicem permiscere cum purgamentis chortis: *scil.* ad sterquilinum faciendum. *Mart.* 13, 45. Chortis aves, *h. e.* pulli gallinacei. *Id.* 3, 58. Vagatur omnis turba sordidae chortis, Argutus anser, gemmeique pavones ect. ℙ *Varr. R. R.* 1, 13. Chortes in fundo magno duae aptiores; una ut interius compluvium habeat lacum, ubi aqua saliat: *boves* enim ex arvo aestate reducti hic bibunt, hic perfunduntur, nec minus e pabulo cum redierunt anseres, sues, porci. In chorte exteriore lacum esse oportet, ubi maceretur lupinum, item alia, quae demissa in aquam ad usum aptiora fiunt, quaeque crebro operta stramentis ac palea occulcata pedibus pecudum fit ministra fundo, ut sit ex ea quod evehatur. *Colum.* 2, 15. fere similia habet. ℙ *Chors* etiam appellatur septum, in quo includuntur oves, cum longe a villa pascuntur. *Varr. R. R.* 2, 2. ℙ Dicitur etiam de stabulis boum in ipsa villa. *Vitr.* 6, 9. ℙ Ad scriptionem quod attinet *Dausq.* mavult scribi *cors* sine aspiratione: contra *Vossio* magis placet *chors*, quod ita legatur in vett. libb. et quod aptissime derivetur a Graeco χόρτος, ut supra dictum est.

*CHORSARI, orum, Persae a Scythis olim appellati. *Plin.* 6, 17. *Solin.* 49. *B. A.*

CHORTINON Oleum, χόρτινον ἔλαιον, est, quod fit ex gramine herba. Nam gramen Graece χόρτος dicitur. *Plin.* 15, 7, 7.

CHORUS, i, m. χόρος: a χόω pro χάω, hio, proprie enim significat ordinem nexumque hominum saltantium et canentium ac praecipue in sacris. *Cic. Phil.* 5, 6. Saltatores, citharistas, totum denique commissationis Antonianae chorum etc. *Suet. Cal.* 37. Discumbere inter choros et symphonias. *Hor. Od.* 1, 1, 31. Nympharumque leves cum Satyris chori. *Virg. Ecl.* 6, 67. Utque viro Phoebi chorus assurrexerit omnis, *h. e.* Musae. *Id. G.* 4, 460. Chorus Dryadum. *Id. A.* 5, 240. Nereidum Phorcique chorus. *Id. ib.* 8, 718. Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aris. *Id. ib.* 11, 757. Indicere choros. *Id. ib.* 4, 145. instaurare. *Id. ib.* 1, 503. exercere. *Id. G.* 4, 533. agitare. *Hor. Od.* 4, 7, 5. Gratia cum Nymphis, geminisque sororibus audet Ducere nuda choros. *Prop.* 2, 2, 28. Agere choros. *Id. ib.* 25, 42. et ad molles membra resolve choros. *Senec. Herc. Oet.* 367. nectere. *Id. ib.* 593. celebrare. ℙ Speciatim a poetis dicitur de coetu siderum. *Hor. Od.* 4, 14, 21. Pleiadum choro scindente nubes. Adde *Prop.* 3, 3, 58. et *Tibull.* 2, 1, 88. et *Stat. Achill.* 1, 643. ℙ Item de coetu eorum, qui in scena simul canunt, et interloquuntur: et de ipso carmine, quod ab iis canitur. *Hor. Art. P.* 193. Actoris partes chorus, officiumque virile Defendat. Adde *ib.* 204. et 283. et *Gell.* 19, 10. ℙ Translate sumitur pro quocumque coetu et comitatu. *Cic. Mur.* 24. Catilina stipatus choro juventutis. *Id. Att.* 14, 8. Bajana negotia, chorumque illum, de quo etc., *h. e.* turbam hominum, qui Bajis ver-

santur voluptatis causa. *Id. Fin.* 1, 8. Epicurum paene e philosophorum choro sustulisti. *Hor. Ep.* 2, 2, 77. Scriptorum chorus omnis amat nemus, et fugit urbes. *Senec. Agamemn.* 454. Chorus piscium lascivit. *Cic. Off.* 3, 33. Chorus virtutum. ℙ Pro caterva pugnantium ludicro certamine, *Virg. A.* 5, 580. Olli discurrere pares, atque agmina terni Diductis solvere choris. ℙ Accipitur etiam pro chorea, *h. e.* pro ipsa saltatione et cantu, qui choro fit. *Mart.* 4, 44. Hoc nuper Satyri monte dedere choros. *Tibull.* 2, 1, 88. currumque sequuntur Matris lascivo sidera fulva choro. ℙ Aliam significationem V. in CHORION. ℙ Quidam lexicographi addunt *chorum* esse musicum instrumentum duabus aereis fistulis constans, quarum altera inspiretur, altera sonum emittat: idque auctoritate *Hieronymi* in *Epist. ad Dardanum de divers. generib. musicorum*, ut habetur in edit. A. 1476., sed jamdiu est, cum illam esse suppositiam a viris doctis deprehensum est.

[CHOSDROËNA, ae, f. idem ac Osdroena, vel Osroena: nomen regionis in Mesopotamia, ita dictae ab Osroë, vel Chosroë, qui ibi quondam regnavit, ut tradit *Procop. Pers.* 1, 17. *Inscr.* ap. *Grut.* 346, 1. Q. Aelio Januario procuratori Chosdroenae. *F.*]

[CHRĒMĀTĬUM, ii, n. diminutivum a χρῆμα, id est res, cum qua versamur, et qua utimur. Est cogn. muliebre Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 638, 9. Fouria Crematium. Extrita nempe aspirata *h*, uti saepe factum apud Latinos. *F.*]

[CHRĒMĒ, es, f. χρήμη, indigentia. Est cog. Rom. *Inscr.* ap, *Mur.* 1262, 7. Junia Chreme. *F.*]

[CHRĒMES, ētis, m. Χρέμης, ab inusit. χρέμω, screo, in cujus locum Graeci dicunt χρέμπτομαι. Nomen senis ab exscreandi crebritate ita appellati, ap. *Terent.* in *comoed.* et *Hor. Epod.* 1, 33. Avarus ut Chremes. Et *Sat.* 1, 10, 40. Arguta meretrice potes Davoque Chremeta Eludente senem, comis garrire libellos. *Chremeta* accusat. Graecae positionis. *F.*]

[CHRĒSĪMUS, et Cresimus, i, m. et Cresime, es, f. χρήσιμος, χρησίμη, utilis. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 227. *n.* 604. Q. Largennius Chresimus. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 124, 3. P. Vigellius Cresimus. Alia ap. *Grut.* 12, 5. Caesia Chresime. *F.*]

[CHRESTA, ae, et Chreste, es, f. et Chrestus, i, m. χρηστή, et χρηστός. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 652, 1. Vibia Chresta. Alia *ib.* 395, 2. Albutia Chreste. Alia ap. *Mur.* 2075, 3. Q. Mutilius Chrestus. *F.*]

[CHRESTILLA. ae, f. diminut. Chrestae, nomen mulieris ap. *Mart.* 2, 31. *F.*]

CHRESTOLOGUS, i, m. χρηστολόγος, qui bene loquitur, sed male facit: vel qui blandus est magis, quam beneficus: a χρηστός, bonus, benignus, et λέγω, dico. Hoc convicio notatus est a suis Pertinax imperator Rom., teste *Capitol. in ejus Vita* 13. et *Aurel. Vict.* in *Epitom.* 18.

CHRESTON, n. χρηστόν, appellatur a quibusdam cichorium herba, propter singularem salubritatem: a χρηστός, utilis, commodus. *Plin.* 20, 8, 30.

CHRESTUS, i, m. χρηστός, sic olim perperam appellatus est JESUS CHRISTUS Salvator noster a Romanis veri nominis rationem ignorantibus: et Christiani *Chrestiani*, ut *Tertull. Apolog.* 3. *in f.* et *Luctant.* 4, 7. docent. Legitur etiam ap. *Suet. Claud.* 25. Putabant enim esse a χρηστός, utilis, cum sit a χριστός, unctus.

CHRIA, ae, f. χρεία, est commemoratio, seu explicatio alicujus dicti, vel facti, vel utriusque simul, certis capitibus comprehensa: sic dicta, quod est exercitatio valde utilis ad eloquentiam adipiscendam. Nam χρεία est usus, utilitas, commodum. Triplex est, activa, quae factum aliquod exponit; verbalis, quae sententiam ab aliquo prolatam explicat; mixta, quae factum quodpiam sermone conjunctum complectitur. Partes ejus octo sunt, encomium, paraphrasis, causa, contrarium, simile, exemplum, testimonium veterum, epilogus. ℙ Proprie *Chria* vocatur ipsum dictum, aut factum, quod Chriae materia est, et Latine *oraculum*, et *scitum* dici potest. *Quint.* 1, 9. Sententiae quoque, et chriae, et ethologiae, subjectis dictorum rationibus, apud grammaticos scribantur. (V. ibi reliqua, quibus plura chriarum genera enumerat.) *Senec. ep.* 33. Ideo pueris et sententias ediscendas damus, et has, quas chrias Graeci vocant, quia complecti eas puerilis animus potest. ℙ De ratione declinandi per omnes casus exercitationem chriarum disserit grammatico more *Diomed.* 1, 289.

CHRISMA, ātis, n. χρίσμα, unctio: a χρίω, ungo. *Tertull. Baptism.* 7. et *advers. Jud.* 13. et *Prudent. Cathemer.* 6, 128. et *Psyschom.* 361.

CHRISTĬĀNĒ, adv. Christiano more, atque adeo caste, sancte, religiose. *August. ep.* 89. *sub f.* Domos suas, et familias Christiane regunt.

CHRISTĬĀNISMUS, i, m. Χριστιανισμός, Christianorum religio. *Tertull. adv. Marc.* 4, 33. *post med.*

CHRISTĬĀNĪTAS, atis, f. idem quod Christianismus. *Impp. Honor. et Theod. Cod. Theod.* 16, 8, 19. ℙ Sumitur etiam pro clericatu in religione Christiana. *Imppp. Valent., Theod. et Arcad. Cod. Theod.* 12, 1, 123. et *Impp. Valent. et Valens ib.* 14, 3, 11.

CHRISTĬĀNIZO, as, n. Χριστιανίζειν, Christianum ago, Christianam religionem profiteor. *Tertull. adv. Marc.* 1, 21.

CHRISTĬĀNUS, a, um, adj. Χριστιανός, ad CHRISTUM, et Christianam religionem pertinens. *Suet. Ner.* 16., *Tac. A.* 15, 44., *Plin. ep.* 10, 97. et praeterea *Lactant.*, *Tertull.*, *Arnob.*, *Hieron.* etc. saepissime, et lapides duo ap. *Grut.* 280, 2. et 3. ℙ Sup. *Christianissimus* legitur ap. *Hieron. ep.* 57. *n.* 12.

CHRISTĬCŌLA, ae, m. et f. qui CHRISTUM colit, Christianus. *Prud. Cathemer.* 3, 56. et *ib.* 8, 80. ℙ In genit. plur. *Christicolum* pro *Christicolarum* dixit *Id. contra Symmach.* 2, 1002. et περὶ στεφ. 3, 72.

CHRISTĪGĒNA, ae, m. et f. qui genere CHRISTUM contingit. *Prudent. Hamartig.* 789. *de Ruth* Christigenam fecunda domum, Davidica regna Edidit.

CHRISTĪPŌTENS, entis, qui in CHRISTO potest, qui fide et pietate in CHRISTUM valet. *Prudent. advers. Symmach.* 2, 709. Christipotens juvenis.

CHRISTUS, i, m. ΧΡΙΣΤΟΣ, unigenitus Dei filius, Deus et homo, humani generis salvator: a χρίω, ungo. Hoc enim nomine designatur ejus potestas, ac dignitas sacerdotalis simul, et regia. Nam ap. Judaeos mos erat, ut qui ad sacerdotium, vel ad regnum vocabantur, sacro unguento perungerentur, ut est ap. *Lactant.* 4, 7. V. etiam *Plin. ep.* 10, 97. et *Suet. Claud.* 25. *Adde *Tac. A.* 15, 14. *B. A.*

CHROMA, ātis, n. genus musicae est, quae, ut inquit *Vitr.* 5, 4., subtili solertia ac crebritate modulorum suaviorem habet delectationem. ℙ A nostris musicis *chromata* dicuntur nigrae notulae minutiores, vel a colore (χρῶμα enim est color), vel quod in chromatico modulationis genere praecipue locum habent. V. *Petr. Gassend. in manuduct. ad theor. Musices.*

CHROMATIĀRIUS, ii, m. *Vet. Schol. Pers.* 4, 18. Chromatiarii dicuntur colorarii, vel qui toto die in arena sunt, vel in sole. Antiqui enim ungebant se, et in sole erant, ut oleum corpus imbiberet.

CHROMĀTĬCE, es, f. χρωματική, una ex tribus musicae partibus, quae et *chroma* dicitur. *Vitr.* 5, 5. V. CHROMA.

CHROMATĬCUS, a, um, adj. χρωματικός, *Chromaticum genus* ap. *Vitr.* 5, 5. et *Macr. Somn. Scip.* 2, 4 *ad f.* est idem quod Chroma, et Chromatice. V.

CHROMIS, is, f. χρωμίς, piscis est marinus in aquis nidificans, et auditus sensu acuto praeditus. *Plin.* 32, 11, 54. et 10, 70, 89.

[CHROMIS, is, m. Χρόμις, Herculis filius, quem constat equos habuisse Thracas, quos Hercules occiso rege Diomede abduxerat humanis carnibus vesci consuetos. Haec habet *Lactant.* ad illud *Stat. Theb.* 6, 346. At Chromis, Hippodamusque alter satus Hercule magno. Sed *Hygin. fab.* 30. narrat, Herculem ipsos etiam equos occidisse. *F.*]

CHRONĪCA, orum, n. plur. τὰ χρονικά, historiae cum descriptione temporum, quibus scilicet res gestae, servato temporum ordine, digeruntur: a χρόνος, tempus. Differunt ab annalibus, quod hi commemorant, quid quoque anno in gente una contigerit, illa plurium gentium res exponunt. *Plin.* 35, 9, 35. Chronicorum errore non dubio. *Gell.* 17, 4. Apollodori liber, qui chronica inscriptus est. *Id.* 15, 16. In chronicis scriptum est. Adde 17, 21.

CHRONĪCUS, a, um, adj. χρονικός, *Chronici libri* sunt ipsa Chronica. *Gell.* 17, 21. Excerpebamus ex libris, qui chronici appellantur. ℙ *Chronici morbi* sunt, qui diu durant: quibus opponuntur *acuti*, qui brevi vel sanantur, vel conficiunt. *Coel. Aurel.* quinque libros suos *Chronicorum morborum* inscripsit. Dicitur etiam *Chronius*, *a*, *um*, eod. sensu. *Id. Acut.* 2, 28. *in f.* et *ib.* 3, 16.

CHRONĬUS. V. v. praec. ℙ [Est etiam *Chronius* cogn. Rom.: a χρόνιος, serus, diuturnus, tardus. *Inscr.* ap. *Donat.* 424, 21. C. Cottius Chronius. *F.* ℙ **Chronius*, *i*, flumen Sarmatiae Europaeae, hodie ut volunt quidam, *Niemen. Ammian.* 22, 18. Χρόνος est *Ptolem. B. A.*]

CHRONOGRĀPHUS, i, m. χρονογράφος, qui res gestas per sua quamque tempora digerit, ac describit: a χρόνος, tempus, et γράφω, scribo. *Sidon. ep.* 8, 6. *in f.* Varronem logistoricum, sicut poposceras et Eusebium chronographum misi.

*CHRYSA, ae, opp. Mysiae, ubi Apollo colebatur. *Mela* 1, 18. *Plin.* 5, 30. Dicitur et *Chryse* (Χρύση *Hom. Il. A.* 37.) *Ov. Met.* 13, 174. ℙ Item insula prope Cretam. *Plin.* 4, 12. *Chryse* appellata a *Mela* 2, 7. *med. B. A.*

*CHRYSAE et ARGYRAE, insulae extra ostium Indi, feraces auri et argenti. *Plin.* 26, 21. *B. A.*

CHRYSALLIS et Chrysălis, ĭdis, f. χρυσαλλίς et χρυσαλίς. Hoc nomine appellantur insecta, quae primo sui ortu vermiculi sunt, deinde circa se folliculum, seu telam aranei similem obducunt, eaque se involvunt; ex qua postea se expedientes, emissis alis evolant, ut v. gr. bombyces, ex quibus sericum conficitur. Cum itaque folliculo illo involuta sunt, *chrysallides* appellantur: a χρυσός aurum, quia multae harum bestiolarum aurei coloris inveniuntur. *Plin.* 11, 32, 37. Et *ib.* 35, 41. quae loca V.

[CHRYSAMPĔLUS, i, m. vitis aurea: a χρυσός, aurum, et ἄμπελος, vitis. Nomen servile Roman. *Inscr.* ap. *Grut.* 530, 2. T. Cassio Flavino Chrysampelus patrono optimo. *F.*]

CHRYSANTHĔMUM, i, n. χρυσάνθεμον, alio nomine heliochryson, herba est ramulos habens candidos, folia subalbida, abrotono similia, ad solis repercussum aureae lucis, in orbem veluti corymbis dependentibus, qui nunquam marcescunt: a χρυσός, aurum, et ἄνθεμον, flos: heliochrysos vero est ab ἥλιος, sol, et χρυσός, aurum. *Plin.* 21, 25, 96.

[CHRYSANTHES, is, n. χρυσανθές, herba eadem fortasse ac chrysanthemum. *Virg. Cul.* 404. Chrysanthesque, hederaeque nitor, pallente corymbo. Alii leg. *chrysanthusque*. *F.*]

CHRYSANTHĬĀNUS, a, um, adj. *Certamen Chrysanthianum*, cujus mentio fit a *Marcell. Dig.* 33, 1, 24., dictum est a quodam Chrysanthio Sardis in Lydia sacrorum praefecto, qui solemne certamen, ac ludos instituerat, et suo nomine appellandos reliquerat. Ita *Cujac.* ex *Eunapio Sardiano*, qui scripsit Vitas philosophorum, et sophistarum sui temporis.

[CHRYSANTHUS, i, m. et Chrysanthis, ĭdis, f. aureus flos: a χρυσός, aurum, et ἄνθος, flos. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 56. M. Aemilius Chrysanthus. Alia ap. *Grut.* 432, 8. Julia Chrysanthis. *F.*]

[*CHRYSĂOR, ŏris, m. Χρυσάωρ, frater Pegasi, Medusae filius ex Neptuno, qui ex Callirhoe Gerionem suscepit. *Hygin. fab.* 151. ℙ Fuit etiam nom. servile Rom., ex χρυσός, aurum, et ἄορ, ensis, aureo ense praeditus. *Inscr.* ap. *Mur.* 528, 5. Chrysaori Aug. Lib. praegustatori. *F.* et *B. A.*]

[CHRYSĂRION, onis, f. et Chrysărium, ii, n. χρυσαρίων et χρυσάριον, diminut a χρυσός. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 729, 9. Fulviae Chrysarioni. Alia ap. *Mur.* 995, 11. Chrysarium Liviae *Liberta* Hermae *filio* suo. *F.*]

[*CHRYSAS, ae, m. flumen Siciliae prope urbem Assorum, nunc *Asero*, fluens, quod ut Deus ab Assorinis cultus fuit, nunc *Dittaino* appellatur. *Cic. Verr.* 2, 4, 44. Chrysas est amnis, qui per Assorinorum agros fluit; is apud illos habetur Deus, et religione maxima colitur: fanum ejus est in agro propter ipsam viam, qua Assoro itur Ennam: in eo Chrysae est simulacrum, praeclare factum e marmore. [**Sil.* 14, 229.] ℙ In nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 198. legitur *Crysas* sine aspiratione. *F.* et *B. A.*]

[CHRYSASPIS, ĭdis, m. χρυσάσπις, clypeum aureum habens: a χρυσός, aurum, et ἀσπίς, clypeus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 879, 12. T. Flavius Chrysaspis. *F.*]

[CHRYSAURIS, is, f. inauris aurea, a χρυσός, aurum, et auris. Est cogn. muliebre Rom. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 260. Aemilia Chrysauris. *F.*]

*CHRYSE, es, χρύση, insula prope Cretam. V. *Chrysa*. ℙ Item Indiae insula. *Mela* 2, 7. *fin Plin.* 6, 21. ℙ Et Asiae promont., in regione Serum. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

[CHRYSEI, orum, m. plur. populi Indiae, qui insulam incolebant Chrysen appellatam ob auri copiam, fortasse nunc *Malacca*. *Plin.* 6, 20, 23. *F.*]

CHRYSEIS, ĭdos, f. Χρυσηΐς, Astynome filia Chrysae. *Ov. R. Am.* 469. et *Trist.* 2, 373. V. CHRYSES.

CHRYSELECTRUM, i, n. χρυσήλεκτρον, genus electri coloris aurei: a χρυσός, aurum. *Plin.* 37, 3, 12. ℙ Item gemma in colorem electri declinans matutino tantum aspectu jucunda *Id. ib.* 9, 43.

[CHRYSELLIUS, ii, m. sellam auream habens: a χρυσός, aurum, et sella. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 965, 4. A. Mulvius Chrysellius. *F.*]

CHRYSENDĔTON, i, n. χρυσένδετον, vas escarium, in quo cibi mensae inferendi reponuntur, ut ex *Mart.* 2, 43., 6, 94. et 14, 97. colligitur. Dicitur *chrysendeton*, hoc est auro vinctum, auro ornatum, aureo emblemate insertum: a χρυσός, aurum, et ἐνδέω, illigo, adstringo. Revera adjectivum est, et subintelligitur σκεῦος, aut quid simile. Hinc in citato epigrammate *Mart.* 14, 97. habetur *Lances chrysendetae*.

[CHRYSĒROS, ōtis, m. auri cupido: a χρυσός, aurum, et ἔρως, amor. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Donat.* 463, 14. C. Valerius Chryseros. *F.*]

CHRYSES, ae, m. Χρύσης, Sminthii Apollinis sacerdos, pater Astynomes, quae a nomine ejus *Chryseis* cognominata fuit. Cum Graeci, expugnatis Thebe, Cilla, Chryse, Lyrnesso, et aliis, virginem abduxissent, et Agamemnoni in praedae divisione tradidissent, Chryses Apollinis insignibus

exornatus, ad Graecorum castra accessit, filiamque sibi petiit restitui: quod cum impetrare non potuisset, Apollinis auxilium imploravit, qui tam gravem Graecis pestilentiam immisit, ut Agamemnon patri puellam restituere coactus fuerit. Ejus autem loco Achilli Hippodamiam Briseae filiam eripuit. Hinc inter Achillem, et Agamemnonem implacabile dissidium ortum est. *Ov. A. Am.* 2, 401. Audierat, laurumque manu vittasque ferentem Pro nata Chrysen non valuisse sua. Adde *Hygin. fab.* 121. et *Auct. Priap.* 70.

CHRYSĔUS et Chryseos, a, um, adj. χρύσεος, aureus: a χρυσὸς, aurum. *Mart.* 9, 95. Chalcea donanti chrysea qui dederat. ℙ *Chryseos basiliscus* ap. *Appul. Herb.* 128. est basiliscus coloris aurei. V. CHRYSOCEPHALOS.

[CHRYSĬON, ii, n. χρυσίον, aureus nummus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 240, 6. Ti. Claudius Chrysion. *F.*]

CHRYSIPPĔUS, a, um, adj. ad Chrysippum pertinens, Χρυσίππειος. *Cic. Acad.* 4, 30. Haec Chrysippea sunt, ne ab ipso quidem dissoluta. *Hieronym. ep.* 69. *n.* 2. Chrysippeum sophisma. ℙ *Chrysippea* ap. *Plin.* 26, 9, 69. est herba a Chrysippo inventore sic dicta.

CHRYSIPPUS, i, m. Χρύσιππος, Apollonidae filius, patria Solensis, sive, ut alii malunt, Tarsensis, stoicae sectae philosophus, auditor Zenonis et Cleanthis, post quos etiam scholae praefuit, et habitus est princeps stoicorum. In dialectica longe omnibus antecelluit. De exitu ejus varia tradunt. Quidam volunt, a discipulis ad sacrificium vocatum, cum vinum dulce affatim hausisset, anhelitus difficultate laborare coepisse, atque ita quinto demum die fato concessisse, annos jam natum circiter tres et septuaginta. Alii ferunt nimio risu exspirasse. Nam cum ficus rure allatos asinum comedentem videret, ancillae imperavisse ajunt, ut vinum asino bibendum daret, ejusque dicti urbanitate tantopere sibi placuisse, ut nimio risu suffocaretur. Mortuo Athenienses statuam posuerunt in Ceramico. *Pers.* 6, 80. Inventor, Chrysippe, tui finitor acervi, *h. e.* soritae. ℙ *Chrysippus* fuit etiam Pelopis filius nothus, propter formae dignitatem a patre valde amatus, quod aegre ferens ejus noverca Hippodamia liberos suos Atreum, et Thyesten impulit, ut illum interficerent; quamobrem a Pelope pulsi in exsilio vitam degerunt, donec vixit eorum pater. *Hygin. fab.* 85. ℙ *Chrysippus* est etiam cogn. Rom., et significat aureos, vel flavos, vel strenuos equos habentem: a χρυσὸς, aurum, et ἵππος, equus. *Inscr.* ap. *Grut.* 397, 2. M. Cornelius Chrysippus. *F.* ℙ *Fuit item Chrysippus Ciceronis libertus. *Cic. Att.* 7, 2. ℙ *Chrysippus Vettius* Cyri architecti fuit libertus. *Cic. Fam.* 7, 12. ℙ Alius, medicus, Cnidius, vixit temporibus Alexandri M. *Plin.* 29, 1. *B. A.*]

[CHRYSIS, idis, f. χρυσὶς, aurea. Cogn. muliebre Rom. frequentissimum. *Inscr.* ap. *Grut.* 518, 9. Aemilia Chrysis. *F.*]

CHRYSĪTES, ae, m. χρυσίτης, lapis niger, intermixtis micis aurei coloris, a χρυσὸς, aurum, idem ac basanites, seu Phrygius lapis. *Plin.* 36, 22, 43. ℙ Item gemma, quae et *phloginos* appellatur, ochrae Atticae assimilita, et in Aegypto invenitur. Porro *phloginos* dicitur a colore flammeo, qui cum aureo valde convenit. *Id.* 37, 10, 66.

CHRYSĪTIS, ĭdis, f. adj. χρυσῖτις, chrysitis spuma dicitur, quae in argenti fodinis fit, colore flavo, seu aureo: a χρυσὸς, aurum. *Plin.* 33, 6, 35. ℙ Est etiam hoc nomine herba palmi altitudine, comantibus fulgore auri corymbis, radice nigra ex austero dulci, in petrosis opacisque nascens. Eadem dicitur *chrysocome*, χρυσοκόμη: a χρυσὸς, aurum, et κόμη, coma. *Plin.* 21, 8, 26. Et *ib.* 20, 85.

CHRYSOASPĬDAE, arum, m. plur. χρυσοάσπιδαι, milites, qui clypeos auro coelatos gestant: a χρυσὸς, aurum, et ἀσπὶς, clypeus. Alexander Severus Imp. Alexandrum imitaturus, fecerat sibi argyroaspidas, et chrysoaspidas, ut scribit *Lamprid. in ejus Vita* 50. Tale quid priscis etiam reip. Rom. temporibus factum a Samnitibus, scribit *Liv.* 9, 40.

CHRYSOBERYLLUS, i, m. χρυσοβήρυλλος, beryllus pallidior, cujus viriditas in aureum colorem resplendet. *Plin.* 37, 5, 20.

[CHRYSOCALIS, is, f. herba eadem ac parthenium. *Appul. Herb.* 23. *F.*]

CHRYSOCANTHOS, i, genus hederae, grana ferens coloris aurei. *Appul. Herb.* 119. ℙ Eandem *Plin.* 16, 34, 62. appellari ait *chrysocarpum*: a χρυσὸς, aurum, et καρπὸς, fructus.

CHRYSOCARPUS. V. v. praec.

CHRYSOCĔPHALOS, i, m. χρυσοκέφαλος, genus est basilisci aureo capite: a χρυσὸς, aurum, et κεφαλὴ, caput. *Appul. Herb.* 128.

[CHRYSOCĔRUS, i, m. χρυσόκερως, aurea cornua habens: a χρυσὸς, aurum, et κέρας, cornu. Est nom. servile Rom. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 589. *n.* 199. Dionysia conservo Chrysocero. *F.*]

[CHRYSOCOCCUS, a, um, adj. aurea grana habens, a χρυσὸς, aurum, et κόκκος, granum. *Appul. Herb.* 28. Herba regula habens florem chrysococcum. *F.*]

CHRYSOCOLLĂ, ae, f. χρυσοκόλλα: est a χρυσὸς, aurum, et κόλλα, gluten, quia aurum agglutinat. Duplex est, nativa, et facticia. Nativa est humor, qui in aurifodinis per venas auri defluit, et crassescit rigoribus hibernis usque ad duritiem pumicis. Invenitur etiam in metallis argentariis, aerariis, et plumbariis. Temperatur Cypria aerugine, et urina, addito nitro. Hujusmodi ferrumen santernam vocant, *Plin.* 33, 5, 26. 27. 28. et 29., *Vitruv.* 7, 9. *ad f.* ℙ Facticia est, quae fit ex caeruleo, et herba lutea, quae lutum appellatur, et viridissimum colorem contrahit. *Plin.* 33, 5, 27., *Vitruv.* 7, 14. ℙ *Plin. ib.* 27. narrat, Neronem in solemni aurigatione Circi arenam chrysocolla stravisse. *Id. ib.* tradit, pictores ea usos fuisse in pingendo, et orobitin appellasse, eamque *Id. in prooem. ejusd. lib.* vocat auri saniem. ℙ *Chrysocolla* est et herba, eadem ac amphitane. *Plin.* 37, 10, 54. V. AMPHITANE. [*Auxit locum. *F.*]

CHRYSOCŌME. V. CHRYSITIS.

CHRYSOCŌMES, ae, m. χρυσοκόμης, comam habens coloris aurei, auricomus: a χρυσὸς, aurum, et κόμη, coma: estque epithetum Apollinis, propter fulgorem radiorum. *Macr. Sat.* 1, 17. *post med.*

[CHRYSOGĔNES, is, m. et Chrysogonus, i, m. auri filius: a χρυσὸς, aurum, et γένος vel γόνος, soboles. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Gud.* 286, 10. Q. Trebius Chrysogenes. Alia ap. *Grut.* 1032, 6. L. Sentius Chrysogonus. *F.*]

*CHRYSOGŌNUS, i, χρυσογόνος, i. e. auro natus, libertus gratiosus Sullae. *Cic. Rosc. Am.* 3, 7, 8. sqq. *Plin.* 35, 18. ℙ Item citharoedus, de quo *Juven.* 6, 74. *B. A.*

CHRYSOGRĂPHĂTUS, a, um, adj. auro pictus, et ornatus, χρυσόγραφος: a χρυσὸς, aurum, et γράφω, pingo. *Valerian. Imp. in epist.* ap. *Trebell. Claud.* 14. Scuta chrysographata.

CHRYSOLACHĂNUM. V. ATRIPLEX.

CHRYSOLAMPIS, idis, f. χρυσόλαμπις, lapillus, qui die pallescit, nocte ignei, sive aurei coloris est: a χρυσὸς, aurum, et λάμπω, splendeo. *Plin.* 37, 10, 56.

CHRYSOLĪTHUS, i, m. *topazio* vocant Itali, χρυσόλιθος, lapis pretiosus, aureo nitore translucens: a χρυσὸς, aurum, et λίθος, lapis. *Propert.* 2, 13, 44. Quosque dedit flavo lumine chrysolithos. ℙ Chrysolithus vitreus, de quo *Plin.* 37, 9, 44., est gemma, quam Itali *giacinto* appellant. ℙ *Plin.* 37, 9, 42., ubi de chrysolithis verba facit, et eorum genera recenset, feminino genere usurpat: nisi malis ubique subintelligere vocem *gemma*. Certe λίθος apud Graecos utroque genere effertur.

CHRYSOMALLUS, i, m. χρυσόμαλλος, h. e. aureum vellus habens: a χρυσὸς, aurum, et μαλλὸς, villus, lana. Ita appellatur in fabulis auratus ille aries, qui Colchos Phryxum vexit. *Hygin. fab.* 188. ℙ [Est etiam cogn. Rom., et illum significat, qui rubra est coma. *Inscr.* ap. *Mur.* 470, 6. L. Aponius Chrysomallus. *F.*]

CHRYSOMĒLĪNUS. V. v. seq.

CHRYSOMĒLUM, i, n. χρυσόμηλον, genus est mali cotonei incisuris distinctum, colore ad aurum inclinato: a χρυσὸς, aurum, et μῆλον, pomum. *Plin.* 15, 11, 10. ℙ Hoc idem vocatur *chrysomelinum malum* a *Colum.* 5, 10. *ad f.* Perperam in quibusdam editionibus dicitur *chrysomelianum*.

CHRYSOPASTUS, i, m. χρυσόπαστος, gemma ex genere chrysolithorum, aurei coloris. *Solin.* 30. *in f.*, ubi V. *Salmas.*

[CHRYSOPHONIA, ae, f. auream, seu pulcram vocem habens: a χρυσὸς, aurum, et φωνὴ, vox. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 713, 13. Verria Chrysophonia. *F.*]

[CHRYSOPHŌRUS, a, um, adj. χρυσοφόρος, aurum ferens: a χρυσὸς, aurum, et φέρω, fero. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 240. *col.* 1. Q. Caecilius Chrysophorus. Alia ap. *eund.* 683, 6. Flavia Chrysophora. *F.*]

CHRYSOPHRYS, yos, f. χρυσόφρυς, piscis idem, qui aurata: a χρυσὸς, aurum, et ὄφρυς, supercilium, quia locis illis, ubi cetera animalia supercilia habere solent, aureo colore fulget. *Ov. Halieut.* 110. et auri Chrysophrys imitata decus.

CHRYSŌPIS, ĭdis, f. χρυσωπὶς, gemma, quae aspectum et speciem auri habet: a χρυσὸς, aurum et ὤψ, vultus, species. Ita legit apud *Plin.* 37, 10, 56. *Hard.* ex MSS. Alii *Chrysophis*, quod rectius; nam ea gemma est colore e viridi flavescente, buxeo, sive ad auri splendorem accedente, ideoque pellem quorumdam serpentium imitatur: *Chrysolith.*

CHRYSŌPŌLIS, is, f. nunc *Scutari*, prom. Asiae, cum arce, in Bithynia, apud Chalcedonem, contra Byzantium: ita dictum, quod ibi Persae tributa exigerent, vel a Chryse fil. Agamemnonis, et Chryseidis. *Plin.* 5, 32, 43. et *Ammian.* 28, 8.

[CHRYSOPRĀSIS, is, m. idem ac chrysoprasus. *Venant. Vit. S. Mart.* 3, 468. Quae palla ex humeris, mixto chrysoprase beryllis. Hic *Venant.* malus auctor prosodiae paenultimam in *chrysoprase* producit, et novo exemplo tertiae declinationis nomen facit. *Editio Rom.* perperam legit *chrysopraso*. *F.*]

CHRYSOPRĂSĬUS Lapis, χρυσοπράσιος, gemma est ex genere viridantium, porri succum referens, sed paulum declinans a topazio in aurum: a χρυσὸς, aurum, et πράσον, porrum. *Plin.* 37, 8, 34. ℙ Ejusdem etymologiae est *Chrysoprasus* χρυσόπρασος, gemma ex genere beryllorum, sed pallidior. *Id. ib.* 5, 20.

CHRYSOPRĂSUS. V. v. praec. *Prudent. Psychom.* 865.

CHRYSOPTĔROS, i, χρυσόπτερος, gemma ex genere topaziorum, similis chrysopraso. *Plin.* 37, 8, 32.

CHRYSORRHŌAS, ae, m. χρυσορρόας, auro fluens: a χρυσὸς, aurum, et ῥέω, fluo. Est nomen quorundam fluviorum in agro Damasceno, in Lydia, in Bithynia, et in Ponto, ut est ap. *Plin.* 5, 18, 29. et 32. et 6, 4, 4., quia crediti sunt auri particulas arenae immixtas deferre.

CHRYSOS, i, m. χρυσὸς, aurum. *Pl. Bacch.* 2, 3, 6. Est opus chryso Chrysalo. ℙ Est etiam nomen piscis aurei coloris. *Plin.* 32, 11, 54. V. AURATA, et CHRYSOPHRYS, ℙ *Chrysos metos* herba, quam etiam hederam nigram vocat *Appul. Herb.* 98.

[CHRYSOSTŌMUS, i, m. χρυσόστομος, aureum os habens, aurea verba ore fundens: a χρυσὸς, aurum, et στόμα, os. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 3. *n.* 67. Marcius Chrysostomus. *F.*]

CHRYSOTHĂLES, is, n. adj. χρυσοθαλὲς, *h. e.* aureo flore pullulans: a χρυσὸς, aurum, et θάλλω, pullulo. Est epithetum unius generis aizoi, ap. *Plin.* 25, 13, 102.

[CHRYSOTYCHE, es, f. auream, seu pulcram fortunam habens: a χρυσὸς, aurum, et τύχη, fortuna. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 685, 1. Aelia Chrysotyche. *F.*]

*CHTHONIUS, ii, m. χθόνιος, *h. e.* terrenus: a χθὼν, terra: fuit Centaurus a Nestore in Pirithoi nuptiis interfectus. *Ov. Met.* 12, 441. Chthonius quoque, Teleboasque Ense jacent nostro. ℙ Item unus e Spartis. V. SPARTI. *Stat. Theb.* 2, 538. Ecce autem vasto Chthonii contorta lacerto Hasta etc. *B. A.*

*CHULLU, opp. Numidiae. *Tab. Peut. Cullu* est *Plin.* 5, 3. *B. A.*

CHUNI, orum, m. plur. populi Scythiae, ultra paludem Maeotidem, circa Tanaim amnem, *Huni* postea, seu *Hunni* appellati. Horum mentio fit a *Claud. Eutrop.* 2, 338. et *Cons. Stilich.* 1, 110., ab *Auson. ep.* 1, 8. et *Idyll.* 8, 31. et a *Sidon. carm.* 23, 213. V. HUNNI.

CHUS. V. CHOA.

CHUTRA. V. SCUTRA.

CHYDAEUS, a, um, adj. χυδαῖος, vilis, vulgaris: a χύδην, abundanter, copiose, quia quae copiosa sunt, et passim inveniuntur, vilia esse solent. Hinc *chydaeum* vocatur genus quoddam caryotarum, seu palmarum poma ferentium, ap. *Plin.* 13, 4, 9. et 14, 16, 19.

CHYLISMA, ătis, n. χύλισμα, succus expressus ex aliqua re, ut *chylisma acaciae*, ap. *Scrib. Compos.* 23. Est enim a χυλίζω, succum elicio, exprimo: quod a χυλὸς, succus.

CHYMUS, i, m. χυμὸς, succus: a χέω, fundo. Et dicitur etiam de succo ventriculi, qui et χυλὸς appellatur. *Seren. Sammon.* 48, 900. Praeterea chymum stomacho desiccat iniquum. [*Borrich. de lingua Pharmacop.* h. v. *Chylum* tuetur, quia is in Stomacho; Chymus in vasis aliis. *B. A.*]

*CHYRETIAE, arum, Χυρετίαι, opp. Thessaliae, in Hestiaeotide, Cyretiae appellatum a *Liv.* 31, 41. et 42, 54. *B. A.*

CHYTRA. V. SCUTRA.

*CHYTRI, opp. Cypri. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*CHYTRIUM, i, Χύτριον, locus in Jonia, ubi quondam Clazomenae fuere, hinc Chytrophoria insulae adjacentes appellatae. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

*CHYTRŌPUS, odis, m. χυτρόπους, olla pedes habens. *Vulg. Levit.* 11, 35. *B. A.*

CI

CĬĂ, Κία, nomen insulae. V. CEA.

*CIĂCA, ae, Cappadociae opp. *Ant. Itin. B. A.*

CĬĀNUS, a, um, adj. ad Cion pertinens, quod est nomen fluvii, et oppidi in Hellesponto, teste *Plin.* 5, 32, 40. ℙ Hinc *Ciani, orum*, ejus oppodi cives. *Liv.* 32, 21. V. CIOS.

*CIBALAE, arum, opp. Pannoniae inferioris. *Ammian.* 30, 24. *Eutrop.* 10, 4. *B. A.* [*Cf. *Tzschuck.* ad h. l.]

CIBĀLIS, le, adj. ἐδώδιμος, ab cibum pertinens. *Lactant. de opific. Dei* 11. Duas esse per collum fistulas, necesse est, cibalem et spiritalem, *h. e.* stomachum, et asperam arteriam. *Varr. R. R.* 2, 11. Est enim lac omnium rerum, quas cibali causa cupimus, liquentium maxime alibile. Ita legit. in edit. princ. A. 1472. ap. *Jenson.* Aliae habent *quas cibi causa capimus*.

*CIBARCI, orum, pop. Hispan. Tarracon. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

CĪBĀRĬĂ, orum. V. v. seq.

CĪBĀRĬUS, a, um, adj. ἐδώδιμος, ab cibum pertinens. *Pl. Capt.* 4, 3, 1. Mihi rem summam credidit cibariam. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7. Cibaria uva. *Id. ib.* 2, 4. *n.* 6. Uva vilitatis cibariae, *h. e.* quae esui tantum, non vino est apta. *Appul. Met.* 2. Cibarium vas, *h. e.* escarium. *Cato* ap. *Macr. Sat.* 2, 13. Cibariae leges, *h. e.* sumptuariae, quae moderantur sumptus, et luxum ciborum. ℙ *Cibarium, ii*, teste *Plin.* 18, 9, 20. ubi de siligine agit, dicitur farina, quae post pollinem, seu florem excussum restat, post quam nihil aliud remanet, nisi furfures: eadem dicitur etiam secundarium. Ex ea qui conficitur, vocatur *panis cibarius*, quia solet esse communis vulgi cibus, cum ditiores polline tantummodo utantur πιτυρίτης ἄρτος. *Cic. Tusc.* 5, 34. Ptolemaeo peragranti Aegyptum cum cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane jucundius. [*Front. de Antonin. Aug.* 1, 3. Panem alter tenebat bene candidum, ut puer regius; alter autem cibarium, plane ut a patre philosopho prognatus. *F.*] Adde *Cels.* 2, 18. ℙ *Vinum cibarium* appellatur a *Varr.* ap. *Non.* 2, 188. quod vilis est pretii, et vulgo pauperiorum potui est. Similiter *cibarium oleum* vocat *Colum.* 12, 50. *ad f.* quod vilius vaenit, et pauperiorum usibus inservit. *Edict. Diocl.* p. 13. Olei floris Ital. sextarium unum Ⱪ quadraginta: olei sequentis Ital. S unum Ⱪ viginti quattuor: olei cibarii Ital. S unum Ⱪ duodecim: olei raphanini Ital. S unum Ⱪ duodecim. Eadem ratione *cibarium saporem* inesse in mella scribit *Id.* 12, 11., hoc est viliorem, minusque gratum, adeoque magis idoneam esse condiendis olivis, quam ad supplendam vicem aquae mulsae. V. integrum loc. ℙ Translate est vilis, sordidus, plebejus. *Varr. l. c.* Tuus autem ipse frater cibarius fuit Aristoxenus. Ita *Non.* interpretatur. ℙ Praeterea *Cibaria, orum*, sunt alimenta, hoc est ea omnia, quibus in cibo animantes utuntur, τὰ ἐπιούτια. Quomodo differant ab alimentis, V. in ALIMENTUM. *Cic. Verr.* 2, 3, 30. Menstrua cibaria. *Nep. Eumen.* 8. Comparare cibaria cocta dierum decem. *Cic. Rosc. Am.* 20, Cibaria alicui praebere. [**Suet. Tib.* 46. Nunquam salario, cibariis tantum sustentavit. *Caes. B. G.* 1, 5. Cibaria molita, i. e. farina. In Gr. metaphrasi legitur ἄλφιτα. *Liv.* 31, 49. Cocta cibaria, *eodem sensu.*] *Senec. Benef.* 3, 21. praestare servis, et vestiarium. *Varr. L. L.* 4, 16. *ad f.* dare militi duplicia. *Quint.* 5, 13. Detrahere de cibariis militum. *Caes. B. G.* 3, 18. Inopia cibariorum. *Cic. Verr.* 2, 2, 4. Liberaliter ex istius cibariis tractati. (Dabatur publice magistratibus in provincias euntibus pecunia ex aerario cibariorum nomine, ut ex *Fam.* 5, 20. et *Att.* 6, 3. colligitur.) *Id. Rosc. Am.* 20. Anseribus cibaria publice locare. *Cato R. R.* 60. Bubus cibaria annua in juga singula lupini modios CXX. etc. [**Hor. Sat.* 1, 1, 32. Cum sibi sint congesta cibaria, i. e. alimenta, quae ad vitam tolerandam sufficiant.]

CĪBĀTĬO, onis, f. cibi praebitio, vel sumptio. *Sol.* 27. Alternis cibum capiunt, ac frequenter, si digestio non est insecuta, solitae cibationi superponunt diem. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. Quae quidem cibatio alternis diebus adhibenda. Et *ib.* 4, 3. Sicca cibatio.

CĪBĀTUS, us, m. cibus, vel cibi praebitio, aut sumptio. *Varr. R. R.* 2, 4. Sues cum pepererint, cibatu largiore sustentare. *Id. ib.* 3, 5. Turdis cibatui offae positae. Et *ib.* 8. Cibatui quod sit, objiciunt triticum siccum. *Pl. Mil.* 2, 2, 68. Tibi muni viam, qua cibatus, commeatusque ad te, et legiones tuas tuto possit pervenire. *Gell.* 9, 4. *a med.* Nullo cibatu vesci. *Plin.* 10, 61, 81. Vespertilioni in cibatu culices gratissimi. Et *ib.* 73, 93. Sues omni cibatu aluntur. Et 8, 55, 81. Leporibus in Alpibus hibernis mensibns pro cibatu nivem credunt esse. Et *ib.* 10, 10. et *Sol.* 25. *circa med.* Fetus uberibus ablatos gratissimo in cibatu habent.

CĪBĪCĪDĂ, ae, m. οἰνοφάγος, qui cibum caedit. Ita satyrice appellatur a *Lucil.* qui cibum consumit, et patrifamilias sumptui est: ap. *Non.* 2, 148. Viginti domi, an triginta, vel centum cibicidas alas. Placet *Turn.* 29, 21. legi *tibicidas*, quibus intelligi putat magistros, quod discipulorum peccantium tibias ferula caedere soleant.

*CĪBĪLĪTĀNI, orum, pop., incolae opp. cujusd. in Lusitania, cui nomen forte Cibilis. *Plin.* 4, 22. *B. A.*

CĪBĪLLĂ, ae, f. mensa escaria, in qua cibum capimus. *Varr. L. L.* 4, 25. Mensam escariam cibillam appellabant, ea erat quadrata, ut etiam nunc in castris est: a cibo cibilla dicta. Ap. *Fest.* legitur *Cillibae, mensae rotundae*, sed corrupte, ut censet *Voss.* in *Etymol.* in voce *Cibus.* Nisi dicas loqui *Fest.* de mensis vinariis, non de escariis. Nam *Varr. ib.* 26. *ex emendat. Scalig.* Mensam vinariam rotundam nominabant cilibantum, ut etiamnum in castris. Id videtur declinatum a Graeco ἀπὸ τοῦ κύλικος. Haec *Varro*, ubi al. leg. *cilybanthum*, a κύλιξ, calix, quia calices et pocula ei imponuntur: alii *cylibathum*, quod nec *Scalig.*, nec *Voss.* placet. Porro *cilibantum* est a Graeco κιλλίβας, seu κιλλίβας, quo *Suid.* utitur, vel κιλιβάντις, seu κιλιβάντις, quo *Hesych.*, eaque vox utraque mensam, vel mensae basim significat. ℙ Ceterum tam *cibilla*, quam *cilliba*, et *cilibantus* obsoletae voces sunt, et ne *Varronis* quidem tempore, praeterquam in castris usurpatae, ut *Idem* non obscure utroque loco significat.

CĪBO, as, avi, atum, a. 1. σιτίζω, cibum praebeo, alo, nutrio. *Colum.* 8, 10. *in f.* Atque ea genera, quae intra septa villae cibantur, fere persecuti sumus. *Id. ib.* 11. *post med.* Locustae utiles cibandis pullis pavoninis habentur. *Suet. Tib.* 72. Draconem sua manu cibaturus. *Epit. Liv.* 19. Jussis immergi pullis, qui cibari nolebant. *Lucr.* quoque 1, 1092. est usus, si sequimur lectionem *Parei, Lambini*, et *Gifanii.* Nam *Creech* cum aliis aliter leg.

CĪBŌRĬĂ Herba appellatur faba Aegyptia ab *Appul. Herb.* 67. V. v. seq.

CĪBŌRĬUM, ii, n. κιβώριον, fabae Aegyptiae folliculus, qui ima parte latior est, superiore angustior, ex qua faba prominet, quae madefacto luto condita seritur: a voce Aegyptia, vel quasi κιβώτιον, scrinium, propter similitudinem, quod a κιβωτός, arca. Hinc etiam significat poculum ex faba Aegyptia: ac denique sumitur pro poculo capaciore alius materiae, quod fabae Aegyptiae folliculum refert. *Hor. Od.* 2, 7, 21. Oblivioso laevia Massico Ciboria exple. *Vet. Schol.* ad *h. l.* Ciboria sunt Alexandria poma, quae habent similia colocasiis folia; in quorum similitudinem facta pocula eodem nomine appellantur. Ciboria etiam sunt vasa, in quibus navigantes soliti sunt ferre suos cibos.

*CĪBOTOS, i, f. Κιβωτός, Phrygiae majoris opp., ad Marsyam fluv., olim Celenae, mox Cibotos, dein Apamea appellatum. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

CĪBUS, i, m. σῖτος, ἐδωδή, omne id, quo homines et animalia vescuntur, esca, pabulum. *Festus.* Cibus appellatur ex Graeco, quod illi peram, in quam cibum recondunt, κιβώτιον (lege κίβον) appellant. *Cic. N. D.* 2, 47. Animalia cibum partim oris hiatu et dentibus capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt: alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. *Id. Div.* 1, 29. Onusti cibo ac vino. *Tac. Hist.* 2, 21. Cibo vinoque praegravis. *Cic. N. D.* 2, 9. Nullus est cibus tam gravis, quin is die et nocte concoquatur. *Id. Fin.* 2, 20. Uti cibo suavissimo, eodemque facillimo ad concoquendum. *Cels*, 3, 7. Levibus cibis nutrire aliquem. [**Tac. A.* 13, 16. Cibos potusque gustu explorare.] *Cic. Fin.* 1, 11. Cibo et potione famem sitimque depellere. *Id. Senect.* 11. Tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. *Id. Leg.* 2, 27. Suppeditare cibos. *Id. fragm.* ap. *Non.* 2, 284. Cibum subtrahere. *Caes. B. G.* 7, 78. Juvare aliquem cibo. [**Tac. A.* 6, 50. Recreandae refectioni cibum afferre. *Hor. Sat.* 2, 3, 153. Deficient inopem venae te, ni cibus atque ingens accedit stomacho fultura ruenti. *Lucr.* 2, 1147. Et fulcire cibis atque omnia sustentare. Vide, quos praeterea laudat *Bentl.* ad *Hor. l.* modo laudatum. *Hor. Ep.* 6, 10. Projectum odoraris cibum. *Virg. G.* 2, 216. Serpentibus dulcem ferre cibum. *Tibull.* 2, 6, 24. Cum tenues hamos abdidit ante cibus, i. e. esca, *der Köder*] *Nep. Att.* 22. abstinere se. Et *ib.* 21. Cibum sumere. *Ter. Eun.* 2, 3, 76. capere cum aliquo. *Colum.* 6, 8. appetere. Et *ib.* 34. Fastidio ciborum languescere. *Petr. Satyr.* 96. et 111. Replere se cibo. *Phaedr.* 3, 7. largo satiari. *Tac. Hist.* 3, 22. vires recuperare. *Curt.* 5, 4. reficere milites et 7, 5. Cibo ac potione firmare. *Suet. Galb.* 22. Plurimi cibi esse. *Id. Aug.* 76. minimi atque vulgaris fere. Alio sensu *Varr. R. R.* 2, 11. Casei maximi, aut minimi cibi, *h. e.* qui valde, aut parum sunt alibiles. *Sall. Jug.* 21. Quibus cibus erat caro ferina. *Plin.* 18, 14, 36. Lupinum maceratum aqua calida homini quoque in cibo est. *Id.* 30, 6, 14. Pulmonis vitiis medentur mures in cibo sumpti. *Id. ib.* 5, 12. Mustela cibo sumpta idem efficit. *Id.* 9, 57, 83. Pisces gratissimi cibis. *Id.* 30, 7, 20. Conficere cibos. Et 11, 53, 118. perficere, *eod. sensu.* ℙ [*Idem quod *coena. Suet. Aug.* 78. Post cibum meridianum. *Mor.* 76. Grataque nobilium requies lactuca ciborum. (Cf. *Mart.* 13, 14. Claudere quae coenas lactuca solebat avorum, dic mihi cur nostros inchoat illa dapes?) ℙ Significat etiam singulare quoddam escae genus, coenae partem: id. q. nos dicimus: *ein Essen, ein Gericht. Tac. A.* 12, 67. Infusum delectabili cibo boletorum venenum.] ℙ Proverb. est illud *Ter. Eun.* 3, 2, 38. *E flamma cibum petere*, de iis, qui cibi causa quidvis facere aut pati in animum induxerunt. Similem locum habes ap. *Catull.* 59. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 5, 19. *ad f.* Sed animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis cibus. *Ov. Met.* 6, 480. Omnia pro stimulis, facibusque, ciboque furoris Accipit. *Id. R. Am.* 138. Haec sunt jucundi causa, cibusque mali. *Plin.* 17, 2, 2. Cibus arborum imber. ℙ Veteres olim declinasse *cibus, us*, tradit *Prisc.* 6, 712., subjicitque illud *Pl. Capt.* 4, 2, 46. *Tantus ventri commeatus meo adest in portu cibus.* Non est tamen necesse hoc loco pro genitivo accipere.

CĪBYRĂ et Cybira, ae, f. Κίβυρα et Κύβιρα, urbs Ciliciae versus Pamphyliam, ad Tragum montem. *Plin.* 5, 27, 22. et *Cic. Verr.* 2, 4, 13. ℙ Item urbs Phrygiae magnae, in confinio Cariae, vel Lyciae prope fontes Xanthi fluvii. Haec dicitur *Cibyra magna* ad discrimen prioris, quae minor multo est. *Plin. ib.* 28, 29.

CĪBYRĂTAE et Cybiratae, arum, m. et f. plur. Κιβυράται, populi Phrygiae, ubi Cibyra urbs. *Plin.* 5, 28, 29. et *Cic. Verr.* 2, 4, 13. ℙ *Cibyratae pantherae*, h. e. circa Cibyram Ciliciae urbem captae, vel ab ejus urbis incolis, qui venandi peritissimi erant. *Cic. Att.* 5, 21. *ante med.* In nummis ap. *Mionnet. Descr. des médaill. antiq.* 4, 357. et seqq. ΚΙΒΥΡΑΤΩΝ ubique legitur, quae lectio ideo tenenda unice videtur.

CĪBYRĂTĬCUS et Cybiraticus, a, um, adj. ad Cibyram pertinens. *Hor. Ep.* 1, 6, 33. Ne Cybiratica, ne Bithyna negotia perdas. *Plin.* 5, 28, 29. Cibyratica jurisdictio. ℙ *Cibyraticos canes* vocat *Cic. Verr.* 2, 4, 21. duos fratres Cibyratas pictores, quos secum habebat in Sicilia Verres, eorumque opera in suis furtis utebatur: simulque alludit ad incolas Cibyrae in Cilicia, qui cum montuosa et aspera loca incolerent, venationi maxime dediti erant.

CĪCĂDĂ, ae, f. τέττιξ, genus insecti alati et canori, quod rore pasci creditur, [**Virg. Ecl.* 5, 77. Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae. Cf. quos laudat ad h. l. *Heyne.*] et nonnisi aestivis mensibus apparet, et interdiu, quo majores sunt aestus, eo intentiore voce, arboribus insidens canit. V. *Plin.* 11, 26, 32., ubi plura de his. *Virg. G.* 3, 328. Et cantu querulae rumpent arbusta cicadae. *Id. Ecl.* 2, 13. raucis Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis. *Id. Cul.* 151. Argutis et cuncta fremunt ardore cicadis. ℙ Proverbii specie *Vere prius volucres taceant, aestate cicadae* dixit *Ov. A. Am.* 1, 271. de re impossibili. ℙ Per metalepsim ponitur pro aestate. *Juven.* 9, 68. Quid dicam scapulis servorum mense decembri, Et pedibus? durate, atque exspectate cicadas? ℙ Fuit insigne regum, et civium Atheniensium. Hi enim cicadas aureas in fronte, aut in vertice capillis innexas, aut in ensis capulo insculptas gestare solebant, ut se autochthones ostenderent. Nam cicadae e terra oriri dicuntur. [*Cf. *Thucyd.* 1, 6.] Alii dicunt, Athenienses Apollinem tanquam suae civitatis defensorem coluisse, atque in ejus honorem cicadas gestasse, quae cum vocalissimae sint, Apollini musices praesidi sacrae dicuntur. *Virg. Cir.* 126. Ergo omnis caro residebat cura capillo; Aurea solemni comptum quem fibula ritu Mopsopio, tereti nectebat dente cicadae. Adde *Tertull. Virg. vel.* 10.

*CICAE INSULAE, ad littus Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 4, 39. Hodie *les Isles de Bayonne. B. A.*

*CICARO, ap. *Petr.* 46. putat Nibuhr. (*Vermischte Schrift.*) id. esse, quod Italorum *cicalone, ciaccherone* (*blatero*). *B. A.*

CĪCĀTRĪCĀTUS, a, um, part. v. *cicatrico*, cicatricosus. *Sidon. ep.* 6, 1. *in f.* Si precatu tuo levare valeamus cicatricatum pectus ad veniam.

CĪCĀTRĪCO, as, a. 1. οὐλόω, cicatricem inducere, ut et *Festus* exponit. *Sidon. ep.* 6, 7. Ut conscientiae hiulca vulnera vestro saltem cicatricentur oratu. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 8. Ulcera cicatricantur.

CĪCĀTRĪCOSUS, a, um, adj. οὐλώδης, cicatricibus plenus. *Pl. Amph.* 1, 1, 290. Tergum cicatricosum. *Quint.* 4, 1. *post med.* Cicatricosa facies. *Colum.* 4, 27. vitis. ℙ Quae materies ex cicatricibus arborum repullulascit, cicatricosa dicitur a *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 11.

CĪCĀTRĪCŬLĂ, ae, f. parva cicatrix. *Cels.* 2, 10. *in f.* Donec valens cicatricula sit. Adde 7, 7. *n.* 1. ℙ Est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 750. *n.* 211. P. Cornelius Cicatricula.

CĪCĀTRĪX, īcis, f. οὐλή, signum, quod sanato vulnere, vel ulcere haeret in corpore. *Cic. Phil.* 7, 6. Luculentam plagam accepit, ut declarat cicatrix. *Id. Verr.* 2, 5, 1. Cicatrices adverso corpore exceptae. *Id. Or.* 2, 28. Judicibus cicatrices adversa senis imperatoris ostendere. *Ov. R. Am.* 623. Vulnus in antiquum rediit male firma cicatrix. *Gell.* 2, 11. Cicatricem aversam nullam, adversas XLV. tulit. *Senec. ep.* 2. Vulnus venit ad cicatricem. *Cels.* 7, 27. *ad f.* tendit. Et *ib.* 28. plaga pervenit. Et *ib.* Cicatricem inducere. Sic *Plin.* 12, 17, 38. Medicamentum singulari effectu contrahendis vulnerum cicatricibus. *Id.* 28, 18, 76. Reducere cicatrices ad colorem. *Id.* 20, 9, 36. ad planum redigere. Et *ib.* 13, 51. emendare. *Id.* 24, 6, 14. tollere. *Id.* 32, 2, 11. extenuare. *Id.* 26, 14, 88. Perducere vulnus ad cicatricem. *Id.* 33, 6, 35. Glutinare cicatrices. [**Curt.* 7, 7. Ne contentione vocis cicatricem infirmam adhuc rumperet, i. e. nondum satis coalitam. *Id.* 8, 7. Ni-

hil domum praeter gratuitas cicatrices referre, i. e. vulnera sine digna mercede accepta. *Hor. Sat.* 1, 5, 60. At illi foeda cicatrix setosam laevi frontem turpaverat oris.] ℙ *Cicatricem ducere* dicitur non solum vulnus, quod coit, sed etiam medicamentum, quod ad sanitatem perducit. *Scrib. Compos.* 205. Vetera ulcera, quae nullo modo cicatricem ducunt. (Adde *ib.* 209. *ad f.* et 220.) *Id. ib.* 214. Emplastrum cicatricem ducit diutini ulceris. Adde *ib.* 240, 241. et 242. ℙ Dicitur etiam de caesuris arborum, quae sanescunt. *Plin.* 16, 12, 23. Cicatrix in hac arbore non coit. *Id.* 17, 24, 37. *n.* 9. Cortex cicatricem trahit. *Virg. G.* 2, 379. Admorso signata in stirpe cicatrix. (Adde *Quint.* 2, 4.) Sic *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 6. *de statua Lysippi.* Cicatrices operis, atque concisurae. ℙ Translate. *Cic. Agr.* 3, 2. Refricare obductam jam reipublicae cicatricem. *Petr. Satyr.* 113. Ne inter initia coeuntis gratiae recentem cicatricem rescinderet. ℙ Monet *Charis.* 1, 100. in genitivo plurali non *cicatricium*, sed *cicatricum* dicendum esse emendate loquentibus: similiter *ib.* 99. in ablativo singulari *cicatrici* pro *cicatrice* dici non posse.

CICCUM, i, n. vel Ciccus, i, m. item Cicum, vel Cicus, *γρύ*, (neque de genere, neque de scribendi ratione satis constat, utrum melius) significat membranam illam tenuem, qua grana in malis punicis discriminantur, ut *Varr. L. L.* 6, 5. *ante med.* et *Fest.* docent. Utuntur hac etiam voce Itali: *E cica di metal già non trovò. Pl. Rud.* 2, 7, 22. Eluas tu, an exungere, ciccum non interduim. *Id. fragm.* ap. *Varr. l. c.* Densum ciccum non interduo. ℙ Eodem sensu dixit *Id. Mil.* 2, 3, 45. Non ego nunc emam vitam tuam vitiosa nuce.

CICER, ĕris, n. *ἐρέβινθος*, genus leguminis siliquas rotundas ferens: cujus plures sunt species, prout magnitudine, figura, colore, sapore differunt. Est quod dicitur *arietinum*, quia arietini capitis simile est; item columbinum arietino minus; item punicum etc. V. *Plin.* 18, 12, 32. et 33., *Colum. R. R.* 2, 10. et *Pallad.* 4, 4. Addit *Plin. ib.* dulcissimum esse cicer, quod est ervo simillimum; firmiusque quod nigrum et rufum, quam quod album: omne autem non, nisi madefactum pridie, seri debere. *Hor. Sat.* 1, 6, 115. inde domum me Ad porri, et ciceris refero, laganique catinum. *Mart.* 1, 104. Asse cicer tepidum constat. [*Erat hic rusticorum et pauperum cibus. *Hor. Sat.* 2, 6, 84. Neque ille sepositi ciceris, nec longae invidit avenae. Cf. *Gronov. de pec. Vet.* 4, 12. Hinc spargi darique *cicer*, *faba* cet. in vulgus solebat ab iis, qui ludos Florales exhibebant, ad plausum et favorem populi captandum. *Pers.* 5, 176. Jus habet ille sui palpo, quem ducit hiantem Cretata ambitio? Vigila et cicer ingere large Rixanti populo, nostra ut Floralia possint Aprici meminisse senes. V. *Casaub.* ad h. l. *Hor. Sat.* 2, 3, 152. In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis, Latus ut in Circo spatiere cet.] ℙ Apud Romanos frigi consueverat cibi causa. Hinc *frictum cicer* memorat *Hor. A. P.* 249. et *Pl. Bacch.* 4, 5, 7. Tam frictum ego illum reddam, quam frictum est cicer. ℙ *Cicera* in plurali numero dici negat *Varr. L. L.* 7, 25. et *ib.* 8, 39. et *ib.* 9, 3. *a med.*

CICERA, ae, f. legumen cicerculae simile. Paulum aqua maceratum, dum lentescat, atque ita mixtum paleis subtritis, pecori loco ervi praebetur. Idem hominibus non inutile, neque injucundum est: sapore certe nihil differt a cicercula: colore tantum discernitur. Nam est obsoletius, et nigro propius. Haec ex *Colum.* 2, 11. *sub f.* et *Pallad.* 4, 6.

*CICERBITA, ae, f. sonchus. *Marc. Emp.* 8. contra dentium dolorem commendat. V. *Reines.* ad *Petr. fr.* p. 95. *B. A.*

CICERCULA, ae, f. *λάθυρος*, genus minuti ciceris, inaequalis, angulosi, veluti pisum. *Plin.* 18, 12, 32. et *Colum.* 2, 10. ℙ Aliquando ponitur pro ipso cicere: quod fecisse *Plin.* non uno in loco *Hard.* adnotavit ad 22, 25, 72. ℙ [Neutrius generis legitur in *Not. Tir.* p. 112. Cicerculum. *F.*]

CICERCULUM appellant colorem sinopidis ejus, quae ex Africa venit: qui Italice dicitur *grigio bruno. Plin.* 35, 6, 13. V. RUBRICA.

[CICEREJUS, a, um, adj. is ita vocatur, cui prae fervore in vultu ciceres seu verrucae e morbo Campano fiunt. *Petr. fr. Trag.* 58. Vix me teneo; et sum natura caldus, cicerejus. *F.*]

CICERO, ōnis, m. *Κικέρων, ωνος*. Marcus Tullius Cicero filius Marci equitis Romani et Helviae, natus est Arpini III. Non. Januar. Q. Servilio Caepione, C. Atilio Serrano Coss. Anno U. C. DCXLVIII. ante Christum CVI. Patrem ejus ex regio Volscorum genere fuisse, in *Euseb. Chronic.* et ap. *Sil.* 8, 406. legimus. [Hinc ipse Tullius Serv. Tullium *suum gentilem* appellat *Tusc.* 1, 16. *F.*] Certe gens Tullia antiquissima fuit: Ciceronis vero familia in Arpinati municipio admodum honesta et clara. Qui primus in ea *Cicero* appellatus est, cognomen traxisse dicitur a *ciceribus*, quod ejus leguminis serendi rationem optime calleret, ut *Plin.* 18, 3, 3. tradit. Alii, ut *Plutarch. in ejus Vita*, et *Prisc.* 2, 578. ab habitu faciei ita cognominatum putant, vel quod maculis ciceri similibus aspersus esset, vel quod in extrema nasi parte tuberculum figura ciceris habuerit. Veri tamen similior est *Plinii* sententia. Porro noster Cicero Romae educatus, et liberalibus studiis imbutus, magistros habuit partim ibi, partim in Graecia doctissimos viros, in rhetoricis Molonem Rhodium, Apollonium Alabandensem, Aeschylum Gnidum, Dionysium Magnetem, Zenoclem Adramyttenum; in dialectica et philosophia Diodotum Stoicum, Philonem principem Academiae, Antiochum, Posidonium; in jurisprudentia Q. Mucium Scaevolam. Attigit etiam poeticam, et quaedam carmine composuit non invitis omnino Musis: sed singularis fuit atque eximia eloquentiae facultas, qua maxime excelluit, et Romanorum omnium tum ante, tum post se disertissimus evasit. Hujus ope per omnes honorum gradus ad consulatum ascendit, et in augurum quoque collegium cooptatus fuit. In consulatu Catilinae conjurationem detexit, et rempublicam ab exitio servavit, pater patriae ob id a senatu appellatus. Sed cum quosdam patricios Catilinae socios, indicta causa, ex senatusconsulto in carcere necandos curasset, ejus rei invidia, P. Clodio trib. Pleb. legem ferente, in exsilium pulsus exsulavit in Graecia. Sed decimosexto mense revocatus est decreto senatus, suffragiis cunctis totius Italiae. Proconsul Ciliciam provinciam sortitus, arma etiam tractavit, et devictis feliciter hostibus imperatoris nomen promeruit: triumphi vero spem non dubiam neglexit. V. *Fam.* 15, 4. In bello civili stetit a partibus Pompeji, sed nihilominus a Caesare victore veniam impetravit. Eo interfecto, in triumviratu Antonii, Octavii, et Lepidi proscriptus, occisus est VII. Id. Decembr. ab Herennio centurione, et Popillio trib. mil., quem parricidii reum olim defenderat, annos natus LXIV., C. Vibio Pansa, A. Hirtio Coss., cum a villa sua prope Capuam ad mare fugae causa, lectica deferretur, jubente Antonio, quem Philippicis suis summopere irritaverat: ad quem caput et manus praecisae delatae sunt, et in rostris deinde collocatae: Fulvia vero Antonii uxor linguam crinali acu repetitis ictibus, multisque exsecrationibus, feminea rabie transfixit. Habuit uxorem Terentiam, ex qua suscepit Marcum filium (qui hebetioris ingenii fuisse dicitur), et filiam Tulliam, quam Dolabellae collocavit. Habuit etiam Quintum Ciceronem fratrem, non mediocriter in litteris eruditum, cujus exstat ad ipsum libellus De petitione consulatus. Plurima scripsit, quorum major pars exstat, multos libros de eloquentia, et de philosophia, elegantissimas epistolas, et divinas orationes multas, tanta sermonis elegantia et nitore, tam singulari facundia, *ut non immerito ab hominibus aetatis suae regnare in judiciis dictus sit; apud posteros vero id sit consecutus, ut Cicero non jam hominis, sed eloquentiae nomen habeatur:* quae sunt verba *Quint.* 10, 1. Alia tanti viri illustria testimonia, et laudes V. ap. *eund.* 11, 1., ubi eum a crimine arrogantiae defendit: *Catull.* 49., *Lucan.* 7, 62., *Senec. prooem.* 1. *Controv.* et *Suasor.* 7., *Plin.* 7, 30, 31., *Vellej* 1, 17. et 2, 66., *Sil.* 8, 407., *Hieronym. prol. lib. de quaest. Hebr.* etc. Ejus vitam habes brevem quidem apud *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 81., fusam vero ap. *Plutarch.* ex antiquis; ex recentioribus vero diligentissime conscriptam a *Francisco Fabricio Marcodurano*, et a *Conyers Middletonio.* Hunc igitur assidue in manibus habeat, quicumque aliquo litteraturae genere delectatur: praesertim vero Latini sermonis, et eloquentiae studiosus hunc attente perlegat, meditetur, ac imitari contendat, atque tum demum, ut ait *Quint. l. c., se profecisse sciat, cum sibi Cicero valde placuerit.* ℙ In accusativo singulari *Cicerona* Graeca positione pro *Ciceronem* dixit *Claudian. epist. ad Olybr.* 3, 4., ut legendum putat *Nic. Heins.* Nam alii leg. Carmina seu fundis, seu Cicerone tonas.

CICEROMASTIX, īgis, m. *Κικερομάστιξ*, hoc est Ciceronis flagellum. Ita inscriptus fuit quidam libellus Largii Licinii, quem contra Ciceronem conscribere ausus fuerat, homo propterea prodigiosus, et vecors a *Gellio* appellatus 17, 1.

CICERONIANUS, a, um, adj., ad Ciceronem pertinens. *Plin. praef. Hist. nat.* Ciceroniana simplicitas. *Id.* 13, 16, 30. mensa. *Id.* 31, 2, 3. Ciceronianae aquae. V. *ib.* de his aquis (quae fuerunt in Puteolano villa Ciceronis, et oculorum morbis mire proderant) epigramma Laureae Tullii ejusdem Ciceronis liberti. ℙ De eo, qui Ciceronis est studiosus, *Hieronym. ep.* 22. *n.* 30. Ciceronianus es, non Christianus.

CICHOREUM et Cichorium, ii, n. *κιχόριον, κιχώριον*, et ap. *Poll.* 6, 9. *κιχόρειον*, olus est duplicis generis, silvestris, et sativi. Utriusque usus in medicina *Plin.* 20, 8, 30 et 31. enumerat. Docet autem tum *ib.*, tum 19, 8, 39. hanc appellationem esse ei ab Aegyptiis. Romani enim saepius *intubum erraticum* vocant. *Hor. Od.* 1, 31, 15. me pascunt olivae, Me cichorea, levesque malvae. *Plin. ll. cc.* semper habet *cichorium.*

CICI, n. *τὸ κίκι*, arbor in Aegypto copiosa, alio nomine *croton*, ōnis, *κρότων, ωνος*, ex qua fit oleum, quod *cicinum*, *κίκινον ἔλαιον*, appellatur. *Plin.* 15, 7, 7. et 16, 22, 35. et de oleo cicino 23, 4, 41. et 28, 11, 48. et *Cels.* 5, 24. *n.* 3. V. RICINUS.

CICILENDRUM et Cicimandrum, nomina sunt condimentorum, ficta joculariter a coquo ap. *Pl. Pseud.* 3, 2, 42. et 46. Fortasse allusit ad cici arborem, de qua in voce praeced.

*CICIMENI, orum, Asiae pop., trans Maeotin lacum. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

CICINDELA, ae, f. *λαμπυρίς*, genus muscarum noctu lucens: a *candore*, sive, ut alii rectius legunt, a *candela*, ut *Festus* ait. *Is. Vossius* in *Etymol.* putat, esse a *candela*, et *cici* arbore, ex cujus uvis ellychnia fieri praecipuae claritatis docet *Plin.* 23, 4, 41. Vero tamen similius est *cicindela* esse a *cio*, et *candela*, Itali enim vulgo *baticésola* vocant, quod ex *batti-candela* corruptum videtur. *Id.* 18, 26, 66. *n.* 2. Lucentes vespere per arva cicindelae: ita appellant rustici stellantes volatus, Graeci vero lampyridas. V. LAMPYRIS. ℙ Significat etiam lychnum illum olearium, quem ita describit *Venant. de Vita S. Martini* 4, 693. Lychnus adest, cujus vitrea natat ignis in urna. Itali vulgo *cesendelo* appellant. *Not. Tir.* p. 162. Candela, candelabrum, cicendila (*corrige* cicindela). *Gloss. Cyrill.* Cicendela, *καυδήλα.* [*Hujus loci diligentissime curam egit. *F.*]

*CICINNIA, ae, f. Dea turpitudinis. *Θεὰ κιναιδῶν Gloss. Lat. Gr. B. A.*

CICINUM Oleum. V. CICI.

[CICIRRUS, i, m. gallus gallinaceus. *Hesych. Κιζιῤῥος, ἀλεκτρυών.* Hinc Latine *cucurrire* dicuntur galli gallinacei. — Est etiam cogn. Rom. *Hor. Sat.* 1, 5, 52. Sarmenti scurrae pugnam, Messique Cicirri, Musa, velim memores. Alii leg. minus recte *Cicerri. F.*]

*CICISA, ae, opp. Zeugitanae. *Tab. Peut. Cigisa* est *Anton. Itin. B. A.*

CICONES, um, m. plur. Thraciae populi juxta Hebrum habitantes. Hujus gentis mulieres Orpheum, quod ab eo spretae essent, simulatis Liberi Patris orgiis discerpserunt. *Virg. G.* 4, 520. et *Sil.* 11, 475. O dirae Ciconum matres, Geticique furores! [*Tibull.* 4, 1, 54. Nam Ciconumque manus adversis reppulit armis.]

CICONIA, ae, f. *πελαργός*, species avis albi coloris, maxime inimica serpentibus, quibus avidissime pascitur. Multa de ea *Plin.* 10, 23, 32. et *Juven.* 14, 74. serpente ciconia pullos Nutrit, et inventa per devia rura lacerta. *Plin. l. c.* Cornelius Nepos, qui Augusti principatu obiit, scribit ciconias magis placere, quam grues: cum haec nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit attigisse. *Hor. Sat.* 2, 2, 49. Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido: Donec vos auctor docuit praetorius. Ubi *Porphyr. vet. Schol.* Rufus praetorius instituisse creditur, ut ciconiarum pulli manducarentur. Isque cum repulsam in praetura tulisset, tale epigramma meruit: Ciconiarum Rufus iste conditor, Hic est duobus elegantior Plancis. Suffragiorum puncta non tulit septem. Ciconiarum populus ultus est mortem. ℙ Est etiam genus irrisionis, quod fit digitis in modum rostri ciconiae compressis, curvatis, et crebro motis in aliquem. *Pers.* 1, 58. O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit. *Hieron. prol. in Sophon.* Incurvare manum in ciconiam post tergum alterius. *Id. ep.* 125. *n.* 18. Si subito respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut aestuantem canis protendi linguam. ℙ *Ciconia* etiam dicitur instrumentum quoddam, constans regula recta, et virgula in altero latere transversa in modum litterae T, qua rustici metiuntur altitudinem sulci in agris. Haec dicitur ciconia simplex, quae quia fraudem aliquando recipit, inventa est a *Columella* ciconia composita, adjectis duabus regulis decussatis etc. V. *eund.* 3, 13. ℙ Denique, si *Isidoro* credimus *Orig.* 20, 15., vocant Hispani *ciconiam* lignum in transversa pertica mobile, ex quo funis cum situla in puteum demittitur ad hauriendam aquam: quia imitatur eam avem levantem ac deponentem rostrum, dum bibit. A Latinis dicitur *tolleno*, ab Italis *mazzacavallo.* ℙ Praenestinis pro *ciconia* dicebatur *conia*, teste *Pl. Truc.* 3, 2, 23. ℙ [*Ciconiae nixae* dicebatur locus Romae, in quo erant tres ciconiae rostris secum invicem junctae. *P. Victor Urb. Romae Reg.* IX. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 151. *F.*]

CICONINUS, a, um, adj. *πελαργικός*, ad ciconiam pertinens. *Sidon. ep.* 2, 14. Usque ad adventum hirundineum, vel ciconinum.

CICUM. V. CICCUM.

CICUMA, ae, f. noctua. *Fest.* ubi alii leg. *cucuma.* In *Gloss. Isid.* legitur *cecuma*, et *cecua. Voss.* in *Etymol.* putat legendum esse *ciccaba*, vel *ciccuba*, quia Graecis *κικκαβὴ* noctuam significat, teste *Schol. Aristoph.* Sed idem *Schol.* docet, a *Callimacho* noctuam dici *κικυμίδα:* ex quo intelligimus, quae *Festo* est *cicuma* recte deduci a *κικυμὶς*, addita Latina positione.

CĪCUR, ŭris, adj. *ἥμερος, χειροήθης, τιθασσὸς,* domitus, mansuetus, non ferus; et dicitur proprie de bestiis, quae disciplina, et cura hominum feritatem exuerunt. *Cic. Tusc.* 5, 13. Bestiae immanes aliae, quaedam cicures. *Id. N. D.* 2, 99. Varia genera bestiarum vel cicurum, vel ferarum. *Id. Amic.* 21. *ad f.* In bestiis agrestibus, cicuribus, feris. *Varr. R. R.* 3, 16. *de apib.* Eae differunt inter se, quae ferae, et cicures sunt. Nunc feras dico, quae in silvestribus locis pastitant; cicures, quae in cultis. ℙ Translate *Varr. L. L.* 6, 5. Cicur ingenium obtineo, *h. e.* mansuetum. *Pacuv.* ap. *Fest. in Incicorem.* Consilium cicur, *h. e.* sapiens, ut idem *Fest.* interpretatur.

CĪCŪRĪNI cognominati sunt Veturii, familia Romana, ab ingenio cicure et mansueto. *Varr. L. L.* 6, 5.

CĪCŪRO, as, a. *ἡμερόω, τιθασσεύω,* cicurem reddo, mansuefacio. *Pacuv.* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. Nulla res neque cicurare, neque mederi potis est, neque reficere.

CĪCŪTA, ae, f. *κώνειον,* herba caule laevi et geniculato, ut calami, nigricante, et altiore saepe binis cubitis (hinc *longam cicutam* dixit *Ov. Amor.* 1, 12, 9.) atque in cacuminibus ramoso: folia habet coriandri teneriora, gravi odoratu; semen aniso crassius, radicem concavam nullius usus. Semen noxium maxime est, ex quo expressus succus venenum est homini: cui tamen vino poto occurri potest, si non pervenerit ad vitalia: si vero in vino bibatur, irremediabile creditur. Haec ex *Plin.* 25, 13, 95. Hanc sumere damnatos cogere, mos fuit Atheniensibus, quod et in Socrate factum est: item Massiliensibus, ut *Val. Max.* 2, 6. *n.* 7. tradit. Habet tamen nonnullos usus in medicina, quos *Plin. l. c.* enumerat. *Pers.* 4, 1. barbatum haec crede magistrum Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae, *h. e.* Socratem. ℙ Cicutae vis omnis, propter quam venenum est, frigore constat, quo vitalem in nobis calorem exstinguit: quae ratio est, cur vinum, in quo calor inest, ei medeatur. Hinc *Pers.* 5, 144. calido sub pectore mascula bilis Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutae, *h. e.* flamma libidinis, vel bilis atrae fervor adeo accensus est, ut ne urna quidem cicutae exstinguere eam possit: cum tamen vel minima ejus quantitas occidere hominem queat. Sumpsisse hoc videtur ab *Hor.*, qui *Ep.* 2, 2, 53. sed quod non desit, habentem Quae poterunt unquam satis expurgare cicutae, Ni melius dormire putem, quam scribere versus, *h. e.* stultissimus certe fuero, si tanto ardeam studio scribendi versus, ut hoc putem melius esse, quam dormire: quem quidem ardorem, et cacoethes nullae cicutae exstinguere poterunt. Quidam interpretum putant, cicutam hoc loco significare helleborum nigrum; nam *κώνειον* hoc sensu ab *Avicenna* quoque adhibitum fuisse. Alii dicunt adhiberi per quandam catachresin pro quocumque medicamento ancipiti et validissimo, cujusmodi in periculosissimis morbis medici admovere solent. *Lambin.* lectionem ipsam sollicitat, et ex conjectura reponit *sicuae*, vel *sicyiae*, h. e. cucurbitulae, quibus medici sanguinem eliciunt. Id enim significant *αἱ σικυῖαι.* Sed non est audiendus. ℙ Praeterea *cicuta* significat calamum, fistulam ad canendum aptam, sive ex eo, quod caulem cicutae imitetur, qui geniculatus est instar calami: sive quod haec propria sit hujus vocis notio: quae videtur esse sententia *Servii* ad illud *Ecl.* 2, 36. Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula: ubi docet, cicutam esse spatium quod est inter calamorum nodos. *Virg. ib.* 5, 85. Cicuta fragilis. *Lucr.* 5, 1382. Inflare cavas cicutas. *Calpur. Ecl.* 7, 12. Arguta cicuta. ℙ Pro canna simpliciter. *Lactant. de Opific. Dei* 8. *ad f.* Si quis vellet transpicere per cicutam, non plus cerneret, quam cicutae capacitas comprehendat. ℙ Apud *Hor. Sat.* 2, 3, 69. et 175. Cicuta est nomen proprium cujusdam feneratoris.

CĪCŪTĪCEN, ĭcĭnis, m. qui cicuta seu fistula canit. *Sidon. carm.* 1, 15. Alta cicuticines liquerunt Maenala Panes.

*CICYNĒTHUS, i, *Κικύνηθος,* insula maris Aegaei, prope Thessaliam, in sinu Pagasaeo. *Mela* 2, 7. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*CIDAMUM, i, Africae opp., exadversum Sabratam coloniam Syrtim minorem contingentem. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

CĪDĂRIS, is. f. *κίδαρις, εως,* ab Hebr. כִּתָּר *citter*, cinxit, hinc כֶּתֶר *ceter*, corona, pileus regius, regium capitis insigne a Persarum regibus adhibitum, idem fere quod *tiara* (ut docet *Hesych.*) quae ab Armeniis *κίδαρις* appellabatur. *Curt.* 3, 3. Cidarim Persae regium capitis vocabant insigne: hoc caerulea fascia albo distincta circumibat. ℙ Fuit etiam in vestitu sacerdotali Hebraeorum, ut *Hieronym. ep.* 64. *n.* 3. Summus pontifex habet cidarim, et nomen Dei portat in fronte: diademate ornatus est regio. *Id. ib. n.* 13. Summi pontificis vestimentum rotundum pileolum, quale pictum in Ulyxi conspicimus, quasi sphaera media sit divisa, et pars una ponatur in capite: hoc Graeci et nostri *τιάραν*, nonnulli galerum vocant, Hebraei *Misnephet;* non habet acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegit; sed tertiam partem a fronte inopertam relinquit: atque ita in occipitio vitta constrictum est; ut non facile labatur ex capite. Est autem byssinum, et sic fabre opertum linteolo, ut nulla acus vestigia forinsecus appareant. *Id.* in *Ezechiel.* 7, 21, 25. Propter te sacerdotium et regnum interiit populi Judaeorum. Cidaris enim insigne pontificis est; corona, hoc est diadema, regis indicium. *Lactant.* 4, 14. ex *Zachar. proph.* 3. Imponit cidarim mundam super caput ipsius. V. illustratam cidarim a *Spanhem. de usu et praest. num. diss.* 8. p. 470. Videtur tamen cidaris fuisse caerulea illa fascia, seu diadema regum, tiara autem pileus sacerdotum et regum proprius; ideoque Curtius perperam vocasse cidarim, quam rectius tiaram appellare debuerat. ℙ *Reperitur et *cidar* neutrum, aut indeclinabile. *Auct. Itiner. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 64. Opes tamen ejus (*Darii*) et arma, tum cidar, apicum regium, curru una et insignibus retrahit universis. V. *Guil. Burton. Vet. Ling. Pers. Λείψανα* etc. in v. *Cidaris. B. A.* [*Caeterum multis hunc locum diligenter instruxit. *F.*] ℙ Legitur et *citaris, κίταρις,* teste *Hesych.*

*CIENDA, *διαιρουμένη. Gloss. Lat. Gr.* Cf. *Gloss. Cyrill. Διαίρεσις ὑπαρχόντων,* Ercti citus. *B. A.*

CIĔO, es, civi, citum, a. *κινέω,* moveo, commoveo. *Cic. N. D.* 3, 11. Natura omnia ciens et agitans motibus et mutationibus suis. *Id. Tusc.* 1, 10. Ex corporis totius natura varios motus cieri. *Id. Univers.* 7. Orbis semper eodem motu cietur, et *ib.* 8. *ad f.* Cum eandem partem attingit, qua sensus cieri potest, *h. e.* moveri, affici, ut sentiat. *Scrib. Compos.* 194. Toxicum e vestigio ciet dolorem interaneorum. *Curt.* 4, 3. Mare ciet fluctus. [*Sil.* 1, 601. Ferte leves auras, flatusque ciete Secundos. *Virg. A.* 2, 419. Aequora imo fundo.] *Tullius Tiro* ap. *Gell.* 13, 9. Hyades cum oriuntur, et cum occidunt, tempestates pluvias, largosque imbres cient, *h. e.* movent, inducunt, ferunt. *Virg. A.* 3, 344. longosque ciebat Incassum fletus, *h. e.* edebat, flebat. *Catull.* 64, 131. Ciere singultus. *Virg. G.* 3, 717. gemitus, *h. e.* gemere. *Id. A.* 6, 468. lacrimas, *h. e.* lacrimari. *Serv.* hic et ad *A.* 12, 104. adnotavit, *ciere lacrimas* proprie esse alterius lacrimas provocare, inducere alium ad lacrimandum: sed nullo id confirmavit exemplo. ℙ *Ciere mugitus, murmur*, est mugire, murmur edere. *Virg. A.* 12, 103. et *G.* 1, 110. [*Adde eund. *ib.* 4, 64.] Sic *ciere voces varias,* ap. *Lucr.* 5, 1059. ℙ *Ciere alvum, urinam, menses*, est commovere, provocare, solvere. *Plin.* 20, 9, 38., 26, 8, 57. et *ib.* 15, 90. et 27, 7, 28. et alibi. ℙ *Ciere pugnam, proelium*, est edere, facere; et dicitur tum de eo, qui pugnat, tum de eo, qui pugnandi auctor est. *Liv.* 1, 12., 2, 47. et 10, 28. et *Tac. A.* 3, 41. Ita *Sil.* 9, 335. hi sude pugnas, Hi pinu flagrante cient, hi pondere pili. Eadem ratione *miscere proelia* dixit *Virg. G.* 2, 282. [*Id. A.* 9, 766. Cientes in muris Martem. *Id. A.* 5, 674. Pugnaeque cient simulacra sub armis.] ℙ Dicimus etiam *ciere terrores, rixam,* hoc est movere, excitare. *Senec. Oed.* 351. et *Vellej.* 1, 2. ℙ Similiter ciere bellum. *Liv.* 5, 37., *Vellej.* 2, 54. et *Tac. H.* 3, 41. *in f.* Sic *ciere arma* ap. *eund. A.* 15, 59. In illo *Petr. Sat.* 120. muta pacatum in proelia vultum, Romanosque cie: *cie* significat, commove, turba, concita ad arma civilia. ℙ *Ciere stragem*, est stragem edere. *Virg. A.* 6, 830. ℙ *Ciere exercitum* ap. *Tac. H.* 3, 62. est facere, cogere, et bellandi causa movere. ℙ In illo *Cic. Prognost. Divin.* 1, 9. de ranis: Absurdoque sono fontes, et stagna cietis *ciere sono* est perstrepere, et quodammodo commovere, concutere. Sic *Virg. A.* 4, 122. tonitru coelum omne ciebo. Simile est illud *Juven.* 1, 13. assiduo ruptae lectore columnae. ℙ Apud *Val. Fl.* 7, 578. *dextra ciere ignem* dictum de Iasone contra ignitos tauros pugnante, et jactando a se amovente et repellente. ℙ Saepe ponitur pro vocare, invocare. Nam et hoc quodammodo movere est. [*Tac. A.* 3, 23. Lamentatione flebili majores suos ciens. *Id. ib.* 11, 30. Cieri Narcissum postulat. *Plin. Pan.* 57, 4. At illos respublica ciebat. *Virg. A.* 7, 125. Luctificam Allecto dirarum ab sede sororum infernisque ciet tenebris.] *Virg. A.* 4, 67. animamque sepulcro Condimus, et magna supremum voce ciemus. *Sil.* 4, 272. Ciere aliquem in pugnam clamore. *Tac. A.* 2, 81. et *Suet. Ner.* 46. aliquem nomine. *Val. Flacc.* 4, 549. Numina nota ciens. *Tac. A.* 1, 21. et *Ov. Fast.* 4, 484. Ciere nomen alicujus, *h. e.* inclamare, nomine ciere. ℙ *Val. Flacc.* 3, 155. *ciere verba* dixit, h. e. proferre, dicere. Sic *Ov. Fast.* 6, 622. Movere preces. ℙ *Patrem ciere posse* nota est hominis ingenui, ut docet *Liv.* 10, 8. *ad f.* ℙ Est etiam *ciere* nominare. *Pl. Bacch.* 3, 3, 11. Quid hoc negotii est, Pistoclerum Lydus quod herum tam ciet? Quidam exponunt *accusat.* ℙ Item invitare, incitare. *Vellej.* 2, 6. Armatos ad pugnam ciens. *Catull.* 68, 8. Nam tum Helenae raptu primores Argivorum Coeperat ad sese Troja ciere viros, *h. e.* in se provocare atque incitare. ℙ Olim ponebatur pro dividere: unde *herctum ciere*, patrimonium dividere, ap. *Cicer.* V. HERCISCO et HERCTUM. ℙ Praeteritum *civi* (item *cii*, ut est ap. *Charis.* 3. *sub in.*, quod tamen locum habet solum in compositis), et supin. *citum* commune est cum *cio, is:* sed *citus* a *cieo* primam corripit, a *cio* producit, ut videre est in compositis *concitus, excitus*, etc.

[CIGNUS, i, m. mensurae genus, retinens scrupulos octo, teste *Papia. Plin. Valer.* 2, 30. Cignum dimidium commiscebis. *Id. ib.* 31. Sic injicies, ut habeat olei cignos tres. *F.*]

CILBĬĀNUS, a, um, adj. *Cilbiani agri* sunt inter agrum Ephesium et Caystrum fluvium. In his optimum minium reperiri scribit *Plin.* 33, 7, 37., ibique primum repertum fuisse, tradit *Vitruv.* 7, 8. ℙ Dicuntur etiam *Cilbiana juga*, nempe montes, ex quibus Caystrus oritur. *Plin.* 5, 29, 31. ℙ **Cilbiani, orum*, Cilbianae regionis incolae ap. *Plin.* 5, 29. quae nomen forte habet ex Cilba, loco quodam sic dicto, quae sententia est Schelleri. *B. A.*

*CILĒNI, orum, Hispan. Tarracon. pop., in Asturia. *Plin.* 4, 20. Cilini audiunt *Ptolemaeo.* Hinc Cilinae aquae, thermae quaedam ad Minium flumen, ap. *Anton. Itin.* qui in alio loco Celenias eas appellat. *B. A.*

*CILIĀTUS, a, um, adj. *ἐνόφρυς Gloss. Gr. Lat. B. A.*

CILIBANTUS. V. in CIBILLA.

CĪLĬCENSIS. V. CILICIENSIS.

CĪLĬCES. V. CILIX.

CILICIA, ae, f. *Κιλικία*, regio Asiae minoris, habens a septentrione partim Cappadociam, et partim Armeniam minorem, ab oriente Syriam, ab occidente Pamphyliam, a meridie mare, quod inde *Cilicium* cognominatur. Dividitur a *Strab. l.* 14. in asperam, qua tendit ad occid., et campestrem, qua orientem spectat, de qua mentio est ap. *Plin.* 5, 27. et *Melam* 1, 13. ℙ Croco maxime abundat, praesertim in Coryco monte. *Plin.* 21, 6, 17. ℙ Nomen habet a *Cilice* Agenoris filio. *Serv.* ad *A.* 3, 88.

CĪLĬCĬĀRĬUS, ii, m. qui cilicia conficit, aut vendit. *Inscr.* ap. *Grut.* 648, 6. Respecto Gratiano ciliciario Catiola conjux P. C.

CĪLĬCĬENSIS, e, adj. ad Ciliciam pertinens, ea ratione qua Hispaniensis ad Hispanias. *Caes. B. C.* 3, 88. Legio Ciliciensis. *Cic. Fam.* 13, 67. Ex provincia mea Ciliciensi. Adde *Q. Fr.* 1, 2, 2., ubi quidam cum *P. Vict.* leg. *Cilicensis.*

CĪLĬCĪNUS, a, um, adj. ex cilicio factus. *Solin.* 33. Ipsa autem tentoria cilicina sunt: ita nuncupant velamenta caprarum pilis texta. *Hieronym. in Vita Hilarion. sub f.* Tunica cilicina.

CĪLĬCĬŎLUM, i, n. diminut. parvum cilicium. *Hieronym. ep.* 108. *n.* 15. Super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat.

CĪLĬCĬUM, ii, n. *κιλίκιον*, vestis, seu pannus ex pilis caprarum et hircorum contextus, in varios militum et castrorum usus, item nautarum et pauperiorum hominum. Nomen habet a Cilicibus, a quibus creditur primum inventus esse, cum ejus regionis caprinum pecus maxime villosum sit, ut *Varr. R. R.* 2. *in f.* tradit. *Cic. Verr.* 2, 1, 38. Cum iste civitatibus coria, cilicia, saccos imperaret. *Colum.* 12, 46. Radicem inulae aspero linteolo, vel etiam cilicio detergere. *Liv.* 38, 7. *ad f.* Cuniculum intersepientes ciliciis praetentis. *Veget. Milit.* 4, 6. Saga, ciliciaque tenduntur, quae impetum excipiant sagittarum. *Serv.* ad illud *Virg. G.* 3, 313. *Usum in castrorum, et miseris velamina nautis:* De ciliciis poliuntur loricae, et teguntur tabulata turrium, ne jactis facibus ignis possit adhaerere. ℙ Pauperiores homines etiam pro veste stragula ciliciis usos fuisse, colligitur ex *Sulpic. Sever. ep.* 1. *de S. Mart.* et *dial.* 1. *de virtutib. Monach.*, et V. CILICIOLUM. ℙ Revera adjectivum est, et subintelligitur *textum, stragulum*, aut quid simile. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *circa med.* Vela autem cilicia instrumenti esse, Cassius ait, quae ideo parentur, ne aedificia vento vel pluvia laborent. Adde *ib.* 19, 1, 17.

CĪLĬCĬUS, a, um, adj. *Κιλίκιος*, ad Ciliciam pertinens. *Plin.* 5, 27, 26. cilicium mare. *Id.* 14, 9, 11. passum. *Id.* 21, 6, 17. crocum. *Id.* 36, 22, 47. Cotes Ciliciae. *Martial.* 14, 140. *in lemmate.* Udones Cilicii, *h. e.* ex pilis hircinis, ut cilicia, confecti. ℙ *Cilicii termini* in re agraria, qui et Tiburtini, dicti sunt a Cilicio Saturnino centurione. *Frontin. de colon.* p. 120. *Goesii.*

CĪLĬCUS, a, um, adj. idem quod Cilicius. *Virg. Cul.* 400. et hic Cilico crocus editus arvo. Ita legit. in veterib. editionib. teste *Scalig.* Al. habent *Cilici* ablat. pro *Cilice*, quod probamus cum *Heyn.*

*CILINA, Italiae opp., in Venetis, Caelina dicta *Plin.* 3, 19. *Cilinenses, ium*, oppidani dicti *Inscr.* ap. *Cellar. B. A.*

[CILIO, onis, m. caestrum, vericulum, vox vulgaris olim in Hispania. *Isid. Orig.* 20, 4. Caelum est genus ferramenti, quem vulgo cilionem vocant. *F.*]

CILISSA, ae, f. ad Ciliciam pertinens: a *Cilix*,

ut *Phoenissa* a *Phoenix*. *Ov. Ib.* 200. Quotve ferat, dicam, terra Cilissa crocos. *Id. Fast.* 1, 76. Et sonet accensis spica Cilissa focis, *h. e.* crocus, cujus feracissima Cilicia est. *Propert.* 4, 6, 74. Terque lavet nostras spica Cilissa comas, *h. e.* unguentum crocinum, quod olim diu maxime laudatum fuisse, *Plin.* 13, 1, 2. tradit. Quidam putant, intelligi hoc loco unguentum nardinum: nardi enim quoddam genus in Cilicia nascitur, teste *Dioscor.* 1, 8., sed omnino crocinum intelligendum esse pluribus contendit *Scalig. in adnotationib.* ad *Propert.* Quid si de irino unguento sermonem ibi esse dicamus? Spicam enim a Latinis usurpari etiam pro bulbo, et ipse *Scalig. ib.* docet. Porro iridis radix, ex qua irinum unguentum conficitur, bulbosa est. *Plin.* autem unguentum irinum Cilicium ceteris omnibus ejus generis praefert, 21, 7, 19.

[CILITĀNUS, a, um, adj. ad Cilium pertinens, Africae oppidum in *Anton. Itin.* memoratum, cujus exstant rudera in finibus Tunetanorum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 462, 3. Coloniae Cilitanae. *F.*]

CĪLĬUM, ii, n. a *cillendo*, h. e. movendo dictum videtur, ut *palpebra* a *palpitando*. *Plin.* 11, 37, 57. docet, antiquos *cilium* vocasse extremum ambitum genae superioris oculi, in qua pili nascuntur, qui Graece dicitur *βλεφαρίς*. Postea vero significare coepit ipsam genam seu palpebram, *βλέφαρον*. *Festus:* Cilium est folliculus, quo oculus tegitur: unde fit supercilium. *Plin.* 11, 39, 93. Cutis ubicumque sine carne est, vulnerata non coit, ut in bucca, cilioque. *Lactant. de Opif. Dei* 10. Ut oculi munitiores essent ab injuria, ciliorum tegminibus occuluit. *Appul. Met.* 10. Ciliis alterna connivere. ℙ Videtur etiam poni pro supercilio. *Maxim. Gall.* 1, 139. Et quos (*oculos*) grata prius ciliorum serta tegebant, Desuper incumbens hispida silva premit.

CĪLIX, ĭcis, adj. *Κίλιξ*, qui est ex Cilicia. *Ov. Met.* 2, 207. Ardet Athos, Taurusque Cilix, et Tmolus, et Oete. *Mart.* 7, 95. Tonsor Cilix. ℙ *Cilices, cum*, Ciliciae populi. *Cic. Div.* 1, 1. Cilicum, et Pisidarum gens. [*Tibull.* 1, 7, 16. Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas. *Cilicas* Graeca positione pro *Cilices*. *F.* *Adde *eund.* 1, 2, 67. Cilicum victae catervae.] ℙ Cilicum regio croco abundat. V. CILICIA. Hinc *Lucret.* 2, 416. Et cum scena croco Cilici perfusa recens est. *Stat. Silv.* 5, 1, 211. Ver Arabum, Cilicumque fluit, floresque Sabaei. *Id. Silv.* 2, 1, 160. Cilicum flores. *Id. Silv.* 3, 3, 34. messes. [**Virg. Cul.* 400. Et hic Cilici crocus editus arvo. *Heyn.* reponendum videtur *antro*.]

CILLA, ae, f. *Κίλλα*, urbs Troadis, in qua Apollo praecipue colebatur, ob id *Κιλλεὺς* et *Κίλλαιος* dictus. *Plin.* 5, 30, 32. et *Senec. Troad.* 227.

*CILLABA, ae, Africae opp., circa Syrtim minorem. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

CILLĔO, es, et Cillo, is, a. *κινέω*, moveo: antiquum et obsoletum verbum: ita *Serv.* ad *G.* 2, 389. Oscilla dicta sunt ab eo, quod in his cillerentur, hoc est moverentur ora, nam cillere est movere. Unde et furcillae dictae sunt, quibus frumenta cillentur. Eadem habet *Isid. Orig.* 20, 14. Antiquius testimonium haberi videtur ap. *Fest.*, qui ita scribit in *Oscillum*. Oscillum Santra dici ait, quod os cillent, idest inclinent, praecipitesque in os ferantur. Ita legit *Scalig.* ad *Fest.* et *Voss. in Etymol.* ad vocem *Oscillum*. Aliter tamen habetur in multis codicib. ℙ Legitur etiam *cileo*, et *cilo*.

CILLĪBAE. V. in CIBILLA.

CILLO. V. CILLEO.

CILLUS, i, m. *χιλλὸς*, Dorica lingua asinum significat. In *fragm. carm. Petron.* p. 683. *Burm.* Judaeus licet et porcinum numen adoret, Et cilli summas advocet auriculas. *Tac. H.* 5, 3 et 4. tradit, Judaeos asinum pro numine coluisse, quod eo monstrante invenissent in deserto aquam (quam fabulam refellit *Tertull. Apolog.* 16.). Eo igitur referenda hujus carminis sententia est: ubi tamen alii leg. *coeli*. Nam et *coelicolae* Judaei dicti sunt. V. COELICOLAE.

*CILNIĀNA, opp. in Hispania Baetica *Anton. Itin. B. A.*

*CILNĪUS, a, um, ad Cilnios pertinens. Erant autem Cilnii populi Etrusci, domo autem Aretini, maximae apud cives dignitatis ac potentiae. *Liv.* 10, 3. Etruriam rebellare, ab Aretinorum seditionibus motu orto, nunciabatur; ubi Cilnium genus praepotens divitiarum invidia pelli armis coeptum. *Sil.* 7, 29. Cilnius Arreti Tyrrhenis ortus in oris clarum nomen erat. ℙ Ab hac stirpe oriundus Maecenas, inde C. Cilnius Maecenas appellatus. *Tac. A.* 6, 11. V. *Drakenb.* ad *Sil. l. c. B. A.*

CĪLO, onis, m. *προκέφαλος*, *φοξὸς*, dicitur is, cui frons est eminentior, ac dextra sinistraque velut recisa videtur. Ita *Festus:* nec dissimiliter *Charis.* 1, 78. Cilones dicuntur, quorum capita oblonga et compressa sunt. Et *Flav. Caper. de Orthogr. ib.* 242. Cilo est angusto capite: cui hoc contingit in partu. ℙ Fuit cognomen gentis Flaminiae, ut in ejus nummo ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 212. legitur. *L. Flaminius Cilo*. Sed in altero *ib.* et posterioris aetatis habetur *Chilo:* ex quo apparet, hac etiam ratione scriptum fuisse. Tametsi *Cilo* et *Chilo* significatione differunt. Cujusdam Cilonis meminit et *Cic. Fam.* 6, 20., ubi quoque *Manut.* mavult legi *Chilo*. ℙ Magiorum quoque alterius gentis Rom. cogn. fuit, ut *P. Magius Cilo* ap. *Sever. Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. Sed hic quoque alii leg. *Chilo*. ℙ Est etiam vox convicii. *Auct. declam. in Sallust.* 6. Quidquid impudicorum, cilonum, parricidarum, sacrilegorum fuit in Urbe. *Coel. Rhodig.* 21, 22. legit *cillones*, et interpretatur ceventes, cinaedos, a *cillere*, motitare. Alii scribunt *cyllones*. Graece autem *κυλλὸς* est mutilus, curvus, claudus, mancus. Nonnulli apud Martinium in *Lex. Etym.* putant, sic dici eum, qui bene peculiatus est, atque adeo impurus, lascivus. Sed haec notio unde sit, non apparet. Quid si retineas *cilones*, vel *celones*, a *κηλόω*, uro, hoc est libidine ardentes? Hinc enim fit *κηλωτὸν*, lupanar. *Martin. ib.*

CILUNCŬLUS, i, m. diminut. a *cilo*, qui est capite, et fronte angusta et compressa: cui frons veluti cillit, et sursum movetur ac surgit. V. CILO. *Arnob.* 3. p. 108. Esse quosdam capitones, cilunculos, frontones, labeones. Al. perperam leg. *silunculos*, a *silo*, *onis*, vel *silus*, *i*. Dubiam hanc vocem obfirma novo exemplo, meliorisque notae: est enim cognomen Romanum in *Inscr.* ap. *Mur.* 1560, 1. C. Hostilius Cilunculus.

*CILURNUM, i, opp. Britanniae. *Notit. Imper. B. A.*

*CIM, n. nomen indeclinabile. *Prisc.* 5, 644. In IM quoque unum proprium neutrum, *Cim*, nomen vici, ut dicit Celsus. *Id. ib.* 688. In *Im* quoque unum indeclinabile, *Cim*, nomen vici, ut dicit *Celsus. B. A.*

CIMBER, bri, m. *Festus* docet, lingua Gallica latronem significare. Ubi *Scalig.* non ex vi vocis, sed ex more gentis hanc notionem natam esse ait. Sunt enim *Cimbri*, *orum*, populi Germaniae, qui eam regionem tenuere, quae nunc est pars regni Daniae, et *Cimbrica Chersonesus* dicta est. Hi cum aliquando in Italiam venissent sedes quaesitum, a Q. Catulo et C. Mario Coss. devicti sunt. *Epit. Liv. l.* 68., *Flor.* 3, 3. et *Eutrop.* 5, 1. et 2. ℙ In singulari numero *Quint.* 8, 3. Germanum Cimber occidit. Adde *Val. Max.* 2, 10. *n.* 6. ℙ Adjective *Ov. Pont.* 4, 3, 45. Ille Iugurthino clarus, Cimbroque triumpho. ℙ *Cimber* fuit etiam cognomen L. Tullii, unius ex Julii Caesaris percussoribus, et Bithyniae proconsulis, memorati a *Cic. Fam.* 10, 13. et *Phil.* 11, 11. **Suet. Caes.* 82. *Sen. Ira* 13, 30. *B. A.*

*CIMBIS, is, locus in Hispinia Baet., non procul a Gadibus. *Liv.* 28, 37. *B. A.*

CIMBRĪCĒ, adv. Cimbrorum more. *Quint. Decl.* 3, 13. Cimbrice loqui.

CIMBRĪCUS, a, um, adj. ad Cimbros pertinens. *Cic. Or.* 2, 66. Scutum Cimbricum. *Id. Dom.* 38. Cimbricae manubiae. *Flor.* 3, 3. Cimbrica victoria. *Plin.* 36, 25, 61. Cimbricum bellum.

CIMĒLIARCHA, ae, m. *κειμηλιάρχης*, qui pretiosae supellectili praeest: a *κειμήλιον*, supellex pretiosa, et quae magna cura reponitur, et asservatur, et *ἄρχω*, prior sum. Habetur in *Cod.* 7, 72, 10. ubi sermo est de Ecclesiastica dignitate ejus, qui res pretiosas, atque etiam pecuniam Ecclesiae custodit.

CIMĒLIARCHĪUM, ii, n. *κειμηλιάρχιον*, locus, in quo pretiosa supellex, atque etiam pecunia servatur. *Imp. Justin. Cod.* 7, 72, 20. In cimeliarchio sanctae Ecclesiae illius civitatis. *Id. ib.* 11, 47, 19. Iidem reditus deponantur in aede sacra, vel in cimeliarchio civitatis.

[CIMĒNUS, i, m. *κείμενος*, jacens: a *κεῖμαι*, jaceo. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 635. *n.* 300. Q. Cupencius Cimenus. *F.*]

*CIMETRA, Italiae opp. in Samnio. *Liv.* 10, 15. *B. A.*

CĪMEX, ĭcis, m. videtur esse a praet. perf. pass. *κέκιμαι* verbi *κίω* pro *κέω*, seco; hinc etiam Graece *κόρις* appellatur a *κέρω*, unde est *κείρω*, seco: vermiculus gravissimi odoris, in lectis nascens fusco colore, item in herbis quibusdam, et arboribus colore viridi. *Varr. R. R.* 1, 2. *ad f.* Cimices nulli accedent. *Petr. Sat.* 98. Ipsos cimices ore tangebat. *Plin.* 30, 14, 45. Cum cimice trito illinere. Adde 29, 4, 17,, ubi cimicum utilitates in medicina recenset. *Martial.* 11, 32. Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus. ℙ Videtur esse aliquando nomen convicii, nempe in illo *Hor. Sat.* 1, 10, 78. Men' moveat cimex Pantilius? ℙ In genere femin. *Plin.* 32, 10, 47. Suffitus sanguisugarum necat cimices invectas. Ita edit. A. 1470 et 1472. Aldina 1535. *Harduini*, et aliae. Omnium harum antiquissima A. 1469. *per Joan. Spira* habet *innecta*, mendose quidem, sed ut inde facile appareat, *invectas* legi oportere. In Elzeviriana edit. legitur *invectus:* in Hackiana adjectum est orae pro varia lectione *invectos:* quod et *Harduin.* mallet, quia alibi *Plin.* masculine semper usurpaverat.

*CIMĪCO, as, cimicibus lectos purgo. *Gloss. Gr. Lat. Κορίζω*, cimico. *B. A.*

CĪMĬNĬUS, a, um, adj. V. v. seq.

CĪMĪNUS, i, m. *montagna di Viterbo*, mons Etruriae usque ad Faliscos in orientem extensus, ad cujus radices urbs sita est, quae nunc *Viterbo* appellatur. Ibi est silva Ciminia, (de qua *Plin.* 2, 96, 98.) quam *Flor.* 1, 17. *Ciminium saltum* appellat: et lacus Ciminius, (de quo *Virg. A.* 7, 697. Et Cimini cum monte lacum.) *lago di Ronciglione*. *Colum.* 8, 16. Ciminius lacus. ℙ De hujus lacus origine haec habet *Serv.* ad *Virg. l. c.* Aliquando Hercules ad ejus loci populos venit, et ad suam virtutem ostendendam provocatus, vectem ferreum, quo exercebatur, in terram tam alte defixit, ut a nemine evelli posset. Ipse autem postea rogatus extraxit, unde immensa vis aquae secuta est, quae Ciminium lacum effecit. ℙ Scribitur et *Cyminus*.

CIMMĔRII, orum, m. plur. *Κιμμέριοι*. *Festus* docet, esse nomen generale eorum populorum, qui frigoribus occupatas terras incolunt: quales fuerunt inter Bajas et Cumas, in ea regione, in qua convallis satis eminenti jugo circumdata est: quae neque matutino, neque vespertino tempore sole contingitur. Haec *Festus*. Hos tradit *Plin.* 3, 5, 9. oppidum olim habuisse juxta Avernum lacum. Adde *Sil.* 12, 132. ℙ Celebriores sunt in extrema Asia ad dexteram Ponti partem, ad Bosphorum Cimmerium: quae regio aliquando Cimmeria dicta est, postea Scythia parva, nunc *Tartaria*. Horum quoque oppidum *Cimmerium* ponit *Plin.* 6, 6, 6. Hi aerem crassum habere dicuntur, et densis exhalationibus nebulosum. Hinc *Cimmeriae tenebrae* de densissima caligine, et translate de crassa rerum ignoratione. *Lactant.* 5, 3. *ad f.* O caecum pectus, et mentem Cimmeriis, ut ajunt, tenebris atriorem. [**Tibull.* 4, 1, 69. Cimmeriorum etiam obscuras accessit ad arces: queis nunquam candente dies apparuit ortu, sive supra terras Phoebus, seu curreret infra.] ℙ *Ov. Met.* 11, 592. apud hos Cimmerios Somni domum constituit, quod longas ibi noctes sol absens efficiat. ℙ Alii sunt Cimmerii in Scytharum regione, inter Colchos, et Iberos, juxta mare Caspium. *Plin.* 6, 13, 14. ℙ *Cimmerium* pro *Cimmeriorum* habet *Val. Flacc.* 3, 399.

CIMMĔRIS, idis, f. *Κιμμερὶς*, urbs est Mysiae Aeolidis, quae et Antandros est appellata, quam V. videsis.

CIMMĔRĬUS, a, um, adj. *Κιμμέριος*, ad Cimmerios populos pertinens. *Ov. Pont.* 4, 10, 1. Cimmerium litus. *Plin.* 4, 12, 24. Bosphorus Cimmerius. [*Adde *Mel.* 1, 1.] *Ammian.* 29, 2. Omnes velut in Cimmeriis tenebris reptabamus. V. CIMMERII. ℙ *Cimmerii lacus* dicuntur a *Tibull.* 3, 5, 24. de lacu Inferorum, propter tenebras et noctem Ditis opacae. [**Virg. Cul.* 231. Avia Cimmerios inter distantia lucos.]

*CIMOLIS, idis, f. *Κιμωλὶς Ptolem.*, *Κίμωλις Strab.*, Paphlagoniae opp. *Plin.* 6, 2. *Cimolis* appellatur a *Mela* 1, 19. *med. Κίνωλις*, *Arriano*, *Κινωλὶς Marc. B. A.*

CIMOLIUS, a, um, adj. *Κιμώλιος*, ad Cimolum insulam pertinens. Cimolia terra, *Κιμωλία γῆ*, quam. *Cels.* 2, 33. et *Scrib. Compos.* 245. *cretam Cimoliam* vocant, genus est terrae cretosae, quae in Cimolo insula effoditur, candida, vel ad purpurissum inclinans: habetque varios in medicina usus, de quibus *Plin.* 35, 17, 57.

CIMOLUS, i, m. *Argentiera*, *Κίμωλος*, insula maris Cretici, antea Echinussa dicta, creta illa abundans, quae Cimolia appellatur. *Ov. Met.* 7, 463. cretosaque rura Cimoli. Adde *Plin.* 4, 12, 23.

*CIMON, onis, *Κίμων*, *ωνος*, dux Athen., Miltiadis et Egesiphyles filius. *Nep.* in *Cimone*. ℙ Item pictor quidam, de quo *Plin.* 35, 8. *B. A.*

CĪNAEDĬAS, ae, m. *κιναίδιας*, gemma candida, et oblonga, quae invenitur in cerebro piscis cinaedi. *Plin.* 37, 10, 56.

CĪNAEDĬCUS, a, um, adj. ad cinaedum pertinens. *Pl. Stich.* 5, 5, 19. Suavem cantationem aliquam occipito cinaedicam, *h. e.* proterviorem, pruritusque excitantem. *Varr.* ap. *Non.* 2, 822. Comici, cinaedici, scenatici, *h. e.* molles, enervesque saltatores. Sic *Pl. Stich.* 5, 7, 1. Qui Ionicus, aut cinaedicus, qui hoc tale facere possiet?

CĪNAEDŌLŎGUS, i, m. *κιναιδολόγος*, impudens in loquendo. *Turneb.* 29, 19. putat haberi in quodam *Varronis* fragmento ap. *Non.* 1, 277. Sed ea lectio valde incerta est.

*CĪNAEDŌPŎLIS, is, f. insula prope Cariam, sic nominata, ait *Plin.* 5, 31, 36., probrosis ibi relictis a rege Alexandro. *B. A.*

CĪNAEDŬLUS, i, m. diminutiv. cinaedi. *P. Scip. Afric. Aemilian.* ap. *Macr.* 2, 10. Virgines docentur praestigias inhonestas, cum cinaedulis et sambuca psalterioque eunt in ludum histrionum. *Pontan.* mallet *cinaedicis* ex conjectura.

CĪNAEDUS, a, um, adj. ad cinaedum pertinens, impudens, procax. *Catull.* 16, 2. Aureli pathice, et cinaede Furi. *Mart.* 6, 39. Homo cinaeda fronte. *Catull.* 10, 24. Hic illa, ut decuit cinaediorem, Quaeso, inquit, mihi etc.

CĪNAEDUS, i, m. *κίναιδος:* a *κινέω*, moveo, et *αἰδοῖα*, pudenda. Proprie est puer eviratus, qui resupinati viri pudenda clunibus vel manu subagi-

tat, idem ac embasicoetas. *Petr. Satyr.* 21. *Burm.* Ultimo cinaedus supervenit, cinguloque succinctus modo extortis nos clunibus cecidit, modo basiis olidissimis inquinavit. *Id. ib.* 24. Equum cinaedus mutavit, transituque ad comitem meum facto, clunibus eum, basiisque distrivit. *Appul. Met.* 10. Sed illae puellae, chorus erant cinaedorum, statim exultantes in gaudium, fracta, rauca et effeminata voce clamores intollunt. Et *mox.* passimque circumfusi nudatum supinatumque juvenem exsecrandis oribus flagitabant. ℙ Cinaedus differt a pathico, quia ille aliorum in se libidinem provocat, hic plerumque coactus se eidem subjicit. Sumitur tamen etiam pro puero meritorio, seu pathico. *Scip. Afric.* ap. *Gell.* 7, 12. Num qui cotidie unguentatus, eumne quisquam dubitet, quia idem fecerit, quod cinaedi facere solent? *Pl. Asin.* 3, 3, 37. Cinaedus calamistratus. *Catull.* 57. Pulcre convenit improbis cinaedis, Mamurrae pathicoque, Caesarique. *Id.* 23. Cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo. *Juven.* 2, 10. Inter Socraticos notissima fossa cinaedos. ℙ Cinaedi etiam dicti sunt saltatores, et pantomimi, *ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὸ σῶμα,* ut etiam *Non.* 1, 15. docet. Stulte saltatum te inter venisse cinaedos. *Pl. Mil.* 3, 1, 74. Ad saltandum non cinaedus malacus est, atque ego. *Scip. Afric.* ap. *Macr. Saturn.* 2, 10. Eunt in ludum saltatorium inter cinaedos virgines, puerique ingenui. ℙ Est et nomen piscis, coloris lutei. *Plin.* 32, 11, 53.

CĪNĂRA, et Cynara, ae, f. *κινάρα,* et *κυνάρα,* herba eadem, quae carduus sativus. *Colum.* 10, 235. Hispida ponatur cinara, quae dulcis Iaccho Potanti veniat, nec Phoebo grata canenti. Adde 11, 3. ℙ Ad scriptionem quod attinet, quamvis utroque modo tum Graece, tum Latine scriptum reperiatur, placet tamen *Salm.* in *Sol.* per *i* scribi in utraque lingua: quod nos amplectimur. *ℙ Fuit et *Cinara, ae,* insula maris Aegaei. *Plin.* 4, 12. *Mela* 2, 7. *Κίναρος* audit *Aethenaeo* 2, *ad f. B. A.*

CĪNĂRIS, is, f. nomen herbae ap. *Plin.* 8, 27, 41., ubi narrat, cervum herba cinare venenatis pabulis resistere. Quidam putant eandem esse cum *cinara:* sed negat *Hard.*

CINCINNĀLIS, le, adj. cincinnos habens. *Herba cincinnalis* eadem est, quae polytrichon. *Appul. Herb.* 51.

CINCINNĀTŬLUS, a, um, adj. diminut. cincinnati. *Hieron. ep.* 130. *n.* 19. Cincinnatuli pueri et calamistrati.

CINCINNĀTUS, a, um, adj. *βεβοστρυχωμένος, πλοκαμώδης,* cincinnos habens, cirratus. *Cic. in senat.* 5. Cincinnatus ganeo. *Id. Sext.* 11. consul. ℙ *Cincinnatae stellae* sunt crinitae. *Cic. N. D.* 2, 5. Stellae, quas Graeci cometas, nostri cincinnatas vocant. Al. rectius leg. *crinitas. Schol.* ad illud *Juven.* 6, 207. *Instantem regi Armenio, Parthoque cometen:* Latine haec stella cincinnata dicitur. ℙ *Cincinnatus* cognomen fuit L. Quinctii, qui ab aratro ad dictaturam arcessitus, strenuissimam reipublicae navavit operam: de quo *Liv.* 3, 26. et *Cic. Fin.* 2, 4.

CINCINNŬLUS, li, m. diminut. *βοστρύχιον,* parvus cincinnus. *Varr.* ap. *Non.* 6, 43. Ante aures modo ex subolibus parvuli Intorti demittuntur sex cincinnuli. Al. aliter leg.

CINCINNUS, i, m. *κίκιννος, βόστρυχος, πλόκαμος,* cirrus, capilli intorti. *Varr. R. R.* 1, 31. Coliculus viteus intortus, ut cincinnus. *Cic. Pis.* 11. Erant illi compti capilli, et madentes cincinnorum fimbriae. *Juven.* 6, 491. Altior hic quare cincinnus? ℙ Translate dicitur de flosculis orationis, et lasciviore verborum ornatu. *Cic. Or.* 3, 25. *ad f.* Atque eo citius in oratoris, aut in poetae cincinnis ac fuco offenditur, quod sensus in nimia voluptate, natura, non mente satiantur. Adde *Suet. Aug.* 86. [*De etymo vocis v. quae disputat *Döderl.* 3, 22. sq. cujus sententia haud improbanda videtur.]

*CINCIŎLUS, i, diminut. a Cincius. *Cic. Or.* 2, 7. *B. A.*

CINCĬUS, a, um, adj. ad Cincium pertinens, quod est nomen gentis Romanae. *Cincia, orum,* locus fuit Romae, ubi erat Cinciorum monumentum. *Fest.* ℙ *Cincia lex de donis, et muneribus* lata fuit a M. Cincio Alimento trib. pleb. M. Cornelio Cethego P. Sempronio Tuditano Coss. ann. U. C. 550. adversus eos, qui pretio causas orabant. Prohibebat enim, ne quis ob causam orandam donum munusve caperet. Ejus meminere *Cic. Or.* 2, 71., *Liv.* 34, 4., *Tac. A.* 13, 42. etc. ℙ Haec dicta est etiam *lex muneralis,* ut ex *Plauti* fragmento docet *Festus.*

*CINCTĬA, Junonis epitheton, idem ac Cinxia. *Capell.* 2. p. 37. Cinctiam mortales puellae debent in nuptias convocare, ut cingulum ponentes in thalamis non relinquas. V. CINXIA. *B. A.*

CINCTĬCŬLUS, i, m. *περιζωμάτιον,* parvus cinctus, genus amiculi puerilis (quemadmodum *cinctus* virorum est) quod circa umbilicum praecingitur, et ad media crura pertinet. *Pl. Bacch.* 3, 3, 28. Cincticulo praecinctus in sella apud magistrum assideres.

*CINCTOR, oris, m. *Gloss. Gr. Lat. ζώστης,* Cinctor. *B. A.*

CINCTORĬUM, ii, n. *παραζώνιον,* balteus, hoc est cinctus, ex quo ensis dependet. *Mela* 2, 1. *in f.* Marti pro simulacris enses et cinctoria dedicant. Quidam putant, utrumque simul significari, nempe ensem cum suo balteo, quo lateri appenditur. Hoc enim sensu accipiendum videtur ipsum *parazonium,* quod habetur apud *Mart.* 14, 32. *in lemmate.* Ipsum epigramma tale est: Militiae decus hoc, et grati nomen honoris: Arma tribunicium cingere digna latus. ℙ *Salm.* in *Sol.* ait, se legisse apud *Mel.* in libb. *enses, et tentoria:* emendari autem posse *tinctoria,* hoc est gladios, quod ii sanguine tingantur. Hinc in *Isid. Gloss.* haberi: *tinctorium, gladius.* Nihilominus magis placere *cinctorium.* Quod et in ipsis *Isid. Gloss.* alii reposuerunt. Huc quidam trahunt illud *Plin.* 7, 7, 7. Tu cujus semper in cinctorio mens est, *h. e.* in balteis, et gladiis, atque adeo cruenta, crudelis es. Alii leg. *cinctoria mens est.* Sed *Hard.* cum aliis *tinctoria,* eodem sensu: ut sit idem *tinctoria mens,* quod *gladiatorius animus* ap. *Ter. Phorm.* 5, 7, 71. Alii denique, *in victoria mens est.*

CINCTORĬUS, a, um. V. in v. praec.

CINCTUM, i, n. V. CINCTUS, us.

CINCTŪRA, ae, f. *Quint.* 11, 3. *a med.* Ita cingatur, ut tunicae prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant. Pars togae prior mediis cruribus optime terminatur, posterior eadem portione altius, qua cinctura, *h. e.* uti priores tunicarum orae demissiores esse debent posterioribus, ita et eadem portione toga ascendere a tergo debet supra ejusdem oram priorem. Ita *Spaldingius* locum legit, nempe *qua cinctura* pro *quam cinctura,* ut prius editum fuerat, itaque interpretatus est. ℙ Videtur etiam sumi pro ipsa cingendi ratione. *Suet. Caes.* 45. Usus est lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter, quam super eum cingeretur, et quidem fluxiore cinctura.

CINCTUS, a, um, part. a *cingo, περιβεβλημένος,* circumdatus. *Pl. Curc.* 2, 1, 5. Zona cinctus. *Hor. Sat.* 2, 8, 10. Puer alte cinctus. [**Id. ib.* 1, 5, 6. Altius praecinctis, (*ἐυζωνοτέροις*) i. e. celerius proficiscentibus. Altius cingi solebant, qui festinato facere iter vellent.] *Ov. Met.* 6, 59. Mulier cincta vestem ad pectus. [**Curt.* 3, 3. Zona aurea muliebriter cinctus.] *Id. Trist.* 1, 4, 30. Agminibus comitum qui modo cinctus erat. *Id. A. Am.* 3, 392. navali cinctus honore caput, *h. e.* coronatus navali corona. [**Sil.* 15, 100. Cinctus lauro triumphus (*ἐστεμμένος*).] *Id. Amor.* 3, 8, 10. Ense latus cinctum. *Liv.* 38, 21. *ad f.* Miles Hispaniensis gladio cinctus. [**Suet. Aug.* 35. ferro cinctus *Id. ib.* 19. Cultro venatorio cinctus.] *Cic. Mil.* 1. Consessus cinctus corona. *Id. Flacc.* 12. Provincia cincta mari. *Id. Manil.* 11. Sicilia multis undique cincta periculis. [**Virg. A.* 12, 811. Cincta flammis. *Tac. A.* 12, 46. Cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent. *Id.* 15, 38. Templa muris cincta. — Idem quod vestitus, indutus. *Virg. A.* 8, 282. Pellibus in morem cincti. *Id. Mor.* 22. Cinctus villosae tergore caprae. — *Id. A.* 7, 658. Centum angues cinctamque gerit serpentibus Hydram.] ℙ Speciatim *cincta* dicebatur Flaminica veste velata. *Fest.* ℙ Est etiam *cinctus,* qui militiae nomen dedit, et arma sumpsit. *Plin. ep.* 7, 25. *in f.* Sunt plures cultu pagano, quos cinctos, et armatos diligenter scrutatus invenies. *Marcell. Dig.* 39, 1, 25. Titius priusquam tribunus legionis factus esset, testamentum fecit: et postea cinctus, manente eodem, defunctus est. *Paul. ib.* 38. Miles non ignominiae causa missus, cinctus est in alia militia.

CINCTUS, us, m. *διάζωμα, περίζωμα,* vestis infra pectus corpus ambiens, et ad pedes pertingens, ut campestre, et subligaculum; quae Italice dici posset *grembiule.* Erat propria virorum et mulierum: sed in viris *cinctus,* in feminis *cingulam* dicebatur, ut *Varr. L. L.* 4, 23. docet: et gestabatur ab his supra tunicam; ab illis autem loco tunicae, ut expeditiores essent ad agendum. Habebant enim soluta brachia, et ad exercendum habiliora. ℙ *Cinctum, i,* n. hoc sensu dicitur a *Porphyr.* in *Hor. Art. P.* 50. ℙ *Cinctus Gabinus* fuit ipsius togae quaedam conformatio in hunc modum. Lacinia ejus extrema laevo brachio subducta in tergum rejiciebatur, ac retrahebatur ad pectus, atque ita in nodum colligabatur, ut togam contraheret, et breviorem, et adstrictiorem redderet. Hujus autem cinctus origo est hujusmodi. Cum toga laxum vestimenti genus esset, et ad pugnandum inepta, repentina apud Gabios incursione, cum non esset spatium deponendi togas, et sumendi saga, aut chlamydes, (quae fortasse tunc temporis nondum invecta fuerant) subductam, et retro rejectam circa corpus complicaverunt, et ad pugnandum processerunt. Ejus mentio fit a *Virg. A.* 7, 612. et *Serv. ib.* item *Liv.* 5, 46. et 8, 9. etc., quique eo modo induti essent, *incincti cinctu,* aut *ritu Gabino* dicebantur, et *in procinctu* esse. Hoc habitu utebatur postea consul bella indicturus. *Virg.* et *Serv. ib.* ℙ Est etiam *cinctus* idem quod zona, *ζώνη. Plin.* 23, 6, 59. Solutus vinculo omni cinctus, et calceatus, atque etiam anuli. *Id.* 28, 4, 9. Si cinctu suo soluto feminam cinxerit. *Suet. Ner.* 51. Synthesinam indutus, sine cincto, et discalceatus. ℙ *Cinctum, i,* n. vel *cinctus, i,* m. *Scrib. Compos.* 163. Has venatores diligenter colligunt, et habent in cincto, *h. e.* in zona. ℙ Pro ipsa cingendi ratione. *Plin.* 28, 6, 17. Vulnera nodo Herculis praeligare, mirum quantum ocior medicina est: atque etiam quotidiani cinctus tali nodo, vim quandam utilem habere dicuntur. ℙ Significat etiam mediam partem corporis, qua cinguntur milites, quemadmodum et interdum *ζώνη* apud Graecos. *Fulg. Mythol.* 3, 7. Omnes Deos Juppiter ad nuptias dicitur convocasse, illa de causa, quod putarent pagani singulas partes in homine Deos singulos obtinere; ut Jovem caput, Minervam oculos, Junonem brachia, pectus Neptunum, cinctum Martem, renes et inguina Venerem, pedes Mercurium.

CINCTŪTUS, a, um, adj. cinctu indutus. *Cinctuti Cethegi* ap. *Hor. A. P.* 50. et *cinctuti Lupercs* ap. *Ov. Fast.* 5, 101. sunt cinctu illo praecincti, qui in voce praeced. descriptus est: eo enim indumenti genere loco tunicae utebantur antiqui illi, et operosi homines, ut ad agendum expeditiores essent. Ad Lupercos quod attinet, satis constat, nudos eos, et solo cinctu pudenda velatos, per Urbem Lupercalibus decucurrisse. *Plutarch.* in *Rom. c.* 21. *Διαθέουσιν ἐν περιζώμασι γυμνοί.*

*CĪNĒAS, ae, m. *Κινέας,* vir Thessalus, Pyrrhi regis Epirotarum legatus, qui Romam missus, ut de pace ageret, obsistente sibi App. Claudio Caeco, re infecta ad Pyrrhum reversus est. Interrogatus deinde de statu urbis et senatu, dixit: *Senatum Deorum consessum sibi visum esse; populi autem tantam turbam esse, ut vereretur, ne regi cum Hydra quadam Lernaea res esset.* Huic tam fidelis fertur memoria, ut postridie quam Romam advenisset, sine ulla nomenclatoris ope; senatui, equestrique ordini sua nomina ediderit. *Cic. Tusc.* 1, 24. et *Plin.* 7, 24, 24. *Aelianus* in *Tact. c.* 1. auctor est, hunc Cineam Aeneae antiquissimi scriptoris Commentarios *στρατηγικοὺς* in compendium redegisse; do quo accipiendus est locus *Cic. Fam.* 9, 25. *B. A.* [*Sunt qui scribere malint *Cyneas.* Cf. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 2, 12.]

CĪNĔFACTUS, a, um, part. ab inusit. *cinefio,* in cinerem redactus. *Lucr.* 3, 920. At nos horrifico cinefactum te prope busto Insatiabiliter deflebimus.

CĪNĔRĂCĔUS, a, um, adj. *τεφρώδης,* cineri similis. *Plin.* 17, 5, 4. Cineracea terra. *Id.* 27, 7, 27. Folia cineracei coloris.

[CĪNĔRĀRĬA, ae, f. *κοσμήτρια,* mulier, quae calamistros fervente cinere calefactos, quibus capillus ornatur, ministrat. *Not. Tir.* p. 165. Cinis, cineraria, cinifela. In prima editione legitur *cinifelo* pro *cinifela,* quod esset pro *ciniflo,* quam vocem V. suo loco. *F.*]

CĪNĔRĀRĬUM, ii, n. locus in sepulcro, ubi mortuorum cineres reconduntur. *Inscr.* ap. *Grut.* 850, 10. Fratri optimo et piissimo cinerarium fecit. Adde 418, 11. et 663, 3. [*Alia* ap. *Fabr.* p. 16. *n.* 71. Calpurnia Restituta emit de Synerote columbaria N. IV., ollas N. VIII., et cinerarium medianum, et Phoebo conjugi suo, et sibi, posterisque suis. Hic *Fabrettus* probat, cinerarium fuisse locum, in quo sarcophaga marmorea cum integris corporibus asservabantur, columbaria loculos, in quibus singulis duae plerumque ollae sive ossuaria cum ustorum corporum cineribus reponebantur. Adde alias ap. *Grul.* 418, 11., 663, 3. et 850, 10. V. COLUMBARIUM et OSSUARIUM. *F.*]

CĪNĔRĀRĬUS, a, um, adj. *Cinerarii fines* in agris sunt, qui ad sepulcrum aliquod terminantur. Veterum enim sepulcra in agris fuere. *Var. Auct. de limit.* p. 296. *Goesii.* V. CINERICIUS.

CĪNĔRĀRĬUS, ii, m. *κοσμοπλόκος,* idem qui ciniflo. Porro utraque haec appellatio a cinere calefaciendo orta est. Docet enim *Varr. L. L.* 4, 29. dictos esse *cinerarios,* quod calamistros fervente cinere calefactos, quibus capillus ornatur, ministrarent. *Ciniflones* a cinere flando, et calefaciendo sunt appellati. [*Addubitat de hac vocis originatione *Döderl.* 3, 23. quam ad inusitatam quandam verbi formam *cinnio* refert, ut *ciniflo* non compositum ex *cinis* et *flare,* sed antiquum dicendi genus pro *cinilio* dicat. Cf. interprr. ad *Hor.* et *Catull. ll. mox ll.*] Uterque ab *Hor. Sat.* 1, 2, 98. et a *Tertull. ad Uxor.* 2, 8. inter delicatiores mulierum servos enumeratur. Latius tamen eorum opera patuisse videtur. Nam et tonsoriam exercuisse, colligitur ex illo *Catull.* 60, 138. Nunc tuum cinerarius Tondet os. *Senec. Constant. sap.* 14. Quidam se a cinerario impulsos moleste ferunt. ℙ Olim *cinerarii* per convicium dicti sunt a *Vigilantio,* qui Sanctorum martyrum cineres et ossa venerabantur, ut est ap. *Hieron. ep.* 109. *n.* 1.

CĪNĔRESCO, is, n. *τεφροῦμαι,* in cinerem abeo.

Tertull. Apolog. 40. *de regione Sodomae.* Poma contacta cinerescunt. *Fulg. Mythol.* 2, 18. Poma fugitivis cinerescentia tactibus.

CINĔRĔUS, a, um, adj. τεφρὸς, cineri similis, cineraceus. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 9. Cinerea uva. *Id.* 35, 16, 54. terra. *Id.* 37, 10, 68. et *Colum.* 2, 2. Cinereus color.

CINĔRĬCIUS, vel cineritius, a, um, adj. cinereus, cineraceus. *Varr. R. R.* 1, 9. *ad f.* Si terra non sit cinericia, neve vehementer densa. Alleg. *cineraria.*

CINĔROSUS, a, um, adj. cinereus. *Appul. Met.* 4. Pulverei, et jam cinerosi mortui. *Id. ib.* 7. Cinerosa canities.

*CINGA, ae, Hispaniae Tarracon. fluv., in regione Ilergetum, in Sicorim influens. quocum in Iberum cadit. *Caes. B. C.* 1, 48. *Lucan.* 4, 21. *B. A.*

*CINGETORIX, origis, Gallus, de Trevirorum principatu contendebat cum Indutiomaro, cujus erat gener, mansitque in fide Caesaris. *Caes. B. G.* 5, 3, 56. etc. ℙ Alter fuit Britannus, rex in ea parte, quae ad Cantium est, qui Cassivellauni imperio castra Caesaris improviso adortus est. *Id. ib.* 5, 22. *B. A.*

*CINGILIA, ae, Italiae opp., ad mare Hadriaticum, in Vestinorum regione. *Liv.* 8, 29. *B. A.*

*CINGILLA, ae, Syriae opp., in Commagena. *Plin.* 5, 24. *B. A.*

CINGILLUM, i, n. vel Cingillus, i, m. ζωνάριον, ὀμφάριον, parva vestis, quae *cinctus* dicitur. *Petr. fr. Trag.* 67. *Burm.* Venit ergo galbino succincta cingillo, ita ut infra cerasina appareret tunica. Adde *Not. Tir.* p. 158.

CINGO, is, cinxi, cinctum, a. 3. ζώννυμι, περιβάλλω, circum complector, circumdo. *Ov. A. Am.* 3, 562. Cingenda est altis sepibus ista seges. *Pl. Amph.* 1, 1, 152. Cingitur: certe expedit se. *Suet. Caes.* 45. Fluxiore cinctura cingi. *Plin.* 28, 4, 9. Cingere aliquem cinctu. *Hor. Od.* 3, 30, 16. comam lauro. *Ov. Fast.* 3, 254. de tenero flore caput. *Hor. Od.* 3, 25, 20. Cingentem viridi tempora pampino. [**Virg. A.* 5, 539. Tempora lauro. *Id. ib.* 12, 163. Cui tempora radii cingunt. *Id. ib.* 1, 673. Cingere flamma reginam.] *Liv.* 7, 10. Cingi gladio. *Virg. A.* 2, 511. ferrum. *eod. sensu, pro* cingi ferro (hellenismus). *Ov. Fast.* 2, 784. Cingere latus ense. *Mart.* 14, 32. Arma tribunicium cingere digna latus. *Id.* 11, 100, lacertos anulo. *Cic. N. D.* 3, 40. urbem moenibus. *Liv.* 7, 39. castra vallo. *Tac. A.* 6, 34. hostem stationibus in modum obsidii. *Id. ib.* 12, 17. multitudinem custodia. [**Id. ib.* 13, 41. Quod moenibus cingebatur. — *Curt.* 4, 13. Ultimum agmen valida manu cinxerat, i. e. a tergo firmaverat.] *Virg. A.* 3, 52. urbem obsidione. *Ov. Pont.* 2, 8, 69. Cingi ab armis hostium. [**Virg. A.* 2, 520. Cingi telis. *Tibull.* 2, 3, 37. Praeda feras acies cinxit discordibus armis: quem locum frustra tentasse videtur *Broukh.*] ℙ *Cingere aliquem* aliquando est stipare, comitari. *Tac. A.* 1, 77. Ne egredientes in publicum pantomimos equites Romani cingerent. *Ov. Pont.* 4, 9, 17. Dumque latus sancti cingit tibi turba senatus. [*Adde *Sil.* 4, 448. Ductorem ℙ Ansonium telis Garamantica pubes cinxerat.] ℙ *Cingi venenis* ap. *Val. Flacc.* 6, 477. est instrui, armari, ea ratione, qua dicimus *cingi gladio.* ℙ Dicuntur etiam cingere locum aliquem, qui circa eum incolunt. *Id. ib.* 68. Quique lacum cinxere Bicen. ℙ Item qui itinere locum aliquem circumeunt. *Lucan.* 9, 372. Audet in ignotas agmen committere gentes, Armorum fidens, et terra cingere Syrtim, *h. e.* terrestri itinere circuire. Adde 1, 594. ℙ De fluminibus, quae locum aliquem circumfluunt. *Caes. B. G.* 1, 38. Flumen, ut circino circumductum, paene totum oppidum cingit. *Curt.* 3, 1, Terra magna ex parte cingitur fluctibus. ℙ In illo *Plin.* 6, 12, 13. Cingitur insula tribus millibus passuum, *h. e.* circumitur, seu tria mill. pass. in circuitu habet. ℙ Poetice significat aliquando occupare, vel tegere. *Virg. A.* 5, 13. cinxerunt aethera nimbi. *Senec. Herc. fur.* 939. Medium diem cinxere tenebrae. ℙ Haec translatio ex eo descendit, quod *cingere* significat etiam vestire, tegere: ut in illo *Sil.* 3, 235. at vestigia nuda, sinusque Cingere inassuetum. Hinc etiam *cinctus, us*, et *cincticulus* vestis genus quoddam sunt. ℙ *Cingere aliquem insignibus fortunae principalis* ap. *Tac. Hist.* 2, 59. *ad f.* est, honoribus, et vestibus principum ornare, decorare. ℙ Aliquando est militare verbum. Nam *cingi* milites dicuntur, cum militiae adscribuntur, et arma sumunt. *Papinian. Dig.* 29, 1, 43. Filiusfamilias equestri militia exornatus, cingi confestim jussus etc. V. CINCTUS, a, um. [*Hinc ap. *Virg. A.* 11, 486. Cingitur ipse furens certatim in proelia Turnus.] ℙ Denique *cingere arbores* est eas circum deglabrare, uti docet *Paul. Dig.* 47, 7, 5. Graeci quoque τὸ ζωννύειν exponunt περιελεῖν τὸν φλοιόν. Arbores autem fere omnes, cortice in orbem detracto, necantur, teste *Plin.* 17, 24, 36. *n.* 9. V. DECLAVO, et COINQUIRE.

CINGŬLA, ae, f. ζῶμα, qua cinguntur jumenta. *Ov. R. Am.* 236. Ut nova velocem cingula laedat equum. Adde *Calpurn. ecl.* 6, 41. ℙ Pro cingulo, seu zona hominis. *Ov. A. Am.* 3, 443. Nec coma vos fallat liquida nitidissima nardo, Nec brevis in rugas cingula pressa suas. Adde *Titin.* ap. *Non.* 41, 1.

CINGŬLĀNUS. V. CINGULUM.

CINGŬLI, Graeci dicunt σφηκώδεις, homines satis tenues in iis locis, ubi cingi solemus. *Fest.* hoc est *vespis similes.*

CINGŬLUM, i, n. et Cingŭlus, i, m. genus vestis, de quo V. CINCTUS, us. ℙ Item zona, ζώνη. *Petr. Satyr.* 21. Myrtea subornatus gausapila, cinguloque succinctus. *Virg. A.* 12, 942. et notis fulserunt cingula bullis. [**Id. ib.* 1, 492. Cingula aurea subnectens mammae.] *Val. Flacc.* 6, 470. fecundaque monstris cingula, *h. e.* cestus Veneris. *Cic. Somn. Scip.* 6. Cernis eandem terram quasi quibusdam redimitam et circumdatam cingulis; e quibus duos maxime inter se diversos, etc. ℙ Cingulo nova nupta praecingebatur, quod vir in lecto solvebat. Id factum erat ex lana ovis, ut sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se sit, ita vir suus secum cinctus vinctusque esset. Hunc Herculaneo nodo vinctum vir solvit ominis gratia, ut sic ipse sit felix in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui LXX liberos reliquit. Haec *Festus.* ℙ Speciatim *cingulum* adhibetur in re militari. Est enim militiae insigne: et metonymice pro ipsa militia ponitur. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 6, 30, 18. Cingulum militiae sumere. *Impp. Valens et Valentinian. Cod. Justin.* 7, 38, 1. Cingulo aliquem exuere, *h. e.* exauctorare. *Iidem ib.* 12, 17, 3. spoliare. Adde *Prudent.* 32. ℙ Est etiam nomen oppidi in Piceno, nunc *Cingoli. Caes. B. C.* 1, 15. Cingulum, quod oppidum Labienus constituerat, suaque pecunia exaedificaverat. *Sil.* 10, 34. Cingula saxa appellat. Adde *Cic. Att.* 7, 11. et 12. ℙ Ejus incolae *Cingulani* dicuntur a *Plin.* 3, 13, 18. *Inscr.* ap. *Mur.* 383, 1. Fl. Fortunio . . . . Ordo Cingulanorum etc. Sic *Cingulanus ager*, ap. *Front. de colon.* p. 121. *Goesii.* ℙ In cingulo Florentino, in centuriis singulis sunt jugera CC. *Front. de colon.* p. 133. *Goes.*, *h. e.* in agro, in territorio, *h. e.* in agro, qui Florentiam cingit. ℙ Cum *cingulum*, *cingulus*, et *cingula* usurpata a scriptoribus reperiantur, manifestum videtur, vocem adjectivam esse. Notat autem *Serv.* ad illud *A.* 9, 359. *aurea bullis cingula*, neutro genere de hominum, feminino de animalium zonis dici: quod confirmat *Isid. Orig.* 20, 16. Sed V. CINGULA.

CINIFELA et CINIFELO. V. CINERARIA.

CINĬFES vel Ciniphes, Cyniphes, Cinyphes, Cinypes et Scyniphes aut Scinifes (tot enim modis scriptum legitur) um, f. plur. musculae sunt minutissimae, sed aculeis permolestae, ut *Augustin. Trinit.* 3, 7. et *Isid. Orig.* 12, 8. docent. Graece dicuntur ab aliis ὀχνίαις, ab aliis κνίφες vel κνίφες, ita appellati a κνίζω, pruritum moveo. *Hieronym. in Joel. c.* 2. *v.* 25. Cyniphes tam parvi sunt culices, ut vix cernantur oculis. *Sulpic. Sever. sacrae hist.* 1, 14. Superductis ciniphibus terra oppleta est. *Alcim. Avit.* 5, 151. Illic quas scinifes vocitant, quantosque volatus etc.

CINĬFLO, onis, m. ciniflones, qui et cinerarii. *Hor. Sat.* 1, 2, 98. Custodes, lectica, ciniflones, parasiti. *Acron.* ad *l. c. Hor.* Dicti ciniflones ab eo, quod in cinerem flant ad ferrum calefaciendum. V. CINERARIUS, ii.

CĪNIS, ăris, m. et f. τέφρα, pulvis, in quem res combustae rediguntur. *Auct. ad Herenn.* 4, 8. *ad f.* Nisi patriae miserandum viderint cinerem. [**Virg. A.* 10, 59. Non satius, cineres patriae insedisse supremos? *Hor. Ep.* 16, 11. Barbarus heu cineres insistet victor, et urbem eques sonante verberabit ungula.] *Hor. Od.* 2, 1, 7. incedis per ignes Suppositos cineri doloso. *Lucr.* 4, 924. cinere ut multa latet obrutus ignis. *Colum.* 12, 22. Infundito cineris lixiviae congios duos. [**Suet. Tib.* 74. Cinis e favilla et carbonibus, ad calefaciendum triclinium illatus, exstinctus et jam frigidus exarsit repente. *Virg. G.* 1, 82. Effetos cinerem immundum jactare per agros.] *Hor. Ep.* 1, 15, 39. Vertere omnia in fumum, et cinerem. *Id. Od.* 4, 13, 28. Dilabi in cineres. [**Tibull.* 1, 9, 12. In cinerem et liquidas munera vertat aquas. Cf. *Heyn.* ad h. l. vers. *Hom.* Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.] *Plin.* 34, 10, 22. Redire in cinerem. *Stat. Th.* 12, 82. impulsas cineri miscere Mycenas, *h. e.* incendio absumere. *Senec. Theb.* 113. et *Virg. Cir.* 312. Dare aliquid in cinerem, *eod. sensu.* ℙ Translate *Catull.* 68, 90. Troja virum, et virtutum omnium acerba cinis, *h. e.* immaturum exitium. ℙ Saepissime dicitur de funerum reliquiis, quae crematis cadaveribus, in sepulcra condebantur: item de ipsis defunctorum manibus. [**Tac. A.* 14, 12. Etiam Lolliae Paullinae cineres reportari, sepulcrumque exstrui permisit. *Suet. Cal.* 15. Ad transferendos matris fratrisque cineres festivavit. *Virg. A.* 11, 211. Moerentes altum cinerem et confusa ruebant ossa focis. *Id. ib.* 10, 828. Teque parentum manibus et cineri remitto, i. e. ad sepulcrum patrium, ut te inferant. *Hor. Od.* 2, 8, 9. Expedit matris cineres opertos fallere. *Tibull.* 1, 3, 7. Assyrios cineri quae dedat odores.] *Hor. A. P.* 471. Minxeneri quae dedat odores.] *Hor. A. P.* 471. Obsecrarit in patrios cineres. *Cic. Quint.* 31. Obsecravit per fratris sui mortui cinerem. *Id. Verr.* 2, 1, 44. Cur hunc dolorem cineri ejus, atque ossibus inussisti? (Adde *C. Anton. in epist.* ap. *eund. Phil.* 13, 10.) *Phaedr.* 3, 9. Et cedo invidiae, dummodo absolvar cinis, *h. e.* jam mortuus. [**Hor. Ep.* 17, 33. Donec cinis injuriosis aridus ventis ferar. — *Tibull.* 2, 6, 34. Et mea cum muto fata querar cinere.] Sic *Mart.* 1, 2. Rari post cineres habent poetae, et 5, 13. Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit. [*Dicitur etiam pro ossibus defunctorum, quae cremari solebant. *Tac. A.* 2, 59. Semiusti cineres, ac tabe obliti.] ℙ *Cineri medicinam dare*, proverbialiter significat nimis serum alicui afferre remedium, mortuo mederi. Legitur ap. *Propert.* 2, 11, 16., ubi alii pro *cineri* reponunt cum *Scalig. emeritis*, sed *Brouckus.* alteram lectionem tuetur ex octo MSS. Simile est illud ap. *Quint. Decl.* 12, 23. Aquas infundere in cinerem: *scilicet* cum incendium jam exstinctum est. ℙ *Cinerem quaeritare* aliud proverb. ap. *Pl. Mil.* 4, 2, 10. *h. e.* rem vilem ac sordidam. ℙ Feminine (praeter eos, quos adduximus) extulerunt etiam *Caesar*, *Catulus* et *Calvus*, quorum auctoritatem frustra *Nonius* vacillare dicit 3, 51. ℙ In recto casu singulari *ciner* pro *cinis* agnoscitur a *Prisc.* 5, 658. et 6, 707., sed nullo probatur exemplo. ℙ Ultima in *cinis* producitur in illo *Albinov. ad Liv.* 1, 163. Miscebor cinerique cinis, atque ossibus ossa. V. SANGUIS *in f.*

CĪNISCŬLUS, li, m. parvus, seu paucus cinis. *Prud. Cath.* 10, 149. Nec si cariosa vetustas Dissolverit ossa favillis, Fueritque cinisculus arens Minimi mensura pugilli.

*CINITHII vel Cinethii, orum, pop. Africae, in reg. Syrtica, prope Syrtim minorem. *Tac. A.* 2, 52. Κινήθιοι, Cinethii, audiunt. *Ptolem.* Sic dicti forte a Cinetho vel Cinitho oppido quodam. *B. A.*

*CINIUM, i, opp. Majoreae insulae. *Plin.* 3, 5.

*CINNA, ae, f. opp. Dalmatiae. *Anton. Itin.* Sinna appellatur in *Tab. Peut.* ℙ Fuit et *Cinna, ae*, m. cogn. Rom., ut L. Cornelius Cinna, qui consul fuit una cum Cn. Octavio. *Flor.* 3, 21. *Vellej.* 2, 24. *Cic. Tusc.* 5, 19. *Liv. Epit.* 79. sq. — C. Helvius Cinna, poeta insignis, Catulli amicus. *Catull.* 10, 30. 45, 9. *Virg. E.* 9, 35. *Ov. Trist.* 2, 435. *Mart.* 10, 21, 4. *Quint.* 10, 4. ℙ V. CINNANUS. *B. A.*

CINNĂBĂRIS, is, f. κιννάβαρι, εως, τὸ, genus coloris rubri, et minio similis, diversi tamen, quo pictores utuntur. Duplex est, nativum, et factitium. *Plin.* 33, 7, 39. Cinnabaris adulteratur sanguine caprino, aut sorbis tritis. Pretium sincerae nummi quinquaginta. Et 29, 1, 8. Cinnabaris Indica. ℙ Dicitur etiam *cinnabari, is*, n. more Graecorum. *Plin.* 33, 7, 38. Minium quidam vocant cinnabari. Ita cum *Harduino* pleraeque editiones tum antiquae, tum recentes. At omnium antiquissima A. 1469. habet *cinnabarim*, quod vel ex eo praeferendum videtur, quia *Plin.* tum *l. c.*, tum alibi semper feminine usurpat. ℙ Cinnabaris Indica erat sanies draconis elisi elephantorum morientium pondere, permixto utriusque animalis sanguine, ut *Plin. l. c.* 33, 7, 38. docet. V. etiam 8, 12, 12. Hoc tamen plerique fabulosum putant, quamvis *Solin.* confirmat 25. *sub f.*

CINNĂMĔUS, a, um, adj. qui est ex cinnamo. *Auson. Idyll.* 11, 17. Cinnameus nidus. *Appul. Met.* 5. Cinnamei crines, *h. e.* cinnama redolentes. Et *ib.* 10. odores. Et *ib.* 2. Cinnameus inhalatus oris.

CINNĂMĪNUS. V. CINNAMOMINUS.

[CINNĂMĬO, onis, m. diminut. cinnami. Est nomen serv. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1095, 13. Cinnamio C. Caesaris Aug. verna. *F.*]

[CINNĂMIS, idis, f. quae cinnamum olet. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 943, 12. Juniae Cinnamidi Q. Junius Stephanus. *F.*]

CINNĂMOLOGUS, i, m. κινναμολόγος, *h. e.* cinnamum colligens: a κίνναμον, cinnamum, et λέγω, colligo. Ita vocatur avis quaedam in Arabia, quia cinnami surculis collectis nidificat. Eos autem nidos sagittis decutiunt indigenae, mercis gratia. *Plin.* 10, 33, 50. ℙ De eadem verba faciens *Solin.* 33., appellat *cinnamolgon*, extrita per syncopen quarta vocali.

CINNĂMOMĪNUS, a, um, adj. κινναμώμινος, qui est ex cinnamomo. *Plin.* 13, 1, 2. Unguento cinnamomino prodigiosa pretia. Al. leg. *cinnamino.*

CINNĂMOMUM, i, n. κιννάμωμον, frutex Aethiopiae Troglodytis connubio permixtae duum cubitorum altitudine amplissimus, folio origani, cujus cortex gratissimi odoris est: lignum vero (quod *xylocinnamomum* vocant) acerbum gustui propter origani acrimoniam, quam imitatur. Est aroma illud, quod Italice dicitur *cannella.* Plura de eo *Plin.* 12, 19, 42. V. CASIA. ℙ Est etiam vox blandientis, nam vetula ap. *Pl. Curc.* 1, 2, 6. ad

vinum orationem convertens ait: Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa.

CINNAMUM, *et Graeca terminatione* Cinnamon, i, n. idem quod *cinnamomum*. Est enim veluti per syncopen ab eo deducta vox, et a Latinis usurpata, cum Graeci *κιννάμωμον* tantum dicant. [Est vox Hebraica קִנָּמוֹן *cinnamon*, Laurus cinnamomum, *Linn.* Itali vocant *cannella del Ceylan*, *cinnamomo*. *F.*] Plurimus ejus usus fuit in unguentis, quae cinnamomina dicta sunt, et prodigiosa pretia habuere. *Plin.* 12, 19, 43. Cinnamomum, idemque cinnamum, nascitur in Aethiopia. *Senec. Oedip.* 117. Cinnamis silvas Arabum beatas Vidit. *Stat. Silv.* 4, 5, 31. odoratisque rara Cinnama praeripiet Sabaeis. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 94. Panchaia turgent cinnama. *Lucan.* 10, 165. multumque madenti Infudere comae, quod nondum evanuit aura, Cinnamon, externa nec perdidit aera terra. *Mart.* 4, 13. Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo. ℙ Dicitur avis Phoenix ex ejus surculis nidum sibi, seu rogum struere. *Ov. Met.* 15, 399., *Stat. Silv.* 2, 6, 87. et *Claud. in I. Cons. Stil.* 2, 420. ℙ Est et aliud, cognomento *comacum*, seu *camacum*, multum quidem a priore differens, vicina tamen gratia. *Plin.* 12, 28, 63. et 13, 2, 2. ℙ Sunt qui scribunt *cinamum*, et *cinamomum* unico *n*, sed minus recte. *Dausq.* in *Orthogr.*

CINNAMUS, i, m. idem quod cinnamum, vel cinnami surculus. *Sol.* 33. de Phoenice: Rogos suos struit cinnamis, quos prope Panchajam concinnat. ℙ Est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 6. *n.* XXXIV. P. Arruntius Cinnamus.

CINNANUS, a, um, adj. ad Cinnam pertinens. *Cinna* est nom. propr. Rom. L. Cornelius Cinna bello civili contra Sullam pugnavit, et a suis tandem interfectus est. V. *Florum*, *Epit.*, *Liv.* 77. et seqq. et alios. *Nep. Att.* 2. Cinnanus tumultus. Et *ib.* et *Vell.* 2, 24. Cinnanae partes.

CINNUS, i, m plurium rerum commixtio, inquit *Non.* 1, 295. Hinc ita appellatum est genus quoddam potionis ex pluribus liquoribus temperatum, (ut *id. ib.* 207. tradit) quod a Graecis *κυκεών* dicitur, a *κυκάω*, misceo. *Arnob.* 5, 174. Sitienti adoris oggerit potionem cinnum, cyceonem quam nuncupat Graecia. ℙ Translate. *Cic. Or.* 6. Est autem quidam interjectus *(dicendi modus)* inter hos medius, et quasi temperatus; nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum, ut cinnus amborum, in neutro excellens, utriusque particeps, vel utriusque, si verum quaerimus, potius expers. Ita legit *Non. cit. n.* 295., *P. Victor*, et *Grut.* Alii cum *Aldo* A. 1514. ediderunt *vicinus amborum:* [itemque *Schützius*, quod unice verum affirmat similem locum adducens ex *Gell.* 7, 14. *F.* *Idem exhibet *Orell.*] ℙ Praeterea *cinnum* idem esse ac cincinnum, probant quidam tum ex *Gloss. Phil.*, ubi *cinnus* exponitur *κρώβυλος;* tum ex *Pl. True.* 2, 2, 32. et *Cic. Or.* 3, 25. *sub f.* ut quidem legit *Non.* 6, 13. Sed ap. *Pl.* et *Cic. cincinnus* cum plerisque omnibus legendum est. [*Ita *Orell.*] ℙ In iisdem *Gloss.* exponitur *νεῦμα*, hoc est nutus: in aliis cilium, aut palpebra, ut est ap. *Scal.* ad *Fest.* in *Sugillatum*. Sed harum significationum desiderantur adhuc Latini scriptoris exempla.

CINUS, i, f. arbor quaedam silvestris, amica apibus. *Pall.* 1, 37. At *Pontedera*, et *Schneiderus* legendum putant *pinus*. ℙ *Cinus* est tamen cogn. R., a *κενὸς*, vacuus. *Inscr.* ap. *Grut.* 1008, 1. Coelius Cinus.

CINXIA, Juno dicebatur, quod nuptiis praeesset. Inito enim conjugio solvebatur cingulum, quo nova nupta erat cincta. *Festus*, et *Arnob.* 3 p. 115.

CINYPHIUS, a, um, adj. *Κινύφιος*, ad Cinyphum, seu Cinypem regionem, et fluvium pertinens. *Ov. Met.* 7, 273. Cinyphius chelydrus. *Virg. G.* 3, 312. barbas incanaque menta Cinyphii tondent hirci. *Cinyphios* appellat hircos, quia circa Cinyphum fluvium magna eorum copia, et ingentibus villis nascuntur. Sic *Mart.* 7, 95. Cinyphius maritus, *h. e.* hircus. *Id.* 8, 51. Cinyphius tonsor, *h. e.* qui tondet hircos. Et 14, 140. cujus lemma est *Udones Cilicii*. Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti: Cinyphio poterit planta latere sinu. ℙ *Cinyphii* etiam dicuntur *Macae* populi Libyae, ab eadem regione Cinyphi amnis. *Sil.* 3, 275. Cinyphii didicere Macae: squalentia barba Ora viris, humerosque tegunt velamine capri Setigero. ℙ Circa hunc fluvium uberrima arva sunt, teste *Mela* 1, 7. Hinc *Ov. Pont.* 2, 7, 25. Cinyphiae segetis citius numerabis aristas. ℙ Ponitur etiam generatim pro Libyco, Africano. *Id. Met.* 15, 754. Numidasque rebelles, Cinyphiumque Jubam. *Claud. B. G.* 9. Cinyphias exercitus attigit oras. *Lucan.* 9, 787. Cinyphiae pestes, *h. e.* serpentes Afri. *Sidon. carm.* 15, 6. Cinyphio Tritone truces hilaraverat artus. V. TRITON. *Id. carm.* 9, 203. Cinyphius Ammon. ℙ Monet *Pier.* ad *Virg. l. c.* in MSS. reperiri *Cyniphius*, *Κυνίφιος*.

CINYPHUS, i, et Cinyps, ypis, m. *Κίνυφος*, et *Κίνυψ*, fluvius Africae, qui oritur in desertis Libyae, et in mediterraneum mare inter duas Syrtes, prope Leptim, influit. A *Plin.* 5, 4, 4. et *Mela* 1, 7. Cinyps appellatur. Sic *Claud. I. Cons. Stil.* 1, 251. Quos vagus humectat Cinyps. ℙ *Cinyphus* vero ab aliis dicitur ex *Ptol.*, ap. quem *Κίνυφος* est.

CĬNYRAS, ae, m. *Κινύρας*, Paphi filius, rex Assyriorum, omnium suae aetatis formosissimus, qui quod imprudens cum Smyrna filia concubuisset, prae moerore se ipse interfecit. Ex eo concubitu filium habuit Adonim a Venere dilectum, qui ab apro occisus est. *Hyg. fab.* 58., 242., 270. etc. ℙ Alia quoque de eo narratur fabula, quod plures filias habuerit, quae cum Junone de pulcritudine contendere ausae, ab ipsa in gradus templi conversae sunt: quod innuit *Ov. Met.* 6, 98. ℙ Diversus ab hoc creditur Cinyras rex Cypri, pater Myrrhae, de quo *Ov. Met.* 10, 300. Plerique tamen cum priore confundunt.

CĬNYRĒĬUS, a, um, adj. *Κινυρήϊος*, ad Cinyram pertinens. *Ov. Met.* 10, 369. (et *Colum.* 10, 173.) Cinyreia virgo, *h. e.* Myrrhae filia Cinyrae. *Id. ib.* 712. Cinyreius juvenis, *h. e.* Adonis Cinyrae nepos simul et filius. *Stat. Silv.* 5, 1, 214. Cinyreia germina. V. v. sq.

CĬNYRĒUS, a, um, adj. *Κινύρειος*, Cinyreius. *Lucan.* 8, 716. ab Idalio Cinyreae litore Cypri, *h. e.* Cypri a Cinyra regnatae. *Stat. Silv.* 5, 1, 214. Coryciaeque comae, Cinyreaque germina, *h. e.* myrrha. Al. leg. *Cinyreiaque*.

*CĬNYRĬA, ae, f. *Κινύρεια*, Cypri opp. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

CĬO, is, ivi, itum, a. 4. *κινέω*, idem quod *cieo*, hoc est moveo. *Virg. Cul.* 201. bijuges oriens Erebo cit equos nox. *Colum.* 6, 5. Ea res aut cit alvum, aut movet febrem. *Pl. Poen.* 4, 2, 86. Prius disperibit, faxo, quam unam calcem civerit. *Mart.* 4, 90. Inde lego, Phoebumque cio, Musasque lacesso. *Lucr.* 1, 212. Terraique solum subigentes, cimus ad ortus, *h. e.* excitamus, promovemus. *Lact. Ep.* 4. Tres affectus tres furiae sunt, quae in animis hominum tantas perturbationes ciunt. Al. leg. *cieunt*. *Tac. A.* 15, 33. Quos e proximis coloniis ejus rei fama civerat, *h. e.* exciverat. *Appul. Flor. n.* 17. Cire voces, *h. e.* elicere, vel edere.

CĬOS et Cius, i, m. *Κίος* et *Κῖος*, fluvius et oppidum Bithyniae ad Propontidem, opportunissimum olim emporium non procul accolentis Phrygiae. *Prisc. Perieg.* 775. Qua Cius egregia decurrens murmurat unda. Adde *Plin.* 5, 32, 40. et *Mel.* 1, 19.

CIPPUS, i, m. valli genus ex trunco arboris: unde et *Vet. Gloss. κορμὸν*, truncum exponit. *Caes. B. G.* 7, 73. Truncis arborum, haud admodum firmis ramis accisis, atque horum dolabratis, atque praeacutis cacuminibus, perpetuae fossae ducebantur. Huc illi stipites demissi, et ab infimo revincti, ne revelli possent, ab ramis eminebant; quo qui intraverant, se ipsi acutissimis vallis induebant: hos cippos appellabant. ℙ Est etiam columella quadrata in sepulcris cum memoria et titulo aliquo posita. *Hor. Sat.* 1, 8, 12. Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agro Hic dabat, heredes monumentum ne sequeretur *Pers.* 1, 37. non levior cippus nunc imprimit ossa? *Prud. Apoth.* 361. Decalionum devotus cippo. ℙ In re agraria est terminus ad discernendos agrorum fines constitutus. *Simpl.* ap. *Goes.* p. 88. ℙ In *Gloss. Vet.* exponitur etiam ligneum vinculum pedum: ex quo orta est Itala vox *ceppo*. *Aldhelmus carm. de laud. Virg.* 25. Et suras iterum cipporum vincula claudunt. ℙ Praeterea *cippum* quidam leg. ap. *Tert. Pall.* 5., et putant esse ligneum annulum, quo contineturumbo togae, ne defluat: qua de re multa ibi *Salm.* Alii interpretantur palum jugo transverso instructum, cui vestes appenduntur. Sed haec incerta prorsus, et sola quorundam conjectura fulta sunt. ℙ [*Cippus*, aut vetustiori orthographia *Cipus* cognomen fuit M. Genutii praetoris, cui cornua in fronte erepserunt. *Val. Max.* 5, 6. *n.* 3. *Plin.* 11, 37, 45. *F.*]

CIPRĬUS. V. CYPRIUS.

CIRCA, *περὶ*, *ἀμφὶ*, circum: praepositio accusativum regens, quae dicitur tum de loco, cum de tempore. *Nep. Alc.* 10. Ligna contulerunt circa casam eam, in qua quiescebat. [* *Suet. Nero* 28. Sporum circa conventus mercatusque Graeciae, ac mox Romae circa Sigillaria, comitatus est.] *Liv.* 28, 26. Custodes circa omnes portas missi. *Id.* 26, 13. Circa domos eorum ituros se minabantur. [* *Virg. G.* 4, 75. Et circa regem atque ipsa ad praetoria densae Miscentur. *Hor. Od.* 1, 18, 2. Circa mite solum Tiburis. *Id. ib.* 2, 5, 5. Circa virentes est animus tuae Campos juvencae. *Id. ib.* 1, 3, 10. Illi robur et aes triplex Circa pectus erat *Id. ib.* 1, 25, 15. Tibi amor et libido — Saeviet circa jecur ulcerosum. *Id. Sat.* 2, 6, 34. Aliena negotia centum Per caput et circa saliunt latus.] *Cic. Verr.* 2, 1, 48. Ajebat multa opus esse canibus suis, quos circa se habebat. *Suet. Dom.* 9. Omnes circa se largissime prosecutus, *h. e.* qui ei inserviebant, vel quorum familiaritate utebatur. Eadem ratione locutus est. *Id. Caes.* 27. [* *Plin. Pan.* 83, 3. Omnes circa te similes tui effecisti.] Sic Graeci dicunt *οἱ περί τινος*. *Ulp. Dig.* 4, 4, 9. Circa principem occupatum esse, *h. e.* principi in aliquo ministerio inservire. ℙ Dicitur etiam de tempore, et significat circiter, hoc est paulo ante, vel paulo post illud tempus, de quo sermo est. *Vell* 2, 92. Circa ea tempora. *Hor. Od.* 4, 1, 6. Circa lustra decem. *Cels.* 2, 6. Circa septimum diem. *Liv.* 42, 57. Postero die circa eandem horam copias admovit. *Colum.* 5, 12. Circa idus Octobr. *Suet. Oth.* 11. Circa lucem expergefactus. ℙ Item de numero. *Cels.* 7, 15. Per insequentes dies circa singulas heminas aquae emittendum. *Liv.* 45, 34. Ea fuere oppida circa septuaginta. Addunt et 27, 42., sed hic locus varie legitur. ℙ Translate ponitur pro *de*, *in*, aut *super*. *Tac. A.* 11, 15. Publica circa bonas artes socordia. [* *Id. ib.* 11, 29. Ac primo Calistus, jam mihi circa necem C. Caesaris narratus. *Id. ib.* 16, 8. Mox Neronem circa summa scelera distentum, quasi minores evasere. *Suet. Tib.* 11. Circa scholas et auditoria professorum assiduus. *Id. Nero* 51. Circa cultum habitumque pudendus. *Id. Claud.* 45. Circa successorem omnia ordinare.] *Tac. H.* 1, 13. Circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur. *Quint. prooem.* 6. Illum alienatae mentis errorem circa solas litteras habuit. *Suet. Claud.* 22. Circa caerimonias correxit quaedam. ℙ Item pro *erga*. *Just.* 14, 1. Ut, quomodo circa se animati essent, cognosceret. *Scaev. Dig.* 31, 90. *med.* Si docerent eo animo circa patronum, cum testamentum faceret, esse coepisse, ut, etc. [* *Eutr.* 7, 13. Tam civilis circa quosdam amicos. *Id.* 8, 5. Communis circa omnes. *Id.* 8, 8. Liberalitates circa amicos. — Obtinuit haec hujus vocis significatio inde ab aetate *Suetonii*, *Taciti*, *Fabii* — ut rem spectet, in qua quis versatur, aut occupatur. Cf. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 1, 17. p. 37. qui nubem exemplorum congessit.] ℙ Saepe est adverbium, seu potius adhibetur sine casu more adverbii. De loco, *Liv.* 1, 4. Ex montibus, qui circa sunt. *Curt.* 4, 12. Caligo, quam circa humidi effudernnt montes. *Cels.* 5, 28. *n.* 3. Circa, qua tumor ex inflammatione est, imponenda cataplasmata. *Quint.* 10, 7. Omnia, quae sunt in ea, circaque, intuemur. [* *Virg. A.* 7, 535. Corpora multa virum circa. *Id. ib.* 12, 757. Ripaeque lacusque Responsant circa.] *Nep. Eum.* 10. *f.* Sed non passi sunt, qui circa erant, *h. e.* ejus amici, ac ministri, *οἱ περὶ αὐτοῦ*.

CIRCAEA, ae, f. *κιρκαία* herba strychno sativo similis flore nigro, parvo semine, ut milii, nascente in quibusdam corniculis, radice semipedali triplici ferme, aut quadruplici, alba, odorata, gustus calidi: nascitur in apricis saxis. *Plin.* 27, 8, 38.

CIRCAEI. V. CIRCEII.

CIRCAEUM, i, n. *κίρκαιον*, herba eadem, quae mandragora. *Plin.* 25, 13, 94.

CIRCAEUS, a, um, adj. *Κιρκαῖος*, ad Circen pertinens. *Cic. Div. Verr.* 17. *f.* Sed repente ex homine, tanquam aliquo Circaeo poculo, factus est Verres. *Prop.* 2, 1, 55. Sed mihi Circaeo pereundum gramine, *h. e.* herbis veneficis. *Val. Fl.* 5, 328. et 6, 426. Circaei campi, *h. e.* qui sunt prope Phasim fluvium, et oppidum Circaeum in Colchis, ubi Circe nata est. *Plin.* 6, 4, 4. ℙ Circaeum dorsum *Sil.* 7, 692. est collis, in quo situm est Tusculum a Telegono filio Circes conditum. ℙ Item ad oppidum Circejos pertinens. *Hor. Ep.* 1, 30. Circaea moenia. *Virg. A.* 7, 10. terra. [* *Id. ib.* 7, 799. Circaeum jugum.] *Ov. Met.* 14, 248. Circaeum litus. *Lucan.* 6, 287. Circaea procella, *h. e.* quae ad Circejos promontorium fit.

CIRCĂNĔA dicitur avis, quae volando circuitum facit. *Fest.*, ubi alii leg. *circenda*.

CIRCĂTOR. V. CIRCITOR.

CIRCE, es, *et Latina positione*, Circa, ae, f. *Κίρκη*, filia Solis, et Perses, seu Perseidis nymphae, soror Aetae. Veneficii peritissima suis poculis exteriora hominis fertur in bestias transformasse. Sarmatarum rege, cui nupserat, veneno sublato, regnoque per scelus parto, cum crudelius imperaret, ab incolis pulsa in Italiam profugit, et in monte Latii in Volscis, herbarum feracissimi, qui ab illa *Circaeji* est appellatus, sedem sibi delegit. Ibi Glauci amore capta est, qui a Scylla, quam deperibat, repulsus, ad magicam Circes artem confugerat. Sed ab illo Scyllae posthabita Rhegium se contulit, fontem, in quo se Scylla lavare consueverat, venenis infecit, et virginem in monstrum marinum commutavit. Socios item Ulyssis, quos ille duos et viginti praemiserat, inter quos Eurylochus, Macareus, Polytes, Elpenor numerantur, in sues vertit, Eurylocho excepto, qui a Mercurio de Circes veneficiis praemonitus, et moly herba munitus fuerat. Sed illis deinde Eurylochi amore humanam speciem reddidit. Ulyssem mox hospitio suscepit, quem una cum sociis anni spatio, et ampliore apud se detinuit, eique duos filios peperit. Cum in silva quadam herbas legeret, amore Pici filii Saturni regis Laurentium exarsit, qui uxorem habebat Canentem, seu Pomonam filiam Jani, et Veniliae. A Pico rejecta, illum in avem immutavit, socios in varia genera ferarum. Ipsa autem inter Deas relata est, et culta. *Plin.* 25, 2, 5., *Cic. N. D.* 3, 19., *Hyg. fab.* 125., 156., 199., *Ov. Met.* 14. *in.* et *ib.* 320. et sqq. etc. *Id. ib.* 390. Certior ad Circen ultor venisset Ulysses. ℙ Pro Latina positione *Circa*, *ae*, sint haec loca. *Hor. Ep.* 17, 17. Volente Circa. Et *Prop.* 3, 10, 27. Et Circae fraudes. Et *Pl. Ep.* 4, 2, 34. Hanc asserva Circam, Solis filiam. *Pier.* quoque, *Circae* pro *Circes* legi testatur in aliquot MSS. *Virg. A.* 3, 386., et ad *Horatii* locum quod attinet, *Circa* ibi legitur a *Val. Prob.* in *Cathol.* p. 1446. Plura hac de re *Bentl.* ad *c. l. Horatii*, et *Brouckus.* ad *Prop.* 2, 7, 83., ubi *Antigonae*, non *Antigones* legi oportere contendit. ℙ *Circes domus* audiebat Circeji opp., teste *Mela* 2, 4. *f. B. A.*

CIRCEJENSIS, se, adj. ad Circejos pertinens. *Cic. N. D.* 3, 19. Circen quoque coloni nostri Circejenses religiose colunt. *Plin.* 32, 6, 21. Circejensia ostrea.

CIRCEJI, jorum, m. plur. nomen est montis, pro-

montorii, et oppidi in Latio, juxta Pomptinas paludes, in mare Tyrrhenum excurrens: a Circe, quae ibi habitasse dicitur. *Plin.* 3, 5, 9., *Mela* 1, 4. ℙ Hoc loco optima ostrea nascebantur. *Hor. Sat.* 2, 4, 33. Ostrea Circeis, Miseno oriuntur echini. Adde *Juven.* 4, 140. et *Plin.* 32, 6, 21. ℙ Reperitur etiam *Circaei, orum. Cic. Att.* 15, 10. Statim igitur mittam vel Antium, vel Circaeos.

CIRCELLUS, li, m. parvus circulus. *Circelli isiciati* ap. *Apic.* 2, 5. sunt farcimina in circuli formam et rotunditatem efficta: cujusmodi fuisse videntur *Lucanicae*, quibus pultes coronabant, ut est ap. *Mart.* 13, 35. ℙ Quidam leg. *circillus.*

[CIRCEN, ĭnis, n. idem ac *circes, itis*, circulus. *Vet. ep.* in *Anthol. Lat. Burm.* 4, 274. Ille ego, qui vixi bis deno circine solis. *F.*]

CIRCENSIS, se, adj. ad Circum pertinens. *Circenses ludi*, et absolute *Circenses, ium*, sunt omnes ludi solemnes, qui Romae in Circo edebantur, ut quadrigarum, equorum, itemque hominum cursus, ferarum venatus, vel pugna cum damnatis reis, lucta, pugilatus etc. *Cic. Verr.* 2, 4, 15. Ludis Circensibus, *h. e.* die ludorum Circensium. *Liv.* 44, 9. Circense ludicrum. *Juven.* 10, 80. duas tantum res anxius *(populus R.)* optat, Panem, et Circenses. *Suet. Caes.* 76. Circensis pompa, *h. e.* transvectio imaginum Deorum, quae initio Circensium ludorum fiebat. *Id. Cal.* 18. Edere Circenses. *Id. Claud.* 21. committere. ℙ Aliquando hi ludi extra Circum facti sunt, Circenses nihilominus appellati. Colligitur id ex *Suet. Aug.* 45. et *Claud.* 21. ℙ Quidam tradiderunt, *Circenses* dictos esse non a *Circo*, sed a *circum*, et *ensis*, quia olim ederentur in ripa fluminis, ab altero latere positis gladiis, ita ut ab utraque parte praesens esset ignaviae periculum. Ita *Serv.* ad *G.* 3, 18., *Isid. Orig.* 18, 17. et alii. Sed hoc vanum esse, merito censet *Voss.* in *Etym.* in voce *Circus:* quemadmodum et illud, quod ab eod. *Isid. ib.* 28. et *Tert. Spect.* 8. traditur *Circum*, et *Circenses* a *Circe* dictos esse, quod ea primum hujusmodi ludos Soli patri instituerit. ℙ Quod *Circenses plebejos* memorat *Plin.* 8, 42, 65., apparet, fuisse et patricios, scilicet hos ab consulibus, aedilibus curulibus, et imperatoribus celebrari solitos in Circo maximo variis de causis, et variis anni temporibus: illos ab aedilibus pleb. in Circo Flaminio stato die, *h. e.* a. d. XIII. cal. Novemb. institutos pro libertate plebis, exactis regibus; aut pro ejus reconciliatione cum patribus post secessionem in Aventinum, ut docet *Ascon.* in *Verr.* 1, 10. *f.* Meminit horum *Cic. ib.* et *Liv.* 23, 30., 27, 6, 21. et 36., 28, 10., 29. *f.* et alibi. ℙ *Circense tomentum* fiebat ex palustrium arundinum paniculis concisis et fartis, quibus pauperiores pro culcita utebantur. *Mart.* 14, 160. Tomentum concisa palus Circense vocatur. Fortasse autem ideo *Circense* dictum est, inquit *Turn.* 9, 24., quia initio Circensibus spectaculis sibi substernere solerent. *Domitius* putat ita denominatum esse a paludibus, quae circa Circejos erant, quod ibi ingens arundinum vis, tomenti hujus ferax inveniretur. Meminit etiam *Sen. Vita beata* 25.

CIRCES, ĭtis, m. circulus apud veteres. *Fest.* Circites, circuli ex aere facti. ℙ Nec tantum ex aere, sed e qualibet materia. *Sidon. carm.* 22, 222. Umbrat multicavus spatioso circite fornix. *Id. carm.* 15, 15. tegit extima limbi Circite palla pedes. Al. leg. *limo circite*, h. e. obliquo circuitu. ℙ Usurpatur et de stadio Circi, et idem significat ac circuitum. *Sidon. carm* 23, 381. Quinto circite, non valens sequentum Pondus ferre prior, retorquet axem. ℙ Quidam tribuunt etiam *Varr. L. L.* 5, 2., sed invitis *Scal.*, *Popma*, et *Scioppio.*

CIRCILLUS. V. CIRCELLUS.

CIRCĬNĀTĬO, onis, f. *κύκλωσις*, actus circinandi, descriptio circuli circino facta: item ipse circulus sic descriptus. *Vitr.* 9, 8. Circinationem circuli describere. Et *ib.* Circinationis totius sumenda est pars quintadecima et 3, 3. Ducere rotundam circinationem. Adde 9, 4., ubi non semel *circinationem* appellat circulum, seu orbem, quem planetae cursu suo dimetiuntur: et 10, 10., ubi circinatio molarum est earum circuitus et gyrus, cum in molendo versantur. *Id.* 5, *c.* 6, 7. et 8. saepe mentionem facit circinationis, qua voce orchestrae circuitus videtur designari in theatro Graeco, et Latino.

CIRCĬNĀTUS, a, um, part. a *circino*, in orbem circino deformatus. *Plin.* 16, 23, 35. Folia circinatae rotunditatis. *Id.* 18, 34, 77. *n.* 1. Circinatum tympanum.

CIRCĬNO, as, avi, atum, a. 1. *περικυκλόω, περιάγω*, in orbem duco, in rotunditatem deformo, circino describo. *Plin.* 16, 38, 73. Cetera mensarum genera, fissis arboribus, circinantur in pulpam. *Id.* 17, 12, 17. Arbores, quae in orbem ramos circinant. *Ov. Met.* 2, 721. *de Mercurio volante:* et easdem circinat auras, *h. e.* in gyrum fertur, velut si circulum in aere circino describat. Sic *Manil.* 1, 710. Utque suos arcus per nubila circinat Iris.

CIRCĬNUS, i, m. *διαβήτης*, instrumentum, quo circuli designantur. *Caes. B. G.* 1, 38. Flumen Dubis, ut circino circumductum, paene totum oppidum cingit. *Vitr.* 9, 8. Circino spatia dimetiri. Et *ib.* Diducere circinum. Adde *Plin.* 2, 15, 13.

CIRCĬTELLUS vel Circĭtillus. V. CESTICILLUS.

CIRCĬTER, praeposit. *ἐγγύς, ὡς, περί*, circa, prope, ferme. Haec praepositio alteri *Circa* cognata, unde producta est, accusativo casui jungitur, et ad tempus, numerum, interdum et ad locum pertinet. Ad tempus. *Cic. Fam.* 3, 5. Circiter idus sextil. puto me ad Iconium fore. *Id. Att.* 2, 4. Non circiter calendas aut in Formiano erimus, aut in Pompejano. *Caes. B. G.* 1, 50. Circiter meridiem exercitum reduxit. *Hor. Ep.* 1, 7, 47. Octavam circiter horam. *Varr. R. R.* 2, 11. Circiter messem hordeaceam. ℙ Ad numerum. *Caes. B. G.* 1, 15. Dies circiter quindecim iter fecerunt. *Pl. Mil.* 2, 3, 79. Nam illic noster est fortasse circiter triennium. ℙ Ad locum. *Pl. Cist.* 4, 2, 8. Loca haec circiter mihi excidit. ℙ Saepe est adverbium, sive potius adhibetur sine casu more adverbii. *Caes. B. G.* 2, 32. Circiter parte tertia caelata. [**B. Alex.* 89. Circiterque luminibus accensis Uticam pervenit.] *Sall. Cat.* 56. Circiter pars quarta. *Varr. R. R.* 3, 10. Pulli circiter duobus mensibus fiunt pingues.

CIRCĪTES, vel Circitis olea enumeratur a *Colum.* 5, 8. inter varia ejus arboris genera. Et autem illa ipsa, quae et *ib. paulo post.*, et a *Plin.* 15, 1, 2. et *Virg. G.* 2, 86. appellatur *radius:* a Graeco *κερκίς*, quod tum radium textorium, tum cacumen significat pinus, seu alni, vel potius speciem quandam alni stipite oblongo, terete, et in acutum radii instar desinente. Ob eandem enim causam olea quoque *radius* dicta est. Quare rectius fortasse *cercites* scriberetur: tametsi *circites* passim habetur etiam in antiquis libris. ℙ *Paul.* ex *Fest.* docet, circites esse circulos ex aere factos. V. CIRCES.

*CIRCITO, as, a. 1. i. q. circo. *Vet. Gloss.* Circitat, et circat, *κυκλεῖ.* it. Circito, *περιοστῶ. B. A.*

CIRCĪTOR, oris, m. *ἀμφίπολος, περιοδευτής*, qui circumit. *Auct. Priap.* 16. Quid mecum tibi, circitor moleste? Ad me quid prohibes venire furem? *h. e.* qui hortum circuis, et custodis. Speciatim ita dicti sunt servi in familia magistratuum aquaeductibus praepositorum, quorum officium erat circuire aquaeductus, et si quid vitii, aut fraudis accidisset, renuntiare, ut remedium afferri posset. *Front. Aquaed.* 117. Utraque familia in aliquot ministeriorum species deducitur, villicos, castellarios, circitores, silicarios etc. ℙ In militia *circitores* fuerunt, qui virgilias circuibant, *ἐφοδοι, περίπολοι. Veg. Mil.* 3, 8. *med.* Idoneos tribuni et probatissimos eligunt, qui vigilias circumeant, et renuncient, si qua emerserit culpa: quos circuitores appellabant. Nunc militiae factus est gradus, et circitores vocantur. *(Stewech.* monet, in quodam exemplari legi *circatores.)* Adde *Imp. Leon. Cod.* 12, 20, 3. et *Hieron. ep.* 61. *ad Pammach. n.* 7., item veterem Inscript. militarem ap. *Mur.* 540, 2., ubi paenultima producitur illo versu tanquam synaeresis fiat a *circuitor:* Circitor morior, praemia parva, senex. ℙ Praeterea sic appellantur, qui circumferunt merces vendibiles. *Ulp. Dig.* 14, 3, 5. Sed etiam eos institores dicendos placuit, quibus vestiarii, vel lintearii dant vestem circumferendam et distrahendam, quos vulgo circitores appellamus. Al. leg. *circuitores.* ℙ Legitur etiam *circitor* in *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 20, *n.* 424., sed utrum ad militares, an institorios pertineat, incertum. Ap. *Petr. fr. Trag.* 53. *Burm.* habetur etiam *circumitor.*

CIRCITORIUS, a, um, adj. ad circitorem pertinens, ut *Circitoria dignitas* in militia. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 7, 22, 2.

*CIRCITURA, ae, f. et

*CIRCITUS, us, m. in *Vet. Gloss.* explicantur Graece *περιοδεία;* sive *περιοδία. B. A.*

CIRCIUS, ii, m. ventus peculiaris Galliae Narbonensis ceterorum clarissimus, nec ulli violentia inferior, Ostiam plerumque recta Ligustico mari perferens: idem non modo in reliquis partibus coeli ignotus, sed ne Viennam quidem, ejusdem provinciae urbem attingens, paucis ante limitibus jugi modici occursu tantus ille ventorum coercetur. Haec *Plin.* 2, 47, 46., cui similia habent *Senec. Q. N.* 5, 17. et *Phavorin.* ap. *Gell.* 2, 22., qui addit ita dictum sibi videri a turbine, et vertigine, qua fertur: nempe a *circum:* quod et *Non.* docet 1, 251. Alii tamen Gallicam vocem putant. Neutrum probat *Salm.* in *Exercit. Plin.* quod *Cercius* a *Catone* dictus sit, teste *Gell. l. c.*, et a Graecis *Κερκίας:* itaque esse Siculam vocem, auctore *Theophrasto de ventis:* ex quo etiam fieri, ut non sit Galliae Narbonensis proprius, sed unus ex principalibus, et toti terrae communis. V. ibi plura p. 1258. et *Isac. Vossium.* ad *Melam* 2, 5. *Salmasii* opiniones refutantem. ℙ Tanto impetu spirare solet, ut aedificia quasset, et tecta aliquando auferat. *Senec. l. c.* et *Plin.* 17, 2, 2. ℙ Spirat inter Argesten, et Thrasciam, ut est ap. *Vitr.* 1, 6., hoc est inter occidentem aestivum, et septentrionem, diciturque a Gallis *nord-ouest-nord*, ab Italis *maestro tramontana.* V. THRASCIAS.

CIRCO, as, avi, atum, a. 1. *περιοδεύω*, circumeo. Legitur in *Vet. Glossis*, et ap. *Prop.* 4, 9, 35. Fontis egens erro, circoque sonantia lymphis. Et *Tibull.* 1, 3, 77. Tantalus est illic, et circat stagna. Ita enim *Scalig.* et ex eo *Brouckusius*, qui ejus usum confirmat auctoritate *Serv.* ad *A.* 10, 885. In laevam partem ideo circabat, ut, etc. et *Ammiani*, qui 31, 2. verbo *circumcirco, as*, usus est. Ap. *Prop.* alii *circaque*, ap. *Tibull. circum*, ap. *Serv.* alii *circumibat* legunt: nec *Ammiani* locus suspicione caret.

CIRCOS, i, m. *κίρκος*, gemma est colore similis accipitri. *Plin.* 37, 10, 56. Ceritis cerae similis est, circos accipitri. Ita *Hard.* Alii leg. *circos pyris.* ℙ Item genus accipitris ap. *eund.* 10, 8, 9., ubi tamen *Hard.* contendit, *aegithum* non *circon* legendum esse.

CIRCŬĔO. V. CIRCUMEO.

CIRCŬĪTĬO, onis, f. *περίοδος*, actus circumeundi, circuitus. *Liv.* 3, 6. *f.* Munus vigiliarum senatores per se ipsi obibant: circuitio ac cura aedilium plebis erat. ℙ Item locus, per quem circuiri potest. *Vitr.* 6, 6. Duo triclinia cum circuitionibus. *Id.* 10, 19. Cum haberent singula tabulata circuitionem cubitorum ternum. ℙ Translate *circuitio verborum* est, cum pluribus verbis aliquid explicatur, quod paucioribus poterat, *περίφρασις. Auct. ad Her.* 4, 32. Circuitio est oratio rem simplicem assumptam circumscribens elocutione. *Cic Div.* 2, 17. Epicurus circuitione quadam Deos tollit. Et *ib.* 61. *f.* Quid opus est circuitione et anfractu? *Ter. Andr.* 1, 2, 31. Ita aperte ipsam rem modo locutus, nihil circuitione usus es. ℙ Legitur et *circumitio. Front. de orat.* 3. Quid sibi volunt ambitus isti, et circumitiones? *Ammian.* 24, 2. Munimentum fluminis circuitione vallatum.

CIRCŬĪTOR, oris, m. qui circuit. Legitur *in fragm. Trag. Petr.* 53. *Burm.* pro eo, qui fundum circuit, et custodit. Alii autem legunt *circumitor*, alii *circitor*, V. CIRCITOR.

CIRCŬĪTUS, a, um, part. a *circueo*, *περιαχθείς. Cic. fragm. pro C. Cornel.* ap. *Prisc.* 8, 830. Circuitis rostris ejicerentur lapidibus homines. *Caes. B. C.* 3, 25. Circuitis hostium castris. *Liv.* 36, 16. Lacedaemonios quondam ita a Persis circuitos fama erat. Et 37, 42. Subsidia circuita a tergo caedebantur. Adde *Suet. Aug.* 98. [**Id. Claud.* 8. circuito demum triclinio. *Id. Nero* 19. Circuitis templis.] et *Sen. Med.* 98. ℙ In quibusdam libb. legitur et *circumitus*, praesertim ap. *Liv.* V. CIRCUMEO.

CIRCŬĪTUS, us, m. *περίοδος*, circuitio. *Cic. N. D.* 2, 19. Circuitus solis orbium conversionem conficiunt annuam. *Caes. B. G.* 1, 41. Millium amplius quadraginta curcuitu, locis apertis exercitum ducere, *h. e.* circumeundo millia passuum quadraginta. [**Curt.* 4, 16. Sed majore et ob id tutiore circuitu Tigrim superat. *Id.* 9, 3. Cur circuitu petis gloriam, quae ad manum posita est? *Id.* 3, 11. Quidam circuitu rupes, saltusque montium occultos petivere. *Quint. Decl.* 9, 3. Circuitu tamen quodam molliores tentavit aditus. — *Ov. Met.* 2, 82. Saevaque circuitu curvantem brachia longo Scorpion.] *Cels.* 3, 5. Tertianarum febrium certus est circuitus. *Seren. Samm. comp.* 95. Circuitibus febrium vexari. [**Suet. Aug.* 17. Asiae Syriaeque circuitus.] ℙ Dicitur etiam de loco, qui circumitur. *Caes. B. G.* 7, 83, Collis, quem, propter magnitudinem circuitus, opere complecti non poterant. *Id. B. C.* 3, 44. Illi operibus vincebant, quod interiore spatio minorem circuitum habebant. *Id. B. G.* 2, 29. Oppidum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes habens. Et *ib.* 30. Vallum pepum duodecim, in circuitu XV. millium. *Plin.* 4, 12, 19. Ithaca insula circuitu patet XXV. M. pass. *In lib. de auspic.* ap. *Gell.* 13, 14. Pomoerium est locus per totius Urbis circuitum pone muros etc. *Suet in Vita Horatii.* Circuitus voluminis. [**Curt.* 6, 6. Praerupta rupes erat — — circuitus ejus XXX et II stadia comprehendit. — *Virg. A.* 11, 767. Omnemque pererrat Undique circuitum.] ℙ [*Circuitus*, et *circumitus* est paries, sive maceries, qua hortus, sive sepulcrum, sive ara clauditur. *Varr. L. L.* 4, 4. Ambitus iter, quod circumeundo teritur, nam ambitus circumitus; ab eoque XII. Tabularum interpretes ambitum parietis circumitum esse describunt. *Inscr. Vicetina ined.* L. S. L. Turranii L. F. Valentis, in fr. P. XXX. ret. P. LX. circumitus maceriae sesquipedes. Alia ap. *Mur.* 314, 2. Sedilia, circumitum refecerunt impensa sua. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 369. Isidi ex visu circumitum de sua pecunia faciendum curavit. *F.*] ℙ Translate. *Quint.* 5, 7. Nec statim debet de eo, quod in judicium venit, rogare, sed aliquo circuitu ad id pervenire. *Petr. Sat.* 13. Negavi circuitu agendum, sed plane jure civili dimicandum. *Mart.* 11, 15. Loqui aliquid per circuitus. *Cir. Or.* 23. Circuitus, conglutinatioque verborum. Et *ib.* 61. Circuitus ille orationis, quem Graeci *περίοδον*, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem, aut continuationem, aut circumscriptionem dicimus. *Id. Or.* 3, 51. Circuitum, et quasi orbem verborum conficere. [**Quint. Inst.* 9, 4. Oratio longiores habet saepe circuitus. *Id. ib.* 10, 1. Alia circuitu verborum plurium ostendimus.] ℙ Circuitum mundi *Plin.* 9, 35, 54. vocat suam terrarum descriptionem, quam prioribus Historiae naturalis libris exsequitur. ℙ In quibusdam libb. legitur *circumitus.* V. CIRCUMEO.

CIRCŬLĀRIS, re, adj. *κυκλικός, κύκλιος*, circulo similis, rotundus. *Capell.* 6, 190. Lineares ductus, circulares flexus. Adde 8, 274.

CIRCŬLĀTIM, adv. *κύκλῳ, κυκλόσε*, circulando. *Suet. Caes.* 84. *f.* In summo publico luctu exterarum gentium multitudo circulatim suo quaeque more lamentata est. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 29. Pectori circulatim cerotaria apponere.

CIRCŬLĀTĬO, onis, f. circulandi actus, ambitus, *κύκλωμα. Vitr.* 9, 4. Mercurii stella ita pervolitat, ut trecentesimo et sexagesimo die per signorum spa-

tia currens perveniat ad id signum, ex quo priore circulatione coepit facere cursum.

CIRCŪLĀTOR, oris, m. *ἀγύρτης, περιοδευτής*, homo circumforaneus, qui congregata multitudine in foro, et per vicos varia medicamenta proponit, et praestigiis, saltationibus, cantu aliisque hujusmodi ludicris plebem detinet et oblectat, lucri causa. *Cels.* 5, 27. *n.* 3. Si colubra stupente (quod per quaedam medicamenta circulatores faciunt) in os digitum quis indidit. *Paul. Dig.* 47, 11, 11. Circulatores, qui serpentes circumferunt et proponunt. *Appul. Met.* 1. Circulatorem adspexi equestrem spatham praeacutam mucrone infesto devorasse. Adde *Sen. Ben.* 6, 11. et *ep.* 29., ubi circulatores appellat circumforaneos, et vagos philosophos, qui philosophiam honestius neglexissent, quam vendunt. ℙ *Circulator auctionum* dici videtur ab *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. qui omnes auctiones obit, qui in omnibus auctionibus praesto est, ut merces, quae ibi forte viliore pretio venirent, coemeret, deinde cum lucro venditurus.

CIRCŪLĀTORĬUS, a, um, adj. *ἀγυρτικός*, ad circulatorem spectans. *Quint.* 2, 4. Extemporalis garrulitas circulatoriae vere jactationis est. *Tert. Apol.* 23. Circulatoriae praestigiae.

CIRCŪLĀTRIX, icis, f. quae ad circulatorem pertinet, vel quae circulatur. *Mart.* 10, 3. Et foeda linguae probra circulatricis, *h. e.* linguae hominis circumforanei. *Auct. Priap.* 19. Telethusa circulatrix, *h. e.* meretrix vaga; nam scorta plerumque domi, vel publico et certo loco quaestum faciebant.

CIRCULĀTUS, a, um, part. a *circulo*, in gyrum actus. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. Circulatus gressus vertiginem ingerit aegrotanti; et *paulo post:* Circulatus ductus. Adde *Petr. fragm. Trag.* 67. *Burm.*, ubi al. leg. *circumlatus*, alii *circumlatim*.

CIRCŪLO, as, avi, atum, a. 1. *κυκλόω*, in circulum efformo. *Appul. Apol.* Posses videri pro computationis gestu errasse; quos circulare debueris digitos, aperuisse. *Id. Flor. n.* 9. ipse ejus annuli et orbiculum circulaverat, et palam clauserat.

CIRCŪLOR, aris, dep. 1. circulos facere, in circulum cogi homines colloquendi gratia. *Caes. B. C.* 1, 64. Totis vero castris milites circulari, et dolere, hostem ex manibus dimitti. *Cic. Brut.* 54. Videt oscitantem judicem, loquentem cum altero, nonnunquam etiam circulantem; mittentem ad horas etc. ℙ De circulatoribus, qui turbam circa se colligunt, quam adloquantur. Huc respicit *Sen. ep.* 52. Eligamus non eos, qui verba magna celeritate praecipitant, et communes locos volvunt, et in privato circulantur. Et *ib.* 40. Sic itaque habe, istam vim dicendi rapidam atque abundantem aptiorem esse circulanti, quam agenti rem magnam, ac seriam. ℙ Pro circumire, vagari. *Id. ep.* 88. Appion grammaticus, qui sub C. Caesare tota circulatus est Graecia. Ita *Lips.* in optimo suo libro: alii rectius *circumlatus*, h. e. quasi manibus gestatus, et ut publica quaedam pompa, ut *Idem. Lips.* exponit.

CIRCŪLUS, i, m. *κύκλος*, figura plana ex linea in orbem ducta, rotundus ambitus, gyrus, orbis: a *circus* diminutive. *Cic. N. D.* 2, 18. Cum duae formae praestantes sint, ex solidis globus, ex planis circulus, aut orbis. *Plin.* 14, 21, 27. Vinum ligneis vasis condere, circulisque cingere. *Id.* 16, 18, 30. Arbor circulis flexilis. *Id.* 37, 10, 60. Gemma pallida, ambiente circulo aurei coloris. *Cels.* 7, 25. appellat circulum glandis, quem anatomici nunc *glandis coronam* vocant. *Tert. Habit. mul.* 2. Circuli ex auro, quibus brachia arctantur. [**Suet. Aug.* 95. Circulus ad speciem coelestis arcus orbem solis ambiit. *Sen. Q. N.* 1, 2. Circa solem visum coloris varii circulum, qualis esse in arcu solet. — *Virg. A.* 10, 138. Molli subnectens circulus auro.] ℙ Est etiam genus edulii ex farina mixta caseo (vel alia conditura) et aqua macerata, atque in modum circuli formata, *κύκλος*. *Varr. L. L.* 4, 22. Hinc *Vopisc. Tac.* 6. Quos ad consulatus dandos dulcia, et circuli, et quaecumque voluptas puerilis invitet. ℙ In coelo circuli dicuntur zonae, seu orbes, quos astrologi constituunt ad certos coelorum fines describendos, et siderum motus explicandos. *Varr. L. L.* 8, 18. Circulus aequinoctialis, solstitialis, et septentrionalis. *Cic. Somn. Scip.* 3. Stellae circulos suos, orbesque conficiunt celeritate mirabili. *Plin.* 18, 29, 69. *n.* 2. Circulus lacteus. [**Ov. Met.* 2, 516. Ubi circulus axem Ultimus extremum, spatioque brevissimus, ambit.] ℙ In illo *Mart.* 14, 138. Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum: Orbibus in nostris circulus esse potest; *Turneb. Adv.* 9, 24. circulum exponit rotundam maculam, quam nonnunquam in mensa relinquunt repositoria, paropsides, et alia vasa, quae in ea reponi solent: at *Scal.* rectius interpretatur ligneum orbiculum, quem super paropsides et lagenae ponerentur. ℙ Translate significat coetum hominum in orbem collectorum colloquendi gratia. *Cic. Att.* 2, 18. Sermo in circulis, et conviviis est liberior. [**Id. Off.* 1, 37, 132. Sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium versetur. *Liv.* 32, 20. Ubi illa certamina animorum sunt, quibus in conviviis et circulis vix manibus temperabitis? *Tac. A.* 3, 54. Nec ignoro, in conviviis et circulis incusari ista.] *Nep. Ep.* 3. Cum in circulum venisset, in quo aut de republica disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur. *Cic. Or.* 1, 34. *f.* Quemcumque patremfamilias eripuissetis ex aliquo circulo. *Id. Q. Fr.* 3, 4. Subducere se de circulo. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. Proponere imaginem circulis ridentium. *Mart.* 2, 86. Scribere carmina circulis, *h. e.* otiosae plebejorum hominum coronae. *Id.* 10, 62. Coronari circulo majore, *h. e.* cingi majore coetu auditorum, aut spectatorum. *Cajus Inst.* 1, 2. *med.* Si ita in testamento servorum manumissio adscripta fuerit, id est in circulo, ut qui primus, qui posterior nominatus sit, non possit agnosci etc. ℙ *Circlus* per syncopen. *Virg. G.* 3, 166. laxos tenui de vimine circlos.

CIRCUM, *περί, ἀμφί*, praepositio idem significans quod *circa*, et eodem modo usurpanda. Fere refertur ad locum. *Cic. Att.* 8, 9. Volo circum villulas nostras errare. *Id. Verr.* 2, 2, 7. Praetorem circum omnia fora sectari. *Id. Att.* 3, 17. Circum haec loca commorari. *Id. Acad.* 4, 39. Terra circum axem se summa celeritate convertit. [**Id. N. D.* 1, 20.] *Virg. A.* 1, 60. Illi indignantes magno cum murmure montis Circum claustra fremunt. *Id. ib.* 36. Maria omnia circum errare. [**Hor. Sat.* 2, 3, 281. Circum compita. Coll. *Id. Ep.* 1, 1, 49. *Virg. G.* 2, 382. *Id. A.* 8, 310. Facilisque oculos fert omnia circum. *Hor. Od.* 2, 10, 11. Et curas laqueata circum Tecta volantes. *Id. Sat.* 1, 6, 82. Omnes circum doctores. *Suet. Nero* 47. Circum amicos misit. *Tac. A.* 2, 64. Circum latera templi Martis Ultoris. *Id. H.* 2, 55. Imagines circum templa tulit. — *Hor. Sat.* 2, 4, 84. Et Tyrias dare circum illota toralia vestes. — *Ter. Heaut.* 2, 3, 49. Capillus passus, prolixus, circum caput Rejectus neglegenter. *Ov. Met.* 4, 493. Pars circum tempora lapsae Sibila dant. *Id. ib.* 2, 49. At genitor circum caput omne micantes Deposuit radios. *Virg. A.* 12, 162. Turno tempora circum Aurati bis sex radii fulgentia cingunt, Solis avi specimen. *Virg. G.* 2, 523. Interea dulces pendent circum oscula nati. *Id. ib.* 484. Sin — Frigidus obstiterit circum praecordia Sanguis.] ℙ Aliquando etiam ad personas. *Cic. Att.* 9, 9. *f.* Et eos, qui circum illum sunt, omnia postulantes, et bellum nefarium times, *οἱ περὶ αὐτόν*. V. CIRCA. Sic *Ter. Eun.* 3, 5, 33. Paucae, quae circum illam sunt, manent, *h. e.* quae ei praesto sunt ad ministeria. [*Dicitur et sine casu: *Liv.* 1, 41. Tarquinium moribundum cum qui circum erant excepissent, ubi v. *Drakenb.*] ℙ Significat etiam quoquoversus. *Varr. R. R.* 3, 10. Singulis anseribus, ubi pariant, faciundum haras quadratas circum binos pedes et semipedem. ℙ *Charis.* 207. tale statuit discrimen inter *circum* et *circa*, quod illud referatur ad locum, hoc ad tempus, et si aliter inveniatur, licentia dictum videri. Hoc tamen non usquequaque verum est. Nam *circa* refertur non raro etiam ad locum. V. CIRCA. ℙ Nonnunquam adhibetur sine casu more adverbii. *Caes. B. C.* 2, 10. Ubi ex ea turri, quae circum essent, opera tueri se posse confisi sunt. *Var. R. R.* 3, 14. Idoneus sumendus locus cochlearii, quem totum circum aqua claudas. *Virg. A.* 4, 416. Anna, vides toto properari litore circum. *Gell.* 14, 2. Causae circum undique distrahentes. *Tac. A.* 4, 74. Aram Amicitiae, effigiesque circum Caesaris, ac Sejani censuerunt. [**Circum* h. l. praepos. signif. *de*, *super:* Censuit Senatus de ara Clementiae cet. exstruenda. — *Suet. Aug.* 64. Consules designatos circum provincias exercitusque dimisit, i. e. misit *in*, *ad*. Caeterum fere semper *circum* sine casu legitur ap. *Tac.* cf. *A.* 11, 31. Strepente circum procaci choro. *Id. ib.* 12, 55. Quod duri circum loci. *Id. H.* 2, 39. Tot circum amnibus; et al. — *Hor. Sat.* 2, 8, 7. Acria circum Rapula, lactucae, radices etc. *Ov. Met.* 12, 528. Et ingenti circum clangore sonantem Adspexit. *Id. ib.* 668. Gentibus innumeris circumque infraque relictis.]

CIRCUMACTĬO, onis, f. *περιαγωγή*, actus circumagendi, conversio. *Vitr.* 9, 9. Sol rediens circumactione ad Capricornum. ℙ Translate *Gell.* 17, 20. Enthymema brevibus et rotundis numeris cum quadam aequabili circumactione devinctum, *h. e.* circuitu verborum.

CIRCUMACTUS, a, um, part. a *circumago*, *περιαχθείς*, circum versus, conversus. *Plin.* 9, 33, 52. Longus, lunatus, in orbem circumactus. *Id.* 15, 14, 15. Orbis circumactus in rotunditatem. *Id.* 11, 37, 55. Non obliquis oculis, sed circumacto capite cernere. *Plin. alter ep.* 6, 16. Circumactis curvatisque litoribus mare infunditur. ℙ Item transactus. *Liv.* 6, 1. Anno circumacto. *Plin.* 7, 16, 17. Circumacto triennio.

CIRCUMACTUS, us, m. *περιαγωγή*, idem quod circumactio. *Sen. Q. N.* 7, 2. Assiduus coeli circumactus. *Plin.* 28, 9, 37. Axibus vehiculorum perungendis ad faciliorem circumactum rotarum. *Id.* 8, 50, 76. Cum circumactum *(corporis)* angustiae non caperent. V. RECIPROCATIO. *Id. ib.* 30, 44. Hyaena flecti, nisi circumactu totius corporis, nequit. *Censorin. de die nat.* 23. Dies civilis est tempus, quod fit uno coeli circumactu.

CIRCUMADDO, is, a. 3. Quidam leg. ap. *Caton. R. R.* 114. Duas partes terrae circumaddito: sed pleraeque edition. hab. *circumdato*.

CIRCUMADNĪTENS, entis, part. verbi inus. *circumadnitor. Sall. fr.* 4. *hist. in ep. Mitrid. ad Arsac.* Ap. Cizycum magno cum exercitu in obsidione moranti frumentum defuit, nullo circumadnitente, *h. e.* nullo eorum, qui circa erant, simul mecum adnitente, et opem conferente.

CIRCŪMAGGĔRĀTUS, a, um, part. a *circumaggero*, terra circum aggesta opertus. *Plin.* 19, 5, 23. Terra minuta, fimoque circumaggeratae radices.

CIRCŪMAGGĔRO, as, a. 1. *περιχωννύω*, aggerare in circuitu. *Colum.* 5, 12. Stercoratam terram circumaggerato.

CIRCŪMĀGO, is, egi, actum, a. 3. *περιάγω, περιστρέφω*, circum verto, converto. *Varr. L. L.* 4, 32. Junctis bubus tauro, et vacca, interiore aratro circumagebant sulcum. *Liv.* 1, 14. *f.* Circumagere frenis equos. [**Curt.* 3, 11. Thessali circumactis equis dilapsi.] *Tac. H.* 4, 29. Unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus. *Id. ib.* 3, 73. Huc illuc clamoribus hostium circumagi. [*Hinc ap. *Curt.* 4, 6. Quippe ut Macedonum signa circumagi videre, repente sistunt gradum. *Id.* 4, 13. Ut verti tamen et in frontem circumagi possent.] *Suet. Ner.* 31. Perpetuo diebus ac noctibus, vice mundi circumagi. *Gell.* 17, 8. Circumagere manum per omnem partem. *Id.* 3, 3. molas. [**Virg. G.* 2, 392. Circumegit quocumque caput. *Quint. Decl.* 1, 7. Et in omnem timoris sui partem circumagere vultum.] *Plin.* 11, 47, 107. collum in aversum, *h. e.* retro, et in tergum vertere. *Id.* 16, 34, 62. circumagere in orbem. [**Sil.* 15, 623. Arto circumagit spatio sua per vestigia ductos, i. e. semper sua vestigia legentes in orbem feruntur.] *Id. ib.* 41, 80. se. *Id.* 6, 31, 36. Inde primum circumagente se terrarum fronte in occasum, ac mare Atlanticum, *h. e.* flectente se, et vertente in occasum. ℙ *Circumagi* aliquando est circumire, obire locum aliquem. *Hor. Sat.* 1, 9, 16. nil opus est, te Circumagi: quendam volo visere non tibi notum. ℙ *Circumagere legiones* ap. *Flor.* 3, 21. est revocare, reducere. ℙ Aliquando significat cingere, circumdare. *Lact.* 1, 14. Fratrem Saturnum, atque Opem comprehendit, eosque muro circumegit, et custodiam his apponit. ℙ Translate. *Juven.* 9, 81. Quo te circumagas? quae prima aut ultima ponas? *h. e.* quo te vertas, quo confugias. *Flor.* 2, 2. Hic paululum circumacta fortuna est, *h. e.* mutavit. *Plin. ep.* 4, 24. Cum videamus, tot varietates tam volubili orbe circumagi. *Plin. alter* 26, 3, 7. Universum prope humanum genus circumegit in se, *h. e.* convertit, et in sui admirationem traxit. *Suet. Caes.* 70. Decumanos eum ingentibus minis, summoque etiam Urbis periculo missionem et praemia flagitantes, una voce, qua Quirites eos pro militibus appellarat, tam facile circumegit, et flexit, ut etc., *h. e.* vertit, et consilium mutare coegit. *Sen. ep.* 8. Philosophiae servias oportet, ut ibi contingat vera libertas: non differtur in diem, qui se illi subjecit: statim circumagitur, *h. e.* in libertatem asseritur, manumittitur: ducta translatione a Romanorum ritu, quo quos manumittebant, manu capiti imposita in orbem vertebant. V. *Pers.* 5, 76. et 78. ℙ Eleganter *circumagi* dicitur *annus*, *tempus*, quia siderum conversione fluit et praeterit. *Liv.* 24, 8. Nobis in apparatu ipso, ac tantum inchoantibus res, annus circumagitur. *Id.* 9, 18. *f.* In ipso conatu rerum circumegit se annus. Et *ib.* 33. Circumactis decem et octo mensibus. Adde *ib.* 22. ℙ Ap. *Plin.* 23, 6, 54. *Circumagere stomachum*, *vesicam* est turbare, miscere. ℙ Part. *Circumagendus* ap. *Curt.* 3, 11. In circumagendis equis.

CIRCŪMAMBŪLO, as, n. 1. *περιέρχομαι*, in circuitu ambulo. *Paul. Dig.* 41, 2, 3. Omnes glebas circumambulare.

CIRCŪMĀMICTUS, a, um, part. ab inusit. *circumamicio*, circum vestitus, circumdatus. Translate *Petr. Sat.* 100. Quasi somnio quodam turbulento circumamictus. Ubi *Georg. Erhardus:* Scioppius hoc verbum, ut minus Latinum, critico notavit obelo: satis pro imperio barbarus Potitius. *Cuper.* suspicatur *circumactus* legi oportere.

[CIRCŪMAMPLECROR, eris, dep. 3. *ἀμφιπεριστέφω*, undique cingo. *Virg. Ecl.* 3, 45. Et molli circum est ansas amplexus acantho. *Manil.* 1, 312. Has inter fusus, circumque amplexus utramque (*ursam*) Dividit . . . . anguis. Nota ubique tmesin. *F.*]

CIRCŪMAPĔRĬO, is, a. 4. *Cels.* 6. *f.* Ubi scabri ungues sunt, circumaperiri debent. Alii leg. divisim *circum aperiri*.

CIRCŪMĀRENS, entis, part. ab inusit. *circumareo*. *Ammian.* 20, 6. Cunctis circumarentibus locis. Al. leg *circum arentibus* divisim.

CIRCŪMĀRO, as, a. 1. *περιαρόω*, arando circumdo. *Liv.* 2, 10. Agri, quantum uno die circumaravit, datum. Adde *Plin.* 18, 3, 3.

CIRCŪMASPĬCIO, is, a. 3. *περιβλέπω*, circumspicio. *Plin.* 8, 33, 51. Nec pupillae motu, sed totius oculi versatione circumaspicit. Ita edition. veteres A. 1469. 1470. et 1472., item Aldina 1536. Aliae cum *Hard. circumspicit*.

CIRCUMCAESŪRĂ, ae, f. *περικοπή, περιγραφή*, extremitas cujuscumque rei, extima superficies, qua res ambiuntur. *Lucr.* Graecam *περικοπήν* exprimere volens, hac voce usus est 3, 220. Extima membrorum circumcaesura tamen se Incolumem praestat. Adde 4, 651., ubi tamen quidam leg. *circumtextura* eodem sensu. Sic *Arnob.* 3, 107. Deos filo adterminatis humano, et terrenorum corporum circumcaesura finitis.

CIRCUMCAESUS, a, um, part. ab inusit. *circumcaedo*, *ἀμφίτομος*, circum sectus. *Lucr.* 3, 404. Quamvis est circumcaesis lacer undique membris.

CIRCUMCALCO et Circumculco, as, a. 1. *περικαταπατέω*. *Colum.* 5, 6. Radices oblitas fimo bubulo scrobiculis deponi, ac diligenter circumculcari, *h. e.* terra calcata obrui; et *post:* Circumculcemus ipsum seminis codicem. Vetus editio A. 1472. ap. *Jenson.* habet utroque loco *circumcalco*.

CIRCUMCELLIO, onis, m. *Circumcelliones* dicti sunt homines monachorum habitu, qui circum cellas vagabantur non habentes stabilem sedem. Item haeretici quidam, insano amore martyrii se ipsos perimentes. *August.* in *Psalm.* 132. et *ep.* 169. et 255, 14., *Hieron. ep.* 22. *n.* 15. et *Isid. Or.* 8, 5. ℙ Dicti sunt etiam *Circelliones*, teste eodem *August. cit. Psalm.* 132.

CIRCUMCIDĀNĔUS, a, um, adj. *Mustum tortivum circumcidaneum* appellat *Cato R. R.* 23. quod alii *tortivum* solummodo vocant, nempe illud, quod circumcisis vinaceis profluxerit, ut est ap *Plin.* 14, 19, 23., hoc est quod primam pressuram vinaceorum circumciso pede exprimitur, ut loquitur *Colum.* 12, 36., uno verbo mustum novissime expressum, ut ait *Plin.* 14, 20, 25. ℙ Ap. *Varr. R. R.* 1, 54. dicitur mustum *circumcisitium* ab eadem circumcidendi causa. Cum desiit sub prelo fluere, inquit *Varr. ib.*, quidam circumciduntextrema, et rursus premunt; et rursus cum expressum, circumcisitium appellant. Al. leg. *circumcisitum*, quod improbandum; nam circumcisitium recte inflectitur, ex aliorum similium analogia, a *circumcisus.*

CIRCUMCĪDO, is, idi, isum, a. 3. *περικόπτω, περιτέμνω*, circum seu per circulum incido. [**Cic. Fin.* 5, 14. Quae sit scientia atque ars agricolarum, quae circumcidat, amputet, erigat, extollat cet.] *Caes. B. G.* 5, 42. Gladiis caespitem circumcidere. *Cels.* 7, 26. *n.* 2. ungues *Plin.* 25, 5, 25. vulnus. *Tac. H.* 5, 5. de Judaeis: genitalia. *Petr. Sat.* 102. Circumcide nos, ut Judaei videamur. ℙ Translate est demere, resecare, superfluum removere. *Cic. Acad.* 4, 45. Testatur Chrysippus tres solas esse sententias, quae defendi possint: circumcidit et amputat multitudinem. *Id. Fin.* 1, 13. Sapiens solum, amputata circumcisaque inanitate omni et errore, naturae finibus contentus. *Quint.* 10, 2. *f.* Qui vero suppleat quae deerant, circumcidat si quid redundabit, is erit perfectus orator. *Liv.* 32, 27. Sumptus, quos in cultum praetorum socii facere soliti erant, circumcisi aut sublati. *Phaedr.* 4, 19. Circumcidere omnem impensam funeris. *Sen. Tranqu.* 12. Circumcidenda est concursatio, qualis est magnae parti hominum, domus et theatra et fora pererrantium. *Cels.* 4, 25. Delectationis causa ambulare, circumcisa omni negotiosa actione. *Id. ib.* 20. Ubi ad se rediit, circumcidendum vinum est in totum annum, *h. e.* usus vini toto anno removendus. Sic 6, 9. In dentium dolore vinum ex toto circumcidendum est.

CIRCUMCINGENS, entis, part. ab inusit. *circumcingo*, circumdans. *Cels.* 7, 15. Circumcingente quadam remora. *Sil.* 10, 2. Ceu fera, quae telis circumcingentibus, ultro Adsilit in ferrum.

CIRCUMCIRCA, praep. *ἀμφὶ, περὶ*, idem quod *circa*, vel aliquid etiam amplius significans. *Sulp.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Coepi regiones circumcirca prospicere. *Pl. Aul.* 3, 4, 8. Occoepit ibi scalpturire ungulis circumcirca. *Auct. B. Hisp.* 41. Nam circumcirca rivus nusquam reperiebatur.

CIRCUMCIRCO, as, a. 1. circumeo. *Ammian.* 31, 2. Eumque (*gladium*) ut Martem, regionum, quas circumcircant, praesulem colunt.

CIRCUMCISĔ, adv. *ἀποτόμως, συντόμως*, breviter, paucis verbis, circumcidendo superflua. *Quint.* 8, 3. *f.* Huic subjacet virtus non solum aperte ponendi rem ante oculos, sed circumcise atque velociter. *Suet. Reth.* 6. Declamabat modo splendide atque adornate, tum circumcise ac sordide et tantummodo trivialibus verbis.

CIRCUMCĪSĬO, onis, f. *περικοπὴ, περιτομὴ*, actus circumcidendi. *Lact.* 4, 17. Secundam circumcisionem futuram esse dixit non carnis, sicut fuit prima, qua etiam nunc Judaei utuntur; sed cordis ac spiritus. Adde *Tertull. adv. Jud.* 2. et 3. [**Sulp. Sev. H. S.* 1, 9. Eodem tempore Abraae lex circumcisionis imposita est.]

CIRCUMCISITĬUS. V. CIRCUMCIDANEUS.

CIRCUMCĪSORĬUM, ii, n. instrumentum chirurgicum ad circum secandum. *Veg. Vet.* 1, 26. Circumcisorium inferre inter unguem et solum.

CIRCUMCĪSŪRĂ, ae, f. *περιτομὴ, περικοπὴ*, incisio in orbem facta. *Plin.* 16, 40, 79. Arbores stantes a circumcisura siccatae, fideliores.

CIRCUMCĪSUS, a, um, part. a *circumcido*, circumsectus, *περικοφθεὶς, ἀμφίτομος. Plin.* 16, 39, 74. Circumcisas ad medullam arbores aliqui non inutiliter relinquunt, ut omnis humor stantibus effluat. *Cels.* 7, 25. In eo, qui circumcisus est, sub circulo glandis scalpello diducenda cutis ab interiore cole est, *περιτετμημένος.* ℙ Item abscissus, praeruptus. *Cic. Ver.* 2, 4, 48. Enna est loco praecelso atque edito: quo in summo est aequata agri planities: tota vero ab omni aditu circumcisa atque dirempta est. *Caes. B. G.* 7, 36. Collis ex omni parte circumcisus. ℙ Translate est concisus, brevis, amputatis superfluis. *Liv.* 32, 27. Circumcisi sumptus aut sublati. *Plin. ep.* 2, 12. *Λειτούργιον* illud nescio an satis circumcisum, tamen et abrasum est. *Id. ep.* 1, 20. Orationes circumcisae et breves. *Id. ib.* 3, 7. Quid enim tam circumcisum, tam breve, quam hominis vita longissima? ℙ *Circumcisus militibus* ap. *Auct. incert. Pan.* ad *Constantin. Aug.* 3. idem est ac militibus adverso proelio spoliatus.

CIRCUMCLĂMĂTUS, a, um, part. ab inusit. *circumclamo. Sidon. carm.* 2, 506. Abydenique sinus et Sestias ora Hellespontiacis circumclamata procellis, *h. e.* clamoribus circum completa.

CIRCUMCLAUDO et Circumcludo, is, usi, usum, a. 3. *περικλείω*, circum concludo, cingo. *Caes. B. G.* 3, 30. Ne duobus circumclauderetur exercitibus. *Id. B. G.* 6, 27. Urorum cornua studiose conquisita ab labris argento circumcludunt et pro poculis utuntur. *Plin.* 18, 35, 78. Si nubes solem circumcludent.

CIRCUMCLŪSUS, a, um, part. a *circumcludo*, *περικλεισθεὶς*, circa conclusus. *Cic. Cat.* 1, 3. Te meis praesidiis, mea diligentia circumclusum, commovere te contra rempublicam non potuisse. Adde *ib.* 2, 7. Sic *Suet. Tib.* 20. Cum exercitu iniquitate loci circumclusus. *Inscr.* ap. *Ant. M. Lupium Ep. Sev.* p. 115. Haec custodia maceria circumclusa cum aedificio monumento cedit.

CIRCUMCŌLĂ, ae, m. et f. qui circumcolit, *περίοικος. Tert. adv. Gnost.* 3. *f.* Reservatis gentium circumcolarum viribus.

CIRCUMCŌLO, is, a. 3. *περιοικέω*, circum habito. *Liv.* 5, 33. *f.* Qui sinum circumcolunt maris. Adde 31, 41. ℙ *Circumcolens, entis*, circumcola. *Ulp. Dig.* 43, 11, 1. Flumen a rivo magnitudine discernendum est aut existimatione circumcolentium.

CIRDUMCORDĬĀLIS, le, adj. *περικάρδιος*, qui circa cor est, ut circumcordialis calor, *Tert. Anim.* 43. et circumcordialis sensus *ib.* 15. *f.*

CIRCUMCULCO. V. CIRCUMCALCO.

CIRCUMCURRENS, entis, part. a *circumcurro*, qui circum currit, *περιτρέχων. Quint.* 2, 21. Rhetoricae artem circumcurrentem vocaverunt, quod in omni materia diceret. *Id.* 1, 10. *med.* Illa circumcurrens linea si efficiat orbem, amplius spatium complectetur, quam si quadratum paribus oris efficiat, *περιφέρεια.*

CIRCUMCURRO, is, n. 3. circumeo. *Vitr.* 4, 6. Eaeque corsae cum astragalis circumcurrant. Al. leg. *circum concurrant. Capell.* 8, 299. Saturni sidus modico minus annis triginta circulum suum per longitudinem circumcurrit.

CIRCUMCURSĬO, onis, f. *περιδρομὴ*, actus circum currendi. *Appull. Met.* 9. Cantherii debiles, ungulas multivia circumcursione in enorme vestigium porrecti. Al. leg. *circumcisione* contra *Elmenhorst.*, *Pricaeum*, *Colvium*, *Floridum* et *Oudendorpium.*

CIRCUMCURSO, as, n. 1. *περιτρέχομαι, περιφέρομαι*, circum vel huc illuc cursito. *Pl. Rud.* 1, 4, 4. Omnia circumcursavi atque omnibus in latebris perreptavi. *Ter. Heaut.* 3, 2, 1. Hac illac circumcursans. *Catull.* 68, 133. Circumcursare aliquem hinc et illinc. *Lucr.* 4, 401. Atria versari et circumcursare columnae Usque adeo fit uti pueris videantur, ubi ipsi Desierunt verti. *Cic. Fam.* 7, 1. Ut nostras villulas obire et simul mecum lectica circumcursare posses. *Lactant.* 6, 12. Circumcursare per omnes portas.

CIRCUMDĂTUS et Circundatus, a, um, part. a *circumdo*, circumjectus, circumpositus, *περιτεθεὶς, περίθετος. Cic. Cat.* 2, 1. Tectis ac moenibus subjectos prope ignes circumdatosque restinximus. *Id. Ver.* 2, 1, 31. Ignis allatus, sarmenta circumdata. *Caes. B. G.* 1, 38. Hunc montem murus circumdatus arcem efficit. *Hor. Sat.* 1, 2, 98. Ad talos stola demissa et circumdata palla. *Cels.* 6, 9. *f.* Resina denti circumdata. *Lucr.* 1, 87. infula virgineos circumdata comptus. [**Auctor B. Afr.* 7. Adveniente multitudine circumdata. *Tac. A.* 1, 50. Circumdatae stationes. *Id. ib.* 2, 67. Circumdata valida manus. *Id. ib.* 6, 14. In vinclis laxatam catenam et circumdatam in diversum tendens. *Id. H.* 1, 54. Circumdatis cohortibus alisque.] ℙ Item cinctus, circum septus, *περιβεβλημένος. Cic. Somn. Scip.* 6. Terra quibusdam quasi redimita et circumdata circulis. *Id. Fl.* 12. Regio cincta mari, circumdata insulis. *Curt.* 4, 7. Nemus muro circumdatum. *Nep. Dat.* 3. Agresti amiculo circumdatus. *Virg. A.* 4, 137. Dido circumdata chlamydem. *Id. ib.* 12, 416. Venus obscuro faciem circumdata nimbo. [**Ov. Met.* 3, 666. Frontem circumdatus uvis. *Id. ib.* 4, 313. Circumdata corpus amictu.] *Id. ib.* 9, 462. Turnus armis circumdatus. [**Id. G.* 4, 497. Feror ingenti circumdata nocte. *Id. Aen.* 11, 596. Nigro circumdata turbine corpus. *Tac. A.* 12, 21. Circumdatus custodibus. *Id. Hist.* 2, 29. Circumdatum aquilis signisque in tribunal ferunt. — *Ov. Met.* 2, 272. Tellus erat circumdata ponto. *Tibull.* 2, 1, 89. Circumdatus alis fuscis somnus.] *Vell.* 1, 17. Aevum octoginta annis circumdatum, *h. e.* tempus octoginta annis conclusum, tempus, quod intra annos octoginta continetur. ℙ [**Translate Quint. Decl.* 18, 1. Tantaque monstrorum novitate circumdatum eo perduxit. *Sil.* 12, 477. Caeco circumdatus astu.]

CIRCUMDENSĂTUS, a, um, part. ab inusit. *circumdenso. Juvenc. hist. Euang.* 3, 713. Cui jugera multa nitentis Vineti sepes circumdensata coercet.

CIRCUMDO et Circundo, as, dedi, datum, a. 1. *περιτίθημι, περιβάλλω*, circumpono, circumjicio. *Cic. Tusc.* 5, 20. Cum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset. *Id. Verr.* 2, 1, 27. Caedere januam saxis, ligna et sarmenta circumdare, ignemque subjicere coeperunt. *Id. Catil.* 4, 4. Circumdare custodias. *Liv.* 3, 28. exercitum hostium castris. *Tac. A.* 13, 26. sibi milites. [**Id. ib.* 4, 49. Contrahere claustra, aretaque circumdare. *Virg. Ecl.* 8, 74. Terna tibi haec — Licia circumdo. *Id. A.* 2, 510. Arma humeris. *Id. ib.* 1, 368. Tergo taurino quantum circumdare possent. *Ov. Met.* 1, 37. Circumdare littora terrae.] *Id. H.* 2, 59. alicui ministeria. *Ov. Met.* 9, 458. brachia collo. *Hirt. B. G.* 8, 34. toto oppido munitiones. *Colum.* 9, 1. murum. *Cels.* 4, 21. cataplasmata imo ventri. *Plin.* 9, 8, 9. retia. *Id.* 8, 42, 64. urbem tumulo. ℙ Translate. *Cic. Quint.* 10. *f.* Si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circumdedi. *Tac. A.* 20. Egregiam famam paci circumdedit. Sic *Auct. Dial. de Orat.* 37. Nec Ciceronem magnum oratorem C. Quintius defensus, aut Archias faciunt: Catilina, et Milo, et Verres, et Antonius hanc illi famam circumdederunt. *Tac. A.* 14, 15. Circumdare libidinem moribus, *h. e.* infundere: mores libidine obsidere et corrumpere. *Id. ib.* 53. alicui gratiam immensam, et pecuniam innumeram, *h. e.* cumulatissime largiri. [**Id. ib.* 16, 25. Segnes et pavidos supremis suis secretum circumdare. *Id. H.* 4, 11. qui principatus inanem ei famam circumdaret. *Quint. Decl.* 10, 7. Noxium sepulcro circumdatur carmen.] *Id. ib.* 18, 6. alicui auctoritatem de re aliqua, *h. e.* conciliare, addere ex re aliqua. ℙ Saepe significat cingere, circum sepire, complecti, ambire, *περιέχω, περικυκλόω. Cic. Fam.* 15, 4. Oppidum vallo et fossa circumdare. *Liv.* 4, 47. oppidum corona. [**Id. ib.* 6, 41. Operibus circumdedit. *Tac. A.* 13, 41. Obsidio circumdare. *Id. ib.* 14, 8. Villam statione circumdat. *Id. H.* 1, 36. Ut medium inter signa Othonem vexillis circumdarent. *Virg. Ecl.* 10, 57. Parthenios canibus circumdare saltus. *Suet. Vit.* 16. Se zona circumdedit.] *Petr. Sat.* 92. aliquem veste. *Pl. Asin.* 3, 3, 106. aliquem brachiis. *Tac. H.* 3, 69. aliquem custodia. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1. *f.* Exiguis quibusdam finibus totum oratoris munus circumdare. [**Tac. A.* 12, 25. Britannici pueritiam robore circumdaret. *Sil.* 7, 134. Circumdamur fraude.] ℙ Partic. *Circumdandus* ap. *Cels.* 8. *n.* 7. Ferulae circumdandae.

CIRCUMDOLĂTUS, a, um, part. ab inusit. *circumdolo*, *παραπεπελεκημένος. Plin.* 16, 32, 57. Platanus etiam circumdolatis lateribus, restibilis sponte facta.

[CIRCUMDOLENS, entis, part. ab inusit. *circumdoleo*, circum, seu undique, vel ab omni parte angens. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 14. Spiratio etiam circumdolens atque frequens. *F.*]

CIRCUMDŪCO, is, uxi, ctum, a. 3. *περιάγω*, circum traho. *Cic Phil.* 2, 40. Circumducere aratrum. *Liv.* 8, 13. Ab unius expugnatione urbis ad perdomandum Latium circumducere exercitum. *Caes. B. G.* 3, 26. cohortes longiore itinere. *Suet. Cal.* 35. aliquem vicatim. *Petr. Sat.* 141. aliquem per totam civitatem. [**Curt.* 3, 8. Quos omnes circumduci jussit, ut copias suas nosceret.] *Front. Aqu.* 75. aquam. *Auct. B. Hisp.* 6. Caesar munitionibus Ateguam oppugnare, et brachia circumducere coepit, *h. e.* opera circumdare. Eadem ratione locutus est *Suet. Cl.* 20. ℙ Cum altero accusativo sine praeposit., quae inest in ipso verbo. *Pl. Most.* 3, 2, 157. Eho istum puer circumduce hasce aedis, et conclavia. *Caes. B. C.* 3, 61. Quos omnia sua praesidia circumduxit. ℙ *Circumducere litteras* est linea ducta circumscribere. *Suet. Aug.* 87. *de peculiari ejus more scribendi.* Non dividit verba; nec ab extrema parte versuum abundantes litteras in alterum transfert, sed ibidem statim subjicit, circumducitque, [**h. e.* sub eodem versu extremo scripsit, et circumducta linea indicat, ad eum versum pertinere.] ℙ Translate. *Id. Ner.* 4, 41. Transacta raptim consultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica novi et ignoti generis circumduxit, *h. e.* consumpsit. ℙ Saepe est decipere, fallere, praesertim si per dolum aliquid alicui intercipiatur. *Pl. Ps.* 1, 5, 16. Circumducere filium amantem argento. *Id. Bacch.* 5, 2, 64. Quadringentis Philippis filius me et Chrysalus circumduxerunt. ℙ Cum duobus accusativis. *Id. Ps.* 1, 5, 113. Ab hoc lenone vicino tuo, per sycophantiam atque doctos dolos, tibicinam illam, quam tuus gnatus deperit, eam circumducam lepide lenonem: *modus loquendi non facile imitandus.* Plerique leg. *ea circumducam.* ℙ Item delere, abrogare, tollere. *Ulp. Dig.* 5, 1, 73. Circumducere edictum. *Id. ib.* 40, 12, 27. et *Pap. ib.* 49, 1, 22. cognitionem. *Asc.* quoque *in Verr.* 2, 1, 16. *circumducere* ponit pro circumscribere, hoc est tollere, aut praetermittere. ℙ *Circumducere syllabam* quid sit, V. in CIRCUMFLEXUS, a, um. ℙ *Circumducere orationem* est ambitu verborum, circuituque elaborare. *Quint.* 10, 2. *med.* Otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, jurant, ita Ciceronem locuturum fuisse.

CIRCUMDUCTĬO, onis, f. *περιαγωγὴ*, actus circumducendi. *Vitr.* 8, 7. Circumductiones aquarum. ℙ Ab *Hyg. Astr.* 1, 2. et 3. appellatur *circumductio* ipse ambitus sphaerae. ℙ Translate est deceptio, fraudatio. *Pl. Capt. in Grege* 3. Neque pueri suppositio, neque argenti circumductio. V. CIRCUMDUCO et CIRCUMDUCTUS, a, um. ℙ In oratione est ipse ambitus verborum, quo periodus constat. *Quint.* 9, 4. *med.* Cur in circumductionibus, etiam cum sensus finitus est, aliquid tamen loci vacare videtur? etc. Adde 11, 3. *med.* Hoc idem appellatur *circumductum* ab *eod. ib. non longe ab initio.*

CIRCUMDUCTŌR, oris, m. qui circumducit. Ita vertitur Latine a *Tert. adv. Valent.* 10. Horos Valentini, qui Graece dicitur *μεταγωγεύς.*

CIRCUMDUCTUS, a, um, part. a *circumduco*, *περιαχθεὶς. Caes. B. G.* 1, 38. Flumen Dubis, ut circino circumductum, paene totum oppidum cingit. *Sen. ep.* 12. Tota aetas partibus constat, et orbes habet circumductos majores minoribus. *Varr. L. L.* 4, 32. Oppida,

quae prius erant circumducta aratro, *h. e.* designata aratro circumducto: *hypallage.* Sic *Plin.* 35, 3, 3. Umbra hominis lineis circumducta, *h. e.* descripta. [**Suet. Cl.* 20. Circumductum brachium.] ℙ Translate *Quint.* 11, 3. *f.* Infinito magis illa flexa et circumducta sunt: Me miserum, me infelicem! et, Quid respondebo liberis meis? etc. *h. e.* longo et flexo vocis sono prolata, ut in auribus sedeant altius, et vim habeant majorem ad movendam misericordiam. V. CIRCUMFLEXUS, a, um. ℙ Fraudatus. *Pl. Poen.* 5, 2, 16. Numnam it a balneis circumductus pallio? V. CIRCUMDUCO. ℙ *Circumductum* in oratione V. CIRCUMDUCTIO.

CIRCUMDUCTUS, us, m. circumductio. *Quint.* 1, 10. *f.* Quartam lineam deducent eodem circumductu. *Macr. Somn. Scip.* 2, 1. Ex ipso circumductu orbium sonum nasci necesse est.

CIRCŪMĔO et Circŭĕo, is, ivi, et ii, itum, *περίειμι*, circum vado, ambio. *Pl. As.* 3, 3, 152. Angiporto illac per hortum circuit clam, ne quis se videret. *Id. Men.* 2, 1, 6. Quasi mare omnes circumimus insulas. *Sen. Cons. ad Helv.* 6. Ab hac civitate discede, omnes urbes circumi. *Cic. Caec.* 32. Ipse Caecina cum circumiret praedia, venit in istum fundum. *Caes. B. C.* 2, 28. Circuire aciem Curionis; atque obsecrare milites coepit. *Tac. A.* 1, 71. saucios. [**Id. ib.* 1, 28. Circumiri tentoria jubet. *Id. ib.* 4, 50. Cum Sabinus circumire, hortari, ne. *Id. ib.* 12, 34.] *Pl. Truc.* 2, 4, 53. Circumire per familias. [*Usitatissimum est in re militari. *Cic. Fam.* 10, 30, 3. Cum equites nostrum cornu circumire vellent. *ib. paulo post.* ab equitatu circumibantur.] *Caes. B. C.* 3, 93. Cohortes sinistrum cornu circumierunt, eosque a tergo sunt adorti. *Liv.* 41, 26. Ut pandere aciem, et exaequari cornibus hostibus, quibus circumibantur, possent. *Caes. B. C.* 2, 16. Totam urbem ab terra, muro turribusque circumiri posse, *h. e.* circumdari, cingi, concludi. *Nep. Th.* 3. Circumiri multitudine. *Id Dat.* 7. Circumiri ab hostibus. [**Caes. B. G.* 3, 25. Circumitis hostium castris. *Hirt. B. A.* 14. Equitatus ad circumeundum comparare se coeperunt. *Ib.* 83. Celeriter bestiis circumitis. *Tac. H.* 2, 28. Pulsam Treverorum alam, Tungrosque a classe Othonis et Narbonensem Galliam circumiri. *Ov. Mst.* 5, 157. Circumeunt unum Phineus, et mille secuti Phinea. *Curt.* 4, 3. Circumibat moenia classis. *Id.* 4, 2. Circumire opus navigiis. A re bellica transfertur metaphora ad alia. *Suet. Ner.* 46. Modo a simulacris gentium circumiri arcerique progressu. *Ov. Met.* 15, 290. Leucada — Nunc freta circumeunt. — *Id. ib.* 7, 258. Sparsis Medea capillis Bacchantum ritu flagrantes circuit aras. *Id. ib.* 8, 749. Saepe etiam, manibus nexis ex ordine, trunci Circuiere modum. *Id. ib.* 6, 101. Circuit extremas oleis pacalibus oras, i. e. pingit in orisimaginem circumeuntibus. Sic *Virg. A.* 10, 243. Vulcanus clypei oras ambiit auro.] *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 81. Non potuere uno anno circumirier: *paragoge* pro circumiri. *Ov. A. Am.* 3, 396. Metaque ferventi circumeunda rota. *Prop.* 2, 4, 26. Cujus non hederae circumiere caput. ℙ De iis, qui prensant petendi causa. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 11. Furnius et Lentulus, ut debuerunt, quasi eorum res esset, una nobiscum circumierunt, et laborarunt. [**Cic. Att.* 14, 21. Antonium circumire veteranos, ut acta Caesaris sancirent. Affert h. l. *Doederl.* 3, 47. ubi docet, *gravius* dici *circumire* quam *ambire;* hoc in universum petendi, alloquendi notionem involvere, illud significare eum, qui quasi orbe facto, circumcirca unum quemque prensando adeat.] *Plin. ep.* 6, 6. Permultum interest mea, te ostentare, et mecum circumire. *Suet. Aug.* 59. Circumire tribus. Adde *Plin. ep.* 2, 9. et *Tac. A.* 2, 29. Sic ap. *eund. Plin. Pan.* 69. Circumire consulatum, *h. e.* ambire, petere. ℙ Item de iis, qui decipiendi causa circumcursant, et insidiantur; quod et *Serv.* ad *A.* 11, 761. adnotavit. *Mart.* 8, 59. puerum tunc arte dolosa Circuit, et soleas surripit ipse suas. *Pl. Ps.* 3, 2, 119. Nam eum circumire in hunc diem, ut me, si posset, muliere intervorteret. *Ter. Ph.* 4, 3, 8. Facinus indignum, Chreme, sic circumiri! ℙ Allegorice. *Cic. Phil.* 13, 9. Totius belli fluctibus circumiri. ℙ Metaphorice. *Stat. Silv.* 4, 4, 26. inde sonus geminas mihi circuit aures. *Quint.* 12, 10. Plurimae res carent appellationibus, ut eas necesse sit transferre, aut circumire, *h. e.* per circumlocutionem exprimere. [**Id. ib.* 8. *prooem.* Nam et, quod recte dici potest, circumimus amore verborum. *Id. ib.* 8, 2. Circumeunt omnia copiosa loquacitate.] Sic *Tac. H.* 3, 37. Vespasiani nomen suspensi et vitabundi circumibant. ℙ Ad scriptionem quod attinet, alii volunt, *m* semper interseri, ut *Dausq.* in *Orthogr.*, alii nunquam, ut *Beda*, et *Brouck.* ad *l. c. Prop.* At *Papir.* ap. *Cassiod. de Orthogr.* 2294. docet, *circum* praepositionem sequente vocali in enunciatione amitti, in scriptura servari. Certum est tamen, utroque modo recte scribi: quamquam rectius puto si *m* adhibeatur, tum quia plenius, et sonantius est: tum quia servatur etiam in *circumaro, circumequito, circuminvolvo*, et aliis; tum demum quia usitatius fuit veteribus praepositionum consonantes litteras in compositione servare. Consuetudo tamen in *circuitus*, et *circuitio* contrarium obtinuit. ℙ Part. *Circumiens* ap. *Ov. Pont.* 1, 2, 20. More lupi clausas circumeuntis oves. *Circumiturus* ap. *Curt.* 3, 8. A fronte et a tergo circumiturus hostem.

CIRCŪMĔQUĬTO, as, n. 1. *περιϊππεύω*, obequito, equo circumeo. *Liv.* 10, 34. Duas turmas sociorum circumequitare moenia jubet.

CIRCŪMERRO, as, avi, atum, n. 1. *περιπλανάομαι*, circumeo, circum vagor. *Sen. Contr.* 2, 9. Neque turba lateri circumerrat, nec multus intra limen heres. *Appul. de Mundo.* Tempora, quae Saturnus sublimior triginta spatiis annorum circumerrat.

CIRCUMFARTUS, a, um, part. ab inus. *circumfarcio*, circum impletus. *Plin.* 17, 13, 21. Trajectis per vasa fictilia, vel qualos ramis, terraque circumfartis. Ita *Hard.* ex suis MSS. omnibus. Al. leg. *circumpactis.*

CIRCUMFĔRENTĬA, ae, f. *κύκλος, περιφέρεια*, ambitus, circulus. *Appul. Fl. n.* 18. Nec culminum eminentia, nec lacunarum refulgentia, nec sedilium circumferentia. *Capell.* 8, 276. Linea usque in circumferentias ducta. *Frontin. in exposit. formar.* p. 33. *Goes.* Cludere aliquid intra circumferentiam.

CIRCUMFĔRO, ers, tuli, latum, anom. *περιφέρω*, circum gesto, circum porto. *Cic. Verr.* 2, 2, 42. Quaeso, codicem circumfer, ostende. *Pl. Pers.* 5, 2, 40. Age, circumfer mulsum: bibere da usque plenis cantharis. *Suet. Cal.* 25. Infantem Juliam per omnia Dearum templa circumferens. *Quint.* 2, 15. Circumferre puerum manibus. *Tac. A.* 13, 37. Exemplo hostium circumferre bellum coactus. *Id. ib.* 2, 52. Incendia, caedes et terrorem. *Vell.* 2, 92. terrarum orbi pacis bona. *Flor.* 3, 12. Populus R. toto orbe arma circumtulit, *h. e.* bellum longe lateque sparsit et gessit. [*Hinc *Sil.* 15, 316. Belli per Grajas umbram circumtulit oras.] *Plin.* 34, 8, 18. Circumferre secum signa Corinthia. *Id.* 37, 3, 12. capite uniones, gemmas digitis. *Curt.* 5, 12. Hominem sine lare, terrarum orbis exsulem, ancipitem hostem ad nutum licentium circumferri, *h. e.* huc et illuc ferri. [**Tac. A.* 1, 69. Tamquam parum ambitiose filium ducis gregali habitu circumferat. *Suet. Caes.* 46. In expeditionibus tessellata et sectilia pavimenta circumtulisse. *Id. Dom.* 10. Quod depictum orbem terrae in membrana, concionesque regum ac ducum ex Tito Livio circumferret. *Id. Aug.* 90. Ut semper et ubique pellem vituli marini circumferret.] ℙ Est etiam circumagere, circumvolvere. *Liv.* 2, 10. Circumferens minaciter oculos ad proceres Etruscorum. *Virg. A.* 12, 558. Huc atque huc acies circumtulit. *Val. Max.* 7, 2. *extr. n.* 2. Circumferre oculos per omnes partes. [**Plin. Pan.* 7, 5. Non per totam civitatem circumferas oculos? *Suet. Caes.* 85. Circumferre caput.] *Ov. Met.* 2, 241. vultus. *Cic. Or.* 3, 46. Sol circumfertur, ut accedat ad brumale signum. [**Virg. A.* 19, 887. Ter — immanem aerato circumfert tegmine silvam. *Curt.* 9, 5. Circumferre clypeum ad ictus, i. e. circumagere ad excipiendos ictus.] ℙ *Linea circumferens* apud mensores est, quae circumferentiam, seu circulum facit *περιφέρειν*. *Front. in expos. formar.* p. 33. *Goes.* Quaecumque linea in dimensione medium secans circulum, punctum transferet ad circumferentem lineam etc. ℙ Pertinet aliquando ad lustrationes, et expiationes, quae fiebant circumlatione vel taedae, vel aquae, vel victimae, vel sulphuris circa eum, qui expiabatur. *Virg. A.* 6, 229. Idem ter socios pura circumtulit unda, Spargens rore levi, et ramo felicis olivae. *Pl. Amph.* 2, 2, 143. Quaeso, quin isthanc jubes pro cerrita circumferri? *Id. fragm* ap. *Serv.* ad *Virg. l. c.* Pro larvato te circumferam. [*Dicitur etiam de ministris, qui coenantibus, potantibus vina praebent. *Curt.* 7, 4. Bessus circumferri merum largius jubet.] ℙ Praeterea *circumferri* dicuntur, quae publici juris, et usus fiunt, ut ab omnibus usurpari possint. *Quint.* 2, 15. Haec opinio originem ab Isocrate (si tamen revera ars, quae circumfertur, ejus est) duxit. ℙ Translate est vulgare, publicare, disseminare. *Plin. ep.* 3, 11. Inde etiam meum meritum, ut vera, ita supra meritum praedicatione circumfert. *Id. ib.* 16. *f.* Illud quidem ingens fama, haec nulla circumfert. *Colum.* 8, 16. Et jam cum avorum memoria circumfertur M. Philippi factum, atque dictum. *Ov. Am.* 2, 17, 29. Novi aliquam, quae se circumferat esse Corinnam. ℙ Apud *Val. Fl.* 7, 123. *circumferre oscula dextrae* est dextram circumosculari.

CIRCUMFIGO, is, ixi, ixum, a. 3. *περιπήγνυμι*, circum figo. *Cato R. R.* 20. Columellam ferream cuneis salignis circumfigi oportet bene. Adde *Tert. adv. Marc.* 4, 42., ubi de Latronibus Jesu Christo circumfixis loquitur.

CIRCUMFINFO, is, inxi, ictum, a. 3. circum pono. *Tertull. Anim.* 23. Qui exinde illis peccatricem circumfinxerit carnem.

*CIRCUMFINIO, is, a. 4. *Sokn.* 3. December sollemnem circumfiniebat annum. *B. A.*

CIRCUMFIRMO, as, a. 1. circumsepio, circum munio. *Colum.* 4, 17. Vitis quasi quadrato circumfirmanda est agmine.

[CIRCUMFLAGRO, as, n. 1. circum flagro, aestuo. *Avien. Arat.* 274. Quaque per immensum circumflagrantibus Austris. *F.*]

CIRCUMFLECTO, is, a. 3. *περικάμπτω*. *Virg. A.* 5, 130. Constituit signum nautis pater, unde reverti Scirent et longos ubi circumflectere cursus. [*Adde *eund. ib.* 3, 430.] ℙ Apud Grammaticos est accentu circumflexo syllabam notare et pronunciare. *Gell.* 4, 7. Valerius Probus Hannibalem et Hasdrubalem et Hamilcarem ita pronunciabat, ut paenultimam circumflecteret.

CIRCUMFLEXĬO, onis, f. *περίκαμψις*. *Macr. Somn. Scip.* 1, 12. Zodiacum ita lacteus circulus obliquae circumflexionis occursu ambiendo complectitur, ut etc.

CIRCUMFLEXUS, a, um, part. *circumflecto, περικαμφθείς*. *Prud. Apoth.* 71. Hos omnes quamvis anceps labyrinthus et error Circumflexus aget. ℙ Translate. *Claud. VI. Cons. Hon.* 391. Circumflexa rapit centenus saecula consul, *h. e.* circum se flectentia et in se redeuntia. *Nazar. Pan. Const. Aug.* 16. Adesse tibi in omnibus summam illam majestatem, quae te circumflexa tueatur, *h. e.* circumdata, circumposita, circumfusa. ℙ Accentus circumflexus dicitur a grammaticis (Graece *περισπωμένη προσῳδία*), qui ex acuto et gravi compositus, paenultimam vel ultimam syllabam solum occupat et vocales tantummodo natura longas afficit. *Diomed.* 2, 425. et *Prisc. de accentib.* 1287. ℙ Hinc circumflexae dicuntur syllabae et dictiones, quae talem accentum habent. *Gell.* 4, 7. Syllaba circumflexa. ℙ Munus hujusce accentus est syllabam attollere simul et protrahere atque adeo ejus sonum augere et quodammodo circumducere, ut *Quint.* 12, 10. *med.* loquitur: ut si in voce *Romanus* paenultima ita proferatur, quasi duplex *a a* sit: quorum prior attollatur, alter protrahatur deprimaturque. V. FLEXUS, a, um.

CIRCUMFLEXUS, us, m. circumflexio, ambitus. *Plin. l.* 2. *in.* Mundus, cujus circumflexu teguntur cuncta. *Id.* 6, 34, 39. In hoc coeli circumflexu.

[CIRCUMFLO, as, n. 1. undique, ex omni parte flo. *Stat. Th.* 11, 42. Circumflantibus Austris. ℙ Translate et passive. *Cic. Verr.* 2, 1. Ut hic ordo (judicum) ab omnibus ventis invidiae circumflari posse videatur. *F.*]

CIRCUMFLŪENS, entis, part. a *circumfluo*, qui circumfluit. Translate *Cic. Mur.* 24. Circumfluente colonorum Arretinorum et Fesulanorum exercitu. *Id. Att.* 2, 21. Ille amicus noster semper in laude versatus, circumfluens gloria. *Quint.* 12, 10 *f.* Circumfluentes undique eloquentiae copiae. [**Id. Decl.* 321. Nunc te circumfluens pecunia nunc ista mancipia etc. — ditabunt?] *Justin.* 18, 7. Circumfluentia quietae felicitatis insignia. ℙ *Circumfluens oratio* est nimis copiosa et redundans. *Cic. Brut.* 55. Incitata et volubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens oratio. ℙ *Terminus circumfluens* ap. *Appul. Met.* 9. est in circuitu ductus.

CIRCUMFLŪO, is, uxi, n. 3. *περιῤῥέω*, circum fluo, circum alluo. Dicitur proprie de aquis. *Ov. Met.* 13, 779. utrumque latus circumfluit aequoris unda. *Plin* 5, 29, 29. Cariam circumfluunt Maeander et Orsinus. *Gell.* 12, 13. Oceanus terras omnifariam et undique versus circumfluit. ℙ Passive *Lactant.* 2, 9. Terram voluit humore circumflui et contineri. Adde *Macr. Somn. Scip.* 2, 9. ℙ Significat etiam circum effluere. *Ov. Met.* 3, 74. Spumaque pestiferos circumfluit horrida rictus. *Plin.* 2, 65, 65. In poculis repletis, addito humore minimo, circumfluit, quod superest. ℙ Allegorice *Curt.* 8, 8. Insatiabilis avaritiae est, adhuc implere velle, quod jam circumfluit, *h. e.* redundat. ℙ Ponitur aliquando pro circumlabi vel circum applicari. *Lucan.* 3, 421. Roboraque amplexos circumfluxisse dracones. ℙ Item saepe pro convenire, circum accurrere. *Petr. Sat.* 5. Hinc Romana manus circumfluat. *Varr. R. R.* 2, 9. Cum sciam mulorum gregem, cum pasceretur, eoque venisset lupus, ultro mulos circumfluxisse et ungulis caedendo eum occidisse. *Id. ib.* 3, 13. Tanta circumfluxit nos cervorum, aprorum et ceterarum quadrupedum multitudo, ut etc. *Curt.* 10, 2. Secundis rebus, quae circumfluunt vos, insanire coepistis, *h. e.* quae large et copiose ad vos perveniunt. ℙ *Circumfluere re aliqua* est ea abundare. *Cic. Verr.* 2, 3, 4. Istum rebus omnibus undique ereptis circumfluere atque abundare. *Id. Amic.* 15. Circumfluere omnibus copiis atque in omnium rerum abundantia vivere. [**Im Ueberfluss schwimmen.*] *Id. Att.* 2, 21. gloria. V. CIRCUMFLŪENS. ℙ Catachresis est in illo *Claud. I. Cons. Stilich.* 328. solitus frontem circumfluit ignis, *h. e.* rubor frontem occupat.

CIRCUMFLŪUS, a, um, adj. *περιῤῥόος, περιῤῥύτος*, qui circum fluit. *Ov. Met.* 15, 739. Scinditur in geminas partes circumfluus amnis. *Plin.* 2, 66, 66. Tellus medio ambitu praecincta circumfluo mari. [**Ov. Met.* 1, 30. Circumfluus (*περιῤῥύτος*) humor, Ultima possedit solidumque coercuit, i. e. Oceanus ultima possedit, profundissima occupavit, quia terrae eminent super Oceani superficiem. Ita recte *Gierig.* ad h. l. contra *Lenz.*, qui per ultima intelligit marginem orbis terrarum plani, atque *circumfluus* putat esse Homeric. *ἀψῤῥόος*, in se ipsum rediens.] ℙ Passive de eo, qui circumfluitur. *Ov. Met.* 15, 624. Insula circumflua Tibridis alveo. *Tac. A.* 6, 37. Campi circumflui Euphrate et Tigre. *Lucan.* 4, 407. Adriaco tellus circumflua Ponto. Adde *Val. Fl.* 5, 442., *Sil.* 8, 597. et 15, 221. et *Claud. non semel.* ℙ Translate. *Stat. Th.* 6, 540. Chlamys circumflua limbo Maeonio, *h. e.* circumdata. *Claud. IV. Cons. Hon.* 138. Femina circumflua gemmis. *Id. Cons. Prob.* et *Olybr.* 40. Mens circumflua luxu.

CIRCUMFODĬO, ōdis, ōdi, ossum, a. 1. *περιορύσσω, περιοκάπτω*. *Cato R. R.* 161. Sic circumfodito, ut facile evellere possis. *Sen. ep.* 12. Platanos circumfodere et irrigare. *Plin.* 17, 19, 31. Circumfo-

diendi arbores ratio in circuitu pedes in orbem ternos. Adde *Colum.* 5, 6. ℙ Legitur etiam *circumfodiri* in infinito. *Colum.* 5, 9. *med.* Olivetum bis anno arari debet et bidentibus alte circumfodiri.

CIRCUMFORĀNEUS, a, um, adj. a *circum* et *forum*. *Circumforaneus homo* est, qui circa fora vagatur venditans aliquid aut aliud quippiam agens. *Cic. Cluent.* 14. Pharmacopola circumforaneus. *Suet. Vitell.* 12. Vendidit puerum circumforaneo lanistae. *Appul. Met.* 9. Circumforaneum mendicabulum. *Hieron. ep.* 50. *n.* 1. Monachus nescio quis de trivio, de compitis, de plateis circumforaneus. ℙ *Aes circumforaneum*, feneraticium seu fenore sumptum. Nam circa forum tabernae erant argentariorum, qui artem feneratoriam exercebant. *Cic. Att.* 2, 1. *f.* Nisi quod me, illum ipsum vindicem aeris alieni, aere non Corinthio, sed hoc circumforaneo obruerunt. ℙ *Circumforanea domus* dicitur ab *Appul. Met.* 4., quae mobilis et ambulatoria est et hic illic facile figi potest. Veneti dicunt *un casotto*. ℙ *Circumforaneas hostias* idem appellat *Met.* 3. *in.*, quae lustrandi causa circumferuntur.

CIRCUMFORĀTUS, a, um, part. ab inusit. *circumforo*, *περιτετραυπόμενος*. *Plin.* 17, 27, 43. Circumfosso stipite, et ab ima parte circumforato.

CIRCUMFOSSOR, oris, m. qui circumfodit. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 6. Cum circumfossor vites injurioso ictu verberavit.

CIRCUMFOSSŪRĂ, rae, f. *Plin.* 17, 26, 39. Cupressus aspernatur circumfossuram.

CIRCUMFOSSUS, a, um, part. a *circumfodio*, *περιορυχθείς*. *Plin.* 17, 27, 43. Amygdalae ex amaris dulces fiunt, si circumfosso stipite et ab ima parte circumforato, defluens pituita abstergeatur.

CIRCUMFRACTUS, a, um, part. ab inusit. *circumfringo*. *Ammian.* 29, 4. Carpento veloci impositum regem angusto aditu circumfractis collibus abdiderunt. Et 22, 8. Circumfractus turbo.

CIRCUMFRĒMO, is, ui, itum, n. 3. *περιβρέμω*. *Sen. Cons.* ad *Marc.* 7. Aves cum stridore magno inanes nidos circumfremunt. *Prud. Cath.* 4, 79. Quae *(fera)* circumfremit et vorare tentat. *Ammian.* 31, 43. Circumfrementium globi.

CIRCUMFRĪCO, as, a. 1. *Cato R. R.* 26. Privas scopulas in dolia facito habeas illi rei, qui labia doliorum circumfrices.

CIRCUMFULCĪO, is, a. 3. *Tert. Pall.* 5. Pallium, qua in humerum adhaeret, nihil circumfulcit, nihil circumstringit.

CIRCUMFULGĒO, es, n. 2. *περιλάμπω*. *Plin.* 2, 37, 37. Hominum capita vespertinis horis magno praesagio circumfulgent.

CIRCUMFUNDO, is, ūdi, usum, a. 3. *περιχέω*, circum aspergo. *Nep. Ages.* 8. Cera circumfundere cadaver. *Cato R. R.* 93. Amurcam cum aqua commisceto, aequas partes: deinde ad oleam circumfundito. *Plin.* 6, 27, 31. Tigris urbi circumfunditur. *Cic. N. D.* 2, 6. Terram crassissimus circumfundit aer. *Plin.* 2, 65, 65. Circumfundi terrae undique homines conversisque inter se pedibus stare. ℙ Significat etiam circum effundere. *Id.* 28, 9, 33. Cum fervet *(lac)*, ne circumfundatur, praestat cyathus argenteus cum frigida aqua demissus. ℙ *Circumfundi* saepe ponitur pro convenire circa aliquem locum, circumfluere, circumcurrere: et dicitur de multitudine. *Caes. B. C.* 3, 63. Magna multitudo sagittariorum ab utraque parte circumfundebatur. *Id. B. G.* 6, 36. Circumfunduntur hostes ex reliquis partibus, si quem aditum reperire possent. *Id. ib.* 7, 28. Toto undique muro milites circumfundi. *Liv.* 22, 14. *f.* Concionanti Minucio circumfundebatur Romanorum multitudo. Adde *ib.* 7. ℙ Cum accusativo. *Id. ib.* 14. Ut hostes, ne magna quidem multitudine, munitionum praesidia circumfundi possent. ℙ *Circumfundi* de uno tantum dictum pro applicare se et adhaerere. *Ov. Met.* 4, 360. de Salmacide: Et nunc hac juveni, nunc circumfunditur illac. ℙ Accipitur etiam pro circumdare, cingere. *Plin.* 5, 12, 13. Qui subtilius dividunt, circumfundi Syria Phoenicem volunt. *Tac. H.* 2, 19. Si cum exercitu Caecina tam paucas cohortes circumfudisset. (Adde *A.* 12, 28.) *Hirt. B. Afr.* 78. Ut haberet facultatem turmas Julianas circumfundere. [**Tac. A.* 1, 68. Exin clamore et impetu tergis Germanorum circumfunduntur. *Id. A.* 12, 27. Vel dilapsis improvisi circumfunderentur. *Id. H.* 2, 70. Inde circumfusas auxiliorum manus. *Id. A.* 3, 46. Et circumfudit eques, frontemque pedites invasere. *Id. ib.* 13, 40. Igitur repente agmen Romanum circumfundit. — *Virg. A.* 1, 412. Circumfudit gradientes amictu nebulae.] *Sil.* 7, 308. Cernis, ut armata circumfundare corona. *Id. ib.* 723. quas circumfuderat atra tempestas, *h. e.* cinxerat, circumsteterat, obruerat. ℙ Dividitur per tmesim.

CIRCUMFUSĬO, onis, f. *περίχυσις*, actus circumfundendi. *Firm. Math.* 1, 4. Coelum omnia ignei spiritus circumfusione complectitur. *Id. ib. praef. med.* et *Orosius* 1, 2. *med.* Hispania circumfusione Oceani Tyrrhenique pelagi paene insula efficitur.

CIRCUMFUSUS, a, um, part. a *circumfundo*, *περιῤῥόος*, *περιεστάμενος*. *Ov. Fast.* 5, 582. Gens circumfusis invia fluminibus. *Tibull.* 4, 1, 151. Nam circumfuso considit in aere tellus. *Liv.* 4, 46. Circumfusi magna ex parte hostes. *Quint.* 2, 20. Nonnunquam inter circumfusa militum arma dicendum est. *Curt.* 4, 15. Circumfusos regi barbaros adoriri. *Lucan.* 5, 680. Turba circumfusa duci. [**Virg. G.* 3, 368. Stant circumfusa pruinis Corpora magna boum. *Id. Cir.* 493. Liquido Scyllae circumfusum aequore corpus. V. *Heyn.* ad h. l. — *Quint. Inst.* 12, 11. Circumfusus nobis spiritus.] *Val. Fl.* 1, 384. puniceo cui circumfusa cothurno Palla imos tegit alba pedes. *Cic. Tusc.* 5, 41. Variae et undique circumfusae molestiae. ℙ Significat etiam cinctum, circumdatum. *Cic. Somn. Scip.* 6. Terra circumfusa illo mari, quod Oceanum appellatis. *Id. Acad.* 4, 15. Res circumfusae luce. *Id. ib.* 39. Latent ista omnia crassis occultata et circumfusa tenebris. *Id. Mil.* 26. Quod vero in illo loco, atque illis publicorum consiliorum copiis circumfusus sedet etc. *Nep. Chabr.* 4. Circumfusus hostium concursu. [**Virg. A.* 11, 546. Et circumfuso volitabant milite Volsci. *Ov. Met.* 14, 354. Circumfusus Satelles. *Sil.* 2, 50. Tot Libyae populis, tot circumfusus Hiberis.] *Cic. Fin.* 3, 2. Sedens in bibliotheca multis circumfusus Stoicorum libris. *Vell.* 2, 123. Augustus circumfusus amplexibus Tiberii sui [**Ov. Met.* 14, 586. Colloque parentis Circumfusa sui. ℙ Hinc dicitur de iis, quos magna comitum turba sequitur. *Plin. Pan.* 23, 3. Neque enim stipatus satellitum manu, sed circumfusus undique nunc senatus nunc equestris ordinis flore. *Ov. Met.* 3, 180. Circumfusaeque Dianam corporibus texere suis. — De multitudine hominum in locum aliquem conveniente; de rebus in unum locum collectis: *Tac. A.* 2, 56. Germanicus — circumfusa multitudine, insigne regium capiti ejus imposuit. *Curt.* 7, 5. Circumfusi amici orabant. *Tac. A.* 3, 5. Circumfusas lecto Claudiorum Liviorumque imagines. ℙ Item quod *abundans, supervacuum*. *Quint. Decl.* 247. *Serm.* Videamus igitur, si ista supervacua et circumfusa sunt. *Id. ib.* 337. Non relinquunt dolori locum tot circumfusae voluptates.]

CIRCUMGARRIENS, entis, part. ab inus. *circumgarrio*. *Claud. Mamerc. de statu anim.* 2, 9. Falsiloquiis circumgarrientibus respondere.

CIRCUMGĔLĀTUS, a, um, part. a *circumgelo*. *Plin.* 13, 22, 40. Cortex circumgelatus videri possit.

CIRCUMGĔLO, as, a. 1. *Tertull. Anim.* 23. Quod germina mortale ei circumgelaverint corpus, *h. e.* concrescere fecerint.

CIRCUMGĔMO, is, n. 3. *Hor. Ep.* 16, 51. Circumgemit ursus ovile. V. GEMO in fine.

CIRCUMGESTO, as, a. 1. *Cic. Q. Fr.* 1, 2. Eam quoque epistolam T. Catienus circumgestat.

CIRCUMGLOBĀTUS, a, um, part. ab inusit. *circumglobo*, conglomeratus. *Plin.* 9, 47, 71. Circumglobata escae saepe extrahuntur.

CIRCUMGRĔDĬOR, eris, essus sum, dep. 3. circum aggredior. *Tac. A.* 12, 28. Illi metu, ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum quis aeternum discordant, circumgrederentur etc. Adde *ib.* 1, 64. [**Adde eund. ib.* 2, 17.] ℙ Item circumire. *Aurel. Vict. Caes.* 21. Cum Syriam circumgrederetur. *Ammian.* 16, 12. *med.* Lacunam palustribus aquis interfusam circumgrediens.

CIRCUMGRESSUS, us, m. circuitus. *Ammian.* 22, 2. Triptolemus, quem ob rapidos circumgressus aeriis serpentibus et pinnigeris fabulosa vetustas imponit. Et *ib.* 8. Palus Maeotis amplissimi circumgressus.

[CIRCUMHĂBĪTĀTOR, oris, m. qui circum habitat, accola. *Gloss. Phil.* Circumhabitatores, *περίοικοι*. *F.*]

CIRCUMHISCO, is, n. *Arnob.* 5. p. 176. Jamdudum me fateor haesitare, circumhiscere, tergiversari etc. *h. e.* caput circumagendo oscitari: quod est hominis in re difficili versantis, et, unde incipiat, nescientis.

CIRCUMHUMĀTUS, a, um, part. ab inus. *circumhumo*. *Ammian.* 22, 12. *f.* Circumhumata corpora statuit exinde transferri.

CIRCUMJĀCĔO, es, ui n. 2. *περίκειμαι*, circa jaceo, vel potius sum. *Liv.* 37, 54. Lyaconia, et Phrygia utraque, quaeque circumjacent Europae, in vestra sunt potestate. [**Tac. A.* 2, 72. Ingenti luctu provinciae et circumjacentium populorum.] *Appul. de Deo Socrat.* Si plena artis ornamenta capiti, et collo circumjacent.

CIRCUMJĀCĬO, is, a. 3. circumjicio. *Liv.* 33, 18. Circumjacere hastas in venientem ex transverso conati sunt hostem.

CIRCUMJECTĬO, onis, f. *περιβολή*, actus circumjiciendi. *Arnob.* 2. p. 73. Animae habitare jussae sunt has partes, et humani corporis circumjectione vestiri, *h. e.* amictu. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 2. Circumjectio manuum, *h. e.* huc illuc agitatio.

CIRCUMJECTUS, a, um, part. a *circumjicio*, *περιβαλλόμενος*, circumjactus, vel circumpositus, circumfusus. [**Tac. A.* 14, 37. Circumjecta vehicula. *Id. ib.* 15, 37. Circumjecta tecta. *Id. ib.* 6, 19. Sed circumjecti custodes.] *Caes. B. G.* 1, 6. Circumjecta multitudo hominum totis moenibus. *Id. B. C.* 3, 45. Sagittariis, funditoribusque circumjectis. *Liv.* 9, 28. Aedificia circumjecta muris incendit. *Curt.* 3, 10. Circumjecta nemora. *Id.* 4, 12. *f.* Circumjectae valles. [**Suet. Aug.* 100. Circumjectae silvae, i. e. nemora circa Mausoleum instituta. — *Tac. A.* 4, 27. Apud Brundusium et circumjecta oppida. *Id. ib.* 12, 31. Circumjectae nationes. Ita legitur etiam absolute ap. *eund. ib.* 1, 21. Vagi circumjecta populabantur.] *Front. Aquaed.* 10. Signicircumjectum continendarum scaturiginum caunum circumjectum continendarum scaturiginum causa. *Cic. Div.* 2, 28. Retulit quasi ostentum, quod anguis domi vectem circumjectus fuisset, *h. e.* vectem circum se plicavisset. ℙ Item cinctus, circumdatus. *Tac. A.* 2, 11. Planities circumjecta saltibus.

CIRCUMJECTUS, us, m. circumjectio. *Cic. N. D.* 2, 25. *vertens e Graeco carmen Euripidis*. Aether, qui tenero terram cirrumjectu amplectitur, *h. e.* ambitu, complexu. Quidam leg. *circumvectu* minus recte: [nam ea voce eodem sensu utitur *Id. de rep.* 2. (ed. *A. Maio*) 6. Ita munita arx circumjectu arduo, et quasi circumciso saxo niteretur. *F.*] *Plin.* 11, 51, 112. Rudi parietum circumjectu vox devoratur, *h. e.* parietum circumpositorum rudi superficie. ℙ Item amictus. *Varr. L. L.* 4, 30. Amictus est dictum amjectum, id est circumjectum: a quo etiam quod vestes se involvunt, circumjectum appellant. *Tertull. Pall.* 5. Tota molitio pallii est operire solutim, idest uno circumjectu.

CIRCUMJĪCĬO, īcis, jēci, jectum, a. 3. *περιβάλλω*, circumjacio. *Liv.* 35, 4. *f.* Consul triarios vallum circumjicere jussit. Adde 38, 19. ℙ Pro circumplecti, circumdare. *Cic. Univ.* 8. Animus a medio profectus extremitatem coeli, a suprema regione, rotundo ambitu circumjecit.

CIRCUMINJĪCĬO, is, a. 3. circumjicio. *Liv.* 25, 36. Si quo modo posset vallum circuminjicere.

CIRCUMINVOLVO, is, lvi, lutum, a. 3. *Vitr.* 10, 11. Singula puncta praetereundo, et circumvolvendo.

CIRCUMĪTOR. V. CIRCUITOR.

CIRCUMĪTUS. V. CIRCUITUS.

CIRCUMLĀBENS, entis, part. ab inus. *circumlabor*, qui in orbem labitur. *Lucan.* 6, 484. Prospectumque dedit circumlabentis Olympi.

CIRCUMLAMBO, is, a. 3. *περιλείχω*. *Plin.* 11, 37, 65. Lingua praelonga ad circumlambenda ora.

CIRCUMLĀQUĔO, as, a. 1. laqueis cingo. *Grat. Cyneg.* 29. *per tmesim:* Per senos circum usque sinus laqueabis.

CIRCUMLĀTĪCĬUS, a, um, adj. *περιφόρητος*, qui circumferri potest. *Sidon. ep.* 2, 2. *f.* Piscibus quendam vivum, et circumlaticium carcerem corpulentia facit.

CIRCUMLĀTĬO, onis, f. actus circumferendi. *Tert. adv. Marc.* 4, 12. *med.* Arcae circumlatio apud Hiericuntem. *Serv.* ad *A.* 6, 229. Circumlatio victimae.

CIRCUMLĀTOR, oris, m. qui circumfert, *περιφορεύς*. *Tert. adv. Marc.* 1, 19. et *ib.* 21. *f.*

CIRCUMLATRĀTUS, us, m. Allegorice *Juvenc. histor. Euang.* 4, 537. nec talia quisquam Insonuit, tantis circumlatratibus audax. Alii divisim scribunt.

CIRCUMLATRO, as, a. 1. *ἀμφυλάω*. *Sen. Cons. ad Marc.* 22. Acerrimi canes hominem circumlatrant. ℙ Translate *Avien. Perieg.* 48. totum hoc circumlatrat aestus, *h. e.* circumsonat, perstrepit. ℙ Passive *Symmach. ep.* 8, 17. Domum nostram, quae multis circumlatratur injuriis, forensis industriae tuearis officio.

CIRCUMLĀTUS, a, um, part. a *circumfero*, *περιφορηθείς*. *Plin.* 29, 5, 32. Vermiculus igni circumlatus. *Mart.* 3, 17. Scriblita circumlata. ℙ Item lustratus. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 70. Tum farto sunt omnia circumlata. ℙ Translate *Quint.* 4, 1. *med.* Nec argumentis autem, nec locis, nec narrationi similis esse in prooemio debet oratio, neque tamen deducta semper, atque circumlata, sed saepe simplici, atque illaboratae similis, *h. e.* periodorum ambitu circumducta.

CIRCUMLĂVO, is, et as, a. 1. *περιλούω*, circa lavo, vel alluo. *Sall. fr.* ap. *Non.* 10, 2. Dubium an insula sit, quod Euri, atque Austri superjactis fluctibus circumlavit, *h. e.* alluitur, et subintelligitur accusativus *se:* quae loquendi ratio in verbo *lavo* est usitatissima. Porro *circumlavit* pro *circumlavat* positum esse, tradit *ib. Non.* ℙ Active *Hyg. fab.* 275. Aegyptus, quam Nilus circumlavat.

CIRCUMLĔVO, as, a. 1. circum attollo. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 37. Utrinque orarum circumlevat tegmina.

CIRCUMLĪGĀTUS, a, um, part. a *circumligo*. *Plin.* 28, 2, 5. Chartam inscriptam, circumligatam lino subnectabat collo. *Cic. Div.* 2, 31. Circumligatus angui Roscius.

CIRCUMLĪGO, as, avi, atum, a. 1. *περιδέω*. *Cato R. R.* 40. Salice scissa stirpem circumligato. *Liv.* 21, 8. *f.* Hastile stuppa circumligare. *Plin.* 31, 11, 47. Spongiae siccae hydropicis circumligantur. [**Virg. A.* 11, 555. Natam — mediae circumligat hastae.] *Stat. Achill.* 1, 172. Circumligare aliquem ulnis. *Id. Theb.* 8, 675. nec segnius ardens Accurrit, niveo quam flammiger ales olori Imminet, et magna trepidum circumligat umbra, *h. e.* circumdat, complectitur. [**Sil.* 14, 347. Globum Thetys circumliget undis.]

CIRCUMLĪNĬO, is, ivi, itum, a. 4. et

CIRCUMLĪNO, is, livi vel levi, litum, a. 3. *περιχρίω*, *περιπλάσσω*, oblino. *Colum.* 6, 17. *f.* Circumliniendus

erit oculus pice liquida. *Plin. ep.* 6, 2. Sinistrum oculum circumlinebat. *Plin. alter* 21, 14, 47. Circumlini alvos fimo bubulo utilissimum. ℙ Translate *Quint.* 1, 11. Simplicem vocis naturam pleniore quodam sono circumlinire: quod Graeci *παχυπεπλασμένον* dicunt. Sic appellantur cantus tibiarum, quae praeclusis, quibus clarescunt, foraminibus, recto modo exitu graviorem spiritum reddunt. Haec *Quint.*, cui *circumlinire vocem* est pleniorem eam, et magis fuscam, quam natura sit, emittere. *Id.* 12, 9. Quidam, etiam si forte susceperunt negotia paulo ad dicendum tenuiora, extrinsecus adductis ea rebus circumliniunt, *h. e.* exornant. Ductae sunt hae translationes a circumlinendis picturis: qua de re V. in v. sq.

CIRCUMLĬTĬO, onis, f. *περίχρισις*, actus circumlinendi. *Plin.* 24, 7, 24. Pix ad circumlitiones oris, suspiriosos, vulvas etc. *supple* facit. ℙ In pictura est circumductio colorum in extremitatibus figurarum, qua ipsae figurae aptius finiuntur, et eminentius exstant. *Quint.* 8, 5. Nec in pictura, in qua nihil circumlitum est, eminet: ideoque artifices, etiam cum plura in unam tabulam contulerunt, spatiis distinguunt, ne umbrae in corpora cadant. ℙ Etiam in sculptura *circumlitio* locum habet; veteres enim non modo tabulis, sed etiam marmoreis statuis colores adjecisse putandum est; hinc ait *Plin.* 35, 1, 1. Coepimus et lapidem pingere. *Id.* 35, 11, 40. *n.* 28. Hic est Nicias, de quo dicebat Praxiteles, interrogatus, quae maxime opera sua probaret in marmoribus: Quibus Nicias manum admovisset: tantum circumlitioni ejus tribuebat. Ex his itaque patet, statuis a sculptore Praxitele elaboratis Niciam pictorem circumlitionem, seu colores encausto admovisse. *Sen. ep.* 86. Nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sunt; nisi illis undique operosa, et in picturae modum variata circumlitio praetexitur, *h. e.* nisi varii coloris marmoreis crustis sculptura, quasi pictura, distinguitur.

CIRCUMLĬTUS, a, um, part. a *circumlino*, *περιχρισθείς*, circum unctus et obductus. *Lucr.* 2, 744. nullo circumlita fuco corpora. *Cic. Tusc.* 1, 45. Persae mortuos cera circumlitos condunt. [**Ov. Met.* 3, 373. Circumlita taedis sulphura.] *Plin.* 24, 5, 13. Galbanum ramis hellebori circumlitum. *Id.* 33, 9, 46. Fictile circumlitum argilla. *Id.* 34, 10, 23. Spiramentum circumlitum, *h. e.* obductum et clausum. ℙ Item circumjectus, circumpositus. *Id.* 17, 10. Sic et spinas sepis causa serunt, tomice moris spinarum circumlita. ℙ Item circumdatus. *Hor. Ep.* 1, 10, 7. Musco circumlita saxa. *Ov. Met.* 11, 136. *de Mida:* Neve male optato maneas circumlitus auro. ℙ Translate *Lactant.* 3, 1. Mendacium specie placet aliena, quia per se corruptum vanescit ac diffluit, nisi aliunde ornatu quaesito circumlitum fuerit. ℙ Refertur etiam ad picturam. V. CIRCUMLINO et CIRCUMLITIO.

CIRCUMLOCŪTĬO, onis, f. *περίφρασις*, circuitus loquendi, quo pluribus verbis id, quod uno, aut paucioribus certe dici potest, explicatur. *Quint.* 8, 6. *med.* Quidquid significari brevius potest, et cum ornatu latius ostenditur, *περίφρασις* est: cui nomen Latine datum, non sane orationis aptum virtuti, circumlocutio. Verum haec ut, cum decorum habet, periphrasis; ita cum in vitium incidit, *περισσολογία* dicitur. *Gell.* 3, 1. Circumlocutione quadam poetica uti. *Arnob.* 6. *f.* Dicere aliquid sine ullis circumlocutionibus.

CIRCUMLOQUOR, ĕris, utus sum, dep. 3. *κυκλολογέω*, *περιφράζω*, circumlocutione utor in loquendo. *Auson. ep.* 6, 7. Possem absolute dicere: Sed dulcius circumloquar, Diuque fando perfruar. *Id. ep.* 146. *ad notarium:* proloquor Circumloquentis ambitu.

CIRCUMLŪCENS, entis, part. ab inusit. *circumluco*, *περιλαμπής*. Translate *Sen. Cons.* ad *Marc.* 2. *f.* Ipsam magnitudinis fraternae nimis circumlucentem fortunam exosa.

CIRCUMLŪO, is, a. 3. circum alluo, *περιλούζω*. *Tac. H.* 4, 12. Rhenus amnis tergum et latera circumluit. *Liv.* 25, 11. Mari in paeninsulae modum major pars circumluitur.

[CIRCUMLUSTRO, as, a. 1. circumeo, peragro. *Lucr.* 5, 1435. At vigiles mundi magnum et versatile templum Sol, et Luna suo lustrantes lumine circum. Tmesis est. *F.*]

CIRCUMLŪVĬO, onis, f. actus circumluendi, *περιλυσμός*. *Cic. Or.* 1, 38. Jura alluvionum, et circumluvionum. *Fest.* appellat *circumluvium.* V. ALLUVIO.

CIRCUMLŪVĬUM. V. v. praec. et ALLUVIUM.

CIRCUMMĒO, as, n. 1. circumeo, circum vagor. *Tert. Pall.* 1. Proh quantum circummeavit! a Pelasgis ad Lydos, a Lydis ad Romanos. *Mela* 3, 7. Insula habitatur, nec quisquam circummeasse traditur.

CIRCUMMĒTĬOR, iris, com. 4. Passiva significatione *Vitr.* 4, 4. Si duae columnae aeque crassae lineis circummetientur.

CIRCUMMINGO, is, ixi, n. 3. *διουρέω*. *Petr. fr. Trag.* 57. *Burm.* Si circumminxerit illum, nesciet, qua fugiat. Et *ib.* 62. Circumminxit vestimenta sua, et subito lupus factus est.

CIRCUMMISSUS, a, um, part. a *circummitto. Liv.* 36, 14. *f.* Tribunus cum duorum signorum militibus circummissus. *Caes. B. G.* 5, 49. Praeconibus circummissis, pronunciari jubens etc. *Liv.* 2, 50. *f.* Jugo circummissus Vejens in verticem collis evasit.

CIRCUMMITTO, is, isi, issum, a. 3. *περιπέμπω*. *Liv.* 4, 18. Qui inter dimicationem castra Romana aggrederentur, post montes circummisit. *Caes. B. G.* 7, 63. Legationes in omnes partes circummittere.

CIRCUMMOENIO. V. CIRCUMMUNIO.

CIRCUMMULCENS, entis, part. ab inusit. *circummulceo. Plin.* 28, 3, 6. In dolium serpentium conjectus experimenti causa, circummulcentibus linguis miraculum praebuit.

CIRCUMMUNIO, is, ivi, itum, a. 4. *περιφράττω*, *Colum.* 5, 10. Locum pomarii circummunire macerris oportet. ℙ Item operibus et munitionibus includere obsidendi causa. *Caes. B. C.* 1, 18. *f.* Oppidum vallo castellisque circummunire. Adde *Hirt. B. Afr.* 79. et 80. et *Auct. B. Hisp.* 38. ℙ Dicitur etiam *circummoenio*, quasi moenibus includo. *Pl. Capt.* 2, 2, 4. Ita vinclis, custodiisque circummoeniti sumus.

CIRCUMMUNĪTĬO, onis, f. *περίφραγμα*, septum, munitio alicui rei circumdata includendi atque obsidendi causa. *Caes. B. C.* 1, 19. *f.* id ne fieri posset, obsidione, atque oppidi circummunitione fiebat. *Auct. B. Hisp.* 38. *f.* Circummunitiones in jugo dirigere.

CIRCUMMUNĪTUS, a, um, part. a *circummunio*, munitione septus, *περίφραχτος*. *Colum.* 5, 4. Vites defixis arundinibus circummunitae. ℙ Item operibus et munitionibus circumdatus et inclusus. *Caes. B. G.* 2, 30. Vallo, crebrisque castellis circummuniti, oppido sese continebant. *Id. B. C.* 1, 84. Nunc vero paene ut feminas circummunitos prohiberi aqua, prohiberi ingressu. Adde *Auct. B. Hisp.* 34.

[CIRCUMMŪRĀLE, is, n. munitio, quae circa muros oppidorum, seu castrorum vallo fossaque constans fieri solet. *Hieron.* in *Isaj.* 8, 26, 1. Hic murus, et hoc antemurale, sive circummurale de vivis lapidibus exstruitur. *F.*]

CIRCUMMŪRĀNUS, a, um, adj. qui circum muros est. *Ammian.* 14, 6. Populus R. annis ferme trecentis circummurana pertulit bella. Adde 21, 13.

CIRCUMNASCENS, entis, part. ab inusit. *circumnascor*, *περιφυόμενος*. *Plin.* 2, 103, 106. Lacus Sinnaus in Asia circumnascente absynthio inficitur.

CIRCUMNĀVIGO, as, a. 1. *Vell.* 2, 106. Classis, quae Oceani circumnavigaverat sinus.

CIRCUMNĔCTO, is, ere, a. 3. *περιπλέκω*. *Sen. Q. N.* 1, 2. Fulgor, qui sidera circumnectit. *Lactant. de Opif. Dei* 14. Tenuis membrana, qua circumnectitur alvus ac tegitur.

CIRCUMNEXUS, a, um, part. a *circumnecto*, circumdatus. *Ammian.* 19, 7. Elephanti flammis conjectis undique circumnexi.

CIRCUMNOTĀTUS, a, um, part. ab inusit. *circumnoto. Appul. Met.* 11. Humeris dependebat pone tergum pretiosa chlamyda: quaqua tamen viseres, colere vario circumnotatis insignibar animalibus, *h. e.* circum pictis.

CIRCUMOBRŬO, is, a. 3. *περικαλύπτω*, circumtego. *Plin.* 19, 5, 26. *n.* 4. *de raphano:* Incipiente incremento, confert alterna folia circumobruere.

CIRCUMOFFĪGO, is, a. 3. *περιπήγνυμι. Cato R. R.* 48. Eam terram complanato, furcas circumoffigito. ℙ Legitur et divisim *circum offigo.*

CIRCUMPACTUS. V. CIRCUMFARTUS.

CIRCUMPADĀNUS, a, um, adj. qui est circum Padum. *Liv.* 21, 35. Circumpadani campi. *Plin.* 8, 48, 73. Circumpadanae lanae.

CIRCUMPĀVĪTUS, a, um, part. ab inusit. *circumpavio. Plin.* 12, 14, 32. Ubi loci natura poscat, tegete palmea excipiente, aliubi area circumpavita.

CIRCUMPĔDES, um, m. plur. servi, qui circa pedes, hoc est circa dominum adstant, eumque sectantur. *Cic. Verr.* 2, 1, 36. Servos artifices pupilli cum haberet domi, circumpedes autem homines formosos, et litteratos, suos esse dicebat. Ita *Aldus*, et alii. At *Nauger.*, *Gruter.* et alii *circum pedes* divisim edidere, quod sane rectius est. [**Ita Orell.*]

CIRCUMPENDENS, entis, part. ab inusit. *circumpendeo.* [**Ov. Fast.* 2, 529. Inque foro, multa circumpendente tabella, Signatur certa curia quaeque nota.] *Curt.* 8, 9. Aurea lectica, circumpendentibus margaritis recubare.

CIRCUMPLAUDO, is, a. 3. *Ov. Trist.* 4, 2, 49. Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum.

CIRCUMPLECTO, is, a. 3. idem quod circumplector. *Cato R. R.* 21. Foramina ubi feceris, laminis circumplectito. *Pl. Asin.* 3, 3, 106. Meum collum circumplecte.

CIRCUMPLECTOR, eris, exus sum, dep. 3. *περιβάλλω*, *ἐμπέχω*, circum complector. *Plin.* 19, 4, 22. Arbor crassitudinis, quam circumplecti nemo possit. ℙ Item cingere, circumdare. *Cic. Univ.* 7. *f.* Eoque motu undique est eas circumplexus. *Id. Phil.* 13, 5. Domini patrimonium circumplexus, quasi thesaurum draco. *Cels. B. G.* 7, 83. Collem opere circumplecti. *Virg. A.* 5, 312. *de pharetra*: lato quam circumplectitur auro Balteus. ℙ Translate *Gell.* 10, 3. Animum hercle meum, cum illa M. Ciceronis lego, imago quaedam, et sonus verborum et vocum et ejulationum circumplectitur.

CIRCUMPLEXUS, a, um, part. V. CIRCUMPLECTOR et adde *Auct. B. Hisp.* 32. et *Gell.* 13, 14. [**Suet. Tib.* 6. Flamma omnem comitatum circumplexa. *Id. Dom.* 6. Statuam ejus Romae insignis aquila circumplexa pennis.] ℙ Passive *Gell.* 15, 1. *f.* Turris lignea ex omni latere circumplexa igni. Adde *Appul. de Doctr. Plat.* 1.

CIRCUMPLEXUS, us, m. *περιπλοκή*. *Plin.* 8, 11, 11. Dracones circumplexu facili ambiunt elephantos. *Id.* 10, 63, 83. Lacertae circumplexu venerem novere.

CIRCUMPLĪCĀTUS, a, um, part a *circumplico*, circumnexus, circumdatus. *Cic. Div.* 1, 24. Belua vasta et immanis, circumplicata serpentibus. *Id. ib.* 36. Puer circumplicatus serpentibus.

CIRCUMPLĪCO, as, a. 1. *περιπλέω*, *περιειλέω*, circumvolvo. *Cic. Div.* 2, 28. Tum esset ostentum, si anguem vectis circumplicavisset. *Gell.* 17, 9. Circumplicare lorum surculo. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 272. Barbam rigentem dum Jovis circumplicat. *Lact. de Opif. Dei* 12. Circumplicantur sicut arietis cornua.

CIRCUMPLUMBO, as, a. 1. *Cato R. R.* 20. Modiolos oleaginos facito: eos circumplumbato, *h. e.* plumbo offigito, firmato.

CIRCUMPONO, is, osui, itum, a. 3. *περιτίθημι. Hor. Sat.* 2, 4, 75. Piper catillis circumponere. *Tac. A.* 14, 15. Nemus quod navali stagno circumposuit Augustus. *Id. Hist.* 2, 59. Valentem, et Caecinam pro concione laudatos curuli suae circumposuit.

CIRCUMPOSĪTĬO, onis, f. *περίθεσις*. *August. ep.* 199. *ex* 1. *Timoth.* 2, 9. Auri circumpositio.

CIRCUMPOSĪTUS, a, um, part. a *circumpono*, *περιτεθείς*. *Cels.* 8, 10. *n.* 1. *f.* Ferulae fissae, circumpositaeque ossa in sua sede continent. *Suet. Caes.* 30. Circumpositis armatis causam dicere.

CIRCUMPOTĀTĬO, onis, f. *συμποσία*, *συμπόσιον*. *Cic. Leg.* 2, 24. Omnisque circumpotatio tollitur. Alii leg. *circumportatio*, quod recte defendit *Goerenzius* ad *Cic. l. c.* [**Minime! Vide, quos laudat ad h.l. Orell.* qui ipse *circumpotatio* exhibet.]

CIRCUMPROJĬCĬO, is, a. 3. circumspergo. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 37.

CIRCUMPULSO, as, a. 1. *Stat. Theb.* 8, 228. Et lituis aures circumpulsantur acutis. ℙ Legitur et *circum pulsantur* divisim.

CIRCUMPURGO, as, a. 1. *περικαθαίρω*. *Cels.* 5, 28. *n.* 14. Clavus pedis tollitur, si quis eum circumpurgat, deinde imponit resinam.

*CIRCUMPURPURĀTUS, a, um, adj. *Vet. Interp. Iren.* 1, 9. Mulieres, quae honestae sunt et circumpurpuratae. *B. A.*

*CIRCUMPŪTĀTUS, a, um, part. ab inus. *circumputo*, circumactus, circum dimensus. *Auct. Itiner. Hex. M.* (ed. *A. Maio*) 114. Uti circumputato Oceano comperta nunciarent. *B. A.*

CIRCUMQUĀQUE, adv. *πέρι*, idem quod circa, vel circum undique. *Aurel. Vict. de orig. Gentis R.* 17. *f.* Coloniae deductae sunt Praeneste, Tibur, Gabii, ceteraque oppida circumquaque. [**Cic. N. D.* 2, 16, 44. Quod eorum motus in orbem circumquaque ferretur. Ita leg. *Heindf.* ex ed. *Glog.* et *Red.* compar. Gr. *κύκλῳ πέρι*. *Orell.* tamen circumque.]

CIRCUMRĀDO, is, si, sum, a. 3. *περιξύω*. *Cels.* 7, 12. *n.* 2. Tonsillas circumradere, et evellere.

CIRCUMRAPTUS, a, um, part. a *circumrapio*, circum raptatus. *Plin.* 29, 4, 26. Vespertilio ovilibus circumraptus toties etc.

CIRCUMRĀSĬO, onis, f. actus circumradendi. *Plin.* 17, 26, 39. Circumrasio corticis.

CIRCUMRĀSUS, a, um, partic. a *circumrado. Colum.* 4, 29. *med.* Sarmentum quam recentissimum, et leviter circumrasum.

CIRCUMRĒTĬO, is, a. 3. circum irretio, rete implico, involvo, *περιπλέκω*, *ἐνδεσμέω*. Translate *Lucret.* 5, 1151. Circumretit enim vis, atque injuria quemque. *Sidon ep.* 5, 13. Flexuosa calumniarum fraude circumretire aliquem.

CIRCUMRĒTĪTUS, a, um, part. a *circumretio*, *περιπλακείς*. *Arnob.* 5, 186. Martem, et Venerem Vulcani esse circumretitos arte. Adde 4. p. 151. ℙ Translate *Cic. Verr.* 2, 5, 58. Cum te implicatum severitae judicum, circumretitum frequentia populi R. esse videam.

CIRCUMRĪGŪUS, a, um, adj. qui circum irrigatur. *Prop.* 1, 20, 37. Et circumriguo surgebant lilia prato. ℙ Possis etiam divisim scribere *circum riguo.*

CIRCUMRODO, is, osi, osum, a. 3. *περιβρώσχω*. *Plin.* 32, 2, 5. Polypus hamum brachiis complectitur, nec prius dimittit, quam escam circumroserit. ℙ Allegorice *Cic. Att.* 4, 5. Quid? etiam (dudum enim circumrodo, quod devorandum est) subturpicula mihi videbatur esse *παλινῳδία*. ℙ Metaphorice *Hor. Ep.* 1, 18, 82. Dente Theonino cum circumroditur, *h. e.* laceratur, maledico dente carpitur.

CIRCUMRORANS, antis, part. ab inusit. *circumroro*, leviter circum aspergens. *Appul. Met.* 11. Sueto lavacro purissime circumrorans abluit.

CIRCUMRŌTO, as, a. 1. in gyrum moveo. *Appul. Met.* 9. Circumrotare machinas, *h. e.* versare molas. *Caes. Germ. fragm.* 3. coeli circumrotat orbem.

CIRCUMRŌTUNTĀTĬO, onis, f. circumductio. *Vitr.* 3. *f.* Ut acumen normae circumrotundatione tangendo pervagari possit.

CIRCUMSALTANS, antis, part. ab inusit. *circum-*

salto, qui circum saltat, *περιορχούμενος*. *Prud. adv. Symmach.* 135. Hoc circumsaltante choro.

CIRCUMSARRIO, is, a. 4. *Cato R. R.* 114. Earum radices circumsarrito, et purgato. Ita *Aldus* 1514. Alii rectius *circumsecato*.

CIRCUMSCALPTUS, a, um, part. ab inusit. *περιχνιζόμενος*. *Plin.* 20, 5, 15. Radice pastinacae circumscalpti dentes dolore liberantur.

CIRCUMSCĂRIFĬCĂTUS, a, um, part. ab inusit. *circumscarifico*, *περιαυξόμενος*. *Plin.* 22, 23, 49. Pedum clavi circumscarificati ferro. *Id.* 30, 3, 8. Circumscarificatus dens. Al. leg. *circumscarifatus*. V. SCARIFICO.

CIRCUMSCINDO, is, a. 3. *καταῤῥήγνυμι*. *Liv.* 2, 55. Quo ferocius clamitabat, eo infestius circumscindere, et spoliare lictor.

CIRCUMSCRĪBO, is, ipsi, iptum, a. 3. *περιγράφω*. *Cic. Phil.* 8, 8. Virgula stantem circumscripsit, *h. e.* circulum circa illum descripsit. [*Cf. *Liv.* 45, 12. *Cic. Arch.* 11. Et si, quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas.] *Id. Fin.* 5, 8. Circumscribere orbem. *Quint.* 10, 2. lineas. *Colum.* 6, 5. Aenea subula pars auriculae circumscribitur, ita ut manante sanguine, tanquam O litterae ductus appareat orbiculus. *Plin.* 25, 5, 21. Helleborum primum gladio circumscribitur: deinde qui succisurus est, ortum spectat. ℙ Translate varios habet usus. Aliquando enim significat definire, describere. *Cic. Sext.* 45. Sed genus universum, ut tollatur error, brevi circumscribi, et definiri potest. *Gell.* 4, 1. Si ego te nunc rogem, uti mihi dicas, et quasi circumscribas verbis, quid homo sit. *Justin.* 39, 2. Templo Jovis solidum ex auro Victoriae signum tolli jubet, facetis jocis sacrilegium circumscribens. Nam Victoriam commodatam sibi ab Jove esse dicebat. ℙ Item terminare, praefinire. *Cic. Rabir. perd.* 10. Exiguum nobis vitae curriculum natura circumscripsit. *Id. Or.* 1, 16. Orator nullis terminis circumscribit, aut definit jus suum. *Id. Parad.* 2. *med.* Circumscribere alicui locum habitandi. *Plin.* 22, 2, 3. luxuriam vilitate, *h. e.* terminos luxuriae constituere. ℙ Item in angustum redigere, angustis terminis concludere. *Sen. ep.* 15. Circumscribe corpus tuum, et animo locum laxa. Et *Consol. ad Helv.* 17. Ejus laudes tam parce transcurrere, circumscribere est. *Colum.* 1, 1. Diophanes Bithynius Dionysium per multa diffusam volumina, sex epitomis circumscripsit, *h. e.* ad sex libros redegit, ut est ap. *Varr. R. R.* 1, 1. *f.* ℙ Et cingere, complecti. *Gell.* 12, 13. Oceanus undique circumscribit omnes terras atque ambit. ℙ Et comprehendere, concipere. *Cic. Or.* 59. Ante circumscribitur mente sententia, confestimque verba concurrunt. ℙ Et coercere, cohibere. *Senec. ep.* 108. *med.* Circumscribere gulam et ventrem. ℙ Item in ordinem cogere, impedire, ac veluti illigare, ne potestate sua uti quis possit. *Cic. Att.* 7, 9. Si tribunus plebis notatus, aut senatusconsulto circumscriptus, aut sublatus, aut expulsus sit. *Id. Mil.* 33. Senatus, credo, praetorem eum circumscripsisset. *Id. Phil.* 13, 9. Parata de circumscribendo adolescente sententia consularis, *h. e.* impediendo, prohibendo, ne rempublicam administret. Adde *Caes. B. C.* 1, 32. ℙ Illud quoque huc pertinet *Cic. Verr.* 2, 2, 61. Itaque uno genere, opinor, circumscribere habetis in animo genus hoc aratorum, quod eos infenso animo venisse dicatis, *h. e.* prohibere, impedire, ne testimonium dicant. ℙ *Plin.* 33, 3, 14. Parricidio suo etiam rempublicam circumscripsit, *h. e.* damnavit, et infamem reddidit: ducta loquendi ratione a circumscribendis magistratibus: ii enim infamia quadam notantur, cum rempublicam gerere impediuntur. ℙ Hinc interdum accipitur pro removere, abjicere, tollere. Nam magistratus cum circumscribitur, a republica removetur. *Cic. Verr.* 2, 1, 16. Quamobrem, hoc omni tempore Sullano ex accusatione circumscripto, legationem ejus praeclaram cognoscite. Ubi *Ascon.* sublato, circumducto, ac praetermisso. *Id. Fin.* 3, 9. Circumscriptis igitur iis sententiis, quas posui, relinquitur, ut etc. ℙ Eleganter adhibetur pro decipere, fallere, captare. *Cic. Acad.* 4, 15. Fallacibus et captiosis interrogationibus circumscribere atque decipere aliquem. *Plin.* 7, 40, 41. Vana mortalitas, et ad circumscribendum se ipsam ingeniosa. Adde *Sen. Q. N.* 5, 1. et *ep.* 82. *f.* ℙ Specialiter dicitur de iis, qui dolo aliquem defraudant per fallacias forentes. V. CIRCUMSCRIPTIO. *Cic. Phil.* 14, 3. Testamenta subjiciunt aut ejiciunt vicinos aut adolescentulos circumscribunt. *Id. Rosc. Com.* 8. Dic nunc, te ab Roscio HS. IↃↃↃ circumscriptum esse. *Juven.* 10, 222. Quot Basilus socios, quod circumscripserit Hirrus Pupillos. Adde 14, 237. ℙ *Circumscribere vectigalia* ap. *Quint. Decl.* 340. et 341. est fraudare, imminuere. ℙ *Circumscribere testamentum* aut *legem* est dolose interpretari, vel eludere: ut si servos quidem verba testamento aut legis, voluntati autem legislatoris aut testatoris vel adverseris, vel non attendas. *Plin. ep.* 8, 18. Atque ita circumscripto testamento, emancipatam filiam adoptionis fraude revocaverat. *Paul. Dig.* 4, 3, 18. *f.* Ne aliter observantibus lex circumscribatur. *Front. Aquaed.* 112. Circumscribere saluberrimas constitutiones. *Lactant. de ira Dei* 8. leges publicas. ℙ *Circumscribi* pro minui aut cessare usurpatur aliquoties a *Coel. Aurel.*, ut *Acut.* 2, 10. *f.* Haec cito circumscribuntur, et is qui patitur, facile resurgit. Et *Tard.* 5, 10. Rigor corporis atque tremor circumscribitur. Et *ib.* Febres illico solvuntur et gravedo circumscribitur.

CIRCUMSCRIPTE, adv. circumscribendo, *διωρισμένως*. *Cic. N. D.* 2, 59. Singulas res definire circumscripteque complecti, *h. e.* suis quasque finibus concludendo et unam ab altera distinguendo. *Id. Or.* 66. Circumscripte numeroseque dicere per periodos, quae sunt certae et distinctae comprehensiones verborum, suis quaeque clausulis terminatae. Nam periodus appellatur etiam *circumscriptio* ab *eod. ib.* 61. et *circumscriptus verborum ambitus*, 12. ℙ Item summatim, contracte. *Lact.* 5, 14. Volo prius circumscripte et breviter, quid sit, ostendere. Adde *ib.* 9.

CIRCUMSCRIPTĬO, onis, f. *περιγραφή*, actus circumscribendi, scriptura aut signum in circuitu factum. *Cic. Phil.* 9, 8. Virgula stantem circumscripsit dixitque, se non ante renunciaturum senatui, nisi prius respondisset, quam ex illa circumscriptione excederet. ℙ Item limitatio, finis in circuitu positus. *Id. Tusc.* 1, 20. Cum totam terram contueri licebit, ejusque situm, formam, circumscriptionem. *Id. N. D.* 1, 9. Aeternitas, quam nulla temporum circumscriptio metitur. *Arnob.* 2, 93. In utero matris corporeae formam circumscriptionis accepit. ℙ Dicitur etiam de certa ac finita comprehensione verborum, quae Graeco nomine periodus appellatur. *Id. Brut.* 8. *f.* Ipsa enim natura circumscriptione quadam verborum comprehendit concluditque sententiam. *Id. Or.* 61. Circuitus ille orationis, quem Graeci *περίοδον*, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem aut continuationem aut circumscriptionem dicimus. ℙ Est etiam *circumscriptio*, quam quidam inter figuras rhetoricas posuerunt, negat autem *Quint.* figuram esse; sive (inquit 9, 3.) hoc nomine significetur comprehensa breviter sententia sive finitio. Al. leg. *circumitio* pro *circumscriptio*. ℙ Praeterea saepe ponitur pro deceptione ac fraude, et proprie dicitur de dolo, quo quis alterum per forenses insidias scripto callidiore capit, ut *Quint. Decl.* 301. loquitur. De ea ita *Sen. Excerpt. Contr.* 6, 3. Circumscriptio semper crimen sub specie legis involvit: quod apparet in illa, legitimum est: quod latet, insidiosum. *Cic. Cluent.* 16. Cum omnis ab his fraus, omnes insidiae circumscriptionesque adolescentium nascerentur. *Id. Fl.* 30. Praediorum proscriptiones cum mulierculis aperta circumscriptione facere. *Sen. Ira* 2, 9. Circumscriptiones, furta, fraudes, inficiationes, quibus trina non sufficiunt fora. Adde *ib.* 3, 2. et *Cic. Off.* 3, 15. ℙ Universim pro captione, et deceptione quacumque. *Sen. ep.* 82. *f.* Quem mortalium circumscriptiones vestrae fortiorem facere, quem erectiorem possunt? *h. e.* sophismata, et cavillationes dialecticae. *Tert. Patient.* 5. Diaboli circumscriptio.

CIRCUMSCRIPTOR, oris, m. *περιγραφεύς*, qui circumscribit: et speciatim qui decipit et fraudat: ea ratione, qua dictum est in v. praec. *Cic. Cat.* 2, 4. Quis testamentorum subjector, quis circumscriptor, etc. *Juven.* 15, 135. pupillum ad jura vocantem Circumscriptorem. *Tert. adv. Marc.* 2, 7. diabolum vocat *circumscriptorem colubrum*. ℙ Item qui removet, tollit, abrogat. *Tert. adv. Marc.* 1, 27. Sententiae suae circumscriptor.

CIRCUMSCIPTUS, a, um, part. a *circumscribo*, *περίγραπτος*, circum inscriptus, aut notatus. *Plin.* 21, 7, 19. Iris circumscripta mucrone gladii orbe triplici. *Id.* 23, 6, 54. Radix eorum, circumscripta terra, manu sinistra capitur. ℙ Translate est terminatus, limitatus, finibus conclusus. *Cic Or.* 2, 16. Assumamus eam quoque partem, sed ita, ut sit circumscripta modicis regionibus. *Id. Or.* 1, 12. Certarum rerum forensibus cancellis circumscripta scientia. *Id. Phil.* 6, 3. Ille se fluvio Rubicone CC mill. circumscriptum esse patiatur? *Gell.* 7, 3. Hominum vita iniquis et indomitis necessitatibus circumscripta, *h. e.* cincta, circumdata, obsessa. *Petr. Sat.* 119. ut fuga mobilis aevi Circumscripta mora properantes differat annos, *h. e.* constricta, ligata, impedita. ℙ Circumscripti verborum ambitus ap. *Cic. Orat.* 12. sunt periodi. V. CIRCUMSCRIPTE et CIRCUMSCRIPTIO. ℙ Item pressus, in angustum redactus, brevis. *Plin. ep.* 1, 16. In concionibus eadem, quae in orationibus vis est; pressior tamen, et circumscriptior, et adductior. ℙ Item deceptus, fraudatus. *Petr. Sat.* 112. Miles circumscriptus, dum residet. *Ulp. Dig.* 4, 3, 7. Minor annis vigintiquinque consilio servi circumscriptus. ℙ Item sublatus, praetermissus. *Cic. Verr.* 2, 1, 16. Alia huc pertinentia v. in CIRCUMSCRIBO.

CIRCUMSĔCO, as, a. 1. *περικόπτω*, circumcido. *Cic. Cluent.* 64. Serrula circumsecare aliquid. *Colum.* 6, 6. Circumsecare ungulas. *Id.* 7, 5. *circumsecare* primum, deinde *circumcidere* de eadem re dixit. *Cato R. R.* 114. Vitium radices circumsecato.

CIRCUMSECTUS, a, um, part. a *circumseco*, *περικοφθείς*. *Scrib. Comp.* 229. Circumsecta aluta. *Suet. Dom.* 12. Cum a procuratore inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset. De Judaeis loquitur.

CIRCUMSĔCUS, adv. *ἀμφὶ, περὶ*, circumcirca, circum undique. Adverbium est ea ratione conflatum, qua *altrinsecus*, *forinsecus*, etc. *Appul. Met.* 2. Nos omnes circumsecus adstantes; et *ib.* 5. Circumsecus venari; et *ib.* 11. Navis picturis miris circumsecus variegata.

CIRCUMSĔDĔO, es, ēdi, essum, n. 2. *περικάθημαι*, circa aliquem sedeo. *Sen. ep.* 9. Florentes amicorum turba circumsedet: circa eversos ingens solitudo est. ℙ Frequenter est obsidere. *Cic. Phil.* 7, 8. Qui Mutinam circumsedent. *Id. Att.* 15, 10. Circumsedemur omnibus copiis. *Id. Phil.* 10, 4. *f.* Vallo circumsedere aliquem. *Liv.* 25, 13. Cum consules circumsessuri Capuam viderentur. *Val. Max.* 3, 8. *n.* 5. Circumsedere Curiam militibus. Adde *Liv.* 9, 2. ℙ Scribitur et *circumsideo*. ℙ *Circumsido*, *is*, eandem habet significationem. *Liv.* 36, 13. Inde Pellinaeum circumsidunt, et priusquam oppugnarent, etc. Adde 9, 21. *f.* et *Tac. A.* 1, 70. et *ib.* 3, 38. *f.* [*4, 24.] et *ib.* 15, 5. ℙ Part. *Circumsedens* ap. *Appul. Met.* 3. Inter tot millia populi circumsedentis.

CIRCUMSĔPĬO, is, a. 4. *περικλείω*. *Liv.* 1, 49. Armatis corpus circumsepsit. *Prud. Psych.* 753. Barbaries circumsepserat urbis indigenas.

CIRCUMSEPTUS, a, um, part. a *circumsepio*, circum clausus, *περικλειθείς*. *Paul. Dig.* 41, 2, 3. *med.* Ferae, quae in silvis circumseptis evagantur. *Auct. ep. ad Octav.* Cohortibus armatis circumseptus senatus. *Suet. Ner.* 31. Stagnum maris instar, circumseptum aedificiis ad urbium speciem. *Colum.* 1, 6. Loca aestiva pecoribus sub dio parietibus altis circumsepta.

CIRCUMSĔQUENS, entis, part. ab inusit. *circumsequor*, qui circumsequitur, *περιεπόμενος*. *Appul. Met.* 3. *sub init.* Inter tot millia populi circumsequentis. Ita *Scioppius:* plerique alii leg. *Circumsedentis.*

CIRCUMSĔRO, is, a. 3. *περιφυτεύω*. *Plin.* 21, 12, 42. Genistas circumseri alveariis gratissimum.

CIRCUMSESSĬO, onis, f. *περιέδρευσις*, obsessio. *Cic. Verr.* 2, 1, 33. Quid si planum facio, te hujus circumsessionis tuae causam in alios transtulisse?

CIRCUMSESSUS, a, um, part. a *circumsedeo*, circumsedentibus vel circumstantibus circumdatus. *Cic. Cat.* 4, 2. Nec ego sum ille ferreus, qui non movear horum omnium lacrimis, a quibus me circumsessum videtis. ℙ Item cinctus, obsessus. *Id. Phil.* 12, 10. Circumsessus lectis valentissimorum hominum viribus. *Liv.* 3, 4. Castra circumsessa, atque oppugnata. [**Tac. A.* 4, 36. Quam (libertatem) bello Mithridatis meruerant circumsessi.]

CIRCUMSIDĔO. } V. CIRCUMSEDEO.
CIRCUMSIDO. }

CIRCUMSIGNO, as, a. 1. *κύκλῳ σημειῶ*. *Colum.* 5, 11. Gemmam duobus digitis quadratis circumsignato. Adde *Pall.* 7, 5.

CIRCUMSĬLĬO, is, n. 4. *περιορχοῦμαι*. *Catull.* 3, 9. de passere: Sed circumsiliens modo huc, modo illuc, Ad solam dominam usque pipilabat ℙ Translate *Juven.* 10, 218. circumsilit agmine facto Morborum omne genus.

CIRCUMSISTO, is, n. 3. *περιΐστημι*, circumsto. *Pl. Asin.* 3, 3, 28. Circumsistamus: alter hinc, hinc alter appellemus. *Id. Men.* 5, 7, 9. Quid me circumsistitis? quid rapitis me? quo fertis me? [**Virg. A.* 8, 490. Armati circumsistunt ipsumque domumque.] *Cic. Verr.* 2, 5, 54. *med.* Haec cum maxime loqueretur, sex lictores eum valentissimi circumsistunt. *Caes. B. G.* 7, 8. Quem perterriti omnes Arverni circumsistunt, atque obsecrant, ut, etc. *Id. B. C.* 1, 20. Domitium productum in publicum circumsistunt et custodiunt. *Id. ib.* 2, 42. Cn. Domitius cum paucis equitibus circumsistens. *Id. B. G.* 3, 15. Cum singulas binae, aut ternae naves circumsisterent. *Tac. H.* 2, 41. *f.* Circumsistere signa. [**Id. A.* 1, 27. Circumsistunt digredientem rogitantes. Adde *ib.* 5, 4. 6, 34. *Id. ib.* 14, 8. Circumsistunt lectum percussores. *Id. H.* 1, 82. Illum Tribuni Centurionesque circumsistunt. *Id. ib.* 2, 78. Ceteri audentius circumsistere. *Curt.* 7, 5. At illi simulatione emissa circumsistunt eum.] ℙ Passive. *Caes. B. G.* 7, 43. Ne ab omnibus civitatibus circumsisteretur, *h. e.* obsideretur. *Appul. de Dogm. Plat.* 2. Fortitudo circumsistitur hinc audacia, inde timiditate. ℙ *Valla elegantiar. l.* 5. *c.* 49. hoc statuit discrimen inter *circumsto*, et *circumsisto*, quod illud pro circumdare simpliciter ponatur, hoc pro invadere, irruere, et quasi terrificatione aggredi. Sed ipse quoque fatetur non esse perpetuum. [*Tacitus quidem, ut exempla modo allata docent, hoc discrimen servare videtur.]

CIRCUMSĬTUS, a, um, adj. circumjacens. *Ammian.* 23, 6. Antequam circumsitos populos ad ditionem traherent.

CIRCUMSŌNANS, antis, part. a *circumsono*, *περιηχῶν*, qui circumsonat. *Liv.* 27, 18. *med.* Circumsonans undique clamor. *Vitr.* 5, 8. *f.* Circumsonantes loci sunt, in quibus circumvagando coacta vox, se solvens in medio, sine extremis casibus sonans, ibi exstinguitur, incerta verborum significatione.

CIRCUMSŌNO, as, n. 1. *περιηχέω*. *Cic. Off.* 3, 2. Talibus aures tuas vocibus undique circumsonare. *Liv.* 39, 10. Locus, qui circumsonat ululatibus, cantuque symphoniae, et cymbalorum, et tympanorum pulsu. Adde *Manil.* 5, 582. ℙ Cum accusativo. *Virg. A.* 8, 474. Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis, *h. e.* sonat armis, ac strepit circa murum. *Ov. Met.* 14, 507. et remos plausis circumsonat alis. *Liv.* 3, 28. Jussa miles exsequitur, clamor hostes circumsonat. Adde *Claudian. Rapt. Pros.* 2, 268. ℙ Passive. *Ov. Trist.* 3, 14, 47. Threicio, Scythicoque fere circumsonor ore, *h. e.* qui circa me sunt, Thracia, et Scythica lingua loquuntur. Et *ib.* 4, 10, 111. finitimis quamvis circumsoner armis, *h. e.* obtundar strepitu armorum. Adde *ib.* 5, 3, 11. [*Etiam *Beier.* in loco *Cic.* modo allato correxit *circumsonari*, quae est lectio admodum memorabilis *cd. Bern. c.* ap. *Orell.*, qui *Vulg.* retinet, coll. *Cic. Fam.* 6, 18, 4. Personare aures ejus hujusmodi vocibus non est inutile.]

CIRCUMSŌNUS, a, um, adj. circumsonans. *Ov. Met.* 4, 723. quem turba canum circumsona terret. ℙ Passive *Stat. Theb.* 7, 261. Dionaeisque avibus circumsona Thisbe.

CIRCUMSPARGO. V. CIRCUMSPERGO.

CIRCUMSPECTĀTRIX, icis, f. quae circumspectat. *Pl. Aul.* 1, 1, 1. Exeundum hercle tibi hinc est foras, circumspectatrix cum oculis emissiciis. *Appul. Apol.* Improba juvenum circumspectatrix.

CIRCUMSPECTĒ, adv. *περιεσκεμμένως, ἀκριβῶς*, cum circumspectione, caute, accurate. *Quint.* 9, 2. *a med* Hoc parcius et circumspectius faciendum. *Gell.* 9, 10. Satis circumspecte facti versus. *Senec. Benef.* 3, 14. Circumspectius donare, circumspectius eligere eos, in quos merita conferantur. ℙ *Circumspecte indutus* dicitur, qui multam adhibet curam, ut apte ornateque vestitus sit. *Gell.* 1, 5. Multa munditia, et circumspecte compositeque indutus. *Ammian.* 27, 3. Procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas; etc. *Vales.* ad *ejusd. Ammiani* 14, 6. exponit *circumspecte*, cum admiratione circumspicientium: qua ratione *circumspectus* ab *Ammian.* sumitur, ut *ib.* dicetur.

CIRCUMSPECTĬO, onis, f. *περισκόπευσις*, accurata consideratio. *Cic. Acad.* 4, 11. Sin ex circumspectione aliqua, et accurata consideratione id se dicent sequi etc. ℙ Proprie *Macr. Somn. Scip.* 1, 15. *a med.* Sibi horizontem facit circumspectio singulorum.

CIRCUMSPECTO, as, a. 1. *περισκέπτομαι*. *Cic. N. D.* 2, 49. *in f.* Bestiae in pastu circumspectant. *Pl. Pseud.* 4, 1, 8. Hem te hercle ego circumspectabam: nimis metuebam, ne abiisses. *Id. Trin.* 4, 2, 21. Circumspectare sese, [*i. e. habitum suum circumquaque adspicere.] *Liv.* 2, 10. Cunctati aliquandiu sunt, dum alius alium, ut proelium ineant, circumspectant. [**Tac. H.* 2, 29. Igitur torpere cuncti, circumspectare inter se adtoniti.] *Ter. Eun.* 3, 5, 54. Simul alia circumspecto, satin' explorata sint. [**Id. ib.* 2, 2, 60. Nescio quid circumspectat.] ℙ Diligenter advertere, considerare. *Cic. Tusc.* 1, 30. Dubitans, circumspectans, haesitans. *Tac. H.* 2, 74. At Vespasianus bellum, armaque, et procul, vel juxta sitas vires circumspectare. *Sil.* 15, 7. Anxia turba Patrum quasso medicamina moesti Imperio circumspectant, *h. e.* quaeritant, circumspiciunt, si forte videant, qui imperio medeatur. ℙ De iis, qui suspiciosi sunt. *Cic. Pis.* 41. Circumspectans omnia: quidquid increpuerit, pertimescens. *Sall. Jug.* 75. Circumspectare omnia, et omni strepitu pavescere. Adde *Plin.* 8, 4, 5. [*Ita passive ap. *Tac. A.* 4, 69. Etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur. Hinc idem, quod *timere, reformidare* ap. *eund. Hist.* 1, 55. Nihil ultra fremitum et minas ausae, initium erumpendi circumspectabant.]

CIRCUMSPECTUS, a, um, part. a *circumspicio*, *περισκεπτόμενος*. *Tac. A.* 12, 35. Circumspectis, quae impenetrabilia, quaeque pervia. *Id. ib.* 13, 39. Circumspectis munimentis, et quae expugnationi idonea, provisis. ℙ Item consideratus, animadversus. *Cic. Fam.* 1, 9. *ante med.* Circumspectis rebus meis omnibus, rationibusque subductis, summam feci cogitationum mearum omnium. *Suet. Aug.* 63. Multis ac diu circumspectis conditionibus. [**Tac. A.* 14, 33. Circumspecta infrequentia militis, satisque magnis documentis temeritatem Petilii coercitam, unius oppidi damno servare universa statuit. *Ov. Met.* 5, 171. Non circumspectis exactum viribus ensem Fregit, i. e. non antea ponderatis, h. nimiis.] ℙ Active de eo qui circumspicit, et sagax ac prudens est, *περισκεμμένος*. *Colum.* 1, 8. *a med.* Nam illa solemnia sunt omnibus circumspectis, ut ergastuli mancipia recognoscant, ut explorent etc. *Cels.* 3, 9. *in f.* Est circumspecti hominis et novare interdum, et augere morbum. *Senec. Q. N.* 5, 1. *in f.* Sive aliquis circumspectior est etc. *Suet. Tib.* 21. Circumspectissimus et prudentissimus princeps. *Id. Claud.* 15. Modo circumspectus et sagax, modo inconsultus ac praeceps. *Colum.* 7, 12. Canes debent esse assidui, et circumspecti magis, quam temerarii. [**Quint. Inst.* 12, 10. p. 1091. Non cunctos illos tenues et circumspectos, vi, sublimitate, impetu, cultu, compositione superavit?] ℙ De rebus, quae circumspecte ac prudenter fiunt. [**Quint. Inst.* 10, 1. p. 885. Modeste tamen et circumspecto judicio de tantis viris pronuntiandum est.] *Ov. Fast.* 5, 539. Verba movent iras non circumspecta Deorum. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 20. Decreti circumspectissima sanctio. *Id.* 2, 1. *n.* 9. *extr.* Senectuti juventus cumulatum, et circumspectum honorem reddebat, *h. e.* cumulate et accurate senes honorabat, ita ut nihil omnino omitteret, quod ad senes colendos pertinebat. ℙ Est etiam conspicuus, spectabilis, quique circumspicientium ora, et admirationem in se convertit, *περιβλεπτος*. *Ammian.* 14, 6. Ubique Patrum reverenda cum auctoritate canities, populique R. nomen circumspectum et verecundum. *Id.* 18, 10. In municipali ordine, genere, fama potentiaque circumspectus. *Id.* 28, 4. Parietes lapidum circumspectis coloribus nitidi. ℙ Huc fortasse pertinet illud *Val. Max.* 4, 3. *n.* 4. Qua tam circumspecta animi moderatione etc., *h. e.* tam insigni, et mirabili.

CIRCUMSPECTUS, us, m. *περισκόπευσις*, circumspectio. *Plin.* 11, 37, 67. Cervix flexilis ad circumspectum. *Cic. Phil.* 12, 26. Haec ego in urbe praevideo: facilis est circumspectus, unde exeam, quo progrediar, quid ad dexteram, quid ad sinistram sit. *Ov. Trist.* 4, 6, 43. Corpore sed mens est aegro magis aegra, malique In circumspectu stat sine fine sui, *h. e.* in sui mali consideratione. *Senec. Ot. Sap.* 32. Natura in media nos sui parte constituit, et circumspectum omnium nobis dedit.

CIRCUMSPERGO, is, a. 3. *περιπάσσω*. *Plin.* 8, 1, 1. Ibi se purificantes solemniter circumspergi aqua. *Colum.* 11, 2. *post med.* Magnis arboribus quaternos modios stercoris caprini circumspergere. ℙ Reperitur etiam *circumspargo*. *Apic.* 8, 8. Impensam talem circumsparges.

CIRCUMSPICIENTIA, ae, f. actus circumspiciendi, consideratio. *Gell.* 14, 2. Multa et anxia cura et circumspicientia indigens.

CIRCUMSPICIO, is, exi, ectum, a. 3. *περισκέπτομαι, περισκοπέω*, circum aspicio. [**Ter. Andr.* 2, 2, 20. Escendo in quendam ibi excelsum locum. Circumspicio. *Quint. Inst.* 10, 3. Late circumspiciendi libertas.] *Cic. Div.* 2, 34. Nec suspicit nec circumspicit. *Pl. Most.* 2, 2, 41. Circumspice dum, numquis est, sermonem nostrum qui aucupet. *Id. Trin.* 1, 2, 109. Circumspice dum te, ne quis assit arbiter. [**Ov. Met.* 1, 605. Atque suus conjux, ubi sit, circumspicit. *Id. ib.* 11, 678. Et primo si sit circumspicit illic, Qua modo visus erat. *Virg. A.* 12, 896. Saxum circumspicit ingens, i. e. circumspiciens conspicit. *Ov. Met.* 5, 72. Oculis sub nocte natantibus atra Circumspexit Athin. *Virg. A.* 9, 416. Diversi circumspiciunt. Usitatissimum est de iis, qui vestimentis adornandis inque ordinem redigendis operam navant. *Ov. Met.* 4, 318. Nec tamen ante adiit, etsi properabat adire quam se composuit, quam circumspexit amictus. Ita etiam *Plin. ep.* 4, 11, 3. Postquam se composuit et circumspexit habitum suum.] ℙ Translate significat advertere, providere, accurate considerare, perpendere. [**Tac. H.* 2, 6. Fremere miles et vires suos circumspicere.] *Cic. Quint.* 31. Omnia circumspexit Quintius, omnia periclitatus est. *Id. Agr.* 1, 8. Ut circumspiciamus omnia, quae populo grata sunt, nihil tam populare, quam pacem reperiemus. *Id. Sull.* 25. Circumspicite paulisper mentibus vestris hosce ipsos homines, qui etc. [**Cic. Fam.* 5, 13. Circumspice omnia membra rei publicae; quae notissima sunt tibi: nullum reperies. *Ov. Met.* 2, 95. Quidquid habet dives, circumspice, mundus. *Caes. B. G.* 6, 5. Reliqua ejus consilia animo circumspiciebat. *Cic. Or.* 3, 74. Permulta sunt in causis circumspicienda, ne quid offendas. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 3. Circumspiciendum est diligenter, ut etc. [**Cic. Off.* 1, 18, 59. Haec atque talia circumspicienda sunt in omni officio, ut.] *Justin.* 31, 1. Semper taedio quietis urbanae, novas belli causas circumspicere. *Id.* 2, 12. *in f.* Circumspicientes fugam pelluntur Persae. [**Tac. A.* 14, 35.] *Sall. Or. Phil. contra Lepid.* Mithridates diem bello circumspicit, *h. e.* exspectat idoneum tempus belli gerendi. *Id. Or. Cottae ad populum.* Rempublicam cui mandetis, circumspicite. ℙ *Circumspicere aliquid* interdum est undique desiderare, expetere, conquirere. *Liv.* 1, 30. Sabini circumspicere et ipsi externa auxilia. *Plin. ep.* 3, 3. Circumspiciendus est rhetor Latinus, cujus etc. Adde *Justin.* 22, 5. [**Virg. G.* 3, 390. Plenoque alium circumspice campo, i. e. quaere alium e grege campum implente.] ℙ Absolute, interdum est solliciti, anxii, opemque alicunde quaerentis. *Cic. Rosc. Com.* 14. *ad f.* Circumspicit, aestuat. ℙ *Circumspicere se* est suas res et se ipsum considerare et expendere. *Cic. Parad.* 4. *ad f.* Nunquamne, homo amentissime, te circumspicies? nunquam nec quid facias, considerabis, nec quid loquare? [*Idem quod *sibi prospicere. B. Afr.* 47. Opereque faciendo milites se circumspiciendi non habebant facultatem.] ℙ Significat etiam se magni aestimare, sibi placere: ductum fortasse a pavonibus. *Cic. Rosc. Com.* 2. Usque eo ne te diligis et magnifice circumspicis, ut, etc.? ℙ Catachresis videtur esse in illo *Stat. Th.* 8, 14. Illum securi circumspexere fragorem Elysii. ℙ *Circumspexti* per syncop. pro *circumspexisti* legitur ap. *Ter. Adelph.* 4, 5, 55. et *circumspexe* pro *circumspexisse*, *Varr.* ap. *Non.* 2, 292. ex lectione *Scaligeri.*

CIRCUMSPĪRĀCŬLUM, i, n. *Lucr.* 6, 492. Et quasi per magni circumspiracula mundi Exitus introitusque elementis redditus exstat. ℙ Alii divisim scribunt *circum spiracula.*

CIRCUMSTAGNO, as, n. 1. *Tertull. Pudic.* 22. Lacrimae circumstagnant.

CIRCUMSTANS, antis, part. a *circumsto*, *περιϊστάμενος*, qui circumstat. *Auct. ad Herenn.* 4, 55. Si a rebus consequentibus, aut circumstantibus, non recedemus. *Quint.* 10, 3. Cum in medio foro, tot circumstantibus judiciis, jurgiis, clamoribus etc. *Curt.* 6, 10. *in f.* Unus e turba circumstantium exclamavit. [**Tac. A.* 1, 21. Prensare circumstantium genua. *Id. ib.* 22. Allevatus circumstantium humeris. et al. Ita fere semper in malam partem adhibetur de iis, qui seditione, odio, vecordia, querelis hominem, vel locum aliquem minitantes cingunt. *Curt.* 9, 3. Non uti inirem circumstantis exercitus gratiam. V. in CIRCUMSTO.] *Gell.* 1, 11. *ad f.* Stetisse in circumstantibus dicunt occultius, qui fistula sonum inspiraret. [**Ov. Met.* 3, 441. Ad circumstantes tendens sua brachia silvas.]

CIRCUMSTANTĬA, ae, f. *περίστασις*, actus circumstandi. *Senec. Q. N.* 7. Aquae sic corpora accipiunt, ut semper in contrarium acceptis refluant. Hanc nostri circumstantiam, Graeci autem *περίστασιν* appellant, quae in aere quoque, sicut in aqua fit. *Gell.* 3, 7. Ostendit exitium de loci importunitate, et hostium circumstantia. *Id.* 14, 1. Fortuna ejus, et mores, et ingenium, et circumstantia rerum, negotiorumque. Et *ib.* 2. In his negotiorum ambagibus, et in ancipiti rationum diversarum circumstantia. *Tert. Or.* 3. Cui illa Angelorum circumstantia non cessat dicere Sanctus, Sanctus, Sanctus. ℙ Item attributio, qualitas, quae rem circumstat. *Quint.* 5, 10. *post med.* Hoc genus argumentorum sane dicamus ex circumstantia, quia *περίστασιν* dicere aliter non possumus. *Tert. Bapt.* 17. Tunc enim constantia succurentis excipitur, cum urget circumstantia periculi. Hic *Auct.* loquitur de necessitate conferendi baptismum iis, qui in aliquo vitae discrimine versantur.

CIRCUMSTATĬO, onis, f. actus circumstandi, *περίστασις*. *Gell.* 7, 4. Circumstatio militum corona appellata.

CIRCUMSTĪPĀTUS, a, um, part. a *circumstipo*, circumdatus. *Claud. VI Cons. Honor.* 595. et ducibus circumstipata togatis.

CIRCUMSTĪPO, as, a. 1. cingo, circumdo, cum turba comitor. *Sil.* 10, 453. magna circumstipante caterva. *Claud. in I. Cons. Stil.* 2, 356. Pennatique nurum circumstipantur Amores.

CIRCUMSTO, as, steti, statum, a. 1. *περιίστημι*. circa aliquem sto, circumsisto. *Cic. Att.* 1, 16. *ante med.* Quae consurrectio judicum facta sit; ut me circumsteterint, ut aperte jugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint. *Id. Cat.* 1, 8. *ad f.* Equites R. honestissimi, ceterique cives, qui circumstant senatum. [**Suet. Claud.* 35. Neque convivia inire ausus est, nisi ut speculatores cum lanceis circumstarent. *Id. Caes.* 14. Manus equitum Romanorum, quae armata praesidii causa circumstabat. et al. — *Virg. G.* 4, 216. Omnes illum circumstant fremitu denso. — *Id. A.* 11, 85. Circumstant properi aurigae. *Id. G.* 4, 361. At illum Curvata in montis faciem circumstetit unda. *Ov. Met.* 11, 505. Ubi demissam curvum circumstetit aequor. *Ov. Met.* 2, 394. Circumstant omnia solum Numina.] *Cic. Cat.* 13. Desinant insidiari domi suae consuli, circumstare tribunal praetoris urbani, obsidere cum gladiis curiam. *Tac. A.* 15, 15. Circumstare vias. *Caes. B. G.* 4, 37. Morini spe praedae adducti circumsteterunt, ac arma ponere jusserunt. *Suet. Caes.* 82. Specie officii circumstare aliquem. [**Tac. A.* 13, 52. Silvanum magna vis accusatorum circumsteterat. *Curt.* 5, 9. Ni propere Bessus Bactrianique — vincturi circumstetissent. — *Virg. A.* 7, 585. Certatim regis circumstant tecta Latini. — *Id. ib.* 8, 300. Non te — Lernaeus turba capitum circumstetit anguis. *Ov. Met.* 3, 249. Undique circumstant, mersisque in corpore rostris Dilacerant dominum. — Hinc de hostibus urbem vel locum obsidione tenentibus. *Id. ib.* 11, 388. Nec longe scilicet hostes Quaerendi nobis: circumstant undique muros.] ℙ Translate. *Cic. Phil.* 10, 10. Dies, et noctes omnia nos undique fata circumstant. *Id. Verr.* 1, 17. Circumstant te summae auctoritates, quae te oblivisci laudis domesticae non sinant. *Plin. Pan.* 3. Haec me cura, haec me difficultas sola circumstat. [**Tac. H.* 1, 17. Circumsteterat interim palatium

publica exspectatio, magni secreti impatiens. *Virg. A.* 2, 559. Circumstetit me horror. *Id. ib.* 4, 561. Circumstent te pericula. *Id. ib.* 10, 905. Scio acerba meorum Circumstare odia.] *Sil.* 8, 171. nec, quae circumstent discrimina, cernis? [**Id.* 2, 550. Pectora circumstant planctus.]

CIRCUMSTRĔPĬTUS, a, um, adj. strepitu impulsus. *Appul. Apol.* Fenestrae canticis circumstrepitae. *Sidon. ep.* 7, 9. *in conc.* Aures incondito tumultu circumstrepitae.

CIRCUMSTRĔPO, is, n. 3. περικτυπέω, in circuitu strepitum facio. *Senec. Vita beata* 11. Tot humanam vitam circumstrepentibus minis. *Tac. A.* 11, 31. Certatim ceteri circumstrepunt. [**Id. ib.* 3, 36. Haud dissimilia alii, et quidam atrociora circumstrepebant.] Et passive *Id. H.* 2, 44. Legatus clamore seditiosorum ac fugacium circumstrepitur.

*CIRCUMSTRICTUS, a, um, part. a *circumstringo. Tert. Pall.* 1. Habitus cervicibus circumstrictus. *B. A.*

CIRCUMSTRĪDENS, entis, part. ab inusit. *circumstrido*, qui circum stridet. *Ammian.* 14, 11. Circumstridentium terror larvarum.

CIRCUMSTRINGO, is, a. 3. *Tert. Pall.* 5. Pallium nihil circumstringit. *Id. Cor. Mil.* 8. Linteo circumstringi.

CIRCUMSTRUCTUS, a, um, part. a *circumstruo*, structura, et pariete circumdatus. *Colum.* 9, 15. *a med.* Si forte alvearia circumstructa, et immobilia fuerint.

CIRCUMSTRŪO, uis, uxi, ctum, a. 3. περιοικοδομέω, structura cingo, aut munio. *Suet. Dom.* 4. Effosso et circumstructo juxta Tiberim lacu. *Plin.* 19, 8, 48. Circumstructis lapide ripis. *Colum.* 9, 6. Opere latericio circumstructis alvis. *Plin.* 11, 6, 5. Apes lacrimis arborum fores alveorum latiores circumstruunt.

CIRCUMSTŪPĔO, es, n. 2. Translate *Sever. Aetn.* 331. Illic obscura semper caligine nubes, Pigraque defuso circumstupet humida vultu, *h. e.* circum quiescit, immota manet. Al. leg. *circumstrepit.*

CIRCUMSŪDANS, antis, part. ab inusit. *circumsudo. Plin.* 14, 1, 3. Vinaceis circumsudantibus.

CIRCUMSURGENS, entis, part. ab inusit. *circumsurgo. Tac. A.* 1, 64. Quantum aquarum circumsurgentibus jugis oritur.

CIRCUMSŪTUS, a, um, part. ab inusit. *circumsuo*, circum consutus. *Cels.* 8, 5. Linamenta molli pellicula cincta, circumsutaque. *Plin.* 4, 16, 30. et 34, 16, 47. Vitilibus navigiis corio circumsutis navigare.

CIRCUMTECTUS. V. CIRCUMTENTUS.

CIRCUMTĔGO, is, a. 3. περιαλύπτω, circumcirca operio. *Lucr.* 1, 1094. Supra circumtegere omnia coelum. (In quibusdam editionib. hic versus deest.) *Dictys Cret. B. Troj.* 3, 11. Patrocli corpus veste circumtegitur.

*CIRCUMTENĔO, es, a. 2. *Vulg. Esdr.* 4, 16, 40. Dolores circumtenebunt saeculum. *B. A.*

CIRCUMTENTUS, a, um, part. ab inusit. *circumtendo*, circum extentus. *Pl. Mil.* 2, 2, 80. Herus meus elephanti corio circumtentus est, non suo, *h. e.* circum extento corio circumdatus. Al. leg. *circumtectus*, alii *circumjectus*, alii *circumtextus. Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. *ad f.* Circumtento linteolis vasculo.

CIRCUMTERGĔO, es, a. 2. *Cato R. R.* 76. Panno oleo uncto tangito et circumtergeto.

CIRCUMTĔRO, is, a. 3. *Tibull.* 1, 5, 53. Hunc puer, hunc juvenis turba circumterit arcta, *h. e.* frequenti agmine circumstans premit, et prope elidit. Ita recte legit *Brouckus.* cum aliis ex multis MSS. et editis antiquis: alii *circumstrepit*, alii *circumstetit.*

CIRCUMTEXTŪRA. V. CIRCUMCAESURA.

CIRCUMTEXTUS, a, um, part. ab inusit. *circumtexo. Virg. A.* 1, 653. Et circumtextum croceo velamen acantho. (*Serv.* et *Isid. Orig.* 19, 24. docent, intelligi hic a *Virgilio* eam vestem, quae Graeco nomine *cyclas* dicitur.) *Varr. L. L.* 4, 30. Quod amictui habent purpuram circum, vocant circumtextum.

CIRCUMTINNĬO, is, ivi, itum, n. 4. circumsono, de cavis metallis dictum. *Varr. R. R.* 3, 16. Apes circumtinniendo aere perterritas, quo voluerit, perducet mellarius.

CIRCUMTOLLO, is, a, 3. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 4. Caepulis circumtollere exteriorem corticem.

CIRCUMTŌNO, as, ui, n. 1. circum tono, circumstrepo. *Ov. Met.* 1, 187. qua totum Nereus circumtonat orbem. *Sil.* 6, 216. ubi feralem strepitu circumtonat aulam Cornea gramineum persultans ungula campum. Adde 4, 253. ℙ Translate *Hor. Sat.* 2, 3, 222. quem cepit vitrea fama, Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis, *h. e.* tonitru veluti perculit, attonitum, ac dementem reddidit.

CIRCUMTONSUS, a, um, part. ab inusit. *circumtondeo*, περίκουρος. *Varr.* ap. *Non.* 2, 847. Alii sunt circumsonsi, et terti, atque unctuli, ut mangonis esse videantur servi. *Petr. Sat.* 131. Et circumtonsae trepidanti vertice pinus. [**Suet. Aug.* 45. Cui in puerilem habitum circumtonsam matronam ministrasse compererat. V. quae ad h. l. notavit Casaubonus.] ℙ Translate *Senec. ep.* 115. Oratio vultus animi est: si circumtonsa est, et fucata et manufacta, ostendit illum quoque non esse sincerum, *h. e.* curiose nimis elaborata, et veluti rotundata.

CIRCUMTORQUĔO, es, a. 2. *Appul. Met.* 6. *sub f.* Prenso loro retrorsum me circumtorquet.

CIRCUMTRĀHO, is, a. 3. circum duco. *Dictys Cret. B. Troj.* 3, 15. *in f.* de Achille Hectorem raptante: Hostem mirandum in modum circumtrahens. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. Cucurbitis circumtractis.

CIRCUMTRĔMO, is, n. 3. περιτρέμω. *Lucr.* 1, 1087. Totum circumtremere aethera signis.

CIRCUMTŪĔOR, eris, dep. 2. circumspicio, περιβλέπω. *Appul. circ. princip. Florid.* Aquila eodem loco pendula circumtuetur.

CIRCUMTŪMŪLĀTUS, a, um, part. ab inusit. *circumtumulo. Petr. Sat.* 120. nigro squalentia pumice saxa Gaudent ferali circumtumulata cupressu. Scribunt alii divisim *circum tumulata:* alii mallent *circum cumulata.*

CIRCUMVĀDO, is, a. 3. περιέρχομαι. [**Tac. A.* 12, 43. Nec occulti tantum questus, sed jura reddentem Claudium circumvasere clamoribus turbidis.] *Liv.* 34, 38. Repente anceps terror barbaros circumvasit. Adde *Plin.* 9, 30, 48. ℙ Passive *Ammian.* 20, 6. Circumvaditur civitas a quibusdam vehentibus scalas.

CIRCUMVĀGOR, aris, dep. 1. περιπλανάομαι. *Vitr.* 5, 8. V. CIRCUMSONANS.

CIRCUMVĀGUS, a, um, adj., qui circumvagatur, περιπλανώμενος. *Hor. Epod.* 16, 41. Nos manet Oceanus circumvagus arva beata, *h. e.* vagans circum arva beata. *Auct. Paneg. ad Pison.* 19. de Sole: aetheriae moles circumvaga flammae.

CIRCUMVALLĀTUS, a, um, part. a *circumvallo*, vallo circumdatus, obsessus, περιβεβλημένος. *Cic. Att.* 9, 12. Circumvallatum esse Pompejum. *Liv.* 3, 28. Luce prima jam circumvallati ab dictatore erant. Adde *Caes. B. G.* 7, 44. [**Sil.* 12, 355. Insula, fluctisono circumvallata profundo.] ℙ Item stipatus, circumdatus. *Claud. IV. Cons. Honor.* 11. Ipsa Palatino circumvallata senatu, Jam trabeam Bellona gerit.

CIRCUMVALLO, as, a. 1. περιβάλλω, προσπεριβάλλω, vallo circum munio, circumdo, obsidendi causa. *Caes. B. G.* 7, 17. Duas turres constituere coepit: nam circumvallare loci natura prohibebat. *Id. B. C.* 3, 43. Ex castello in castellum perducta munitione, circumvallare Pompejum instituit. [**Liv.* 10, 35. Casurumque inter signa Samnitium potius, quam circumvallari castra Romana videat.] ℙ Et pro cingere simpliciter. *Colum.* 11, 3. *sub in.* Locus, quem sepire destinaveris, circumvallandus est duobus sulcis. ℙ Translate *Ter. Ad.* 3, 2, 4. Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest; vis, egestas etc. [*i. e. obsident, angunt.]

CIRCUMVECTIO, onis, f. περιφορά, circumlatio. *Cic. Att.* 2, 16. *ad f.* Portorium circumvectionis, *h. e.* quod solvitur publicanis pro mercibus, quae in aliqua provincia circumferuntur. ℙ Item circuitus. *Cic. Univ.* 9. Ut terram lunae cursus proxime ambiret; eique supra terram proxima solis circumvectio esset.

CIRCUMVECTO, as, a. 1. frequentat. a *circumveho.* Fere passiva voce usurpatur, et significat circumire; diciturque proprie de iis, qui navi, aut equo locum aliquem circum adeunt. *Pl. Rud.* 4, 2, 27. Mihi navem facĭam; oppida circumvectabor. *Liv.* 41, 17. Duumviros navales cum classe Pisas ire, qui Ligurum oram, maritimum quoque terrorem admoventes, circumvectarentur. ℙ Translate *Virg. G.* 3, 284. Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus, Singula dum capti circumvectamur amore, *h. e.* circa singula describendo vagamur.

CIRCUMVECTUS, a, um, part. a *circumveho*, qui nave, aut equo locum aliquem circumiit. *Caes. B. C.* 3, 63. Navibus circumvecti milites in anteriorem vallum tela jaciebant. *Liv.* 3, 28. Dictator equo circumvectus, contemplatusque, qui tractus castrorum etc. *Hirt. B. Alex.* 28. Circumvectus eo mari, quod Africae esse dicitur. Et *B. Afr.* 59. Ut paulo longius ejus equitatus circumvectus, ex improviso clauderet exercitum Caesaris. *Liv.* 37, 27. Circumvecti ab urbe ad aversa insulae. *Pl. Most.* 4, 3, 4. Non in Aegyptum modo vectus fui, sed etiam in terras solas, orasque ultimas sum circumvectus.

CIRCUMVĔHO, is, exi, ectum, a. 3. περιφέρω. *Nep. Timoth.* 1. Praefectus classis circumvehens Peloponnesum, Laconicam populatus, classem eorum fugavit, *h. e.* vehens se circum Peloponnesum. ℙ Adhibetur fere passive ea ratione, qua circumvecto. *Liv.* 8, 26. Classe circumvehi ad Romanum agrum. *Caes. B. G.* 7, 45. Muliones cum cassidibus, equitum specie ac simulatione, collibus circumvehi jubet. *Hirt. B. Alex.* 14. Caesar Pharon classe circumvehitur. ℙ Translate. *Virg. Cir.* 271. frustra circumvehor omnia verbis, *h. e.* circa omnia dicendo vagor, et longa sermonis ambage utor. *Sol.* 3. Plurimi in dicendo latius circumvecti.

CIRCUMVĔLO, as, a. 1. circum operio, amicio, tego. *Ov. Met.* 14, 262. pallamque induta nitentem, Insuper aurato circumvelatur amictu.

CIRCUMVĔNIO, is, eni, entum, a. 4. περιέρχομαι, [*περιγίγνεσθαι] circa aliquem venio, circumdo. *Petr. Satyr.* 92. Illum autem frequentia ingens circumvenit. *Id. ib.* 114. Zona circumvenienti praecingere aliquem *h. e.* circum ambienti. *Val. Flacc.* 1, 400. Ter quater ardenti tergo circumvenit anguis. ℙ Refertur etiam ad locum. *Tac. A.* 2, 6. Rhenus modicas insulas circumveniens. *Sall. Jug.* 71. Planities locis paulo superioribus circumventa. ℙ Translate *Hor. A. P.* 169. Multa senem circumveniunt incommoda. ℙ Pro circumdare, circumligare, complecti. *Colum.* 4, 29. *a med.* Mollia vincula magis probamus, quae cum circumvenere truncum, adactis cuneolis arctantur. *Id.* 5, 9. Ramos novellos, quos comprehensos manus possit circumvenire, arbori adimito, *h. e.* manubrii crassitudine. ℙ Saepe est militare verbum, pro circumire, circumdare, obsidere. *Sall. Jug.* 42. Jugurtha de improviso multitudine Numidarum Auli castra circumvenit. *Caes. B. G.* 2, 8. Ne hostes (quod tantum multitudine poterant) a lateribus suos pugnantes circumvenire possent. *Id. B. C.* 3, 44. Circumvenire hostes a tergo. *Id. ib.* 1, 81. et *ib.* 3, 36. vallo fossaque. Et *ib.* 97. montem opere. [*Ita absolute dicitur pro obsidere, obsidione cingere ap. *Tac. A.* 12, 16. Exin in Siracos pergunt, et transgressi amnem Pandam, circumveniunt urbem Uspen.] *Sall. Jug.* 61. et 79. cuncta moenia oppidi exercitu. [**Tac. A.* 12, 14. Donec Carrhenem integer a tergo globus circumveniret.] ℙ Passive. *Caes. B. C.* 3, 34. Deserti ab iis, qui una procurrerant, circumveniebantur, atque interficiebantur a nostris. *Id. B. G.* 1, 42. Circumveniri ab hoste per insidias. *Sall. Jug.* 11. in itinere a latronibus. Adde *Nep. Datam.* 6. [*Idem quod *intercipi*, *capi*. *Tac. A.* 1, 65. Caecina circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset. *Id. ib.* 3, 74. Multique eo loco caesi aut circumventi. *Id. ib.* 12, 17. Quia navium quasdam, quae mari remeabant, in litora Taurorum delatas, circumvenere barbari, praefecto cohortis et plerisque centurionibus interfectis. *Id. ib.* 14, 25. Ne Euphratem transgressi hostium custodiis circumvenirentur. — Dicitur etiam de iis, qui pugna vincuntur, trucidantur, qui bello subiguntur, ut *Gr.* περιγίγνεσθαι. *Tac. A.* 1, 68. Sinerent egredi, egressosque rursum per humida et impedita circumvenirent. *Id. H.* 2, 15. Quorum improvide secutos conversi equites circumvenerunt. *Id. A.* 4, 24. Rem Romanam aliis quoque ab nationibus lacerari, eoque paulatim Africa decedere, ac post reliquos circumveniri, si cuncti incubuissent. — Deinde transfertur ad eos, qui seditione coorta locum vel hominem infesto animo cingunt. *Tac. A.* 1, 25. Ceteri tribunal ingenti agmine circumveniunt. *Id. ib.* 12, 50. Atque illi, quamvis servitio suĕti, patientiam abrumpunt armisque regiam circumveniunt.] ℙ Eleganter ad alia transfertur, et significat opprimere, capere; diciturque de iis, qui cum re aliqua potentiores sint, per injuriam obruunt infirmiores: quemadmodum in bello, qui multitudine superant, circumveniunt pauciores. *Cic. Verr.* 2, 4, 8. Quid te a Centuripina civitate, a Catinensi, ab Halesina circumveniri, atque opprimi dicis? Tua te Messana circumvenit. [**Tac. A.* 6, 4. Latiaris, praecipuus olim circumveniendi Titii Sabini.] *Id. Offic.* 2, 14. *in f.* Ut ei subveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri, atque urgeri videatur. [**Id. ib.* 2, 24, 85. Ut neque tenuiores propter humilitatem circumveniantur, neque cet. *Id. Quint.* 31. Acerbum est, ab aliquo circumveniri; acerbius a propinquo.] *Id. Rosc. Com.* 9. Quem per arbitrum circumvenire non posses, hunc per judicem condemnabis? *Id. Brut.* 12. *in f.* Circumvenire aliquem judicio. *Id. Cluent.* 29. innocentem pecunia. *Justin.* 27, 1. aliquem dolo. *Sall. Catil.* 35. Circumveniri falsis criminibus. [**Tac. A.* 1, 13. Omnesque variis mox criminibus, struente Tiberio, circumventi sunt. *Id. ib.* 13, 43. Lusium Saturninum, Cornelium Lupum circumventos.] *Suet. Tib.* 55. Sejani ministerio, et fraudibus circumvenire liberos Germanici. *Tac. A.* 12, 29. Odio accolarum, simul domesticis discordiis circumveniri. *Id. Hist.* 4, 10. [**Id. A.* 15, 38. Lateribus aut fronte circumveniuntur (a flammis). *Id. ib.* 15, 11. Donec ignium jactu circumvenirentur. *Id. Hist.* 2, 12. Securitate pacis et belli malo circumveniebantur.] et *Callistrat. Dig.* 42, 1, 33. Circumvenire aliquem falso testimonio. [**Curt.* 5, 1. Sed omnium operum magnitudinem circumveniunt cavernae ingentes, i. e. superant, praestant. — *Plin. Pan.* 50, 1. Non enim omne stagnum omnem lacum, omnem etiam saltum immensa possessione circumvenis, i. e. tibi vindicas possessionem.] ℙ Item decipere, fallere. *Ulp. Dig.* 17, 1, 29. Circumvenire ignorantiam alicujus. ℙ Item eludere, dolose interpretari, atque adeo violare. *Marc. Dig.* 30, 120. *in f.* Circumvenire leges. *Ulp. ib.* 29, 4, 4.

voluntatem defuncti. *Id. ib.* 2, 15, 8. *post med.* orationem. V. *ejusdem legis initium.* ℙ Particip. *Circumventurus* ap. *Liv.* 26, 5. Ancipiti pugna medios (*aciem*) circumventuram.

CIRCUMVENTIO, onis, f. *μεθοδεία*, actus circumveniendi, oppressio, deceptio. *Herm. Dig.* 4, 4, 17. In integrum restitutio erroris proprii veniae petitionem, vel adversarii circumventionem continet. *Aug. Civ. Dei* 22, 22. Oppressiones innocentium, calumniae, circumventiones.

CIRCUMVENTOR, oris, m. qui circumvenit. *Lamprid. Alex. Sev.* 66. Libidinosi, crudeles, circumventores.

CIRCUMVENTORIUS, a, um, adj. ad circumveniendum aptus. *August. Confess.* 3, 3. Infida, et circumventoria obsequia daemoniorum.

CIRCUMVENTUS, a, um, part. a *circumvenio*, circumdatus. *Stat. Theb.* 5, 165. Cerva cruentis Circumventa lupis. *Caes. B. G.* 6, 39. *in f.* Pars a barbaris circumventa periit. *Vell.* 2, 119. Exercitus marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunae circumventus. *Nep. Annib.* 4. Circumventus insidiis. *Senec. ep.* 9. hostili custodia. [*Tac. A.* 2, 17. Quibus insidiis circumventus. *Id. ib.* 15, 4. Pauci avidius progressi et repentinis hostibus circumventi.] ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 1, 41. Judicio iniquorum circumventus. *Enn.* ap. *Cic. Fin.* 4, 23. morbo, exsilio, atque inopia. *Scrib. Compos.* 186. Adjuvari debent hoc malo circumventi lacte muliebri. *Sall. Catil.* 22. Homo omnibus necessitudinibus circumventus, *h. e.* omnibus necessitatibus oppressus. *Ulp. Dig.* 43, 28, 3. Non sine calliditate circumventus, *h. e.* deceptus. Adde *ib.* 23, 3, 12., et V. plura in CIRCUMVENIO.

CIRCUMVERSIO, onis, f. *Quint.* 11, 3. *de gestu manuum.* Circumversio manus. *Ammian.* 26, 1. Circumversio cursus annui revoluta.

CIRCUMVERSO, as, a. 1. frequentativum a *circumverto. Lucr.* 6, 198. Nunc hinc, nunc illinc fremitus per nubila mittunt, Quaerentesque viam circumversantur. *Avien. Arat.* 1528. si simplex circumversabitur orbis.

CIRCUMVERSUS, a, um. *Cato. R. R.* 143. *de officiis villicae.* Focum purum circumversum quotidie, priusquam cubitum eat, habeat, *h. e.* scopis mundatum: a *circum*, et *verro*, *is.*

CIRCUMVERTO, *et antique* Circumvorto, is, a. 3. *περιστρέφω*, in orbem verto. [*Ov. Met.* 15, 522. Rota, perpetuum qua circumvertitur axem.] *Pl. Pers.* 3, 3, 37. Citius a foro argentarii abeunt, quam in cursu rotula circumvortitur. *Id. Pseud.* 5, 1, 32. Ubi circumvortor, cado. *Suet. Vitell.* 2. Circumvertens se. *Quint. Declam.* 342. Circumvertere mancipium, *h. e.* liberum facere, manumittere. V. similem locum *Senecae* in CIRCUMAGO. ℙ Translate est decipere, fraudare, circumducere. *Pl. Pseud.* 1, 5, 126. De compacto faciunt consutis dolis, qui me argento circumvertant.

CIRCUMVESTIO, is, a. 4. *περιστέλλω. Plin.* 17, 23, 35. *n.* 25. Dejectis per ramos vitium crinibus circumvestit arborem. ℙ Translate *Vet. Poeta* ap. *Cic. Or.* 3, 39. Quandoquidem iste circumvestit dictis, sepit sedulo, *h. e.* obscuro sermone sententiam involvit, atque occultat.

CIRCUMVINCIO, is, a. 4. *περιδέω. Pl. Rud.* 3, 4, 27. Quasi murteta juncis, item ego vos virgis circumvinciam.

CIRCUMVINCTUS, a, um, part. a *circumvincio*, circumligatus. *Avien. Perieg.* 331. Et circumvincti nervis exstantibus artus.

CIRCUMVISO, is, a. 3. *περιβλέπω. Pl. Amph.* 5, 1, 58. Sed angues oculis omnes circumvisere: postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi.

CIRCUMUNDIQUE, (sic enim quibusdam scribere placet: aliis divisim *circum undique*) circum ex omni parte, *πέρις*. Legitur ap. *Gell.* 4, 5., 13, 24., 14, 2. et 19, 10.

CIRCUMVOLATUS, a, um, part. a *circumvolo. Plin.* 10, 32, 47. Halcyonem, nave aliquando circumvolata, statim in latebras abeuntem, *h. e.* nave volatu circuita.

CIRCUMVOLITABILIS, le, adj. circumvolitans. *Capell.* 6. p. 191. *in carm.* Hanc (*terram*) tener, et vitreis circumvolitabilis auris Aer complectens imbrificabat aquis.

CIRCUMVOLITO, as, n. a. 1. frequent. *circumvolo Virg. G.* 1, 377. Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo. *Hor. Ep.* 1, 3, 21. Quae circumvolitas agilis thyma? Adde *Tac. Hist.* 2, 50. ℙ Translate est circumvagari, circumire. *Senec. Ira* 8. Agmina infestorum equitum ad conquirendas proscriptorum latebras circumvolitantia. *Colum. praef.* 1. Mercenarius salutator circumvolitans limina potentiorum. Adde *Sil.* 9, 420.

CIRCUMVOLO, as, n. *περιπέτομαι*, volando circumeo. [*Suet. Aug.* 97. Aquila eum saepius circumvolavit. *Plin. H. N.* 10, 32. Naves circumvolat Halcyon. *Ov. Met.* 2, 719. Spemque suam motis avidus circumvolat alis.] *Justin.* 11, 7. Aves cum omnis generis circumvolare coeperunt. *Virg. A.* 6, 867. Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra. *Hor. Od.* 1, 2, 33. Erycina ridens, Quam Jocus circumvolat, et Cupido. *Id. Sat.* 2, 1, 58. seu me mors atris circumvolat alis. ℙ Translate est circum cursare, velociter circumire. *Vellej.* 2, 27. Circumvolans ordines exercitus sui Telesinus. *Sil.* 17, 416. jaculo circumvolat alite campum.

CIRCUMVOLVO, is, a. 3. *περιειλέω*, in orbem volvo. *Virg. A.* 3, 284. Interea magnum sol circumvolvitur annum. *Plin.* 16, 44, 92. Herba non tantum spinis, sed etiam arboribus circumvolvens se.

CIRCUMVOLUTOR, aris, pass. 1. circum volvor. *Plin.* 8, 17, 21. Pantheram repente apparuisse patri cujusdam Philini: illum pavore coepisse regredi, feram vero circumvolutari non dubie blandientem.

CIRCUMVOLUTUS, a, um, part. a *circumvolvo*, *περιπεπυχής*, circum involutus. *Plin.* 11, 37, 88. Nervi cordi bubulo circumvoluti. *Id.* 10, 62, 82. Serpentes circumvolutae sibi ipsae. *Gell.* 11, 9. Demosthenes lana multa collum cervicesque circumvolutus.

CIRCUMUSTUS, a, um, part. ab inusit. *circumuro*, ambustus, *περικεκαυμένος*. *Paul.* ex *Festo* in *Ambustus.*

CIRCUS, i, m. *κίρκος*, *κύκλος*, omnis in gyrum ambitus. Fit ab hoc diminutive *circulus*, qui in hac significatione usitatior est. *Cic. Ar.* 248. Vidisti magnum candentem serpere circum. *Capell.* 6. p. 191. *in carm.* Nam globus, et circi, zonaeque, ac fulgida signa. Adde *Cic. N. D.* 2, 18., ubi *Non.* 5, 38. legit *circus*, alii *circulus:* et *Somn. Scip.* 3. *a med.*, ubi similiter *Macr.* 1, 14. *ad f.* et *ib.* 15. legit *circus*, et ipse quoque usurpat: alii *circulus.* ℙ In circum. *Macer. Dig.* 11, 7, 37. Si amplum quid aedificari testator jusserit; velut in circum porticationes. Ita *Torrent.* et *Gothofred.* Al. leg. *in circuitu.* ℙ Haesit hoc nomen Romano Circo, qui locus erat muris septus, in quo equi pugilesque exercebantur, sic dictus, quia orbicularis erat, longior tamen, quam latior, idest, figura elliptica. Factus est a Tarquinio Prisco inter Palatinum, et Aventinum, ut *Liv.* 1, 35. narrat. *Varr. L. L.* 4, 32. Circus maximus dictus, quod circum spectaculis aedificatus, ubi ludi fiunt, et quod ibi circum metas fertur pompa, et equi currunt. [*Dionys. Hal.* 3, 68., ubi prolixe de ejus structura et ornatu loquitur, vocat *τὸν μέγιστον τῶν ἱπποδρόμων. Plutarch. Rom.* 20. *m. ἱππόδρομον μέγαν.*] ℙ Plures erant Romae Circi, quorum qui Maximus dicebatur, Apollinaris etiam dictus est, quod esset Soli sacer; alter Circus Flaminius appellatus, illo minor; alius Circus Vaticanus etc. Novem postremis temporibus enumerat *P. Victor.* V. *Rosin. Antiqu. Rom.* 5, 4. et *Panvin. de ludis Circensib.* ℙ Cum *Circus* absolute dicitur, maximum intellige, qui magna semper populi frequentia celebrabatur, cum eo convenire solerent, extra ludorum tempora, ludicrarum artium professores, circitores, physiognomi, somniorum conjectores etc. *Tertull. Spectac.* 8. scribit, Romanos putare dictum esse a Circe Solis filia, ob id Soli sacrum. *Cic. Leg.* 2, 15. Ludi publici sunt cavea, Circoque divisi. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1. *in f.* Non vicanos haruspices, non de Circo astrologos. *Suet. Aug.* 74. Triviales ex Circo ludii. *Hor. Sat.* 1, 6, 113. Fallax Circus. *Mart.* 10, 53. clamosus. *Plin.* 36, 9, 14. *n.* 5. *Circum magnum* vocat, quem tum is alibi, tum alii scriptores fere maximum appellant. ℙ [*Dicitur etiam pro *cavea*, *claustris*, Circi quibus teneri solebant bestiae. *Ov. Met.* 12, 102. Haud secus exarsit, quam Circo taurus aperto, Cum sua terribili petit irritamina cornu, Poeniceas vestes elusaque vulnera sentit.] ℙ Ad Circum etiam prostibula fuisse, colligitur ex *Juven.* 3, 65. ℙ Per similitudinem *Circus* dictus est a *Virg. A.* 5, 109, 287. et 551. locus spatiosus, in quo Aeneas in Sicilia ludos edidit: et in Hispania, ubi Scipio, *Sil.* 16, 313. et 323. ℙ *Circus* pro hominibus in Circo spectantibus. *Sil. ib.* 535. ℙ *Circus maritimus* locus fuit, in quo Anagninos concilium habuisse omnium circa populorum, narrat *Liv.* 9, 42. *in f.* ℙ De *Circo* ave, et gemma, V. in CIRCOS

CIRIS, is, f. *κείρις*, nomen avis, in quam poetae fabulantur conversam fuisse Scyllam Nisi filiam: quae ideo *ciris* dicta est, quod capillum patris, in quo regni ejus fatum positum erat, furtim secuerat: a *κείρω*, tondeo. *Ov. Met.* 8, 150. plumis in avem mutata vocatur Ciris, et a tonso est hoc nomen adepta capillo. [*V. *Hadrian. Junius* de Coma p. 311. (p. 438. ed. *Arckel.*)] ℙ Exstat de hac fabula poemation, quod vulgo tribuitur *Virgilio*, ubi ipsa avis describitur pennas habens varii coloris, et cristam purpuream in vertice. *Scalig. ib.* ad *v.* 527. putat, designari eam avem, quam *aigrette* Galli vocant: eorumque opinionem respuit, qui alaudam esse arbitrantur. *Scalig.* sequitur *Heynius* ad *Virg. Cir.*, quem quidem docte hac de re disserentem, consule. ℙ Proverbii speciem habet illud *Pl. Capt.* 1, 2, 81. *I modo, venare leporem: nunc cirim tenes*, h. e. quaere tibi lautiorem coenam: nunc meam habes, quae admodum parca est, tantoque minoris impensae, quanto minor est ciris, minusque apta conviviis, quam lepus, ex quo delicatissima fiunt pulpamenta. Eadem ratione explicant *Turneb.* 14, 7. et *Lambin.* sed magis placet iis legere, *nunc irim tenes.* Est autem *iris* herba, qua utebantur in vinis condiendis, ut est ap. *Caton. R. R.* 107. et *Colum.* 12, 27. Denique alii legunt, *nunc i, rem tenes.* [*Ictim legit *Lindem.* MSS. aut *inim* aut *ithim* exhibentium vestigia et Laelii Brisciolae conjecturam secutus.] ℙ *Hygin. fab.* 198. *in piscem, quem Cirin vocant*, Scyllam mutatum fuisse dicit.

CIRNEA. V. HIRNEA.

*CIRPI, opp. Pannon. infer., dictum et Carpis *Notit. Imper.* V. *Carpis. B. A.*

CIRRATUS, a, um, adj. *βεβοστρυχωμένος*, *πλοκαμώδης*, cirros habens. Cirrati dicti sunt pueri capillati, quia capillum nutriebant usque ad tempus pubertatis. *Pers.* 1, 29. Ten' cirratorum centum dictata fuisse, Pro nihilo pendes? *Mart.* 9, 30. Et matutini cirrata caterva magistri. *Ammian.* 14, 6. Licet feminas affatim multas spectare cirratas. ℙ *Cirratae vestes*, villosae, et hirtae; vel quae fimbrias habent per extimam oram dependentes, *κροσωταὶ ἐσθῆτες.* Posterior haec expositio magis placet *Salmasio* ad illud *Capitol. Pert.* 8. Lacernas, et chiridotas Dalmatarum, et cirratas militares etc.

CIRRHA, ae, f. *Aspropiti*, *Κίρρα*, urbs Graeciae in Phocide, maritima prope Parnassum montem, Apollini sacra. *Luc.* 3, 172. scopulosaque Cirrha. *Mart.* 1, 77. Quid tibi cum Cirrha? quid cum Permessidos unda? *h. e.* cum poesi, et poetis. *Avien. Perieg.* 6. Cirrha fatidica. (V. CIRRHAEUS.) Adde *Plin.* 4, 3, 4. ℙ *Acron* ad *Hor. Od.* 2, 1. *extr.* docet esse nomen alterius ex jugis Parnassi montis Apollini sacri, cum alterum Nysa Baccho sit. ℙ Scribitur et Cyrrha, *Κύρρα.*

CIRRHAEUS, a, um, adj. *Κιρραῖος*, ad Cirrham pertinens. *Plin.* 4, 3, 4. Cirrhaei campi. *Senec. Herc. Oet.* 92. Cirrhaea Paean templa, serpente caeso, meruit. (Adde *ib.* 1473.) *Id. Oedip.* 269. et *Lucan.* 5, 115. Cirrhaea vates, *h. e.* quae Delphici Apollinis oracula reddebat. Dicitur autem *Cirrhaea*, quia Apollo ipse *Cirrhaeus* dicebatur a Cirrha urbe sibi sacra; vel quia Cirrha in eadem est regione Phocidis, ubi et oraculum Delphicum. *Lucan.* 5, 95. et *Sil.* 3, 9. Cirrhaea antra, *h. e.* locus oraculi Delphici. *Stat.* 8, 331. Cirrhaeus hiatus. *Claud. praef.* 2. *Rapt. Pros.* 16. Cirrhaeae artes, *h. e.* Apollineae, Phoebeae. ℙ Scribitur et *Cyrrhaeus.*

[CIRRIO, onis, m. diminut. cirri. Est nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1564, 11. C. Valerius Zephyrus Cirrionem suum libertum et alumnum indulgentissimum hic consecravit. *F.*]

[CIRRITUDO, inis, f. status, seu conditio illius, qui cirros habet. V. v. seq. *F.*]

[CIRRITUS, a, um, adj. qui cirros habet, cirratus. *Not. Tir.* p. 155. Cirrus, cirritus, cirritudo. ℙ *Cirritum pirum* inter varia pirorum genera enumerat *Cloatius* ap. *Macr. Saturn.* 2, 15. *F.*]

CIRRUS, i, m. *βόστρυχος*, *πλόκαμος*, capillus natura crispus seu contortus. Differt a *cincinno*, qui est capillus arte crispatus. [*cf. *Döderl.* 3, 22.] Dicitur proprie de capillis puerorum, qui comam ante annos pubertatis non tondebant, sed alebant et componebant. In pubertate vero desecabant, et alicui Deo consecrabant. Quidam ita distinguunt, ut *coma* dicatur de pueris usque ad annum septimum, quo tempore semel detondebantur; *cirri* usque ad decimumquintum; deinceps vero *caesaries. Varr.* ap. *Non.* 2, 196. Itaque Ambraciae primum capillum puerilem demptum, item cirros ad Apollinem ponere solent. ℙ Sed haec discrimina ut vera sint, certe non sunt perpetua. *Mart.* 10, 83. *de calvo.* caputque nudum Cirris grandibus hinc et inde cingunt. ℙ *Salm. in exercitat. Plin.* p. 762. contendit cirros non esse capillos crispatos, sed in nodum religatos. Hinc a *Juvenale* tribui Germanis, quorum comae non sunt crispae, sed rectae et prolixae, 13, 164. Caerula quis stupuit Germani lumina? flavam Caesariem, et madido torquentem cornua cirro? *Madidum* appellat *Juvenalis* Germanorum cirrum, quod illi capillo crebro lavare, et sapone rutilare consueverant. *Mart.* quoque *Spectac.* 3. et 5, 37. et alii crinem in nodos collectum Germanis tribuunt. V. ap. *Salm.* plura. ℙ *Cirrus a vertice* est capillorum nodus in summo vertice capitis, quem Itali dicunt *ciuffo sul cucuzzolo*, quo usos fuisse veteres luctatores probat *E. Q. Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 5. p. 210. *ed. Mediol.*, qui exinde hunc locum illustrat *Suet. Ner.* 45. Ex annonae quoque caritate luctantium accrevit invidia. Nam et forte accidit, ut in publica fame Alexandrina navis nunciaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse. Quare omnium in se odio concitato, nihil contumeliarum defuit quin subiret. Statuae ejus a vertice cirrus appositus est cum inscriptione Graeca: Nunc demum agona esse, et traderet tandem, *h. e.* statuae ejus cirrus luctatorum proprius appositus, et subscriptum fuit, nunc demum, cum nempe Julius Vindex in Gallia, et Sulpicius Galba in Hispania rebellionem fecerant, tempus esse luctandi, et palmam tradendi. V. TRADO. ℙ *Cirri* sunt etiam pili in fronte, in articu-

lis pedum, et in tibiis equorum. *Veg. Vet.* 4, 2. A cirro frontis ad nares habet pedem. *Id. ib.* 2, 28. Cirri in articulis pedum, naturale ornamentum, non resecandi. *Id. ib.* 4, 1. A gamba ad cirros tibiales ossa duo. ℙ *Cirri* etiam dicuntur in quibusdam avibus apices capitis praetenui pluma instar capillorum conflati. *Plin.* 11, 37, 44. In capite paucis animalibus, nec nisi volucribus, apices, diversi quidem generis: phoenici, plumarum serie; pavonibus, crinitis arbusculis; stymphalidi, cirro; phasianae, corniculis. ℙ Praeterea tribuuntur quibusdam herbis, quae tenuia veluti capillamenta habent. *Plin.* 26, 7, 20. Ephredra folio nullo, cirris numerosa. Et 27, 4, 5. Herba sine foliis, folliculos in cirris habens. ℙ Item polypis quorum brachia in tenues veluti crines dissecta *cirri* appellantur ab *eod. Plin.* 26, 8, 37. ℙ Item ostreis. V. OSTREA. ℙ Denique *cirri* sunt fimbriae tenues, in quibusdam vestibus, in extremitatibus earum dependentes. *Phaedr.* 2, 5. Ex alticinctis unus atriensibus, Cui tunica ab humeris linteo Pelusio Erat destricta, cirris dependentibus. *Salm. l. c.* distinguit cirros a fimbriis, ut illi sint fila in nodum stricta, villis exstantibus; hae villi recti et discriminati, nulloque nodo constricti. In loco *Phaedri* sunt qui *cirros dependentes* ad ipsam atriensis comam, non ad ejus tunicam referunt; sed priorem interpretationem confirmare videtur locus *Petr. Sat.* 32. Mappa fimbriis hinc atque illinc pendentibus.

CIRSION, ii, n. κίρσιον, cauliculus est tener duum cubitorum, triangulo similis, foliis spinosis circumdatus. Spinae molles sunt: folia bovis linguae similia, minora, subcandida, et in cacumine capitula purpurea, quae solvuntur in lanugines. *Plin.* 27, 8, 39.

*CIRTA, ae, oppidum. *Liv.* 30, 12. *Plin.* 5, 3. *Mela* 1, 6. *Sall. Jug.* 21. et al. *Ptolem.* dicitur Κίρτα Ἰουλία. *B. A.* V. v. seq.

[*CIRTENSIS, se, adj. ad Cirtam pertinens, Numidiae metropolim in Africa, quae a C. Caesaris temporibus *colonia Sittianorum* dici coeperat, P. Sittii militibus eo deductis, a Constantino M. *Constantina* dicta est. Patria fuit M. Cornelii Frontonis, qui Antoninis imperantibus floruit. *Front. ad amic. ep.* 2, 10. Alii quoque plurimi sunt in senatu Cirtentes clarissimi viri. *Tac. A.* 3, 74. Ne Cirtensium pagi impune traherentur, propriam manum Blaesus filius duxit. *F. B. A.*]

CIS, ἐντός, praepositio accusativum regens, cui opponitur *ultra*, et *trans*. Fere jungitur cum locorum nominibus: in quo differt a *citra*, quae et aliis saepe apponitur. Dicimus enim *citra cruorem*, *citra bellum*, *citra commoda* etc., quibus locis *cis* locum non habet. *Cic. Fam.* 3, 8. Dioeceses, quae cis Taurum sunt. *Liv.* 5, 33. Prius cis Apenninum, postea trans Apenninum. Et *ib.* 35. Cis Padum, ultraque. [*Tac. A.* 12, 56. Structo cis Tiberim stagno.] ℙ Interdum refertur ad tempus, et pro *intra* ponitur. *Pl. Truc.* 2, 3, 27. Cis dies paucos. *Id. Merc.* 1, 2, 42. Paucos cis menses. *Id. Most.* 1, 1, 17. Cis paucas tempestates. Adde *Mamertin. Grat. act. ad Julian.* 15. et *Aurel. Vict. Caesar.* 42. Hunc usum agnoscit etiam *Prisc.* 14, 987., additque, dici etiam posse *cis naturae leges*, hoc est intra, vel secundum naturae leges. Sed hoc nullo Latini scriptoris exemplo confirmat. ℙ Pro *intra* etiam adhibita est a *Tac. A.* 11, 30. Veniam in praeteritum petens, quod ei cis Vectium, cis Plautium dissimulavisset, *h. e.* quod tacuisset, donec res constitit intra Vectium, et Plautium. V. integrum loc. ℙ *Non.* 2, 180. docet, *cis* poni etiam pro *ultra*. Sed exempla, quae affert ex *fr. Sall.* et *Varr*, contrarium probant.

CISALPICUS, a, um, adj. idem ac Cisalpinus. *Not. Tir.* p. 144. Cisalpes, Cisalpinus, Cisalpicus. V, TRANSALPICUS.

CISALPINUS, a, um, adj. qui cis Alpes est, ut Galli Cisalpini, et Gallia Cisalpina. *Cic. Man.* 12., *Caes. B. G.* 6, 1. et *Liv.* 27, 38.

*CISAMUM, i, Cretae opp. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[CISIACUS, i, m. ad cisium pertinens. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 113, 2. Q. Caecilius Cisiacus. *F.*]

[CISIANUS, i, m. idem ac cisiarius. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 731. *n.* 450. Cn. Sentio Cn. fil. Cn. N. Ter. Felici patrono libertor. et olearior. et juvenum cisianorum. *F.*]

[CISIARIUM, ii, n. locus in quo cisia construuntur, et servantur. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 91. *n.* 179. Damnas esto collegio jumentariorum, qui est in cisiariis Tiburtinis Herculis HS. L. M. N. *F.*]

CISIARIUS, ii, m. qui cisium regit. *Ulp. Dig.* 19, 2, 13. Si cisiarius, dum ceteros transire contendit, cisium evertit, et servum quassavit, vel occidit. ℙ Item cisiorum faber. *Incsr.* ap. *Mur.* 979, 6. L. Tampius L. F. Peccio cisiar. etc. Alia ap. *eund.* 108, 4 Cisiarii Praenestini *Fortunae Primigeniae* De*Dicarunt.*

[CISIMBRENSIS, se, adj. ad Cisimbrium pertinens, Hispaniae Baeticae oppidum. *Inscr.* ap. *Grut.* 168, 5. C. Valerius C. F. Gal. Valerianus Cisimbrensis. Alia ap, *eund.* 477, 5. Ordo municipum municipii Cisimbrensis. *F.*]

*CISIPADUM GENS, pop. Afr., in reg. Syrt. *Plin.* 5, 4. *B. A.*

CISIUM, ii, n. a κίω, eo, ruo, genus vehiculi duarum rotarum, ut describit *Non.* 2, 139., quo Romani utebantur, cum iter volebant celeriter conficere. *Cic. Phil.* 2, 31. Inde cisio celeriter ad urbem advectus, domum venit. *Id. Rosc. Am.* 7. Decem horis nocturnis ex quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit. *Auson. ep.* 8. 6. Vel cisio trijugi, si placet, insilias. *Virg. Catal. carm.* 8, 3. Neque ullius volantis impetum cisi Nequisse praeterire. *Vitruv.* 10, 1. inter machinas notissimas refert cisia. Cisii figuram exhibet *Hannib. Oliver.* in *Marm. Pisaur.* p. 155. [*Cf. *Scheff. de re vehicul.* II. 18. p. 237. sq.]

CISMARE, hoc est citra mare, tanquam uram compositam vocem affert *Diomed.* 2, 431.

*CISMARINUS, a, um, adj., qui cis mare est. *Sarisb. Ep.* 176. Cismarini et transmarini. *B. A.*

CISMONTANUS, a, um, adj. qui cis montes habitat. Hinc *Aufinates cismontani* dicuntur a *Plin.* 3, 12, 17. ubi nunc *Ofena*, quoniam ultra eos editissima Vestinorum juga attolluntur.

*CISORI, orum, pop. Africae *ulter. Plin.* 6, 30. *B. A.*

CISORIUM, ii, n. acies, mucro, quo caedimus. *Veg. Vet.* 2, 22.

CISPADANUS, a, um, adj. qui cis Padum est, ut *Cisalpinus*, *Cismontanus*, *Cisrhenanus;* adhuc tamen caret Latino auctore.

CISPELLO, is, a. 3. in citeriorem partem pello. *Pl. Amph.* 3, 4, 17. Atque illuc sursum ascendero: inde optimo sic cispellam virum.

*CISPII, orum, Africae *ulter.* populi. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

CISPIUS mons Romae fuit in Exquiliis, eratque alter vertex ipsarum Exquiliarum: ita dictus a quodam Cispio. Hoc nomen antiquum erat, et fere solummodo in sacris adhibebatur: extra illa, Exquiliae. *Varr. L. L.* 4, 8., *Gell.* 15, 1. et *Festus*, qui in Septimontio addit dictum esse a Laevo Cispio Anagnino, qui cum praesidio missus ad Romam tuendam, eam partem Exquiliarum, quae jacet ad vicum Patricium versus, in qua regione est Aedes Mephitis, tuitus est.

CISRHENANUS, a, um, adj. *Caes. B. G.* 6, 2. Germani cisrhenani.

CISSANTHEMOS, i, f. κισσάνθεμος, species est cyclaminis geniculatis caulibus, circa arbores te volvens, acinis hederae, sed mollibus, flore candido, specioso, radice nullius usus. *Plin.* 25, 9, 68.

[CISSAROS, i, f. vel Cissaron, i, n. herba eadem ac chrysanthemon. *Appul. Herb.* 17. *F.*]

CISSEIS, idis, f. Κισσηΐς, Hecuba filia Cissei, uxor Priami. *Virg. A.* 7, 320. Cisseis praegnans ignes enixa jugales.

*CISSERUSSA, ae, insula prope Cariam. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

CISSEUS, i, m. Κισσεύς, disyllab. rex Threciae, secundum quosdam pater Hecubae uxoris Priami. Nam alii Dymantem faciunt. *Serv.* ad *A.* 7, 320. et *Hygin. fab.* 91. et 111.

*CISSIANTHI, (*Plin.* 6, 13. *ed. Hard.*), vel Cissianti (*Mela* 1, 2. *med.*), orum, pop. *Asiat*, in Russia, quae nunc vocatur Asiatica. *B. A.*

*CISSII MONTES, in Asia, trans Maeotidem paludem. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

[CISSION, i, n. herba, quam *Appul. Herb.* 98. vocat etiam hederam nigram. *F.*]

CISSITIS, is, f. κισσῖτις, gemma hedereae folia colore referens: a κισσός, hedera. *Plin.* 37, 11, 73.

[CISSONIUS, a, um, adj. hederaceus: a κισσός, hedera. Ita est cognominatus Mercurius, ignota tamen de causa. *Inscr.* ap. *Mur.* 144, 3. Deo Mercurio Cissonio Dubitatia Castula natione Syria templum et porticus vetustate collapsum denuo de suo restituit. *F.*]

CISSOS, i, f. κισσός, Graeca vox hederam significans: praecipue vero ita appellatur ea, quae sola stat sine adminiculo, teste *Plin.* 16, 34, 62. ℙ Cissos erythranos alia est hederae species rubros acinos ferentis, ab ἐρυθρός, ruber. *Id.* 16, 34, 62. et 24, 10, 49. ℙ Fuit etiam hoc nomine puer Baccho dilectus, et in plantam sui nominis conversus: quae causa fuit, ut Bacchus hederaceam coronam gestare consueverit. V. HEDERA. ℙ [Et Latina positione *Cissus* est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 64, 2. M. Trosius Cissus. *F.*]

CISSYBIUM, ii, n. κισσύβιον, poculum ex hedera factum: a κισσός, hedera. *Macr. Sat.* 5, 21. ℙ Alii scribunt *cissymbium*, alii *cissibium.*

CISTA, ae, f. κίστη, capsa, arca, in qua aliquid reponitur. *Cic. Verr.* 2, 3, 85. Quaternos HS., quos mihi senatus ex aerario dedit, ego habebo, et in cistam transferam ex fisco. *Hor. Ep.* 1, 17, 54. Aut cistam effractam et subducta viatica plorat. *Juven.* 3, 206. Jamque vetus Graecos servabat cista libellos. ℙ De sitella, in qua ponebantur tabellae suffragiorum. *Auct. ad Her.* 1, 12. Pontes disturbat, cistas dejicit, impedimento est, quo secius feratur lex. Adde *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 176., *Ascon. in Divin. Verr.* 7. et *Plin.* 33, 2, 7. ℙ In sacris Cereris, et Bacchi mos fuit, praecipue apud Graecos, cistas clausas circumferre, in quibus continebantur arcana instrumenta ad id sacrum pertinentia, ne illa mysteria, quae vulgare nefas erat, a populo cernenentur. Harum mentio fit ab *Oc. A. Am.* 2, 609., *Catull.* 64, 259., *Val. Flacc.* 2, 267. et *Tibull.* 1, 7, 48. ℙ Alii praeterea sunt cistarum usus. *Poeta quidam* ap. *Quint.* 8, 3. Praetextam in cista mures rosere Camilli. *Colum.* 12, 54. In quadratam cistam vimineam, quae neque spisse, solide tamen, et crassis viminibus contexta sit, rapa componito. *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 2. Mala cistis vitilibus condere. [*Oc. *Met.* 2, 554. Pallas Erichthonium — Clauserat Actaeo texta de vimine cista.] ℙ *Plin.* 16, 40, 77. lentissimas quasque arbores, et levissimas, ut sunt ficus, salix, tilia, betulla, populus, ad cistas faciendas aptissime adhiberi, docet. Ex quo apparet, quaenam earum materies plerumque fuerit.

*CISTARTIUM, i, n. κιστάριον, panarium. *Vulg. Intrpr.* 1. *Sam.* 9, 7. Panis defecit in cistartiis nostris. Sed ed. *Sixti* V. habet Sitarviis V. *Sitarchia ad f. B. A.*

CISTELLA, ae, f. κιστίς, parva cista. *Auct. ad Her.* 1, 12. Saturninus legem ferre coepit, collegae intercedere: ille nihilominus cistellam detulit. Quidam leg. *sitellam. Pl. Cist.* 4, 1, 3. Cistella cum crepundiis. Adde *Ter. Eun.* 4, 6, 15.

CISTELLARIUS, a, um, adj. ad cistellam pertinens. *Cistellaria* inscripta est una ex Plauti comoediis, in qua solutio Fabulae oritur reperta et agnita cistella cum crepundiis, ex quibus filia parentes, hi filiam agnoscunt.

CISTELLATRIX, icis, f. *Pl. Trin.* 2, 1, 31. Flabelliferae, sandaligerulae, cantrices, cistellatrices, *h. e.* ancillae, quae dominarum cistellas, seu arculas servant.

CISTELLULA, ae, f. κιστίς, parva cistella. *Pl. Rud.* 2, 3, 60. Ubinam ea fuit cistellula? Adde *Ampf.* 2, 2, 141.

CISTERNA, ae, f. ἐκδοχεῖον, σύριγος, λάκκος, receptaculum subterraneum aquae pluviae ex stillicidiis collectae. *Varr. R. R.* 1, 11. Si omnino aqua non est viva, cisternae faciundae sub tectis, et lacus sub dio: ex altero loco ut homines, ex altero ut pecus uti possit. Adde *Colum.* 1, 5. et *Pallan.* 1, 17., ubi ejus faciendae rationem tradit. ℙ Apud *Petron. fragm. Tragur.* 73. *Burm.* mentio fit *cisternae frigidariae*, quae videtur esse locus subterraneus, in quo reponuntur aestate cibi, ne corrumpantur. ℙ Derivat *Fest.* ex eo, quod *cis inest infra terram*: at minus inepte *Voss. a cista.*

CISTERNINUS, a, um, adj. λακκαῖος, ad cisternam pertinens. *Colum.* 12, 43. Vasa in aqua fontana, vel cisternina mergere. Adde *Senec. ep.* 86. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 10. Aqua imbrialis vel cisternina. *B. A.*

*CISTHENE, es, f. Κισθήνη, Asiae opp., in Aeolide vel Mysia. *Plin.* 5, 30. Cisthena appellatur a *Mela* 1, 18. *med. B. A.*

CISTHOS, i, m. κίσθος, frutex, quem et cittaron vocant, seu cissaron, major thymo, foliis ocimi. Ejus duo sunt genera floris colore distincta: masculus florem habet rosaceum, femina album. *Plin.* 24, 10, 48.

CISTIBERIS, e, adj. qui est cis Tiberim. Affertur locus *Pompon. Dig.* 1, 2, 2 §. 33. Hi, quos Cistiberes diximus. Ita in celebri editione *Torrentini:* at *Haloander* habet *cis Tiberim.*

CISTIFER, a, um, adj. cistam ferens, κιστοφόρος. *Mart.* 5, 17. Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo Nubere, nupsisti, Gellia, cistifero, *h. e.* vilis ministerii homini. Alii intelligunt cistas ferentem in sacris Bacchi, vel Cereris: alii Judaeum, cujus cophinus, foenumque suppellex, ut ait *Juven.* 3, 14. *Turneb.* 3, 21. in libris suis legebat *cistigero:* at omnino legendum *cestifero.* V. CESTIFER.

CISTOPHORUS, i, m. κιστοφόρος, hoc est cistam ferens, cistifer. Vox Graeca. *Inscr.* ap. *Don.* 62, et 135. L. Lartio Antho cistophoro aedis Bellonae, *h. e.* mysteria in cista ferenti in sacris ejus Deae. ℙ Fuit nomen argentei nummi Asiatici, in quo sculpta erat imago cistae arcana Bacchi continentis: cujusmodi visuntur adhuc in nummis quibusdam M. Antonii, ap. *Vaillant.* et alios. Ejus meminit *Cic. Dom.* 20. et *Att.* 2, 6. et 16. *ad f.* et *ib.* 11, 1. Ejus valor erat quatuor circiter denariorum, *h. e.* fere trium *lire Italiane.* Porro quod ait *Cic. citat. ep* 11, 1. se habere in Asia *ad* HS. *bis et vicies in cistophoro*, idem est ac si diceret *in pecunia Asiatica.* ℙ Apud *Liv.* 37, 46. legitur *cistophorum*, in genitivo plur. pro *cistophororum.* Adde *Fest.* in *Euboicum.* De nummis cistophoris accurate agit *Eckhel. D. N. V. T.* 4. p. 352. et sqq.

CISTULA, ae, f. κιστίς. *Pl. Amph.* 1, 1, 264. Ubi patera nunc est? *Me.* In cistula Amphitruonis obsignata signo est. Adde *Rud.* 2, 3, 58. etc. *Mart.* 4, 46. Parcae cistula non capax olivae.

CITAEIS. V. CYTAEIS.

CITATIM, adv. ταχέως, celeriter. *Cic. Att.* 14, 20.

Citatim scribere. *Hirt. B. A.* 80. Ipse cum expedita copia in eum locum citatim contendit. *Quint.* 11, 3. Matronarum gravior ingressus est; ancillae citatius moventur. *Id.* 1, 1. *in f.* Nomina quaedam affectatae difficultatis quam citatissime volvere.

CĪTĀTORIUS, a, um, adj. ad citandum pertinens, hoc est ad vocandum in jus. Hinc *citatorium*, ii, vocatio in jus. *Imp. Anastas. Cod.* 12, 22, 2.

CĪTĀTUS, a, um, part. *a cito*, vehementer motus, permotus, *κινηθείς*. *Stat. Theb.* 6, 771. interdum nutu, capitisque citati Integer obsequio. *Claudian. II. Cons. Stilich.* 335. *de leonib.* ventoque citatis Terrificant Atlanta jubis. *Plin.* 7, 15, 13. Alvus citatior, *h. e.* fluxior, cita, soluta. *Senec. Med.* 852. Vultus citatus ira, *h. e.* permotus, turbatus. ℙ Item ad judicium, vel in jus vocatus, *κληθείς*. *Cic. Dom.* 18. Qui neque adesse sit jussus, neque citatus, neque accusatus. [**Suet. Tib.* 11. Citatum pro tribunali voce praeconis, conviciatorem rapi jussit in carcerem. *Id. ib.* 61. Citati ad causam dicendam.] *Id. Verr.* 2, 1, 7. Quo die primum judices citati in hunc reum consedistis. [**Liv.* 3, 38. Postquam citati senatores non convenerant, dimissi circa domos apparitores. *Id.* 1, 47. *Suet. Caes.* 74. Citatus testis. *Tac. A.* 1, 44. Citatus ab imperatore, nomen, ordinem cet. edebat.] ℙ Item ad cursum incitatus, citus, celer, *ἐξορμηθείς, ταχύς*. *Caes. B. G.* 4, 10. Rhenus per fines Trevirorum citatus fertur. *Id. B. C.* 3, 96. Equo citato Larissam contendit. *Liv.* 27, 50. Citatiore, quam venerat, agmine ad stativa sua pervenit. *Id.* 28, 14. *ad f.* Citato gradu in hostem ducebant. *Id.* 22, 6. *ad f.* Quam citatissimo poterant agmine sese abripuerunt. *Id.* 1, 57. Omnes citatis equis advolant Romam. [**Suet. Nero* 5. Puerum citatis jumentis haud ignarus obtrivit. *Propert.* 1, 8, 23. Nec me deficiet, nautas rogitare citatos, i. e. citato cursu navigantes.] *Sil.* 4, 6. volucrique citatior Euro. [**Id.* 10, 11. Penna citatior ibat. *Id.* 9, 592. Citato ense geminum transverberat.] *Juven.* 1, 60. dum pervolat axe citato Flaminiam. *Luc.* 8, 456. Cyproque citatas Immisere rates. *Senec. Herc. Oet.* 1900. Vosque mundi turba citati, *h. e.* coeli, quod perpetuo, celerique motu fertur. ℙ Translate. *Quint.* 11, 3. Aliis locis citata, aliis pressa conveniet pronunciatio. [**Id. Inst.* 9, 4. p. 870. Argumenta acria et citata. *Id. ib.* p. 872. Citati in argumentis. *Id. ib.* 11, 3. p. 1023. Roscius citatior, Aesopus gravior fuit.] *Gell.* 1, 11. *a med.* Soni tum placidi, tum citati.

CĪTĒ, adv. pro *cito* legit *Rhodius* ap. *Scrib. Compos.* 198.

CĪTER, citerior, citimus, *antique* citumus, qui cis, seu prope non est. *Cato* ap. *Prisc.* 3, 599. et 14, 989. Citer ager alligatus ad sacra erit. *Cic. Prov. cons.* 15. Alter ulteriorem Galliam decernit, alter citeriorem. [**Suet. Caes.* 56. *Tac. H.* 1, 49. Citerior Hispania.] *Flor.* 4, 12. Oceanus citerior. *Cic. Somn. Scip.* 3. *in f.* Luna, quae ultima a coelo, citima terris, luce lucebat aliena. (Adde *Univers.* 7.) *Id. De rep.* 1. ap. *Non.* 2, 126. Deduc orationem tuam de coelo ad haec cituma. *Plin.* 6, 34, 39. Citima Persidis. *subaudi* loca. (*Paul.* ex *Festo citimum* exponit extremum: intellige proximum nobis.) *Val. Max.* 9, 12. *n.* 6. Cum in carcerem duceretur, in ejus postem eliso capite, in ipso ignominiae aditu concidit, ac spiritum posuit, uno gradu a publico supplicio manuque carnificis citerior, *h. e.* remotus, absens: unus enim gradus deerat, ut ad publicum supplicium perveniret. ℙ Positivum *citer* perantiquum est, et paene obsoletum: *citerior* vero usitatissimum, et refertur etiam ad tempus. *Cic. Leg.* 3, 2. Atque ut ad haec citeriora veniam, et notiora nobis. *Id. Fam.* 2, 12. Ita molestae Quinquatrus afferebantur: nam citeriora nondum audiebamus. *Cajus Dig.* 23, 4, 15. Citeriore die reddere aliquid. *Val. Max.* 8, 15. *n.* 1. Africano consulatus citerior legitimo tempore datus est. *Id. ib.* 7. *n.* 10. *extr.* Citerioris aetatis meta, *h. e.* brevioris. *Id.* 6, 3. *n.* 11. Citeriorem delicto praebuit ultionem, *h. e.* priorem delicto: delictum puniit, priusquam admitteretur. ℙ *Citerior* idem ac minor. *Quint. Declam.* 299. In parricidae cruciatus cum omnia commenta sit antiquitas, citerior tamen est poena, quam scelus.

CITERIA, ae, f. effigies quaedam arguta et loquax ridiculi gratia, quae in pompa vehi Romae solebat: quasi pica loquax, ex *κίττα*, pica, et *ἐρεῖν*, dicere, ut *Martinius* conjectat. *Cato* ap. *Fest.* Quid ego cum illo dissertem amplius, quem ego denique credo in pompa vectitatum iri in ludis pro citeria?

CĪTĔRĬOR. V. CITER.

CĪTĔRĬUS. V. CITRA.

CĪTHAERON, onis, m. *Κιθαιρών*, mons Boeotiae prope Thebas Baccho sacer. Illae enim Thebae Bacchi patria esse dicuntur. *Plin.* 4, 7, 12. et *Mela* 2, 3. ℙ Celebris est tum propter copiam ferarum ad venandum, ut colligitur ex *Virg. G.* 3, 43., tum propter Orgia ibi celebrata, et discerptum a Bacchantibus Penthea, ut est ap. *Ov. Met.* 3. *sub f.* Hinc *Virg. A.* 4, 303. ubi auditu stimulant trieterica Baccho Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron. ℙ *Serv.* ad *G.* 3, 43. et *A.* 7, 641. tradit, Cithaeronem esse alterum Parnassi jugum: sed fallitur, cum Parnassus longe dissitus, et in alia regione sit, nempe in Phocide. ℙ *Lactant.* 1, 22. tradit, ideo *Cithaeronem* dictum esse, quod frequenter Orphei citharae cantu personaret. Alii docent ita nomen habuisse a Cithaerone Boeotorum rege: quod colligitur etiam ex *Propert.* 3, 1, 43. [*Ita *Pausan.* in Boeoticis. Cf. *Brouckh.* ad *Propert. l.* modo *laud.*] ℙ Reperitur etiam *Cithĕron* sine diphthongo, et paenultima correpta. *Auson. Idyll.* 11, 32. Sed Citheron toties ternas ex aere sacravit. *Aldus* edidit *A.* 1517. Sacravit toties ternas ex aere Cithaeron.

CĪTHĂRA, ae, f. *κιθάρα*, instrumentum musicum, de cujus forma et origine V. CHELYS. et *Isid. Orig.* 2, 3, 22. Forma citharae initio similis fuisse traditur pectori humano, quod uti vox de pectore, ita ex ipsa cantus ederetur, appellataque eadem de causa. Nam pectus Dorica lingua *κιθάρα* vocatur. Antiqua autem cithara septem chordis erat, unde *Virg.* (*A.* 6, 646.) Septem discrimina vocum. Cithara concavitatem ligni inferius habet (quam Graeci *μαγάδιν* vocant, *Cic.* vero *N. D.* 2, 59. cornu ad nervos resonans in cantibus.) *Auct. ad Herenn.* 4, 47. Citharam tenens exornatissimam, auro et ebore distinctam. *Quint.* 12, 10. *a med.* in cithara quinque constituerunt sonos: plurima deinde varietate complent spatia illa nervorum, atque iis, quos interposuerunt, inserunt alios, ut pauci illi transitus multos gradus habeant. *Virg. A.* 6, 120. Orpheus Threicia fretus cithara, fidibusque canoris. *Id. ib.* 9, 776. cui carmina semper, Et citharae cordi, numerosque intendere nervis. *Hor. Od.* 1, 15, 15. Imbelli cithara dividere carmina. *Ov. Met.* 5, 332. Movere ora vocalia ad citharam. *Plin.* 9, 8, 8. Cithara canere. *Quint.* 1, 10. Canere laudes Deorum ad citharam. *Plin. ep.* 5, 19. Cithara perite uti. ℙ Idem est quod *Chelys*, atque adeo a lyra differt, ut ibidem diximus. Nam citharae Apollo inventor dicitur, lyrae Mercurius. *Sidon. carm.* 1, 7. Arcas, et Arcitenens fidibus strepuere sonoris: Doctior hic citharae pulsibus, ille lyrae. [**Fischerus* in ind. ad *Palaeph.* s. v. *Κιθάρα* Mercurium laudat e scriptt. vett. Citharae, Apollinem Lyrae inventorem. Cf. *Gierig. Ind.* ad *Ov. Fast.*] Apud *Plin.* 7, 56, 57. inventio citharae ab aliis Amphioni, ab aliis Orpheo, ab aliis Lino tribuitur. ℙ Promiscue tamen non raro a poetis adhibetur: cujus rei exemplum habent apud *Ov. Her.* 15, 200. et 202. et *Fast.* 2, 104. et 115. ℙ Molles citharae modi, ap. *Hor. Od.* 2, 12, 3. sunt versus lyrici. [**Virg. A.* 12, 394. Cui Apollo — Augurium citharamque dabat, i. e. canendi artem docebat. — *Propert.* 2, 10, 10, Nunc aliam citharam me mea Musa docet, h. novum genus carminum.]

[CĪTHĂRĪCEN, ĭnis, m. qui cithara canit: fictum nomen a *Varr. L. L.* 7, 33. Cum a tibiis et canendo tibicen dicitur, quaerunt, cur non a cithara citharicen. *F.*]

CĪTHĂRISTĀ, ae, m. *κιθαριστής*, qui citharam pulsat sine cantu; ut *citharoedus* est, qui cum sono citharae vocem conjungit. Hoc enim discrimen tradunt *J. Scalig.* et *Voss.* Et sane id poscit Graeca appellatio. Nam *κιθαριστής*, est a simplici *κιθάρα*; at *κιθαρῳδός*, ex *κιθάρα* et *ἀείδω*, cano. *Cic. Phil.* 5, 6. Saltatores, citharistas, totum denique comissationis Antonianae chorum. Adde *Verr.* 2, 1. 20. ℙ Illud tamen discrimen non est perpetuum. Nam *Id. Div.* 2, 64. *in f.* citharistam dixit de eo, qui citharoedus fuit, nempe de Amphione. ℙ **Citharista*, *ae*, f. fuit etiam portus Galliae Narbonensis, non procul a Massilia, ubi nunc *Ceireste*. *Plin.* 3, 4, 5. et *Mela* 2, 5. *B. A.*

CĪTHĂRISTRĬA, ae, f. quae citharam pulsat, *κιθαριστρια*. *Ter. Ph.* 1, 2, 31. Quandam nactus est puellulam Citharistriam: hanc amare coepit perdite. *Id. ib.* 59. hanc eandem *fidicinam* appellat. ℙ *Citharistria* est etiam eadem ac citharoeda, quae nempe et citharam pulsat et voce canit. *Sidon. ep.* 9, 13. *in carm.* 2. Bimari remittat urbe Citharistrias Corinthus: Digiti quibus canentes, Pariter sonante lingua, Vice pectinis fatigent Animata fila pulsu.

CĪTHĂRIZO, as, n. l. *κιθαρίζω*, citharam pulso. *Nep. Epam.* 2. Nam et citharizare et cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio.

CĪTHĂROEDĀ, ae, f. quae ad citharae sonum cantat. *Inscr.* ap. *Grut.* 654, 2. Claudiae citharoedae conjugi optimae etc. Adde ap. *Mur.* 941, 1.

CĪTHĂROEDĬCUS, a, um, adj. *κιθαρῳδικός*, ad citharoedum pertinens, ut *ars citharoedica* apud *Suet. Ner.* 40. et citharoedicus habitus *ib.* 25. et citharoedica carmina *Plin.* 7, 56, 57. [**Eutr.* 7, 14. Citharoedicus habitus et tragicus. V. quae notavit ad h. l. *Tzschuck.*]

CĪTHĂROEDUS, i, m. *κιθαρῳδός*, qui ad citharae sonum canit. *Cic. Mur.* 13. Auloedus sit, qui citharoedus esse non possit. *Quint.* 1, 12. Citharoedi simul et memoriae et sono vocis et pluribus flexibus serviunt, cum interim alios nervos dextra percutiunt, alios laeva trahunt, continent, probant: ne pes quidem otiosus certam legem temporum servat: et haec pariter omnia. V. CITHARISTA. ℙ Non omnes, qui habent citharam, sunt citharoedi, proverb. ap. *Varr. R. R.* 2, 1., *h. e.* non ideo quis peritus est in ea arte, cujus artis instrumenta abunde possidet.

CĪTHĂRUS, i, m. *κίθαρος*, piscis marinus e rhomborum genere, pessimi succi. *Plin.* 32, 11, 53.

CĪTĬAEUS, a, um, adj. idem ac Citiensis. *Cic. Fin.* 4, 20. Scis enim Citiaeos, clientes tuos e Phoenicia profectos. Alii leg. *Citieos.* [*Ita *Orell.*]

CĪTĬCULA. V. COTICULA.

CĪTĬENSIS, se, adj. ad Citium pertinens, Cypri oppidum maritimum in ora australi, nunc *Larnica* sive *Arnaca*, cujus meminit *Plin.* 5, 31, 35. *Gell.* 17, 21. Epicurus Atheniensis et Zeno Citiensis, philosophi celebres. *Ulp.* 50, 12, 1. Si columnas Citiensibus promisisti. *Inscr.* in *Ephem. litter. Flor.* ann. 1787. p. 603. Imp. Caes. Nervae, Aug. P. P. Cos. II. civitas Citiensium. *Ib.* de situ urbis disseritur et Graecae etiam inscriptiones afferuntur erutae, ubi quondam ea urbs fuit.

CĪTĬEUS, i, m. *Κιτιεύς*, trisyllab. idem ac Citiensis. *Cic. Tusc.* 5, 11. *ad f.* Zeno Citieus. Alii leg. *Cittieus*, alii *Citiēus*, quadrisyllab.

CĪTĬMĔ. V. CITRA.

CĪTĬMUS. V. CITER.

CĪTĬPES, ĕdis, celeripes. *Diomed.* 3, 472. Citipedem cursum reperire.

CĪTĬREMIS, e, adj. *Argo citiremem* dixit *Varr.* ap. *Charis.* 1, 94., *h. e.* quae remis cita fertur.

*CĪTIUM, i, opp. Macedoniae. *Liv.* 42, 51. ℙ Citium, opp. Cypri. V. Citiensis. *B. A.*

*CĪTIUS, i, m. mons in Macedonia. *Liv.* 43, 21. *B. A.*

CĪTŌ, adv. *ταχέως, εὐθέως, παραχρῆμα*, brevi tempore, sine mora, celeriter. [*De discrimine inter *cito*, *celeriter*, *velociter* cf. *Döderl.* 2, 135.] *Cic. Fam.* 9, 3. Quid potissimum scribam? quod velle te puto, cito me ad te esse venturum. Et *ib.* 16, 20. Confido, si diligentiam adhibueris, cito te firmum fore. *Id. Or.* 3, 36. Negasti, qui non cito quid didicisset, unquam omnino posse perdiscere. *Id. Amic.* 21. Nimis cito. *Ov. A. Am.* 3, 685. Nec cito credideris. *Ter. Andr.* 1, 5, 20. Abi cito, et suspende te. *Id. Eun.* 1, 2, 98. Labascit, victus uno verbo quam cito! *Id. Hecyr.* 3, 1, 8. Sic citius, qui te expedias his aerumnis, reperias. *Phaedr.* 3, 6. Quam tarda es! inquit: non vis citius progredi? *Caes. B. G.* 5, 33. Per temonem percurrere, et inde se in currus citissime recipere consueverunt. [**Tac. A.* 1, 1. Pompeji Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere. *Id. ib.* 12, 38. Ni cito e vicis et castellis proximis subventum foret. *Id. H.* 2, 25. Satis cito incipi victoriam, ubi provisum foret, ne vincerentur. *Hor. A. P.* 335. Quidquid praecipies, esto brevis: ut cito dicta Percipiant animi dociles.] *Pl. Mil.* 2, 6, 45. Cito transcurrito rursum curriculo domum. *Id. ib.* 2, 1, 36. Quantum citius possum, mihi navem paro (pro *quam cito*; non imitandus.) *Hor. Od.* 1. 13. *in f.* Citius suprema die, *h. e.* prius: antequam suprema dies veniat. *Id. Sat.* 2, 2, 80. et *Petr. Sat.* 131. Dicto citius, *ἐμμελέως*. [**Ov. Fast.* 5, 547. Quid solito citius liquido jubar aequore tollit candida dies?] ℙ *Citius quam* est prius quam. *Cic. Verr.* 2, 4, 26. Vox me citius defecerit, quam nomina. *Id. Off.* 1, 18. Vicinum citius adjuveris, quam aut fratrem, aut familiarem. Adde *Pl. Pers.* 3, 3, 30., *Liv.* 8, 32. et *Hor. Sat.* 2, 5, 35. [**Ov. Met.* 5, 635. Et citius, quam nunc tibi facta renarro, In laticem mutor. — ℙ *Serius aut citius* ap. *Ov. Met.* 10, 33. Serius aut citius sedem properamus ad unam. Idem quod *Hor. Od.* 2, 3, 26. Serius ocius.] ℙ Ponitur etiam pro potius quam. *Cic. Brut.* 67. *in f.* Eam citius veteratoriam, quam oratoriam diceres. Adde *Phil.* 2, 11. ℙ *Cito* pro facile. *Ter. Adelph.* 3, 4, 78. Homo antiqua virtute ac fide: haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice. *Cic. Brut.* 76. Sed neque aptiorem cito alium dixerim, neque sententiis crebriorem. ℙ *Sat cito*, *si sat bene*, scitum dictum *Catonis* ap. *Hieron. ep.* 66. *n.* 9.

CĪTO, as, avi, atum, a. l. *ἀναχινέω, διαχινέω*, valde moveo, permoveo: frequentat. a *cieo*. *Stat. Theb.* 8, 124. Ut leo, Massyli cum lux stetit obvia ferri, Tunc iras, tunc arma citat. (Sic *Virg. A.* 12, 6. Tum demum movet arma leo.) [**Sil.* 4, 583. Citat hastam.] *Cels.* 6, 9. *ad f.* Alumen scissile in foramen conjectum dentem citat. *Id.* 4, 6. Imponitur medicamentum, quod humorem illuc citet. *Id.* 2, 19. Aliae citant urinam, aliae tardant. *Id.* 5, 28. *n.* 13. Medicamenta, quae pus citent; deinde quae purgent. *Lactant.* 7, 6. Ventorum spiritus citant nubes. ℙ De arboribus, cum radices aut ramos promovent, emittunt, producunt. *Colum.* 5, 5. *ante med.* Recidere radices, si quas in summo solo citaverint. *Id.* 3, 6. Si vitis virgam cum aliquibus racemis citat. *Id.* 4, 15. Citare materiam. Adde *Pallad.* 3, 9. ℙ *Citare canticum* est canticum canere; ea ratione qua dicimus *ciere vocem*. *Cic. Or.* 1, 59. Citare Paca-

nem, aut Nomionem. [*Huc pertinet, locus *Hor. Sat.* 1, 3, 7. qui in fine legitur, ubi vide *Heindf.*] ℙ Est etiam incitare, impellere. *Stat. Th.* 6, 834. Ergo ubi luctandi juvenes animosa citavit Gloria etc. [**Sil.* 11, 95. Tua sors te citat.] *Claud. VI. Cons. Honor.* 510. Citare gradum, *h. e.* celerius movere. ℙ Item vocare. *Liv.* 1, 47. Patres in curiam per praeconem ad regem Tarquinium citari jussit. [**Id.* 27, 24. Citare senatum in forum. *Suet. Nero* 44. Citare tribus ad sacramentum. Ita absolute. *Id. Cal.* 26. Citare nihilo minus ut vivos perseveravit.] *Colum.* 11, 1. *a med.* Mancipia vincta, quae sunt ergastuli, per nomina quotidie citare debebit. *Ov. Her.* 7, 101. Hic ego me sensi noto quater ore citari. *Catull.* 61, 42. Ad munus suum citarier. ℙ Et speciatim vocare ad judicium, adesse jubere. *Cic. Verr.* 2, 2, 40. Citat reum, non respondet. [**Id. Mil.* 19. Tota denique rea citaretur Etruria. *Suet. Aug.* 38. Ad respondendum quoties citarentur.] ℙ Joculariter *Pl. Curc.* 1, 3, 6. Ubi tu es, qui me libello Venerio citavisti? ℙ Et ad nomina danda. *Liv.* 2, 92., *Varr.* ap. *Non.* 1, 67., *Val. Max.* 6, 3. *n.* 4. et *in epit. Livii* 14. ℙ Et pro accusare. *Cic. Rabir. perduell. in f.* Omnes ii abs te rei capitis C. Rabirii nomine, citantur. *Id. Sext.* 15. *a med.* Cum equester ordo reus a consulibus citaretur. *Vitr. in praef. l.* 7. Non aliter videtur promereri, qui citat eos, quorum responsum, quid senserint scribentes, non potest coram indicari, *h. e.* Zoilus, qui Homerum mille annos jam mortuum vituperasset coram Ptolemaeo Aegypti rege. ℙ *Citare testem* est aliquem ad testificandum advocare, alicujus testimonium allegare. *Cic. Verr.* 2, 2, 59. *ad f.* In hanc rem testem totam Siciliam citabo. *Liv.* 4, 20. Veteres annales, et magistratuum libri, quos linteos in aede repositos Monetae Macer Licinius citat identidem auctores. *Id.* 38, 47. Testes citaturus fui rerum a me gestarum. [**Ov. Fast.* 5, 683. sive ego te feci testem, falsoque citavi Non audituri numina magna Jovis.] *Petr. Sat.* 2. Citare poetas ad testimonium. ℙ Aliquando ponitur pro recitare, nominare. *Cic. Fin.* 2, 6. *Omnes Danai, aut Micenenses, Attica pubes:* reliquique Graeci, qui hoc anapaesto citantur. [**Id. Off.* 1, 22, 75. Quamvis enim Themistocles jure laudetur et sit ejus nomen, quam Solonis, illustrius citeturque Salamis clarissima testis victoriae.] *Nep. praef.* Magnis in laudibus tota fuit Graecia, victorem Olympiae citari, *h. e.* publicari, praedicari. Sic *Stat. Th.* 6, 922. Thebarumque ingenti voci citari Victorem. Adde *Liv.* 29, 37. ℙ In illo *Hor. Sat.* 1, 3, 6. si collibuisset, ab ovo Usque ad mala citaret, Io Bacche; *Bentlej.* contendit legendum esse *iteraret.*

[CITOCACIUM, ii, n. herba eadem ac chamelaea. *Appul. Herb.* 111. *F.*]

CITRA, praeposit. ἐντὸς, idem quod cis, quantum ad significationem, ut *Gell.* 12, 13. docet: sed differt quantum ad usum, ut in CIS dictum est. [*Cf. *Döderl.* 3, 109.] *Cic. Att.* 16, 7. Erat cum navibus apud Heletem fluvium, citra Veliam. *Id. Phil.* 6, 3. Ut exercitum citra Rubiconem educeret. [**Cic. Fam.* 16, 4. Is locus est citra Leucadem stadia CXX.] *Id. Or.* 18. Natura in omni verbo posuit acutam vocem, nec una plus, nec a postrema syllaba citra tertiam, *h. e.* ante tertiam syllabam a postrema. [**Hor. Sat.* 1, 1, 107. Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum. *Id. ib.* 1, 10, 31. Atqui ego cum Graecos facerem natus mare citra Versiculos, i. e. in Italia natus, Italus. *Id. ib.* 2, 8, 47. Vino quinquenni, verum citra mare nato, Dum coquitur.] ℙ *Citra quam* est intra, vel propius quam. *Plin.* 2, 13, 10. Coitus Lunae defectus fit semper citra, quam proxime fuerit. ℙ Refertur etiam ad tempus, et ponitur pro ante. *Ov. Met.* 8, 365. Citra Trojana tempora. *Colum.* 2, 8. Citra calendas Octobr. seminare convenit. *Suet. Aug.* 43. Citra spectaculorum dies. [**Ov. Met.* 10, 84. Citraque juventam Aetatis breve ver, et primos carpere flores. Ita etiam dicitur de loco. *Id. ib.* 7, 238. Constitit adveniens citra limenque foresque. *Id. ib.* 11, 195. Citra pontum Nepheleidos Helles adstitit arvis, i. e. ante litora ponti. Hinc *Tac. A.* 12, 22. Unde vis Agrippinae citra ultima stetit, i. e. constitit ante ipsum imperii fastigium, ad ultimos violentiae fines progressa est. — *Quint. Decl.* 246. Saepe in scelere virtutis est nosse veneni modum, ut stetur citra mortem, i. e. ut vis ejus subsistat, antequam mortem homini inferat. Ita contra dixit *Flor.* 2, 7. Vulnera ultra mortem patebant.] ℙ Absolute, more adverbii. *Liv.* 10, 25. Paucis citra millibus lignatores ei occurrunt. *Tac. H.* 3, 23. Tela hostium citra cadebant. Adde *Plin.* 2, 17, 14. [**Ov. Met.* 5, 186. Nec citra mota nec ultra.] ℙ Eleganter ponitur pro intra vel sine: habet enim eam vim, ut *citra aliquid esse* dicatur, quod ad illud non pervenit, sed intra remanet. *Cels.* 1, 2. *a med.* Exercitationis finis esse debet lassitudo, quae citra fatigationem sit. *Colum.* 7, 6. Dare glandem capris citra satietatem. *Plin.* 7, 37, 37. Citra deformitatem oris curata orbitas luminis. *Id.* 12, 17, 40. Odor aggravans capita, citra dolorem tamen. *Id.* 12, 9, 19. Bdellium gustu amarum citra acorem. *Id.* 32, 10, 39. Ita condire carnem, ut citra fastidium sumi possit. *Id.* 26, 12, 76. Morbus regius fit etiam citra febres. *Suet. Aug.* 66. Citra honorem verborum. *Id. ib.* 24. Citra commoda praemiorum. *Id. Claud.* 35. Citra bellum terrere hostes. *Ov. Trist.* 5, 8, 23. Peccavi citra scelus. *Quint.* 1, 10. *in f.* Si nec dici citra scientiam musices potest. *Id.* 12, 10. Phidias in ebore citra aemulum fuit. [**Quint. Inst.* 1, 5. p. 69. Non latine quidem, sed citra reprehensionem loquetur. *Id. ib.* 7, 2. p. 599. Cum aliqua ex ipsa (re) citra personam quoque argumenta ducuntur, i. e. personae ratione non habita.] ℙ *Citra spem* ap. *Flor.* est praeter spem. Sic enim ille 3, 1. de Jugurtha: Citra spem omnium fortuna cessit, ut rex fraude praecipuus, fraude caperetur. ℙ [**Citra genus* est inferior, minor genere. *Ov. Met.* 10, 607. Nec virtus citra genus est.] ℙ *Citra morem* est contra morem. *Gell.* 2, 3. Citra morem ceterarum civitatum. ℙ *Citra quam* est etiam minus quam, aliter quam. *Ov. Pont.* 1, 7, 55. Culta quidem (fateor) citra, quam debuit, illa. *Id. A. Am.* 3, 757. Neve domi praesume dapes: et desine citra, Quam capies, paulo, quam potes esse, minus. ℙ Comp. *Citerius. Senec. Ira* 1, 16. *ante med.* Modo ultra quam oportet excurrit, modo citerius debito resistit. Sup. *Citime* affertur quidem a *Prisc.* 15, 1016., sed sine exemplis.

[CITRĀRIUS, ii, m. citreorum venditor. *Neapolitanorum citrariorum* mentio est in *Inscr.* ap. *Mur.* 1480, 1. *F.*]

CITRĀTUS, a, um, adj. κεδρωτὸς, citro illitus. *Plin.* 13, 13, 27. Et libros citratos fuisse: propterea arbitrarier tineas non tetigisse. Ita *Hard.* ex MSS. Alii leg. *cedratos*, eodem sensu. ℙ *Citratus* adj. a *citra*, hoc est citra positus: legitur ap. *incert. Auct. de limitib.* p. 298. et 299. *Goes.*, sed vox est lapsae Latinitatis, quemadmodum et *ultratus*, quod ibidem habetur.

CITRĒAGO, inis, f. herba apibus gratissima, eadem quae apiastrum; ita dicta quod citrei mali odorem redolet. *Pall.* 5, 8. Adde etiam 1, 37., ubi pleraeque editiones habent *citrago*, Jensoniana A. 1472. *citriago.*

CITRĒTUM, i, n. locus citris consitus. *Pall.* 3, 24. *ad f.* Citreta tegumentis defenduntur a frigore.

CITRĔUS, a, um, adj. qui ex citro est. *Cic. Verr.* 2, 4, 17. Tu maximam et pulcherrimam mensam citream a Q. Lutatio Diodoro abstulisti. *Pers.* 1, 53. Lecti citrei. *Plin.* 23, 4, 45. Citreum oleum. *Mart.* 13, 37. *in lemmate.* Mala citrea. ℙ *Citrea, ae*, est ipsa citri arbor. *Plin.* 16, 26, 44. Citreae et juniperus et ilex anniferae habentur. ℙ *Citreum, i*, est fructus citri. *Pall.* 4, 10. Citreum et in arbore potest per totum annum propemodum custodiri. *Plin.* 23, 6, 56. Citrea contra venenum in vino bibuntur vel ipsa vel semen. ℙ Legitur et *citrius, a, um.*

[CITRIA, ae, f. V. CITRUS. *F.*]

CITRINUS, a, um, adj. citreus, ut *citrinus cucumis, h. e.* citri colorem habens, ap. *Plin.* 19, 5, 23., ubi tamen *Hard.* rectius *cerinus* legi ex quodam MS. contendit.

*CITRIUM, i, n. et plur. *Citria, orum*, ap. *Apic.* 1, 21. et 4, 3. De cucurbitarum genere intelligit Listerus. *B. A.*

CITRIUS, ii, f. idem ac citrus. *Pall.* 8, 3. Hoc tempore inoculari ficus et inseri citrius potest. Ita *Aldina* A. 1514., *Gryphiana* et *Commeliniana:* at *Jensoniana* editio A. 1472. habet *citreum.* ℙ **Citrius, a, um*, adj. V. CITREUS ad f. *B. A.*

CITRO, adv. idem quod *citra*, sed adhibetur tantum cum *ultro* junctum. Itaque *ultro* et *citro* significat huc et illuc et hinc et illinc. *Cic. Rosc. Am.* 22. Postea homines cursare ultro et citro non destiterunt. *Varr. R. R.* 3, 5. *ad f.* Pisciculi ultro ac citro commeant. *Caes. B. G.* 1, 42. Cum saepe ultro citroque legati inter eos mitterentur. *Auct. B. Hisp.* 22. Responsis ultro citroque acceptis et redditis. ℙ Et omissa conjunctione. *Plin.* 2, 38, 38. Ultro, citro commeante natura. Ita edition. multae, Aldina, Elzeviriana et antiquae A. 1470. 1472.: at harum antiquissima A. 1469. et *Hard.* habent *ultro citroque.* Adde *Ulp. Dig.* 2, 13, 6. et *Suet. Cal.* 19., quamquam et in his locis lectio varia est. Nihilominus *ultro citro* qui usurpaverit, damnare non ausim, cum pari ratione *praesente absente* legatur ap. *Ter. Eun.* 5, 9, 29. Sic *velit nolit, justa injusta, digna indigna* optimi quique scriptores dicunt, ut *Donat.* ad *Ter. l. c.* adnotavit. [*Utrumque et *ultro citroque* sive *ultro et citro* et *ultro citro* aeque bene dici potest. Cf. *Beier.* ad *Cic.* l. mox *allatum* ex *Off.* 1, 17. et quos ibi laudat.] ℙ Significat etiam mutuo, invicem. *Cic. Off.* 1, 17. Beneficia ultro, citro data, accepta. Ita *Guilielm., Grut.* etc. Alii *ultro citroque. Id. Somn. Scip.* 1. Multis verbis ultro citroque habitis. *Liv.* 29, 23. Data ultro citroque fide.

CITROSUS, a, um, adj. ad citrum pertinens. *Naev.* ap. *Macr. Sat.* 2, 15. Citrosa vestis, *h. e.* odore mali citrei fragrans. Solebant enim citrea vestibus interponere, quia tineas necant, ut *Oppius* tradit ap. *Macr. ib.* ℙ Quod vero *Fest.* ait *citrosam vestem* dictam esse a similitudine citri, *Scal.* putat, hoc eum ideo dicere, quod sit undatim crispa ad similitudinem ligni citrei. Quod quam verum sit, *Festus* ipse viderit.

CITRUM, i, n. citri lignum. *Plin.* 16, 43, 84. Citrum secatur in laminas. *Mart.* 10, 98. Et citrum vetus, Indicosque dentes, *h. e.* mensam, aut lectum discubitorium, aut aliud quidpiam ex citro factum. Adde *ib.* 80. et 14, 138. *Id.* 10, 80. Inspicit aut pueros, nobiliusque citrum.

CITRUS, i, f. Duae sunt arbores apud Latinos hoc nomine, ambae a cedro diversae: ne quis putet, quod idem utrique generi Italum nomen damus, eandem arborem esse. Una est in Maurorum finibus plurima nascens et laudatissima, ex qua nobiles mensae, et ingentis pretii fiebant, ut quae latifundii taxatione aliquando vaenierint. Est autem cupresso feminae similis folio, odore, caudice; radice valde crispa, et quae praecipue in operis aestimatur. Totum vero lignum contra omnia vitia validissimum est, et immortalitate materiae praestantissimum. Haec et alia multa *Plin.* 13, 15., ubi in vulgatis libris, inquit *Hard.*, legitur *arbor cedri*, reclamantibus MSS. tum hoc loco, tum in *Indice l.* 1. *sect.* 29., ubi habetur, *de citri arbore, et de citreis mensis.* Et 5, 1, 1. scribit in Mauritania *ebori citroque* silvas exquiri. Non desunt tamen, qui *citrum* et *cedrum* unam arborem esse putant. Viderint φυτολόγοι. ℙ Arboris hujus et mensarum ex ea meminere etiam *Lucan.* 9, 426. et 10, 144., *Petr. Sat.* 119., *Mart.* 9, 60. et 14, 89. et 90., *itemque iis locis, quos in voce praeced. attulimus;* et *Stat. Silv.* 3, 3, 94. etc. ℙ Haec ab Homero θύον appellata est, ab aliis θύα. *Plin.* 13, 16, 30. *Propert.* 3, 5, 63. *thyiam* vocat. ℙ Ejus usus in mensis ante Ciceronis tempora Romae ignorabatur. *Plin.* 13, 15, 29. ℙ Provenit etiam circa Hammonis delubrum, et in inferiore Cyrenaicae parte. *Theophrast.* ap. *Plin.* 13, 16, 30. ℙ Altera *citrus* arbor est toto anno pomifera, folia habens lauri, fructum aureo colore, odore gratissimo, quae etiam malus *Assyria, Medica, Persica* appellatur, cujus fructus citreum malum dicitur. Nascitur in Media, Assyria, Perside, Italia etc. Hujus meminit *Virg. G.* 2, 126. *Serv.* ad *h. l.* et *Isid. Or.* 17, 7. quam *citriam* vocat. Triplex est, alia profert poma aurantia, alia citrea, alia *limones*, ut vocant: quae genera rursus in varia genera tribuuntur, de quibus hortorum studiosi consulendi sunt. ℙ Pomo citreo veteres non vescebantur, sed usi ad odorem conciliandum. Praeterea in vestibus condebatur, quia et gratissimum odorem iis conciliat et eas a tineis servat. (V. CITROSUS.) Vim etiam habet adversus venena. *Plin.* 13, 16. *in f.*, *Cloatius* et *Oppius* ap. *Macr. Sat.* 2, 15. et *Pall.* 4, 10. V. ASSYRIUS.

CITŪLE, adv. diminut. a *cito*, quidam leg. ap. *Appul. Met.* 10. Protinus gradus citule referens. Ita *Aldus* cum aliis; sed *Elmenhorst.*, *Prisc.*, *Flor.* et *Oudendorp.* habent *scitule;* et quidem recte: nam hic observat, celeritatem indicari voce *protinus*, praeterea nullum adesse exemplum adjectivi *citulus*, cum e contrario praesto sit auctoritas adjectivi *scitulus* a *Plauto* praesertim usurpati, quem potissime imitatur *Appulejus.*

CĪTUS, a, um, part. a *cieo*, κινηθεὶς, citatus, motus, permotus. *Cels.* 2, 3. *ad f.* Cita alvus. *Hor. Ep.* 9, 20. Hostiliumque navium portu latent Puppes sinistrorsum citae. [**Sinistrorsum citae* contra interpretum sententiam, de loco intelligentium, *Döderl.* 2, 133. translate accipit: *citae in deterius*, i. e. *in fugam turpem.* Caeterum, quum *citus* ab animantibus, ad quae quidem non suam, sed alius voluntatem sequentia, proprie pertineat, saepissime etiam ad res transferri soleat, non recte discerni hunc locum a sequentibus docet *Id. ib.*] ℙ Item incitatus, celer, velox, ταχὺς. *Sall. Cat.* 15. Citus modo, modo tardus incessus. [**Ov. Met.* 1, 543. Citae fugae labore victa. — *Tibull.* 1, 5, 3. Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo.] *Liv.* 33, 48. Nocte via cita regionem quandam transgressus. [*Usitatissimum est in rebus bellicis ap. *Ov. Fast.* 2, 741. Cito passu petitur Lucretia. *Tac. A.* 1, 63. Cito agmine cum antevenisset. *Id. ib.* 11, 1. Citis cum militibus. *Id. ib.* 12, 31. Citas cohortes rapit. *Id. ib.* 14, 26. Ipse cum legionibus citis subegit.] *Hor. Od.* 1, 37, 24. nec latentes Classe cita reparavit oras. [**Tibull.* 4, 1, 69. Praeteriitque cita Sirenum littora puppi.] *Id. Sat.* 1, 10, 92. I puer atque meo citus haec subscribe libello. [**Hor. Od.* 3, 7, 27. Neque quisquam citus aeque Tusco denatat alveo. *Virg. A.* 4, 574. Citi solvite vela. *Id. ib.* 9, 37. Citi ferte ferrum. *Id. ib.* 12, 425. Citi properate arma. *Ov. Met.* 3, 562. Ite citi *Tac. A.* 12, 12. Si citi advenissent.] *Hor. Od.* 2, 16, 29. Cita mors. *Pl. Bacch.* 4, 4, 86. Hercle est ad perdundum magis, quam ad scribendum citus. *Id. fr.* ap. *Fest.*

in *Citior*. Nullam ego rem citiorem apud homines esse, quam famam reor. *Val. Max.* 3, 8. *n.* 1. *extern.* Dum aliud forte citioris curae negotium tractatur, *h. e.* quod minorem patitur moram: quod magis urget. *Quint.* 6, 4. *ad f.* Citissimum factum. *Pl. Aul.* 4, 1, 14. et *Virg. A.* 8, 642. Citae quadrigae. [**Ov. Met.* 2, 75. Ne te citus auferat axis. — *Tibull.* 4, 1, 97. Aut signata cita loca tangere funda. *Ov. Fast.* 2, 274. Citis Ladon in mare currit aquis.] *Id. Pont.* 2, 4, 11. Horae citae. Et *ib.* 4, 7. *in f.* Equi citi. *Id. A. Am.* 3, 65. cito pede labitur aetas. *Tac. H.* 2, 40. Citus equo Numida. [**Id. A.* 2, 6. Naves citae remis. *Id. ib.* 15, 38. Simul coeptus ignis et statim validus ac vento citus.] *Id. ib.* 1, 53. Homo cito sermone, *h. e.* prompto. *Hor. A. P.* 252. Iambus pes citus, *h. e.* qui brevis est temporis et cito profertur. Sic *celeres Iambos* dixit *Id. Od.* 1, 16, 24. *Cic. Or.* 3, 57. Vox acuta, gravis; cita, tarda; magna, parva. ℙ Est etiam divisus: unde *herctum citum:* de quo V. in HERCTUM. In hac significatione primam habet longam, ut *Serv.* docet ad *A.* 8, 642.

CĪVĪCUS, a, um, adj. ad cives pertinens. *Pl. fr.* ap. *Charis.* 2, 181. Errare intra muros civicos, *h. e.* intra muros patriae urbis et civitatis. *Hor. Ep.* 1, 3, 23. Civica jura. *Id. Od.* 2, 1, 1. Motus civicus. *Id. ib.* 3, 24, 26. Civica rabies. *Ov. Pont.* 1, 2, 126. bella. *Sil.* 8, 21. invidia. *Ov. Fast.* 1, 22. Ferre arma civica pro reis, *h. e.* dicendi facultatem adhibere in reis defendendis. *Quint. Decl.* 9, 16. Concupiscere quandam humanitatis civicam gloriam, *h. e.* quae ex cive servato nascitur. ℙ *Corona civica*, inter militares nobilissima, dabatur ei, qui civem in pugna, occiso hoste, servasset. Eam dabat ipse civis servatus servatori suo, testem vitae salutisque perceptae, ut *Gell.* 5, 6. loquitur. Fuit primo ex fronte iligna: postea magis placuit ex aesculo Jovi sacra: demum ex quercu. V. QUERCUS. Eandem ex gramine factam commemorat *Vet. Schol.* ad *Cic. Planc.* 30. ap. *Maium* ed. 2. p. 169. Leges ad merendam eam fuere: civem servare, hostem occidere; utque eum locum, in quo civem servavit, eo die obtinuerit: ut servatus fateatur; alias testes nihil prosunt: ut civis fuerit tam qui servavit, quam qui servatus est; auxilia enim, quamvis rege servato, decus id non dant. Sub imperatoribus eae leges non semper servatae sunt. Ipsis enim aliquando is honos habitus ob id solum, quod cives non occidissent, postquam assiduis bellis civilibus, meritum videri coeperat, civium sanguini pepercisse. Iidem jus eam tribuendi ad se traxere, minui aliquid rati de sua potestate, si privato civi tantum decus alteri conferre licuisset. Honores ejus qui civicam obtinuerit, hi sunt: accepta corona licet uti perpetuo: ludos ineunti semper assurgi, etiam ab senatu in more est: sedendi locus in proximo senatui: vacatio munerum omnium ipsi patrique et avo paterno conceditur. Haec ex *Plin.* 16, 4, 3. et *Gell.* 5, 6., ubi plura de hac re. *Cic. Planc.* 30. At id etiam gregarii milites faciunt inviti, ut coronam dent civicam et se ab aliquo servatos esse fateantur. ℙ *Civica* absolute, eod. sensu *Senec. Clem.* 1, 26. Multis salutem dare et ad vitam ab ipsa morte revocare et mereri clementia civicam. *Quint.* 6, 3. Civica donare aliquem. [**Plin. Pan.* 13, 5. Cui decus muralis aut civica.] ℙ *Civica* est etiam cognomen Romanum masculinum, fortasse a corona civica desumptum. *Inscr.* ap. *Grut.* 250. Sex. Vetulenus Civica Pompejanus, consul an. U. C. 889. Ap. *Suet. Dom.* 10. et *Tac. Agr.* 42. Civica Cerealis Asiae proconsul.

CĪVĪLIS, le, adj. *ἀστεῖος, πολιτικὸς*, ad cives pertinens. *Liv.* 3, 28. Romani, civilem esse clamorem atque auxilium adesse inter se gratulantes etc., *h. e.* civium suorum, non hostium. *Justin.* 12. *in f.* Victus est non virtute hostili, sed fraude civili. [**Tac. H.* 3, 15. Civilis praeda. *Id. A.* 3, 54. Civiles victoriae, oppos. *externis*. *Id. ib.* 14, 60. Movetur civilis discidii specie.] *Cic. Off.* 1, 41. Mos et consuetudo civilis. [**Vell.* 2, 7. civilis dignitatis modus.] *Id. Font.* 8. Civilia studia. [**Hor. Od.* 3, 8, 17. Mitte civiles super urbe curas. *Id. ib.* 4, 15, 18. Non furor civilis aut vis exiget otium.] *Id. N. D.* 2, 31. Dii inter se quasi civili conciliatione et societate conjuncti. *Id. Att.* 7, 13. Praeclarum civile facinus. *Id. Fam.* 15, 15. Civilis sanguis. *Id. Att.* 7, 13. Civile bellum. [**Cic. Fam.* 5, 12. Tu quoque item civilem conjurationem ab hostilibus externisque bellis sejungeres. *Id. ib.* civilium commutationum scientia. *Tac. H.* 1, 60. Occasione civilium armorum atrocius proruperat, i. e. belli civilis. Adde *eund. ib.* 2, 11. et al. *Id. ib.* 1, 62. Nihil in discordiis civilibus festinatione tutius. *Ov. Met.* 7, 142. Civili cadunt acie.] *Liv.* 28, 12. Civilis exercitus, *h. e.* conflatus ex civibus. *Matius* ad *Cic. Fam.* 11, 28. At debeo pro civili parte rempublicam velle salvam. *Cic. Inv.* 1, 5. Civilis ratio. *Id. Or.* 9. oratio, *h. e.* quae habetur apud cives: popularis. *Id. ib.* 1, 43. Jus civile. [**Jura civilia* eodem sensu ap. *Hor. Sat.* 1, 9, 39. Cf. *Heindf.* ad h. l.] *Quint.* 2, 15. *ad f.* Civilis scientia, *h. e.* quae docet rationem reipublicae gerendae et inter cives vivendi. *Cic. Div. in Verr.* 5. actio, *h. e.* qua cives jus suum forensi ratione persequuntur. *Quint.* 2, 15. *ad f.* Civilia officia, *h. e.* munera, quae a civibus tum publice, tum in administranda republica, tum privatim inter se geruntur. [**Tac. H.* 2, 5. Dispositu provisuque civilium rerum peritus, i. e. rei publicae gerendae.] *Papin. Dig.* 28, 6, 7. Verba civilia, *h. e.* quibus in civilibus et forensibus actionibus ac formulis uti mos est. ℙ *Civilis vestitus* ap. *Suet. Cal.* 52. est, quo cives communiter utuntur. Similiter *civilis sermo* ap. *eund. Gramm.* 10. *in f.* est communis et vernaculus omnium civium. [**Civilis modus* apud *Tac. A.* 1, 8. Legata non ultra civilem modum dedit, i. e. non ultra solitam communem civium rationem, consuetudinem. *Plin. Pan.* 2, 7. Jam quid tam civile, tam senatorium, quam illud addidum a nobis Optimi cognomen, i. e. quod declarat, Imperatorem se putare unum ex civibus et senatoribus atque aequo jure cum illis vivere.] ℙ *Civilis quercus* ap. *Virg. A.* 6, 772. est corona civica. ℙ *Vir civilis* ap. *Quint. prooem.* 1. et 11, 1. et 12, 2. est, qui scit rempublicam administrare et cives regere; et ab Italis alicubi dicitur *repubblichista*. ℙ Aliquando *civilis* opponitur *naturali*, ut *civilis dies* ap. *Plin.* 2, 77, 79., *Varr. R. R.* 1, 28. et *Macr. Sat.* 1, 3., qui uno solis circumactu constat et noctem etiam comprehendit, qualis apud Romanos fuit a media nocte ad mediam noctem; apud Athenienses inter duos occasus; apud Umbros a meridie in meridiem; apud Babylonios a sole exorto ad exortum sequentem: cum *dies naturalis* dicatur, qui est ab exortu ad occasum solis, ut est ap. *Censor. de die nat.* 23. Sic *obligatio civilis*, quae a jure civili exoritur, apud JCtos passim opponitur naturali: et *civilis cognatio*, quae itidem a civili jure inducta est, a *Modest. Dig.* 38, 10, 4. opponitur ei, quae est a natura. Denique *civilis amor*, qui oritur ex civium conjunctione inter se, opponitur *naturali*, qui oritur ex sanguine. *Gell.* 12, 1. *in f.* ℙ Apud JCtos opponitur etiam *criminali*, ut est ap. *Scaev.*, *Dig.* 49, 5, 2. ℙ Eleganter *civilis* dicitur, qui moderatus est et eadem cum aliis civibus ratione vivendi et agendi utens atque adeo humanus, comis, facilis et dicitur saepe de viris principibus, qui civiliter et comiter cum inferioribus se gerunt, tanquam si aequo jure cum iis sint. *Suet. Claud.* 12. In semet augendo parcus atque civilis, praenomine imperatoris abstinuit. *Id. Vesp.* 11. Vespasianus civilis et clemens. *Id. Tib.* 11. Genus vitae civile admodum instituit, sine lictore aut viatore gymnasia obambulans mutuaque cum Graeculis officia usurpans. *Id ib.* 26. Civilem admodum inter initia ac paulo minus quam privatum, egit. *Id. Caes.* 75. *in f.* Civili animo ferre aliquid. *Id. Claud.* 1. et *Dom.* 12. Civilis animi esse. [**Tac. A.* 1, 72. Facere fidem civilis animi. *Id. ib.* 2, 82. Displicere regnantibus civilia filiorum ingenia.] *Id. ib.* 1, 33. Germanico civile ingenium, mira comitas. *Id. H.* 4, 5. Ut princeps loquebatur, civilia de se, de republica egregia. *Suet. Vesp.* 9. Non oportere maledici senatoribus: remaledici civile, fasque esse, *h. e.* a civibus passim usurpatum, atque adeo inter cives ferendum. [**Tac. A.* 1, 54. Et civile rebatur. *Plin. Pan.* 78, 4. Non est minus civile, et Principem esse pariter et consulem quam tantum consulem, i. e. aeque indicat animum aequalitatis inter cives studiosum et inimicum tyrannidis, si etc. *Id. ib.* 87, 1. Civile hoc erat et parenti publico convenientissimum, nihil cogere. *Eutrop.* 1, 9. Sed civiles semper essent, i. e. ne se supra cives arroganter attollerent. Hinc ap. *Tac. A.* 1, 12. Plus quam civilia agitaret, i. e. ultra dignitatem et jus civium efferri. Additur etiam ablativus rei, qua quis animi moderationem exhibet. *Plin. Pan.* 83, 7. Quam civilis incessu!] *Eutrop.* 7, 13. Civilis circa amicos. *Id.* 10, 16. in cunctos. ℙ Comp. *Civilior* hac significatione legitur ap. *Ov. Trist.* 4, 4, 13. Ipse pater patriae (quid enim civilius illo?) Sustinet in nostro carmine saepe legi. Sup. *Civilissimus* ap. *Spart. Hadrian.* 20. In colloquiis, etiam humillimorum, civilissimus fuit. Adde *Eutrop.* 8, 1.

CĪVĪLĪTAS, atis, f. *πολιτικὴ*, ars, seu prudentia tuendae ac conservandae civilis societatis. Ita hac voce usus *Quint.* 2, 15. Quam enim *πολιτικὴν* appellat *Plato in Gorgia*, ipse *civilitatem* vertit. *Id. ib.* 17. *ante med.* Aristoteles rhetoricae particulam civilitatis assignat; *h. e.* ait esse partem illius facultatis, qua civilis societas administratur. ℙ Dicitur etiam *civilitas* ea virtus, quae ad actus, et vitam publicam pertinet, et in comitate quadam et modestia constituta est, superbiae et crudelitati contraria. V. dicta in CIVILIS. Hanc *Suet.* Augusto tribuit, *in ejus Vita* 51., et cum clementia conjungit. *Id. Claud.* 35. Primis imperii diebus quamquam jactator civilitatis, neque convivia inire ausus est, etc. Adde *Lampr. Alex. Sev.* 20. et *Eutrop.* 7, 21. et alibi.

CĪVĪLĪTER, adv. *πολιτικῶς*, more civium, ut civem decet. *Cic.* ap. *Lact.* 3, 14. Philosophiae quidem praecepta noscenda, vivendum autem civiliter. (sed fortasse *Lact.* non *Ciceronis* verba retulit, sed sententiam.) *Liv.* 38, 56. Repulisse a corpore ejus viatorem, et tribunis retinentibus magis pie, quam civiliter vim fecisse. *Gell. praef.* Vir civiliter eruditus. *Juven.* 5, 112. Poscimus, ut coenes civiliter, *h. e.* communi cum aliis convivis mensa, non ut alia tibi fercula vilia et minuta ponantur, aliis exquisitiora. V. *Plin. ep.* 2, 6. et *Mart.* 3, 60 et 82. [**Tac. H.* 2, 91. Comitia consulum cum candidatis civiliter celebrans.] ℙ Item secundum leges, et jura civium. *Paul. Dig.* 50, 16, 134. Annum civiliter non ad momenta temporum, sed ad dies numerare. *Mart. ib.* 47, 10, 37. Injuriarum actio civiliter moveri potest. *Ulp. ib.* 11, 6, 1. Qui civiliter obligatus non est. ℙ Apud *eund. ib.* 47, 2, 92. *civiliter agere*, et *criminaliter agere* opponuntur. V. CRIMINALITER. ℙ Est etiam *civiliter*, moderate, facile, comiter, eo modo, quo in CIVILIS dictum est. *Ov. Trist.* 3, 8, 41. At quoniam semel est odio civiliter usus. [**Id. Met.* 12, 583. Exercet memores, plusquam civiliter iras, i. e. justo gravius, immoderate.] *Tac. A.* 3, 76. Civiliter accipere aliquid. [**Id. ib.* 4, 21. Quae in praesens Tiberius civiliter habuit.] *Senec. praef. Excerpt. contr. de Augusto.* 4. Non civiliter tantum, sed etiam familiariter questus est. *Eutrop.* 7, 8. de eodem: Civilissime vixit. ℙ Comp. *Civilius* legitur ap. *Plin. Pan.* 29.

CĪVIS, is, m. et f. *πολίτης*, homo liber, urbis, aut oppidi incola, et eodem cum ceteris jure utens. [**Plin. Pan.* 2, 3. Non enim de tyranno, sed de cive; non de domino, sed de parente loquimur. *Tac. A.* 11, 16. Illum primum, Romae ortum, nec obsidem, sed civem, ire externum ad imperium. *Hor. Ep.* 1, 17, 33. Res gerere et captos ostendere civibus hostes.] *Cic. Off.* 1, 25. Gravis et fortis civis. *Id. Flacc.* 3. *in f.* amantissimus reipublicae. *Id. Att.* 9, 19. Boni cives. *Id. Cat.* 1, 12. clarissimi. [**Suet. Tib.* 52. Egregius civis. *Plin. Pan.* 37, 3. Veteres cives.] *Id. ib.* 2, 6. Perditus civis. *Id. Tusc.* 4, 19. improbus. *Id. Balb.* 24. *in f.* Ad populum de Calliphana Veliense, ut ea civis Romana esset, tulisse. *Ter. Eun.* 4, 7, 35. Eam esse dico liberam, civem Atticam, meam sororem. [**Id. ib.* 5, 2, 19. Virginem vitiare civem. Adde *eund. Adelph.* 4, 7, 7.] *Cic. Off.* 3, 11. Esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere. *Id. Balb.* 13. Adsciscere aliquem civem. [**Cic. Fam.* 13, 30. Manlius est civis Romanus factus. Adde *Nep. Att.* 2. — *Cic. Arch.* 5. Census non jus civitatis confirmat, ac tantummodo indicat eum, qui sit census, ita se jam tum gessisse pro cive. — *Virg. A.* 11, 119. Miseris subponite civibus ignem, i. e. corporibus civium in pugna interfectorum. — *Supplicia civium* ap. *Tac. A.* 6, 40. Ne Tigranes quidem, Armenia quondam potitus, ac tunc reus, nomine Regio supplicia civium effugit. *Id. ib.* 14, 52. *Studia civium* in se vertere. *Id. ib.* 15, 20. *Judicium civium. Id. ib.* 15, 52. *Spolia civium. Id. H.* 1, 51. discordiae civium. *Id. ib.* 2, 6. Olim validissima inter se civium arma. *Id. ib.* 2, 38. Civium legiones.] ℙ Qui sequiori aevo Latinitatis *concives* dicti sunt, *Cicero* dicit *cives meos, suos*, etc. *Catil.* 1, 7. Te metuunt omnes cives tui. *Id. Div.* 2, 2. Dabunt mihi veniam mei cives. ℙ [*Dicuntur cives etiam milites e civium Romanorum numero lecti, legionarii, oppon. socii ap. *Tac. A.* 13, 8. Par civium sociorumque numerus Corbuloni esset. — *Id. H.* 2, 70. Nec tot millia insepultorum civium horruit. — Dicuntur cives etiam pro sociis *Ov. Met.* 13, 234. Erigor, et trepidos cives exhortor in hostem.] ℙ In ablativo habet *cive* et *civi*. *Ov. Fast.* 3, 282. Et cum cive pudet conseruisse manus. Adde *Juven.* 10, 278. Pro altera positione *Pl. Pers.* 4, 3, 6. Atticam civitatem auxi civi femina. Adde *Cic. Att.* 7, 3. et *ib.* 14, 11., itemque in aliis quinque locis, quae affert *Prisc.* 7, 766., in quibus omnibus *civi* haberi in vett. codd. tum ipse, tum *Voss. de Grammat.* 4, 12. testantur. Accedit analogiae ratio. Recte enim dicimus *recte* et *vecti*, *igne* et *igni*, *nave* et *navi*, et alia hujusmodi plurima, quae *Voss. ib.* congerit.

CĪVĪTAS, atis, f. *πόλις, συνοικία*, civium multitudo in eodem loco habitans, eodemque jure vivens. *Cic. Somn. Scip.* 3. Concilia, coetusque hominum jure sociati, quae civitates appellantur. *Id. Leg.* 1, 7. *in f.* Universus hic mundus una civitas communis Deorum, atque hominum existimanda est. *Id. ib.* 2, 2. Cato ortu Tusculanus, civitate Romanus. *Id. Arch.* 4. Heraclea, quae est civitas aequissimo jure ac foedere. *Id. Off.* 1, 25. Administrare civitatem. *Id. Or.* 1, 19. Instituere civitates, scribere leges. *Id. Leg.* 3, 14. Mutare statum civitatis. [**Tac. A.* 1, 4. Verso civitatis statu.] *Cic. Verr.* 2, 4, 34. *ad f.* Civitatem funditus evertere. *Liv.* 34, 41. Laeta civitas, celeberrimum ludicrum in adventum R. exercitus indixerunt. [**Tac. A.* 14, 51. Civitati grande desiderium ejus mansit. *Id. ib.* 16, 24. Omni civitate ad excipiendum Principem, spectandumque

regem effusa. *Id. ib.* 16, 30. Seditiones civitatum. *Id. H.* 1, 19. Facilis civitas ad accipienda credendaque omnia nova. *Hor. Od.* 4, 2, 51. Isque dum procedit, Io triumphe, non semel dicemus — Civitas omnis.] *Plin.* 7, 56, 57. Regiam civitatem Aegyptii, popularem Attici invenere, *h. e.* communitatem populi, cui rex imperat, et communitatem, in qua populus dominatur. [**Ter. Adelph.* 4, 5, 51. In qua civitate tandem te arbitrare vivere? *Tac. A.* 16, 22. Ut quondam C. Caesarem cet., — ita nunc te, Nero, et Thraseam avida discordiarum civitas loquitur.] ℙ Etiam integra natio, varia per oppida, aut pagos dispersa, iisdem legibus utens, et unum reipublicae corpus efficiens, *civitas* appellatur. [**Caes. B. G.* 1, 2. Conjurationem nobilitatis fecit et civitati persuasit, ut de finibus suis cum omnibus copiis exirent.] *Id. ib.* 1, 12. Omnis civitas Helvetiae in quatuor pagos divisa est. *Tac. G.* 41. Hermundurorum civitas fida Romanis. *Id. A.* 17. Brigantum civitas, quae numerosissima provinciae totius perhibetur. [**Hor. Ep.* 17, 18. Phocaeorum Velut profugit exsecrata civitas.] ℙ Saepe ponitur pro ipso jure civium. *Cic. Arch.* 4. Dare alicui civitatem. Et *ib.* 5. impertiri. Et *Balb.* 13. Donare aliquem civitate. Et *ib.* 2. Furari civitatem, genus suum ementiri. Et *Caecin.* 34. amittere. Et *ib.* adimere alicui, et libertatem. *Suet. Claud.* 25. usurpare Romanam, *h. e.* falso gerere se pro cive R. [**Suet. Caes.* 8. Civitatem petere. *Tac. A.* 11, 23. Foedera et civitatem Romanam pridem assecuti.] ℙ In illo *Cic. Mur.* 23. Homines in suis civitatibus et municipiis gratiosi: *civitates* sunt coloniae et praefecturae, quae, praeter municipia, suffragii jus habebant, ut adnotavit *Manut.* ℙ Celebre est discrimen inter *civitatem*, et *urbem*, quod haec proprie moenia et aedificia significet; illa cives, qui ibi incolunt. *Cic. Sext.* 42. Tum conventicula hominum, quae postea civitates nominatae sunt: tum domicilia conjuncta, quas urbes dicimus. *Id. Acad.* 4, 45. Non dubitavisset, quin et Roma urbs esset, et eam civitas incoleret. Adde *Sull.* 9. *ad f.* et *Caes. B. G.* 7, 15. [**Plin. ep.* 5, 1. Adhibui in consilium duos, quos tunc civitas nostra spectatissimos habuit, Corellium et Frontinum. *Suet. Cal.* 6. Romae quidem, cum attonita et moesta civitas sequentes nuntios opperientur. *Tac. A.* 3, 11. Adrecta omni civitate. *Justin.* 2, 12. Patriam municipes esse non moenia, civitatemque non in aedificiis, sed in civibus positam esse.] ℙ Nihilominus, per quandam metonymiam contenti pro continente, ponitur aliquando *civitas* pro urbe. Hinc *Verr. Flacc.* ap. *Gell.* 18, 7. recensens omnes hujus vocis usus, etiam pro loco, et oppido poni ait. *Petr. Sat.* 8. Errare per totam civitatem. *Enn.* ap. *Non.* 5, 27. Et civitatem video Argivum incendier. *Senec. Benef.* 6, 32. pererratam nocturnis comissationibus civitatem. *Quint.* 12, 9. Expugnandae civitates quamlibet praecisis impositae rupibus, aut operum mole difficiles. *Suet. Vesp.* 4. Secessit in parvam ac deviam civitatem. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 1. Civitatem condiderunt, quam Romulus Romam vocavit. *Lact.* 4, 21. Expugnare Judaeos, et civitates eorum solo adaequare. [**Tac. A.* 6, 42. Civitas potens, septa muris. Usitatissima est haec dicendi ratio ap. *Eutrop.* cf. 1, 11. Tusculum, quae civitas non longe ab urbe est. Adde 8, 7. et al.] ℙ Ita per metonymiam continentis pro contento urbs adhibetur pro civitate. V. URBS. [*Utrumque conjunctum legitur ap. *Cic. Off.* 2, 22, 78. Id enim est proprium civitatis atque urbis, ut, etc. *Id. Fam.* 9, 14. Liberasti et urbem periculo, et civitatem metu. *Caes. B. C.* 3, 80. Simul reliquis civitatibus urbis hujus exemplo inferre terrorem, et al.] ℙ In genitivo plurali habet *civitatum* et *civitatium*. Ac prior quidem positio passim legitur: altera vero habetur ap. *Varr. L. L.* 7, 38., ubi ait: In patrio casu hoc genus dispariliter dicitur, civitatum, parentum, civitatium, parentium. *Liv.* 42, 30. Optimam conditionem civitatium fore. Adde *ib.* 44. et 45, 34., *Quint.* 2, 16. et 1, 2., *Vellej.* 2, 42. et *Annaeum Cornutum* ap. *Charis.* 1, 100. Quamvis autem non ubique editiones *Livii*, *Quint.* et *Velleji* constantes fortasse sint, tamen vel una *Varronis* auctoritas dubitare non patitur. [Adde in vetustis lapidibus, et MSS. saepissime legi *civitatium*, ac praecipue in *Cod. palimps. Cic. De repub.*, ab *A. Maio* edito. *F.*]

CIVITĀTŬLA, ae, f. diminut. parva civitas. *Senec. Apocolocynt.* Hic quaestu se sustinebat: vendere civitatulas solebat, *h. e.* jura civitatis. ℙ Item parva urbs. *Appul. Met.* 10. *init.* Ad quandam civitatulam pervenimus.

CĬUS, a, um. V. CEUS, a, um.

CĬUS, ii. V. CIOS.

CL

CLĂBŬLĂ, ae, V. CLAVOLA.

CLĂBŬLĀRIS, e, et Clabularius, a, um, adj. cursus publicus ita appellatus, qui concedebatur militibus, quoties ex aliis in alia loca transferri eos oporteret. Haec vero vehicula magni ponderis capacia ad hoc destinabantur; et distincta erant a biroto, rheda, et veredo, ut constat ex *Cod. Theod.* 6, 29, 2. *Jac. Gothofredus* ad *eund. Cod.* 8, 5, 23. probat, cursum clabularem fuisse vocatum, in quo quatuor boves adhibebantur, et eundem fuisse ac angariam; etymon vero vocis non a clavis, quibus confixum undique esset vehiculum, sed a clavulis, seu taleis, quibus constabat: hinc ap. *Ammian.* 20, 4. qui illius meminit, *clavularis*, non *clabularis* quidam. Codd. habent. Sunt etiam, qui *caballaris* reponendum putant: sed *clabularis* ex MSS. fide retinet *Brisson. de V. S.* Docet autem *Cujacius* ad *Cod. Justin.* 12, 51, 22. (ubi pro *cursum ambularem* legi vult *clabularem*) ductam esse appellationem a *clabula*, quae vehiculi quoddam genus sit. Sed de *clabula* hac notione adhuc quaerendum. *Impp. Constant.* et *Julian. Cod. Theod.* 6, 29, 2. Ne quis habens unius copiam rhedae, flagitet duas, aut rhedam usurpet, cui birotum, vel veredum postulare, vel clabulare permissum est. ℙ *Lydus de mensib.* p. 1. c. 9. *Κλαβουλάριος. ὀχηματικὸς, κλάβον γὰρ τὸν οὐαχα καλοῦσιν.* Ex his constat, *Lydum* non a *clavulis*, seu *taleis*, sed a *clavo* seu *temone* hujus vocis originem deducere. Alii doctiores viderint, quid probandum.

CLACENDIX, vel Claxendix, icis, m. *Festus* habet *clacendix* (al. *calcendix*) et docet, esse genus conchae. *Prisc.* autem 5, 655. habet *claxendix*, et interpretatur concham, qua signum tegitur, affertque hoc *Plauti* fragmentum. Opposita est claxendix? at ego signi dicam quid sit. *Voss.* in *Etymol.* ex hoc *Plauti* loco colligi posse putat, claxendice tegi solere signum, quo res clauderentur, atque obsignarentur: et duci posse a Dorico *κλᾶξαι*, quod *Hesych.* exponit *κλεῖσαι*, claudere.

CLĂDES, is, f. *ἧττα*, proprie est, cum rami arborum franguntur sive tempestate, sive nimio fructuum pondere, sive etiam cum coeli, sive soli vitio inutiles facti amputari debent: a *κλάδος*, ramus, vel a *κλαδάω*, ramos amputo, vel a *κλάω*, frango. Quo videtur respexisse *Pl. Capt.* 4, 4, 3. Clades, calamitasque, intemperies modo in nostram advenit domum. V. CALAMITAS. ℙ Translate dicitur de quavis jactura, damno, calamitate, *Liv.* 2, 13, Mucius, cui postea Scaevolae, a clade dextrae manus, cognomen inditum. *Plin.* 2, 79, 81. Urbs tota terrae motu corruit, et Taygeti montis magna pars abrupta cladem insuper eam ruina pressit. [**Hor. Od.* 3, 3, 62. Fortuna tristi clade iterabitur. *Id. ib.* 3, 6, 19. Hoc fonte derivata clades Inque patres populumque fluxit.] *Suet. Ner.* 38. *de incendio Urbis.* Per sex dies ea clade saevitum est. *Albin.* 1, 12. Fortior ut possis cladibus esse tuis, *h. e.* amissione filii. *Flor.* 1, 9. Clades domus. *Sall. Jug.* 16. Affines, amicos, propinquos ceteros meos, alium alia clades oppressit. [**Ov. Met.* 7, 562. Inque ipsos saeva medentes Erumpit clades. *Id. ib.* 14, 472. Perpetimus Danai cumulum Capharea cladis. *Id. ib.* 9, 176. Cladibus pascere nostris.] *Lucr.* 6, 1089. Mortifera clades. *Id.* 5, 370. cladem importare pericli. Et *ib.* 348. Cladem late dare, magnasque ruinas. *Id. ib.* 48. superbia, ac petulantia quantas Efficiunt clades? ℙ Saepissime dicitur de jactura et calamitate, quae in bello capitur. *Liv.* 25, 19. *ad f.* Superesse cladi sua temeritate contractae. *Id.* 29, 3. Magnam cladem inferre hosti. *Cic. N. D.* 2, 3. afferre. *Sall. Jug.* 63. Pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressus fecerunt. *Curt.* 4, 1. Omni clade vastare provinciam. *Id. ib.* 12. Accipere cladem. *Id.* 7, 9. Ut omnes qui defecerant, pariter belli clade premerentur. *Id.* 4, 3. Terrestri simul, navalique clade obrui. ℙ Metonymice *clades* dicitur, qui alteri cladem infert. *Virg. A.* 6, 844. Scipiadae, clades Libyae. ℙ In genitivo plurali reperitur etiam *cladum* pro *cladium*. *Sil.* 7, 505. liceat si vincere, finem Promitti cladum. *Id.* 9, 353. Ut sola cladum tuearis nomina fama. Adde 16, 672.

[CLĂDESTĪNUS, a, um, adj. calamitosus. *Not. Tir.* p. 409. Clades, cladestinus. *F.*]

[CLĂDUS, i, m. ramus tener, surculus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 266, 1, P. Aelius Aug. Lib. Cladus. *F.*]

CLAM, *λάθρα*, latenter, occulte. Videtur *clam* esse syncop. pro *celam* a *celando*. Inepte *Festus*. Clam a clavibus dictum, quod his, quae celare volumus, claudimus. *Id.* aliter derivandam censet in V. *Calim*, quam vide suo loco. *Prisc.* 14, 988. putat adverbium esse. *Cic. Rosc. Am.* 8. *in f.* Multa palam domum suam auferebat: plura clam de medio removebat. *Plin.* 36, 2, 2. Clam occulteque facere aliquid. *Pl. Poen.* 3, 3, 49. Hic clam furtimque esse vult, ne qui sciant. *Id. ib.* 5, 2, 62. Clam furtive accipere aliquid. *Id. Truc.* 4, 3, 21. Mea nunc facinora aperiuntur, clam quae speravi fore. *Id. Bacch.* 5, 2, 27. Canis clam mordax. *Ter. Hecyr.* 3, 3, 36. Clam patrem. *Pl. Merc.* 1, 1, 43. Clam patris. *Id. ib.* 3, 2, 2. Clam uxore mea, et filio. [**Tibull.* 2, 1, 84. Palam pecori, clam sibi quisque vocet. Cf. *Heyn.* ad h. l. et quos ille laudat. *Ter. Eun.* 2, 3, 28. Vel vi, vel clam, vel precario.] ℙ *Clam habere*, *ferre aliquid* est celare, tacere. *Liv.* 31, 47. Haud clam tulit iram adversus praetorem, quod etc. *Ter. Hecyr.* 4, 1, 4. Id qua causa, clam me habuisse, dicam? Adde *ib.* 4, 4, 35. ℙ *Clam me est*, *clam te est*, me latet, nescio; te latet, nescis. *Pl. Mil.* 3, 3, 8. Quam sane magni referat, mihi clam est. *Ter. Hecyr.* 2, 1, 19. Neque adeo clam me est, quam esse eum graviter laturum credam. *Id. ib.* 4, 1, 52. Ut hic laturus hoc sit, non edepol clam me est. Et *ib.* 2, 1. Non clam me est, tibi me esse suspectum.

CLĀMĀTĬO. V. CLAMITATIO.

CLĀMĀTOR, oris, m. *κράκτης*, *κραύγαζος*, qui clamat. Saepe dicitur de rabulis, qui clamoribus ineptis, et verbosa contentione ac strepitu forum rumpunt. *Cic. Or.* 3, 21. *ad f.* Clamatores odiosi ac molesti. *Id. Brut.* 49. Ut intelligi possit, quem existimem clamatorem, quem oratorem fuisse. Adde *Gell.* 19, 9. ℙ In illo *Mart.* 12, 26. Nec venit ablatis clamator verna lacernis etc. Quidam intelligunt nomenclatorem, qui hunc et illum nomine vocat: at alii leg. *clamatus*.

CLĀMĀTORĬUS, a, um, adj. qui clamat, ut *clamatoria avis* ap. *Plin.* 10, 14, 17. 'quae scilicet inconditum, et mali augurii clamorem edit: atque ob id etiam *prohibitoria* dicitur. V. CLIVIA.

CLĀMĀTUS, a, um, part. a *clamo*, cum clamore dictus. *Ov. Fast.* 5, 189. clamataque palma theatris. ℙ Item clamando vocatus. *Ov. Met.* 2, 443. Aspicit hanc, visamque vocat: clamata refugit. *Mart.* 1, 50. Conviva clamatus. *Propert.* 2, 15, 6. Nec tibi clamatae somnus amarus erit. Adde *Stat. Silv.* 1, 2, 199. ℙ Item supremum clamatus, conclamatus. *Stat. Silv.* 2, 6, 82. durumque Acheronta videbas; Quo domini clamate sono! ℙ Item praedicatus, publicatus. *Id. Theb.* 6, 557. Et bis in Isthmiaca victor clamatus arena Phaedimus. ℙ Item clamoribus impletus. *Stat. Silv.* 4, 8, 15. dulci tremit ecce tumultu Tot dominis clamata domus, *h. e.* tot vagientium puerorum vocibus impleta.

[CLĀMĀTUS, us, m. idem ac clamor. *Paul. Nol.* 15, 279. Sed neque clamatu est, neque mobile corpus; Jam simile exanimo. *F.*]

CLĀMĬTĀTĬO, onis, f. repetitus clamor, *κραυγή*. *Pl. Most.* 1, 1, 6. Quid tibi, malum, hic ante aedes clamitatio est? Alii rectius habent *clamatio*.

CLĀMĬTO, as, avi, atum, a. 1. frequentat. a *clamo*, *κραυγάζω*, saepe, vel valde clamo, vociferor. *Cic. Div.* 2, 40. Quidam caricas Cauno advectas vendens, Cauneas clamitabat. [**Ter. Adelph.* 1, 1, 35. Venit ad me saepe clamitans, quid agis, Mincio, cur perdis adolescentem? *Plin. ep.* 9, 6. Clamitare nomen alicujus, *h. e.* alta voce dicere. *Macr. Sat.* 1, 10. *med.* Saturnalia. — Ita dicitur de turba hominum laetos clamores tollentium. *Suet. Nero* 25. Augustianos militesque se triumphi ejus clamitantibus. *Id. Tib.* 75. Morte ejus ita laetatus est populus, ut pars Tiberium in Tiberim clamitarent. — Item de multitudine seditiosa, irata, rem aliquam vehementer postulante. Ita saepissime ap. *Tac. A.* 3, 23. Ut saeva et detestanda Quirino clamitarent, *h. e.* clamando imprecarentur. *Id. ib.* 12, 7. Conglobatur promiscua multitudo, populum Romanum, eadem orare clamitat. *Id. H.* 3, 10. Turbine quodam ad exitium poscebatur: propinquum Vitellii, proditorem Othonis, interceptorem donativi clamitabant. Adde *ib.* 2, 29. et *A.* 12, 35. — Hinc de eo, qui castigat, vituperat. *Ter. Andr.* 1, 1, 117. Clamitans indignum facinus. *Suet. Aug.* 40. Visa pro concione pullatorum turba indignabundus et clamitans: En ait: *Tac. A.* 1, 18. Properantibus Blaesus advenit, increpabatque ac retinebat singulos, clamitans. — Item de infelici, periclitanti, ideoque clamores lamentabiles edente. *Caes. B. G.* 5, 7. Suorum fidem implorare coepit, saepe clamitans, liberum se, liberaeque civitatis esse. *Tac. A.* 2, 24. Cum se tanti exitii reum clamitaret, vix cohibuere amici, quominus eodem mari oppeteret. *Id. ib.* 11, 34. Et jam erat in adspectu Messalina, clamitabatque, audiret Octaviae et Britannici matrem. *Id. ib.* 11, 36. Solus Mnester cunctationem attulit, dilaniata veste, clamitans, adspiceret verberum notas etc. ℙ Translate *Cic. Rosc. Com.* 7. Nonne ipsum caput et supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, et clamitare calliditatem videntur? *h. e.* prae se ferre, ostentare.] ℙ Usurpatur passive impersonaliter a *Liv.* 1, 9. Thalassio eam ferri clamitatum. ℙ Pro vocitare. *Pl. Pseud.* 5, 1, 30. Clamitant me, ut revertar. ℙ Tribuitur etiam animalibus. *Phaedr.* 1, 9. Accipiter passerem quaestu vano clamitantem interficit.

CLĀMO, as, avi, atum, a. 1. *κράζω*, vociferari, elata voce dicere. *Cic. Mur.* 37. Ego, quod facio, judices, salutis omnium causa facere clamo, atque testor. *Id. Verr.* 2, 5, 7. *in f.* Cum maxime hoc de suo, et de uxoris interitu clamaret, *h. e.* elata voce quereretur. *Senec. ep.* 27. Clamo mihi ipse: numera annos tuos. *Ter. Andr.* 3, 2, 11. Illis, quae sunt intus, clamat de via. *Catull.*

67, 14. Ad me omnes clamant: janua, culpa tua est. *Ov. R. A.* 597. Perfide Demophoon, surdas clamabat ad undas. [**Ter. Adelph.* 1, 2, 11. Clamant omnes indignissume factum. *Propert.* 2, 27, 15. Si modo clamantis revocaverit aura puellae, Concessum nulla lege redibit iter. *Ov. Fast.* 4, 451. Chorus aequalis clamant. *Hor. A. P.* 428. Clamabit enim, pulchre, bene, recte. *Id. Ep.* 2, 1, 80. Clament periisse pudorem, Cuncti paene patres.] ℙ Regit etiam accusativum. *Petr. Sat.* 107. Invidiam facis nobis, ingenuos honestosque clamando, *h. e.* appellando, nominando. *Lucil.* ap. *Diomed.* 1, 372. E somno pueros cum mane expergitu' clamo. *Virg. A.* 4, 674. morientem nomine clamat, *h. e.* vocat. [**Id. ib.* 12, 600. Clamat se causam malorum. *Ov. Met.* 3, 244. Actaeona clamant. *Id. ib.* 6, 106. Clamare comites. *Hor. Sat.* 2, 3, 130. Insanum te omnes pueri clamentque puellae. *Id. ib.* 1, 2, 130. Miseram se conscia clamet.] Sic *Pl. Asin.* 2, 3, 10. Clamare janitorem. *Id. Aul.* 2, 4, 20. Divum, atque hominum fidem. *Ov. Am.* 1, 2, 25. triumphum. *Liv.* 22, 1. Saturnalia. *Propert.* 4, 8, 58. Territa vicinas Teia clamat aquas, *h. e.* clamore poscit. *Id.* 1, 17, 23. Illa meum extremo clamasset pulvere nomen, *h. e.* conclamasset, ut fiebat in exsequiis. *Appul. Met.* 3. Praecone publico silentium clamante: *h. e.* elata voce indicente. ℙ Passive. *Cic.* ap. *Augustin.* 3. *contra Acad.* 7. Ab eis, quos deserit, insanus, temerariusque clamabitur. Al. leg. *clamitabitur. Stat. Theb.* 5, 462. Et non speratis Lemnos clamatur alumnis, *h. e.* clamoribus vagientium puerorum oppletur. Al. leg. *celebratur.* V. similem locum in CLAMATUS. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 4, 19. *in f.* Sensus enim cujusque, et natura rerum, atque ipsa veritas clamat quodammodo, non posse etc. *Id. ib.* 2, 20. Clamat virtus, beatiorem fuisse etc. *Catull.* 6, 6. Nam te non viduas jacere noctes Nequicquam tacitum cubile clamat. [**Propert.* 1, 18, 18. An quia parva damus mutato signa calore; Et non ulla meo clamat in ore fides?] ℙ De rabulis forensibus. *Cic. Div. Verr.* 15. Quid in dicendo posset, nunquam satis attendi: in clamando quidem video eum esse bene robustum. Hinc *clamator*, quod V. ℙ Tribuitur etiam animalibus. *Phaedr.* 3, 16. Cicada multo validius clamare coepit. ℙ Et rebus inanimis. *Sil.* 4, 526. Spumea saxosis clamat convallibus unda, *h. e.* strepit, resonat. *Id.* 9, 516. clamante procella. *Stat. Theb.* 11, 116. clamant amnes, freta, nubila, silvae. Et *ib.* 10, 94. non hinc pelagi, licet omnia clament Litora, non illic coeli fragor. ℙ Ap. *Pl. Mil,* 3, 2, 10. Naso magnum clamat. i. e., valde stertit.

CLĀMOR, oris, m. *κραυγή*, vociferatio. *Cic. Div.* 2, 23. Clamorem edere. *Id. Flacc.* 6. *in f.* profundere. *Id. Q. Fr.* 2, 1. *ad f.* tollere. *Suet. Aug.* 71. Magnis clamoribus rem gerere, *h. e.* clamitando, contendendo. [**Virg. Georg.* 1, 362. Clamorem ferunt ad litora. *Virg. A.* 2, 488. Clamor ferit sidera. *Id. ib.* 4, 665. It ad atria. *Id. ib.* 11, 454. Magnus se tollit.] ℙ Pro acclamatione et plausu. *Cic. Or.* 1, 33. *a med.* Haec sunt, quae clamores, et admirationes in bonis oratoribus efficiunt. *Id. Fam.* 12, 7. Dixi de te, quae potui, tanto clamore consensuque populi, ut etc. *Id. Brut.* 95. Hortensius utroque genere florens, clamores faciebat adolescens, *h. e.* clamores de se excitabat. *Phaedr.* 5, 5. Movere plausus, suscitare clamores. *Cic. Att.* 1, 14. Si unquam mihi *περίοδοι, ἢ καμπαὶ, ἢ ἐνθυμήματα* suppeditaverunt, illo tempore. Quid multa? clamores. [**Tac. H.* 1, 62. Longumque per spatium is gaudentium militum clamor. *Id. ib.* 2, 90. Vulgus clamore et vocibus adstrepebat. *Plin. Pan.* 73, 1. Inde resultantia vocibus tecta, nihilque tantis clamoribus satis clausum. *Id. ib.* 2, 6. Clamoribus laudare. ℙ Dicitur etiam de acclamatione tristi, seditiosa. *Virg. A.* 11, 878. Et e speculis percussae pectora matres Femineum clamorem tollunt. *Ov. Fast.* 3, 221. Blando clamore nepotes tendebant ad avos brachia parva suos. *Tac. A.* 14, 8. Questibus, votis, clamore diversa rogitantium, aut incerta respondentium. *Id. H.* 1, 36. Strepere cuncta clamoribus et tumultu et exhortatione mutua. *Id. ib.* 1, 32. Dissono clamore caedem Othonis et conjuratorum exitium poscentium. Adde *Eund. ib.* 3, 10. Fremitu et clamore ceteros aspernantur, et *al. Id. ib.* 2, 44. Clamore seditiosorum et fugacium circumstrepitur. — Item de militibus pugnam ineuntibus. *Sall. Jug.* 53. Ubi propius ventum est, utrimque magno clamore concurritur. *Curt.* 4, 12. Macedones ingentem, pugnantium more, edidere clamorem, redditus et a Persis. *Id.* 3, 10. Priores Persae inconditum et trucem sustulere clamorem. Hinc de strepitu et vocibus potantium, epulantium. *Hor. Od.* 1, 27, 7. Impium Lenite clamorem, sodales.] ℙ Item pro convicio. *Cic. Att.* 2, 18. Clamoribus, et conviciis, et sibilis consectari aliquem. ℙ De voce animalium. *Virg. G.* 1, 362. celeres revolant ex aequore mergi, Clamoremque ferunt ad sidera. [**Id. ib.* 4, 76. Magnisque vocant clamoribus hostem.] ℙ Item de quocumque strepitu. *Id. A.* 3, 566. Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere. *Hor. Od.* 3, 29, 38. non sine montium Clamore, vicinaeque silvae. *Lucil.* 6, 146. nubes ignem magno clamore trucidat, *h. e.* stridore, sonitu. ℙ Olim *clamos* dictum est: sed sua quoque aetate obsoletum fuisse, indicat *Quint.* 1, 4. Legitur a multis in *Ennio* ap. *Fest.* in *Vagorem*, et ap. *Varr. L. L.* 6, 5. *ad f.*

CLĀMOSE, adv. *κραυγαστικῶς*, cum clamore. *Quint.* 11, 3. *a med.* Ne dicamus omnia clamose, quod insanum est.

CLĀMOSUS, a, um, adj. *κραυτικὸς, κραυγαστικὸς*, clamore plenus. *Stat. Silv.* 4, 4, 18. Urbs clamosa. *Id. ib.* 3, 5, 16. clamosi turba theatri. *Mart.* 10, 53. Circus clamosus. [*Adde *Juven.* 9, 144.] *Stat. Theb.* 4, 448. clamosae valles. *Sil.* 14, 269. undae clamosus Heborus. ℙ Item qui cum clamore fit. *Auct. ad Heren.* 3, 13. Continuatio est orationis enunciandae acceleratio clamosa. *Quint.* 5, 13. Clamosa actio. *Juven.* 8, 186. clamosum ageres ut phasma Catulli. ℙ Item qui assidue clamat. *Quint.* 6, 4. Clamosus altercator. [**Id. ib.* Clamosi fere sunt, qui litteras nesciunt.] *Mart.* 5, 84. magister.

*CLAMPETIA, ae, opp. Italiae infer., in Bruttiis. *Liv.* 29, 38. et 30, 19. *Mela* 2, 4. p. *m.* Clampetiae, arum, audit *Plin.* 3, 5. Hodie ejus locum *Amantia* tenet, sive *Mantia.* Graeci vetustiores (sine K) scripserunt *λαμπετία* sive *Λαμπέτεια;* ut paenultima *τοῦ* Clampetia sit communis. *B. A.*

CLANCŬLĀRĬUS, a, um, adj. *κρυπτὸς*, occultus, clandestinus. *Mart.* 10, 3. Poeta quidam clancularius. *Tertull. Pall.* 4. Tantum Lydiae clancularia licuit, ut Hercules in Omphale, et Omphale in Hercule prostitueretur, *h. e.* amica, quacum clam Hercules consueverat.

CLANCŬLO, adv. *λάθρα, κρύβδην*, clanculum. *Macr. Sat.* 5, 8. Virgilius fuit ut scrupulose et anxie, ita dissimulanter et clanculo doctus. *Appul. Met.* 3. Puer clanculo profugit. *Id. ib.* 9. Clanculo furari. Adde *ib.* 10. et *Apolog., Augustin. ep.* 54 *sub f.* et *Ammian.* 21, 12.

CLANCŬLUM, adverb. *λάθρα*, diminutiv. a *clam*, et ejusdem significationis. *Ter. Adelph.* 1, 1, 27. Alii clanculum patres quae faciunt, quae fert adolescentia, ea etc. *Id. Eun.* 3, 5, 41. Venit clanculum per impluvium. *Id. ib.* 23. Spectare sic per flabellum clanculum. [**Id. Phorm.* 5, 6, 33. Cum ejus consuevit matre clanculum.] *Pl. Cas.* 2, 8, 8. Captare clanculum sermonem alicujus. *Id. Men.* 3, 3, 8. surripere quidpiam. *Id. Poen.* 4, 2, 91. dicere aliquid.

CLANCŬLUS, a, um, adj. legitur a *Salm.* in *Tertull. Pall.* 4. Jam virum alicui clanculus functus. Sed alii leg. *clanculo.*

CLANDESTĪNO, adv. *κρύβδα, λάθρα*, clam, occulte. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 176. Clandestino committere alicui aliquid. *Pl. Mil.* 4, 1, 10. agere negotium.

CLANDESTĪNUS, a, um, adj. qui clam fit, occultus, secretus, *λαθραῖος, κρυπτός. Cic. Senect.* 12. Clandestina consilia cum hostibus. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 66. Clandestinis consiliis oppugnare aliquem. *Cic. Sull.* 11. Clandestinum scelus. *Pl. Cas.* 5, 3, 6. Clandestinae nuptiae. *Caes. B. G.* 7, 64. Clandestinis nunciis sollicitare aliquem. *Liv.* 3, 36. *in f.* Clandestinum foedus. *Lucr.* 2, 127. Clandestini et caeci motus. [**Caes. B. G.* 8, 33. Clandestina fuga se subtrahere. *Suet. Nero* 48. Clandestinus introitus. *Tac. A.* 4, 27. Coetus clandestini.] ℙ Est qui velit scribi *clamdestinus*, quod sit a *clam:* sed contra est consuetudo, et auctoritas *Vel. Longi*, p. 2237. et *Dausquii.*

CLANGO, is, n. Graecum verbum a Latinis usurpatum ad exprimendum tubae sonum. Ipsi enim quoque *κλάγγω*, et *κλαγγάζω* dicunt, tametsi latiore significatione. Est autem fictum a similitudine soni: quare non tubae solum, sed et aliis similibus vocibus tribui potest, ut ex usu vocis *clangor* apparet. *Stat. Theb.* 4, 342. et jam horrida clangunt Signa tubae. *Val. Flacc.* 3, 349. Luctificum clangente tuba. *Auct. carm. Philom.* 27. tribuit aquilis. *Accius* ap. *Non.* 6, 86. de maris strepitu usurpavit. V. locum in CACHINNO. ℙ Praeteritum alii tribuunt *clanxi*, alii *clangui:* prius videtur magis accedere ad Latinam analogiam: nam et *ango*, et *pango* habent *xi.* Neutrius tamen ullum adhuc exemplum vidimus.

CLANGOR, oris, m. *κλαγγή*, vox exprimens sonum tubae. *Virg. A.* 2, 313. Exoritur clamorque virum, clangorque tubarum. Adde *ib.* 8, 526. et *ib.* 11, 192., *Lucan.* 1, 237., *Stat. Theb.* 3, 650. et *Sil.* 2, 19. ℙ De sono litui usurpat *Pacat. Paneg. Theod.* 33., de latratu canum *Grat. Cyneg.* 186. [*Proprie dicitur de strepitu alarum. *Ov. Met.* 13, 611. Terque rogum lustrant, et consonus exit in auras Ter clangor. *Id. ib.* 12, 528. Et ingenti circum clangore Sonantem Adspexit. V. *Gebhard. Crep.* 3, 23. p. 165. et *Heins.* ad *Claud. B. Gild.* 475. — De sono cymbalorum. *Id. ib.* 3, 707.] ℙ Dicitur praeterea de variis variarum avium vocibus. Nam aquilae tribuit *Liv.* 1, 34., [*Adde *Suet. Dom.* 6.] fulicae *Plin.* 18, 35, 87., accipitri *Id.* 10, 8, 10., anseribus *Id.* 18, 35, 87. *Liv.* 5, 47. et *Colum.* 8, 13., gruibus *Stat. Theb.* 12, 517., passeri *Cic. Div.* 2, 30. *vertens locum Homeri Iliad.* 2., phoenici *Claud. carm. de Phoenic.* 45., gallinis *Appul. Met.* 9. etc.

CLANIS, is, m. nunc *la Chiana*, fluvius Etruriae in Tiberim influens. *Silv.* 8, 455. Et Clanis, et Rubico, et Senonum de nomine Sena. ℙ Quidam hic cum *Cluverio* legere malunt *Clasis*, nunc *il Chiagio.*

CLANIUS, ii, m. nunc *l'Agno*, fluvius Campaniae, qui oritur supra Abellam, et praeterfluit Acerras, Atellam, et Liternum urb., et palud. Liternam efficit in ora litorali. *Virg. G.* 2, 225. et vacuis Clanius non aequus Acerris. Adde *Sil.* 8, 537.

CLĀRĔ, adv. *λαμπρῶς*, lucide, splendide. *Vitr.* 9, 4. *ante med.* Veneris stella clarissime lucens. *Petr. Sat.* 111. et *Catull.* 66, 9. Clare fulgens. *Stat. Silv.* 4, 1, 4. Nitens clarius astris. *Plin.* 10, 20, 22. In opaco clarius micant. *Pl. Mil.* 3, 1, 36. Clare oculis videre. *Colum.* 11, 2. *circa med.* Octavo cal. Aug. Aquarius incipit occidere clare, *h. e.* cum luce. ℙ Translate est aperte, manifeste, plane. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 14. Quo proprius ea contentio accedit, eo clarius id periculum apparet. *Cic. Att.* 2, 20. Cum omnes aperte loquantur, et jam clare gemant. *Caes. B. C.* 3, 94. Clare, ut milites exaudirent, Tueamini, inquit, castra etc. *Ter. Andr.* 4, 4, 15. Unde est? dic clare. *My.* a nobis. *Pl. in f. Amphitr.* et *Bacch.* Clare plaudere. *Id. Pers.* 4, 2, 30. recitare. *Plin.* 16, 4, 5. profiteri aliquid. *Id.* 37, 2, 6. intelligere. *Id.* 10, 70, 89. Pisces clarissime audiunt. *Gell.* 4, 20. Clare ac sonore oscitare. *Mart.* 7, 92. Clare et palam petere aliquid. [**Hor. Sat.* 2, 6, 27. Clare certumque locuto. *Id. Ep.* 1, 16, 59. Jane pater, clare, clare cum dixit Apollo.]

CLĀRĔO, es, ui, n. *ἐκλάμπω, φαίνομαι*, splendeo, luceo. *Enn.* ap. *Non.* 2, 127. Hoc lumen candidum claret mihi. *Cic. Arat.* 107. rutilo cum lumine claret Fervidus ille Canis. *Claudian. Rapt. Pros.* 1, 229. divino semita gressu claruit. ℙ Translate est apparere, manifestum esse. *Lucan.* 6, 937. quod in primo quoque carmine claret, *h. e.* manifestum est ex primo libro. *Tac. Hist.* 4, 73. Quo eventu Germanica bella tractaverimus, satis claret. Al. leg. *clarum est. Claudian. IV. Cons. Honor.* 191. ventura potestas Claruit Ascanio, etc. ℙ Item illustrem esse, nobilem, celebrem. *Enn.* ap. *Cic. Senect.* 4. Ergo postque, magisque viri nunc gloria claret. *Suet. Ner.* 1. Ex gente Domitia duae familiae claruerunt, Calvinorum, et Aenobarborum. *Justin.* 2, 1. Clarere virtutibus. *Turpil.* ap. *Non. l. c.* Cujus adventu insula hodie claret Cypros.

CLĀRESCO, is, n. *περιλάμπομαι, ἐκφαίνομαι*, clarus fio, splendesco. *Tac. A.* 15, 37. Circumjecta tecta luminibus clarescere. *Senec. Herc. fur.* 124. Clarescit dies, ortuque Titan lucidus croceo subit. *Val. Flacc.* 7, 30. oblatis clarescant atria villis, *h. e.* aureo vellere splendescant. ℙ Translate apertum fieri, manifestum fieri. *Quint.* 6, 4. Neque tamen hoc ipsis monitoribus clarescit. Al. aliter leg. *Macr. Somn. Scip.* 2, 12. *ante med.* Et haec sit praesentis operis consummatio, ut, animam esse immortalem, clarescat. *Lucr.* 1, 1108. Aliud ex alio clarescit. *Lact.* 3, 2. veritas patefacta. *Virg. A.* 2, 301. Clarescunt sonitus. *Gabius Bassus* ap. *Gell.* 5, 7. Vox clarescit et resonat. *Quint.* 1, 11. Tibiae praeclusis, quibus clarescunt, foraminibus, recto modo exitu graviorem spiritum reddunt. ℙ Item celebrem, illustrem fieri. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 3. plausuque petit clarescere vulgi. *Tac. A.* 4, 52. Clarescere facinore. *Id. H.* 2, 53. magnis inimicitiis. *Id. G.* 14. Facilius inter ancipitia clarescunt. ℙ Legitur et *clarisco* in quibusdam libb. ap. *Appul. de Mundo:* ubi quidam habent etiam *clariscantes*, ut sit a *clarisco, as*, alii *claricantes*, alii *coruscantes*, teste *Elmenhorst. ib. ad* p. 63.

*CLARIAE, arum, populi Thraciae. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

CLĀRĬCĬTO, as, a. l. voco, quasi clara voce cito. *Lucr.* 5, 945. Claricitat late sitientia saecla ferarum. Ita *Lambin.* cum aliis. Al. leg. *clare citat.*

CLĀRĬFĪCĀTĬO, onis, f. actus clarificandi. *Augustin. in lib. Qu.* 83, 62. Post clarificationem Domini, idest resurrectionem a mortuis. Adde *Not. Tir.* p. 47.

CLĀRĬFĪCO, as, a. l. clarum facio. *Plin.* 20, 13, 50. Nasturtium visum clarificat. Ita edition. vett. A. 1469, 1470 et 1472. et *Aldus.* At *Hard.* quod in MSS. suis invenit *compurgat*, hoc in textum recepit. ℙ Translate. *Lact.* 3, 18. Ut nomen suum grandi aliquo facinore clarificaret. Adde *Sedul.* 4, 173. et 5, 8 et 9. et *Paul. Nolan.* 26, 304. et *Not. Tir.* p. 47.

CLĀRĬFĪCUS. V. CLARISONUS.

CLĀRĬGĀTĬO, onis, f. actus clarigandi, *h. e.* repetendi ab hostibus res suas. V. CLARIGO. Hoc sensu legitur apud *Plin. in indice* 2, 22. *n.* 3.

Quint. 7, 3. esse dicit ex iis vocibus, quae obscuriores et ignotiores sunt, et finitione indigent, si ab oratore usurpentur. ℙ Sumitur etiam pro jure capiendi hominis, vel rei cujuspiam hostilis, injuriarum, aut violati foederis causa, ἐνεχυρίασία. *Liv.* 8, 14. Veliterni jussi trans Tiberim habitare, ut ejus qui cis Tiberim deprehensus esset, usque ad mille pondo clarigatio esset; nec prius, quam aere persoluto, is qui cepisset, extra vincula captum haberet.

CLĂRĬGO, as, a. 1. antiquum verbum, quod significat res injuste ablatas ab hostibus repetere, vel damni illati compensationem postulare. Institutum enim fuit ab Anco Marcio, ex disciplina Aequicolarum, ut priusquam alicui populo bellum inferretur, legati ad eorum fines mitterentur, qui res ablatas repeterent, aliaque postulata exponerent, propter quae bellum indici necesse erat. Hostibus deinde imperata non facientibus bellum indicebatur, et inferebatur. Omnem hunc ritum *Liv.* 1, 32. diligenter exsequitur. *Clarigare* igitur dicebatur legatus, cum postulata exponebat, et res repetebat, quia nimirum *clara* voce utebatur, ut exaudiri longe posset. *Plin.* 22, 2, 3. Semper e legatis, cum ad hostes, clarigatumque mitterentur, id est res raptas clare repetitum, unus utique verbenarius vocabatur. Adde *Serv.* ad *A.* 9, 53., item ad *ib.* 10, 14., ubi aliud etymon hujus vocis proponit, quod nempe sit ἀπὸ τοῦ κλήρου, hoc est sorte. Nam per bellicam, inquit, sortem agros hostium invadebant: unde et κληρονόμοι dicuntur qui jure sortiuntur bona defuncti. Sed profecto major est auctoritas *Plinii*.

[CLĂRILLĀ, ae, f. diminut. clarae. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 14. *n.* 52. Cornelia Clarilla. *F.*]

CLĂRĬO, onis, m. diminut. clari. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1310, 6. M. Aurelio Clarioni. *F.*]

CLĂRISCO. V. CLARESCO.

CLĂRISŌNUS, a, um, adj. clare sonans, ὀξύφωνος, λαμπρόφωνος. *Cic. Arat.* 280. Clarisonae aurae. *Catull.* 64, 320. Haec cum clarisona pellentes vellera voce. *Id. ib.* 125. Clarisonas imo fudisse e pectore voces. *Scaligero* placet hic, quod in suo codice legit, *clarificas*, hoc est *claras* simpliciter; eo modo, quo *ib.* 407. *justificam mentem* dixit, hoc est justam.

CLĂRISSĬMĀTUS, us, m. status, seu dignitas eorum, qui *Clarissimi* appellabantur. *Ammian.* 21, 16. Nec sub eo dux quisquam cum clarissimatu provectus est. V. CLARUS.

CLĂRĬTAS, atis, f. σαφηνεία, λαμπρότης, splendor, lux. *Plin.* 9, 35, 54. Claritas matutina. *Id.* 2, 8, 6. Sidus Veneris claritatis est tantae, ut unius hujus stellae radiis umbrae reddantur. *Id.* 23, 4, 41. Ellychnia claritatis praecipuae. *Id.* 20, 10, 42. Asparagi oculis claritatem afferunt. *Id.* 31, 10, 46. *n.* 4. Claritatem visus adjuvat nitrum. ℙ *Ad claritatem* absolute, nempe oculorum, saepissime usurpatur in sphragidibus ocularium, qui collyria conficiebant ad curandos oculorum morbos. V. DIAPSORICUM, FLOGIUM, ISOCHRYSON. ℙ De voce. *Cic. Acad.* 1, 5. In pedibus celeritas, vis in manibus, claritas in voce. ℙ Translate sumitur pro fama, excellentia, nobilitate, dignitate, amplitudine, quibus fit, ut aliquid clarum ac notum omnibus reddatur, et magni aestimetur, εὐδοξία. Inter *claritatem* et *gloriam* hoc interesse docet *Senec. ep.* 102., quod haec multorum judiciis constet, illa bonorum. V. ibi multa de claritate. *Cic. Phil.* 1, 13. Num hujusce, cum pro salute reipublicae tanta gessisses, fortunae te, num amplitudinis, num claritatis, num gloriae poenitebat? ℙ Frequenter tamen latiori significatione adhibetur. *Cic. Fam.* 13, 68. Quae quamquam ex multis pro tua claritate audiam, tamen, etc. *Plin.* 14, 14, 16. Esse in claritate. *Quint.* 5, 11. Excellere claritate nascendi. *Nep. Eum.* 3. Viri claritate praestantes. *Quint.* 8, 6. Claritas generis. *Hirt. B. Afr.* 22. nominis. *Tac. H.* 1, 49. natalium. *Flor.* 3, 12. rerum bellicarum. *Plin.* 4, 7, 12. Nec cedentes Athenis claritate Thebae. *Id.* 14, 4, 6. Vino Maroneo antiquissima claritas. *Id. ib.* 5. Cato insignis claritate litterarum. *Id.* 13, 22, 43. Claritatem dare alicui rei. *Id.* 24, 19, 120. Nunc ipsa claritas herbarum dicetur, *h. e.* clariores, et nobiliores herbae recensebuntur. ℙ In plurali numero *Plin.* 35, 8, 34. Claritates operum. *Id.* 37, 13, 77. ingeniorum. ℙ Accipitur etiam pro perspicuitate et evidentia sermonis, qua res ita exponuntur, ut manifestae et clarae fiant. *Quint.* 8, 3. Contingit eadem claritas etiam ex accidentibus, etc. ℙ *Claritas Julia* fuit oppidum Hispaniae Baeticae, etiam Attubi appellatum. *Plin.* 3, 1, 3.

CLĂRĬTŪDO, inis, f. claritas. De voce *Gell.* 7, 5. Histrio, qui gestus, et vocis claritudine et venustate ceteris antestabat. εὐφωνία. [*De stellae splendore *Tac. A.* 1, 28. Si fulgor et claritudo deae redderetur, i. e. lunae.] ℙ Translate est fama, dignitas, nobilitas, amplitudo. *Sall. Jug.* 2. *in f.* Artes animi, quibus summa claritudo paratur. Et *ib.* 7. In tantam claritudinem brevi pervenerat, ut, etc. *Vellej.* 2, 130. Eminere claritudine. *Tac. A.* 4, 6. Claritudo militiae. *Id. ib.* 15, 71. nominis. *Id. ib.* 35. familiae. *Id. ib.* 65. virtutum. *Id. ib.* 12, 8. studiorum. [**Id. ib.* 2, 43. *in f.* Claritudo materni generis. *Id. ib.* 3, 55. Dites olim familiae nobilium, aut claritudine insignes. *Id. ib.* 3, 65. Claritudinem protegere obsequiis. *Id. ib.* 12, 2. Claritudinem Caesarum aliam in domum ferre. *Id. H.* 2, 78. Summa claritudo juveni admodum Vespasiano promissa.] *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 101. Celeriter conficere aliquid cum summa claritudine.

CLĂRĬTUS, adv. pro clare, ut *publicitus* pro *publice*, olim dictum fuisse, ex *Celso* docet *Charis* 1, 190.

*CLĂRĬVĬDUS, a, um, adj. qui clare videt. *Marc. Empir.* 18. Clarividi sensus. *B. A.*

CLĂRĬUS, ii, m. Κλάριος, epitheton Apollinis a Claro oppido, ubi colebatur. *Virg. A.* 3, 360. Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis. *Ov. A. Am.* 2, 80. Clario Delos amata Deo. *Stat. Th.* 8, 199. Clariae fores. ℙ *Clarius* appellatur ab eodem *Ov. Trist.* 1, 6, 1. Antimachus poeta Graecus, qui Claron oppidum patriam habuit, vel, ut alii volunt, Colophonem, quae non longe a Claro sita est, ut ex *Plin.* 5, 29, 31. constat. Maluit autem *Ov.* a loco Apollini sacro denominare, quod poetae sub Apollinis tutela sunt. *Cic. Brut.* 51. Antimachus Clarius poeta.

CLĂRO, as, a. 1. clarum facio, illustro, λαμπρύνω. *Cic. Arat.* 39. acstatis primordia clarat. *Stat. Th.* 5, 284. ita fatus in aera rursus Solvitur, et nostrum vivus arcentibus umbris, Mitis iter longae claravit limite flammae. ℙ Translate est ostendere, declarare. *Cic. carm. de suo consul.* 1, 12. Juppiter excelsa clarabat sceptra columna. *Lucret.* 4, 778. multaque nobis Clarandum est, plane si res exponere avemus. *Id.* 3, 35. Hasce secundum res animi natura videtur, Atque animae claranda meis jam versibus esse. *Appul. de Deo Socrat.* Clarare obscura. ℙ Item illustrem ac famosum reddere. *Hor. Od.* 4, 3, 3. Illum non labor Isthmius Clarabit pugilem.

CLĂROR, oris, m. claritas, splendor, λαμπρότης. *Pl. Most.* 3, 1, 111. Aedes filius tuus emit: sed scin' cujusmodi? speculo claras, clarorem merum.

CLĂROS, i, f. Κλάρος, oppidum Ioniae cum fonte, luco, et templo Apollini sacro, qui propterea *Clarius* cognominatus est, apud Colophonem urbem, conditum a Manto Tiresiae filia. *Nearchus* dicit, id nomen loco datum a κλῆρος, sors, quod Apollini per sortem obtigerit. Epota aqua fontis mira oracula reddebantur, breviore tamen vita bibentium, ut *Plin.* 2, 103, 106. *ad f.* narrat. *Ov. Met.* 1, 515. mihi Delphica tellus, et Claros, et Tenedos, Pataraeaque regia servit. V. multa de hoc Apollinis oraculo ap. *Tac. A.* 2, 54.

CLĂRUS, a, um, adj. λαμπρός, lucidus, splendens. *Cic. Somn. Scip.* 2. Illustris et clarus locus. *Id. Sull.* 14. Clarissimum lumen. *Quint.* 5, 12. Clarissimus sol. *Hor. Od.* 3, 1, 42. Sidere clarior. *Pl. Most.* 3, 1, 11. Aedes clarae. *Hor. Carm. saec.* 23. Clarus dies. *Virg. G.* 1, 460. aquilo, *h. e.* serenum inducens, ut *Serv.* exponit. *Hor. Sat.* 2, 7, 48. Clara lucerna. *Lucret.* 5, 1257. Claro colore splendere. *Id.* 5, 232. Clarus candor. *Ov. Met.* 4, 355. Clarum vitrum, *h. e.* pellucidum. *Lucr.* 1, 1001. Clara flumina. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. Clarissimae gemmae. [**Virg. A.* 9, 19. Clara tempestas. *Id. ib.* 2, 569. Clara incendia. *Tac. A.* 1, 28. Clarum coelum. *Tibull.* 3, 3, 4. Insignis clara conspicuusque domo. *Virg. G.* 4, 93. Hic melior, insignis et ore, Et rutilis clarus squamis (de rege Apium). *Id. A.* 9, 582. Ferrugine clarus Hibera, i. e. splendens purpura Hispana, quae erat nigricantis coloris. *Id. ib.* 8, 673. Argento clari delphines. *Ov. Met.* 15, 190. Lucifer Clarus equo *Id. ib.* 13, 704. Clara auro gemmisque corona.] ℙ De voce ac sono. *Cic. Cluent.* 48. Clara voce, ut omnes audire possent, dixit. *Caes. B. G.* 5, 30. Clariore voce dicere. *Lucr.* 4, 569. Clarus sonor. *Pl. Poen.* 5, 3, 27. clamor. *Id. Asin. in f.* Dare plausum clarum. *Ov. Met.* 4, 138. Clarus plangor. *Id. ib.* 13, 806. Clari latratus. *Id. ib.* 2, 625. Clarus ictus. [**Suet. Luc.* 5. Clarior strepitus.] ℙ Translate ponitur pro manifesto, aperto, patenti. *Cic. Verr.* 2, 3, 25. Clara res est, quam dicturus sum, tota Sicilia celeberrima atque notissima. *Id. Rosc. Com.* 3. Ego, quae clara sunt consuetudine, diutius dicere non debeo. *Id. Catil.* 1, 3. Luce sunt clariora nobis tua consilia. *Id. Att* 6, 9. Admiratus sum σύγγνων litterularum, quae solent tuae compositissimae et clarissimae esse. *Plin.* 7, 14, 12. Massinissam post LXXXVI. annum generasse filium, clarum est. [**Tac. A.* 4, 11. Clarum exemplum. *Id. ib.* 6, 22. Clara documenta. *Id. ib.* 16, 34. Clarius proloqui. *Ov. Fast.* 3, 28. An somno clarius illud erat? *Ter. Hec.* 5, 4, 1. Vide, ut mi haec certa et clara attuleris. Ita saepissime haec verba leguntur. *Liv.* 22, 39. Omnia non properanti clara certaque erunt. V. *Gronov.* ad *Senec. de morte Claudii* 1. et ad *Liv.* 1, 18.] ℙ Saepissime pro nobili, insigni, excellenti, celebri. *Cic. Or.* 2, 37. Vir gloria clarus, auctoritate gravis. *Id. Rabir. Post.* 9. Ex doctrina nobilis et clarus. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. Clarissimi in ea scientia. *Liv.* 9, 7. Clarus genere et factis. *Cic. Senect.* 7. Viri clari et honorati. *Id. Verr.* 1, 15. Vir fortissimus et clarissimus. *Id. ib.* 2, 5, 58. *ad f.* clarissimus et fortissimus. *Id. Or.* 1, 45. amplissimus et clarissimus. *Id. Amic.* 27. Virtus clara et insignis. *Id. Tusc.* 1, 48. Clarae mortes pro patria oppetitae. *Ov. Her.* 17, 52. Domus clara nobilitate. *Vellej.* 2, 127. Clarissimae, veteresque familiae. *Pl. Pseud.* 1, 5, 111. Clara et memorabilis pugna. *Vellej.* 2, 9. Clara ingenia. *Nep. Thras.* 2. Clarissima civitas. *Ov. A. Am.* 3, 338. Clarum opus. [**Suet. Gr.* 4. Clari professores. *Hor. Sat.* 1, 6, 58. Clarus pater. *Id. ib.* 1, 6, 91. Clari parentes. *Ov. Fast.* 1, 471. Clarus utroque (sc. parente.) *Id. Met.* 11, 218. Conjuge clarus. *Tac. A.* 1, 1. Clari scriptores. *Id. ib.* 4, 33. Clari ducum exitus. *Id. ib* 4, 74. Clarum inter Germanos Frisium nomen. *Id. ib.* 12, 29. Clarus acceptusque popularibus. *Id. ib.* 12, 31. Multa et clara facinora. *Id. ib.* 12, 35. Clara victoria. *Id. ib.* 12, 37. Clari majores. *Id. ib.* 14, 37. Clara et antiquis victoriis par ea die laus parta. *Id. ib.* 15, 48. Claro rumore esse apud vulgum. *Id. H.* 1, 22. dum novos motus, et clarum Othoni annum, observatione siderum, affirmant.] *Plin.* 6, 27, 31. Clara flumina. *Id. ib.* 28, 32. oppida. *Cic. Fin.* 3, 2. Cato quasi heluari libris, si hoc verbo in tam clara re utendum est, videbatur. *Sil.* 1, 564. Jam patribus, clarisque senum sua munia curae. [*Ita absolute dicitur *clarum* et *clara* pro factis egregiis, honestis. *Tac. A.* 14, 52. Quem ad finem nihil in Rep. clarum fore, quod non ab illo reperiri credatur? *Sil.* 1, 570. Grassandum ad clara.] ℙ Cum genitivo. *Plin.* 37, 1, 4. Clarissimus artis ejus. *Vellej.* 2, 5. Clarissimus disciplinae. ℙ Aliquando *clarissimus* vox fuit, qua senatores, et consules honoris causa appellabantur, ut est ap. *Plin. ep.* 7, 33., *Lampr. Elag.* 4. et *Alex. Sev.* 21. et *Mart. Dig.* 49, 14, 18. Hinc *clarissimus* vir dicitur P. Servilius Vatia collega in consulatu App. Claudii Pulcri an. U. C. 675. ap. *Cic. Fam.* 13, 68. Postea omnes proconsules, item consulares, correctores provinciarum, et alii, uti constat ex *Cod. Justin.* 8, 14, 5. Ex *Marin. Frat. Arv.* p. 544. ita est appellatus praefectus praetorio, ex *eod. ib.* p. 528. magister Fratrum Arvalium, item ex *Inscript.* ap. *Grut.* 270, 6. et 1081, 1. pontifices, et ex alia ap. *eund.* 173, 5. magister Saliorum. *Clarissimus ordo* est senatorius ap. *Vopisc. Aurel* 18. *in f.* V. ILLUSTRIS. *Clarissimae* feminae apud *Ulp. Dig.* 1, 9, 8. Feminae nuptae clarissimis personis clarissimarum personarum appellatione continentur: clarissimarum feminarum nomine senatorum filiae, nisi quae viros clarissimos sortitae sunt, non habentur. *Clarissimus juvenis*, et *clarissimus puer*, et *clarissima puella* dicebantur filii clarissimorum virorum, quod multis confirmat exemplis *Jo. Labusius* in *Dissert. intorno l'ant. Marm. di C. Giulio Ingenuo*, ac praesertim hac inscriptione *ib.* p. 23. T. Flavius Secundus Philippianus *Vir. Clarissimus* Leg. Auggg. prov. Lugud. cum Julia Nepotilla *Clarissima Femina* sua, et T. Flavio Victorino Philippiano *Clarissimo Iuveni* Trib. Mil. Leg. V. Maced., et T. Flavio Aristo Ulpiano *Clarissimo Puero.* Alia *Inscr.* ap. *Passionei cl.* 9. *n.* 44. Scribonia Maxima *Clarissima Puella* vixit diebus XLV.

CLASSĬAM Unimammiam vel unomammiam cum dixit *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 75. joculariter intelligi voluit regionem Amazonum, quae dexteram mammam ferro secabant, quo expeditius arma tractarent. V. AMAZON.

CLASSĬĂRĬUS, a, um, adj. ad classem pertinens. *Classiarii* sunt milites, qui in classe, hoc est instructis bello navibus pugnant, ἐπιβάται. *Nep. Them.* 3. Classis Graeciae cum classiariis regis conflixit. *Tac. A.* 12, 56. Reliqua lacus classiarii tectis navibus obtinebant. *Id. ib.* 14, 8. Oloaritus centurio classiarius. [**Hirt. B. Alex.* 20. Remigum magnus numerus et classiariorum ex longis navibus nostris in molem se ejecit.] ℙ Hoc genus militiae parum honestum apud Romanos fuit. Itaque justis militibus classiarii opponuntur ap. *Suet. Galb.* 12. Nam hoc nomine veniunt etiam ipsi nautae, qui in classe sunt et remigio inserviunt, τὸ ναυτικόν. *Caes. B. C.* 3, 100. Per equites dispositos aqua prohibere classiarios instituit. *Hirt. B. Alex.* 12. Cum non jam virtute propugnatorum, sed scientia classiariorum se victos viderent. *Tac. A.* 14, 4. Triremi et classiariorum remigio vehi. ℙ Classiarii etiam pro cursoribus (Italice *corrieri*) habiti. *Suet. Vesp.* 8. Classiarios, qui ab Ostia et Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes constitui aliquid sibi calcearii nomine, jussit posthac excalceatos cursitare. ℙ Quamquam nihil fere de fabris navalibus apud rerum antiquarum scriptores occurrat et eorum mentio tantum sit in *Inscr.* ap. *Grut.* 640, 1., (V. NAVALIS) ii tamen

classiariorum nomine significari videntur in hac *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 477, 10. Conleg*ium* Dendrophor*orum* et Classiar*iorum* Misenatium Aurelio Canusio Q. Fil. Praenestino patrono optimo aere *communi* fieri cens*uit*. Cum in hoc titulo Classiarii Dendrophoris copulentur, iis scilicet, qui materiem ad classem aedificandam vel reficiendam comportabant, (V. DENDROPHORI.) videntur illi nec milites, nec remiges vel nautae fuisse, sed fabri, qui in Misenensi navali navibus fabricandis vel reficiendis operam dabant. Sic *ballistarii* dicti sunt, qui ballistas facerent et qui ballistis missilia jacerent. V. *Morcell. De stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 146. *edit. Patav.*

CLASSĬCEN, inis, m. V. CLASSICUS.

CLASSĬCŬLA, ae, f. parva classis. *Cic. Att.* 16, 2. Cassius cum classicula sua venerat.

CLASSĬCUM, i, n. quasi *calassicum*, a *calo*, voco: est sonus tubae aut cornu, quo populus per suas classes ad comitia vel concionem convocabatur, ut colligitur ex *Varr. L. L.* 5. *sub f.* ℙ Sed praecipue dicitur de signo, quod tuba datur in castris et classe ad milites convocandos, pugnam indicendam aliarumque militarium actionum tempora significanda. *Liv.* 7, 36. Consul classico ad concionem convocat. *Suet. Caes.* 32. Ingenti spiritu classicum exorsus. *Id. Vitell.* 11. Urbem ad classicum introiit paludatus. *Lucan.* 2, 528. Jubere classica. *Id.* 4, 186. dare bello. *Id.* 7, 476. concipere cornu. [**Hor. Ep.* 2, 5. Neque excitatur classico miles truci. *Lucan.* 4, 395. Non proelia fessos Ulla vocant: certos non rumpunt classica somnos.] ℙ Classici signum erat praecipuum imperatoriae dignitatis. Eo enim jubente solummodo atque etiam praesente, canebatur et cum in militem capitaliter animadvertebatur. *Caes. B. C.* 3, 82. de Pompejo: Suum cum Scipione honorem partitur classicumque apud eum cani et alterum illi jubet praetorium tendi. Hinc *praetoria classica* dixit *Prop.* 3, 2, 41. Adde *Liv.* 28, 27. *ad f.* et *Veg. Mil.* 2, 22. ℙ Ipsum quoque instrumentum, quo signum datur, *classicum* dicitur, uti docet *Ascon.* in *Div. Verr.* 17., itemque *Serv.* ad illud *A.* 7, 637. Classica jamque sonant: it bello tessera signum. *Virg. G.* 2, 539. Inflare classica. *Tibull.* 1, 1, 46. Classica pulsa, *h. e.* inflata, *κατάχρησις*.

CLASSĬCUS, a, um, adj. ad classem pertinens, qua ordinem seu partem populi significat. *Gell.* 7, 13. docet, *classicos* appellatos esse a *Catone* non omnes, qui in classibus erant, sed primae tantum classis homines, qui centum et viginti quinque millia aeris, ampliusve censi erant: *infra classem* vero, qui in secunda classe et in aliis describebantur: quod confirmat *Fest.* in voce *Infra.* ℙ Praeterea *classici* dicti sunt cornicines, qui populum per classes ad comitia vocabant. *Varr. L. L.* 5. *sub f.* Qui de censoribus classicum ad comitia centuriata redemptum habent, uti curent eo die, quo die comitia erunt, in arce classicus canat. *Id. ib.* 4, 16. *extr.* Tubicines a tuba et canendo, similiter liticines et classicos a classe: qui item cornu canunt, ut tum, cum classes comitiis ad comitatum vocant. Leg. hic quidam *classicines.* ℙ *Classici scriptores* translate vocantur, qui in prima veluti classe sunt, qui vulgo probantur et auctoritatem legitimam ex communi consensu obtinent. *Gell.* 19, 8. *ad f.* Classicus assiduusque aliquis scriptor, non proletarius. ℙ Similiter *classici* testes, qui censu aliquo sunt et fide digni: cujusmodi signandis testamentis adhibebantur. *Fest.* ℙ Refertur etiam ad classem, qua naves bello instructas significat. *Prop.* 2, 1, 28. Aut canerem Siculae classica bella fugae. *Vell.* 2, 85. Classicum certamen. *Id. ib.* 81. Coronae classicae insigne, *h. e.* navalis. ℙ [*Item ad *Classicum. Auct. Pan.* ad *Pis.* 129. Nec semper in armis Bellica turba manet: nec tota classicus horror Nocte dieque gemit, i. e. Classici sonus horrorem injiciens.] ℙ *Classici, orum* sunt iidem qui classiarii, *h. e.* in classe remigantes. *Curt.* 4, 3. Tandem remis pertinacius everberatum mare, velut eripientibus navigia classicis, cessit. *Tac. H.* 1, 31. Legio classica, *h. e.* conflata e classiariis ad justam militiam evectis, de quibus ex *Suet.* in CLASSIARIUS dictum est. *Id. ib.* 2, 17. Intercepti centum equites, ac mille classici. Adde *Liv.* 26, 48. V. NAVALIS. ℙ *Classica* fuit appellata Forum Julii, nunc *Frejus*, in Gallia Narbonensi, quod navale fuit Augusti; ait enim *Strabo l.* 4. *Τὸ ναύσταθμον τὸ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ, ὃ καλοῦσι Φόρον Ἰούλιον. Plin.* 3, 4, 4. Forum Julii, Octavanorum colonia, quae Pacensis appellatur et Classica.

CLASSIS, is, f. *σύνταξις*, coetus, ordo seu pars civium distributorum ratione census. Servius enim Tullius, ut narrat *Liv.* 1, 43., populum in quinque classes divisit, habita ratione census, ut qui centum millium aeris, (*Plin.* 33, 3, 13. centum et decem millia aeris ponit: *Fest.* in *Infra* centum viginti millia: *Gell.* 7, 13. centum vigintiquinque millia) aut majorem censum haberent, primae classis essent: secundae, usque ad quinque et septuaginta millia: tertiae quinquaginta millium censum esse voluit: quartae quinque et viginti millium: quintae demum undecim millium. Qui vero minus hoc censu habuissent, proletarii et capite censi dicti sunt, nec ullam propriam classem constituerunt. *Cic. Acad.* 4, 23. Quis hunc philosophum non anteponat Cleanthi, Chrysippo, reliquisque inferioris aetatis? qui mihi cum illo collati, quintae classis videntur. *Id. Phil.* 2, 33. Prima classis vocatur: renunciatur: deinde, ut assolet, suffragatum secunda classis vocatur etc. V. CENTURIA. ℙ Transfertur ad alios ordines. *Quint.* 1, 2. Cum praeceptores pueros in classes distribuunt. *Colum.* 1. *sub f.* Classes non majores, quam denum hominum faciundae, *scil.* operarum. *Suet. Tib.* 46. Tres classes comitum facere. *Petr. fr. Tragur. Burm.* 74. Abite, ut alii veniant ad officium. Subiit ergo alia classis, *scil.* servorum. *Quint. ib.* Ducere classem. ℙ Saepissime vero dicitur de multitudine navium ad militarem usum instructarum. *Cic. Manil.* 4. Maximas aedificare et ornare classes. *Id. Verr.* 2, 5, 51. Instruere atque ornare classem. *Id. Flacc.* 14. comparare. *Caes. B. G.* 4, 21. et *B. C.* 3, 42. facere. *Curt.* 3, 5. praeparare. Et *ib.* 10, 2. parare. *Nep. Con.* 4. contrahere. *Virg. A.* 4, 289. aptare. Et *ib.* 299. armare. Et *ib.* 309. moliri. *Cic. Fl.* 14. Classis navigat. *Id. ib.* Navigare classe. *Id. Verr.* 2, 1, 18. Mille numero navium classem ad Delum appellere. *Nep. Milt.* 1. Classe proficisci. *Cic. Verr.* 2, 5, 31. Classi praeesse. *Id. Or.* 45. Poenos classe devincere. *Id. Verr.* 2, 5, 52. Capere et incendere classem. *Sall. Jug.* 81. Fundere et fugare classes. *Plin.* 7, 56, 57. Classe depugnare. *Cic. Off.* 3, 11. valere. *Nep. Them.* 3. Classis Graeciae cum classiariis regis conflixit. [**Caes. B. C.* 2, 43. Classis celeriter advolabit. *Nep. Alc.* 3. Classis exibit. *Id. Them.* 7. Classis fecit naufragium. *Id. Hann.* 11. Classis aciem constituere. *Hirt. B. Alex.* 15. Classis imperium obtinere. *Nep. Alc.* 8. Classem constituere. *Caes. B. C.* 1, 36. Classem dimittere quoquo versus. *Nep. Timoth.* 3. Classem supprimere. *Ov. Fast.* 6. 194. Classis obruta aquis. *Id. Met.* 13, 422. Classem conscendere, i. e. navem e classe Graecorum. *Virg. A.* 1, 390. Quassatam classem subducere. *Id. ib.* 3, 117. Classem sistere in oris. *Id. ib.* 9, 81. Formare classem, i. e. aedificare.] ℙ Narrat *Suet.* in *Vita August.* 49. illum classem Miseni et alteram Ravennae ad tutelam superi sive Hadriatici maris et inferi sive Tyrrheni collocasse. Similia habet *Tac. A.* 4, 5. Hinc plurimae leguntur inscriptiones ap. *Grut., Mur.* aliosque collectores, quae militibus utriusque classis positae fuerunt. Ex *Veg. Milit.* 5, 1. compertum est, classem Miseni Galliam, Hispaniam, Africam, Aegyptum, Sardiniam atque Siciliam; classem vero Ravennae Epirum, Macedoniam, Achajam, Propontidem, Cretam, Cyprum petere consuevisse. Quot navibus singula classis constaret, ignoratur omnino, licet quidam existiment, eas CCL. fuisse. *Jos. Vernazza, Diplom. di Adrian.* p. 30. rectissime conjicit ex *Inscr.* ap. *Grut.* 383, 7. classem Misenensem potioris juris fuisse, quam Ravennatem. *Id. ib.* p. 16, probat, utramque an. U. C. 856., a Chr. n. 105. praetoriae appellatione decoratam fuisse; ex quo cujusque inscriptionis, quae ad classiarios pertinet, tempus argui posse confidit: idem denique probat, plurimis adductis scriptorum et inscriptionum auctoritatibus, honestam missionem ab imperatoribus concessam fuisse militibus praesertim classiariis, quandoque etiam legionariis, alarum equitibus peditibusque ac cohortium praetoriarum, cum nempe, ob pacem cum exteris gentibus initam aut aliquam imperii vel familiae imperatoriae faustitatem, populo congiarium, militibus donativum distributum fuit ac illi sunt cusi nummi, in quibus *Liberalitas Aug. I.* vel *II.* vel *III.* et sic deinceps inscriptum legitur. ℙ Aliquando est multitudo navium onerariarum ad comportanda frumenta. *Lampr. Commod.* 17. Classem Africanam instituit, quae subsidio esset, si forte Alexandrina frumenta cessassent. ℙ *Classis* dicta de una navi tantum, legitur ap. *Virg. A.* 6, 334. Lyciae ductorem classis Orontem. *Stat. Achill.* 1, 31. mihi classis funesta minatur. Adde *Paul. Nolan.* 21, 79. Quidam huc referunt etiam illud *Hor. Od.* 3, 11, 47. Me vel extremos Numidarum in agros Classe relegat. ℙ *Pingere classes* apud *Plin.* 35, 11, 41. est naves pingere. ℙ Olim dicebatur etiam de exercitu terrestri. Nam quas *classes* Ser. Tullius primus instituit atque in varias divisit centurias, non pacis solum, sed belli etiam et militis deligendi causa instituit, ut docet *Liv.* 1, 42. et 43. Hinc *Classis procincta* idem est, quod exercitus instructus, ut *Fest.* docet. *Fab. Pict.* ap. *Gell.* 10, 15. Equo Dialem Flaminem vehi, religio est: classem procinctam extra pomoerium videre etc. Ipse *Gell.* 1, 11. Cum procinctae classes erant et instructae acies coeptumque in hostem progredi. *Virg. A.* 7, 715. quos frigida misit Nursia et Hortinae classes, *h. e.* Hortinorum equitatus, ut *Serv.* exponit. *Serv.* huc trahit etiam illud *ejusd. A.* 2, 30. Classibus hic locus: hic acies certare solebant. *Fest.*: Classes clypeatas antiqui dixerunt, quos nunc exercitus vocamus. ℙ In ablativo habet *classe* et *classi. Virg. A.* 1, 382. raptos ex hoste Penates Classe veho mecum. *Id. ib.* 8, 11. Advectum Aenean classi victosque Penates. ℙ Ad etymologiam quod attinet, qui primam statuunt notionem eam, qua multitudinem navium significat, deducunt a *cala* lignum vel a *κάλως*, funis nauticus: qui vero partem populi primo significare volunt, a *calando*, *h. e.* vocando derivant, ut sit quasi *calassis* vel simpliciter a Graeco *κλῆσις*, vocatio: a *καλέω*. Duplicis hujus etymi si alterutrum verum est, secundum certe. Nam, ut ait *Paul.* ex *Festo* in *Procincta*, vetustius fuit, multitudinem hominum, quam navium classem appellari. Et in *Lege Numae* ap. *Fest.* in *Opima*, ponitur *procincta classis* pro exercitu instructo, ut dictum est. Tunc autem classem navalem Romani nondum fecerant, neque fortasse unquam viderant.

CLATHRĀTUS, a, um, adj. *κλειθρούμενος*, clathris clausus. *Cato R. R.* 4. Faliscas clathratas. V. FALISCUS. *Pl. Mil.* 2, 4, 25. Neque solarium apud nos est, neque fenestra, nisi clathrata. [**Lindem.* exhibet clatrata, sine aspiratione.] *Vet. Inscr.* opt. notae ap. *Grut.* 207. *col.* 2. Eisdem (*h. e.* idem) fores clatratas (*sic sine aspiratione*) duas cum postibus aesculnieis (*pro* aesculineis) facito.

CLATHRI, orum, m. plur. *κλῆθρα, κανόνες*, virgae ligneae vel ferreae, in cratis modum dispositae, quibus fenestrae vel januae muniuntur. *Hor. A. P.* 473. velut ursus Objectos caveae valuit si frangere clathros. *Colum.* 8, 17. Spissos clathros infigere. *Plin.* 8, 7, 8. Clathris ferreis circumdare aliquid. Adde *Cat. R. R.* 4. ℙ Quod addunt quidam Lexicographi, *clathros* poni etiam pro instrumento rustico ad terram eradicandam, ex illo *Colum.* 10, 72. Tu penitus clathris eradere viscera matris Ne dubita; *Jenson.* A. 1472. edidit: Tu penitus marris eradere viscera matris etc. *Aldus* vero A. 1514. et *al.* Tu penitus latis eradere viscera marris etc. Quod procul dubio rectius est. ℙ *Clathra, orum*, n. plur. recte Latine dici negat *Caper de verb. dub.* p. 2248. Attamen *Nicol. Heins.* in melioribus *Propertii* libris invenisse se ait 4, 5, 72. Cum fallenda meo pollice clathra forent. Al. leg. *claustra.* ℙ Reperitur etiam *clatri* sine aspiratione, sed rarius. V. tamen CLATHRATUS in f.

CLATHRO, as, a. 1. *κλειθρόω ἰρεῖδω*, est clathris claudere. *Colum.* 9, 1. Satis est seris transversis ita clathrare, ne spatiorum laxitas pecudi praebeat fugam.

CLĀVĀ, ae, f. *κορύνη, κορδύλη*, ramus ex arbore recisus cum nodis: etymon vocis est a *clavus:* unde *irrasam clavam* dixit *Sil.* 8, 586., et *clavam trinodem Ov. Fast.* 1, 575. Alii describunt baculum cum nodo in capite instar clavi. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. Cum obsistere ac defendere conarentur, male mulcati clavis et fustibus repelluntur. *Plin.* 19, 1, 3. Linum clavis tundere. ℙ Fuit insigne philosophorum. Idem enim est dicere de iis *pallium et baculus*, quod *pallium et clava.* Exempla habes apud *Sidon. ep.* 4, 11., *ep.* 9, 9. *ad f.* et *carm.* 15, 197. ℙ Fuit etiam exercitatio et ludus adolescentium et militum tironum, sicut hasta, pila, equus, cursus etc. *Cic. Senect.* 16. *ad f.* Sibi igitur habeant arma, sibi equos, sibi hastam, sibi clavam: nobis senibus talos relinquant et tesseras. *Veg. Mil.* 2, 11. Clavas ligneas, pro gladiis, tironibus dabant: eoque modo exercebantur ad palos. Et *infra.* Contra illum palum tanquam contra adversarium, tiro cum crate illa et clava, velut cum gladio se exercebat et scuto. ℙ Clava assidue Hercules usus est, eoque telo plurima domuit monstra. *Ov. Her.* 9, 117. Instruxitque manum clava domitrice ferarum. *Prop.* 4, 9, 39. Quis facta Herculeae non audit fortia clavae? [*Ita de *Nerone* ap. *Suet.* in ejus vita 53. Destinaverat etiam imitari et Herculis facta. Praeparatumque leonem, quem vel clava vel brachiorum nexibus nudus elideret. Porro de Sobiorum gente, quae majores suos de exercitu Herculis aegros relictos esse dicebat ap. *Curt.* 9, 4. *in f.* Pelles ferarum pro veste; clavae pro telo erant. *Virg. A.* 10, 318. Cissea durum, Immanemque Gyan, sternentes agmina clava, Dejecit leto: nihil illos Herculis arma Juvere. *Ov. Met.* 9, 236. (in combustione Herculis) Et imposita clavae cervice, recumbis. *Id. ib.* 114. Nam clavam et curvos trans ripam miserat arcus.] ℙ Hinc *clavam Herculi extorquere* proverbium ap. *Macr. Sat.* 5, 3. et *Don. in Vita Virgilii* de re factu impossibili. ℙ *Clava Herculis* Latine vocatur herba, quae et nymphea. *Marc. Empir.* 33. ℙ Quod *Cato R. R.* 13. inter torcularii instrumenta clavam enumerat, videtur intelligere vectem, quo torcularium versatur. ℙ Denique *clava* dicitur ramus ex arbore recisus serendi causa. V. TALEA. *Pall.* 4, 10. de citreo: Citri arbor quatuor modis seritur, semine, ramo, talea, clava. Et *infra.* Clava seri commodius potest, quae sit manubrii crassitudine, longitudine cubitali, ex utraque parte laevigata, nodis et aculeis recisis, sed integra summitate gemmarum, per quas spes futuri germinis intumescat.

CLĀVĀRĬUM, ii, n. donativum in clavos caligares comparandos, ut calcearium, quod in cal-

ceos impenditur. *Tac. Hist.* 3, 50. Seditiosae militum voces terrebant, clavarium flagitantium.

CLĀVĀRĬUS, ii, m. qui clavos ligneos facit. *Inscr.* ap. *Mur.* 944, 1. L. Cervius L. L. Zetus clavar. materiar. sibi etc. [**Vet. Gloss.* ἡλικόπος, Clavarius. *B. A.*]

*CLAUDASTER, tri, m. *ἀρνησίχωλος Gloss. Gr. Lat. h. e.* aliquantum claudus, sed ut adhuc dissimulari possit. *B. A.*

CLĀVĀTOR, oris, m. qui clavas fert, *κορυνηφόρος*. Sic appellati sunt, qui militibus ligneas clavas ferebant, iidem fortasse cum calonibus. *Pl. Rud.* 3, 5, 25. Eccum clavator venit. ℙ Ita etiam appellari potest miles tiro, qui clavis ligneis utitur, eo modo quo in *Clava* dictum est. *Fest.* in *Calones.*

CLĀVĀTUS, a, um, adj. *Festus*: Clavata dicuntur aut vestimenta clavis intertexta, aut calceamenta clavis confixa. *Lamprid. Alex. Sev.* 37. Mantilia cocco clavata, *h. e.* clavi cocci colore distincta. Sic *tunicae auro clavatae* apud *Vopisc. Bonos.* 15. V. CLAVUS. ℙ Est etiam *clavatus* clavis abundans. *Plin.* 9, 36, 61. Concha clavata ad turbinem usque, aculeis in orbem septenis fere, *h. e.* aculeis instar clavorum munita.

CLAUDĔO, es, n. idem quod claudico. *Caecil.* ap. *Prisc.* 10, 889. An ubi vos sitis, ibi consilium claudeat? *Paulin. Nolan.* 27, 241. claudens matris ab alvo. V. alia huc pertinentia in CLAUDO, is, n.

CLAUDĬĀ Gens, Claudia Tribus. V. CLAUDIUS, a, um. **Claudia, ae*, f. opp. Norici. *Plin.* 3, 24. ℙ *Colonia Claudia Copia Augusta* dictum est Lugdunum, Gall. opp., Claudio Caesare ibi nato, unde novum nomen. *Suet. Claud.* 29. *Inscr.* ap. *Grut.* 30, 2. Adde 388, 6. 488, 9. et cf. *Spon. Misc. erud. Antiq.* p. 170. *lapidemque Soloturensem* ap. *eund. Spon.* p. 171. ℙ *Claudia*, nomen propr. mulierum R. V. *Claudius*, *i. in f. B. A.*

CLAUDĬĀLIS, e, adj. ad Claudium pertinens, ut *Claudiale flaminium* ap. *Tac. A.* 13, 2. est sacerdotium institutum in honorem Claudii Aug. inter Deos relati. *Inscr.* ap. *De Vita*, *Antiqu. Benev. cl.* 2. *n.* 14. A Vibbio Januario Claudiali Augustali etc. Alia in *Mem. Rom. di AA. e BB. AA. T.* 2. p. 307. Magisteria Sodalium Claudialium Alb. etc. Adde aliam ap. *Maff. Mus. Ver.* 213, 6.

*CLAUDĬĀNISTAE, arum, m. plur. ita sunt appellati haeretici e secta Donatistarum, a Claudio auctore, qui pseudosynodum habuerunt in caverna Susis. *Augustin. in Psalm.* 56. *B. A.*

CLAUDĬĀNUS, a, um, adj. ad Claudium, vel Claudiam gentem pertinens, ut *cometa Claudianus*, qui *scil.* temporibus Claudii imperatoris visus est. *Senec. Q. N.* 7, 21. et 29. Claudiana castra, *Liv.* 23, 30. [**Tac. A.* 14, 11. Claudiana tempora.] ℙ *Claudiana tonitrua*, quae Claudius Pulcher instituit, ut in ludis post scenam conjectus lapidum ita fieret, ut tonitru sonitum imitaretur. Nam antea leves admodum, et parvi sonitus fiebant, cum clavi et lapides in labrum aeneum conjicerentur. *Festus.*

CLAUDĬĀNUS, i, m. *Κλαυδιανός*. Cl. Claudianus, Alexandriae in Aegypto natus, poeta Latinus, floruit temporibus Theodosii, et Arcadii atque Honorii imperatorum in fine saeculi Christi IV., scripsitque multa, quae adhuc supersunt, poetico plane spiritu, fecunditate et amoenitate: dignus, qui inter antiquiores Latini carminis artifices enumeretur, et, si pauca quaedam excipias, quae illam, qua vixit, aetatem redolent ad sequiora vertentem, cum eorum multis procul dubio comparandus. Statuam aeneam in Foro Trajani meruit ob laudem poeticae facultatis. Quibusdam religioni Christianae addictus creditus est: sed negat, inter alios, *Augustin. Civ. Dei* 5, 26. ℙ Claudianus Mamertus, seu Mamercus, Gallus, Christianus, Episcopus Viennensis vixit sub Zenone, circa medium saeculi Christi V. scripsitque pauca quaedam tum soluta, tam ligata oratione. Eum laudat impense *Sidon. ep.* 4, 3. et alibi. Sed purae Latinitatis studiosus nihil in eo imitatione dignum inveniet.

CLAUDĬCĀTĬO, onis, f. *χωλύτης*. *Cic. N. D.* 1, 30. In quo stante, atque vestito leviter apparet claudicatio non deformis. *Colum.* 6, 12. Sanguis dimissus in pedes claudicationem affert.

CLAUDĬCO, as, n. *χωλαίνω*, est altero tantum pede incedere, vel alterum pedem infirmum, et instabilem, aut curtum habere: ab antiq. *claudo*, vel *claudeo*. *Cic. Or.* 2, 61. Graviter claudicans ex vulnere ob rempubl. accepto. *Justin.* 6, 2. Claudicare incessu. *Ov. Fast.* 3, 35*. genu percusso. [**Suet. Aug.* 80. Coxendice et femore et crure sinistro, non perinde valebat, ut saepe etiam inde claudicaret.] ℙ De alis avium *Lucr.* 6, 834. Claudicat exemplo pennarum nisus inanis. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 1, 20. Verentur, ne si amicitiam propter nostram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quasi claudicare videatur, *h. e.* non aequo jure utrinque coli. *Id. Off.* 1, 33. Ut constare in vitae perpetuitate possimus nobismet ipsis, nec in ullo officio claudicare, *h. e.* deficere, peccare. *Id. Or.* 3, 51. Ut in versu vulgus, si est peccatum, videt; sic, si quid in nostra oratione claudicat, sentit. *Id. Brut.* 63. Actio paulum cum vitio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat. *Id. Tusc.* 5, 8. Si beata vita ex aliqua parte claudicaret. *Liv.* 22, 39. Respublica altera parte claudicat. *Quint.* 10, 1. In comoedia maxime claudicamus, *h. e.* nos Latini Graecis inferiores sumus. [**Id. ib.* 11, 3. p. 1006. Ne sermo — inaequalitate horum omnium, sicut pedum, claudicet.] *Cic. N. D.* 1, 38. Tota res vacillat, et claudicat, *h. e.* casum minatur. *Lucr.* 3, 454. *de senib.* Claudicat ingenium, delirat linguaque, mensque. *Id.* 4, 518. Si libella ex aliqua parte claudicat, *h. e.* pendet. *Colum.* 4, 2. In pluribus pedamentis fructus claudicat, *h. e.* non aeque provenit.

CLAUDĬGO, iginis, f. idem quod clauditas. *Veg. Vet.* 1, 26. Quibus (*jumentis*) remorata basis longi temporis claudiginem fecerit.

*CLAUDĬOPOLIS, is, f. *Κλαυδιόπολις*, Cappadociae opp., in Cataonia praefectura. *Plin.* 5, 24. ℙ Item aliud in Isauria. *Ammian.* 14, 25. (Vales. 8.) de quo loco V. *Cellarium.* ℙ Et aliud in Bithynia. V. v. sq. *B. A.*

[CLAUDĬOPOLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Claudiopolin pertinens, Bithyniae urbem, quae, teste *Ptolemaeo* 5, 1., et Bithynium appellabatur. ℙ *Claudiopolitani*, *orum*, sunt incolae illius urbis. *Plin. ep.* 10, 33. Claudiopolitani quoque in depresso loco, ingens balineum defodiunt magis, quam aedificant. *F.*]

CLAUDĬTAS, atis, f. *χωλότης*, vitium claudicandi. *Plin.* 28, 4, 7. Et fascinationes repercutimus, dextraeque clauditatis occursum, *h. e.* occursum ejus, qui dextro pede claudus sit. Adde *Appul. Flor.* 16. ℙ In plur. num. *Plin. ib.* 6. Clauditates, oculive orbitatem etc.

CLAUDĬUS, a, um, adj. ad Claudium pertinens. Claudia gens ortum habuit ab Appio Claudio, de quo in voce sequenti. Duplex fuit; patricia, et plebeja; in patricia tres fuere familiae, Pulcrorum, Neronum, et Centronum: in plebeja fuere Marcelli. In utraque autem celeberrimi viri exstiterunt, de quibus V. *Liv.* et ceteros historicos. ℙ *Claudia via*, quae et *Clodia*, ab aliquo Claudiae gentis strata, a via Cassia, Flaminiae juncta, inter IX. et X. ab Urbe lapidem, incipiebat, et per Carejas, Forum Clodii, Bleram, Senas pertingebat Lucam, unde unus ejus ramus Florentiam, alter per alium Forum Clodii Lunam ducebat. *Ov. Pont.* 1, 8, 44. et *Frontin. Aquaed.* 11. ℙ *Claudia aqua* perducta est ab Appio Claudio Caeco: sed haec saepius *Appia* appellatur. V. APPIA. ℙ Alia fuit *aqua Claudia*, cujus ductum inchoavit quidem Cajus Caesar, M. Aquilio Juliano, P. Nonio Asprenate Coss. an. U. C. 791., sed magnificentissime consummavit nomenque dedit Claudius, qui ei successit. Perducebatur ex fontibus Caerulo, et Curtio, et concipiebatur ad milliarium XXXVIII. Haec *Frontin. Aquaed.* 13. et 14. Adde *Suet. Claud.* 20. ℙ *Claudia tribus* una ex rusticis nomen habuit a gente Claudia. Cum enim Appius Claudius gentis princeps Romam Regillis, Sabinorum oppido, cum magna clientum manu (quinque millia fuisse scribit *Serv.* ad *A.* 7, 706.) profugisset, receptus est in civitatem cum suis, assignatusque ei ager publicus trans Anienem, quem iisdem divideret: unde tribui (quae tamen antea eo loci instituta erat) tanta accessione tribulium addita, Claudiae nomen factum est. *Liv.* 2, 16. et *Virg. l. c.* ℙ *Claudia charta* cognominata a Claudio Imperatore, successit Augustae, quae nimia tenuitate litteras transmittebat. *Plin.* 13, 13, 24. ℙ *Claudia porticus*, de qua *Martial. Spectac.* 2., a quo dicta sit, non constat. Quidam putant a Nerone, qui et ipse Claudius dictus est: alii suspicantur eandem esse cum Livia. ℙ *Leges Claudiae* multae fuerunt. Una de Sociis lata a C. Claudio Pulcro, cum consul esset una cum Ti. Sempronio Graccho an. U. C. 577., ut qui socii et Latini nominis M. Claudio, et T. Quintio censoribus, et postea, apud socios nominis Latini censi essent, omnes in suas civitates ante K. Novembr. redirent, ut est apud *Liv.* 41, 9. ℙ Alia de fenore. Tulit Claudius Caesar an. U. C. 800. ne creditores in mortem parentum pecunias filiis familiarum fenori darent, uti narrat *Tac. A.* 11, 13. ℙ Alia ante has lata, P. Cornelio Scipione, Ti. Sempronio Longo Coss. a Q. Claudio trib. pleb. an. U. C. 536. interdicebat senatoribus maritimam navem, quae plus quam trecentarum amphorarum esset, habere. Id enim satis habitum ad fructus ex agris vectandos: quaestus omnis patribus indecorus visus est. Ita *Liv.* 21, 63. Hanc tacite tangit *Cic. Verr.* 2, 5, 18. Quidam putant eandem legem designari a *Suet. Dom.* 9., ubi narrat, scribas quaestorios negotiantes ex consuetudine, sed contra Claudiam legem, venia in praeteritum a Domitiano fuisse donatos: quod nempe eadem lege et de senatoribus, et de scribis etiam aliquid cautum fuerit. ℙ Aliam Claudiam legem de tutelis feminarum memorat *Imp. Leo. Cod.* 5, 30, 3., sed nihil amplius de ea compertum est. Sunt aliae praeterea ad gentem Claudiam pertinentes, de quibus V. in CLODIUS, a, um. Nam et harum, quae modo explicatae sunt, aliqua *Clodia* pro *Claudia* dicitur. ℙ [**Claudius mons* in Pannonia fuit, cujus in fronte Scordisci, in tergo Taurisci populi. Situs fuit alicubi inter Hungariam, quam hodie dicunt, et Croatiam. *Plin.* 3, 25. *B. A.*]

CLAUDĬUS, ii, m. nomen propr. Multi celebres viri in R. civitate hoc nomine exstiterunt in ea Gente, quae Claudia inde appellata fuit: de qua multa *Suet. Tib.* 1 et 2., cujus princeps Atta, seu Attius, seu Actius Clausus, cum ex Sabinis Romam migrasset, postea Appius Claudius est appellatus. *Liv.* 2, 16. et *Virg. A.* 7, 706. ℙ Tiberius Claudius Nero tertius Romanorum imperator insigni fuit crudelitate et flagitiis. Tiberius Claudius Drusus, imperator quintus nobilis et ipse fuit stoliditate et crudelitate. Eorum Vitam scripsit *Suetonius.* ℙ Q. Claudius Quadrigarius historicus Latinus vixit temporibus Sullae dictatoris circa A. U. 680. aequalis Sisennae, et Valerii Antiatis, ut est ap. *Vellej.* 2, 9. Scriptorum ejus nihil superest praeter quaedam fragmenta. ℙ [**Claudia, ae*, nomen fuit multarum mulierum Rom. ℙ *Claudia*, virgo Vestalis, cum in suspicionem stupri venisset, et simulacrum matris Idaeae in vado Tiberis haereret, ad comprobandam pudicitiam suam, fertur cingulo duxisse navem, quam multa hominum millia trahere nequiverunt. *Cic. Coel.* 14. *Val. Max.* 5, 4. *Aur. Vict. V. Ill.* 46. ℙ Alia privigna Antonii, Fulviae ex Pelodio filia, vixdum nubilis, uxor fuit Augusti, quam dimisit intactam adhuc et virginem, exorta simultate cum Fulvia socru. *Suet. Aug.* 62. ℙ *Claudia* s. *Clodia*, uxor fuit Q. Metelli Celeris, Appii Claudii et P. Clodii soror, foeda libidine mulier. *Cic. Fam.* 5, 2. ℙ *Quinta Claudia*, cujus meminit *Cic. Coel.* 14. et *Har. resp.* 13. Appii Caeci non filia fuit, sed neptis, docente e temporum ratione *Abramio* ad priorem locum. Vestalem non fuisse, ut nonnulli tradidere, probat *Duk.* ad *Liv.* 29, 14. Dicitur Quinta, non praenomine, sed cognomine, ut aliae *Tertiae*, *Secundae* cet. Haec *Ernest.* Locis citatis addas *Tac. A.* 4, 64. *Val. Max.* 1, 8. ℙ *Claudia Pulcra*, sobrina Agrippinae, crimine impudicitiae, adulterii cum Furnio et veneficiorum in Tiberium, ac devotionum, licet multum renitente ac fremente Agrippina, cum Furnio damnata est. *Tac. A.* 4, 52. ℙ *Claudia Sacrata*, mulier Ubia. *Tac. H.* 5, 22. ℙ Fuit et *Claudia*, uxor Papinii Statii, ad quam exstat ejus carmen *Silv.* 3, 5. ℙ *Claudia*, Claudii II. Imperat. ex fratri Crispo neptis. *Trebell. Poll.* V. *Claudii* 13. *B. A.*]

CLAUDO, is, si, sum, a. 3. *κλείω*, obsero. Est a *κέλω*, impello, hinc *κελάω*, *κελαίνω*, *κελαίνδω*, tandem *κλαίνδω*. *Cic. Flacc.* 25. Cum L. Flacco portas tota Asia claudebat. *Id. Tusc.* 5, 20. Fores cubiculi claudere. *Id. Phil.* 1, 10. omnes aditus. [**Tac. A.* 12, 68. Cunctos aditus custodiis clauserat.] *Tibull.* 1, 2, 7. januam sera. *Cic. N. D.* 2, 57. Claudere, et aperire pupulas. [**Cic. Dom.* 21. Tabernas claudi jubebat. *Tac. A.* 16, 15. Ubi effugia villae clausit. *Ov. Met.* 14, 781. Portus claudere obice. *Id. ib.* 15, 271. Clausit fontes. *Id. ib.* 8, 630. Mille domos clausere serae. *Hor. Od.* 3, 7, 29. Prima nocte domum claude. *Ov. Fast.* 5, 485. Fana veteres illis clausere diebus. *Quint. Decl.* 5, 8. p. 111. Clauserim paternos penates. *Virg. G.* 2, 317. Rura gelu tum claudit hiems. *Propert.* 3, 7, 56. Quum moribunda niger clauderet ora liquor. *Sil.* 15, 545. Thalamos clausit nox hominumque Deumque. *Virg. A.* 10, 746. In aeternam clauduntur lumina noctem. *Prop.* 2, 13, 17. Quandocunque igitur nostros nox claudet ocellos. *Sil.* Caede referta clauserit Eridani vada. *Inscr.* ap. *Lupium. Dissert.* T. 1. p. 144. Filiolo pientissimo apud Cuprenses diem claudenti. ℙ Intercludere, impedire, praecludere. *Liv.* 27, 18. Fugam hostibus. *Tac. A.* 6, 33. Cum alios incessus hostis clausisset. *Ov. Fast.* 1, 272. Claudere ut Tatio fervidus humor iter. *Id. Met.* 3, 560. Argolicas venienti claudere portas. *Id. ib.* 8, 115. Proditione clausa est mihi patria. *Id. ib.* 8, 828. Sic letalis hiems paulatim in pectora venit, Vitalesque vias et respiramina clausit. *Mart.* 10, 63. Claudere alicui lumina. *Ov. Met.* 7, 604. Animam laqueo claudunt. *Sil.* 17, 120. Claudebat flatus Atropos, i. e. cohibebat. ℙ Includere, concludere servandi, custodiendi, occultandi causa. *Tac. A.* 15, 69. Clauditur cubiculo, praesto est medicus, abscinduntur venae. *Ov. Fast* 3, 879. Quater pastor saturos ubi clauserit hoedos. *Id. Met.* 8, 170. Quo postquam tauri geminam juvenisque figuram Clausit. *Id. Fast.* 3, 743. In arbore claudit (scil. apes) inani. *Virg. A.* 3, 642. Pecudes lanigeras in antro. *Hor. Ep.* 2, 45. Claudensque textis cratibus laetum pecus. *Ov. Met.* 2, 554. Prolem cista clauserat. *Tubero* ap. *Gell.* 6, 4. Aliquem in atras et profundas tenebras. *Justin.* 27, 1. Se in loco aliquo claudere. *Ov. Met.* 3, 697. Clauditur in tectis. *Tac. A.* 4, 30. Gallus Asinius, Gyaro aut Donusa claudendum, cum censeret. Adde *eund. ib.* 14, 63. ubi iterum de exilio dicitur, et *ib.* 16, 9. *Sil.* 4, 481. Et fessas acies

castris clausere tenebrae. *Id.* 6, 381. Claudebam sub corde metus. *Quint. Decl.* 11, 5. p. 235. Ubi respiro? ubi claudo gemitus? unde sumo solatium? Ita dicitur de locorum angustiis, quarum ab utraque parte montes, rupes surgunt. *Ov. Met.* 13, 407. Longus in angustum, qua clauditur Hellespontus. *Id. ib.* 1, 568. Est nemus Haemoniae, praerupta quod undique claudit Silva. *Tibull.* 2, 3, 45. Claudit et indomitum moles mare.] ℙ Apud *Stat. Th.* 4, 350. humeros clypeo claudere, est onerare, vel tegere. [**Sil.* 9, 588. Qua tegmine thorax claudit latus. *Id.* 14, 158. Cassis munimine clauserat ora. *Id.* 10, 650. Casside vultus clauditur.] ℙ Ponitur etiam pro cingere, circumdare. *Cic. Verr.* 2, 2, 2. Urbs, quae cum manu munitissima est, tum loci natura, terra ac mari clauditur. *Curt.* 5, 4. Persis ab altero latere perpetuis montium jugis clauditur. *Varr. R. R.* 3, 14. Locum totum circum aqua claudere. [**Ov. Met.* 4, 646. Solidis pomaria clauserat Atlas Moenibus. *Id. Fast.* 2, 215. Campi claudebant ultima colles. *Tibull.* 4, 1, 23. Claudantur ut omnia coelo. *Sil.* 12, 613. Coelum tenebris clauditur. — Hinc usitatissimum in re bellica. *B. Afr.* 59. Acies clauditur oppido, i. e. finitur prope muros, tegitur muro oppidi. *Tac. A.* 1, 51. Dextrum Quintani clausere. *Id. ib.* 2, 20. Hostes a tergo palus, Romanos flumen aut montes claudebant. *Id. ib.* 14, 25. Praesidium regium, quod ferox juventus clauserat. *Id. H.* 2, 83. Longis navibus versum in Italiam mare claudere. *Veget. de R. M.* 3, 6. Impedimenta a lateribus claudere manu armatorum, i. e. tegere. *Quint. Decl.* 19, 5. p. 367. Claudere acie. *Virg. A.* 8, 473. Hinc Tusco claudimur amni, Hinc Rutulus premit. *Tibull.* 4, 1, 85. Locum ducto claudere vallo.] *Nep. Milt.* 7. urbem operibus. *Id. Dat.* 8. adversarios angustiis locorum. *Id. Epam.* 8. urbem obsidione. [*Item in re venatoria. *Tib.* 4, 3, 7. Claudentem colles densos indagine. *Id.* 1, 4, 49. Claudere valles insidiis. *Manil.* 5, 186. Claudunt campos formidine mortis. V. in Clausus. *Ov. Fast.* 5, 371. Cur tibi pro Libycis claudantur rete leaenis imbelles capreae sollicitusque lepus. (De venatoriis ludis in Circo Florae ut videtur *Gierig.*, quem cf. ad h. l.] *Lucan.* 6, 42. et silvas, vastasque feras indagine. ℙ Item pro cohibere, sistere. *Plin.* 26, 13, 83. Sideritis sanguinem claudit. Adde *Justin.* 15, 3. *ad f.* ℙ Translate. *Cic. Fam.* 4, 13. *ad f.* Et in ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, me insinuabo. *Ter. Andr.* 3, 3, 41. Nolo tibi ullum commodum in me claudier, *h. e.* nolo, quidquam in me esse clausum et obseratum, quod in tuum commodum cedere possit. (Similem alium *Terentii* locum, V. in v. seq.) *Cic. Tusc.* 4, 1. Claudere aures ad voces doctissimas. [**Cic. Off.* 2, 15. Nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit. *Liv.* 40, 8. Reseratae aures sunt, quae posthac secretis alterius ab altero criminibus claudentur.] *Senec. ep.* 123. aures malis vocibus. *Cic. Or.* 68. *in f.* sententias numeris. *Hor. Sat.* 2, 1, 28. verba pedibus, *h. e.* versus facere. *Id. ib.* 1, 10, 59. aliquid pedibus senis, *h. e.* hexametro versu complecti. ℙ In illo *Virg. Ecl.* 3, 111. Claudite jam rivos pueri: sat prata biberunt: ἀλληγορικῶς subest jussio silentium indicentis. ℙ Saepe est finire, concludere. *Ov. Her.* 13, 165. Ultima mandato claudetur epistola parvo. *Id. Fast.* 3, 384. Claudere opus aliquod, *h. e.* perficere, absolvere. *Stat. Th.* 11, 58. bella. Al. leg. *cludere*. *Hor. Od.* 2, 4. *in f.* Aetas clausit lustrum octavum. *Lucan.* 5, 44. Nostrum exhausto jus clauditur anno. *Mart.* 13, 14. Claudere quae coenas lactuca solebat avorum, Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes? [**Quint. Inst.* 1, 8. p. 93. Ubi claudatur sensus. *Id. ib.* 1, 5. p. 59. Itaque neutra claudet vocem Latinam. V. *Drakenb.* ad *Sil.* 13, 686.] ℙ *Claudere agmen* dicuntur qui postremo agminis loco sunt. [**Caes. B. G.* 1, 25. Claudere agmen hostium.] *Curt.* 3, 3. et 4, 12. ℙ Claudere spatham capulo, quid sit, V. CLAUSULA. ℙ Neutrorum more *Appul. Flor. n.* 18. Si non hic maxime oratio clauderet, *h. e.* desineret. Al. aliter leg. et exponunt. ℙ Partic. *Clausurus* apud *Ov. Met.* 14, 784. Sola Venus portae cecidisse repagula sensit; Et clausura fuit. *Claudendus* ap. *eund. Pont.* 1, 7, 37. Sed neque (*domus*) claudenda est.

CLAUDO, is, n. claudus sum, claudeo, claudico. Videtur esse a χαλάω, laxo, unde χαλαύω et χαλαύδω, tandem χλαύδω, hinc Latinum extrita aspirata *claudo*. Translate *Sallust. fragm. Hist.* 3. ap. *Prisc.* 10, 889. Conjuratione claudit. Ita *Prisc.* interpretatur. *Id. in orat. Macri trib. pl.* Neque enim ignorantia res claudit. *Id. in alio fragm.* Nihil socordia claudebat. Duo haec loca affert *Donat.* ad *Terentii Eun.* 2, 3, 39., item ad illud *ib.* 1, 2, 83. Nuncubi meam benignitatem sensisti in te claudier? ubi *Scalig.* quoque *lection. Auson.* 2, 21. pro claudicare exponit. Similiter *Auson. prol. sept. Sap.* 31. sed si memoria Rebus vetustis claudit (Al. *cludit*), *h. e.* labat, deficit. *Symmach. ep.* 1, 27. (al. 33.) Ne forte in nos parentis claudat affectio. *Cic. Tusc.* 5, 8. Beata vita etiam si ex aliqua parte clauderet etc. *Id. Or.* 51. Quid est cur claudere, aut insistere orationem malint etc. *Gell.* 4, 7. Numerus clausurus est. Adde 13, 20. et *Appul. de Deo Socrat.* et *in Florid. n.* 18. [*Cf. *Gronov. observ.* 22, 29. et *Davis.* ad *Cic. Tusc.* 5, 8. Caeterum exempla, quibus hoc verbum firmatur, dubia sunt et e corruptis locis petita. V. *Burm.* ad *Ov. Pont.* 3, 1, 8.] ℙ Quaedam sunt ex his locis, quae si certa est lectio, ad *Claudeo*, *es*, pertinere possunt. Verum magna horum pars aliter ab aliis legitur, vel exponitur. Fortasse ex secundo *Sallustii* loco, et altero *Ausonii* certi aliquid conjici posse videtur, ad hunc verbi usum, et significationem adstruendam.

CLAUDUS, a, um, adj. altero pede laesus, χωλός. *Cic. N. D.* 1, 30. Claudum igitur habebimus Deum, quoniam de Vulcano sic accepimus. *Nep. Agesil.* 8. Claudus altero pede. *Hor. Od.* 3, 2, 32. Pes claudus. [**Virg. A.* 5, 278. Claudo vulnere pars. *Hor. Ep.* 1, 17, 61. Crudeles, tollite claudum.] ℙ *Claudi more tenere pilam*, proverb. dixit *Cic. Pis.* 28. pro nullo delectu, nulloque judicio tenere, ac sequi quicquid doctum indoctumque sit: quia claudi cum pedibus diffidant, quoquo modo possunt, pilam arripiunt, arcteque tenent: vel quia pilae tantum retinendae apti sunt, non remittendae, aut cursitando excipiendae: vel demum quia tunc solum pilam excipere et tenere solent, si commode illis mittatur. ℙ Proverbii speciem habet et illud *Pl. Aul.* 1, 1, 34. Quasi claudus sutor domi sedet totos dies. ℙ Translate. *Sil.* 13, 33. Clauda fides, *h. e.* vacillans, inconstans. *Ov. Trist.* 3, 1, 11. Carmina clauda alterno versu, *h. e.* alterno breviore, ut est in elegiis. *Id. Pont.* 3, 1, 86. Clauda nec officii pars erit ulla tui, *h. e.* manca erit, deficiet. *Gell.* 4, 7. Nisi tertia syllaba circumflexa ponatur, numerus claudus est, *h. e.* mutilus, mancus. Alii leg. *clausurus*. *Quint.* 9, 4. *post med.* Clauda oratio, *seu* periodus, *h. e.* cui aliquid deest; cui opponitur redundans et nimia. [**Id. ib.* 4. p. 851. Quaedam etiam clausulae sunt claudae atque pendentes, si relinquantur. *Id. Decl.* 261. p. 489. Clauda fortuna. Ita etiam absolute, ap. *eund. Inst.* 9, 4. p. 865. Aures, quae stabilia probant, clauda deprehendunt.] ℙ *Claudae naves* dicuntur a *Liv.* 37, 24. quae remos fractos habent, qui veluti illarum pedes sunt. Adde *Tac. A.* 2, 24. et *Lucr.* 4, 438. ℙ [*Claudus* fuit etiam cognomen Romanum C. Quinctii consulis an. U. C. 483. ex *Anonym. Norisiano*, et in gente Pacuvia ex *Ascon. argum. orat. in Scaur. F.*]

*CLAVELLUS, i, m. clavulus. *Marcell.* 33. *B. A.*

CLĂVĬCĂRĬUS, ii, m. qui claves facit. *Impp Theodos. et Valentinian. Cod.* 10, 64, 1. Lecticarii, clavicarii, quadrigarii.

CLĂVĬCŪLA, ae, f. κλειδίον, parva clavis. *Caes. Germ. Arat. in Cassiop.* 195. Qualis ferratos obici clavicula dentes Succutit, et foribus praeducit vincula claustri. ℙ Item capreolus vitis: ita dicta fortasse a clavi, qua vectem, seu claustrum significat: quia sicut hac valvae limini adhaerent, et firmantur; ita illa vitis adhaeret arbori, ac se ipsam sustinet. *Cic. Senect.* 15. Vitis ut se erigat claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur. *Plin. prooem. l.* 23. Claviculae ipsae, quibus vites repunt. Adde *Colum.* 4, 6.

CLĂVĬCŪLĂRĬUS, ii, m. κλειδοῦχος, qui claves gerit. *Firmic. Mathes.* 3, 6. *n.* 6. Erunt claviculari, vel carceris custodes.

CLĂVĬCŪLĂTIM, adv. in modum claviculae, vitis intortae et crispatae. Affertur a quibusdam exemplum *Plin.* 9, 33, 52., sed ibi leg. *canaliculatim* vel *caniculatim*.

CLĂVĬGER, a, um, adj. κλειδοῦχος, qui claves gerit. *Ov. Fast.* 1, 228. Clavigerum verbis alloquor ipse Deum, *h. e.* Janum, qui fingebatur dextra baculum, sinistra clavem habens, ut *Id. ib.* 99. tradit, quia est omnium januarum custos ac praeses, ut docet *Macr. Sat.* 1, 9. V. ibi alia in hanc rem, et ap. *Ov. l. c.* ℙ Item qui clavam gerit; estque epithetum Herculis. *Ov. Ib.* 253. et 15. *Met.* 22. et 284. et 4. *Fast.* 68. ℙ Eadem ratione *clavigeram prolem* Vulcani appellat *Id. Met.* 7, 437. Periphetam Vulcani filium, insignem latronem a Theseo occisum; qui Corynetes Κορυνήτης, dictus est, hoc est clava pugnans, a κορύνη, clava, ut est ap. *Hygin. fab.* 158., qui tamen *fab.* 38. Neptuni filium facit.

CLĀVIS, is, f. κλεῖς, et Dorice κλᾶξ, instrumentum ferreum, quo ostia, arcae et id genus multa clauduntur, et aperiuntur. *Cic. Dom.* 10. Tu heluoni spurcissimo omnes horreorum claves lege tua tradidisti. *Liv.* 27, 24. *in f.* Claves imponere portis. *Mart.* 9, 47. aptare foribus. *Appul. Met.* 9. Subdita clavi pessulos reduco, *h. e.* retraho, eximo aperiendi causa. *Petr. Sat.* 94. Clavem eximere. *Ov. A. Am.* 3, 643. Clavis adultera. *Sall. Jug.* 12. Claves adulterinae. *Varr. R. R.* 1, 22. *in f.* Esse sub clavi, *h. e.* clausum esse. *Hor. Od.* 2, 14, 26. Caecuba servata centum clavibus. *Varr. R. R.* 1, 22. Quae non possunt esse sub clavi, quam maxime facere, ut sint in conspectu, oportet. [**Sall. Jug.* 12. Clavis plures januas reserans. *Hor. Ep.* 1, 20, 3. Odisti claves et grata sigilla pudico (Du hassest Schloss und Riegel. *Wieland.*). Haec verba *Boettig. Sab.* 1, 103. referri posse videntur ad capsulas, quibus etiam clave obseratis delicatiores apud Romanos foeminae libros ipsis lectissimos asservare solebant. *Hor. Sat.* 2, 3, 146. Ut heres Jam circum loculos et claves laetus ovansque Curreret.] ℙ De Laconica clavi, V. LACONICUS. ℙ Clavem, inquit *Festus*, consuetudo erat mulieribus donare ad significandam partus facilitatem. ℙ Dabatur etiam clavis domus novae nuptae primum ingredienti; quo significabatur, eam matremfamilias institui: eadem adimebatur, cum divortii causa uxor domo exigebatur. *Cis. Phil.* 2, 28. Mimam illam suas res habere jussit, ex XII. Tabulis, claves ademit, exegit. Ita *Non.* 4, 152., *P. Victor.* et *Manut.* etc. Alii male leg. Ex XII. Tabulis causam addidit, exegit. ℙ *Clavem dare* est rei familiaris dominium, aut custodiam tradere. *Papin. Dig.* 31, 79. *a med.* et *ib.* 18, 1, 74., item *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 180. Adde *Cic. l. c. pro Domo.* ℙ *Clavis adunca trochi* ap. *Propert.* 3, 12, 6. est instrumentum, quo trochus agitatur. ℙ Sumitur etiam pro vecti, seu claustro, aut sera, qua intus fores clauduntur. *Tibull.* 1, 6, 34. tua si bona nescis Servare, ah frustra clavis inest foribus. *Pl. Cas.* 5, 2, 7. Ubi intus hanc novam nuptam deduxi, clavem obduxi. *Scalig.* eodem sensu adhibitum ait a *Virg. Mor.* 15., sed hic locus varie ab aliis legitur; et ap. *Plaut.* alii leg. *abduxi*. [**Tibull.* 2, 4, 34. Nec prohibent claves.] ℙ In accusativo habet etiam *clavim*. *Pl. Most.* 2, 1, 78., *Tibull.* 2, 4, 31. et *Charis.* 1, 101. ℙ In ablativo quoque et in *e*, et in *i* desinit. Pro altera positione stat locus *Varronis* supra allatus: pro altera *Juven.* 15, 158. Turribus, atque una portarum clave teneri. ℙ De clavibus veterum, earumque generibus, nec non de ratione claudendi, multa *Salmas. in exercitat. Plin.* p. 926. et seqq. ℙ Inventa est clavis a Theodoro Samio, teste *Plin.* 7, 56, 57.

CLĀVO, as, a. 1. clavis vincio, συγγομφόω, ἡλόω. *Paul. Nol.* 21, 103. Clavante ferro firma ligni robora. [**Vet. Gloss.* ἡλιζοπῶ, Clavo. *B. A.*]

CLĀVŌLĂ, ae, f. tener ramus ex utraque parte aequabiliter praecisus (quem alii taleam appellant) plantandi causa. *Varr. R. R.* 1, 40., ubi alii leg. *clavula*. Adde *Non.* 4, 473., ubi *clabula* scriptum est. ℙ Dicta est quasi parva clava. *Clavam* autem appellat hoc idem *Pallad.* V. CLAVA.

*CLAUSALA, ae, Dalmatiae fluvius, juxta Scodram. *Liv.* 44, 31. *B. A.*

*CLAUSENTUM, i, opp. Britanniae, hodie forte Southampton. *Anton. Itin. B. A.*

[CLAUSĪBĬLIS, e, et

[CLAUSĬLIS, e, adj. qui claudi potest. Legitur in *Not. Tir.* p. 83. *F.*]

CLAUSTRĀRĬUS, a, um, adj. ad claustrum pertinens, ut *Claustrarius artifex* ap. *Lampr. Elag.* 12., *h. e.* qui claustra, et seras facit.

CLAUSTRĬTĪMUS, i, m. ea forma, qua *aeditimus*, significat eum, qui claustris januae praeest, ut *Gell.* 12, 10. docet, ubi Laevium antiquum scriptorem hac voce usum tradit. Al rectius leg. *claustritumus*, a claustris tuendis.

CLAUSTRUM, i, n. κλεῖθρον, κλεῖστρον, vectis, sera, repagulum, quo janua clauditur. Adhibetur fere in plur. num. *Cic. Verr.* 2, 4, 23. *ad f.* Effringi multorum fores, revelli claustra. *Id. Agr.* 1, 7. Sub signo, et claustris ponere aliquid. [**Liv.* 5, 21. Pars claustra portarum revellunt; pars inferunt ignes. *Plin. Pan.* 49, 2. Claustris defendere.] *Claud. in Eutrop.* 1, 195. arcae claustra remoliri. *Ulp. Dig.* 32, 50. *in f.* Armariis et loculis claustra et claves cedunt. *Virg. A.* 2, 259. Laxare claustra. *Id. ib.* 9, 758. Rumpere claustra manu, sociosque immittere portis. *Petr. Sat.* 11. discutere. ℙ Dicitur etiam de ipsis portarum valvis. *Martial.* 10, 28. Ferrea perpetua claustra tuere sera. ℙ Item de quovis loco concluso. [**Virg. A.* 1, 56. Circum claustra fremunt venti. *Plin. Pan.* 81, 3. Ferae claustris fractae, i. e. domitae, quibus feritas demta longa intra caveam captivitate. *Hor. Od.* 3, 11, 44. Intra claustra tenere. *Id. Ep.* 2, 1, 255. Claustra custodem pacis cohibentia Janum. *Sil.* 12, 442. Claustris maris extulit carinas,' i. e. ex portu.] *Stat. Silv.* 2, 5, 4. de leone mansueto: Quid quod abire domo, rursusque in claustra reverti, etc., *h. e.* in caveam. *Senec. Hipp.* 1166. Daedalea claustra, *h. e.* labyrinthus. *Tac. A.* 4, 49. Ut aquam, pabulumque eriperet, contrahit claustra [*i. e. munitiones, vallum, coronam. Similis locus apud eundem *ib.* 12, 31. Suisque claustris impeditos turbant, i. e. munitionibus, quibus castra contra hostes defenderent. *Ov. Met.* 4, 86. Urbis claustra relinquere, i. e. portas clausas. Sic *Stat. Th.* 10, 644. Thebarum claustra. *Virg. G.* 2, 161. Lucrino addita claustra, i. e. interjecto aggere seclusus a mari lacus, portus factus est. *Sil.* 5, 44. Claustra undae, i. e. agger mari impositus ad cohibendos fluctus.] ℙ Translate. *Cic. Agr.* 2, 32. Corin-

thus erat posita in angustiis, atque in faucibus Graeciae, sic ut terra claustra locorum teneret, etc. *Id. Mur.* 8. Cum ego claustra ista nobilitatis refregissem, ut aditus ad consulatum non magis nobilitati, quam virtuti pateret. *Liv.* 9, 32. Sutrium, quae urbs velut claustra Etruriae erat. *Cic. Flacc.* 13. Omnes insulas, urbes maritimas claustris imperii nostri contineri. [**Tac. A.* 2. 59. Ne famē urgeret Italiam, quisquis eam provinciam claustraque terrae et maris insedisset.] *Suet. Vesp.* 7. Alexandriam transiit, ut claustra Aegypti obtineret. *Tac. H.* 3, 43. Claustra maris praesidio tueri. *Id. ib.* 2. Claustra montium. [**Id. ib.* 1, 6. Claustra Caspiarum. *Id. A.* 2, 62. Exin ventum Elephantinen ac Syenen, claustra olim Romani imperii; quod nunc rubrum ad mare patescit.] *Id. H.* 3, 8. Aegyptus claustra annonae. [**Id. A.* 5, 8. Claustra aerarii et militarem pecuniam rebus novis offerre.] ℙ *Naturae claustra confringere.* ap. *Lucr.* 1, 71. est naturae arcana aperire et revelare. ℙ *Claustra vitai resolvere*, ap. *eund.* 1, 415. est vitalia corporis receptacula, et munimenta diffringere. ℙ Eleganter *Plin. ep.* 2, 14. Nunc, refractis pudoris et reverentiae claustris, omnia patent omnibus. Et *Quint. Decl.* 13, 10. Obluctantia diu legum veluti claustris scelera, libera porta prorumpunt. Et *Vellej.* 1, 17. Eminentia cujusque operis arctissimis temporum claustris circumdata, *h. e.* aretati temporis spatio, ut *Id. ib.* loquitur 16. ℙ In sing. numero. *Caes. Germ. in Arat.* 196. foribus praeducit vincula claustri. *Curt.* 4, 5. Objicere claustrum. Adde 7, 6. et *Gell.* 14, 6. et *Petr. Sat.* 89., sed hic alii aliter leg. ℙ [In *Not. Tir.* p. 84. legitur *Clustrum* pro *Claustrum. F.*]

CLAUSŪLA, ae, f. *κατάληξις, παῦλα, τὸ ἔσχατον*, extrema pars alicujus rei: a *claudo*, qua finire significat. *Cic. Coel.* 27. *in f.* Mimi ergo est jam exitus, non fabulae: in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabilla concrepant, aulaeum tollitur. *Id. Att.* 6, 3. Clausula est difficilis in tradenda provincia. *Senec. ep.* 66. *ad f.* Bonum, quod beatae vitae clausulam imposuit. *Colum.* 3, 19. Clausulam imponere disputationi. *Plin.* 11, 45, 101. Ungues clausulae nervorum summae existimantur. *Cic. Phil.* 13, 21. et *Fam.* 2, 4. Clausula epistolae. *Id. Verr.* 2, 3, 14. edicti. *Colum.* 12, 57. *in f.* operis. ℙ De conclusione ac fine periodi. *Cic. Or.* 3, 46. Clausulas, atque interpuncta verborum, animae interclusio, atque angustia spiritus attulerant, *h. e.* verborum conclusiones, ut supra 44. dixerat. *Id. Or.* 64. Clausulae, quae numerose, et jucunde cadunt. *Id. ib.* 2, 59. Addere clausulam. ℙ *Appul. Flor. n.* 9. clausulam strigilis pro capulo strigilis posuit. Quo pertinet illud *Spartian. Hadrian.* 10. Capulo eburneo spatham claudere. *κατακλεῖειν* Graeci dicunt hoc eodem sensu. Est autem capulus tum ensis, tum strigilis extrema pars; et *claudere* pro finire adhiberi, supra suo loco diximus. Haec ex *Salmas. Commentar.* ad *Spartian. l. c.* ℙ A JCtis *clausula* saepe sumitur pro parte qualibet, seu capite edicti, legis, scripturae, licet extrema non sit. *Ulp. Dig.* 4, 8, 25. Haec autem clausula, *diem compromissi proferre*, nullam dat arbitro facultatem. Adde *ib.* 6, 23. *ad med.* et *ib.* 26. *ad f.* et alibi saepe. ℙ Apud rhetores dicta est etiam *clausula* brevis et acuta in fine sermonis cujusque sententia. Tempore enim *Quintiliani*, ut *Id.* 8, 5. docet, turpe ac prope nefas ducebant respirare ullo loco, qui acclamationem non peteret: unde minuti, corruptique sensiculi, et extra rem petiti tota oratione spargebantur. ℙ Denique et ipsa periodus *clausula* dicitur, quae definitur a *Charis.* 1, 275. compositio verborum plausibilis structurae, exitu terminata.

CLAUSŪRA, ae, vel Clusura, ae, f. Castrum, praesertim apud medii aevi scriptores. *Imp. Justin. Cod.* 1, 27, 2. Ubi antea fines, et clausurae provinciarum erant. *Cassiod. Var.* 2, 5. In Augustanis clausuris. Al. hic leg. *clusuris.*

CLAUSUS, a, um, part. a *claudo*, *is*, *si*, seratus, conclusus. [**Cic. Verr.* 2, 5, 27. Nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septum undique, nihil tam tutum ad custodias. *Ov. Met.* 4, 453. Fores clausae adamente. cf. *Gierig.* ad h. l. *Tac. A.* 2, 40. Clausum os, i. e. constrictum. *Id. ib.* 14, 9. Neque congesta aut clausa humus. *Ov. Met.* 15, 389. Clausum sepulcrum. *Tac. A.* 2, 2. Vilissima utensilium annulo clausa, i. e. obsignata. *Id. ib.* 15, 64. Clausum corpus adversum vim veneni, i. e. obstructum. *Catull.* 55, 18. Si linguam clauso tenes in ore. ℙ Translate *Cic. Tusc.* 4, 1. *ad f.* Aures clausae ad doctissimas voces philosophorum. *Id. Quint.* 30. Habere domum clausam pudori et sanctimoniae, patentem, utque adeo expositam cupiditati et voluptatibus. *Tac. A.* 3, 15. Quod Tiberium obstinatum clausumque vidit. ℙ Pro incluso, recondito, occultato, asservandi, custodiendi causa. *Cic. Ver.* 2, 4, 20. Statuerunt se nihil tam clausum, neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditate apertissimum promptissimumque esset. *Ov. Fast.* 6, 277. Suspensus in aëre clauso globus (de sphaera, quam Archimedes invenit, quae cincta erat capsa vitrica, ita ut aër clausus motus solis etc. referre videretur.) *Caes. B. C.* 3, 23. Tenere aliquem locum clausum. *Tac. A.* 4, 49. Simul equi, armenta, juxta clausa, egestate pabuli exanimari. *Id. ib.* 1, 53. Julia olim a Patre Augusto Pondateria insula, mox oppido Rheginorum clausa. *Id. ib.* 15, 4. Neque clausos exterret, i. e. obsessos. *Id. Hist.* 2, 14. Itaque undique clausi, i. e. ab hostibus cincti. *Sil.* 1, 681. Clauso bellum producere ferro, i. e. sedendo, non vi agendo. *Id.* 16, 358. Clausum ferrum, i. e. frenum. *Luc.* 5, 245. Ensis clausus, i. e. vagina conditus. *Virg. A.* 6, 734. Clausus tenebris et carcere caeco *Id. G.* 3, 352. Clausa armenta stabulis. *Hor. Sat.* 2, 7, 59. Turpi clausus in arca. *Tac. A.* 15, 53. Caesar, rarus egressu domoque aut hortis clausus. *Id. H.* 4, 49. *sub f.* intra domum. *Sil.* 5, 277. Clausum sub casside vulnus, i. e. occultatum. ℙ Translate *Sall. Cat.* 10. Aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere. *Cic. Verr.* 2, 3, 25. *f.* Clausa habere sua consilia. *Ov. Met.* 2, 641. Incaluitque Deo, quem clausum pectore habebat. *Id. Fast.* 4, 846. Clausum pectore vulnus. *Sil.* 10, 378. Clausus pavor, i. e. reconditus. *Id.* 1, 140. Clausum arcano pectore bellum. ℙ Idem quod circumdatus, cinctus. *Virg. A.* 12, 893. Clausum cava condere terra. *Ov. Fast.* 2, 222. Nec Riparum clausas margine finit aquas. *Tac. A.* 2, 19. Locus flumine et silvis clausus. *Id. ib.* 14, 34. Locus artis faucibus et a tergo silva clausum. *Quint. Decl.* 1, 14. Illae perpetua nocte clausae genae non custodierunt, i. e. perpetua caecitate coopertae.] *Hirt. B. G.* 8, 40. Oppidum clausum operibus, *h. e.* circumdatum. *Id. B. Alex.* 61. Clausus obsidione. ℙ Pro finito, *Cic. Or.* 58. *in f.* Universa comprehensio, et species orationis clausa et terminata est. ℙ Substantive. *Lucr.* 4, 613. Clausa viarum. Et *ib.* 354. domorum. *Virg. G.* 4, 303. Linquere aliquid in clauso. *Colum.* 12, 1. *ex Cicer. in Oecon.* Custodire aliquid in clauso. *Id.* 7, 6. Numerum majorem quam centum capitum, sub uno clauso non expedit habere.

CLAUSUS, i, m. princeps Claudiae gentis. *Ov. Fast.* 4, 305. et *Sil.* 15, 550. V. CLAUDIUS, ii.

CLAVULARIS. V. CLABULARIS.

CLAVULA. V. CLAVOLA.

CLAVŪLUS, i, m. parvus clavus, *ἦλάκος*. *Cato R. R.* 21. Imbrices medias clavulis figere. *Varr. R. R.* 2, 9. Imponere canibus cingulum circum collum ex corio firmo cum clavulis capitatis. ℙ *Clavulus* est etiam morbus, de quo in V. CLAVUS. *Marc. Empir.* 33. *a med.* Verendi virilis clavulis, et ulceribus aloe trita utiliter imponitur.

CLAVUS, i, m. *ἦλος, γόμφος*, id quo aliquid figitur, et alteri rei jungitur. A *claudendo* quidam dictum putant. *Hor. Od.* 3, 24, 5. Figere clavos. *Liv.* 7, 3. pangere. *Plin.* 10, 18, 20. adigere arbori. *Id.* 16, 10, 20. aereum adigere in arborem. *Id. ib.* 40, 76. *n.* 3. adactum avellere. *Pl. Men.* 1, 1, 10. excutere. *Caes. B. G.* 3, 13. Configere transtra clavis ferreis. *Id. B. C.* 2, 10. Tigna laminis clavisque religare. *Vitr.* 7, 3. Asseres clavis ferreis fixi. *Cato R. R.* 20. Figere aliquid clavis duplicibus. *Id. ib.* 18. *in f.* Clavis corneis occludere. *Hor. Od.* 1, 35, 18. Clavus trabalis. *Petr. fr. Trag.* 75. *Burm.* Tabularis clavus. *Plin.* 28, 6, 17. Clavum ferreum defigere. *Id.* 9, 18, 33. Clavi caligares, *h. e.* ferrea acumina militarium caligarum soleis suffixa: de quibus *Juven.* 3, 247. planta mox undique magna Calcor, et in digito clavus mihi militis haeret. Et 16, 24. offendere tot caligas, tot millia clavorum. ℙ Translate. *Pl. Asin.* 1, 3, 4. Fixus hic apud nos est animus tuus clavo Cupidinis, *h. e.* vinculo. *Cic. Tusc.* 4, 35. Novo quodam amore veterem amorem, tanquam clavo clavum ejicere; proverbii species. *Id. Verr.* 2, 5, 21. Ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret, *h. e.* firmum, proprium, perpetuumque redderet; et hoc proverbii genus est. ℙ Mos fuit priscis temporibus, Volsiniis praesertim in templo Deae Nortiae, (quae, teste *Capell.* 1. p. 21., eadem fuit cum Nemesi, seu Fortuna) deinde etiam Romae dextro lateri aedis Jovis Capitolini, ex qua parte fuit Minervae templum, clavum quotannis idib. Septemb. figere, qui, cum rarae essent per ea tempora litterae, numeri nota fuisse fertur, numerus autem Minervae inventum fuit; atque ideo singuli clavi indices erant numeri annorum. Haec ex *Liv.* 7, 3. *More.* vero *De stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 27. *ed. Patav.* veteris cujusdam Kalendarii auctoritate fretus censet, hos claves fuisse parvos quosdam clypeos litteratos, qui singuli regum primum, deinde consulum nomina continerent, ita ut *clavi annales* dicerentur, qui, teste *Festo*, ideo *parietibus sacrarum aedium figebantur, ut per eos numerus colligeretur annorum*, ac insuper in his aliquam fuisse temporis notam, ut constaret, a quo potissimum numerus esset ineundus. Hanc consuetudinem ab Hebraeis Etruscos mutuatos fuisse putat *Andr. Adamius* in *Storia di Volseno T.* 1. p. 82., quos mense Septembri annum civilem incepisse, notum est. Hinc *Ov. Fast.* 3, 89. ait, mensem Martium quintum fuisse Faliscis, Etruriae populis, quia scilicet, Januario et Februario omissis, annum incipiebant ab Septembri. *Cic. Att.* 5, 15. Laodiceam veni pridie Kal. Sext. Ex hoc die clavum anni movebis, *h. e.* numerabis initium anni mei in provinciae administratione. Hunc morem annorum numerandorum ex clavis parieti affixis proprium fuisse rusticorum confirmat *Petr. Sat.* 135. *Burm.* Et paries circa palea satiatus inani, Fortuitoque luto, clavos numerabat agrestes. ℙ Progressu vero temporis, cum fastus consulares marmore inscripti fuissent, clavi figendi mos intermissus est, at religionis tantum causa repetitus fuit, pestilentiae nempe avertendae, vel flagitiosi facinoris expiandi, vel plebis sedandae causa, ut narrat *Liv.* 7, 3., 8, 18. et 9, 28.: eo enim ritu Romani fatorum acerbitatem in melius vertere, vel Fortunae volubilem rotam sisti posse putarunt. ℙ Hinc poetae clavos Necessitati, quae Fortunae administra fuisse credita est, tribuunt, quod rata, fixa et firma ea esse oportet, quae necessitate et fato fiunt. *Hor. Od.* 1, 35, 17. fortunam ita alloquitur: Te semper anteit saeva Necessitas, Clavos trabales, et cuneos manu Gestans ahena. *Id. ib.* 3, 24, 3. Si figit adamantinos Summis verticibus dira Necessitas Clavos, non animum metu, Non mortis laqueis expedies caput. *Jo. Bapt. Vermiglioli Ant. Iscr. di Perugia T.* 1. *tab.* 2. p. 43. pateram, sive speculum exhibuit, atque interpretatus est, in quo fabula repraesentatur Meleagri, et Atalantae, quibus adstans una Parcarum Atropos alata, sinistra clavum parieti applicat, dextra vero illum malleo figit. ℙ Est praeterea *clavus* navis gubernaculum, *οἴαξ, πηδάλιον*: seu potius fustis, manubrium, quo gubernaculum torquetur, ut recte docet *Serv.* ad illud *A.* 5, 176. Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister: Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet. *Id. A.* 10, 218. Regere clavum. *Cic. Sext.* 9. Clavum tanti imperii tenere, et gubernacula reipublicae tractare. ℙ *Dum clavum rectum teneam*, proverbialis locutio est ap. *Quint.* 2, 17., et videtur significare, non timere aliquem, si arguatur, quod res non ex sententia cesserit, dummodo recte officio suo functus sit. ℙ *Abjicere clavum* metaphorice est curam alicujus rei deponere ap. *Arnob.* 3, 106. ℙ Numeratur etiam *clavus* inter morbos hominum, pecudum, et olearum. Est verrucula, seu tuberculum callosum in plantis humani pedis ex contusu plerumque nascens, clavique caput referens, ex quo magni aliquando dolores exsistunt, praesertim ingrediendi. Differt a *callo* quia hic sine dolore est. *Plin.* 28, 16, 62. Clavos, et rimas, callique vitia fimum apri sanat. *Cels.* 5, 28. *n.* 14. Excidere clavum. Et *ib.* tollere. Et *ib.* radere, et circumpurgare. *Plin.* 22, 23, 27. *n.* 11. pedum circumscarificare. *Id.* 26, 11, 66. *n.* 4. pedum extrahit ladanum. *Id.* 22, 23, 27. *n.* 11. Clavi, qui vulgo morticini appellantur. ℙ In aliis quoque corporis partibus clavi nascuntur, ut *Cels. l. c.* docet. *Plin.* 24, 14, 77. Lycium clavos in naribus sanat. *Id.* 26, 14, 87. Aristolochia clavos in ulcere natos extrahit. ℙ In oculo *clavus* dicitur callosum in ejus albo tuberculum, cui nomen a figurae similitudine est, inquit *Cels.* 6, 7. *n.* 12. ℙ In cervicibus boum ex attritu jugi clavi fiunt, teste *Colum.* 6, 14. *sub f.*, ubi eorum sanandorum rationem tradit. Similiter oves dupliciter clavis infestantur, sive cum subluvies, atque intertrigo in ipso discrimine ungulae nascitur, seu cum idem locus tuberculum habet etc. *Id.* 7, 5. *a med.* ℙ Apum quoque abortus, *clavus* dicitur, cum folliculus ille, in quo fetus est, vitio aliquo cerae instar induruit. *Plin.* 11, 16, 16. Ita enim legit ibi *Hard.* ex MSS. alii *clerus.* ℙ De olearum vitio *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 4. Olea, praeter vermiculationem, clavum etiam patitur, sive fungum placet dici, vel patellam: haec est solis exustio. ℙ In tunicis Romanorum *clavi* erant segmenta, fere e purpura, ipsi tunicae assuta ornatus gratia, Graece *σημεῖα*. Sed qua figura ii fuerint, utrum ex lato in acutum desinenti instar clavi, an rotundi solumque clavi caput referentes; an virgularum, seu linearum modo mediam vestem intersecantes; an denique partes ipsius tunicae anteriores hinc inde pendentes, et ex adstricto in latum desinentes, res est admodum incerta, et multis ambagibus involuta, quaeque miras lites inter eruditos excitavit, *Ferrar.* praesertim, et *Ruben. de re vestiar.*, quae fusius persequi, non est nostri instituti. V. *Pitisc.* in *Lex. antiquitat.* et *Graevii praefat. ad T. VI. antiquitat. R.*, ubi *Rubenius* contra *Ferrar.* defenditur, et clavum fuisse virgam, seu lineam affirmatur. ℙ Hinc *clavus* aliquando pro ipsa tunica ponitur. *Hor. Sat.* 2, 7, 10. Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas. ℙ Hujusmodi ornatus in tunica a solis senatoribus, et equitibus gestabatur. Nam cetera plebs simplices tunicas habuit. Sed senatores latum clavum adhibebant, equites angustum. *Ov. Trist.* 4, 10, 29. Induiturque humeris cum lato purpura clavo. *Vell.* 2, 88. Maecenas vixit angusto clavo paene contentus, *h. e.* equestri dignitate. *Plin. ep.* 2, 9. Ego Sexto la-

tum clavum a Caesare nostro impetravi, *h. e.* jus dignitatis senatoriae. *Suet. Claud* 24. Latum clavum alicui tribuere. ℙ Hinc *angusticlavii* dicti sunt, qui angusto clavo utebantur, *laticlavii*, qui lato, ipsaeque tunicae, *laticlaviae*. ℙ Nonnunquam clavorum ornatus aliis etiam pannis additus est. *Mart.* 4, 46. Et lato variata mappa clavo. *Petr. Sat.* 32. hujusmodi mappam appellat *laticlaviam*. V. MAPPA.

CLAXENDIX. V. CLACENDIX.

CLĂZŌMĒNAE, arum, f. plur. *Κλαζομεναὶ*, urbs Ioniae, de qua V. in v. seq. ℙ In illo *Auson. ep.* 131, 4. Et teris incusas pumice Clazomenas, *h. e.* nates percisas, alluditur ad Graecum *κλαζόμενος*, perruptus, fractus, a *κλάζω* pro *κλάω*, frango, latetque obscenus sensus.

CLĂZŌMĒNĬUS, et Clăzŏmēnius, a, um, adj. *Κλαζομένιος*, et *Κλαζομένειος*, ad Clazomenas pertinens, quae est urbs Ioniae in Asia minori, in ora maris Aegaei, non procul a Smyrna, ut *Plin.* 5, 29, 31. et *Mela* 1, 17. *extr.* docent. *Cic. Or.* 3, 34. Anaxagoras Clazomenius. *Plin.* 14, 7, 9. Clazomenium vinum. *Sulpicia* in *Sat.* 5. Nec trimetro jambo, nec qui pede fractus eodem Fortiter irasci didicit duce Clazomenio, *h. e.* carmine Iambico scazonte, quo maxime usus Hipponax, cum Clazomenis esset, in derisores suos: qua de re V. HIPPONAX. De littera prima in voce *jambo* consona pro vocali V. IAMBUS *in f.*

[CLĔANDER, dri, m. gloria hominum: a *κλέος*, gloria, et *ἀνήρ, ἀνδρός*, homo. Nomen servile. *Inscr.* ap. *Mur.* 1340, 12. Fabia Doxa Cleandro Damae F. marito. *F.*]

CLĔANTHES, is, m. *Κλεάνθης*, philosophus stoicus, ex Asso urbe Troadis, Cratetis primum, deinde Zenonis discipulus, cujus locum in schola postea tenuit, praeceptor Chrysippi. Pauperrimus fuisse dicitur, adeo ut mercenario hauriendae aquae labore quaestum facere cogeretur ad vitam tolerandam, ut innuit *Senec. ep.* 44., quod noctu praestabat, somno parcissime utens, ut interdiu vacare posset studiis sapientiae: vixit tamen usque ad undecentesimum annum, ut *Val. Max.* 8, 7. *n.* 11. *extr.* testatur. Saepe ejus mentionem facit *Cic.* in libris philosophicis, et varia ejus dogmata refert. *Juven.* 2, 7. Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthes. *Val. Max. l. c.* Te quoque, Cleanthe, tam laboriose haurientem etc. Quod autem *Id. ib.* eum facit Chrysippi discipulum, est contra auctoritatem *Cic. Fat.* 7., *Diog. Laert.* in *Chrysippo*, et aliorum.

CLĔANTHĔUS, a, um, adj. *Κλεάνθειος*, ad Cleanthem pertinens. *Pers.* 5, 63. purgatas inseris aures Fruge Cleanthea, *h. e.* praeceptis morum a Cleanthe petitis. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 88. Cleanthea turba, *h. e.* discipuli et sectatores Cleanthis.

[CLĔANTHUS, i, m. gloria florum: a *κλέος*, gloria, et *ἄνθος*, flos. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 241, 2. L. Coelius Cleanthus. *F.*]

*CLEARCHUS, i, *Κλέαρχος*, Heracleae Ponticae tyrannus. *Just.* 16, 4. ℙ Item alius, Peripateticus, Solensis, Aristotelis discipulus. *Gell.* 4, 11. *extr.* V. *Voss. de Hist. Graec.* 1, 9. ℙ Item dux Lacedaemoniorum, qui dictabat Imperatorem plus quam hostem metui oportere. *Frontin. Strateg.* 4, 1. *B. A.*

[CLĔDO, onis. f. *κληδών*, bona fama. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1697, 4. Junia Ɔ. L. Cledo. *F.*]

*CLEEMPŌRUS, i, medicus, de quo *Plin.* 22, 22. et 24, 17. *B. A.*

CLĒMA, ătis, n. *κλῆμα*, herba ex genere sanguinariae, seu polygoni. Graece *κλῆμα* palmitem, aut flagellum vitis significat. *Plin.* 27, 12, 91.

CLĒMĀTIS, ĭdis, f. *κληματὶς*, herba smilaci similis, geniculata, repens per arbores. *Plin.* 24, 10, 49. ℙ Alia est *clematis* Latine centunculus dicta. V. CENTUNCULUS. ℙ Aliae sunt hoc nomine herbae apud Graecos: de quibus *Plin.* 24, 15, 89. et 90.

CLĒMĀTĬTIS, ĭdis, f. *κληματῖτις*, herba, species aristolochiae, longissimae tenuitatis. *Plin.* 25, 8, 94. V. ARISTOLOCHIA, et PLISTOLOCHIA.

CLĒMENS, entis, adj. omn. gen. *ἥσυχος, ἤπιος*, quietus, placidus: cui opponitur incitatus, praeceps. Videtur esse a praet. perf. pass. *κεκλημαι*, et sync. *κέκλημαι* verbi *κηλέω*, mulceo. *Cic. Fin.* 2, 4. Etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci. *Ter. Adelph.* 1, 1, 17. Clementem vitam urbanam, atque otium sequi. *Ov. Met.* 9, 116. nec, qua sit clementissimus amnis, Quaerit. *Curt.* 5, 3. de Tigri fluvio: Accipiunt deinde eum campi, quos clementiore alveo praeterit. *Catull.* 64, 272. Undae clementi flamine pulsae tarde procedunt: Post vento crescente, magis magis increbrescunt. *Claud. III. Cons. Honor.* 165. clementes aurae. *Gell.* 2, 21. Clemens mare. *Id.* 1, 11. Gradu clementi, et silentio est opus. *Val. Flacc.* 6, 747. Clementi turbine erigi, *h. e.* paulatim, et placido cursu extolli. *Stat. Theb.* 5, 468. Detumuere animi maris, et clementior Auster Vela vocat, *h. e.* minus furens ac violentus. *Colum.* 11, 2. Intepescit annus, permittitque clementior dies opera moliri. [* *Sil.* 1, 198. Clementior Arctos, i. e. minus gravis Solis aestus.] ℙ De cicuribus, et domesticis animalibus. *Varr. R. R.* 3, 7. Alterum genus illud columbarum est clementius, quod cibo domestico contentum intra limina januae solet pasci. ℙ Item de locis leniter acclivibus, et quae facile ascendi possunt: cui opponitur arduus, praeceps. *Appul. Met.* 4. Clementi denique transmisso clivulo, pervenimus ad locum destinatum. V. CLEMENTER. ℙ Saepe refertur ad animum, et significat lenem, mitem, mansuetum, humanum. *Ter. Adelph.* 5, 4, 9. Clemens, placidus, nulli laedere os, arridere omnibus. *Donat.* hic distinguit, ut *clemens* ad animum referatur, *placidus* ad vultus tranquillitatem. *Cic. Planc.* 13. Clementes judices, et misericordes. *Id. Rosc. Am.* 30. Praeest huic quaestioni vir et contra audaciam fortissimus, et ab innocentia clementissimus, *h. e.* erga innocentiam. Est enim *clemens* circa recte agentes: *placidus* etiam circa delinquentes, ut *Donat. l. c.* distinguit. Quod licet non semper verum sit, (*clemens* enim dicitur etiam qui in reos parce ac leniter animadvertit, ut in illo *Cic.* de Catilina puniendo *Catil*, 1, 2. Cupio, P. C., me esse clementem, etc. V. *Senec. Clement.* 1, 20.) tamen ad hunc *Cic.* locum optime facit. Porro singularis est in his verbis usus praepositionis *a* vel *ab*, quae alias significat *propter*, vel *quod attinet ad*, ut *imparatus a pecunia*, *copiosus a frumento:* quae sunt *Ciceronis;* et *a secundis rebus incauti:* quod est *Livii. Nep. Epam.* Continens, clemens, patiensque admirandum in modum. *Cic. Off.* 1, 38. Clementi castigatione uti. *Ter. Hecyr.* 3, 5, 22. Benigno et clementi animo esse in aliquem. *Pl. Mil.* 4, 6, 37. Clementi animo ignoscere. [* *Hor. Od.* 3, 11, 46. Quod viro clemens misero peperci. *Tac. A.* 2, 57. Et erat clementior, i. e. praeditus animo benigno, ab iracundia remoto.] *Val. Max.* 5, 9. *n.* 4. Acta clementia magnorum virorum. *Id.* 7, 3. *n.* 6. *extern.* In discrimine vitae clementissima suffragia populi experiri. *Ter. Andr.* 1, 1, 9. Justa, et clemens servitus. *Plin.* 6, 13, 14. Arimphaeis ritus clementes. ℙ Clemens rumor a *Sallust. Jug.* 25. dicitur, qui infra verum est, et minus atrocia vulgat, quam sunt. *Prisc.* 18, 1202. Exponit, non nimius: quod eodem recidit. ℙ Insula clemens ratibus, ap. *Claudian. B. Gild.* 511. est commoda, et apta navigiis appellendis: cui opponitur *ib.* 512. scopulosa. ℙ [* *Clemens* est etiam nom. prop. *Rom.* ap. *Tac.* H. 4, 68. Clemens Arretinus. Consul fuit imperii Domitiani anno tricesimo. Cf. *Suet. Dom.* 11. ℙ *Flavius Clemens*, patruelis Domitiani, ab hoc interfectus. *Suet. Dom.* 15. cf. quos laudat *Ernest.* ad. h. l.]

CLĒMENTĔR, adv. *ἡσύχως, ἠρέμα*, paulatim, quiete, placide. *Plaut. Epid.* 2, 2, 20. Animo male est: recipiam anhelitum. *Pe.* clementer acquiesce. *Id. Stich.* 4, 1, 26. Hodiene exoneramus navem, frater? *Pa.* clementer volo. *Id. Merc.* 5, 2, 111. *Eu.* Sequere sis. *Ch.* sequor. *Eu.* clementer, quaeso: calces deteris. *Senec. Q. N.* 6, 30. Non desiit assidue tremere Campania: clementius quidem, sed, etc. *Stat. Silv.* 2, 2, 27. insani spirant clementius Austri. *Gell.* 5, 14. Leo caudam clementer et blande movens. *Plin. ep.* 5, 16. *in f.* Recens dolor consolationes rejicit: mox desiderat, et clementer admotis acquiescit. ℙ De locis paulatim surgentibus, et ascensu facilibus. *Tac. A.* 13, 38. et *Colum.* 2, 2. Collis clementer et molliter assurgens. *Tac. Germ.* 1. Molle et clementer editum montis jugum cui opponitur inaccessus ac praeceps. *Senec. Oedip.* 280. coelum petens Clementer acto colle Parnassus biceps. *Sil.* 1, 274. Clementer crescente jugo. Sic. *Tac. H.* 3, 52. Explorare, si qua Apennini juga clementius adirentur. *Id. A.* 12, 33. Si qua clementer accedi poterant. Sic *Lactant. de Opif. Dei* 13. *circa med.* Teretes surae clementer exstantes. ℙ Saepe accipitur pro leniter, moderate, remisse, benigne. *Cic. Verr.* 2, 5, 8. Si quid est factum clementer, ut dissolute factum criminer. *Id. Verr.* 2, 4, 40. Leniter et clementer accipe aliquem. *Id. Att.* 6, 1. Clementer ferre aliquid. *Caes. B. C.* 3, 20. Clementer et moderate jus dicere. *Plin. ep.* 8, 24. Molliter clementerque tractare aliquem. *Gell.* 1, 18. Clementissime scribere de aliquo. *Pl. Mil.* 4, 3, 5. facere aliquid. *Phaedr.* 4, 19. Clementer respondere. *Liv.* 29, 2. Hostico tanquam pacato clementer ductis militibus, *h. e.* sine populatione et injuria. [* *Tac. A.* 14, 38. Novum legatum opperiendum esse, sine hostili ira et superbia victoris clementer deditis consulturum.]

CLĒMENTĬA, ae. f. *γαλήνη, ἠρεμία*, quietus status alicujus rei, tranquillitas, lenitas, placiditas. *Colum.* 2, 9. *ad f.* Clementia hiemis. *Lucan.* 8, 366. emollit gentes clementia Coeli. *Plin. ep.* 5, 6. Aestatis mira clementia: semper aer spiritu aliquo movetur. *Appul. de Deo Socrat.* Tranquillitas maris, et clementia ventorum. *Prudent. in Symmach* 2, 1012. tempestatis clementia laeta serenae. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 235. clementia surgitis, *h. e.* placidus cursus. ℙ Saepe refertur ad animum, et significat lenitatem et moderationem animi, benignitatem, humanitatem, misericordiam, et est pars temperantiae, ut *Cic. Inv.* 2, 54. docet. *Id. Verr.* 2, 5, 44. Illam clementiam mansuetudinemque nostri imperii in tantam crudelitatem inhumanitatemque esse conversam. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 8. *in f.* Tuo toto denique imperio nihil acerbum esse, nihil crudele, atque omnia plena clementiae, mansuetudinis, humanitatis. *Id. Att.* 14, 19. Lenitas, et clementia. [* *Id. Off.* 1, 25, 88. Nihil laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate, atque clementia. *Tac. A.* 3, 50. Clementia et severitas. *Id. ib.* 6, 30. Effusae clementiae, modicus severitate. *Id. ib.* 12, 11. Clementiamque ac justitiam capessere. *Id. ib.* 32. Non atrocitate, non clementia mutari. *Id. ib.* 14, 48. Publica clementia, i. e. legum.] *Ter. Adelph.* 5, 4, 7. Facilitas, et clementia. *Gell.* 7, 3. Clementia, et misericordia. *Quint.* 7, 4. Ubicumque juris clementia est, habet locum deprecatio. [* *Id. Decl.* 6, 10. f. p. 138. Etiam si qua sunt jura, quae obstent, si tamen angustus saltem detur accessus, per quem intrare humanitas possit, vera clementia occisione contenta est. *Tac. A.* 2, 10. In deditionem venienti paratam clementiam. *Id. ib.* 42, Clementiam offerre, i. e. veniam. *Id. ib.* 12, 52. Idque ad clementiam trahebat Caesar. *Id. ib.* 13, 11. Obstringens clementiam suam crebris orationibus.] *Cic. Att.* 14, 22. Uti clementia. *Id. Ligar.* 10. Confugere ad clementiam alicujus. [* *Tac. A.* 11, 32. Pontificis maximi aures adire, clementiam expetere.] *Plin.* 11, 11, 10. Punire aliquem sine clementia. *Id.* 8, 7, 7. Elephanti clementia contra minus validos. *Id. ib.* 16, 19. Leonis clementia in supplices. [* *Ov. Met.* 8, 57. Quamvis saepe utile vinci Victoris placidi fecit clementia multis.] *Stat. Theb.* 3, 527. Fecunda placidi clementia Nili, *h. e.* benignitas, qua ubertatem Aegypto praestat. ℙ Clementia praecipua est principum virtus, et dos prima, ut *Vopisc.* loquitur *Aurelian.* 44. Hi enim maxime eam exercere possunt in subditos peccantes, lenius in eos animadvertendo, et mite imperium exercendo. Hinc inter ceteros imperatorum titulos hic quoque fuit, ut *clementissimi* dicerentur. In appellando etiam *clementiae* nomen adhibebatur, ut est ap. *Lamprid. Alex. Sev.* 65. et alibi in historia Augusta. ℙ Olim Clementia Dea habita est, ut Pax, Fides, Victoria, Concordia, etc. *Plin.* 2, 7, 5. et *Claud.* 2. *Laud. Stilich.* 6. et *Stat. Theb.* 12, 481., ubi ejus aram, et colendi rationem describit. ℙ De *Clementia* duos libros scripsit *Seneca*, in quorum altero, c. 3. plures ejus definitiones proponit.

[CLĔMENTILLA, ae, f. diminut. Clementis. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 4. *n.* 17. L. Julius C. F. Clemens Juliae L. F. Clementillae *filiae. F.*]

[CLĔMENTĪNUS, a, um, adj. ad clementem pertinens. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 172. *n.* 300. M. Ulpio Aug. L. Clementi Ulpia Clementina fil. patri piissimo fecit. F.]

[CLĔO, onis, m. gloriosus: a *κλέος*, gloria. Nom. serv. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1578, 6. Cleo *libertus. F.*]

CLĔOBIS, is, m. *Κλεόβις*, *Cic. Tusc.* 1, 47. Herodoto auctore (*l.* 1. c. 31.), aliisque pluribus, Argiae (Cydippen vocat *Stob. serm.* 119) sacerdotis Cleobis, et Biton filii praedicantur. Nota fabula est: cum enim illam ad solemne et statum sacrificium curru vehi jus esset, satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque jumenta: tunc juvenes ii, quos modo nominavi, veste posita corpora oleo perunxerunt, ad jugum accesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, cum currus esset ductus a filiis, precata a Dea dicitur, ut illis praemium daret pro pietate, quod maximum homini dari posset a Deo: post epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse, mane inventos esse mortuos. ℙ *Hygin. fab.* 254. eandem fabulam narrat, et Cydippen vocat sacerdotem Junonis Argivae: hinc apparet ap. *Cic. l. c.* scriptum *Argiae* pro *Argivae.*

[CLĔOBŪLA, ae, f. gloriae cupida: a *κλέος*, gloria, et *βούλομαι*, volo. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 455, 9. Pompeja Cleobula. *F.* et *B. A.*]

CRĔOBŪLUS, i, m. *Κλεόβουλος* (a *κλέος*, gloria, et *βούλομαι*, volo, gloriae cupidus) Euagorae filius, Lindius, unus e septem Graeciae sapientibus, robore et pulcritudine corporis eximius. Infidelem et ingratum animum sanguine viperino cautius vitavit. Amicis, ut conserventur, inimicis, ut concilientur, bene faciendum dixit. *Auson. Sept. Sap.* 3. ℙ Hoc nomine fuit etiam scriptor quidam historicus, vel geographus, cujus fit mentio *Plin.* 5, 31, 38. Diversus (ait *Hard.*) ab iis, quos eodem nomine fuisse appellatos prodidere *Diogenes Laert.* et *Stobaeus. F.* et *B. A.*]

*CLEOCHĂRES, ab Alexandro M. missus, postulatum a Poro deditionem. *Curt.* 8, 13. *B. A.*

*CLEŌCHUS, i, *Κλεόχος*, Ariae (Areae) pater, ex qua Apollo Miletum genuit. *Arnob.* 6. p. 242. *Herald. B. A.*

[CLĔOMBRŌTUS, i, m. *Κλεόμβροτος*. Adolescens Ambraciota, de quo ita *Cic. Tusc.* 1, 34. Calimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est (quod adhuc exstat, et inter *Callimachi*

carmina legitur *n.* 24.); quem ait, cum nihil ei accidisset adversi, e muro se in mare abjecisse, lecto Platonis libro. *Augustin. Civ. Dei.* 1, 22. Ille potius Cleombrotus in hac animi magnitudine reperitur, quem ferunt lecto Platonis libro, ubi de immortalitate animi disputavit, se praecipitem dedisse de muro. Hinc *Ov.* de eodem *Ib.* 495. Vel de praecipiti venias in Tartara saxo, Ut qui Socraticum de nece legit opus. ℙ Est quoque cogn. Rom. a *κλέος*, gloria, et *βρότος*, homo, gloria hominum. *Inscr.* ap. *Grut.* 706, 4. Ser. Calpurnius Cleombrotus. ℙ Alius fuit Cleombrotus Lacedaemoniorum dux, qui suorum civium invidiam, et ignaviae notam timens, pugnam commisit in campis Leuctricis cum Thebano Epaminonda, victusque est. *Cic. Off.* 1, 24. *a med. F.*]

CLĔOMĒNES, is, m. gloria animi: a *κλέος*, gloria, et *μένος*, animus. Nom. serv. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 618, 8. Cleomenes coriarius subactarius. *F.*]

*CLEON, ontis, *Κλέων*, Halicarnasseus, forte orator vel rhetor. *Nep. Lys.* 3. ℙ Item Atheniensis, civis turbulentus sed eloquens. *Cic. Brut.* 7. cf. *Diod. Sic.* 12. p. 108 et imprimis *Aristoph. Equit. passim.* ℙ Item nobilis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. ℙ Et pictor, forte idem cum praecedente. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

CLĔONAE, arum f. plur. *Κλεωναί*, oppidum Peloponnesi, in Achajae, et Argiae finibus prope Phliuntem, et Nemeaeam silvam. *Plin.* 4, 5, 6. et *ib.* 6, 10. Hinc *Ov. Met.* 6, 417. Messeneque ferax Patraeque, humilesque Cleonae. ℙ *Cleonae*, seu *Cleone*, fuit etiam oppidum Macedoniae, in Chalcidica, ad Athon montem. *Plin.* 4, 10, 17. et *Mela* 2, 2.

CLĔONAEUS, a, um, adj. *Κλεωναῖος*, ad Cleonas pertinens. *Plin.* 35, 8, 34. Cimon Cleonaeus. *Id.* 19, 5, 25. napus. *Lucan.* 4. 612. et *Sil.* 3, 34. leo, *h. e.* idem qui Nemeaeus ab Hercule occisus; quia Cleonae prope Nemeaeam silvam sunt. *Serv. A.* tamen ad 8, 295. Nemeaeum a Cleonaeo distinguit, ut duos leones Hercules interfecerit. Sic *Cleonaeus hiatus* apud *Val. Flacc.* 1, 34. Et *Cleonaeum sidus* apud *Stat. Silv.* 4, 28. et *Mart.* 4, 60. *h. e.* sidus coeleste Leonis. Nam Leonem ab Hercule occisum Juppiter in coelum transtulit ℙ *Stat. Theb.* 6, 836. Cleonaeae stirpis jactator Agylleus, *h. e.* qui jactabat, se esse ex stirpe Herculis.

CĔONICĬON, ii, n. *κλεωνίκιον*, herba eadem quae clinopodion *Plin.* 24, 15, 87.

CLĔOPATRA, ae, f. *Κλεόπατρα*, Aegypti regina, filia Ptolemaei Auletae, soror, et uxor Ptolemaei ultimi. Mulier impudicissima fuit. A Caesare primum adamata est, cui filium Caesarionem peperit, deinde ab Antonio justae uxoris loco habita. Ad extremum, victo apud Actium Antonio, admotis corpori aspidibus sese interemit. *Stat. Silv.* 3, 2, 120. Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas. ℙ Tanta ejus luxuria fuit, ut una coena cum Antonio celebrata centies HS sola absumpserit, resoluta in aceto, atque epota margarita id pretium aequante, ut *Plin.* 9, 35, 58. narrat. [*Caes. B.* C. 3, 103. *Hirt. B. Alex.* 23. *Flor.* 4, 11. etc. *Hor. Od.* 1, 37, 21. *Virg. Aen.* 8, 688. *Juv.* 2, 108. ℙ *Cleopatra*, *neptis* Attali, Philippo Macedoni desponsata est, repudiata ob fastum Olympiade: mox sponso a Pausania occiso, ab Olympiade ad suspendium adacta est. *Justin.* 9, 7. ℙ *Cleopatra*, soror germana Alexandri M. ex utroque parente, uxor fuit Alexandri Molossi seu Epirotae avunculi. Post ejus mortem a Perdicca est ambita, deinde a Ptolomaeo. Tandem ab Antigono necata, dum Sardibus a Ptolemaeum in Aegyptum ire tentat. *Justin.* 9, 6. 13, 6. 14, 1. *Liv.* 8, 24. ℙ *Fuit* et *Cleopatra* Mithridatis filia, uxor Tigranis. *Justin.* 37, 3. ℙ Alia, uxor sororque Ptolemaei Physconis seu Euergetae *Liv.* 44, 19. et 45, 15. *Justin.* 38, 8. et 39, 3. 4. ℙ Fuit et Danai filia, nomine Cleopatra. *Hyg. fab.* 170. ℙ Item pellicis nomen, cujus corpori Claudius Caesar maxime insueverat. *Tac. A.* 11, 30. *B. A.*]

CLĔOPATRĀNUS, a, um, adj. ad Cleopatram pertinens, ut Cleopatrana stirps, *Trebell. Poll. in Claud.* 1. et Cleopatrani uniones, *Id. in* XXX *Tyrann.* 32. *ad f. h. e.* qui Cleopatrae fuerunt.

CLĔOPATRĬCUS, a, um. adj. Cleopatranus. *Sidon. ep.* 8, 12. *in f.* Cleopatricae dapes, *h. e.* sumptuosissimae. V. CLEOPATRA.

*CLEOPHANTUS, i, medicus quidam, qui Pompeji M. temporibus floruit. *Cels.* 3, 14. *in. Plin.* 26, 3. ℙ Et alius medicus, cujus meminit. *Cic. Cluent.* 16. ℙ Et pictor Corinthius. *Plin.* 35, 3. *B. A.*

*CLEOPHES, Assacani mater, in India gentis Assacenae regina. *Curt.* 8, 10. ubi v. *intrpr. B. A.*

CLĔPO, is, psi, ptum, a. 3. clam furor: a Graeco *κλέπτω*, quod idem est. *Pl. Pseud.* 1, 2, 6. Ubi data occasio est, rape, clepe, tene, harpaga. *Vet. Poeta* (quibusdam est *Accius* in *Atreo*) ap. *Cic. N. D.* 3, 27. Agnum inter pecudes aurea clarum coma Quondam Thyesten clepere ausum esse e regia. *Id. fr.* ap. *Non.* 1, 72. Non modo ut Spartae, ra-pere ubi pueri, et clepere discunt. *Accius* ap. *Cic. Tusc.* 2, 10. Clepere dolo aliquid. *Manil.* 1, 27. Clepsisset furto mundum, quo cuncta reguntur. *Prudent. Psychom.* 562. Quod rapere et clepere est, avideque abscondere parta. ℙ *Clepsit* pro *clepserit* per syncopen. *Liv.* 22. 10. *ex vetere rogatione secundo bello Punico facta.* Si quis clepsit, ne populo scelus esto, neve cui cleptum fuerit. ℙ Translate. *Pacuv.* ap. *Non. l. c.* Sermonem hic nostrum ex occulto clepit, quantum intelligo, *h. e.* aucupatur, clam audit. *Accius ib.* Ut nequis nostra auribus verba cleperet. ℙ Est etiam occultare, tegere, *Senec. Med.* 155. Levis est dolor, qui capere consilium potest, et clepere se. *Id. Herc. fur.* 719. Ac se tegmine ingenti clepit. ℙ Reperitur etiam praeteritum *clepi:* ut in illo *Cic.* stilo XII. Tabular. loquentis, *Leg.* 2, 9. Sacrum, sacrove commendatum qui cleperit, rapsitque, parricida esto. Al. leg. *clepserit*, vel *clepsit.*

CLĔPO, onis, m. fur, qui clepit. Legit ap. *Petr. fr. Trag.* 58. *Burm.* ex mera conjectura *Reinesius.* Alii aliter.

[CLEPSĪNÀ, ae, m. a *clepso.* Cogn. C., et L. Genuciorum consulum ann. U. C. 483. et 484. ex *Anonym. Norisiano. F.*]

CLĔPSO, is, a. 3. idem quod clepo. *Lucil.* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. et *ibi Scalig.* in *Conjectan.*

CLEPSYDRĀ, ae, f. *κλεψύδρα*, horologium aquarium, horas aqua dimetiens, idest vas vitreum, in cujus fundo foramen est guttatim aquam destillans, ex cujus deminutione labentis temporis mensura cognoscitur: a *κλέπτω*, furor, et *ὕδωρ*, aqua, quia paulatim, et quasi furtim aqua detrahitur. *Senec. ep.* 24. Quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid ante defluxit. ℙ Est inventum Graecorum: a quibus ad Romanos transiit, tunc praecipue cum lege a Cn. Pompejo M. lata in tertio suo consulatu, ut est ap. *Auct. Dial. de oratorib.* 38., coeptum est definiri oratoribus tempus dicendi. ℙ Eam ita describit *Appul. Met.* 3. Citatus accusator quidam senior exsurgit, et ad dicendi spatium vasculo quodam in vicem coli graciliter fistulato, ac per hoc guttatim defluo, infusa aqua, populum sic adorat, etc. *Cic. Or.* 3, 34. Hunc non clamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat, sed etc. ℙ Non omnes clepsydrae ejusdem erant capacitatis, ut colligitur ex *Plin.*, ubi ait *ep.* 2, 11. Dixi horis paene quinque. Nam duodecim clepsydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt additae quatuor. Al. leg. *decem clepsydris*, alii *viginti.* ℙ Dare clepsydras, hoc est spatium ad dicendum, judicum erat; petere actoris, et rei. *Mart.* 6, 35. Septem clepsydras magna tibi voce petenti Arbiter invitus, Caeciliane, dedit. Hinc *dare alicui aquam* ap. *Plin. ep.* 6, 2. ℙ Earum numero finito, indicebatur dicenti silentium, ut *Id.* loquitur *ep.* 1, 23., nisi alias insuper impetrasset. *Appul. Apol.* Quoniam mihi pro accusationis longitudine largiter aquae superest, cedo, si videtur, singula consideremus. ℙ In castris quoque usus clepsydrae fuit. *Veg.* enim *Mil.* 3, 8. *a med.* docet, vigilias nocturnas in quatuor partes ad clepsydram divisas esse, ut non amplius, quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. Quo pertinet, ut adnotavit *Stewech. ad loc. Veg. cit.*, locus ille *Caesaris B. G.* 5, 13. Nos nihil de eo percunctationibus reperiebamus, nisi certis ex aqua mensuris, breviores esse noctes, quam in continenti vidbamus.

CLEPSYDRĀRIUS, ii, m. qui clepsydras facit, aut vendit. *Inscr.* ap. *Mur.* 935, 8. P. Aelio Zenoni automatario clepsydrario etc.

CLEPTĀ, ae, m. *κλέπτης*, qui clepit. *Pl. Truc.* 1, 2, 9. Dum ille agitat, fiunt ceteri cleptae.

CLĔRĬCĀLIS, e, adj. ad clericum pertinens. *Sidon. ep.* 6, 7. Clericale tirocinium. Et *ep.* 7, 2. Clericalis comitatus.

CLĔRĬCĀTUS, us, m. dignitas et officium clerici. *Hieron. ep.* 60. *n.* 10. Clericatum non honorem intelligens, sed onus. Adde *ep.* 125. *n.* 8. et *ep.* 52. *n.* 5. et *ep.* 57. *n.* 12. et *Sidon. in concione ep*, 9, 7.

CLĔRĬCUS, i, m. qui cultui divino in Ecclesia Catholica per sacros Ordines addictus est, in sortem scilicet Domini vocatus: a *κλῆρος*, sors. *Hieron. ep.* 60. *n.* 10. et *Sulpic. Sever. Hist. sacr.* 2, 32.

CLĔRŪMĒNOE, *κληρούμενοι;* Graeca vox Latinis litteris scripta. *Pl. Cas. prol.* 31. Clerumenoe vocatur haec Comoedia Graece, Latine Sortientes.

CLĔRUS, i, m. abortus apum. V. CLAVUS. ℙ Apud Ecclesiasticos scriptores est ordo clericorum: a *κλῆρος*, sors, quod hi in sortem Domini vocati sunt. *Tertull. Monog.* 12. Ut solos, qui sunt in clero, monogamiae jugo adstrinxerit. Adde *Prud. περὶ στεφ.* 4, 78.

*CLESĬDES, ae, vel is, pictor insignis, de quo *Plin.* 35, 11. *B. A.*

[CLĔTĒ, es, f. *κλητή*, vocata, celebris. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1415, 6. Furia Clete. *F.*]

*CLEVAS, ae, Persei regis dux in Macedonia. *Liv.* 43, 21. et 23. *B. A.*

*CLEVUM, i, Britanniae opp., quod alii credunt hodie *Gloucester* appellari. *Anton. Itin. B. A.*

CLĪBĀNĀRĬUS, ii, m. *ὁλοσίδηρος*, miles cataphractus, hoc est lorica munitus, non ea quidem ex squamis confecta, sed ex solido ferro in formam clibani quodammodo reflexo. Ita speciatim dicti sunt milites cataphracti Persarum, ut est ap. *Lamprid. Alex. Sev.* 56. et *Ammian.* 16, 10. ℙ *Lamprid. Alex. Sev.* 56. et *Ammian.* 16, 10. ℙ Quamquam et in aliis nationibus clibanarii fuere. *Nazar. Paneg. ad Constant.* 22. de Alpinis quibusdam populis. Operimento ferri equi atque homines pariter obsequi: clibanariis in exercitu nomen est. V. *Salm.* ad *Lampr. l. c.* ℙ *Lydus de magistrat. Rom.* 1, 46. *Κλίβανα οἱ Ῥωμαῖοι τὰ σίδηρα καλύμματα καλοῦσιν, ἀντὶ τοῦ κηλάμινα*, idest caelamina. [*V. quae notavit ad *Eutrop.* 6, 9. et quos ibi laudat *Tzschuck.* Cf. et *Cataphractus.*]

[CLĪBĀNĪCĬUS, a, um, adj. ad clibanum pertinens. *Isid. Orig.* 20, 2. Panis clibanicius est in testa coctus. Est itaque is, qui Graece *κλιβανίτις* dicitur. *F.*]

CLĪBĀNUS, i, m. *κλίβανος*, vas amplum e testa, ferro, vel aere, in quo panes et alia coquuntur, aut torrentur. *Plin.* 18, 11, 27. Panes furnacei, vel artopticii, aut in clibanis cocti. *Id.* 33, 6, 34. Stibium uritur, offis fimi bibuli circumlitum, in clibanis. *Id.* 27, 10. Granum glaucii in olla fictili luto circumlitum, in clibanis calefaciunt. ℙ Clibani argentei mentio fit a *Petr. Sat.* 35., sed ibi ditissimi hominis, et deliciarum plus aequo studiosi supellectilem describit. ℙ Ejus figura erat ejusmodi, ut in inferiori parte latior esset, in superiori angustior, quod colligitur ex *Colum.* 5, 10. et *Arbor.* 19., ubi docet, scrobes clibano similes esse faciendas, imo, quam summo patentiores, ut radices arborum latius evagentur. Ejus amplitudinem colligere licet tum ex allatis *Plinii* locis, tum ex eo, quod tradit 19, 1, 3. clibanum calefieri instar furnorum, corticibus lini decussis; et *Cels.* 2, 17. et 3, 21. ad eliciendum sudorem aptum esse, ea ratione, qua laconicum: ut propterea multis idem ac furnus esse creditus sit: a quo tamen differt tum magnitudine: nam furnus capacior esse solet; tum quia furnus structilis, atque immobilis est, hic mobilis, et ex alia materia. ℙ Invenitur tamen et pro furno. *Sulpic. Sever. Dial.* 1, 18. et *Tertull. adv. Marcion.* 4, 30.

*CLIDES, plur. Gr. *κλεῖδες*, i. e. claves, quatuor insulae fuerunt prope Cyprum, e regione Syriae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

CLĪDĬON, ii, n. *κλειδίον*, jugulus thynni praecipuam in cibis gratiam habens. *Plin.* 9, 15, 18. Thynni membratim caesi cervice, et abdomine commendantur, atque clidio, recenti dumtaxat. ℙ [Vox *clidion* Latio est amandanda. Nam *Schneiderus* in *Ind. Script. R. R.* in V. *Pelamis* probat, vocabula *atque clidio* esse intempestivam hominis docti glossam, cum significet cervicem, quae loco priore legitur. Hoc autem arguit comparato loco simili *Xenocratis*, *c.* 35., quem legesis in V. MELANDRYUM. *F.*]

CLĪDŪCHUS, i, m. claviger, *κλειδοῦχος*, a *κλεὶς*, clavis, et *ἔχω*, habeo. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 1. est nomen duarum statuarum, quarum altera a Phidia, altera ab Euphranore facta fuit. Putant quidam, iis expressum fuisse Plutonem claves tenentem, quia is Inferorum portas clausas servat.

CLĪENS, entis, m. et f. (ut *Charis.* docet 1, 77. et *Caper*, *de verb. dub.* 2248.) *πελάτης*, [*Lydus de magistrat. Rom.* 1, 20. deducit originem vocis a *coliens* pro colens, quippe qui patronum suum colit. Sed reapse est a *κλείω* pro *καλείω* invoco, appello, honoro *F.*] qui se ad potentiorem aliquem applicat, ut ejus patrocinio defendatur, et protegatur: item qui causam, quam in judicio habet, alicui tuendam committit, cui respondet patronus. V. PATRONUS. *Ov. A. Am.* 1, 88. Qui modo patronus, nunc cupit esse cliens. *Cic. Div. Verr.* 21. Clarissimi viri nostrae civitatis, hoc sibi amplissimum pulcherrimumque ducebant, ab hospitibus clientibusque suis injurias propulsare, eorumque fortunas defendere. *Id. Rosc. Am.* 7. Glaucia cliens, et familiaris istius T. Roscii. [*Hor. Od. 4, 12, 15. Juvenum nobilium cliens. *Id. Ep.* 1, 7, 75. Mane cliens, et jam certus conviva.] *Id. Phil.* 2, 41. *in f.* Quos clientes nemo habere velit, non modo illorum esse cliens. [*Hor. *Ep.* 1, 5, 31. Et rebus omissis Atria Servantem postico falle clientem. *Id. ib.* 2, 1, 104. Clienti promere jura.] *Caes. B. G.* 1, 4. Orgetorix omnem suam familiam, omnes clientes, obaeratosque suos eodem conduxit. [*Adde *eund. ib.* 6, 15. 19. ubi eosdem esse contendit *Morus*, qui alio nomine *ambacti* et *soldurii* appellantur. (*Tac. A.* 1, 57. Et ereptus Segestes magna cum propinquorum et clientium manu. *Id. ib.* 12, 14. Meherdates, promissa Parrhacis, paterni clientis, secutus. Tum *id. ib.* Sed cum integrae gentes dicuntur alterius gentis clientes, intelligendi sunt socii, et qui sub alterius gentis imperio sunt. *Caes. B. G.* 5, 39. *Id. ib.* 1, 31. et 6, 12.] *Id. B. G.* 4, 6. Eburones, qui sunt Trevirorum clientes. *Id. fr.* ap. *Gell.* 5, 13. Deserere clientes. *M. Cato ib.* fallere. *Gell.* 20, 1. *a med.* in fidem accipere. *Tac. Agric.* 12. propugnare. *Suet. Aug.* 56. Adesse clientibus. *Id. Caes.* 71. Studium et fides erga clientes. *Juven.*

9, 72. Deditus, devotusque cliens. *Mart.* 9, 3. addictus. *Ov. A. Am.* 3, 532. Facundus causam saepe clientis agat. ℙ [*Clientes intelligendi sunt etiam vilioris generis homines partibus potentioris alicujus ita dediti, ut, quaecunque patronus vellet, iis perficiendis promptissimum obsequium tribuerent, indeque divitias atque adeo munera publica acciperent. Id quod serioribus imprimis post rem publicam temporibus factum est. *Tac. A.* 2, 40. Postremo dat negotium Sallustio Crispo: ille e clientibus duos (quidam milites fuisse tradunt) delegit cet. *Id. ib.* 2, 55. Piso — postquam Syriam ac legiones attigit, largitione, ambitu, infimos manipularium juvando, cum veteres Centuriones, severos Tribunos, demoveret, locaque eorum clientibus suis vel deterrimo cuique adtribueret — eo usque corruptionis profectus est. *Id. ib.* 4, 34. Accusabant Satrius Secundus et Pinarius Natta, Sejani clientes. *Id. ib.* 13, 19. Illa, spe ultionis oblata, parat accusatores ex clientibus suis. *Id. ib.* 16, 32. Cliens hic Sorani, et tunc emptus ad opprimendum amicum.] ℙ Cliens dicitur etiam qui Deum aliquem praecipue colit. *Mart.* 12, 77. Sed ipse Divum Offensus genitor trinoctiali Affecit domicoenio clientem, *h. e.* Aethontem Jovem Capitolinum adorare solitum. [*Hor. *Ep.* 2, 2, 78. Rite cliens Bachi.] ℙ In genitivo plurali habet *clientium* et *clientum*. *Hor. Od.* 3, 1, 13. illi turba clientium. Et *ib.* 5, 53. Quam si clientum longa negotia.

CLIENTA, ae, f. πελάτις, mulier quae sub alterius patrocinio est. *Pl. Mil.* 3, 1, 193. Habeo eccillam clientam meam. *Hor. Od.* 2, 18, 8. Honestae clientae. Adde *Afran.* ap. *Charis.* 1, 77.

CLIENTELA, ae, f. πελατεία, patrocinium, quod patronus clienti praestat. *Cic. Att.* 14, 12. Scis, quam diligam Siculos, et quam illam clientelam honestam judicem, *h. e.* quam honestum putem eorum patronum esse. *Id. Rosc. Am.* 33. Esse in fide, et clientela alicujus. Et *ib.* 37. Conferre se in fidem, et clientelam alterius. *Ter. Fun.* 5, 9, 9. Commendare se alicui in clientelam et fidem. *Caes. B. G.* 6, 11. Dicare se alicui in clientelam. *Suet. Gramm.* 6. Scriptores, ac poetae sub clientela Musarum sunt. *Plin.* 34, 6, 15. Recipere gentes in clientelas. ℙ Item multitudo clientum, ut *servitium* est multitudo servorum. *Cic. Cat.* 4, 11. Pro clientelis, hospitiisque provincialibus, quae tamen urbanis opibus non minore labore tueor, quam comparo. *Caes. B. C.* 2, 18. Magna esse Pompeji beneficia, et magnas clientelas in citeriore provincia, sciebat. *Sall. Jug.* 87. Alii si deliquere, vetus nobilitas, majorum facta fortia, cognatorum et affinium opes, multae clientelae, omnia haec praesidio adsunt. *Vellej.* 2, 29. Ager Picenus, qui totus paternis ejus clientelis refertus erat. *Suet. Tib.* 2. Italiam per clientelas occupare tentavit. *Id. Cal.* 3. Clientelas alicujus vexare. [*Tac. *A.* 3, 55. Ut quisque per nomen et clientelas illustrior habebatur. *Id. ib.* 12, 36. Regiae clientelae.] ℙ In singulari numero hoc sensu raro invenitur. *Justin.* 8, 4. Adulari ultro sordidam paulo ante clientelae suae partem. ℙ Formulam ineundae ac suscipiendae clientelae habes in duob. veter. lapidib. ap. *Mur.* 302, 1. et 2., quos una cum aliis illustravit *Morcell. De stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 300. et seqq. *edit. Patav.*

CLIENTULA, ae, f. diminut. clientae. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 46. Plebeja quaedam clientula.

CLIENTULUS, i, m. diminut. a *cliens*. *Auct. Dial. de Orat.* 37. Ne clientulorum loco potius, quam patronorum numerarentur.

CLIMA, ātis, n. genus mensurae agrorum. *Colum.* 5, 1. Pes multiplicatus in passus, et actus, et climata, et jugera procedit. *et mox.* Clima quoquoversus pedum est sexaginta. ℙ Apud astrologos est inclinatio coeli, hoc est tantum spatium, quantum satis est ad inducendam differentiam dimidiatae horae in dierum longitudine, κλίμα: a κλίνω, inclino, quia certo spatio inclinat ad Polum, vel declinat ab Aequatore. *Appul. Trismeg.* Horarum et climatum distantibus punctis. *Serv.* ad *G.* 1, 246. Secundum clima nostri coeli, Arctous circulus infra horizontem non venit. Adde *Capell.* 8. p. 296. et *Tertull. Anim.* 49. Habet et *Vitruv.* 1, 1. sed Graece.

CLIMACIS, idis, f. κλιμακίς, parva scala. *Vitruv.* 10, 17. Climacidos scapi longitudo foraminum XIII. *Climacidos* dixit pro *Climacidis*, Graeca inflexione. *Turneb. Advers.* 2, 5. putat significari canalem eum, qui in catapulta vocatur *ὀρθιγξ*. nam in ballistis (de quibus hic *Vitruv.* loquitur) propter amplitudinem nomen mutare, et climacidem, hoc est scalulam vocari.

CLIMACTER, ēris, m. κλιμακτήρ, a κλῖμαξ, scala, est annus scansilis, vel scalaris, qui et gradarius, et decretorius a medicis dicitur, senibus fatalis plerumque, aut periculosus, ad quem per septenarium, vel novenarium numerum pervenitur: et sic praecipue vocatur annus LXIII. quia ex pluribus multiplicatis climacteribus conficitur, quales sunt 14, 21, 28, 35. etc. Nam per omnem vitam septimus quisque annus periculosus est, ut putarunt veteres, et ex historiis observatum est. Habent hanc vocem *Plin.* 7, 49, 50. *Gell.* 3, 10. et *Firm. Math.* 4, 14. V. etiam *Gell.* 15, 7. et *Censorin. de die Nat.* 14.

CLIMACTERICUS, a, um, adj. κλιμακτηρικός, quasi dicas scalaris, ut annus climactericus, *Censorin. de die Nat.* 14. V. vocem praeced. Sic *Plin. ep.* 2, 20. Habes climactericum tempus, sed evades. Adde *Tertull. Idolol.* 9.

CLIMACŪLAE, arum, f. plur. telorum genus. *Gell.* 10, 25., ubi plerique alii aliter leg. *Ed. Gronov.* habet *clunaculae*. V. *Clunaculum*.

CLIMATIAE, arum, m. plur. κλιματίαι, a κλίνω, inclino, sterno, sunt terrae motus, qui limes ruentes, et obliqui, urbes, aedificia, montesque complanant. *Ammian.* 17, 7. Epiclintas *Appul.* vocat *de Mundo*, ab ἐπικλίνω, inclino. Utraque enim vox Graeca est.

CLIMAX, ăcis, f. κλῖμαξ, apud Graecos scalam significat. Apud grammaticos, et rhetores est figura, Latine *Gradatio*, qua ab una re ad aliam gradatim ascendimus, ut *Ov. Fast.* 3, 21. Viderat hanc, visamque cupit, potiturque cupita. *Capell.* 5. p. 176. Climax est ascensus, ut est Ciceronis pro Mil. (*cap.* 23.) Neque vero se populo solum, sed etiam senatui commisit; neque senatui modo, sed, etc. ℙ *Climax est etiam nomen angustiae cujusdam in Perside, Mediam versus. *Plin.* 5, 26. *B. A.*

*CLIMBERRUM, i, n. Gall. Aquitan. opp., in reg. Auscorum. *Mela* 3, 2. p. m. *Anton. Itin.* Hodie est *Ausch. B. A.*

CLINAMEN, inis, n. κλίσις, inclinatio, declinatio. *Lucr.* 2, 292. Id facit exiguum clinamen principiorum.

CLINATUS, a, um, part. a *clino*. *Cic. Arat.* 53. de Pegaso: Clinata est ungula. *et de aquila* 86. Clinata est Aquilonis ad auras.

CLINGO, is, a. idem quod cingo, a κλείειν, claudere: ita *Fest.* interpretatur. Sic in *Gloss. Isid.* Clingit, cludit. *Voss.* tamen in *Etymol.* magis placet, ut clingere sit crebro corporis motu imitari motacillam, quae κίγκλος dicitur, quia in uno MS. *Festi* pro κλείειν invenit κίκλειν, et in aliis κιγκλίζειν.

[CLINIADES, ae, m. patronymicum, a Clinia. V. v. seq. *Ov. Ib.* 635. Cliniadaeque modo circumdatus ignibus atris etc., *h. e.* Alcibiadis, quem, teste *Nep.* in *ejus Vit.* 10., Athenienses incendio conficere aggressi sunt. *F.*]

[*CLINIAS, ae, m. celeber: a κλεινός, inclitus, quod a κλείω, celebro. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 989, 9. Pompejus Clinias. ℙ Fuit etiam nomen patris Alcibiadis. *Nep. Alcib.* 1. Alcibiades Cliniae filius, Atheniensis. *F.* et *B. A.*]

CLINICE, es, f. κλινική, ars medendi aegros lecto affixos: a κλίνη, lectus. Ita appellari coepta est medicina, cum primum ad artis regulas redacta est, inventique sunt, qui eam palam profitentes, aegros lecto affixos circum invisere coeperunt, variisque remediis (praeter ea, quae natura instituit) ex artis praeceptis curare. *Plin.* 29, 1, 2. Hippocrates traditur instituisse medicinam hanc, quae clinice vocatur. *Id.* 30, 11, 28. In quartanis medicina clinice propemodum nihil pollet. ℙ Item femina medendi perita. *Inscr.* ap. *Grut.* 635, 10. Juliae Quintianae clinice, fil. Karissimae mater posuit, et sibi.

CLINICUS, ci, m. κλινικός, medicus, qui medendi artem profitetur, et aegros lectulo decumbentes invisit, et curat: a κλίνη, lectus. *Martial.* 9, 98. Herodes clinicus. *Inscr.* ap. *Grut.* 400, 7. P. Decimius P. L. Eros Merula, medicus clinicus, chirurgus ocularius. *Prud. Apoth.* 273. clinicus ut se Dignetur praestare Deus morientibus aequum, *h. e.* Aesculapius. ℙ *Clinicus* aliquando dicitur etiam ipse aeger lecto affixus. *Hieron. ep.* 105. *n.* 5. Quis clinicorum non ejus facultatibus sustentatus est? Addunt quidam *Plinii* locum 25, 5, 24., sed recte *Hard.* pro *clinicis* reposuit *cynicis* ex MSS. ℙ Denique etiam vespillo *clinicus* appellatur, nam lectulis mortuos efferebat. *Martial.* 3, 93. Quod si cadaver exigis tuum scalpi, Sternatur a Coricle clinico lectus. *Id.* 1, 31. Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus: Coepit quo poterat clinicus esse modo. ℙ *Clinici* dicebantur *Cypriani* aetate, qui dilato baptismo in infirmitate et languore, aqua salutari non loti sint, sed perfusi tantum, *h. e.* aspersi. *Cyprian. epist.* 69. *ad f.* Et tantus honos habeatur haereticis, ut inde venientes non interrogent utrumne loti sint an perfusi, utrumne Clinici an Peripatetici?

CLINO, as, a. 1. κλίνω, inclino, reclino: a Graeco verbo allato. *Lucr.* 2, 243. Quare etiam atque etiam paulum clinare necesse est Corpora. Adde *Petr. Sat.* 127. et V. CLINATUS.

CLINOPALE, es, f. κλινοπάλη, lecti palaestra, lucta: a κλίνη, lectus, et πάλη, lucta. *Suet. Dom.* 22. Assiduitatem concubitus, velut exercitationis genus, clinopalen vocabat. *Aur. Vict.* in *Caesar.* 11. eandem rem narrans utitur eodem verbo, sed Graecis litteris.

CLINOPODION, ii, n. κλινοπόδιον, herba, quae et cleonicion, et ocimoides appellatur, serpyllo similis, surculosa, palmi altitudine: nascitur in petrosis, orbiculato foliorum ambitu speciem lecti pedum praebens: unde et nomen. Nam κλίνη lectum, et ποῦς, ποδὸς pedem significat. *Plin.* 24, 15, 87.

CLINOPUS, ōdis, m. κλινόπους, pes lecti. Vox Graeca, a κλίνη, lectus, et ποῦς, ποδὸς, pes. *Lucil.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4.

[CLINUS, a, um, adj. fortasse idem ac clinicus, aut clinatus. *Not. Tir.* p. 95. et 169. *F.*]

CLIO, us, o, on, f. Κλειώ, οῦς, prima Musarum, quae Historiae praeesse dicitur. V. MUSA. Dicta est a κλείω, celebro, memoro, quia per historiam facta virorum fortium memorantur, et celebrantur. Pingitur dextra tubam, sinistra librum tenens. Dicitur a quibusdam duos habuisse filios, Jalemum et Hymenaeum. *Oc. A. Am.* 27. Nec mihi sunt visae Clio, Cliusque sorores. ℙ Est etiam Nympha filia Oceani comes Cyrenes, ap. *Virg. G.* 4, 341.

CLIPEUS. V. CLYPEUS *in f.*

*CLISOBORA, orum, Κλεισοβορα, Indiae opp., inter Surasenos. *Plin.* 6, 19. *B. A.*

*CLISTHENES, is, orat. Athen. qui post Solonem et Pisistratum floruit, paulo ante Themistoclem. *Cic. Brut.* 7. *B. A.*

*CLITAE, arum, f. locus Macedoniae, prope Cassandram. *Liv.* 44, 11. ℙ *Clitae, arum*, m. pop. Ciliciae, de quibus *Tac. A.* 6, 41. et 12, 55. *B. A.*

*CLITARCHUS, i, Κλείταρχος, historicus, non autem magnae fidei, Alexandri M. comes. *Cic. Fam.* 2, 10. *Id. Leg.* 1, 2. *extr. Id. Brut.* 11. *Plin.* 3, 5. et 10, 49. *Curt.* 9, 5. p. m. *Quint.* 10, 1. *B. A.*

[CLITE, es, f. κλειτή, celebris. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 681. *n.* 58. Julia Clite. V. CLUTUS et CLYTUS. *F.*]

CLITELLAE, arum, f. plur. χανθήλια, ἐπίσαγμα, ephippia, quae imponuntur dossuariis jumentis, ad onera commodius gestanda: a κλινής, locus declivis, aut devexus, ut *Scalig.* ad *Fest.* et *Voss.* censent. *Hor. Sat.* 1, 5, 47. Hic muli Capuae clitellas tempore ponunt. *Phaedr.* 1, 15. Clitellas asino imponere. Et *ib.* portare. *Pl. Most.* 3, 2, 91. vehere. *Cic. fragm.* ap. *Quint.* 5, 13. Clitellis apportare aliquid. [*Hor. *Ep.* 1, 13, 8. Abjicito potius, quam quo perferre juberis Clitellas ferus impingas, i. e. abjice potius libellos meos, quam ut intempestive et importune Augusto porrigas.] ℙ *Bovi clitellas imponere* proverb. de quo V. in BOS. ℙ Est etiam locus Romae ita dictus a similitudine: et in via Flaminia loca quaedam devexa subinde et acclivia. *Festus.* ℙ Item genus tormenti. *Idem.*

CLITELLARIUS, a, um, adj. ad clitellas pertinens. *Clitellaria jumenta* quae clitellis sarcinas portant. *Cato R. R.* 10. Asini clitellarii. *Colum.* 2, 22. Mulo clitellario afferre aliquid. *Pl. Most.* 3, 2, 94. Ego homines habeo clitellarios: magni sunt oneris: quidquid imponas, vehunt. ℙ *Clitellaria* inscribitur una ex amissis *Plauti* Comoediis, et Graeco nomine *Astraba*. Ex ea aliquot fragmenta supersunt, quorum unum et alterum affertur a *Varr.*, *Festo*, *Nonio*, *Prisciano*, etc. apud quos *Cistellaria* alicubi legitur invitis *Scalig.* in *Conjectan. ad Varr.* et aliis. Quid vero sibi velit haec vox V. in ASTRABA.

*CLITERNIA, ae, f. Κλίτερνον, Italiae opp., in Frentanis, prope ostium Tiferni amnis. *Mela* 2, 4. *med. Plin.* 3, 11. *B. A.*

CLITERNINUS, a, um, adj. *Cliternini* sunt populi in quarta Italiae regione, a Cliterno eorum oppido in Aequicolis, quod Κλίτερνον a *Ptolem.* dicitur, denominati. *Plin.* 3, 12, 17. ℙ In illo *Cic. Fam.* 9, 22. *At honesti Colei Lanuvini, Cliternini non honesti:* latet ἀλογόλογον, quia Coleorum Lanuvii familia erat, Cliterni non erat, inquit *Manut.*; vel quia Lanuvii Coleorum familia nobilis fuit, Cliterni non item. Putant autem simul respici ad τὴν κλειτορίδα, quae et μύρτον appellatur.

*CLITOMACHUS, i, Κλειτόμαχος, Carthaginiensis, Carneadis auditor et successor in Academia. Scripsit consolationem ad Carthaginienses, eversa Carthagine. *Cic. Acad.* 4, 4, 6, 31, 32. *Id. Tusc.* 3, 22. *Id. Or.* 16. et de *Or.* 1, 11. Cf. *Laert.* 4, 67. *B. A.*

CLITOR, is, m. et Clitorium, ii, n. Arcadiae urbs, juxta quam lacus, seu fons aquam fundit, quae pota abstemios facit. *Plin.* 4, 6, 10. et *Liv.* 39, 35. *in f.* ℙ Adjective. *Ov. Met.* 15, 322. Clitorio quicumque sitim de fonte levavit, Vina fugit. *Plin.* 31, 2, 13. Clitorius lacus.

CLITORIUS, a, um. V. v. praec.

[CLITUMNALIS, e, adj. ad Clitumnum pertinens. *Clitumnalia sacra* fiebant quotannis Kal. Maj. in honorem Dei Clitumni, ut patet ex hac *Inscr.* ap. *Gud.* 62, 7. Clitumno sacrum. L. Minucius L. F. Sabinus sacerdos *Dei Nostri*, VI. Vir Aug., patronus Hispel*latium*, IIII. Vir Quinquen*nalis* sacris Clitumnal*ibus* epulum ded*it* Collegio...

Kal. Mai., L. Septim. L. Aurel. Coss., *h. e.* an. a Chr. n. 202. *F.*]

[CLĪTUMNUS, a, um, adj. ad Clitumnum pertinens. *Stat. Silv.* I, 4, 128. si vacuet Mevania valles, Aut praestent niveos Clitumna novalia tauros. *F.*]

CLĪTUMNUS, i, m. Etymon, nisi deducendum potius est ex lingua Etrucorum, videtur esse ex κλειτὸς, clarus, et amnis. Fluvius est Umbriae, inter Spoletum et Fulginiam, qui Mevaniam, nunc *Bevagna*, alluens, Tiniae, nunc *Topino*, immixtus in Tiberim influit; prope fontem *le Vene*, prope Mevaniam *Timia* nunc appellatur. Ejus aqua a pecudibus pota albos fetus creare putabatur. *Virg. G.* 2, 146. Hic albi, Clitumne, greges. *Sil.* 4, 547. et patulis Clitumnus in arvis Candentes gelido perfundit flumine tauros. *Prop.* 2, 15, 25. Qua formosa suo Clitumnus flumina luco Integit, et niveos abluit unda boves. ℙ Idem fluvius Deus est habitus, qui Jovis Clitumni cognomento colebatur. *Vib. Sequest. de fluminib.* Clitumnus Umbriae, ubi Juppiter eodem nomine est. Exstat etiamnum ad ripam fluminis pars non exigua templi fluviatili illi numini consecrati, cujus diagramma et explicationem exhibet *Rudolphin. Venuti* in *Osserv. sopra il fiume Clitunno.* Hinc ejus fluminis aquae *sacrae* dicuntur a *Virg. l. c.* et *Sil.* 8, 452. et *Claudian. VI. Cons. Honor.* 506. Hujus vero fontis, fluminis, et numinis elegantem descriptionem legesis ap. *Plin. ep.* 8, 8.

*CLĪTUS, i, m. κλειτὸς, celeber. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 35, 11. P. Pomponius Clitus. V. CLUTUS et CLYTUS. ℙ *Clitus, i, Κλεῖτος*, inter praecipuos Alexandri M. familiares fuit. *Cic. Tusc.* 4, 37. *Curt.* 8, 1, 9. sq. *B. A.*

CLĪVĬA Avis dicta est ab auguribus, quae aliquid fieri prohibebat, ideo a *Labeone* prohibitoria dicta, ab aliis clamatoria. *Plin.* 10, 14, 17. ubi al. leg. *clivina*, male, ut censet *Hard.* ℙ Huc pertinet quod tradit *Festus*, clivia auspicia dicta esse, quae aliquid fieri prohibebant: omnia enim, inquit, difficilia, clivia vocabant: unde et clivi loca ardua. Haec *Festus.*

CLĪVĪNA et CLĪVĬUS, a, um. } V. v. praeced.

CLĪVOSUS, a, um, adj. βουνώδης, in clivum assurgens: cui opponitur *planus. Virg. G.* 1, 108. Clivosus trames. *Id. ib.* 2, 212. Clivosum rus. *Plin.* 18, 24, 55. solum. *Colum. Arbor.* 4. Locis aridis, et clivosis altius vites deponuntur, quam humidis, et planis. *Ov. Fast.* 3, 415. Olympus clivosus, *h. e.* arduus. ℙ Allegorice. *Sil.* 6, 120. Talis lege Deum clivoso tramite vitae Per varios praeceps casus rota volvitur aevi, *h. e.* difficili, laborioso, et molestiarum pleno.

CLĪVŬLUS, i, m. parvus clivus. *Colum.* 6, 37. *a med.* Locus est ad hos usus exstructus, qui duos parietes adverso clivulo inaedificatos habet. *Appul. Met.* 4. Clementi transmisso clivulo.

CLĪVUS, i, m. βουνὸς, acclivitas, ascensus; itemque ipse locus acclivis et arduus. [**Etym.* est a *clino*: pertinet clivus ad latera montium non clementer assurgentia sed ardua, quatenus a radice loci ascenditur in cacumen; quo differt a *collis*, cujus vocis significatio ipsum verticem, apicem prostantem spectat. Cf. *Döderl.* 2, 120. seq. *Ov. Met.* 8, 695. Nituntur longo vestigia ponere clivo. *Id. ib.* 11, 151. Late riget arduus alto Tmolus in ascensu, clivoque extentus utroque, i. e. in utroque montis latere.] *Virg. Ecl.* 9, 7. qua se subducere colles Incipiunt, mollique jugum demittere clivo. *Id. G.* 3, 292. juvat ire jugis, qua nulla priorum Castaliam molli devertitur orbita clivo. *Ter. Adelph.* 4, 2, 35. Clivus deorsum versus est: hac te praecipitato. *Ov. Fast.* 1, 263. Descendere per clivum. *Hor. Ep.* 1, 13, 10. Viribus uteris per clivos. *Pl. Asin.* 3, 3, 118. Agitare quadrupedem advorsum clivum. *Caes. B. C.* 3, 46. Milites ex inferiore loco adversus clivum cursu incitati. *Id. B. G.* 7, 46. Mollire clivum. [**Curt.* 8, 11. Clivi modici ac molles.] Sic *Senec. Vita beat.* 15. *a med.* frangere. *Ov. Fast.* 1, 264. Clivus arduus in valles. *Paul. Dig.* 8, 2, 19. Gradus, vel clivos propius januam meam jure facere possum. *Ov. Am.* 3, 13, 6. Via difficilis clivis. *Id. Nuc.* 77. Per tabulae clivum labi, *h. e.* per tabulam devexam. Sic *Id. Met.* 8, 662. Clivus mensae, *h. e.* inaequalitas mensae in aliquam partem deflexae. [**Id. ib.* 8, 191. Nam ponit in ordine pennas, A minima coeptas, longam breviore sequenti; Ut clivo crevisse putes.] ℙ *Clivus sacer* ap. *Hor. Od.* 4, 2, 35. est clivus Capitolinus, hoc est locus acclivis Romae, per quem in Capitolium ascendebatur. *Liv.* 3, 18. In clivum Capitolinum erigunt aciem. ℙ Translate. *Ov. Her.* 20, 41. Mille doli restant: clivo sudamus in imo, *h. e.* in initio laboris sumus. (Adde similem locum *R. A.* 394.) *Petron. fragm. Tragur.* 47. *Burm.* Nec adhuc sciebamus, nos in medio lautiarum, quod ajunt, clivo laborare. *Senec. ep.* 31. Surge, et respira, et clivum istum uno, si potes, spiritu exsupera, *h. e.* istam difficultatem vince. *Sil.* 4, 605. perque aspera duro Nititur ad laudem virtus interrita clivo. ℙ Olim *clivum, i*, n. usurpatum fuit. *Cato* ap. *Non.* 3, 28. Loca ardua, et cliva depressa. *Frontin. de limit.* p. 43. *Goes.* Per cliva, et confragosa loca eunt, qua iter fieri non potest.

CLOĀCĀ, ae, f. ἀφεδρών, locus cavus, sive is publicus, sive privatus sit, fossa, via subterranea parietibus in modum aquaeductus munita, per quam aqua pluvia extra urbem, vel in fluvium dilabens urbis sordes secum rapit. *Cic. Caecin.* 13. Qui de fossis, et cloacis interdicit. *Id. Sext. in f.* 35. Corporibus civium Tiberim compleri, cloacas referciri. [**Suet. Nero* 26. Cloacis demergere. *Hor. Sat.* 2, 3, 242. Jacere in cloacam.] *Liv.* 1, 38. Aquas, cloacis e fastigio in Tiberim ductis, siccare. *Id.* 39, 44. Detergere cloacas. In *Edicto Principis* ap. *Frontin. Aquaed.* 111. abluere. *Plin.* 36, 2, 2. Cloacarum redemptor. *Colum.* 2, 15. Coenum cloacarum. *Ulp. Dig.* 43, 22. *qui est* De cloacis, 1. Purgare, et reficere cloacas. *et ib.* Cloacam immittere. *Venulej. ib.* 2. facere in publicum. ℙ De admirandis cloacarum substructionibus Romae a Tarquinio Prisco factis, multa *Plin.* 36, 15. et *Cassiod. Variar.* 3, 30. Meminit etiam *Liv.* 1, 38. et 56. et 5, 55. [*Describit sic *Dionys. Hal.* 3, 67. m. ὑπόνομοι τοφροι, δι' ὧν ἐπὶ τὸν Τίβεριν ὀχεύεται πᾶν τὸ συρρέον ἐκ τῶν στενωπῶν ὕδωρ, ἔργα θαυμαστὰ καὶ κρείττω λόγου. Purgandas eas postea censores et reficiendas 1000 talentis locasse subjicit. Notavit haec ad *Eutrop.* 1, 6. *Tzschuck.*] ℙ *Arcem ex cloaca facere*, proverbium, V. in ARX. ℙ Per contemptum de bibosae anus stomacho et ventre usurpat *Pl. Curc.* 1, 2, 29. Prolue cloacam. ℙ A *colluendo* dictam esse docent *Festus*, et *Mar. Victor. artis Gram.* 1, 2469., allii ab antiquo *cluo*, purgo: quare et *cluaca* scribendum putant: qua in sententia est *Mar. Victor. ib.* Sed usus antiquissimus contra est.

CLOĀCĀLIS, le, adj. ad cloacam pertinens. *Cato* ap. *Fest.* dixit *cloacale flumen* pro cloacarum omnium colluvie. *Sidon. ep.* 3, 13. Cloacalis faeculentia.

CLOĀCĀRE, inquinare. *Festus.*

CLOĀCĀRĬUM, ii, n. tributum quod solvitur pro cloacis reficiendis, aut purgandis. *Ulp. Dig.* 7, 1, 27. Si quid cloacarii nomine debeatur. Adde *Paul. ib.* 30, 39. [*V. *Duker. Lat. Ict. Vet.* p. 361. sq., qui recte hujus verbi usum probat similia comparans, ut *locarium, columnarium, cerarium, ostiarium, portarium.* Plura ejusdem formae v. *ap. Muretum* Varr. *Lect.* 12, 5. et *Gronov. pec. vet.* 4, 4. quos *id. ib.* laudat.]

[CLOĀCĀRĬUS, ii, m. qui cloacas purgat. *Edict. Dioclet.* p. 20. Cloacario omni die operanti pasto diurnos ✕ vigintiquinque. *F.*]

CLOĀCĪNA. V. CLUACINA.

CLOĀCŬLA, ae, f. parva cloaca. *Lamprid. Elag.* 17. Ut cadaver ejus in cloaculam milites mitterent.

CLODĬĀNUS, a, um, adj. ad Clodium pertinens. *Cic. Q. Fr.* 2, 1. Clodiana incendia, *h. e.* a P. Clodio facta. *Id. ib.* 3. Clodianae operae clamorem sustulerunt. *Id. Mil.* 27. Clodianum crimen, *h. e.* homicidium Clodii a Milone perpetratum. ℙ *Clodiana vasa* ap. *Plin.* 33, 11, 49. denominata videntur ab artifice, qui Clodius appellatus sit. ℙ *Clodianum, i, n.* est flumen in Hispania Tarraconensi, Emporias alluens, et in mare mediterraneum sese exonerans; nunc *Flavia* appellatur. *Mela* 2, 6.

CLODĪCO, as, n. idem quod claudico. Legitur ap. *Cic. Or.* 2, 61., ubi refert jocum cujusdam Glauciae in Calvinum claudicantem. *Ubi est vetus illud, Num claudicat? at hic clodicat.*

CLODĬUS, a, um adj. ad Clodium pertinens. *Cic. Dom.* 13. Sacra Clodiae gentis. ℙ *Clodia gens* eadem est, quae *Claudia:* de qua V. suo loco. ℙ *Clodia via*, V. CLAUDIUS, a, um. ℙ *Clodia lex* lata fuit a P. Clodio trib. pl., ut qui civem R. indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur. Ea lege Cicero in exsilium pulsus est. *Vellej.* 2, 45. ℙ Alia fuit ab eodem lata de Ptolemaeo Cypri regno spoliando. *Vellej. ib.* ℙ Alia de victoriatis Romae cudendis, cum ea pecunia peregrina esset, et mercis loco haberetur. Tulit idem P. Clodius. *Plin.* 33, 3, 13. ℙ Alia de obnunciatione, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de coelo servaret, eundem auctorem et latorem habuit. *Ascon. in orat. Pisonian.* 4. ℙ Alia ejusdem P. Clodii fuit *Annoniana* dicta, de qua V. in ANNONIANUS. V. etiam CLAUDIUS, a, um. et seqq., ubi aliae leges huc pertinentes referuntur. ℙ **Fossa Clodia*, ex Medoaco minore deducta. *Plin.* 3, 16. *B. A.*

CLODĬUS, ii, m. nom. prop. R. in gente Claudia: ea ratione qua *caudex codex, cauda coda, claudo clodo*, etc. P. Clodius Pulcher Appii F. homo seditiosus, celeber est in scriptis *Ciceronis*, ab eo saepissime exagitatus, et omnibus probris impetitus, quod in tribunatu plebis eum urbe expulcrat: qui tamen non multo post poenas dedit a T. Annio Milone occisus. V. *Vellej.* 2, 45. ℙ **Forum Clodii* opp. fuit Hetruriae. *Plin.* 3, 15. *B. A.*

CLODO, is, a. idem quod claudo. *Plin.* 18, 33, 76. *in f.* Clodunt ita (*oculos*) lippiuntque ab afflatu.

CLODUS, claudus. *Arator Act. Apost.* 266. Israel clodus habet, etc.

CLOELĬA, ae, f. nobilis virgo Romana, quae cum aliis virginibus Porsenae Etruscorum regi obses data, deceptis custodibus, una cum reliquis virginibus incolumis ad suos Tiberim tranavit. Quare Romani novam in femina virtutem novo honoris genere ornandam rati, statuam ei equestrem in summa sacra via posuerunt. *Liv.* 2, 13. et *Virg. A.* 8, 651.

[CLOELĬUS, ii, m. C. Cloelius, qui Albanis imperitans bellum contra Tullum Hostilium paravit. *Liv.* 1, 23. Albani priores ingenti exercitu in agrum Romanum impetum fecere: castra ab urbe haud plus quinque millia passuum locant, fossa circumdant: fossa Cloelia ab nomine ducis per aliquot saecula appellata est, donec cum re nomen quoque vetustate abolevit. In his castris Cloelius Albanus rex moritur. *Alii* legunt *Cluilius*, et fossa *Cluilia. F.*]

[*CLONĬUS, ii, m. possessivum a κλόνος, tumultus, tumultuosus. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 1091, 5. Q. Atrius Clonius. ℙ **Clonius, i, Κλόνιος*, unus ex Aeneae comitibus *Virg. A.* 9, 574. *B. A.* ℙ [*Alius ejusdem nominis Trojanus, sed ab illo diversus, occurrit apud *eund. ib.* 10, 749.]

CLONOS, i, f. herbae nomen ap. *Appul. Herb.* 8. quam sceleratam, batrachion, et multis aliis nominibus appellat.

CLOSTELLUM, i, n. parvum clostrum. *Petr. Sat.* 240. Rimari per clostellum.

[CLOSTER, ĕri, m. Κλωστὴρ, filius Arachnes, qui fusos in lanificio primus invenit, ut refert *Plin.* 7, 56, 57. Nomen fictum a κλώθω, *neo*, unde et uni Parcarum Clotho, nomen est. *F.*]

*CLOSTRARIUS, i, m. Κλειδοποιὸς. *Vet. Gloss. B. A.*

CLOSTRUM, i, n. idem quod claustrum *Cato R. R.* 135. Nolae emas claves, clostra Romae. *Senec. Ben.* 7, 21. Per clostrum, qua se commissura laxaverat, quatuor denarios in tabernam inseruit. *Cato R. R.* 13. Claves cum clostris in cellas duas (lege *cellam*). Adde *Petr. Sat.* 89. et 121., ubi tamen alii aliter leg. ℙ **Clostra Romana* in Latio fuere littorali, ad Nymphaeum amnem. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

CLOTHO, us, o, on, f. Κλωθὼ, una Parcarum: a κλώθω, neo, glomero, quia fila vitae hominum nere dicitur. *Ov. Ib.* 223. Dixerat: at Clotho jussit promissa valere: Nevit et infausta stamina pulla manu. *Stat. Theb.* 3, 556. ferrea Clotho. *Sil.* 5, 404. Ille sibi longam Clotho, turbamque nepotum Crediderat, *h. e.* longam vitam.

CLUACĪNA, seu Cloacina, ae, f. cognomen est Veneris, quasi purgatricis et expiatricis. Cum Sabini jamjam dimicaturi adversus Romanos propter raptas virgines, in ipsa acie, raptis conciliantibus, pacem fecissent, depositis armis myrtea verbena in eodem loco purgati sunt: ibique postea signum Veneris positum fuit, quae inde Cluacina dicta est: *cluere* enim (al. *cluare*, ut ap. *Serv.* mox citand.) antiqui purgare dicebant. Ita *Plin.* 15, 29, 36., ubi quidam perperam *pugnare* pro *purgare* leg. (eademque lectionis varietas est ap. *Serv.* ad *A.* 1, 720.) ideoque de Venere armata *Cluacinam* intelligi volunt: sed *pugnare* eo loco minus apte convenit, ut et *Voss.* adnotavit in *Etym.* in V. *Cluo.* ℙ Alii (inter quos est *Lact.* 1, 20.) ita dictam censent a *cloaca*, quod ejus simulacrum in cloaca maxima repertum fuerit, et a T. Tatio consecratum. Addit *Lact.*, cum ignoraretur, cujus esset effigies, ideo Veneri dicatam fuisse, quod circa eum locum, ubi reperta fuerat, ludi omnis impudicitiae pleni Florae meretrici celebrabantur. Sed profecto *Lactantium* hic alucinatum fuisse constat; nam cloaca maxima fere centum et quinquaginta post Tatium annis a Tarquinio Prisco constructa est. *Prud. Apoth.* 265. Nemo Cloacinae, aut Eponae super astra Deabus Dat solium. *Pl. Curc.* 4, 1, 9. Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium; qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinae sacrum. ℙ Ex hoc *Plauti* loco quidam putant derivandam esse a *cluĕre*, celebrari, illustrem, gloriosum esse: sed hoc non est tanti, ut a *Plinio* recedendum sit. ℙ Quod *Tert. Pall.* 4. *a med.* dixit *adyta Cloacinarum*, duas fuisse Cloacinas colligi videtur, nempe alteram in foro prope Novas tabernas, ut est ap. *Liv.* 3, 48., alteram eo loco, ubi Sabini pugnaturi steterant, ad lacum Curtium. Alii dicunt, putasse *Tert.* Cloacinam esse cloacae praesidem, atque adeo tot fuisse Cloacinas, quot cloacas: hinc *adyta Cloacinarum* esse ipsas cloacas. ℙ Ad scriptionem quod attinet, *Cluacinam* malunt et qui a *cluendo* derivant, et qui a *cloaca*, quam *cluacam* quoque scribi, supra monuimus: *Cloacinam* vero, qui a *cloaca* secundum meliorem consuetudinem: quibus adstipulatur nummus gentis Mussidiae ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 258.

*CLUĀNA, ae, f. Italiae opp., in Piceno *Mela* 2, 4. *med. Plin.* 3, 13. *B. A.*

CLŪCĬDATUM dulce et suave dicebatur, inquit *Festus*: qui in littera G scribit *glucidatum*, et a γλυκὺς, dulcis, derivari docet. V. CANDACUS.

CLŪDEN, ĭnis, m. gladius scenicus, sic dictus a *cludendo*, quod ejus acies in manubrium praelongum refugerèt, atque includeretur, cum histrio in tragoedia agenda, ipse se confodere simulabat. *Appul. Apol.* Quas tamen (*tragoedias*) cum saltas, tanta mollitia animi, tanta formido ferri est, sine cludine saltas. Ita *Oudendorp.* cum aliis. *Lips.* quoque *Elect.* 1, 28., sed. subdubitans. Alii leg. *clunaculo*, quod V.

CLŪDO, is, si, sum, a 3. κλείω, idem quod claudo tum significatione, tum usu. *Varr. R. R.* 3, 3. Quae maceriae ad villam venationis causa cluduntur. *Scrib. Compos.* 42. Cum cicatrix est cludenda. [**Quint. Decl.* 1, 12. p. 31. At quoties eodem, quo factum est, (vulnus) cluditur telo, latet tota mortis invidia.] *Plin.* 2, 47, 47. Saevitia tempestatum cludit mare. *Quint.* 9, 4. Cludere, et inchoare sententias. (Sic saepe *eod. cap.*) *Gell.* 12, 14. Tot verba in paucissimas litteras cludere. In *nummo* aureo et aereo *Neronis* ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 273. Pace P. R. terra marique parta Janum clusit. ℙ Pro finire *Stat. Theb.* 11, 59. Cludere bella. *Sil.* 15, 655. ℙ Pro claudicare. V. CLAUDO, is, n. ℙ Addi possent, ne quis putet verbum esse obsoletum, loca *Ov.*, *Mart.*, *Valer. Flacci*, *Senecae* utriusque, *Suet.*, *Justini*, *Celsi*, *Taciti*, *Juvenal.*, quorum omnium editiones etsi modo *claudo* habeant, modo *cludo*, (quod et de modo allatis exemplis fatendum est) tamen usum verbi frequentissimum extra dubium ponunt. ℙ Ap. *Cic. Nat. D.* 3, 39. pro *cludit* plerique leg. *eludit.* [*Ita Orell., *Heindorf. alludit.*]

*CLUDRUS, i, Phrygiae majoris amnis. *Plin.* 5, 29. Eumenia Cludro flumini apposita. *B. A.*

CLŪDUS, a, um, adj. idem quod claudus. *Pl. Pseud.* 2, 2, 64. Apud anum illam diobolarem, cludam, crassam.

CLŪENTĬA Gens Romae perantiqua fuit, credita originem trahere a Cloantho Aeneae socio, ut est ap. *Virg. A.* 5, 123. ℙ Ab ea fortasse nomen habuit Cluentia, vel Cluentina tribus, una ex iis octo, quas ad veteres bello sociali additas fuisse, *Vellej.* 2, 20. tradit. *Inscr.* ap. *Grut.* 548, 9. Sex. Junius Sex. F. Cluent. Frontinus, etc. ℙ **Cluentius*, *i*, civis Romanus, ex municipio Latino, accusatus a matre Sassia, quod Oppianicum vitricum interfecisset, defensus fuit a Cicerone, cujus adhuc exstat *oratio pro Cluentio. B. A.*

[CLŪENTĪNUS, i, m. est cogn. Rom., fortasse a tribu Cluentia. *Inscr.* ap. *Mur.* 803, 7. C. Casperius Cluentinus.]

CLŪĔO, es, n. 2. Proprie idem est quod audio: a κλύω, ut *Voss.* docet in *Etym.* Metaleptice autem ponitur pro dicor, nominor, perhibeor. *Lucr.* 1, 118. Detulit ex Helicone perenni fronde coronam, Per gentes Italas hominum quae clare clueret. *Pl. Epid.* 2, 2, 5. Senati qui columen cluent. *Id. Trin.* 2, 2, 31. Qui animum vincunt, quam quos animus, semper probiores cluent. *Id. Men.* 4, 2, 6. Res magis quaeritur, quam clientium fides cujusmodi clueat. *Id. Pseud.* 2, 1, 16. Magna facinora, quae clara et diu clueant. *Id. Capt.* 3, 5, 31. Cluere gloria. *Id. Poen.* 5, 4, 20. victoria. ℙ Addunt quidam locum *Cic. Brut.* 25. Duo Caepiones multum cluentes consilio et lingua. Sed *clientes* ibi legendum. Sequitur enim: Plus auctoritate tamen, et gratia sublevabant. ℙ Cum infinito. *Enn.* ap. *Non.* 2, 147. Per gentes esse cluebat omnium miserrumus. *Pl. Bacch.* 4, 9, 1. Atridae duo fratres cluent fecisse facinus maximum. ℙ Et passive eadem significatione. *Id. Pseud.* 4, 1, 12. Quippe ego te ni contemnam, stratioticus homo qui cluear? *Pacuv.* ap. *Non loc. cit.* Sed hi cluentur hospitum infidelissimi. ℙ *Ut nomen cluet*, ut nomen sonat. *Pl. Trin.* 3, 1, 19. Nimium difficile est reperiri amicum, ita ut nomen cluet. [*i. e. ut facta nomini respondeant; ita *Lindem.*] *Id. ib.* 2, 4, 95. Ita sis, ut nomen cluet. ℙ Ponitur etiam simpliciter pro esse, exsistere. Nam ex eo quod est aliquid, dicitur, et nominatur. *Lucr.* 1, 450. Nam quaecumque cluent, aut his conjuncta duabus Rebus ea invenies, aut horum eventa videbis. *Id.* 2, 351. Nec minus atque homines, inter se nota cluere. *Id.* 3, 207. Quae tibi cognita res in multis, o bone, rebus Utilis invenietur, et opportuna cluebit. ℙ Pro purgare V. in CLUACINA.

*CLUILIUS, i, Albanorum rex fuit. *Liv.* 1, 23. ℙ *Cluilia fossa* memoratur a *Liv.* 1, 23. et 2, 39. *Plutarch. Coriol.* p. 227. Κλουιλίας τάφρους, Cloelias fossas, appellat. V. *Cloelius. B. A.*

CLŪIS, e, adj. nobilis, illustris. *Capell.* 4. p. 97. Neque ipsam grammaticam, neque alteram opimioris irae cluem. *Gloss. Isid.* Cluior, nobilior. Ap. *Capell.* al. rectius leg. *opimi oris praecluem.*

CLŪMAE, folliculi hordei. *Festus.* sunt eaedem ac glumae.

CLŪNA, ae, f. simia ita dicta, ut videtur, a clunibus tritis. *Festus.*

CLUNĂCŪLUM, i, n. cultrum sanguinarium, (*Scalig.* vult legi *saginarium*, vel *victimarium*) inquit *Festus*, ita dictum, vel quia clunes hostiarum dividit, vel quia ad clunes dependet. *Gell.* varia enumerans gladiorum nomina 10, 25. Machaerae, spathae, pugiones, clunacula.

CLŪNĀLIS, le, adj. ad clunes pertinens. *Clunales pedes* ap. *Avien. Arat.* 361. sunt posteriores pedes ferae Helices. Sic *Caes. Germ. Arat.* 42. *de eod.* Quique priora tenet vestigia, quique secunda Clunibus hirsutis.

*CLUNĬA, ae, Κλουνία., opp. V. *Cluniensis. B. A.*

CLŪNĪCŪLĂ, ae, f. vel Cluniculus, i, m. parva clunis. *Favor. Gellii* aequalis scriptor ap. *eund.* 15, 8. Ceterarum avium atque altilium tantum apponatur, ut a cluniculis inferiori parte saturi fiant.

CLŪNĪENSIS, e, adj. ad Cluniam pertinens, ut Cluniensis conventus ap. *Plin.* 3, 3, 4. ℙ Est autem *Clunia* oppidum Hispaniae in Celtiberiae finibus, ad Durium amnem. *Plin. ib.* ℙ *Item oppidum Norici. *Tab. Peut. B. A.*

CLŪNĪFER, a, um, adj. *In jocoso epitaph. mulae P. Crassi* ap. *Ferret. in Mus. Lapid.* 5, 28., quod tamen suppositicium creditur. Dis Pedibus saxum. Cinciae dorsiferae, et cluniferae, ut insultare, et desultare commodetur, P. Crassus mulae suae Crassae beneferenti suppedaneum hoc cum risu pos. Vixit annos XI. *h. e.* dorso, et clunibus ferenti.

CLŪNINSTĀRIDYSARCHĪDES, m. vox joculariter ficta a *Plauto Mil.* 1, 1, 14. ad significandum terribilem quendam imperatorem hostium, quem Pyrgopolinices, jactator et arrogans miles, vicisse se gloriatur in campis Gurgustidoniis. Conflata est ex duabus Latinis vocibus *clunis* et *instar*, et totidem Graecis ἡδύς, dulcis, vel δύς, aegre, et ἄρχομαι, impero: qua in compositione praeter ridiculum, obsceni quoque aliquid subest. [*Si lectio certa, quod dubito, derivandum a clunibus, verbo instare, et *Gr.* voc. δυσαρχία, vel δύσαρχος. Totum igitur nomen significat filium ejus, qui aegre obedit imperanti, ne clunibus instet: δύσαρχος instare clunibus. *Lindem.* ad h. l.]

CLUNĪNUS. V. CLURINUS.

CLŪNIS, is, f. frequentius quam m. γλουτὸς, πυγὴ nates, prominentia carnosa circa anum: et dicitur tum de hominibus, tum de bestiis. Clunis fortasse est a κλόνις, *os lumborum*, quod a κλόνω pro κλίνω, inclino. *Hor. Sat.* 1, 2, 89. *de equo*, Quod pulcrae clunes, breve quod caput, ardua cervix. *Id. ib.* 2, 8, 91. Vidimus et merulas poni, et sine clune palumbes, *h. e.* macras. *Juven.* 5, 167. aut aliquid de clunibus apri. *Id.* 11, 164. Ad terram tremulo descendunt clune puellae. *Plin.* ap. *Non.* 3, 43. Quasi lupus ab armis valeo, clunes defectos gero. *Festus* pro *defectos* habet *infractos. Plin.* 7, 37, 55. Residere in clunes. *Id ib.* 32, 50. Cervi nantes capita imponunt praecedentium clunibus. ℙ Rectus casus singularis est *clunis*, teste *Prisc.* 5, 652. V. NATES.

CLŪO, is, a. 3. antiquum verbum, idem quod purgo, teste *Plin.* V. CLUACINA. ℙ Est etiam neutrum, idem quod *clueo. Auson. Profess.* 21. *in fin.* sed quos meruisse deceret Nancisci, ut cluerent patribus ingenuis. *Prud. in Symmach.* 2, 584. gloria aucta cluit. Adde *Symmach. ep.* 1, 1.

CLŪPĔĂ, ae, f. piscis minimus Padi, qui attilum ejusdem fluminis piscem persequitur, et venam quandam ejus in faucibus morsu appetens exanimat. *Plin.* 9, 15, 17. ℙ Item oppidum Africae in promontorio Mercurii, a Siculis conditum, et ita dictum a forma clypei: quod et *Clypea* appellatur. *Plin.* 5, 4, 3. et *Flor.* 2, 2. ℙ Graece dicitur Κλυπέα, et Ἀσπὶς, hinc Latine *Aspis* a *Solin.* 27. et *Sil.* 3, 244. ℙ Dicitur etiam *Clupeae*, *arum*, quia similitudo clypei erat in ipsis ejus turribus, ut *Sil. l. c.* habet. *Caes. B. C.* 2, 23. et *Hirt. B. Afr.* 3.

CLŪPĔUS. V. CLYPEUS in f.

*CLURA, s. Cluria, ae, f. simia Clura, πίθηκος, *Vet. Gloss.* Cluria περκοπίθηκος. *Id.* Quod si recte istuc Glossator, non bene cluram, κόλουραν, cauda truncatam interpretatur: siquidem caudata simia est cercopithecus. Haec *Gesn.* Forte legendum *Cluna* et *Clunia.* V. *Cluna. B. A.*

CLURĪNUS, a, um, adj. Clurinum pecus ap. *Pl. Truc.* 2, 2, 11. et *Arnob.* 3. p. 110. sunt simiae: nam *clura* simiam significat, ut in Veteri Glossario legitur. Ap. *Plautum* alii leg. *cluninum*, eodem tamen sensu, a *cluna*: alii *clusinum*, alii *clurinum h. e.* felinum: alii *grunninum*, alii *lurinum: h. e.* coriaceum, alii *larinum*, *h. e.* suillum, alii alia. Sed praestat *clurinum* retinere; nam *clura* contractum est a κόλουρα, quod est compositum a κόλος, truncus et οὐρὰ, cauda; ut *glans* est a γάλανος.

CLŪSĀRIS, re, adj. qui claudit, clusarius. *Hyg.* ap. *Goes.* p. 181. Anguli clusares. et p. 156. Portio quadrata clusaris. ℙ Est a *cludo* pro *claudo*, ut et

CLŪSĀRĬUS, a, um, adj. ad caudendum aptus, ut angulus clusarius, *Hyg.* ap. *Goes.* p. 156. Latus clusarium, *ib.* p. 183.

CLŪSĬLIS, le, adj. qui facile clauditur. *Plin.* 9, 37. 61. Conchae clusiles, et mordaces.

CLŪSĪNUS, a, um, adj. ad Clusium oppidum pertinens. *Sil.* 8, 480. Clusinum vulgus. *Hor. Ep.* 1, 15, 9. invidus aegris, Qui caput et stomachum supponere fontibus audent Clusinis. V. CLUSIUM. ℙ Clusinum far celebre erat tum pondere, quia modius vicenas senas libras pendebat, teste *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 2., tum nitido candore, ut ait *Colum.* 2, 6. Hinc Clusinae pultes ap. *Mart.* 13, 8. ℙ *Clusinum pecus*, quod quidam leg. ap. *Pl. Truc.* 2, 2, 14., putat *Turneb.* 10, 25. dictum esse a Clusio, ubi non admodum egregia essent fortasse pecora: et ex ambiguitate, a *cludendo.* Clauduntur enim meretrices, quae clam habentur, et pecora morbida. *Lambin.* interpretatur *candidum*, seu *lutei coloris.* Sed alii rectius leg. *clurinum.* ℙ *Clusini*, *orum*, sunt incolae Clusii oppidi. *Liv.* 5, 33. ℙ *Novi et veteres fuere, nam Clusium duplex fuit, novum et vetus. *Plin.* 5, 33. *B. A.*

*CLUSIOLUM, i, Italiae opp., in Umbria, ad partem occidentalem. *Plin.* 3, 14. *B. A.*

CLŪSĬVĬUS. V. CLUSIUS.

CLŪSĬUM, ii, n. *Chiusi*, oppidum Etruriae, olim sedes Porsenae regis, conditum a Clusio Tyrrheni filio, vel a Telemacho Ulyssis filio, ut docet *Serv.* ad illud *A.* 10, 167. qui moenia Clusi, Quique urbem liquere Cosas. Prope id oppidum fons est variis morbis sanandis saluberrimus, nunc *bagni di S. Cassiano*, ejus meminit *Hor.* V. CLUSĬNUS.

CLŪSĬUS, ii, m. cognomen Jani pacis tempore, a *cludendo*, quod tunc ejus templi fores clausae erant: quemadmodum *Patulcius* dictus est tempore belli, quo eaedem fores patebant. *Ov. Fast.* 1, 129. modo namque Patulcius idem, Et modo sacrifico Clusius ore vocor. Adde *Macr. Sat.* 1, 9. *ad f.* ubi alii leg. *Clusivius*, ea ratione, qua *Consivius* dictus est a *conserendo*, id est a propagine generis humani, quae Jano auctore conseritur, ut ait *Macr. ib.* Sic et Ops *consivia* dicta est, nempe terra, ex qua cuncta generantur: a *conserendo. Fest.* in *Opima.*

CLŪSOR, oris, m. qui cludit. *Sidon. ep.* 8, 6. *a med.* Clusor statarius nemora retibus circumvenis, *h. e.* claudis indagine saltus.

CLUSTRUM, i, n. V. CLAUSTRUM.

CLŪSŪRA. V. CLAUSURA.

CLŪSUS, a, um, part. a *cludo* pro *claudo*, clausus. *Senec. Troad.* 317. clusus, atque hostem tremens. *Petr. fr. Trag.* 63. *Burm.* Cluso ostio redimus ad officium. *Val. Flacc.* 1, 239. clusos invenit in ignibus Argos. Adde *Mart.* 12, 31. et 55. et *Inscr.* ap. *Don.* 6. *n.* 62.

*CLUTĬDAE, arum, haruspices in Peloponneso. *Cic. Div.* 1, 41. Κλυτίδαι audiunt *Paus.* in *Eliac.* 2. itemque *Herodoto.* Forte a Clytio sic dicti, Alcmaeonis filio, Amphiarai nepote. *B. A.* [*In *Orell.* ed. legitur *Clytidarum.*]

CLŪTUS, a, um, adj. celeber, gloriosus: a κλυτὸς, Graeca *υ* in *u* Latinum versa; vel est particip. verbi *clueo* pro *cluitus.* Hinc fit inclutus. *Festus.*

CLŪVĬĂ Tribus, una fuit ex iis, quae bello sociali veteribus Romanis tribubus adjectae sunt, ut in CAMILIA dictum est: nomen habuisse videtur a Cluvia urbe Hirpinorum in Samnio, de qua est mentio ap. *Liv.* 9, 31. *Inscr.* ap. *Grut.* 521, 2. D. Antistius D. F. Cluvia Aeterius. ℙ *Cluvia* est etiam nomen mulieris impudicae ap. *Juven.* 2, 49.

CLŪVĬĀNUS, a, um, adj. ad Cluviam pertinens, oppidum Hirpinorum in Samnio, nunc *Montechiodi* prope Bovianum. *Liv.* 9, 31. Cluviana oppugnatio.

*CLUVIDIĒNUS QUIETUS, post conjurationem Pisonianam, incertum ob quam causam, in insulas Aegaei maris permissus. *Tac. A.* 15, 71. *B. A.*

*CLŪVIUS, i, nom. propr. virorum Rom. ut, C. Cluvius, judex in causa Fannii contra Flavium. *Cic. Rosc. Com.* 14. M. Cluvius, Puteolanus, foenerator. *Id. Att.* 6, 2. et *Fam.* 13, 56. Lucius Cluvius, eques Romanus, de quo *Jul. Obseq.* 97. *B. A.*

[CLYBĂTIS, is, f. κλύβατις, herba, quae et helxine, et Latine parietaria, et perdicalis appellatur. *Appul. Herb.* 81. *F.*]

CLYMĒNĒ, es, f. Κλυμένη, filia Oceani, et Tethyos, vel Minii, et Eurynaxae, uxor Iapeti, vel Meropis regis extremorum Aethiopum Aegypti. Cum forma excelleret, fertur Soli placuisse, et ex eo filium Phaethontem, vel Eridanum, et tres filias, Phaetusam, Lampetien, Lampetusam peperisse. *Ov. Met.* 2, 37. Nec falsa Clymene culpam sub imagine celat. *Id. ib.* 1, 756. Et tulit ad

Clymenen Epaphi convicia matrem. ℙ *Item Nympha marina, Oceani, ac Tethyos filia, de qua *Virg. G.* 4, 345. ℙ Item Helenae ministra, quae una cum Aethra particeps fuit consiliorum dominae, furtorumque ejus internuncia. *Ov. Her.* 17, 267., *Dict. Cret.* 1, 3. et 5, 13. ℙ Item Amazonum una. *Hygin. fab.* 163. *B. A.*

CLYMĔNĒIS, idis, f. patronym. Clymenes filia. *Albin.* ad *Liv.* 1, 111. Sic flevit Clymene, sic et Clymeneides, alte Cum juvenis patriis excidit ictus equis.

CLYMĔNĒĬUS, et Clymēnēus, a, um, adj. ad Clymenen pertinens, ut Clymeneia proles, ap. *Ov. Met.* 2, 19., *h. e.* Phaethon. *Stat. Silv.* 1, 2, 123. jam Seras avaros Augustum spoliare nemus, Clymeneaque deesse Germina, *h. e.* succina, electri guttas. Nam filiae Clymenes in arbores conversae sunt guttis in succina rigescentibus manantes. Al. leg. *Clymenejaque.*

CLYMĒNUS, i, m. κλύμενος, herba est a Clymeno Caenei filio, Arcadiae rege, ejus inventore appellata, hederae folio et semine, ramosa, caule inani, articulis praecincta, odore gravi, in silvestribus et montuosis locis nascens. *Plin.* 25, 7, 33. ℙ *De Clymeno, Arcadi rege, V. *Hygin. fab.* 206, 238. et 246. *B. A.* ℙ Pluto quoque hoc nomine vocatur, vel quia, πάντα κυλῶν πρὸς ἑαυτὸν, omnia ad se vocat, vel quia auditur ab omnibus: a κλύω, audio. *Ov. Fast.* 6, 757. At Clymenus, Clotho que dolent: haec fila reneri: Hic fieri regni jura minora sui.

CLYPĔA. V. CLUPEA.

CLYPĔĀTUS, a, um, part. a *clypeo*, clypeo munitus, ἀσπιδώτης, ὑπασπίδιος. *Virg. A.* 7, 793. Agmina clypeata. *Ov. Met.* 3, 110. seges clypeata virorum. [*Comparat *Gierig.* ad h. l. *Eurip.* χρυσοσπίληκα στάχυν Σπαρτῶν, aureis galeis armatam segetem, unde *Ov.* clypeatam fecit.] *Curt.* 7, 9. In proris clypeatos locaverat. ℙ *Clypeata imago* ap. *Macr. Saturn.* 2, 3. est imago in clypeo depicta, vel sculpta. V. CLYPEUS.

CLYPĔO, as, a. 1. clypeo munio, ἀσπίζω. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 145. Chlamyde contra astu clypeat brachium, *h. e.* chlamydem circum brachium involvit in modum clypei.

[CLYPĔOLĀRIUM, i, n. locus, in quo reponuntur clypeola. *Not. Tir.* p. 126. *F.*]

[CLYPĔOLĀRIUS, ii, m. qui clypeola fabricatur, aut vendit. *Not. Tir.* p. 126. ubi mendose legitur *clipellarium*, ut et *clipellarius* pro *clypeolarium*, et *clypeolarius*. *F.*]

CLYPĔOLUM, i, n. ἀσπίδιον, ἀσπιδίσκος, parvus clypeus. *Hygin. fab.* 139. Eisque clypeola aenea, et hastas dedit.

CLYPĔUS, i, m. et Clypeum, i, n. ἀσπίς, scutum, quod milites sinistra gerunt tegendo ab ictibus corpori: vel a καλύπτω, tego; vel a κλέπτω, furor, aut occulo, quia abscondit, et furatur quodammodo laevam partem hominis; vel a κύκλος, rotundus, per metathesin, quia rotunda, aut ovata figura est; vel denique a γλύφω, sculpo, quia clypei imagines caelatas habere solent. Postrema haec etymologia est *Plin.* 35, 3, 3., ubi damnat perversam grammaticorum subtilitatem, a *cluendo* ducentium. *Cic. Fin.* 2, 30. Epaminondas quaesivit, salvusne esset clypeus. *Virg. A.* 2, 444. clypeosque ad tela sinistris Protecti objiciunt. *Ov. Met.* 12, 375. Excipere ictus clypeo. *Id. ib.* 13, 73. Opponere clypeum. Et *ib.* 79. Latere sub clypeo. *Stat. Theb.* 4, 350. humeros clypeo claudere. *Virg. A.* 2, 227. tegi sub orbe clypei. [*Virg. ib.* 2, 671. Clipeo sinistram insertabam. *Id. ib.* 7, 639. Clypeum induitur. *Id. ib.* 7, 626. Clypeos tergere. *Id. ib.* 12, 724. Concurrere clypeis. *ib.* 712. Invadunt Martem clypeis. Utrumque de pugna cominus facta intelligeandum, ubi clipeos collidere solebant milites. *Ov. Met.* 12, 621. Clypeus bella movet, i. e. occasionem praebet certamini. *Virg. A.* 8, 447. Ingentem clypeum informant, i. e. clypeos ita conjungunt, ut unus esse videatur.] ℙ Neutro genere. *Id. A.* 9, 709. Dat tellus gemitum, et clypeum superintonat ingens. *Liv.* 1, 33. Arma his imperata, galea, clypeum, ocreae, lorica. Adde *Licin.* et *Laber.* ap. *Non.* 3, 41. et *Vitr.* 5, 10. *sub f.* ℙ Differt a *parma* materia, quia haec fere e loro, seu corio, clypeus plerumque ex aere. Differt a *scuto* materia et figura, quia scutum fuit ligneum, teste, praeter ceteros, *Plin.* 16, 40, 77., figura vero quadrata oblonga, et curvata: clypeus rotundus, ut dictum est, et aereus. *Liv.* 8, 8. Clypeis antea Romani usi sunt: postquam deinde stipendiarii facti sunt, scuta pro clypeis fecere. *Id.* 1, 43. Primae classi arma imperata; galea, clypeus, ocreae, lorica, omnia ex aere: secundae classi scutum pro clypeo, et praeter loricam omnia eadem. *Id.* 9, 19. Arma, clypeus, sarissaeque illis (Macedonibus); Romano scutum, majus corpori tegumentum, et pilum, haud paulo quam hasta vehementius ictu missuque telum. Ex his apparet, scutum secundae classi datum fuisse, quod sine lorica esset, atque ut clypei et loricae loco foret, totumque corpus protegeret; quatuor enim pedes longum erat, et duos semis latum. Aliquando tamen scriptores, et praesertim poetae, promiscue unum pro altero usurpant. ℙ A similitudine rotundae figurae *clypeus* dicitur solis orbis. *Ov. Met.* 15, 192. Ipse Dei clypeus, terra cum tollitur ima, Mane rubet, terraque rubet cum conditur ima. ℙ Item meteori genus forma clypei igniti in coelo apparens. *Senec. Q. N.* 1, 1. *in f.* Quandoque fiunt trabes, quandoque clypei, et vastorum imagines ignium. ℙ Translate ponitur pro praesidio et munimine. *Claud. IV. Cons. Honor.* 432. Subnixus Stilichone tuo, quem fratribus ipse Discedens clypeum, defensoremque dedisti. ℙ Dicitur etiam *clypeus* discus ex aere, aut alia quapiam materia, in qua sculpebantur, vel pingebantur Deorum, et magnorum virorum imagines usque ad pectus repraesentatae: ea ratione, qua hodieque fit praesertim in stemmatis familiarum, quae etiam Itali vocant *scudi*. Mos hic a Trojanis usque temporibus initium habuit, origine plena virtutis (inquit *Plin.* 35, 3, 4.) faciem reddi in scuto cujusque, qui fuerit usus illo. Adde *Ulp. Dig.* 9, 3, 5. *ad f.* Quo pertinet illud *Hor. Od.* 1, 28, 11. quamvis clypeo Trojana refixo Tempora testatus etc. Quidam grammatici (ut est ap. *Charis.* 1, 59.) voluerunt, hac significatione usurpari tantum neutro genere: quo modo usurpat *Liv.* 35, 10. *in f.* et alibi. Hinc *Trebell. Claud.* 3. Illi clypeus aureus, vel, ut grammatici loquuntur, clypeum aureum senatus totius judicio in Romana curia collocatum est. ℙ Sed hoc discrimen alii scriptores optimi non servant. *Tac. A.* 2, 83. Cum censeretur clypeus auro et magnitudine insignis. *Suet. Cal.* 16. *in f.* Decretus est ei clypeus aureus, quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent. ℙ Hujusmodi *clypea* ornatus causa in templis, aliisque locis publicis affigi solebant. Exemplum habes ap. *Licium l. c.* et in *Inscr.* ap. *Grut.* 374, 1. et 441, 7. ℙ *Clypeum* antiqui ob rotunditatem etiam corium bovis appellarunt, in quo foedus Gabiorum cum Romanis fuerat descriptum. *Festus.* ℙ Denique *clypeum* vocat *Vitr.* 5, 10. *ad f.* instrumentum aeneum catenis pendens ex orbiculari fenestra Laconici fornicis, per cujus reductiones ac demissiones perficitur sudationis temperatura. ℙ *Clypeum sumere post vulnera* proverb. ap. *Ov. Trist.* 1, 3, 35. serum remedium adhibere. ℙ Scribitur et *clupeus*, Graeca *υ* in Latinum *u* mutata; et *clipeus* per *i* Latinum. *Plin. Secundus de dub. Serm.* ap. *Charis.* 1, 59. et *Caper de Orthogr.* p. 2242. ita distinguunt, ut *clypeum* dicamus, quo in pugna utimur, *clupeum* vero imaginem. Contra *Cornel. Fronto de differ. verbor. ib.* p. 2197. *clypeum* imaginis esse ait, *clupeum* armorum. Sed *Plinium* satis refutat *Charis. ib.*, et consuetudo. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 4. In altisono coeli clupeo temo superat stellas. Ubi *clupeus* est cava pars coeli, quae oculis patet.

CLYSMUS, i, m. κλυσμός, idem quod clyster, et ab eadem radice. *Scrib. Compos.* 155. Alvum acri clysmo trahere. Et *ib.* 194. Alvum acri clysmo ducere. Adde *ib.* 197. ℙ Item ipsae faeces, quae clystere ejiciuntur. *Fest.* in *Eudiaeon.*

CLYSTER, ēris, m. κλυστήρ, medicamentum liquidum, quod per inferna in alvum injicitur abluendi, et purgandi gratia: a κλύζω, abluo. A *Celso* 2, 12. Latina voce *lotio* appellatur. *Id.* 7, 27. Humorem clystere intus adigere. *Scrib. Compos.* 154. Mane per clysterem alvus ducenda, ovorum albis temperatum. *Id. ib.* 179. Acri clystere alvum ducere. *Id. ib.* 200. injicere chamelaeam. *Id. ib.* 112. et *Suet. Claud.* 44. Immittere aliquid per clysterem. *Plin.* 25, 5, 23. Helleborum extrahere medicamentis, aut clysteribus. *Id.* 31, 6, 33. Clysteribus marinam aquam infundere tepefactam. *Suet. Ner.* 20. Purgari clystere, et vomitu. *Ulp. Dig.* 9, 2, 9. Medicamentum alicui infundere vel ore, vel clystere. ℙ Pro ipso instrumento, quo clyster infunditur: ac fortasse huc pertinet unus aut alter ex allatis locis. Hinc *oricularius clyster*, hoc est auricularis, ap. *Cels.* 7, 27. et *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1., est instrumentum, quo in aures aliquid infunditur. ℙ Paenultimam corripuit *Aemil. Macer. de herb. c. de anetho.* Appositus digitis, aut intus clystere fusus. Sed non est imitandus. ℙ Legitur et *cluster* ap. *Scrib. Compos*, 179. mutata Graeca *υ* in *u* Latinum: quod in quamplurimis aliis vocibus a Latinis factitatum est.

CLYSTĒRIO. as. V. CLYSTERIZO.

CLYSTĒRIUM, ii, n. κλυστήριον, idem quod clyster. *Scrib. Compos.* 114. Pastillus, qui clysterio immittitur torminosis per anum. Et *ib.* 118. Per clysteria caldam immittere. Adde *Fest.* in *Eudiaeon.*

CLYSTĒRIZO, as, a. 1. clystere purgare. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 4. Synanchicos clysterizare. *Veg. Vet.* 1, 42. Clysterizabis etiam ex aqua calida, et oleo. Al. leg. *clysteriabis.*

CLYTAEMNESTRA, ae, f. Κλυταιμνήστρα, filia Jovis, et Ledae, soror Helenae, Castoris et Pollucis, uxor Agamemnonis, cui Orestem, et Electram peperit. Regressum ex bello Trojano virum in convivio ope Aegysthi adulteri filii Thyestis interfecit, deinde Cassandram interfici jussit Priami filiam, quae Agamemnoni in rerum divisione sorte obtigerat. Postremo et ipsa occisa est ab Oreste filio in patris ultionem. *Hygin. fab.* 117. et 240. et *Serv.* variis in locis. *Ov. Nuc.* 26. Ista Clytaemnestra digna querela fuit. ℙ *Clytaemnestra* etiam nomen est unius de Accii fabulis. *Cic. Off.* 1, 31. *ad f.* ℙ Scribitur etiam et saepissime *Clytemnestra*, quamvis Graece in secunda syllaba sit diphthongus *αι*. Hinc eadem syllaba corripitur ab *Auson. Her.* 1. Vindicem adulterii cum Clytemnestra necet. *Scalig.* ad *Fest.* in voce *Crustumina* putat *Auson.* scripsisse *Clytemestra*. Similiter scribitur *Polymnestor*, et *Polymestor.*

CLYTIĒ, es, f. Oceani Nympha, aliquando ab Apolline adamata, donec illa ejus cum Leucothoe concubitum Orchamo patri puellae indicavit. Iratus enim Apollo Clytien gravissimo odio prosecutus est. Illa amoris impatientia cibo, et potu abstinens mane orientem, et vespere occidentem spectabat Apollinem, et quacumque Apollo iter faciebat, oculis sequebatur. Tandem fame et dolore consumpta mutata est in heliotropium. *Ov. Met.* 4, 192. et seqq.

*CLYTIUS, i. Κλύτιος, Argonauta, Euryti filius. *Hygin. fab.* 14. *B. A.*

[CLYTUS, i, m. Κλυτὸς, *h. e.* inclytus, unus ex Aegypti filiis. *Hygin. fab.* 170. ℙ Et Centaurus. *Ov. Met.* 5, 88., *Val. Flacc.* 1, 146. ℙ Est etiam cogn. Rom. ap. *Mur.* 2081, 8. C. Sulpicius Clytus. *F.*]

CN

CNAEUS, et Cneus, i, m. praenomen R. a *naevo* ductum, ut docet *Auct. de nominib. et praenom. R.* Scribitur fere duabus tantum prioribus litteris, ut *Cn. Pompejus Magnus:* pronunciatur autem tanquam si per *g* litteram scriberetur, *genus* (quemadmodum et *Cajus*, *gajus*) ut *Quint.* 1, 7. docet imo ita etiam scriptum reperitur. *Inscr.* ap. *Nor. in Cenotaph. Pis. dissert.* 4, 5. V. F. Gneus Peccatius Balbus VI. Vir sibi, et Q. Pec. vixit an. LXI. ℙ Hinc *Gnea* femininum. *Inscr.* ap. *Grut.* 274, 2. Gnaeae Sejae Herenniae Sallustiae etc. Adde *Festum* in littera *G.* ℙ Ex duabus scribendi rationibus illam praefert *Manut.* quae cum diphthongo est, ex Graeca consuetudine: quamquam *Diomed.* et *Prisc.* aliter sentiant.

CNASONAS acus, quibus mulieres scalpunt caput. *Fest.* Est a κνάω, scalpo, scabo. *Scalig.* hic, et ad vocem *acus* idem putat esse cum discerniculo.

CNĒCĪNUS. V. v. seq.

CNĒDĪNUS, a, um, adj. ad urticam pertinens, ut *cnedinum oleum* ap. *Plin.* 15, 7, 7. Nam κνίδη, seu κνήδη Graece urtica est. Al. leg. *caecinum*, sed male, inquit *Hard.*

[CNĒMIS, ĭdis, f. κνημὶς, ocrea, pars infima tegumenti militaris. ℙ Translate *Mall. Theodor. de metr.* 4, 12. Huic autem metro post tres versus additur chemis (leg. *cnemis*) heroici versus, ut est apud eundem *Hor.* (*Od.* 1, 2, 4.) Terruit urbem. *Dionys. Perieg. v.* 714. vocat κνημῖδας infimas montium partes: pedes autem postremos recte appellari infimas versuum partes, nemo neget, qui meminerit, *Mar. Victorin. de metr. Hor.* p. 2610. primos pedes trimetri iambici *caput* vocasse. ℙ *Cnemis, idis, f. Κνημὶς, Graeciae opp., in Locride. *Plin.* 4, 7. Cnemides appellatur *Mela* 2, 3. *med. B. A.*

CNĒORON, i, n. κνέωρον, nomen fruticis, qui et cnestron, κνῆστρον, et thymelaea dicitur, similis oleastro, foliis angustioribus, gummosis, si mordeantur, myrti magnitudine; semine, colore, et specie farris: granum fert lini simile, quod aliqui linum vocant. *Plin.* 13, 21, 35. Ita porro est vocata a κνάω, scabo, quia linguam mordet. V. COCCUM.

CNĒPHOSUS. V. GNEPHOSUS.

CNESTRON. V. CNEORON.

CNĪCOS, seu Cnicus, i, m. κνῖκος, et κνῆκος, herba Aegypto peculiaris, Italiae ignota, duplicis generis, silvestris et sativa. Silvestris duae sunt species, una caule rigido, semine candido, grandi et amaro: alio nomine *atractylis:* altera hirsutior, torosiore caule, et qui paene humi serpat, minuto semine. *Plin.* 21, 15, 53. et *ib.* 32, 107. *Scrib. Compos.* 135. et *Colum.* 7, 8.

CNĪDĒ, es, f. κνίδη, genus zoophyti, Latine *urtica*, quod tamen noctu vagatur, et sedem mutat. Natura huic est carnosae frondis; et carne vescitur. Vis pruritu mordax, eademque quae terrestris urticae. Contrahit ergo se quam maxime rigens, ac praenatante pisciculo frondem suam spargit, complectensque devorat. Alias marcenti simile, jactari se fluctu patitur algae vice, et contactos pisces, attrituque petrae scalpentes pruritum invadit etc. *Plin.* 32, 11, 53. et 9, 45, 68. et *Pl. Rud.* 2, 1, 9. V. URTICA.

CNĪDĬUS. V. GNIDIUS.

CNISSA, ae, f. κνῖσσα, fumus, et nidor pinguedinis incensae, aut carnis assae. *Arnob. sub init.* 7. p. 212. Nisi forte hostiarum Deus animas devo-

rat, aut ex aris ardentibus nidorem consectatur, et fumos, pasciturque de cnissis, quas evomunt ardentia viscera, adhuc suda de sanguine, et prioribus humecta de succis.

CNODAX, ācis, m. *κνώδαξ*, pro *κινώδαξ ἀπὸ τοῦ κινεῖσθαι:* instrumentum, quod infigitur in extremis scaporum capitibus, et in armillam immissus versatur. *Vitr.* 10, 6. Ferreos cnodaces, uti subscudes in capitibus scaporum implumbavit, et armillas in materia ad cnodaces circumdandos infixit, etc. Alii scribunt *chodax*, sed minus recte, inquit *Philander.* ℙ Simile est huic ferreum instrumentum uncinatum, quod infigitur in magnum aliquod pondus, et immissa fune, ope trochleae attollitur. Itali vocant *ulivella*, *gripia.* Scribit *Turneb.* 26, 2. cnodaces proprie esse stilos ferreos in tornis, qui utrinque materiam, quae tornatur atque versatur, distinent.

CO

CŌA Vestis. V. in COUS. ℙ De proverbio *in triclinio Coa.* V. CHOA.

CŌACCĔDO, is, n. idem quod accedo, vel simul accedo, *συμπαραγίνομαι. Pl. Curc.* 2, 3, 65. Pro iis decem coaccedunt minae.

[CŌÀCĔO, es, ui, n. idem ac coacesco. *Cels.* 4, 5. *ad f.* Si coacuit intus cibus, aut computruit. ℙ Translate. *Cic. fr. Scaur.* (ed. iter. *A. Maio*) Quam valde eam gentem (Sardos) putamus tot transfusionibus coacuisse? *h. e.* improbiorem, scelestioremque factam fuisse. *F.*]

CŌACERVĀTIM, adv. *σωρηδόν, ἀθρόως*, acervatim. *Appul. Flor. n.* 9. Quae utinam possem non sigillatim ac discretim, sed cunctim et coacervatim offerre.

CŌACERVĀTĬO, onis, f. *συμφόρησις, ἄθροισμα*, acervus, cumulus, copia. Translate. *Cic. Partit.* 35. *in f.* Frequentatione argumentorum, et coacervatione universa. *Quint. Declam.* 5, 13. *in f.* Explicare aliquid coacervatione; cui opponitur per partes.

CŌACERVĀTUS, a, um, part. a *coacervo*, *σωρευθείς*, in acervum collectus, acervatus. *Caes. B. G.* 2, 27. Coacervata cadavera. *Cic. Agr.* 1, 5. Constructa et coacervata pecunia. *Id. Verr.* 2, 5, 57. Cives R. conjectos in lautumias; indignissimo in loco coacervatam multitudinem civium. *Catull.* 64, 359. Bustum coacervatum aggere excelso. ℙ Translate. *Cic. Part.* 11. *ad f.* Verisimilia, etiam si videntur esse exigua per se, multum tamen cum sunt coacervata, proficiunt. *Ov. Met.* 8, 485. Per coacervatos pereat domus impia luctus.

CŌACERVO, as, a. 1. *σωρεύω, ἀθροίζω*, in acervum congero, acervo. *Cic. Agr.* 2, 27. Cogere et coacervare pecunias. *Id. Verr.* 2, 4, 24. Magnam vim emblematum coacervare. *Id. Rosc. Am.* 46. aliquid ex multis familiis in una domo. *Liv.* 5, 39. cumulos armorum. *Hirt. B. Afr.* 91. Omnibus rebus eo coacervatis. ℙ Duriuscula locutio videtur quibusdam in illo *Cic. Agr.* 2, 25. Habes tantam pecuniam, qua hosce omnes agros, et ceteros horum similes, non modo emere, verum etiam coacervare possis, *h. e.* acervis pecuniae implere.

CŌACESCO, is, n. *ὀξύνομαι*, acesco, vel simul acesco. *Cic. Senect.* 18. *ad f.* Ut non omne vinum, sic non omnis aetas vetustate coacescit. *Cels.* 1, 2. *sub f.* Secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coacescit. Adde *Varr. R. R.* 1, 65. Quod vinum mature coacescat, ante vindemiam consumi oportet.

CŌACON. V. CHOACON.

CŌACTĒ, adv. brevi tempore, cito. *Gell.* 10, 11. *ad f.* Cum significandum est, coactius quid factum, et festinatius, tum rectius *praemature factum* id dicitur, quam *mature.* ℙ Item presse, et alicui rei inhaerendo. *Id.* 19, 2. Eos Graeci appellant vel *ἀχολάστους*, vel *ἀχρατεῖς*: nos eos vel incontinentes dicimus, vel intemperantes. *ἀχολάστους* enim si interpretari coactius velis, nimis id verbum insolens erit, *h. e.* si velis ad verbum vim Graecae vocis exprimere. Quidam leg. *coarctius*, hoc est angustius. Eadem lectionis varietas est ap. *Hieron. in Matth.* 1, 5. ℙ Item per vim. *Tert. Baptism.* 12. Alii plane satis coacte injiciunt, tunc Apostolos etc. Adde *Anim.* 42.

CŌACTĬLIĀRĬUS, a, um, adj. *Coactiliaria taberna* ap. *Capitolin. Pertin.* 3. est in qua coactilia fiunt, et venduntur. Al. tamen leg. *coctilicia* et intelligunt eam, in qua coctilia ligna venduntur. V. COCTILICIUS. ℙ *Coactiliarius, ii*, est qui coactilia conficit, *πιλοποιός. Inscr.* ap. *Grut.* 648, 4. M. Ballonius M. L. Lariscus lanarius coactiliarius conjugi carissimae B. M. fec. V. v. seq.

CŌACTĬLIS, le, adj. *πιλητὸς*, et *πιλωτὸς*, qui factus est ex lana non texta, sed coacta, cujusmodi sunt crassiores illi panni, quos Itali ex Graeca voce superius allata, ac paulisper immutata *feltri* appellant, quosque *Plin.* 8, 48, 73. describit. V. COACTUS, a, um. *Edict. Dioclet.* p. 21. Centunclum equestre coactile album, sive nigrum librarum trium ✠ centum. ℙ *Coactilia, ium*, n. plur. substantivorum more. *Ulp. Dig.* 34, 2, 26. Coactilia vesti cedunt. V. COACTUS, a, um.

CŌACTIM, adv. coacte. *Sid. ep.* 9, 16. Si quod schedium temere jacens chartulis putribus continebatur, raptim coactimque translator festinus exscripsi, *h. e.* colligendo, et simul conjungendo.

CŌACTĬO, onis, f. *σύλλεξις*, actus cogendi, hoc est colligendi. *Coactio argentaria* est munus colligendi pecunias, *ἀργυρολογία. Suet. Vesp.* 1. Coactiones argentarias factitavit. V. COACTOR. ℙ Quidam huc addunt locum *Pl. Asin.* 1, 3, 51. Vetus est, Nihili coactio est. Sed alii aliter leg. V. COCIO. ℙ Item actus redigendi in compendium. *Cajus Instit.* 4, 15. Cum ad judicem venerant, antequam apud eum causam perorarent, solebant breviter ei, et quasi per indicem rem exponere: quae dicebatur causae collectio, quasi causae suae in breve coactio. Similia habet *Ascon* in *Verr.* 2, 1, 9. ℙ Item actus cogendi, *h. e.* impellendi. In veteri quodam lapide ap. *Grut.* 337., in quo enumerantur decora cujusdam Dioclis agitatoris in ludis Circensibus, dicitur is vicisse semel sexaginta millia nummum *novis coactionibus:* quod explicat *Panvin. de Lud. Circens.* 1, 14. novis modis illum populo inusitatos cursus suscipere cogente, v. g. ut sine flagellis curreret, ut non clamaret, ut alienis equis uteretur, etc. ℙ *Coactio* est, ait *Veget. Veterin.* 1, 37., in animalibus passionis nomen, ex qua aegritudinum diversa genera nascuntur, ideo sic appellata, quia ab injuria, vel labore, vel ex coactione contingat. *Id. ib.* 38. et 43.

CŌACTO, as, a. 1. frequentat. verbi *cogo*, vehementer vel saepe cogo. *Lucr.* 6, 1120. Qua graditur, conturbat, et immutare coactat. Adde *ib.* 1159.

CŌACTOR, oris, m. *ἀθροιστὴς, συλλογεύς*, qui cogit, hoc est colligit. *Cato. R. R.* 150. Menses decem ab coactore releget porcos sectarios, *h. e.* a subulco. ℙ *Tac. Hist.* 2, 68. Conclamatum repente, quartamdecimam legionem ad proelium venire: sed erant agminis coactores, *h. e.* qui postremo cogunt, et claudunt agmen. ℙ *Coactor* etiam dicitur minister publicani mercede conductus, qui vectigalium ac tributorum pecunias exigit, et colligit, *ἀργυρολόγος, ἀποδέκτης, πρακτήρ.* Hic aliquando ipsa nomina propria pecunia ab ipsis publicanis redimebat, deminuto pretio, ut postea eadem exigens lucraretur. *Cic. Rabir. Post.* 11. Utrum accessionem decumae, ut nostri facere coactores solent etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 347, 4. Auri lustralis coactor. ℙ Item qui argentariis inservit in eorum pecuniis colligendis, et in auctionibus pecunias colligit, et res auctione venditas emptoribus addicit. Exemplum habes ap. *Cic. Cluent.* 64. Huc pertinet illud *Horatii* de patre suo *Sat.* 1, 6, 86. Si praeco parvas, aut (ut fuit ipse) coactor Mercedes sequerer. *Acron* enim et *Porphyr.* patrem *Horatii* coactorem argentarium fuisse testantur. *Auct.* Vitae *Hor.* (quem quidam *Sueton.* putant) scribit fuisse *coactorem exactionum. Inscr.* ap. *Nibby, Viaggio antiquar. T.* 1. p. 58. M. Ulpio Aug. Lib. Martiali coactori argentario Caesaris N. Ulpia Marina filia. Hinc patet Imp. M. Ulpium Trajanum per libertos suos argentariam exercuisse, sin minus Romae, saltem in municipiis et coloniis; nam hic lapis Vejis repertus est. ℙ Ipsi quoque argentarii pecunias a variis exigentes, *coactores* vocantur. *Scaevola Dig.* 4, 7, 40. *ad f.* Argentarius coactor, cum paene totam fortunam in nominibus haberet, servis actoribus ita libertatem dedit. ℙ Etiam collegia, seu corpora negotiatorum suos coactores habuisse constat ex *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 11. P. Caecilius P. L. Eros coactor vinarius de Foro vinario. *Corporis* vero *negotiatorum vinariorum* mentio est in *Inscr.* ap. *Grut.* 626, 6. ℙ Denique coactor est, qui cogit, *h. e.* compellit ad aliquid faciendum. *Senec. ep.* 52. Invenies aliud genus hominum, qui cogi ad rectum compellique possunt: quibus non duce tantum opus sit, sed adjutore, et, ut ita dicam, coactore. Ex his *Senecae* verbis satis colligitur, hac notione hoc verbum in usu non fuisse. ℙ [*Coactor lanarius* est idem ac coactiliarius. *Inscr.* ap. *Grut.* 648, 3. L. Cornelius Januarius lanarius coactor. *F.*]

CŌACTŪRĀ, ae, f. *σύλλεξις*, quod ex aliqua re collectum est. *Colum.* 12, 50. *de olivitate facienda.* Ut seorsum reponatur uniuscujusque diei coactura.

CŌACTUS, a, um, part. a *cogo, συλλεχθείς, συνηγμένος*, collectus, congregatus. *Pl. Trin.* 2, 4, 125. Vinum priusquam coactum est, pendet putridum. *Cic. Caecin.* 21. Coacti homines, et armati. *Caes. B. G.* 1, 15. Equitatus coactus ex omni provincia. *Pompej. ad Domit. post Cic. ep.* 12, 8. *ad Att.* Copiae in unum locum coactae. [*Tac. A.* 12, 15. Exercitus coactus. *Id. H.* 1, 85. Coacto vero in curiam Senatu, i. e. citato, convocato.] *Virg. A.* 7, 43. totamque sub arma coactam Hesperiam. [*Id. ib.* 12, 457. Coacti cunei.] *Lucr.* 1, 761. ut tempestate coacta Fulmina diffugere, atque imbres, ventosque videmus, *h. e.* collectis et glomeratis nubibus procellosis. ℙ Item in unum compactus, redactus, conjunctus, colligatus. *Gell.* 6, 2. Ratione quadam principali necessario coacta, atque connexa sunt fato omnia *Gab. Bassus* ap. *eund.* 5, 7. In unum tantummodo exitum collecta, et coacta vox. *Plin.* 2, 65, 65. Aquarum figura coacta in verticem. *Id. ib.* 39, 39. Liquor coactus in nivem. et *ib.* 42, 42. Aer coactus in liquorem. *Id.* 29, 6, 37. Fel sole coactum ad crassitudinem mellis. *Ov. Met.* 8, 666. Lactis massa coacti. *Cels.* 2, 8. Alvus in hac valetudine ea tuta est, quae quotidie coacta, eaque convenientia his, quae assumuntur, reddit, *h. e.* excrementa figurata, duriora, ac spissata, *συνεστηκότα. Id ib.* 3. *sub f.* Coacta alvus, *h. e.* quae hujusmodi excrementa reddit. *Plin. init.* 37. Coacta in arctum rerum naturae majestas; de gemmis loquitur. [**Ov. Met.* 10, 295. Coactis cornibus in plenum novies lunaribus orbem. *Virg. Ecl.* 6, 31. Coacta semina, i. e. elementa per chaos sparsa ad quatuor rerum genera redacta, conjuncta. *Heyn.* ad h. l. ℙ *Coactum agmen* ap. *Liv.* 38, 11. Inde consul, ut qui jam ad hostes perventum cerneret, explorato deinde et cum cura coacto agmine procedebat, i. e. militum manu disposita, quae, sicuti exploratores a fronte et latere, ita a tergo procedentis agminis caveret, ne hostes improviso irrumperent. *Coactores* dicuntur milites, quibus id curae datum, ap. *Tac. H.* 2, 68. V. in *Coactor.*] ℙ *Coactus* est etiam idem ac coactilis. *Plin.* 4, 48, 73. Lanae et per se coactam vestem faciunt. Al. leg. *Lanae et per se coactae vestem faciunt*, i. e. confectae. V. COACTILIS. ℙ *Coacta, orum*, n. plur. idem ac coactilia, quorum usus erat in castris, et apud pauperiores. *Caes. B. C.* 3, 44. Milites aut ex coactis, aut ex centonibus, aut e coriis tunicas, aut tegmenta fecerant, quibus tela vitarent. Alii perperam leg. *subcoactis*, quidam *subactis.* ℙ Item impulsus, adactus. *Virg. A.* 7, 509, quercum cuneis coactis scindere. *Cic. Inv.* 32. Vi et necessario coactus in portum. ℙ Item compulsus. *Cic. Dom.* 35. Quis unquam audivit, cum ego de me, nisi coactus, ac necessario dicerem? *Sallust. Jug.* 109. Tutius imperitare volentibus quam coactis. *Nep. Themist.* 8. Necessitate coactus. *Ter. Adelph.* 1, 1, 44. Malo coactus qui suum officium facit, etc. *Id. Andr.* 1, 1, 45. Inopia coactus. *Id. ib.* 4, 4, 41. legibus. *Id. Ph.* 1, 4, 37. Scio vi coactum te esse invitum. *Suet. Tib.* 54. Ad voluntariam mortem coactus. *Nep. Alcib.* 4. Coacti, ut se devoverent. *Sallust. in epist. Mithrid.* coactus regredi. *Senec. Troad.* 573. Coacta dices, sponte quod fari abnuis. [**Suet. Aug.* 81. Frigidis fomentis curari coactus. *Tac. A.* 11, 36. Sponte an coactus tam magna peccavisset, nihil referre. *Id. ib.* 14, 62. Libens, quam coactus acciret dominam. *Id. H.* 2, 17. Spurinna primo coactus, mox velle simulans.] ℙ De ipsis rebus, quae vi, vel ab invitis fiunt. *Plin.* 7, 25, 25. Injuria coacta. *Virg. A.* 2, 196. Coactae lacrimae. *Cic. Divin.* 2, 35. Auspicium coactum et expressum. [**Tac. A.* 4, 51. Coacta deditio. *Id. ib.* 16, 19. Ut, quamquam coacta mors, fortuitae similis esset.] *Plin.* 12, 2, 6. Chamaeplatani arbores coactae brevitatis: quoniam arborum etiam abortus invenimus. ℙ In illo *Lucan.* 7, 395. Rus vacuum, quod non habitet, nisi nocte coacta Invitus questusque Numam jussisse, senator: *nox coacta* est, in qua senator cogitur ex veteribus caeremoniarum institutis vigilare, et sacra facere. ℙ Praeterea *coactum* aliquid dicitur, quod minus apte congruit cum re, de qua agitur. *Gell.* 1, 4. *ad f.* Quod absurdum, et nimis coactum foret, si nondum redditam gratiam eo ipso redditam diceret, quia debetur. Adde 16, 14. [*Ita *Quint. Inst.* 9, 4. p. 875. Ut numeri sponte fluxisse, non arcessiti et coacti esse videantur.]

CŌACTUS, us, m. impulsus. *Lucr.* 2, 272. ut cum impulsi procedimus ictu, Viribus alterius magnis, magnoque coactu. *Cic.* ad *Brut.* 1, 17. Quoniam efflagitas, coactu tuo scribam. *Id. Verr.* 2, 5, 29. Coactu atque efflagitatu meo. Adde *Caes. B. G.* 5, 27.: sed extra ablativum casum singularis numeri exempla nondum vidimus.

CŌADDO, is, a. 3. addo vel simul addo, *προσδίδωμι. Cato R. R.* 40. Salicem Graecam discindito, argillam, vel cretam coaddito. Adde *Pl. Cas.* 3, 1, 4.

CŌADJĬCĬO, is, jeci, ectum, a. 3. simul adjicio, *Colum.* 12, 21. Coadjicitur in binas urnas ligula cumulata salis.

CŌADJŪTOR, oris, m. qui simul adjuvat. Habetur de hac voce exemplum in *Inscr.* ap. *Grut.*, sed spuria, et nullius adeo auctoritatis.

[CŌADŌLĔO, es, evi, n. 2. idem ac coadolesco. *Tert. Anim.* 16. Ut irrationale inoleverit, et coadoleverit in anima. *F.*]

CŌADŌLESCO, is, n. 3. simul adolesco, *συναυξάνομαι. Tert. Anim.* 19. Vis animae arborum coalescens, et coadolescens robori suo. ℙ Legitur et *coadulesco.* V. ADOLEO et ADOLESCENS subst.

CŌĀDŌRO, as, a. 1. simul adoro. *Ambros. de*

Sp. S. 3, 12. *a med.* Coadoratur in Patre Christus. *Imp. Justin. Cod.* 1, 1, 4. Christus coadorandus et conglorificandus.

COĂDUNĀTĬO, onis, f. ἕνωσις, actus adunandi. *Imp. Justin. Cod.* 5, 12, 31. *ad f.* Et non esse exspectandam post singulas aestimationes unam coadunationem totius calculi.

COĂDUNĀTUS, a, um, part. a *coaduno*, adunatus. *Paul. Dig.* 2, 14, 9. *in f.* Spectavimus summas plures, quia illae excedunt in unam summam coadunatae. Adde *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 1., ubi tamen plerique aliter legunt.

COĂDŪNO, as, a. 1. idem quod aduno, συνάγω, ἑνόω. *Ulp. Dig.* 10, 4, 7. Si ansam scypho injunxeris, aut brachium statuae coadunaveris. *Dictys Cret. B. Troj.* 4, 13. Haud prius abire destitit, quam reliquiae coadunarentur.

COAEDĬFĬCĀTUS, a, um, part. a *coaedifico*, inaedificatus. *Cic. part.* 10. *in f.* Loci culti, an inculti, celebres an deserti, coaedificati an vasti.

COAEDĬFĬCO, as, a. 1. junctim aedifico. *Cic. Att.* 13, 33. Sed casu sermo de urbe augenda. A ponte Milvio Tiberim duci secundum montes Vaticanos; campum Martium coaedificari; illum autem campum Vaticanum fieri quasi Martium campum. *Manutius* legendum putabat *totum aedificari*, sed *coaedificari* recte se habet; nam hic *Cicero* significat, Caesarem habuisse in animo veterem campum Martium urbi adjungere, et novum veteri contiguum, aequata inter Tiberim, et montes Vaticanos planitie, aedificare, ubi populus centuriata comitia habere posset; haec enim extra pomoerium fieri debebant. Adde *eund. Cic. Partit.* 10., ut in v. praec.

COAEGRESCO, is, n. 3. simul aegresco. *Tert. Anim.* 5. Corpus compatitur animae, cui afflictae cura, angore, amore coaegrescit. Al. leg. *cohaerescit.*

COAEGRŌTO, as, n. 1. simul cum alio aegroto. *Hieron.* vertens locum *Theophrast.* 1. *adv. Jovinian. n.* 47. Si ipsa (*uxor*) languerit, coaegrotandum est.

[COAEGYPTĬCUS, a, um, et

COAEGYPTĬUS, a, um, adj. qui una cum Aegyptio est. *Not. Tir.* p. 140. *F.*]

[COAEGYPTUS, i, f. regio, quae eadem ac Aegyptus est. *Not. Tir.* p. 140. *F.*]

COAEQUĂLIS, le, adj. idem quod aequalis. *Petr. Satyr.* 136. Sinciput coaequale natalium suorum, *h. e.* ejusdem aetatis. *Just.* 23, 4. In ludo inter coaequales discens. *Colum.* 8, 14. *ad f.* Anser ubi se paulum confirmavit, in gregem coaequalium compellitur.

COAEQUĂLĬTAS, atis, f. aequalitas. *Modestin. Dig.* 27, 1, 8. Coaequalitas honorum militiae fortior videtur privilegio, quod, etc.

COAEQĀTUS, a, um, part. a *coaequo*, aequatus. *Sallust. orat.* 2. *ad Caes. de rep. ordin.* Ita coaequati dignitate, pecunia, virtute anteire alius alium properabit.

COAEQUO, as, a. 1. aequum, aequalem facere. *Sallust. Catil.* 21. Exstruere mare, coaequare montes. *Cato R. R.* 129. Cylindro, aut pavicula coaequare aream. *Colum. R. R.* 3, 16. *ad f.* Coaequare pastinatum. *Cic. Verr.* 2, 3, 41. Tu sic ordinem senatorium despexisti: sic ad injurias, libidinesque tuas omnia coaequasti. *Sallust. orat.* 2. *ad Caes. de rep. ordin.* Coaequari gratiam omnium difficile est. *Lactant. de ira Dei* 7. Coaequare aliquem cum aliquo. *Hieron. in Isaj.* 5, 17, 14. Quarum gentium tantus impetus fuit, ut maris fluctibus coaequandus sit.

COAEQUUS, a, um, adj. idem quod aequus. *Plin.* 6, 28, 32. Mirum dictu ex innumeris populis pars coaequa in commerciis, aut latrociniis degit, *h. e.* altera pars commerciis dedita est. Ita antiq. Editt. A. 1470 et 1472. Aliae habent *pars aequa.*

COAESTĬMO, as, a. 1. idem quod aestimo, vel simul aestimo. *Cels. Dig.* 47, 2, 67. Furti actione hoc quoque coaestimabitur. Ita *Torrent.* Ad *Haloand.* habet *aestimabitur.*

COAETĀNĔO, as, n. 1. coaetaneus sum. *Tert. Resurr. carn.* 45. Contemporant foetu, coaetaneant natu. *Al. rectius leg.* coaetant.

COAETĀNĔUS, a, um, adj. ἡλικιώτης, ἡλιξ, qui ejusdem est aetatis, aequalis, coaevus. *Porc. Latro declam. in Catil.* 2. Scipioni coaetaneo suo. *Appul. Met.* 8. Amicus, coaetaneus, contubernalis. *Tert. adv. Herm.* 6. Cui materia coaetanea est.

COAETERNUS, a, um, adj. simul, et aeque aeternus. *Tert. adv. Herm.* 11., *Hieron. ep.* 16. *n.* 4., *August. Serm.* 38. *de verb. Dom.* 7. et *Boeth. de consol. Philos. prosa* 6.

COAETO. V. COAETANEO.

COAEVUS, a, um, adj. ἡλιξ, qui est ejusdem aevi, coaetaneus, aequalis. *Aug. Serm.* 38. *de verb. Dom.* 7. et *Prud.* 12. *Cathem. de Epiph.* 137. Addebant quidam locum *Cic. Vatin.* 13., sed ibi pro *coaevos* legendum esse *coquos*, jampridem viri docti adnotarunt.

COAGGĔRĀTUS, a, um, part. a *coaggero*, in aggerem collectus. *Serv.* ad *A.* 5, 273. Agger est media viae eminentia coaggeratis lapidibus strata.

CŎAGGĔRO, as, a. 1. aggerando obruo, tego. *Colum.* 8, 6. Ova quidam paleis, aut furfuribus obruunt, nonnulli faba fresa coaggerant.

COAGĪTĀTĬO, onis, f. actus coagitandi. *Cic. N. D.* 2, 55. Anima calescit coagitatione pulmonum. *Vict. Grut.* et alii minus recte leg. *contagione:* [quamquam *coagitatio* vix Ciceronis aevo usitata fuisse vox videtur: hinc *Heindorfius* legit *concitatione. F.*]

COAGĪTĀTUS, a, um, part. a *coagito*, simul agitatus. *Marcell. Empir.* 8. *ante med.* Fel melle optimo mixtum, et diu coagitatum.

COAGĪTO, as, a. 1. agito, vel simul agito. *Apic.* 2, 1, et 4, 3.

*COAGMENTARIUS, i, n. *Gloss. Gr. Lat.* ἁρμολόγος, Coagmentarius. Videtur esse artifex, qui coagmentat, compingit. *B. A.*

COAGMENTĀTĬO, onis, f. συνάφεια, συναφή, connexio, conjunctio. *Cic. N. D.* 2, 46. *in f.* Copulatio rerum, et quasi consentiens ad mundi incolumitatem coagmentatio naturae. *Id. Univers.* 5. Omnis coagmentatio corporis vel calore, vel frigore labefactatur et frangitur. *Id. N. D.* 1, 8. Coagmentatio dissolubilis. *Vitruv.* 2, 9. Ulmus, et fraxinus in commissuris et coagmentationibus ab lentitudine firmas recipiunt catenationes. *Plin.* 36, 22, 51. In construendis parietibus alternas coagmentationes facere.

COAGMENTĀTUS, a, um, part. a *coagmento*, συναρθείς, compactus, connexus, conjunctus compositus. *Cic. Fin.* 3, 22. Quid in operibus manufactis tam compositum tamque compactum et coagmentatum inveniri potest? *Id. Tusc.* 1, 29. Nihil est in animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. *Curt.* 4, 7. *a med. de signo Jovis.* Umbilico maxime similis et habitus, smaragdo et gemmis coagmentatus, *h. e.* compactus, compositus. [*Quint. Decl.* 8, 6. p. 750. Non enim recidere ea, nec polire possumus, quo coagmentata se magis jungant, sed utendum his, qualia sunt, eligendaeque sedes.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 43. Collocationis est componere et struere verba sic, ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus sit, sed quodamodo coagmentatus, et laevis.

COAGMENTO, as, a. 1. πήγνυμι, συναρμόζω, conjungo, compono. [*Usitatissimum et fere proprium verbum de tignis in mole exstruenda connectendis.] *Cic. Senect.* 20. Opus ipsa suum eadem, quae coagmentavit, natura dissolvit. *Plin.* 19, 6, 34. Allium pluribus coagmentatur nucleis. *Colum.* 4, 29. Coagmentare fissuras. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 17. *ad f.* Verba compone, et quasi coagmenta. *Id. Or.* 23. Verba verbis quasi coagmentare. *Id. Phil.* 7, 8. Coagmentare pacem.

COAGMENTUM, i, n. compositio, colligatio, constructio, connexio. Coagmenta, inquit *Non.* 1, 202., sunt conjunctiones arctae, et compares, a cogendo, idest stringendo. *Cato R. R.* 18. *sub f.* Orbem olearium punicanis coagmentis facito. *Vitruv.* 8, 7. Coagmenta tubulorum calce viva ex oleo subacta sunt illinenda. *Caes. B. C.* 3, 105. Palma inter coagmenta lapidum ex pavimento exstitit. *Pl. Most.* 3, 2, 144. Viden' coagmenta in foribus? specta, quam arcte dormiunt! ℙ Translate. *Gell.* 17, 9. Litterae singulariae sine coagmentis syllabarum.

[COAGNĪTUS, a, um, adj. simul agnitus. *Not. Tir.* p. 79. *F.*]

COĂGŪLĀTĬO, onis, f. πῆξις, actus coagulandi. *Plin.* 23, 1, 18. et 28, 10, 45. Coagulatio lactis.

COĂGŪLĀTUS, a, um, part. a *coagulo* coactus, spissatus. *Plin.* 20, 14, 53. Lac coagulatum *Id.* 35, 15, 52. Sudor quidam coagulatus in spumam. *Id.* 16, 11, 22. Coagulata pix.

COĂGŪLO, as, avi, atum, a. 1. πήσσω, cogo, constringo, denso, spisso: et dicitur de liquidis, quae coeundo solidantur. *Plin.* 12, 25, 54. Summa probatio balsami est, ut lac coagulet, in veste maculas non faciat. *Id.* 20, 23, 97. Cannabis aquae infusa coagulare eam dicitur.

COĂGŪLUM, i, n. πυτία, id quod adhibetur ad lac densandum, ut ventriculus lactentis haedi, agni, etc., a *coagendo* seu cogendo, hoc est constringendo, ut *Non.* 1, 115. et 202. docet. *Varr. R. R.* 2, 11. In lactis duos congios addunt coagulum magnitudine oleae, ut coeat: quod melius leporinum, et haedinum, quam agninum. Alii pro coagula addunt de fici ramo lac, et acetum. *Plin.* 23, 7, 63. Fici succus coaguli modo lac contrahit. *Id.* 11, 41, 96. Lacte asinae coaguli vice utuntur. *Ov. Fast.* 4, 545. Mox epulas ponunt, liquefacta coagula lacte. *Id. Met.* 13, 829. Lac mihi semper adest niveum: pars inde bibenda Servatur: partem liquefacta coagula durant. ℙ Dicitur et de aliis rebus, praeter lac. *Gell.* 17, 8. *ad f.* Causa oleo coaguli celerioris in levitate est. *Id.* 3, 16. *ad f.* Dies quibus conceptum in utero coagulum conformatur ℙ *Coagulum* quoque appellatur ipsum lac coagulatum. *Plin.* 28, 10, 45. Si coagulum alicui nocuerit. ℙ Translate *coagulum* dicitur quidquid conjungit et colligat. *Varr.* ap. *Non. l. c. de vino.* Hoc hilaritatis dulce seminarium, Hoc continet coagulum convivia. *Gell.* 12, 1. *ad f.* Vinculum illud, coagulumque animi atque amoris. *Ammian.* 29, 2. Palladius ille, coagulum omnium aerumnarum, *h. e.* qui omnes aerumnas secum quodammodo trahit, omnium malorum causa.

COĂLESCO, is, n. 3. συναφύομαι, simul alesco, concresco: et dicitur proprie de plantis. *Ov. A. Am.* 2, 649. Dum novus in viridi coalescit cortice ramus. *Colum. Arbor.* 27. *ad f.* Sic interposito triennio coalescit ficus olivae. *Id.* 2, 18. *a med.* Impetus aquarum proluit terram, undatisque radicibus gramina non patitur coalescere. *Cajus Dig.* 41, 1, 9. Plantae, quae terra coalescunt, solo cedunt. [*Suet. Aug.* 92. Palmam in compluvium transtulit: utque coalesceret, magnopere curavit.] ℙ Significat etiam coire, conjungi. *Lucr.* 6, 1066. Saxa vides sola coalescere calce. *Plin.* 11, 37, 57. Cilium vulnere aliquo diductum non coalescit, *h. e.* non coit. *Id.* 9, 51, 76. Vulnus non coalescit. ℙ Pro congelari. *Gell.* 17, 8. Vinum idcirco minus cito coalescit, semina quaedam caloris in se habet. ℙ Translate est uniri, jungi, convenire. *Liv.* 1, 8. Multitudo coalescit in populi unius corpus. *Sall. orat.* 2. *ad Caes. de rep. ordin.* Concordia inter veteres et novos coalescit. *Tac. Hist.* 2, 37. Neque exercitus linguis moribusque dissonos in hunc consensum potuisse coalescere. *Id. A.* 3, 38. Coalescere in atrox bellum. *Id. ib.* 6, 44. animo ad obsequium. [*Id. ib.* 11, 24. Ut non modo singuli viritim, sed terrae, gentes, in nomen nostrum coalescerent.] *Liv.* 2, 48. Ut cum patribus coalescerent animi plebis. *Vell.* 2, 90. Coalescentibus reipublicae membris, quae longa annorum series laceraverat. *Id. ib.* 48. Coalescentis pacis conditiones. *Quint.* 1, 5. *sub f.* Duae voces e duobus quasi corporibus coalescunt, ut *maleficus.* Et *ib.* 7. Vocales, quae in unum sonum coalescunt et confunduntur. ℙ Item roborari et crescere. *Quint. Decl.* 18, 9. Infantia coalescit, puerilitas consurgit. ℙ In *Lucretii* versu allato quidam legunt *coolescere*, ut sit ab *olesco*, cresco.

COĂLĪTUS, a, um, part. a *coalo*, compactus, concretus, et confirmatus. *Gell.* 12, 1. Nihil interesse putat, cujus in corpore cujusque ex sanguine concretus homo et coalitus sit. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Sphaerarum ingenium ex igne coalitum et fabricatum. ℙ Translate. *Tac. Hist.* 4, 55. Coalita libertas. *Id. A.* 14, 1. Vetustate imperii coalita audacia. *Id. ib.* 13, 26. Coalitam libertate irreverentiam eo prorupisse etc.

COĂLĪTUS, us, m. *Arnob.* 4. p. 150. Quod penitus oportebat ex humani generis coalitu tolli, *h. e.* consortio, commercio, societate.

COĂLLŬO, is, a. 3. idem quod alluo, vel simul alluo. Affertur locus *Pomponii Dig.* 41, 1, 30., ubi *Torentin.* et *Haloander* pro *coalluendo* habent *colluendo.*

[COĂLO, is, ui, itum, a. 3. simul alo. *Hieron. in Jovin.* 1. *n.* 36. Receptacula vulvae ad suscipiendos, et coalendos fetus condita. ℙ Etiam neutrorum more est idem ac concresco, coalesco. *Sall. Jug.* 98. Grandis ilex coaluerat inter saxa. *Ulp. Dig.* 39, 2, 9. Nec arbor potest vindicari a te ea, quae translata in agrum meum cum terra mea coaluerit. ℙ Item coire. *Id. ib.* 9, 51, 76. Si crusta non coaluerit, nec unitatem cum terra mea fecerit. ℙ Translate est jungi, convenire. *Liv.* 23, 35. Tanta concordia coaluerant animi. *Sall. Cat.* 6. Incredibile memoratu est, quam facile Romani, et Aborigines coaluerint. ℙ Item roborari et crescere. *Tac. Hist.* 1, 21. Dum Galbae auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset. *Id. ib.* 3, 53. Culpam in Mucienum conferre, cujus criminationibus coaluissent pericula sua. Plerique rectius leg. *eviluissent. F.*]

*COAMĀNI, orum, pop. Asiae. *Mela* 1, 2. p. *m.* Comari, Coamani, Paropamisii. *Voss.* mavult Comani. *B. A.*

COĂMĀTOR, oris, m. qui simul cum alio amat. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 447. Libera essem jamdiu, si habuissem ingenio istoc coamatores mihi.

COAMBŬLO, as, n. simul ambulo. Est *Claud. Mamert. de statu Anim.* 1, 3.

COĂMĪCUS, i, m. idem quod amicus. Legitur a quibusdam in *carm. Vet. Poetae* ap. *Cic. Amic.* 26. ex aliquot MSS., sed alii plerique cum emendatis libb. *comicus.*

COANGUSTĀTUS, a, um, part. a *coangusto*, in angustum redactus. *Auct. B. Hisp.* 5. Milites ripis appropinquantes, coangustati praecipitabantur. *Aurel. Vict. Epit.* 42. Nec multo post apud Lugdunum coangustatus, gladio transfosso latere exspiravit. ℙ Veteres dixerunt etiam *conangustatus*, teste *Festo* in *Conauditum.*

COANGUSTO, as, a. 1. in angustum redigo, coarcto, στενοχωρέω. *Varr. R. R.* 3, 16. Ut apes coangustent, ne in vasto despondeant animum. *Pontedera* ex *Cod.* legit *conangustent. Cels.* 7, 27. *in f.* Quo facilius fistula claudatur, vel certe coangustetur. *Auct. B. Hisp.* 5. Dum cupidius locum student tenere, propter pontem coangustabantur. *Ulp. Dig.* 19, 2, 19. *a med.* Coangustare

aditum aedium. ℙ Translate. *Cic. Leg.* 3, 14. Haec lex dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam potest.

CŌAPTĀTĬO, onis, f. apta conjunctio. *Augustin. Trinit.* 4, 2. In omni compaginatione, vel, si melius dicĭtur, coaptatione creaturae. Hanc enim coaptationem (sic mihi nunc occurrit) dicere volui, quam Graeci ἁρμονίαν vocant. Adde *Civ. Dei* 22, 24. *a med.*

CŌAPTĀTUS, a, um, particip. a *coapto*, apte conjunctus. *Augustin. Civ. Dei* 22, 24. *a med.* Mensurae, quibus inter se cuncta connexa sunt et coaptata.

CŌAPTO, as, a. 1. aptum reddo. *August. ep.* 23. *sub f.* Coaptabitur veritati. *Id. Doctr. Christ.* 1, 14. Ligaturam similem membris similibus coaptare. Adde *Prudent. Psychon.* 557.

CŌAPTUS, a, um, adj. aptus, accommodatus. *Capell.* 2. p. 35. Nisi haec, quibus plenum pectus geris, coaptissima egestione vomueris. Alii rectius leg. *coactissima.*

CŌARCTĀTĬO, et Coartatio, onis, f. actus coarctandi, στενοχωρία. *Liv.* 27, 46. Coactatio plurium in angusto tendentium facilior futura erat. *Vitr.* 9, 9. Laxatio earum, aut coarctatio efficit aut vehementem, aut lenem aquae cursum.

CŌARCTĀTUS, et Coartatus, a, um, part. a *coarcto*, coangustatus. *Cic. Att.* 7, 10. Cn. noster quid consilii capiat, nescio, adhuc in oppidis coarctatus. *Colum.* 8, 7. Gallinae in caveis ita coarctatae, ne versari possint. *Id.* 2, 2. Fossa latius aperta summa parte declivis, et ad solem coarctata, *h. e.* [*ad fundum angustior. *Suet. Aug.* 30. Ad coercendas inundationes, alveum Tiberis laxavit, ac repurgavit, completum olim ruderibus et aedificiorum prolapsibus coarctatum.] *Ulp. Dig.* 43, 8, 2. *a med.* Via coarctata. ℙ Translate. *Tac. Hist.* 2, 71. Coarctati consulatus, *h. e.* ad brevius tempus redacti.

CŌARCTĔ. V. COACTE.

CŌARCTO, et Coarto, as, a. 1. στενοχωρέω, in arctum redigo, coangusto. *Petr. Sat.* 98. Araneis oleo madentibus vulnus coarctare. *Colum.* 2, 19. Coarctare foenum in struem. *Front. Aquaed.* 35. Coarctare, vel laxare formulas modulorum. *Val. Max.* 9, 7. Sudario os, et fauces coarctare. ℙ Item brevius facere. *Liv.* 15, 17. Tempora censurae coarctanda. *Ov. Fast.* 5, 546. noxque coarctat iter. [*Suet. *Aug.* 34. Tempus sponsas habendi coarctavit.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 35. Ut haec, quae coarctavit, et peranguste refersit in oratione sua, dilatet nobis atque explicet. ℙ Aliquando significat cogere. *Paul. Dig.* 18, 1, 57. Coarctandus est emptor venditionem adimplere.

CŌĀRĔO, es, ui, n. 3. aresco, vel simul aresco. *Vitr.* 7, 11. Aes, et arena ab ignis vehementia confervescendo cum coaruerint.

CŌARGŪO, is, a. 3. idem quod arguo, vel simul arguo, ostendo, demonstro, ἐλέγχω. [*Significat aut *non uno argumento* aut *pluribus in rebus arguere.* V. *Döderl.* 2, 163. Cf. et ARGUO. *Tac. A.* 3, 12. Sed neque reum prohibebo, quominus cuncta proferat, quibus innocentia ejus sublevari aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit, i. e. probari, demonstrari et quidem omnibus, quibus fieri poterit, argumentis, documentis. *Id. ib.* 13, 20. Si facinoris coargueretur.] *Cic. Fam.* 3, 8. *a med.* Non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam. *Id. Mur.* 4. Fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit. *Id. Verr.* 2, 4, 47. Omnibus in rebus coarguitnr a me, convincitur a testibus, *h. e.* ostenditur, probatur esse reus. *Id. Acad.* 1, 4. Coarguere errorem alicujus. Et *Lig.* 5. *ad f.* Refellere, et coarguere mendacium alicujus. *Id. Rosc. Am.* 30. Certum crimen multis suspicionibus coarguitur. *Auct. ad Herenn.* 2, 5. Coarguere rem aliquam certioribus argumentis. *Cic. Sull.* 15. *in f.* aliquem commutati judicii. *Id. Verr.* 2, 5. 59. aliquem avaritiae. *Ov. Met.* 11, 193. Obruta verba refert, dominique coarguit aures. *Senec. Tranquill.* 12. *a med.* Cujus vanitatem capta mens non coarguit. *Suet. Dom.* 15. Ad coarguendam temeritatem artis. *Plin.* 16, 31, 56. Quidam brevitate radicum celerius senescere arbores putant: quod coarguunt fici, quarum radices longissimae, et senectus ocissima. *h. e.* falsum esse ostendunt. *Id.* 12, 25, 54. Balsami fructus adulteratur Petraeo hyperico: quod coarguitur magnitudine, inanitate etc. *h. e.* deprehenditur. [*Saepius idem, quod accusare. *Suet. Tib.* 25. Libonem Secundo demum anno in Senatu coarguit.] ℙ Cum infinito. *Hirt. B. Alex.* 68. Cum, defensionem ejus nullam posse excusationem ejus imprudentiae recipere, coarguisset.

[COARMĬO, onis, m. vel Cōarmĭus, ii, m. σύναιχμος, qui iisdem armis instructus est. *Inscr.* ap. *Grut.* 334, 4. Flamma *secutor.* vix. an. XXX., pugnat XXXIV., vicit XXI. stans IX. mis*sus* IV. na*tione* SRVS, *h. e.* Syracusanus. Huic Delicatus coarmio merenti fecit. *F.*]

COARTATIO, COARTATUS, COARTO } V. COARCTO cet.

CŌARTĬCŬLO, as, a. 1. *Arnob.* 1. p. 31. Ora coarticulare mutorum, *h. e.* solvere, et facere, ut articulate loquantur.

CŌASPERNANS, antis, part. ab inusit. *coaspernо*, aspernans, rejiciens, recusans. *Tac. H.* 1, 5. Coaspernantes veterem disciplinam. Al. rectius leg. *aspernantes.*

CŌASSĀTĬO, vel Coaxatio, onis, f. σανίδωσις, coassandi actus. Si fiat ex asseribus seu tigillis, est eorum contextus supra trabium contignationem, ad excipiendas tabulas: si fiat ex tabulis, est contabulatio. *Plin.* 36, 25, 62. Necessarium binas per diversum coassationes substerni. *Vitr.* 6, 5. Imponere contignationem, supra eam coaxationem, et pavimentum.

CŌASSO, vel Coaxo, as, a. 1. σανιδόω, contabulo: ab *assis. Vitr.* 7, 1. Cum coassatum fuerit, supra altera coassatio transversa sternatur. ℙ De duplici, quam ponimus scribendi ratione sic habe, alteram ab *assis*, alteram ab *axis* esse. Porro *assis*, rectius scribitur, ut dictum est in ASSIS.

CŌASSŌLET, idem quod assolet, legitur a quibusdam in *Plauti Epid.* 1, 1, 5. *Edd. *Douz. Buchner. Taubm.* et *Gronov.* habent, *quod eo adsolet. B. A.*

COASTRAE seu

CŌĀTRAE, arum, m. plur. populi inter Assyriam, et Mediam, qui Coatram montem incolunt, apud quos arbores sunt maxima proceritate. *Lucan.* 3, 246. Alii leg. *Choatrae*, nam Graece scriptum Χοάτρα.

COAUCTĬO, onis, f. ἐπαύξησις, augmentum. *Cic. Verr.* 2, 3, 81. *in f.* Non ex aestimatione, neque ex ternis denariis pendere crimen, sed ex coauctione annonae, atque existimationis, *h. e.* ex adjectione, et auctario addito a Verre annonae, atque aestimationi frumenti.

COAUGMENTĀTUS, a, um, part. ab inusit. *coaugmento*, auctus, ut coaugmentata constructio, ap. *Capell.* 5, 167., ubi al. leg. *coagmentata.*

CŌAX, κοάξ, vox est ranarum, teste *Serv.* ad *A.* 7, 16., ducta a Graecis. Sic enim *Aristophanes* earum clamores expressit. ℙ Hinc est verbum.

COAXATIO. V. COASSATIO.

COAXO, as, n. 1. verbum exprimens ranarum vocem. *Auct. carm. Phil.* 62. Garrula limosis rana coaxat aquis. *Suet. Aug.* 94. Negantur ibi ranae coaxare. Adde *Spart. Get.* 6. ℙ Aliam significationem V. in COASSO.

CŌBĬO. V. GOBIUS.

*COBIOMĀCHUS, i, vicus ignobilis Gall. Narbon., inter Colosam et Narbonem. *Cic. Font.* 5. *B. A.*

COBĪON, *Plin.* 26, 8, 45. tradit esse speciem tithymali, etiam dendroiden dictam, et leptophyllon, in petris nascentem, comosissimam ex omnibus maxime, cauliculis rubentibus et semine copiosissimam.

*COBORIS, insula prope Arabiam. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*COBUCLA, opp. Mauritaniae Tingitanae. *Anton. Itin. B. A.*

*COBULĀTUS, i, Asiae minoris fluvius, nempe in Phrygia majori vel in Pisidia. *Liv.* 38, 15. *B. A.*

*COBUS FLUVIUS, (Κῶβος ποταμὸς *Arriano*), vel *Cobum flumen* (*Plin.* 6, 4.), ultra Macotidem paludem, a Caucaso per Suanos fluens. *B. A.*

COCALĪDES, um, f. plur. filiae Cocali. Fuit autem Cocalus rex Siciliae, qui Daedalum ab Creta Minois iram fugientem recepit, ipsumque Minoem, qui fugitivum Siciliam usque persecutus fuerat, hospitio exceptum, per insidias, filiarum ope interfecit. Hujus meminit *Ov. Met.* 8, 261. Hinc *Sil.* 14, 42. *de Minoe.* Postquam perpetuas judex concessit ad umbras Cocalidum insidiis etc. Porro hae dicuntur per causam lavandi pedes hospiti, ut mos erat, ferventi aqua caput ejus perfudisse, et sic occidisse. *Ov. Ib.* 291. Vel tua maturet, sicut Minoia fata, Per caput infusae fervidus humor aquae.

*COCALUS, i, m. Κόκαλος, Siciliae rex. V. in *Cocalides. B. A.*

COCANĪCUS, i, m. nunc *Cocanico*, lacus Siciliae, in ora australi, apud Ostium Drilli fluvii, inter Camarinam, et Heracleam, cujus aquae circa ripas aestate in salem convertuntur. *Plin.* 31, 7, 39.

COCCĒTUM. V. COCETUM.

COCCĔUS, a, um, adj. κόκκινος, cocci colorem habens. *Lamprid. Alex.* 42. Hoc solum imperatorium habens, quod lacernam cocceam accipiebat. Al. leg. *coccineam.* At in *Not. Tir.* p. 159. legitur *coccum, cocceus, coccineus.*

COCCĪNĔUS, a, um, adj. κόκκινος, cocci colorem habens. *Plin.* 21, 31, 105. Trychnus, cui acini coccinei, granosi folliculi. *Petr. Satyr.* 32. Coccineum pallium. *Mart.* 14, 131. *in lemmate.* Lacernae coccineae.

COCCĪNUS, a, um, adj. idem quod coccineus. κόκκινος. *Petr. Sat.* 28. Coccina gausapa. *Juven.* 3, 283. laena. *Mart.* 2, 29. aluta. ℙ *Coccina, orum*, n. plur. sunt vestes coccineae. *Mart.* 2, 39. Coccina famosae donas, et ianthina moechae. Adde *ib.* 43. et 14, 131. ℙ [*Coccinum, i*, absolute idem est ac coccum. *Hieron.* in *Isaj.* 1, 1, 18. Peccata, quae prius in modum coccini sanguinea fuerunt, dimittentur. *F.*]

COCCUM, i, n. κόκκος, granum est arboris parvae aquifoliae ex genere ilicis, (quod et *cusculium* vocant, κοσκύλιον) illius cortici veluti scabies quaedam adhaerens, innumerisque scatens vermiculis, ex quibus contusis color fit aptus lanis tingendis praestantissimus, et magni pretii. Nascitur in Galatia, Africa, Pisidia, Cilicia, Lusitania; pessimum in Sardinia, ut ap. *Plin.* 16, 8, 12. legitur. Color ejus est rubens, sed qualis in rosa, et cum amabili nitore conjunctus. Non ubique idem est, cum pro varia locorum, in quibus provenit, natura, vel roseo dilutior, vel magis satur et nigricans sit. Differt a *purpura*, quae intensiorem ac nigriorem habet ruborem; coccum vero est dilutius. Quare aliquando purpura cocco superaddebatur, ut gratior esset et mirabilior cocci color, qui ita mixtus *hysginus* dicebatur, teste *Plin.* 9, 41, 65. Ob eandem rationem, et propter utriusque affinitatem, coccineum cum purpureo aliquando confunditur. Optimum fuit *Galaticum:* ex qua voce quidam putant derivatum esse quod Itali dicunt *scarlatto*, et Galli *l'écartate* [*Scharlach*]: quamvis fortasse hoc ab illo aliquantum differat. *Hor. Sat.* 2, 6, 102. rubro ubi cocco Tincta super lectos canderet vestis eburnos. *Mart.* 5, 23. Vestis madida cocco. *Id.* 10, 76. Fulgere cocco. *Id.* 3, 2. rubere. [*Virg. *Cir.* 31. Horrida sanguineo pinguntur proelia cocco. — *Quint. Inst.* 1, 2. p. 26. Nondum prima verba exprimit, et jam coccum intelligit, jam conchylium poscit.] ℙ Est aliquis cocci usus etiam in medicina. *Plin.* 24, 4, 4. Coccum ilicis vulneribus recentibus ex aceto imponitur etc. ℙ Coccum etiam dicitur pannus, seu vestis, aut filum cocco tinctum. *Sil.* 17, 396. ardenti radiabat Scipio cocco, *h. e.* paludamento coccineo. Nam praecipue imperatorum paludamenta cocco tingebantur, ut *Plin.* 22, 2, 3. docet. *Suet. Ner.* 30. Funes nexi purpura, et cocco. ℙ *Coccum Gnidium*, quod et *Granum Gnidium* appellatur, granum est cujusdam fruticis, qui thymelaea, et chamelaea dicitur, oleastro similis, foliis angustioribus, gummosis, si mordeantur, myrti magnitudine, semine, colore et specie farris: ad medicinae, tantum usum. *Plin.* 13, 21, 35. et 27, 9, 46., *Cels.* 5, 5. et 8. et *Scrib. Compos.* 134.

*COCCYGIA, ae, f. κοκκυγία, arbor fuit adrachnae non absimilis, fructum lanugine quam pappum vocant amittens; quod nulli alii arbori evenit. *Plin.* 13, 22. Ita *Hard.* Antea leg. *coggygria. B. A.*

COCCYMĒLUM, i, n. κοκκύμηλον, inter genera malorum enumerat ex *Cloatio Macr. Sat.* 2, 15. Quidam exponunt genus pruni praecocis. Fortasse idem est ac Damascenum.

COCCYX, ygis, m. κόκκυξ, genus avis, de quo multa *Plin.* 10, 9, 11. V. CUCULUS.

COCĒTUM, i, n. genus edulii (rectius *potionis*) ex melle, et papavere factum. Ita *Festus.* Hinc *Tertull. in Valentin.* 12. Accii patina, Nestoris cocetum. Quaedam editt. hic perperam habent *coccetum.* ℙ [*Voss.* in *Etymol.* putat, *Tertullianum* respicere ad κυκεῶνα Nestoris, quem *Homer.* laudat *Iliad.* 11, 624., quique et *cinnus* dicitur. Quod est maxime probandum, nam idem *Homer. ib. v.* 638. de eodem ait: ἐν τῷ ῥὰ σφι κύκησε, atque, ut a μείρω, divido, est verbale μορητός, Latine *moretum*, ita *cocetum* est a κυκητός, quod a κυκάω, misceo; saepe enim Latini Graecorum *u* in *o* vertunt, ut ἄγκυρα, ancora, μύλη, mola, νύξ, nox. Hinc etiam deducenda vox *cocus*, is nempe qui plurium rerum edulium commixtione cibus parat. V. COCUS. Varia porro fuit cyceonis, seu coceti compositio, nam κυκεὼν *Homeri l. c.* ex vino constat et farina, cui caseus caprinus supra rasus fuit; *Hesychii* ex vino, melle, aqua, et farina; *Orphei* vero *Argonaut. v.* 325. ex farina, taurino sanguine, et aqua marina; *Ovidius* denique de vetula Cereri potum praebente haec ait *Met.* 5, 449. Divamque videt, lymphamque roganti Dulce dedit, tosta quod coxerat ante polenta. *F.*]

COCHLĀCAE dicuntur lapides ex flumine rotundi ad cochlearum similitudinem. *Fest.*, ubi *Scalig.* adnotat, detortum esse a Greco κόχλακες, *h. e.* calculi, lapilli: quare videtur scribendum *cochlacae.* Al. leg. *cochalacae.*

COCHLĔA, ae, f. κοχλίας, limax, animal notum, testa inclusum tortili et turbinata. *Cic. Div.* 2, 64. Si quis medicus aegroto imperet, ut sumat *terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam*, potius quam hominum more, cochleam, dicere. *Auct. ad Herren.* 4, 49. *a med.* Iste, qui tanquam cochlea, abscondens retentat sese tacitus. *Pl. Poen.* 3, 1, 29. Vincere cochleam tarditudine. ℙ Varia sunt cochlearum genera, albae in Reatino agro: Illyricae, quibus magnitudo praecipua; Africanae, quibus fecunditas; Solitanae, quibus nobilitas: item Astypalaeicae, et Siculae, et Balearicae, quas cavaticas vocant, quoniam in speluncis na-

scuntur. Laudatissimae fuere Africanae; ex his Solitanae. V. *Plin.* 9, 56, 82. et 30, 6. item *Varr. R. R.* 3, 14., ubi earum alendarum rationem docet. [*Hinc *Hor. Sat.* 2, 4, 59 Tostis marcentem squillis recreabis et Afra Potorem cochlea.] ℙ *Cochleae nudae* dicuntur, quae sunt sine testa. *Plin.* 29, 6, 36. et 30, 7, 19. et *ib.* 11, 30. ℙ *In cochleam* est in modum tortilis testae cochlearum. *Cels.* 8, 10. *n.* 1. Fascia brevissima adhibenda est, quae circa fracturam (*ossis*) ter voluta sursum versum feratur, et quasi in cochleam serpat. *Colum.* 8, 17. Specus alii simplices et recti, alii in cochleam retorti. ℙ Ab hujus similitudine *cochlea* dicitur lignum in torculari erectum, canaliculis circum oblique cavatis striatum, quod in similiter cavatum lignum immissus, dum vertitur, prelum vel attollit, vel deprimit. Apud Italos lignum hoc erectum, et versatile dicitur *vite:* quod vero immobile manet, *madrevite*, Graece *περικόχλιον:* apud Latinos non habet, quam sciam, proprium nomen. *Vitr.* 6, 9. Torculor cochleis torquere. ℙ Item machina haustoria, ad aquam hauriendam et attollendam, cujus faciendae rationem *Vitr.* 10, 11. perscribit. Est autem machina, cujus in medio rota est, quae dum a calcantibus versatur, machina intus cochleae instar detornata aquas exsorbet ex aquario septo et retrorsus emittit. ℙ Item genus ostii tortuosi, oblique flexi et versatilis, duplice orbe compositi, quodque apud nostrates sanctimoniales passim obtinet, vulgo *ruota.* [At *Schneiderus* in *Ind. Script. R. R.* ad V. *Cavea* probare conatur, cochleam fuisse appellatam ostium illud, quod Latini etiam cataractam, Itali *saracinesca* dicunt, quodque catenis aut funibus tollitur, ac momento temporis demittitur: ideo autem sic appellari, quia repraesentat illud operculum, quod cochleae habere solent ex cornea materia. *Varr. R. R.* 3, 5. *de ornithone.* Ostium habere debet humile, et angustum, et potissimum ejus generis, quod cochleam appellant, ut solet esse in cavea, in qua tauri pugnare solent. *F.*] ℙ Interdum *cochlea* dicitur de sola testa cochleae. *Mart.* 11, 18. Vix implet cochleam peracta messis, Et mustum nuce condimus picata. ℙ Item de testudine. *Stat. Silv.* 4, 9, 32. Nusquam Cyniphiis vagata campis Curvarum domus uda cochlearum. V. CHERSINAE. ℙ Scribitur et *coclea* sine aspiratione: quod damnare non ausim, cum admittat *Velius Long. de orthogr.* p. 2230.

COCHLĔAR et Cochleāre, is, n. *κοχλιάριον, δολδύξ, ἐντήρυσις,* ligula ex altera parte acuta, ex altera latior et cavata: illa extrahuntur ex sua testa cochleae, hac ova, et alii ejusmodi liquidiores cibi. *Martial.* 14, 121. cui lemma est *Cochlearia.* Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis: Numquid scis, potius cur cochleare vocer? *Petr. Sat.* 33. Accipimus cochlearia, ovaque ex farina pingui figurata pertundimus. *Plin.* 28, 2, 4. Ovorum calyces, cochlearumque protinus frangi, aut eosdem cochlearibus perforari. *Cels.* 6, 14. Chelidoniae succus, per cochlear illita uva, maxime prodest. *et paulo post.* Aquam cochleari exceptam uvae subjicere. ℙ Est etiam mensura liquidorum, quarta pars cyathi. *Colum.* 12, 21. Musti cochlear cumulatum, vel simile genus poculi ejus, qui est quarta pars cyathi, adjicitur in binas urnas. *Plin.* 27, 4, 5. Bibitur aloe in duobus cyathis aquae, cochlearis mensura. *Id.* 23, 4, 38. Folia decoquuntur ex melle, et dantur cochlearibus contra sanguinis excretiones.

COCHLĔĀRIS, e, adj. *Plin.* 21, 27, 99. Vincapervinca hydropicis datur in aqua cochleari mensura, *h. e.* quantum capit cochlear. Ita pleraeque edition. cum antiquis A. 1469. 1470. 1472. et *Harduino.* Nam Elzeviriana 1538. habet *cochlearis.*

COCHLĔĀRIUM, ii, n. locus in quo servantur et aluntur cochleae. *Varr. R. R.* 3, 14. Idoneus sub dio sumendus locus cochleariis. Adde *ib.* 12. ℙ Item *cochlear*, *κοχλιάριον*, cochlearium appellatum, quod cochleam repraesentat, seu potius, quod primo cochleae tegumentum cochlearii loco adhibitum. *Plin.* 20, 22, 89. Si cochlearii mensura in die sorbeatur in aquae cyatho. *Scrib. Compos.* 122. *a med.* Sumuntur cochlearia tria cumulata. *et mox.* Movente aliquo cochleario liquorem, ne quid subsidat. *Id. ib.* 96. Cochleario dare aliquid.

COCHLĔĀTIM, adv., in modum cochleae. *Sidon. ep.* 4, 15. *ad f.* Agger cochleatim fractus.

COCHLĔĀTUS, a, um, adj. *Pompon.* ap. *Non.* 2, 284. et 872. Ubi insilui in cochleatum equuleum, ibi tolutim tortor. *cochleatus equuleus* dici videtur (si modo sana est lectio) qui oblique, et veluti in cochleam graditur. Sequitur enim, *ibi tolutim tortor*, h. e. torqueor, in gyrum feror. *Turneb.* putat legendum esse *coleatum.* At *cochleatum* retinendum; nam in equuleo plures erant cochleae, quibus immissi funes reorum membra distendebant, torquebantque.

COCHLĔŎLA, ae, f. parva cochlea. *Hieron. ep.* 64. *n.* 19. Purpura ex maris cochleolis tingitur. *Id. in Jovin.* 2, 6. Si omne quod movetur et vivit, ad vescendum factum est, et praeparatum gulae, respondeant mihi, cur ceti, delphines, phocae, minutaeque cochleolae conditae sint?

COCHLIS, ĭdis, f. *κοχλίς*, parva cochlea. Nomen est gemmae cujusdam, cochleae similitudinem habentis, cujus meminit *Plin.* 37, 12, 74. ℙ Adjective *columna cochlis* est in modum cochleae intus cavata, ascendendi causa. Hujusmodi fuit Romae in regione octava in Foro Trajani, et in nona ad templum Divi Antonini, ut est apud *P. Vict. de Reg. Urb. Rom.* c. 8. et 9.

*COCIATOR, oris, m. i. q. cocio. *Gloss. Vet.* *μεταβόλος*, Dardanarius, cociator, arilator, cocio. *Al. Gloss.* Cociatria (*Scal.* Cociatrina malit), *μεταβλητική. B. A.*

COCINATORIUS. V. COQUINATORIUS.

*COCINTHUM, i, longissimum Italiae promontorium, in Bruttiis, prope Caulonem. Hodie est *Capo di Stilo. Plin.* 3, 10. Dicitur et *Cocinthos ib.* 5. ℙ *Cocinthum* meminit *Anton.* in *Itin.* quod oppidi nomen est, in promontorio siti. ℙ Hinc *Cocintius, a, um*, ad *Cocintum* spectans. *Ov. Met.* 15, 704. Dextra praerupta Cocintia parte. Ex emendatione Holstenii et *Is. Voss.* ad *Met.* 2, 4. probante *Cellario* in *Not. Orb. Ant.* T. I. p. 738. Vulgo legitur Ceraunia. ℙ Notandum est, *Cluverio* idem esse *Cocintum, Carcinum, Caecinum; Cellario* non item. *B. A.*

COCIO vel Coctio, onis, m. *Coctiones*, inquit *Festus*, dicti videntur a cunctatione, quod in emendis, vendendisque mercibus tarde perveniant ad justi pretii finem. Itaque apud antiquos prima syllaba per *u* litteram scribebatur. Haec *Fest.*, qui alibi docet, *coctionem* dici etiam arilatorem: quod confirmat *Gell.* 16, 7., ubi docet, *Laberium* pervulgate *cocionem* dicere, quem veteres arilatorem dixerunt: qua in re ipsum reprehendit, ut qui obsoletum verbum, et ex sordidiore vulgi usu petitum adhibuerit. *Scalig.* ad *Fest.* et *Voss. in Etymol. in* V. *Arilator*, *Laberium* defendunt, et hanc vocem non esse inter pervulgata et proculcata reponendam, exemplo *Plauti* ostendere conantur. Sed *Plauti* locus qui est *Asin.* 1, 3, 51., item *Mil.* 3, 2, 29. varie a variis legitur, nec certi quidquam conficere posse videtur. Nam alii *coactio*, alii *cotio* pro *cautio* legunt: alii *cocio* quidem retinent, sed cocum interpretantur. V. *Taubmann.* [**Bothius* emendavit: *nae otio excruciabere.* Quod probatur *Lindem.* ad h. l. ita haec verba intelligenti: Quum otium erit, multum et diu vapulabis.] Etiam *Salmas.* ap. *Petron.* hanc vocem legi vult. V. in fine verbi CONCIO.

*COCIONATŪRA, ae, f. *Gloss. Gr. Lat.* *μετάπραοις*, Cocionatura. *B. A.*

COCIONOR, aris, dep. 1. cocionis more ago, hoc est in emendo, aut vendendo difficilis sum *Quint. Decl.* 12, 21. Vendidit quanti voluit; et ut hoc ad nostras accederet moras, fortasse diu cocionatus est. Al. aliter leg. *V. *Salm.* de *Usur.* p. 345. seq. *B. A.*

*COCISTRO, Praegustator coquinae. *Isid. Gloss. B. A.*

COCLES, ĭtis, m. *μονόφθαλμος, h. e.* luscus, qui unum tantum habet oculum, ut *Varr. L. L.* 6, 3. *extr.* et *Plin.* 11, 37, 55. docent. Et *Varro* quidem ita dictum esse ait, quasi *ocles;* quod videri potest per syncopen dictum, ab *oculus:* sed *Voss.* et *Scalig.* derivari censent ad *cyclops.* Cyclopes enim unoculi fuerunt. *Lucil.* ap. *Non.* 13, 2. Ducentos Cyclopes coclites. De his fortasse locutus est *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 23. De Coclitum prosapia te esse arbitror: nam ii sunt unoculi. Sed *Turneb.*, quem plerique sequuntur, Arimaspos hic significari docet, qui unoculi putati sunt. *Enn.* ap. *Varr. l. c.* decem coclites, qui montibu' summis Ripaeis fodere. ℙ Hujus cognominis fuit Horatius ille vir Romanus, qui Porsenae regis exercitu per Sublicium pontem transire conante, solus hostium impetum sustinuit, donec a tergo pons a sociis frangeretur, quo fracto armatus in Tiberim desiluit, multisque super incidentibus telis incolumis ad suos tranavit. *Liv.* 2, 10., *Senec. ep.* 120.

[COCOCOCO, est vox ficta per onomatopeiam, quaeque gallinarum et gallorum cantum exprimit. *Petr. fragm. Trag.* 59. *Burm.* Cum esses capo, cocococo, atque cor non habeas (lege *habebas*). *F.*]

COCOLŎBIS, is, f. Ita Hispani vocant uvam eam, quam Dyrrachini *basilicam* appellant. *Plin.* 14, 2. *ad f.* ℙ Ap. *Colum.* 3, 2. est *cocolubis.*

*COCONDAE, arum, m. Indiae populi. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

*COCOSĀTES. V. v. seq.

*COCOSSĀTES, ium, populi Gall. Aquitanicae. *Plin.* 4, 11. COCOSĀTES audiunt *Caes. B. G.* 3, 27. *B. A.*

COCTA, ae. V. COCTUS.

COCTĀNA. V. COTTANA.

COCTĪBĬLIS. V. COQUIBILIS.

[COCTĪLĬCIUS, a, um, adj. ad coctilia pertinens, ut *Coctilicia taberna* ap. *Capitolin. Pertin.* 3., in qua nempe *coctilia*, seu ligna cocta servantur, ac venduntur, quibus utebantur Romani, ne fumum facerent. V. COCTILIS. ℙ *Auct. Mémoir. de littér. et beaux arts de l'Acad. de Turin.* ann. 1805 — 1808. p. 410. et seqq. putat, *tabernam coctiliciam* ap. *Capitolin. l. c.* significare eam, in qua amphorae, dolia, et alia hujusmodi vasa venderentur, quia urbs Pollentia in Liguria, prope quam in Apennino villa Martis fuit patria imperatoris Pertinacis, ob opera figulina maxime celebraretur. Sed cum idem *Capitolin. ib.* 1. narret, Pertinacis patrem filio nomen imposuisse ex continuatione lignariae negotiationis, quod pertinaciter eam rem gereret; idem vero *ib.* 3. haec habeat: Pater ejus tabernam coctiliciam in Liguriam exercuerat; patet *coctilicius* ex notione esse usurpatum, quam supra attulimus. ℙ Quidam perperam hic legunt *coactiliciam. F.*]

COCTĬLIS, le, adj. *ἐφθός. Lateres coctiles* sunt, qui e terra fiunt, et in fornacibus coquuntur: et *murus coctilis* qui ex hujusmodi lateribus fit. *Ov. Met.* 4, 57. ubi dicitur altam Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem. *Plin.* 7, 56, 57. Laterculi coctiles. *Varr. R. R.* 1, 14. Lateres coctiles. ℙ *Coctilia*, um, sunt ligna cocta, (ut ea appellat *Ulp. Dig.* 32, 55. *ad f.*) et arida, ne fumum faciant, *ἄκαπνα ξύλα:* non tamen sunt carbones, qui in totum combusti sunt, et nigri, atque adeo ligna dici non possunt. *Valerian. in quadam ep.* ap. *Trebell. Claud.* 14. Dabis coctilium batilla quatuor.

COCTĬO, onis, f, *πέψις*, ipse coquendi actus. Unde *coctionem facere*, pro concoquere, et cibum in ventriculo conficere. *Plin.* 20, 9, 39. Coquitur et in melle cibi gratia, maxime ut coctionem facias. Adde *Not. Tir.* p. 167.

COCTĬTĀRE pro frequenter coquere, agnoscitur tanquam Latinum a *Festo* in *Coquinare.*

COCTĪVUS, a, um, adj. qui facile vel coquitur, vel maturatur, vel concoquitur, *ἑψανός. Plin.* 15, 23, 25. Coctivae castaneae. ℙ Ap. *Apic.* 9, 4. *coctiva condimenta* videntur esse, quae cito et facile coquuntur: vel quae coqui necesse est, ut edulia sint.

COCTŌNA. V. COTTANA.

COCTOR, oris, m. qui coquit. Legitur ap. *Petr. Sat.* 95., ubi *coctores* a multis exponuntur coqui. Quidam minus recte leg. *lictores.* In *Not. Tir.* p. 167. Coctio, coctor. ℙ *Coctor calcis* est idem ac calciarius. *Edict. Dioclet.* p. 19. Calcis coctori X quinquaginta. *Imp. Const. Cod. Theod.* 14, 6, 1. Coctoribus calcis per ternas vehes singulae amphorae vini praebeantur. ℙ Translate est decoctor. *Senec. Benef.* 4, 26. Coctori credere pecuniam. Al. rectius leg. *decoctori.* ℙ *Coctores juris* joculariter et ambigue dixisse *Pl. Poen.* 3, 2, 9. putat *Paraeus:* sed alii rectius leg. *coctiores.* V. COCTUS. [*Hujus loci praecipuam curam egit. *F.*]

COCTŪRA, ae, f. ratio, seu modus coquendi. *Plin.* 19, 8, 41. *n.* 3. Apiciana coctura coquere aliquid. *Id.* 34, 8, 20. Exurente coctura aes fragile conficitur. *Apic.* 6, 2. dimidia coctura decoques, dum obduretur. *et ib.* modica coctura coquere. ℙ Item id, quod coquitur. *Colum.* 12, 18. *in f.* Si quinta pars picis Bruttiae in universam cocturam adjiciatur. ℙ Item moderata coeli temperies, qua fructus optime coquuntur et maturescunt. *Plin.* 14, 4, 61. Ea coeli temperies fulsit, quam cocturam vocant.

*COCTURARIUS, i, m. *ἑψητής Gloss. Vet. B. A.*

COCTUS, a, um, part. a *coquo, is, ἑψηθείς. Pl. Aul.* 3, 2, 15. Quid curas, utrum crudum, an coctum edim? *Id. Cas.* 4, 2, 2. Vos coenabitis, coena ubi erit cocta. *Hor. Sat.* 2, 2, 28. Coctus pavo. [**Ov. Fast.* 6, 532. Liba in subito cocta foco.] *Nep. Eum.* 8. Imperat comparari cibaria cocta dierum decem. *Suet. Claud.* 38. Cocta vendere, *h. e.* cibaria cocta. *Pers.* 3, 22. Cocta fidelia, *h. e.* fictilis. *Mart.* 9, 76. Later coctus. [**Propert.* 4, 5, 26. Murrheaque in Parthis pocula cocta focis.] *Id.* 3, 9, 22. agger, *h. e.* ex coctis lateribus factus. *Id.* 4, 5, 60. Rosaria cocta, *h. e.* humore, et virore defecta. [*De cibis in stomacho contritis et in chilum mutatis. *Cic. N. D.* 2, 54, 136. Ut facile calore, quem multum habet ex terendo cibo et praeterea spiritu omnia cocta atque confecta in reliquum corpus dividantur. *Id. ib.* 55, 137. Per quas lapsus cibus in hoc ipso loco in eam venam, quae cava appellatur, confunditur perque eam ad cor confectus jam coctusque perlabitur. — Item de herbis, ex quibus medicamentum amatorium paratur. *Propert.* 2, 4, 8. Non hic herba valet: non hic nocturna Cytaeis: Non Perimedea gramina cocta manu.] ℙ De lignis coctis, V. in COCTILIS. ℙ Ad illud *Virg. A.* 11, 553. Telum solidum nodis, et robore cocto: *Servius* haec habet: Aut antiquam hastam fuisse significat: nam multi temporis aliquid *recoctum* vocatur: aut vere coctam. Hastae enim igni plerumque durari consueverunt, ut facilius corticem demittant. [*Quod unice probandum!] ℙ *Cocta, ae*, ap. *Martial.* est aqua decocta: ea ratione qua dicitur absolute *decocta, et calda.* Est qui caseum secundarium intelligit, quem Itali *ricotta* dicunt. Locus est 2, 85. Vimine clausa levi niveae custodia coctae. ℙ Est etiam *coctus* idem quod maturus, cum de fructibus loquimur. *Cic. Senect.* 19. *ad f.* Poma matura et cocta. *Plin.*

12, 5, 11. Coctus solibus fructus. ℙ Translate. *Cic. Att.* 13, 52. *ex Lucilio, ut videtur.* Bene coctus et conditus sermo. *Pl. Mil.* 2, 2, 52. Non placet, quod reperit. Quidquid est, incoctum non expromit: bene coctum dabit, *h. e.* consilium bene meditatum, et deliberatum. ℙ Comp. *Coctior* habetur ap. *Pl. Poen.* 3, 2, 9. Hodie juris coctiores non sunt qui lites creant. *Turneb. Advers.* 15, 7. ridiculum, inquit, dictu, *juris coctiores* pro *juris doctiores* dicere; quod urbanitate comica conditum protulit, ambigui occasione usus. Nam et jus culinarum coquitur, et coctus, ac recoctus dicitur, qui in re aliqua tiro non est.

COCŪLA, orum, n. plur. vasa aenea coctionibus apta. Alii cocula dicunt ligna minuta, quibus facile decoquantur obsonia. *Festus.* ℙ Ad priorem significationem firmandam affert *Isid. Orig.* 20, 8. hoc fragmentum *Plauti:* Ex aeneis coculis mihi excocta est omnis misericordia. ℙ Feminino genere. *Varr.* ap. *Non.* 12, 52. Cocula, quae coquebat panem primum sub cinere, postea in furno. Sed *cocula* hic potest etiam idem esse quod *coqua.* Sane alii scribunt *coquula.* Adde illud *Caton. R. R.* 11. Ahenum coculum, quod capiat culleum, urceos aquarios duos etc. Quidam afferunt et illud *Pl. Capt.* 4, 2, 67. Laridum, atque epulas foveri coculis ardentibus. Sed plerique alii leg. *foculis ferventibus.*

CŌCUS. V. COQUUS.

COCYTĬUS, a, um, adj. Κωκύτιος, ad Cocytum pertinens. *Claud. in Rufin.* 2, 471. Cocytia aequora.

COCYTUS et *Graeca positione* Cocytos, i, m. Κωκυτός, fluvius Inferorum, qui e Stygia palude nascitur: a κωκύω, fleo, ploro. V. dicta in ACHERON. *Hor. Od.* 2, 14, 17. Visendus ater flumine languido Cocytos errans. *Senec. Herc. fur.* 685. Palus inertis foeda Cocyti. ℙ Adjective. *Petr. Sat.* 120. Cocyta perfusus aqua. Al. leg. *Cocyti.* ℙ Est hoc nomine lacus exiguus Campaniae, in Lucrinum lacum influens. *Sil.* 12, 116.

CODA, ae, f. idem quod cauda, ut *plaustrum plostrum, caudex codex* etc. *Varr.* ap. *Non.* 2, 135. Canis sine coda. *Id. R. R.* 2, 7. Equus coda ampla, subcrispa. Adde *Petr. fr. Trag.* 44 *Burm.*

*CODĀNI, orum, pop. Arab. Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

CODĀNUS Sinus, nunc *der Sund*, sinus Oceani septentrionalis inter Scandinaviae partem meridionalem, et Chersonesum Cimbricam, quo in mare Balticum abitus est: sed accipitur etiam pro ipso mari Baltico. *Plin.* 4, 13, 27., *Mela* 3, 3.

CODĒTA, ae, f. ager trans Tiberim, in quo frutices exsistunt in modum codarum equinarum. *Festus.* ℙ Minorem Codetam memorat *Suet. Caes.* 39., ex quo intelligimus, etiam majorem fuisse, atque adeo duo loca hoc nomine fuisse appellata.

CODEX, ĭcis, m. στέλεχος, idem quod *caudex*, eo modo quo *claustrum clostrum, cauda coda* dicimus. *Ov. Met.* 12, 432. Codice qui misso, quem vix juga bina moverent etc. *Colum.* 5, 6. *a med.* Radices terra subacta operiamus, et circumcalcemus ipsum codicem. ℙ *Codex robustus* erat ligneus stipes e robore, magni ponderis, quem alligati servi, qui deliquissent, trahere cogebantur, eique insidere, in eo cubare, secumque semper habere, donec a domino absolverentur. Sunt qui intelligunt carcerem in privatis aedibus, quo includerentur noxii servi, cinctum roboreis assibus, quale erat in publicis carceribus *robur*, de quo V. suo loco. Sed magis placet sententia *Turn. Advers.* 23, 21., quam posuimus. *Pl. Poen.*. 5, 3, 33. Quos ego jam detrudam ad molas; inde porro ad puteum, atque ad robustum codicem. *Prop.* 4, 7, 40. Codicis immundi vincula sentit anus. *Juven.* 2, 57. Horrida residens in codice pellex. ℙ Frequentissime accipitur pro libro, quod veteres olim codicem appellarunt plurium tabularum contextum, ut in CAUDEX dictum est. Itaque primo sic appellarunt plures scriptorias tabellas simul connexas, [*Cic. Verr.* 1, 36. Codicis extrema cera.] deinde plures quoque membranas, et chartas simul compactas, ut sunt hodieque nostri libri. Nam volumina erant membranae, seu chartae in orbem convolutae. Hinc publicae tabulae *codices* appellantur, ut *Senec. Brevit. vitae* 13. docet. Sed et de quacumque scripta tabula, et libro dicitur. *Ulp. Dig.* 32, 50. Codices membranei, vel chartacei, vel eborei, vel alterius materiae. *Cic. Verr.* 2, 1, 46. L. Piso multos codices implevit earum rerum, in quibus etc. *Id. ib.* 61. Proferre falsum codicem. *paulo ante dixerat* proferre tabulas. *Id. Sull.* 15. Referre in codicem. *Id. Rosc. Com.* 2. Instituere, conscribere codicem. Et *ib.* Codex accepti et expensi. *Suet. Aug.* 101. Testamentum factum ab eo, ac duobus codicibus scriptum. [*Hujus loci sententia haec esse videtur, ut testamentum Augusti duos codices occuparit, unum, quem ipse scripserit, ea continentem, quae nescire libertos vellet; alterum, a libertis compositum.] *Juven.* 10, 236. nam codice saevo Heredes vetat esse suos, *h. e.* tabulis testamenti. ℙ Speciatim, et καὶ ἐξοχήν sic appellatur, in quo collectae sunt constitutiones principum Romanorum, ut *Codex Justinianeus, Codex Theodosianus.*

CODĬCĀRĬUS. V. CAUDICARIUS.

CODĬCILLĀRIS, re, adj. ad codicillos pertinens. *Lamprid. Alex. Sev.* 49. Pontificatus, et Quindecim viratus, et Auguratus codicillares fecit, *h. e.* ut missis codicillis deferret, cui placuisset. Nam eas dignitates olim populus, postea senatus distribuerat.

*CODĬCILLĀRĬUS, a, um, adj. idem ac codicillaris. *Imppp. Gratian., Valent. et Theod. Cod. Theod.* 6, 22, 7. Codicillariae dignitates, *h. e.* datae per codicillos imperatoris. *B. A.*

CODĬCILLUS, i, m. parvus codex. *Cato R. R.* 55. et 130. Codicilli oleaginei. ℙ In plurali num. *codicilli* (qui et *pugillares:* unde *Catull.* 42. *in Moecham*, quae *v.* 5. *pugillaria* dixerat, mox *v.* 11. etc. *codicillos* appellat) sunt parvae tabellae scriptoriae, cera illitae, in quibus stilo perscribitur, πινακίδιον, σχεδάριον. [*Manut.* ad *Cic. Fam.* 9, 26. docet codicillos fuisse plures ligneas tabellas glutino junctas, eodem more, quo hodie libri jungerentur. Verum qua uti solebant Romani codicillis, ratio postulat, plures codd. tabellas non junctas fuisse ita, ut ex iis depromerentur atque, quo quis vellet, mitterentur. Respondet libellorum genus quod nos dicimus: *Schieferbuch, Schreibtafel.*] Iis usi sunt veteres ante chartae inventionem, cum per litteras aliquid alicui significandum erat, ut colligitur ex illo *Plinii* loco 13, 13, 27. Homerus Bellerophonti codicillos datos, non epistolas, prodidit. [*Locus est in *Il. Z.* 169.] Et 33, 1, 4. Cum codicillos missitatos epistolarum gratia indicet. ℙ Sed et post inventam chartam eorum usus mansit, cum vel propere aliquid scribendum erat, vel cum chartam in promptu non habebant, ut in itinere, in coena, in senatu etc. [*Memoriae subsidii gratia.] *Cic. Phil.* 8, 10. Hic hesterno die sententias nostras in codicillos, et omnia verba referebat. [*Ita *Plin.* major ad incendia Vesuvii spectanda profecturus apud *Plin.* alterum *Ep.* 6, 16. accipit codicillos.] ℙ Perscriptos codicillos aliquando in chartam transcribebant, mittendi causa, cum primum commode poterant, ut est in illo *Cic.* (teste *Manut.*) *Fam.* 9, 26. Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi. ℙ Sed et ipsos codicillos mittebant loco epistolae, praesertim cum vicinus et familiaris admodum erat, cui scribebatur, et fidissimus, qui perferebat. *Cic. Q. Fr.* 2, 11. Epistolam hanc convicio efflagitarunt codicilli tui. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 13. Cum non longe a Piraceo abessem, puer Acidini obviam mihi venit cum codicillis, in quibus erat scriptum etc. *Cic. Fam.* 6, 18. Simul accepi a Seleuco tuas litteras, statim quaesivi a Balbo per codicilios, quid esset in lege. *Senec. ep.* 55. *in f.* Adeo tecum sum, ut dubitem, an incipiam non epistolas, sed codicillos tibi scribere. *Lips. in ep. instit. c.* 2. docet, ex hoc *Senecae* loco, proprie codicillos esse, quos ad praesentes mittimus, epistolas vero, quas ad absentes. Hoc tamen discrimen non semper verum est. Nam codicilli ponuntur etiam universim pro epistola. *Suet. Cal.* 55. Perferre ad aliquem codicillos in Mauritaniam. *Id. Oth.* 10. Exarare codicillos consolatorios ad aliquem. ℙ Item pro libello cujusvis generis. *Senec. Clem.* 15. Petiit, ut sententiam suam quisque scriberet: deinde priusquam aperirentur codicilli etc. *Tac. A.* 11, 34. Simul codicillos libidinum indices tradidit. ℙ Pro libello supplici. *Tac. A.* 4, 39. Componit ad Caesarem codicillos etc. *Id. ib.* 6, 9. Precari aliquid per codicillos. ℙ Item pro scripto, quo princeps officium, ac munus publicum alicui tradit, [*i. q. nos dicimus: *Diplom, Patent.*] *Suet. Claud.* 29. Suppositi, aut etiam palam immutati datorum officiorum codicilli. *Id. Cal.* 18. Senatori codicillos misit, quibus praetorem eum extra ordinem designabat. *Imppp. Valent., Valens, et Grat. Cod. Theod.* 6, 4, 23. Consulares, ac praetorios codicillos consequi, *h. e.* consulatum, ac praeturam per codicillos. [*Hoc loco idem esse videtur, quod Francogalli dicunt *Portefeuille.* — Pertinet codicillorum usus etiam ad libellos amatorios. *Quint. Inst.* 7, 2. p. 611. Munera domi inventa sunt, pecunia, cujus auctor non exstat: codicilli, dubium ad quem scripti. Adde *Suet. Gramm.* 14. *in.*] ℙ Denique pro scriptura, qua quis ultimam suam voluntatem significat, minus tamen solemni, quam testamentum: qua de re V. JCtos. [**Plin. ep.* 2, 16. Tu quidem, pro cetera tua diligentia admones me, codicillos, Aciliani, qui me ex parte instituit haeredem, pro non scriptis habendos, quia non sint confirmati testamento.] *Tac. A.* 15, 64. *in f.* Sine ullo funeris solemni crematur. Ita codicillis praescripserat. *Ulp. Dig.* 29, 7. qui est De jure codicillorum, 1. Codicillos facere. *Paul. ib.* 8. conficere. *Marcell. ib.* 19. scribere ad aliquem. *Julian. ib.* 2. Dare alicui aliquid per codicillos. *Martian. ib.* 6. legare codicillis. ℙ In sing. numero. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 8, 18, 7. Aliquid alicui conferre testamento, legato, codicillo. Adde *ib.* 16, 5, 40.

CODĬCŪLA, ae, f. parva cauda. *Apic.* 7, 1. ubi alii *cuticula.*

*CODOMANNUS, i, m. Darius Codomannus Persarum rex, ab Alexandro M. superatus, Bessi manu vitam finivit. V. *Just.* 10, 3. et 11, 6. sqq. *Cic. Tusc.* 5, 34. et imprimis *Curt. B. A.*

*CODRĬO vel Codrion, onis, opp. Macedoniae. *Liv.* 36, 27. *B. A.*

CODRUS, i, m. ultimus rex Atheniensium, Melanthi filius, qui cum cives sui gravi bello a Lacedaemoniis premerentur, respondissetque oraculum: *Quorum dux ab hoste esset occisus, eos fore superiores*, deposita veste regia, in castra hostium perrupit, ibique interemptus est. *Hor. Od.* 3, 19, 2. et *Justin.* 2, 6. ℙ Fuit etiam Romae tempore Domitiani Codrus poeta malus, et pauperrimus, de quo *Juven.* 3, 203. et 208.

COEBUS. V. CUBUS.

*COELAE (Κοῖλαι, i. e. cavae), sc. insulae, prope Troadem sitae. *Plin.* 5, 21. *B. A.*

COELĒ, es, f. nomen Syriae: a κοίλη, *h. e.* cava. *Plin.* 5, 12, 13. ℙ Item ejusdem Syriae pars, quae et *Coelesyria* dicitur, a cavitate locorum, quoniam inter altissimos montes Libanum et Antilibanum depressa jacet. *Id. ib.* 20, 17. et *Liv.* 42, 29. et 45, 11., ubi habetur *in Coelen Syriam processit.* Adde *Inscr.* ap. *Fabrett. c.* 10. *n.* 215. ubi praesidi Syriae Coeles. ℙ Latina positione est *Coela, ae.* Hinc *Euboeae Coela* ap. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 10. est sinus Euboeae insulae.

COELEBS cum derivatis. V. CAELEBS.

COĒLĒMENTĀTUS, a, um, adj. ex elementis compositus. Est *Tertull. adv. Valent.* 23.

*COELERĪNI, orum, pop. Hisp. Tarracon., Bracaris vicini, Gallaecis pertinentes. Eorum caput Coeliobriga, teste Ptolemaeo. *Plin.* 3, 3. *B. A.*

[COELĒTAE, arum, m. plur. populi Coelam incolentes, urbem Chersonesi Thraciae, in cujus nummis apud *Sestin. Class. gen.* p. 33. AELMUNIC. COELA. *Liv.* 38, 40. Thracum decem haud amplius millia ex quatuor populis, Astii, et Coeni, et Maduateni et Coeletae. *F.*]

COELĬACUS, a, um, adj. κοιλιακός. *Coeliacus morbus* dicitur, qui in ipsius ventriculi porta, qua intestinis jungitur, consistit. Sub hoc venter indurescit, dolorque ejus est: alvus nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit: extremae partes frigescunt: difficulter spiritus redditur. Ita *Cels.* 4, 12. describit, sed ipsam vocem Graece usurpat. Sunt tamen aliae hujus morbi species, de quibus medicos consule. Est a κοιλία, alvus. *Cato R. R.* 125. Coeliacus dolor. ℙ Hinc *Coeliaca medicamenta*, quae contra hunc morbum dantur. *Plin.* 20, 18, 76. Medicinae pepticae, et coeliacae. ℙ *Coeliacus* etiam dicitur, qui tali morbo laborat. *Scrib. Compos.* 95. Facit hoc medicamentum ad coeliacos, qui subito universa dejiciunt. *Plin.* 28, 14, 58. Coeliacis, et disentericis medetur jecur vaccinum. *Id.* 30, 7, 19. Coeliacorum dolores mulcere. *Varr. R. R.* 3, 16. *a med.* Apes coeliacas fieri.

COELĬĀNUS, a, um, adj. ad Coelium pertinens. *Cic. Att.* 10, 12. Fortuna velim meliore, animo Coeliano. *Varr. L. L.* 4, 8. Coelianos vocat socios Coelii Vibenni, de quo V. in COELIUS.

COELĬCŪLUS. V. COELIOLUS.

COELĪMONTĀNUS, a, um, adj. ad Coelimontium pertinens, ut *Coelimontana porta*, quae Romae fuit prope Coelimontium. *Cic. Pis.* 23. ℙ Etiam *Coelimontanus* scribitur, cognomen Sp. Verginii Tricosti consulis an. U. C. 298. in *Nuovi Framm. dei Fasti Consol. Capitol. illustr. da Bart. Borghesi P.* 1. p. 61.

COELĪMONTĬUM, ii, n. secunda regio urbis Romae, quae tota fere Coelio monte continebatur. P. *Vict. Reg. Urb. R.*

*COELĪNA, ae, vetus opp. Venetorum, in Istria. *Plin.* 3, 19. *B. A.*

*COELĪNUS, a, um, ad Coelium opp. spectans. *Frontin. de Colon.* V. *Celia. B. A.*

COELĬOLUS, i, m. locus Romae prope Coelium montem, quo traducti fuerunt quidam ex sociis Coelii Vibennae, ut ibi habitarent. *Varr. L. L.* 4, 8. ℙ Ap. *Cic. Har. resp.* 15. legitur *Coeliculus.*

COELĬOTĬCA Medicamenta, κοιλιωτικά, dicuntur, quae ventrem purgant: a κοιλία, alvus. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 5.

*COELIUM, i, n. Apuliae opp. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

COELĬUS, ii, m. nomen propr. R. ut *M. Coelius Rufus*, pro quo exstat *Ciceronis* oratio. ℙ *Coelius mons* Romae in regione urbis secunda, dictus et primo *Querquetulanus*, quod multa quercu esset consitus: postea Coelius a Coele Vibenna, seu Coelio Vibenno, qui dux gentis Etruscae, cum in auxilium Romuli venisset contra Sabinos, sedem eam acceperat. *Varr. L. L.* 4, 8., *Tac. A.* 4, 65. et *Fest.* ℙ Additus fuit Urbi a Tullo Hostilio, qui in eo quoque habitavit. *Liv.* 1, 30. At *Cic. De rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 18. Idem Ancus Marcius Aventinum, et Coelium montem adjunxit Urbi. ℙ Coelius Aurelianus medicus Afer, e Sicca Numidiae oppido, vixisse creditur a quibusdam circa

Galeni tempora, hoc est saeculo Christi II., ab aliis post saeculum IV. Scripta ejus, ut Afri hominis, a nitore ac puritate Romani sermonis longe absunt, sordidioribus passim aspersa vocibus, et Graecis saepissime immixtis referta, ut non modo nihil ex ejus lectione proficere possit Latine sciendi studiosus, verum et labem contrahere, si nimis diu immorari voluerit. ℙ *L. Coelius Antipater*, historicus Latinus, idemque jurisperitus, vixit temporibus Gracchorum, ut est ap. *Val. Max.* 1, 7. *n.* 6., scripsitque historiam belli Punici, teste *Cic. Or.* 69. Ejus fragmenta nobis servarunt *Gell.*, *Charis.*, *Fest.*, *Non.* et alii. ℙ Scribitur et *Coelius* per *ae:* sed pro *oe* stant *Manut.*, *Dausq.* et *Cellar.* ex nummis, marmorib. et antiquis libb. Quamquam et *ae* in quibusdam lapidibus reperiatur, ut proinde damnari omnino non possit. Ita nempe scribitur in oratione Claudii Imper. ap. *Grut.* p. 502.

COELO, as. V. CAELO.

*COELOS, i, *Κοῖλος λιμήν*, portus Hellesponti, in Chersoneso Thraciae. *Plin.* 4, 11. *Mela* 2, 2. p. m. *B. A.*

COELUM cum derivatis. V. CAELUM.

COEMENDATUS, a, um, part. ab inusit. *coemendo*, emendatus, correctus. *Arnob.* 2. p. 56. Parvulus concinnavit scientiolas, et ad unum exitum temporibus plurimis coemendata perduxit.

COEMĒTĒRĬUM, ii, n. *κοιμητήριον*, Graece significat locum ad dormiendum destinatum: a *κοιμάω*, dormio: item in quo sepulta jacent mortuorum corpora. In posteriori hac significatione adhibetur a *Tertull. Anim.* 51. et *Hieron. Script. Eccles. de S. Ignatio.*

COĒMO, is, a. 3. *συνωνέομαι*, *συναγοράζω*, simul emo. Dicitur enim fere, cum res plures simul emuntur. [*Zusammenkaufen, aufkaufen.] *Cic. Verr.* 2, 4, 59. *ad f.* Quae tum non modo venditabant, verum etiam coemebant. *Id. Fam.* 15, 19. Sulla omnia bona coemit. *Caes. B. G.* 1, 3. Jumentorum, et carrorum quam maximum numerum coemere. Adde *Ter. Ad.* 2, 2, 17., *Petr. Sat.* 112., *Hor. Sat.* 1, 2, 9. et *Suet. Vesp.* 16. ℙ Pro conducere quidam leg. ap. *Eund. ib.* 18. Poetas, nec non et artifices coemit, item Colossi refertorem magna mercede donavit. *Graevius* aliique interpretes legendum probarunt *Coae Veneris* pro *coemit.* ℙ Part. *Coemundus* ap. *Donat.* in *Vita Virg. n.* 1. Silvis coemundis et apibus curandis reculam auxit.

COEMPTĬO, onis, f. actus coemendi. *Cic. Mur.* 12. Horum ingenio senes ad coemptiones faciendas, interimendorum sacrorum causa, reperti sunt. V. v. seq. ℙ Est et ratio quaedam matrimonii ineundi, quae *coemptio* appellabatur. Ea se uxor, et maritus invicem coemebant per formulas illas: *Vis ne mihi esse materfamilias? Vis ne mihi esse paterfamilias?* Differt ab *usu* et *confarreatione*, quae duo praeterea matrimonii genera fuere. Coemptionis faciendae ratio haec erat, *Varrone* auctore ap. *Non.* 12, 50. Mulier nubens tres ad virum asses ferre solebat, atque unum quidem, quem manu tenebat, tanquam emendi causa marito dabat; alium, quem in pede habebat, ponebat in foco Larium familiarium, tertium in sacciperio cum condidisset, compito vicinali solebat resignare; atque hoc pacto dicebatur in potestatem mariti venire. Addit *Serv.* ad *A.* 4, 103. adhibitum fuisse ignem et aquam, duo nempe maxime necessaria elementa. *Cic. Flacc.* 34. In manum, inquit, convenerat. Nunc audio: sed quaero, usu, an coemptione? usu non potuit, etc. coemptione? omnibus ergo auctoribus. *Id. Or.* 1, 56. Neque illud est mirandum, qui, quibus verbis coemptio fiat, nesciat, eundem ejus mulieris, quae coemptionem fecerit, causam posse defendere. Adde *Mur.* 12. ℙ Ap. *Boeth. de consol. Philos. pros.* 4. dicitur *coemptio*, quod Graece *μοιοπώλιον.*

COEMPTĬONĀLIS, le, adj. Coemptionalis senex, ap. *Pl. Bacch.* 4, 9, 52. et *Curium* ad *Cic. Fam.* 7, 29. dicitur senex nullius pretii, nulliusque usus, nisi ad coemptiones faciendas. Est enim ille *Coemptionalis senex* ap. JCtos, qui ex veteri more condendi testamenti per aes et libram, ementi hereditatem accedebat, et familiae sacra in se transferebat, ut secum commorerentur, et sic heres ab hoc onere liber esset. Sacra enim privata, ex lege XII. Tab. perpetua esse debebant, et ad heredes transire. Itaque ficticia quadam venditione in pauperrimos senes transferebantur, quibus nulli essent heredes. Hi porro *coemptionem facere* dicebantur, *h. e.* simul emere hereditatis jura. Nisi malis dicere, non a testatore, sed ab herede ipso post aditam hereditatem comparatum esse senem, cui ficticia mancipatione hereditatem traderet, et a quo rursus nova stipulatione illam redimeret. Quo fiebat, ut a sacrorum onere liber esset, quippe qui non hereditatis, sed emptionis titulo possidebat. *Cic. Mur.* 12. Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio senes ad coemptiones faciendas, interimendorum sacrorum causa, reperti sunt. *J. F. Gronovius de pec. vet.* 4, 8. contendit, *senem coemptionalem* ap. *Plautum* et *Curium* esse illum, qui solus vendi nequit, sed inter rejicula mancipia confertur, ut gregatim vendatur.

COEMPTĬONĀTOR. V. v. seq.

COEMPTOR et Coemtor, oris, m. *Appul. Apol.* Testium coemptor. *Juven.* 14, 293. Frumenti dominus, piperisque coemptionem facit. *Ulp. lib. regular. tit.* 11. *De tutelis n.* 5. Qui liberum caput mancipatum sibi vel a parente, vel a coemptore manumisit. Al. leg. *coemptionatore.* Ita profecto legitur apud *Cajum Instit.* 1. (edente *Goeschenio*) §. 115. 118. et 165. Quia liberum caput mancipatum nobis vel a parente, vel a coemptionatore manumiserimus. Ex quo liquet, verba *Ulpiani* nuperrime allata ex hoc *Caji* loco esse desumpta.

COEMPTUS et Coemtus, a, um, part. a *coemo*, *συνωνηθείς*, emptus, vel simul emptus. *Caes. B. G.* 7, 55. Magnus numerus equorum in Italia coemptorum. *Hor. Sat.* 2, 3, 245. Luscinias prandere coemptas. *Id. Od.* 1, 29, 13. Libri undique coempti.

COENA et Cena, ae, f. *δεῖπνον*, epulum, convivium, cibus: a *θοίνη*, epulum, convivium: vel a *κοινός*, communis, ut proprie significet epulationem multorum simul vescentium. *Isid. Orig.* 20, 2. Coena vocatur a communione vescentium: *κοινὸν* quippe Graeci commune dicunt. Fuit apud Latinos ordinaria, et, ut ita dicam, legitima post elapsum diei dimidium, aut ad vesperam. Prandium vero iis fuit (saltem primis temporibus) cibus matutinus. V. PRANDIUM et TEMPESTIVUS. *Cic. Tusc.* 5, 34. Negavit, se illo jure nigro, quod coenae caput erat, delectatum. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 6. Venit ad nos Cicero tuus ad coenam. *Id. Rosc. Am.* 35. Redire a coena. *Id. Fam.* 9, 24. Itare ad coenas. *Id. Att.* 9, 13. *ad f.* Obire coenas. *Pl. Aul.* 2, 7, 3. et *Nep. Cim.* 4. Coenam coquere. *Ter. Heaut.* 1, 1, 74. apparare. *Pl. Poen.* 5, 3, 32. curare. *Gell.* 2, 24. instruere pomis, et oleribus. *Ter. Andr.* 2, 2, 32. Ferre alicui pisciculos in coenam. *Suet. Aug.* 74. Praebere coenam ternis ferculis. *Cic. Att.* 6, 3. *ad f.* Vocare aliquem ad coenam. *Id. Fam.* 7, 9. invitare. *Id. Rosc. Am.* 21. *in f.* Imperare coenam puero. *Id. Att.* 9, 13. et *Fam.* 9, 24. Facere coenas, *h. e.* celebrare, inire. *Plin. ep.* 7, 3. Facere coenam alicui, *h. e.* parare, curare, dare. *Suet. Tib.* 42. condicere. (V. CONDICO.) *Id. Galb.* 12. et *Plin. ep.* 3, 1. apponere lautiorem. *Cic. Fam.* 9, 20. et *Pl. Capt.* 4, 4. 2. dare alicui. *Suet. Claud.* 32. et *Plin. ep.* 6, 31. Adhibere aliquem coenae. *Suet. Tib.* 56. Super coenam proponere quaestiones, *h. e.* inter coenandum. Eod. sensu *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 6. Haec inter coenam Tironi dictavi. *Plin. ep.* 1, 15. Promittere alicui ad coenam, *h. e.* se iturum ad coenam. [*Ter. Eun.* 3, 2, 6. Eamus ergo ad coenam. *Id. Heaut.* 1, 2, 9. Abduxi ad coenam. *Hor. Sat.* 1, 5, 70. Producere coenam. *Cic. Fam.* Coenam quaerere a mane. *Ter. Heaut.* 1, 2, 37. Videam nobis coenae quid siet.] *Pl. Trin.* 2, 4, 69. Apposita sit coena, popularem quam vocant, *h. e.* epulum, quod populo datur. Idem fortasse significat *coena libera* ap. *Petr. Sat.* 26. *Burm.* ℙ *Facere aliquid in coenam*, h. e. coquere, et condire coenae causa. *Petr. fragm. Tragur.* 47. *Burm.* Quem ex eis, (*porcis*) vultis in coenam fieri? *Val. Max.* 8, 1. *n.* 8. Rogatus, ut omasum in coenam fieri juberet. ℙ Fercula *ante coenam* sunt, quae principio coenae inferuntur; quae vero deinde apponuntur, *in coena* appellantur. *Metellus* ap. *Macr. Sat.* 2, 9. Coena haec fuit: Ante coenam echinos, ostreas, peloridas, turdum, asparagos, etc. In coena sumen, sinciput aprugnum, patinam piscium, etc. V. *Hor. Sat.* 2, 8., *Plin. ep.* 1, 15., *Mart.* 11, 53. et *Juvenal* 5. et 11., qui coenarum Romanarum apparatum, et fercula describunt. ℙ Prima, altera, tertia coena, ap. *Martial.* 11, 31. sunt prima, secunda, tertia coenae fercula. ℙ De coena *adventicia*, *dubia*, *recta*, *tempestiva*, etc. V. ADVENTICIUS, DUBIUS, RECTUS, TEMPESTIVUS. ℙ *Fest.* docet, ab antiquis *coenam* dictam esse, quod nunc est prandium; et *vespernam*, quam nunc coenam appellamus. Et in littera *V.* tradit, *vespernae* vocem a *Plauto* usurpatam fuisse. ℙ In illo *Plinii* 12, 1, 5. Quam coenam appellavit ille nidum: coena ponitur pro loco, in quo coenatur. V. integrum loc. ℙ *Coena comesa venisse*, proverbio dicitur qui sero, et re confecta advenit. *Varr. R. R.* 1, 2. ℙ *Coena* scribitur etiam cum diphthongo *ae*, *caena*, et rectius sine diphthongo, *cena.* Pro prima scriptione stat *Isid.*, cujus locum supra attulimus, et *Inscr.* ap. *Dausq.*, in qua ipse legit *coenarent.* Secundam habet *Festus*, et *Inscr.* ap. *Spon. Miscell.* p. 292., in qua *caenaculo* scriptum est. Tertiam denique plurimis adductis maximae auctoritatis exemplis unice veram probavit *Marin. Frat. Arv.* p. 287., qui *ib.* affirmat, in *Inscr.* a *Dausquio* allata, et Spoleti adhuc exstante, non *coenarent*, sed *cenarent* suismet oculis vidisse; in *Inscr.* vero, in qua *caenaculo* legit *Sponius*, quisque *cenaculo* legat necesse esse, cum ipsa apud Lirim amnem adhuc exstet, atque ita ediderit *Manutius.* Porro *Festus* in *Poesnis* docet, antiquos *caesnas* dixisse pro *caenas.*

[COENĀCELLUM et Caenacellum, i, n. diminut. coenaculi. *Not. Tir.* p. 149. Caenaculum, coenacellum. *F.*]

COENĀCŪLĀRĬUS et Cenacularĭus, a, um, adj. ad coenaculum pertinens. *Coenacularĭam exercere* apud *Ulp. Dig.* 9, 3, 5. dicitur is, qui coenacula conducit, ut aliis cum lucro locet. *Coenacularius, ii*, est, qui coenaculum conduxit. *Id. Dig.* 13, 7, 11.

COENĀCŪLUM et Cenaculum, i, n. *Varr. L. L.* 4, 33. *sub f.* Ubi cubabant, cubiculum; ubi coenabant, coenaculum vocitabant. Posteaquam in superiore parte coenitare coeperunt, superioris domus universa, coenacula dicta. Haec *Varro.* Itaque in hac posteriori significatione fere adhibetur, *ὑπερῷον.* Hinc *Fest.* Coenacula dicuntur, ad quae scalis ascenditur. *Liv.* 39, 14. Hispalae coenaculum super aedes datum est, scalis ferentibus in publicum obseratis, aditu in aedes verso. ℙ Creberrimae erant Romae aedes cum coenaculis. Nam cum crevisset in immensum populi multitudo, omnesque jam areae aedificiis occupatae essent, id unum reliquum fuit, ut ipsae aedes in magnas altitudines additis contignationibus extollerentur, ut narrat *Vitr.* 2, 8. *ad f.* Hinc *Cic. Agr.* 2, 35. Roma in montibus posita, et convallibus, coenaculis sublata atque suspensa. ℙ Hujusmodi coenacula in diversa cubicula distincta solebant locari pauperibus. Nam ditiores in planis aedium habitabant, ut commodioribus. Hinc *Hor. Ep.* 1, 1, 91. Quid pauper! viden', ut mutat coenacula, lectos etc.? *Juven.* 10, 17. egregias Lateranorum obsidet aedes Tota cohors: rarus venit in coenacula miles. *Suet. Vitell.* 7. Meritorium coenaculum. ℙ Coenaculum etiam vocatum fuit pars superior in Circo tecta porticu. *Suet. Aug.* 45. Ipse Circenses ex amicorum fere libertorumque cenaculis spectabat. V. plura hac super re apud *Morcell. De stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 420. *edit. Patav.* ℙ Translate *Enn.* apud *Tert. adv. Valent.* 7. Coenacula maxima coeli, *h. e.* superioris coeli partes. ℙ Quod in quibusdam inscriptionibus monumentorum legitur coenaculum sepulcro adjunctum, putat *Spon. Miscell.* p. 292. esse locum, in quo daretur coena, seu epulum ex testamento defuncti.

COENĀTĬCUS et Cenaticus, a, um, adj. ad coenam pertinens. *Pl. Capt.* 3, 1, 36. Est illic mihi una spes coenatica, *h. e.* coenandi. ℙ *Cenaticum*, *i*, n. est pecunia, quae pro coena dabatur. *Inscr.* apud *Fabrett.* p. 171. *n.* XXXIII. C. Julius Aug. L. Narcissus cenaticum dedit sacerdotibus, et honorariis, et decurionibus duplum. ℙ *Coenatica, orum*, in *Cod. Justin.* 12, 38, 3. erant genus exactionis, quod milites solebant a provincialibus exigere quasi pro coena.

COENĀTĬO et Cenatio, onis, f. locus, in quo coenatur. Differt a triclinio, ut patet ex *Plin. ep.* 2, 17. et *ep.* 5, 6. Utrobique enim coenationem, et triclinium diversis in locis nominat. Item ex *Serv.* ad *A.* 1, 702., ubi negat haec duo idem esse. Unum autem discrimen in eo videtur esse, quod triclinium est tantummodo is locus, in quo lecti tricliniares sternuntur: coenatio vero latius patet, et eum quoque locum significat, in quo stibadium, seu sigma ad accumbendum adhibebatur. Aliud, quod coenatio in summa parte aedium fuit, triclinium non item: item coenatio angustior et domesticorum, triclinium amplius et excipiendis hospitibus. Aliae fortasse differentiae erui poterunt ex locis Scriptorum, quos subteximus, in quibus coenationum mentio fit. *Petr. fr. Trag.* 77. *Burm.*, *Senec. Prov.* 4., *Cons. ad Helv.* 9., *ep.* 90. et 95. et 4. *Quaest. nat.* 13., *Plin.* 36, 7, 12., *Suet. Ner.* 31., *Colum.* 1, 6., *Juven.* 7, 181. et *Martial.* 2, 59.

COENATĬUNCŪLA, ae, f. parva coenatio. *Plin. ep.* 4, 30. Fons oritur in monte, per saxa decurrit, excipitur coenatiuncula manufacta. Et *Not. Tir.* p. 166. Coenatiuncula.

*COENATOR, oris, m. *Gloss. Gr. Lat.* *δειπνητής*, Coenator. *B. A.*

COENATŌRĬUS et Cenatorius, a, um, adj. ad coenandum pertinens. *Capitol. Maxim. jun.* 4. Vestis coenatoria. *Sidon. ep.* 2, 9. *ad f.* fames. ℙ *Coenatoria, orum*, sunt coenatoriae vestes. *Petr. Sat.* 21. Lassitudine abjecta coenatoria repetimus. *Martial.* 10, 87. Coenatoria mittat advocato. Adde *eund.* 14, 135. *in lemmate* et *Pomp. Dig.* 32, 2, 34. ℙ *Cenatorium, ii*, n. absolute est etiam locus coenando factus, coenatio. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 533. Iovi Optimo Maximo Dolicheno Q. Publicius Modestinus cenatorium pecunia sua fecit. In *Not. Tir.* p. 166. Caenatorium, caenatio. *Gloss. Cyrilli* Cenatorium, *οἴκημα*, *δειπνητήριον.*

COENĀTŪRĬO et Cenaturio, is, a. 4. *δειπνήσειω*, cupio coenare. *Mart.* 11, 77. Coenaturit Vacerra, non cacaturit.

COENĀTUS et Cenatus, a, um, part. vocis passivae, significationis activae, qui coenavit. *Cic. Dejot.* 7. Cur te lotum voluerit, coenatum noluerit occidere? *Id. Div.* 1, 27. Qui ut coenati quiescerent, concubia nocte etc. *Id. Att.* 2, 16. Coenato mihi, et jam dormitanti epistola est illa reddita. *Sall. Jug.* 114. Statim milites coenatos esse jubet. Adde *Hor. Sat.* 1, 10, 61. et *Varr.*

ap. *Non.* 2, 195. ℙ Coenatae noctes apud *Pl. Truc.* 2, 2, 24. sunt, quae laute coenando traducuntur.

COENĪTO, et Cenito, as, a. 1. frequent. a *coeno, as. Cic. Fam.* 7, 16. Ego si foris coenitarem, Cn. Octavio non defuissem. *Id. ib.* 9, 7, et 16. *ad f.* Coenitare apud aliquem. *Appul. Met.* 9. *init.* Sacrificales epulas cum sacerdotibus coenitabat. ℙ Passive impersonaliter. *Macr. Sat.* 2, 13. Ut patentibus januis pransitaretur, et coenitaretur.

COENO, et Ceno, as, avi, atum, a. 1. δειπνέω, coenam sumo. *Cels.* 1, 3. *post med.* Qui vomuit, si mane id fecit, ambulare debet, tum ungi, deinde coenare. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 6. Cum Pomponia foris coenaret. *Id. Fam.* 1, 2. Eo die casu apud Pompejum coenavi. *Hor. Ep.* 1, 7, 70. cum aliquo. *Lucil.* ap. *Cic. Fin.* 2, 8. Coenasti in vita nunquam bene. *Cic. ib.* Coenare libenter. *Pl. Cas.* 3, 6, 19. lepide nitideque. *Gell.* 19, 7. ad aliquem, *h. e.* apud aliquem. ℙ Passive impersonaliter. *Nep. Att.* 14. Neque unquam sine aliqua lectione apud eum coenatum est. *Suet. Tib.* 42. Ut multis ministrantibus coenaretur. *Liv.* 2, 4. Cum coenatum apud Vitellios esset. Quaedam editiones cum antiquis A. 1470. et 1480 habent: *Cum coenati apud Vitellios essent:* ex qua lectione docent nonnulli, aeque recte dici *coenatus sum* in praeterito, ac *coenavi:* quod et *Varro* admittit ap. *Gell.* 2, 25. ℙ De particip. *coenatus*, V. v. praec. ℙ Saepe habet post se accusativum, et significat in coena comedere. *Hor. Ep.* 1, 18, 48. Coenare pulmenta laboribus empta. *Id. Sat.* 2. 3, 134. aprum. *Id. Ep.* 1, 5, 2. olus. *Pl. Rud.* 2, 6, 24. Scelestiorem coenam coenavi tuam, quam quae Thyestae quondam posita est. *Appul. Met.* 4. Saliares se coenasse coenas crederet. *Plin.* 10, 51, 72. Coenare summas rerum naturae opes, *h. e.* in coena absumere. *Id.* 24, 1, 1. Cum remedia vera quotidie pauperrimus quisque coenet. *scil.* herbas comedendo. ℙ Translate. *Pl.* 5, 2, 86. Ecastor coenabis hodie, ut dignum est, magnum malum. *Suet. Aug.* 70. Dum nova Divorum coenat adulteria, *h. e.* inter coenandum adulteria committit cum feminis Dearum habitu sedentibus. ℙ Part. *Coenans* ap. *Hor. Sat.* 2, 8, 18. Sed queis coenantibus una. *Coenaturus* ap. *Cic. Att.* 15, 52. Triclinium, ubi coenaturus ipse Caesar esset. *Coenandus* ap. *Pers.* 5, 9. olla saepe insulso coenanda Glyconi. ℙ De ratione scribendi, V. COENA.

COENOBĪTA, ae, m. Coenobitae dicuntur, qui in eodem simul loco sub iisdem legibus vivunt, quales sunt quos hodie *Fratres* appellamus: de quibus multa *August.* 1, *Mor. Eccles. Cathol.* 31. Est autem Graeca vox a κοινὸς, communis, et βίος, vita. *Hieron. ep.* 22. *n.* 34. et 35.

COENOBĬUM, ii, n. κοινόβιον. Graeca vox est, et proprie significat vitae societatem, et communitatem: a κοινὸς, communis, et βίος, vita. Sed accipitur etiam pro loco, in quo simul vivunt, qui *Coenobitae* dicuntur. *Hieron. ep.* 22. *n.* 36.

[COENOMYIA, ae, f. quadrisyllab. κοινόμυια. *Hieron. ep.* 106. *n.* 86. Κοινόμυια, non, ut Latini interpretati sunt, *musca canina*, dicitur per *v* Graecam litteram; sed juxta Hebraicam intelligentiam per διφθογγον debet scribi οι, ut sit κοινόμυια, id est, *omne muscarum genus. Id. in Isaj.* 3, 7, 10. Misit Dominus ranas, locustas, ciniphes, et coenomyiam. *Vulg. Interpr. psalm.* 77. *v.* 45. Misit in eos coenomyiam. *F.*]

[COENON, i, n. κοινὸν, collyrii genus. *Tochôn, cachets des oculistes* p. 63. Hypni coenon ad claritatem. *Id. ib.* p. 62. P. Aelii Theophiletis coenon ad claritatem. *F.*]

COENOPUS. V. CHAENOPUS.

COENOSĪTAS, atis, f. locus coenosus. *Fulgent. in Contin. Virgil.* p. 156. *Munk.* In temporales gurgitis coenositates, morumque faeculentias transit.

COENOSUS, a, um, adj. βορβορώδης, plenus coeno. *Juven.* 3, 266. Coenosus gurges. *Colum.* 7, 10. lacus. *Sol.* 49. *ad f.* Coenosior liquor.

COENŬLA, et Cenula, ae, f. δειπνάριον, diminut. coenae. *Cic. Tusc.* 5, 32. Hesterna coenula non intellexistis, me pecunia non egere? Adde *Fam.* 9, 24. et *Varr.* ap. *Non.* 1, 6.

COENŬLENTUS, a, um, adj. coeno conspersus. *Tert. Pall.* 4. *a med.* Coenulenti pedes.

COENUM, i, n. βόρβορος, lutum, sordes: a κοινὸν, sordidum. Est enim proprie variarum sordium collectio. In quo differt a *luto*, quod sola aqua et terra constat. Unde *Paul. Dig.* 47, 11, 1. Si quis aliquem coeno, luto oblinierit. [*A *cunire*, i. e. stercus facere, deducendum est coenum. Nam κοινὸς de rebus sordidis, obscoenis nonnisi per euphemismum dicitur, cujus ne vestigium quidem refert *coenum*, ubique putidi, spurci quid significans. Quo differt etiam a *luto* et *limo*, quibus proprie res, ut *calx*, *argilla*, per se nihil fastidiosi continentes, denotari solent. *Döderl.* 2, 37. sq.] ℙ Sed et promiscue usurpatur. *Cic. Tusc.* 4, 24. Male olere omne coenum. *Id. Verr.* 2, 5, 68. Oblitus coeno. *Pl. Poen.* 4, 2, 4. collitus. [**Ov. Met.* 1, 418. Postquam vetus humor ab igne Percaluit solis, coenumque udaeque paludes Intumuere aestu.] *Hor. Sat.* 2, 7, 27. cupiens evellere plantam. *Pl. Bacch.* 3, 1, 17. Ex lutulento coeno elicere aliquem. *Tac. A.* 1, 63. Loca tenacia gravi coeno. *Curt.* 3, 13. Demergi in coenum. *Lucr.* 6, 978. Volvi in coeno. *Lact.* 6, 23. Immergere se coeno. *Cic. fr.* ap. *eund.* 3, 19. Jacere in coeno. *Plin.* 31, 3, 22. Damnantur fontes, qui coenum faciunt. [**Curt.* 4, 3, 25. Clypeos vero aereos multo igne torrebant, quos repletos fervida arena coenoque decocto e muris subito devolvebant, i. e. pulte materiae varii generis, e. colei ferventis, piccis, sulphuris, bituminis, plumbi fluentis etc., quibus uti solebant obsessi ad depellendos hostes.] ℙ Allegorice. *Lucr.* 3, 77. Ipsi se in tenebris volvi, coenoque queruntur, *h. e.* humilem ac sordidam vitam ducere. ℙ Est etiam convicium in sordidum ac vitiosum hominem. *Cic. Dom.* 18. O coenum, o portentum, o scelus! *Id. Sext.* 8. *ad f.* Habeo quem opponam labi illi atque coeno. Adde *Pl. Pseus.* 1, 3, 132. et *Pers.* 3, 3, 3. ℙ Proverb. est illud *Lucil.* ap. *Non.* 2, 539. Mordicus petere aurum e flamma expediat, et coeno cibum. V. FLAMMA. ℙ Scribitur et *caenum* per *ae*. Sic enim legi in veterib. libris, et Virgilio Carpensi, testatur *Manut.* in *Orthogr.* Sed *Dausq.* alteram magis probat: frequentior certe est.

COĒO, is, ivi, et ii, ĭtum, n. 4. σύνειμι, συνήκω, simul eo, convenio, conjungor. *Lucr.* 3, 590. Concursare, coire, et dissultare vicissim. *Ov. Fast.* 3, 753. Millia crabronum coeunt, et vertice nudo Spicula defigunt. [**Id. Met.* 11, 24. Et coeunt, ut aves, si quando luce vagantem Noctis avem cernunt, i. e. undique confluunt. *Tac. A.* 16, 5. ut nomina ac vultus alacritatem, tristitiamque coeuntium scrutarentur. *Id. H.* 1, 28. Quae significatio coeuntium jam militum et paratae conjurationis convenerat. *Id. ib.* 2, 52. Ita trepidi et utrimque anxii coeunt. — *Ov. Met.* 8, 787. Neque enim Cereremque Famemque Fata coire sinunt, i. e. ut alimentorum copia et fames una sint.] *Tac. A.* 4, 69. Coire in aliquem locum. *Hor. Art. P.* 207. Coire aliquo. *Plin. ep.* 1, 5. Coimus in porticum Liviae, cum alter ad alterum tenderemus. [*Hinc de pugnantibus, qui densis ordinibus, orbe facto etc. proelium ineunt. *Virg. A.* 9, 801. Sed manus e castris propere coit in unum. *Curt.* 4, 15. *ad f.* Ergo haud secus quam in tenebris errabant, ad sonum notae vocis, ut signum, subinde coeuntes.] *Liv.* 6, 3. Neque se conglobandi coeundique in unum, aut arma capiendi datur spatium. *Caes. B. C.* 1, 75. Reliqui coeunt inter se, et repentino periculo exterriti, sinistras sagis involvunt, gladiosque distringunt. *Id. B. G.* 6, 21. Gentes quae simul coierunt. *Ov. Her.* 6, 123. Mille procis placui, qui me coiere querentes, Nescio quem thalamis praeposuisse suis, *h. e.* me convenerunt. [*Ita saepissime de matrimonio *Virg. A.* 7, 317. Hac gener atque socer coeant mercede suorum, i. e. conjungantur foedere et matrimonio Aeneae et Laviniae, ut recte explicat Heyne. *Ov. Met.* 4, 60. Taedae quoque jure coissent, i. e. matrimonium iniissent. Ita *Gierig.* qui Gr. συνέρχεσθαι comparat.] *Hor. Art. P.* 12. ut placidis coeant immitia. *Plin.* 11, 28, 34. Cornua bisulcis dentata forcipibus, cum libuit, ad morsum coeuntibus. [**Virg. A.* 11, 860. Donec curvata coirent Inter se capita, i. e. donec se invicem tangerent. *Ov. Met.* 4, 377. Sic ubi complexu coierunt membra tenaci, i. e. in unam formam conjuncta sunt. *Id. ib.* 2, 670. Tum digiti coëunt, i. e. coalescunt, interstitiis sublatis. De conjungendis tuguriorum cacuminibus. *Curt.* 7, 3, 9. Ad ultimum in carinae maxime modum coit.] *Cels.* 2, 8. Palpebrae dormientis non coeunt, sed album oculorum apparet [*i. e. non clauduntur.] (Sic *Val. Fl.* 3, 253. porta coit.) Et *ib.* si in magno abscessu multum puris coit. *Id. ib.* 10. Arteria incisa neque coit, neque sanescit. Sic *Ov. Trist.* 4, 4, 40. Rumpere vulnera coeuntia. Et *ib.* 5, 2, 9. spatioque suo coitura putavi Vulnera. *Plin.* 35, 15, 51. Bitumen spissatur, et in densitatem coit. Sic *Virg. A.* 3, 30. gelidusque coit formidine sanguis. [*Idem quod coerceri, claudi. *Ov. Met.* 5, 440. Est medium Cyanes et Pisaeae Arethusae, Quod coit angustis inclusum cornibus aequor, i. e. coercetur in angustum spatium. *Sil.* 1, 52. Coeuntibus ripis, i. e. coartatis, angustioribus factis.] ℙ *Coire societatem, collegium*, est inire, facere. *Martian. Dig.* 47, 22, 1. Ne sub praetextu hujus illicitum collegium coeant. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 3, 32. male sarta Gratia nequicquam coit, et rescinditur. *Prop.* 3, 13, 8. Vix memini nobis verba coisse decem, *h. e.* decem verba nos inter nos fecisse. *Senec. Hippol.* 1043. Ultima facies in monstrum coit, *h. e.* in monstri speciem componitur. ℙ Saepe significat convenire, societatem inire. *Ter. Eun.* 3, 4, 1. Heri aliquot adolescentuli coimus in Piraeeo, in hunc diem ut de symbolis essemus: locus, tempus constitutum est. *Cic. in Senat.* 7. Cum hoc coire ausus es, ut etc.? *paulo ante dixerat*, consociare consilia. *Virg. A.* 11, 292. Coire in foedera. *Suet. Aug.* 32. Plurimae factiones, titulo collegii novi, ad nullius non facinoris societatem coibant. [**Tac. A.* 12, 47. Mos est regibus, quoties in societatem coeant, implicare dextras.] ℙ Hoc sensu saepe dicimus *coire societatem* activo more. *Cic. Phil.* 2, 10. Utinam, Cn. Pompei, cum C. Caesare societatem aut nunquam coisses, aut nunquam diremisses! *Id. Rosc. Am.* 34. Si nullam societatem neque sceleris, neque praemii cum homine ullo coieras. *Id. ib.* 31. Coire societatem cum aliquo de aliqua re. *Paul. Dig.* 17, 2, 65. societatem in rem aliquam faciendam. ℙ Et passive *Cic. Rosc. Am.* 7. *in f.* Societas coitur. Adde *Gell.* 1, 9. *in f.* [**Tac. A.* 2, 65. Postulat, in eundem locum coiretur; posse de controversiis colloquio transigi.] ℙ De congressu animalium generationis causa, frequentissimum est. *Ov., Plin., Colum.* etc. [*Gr. κοιτωνεῖν.], imo et de venereo hominum congressu, ut ex sequentibus patet. *Ov. Her.* 4, 129. Nec quia privigno videar coitura noverca. *Curt.* 5, 1. Liberos, conjugesque cum hospitibus stupro coire. *Senec. Cons. ad Marc.* 17. Dionysius tyrannus arcesset ad libidinem mares, feminasque; et inter foedos regiae intemperantiae greges parum erit simul binis coire. ℙ Hoc sensu habet etiam dativum. *Ov. Her.* 4, 129. idque non solum de mare, sed etiam de femina, ut apud *Ov. ib.* ℙ De congressu pugnantium. *Virg. A.* 12, 708. genitos diversis partibus Orbis Inter se coiisse viros, et cernere ferro. [*Ita saepissime dicitur apud *Curt.* aliosque. De apibus ad pugnam se accingentibus. *Virg. G.* 4, 73. Tum trepidae inter se coeunt, pennisque coruscant, Spiculaque exacuunt rostris aptantque lacertos. De canibus, a quibus Actaeon laceratur. *Ov. Met.* 3, 236. Dominum retinentibus illis, Cetera turba coit, confertque in corpore dentes.] ℙ Hinc *coetus* ap. *Pl.* V. COETUS.

COEPI, isti, it, ἄρχομαι, verb. def. ab antiquo *coepio*, pro incipio. [*Differunt ita, ut *coepi* ad rem, quam quis ordiatur, pertineat; *incipio* magis initium rei notet ac majori quadam vi dicatur. Hinc saepius conjungi solent. *Cic. Verr.* 2, 5, 10. Quum autem ver esse coeperat. . . (sed quum rosam viderat, tum ver incipere arbitrabatur) dabat se labori atque itineribus. *Ov. A. A.* 1, 615. Saepe tamen vere coepit simulator amare, Saepe, quod incipiens finxerat esse, fuit. *Doederl.* 3, 159. sq.] Usurpatur solum in praeteritis perfectis, et plusquamperfectis, in futuris conjunctivi, et infinitivi, et in participiis in *rus*, et in *tus*: vel absolute. *Ov. Her.* 9, 23. Coepisti melius, quam desinis. *Quint.* 10, 1. Nos rite coepturi ab Homero videmur. [**Tac. H.* 2, 47. Civile bellum a Vitellio coepit. *Id. A.* 15, 54. Donec proditio coepit e domo Scevini.] *Pl. Cas.* 3, 5, 57. Cur ego non id perpetrem, quod coepi? *Lucr.* 5, 1415. Sic odium coepit glandis. *Enn.* ap. *Auct. ad Her.* 2, 22. Inde navis inchoandae exordium coepit. *Plin.* 16, 25, 41. Vere coepturo germinant. *Virg. A.* 1, 525. Hioneus placido sic pectore coepit, *h. e.* coepit loqui. [**Tac. H.* 1, 36. Pro vallo castrorum ita coepit] ℙ Vel cum infinito: quod est frequentissimum. *Cic. Att.* 1, 4. Si quando abundare coepero. *Prop.* 4, 4, 72. Hic primus coepit moenibus esse dies. *Virg. G.* 3, 237. Fluctus ut, in medio coepit cum albescere ponto. ℙ Cum infinitis passivis saepius adhibemus part. *coeptus*, *quam coepi. Nep. Epam.* 10. Postquam apud Cadmeam pugnari cum Lacedaemoniis coepit. Adde *Liv.* 26, 46. et *Plin.* 16, 44, 88. V. COEPTUS. [**Tac. H.* 1, 16. Loco libertatis erit, quod eligi coepimus. *Id. ib.* 3, 34. Occidi coepere.] ℙ Regit etiam accusativum, sicut *coepio*, a quo deducitur. *Sil.* 15, 420. dies, quo primum orsi Carthagines altae Fundamenta, novam coepere mapalibus urbem. ℙ Aliquando ita ponitur, ut redundare videatur. *Phaedr.* 1, 3. Male mulcatus graculus Redire moerens coepit ad proprium genus, *h. e.* rediit. *Just.* 14, 5. *ad f.* Cum prohiberi finibus coepisset, *h. e.* cum prohiberetur. *Id.* 4, 5. Tum Demosthenes censere coepit, *h. e.* censuit. ℙ Infinitivum *coepere* perrarum est. *Pl. Pers.* 1, 3, 41. Lubido extemplo coepere est convivium. ℙ Part *Coeptus* V. infra suo loco. ℙ De orthographia, non est dubium, quin per diphthongum *oe* scribendum sit. Ita enim fere in veterib. lapidib. et libris; testibus *Manut.* et *Cellar.* Accedit auctoritas grammaticorum, qui *coepi* a *coepio* hoc est incipio, deduci ajunt, et *cepi* a *capio*. Quod enim apud *Plaut.* legitur in *Merc.* 5, 2, 9. *Lora in manus coepi meas.* Et in *Poen.* 5, 5, 5. *Pignus coepi*: id inconstantiae editionum, et MSS. tribuendum est. In *Monum. Ancyr.* habetur *opera coepta*. Sed hoc exemplum fortasse unicum est.

COEPĬO, is, a. 3. ἄρχομαι, incipio. Verbum est antiquum, minusque usitatum, quam *coepi*, *isti*. Reperitur tamen ap. *Pl.* non semel, ut *Men.* 5, 5, 57. Neque ego pugnas, neque lites coepio. Et *Truc.* 2, 1, 23. Ubi nihil habeat, alium quaestum coepiat. Et *Pers.* 1, 3, 41. Lubido extemplo coepere est convivium. Et *Cato* ap. *Fest.* Coepiam seditiosa verba loqui. Et *Ter. Adelph.* 3, 4, 33. Prius olfecissem, quam ille quidquam coeperet. Ita hic legit *Prisc.* 10, 879. Alii *coeperit*. Adde *Caecil.* ap. *Non.* 2, 159.

CŌĒPISCŌPUS, i, m. qui simul cum alio ejusdem loci, aut provinciae episcopus est. *Hieron. adv. Lucif.* 9., *August. ep.* 3. *extr.*, *Sidon. ep.* 4, 25. et *Justin. Cod.* 1, 1. *sub f.* Adde *Paul. Nol. ep.* 7, (al. 46.) 2. ubi sumitur pro coadjutore episcopi.

COEPTĀTUS, a, um, part. a *coepto*, inchoatus. *Tac. H.* 4, 44. Patres coeptatam libertatem, postquam obviam itum, omisere.

COEPTO, as, a. 1. incipio. Frequentativum est a *coepi*, sed idem fere significat. *Cic. Fin.* 5, 9. Animal coeptat ea, quae naturae apta sentit, appetere. *Lucr.* 1, 267. ne coeptes diffidere dictis. *Tac. H.* 2, 29. Valens coercere seditionem coeptabat. *Solin.* 1. Roma condita est Olympiade septima coeptante. *Ammian.* 20, 4. Coeptante nocte. ℙ Cum accusativo. *Ter. Phorm.* 4, 3, 21. Quid hic coeptat? *Tac. A.* 2, 81. Coeptare seditionem. *Id. H.* 3, 70. hostilia. Et *ib.* 73. fugam. ℙ Particip. *Coeptandus* ap. *Liv.* 20, 12. Ad rebellionem coeptandam.

COEPTUM, i, n. ἀρχή, principium. *Ov. Met.* 1, 2. Dii coeptis aspirate meis. *Id. ib.* 8, 67. Coepta placent. *Id. Trist.* 2, 555. manus ultima coepto Defuit. *Liv.* 23, 35. *ad f.* Coepta enuntiare. Et *ib.* 41. impedire. *Senec. Theb.* 103. Desistere coepto. *Sil.* 16, 224. vanique absistere coepti Spe jubet. *Suet. Ner.* 34. Coeptorum exitum opperiri.

COEPTUS, a, um, part. a *coepi*. Ponitur pro ipso activo praeterito *coepi*, et jungitur cum infinitis passivis. *Cic. Divin.* 2, 2. *ad f.* Quoniam de republica consuli coepti sumus. *Id. Or.* 1, 37. Ante petita est pecunia, quam esset coepta deberi. *Pl. Men.* 5, 1, 18. Coepta est appellari canis. *Nep. Annib.* 21. Vasa fictilia in naves conjici coepta sunt. *Caes. B. G.* 1, 6. Undique in murum lapides conjici coepti sunt. Et *ib.* 4, 18. Materia coepta erat comportari. Et *ib.* Pons institui coeptus est. *Auct. B. Hisp.* 15. Insequenti tempore pro muro pugnari coeptum est. ℙ Adjective, *Sall. Jug.* 24. Bellum coeptum, et patratum. *Ov. Fast.* 4, 16. Opus coeptum perficere. *Tac. A.* 1, 65. Coepta luce. Et *ib.* 12, 31. Coepta hieme. *Id. ib.* 50. Romanus propero agmine limitem a Tiberio coeptum scindit, *h. e.* institutum, factum.

COEPTUS, us, m. idem quod coeptum. *Cic. Fin.* 4, 15. Primos suos quasi coeptus appetendi fuisse, ut se conservaret, etc. *Stat. Theb.* 12, 643. dignas insumite mentes Coeptibus.

COĒPŬLONUS, i, m. qui simul epulatur. *Pl. Pers.* 1, 3, 20. Te coepulonus compellat tuus.

COĒQUĪTO, as, simul equito. Adstruunt quidam ex *Liv.* 37, 18. *in f.* Coequitaverant autem sex millia equitum, etc. sed plerique leg. *cum equitatu: erant autem* etc.

[COERĀNUS, i, m. χοίρανος, princeps, dux. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* CLXXVIII. P. Aelius Coeranus. *F.*]

COERĀRE, pro *curare*, in edicto aedilium ap. *Gell.* 4, 2. et in veteri senatusconsulto ap. *eund.* 15, 11. antiqua scriptura est, nec facile in usum traducenda, quamquam saepissime in *Inscriptionibus* etiam post Augusti tempora insculptis *coeravit*, et *coerarunt* legere est pro *curavit* et *curarunt*.

COERĀTOR pro *curator* est antique dictum a *Cic. Leg.* 3, 4.

COERCĔO, es, ui, cĭtum, a. 2. συνείλεω, περιβάλλω, complector, cingo, ambio: a *con*, et *arceo*. *Cic. N. D.* 2, 40. Restat ultimus, omnia cingens et coercens coeli complexus. *Id. ib.* 22. Mundus omnia complexu suo coercet et continet. *Virg. A.* 6, 439. et novies Styx interfusa coercet. ℙ Significat etiam continere, includere, et veluti constringere aliquid, ne ultra crescat, aut evagetur. *Cic. Brut.* 91. *ad f.* Fluvium extra ripas diffluentem coercere. *Liv.* 21, 31. *ad f.* Coercere amnem ripis. *Cic. Senect.* 15. Vitem serpentem multiplici lapsu amputans coercet ars agricolarum. *Cels.* 5, 19. *n.* 19. Emplastrum, quod supercrescentem carnem coercet. *Id.* 7, 7. *n.* 14. Ovi album imponendum, quod inflammationem coerceat. *Hor. Ep.* 9, 35. Caecubum coercet nauseam. *Ov. Met.* 1, 477. Vitta coercebat positos sine lege capillos. *Id Trist.* 2, 531. Coercere aliquem arcto spatio. *Id. Met.* 5, 643. ora aequorum frenis. *Tac. A.* 1, 11. aliquid intra fines. *Plin.* 10, 50, 72. carcere animalia. *Virg. A.* 9, 27. Messapus primas acies, postrema coercent Tyrrhidae juvenes. *Cato R. R.* 139. Coercere lucum, *h. e.* conlucare, coinquire. V. COLLUCO et COINQUIRE. ℙ Translate. *Ov. Pont.* 4, 8, 73. Coercere verba numeris, *h. e.* metro ligare. ℙ Saepe est reprimere, refrenare, cohibere. *Cic. Fin.* 1, 1. Coercere, et reprimere aliquid. *Id. Fin.* 2, 22. Poenae aut infamiae metu coerceri. *Caes. B. C.* 1, 67. Coercere milites, et in officio continere. *Cic. Tusc.* 2, 21. Ut ratio coerceat temeritatem. *Id. Or.* 1, 43. Coercere cupiditates. *Id. Verr.* 2, 3, 89. unius improbi supplicio multorum improbitatem. *Id. Att.* 1, 18. Resecare libidinem, coercere juventutem. *Liv.* 2, 23. iras. *Curt.* 7, 6. defectionem. *Tac. A.* 2, 43. spes alicujus. *Suet. Ner.* 4. aliquem edicto. *Id. Aug.* 42. severissima voce aliquem. *Senec. Hippol.* 213. Se. ℙ Item punire, castigare, *Cic. Offic.* 3, 5. Morte, exsilio, vinculis, damno coercere aliquem. *Id. Catil.* 1, 1. *ad f.* acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissimum hostem. *Hor. Sat.* 1, 3, 34. aliquem fuste. ℙ Addunt quidam poni etiam pro cogere, compellere: sed ad id confirmandum minus idoneis utuntur exemplis. Nam quod afferri potest ex *Messala Corvino de progen. Aug.* 23. *ad f. Superatos hostes Romae cohabitare coercuit:* libellus ille incertae admodum est auctoritatis, et, si *Vossium* audis, omnino nullius. ℙ Particip. *Coercendus* ap. *Curt.* 8, 1. Ad quos (*equites*) coercendos, etc.

COERCĬO. V. v. seq.

COERCĪTĬO, onis, f. κάθειρξις, actus coercendi, cohibitio, refrenatio: a supino *coercitum* verbi *coerceo*. *Senec. Ira* 2, 27. *ad f.* Indignamur, aliqua admonitione, aut coercitione nos castigatos. *Quint.* 9, 2. *sub in.* Interpellatio, interpellantis coercitio, contentio, purgatio. *Cels.* 3, 18. Onerare aliquem asperioribus coercitionibus. ℙ Item restrictio, in angustum compressio. *Arnob.* 6. p. 203. Concludi se patiuntur, et in sedis obscurae coercitione latitare. ℙ Item facultas coercendi, imperium, quo magistratus aliquem coercere, et punire potest. *Suet. Claud.* 38. Coercitionem popinarum aedilibus ademit. *Id. Aug.* 45. Coercitionem in histriones magistratibus ademit. *Paul. Dig.* 1, 21, 5. Jurisdictio sine modica coercitione nulla est. *Vetus lex* ap. *Hyg. de limit.* p. 207. *Goes.* Quos agros dedero, assignavero, in eis agris jurisdictio, coercitioque esto coloniae illius, cujus civibus agri assignabuntur. ℙ Item punitio, castigatio, poena. *Liv.* 4, 53. Ferre damnum, aliamque coercitionem adversus aliquem. *Julian. Dig.* 50, 16, 200. Coercitio capitalis. *Paul. ib.* 48, 1, 2. pecuniaria. ℙ In plerisque horum, quos adduximus, locis (et ap. *Lact. in Epit.* 2. *ad f.* et *August. ep.* 48, 2.) alii legunt *coercio*, vel *coertio*, aut *coerctio:* quod videtur per syncopen factum, quemadmodum a *pueritia* fit *puertia* etc.

COERCĪTOR, oris, m. qui coercet, et continet, ac servat. *Eutrop.* 7, 20. Diligens coercitor disciplinae militaris.

COERCĪTUS, a, um, part. a *coerceo*. *Plin.* 12, 1, 2. Galliae Alpibus coercitae. *Ov. Her.* 14, 3. Clausa domi teneor, gravibusque coercita vinclis. ℙ Item punitus. *Suet. Aug.* 40. Ambitus multiplici poena coercitus. *Tac. A.* 2, 85. Libido feminarum coercita.

[COERIENSIS, e, adj. ad oppidum Lusitaniae pertinens, cui nomen Coere, vel Coero, nunc *Coura*. In nummo apud *Sestin. Descriz. delle med. Isp.* p. 6. Coeriens. *scil.* municipium Coeriense. *F.*]

COERO. V. COERARE.

COERRO, as, a. 1. oberro, simul cum aliis obambulo. *Paul. Dig.* 1, 15, 3. Sciendum praefectum vigilum per totam noctem vigilare debere, et coerrare calceatum.

COERŬLĔUS, etc. V. CAERULEUS.

[COETE, es, f. κοίτη, cubile. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 622, 9. Laelia Coete. *F.*]

[COETŌNĬCUS, a, um, adj. ad cubiculum pertinens, cubicularius: a κοιτών, cubiculum. Nomen servile Rom. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 10. *n.* 59. Coetonico filio Coetonicus fecit. *F.*]

[COETŌNIS, idis, f. κοιτωνίς, parvum cubiculum, seu parvus lectulus. Est cogn. Rom., et nomen servile. *Inscr.* ap. *Grut.* 606, 7. Antonia Coetonis. Alia ap. *eund.* 1042, 5. Coetonidi ancillae. *F.*]

COETUS, us, m. συνουσία, idem quod *coitus*, et ab eodem *coeundi* verbo descendens. Significat enim connexionem, conjunctionem, congressum plurium rerum simul coeuntium. *Gell.* 14, 1. Stellarum coetus, et discessiones. *Lucr.* 2, 1001. Mors dissipat coetum rerum. ℙ Hinc alii *coetus*, alii *coitus* legunt in locis, quae subjicio. *Curt.* 9, 4. Amnium coetus maritimis similes fluctus movent. *Lucret.* 3, 858. Nil tamen hoc ad nos, qui coetu conjugioque Corporis, atque animae consistimus uniter apti. *Poeta Gellii aequalis* ap. *eund.* 19, 11. et *Macr. Sat.* 2, 2. *in f.* si morae quid plusculae Fuisset in coetu osculi. *Auson. ep.* 108. ubi cassa libido Femineos coetus, et non sua bella lacessit. In loco *Lucretii* (cui adde similem 2, 918.) qui *coitu* legunt, disyllabum faciunt per synaeresim. ℙ Pro congressu pugnantium. *Pl. Amph.* 2, 2, 25. Eos auspicio meo atque ductu, primo coetu vicimus. ℙ Saepissime ponitur pro congregatione et conventu hominum. Et proprie quidem nomen est multitudinis magnae coeuntis ex consensu, ut *Senec. Excerpt. Controv.* 3, 8. docet. *Cic. Fin.* 2, 24. Opiniones, quae in senatu, quae apud populum, quae in omni coetu concilioque proferendae sint. *Id. Or.* 1, 8. Posse dicendo tenere hominum coetus. *Id. Fin.* 2, 4. Coetus matronarum. *Id. Verr.* 2, 5, 72. Omnes Dii, qui vehiculis tensarum solemnes coetus ludorum initis. *Id. Senect.* 23. Cum ad illud divinum animorum concilium coetumque proficiscar. *Suet. Cal.* 32. Coetus epulantium. *Tac. H.* 4, 45. multitudinis. *Id. A.* 3, 40. Per conciliabula et coetus seditiosa dissere. *Cic. Cat.* 1, 3. Coetus nefarii. Et *ib.* 4. *ad f.* Dimittere coetum. *Ov. Met.* 13, 897. Coetu soluto discedere. *Tac. A.* 13, 18. Frequentari coetu salutantium. *Id. ib.* 1, 16. Miscere coetus, *h. e.* congregare, cogere. *Suet. Caes.* 41. Movere novos coetus. *Virg. A.* 5, 43. Advocare socios in coetum. *Tac. A.* 2, 40. Celebrare coetus clandestinos. *Id. ib.* 16, 34. Agere coetus frequentes illustrium virorum. *Senec. Controv. l. c.* Qui coetum, et concursum fecerit, capitale sit. ὀχλαγωγήσει, ὀχλοποιήσει. [*Dicitur etiam de scholis philosophorum. *Liv.* 1, 18. (de Pythagora) Juvenum aemulantium studia coetus habuisse constat. *Ov. Met.* 15, 66. Coetusque silentum, Dictaque mirantum — docebat.] ℙ De cycnis *Virg. A.* 1, 401. ludunt stridentibus alis, Et coetu cinxere polum. ℙ Translate. *Auct. Decl. in Sall.* 6. Coetus omnium vitiorum. ℙ *Coetu* pro *coetui* habet *Catull.* 66, 37. coelesti reddita coetu. Et 64, 385. sese mortali ostendere coetu.

COEUS, i, m. disyllab. Κοῖος, unus ex Gigantibus, Terrae filius, et secundum quosdam Latonae pater. *Virg. G.* 1, 278. tum partu Terra nefando Coeumque, Iapetumque creat, saevumque Tiphoea. *Ov. Met.* 6, 185. Nescio quoque audete satam Titanida Coeo Latonam praeferre mihi. Adde *Propert.* 3, 7, 48. et *Tac. A.* 12, 61. ℙ Quidam scribunt *Coeus*, et *Ceus*.

*COEXEMPLUM, i, n. simile exemplum. *Sarisb.* 8, 19. Coexemplo suo aliquem ad mortem animare. *B. A.*

COEXERCĪTĀTUS, a, um, part. ab inusit. *coexercito*, simul exercitatus, συγγεγυμνασμένος. *Quint.* 2, 17. *sub f.* Ars constat ex praeceptionibus consentientibus, et coexercitatis ad finem vitae utilem.

*COEXSULTO, as, una cum aliquo exsulto. *Paul. ep.* 18. *B. A.*

*COEXUL, ulis, socius exilii *Sarisb. ep.* 205. Ego et coexules experimur. *B. A.*

*COEXULO, as, n. 1. *Sarisb. ep.* 174. *B. A.*

*COGAMUS, i, Lydiae amnis, ad montem Tmolum. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

COGGYGRĬA. V. COCCYGIA.

COGITĀBĬLIS, le, adj. διανοητικὸς, sub cogitationem cadens. *Senec. ep.* 58. *ante med.* Quod est, nec visu, nec tactu, nec ullo sensu comprehenditur, cogitabile est. *Appul. Apol.* Deus paucis cogitabilis, nemini effabilis.

COGITĀBUNDUS, a, um, adj. qui multum cogitat, σύννους. *Gell.* 2, 1. Stare solitus Socrates dicitur ore atque oculis eundem in locum directis cogitabundus.

[COGITĀMEN, inis, n. idem ac cogitatio. *Tertull. Trinit.* 6. Necessaria haec membra hominibus fuerunt, non Deo, quia inefficax hominis consilium fuisset, nisi cogitamen corpus implesset. *F.*]

*COGITAMENTUM, i, n. cogitamen. *Gloss. Lat. Gr.* Cogitamentum ἐνθύμημα. V. etiam *Vulgat. Interpr. Esdr.* 4, 7, 22. *B. A.*

COGĪTĀTE, adv. ἐκ προνοίας, consulto, accurate. *Cic. Arch.* 8. Quae vero accurate cogitateque scripsisset. *Pl. Mil.* 3, 3, 68. Abeamus ergo intro, haec uti meditemur cogitate. *Id. Poen.* 5, 4, 51. Verba facere cogitate, commode. *Id. Trin.* 2, 2, 46. Minus caute, et cogitate rem suam tractare.

COGĪTĀTIM, adverbialiter pro cogitate. *Festus.*

COGĪTĀTĬO, onis, f. ἔννοια, quasi coagitatio, id est longa, in mora consilii explicandi, rerum agitatio, vel ut *Plato* definit *in Theaeteto*, et *Sophista*, interior collocutio, qua sese animus noster alloquitur. [*Cic. *Off.* 1, 44, 156. Ob eamque causam eloqui copiose, modo prudenter, melius est, quam vel acutissime sine eloquentia cogitare: quod cogitatio in se ipsa vertitur. cet.] *Cic. Mil.* 29. Fingite animis: liberae enim sunt cogitationes, et quae volunt, sic intuentur, ut ea cernimus quae videmus. Fingite igitur cogitatione imaginem, etc. *Id. Or.* 3, 5. Omne illud tempus Crassus posuit in acerrima et attentissima cogitatione. Et *ib.* Defixum esse in cogitatione aliqua. Et *ib.* 1, 50. Multa animo, et cogitatione percurrere. *Id. Flacc.* 27. *in f.* comprehendere. *Id. Fam.* 3, 11. Complecti aliquid cogitatione. [*Id. *Off.* 2, 1, 2. Omnes suas curas cogitationesque in rem aliquam conferre.] *Id. N. D.* 1, 37. *ad f.* percipere. *Id. Orat.* 2, 30. conquirere. *Id. Tusc.* 1, 22. Intelligere et cogitatione comprehendere, qualis sit animus. *Id. Agr.* 1, 2. *ad f.* Versantur in animo meo multae et graves cogitationes. [*Curt. 8, 3, 14. Variae hinc cogitationes invicem animum diversa agitantem commovent.] *Id. in Senat.* 7. Hoc me adducit in eam cogitationem, ut, etc. *Id. Or.* 2, 44. Omni mente in ea cogitatione curaque versor, ut, etc. *Id. ib.* 1, 2. Convertere se aliquo, animo et cogitatione. *Senec. Benef.* 6, 7. Convertere aliquo cogitationem. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Venire in cogitationem aliquam. Et *ib.* incidere. *Tac. H.* 4, 86. Agitare aliquid cogitatione. *Caes. ad Opp. post Cic. ep.* 8, 9. *ad Att.* Suscipere cogitationem de re aliqua. *Cic. Att.* 14, 20. Suscipere cogitationem, quidnam agendum sit. *Id. Parad.* 1, 3. habere alicujus rei, *h. e.* de re quapiam cogitare, ejusque curam habere. *Quint.* 12. *sub f.* Eam co-

gitationem habuit, ut, etc. *h. e.* ita putavit, eam habuit opinionem. *Cic. Amic.* 9. Abjicere cogitationes suas in rem humilem atque contemptam. [*Hoc fere semper in malam partem dici solet.] *Id. Att.* 7, 3. Injicere alicui cogitationem de re aliqua etc. *Id. N. D.* 1, 9. Hoc ne in cogitationem quidem cadit. *Hirt. B. Alex.* 12. Deponere cogitationem alicujus rei. [*Tac. H.* 1, 7. Cogitatione rerum novarum abstinere. *Id. ib.* 1, 23. Sceleris cogitatio. *Curt.* 7, 8, 4. Tanta erat apud eos, veneratio regis, ut facile periculi quod horrebant, cogitationem praesentia ejus excuteret.] *Curt.* 7, 1. Horum cogitatio subibat exercitum, *h. e.* cogitabat haec exercitus. [*Quint. Inst.* 1, 7. p. 92. Redit autem illa cogitatio, quosdam fore.] *Id.* 6, 6. Versare se ad omnes cogitationes. *Id.* 10, 8. Volvere secretas cogitationes inter se. *Id.* 8, 5. vertere in bellum. *Nep. Alcib.* 9. Omni cogitatione ferri ad patriam liberandam. [*Tac. A.* 12, 5. Adsumere conjugem, cui cogitationes intimas tradat. *Id. ib.* 15, 54. Atque ipse moestus et magnae cogitationis manifestus erat, quamvis laetitiam magis sermonibus simularet.] ℙ Speciatim dicitur de meditatione, qua oratores, et poetae opera sua moliuntur, et mente praeparant, antequam scribant: de qua *Quint. toto cap.* 6. *l.* 10. ℙ *Cogitationis poenam nemo patitur*, dictum est *Ulp. Dig.* 48, 19, 18., quod in proverbium abiit, cum significamus, non esse puniendum aliquem, quod male cogitaverit. ℙ Accipitur aliquando pro deliberatione, et proposito. *Suet. Cal.* 48. Vix a tam praecipiti cogitatione revocatus, inhiberi nullo potuit modo, quin, etc. [*Cic. Fam.* 9, 20. Nam omnem nostram de re publica curam, cogitationem de dicenda in senatu sententia, commentationem causarum abjicimus. *Suet. Nero* 47. Cogitatio in posteram diem dilata. *Tac. H.* 1, 27. Audiente Othone, idque, ut laetum e contrario, et suis cogitationibus prosperum interpretante. *Curt.* 9, 3, 9. Digna prorsus cogitatio animo tuo, sed altior nostro.] ℙ Item pro ipsa re solerter excogitata, invento. *Vitruv. praef.* 2. Ad te cogitationes et formas affero dignas tua claritate. ℙ A *Cicerone* sumitur non semel pro ipsa cogitandi facultate, hoc est mente, ratione, ingenio, solertia, ut *Leg.* 1, 7. Homo solus ex tot animantium generibus particeps rationis et cogitationis. Et *N. D.* 3, 9. Nihil est mundo melius in rerum natura: ne in terris quidem urbe nostra. Num igitur idcirco in urbe esse rationem, cogitationem, mentem putas? *Id. ib.* 2, 7. Illud autem, quod vincit omnia, rationem dico, et, si placet pluribus verbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam, etc. *Id. Verr.* 2, 2, 54. Verres ingenio, et cogitatione nulla, *h. e.* hebes, stupidus, stultus.

COGĬTĀTO, adv. cogitate. *Cic. Off.* 1, 8. *ad f.* Permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, an consulto, et cogitato fiat injuria. Ita *Manut.* et *Victor.* Alii cum *Graevio* leg. *cogitata.*

COGĬTĀTŌRĬUM, ii, n. receptaculum cogitationum. *Tertull. Resurr. carn.* 15. Caro erit omne animae cogitatorium.

COGĬTĀTUS, a, um, part. a *cogito*, *διανοηθείς*, meditatus, animadversus. *Cic. Phil.* 2, 34. Attuleras domo meditatum et cogitatum scelus. [*Curt.* 6, 10, 14. Scelerati conscientia obstrepente cum dormire non possunt, agitant eos furiae, non cogitato modo, sed etiam consummato parricidio.] *Nep. Dat.* 6. *in f.* Quod ad suam perniciem fuerat cogitatum, id ad salutem convertit. [*Curt.* 5, 10, 5. Diu omnibus cogitatis, placuit, i. e. expensis et consideratis.] ℙ *Cogitatum*, *i*, est cogitatio, vel res cogitata. [*Cic. Agr.* 1, 1. Haec per Deos immortales utrum esse vobis cogitata sapientum an optata furiosorum videntur?] *Id. Brut.* 72. *ad f.* Cogitata praeclare eloqui. [*Terent. *Phor.* 2, 1, 53. Non potuit cogitata proloqui.] *Id. Dejot.* 7. perficere. *Nep. Pausan.* 3. patefacere.

COGĬTĀTUS, us, m. idem quod cogitatio, vel cogitatum. *Senec. ep.* 11. *sub fin.* O felicem illum, quem non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat! *Appul. Met.* 4. Divinato et antecapto meo cogitatu. Adde *Tertull. Idolol.* 23.

COGĬTO, as, avi, atum, a. 1. *ἐννοέω*, est plura mente cogere, seu colligere ad aliquid inveniendum, eaque agitare cum aliqua mora consilii explicandi: a *coagito* per syncopen, vel a *cogo*, quia mens plura in unum cogit, unde quae sibi videantur optima, vel utilissima eligere possit, ut ait *Varr. L. L.* 5, 6. *Cic. Att.* 9, 6. *extr.* Ad haec igitur cogita, mi Attice, vel potius excogita. *Id. Or.* 1, 51. *ad f.* Velle, cogitare, sentire, opinari. *Id. Acad.* 4, 12. Nihil agens ne cogitari quidem potest, quale sit. *Pl. Merc.* 2, 3, 10. Neque, quid loquar, cogitatum est. *Ter. Eun.* 1, 1, 11. Dum tempus est, etiam atque etiam cogita. [*Id. *ib.* 3, 3, 1. Profecto quanto magis magisque cogito. *Id. ib.* 5, 8, 43. Cogita modo! Tu hercle cum illa Phaedria Et libenter vivis.] *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Coepi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi, etc. *Cic. Tusc.* 2, 24. Toto pectore, ut dicitur, cogitare, quam honestum sit, etc. *Id. Rabir. perduell.* 10. Spe, atque animo de se, et gloria sua cogitare. Et *Fin.* 5, 2. Acrius et attentius cogitare. *Id. Fam.* 1, 7. toto animo de re aliqua. *Id. Agr.* 2, 24. et *Cato* ap. *Gell.* 16, 1. aliquid cum animo suo. [*Liv.* 44, 18. Cogitare omnia animo.] *Ter. Ad.* 1, 1, 5. in animo. *Cic. Leg.* 2, 1. Nihil his in locis, nisi saxa, et montes cogito. [*Id. Fam.* 8, 16. Nihil nisi atrox et saevum cogitat atque etiam loquitur. *Id. Off.* 3, 19. Itaque talis vir non modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat praedicare. *Id. Or.* 1, 1. Cogitare id quod res est. *Id. Fam.* 15, 16. Si insulam Britanniam coepero cogitare. *Ter. Ad.* 1, 1, 10. Quia non rediit filius, quae cogito? *Tac. A.* 4, 28. Non enim se caedem Principis et res novas uno socio cogitasse. *Id. ib.* 11, 6. Qui famam in posteros, praemia eloquentiae cogitavissent pulcherrima. *Curt.* 8, 7, 10. Sunt hic, qui rem pulcherrimam cogitaverunt, i. e. conjurationis consilium coeperunt. *Id.* 6, 11, 14. Quid quaestione opus est? Cogitavi, volui (confessio de parricidio).] *Cic. Cat.* 2, 9. *ad f.* Desinant furere, ac proscriptiones, et dictaturas cogitare. *Ter. Phorm.* 2, 1, 13. Pericla, damna, exsilia peregre rediens semper cogites, aut filii peccatum, aut uxoris mortem. *Id. Eun.* 4, 2, 3. Aliam rem ex alia cogitare. *Petr. Sat.* 82. caedem, et sanguinem. *Martial.* 1, 116. suspendium. *Pl. Mil.* 2, 2, 46. curas. *Anton.* ad *Cic. post ep. ad Att.* 13, 14. Humaniter, et sapienter, et amabiliter cogitare in aliquem. [*Nep. Hannib.* 2. Quare si quid amice de Romanis cogitabis. *Suet. Caes.* 75. Ac si qua post hac aut cogitarentur gravius adversus se aut dicerentur.] *Tibull.* 4, 4, 19. Te solum candida secum Cogitat. [*Adde *eund. ib.* 5, 10., ubi iterum de amantibus dicitur. Si modo, cum de me cogitat, illa calet.] ℙ Cum infinito. *Cic. Att.* 2, 9. *in f.* Antium me ex Formiano recipere cogito. *Ter. Heaut.* 3, 3, 46. Quid facere cogitas? *Hor. Ep.* 1, 2, 5. Si comportatis bene rebus cogitat uti. *Cato R. R.* 3. Aedificare, diu cogitare oportet; conserere, cogitare non oportet, sed facere oportet. ℙ Ellipsis est in his, quae sequuntur. *Cic. Att.* 16, 2. *a med.* In Pompejanum cogitabam. *scil.* ire. *Id. ib.* 9, 1. Lepidus cras cogitabat. *scil.* proficisci. ℙ *Bene*, vel *male cogitare de aliquo* est alicui beneficium, vel malum parare. *Cic. Senect.* 6. Carthagini male jamdiu cogitanti, bellum multo ante denuncio. [*Adde *Eund. Fam.* 8, 12.] ℙ Translate. *Virg. G.* 1, 462. quid cogitet humidus Auster, Sol tibi signa dabit. [*Scil. vento in personam mutato. Eadem significatione legitur ap. *Hor. Od.* 2, 11, 2. Quid bellicosus Cantaber, et Scythes cogitet, remittas quaerere.] ℙ Part. *Cogitaturus* ap. *Hirt. B. Alex.* 32. Nihil jam de bello essent cogituri. *Cogitandus* ap. *Caes. B. G.* 33. Quare sibi eam rem cogitandam putaret.

COGNĀTĬO, onis, f. *συγγένεια*, conjunctio naturae et sanguinis. *Cic. Verr.* 2, 2, 10. Ut quisque te maxime cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat. *Id. ib.* 43. Amplissima cognatione, et plurimis amicitiis vir. *Id. ib.* 26. Est mihi tecum cognatio. *Id. ib.* 2, 4, 33. Cognatione esse conjunctum cum aliquo. *Id. Fin.* 5. *init.* Cognatione patruelis, amore germanus. [*Plin. *Pan.* 37, 3. Cognationis jura impetrare, i. e. ut liberi essent in potestate patria et in sacris iisdem, ut possent patri etiam ab intestato succedere.] ℙ [*Cara cognatio* vocabatur dies solemnis, qui et *Charistia*, quam vocem V. supra suo loco. *Mart.* 9, 55. Cara daret solemne tibi cognatio munus. Adde *ib.* 56. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 724. *n.* 443. Item VIII. K. Mart. die Karae cognationis ad Martii eodem loco dividerent sportulas, panem et vinum. *Tertull. Idolol.* 10. Etiam strenae captandae, et septimontium, et brumae, et carae cognationis honoraria exigenda omnia. *Auson.* etiam *praef. Parent.* ejus diei festi meminit. *F.*] ℙ De brutis animalibus. *Plin.* 8, 50, 76. Cognatio caprarum. *Id. ib.* 42, 64. equorum. ℙ Et de plantis. *Id.* 16, 12, 23. Cognatio arborum. *Id.* 19, 6, 33. caeparum. ℙ Sumitur aliquando pro ipsis cognatis. *Cic. fragm.* ap. *Quint.* 8, 3. Cum tibi tota cognatio in sarraco advehatur. Adde *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 8. et *ib.* 11, 40. *n.* 30., ubi duas celebrium pictorum tabulas *cognationis* nomine appellat, quod in iis cognatorum multitudo depicta fuit. ℙ Translate accipitur pro quacumque conjunctione, similitudine, et convenientia unius rei ad aliam. *Cic. Verr.* 2, 4, 37. *in f.* Cognatio studiorum et artium propemodum non minus est conjuncta, quam ista generis et nominis. [*Id. N. D.* 3, 11, 28. Itaque illa mihi placebat oratio de convenientia consensuque naturae, quam quasi cognationem continuatam conspirare dicebas.] *Id. Div.* 1, 30. *ad f.* Animus tenetur cognatione Deorum. *Id. Or.* 56. Numerus non habet aliquam necessitudinem, aut cognationem cum oratione. *Id. Div.* 2, 14. *in f.* Distantium rerum cognatio naturalis. *Plin.* 6, 33, 39. Regioni alicui societas est, sive cognatio dierum, ac noctium cum alia, *h. e.* habet dies ac noctes ejusdem longitudinis. *Id.* 2, 105, 109. Bitumini magna cognatio ignium. *Id.* 16, 36, 64. Cognatio papyri cum calamis. [*Quint. Inst.* 1, 4. p. 42. Quare discat puer, quid in litteris proprium quid commune, quae cum quibus cognatio. *Id. ib.* 7, 10. p. 651. Est autem quaedam inter hos status cognatio.]

COGNĀTUS, a, um, adj. a *con*, et *gnatus* pro *natus*, *συμφυής*, *συγγενής*, *ὁμοφυής*, simul natus. *Ov. Met.* 1, 80. recens tellus, seductaque nuper ab alto Aethere cognati retinebat semina coeli. [*Cognati*, non terrae, sed animae. Ita recte *Gierig.* h. l. explicat, *comp. Cic. Leg.* 1, 9. *Plin. H. N.* 2, 26. *Lucr.* 2, 990., ubi de animae cum coelo conjunctione dicitur. Igitur male haec verba h. l. collocata videntur.] *Juven.* 5, 103. Anguilla longe cognata colubrae. ℙ Saepissime dicitur de hominibus, qui sanguine invicem conjuncti sunt, et ab uno eodemque progenitore nati. Quomodo differant ab *agnatis*, V. AGNATIO. *Pl. Poen. prol.* 96. Alteram efflictim perit, suam sibi cognatam, imprudens. *Id. ib.* 5, 4, 86. Vos estis ambae meae filiae: et hic est cognatus vester, *h. e.* filius fratris mei. Et *Cic. ad Quirit.* 1, 3. Pro Popillii reditu adolescentes filii, multi praeterea cognati atque affines deprecati sunt. *Id. Rosc. Am.* 34. Tot propinqui cognatique optime convenientes. ℙ Latius aliquando accipitur. *Ov. Met.* 9, 412. Cognatumque latus Phegeius hauserit ensis, *h. e.* hominis affinitate conjuncti. Sic *Lucan.* 1, 4. Cognatae acies, *h. e.* Caesaris ac Pompeji, generi et soceri. *Sil.* 11, 179. Capys magno cognatus Iulo. *Virg. A.* 3, 502. Cognatae urbes, populique propinqui, *h. e.* a populis ejusdem gentis conditae. Sic *Stat. Th.* 1, 11. cognataque moenia Baccho, *h. e.* Thebae, nam Semele Bacchi mater Thebana fuit. *Id. ib.* 102. Tartara dicit cognata Tisiphones, quae in fabulis est soror Tartari, ut est ap. *Hygin. praef. Sidon. carm.* 15, 27. Plurimus hic Briareus populoso corpore pugnat, Cognatam portans aciem. *Hor. Sat.* 2, 6, 63. O quando faba Pythagorae cognata. *scil.* Pythagoras, teste *Plin.* 18, 12, 30., docebat in faba mortuorum animas esse. [*Prop.* 3, 7, 10. Cognatos inter humare rogos, i. e. inter cineres et ossa propinquorum.] ℙ Dicitur etiam de brutis animalibus. *Plin.* 10, 3, 4. de aquilis: Cognatum genus excipiunt, et educant cum suis. ℙ *Cognatas terras* dixit *Claudian. Rapt. Pros.* 1, 144. Siciliam et Italiam, quia olim conjunctae fuerunt: et *cognatos nubibus amnes. Stat. Th.* 1, 200., quia ex nubibus fiunt imbres, unde amnes crescunt. ℙ Translate est similis, conveniens. *Cic. Univ.* 6. Deus mundo formam maxime sibi cognatam et decoram dedit. *Id. Or.* 3, 51. Nihil est tam cognatum mentibus nostris, quam numeri, atque voces. *Hor. Sat.* 2, 3, 280. Vocabula cognata rebus. *Plin.* 36, 24, 59. Cognata calci res gypsum est. *Id.* 16, 10, 16. Sex genera cognatarum arborum picem ferunt. ℙ Sequiori aevo Latinitatis *cognatus* dici coeptus est maritus sororis meae: et *cognata* uxor fratris mei: ex quo venit Italica vox *cognato*. Sunt in hanc rem tres *Inscr.* ap. *Fabrett. c.* 3. *n.* 184. 588. et 589. et alia ap. *De-Vita Antiquit. Benevent. cl.* 9. *n.* 80. et ap. *Grut.* 895, 4. ℙ *Cognatum* pro *cognatorum* est ap. *Pl. Amph.* 2, 211.

COGNĪTĬO, onis, f. *γνῶσις*, actus cognoscendi, intelligentia, notio, scientia. *Cic. Top.* 18. Causarum cognitio cognitionem eventorum facit. *Id. Fin.* 5, 12. Quae corporis sunt, cognitionem habent faciliorem. *Id. N. D.* 2, 56. Capere cognitionem alicujus rei. *Id. Or.* 3, 29. Perquirere cognitionem et scientiam rei alicujus. *Id. Or.* 35. Res, quae in perfacili cognitione versantur. *Gell.* 16, 8. *ad f.* Dialecticae studium, atque cognitio in principiis insuavis videri solet. *Ter. Hecyr.* 5, 3, 33. Narro omnia haec: inde est cognitio facta, Philumenam compressam esse ab eo, etc. ℙ Aliquando sumitur pro ipsa re, quae cognoscitur, aut quae cognitionem ac scientiam parit, ut sunt praecepta, regulae, ac principia scientiarum atque artium. *Cic. Leg.* 2, 19. Jurisconsulti saepe quod positum est in una cognitione, id in infinita dispertiuntur. *Id. Fin.* 3, 5. Artes etiam ipsas propter se assumendas putamus, cum quia sit in his aliquid dignum assumptione, tum quod constent ex cognitionibus, et contineant quiddam in se ratione constitutum, ac via. [*Cic. Off.* 2, 2, 5. Maximis igitur in malis hoc tamen boni assecuti videmur, ut ea litteris mandaremus, quae nec satis erant nota nostris et erant cognitione dignissima, i. e. res in quibus philosophia versatur: haec enim proprie *cognitione dignae* dicuntur. Ita *Beier.* ad h. l. qui comp. *Fin.* 3, 11, 37.] ℙ Saepe est forense verbum, et significat inquisitionem causae, ut reperta rei veritate sententia judicialis feratur. Opponitur autem saepe juri ordinario, quia cognitio est juris extraordinarii, et pertinet ad summos magistratus, scilicet consules, praetores, praefectos provinciarum, senatum, principem (aut eos quibus princeps id negotii dederit), qui cum reum apud se causam agere cogunt, neque eum ad jus ordinarium, dato judice, remittunt, extra ordinem cognoscere dicuntur: et haec est proprie cognitio. V. *Digestor.* 50. *t.* 13., qui est De

extraordinar. cognitionib., ubi multae enumerantur causae, quae per cognitionem finiuntur. *Suet. Claud.* 15. Alium interpellatum ab adversariis de propria lite, negantemque cognitionis rem, sed ordinarii juris esse etc. *Id. Tib.* 62. Deditum et intentum esse cognitioni. *Id. ib.* 28. Flagitare cognitionem de criminibus. [**Tac. A.* 2, 27. Senatus cognitionem poscit.] *Plin. ep.* 6, 31. suscipere. *Suet. Claud.* 9. recipere falsi testamenti. [**Tac. A.* 3, 10. Petitumque est a Principe cognitionem exciperet. *Id. ib.* 4, 42. Cognitio habita de Votieno Montano perpulit Tiberium. *Id. ib.* 15, 58. Inter ipsam cognitionem destringere gladium. *Id. ib.* 16, 30. An cognitio Senatus nihil atrox afferret.] *Id. ib.* 43. Cognitione damnare aliquem. *Cic. ad Capiton. post ep. ad Att.* 16, 16. Quae lex earum rerum, quae Caesar egisset, consulibus cognitionem dedit. *Id. ib.* Decretum consulum, quorum et lege, et senatusconsulto cognitio et judicium fuit. *Quint.* 7, 2. Hoc venit in cognitionem principis. *Plin. ep.* 10, 64. Haec quoque species incidit in cognitionem meam. [**Tac. A.* 1, 72. Primus Augustus cognitionem de famosis libellis, specie legis ejus (majestatis) tractavit. *Id. H.* 2, 10. Aliquem ad cognitionem Senatus vocare.] *Edict. Dioclet.* p. 22. Avvocato (*h. e.* advocato) sive jurisperito mercedis in postulatione ✕ ducentos quinquaginta, in cognitione ✕ mille. ℙ Inter officia domus Augustae fuerunt etiam officiales *a cognitionibus*, nempe quibus principes cognoscendarum causarum curam demandabant. *Senec. Apocoloc. in f.* Menandro liberto suo tradidit, ut a cognitionibus ei esset. V. plura huc spectantia doctissime disputata a *Marin. Frat Arv.* p. 795. et seqq. Huc pertinent *Inscr.* ap. *Grut.* 271, 4., 285, 6. etc., in quibus *Judices sacrarum cognitionum* commemorantur.

COGNĬTIŌNĀLIS, le, adj. ad cognitionem judicialem pertinens. *Impp. Dioclet. et Maximian. Cod.* 7, 42, 1. Cognitionales sententiae. Adde *Justin. ib.* 45, 13. ℙ Apud *Symmach. ep.* 10, 62. (*Jureti* 55.) *in f.* Cognitionalis nomen est officii cujuspiam, puta ejus, qui cognitiones forenses in acta refert, aut quid simile.

COGNĬTIŌNĀLĬTER, adv. per cognitionem judiciariam. *Justin. Cod.* 7, 63, 5. *ad f.* Si quis ad appellationis judicem introductus, sive ex una parte, sive cognitionaliter etc.

COGNĬTOR, oris, m. qui cognoscit, *γνωστής*. Speciatim ita appellatur, qui de conditione ac statu alicujus, quem prope novit, testimonium dicere potest apud eos, qui minime noverunt; idem ac notor. *Cic. Verr.* 2, 5, 65. Homines tenues obscuro loco nati navigant, adeunt ad ea loca, quae nunquam antea viderunt: ubi neque noti esse iis, quo venerunt, neque semper cum cognitoribus esse possunt. Et *mox.* Qui tibi neque notus esset, neque cognitorem locupletem daret, quamvis civis R. esset, in crucem tolleretur. Adde *Verr.* 2, 5. ℙ Item qui alterum in jure defendit. Causam enim ejus, et rationes defensionis diligenter perdiscit, et apud judices vel per se, vel per alium prius a se edoctum exponit. Differt a procuratore; quia cognitor praesentis causam tuetur; procurator absentis quaecumque negotia tractat, ut *Festus* docet. *Cic. Div. Verr.* 4. Me Siculi defensorem calamitatum suarum, me ultorem injuriarum, me cognitorem juris sui, me actorem causae totius esse voluerunt. (V. *Asconii* verba huc pertinentia in ADVOCATUS.) *Id. Rosc. Com.* 18. Tu in eam litem cognitor Roscii factus es. Et *mox.* Nisi te in suam litem dedisset cognitorem. *Id. Verr.* 2, 2, 43. Cognitorem alicui adscribere. Et *ib* Cognitorem fieri pro aliquo. Et *ib.* alicui. *Liv.* 39, 5. Alienarum simultatum tribunum pl. cognitorem fieri, turpe est. Adde *Ov. Amor.* 1, 12, 24. et *Hor. Sat.* 2, 5, 38. [*Proprium dicendi genus est in hac re: *cognitorem fieri.* Cf. *Bentl.* ad *Hor.* locum modo *laudat.* De usu vocis *cognitor* v. *Gronov. de Pec. Vet.* 4, 3.] ℙ Est praeterea *cognitor*, qui causam, vel crimen alterius judicii causa cognoscit, quaesitor, judex. *Imppp. Gratian., Valentin. et Theodos. Cod. Theod.* 9, 27, 5. Omnes cognitores et judices a pecuniis manus abstineant. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 205. Te cognitore dignus ire in carcerem. Adde *ib.* 793. V. COGNITIO. ℙ Demum *cognitor* est sectoris valde similis, nempe is qui aerarii, aut fisci debitores vel veteres, vel latentes detegit, et accusat; atque ejus operae pretium partem bonorum, quae proscribuntur, consequitur. Hoc genus officii *cognitura* appellatur. Dicitur autem *cognitor* honesto vocabulo, (cum *delator* potius, aut *sector* appellari possit) quia causam fisci, aut aerarii ultro tuendam suscipit, et tanquam legum custodem se praebet; revera autem bonorum alterius proscriptionem, ac proprium lucrum spectat. Hoc sensu adhiberi creditur a *Manil.* 5, 316. Sed varia est ejus loci interpretatio. *Hor. Sat.* 2, 5, 37. ire domum, atque Pelliculam curare jube; si cognitor ipse, Persta, atque obdura. ℙ Translate. *Front. de eloq.* (ed. *A. Maio*) p. 229. *edit. Rom.* Mercurius nuntiis praeditus, Apollo paeanum auctor, Liber dithyramborum cognitor, Fauni vaticinantium incitatores.

[*COGNĬTŌRĬUS, a, um, adj. ad cognitorem pertinens. *Cajus Instit.* 2. (ed. *Goesch.*) §. 252. Stipulabatur, ut etiam pateretur, eum hereditarias actiones procuratorio, aut cognitorio nomine exsequi. *Id. ib.* 4. §. 124. Cognitoriae exceptiones. *Fr. Jur. Antejustin.* (ed. *A. Maio*) p. 89. Cognitorium edictum, quod pertinet ad eos, qui dantur cognitores. *F.* et *B. A.*]

COGNĬTŪRA, ae, f. munus, quo quis fungitur, cum in foro cognitor est. *Suet. Vit.* 2. Cujus filius sectionibus, et cognituris uberius compendium nactus est. Alii minus recte *consuturis* legunt. [*Cognitura h. l. dictum est pro cognitoris quaestu, praemiis delationum. Demonstrat haec *Gronov. de Pec. Vet.* 5. et 4, 3.] V. CONSUTURA. *Cajus Institut.* 4. §. 124. Si vero cognitori non liceat cogniturам suscipere, per alium etc.

COGNĬTUS, a, um, part. a *cognosco*, *γνωστός*, *γνώριμος*, notus. *Cic. Off.* 1, 6. Incognita pro cognitis habere. *Id. Mur.* 11. *in f.* Ratio pervulgata et cognita. *Id. Fam.* 1, 7. Res perspecta et cognita. *Id. Or.* 1, 23. Res penitus perspectae, planeque cognitae. *Id. Fin.* 5, 26. Habere aliquid perceptum, comprehensum, cognitum. *Id. Cluent.* 47. Nihil ipsos habuisse cogniti, nihil comperti. *Id. Caecin.* 36. Homo virtute cognita, et spectata fide. *Suet. Aug.* 21. Scythae auditu modo cogniti. [**Tac. H.* 1, 1. Mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio, nec injuria cogniti. *Id. ib.* 2, 87. Adgregabantur e plebe, flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti, scurrae, histriones, aurigae etc. *Id. A.* 15, 51. Is mulieri olim cognitus.] *Plin.* 12, 21, 45. Res nostro orbi tantum nominibus cognitae. *Ov. Trist.* 4, 6, 28. Sed magis hoc, quo sunt cognitiora, gravant. *Catull.* 4, 14. Tibi haec fuisse, et esse cognitissima. *Caes.* ad *Cic. post ep.* 16, 9. *ad Att.* Bene cognitum esse alicui. *Propert.* 2, 2, 16. Cognitus Iphicli surripuisse boves. *Liv.* 37, 13. Ex agrestibus cognito, hostium naves ad Aethaliam stare, consilium habitum est etc. (Adde 44, 28.) *Tac. A.* 1, 46. Nondum cognito, qui fuisset exitus in Illyrico. *Plin.* 2, 108, 112. Nam et a Germania immensas insulas non pridem repertas, cognitum habeo etc. *Sall. Jug.* 5. Experimento mihi cognitum est. *Claud.* 2. *in Rufin.* 293. Ut cessisse ducem, propius venisse cohortes, Cognita Rufino, *h. e.* ut haec cognita fuerunt Rufino. Sic *Virg. A.* 1, 671. Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum Litora jactetur, odiis Junonis iniquae, Nota tibi. ℙ Item cognitione judiciaria examinatus. *Cic. Verr.* 2, 2, 48. Ut aliquando de rebus ab isto cognitis judicatisque, et de judiciis datis dicere desistamus. ℙ Refertur etiam ad consuetudinem concubitus. *Stat. Achill.* 2, 228. tacito jam cognita furto Deidamia mihi. *Tac. H.* 4, 44. Pontia stupro cognita. ℙ Inter *notum*, et *cognitum*, si subtilius philosophari velimus, illud interest, quod *notus* dicitur, qui quocumque modo scitur; *cognitus* qui bene perspectus et compertus. *Cic. fr. contra C. Anton.* ap. *Ascon.* Quidam homo nobilis, et valde in hoc largitionis quaestu notus et cognitus. [**Cognitus* interdum in laudem dicitur, ut spectatus alibi, qui virtutibus suae speciminibus inclaruit. Ita *Gierig.* ad *Ov. Met.* 12, 69. Fortisque animae nece cognitus Hector. Adde *Caes. B. G.* 1, 28. Bojos, quod egregia virtute erant cogniti, ut in finibus suos collocarent concessit.]

[COGNĪTUS, i, m. idem ac cognitio. *Appul. Met.* 9. Multarum civitatum obitu, et variorum populorum cognitu summas adeptum virtutes cecinit, *h. e.* quod multas civitates obierit, et varios populos cognoverit. *F.*]

COGNOBĬLIS, le, adj. *συνετὸς*, qui cognosci, aut intelligi potest. *Gell.* 20, 5. *a med.* Libri acroatici his solis, qui nos audiunt, cognobiles erunt. *Cato* ap. *Gell. ib.* Cognobilior cognitio.

COGNŌMEN, inis, n. *ἐπωνυμία*, *ἐπίκλησις*, appellatio ab ingenio, fortuna, habitu corporis, rebus gestis, aliisque causis fere sumpta, et alicui addita praeter praenomen ac nomen gentilicium, quibus unice gaudebant prisci Romani, ut M. Tullius *Cicero*, C. Julius *Caesar*, T. Manlius *Torquatus* etc. in hominibus: in ceteris autem rebus quod proprio nomini additur distinguendi causa, ut leones *Africani*, Bosphorus *Cimmerius*, vinum *Caecubum* etc. Quomodo differat ab *agnomine*, ibi diximus. *Cic. Off.* 3, 31. *ad f.* T. Manlius, qui Galli torque detracto, cognomen invenit. *Id. Rosc. Am.* 6. Duo isti T. Roscii, quorum alteri Capitoni cognomen est. *Liv.* 32, 2. *sub f.* Creati Publ. et Sex. Aelii: Paetis fuit ambobus cognomen. (Adde 2, 33.) [**Tac. H.* 2, 43. Pro Vitellio una et vicesima, cui cognomen Rapaci, vetere gloria insignis. *Suet. Cal.* 22. Compluribus cognominibus assumtis. *Id. Tib.* 67. Temeritas delati alicui cognominis.] *Nep. Arist.* 1. Aristides cognomine justus est appellatus. *Cic. Off.* 2, 16. P. Crassus cum cognomine dives, tum copiis. *Id. Phil.* 3, 6. Trahere cognomen ex re aliqua. *Id. ib.* 6, 4. Sumere cognomen. *Id. Somn. Scip.* 2. parere sibi. *Hor. Sat.* 2, 2, 56. ducere ex re aliqua. Et *ib.* 3, 26. Imponere alicui cognomen. *Id. ib.* 1, 3, 58. Dare alicui cognomen tardo ac pingui. *Plin.* 22, 6, 6. Addere alicui cognomen Felicem. *Id.* 12, 13, 30. Dare Arabiae cognomen felicis. *Virg. A.* 3, 163. Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt. *Cic. Amic.* 2. Cato quasi cognomen jam habebat in senectute sapientis. Adde *Liv.* 30, 42. ℙ [Apud veteres Romanos si plures fuissent in eadem familia fratres, solo praenomine distinguebantur, ut *M.* Tullius Cicero, *Q.* Tullius Cicero: verum Augusto imperante, et veterum familiarum decora in honorem quam maxime restituente, primarii Urbis viri illustria proavorum suorum cognomina propriis addere coeperunt. Hinc factum est, ut ita cognominarentur L. Aemilius Lepidus *Paullus*, qui consul fuit an. U. C. 720., Cn. Cornelius Lentulus *Cossus*, cos. an. 753., T. Statilius Sisenna Taurus, cos. an. 769.; qui tamen compendii causa *Paullus Lepidus* in nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 129., et *Cossus Cn. F. Lentulus* in nummis apud *eund. l. c.* p. 185., idemque *Cossus Cornelius Lentulus* in *Inscr.* ap. *Grut.* 107, 1. et 2., et *Sisenna Statilius Taurus* ap. *Tac. A.* 2, 1. ℙ Progressu vero temporis fratres eodem praenomine ac nomine, diverso tamen cognomine, vel a matre, vel ab avia, vel ab aliqua hereditate, vel aliunde deducto, a se invicem, et ab eorum patre discernebantur, ut apparet ex *Inscr.* ap. *Grut.* 555, 2. L. Oclatio L. F. Men. Tertio patri, et L. Oclatio L. F. Men. Florentino fratri L. Oclatius L. F. Men. Rocianus *Vivus Fecit.* Hic autem mos ea de causa invaluisse videtur, quod, succrescente libertinorum numero, cum eorum nomen servile ex lege manumissionis in cognomen abiisset, factum propterea est, ut omnes ejusdem patroni liberti idem praenomen nomenque sibi adsciscerent, atque adeo solo cognomine inter se distinguerentur, quod profecto varium esse oportebat. ℙ Hinc etiam accidit, ut cum idem praenomen esset omnibus collibertis commune, (quo prisci Romani maxime gaudebant, teste *Hor. Sat.* 2, 5, 32. Quinte, puta, aut Publi: gaudent praenomine molles Auriculae) in desuetudinem paulisper abierit, cujus rei testes habemus plurimas *Inscriptiones* ap. *Grut.*, *Fabrett.*, *Mur.* aliosque, ut haec apud *Grut.* 715, 7. Vipsanio Firmo Vipsanius Longinus filio. Ita enimvero post invecta antiquitus cognomina saepissime nomen gentilicium omittebatur; quo factum est, ut passim legere sit *Q. Metellus*, *M. Brutus*, *C. Caesar* pro *Q. Caecilius Metellus*, *M. Junius Brutus*, *C. Julius Caesar.* ℙ Non raro etiam accidit, ut quis non modo bina, sed etiam tria, quatuor, quinque, vel plura cognomina ob aliquam aut plures hereditates, vel alias ob causas sibi assumpserit. Hinc uni eidemque viro haec praenomina, nomina et cognomina tribuuntur in *Inscr.* ap. *Jo. Labusium*, *Ant. Monum. Bresc.* p. 35. A. Platorio A. F. Serg. Nepoti Aponio Italico Maniliano C. Licinio Pollioni. (Hic Hadriano Aug. percarus fuit.) Alia apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 59. L. Fabio M. F. Gal. Ciloni Septimino C. Atinio Aciliano Lepido Fulciniano. (Hic consul fuit an. a Chr. n. 304.) Adde alias apud *eund. Frat. Arv.* p. 234. [*Saepius cognomina gentilibus praeponuntur. *Eutrop.* 1, 6. Deinde regnum Priscus Tarquinius accepit. Vide quos *Tzschuck.* ad hunc locum laudat, (qui de hac re monuit ad *Nep.* 23, 4, 4.) *Staveren.* ad *Nep. l. c.* *Duker.* ad *Flor.* 2, 2, 11. *Drak.* ad *Liv.* 2, 33, 10. 3, 1. *in.*] ℙ Etiam feminas plura cognomina habuisse, patet ex *Inscr.* ap. *Fea*, *Framm. di Fasti Cons.* p. 35. Valeria Tossia Pia Sabina Euhemeria. *F.*] ℙ Cognomen idem saepe est agnomen. V. AGNOMEN. ℙ Videtur etiam poni aliquando pro ipso nomine. *Gell.* 10, 12. His praestigiis a Plinio Secundo scriptis non dignum esse cognomen Democriti puto. Adde *Claud. B. Get.* 555. [**Prop.* 4, 1, 69. Sacra diesque canam, et cognomina prisca locorum. *Virg. A.* 8, 48. Urbem Ascanius clari condet cognominis Albam.]

COGNŌMENTUM, ti, n. *ἐπωνυμία*, cognomen. *Cic. Mil.* 17. C. Cassinius cognomento Schola. *Id. Fin.* 2, 5. Heraclitus, cognomento qui *σκοτεινὸς* perhibetur. *Sall. fragm.* ap. *Gell.* 18, 4. Cn. Lentulus collega ejus, cui cognomentum Clodiano fuit. *Gell. ib.* 7. Cui cognomentum Insano factum est. *Senec. Suasor.* 2. *a med.* Omnia grandia probabat: ei impositum est cognomen, vel, ut Messala ait, cognomentum, et vocari coepit Senecio Grandio. (*scil.* quia *cognomentum* grandior vox est, quam *cognomen.* V. GRANDIO.) *Tac. A.* 12, 55. Cilicum nationes, quibus Clitarum cognomentum. [**Id. ib.* 14, 27. At in Italia vetus oppidum, Puteoli, jus Coloniae et cognomentum, a Nerone adipiscuntur.] *Id. ib.* 15, 40. Videbaturque Nero condendae urbis novae, et cognomento suo appellandae gloriam quaerere. Adde *Pl. Ps.* 4, 2, 20. et *Pers.* 1, 2, 8. [*Interdum eodem modo dici videtur, quo nomen. *Tac. A.* 1, 31. In suum cognomentum adscisci Imperatores, i. e. sua auctoritate, suo arbitrio eligi imperatores. *Id. ib.* 11, 11. Adoptione mox in imperium et cognomen-

tum Neroris adscitus, i. e. imperii et familiae particeps factus est.]

COGNOMINĀTIO, onis, f. cognomen. *Afran.* ap. *Non.* 2, 144.

COGNOMINĀTUS, a, um, part. a *cognomino*, cognomine dictus, ἐπονόμαστος. *Suet. Aug.* 7. Augustus Thurinus cognominatus. *Flor.* 3, 5. Ponticae gentes a Pontico cognominatae mari. Adde *Plin.* 35, 10, 37. ℙ *Verba cognominata* sunt quae eandem habent, vel paene eandem significationem, et amplificationis causa in oratione conglobantur. *Cic. Partit.* 15. Verba ponenda sunt juncta, facta, cognominata etc.

COGNOMĪNIS, e, adj. ὁμώνυμος, qui ejusdem nominis cum alio est. *Pl. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 6, 383. Illa mea cognominis fuit. Alii leg. *mei. Virg. ib.* gaudet cognomine terra. Al. leg. *terrae. Pl. Bacch.* 1, 1, 5. Duae germanae meretrices cognomines. *Vell.* 1. *in.* Cognominem patriae suae Salamina constituit. *Plin.* 6, 2, 2. Veneti Henetorum cognomines. *Id.* 4, 12, 26. Axiacae cognomines flumini. Adde 35, 4, 7.

COGNOMĪNO, as, a. 1. ἐπικαλέω, cognomen impono, cognomine appello. *Plin.* 21, 11, 39. Amaracus, quem Phrygium cognominant. *Id.* 3, 7. Scipio, Serapio cognominabatur, propter similitudinem suarii cujusdam negotiatoris. ℙ Reperitur etiam pro simplici nomino, appello, dico. *Justin.* 7, 1. Macedonia antea Emathia cognominata est. *Id.* 15, 2. Ptolemaeus, ne minoris apud suos auctoritatis haberetur, rex ab exercitu cognominatur. Adde *Gell.* 2, 22.

COGNOSCENS, entis, part. a *cognosco*, qui cognoscit. *Auct.* ad *Her.* 4, 18. Cognoscens sui. ℙ Item qui disquirit et judicat. *Inscr.* ap. *Grut.* 459, 7. T. Fl. Postumio Titiano V. C. Cos. Procos. Prov. Africae, Cognoscenti vice sacra etc. Alia *ib.* 1101, 8. L. Valerio L. F. Cl. Poplicio Balbino Maximo Cos. ord. Cognoscenti ad sacras appellationes etc.

COGNOSCENTER, adv. *Tert.* 4. *contr. Marcion.* 22. Manifesta te mihi, ut cognoscenter te videam.

COGNOSCO, is, ovi, gnitum, a. 3. γινώσκω, γνωρίζω, nosco, vel bene nosco. Quomodo ab *agnosco* differat, V. ibi. *Cic. Fam.* 5, 12. Ut ceteri viventibus nobis, ex litteris tuis nos cognoscant. [**Id. Manil.* 13. Summa omnia sunt, Quirites, sed ea magis ex aliarum contuitione, quam ipsa per se cognosci atque intelligi possunt. *Id. N. D.* 3, 24, 61. Quare autem in his vis deorum insit, tum intelligam cum cognovero.] *Petr. Sat.* 7. Cum ego negarem, me cognoscere domum. *Caes. B. G.* 3, 7. Cognoscere regiones. *Virg. A.* 9, 245. Venatu assiduo totum cognovimus amnem. *Sall. Jug.* 7. naturam alicujus, et mores. *Caes. B. G.* 1, 22. Id se a Gallicis armis atque insignibus cognovisse. *Phaedr.* 4, 21. Cognoscere aliquem ab sermone. Quidam leg. *ex.* [**Tac. H.* 1, 25. Postquam vario sermone callidos audacesque cognovit. *Propert.* 1, 12, 13. Nunc primum longas solus cognoscere noctes Cogor.] ℙ Ponitur etiam pro intelligere, audire, scire. *Cic. Att.* 5, 21. *circa med.* Habes consilia nostra; nunc cognoscere de Bruto. *Id. Fam.* 1, 5. Quae hic agantur, quaeque acta sint, ea te ex litteris multorum, et nunciis cognoscere arbitror *Id. ib.* 4, 4. De Marcelli salute paulo ante, quam tu, cognovimus. *Sall. Cat.* 59. Iter hostium ex perfugis cognoscere. *Caes. B. G.* 7, 16. Per certos exploratores, quae ad Avaricum agerentur, cognoscebat. Et *ib.* 5, 20. Ab his cognoscit, non longe ex loco oppidum abesse, silvis paludibusque munitum. *Val. Max.* 5, 7. *n.* 1. *extern.* Ut ad jucundiora cognitu veniamus. [**Ter. Andr.* 3, 4, 7. Tandem cognosti qui siem. *Tibull.* 1, 6, 62. Proculque cognoscit strepitus me veniente pedum. *Virg. Georg.* 4, 375. Cognovit fletus gnati. *Id. Ecl.* 6, 25. Carmina, quae vultis, cognoscite.] ℙ Item perdiscere, perquirere, perpendere. *Cic. Brut.* 26. Crassus domi jus civile cognoverat. *Id. Or.* 2, 24. Hoc ei primum praecipiemus, quascumque causas erit acturus, ut eas diligenter, penitusque cognoscat. *Curt.* 6, 11. Diligentius cuncta cognoscere. *Nep. Lysand.* 4. et *Suet. Gramm.* 23. Cognoscere librum, *h. e.* perlegere et addiscere. ℙ Item pro videre. *Sall. Cat.* 12. Operae pretium est, cum domos, atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, visere templa Deorum. [**Tac. A.* 2, 59. Germanicus Aegyptum proficiscitur, cognoscendae antiquitatis. *Tibull.* 3, 5, 23. Elysios olim liceat cognoscere campos.] ℙ Item pro experiri, sentire. *Cic. Fam.* 13, 21. Hominem summa probitate, humanitate, observantiaque cognosces. *Virg. Ecl.* 1, 42. Nec tam praesentes alibi cognoscere divos. ℙ Item pro recognoscere. *Pl. Pseud.* 4, 2, 30. Cedo mihi epistolam. *Sy.* accipe, cognosce signum. *Ba.* Eho, Polimachaeroplacides purus putus est ipsus: novi. *Cic. Pis.* 37. *extr.* Numerum militum reliquiaque cognoscere. ℙ Item pro agnoscere. *Varr.* ap. *Non.* 4, 109. Vereor, ne me quoque, cum domum ab Ilio cessim revertero, praeter canem cognoscat nemo. *Ov. Pont.* 3, 2, 105. mores, Quos Volesus patrii cognoscat nominis auctor, *h. e.* similes suis agnoscat. *Id. A. Am.* 3, 508. Cognoscat faciem vix satis ulla suam. [**Ov. Fast.* 2, 185. Illa quidem, tamquam cognosceret, adstitit amens.] ℙ De consuetudine concubitus. *Ov. Her.* 6, 133. Turpiter illa virum cognovit adultera virgo. *Just.* 5, 2. Uxorem alicujus adulterio cognoscere. Adde 22, 1. ℙ Saepe est forense verbum, et significat inquirere in causam, aut crimen aliquod judicii ferendi causa, ea ratione, quae in COGNITIO explicata est. *Cic. Verr.* 10. Verres cognoscebat, Verres judicabat. *Id. ad Capit. post ep.* 16, 16, *ad Att.* Cum consules oporteret ex senatus consulto de actis Caesaris cognoscere. *Call. Dig.* 1, 18, 9. Proconsul existimare debet, utrum ipse cognoscat, an judicem dare debeat. *Quint.* 11, 1. Accidit nonnunquam, ut judex eandem causam, de qua pronunciavit, cognoscat iterum. *Plin. ep.* 10, 85. Cognoscere pro tribunali *Ulp. Dig.* 13, 4, 4. ex actione aliqua. *Id. ib.* 28, 5, 35. familiae herciscundae, *h. e.* ex actione familiae herciscundae. Sic *Id. ib.* 27, 2, 2. Judex, qui tutelicae cognoscit. Et *ib.* 23, 2, 13. Judex cognoscens super re aliqua. [**Tac. A.* 13, 32. Isque pro instituto, propinquis coram, de capite famaque conjugis cognovit, et insontem nuntiavit. Hinc de spectatoribus in theatris. *Ter. Eun. Prol.* 42. Aequum est vos cognoscere, atque ignoscere. *Id. Hec. Prol.* 1, 8. Ut neque spectari, neque cognosci potuerit, et al. — Tranfertur etiam ad privatos, homines, qui de re aliqua judicum ferunt. *Ter. Heaut.* 2, 1, 6. Nam et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccatis locus.] ℙ Variis in temporibus syncopen patitur. Legimus enim *cognossem* pro *cognovissem*, et *cognoram* pro *cognoveram* ap. *Cic. Fl.* 21., *Nep. Lysand.* 4, et *Cic. Or.* 1, 31. Sic *cognoro* pro *cognovero Att.* 7, 20., item *Fam.* 2, 11. *in f.* in plerisque editionib. (tametsi *Aldus* habet *cognovero*) et *Att.* 5, 4. *a med.* Praeterea *cognorat* pro *cognoverat*, *Nep. Att.* 10.; et *cognosti* pro *cognovisti*, dixit *Ter. Andr.* 3, 4, 7.; *et cognoris* pro *cognoveris*, *Id. Phorm.* 2, 1, 35. et *Lucr.* 6, 533.; et *cognosse* pro *cognovisse*, *Catull.* 90, 3. *Cognoscendum* pro *cognoscendorum* habet *Pl. Rud.* 4, 4, 101. ℙ [Part. *Cogniturus* ap. *Hirt. B. Alex.* 68. De controversiis tetrarcharum postea se cogniturum esse dixit. *F.*] [**Confunduntur Cognoscere* et *agnoscere*. V. *Drak.* ad *Liv.* 5, 36, 7.]

COGO, is, coëgi, actum, a. 3. impellere, agere, εἰσάγω, ἐλάω: a *con*, et *ago*, *is*. *Cic. Inv.* 2, 32. Vis ventorum, invitis nautis, Rhodiorum in portum navim coegit. *Plin.* 8, 43, 68. Cogere asinum in cursum verberibus. *Pl. Bacch.* 5, 2, 15. oves intro. *Lucr.* 6, 734. nubes ad montes. *Lucan.* 3, 69. nubes Borea cogente sub axem. *Ter. Heaut.* 4, 2, 2. Cogere aliquem in angustum. *Pl. Pers.* 5, 2, 9. in cruciatum, et compedes. *Virg. A.* 7, 509. cuneos. [**Cogere* declarat vel necessitatem motus, vel ex motu compulsionem, prout construitur v. c. *ad*, *in*, *intra*. *Agere* motus continuationem spectat et progressum. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 9, 25.] ℙ Compellere ad aliquid faciendum, vim, aut necessitatem afferre, βιάζομαι, ἀναγκάζω. *Cic. Off.* 3, 13. Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem est? *Id. Fam.* 1, 5. Quorum utrum minus velim, non facile possum existimare: sed, si res coget, est qniddam tertium etc. *Id. Leg.* 2, 7. Hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere. *Id. Or.* 3, 3. Coactus est, ut vita se ipse privaret. *Id. Leg.* 2, 8. Deus cogens et vetans. *Ter. Hecyr.* 2, 2, 26. Vi coepi cogere, ut rediret. *Id. Andr.* 4, 1, 30. Nec te quivit hodie cogere, ut illam duceres. *Caes. B. G.* 1, 6. Existimabant vi coacturos, ut etc. *Nep. Eumen.* 8. Militum id cogebat voluntas. *Id. Themist.* 4. *ad f.* Cogere omnes ingratiis ad depugnandum. *Hor. Ep.* 1, 9, 2. Prece cogere aliquem. *Suet. Caes.* 20. Collegam in eam desperationem coegit, ut etc. *Stat. Theb.* 12, 165. Cogere aliquem in mores, et hominem. *Virg. G.* 2, 62. arbores in sulcum, *h. e.* in sulcum circumarando componere, et veluti culturae assuefacere. *Cic. Rabir. perduell.* 2. aliquem ex constituto spatio defensionis in semihorae curriculum. [**Plin. Pan.* 6, 1. Quod nihil cogitur, i. e. ad nihil cogitur. *Propert.* 1, 3, 30. Neve quis invitam cogeret esse suam, i. e. artibus magicis ad amorem traheret.] ℙ *Cogere in ordinem* quid sit, V. ORDO. ℙ Cum de medicamentis sermo est, significat vim habere, efficere. *Scrib. Compos.* 121. Cito supprimit sanguinem, et vulnus cogit coire. *Id. ib.* 206. *ad f.* Vetera ulcera cicatricem ducere cogit. Adde *ib.* 217. et 227. ℙ Saepissime significat in unum colligere, congregare. *Cato R. R.* 65. et 66. Cogere oleam. *Caes. B. G.* 3, 9. naves quam plurimas. *Id. ib.* 5, 3. equitatum, peditatumque. *Id. B. G.* 1, 15. cohortes ex Marsis, et finitimis ab regionibus. *Pompej. ad Coss. post ep.* 12, 8. *ad Att.* omnes copias Brundisium. *Cic. Fam.* 15, 4. exercitum in unum locum. *Id. Verr.* 2, 2, 57. Pecuniam a civitatibus statuarum nomine. *Id. Leg.* 2, 9. stipem. *Id. Rabir. Post.* 11. pecuniam alicui ex re aliqua. *Id. Fam.* 5, 2. senatum. *Id. Or.* 2, 33. Jus civile diffusum et dissipatum in certa genera cogere. *Propert.* 4, 1, 13. Buccina cogebat priscos ad verba Quirites, *h. e.* convocabat ad concionem. *Quint.* 1, 5. Ex duabus syllabis in unam cogere. *Senec. Hippod.* 401. Cogere comas nodo. *Cels.* 5, 22. *n.* 2. aloes, aluminis, turis . . . . mellis quantum satis sit ad ea cogenda. (*mox*: picis liquidae quantum satis est ad jungendum.) Et *ib. n.* 4. quae urina impuberis pueri coguntur. [**Tac. A.* 6, 2. Et bona Sejani ablata aerario, ut in fiscum cogerentur.] ℙ Item condensare, spissare. *Cic. N. D.* 2, 39. *ad f.* Aer concretus in nubes cogitur. *Virg. G.* 4, 35. frigore mella cogit hiems. *Plin.* 23, 7, 64. cogere lac in duritiam. ℙ *Cogere agmen* est agmen claudere, vel pasteriori parti exercitus praeesse. *Liv.* 34, 28. Primae legionariae cohortes ibant; levis armatura, et equites agmen cogebant. Adde *Curt.* 3, 3. *sub f.* Allegorice *Cic. Att.* 15, 13. Assentior tibi, ut nec duces simus, nec agmen cogamus: faveamus tamen. Et *Senec. ep.* 12. *ad f.* Sic ordinandus est dies omnis, tanquam cogat agmen, et consummet atque expleat vitam. ℙ *Cogere verba in pedes alternos*, ap. *Ov. Trist.* 3, 7, 10. est colligare et constringere elegiaco metro. Sic *adstrictas in nodum cogere voces*, ap. *Auct. Paneg. ad Pison.* 59. est in syllogismos, aut enthymemata orationem componere. ℙ Interdum *cogere* est dicendo concludere. *Cic. ad Brut.* 2, 7. *a med.* Hoc cogere volebat, falsas litteras esse. *Id. Leg.* 2, 13. Sunt autem ea, quae posui, ex quibus id, quod volumus, efficitur et cogitur. ℙ In *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 170. legitur *coguit* pro *cogit*, ut aliquando *tinguo* pro *tingo*.

COHABITĀTIO, onis, f. συνοίκησις. Legitur ap. *August. ep.* 137. *sub f.*

COHABITĀTOR, oris, m. συνοικέτης, qui simul habitat. *August. Serm.* 1. *in Fer. II. Pentec., Cassiod.* 3. *Variar. ep.* 48. **Gloss. Lat. Gr.* Cohabitator, συνοίκος ὁ ἅμα οἰκῶν. *B. A.*

COHABITO, as, a. 1. συνοικέω, simul habito. *Messala Corvin. de progen. Aug.* 23. *a med.* Romulus superatos hostes Romae cohabitare coercuit. Et *ib.* 26. Romae cohabitandos destinat. *Hieron. ep.* 101. Si non cohabitante, saltem vicino te in Domino. Adde *August. ep.* 12.

COHAERĀRIUS, ii, m. pro eo, qui alicui in aliquo munere adjungitur, et auxilii causa cohaeret, legitur a quibusdam ap. *Cic. Leg.* 3, 4., ubi alii rectius *coerator*.

COHAERENS, entis, part. a *cohaereo*, qui cohaeret, connexus, conjunctus. *Cic. Acad.* 1, 7. *ad f.* Natura cohaerens, et continuata cum omnibus suis partibus. *Id. Or.* 2, 80. Membrum cohaerens cum omni corpore. *Tac. Germ.* 16. Connexa et cohaerentia aedificia. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 2, 8. Dicere cohaerentia inter se. *Gell.* 1, 18. *in f.* Aptius et cohaerentius putavit, furem a furvo, id est nigro appellari. *Cic. N. D.* 3, 1. Multa dicta sunt, etiam si minus vera, tamen apta inter se et cohaerentia. *Id. Off.* 3, 3. Haec natura cohaerentia, opinione distraxerunt. *Vell.* 2, 47. Concordia male cohaerens inter Pompejum, et Caesarem.

COHAERENTER, adv. junctim, sine intervallo. *Flor.* 2, 17. Dimicatum est non continue, nec cohaerenter, sed prout causae lacessierant.

COHAERENTIA, ae, f. συνάφεια, σύνταξις, compositio, connexio, conjunctio. *Cic. N. D.* 2, 62. Jam vero circuitus solis, et lunae, reliquorumque siderum, quamquam etiam ad mundi cohaerentiam pertinent, tamen et spectaculum hominibus praebent. *Gell.* 6, 13. Cohaerentia mortis, et vitae. *Id.* 15, 3. Cum quibus verbis praepositio ista neque cohaerentia vocis, neque significatione sententiae convenit. *Macr. Saturn.* 5, 15. regionum *cohaerentiam* vocat quam paulo post *continentiam* dicit.

COHAERĔO, es, haesi, haesum, n. 2. συνάπτομαι, adhaereo, connexus, unitus sum alicui rei. *Cic. Univ.* 5. Mundus ita apte cohaeret, ut dissolvi nullo modo queat, nisi ab eodem, a quo est colligatus. *Id. Top.* 12. *ad f.* Quidquid antecedit quamque rem, id cohaeret cum re necessario. *Plin.* 9, 35, 54. Margaritae cohaerentes in conchis. *Id.* 5, 24, 21. Qui cohaerent Mesopotamiae, Rhoali vocantur. Et 36, 23, 55. Exemplum marmorati est in subigendo, donec rutro non cohaereat. *Ov. Met.* 4, 552. scopuloque affixa cohaesit. *African. Dig.* 47, 2, 63. *a med.* Fructus quamdiu solo cohaerent, fundi sunt. *Papinian. ib.* 49, 17, 16. Dos cohaeret matrimonio. *Quint.* 8, 3. *ad f.* Cohaerere in complexu alicujus. [*De pugnantibus. *Curt.* 3, 11, 4. Conserti et quasi cohaerentes tela vibrare non poterant.] ℙ Ponitur etiam pro constare, compositum esse. *Cic. Leg.* 1, 8. Cum alia, quibus cohaerent homines, e mortali genere sumpserint; animus tamen est ingeneratus a Deo. ℙ Translate. *Cic. Caecin.* 18. Sermo mehercule, et familiaris, et quotidianus, non cohaerebit, si verba inter nos aucupabimur. *Quint.* 11, 1. *ad f.* Legibus cohaeret status civitatis. *Cic. Coel.* 7. In quo non modo crimen non haerebat, sed vix diserti adolescentis cohaerebat oratio. *Id. Or.* 44. Collocabuntur igitur verba, ut inter se quam aptissime cohaereant extrema cum primis. *Id. Fin.* 5,

27. Ea, quae dicit, praeclare inter se cohaerent. *Id. Invent.* 1, 14. Illa, quae dicuntur, congruunt et cohaerent cum causa. *Quint. prooem.* 6. Oratio carens dispositione, tumultuetur necesse est, et sine rectore fluitet, nec cohaereat sibi. *Ter. Andr.* 2, 2, 23. Hem, paulum obsonii; ipsus tristis; de improviso nuptiae: non cohaerent. *Plin. ep.* 7, 7. Est mihi perjucundum, quod viri optimi, mihique amicissimi, adeo cohaesistis, ut invicem vos obligari putetis, *h. e.* eam societatem atque amicitiam iniistis, ut, etc. [**Curt.* 6, 3, 8. Quid? creditis tot gentes alterius imperio ac nomine adsuetas, non sacris, non moribus non commercio linguae nobiscum cohaerentes, eodem proelio domitas esse, quo victae sunt?] ℙ *Cohaerere alicui sanguine* ap. *Quint.* 8, 3. *ad f.* est sanguine conjunctum esse.

COHAERESCO, is, n. 3. *συμπλέκομαι, συμφύομαι,* adhaeresco, cohaereo. *Cic. N. D.* 1, 20. Atomi cohaerescunt inter se. *Plin.* 24, 15, 80. Pituita in gula cohaerescens. *Id.* 20, 16, 64. Digiti tactu cunilae cohaerescentes.

COHAESUS, a, um, part. pass. a *cohaereo,* idem quod cohaerens. *Gell.* 15, 16. *de fissa quercu.* In naturam rediit, stricta denuo et cohaesa.

COHERES, edis, m. et f. *συγκληρονόμος,* qui simul heres institutus est. *Cic. Verr.* 48, 2, 1. *ad f.* Omnibus, quibus hereditas venerit, coheredem praetorem esse oportere. *Id. Fam.* 13, 46. L. Zoilus est coheres meus. *Papin. Dig.* 34, 9, 16. Filiam nepti coheredem dare. *Petr. fragm. Tragur.* 76. *Burm.* Facere aliquem coheredem alteri. *Hor. Sat.* 2, 5, 107. Forte coheredum senior male tussiet. *Inscr.* ap. *Andr. Adami, Stor. di Volseno T.* 2. p. 170. Herennia Januaria coheres.

COHIBENTIA. V. v. seq.

COHIBĔO, es, ui, ibitum, a. 2. *συνέχω,* intus habeo, contineo, comprehendo: a *con,* et *habeo. Cic. Senect.* 15. Terra semen sparsum cohibet, deinde tepefactnm compressu suo diffundit. *Id. Fat.* 9. *ad. f.* Causae cohibentes in se efficientiam naturalem. *Hor. Sat.* 2, 4, 14. Ova marem cohibent callosa vitellum. *Lucr.* 2, 1029. Sidera in se cohibent clarum purumque colorem. ℙ Item sistere. *Stat. Theb.* 10, 393. Cohibere gradum. *Hor. Od.* 4, 6, 34. Feras arcu cohibere. *Sil.* 15, 745. fugam. *Plin.* 29, 3, 11. alvum. *Id.* 28, 6, 17. spiritum. *Id.* 24, 2, 2. capillum. *Id.* 36. 5, 4. *n.* 8. ploratum infantis. *Id.* 27, 11, 69. Idaea herba spissandi, cohibendique naturam habet. ℙ Item includere, coercere, concludere, cingere aliquid, ne exeat. *Cic. Coel.* 5. Cohibere brachium toga. *Curt.* 10, 3. milites intra castra. *Id.* 6, 2. aliquem in vinculis. *Ov. Met.* 24, 224. Aeolus cohibens ventos carcere. *Hirt. B. Afr.* 98. Tempestatibus in portibus cohibebatur. *Hor. Od.* 3, 14, 23. Cohibere crinem nodo, *h. e.* colligare. *Tac. Germ.* 9. parietibus Deos, *h. e.* in aedibus, seu templis simulacra Deorum collocare. *Pl. Mil.* 3, 1, 1. se intra locum aliquem. [**Hor. Od.* 3, 4, 80. Amatorem trecentae Pirithoum cohibent catenae. *Tac. A.* 1, 56. Marsos, congredi ausos, prospero proelio cohibuit. *Id. ib.* 3, 44. Exstitisse tandem viros, qui cruentas epistolas armis cohiberent.] ℙ Translate elegantes habet usus. *Cic. Off.* 2, 5. *ad f.* Cohibere motus animi turbatos. *Id. Mil.* 28. effrenatas libidines a conjugibus aliorum. *Id. Marc.* 3. Animum vincere, cohibere iracundiam. *Prop.* 2, 19, 70. Cohibere gaudia clausa in sinu tacito. *Cic. Manil.* 23. Ab auro, gazaque regia manus, oculos, animum cohibere. *Plin. Paneg.* 14. Parthorum ferociam et superbiam magno terrore. *Cic. Ph.* 3, 2. *ad f.* impetus, et crudelissimos conatus alicujus. *Id. ib.* 5, 13. *ad f.* Ejus furorem ne Alpium quidem muro cohibere possemus. *Id N. D.* 1, 1. A rebus incertis assensionem cohibere. *Id. Acad.* 1, 12. Cohibere semper, et ab omni lapsu continere temeritatem. Et *ib.* 4, 21. et 29. Cohibere assensum ab aliqua re. *Gell.* 1, 11. orationem ferocientem. *Id.* 13, 28. atque includere aliquid infra modicum numerum. *Id.* 12, 5. et coercere intra se violentias effrenati doloris. *Tac. A.* 15, 21. *in f.* ambitionem. [**Plin. Pan.* 79, 3. Cohibere affectus nostros. *Virg. A.* 12, 314. O cohibete iras. *Tac. A.* 3, 11. Satin' cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius. *Id. ib.* 3, 56. Sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur. *Id. ib.* 16, 26. Cohibuit spiritus ejus Thrasea. *Suet. Clar. Rhet.* 6. Cohibente lictore nimias laudantium voces. *Plin. Pan.* Cohibere et comprimere gratiarum actiones. *Id. ib.* 36, 3. Fiscum cohibere, i. e. fisci praefectos coercere, ne contra jus et fas locupletent fiscum.] ℙ Cum infinito. *Hirt. B. G.* 8, 23. Quem timor cohibebat, cujusquam fidei suam committere salutem. ℙ Cum conjunctivo et particula *quominus. Tac. A.* 2, 24. Vix cohibuere amici, quominus eodam mari oppeteret. Adde *ib.* 10. ℙ *Cohibere se* est se refrenare, animum regere. *Ter. Heaut.* 5, 1, 46. Non tu te cohibes? non te respicis? *Gell.* 4, 9. Cohibere se certis legibus et finibus. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Vis ne tu te cohibere, et meminisse hominem te esse natum? V. hic *Manut.* ℙ Pro moderari, regere. *Tac. H.* 1, 11. Rhaetia, Noricum, Thracia, et quae aliae procuratoribus cohibentur. ℙ *Cohibessit* pro *cohibuerit* dictum putant nonnulli a *Lucr.* 3, 445. Corpore qui nostro rarus magis am cohibessit. Sed V. INCOIBESCO. ℙ In illo *Calpurnii Ecl.* 4, 19. Jam puerum calamos, et odorae vincula cetae Jungere nunc cohibes, levibus quem saepe cicutis Ludere conantem vetuisti fronte paterna. *cohibere* scriptum est pro *connivere,* et significat permittere, indulgere. Ita *Salm.* ad *Lampr. Alex. Sev.* 54., ubi plura hac de re. Favent veteres Glossae, in quibus legitur: *Cohibet, καμμύει, καταμύει.* Sic *cohibentia* pro *conniventia* legitur ab eodem in *Cod. Theod.* 9, 40, 15. et *ib.* 10, 20, 10. Verum apud *Calpurn.* al. leg. *Jungere non cohibes:* in Codice vero *conhibentia.* Ita etiam legitur in *Fragm. Cod. Theod.* 5, 13, 2. (ab *Amed. Peyronio* edit.) Si rationalis vel ejus officium per cohibentiam fundum hujusmodi tradendum esse crediderit, summo supplicio sese adficiendum esse cognoscat. Hinc nuperrimus illorum editor *C. F. Ch. Wenckius* substituendum curavit *conniventiam.* ℙ Partic. *Cohibendus* ap. *Cels.* 8, 4. Sanguis spongia in aceto tincta cohibendus est.

COHĪBĬLIS, le, adj. *Gell.* 16, 19. Herodotus celeri, et cohibili oratione fabulam scripsit. Ubi *cohibili* est *cohaerente* et *brevi:* nisi forte legendum est *coibili:* at alii rectius *volubili.* ℙ *Gloss. Lat. gr.* Cohibilis, facilis, *εὔχερής.*

COHĪBĬLĬTER, adv. breviter. *Appul. Apol.* Ordinatius, et cohibilius eadem Graece et Latine admitar describere. *Id. Flor. sub f.* Fabulam in pauca cogamus, quantum potest fieri cohibiliter. Priore loco al. leg. *cohibitius,* al. *coibilius:* quae idem fere significant.

COHĪBĪTĬO, onis, f. cohibendi actus. *Cic. Verr.* 2, 3, 14. *in f.* Cohibitio tollendi, nisi pactus esset, vim adhibebat pactioni, non voluntatem. Al. leg. *prohibitio. Lact. Ira Dei* 18. *a med.* Haec sui cohibitio gloriosa est, qua compescitur aliquod imminens magnum malum, *ἐποχή.* Et *ib. ante med.* Cohibitio irae.

COHĪBĪTUS, a, um, part. a *cohibeo,* inclusus, pressus, coercitus. *Plin.* 2, 43, 43. Spiritus nube cohibitus tonat. ℙ Translate. *Pl. Merc. prol.* 64. Arcte cohibitus a patre filius. *Gell.* 7, 14. Genus dicendi magnificum in Ulyxe, et uber est; subtile in Menelao, et cohibitum. *Auson. Grat. act.* 27. Cujus unquam egressus auspicatior fuit, aut incessus modestior, aut habitudo cohibitior?

COHIRCINĀTIO. V. COLLURCINATIO.

COHONESTĀTUS, a, um, part. a *cohonesto,* ornatus, instructus. *Arnob.* 5. p. 172. Vellem videre patrem illum Deorum bubulis esse cohonestatum cornibus etc. *εἰρωνικῶς.*

COHONESTO, as, a. 1. *τιμάω, ἐπικοσμέω,* honesto, honore afficio. *Cic. Quint.* 15. *in f.* Funus, quo amici conveniunt ad exsequias cohonestandas. *Id. Verr.* 2, 2, 69. *ad f.* Quorum auctoritate tu statuas cohonestare tuas conatus es. *Liv.* 38, 47. Cohonestare victoriam. *Tac. A.* 3, 76. funus laudatione pro rostris, et ceteris solemnibus. ℙ Apud *Plin.* cohonestare defluvia capitis, 22, 13, 15. est corrigere, et cohibere capillorum defluvium, quo caput deturpatur. *Cohonestare res turpes* ap. *Arnob.* 5, 187. est honestis verbis rerum turpitudinem contegere, ut honestae esse videantur.

COHONORO, as, a. 1. cohonesto, honoro. *Paul.* ex *Festo* in *Corona.* Coronae dicuntur, quod cohonorent eos, quibus imponuntur.

[COHORRĔO, es, rui, n. 2. *φρίττω,* horrore corripior ob frigus, aut metum. *Cic. Or.* 3, 2. Tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consecutum esse audiebamus: ex quo cum cohorruisset, cum febri domum rediit. *Id. Somn. Scip.* 1. Quem ut agnovi, equidem cohorrui. *F.*]

COHORRESCO, is, n. 3. idem ac cohorreo. *August. in epist. ad Tib.* ap. *Suet. Tib.* 21. Attenuatum te esse continuatione laborum cum audio, Dii me perdant, nisi cohorrescit corpus meum.

COHORS, hortis, f. idem quod *chors,* (ut ibi dictum est) quae ab ea per syncopen facta est. *Varr. R. R.* 3, 3. In plano cohors, in qua pascuntur gallinae. *Colum.* 8, 3. *ad f.* Cohors ipsa, per quam vagantur gallinae, non tam stercore, quam uligine careat. *Ov. Fast.* 4, 704. de vulpe. Abstulerat multas illa cohortis aves. ℙ Est etiam militum manus, *τάγμα, σπεῖρα.* Ducta est appellatio vel ex eo quod (ut ait *Varr. L. L.* 4, 16.) sicut in villa ex pluribus tectis conjungitur, et quiddam fit unum, sic ex manipulis copulatur cohors: vel ex eo, quod quemadmodum villatica cohors, ita et militaris rotunda esse solet: unde et *globus militum* dicitur. *Caes. B. G.* 3, 1. Constituit cohortes duas in Nantuatibus collocare: ipse cum reliquis ejus legionis cohortibus in vico Veragrorum hiemare. *Id. ib.* 1, 40. Cohors praetoria, *h. e.* quae circa praetorem, seu imperatorem est custodiae causa. *Hirt. B. Alex* 62. Auxiliariae cohortes. *Caes. B. C.* 1, 73. Cohortes alariae, et legionariae. [**Virg. G.* 2, 280. Quum longa cohortes Explicuit legio.] ℙ De *cohortibus praetoriis* et *urbanis,* V. PRAETORIUS. ℙ Differt a *turma,* quae proprie est equitum, *cohors* peditum. *Cic. Marc.* 2. Nihil sibi ex ista laude cohors, nihil turma decerpit. Adde *Fam.* 15, 2. *a med.* Quod vero ap. *Plin. ep.* 10, 107. et 108. legitur *cohors equestris,* putant nonnulli genus cohortium fuisse, in quibus certus esset equitum numerus pediti admixtus: idque colligi etiam ex *ep.* 32. *ejusdem lib.* ubi *ex cohortibus equites duo, centurio unus* nominantur. Quo pertinere videntur *cohortes equitatae,* quarum mentio fit in *Inscr.* ap. *Grut.* 550, 5. et 1108, 5., item alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 365, 3. C. Nonio C. F. An. Caepian. Praef. Coh. III. Britt. equitatae. Huic persimilis est alia ap. *Don. cl.* 6. *n.* 19. Sic *Veg. Mil.* 2, 6. singulis cohortibus, ex quibus legio constituitur, suos adscribit equites, ita ut primae, quae majorem militum numerum habuit, equites 132., reliquis autem omnibus 66. tribuat. *Tac. H.* quoque 4, 19. equites in cohortibus agnoscit. Hi tamen revera non tanquam pars cohortis censendi sunt, sed turmae cohortibus adjunctae. Apud *Liv.* 4, 38. parmata cohors dicitur globus equitum, qui, decurione hortante, ex equis desilientes impetum hostium sistunt. [**Virg. A.* 11, 500. Quam tota cohors imitata relictis ad terram defluxit equis. *Heyn. cohors* pro *turma*: nam equitum h. l. est.] De *cohortibus* vero *equitatis* multa disserit *Franc. Ant. Zacharia* in *Gorii Symb. Litter. Flor.* T. 4. p. 157. ℙ In legione Romana decem fuere cohortes, quarum prima reliquas et numero militum et dignitate praecedebat. Olim cum legio sex millibus militum constabat, sexcenti in cohorte fuerunt in tres manipulos divisi, ut ex *Cincio* docet *Gell.* 16, 4. Deinde aucto legionis numero, cohortium quoque ratio mutata est. Quare *Veget. l. c.* suo tempore in singulis cohortibus, praeter primam, milites fuisse ait 555., equites 66., *h. e.* turmas duas: primae vero 1105., equites 132., *h. e.* turmas quatuor. ℙ Aliquando per cohortes auxiliaris miles designatur. *Flor.* 3, 21. Cum hinc octo legiones, inde quingentae cohortes starent in armis. ℙ Speciatim *cohors* dicta est de comitatu, seu satellitio magistratuum in provincias euntium: quae partim erat officialium iis inservientium, partim voluntariorum sine officio. Hi erant adolescentes nobiles, qui sua sponte cum proconsulibus exibant, ut usu rerum peritiores domum redirent. *Cic. Verr.* 2, 2, 27. Quidquid ab eo peteretur, judicem de sua cohorte daturum. *Id. ib.* 2, 1, 14. Cohors praetoria. Adde *Hor. Ep.* 1, 8, 14. [**Tibull.* 1, 3, 2.] ℙ Per synecdochen dicitur de toto exercitu. *Stat. Th.* 5, 672. anne ducem, servatricemque cohortis Inachiae ingratis coram tot millibus audes Mactare? ℙ Sumitur etiam pro quacumque congregatione, aut turba. [**Virg. A.* 10, 328. Cohors stipata fratrum. *Ov. Met.* 11, 89. Hunc adsueta cohors Satyri, Bacchaeque frequentant.] *Suet. Cal.* 19. et *Curt.* 6, 2. Cohors amicorum. *Gell.* 2, 18. Phaedon ex cohorte illa Socratica fuit. *Stat. Th.* 11, 292. Famulae cohortes, *h. e.* servorum. *Plin.* 8, 40, 61. Cohortes canum. *Hor. Od.* 1, 3, 31. febrium. *Gell.* 1, 9. *in f.* disciplinarum. *Claudian. Phoen.* 77. alituum. ℙ *Cohortum* pro *cohortium* est in *Inscr.* ap. *Mur.* 832, 9., si modo sana est lectio.

COHORTĀLĪNUS, a, um, adj. cohortalis miles, et speciatim palatinae militiae adscriptus. *Impp. Honor. et Theod. Cod. Theod.* 16, 5, 48. Cohortalina militia. *Iidem ib.* 6, 35, 14. Cohortalinorum militia. ℙ Apud sequioris aevi scriptores legitur *curtalinus,* quia *curs* ab iis pro *chors,* seu *cohors* dictum est. Habetur apud *Paul. Nolan. ep.* 22. (al. 7.) 2.

COHORTĀLIS, le, adj. ad cohortem villaticam pertinens. *Colum.* 8, 2. Cohortalis est avis, quae vulgo per omnes fere villas conspicitur. Et *ib.* Exercetur cohortalis ratio, quam Graeci vocant *ὀρνιθοτροφίαν. Cels.* 2, 18. *a med.* Pullus cohortalis. ℙ Idem ad cohortem militarem, et speciatim ad praetoriam pertinens. Hinc *Imp. Zeno Cod.* 12, 58. *qui est De Cohortalib. et principib. cornicullariis, ac primipilariis,* 13. Cohortale officium. *Imp. Constant. ib.* 6, 62, 3. Cohortali conditione gravatus. *Imp. Leo ib.* 1, 39, 13. Cohortalibus obsequiis obligatus. *Impp. Valent. et Valens ib.* 51, 2. Cohortalium corpus.

COHORTĀTĬO, onis, f. *παράκλησις,* hortatio. *Cic. Att.* 16, 13. *ad f.* Incredibiliter me commovet tua cohortatio. *Id. Or.* 1, 47. Concitare aliquem cohortatione sua ad studium cognoscendae virtutis. *Nep. Annib.* 11. Facere cohortationem militum. *Cic. Cluent.* 50. Cohortatio judicum ad honeste judicandum. [*Tac. A.* 14, 30. Cohortationes ducis.]

COHORTĀTĬUNCŬLA, ae, f. brevis cohortatio. *Ambros. lib. ep.* 4, 33. *ad Demetriad.* Adhibere cohortatiunculas.

COHORTĀTUS, a, um, part. a *cohortor,* significationis activae. *Caes. B. G.* 1, 25. Cohortatus suos, proelium commisit. ℙ Passive. *Cato* ap. *Gell.* 15, 13. Exercitum suum pransum, paratum, cohortatum eduxit foras, atque instruxit.

COHORTĪCŬLA, ae, f. dimin. cohortis. *Coel.*

ad *Cic. Fam.* 8, 6. Bibulus in Amano nescio quid cohorticularum amisit.

COHORTO, as, a. 1. cohortor. *Claud. Quadrigar.* ap. *Non.* 7, 35. Et dicerent, castra facta esse, atque hos cohortarent uti maturarent.

COHORTOR, aris, atus sum, dep. 1. παραινέω, ἐπικελεύω, idem quod *hortor*, vel simul, aut valde hortor. *Cic. Or.* 2, 9. Quis cohortari ad virtutem ardentius, quis a vitiis acrius revocare? *Id. Fam.* 2, 4. Teque ad studium summae laudis cohortabor. *Id. Phil.* 4, 5. Sic ego vos ardentes, et erectos ad libertatem recuperandam cohortabor. ℙ Cum infinito. *Hirt. B. Alex.* 21. Cohortando suos ad pontem, et munitiones contendere. Adde *Tac. A.* 12, 49. ℙ Cum conjunctivo, et particula *ut. Caes. B. C.* 3, 82. Scipio milites cohortatur, ut praedae participes esse velint. Adde *Tac. Agr.* 36. ℙ Et cum particula *ne. Caes. B. G.* 7, 86. Cohortatur, ne labori succumbant. *Id. B. C.* 3, 43. Cohortatur suos, ne animo deficiant. *Suet. Galb.* 10. Cohortantibus invicem, ne etc. ℙ Part. *Cohortandus* ap. *Caes. B. G.* 2, 20. Acies instruenda, milites cohortandi, signum dandum.

COHOSPES, itis, qui simul cum alio hospes est. *Paul. Nolan. carm.* 21, 385. et *carm.* 24, 438., qui *epist.* 32. *sect.* 6. cohospitans, antis usurpavit.

COHUM, lorum, quo temo buris cum jugo colligatur: a cohibendo dictum. *Fest.* ℙ Item coelum apud poetas: a *chaos*, ex quo putabant coelum esse formatum. *Idem.* Alii scribunt *covum. Scalig.* autem *ad Fest.* affert ex *Enn.* hujusmodi fragmentum: *complere cohum* (al. *covum*) *terroribu' coeli.* Ubi videtur significare cavum coeli, et ut est apud *Virg. A.* 4, 451. coeli convexa.

COHUMIDO, as, a. 1. *Appul. Met.* 8. Cohumidare genas lacrimis.

COIBILIS, le, adj. qui facile coit, et cohaeret. V. exemplum in COHIBILIS, ex *Gell.*

COIENS, euntis, part. a *coeo*, quod in recto casu non est, quod sciam, in usu. *Ov. Trist.* 4, 4, 41. Rumpere vulnera nondum coeuntia. *Sil.* 1, 52. Coeuntes ripae.

COIMBIBO, is, a. 3. simul imbibo. *Arnob.* 5, 178. Si aperte hoc facere confessis maledictionibus coimbibissetis.

[COINQUENDA, ae, f. Deae nomen apud Romanos, quae eadem ac Commolenda. Ita porro est appellata, quia lucis et arboribus coinquendis praerat, ideoque eidem oves immolabantur, antequam arbores coinquerentur, sive caederentur vel interlucarentur. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 43. *lin.* 10. Fratres Arvales Vestae matri oves II., item Adolendae Coinq*uendae* oves II. immolavere. V. *eund. ib.* p. 309. et 380. de eadem plurima disserentem, et V. COMMOLENDA. *F.*]

[COINQUILINUS, i, m. qui simul locum aliquem incolit. *Not. Tir.* p. 21. Inquilinus, coinquilinus. *F.*]

COINQUINATUS, a, um, part. a *coinquino*, inquinatus, conspurcatus. *Colum.* 8, 5. *post med.* Coinquinatus stercore. ℙ Translate. *Prud. Cath.* 6, 53. Qui coinquinatum vitiis cor impiavit. *Arnob.* 7. p. 222. Quid his esse potest coinquinatius?

COINQUINO, as, a. 1. συμμιαίνω, μολύνω, commaculo, conspurco, inquino. *Colum.* 8, 7. Coinquinari stercore. ℙ Item contagione labefactare. *Colum.* 7, 5. *ante med. de morbo ovium.* Cui primo quoque tempore occurrendum est, ne totam progeniem coinquinet. *Senec. ep.* 2. Fastidientis stomachi est, multa degustare: quae ubi varia sunt, et diversa, coinquinant, non alunt. ℙ Translate. *Vet. Poeta* ap. *Cic. N. D.* 3, 27. Matres coinquinari regias, contaminari stirpem, admisceri genus. *Val. Max.* 6, 1. *n.* 6. Coinquinare se crimine stupri. *Id.* 9, 7. se maximo scelere. *Arnob.* 4. p. 151. alicujus famam et vitam. ℙ Apud *eund.* 5. *sub f.* et alibi legitur *conquino*, non tamen certa ubique lectione. At *Mar. Victorin.* p. 2467. probat *conquinat*, damnat vero *coinquinat.*

COINQUIO, is, a. 4. et Coinquo, is, a. 3. συμμιαίνω, idem ac coinquino: a *cum*, et *inquio* pro *inquino.* Proprie usurpatur de amputatione sacrarum arborum: quae in alicujus numinis luco crescerent, quae cum incaeduae et inviolabiles essent, profanari videbantur, si amputarentur, ideoque, (teste *Plin.* 17, 28, 47.) *Cato* arbores religiosas lucosque succidi permisit piaculari sacrificio prius facto. Hinc *Festus.* Coinquire est deputare. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 43. *l.* 15. Arbores adolefactae, et coinquendae. Alia *ib. n.* 35. *l.* 7. Luci coinquendi, et operis faciendi causa. *Alfen. Dig.* 19, 2, 29. In lege locationis scriptum erat: Redemptor silvam ne caedito, neve coinquito, neve deurito, neve quem coinquere, caedere, urere sinito. Alii leg. *cingito*, *coinquere.* Addunt nonnulli locum *Paul. Dig.* 27, 7, 5. ubi est eadem lectionis varietas. Alium locum *Festi* V. in SCRIBONIANUS. *Trebat.* 7. *de relig.* ap. *Serv.* ad *Virg. A.* 11, 316. Luci qui sunt in agris, qui concilio (lege *novitio*) capti sunt, hos lucos eadem caeremonia moreque conquiri (lege *coinquiri*) haberique oportet, ut ceteros lucos, qui in antiquo agro sunt.

COINTUS pro *quintus* Graecorum more, qui κοίντος scribunt, legitur in antiqua *Inscr.* ap. *Pier.* ad *A.* 7, 648.

COITIO, onis, f. συνέλευσις, συνουσία, actus coeundi. Dicitur fere de conventu, et coetu hominum occulte inito ad conspirandum contra aliquem; et significat etiam ipsam conventionem, seu pactum, quod in coitione fit. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 5. Quod scribis te audisse, in candidatorum consularium coitione me interfuisse, id falsum est. Ejusmodi enim pactiones in ea coitione factae sunt, quas etc. *Id. Planc.* 22. Coitionem facere. *Id. Att.* 4, 18. dirimere. Adde *Cluent.* 54. [**Liv.* 3, 65. Cum per coitiones potentiorum hominum injuria fieret.] ℙ Pro simplici congressu, et colloquio. *Ter. Phorm.* 2, 2, 32. Senex adest: vide, quid agas: prima coitio est acerrima. Si eam sustinueris, post illa jam, ut lubet, ludas licet. ℙ Pro coitu venereo. *Solin.* 49. *in f. de camelis.* Inventum est, ut desiderium in eis coitionis quadam castratione exsecraretur. *Macr. Sat.* 7, 16. In omni genere animantium, quae ex coitione nascuntur. Adde *Lactant.* 1, 8.

COITUS, a, um, part. a *coeo*, initus. *Nerat. Dig.* 12, 4, 8. Quod dotis causa nondum coito matrimonio datur. *Ulp. ib.* 17, 2, 52. Si plures sint inter eosdem societates coitae. *Id. ib.* 3. Societate sine pupilli auctoritate coita, pupillus non tenetur. Adde *Ammian.* 26, 6.

COITUS, us, m. συνουσία, conjunctio, unio, coitio. *Cels.* 2, 10. *in f.* Digito vena fricanda, ut recens coitus ejus resolvatur, iterumque sanguinem fundat. *Id.* 5, 18. *n.* 31. Prodest ea compositio etiam ad omnem coitum humoris emolliendum. *Id.* 6, 7. *n.* 7. Sordium coitus in auribus. *Quint.* 9, 4. Coitus syllabarum (ut fit per synaeresin). *Gell.* 1, 25. *ad f.* Coitus, et copula vocum. *Plin.* 2, 9, 6. Luna morata in coitu solis biduo, *h. e.* in conjunctione solis cum renovatur. [**Curt.* 9, 4. Coitus amnium.] ℙ Pro congressu venereo animalium. *Cels.* 2, 1. *ad f.* Si neque pubertate, neque primis coitibus finita sunt. *Stat. Theb.* 10, 796. Monstrifer coitus. Adde *Gell.* 19, 2. *in f.* et *Plin.* saepe. ℙ [*Dicitur etiam de hominibus. *Suet. Hor.* Ut quocumque respexisset, ibi ei imago coitus referretur. Interdum idem esse videtur, quod matrimonium *Suet. Cal.* 25. Lolliam Paullinam perductam a marito conjunxit sibi, brevique missam fecit, interdicto cujusquam in perpetuum coitu. *Ov. Met.* 7, 709. Sacra tori, coitusque novos, thalamosque recentes, Primaque deserti referebam foedera lecti.] ℙ Est etiam arborum coitus, cum aliqua ratione mas arbor feminae adjungitur. De coitu palmarum *Plin.* 13, 4, 7. ℙ Etiam insitio hoc nomine appellatur, ut est ap. *eund.* 17, 14, 24. Item prima arborum germinatio. *Id. ib.* 2, 2.

COJUX. V. CONJUX in f.

COIX, icis, f. κόϊξ, κόϊκος. Coices appellantur palmae cujusdam generis in Aethiopia, de quibus *Plin.* 13, 4, 9.

COLAEPIUM. V. COLIPHIUM.

COLAPHIZO, as, a. 1. κολαφίζω, colapho percutio. *Tertull.* 5. *adv. Marcion.* 12. *de fuga in persecut.* 2. ex *Corinth.* 2, 12, 7.

COLAPHUS, i, m. κόλαφος, ictus manu in pugnum compressa inflictus: a κολάπτω, tundo. *Plin.* 8, 36, 54. Ursi saepe in arena colapho infracto (*capite*) exanimantur. *Ter. Adelph.* 2, 2, 37. Colaphis tuber est totum caput. *Id. ib.* 2, 1, 46. Infringere alicui colaphos plus quingentos. *Juven.* 9, 5. Colaphum alicui incutere. *Quint.* 6, 3. ducere. *Pl. Pers.* 5, 2, 65. Icere colaphum. *Id. ib.* 2, 4, 22. Defigere aliquem in terram colaphis. *Id. Rud.* 4, 3, 68. Verbum adde etiam unum: jam in cerebro colaphos abstrudam tuo. *Id. Capt.* 1, 1, 20. Perpeti colaphos. ℙ *Tertull. Spectac.* 18. pro alapa sumere videtur ubi ait: Pugnos, et calces, et colaphos, et omnem petulantiam manus etc. ℙ Ex locis supra allatis illud argui posse videtur, *colaphum*, Graece κόλαφον, significare eam percussionem, et quae pugno fit, sive manu compressa; et quae manu aperta, ejusque parte interiore, a Latinis etiam *alapa* dicta, ab Italis *schiaffo* cum *colapho* sono item conveniente: quaeque demum fit manu aperta, ejusque parte exteriore, quam Itali *manrovescio* et *rovescione* appellant.

[*COLAPIANI, orum, m. plur. populi Pannoniae, ita appellati a Colape amne in Savum influente, nunc *Kulpa*, qui a *Dione* 49. Κόλοψ dicitur. *Plin.* 3, 25, 28. Savus per Colapianos, Breucosque. *F.* et *B. A.*]

COLAPIS, is. V. v. anteced.

[COLARNI, orum, m. plur. populi Lusitaniae, quorum meminit *Plin.* 4, 22, 35. *Inscr.* ap. *Grut.* 162, 5. Municipia provinciae Lusitaniae stipe conlata, quae opus pontis perfecerunt, Icaeditani, Colarni etc. *F.*]

*COLATIO, Norici oppidum. *Tab. Peut. B. A.*

COLATORII, equi dicuntur a *Veg. Vet.* 4, 5. *ad f.* (si modo ea verba *Vegetii* sunt, et non ab aliena manu inserta) quos *tolutarios* antiquiores Latini appellant. Imo ap. *Senec. ep.* 87. ubi habetur *tolutariis*, in omnibus MSS. legisse se *colutariis*, aut *colatariis* testatur *Salm.* ad *Capitol. Maximin.* 3., ex quibus libenter, inquit, emendarem *colatoriis.* Nam ita dicti sunt equi minutim ambulantes, Graece σακκισταὶ, vel σακκιστοὶ, a sacco, vel colo, quod minutim vacuefieri consuevit. Haec et plura ibi *Salm.*

COLATURA, ae, f. quod colando remanet. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 3. Urina ita subalbida, ut colaturae liquidae colorem fingat.

COLATUS, a, um, part. a *colo*, *as*, purgatus, percolatus, ἡθείς. *Plin.* 31, 8, 44. Colata faex. *Id.* 25, 13, 103. Succus linteo colatus. *Id.* 21, 14, 49. Favi sporta colati. ℙ Translate. *Tert. Anim.* 48. Certiora, et colatiora somniari affirmant sub extimis noctibus. *Id. ib.* 9. Berylli fluctuant colato nitore.

COLAX, ăcis, m. κόλαξ, assentator: a κολακεύω, adulor. Est parasiti nomen in *Ter. Eun. prol.* 30. ℙ [*Fabulam fecit Naevius h. nomine inscriptam, ut *Ter.* memorat *Eun. prol.* 25. Cf. *Herm. opusc.* 2, 277. ubi egregie disputatur contra *Bentl.*, qui pro *Naevii et* legendum censuit et in textum recepit *nempe.* Fragmenta hujus fabulae sunt apud *Non.* in v. *prolubium.* p. 64, 9. ap. *eund.* in v. *Collum* p. 200, 24. et in v. *protinus* p. 376, 11. s. v. *multare* p. 462, 32. *Prisc.* 9, 874. *sub f.*]

[COLAXES, is, m. Κολάξης, rex Bisultarum, Jovis, et Orae nymphae filius, cujus meminit *Val. Fl.* 6, 48. ductorque Colaxes, Sanguis et ipse Deûm. *F.*]

COLCHI, orum, populi Asiae inter orientale litus Euxini Ponti, et Iberiam, veneficio infames, et Medeae ac Iasonis memoria, fabularumque involucris apud poetas nobilitati. *Hor. Od.* 4, 4, 63. *Plin.* 6, 4, 4.

COLCHIACUS, a, um, adj. idem quod Colchicus vel Colchus. *Prop.* 2, 1, 56. Colchis Colchiacis urat arena focis. Al. leg. *Iolchiacis*, rectius.

COLCHICUS, a, um, adj. qui est ex Colchide. *Hor. Ep.* 17, 35. Calet venenis officina Colchicis. ℙ *Colchicum*, *i*, herba est venenata, ut cicuta. *Plin.* 28, 9, 33.

*COLCHINIUM, i, Dalmatiae oppid. postea Olcinium appellatum, hodie *Dulcigno. Plin.* 3, 23. *B. A.*

COLCHIS, idis, f. nunc *Mengrelia*, Κολχίς, regio Asiae, pars Georgiae, inter Pontum Euxinum ad Occ., et Iberiam ad Or. Caucaso monte separante, Armeniam ad Austr., Sarmatiam ad Bor. *Val. Fl.* 5, 505. Vix tandem longis quaesitam Colchida votis Contigimus. ℙ Est etiam gentile femin. et speciatim Medeae nomen apud poetas. *Hor. Ep.* 16, 58. Neque impudica Colchis intulit pedem. *Prop.* 2, 17, 11. Colchida sic hospes quondam decepit Iason. Adde *Juv.* 6, 643. ℙ Et *gens Colchis* pro gente Colchorum, *Val. Fl.* 3, 418.

COLCHUS, a, um, adj. qui est ex Colcho, Colchicus. *Hor. A. P.* 118. Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis. *Ov. Fast.* 3, 876. Domus Colcha. *Id. Met.* 7, 394. Sed postquam Colchis arsit nova nupta venenis. *Mart.* 12, 57. Cum secta Colcho Luna vapulat rhombo, *h. e.* magicis artibus.

COLEATUS, a, um, adj. coleos habens. *Pomp.* ap. *Non.* 2, 872. Ubi insilui in coleatum equuleum, ibi tolutim tortor. V. COCHLEATUS. *Id. ib.* 7, 20. Incoepi contui: conspicio coleatam cuspidem. τὸ αἰδοῖον ἀρρενικὸν, ut *Turn. Adv.* 6, 9. interpretatur.

[COLENTINI, orum, m. plur. incolae insulae, quae a *Plin.* 3, 21, 25. Colentum, a *Ptol.* 2, 17. Κόλλεντον, appellatur. *Plin.* 3, 22, 26. Ex insulis Issaei, Colentini, Epetini. *F.*]

COLENTUM, i, insula. V. v. praec.

COLES. V. COLIS.

COLEUS, i, m. ὄρχις, testiculus: est a κολεὸς, Ionice κουλεὸς, vagina. V. PSOLOIS. *Cic. Fam.* 9, 22. *Mart.* 12, 84. et *Auct. Priap.* 14. Stamus sub Jove coleis apertis ℙ *Si coleos haberemus*, *h. e.* si viri essemus, vel ut *Pers.* loquitur 1, 103. si testiculi vena ulla paterni Viveret in nobis: *Petr. fragm. Trag.* 44. *Burm.* Sed si nos coleos haberemus, non tantum sibi placeret.

COLIAS, ae, m. ὁ κολίας, genus piscis e genere lacertorum. *Plin.* 32, 11, 52.

COLICE, es, f. V. in COLICUS.

COLICARIA, Italiae opp., in Gallia cispadana, Mutinam inter et Hostiliam. *Ant. Itin. B. A.*

COLICULUS, i, m. καυλὸν, parvus colis cauliculus. *Cato R. R.* 158. Coliculus brassicae. *Id. ib.* betae. *Colum.* 12, 7. apii. ℙ Dicitur etiam de tenellis ac viridibus ramusculis arborum. *Varr. R. R.* 1, 31. Coliculus viteus intortus, ut cincinnus, *h. e.* capreolus, clavicula. *Colum.* 5, 9. *a med.* Arbor coliculum agit. ℙ Absolute usurpatus, ut caulis, a quo procedit, est species brassicae. V. CAULIS. *Edict. Diocl.* p. 15. Coliculi optimi quinque ✠ quattuor, sequentes n. decem ✠ quattuor.

COLICUS, a, um, adj. κωλικὸς, ad colon intestinum pertinens. Hinc *colicus* dicitur qui coli doloribus laborat. *Plin.* 20, 12, 48. Ergo etiam coeliacis Philistion dedit; et coctum dysentericis, et colicis Plistonicus. Ita *Hard.* ex MSS. ℙ *Coli-*

cum medicamentum, quod datur ad coli dolores. *Cels.* Graece habet 4, 14. Medicamentum, quod *χωλικὸν* nominatur. ℙ Hoc idem dicitur *colice, es*, *χωλικὴ ἀντίδοτος*. *Cels.* 5, 25. *n.* 12. Colice Cassii ex his constat: croci, anisi, castorei, etc. Adde *Scrib. Comp.* 120. et 121.

COLĪGO, iginis f. domus, quae incolitur. *Arn.* 2. p. 91. In penetralibus coliginis perpetuos fovetis focos. Al. leg. *in penetralibus Vestae ignes perpetuos*, etc. Priorem lectionem tuetur *Salmas.* tum ad *Tert. Pall.*, tum *in Exercitat. Plin.* non semel: additque etiam *colium* hac significatione usurpari apud *Tert. Spect.* 5. ubi hujusmodi affert inscriptionem arae cuidam insculptam: *Consus consilio, Mars duello, Lares colio potentes.* ubi alii leg. *comitio.* V. *Salmas.* in *Exercitat. Plin. p. m.* 913.

*COLIMĬA, ae, vetus nomen Cypri insulae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

COLĬPHĬUM, ii, n. cibus, quo utebantur athletae ad vires firmandas. Olim vescebantur siccis ficubus, quia magnam vim habent ad augendum robur corporis: sed Pythagoras quidam athleta carnium primus usum invexit, ut *Plin.* 23, 7, 63. docet. Videri itaque possint coliphia esse pultes ex assis, et concisis carnibus confectae, suillis maxime, et bubulis, quas luctaturi comederent, ut essent validiores. *Pl. Pers.* 1, 3, 12. Collyrae facite ut madeant, et coliphia: ne mihi incocta detis. *Mart.* 7, 67. Cum coliphia sexdecim comedit. *Juv.* 2, 53. Luctantur paucae, comedunt coliphia paucae. ℙ Juvat hanc interpretationem Graeca vox *κωλήπια*, (a qua *Salm.* originem ducere ait) quae significat summitates membrorum animalium, a *κώλην*, talus, perna, vel a *κωλὴν*, petiolus. Utebantur enim carnibus; quae minimum succi, et pinguedinis haberent, quaeque maxime aridae essent et siccae. Quod autem saepe ex carne suilla coliphia fierent, confirmatur ex illo *Petr. fragm. Tragur.* 70. *Burm. de coquo ingenioso.* Volueris, de bulba (h. e. *vulva*) faciet piscem, de lardo palumbum, de perna turturem, de colaepio (lege *coliphio*) gallinam. ℙ Nihilominus *Vet. Schol. Juv.*, eumque secuta tota fere interpretum natio, quibus contraire non ausim, *coliphia*, fuisse dicunt panes azymos recenti caseo commixtos: deducuntque a *κῶλον*, membrum, et *ἴφι* valide, fortiter, quod membris vires adderent. Docent etiam in formam veretri fuisse confectos: ut de iis intelligi possit illud *Mart.* 14, 69., cujus lemma est *Priapus siliqineus.* Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum. ℙ Quidam scribunt *colliphia.*

COLIS, et Coles, is, m. *καυλὸς*, idem quod *caulis;* quemadmodum dicitur *plaustrum plostrum*, *cauda coda*, etc. *Cato R. R.* 35. Coles rapicii. ℙ De tenello ramusculo vitium. *Varr. R. R.* 1, 31. Pampinare ex sarmento coles, qui nati sunt. Et *mox.* Ne relictis colibus sarmentum nequeat ministrare succum. *Colum. R. R.* 5, 6. *sub f.* Coles vinearii. Adde *Arbor.* 9. ℙ Translate sumitur pro virili membro. *Cels.* 6, 18. *n.* 2. Si ex inflammatione coles intumuit. *Id. ib.* Coles sub cute exesus. Adde 7, 25. ℙ Rectus casus *colis* firmatur *τῶ caulis.* V. *Fuit et Colis, dis, f. *Κωλὴ ἄκρα, Κωλιὰς ἄκρα*, Indiae promontorium. *Mela* 3, 7. Promontorium Coliacum audit *Plin.* 6, 22. *B. A.* [*Hodie dicitur *Romanan-Koil.*]

[COLĬTOR, oris, m. idem ac cultor. *Inscr.* ap. *Mur.* 126, 1. Pro salute Sacerdotum, et kandidatorum, et colitorum hujus loci. *F.*]

COLĬUM. V. COLIGO.

COLLĂBASCO, et Conlabasco, is, n. *συνολισθαίνω*, collabi incipio, nuto, casum minitor. *Lucr.* 3, 600. Conquassatur enim tum mens, animaeque potestas Omnis: et haec ipso cum corpore collabascunt. Al. leg. *collabefiunt*, quia prima syllaba in *labo, as*, brevis est. ℙ Translate. *Pl. Stich.* 4, 1, 16. Ut cuique homini res parata est, firmi amici sunt: si res lassa labat, itidem amici collabascunt.

COLLĂBĔFACTĀTUS, et Conlabefactatus, a, um, part. a *collabefacto*, collabefactus. *Lucr.* 1, 492. Collabefactus rigor auri solvitur aestu.

COLLĂBĔFACTO, et Conlabefacto, as, a, 1. labefacto, corrumpo, *λυμαίνω*. *Ov. Fast.* 1, 566. Et vastum motu collabefactat onus.

COLLĂBĔFACTUS, a, um, part. a *collabefio*, labefactus, corruptus, *λυμανθείς*. *Lucr.* 4, 698. quod fracta magis redolere videntur Omnia, quod contrita, quod igni collabefacta. Al. leg. *concalefacta.* ℙ Translate. *Nep. Arist.* 1. A Themistocle collabefactus testula illa, exsilio decem annorum multatus est, *h. e.* dejectus, oppressus.

COLLĂBĔFĬO, is, n. solvor, corrumpor. *Caes. B. C.* 2, 6. Naves adeo graviter inter se concitatae conflixerunt, ut vehementissime utraeque ex concursu laborarent; altera vero, praefracto rostro, tota collabefieret.

COLLĂBELLO, et Conlabello, as, a, 1. labra labris adjungo. *Laberius* ap. *Non.* 2, 168. Collabella osculum.

COLLĂBOR, et Conlabor, eris, apsus sum, dep. 3. *συνολισθαίνω*, *πίπτω*, labor, vel simul cum alio labor, concido, corruo. *Ov. Met.* 6, 295. Haec frustra fugiens collabitur. *Petr. Sat.* 94. Collabi ante pedes alicujus. *Val. Flacc.* 7, 152. et in miserae collabitur ora sororis. *Suet. Caes.* 81. Fastigium domus collabitur. *Tac. A.* 2, 31. Ad gemitum collabentis adcurrere liberti. *Stat. Achill.* 1, 195. Collabi saxo. ℙ Translate. *Pl. Truc.* 3, 2, 3. Hic clanculum collapsus est in corruptelam suam.

COLLĂBORO, et Conlaboro, as, n. 1. simul laboro, simul curam ago. *Tert. Poenit.* 10. Non potest corpus de unius membri vexatione laetum agere: condoleat universum, et ad remedium collaboret, necesse est.

COLLĂCĔRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *collacero*, idem quod laceratus. *Tac. H.* 3, 74. Confossum, collaceratumque corpus.

COLLACRĪMĀTĬO, onis, f. idem quod lacrimatio. *Cic. Or.* 2, 45. Signa doloris voce, vultu, collacrimatione denique ostendere.

COLLACRĪMO, et Conlacrimo, as, a. 1. *δακρύω*, idem quod lacrimo, vel simul lacrimo, fleo. *Cic. Somn. Scip.* 1. Complexus me senex collacrimavit. *Id. Sext.* 58. Histrio casum meum collacrimavit. *Pl.* ap. *Gell.* 1, 24. simul omnes collacrimarunt. Adde *Ter. Andr.* 1, 1, 82.

COLLACTĂNĔUS, et conlactaneus, a, um, adj. *ὁμογάλακτος*, *σύντροφος*, qui simul cum alio eodem est lacte nutritus. *Paul. Dig.* 40, 2, 13. Si collactaneus, vel educator, etc. *Scaevola ib.* 34, 4, 30. Titia testamento Sejam libertam, eandemque collactaneam heredem instituerat *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 149, 4. Anniae Aquilinae collactaneae C. Javolenus Severus B. M. posuit.

COLLACTĔUS, et Conlacteus, a, um, adj. idem quod collactaneus: quamvis *Charis.* 1, 62. dici negat. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 16. Verna collacteus Drusi. Adde aliam apud *Grut.* 585, 8. et *Capell.* 1. p. 3. et 2. p. 27. ℙ Quidam tribuunt etiam *Juvenali* 6, 306., sed incerta est lectio.

COLLACTĬUS, a, um, adj. collacteus. *Inscr.* ap. *Grut.* 632, 8. et 661, 2 et 3. et alibi. Alia ap. *Clem. Cardinali Iscriz. Veliterne* p. 129. *n.* 65. L. Faenius Vitalis Faeniae L. F. Priscillae sorori, vix. an. I. mensibus XI. diebus XXIV., Faeniae Hygiae collactiae ejus, vix. an. I. menses IX., L. Faenio Phileto patri, Faeniae Medusae matri fecit, sibi, suis, posterisque eorum. Cum L. Faenius Vitalis Faeniam Priscillam appellet sororem, Faeniam vero Hygiam collactiam, nec hujus patris mentionem faciat, apparet, hanc a Faenia Medusa una cum filia Faenia Priscilla lacte nutritam fuisse, ideoque collactiam Priscillae, ac simul Medusae alumnam fuisse. V. ALUMNUS. ℙ Scribitur et *conlactius. Hygin. fab.* 224. Croton conlactius musarum.

COLLAETOR, et Conlaetor, aris, dep. 1. simul laetor, congaudeo, *συγχαίρω*. *Tert. Idol.* 14. Collaetemur ex communione naturae.

COLLAEVO, vel Collevo, et Conlaevo, as, a. 1. laevem reddo, laevigo, *ἐπιλειαίνω*. *Senec. ep.* 64. *a med.* Hoc medicamento asperitas oculorum collaevatur. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 19. Collaevare plagam arboris falce. *Id.* 23, 1, 18. Mustum prodest interaneis vesicae: collaevat enim ea.

COLLAPSĬO, onis, f. casus, ruina. *Jul. Firmic. de err. proph. relig.* 21. Cadentium fulminum funesta collapsio.

COLLAPSUS, et Conlapsus, a, um, part. a *collabor*, delapsus, *συμπεπτωκώς*. *Liv.* 35, 9. Circa portam Flumentanam collapsa quaedam ruinis sunt. *Suet. Aug.* 30. Aedes sacrae vetustate collapsae. *Tac. A.* 2, 47. Duodecim celebres urbes collapsae nocturno motu terrae. *Curt.* 8, 2. *in f.* Inter manus regis collapsus exstinguitur. *Virg. A.* 4. 664. Collapsa ferro, i. e. gladio perfossa. *Cels.* 7, 26. Iter urinae senectute collapsum. *Virg. A.* 4, 391. suscipiunt famulae, collapsaque membra Marmoreo referunt thalamo *Ov. Met.* 7, 826. subito collapsa dolore cecidit. [*Virg. G.* 3, 485. Rursus abundabat fluidus liquor, omniaque, in se Ossa minutatim morbo collapsa trahebat, i. e. liquefacta, resoluta.] *Id. ib.* 10, 826. Collapsos alicujus artus excipere. [*Id. ib.* 5, 96. Collapsus in artus.] *Cels.* 2, 6. Ad ultima jam ventum esse testantur nares acutae, collapsa tempora, oculi concavi. ℙ Translate. *Val. Max.* 6, 2. *n.* 10. Ira in se ipsa collapsa est, *h. e.* concidit, sedata est. *Pacat. Pan. ad Theod.* 11. Collapsam rempublicam excipere.

COLLĂRĔ, is, n. *περιτραχήλιον*, *περιδέραιον*, vinculi genus, quo noxiorum collum adstringitur. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 162. Cum manicis, catulo, collarique ut fugitivum Deportem. ℙ Item cingulum e corio cum clavulis capitatis, quo canum colla protegunt contra morsus ferarum. *Varr. R. R.* 2, 9. *ad f.* Ne vulnerentur a bestiis, imponuntur his collaria, etc. ℙ Ab *Apic.* 7, 5. et 6. *collare porcinum* dicitur caro cervicis, et circa collum porci. COLLĂRĬA, ae, f. vinculum colli, collare. *Pl. Capt.* 2, 2, 107. Hoc quidem haud molestum est, quod collus collaria caret. ℙ Quidam putant hoc loco esse adjectivum, et subintelligendum esse *catena.* Quid si *collaria* esset accusativus pluralis? Nam et eum casum *careo* admittit. At quidam MSS. habent *collario*, quam vocem agnoscit etiam *Prisc.* p. 590. [*Lindem.* habet collari; idemque vocem *collaria* lexicis exterminandam esse docet.]

COLLĂRIS, re, adj. ad collum pertinens. *Offla*, sive *offula collaris* legitur apud *Petr. fragm. Tragur.* 56., et exponitur caro cervicis. V. supra COLLARE.

COLLATĀTUS, a, um, adj. dilatatus, ampliatus. *Cic. Or.* 56. Quod si et angusta quaedam atque concisa, et alia est collatata et diffusa oratio, etc. Ita habent *Aldus* 1514. *Petr. Victor.* aliique; sed *Schützius* optime edidit dilatata et fusa oratio.

COLLĀTĔRO, as, a. 1. latus claudo, ad latus sto. *Capell.* 3. p. 56. C vocales utrinque collaterat.

COLLĀTĬĂ, ae, f. oppiddum excisum Latii ad Anienem fluvium, in via Tiburtina, in confin. Sabinorum: condita ab Albanis, dicta, quod ibi opes aliarum civitatum fuerint collatae, ut docet *Festus.* ℙ Scribitur et *Conlatia.*

COLLĀTĬCĬUS, et Collatitius, a, um, adj. *συγχομιστὸς*, ex plurium collatione factus. *Senec. Cons. ad Marc.* 10. Collaticiis, et ad dominos redituris instrumentis scena adornatur. *Quint. Decl.* 6, 11. Collaticia sepultura. *Appul. Met.* 8. Collaticia stipe. ℙ *Collaticia myrrha* dicitur a *Plin.* 12, 16, 35. quae non est unius generis, sed ex variis in unum collatis permixta. ℙ *Ex aere collaticio* quippiam facere apud *Tert. Adv. Valent.* 12. proverbio dicitur, qui alienis opibus, et auxilio, non solo Marte suo aliquid facit.

COLLĀTĪNUS et Conlatinus, a, um, adj. a Collatia oppido. *Virg. A.* 6, 774. Hi Collatinas imponent montibus arces. *Liv.* 1, 38. Collatinus populus. ℙ Hinc *Collatina porta* Romae, quae Collatiam ferebat. *Fest.* in *Conlatia.* ℙ *Collatinus* cognominatus est L. Tarquinius Egerii filius, qui primus consul Romae fuit cum L. Junio Bruto, ut est ap. *Liv.* 1, 60. quod ejus pater diu Collatiae a Tarquinio Prisco captae praefectus fuerat. *Id. ib.* 38. et *Ov. Fast.* 2, 733. ℙ Apud *eund. Oc. ib.* 787. *penetralia Collatina* sunt aedes ejusdem L. Tarquinii. ℙ *Collatini, orum* sunt Collatiae cives. *Liv. l. c.* ℙ Sunt etiam populi Apuliae, ap. *Plin.* 3, 11, 16. ℙ Dea *Collatina* ab Romanis ut collium praeses culta est, teste *August. Civ. Dei* 4, 8.

COLLĀTĬO et Conlatio, onis, f. *εἰσφορὰ*, *σύμβολον*, actus conferendi: item quod in unum confertur: et praesertim indictio, tributum, quo ab omnibus conferuntur pecuniae in usum reipublicae. *Liv.* 4, 60. Aes grave plaustris quidam ad aerarium convehentes, speciosam etiam collationem faciebant. ℙ Differt tamen a tributo, quia hoc a principe in certa quantitate indicitur: collatio libera est quoad summam pecuniae, licet et ipsa imponatur. *Suet. Cal.* 42. Filia nata, patria conquerens onera, collationem in alimoniam atque dotem puellae recepit. *Plin. Pan.* 41. Collationes remittere. [*Cf. ad h. l. *Gierig.*] *Tac. G.* 29. Collationibus et oneribus exemptum esse. *Liv.* 5, 25. Collatio stipis, aut decimae. ℙ Est etiam contributio alicujus rei in commune, dividundi gratia. Unde tituli *Digest.* 6. et 7. *l.* 37. De collatione bonorum, et dotis: cum scil. filii emancipati, vel filia matrimonio juncta bona sua, et dotem conferunt simul cum ceteris bonis paternis, ut ad eorum possessionem una cum fratribus, qui in potestate patris fuerunt, contra testamenti tabulas admittantur. ℙ Item comparatio. *Cic. Div.* 2, 17. Tu quidem non hostiarum casum confirmas sortium similitudine, sed infirmas sortes collatione hostiarum. *Id. N. D.* 3, 28. Quae est in collatione ista similitudo? *Id. Tusc.* 4, 38. Philosophia constat collatione rationum. *Plin.* 37, 9, 42. Optimae hyacinthi, quae in collatione aurum albicare cogunt. *Hirt. B. G.* 8, 8. Legio, quae collatione reliquarum, nondum eandem virtutis ceperat opinionem. ℙ Apud grammaticos est gradus adjectivorum comparativus, aut superlativus. *Festus:* Ocius secundae collationis, et deinde tertiae ocissime, frequentata sunt. ℙ Apud rhetores *collatio* est oratio rem cum re ex similitudine conferens, ut definit *Cic. Invent.* 1, 30. ℙ Praeterea est illatio unius rei contra aliam, congressus, concursus. *Cic. Or.* 1, 48. Qui cum esset constitutus administrator quidam belli gerendi, tum adjungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus etc. ℙ In illo *Pl. Mil.* 3, 3, 66. Ubi facta erit collatio nostrarum malitiarum, haud vereor, ne nos subdola perfidia pervincamur. *collatio malitiarum* est conjunctio malitiarum in unum collatarum. ℙ Denique significat disputationem. *Augustin. Retractat.* 2, 39. et alibi. ℙ *Conlatio* scriptum est in *Inscr.* ap. *Grut.* 428, 6. Et conlationem reddidit, *h. e.* pecuniam, quae conlata fuerat, restituit conlatoribus.

COLLĀTĪVUS et Conlativus, a, um, adj. *Festus:* Collativum sacrificium dicitur, quod ex collatione offertur, *h. e.* collata a pluribus impensa. ℙ *Idem:* Collativum ventrem, magnum, turgidum dixit Plautus, quia in eum omnia edulia congeruntur. *Plauti* verba sunt *Curc.* 2, 1, 15. Qui hic

est homo cum collativo ventre, atque oculis herbeis? ℙ Universim *collativus* dicitur, qui a pluribus confertur. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *circa med.* Nec solum explicandis corporibus hi duo numeri collativum praestant favorem, sed etc. *Nazar. Paneg. ad Constantin.* 18. *in f.* Innumerae simul gentes ad bellum coactae, dum collativam vim conferunt, compendiosam victoriam praestiterunt. ℙ *Collativum*, *i*, n. (ut *donativum*) est idem quod collatio, tributum. *Imppp. Gratian., Valentinian. et Theodos. Cod. Theod.* 6, 26, 3.

COLLĀTOR et Conlator, oris, m. qui confert. *Pl. Curc.* 4, 1, 13. Symbolarum collatores. ℙ Et speciatim qui collationem seu tributum pendit. *Impp. Honor et Theodos. Cod. Theod.* 7, 6, 5. ℙ Item qui unum aliquid cum alio confert. *August. ep.* 147. Collatorem enim, et disputatorem, non assentatorem se esse cupiebat.

COLLĀTORIUS. V. CHALATORIUS.

COLLATRO et Conlatro, as, a. 1. *ὑλαχτέω*, latro, adlatro. Translate. *Senec. Vit. beata* 17. Si quis ex istis, qui philosophiam collatrant, *h. e.* conviciis insectantur.

COLLĀTUS, a, um, part. a *confero*, *συμφορηθείς*, simul datus, a pluribus contributus in eundem aliquem usum. *Cic. Fl.* 25. Pecuniam ad patris honores collatam filius abstulit. *Suet. Aug.* 59. Antonio Musae statuam, aere collato, juxta signum Aesculapii statuerunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 372, 7. L. Aurelio L. L. Victori Pleb. Seniensium aere collato etc. Alia *ib.* 373, 5. C. Baebio C. F. Gal. Lupulo Plebs urbana ex aere collato. L. D. D. D. Adde *ib.* 322, 5., 417, 4. et alibi saepe. Alia ap. *Don. cl.* 9. *n.* 4. Coll. Cent. Helvius Leo ob merita erga se collata. Alia ap. *Grut.* 1022. Ob beneficia ab optimo Principe in se collata Colonia Aelia etc. ℙ Item comportatus. *Petr. Sat.* 115. *in f.* Et Lycam quidem rogus inimicis collatus manibus adolebat. *Hor. Od.* 3, 4, 19. Collata myrtus. *Caes. B. G.* 2, 25. Signa in unum locum collata. [**Tac. A.* 4, 46. *f.* Simul castella, rupibus indita, collatosque illuc parentes et conjuges ostentabant.] ℙ Item delatus, perlatus. *Cic. Att.* 13, 12. Ait, sine controversia rem ad me esse collatam. [**Tac. A.* 3, 71. Ita sors Asiae in eum, qui consularium Maluginensi proximus erat, collata. *Id. ib.* 12, 4. Reliquus praeturae dies in Eprium Marcellum collatus est.] ℙ Item comparatus. *Cic. Acad.* 4, 23. Qui mihi cum illo collati, quintae classis videntur. *Varr. L. L.* 8, 22. Bos ad bovem collatus, similis. *Propert.* 2, 21, 11. Num sibi collatam doluit Venus. *Plin.* 7, 48, 49. Collatis censibus, quos ante detulerat. V. locum. ℙ Item oppositus, objectus, contra alterum illatus, congrediendi et pugnandi causa. *Cic. Manil.* 23. Qui collatis signis, exercitus regios superare posse videatur. *Liv.* 2, 50. Aliquoties aequo campo, collatisque signis certatum est. *Pl. Cas.* 2, 5. *in f.* Collatis signis depugnare. (*Collatis signis* significat congredientibus aequo campo integris aciebus sub signis, et justo proelio decertantibus. Sic *Liv.* 37, 21. Regii signis collatis abire agmine, ad iter magis, quam ad pugnam composito, coepere. *Id.* 38, 41. Proelio justo, acie aperta, collatis signis dimicandum erat.) *Caes. B. C.* 3, 79. Habere castra collata castris hostium. *Val. Fl.* 6, 270. adversas collatis cursibus hastas Conjiciunt. *Liv.* 26, 39. Collato pede rem gerere. *Curt.* 3, 11. Collato pede, quasi singuli inter se dimicarent, in eodem vestigio stabant, donec vincendo locum sibi facerent, *h. e.* junctis pedibus alius contra alium conferti pugnabant. *Ov. Fast.* 1, 569. Collata dextra movere proelia. *Id. Met.* 12, 379. Collato Marte, *h. e.* cominus. [**Tac. H.* 2, 42. Collato gradu corporibus et umbonibus niti.] ℙ Item junctus, conjunctus. *Plin. ep.* 8, 14. *a med.* Collatis viribus. *Curt.* 7, 11. Fontes, e quibus collatae aquae flumen emittunt. *Plin. Pan.* 23. Collata omnium vota in unius salutem. [*Praestat MSS. optim. lectio, quam post *Sichard. Schwarz.* servavit, *salute* pro *salutem.*] ℙ Item simul tractatus, disputatus. *Ov. Pont.* 2, 4, 13. Seria multa mihi tecum collata recordor. ℙ Scribitur saepissime et *conlatus*. *Inscr.* ap. *Grut.* 426, 7., 447, 6. et 457, 8. aere conlato. Alia ap. *Gud.* p. 89. *n.* 8. pecunia conlata.

COLLĀTUS, us, m. collatio. *Auct. B. Hisp.* 31. Congressus et clamor, quibus rebus maxime hostes conterrentur, in collatu pari erant conditione, i. e. in conferendis et conserendis manibus. Alio sensu *Censorin. de die nat.* 1. Cum tuo collatu scirem me plura didicisse, *h. e.* te conferente, et docente. ℙ Extra ablativum casum exempla nondum mihi reperta sunt.

COLLAUDĀBĬLIS, le, adj. laudabilis. *Prudent. Hamart.* 694. nec bonus est, nec collaudabilis ille.

COLLAUDĀTĬO, onis, f. laudatio, *ἐγκώμιον*. *Cic. Invent.* 1, 43. Qui scriptum defendit, his locis poterit uti: primum scriptoris collaudatione etc. Adde *Auct. ad Her.* 2, 9.

COLLAUDĀTOR, oris, m. qui collaudat. *Augustin. Conf.* 4, 14. *in f.* Nullo collaudatore mirabar.

COLLAUDĀTUS, a, um, part. a *collaudo*, laudatus. *Caes. B. G.* 5, 2. Collaudati milites. *Hirt. B. Afr.* 35. Collaudati a Caesare, stipendioque donati.

COLLAUDO et Conlaudo, as, a. 1. *συνεπαινέω*, idem quod laudo, vel valde laudo. *Cic. Att.* 9, 16. Cum ejus clementiam per litteras collaudavissem. *Id. Phil.* 5, 11. Collaudare factum alicujus. *Pl. Truc.* 2, 6, 15. Praefica alios collaudare absentes, sese vero non potest, *h. e.* aliorum laudes dicere.

COLLAXO et Conlaxo, as, a. 1. idem quod laxo, *χαυνόω*. *Lucr.* 6, 231. quia nimirum facile omnia circum Collaxat, rareque facit lateramina vasi.

COLLECTA, ae, f. *σύμβολον*, quod confertur a multis in convivium, collatio, symbola. *Cic. Or.* 2, 57. Collectam a conviva exigere. ℙ Pro multorum in unum locum coitione orandi causa sumitur a *Hieron. ep.* 108. *n.* 19. Post alleluja cantatum (quo signo vocabantur virgines ad collectam) nulli residere licitum erat.

COLLECTĀCŬLUM, i, n. locus, ubi aliquid colligitur, receptaculum, ut *Collectacula aquae* ap. *Innocent. de casis litter.* p. 230. *Goesii.*

COLLECTĀNĔUS et Conlectaneus, a, um, adj. collecticius. *Collectaneum aes* dicitur quod est ex usu coemptum, inquit *Plin.* 34, 9, 20., *h. e.* aes jam usu detritum, et variis emptionibus hinc inde collectum. *Suet. Caes.* 56. narrat, Caesarem, inter alia, scripsisse librum, qui *Dicta collectanea* inscribebatur. *Collectanea*, *orum* sunt scripta, quae ex pluribus excerpta locis in unum collecta sunt. *Gell.* 4, 14. Cum librum nonum Atteji Capitonis Collectaneorum legeremus, qui inscriptus est *De judiciis publicis.* Ita legitur in quibusdam libb., sed alii rectius *Conjectaneorum.*

COLLECTARĬUS, ii, m. qui colligit pecuniam, et cum alia pecunia, accepto pretio, poscentibus commutat, *ἀργυραμοιβός*: item qui argentariorum pecunias exigit, et cogit, coactor. *Impp. Honor. et Theod. Cod.* 4, 2, 16. Si quis collectarius honoris pretium dederit ambienti. *Symmach. ep.* 10, 49. Vendendis solidis, quos plerumque publicus usus exposcit, collectariorum corpus obnoxium est. Adde *Augustin. Civ. Dei* 22, 8. *a med.*

COLLECTĔ, adv. *Non.* 2, 727. Positum concinne, vel collecte.

COLLECTIM, adv. breviter, paucis, summatim. *Claud. Mamert. de statu Anim.* 3, 14. Collectim strictimque sub mentis oculos redegi.

COLLECTĬO et Conlectio, onis, f. *συλλογή*, congregatio. *Cic. Manil.* 9. de Medea. Ut eorum membrorum collectio dispersa celeritatem persequendi retardaret. *Id. Brut.* 88. Attulerat minime vulgare dicendi genus: duas quidem res, quas nemo alius: partitiones, quibus de rebus dicturus esset, et collectiones. *Petr. Sat.* 98. Collectio spiritus. ℙ A medicis collectiones dicuntur tumores praeter naturam ex humoribus in partem aliquam corporis defluentibus. Est autem generale nomen abscessuum, vomicarum, aliorumque tumorum. *Scrib. Compos.* 206. Si quis emissarium collectionis apto loco, id est infra sinum, ubi collectio est, fecerit. *Senec. ep.* 68. In pectore collectio et vomica est. *Plin.* 24, 9, 37. Extrahere collectiones. *Id. ib.* 42. inhibere. *Id.* 22, 25, 58. discutere. *Id.* 23, 4, 47. lenire. *Id.* 22, 25, 68. mollire. *Id.* 24, 11, 61. minuere. Et 26, 12, 79. sanare. Et 27, 12, 70. sedare. Et 24, 4, 7. siccare. Et 26, 4, 10. sistere. Et 20, 8, 30. solvere. ℙ Praeterea *collectio* dicitur argumentatio, quia quibusdam positis aliud quidpiam colligitur, et concluditur. *Senec. ep.* 45. Persuadere alicui aliquid subtilissima collectione. *Id. ep.* 85. Respondere collectioni Peripateticorum. *Plin.* 2, 23, 21. Ratio geometricae collectionis nunquam fallacis. Adde *Arnob.* 1. p. 35. et *Ascon. in Verr.* 2, 2, 10. ℙ *Rutil.* ap. *Quint.* 9, 2. collectionem, quae apud illum est *συλλογισμός*, inter figuras sententiarum enumerat.

COLLECTĬCĬUS et Collectitius et Conlecticius, a, um, adj. *συλλογιμαῖος*, *συστηματικός*. *Senec. Quaest. nat.* 7, 23. Ignis collecticius, *h. e.* collecto hinc inde pabulo factus. ℙ *Collecticius exercitus* dicitur, qui ex undique collectis, et sine delectu, raptimque conscriptis militibus cogitur. *Cic. Fam.* 7, 3. Signa tirone et collecticio exercitu cum legionibus robustissimis contulit.

COLLECTĪVUS et Conlectivus, a, um, adj. *συλλογιμαῖος*, collecticius. *Senec. Q. N.* 3, 7. Ut scias, illic non coelestem esse, nec collectivum humorem, sed, quod dici solet, vivam aquam, ℙ Item qui arguendo colligit, *συλλέγων*. *Quint.* 7, 1. Ratiocinativa, atque collectiva quaestio orietur. ℙ *Collectivum nomen* dicitur a grammaticis, quod in singulari numero plura colligit, ac significat, ut *populus*, *exercitus*, *concio* etc. *Prisc.* 2, 581.

COLLECTOR et Conlector, oris, m. qui simul legit, vel simul eosdem versat scriptores, aut eadem studia tractat, *συμμαθητής*, *συναναγινώσκων*. *Augustin. Confess.* 1, 17. Mihi recitanti acclamabatur praemultis coaetaneis, et conlectoribus meis.

COLLECTRIX, icis, f. quae colligit. *Pl. Mil.* 3, 1, 99. Praecantatrici, collectrici, hariolae, atque haruspici. Ita legit *Turneb. in comment. ad jocos Cicer.*, et collectricem exponit, quae religionis causa stipem colligit. Alii tamen rectius leg. *conjectrici.*

COLLECTUS, a, um, part. a *colligo*, *is*, *συλλεγείς*, comparatus, congregatus, coactus. *Cic. Cat.* 2, 3. Exercitus collectus ex senibus desperatis. *Id. Or.* 3, 24. Res exquisitae undique et collectae. ℙ Item contractus, in angustum coactus. *Virg. A.* 12, 862. Alitis in parvae subitam collecta figuram. *Id. ib.* 1, 324. Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes. *Tac. A.* 2, 11. Milites collecti in orbem. [**Sil.* 10, 129. Collectus in arma, i. e. tutus, occultans se. *Id. ib.* 255. Propere collecto corpore.] ℙ *Vivere collecto* dicuntur animalia, quae cibum colligunt, vel ab aliis collectum depascuntur: cui opponitur *vivere rapto. Plin.* 11, 37, 60. Rostra rapto viventibus adunca, collecto recta. ℙ Translate. *Cic. Div. Verr.* 22. Conservare famam ante collectam. *Caes. B. G.* 6, 11. Nova, et repente collecta auctoritas. *Virg. A.* 9, 63. Rabies edendi collecta ex longo. ℙ Ponitur etiam pro adstricto, contracto, brevi. *Plin.* 8, 16, 17. Quinquaginta ferme volumina, quae a me collecta in arctum, quaeso, ut legentes boni consulant. *Tertull. Monog.* 14. Infirmitatem carnis tempore jam collectiore discutere. *Calpurn. Flacc. decl.* 2. Illic effusiora corpora, illic collectiora nascuntur. *Appul. Apol.* Tanto beatior futurus, quanto collectior, *h. e.* pauperior, angustiores habens possessiones. *Stat. Silv.* 2, 1, 42. Et castigatae collecta modestia frontis. ℙ Ratiocinando deductus. *Gell.* 11, 13. Qui ita dicit: Si hoc feceris, cupide fecisse diceris; rem dicit sensus alicujus ratione collectam et confectam.

COLLECTUS, us, m. *συλλογή*, collectio. *Lucr.* 4, 415. At collectus aquae digitum non altior unum. *Frontin. de limit.* p. 43. *Goes.* Collectus aquae pluvialis finem alterius fundi influit.

COLLĒGA et Conlega, ae, m. *συνάρχων*, in dignitate et honore socius. Dicuntur autem collegae, ut *Varro* censuit *L. L.* 5, 7. a legendo, quia una lecti sint. Hinc consules inter se, et praetores inter se, itemque ipsorum consulum collegae erant, quia iisdem comitiis creabantur. *Cic. Off.* 1, 40. Pericles, cum haberet collegam in praetura Sophoclem. *M. Messala* apud *Gell.* 15, 13. Collegae non sunt censores consulum, aut praetorum: praetores consulum sunt. *Cic. Phil.* 2, 34. Tu unus inventus es, qui eum, quem collegam regni habebas, dominum habere velles. *Tac. H.* 3, 66. Esse collegam alicui. *Id. Ann.* 2, 42. Destinare se collegam consulatui alicujus. *Id. ib.* 6, 8. Collegam esse alicujus regendis cohortibus praetoriis. *Nep. Alcib.* 3. et 7. Dare alicui collegam. ℙ Dicuntur etiam *collegae* contutores. *Paul. Dig.* 26, 7, 13. et 45. *ad f.* ℙ Item coheredes. *Id. Dig.* 46, 3, 101. ℙ Item conservi. *Pl. Asin.* 3, 2, 10. et 30. ℙ Item qui sunt ejusdem collegii. *Hermog. Dig.* 27, 1, 41. et *Paul. ib.* 42. et 46. ℙ Item qui eandem artem exercent, ut histriones ap. *Juven.* 8, 197. ℙ De quocumque sodali. *Petr. Sat.* 29. Et collegae quidem mei riserunt. ℙ *Sidon. ep.* 6, 1. vocat Petrum apostolum collegam Lupi episcopi Tricassini; qui tamen non est imitandus, cum *collegae* tantum recte dicantur qui simul eodem honore et dignitate funguntur.

COLLĒGĀTĀRĬUS, ii, m. cui conjunctim cum alio legatum est. *Ulp. Dig.* 7, 2, 10. et *ib.* 30, 34. Adde *Cajum Instit.* (ed. *I. F. L. Goeschenio*) 2. §. 199.

COLLĒGĬĀLIS, le, et

COLLĒGĬĀRĬUS, a, um, adj. ad collegium pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 322, 4. Fideique vestrae collegiali committo, ut etc. *Tert. Spectac.* 11. Collegiarii ministri.

COLLĒGĬĀTUS, a, um, adj. qui in aliquo collegio est. *Inscr.* ap. *Grut.* 449, 6. C. Petron. C. F. Pop. Marcellino inter primos collegiato in collegio Navicularlorum etc. Adde *ib.* 860, 13. et in *Cod. l.* 11. *tit.* 17. qui est *De Collegiatis* etc.

COLLĒGĬUM et Conlegium, ii, n. *συναρχία*, *ἑταιρία*, *σύλλογος*, societas, corpus hominum, ut minimum trium (ut colligitur ex *Nerat. Prisco Dig.* 50, 16, 85.) ejusdem dignitatis, muneris, vel artis. Differt ab *ordine*, qui plures complectitur, ut ordo senatorius, equestris, publicanorum etc., et significat certum hominum statum, sive ii societate conjuncti sint, sive non. Plura fuere Romae collegia: horum amplissima et vetustissima pontificum, augurum, septemvirum, vel quindecimvirum, et haruspicum: deinde collegia quaestorum, tribunorum, artificum Capitolinorum, et alia, quae in antiquis maxime inscriptionibus reperiuntur. Haec collegia a Numa antiquitus instituta, ut narrat *Plutarch.* in *Num.* 17., deinde L. Caecilio, Q. Marcio consulibus, *h. e.* an. U. C. 686., sublata sunt ob coetus factiosorum hominum, praeter pauca, quae utilitas civitatis desiderasset, ut ait *Ascon.* in *Cornel.* 1., inde ea restituit P. Clodius, teste *Cic. Pis.* 4. et *Sext.* 15., at C. Jul. Caesar, ut ait *Suet. Caes.* 42., ea, praeter antiquitus con-

stituta distraxit, iterumque dissolvit Augustus, teste *eod. Aug.* 32. Hujusmodi collegia Itali vocant *fraglie (Brüderschaften)*. Haec si publica auctoritate essent instituta, facultatem habebant decernendi, ac judicandi de certis rebus ad se pertinentibus. *Cic. Sext.* 14. Nulla Romae societas, nullum collegium, aut concilium, aut omnino aliquod commune consilium etc. *Id. Off.* 3, 20. Cum collegium praetorum tribuni pl. adhibuissent, ut res nummaria de communi sententia constitueretur. *Id. Verr.* 2, 2, 41. Agere causam apud collegium tribunorum pl. *Id. ib.* 6, 49. Amplissimum collegium decemvirale. *Id. Brut.* 1. Cooptare aliquem in collegium. *Caes. B. C.* 1, 72. Venire per aliquem in collegium pontificum. *Martian. Dig.* 47, 22. *(qui est De collegiis, et corporib.)* 3. Recipere aliquem in collegium. *Cic. Dom.* 18. Collegium coit. Et *pro C. Cornel.* ap. *Ascon.* Constituere collegium. *Tac. A.* 14, 17. *in f.* Collegia contra leges instituta dissolvere. *Martian. l. c. l.* 1. Illicitum collegium coire. *Ulp. ib.* 2. Illicitum collegium usurpare. *Martian. ib.* 3. Celebrare collegium. *Liv.* 4, 26. Tribuni secedunt, et pro collegio pronunciant, placere etc. ℙ *Collegium* pro *loco* collegii. *Inscr.* ap. *Mur.* 182, 4. Collegium Silvani restituerunt . . . curatores. ℙ Dicitur aliquando de duorum collegarum societate et convictu. *Liv.* 10, 22. *de duobus consulibus.* Nil concordi collegio firmius ad rempublicam tuendam esse. (Adde *ib.* 13. *ad f.*) *Tac. A.* 3, 31. Sequitur Tiberii quartus, Drusi secundus consulatus, patris atque filii collegio insignis. Adde *Hist.* 1, 52. *extr.* et *Plin.* 7, 12, 10. Simile quippiam habes apud *Manil.* 2, 160. ℙ Item de quacumque societate. *Hor. Sat.* 1, 2, 1. Ambubajarum collegia. *Appul. Met.* 4. et alibi saepe. Collegium latronum. ℙ Translate. *Plin.* 10, 17, 19. Noctuae resupinae pedibus repugnant: auxiliatur accipiter collegio quodam naturae, *h. e.* communione, societate. ℙ Reperitur etiam *collegius* gen. masc. *Inscr.* in *Anecd. Litter. Rom. Tom.* 3. p. 466. Quamdiu is collegius steterit. Adde aliam apud *Mur.* 980, 2. et 162, 3.

COLLĒMA, atis, n. gluten, ferruminatio, *κόλλημα. Capell.* 3. *sub in.* p. 49. Niloticae fruticis collemata, *h. e.* papyri, qui fiebant ex plurimis phyliris glutine quodam junctis.

COLLEPROSUS, a, um, adj. qui simul leprosus est. *Sidon. ep.* 6, 1. Colleprosi mei conditio.

[COLLĒTĬCUS, a, um, adj. *κολλητικός*, id quod tanquam colla agglutinat. *Veg. Vet.* 1, 46. et curabis clysteriis collecticis, ut foramina illa sanentur. Vulgo *colleticiis*, sed *Gesnerus* conjecerat legendum *colleticis*, quam vocem *Schneiderus* probavit, et in textum recepit. *F.*]

[COLLETIS, is, f. herba verbenacea apud *Appul. Herb.* 3. *F.*]

COLLĔVO. V. COLLAEVO.

COLLĪBERTA. V. v. seq.

COLLĪBERTUS, i, m. *συναπελεύθερος*, qui simul cum altero ejusdem patroni libertus est. *Pl. Poen.* 4, 2, 88. Collibertus meus eris. ℙ *Colliberta, ae,* f. est in *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 18. *n.* 13. Patronae benemerenti fecerunt, et collibertis, collibertabus, posterisque. ℙ Scribitur et *Conlibertus*, ut apud *Grut.* saepenumero legere est.

COLLĪBET et Collubet, et Conlibet, ebat, ibuit, et ibitum est, impers. 2. *ἀρέσκει, δοκεῖ*, idem quod libet, seu lubet. *Cic. Fam.* 15, 16. Doceas tu me oportebit, in mea ne potestate ut sit spectrum tuum, ut simul ac mihi collibitum sit de te cogitare, illud occurrat. *Ter. Eun.* 5, 9, 26. Si quid collibuit. *Hor. Sat.* 1, 3, 6. Si collibuisset. *Sall. Catil.* 50. Matresfamiliarum pati, quae victoribus collibuissent.

COLLIBRO, as, a. 1. idem quod libro. *Cato R. R.* 19. Inter arbores medium quod erit, id ad mediam collibrato.

[COLLĪCELLUS, i, m. idem ac colliculus. *Auct. incert. rei agrar.* p. 245. *Goes.* Arca in collicello circa aram. Adde *ib.* p. 272. *F.*]

COLLĪCĬAE et Conliciae, arum, f. plur. tegulae sunt, per quas aqua in vas defluere potest. Ita *Fest.* in *Inlicium.* Intelligit autem canalem, qui colligit aquam ex stillicidiis aedium. Adde *Vitr.* 6, 3., ubi habetur *colliquiae* eod. sensu. ℙ Sunt etiam ampliores sulci in agris, per quos aqua extra sata deducitur: ab antiquo *lacio*, traho, duco. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. In usu est et collicias interponere, si ita locus poscat, ampliore sulco quae in fossas aquam educant. ℙ Similes sunt quae dicuntur *colliquiae: a liquo, as:* nempe receptacula aquarum ex sulcis defluentium, ut inde extra agrum deferantur. *Colum.* 2, 8. Crebros sulcos aquarios, quos nonnulli elices vocant, faciamus, et omnem humorem in colliquias, atque inde extra segetes derivemus.

COLLĪCĬĀRIS et Conliciaris, e, adj. ad collicias pertinens, ut *Colliciares tegulae* ap. *Caton. R. R.* 14., *h. e.* ipsae colliciae. V. DELICIA.

COLLĪCŬLUS, i, m. parvus collis, *ὀρυπεδίον. Mart.* 12, 25. Credis colliculis, arboribusque meis. Adde *Appul. Flor. in.*

COLLĪDO et Conlido, is, isi, isum, a. 3. *συγχρούω, συμβάλλω*, simul cum alia re percutio, contundo: a *con* et *laedo. Lucr.* 1, 532. Nam neque collidi sine inani posse videtur Quidquam, nec frangi, nec findi in bina secando. *Ov. A. Am.* 3, 221. Anulus ut fiat primo colliditur aurum. *Cic. N. D.* 3, 12. Humor ita mollis est, ut facile comprimi, collidique possit. *Curt.* 8, 9. Magno motu amnis uterque colliditur. *Senec. ep.* 11. Dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt. *Quint.* 2, 12. Collidere manus, terrae pedem incutere. *Curt.* 4, 3. Mare fluctus ciet, et inter se navigia collidit. ℙ Translate. *Quint.* 7, 7. *in f.* Duae leges colliduntur, *h. e.* inter se pugnant. *Id.* 9, 4. Consonantes si binae collidantur, stridor est, ut Ars studiorum, *h. e.* concurrant. *Id. Decl.* 14, 7. Potes efficere, ut propinquitas, ut amicitia se collidat. *Stat. Th.* 6, 435. Ambitiosa pios collidit gloria fratres, *h. e.* committit, et inimicos facit. Eadem translatione Itali dicunt, *urtare con alcuno.* Similem habes locum apud *Petr. Sat.* 10. et *Senec. Prov.* 3. *sub f.* [**Sil.* 7, 566. Procursus viros colliserat, i. e. congressi erant. *Id.* 11, 45. Collidens corda seditio.]

*COLLIGAT, opp. Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

COLLĪGĀTE, adv. conjuncte, constricte. *August. Doctr. Christ.* 1, 28. Prout quisque tibi temporaliter colligatius adhaerere potuerit.

COLLĪGĀTĬO, onis, f. *συνδεσμὸς, σύνδεσις*, conjunctio, vinculum. *Vitr.* 10, 1. Scansoria machina catenationibus, et transversariis, et plexis colligationibus continetur. ℙ Translate. *Cic. Fat.* 14. Si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione conserte contexteque fiunt. *Id. Div.* 1, 56. Colligatio causarum omnium. *Id. Off.* 1, 17. Arctior est colligatio societatis propinquorum. *Val. Max.* 8, 14. *n.* 6. Phidias clypeo Minervae effigiem suam inclusit: qua convulsa, tota operis colligatio solveretur.

COLLĪGĀTUS, a, um, part. a *colligo, as, συνδεθείς*, simul ligatus, connexus, conjunctus. *Cic. Univers.* 11. Omne colligatum solvi potest. *Id. ib.* Colligatus vinculis. *Id. N. D.* 1, 4. *in f.* Res omnes inter se aptae et colligatae. *Id. Off.* 1, 5. Res inter se colligatae et implicitae.

COLLĪGO et Conligo, as, avi, atum, a. 1. *συνδέω*, simul ligo, constringo, connecto. *Cic. Rabir. perduell.* 4. I lictor, colliga manus. *Varr. L. L.* 4, 29. Colligare capillum in capite. *Ter. Eun.* 5, 5, 13. aliquem miseris modis. *Plin.* 19, 1, 3. linum in fasciculos manuales. *Id.* 35, 15, 51. Bitumen vulnera colligat, glutinat nervos, *h. e.* adstringit et claudit. ℙ Translate. *Cic. Or.* 34. Annorum septingentorum memoriam uno libro colligavit, *h. e.* complexus est. *Id. ib.* 50. Colligare sententias verbis. *Id. Ph.* 11, 2. Brutus impetum Antonii furentis colligavit, progressu arcuit, *h. e.* impedivit, cohibuit. *Id. ib.* 11. Ni Brutum colligassemus in Graecia, *h. e.* decrevissemus senatusconsulto (de quo 10. *Phil. in f.*), ut in Graecia se teneret praesidii causa. Al. leg. *in Graeciam. Id. Fam.* 9, 17. Quid faciat tamen, non habet: ita se cum multis colligavit, *h. e.* irretivit, ut quod vult facere, non possit. ℙ Particip. *Colligandus* ap. *Pl. Epid.* 5, 2, 23. Colligandae hae sunt tibi hodie.

COLLĪGO et Conligo, is, egi ectum, a. 3. *συλλέγω, ἀγείρω*, simul lego, congrego, cogo, in unum redigo. *Cic. Cat.* 2, 4. Ex agris ingentem numerum hominum colligere. *Id. Fin.* 2, 4. De Pelasgis colligere bonos viros. *Pl. Trin.* 3, 3, 62. Trecentae ad eam rem causae possunt colligi. *Liv.* 38, 45. *ad f.* Colligere stipem a tyrannis. *Q. Cic. Petit. cons. in f.* multa in unum locum. *Hirt. B. Afr.* 70. Rursus ad aciem passim, conversis equis, se colligebant. *Cic. Verr.* 2, 2, 19. Castra movere, et vasa colligere. V. VAS. *Varr. R. R.* 3, 16. *sub f.* apes in vas aliquod. *Suet. Gramm.* 10. aliquid alicui, *h. e.* in usum alicujus. [**Virg. G.* 1, 427. Luna, revertentes, quum primum colligit ignes. *Sil.* 14, 390. Cornibus omnes colligere flatus (de nave, quae omnes flatus et ventos recipit iisque utitur.)] ℙ Apud *Lucan.* 4, 442. colligere vestigia presso rostro dicitur canis, qui naso vestigia ferae rimatur. ℙ Significat etiam sublevare, tollere. *Plin. ep.* 2, 1. Liber seni elapsus est: quem dum consequitur colligitque, cecidit, coxamque fregit. *Mart.* 7, 33. Colligere togam. *Id.* 12, 83. follem de pulvere. [**Quint. Decl.* 372. p. 766. Expositum quoque collegeram. *Cod. Theod.* 1. de expositis. Quicumque puerum vel puellam projectam de domo patris vel domini voluntate scientiaque collegerit.] ℙ Item supputando summam facere. *Plin.* 13, 13, 27. Libros repertos P. Cornelio, M. Baebio Coss. ad quos a regno Numae colliguntur anni DXXV. Adde *Tac. Germ.* 37. ℙ Apud *Pl. in Supposit. Amphit. scena, quae incipit* Dii vostram fidem, *colligere rationes* est inire. ℙ *Colligere summam aliquam* est continere. *Plin.* 36, 12, 17. Ambitus per frontem centum duos pedes colligit. Adde 12, 5, 11. ℙ Colligere spiritum, spiritum ducere, respirare. *Quint.* 11, 3. Longiorem dicturis periodum colligendus est spiritus. ℙ Colligere gradum, gradum sistere. *Sil.* 7, 694. tardatos turbata fronte Latinos Collegisse gradum videt. Adde 6, 400. [**Id.* 9, 477. Colligis iram, i. e. finis, desinis irasci.] ℙ Significat etiam contrahere, in arctum cogere. *Virg. G.* 2, 154. Squameus in spiram tractu se colligit anguis. *Id. A.* 12, 491. Substitit Aeneas, et se collegit in arma. *Ov. Met.* 3, 169. sparsos per colla capillos Colligere in nodum. [**Propert.* 3, 9, 29. Colligis te in tenues umbras. (Gr. *συνάγειν.*) *Tibull.* 1, 8, 14. Ansaque compressos colligit arta pedes, i. e. constringit. *Sil.* 10, 3. Per vulnera colligit hostes, i. e. vulneribus infligendis cogit retro cedere.] ℙ Dicitur etiam *colligere* in compositionibus medicamentorum, illud, quod postremo loco adjicitur, et cetera in unum conjecta cogit et congregat. *Scrib. Compos.* 138. Aloes victoriati pondus, colophoniae victoriati pondus: una teruntur: adjicitur mellis quod satis est ad colligenda ea. Et *ib.* 138. Haec trita succo lactucae colliguntur, et finguntur pilulae. Adde *Compos.* 95, 129. et 169. et *Plin.* 34, 11, 27. ℙ Saepe ponitur pro deducere, concludere, et quibusdam positis aliud quidpiam inferre. *Cic. Off.* 2, 16. Bene etiam colligit, haec pueris et mulierculis esse grata. *Id. Att.* 2, 23. Ex eo colligere poteris, quanta occupatione distinear. *Pers.* 5, 85. Mendose colligis, inquit Stoicus. *Petr. Sat.* 126. Ex vultibus mores hominum colligere. *Quint.* 1, 2. Colligere aliquid conjectura. ℙ *Colligor* pro judicor, habeor. *Ov. Amor.* 2, 6, 61. *(si modo is versus* Ovidii *est, quod* Heinsio *non videtur.)* Colligor ex ipso, dominae placuisse, sepulcro. ℙ Est etiam conquirere, comparare, acquirere. *Cic. Amic.* 17. Benevolentiam civium blanditiis et assentationibus colligere, turpe est. *Id. Q. Fr.* 2, 16. Ex hoc labore magnam gratiam, magnamque dignitatem sum collecturus. *Auct. ad Herenn.* 1, 5. Colligere benevolentiam a persona auditorum. *Ov. Amor.* 1, 8, 75. Colligere usum patiendi. *Id. A. Am.* 2, 339. usu vires. [**Propert.* 2, 14, 9. Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte.] ℙ In malam partem, *Cic. Verr.* 2, 5, 8. Colligere invidiam crudelitatis ex re aliqua. [**Ov. Met.* 1, 234. Ab ipso Colligit os rabiem. *Sil.* 4, 307. Vires et flammam colligit ignis.] ℙ Eleganter *colligere se* adhibetur pro vires animumque recipere, atque, ut explicat *Cic. Tusc.* 4, 36., dissipatas animi partes rursum in suum locum cogere. *Id. ib.* 1, 24. Neque ea plane videt animus, cum tam repente in insolitum, tamque perturbatum domicilium immigravit: sed cum se collegit atque recreavit, tum agnoscit illa reminiscendo. *Id. Fam.* 5, 18. Rogo, atque oro, te colligas, virumque praebeas. *Caes. B. C.* 3, 65. Colligere se ex maximo timore. *Liv.* 3, 60. *in f.* Colligere animum. *Cic. Or.* 1, 7. Quasi colligendi sui causa, in Tusculanum se contulit. *Id. Quint.* 16. Si haec duo tecum verba fecisses: quid ago? aliquid loci rationi et consilio dedisses; tu te collegisses. ℙ Part. *Colligens* ap. *Suet. Claud.* 7. Existimationem omnibus lenociniis colligente.

COLLĪMĪTĀNĔUS, a, um, adj. qui limite jungitur, conterminus. *Sol.* 40. Collimitanea Galatiae Phrygia. Alii leg. *Collimitata* a *Collimito.*

COLLĪMĪTĬUM, ii, n. *περιορισμὸς*, coitio, vel conjunctio limitum. *Sol.* 49. *de amne Jaxarte.* Hoc est collimitium, in quo limes Persicus Scythis jungitur. Alii leg. *colliminium. Ammian.* 15, 4. Alemannicis pagis collimitia Romana latius irrumpentibus.

COLLĪMĪTO et Conlimito, as, n. 1. *συνορίζω*, limitibus conjungo. *Ammian.* 31, 2. Gelonis Agathyrsi collimitant. ℙ Deponentis more, vel passive, *Sol.* 15. Gelonis Agathyrsi collimitantur.

COLLĪMO. V. COLLINEO.

COLLĪNĔĀTUS, a, um, partic. a *collineo*, ad lineam directus. *Appul. Florid. n.* 23. Collineato pro fronte situ, et conniventibus ad regulam lineis. *Id. Met.* 9. Collineatis oculis ad umbram. V. v. seq.

COLLĪNĔO et Conlineo, as, a. 1. recta veluti linea dirigendo, scopum attingere, *στοχάζομαι, Cic. Div.* 2, 59. Quis est enim, qui totum diem jaculans, non aliquando collineet? *Id. Fin.* 3, 6. *ad f.* Si cui sit propositum collineare hastam aliquo, aut sagittam, *h. e.* hasta, aut sagitta aliquem scopum ferire. ℙ Significat etiam recta linea ad scopum dirigere. *Gell.* 9, 1. Si in editiora mittas, et, ad percutiendum superne aliquid, manum et oculos collinees. ℙ In multis editionib. *Cicer., Gellii*, et *Appul.* pro *collineo* habetur *collimo, as:* quod qui Latinum putarunt, deducebant a *limus, a, um*, quia qui aliquo ictum dirigit, limis ac semiapertis oculis id facere soleat: atque ob eam rationem alii *connives* in loco *Gellii* reponebant. Verum recepta jam est omnium eruditorum calculo ea lectio, quam posuimus; et verbum *collimo* e Latinorum albo expunctum. ℙ Sunt etiam qui cum in variis MSS. *collinio*, seu *conlinio* invenerint, hoc quoque rectum putent, cum et *delinio* pro *delineo*, a linea non semel reperiatur.

[COLLĪNĬĀTĒ et Conliniate, adv. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 48. Eumque quam conliniatissime efficiat, ac depingat. *Id. ib.* 58. Currus falcatos e porphyrite lapide, sed con-

liniatissime una cum animantibus et aurigis ad veri faciem videre erat plurimos, *h. e.* affabre exsculptos.

COLLĪNĬĀTUS pro *collineatus* legitur ap. *Capell.* 7. p. 237. V. COLLINEO.

COLLĪNĪTUS et Conlinitus, a, um, collitus: a *con*, et *linio*, *is*. *Colum.* 6, 17. *in f.* Pastinacae semina, et succus armoraceae cum melle collinita, oculorum sedant dolorem.

COLLĪNO et Conlino, is, levi, itum, a. 3. συναλείφω, ungo, inungo. *Ov. R. A.* 351. cum positis sua collinet ora venenis. *Gell.* 17, 9. *a med.* Tabulas cera collevise. ℙ *Collinere coeno*, aut *pulvere* est conspurcare. *Hor. Od.* 1, 15, 20. Crines pulvere collines. ℙ Translate. *Pl. Most.* 1, 3, 133. Pulcrum ornatum turpes mores pejus coeno collinunt.

COLLĪNUS, a, um, adj. ad collem pertinens. *Varr. R. R.* 1, 6. Tria genera sunt agrorum, campestre, collinum, et montanum. *Cels.* 2, 18. Frumentum valentius est collinum, quam campestre. *Colum.* 12, 21. Mustum ex vineis collinis. *Id.* 1, 5. Collina aqua. ℙ *Collinas herbas* ap. *Propert.* 4, 5, 11. intellige circa portam Collinam enascentes. Fuit autem *Collina porta* Romae prope colles Quirinalem, Viminalem, et Exquilinum: unde et nomen traxit. V. AGONENSIS. *Ov. Fast.* 4, 871. Templa frequentari Collinae proxima portae, *h. e.* aedes Veneris Erycinae, de qua *Liv.* 40, 34. verba facit. *Juven.* 6, 290. proximus Urbi Annibal, et stantes Collina in turre mariti, *h. e.* in turri ad portam Collinam. V. *Liv.* 26, 10. ℙ *Collina Tribus* una ex urbanis, dicta est a collibus Quirinali, et Viminali, ubi constituta fuit. Ejus meminere *Varr. L. L.* 4, 8. et *Plin.* 18, 3, 3. *Inscr.* ap. *Grut.* 365, 1. L. Annio L. F. Col. Modesto Hon. Equo Publ. etc. Adde *ib.* 96, 5. et 454, 9. ℙ De *Collinis Saliis* V. in AGONENSIS. ℙ *Collinam Deam*, quae collibus praeesset, adstruunt quidam ex *August. Cic. Dei* 4, 8., idque analogia poscere videtur: sed apud *Augustin.* habetur *Collatina.*

COLLĪPHĬUM. V. COLIPHIUM.

*COLLIPPO, onis, opp. Lusitaniae, inter Tagum et Mondam flumina. *Plin.* 4, 21, 35. Hodie est Leiria. Hinc

*COLLIPPONENSIS, is, adj. ad Colliponem pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 1155, 7. Cornelio ex Lusitania municipi Collipronensi (corrige *Collipponensi*). Adde aliam *ib.* 323, 8. *B. A.*

COLLĪQUĔFACTUS, a, um, part. ab inusit. *colliquefio*, liquefactus, συντηκόμενος. *Cic. Cluent.* 62. Venenum colliquefactum in potione. *Varr. R. R.* 2, 4. Glacies colliquefacta.

COLLĪQUESCO et Conliquesco, is, n. 3. συντήκομαι, liquesco. *Colum.* 12, 22. Dum ea, quae addideris, in pice colliquescant. *Appul. Apolog.* Cum caro in humorem crassum, et spumidum inimico igni colliquescit. ℙ Translate. *Front. de nep. amiss.* 2. Victorini mei lacrimis tabesco, conliquesco.

COLLĪQUĬAE. V. COLLICIAE.

COLLĪQUO et Conliquo, is, qui, a. 3. idem quod liquo, as, liquefacio: tanquam a *liquo*, *is*, unde *liquor*, *eris* a *Virgilio* usurpatum. *Varr. fr.* ap. *Non.* 4, 276. Fulmine ita est ictus, ut cista esset integra, aurum colliquisset. Alii leg. *collicuisset*, ut *delicui* a *deliquesco*. Sic *Id. ib.* Quin aes, stannum, aut quid aliud ejus generis fervefactum colliquisset. Utrobique accusativus *se* subintelligitur. Sunt tamen haec omnia variis conjecturis, et lectionibus obnoxia.

COLLIS, is, m. parvus mons. A *colendo* dictum putat. *Varr. L. L.* 4, 4. *a med.*: alii deducunt a κολωνὸς, seu κολώνη, quae idem significant. [*Etym. vocis est a *cellere*, ut recte docere videtur *Döderl.* 2, 120. De discrimine inter *collis* et *clivus* v. in *Clivus.*] *Cic. Verr.* 2, 3, 18. Colles nitidissimi et viridissimi. *Caes. B. G.* 2, 8. Collis paulum ex planitie editus. *Id. ib.* 18. ab summo aequaliter declivis. *Colum.* 2, 2. clementer et molliter assurgens. *Virg. G.* 3, 555. Colles supini. *Id. Ecl.* 9, 49. aprici. [*Id. G.* 2, 113. Colles apertos amat Bacchus.] *Tac. A.* 2, 80. Arduus et deruptus collis. *Ov. Met.* 14, 9. Colles herbiferi. *Plin.* 27, 13, 109. saxosi. Et *ib.* terreni. *Virg. Ecl.* 9, 7. qua se subducere colles Incipiunt, mollique jugum demittere clivo, *h. e.* ex alto in campos dissolvi. V. tamen *Servium.* [*Ov. Met.* 1, 344. Flumina subsidunt: colles exire videntur, i. e. ex aquis decrescentibus in altum surgere. *Hor. Od.* 1, 20, 12. Mea nec Falernae Temperant vites, neque Formiani Pocula colles. *Id. ib.* 4, 5, 29. Condit quisque diem collibus in suis, Et vitem viduas ducit ad arbores. *Propert.* 3, 17, 15. Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles, i. e. vites defigam in colles. — *Hor. C. S.* 7. Dis, qui bus septem placueré colles, Dicere carmen.] ℙ *Colles montani* ap. *Plin.* 6, 20, 23. sunt juga ex ipsis montibus assurgentia. ℙ Quem *Mart.* 12, 18. appellat *collem Dianae dominae*, est collis Aventinus, ubi Dianae templum fuit. ℙ Pro monte *Sil.* 3, 420. *de Pyrenaeis montibus.* Nomen Bebrycia duxere a virgine colles. ℙ In ablativo casu *colli* pro *colle* rarum est et poeticum. *Lucr.* 2, 317. Nam saepe in colli tondentes pabula laeta. Adde *ib.* 322.

COLLĪSĬO, onis, f. σύρρηξις, σύγκρουσις, duorum, aut plurium corporum mutua percussio. *Justin.* 11, 12. Nunciatur, uxorem ex collisione abjecti partus decessisse.

COLLĪSUS et Conlisus, a, um, part. a *collido*. *Cels.* 5, 26. *n.* 23. Solet etiam, colliso corpore, exigua parte findi cutis. *Plin.* 5, 27, 27. Mons collisus mari. *Sil.* 3, 698. alta sonoro, Collisis trabibus, volvuntur murmura luco. *Manil.* 1, 855. cum silva sibi collisa crematur, *h. e.* lignum ligno affrictum accenditur. *Ulp. Dig.* 34, 2, 28. Cui aurum vel argentum factum legatum est, si fractum vel collisum sit, non continetur, *h. e.* ita collisione corruptum, ut formam amiserit. Sic *collisi scyphi* ap. *Paul. Dig.* 50, 16, 14. ℙ *Collisus* absolute dicitur, qui casu, aut ictu aliquo laesus est. *Plin.* 29, 2, 9. Succidam lanam imponunt desquamatis, percussis, collisis. ℙ Collisus nasus, ap. *Senec. Ira* 3, 22. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 2, 7 Graecia Barbariae lento collisa duello, *h. e.* longo bello conflictata. *Vell.* 2, 52. Collisa inter se duo reipublicae capita. *Quint. Decl.* 5, 7. Collisa pignora, *h. e.* parentes, et liberi inter se mutuo infesti.

COLLĪSUS, us, m. idem ac collisio. *Plin.* 9, 35, 56, Sono quodam et collisu ipso margaritarum. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 12. Collisus dentium.

[COLLITEO, et Conliteo, es, ui, n. 2. simul lateo, a *con* et *lateo*. *Not. Tir.* p. 94. Conlituit. *F.*]

[COLLITESCO et Conlitesco, is, n. 3. idem ac colliteo. *Not. Tir.* p. 94. Conlitescit. *F.*]

COLLĪTUS et Conlitus, a, um, part. a *collino*, oblitus. *Prud. Cathem.* 5, 15. Fila favis scirpea floreis, Presso melle prius collita fingimus. ℙ Item conspurcatus. *Pl. Poen.* 4, 2, 4. Luteus, et coeno collitus.

COLLOBĀTĀRĬUS. V. CALOBATARIUS.

COLLOCĀTĬO, onis, f. σύνθεσις, συνθήκη, actus collocandi, compositio, dispositio. *Cic. Univ.* 9. Collocatio siderum. *Vitr.* 5, 3. Collocationes moenium. *Cic. Cluent.* 66. *in f.* Collocatio filiae. *scil.* in matrimonium. ℙ Collocatio verborum in oratione est, qua ita componuntur verba, atque struuntur, ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et laevis. Ita *Cic. Or.* 3, 43. definit. *Id. Or.* 70. Compositi oratoris bene structam collocationem dissolvere permutatione verborum. *Id. Or.* 2, 13. Perpolire opus aliquod verborum collocatione, et tractu orationis leni et aequabili.

COLLOCĀTUS, a, um, part. a *colloco*, apte locatus, positus, dispositus. *Plin. ep.* 2, 1. Cecidit, coxamque fregit: quae parum apte collocata, male coiit. *Cic. Catil.* 3, 9. Signum Jovis collocatum. *Id. Partit.* 4. Hasta in manu collocata. *Suet. Galb.* 18. *ad f.* Curulis perverse collocata. *Id. Tit.* 9. Collocatis circa se ornamenta pugnantium inspicienda porrexit. *Id. Cal.* 24. Drusilla collocata L. Cassio. *Pl. Most.* 3, 3, 12. Bene res nostra collocata est istoc mercimonio. *Cic. Pis.* 12. *in f.* Quem ad Cn. Pompejum interimendum collocatum fuisse constabat. *Id. Verr.* 2, 5, 14. *in f.* Aedilitas recte collocata et in loco posita. *Id. in Senat.* 1. In altissimo dignitatis gradu collocatus. *Quint.* 8, 1. In conjunctis intuendum est, ut sint emendata, ut collocata, ut figurata. Et *Cic. Or.* 24. Ornatus verborum duplex, unus simplicium, alter collocatorum. V. integrum locum.

COLLŌCO et Conloco, as, avi, atum, a. 1. συνιθημι, καθίζω, loco, pono, statuo, dispono. *Ov. Met.* 1, 722. *de oculis Argi.* Excipit hos, volucrisque suae Saturnia pennis Collocat. *Cic. Or.* 1, 35. Suo quidque loco collocare. *Suet. Ner.* 13. aliquem juxta se. [*Id. Aug.* 43. Super se subsellio secundo collocavit, i. e. pone se, ut *Casaub.* explicat, subselliorum ratione, quorum imo sive primo, in quo sedit Augustus, secundum erat altius, secundo tertium et sic deinceps. *Suet. Tit.* 9. Gladiatorum spectaculo circa se de industria collocatis. *Id. ib.* 100. A Bovillis equester ordo suscepit, urbique intulit, atque in vestibulo collocavit (corpus).] *Pl. Asin.* 3, 3, 67. crumenam in collo. *Id. Aul.* 4, 8, 6. se in arborem. *Id. Men.* 5, 6, 28. vasa et servos in tabernam. *Caes. B. G.* 3, 29. exercitum in hibernis. [*Suet. Aug.* 49. Classem Miseni et alteram Ravennae collocavit. *Tac. A.* 13, 7. Legionesque ipsas propius Armeniam collocari jubet.] *Sall. Jug.* 65. in provinciam hiemandi gratia. *Id. ib.* 55. cohortes adversus pedites hostium. *Caes. B. G.* 1, 38. *in f.* praesidium in oppido. Et *ib.* 3, 19. copias in convalle in insidiis. [*Virg. G.* 4, 424. Hic juvenem in latebris aversum a lumine Nympha Collocat.] *Ov. Met.* 2, 733. chlamydem, ut apte pendeat. *Quint. prooem. l.* 6. statuam. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. columnas rectas et e regione. *Id. Har. resp.* 25. aliquem in tuto. *Id. Verr.* 2, 2, 3. sedem ac domicilium (*aufschlagen*). ℙ Cum dativo communi. *Cic. Mil.* 10. Collocare insidias alicui. ℙ *Collocare homines in agris* ap. *Nep. Milt.* 2. est colonia deducta, homines in agris ponere, ut ibi domicilium figant, eosque colant. Omissa praeposit. *Suet. Aug.* 13. *in f.* Cum veteranos reducendos, et municipalibus agris collocandos recepisset. ℙ *Collocare aliquem in lecto* est in lecto ponere. *Cic. Tusc.* 2, 17. Adde *Ter. Eun.* 3, 5, 45. ubi alii leg. *in lectum.* Notat hic *Donat.* hoc sensu *collocare* verbum esse proprium pronubarum. Eodem sensu *collocare* absolute dixit *Catull.* 61, 188. ℙ Joculariter *Pl. Amph.* 1, 1, 146. Agite pugni: heri homines quatuor in soporem collocastis, *h. e.* sopitos stravistis. ℙ Hinc adhibetur etiam pro sternere. *Mart.* 5, 65. Quot tua Maenalios collocat hasta sues (*erlegen*). ℙ Saepe ponitur pro nuptui dare. *Cic. Brut.* 26. Collocare filiam suam alicui. *Id. Div.* 1, 46. aliquam in matrimonium. *Scaev. Dig.* 36, 1, 77. filiam in matrimonio. *Caes. B. G.* 1, 18. propinquas suas nuptum in alias civitates. *Colum.* 4, 3. *in f.* filiam nuptui in parte agri, *h. e.* dotem in parte agri assignando. *Pl. Trin.* 1, 2, 122. filiam in conditionem se dignam. *Ulp. Dig.* 3, 2, 11. se nuptiis. Ita *Torrent.* Alii *nuptum.* Absolute *Nep. Epam.* 3. Cum virgo nubilis propter paupertatem collocari non posset. [*Tac. A.* 4, 39. Collocandae filiae.] ℙ Collocare dotem in fundo, assignare fundum, ut ex eo dos percipi possit. *Cic. Caecin.* 4. Quo mulieri esset res cautior, curavit, ut in eo fundo dos collocaretur. ℙ *Suet. Tib.* 48. Collocare duas patrimonii partes in solo. [*In solo collocari pecunia dicitur, pro qua emuntur agri, aedes, aliaque, quae vulgo immobilia bona vocant, sed imprimis agri. Ita *Ernest.* ad h. l. (*Anlegen.*)] Similiter *collocare rem familiarem* est occupare, eo loco ponere, ut fructus uberes reddat. *Pl. Men.* 5, 6, 1. Bonus servus, qui rem herilem procurat, videt, collocat. *Cic. Phil.* 3, 2. Non enim patrimonium effudit, sed in salute reipubl. collocavit. Al. leg. *in salutem.* ℙ *Collocare pecuniam* est occupare, impendere. *Cic. Caecin.* 4. Collocare pecuniam in fundo. *Cajus Dig.* 17, 1, 2. pecunias in emptiones praediorum. *Tac. A.* 6, 45. Millies sestertium ea munificentia collocatum. *Suet. Aug.* 39. *in f.* Collocare pecunias fenore. *Martian. Dig.* 35, 2, 88. pecuniam idoneis nominibus. ℙ Translate. *Cic. Off.* 3, 5. Collocare aliquem in concilio coelestium. *Id. in Senat.* 1. aliquem in altissimo gradu dignitatis. *Id. Off.* 2, 20. bene beneficium apud aliquem. *Id. Or.* 51. *in f.* Natura collocavit judicium sonorum in auribus. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 10. Omne suum studium in doctrina ac sapientia collocare. [*Id. Tusc.* 5, 4. Socrates philosophiam devocavit a coelo et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit.] *Id. Quint.* 26. *ad f.* spem in incerto temporis. *Auct. ad Herenn.* 4, 17. Omnes bene vivendi rationes in virtute. *Quint.* 12, 11. famam in tuto. *Cic. Coel.* 20. se in meretricia vita. etc. *Id. Off.* 1, 44. *ad f.* se totum in cognitione et scientia. *Pl. Merc.* 3, 2, 10. se in otium. *Mart.* 1, 114. male bonas horas. ℙ Pro ordinare, componere. *Cic. Fam.* 2, 13. *in f.* Mihi erat in animo, cum prima aestiva attigissem, militaremque rem collocassem, decedere. *Gell.* 18, 8. Collocare verba. V. COLLOCATIO. [*Ita dicitur etiam de scriptoribus, qui de re aliqua verba faciunt, ita ut veram demonstrent. *Tac. A.* 6, 27. De cujus moderatione atque sapientia in prioribus libris satis collocavi.] ℙ Ponitur etiam pro simplici *loco*, qua significat aliquid alicui faciendum dare, constituta mercede. *Jabolen. Dig.* 19, 2, 51. Non enim interest, utrum uno pretio, an in singulas operas collocetur, si modo universitas consummationis ad conductorem pertinuit. ℙ *Collocare judicem* ap. *Fest.* in *Procum*, est constituere, eligere. ℙ Part. *Collocans* apud *Justin.* 9, 6. Collocantis filiam.

COLLŌCUPLĒTO et Conlocupleto, as, a. 1. καταπλουτίζω, locupleto, ditem facio. *Ter. Heaut.* 2, 3, 17. Tu interea loci conlocupletasti te, Antiphila. ℙ Translate. *Auct. ad Herenn.* 2, 18. Exornatio est, qua utimur rei honestandae et collocupletandae causa.

COLLOCŪTĬO, Conlocutio et Colloquutio, onis, f. συνομιλία, actus colloquendi, colloquium, sermo. *Cic. Phil.* 11, 2. Secutae sunt collocutiones familiarissimae cum Trebonio. *Auct. ad Herenn.* 15, 1. Venire in collocutionem cum hostium ducibus. *Cic. Fam.* 1, 9. Hac me mente fuisse, et senatus ex me audivit, et tu in nostris sermonibus collocutionibusque vidisti. *Collocutio* est colloquium, quod fit remotis arbitris, et de arcanis rebus sermo latius patet, et publicum quoque colloquium significat. *Manut.*

COLLOCŪTOR, oris, m. qui simul cum aliquo loquitur. *Tertull. adv. Praxeam* 5. Dum loqueris, collocutorem pateris sermonem. *August. Confess.* 9, 6. Quae inseruntur ibi ex persona collocutoris mei.

*COLLŌDES, is, f. Κολλώδης, insula prope Sardiniam. *Plin.* 3, 7. *Martian. Capell.* 6. a. m. sub titulo *de Sardinia*, p. 136. *Vulcan. B. A.*

*COLLOPS, geminus, magnus et parvus, Κόλ-

λοψ μέγας καὶ μικρὸς, opp. Numidiae, in Mauritaniae confinio. *Collops magnus*, id. est quod *Cullu* (*Κούλλου Ptolem.*) ap. *Plin.* 6, 3. vel *Chulli municipium* ap. *Anton. Itin. Collops parvus*, qui magis ad orientem est, nunc *Larobo*, teste *Moletio. B. A.*

COLLŌQUĬUM et Conloquium, ii, n. συνομιλία, sermo inter duos, collocutio. *Nep. Dat.* 11. Cum aliquandiu in colloquio fuissent. *Cic. Phil.* 12, 11. Venire in congressum et colloquium alicujus. *Caes. B. C.* 1, 9. *in f.* Componere omnes controversias per colloquia. *Id. B. G.* 1, 35. Venire in colloquium. Et *B. C.* 3, 18. *in f.* Per colloquia de pace agere. *Virg. A.* 7, 91. Frui colloquio alicujus. *Turpil.* ap. *Non.* 4, 328. Conferre se in colloquium alicujus. *Prop.* 4, 10, 32. Colloquium dare. *Petr. Sat.* 9. *in f.* Subducere se a colloquio praeceptoris. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. *ad f.* Facere colloquium. *Liv.* 34, 61. Serere colloquia cum aliquo. [*Hoc loco in malam partem dicitur de clandestinis conventibus. Adde *Tac. A.* 1, 16. Imperitos animos impellere paulatim nocturnis colloquiis. *Id. ib.* 3, 40. Secretis colloquiis componunt; et al.] *Cic. Phil.* 1, 4. Colloquia amicorum absentium, *h. e.* commercia litterarum. *Plin.* 10, 49, 70. et *Gell.* 10, 12. Interpretari linguas et colloquia avium.

COLLŌQUOR et Conloquor, eris, utus sum, dep. 3. συνομιλέω, simul loquor. *Cic. Or.* 1, 8. Hoc uno praestamus feris, quod colloquimur inter nos. *Id. ib.* 1, 7. Colloqui inter se de re aliqua. *Id. Fam.* 1, 7. saepissime cum aliquo per litteras. *Nep. Alc.* 5. per internuncios. *Cic. Att.* 16, 8. clam cum aliquo. *Liv.* 3, 36. Aditus colloquentibus difficiles. ℙ Cum accusativo personae pro alloqui. *Pl. Capt.* 4, 2, 53. Perlubet hunc hominem colloqui. Adde *eund. Asin.* 1, 2, 24., *Men.* 2, 3, 77., *Pseud.* 1, 3, 16. et *Trin.* 5, 2, 11. et 26. ℙ Cum dativo. *In Suppositis Merc. Plautini, scena, quae incipit: Syra non redit.* Nulli colloquor libentius. ℙ Part. *Collocuturus* ap. *Nep. Att.* 8. Respondit, se neque cum quoquam de ea re collocuturum, neque etc.

COLLŪCĔO et Conluceo, es, uxi, n. 2. συλλάμπω, ἀμφιφάω, idem quod luceo, vel valde luceo. *Cic. N. D.* 2, 15. Sol immenso mundo longe lateque collucens. *Id. Verr.* 2, 4, 32. Cujus fulgore collucere, atque illustrari Jovis templum oportebat. *Id. Acad.* 4, 33. Mare a sole collucet. *Virg. A.* 10, 539. Totus collucens veste, atque insignibus armis. *Id. ib.* 4, 567. Saevae faces collucent. *Id. ib.* 9, 166. Collucent ignes. [*Tac. A.* 3, 4. Collucentes per campum Martis faces. *Id. H.* 3, 23. Vitelliani adverso lumine collucentes. *Ov. Fast.* 5, 363. Vel quia purpureis collucent floribus agri.] *Plin.* 10, 47, 67. Plumae ignium modo collucent noctibus. ℙ In 3. conjugat. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 10. Collucis insigni stola. Ita *Heins.* ex veteri MS.; alii: *colluces.*

COLLUCERNATĬO. V. COLLURCINATIO.

COLLŪCO et Conluco, as, a. 1. κλαδάω, διακαθαίρω δένδρον. *Festus:* Conlucare dicebant, cum profanae silvae rami deciderentur officientes lumini. *Id.* in V. *Sublucare.* Conlucare arbores est succisis arboribus locum implere luce. Priore loco ait esse *ramos decidere:* posteriore ipsas *arbores succidere.* Haec posterior explicatio verior videtur, tum quia *Festi* verba sunt, cum illa videantur esse *Pauli* ejus epitomatoris: tum quia pro *decidendis ramis* est aliud verbum, *sublucare. Cato R. R.* 139. Lucum conlucare Romano more sic oportet. *Colum.* 2, 22. Feriis non permittitur serere, neque terram aperire, neque arborem collucare. *Plin.* quoque posteriorem probat 17, 28, 47. *in f.* Cato arbores religiosas lucosque succidi permisit, sacrificio prius facto: cujus rei rationem precationemque eodem volumine tradidit. Respicit *Plin.* ad caput *Catonis* citatum, in quo rationem tum sacrificii, tum precum in eo habendarum perscribit. Cum autem *Plin.* dicat *lucos succidi*, satis aperte significat, quid sit *lucum conlucare* ap. *Catonem.* Ideo autem sacrificium fieri jubet *Cato*, ut placentur Dii, quibus luci sacri esse putabantur.

[COLLUCRĬUM et Conlucrium, ii, n. videtur significare sacrificium illud, quod, antequam collucarentur luci, facere solebant veteres Romani. V. COINQUIO. *Not. Tir.* p. 69. Lucar, conlucrium. *F.*]

COLLUCTĀTĬO, onis, f. διαπάλη, actus colluctandi, lucta, conatus adversus aliquem. *Ulp. Dig.* 9, 2, 7. Si in colluctatione, vel pancratio alius alium occiderit. *Colum.* 6, 2. *de juvencis.* Ne in colluctatione alter alteri noceat. *Senec. Quaest. nat.* 3, 18. *de mullo exspirante.* Ipsa colluctatione animam agenti rubor primum, deinde pallor suffunditur. ℙ De amantium complexibus usurpat *Appul. Met.* 9. Dum Veneris colluctationibus securius operantur. *Id. ib.* 2. His et hujusmodi colluctationibus ad confinia lucis usque pervigiles egimus. Adde *Lact.* 1, 17. de Minerva a Vulcano compressa. ℙ De conjunctione dexterae in salutationibus. *Tert. de virg. veland.* 11. Rebecca, cum ad sponsum perduceretur, non sustinuit dexterae colluctationem, nec osculi congressionem. ℙ Translate de vitiis pronunciationis. *Quint.* 11, 3. Est alius concursus oris, et cum verbis suis colluctatio, *h. e.* difficultas quaedam verborum apte exprimendorum.

COLLUCTĀTOR, oris, m. qui cum aliquo luctatur, ἀντίπαλος. *Lact. de opif. Dei* 1. Ille colluctator et adversarius noster, scis quam sit astutus.

COLLUCTOR et Conluctor, aris dep. 1. συμπαλαίω, simul luctor. *Plin.* 27, 2, 2. *de veneno.* Cum eo solo colluctatur. *Appul. Met.* 2. *in f.* Medios latrones invado, ac singulis, ut quemque colluctantem offenderam, gladium altissime demergo. *Gell.* 12, 5. *a med.* Philosophus cum petulantia morbi colluctans. *Prud. Hamartig.* 523. colluctari praedonibus.

COLLŪDĬUM, ii, n. ludus cum aliquo. *Solin.* 12. *de delphinis.* Post assueta colludia. Adde *Symmach. ep.* 3, 5. ℙ Item deceptio, fraus. *Ammian.* 19, 5. Confessus debitum, per colludia in nomen fisci translatum. Adde *Imppp. Val., Valens et Gratian. Cod.* 9, 49, 7. et *Symmach. ep.* 4, 20. et V. vocem sequent.

COLLŪDO et Conludo, is, usi, usum, n. 3. συμπαίζω, simul cum alio ludo.. *Hor. Art. P.* 159. Puer gestit paribus colludere. *Virg. G.* 1, 369. Aut summa nantes in aqua colludere plumas, *h. e.* ludentium more volitare. ℙ *Colludere* apud JCtos dicuntur inter se litigantes, cum ficte, et veluti per ludum litigant, alterque patitur se superari, ut tertio cuipiam praejudicium afferatur. *Cic. Verr.* 2, 2, 24. Inimicus hostis esset, tanta contumelia accepta, nisi tecum collusisset, et tuae potius existimationi servisset, quam suae. *Ulp. Dig.* 48, 5, 3. Colludere magis cum uxore, quam ex animo accusare. ℙ Similiter procurator colludere cum emptore dicitur, cum ab eo corrumpitur pretio, ut vilius aliquid vendat, ut est apud *Julian. Dig.* 41, 5, 7. *a med.* etc.

COLLŪGĔO, es, n. 2. idem quod lugeo, vel simul lugeo. *Cael. Aurel. Tard.* 2, 5. Lacessiti collugent, ingemunt.

COLLUM, i, n. τράχηλος, pars corporis, quae caput sustentat. Quid a cervice differat, V. CERVIX. *Cic. N. D.* 2, 47, *in f.* Anseres adjuvantur proceritate collorum. *Id. Brut.* 91. Procerum et tenue collum. *Id. Verr.* 2, 3, 33. Haec civitas mulieri redimiculum praebeat, haec in collum, haec in crines, *h. e.* in ornamenta colli. *Id. ib.* 2, 5, 42. Sustinere aliquid collo ac cervicibus suis. *Id. ib.* 2, 4, 17. Inserere collum in laqueum. *Id. Phil.* 2, 31. Invadere alicui in collum. Sic *Coel.* ap. *Quint.* 4, 2. *sub f.* Amplexu collum alicujus petere. *Q. Cic. Petit. cons.* 3. Secare alicui collum gladio. *Pl. Bacch.* 3, 6, 42. Tollere aliquem in collum. *Id. Ep.* 2, 2, 10. Pallium in collum conjicere. [*Tibull. 2, 6, 2. Et collo fortiter arma gerat! (de Amore) Cf. *Heyn.* ad h. l. *Id.* 1, 2, 90. Veneris vinclis subdere colla.] ℙ *Dare collum* est cedere, victum se fateri. Victis enim tum collum pedibus calcatur, tum jugum collo imponitur. *Propert,* 2, 8, 19. India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho. *Claud. VI. Cons. Honor.* 648. Colla triumphati proculcat Honorius Istri. *Sil.* 10, 216. Subdere colla fortunae. Hinc *eripere colla jugo* ap. *Hor. Sat.* 1, 7, 91. est servitutem evadere, in libertatem se vindicare. ℙ Reis in jus, vel in carcerem trahendis colla prehendi, et torqueri solebant, et fauces obstringi arrepta circa collum tunica, ut vel inviti prompte sequerentur. *Pl. Poen.* 3, 5, 45. Priusquam obtorto collo ad praetorem trahor. *Id. Curc.* 5, 3, 15. Collum obstringe, abduce istum in malam crucem. *Cic. Verr.* 2, 4, 10. *in f.* Obtorta gula de convivio in vincula abripere. ℙ Aliquando etiam, ut notat *Turn.* 28, 34. magistratus ipsi, castigandi gratia, minus obedientibus collum torquebant. *Liv.* 4, 53. Consul cum paucis appellantibus tribunum, collum torsisset, metu ceteri sacramento dixere. ℙ Per similitudinem *collum* dicitur de aliis rebus. *Virg. A.* 9, 436. lasso papavera collo Demisere caput. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 4. Colla fictilia, *h. e.* tubuli fictiles. *Id.* 28, 11, 48. et *Phaedr.* 1, 26. Collum lagenae. *Stat. Theb.* 9, 643. Frondea colla Parnassi, *h. e.* juga subjecta vertici. ℙ Reperitur etiam *collus, i,* m. *Pl. Capt.* 2, 2, 108. Collus collaria caret. *Id. ib.* 4, 3, 2. Praetruncare collos. Adde *Accium, Lucil., Caecil., Caton., Naev.* et *Varron.* ap. *Non.* 3, 64., quorum tamen omnium auctoritas non persuadet *Quint.* 1, 6. ut in ornata oratione usurpari permittat.

COLLŪMĬNO, as, a. 1. illumino, vel simul illumino. *Appul. de Deo Socrat.* Serv. Tullius flamma colluminetur a capite. *Prud. adv. Symmach.* 2, 830. Solis radius colluminat omnes.

COLLŬO et conluo, is, ui, utum, a. 3. διαλύζω, idem quod lavo, vel simul lavo. *Cato R. R.* 100. Metretam amurca colluere. *Pers.* 1, 18. Liquido plasmate guttur colluere. *Plin.* 20, 6, 23. Colluere dentes aqua. *Id.* 23, 4, 38. De oleo colluere os ad dentium firmitatem. [*Ov. Met. 5, 447. Fessa labore sitim collegerat, oraque nulli Colluerant fontes. *Colluere* rarius ita occurrit de bibente.] ℙ *Colluere* etiam dicitur flumen, cum locum aliquem circumfluit. *Pompon. Dig.* 41, 1, 30. Cum amnis paulatim colluendo, locum eminentem supra alveum fecit.

COLLURCĬNĀTĬO, onis, f. aviditas, voracitas: a *lurcor. Appul. Apol.* Quae omnia in paucis annis hic degulator studiose in ventrem condidit, et omnimodis collurcinationibus dilapidavit. *Claud. Mamert. de statu Anim.* 2, 9. *ad f.* Qui stipem suam variis collurcinationibus dilapidavit parasitico more. ℙ Quidam ap. *Appul.* leg. *cohircinationibus*, et exponunt, hircinis lasciviis: ap. *Mamert.* vero *collucernationibus:* sed utrumque minus recte.

COLLUS, genus tormenti e corio. *Fest.* ubi al. leg. *culeus*, seu *culleus.* ℙ *Collus*, cervix, V. COLLUM.

COLLŪSĬO, onis, f. συμπαιγνία, actus colludendi; et translate dolus, fraus ex composito facta, eo modo, quo in COLLUDO explicatum est. *Cic. Verr.* 2, 3, 13. Cum verbo judicium sit in edicto, re quidem vera tuorum comitum collusio cum decumanis sociis tuis. *Senec. Controv.* 5, 31. *ad f.* Noluit videri, per collusionem patri titulum fortissimi viri contigisse. *Ulp. Dig.* 40, 16. qui est *De collusione detegenda*, 4. Si libertinus per collusionem fuerit pronunciatus ingenuus. *Mart. ib.* 8, 5, 19. Cedere litem adversario per collusionem.

COLLŪSĬUM, ii, n. idem quod collusio. *Ulp. Dig.* 17, 1, 8. Si per collusium procuratoris absolutus sit adversarius. Ita *Torrent.* ubi in margine adscriptum est pro varia lectione *collusionem*, quod alii plerique receperunt: at fortasse rectius *colludium*, quod in *Cod. Justin.* et saepius in *Cod. Theodos.* occurrit.

COLLŪSOR, oris, m. συμπαιστής, qui cum altero ludit. *Cic. Phil.* 2, 39. Hunc tu compransoribus tuis et collusoribus dividebas. [*Suet. Cal.* 41. Et quondam proximo collusori demandata vice sua.] *Plin. ep.* 9, 33. Delphinus collusor puerorum. ℙ Item qui in judicio colludit. *Impp. Diocletian. et Maxim. Cod. Theod.* 7, 20, 2. Contra collusorem poena statuta.

COLLŪSORĬE, adv. per collusionem. *Ulp. Dig.* 30, 50. Qui collusorie de hereditate litigavit.

COLLUSTRĀTUS, a, um, part. a *collustro*, illustratus. *Cic. Or.* 11. In picturis alios horrida, et opaca; contra alios nitida, laeta, collustrata delectant.

[COLLUSTRĬUM et Conlustrium, ii, n. collegium rusticum, quod agrorum lustrationibus praeerat; ex *Siculo* vero *Flacc.* inter *Auct. rei agrar.* p. 29. *Goes.* liquet pagorum magistros pagos lustrare solitos fuisse. *Inscr.* ap. *Mur.* 89, 3. eaque emendatior ap. *Jo. Labusium* in *Ant. Monum. Bresc.* p. 67. Fatis Fata*libus* Druinus M. No*nii* Arrii Muciani *Cos.* actor praediorum Tublinati*um* tegurium a solo impendio suo fecit, et in tutela ejus HS. N. CC. conlustrio fundi Vettiani dedit, *h. e.* iis, qui fundum Vettianum conlustrare solent: Itali dicunt *il consorzio.*

COLLUSTRO et Conlustro, as, a. 1. illustro, collumino, διαυγάζω. *Cic. N. D.* 2, 36. *ad f.* Sol omnia clarissima luce collustrans. *Id. Div.* 2, 43. Luna lumine solis collustrari putatur. [*Collustrare*, proprie lucis communicationem significans, et *illustrare* ita usu differunt, ut *beleuchten*, scil. extrinsecus, ab *erleuchten*, scil. intrinsecus. *Döderl.* 2, 86. sq.] ℙ Item circumspicio, περισκοπέω. *Cic. Tusc.* 5, 23. Cum omnia collustrarem oculis. Adde *Virg. A.* 3, 651. et *Tac. A.* 2, 45.

COLLŪTĬO, onis, f. actus colluendi, ablutio, διαλυσμός. *Scrib. Compos.* 53. Cum dolor dentium urgebit, varie sedandus est partim collutione quorumdam, partim commanducatione.

COLLŪTŪLO, as, a. 1. luto inquino, polluo. Translate est dedecus afferre. *Pl. Trin.* 3, 2, 66. Haec famigeratio te honestet, me autem collutulet, si sine dote duxeris.

COLLŪTUS et Conlutus, a, um, part. a *colluo*, lotus, ablutus, διαλυζόμενος. *Plin.* 28, 19, 77. Lacte equino juvantur vulvae collutae. *Id.* 23, 6, 56. Os collutum decocto. *Id.* 25, 13, 105. Succus verbenacae aceto collutus. *Id.* 37, 10, 56. Gemma melle colluta.

COLLŪVĬĀRIS porcus dicitur, qui cibo permixto, et colluvione nutritur. *Fest.* Alii leg. *colluvialis.*

COLLŪVĬĀRĬUM, ii, n. ὀχετὸς, canalis, per quem colluvies et immunditiae ejectantur. Est qui affert in hanc rem locum *Suet. Aug.* 40., sed ibi *colluvione* legitur: V. locum in voce seq. ℙ *Vitruv.* usurpat de spiraculis, quae cavantur in canalibus aquaeductuum ad emittendum aerem. Verba ejus sunt 8, 7. Etiam in ventre colluviaria sunt facienda, per quae vis spiritus relaxetur. Alii leg. *columnaria;* sed *colluviaria* retinendum: nam, ut ait *Polaenus* ad *Frontin. Aquaed.* p. 160., ita videntur appellata, quod ea non modo spiramentorum loco essent, sed etiam quod per ea egeri possent, ubi opus esset, inquinamenta, itaque rivi purgarentur.

COLLŪVĬES et Conluvies, ei, f. et Colluvio, onis, f. συρφορὴ, φορυτὸς, συρφετὸς, sordes varii generis simul confluentes, concursus immunditia-

rum. *Ulp. Dig.* 43, 22, 1. Cloaca est locus cavus, per quem colluvies quaedam fluit. *Colum.* 2, 15. *ad f.* Colluvies cortis, et aedificii. *Plin.* 24, 19, 116. Medetur et suibus effossa sine ferro, et addita in colluviem poturis, *h. e.* in aquam sordidam, in qua furfures, et olera mixta sunt. ℙ Translate sumitur pro mixtione et turba viliorum hominum, aut aliarum rerum omnis generis: item pro ea, quae inde nascitur, confusione ac perturbatione. *Liv.* 4, 2. Colluvionem gentium, perturbationem auspiciorum afferre. [*Tac. A.* 2, 55. Quod colluviem illam nationum comitate nimia coluisset. *Id. ib.* 14, 44. Postquam vero nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra, aut nulla sunt, colluviem istam nonnisi metu coercueris.] *Suet. Aug.* 40. Sincerum atque ab omni colluvione peregrini ac servilis sanguinis incorruptum servare populum. *Liv.* 3, 6. Colluvio mixtorum omnis generis animantium. *Cic. Sext.* 7. Ille nefarius ex omnium scelerum colluvione natus. *Gell.* 1, 15. Colluvio verborum teterrima. *Atticus* ap. *Cic. Att.* 9, 10. *a med.* Et te in certamine vinci cum illo facilius patiaris, quam cum hoc in ea, quae perspicitur futura, colluvie regnare. *Cic. Vatin.* 9. *ad f.* Ferocitas Gracchorum, audacia Saturnini, colluvio Drusi, et cruor Cinnanus. *Id. Senect.* 23. O praeclarum diem, cum ex hac turba et colluvione discedam! *Tac. H.* 2, 16. In multa colluvie rerum, majoribus flagitiis permixti. Adde *Liv.* 3, 9. ℙ In plur. num. *colluviones* legitur ap. *Arnob.* 5. p. 172.

COLLUVIUM. V. ALLUVIUM.

COLLYBISCUS, i, m. diminut. a *collibistes*, quod *Pl. Poen.* 1, 1, 42. etc. proprium villici nomen fecit.

COLLYBISTES seu Collybista, ae, m. *κολλυβιστής, ἀργυραμοιβός*, mensarius, vel nummularius, qui ex pecuniae permutatione quaestum facit. *Hieron. comment. c.* 21. *Matth.* docet; apud Judaeos distingui *collybistas* a *nummulariis*. Hos enim esse, qui pro pecunia mutuanda usuras pecuniae exigunt; *collybistas* vero, qui non quidem pecunias, sed alterius generis munuscula usurae loco accipiunt, ut frictum cicer, uvas passas, poma, et hujusmodi species, quae Graece *τραγήματα*, *h. e.* bellaria, et ab ipsis *collyba* appellantur: quam significationem etiam *Hesych.* apud Graecos agnoscit. Haec autem munuscula collybistae accipiebant, quia usuras, seu pecuniam, accipere vetitum eis erat.

COLLYBUS, i, m. *κόλλυβος, ἀλλαγή*, permutatio pecuniae cum pecunia alterius generis. Id enim significat praeter cetera, Graeca vox, teste *Poll.* 3, 9. et 7, 33. Hoc sensu *Cic. Att.* 12, 6. Vide ne qua lacuna sit in auro. Ego ista novi: sed certe in collybo est detrimenti satis. *Suet. Aug.* 4. Non tantum ut pistoris, sed etiam ut nummularii nepotem, sic taxat Augustum: Materna tibi farina ex crudissimo Ariciae pistrino: hanc finxit manibus collybo decoloratis Nerulonensis mensarius, *h. e.* ex contrectatione pecuniae permutandae. ℙ Ponitur etiam pro pretio, quod accipit nummularius pro opera impensa in pecuniis permutandis. *Cic. Verr.* 2, 3, 78. Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant, primum pro spectatione et collybo, deinde pro nescio quo cerario. *et mox.* Nam collybus quinam esse potest, cum utantur omnes uno genere nummorum? ℙ Legitur etiam *Collubus.* ℙ *Collybum* neutr. gen. habes ap. *Hieronym. l. c.* in v. praec.

COLLYRA, ae, f. *κολλύρα*, genus panis, rotunda fere figura, lata et compressa, quod vel in sartagine frigitur ex jure, vel sub cinere coquitur. *Pl. Pers.* 1, 3, 12. Collyrae facite ut madeant, et colliphia.

COLLYRĬCUS, a, um, adj. ad collyras pertinens. *Pl. Pers.* 1, 3, 15. et 17. Jus collyricum, *h. e.* ex quo collyrae coquuntur, et eduntur.

COLLYRĬOLUM, i, n. parvum collyrium. *Macer* (*exiguae admodum auctoritatis scriptor*) 4, 12. vel collyriolum si supponatur in anum.

COLLYRIS, idis, f. parva collyra, *κολλυρίς*. *Aug. de Gen. ad litt.* 8, 5. *ad f.* Profecto licet usitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cujus una collyride hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta spatio vindicavit. ℙ A *Tert. Cult. fem.* 7. ponitur pro ornamento in capitibus feminarum figura collyridem referente. De qua V. in COLLYRA. ℙ *Collyris* est etiam herba alias malva erratica. *Appul. Herb.* 40.

COLLYRĬUM, ii, n. *κολλύριον*, et extrita priore diphthongi vocali, *κολλύριον*, medicamentum ex solidis rebus confectum, ad varios usus, tereti fere figura, in modum caudae muris truncatae, (a *κόλος*, mutilus, et *οὐρά*, cauda, ut placet *Voss.*) quod fistulosis corporis partibus immitti solet, veluti meatui naris affectae, vel aurium, ano, etc. *Cels.* 5, 28. *n.* 12. Collyrium fieri debet altera parte tenuius, altera paulo plenius: idque ea parte, qua tenuius est, antecedente, demitti oportet in fistulam. *Scrib. Compos.* 142. Injicere collyrium in anum. *Id. ib.* Fiunt collyria magnitudinis nucleorum pineorum. *Colum.* 6, 30. *de equorum morbis.* Collyrium tenue inditur foramini, quo meat urina. *Id. ib.* Subjicere collyria, quae ventrem movent. *Plin.* 28, 9, 37. Axungia collyrii modo subdita. *Id.* 26, 12, 78. Verbasci radicis medulla collyrii tenuitate in fistulam additur. ℙ Est praeterea medicamentum sive liquidum, sive solidum ad oculorum morbos. Hac notione derivant a *collyra*, quod omnia collyria solida et sicca in panes redigi soleant collyris similes. *Hor. Sat.* 1, 5, 50. Hic oculis ego nigra meis collyria lippus Illinere. *Celc.* 7, 7, *n.* 4. et 8. Inungere oculum collyrio. ℙ Reperitur etiam, *colyrium* et *colurium* unico *l*, et *v* in *u* Latinum versa.

COLMINĬĀNUS, a, um. V. COMINIANUS.

COLO, as, a. 1. *ἤθω*, est paullatim liquorem aliquem, stillatimque emittere, vel rem aliquam per colum purgare: a *colum*. *Colum.* 12, 11. Mel expressa aqua coletur. *Scrib. Compos.* 271. Colare aliquid per linteum. *Apic.* 4, 2, Accipies asparagos, in mortario fricabis, aquam suffundes, per colum colabis. *Plin.* 31, 3, 23. Terra colans, *h. e.* stillatim emittens aquam. *Manil.* 5, 193. colare amnes, *h. e.* rete piscari. V. COLUM.

COLO, is ui, cultum, a. 3. *ἀσχέω, ἐργάζομαι*, studium, operam, laborem pono in re aliqua perficienda, assiduus sum circa rem aliquam, exerceo, excolo, curo. *Colum.* 2, 2. Neque enim aliud est colere, quam resolvere et fermentare terram. *Cic. Rosc. Am.* 18. Suos agros studiose colere. *Id. Fin.* 4, 14. Colere vitem. *Ov. Amor.* 1, 13, 15. Prima bidente vides oneratos arva colentes. [*Id. Met.* 14, 624. Qua nulla Latinas Inter Hamadryadas coluit sollertius hortos.] ℙ Dicitur et de aliis rebus, in quibus cura aliqua impenditur. [*Idem quod *ornare*. *Ov. Met.* 10, 534. Formamque augere colendo. *Curt.* 8, 9, 21. Lacertos auro colunt.] *Ov. A. Am.* 3, 107. Corpora si veteres non sic coluere puellae. *Tibull.* 1, 9, 9. Colere capillos. *Id. ib.* 67. Ah pereant artes, et mollia jura colendi, *h. e.* comendi. *Pl. Poen.* 5, 2, 137. Colere quaestum suum. ℙ Colere domicilium stramentis, apud *Varr.* ap. *Non.* 4, 50. est casam stramentis tegere, sarcire, instruere. ℙ Translate. *Ov. A. Am.* 2, 121. ingenuas pectus coluisse per artes, Cura sit. *Cic. Off.* 1, 2. In officio colendo sita est vitae honestas omnis, in negligendo turpitudo. *Id. Leg.* 1, 5. Colere, et efficere munus aliquod. *Id. Arch.* 7. Percipere, et colere virtutem. *Id. Off.* 1, 1, *ad f.* Colere genus orationis aequabile et temperatum. *Id. Fam.* 3, 13. artes et studia. *Id. Off.* 1, 2. amicitiam, justitiam, liberalitatem. *Id. Brut.* 91. studium philosophiae. *Id. Or.* 2, 35. diligentiam. *Ov. Fast.* 2, 508. militiam. *Ter Hecyr.* 3, 4, 33. pietatem. *Cic. Att.* 12, 28. vitam aliquam. *Id. fragm.* ap. *Non.* 4, 280. Lautum victum et elegantem. *Id. Brut.* 31. disciplinam aliquam. *Pl. Cas.* 5, 4, 1. mores alicujus populi. ℙ *Colere aevum* ap. *Lucr.* 5, 1144. est aetatem agere. ℙ *Colere vitam* absolute pro vivere. *Pl. Rud.* 1, 5, 25. Egomet vix vitam colo. Adde *Trin.* 3, 2, 74. Sic colere vitam inopem. *Ter. Heaut.* 1, 1, 84. ℙ In illo *Pl. Poen. prol.* 13. Exerce vocem, per quam vivis, et colis: *vivis*, est victum tibi paras; *colis*, cultum ac vestitum. ℙ Colere servitutem apud aliquem est apud *eund. Poen.* 4, 2, 7. [*Virg. A.* 11, 584. Virginitatis amorem colit.] ℙ Cum accusativo personae significat cura, studio, observantia, obsequio, veneratione prosequi. [*De discrimine inter *colere* et *observare* haec docet *Döderl.* 2, 187. *Colere* involvit *operam*, (*handgreifliche Thätigkeit*); *observare* cernitur in *pietate* (*zarte Aufmerksamkeit*). Cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 13, 79.] *Mart.* 2, 55. Vis te, Sexte, coli: volebam amare. Parendum est tibi: quod jubes, colĕris. Sed si te colo, Sexte, non amabo. *Cic. Amic.* 22. *ad f.* Amicos deligere, et colere. *Id. ib.* Colere inter se, ac diligere. *Gell.* 3, 1. *ad f.* In sese colendo parcum esse. *Cic. Fam.* 5, 8. Neque unquam mihi tui colendi, aut ornandi voluntas defuit. *Nep. Attic.* 20. Colere aliquem litteris, *h. e.* saepe ei scribendo. *Liv.* 31, 43. aliquem donis. [*Tac. A.* 2, 42. Quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset.] *Cic. Fam.* 4, 4. *ad f.* aliquem summa observantia. *Id. Att.* 2, 19. *in f.* diligenter, et observare aliquem. *Id. Flacc.* 22. aliquem in primis, ac diligere. *Id. ad Cupienn. post ep.* 16, 16. *ad Att.* Mirifice colere., et amare. *Id. Phil.* 2, 38. aliquem loco patris. *Id. Brut.* 1. In loco parentis colere aliquem. ℙ [*Pertinet etiam ad eos, qui indignum ipsis obsequium praestant. *Suet. Oc.* 2. Post patris deinde mortem, libertinam aulicam gratiosam, quo efficacius coleret, i. e. quo majore fructu et commodo ei obsequeretur. Gr. quoque *θεραπεύειν* dicunt. Interdum idem esse videtur, quod *imitari* scil. cum veneratione, cultu. *Ov. Met.* 1, 694. Ortygiam studiis, ipsaque colebat Virginitate Deam. ℙ Huc et illa pertinent *Cic. ad Quirit.* 10. Colere memoriam beneficii benevolentia sempiterna. *Id. Fin.* 2, 31. memoriam defuncti. Et *ib.* alicujus diem natalem. ℙ *Colere* etiam dicuntur, qui inferiorum curam habent, eis prospiciunt, fovent, amant. *Virg. Ecl.* 3, 69. Jovis omnia plena: Ille colit terras. (*Servius* huc trahit et illud *A.* 1, 19. Quam Juno fertur terris magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo.) *Pl. Poen.* 5, 4, 14. Juppiter, qui genus colis, alisque hominum. *Cic. Att.* 10, 8. *ad f.* Nihil mihi unquam gratius accidit, quam quod meam Tulliam suavissime diligentissimeque coluisti. ℙ Saepe refertur ad religionem. [*Differt *colere* in his a *venerari* ita, ut *venerans* non nisi debitam Diis reverentiam afferat, precibus conspicuam, quibus iras eorum leniat; *colens* sacrificiis et cujuscunque generis studiis, officiis Deorum benevolentiam sibi conciliet, fructus inde tanquam ex agro capturus. Hinc *Cic. N. D.* 1, 41, 115. Quid est enim, cur deos ab hominibus colendos dicas, cum dii non modo homines non colant, sed omnino nihil curent, nihil agant? *Döderl.* 2, 187.] *Cic. N. D.* 1, 42. Colere, precari, et venenari Deos. *Id. Agr.* 2, 35. Majores in Deorum numero venerari et colere. *Id. N. D.* 1, 20. *ad f.* Pie sancteque colere. *Auct. ad Herenn.* 3, 3. religiose, caste. *Cic. Har. resp.* 13. summa religione. *Id. Flacc.* 4. testimoniorum religionem et fidem *Id. Tusc* 1, 12. magna cura caerimonias sepulcrorum. *Plin. Paneg.* 11. Deum aris, pulvinaribus, flamine. *Senec. Herc. Oet.* 580. Deum precibus. [*Liv.* 39, 15. Hos esse deos, quos colere, venerari, precarique majores vestri instituissent. *Tac. A.* 1, 10. Cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet. *Ov. Met.* 6, 171. Aut cur colitur Latona per aras? *Id. ib.* 8, 350. Phoebe, ait Amphicydes, si te coluique coloque. *Id. ib.* 725. Qui coluere coluntur.] ℙ Ponitur etiam pro frequentem et assiduum esse in loco aliquo. *Cic. Fam.* 2, 12. Urbem, urbem, mi Rufe, cole, et in ista luce vive. *Id. Verr.* 2, 4. 53. Colitur ea pars urbis, et habitatur frequentissime. ℙ Et simpliciter pro habitare, incolere. *Cic. N. D.* 2, 66. Homines, qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt. *Ov. Fast.* 4, 487. Unaque, pastorem vidisset an arva colentem, Vox erat. *Pl. Aul. prol.* 4. Hanc domum multos annos est cum possideo, et colo. *Liv.* 24, 49. Maurusii prope Oceanum adversus Gades colunt. [*Ov. Met.* 5, 495. Sicaniam peregrina colo. Ita saepissime de Diis, qui locum aliquem prae ceteris frequentant. *Ov. Met.* 14, 331. Quaeque (Najades) colunt Scythicae regnum nemorale Dianae. *Id. ib.* 15, 545. Hoc nemus inde colo, de Disque minoribus unus Numine sub dominae lateo. *Id. ib.* 1, 576. Undis jura dabat, Nymphisque colentibus undas. et *al.* — Dicitur etiam de animalibus. *Virg. G.* 3, 430. Anguis stagna colit. *Ov. Met.* 2, 380. Quae colat, elegit (Cycnus avis) contraria flumina flammis.] ℙ Part. *Culturus* ap. *Curt.* 4. 8. Urbem advenarum frequentia cultura.

COLOBATHRA. } V. CALOBATARIUS.
COLOBATHRARĬUS. }

COLOBĬCUS, a, um, adj. *Firmic. Mathes.* 3, 14. *n.* 8. Morientur aut spastici, aut colobici, aut apoplectici, *h. e.* membro aliquo truncati et debilitati: a *κολοβός*, mutilus, truncatus.

COLOBĬUM, ii, n. *κολόβιον*, tunica sine manicis, qua antiqui Romani utebantur: a *κολοβός*, mutilus. *Serv.* ad *A.* 9, 616. Tunicae vestrae habent manicas, quod etiam Cicero vituperat dicens: Manicatis et talaribus tunicis: nam colobiis utebantur antiqui, quae dicta sunt *ἀπὸ τοῦ κολοβοῦ*. ℙ Dicitur etiam *Colobus*, *i. Impp. Gratian., Val. et Theod. Cod. Theod.* 14, 10, 1. Coloborum, ac paenularum induat vestimenta.

*COLOBONA, ae, opp. Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

COLOBUS, a, um, adj. a *κολοβός*, mutilus: ita vocatur metrum, cui syllaba deest, quod etiam catalectum dicitur. *Mall. Theod. de metr.* 5. Metrum Iambicum senarium colobon constat ex pedibus superius comprehensis, et pro sexto pede una tantum syllaba ponitur, ut est apud Horatium: Trahuntque siccas machinae carinas. *Id. ib.* 7. Versus pentameter anapaesticus colobos fit ita: Tuba terribilis procul aere sonoro. *Mar. Vict.* p. 2504. Hoc metrum quidam colobon vocant.

COLOCASĬA, ae, f. et Colocasium, ii, n. *κολοκασία*, herba Aegyptia, alio nomine cyamus. *Plin.* 21, 15, 51. In Aegypto nobilissima est colocasia. *Virg. Ecl.* 4, 20. Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho. Ubi colocasiae flores intelligit. *Mart.* 8, 33. Lenta minus gracili crescunt colocasia filo, *h. e.* colocasia cocta instar filorum tenduntur, ut scribit *idem Plin. l. c.* ℙ Ejus foliis varie implexis Aegyptii pocula conficiunt, in iisque potare gratissimum habent. *Plin. l. c.*

*COLOCASĪTIS, idis, f. Africae insula, in terra Troglodytica. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

COLOCYNTHIS, idis, f. *κολοκυνθίς*, cucurbitae silvestris genus, sativa minus. *Plin.* 20, 3, 8.

COLON, et Latina positione *Colum*, *i*, n. *κόλον*, et *κῶλον*, crassum intestinum, quintum in ordine intestinorum, medium inter caecum et rectum, quod a sinistro rene ad dextrum super ventriculi fundum fertur; et ex quo excrementa, diu ibi morata, eum accipiunt colorem, quo egeruntur. *Cels.* 1, 7. vocat *intestinum laxius*: et 4, 14. *intestinum ple-*

nius. Graece alii scribunt κόλον, et a κοῖλος, cavus, deducunt, quia plures habet cavitates, seu cellulas: alii κῶλον. In hoc intestino acerbissimi illi dolores fiunt, qui *colici* appellantur. *Plin.* 11, 37, 79. A Graecis appellatur colon, ubi dolorum magna causa est. *Scrib. Compos.* 122. Coli dolor. ℙ Ipse quoque coli dolor ac morbus, *colum* dicitur. *Plin.* 20, 15, 57. Cuminum bibitur propter colum. *Id.* 31, 9, 45. Sal colum levat. *Scrib. l. c. ad f.* Colo infestari. ℙ *Colus, i*, m. idem ac morbus colicus. *Seren. Sammon.* 31, 1. Cum colus, invisum morbi genus, intima carpit. ℙ Est etiam *colum* membrum, a κῶλον: et translate membrum periodi in oratione, ex incisis, seu commatibus constans. *Ascon. in Div. Verr.* 13. Vitiose ambo cola. ℙ Item pars, v. g. carminis, aut orationis. *Augustus* ap. *Donat. in vita Virg. n.* 12. Ut sibi de Aeneide vel prima carminis hypographa, vel quodlibet colon mitteret.

COLONĂ, ae, f. rustica mulier, quae agros colit. *Ov. Fast.* 4, 692. habebat Rus breve cum duro parca colona viro. Adde *ib.* 2, 646. et *Paul. Dig.* 19, 2, 54. *extr.*, ubi sunt qui putant, *colonam* positum esse pro colonia, *h. e.* rure, praedio. Al. leg. *coloniae.*

*COLONAE, arum, Κολωναὶ, Κολῶναι, Phrygiae oppidum, in Troade, ad mare Aegaeum, non procul a Tenedo. *Nep. Paus.* 3. *B. A.*

COLONĀRIUM. V. COLUMNARIUM.

COLONĀRĬUS, a, um, adj. colonicus, qui alicujus agros colit, et ejusdem servus est. V. COLONUS. *Sidon. ep,* 5, 19. *de colono, qui liberam puellam stupri causa rapuerat.* Mulier tum demum videbitur non ludibrio addicta, sed assumpta conjugio, si reus, mox cliens factus e tributario, plebejam potius incipiat habere personam, quam colonariam.

COLONĀTUS, us, m. conditio coloni, hoc est ejus, qui ad agrum colendum destinatus est. *Imppp. Gratian., Valentin. et Theod. Cod. Theod.* 14, 18, 1. et *Impp. Constant. et Constans ib.* 12, 1, 33.

*COLONE, es, f. Κολώνη, opp. Mysiae minoris. *Plin.* 5, 30. Κολῶναι est *Strab. B. A.*

COLONĒUS, a, um, adj. *Oedipus Coloneus, Οἰδίπους ἐπὶ Κολωνῷ*, nomen est tragoediae Sophoclis ductum a Colono, seu Colona, qui locus fuit in Attica, non longe ab Athenis, ubi Sophocles natus est, et hanc tragoediam senex admodum conscripsit: ipse quoque Oedipus Thebis exsulans, eo commigrasse dicitur. *Cic. Senect.* 7. Oedipum Coloneum recitavit judicibus. *Id. Fin.* 5, 1. *ad f.* Coloneus ille locus, cujus incola Sophocles etc.

COLONĬA, ae, f. ἀποικία, est pars civitatis, aut sociorum deducta in aliquem locum, colendi et inhabitandi gratia: itemque ipse locus. Igitur colonia est oppidum, quo olim rex, vel senatus, vel populus partem civium, vel sociorum misit ad habitandum. *Cic. Agr.* 2, 27. Colonias sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocarunt, ut esse non oppida Italiae, sed propugnacula imperii viderentur. *Id. ib.* Coloniam deducere in locum aliquem. *Id. ib.* 28. Deducere colonos in coloniam. *Id. Agr.* 1, 5. Constituere coloniam in Janiculo. *Id. Caecin.* 33. *in f.* Cives proficiscuntur in colonias Latinas. *Liv.* 8, 23. Imponere coloniam in agro Samnitium. *Id.* 4, 49. Mittere aliquos in coloniam. *Cic. Div.* 1, 1. Mittere coloniam in locum aliquem. *Vell.* 1, 14. Post septem annos Sutrium deducta colonia est, et post annum Setina, novemque interjectis annis Nepe. Et *ib.* 15. Colonias condere. ℙ Differt a municipio: municipes enim sunt cives alicujus municipii, legibus suis et suo jure utentes: coloni sunt cives unius civitatis in aliam deducti, et ejus jure utentes, a qua sunt propagati. V. *Gell.* 16, 13. ℙ Coloniae aliae erant civiles, aliae militares: civiles constabant ex civibus pauperibus, qui in aliquem locum agri colendi causa deducebantur: militares constabant ex militibus veteranis, qui in aliquem locum, tanquam in laboris requiem deducebantur, simul ut adversus hostium excursiones praesidio essent. Praeterea aliae erant Romanae, aliae Latinae. Romanae civium Rom. jure utebantur, Latinae jure Latii. *Ascon. in argumento Pisonianae, Panvin. l.* 3. *de Rep. Rom.* et *Sigon. de jure Provinc.* 10. et *de antiquo jure Italiae* 2, 2. ℙ Multae sunt urbes, quibus Coloniae nomen haesit, quod in eas olim Romani colonias deduxerant, ut Colonia Agrippinensis, Colonia Allobrogum, Colonia Trajana etc., de quibus V. *geographos.* ℙ Interdum *colonia* est quivis agricolationis locus. *Colum.* 11, 1. *a med.* Villicus coloniae suae terminos egredi non debet. Adde *Paul. Dig.* 19, 2, 24. *a med.* et *Scaevolam ib.* 33, 7, 20., item *Tabulam aeneam Vellejatem* erutam anno 1747., et a *Petro De-Lama* anno 1819. editam et illustratam: ubi saepius *colonia* hoc sensu accipitur, ut *Id.* monet p. 35. ℙ *Plaut.* joculariter sic appellat quodlibet domicilium. *Aul.* 3, 6, 39. Eam affectat viam, ut commutet coloniam. *Id. Pseud.* 4, 6, 38. Quid ego cesso facere, ut det nomen ad molarum coloniam? *h. e.* ut ad molam damnetur. ℙ Translate *Varr. R. R.* 3, 16. *de apib.* Cum progeniem veteres emittere volunt in coloniam, ut olim crebro Sabini factitaverunt, propter multitudinem liberorum.

[*COLONIĀRIUS, a, um, adj. ad coloniam pertinens, qui ex aliqua colonia est. *Cajus Institut.* (ed. *Goesch.*) 3. §. 56. Latinos Junianos lex liberos perinde esse voluit, atque si essent cives Romani ingenui, qui ex urbe Roma in Latinas colonias deducti Latini coloniarii esse coeperunt. *Id. ib.* 1. §. 28. Si Latini facti uxores duxerint vel cives Romanas, vel Latinas coloniarias. *F.* et *B. A.*

COLONĬCUS, a, um, adj. ad colonos pertinens, *Varr. R. R.* 1, 3. *a med.* Leges colonicae, in quibus scribimus: Colonus in agro surculario ne capras tum pascat. *Plin.* 8, 47, 72. Ovium summa genera duo: tectum, et colonicum: illud mollius, hoc in pascuo delicatius. *Id.* 26, 10, 62. Ovis colonica. *Colonicae oves* sunt, quas omnes norunt, et pascunt; ita dictae quod passim in omnibus fere coloniis, *h. e.* in praediis, et fundis alantur; cum tectae rariores essent, et in quibusdam tantummodo Italiae regionibus; et non nisi intentissima cura, magnaque impensa alerentur, ut ap. *Colum.* 7, 4. videre est. ℙ *Colonica, ae*, f. est casa coloni, hoc est aratoris, rustici. *Auson. ep.* 4, 6. Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis, Et tingit piceo lacrimosa colonica fumo. [*Cf. *Duk. Lat. Ict. Vett.* 400.] ℙ *Cohortes colonicae* ap. *Caes. B. C.* 2, 19. sunt collectae ex delectu in Romanorum coloniis habito. *Suet. Aug.* 46. Decuriones colonici, *h. e.* colonicarum.

*COLONIS, idis. f. insula in mari Aegaeo, juxta Argolidem, e regione Hermiones. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

COLŌNŌMON Melos, κολόνομον, est cantus dissonans, imperfectus, mutilus, a musicis legibus deficiens: a κολὸς, mutilus, et νόμος, lex. Legitur ap. *Auson. ep.* 11., ubi V. *Scalig.*

COLONUS, a, um, adj. γεωργικὸς, ad coloniam spectans, culturae idoneus. *Cic. Phil.* 5, 19. Utique C. Pansa, A. Hirtius consules, alter, ambove cognoscerent, qui ager colonus esset, quo milites veterani deducti essent. Al. rectius leg. *qui ager iis coloniis esset quo* etc. *Sedul.* 3, 9. *de Christo.* Quippe ferax qui vitis erat, virtute colona Omnia fructificans.

COLONUS, i, m. γεωργὸς, qui agris colendis laborat: item qui aliorum agros conducit, et per se, vel per familiam colit, atque inde pensionem domino persolvit. *Cato R. R.* 1. Virum bonum cum laudabant, ita laudabant: bonum agricolam, bonumque colonum. *Varr. R. R.* 2. *prooem.* Ratio ac scientia coloni est, ut ea, quae in agricultura nascantur e terra, fructum faciant. *Colum.* 1, 7. Paterfamilias comiter agat cum colonis, et avarius opus exigat, quam pensiones. *Cic. Or.* 2, 71. Optimus colonus, parcissimus, frugalissimus. *Scaevola Dig.* 33, 7, 20. Coloni, qui finita conductione de colonia discesserant. *Colum. l. c.* Urbanus colonus, qui per familiam mavult agrum, quam per se colere. *Cajus Dig.* 19, 2, 25. *a med.* Colonus partiarius. *Ulp. ib.* 15. Dare colono remissionem ob sterilitatem. ℙ Joculariter *Pl. Asin.* 2, 2, 32. Catenarum colone. ℙ Item qui in aliqua colonia publice deducta habitat. *Cic. N. D.* 3, 19. Circen coloni nostri Circejenses religiose colunt. *Justin.* 16, 3. Conscripta colonorum manu, urbem Heracleam condiderunt. Adde *Nep., Caes., Liv., Plin.* etc. ℙ Poetice accipitur universim pro incola. *Virg. A.* 1, 16. et *ib.* 7, 63. et 409., *Propert.* 2, 24, 29., *Tibull.* 4, 1, 139., *Senec. Hipp.* 288., *Ov., Lucan.* etc.

*COLOPĒNA (regio) in Cappadocia fuit. *Plin.* 6, 3. *B. A.*

COLŌPHON, ōnis, m. nunc *Altobosco*, al. *Belvedere*, Κολοφὼν, urbs Ioniae maritima inter Smyrnam, et Ephesum, inter illas septem, quae de Homeri patria certarunt. *Cic. Arch.* 8. ℙ Colophon dictum est etiam a Latinis, teste *Festo*, cum aliquid finitum significaretur. Hinc proverbium, *Colophonem addere*, κολοφῶνα ἐπιθέναι, cum summa operi manus imponitur. Ejus originem inde Strabo deducit 14. *ante med.* quod Colophonii in bellis adeo equitatu praestabant ceteris nationibus, ut quocumque accessissent in auxilium, victoriam parerent, et bello finem imponerent.

COLŌPHONĬACUS, a, um, adj. qui est ex Colophone. *Virg. Cir.* 65. Quae Colophoniaco Scyllae dicantur Homero.

COLŌPHONĬUS, a, um, adj. Κολοφώνιος, ad Colophonem pertinens. *Plin.* 14, 20, 25. Colophonia resina. *Ov. Met.* 6, 8. pater huic Colophonius Idmon. ℙ *Colophonii, orum*, sunt Colophonis incolae. *Cic. Arch.* 8. Homerum Colophonii civem esse dicunt suum. ℙ *Colophonia* absolute est Colophonia resina apud *Scrib. Compos.* 137, 138. et 139.

COLOR, oris, m. χρῶμα, qualitas, quae ad visum spectat. *Cic. Leg.* 2, 18. Color albus praecipue decorus Deo est, tum in ceteris, tum maxime in textili. *Id. Tusc.* 5, 16. Candiduli dentes, venusti oculi, color suavis. *Id. Off.* 1, 36. Formae dignitas coloris bonitate tuenda est. *Lucr.* 5, 1257. Colore claro splendere. *Virg. A.* 4, 701. de Iri: Mille trahens varios adverso sole colores. [**Tibull.* 1, 4, 29. Quam cito purpureos deperdit terra colores! *Ov. Met.* 15, 412. Protinus assimulat tactu quoscunque colores (*chamaeleon*).] *Tac. G.* 6. Distinguere scuta lectissimis coloribus. *Plin.* 8, 48, 73. Lanarum nigrae nullum colorem bibunt. *Id.* 11, 38, 91. Colorem accipere. *Id.* 35, 10, 35. *n.* 20. inducere picturae. *Id.* 11, 37, 55. Transire in mille colores. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 12. Colores terere. *Paul. Sentent.* 3, 7. temperare. [**Ov. Fast.* 4, 489. Jam color unus inest rebus; tenebrisque teguntur Omnia. *Id. ib.* 6, 168. Et rediit puero, qui fuit ante color. *Id. ib.* 3, 831. Tabulamque coloribus uris. De encaustis. Adde 4, 275. *Virg. Ecl.* 4, 42. Nec varios discet mentiri lana colores. Mentiri lana colores dicitur, dum fucum imbibit, alieno colore tingitur. *Heyn.*] ℙ *Mutare colorem* est eorum, qui vel ira, vel metu, aliave magna perturbatione expallescunt. *Hor. Ep.* 1, 16, 38. Mordear opprobriis falsis, mutemque colores. Adde *Cic. Cluent.* 19. Sic *colorem amittere. Ov. Met.* 2, 601. Excidit illi color. Et *ib.* 3, 99. pariter cum mente colorem Perdiderat. [**Virg. G.* 1, 452. Saepe videmus Ipsius in vultu varios errare colores. *Id. A.* 12, 69. Tales virgo dabat ore colores, i. e. talem referebant virginis ora colorem. *Tibull.* 4, 4, 6. Neu notet informis candida membra color, i. e. pallor deformet. *Propert.* 1, 15, 39. Quis te cogebat multos pallere colores? i. e. vultum aliis aliisque coloribus mutare. Gr. εἰς μύρια τρέπεσθαι χρώματα. Παντοδαπὰ χρώματα ὑφίει. *Hor. Ep.* 2, 17, 21. Verecundus color Reliquit ora. Cf. *Bentl.* ad h. l. *Virg. A.* 11, 819. Purpureus quondam color ora reliquit. (De moriente.)] ℙ *Fortis color* est etiam, quod Nos dicimus: *ein frisches, munteres Ansehen. Front.* ad *M. Caes.* 5, 1. Si quicquam nos amas, dormi per istas noctes, ut forti colore in senatum venias, et vehementi latere legas. ℙ Huc pertinet illud *Cic. Har. resp.* 1. Repente sine vultu, sine colore, sine voce constitit. Et *Petr. fragm. Tragur.* 63. *in f. Burm.* Post hoc factum nunquam coloris sui fuit: immo post paucos dies freneticus periit. ℙ Aliquot colorum genera, quibus in veste mulieres utebantur, enumerat *Ov. A. Am.* 3, 173. et qui in pictura locum habent. *Plin.* 35, 6. ℙ *Colorem ducere* est trahere, infici. *Virg. Ecl.* 9, 49. Duceret apricis in collibus uva colorem. ℙ Allegorice. *Senec. ep.* 108. Novimus quosdam, qui multis apud philosophum annis persederint, et ne colorem quidem duxerint, *h. e.* ne hilum quidem profecerint. *Quint.* 10, 1. Multa magis, quam multorum lectione formanda mens, et ducendus est color, *h. e.* dicendi genus comparandum. ℙ Metaphorice *color* ponitur pro specie, facie, ornatu extrinseco. *Cic. Or.* 3, 25. Ornatur oratio genere primum, et quasi colore quodam, et succo suo. *Id. Brut.* 46. Color urbanitatis in oratione. *Quint.* 6, 3. Urbanitas non tam sit in singulis dictis, quam in toto colore dicendi. *Id.* 12, 10. Non unus color prooemii, narrationis, argumentorum, perorationis servabitur. *Gell.* 14, 4. Justitiae vultum severis, atque venerandis verborum coloribus depingere. *Petr. Sat.* 2. Carmen sani coloris. *Cic. Att.* 2, 21. Omnibus pictus, et politus artis coloribus. *Id. ib.* 4, 16. *circa med.* Amisimus non omnem modo succum ac sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis. *Hor. Sat.* 2, 1, 60. Quisquis erit, scribam, vitae color, *h. e.* ratio, seu conditio vitae. *Id. Ep.* 1, 17, 23. Omnis Aristippum decuit color, et status, et res. ℙ Item pro subtiliter exquisita defensione, praetextu, excusatione. *Quint.* 11, 1. Quod si nulla contingit excusatio, sola colorem habet poenitentia. *Juven.* 6, 279. Dic aliquem, sodes, dic, Quintiliane, colorem. *Quint. Decl.* 12, 21. Color patrocinii. *Marc. Dig.* 5, 2, 5. Res illo colore defenditur apud judicem, ut videatur ille non sanae mentis fuisse, cum testamentum inique ordinaret. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 3, 6, 3. Sub colore adipiscendae possessionis. *Quint. Decl.* 16, 1. Excogitare colorem aliquem. *Id.* 3, 8. *a med.* Dare colorem rebus deformibus. ℙ Speciatim *color* dicitur pars controversiae, seu potius controversiarum quoddam genus, in quo tota ratio accusationis, aut defensionis in eo sita est, ut factum minus probabile exquisitis conjecturis, suspicionibus, et causis subtiliter inventis tegatur, et coloretur. Hujus rei exempla passim habentur in controversiis *Senecae.* Huc pertinet illud *Quint.* 4, 2. *a med.* Sunt quaedam et falsae expositiones, quarum in foro duplex est genus: alterum, quod instrumentis adjuvatur (puta testibus, tabulis seu veris, seu falsis etc.) alterum, quod est tuendum dicentis ingenio. Id interim ad solam verecundiam pertinet: unde etiam mihi videtur dici color. *Senec. Contr.* 1, 8. Colorem a parte patris quidam duriorem fecerunt. V. si plura cupis, *N. Fabri adnotat.* ad *Senec. Controv.* 1, 1. ubi *Color.* ℙ *Nullius coloris homo* ap. *Pl. Pseud.* 4, 7, 99. est homo prorsus ignotus, et quem, albus, an ater sit, nescias. ℙ *Colos* pro *color* adhibetur non solum a poetis, ut

Lucr. 6, 207. Flammeus est plerumque colos, et splendibus ollis: et *Pl. Mil.* 4, 4, 43. Is colos thalassicus est; verum etiam a prosae scriptoribus, ut *Sall. Cat.* 15. Colos ei exsanguis, foedi oculi etc. Ita enim ibi legit *Val. Prob. in Cathol.* p. 1456. et 1467. Adde *Plin.* 35, 11, 42. Sic dicimus *labos, arbos, odos* etc. V. *Non.* 8, 27. Rectius tamen *color* dicitur, eodem *Probo* judice, immo ipso *Quint.*, qui dum 1, 4. docet, *arbos, labos, vapos, clamos*, et *lases* pro *laser* aetatis fuisse, satis indicat, antiquam esse hujusmodi positionem, et paene obsoletam. [*Confusae vv. *colores* et *flores* apud *Cic. N. D.* 1, 40, 112. *Heindf.*]

COLORATĒ, adv. cum coloribus. Translate *Quint. Decl.* 285. Colorate affert quidem iste tale patrocinium. [*i. e. non sine ratione satis probabili.]

COLORĀTOR, oris, m. qui colorem inducit. *Gloss. Lat. Gr.* Colorator, στιλβωτής, et ἐνδικοπλάστης. *Salm.* ad *Vopisc. Firm.* 3. Coloratores, ait, dici eos, qui parietes colorant, et colores tectoriis illinunt. Fuit inter officia domus Augustae, nempe vel infector, vel pictor. *Inscr.* ap. *Mur.* 887, 3. Anteros Liviae colorator. ℙ *Colorator* inscripta fuit una ex *Laberii* comoediis, ex qua fragmentum refert *Gell.* 7, 9.

COLORĀTUS, a, um, part. a *coloro*, ἐπιχρωματισμένος, colorem habens. *Cic. N. D.* 3, 20. Arcus ipse ex nubibus efficitur quodammodo coloratus. *Plin.* 15, 15, 16. Colorata pira, *h. e.* quae *Venerea* alio nomine appellantur: fortasse Italorum *pere dipinte. Colum.* 11, 2. *circa med.* Coloratae uvae. *Ov. Amor.* 3, 10, 12. Comae Cereris coloratae, *h. e.* segetes flavae, et maturae. ℙ Specialiter dicitur de iis, qui ex solis radiis fuscum colorem contraxerunt, ἡλιόκαυστος. *Virg. G.* 4, 293. Colorati Indi. *Ov. Amor.* 1, 14, 6. Seres. *Mart.* 10, 68. Etrusci. *Senec. Vita beat.* 7. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus: voluptatem mollem, enervem, pallidam, atque fucatam etc. ℙ Qui sani coloris est. *Cels.* 2, 2. Si plenior aliquis, et speciosior, et coloratior factus est. *Senec. Constant. Sap.* 13. Scit sapiens, omnes hos, qui togati, purpuratique incedunt, valentes coloratosque, male sanos esse. Adde *Quint. prooem. l.* 8. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 46. Urbanitate quadam quasi colorata oratio. *Senec. ep.* 16. Quae scribis, unde veniant, scio: non sunt ficta et colorata, *h. e.* fucata. ℙ *Coloratae declamationes* quae vocantur, videntur esse, quarum tota ratio colore constat. (V. COLOR.) In declamationibus minoribus *Quintiliani post declam.* 307. legitur: *Finiunt tractatae, incipiunt coloratae:* et praeterea *colorata* inscribitur declamatio 384. *P. Pithoeus in epist. ad P. Neveletum Dosch.* varias exponit conjecturas ad explicandum, quid sit declamatio *colorata*, et *tractata:* sed nusquam sibi satisfacit. *N. Faber in adnotat.* ad *Senec. Controv.* 1, 1. ubi *Color*, scribit, vereri se, ne qui primus sic illas distinxit, illudere, aut crucem figere ingeniis voluerit.

COLORĒUS et Colorius, a, um, adj. ποικίλος, variis coloribus pictus. *Augustus in suo testam.* ap. *Charis.* 1, 80. Gausapes purpureas, et coloreas meas. *Vopisc. Aurel.* 46. Concessit, ut blatteas matronae tunicas haberent, cum antea coloreas habuissent. *Paul. Dig.* 34, 2, 33. *ad f.* Vestis tam coloria, quam versicoloria. *Versicoloria vestis* hoc loco (ut et saepe alibi apud JCtos) est ea, quae nativum mutavit, et artificiali quopiam colore tincta est: qua ratione *coloriae* opponitur, quae varios artificiales colores aut inductos, aut intextos habet. V. *Salmas.* ad *Vopisc. l. c.*, ubi plura hac de re.

COLORĪFĪCUS, a, um, adj. colorem inducens. *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat. Burm. T.* 2. p. 309. Cumque colorifico nimbos fulgore replevit. Al. leg. *Cumque color ficto* etc.

COLŌRO, as, avi, atum, a. 1. χρώζω, χρωματίζω, colorem induco, pingo. *Cic. N. D.* 1, 39. *in f.* Individua corpora formare, figurare, colorare, animare non possunt. *Plin.* 35, 3, 5. Colorare lineas testa trita. Et *ib.* 6, 13. lignum sinopide. *Id.* 15, 15, 16. Pira colorantur sole. ℙ Speciatim significat fuscum colorem inducere. *Cic. Or.* 2, 14. Cum in sole ambulem, natura fit ut colorer. *Propert.* 3, 11, 16. Quos Aurora suis rubra colorat equis. *Catull.* 11, 7. Sive qua septemgeminus colorat Aequora Nilus, *h. e.* viridem Aegyptum nigra fecundat arena, ut ap. *Virg. G.* 4, 291. legitur. ℙ Translate. *Cic. l. c.* Ut, cum in sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer; sic cum istos libros studiosius legerim, sentio orationem meam quasi colorari. *Id. Or.* 13. *ad f.* Eloquentia hujus nutrimentis educata, ipsa se postea colorat, et roborat. *Senec. ep.* 71. *ad f.* Sapientia nisi alte descendit, et diu sedit, animum non coloravit, sed infecit. ℙ Significat etiam praetextum inducere. *Val. Max.* 8, 2. *n.* 2. Libidinosam liberalitatem debiti nomine colorare. Sic *Prudent. Cathemer.* 2, 35. Inepta nunc omnes sua Vultu colorant serio.

CŌLOS. V. COLOR.

*COLOSSAE, arum, Κολοσσαί, oppid. Phrygiae majoris, media inter Sardes et Cabyram, ad Lycum flumen, cujus incolis insignem illam epistolam misit S. Paulus. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

COLOSSĒROS, ob egregiam corporis amplitudinem, et speciem appellatus est Esius Proculus ap. *Suet. Cal.* 35. Graece est κολόσσερως, a κολοσσός, colossus, et ἔρως, amor: prima vox pertinet ad significandam amplitudinem corporis, secunda ad speciem.

COLOSSĒUS, a, um, adj. κολοσσαῖος, altus, et amplus instar colossi. *Plin.* 34, 7, 18. Moles excogitatas videmus statuarum, quas colosseas vocant, turribus pares. *Id.* 35, 7, 33. Nero jusserat colosseum se pingi centum viginti pedum in linteo. *Id.* 36, 5, 4. *n.* 7. Mars sedens colosseus. Adde *Suet. Vesp.* 23.

COLOSSĪCUS, a, um, adj. κολοσσικός, idem quod colosseus. *Vitruv.* 10, 6. Apollo colossicus. *Plin.* 34, 8, 19. Signum colossicon nudum. ℙ *Colossicoteros*, h. e. altior, et amplior, comparativum est Graecae positionis, κολοσσικότερος, et legitur ap. *Vitruv.* 3, 3. *a med.* et 10, 4.

COLOSSĪNUS, a, um, adj. a Colossis urbe Phrygiae, cujus meminit *Plin.* 5, 32, 41. Colossinus color ap. *eund.* 21, 9, 27. in flore cyclamini est purpureus: itaque appellari videtur ab ea urbe, ubi color seu pigmentum ei simile optime conficiebatur. Ita *Hard.*

COLOSSUS, i, m. κολοσσός, statua immodicae proceritatis, qualis Rhodi fuit statua solis facta a Charete, vel Lachete Lydio Lysippi discipulo, ex aere, altitudine septuaginta cubitorum: quae inter septem orbis miracula numeratur. De eo *Plin.* 34, 7, 18. verba facit. *Id.* 35, 11, 40. *n.* 25. Euphranor fecit et colossos. *Stat. Silv.* 1, 3, 51. Lusit, et enormes manus est experta colossos. ℙ Adjective pro *colosseus. Lampr. Alex. Sev.* 25. Statuas colossas in urbe multas locavit. Adde *ib.* 28. *Casaubon.* tamen utrobique vult legi *colosseas.* ℙ Originem hujus vocis Graeci Etymologi ducunt ἀπὸ τοῦ κολούειν τὰ ὄσσα, hoc est *minuenda oculorum acie:* nam in spectanda altitudine oculi caligant.

COLOSTRA, ae, f. et Colostra, orum, n. plur. πρωτόγαλα, primum lac, quod statim post partum feminae edunt, densum, et facile coalescens, atque adeo fetui noxium, si sugat. *Plin.* 28, 9, 33. Est autem colostra prima a partu spongiosa densitas lactis. *Id.* 11, 41, 96. Ex primo lacte a partu colostra fiunt. Adde *Colum.* 7, 3. *a med.* et *Pallad.* 12, 13. qui ambo feminine usurpant. ℙ Fuit quondam in ciborum deliciis. *Mart.* 13, 38., cujus lemma est *Colostrum.* Surripuit pastor quae nondum stantibus haedis, De primo matrum lacte colostra damus. ℙ Usurpatur etiam in blanditiis amantium. *Pl. Poen.* 1, 2, 174. Meum mel, meum cor, mea colostra, meus molliculus caseus. Adde *ib.* 177. et *Laber.* apud *Non.* 2, 117. ℙ *Colostrum* in singulari num. habetur ap. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 2, 22. et in *lemmate citati epigr. Mart.* ℙ *Serv. l. c.* frustra negat, femin. genere usurpari. ℙ Legitur et *Colustra.*

COLOSTRĀTIO, onis, f. morbus, quo pulli, et infantes corripiuntur, colostram sugentes: ea enim in stomacho coagulata letalis est. *Plin.* 11, 41, 96. Pullis asinarum biduo a partu maternum lac gustasse, letale est. Genus mali vocatur colostratio.

COLOSTRĀTUS, a, um, adj. colostratione laborans. *Plin.* 28, 9, 33. Concipere nutrices exitiosum est: hi enim sunt infantes, qui colostrati appellantur, densato lacte in casei speciem.

COLOTES, ae, m. κωλώτης, idem quod stellio. *Plin.* 29, 4, 28. et 9, 29, 46. ℙ [*Item insignis statuarius, Phidiae discipulus. *Plin.* 34, 8, 19. et 35, 8, 34. *B. A.*]

COLPA pro *culpa* dixere olim veteres, teste *Prisc.* 1, 554.

*COLABAE, arum, Indiae populi. *Plin.* 6, 19. *B. A.*

COLŪBER, bri, m. anguis, serpens, ὄφις. Quidam putant proprie dici de iis, quae nemorum umbras incolunt: quasi *colens umbras.* Alii esse vocem corruptam a χέλυδρος. Sed colubrum a chelydro aperte distinguit *Virg. G.* 3, 415. et seqq. Alii denique derivant a κολυμβᾶν, quia cavernas subeat. Quidquid sit de etymo, passim usurpatur de quocumque serpente. *Virg. A.* 2, 471. Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus etc. *Ov. Met.* 11, 775. Latens herba coluber. ℙ Saepe dicitur de serpentibus, quas crinium vice habere Medusa et Furiae, Inferorum monstra finguntur, ut ap. *Lucr.* 5, 27., *Val Flacc.* 6, 175. et *Lucan.* 6, 664. ℙ Accipitur etiam pro peculiari serpentum genere, quod in aedibus libenter habitat, atque in stabulis boum, et pecorum, quibus maxime noxium est. *Virg. G.* 3, 418. Aut tecto assuetus coluber succedere, et umbrae, Pestis acerba boum etc. Hic in quibusdam Italiae locis vocatur *anza.*

COLUBRA, ae, f. femina colubri: et generatim quaecumque serpens. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 69. Marsus colubras disrumpit cantu. *Cels.* 5, 27. *n.* 3. Colubra ipsa tuto estur: ictus ejus occidit. *Hor. Sat.* 1, 8, 42. Utque lupi barbam variae cum dente colubrae etc. *Juv.* 5, 104. Anguilla longae cognata colubrae. ℙ Saepe dicitur de anguibus, quae crinium loco caput Furiarum, et Medusae cingunt. *Ov. Met.* 4, 474, 491. et 783. et *Lucan.* 9, 634. Hinc apud *Pl. Stich.* 2, 1, 50. *Quas tu vides colubras?* videtur esse interrogatio cuipiam facta, qui furiosus videatur, velut si Furias videat. Ita enim *Muret. variar. lect.* 14, 19. ubi simul ridet eorum opinionem (inter quos est *Lambin.*) qui verbum *excolubrare* ex isto loco confictum in linguam Latinam intrudere voluerunt. ℙ In illo *Colum.* 10, 231. Spargantur caecis nasturtia dira colubris, Indomito male sana cibo quas educat alvus: *caecae colubrae* sunt lumbrici, qui in hominum intestinis gignuntur. ℙ *Colubra restem non parit*, hoc est, non est dissimilis proles parentibus. *Proverb.* ap. *Petr. fragm. Tragur.* 45. *Burm.*

COLUBRĀRIA Insula est in mari Mediterraneo prope Majoricam, contra ostia Sucronis fluvii: ita dicta a noxio quodam serpentum genere, a quibus infestatur. Nonnulli putant esse, quae nunc *Frumentera;* at *Ant. Jos. Rezzonico* in *Disquisit. Plin. T.* 2. p. 26. multis probat, esse Montem colubrorum, qui indigenis *Moncolobrera* appellatur. *Mela* 2, 7. *in f.* et *Plin.* 3, 5, 11.

COLUBRĪFER, a, um, adj. qui colubros fert. *Ov. Met.* 5, 241. Colubriferi lumina monstri, *h. e.* Medusae, cujus est ap. *Luc.* 9, 677. colubriferum collum.

COLUBRĪMŌDUS, a, um, adj. in modum colubrorum. *Coripp. fragm.* 4. Illa colubrimodis Avarum gens dura capillis.

COLUBRĪNUS, a, um, adj. ad colubrum pertinens. *Pl. Truc.* 4, 3, 6. Colubrino ingenio esse. *Tert. Spect.* 18. Ipse gestus colubrina vis. ℙ [*Colubrina, ae*, f. 1. herba eadem ac dracontea, vel bryonia, vel vitis alba. *Appul. Herb.* 14. *B. A.*]

COLUBROR. V. COLUMBOR.

COLUBROSUS, a, um, adj. a *coluber. Tert. adv. Valent.* 4. Actu colubroso viam delineavit, *h. e.* dotorto, flexo.

COLUM, i, n. ἠθμός, vas vimineum; aut setaceum, per quod vinum, lac, et alii liquores in aliud vas transmittuntur. *Virg. G.* 2, 242. Colaque prelorum fumosis deripe tectis. *Colum.* 12, 19. Cola juncea, vel spartea, ex crudo, idest non malleato sparto, praeparata habeat. *Cato R. R.* 11. Cola vitilia. *Colum.* 12, 38. *ad f.* Per colum junceum liquatus succus. *Scrib. Compos.* 156. Oleum transmissum per colum. Et *Compos. ult.* Colare aliquid per colum. *Plin.* 36, 23, 52. Aqua per colum transiens. *Colum* hic appellat arenam, per quam aqua in cisternis purgatur. V. QUALUM. ℙ *Colum nivarium*, quod legitur apud *Mart.* 13, 103. *in lemmate*, fuit vas aeneum (cujusmodi Pompejis repertum Neapoli nunc asservatur, et cujus figuram, ac descriptionem videre, et legere est in *Mus. Borbon. T.* 2. *tab.* 60.) plurimis minutisque foraminibus pertusum, in quod nive injecta vinum infundebatur, et colabatur, ut per eandem transeundo ejus austerior vis frangeretur, calorque nimius tolleretur; nam veteres Romani in editis aedium partibus, non infimis, ut apud nos, illud servabant. Pauperiores vero illud sacco linteo colabant, quem propterea. *Id. ib.* 104. in *lemmate* vocat *saccum nivarium.* V. SACCUS et SACCO. ℙ Apud *Auson. epist.* 4, 57. *cola* sunt nassae vimineae, in quas si pisces inciderint, exitum non habent: ita dictae, quia transmittunt aquam, et piscem in sicco destituunt. Hac ratione dixit *Manil.* Et colare vagos inductis retibus amnes, 5, 193., quia rete transfundit aquas, et piscem retinet. ℙ *Colum* alio sensu V. in COLON.

COLUMBA, ae, f. περιστερά, femina columbi. *Hor. Epod.* 16, 32. Adulteretur et columba milvio. *Ov. Amor.* 2, 6, 56. Oscula dat cupido blanda columba mari. V. *Plin.* 10, 34, 52., ubi multa de hac ave, more suo. ℙ Usurpatur etiam de maribus, seu potius universim de toto genere. V. COLUMBUS et *Cic. Acad.* 2, 4, 25. In columba plures videntur colores. *Ov. Met.* 1, 506. Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae. *Varr. R. R.* 3, 7. In villam ultro involant columbae. V. ibi plura de earum nutriendarum ratione. ℙ Hae aves Veneri sacrae sunt, tum ob concubitus frequentiam ac fecunditatem, tum ob pennarum nitorem et pulcritudinem: tum denique quod ovum illud exclusisse dicuntur, ex quo Venerem natam fuisse in ripa Euphratis, tradit *Hyg. fab.* 197., ideoque ejus currum trahere dicuntur. Hinc *Ov. Met.* 15, 386. *Cythereidas* vocat. Hinc etiam adhibetur *columba* in blanditiis. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 50. Meus pullus passer, mea columba, mi lepus. Adde *Asin.* 3, 3, 103. ℙ Apud Syros sanctae fuere et inviolabiles. V. PALAESTINUS.

COLUMBAR, aris, n. genus vinculi, cui collum inseritur, quia simile est foraminibus, in peristerotrophiis, ubi columbae nidificant. *Pl. Rud.* 3, 6, 50. Nam in columbari collum haud multo post erit. *Id. fragm.* ap. *Fest.* in *Navalis. scriba.* Non ego te novi, navalis scriba, columbar impudens: ubi *columbar* vocat scelestum hominem columbari

dignum, quemadmodum *Lucilius* carcerem vocat eum, qui meruit in vincula conjici. *Scalig.* ad *Fest.*

*COLUMBARĬA insula, Gr. *πελειὰς*, prope Siciliam fuit, exadvers. Drepanum. *Plin.* 3, 6. *B. A.*

COLUMBĀRIS, re. adj. *περιστερώδης*, qui est columbi. *Colum.* 8, 8. Partes hae columbari carent stercore. Ita *Jenson.* A. 1472. Aliae edition. rectius habent *columbarii.*

COLUMBĀRĬUM, ii, n. *περιστερεών*, *περιστερο-τροφεῖον*, locus ubi habitant columbae. *Varr. R. R.* 3, 7. Itaque pastorem columbarium quotquot mensibus crebro oportet everrere. Adde *Plin.* 17, 9, 6. et *Pallad.* 1, 24. ℙ Item loculamentum in ipso columbario singulis columborum paribus destinatum: quanquam hoc sensu rectius a recto *columbar*, quam *columbarium* deduxeris. *Varr. l. c.* Singulis paribus columbaria fiunt rotunda, in ordinem crebra. *Colum.* 8, 8. Tabulae superponantur, quae vel loculamenta, vel fictilia columbaria recipiant. ℙ A similitudine sic appellatur etiam cubile tigni, et trabis in aedium parietibus. *Vitr.* 4, 2. *a med.* *Ὀπὰς* Graeci tignorum cubilia, uti nostri ea cava, columbaria. ℙ Item foramen rotundum in machina haustoria, per quod aqua in tympano concepta egreditur. *Id.* 10, 9. ℙ Item locus in sepulcris, in quo olla cinerum reponebatur. Asserit hanc metaphoricam significationem variis antiquis inscriptionibus *Fabrett.* p. 9. et seqq. et figuris exhibitis confirmat. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 674. ℙ Denique foramen in navi, per quod remus in aquam emittitur, *columbarium* appellatur. *Fest.* in *Navalis scriba*, et *Isid. Orig.* 19, 2.

COLUMBĀRĬUS, ii, m. *περιστεροτρόφος*, qui columbas curat. *Varr. R. R.* 3, 7. *circa med.* Quos (*accipitres*) columbarii solent interficere.

COLUMBĀTIM, adv. more columbarum. *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat. l.* 3. *epigr.* 219. Da columbatim mitia bassia. V. COLUMBULATIM, et COLUMBOR.

COLUMBĪNĀCĔUS, a, um, adj. columbinus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 18. *ad f.* Pullus gallinaceus aut columbinaceus.

COLUMBĪNUS, a, um, adj. *περιστεροειδής*, qui est ex columbis. *Cic. Fam.* 9, 18. Pulli columbini. *Columbini* absolute pro *pulli columbini* est ap. *Mart.* 13, 66. in *lemmate. Hor. Sat.* 2, 4, 56. Columbinum ovum. *Plin.* 17, 27, 47. Columbinum fimum. ℙ Item qui columbarum colorem habet. *Plin.* 17, 7, 4. Terra alba, rufa, columbina, argillacea, tofacea etc. ℙ *Columbina vitis* inter varia ejus arboris genera recensetur. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 8. Columbinae vites sunt acinosissimae. *Hard.* ex MSS. *e racemosissimis* legit. ℙ *Columbinum cicer* (apud *Plin.* 18, 12, 32.) quod alii Venerium vocant, genus est ciceris candidi, rotundi, levis, arietino minoris, quod religio in pervigiliis adhibet. Ita dictum videtur a colore columbino. ℙ *Columbinum saxum*, quod *Palladius* recenset inter genera lapidum, ex quibus calx excoqui potest, videtur et ipsum a colore columbino denominatum esse. Ejus verba sunt 1, 10. Calcem quoque ex albo saxo duro, vel Tiburtino, aut columbino fluviali coquemus, aut rubro, aut spongia etc. ℙ *Columbinum venenum* quidnam fuerit, disces ex *Suet. Cal.* 54. Columbo victori, leviter tamen saucio, venenum in plagam addidit, quod ex eo columbinum appellavit. Sic certe inter alia venena scriptum ab eo repertum est.

COLUMBOR, aris, dep. 1. pro columbarum more oscula figere, usus *Maecenas* ap. *Senec. ep.* 114. Quid si quis feminae cirro crispatae labris columbatur? Ubi *Lipsius* adnotavit, in suo codice legi *colubratur:* quod non abhorret, inquit, a Maecenatis sermone: et scimus bestias illas arcte jungi. Quin et duplex lingua colubrorum; et idem *Pl.* alibi (*Asin.* 3, 3, 105.) Fac me proserpentem bestiam, duplicem ut habeam linguam. Haec *Lipsius.*

[COLUMBŬLĀTIM, adv. more columbulorum, idem ac columbatim. *Cn. Mattius* ap. *Gell.* 20, 9. Sinuque amicam refice frigidam caldo Columbulatim labra conserens labris. Ita legunt *Voss.*, *Salmas.*. *Scalig.*, *Gronov.*, aliique quamplures, ut metri ratio constet, alii minus recte *columbatim. F.*]

COLUMBŬLUS, i, m. *περιστέριον*, parvus columbus. *Catull.* 29, 9. Ut albulus columbulus Dionaeus. Alii rectius leg. *columbus*, *aut Adoneus. Plin. ep.* 9, 25. Tu passerculis, et columbulis nostris inter aquilas vestras dabis pennas, *h. e.* versibus nostris amatoriis; alludit enim ad Passerem *Catulli*, et Columbam *Stellae.*

COLUMBUS, i, m. *περιστερὸς*, avis domestica nota. Proprie est mas columbae. *Varr. L. L.* 8, 38. Quaedam aliter olim, et nunc: tum omnes mares et feminae dicebantur columbae, quod non erant in eo usu domestico, quo nunc: contra propter domesticos usus, quod internovimus, appellatur mas columbus, femina columba. ℙ Usurpatur et universim de utroque genere. *Colum.* 8, 8. Palumbos columbosque cellares pinguissimos facere. *Plin.* 10, 9, 11. Rictus columbi. Adde *Hor. ep.* 1, 10, 5. ℙ Differunt a *palumbis*, qui sunt aves silvestres columbis majores, et in arboribus, aut sepibus nidificant. ℙ Alia huc pertinentia V. in COLUMBA.

COLŪMELLĂ, ae, f. *στηλίδιον*, *στυλὶς*, parva columna: diminut. a *columa*, ut veteres dicebant exempto *n*, pro *columna. Cic. Leg.* 2, 26. Demetrius Phaleraeus super terrae tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis ne altiorem. *Cato R. R.* 20. Columella ferrea. ℙ Translate *columellae* dicti sunt majores servi in familia, quos heri negotiis suis praeficiebant, quod his niteretur domus tanquam columellis. *Lucil.* ap. *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 2, 1, 57. Servu' neque infidus domino, neque inutili' quoiquam Lucili columella hic situ' Metrophanes. *Mart.* quoque posteriorem hunc versum refert 11, 90. Quidam vero putant *Columnellam* hic esse nomen proprium Metrophanis servi. *Salmasius* legere malebat, *columella hac*, ut sententia sit: Methrophanem Lucilii servum situm esse sub hac columella. Legitur et *columnella* ap. *Caton. R. R.* 20. et 21. in editione Jensoniana A. 1472. et Aldina A. 1514. Nam in aliis est *columella.* ℙ *L. Junius Moderatus Columella* patria Gaditanus, sub Claudio Aug. floruit, scripsitque De re rustica libros duodecim, quorum decimus De cultu hortorum heroico carmine constat; item librum De arboribus: omnia Latine, nitide, et eleganter, quam qui maxime.

COLŪMELLĀRIS, e, adj. qui formam habet columellae. *Columellares dentes* in equis vocantur, quos quarto aetatis anno incipiente, ejectis binis utrinque veteribus, emittunt, ubi docent *Varr. R. R.* 2, 7. et *Plin.* 11, 37, 64. Hi autem sunt iidem ac canini, et columellares vocantur propter rotundam longitudinem columellarum instar. *Isid. Or.* 11, 1. Dentes caninos vulgus pro longitudine et rotunditate *columellas* vocat.

*COLUMELLI, orum, columellares dentes. Ex *Isidoro* laudat *Rigalt.* ad *Artemid.* p. 15. Locus est *Or.* 11, 1. ubi post descriptionem caninorum dentium addit: Hos vulgus pro longitudine et rotunditate columellas vocant. *B. A.*

COLŪMEN, ĭnis, n. *κορυφὴ*, *στέγος*, proprie significat extremum tectum casae rusticae, seu villae: quemadmodum et *culmen*, quod vel ab eo per syncopen fit, vel inserta per epenthesin vocali, ipsum creat. *Varr. R. R.* 3, 7. In turribus et columinibus villae. [**Etym.* est a *cellere.*] ℙ Dicitur etiam de summo tecto quarumcumque aedium. *Cic. in carm. de suo consul. Div.* 1, 12. Ni post excisum ad columen formata decore Sancta Jovis species claros spectaret in ortus, *h. e.* fastigium Capitolii. *Senec. Her. fur.* 999. Huc eat, et illuc aula disjecto objice, Rumpatque postes; columen impulsum labet. Adde *Thyest.* 54. ℙ Et speciatim de summa trabe, quae tectum sustinet. *Vitr.* 4, 2. Columen in summo fastigio culminis: unde et columnae dicuntur. *Id. ib.* 7. Columen canterii. ℙ Et generatim de quacumque summitate. *Catull.* 63, 71. Sub altis Phrygiae columinibus, *h. e.* montibus Idae Phrygiae. *Nigid.* ap. *Serv.* ad *G.* 1, 218. Oritur Canicula cum Cancro; in columen venit cum Geminis: occidit cum Tauro. ℙ Item pars muri superior, quae in fastigium desinit. *Cato R. R.* 15. Maceriam sine calce, ex caementis et silice, altam P. V. facite, et culmen P. I. ℙ Translate ponitur pro sustentaculo. *Ter. Phorm.* 2, 1, 57. Bone custos, salve: columen vero familiae. *Cic. Sext.* 8. Columen reipublicae. *Hor. Od.* 2, 17, 4. Maecenas columen rerum mearum. *Sil.* 15, 385. Ausonii columen regni. Adde *Senec. Troad.* 6. ℙ Item pro eo, qui summum locum tenet in re aliqua. *Pl.* 1, 1, 211. Advenisti audaciae columen. *Cic. Phil.* 13, 12. Columen amicorum Antonii Cotyla Varius. *Gell.* 19, 14. Aetas Ciceronis, et Caesaris doctrinarum multiformium, variarumque artium columina habuit M. Varronem, et P. Nigidium. *Colum.* 3, 4. Cum vitem seruerit, summa sedulitate culturae serviat; id enim quasi caput et columen est impensarum.

COLŪMIS, e, adj. idem quod incolumis, *Plaut. Trin.* 3, 3, 15. ubi alii leg. *incolumis.* Agnoscit tamen etiam *Isid.* tum *Orig.* 10., tum in *Glossis*, ubi legitur: *Colume*, *sanum*, et *Columes*, *salvos.* Verum haec omnia non satis efficiunt, ut cuivis sine scrupulo usurpare liceat.

COLŪMNA, ae, f. *κίων*, *σύνλος*, fulcimentum, sustentaculum oblongo, rotundo, et erecto lapide, vel ligno constans, quo aliquid nititur et sustinetur. Dicta est a *columen*, seu *culmen*, ut docent *Vitr.* 4, 2. et *Festus*, quia primo ita sunt appellata fulcimenta illa, quae summam tecti trabem fulciunt. Olim autem *columna* scribebatur, licet *columa* pronunciarent, uti docet *Quint.* 1, 7., unde *columellae* appellatio facta est. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. Columnas neque rectas, neque e regione Diphilus collocarat. *Id. Verr.* 2, 1, 51. Exigere columnas ad perpendiculum. *Pl. Mil.* 2, 2, 54. Suffulcire columnam alicui rei. *Mart.* 5, 13. centenis incumbunt tecta columnis. *Suet. Caes.* 85. Solidam columnam, prope XX. pedum, lapidis Numidici, in foro statuere. *Ov. Pont.* 3, 2, 49. Templa vastis innixa columnis. *Id. Met.* 2, 1. Regia solis erat sublimibus alta columnis. *Plin.* 14, 1, 2. Metaponti templum Junonis columnis vitigineis stetit. *Id.* 33, 4, 21. Tellus ligneis columnis sustit. *Id.* 33, 4, 21. Tellus ligneis columnis suspenditur. *Virg. A.* 1, 432. Columnae immanes excisae rupibus. *Hor. Od.* 2, 18, 4. Columnae recisae Africa ultima. ℙ De variis columnarum generibus in architectura, deque earum rationibus V. *Plin.* 36, 23, 56. et *Vitr.* 3, 3. et 4, 1. et 2. ℙ *Columna Maenia* Romae fuit in foro, ad quam tresviri capitales crimina cognoscebant nequam servorum, furum, et hujusmodi infimorum hominum, (ut ex *Cic. Div. Verr.* 16. et *Ascon. ib.* colligitur) qui ibidem rei damnati alligabantur et puniebantur. Eodem vocari solitos a creditoribus eos, qui gravi aere alieno premerentur, significare videtur *Cic. Sext.* 8., ut *Manut. ad Div. Verr.* adnotavit. Sed V. etiam quae addidit *ad l. c. pro Sext.* Hujus columnae *Cic.* meminit etiam pro *Cluent.* 13. *ad f.* Porro sic appellata est a quodam Maenio, qui cum censoribus Catoni, et Flacco domum suam vendidisset, ut eo loco basilica aedificaretur, excepit sibi jus columnae, supra quam tectum projecit ex provolantibus tabulatis, unde ipse, et posteri ejus spectare munus gladiatorum possent, quod etiamtum in foro dabatur. Haec *Ascon. l. c.* Alia fuit columna C. Maenii, qui consul fuit una cum L. Furio Camillo, eamque in victoriae signum devictis hostibus posuerat. *Plin.* 34, 5, 11. ℙ De *columna bellica* V. in BELLONA. ℙ *Columnae Herculis* sunt duo montes ad fretum Gaditanum Calpe, nunc *Gibraltar*, in Europa, et Abyla, nunc *Ceuta*, in Mauritania regione Africae, qui procul spectantibus columnarum speciem praebent. Porro Herculi sacrati sunt, quia eo usque laboribus suis orbem peragravit. Additur etiam fabula, Herculem ipsum junctos olim perpetuo jugo diremisse colles, atque ita exclusum antea mole montium oceanum in nostrum mare admisisse. *Mela* 1, 5. et *Plin. prooem. l.* 3. Quidam putant, Phoenices, ubi primum fretum Gaditanum praeteriere, duas columnas erexisse Herculi et Astarti, Soli nempe et Lunae: mox Graecos columnas appellasse ob quamdam similitudinem, montes Calpen et Abylam. Herculis columnas memorat apud Frisios, quae eandem ab Phoenicibus originem habent, *Tac. G.* 34. ℙ Quas memorat *Protei columnas*, *Virg. A.* 11, 262. intelligit fines Aegypti, ubi Proteus regnavit. Mos enim fuit in regionum finibus columnas ponere ad terminos discernendos. V. ibi *Serv.* ℙ Allegorice *Hor. Od.* 1, 35, 14. Injurioso ne pede proruas stantem columnam, *h. e.* statum et incolumitatem rei alicujus. ℙ Apud *Mart.* 6, 49. et 11, 51. est eadem ac mentula. *Auct. Priap.* 10. Adstans inguinibus columna nostris. ℙ Est etiam hoc nomine genus procellae, seu turbinis, cum tanquam demissa columna In mare de coelo descendit: quam freta circum Fervescunt graviter spirantibus incita flabris: Et quaecumque in eo tum sunt deprensa tumultu Navigia, in summum veniunt vexata periclum etc. Ita *Lucr.* 6, 425. *Plin.* vero 2, 49, 50. ita vocari ait, cum spissatus humor, rigensque ipse se sustinet. ℙ Item species ignis coelestis, columnae figura apparentis. *Senec. Quaest. nat.* 7, 20. ℙ **Columna Regia* (*Mela* 2, 4. p. m.), vel rectius *Columna Rhegia* (*Plin.* 3, 5. et 8.), locus Italiae inferioris, in Bruttiis, ad mare Siculum, non procul a Rhegio, unde nomen profluxit. *Strab.* est *στηλὶς τῶν Ῥηγίνων*, i. e. columna s. pila Rheginorum. *Columna* unde appellatur ab *Ant. Itin. B. A.*

COLUMNĀRIS, e, adj. ad columnam pertinens. *Prud. Hamartig.* 476. mediasque tenebras Luce columnari scindens exercitus olim, *h. e.* splendore igneae columnae, quae noctu Hebraeis in deserti itinere praeibat.

COLUMNĀRĬUM, ii, n. genus tributi, quod pro singulis domorum columnis exigebatur. Eo autem consilio impositum videtur, ut haec poena ab insanis aedificiorum sumptibus Romani ditiores, et luxui dediti deterrerentur. Et fortasse pertinuit ad legem Juliam sumptuariam, (cujus meminit *Suet. Caes.* 43.) qua omnium impensarum numerus et modus definiebatur. *Cic. Att.* 13, 6. De aquaeductu probe fecisti: columnarium vide ne ullum debeamus: quamquam mihi videor audisse a Camillo, commutatam esse legem. V. OSTIARIUM. ℙ Res eadem, sed non eadem origo fuit *columnarii*, quod inter alias acerbissimas exactiones pecuniarum a Pompejo civitatibus Asiae imperatum, narrat *Caes. B. C.* 3, 32. Neque enim hoc ad eam legem pertinuit, de qua *Cic. l. c.* meminit, sed extra ordinem, atque ex arbitrio, et avaritia Pompeji impositum est, ut unde unde pecunias ad bellum cogeret. ℙ *Columnarium* fuit etiam locus extra urbem, in quo marmora conficiendis praesertim columnis excidebantur. Nam prope oppidum Ferentinum, quod nunc *Marino* esse traditur, ad radices montis Albani, unde columnae marmoreae Romam portabantur, teste *Suet. Aug.* 72., repertus est lapis cum *Inscriptione*, quam affert *Fabrett.* p. 463. *n.* 95. L. Cornelius A. F. Fab. Ulipius censeo locum, qui est extra portam medianam ab eo loco, in quo schola fuit, long*um* P. LXVII. ad rivom aquae

Albanae, et a via introrsus, in quo antea columnarium publicum fuit latum P. X., honoris caussa M. Junio Silani, L. Monimo posterisq. ejus dari. Haec inscriptio pertinet ad an. 31. a Chr. n. Alia inscriptio, quae nunc Patavii exstat, quaeque mendosa legitur apud *Mur.* 571, 2. Quod L. Canius Festus, C. Aufidius Candidus, C. Avilius Q. F., L. Cervius Stabilis praefecti *Verba Fecerint*, L. Perpernam Amiantum locum columnar. extra portam Romanam rogare CLX. ped. etc. Si certo constaret, lapidem hunc ad municipium Patavinum pertinere, conjicerem, locum columnarii fuisse sex circiter ab urbe passuum millibus, nempe ad radices illius montis Euganei, cui nunc *Lispida* nomen est, unde lapides, quibus olim Patavini usi sunt, excisos fuisse satis compertum est; quemadmodum Romanos ex monte Albano illos excidisse vidimus. [*Egregie hujus loci curam gessit *F.*] ℙ In allato *Cic. l. c.* MS. quoddam perperam habet *colonarium*, teste *Ursino.*

COLUMNĀRIŬS, ii, m. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 9. *a med.* Nolo, te putare, Favonium a columnariis praeteritum esse: optimus quisque eum non fecit, *h. e.* ab improbis hominibus, et infimae plebis, cujusmodi erant, qui ad columnam Maeniam in judicium saepe vocabantur, aut qui circa eandem otii fallendi causa versarentur, similes subrostranis et subbasilicanis, qui et ipsi inde sic appellati, quod pro rostris et ad basilicas esse solerent. Ita censet interpretandum *Manut.*, rejicitque eorum opinionem, qui contra veteres omnes libros *colonariis* legi volunt.

COLUMNĀTĬO, onis, f. *συνλωσις*, columnarum exstructio, seu aedificatio per columnas. *Appul. Flor. n.* 18. Nec proscenii contabulatio, nec scenae columnatio.

COLUMNĀTUS, a, um, part. ab inusit. *columno*, columna sustentatus. *Varr. R. R.* 3, 5. *a med.* Tholus rotundus columnatus. ℙ *Columnatum os* dicitur a *Pl. Mil.* 2, 2, 56. quod est brachio tanquam columna suffultum, ut faciunt ii, qui cogitabundi brachium mento supponunt.

COLUMNELLĀ. V. COLUMELLA.

COLUMNĬFER, a, um, adj. *Prud. Cathem.* 9, 51. Sic habuit generosa patrum Turba columniferum radium, *h. e.* columnam ignis, quae Hebraeis in deserto praeibat.

CŌLŪRI, orum, m. plur. *Κόλουροι*, duo circuli sunt in coelesti sphaera, transeuntes per polos mundi, seque mutuo ibi rectis angulis secantes: quorum alter transit per puncta aequinoctialia Arietis et Librae, et dicitur Colurus aequinoctiorum: alter solstitialia tangit Cancri et Capricorni, et vocatur Colurus solstitiorum. Dicti sunt, quasi *κόλοι τὴν οὐρὰν*, *h. e.* cauda mutili, quia eorum pars in Antarcticum vergens, nobis inconspicua est et quasi trunca. *Macr. Somn. Scip.* 1, 15. Praeter hos alii duo sunt coluri, quibus nomen dedit imperfecta conversio etc. Et *mox* sed ad Australem verticem non pervenire creduntur.

CŌLŪRĬA, orum, n. plur. *Coluria rotundata* sunt pilae structiles e saxis in orbem excisis: a *κόλουρος*, cauda mutilus, quia carent in vertice ornamentis columnarum propriis. Differunt a columnis, quae ex uno tantum lapide fiunt. *Sidon. ep.* 2, 2. *a med.* Porticus magis rotundatis fulta coluriis, quam columnis invidiosa monubilibus Al. leg. *colyriis*, vel *collyriis* eod. sensu: quemadmodum et *colluria* pro *collyria* aliis scribere placet. Saepe enim Graeca *v* in *u* Latinum mutatur: et *collyriorum* figura ad columnae, seu pilae figuram proxime accedit.

CŌLURNUS, a, um, adj. qui est ex corylo arbore (quae et *corulus* scripta reperitur) per metathesin factus ex *corulnus*, quod insuavem atque impeditam pronunciationem haberet. Hanc originem voci assignant *Prisc.* 2. *sub f.* et *Serv.* ad illud *G.* 2, 396. Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis. *Festus* tamen deducit a *corno* arbore. Alii dictum putant quasi *κόλον ἔρνος*, *h. e.* ramum mutilum; sed hoc nihil juvat ad genus arboris indicandum, ex qua *colurnus* fiat.

CŌLŪRUS, a, um, adj. *κόλουρος*, cauda mutilus, truncatus: a *κόλος*, mutilus, et *οὐρὰ*, cauda. *Colurum metrum* dicitur a *Plotio de Metris* p. 2649., quod pede brevius est. ℙ De *circulis coluris.* V. COLURI.

CŌLUS, i, f. et us, f. *ἠλακάτη*, instrumentum, in quo lanae pensum ponitur, et fuso fila deducuntur. *Cic. Or.* 2, 68. *in f.* Quando ad me venis cum tua colu, et lana? *Ov. Met.* 4, 229. Et colus, et fusus digitis cecidere remissis. *Prop.* 4, 9, 48. Colu Lyda pensa diurna facere. *Virg. A.* 8, 409. Tolerare colo vitam. *Plin.* 8, 48, 74. Lana in colo et fuso Tanaquilis. *Id. ib.* Colus compta, et fusus cum stamine. *Catull.* 64, 311. Colum lana amictam. [*Tibull. 1, 3, 86. Positaque lucerna Deducat plena stamina longa colo.] *Sidon. carm.* 22, 197. vacuare colus. ℙ De ipsa lana in colo. *Senec. Herc. Oet.* 668. colos, quas indoctae nevere manus. ℙ *Colus* tribuitur Parcis, quae fila nere dicuntur vitae nostrae, tamdiu duraturae, donec pensum in colo duraverit. *Ov. Amor.* 2, 6, 45. Septima lux aderat, non exhibitura sequentem: Et stabat vacua jam tibi Parca colo. *Stat. Theb.* 6, 380. sed hujus Extrema jam fila colo, *h. e.* extremi vitae dies. *Val. Flacc.* 6, 444. *de Medea.* recoquit fessos aetate parentes, Datque alias sine lege colus, *h. e.* annos vitae addit. *Id. ib.* 645. diva (*Atropos*) supremas Rumpit iniqua colus, *h. e.* vitam adimit. *Senec. Herc. fur.* 559. Parcarumque colos irrevocabiles. *Stat. Theb.* 3, 241. sic fata mihi, nigraeque Sororum Juravere colus. *Inscr.* ap. *De-Lama*, *Guida al Mus. Parm.* p. 55. Erubuit nostras Atropus ipsa colus. ℙ In allatis locis *Propertii*, et *Catulli* alii leg. *Lydo*, et *amictum*, ut *colus*, *i*, sit etiam masculini generis. Afferunt etiam locum *Prisc.* 6, 719., qui tamen, si attente legatur, femininum tantummodo genus admittit. ℙ In recto casu plurali *hae coli* non ausim dicere, ait *Voss. Gramm.* 4, 20. ℙ *Colus* pro *Colon.* V. COLON.

CŌLUSTRA. V. COLOSTRA.

CŌLŪTĒA, orum, n. plur. mala sunt illius arboris, quae a *Theophr. Hist. plant.* 3, 17. appellatur *κολουτέα*, fortasse a *κολούω* amputo; ejus enim foliis pecora saginantur. *Pl. Pers.* 1, 3, 7. Commisce mulsum; struthea, coluteaque appara, bene ut in scutris concaleant, et calamum injice. Quidam varias lectiones non unas commenti sunt: alii enim *coluthea* vel *collubia*, vel *collutea*, vel *colutra* legunt.

*COLUTHIA, orum, n. Muricum generis sunt, quae vocant Graeci coluthia, alii corythia, turbinata aeque, sed minora multo, efficaciora etiam, et oris halitum custodientia. Haec *Plin.* 32, 7. ed. *Hard.* Adde 11. *B. A.*

COLYMBĀDES Olivae, *κολυμβάδες*, olivae conditiciae: a *κολυμβάω*, innato, quod ob suam levitatem muriae innatant, ut *Plin.* 15, 3, 4. docet. Earum condiendarum rationem tradunt *Colum.* 12, 47. *a med.* et *Pall.* 12, 22.

CŌLYMBUS, i, m. *κόλυμβος*, piscina, natatio: Graeca vox. *Lampr. Elagab.* 23. Marinae aquae colymbos exhibuit, in mediterraneis locis maxime, eosdem et singulis amicis natantibus dimisit, et iterum piscibus implevit. Adde *Prud.* 12. *περὶ στεφ.* 36., ubi male quidam leg. *corymbus.*

CŌMA, ae, f. *κόμη*, capillus aliqua cum cura compositus, ut *Festus* definit in *Comptus*, ubi a Graeco *κομάω*, orno, deducit: alii derivant a *κομέω*, curam gero, nutrio. *Serv.* ad *A.* 5, 556. docet, proprie sic dici capillos non caesos. Late tamen sumitur pro capillis, cuicuimodi sint. [**Coma* ornatus notionem involvit, ad demissos capillos imprimis pertinens. Cf. *Döderl.* 3, 14.] *Cic. Sext.* 8. Alter unguentis affluens, calamistrata coma. *Id. in Senat.* 6. Vini, somni plenus, madenti coma, composito capillo. *Accius* ap. *Cic. Tusc.* 3, 26. Scindens dolore identidem intonsam comam. *Quint.* 1, 6. *ad f.* Comam in gradus frangere. [**Suet. Nero* 51. Coma in gradus formata.] *Senec. Brevit. vitae* 11. Disjectam comam restituere, aut deficientem hinc atque illinc in frontem compellere. *Ov. A. Am.* 2, 304. torquere igne. *Id. Her.* 13, 39. pectere. [**Tibull.* 1, 8, 43. Coma tum mutatur, i. e. inficitur. *Ov. Met.* 2, 412. Nec positu variare comas, i. e. varia compositione ornare capillos. V. *Gierig.* ad h. l. *Id. Fast.* 3, 16. Turbatas restituitque comas, i. e. raptim in ordinem qualemcunque redegit. Differt *componere* comas, quod de capillis in otio et ad speculum ornandis dicitur. *Id. ib.* 1, 406. Pars aderant, positis arte manuque comis, i. e. diligenter, ornate compositis.] *Suet. Ner.* 51. summittere pone verticem. *Hor. Od.* 2, 11, 24. religare nodo. *Id. Ep.* 11, 28. longam renodare. *Petr. Sat.* 126. flectere pectine. *Senec. Hippol.* 371. Solvere comas, et rursus fingere. *Ov. Amor.* 1, 7, 68. Pone recompositas in statione comas. *Id. R. Am.* 679. componere. *Val. Flacc.* 6, 709. nutrire flore Sabaeo. *Prop.* 2, 19, 36. Demissis comis plangere pectora. *Mart.* 2, 11. Vellere comam. *Plin.* 31, 2, 10. Porrecta coma esse. *Ov. Amor.* 1, 7, 36. Cingere comam lauro. *Id. Her.* 16, 67. gelidusque comas erexerat horror. *Mart.* 5, 68. Coma flava. *Tibull.* 3, 4, 28. Myrtea coma, *h. e.* media inter flavam et nigram. [*Castaneus nobis color. *Virg. A.* 1, 403. Comae ambrosiae spiravere odorem. *Ov. Fast.* 2, 846. Visaque concussa dicta probare coma, i. e. commotis capillis, quae ratio est approbandi, ut Jovis ap. Homerum. *Id. ib.* 772. Neglectae collo sic jacuere comae, i. e. incomptae, sine ornatu pendentes. *Prop.* 2, 2, 5. Fulva coma est, *ξανθὴ, κατάχρυσος. Id. ib.* 13, 56. Effusa coma. De Venere Adonem lugente. *Ἀναμέτα πλοκαμίδας* Theocrito.] ℙ De arborum frontibus. *Hor. Od.* 1, 21, 5. Coma nemorum. *Ov. Amor.* 2, 16, 36. arboreas mulceat aura comas. *Id. ib.* 1, 7, 54. populeas ventilat aura comas. Adde *Plin. ep.* 5, 6. *ante med.*, *Tibull.* 1, 4, 30., *Virg. A.* 7, 60., *Senec. Herc. Oet.* 1575. et alios. [**Tibull.* 1, 7, 34. Viridem dura caedere falce comam, i. e. vitium.] ℙ Speciatim *coma* dicitur quidquid hilari venustate crinium modo summa ramorum, vel caulicorum exornat. *Plin.* 13, 4, 7. Coma palmae in cacumine. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 3. Milii comae granum complexae fimbriato capillo curvantur. *Id.* 19, 6, 32. Coma caepe. *Ov. Fast.* 4, 438. Illa papavereas subsecat ungue comas, *h. e.* capita in modum comarum expansa. ℙ *Comae telluris* sunt herbae, flores, et segetes, quibus tellus ornatur, quemadmodum coma caput hominis. *Colum.* 10, 277. Tellurisque comas sacris aptate canistris. *Ov. Amor.* 3, 10, 12. *de Cerere.* Falce coloratas subsecuitque comas. ℙ [**Sancta Coma* ap. *Tibull.* 1, 10, 22. Seu dederat sanctae spicea serta comae, est Larium. Adde *eund.* 2, 2, 6. sanctae comae, i. e. Genii. ℙ Dicitur etiam apud poetas pro vertice. *Ov. Fast.* 3, 14. Ponitur e summa fictilis urna coma. *Id. ib.* 6, 636. Cum caput igne corusco Contigit, inque coma flammeus arsit apex.] ℙ In galea sunt cristae. *Stat. Theb.* 8, 389. galeaeque tremunt horrore comarum. ℙ *Coma ignis* ap. *Senec. Oedip.* 311. est radiorum ejus expansio in morem comae. *Catull.* 61, 77. viden', ut faces splendidas quatiunt comas? *Albin. ad Liv.* 256. flamma Aethera subjectis lambit et astra comis. Sic *coma Phoebi* ap. *Senec. Herc. Oet.* 727. sunt radii solis. *Id. ib.* 735. comam appellat ipsa lanae fila, vel floccos. Pro lana etiam adhibetur in illo veteris poetae ap. *Cic. N. D.* 3, 27. Agnum inter pecudes aurea clarum coma. *Colum.* 7, 3. Mercaberis comas intonsas: variam, et canam comam improbabis, quod sit incerti coloris. ℙ Et pro lanugine membranarum, et chartarum, ex quibus volumina conficiuntur: quae pumice, aut dente levigari solebant. *Tibull.* 3, 1, 10. Lutea sed niveum involvat membrana libellum, Pumex et canas tondeat ante comas. ℙ Pro juba. *Pall.* 4, 13. Aures breves, patulae nares, coma, et cauda profusior. *Gell.* 5, 14. Leo toris, comisque cervicum fluctuantibus. [*Solemnis confusio est vv. *comae* et *genae* cf. *Prop.* 2, 18, 18. *Burm.* ad *Ov. Ep.* 11, 92. et *Misc. Obss.* 5, 1, 125.]

COMĀCUM, i, n. succus cinnami succo similis, ex arbore in Syria nascente, quae a *Teophr. Hist. plant.* 9, 7. *κωμακος* appellatur, ac propterea ita est scribendum, non *camacum*, apud *Plin. l. c.* in CAMACUM.

COMĀGĒNE. V. COMMAGENE.

[COMAEUS, i, m. paganus, et vicanus, a *κώμη*, pagus, vicus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 659, 8. Sosius Comaeus. *F.*]

COMĀNĀ, orum, n. plur. *τὰ Κόμανα*, Cappadociae urbs in Antitauri valle sita, quam alluit fluvius Sarus, Ciliciam versus, opulento fano, atque sacerdotio Bellonae Deae nobilis, nunc *Arminacha. Plin.* 6, 3, 3. et *Hirt. B. Alex.* 66. ℙ Item oppidum Ponti, ad Irim fluvium. *Plin.* 6, 3, 4. et *Hirt. B. Alex.* 35.

COMĀNI, orum, m. plur. sacri servi sunt Bellonae, dicti ab ejus Deae fano, vel ab ejusdem nominis urbe, in qua fanum illud fuit. Sanguinem cultris se ferientes ultro in honorem Deae fundebant. *Val. Flacc.* 7, 636. exsectos lacerat Bellona Comanos. Alii leg. *comatos.* V. CAPILLATUS. ℙ *Comani*, *Κομανεῖς*, sunt etiam ejus urbis incolae. *Hirt. B. Alex.* 35.

COMANS, antis, part. a *como*, *as*, comam habens, comatus, *κομήτης*. Usurpatur de iis omnibus, de quibus *coma. Stat.* ap. *Serv.* ad *A.* 2, 391. Abantiades comans. *Sil.* 16, 59. Crines comantes. *Val. Flacc.* 3, 136. ruit ille comanti Ore facem supra, *h. e.* ore comis ex inclinatione antependulis contecto. *Virg. A.* 12, 6, Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes Excutiens cervice toros. *Id. ib.* 86. Colla comantia equorum. *Gell.* 3, 9. Comans juba equi. *Plin.* 10, 63, 83. Equae comantes. *Val. Fl.* 1, 429. silvae. *Stat. Theb.* 5, 502. Comans humus, *h. e.* herbosa. *Virg. G.* 4, 122. Sera comans narcissus. *Id. A.* 12, 413. Dictamnus flore purpureo comans. *Plin.* 13, 8, 16. Herba foliis semper comantibus. *Virg. A.* 2, 391. Galea comans, *h. e.* cristata. Sic *ib.* 3, 468. Et conum insignis galeae, cristasque comantes. *Ov. Met.* 15, 749. Stella comans, *h. e.* crinita, cometes. *Val. Fl.* 5, 266. Astro comantes Tyndaridae, *h. e.* fulgenti et stellato apice in vertice insignes. *Sil.* 10, 550. manu celsam pinum flammaque comantem Attollens. ℙ Ponitur et pro piloso. *Val. Fl.* 5, 595. viden' alta comantem Pectora? *h. e.* comam seu pilos habentem in pectore: ut sit hellenismus. ℙ Item pro villoso, lanuto. *Virg. G.* 3, 312. Setae comantes hircorum. *Val. Fl.* 8, 122. Pellis comans villis.

COMARCHUS, i, m. *κώμαρχος*, et *κωμάρχης*, vici magister: a *κώμη*, pagus, vicus, et *ἄρχων*, princeps, praeses. *Pl. Curc.* 2, 3, 7. Nec demarchus, nec comarchus.

*COMĀRI, orum, *Κομάροι*, Asiae populi, in Sogdiana regione *Mela* 1, 2. p. *m. Chomari* audiunt *Plin.* 6, 16. *B. A.*

COMĀRON, i, n. *κόμαρον*, ita appellatur a Graecis unedo, qui est fructus arbuti. *Plin.* 15, 24, 28. ℙ Item herba, quae fraga gignit, ob id etiam *fragum* dicta. *Appul. Herb.* 37.

COMĀTŌRĬUS, a, um, adj. ut *comatoria acus*, quae ad comam figendam inservit. *Petr. Sat.* 21.

Acu comatoria malas alicui pungere. Hinc *Mart.* 14, 22. Figat acus tortas sustineatque comas.

COMĀTŬLUS, a, um, dimin. a *comatus*. *Hieron. ep.* 54. *n.* 13. Comatulos, comptos, atque lascivos domus tuae tecta non videant. *Id. ep.* 66. *n.* 8. Comatuli pueri.

COMĀTUS, a, um, adj. κομήτης, comam habens longiorem, aut densiorem, comans. *Suet. Cal.* 35. Pulcros et comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat. *Mart.* 1, 73. Calvus cum fueris, eris comatus. *Id.* 10, 83. Comata tempora. *Auct. Priap.* 37. Frontem comatos Arcadas vides Faunos, *h. e.* fronte comosa, cetera calvos. ℙ *Comati* sunt pueri intonsa et integra coma. *Mart.* 12, 70. O quantum diatheca valent, et quinque comati! ℙ De Comatis Bellonae V. in CAPILLATUS. ℙ *Comata Gallia* est omnis Gallia transalpina, quae in Belgicam, Celticam, et Aquitanicam dividebatur; excepta tamen Narbonensi, quae *Bracata* dicta fuit. Ratio appellationis est, quia ejus populi comam non tondebant, sed omni aetate nutriebant. *Lucan.* 1, 442. Et nunc tonse Ligur, quondam per colla decora Crinibus effusis toti praelate Comatae. *Plin.* 4, 17, 31. *Mela* 3, 2. ℙ Translate. *Catull.* 4, 11. Comata silva, *h. e.* frondosa.

[COMAZON, ontis, m. κωμάζων, in convivio comissans. Cogn. Rom. deductum, teste *Dione* 79, 4., ex arte histrionica et joculari. *Inscr.* ap. *Visconti. Mus. Pio-Clem. T.* 6. p. 222. *ed. Mediol.* P. Valerio Comazonte II. Cos., *h. e.* an. a Chr. n. 220. Adde aliam apud *Mur.* 2090, 4. M. Aurelio Comazonti.

[COMBĀTŬO, is, a. 3. simul batuo. *Not. Tir.* p. 117. combatuit. *F.*]

*COMBENNIO, is, a. 4. συμβασταζω. *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

COMBENNONES. V. BENNA.

COMBĪBO, is, bibi, itum, a. 3. ἐκπίνω, συμπίνω, idem quod bibo, vel penitus bibo. *Ov. A. Am.* 2, 326. Et sicco lacrimas combibat ore tuas. *Id. Her.* 11, 53. Et cogor lacrimas combibere ipse meas. *Senec. ep.* 49. Video te lacrimas combibentem. [*Ov. Met.* 13, 410. Exiguumque senis Priami Jovis ara cruorem Combiberat.] ℙ Simul cum aliis bibo, compotor sum. *Senec. ep.* 123. *ad f.* Ad artem aeque combibendi et convivandi peritissimus. ℙ Significat etiam penitus haurire, excipere, imbibere. *Hor. Od.* 1, 37, 26. fortis et asperas Tractare serpentes, ut atrum Corpore combiberet venenum. *Ov. Met.* 15, 275. Sic modo combibitur, tacito modo gurgite lapsus Redditur Argolicis ingens Erasinus in arvis, *h. e.* absorbetur terris. *Plin.* 17, 11, 16. Ut scrobes solem pluviasque combibant. *Colum.* 12, 47. *ad f.* Dum aliquatenus bacca salem combibat. Et *ib.* 50. *a med.* Quae semel oleum testa combibit. *Stat. Th.* 10, 675. Cupressus flammas combibit. *Mart.* 10, 12. 1, precor, et totos avida cute combibe soles. [*Ov. Met.* 5, 455. Combibit os maculas, i. e. attraxit, accepit.] ℙ Translate. *Cic. Fin.* 3, 2. *in f.* Puer jam infici debet iis artibus, quas si, dum tener est, combiberit, ad majora veniet paratior. *Sil.* 11, 402. Combibat illapsos ductor per viscera luxus.

COMBĪBO, onis, m. συμπότης, qui simul bibit, compotor. *Cic. Fam.* 9, 25. Controversiae, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 1, 174.

COMBĪNĀTI, ae, a, adj. bini conjuncti. *August. Confess.* 8, 6. Se, et tres alios contubernales exisse deambulatum in hortos, atque illic ut forte combinati spatiabantur etc. *Diomed.* p. 503. Feritur senarius Iambicus combinatis pedibus ter.

*COMBINATIO, onis, f. binorum conjunctio. *Gloss. Gr. Lat.* Ζεῦξις κατὰ δύο, Combinatio. Hinc *combinatio* etiam figura appellatur, quam Graeci *Epizeuxin* vocant, quum in oratione eadem dictio sine medio duplicatur, ut *Virg. A.* 9, 427. Me, me: adsum, qui feci. *Sipontinus. B. A.*

COMBĪNO, as, a. 1. ζεύγνυι, συνάπτω, bina jungo, conjungo. *Sidon. ep.* 9, 8. Obsequia combinans numeris aequata non meritis. *Gloss. Gr. Lat.* Ζευγζω, Combino. *Gloss. Lat. Gr.* Combinat, ζευγνύει, συνάπτει. *B. A.*

COMBĪTĒRE pro coire, simul ire, a *bito*, *is*, citat *Voss. Instit. Or.* 4, 1, 7. ex *Varr. L. L.* 4., quem locum nondum vidimus.

COMBRĒTUM, i, n. herba bacchari similis, procerior tamen, et foliorum exilitate usque in fila attenuata. Trita cum axungia, vulnera mire sanat. *Plin.* 21, 6, 16. et *ib.* 19, 77.

COMBULLĪO, is, ivi, itum, n. 4. simul bullio. *Apic.* 8, 8. Diu combulliat, donec spisset.

COMBŪRO, is, ussi, ustum, a. 3. συμφλέγω, ἐμπρήθω, idem quod uro, accendo: a *con* et *uro*, addito *b* euphoniae causa. *Pl. Aul.* 2, 6, 12. Comburere aedes. *Id. Curc.* 1, 1, 54. Fumo comburi nihil potest, flamma potest. *Cic. Div.* 1, 17. *ad f.* Comburere libros. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 2. aliquem vivum. *Pl. Mil.* 3, 2, 22. Nam mihi nimius calor comburebat gutturem, *h. e.* exsiccabat. [*Suet. Tib.* 36. Religiosas vestes cum instrumento omni comburere.] ℙ Translate. *Q. Frater* ap. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Comburere aliquem judicio. ℙ *Comburere diem* ap. *Pl. Men.* 1, 2, 43. est totum diem hilare et congraecando transigere, usque dum in noctem transeat. Tunc enim dies quodammodo moritur. Mortuorum autem corpora in rogis comburuntur. Eadem ratione *diem componere* dixit *Virg. A.* 1, 378., et *condere diem Hor. Od.* 4, 5, 29. ℙ Part. *Comburens* ap. *Lucr.* 6, 152. Turbine ventorum comburens impete magno. *Comburendus* ap. *Cels.* 5, 21. *n.* 6. Cochleae cum testis suis comburendae.

COMBUSTĬO, onis, f. combustura. *Firm. Math.* 4, 12. *circa med.* Vitia vero faciet ex igne, idest praecisiones, et combustiones.

COMBUSTŪRA, ae, f. ádustio, ἀπόκαυμα. *Apic.* 4, 4. Transferes in alterum cacabum ptisanam, sic ne fundum tangat, propter combusturam. *Aemil. Macer de rosa* 21. Et combusturis praeclare subvenit ignis. Legitur etiam in lemmate *Seren. Sammon. sub f.* Combusturis igne, vel frigore.

COMBUSTUS, a, um, part. a *comburo*, αἰθαλωτός. *Cic. N. D.* 1, 23. Libri Protagorae in concione combusti. *Cels.* 5, 8. Charta combusta. *Plin.* 20, 3, 8. Succus impositus mire combusta sanat. *Id.* 22, 25, 69. Faba livoribus et combustis medetur. *Scrib. Compos.* 211. Emplastrum ad combustum mirifice facit. ℙ Translate. *Propert.* 2, 30, 29. de Jove: Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io, *h. e.* amore accensus.

COMĒ, ae, f. κώμη, herba eadem quae tragopogon, seu barba hircina. *Plin.* 27, 13, 117. ℙ Est etiam Graece pagus, vicus, κώμη. *Liv.* 38, 12. *in f.* Transgressi Maeandrum ad Hieran comen pervenerunt. Et *ib.* 15. Postero die ad Xylinem, quam vocant, comen posuit castra.

COMĒDO, is, ēdi, esum, et estum, a. 3. φάγω, ἐσθίω, idem quod edo. [*Suet. Aug.* 70. Acclamatumque est postridie, frumentum omne deos comedisse.] *Cic. Brut.* 60. Nisi se suo more jactavisset, hodie te istic muscae comedissent. *Ter. Heaut.* 2, 3, 14. Quid comedent? quid ebibent? ℙ Saepe ponitur pro dilapidare, absumere, dissipare. *Cic. Fam.* 11, 21. Comedere rem familiarem. καταφαγεῖν τὴν οὐσίαν. *Id. Sext.* 52. patrimonium. Et *ib.* 51. bona sua. *Id. Att.* 6, 1. *ad f.* nummos. *Id Fam.* 9, 18. *in f.* Potes mulo isto, quem tibi reliquum dicis esse, cum cantherium comedisti, Romam pervehi. *Id. Phil.* 11, 14. Comedere beneficia alicujus, *h. e.* rem beneficio alicujus acquisitam absumere. Simile est illud *ib.* 13, 2. Veterani suis rebus exhaustis, beneficiis Caesaris devoratis, fortunas nostras concupierunt. *Pl. Pseud.* 4, 7, 6. Luxuriantur, lustrantur, comedunt quod habent. Adde *Trin.* 2, 2, 79. *Hieronym. in Isajam.* 2, 3, 17. Qui carnes agni comesturus est, et celebraturus Pascha. ℙ *Comedere aliquem* est ejus rem consumere. *Ter. Eun.* 5, 9, 57. Hunc comedendum, et deridendum vobis propino. Alii leg. *comedendum*, et ebibendum. Ita etiam legit *Non.* 1, 140. et hoc magis est consentaneum parasito hic loquenti. *Pl. Most* 1, 1, 11. Comedere aliquem absentem. *Id. Pseud.* 4, 7, 25. Jamne illum comesurus es? Adde *Trin.* 1, 2, 65. ℙ Comedere aliquid oculis est avide et cupide aspicere. *Mart.* 9, 60. Inspexit molles pueros, oculisque comedit. Sic *Justin.* 21, 5. devorare oculis. ℙ *Comedim*, *is*, *it* pro *comedam*, *as*, *at* legitur ap. *Pl. Curc.* 4, 4, 4., *Bacch.* 4, 4, 91., *Trin.* 1, 2, 65. et *Truc.* 2, 6, 53. Tribuitur etiam *Cic. Fam.* 9, 20. *in f.* a *Nonio* 2, 114. *P. Victore*, *Lambin.*, *Manut.* [*Orell.*] Alii tamen leg. *comedam*. ℙ Habet varia tempora, et personas alia ratione declinatas. Dicimus enim *comes*, *est* pro *comedis*, *it*, et *comestis* pro *comeditis:* item *comesto* pro *comedito*, et *comessem*, *es*, et pro *comederem*, *es*, et pro *comedissem:* item *comesse* pro *comedere*, et *comedisse*. *Pl. Most.* 1, 1, 11. Sine, venire salvum, quem absentem comes. *Cic. Hort.* ap. *Non.* 2, 98. Qui se ipse comest. *Varr. ib.* Qui pote plus, urget: pisces ut saepe minutos Magnu' comest, ut aves enecat accipiter. *Pl. Truc.* 1, 2, 54. Vos ebibitis et comestis. *Cato R. R.* 156. Ubi coenaveris, comesto aliqua folia. *Cic. Sext.* 51. Usque eo non fuit popularis, ut bona solus comesset. *Mart.* 5, 39. Croeso divitior licet fuissem, Iro pauperior forem, Charine, Si conchen toties meam comesses. (Adde *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 12.) *Cic Fl.* 36. *in f.* Quasi bona comesse Romae non liceret. V. EDO. ℙ *Comesse se* pro curis macerari, tristem esse. *Pl. Truc.* 2, 7, 36. Quisnam illic homo est, qui ipsus se comest, oculis malis, tristis? Animo hercle homo suo est miser, quisquis est. ℙ In illo *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Commanducatur, totum complexa, comestque: videtur obscenus sensus latere, simili ratione, ac *vorare* legitur in *Priap.* 83, 31.

COMĒDO, onis, m. καταφαγάς, qui bona sua comedit, teste *Festo. Varro* ap. *Non.* 2, 189. Quod comedonibus convenit usu, quibus mota voluptate cum edunt, dumtaxat gula gaudet. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 34. Vivite lurcones, comedones vivite ventres.

CŌMĔDUM, bona sua consumentem antiqui dixerunt *Festus.*

COMENSIS, se, adj. ad Comum pertinens: quae est urbs Insubriae ad Larium lacum, condita a Gallis una cum Mediolano, Brixia, et aliis, teste *Just.* 20, 5., instaurata a Pompejo Strabone, aucta colonis primum a C. Scipione, deinde a C. Caesare, ut *Strabo* docet 5., unde Novum Comum est appellata, et ejus incolae Novocomenses apud *Cic. Fam.* 13, 35. Graece Κῶμον, Italice *Como. Liv.* 33, 36. et *Plin.* 2, 103, 106. Comensis ager. ℙ *Comenses*, *ium*, sunt ejus urbis incolae. *Liv. l. c.* *NOVOCOMENSES audiunt *Cic. Fam.* 13, 35. *B. A.*

COMES, itis, m. et f. ἀκόλουθος, proprie est is, qui cum alio iter facit: a *cum*, et *eo*, *is*. Itaque differt a *sodali*, et *socio*, quia socius est, qui una cum alio aliquid possidet, aut curat: sodalis qui cum alio versatur in rebus laetioribus, ut in conviviis, in ludis etc., et maxime pertinet ad adolescentes: item qui est ejusdem collegii. *Comes* igitur minus est, quam *socius*. Nam euntem tantummodo sequitur: *socius* adjuvat. Quamquam haec discrimina non semper servantur. *Cic. Fam.* 13, 71. Et comes meus fuit illo miserrimo tempore, et omnium itinerum, navigationum, laborum, periculorum meorum socius. *Caes. B. C.* 3, 80. Cum se victoriae Pompeji comitem esse mallet, quam socium Caesaris in rebus adversis. *Cic. Font.* 17. Vitae socia virtus, mortis comes gloria fuisset. *Id. Or.* 1, 17. Ars, et doctrina comites ac ministrae sunt oratoris. *Id. Mur.* 6. Tempestivi convivii, amoeni loci, multarum deliciarum comes est extrema, saltatio. *Id. Fam.* 1, 9. *ad f.* Me quidem certe tuarum actionum, sententiarum, voluntatum, rerum denique omnium socium comitemque habebis. *Id. ib. post init.* Praebere se alicui comitem in ulciscendis inimicis. *Id. Amic.* 11. Non enim paruit Ti. Gracchi temeritati, sed praefuit: nec se comitem illius furoris, sed ducem praebuit. *Virg. A.* 6, 778. Addere se comitem alicui *Cic. Att.* 9, 10. Adjungere se comitem fugae alicujus. *Virg. A.* 6, 158. Ire comitem alicui. *Id. ib.* 2, 86. Mittere aliquem comitem alteri. *Ov. Her.* 3, 10. Dare aliquem alicui comitem. Et *ib.* 13, 163. Venire comitem alicui. Et *ib.* 14, 54. esse alicui. [*Sil.* 9, 568. Hasta comes dictis, i. e. statim post verba emittit hastam. Adde *eundem* 4, 134.] *Cic. Verr.* 2, 1, 25. esse alicujus. *Vellej.* 2, 53. Habere aliquem comitem fugae. *Pl. Pseud.* 1, 1, 15. habere consiliis suis. *Quint.* 1, 4. Grammatice necessaria pueris, jucunda senibus, dulcis secretorum comes. *Plin. praef. H. N.* Profiteri se comitem Platonis, *h. e.* sectatorem. ℙ *Comes* cognominatur Hercules in duab. *Inscr.* ap. *Grut.* 45, 7. et 8., et in quindecim apud *Gud.* p. 32. et 33., cui additur saepe *custos*, aut *conservator.* ℙ *Comites magistratuum* ap. *Suet. Caes.* 42. sunt ii, qui magistratus in provincias euntes sequebantur, de quibus in COHORS dictum est. Quo pertinet et illud *Cic. Att.* 8, 1. Hominem certum misi de comitibus meis. Adde *Verr.* 2, 2, 10. et alibi. Hi duplicis erant generis; alii sine certo officio, qui et amici appellabantur; alii alicui muneri addicti. *Hor. Ep.* 1, 8, 1. Celso gaudere, et bene rem gerere Albinovano Musa rogata refer, comiti, scribaeque Neronis. ℙ Ab his videtur initium habuisse, quae procedente tempore orta est, sub imperatoribus, Comitum dignitas, nempe honestiores amici, qui imperatorem assidue comitabantur, praesertim in expeditionibus: de quibus passim mentio fit in *Cod. Justin.* et *Theod.* et apud *Sulpic. Sever. dial.* 1, 20. et in *Vita S. Martini* 20. aliosque medii aevi scriptores. A Graecis quoque eorum temporum Κόμητες, appellantur. Saepe hi ad varia palatina, et provincialia officia, ut munera admoti sunt: quae enumerat *Brisson. de verb. signif.*, *Du Fresne in Glossar.*, *Pitisc. in Lex. Antiquit. Rom.* et alii. V. etiam *cap.* 5. *Indicis Inscriptionum Gruteri.* Luculentum hujus muneris exemplum habetur in *Inscr.* ap. *Morcell. de stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 132. L. Fulvius Plautianus necessarius Augg. (*nempe* Septimii, Severi et Caracallae) et comes per omnes expeditiones eorum. ℙ Olim paedagogi honestiore vocabulo *comites* dicti sunt: pueros enim re vera per urbem comitantur. *Suet. Claud.* 35. Ne cujus comiti, aut librario calamariae, aut graphiariae thecae adimerentur. *Id. Aug.* 98. Thrasyllus Tiberii comes. Adde *Tib.* 12. ℙ Translate. *Plin.* 33, 11, 52. Drusillanus quingenariam lancem habuit, et comites ejus octo octingentarum quinquaginta librarum. *De Comitibus plenius *Gesnerus*, dignus omnino qui hic loci exscribatur. ℙ Ab his provincialium magistratuum comitibus ortum videtur, ut procedente tempore, et ab aetate inde Constantinorum *Comes* generale nomen omnium fere munerum, praefecturarum, curationum fieret. Apparet hoc, si quis vel *antiquam* illam *Notitiam dignitatum Imperii Rom.* vel illam, qua *Jac. Gothofredus* Theodosianum Codicem illustravit, velit percurrere. De praecipuis sunt peculiares tituli in utroque Codice, ut: De Comitibus Consistorianis, de Comitibus et Tribunis scholarum; de Comitibus rei militaris, de Comitibus et Archiatris

Sacri Palatii, de Comitibus qui provincias regunt, de Comitibus artium diversarum. Memorantur praeterea: Comites Aegypti, limitis Aegyptii, rei militaris per Aegyptum, Aerarii utriusque, Africae, et aliarum provinciarum atque urbium. Porro: Arcadiani, Archiatrorum, Auri ad responsum, Cataphractarii, Clibanarii, Commerciorum, Sacri Cubiculi, Dioeceseos Asianae, Dispositionum, Domesticorum, Divinae Domus, Domorum, Equitum, Formarum, Honoriani, Juniores, Largitionum per omnes dioeceses, Largitionum Italicianarum, Largitionum privatarum, Largitionum sacrarum, Limitis Aegyptiaci, Limitum, Litoris Saxonici per Britannias, Metallorum per Illyricum, Militaris rei, Militiae utriusque, Minores, Numerorum, Officiorum, Orientis, Privatarum rerum Domus divinae, Portus, Provinciarum, Rationalis summarum Aegypti, Remunerationum privataram et sacrarum, Rheni, Riparum et alvei Tiberis et Cloacarum, Sagittarii, Seniores, Sacri Stabuli, Theodosiani, Thesaurorum, Titulorum Largitionalium per Africam, Tractus Argentoratensis, Vacantes, Vestiarii, Sacrae Vestis. Hi ex solis quas diximus, Notitiis excerpti, ex Inscriptionibus, et aliis monumentis semiantiquis facile augeri possunt. Sed cum nostri instituti non sint, antiquitatum et historiae collectoribus eos relinquimus: hoc modo observato, *Comites* illos a Constantino M. in *tres ordines*, *primum*, *secundum ac tertium tributos*, principes autem omnium videri *Consistorianos*. V. *Jac. Gothofr.* ad *Tit. Cod. Theod. de Comitibus et Tribunis scholarum*. Omnes autem *Comites* in hoc conveniunt, et ab hoc nomen habent, quod vel socii sunt laborum principis, vel ipsum quocunque modo adjuvant, aut quos honoris causa princeps pro talibus vult haberi. *B. A.* [*Conf. *Ernest. excursurs.* ad *Suet. Tib.* 46.]

COMĒSOR et Comestor, ōris, m. qui comedit, comedo. *Isid. Orig.* 10. Comesor a comedendo satis. Est enim gulae ac ventri immoderate deditus. *Tert. adv. Marc.* 1, 1. Quis tam comesor mus Ponticus, quam qui Euangelia corrosit? *Cajus Dig.* 21, 1, 18. Servus somniculosus, piger, tardus, comesor. Al. leg. *comessator*. ℙ In *Gloss. Philox.* legitur: Comestor, *καταφαγάς*.

COMESSĀTIO } V. COMISSATIO etc.
COMESSOR etc. }

COMESTŪRA, ae, f. actus comedendi. *Cato R. R.* 157. Brassica, quae vocatur *σελινοειδής*, haec septem habet bona in comestura. Ita Aldus A. 1514. At aliae editiones cum Jensoniana: *Quae vocatur septembona in commixturam*. Ex quibus verbis *Catone* indignis quidam Lexicogr. vocem *commixtura*, *h. e.* commixtionem, in Latinitatem invehere conati sunt. Illa vero *Pontedera* in *Antiqu. Lat. Gr.* p. 83. Et *Schneiderus* in *adnotat.* spuria esse putant.

COMESTUS, a, um, part. a *comedo*. *Cato R. R.* 50. Ubi daps profanata, comestaque erat. *Didius*, vel *Didymus* ap. *Diomed.* 1, 382. Comesto patrimonio. *Cic. Cluent.* 62. Venenum celerius potuit comestum, quam epotum in venas permanare. Ita *Prisc.* legit 10, 894., alii vulgo *comesum*. *Val. Max.* 9, 12. *n.* 6. *extern.* Qui cum comestis omnibus supervenisset.

CŌMĒSUS, a, um, part. a *comedo*, de quo participio scribit *Diomed.* 1, 382. ambigi apud veteres, rectiusne sit *comestus*, an *comesus*; sed *comesus* melius esse statuit. Certe frequentius est. *Cato R. R.* 58. Oleae comesae. *Varr. R. R.* 1, 2. *circa med.* Num coena comesa venimus. (proverb. de iis, qui nimis sero et re peracta praesto sunt.) *Pl. Trin.* 2, 4, 5. Comesum, epotum, elotum in balneis. ℙ Translate. *Juv.* 1, 34. Et cito rapturus de nobilitate comesa Quod superest, *h. e.* expilata, bonis multata. *Auct. declamat. in Sallust. sub f.* Patrimonio non comeso, sed devorato.

[CŌMĒSUS, us, m. actus comedendi. *Isid. Orig.* 20, 1. Ab esu, et comesu mensae factum vocabulum. *F.*]

CŌMĒTES, ae, m. *κομήτης*, stella crinita. *Cic. N. D.* 2, 5. Stellis his, quas Graeci cometas, nostri cincinnatas vocant. *Virg. G.* 1, 488. non diri toties arsere cometae. *Plin.* 2, 25, 22. Cometes admodum faustus Augusto. *Id. ib.* 58, 59. Comete illis noctibus flagrante. *Sil.* 8, 638. crine corusco Regnorum eversor rubuit letale cometes. *Luc.* 1, 529. et terris mutantem regna cometen. ℙ Dictus est *cometes* a *κόμη*, hoc est coma, quia late splendorem velut comam fundit. Ideo autem est masculini generis, quia *κομήτης* adjectivum est masculini generis, vel adjective usurpatur, et *ἀστὴρ*, stella, subintelligitur. Idem dicendum de *planeta*. ℙ De variis cometarum generibus multa *Serv.* ad *A.* 10, 272. et *Senec. Q. N.* 15. et *ib.* 7, 6. ℙ Dicitur etiam *sidus cometes*, *stella cometes*. V. dicta in ABROTONITES. *Tac. A.* 14, 22. Inter quae et sidus cometes effulsit. *Id. ib.* 15, 47. Sidus cometes sanguine illustri semper Neroni expiatum. *Just.* 37, 2. Stella cometes septuaginta diebus ita luxit, ut etc. ℙ Latina positione in singulari. *Prud. Cathem.* 12, 21. Tristis cometa intercidat. *Manil.* 1, 824. fulgente cometa. *Senec. Octav.* 232. Cometam pandere infestam facem. ℙ *Cometes* fuit etiam pater Asterionis, unus ex Argonautis *Val. Fl.* 1, 356. celer Asterion, quem matre cadentem Cristatus gemino fovit pater amne Cometes.

COMĪCE, adv. comicorum more. *Cic. Or.* 3, 8. Res tragicas comice, tristes remisse tractare. Adde *Senec. ep.* 100. *ad f.*

COMĪCUS, a, um, adj. *κωμικὸς*, *κωμῳδικὸς*, ad comoediam pertinens. *Cic. Rosc. Com.* 10. Nemo illum ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico aestimabat. *Hor. A. P.* 89. Versibus exponi tragicis res comica non vult. [*Quint. Inst.* 11, 3. p. 1026. Qui tamen comicus magis, quam oratorius gestus est.] ℙ Saepe comici dicuntur qui in comoediis inducuntur. *Cic. Rosc. Am.* 16. Adolescens comicus. *Hor. Sat.* 2, 5, 91. Davus comicus. *Caecil.* ap. *Cic. Senect.* 11. et *Amic.* 26. Comici stulti senes. ℙ *Comici poetae*, qui et *comici* absolute, sunt comoediarum scriptores. *Cic. Or.* 20. Apud comicos poetas, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis. *Id. ib.* 55. Comicorum senarii propter similitudinem sermonis: sic saepe sunt abjecti, ut etc. ℙ *Comicae scenae* aedificiorum privatorum et maenianorum habent speciem, perfectusque fenestris dispositos imitatione communium aedificiorum rationibus. *Vitr.* 5, 8. *Aurum comicum* sunt lupini, quibus pro pecunia in comoediis utuntur. *Pl. Poen.* 3, 2, 20. Agite, inspicite: aurum est. *Co.* profecto, spectatores, comicum: macerato hoc pinguefiunt auro in Barbaria boves. ℙ *Comici actores*, qui et *comici* absolute, sunt comoedi, seu histriones, qui comoedias agunt. *Quint.* 2, 10. Quod faciunt auctores comici, qui etc. *Pl. Poen.* 3, 2, 4. Condoctior sum, quam tragoedi, aut comici. *Inscr.* ap. *Grut.* 1089, 6. L. Acilio L. F. Pompt. Eutychae comico primo sui temporis etc. ℙ *Comicae personae* ap. *Plin.* 25, 11, 88. sunt quibus comici in scena utuntur. ℙ *Comicum balneum* ap. *Tert. Anim.* 50. Quod hoc Menandri (haeretici) balneum (baptismo substistutum) comicum credo, *h. e.* ficticium, et Menandro poeta comico dignum.

*COMILLOMĀGUS vel *Comillomagum*, *i*, oppidum Liguriae. *Ant. Itin. B. A.*

CŌMĪNIĀNUS et Cominius, a, um, adj. ad duplex Cominium pertinens, quorum unum fuit oppidum Samnii, quod Cominium Ceritum appellatur a *Liv.* 25, 14., prope Beneventum, cui nunc nomen *Cerreto*, vel *Cerito;* alterum in Volscis haud longe a lacu Fucino, ubi nunc *Alcito*, cujus meminit *Id.* 10, 39. et alibi. Hinc profecto cognominata videtur olea, quae perperam *Colminiana* vocatur in editionibus apud *Caton. R. R.* 6., *Culminiana* a *Colum.* 12, 49., *Colminia* a *Varr. R. R.* 1, 24. et *Culminea* a *Colum. l. c.* Itaque ubique *Cominiana*, ut apud *Plin.* 15, 5, 6., vel *Cominia* legendum, ut est apud *eund.* 15, 3, 4. et *Pallad.* 3, 18.: quemadmodum et gens *Cominia*, cujus saepissime in veteribus inscriptionibus, et apud scriptores Latinos mentio est, et praecipue ap. *Catull.* 108. in *Cominium*. Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus etc.

COMĪNIUM. V. v. praec.

*COMĪNIUS, i, m. nomen propr. Rom. ut Q. Cominius, eques Romanus, probrosi in Tiberium carminis convictus; quem postea Caesar precibus fratris, qui Senator erat, concessit. *Tac. A.* 4, 31. ℙ Item senex quidam, impuris moribus spurcatus, ut ait *Catull.* 106. (al. 108.) *B. A.*

CŌMĪNUS, adv. *ἐγγύθεν*, prope, ex propinquo loco. Videtur esse a *cum*, et *manus*, (unde et *comminus* multi scribunt cum *Dausq.*, quod non est improbandum: invenitur enim in multis optimis libris) quia *cominus ferire aliquem* est gladio, vel alio quopiam telo manu stricto ferire: sicut *ferire eminus*, emisso *e manu* telo percutere. *Cic. Senect.* 6, Nec enim excursione, nec saltu, nec eminus hastis, aut cominus gladiis uteretur. *Ov. Met.* 3, 118. de fratribus unum Cominus ense ferit: jaculo cadit eminus ipse. *Liv.* 44, 35. Missilibus procul regia auxilia melius pugnabant: cominus stabilior, et tutior parma, aut scuto Romanus erat. *Cic. Div.* 2, 10. *in f.* Sed haec fuerit nobis, tanquam levis armaturae, prima orationis excursio: nunc cominus agamus. *Id. Balb.* 9. Pugnare cominus in acie cum hoste. *Ov. Met.* 12, 482. Cominus aggredi aliquem. *Id. Fast.* 5, 175. ire in aliquem. Et *Liv. l. c.* gladio rem gerere. *Cic. Tusc.* 4, 42. Video utrumque cominus ictu cecidisse contrario. *Id. Att.* 2, 2. Qui me epistola petivit, ad te, ut video, cominus accessit. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 10. Cominus insidiari alicui. *Catull.* 64, 108. Quercus radicibus exturbata Prona cadit, lateque, et cominus obvia frangit, *h. e.* prope et longe. *Plin.* 5, 9, 10. Sole cominus facto, *h. e.* propius accedente. *Tac. A.* 12, 12. Cominus petere Mesopotamiam. *Plin.* 11, 42, 97. judicare aliquid. *Ov. Pont.* 1, 5, 74. aspicere aliquem. *Tac. H.* 1, 41. videre aliquid. *Pompon. Dig.* 13, 7, 3. recipere pecuniam a debitore. *Gell.* 13, 8. Exerceri in rebus cominus noscendis, periclitandisque. ℙ Videtur regere aliquando accusativum, vel dativum. *Propert.* 2, 15, 22. Aut celer agrestes cominus ire sues. *Id.* 3, 1, 26. Fluminaque Aemonio cominus isse viro. ℙ Inter *cominus*, et *prope* hoc interest, quod *cominus* semper refertur ad motum, aut actionem aliquam; *prope* non semper. Quare dicimus *prope esse*, *prope sedere*, non *cominus esse*, aut *sedere*. Hoc tamen discrimen perpetuum non est. *Lucret.* 4, 1043. illam Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu; Et si cominus est, hostem ruber occupat humor. *Val. Flacc.* 5, 583. Comminus arma semper habere. ℙ Aliquando refertur ad tempus, et significat statim, sine intermissione. Ita enim exponit *Serv.* in illo *G.* 1, 104. jacto qui semine cominus arva Insequitur. Addit *Serv.* hunc significatum in Gallia Cisalpina frequentissimum esse, atque ibi vulgo dici: *vade ad eum*, *sed cominus:* unde videri *Virgilium* hoc in loco patriam consuetudinem secutum esse. Huc pertinere videtur et illud *Venuleji Dig.* 45, 1, 137. Continuus actus stipulantis, et promittentis esse debet, ut tamen aliquod momentum naturae intervenire possit: et cominus responderi stipulanti oportet. Alii exponunt, coram, in praesentia. ℙ Comp. *Cominius* usurpavit *Tertull. Carn. Christi* 21. Accedant adhuc cominius ad congressum.

COMIS, e, adj. *εὐπροσήγορος*, *χρηστὸς*, qui in omni actione et sermone facilem se praebet, benignus, humanus, civilis, commodus. *Cic. Balb.* 16. Comes, benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur, *qui erranti comiter monstrant viam* (quae verba sunt *Ennii*, teste *eod. Offic.* 1, 16.) benigne, non gravate. *Id. Senect.* 17. Comem atque humanum esse erga aliquem in omnibus rebus. *Hor. Ep.* 2, 2, 133. Comem esse in aliquem. *Tac. A.* 22. alicui. *Cic. Fin.* 2, 25. Bonum virum, comem, et humanum esse. *Id. Mur.* 31. Quemquamne existimas Catone commodiorem, comiorem, moderatiorem fuisse? *Suet. Vesp.* 22. Super coenam autem, et semper alias comissimus. Al. leg. *communissimus*. *Appul. Met.* 11. Senex comissimus. *Nep. Dion.* 1. Ingenium docile, come, aptum ad artes optimas. *Tac. A.* 14, 48. Comis sermo, et congressus. *Ter. Heaut.* 5, 1, 39. Comi et leni animo esse. *Liv.* 9, 36. Comi hospitio accipere aliquem. *Ov. A. Am.* 3, 510. Comibus est oculis alliciendus amor. ℙ Speciatim dicitur de eo, qui facile dat. *Pl. Trin.* 2, 1, 24. Fit ipse, dum illis comis est, inops amator. ℙ Item de eo, qui munditiarum et elegantiae studiosus est. *Plin.* 35, 4, 10. Tiberius Caesar, minime comis imperator. ℙ *Varr. L. L.* 6, 5. deducit originem a Graeco *κῶμος*, quod significat comissationem, hilaritatem, lasciviam: ut *comis* proprie sit hilaris, lascivus, facetus. Quo nonnulli trahunt illud *Hor. Sat.* 1, 10, 41. comis garrire libellos Unus vivorum, Fundani, *h. e.* festive, hilariter, ac lascive libellos conscribere. Alii tamen leg. *comes garrire libellos*. [*Commutantur *Comis* et *communis*. V. *Drakenh.* ad *Liv.* 25, 12, 9. et quos laudat. Adde *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 8, 5. et quos laudat. De discrimine inter *Comis* et *Communis* V. in Communis.]

COMISSĀBUNDUS, a, um, adj. *κωμαστὴς*, qui comissationibus indulget. *Liv.* 9, 17. *in f.* Temulento agmine comissabundus per Indiam incessit. *Plin.* 21, 3, 6. Juvenes comissabundi. ℙ De ratione scribendi V. COMISSOR.

COMISSĀLITER, adv. hilare, per comissationem. *Sidon. ep.* 1, 5. Cantatas saepe comissaliter nobis Phaethontiadas risi.

COMISSĀTIO, onis, f. *κῶμος*, proprie est epulum, quod post coenam fit: in quo differt a *convivio*, quod justa coena est, et idoneo tempore initur. *Liv.* 40, 13. Lusus, convivium, comissatio. *Id.* 1, 57. Conviviis comissationibusque otium terere. *Cic. Coel.* 15. Convivia, comissationes, cantus, symphoniae. *Suet. Vitell.* 13. Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat: in jentacula, et prandia, et coenas comisationesque. *Id. Tit.* 7. Ad mediam noctem comissationes extendere. *Senec. Consol. ad Helv.* 10. Ingens vectigal singulis comissationibus exsorbere. *Id. Benef.* 6, 32. Pererrare civitatem nocturnis comissationibus. *Mart.* 12, 48. Non Albana mihi sit comissatio tanti. ℙ *Comissatio tempestatis*, et *tempestas comissationis* duae sunt translationes, quarum primam, ut minus significantem, alteram ut nimis, improbat *Cic. Or.* 3, 41. ℙ De ratione scribendi V. COMISSOR.

CŌMISSĀTOR, oris, m. *κωμαστὴς*, qui comissationibus, atque imtempestivis conviviis interest. Differt a *conviva*, qui justae coenae tempus non praegreditur. *Liv.* 40, 9. *ad f.* Convivam me tibi committere non sum ausus: comissatorem te cum armatis venientem recipiam? *Cic. Coel.* 28. Alia fori vis est, alia triclinii: non idem judicum, comissatorumque conspectus. *Ter. Ad.* 5, 2, 8. Commodus comissator. ℙ Translate. *Mart.* 5, 16. At nunc conviva est comissatorque libellus, *h. e.* interest, et legitur in conviviis et comissationibus. *Cic. Att.* 1, 16. Nostri isti comissatores conjurationis barbatuli juvenes, *h. e.* consortes et socii conjurationis Catilinariae, quae per comissationes inita fuit. ℙ De orthographia V. vocem sequent.

COMISSOR, aris, atus sum, dep. 1. κωμάζω, proprie significat post coenam rursus comedere: sed ponitur etiam universim pro intempestiva convivia celebrare, epulis ultra modum indulgere. *Suet. Dom.* 21. Convivabatur frequenter ac large, sed paene raptim: certe non ultra solis occasum, nec ut postea comissaretur. *Liv.* 40, 7. Quin comissatum ad fratrem imus? *Hor. Od.* 4, 1, 10. Tempestivius comissari. [*Comp. *Bentl.* ad h. l. *Theocr.* 3, 1. *Κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα.*] *Ter. Eun.* 3, 1, 52. Introducere aliquem comissatum. ℙ Varia est in hac voce tum de origine, tum de orthographia opinio. Alii derivant a verbo Gr. allato, vel a κῶμος, a quo illud deducitur: alii a *comesum:* alii usque ab Hebraea lingua etymologiam ducendam putant. Scribi volunt alii *comessor*, alii *commissor*: sunt etiam quibus placet *comassor*. Sed comissor, comissatio, etc. et pluribus arridet (*Manutio*, *Voss.*, *Dausq.*, *Cellario*, et aliis) et plures habet veteres libros, ac lapides, quibus confirmatur. ℙ Part. *Comissans* ap. *Petr. Sat.* 23. Adjuvit hilaritatem comissantis cymbalistria. Adde *Suet. Cal.* 32.

COMITĀBĪLIS, le, adj. qui comitatur. *Paul. Nolan.* 10, 298. Ipse obit, atque illi suus est comitabilis error.

COMITAS, atis, f. εὐπροσηγορία, benignitas, facilitas, lenitas, affabilitas. [*Artigkeit.] *Cic. Senect.* 4. Erat in illo viro comitate condita gravitas. *Id. Brut.* 40. Crassus in summa comitate habebat etiam severitatis satis: Scaevolae multa in severitate non deerat tamen comitas. *Id. Mur.* 31, *in f.* Si illius comitatem et facilitatem tuae gravitati severitatique asperseris. *Id. Invent.* 2, 54. Animos temere concitatos comitate retinere. *Id. Off.* 2, 14. Comitas affabilitasque sermonis maxime conciliat animos hominum. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 2. Ego nugas maximas omni mea comitate sum complexus. *Tac. A.* 2, 72. Tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes. *Id. ib.* 1, 29. Comitate permulcere milites. *Id. ib.* 71. Lenire comitate memoriam cladis. *Id. Hist.* 1, 63. Omni comitate excipere aliquem. *Id. Agr.* 16. Comitate curandi provinciam tenuit. *Pl. Mil.* 2, 1, 1. Mihi ad enarrandum hoc argumentum est comitas, *h. e.* facilis et paratus sum ad enarrandum. ℙ Speciatim sumitur pro facilitate largiendi. *Pl. Trin.* 2, 2, 49. *Ph.* Habuitne rem? *Ly.* habuit. *Ph.* qui eam perdidit? *Ly.* per comitatem aedepol, pater. *Id. ib.* 75. Comitati esse alicui, *h. e.* liberalitatem exercere in aliquem. *Id. Rud. prol.* 38. Rem bene partam comitate perdere. *Suet. Oth.* 3. Die, quem Nero necandae matri destinarat, ad avertendas suspiciones coenam utrique exquisitissimae comitatis dedit, *h. e.* summa impensa omnibus lautitiis, et luxu affluentem.

COMĪTĀTENSIS, se, adj. ad comitatum pertinens, hoc est ad dignitatem et munus comitum. *Impp. Constant. et Const. Cod. Theod.* 12, 1, 38. Comitatense munus subire. *Ammian.* 18, 4. Comitatensis fabrica, *h. e.* machinatio, calumniosa delatio comitum aulicorum. *Impp. Theodos. et Honor. Cod.* 12, 36, 14. Comitatensis legio. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 7, 20, 4. Comitatenses milites. Hos *Salm.* ad *Vopisc. Prob.* 14. docet, esse milites legionarios, qui castra habebant ad limites imperii custodiae causa: et differre a *ripensibus*, et *limitaneis*, qui extra castra in ipsis limitibus, et ripis fluminum degebant.

COMĪTĀTUS, a, um, part. v. *comitor*, παραπέμπων, qui se comitem praebuit. *Caes. B. G.* 6, 7. Qui defectionis auctores fuerant, comitati eos, ex civitate excessere. *Gell.* 4, 18. Concio Scipionem in Capitolium comitata. ℙ Passive significat eum, qui comitem habet, παραπεμφθείς, παρηκολουθημένος. *Cic. Coel.* 14. Mulier alienis viris comitata. *Id. Dom.* 28. *ad f.* Quo die me populus Rom. a porta in Capitolium, atque inde domum sua celebritate laetitiaque comitatum honestavit. *Id. Cat.* 2, 2. *ad f.* Parum comitatus ex Urbe exivit. *Id. Phil.* 12, 10. *in f.* Aggredi aliquem bene comitatum. *Id. Tusc.* 5, 39. Cum quidam quaereret, quid ei caecitas attulisset, respondit, puero ut uno esset comitatior. *Ov. Am.* 1, 6, 33. Militibus et armis comitatus. *Tibull.* 3, 2, 13. Comitatus dolore. *Plin.* 21, 11, 38. Gladiolus comitatus hyacinthis.

COMĪTĀTUS, us, m. ἀκολουθία, comitum multitudo. *Cic. Cat.* 3, 2. *ad f.* Cum jam pontem Milvium cum magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent. *Id. Fam.* 6, 19. Si modo tecti satis est ad comitatum nostrum recipiendum. *Caes. B. C.* 3, 96. Nocturno itinere non intermisso, comitatu equitum triginta ad mare pervenit. [*Plin. *Pan.* 20, 3. Comitatus accinctus, i. e. expeditus, sine multis impedimentis, nec adeo haerens cum incommodo provincialium. *Gierig. Curt.* 4, 12. Alexander, corpori uxoris ejus justis persolutis, omnique graviore comitatu intra eadem munimenta cum modico praesidio relicto, ad hostem contendit. ℙ Pertinet etiam ad clientes, amicos, servos, quorum turba nobiles Romanos non solum in itinere, sed in ipsa urbe sequi solebat. *Suet. Oth.* 6. (de Othone seditionem contra Galbam movente) a praesente comitatu imperator consalutatus. *Tac. A.* 11, 12. Illa (Messalina) non furtim, sed multo comitatu ventitare domum. — De comitibus Deorum e coelo in terram descendentium. *Virg. A.* 12, 336. Circumque atrae Formidinis ora, Iraeque Insidiaeque, dei comitatus, aguntur.] *Quint. Decl.* 5, 13. *ad f.* Convictibus, et comitatibus laetari. ℙ Dicitur etiam de turba hominum simul iter facientium, quo tutiores sint ad latrones et alia viarum pericula. *Caes. B. C.* 1, 51. Nunciatur Afranio, magnos comitatus, qui iter habebant ad Caesarem, ad flumen constitisse. V. ibi reliqua. Adde *ib.* 48. et 54. [*Caravane.] *Plin.* 6, 13, 15. Comitatus rerum Alexandri Magni, *h. e.* comites expeditionum, et rerum gestarum Alexandri. *Id.* 30, 1, 2. Osthanes exornatus comitatu Alexandri, *h. e.* eo honore decoratus, ut allegeretur inter comites et amicos Alexandri in ejus expeditionibus. [*Suet. Tib.* 6. Flamma repente e silvis undique exorta, adeoque omnem comitatum circumplexa.] ℙ Apud inferioris aevi scriptores *comitatus* accipitur pro comitibus aulae principis, et pro ipsa aula. *Macer Dig.* 49, 16, 13., *Auson. ep.* 17., *Symmach. ep.* 9, 8., *Augustin. ep.* 129. et *Sulpic. Secer. Dial.* 2, 5. [*Tac. *A.* 13, 46. Dejicitur familiaritate sueta, post congressu et comitatu, Otho. ℙ Dicitur etiam de animalibus. *Tac. A.* 6, 28. Multo ceterarum volucrum comitatu.] ℙ Translate. *Cic. Parad.* 2, 1. Animus tot virtutum praesidio, tantoque comitatu, cum corpus ejus caperetur, capi certe ipse non potuit. *Plin.* 17, 23, 25. *n.* 16. Traduces virgultorum comitatu obiter rigorati, qua deficiunt. *Id.* 15, 13, 12. Pruna hordearia appellata, a comitatu frugis ejus, *h. e.* quia simul cum hordeo maturescunt. *Id.* 18, 29, 69. *n.* 2. Comitatus utriusque causae. ℙ *Comitatus* alio sensu V. in COMITIATUS, us.

COMĪTER, adv. φιλοφρόνως, εὐμενῶς, benigne, hilare, lubenter, facile, libenti animo. *Cic. Balb.* 16. Comiter, benigne, non gravate. *Id. Phil.* 13, 2. *in f.* Salutare benigne, comiter appellare unumquemque. *Enn.* ap. *eund. Off.* 1, 16. Erranti comiter viam monstrare. *Id.* ap. *Gell.* 12, 4. impertiri aliquid. *Cic. Att.* 3, 15. *ad f.* consolari aliquem. *Ter. Phorm.* 3, 3, 4. aliquem adjuvare. *Gell.* 13, 4. Sensim et comiter admonere aliquem. *Pl. Mil.* 3, 3, 64. Datne ab se *mulier* operam? *Pa.* lepidissime, et comissime. *Tac. H.* 1, 13. *ad f.* Comiter administrare provinciam. [*Id. A.* 1, 76. Comiter interesse spectaculo (de Augusto). *Id. ib.* 13, 54. Quod comiter a visentibus exceptum, quasi impetus antiqui et bona aemulatione, i. e. in bonam partem acceptum (*es ward gut aufgenommen*)]. *Liv.* 1, 22. celebrare convivium, *h. e.* libenter, jucunde, hilare. Sic *Cic. Dejot.* 7. Comiter et jucunde esse in convivio. [*Liv. 23, 33. Hostes pro hospitibus comiter accepit. Adde *Tac. A.* 12, 51. *Oc. Fast.* 2, 788. Comiter excipitur.] ℙ *Comiter servare majestatem populi R.*, quod legitur in quodam foedere ap. *Cic. Balb.* 16., est libenter, non gravate. *Cicero* ibi reprehendit eos, qui illud *comiter* dicebant esse *communiter*. Formula erat: *majestatem populi R. comiter conservanto:* et adjiciebatur tantummodo in iis foederibus, in quibus alter populus inferior erat, et non aequo jure in amicitiam veniebat, uti docet *Procul. Dig.* 49, 15, 7., ubi *Haloander* quidem habet *communiter:* at *Torrentin. comiter*, quod rectius profecto est, ut ex hoc *Ciceronis* loco apparet. Eadem illa formula legitur etiam ap. *Liv.* 38, 11., sed pro *comiter* habetur *sine dolo malo*. Ex quo etiam intelligitur, *communiter* hic locum non habere. ℙ Eandem significationem τοῦ libenter, prompte, non gravate, habet in carmine illo ap. *Liv.* 25, 12. et *Macr. Sat.* 1, 17. Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant. Al. tamen hic quoque leg. *communiter*. ℙ *Comiter habitare* ap. *Plin.* 17, 1, 1. est eleganter, splendide. Haec notio inde oritur, quod *comis* dicitur etiam, qui sumptus non extimescit; et *comitas* liberalitatem quoque et prodigendi facilitatem adsignificat, ut suis locis dictum est.

COMĪTĬA, orum, n. plur. ἀρχαιρέσια, populi universi conventus ferendorum suffragiorum causa: ab antiquo *comeo* pro *coeo*. ℙ Comitiorum tria erant genera, curiata, centuriata, tributa; de quibus V. suis loc. ℙ Ex Comitiis rursus alia erant consularia, alia praetoria, alia aedilicia, alia quaestoria, alia tribunicia etc., quibus scilicet consules, praetores, aediles, quaestores, tribuni creabantur. Apud *Liv.* 1, 35. *Comitia creando regi*, etiam legas. ℙ Locus comitiorum curiatorum non erat nisi intra pomoerium, *scil.* in comitio. Centuriata comitia habebantur in loco quidem inaugurato, sed extra pomoerium, *scil.* in Campo Martio. Tributis comitiis non erat unus destinatus locus, sed modo intra, modo extra Urbem convocabantur, interdum in Campo Martio, nonnunquam in Capitolio, aliquando in Circo Flaminio. *Cic. Rabir. perd.* 4. Qui in Campo Martio comitiis centuriatis, auspicato in loco, crucem ad civium suppli-cium defigi jubes. *Id. Att.* 4, 1. Legem ferre comitiis centuriatis. *Id. Fam.* 7, 30. Comitiis quaestoriis institutis. *Liv.* 40, 59. Edicere comitia. *Varr. L. L.* 5. *sub f.* Vocare populum ad comitia. *Liv.* 3, 19. Comitia consulis subrogandi. *Id.* 1, 35. Comitia regi creando fieri. *Id. ib.* 34. Indicere comitia creandis decemviris. *Cic. ad f.* Habere comitia consularia. *Id. Leg. Verr.* 1, 6. Facere comitia consularia. *Id.* 3, 19. Comitia illa gesta sunt armis civilibus. *Id. Verr.* 2, 2, 52. Venire ad comitia. *Id. Att.* 1, 4. Obire comitia alicujus, *h. e.* comitiis interesse, quibus aliquis magistratum petit. *Id. ib.* 10. Comitiis alicujus adesse. *Capitol. Anton. Phil.* 10. Interesse comitiis. [*Cic. Att.* 3, 14. Comitia sunt absoluta. *Id. Mil.* 9. Tota comitia suis humeris sustinet. *Id. Fam.* 10, 26. Confecta comitia. *ib.* in f. Comitia in Januarium mensem protendimus. *Id. Q. Fr.* 2, 13. Putantur detrudi comitia in Mensem Martium.] ℙ *Habere comitia* dicitur is, qui comitia indicit, iisque praeest, ut dictator, vel consules alter ambove, vel pontifex maximus. Ejus id erat jus, ut haberet et accipiendi, et rejiciendi petentium nomina facultatem. *Cic. Att* 4, 2. *ad f.* Si comitia censorum proximi consules haberent. *L. Piso* ap. *Gell.* 6, 9. Eum aedilem curulem renunciaverunt; at aedilis, qui comitia habebat, negat accipere etc. ℙ *Comitia flagrantia* dixit *Plin. praef. H. N.*, *h. e.* in quibus magna est candidatorum contentio, et ardet ambitus, ut *Cic.* loquitur *Att.* 4, 15. *a med.* [*Comitia etiam sub imperatoribus habebantur, sed dicis causa; nihil enim ibi praeter Caesaris voluntatem fiebat.] ℙ Translate, et joculariter. *Pl. Aul.* 4, 7, 20. Ibo intus, ubi de meo capite sunt comitia, *h. e.* ubi de fama, et salute mea agitur. *Id. Ps.* 4, 7, 134. Pseudolus mihi centuriata habuit capitis comitia. *Id. Truc.* 4, 3, 45. Meo illic nunc fiunt capiti comitia. ℙ Ponuntur etiam a *Livio* comitia de populo a tribunis in forum advocato ad legem perferendam, 3, 17. Tantum hostium est in arce supra forum curiamque: comitia interim in foro sunt, senatus in curia est: senator sententiam dicit: alii Quirites suffragium ineunt.

[COMĪTIAE, arum, f. plur. idem ac comitia, orum. *Inscr.* optimae notae ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 43. Et improbae comitiae factae fuerunt in Aventino. *F.*]

COMĪTĬĀLIS, le, adj. ad comitia pertinens, ἀρχαιρεσιακός. *Dies comitiales* sunt, quibus comitia habentur, vel haberi possunt. *Cic. Q. Fr.* 2, 2. Consecuti sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat. *Caes. B. C.* 1, 5. Comitiale biduum. *Vopisc. Tac.* 7. Comitiale tribunal, *h. e.* in comitiis positum. ℙ *Comitiales dies* erant in numero dierum fasturum: ab iis tamen differebant. Non enim quicumque comitiales, iidem et fasti; sed tunc solummodo, quando agi cum populo, et comitiorum conventus haberi non poterat, et licebat; tunc, inquam, dies comitialis etiam fastus dies erat, et praetorem adire quivis permittebatur. Quod si die comitiali comitia haberentur, eo die neque adiri praetor, neque senatus haberi poterat. Itaque dies comitiales casu tantummodo fasti erant, non natura. Hac ratione intelligendum est illud *Macr. Sat.* 1, 16. Comitiales sunt, quibus cum populo agi licet: et fastis quidem lege agi potest, cum populo non potest: comitialibus utrumque potest. ℙ Hujusmodi dies signantur in Calendario littera *C*, fueruntque toto anno CLXXXIV. *Manut. de veter. dier. rat.* ℙ *Comitialis mensis*, in quo comitia habentur. *Cic. Verr.* 2, 2, 52. ℙ In illo *Pl. Poen.* 3, 2, 6. Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos. Nam istorum nullus nefastus est, comitiales sunt meri: *comitiales homines* dici videntur homines litigiosi, atque adeo facile perjuri ac mendaces, qui assidue in comitio versantur, parati semper ad alterum circumveniendum perjuriis, dolis, fallaciis, nulla habita fastorum, aut nefastorum dierum ratione. Hujusmodi autem hominum magnam semper copiam in comitio fuisse, ostendit et illud *ejusdem in Curc.* 4, 1, 9. Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium: qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinae sacrum etc. ℙ *Comitialis morbus*, qui et major, et sacer morbus dicitur, ἐπιληψία, est, quo homo subito concidit, ex ore spumae moventur: deinde interposito tempore ad se redit, et per se ipsum consurgit. Modo cum distentione membrorum, aut nervorum prolabitur aliquis, modo sine illa. Ita *Cels.* 3, 23. describit. Ratio appellationis est, quia si quis forte ipso comitiorum tempore illo corriperetur, comitia dissolvi, ac in alium diem differri necesse erat, ut ex *Festo* in *Prohibere*, et ex *Seren. Samm.* discimus. *Cels.* 2, 8. Comitialis morbus ante pubertatem ortus, non aegre finitur. *Senec. Ira* 3, 7. Comitiali vitio corripi. ℙ Hinc *comitiales* dicuntur, qui eo morbo laborant. *Plin.* 20, 11, 44. Comitiales fiunt, qui ubera hauriunt ab apii cibo. *Id.* 32, 4, 14. Fel testudinum naribus illitum comitiales erigit, attollitque. Adde 28, 7, 23. et 32, 9, 37.

COMĪTĬĀLĪTER, adv. ἐπιληπτικῶς, ex morbo

comitiali. *Plin.* 22, 21, 29. Folia heliotropii contractionibus medentur, etiamsi id comitialiter accidat.

[*COMĪTIĀNUS, i, m. ad comites pertinens. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 127. *c.* 3. M. Appulejus Comitianus. ℙ Ad Comites pertinens, ut *officium* comitianum, i. e. comitum rei militaris, ap. *Cod. Just.* 1, 46, 2. ℙ Hinc *Comitiani, orum*, sunt officiales Comitis Orientis, quorum mentio in *Cod. Theod.* 8, 4, 18. *F.* et *B. A.*]

COMĪTIĀRĬUS, a, um, adj. qui est in modum comitiorum. *Liv.* 23, 16. In hac comitiaria exercituum statione. Sed meliores libri hab. *quotidiana.*

COMĪTIĀTUS, a, um, adj. *Ascon. in Verr.* 1, 10. Tribunorum militarium duo sunt genera. Primum eorum, qui *rufuli* dicuntur: hi in exercitu creari solent: alii sunt *comitiati*, qui Romae comitiis designantur. Hi passim in inscriptionibus vocantur *Tribuni militum a populo, trib. mil. a. p.* ℙ Addunt quidam et *Cic.* locum *Att.* 4, 15., sed is locus dubius est.

COMĪTIĀTUS, us, m. populi ad comitia habenda congregatio. *Cic. Leg.* 3, 19. Altera de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat. *Id. ib.* 12. Omnibus magistratibus auspicia dantur, ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent morae. *Messala* ap. *Gell.* 13, 15. Consul ab omnibus magistratibus et comitiatum, et concionem avocare potest. *Varr. L. L.* 4, 16. *extr.* Classicines, qui cornu canunt, cum classes comitiis ad comitiatum vocant. Al. leg. *ad comitatum, h. e.* ad coitionem, seu conventum, ut sit a *comito, as*, frequentativo a *comeo* pro *coeo.*

[COMĪTILLA, ae, f. diminut. comitis. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 631, 8. Primula Comitilla. *F.*]

COMĪTĬO, as, n. l. est sacrificium in comitio facere. *Festus* in *Quando:* Quando rex comitiavit, fas. Sic notatum esse diem in Fastis in honorem regis sacrorum ajunt qui de feriis menstruis scripserunt, quae nonis *Februar.* in Curia a rege *(sacrorum)* dicuntur. Eae vero a multis scriptoribus traditae sunt. Nam quo die rex in comitium venit, ejus pars anterior nefas habetur: contra autem posterior fas: quia sacris peractis inde abit. Quod si quis alius pro rege eo die in comitio fecerit, puta pontifex, tunc hic dies totus est nefastus. Haec *Festus:* cujus verba perperam intellexisse videtur *Paulus Diac.* ita eum locum more suo in pauca redigens: Quando rex comitiavit, fas, in Fastis notari solet: et hoc videtur significare: quando rex sacrificulus, divinis rebus perfectis, in comitium venit. Refellit hanc *Pauli* explicationem etiam locus *Varr. L. L.* 5, 4. ex emendatione *Scaligeri:* Dies, qui vocatur, Quando rex comitiavit, fas: dictus ab eo, quod eo die rex sacrificulus itat ad comitium: ad quod tempus est nefas: ab eo fas. Itaque post id tempus lege actum saepe. Haec *Varro:* ubi pro *itat* alii legebant *dicat*, nulla sententia. Porro is dies, *Quando rex comitiavit*, notabatur in Fastis, *Q. Rex C. F.* vel *Q. R. C. F.*

COMĪTĬUM, ii, n. locus Romae in foro juxta Curiam, ubi causae disceptabantur, et comitia curiata habebantur: a *comeundo*, hoc est coeundo, et conveniendo: quod ibi populus coiret. Multis annis tecto caruit: unde ob tempestatem saepe comitia dissolvebantur: deinde circa Annibalis in Italiam adventum, tecto munitum fuit, ut *Liv.* 27, 36. narrat. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 22. Comitium locus propter senatum, quo coire equitibus, et populo R. licet. *Varr. L. L.* 4, 32. *a med.* Comitium ab eo, quod coibant eo comitiis curiatis, et litium causa. *Pl. Curc.* 4, 1, 9. Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium. *Cic. Brut.* 84. In comitium veniant, ad stantem judicem dicant. ℙ Per metonymiam sumitur pro ipsis hominibus in comitio congregatis. *Festus* in *Incomitiare:* Incomitiare significat tale convicium facere, pro quo necesse sit in comitium, hoc est in conventum venire. ℙ In comitio sumebantur etiam supplicia de sontibus. *Plin. ep.* 4, 11. Celer eques R. cum in comitio virgis caederetur. Et *mox.* Si comitium et virgas pati nollet, ad confessionem confugeret. *Liv.* 22, 57. L. Cantilius eo usque virgis in comitio caesus erat, ut etc. [*Adde *Suet. Dom.* 8. — *Liv.* 40, 29. Praetor se jusjurandum dare paratum esse ajebat, libros eos legi servarique non oportere. — Libri in comitio, igne a victimariis facto, in conspectu populi cremati sunt. *Tac. Agr.* 2. Delegato Triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. ℙ Solebant etiam in comitio publicari, quae invisitata, dignaque cognitu advecta essent. *Suet. Aug.* 43. Anguem quinquaginta cubitorum, pro Comitio.] ℙ Extra Romam. *Nep. Agesil.* 4. Si privatus in comitio esset Spartae. ℙ Durae sunt illae translationes *Appul. Apol.* Impensius cetero corpore os colendum, quod est animi vestibulum, et orationis janua, et cogitationum comitium. Et *Mamertini Grat. act. ad Julian.* 15. Sacra mens ad honorum, et magistratuum ornamenta respexit: versari coepit in sacri pectoris comitio consulatus.

COMĪTĪVUS, a, um, adj. ad aulae comites pertinens, ut *comitiva dignitas* ap. *Veg. Milit.* 2, 9. Et *comitiva* absolute eodem sensu *Cod.* 1, 33, 3. et alibi.

COMĪTO, as, a. 1. idem quod *comitor*, sed usu rarius. *Prop.* 2, 6, 15. mea si tenerae comitarent castra puellae. *Ov. Pont.* 2, 3, 43. Pirithoum Theseus Stygias comitavit ad undas. *Id. Met.* 14, 259. Nostraque adulantes comitant vestigia. *Id. Pont.* 1, 9, 47. Comitare funera. *Id. Met.* 8, 692. gradus alicujus. ℙ Passive. *Plin.* 9, 35, 55. Conchae in alto comitantur marinis canibus. *Justin.* 30, 2. Visuntur, salutantur, comitantur. *Ov. Trist.* 3, 7, 47. Ingenio tamen ipse meo comitorque, fruorque.

COMĪTOR, aris, atus sum, dep. 1. *παραπολουθέω*, comitem me praebeo, assector. *Curt.* 3, 19. Virgines cum parvo filio comitabantur patrem. *Virg. A.* 8, 462. gressumque canes comitantur herilem. *Suet. Gramm.* 23. Comitari herilem filium in scholas. *Virg. A.* 6, 112. Comitari iter alicujus. *Id. ib.* 4, 543. Comitari aliquem fuga. ℙ [*Pertinet imprimis ad officium clientum erga Patronos, Senatorum et equitum Romanorum erga imperatores. *Plin. Pan.* 24, 3. Liberum est, ingrediente per publicum principe, subsistere, occurrere, comitari etc. *Tac. A.* 5, 10. Et erat juvenis haud dispari aetate, quibusdam Caesaris libertis, velut agnitus, per dolumque comitantibus. ℙ Dicitur etiam de rebus. *Ov. Fast.* 3, 805. Inque draconigenam nimbis comitantibus urbem Desiliit. *Sil.* 4, 401. Vultu comitante per auras telum, i. e. prosequente. *Ov. Met.* 14, 235. Missus ad hunc ego sum numero comitante duorum. *Virg. A.* 4, 48. Armis Teucrum comitantibus.] ℙ Saepe dicitur de iis, qui alicujus funus prosequuntur. *Virg. A.* 11, 51. Nos juvenem exanimum vano comitamur honore. [*Id. ib.* 61. Supremum honorem comitari. — ℙ Item de solemni pompa, quae hostiam sacrificio aptam sequitur. *Virg. G.* 1, 346. Terque novas circum felix eat hostia fruges; Omnis quam chorus et socii comitentur ovantes.] Adde *Nepot. in fin. Vitar. Eumenis, et Attici.* ℙ Translate est una esse, conjunctum esse. *Cic. Tusc.* 5, 35. Cetera, quae comitantur huic vitae. *Id. de rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 24. Illi injusto domino prospere fortuna comitata est. *Curt.* 8, 19. Hominem consequitur aliquando, nunquam comitatur divinitas. *Claud. cons. Mall. Theod.* 243. Superbia comitatur honores. ℙ [*Eleganter interdum circumscribi videntur a poetis praepositiones. *Prop.* 4, 3, 16. Nupsi non comitante deo, i. e. sine hymenaeo. *Ov. Met.* 13, 402. Quae (Tirynthia tela) postquam ad Grajos, domino comitante, revexit, i. e. simul cum domino. *Virg. A.* 11, 498. Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla Occurrit. *Curt.* 6, 5, 11. Rex impedimentis cum praesidio relictis, invicta manu comitante, procedit.] ℙ *Comitari cum aliquo* minus Latine dicitur. Legitur enim in Inscriptione inferioris aevi apud *Reines. cl.* 14. *n.* 171. quod et ipse *Reines.* admonuit. ℙ Part. *Comitans* ap. *Virg. A.* 2, 40. magna comitante caterva.

COMMĀ, ātis, n. *κόμμα*, vox Graeca idem significans, quod incisum Latine, hoc est partem periodi minorem: a *κόπτω*, caedo. Graece scribitur a *Cic. Or.* 62. et *Quint.* 9, 4. Latine autem aliquoties a *Diomed.* 2., *Valerio Probo*, *Donato*, et aliis grammaticis. ℙ Praeterea *commata* vocantur signa, quibus in scribendo utimur ad incisa distinguenda. *Donat.* p. 1742. ℙ Sunt etiam in versu *commata*, et fere sunt, quas alii vocant *caesuras*, cum scilicet post pedem, aut pedes dimetiendo syllaba superest, nec sententia absoluta est. Nam si sit absoluta, *colon* dicitur. (quamquam aliquando promiscue unum pro altero sumitur.) *Val. Prob.* 1, 1390. *Beda de metris ib.* p. 2396., *Mar. Victor. Grammat. ib.* 1, 2498. etc. ℙ *Comma* est etiam idem ac tome, (quam vocem V.) et significat partem alicujus versus, ut primam partem illius versus Priapei, *Hunc lucum tibi dedico, consecroque, Priape*, ap. *Terent. de metris* p. 2444. Sed de commatibus tradunt constare duobus. ℙ Quod nonnulli hic addunt de Nili aggeribus, V. in CHOMA.

COMMĀCĔRO, as, avi, atum, a. 1. idem ac macero. *Marcell. Empir.* 36. *ad f.* Commacerare aliquid in aqua pluviali. ℙ Item terere. *Strabo Gall.* 14. Pistillo lilia praestat Commacerare gravi. Nimis licenter hic secundam syllabam corripit.

COMMACESCO, is, n. 3. idem quod macesco. *Varr.* ap. *Non.* 2, 525. Noster Atticus iturus in curiam commacescebat. Al. leg. *cum macore accedebat:* quod magis est vero simile: quia *Non.* ibi de *macore* agit.

COMMĀCŬLĀTUS, a, um, part. a *commaculo*, maculatus. *Paul. Nolan.* 6, 164. Commaculatus sanguine.

COMMĀCŬLO, as, avi, atum, a. 1. idem quod maculo, aut valde maculo. *Virg. Ecl.* 8, 47. Commaculare manus sanguine. *Tac. A.* 1, 39. Sanguine suo altaria Deum commaculare. ℙ Translate *Cic. Coel.* 7. Commaculare se ambitu. *Sall. Jug.* 109. Commaculare se miscendo cum pessimis. *Id. or.* 1. *ad Caes. de repub. ordin.* Commaculare laudes flagitiis. *Stat. Theb.* 11, 751. occursu dum non pia templa, domosque Commacules.

COMMĀDĔO, es, n. 2. idem quod madeo, vel prorsus madeo. *Cato R. R.* 156. Coquito, usque donec ea commadebit bene.

COMMĀGĒNE, es, f. *Κομμαγηνή*, Syriae regio juxta Euphratem fluvium inter Ciliciam ad occidentem, et Mesopotamiam ad orientem, Armeniae minori ad Boream finitima. *Plin.* 5, 12, 13. et *ib.* 24, 20. [*Cf. *Tzschuck.* et quos laudat in comment. ad *Eutrop.* 7, 19.] ℙ Est etiam hoc nomine herba (fortasse nardus Syriaca, inquit *Hard.*) in Commagene proveniens, a qua Commagenum medicamentum denominatur. *Plin.* 29, 3, 13. V. v. seq. ℙ In multis codicibus scribitur *Comagene*, sed male; nam apud Graecos scriptores duplici *μ* scribitur: praeterea prima syllaba longa est, ut patet ex *Juven. l. c.* in v. seq. adde nummos apud *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 249., in quibus semper est *Κομμαγηνῶν.*

COMMĀGĒNUS, a, um, adj. ad Commagenen pertinens. *Juven.* 6, 550. Armenius, vel Commagenus haruspex. *Plin.* 16, 7, 9. Commagena galla. ℙ *Commageni, orum*, populi Commagenes. *Id.* 29, 3, 13. ℙ *Commagenum medicamentum* a Commagenis inventum, constat adipe anserum, cinnamo, casia, pipere albo, et Commagene herba; obrutis nive vasis, odore jucundo; utilissimum ad perfrictiones, convulsiones, caecos et subitos dolores, omniaque quae acopis curantur: unguentum pariter, et medicamentum. *Id. ib.* et 10, 22, 28. et *Pomp. Dig.* 34, 2. 21.

COMMĀLAXO, as, a. 1. subigere, exercere, maturare. *Varr.* ap. *Non.* 2, 103. Philosophia commalaxat eam partem.

COMMALLĔOLO, as, a. 1. *Hygin. de limit. constit.* p. 196. *Goes.* Quicumque modus limitem excedet, commalleolari debebit, *h. e.* praecidi, secari, ut videtur. Sed alii leg. *commallari*, alii *convallari.* Quidquid illud sit, barbariem sapit.

COMMANDO, is, ansi, ansum, a. 3. commanduco. *Seren. Sammon.* 36, 684. myrti frondes commandere prodest.

COMMANDŪCĀTĬO, onis, f. *διαμάσησις*, actus commanducandi. *Scrib. Compos.* 53. Dolor dentium sedandus commanducatione. Et *Compos.* 104. Commanducatio olivarum contusarum.

COMMANDŪCĀTUS, a, um, part. a *commanduco*, manducatus. *Plin.* 24, 4, 6. Ulcera visco commanducato, et imposito sanari. *Scrib. Compos.* 53. Portulaca commanducata.

COMMANDŪCO, as, avi, atum, a. 1. *διαμασάομαι*, idem quod manduco, mando. *Plin.* 25, 13, 105. Commanducantur et plantaginis radices. *Id.* 24, 4. 6. Quidam commanducantes acinos, expuunt cortices. *Scrib. Compos.* 9. Pyrethri radiculam commanducare. ℙ *Commanducor, aris*, deponentis forma. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 98. et 7, 89. ipsum Commanducatur totum complexa, comestque. *Id. ib.* et 2, 422. mediastinum atque bubulcum Commanducatus corrupit. ℙ Part. *Commanducandus* ap. *Scrib. Compos.* 165. Commanducandus pastillus.

COMMĀNĔO, es, n. 2. idem quod maneo. *Macr. Sat.* 6, 8. *ad f.* Qui in domo commanent. Adde *August. Civ. Dei* 22, 8. ℙ *Part. *commanens* ap. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Majo*) 1, 20. Frequentem commanentium conventiculis. *B. A.*

COMMĀNĬCŪLĀRĬUS. V. COMMANIPULARIUS.

COMMĀNĬPŪLĀRIS, is, m. commilito, qui est ex eodem manipulo. *Tac. H.* 4, 46. Prensare commanipularium pectora. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 521, 9., item aliam ap. *Mur.* 2034, 6., ubi est *commaniplaris.*

COMMĀNĬPŪLĀRĬUS, ii, m. commanipularis. Legitur in *Inscr.* (non tamen optimae notae) ap. *Reines. cl.* 8. *n.* 74., at in eadem ap. *Gud.* 146, 1. legitur mendose *commanicularius.*

COMMĀNĬPŪLĀTĬO, onis, f. societas commanipularium. *Spart. Nig.* 10. Ut tota in expeditione in commanipulatione nemo focum faceret.

COMMĀNĬPŪLO, onis, et

COMMĀNĬPŪLUS, i, m. socius manipularis, miles in eodem manipulo. *Inscr.* ap. *Grut.* 517, 9. et 532, 1. Commanipulus et heres ejus etc. Alia *ib.* 46, 10. Regressi cum commanipulis libentes votum solverunt. *Spart. Nig.* 10. Decem commanipulones securi percuti jussit. ℙ Contracte. *commanipulus* apud eund. *Grut.* 551, 1. Florus commaniplus ejus.

COMMANSUS, a, um, part. a *commando*, commanducatus. *Marcell. Empir.* 8. Radix rutae commansa.

[COMMĀNŬCŬLUS, i, m. idem ac commanipulus. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 200. Centuriones cum commanuculis suis. Pertinet haec inscriptio ad. an. a Chr. n. 205. *F.*]

COMMARCĔO, es, ui, n. 2. marceo, vel langueo, segnis fio. *Ammian.* 17, 10. Bellicosus ante haec, et industrius repente commarcuit. *Id.* 31, 12. Ut miles fervore calefactus aestivo, siccis faucibus commarceret.

COMMARGĪNO, as, a. 1. idem quod margino, margine munio. *Ammian.* 31, 2. Commarginare pontes.

COMMĂRĪTUS, i, m. qui simul maritus est. *Pl. Cas.* 4, 2, 18. Compar, commaritus, villicus.

COMMARTYR, yris, m. *συμμάρτυρ*, socius in martyrio. *Tertull. Anim.* 55. Solos illic commartyres suos vidit.

COMMASCŪLO, as, a. 1. *ἐπισχυρίζω*, quasi dicas masculum ac virilem facere, corroborare. *Appul. Met.* 2. His cognitis animum meum commasculo. Et *Macrob. Sat.* 7, 11. Commasculare frontem.

*COMMASTICATUS, a, um, part. *Macer.* 4, 8. Commasticatae frondes. *B. A.*

COMMASTĬCO, as, a. 1. idem quod mastico. *Aemil. Macer de camomilla* 36. Aegilopas curat, si quis commasticet illam.

COMMĂTĬCUS, a, um, adj. *κομματικός*, brevis, per commata, hoc est incise membratimque conscriptus. *Sid. ep.* 4, 3. Hymnus commaticus, copiosus, dulcis, elatus. *Id. carm.* 23, 450. At si dicat epos, metrumque rhythmis Flectat commaticis, tonante plectro, Mordacem faciat silere Flaccum. *Hieron. Script. eccles.* in *Theotimo.* Veteris eloquentiae breves commaticosque tractatus edidit.

COMMĂTRONA, ae, f. *Tertull. ad uxor.* 2, 8. Dives aliqua est commatronae nomine inflata. Al. leg. rectius *matronae.*

[COMMĂTŪRESCO, is, urui, n. 3. idem ac maturesco. *Colum.* 12, 47. Est et illa probata compositio, ut, cum muria dura pausea alba ubi commaturuerit, omne jus defundatur etc. Ita edidit *Schneiderus* ex *Cod. Sangermanensi* pro *maturuerit*, quod dederat *Gesnerus. F.*]

COMMEĂBĬLIS, le, adj. qui ultro citroque commeat, vel qui facile pertransiri potest. *Arnob.* 2, p. 84. Venae fistulatae, et commeabiles. *Id.* 7. p. 233. Quidquid reciprocos halitus auris comeabilibus ducit.

COMMEĂTĀLIS, le, adj. ad commeatum pertinens. *Commeatalis miles*, teste *Gothofredo*, dicitur is, cui in stipendii partem dantur alimenta ex commeatu, ac alimento publico. Legitur apud *Just. Cod.* 1, 27, 2. §. 9., ubi est qui putat legendum *commeatilis.*

COMMEĂTOR, oris, m. qui hac illac commeat. *Appul Met.* 11. et *Apol. de Mercurio.* Ille superum commeator, et inferum.

COMMEĂTUS, us, m. *στόλος πορευτικὸς*, *διάβημα*, actus commeandi, transitus. *Pl. Mil.* 2, 1, 64. In eo conclavi ego perfodi parietem, qua commeatus esset hinc huic mulieri. (Adde *Stich.* 3, 1, 44.) *Caes. B. G.* 5, 23. Duobus commeatibus exercitum reportare constituit. [*Transport.*] *Pallad.* 1, 3. Fauces commeatum liquidae vocis exercent. ℙ Item ipsae res, quae commeant, v. g. classis. *Suet. Ner.* 20. Qui de novo commeatu Neapolim confluxerant. [*Exposuit de hac re *Casaub.* ad *Suet. Aug.* 98. Adde *Tac. A.* 14, 33. Suetonius Londinium perrexit, cognomento quidem non insigne, sed copia negotiatorum et commeatuum maxime celebre. *Id. ib.* 13, 39. Ut commeatus nostros Pontico mari ac Trapezunte oppido adventan tes, interciperet. *Plin. Pan.* 32, 2. Hic aeternis commeatibus orientem occidentemque connectit.] *Hirt. B. Afr.* 34. Allienus secundum commeatum mittit ad Caesarem. Adde *ib.* 36. ℙ [*Capiendum etiam de jumentis et vehiculis, quae certis intervallis mutantur ad acceleranda itinera principum. *Suet. Tib.* 38. Vehiculis comprehensis, commeatibus per municipia et colonias dispositis. Cf. *Ernest.* ad h. l.] ℙ Saepe sumitur pro facultate et venia, quae datur militibus discedendi ab signis ad certum tempus, [*Urlaub.] *ἐξουσία. Liv.* 3, 46. Dare commeatum alicui. *Vell.* 2, 11. Cum, commeatu petito, Romam venisset. *Tac. A.* 15, 10. Quintam legionem procul habebat, reliquas promiscuis militum commeatibus infirmaverat. *Liv.* 33, 29. Esse in commeatu, *h. e.* abesse ab exercitu. [*Auf Urlaub seyn.] *Ulp. Dig.* 50, 1, 22. Qui liberum commeatum impetraverunt, *h. e.* ubi velint morandi arbitrium, ut ibi exponitur. ℙ Extra rem militarem. *Vell.* 2, 99. Commeatum acquiescendi a continuatione laborum petiit. *Senec. ep.* 54. Longum mihi commeatum dederat mala valetudo: repente me invasit. *Id. praef.* 3. *Quaest. nat. ad f.* Assidua servitus sine intervallo, sine commeatu. [*Ita significat etiam veniam relinquendae aulae. *Suet. Tib.* 72. Commeatu afuturus (de Charicle, medico Tiberii.) Adde *Eund. Claud.* 16. Notavit multos, quod, se inscio, ac sine commeatu, Italia excessissent. *Id. Nero* 35. Senecam ad necem compulit: quamvis saepe commeatum petenti persancte jurasset.] ℙ Pro tempore ipso, quo miles ire, et redire potest, ut et *Festus* in *Remeare* exponit. *Auct. ad Herenn.* 1, 14. Qui ad diem commeatus non venit, quod eum aquae interclusissent. *Paul. Dig.* 49, 16, 14. Commeatus spatium excedere. ℙ Saepissime ponitur pro annona excercitus, vel urbis, vel etiam privatorum, quae aliunde commeando comportatur, *ἐπισιτισμός. Cic. Manil.* 17. Cum ex omnibus provinciis commeatu et privato, et publico prohibebamur. *Caes. B. G.* 3, 23. Commeatibus nostros intercludere instituunt. *Id. ib.* 2, 9. Sustinere commeatus. Et *ib.* 3. 2. Petere commeatum. *Nep. Phoc.* 2. Privare civitatem commeatibus. *Curt.* 4, 2. Commeatum large et hospitaliter adducere. *Pl. Epid.* 3, 2, 7. Importare commeatum in coloniam. *Curt.* 4, 9. Subvehere commeatum. *Id. ib.* 10. Commeatuum copia. [*Tac. *A.* 11, 10. Urbs muro et commeatibus firmata. *Id. ib.* 12, 43. Olim ex Italia legionibus longinquas in provincias commeatus portabantur. *Id. ib.* 50. Parum provisi commeatus.] ℙ In hac significatione saepe ita sumitur pro alimentis, ut frumentum non comprehendat: significat autem cibos et alia usui necessaria, quae secum milites humeris vel jumentis comportant. *Caes. B. G.* 3, 23. Supportare frumentum, et commeatum. *Id. ib.* 6. Frumenti, commeatusque inopia. *Id. ib.* 1. 39. Rei frumentariae, commeatusque causa. *Sall. Jug.* 50. Parati frumentum dare, commeatum portare. Sic *Pl. Mil.* 2, 2, 69. Cibatus, et commeatus. Adde *Inscr.* ap. *Marin. Difesa del Corsini* p. 140. P. Aelio Felicissimo qui Com*meatum* percepit sub Lollio Urbico P*raefecto* Urbi*s*. Hinc apud *Capitol. M. Aurel.* 7. Frumentaria perceptio. ℙ Translate dicitur de aliis rebus. *Pl. Pseud.* 1, 5, 9. Commeatus argentarius. [*i. e. lucrum ex pecunia fenori data factum.]

COMMĔDĬTOR, idem ac meditor *Auct. ad Herenn.* 3, 18. Locos egregie commeditari oportebit. Al. aliter leg. ℙ Est idem exercere, imitari, reddere. *Lucr.* 6, 111. Fragiles sonitus chartarum commeditatur. Sed hic quoque alii aliter.

[COMMEJO, is, a. 3. idem ac mejo. *Commejo lectum*, et *mejo* habet *Charis.* 5, 261. nulla tamen adducta scriptoris Latini auctoritate. *Commejo *κατουρῶ. Gloss. Gr. Lat. F.* et *B. A.*]

COMMĔLĔTANDO, *h. e.* meditando, exercendo, *τῷ μελετᾶν*, usurpatum est ab *Hygino fab.* 165. ubi de Marsya: Tibiis assidue commeletando, sonum suaviorem faciebat. *Cave imiteris.*

COMMEMBRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *commembro*, compactus, conjunctus. *Paul. Nolan. ep.* 44. (al. 31.) 4. Commembrata in Domini corpore fidei compago.

COMMĔMĪNI, isti, anom. *διαμέμνημαι*, simul memini, vel idem, quod simplex memini. [*Com in h. v. significat *secum*, *apud animum suum*, sicut in *cognosco*. Respondet *Gr. κατά*. Cf. *Doederlein* 1, 168.] *Cic. Or.* 1, 53. Quem hominem prope nosse, et commeminisse se, ajebat. *Pl. Poen.* 5, 2, 25. Ecquid commeministi Punice? *Ter. Phorm.* 3, 2, 38. Si satis commemini. [*Ov. *Fast.* 3, 792. Itur ad Argeos — Hac, si commemini, praeteritaque die.]

COMMĔMŌRĀBĬLIS, e, adj. dignus commemoratione, memorabilis. *Cic. Marc.* 4. Vir optimus, et commemorabili pietate ac virtute praeditus. *Pl. Pseud.* 1, 5, 111. Pugna clara, et commemorabilis.

COMMĔMŌRĀMENTUM, i, n. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 115. Pudebat, credo, commemoramentum stupri. *Front.* (edente iterum Romae *A. Maio.*) p. 224. *de Arione.* Cantare orditur mari et coelo artis suae supremum commemoramentum.

COMMĔMŌRĀTIO, onis, f. *ὑπόμνησις. Cic. Arch.* 11. Non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri. *Ter. Andr.* 1, 1, 16. Istaec commemoratio quasi exprobratio beneficî est. *Cic. Verr.* 2, 1, 39. Verres in assidua commemoratione omnibus omnium flagitiorum fuit. [*Tac. *A.* 13, 3. Liberalium quoque artium commemoratio — pronis animis audita.]

COMMĔMŌRĀTOR, oris, m. qui commemorat. *Tertull. adv. Marcion.* 4, 26. Commemorator, non obliterator vetustatum

*COMMEMORATORIUM, i, n. inventarium. *Ambros. de Off.* 25. Sit nobis vitae majorum disciplinae speculum, non calliditatis commemoratorium. Cf. *Barth. Advers.* 25, 22. *B. A.*

COMMĔMŌRĀTUS, a, um, part. a *commemoro*, memoratus. *Nazar. Paneg. Constant.* 8. Incrementum felicitatis est malorum commemorata depulsio. [*Tac. *A.* 6, 5. Crebrisque ejus officiis commemoratis.]

COMMĔMŌRĀTUS, us, m. commemoratio. *Appul. Florid.* 16. Quibus verbis gratias habiturus sum commemoratu meo? *h. e.* ego commemorando?

COMMĔMŌRO, as, avi, atum, a. 1. *ὑπομνημονεύω*, mentionem facio, dico, narro. *Cic. Senect.* 11. Quid quaque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. *Id. Off.* 3, 6. *a med.* Consulens ei, quam saepe commemoro, humanae societati. *Id. Amic.* 20. Beneficia non debet commemorare, qui contulit. *Id. Or.* 3, 20. Metrodorus, de cujus memoria commemoravit Antonius. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 13. Omnes de tua virtute commemorant. *Id. Quint.* 2. Quid hoc iniquius dici, aut commemorari potest? *Ter. Phorm.* 4, 5, 3. Cui dem, quamoberem dem, commemorabo. *Caes. B. C.* 3, 66. Quibusdam de causis, quas commemorari non est necesse. *Ter. Phorm.* 5, 8, 42. Quid ego commemorem singillatim, qualis etc.? ℙ Deponentis forma, *August. enarrat. in Psalm.* 54. Homines malos, quos patitur, commemoratus est. Al. leg. *commemoraturus.* ℙ Part. *Commemorans* ap. *Just.* 14, 2. Refugia salutis suae, et unica praesidia commemorans. *Commemorandus* ap. *Cic. Div. Verr.* 14. O commemoranda judicia!

COMMENDĂBĬLIS, le, adj. qui commendari potest, *ἐπαινετός. Liv.* 42, 5. Perseus multis caeditest, commendabilis merito. *Cobus* infamis, nec ullo commendabilis merito. *Colum.* 5, 6. *sub f.* Densum arbustum commendabile est fructu, et decore. *Trebell. in* XXX. *Tyrann.* 16. Facere aliquem commendabiliorem alicui.

COMMENDĀTĪCĬUS, a, um, adj. *συστατικός*, id, quo quis, vel quid commendatur, ut commendaticiae litterae, *συστατικαὶ ἐπιστολαί. Cic. Fam.* 5, 5. Statueram nullas ad te litteras mittere, nisi commendaticias. ℙ Dicuntur etiam *commendaticiae* absolute. *Augustus* ap. *Macr.* 2, 4. Accipe commendaticias, quia illic neminem nosti. ℙ Scribitur et *commendatitius:* at *commendaticius* praestat, atque ita edidit *Torrent.* ex *Pandect. Florent. Dig.* 41, 1, 65.

COMMENDĀTĬO, onis, f. *σύστασις*, actus commendandi. *Cic. Fam.* 1, 3. Ut intelligat, meam commendationem non vulgarem fuisse. *Id. ib.* 12, 26. Caput est meae commendationis, ne patiare etc. Et *ib.* 13, 32. Ne exaequare videar ambitione quadam commendationes meas. *Suet. Caes.* 75. Dare aliquid alicui ex commendatione alicujus. *Cic. Fam.* 13, 28. Facere aliquid commendatione alicujus. Adde *ib.* 15, 16, 26. 30, 33, 34. etc. *Nep. Alcib.* 1. Tanta erat commendatio oris, atque orationis, ut etc. *Cic. Pis.* 1. Commendatio fumosarum imaginum. *Id. Fl.* 11. famae. *Id. Planc.* 13. naturae. *Id. Or.* 2, 87. oculorum. *Plin.* 15, 3, 4. Olivae oleo suo condiuntur sine arcessita commendatione. ℙ Est item laus, *αἴνεσις*. Sed hae duae notiones eodem fere recidunt. *Cic. Fam.* 1, 7. *a med.* Magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria consulatus tui. *Id. Fin.* 2, 12. Ponere aliquid in prima commendatione, *h. e.* primam laudem ei tribuere. *Plin.* 36, 22, 45. Candor est in commendatione. *Id.* 37, 5, 20. Beryllis summa commendatio in longitudine.

COMMENDĀTĪVUS Casus dictus est a quibusdam casus dandi, quia verbis commendatoriis aptus est. *Prisc.* 5, 670.

COMMENDĀTOR, oris, m. qui commendat. *Plin. ep.* 6, 23. *in f.* Fautor et commendator. Adde *Vopisc. Prob.* 2., *Nazar. Paneg. Constant.* 4. et *Symmach. ep.* 1, 40.

COMMENDĀTORĬUS, a, um, adj. idem quod commendaticius. *Sidon. ep.* 9, 10. Quem litteris non commendatoriis minus, quam refusoriis jam placatus insinuo.

COMMENDĀTRIX, icis, f. quae commendat. *Cic. Leg.* 1, 22. Lex commendatrix virtutum. *Plin. ep.* 8, 20. Terra miraculorum ferax, et commendatrix.

COMMENDĀTUS, a, um, part. a *commendo*, *σύστατος*, commissus, concreditus, depositus. *Cic. Phil.* 11, 9. Commendatus, et commissus. *Id. Dom.* 56. Non modo commissus, verum etiam commendatus. *Id. Rosc. Am.* 39. Commendatus, et concreditus. *Id. Leg.* 2, 9. Sacrum, sacrove commendatum qui clepserit, parricida esto. *Treb.* ad *Cic. Fam.* 11, 16. *in f.* Matrem, meosque tibi commendatos habe. *Cic. ib.* 26. Ceteris rebus habeas eos commendatissimos. *Id. Phil.* 2, 13. Quae res gloriosior? quae commendatior erit memoriae hominum sempiternae? ℙ Item laudatus, in pretio habitus, *ἐπαινετός. Petr. Sat.* 110. Vultus commendatior. *Plin.* 16, 36, 65. Calami commendatiores. *Id.* 35, 18, 58. Commendati honore aliquo litterarum.

COMMENDO, as, avi, atum, a. 1. tradere, committere, deponere, *συνίστημι. Ulp. Dig.* 50, 16, 186. Commendare nihil aliud est, quam deponere. *Just.* 35, 2. Demetrius duos filios apud hospitem cum magno auri pondere commendaverat. *Spart. Pescenn.* 10. Jussit, ne in zonis milites ad bellum aureos, vel argenteos nummos portarent, sed publice commendarent. *Papin. Dig.* 16, 3, 24. Centum nummi, quos hac die commendasti mihi. [*Sil. 15, 541. Commendet semina sulcis.] *Paul. Sentent.* 1. *tit.* 21. Qui corpus ad tempus alicui loco commendatum nudaverit. V. COMMENDATUS. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 11, 10. Commendare aliquid litteris. *Id. Or.* 2, 9. aliquid immortalitati. *Id. Fam.* 5, 12. aliquem sempiternae gloriae. *Id. Har. resp.* 7. aliquid auctoritati, fidei, prudentiae alicujus. *Hirt. B. Afr.* 34. se fugae. [*Curt. 9, 3, 5. Sanguine nostro commendare posteritati tuum nomen.] ℙ Est etiam alicui tradere, ut faveat, opituletur, curam habeat, [*empfehlen] quae significatio vel parum, vel nihil a priori differt. *Cic. Fam.* 2, 6. *ad f.* Nunc tibi omnem rem atque causam, meque totum commendo, atque trado. *Id. ad Brut.* 1, 6. Diligentissime commendare aliquem. *Id. Fam.* 7, 29. aliquem de meliore nota. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 2. intime aliquem. *Ter. Eun.* 5, 9, 9, se alicui in clientelam, et fidem. Al. aliter leg. *Front. ad amic.* 1, 3. (ed. iterum Romae *A. Maio*) Istae commendantium litterae laudationis munere fungi visae sunt. [*Ov. *Met.* 6, 595. Pan-

dion comitem lacrimis commendat obortis, i. e. lacrimans Tereum obtestatur, ut patris vices praestet. *Tac. A.* 1, 15. Moderante Tiberio, ne plures quam quatuor candidatos commendaret sine repulsa et ambitu designandos. *Hor. Ep.* 1, 18, 76. Qualem commendes, etiam atque etiam adspice. *Plin. Pan.* 35, 2. Principi gratias agere, qui ultionem hominum terrarumque Diis maris commendasset. Hinc dicitur de precibus, quae in alicujus salutem a sacerdotibus vel aliis ad Deos fiunt. *Tac. A.* 4, 17. Pontifices eorumque exemplo ceteri sacerdotes, cum pro incolumitate Principis vota susciperent, Neronem quoque et Drusum iisdem Diis commendavere. *Suet. Dom.* 15. Praenestina fortuna, toto imperii spatio novum annum commendanti, laetam eandemque semper sortem dare assueta, extremo tristissimam reddidit. *Ov. Fast.* 3, 776. Patres, sua pignora, natos Commendant curae numinibusque tuis. De morientibus, qui, quos in vita suos relinquant, fidei curaeque alicujus tradunt. *Prop.* 4, 11, 73. *Ter.* 3, 4, 11. *Suet. Claud.* 46. ℙ Interdum pertinet etiam ad superiores, qui specie liberi arbitrii jussum aliquod inferioribus exequendum proponunt. *Suet. Caes.* 41. Et edebat per libellos, circum tribus missos, scriptura brevi: Caesar, dictator, illi tribui. Commendo vobis illum, et illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant.] ℙ *Commendare ad aliquem* pro *alicui*, dixit *Hyg. fab.* 3. *extrem.* et 96. Significat autem mittere ad aliquem, ut sub ejus custodia, et tutela sit. ℙ *Commendare* etiam dicuntur ea, quae augent pretium, aut pulcritudinem rei. *Cic. Brut.* 59. *in f.* Nulla re magis commendatur orator, quam verborum splendore et copia. *Plin. ep.* 9, 5. Commendare justitiam suam provincialibus humanitate. *Plin. alter* 36, 6, 9. Marmora commendantur maculis, aut coloribus. *Id.* 23, 9, 81. Myrti semen commanducatum oris odorem commendat. *Gell.* 7, 3. *sub f.* Nunc commendat, nunc objurgat, nunc etc. [**Tac. A.* 6, 15. Facilitate saepius, quam industria commendabatur. *Ov. Fast.* 5, 51. Illa (majestas) datos fasces commendat, eburque curule. *Hor. Ep.* 1, 15, 21. Vinum — Quod me Lucanae juvenem commendet amicae. *Sil.* 5, 278. Vulnus commendat mananti sanguine membra, i. e. pulchriora, venerabiliora facit. Simili fere modo explicat *Drakenb.* ap. *Eund.* 12, 118. Herculeum commendat iter, i. e. laudat, tollit.] ℙ In malam partem pro notare. *Ulp. Dig.* 42, 5, 3. Tutorem fraudulenta conversatio suspectum commendat. ℙ Part. *Commendandus* ap. *Cic. Off.* 3, 10. Cum is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset.

COMMENSUS, us, m. congruentia mensurarum, *συμμετρία*. Negat *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 6. Graecam vocem *συμμετρία* habere Latinum nomen: *commensum* tamen jam appellaverat *Vitr.*, qui scribit 3, 1. Reliqua membra suos habent commensus proportionis. Et *mox*. Similiter aedium membra convenientissimum debent habere commensuum responsum.

COMMENTĀCŬLA (alii melius *Commotacula* a *motando*, hoc est movendo) virgae, quas flamines portant pergentes ad sacrificium, ut a se homines amoveant. *Festus.* ℙ *Commentaculum* (alii *commotaculum*) genus virgulae, qua in sacrificiis utebantur. *Idem.* Utraque interpretatio ejusdem rei est, idemque significat.

COMMENTĀRIENSIS, is, m. qui commentariis praeest, hoc est libris, in quibus publice aliquid scribitur, *ὑπομνηματογράφος*. Specialiter Commentarienses dicti sunt, qui acta perscribebant, quoties apud Fiscum agebatur, ut apparet ex *Paulo Dig.* 49, 14, 45. ℙ Item qui praeerant carceri, et vinctorum nomina in commentarium referebant, ut patet ex *Cod.* 9. *tit.* 4. qui est De custodia reorum, 4. Horum meminit etiam *Callistr. Dig.* 48. *tit.* 20. qui est De bonis damnatorum, 6. Sic *Firmic. Mathes.* 3, 6. *a med.* Commentarienses, quibus damnatorum cura committitur. ℙ Praeterea enumerantur inter officiales praefecti praetorio Africae a *Justin. Cod.* 1. *tit.* 27. in notitia, quae subjicitur legi primae ejus tituli; et multiplex commentariensium gradus ibi innuitur. ℙ Fuere etiam in militia. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 28. Accensus est nomen ordinis, et promotionis in militia: ut nunc dicitur princeps, vel commentariensis, aut corniculariius. Haec enim nomina de legionaria militia sumpta sunt. Ex *Inscr.* quam primus omnium edidit. *Jo. Labusius in Ara antica scop. in Haimburgo* p. 63., quaeque pertinet ad an. a Chr. n. 212., satis constat, in unaquaque legione unum fuisse commentariensem, eumque cornicularii dignitate inferiorem fuisse. V. COMMENTARIUS.

COMMENTĀRIŎLUM, i, n. *ὑπομνημάτιον*, parvum commentarium. *Q. Cic. Petit. cons. in f.* Volo enim hoc commentariolum petitionis haberi omni ratione perfectum. *Cic. Fin.* 4, 4. Neque a commentariolis suis discedere. Adde *Or.* 1, 2. ℙ Masculino gen. *Hieron. ep.* 149. *n.* 1. Qui in sacram Scripturam commentariolos reliquerunt.

COMMENTĀRĬUS, ii, m. et Commentarium, ii, n. *ὑπόμνημα*, liber, in quo res continuate et diligenter, simpliciter tamen, et sine ornamentis, breviter, et quasi per capita describuntur, memoriae gratia: a *commentor*, *aris*. Hinc *Caesar* libros de bellis a se gestis *commentarios* inscripsit, quod nudi essent, omni ornatu orationis, tanquam veste, detracto, ut *Cic. Brut.* 75. scribit. *Isidor. de differ. verb. n.* 86. Inter commentarios et commentaria hoc interest, quod commentarii libri, commentaria volumina dicuntur. Hinc apparet, *commentarius* esse nomen adjectivum modo masculino *liber*, modo neutri *volumen* junctum, quemadmodum videre est etiam infra. *Cic. Brut.* 44. Ipsa illa non est oratio, sed quasi capita rerum, et orationis commentarium paulo plenius. *Id. Fam.* 5, 12. *sub f.* Conficere commentarios rerum omnium. *Varr. L. L.* 5, 9. Ut commentarium indicat vetus anquisitionis M. Sergii. *Suet. Aug.* 64. Referre in commentarios diurnos. [**Id. Tib.* 61. Etsi commentario, quam de vita sua, summatim, breviterque composuit. *Quint. Inst.* 8, 2. p. 673. Commentarii pontificum. (De religione tractabant, sed ab ipso usque Numa erant inchoati, et deinceps alii atque alii ab antiquis pontificibus scripti. *Turneb.*)] *Gell.* 1, 23. Indere aliquid commentario. *Vellej.* 2, 60. Corrumpere commentarios actorum. [**Suet. Cal.* 15. Commentarios ad matris fratrumque suorum causas pertinentes, ne cui postmodum delatori, aut testi, maneret ullus metus, concremavit. *Tac. A.* 13, 43. Compertum sibi, referens, ex commentariis patris sui, nullam cujusquam accusationem ab eo coactam. His locis *commentarii* esse videntur id. q. nos dicimus *Papiere.*] *Senec. ep.* 33. Turpe est seni ex commentario sapere. *Liv.* 39, 47. Senatus quaeri jussit ab eo, ecquem de his rebus commentarium a patre accepisset? Loquitur de Demetrio filio Philippi regis Macedonum, misso legato a patre ad Romanum senatum. ℙ In judiciis *commentarius* est libellus, in quo causae agendae summa capita perscripta sunt. *Senec. prooem. Excerpt. controv.* 3. Sine commentario nunquam dixit: nec hoc commentario contentus erat, in quo nudae res ponunrur. *Cic. Verr.* 2, 5, 21. Recita commentarium. [*Commentarius h. l. id. est. q. nos dicimus *Protokoll*. *Tac. A.* 6, 47. Sed testium interrogationi, tormentis servorum. Macronem praesedisse, commentarii ad senatum missi fereant.] *Quint.* 10, 7. Ciceronis commentarios ad praesens modo tempus aptatos libertus Tiro contraxit. ℙ Est etiam expositio, et interpretatio scriptorum, cum scilicet breviter et nude adnotantur ea, quae expositione indigent. *Gell.* 2, 6. Grammatici, qui commentaria in Virgilium composuerunt. *Id.* 1, 12. In commentariis Labeonis, quae ad duodecim tabulas composuit. Adde *ib.* 21. etc. *Hieronym. in Rufin. n.* 16. Commentarii quid operis habent? Alterius dicta edisserunt, quae obscure scripta sunt, plano sermone manifestant, ut prudens lector judicet, quid verius sit, et quasi bonus trapezita adulterinae monetae pecuniam reprobet. [**Suet. Gramm.* 18. Donec commentario Smyrnae edito, adeo inclaruit.] ℙ Etiam adjective usurpari videtur. *Gell.* 14, 3. Xenophon in libris, quos dictorum atque factorum Socratis commentarios reliquit. ℙ *A commentariis* dicitur, qui commentariis praeest. *Inscr.* ap. *Grut.* 307, 1., 578, 1., 587, 6., 592, 4. et 5. et alibi: et est inter officia domus Augustae. ℙ Etiam in militia fuit *a commentariis* idem ac commentariensis. V. hanc vocem. *Inscr.* ap. *Donat.* 275, 4. M. Apicio T. F. Cam. Tironi 7. Leg. XV. Apollin. evoc., a commen*tariis* custo*diarum*. Is nempe fuit, qui, ut ait *Cic. Verr.* 2, 5, 57., rationem carceris conficit, quo quisque die datus in custodiam, quo mortuus, quo necatus sit.

COMMENTĀTĬO, onis, f. *διανόημα*, actus commentandi, meditatio. *Cic. Or.* 2, 27. Quos locos multa commentatione atque meditatione paratos habere debetis. *Id. Tusc.* 1, 30. *extr.* Tota philosophorum vita commentatio mortis est. ℙ Item ipsa lucubratio commentando confecta. *Id. Or.* 1, 33. Subitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit. *Plin.* 6, 17, 21. Seneca, tentata Indiae commentatione etc. *Id.* 28, 1, 2. Exstant Democriti commentationes. *Id.* 8, 16, 17. Commentatio Aristotelis de natura animalium.

COMMENTĀTOR, oris, m. *εὑρετής*, qui commentatur et excogitat aliquid. *Appul. Apol.* Omnium falsorum commentator, omnium simulationum architectus. *Tertull. Resurr. carn.* 33. Nullam parabolam non aut ab ipso invenias edissertatam, aut a commentatore Euangelii praeluminatam, *h. e.* ab eo, qui Euangelium conscripsit. V. *Luc. cap.* 18.

COMMENTĀTUS, a, um, part. a *commento*, *διανοηθείς*, *μεμελετημένος*, meditatus, passive. *Cic. Brut.* 88. Sua et commentata et scripta meminisse. *Q. Cic. ad Tiron. Fam.* 16, 26. Commentata oratio.

COMMENTĬCĬUS et Commentitius, a, um, adj. *ἐπίλωστος*, commentando inventus, excogitatus: tum in bonam, tum in malam partem. *Cic. N. D.* 2, 28. Commenticii et ficti Dii. *Id. Fin.* 5, 30. Nomina nova et commenticia. *Id. Or.* 1, 53. Commenticia civitas Platonis. *Paul. Dig.* 48, 19, 20. Jure commenticio receptum est, *h. e.* novo, recenter constituto. *Suet. Claud.* 21. Commenticia spectacula, *usitatis* opponuntur. *Gell.* 3, 19. Si licet res commenticias dicere. *Cic. N. D.* 1, 8. Futiles et commenticiae sententiae. *Id. ib.* 3, 24. Commenticiarum fabularum reddere rationem. *Id. Rosc. Am.* 15. Crimen commenticium. *Gell.* 12, 1. Commenticiae fraudes.

COMMENTĬOR, iris, dep. 4. fingo, mentior, *ψεύδομαι*. *Divi fratres in quadam epist.* ap. *Ulp. Dig.* 48, 18, 1. *ad f.* Quos habere se, commentitus fuerat. Ita *Torrent.* et *Gothofr.* Al. leg. *commentus*. *Appul. de Deo Socrat.* Si qua commentiatur, redarguere. *Id. Met.* 7. *sub in.* Virum commentitus bonum.

COMMENTO, as. V. in fine v. seq.

COMMENTOR, aris, atus sum, dep. 1. *μελετάω*, *διανοέω*, mente verso, meditor, excogito vel solus, vel cum aliis: a partic. *commentus* verbi *comminiscor*. *Cic. Am.* 2. His proximis Nonis cum in hortos Bruti auguris commentandi causa, ut assolet, venissemus. (loquitur *Cic.* de auguribus, qui statis diebus conveniebant de auguriis aut captis, aut capiendis meditaturi.) *Id. Tusc.* 3, 14. Commentari secum futuras miserias. *Id. Fam.* 4, 6. *sub f.* Te exopto quamprimum videre, et commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus. *Id. Phil.* 3, 14. Commentari atque meditari de aliqua re. [**Id. Fam.* 7, 1. Te ipsum, qui multos annos nihil aliud commentaris, docebo profecto, quid sit humaniter vivere.] ℙ Est etiam scribendo componere. *Cic. Rosc. Am.* 29. Commentari orationem in aliquem. *Id. Phil.* 11, 6. Commentari mimos. *Plin. praef. Hist. nat. ad f.* Cato commentans de militari disciplina. *Pl. Poen. prol.* 1. Achillem Aristarchi mihi commentari lubet, *h. e.* scribendo imitari Achillis comoediam ab Aristarcho conscriptam. ℙ Item disputare, *h. e.* quae commentatus fueris, disserere. *Gell.* 1, 9. Neque percontari, neque commentari quae audierat, fas erat. *Cic. Fin.* 5, 25. Satisne videor pro meo jure in vestris auribus commentatus? ℙ Item disputando exponere. *Suet. Gramm.* 2. Carmina diligentius retractare, ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facere. ℙ Item cogitando invenire. *Pl. Cas.* 2, 3, 25. Ut cito commentatus est! *scil.* fallaciam. ℙ Olim dictum est etiam *commento*, *as*, teste *Prisc.* 8, 797. *Pl. Men.* 5, 7, 30. Nimis bene ora commentavi, atque ex mea sententia, *h. e.* ora verberibus, quasi commentarium litteris, conscripsi. V. CONSCRIBO et CONSCRIBILLO.

COMMENTOR, oris, m. *εὑρετής*, qui aliquid excogitat, inventor. *Ov. Fast.* 3, 785. Luce sua ludos uvae commentor habebat, *h. e.* Bacchus.

COMMENTUM, i, n. *διανόημα*, *πλάσμα*, *μηχάνημα*, res meditando inventa: a supino verbi *comminiscor*. *Cic. N. D.* 2, 2. Opinionum commenta delet dies, naturae judicia confirmat. *Ter. Andr.* 1, 3, 20. At ipsis commentum placet. *Liv.* 1, 19. Metus Deorum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset, *Plin.* 22, 24, 56. Officinarum haec, immo verius avaritiae commenta sunt. *Id.* 35, 13, 47. *commenta terrae* appellat quasdam terrae miras proprietates, et veluti miracula: quasi haec illa cogitando invenerit. Ita enim legit *Hard.* ex MSS. Alii *segmenta*. ℙ In illo *Justin.* 21, 4. Ut religione votorum nefanda commenta tegerentur: *commenta* sunt meditata consilia dominationis occupandae.

COMMENTUS, a, um, part. a *comminiscor*. *Cic. N. D.* 2, 23. Monogrammos Deos, et nihil agentes commentus est Epicurus. *Pl. Amph.* 3, 3, 23. Fac, Amphitruonem advenientem ab aedibus ut abigas quovis pacto: fac, commentus sies, *h. e.* fallacias excogites. Male *Non.* 2, 152. exponit, communitus. ℙ Passive. *Ov. Met.* 6, 565. Dat gemitus fictos, commentaque funera narrat, *h. e.* ficta, excogitata. *Id. A. Am.* 1, 319. Sacra commenta. *eod. sensu. Paul. sentent.* 5, 4. Commenta fraus, *h. e.* excogitata.

COMMĔO, as, avi, atum, n. 1. ultro citro ire, ut *Fest.* exponit in *Remeare*, *διαπορεύομαι*. [**Curt.* 5, 1, 25. Quadrigae inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur.] *Cic. N. D.* 2, 33. Sursum deorsum, ultro citroque commeare. Et *ib.* 3, 12. Commeare retro. *Id. ib.* 2, 19. Sidera ab ortu ad occasum commeantia. *Id. Att.* 8, 9. Crebro illius litterae ab aliis ad nos commeant. [**Tac. A.* 4, 41. Litterarumque magna ex parte se arbitrum fore, cum per milites commearent. *Id. ib*, 13, 38. Commeantibus invicem nuntiis. *Id. ib.* 2, 28. Posse enim, eodem Flacco internuncio, sermones commeare.] *Cic. Manil.* 18. Insula Delos, quo omnes undique cum mercibus commeabant. *Caes. B. G.* 1, 1. Mercatores ad eos saepe commeant. *Plin. ep.* 2, 7. Commeare praeter statuam. *Nep. Eum.* 8. Commeare via aliqua. [**Ter. Hec.* 1, 2, 100. Huc raro in urbem commeat.] *Gell.* 6, 10. E domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat. *Id.* 17, 11. Spiritus a summo ore in pulmonem, atque inde rursus in os commeat. *Curt.* 4, 4. *ad f.* Commeantes mari libero. *Colum.* 1, 3. Libentius dominus

commeaturus sit, si vexationem viae non reformidet. *Cels. Dig.* 43, 19, 7. Commeare per fundum. [**Tac. A.* 1, 46. An Augustum, fessa aetate, toties in Germanias commeare potuisse.] ℙ Translate. *Cic. Coel.* 16. Cujus in hortos, domum, Bajas jure suo libidines omnium commearent. ℙ Cum accusativo. *Pl. Capt.* 1, 2, 82. Nam meus scruposam victus commeat viam. (V. COMMETO.) *Modestin. Dig.* 48, 10, 27. Qui usus falso diplomate vias commeavit. ℙ Passive impersonaliter. *Ulp. Dig.* 43, 18. *leg. ult. extr.* Si sine ponte commeari non possit. *Id. ib.* 9, 3, 1. Sine periculo per itinera commeari.

*COMMERCATOR, oris, f. *συνέμπορος. Gloss. Lat. Gr. B. A.*

COMMERCĀTUS, a, um, part. activae significationis a *commercor.* ℙ Passive. *Afran.* ap. *Non.* 1, 117. Jucunditatis plus inest in te mihi, Quam commercatis conquisite eduliis.

*COMMERCIARIUS, i, m. *συνωνήτης. Gloss. Lat. Gr. B. A.*

COMMERCĬUM, ii, n. *συνάλλαγμα*, emendi merces, et vendendi invicem jus, ut *Ulp. regular. tit.* 19. definit: item facultas comportandi merces ex uno in alium locum. *Sall. Jug.* 21. Mare magnum, et ignara lingua commercia prohibebant. *Cic. Verr.* 2, 3, 4. In agro Segestano Panormitanis commercium est. *Plin. Pan.* 29. Diversas gentes ita commercio miscuit, ut quod genitum esset usquam, id apud omnes natum esse videretur. ℙ *Commercium alicujus rei* habere dicitur is, qui eam vel alienare, vel acquirere potest. *Cic. Verr.* 2, 4, 59. *extr.* L. Crasso, Q. Scaevolae commercium signorum et tabularum pictarum cum Graecis hominibus non fuit. *Liv.* 43, 5. *ad f.* Ut denorum equorum iis commercium esset, *h. e.* ut denos equos emere possent. Adde *Paul. Dig.* 41, 1, 62. et 30, 1, 39. *in f.* et *Ulp. ib.* 45, 1, 34. Hinc *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 8, 51, 10. 11. 12. etc. Res commercio redimere, *h. e.* jure recuperandi. ℙ Pro ipsis rebus, quae commercio distrahuntur. *Plin.* 35, 13, 47. Sabulum portare cum reliquis commerciis militaribus. ℙ Item pro locis, in quibus exercetur. *Id.* 37, 3, 11. *n.* 2. Qui commercia haec et litora peragravit. Adde *Claud. in Eutrop.* 1, 58. ℙ Translate pro usu et consuetudine. *Cic. Tusc.* 5, 23. Habere commercium cum Musis. *Id. Senect.* 12. Voluptas nullum habet cum virtute commercium. *Ov. Trist.* 5, 10, 35. Exercent illi sociae commercia linguae. *Vell.* 2, 65. Commercia epistolarum. *Sil.* 2, 506. culpae. *Curt.* 8, 9. vitiorum. *Liv.* 5, 15. studiorum. *Suet. Claud.* 42. sermonis. *Virg. A.* 10, 532. belli, *h. e.* facultas vicissim redimendi captivos, et vicissim ignoscendi. *Tac. H.* 3, 81. Commercia belli dirimere. *Id. Agr.* 2. Commercium loquendi et audiendi. *Pl. Aul.* 4, 4, 4. Quid tibi mecum est commercii, senex? ℙ De consuetudine stupri. *Id. Truc.* 1, 1, 77. et *Suet. Cal.* 36. et *Val. Max.* 8, 2. *n.* 2. ℙ Exercere commercium strenarum, apud *Suet. Tib.* 34. est strenas, ac munuscula vicissim dare, et accipere. ℙ Usurpatur etiam pro annona, seu commeatu ciborum omnium, qui ad milites sustentandos pertinent. *Plin.* 26, 4, 9. Romani duces primam semper in bellis commerciorum habuere curam. *Front. Strateg.* 2, 5. Certior factus hostem inopem commercio laborare. ℙ Ponitur etiam pro pretio. *Juvenc.* 3, 310. Vel quae digna queunt animae commercia poni? ℙ Antiqui *commircium* scripserunt: sed ea scriptura iis est relinquenda. *Vel. Long. de Orthogr.* p. 2236.

COMMERCOR, aris, atus sum, dep. 1. simul mercor, coemo, *συμπρίαμαι. Pl. Pers.* 4, 9, 12. Qui hic commercaris cives homines liberos. *Sall. Jug.* 70. Commercari arma.

COMMĔRĔO, ēres, rui, eritum, a. 2. *ἀξιοῦμαι*, idem quod mereo: et in malam partem accipitur. *Cic. Or.* 1, 54. Interrogabatur reus, quam quasi aestimationem commeruisse confiteretur. *Ter. Hec.* 4, 2, 4. Nunquam sciens commerui, merito ut caperet odium illam mei. *Ov. Trist.* 2, 4. An semel est poenam commeruisse parum? ℙ Aliquando est committere, admittere. *Pl. Most.* 5, 2, 56. Commerere noxiam. *Id. Merc.* 4, 6, 12. et *Ter. Ph.* 1, 4, 28. culpam in se. *Pl. Epid.* 1, 1, 59. aliquid male in se. ℙ Absolute. *Ov. Fast.* 1, 362. Quid bos, quid placidae commeruistis oves? *Ter. Andr.* 1, 1, 112. Quid commerui, aut peccavi pater? ℙ Est etiam *Commereor, eris, eritus sum* dep. eodem prorsus usu, et significatione. *Ter. Hec.* 3, 5, 36. Nunquam quicquam erga me commerita est, quod nollem, *h. e.* admisit. *Arnob.* 2. p. 93. Coepit Juppiter certo tempore cultus et sacrificia commereri. ℙ Part. *Commeritus* activa significatione. *Pl. Aul.* 4, 10, 8. Me hanc culpam commeritum scio. *Gell.* 1, 6. Commeritus est fidem sedulitatis et veritatis. ℙ Passive. *Pl. Trin.* 1, 1, 4. Amicum concastigabo pro commerita noxia, *h. e.* pro culpa admissa.

COMMĔRĔOR. V. v. praec.

[COMMERGO, is, a. 3. simul mergo. *Not. Tir.* p. 119. Commergit. *F.*]

COMMĔTĬOR, iris, ensus sum, dep. 4. *συμμετρέω*, idem quod metior, vel simul metior. *Colum.* 5, 1. Reperire rationem de commetiendis agris. *Pl. Most.* 3, 3, 8. Omnes porticus sumus commensi. *Cic. Inv.* 1, 26. Commetiri oportet cum tempore negotium.

COMMĒTO, as, n. 1. frequentat. a *commeo. Naev.* ap. *Non.* 2, 163. Cum ad lupam nostram tam multi crebro commetant lupi. *Afran. ib.* Quo tu commetas? *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 2, 5, 79. restituendum putat *Ter. Heaut.* 3, 1, 35. Commetare ad mulierculam. Et *Pl. Capt.* 1, 2, 82. Commetare viam scruposam, quod et *Taubman.* viderat. Alii utroque loco *commeare.*

[COMMĪCO, as, n. 1. simul mico. *Not. Tir.* p. 110. Commicat. *F.*]

COMMICTĬLIS, le, adj. a *cum*, et *mingo*, vilis, contemptibilis, quasi qui commingi possit. *Pompon.* ap. *Non.* 2, 109. Servus comicus commictilis.

COMMICTUS, a, um, part. a *commingo*, mingendo conspurcatus. *Commictum coenum* apud *Pl. Pers.* 3, 3, 3. est convicium in hominem vilem ac spurcum. Apud *Catull.* 99, 10. Commicta lupa, *h. e.* scortum vulgatissimum. Alii leg. *Commincta*, ab eodem verbo *commingo*: alii *commixta.*

COMMĪGRĀTĬO, onis, f. *Senec. Cons. ad Helv.* 6. *de stellis.* Aliunde alio commigratio est.

COMMĪGRO, as, avi, atum, n. 1. idem quod migro, vel simul migro, *μετοικέω. Cic. Q. Fr.* 2, 3. *ad f.* In domum tuam commigrabis. *Ter. Ad.* 4, 5, 15. Neque diu huc commigrarunt.

COMMĪLES, litis, m. socius, vel auxiliarius in militia, commilito. *Plin.* 37, 2, 6. Commilitibus singulis HS quinquaginta data. *Hard.* ex MSS. leg. militibus. *Caes. B. C.* 2, 29. Commilitesque nonnulli graviores sermones etc. Ita quaedam editiones, atque in his Aldina 1513. nec improbat *D. Vossius:* sed alii *commilitones:* et *Davis.* suspicatur legendum *comminitantesque. Inscr.* apud *Mur.* 819, 4. L. Heterio Q. F. Gent. Leg. Galbianae Jul. Roscius commiles.

COMMĪLĪTĬUM, ii, n. *συστρατεία*, societas militiae. *Tac. A.* 1, 60. Chauci, cum auxilia pollicerentur, in commilitium asciti. *Plin. ep.* 10, 18. Instructus commilitio tuo, *h. e.* doctus militarem disciplinam, quia tecum militavit. *Quint.* 5, 10. *sub f.* Uti commilitio alicujus, *h. e.* militare simul cum aliquo. *Vell.* 2, 29. Assuetus commilitio prudentissimi ducis. ℙ Translate. *Ov. Pont.* 2, 5. 72. Et commilitii sacra tuenda putas, *h. e.* communionem studiorum. Sic *Appul. Flor. n.* 16. Jura amicitiae a commilitio studiorum inchoata.

COMMĪLĪTO, as, n. 1. simul milito. *Flor.* 3, 5. Luna quasi commilitans, cum a tergo se hostibus praebuisset, umbras suas quasi hostium corpora petebant.

COMMĪLĪTO, onis, m. socius militiae, *συστρατιώτης. Cic. Dejot.* 10. Qui meus in Cilicia miles, in Graecia commilito fuit. *Vell.* 2, 59. Habere aliquem commilitonem belli. *Suet. Caes.* 67. Nec milites eos pro concione, sed blandiori nomine commilitones appellat. Adde *eund. Aug.* 25., *Quint.* 6, 3. *post med.* et *Aur. Vict. Epit.* 1. ℙ Translate ita vocatae ab Elagabalo Imp. meretrices. *Lamprid. Elagab.* 26. Apud eas concionem habuit quasi militarem, dicens eas commilitones.

COMMĪNĀBUNDUS, a, um, adj. comminativus. *Tert. adv. Marc.* 4, 15. Comminabundus nobilibus et superbis.

COMMĪNANS, antis, part. a *comminor*, qui comminatur. *Appul. Met.* 10. Pupillae acre comminantes. Adde *ib.* 6. ℙ Item agens, ducens, a *mino, as. Id. ib.* 7. Gregatim pecua comminantes.

COMMĪNĀTĬO, onis, f. *ἀπειλή. Cic. Or.* 3, 54. Orationis est vel ad usum comminatio, et quasi petitio etc. *Suet. Tib.* 37. Reges comminationibus magis, quam vi repressit. *Liv.* 26, 8. Fabius terreri, et circumagi ad nutus, comminationesque Annibalis flagitiosum ducebat.

COMMĪNĀTĪVUS, a, um, adj. comminandi vim habens. *Tert. adv. Marc.* 2, 25. Non dubitativum, sed comminativum exprimens sensum.

COMMĪNĀTOR, oris, m. *Tert. adv. Gnost.* 9. Ignium comminator.

COMMĪNĀTUS, a, um, part. a *comminor* signif. passivae. *Appul. Met.* 6. Scrupulus comminatae mihi mortis. Adde *ib.* 10.

COMMINGO, is, inxi, ictum, vel inctum, a. 3. mictu aspergo, *Hor. Sat.* 1, 3, 90. Comminxit lectum potus. ℙ Translate. *Catull.* 78, 7. purae impura puellae Suavia comminxit spurca saliva tua. Al. leg. *conjunxit.* ℙ De part. V. COMMICTUS.

COMMĪNĪSCOR, ĕris, mentus sum, dep. 3. excogito, *συμπλάττω, διανοέομαι:* a *con* et *mens*, cum finguntur in mente quae non sunt, ut *Varr. L. L.* 5, 6. docet. Fere in malam partem accipitur. *Cic. N. D.* 2, 23. Epicurus monogrammos Deos, et nihil agentes commentus est. *Auct. ad Herenn.* 2, 8. Confingere, et comminisci aliquid. *Pl. Asin.* 1, 1, 89. Fabricari et comminisci. *Id. Mil.* 2, 2, 71. Reperire et comminisci. *Id. Pseud.* 4, 7, 64. Docte comminisci dolum. *Id. ib.* 2, 3, 23. mendacium. *Id. Bacch.* 4, 9, 58. maledicta. *Id. Aul.* 1, 1, 30. Nec queo comminisci, quid hero dicam meo. Et *ib.* 35. Neque queo comminisci quo pacto celem probrum. *Scrib. in epist. ad C. Jul. Callist.* Cum tam impudenter comminiscantur de eo, *h. e.* perverse fingant, mentiantur. ℙ In bonam partem. *Suet. Claud.* 21. Comminisci novas litteras. [**Adde Eund. Aug.* 30.] *Mela* 1, 12. Phoenices litteras, aliasque etiam artes, maria navibus adire, classe confligere, imperitare gentibus commenti sunt. ℙ *Comminisco* activa positione. *Appul. Met.* 4. Remedium e re nata validum, eo volente, comminiscimus. Est qui legit *comminiscimur.*

COMMĪNISTRO, as, a. 1. idem quod ministro. *Plin.* 28, 8. 27. Extremam fistulam intestini contra ducum, ac potestatum iniquitates comministrant. *Hard.* legit *commonstrant.*

COMMĪNO, as. V. COMMINANS.

COMMĪNOR, aris, atus sum, dep. 1. idem ac minor, vel valde minor, *ἀπειλέω. Liv.* 10, 39. Comminando magis, quam inferendo pugnam, dies absumebatur. *Suet. Caes.* 62. Ut aquilifero moranti cuspide sit comminatus. *Id. ib.* 14. Comminari necem alicui. *Hirt. B. Afr.* 71. Comminari impetum. ℙ Part. *Comminans.* V. suo loco. *Comminandus* ap. *Liv.* 42, 7. Ut qui id ipsum oppugnatione comminanda quaesisset.

COMMĪNŪO, is, ui, ūtum, minutatim frango, *συντρίβω. Cic. Pis.* 38. Illi statuam deturbant, affligunt, comminuunt, dissipant. *Ov. Med. fac.* 72. Utraque (*fabas* et *lupinos*) da nigris comminuenda molis. [**Id. Fast.* 5, 508. Et profert quassas comminuitque faces.] *Petr. fragm. Tragur.* 64. *Burm.* Comminuere vasa crystallina. *Plin.* 11, 37, 68. Testudo rostri acie comminuit omnia. *Id.* 20, 4, 13. Raphani cortices decocti mane poti comminuunt et ejiciunt calculos. *Pl. Rud.* 4, 4, 74. Ego tibi comminuam caput. *Id. Bacch.* 5, 1, 31. Comminuere postes securibus. ℙ Translate. *Id. Boeot.* ap. *Gell.* 3, 3. diem articulatim, *h. e.* in exiguas partes dividere et distribuere. *Cic. Off.* 2, 11. *ad f.* Viriatum Lusitanum C. Laelius fregit et comminuit. *Id. Quint.* 6. Nullum est officium tam sanctum, quod non avaritia comminuere atque violare soleat. *Id. Att.* 4, 3. *sub. f.* Animo dumtaxat vigemus: re familiari comminuti sumus. *Ov. Her.* 3, 134. Comminuere aliquem lacrimis, *h. e.* frangere, vincere. *Id. Met.* 12, 471. nec te natalis origo Comminuit? [*i. e. animum tuam fregit.] *Id. Pont.* 3, 3, 34. Comminuere vires ingenii. *Quint.* 1, 7. Concidere et comminuere ingenia. *Plin. ep.* 9, 2. Frigida negotia, quae simul et avocant animum, et comminuunt. ℙ Si vocis originem spectes, significat idem quod *minuo*, aut *valde minuo.* Quo sensu *Hor. Sat.* 1, 1, 43. immensum argenti pondus et auri Furtim defossa timidum deponere terra? Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem.

COMMĪNUS. V. COMINUS.

COMMĪNŪTIM, adv. minutatim. *Apic.* 4, 4. Comminutim concisa. Al. leg. *minutatim.*

COMMĪNŪTUS, a, um, part. a. *comminuo*, minutatim fractus, *συντετριμμένος. Cic. Verr.* 2, 4, 25. Dum armis exercetur, annulus aureus, quem habebat, fractus est et comminutus. *Stat. Silv.* 1, 6, 73. Vitrea comminuta. *Sall. Jug.* 64. Scalae comminutae. *Plin.* 2, 103, 106. Lapis comminutus. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 5, 37. Opes civitatis victae, comminutae, et depressae. *Id. Att.* 4, 3. *sub f.* Re familiari comminuti sumus.

COMMIS, is, f. idem ac gummi, *κόμμι. Plin.* 13, 11, 20. Fit et ex sarcocolla commis utilissima pictoribus etc. Sic enim ibi legendum esse, docet *Hard.* ex MSS. omnib. *Scrib. Compos.* 72. Commis Alexandrina. Adde *ib.* 23, 27, 28, 29. etc. ℙ Est etiam mascul. gen. *Id. Compos.* 24. Commis Alexandrini p. XX. ℙ Reperitur et *commi* indeclin. neutr. gen. *Id. ib.* 251. Commi quod vocant etc., aceto dilutum bene facit. ℙ Dicitur etiam *cummis*, et *cummi. Cinna* ap. *Non.* 3, 78. Alpinaque cummi. *Cato R. R.* 69. Cummin pridie in aquam infundito. *Plin.* 24, 9, 37. Arbor exsudat commium modo. *Rhodius* in *Lex. Scrib.* ita legi vult etiam ap. *Cels.* 5, 23. *n.* 3., ubi in editis habetur *cumini:* at *Targa* legit *gummi.*

COMMISCĔO, es, iscui, ixtum, et istum, a. 2. *συμμίγνυμι*, idem quod misceo, vel simul misceo. *Pl. Pers.* 1, 3, 7. Commiscere mulsum. [**Suet. Vitell.* 13. In hac (patina) scarorum jocinora, phasianorum et pavonum cerebella etc. commiscuit. *Virg. Mor.* 114. Atque iterum commiscet opus, mistumque retractat.] *Cic. N. D.* 2, 51. In bestiis commiscendorum corporum mirae libidines. *Scrib. Compos.* 56. Commiscere multa in unum. *Id. ib.* 32. Crocum, psimmithium, commis aqua pluviali commiscentur. Et *ib.* 265. Cera et oleum commiscetur ceteris. *Cato R. R.* 93. Commiscere amurcam cum aqua. [**Suet. Caes.* 81. Libellumque, insidiarum indicem, libellis ceteris commiscuit. *Id. Dom.* 17. Reliquias templo Flaviae gentis clam intulit, cineribusque Juliae commiscuit. *Propert.* 2, 8, 23. Et sua cum miserae commiscuit ossa puellae. Ita *Gr. ὀστέοις ἀναμίξαντες ὀστέα.* Citat

haec verba ex *Luciani Amor. Vulp.*] ℙ Translate. *Cic. Marc.* 2. Nunquam temeritas cum sapientia commiscetur. *Pl. Rud.* 2, 6, 3. Si quis quid cum Neptuno rei commiscuit, *h. e.* navigationi se dedit. *Id. Mil.* 5, 2, 68. Commiscere aliquid consilii cum aliquo. *Auct. ad Herenn.* 4, 35. Jus accusatoris cum jure testimonii. *Senec. ep.* 7. Quo major est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est.

COMMISCĪBĬLIS, le, adj. qui misceri potest. *Tertull. Anim.* 12. Commiscibilis animus.

*COMMISCŪUS, a, um, adj. κοινός. *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

COMMĪSĔRĀTĬO, onis, f. κατοίκτισις. *Auct. ad Herenn.* 2, 31. Commiserationem brevem esse oportet: nihil enim lacrima citius arescit. Adde *Cic. Or.* 3, 58.

COMMĪSĔRĔOR, eris, eritus sum, dep. 2. κατοικτίζω, ἐποικτίζομαι, idem quod commiseror. *Gell.* 7, 5. Ut Electra comploret, commisereaturque interitum ejus. Al. leg. *commisereturque*: quod est a *commiseror.* ℙ Passive impersonaliter. *Id.* 16, 19. Navitas precum ejus commiseritum esse illactenus, ut etc.

COMMĪSĔRESCO, is, n. 3. idem quod miserescо, commiseror, ἐποικτίζομαι.. *Ter. Hecyr.* 1, 2, 53. Ita aegre tulit, ut ipsam Bacchidem, si adesset, credo ibi commiseresceret. *Enn.* ap. *Non.* 7, 37. Servos, et nostrum imperium, et fidem Myrmidonum commiserescite.

COMMĪSĔRO, onis, m. qui commiseratur, vel qui commiseratione dignus est. *Tertull. adv. Marc.* 4, 9. Apud illum suum nescio quem συνταλαίπωρον, idest commiseronem. Et *ib.* 36. Commiserones, et coodibiles haeretici.

COMMĪSĔROR, aris, atus sum, dep. 1, κατοικτίζω, idem quod miseror, vel valde miseror, miseratione afficior, conqueror. *Cic. Div. Verr.* 14. Cum commiserari, conqueri coeperit. *Acc.* ap. *Non.* 5, 69. Te commiserabar magis, quam miserabar mei. *Nep. Agesil.* 5. Ut commiseratus sit fortunam Graeciae. ℙ Part. *Commiserans* ap. *Gell.* 5, 14. Leo gemitus edens, et murmura dolorem cruciatumque vulneris commiserantia. *Commiserandus* ap. *Auct. ad Herenn.* 4, 55. *extr.* Haec exornatio plurimum prodest in amplificanda, et commiseranda re.

COMMISSĀTĬO. } V. COMISATIO etc.
COMMISSOR. }

COMMISSĬO, onis, f. verbal. a *committo*, συμβολή, σύναυσις, ut commissio pugnae, commissio ludorum, *Cic. Att.* 15, 26., idest initium pugnae, vel ludi. Sic commissio poetarum: quam *Suet Cal.* 20. vocat certamen. *Plin. ep.* 7, 24. Ludis pantomimi producti in commissione. *Macr. Sat.* 2, 7. Laberius sequenti statim commissione mimo novo interjecit hos versus. ℙ Pro scriptis ipsis, quae in commissionibus edebantur, Graece ἀγωνίσματα, Caligula posuit, cum, Senecam commissiones meras componere, argueret. Notabat enim in eo dicendi genus, quod magis ad pompam et ostentationem, (quod faciunt ii, qui committunt sua opera) quam ad gravitatem comparatum esset. *Suet. Cal.* 53. [*V. *Casaub.* ad h. l.] Adde *eund. Aug.* 89. ℙ Est etiam commissum, peccatum. *Arnob.* 4, 148. Piaculi dicitur contracta esse commissio. [*Commutantur *Commissiones* et Commessationes ap. *Plin. Pan.* 54, 1. ubi vide interpretes.]

COMMISSŌRĬUS, a, um, adj. ut *Lex commissoria*, idest exceptio adjecta contractui, contra quam si alteruter contrahentium commiserit, in multam incurrit, de qua conventum est. *Ulp. Dig.* 18, 3, 4. Si fundus lege commissoria venierit, ut nisi intra certum diem pretium exsolutum sit, inemptus fiat. Dicitur etiam *commissoria* absolute. *Papin.* ap. *Ulp. ib.* Exercere commissoriam. Et ipse *Ulp. ib.* 43, 23, 11. *sub f.* Si forte praedium commissoria venierit.

COMMISSUM, i. n. πλημμέλεια, ἁμάρτημα, facinus admissum, peccatum. Revera adjectivum est, et subauditur *scelus*, *facinus. Ascon. in Verr.* 2, 2, 9. *ad f.* videtur innuere *commissum* proprie dici id, quod contra testatoris voluntatem factum aut non factum ab herede, multa aliqua, poenaque plectitur. Verum saepius latiori significatione usurpatur pro quocumque scelere. *Cic. Leg.* 2, 9. Sacrum commissum. et *Sull.* 26. Commissum audax. *Virg. A.* 1, 140. Post mihi non simili poena commissa luetis. *Stat. Silv.* 5, 5, 5. post poenam liceat commissa fateri. *Hor. Od.* 3, 27, 38. Plorare turpe commissum. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 304. Commissa improba. Adde *Pl. Men.* 5, 2, 21. [*Ov. *Fast.* 4, 590. Commissi praemia raptor habet.] ℙ Pro re, quae alicujus fidei, aut silentio committitur. *Cic. Tusc.* 2, 13. Homo propter vim doloris enuncians commissa, prodens conscios. *Hor. Ep.* 1, 18, 38. Commissumque teges et vino tortus, et ira. *Id. Sat.* 1, 3, 95. Prodere commissa. Et *ib.* 4, 84. tacere. *Claud. in I. Cons. Stilich.* 2, 56. negare. [*Nep. *Epam.* 3. In primis commissa celans, quod interdum non minus prodest, quam diserte dicere.] ℙ *Commissum* apud JCtos est id. quod ob vectigal non solutum, vel omissam apud publicanos professionem, fisco vindicatur. Item ipsa adjudicatio fisci. *Suet. Cal.* 4. Vectigalibus indictis, cum per ignorantiam scripturae multa commissa fierent. *Quint. Decl.* 341. Quod quis professus non est apud publicanos, pro commisso tenetur. *Id. ib.* Venire in commissum. *Ulp. Dig.* 39, 4. *tit. qui est* De publicanis, et commissis, 16. In commissum cadere. Et *ib.* Incidere in causam commissi. Et *infra.* Poena commissi. *Paul. ib.* 11. *ad f.* Res, quae commisso vindicanda est, *h. e.* fisco adjudicanda. *Scaevola ib.* 19, 2, 61. *ad f.* Tollere onus navis commisso.

COMMISSŪRA, ae, f. ἁρμογή, junctura, compages. *Cic. N. D.* 2, 55. Ossa mirabilis commissuras habent. Et *ib.* 60. Digitorum molles commissurae. *Id. Univ.* 7. Ut et ipsae secum, et inter se ex commissura jungerentur. *Senec. Ben.* 5, 12. Commissurae nodorum, et morae. Et *ib.* 7, 21. *extr.* Per clostrum, qua se commissura laxaverat, denarios inseruit. *Id. Q. N.* 2, 6. Commissura lapidum. *Scrib. Compos.* 196. dentium. *Lucil.* ap. *Non.* 11, 46. rimarum. *Plin.* 16, 36, 64. navium. *Id.* 17, 10, 11. nucum. *Id.* 35, 5, 12. et *Senec. Q. N.* 1, 3. *ante med.* colorum, *h. e.* ubi unus color in pictura alteri committitur. V. HARMOGE. *Cato R. R.* 135. funis, *h. e.* nodus ad capita funis, ne dissolvatur. *Colum. Arbor.* 26. *ad f.* insitionis. ℙ Commissura Piscium, ap. *Plin.* 18, 31, 74. est nodus, quo Pisces signum coeleste invicem nectuntur. V. NODUS. ℙ Translate. *Quint.* 9, 4. Consonantes, quae sunt asperiores, in commissura verborum rixantur. *Id.* 7, 10. *ad f.* Sensus inter se juncti atque ita cohaerentes, ne commissura pelluceat. (*Pers.* eadem translatione eandem sententiam expressit 1, 64. V. JUNCTURA.) *Id.* 12, 9. Commissurae orationis hiantes.

COMMISSŪRĀLIS, le, adj. ad commissuram pertinens. *Veg. Vet.* 2, 13. Loci ossuosi, et commissurales.

COMMISSUS, a, um, part. a *committo*, συντεθείς, conjunctus. *Ov. Her.* 2, 31. Commissa dextera dextrae. [*Id. Met.* 4, 369. Commissaque corpore toto Sicut inhaerebat. *Id. ib.* 580. Commissa in unum crura. *Id. ib.* 6, 178. Fidibusque mei commissa mariti moenia, i. e. constructa.] *Virg. A.* 3, 428. pistrix Delphinum caudas utero commissa luporum. *Cels.* 8, 1. Medulla spinae commissa cerebro. *Senec. Herc. Oet.* 1697. Nox commissa, *h. e.* gemina, conjuncta alteri nocti. *Quint. praef.* 7. Dispositio res in ordinem digestas, atque inter se commissas devincit. *Virg. A.* 9, 675. Porta commissa i. e. clausa. *Front. Strateg.* 1, 5. Relicto buccinatore, qui vigilias divideret, et quarta vigilia commissa, eum sequeretur. ℙ Item in contentionem, aut certamen deductus. (V. COMMITTO.) *Prop.* 4, 4, 57. Commissas acies ego possum solvere. *Cic. Cat.* 3, 3. Pugna commissa. *Suet. Caes.* 39. Commissi pedites, elephanti, equites. *Virg. A.* 5, 113. Et tuba commissos medio canit aggere ludos. *Juven.* 7, 10. Et vendas potius, commissa quod auctio vendit, *h. e.* quae est veluti certamen inter praeconem, et licitatores, quin et inter licitatores ipsos. [*Unde metaphora petita in rebus venereis. *Propert.* 4, 7, 19. Saepe Venus trivio commissa et pectore mixto Fecerunt tepidas pallia nostra vias.] ℙ Item factus, patratus. *Cic. Fam.* 3, 10. Commissum facinus confiteri. *Virg. A.* 6, 569. Piacula commissa apud Superos.. *Suet. Aug.* 69. Adulteria commissa. ℙ Item concreditus. *Cic. Dom.* 1. Salus, vita, libertas, arae, foci vestrae sapientiae, fidei, potestati commissa et credita. *Id. Verr.* 2, 5, 14. Honor non solum datus, sed etiam creditus ac commissus. [*Virg. A.* 10, 156. Gens Lydia externo commissa duci. *Prop.* 1, 10, 12. Accipe commissae praemia laetitiae, i. e. nobiscum communicatae.] V. COMMISSUM. ℙ Item fisco vel cuicumque alteri vindicatus propter aliquam conditionem violatam. *Cic. Verr.* 2, 1, 10. Hereditas Veneri Erycinae commissa. *Id. Fam.* 13, 56. Hypothecae commissae, *h. e.* quae in potestatem creditoris veniunt ob omissionem solutionis ad diem dictam. *Id. Flacc.* 21. Fiducia commissa. V. FIDUCIA. *Paul. Dig.* 39, 4, 11. Merces commissae. *Ulp. ib.* 39, 14, 6. Mancipium commissum. V. COMMISSUM. ℙ Hinc *poena commissa* ap. *Cic. Verr.* 2, 3, 12., *h. e.* quae debetur. Sic *devotio capitis convicta et commissa* ap. *eund. Dom.* 57., *h. e.* quae, impleta conditione, perfecta est. ℙ *Lex commissa* ap. *Ulp. Dig.* 18, 3, 4. est, quae robur suum habere coepit. Sic *edictum commissum* ap. *eund. ib.* 37, 4, 8. et 10.

COMMISTUS. V. COMMIXTUS.

COMMĪTĪGO, as, avi, atum, a. 1. tundendo mollem seu mitem reddo. *Ter. Eun.* 5, 8, 4. Utinam tibi commitigari videam sandalio caput. [*V. *Ruhnken. Dictata* ad *h. l.*] *Donatus* interpretatur *tundendo deprimi*, *atque deponi.* Alii exponunt *comminui*, *frangi*, praesertim si *Voss.* audias, qui in *Etymol.* vocem *mitis* a Graeco μειοῦν, *minuere* derivari censet. Sed V. MITIGO.]

COMMITTO, is, isi, issum, a. 3. συντίθημι, συμβάλλω, συνάπτω, simul mitto, jungo. *Cels.* 7, 19. Suturis oras vulneris inter se committere. *Id.* 8, 1. Suturae calvariae in unguem committuntur. *Id. ib.* Costae committuntur cum osse pectoris. *Curt.* 4, 2. Moles, quae urbem continenti committeret. [*Ov. *Met.* 12, 315. Qua naris fronti committitur. 478. Qua vir equo commissus erat.] *Ov. Amor.* 1, 13, 46. *de Jove.* Commisit noctes in sua vota duas. ℙ Translate. *Virg. A.* 12, 60. manum committere Teucris. *African. Dig.* 45, 1, 63. Utra prius conditio exstiterit, stipulatio committitur, *h. e.* contrahitur, firmatur, concluditur. ℙ Est etiam mittere, conjicere. *Cic. Rosc. Am.* 23. Committere se in conclave. *Id. Verr.* 2, 4, 11. se in conspectum populi Romani. [*Suet. *Nero* 26. quare nunquam postea se publico, illud horae, sine tribunis commisit.] ℙ Item facere. *Cic. Rosc. Am.* 5. Judicium inter sicarios hoc primum committitur. *Curt.* 9, 4. Committere, aut differre obsidionem. ℙ In hac significatione saepius in malam partem sumitur. *Cic. Off.* 2, 14. Committere, ut accusator nominere. *Id. Fam.* 3, 9. *ad f.* Non est meum committere, ut negligens videar. *Liv.* 5, 46· Caedicius negare, se commissurum, cur etc. ℙ Cum infinito. *Colum.* 4, 2. Hoc cum saepius bubulci fieri vident, non committunt scamna facere. *Ov. Met.* 9, 630. Cum pigeat tentasse, libet tentare: modumque Exit, et infelix committit saepe repelli. ℙ Saepissime est patrare. *Cic. Div. Verr.* 11. Quae tu commisisti, Verri crimini daturus sum. *Id. Verr.* 2, 1, 2. Multa in Deos impie nefarieque committere. *Id. Brut.* 61. Committere flagitium. *Sallust. orat.* 2. *ad Caesar.* facinus. *Quint.* 7, 3. adulterium. Et *ib.* 4. *extrem.* caedem. *Ulp. Dig.* 39, 2, 15. *in f.* damnum. *Id. ib.* 44, 7, 24. furtum vel injuriam. [*Suet. *Cal.* 23. Praedicabat autem, matrem suam ex incesto, quod Augustus cum Julia filia commisisset, procreatam.] ℙ *Committere in*, vel *contra legem*, aut *committere lege* dicuntur ii, qui aliquid contra legem faciunt, ex quo obnoxii fiunt poenae lege statutae. *Cic. Brut.* 12. *extr.* Isocrates, quasi committeret contra legem, saepe in judicium vocatus est. *Varr. R. R.* 2, 1. *post med.* Greges ad publicanum profitentur: ne si inscriptum pecus paverint, lege censoria committant. *Marcell. Dig.* 48, 10, 10. et *Papinian. ib.* 48, 5, 39. Committere in legem. Sic *Pomp. ib.* 34, 3, 8. adversus testamentum. *Paul. ib.* 17, 2, 65. in Pro socio actionem. ℙ *Committere poenam*, vel *in poenam* est legem violando poenae lege statutae obnoxium fieri. *Cic. Cluent.* 37. Committere multam. *Quint.* 7, 4. poenam. *Cajus Dig.* 2, 2, 4. in poenam edicti. *Quint.* simili ratione *committere discrimen* dixit, *h. e.* quidpiam facere, ex quo in discrimen adducaris. ℙ Apud JCtos *committere edictum*, *stipulationem* dicitur is, qui facit aliquid, ex quo edictum, aut stipulatio vim habet, atque obligat. *Ulp. Dig.* 37, 4. 3, 8. et 10. et *Paul. ib.* 11. et *ib.* 24, 3, 56. et alibi saepe. ℙ Aliquando idem est ac fisco vindicari. *Paul. Dig.* 3, 5, 12. Periculum erat, ne praedia in publicum committerentur. V. COMMISSUS. ℙ Frequenter ponitur pro dare, tradere, concredere, et dicitur de iis rebus, quae dubium eventum habere possunt. *Colum.* 2, 8. Committere semen solo. *Plin.* 36, 22, 50. aliquid coelo. *Cels.* 6, 18. *n.* 2. ulcus frigori. *Id.* 1, 2. *extr.* se labori. *Cic. Att.* 15, 11. Auctor non sum, ut te urbi committas. *Id. Rosc. Am.* 42. *extr.* Quae posita sunt in suspicionibus, ea vestris ingeniis, conjecturaeque committo. *Id. Dom.* 19. Committere se populo. *Id. Att.* 4, 1. *ad f.* aliquid epistolae. [*Ov. *Met.* 9, 601. Et tamen ipsa loqui, nec me committere cerae Debueram, praesensque meos aperire furores. *Id. ib.* 587. Quid, quae celanda fuerunt, Tam cito commisi properatis verba tabellis?] *Id. Fam.* 16, 4. et 12. *Phil.* 10. se navigationi aut viae. [*Ov. *Met.* 8, 551. Nec te committe undis.] *Id. Att.* 1, 13, et *Manil.* 11. se periculo. *Id. Att.* 9, 6. timidius se fortunae. *Id. Acad.* 4, 21. se in praecipitem locum. *Liv.* 4, 27. rem in casum ancipitis eventus. *Id.* 28, 18. *ad f.* se in hostilem terram, in potestatem regiam, in fidem inexpertam. *Id.* 7, 26. *ad f.* se in aciem. *Id.* 8, 32. rempubl. in discrimen. [*Caes. *B. C.* 3, 74. Rem proelio committere. *Suet. Dom.* 6. Cui belli summam commiserat. *Ov. Met.* 10, 393. Ut sibi committat, quidquid dolet.] *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 9. et credere aliquem fidei et potestati alicujus. *Ter. Eun.* 5, 2, 47. Commendare, et committere se fidei alicujus. *Id. Andr.* 1, 5, 6. gnatam suam in uxorem alicui. *Just.* 2, 12. salutem navibus. *Appul. Met.* 7. divitias publica custodela, *h. e.* publice custodiendas, ubi notandus ablativus pro dativo. [*Suet. *Aug.* 28. Reputans illam (rempublicam) plurium arbitrio temere committi. Dicitur etiam de animalibus. *Ov. Met.* 11, 73. Utque suum laqueis, quos callidus abdidit auceps, Crus ubi commisit volucris.] ℙ Est item *committere*, duos pluresve in certamen conjicere, ut cum exercitus congrediuntur, vel cum in ludis exercitationes, et ludicra specfacula eduntur. Et primo quidem significat certamen incipere, ut ap. *Nep. Milt.* 6., *Flor.* 2, 15. et *Justin.* 2, 12. Deinde simpliciter

ponitur pro pugnare etc. Hinc committere pugnam, proelium, ludos, rixam, naumachiam, quadrigas etc. ap. *Caes.*, *Cic.*, *Liv.*, *Nepot.*, *Tac.*, *Suet.* et alios passim. Quin *Eutrop.* absolute *committere* dixit pro *committere pugnam:* ut 5, 6. Contra quem Sulla iterum commisit. Et *ib.* 9, 24. Parva manu cum copiosissimo hoste commisit. Sic *Ulp. Dig.* 9, 1, 1. Cum arietes vel boves commisissent, et alter alterum occidisset. [*Ov. Met.* 5, 307. Tali committunt proelia voce, i. e. provocant ad certamen. *Id. ib.* 6, 448. Committitur sermo, i. e. initium fit colloquii. *Sil.* 13, 155. Committere Martem, i. e. pugnam inire.] ℙ *Committere proscriptionem*, h. e. incipere. *Vell.* 2, 64. *in f.* Tribuni sanguine commissa proscriptio; Ciceronis, vel satiato Antonio, poena finita. ℙ Committere bellum. *Liv.* 31, 28. Hac satis felici expeditione bello commisso etc. Sic obsidionem committere, *Curt.* 9, 4. ℙ Poetae quoque et oratores *committi* dicuntur, cum ad ingenii certamen descendunt, vel eorum scripta invicem comparantur. *Juven.* 6, 435. Committit vates, et comparat inde Maronem etc. *Suet. Gramm.* 17. Ad exercitanda discentium ingenia, aequales inter se committere solebat. Adde *Mart.* 7, 24. ℙ Ipsi quoque auctores *committere* dicuntur opera sua, cum ea recitant: quia nimirum in discrimen famae veniunt. *Suet. Claud.* 41. Historiam in adolescentia scribere aggressus est: et cum primum frequenti auditorio commisisset, aegre perlegit. ℙ Generatim quicumque aliquos invicem provocat, eleganter *committere* dicitur. *Suet. Cal.* 56. Nec cessavit criminari alterum alteri, atque inter se omnes committere. Adde *Mart.* 8, 43. ℙ *Commissit* pro *commiserit* quidam leg. ap. *Phaedr.* 1, 14. ℙ Part. *Committens* ap. *Claud. VI. Cons. Honor.* 221. Et duplici lucro committens proelia. ℙ *Committendus* ap. *Cic. Att.* 10, 2. Fortunae sunt committenda omnia.

[COMMIXTIM et Commistim, adv. idem ac mixtim. Translate. *Modest. Dig.* 27, 1, 2. §. 9. Qui habet commixtim tres curatorias, et tres tutelas. *F.*]

COMMIXTĬO et Commistio, onis, f. *σύμμιξις*, idem ac mixtio. *Appul. Apol.* Quorum moderatus usus salutaris, sed commixtio, vel quantitas noxia est. Adde *Marcell. Empir.* 8. **Gloss. Vet.* Commixtio, *χύμα. B. A.*

COMMIXTŪRA. V. COMISTURA.

COMMIXTUS et Commistus, a, um, partic. a *commisceo*, idem ac mixtus, *συμμιχθείς. Hor. Sat.* 1, 10, 24. Chio nota commixta Falerni. *Pl. Most.* 1, 1, 40. Canis capro commixta. *Lucr.* 6, 1157. Querela commixta gemitu. *Virg. A.* 3, 633. Frusta commixta mero cruento. *Id. G.* 4, 499. Fumus commixtus in auras. *Id. A.* 12, 835. Teucri commixti corpore tanto, *h. e.* mixti in unum cum tanto populo. [**Id. ib.* 618. Commixtus clamor. *Id. ib.* 8, 255. Glomeratque sub antro Famigeram noctem commixtis igne tenebris.] ℙ Commixtum, i, res mixtae. *Cato R. R.* 93. Amurcam cum aqua commisceto aequas partes: deinde ad oleam circumfundito. Ad arborem maximam, amphoram unam commixti sat est.

COMMOBĬLIS, le, adj. facile movens. *Coel. Aur Acut.* 2, 9. Lux commobilis corporis, *h. e.* commovens corpus.

**COMMODATARIUS*, i, m. cui aliquid commodatum est. V. §. 2. *Inst. quib. mod. contr. oblig. B. A.* [*V. quae de hoc vocabulo et sim. disputat *Duk. Lat. Ict. Vett.* 446.]

COMMODĀTĬO, onis, f. *χρῆσις*, actus commodandi. *Appul. Trismeg.* Communicationes, commodationes alternae: qui est humanitatis inter se firmissimus nexus.

COMMODĀTOR, oris, m. qui commodat, *χρήστης. Paul. Dig.* 47, 2, 55. Si servus commodatoris rem surripuerit. Adde *Ulp. ib.* 13, 6, 7. et 47, 2, 14.

COMMODĀTUS, a, um, part. a *commodo*, utendus concessus. *Ulp. Dig.* 13, 6. *tit. qui inscribitur* Commodati, 3. Si reddita quidem sit res commodata, sed deterior reddita. ℙ Translate. *Cic. Marc.* 6. Ut haec a virtute donata, cetera a fortuna commodata esse videantur. *Senec. Consol. ad Marc.* 13. *a med.* Commodati filii, *h. e.* in adoptionem dati. V. *Liv.* 45, 40. *sub f.* ℙ *Commodatum, i*, n. dicitur res ipsa commodata. *Ulp. l. c.* 5. Si, ut certo loco reddatur commodatum, convenit. *Id. ib.* Commodatum accipere. Et *ib.* Rogare commodatum. ℙ Item contractus, quo quid alicui utendum conceditur. *Ulp. ib.* 1. Teneri actione commodati. *Paul. ib.* 2. Dare actionem commodati in aliquem. *Ulp. c. l.* 5. Teneri commodati. Et *ib.* Agere commodati.

COMMODE, adv. *εὐαφῶς*, cum modo, apte, ad rem. *Cic. Rosc. Am.* 4. Neque satis me commode dicere posse intelligo. Nam commoditati ingenium est impedimento. *Id. Or.* 1, 54. Oratio commode scripta. *Id. Verr.* 2, 4, 43. *in f.* Facete et commode dicere. *Id. Fam.* 11, 16. Si satis scite, et commode tempus ad te cepit adeundi. *Pl. fragm.* ap. *Gell.* 18, 12. Quid est hoc? rugat pallium: amictus non sum commode. [**Suet. Aug.* 99. Ecquid iis videretur mimum vitae commode transegisse.] ℙ Item opportune, commodum, *εὐκαίρως. Cic. Att.* 16, 6. Magis commode, quam strenue navigavi. *Pl. Trin.* 2, 3, 9. Commode ipse exit Lesbonicus. Adde *Hor. Sat.* 2, 2, 91. ℙ *Commode cum* idem est, quod *commodum cum. Cic. Att.* 8, 12. Emerseram commode ex Antiati, cum in me incurrit etc. Adde *Verr.* 2, 3, 25. ℙ Item generatim bene, recte, *καλῶς. Plin. ep.* 3, 20. *sub f.* Ecquid commode vales? *Cic. Acad.* 1, 4. Videre satisne ea commode dici possint Latine. *Id. Agr.* 3. *init.* Commodius fecissent tribuni pleb. si, etc. *Id. Att.* 11, 7. *ad f.* Quod litteras, quibus putas opus esse, curas dandas, facis commode. *Id. Fam.* 14, 7. Commodissime esse in aliquo loco. [**Ter. Andr.* 3, 1, 17. Non sat commode Divisa sunt temporibus tibi Dave haec. *Id. Heaut. prol. v.* 14. Quantum ille potuit cogitare commode. *Id. Hec.* 1, 2, 33. Nunquam tam dices commode.] *Pl. Cas.* 5, 1, 1. Accipere aliquem bene et commode. *Nep. praef*, Commode saltare. *Plin. ep.* 5, 29. et *ep.* 9, 34. legere. *Cels.* 4, 12. Commode facit cyatho lactis cyathus aquae mixtus, et sic datus. *Caes. B. G.* 6, 19. Commodius administrare rempubl. *Gell.* 19, 5. Bibliotheca satis commode instructa libris. *Cic. Verr.* 2, 3, 58. Minus commode audire, *h. e.* minus bene. ℙ Item moderate, humaniter, comiter. *Pl. Poen.* 1, 2, 139. Aliquid huic responde, amabo, commode, ne incommodus nobis sit. Adde *Ter. Heaut.* 3, 2, 48. ℙ Item convenienter. *Gell.* 9, 9. Nausicaa recte atque commode confertur cum Diana venante, etc. nequaquam autem conveniens Virgilius fecit etc. [**Quint. Inst.* 6, 3. p. 561. Adjuvant urbanitatem et versus commode positi, seu toti ut sunt.]

COMMODĬĀNUS, a, um, adj. ad Commodum Imp. R. pertinens, ut Commodiana colonia. *Lampr. Comm.* 8. Commodiani horti, *Spart. Nig.* 6. Thermae Commodianae, *Inscr. vet. in antiq. Benev. cl.* 5. *n.* 7. Hercules Commodianus, *in nummis* ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 125., quia Commodus. teste *Lampr. Comm.* 8., Herculem se putari et coli passus est.

COMMODĬĀNUS, Afer, ut nonnulli putant, vel ut alii, Romanus, fuit poeta Christianus, floruitque saeculo Christi IV. sub initium: quamquam non desunt, qui antiquiorem ei aetatem tribuunt. Scripsit *adversus Gentium Deos pro Christiana disciplina Instructiones*, versibus quidem, sed nulla ratione habita quantitatis syllabarum; Latinitate vero semibarbara, et vel illo saeculo indigna.

COMMODĬTAS, atis, f. concinnitas, convenientia. *Suet. Aug.* 79. *ad f.* Staturam habuit brevem, sed quae commoditate et aequitate membrorum occuleretur. ℙ Translate. *Auct. ad Her.* 1, 1. Non parum habet in se fructus copia dicendi, et commoditas orationis. Adde locum *Cic. Rosc. Am.* in V. COMMODE. [*His locis commoditas ad elegantiam orationis et dexteritatem dicendi ab ingenio ortam pertinet. V. *Ernest. lex. techn. lat. rhetor.* p. 67. sq.] ℙ Item opportunitas, facilitas. *Pl. Men.* 1, 2, 36. Commoditatis omnes articulos scio. *Cic. Inv.* 2, 12. In loco opportunitas, in tempore longinquitas, in occasione commoditas ad faciendum idonea consideranda est. ℙ Item utilitas, commodum, *ὠφέλεια. Cic. Amic.* 7. Plurimas et maximas commoditates amicitia continet. *Id. Off.* 2, 4. Percipere fructum aut commoditatem ex aliqua re. *Id. N. D.* 3, 36. Commoditas et prosperitas vitae. ℙ Item moderatio, liberalitas, indulgentia, facilitas. [*beneficium.] *Ter. Adelph.* 4, 5, 77. Magnam mihi injecit sua commoditate curam, ne etc. V. integr. loc. [**Id. Phorm.* 5, 6, 1. Quantis commoditatibus hero meo hunc onerastis diem? *Pl. Mil.* 4, 9, 6. Cumulate commoditate, i. e. in quo omnia sunt commoda, in quo omnia placent.] Sic *Stat. Caecil.* ap. *Cic. N. D.* 3, 29. Omnes meos dolos, fallacias, praestigias praestrinxit commoditas patris. ℙ *Mea commoditas* ap. *Pl. Epid.* 5, 1, 8., *Men.* 1, 2, 28. et *Poen.* 1, 3, 12. est appellatio hominis commodum aliquod alteri afferentis.

COMMODĬUS, a, um, adj. ad Commodum R. Imp. pertinens, ut Nonae Commodiae apud *Lampr. Comm.* 12. *h. e.* mensis Augusti, quem *Commodum* appellari a nomine suo is jusserat, ut *Id. ib.* 11. narrat.

COMMODO, adv. *εὐκαίρως*, idem quod commodum, vel commode. *Pl. Mil.* 4, 4, 61. Ecce autem commodo aperitur foris. [**Lindm.* legit commodum.] *Id. Frivol.* ap. *Charis.* 2, 274. Commodo dictitemus *Charis.* ibi loquitur de adverbiis in *e*, et *o* simul desinentibus.

COMMODO, as, avi, atum, a. 1. *συνωφελέω, χιχράω*, do, praebeo, benigne facio concedendo alicui aliquid. *Pl. Rud.* 2, 4, 21. *Ampel.* Cur tu aquam gravare, amabo, quam hostis hosti commodat? *Sceparn.* Cur tu operam gravare mihi, quam civis civi commodat? *Id. Pers.* 2, 3, 2. Commodare alicui opes, spes, bonas copias. *Cic. Fam.* 13, 48. Quibus tu quaecumque commodaris, erunt mihi gratissima. *Plin. ep.* 2, 11. Commodare operam suam alicui ad aliquid. *Hor. Ep.* 1, 1, 40. aurem patientem culturae. *Tac. Agr.* 19. Parvis peccatis veniam, magnis severitatem. *Cic. Off.* 1, 16. *a med.* Ut quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto. ℙ Et cum solo dativo eleganter. *Cic. Fam.* 13, 32. Peto a te, ut his, omnibus in rebus, quantum tua fides dignitasque patietur, commodes. Et *ib.* 35. Peto a te, ut omnibus rebus, quod sine molestia tua facere possis, ei commodes. Et *ib.* 37. Peto a te, ut tantum ei commodes in hac re, quantum etc. Adde *ib.* 54. et *Fin.* 2, 35. ℙ Specialiter significat dare aliquid utendum ad tempus sine mercede, et dicitur fere de iis rebus, quae eaedem reddantur, ut JCti ex *Cajo Dig.* 44, 7, 1. definiunt. *Auct. ad Her.* 4, 51. Commodare alicui aedes ad nuptias. ℙ Hanc tamen regulam Latini scriptores non servare creduntur. *Phaedr.* 1, 17. Calumniator ab ove cum peteret canis, Quem commodasse panem se contenderet. Al. leg. *commendasse*, *h. e.* deposuisse. V. COMMENDO. Addunt quidam locum *Cic. Coel.* 13. Quae si se aurum Coelio commodasse non dicit etc., sed ibi de auro facto sermo est, ut *ib.* 21. plane colligitur; non de pecunia. Item *Verr.* 2, 4, 9. Tritici modium LX. millia publice commodasti. Ita enim quidam Lexicographi referunt. Sed *Cic.* solum dicit, *At publice commodasti*, *h. e.* commodo civitatis Messanae consuluisti, remittendo tritici modium LX. millia, quae empta populo R. Mamertini dare debebant. Addunt etiam verba *Pl. Asin.* 3, 3, 135. sed in his non *commodo*, *as*, sed *commodus* adj. habetur. V. COMMODUS. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 111. Commodare lacrimas lugenti. *Tac. Agr.* 32. Britanni dominationi alienae sanguinem commodantes. *Liv.* 34, 12. Commodare aliis vires suas. *Jabolen. Dig.* 38, 5, 12. alicui fidem suam. *Vell.* 2, 70. *ad f.* manum morituro. *Senec. ep.* 8. candidato vocem et manum. *Ascon. in Div. Verr.* 4. Advocatus commodat praesentiam suam amico. *Ov. Amor.* 1, 8, 86. Commodat illusis numina surda Venus. *Stat. Th.* 4, 75. Commodare alicui iras. *Senec. Med.* 907. alicui scelera, *h. e.* admittere in gratiam alicujus. ℙ Ponitur et pro accommodare. [**Plin. Pan.* 71, 6. Quippe cum orationi oculos, vocem, manum commodares.] *Cato R. R.* 135. *in f.* Trapetum ubi arvectum erit, ubi statues, ibi et commodato, concinnatoque. *Quint.* 11, 3. Commodare manum ad verba, *de gestu loquitur.* Vetus quidam Codex habet *accommodare. Coel. Aur. Tard.* 4, 3. Spongiae commodandae podici. ℙ *Jure negat *Facciol. Anim. crit. in Lexica* p. 127. *commodare* a bonis scriptoribus usurpatum esse de pecunia, aliisque rebus, quae non reddantur eaedem, et *Plauti Ciceronis*que loca, quae praeter alios *Burm.* attulit ad Phaedrum 1, 17, 3. perperam huc trahi docet. Male igitur sic acceptus a *Schellero* locus *Liv.* 23, 48. Ut reipublicae, ex qua crevissent, ad tempus commodarent. *Dukerus* pulchre vidit, hic quoque significare, ut reipublicae commodo consulerent. Haec ex *Ruhnkenio. B. A.*

COMMODŬLĀTĬO, onis, f. *Vitr.* 3, 1. Proportio ratae partis membrorum in omni opere, totiusque commodulatio.

COMMODŬLĒ, adv. diminut. a *commode*, et

COMMODŬLUM, diminut. a *commodum. Pl. Stich.* 5, 4, 8. Pro opibus nostris satis commodule. *Id. Mil.* 3, 1, 153. Commodulum obsona, ne magno sumptu. *Arnob.* 2. p. 55. Fortuita quaedam commodule provenire.

COMMODŬLUM, i, n. parvum commodum. *Arnob.* 1. p. 7. Eventa haec non commodulis nostris, sed ipsius pendenda sunt rationibus naturae.

COMMODUM, adv. *εὐκαίρως*, opportune. *Pl. Amph.* 2, 2, 37. Ad aquam praebendam commodum adveni domum. ℙ Item eodem ipso tempore. *Id. Cas.* 3, 4, 3. Sed eccum ante aedes: ad te hercle ibam commodum. *Ter. Ph.* 4, 3, 9. Id cum hoc agebam commodum. ℙ *Commodum*, *cum*, est vix dum, tantum quod. *Cic. Att.* 13, 9. Commodum discesseras heri, cum Trebatius venit. Adde *ib.* 30. et *ib.* 10, 16.

COMMODUM, i, n. *εὐχρήστημα, ὠφέλεια*, quod fit cum modo, qui nobis placeat, ipsaque adeo utilitas, emolumentum, fructus. *Senec. ep.* 87. *ad f.* Alia est commodorum conditio, alia bonorum: commodum est, quod plus usus habet, quam molestiae: bonum sincerum debet esse, et ab omni parte innoxium. *Cic. Or.* 2, 82. Qui utilitatem defendit, enumerabit commoda pacis, opum, potentiae etc. *Id. Manil. in f.* Dignitatem reipublicae suis commodis et rationibus praeferre. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 8. Servire commodis et utilitati alicujus. *Ter. Eun.* 3, 5, 26. Capere commodum ex aliqua re. ℙ Specialiter accipitur pro praemio, quod datur militibus emeritis. V. EMERITUM. *Cic. Fam.* 7, 8. Sum admiratus, cur tribunatus commoda, dempto praesertim labore militiae, contempseris. *Suet. Aug.* 49. Commoda missionum. *Id. Cal.* 44. emeritae militiae. *Id. Ner.* 32. veteranorum. Adde *Ov. A. Am.* 1, 131. [**Id. Met.* 11, 283. Mediae quoque commoda plebi nostra patent. *Suet. Aug.* 31. Sacerdotum commoda.] ℙ Item pro mercede,

annona, quae datur familiis publicis reipubl. inservientibus. *Front. Aquaed.* 118. Caesaris familia ex Fisco accipit commoda. ℙ Item pro re commodata. *Cic. Verr.* 2, 4, 3. *ad f.* Forum ac basilicas non spoliis provinciarum, sed ornamentis amicorum, commodis hospitum, non furtis nocentium ornare. ℙ Sunt elegantes illae locutiones, quae maxime accedunt ad Italicas loquendi formulas. *Cic. Att.* 12, 28. *in f.* Velim aliquando, cum erit tuum commodum, Lentulum puerum visas. *Id. Verr.* 1, 18. Etiam si spatium ad dicendum nostro commodo, vacuosque dies habuissemus. *Id. Fam.* 4, 2. *in f.* Tu, quod commodo tuo fiat, velim venias. *Id. Att.* 13, 48. Quod utinam! iterum utinam! tuo tamen commodo. *Id. ad Brut.* 1, 5. Si minus id commodo reipubl. facere posses. *Liv.* 22, 57. Ut primo quoque tempore, quantum per commodum reipubl. fieri posset, Romam veniret. ℙ *Ex commodo*, cum commodum est. *Senec. ep.* 46. Librum tuum accepi, et tanquam lecturus ex commodo, adaperui, ac tantum degustare volui. *Colum.* 6, 2. *sub f.* Ex commodo mandere, aut festinanter. *Id.* 12, 19. Levi igne, et tenuibus lignis fornacem incendemus, ut ex commodo mustum ferveat.

COMMODUS, a, um, adj. modum servans, aptus, accommodatus, conveniens. *Pl. Asin.* 2, 3, 21. Homo tristi fronte, commoda statura. *Id. Most.* 1, 3, 98. Capillus commodus. *Ov. Fast.* 2, 288. Vestis commoda ad cursum. *Virg. G.* 4, 129. Terra commoda Baccho, *h. e.* apta vitibus. ℙ Item integer, plenus. *Pl. Asin.* 3, 3, 134. Quid ego aliud exoptem amplius, nisi illud, cujus inopia est? Viginti argenti commodas minas, hujus quas dem matri; infra *ib.* 144. minas bonas vocat. *Id. Rud.* 5, 2, 31. Talentum argenti commodum magnum inerat in crumena. *Hor. Od.* 3, 19, 13. tribus, aut novem Miscentor cyathis pocula commodis. ℙ *Commoda valetudo*, bona, integra. *Cels.* 8, 1. Quo suturae pauciores sunt, eo capitis valetudo commodior. Adde *Quint.* 6, 3. Hinc *Plin. ep.* 3, 16. Vivere filium, atque etiam commodiorem esse simulabat. ℙ Item opportunus, utilis, facilis. *Cic. Att.* 9, 3. Si commodius anni tempus esset. *Cels.* 4, 4. Commodum est hyssopum cum mulsa decoquere. Et *ib.* 22. Imponere noctu malagmata commodius est. *Liv.* 22, 2. Cum longius, ceterum commodius iter ostenderetur. *Cic. Caecin.* 3. Faciliore et commodiore judicio ad jus suum pervenire. *Caes. B. G.* 5, 2. Quo ex portu commodissimum in Britanniam transjectum esse cognoverat. Et *ib.* 11. Commodissimum esse statuit, omnes naves subduci. *Auct. ad Her.* 4, 18. Commodum est auditu propter brevem conclusionem. *Cic. Fam.* 9, 2. Putabam, qui obviam mihi venisset, ut cuique commodum esset, suspicaturum etc. *Id. Att.* 13, 48. Id si tibi erit commodum, cures velim. [**Prop.* 2, 27, 4. Quae sit stella homini commoda, quaeque mala.] *Commodum est* saepe significat libet, placet: nempe quia quae libenter facimus, facilia et commoda sunt. *Cic. Verr.* 2, 2, 13. Aut eum judicem, quem commodum erat, praeconem, haruspicem, medicum suum dabat. Ubi *Ascon.* Vetuste posuit pro eo, *quem volebat.* Sic *Ter. (Ad.* 1, 2, 38.) *Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum.* Nam meretrici dare quando est commodum? sed est positum pro eo, *quam diu libuerit.* Hactenus *Ascon.* Rursus *Cic. Div.* 1, 49. Ut ostenderet, etiam philosophum, si commodum esset, pecuniam facere posse. Adde *Verr.* 2, 2, 16., *ib.* 2, 1, 26., *Or.* 3, 23. et *in Senat.* 5. et *Ter. Ph.* 5, 8, 37. ℙ Est etiam *commodus* moderatus, humanus, facilis, comis, modum servans, et facile aliis se accommodans, εὐάρμοστος. *Cic. Verr.* 2, 3, 9. Apronius, qui aliis inhumanus et barbarus, isti uni commodus ac disertus videretur. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 13. Multo te esse jam commodiorem, mitioremque nunciant. *Id. Amic.* 15. Commodis moribus esse. *Pl. Poen.* 3, 3, 1. Commodi convivae. *Ter. Heaut.* 3, 2, 10. Mulier commoda et faceta. Adde *Hor. Od.* 4, 8, 1. et *Ep.* 2, 1, 227., *Auct. ad Her.* 4, 18. et *Cic. Verr.* 2, 2. *sub f.* [**Suet. Tib.* 33. Paulatim principem exeruit praestititque: etsi varium diu, commodiorem tamen saepius, et ad utilitates publicas proniorem.] ℙ *Commodus* fuit etiam cognomen filii M. Aurelii Aug., qui eidem in imperio successit; et L. Cejonii in *Inscr.* ap. *Grut.* 250.

COMMOENĪTUS, a, um, adj. idem quod communitus, ab antiquo *moenio* pro munio. *Gell.* 17, 11. Ore ipso arteriae commoenito, *h. e.* aditu arteriae clauso.

[COMMOLENDA et Conmolenda, ae, f. Deae nomen apud Romanos, quae et *Coinquenda* vocabatur. Haec commolendis, seu minutatim caedendis arboribus, quae in sacris lucis fulmine attactae fuerant, praeerat, eique sacrificium piaculare fiebat, ut venia eas caedendi impetraretur. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 32. *col.* 2. *lin.* 13. Item Adolendae, Conmolendae, Deferundae oves II. immolavit. V. *Marinium ib.* p. 380. et seqq. de hac Dea disserentem; et V. COINQUENDA. *F.*]

COMMOLĪOR, iris, itus sum, dep. 4. idem quod molior, ἐκτεχνάομαι. *Stat. Caecil.* ap. *Cic. N. D.* 3, 29. Quem dolum ad eum, aut machinam commoliar, *h. e.* comminiscar. *Gell.* 3, 19. confabricatus, commolitusque est originem vocabuli.

COMMOLĪTUS, a, um, part. a *commolior.* ℙ Commolītus, a, um, part. activ. a *commolo, is:* molae suppositus et pressus. *Colum.* 12, 50. Bacca commolita et expressa.

COMMOLLĪO, is, a. 4. idem quod mollio. *Marcell. Empir.* 8. *sub f.* Duritias palpebrarum commollit, ac discutit. *Not. Tir.* p. 169. Commolliat.

COMMOLO, is, ui, ĭtum, a. 3. idem ac molo, mola premo, καταλέω. *Colum.* 12, 50. *ad f.* Olivam primo quoque tempore commolere, preloque subjicere. *Id. ib.* 28. Minutissime commolere. ℙ Significat etiam caedere minutatim, et de arboribus usurpatur, quae ictu fulminis attactae fuerunt; etenim rami a fulmine tacti decidebantur, deinde adolebantur. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 43. Quod vi tempestatis ictu fulminis arbores sacri luci Deae Diae attactae arduerint, earumque arborum eruendarum, ferro pendendarum, adolendarum, commolendarum, item aliarum restituendarum causa.

*COMMONE, es, f. insula maris Aegaei, littus Asiaticum inter et Lesbum insulam. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

COMMONĔFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. ἀναμιμνήσκω, mentionem facio, commemoro, commoneo. *Cic. Verr.* 2, 4, 64. Laudatio, quae commonefaceret istius turpem calamitosamque praeturam. *Id. Verr.* 2, 2, 17. Illi eum commonefaciunt, ut etc. *Caes. B. G.* 1, 19. Commonefacit, quae ipso praesente sint dicta. *Sall. Jug.* 53. Commonefacere milites beneficii sui. *Tac. A.* 6, 12. Simul commonefecit, sanxisse Augustum etc. *Metell.* ad *Cic. Fam.* 5, 3. Docere et commonefacere aliquem. ℙ Festive *Pl. Stich.* 1, 2, 6. Vos monumentis commonefaciam bubulis, *h. e.* caedam loris bubulis. ℙ Cum ablat. et praeposit. *de. Impp. Theod. et Valent. Cod.* 1, 1, 3. Commonefacere subditos de religione. ℙ Passivum est *Commonefio, is, actus sum. Cic. Verr.* 2, 5, 43. Nemo est, qui legat, quin tui sceleris et crudelitatis ex illa oratione commonefiat. ℙ Part. *Commonefaciendus* ap. *Cic. Fam.* 13, 72. Scripserunt, te propter magnitudinem provinciae esse commonefaciendum.

COMMONĔO, ōnes, ui, ĭtum, a. 2. ὑποβάλλω, ὑπομιμνήσκω, moneo, admoneo. *Pl. Ps.* 3, 4, 17. Commonerier officium suum, *paragoge pro* commoneri. *Cic. Verr.* 2, 1, 59. Quis venit in Circum maximum, quin de avaritia tua commoneretur? *Id. Part.* 27. Commonere aliquem de periculo. *Auct. ad Her.* 4, 33. Te nuptiales tibiae ejus matrimonii commonebant. [**Quint. Inst.* 1, 5. p. 52. Grammaticos officii sui commonemus.] *Pl. Rud.* 3, 4, 38. Commonere aliquem suarum miseriarum. *Ter. Andr.* 1, 5, 45. aliquem, ut servet fidem. *Cels.* 1, 3. *a med.* Commoneo tamen, ne quis hoc quotidianum habeat. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 4, 26. Pisonis anulus me commonuit. *Ter. l. c.* Consuetudo me commonet. *Id. ib.* 4, 5, 17. Aliorum exempla me commonent. [**Sil.* 13, 11. Quae commonet usus.] ℙ Quid ab *Admoneo* differat, V. in fine ejus verbi.

COMMONĪTIO, onis, f. monitio. *Quint.* 4, 2. Non inutilis erat in extrema parte commonitio, *h. e.* repetitio, quae in memoriam revocet quae dicta sunt. *Id. extr.* 4, 4. Sit haec commonitio judicis, quo se ad quaestionem acrius intendat.

COMMONĪTOR, oris, m. qui commonet. *Symmach. ep.* 7, 105. Adjeci commonitorem. Al. aliter leg.

COMMONĪTORĬUM, ii, n. ὑπομνηστικόν, scriptum vel epistolam denotat, qua quis officii admonetur, ut sunt mandata, quae scriptis dantur legatis proficiscentibus. *Ammian.* 28, 1. Commonitorium repertum est, manu scriptum Hymetii. Adde *Symmach. ep.* 5, 21., *Impp. Honor. et Theod. Cod. Theod.* 6, 29, 10. et *August. ep.* 129. *in f.* ℙ Figurate *Sid. ep.* 8, 11. *in carm.* Phoebus commonitorium Thaliae. ℙ Adjective *suffragium commonitorium*, est tacitus assensus concedendi rem aliquam, et conventio absque scriptura facta. *Imppp. Theod., Arcad. et Honor. Cod.* 4, 3.

COMMONĪTUS, a, um, part. a. *commoneo. Liv.* 34, 51. Commonitosque in quo statu rerum accepisset eos, dimisit. Al leg. *admonitos. Suet. Tib.* 22. Commonito pro rostris populo.

COMMONSTRĀTUS, a, um, part. a *commonstro*, ostensus. *Cic. Or.* 4, 55. Si non sunt omnes patefacti, at certe commonstrati loci.

COMMONSTRO, as, avi, atum, a. 1. δείκνυμι, idem quod monstro, ostendo. *Pl. Poen.* 5, 2, 83. Commonstra, si novisti Agorastoclem. *Id. Curc.* 4, 1, 6. Commonstrabo quo inveniatis loco. *Cic. Or.* 1, 46. *in f.* Commonstrare viam. ℙ *Commonstrasso*, ἀρχαϊκῶς *pro commonstravero* habet *Pl. Ep.* 3, 4, 5.

COMMORĀTIO, onis f. actus commorandi. *Cic. Fam.* 6, 10. Et villa et amoenitas illa commorationis non diversorii. ℙ Item mora, cunctatio. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 7. Multos dies epistolam in manibus habui propter commorationem tabellariorum. ℙ Est etiam figura rhetorica, cum in loco firmissimo, quo tota causa continetur, manetur diutius, et eodem saepius reditur, ut *Auct. ad Her.* 4, 45. definit. Adde *Cic. Or.* 3, 53. [*Cf. *Lexic. technolog. lat. rhet.* p. 69. Adde *Quint. Inst.* 9, 2. p. 769.]

COMMORDĔO, es, ordi, orsum, a. 2. idem quod mordeo. *Sen. Contr.* 4, 29. Quaedam ferae tela ipsa commordent. ℙ Translate. *Sen. Vita beat.* 21. Infelicem linguam bonorum exercete convicio: instate, commordete.

COMMORĪOR, reris, [dep. 3. συναποθνήσκω, simul morior. *Plin.* 27, 2, 2. Exitialia per se ambo cum fuerint duo venena, in homine commoriuntur. *In Ep. Liv.* 2. In acie cum Arunte commortuus est. *Sen. ep.* 77. *a med.* Fortior esses, si multa hominum millia tibi commorerentur, *h. e.* tecum una. *Sall. fragm.* 2. *histor.* ap. *Arusian. Mess.* Obviam ire, et commori hostibus. *Val. Max.* 6, 8. *n.* 2. Commori cum aliquo. ℙ Part. *Commoriens* ap. *Plin.* 10, 21, 24. *de gallis dimicantibus.* Nec finis saepe commorientibus. ℙ *Commorientes* Graece συναποθνήσκοντες, titulus fuit comoediae Plautinae, teste *Ter. Adelph. prol.* 7. Ex ea fragmentum affert *Prisc. sub f.* 6.

*COMMORIS, is, vicus castellumve in Cilicia, ad Amanum montem. *Cic. Fam.* 15, 4. *B. A.*

COMMORO, as, n. 1. pro *commoror, aris*, tanquam Latinum, atque in usu apud vetustissimos, enumerat *Prisc.* 8, 797. inter verba, quae duplicem positionem, activam, et passivam habent. Quidam confirmant etiam auctoritate *Plin.* 19, 6, 34., sed eo loco incerta admodum lectio est.

COMMOROR, aris, atus sum, dep. 1. ἐγχορτάζω, διατρίβω, idem quod moror, vel simul moror. *Cic. Quint.* 6. Romae dies triginta fere Quintius commoratur. *Id. Fam.* 3, 5. *ad f.* Ephesi triduum sum commoratus. *Id. Cluent.* 13. Cum ibi diem posterum commoraretur. *Id. Senect.* 23. Commorandi natura diversorium nobis, non habitandi dedit. [*Ita Gr. opponunt παροικεῖν et κατοικεῖν.] *Id. Fam.* 6, 19. *ad f.* Ego me Asturae diutius arbitror commoraturum. *Pompej. ad Domit. post ep.* 12, 8. *Cic. ad Att.* Commorari circum istaec loca. *Cic. Manil.* 5. *in f.* Commorari diutissime apud aliquem. *Id. Verr.* 2, 5, 36. Praedones unam solam noctem ad Pelorum commorati. *Plin.* 22, 25, 71. Elelisphacos cum vino commorantes menses trahit, abundantes sistit etc. ℙ Translate. *Cic. Or.* 40. Versare multis modis eandem rem, et haerere in eadem, commorarique sententia. *Id. Cluent.* 19. Cum pluribus verbis in eo commoratus essem, Scamandro factas insidias esse. [**Quint. Inst.* 8. *prooem.* p. 667. Quibusdam tamen nullus finis calumniandi est, et cum singulis paene syllabis commorandi.] *Id. Q. Fr.* 1, 3. *post med.* Diutius in tam misera, tamque turpi vita commorari. *Id. Rosc. Com.* 16. Veritas paulisper consistere et commorari cogit. *Id. Fam.* 6, 10. Commorari in armis civilibus. ℙ Active cum accusativo est retardare, detinere. *Pl. Ps.* 4, 7, 31. Me nunc commoror, cum has fores non ferio. *Id. Amph.* 2, 2, 58. An te auspicium commoratum est? ℙ Antiqui usurparunt etiam activa forma *commoro, as*, teste *Prisc.* 8, 797.

COMMORSĪCO, as, a. 1. frequent. a *commordeo. Appul. Met.* 7. Dentium candentium renudatis hastis totum me commorsicat.

COMMORSUS, a, um, adj. *Plin.* 24, 11, 57. cujus verba V. in ALYSSON.

COMMORTĀLIS, le, adj. mortalis. *Colum.* 3, 20. Quae propter infirmitatem commortalis naturae consequi nequeamus.

COMMORTŪUS. V. in COMMORIOR.

COMMŌSIS, is, f. κόμμωσις, primum mellificii fundamentum, ex tenaci et viscosa constans materia, a κόμμι, quod Latini gummi dicunt. *Plin.* 11, 7, 6.

COMMOTĀCŪLĀ. V. COMMENTACULA.

COMMOTĬAE Nymphae fuerunt ad lacum Cutiliensem (nunc *lago di Contigliano* in agro Reatino) a commotu, quod ibi insula in aqua commovetur. *Varr. L. L.* 4, 10.

COMMOTĬO, onis, f. συγκίνησις, πάθος, actus commovendi, motus. *Pallad.* 11, 14. *ante med.* Addunt (*vino*) glycyrrhizae aliquantulum, et utuntur, cum diu vasorum commotione miscuerint. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 9. Gravior gestationis commotio. Et *ib.* 1, 13. Ventris commotio. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 2, 4. Voluptati duas res subjiciunt, laetitiam in animo, commotionem suavem jucunditatis in corpore. *Id. Tusc.* 4, 28. commotiones animorum a recta ratione aversae sunt vitiosae. Et *ib.* 5, 14. Temperantia est moderatrix omnium commotionum. *Quint.* 5, 10. Commotionem accipi volunt temporarium animi motum, sicut iram, pavorem.

COMMOTĬUNCŪLA, ae, f. exigua commotio. *Cic. Att.* 12, 11. Atticae hilaritatem libenter audio, commotiunculis ἀνιπάσχω, *h. e.* levibus ejus febriculis maxime afficior; has supra *Id. ib.* 6. *horrores* appellaverat.

COMMŌTO, as, a. 1. frequentat. a *commoveo*. *Theod. Prisc.* 1, 8. Assidue commotare.

COMMOTRIA. V. COMOTRIA.

COMMOTUS, a, um, part. a *commoveo*, idem quod motus, et valde, aut simul motus, διακινηθείς. *Cic. Verr.* 2, 1, 55. Columnae commotae. *Sil.* 4, 93. Pulvis commotus. [*Id.* 6, 59. Penna commota volucris, i. e. se commovens alis, volans. *Id.* 12, 667. Commota tonitrua coelo.] *Senec. Agam.* 633. Parmae commotae sonuere. *Virg. A.* 4, 301. Commota sacra. V. COMMOVEO. *Tac. A.* 12, 55. Cilicium nationes commotae. Sic *Ann.* 14, 31. Commoti ad rebellationem Trinobantes. ℙ Saepissime transfertur ad animum, et dicitur de eo, qui aliqua affectione commovetur. *Cic. Off.* 1, 29. Qui aut libidine aliqua, aut metu commoti sunt. *Ter. Andr.* 5, 4, 33. Animus commotus metu, spe, gaudio. *Virg. G.* 4, 471. Umbrae Erebi commotae cantu. *Stat. Th.* 9, 831. Commotus justis querelis. *Sall. Cat.* 32. ira. *Caes. B. C.* 2, 12. Hostes turris repentina ruina commoti. [*Nep. Dat.* 7. Quo nuntio Artaxerxes commotus, quod intelligebat, sibi cum viro forti ac strenuo negotium esse. *Curt.* 4, 10. Commotus exspectatione. *Id.* 9, 5. indignitate dedecoris. *Id.* 8, 11. interitu militum. *Id.* 8, 14. Non odio sed miseratione.] ℙ Absolute. *Cic. Div.* 1, 37. Actio non potest esse vehemens, nisi est animus ipse commotior. *Tac. A.* 11, 2. Commotus majorem in modum Claudius. [*Adde *Eund. ib.* 1, 33.] *Ter. Eun.* 3, 5, 19. In hac commotus sum, *h. e.* amore arsi. *Id. Andr.* 5, 2, 23. Ego te jam commotum reddam, *h. e.* turbatum, sollicitum, anxium. *Claudian. Rufin.* 1, 182. Commoti pectoris ignis, *h. e.* irati. *Virg. A.* 1, 126. Graviter commotus. Sic ap. *Suet. Aug.* 51. et *Tib.* 51. *commotus* pro irato ponitur. [*Virg. Cir.* 522. Deum rex — Commotus talem ad superos volitate puellam.] *Tac. A.* 4, 3. Drusus commotior animo. *Quint.* 6, 1. Commotus vultu. *Hor. Sat.* 2, 3, 208. Qui species alias, veri scelerisque tumultu Permixtas capiet, commotus habebitur, *h. e.* insanus. Et, eodem sensu, *ib.* 278. Commota mens. [*Ter. Phorm.* 1, 4, 6. Quidnam ille commotus venit?] *Plin.* 23, 1, 16. Commotus mente, *h. e.* mente perculsus ex morbo, ἀπόπληκτος. Sic 36, 21, 40. Commota mens. *eod. sensu. Tac. A.* 6, 45. Cajus commotus ingenio, *h. e.* captus. *Liv.* 6, 14. Consilium commotius ad omnia turbanda. Al. leg. *commodius. Senec. ep.* 116. *a med.* vocat amorem, rem commotam impotentem, alteri emancipatam, vilem sibi, *h. e.* turbatam, seu turbulentam, turbidam, vel insanam, praecipitem. [*Tac. A.* 2, 28. Non vultu alienatus, non verbis commotior (adeo iram condiderat). ℙ *Genus dicendi commotum in agendo. Cic. Or.* 3, 9. ejus est oratoris, qui propter illam ipsam vehementiam agendi et proloquendi non potest certo in loco consistere, sed semper in motu est, atque agitatione. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 68. sq.] ℙ *Aes alienum commotum, Tac. A.* 6, 17. est pecuniae fenebris ratio perturbata, seu periculum amissionis pecuniae creditae. ℙ *Nummus commotus* dicitur, qui senatus, aut consulis, aut praetoris jussu, chirographo vero quaestoris, itemque mensarii publici ex aerario alicui solvitur. *Cic. fragm. pro Fontejo* (ed. *B. G. Niebuhrio*) p. 63. Extra ordinem pecunia est data? Immo vero nummus nullus sine litteris multis commotus est. V. COMMOVEO.

COMMOTUS, us, m. idem quod commotio, sed in solo ablativo casu ap. *Varr. L. L.* 4, 10.

COMMOVĒO, es, ōvi, ōtum, a. 2. κινέω, συγκινέω, idem quod moveo, vel simul aut valde moveo. *Cic. Or.* 2, 57. Eorum, qui agunt in scena, spectante Roscio, quis se commovere potest, cujus ille vitia non videat? *Val. Fl.* 2, 33. Commovere molem. *Lucr.* 6, 1118. Coelum commovet se. *Petr. Sat.* 113. Commovere caput. [*Virg. A.* 5, 217. Commovet alas. *Curt.* 8, 4. Commovit membra calor.] *Cic. Verr.* 2, 5, 37. castra ex aliquo loco. *Id. Fin.* 5, 15. se ex loco aliquo. Et *Fam.* 6, 20. Te istinc ne commoveas. *Id. ib.* 9, 5. Qui se domo non commoverunt. *Sisenn.* ap. *Non.* 1, 267. Agmen perturbatum pedites insinuant, ac loco commovent. *Plin.* 2, 41, 41. Commoveri alvo, nervis, capite, mente. etc. [*Plin. Pan.* 64, 1. Peracta erant solemnia comitiorum, si Principem cogitares, jamque se omnis turba commoverat, i. e. loca, quae adhuc tenuerat, relinquere coeperat, ut discederet. Ita adhibetur in re venatoria de canibus feram excitantibus. *Virg. A.* 7, 494. Hunc (cervum) procul errantem rabidae venantis Juli commovere canes.] ℙ *Nummus commoveri* dicitur, cum ex aerario expenditur alicui creditori. *Cic. Font.* 1. Nummus in Gallia nullus sine civium Romanorum tabulis commovetur. *Id. Fl.* 19. Cum civitate mihi res est acerrima, et conficiendarum litterarum diligentissima; in qua nummus commoveri nullus potest sine quinque praetoribus, tribus quaestoribus, quatuor mensariis, qui apud illos (*Temnitas in Cilicia*) a populo creantur. V. COMMOTUS. ℙ *Commoveri* est etiam levi febricula tentari. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Huic convivio puer optimus Quintus tuus meusque, quod perleviter commotus fuerat, defuit: a. D. VII. Id. April. veni ad Quintum, eumque vidi plane integrum. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 5. Porticus, palaestra, et sessiones commovent memoriam disputationum Graecarum. *Id. Verr.* 2, 5, 8. Commovere bellum, aut tumultum. *Id. Att.* 2, 7. bilem. *Id. N. D.* 1, 4. multorum studia scribendi, *h. e.* excitare. *Id. Verr.* 2, 4, 21. *in f.* dolorem acerbum. *Id. Inv.* 1, 54. odium summum in aliquem. *Id. Att.* 1, 4. crebras exspectationes sui. *Id. Phil.* 3, 7. invidiam in aliquem. *Id. Or.* 2, 47. misericordiam alicui. *Auct. ad Herenn.* 4, 40. aliquem ad aliquid, *h. e.* excitare, incitare. [*Hinc sumpta metaphora a somno dicitur absolute de iis qui hominem minas, admonitiones nihil curantem facto ad rem gerendam impellunt. *Terent. Heaut.* 4, 4, 8. Dormiunt, ego pol istos commovebo.] ℙ *Commovere aliquid*, h. e. promovere, excitare. *Cic. Or.* 1, 25. *de animo, et ingenio.* Praeclare se res habet, si haec accendi, et commoveri arte possint: inseri quidem, et donari ab arte non possunt. ℙ Idem significat ac *e loco movere*: et eleganter in re militari usurpatur. *Liv.* 9, 40. Ingens fuit certamen inter dictatorem, et magistrum equitum, ab utra parte victoria inciperet: prior Junius commovit hostem. Et translate *Cic. Div.* 2, 10. *extr.* Experiamur, si possimus cornua commovere disputationis tuae. ℙ *Commoveri sacra* dicebantur, cum solemnibus diebus aperiebantur templa Deorum instaurandi sacrificii causa. Tunc enim Deorum simulacra manu commovebantur. Hoc vulgo *apertiones* appellabant. Ita *Serv.* ad *A.* 4, 301. Quia vero, qui haec faciebant, ea occasione solebant miras voces edere; hinc joculariter *Pl. Pseud.* 1, 1, 107. Scis tu quidem, mea si commovi sacra, quo pacto, et quantas soleam turbellas dare, *h. e.* si artes et fallacias meas instauravi. *Horatii* quoque illud huc pertinet *Sat.* 2, 1, 45. at ille, Qui me commorit (melius non tangere clamo) Flebit, et insignis tota cantabitur Urbe. Nisi forte respexit *Plaut.* (quod et *Taubmann.* observat) ad illa *Catonis R. R.* 134. Priusquam porcum immolabis, Jano struem commoveto, sic: Jane pater, te hac strue commovenda bonas preces precor etc. V. MOVEO. ℙ Saepissime usurpatur de affectionibus animi, et significat afficere. *Cic. Ligar.* 3. *extr.* Nimis urgeo: commoveri videtur adolescens. Et *Rabir. perduell.* 6. Nihil me clamor iste commovet, sed consolatur. *Id. Div. Verr.* 13. et *Q. Fr.* 3, 5. Commoveri animo. *Id. Verr.* 2, 2, 34. Commovere animum aut oculos alicujus. *Id. Or.* 2, 45. judices. *Id. Manil.* 9. Commoveri disiderio suorum. *Id. Font.* 16. miseriis et periculis alicujus. *Id. Mil.* 31. Religiones mehercule ipsae, quae illam beluam cadere viderunt, commovisse se videntur, et jus in illo suum retinuisse. *Id. Q. Fr.* 3, 5. Commovit me. [*Quint. Inst.* 9, 4. p. 829. Affectibus commovere. *Id. ib.* 12, 10. p. 1098. Commovendos enim esse, docendosque animo, imperitorum. Dicitur h. l. de ea affectione animi, qua oratores, doloribus, iracundia, metu, laetitia, cupiditate cet. studium et benevolentiam auditorum conciliare sibi student. *Id. ib.* 1, 2. p. 32. Is porro (animus discipulorum) quo generosior celsiorque est, hoc majoribus velut organis commovetnr, i. e. excitatur ad percipienda doctorum praecepta.] *Ter. Phorm.* 1, 2, 51. Commorat omnes nos. pro *commoverat.* Sic *commorit* pro *commoverit* ap. *Hor. l. c.*, et *commorunt* pro *commoverunt* ap. *Lucr.* 2, 765., et *commossem* pro *commovissem*, et *commosse* pro *commovisse* apud *Cic. Planc.* 37. et *Fam.* 7, 18.

COMMUGENTO, convocanto. *Festus.*

COMMULCĒO, es, ulsi, ulsum, a. 2. καταχηλέω, idem quod mulceo, delinio, mitigo. *Appul. Met.* 9. Trepidantem puerum commulcens. *Arnob.* 7. p. 233. Tus narium commulcet sensus. ℙ Translate. *Tiro Cic. Lib.* ap. *Gell.* 7, 3. Commulcere sensus judicum honorificis verecundisque sententiis. *Arnob.* 1. p. 35. aures.

[COMMULCO, as, a. 1. idem fere ac mulco. *Appul. Met.* 8. Indidem sese multinodis commulcat ictibus. *F.*]

[COMMULGĔO, es, ulxi, a. 2. totum mulgeo. Translate *Lucr.* 4, 1203. Et commiscendo cum semen forte virile Femina commulxit subita vi, corripuitque. *F.*]

COMMUNĀLIĀ. V. COMMUNIS.

COMMUNDĀTUS, a, um, part. a *commundo*, idem quod mundatus. *Ulp. Dig.* 34, 2, 25. Mulier ex somno statim ornata, non tamen commundata. Ita *Torrent.* Al. leg. *emundata. Jul. Obsequ. de prodig.* 115. Commundatum templum.

COMMUNDO, as, avi, atum, a. 1. idem quod mundo, καθαίρω. *Colum.* 12, 18. Vasa aqua dulci eluenda sunt, et commundanda. *Ulp. loc. cit. in voce praeced.* Mulieres, quae se commundaverint lotae in balneo.

[COMMUNĔFĂCĬO, is, eci, actum, a. 3. communem facere. Legitur in *Not. Tir.* p. 751. Communefacit, communefecit, communefactum. *F.*]

COMMUNĪCĀRĬUS Dies, qui et pandicularis, dicebatur, in quo omnibus Diis communiter sacrificabatur. *Festus* in *Pandicularis.*

COMMUNĪCĀTĬO, onis, f. κοινωνία, communicandi actus, participatio. *Cic. Balb.* 13. Largitio et communicatio civitatis. *Id. Fin.* 5, 23. Societas et communicatio utilitatum. *Id. Att.* 1, 17. suavissima sermonis. *Id. Fam.* 5, 19. consilii. *Plin.* 24, 14, 80. nominum. *Cato* ap. *Gell.* 7, 3. criminis cum pluribus. ℙ Est hoc nomine figura rhetorica, ἀναζοίνωσις, cum quasi cum iis ipsis, apud quos dicimus, deliberamus, aut adversarios ipsos consulimus: ut *Cato*: Cedo, si vos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis? *Cic. Or.* 3, 53., *Quint.* 9, 2. [*Cf. *Ernst. lex. technol.* p. 69.]

COMMUNĪCĀTOR, oris, m. qui communicat, et participem facit. *Arnob.* 4. *sub f.* Familiaris communicatores rei. ℙ *Tertull. Pudic.* 22. est particeps ecclesiasticae communionis, excommunicato oppositus. Alii, inquit, ad metalla confugiunt, et inde communicatores revertuntur.

COMMUNĪCĀTUS, a, um, part. a *communico*, κοινωνηθείς. *Liv.* 8, 25. Communicato inter se consilio. Et 22, 27. Communicatum imperium. *Gell.* 9, 12. Communicata significatio, *h. e.* ab uno sensu ad alium traducta.

COMMUNĪCĀTUS, us, m. idem quod communicatio. *Appul. de Deo Socrat.* Nullo inter se propinquo communicatu.

COMMUNĪCEPS, icipis, m. et f. idem quod municeps, ejusdem municipii civis. *Inscr.* ap. *Grut.* 68, 3. C. Oppius C. L. adcensus patronis sanctissimis communicipibus suis.

COMMUNĪCO, as, avi, atum, a. 1. κοινωνέω, communem facio cum altero, participem facio, impertio. *Cic. Att.* 1, 18. Nihil mihi, nunc scito tam deesse, quam hominem eum, quocum omnia una communicem. *Id. Quint.* 4. Cum de societate inter se multa communicarent. *Id. Fam.* 1, 7. Pompejus mecum saepissime de te communicare solet. *Id. ib.* 15, 21. Communicare inimicitias cum altero, *h. e.* profiteri se inimicum inimicorum alterius. *Caes. B. G.* 6, 2. et *Liv.* 38, 28. consilia cum aliquo. *Suet. Aug.* 75. jacturam et lucrum. *Cic. Rosc. Am.* 48. causam suam cum altero. *Id. Pis.* 2. provinciam. *Id. Fam.* 5, 16. curam doloris. [*Cic. Leg.* 1, 12. Sequitur igitur ad participandum alium ab alio communicandumque inter omnes jus homines natura esse factos. *Suet. Dom.* 7. Quaedam ex maximis officiis inter libertinos equitesque Romanos communicavit. *Ov. Met.* 13, 239. Mecum communicat acta, i. e. me socium sumit actorum. Significat etiam alterius rem ut communem suscipere. *Pl. Trin.* 1, 2, 153. Communicesque hanc mecum meam provinciam. — *Communicare consilia* dicitur de iis, qui ad rem aliquam perficiendam firma societate conjunguntur. *Caes. B. G.* 2, 4. Rursusque se ad confligendum animo confirmant et consilia communicant. *Suet. Cal.* 56. Duo consilia communicaverunt, perfeceruntque. *Caes. B. G.* 6, 13. Neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.] ℙ Singularis est illa loquendi ratio ap. *Pl. Mil.* 1, 1, 50. Communicabo te semper mensa mea. ℙ Reperitur etiam cum dativo. *Caes. B. C.* 3, 18. Quibus communicare de maximis rebus Pompejus consueverat. [*Oberlinus* tamen edidit *Quibuscum. F.*] *Ascon. in Pisonian.* 39. Lege judiciaria communicata sunt judicia senatui, et equitibus Romanis. *Mamertin. Paneg. Maxim.* 10. Exiguam sibi communicasse regionem. Sic *Liv.* 22, 27. Sibi communicatum imperium. ℙ Rem cum re communicare, est permiscere, conjungere. *Caes. B. C.* 6, 18. Communicare pecunias cum dotibus. *Cic. Fam.* 12, 2. Quod ego periculum non extimesco, modo vestri facti gloriam cum mea laude communicet. *Id. Acad.* 4, 1. *extr.* Privabo illum potius debito testimonio, quam id cum mea laude communicem. ℙ *Communicare cum aliquo*. vel *alicui*, κοινωνεῖν τινι, pro conversari. *Justin.* 36, 2. *sub f.* Caverunt, ne cum peregrinis communicarent. *Quidam MS. habet* conviverent. *Sulpic. Sev. Dial.* 3, 11. Quotidie communicantes Ithacio. Adde *ib.* 13. Sic *August. ep.* 162. Communicare malis. ℙ *Communicare aliquam rem*, vel *alicui rei* est participem esse. *Quint. Decl.* 8, 6. *ad f.* Solos ergo communicabit misera planctus? *August. l. c.* Communicare altari Christi. Et *contra Crescon. Gramm.* 3, 36. Communicare peccatis alienis. ℙ Pro inquinare, adhibuit *Tertull.*, nempe quia quod cum aliis communicatur, polluitur quodammodo: et ipsa vox *communis* aliquando in Scripturis immundum significat, *Spectac.* 17. Quae ore prolata communicant hominem. Adde *Patient.* 8. ℙ *Communicor, aris*, deponentis forma. *Liv.* 4, 24. Cum quibus spem integram communicati non sint. ℙ [Part. *Communicaturus* ap. *Liv.* 9, 14. Cum collega se communicaturum respondit. *Communicandus* ap. *Caes. B. G.* 7, 36. Quid communicandum videretur. *F.*]

COMMUNĬO, onis, f. κοινωνία, μέθεξις, communitas, societas. *Cic. Leg.* 1, 7. Inter quos est communio legis, inter eos communio juris est. *Id. Mil.* 37. Bona, fortunas meas in communionem tuorum temporum contuli. *Id. Tusc.* 5, 2.

Communio litterarum. *Id. Rosc. Am.* 22. Multum valet communio sanguinis. *Suet. Aug.* 74. Provocare ad communionem sermonis. [*Tac. A.* 12, 19. Sibi et Claudio etiam communionem victoriae esse. *Id. ib.* 15, 43. Communio parietis.] *Ulp. Dig.* 17, 2, 52. Inire communionem sagariam. ℙ [*Communiones* dicuntur etiam agri publici, quos vulgo appellamus [*Gemeinplätze.] *Tavola aliment. Velej.* a *Petro De-Lama* edita, *col.* 3. *lin.* 54. Fundum Solonianum cum communionibus, qui est in Velejate Et *col.* 4. *lin.* 84. Fundum Antonianum, Collianum, Valerianum, Cornelianum cum communionibus. ℙ *Communio* est etiam nomen servile, et quidem diminutivum. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 16. Communio verna Antoniae Augustae. *F.*] ℙ Apud Ecclesiae scriptores *communio* est consuetudo et conversatio mutua Christianorum inter se. *Sulpic. Sever. Hist. sacr.* 2, 45. Inire communionem cum aliquo. Et *ib.* Secernere se a communione alicujus. Et *ib.* 37. Suspendere aliquem a communione. *August. in Psalm.* 57. *n.* 15. Imperatores nostrae communionis, *h. e.* Ecclesiae catholicae. *Id. ep.* 54, 6. Privare aliquem communione sancti Altaris, *h. e.* Eucharistiae.

COMMŪNĬO, ūnis, ivi, itum, a. 4. *περιφράττω*, idem quod munio, vel valde munio. *Caes. B. C.* 1, 43. Quem tumulum si occupasset Caesar, et communisset etc. *Id. B. G.* 5, 47. Communire castra. Et *ib.* 1, 8. castella. *Front. de fer. Als.* (ed. iterum Romae *A. Maio*) *ep.* 3. Ditem quoque patrem ferunt causatum, amnibus, et paludibus, et stagnis Stygiis Acheruntem aegre commoeniri. *Commoeniri ἀρχαϊκῶς* pro *communiri.* ℙ Translate. *Cic. Fam.* 15, 4. Communire auctoritatem aulae. ℙ Est etiam aedificare. V. COMMUNITUS.

COMMŪNIS, e, adj. *κοινὸς*, qui est multorum, vulgaris. Videtur esse a *munus*, quia commune est, quod ad multorum munia, seu munus pertinet, ut *Voss.* in *Etym.* in *Munus* docet. Quid a publico differat, V. in PUBLICUS. *Cic. Or.* 1, 36. Res communes et pervagatae. *Id. Fin.* 3, 1. Usus vulgaris et communis. *Id. Prov. cons.* 9. Ut commune officium censurae communi animo defenderent. *Liv.* 42, 14. Martem esse communem, et eventum incertum belli. *Cic. Balb.* 11. Quod commune est liberorum populorum, non proprium foederatorum. *Id. Senect.* 11. Non proprium senectutis est vitium, sed commune valetudinis. *Id. ib.* 19. Omni aetati mors est communis. *Id. Prov. cons.* 1. *in f.* Quem dolorem vos communem semper vobis mecum esse duxistis. *Id. Rosc. Com.* 10. Is fuit ei cum Roscio communis. *Id. Leg,* 1, 7. Inter eos ratio communis est. *Id. Fam.* 7, 12. Commune nihil potest esse apud eos, qui etc. ℙ [*Plin. Pan.* 49, 5. Mensa communis, i. e. cujus plures sunt participes, cum quis non solus epulatur, sed adhibet convivas. Ita recte locum intellexisse videtur *Gierig.* contra *Schwarz.*, qui *communem* coenam dicit, in qua eaedem epulae imperatori et convivis apponuntur.] ℙ *Communes Dii* sunt non patrii, sed omnibus aeque venerandi. *Virg. A.* 12, 118. In medioque focos et Diis communibus aras Gramineas. *Id. ib.* 8, 275. Communemque vocate Deum. *Val. Flacc.* 4, 761. Communesque vocant Superos. *Inscr.* ap. *Grut.* 13, 9. Jovi O. M. Fortunaeque meliori Aug., et Diae Deabusque Communibus. V. AZONI. ℙ *Communis paganus* is dicitur, qui est ex eodem pago, idem ac compaganus, ut *municeps*, qui est ex eodem municipio. V. MUNICEPS. *Inscr.* ap. *De Vita Antiq. Benev.* p. 28. *n.* 10. M. Nasellius M. F. Pal. Sabinus, et Nasellius Vitalis pater paganis communib*us* pagi Lucul. porticum cum apparatorio, et compitum a solo pecun*ia* sua fecerunt, et in perpetuum VI. Id. Jun. natali Sabini epulantibus hic paganis annuos ℵ CCXXV. dari jusserunt etc. ℙ *Sensus communis* est cognitio eorum, quae ab omnibus cognosci solent: quo qui carent, stupidi vocantur. *Hor. Sat.* 1, 3, 66. Communi sensu plane caret, inquimus. [*Sensus communis* h. l. est id. quod nos dicimus *Gefühl für Anstand.* Comparat *Heindf.*, cujus verba sequimur. *Senec. Ben.* 1, 12. Sit in beneficio sensus communis: tempus, locum, observet, quia momentis quaedam grata et ingrata sunt. *Id. ep.* 5. et 105. *Quint.* 1, 2, 20.] Adde *Cic. Or.* 1, 3. *in f.* et *Phaedr.* 1, 7. ℙ *Genus commune* ap. *Gram.* est eorum nominum, quae simul masculina sunt et feminina, vel masculina, feminina simul, et neutra. *Charis.* 2, 126. ℙ *Verbum commune* ap. eosdem est, quod *or* positione desinens activam simul et passivam significationem habet. *Gell.* 15, 13., *Prisc.* 8, 787. ℙ *Communis syllaba*, quae tum brevis est, tum longa. *Charis.* 1. *sub init.* ℙ Mors communis ab *Eutrop.* 7, 8. dicitur, quam [*nos dicimus: *einen natürlichen Tod. Paeanius* vertit *τελευτᾷ κοινὴν καὶ αὐτόματον τελευτήν.*] ℙ *Communis sermo*, est usitatus, et vulgaris. *Petr. Sat.* 113., *Quint.* 2, 10, ℙ *Communis locus*, *κατ' εὔφημισμὸν* est Orcus, vel terra ipsa, quae, ut ait *Lucr.* 5, 260., est rerum commune sepulcrum. *Pl. Cas. prol.* 19. ℙ Item *communis locus* est idem ac lupanar. *Senec. Controv.* 1, 2. Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellae tuae titulus, venientes recepisti. ℙ *Loca communia* ap. *Cic. Verr.* 2, 2, 46. et *Fam.* 13, 11. sunt aedes publicae, ut porticus, basilicae, fora etc. ℙ At *loci communes* sunt sedes argumentorum artis rhetoricae, et dialecticae. *Cic. Or.* 36. et alibi. [*Commune exordium* dicitur, quo nihilo minus adversarius potest uti, estque ideo vitiosum. *Auct.* ad *Her.* 1, 7. *Cic. Inv.* 1, 18. Cf. *Or.* 2, 78. *Puint.* 4, 1, 71. Simili modo etiam commune argumentationis genus, ideoque vitiosum dicitur *Cic. Inv.* 1, 48. Quod nihilomagis ab adversariis, quam a nobis facit. V. *Quint.* 5, 13, 29. *Ernest. lex. techn. lat.*] ℙ *Commune* dicitur caput, et summa rei, de qua societas inita est. *Ulp. Dig.* 17, 2, 52. *in f.* Non debet de communi id consequi. Et *ib.* De communi sarcire. ℙ Item *commune* et *communia* dicitur de rebus publicis. *Hor. Od.* 2, 15, 13. Privatus illis census erat brevis, Commune magnum, *h. e.* census reipubl. *Id. Ep.* 1, 20, 4. Paucis ostendi gemis, et communia laudas. *Cic. Verr.* 2, 1, 38. Quomodo iste commune Milyadum vexarit, *h. e.* rempubl., ut et *Ascon.* interpretatur. [*Ov. Met.* 12, 7. Gentis commune Pelasgae, i. e. universa gens Graeca, conjunctae Graecorum opes. *Id. ib.* 13, 199. Communis Graecia Gr. *τὸ κοινόν.*] Hinc *judicium communi dividundo*, h. e. re, quae ad plures pertinet, apud JCtos: de quo *Dig.* 10, 3. agit. *Cic. Fam.* 7, 12. Quod jus statues communi dividundo, cum etc.? ℙ *Res communis*, res publica. *Sisenna* ap. *Non.* 12, 18. Quondam Sabini feruntur vovisse, si res communis melioribus locis constitisset, se ver sacrum facturos. ℙ *In commune* est in rem communem. *Cic. Inv.* 2, 3. Ex nostro quoque nonnihil in commune contulimus. *Liv.* 6, 40. Vocare honores in commune, *h. e.* promiscuos patribus et plebi. *Tac. A.* 12, 5. Consulere in commune. *Ter. Andr.* 3, 3, 16. Utrique, id a te oro, in commune ut consulas, *h. e.* ut consilium capias, quod communiter utrique utile sit. *Mela* 1, 8. In familias passim, et sine lege dispersi, nihil in commune consultant. *Ulp. Dig.* 17. 2, 52. redigere. Et *ib.* emere. *Phaedr.* 5, 6. Eja, inquit, in commune quodcumque est lucri. [*Proverb. dicendi ratio, cujus a Graecis origo deducenda, apud quos, qui alium rem in via repertam auferre videret dicere solebat *κοινὸς Ἑρμῆς.* *Sen. ep.* 119. Quoties aliquid inveni, non exspecto, donec dicas: *in commune;* ipse mihi dico.] ℙ Significat etiam in universum. *Plin.* 17, 1, 1. Quae ad cuncta arborum genera pertinent in commune, dicemus. *Tac. G.* 27. Haec in commune de Germanorum origine, nunc singularum gentium etc. *Id. A.* 15, 12. *ad f.* His atque talibus in commune alacres iter properabant. ℙ *Communis homo* dicitur, qui se communem quodammodo facit, cum omnibus versari non dedignatur, comis, facilis, affabilis, *κοινὸς, ἐπιεικής.* *Cic. Fam.* 4, 9. Eum magis communem censemus in victoria futurum fuisse? *h. e.* magis usurum consilio ceterorum. *Suet. Claud.* 21. Nec ullo spectaculi genere communior, aut remissior erat. *Id. Vesp.* 22. Super coenam et super aleam communissimus. Adde *Ter. Heaut.* 5, 1, 39., ubi tamen plerique leg. *comis*, quod in locis *Suetonii* allatis restituendum putant nonnulli critici. Ad hanc notionem quidam ap. *Servium* trahebant et illud *Virg. A.* 8, 275. Communemque vocate Deum [*Differt in his *communis* a *comis.* Hoc est paris cum pari; *communis* superioris cum inferiori, ut Principis cum populo: i. q. alias *civilis.* Marcilius ad *Suet. Vesp.* 1. *Eutrop.* 8, 5. (de Trajano) Amicis enim culpantibus, quod nimis circa omnes communis esset. *Nep. Att.* 3. Hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur. Addit *Tzschuck.* ad *Eutrop.* loc. modo laud. Caeterum *communis* nonnunquam est comis, non contra.] ℙ *Communia* absolute, apud *Frontin. de limit. agror.* p. 41. *Goes.* dicuntur compascua loca, in commune aliquibus assignata: quae *Aggen. Urbic. ib.* p. 66. in Etruria scribit *communalia* appellari.

COMMŪNĬTAS, atis, f. *κοινότης, κοινωνία*, communio, societas. *Cic. Phil.* 6, 2. Quae vobis potest cum hoc gladiatore conditionis, aequitatis, legationis esse communitas? *Id. Fam.* 9, 24. Communitas vitae atque victus. *Id. Off.* 1, 44. Junctum esse alicui communitate. *Id. ib.* Communitas, et conjunctio humana. Et *ib.* Consociatio hominum atque communitas. *Id. ib.* 14. *ad f.* Communitas et societas vitae. *Id. Fin.* 4, 4. Societas et communitas generis humani. ℙ Ponitur etiam pro justitia civili, *h. e.* quae pertinet ad communem hominum utilitatem, ut *Cic. Off.* 1, 43. *in f.* loquitur. *Id. ib. circa init.* Omnis honestas manat a partibus quatuor, quarum una est cognitionis, altera communitatis etc. V. ibi reliqua. [*Communitas h. l. subjective dicitur pro virtute, qua societas hominum conjunctioque servatur. V. *Beier.* ad h. l.]

COMMŪNĬTER, adv. *κοινῶς*, una cum aliis, vel una cum omnibus, non divisim. *Cic. Att.* 11, 5. Ex tuis litteris intellexi, et iis, quas communiter cum aliis scripsisti, et iis, quas tuo nomine. *Id. Fam.* 13, 12. Alia epistola communiter commendavi legatos Arpinatium: hac separatim, omnes simul. *Id. Off.* 3, 20. Conscripserunt communiter edictum: idque quod communiter compositum fuerat, solus edixit. *Id. Rosc. Am.* 37. *in f.* Roscius omnia cum Chrysogono communiter possidet. *Id. Font.* 6. Aurium judicium promiscue et communiter stultis ac sapientibus a natura datum. *Id. N. D.* 2, 48. Sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quaeritur. *Id. Arch.* 12. *in f.* Quae communiter de ipsius studio locutus sum. [*Varr. R. R.* 2, 10. Qui pascunt, eos cogere oportet, in pastione diem totum esse, pascere communiter. *Nep. Pel.* 2. Cum tempus est visum rei gerendae, communiter cum his, qui Thebis idem sentiebant, diem delegerunt, ad inimicos opprimendos civitatemque liberandam.] *Liv.* 1, 45. Dianae Ephesiae fanum communiter a civitatibus Asiae factum. *Appul. dogm. Plat.* 3. Quae communiter appellatur propositio. [*Ov. *Met.* 6, 262. Dique o communiter omnes — Parcite.] ℙ Comp. *Communius* apud *Diomed.* 3, 480. Epos dicitur Graece carmine hexametro divinarum rerum et heroicarum humanarumque comprehensio. Latine paulo communius carmen auditur.

COMMŪNĪTĬO, onis, f. actus communiendi, et ipsa munitio. *Vitruv.* 10, 19. Murum continenter pulsantes, totam communitionem dissipaverunt. ℙ Addunt locum *Cic. Or.* 2, 79., ubi plerique leg. *munitio.*

COMMŪNĪTUS, adv. communiter. *Varro* apud *Non.* 11, 6. Ut Deos colere debet communitus civitas, sic singulae familiae debemus.

COMMŪNĪTUS, a, um, part. a *communio*, *περιῤῥαττόμενος*, munitus. *Flor.* 3, 19. *ad f.* Communitas armis copias fame delevit, *h. e.* munitionibus inclusas. ℙ Item aedificatus. *Liv.* 22, 32. Hibernacula mature communita. ℙ Translate. *Cic. Rosc. Com.* 15. Causa Roscii testimoniis communita. Et *Caecin.* 26. Jus parum communitum. Et *Fam.* 15, 4. Auctoritas aulae communita.

COMMURMŪRĀTĬO, onis, f. submissus clamor multorum simul mussantium. *Gell.* 11, 7. *ad f.* Commurmuratio fieri coepta est a plerisque, quasi monstrum verbi admirantibus.

COMMURMŪRO, as, a. 1. et Commurmuror, aris, dep. 1. idem quod murmuro, vel simul murmuro, musso. *Cic. Pis.* 25. Ut scriba secum ipse commurmuratus sit: ratio quidem etc. *Sil.* 15, 821. inferias in tempore dignas Missurum fratri, clauso commurmurat ore. *Plin.* 10, 23, 31. *de ciconiis.* Congregatae inter se commurmurant. ℙ Pro obtrectare, obloqui. *Varr.* ap. *Non.* 7, 85. Hoc Graecis renunciato, ut facile intelligeres, nos ab his amari, commurmurantur.

COMMŪTĀBĬLIS, e, adj. idem ac mutabilis, *μεταβλητικός.* *Cic. Mil.* 26. Quam sit varia vitae, commutabilisque ratio. *Id. Inv.* 1, 18. Exordium commutabile est, quod ab adversario potest leviter mutatum ex contraria parte dici. [*Cf. *Quint.* 4, 1, 71.] *Id. Att.* 1, 17. *a med.* Nos hic in republica infirma, misera, commutabilique versamur.

COMMŪTĀTĒ, adv. mutando. *Auct. ad Her.* 4, 42. Eandem rem dicemus non eodem modo, sed commutate. Al. aliter leg.

COMMŪTĀTĬO, onis, f. idem ac mutatio. *Cic. Inv.* 1, 34. Annuae commutationes semper eodem modo fiunt. ℙ Est etiam figura rhetorica, cum duae sententiae inter se discrepantes ex transjectione ita efferuntur, ut a priore posterior contraria priori profisciscatur, ut: Esse oportet, ut vivas, non vivere, ut edas. *Auct. ad Her.* 4, 28. [*Quint. 9, 3, 85. *ἀντιμεταβολὴν* dicit. V. *Lex. lat. technol.* p. 70. et *lex. gr. technol.* in voce *ἀντιμεταβολή.*] ℙ Facere inter se commutationes et consilia, *h. e.* collationes, communicationesque, non usitate dixit *Claud. Quadrigar.*, sed non hercle inscite, nec ineleganter, inquit *Gell.* 17, 2. *in f.*

COMMŪTĀTUS, a, um, part. a *commuto*, *Nep. Dion.* 4. Vitae statum commutatum ferre non potuit.

COMMŪTĀTUS, us, m. idem ac mutatio. *Lucr.* 1, 794. quoniam quae diximus ante In commutatum veniunt.

COMMŪTO, as, avi, atum, a. 1. *μεταβάλλω, διαλλάττω*, idem quod muto, vel simul muto, permuto. Inter hoc et *permuto* illud interest, quod *permutari* proprie id dici videtur, quod ex alio loco in alium transfertur, at *commutari*, cum aliud pro alio substituitur. Sed ea jam confuse in usu sunt. *Fest.* in *Permutatur. Cic. Fin.* 5, 25. Fures rerum, quas ceperunt, signa commutant. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. Commutare vultum et sermonem ad sensum et voluntatem aliorum. *Cic. Har. resp.* 27. Commutare statum reipubl. *Id. Fat.* 9. Commutare aliquid ex vero in falsum. *Pl. Capt. prol.* 37. Commutant vestem, et nomina inter se. *Caes. B. C.* 2, 38. Commutare consilium. ℙ Commutari dicuntur etiam ea, quae corrumpuntur. *Varr. R. R.* 1, 69. Quae manere non possunt, ante quam se commutent, ut celeriter promas ac vendas. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 4, 3. *in f.* Quibus etiam qui assentiuntur, nihil commutantur animo, et iidem

abeunt, qui venerant. *Id. Or.* 2, 52. Commutare animos, atque omni ratione flectere. ℙ Saepe dicitur de permutationibus rerum. *Cic. Off.* 1, 13. Dum Regulus de captivis commutandis Romam missus esset. *Colum.* 12, 26. Mustum primo quoque tempore absumito, aut aere commutato. *Pl. Trin.* 1, 2, 21. Vin' commutemus? tuam ego ducam, et tu meam. *Ulp. Dig.* 2, 15, 8. *ad f.* Commutare vinum pro oleo, vel oleum pro vino. ℙ Translate, *Cic. Sext.* 16. Commutare gloriam constantiae cum caritate patriae. *Id. Cluent.* 46. fidem suam et religionem pecunia. *Caes. B. G.* 6, 21. studium belli gerendi agricultura. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. mortem cum vita. (*εὐφημίας ἕνεκα* hoc dicebant pro *mori.*) *Sallust. orat.* 2. *de republ. ordin.* contumeliam alicujus vita sua, *h. e.* vitae suae periculo alicui contumeliam inferre. ℙ *Commutare verba* est verba multa ultro citroque habere, altercari. *Ter. Phorm.* 4, 3, 33. Ut est ille bonus vir, tria non commutabitis hodie verba inter vos. *Id. Andr.* 2, 4, 7. Crede, nunquam hodie tecum commutaturum patrem unum esse verbum.

COMO, as, avi, atum, a. 1. in morem comae effundo, coma vestio. *Tertull. Pall.* 3. Vellera, quae muscosae lanositatis lautiores conchae comant. *Paul. Nol.* 28, 246. *de pinu.* Semper amans celsis alta comare jugis. V. COMANS.

COMO, is, mpsi, vel omsi, omptum, vel omtum, a. 3. *κομέω, κομάω*, comam orno. Est enim, ut ait *Fest.* in *Comtus*, a Graeco *κομεῖν*, et maxime ad cultum capitis pertinet. [*Cernitur *comere* nonnisi in componendo, purgando, eluendo, ita ut nitidum res adspectum praebeat idem quod *polire*; quo differt ab ornare et decorare quibus extrinsecus additus ornatus significatur; cf. *Doederl.* 3, 261. Hinc recte *id. ib.* 263. *como* contractione factum dicit ex *coimo*, compositionis eodem genere cum *sumo*, *promo*, *demo* (a *con* et *emere*), et proprie significare *ligare*, *nectere*, oppos. *solvere Tibull*, 4, 2, 10. Seu solvit crines, fusis decet esse capillis, Seu compsit, comptis est veneranda comis.] *Pl. Stich.* 5, 4, 19. Amica mea dum comit, dumque se exornat. *Tibull.* 1, 9, 16. Nec nitidum tarda comserit arte caput. *Quint.* 12, 10. Comere caput in gradus atque anulos. *Id.* 2, 5. Inustas comas acu comentes. *Mart.* 12, 83. capillos dente secto. *Ov. Fast.* 2, 560. Comat virgineas hasta recurva comas. *Stat. Silv.* 1, 2, 110. Colla genasque comere. *Id. Theb.* 3, 424. cristas. *Id. ib.* 4, 43. Auriga comit equos. *Claud. VI. Cons. Honor.* 525. vestesque et cingula comit Saepe manu. ℙ Translate. *Quint.* 8, 3. Comere, et expolire orationem. *Auson. Idyll.* 4, 58. Tu quoque, qui Latium lecto sermone, Terenti, Comis. etc. *Stat. Silv.* 1, 3, 71. Comere divitias, opibusque immittere lucem, *h. e.* ornare, et liberalitate illustres reddere.

COMOEDĬA, ae, f. *κωμῳδία*, poema dramaticum, civium et vulgi actiones stilo populari imitans, non sine salibus ac jocis, exitu laeto. Ejus finis est vitae privatae exemplum proponere, ut inde mores suos quisque corrigat. Differt a *tragoedia*, quae illustres personas inducit, terrorem ac misericordiam commovet, exitus habet horribiles, et stilo utitur gravi, tumido, et a communi consuetudine remoto. ℙ Dicta est a *κώμη*, vicus, et *ᾠδή*, cantus, quod initio per vicos discurrentes hujusmodi lusus actitabant, teste *Festo.* ℙ Vetus comoedia mordacibus dictis abundabat, magna in quemque invehendi licentia, ut est apud *Hor. Art. P.* 281. Nova minus habuit acerbitatis, plus artis atque elegantiae. *Cic.* ap. *Donat. in fragm. de Tragoed. et Com.* Comoedia est imitatio vitae, speculum consuetudinis, imago veritatis. *Id. Brut.* 62. Atheniensis Hyperboli improbitatem veteres Atticorum comoediae notaverunt. *Hor. l. c.* 93. Interdum tamen et vocem comoedia tollit. *Ter. Eun. prol.* 22. Agere comoediam. *Id. Andr. prol.* 26. facere comoedias, et *ib.* 27. spectare, et *ib.* et *Hecyr. prol.* 4. et 7. exigere, *h. e.* rejicere, improbare. [*Cum spectatores strepitu pedum significant, eam sibi displicere. *Ruhnken. Quint. Inst.* 10, 2. p. 927. Nec comoedia in cothurnos assurgit.] ℙ Villam quandam suam humiliore loco positam translate comoediam appellat. *Plin. ep.* 9, 7. Hujus in littore (ad Larium lacum) plures villae meae; sed duae, ut maxime delectant, ita exercent. Altera imposita saxis, more Bajano, lacum prospicit; altera aeque more Bajano, lacum tangit. Itaque illam tragoediam, hanc appellare comoediam soleo; illam quod quasi cothurnis, hanc quod quasi soccuIis sustinetur. ℙ Plura de comoediae origine, partibus etc. V. apud *Scalig. de Poet. lib.* 1. et *Voss. lib.* 2. *Inst. Poet. c.* 22, 23. etc. ℙ *Comoediai* antiquus genitiv. est *Plauti Poen. prol.* 50.

COMOEDĬCE, adv. comoedorum more, comice, *κωμῳδικῶς*. *Pl. Mil.* 2, 2, 58. Euge, euge, euscheme hercle adstitit, et dulice, et comoedice.

COMOEDĬCUS, a, um, adj. *κωμῳδικός*, comoedus. *Appul. Florid. n.* 16. Diu in arte comoedica nobilis.

COMOEDĬOGRĀPHUS, i, m. *κωμῳδιογράφος*, qui comoedias scribit. Quidam ajunt, usurpatam fuisse a *Cicerone*, cujus verba sint ap. *Victor. et Probum Grammatic.*, sed falluntur. Vox certe Graeca est a *κωμῳδία*, et *γράφω*.

COMOEDUS, a, um, adj. ad comoediam pertinens, *κωμῳδός*. *Juv.* 3, 100. Natio comoeda est. ℙ *Comoedus, i*, est actor comoediarum. *Cic. Rosc. Com.* 11. Qui in novissimis quidem erat histrionibus, ad primos pervenit comoedos. Adde *Quint.* 1, 11. ℙ Inter *histrionem*, et *comoedum* hoc interest, quod *comoedus* solas agit comoedias, et in scena: *histrio* quascumque fabulas, atque etiam extra scenam, ut in conviviis, in funeribus etc. *Quint.* 6, 2. Vidi ego saepe histriones, atque comoedos, cum etc.

COMON, ontis, m. *κομῶν*, comam nutriens: a *κομάω*. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 586, 9. Claudius Comon.

*COMOPOLIS, is, f. *κωμόπολις*, (a *κώμη*, et *πόλις*) vicus magnus, vicus proprie moenibus septus; locus major quam vicus et minor quam urbs. *Marc. Empir.* 4. V. et *Evang. Marc.* 1, 38. ℙ Hujusmodi *κωμοπόλεις* multae olim in Babylonia et Assyria fuere. *B. A.*

COMOSUS, a, um, adj. comatus, *κολύκομος*. *Phaedr.* 5, 8. Calvus, comosa fronte, nudo corpore. *Auct. Priap.* 37. Phoebus comosus, Hercules lacertosus. ℙ Translate. *Plin.* 26, 8, 45. Tithymalum comosissimum ex omnibus.

COMOTRĬA seu Commotria, ae, f. *κομμώτρια*, mulier ornandorum capillorum artifex. Sex Romae fuisse *comotrias* Vestae ministras, docent ex *Festo* multi Lexicographi. Nos *Festi* locum nondum invenire potuimus. ℙ *Scribendum videtur *commotria*; nam Gr. vox est. *Κομμώτρια* est *ἐμπλέκτρια, ἡ κοσμοῦσα τὰς γυναῖκας. B. A.*

COMPACISCOR, vel Compeciscor, eris. Negat *Charis.* 2, 177. esse in usu linguae Latinae. De ejus praeterito *Compectus*, seu *Compactus*, V. infra suo loco.

COMPACTĬCĬUS, a, um, adj. qui ex multis compactus est. Legitur ap. *Tert. adv. Valent.* 31. Compacticius ille Soter. Alii leg. *comparcinus*, alii comparcivus.

COMPACTĬLIS, e, adj. *σύμπηκτος*, compactus, colligatus, coagmentatus. *Vitr.* 4, 7. Supra columnas trabes compactiles imponantur, *h. e.* tignis conjunctis compositae, ut *Philander* exponit. *Id.* 10, 20. Postes compactilis *Plin.* 15, 22, 24. *de nucibus.* Solum hoc pomum natura compactili operimento clausit, *h. e.* putamine bifido, sed probe connexo. ℙ De animalibus, quae corpore sunt breviore, sed bene constituto, et veluti quadrato, aut rotundo, *στρογγύλους* Graeci vocant. *Plin.* 8, 16, 18. Leonum genera duo: compactile et breve, crispioribus jubis: hos pavidiores esse, quam longos etc. *Id.* 11, 18, 19. *de apibus.* Optimae breves, et in rotundiatem compactiles. ℙ *Compactiles fines* in re agraria, ap. *Innocent. de casis litter.* p. 230. *Goes.* quinam dicantur, multis explicat idem *Goes. de antiqu. Agrar. c.* 8. p. 77. V.

COMPACTĬO, onis, f. *σύμπηξις*, actus compingendi, colligatio, connexio. *Cic. Fin.* 5, 11. Compactio membrorum. ℙ Item ipsae res simul colligatae et compactae. *Vitr.* 10, 20. Insuper hanc compactionem erigantur postes compactiles. Adde 2, 7.

COMPACTŪRĂ, ae, f. idem quod compactio, a *compingo*. *Vitr.* 4, 7. Compactura habet laxationem.

COMPACTUS, a, um, part. a *compingo*, *συμπαγείς*, coagmentatus, colligatus, conjunctus. *Cic. Fin.* 3, 22. Quid tam compositum, tamque compactum, et coagmentatum inveniri potest? *Virg. Ecl.* 2, 36. Fistula disparibus septem compacta cicutis. *Id. A.* 12, 674. Turris compactis trabibus. *Mart.* 12, 72. Casa male compacta. *Senec. Med.* 365. Argo compacta manu Palladia. ℙ Dicitur translate de corpore, cujus statura brevior quidem est, sed membra bene sunt composita, et inter se optime colligata quodammodo, et connexa. *Suet. Vesp.* 20. Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris. [*Gedrungen, untersetzt.] *Plin. ep.* 7, 24. Compactum corpus et robustum. *Colum.* 6, 1. Etruria boves progenerat compactos, sed ad opera fortes. Et *ib.* 37. Asinus feminibus lacertosis, cruribus compactis. *Pall.* 4, 11. Boum cervix torosa atque compacta. ℙ Est etiam idem ac conjectus. *Pl. Men.* 5, 5, 39. Compactus in carcerem. *Id. Rud.* 2, 6, 61. Vidulum, aurum atque argentum ubi omne compactum fuit. ℙ Item conventus, constitutus, *συντεθείς*: sive sit a *pango* per translationem, sive a *paciscor.* Hinc *compacto*, *ex* vel *de compacto* idem est quod ex composito, *κατὰ συνθήκην*: et fere in malam partem accipitur. *Cic. Att.* 10, 12., *Liv.* 5, 11., *Pl. Capt.* 3, 1, 29. et *Afran.* ap. *Charis.* 2, 177. Compacto aliquid agere. *Pl. Ps.* 1, 5, 126. De compacto faciunt consutis dolis. *Suet. Caes.* 20. Auctores ex compacto nominare.

COMPAEDĂGOGĪTĂ, ae, m. servus, qui simul cum aliis paedagogus est, *συμπαιδαγωγίτης*. Vox hybrida a Latino *con*, et Graeco *παιδαγωγός*, quae legitur in trib. Inscriptionib. ap. *Fabr.* p. 361. *n.* XIII. 98. et 99.

COMPAEDĂGOGĬUS, ii, m. qui una cum aliis sub paedagogo est. Vox hybrida, ut dictum est in voce praeced., legiturque in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 361. *n.* 97.

COMPĂGĀNUS, a, um, adj. qui est ejusdem pagi. *Inscr.* tempore secundi consulatus Pertinacis Aug. exarata ap. *Grut.* 209, 1. Sententiam, quam tulit inter compaganos etc.

COMPĀGES, is, f. *ἁλληλουχία*, connexio et colligatio rerum simul compactarum, compactio. *Curt.* 4, 18. Saxorum compage laxata. *Lucan.* 3, 491. Compagem solvere muri. *Id.* 10, 248. magnosque cavae compagis hiatus. *Lucr.* 6, 1069. Laxare compages. [*Tac. A.* 12, 25. Rudes et informes saxorum compages distractae.] *Ov. Met.* 3, 30. Efficiens humilem lapidum compagibus arcum. *Lucan.* 2, 487. Compages pontis. *Plin.* 25, 3, 6. Compages in genibus. *Id.* 16, 40, 79. Compages glutinis. *Virg. A.* 2, 297. compagibus arctis Claudentur belli portae. *Gell.* 6, 1. Natura, quae compagem hanc mundi fecit. ℙ Translate. *Cic. Senect.* 21. Dum sumus in his inclusi compagibus corporis. [*Vell. 2, 127. Compages corporis sufficiens vigori animi.] *Lucan.* 5, 119. Compages humana, *h. e.* conjunctio animae cum corpore. *Lucr.* 4, 1106. Haerere compagibus, *h. e.* haerere in amplexibus. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *ante med.* Singularum compagum membra tractemus. *Tac. H.* 4, 74. *ad f.* Octingentorum annorum fortuna disciplinaque compages haec coaluit, quae convelli sine exitio convellentium non potest, *h. e.* societas, imperium, respublica.

[COMPĂGĬNĂ, ae, f. conjunctio. *M. Baro de casis litter.* ap. *Goes. Agr.* p. 239. Colligo ab omni compagina litterarum. Et *Innocent. ib.* p. 245. et 246. Omnis compagina litterarum. *F.*]

*COMPAGINATĬO, onis, f. *Vet. Gloss.* Ἁρμονή. Junctura, compages, compaginatio. *B. A.*

COMPĂGĬNĀTUS, a, um, part. a *compagino*, compage vinctus, colligatus. *Ammian.* 21, 2. Orbis scuti axiculis compaginatus. Adde *Augustin. serm.* 1. *Fer.* 3. *Pentec.*

COMPĂGĬNO, as, avi, atum, a. 1. *ἀλληλουχέω*, compingo, copulo, connecto. *Prud.* 10. *περὶ στεφ.* 889. revulsis qui medetur ossibus, Aut fracta nodis sarciens compaginat. Adde *August. Confess.* 13, 30. et *Paul. Nol. ep.* 32. (al. 12.) *n.* 10. ℙ Part. *Compaginans* ap. *Auct. rei Agr.* p. 346. *Goes.* Compaginantes agri, limitesve.

COMPĂGO, ginis, f. idem quod compages. *Serv.* ad *A.* 2, 297. observat, antiquos dixisse tantum *compages*, et *ambages*, posteritatem vero admisisse, ut etiam *compago* diceretur: non ideo tamen mutandam esse declinationem obliquorum: neque dicendum *compaginis:* quamvis fateatur ab *Ovidio* id usurpatum. Locus *Ovidii* est *Met.* 1, 711. disparibus calamis compagine cerae Inter se junctis etc. Sed et *Cels.* usurpat 4, 7. A compagine corporis ad viscera transeundum est. Et *Senec. ep.* 91. Sive flammarum violentia compaginem soli ruperit. Et *Plin.* 2, 2, 2. Mundus nullarum egens compaginum. Adde *Manil.* 1, 717, 725. et 838.

COMPĂGUS. V. CAMPAGUS. ℙ *Compāgus* paenult. producta est pagus majori alii pago contributus. Habetur in vet. *Inscr.* ap. *Mazoch. in comment. ad Tabul. Heracleens.* p. 399. Pagus Herculaneus scivit, uti conlegium, sive magistri Jovi compagi in porticum paganam reficiendam pecuniam consumerent etc.

COMPALPO, as, a. 1. idem quod palpo, contrecto, tango. *August. serm.* 214. *de Temp.*

COMPAR, ăris, adj. *ἴσος, πάρισος*, idem quod par, aequalis. *Pl. Pseud.* 1, 1, 64. Compressiones arctae amantum comparum. *Liv.* 1, 9. Id demum compar connubium fore. *Id.* 28, 42. *ad f.* Consilium tuum parentis tui consilio compar. *Id.* 36, 44. Compari marte concurrere. Al. leg. *pari. Gell.* 6, 11. Quia tantisper similis, et compar eorum fias. *Val. Max.* 9, 14. *n.* 2. *extr.* Lineamentis oris, et omnium membrorum compares erant. ℙ Ponitur et pro socio, sodali, conjuge. *Pl. Ps.* 4, 3, 9. Hunc comparem metuo meum. *Hor. Od.* 2, 5, 2. Munia comparis aequare. *Ov. A. Am.* 3, 358. Bellatorque sua prensus sine compare bellat, *h. e.* rex sine regina in ludo latrunculorum. *Id. Am.* 5, 38. Taurus cum vacca compare. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 760, 5. et 793, 9. et ap. *Reines. cl.* 20. *n.* 36, 129. et 322., in quibus *compar* pro marito, aut pro uxore ponitur. ℙ *Compar, ἰσοκῶλον*, figura rhetorum, qua membra plura orationis ponuntur pari fere numero syllabarum, ut in proelio mortem pater oppetebat, domi filius nuptias comparabat etc. *Auct. ad Her.* 4, 20.

[COMPĂRĂ, ae, f. idem ac compar. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 67. de equa veloci: Cursando flabris compara, Aetate abacta virgini, Spendusa, Lethen incolis. *F.*]

COMPĂRĂBĬLIS, e, adj. *παράβλητος, παραβλητικός*, qui comparari et conferri potest. *Cic. Inv.* 1, 30. Comparabile est, quod in rebus diversis similem aliquam rationem continet. [*Cf. *lex. tech-*

nol. lat. p. 71.] *Liv.* 39, 52. Trium clarissimorum virorum mors comparabilis.

COMPĀRĀTĒ, adv. *συγκριτικῶς*, alterius comparatione. *Cic. Top.* 22. Cum quaeritur quale quid sit, aut simpliciter quaeritur, aut comparate: simpliciter, expetendane sit gloria; comparate, praeponendane sit divitiis gloria.

COMPĀRĀTĬCĬUS, a, um, adj. idem quod comparabilis. *Tert. adv. Valent.* 13. Angelorum comparaticius antistatus. ℙ *Aurum comparaticium*, ap. *Imppp. Valent., Gratian. et Valentin. Cod.* 12, 40, 2. est quod per singulorum collationem, ac tributum confertur.

COMPĀRĀTĬO, onis, f. *παρασκευή*, apparatus, praeparatio. *Cic. Manil.* 4. Reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem novi contulit. [**B. Afr.* 35. Comparatio pugnae.] *Cic. Q. Fr.* 1, 2. *sub f.* Pompejus omnia pollicetur, et Caesar: quibus ita credo, ut nihil de mea comparatione deminuam. *Id. Brut.* 76. Comparatio et disciplina dicendi. [**Id. N. D.* 2, 20. Cum solis et lunae et quinque errantium ad eandem inter se comparationem confectis omnium spatiis est facta conversio. *Comparationem* h. l. exprimere Gr. *συσχηματισμὸν* docet *Heindf.*] ℙ *Comparatio criminis* est apparatus rerum ad crimen inferendum idonearum. *Cic. Cluent.* 67. Totius hujus ab illa inventa et adornata est criminis comparatio. ℙ Item acquisitio, inquisitio. *Cic. Fin.* 2, 28. Sit tam facilis, quam vultis, voluptatis comparatio. *Id. Mur.* 21. Comparatio suffragatorum. *Liv.* 42, 17. veneni. *Val. Max.* 4, 4. *n.* 5. nimis anxia divitiarum. ℙ Hinc et pro emptione adhibetur. *Trajan. ad Plin. ep.* 10, 37. Proficiscens ad comparationem frumentorum. *Ulp. Dig.* 5, 1, 52. Cum appareat, id legislatorem sensisse ex genere comparationis. *Papin. ib.* 41, 3, 44. Comparatio servorum. ℙ Comparationes horologiorum ex aqua ap. *Vitr.* 9, 9. sunt ipsae constructiones. ℙ Item saepissime est collatio, cum duo vel plura inter se conferuntur, *ἀναλογία, παράθεσις, παραβολή. Cic. Top.* 18. Parium comparatio nec elationem habet, nec submissionem. *Id. Off.* 1, 43. Eorum, quae honesta sunt, potest incidere saepe contentio et comparatio, utrum sit honestius. *Id. Or.* 1, 60. *ad f.* Orationis suae cum scriptis alienis comparatio. *Id. Fam.* 10, 5. Res in comparatione difficilis ad judicandum. *Suet. Aug.* 79. Ut non nisi ex comparatione proceriores intelligi posset. *Curt.* 3, 11. Strata erant itinera vilioribus sarcinis, quas in comparatione meliorum avaritia contempserat. *Vellej.* 2, 9. Usque in comparationem evecti. *Suet. Rhet.* 6. Demittere se in comparationem. *Plin.* 10, 9, 11. Suos comparatione ejus damnat ut alienos. *Id.* 34, 7, 18. Victus comparatione. ℙ *Comparatio criminis* est cum reus aliud aliquod factum rectum aut utile profert, quod ut fieret, illud de quo arguitur, se commisisse fatetur, ut *Cic.* docet *Inv.* 1, 11., nempe quia fit comparatio facti honesti cum crimine, quod ejus facti causa admissum est. [*Graeci *συλλογισμὸν* appellant. V. *lex. techn. lat.* p. 71.] ℙ Denique *comparatio* est constitutio et conventio. *Liv.* 6, 30. Manliis Volsci provincia sine sorte, sine comparatione extra ordinem data. V. COMPARO. ℙ Haec vox videtur nova fuisse Ciceronis tempore, et fortasse ab illo ipso novata, praesertim in sensu *τῆς ἀναλογίας* et collationis. Ita enim loquitur *Univ.* 4. *extr.* Id optime assequitur quae Graece *ἀναλογία*, Latine (audendum est enim, quoniam haec primum a nobis novantur) comparatio, proportiove dici potest.

COMPĀRĀTĪVĒ, adv. per comparationem. *Gell.* 5, 21. *Compluries* cum dicimus, non comparative dicimus.

COMPĀRĀTĪVUS, a, um, adj. comparationem continens. *Cic. Inv.* 2, 25. *ad f.* Comparativa judicatio. *Quint.* 7, 4. Hoc genus *ἀντίστασις* Graece nominatur: comparativum nostri vocant. *Ascon. in Div. Verr.* 12. In omni qualitate comparativa, *h. e.* in omni comparatione. *Gell.* 5, 21. Vocabulum comparativum. Et *mox absolute.* Contra formam perpetuam in comparativo. ℙ A grammaticis passim dicitur *comparativus* absolute, et *comparativum, i:* ibi subauditur *gradus*, hic *nomen*, vel *genus. Charis.* 2, 131. etc. ℙ Comparativus casus apud eosdem est ablativus, quia utimur eo in comparationibus, ut fortior Hectore. *Prisc.* 5, 671.

COMPĀRĀTOR, oris, m. 3. emptor, *ὠνητής. Paul. Sentent. tit.* 2, 17. *ad f.* Fundus ejus esse videtur, cujus nomine comparatus est, non a quo pecunia comparata est, si tamen fundus comparatori sit traditus. *Inscr.* ap. *Mur.* 959, 4. C. Julio Alcimo Ravennati comparatori mercis sutoriae. Adde *Imppp. Valent., Theod. et Arcad. Cod.* 10, 33, 1.

COMPĀRĀTUS, a, um, part. a *comparo*, paratus, collectus, *παρασκευασθείς. Curt.* 6, 2. Insidiae comparatae in caput alicujus. *Caes. B. G.* 4, 7. Re frumentaria comparata. *Id. B. C.* 3, 4. Dardanos, Bessos, partim mercenarios, partim imperio aut gratia comparatos adjecerat. ℙ Item acquisitus. *Quint.* 1, 2. Vim dicendi tantis comparatam laboribus ad unum auditorem demittere. *Curt.* 5, 6. Supellex non ad usum modo, sed ad ostentationem luxus comparata. [**Suet. Caes.* 75. Bestiae ad munus populi comparatae. *Quint. Inst.* 10, 1. p. 885. Totumque illud studiorum genus ostentationi comparatum.] ℙ Item emptus. *Paul. Sentent.* 2, 17. Servus comparatus si fugerit, pretium dominus reddere cogetur. Adde *Imppp. Valent., Theod. et Arcad. Cod.* 10, 33, 1. [**Suet. Caes.* 10. Multiplex undique familia comparata.] ℙ Item constitutus, institutus. *Cic. Balb.* 13. O jura praeclara, atque divinitus a majoribus nostris comparata! *Ter. Heaut.* 3, 1, 97. Ita comparatam esse hominum naturam omnium, ut etc. ℙ Item commissus, in contentionem deductus. *Ter. Ad.* 2, 2, 4. Nunquam vidi iniquius concertationem comparatam. *Cic. Q. Fr.* 3, 4. Cum Aesernino Samnite Pacidianus comparatus viderer. Adde *Liv.* 30, 28. et *Justin.* 6, 2. ℙ Item collatus. *Plin.* 9, 35, 59. Antonius comparatus histrioni. *Plin. alter Pan.* 89. Comparatus filio tuo vinceris.

COMPĀRĀTUS, us, m. apparatus. *Vitr. praef. l.* 7. *ad f.* Amplo modulorum comparatu architectari.

COMPARCO, is, arsi, arsum, n. 3. *φείδομαι*, parcendo colligo, parsimonia utor. *Ter. Ph.* 1, 1, 9. Quod ille unciatim vix de demenso suo, Suum defrudans genium, comparsit miser, Id illa universum abripiet. *Festus:* Comparsit Terentius pro *compersit*, posuit. Ita *Salm.* et alii. Al. leg. *pro compescuit:* quae sane lectio, et interpretatio vel alium *Terentii* locum designat, vel si hunc, est parum ad rem. *Pacat. Paneg. Theod.* 32. *ad f.* Comparcendo laxare annonam. *Front. Laud. neglig.* (ed. iterum Romae *A. Maio*) p. 329. Non aeque diligentes ad quaerendum victum, et comparcendum cibum leones, ut formicas, esse.

COMPĀREO, ēres, arui, n. 2. *φαίνομαι*, pareo, appareo, in conspectu sum, adsum. *Cic. Att.* 12, 2. Pompejus non comparet, nec in Balearibus omnino fuit. *Id. Cluent.* 64. Suspicio in servos, qui non comparebant, commovebatur. *Id. Brut.* 52. Haec oratio pueris nobis omnium optima putabatur, quae vix jam comparet in hac turba novorum voluminum. *Liv.* 32, 10. Iis, quorum agros urbesque populatus esset, redderet res, quae comparerent: ceterorum aestimatio fieret, (Adde 34, 35. et *Cic. Verr.* 2, 1, 50.) *h. e.* exstarent. *Nep. Cat.* 3. In his libris multa diligentia comparet. *Pl. Amph.* 2, 1, 85. Et memor sum, et diligens ut quae imperes, compareant. *Id. Mil.* 3, 1, 68. Apud omnes comparebo tibi res benefactis frequens, *h. e.* videbor tibi. *Paul. Dig.* 29, 5, 6. Si unus ex dominis non compareat. *Senec. praef. l. 1. controv.* Saepe quod quaerenti non comparuit, aliud agenti praesto est. *Suet. Rhet.* 4. Ferunt olim praecipitatum in flumen, paulo post cum cornibus exstitisse, ac statim non comparuisse. [*De mortis genere obscuro s. dubio. *Eutrop.* 1, 2. (de Romulo). Et cum orta subito tempestate, non comparuisset. Adde *Aurel. Vict. Vir. Illust.* 2, 13. *August. C. D.* 18, 24. *Plutarch. Rom.* 27. m. *ἠφανίσθη.*] ℙ Part. *Comparens* ap. *Ov. Met.* 6, 410. Impositum est non comparentis in usum Partis ebur.

COMPARĪLIS, e, adj. idem quod compar. *Auson. Ecl.* 2, 38. Nescit compariles laterum formare figuras.

COMPARO, as, avi, atum, a. 1. *παρασκευάζομαι*, idem quod paro, apparo, praeparo. *Cic. Mil.* 10. Paulisper dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est. *Id. Verr.* 2, 1, 26. Magnifice comparare convivium. *Tibull.* 1, 11, 42. Et calidam fesso comparat uxor aquam. *Liv.* 42, 43. Legati in Boeotiam comparati sunt. *Cic. Cluent.* 16. Comparare insidias alicui per aliquem. [**Liv.* 23, 35. Dolum ad capiendos eos comparat. *Ov. Fast.* 2, 780. Comparat indigno vimque metumque toro.] *Id. ib.* 67. accusatorem alicui. [**Id. Verr.* 2, 1, 1. Quid ego in hac accusatione comparanda constituendaque elaborassem. *Comparare accusationem* dicitur actor, cum ea conquirit, facit, quae ad recte accusandum pertinent. *Id. Inv.* 1, 15. Animum auditoris idonee comparare ad reliquam dictionem, *h. e.* facere ut attendat reliquae orationi. *Ernest. in cl. Cic.*] *Id. Att.* 2, 17. sibi aditum ad res pestiferas. *Id. Verr.* 2, 5, 10. sibi remedium ad magnitudinem frigorum. *Id. N. D.* 3, 8. se ad respondendum. *Liv.* 28, 33. se ad iter. *Nep. Alcib.* 10. iter ad aliquem. *Quint.* 2, 10. *ad f.* aliquid in ostentationem. [**Caes. B. G.* 4, 18. Fugam comparare. *Curt.* 4, 9, 3. Arma summa cura comparabantur.] ℙ Absolute. *Nep. Thras.* 2. Hos, tempore ad comparandum dato, robustiores fecit. ℙ Cum infinito. *Ov. Trist.* 2, 267. Si quis tamen urere tecta Comparat etc. Adde *Virg. Cul.* 204. ℙ Est etiam colligere, congerere. [*Hac significatione usitatissimum est in re bellica. *Suet. Tib.* 25. Comparare manum. *Curt.* 4, 14. exercitum.] *Cic. Or.* 66. Comparare copias contra aliquem. *Hor. Epod.* 2, 30. Annus hibernus Jovis Imbres, nivesque comparat. ℙ Item conformare, componere. *Pl. Amph.* 3, 3, 5. Comparare vultum e vultu. ℙ Item conficere, efficere. *Auct. ad Her.* 4, 28. Tumultus C. Gracchi tumultus domesticos et intestinos comparat. ℙ Item inquirere, acquirere. *Cic. fragm. Oecon.* ap. *Colum.* 12, 1. Comparare victum et cultum humanum labore et industria. *Id. Fam.* 2, 4. Comparare sibi laudem artibus. *Caes. B. G.* 5, 53. sibi auctoritatem aliqua re. *Ter. Heaut.* 2, 4, 17. commodum suum ex incommodo alterius. *Pl. Cas.* 2, 8, 72. alicui magnum malum. ℙ Item emere, coemere. *Ter. Heaut.* 4, 8, 15. Comparare aurum, ac vestem. Ita quidem *Non.* 4, 64. exponit. *Plin. ep.* 10, 37. Cum ad frumentum comparandum iret in Paphlagoniam. *Suet. Cal.* 27. Comparare pecudes carius. [**Id. Hor.* ab in. Scriptum quaestorium comparare, i. e. locum inter scribas quaestorios emere. *Id. Cal.* 22. Magisteria sacerdotii ambitione et licitatione maxima comparare.] *Ulp. Dig.* 13, 4, 2. *in f.* merces. *Pompon. ib.* 6, 1, 70. Comparare injusto pretio. *Appul. Met.* 7. Inde vobis epulas Saliares comparaturus. ℙ Item decernere, instituere. *Cic. Quint.* 16. Majores nostri raro id accidere voluerunt, praetores, ut considerate fieret, comparaverunt. *Auct. ad Her.* 4, 16. Bene majores nostri hoc comparaverunt, ut etc. *Cic. Rosc. Am.* 53. Ne quid acrius, quam more majorum comparatum est, factum videretur. *Id. ad Brut.* 1, 12. Hoc praeclare legibus comparatum est, ut etc. *Id. Cluent.* 21. Hoc iniquissime comparatum est, quod etc. *Liv.* 39, 29. Ita comparatum more majorum erat, ne etc. *Id.* 3, 68. Natura hoc ita comparatum est, ut etc. ℙ Item confirmare, constituere, ut *Non.* 4, 64. interpretatur. *Ter. Eun.* 1, 1, 2. An potius ita me comparem, non perpeti meretricum contumelias. ℙ Item aestimare. *Accius* ap. *Non. ib.* Proin tu, id cui fiat, non qui facias, compara. ℙ [*Est etiam, ubi dicitur pro comparando demonstrare, docere. *Off.* 2, 5. Deinde comparat, quanto plures deleti sunt homines etc. *Liv.* 2, 42. *f.* Comparando hinc quam intestina corporis seditio similis esset irae plebis in Patres, flexisse mentes hominum. *Ernest. in Clav. Tac. A.* 3, 5. Fuere, qui compararent, quae in Drusum honora et magnifica Augustus fecisset.] ℙ Praeterea significat conferre, a voce *par. Liv.* 28, 28. Exercitum exercitui, duces ducibus comparare. *Cic. Dom.* 51. hominem cum homine, et tempus cum tempore, et rem cum re. *Id. Off.* 1, 43. partes honestatis inter se. *Ter. Eun.* 4, 4, 14. Ne comparandus hic quidem ad illum est. ℙ Item aequare, parem facere. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 64. Neminem tibi profecto hominem ex omnibus aut anteposuissem, aut etiam comparassem. [**Cic. de re publ.* (ed. *A. Majo*) 1, 5. Accedere ad rem publicam plerumque homines nulla re bona dignos, cum quibus comparari sordidum. *B. A.*] *Ov. Met.* 13, 338. Et se mihi comparet Ajax? *Ter. Eun.* 2, 2, 63. Immo enim si scias quod donum huic dono contra comparet, i. e. quod donum huic dono tanquam par opponat. Ita *Ruhnk.*, qui loquendi rationem e ludo gladiatorum ductam esse dicit.] ℙ Est etiam arenae verbum: nam cum producti gladiatores in paria ordinabantur, ut inter se pugnarent, non solum *committi* et *componi*, sed et *comparari* dicebantur. *Suet. Cal.* 35. Hunc in arenam deductum Threci, et mox hoplomacho comparavit. ℙ Ponitur et pro conjungere, committere. *Cic. Univ.* 5. Ita contigit, ut inter ignem et terram, aquam Deus animamque poneret, eaque inter se compararet, et proportione conjungeret. *Pl. Asin.* 3, 3, 78. Prehende auriculis, compara labella cum labellis. ℙ *Comparare* absolute, vel *comparare inter se* dicuntur etiam qui de re aliqua communi voluntate inter se statuunt. *Liv.* 4, 46. Tandem ita comparatum est, ut alternis diebus summam imperii haberent. *Id.* 24, 10. Decretum ut Coss. sortirentur, compararentve inter se, uter comitia haberet. [**Id.* 41, 6. Ut consules inter se compararent, uter eorum ad comitia habenda Romam rediret.] ℙ Praecipue vero hoc locum habet in distributione provinciarum. *Id.* 42, 31. Ut Coss. inter se provincias Italiam, et Macedoniam compararent, sortirenturve. Adde 28, 45. et 38, 35. ℙ *Comparassit* pro *comparaverit* est apud *Pl. Epid.* 1, 2, 19.

*COMPARTICEPS, ipis, *συμμέτοχος. Vulg. Interpr.* Ephes. 3, 6. *B. A.*

COMPARTĪOR, iris, dep. 4. idem quod impertior, communico. In *Vet. Decreto* sub Antonio Pio apud *Grut.* 408, 39. Cum quibus munera decurionatus compartiamur.

COMPASCO, is, a. 3. *συννέμομαι*, simul pasco, pabulum praebeo. *Cic. Top.* 3. Si compascuus est ager, jus est compascere. *Scaevola Dig.* 8, 5, 20. Habere jus compascendi. ℙ Item simpliciter pasco. *Varr. R. R.* 1, 2. Colonus in agro surculario ne capra natum compascat. *Plin.* 9, 54, 79. *de ostreis.* Nuper excogitatum, famem longae advectionis a Brundusio compascere in Lucrino. ℙ Item depasco. *Varr. R. R.* 2. *prooem.* Pabulum in fundo compascere, quam vendere, plerumque magis expedit. ℙ Passive. *Id. R. R.* 1, 53.

Messe facta, spicilegium venire oportet, aut, si sunt spicae rarae, et operae carae, compasci.

COMPASCŪUS, a, um, adj. ad compascendum pertinens, *ὑμβοτος*. *Festus:* Compascuus ager relictus ad pascendum communiter vicinis. *Cic. Top.* 3. Si compascuus est ager, jus est compascere. *Scaevola Dig.* 8, 5, 20. Jus compascuum, *h. e.* jus compascendi.

COMPASSĪBILIS, e, adj. qui compatitur. *Tertull. adv. Prax.* 29. Pater si compassibilis, utique passibilis.

COMPASSĬO, onis, f. *συμπάθεια*, communis dolor. *Tertull. Resurr. carn.* 40. Quod pro compassione promittitur. *Id. ib.* 3. *ad f.* Compassio sententiarum, *h. e.* consensus, *συμπάθεια τῶν γνώμων*.

COMPASSUS, a, um, part. a *compatior*. *Alcim. Avit.* 3. *in f.* Ceu tibi compasso miserans succurre latroni.

COMPASTOR, oris, m. qui simul pascit, *συννομεύς*. *Hyg. fab.* 187. Alter compastor.

COMPASTUS, a, um, part. a *compasco*, idem quod pastus, vel simul pastus, *βοσκόμενος*. *Plin.* 32, 6, 21. Ostrea Brundusiana in Averno compasta.

[COMPĀTER, tris, m. qui jura parentis simul habet, idest conjux. *Inscr.* ap. *Zaccheria*, *Marm. Salonit. cl.* 4. *n.* 8. D. M. Flavio Caroso veterano Attigia Ursagia compatri benignissimo. Alia *ib. cl.* 10. *n.* 117. Mamilla Paula de patrimonio suo sibi, et. Aelio Paulino compatri suo domum aeternam P. *F.*]

COMPĀTIOR, eris, assus sum, dep. 3. simul patior, *συμπαθέω*. *Tertull. adv. Prax.* 29. Quid est compati, quam cum alio pati? *Id. A.* 5. Anima compatitur corpori. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 16. Tussicula fit compatientibus vicinis partibus. ℙ Item misericordia moveri. *August. ep.* 40. *n.* 6. Non mentientis aestu, sed compatientis affectu. *Id. Confess.* 3, 2. Cum ipse patitur, miseria: cum aliis compatitur, misericordia dici solet. Adde *Sulpic. Sever. sub f. dial.* 3.

*COMPATRIOTA, ae, m. qui est patriae ejusdem, popularis, conterraneus. *Sarisb.* 4, 11. Dare ducem compatriotis. *Gloss. Gr. Lat. συμπολίτης*, compatriota. V. *Concivis. B. A.*

COMPATRONUS, i, m. simul patronus. *Ulp. Dig.* 38, 5, 1. Adversus compatronum Faviana non competit. Adde *ib.* 26, 4, 3, et 5.

COMPĀVESCO, is, n. 3. idem quod expavesco, *συμφοβέω*. *Gell.* 1, 23. Hoc illa ut audivit, animo compavescit.

COMPĀVITUS, a, um, adj. pavitus, tusus. *Appul. Met.* 7. Misera illa compavita, atque dirupta. Al. minus recte leg. *compavida.*

COMPAUPER, ris, m. socius in paupertate. *August. serm.* 25. *ex* 50. *homil. c.* 3. Pascendos habemus compauperes nostros.

COMPECCO, as, n. 1. idem quod pecco, vel simul pecco, *συναμαρτάνω*. Legitur ap. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 12. et 3. *Tard.* 1. *ad f.*

[COMPECTORĀTUS, a, um, adj. qui pectore alterius pectori adhaeret, vel cujus partes alterius partibus ita adhaerent, ut partes pectoris inter se. *Appul. in erron. vener. Poetar.* Quin et cum tenera membra molli lectulo Compectorata adhaerent Veneris glutino. Alii tamen aliter legunt, et *Scriverius* hoc *Appuleji* poemation suppositicium, aut saltem infimae vetustatis, censet. *F.*]

COMPECTUS, a, um, part. a *compeciscor*, de quo V. supra in COMPACISCOR. *Pl. Pseud.* 1, 5, 129. Si sumus compecti, sive concilium unquam inivimus, *h. e.* si simul pactum aliquod fecimus. *Id.* in *nov. fr. Cistell.* (ed. *A. Maio*) p. 17. *v.* 11. Quae esset aetatem mecum exactura, mecum matrimonio compecta sit, capere oportet. ℙ *Compecto* idem ac compacto, vel ex compacto. *Cic. fr. orat. Scaur.* (ed. *A. Peyronio*) p. 76. *n.* 8. Itaque compecto cum matre Bostaris consilium cepit, ut etc. V. COMPACTUS.

COMPĒDA, ae, V. in COMPES.

COMPĒDĬO, is, ivi, itum, a. 4. *πεδάω*, compedibus vincio. *Varr.* ap. *Non.* 1, 113. Domo exeo, intro, et pedes corrigiis compedio. ℙ Translate, *August. ep.* 39. Timeo, te rebus mortalibus perniciosissime compediri.

COMPĒDĪTUS, a, um, part. a *compedio*, compedibus vinctus. *Pl. Capt.* 5, 1, 24. In lapicidinas compeditum condidi. *Cato R. R.* 56. Servi compediti. *Senec. Tranquill.* 10. Compediti aegre ferunt onera, et impedimenta crurum.

COMPELLĀTĬO, onis, f. *προσαγόρευσις*, *ἔντευξις*, actus compellandi, appellatio. *Auct. ad Herenn.* 4, 15. Exclamatio est, quae conficit significationem doloris, aut indignationis alicujus, per hominis, aut urbis, aut loci, aut rei cujuspiam compellationem hoc modo: Te nunc alloquor, Africane etc. ℙ Significat etiam appellationem cum reprehensione et objurgatione conjunctam. *Cic. Fam.* 12, 25. Nec destiti labefactare eum, qui etc. Itaque crebras compellationes meas non tulit. *Id. Phil.* 3, 7. Nec sentit amens, commendationem esse compellationem suam. *Gell.* 1, 5. Maledictis, compellationibusque probrosis jactatus est.

COMPELLO, as, avi, atum, a. 1. *προσαγορεύω*, alloquor, appello, nomino: a *con*, et antiquo et inusit. *pello*, *as*, loquor, inquit *Voss.* in *Etymol.* [At fortasse est a *πελάω* poetice pro *πελάζω*, admoveo, appropinquo. *F.*] *Pl. Rud.* 4, 7, 1. Quam mox licet te compellare, Daemones? *Id. Poen.* 3, 3, 72. Blande compellabo hominem: hospes hospitem salutat: salvum te advenire gaudeo, *Auct. ad Herenn.* 1, 14. Compellare aliquem nominatim. *Virg. A.* 3, 398. incensum pectus amore Compellare virum, et casus cognoscere tantos. *Hor. Sat.* 1, 7, 31. magna compellans voce cuculum. [**Ov. Met.* 3, 147. Participes operum compellat Hyantius ore, i. c. convocat. *Id. ib.* 8, 788. Talibus agrestem compellat, Oreada, dictis, i. e. precibus alloquitur.] ℙ Significat etiam appellare accusandi causa, vel reprehendendi, objurgandi, convicianandi. *Cic. in Senat.* 13. Nominatim alii compellabantur, alii citabantur, alii relegabantur. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 12. Compellari ea lege me voluerunt, qua dicere non poterant. [**Suet. Caes.* 17. Vettium conjecit in carcerem: eodem Nonium, quaestorem, quod compellari apud se majorem potestatem passus esset.] *Nep. Timol.* 1. *ad f.* Quin eum fratricidam, impiumque detestans compellaret. *Hor. Sat.* 2, 3, 296. Haec mihi Stertinius, sapientum octavus, amico Arma dedit, posthac ne compellarer inultus. ℙ *Compellare de stupro*, ap. *Val. Max.* 6, 1. *n.* 12. est verbis ad stuprum sollicitare: quod *compellare* absolute dixit *Hyg. fab.* 57.

COMPELLO, is, puli, ulsum, a. 3. *συνωθέω*, *συνελαύνω*, simul pello, cogo. Proprie est in unum locum vel diversa, vel diversorum animalia cogere, inquit *Serv.* ad illud *Ecl.* 7, 2. Compulerantque greges Corydon, et Thyrsis in unum. *Cic. Pis.* 36. Omni totius provinciae pecore compulso pellium nomine etc. *Virg. Ecl.* 2, 3. Haedorumque gregem viridi compellere hibisco, *h. e.* ad hibiscum, ut idem *Serv.* exponit. [**Tibull.* 4, 1, 94. Compellere brevius curvo gyro equum, i. e. ex effuso cursu equum revocare ad sedatiorem ilium, qui fit in gyrum.] ℙ Cum dativo. *Hor. Od.* 1, 24, 16. quam virga semel horrida Nigro compulerit Mercurius gregi. ℙ Dicitur et de aliis rebus. *Cic. Inv.* 1, 2. Qui dispersos homines in agris ratione quadam compulit in unum locum. *Liv.* 25, 34. Compellere hostes intra vallum. [**Suet. Vit.* 15. Sabinum et reliquos Flavianos vi subita in capitolium compulit.] *Cels.* 8, 11. ossa in suas sedes, *h. e.* reponere. ℙ Accipitur etiam universim pro adigere, impellere, cogere. *Cels.* 6, 7. *ad f.* Si pulex in aure est, compellendum eo lanae paululum est. *Cic. Pis.* 7. Me domo mea expulistis, Cn. Pompejum domum suam compulistis. *Caes. B. C.* 1, 58. *ad f.* Compellere naves hostium in portum. *Id B. G.* 7, 65. hostes intra muros. ℙ Translate. *Liv.* 25, 29. Compellere aliquos in eundem metum. *Colum.* 11, 1. Compelli in socordiam. *Cic. Fam.* 1, 9. In hunc sensum et allicior beneficiis hominum, et compellor injuriis. [**Suet. Tib.* 8. Quos sacramenti metus ad hujusmodi latebras compulisset.] *Id. Acad.* 4, 35. Compellere orationem in angustias et in dumeta Stoicorum. *Pl. Bacch.* 4, 10, 10. Compellere aliquem ad virtutem, aut ad frugem. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. aliquem ad laqueum. *Quint.* 7, 3. *post init.* tyrannum in mortem. *Suet. Aug.* 14. aliquem fame ad deditionem. *Id. Caes.* 24. aliquem, ut consulatum petat. ℙ Cum infinito. [**Ov. Fast.* 3, 860. Compulerunt regem jussa nefanda pati.] *Curt.* 5, 1. Quae virum compulit amoenitatem naturae genere hujus operis imitari. *Just.* 16, 5. Filias nubere servis suis compellit. *Id.* 30, 3. Pacem petere compellitur. *Luc.* 3, 144. Compulit desistere coepto. ℙ Pro simplici pello, *Just.* 4, 4. Hostes in fugam compulit, et socios obsidione liberavit. ℙ [Part. *Compellens* ap. *Curt.* 3, 1. Utroque (*mari*) in arctas fauces compellente terram. *F.*]

*COMPENDIALITER, adv., *συντόμως*, compendio, compendiose. *Vet. Interpr. Irenaei* 3, 11. Compendialiter et simpliciter. *B. A.*

COMPENDIĀRĬO. V. v. seq.

COMPENDIĀRĬUS, a, um, adj. *σύντομος*, brevis, et veluti ad certam metam per compendium ducens. *Cic. Off.* 2, 12. Hanc viam ad gloriam proximam, et quasi compendiariam dicebat esse. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 22. Breviores picturae vias, et quasi compendiarias invenit. ℙ Absolute *compendiaria* pro compendiaria via. *Petr. Sat.* 2. Aegyptiorum audacia tam magnae artis compendiariam invenit. *Senec. ep.* 119. Ad maximas te divitias compendiaria ducam. Adde *Varr.* ap. *Non.* 3, 71. ℙ Rursus *Senec. ep.* 73. Te in coelum compendiario ducam. *scil.* itinere.

COMPENDĬĀTUS, a, um, adj. in compendium redactus. *Tertull. adv. Marc.* 4, 9. Facturus sermonem compendiatum. Adde *ib.* 1.

COMPENDĬFĀCĬO, is, a. 3. *συντέμνω*, *κερδαίνω*, ad compendium duco, lucror parsimonia. *Pl. Pers.* 4, 3, 2. Ego hodie compendifeci duos panes. *Id. Most.* 1, 1, 57. Orationis operam compendifacito. ℙ Revera duae voces sunt: et non solum divisim recte adhibetur *compendi facio*, vel absque synaeresi *compendii;* sed etiam inverso ordine, aut interjecto verbo. *Pl. Pseud.* 4, 7, 41. Operam fac compendi quaerere, *h. e.* parce quaerere. *Id. Bacch.* 2, 2, 6. Compendi multa verba faciam tibi. Adde *Pacuv.* ap. *Non.* 1, 493. ℙ Et passive *Pl. Asin.* 2, 2, 41. Verbis velitationem fieri compendi volo.

COMPENDĬO, as. *Compendiare alicui* ap. *Augustin. extr. l.* 7. *quaestion. in Heptateuch.* est occidere, ut ipsemet interpretatur: quasi compendiaria via ad mortem perducere. ℙ *Est autem in compendium redigo, curto, qui sensus primitivus est. *Tert. adv. Marc.* 4, 1 et 9. *B. A.*

COMPENDĬOSĒ, adv. compendio. *Sidon.* habet comparativ. *compendiosius*, *ep.* 7, 10. Qui quid negotii ferat, praesentaneo compendiosius potest intimare commeatu.

COMPENDĬOSUS, a, um, adj. *χρησιὸς*, utilis, fructuosus. *Colum.* 1, 4. Quod etsi per partes nonnunquam damnosum est, in summa tamen fit compendiosum. ℙ Item in compendium redactus, brevis, *σύντομος*. *Appul. Met.* 11. Concepti sermonis compendiosa verba suggerentes. Et *ib.* 6. Monstrare iter compendiosum. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 334. mortis citae Compendiosus exitus. *Nazar. Paneg. Constant.* 18. Compendiosa victoria, *h. e.* de pluribus gentibus uno proelio reportata.

COMPENDĬUM, ii, n. *ὠφέλεια*, lucrum ex parsimonia: hoc est quidquid lucramur rem nostram servando, non rem de novo acquirendo: qui *quaestus* dicitur. *Compendio* opponitur dispendium, (ut est ap. *Paul. Dig.* 17, 2, 65.) quod est damnum seu jactura ex prodigentia aut incuria. Quamquam illud discrimen non est perpetuum. *Cic. Verr.* 2, 2, 3. Quos provincia mercibus suppeditandis cum quaestu compendioque dimittit. *Id. Off.* 3, 15. Facere aliquid compendii sui causa, quod non liceat. *Tibull.* 1, 3, 39. Nec vagus ignotis repetens compendia terris. [*Adde *eund.* 1, 9, 9. Lucra petituras freta per parentia ventis Ducunt instabiles sidera certa rates.] *Caes. B. C.* 3, 32. Servire privato compendio suo. [**Id. B. G.* 7, 43. Capti compendio ex direptis bonis.] *Callistr. Dig.* 48, 20, 6. Vertere aliquid in compendium suum. *Auct. ad Her.* 4, 40. Turpe compendium. *Plin.* 21, 12, 41. Apes res praecipui quaestus et compendii. *Id.* 23, 7, 64. Magno ligni compendio percoquere aliquid. *Id.* 17, 23, 35. *n.* 28. et 18, 20, 49. *n.* 3. Compendium operae. ℙ Translate. *Gell.* 2, 27. Quaestus atque compendium gloriarum. *Stat. Th.* 2, 658. Compendia vitae. ℙ Facere compendium. Translate *Pl. Capt.* 5, 2, 12. Satis facundus: sed fieri dictis compendium volo. *Id. Rud.* 1, 2, 89. Errationis fecerit compendium. ℙ Dicimus etiam *facere aliquid compendi* vel *compendii* eod. sensu, eo modo quo *facere lucri*, *facere dispendii. Pl. Poen.* 1, 2, 138. Curam hanc facere compendii potes. V. COMPENDIFACIO. ℙ *Compendia alimentaria* ap. *Capitol. Pertin.* 9. sunt sumptus et erogationes in alimenta pauperum impensae. ℙ Eleganter translate dicitur de iis rebus, in quibus laboris, aut temporis aliquid deminuitur. *Quint.* 1, 1. Brevia docendi monstrare compendia. *Id. ib.* Syllabis nullum compendium est: perdiscendae omnes. *Gell. praef.* Ducere ingenia celeri facilique compendio ad utilium artium contemplationem. [**Plin. Pan.* 95, 5. Quae ad honores compendia paterent, i. e. compendiaria malarum artium via perveniendi ad honores, nempe per adulationes, delationes, scelera. Cf. *Schwarz.* ad h. l.] *Censorin. de die nat.* 5. Quam potero compendio dicam *Pl. Mil.* 3, 1, 184. Quam potes, tam verba confer maxime ad compendium. *Ulp. Dig.* 5, 1, 72. Compendium edictorum, *h. e.* cum pro multis edictis unum tantum promulgatur, quod pro omnibus sit. ℙ *Compendium viae*, quod et *compendium* absolute dicitur. *Plin.* 5, 5, 5. Compendium viae quatridui deprehensum est. *Justin.* 2, 10. *extr.*. Ducere aliquid per compendium. Et *Flor.* 3, 3. Marius mira velocitate occupatis compendiis, praevenit hostem. *Tac. A.* 2, 55. Per Cycladas, et compendia maris adsequitur Germanicum. *Id. ib.* 12, 28. Propioribus compendiis ire. [**Sil.* 12, 533 Provisa fugae compendia carpens.] ℙ Donare alicui compendia leti, apud *Sil.* 10, 476. est mortem accelerare.

COMPENDO, is, a. 3. idem quod pendo, vel siHul pendo. *Varr. L. L.* 4. *sub f.* Compendium dicitur, quod cum compenditur una sit.

COMPENSĀTĬO, onis, f. *ἀμοιβή*, proprie est actus ille, quo addendo aliquid aequales redduntur lances: a *pendo*. Sed generatim sumitur pro collatione rei cum re, ut debiti cum credito, damni cum emolumento: item imputatio duarum summarum, ita ut qui debet centum, tantundem minus debeat, quantum ex alio capite creditor erat. *Modestin. Dig.* 16, 2, 1. Compensatio est debiti et crediti inter se distributio. *Paul. ib.* 24, 3, 15. Compensationes proderunt ob res amotas, donatas, et impensas. *Justin.* 3, 2. Emere non pecunia, sed compensatione mercium ℙ Translate. *Cic. N. D.* 1, 9. *extr.* Incommoda vitae compensatione commodorum lenire. *Id. Tusc.* 5, 33. Hac utitur compensatione sapiens, ut voluptatem fugiat, si ea majorem dolorem effectura sit.

[COMPENSĀTĪVUS, a, um, adj. *Marius Vi-*

ctorin. Rhet. 1. p. 137. *Capperon.* Primo debet dicere *feci*, *sed profui*, et probare plus se profuisse, quam obfuisse, quae est qualitas compensativa, quam ideo Cicero comparationem vocat. *Id. Rhet.* 2. p. 217. Est in hoc themate etiam alia constitutio vel relativa, vel compensativa, vel absoluta. *F.*]

COMPENSĀTO, adv. cum compensatione. *Tert. Pall.* 2. Alias versura compensato redit. Al. leg. *compensati.*

COMPENSĀTUS, a, um, part. a *compenso*, repensus, ἀντάλλαγείς. *Cic. Or.* 3, 4. Labores magna compensati gloria mitigantur. *Id. Verr.* 2, 5, 13. Damna compensata.

COMPENSO, as, avi, atum, a. 1. ἀνταμοίβομαι, ἀνταίζω, frequentat. a *compendo*, proprie significat simul pensare res, ut pondera aequentur. *Hor. Sat.* 1, 3, 69. amicus dulcis, ut aequum est, Cum mea compenset vitiis bona. ℙ Et generatim aequare, sarcire, rependere. *Cic. Pis.* 30. *ad f.* Nonne compensabit cum uno versiculo tot mea volumina laudum suarum? *Id. Fin.* 30. Compensabatur cum summis doloribus laetitia, *h. e.* [*aequabat laetitia dolores, par erat doloribus. *Plin. Pan.* 37, 5. Ut Romanam civitatem non Vicesimae modo, verum etiam affinitatum damno bene compensari putarent. Cf. ad h. l. *Schwarz.* et quos laudat.] *Ov. Her.* 3, 51. Tot tamen amissis te compensavimus unum, *h. e.* tanti te aestimavimus, quanti tot amissos. *Cic. Off.* 2, 19. *extr.* Ceterisque operis et officiis erit, quod violatum est compensandum, *h. e.* sarciendum. *Id. Font.* 1. *extr.* Massilienses Gallicorum bellorum pericula populo R. coriis remisque compensarunt, *h. e.* exaequarunt pericula intentata populo R. coriis et remis eidem prompte suppeditandis. [*Curt. 10, 1. Nec tot facinora, quot admiserant, compensare poterant caedis perquam gratae regi ministerio. *Quint. Inst.* 11, 1. p. 981. Et reprehendens, alia laude compenses.] *Id. Flacc.* 29. *ad f.* Catonis est dictum: pedibus compensari pecuniam, *h. e.* vilitatem pretii, quod solvitur in emptione agri longinqui, compensari et quodammodo augeri labore pedum, et incommodis longorum itinerum. ℙ Apud JCtos significat aliquando imputare. *Ulp. Dig.* 12, 6, 23. Potest tamen retineri, et compensari quod solutum est. V. *Dig.* 16. *tit.* 2. qui est *De compensationibus.* ℙ Ponitur etiam pro compendium viae facere. *Lucan.* 8, 248. magnosque sinus Telmessidos undae Compensat medio pelagi, *h. e.* alto navigans recto itinere, facit compendium sinus Telmessici. V. PRAECIDO sub f. *Senec. Hippol.* 83. Hac pergam, Quae via longum compensat iter.

COMPERCO, is, n. 3. idem quod parco, abstineo. *Pl. Poen.* 1, 2, 137. Comperce, quaeso, me attrectare. *Solin.* 22. *ad f.* In hiemem compercunt arborum fructus. ℙ *Fest.* Comperce pro compesce dixerunt antiqui. *Appul. Met.* 9. Nec fugientibus saltem compercunt, sed eo magis irritatiores sequuntur. Al. leg. *compescunt.*

COMPĔRĔGRĪNUS, i, m. qui simul cum alio peregrinus est. *Sidon. ep.* 7, 17. *in f. carm.* Abraham jam te comperegrinus habet.

COMPĔRENDĪNĀTIO, onis, f. ἀναβολή, τριήμερος, ὑπερθεσις, dilatio judicii in diem tertium: a *con*, et *perendie.* Comperendinatio erat dilatio sententiae ferendae, postquam utraque pars, actor et reus, totam causam recitaverat. Olim enim, in rebus capitalibus, causa recitata, aut statim sententia dicebatur, aut si quid non liquere videretur, ampliabatur. C. Servilius Glaucia legem tulit, ut post primam actionem, secunda in tertium diem constitueretur, in qua iterum acta causa, demum sententia ferretur. In aliis autem causis *comperendinatio* erat ab utrisque litigatoribus invicem sibi denunciatio in perendinum diem. Nam cum in rem aliquam agerent litigatores, poscebant judicem, qui dabatur post trigesimum diem: quo dato, deinde inter se diem perendinum, ut ad judicium venirent, denunciabant. Denique *comperendinatio* dicitur etiam ipsa causae recitatio post dilationem perendini diei. Haec ex *Ascon. in Verr.* 2, 1, 9. V. AMPLIATIO. Praeter *Ascon.* utuntur hac voce *Senec. ep.* 97., *Plin. ep.* 6, 2. et *Gell.* 14, 2. Porro quamvis ipsa vox diei tertii dilationem significet, tamen ex *Cic. Verr.* 2, 1, 7. *extr.* et *ib.* 2, 4, 15. satis colligitur, etiam plurium dierum dilationem hoc nomine appellari potuisse. Olim enim liberae comperendinationes erant, ut ait *Auct. Dial. de Oratorib.* 28., postea restrictae sunt legibus, ut *Plin.* significat *ep.* 6, 2., tum quoad numerum, tum quoad spatium temporis.

COMPĔRENDĪNĀTUS, a, um, part. a *comperendino*, dilatus in tertium diem, vel amplius. *Cic. Div. in Verr.* 7. Nemo istum comperendinatum, sed condemnatum judicaret. *Festus*: Res comperendinata significat judicium in diem tertium constitutum.

COMPĔRENDĪNĀTUS, us, m. idem quod comperendinatio. *Cic. Verr.* 2, 1, 9. Adimo comperendinatum. *Id. Brut.* 22. Unum, quasi comperendinatus, medium diem fuisse etc.

COMPĔRENDĪNO, as, avi, atum, a. 1. ἀναβάλλομαι, judicium differre. V. COMPERENDINATIO. *Cic. Verr.* 1, 11. *extr.* Tua ratio est, ut secundum binos ludos mihi respondere incipias; mea, ut ante primos ludos comperendinem, *h. e.* me, et te dixisse profitens, comperendinationis judicibus faciam potestatem. *Ascon.* ℙ *Comperendinare reum* est ejus judicium in diem tertium differre. *Cic. Verr.* 2, 1, 9. Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus.

COMPĔRENDĪNUS, a, um, adj. a *con*, et *perendie.* Ap. *Macr. Sat.* 1, 15. comperendini dies sunt, quibus vadimonium licet dicere, *h. e.* in quos transferri licet causae actionem. *Cajus Inst.* 4. §. 15. Posteaquam judex datus esset, comperendinum diem, ut ad judicem venirent, denunciabant.

COMPĔRĔO, is, n. 4. simul pereo. Agnoscitur a *Diomede* tanquam Latinum et usitatum. Docet enim 1, 369. hoc differre a *comperio*, quod illud in praeterito habeat *comperi* accentu acuto; hoc *comperi* (per syncopen pro *comperii*) accentu circumflexo, et *comperieram.* Alia hujus verbi exempla nondum vidimus.

COMPĔRĪO, is, comperi, ertum, a. 4. ἐξευρίσκω, καταλαμβάνω, intelligo, rescio, invenio, deprehendo cum quadam certitudine: a *con*, et *pario*, quasi sit in lucem edo: quia quae in luce sunt, plane cognoscuntur. *Cic. Fam.* 5, 5. Ex multis audivi: nam comperisse me, non audeo dicere. [*Id. Att.* 1, 14. Clodius — me tantum comperisse omnia, criminabatur. *Cic.* in causa Catilinaria crebro dixerat, *comperi omnia.* Ea res locum dedit dicteriis in Ciceronem, cum eum omnia comperisse risus causa dicerent. V. *Casaub.* ad h. l. *Ernest.* in *cl.*] *Id. Att.* 14, 8. Scribit, se id certis auctoribus comperisse. *Id. Brut.* 80. Cum indicia mortis se comperisse manifesto, et manu tenere diceret. *Id. Rosc. Am.* 12. Posteaquam comperit, eum posse vivere. *Id. Sull.* 31. Nihil de hoc consul comperi, nihil suspicatus sum, nihil audivi. *Ter. Heaut.* 1, 1, 69. Comperi ex iis, qui ei fuere conscii. *Caes. B. G.* 4, 19. Postquam per exploratores, pontem fieri, comperissent. [*Hor. *Ep.* 2, 1, 12. Comperit invidiam supremo fine domari.] ℙ Passive. *Ter. Andr.* 5, 3, 31. Quodvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar. ℙ Deponentis forma. *Sall. Jug.* 49. Metellum sapientem virum fuisse comperior. Et *ib.* 116. Sed ego comperior, Bocchum etc. Adde *Gell.* 3, 3. Porro *Diomed.* 1, 373. discrimen non absurdum assignat inter *comperio*, et *comperior* depon., quod illud significat ab alio cognosco; hoc ex mea opinione colligo, compertum habeo, pro explorato didici. Addit etiam, *comperior* deficere in futuro et imperativo: adde etiam in praeter. ex *Voss. de Grammat.* 5, 33., tamesti *compertus est* pro *comperit* dictum est a *Tertull. adv. Hermog.* 28. ℙ [Supinum pass. *compertu* ap. *Appul. Met.* 1. Non modo compertu evidentia, verum etiam factu facilia senties. *F.*]

COMPERNIS, e, adj. γονύχροτος, σύμμηρος, qui genua habet plus justo conjuncta, ut *Festus* interpretatur: a *con*, et *perna.*. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 103. Compernem, aut varam fuisse Amphitruonis ἀχοίτην Alcmenam. Adde *Varr. L. L.* 8, 5. et *Pl. fr.* ap. *Fest.* in *Valgus.* ℙ *Non. l. c.* compernes dici ait, qui sunt longis pedibus: sed *Voss.* in *Etym.* et *Salm.* in *Exercit. Plin.* p. 944. audiendus non videtur. Quod si *compernes* intelligeremus, non qui genua, sed qui calcanea nimis juncta habent, (nam et calcanea *pernae* nomine significantur, Graece πέρναι: unde *perniones*) facilius *Nonii* explicatio admitti posset: quia qui calcanea sic juncta habent, pedes quidem certe vel habent, vel videntur habere longiores.

COMPERPĔTŬUS, a, um, adj. coaeternus. *Prud. Apoth.* 339. Et comperpetuum retro Patris, et Patre natum.

COMPERTĔ, adv. certe, explorate. *Gell.* 1, 22. Exquisite et comperte Julius Paulus dicebat. *Id.* 1, 11. Qui hoc compertius memoriae tradiderunt.

COMPERTUS, a, um, part. a *comperio*, certo cognitus, exploratus, deprehensus, πεπληροφορημένος. *Cic. Cluent.* 14. *extr.* Facinus manifesto compertum atque deprehensum. *Liv.* 7, 39. Quidam compertum attulerunt, T. Quintium in Tusculano agrum colere. *Id.* 29, 21. *extr.* Comperta oculis perferre Romam. *Sall. Cat.* 14. *extr.* Compertum est mihi: et eod. sensu *ib.* 60. Compertum habeo, milites, verba viris virtutem non addere. [*Id. *ib.* 22. Nobis ea res pro magnitudine parum comperta est. *Tibull.* 4, 1, 119. Compertum est veracibus ut mihi signis. *Suet. Nero* 31. Ex judicio equitis Romani, pro comperto pollicentis. *Tac. A.* 4, 73. Mox compertum a transfugis. *Id. ib.* 6, 50. Illic eum appropinquare supremis, tali modo compertum.] *Scrib. Compos.* 106. Auxilia, quae ex usu prodesse eis, comperta habemus. *Cic. Cluent.* 45. *extr.* Habere compertum de aliqua re. [*Id. *ib.* 47. Nihil ipsos habuisse cogniti, nihil comperti.] *Liv.* 39, 49. *a med.* habere rem aliquam pro comperta. *Curt.* 7, 1. Pro comperto fuit. ℙ Absolute. *Appul. Met.* 9. Pro comperto novam rabiem pertinaciter durare. *Suet. Tib.* 35. Uxor comperta in stupro generi, *h. e.* deprehensa. [Hinc *Mullerus* putat *compertum* ortum ex compendio scribendi pro *comprehensam*; sed hoc minime necessarium: comperire enim est deprehendere. *Sulpicius* vero *Severus H.* 1, 38. David Bersaben quandam mirae feminam pulcritudinis stupro compertam habuit, *h. e.* stupro seu adulterio cognitam, quod dicendi genus *Severo* peculiare est. *F.*] ℙ Cum infinito. *Suet. Aug.* 67. Compertus adulterare. ℙ Cum genitivo *compertus alicujus criminis* est manifesto reus. *Liv.* 7, 4. Juvenis nullius probri compertus. *Id.* 32, 1. Compertos sacrilegii in vinculis Romam mittere. *Id.* 22, 57. Vestales compertae stupri. [*Tac. *A.* 1, 3. Nullius flagitii compertum.] Adde *Just.* 11, 11. ℙ *Comperto* absolute, cum compertum esset. *Liv.* 33, 5. Nondum comperto, quam in regionem venisset. *Sall. fr.* ap. *Prisc.* 18, 1130. Comperto, Bithyniam consuli datam. Adde *Tac. A.* 2, 60. et al.

COMPES, ēdis, f. πέδη, vinculum, quo servorum, vel captorum pedes vinciuntur: plerumque e ligno: item ex ferro etc. *Cato* ap. *Gell.* 11, 18. In nervo, atque in compedibus aetatem agere. *Ter. Ph.* 2, 1, 18. Herus si redierit, molendum usque in pistrino, vapulandum, habendae compedes. [*Cf. *Bentl.* ad h. l.] *Tibull.* 2, 6, 25. Spes etiam valida solatur compede vinctum. [*Id. 1, 7, 42. Crura licet dura compede pulsa sonent. Loquitur poeta de vinctis in ergastulo. Adde *Ov. Trist.* 4, 1, 5.] *Pl. Capt.* 3, 5, 76. Impingere alicui crassas compedes. Et *Men.* 1, 1, 4. Indere alicui compedes. *Id. Pers.* 2, 3, 17. imponere. Et *ib.* 3, 3, 15. Compedium tritor, pistrinorum civitas. [*Hor. *Ep.* 1, 6, 77. In manibus et Compedibus te tenebo.] *Claud. in Eutrop. prol.* 2, 3. Et solitos tardae passurus compedis orbes. ℙ Per catachresin dicitur de vinculo manuum. *Varr.* apud *Non.* 1, 113. Nequicquam saepe aeratas manus (al. *manu*) compedes conor revellere. ℙ Translate. *Hor. Od.* 4, 11, 23. Telephum puella tenet grata compede vinctum. *Id. Ep.* 1, 3, 3. Hebrus nivali compede vinctus. *Cic. Att.* 8, 3. *a med.* Age jam, has compedes: fasces inquam hos laureatos etc. ℙ Sunt etiam compedes inter mulierum ornamenta. *Plin.* 33, 12, 54. Luxu feminarum compedes sibi ex argento facientium, quas induere aureas mos tritior vetat. ℙ In singulari numero recti et dativi casus exempla nondum vidimus. ℙ Masculino genere *Lact. de mort. Persecut. c.* 21. Compedes parati. ℙ In illo *Varr.* ap. *Non. l. c.* et 6, 20. Viscum, sagenam, lineamque compedem; *Scalig.* legit *compedam*, ut sit a recto compeda, ae. ℙ *Compes* pro *compos* dixerunt antiqui, teste *Prisc.* 1, 553. Cui rei confirmandae illud facit, quod etiam verbum *Competo* usurpatur pro *compos sum.* ℙ Ex illo *Pl. Ps.* 4, 7, 80. *Ubi suram aspicias, scias, posse eum gerere crassas compedes:* possit quis fortasse putare, compedes non solum pedibus, sed etiam cruribus indi consuevisse. ℙ *Auson. Idyll.* 7. *in f. epist. dedic.* sic vetus verbum jubet: Compedes, quas ipse fecit, ipsus ut gestet faber. *prov.* in eum, qui sibi ipsi auctor mali est.

COMPESCO, is, escui, a. 3. proprie significat una pascere, et in eodem pascuo continere, ut *Festus* exponit. ℙ *Compescere lucum*, eodem *Festo* interprete, est lucum suis finibus cohibere: hoc est, ut opinor, ramos et arbores, qui extra fines luco assignatos evagantur, amputare: qua ratione dixit *Colum.* 4, 17. Compescere vitem. Et *Virg. G.* 2, 370. ramos compesce fluentes. [*Praestat, quae a *Döderl.* 2, 25. datur vocis originatio, a *pacare.* Hinc *lucum compescere*, est limitibus circumdatis impedire, quominus cum iis, quae circumjacent, misceatur, neque introitus cuicumque ab omni parte pateat; idem quod nos dicimus *einfriedigen.* Cum de arboribus dicitur significat, nimiam ubertatem, ramorum abundantiam, et luxuriantem quasi feritatem circumcidendo mitigare. Adde *Ov. Met.* 14, 630. Spatiantia brachia compescit.] ℙ Pertinet etiam ad artem fulloniam. Unde *compescere cretam* dixit *Titinn.* ap. *Non.* 4, 34., *h. e.* pedibus subigere, et cogere cretam in vestimenta penetrare, dealbandi causa: qua de re et in ARGUTOR dictum est, et in CONCILIO dicetur, ℙ Generatim vero significat cohibere, coercere, refrenare, συνείργω, καταστέλλω, συστέλλω. *Plin.* 14, 20, 25. Resina compescere nimiam vini feritatem. *Sil.* 3, 617. Sarmaticis victor compescet sedibus Istrum, *h. e.* continebit intra fines Sarmaticos. *Tibull.* 4, 1, 91. equum celerem arctato compescere freno. *Id.* 1, 2, 1. vinoque novos compesce dolores. [*Sil. 2, 144. Compescat morte dolores. *Tac. A.* 1, 42. Divus Julius seditionem exercitus verbo uno compescuit. *Suet. Cal.* 1. Legiones compescuit.] *Lucr.* 3, 968. Compescere querelas. *Plin. ep.* 10, 42. Nullus sipho, nulla hama ad incendia compescenda. *Ov. Met.* 4, 102. sitim multa compescuit unda. *Senec. Hippol.* 515. Poma compescunt famem. *Id. Herc. Oet.* 1374. Compescere lacrimas. [*Prop. 1, 16, 31. Non tamen illa suos poterit compescere ocellos.] Et *Herc. fur.* 975. dementemm ipetum. Et *ib.* 518 dextram. *Sil.* 7, 330. iras. [*Propert. 1, 13, 11

Haec tibi vulgares istos compescet amicos, i. e. coercebit, cohibebit, intra fines suos continebit, V. *Broukh.*] *Phaedr.* 1, 2. mores dissolutos. [**Suet. Tib.* 36. Externas caeremonias, Aegyptios Judaicosque ritus compescuit.] *Hor. Sat.* 2, 8, 63. risum mappa. *Id. Ep.* 2, 2, 122. luxuriantia, *(de stilo loquitur.) Id. Sat.* 1, 8, 31. aliquem poenis. *Ov. Trist.* 3, 4, 65. Timor compescit officium, *h. e.* cohibet, impedit, ne officio fungar. *Plin. Pan.* 80. Compescere populos tumentes. *Vell.* 2, 12. armis furorem alicujus. *Pl. Poen.* 5, 2, 75. linguam. *Quint.* 12, 1. scelera improborum. *Cic. Rabir. perduell.* 6. Quin compescitis istam vocem indicem stultitiae? *continetis* habent libri: *Quint.* 11, 3. *compescitis*: cui magis credendum puto. [**Virg. G.* 3, 468. Continuo culpam ferro compesce, i. e. ipsa percudis caede coerce ne latius serpat. *Sil.* 9, 16. Nec Varro compesceret arma, i. e. abstinuisset a proelio. *Ov. Met.* 2, 313. Compescuit ignibus ignes. *Propert.* 1, 5, 1. Invide, tu tandem voces compesce molestas.] *Stat. Silv.* 3, 3, 41. Compescere damna alicujus cantu, *h. e.* carmine solari. ℙ Pro abstinere, parcere. *Pl. Bacch.* 3, 3, 59. Compesce in illum dicere injuste. *Appul. Met.* 9. Nec fugientibus saltem compescunt. Alii leg. *compercunt.* ℙ Putat *Prisc.* 18, 1198. Latine dici *compesco illum insanire*, et *ne insaniat*, quemadmodum Graeci dicunt *παύω τόνδε λυπεῖσθαι*, et *μὴ ποιεῖν τόδε*, sed nullo id confirmat exemplo. *Id.* 10, 887. agnoscit supinum *compescitum*, sicut *dispescitum* a *dispesco:* at hoc etiam sine auctoritate Latini scriptoris.

COMPĔTENS, entis, part. a *competo*, congruus, conveniens, legitimus, *προσήκων. Appul. Florid. n.* 16. Personae rebus competentes. *Gell.* 19, 13. Ratio etymologiae cum sententia vocabuli competens. *Ulp. Dig.* 2, 1, 19. Apud competentem judicem litem suscipere. *Id. ib.* 3, 3, 35. Competens tribunal. *Papinian. ib.* 39, 5, 32. sententia. *Auct. Paneg. Maxim.* et *Constant.* 7. Quid enim competentius, quid providentia tua dignius facere potuisti? ℙ Proprie est *simul petens.* Hinc apud *August. serm.* 216. (*al.* 8. *de Divers.*) et *serm.* 228. *Competentes* sunt infantes et catechumeni, quia sacramentum Baptismi simul petunt, et sunt quodammodo competitores et candidati Christianae Religionis.

COMPĔTENTER, adv. habita ratione, convenienter, *προσηκόντως. Ulp. Dig.* 24, 3, 22. Quatenus filiae et patri competenter consulatur. *Paul. ib.* 22, 5, 16. Competenter punire. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 118. Persona quaeque competenter plectitur, *h. e.* pro ratione dignitatis, aut culpae. *Hieron. adv. Helvid.* 2. In alio loco competentius disseram. *Appul. Apol.* Competentissime videor usus Platone, *h. e.* valde apposite.

COMPETENTIA, ae, f. proprie est actus simul petendi, concursus. *Gell.* 14, 1. Nasci ad eandem competentiam, *h. e.* sub eodem stellarum concursu, et situ. ℙ Item [*congruentia et aequalitas, partium convenientia, apta membrorum compositio.] *ἀναλογία. Gell.* 1, 1. Secundum naturalem membrorum omnium inter se competentiam. *Macrob. Somn. Scip.* 1, 19. Certi sunt numeri, per quos inter omnia, quae sibi conveniunt, junguntur, aptantur, fit jugabilis competentia.

COMPĔTĪTIO, onis, f. actio aliquid simul petendi. *Sidon. ep.* 2, 9. Inter aleatoriarum vocum competitiones. ℙ Legitur etiam saepe in *Cod. Theodosiano.*

COMPĔTĪTOR, oris, m. *ἀντιπαραγγέλλων*, qui aliquid simul cum alio petit, praesertim honores. *Cic. Off.* 1, 12. Dum civi aliter contendimus, si est inimicus; aliter si competitor: cum altero certamen honoris et dignitatis est; cum altero capitis et famae. Adde *Att.* 1, 1. et *Planc.* 4. et *Liv.* 37, 57. *extr.*

COMPĔTĪTRIX, icis, f. quae simul petit. *Cic. Mur.* 19. Nos quoque habuimus scenam competitricem. [*Eleganter! Antonius scenam argentatam in ludis dederat, collega Ciceronis in aedilitate: hinc metuebat Cicero, ne scena illa plus apud populum in petitione valeret, quam ipse, et scena petere consulatum pro Antonio videbatur. *Ernest. in cl.*]

COMPĔTO, is, ivi, vel ii, itum, a. 3. *ἀντιπαραγγέλλω, ἀντιποιοῦμαι*, simul cum alio, seu adversus alium peto. *Justin.* 13, 2. Occiso Alexandro, non, ut laeti, ita et securi fuere, omnibus unum locum competentibus. *Aur. Vict. Vir. illustr.* 59. Unam duobus speciosam competentibus. ℙ Habet etiam neutram significationem, et ponitur pro constanter valere, compotem esse, ut *Non.* 4, 110. exponit. *Sall. fragm. ib.* Quasi formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut lingua competere. *Liv.* 22, 5. Ut vix ad arma capienda, aptandaque pugnae competeret animus. [**Tac. A.* 3, 46. Inconditique ac militiae nescii oppidani neque oculis neque auribus satis competebant.] ℙ Item pro par esse, vel simile: unde in aestimatione rerum, *hoc illi competit*, dicimus. Haec *Non. ib.* Sic *Suet. Oth.* 12. Tanto Othonis animo nequaquam corpus aut habitus competiit. ℙ Item eodem petere, hoc est ire, convenire, congruere. *Varr. L. L.* 5, 3. Ubi viae competunt, tum in compitis sacrificatur. *Colum.* 2, 2. *ante med.* Fossae aliquae fiunt patentes, quaedam etiam obcaecantur, ita ut in patentes ora hiantia caecarum competant. *Id.* 4, 17. Si cacumina arundinum in unum competunt. ℙ Item simul evenire, contingere. *Tac. H.* 2, 50. *extr.* Tempora reputantibus, initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse. *Suet. Caes.* 40. Fasti adeo turbati, ut neque messium feriae aestati, neque vindemiarum autumno competerent. *Plin.* 16, 39, 73. Si competant coitus lunae in novissimum diem brumae. Adde 18, 26, 63. et *Colum.* 2, 8. Huc pertinet et illud *Senec. ep.* 75. Non quaerit aeger medicum eloquentem, sed sanantem; sed si ita competit, ut qui sanare potest, compte disserat etc.: et *Scaev. Dig.* 2, 14, 47. Remanserunt apud me trecenta et octoginta sex, et usurae quae competierunt. ℙ Item aptum esse, quadrare. *Colum.* 9, 5. Si villae situs ita competit, non est dubitandum, quin, etc. Verum si positio repugnabit, etc. *Suet. Aug.* 31. Si cujuspiam neptium suarum competeret aetas. *Scaev. Dig.* 8, 2, 41. Titius aperto pariete domus suae, quatenus stillicidii rigor, et tignorum protectus competebat. *Appul. Apol.* Quid enim piscis competit ad amoris ardorem accendendum? ℙ [*Ponitur et absolute. *Colum. R. R.* 1, 6. Area, si competit, ita constituenda est, ut.] ℙ Item convenire, pertinere. *Eumen. Paneg. Constant.* 4. Ei competit hereditas. *Ulp. Dig.* 19, 1, 25. *circa med.* Ex empto mihi adversus te actio competit. *Quint.* 3, 6. Actio competit in aliquem. *Papin. Dig.* 1, 20, 1. Hoc mihi competit jure magistratus. Hujusmodi sexcenta leguntur in libris *Digestorum. Appul. Met.* 10. Extrema poena competit in latronem. *Scaev. Dig.* 40, 4, 54. Respondi: si testator fraudandi consilium non habuisset, competere libertates, *h. e.* libertates datas testamento convenientes esse, et valere. ℙ Pro impetere, aggredi. *Paul. Nol.* 15, 134. solus competitur Felix. V. *v.* 154. et 157. ℙ Part. *Competiturus* ap. *Ulp. Dig.* 50, 16, 54. Actio competitura.

COMPILĀTIO, onis, f. plurium rerum hinc inde excerptarum accurata collectio. *Cic. Fam.* 2, 8. Quid? tu me hoc tibi mandasse existimas, ut mihi gladiatorum compositiones, ut vadimonia dilata, et Chresti compilationem mitteres? *h. e.* commentarium rerum urbanarnm, ut ait *Coelius* ad *Cic. Fam.* 8, 2., in quo, ut *Id.* ait *ib.* 1., senatusconsulta, edicta, fabulae, rumores, hisque similia erant perscripta a Chresto liberto suo.

COMPILĀTOR, oris, m. *συλητής*, spoliator, fur. *Hieron. praef. Hebraic. quaest. in Gen.* Hoc idem passus est ab aemulis et Mantuanus vates, ut cum quosdam versus Homeri transtulisset ad verbum, compilator veterum diceretur. Adde *Isid. Orig.* 10.

COMPILĀTUS, a, um, part. a *compilo*, furto ablatus, spoliatus. *Papin. Dig.* 3, 5, 33. Compilatae hereditatis postulare aliquem. Apud *Haloandr.* legitur *expilatae. Petron. fragm. Tragur.* 62. *Burm. ad f.* Domum fugi tanquam copo compilatus.

COMPILO, as, avi, atum, a. 1. *συλεύω:* a *pilo, as.* Proprie significat cogere, et in unum condere, ut ait *Festus*, et dicitur specialiter de iis, qui res alienas multas simul undique surripiunt, colligunt, et asportant. *Cic. Verr.* 2, 1, 13. Quasi non apertissime consulem, exercitum, provinciamque compilarit. *Ascon.* hoc loco ita interpretatur: Pilos evellerit; sic fraudaverit furto, ut ne pilos quidem in corpore spoliatis reliquerit. [*Unice probanda videtur haec explicandi ratio.] Rursus *Cic. Verr.* 2, 4, 24. Qui uno imperio ostiatim totum oppidum compilarit. *Id. Or.* 2, 66. Malui compilari, quam venire. *Hor. Sat.* 1, 1, 77. Formidare servos, ne te compilent fugientes. *Paul. Dig.* 48, 13, 9. Sunt autem sacrilegi, qui publica sacra compilaverunt. *Pl. Asin.* 2, 2, 6. Compilare aedes. *Cic. Phil.* 3, 12. hortos.] **Phaedr.* 4, 10. Lucernam fur accendit ex ara Jovis, ipsumque compilavit ad lumen suum.] ℙ Significat etiam ita fuste caedere, et convellere, ut ne pilus quidem in toto corpore relinquatur. *Appul. Met.* 7. Toturn me puer compilabat caedens fusti grandissimo. Loquitur hic asinus ab agasone suo male habitus. *Id. ib.* 9. Nec dubio me lanceis, vel venabulis, immo vero et bipennibus membratim compilassent. ℙ Translate. *Cic. Mur.* 11. Cn. Flavius ab ipsis cautis jurisconsultis eorum sapientiam compilavit. *Hor. l. c. in f.* ne me Crispini scrinia lippi Compilasse putes.

COMPINGO, is, egi, actum, a. 3. *συνωθέω*, impello, detrudo, vi ago. [*A *con* et *angere.*] *Pl. Amph.* 1, 1, 3. Quid faciam nunc, si tresviri me in carcerem compegerint? [**Id. Mil.* 2, 1, 34. Compegit in navem miles clam matrem suam.] *Id. Men.* 4, 3, 16. Tibi habe (*pallam*) aufer, utere vel tu, vel tua uxor, vel etiam in oculos compingite. [*H. l. est pro *asservare*, ponere loco munitissimo. *Lindm.*] *Cic. Att.* 8, 8. Picenum amiserat culpa: in Apuliam se compegerat, *h. e.* in Apuliae angustias se conjecerat. ℙ Translate. *Id. Or.* 1, 11. Oratorem excludi a gubernaculis civitatum, ac tantum in judicia et conciunculas, tanquam in aliquod pistrinum, detrudi et compingi videbam. *Pl. Rud.* 4, 4, 103. Quae parentes in tam angustum tuos locum compegeris. ℙ Significat etiam componere, conjungere, coagmentare, *συμπήγνυμι. Senec. Q. N.* 6, 3. Quaedam aedificia a fabris negligentius solutiusque composita, terraemotus saepius agitata compegit. *Colum.* 6, 19. Roboreis axibus compingitur solum. *Gell.* 6, 1. Ut natura tenuissimis ossiculis caput compingeret. *Appul. Flor. n.* 9. Etiam crepidas sibi compegerat. *Paul. Dig.* 45, 1, 83. Si navem dominus dissolvisset, et iisdem tabulis compegisset. *Arnob.* 2, 55. Compingere vestem, sellas, aratra. ℙ Translate. *Gell.* 11, 16. Absurdum esset, si ex *multitudine* et *negotio* verbum unum compingerem. *Lact.* 7, 7. Ut summam illam, quae continet universa, et compingerent, et implerent. ℙ Significat etiam componere, confingere, comminisci. *Arnob.* 1, 34. Falsa de Christo compingimus? et vos de Diis vestris falsa et inania jactatis. *Id.* 4. p. 148. Ignominiosas de Diis compingitis fabulas.

[COMPINGUESCO, is, n. 3. simul pinguesco, coagulor. *Tert. Anim.* 25. Praesumunt, semen ex concubitu muliebribus locis sequestratum, motuque naturali vegetatum, compinguescere in solam (alii leg. *solidam*) substantiam carnis. *F.*]

COMPITĀLĀRIS, e, adj. ad compitales Deos pertinens. Compitalares Augustales in *Inscr.* ap. *Grut.* 179, 3. fuisse puto sacerdotes ab Augusto institutos sacris Compitalibus faciendis. Nam is ea sacra bis anno coli jussit, teste *Suet. in ejus vita* 3. Adde *Inscr.* ap. *Mur.* 918, 8. L. Vibusio Secundo Compital. Lar. Aug.

COMPĪTĀLĪCIUS, a, um, ad Compitalia pertinens. *Cic. Pis.* 4. Ludi Compitalicii. *Id. Att.* 7, 7. Compitalicius dies. Et *ib.* 2, 3. *ad f.* Compitaliciae deambulationes. ℙ *Compitalicia* absolute pro Compitalibus quidam adstruunt ex *Cic. Pis.* 4., ubi alii *Compitalia* rectius leg. [*Ita *Orell.*]

COMPĪTĀLIS, e, adj. ad compita pertinens. *Suet. Aug.* 31. Compitales Lares ornare bis anno instituit Augustus vernis floribus et aestivis, *h. e.* qui, ut ait *Ov. Fast.* 2, 615., compita servant, et vigilant nostra semper in urbe, Lares. *Ov. ib.* fabulatur fuisse nympham, Laram nomine, quae quod Jovis amores Junoni detexerat, ab illo lingua multata fuit, et Mercurio tradita, ut ad Inferos duceretur. In itinere Mercurius illam compressit, et geminos procreavit, qui *Lares compitales* habiti sunt. ℙ *Compitales ludi*, et absolute *Compitalia, orum*, sacra erant, et ludi, qui fiebant in compitis in honorem Larium. *Varr. L. L.* 5, 3. Eos tacito nomine descripsit *Virg.*, teste *Servio, A.* 8, 717. ludisque viae, plausuque fremebant. ℙ Uno tantum die celebrabantur, ut *Festus* docet in *Quinquatrus.* Nam quod apud *Cic. Pis.* 4. habetur: Cum in III. Kal. Jan. Compitaliorum dies incidissent; *Manut.* et *Lambin.* legunt *incidisset*, quod probat *Garatonius* in not. ad eundem locum, et reponendum censet *in Kal.* pro *in III. Kal.* ℙ In fabulis est, Ocrisiam ancillam Tanaquilis reginae uxoris Tarquinii Prisci, dum foco adsideret, exstitisse subito e mediis cineribus Larem familiarem, qui eam compressit, et Servium Tullium procreavit, qui sextus fuit Romanorum rex, et in honorem crediti patris compitales ludos instituit, ut *Plin.* 36, 27, 70. narrat: Nam lignea sacella in compitis exstruxit, jussitque singulas domos liba conferre, et sacra facientibus non ingenuos, sed servos adesse et ministrare, ut est apud *Dionys. Halicarn. l.* 4. Celebrabantur hiemis tempore non multo post Saturnalia: non tamen habebant diem certum, sed concipiebantur quotannis a praetore. *Auson. in Eclogar. de Feriis Rom.* Et nunquam certis redeuntia festa diebus, Compita per vicos cum sua quisque colit. Adde *Fest.* in voce *Conceptivae.* Porro ejus indictionis formula legitur apud *Gell.* 10, 24. his verbis: *Die noni populo Romano Quiritibus Compitalia erunt. Quando concepta fuerint, nefas*, h. e. dies nefastus esto. *Cic. Att.* 2, 3. *ad f.* Tu pridie Compitalia memento. *Id. Pis.* 4. Compitaliorum dies. Al. leg. *Compitalitiorum* male. *Cato R. R.* 5. Rem divinam, nisi Compitalibus, in compito aut in foco ne faciat. ℙ Locus *Charisii* 1, 20. ex quo quidam docent, Compitalia celebrata fuisse in honorem eorum, qui peregre mortui essent, corruptae lectionis esse videtur: tametsi in *Gloss. Philox.* quiddam simile habetur. ℙ *Compitalia* inscripsit unum e suis Mimis Laberius poeta. *Gell.* 16, 7. et 9. ℙ In genit. plur. habet *Compitalium*, et *Compitaliorum*, teste *Charis.* 1, 37. V. SATURNALIA.

[COMPĪTENSIS, e, adj. ad Compitum pertinens, excisum oppidum Latii in monte, qui nunc *Compatro* appellatur, prope Tusculum. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 242. *n.* 656. Municipes Compitenses veicorum quinque. *F.*]

COMPĪTUM, i, n. *συστροφή, ἄμφοδος*, locus, ubi plures viae competunt, hoc est confluunt, sive bivium illud sit, sive trivium, sive quadrivium etc.

Etymon est a *competo*, *συντρέχω*, vel potius a *con*, et *bito*, quo nempe omnes conveniunt. Unde *compita semitarum* dixit *Sol.* 17. *ad f.* Effertur fere in plur. num., rarius in singulari. *Virg. G.* 2, 382. Praemiaque ingeniis pagos et compita circum Thesidae posuere. *Ov. Fast.* 1, 142, Servet ut in ternas compita secta vias. *Prop.* 4, 1, 23. Parva saginati lustrabant compita porci. *Id. ib.* 3, 57. Flore sacella tego, verbenis compita velo. *Gell.* 1, 22. Id dicitur non in compitis tantum, neque in plebe vulgaria, sed in foro, in comitio, apud tribunalia. *Cic. Agr.* 1, 3. In triviis aut in compitis auctionari. *Hor. Sat.* 2, 3, 25. unde frequentia Mercuriale Imposuere mihi cognomen compita, *h. e.* homines in compitis vagantes et otiosi. ℙ In hujusmodi locis arae constitui solebant, vel Jani bifrontes, vel sacella totidem lateribus aperta, quot erant viae concurrentes, cujusmodi sunt, quos Itali vocant *capitelli:* ubi sacra et ludi fiebant in honorem Larium. (V. COMPITALIS) In pagis eo conveniebant agrestes vel ludi causa, vel sacrificii, vel ut concilia sua agitarent, buccina convocati. *Philargyr.* ad *Virg. l. c.* ℙ Ipsae quoque arae, vel potius sacella, seu Jani, *compita* dicta sunt. *Inscr.* apud *Grut.* 107, 1. Compitum refecerunt, tectum, parietes allevarunt etc. *Scalig.* minus recte leg. *Convitium.* Alia ap. *De-Vita Antiq. Benev.* p. 28. *n.* 10. Compitum a solo pecunia sua fecerunt, et paganis annuos ✕ CCXXV. dari jusserunt ea conditione, ut Non. Jun. pagum lustrent. *Grat. Cyneg.* 483. Idcirco aeriis molimur compita lucis, *h. e.* erigimus aras in lucis, ad quas sacra fiant. *Pers.* 4, 28. Qui quandoque jugum pertusa ad compita figit, *h. e.* ut exponit *Salm.* ad *Sol.* p. 212. ex Vet. Scholiaste, ad sacella in compitis, in omnes viarum partes patentia. Tangit autem ritum et morem rusticorum affigendi ad compita rustica instrumenta fracta emeriti et elaborati operis indicium. Possis tamen *pertusa compita* intelligere ipsa loca pluribus viis pervia, in quibus palo erecto agrestes donaria sua suspenderent. ℙ Translate. *Pers* 5, 35. et vitae nescius error Diducit trepidas ramosa in compita mentes, *h. e.* in ambiguum vitae instituendae: quemadmodum qui ad compitum pervenit ignarus locorum, nescit, quo itinere viam pergat. *Tertull. Resurr. carn.* 60. Spelunca oris, et gulae lapsus, et compitum stomachi. ℙ In singul. num. praeter *Inscr.* et *Tertull.* allatos, legitur etiam ap. *Varr. L. L.* 5, 6., *Tertull. Testim. anim.* 1. *ad f.* et *Fest.* in voce *Novae Curiae.* ℙ Quin et *compitus* masc. gen. olim dictum fuit. *Varr.* ap. *Non.* 3, 38. Ubi compitus erat aliquis. *Caecil. ib.* Adjacentem compitum.

COMPLĂCĔO, es, cui, et complacitus sum, *ἀρέσκω*, *συναρέσκω*. Proprie dicitur de eo, quod pluribus simul placet. *Colum.* 9, 16. Ut et tibi, et Gallioni nostro complacuerat. *Gell.* 17, 9. Ante iis, sicuti dixi, complacebat: ante dixerat: *erat conventum inter eos. Ter. Andr.* 4, 1, 21. Postquam amare me dixi, complacita est tibi. ℙ Pro simplici placeo. *Pl. Rud.* 3, 4, 22. Hae autem Veneri complacuerunt. *Id. ib.* 1, 3, 3. Hoc Deo complacitum est! Adde *Ter. Heaut.* 4, 5, 25. ℙ Passive (nisi malis esse figuram zeugma) *Gell.* 18, 3. Consilium acceptum ab universis, et complacitum est. Adde *Appul. Met.* 4.

COMPLĂCĬTUS, a, um, part. a *complaceo*, qui placet, vel placuit. *Capell.* 2, 29. *in carm.* Semper complacitis amica Musis, cui etc.

COMPLĂCO, as, a. 1. idem quod placo, placidum reddo. *Tiro Cic. libert.* ap. *Gell.* 7, 3. In principiis patroni, qui pro reis dicunt, conciliare sibi, et complacare judices debent.

COMPLĀNĀTĬO, onis, f. *ὁμαλισμὸς*, actus complanandi. *Senec. Q. N.* 6, 1. *a med.* Sub exiguo terrae tumulo ac complanatione exspirare.

COMPLĀNĀTOR, oris, m. qui complanat. *Appul. Apol. in carm.* Pulvisculus complanator tumidulae gingivulae.

COMPLĀNĀTUS, a, um, part. a *complano*, planus factus, *ὁμαλισθείς*. *Suet. Caes.* 44. Completus et complanatus lacus. *Appul. Flor. n.* 23. Lapis omnifariam complanatus. ℙ Item destructus, solo aequatus. *Cic. Dom.* 38. Domus Sp. Maelii complanata. *Suet. Cal.* 37. Complanata fossuris montium juga.

COMPLĀNO, as, avi, atum, a. 1. *ὁμαλίζω*, planum facio, aequo. *Cato R. R.* 151. Terram bene tabula, aut manibus, aut pedibus complanato. Hunc loc. refert etiam *Gell.* 3, 14. ℙ Item solo aequare, deruere. *Cic. Dom.* 38. Complanare domum alicujus. *Hirt. B. Alex.* 63. opera constituta, *h. e.* deruere, et disjicere munitiones castrorum. V. integrum locum. ℙ Translate. *Senec. Prov.* 5. *ad f.* Multa accident dura, aspera, sed quae molliat et complanet ipse, *h. e.* faciliora reddat.

*COMPLANTATIO, onis, f. *Vet. Gloss. καταφύτευσις. B. A.*

*COMPLANTATUS, a, um, *σύμφυτος*, simul plantatus. *Ambros. Epist.* 42. *f.* Complantatus virtutibus. *Vulg. Rom.* 6, 5. Complantati facti sumus. *B. A.*

*COMPLANTO, as, a. 1. *Vet. Gloss.* Complanto, *φυτεύω*, *καταφυτεύω. B. A.*

[COMPLĀTONĬCUS, i, m. qui una cum Platone est, Platonis sectator. *Sid. ep.* 4, 11. A collegio tamen Complatonicorum solo habitu ac fide dissociabatur. *F.*]

COMPLAUDO, is, a. 3. simul plaudo. *Paul. Nol.* 18, 8. Concordate meis, precor, et complaudite, fratres, Carminibus.

COMPLECTO, is, a. 3. idem quod *complector*, sed antiqui usus, ut *Prisc.* 8, 798. docet. *Pomp.* ap. *Non.* 7, 39. Quin ergo, quando convenit, complectite. *Vitr.* 10, 6. Scapos duos transversarios complectit et compegit, *h. e.* connexuit. Al. leg. *complexus est.* ℙ Passive. *Cic.* ap. *Prisc.* 8, 793. Cupio, eum tam invidiosa fortuna complecti. Addunt et locum *Scaevolae Dig.* 45, 1, 133., sed ibi valde dubia est lectio. V. COMPLEXUS, a, um.

COMPLECTOR, eris, exus sum dep. 3. *περιπλέκομαι*, *περιέχω*, a *con*, et *plecto*, hoc est necto: significat cingere, concludere, comprehendere, continere, circumdare: et est verbum latissimi usus. *Cic. Somn. Scip.* 4. Orbis coelestis extimus, qui reliquos omnes complectitur. *Id. ib.* 1. Arctior me somnus complexus est. *Id. Senect.* 15. Vitis claviculis suis quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur. *Ov. Trist.* 1, 7, 7. Effigiem fulvo auro complecti. *Id. Met.* 8, 731. Mare terram complexum. *Caes. B. G.* 7, 72. et 74. Complecti spatium munitionibus. *Vell.* 2, 51. obsidione aliquem. *Plin.* 18, 29, 69. *n.* 2. intra se aliquid. [**Virg. A.* 2, 253. Sopor complectitur artus.] ℙ Item brachiis cingere, amplecti. *Cic. Div.* 1, 28. et *Liv.* 7, 42. Complecti inter se. *Cic. ib.* 46. arcte aliquem. *Id. Att.* 16, 5. Complecti, et osculari aliquem. ℙ Item manu apprehendere. *Virg. A.* 8, 558. et *Ov. Met.* 6, 494. dextram complexus euntis. *Curt.* 5, 3. Complecti eminentia saxa. *Ov. Met.* 3, 727. Avulsum caput digitis complexa cruentis. ℙ Translate est amare, favere, tueri. *Cic. Att.* 16, 15. Ut adolescentem, totamque causam veteranorum complecterer. *Id. Fam.* 2, 8. Da te homini: complectetur, mihi crede. *Id. Prov. cons.* 16. Complecti aliquem honoribus et beneficiis. *Id. Marc.* 3. *ad f.* aliquem benevolentia. *Id. Fam.* 7, 5. aliquem omni comitate. *Id. Pis.* 32. aliquem omnibus studiis, laboribus, vitae periculis. *Liv.* 7, 40. omnes cives caritate. *Plin. ep.* 3, 11. aliquem arcta familiaritate. ℙ Item colere, tractare, discere. *Cic. Brut.* 93. Complecti philosophiam. *Ov. Pont.* 1, 6, 9. artes ingenuas. ℙ Item assequi, comprehendere. *Cic. Or.* 15. Definire, et complecti universam vim oratoris. *Id. ad. Quirit.* 2. *extr.* In vestro beneficio tanta magnitudo est, ut eam complecti oratione non possim. Sic *Quint.* 3, 6. Complecti sententiam aliquam verbis. *Cic. Verr.* 2, 2, 12. *in f.* Ut totum hoc genus complectamini judiciorum, *h. e.* intelligatis. *Id. Fam.* 5, 17. *ad f., Senect.* 5. et 1. *Or.* 5. *ad f.* Complecti animo aliquid. *Id. Or.* 2. Quod nullo sensu percipi potest: cogitatione tantum et mente complectimur. *Senec. Oct.* 478. Augustus complexus est astra, *h. e.* adeptus. *Quint.* 2, 7. et 11, 2. Complecti aliquid memoria. *Id.* 3, 1. carmine praecepta philosophiae. [**Cic. Tusc.* 1, 22. Deum cogitatione complecti non possumus. *Plin. Pan.* 95, 2. Ut hunc consensum vestrum complectar, et teneam et in dies augeam. *Virg. A.* 9, 277. Jam pectore toto Accipio et comitem casus complector in omnes.] ℙ Item colligere, concludere. *Cic. Brut.* 3. *extr.* Omnem rerum memoriam breviter, et perdiligenter complecti. *Id. Pis.* 31. Complecteris amplissimos viros ad tuum scelus, *h. e.* colligis, adjungis. *Id. Fin.* 5, 9. *ad f.* Ut jam liceat una comprehensione omnia complecti. Adde *Inv.* 1, 40. ℙ *Complecti aliquid* absolute pro mente, aut cogitatione complecti, considerare. *Tac. Agric.* 46. Famamque, ac figuram animi, magis quam corporis, complectantur. *Front. ad amic. ep.* 2, 5. Tantum Volumnio tribue honoris facultatisque amicitiae tuae complectendae. ℙ *Complecti* passiva significatione, V. COMPLECTO. [*V. exempla ab *Ernest.* ex *Cic.* coll. in *clavi.*] ℙ [Part. *Complectens* ap. *Cic. Fin.* 5, 23. Cura quaedam alios appetens atque complectens. *F.*]

COMPLĒMENTUM, i, n. *πλήρωμα*, quod additur ad complendum, et perficiendum aliquid, supplementum. *Cic. Or.* 69. Apud alios numero servientes inculcata reperias inania quaedam verba, quasi complementa numerorum. *Tac. A.* 3, 38. Addito majestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat.

COMPLĔO, es, evi, etum, a. 2. *συμπληρόω*, ad summum usque impleo. *Caes. B. G.* 3, 18. Sarmentis, et virgultis fossas complere. *Id. ib.* 7, 27. Milites murum celeriter complerunt, *syncope pro* compleverunt. (Sic. *Cic. Cluent.* 34. complerat *pro* compleverat. Et *Verr.* 2, 4, 35. complesse *pro* complevisse. Et *Virg. A.* 6, 712. complerint *pro* compleverint.) *Id. B. C.* 1, 56. et *Virg. A.* 11, 327. Complere naves colonis et pastoribus. *Servius* adnotat, hanc esse proprie phrasim nauticam. Nam et Graece *πληρώματα* dicuntur remiges, et milites, qui navibus imponuntur. V. PLEROMARIUS. *Lucr.* 5, 1161. Complere urbes ararum. *Cic. Senect.* 14. Convivium vicinorum quotidie compleo. *Colum. Arbor.* 4. *ad f.* Complere scrobem ad medium, deinde usque in summum. *Cic. Somn. Scip.* 4. Sol cuncta sua luce complet. *Id. ib.* 5. Quis est, qui complet aures meas tam dulcis sonus? *Sall. Catil.* 50. Armis, cadaveribus, cruore, atque luctu omnia compleri. *Liv.* 9, 24. Cuncta complentur fuga. *Cic. Att.* 13, 34. Complere paginam volui. *Id. Or.* 38. Plangore, et lamentatione complere forum. [**Virg. A.* 9, 113. Vox agmina complet. *Id. ib.* 3, 645. Complent se lumine cornua Lunae. *Tib.* 2, 4, 8. Complevit orbem luna. *Prop.* 2, 6, 1. Non ita complebant Ephyreae Laidos aedes (de amatoribus). *Sil.* 2, 127. Ducti spatium nervi complente sagitta, i. e. imposita in arcum sagitta, quae impleret spatium, quod nervus adductus faciebat.] *Caes. B. C.* 2, 25. *extr* exercitum omni copia. *Hor. Ep.* 6, 9. Cum timenda voce complesti nemus, *pro* complevisti *syncope. Cic. N. D.* 2, 49. Complere se cibo. *Pl. Cist.* 1, 2, 8. se flore Liberi. *Id. Amph.* 1, 1, 95. Vertentibus Telebois telis complebantur corpora. *Id. ib.* 4, 1, 8. Corpus suum stupri complevit, *h. e.* adulterio gravida facta est. (Adde *Arnob.* 4, 171.) *Caes. B. C.* 1, 25. Complere legiones. [**Ergänzen.*] ℙ Complere aliquem coronis, et floribus, apud *Cic. Verr.* 2, 4, 35. est operire, ornare. ℙ *Complere annos* est tempus transiisse, vixisse. *Cic. Senect.* 5. Gorgias centum et septem complevit annos. *Ov. Trist.* 4, 7, 77. Et jam complerat genitor sua fata, *h. e.* ad finem vitae pervenerat. Sic *Met.* 15, 816. Hic sua complevit tempora. *Id. ib.* 3, 312. Infans materna tempora complet, *h. e.* menses partus. ℙ *Compleri*, gravidam fieri. *Lucr.* 4, 1268. ℙ Translate. *Caes. B. C.* 2, 21. Complere milites bona spe. *Cic. Fin.* 5, 24. Compleri gaudio. *Luc.* 5, 412. Complere animos robore. *Pl. Amph.* 1, 2, 9. Erroris illos et dementiae complebo. *Id. Men.* 5, 5, 3. Complere aliquem flagitii et formidinis. *Cic. Verr.* 2, 3, 49. summam promissi. *Senec. Oedip.* 1211. Sidera, et manes, et undas scelere complevi meo. *Quint.* 9, 4. Complere judicem indignatione. Et 8, 6. taedio. *Curt.* 3, 13. cuncta pavore. ℙ Significat etiam perficere, absolvere. *Cic. N. D.* 1, 1. Solis lustrationem annuam menstruo spatio luna complet. *Id. Fin.* 5, 24. Complent ea quidem vitam beatissimam. *Caes. B. C.* 3, 46. His rebus completis, legiones reduci jussit. *Gell.* 13, 5. Complere studia. *Id.* 18, 1. omnes numeros vitae beatae. *Claud. B. Get.* 143. Stilicho tres potuit complere duces, *h. e.* trium ducum vices praestare. Al. leg. *superare.* ℙ [Part. *Complens.* ap. *Manil.* 2, 237. et partu complentes aequora Pisces. *Complendus* ap. *Hirt. B. Hisp.* 16. Ad fossas complendas. *F.*]

COMPLĒTĬO, onis, f. complementum. *August. ep.* 161. Evidentissima completione sanctae prophetiae. *Just. Inst.* 3, 23. Nisi scripta completiones acceperint. *Festus* in *Igitur.* Igitur nunc quidem pro completionis significatione valet, quae est ergo. Fortasse legendum *complexionis*, quia *igitur* complexionem quandam orationis significat.

COMPLĒTOR, oris, m. qui complet. *Juvenc. in Matth.* 2, 12, 572. legum completor Jesus.

*COMPLETORIUM, i, n. officium erat ecclesiasticum, quod diurna officia complebat, nempe preces dicendae sub noctis initium. Hinc *Completorii hora.* ap. *August.* et in hymno antiquo de passione dominica. Haec *Gesn. B. A.*

COMPLĒTUS, a, um, part. a. *compleo*, *πληρωθείς*, impletus. *Cic. Acad.* 4, 40. Inane quidquam esse putes, cum ita completa et conferta sint omnia? *Id. Fl.* 14. Summa completa. *Id. Tusc.* 1, 12. *extr* Coelum humano genere completum. Et *ib.* 5, 35. Multo cibo et potione completi. [**Id. Verr.* 2, 5, 57. Completus mercatorum carcer.] *Nep. Milt.* 5. Horum adventu decem millia armatorum sunt completa. [**Tac. A.* 14, 23. Ora et exitus specuum, sarmentis virgultisque completos, igni exurit.] ℙ *Scaevola Dig.* 33, 2, 35. Post completum quinquennium. ℙ Translate perfectus, absolutus. *Cic. Or.* 50. Perfectus et completus verborum ambitus. *Gell.* 1, 7. Illud sic compositum jucundius ad aurem, completiusque est: insuavius hoc imperfectiusque. Al. leg. *complexius.* ℙ Completus, compactus. *Firmic. Math.* 5, 9. Erunt formosi, venusti, membrisque ac toto corpore completi.

COMPLEX, icis, comm. gen. socius sceleris, conscius, eodem scelere una cum aliis implicitus. *Isid.* in *Gloss.* Complex, qui in uno peccato vel crimine alteri est applicatus ad malum, ad bonum vero nunquam dicitur. Attamen *Ambr. Off.* 3, 4. Complex honestatis est utilitas, et utilitatis honestas. *Prud. Hamart.* 614. de semine complicis hydri. *Sid. ep.* 8, 11. *ad f.* Ceterisque complicibus oppressis. ℙ Apud *Arnob.* 3, 123. Dii *complices.*

iidem qui *consentes*, ita dicti videntur, quod sint una voluntatum quodam foedere, et vinculo concordiae conjuncti, et quasi invicem connexi atque implicati. V. CONSENTES.

COMPLEXĀTUS, a, um, part. a *complexo* signific. pass. *Appul. Met.* 10. Arctissime complexatum me totum recepit.

COMPLEXIM, adv. complectendo. *Pl. Poen.* 3, 3, 84. Complexim contrectare mulierem. Al. leg. *complexum*, et fortasse rectius.

COMPLEXIO, onis, f. *συμπλοκή*, connexio, conjunctio. *Cic. Fin.* 1, 6. Ita effici complexiones, et copulationes, et adhaesiones atomorum inter se. *Id. Tusc.* 5, 6. Neque alia huic verbo, cum beatum dicimus, subjecta notio est, nisi, secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio. *Id. Inv.* 1, 26. Brevis complexio ipsius negotii, *h. e.* brevis narratio, quae totum negotium complectatur. *Id. Phil.* 2, 37. At quibus verbis modo aequum sibi videri, modo non iniquum: mira verborum complexio [*i. e. mira loquendi ratio.] ℙ Apud *Appul. de Mundo* ponitur pro ambitu obliquo Zodiaci. ℙ Saepe dicitur de periodo, in qua, ut ait *Cic. Or.* 3, 4., orator sic illigat sententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur. *Id. ib.* 47. Longissima est complexio verborum, quae volvi uno spiritu potest, Adde *Or.* 25. ℙ Item de conclusione argumenti, quae propositionem, et assumptionem complectitur. *Cic. Inv.* 37, 40. et 47., *Auct. ad Her.* 2, 18. *extr.* et *Quint.* 5, 14. ℙ Etiam *synaloephen*, et *synaeresin* figuras grammaticae, *complexiones* dici Latine, testatur *Quint.* 1, 5. ℙ Est etiam idem ac dilemma, quod utrinque adversarium complectitur, atque implicat. *Cic. Inv.* 1, 29. et *Ascon. in Div. Verr.* 14. ℙ Item figura rhetorum, quae repetitionem et conversionem complectitur. *Auct. ad Her.* 4, 14. [*Cf. lex. *technol. Lat.* s. h. v.] ℙ Denique ponitur pro habitudine corporis. *Firm. Math.* 5, 9. Tranquilli, quieti, alacres, bonae complexionis.

COMPLEXĪVUS, a, um, adj. *συμπλεκτικός*, qui complectitur, connexivus. *Gell.* 10, 29. *in tit.* Quod particula *atque* non complexiva tantum sit, sed etc.

COMPLEXO, as, a. 1. idem quod complector. *Coripp.* 1, 104. Portum quem geminae complexant brachia ripae.

COMPLEXUS, a, um, part. signif. activae, a *complector*. *Cic. Font.* 17. Vestalis germanum fratrem complexa tenet. [*Virg. *A.* 8, 260. Cacum corripit in nodum complexus. *Prop.* 1, 6, 5. Sed me complexae remorantur verba puellae. *Ov. Met.* 9, 772. Passis aram complexa capillis. *Curt.* 5, 1. Arx ambitu tot stadia complexa. *Caes. B. C.* 3, 112. Caesar loca maxime necessaria complexus, noctu praemunit. *Ov. Met.* 8, 732. Complexi terram maris incola.] *Stat. Silv.* 1, 1, 1. Moles Latium complexa forum. [*Sil. 13, 788. Carmine complexus terram, mare cet., i. e. describens.] ℙ Passiva significatione a *complecto*, simul implicatus, implexus, connexus, conjunctus. *Lucr.* 2, 153. Corpuscula complexa meant inter se, comqueglobata. *Pl. Amph.* 1, 1, 134. Qui complexus cum Alcumena cubat. [*Id. *Mil.* 2, 6, 53. Vidi et illam et hospitem Complexam atque osculantem. *Prop.* 1, 10, 5. Quum te complexa morientem, Galle, puella Vidimus.] *Cic. Rosc. Am.* 13. Quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur.

COMPLEXUS, us, m. actus complectendi, circulus, ambitus, *περιβολή*, *συμπλοκή*. *Cic. N. D.* 2, 40. Ultimus, omnia cingens, et coercens coeli complexus. Et *ib.* 22. Mundus, qui omnia complexu suo coercet et continet. ℙ Item complexio, seu conjunctio multarum rerum. [*Ov. *Met.* 4, 377. Sic ubi complexu coierunt membra tenaci.] *Plin.* 36, 22, 45. Lapides speculares alligati complexu silicis. *Quint.* 3, 6. *circa med.* Negotialis quaestio, quam *πραγματικὴν* vocat, in qua de rebus ipsis quaeritur, remoto personarum complexu, *h. e.* adjunctis. *Id.* 1, 4. Complexus verborum et nominum, *h. e.* conjunctiones, seu particulae copulativae. *Id. ib.* 5. Complexus et series loquendi. ℙ Item [*amplexus, *Umarmung.*] *Cic. Coel.* 20. Complexus et osculatio. *Id. Att.* 12, 1. Utinam continuo ad complexum meae Tulliae possim currere. *Id. Phil.* 2, 25. Venire in sinum et complexum alicujus. *Hor. Sat.* 1, 5, 43. O qui complexus, et gaudia quanta fuere! *Petr. Sat.* 11. Arctissimis complexibus illigare aliquem. *Cic. Font.* 17. Avellere atque abstrahere aliquem de complexu matris. [*Sall. *Jug.* 51. Divellere liberos a parentum complexu.] *Liv.* 2, 40. Accipere complexum. *Ov. Trist.* 4, 4, 80. Dare complexus alicui. *Virg. A.* 8, 583. Tenere aliquem complexu. [*Prop. 4, 7, 96. Inter complexus excidit umbra meos. *Ov. Met.* 5, 249. Ut gelidos complexibus allevet artus. *Id. ib.* 12, 328. Quam (quercum) dum complexibus ambit. *Colum. R. R.* 12, 1. Vir intra tecta deses et complexibus adjacens feminae. *Virg. A.* 1, 715. Complexu Aeneae pependit. *Suet. Caes.* 14. Complexu quidam protegunt Caesarem.] *Senec. Phoenis.* 464. Jungere complexus. *Id. Octav.* 730. Petere complexus alicujus. *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 2. Cedrus crassitudinis ad trium hominum complexum. Adde *Prop.* 4, 7, 96. [*Ov. *Met.* 3, 390. Manus complexibus aufer. Dicitur etiam de animalibus. *Id. ib.* 3, 47. (de Martio angue.) Longis complexibus illos necat. — Singulari modo dicitur de corpore animum quasi vinculis cingente. *Quint. Decl.* 4, 10. p. 92. Quid juvat animam per tot annos, etiam si natura patiatur, per infinita temporum spatia tristissimo retinere complexu, i. e. compage, carcere.] ℙ Videtur etiam significare proelium, decertationem. *Caes. B. C.* 3, 8. Bibulus (*dux Pompejanus*) nullum laborem, aut munus despiciens, neque subsidium exspectans, si in Caesaris complexum venire posset, *h. e.* si cum Caesare confligere proelio posset, ad imitationem nempe sermonis Graeci, *συμπλέκεσθαί τινι*. Alii tamen leg. *conspectum*. [*Nihil mutandum h. l. videtur. Simili ratione *Quint. Decl.* 4, 22. p. 103. Finge nos in ipso prosperi Martis cecidisse complexu.] ℙ Pro *συνουσία*. *Scrib. Compos.* 18. ℙ Translate. *Cic. Pis.* 9. Me ipsa suo complexu patria tenuisset. *Id. Cat.* 2, 10. Postremum genus, quod proprium est Catilinae, de ejus delectu, imo vero de complexu ejus ac sinu. [*i. e. familiarissimi ejus. *Plin. Pan.* 47, 2. At tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes, i. e. maximopere delectaris studio, consuetudine earum.]

COMPLĪCĀTIO, onis, f. actus complicandi. *Coel. Aurel Tard.* 4, 26. Cum omnis fuerit folliculus complicatione vacuatus.

COMPLĪCĀTUS et Complicitus, a, um, part. a *complico*. *Appul. Met.* 9. Asino per scalas complicitis pedibus in coenaculum attracto. *Id. ib.* 1. Complicitus in genua. Et *ib.* 5. Articulari morbo complicatus et curvatus. ℙ Translate *συμπεπλεγμένος*, cui contrarium est explicatus. *Cic. Off.* 3, 19. Animi sui complicatam notionem evolvere. [*Repetita videtur metaphora a librorum voluminibus.]

COMPLĪCO, as, avi, atum, et plicui, icitum, a. 1. *συμπλέκω*, simul plico. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 5. Cum complicarem epistolam. *Pl. Rud.* 4, 3, 1. Complicare rudentem. *Senec. ep.* 90. *ante med.* Diogenes se complicuit in dolio, et in eo cubitavit. ℙ [Part. *Complicandus* ap. *Pl. Merc.* 1, 2, 80. Armamentis complicandis studuimus. *F.*]

COMPLŌDO, is, osi, osum, a. 3. *συγκροτέω*, collido: a *con*, et *plaudo*, ut *complodere manus*, quod in gestu oratorio scenicum esse, *Quint.* 1, 3. affirmat. *Petr. Sat.* 24. Complosit illa tenerius manus. Sic *ib.* 18. *extr.* Complosis manibus in risum effusa est. *Senec. Ira* 1, 1. Complosae saepius manus. ℙ [Part. *Complodens* ap. *Appul. Met.* 9. Vacuasque manus complodens saepicule. *F.*] ℙ Alium praeterea hujus verbi usum non reperio.

COMPLORĀTIO, onis, f. *ὀλοφυρμός*, ploratus, et lamentatio multorum simul: et fere dicitur de ploratu in re desperata. *Liv.* 3, 47. Lamentabilis mulierum comploratio. *Id.* 2, 40. Mulierum comploratio sui patriaeque. Adde 1, 41. Sic *Justin.* 11, 9. Edere complorationem. Et *Gell.* 10, 3. Facere complorationem rei acerbae.

COMPLORĀTUS, a, um, part. a *comploro*, a multis ploratus, defletus, ut in re desperata. *Liv.* 5, 39. Romani complorati omnes pariter, vivi mortuique. *Petr. Sat.* 111. Complorata femina ab omnibus quintum jam diem sine alimento trahebat.

COMPLORĀTUS, us, m. idem quod comploratio. *Liv.* 22, 55. Coercere comploratus familiarum. Et 25, 26. Lacrimis et justo comploratu prosequi mortuos.

COMPLŌRO, as, avi, atum, a. 1. *ὀλοφύρομαι*, simul cum aliis ploro, defleo: et usurpatur plerumque in re desperata. *Cic. Dom.* 37. Videre inimicos, nondum morte complorata, arbitria funeris petentes. *Liv.* 22, 55. Cum vivi mortuique promiscue complorarentur. *Flor.* 2, 15. Complorato publice statim, et pari voce clamatum est. *Gell.* 7, 5. Complorare, et commisereri. Adde *Ov. Trist.* 1, 3, 95.

COMPLŌSUS. V. in COMPLODO.

COMPLŪO, is, 3. *καθύω*, idem quod pluo. *Varr. L. L.* 4, 33. Deorsum, quo impluebat, impluvium dictum: et sursum, qua compluebat, compluvium. ℙ *Complui* est aqua pluvia conspergi, *καθύεσθαι*. *August. de Genes. contr. Manich.* 1, 23. Firmamentum erat inter aquas inferiores, in quibus Noe natabat, et superiores, quibus compluebatur.

COMPLŪRES, et ura, urium, adj. plur. a *con*, et *plures*, *πλείους*, *πλείω*: videtur plus aliquid significare, quam *plures*, aut *multi*. Non est tamen comparativum, sed positivum, ut *Gell.* 5, 21. monet. *Cic. Fam.* 10, 6. Complures in perturbatione reipubl. consules dicti, quorum nemo etc. *Id. ib.* 2, 8. Cum Pompejo complures dies versatus sum. *Ter. Adelph.* 2, 2, 22. Complures mulieres. *Nep. Ep.* 4. Vitam excellentium virorum complurium uno volumine concludere. *Cic. Or.* 2, 26. Ambiguorum complura sunt genera. *Caes. B. C.* 2, 12. Haec atque ejusdem generis complura. *Id. B. G.* 1, 8. Ratibus compluribus factis. *Sall. Cat.* 24. Compluribus narrare. ℙ Comparative. *Ter. Heaut.* 1, 1, 11. Agrum in his regionibus meliorem, neque pretii majoris, nemo habet, servos complures. ℙ Pro *complura* invenitur etiam compluria, nempe quia veteres dixerunt *hoc complure*, in sing. num. ut *Donat.* adnotat ad illud *Ter. Phorm.* 4, 3, 6. Quid agitur? *Chr.* Multa advenienti, ut fit, nova hic: compluria. *Cic. fr.* ap. *Donat. ib.* Confirmandi genera compluria. *Cato Or.* 2. *ib.* Fana compluria. ℙ Ap. veteres grammaticos magnae lites exstiterunt, utrum rectius esset *complura*, an *compluria*, et *complurium*, an *complurum:* de quibus *Gell.* 5, 21., *Charis.* 1, 56. et 100. Usus quidem certe habet *ura*, et *urium*. ℙ Superlativum est *complurimi*, *orum. Hirt. B. G.* 8, 14. Complurimis diebus iisdem in castris consumptis. *Gell.* 11, 1. Bucera in ea terra gigni complurima. Al. leg. *compluria*.

COMPLŪRIĒS, adv. saepius, saepe. *Pl. Pers.* 4, 3, 65. Sensi ego jam compluries. *Cato* apud *Gell.* 5, 21. Compluries eorum milites multi alteri alteros occidere: compluries transfugere: compluries in imperatorem impetum facere. Adde *ib.* 17, 2. ℙ Legitur et *compluriens*, ut *quotiens* pro *quoties* etc. *Festus:* Compluriens a compluribus significat saepe: *Cato:* Contumelias mihi dixisti compluriens.

COMPLŪRĪMUS. V. in COMPLURES.

COMPLUSCŪLE, adv. saepius. *Gell.* 17, 2. Veteres compluscule ita dixerunt.

COMPLUSCŪLI, orum, m. plur. 2. diminut. a. *complures*. *Ter. Hecyr.* 1, 2, 102. Dies compluscules bene conveniebat sane inter eas. *Gell.* 7, 11. Ex eo loco Tullii verba compluscula libuit ponere. *Id.* 18, 2. Conveniebamus ad eandem coenam compluscuti. Adde *Pl. Rud.* 1, 2, 43.

COMPLŪTENSIS, e, adj. ad Complutum pertinens, quae est urbs Hispaniae Tarraconensis in Carpetanis, ad Tagum fluvium, inter Toletum, et Contrebiam, cum celebri Academia, nunc *Alcala de Henarez. Paul. Nol.* 35, 607. Complutensis urbs. ℙ *Complutenses*, *ium* sunt ejus urbis incolae. *Plin.* 3, 3, 4.

COMPLŪTOR, oris, m. qui compluit. *August. serm. de div.* 8, 3. Seminatori et complutori vestro multiplicatam reddetis ubertatem.

COMPLŪTUM, i, n. oppidum. V. COMPLUTENSIS.

COMPLŪTUS, a, um, part. a *compluo*. *Solin.* 10. Nautae compluti saepe ex illo casu imbre saxatili.

COMPLŪVIĀTUS, a, um, adj. ad compluvii modum factus: compluviata dicitur vitis, cujus palmites ab altiore jugo ad humiliores palos descendunt quadruplici serie, ut in aedium compluvio pluvia a quadrilatero tecto in chortem subjectam decidit. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 6. Quinque generum vites: sparsis per terram palmitibus; aut per se vite subrecta; vel cum adminiculo sine jugo; aut pedatae simplici jugo; aut compluviatae quadruplici. Et *paulo post.* Compluviata copiosior vino est, dicta a cavis aedium compluviis. *Varr. R. R.* 1, 8. Jugationis species duae, una directa, altera compluviata, in longitudinem et latitudinem jugata.

COMPLŪVIUM, ii, n. *αὐλόω*. Unus idemque locus, qui *cavum aedium* et *cavaedium* atque *impluvium* appellatur, secundum diversas rationes. Nam cum sit locus cavus in mediis aedibus, *cavaedium* dicitur: cumque eodem decidat, et recipiatur aqua pluvia e stillicidiis in interiorem aedium partem propendentibus, *compluvium* et *impluvium:* cum hoc tamen discrimine, quod si consideretur superiore sui parte, qua pluviae confluentes e tecto decidunt, *compluvium* est: si vero inferiore, quo influunt, *impluvium*. Ita enim vim vocum spectantes, distinguunt. *Varr. L. L.* 4, 33. et *Festus* in *Impluvium*. Hinc *Ter. Eun.* 3, 5, 41. et *Phorm.* 4, 4, 27. *impluvium* pro *compluvio* posuit. Ceterum vox *compluvium* legitur etiam semel ap. *Varr. R. R.* 1, 13. et *Suet. Aug.* 92. ac ter ap. *Vitr.* 6, 3., ubi uno in loco videtur *compluvia* appellare ipsas collicias, quae e tegulis tectorum aquam in compluvium, seu impluvium deferunt. Verba *Varronis l. c.* sunt: Chortes in fundo magno duae aptiores: una ut interius compluvium habeat lacum, ubi etc. In chorte exteriore lacum esse oportet etc. Ubi *compluvium* potest esse adjectivum, et *τὸ lacum* afficere. [*Ad *Suet.* locum cf. *Ernest.* clav. in v. Impluvium.] ℙ Compluvia in aedibus erant fere quadrata figura: ex quo factum est, ut *compluvia* ob similitudinem dicerentur jugationes vitium adminiculis in quadrum erectarum, et colligatarum. *Colum.* 4, 24. *post med.* Si vitis brachiis in aliena jugorum compluvia perrepserit. *Id.* 4, 26. Directae palmae per jugorum compluvia decurrant. V. COMPLUVIATUS.

COMPLŪVIUS, a, um, adj. V. in v. praec.

COMPONDĒRANS, antis, part. ab inusit. *compondero*, simul ponderans. *Appul. Trismeg.* Pari lance componderans.

COMPONO, is, ŏsŭi, ŏsĭtum, a. 3. *συντίθημι*, *συντάττω*, simul pono, apte pono, colloco, construo. [*Proprie significat *juxta ponere*. *Prop.* 2, 26, 33. Et tabula una duos poterit componere amantes,

Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.] *Ter. Hecyr.* 3, 4, 5. I ergo intro, et compone quae tecum simul ferantur. *Cic. Or.* 3, 43. Collocationis est componere et struere verba sic, ut neve asper concursus, etc. *Virg. A.* 8, 486. Componens manibusque manus, atque oribus ora. Et *ib.* 321. genus indocile et dispersum montibus altis Composuit. *Sil.* 3, 375. filum componere lino. Et *Hor. Od.* 3, 17, 14. Dum potis, aridum compone lignum, *h. e.* repone ligna super foco, ut *Id. ib.* 1. 9, 5. loquitur. *Gell.* 5, 3. Componere lignum, *h. e.* caudices ligni apte in fascem colligare. *Cels.* 8, 10. *n.* 2. Componere ossa, *h. e.* fracta, vel luxata reponere. Sic *ib.* 8. *a med.* Jugulum compositum. ℙ Item aptare. *Luc.* 3, 717. Me quoque mittendis rectum componite telis. Et *ib.* 596. Componere carbasa ventis. ℙ Item disponere. *Cic. Att.* 15, 25. Ego itinera sic composueram, ut Nonis Quint. Puteolis essem. [*Ita saepius dicitur in re oratoria. *Id. Or.* 1, 31. Componere inventa. *Id. ib.* 2, 76. Ut vero statuamus, ea quae probandi, docendi, persuadendi causa dicenda sunt, quemadmodum componamus: id est vel maxime proprium oratoris prudentiae. *Id. Brut.* 17. verba componere i. e. numerose ponere.] *Tac. A.* 12, 29. Componere legionem et auxilia pro ripa. *Id. ib.* 2, 78. milites per manipulos. *Ov. R. Am.* 679. comas. [*Hoc loco est *ornare*, *decenter disponere*. V. *Burm.* ad *Petr.* 67. et ad *Ov. A. Am.* 1, 160. Adde *Tibull.* 4, 2, 8. Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit, Componit furtim subsequiturque decor. ℙ *Componere togam* peculiaris est dicendi ratio delicatulorum hominum, qui in rugis et plicaturis hujus vestimenti rite disponendis summam, quantum fieri poterat, curam, diligentiam, artem consumerent. Cf. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 3, 31. qui comp. *Heins.* ad *Ov. Pont.* 2, 5, 52. *Burm.* ad *ejusd. Met.* 4, 318. et *Böttig. Sab.* 2, 163. *Macr. Sat.* 2, 9. Adde *Quint. Inst.* 11, 3. p. 1034. (de oratore) Tum in componenda toga, vel (si necesse erit) etiam ex integro injicienda, duntaxat in judiciis (apud principem enim ac magistratus ac tribunalia non licebit) paulum est commorandum.] *Ov. Met.* 13, 767. vultum. *Suet. Cal.* 50. vultum ad speculum in omnem terrorem. ℙ Item condere, aedificare. *Virg. A.* 3, 387. Quam tuta possis urbem componere terra. *Ov. Fast.* 1, 706. templa Deis Ledaeis, Adde *Prop.* 2, 5, 5. ℙ Item sedare. *Virg. A.* 1, 135. motos praestat componere fluctus. *Lucan.* 5, 702. Pelagus composuit fluctus tumentes. *Id.* 1, 297. Componere tumultum. ℙ Item reponere, condere servandi gratia: quia quae ita conduntur, apte et cum cura poni solent. *Colum.* 12, 54. Rapa componere. Et *ib.* 47. Eadem conditura posset etiam regia componi, vel orchita. Adde *ib.* 13. [**Prop.* 1, 9, 13. Tristes istos compone libellos, i. e. in scriniis repone, conde.] ℙ Componere se est decumbere, jacere. *Virg. A.* 1, 698. aulaeis jam se regina superbis Aurea composuit sponda. *Id. G.* 4, 189. *de apibus.* Post ubi jam thalamis se composuere, siletur In noctem. Sic *Id. ib.* 438. Vix defessa senem passus componere membra. ℙ Ponitur etiam pro admovere, jungere. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 62. Componere labra labellis. Et *ib* latus lateri. Et *Prop.* 2, 2, 12. Mercurio et sanctis fertur Boebeidos undis Virgineum Brimo composuisse latus, *h. e.* concubuisse. [**Quint. Decl.* 321. p. 642. Non illa (quae alienos etiam ac nulla necessitudine inter se conjunctos componere et adstringere affectibus potest) consuetudo actae pariter infantiae, pueritiae studia cet.] ℙ *Componere se alicui* aliquando est congredi. *Sil.* 17, 549. quisnam se lumine caeco Composuit nobis? *Id.* 6, 246. Ibo alacer, solusque manus componere monstro Sufficiam. Adde 10, 70. et 11, 212. ℙ Hinc etiam *componi* dicuntur gladiatorum paria, cum committuntur, ut inter se pugnent. *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Cum Placidejano hic componitur, optumu' longe Post homines natos gladiator qui fuit unus. *Sil.* 16, 615. composuit propioribus ausis Dignum te fortuna parem. Adde *Quint.* 2, 17. *post med.* ℙ [**Arma componere* ap. *Plin. Pan.* 13, 2. est *aequalia arma distribuere.* Erat hoc Centurionum V. *Lips.* Mil. Rom. 5. p. 163.] ℙ Significat etiam comparare, conferre, quia simul poni, quae conferre volumus, necesse est. [**Cic. Fl.* 26. Componere dignitati alicujus suam.] *Virg. G.* 4, 176. si parva licet componere magnis. *Quint.* 7, 2. Componere causam nostram cum causa adversarii. ℙ Item colligere. *Virg. A.* 8, 317. nec jungere tauros, Aut componere opes norant. Adde *Senec. Herc. fur.* 167. ℙ Item ex multis rebus unam conflare, quod faciunt qui medicinas et unguenta conficiunt. *Scrib. Comp.* 10. Medicamentum quod ex his rebus componitur. *Colum.* 6, 4. Vires custodiuntur medicamento, quod componitur etc. V. COMPOSITIO. ℙ Item sepelire, quia nimirum cum cura cadavera, vel cineres mortuorum conduntur et colliguntur. [*Proprie dicitur partim de colligendis in urnam cineribus et ossibus atque humandis, partim de exponendo in lecto funebri corpore vestimentis, fasciis, coronis ornato. (Gr. περιστέλλειν.) Cf. quos laudat ad *Hor. l.* mox seq. *Heindf.* cujus verba sequimur.] *Hor. Sat.* 1, 9. 27. Est tibi mater, cognati? Omnes composui. *Val. Fl.* 7, 203. Cinerem et ossa componam, sedemque dabo. *Tibull.* 3, 2, 26. Sic ego componi versus in ossa velim. ℙ Hinc *Virg. A.* 1, 374. Ante diem clauso componet vesper Olympo, *h. e.* condet, finiet, nam eadem ratione dixit *Ecl.* 9, 52. condere soles cantando. Et *Hor. Od.* 4, 5, 29. Condere diem. ℙ Saepissime ponitur pro scribere, facere, cum de litteris sermo est. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 4. Poema ad Caesarem, quod composueram, incidi. *Id. Leg.* 1, 4. *extr.* Componere formulas stipulationum, et judiciorum. *Plin. praef. Hist. N. ad f.* Immortalitate donari a se scripsit, ad quos aliqua componebat. *Cic. Or.* 44. Stilus exercitatus efficiet facile hanc viam componendi. *Plin. ep.* 3, 10. Composuisse me quaedam de filio vestro, non dixi vobis etc. Sic componere laudes, amores, casus alicujus: libros, carmina, orationem, historiam, res gestas etc. *Cic., Hor., Quint., Justin., Tibull., Ov., Colum., Suet.* etc. [**Tibull.* 1, 2, 91. Sibi blanditias tremula componere voce, i. e. secum praemeditari sermones amatorios, quibus animum puellae aggrederetur. Ita cum *Vulp. Heyne.* — *Broukh.* de Elegis amatoriis accipit. *Ov. Met.* 9, 521. Et meditata manu componit verba trementi, i. e. litteras animo conceptas cerae mandat, scribit. *Cic. Att.* 6, 1. *Componere actiones.* Dicitur de juris Consultis, qui formulas actionum excogitant et scribunt. Adde *Quint. Inst.* 11, 3. p. 1013. Ideoque Demosthenes grande quoddam intuens speculum, componere actionem solebat.] ℙ Item universim pro facere. *Cic. Univ.* 13. Atque is quidem, qui cuncta composuit, constanter in suo manebat statu: qui autem erant ab eo creati etc. ℙ Translate est machinari, struere, parare. *Tibull.* 1, 7, 4. Componere insidias alicui. *Prop.* 2, 7, 69. fraudes. *Pl. Poen.* 3, 5, 29. fallaciam. *Sall. Jug.* 119. *extr.* dolum. ℙ Et pro constituere, condicere. *Liv.* 2, 37. Tullus, ut domi compositum cum Marcio fuerat, ad consules venit. *Id.* 40, 40. *in f.* Cum summa concordia, quos dimitterent, quosque retinerent milites, composuerunt. *Cels.* 3, 18. Componere mentem insanientis. ℙ Et pro demittere. *Senec. Herc. fur.* 809. Custos opaci pervigil regni canis Aures componit. ℙ Et pro pacare, dirimere. *Virg. Ecl.* 3, 108. Componere lites. *Caes. B. C.* 9, 1. *extr.* controversias. *Sall. Jug.* 120. et *Nep. Annib.* 6. bellum. *Senec. Thyest.* 338. minas fratrum. *Hor. Sat.* 1, 5, 29. aversos amicos. ℙ [*Hinc id. q. conficere. *Cic. Verr.* 2, 4, 16. Compone hoc, quod postulo, i. e. fac, ut hoc confectum et absolutum sit.] ℙ Et absolute *Plin. ep.* 5, 1. Coheredes mei componere, et transigere cupiebant. ℙ Passive impers. *Caes. B. C.* 3, 16. Pompeji summam voluntatem esse, ut componeretur, atque ab armis discederetur. Adde *Cic. Rosc. Am.* 47. ℙ Huc et illa pertinent *Ter. Hecyr.* 3, 5, 29. Neque alio pacto componi potest inter eas gratia. Et *Phorm.* 4, 3, 16. Inter vos sic haec potius cum bona componantur gratia, quam cum mala. *Pl. Merc.* 5, 2, 112. Componere pacem alicui cum altero. *Sall. fr.* ap. *Non.* 4, 62. Lenones, et vinarii, laniique pretio compositi, *h. e.* conventione facta pretii, redempti. ℙ Praeterea idem valet quod ordinare, constituere. *Cic. Leg.* 3, 18. Componere et constituere rempubl. *Id. Brut.* 22. Considerare et componere causam. *Liv.* 45, 17. res Macedoniae. *Just.* 17, 3. leges, et senatum, annuosque magistratus, et reipubl. formam. ℙ Item praeparare, conformare. *Quint.* 12, 9. *sub f.* Componere animum ad omnes casus. Et *paulo supra.* Componi non ad animum judicis, sed ad stomachum accusatoris. *Plin. ep.* 7, 1. *ad f.* Componere animum vultumque ad abstinentiam. Adde *Val. Fl.* 1, 321. [**Componi in* vel *ad* aliquid drr., qui signis externis affectum quendam, animique sensum vel produnt, vel simulant. *Ov. Fast.* 5, 30. Omne videres Numen ad hanc, vultus composuisse suos. *Tib.* 4, 1, 100. Faciem componere pugnae. *Id. ib.* 7, 9. Vultus componere famae. *Plin. Pan.* 76, 5. Fortasse imperator in senatu ad reverentiam ejus componebatur.] ℙ Item simulare, confingere. [**Tib.* 3, 6, 35. Nec bene mendaci risus componitur ore.] *Prop.* 2, 2, 6. At me composita pace fefellit amor. *Cic. Verr.* 2, 2, 22. Ita causa componitur, ut palaestritae peterent hereditatem. ℙ Praeterit. *composivi* antiquum est. *Inscr.* antiquior *Cicerone* ap. *Grut.* 204, 2. Coram inter eos controversias composiverunt. ℙ *Componier* pro *componi* per paragogen, est *Catul.* 68, 141. ℙ [Part. *Componendus* ap. *Cic. Att.* 4, 6. Tibi etiam gratias agebat, quod signa componenda suscepisses. *F.*]

COMPORTĀTĬO, onis, f. actus comportandi, seu advehendi. *Vitr.* 1, 5. Cum per portus marinae subvectiones habuerint ad moenia comportationes expeditas.

COMPORTĀTUS, a, um, part. a *comporto*, advectus, collectus. *Cic. Or.* 3, 24. Apparatu nobis opus est, et rebus exquisitis undique, et collectis, arcessitis, comportatis. *Hor. Ep.* 1, 2, 49. valeat possessor, oportet, Si comportatis rebus bene cogitat uti.

COMPORTĬŌNĀLIS, e, adj. *Aggen. Urbic.* p. 51. *Goes.* Terminos, qui intra possessionum fines inveniuntur, comportionales appellavit antiquitas. *Anonym. p. ib.* 254. Comportionalium signa.

COMPORTO, as, avi, atum, a. 1. *συμφέρω*, idem ac porto, vel simul porto, vel porto in unum locum. *Cic. Pis.* 10. Arma in templum Castoris luce et palam comportarentur. *Id. Att.* 5, 18. Frumentum ex agris in loca tuta comportatur. *Caes. B. C.* 3, 42. Frumentum ab Asia comportari imperat. *Sall. Jug.* 79. Aurum, argentumque domum regiam comportant. *Caes. B. G.* 3, 25. Ad aggerem caespitibus comportandis. *Virg. A.* 9, 613. Comportare juvat praedas, et vivere rapto. *Val. Max.* 5, 3. Comportans scelestum onus.

COMPOS, otis, com. gen. *ἐγκρατής*, qui obtinuit, et assecutus est aliquid. Derivari solet a *potis*, h. e. potens, dominus; ut *compos* dicatur, qui quod vult facit: cui contrarium est *impos.* Ita *Serv.* ad *Ecl.* 9, 5. et *Voss.* in *Etym. Cic. Sext.* 69. An ego in hac urbe esse possim, his pulsis, qui me hujus urbis compotem fecerunt? [**Liv.* 1, 32. Facere aliquem compotem patriae.] *Id. Tusc.* 5, 13. *ad f.* Omnes virtutis compotes sunt beati. *Id. N. D.* 2, 13. Compos rationis et consilii. *Sil.* 11, 366. Compos memorabilis ausi. *Id.* 8, 72. regni. *Liv.* 30, 1. consulatus. *Vell.* 1, 10. L. Paulo magnae victoriae compoti, quatuor filii fuere. *Cic. Or.* 1, 48. Quarum rerum qui essent animo et scientia compotes, eos esse imperatores dicerem, *h. e.* qui eas res ingenio et scientia possiderent. *Pl. Amph.* 2, 2, 13. Perduelles vicit, et domum compos laudis revenit. *Id. Capt. Prol.* 41. Facere aliquem compotem libertatis. [**Id. ib.* 2, 1, 25. Quum, quae volumus nos, copiae facitis nos compotes, (Ita ex *Hermanni* emendatione legitur a *Lindem.*) i. e. facitis, ut nos veniam rei utendae impetremus.] *Liv.* 3, 70. Praedaque ingenti compotem exercitum reducunt. *Quint.* 12, 1. Mens compos sceleris, *h. e.* quae meditatum scelus jam perfecit. *Plin. ep.* 10, 3. *in f.* Facere aliquem compotem gratulationis, *h. e.* efficere, ut gratulari possit. ℙ *Compos animi*, vel *animo*, et *compos mentis* dicitur, qui sanus est, qui apud se est. *Ter. Adelph.* 3, 2, 12. Vix sum compos animi: ita ardeo iracundia. *Sall. fr.* ap. *Donat.* ad *Ter. l. c.* Neque animo, neque lingua satis compos. *Cic. Phil.* 2, 38. Tu es mentis compos? tu non constringendus? *Id. Pis.* 20. *extr.* Si tuae mentis compos fuisses. *Liv.* 27, 5. Vix ut compotes mentium prae gaudio essent. *Virg. Cul.* 189. vix compos mente refugit. Et *compos* absolute eodem sensu. *Sil.* 4, 808. trepidare metu vix compos Imilce. *Liv.* 4, 40. Matres, ac conjuges, in suos quaeque, simul corpore atque animo, vix prae gaudio compotes, effusae. *Alii ita distinguunt* corpore atque animo vix prae gaudio compotes. Alii leg. *compote:* qua ratione *compos animus* dicetur ead. sententia· ℙ *Compos sui* idem est qui compos animi. *Cels.* 5, 26. *n.* 13. Quaedam mente labuntur: quaedam sui compotes dolore urgeri se confitentur. *Liv.* 8, 18. *sub f.* Alienatas mentes compotes sui facere. Adde *Curt.* 4, 12. ℙ *Compos voti* est, qui quod optarat, est consecutus. *Ov. Art. am.* 1, 486. Insequere, et voti postmodo compos eris. *Suet. Aug.* 58. Compos factus votorum meorum. *Senec. Hippol.* 710. Nunc me voti compotem facis. Adde *Curt.* 9, 9. *extr.* Sic *spei compos* qui sperata obtinuit, apud *Suet. Tit.* 5. [**Sil.* 8, 231. Compos pugnae, i. e. victoria potitus.] ℙ *Compos votum* est ejus, qui voti compos factus est. *Senec. Agamemn.* 364. Tibi grandaevi lassique senes Compote voto reddunt grates. ℙ In malam quoque partem dicitur de eo, qui in aliquam calamitatem incidit: quod et *Non.* adnotavit 6, 46. et 12, 14. Hinc *Naevius ib.* Eam nunc esse inventam opprobriis compotem scis. *Acc. ib.* Magnis compos et multis malis. *Pl. Ep.* 4, 1, 32. Aerumnosa, et miseriarum compos. *Id. Truc.* 4. 3, 60. Culpae compos, *h. e.* reus.

COMPOSCO, is, poposci, a. 3. simul posco. *Not. Tir.* p. 58. Composcit, compoposcit. ℙ Part. *Composcens* ap. *Capell. init.* 5. Bellaque composcens, arcus atque Herculis arma. Alii leg. *compescens*, alieno tamen sensu. *F.*]

COMPOSĪTĒ, adv. sedate, placide. *Colum.* 6, 6. Docere boves composite, ac sine pavore ambulare. *Tac. A.* 15, 3. Compositius cuncta, quam festinantius agerent. ℙ Item ornate, apte. *Gell.* 1, 5. Multa munditia, et circumspecte, compositeque indutus. ℙ Translate. *Cic. Or.* 71. Composite et apte, sine sententiis dicere, insania est: sententiose autem, sine verborum et ordine et modo, infantia. [**Id. Or.* 1, 11. Sin oratoris nihil vis esse, nisi composite, ornate, copiose eloqui. Cf. de h. l. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 73. sq. s. v. *compositus.*] *Sall. Cat.* 55. Bene et composite disserere. Et *ib.* 50. Composite, atque magnifice miserati sunt casum reipubl.

COMPOSĪTĪCĬUS, a, um, adj. idem quod compositus, aut qui potest componi. *Tertull Anim.* 9. Dissolubile omne compositicium, et structile.

COMPOSĪTĬO, onis, f. *διάταξις*, confectio, stru-

ctura, compages, coagmentatio. *Cic. N. D.* 1, 18. Quae compositio membrorum, quae conformatio lineamentorum, quae figura, quae species humana potest esse pulcrior? *Id. Tusc.* 1, 18. Sonorum varia compositio harmonias efficit plures. ℙ Item dispositio. *Cic. Off.* 1, 40. Ordo est compositio rerum aptis, atque accommodatis locis. [**Id. Fin.* 3, 22. Sentio, me longius esse profectum. Verum admirabilis compositio disciplinae, incredibilisque rerum traxit ordo. *Compositio* h. l. est, quem vulgo vocant nexum, ordinem systematicum, *der Zusammenhang. Ernest. in clavi Cic.*] ℙ Item pactum, conventio. *Cic. Phil.* 2, 10. Pacis, concordiae, compositionis auctor esse non destiti. Sic de compositione agere. *Caes. B. C.* 1, 17. Et servare aliquem per compositionem. *Cic. Rosc. Am.* 20. ℙ In usu medicinali idem est ac praeparatio, vel mixtura. *Cic. N. D.* 2, 58. Compositiones unguentorum. Adde *Cels.* 5, 26. *extr.* et 6, 6. *n.* 16., *Colum.* 12, 2., *Plin.* 23, 8, 77. et *Scrib.*, qui librum suum *Compositiones medicas* inscripsit. Hinc translate *Senec. ep.* 8. Salutares admonitiones, velut medicamentorum utilium compositiones, litteris mando. ℙ Praeterea *compositio* dicitur repositio, et conditura earum rerum, quae servandi causa condiuntur, ut oleae, uvarum, raporum, et hujusmodi. *Colum.* 12, 44. et 47. ℙ Item constitutio, institutio, ordinatio. *Cic. Leg.* 3, 5. Compositio magistratuum. ℙ Item commissio, comparatio. *Cic. Fam.* 2, 8. Compositiones gladiatorum. ℙ Item collocatio verborum. *Auct. ad Her.* 4, 12. Compositio est verborum constructio, quae facit omnes partes orationis aequabiliter perpolitas. *Cic. Brut.* 88. *ad f.* Erat Hortensius compositione aptus, facultate copiosus. [*Gr. *σύνθεσις, σύνταξις.* Cf. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 73.] ℙ Apud *Vitr.* 1, 2. *compositiones* sunt ipsae fabricae, quarum partes apte inter se compositae symmetriam habent. ℙ Apud *Cic. Leg.* 2, 22. *compositio juris pontificalis* est quod alii dicunt, *Corpus Juris.*

COMPOSĪTĪVUS, a, um, adj. componens, vel compositus. *Capell.* 9. p. 320. Trium sonorum compositiva qualitas.

COMPOSĪTO. V. COMPOSITUS.

COMPOSĪTOR, oris, m. *συντάξας*, qui simul ponit, et disponit. *Cic. Or.* 19. Non enim inventor, aut compositor, aut actor haec complexus est omnia. *Id. Leg.* 2, 12. Compositor anni. *Ov. Trist.* 2, 356. operam, et *Festus* in *Romam*, historiae Cumanae. *Coripp.* 1, 17. morum. Et *Imp. Just. Cod.* 6, 28, 4. *circa med.* Tribonianus, et ceteri compositores juris.

COMPOSĪTŪRA, ae, f. idem quod compositio. *Sinnius Capito* ap. *Gell.* 5, 20. Soloecismus est impar et inconveniens compositura partium orationis. ℙ Item commissura, compages. *Lucr.* 4, 327. simulacra feruntur. Et feriunt oculos turbantia composituras. ℙ *Compostura* per syncop. legitur ap. *Cat. R. R.* 22.

COMPOSĪTUS, a, um, part. a *compono*, *συντεθειμένος, συντεταγμένος*, simul positus, apte positus, conjunctus, constructus. *Cic. Div.* 2, 47. Quo modo coelo affecto, compositisque sideribus, animal oriatur. *Id. Dejot.* 6. Locus in quo erant ea composita, quibus rex te munerare constituerat. *Plin.* 13, 4, 7. Bina juxta composita semina. [**Ov. Fast.* 3, 484. Ausus es tam bene compositum sollicitare torum. *Quint. Decl.* 320. p. 639. Quid est justius, quam compositum patrimonium habere, conditione unius societatis? *Id Inst.* 11, 3. p. 1014. Altero erecto, altero composito est supercilio, i. e. contracto. *Tib.* 1, 1, 77. Composito securus acervo, i. e. undique collecto atque in molem quasi exstructo. *Quint. Inst.* 1, 5. p. 69. Compositae voces, aut praepositionibus subjunguntur, ut inocens, cet. In his *Cicero* dicere solet *verba juncta*, vel *conjuncta* et *copulata.*] ℙ Item dispositus, ornatus. *Cic. Rosc. Am.* 46. Compositus et delibutus capillus. ℙ Item conflatus, constans. *Cic. Div. Verr.* 14. Liber ex alienis orationibus compositus. *Sall. Jug.* 2. Homo compositus ex corpore et anima. [**Quint. Decl.* 9, 16. p. 204. An arbitrio formantis mores omnium naturae compositus. *Id. ib.* 5, 2. p. 105. Habui enim filios diversissima mentium corporumque qualitate compositos ℙ Hinc id quod *exstructus*, *aedificatus. Sil.* 15, 51. Mensas gramine compositas.] ℙ Item in vagina reconditus. *Hor. Od.* 4, 14, 51. Te caede gaudentes Sicambri Compositis venerantur armis. ℙ Item ordinatus, dispositus. *Liv.* 28, 22. Acrior impetu atque animis, quam compositior ordine ullo pugna fuit. ℙ Item elegans, artificiose factus. *Cic. Att.* 6, 9. Admiratus sum *αυγχυαν* litterularum, quae solent tuae compositissimae, et clarissimae esse. *Auct. ad Her.* 4, 46. Equus bene compositus. ℙ Item scribendo confectus. *Cic. Att.* 1, 19. *a med.* Commentarium consulatus mei Graece compositum tibi misi. *Hor. Ep.* 2, 1, 76. Poema illepide compositum. ℙ Item sepultus. *Ov. Fast.* 3, 547. Compositusque cinis, tumulique in marmore carmen. *Id. ib.* 5, 426. Busta avi compositi. Et *compostus* per syncop. *Virg. A.* 1, 249. placida compostus pace quiescit. [**Ov. Met.* 7, 444. Limes compositio Scirone patet, i. e. sublato, interfecto. *Schirach.* sensu exquisitiore sic dictum putabat, quia Theseus Scironem e saxo in mare deturbatum simul sepeliverit. *Quint. Decl.* 12, 14. p. 255. Nihil fortunatius in aeterna sede utcunque compositis puto. V. *Burm.* et quos laudat ad h. l.] ℙ Item sedatus, tranquillus. *Ov. A. Am.* 3, 259. Cum mare compositum est, securus navita cessat. *Varr.* ap. *Senec. Contr.* 3, 16. et *ep.* 56. Omnia noctis erant placida composta quiete. ℙ Item moderatus. *Virg. G.* 3, 191 *de equo.* Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare Compositis. ℙ Item decumbens, jacens. *Ov. Met.* 14, 753. Iphis lecto compositus. *Id. Amor.* 1, 4, 53. Compositus somno, et vino. Adde *ib.* 2, 5, 22. ℙ Item commissus, ut compositi gladiatores. *Hor. Sat.* 1, 7, 20. [*Cf. *Bentl.* et *Heindf.* ad h. l. *Auctor ad Liv.* 301. Par bene compositum, juvenum fortissimus alter, Altera tam forti mutua cara viro.] Hinc translate *Senec. Prov.* 2. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus. ℙ Item condictus, constitutus. *Hor. Od.* 1, 9, 18. Nunc et campus, et areae Composita repetantur hora. *Tac. H.* 4, 14. Compositi seditionis auctores. [**Virg. A.* XII, 315. Compositae leges. *Tib.* 1, 2. 22. Compositae notae, i. e. signa, de quibus ante convenerunt inter se. Adde *Ov. Am.* 3, 2, 23.] ℙ Hinc *composito*, *de* vel *ex composito*, est ex constituto. *Nep. Dat.* 6. Perfugas mala fide, compositoque fecisse. (Adde *Virg. A.* 2, 129.) *Liv.* 5, 14. Clarissimi viri ex composito praeparati ad petendum. (Adde 36, 25.) *Appul. Apol.* De composito necopinantem incessere maledictis. ℙ Translate est sedatus, diremptus, pacatus. *Suet. Caes.* 4. Seditio civilis composita. *Hor. Od.* 4, 14. *extr.* Arma composita. Sic *Liv.* 2, 13. Pax composita ℙ Transfertur et ad genus dicendi. [**Compositum dicendi genus (Quint. Inst.* 10, 1, 44. conjungit *lene* et *nitidum* et *compositum* dicendi genus.) apud *Cic. Brut.* 78. est elegans, concinnum, accuratum. Idem quod apud *Eundem Or.* 1, 12. et *al.* dicitur composita oratio, et ornata et artificio quodam, et expolitione distincta, i. e. quae in studio, delectu et artificio eleganti in verbis collocandis cernitur, ut recte locum explicat *Ernest.* in *lex. technol. lat.* p. 74. Eodem sensu dicitur *compositus* (oppon. *inconditus*) orator apud *Cic. Or.* 70. Ita etiam intelligenda sunt verba apud *Sall. Jug.* 85. Non sunt composita verba mea. Parum id facio. Ipsa se virtus satis ostendit: illis artificio opus est, uti turpia facta oratione tegant.] *Quint.* 10, 2. Fiunt pro grandibus tumidi, pressis exiles, laetis corrupti, compositis exsultantes. [*Adde *Eund. ib.* 11, 3, 110. ubi *compositam actionem* dicit moderatam, quietam, qualis esse solet in initiis orationis, ubi nondum calor ex affectu oratorem occupaverit. *Sen. Ep.* 40. Hoc non probo in philosopho, cujus pronunciatio quoque, sicut vita, debet esse composita.] ℙ Ponitur et pro maturo, gravi, bene ordinato, cohibitis affectibus. *Senec. ep.* 2. Composita mens. *Quint.* 6, 2. Mites et compositi affectus. *Tac. A.* 13, 1. Vir aetate composita. [**Von gesetztem Alter.* ℙ *Quint. Decl.* 306. p. 597. Compositis aetatibus coacta matrimonia tamen facile fastidiunt.] ℙ *Compositus alicui rei*, aut *in* vel *ad aliquam rem* est de industria conformatus. *Liv.* 26, 19. Arte quadam ab juventa in ostentationem virtutum compositus. *Flor.* 3, 10. Nomen quasi terrori compositum. Al. aliter leg. *Quint.* 10, 1. Omnia ad voluptatem multitudinis imperitae composita. *Tac. H.* 1, 82. *extr.* Compositus in obsequium. Et *ib.* 2, 9. in moestitiam. ℙ Item idoneus, aptus. *Quint.* 6, 3. Attici maxime ad risum compositi. *Id.* 2, 8. Alius historiae magis idoneus, alius compositus ad carmen. *Cic. Verr.* 1, 11. Ut nemo unquam paratior, vigilantior, compositior ad judicium venisse videatur. ℙ Item confictus, simulatus. [**Cic. Verr.* 2, 3, 61. Compositum crimen. *Quint. Decl.* 9, 18. p. 207. Si me hercle inexpiabiles odiorum causae, et compositis quoque fabulis ulteriores inimicitiae fuissent, ausim dicere. Compositae fabulae h. l. sunt fictae. Cf. *Burm.* ad h. l. et quos in hanc rem laudat.] *Auct. Dial. de Or.* 12. Si haec fabulosa nimis, et composita videntur. *Tac. A.* 1, 7. Falsi, ac festinantes, vultuque composito. *Id. ib.* 15, 16. Quae augendae infamiae composita.

COMPOSSESSOR, oris, m. qui simul cum alio possidet. *Tert. Idol.* 14. Compossessores mundi, non erroris.

COMPOSTŪRA, ae, f. V. COMPOSITURA.

COMPOTĀTĬO, onis, f. *συμπόσιον*, convivinm. *Cic. Senect.* 13. *extr.* Bene enim majores nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitae conjunctionem haberet, convivium nominarunt: melius, quam Graeci, qui hoc idem tum compotationem, tum concoenationem vocant.

COMPŌTENS, entis, adj. qui simul cum alio potest. In *Inscr.* ap. *Grut.* 41, 2. est epitheton Dianae.

COMPŌTĬO, is, ivi, itum, a. 4. compotem facio. *Pl. Rud.* 4, 2, 6. Piscatu novo me uberi compotivit. *Appul. Flor. sub f.* Compotire aliquem quem praedae. Et *Met.* 11. Compotire aliquem voti. ℙ *Compotior*, *iris*, dep. *Pl. Rud.* 1, 3, 22. Ita hic solis locis compotita sum, *h. e.* haec loca sola nacta sum. *Tert. adv. Valent.* 11. Non visu, nec auditu ejus compotiri fas est.

COMPOTOR, oris, m. *συμπότης*, combibo. *Cic. Phil.* 2, 17. Tum adhibes joci causa magistrum, suffragio tuo et compotorum tuorum, rhetorem. Adde *Phil.* 5, 8.

COMPOTRIX, icis, f. quae simul potat. *Ter. Andr.* 1, 4, 4. Importunitatem spectate aniculae: quia compotrix ejus est. *Sidon. ep.* 2, 9. *a med.* Cum bibere desiisset asseclarum meorum turba compotrix.

COMPRAECĪDO, is, a. 3 idem ac praecido, seco. *Hygin. de limit.* p. 177. *Goes.* Hae duae lineae altera alteram compraecident. Al. leg. *comprehendent.*

COMPRAEDES sunt ejusdem rei populo sponsores. *Festus.*

COMPRANSOR, oris, m. qui simul prandet, sodalis, compotor, *συναριστῶν. Cic. Phil.* 2, 39. Hunc agrum tu compransoribus tuis, et collusoribus dividebas.

COMPRĔCĀTĬO, onis, f. *κατευχή*, supplicatio, genus precationis, quae solemni quodam ritu fiebat apud Romanos, clara quidem voce a sacerdote vel a magistratu, a populo vero submissa. *Liv.* 39, 15. Nulli unquam concioni tam non solum apta, sed etiam necessaria haec solemnis Deorum comprecatio fuit. Adde *Gell.* 13, 22., ubi quaedam prisca verba ex antiquis Romanorum comprecationibus affert.

COMPRĔCOR, aris, atus sum, dep. 1. *εὔχομαι.* idem quod precor, vel valde precor. *Ter. Adelph* 4, 5, 65. et 70. Comprecari Deos, ut etc. *Pl. Amph.* 2, 2, 108. Jovi prodigiali aut mola salsa. aut ture comprecatam oportuit. [**Id. Mil.* 2, 4, 41. Praesentia hercle omnia. Heus, abi intro et comprecare.] *Catull.* 64, 191. Comprecari fidem coelestum. *Ov. Met.* 14, 379. Me tenet, et teneat per longum, comprecor, aevum.

COMPRĔHENDĪBĪLIS. V. COMPREHENSIBILIS.

COMPRĔHENDO, is, endi, ensum, a. 3. *λαμβάνω, συλλαμβάνω*, idem quod prehendo, vel simul prehendo, capio, arripio, teneo. *Cic. N. D.* 1, 33. Quid opus est manibus, si nihil comprehendendum? *Plin.* 9, 15, 17. Comprehendere aliquid mordicus. Sic *Lucan.* 4, 727. Comprehendere morsu. *Cels.* 7, 12. Forfex dentem comprehendit. Et *ib.* 4. *n.* 3. Oras vulneris suturae comprehendunt. *Cic. Q. Fr.* 1, 2. Hominem comprehendit, et in custodiam Ephesi tradidit. [*Dicitur etiam de iis, qui manum alicujus prehendunt, rogandi causa. *Caes. B. G.* 5, 31. Comprehendunt utrumque et orant.] *Liv.* 26, 14. Praesidium Punicum comprehendit. *Caes. B. G.* 5, 42. Casae celeriter ignem comprehenderunt. *Virg. G.* 2, 305. Ignis comprehendit robora. ℙ De feminis, quae ex concubitu concipiunt, *συλλαμβάνεσθαι. Cels.* 5, 21. *extr.* Si mulier non comprehendit, adeps leonina etc. ℙ Item de plantis, quae satae, vel insitae proveniunt. *Varr. R. R.* 1, 40. *extr.* Cum ramulus comprehendit. *Colum.* 3, 11. *extr.* Rubrica ad comprehendendum radicibus iniqua. Adde *ib.* 5. et 4, 29. et *Pall.* 4, 10. etc. Hinc translate *Cic. Cluent.* 2. *a med.* Si quam opinionem jam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio convellet, si labefactabit, ne repugnetis. ℙ Item de iis rebus, quae uniunt, et conglutinant. *Scrib. Comp.* 88. Ubi omnium unitas mortario facta est, melle despumato medicamentum comprehenditur. Adde *Comp.* 70. et 227. etc. *Celsus* hoc sensu *excipio* utitur. ℙ Ovis, quae hieme non comprehenditur, ap. *Colum.* 7, 3. *circa med.* est, quae frigore non corripitur, sed sine valetudinis detrimento per hiemem durat. ℙ Ap. *Suet.* comprehendere vehicula meritoria est, quod nos dicimus, [**in Beschlag nehmen:*] vehicula evectionum jubere inservire nemini, et praesto esse in usum unius alicujus: quod aliquando factum fuisse a Tiberio, et Caligula, narrat ille *Tib.* 38. et *Cal.* 39. ℙ Significat etiam colligare. *Liv.* 30, 10. Naves malis antennisque, ac validis funibus comprehendit. ℙ Translate est complecti, continere, concludere. *Curt.* 6, 6. Circuitus ejus triginta et duo stadia comprehendit. *Sil.* 4, 101. tantum campi dirimebat ab ictu, Quantum impulsa valet comprehendere lancea nodo. *Cic. Fam.* 9, 22. Quae ab adolescentia a sapientissimis viris tradita, memoria et scientia comprehendisti. *Pallad.* 3, 13. *sub f.* Illud experimentis assiduis comprehendi, vites melius provenire etc. ℙ Item dicendo complecti, explicare. *Cic. Att.* 12, 21. Cato verbis luculentioribus et pluribus rem eandem comprehenderat. *Ov. Trist.* 5, 2, 27. Tot premor adversis, quae si comprendere coner, Icariae numerum dicere coner aquae. [**Id. Met.* 13, 160. Quam quae comprendere dictis In promptu mihi est.] *Cels.* 6, 18. Ut omnia, quae salutaria accepi, comprehenderem. *Id.* 5, 27. *n.* 3. Emplastra

quoque, quae supra comprehensa sunt, *h. e.* supra dicta sunt. ℙ Item amplecti, favere. *Cic. Coel.* 6. Comprehendere multos amicitia, tueri obsequio. *Id. Fam.* 13, 15. aliquem humanitate. *Id. Planc.* 19. Omnibus officiis Atinatem praefecturam comprehendit. [**Id. Fin.* 5, 10. Est enim infixum in ipsa natura, comprehenditur suis cujusque sensibus, sic, ut, siquis contra dicere velit, non audiatur.] ℙ Item intelligĕre, assequi. *Cic. N. D.* 3, 25. Hoc non modo comprehendere animo, sed ne suspicione quidem possum attingere. *Id. ib.* 3, 8. Eo minus id possum mente comprehendere. *Id. Fl.* 27. *extr.* Animo, et cogitatione comprehendere aliquid. [**Id. Or.* 1, 18. Si quis omnium rerum atque artium rationem naturamque comprehenderit.] *Colum.* 6, 24. Certis signis comprehendere licet, quem sexum generaverit. ℙ Item assumere, imbui. *Quint.* 10, 2. Proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro grandibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii etc. ℙ Item deprehendere. *Cic. Cluent.* 16. Comprehendere rem aliquam indicio alicujus. *Id. Mil.* 27. adulterium alicujus. *Id.* ap. *Macr. Sat.* 7, 3. *ante med.* Veniebam, sed non me comprehendit. ℙ [**Doederl.* 3, 141. discrimen inter *comprehendere* et *deprehendere* ita recte constituisse sibi videtur, ut illud, comprehendentis ratione utilitatis habita, nonnisi cum rebus conjungi, hoc saepius ad homines spectare doceat, vel cum damno deprehensi, vel cum commodo deprehendentis. Ita dicitur etiam de nautis pro *capere*, *tangere*, *nancisci*; sed haec rarior est vocis significatio. *Quint. Decl.* 12, 25. p. 267. Quando primum conterminos portus onusta classe comprehenderis. Cf. *Burm.* ad h. l.] ℙ *Comprehendere aliquid numero. Virg. G.* 2, 104. et *Ov. A. am.* 2, 447. ℙ Comprehendere visu, ap. *Sil.* 3, 408. quod *comprehendere* absolute dixit *Gell.* 13, 30. vix ipsos litterarum apices potui comprehendere. ℙ *Comprehendere* epistolas est intercipere. *Just.* 20, 5. Comprehensis epistolis, proditionis damnatur. ℙ *Comprendo* per syncop. non poetas modo metri causa, sed et prosae scriptores aliquando usurpasse, viri docti adnotarunt. ℙ Scribitur et *compraehendo* et *depraehendo*, quod ex Pandect. Florent. repraesentavit *Haloander* in libris Digestorum, (quamquam *Torrent.* non item) placetque non unis criticis.

COMPRĔHENSE. V. COMPRESSE.

COMPRĔHENSĪBĬLIS, e, adj. qui comprehendi, seu intelligi potest. *Cic. Acad.* 1, 11. hac voce usus est paene invitus, cum quo pacto Graecam vocem *καταλήπτος* verteret, vix haberet. Inquit enim: Id autem visum cum ipsum per se cerneretur, comprehensibile, feretis haec? nos vero, inquit: quonam enim modo *καταλήπτος* diceres? *Paraeus* in *Lex. Crit.* contendit *Comprehendibile* legendum esse. Sed et *Senec. Q. N.* 6, 24. Tenuia foramina, nec oculis comprehensibilia. *Arnob.* 1, p. 37. Vix ullis comprehensibiles causae. *Lact.* 7, 12. Solidum, et comprehensibile corpus est.

COMPRĔHENSĬO, onis, f. *καταλήψις*, actus comprehendendi. *Cic. N. D.* 1, 34. Ingressus, cursus, accubitio, inclinatio, sessio, comprehensio. ℙ Item conjectio in vincula. *Id. Phil.* 2, 8. Nam comprehensio sontium mea, animadversio senatus fuit. ℙ Item ambitus, et colligatio verborum. *Cic. Brut.* 44. Comprehensio, et ambitus ille verborum (si sic periodum appellari placet) contractus, et brevis. *Id. Or.* 44. Ut comprehensio numerose et apte cadat. *Id. Brut.* 37. Verba collocare, et comprehensione devincire. [*Pro omni orationis contextu *comprehensionem* dixit *Cic. Or.* 58. Itaque non sunt in ea tanquam tibicini percussionum modi, sed universa comprehensio et species orationis clausa et terminata est.] ℙ Item conclusio, continentia. *Quint.* 5, 10. Epicherema est certa quaedam sententiae comprehensio, quae ex tribus minimum partibus constat. ℙ [*Item definitio, s. brevis et circumscripta rerum explicatio, quam *Cic.* dicit. *Quint. Inst.* 7, 3. p. 617. Agenti vero quae tanta est hujus praecisae comprehensionis necessitas? *Cic. Fin.* 5, 9. Ut jam liceat una comprehensione omnia complecti.] ℙ Item perfecta cognitio, perceptio. *Cic. Acad.* 4, 10. Mens amplectitur maxime cognitionem: et istam *καταληψιν*, quam, verbum e verbo exprimentes, comprehensionem dicemus, amat. *Id. Fin.* 3, 15. Cognitiones comprehensionesque rerum appetitionem movent. *Senec. Benef.* 4, 33. Certissima rerum comprehensio. V. *Cic. Acad.* 1, 11., ubi pluribus exponit, quid *comprehensione* significetur. ℙ Denique apud *Charis.* 1. idem est quod syllaba.

COMPRĔHENSO, as, a. 1. frequentat. a *comprehendo*. *Claud. Quadr.* ap. *Prisc.* 8, 797. Comprehensare suos quisque, servare, amplexare.

COMPRĔHENSUS, et per syncop. Comprensus, a, um, part. a *comprehendo*, *καταλήπτος*, captus. *Virg. A.* 2, 793. Ter frustra comprensa manus effugit imago. *Cic. Cat.* 3, 7. Nefarios duces captos jam, et comprehensos tenetis. *Just.* 23, 2. Comprehensus morbo toto corpore. *Hirt. B. G.* 8, 43. Opera flamma comprehensa. [**Tib.* 2, 5, 92. Natusque parenti Oscula comprensis auribus eripiet. V. *Heyn.* ad h. l. *Cic. Fl.* 16. Totius testimonii fictam audaciam manifesto comprehensam atque oppressam teneri.] ℙ Item expressus, explicatus. *Cic. Fin.* 2, 7. In alio libro breviter comprehensis gravissimis sententiis, quasi oracula edidisse sapientiae dicitur. ℙ Item conclusus, inclusus. *Id. Rosc. Com.* 5. In hanc formulam omnia judicia, omnia officia conclusa et comprehensa sunt. *Varr. R. R.* 1, 2. In terra et lapis, et arena, et cetera ejus generis sunt in nominando comprehensa. [**Quint. Inst.* 9, 3. p. 826. Sive hoc nomine significatur comprehensa breviter sententia, sive finitio.] ℙ Item perceptus, probe intellectus. *Cic. Or.* 1, 23. Ars ita definitur, ex rebus penitus perspectis, planeque cognitis, scientiaque comprehensis. *Id. Fin.* 2, 2. Videor mihi habere bene cognitam voluptatem, et satis firme conceptam animo atque comprehensam. V. *Acad.* 1, 11.

COMPRESBYTER, ĕri, m. qui sodalis est in dignitate presbyteri. *August. de cura gerenda pro mort. in f.* et *ep. ad Hieron. inter hujus epistolas n.* 111.

COMPRESSĀTUS, a, um, part. a *compresso*, idem quod oppressus. Translate *Tert. contr. Gnost.* 3. Compressati sunt valde, postquam instituit super illos Deus critas.

COMPRESSĔ, adv. comprimendo, urgendo. *Gell.* 1, 23. Quaerit compressius violentiusque. ℙ Item *συντόμως*, presse, praecise, breviter. *Cic. Fin.* 2, 6. Quod latius loquerentur rhetores, dialectici compressius, *comprehensius* est qui legit: sed perperam.

COMPRESSĬO, onis, f. actus comprimendi, *κατασεισις*, *θλίψις*. *Vitr.* 7, 8. *extr.* Cum manibus premitur, aurum compressione coactum intra, purum invenitur. *Gell.* 16, 3. Ventrem strictissime circumligare: ea compressione esuritionem depelli. *Scrib. Comp.* 84. Musculorum compressio. *Pl. Ps.* 1, 1, 64. Compressiones arctae. ℙ De concubitu. *Arnob.* 2, 93., *Hyg. fab.* 187. et *Tert.* 4. *adv. Marc.* 34. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 7. Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves.

COMPRESSĬUNCŬLĂ, ae, f. Plures Lexicographi huic voci auctoritatem adstruunt ex his *Plauti* verbis: *dulces amantium compressiunculae:* quae nos in *Plauto* nondum vidimus. *Scalig.* in *Conject.* ad *Varr.* refert haec *Pl.* verba ex *Ps.* 1, 1, 66. Papillarum horridularum compressiunculae. Sed ibi passim legitur *oppressiunculae.*

[COMPRESSO, as, a. 1. frequentat. a *comprimo*. *Porph.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 273. Solent amantes semina ex malis orbiculatis duobus primis compressare digitis, eaque mittere in cameram velut augurium, ut si cameram contigerint, posse sperari ad effectum duci, quod animo conceperint. *F.*]

COMPRESSOR, oris, m. pro stupratore legitur in 2. *Argum. Aululariae Plauti*, cujus auctor a nonnullis ipse *Plautus*, ab aliis scriptor alius ejus aequalis, ab aliis *Priscianus* creditur.

COMPRESSUS, a, um, part. a *comprimo*, pressus, *συντεθλιμμένος*. *Cic. Har. resp.* 25. *extr.* Ista serpens compressa atque illisa morietur. *Senec. Benef.* 6, 34. Commeantium in utramque partem catervis itinera compressa. *Hor. Sat.* 1, 4, 138. haec ego mecum Compressis agito labris. *Ov. Met.* 6, 556. Compressa forcipe lingua *Pl. Cas.* 2, 6, 53. Compressan' palma, an porrecta ferio? *Quint.* 11, 3. *ante med.* et *Colum.* 6, 9. Oculi compressi in dicendo. [*i. e. clausi. *Quint. Inst.* 2, 20. p. 203. Compressae in pugnum manus. *Id. ib.* 11, 3. p. 1021. Quin compressam etiam manum in signum poenitentiae vel irae pectori admovemus. *Id. ib.* p. 1020. Compressis tribus digitis, i. e. remissis, *eingeschlagen.*] *Cels.* 2, 11. Caliculus oris compressioris. *Id.* 1, 3. *post med.* Compressus venter, *h. e.* adstrictus, contractus, et *praef. post med.* Compressum corpus, *eod. sensu*, et *paulo post.* Compressi, aut fluentes morbi, *h. e.* adstringentes alvum, vel solventes. ℙ Item tectus, absconditus. *Liv.* 38, 35. Frumentarios ob annonam compressam damnarunt. *Cic. Dom.* 6. Tenere aliquod frumentum compressum. ℙ *Compressa* mulier, vitiata, stuprata. *Pl. Aul. prol.* 30. *Liv.* 1, 4. Eodem sensu *compressus* vir est stupratus apud *Senec. Q. N.* 1, 16. ℙ Translate. *Val. Max.* 4, 7. *n.* 1. Compressus perseveranti interrogatione. *Cic. Dom.* 24. Odium compressum atque tacitum. *Id. Coel.* 32. Voluptates prima aetate compressae et constrictae. Sic *Id. Fat.* 5. Vitiosa natura edomita et compressa est doctrina. *Tac. H.* 2, 11. Rebellio compressa. *Virg. G.* 4, 87. Certamina compressa. *Id. A.* 5, 802. Compressi furores. *Id. ib.* 8, 184. Amor compressus edendi. [**B. Alex.* 24. Compressis pueri lacrimis.] ℙ *Compressis manibus sedere*, h. e. cessare, otiosum esse, prov. ap. *Liv.* 7, 13., cui simile est illud *Lucani* 2, 292. Compressas tenuisse manus, ubi alii leg. *complosas.* [*Id. q. nos dicimus: *die Hände in den Schooss legen.*]

COMPRESSUS, us, m. compressio. *Cic. Senect.* 15. Terra semen tepefactum vapore, et compressu suo diffundit. *Plin.* 11, 28, 34. *de lampyridibus.* Nunc pennarum hiatu refulgentes, nunc compressu obumbratae. ℙ Pro concubitu. *Ter. Adelph.* 3, 5, 29. Virgo ex eo compressu gravida facta est. *Pl. Ep.* 4, 1, 15. Meo compressu peperit filiam. Adde *Amph. prol.* 109. et *Truc.* 2, 6, 17., ubique autem in solo sexto casu.

COMPRĪMO, imis, essi, essum, a. 3. idem quod premo, vel simul premo, contraho, stringo, *συνέχω*, *συστέλλω*. *Cic. Acad.* 4, 47. Cum digitos compresserat, pugnumque fecerat. *Senec. Ira.* 2, 4. Ne oculi ad intentationem subitam digitorum comprimantur. *Cic. N. D.* 2, 48. Comprimere aliquid morsu. *Pl. Ps.* 3, 1, 21. dentes. *Ter Phorm.* 5, 6, 29. animam. [*i. e. continere anhelitum. *Sil.* 9, 650. Comprimit ensem Deus.] *Cels.* 1, 10. Alvus, si per se mota est, comprimenda est. Et 6, 18. *n.* 7. Nec acribus cibis utendum, nec alvum comprimentibus. Et absolute eodem sensu. *Id. praef. a med.* Si morbus aliquem compresserit. *Id.* 4, 5. *extr.* Comprimere stomachum, *h. e.* adstringere, ut cibum contineat. *Liv.* 8, 8. ordines aciei. *Ov. Amor.* 1, 11, 21. versus ordinibus. ℙ Significat etiam vitiare mulierem. *Pl. Ep.* 4, 1, 3., *Liv.* 1, 4. et *Ter. Phorm.* 5, 8, 29. ℙ Item tegere, abscondere. [*Cic. Att.* 10, 4. Delicta alicujus comprimere.] *Cic. Att.* 4, 12. Orationem ita compresseram, ut nunquam manaturam putarem. *Id. ib.* 5, 21. *circa med.* Comprimere frumentum. *Liv.* 38, 35. annonam. *Id.* 26, 51. famam alucujus rei. ℙ Translate est frenare, cohibere, coercere. *Cic. Pis.* 25. Incensam alicujus cupiditatem comdrimere atque restinguere. *Id. Phil.* 10, 5. Comprimere conatum atque audaciam hominis furentis. *Id. Mur.* 11. dicendo furores tribunitios. *Liv.* 26, 10. tumultum. Et 5, 2. *ad f.* seditiones. *Suet. Aug.* 19. conjurationes. *Pl. Mil.* 2, 6, 88. linguam. *Id. Ps.* 1, 4, 16. vocem et orationem. *Cic. Dejot.* 12. *extr.* plausum. *Id. Top.* 22. *extr.* laetitiam exultantem. [**Id. Fin.* 2, 17. Qui animi conscientiam non curet, quam scilicet comprimere nihil est negotii, i. e. ad silentium redigere.] *Oc. ad Liviam, sub f.* fletus. *Sil.* 8, 32. insanos curarum fluctus. *Just.* 5, 10. bellum. *Ov. Met.* 1, 205. postquam voce manuque Murmura compressit. ℙ *Comprimere se* est se continere, cohibere. *Pl. Cas.* 2, 3, 32. Ohe, jam satis, uxor, est: comprime te: nimium tinnis. *Id. Most.* 1, 3, 46. Vix comprimor, quin involem illi in oculos. ℙ Comprimere consilium alicujus, apud *Pl. Merc.* 2, 3, 6. est impedire. ℙ Comprimere aliquem. *Id. Rud.* 4, 4, 81. et 5, 3, 46. ℙ Comprimere hostes, ap. *Caes. B. C.* 3, 65. est eorum impetum retardare. ℙ Comprimere manus, ap. *Ter. Heaut.* 3, 3, 29. ℙ [Part. *Compressurus* ap. *Tac. H.* 4, 16. Se Canninefatem tumultum *(dixit)* compressurum.]

*COMPRIVIGNI, quorum unus novercae filius alteram vitrici filiam aut ex contrario uxorem ducit. *Just. Inst.* 1, 10. *B. A.*

COMPRŌBĀTĬO, onis, f. *δοκιμασία*, approbatio. *Cic. Fin.* 5, 22. et offensione turpitudinis, et comprobatione honestatis.

COMPRŌBĀTOR, oris, m. *δοκιμαστής*, approbator. *Cic. Inv.* 1, 28. Auctoritatis ejus et inventionis comprobatores atque aemuli.

COMPRŌBĀTUS, a, um, part. a *comprobo*, probatus, pro vero cognitus, deprehensus. *Cic. Coel.* 24. Comprobatum venenum. *Id. Inv.* 1, 30. Judicatum est res assensione, aut auctoritate, aut judicio alicujus comprobata. *Sall. Cat.* 49. Indicium comprobatum.

COMPRŌBO, as, avi, atum, a. 1. *δοκιμάζω*, idem quod probo, vel valde probo, probum esse judico, confirmo. *Cic. Manil.* 24. Istam tuam et legem, et voluntatem, et sententiam laudo, vehementissimeque comprobo. *Id. Fin.* 1, 20. Oratione, vita, et factis, et moribus comprobare aliquid. *Inscr.* ap. *Grut.* 187, 4. Consules ex S. C. faciundum curavere, iidemque comprobavere. ℙ Item pro vero, aut legitimo cognoscere. *Cic. Caec.* 25. Has comproba tabulas. [**Id. N. D.* 2, 3 Numen Deorum comprobare, i. e. credere Deos esse.] ℙ Pro confirmare. *Caes. B. G.* 5, 58. Comprobat hominis consilium fortuna. *Cic. Or.* 63. Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit. *Id. Dom.* 6. Deos numine suo reditum meum comprobasse. ℙ [Part. *Comprobaturus* ap. *Cic. post ep. ad Att.* 16, 16. Quem arbitramur decretum consulum comprobaturum. *F.*]

COMPROMISSĀRĬUS, a, um, adj. ut *compromissarius judex*, qui ex compromisso ab utraque litigantium parte eligitur ad litem componendam. *Callistrat. Dig.* 4, 8, 41. Nemini licere minorem XX. annis compromissarium judicem eligere.

COMPROMISSUM, i, n. promissum invicem factum, et specialiter potestas decidendi controversiam data arbitro a litigatoribus promittentibus, se ejus judicio obtemperaturos. *Cic. Fam.* 12, 30.

Sese, quo minus id facerent, et compromisso, et jurejurando impediri. *Id. Rosc. Com.* 4. Compromissum facere. *Proculus Dig.* 17, 2, 76. Ex compromisso ad arbitrum itum est.

COMPROMITTO, is, isi, issum, a. 3. ἐπιτρέπω, est mutuo promisso fidem suam obligare. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. *extr.* Tribunicii candidati compromiserunt petere ejus arbitratu. Quod aliis verbis dixit *Id. Att.* 4, 15. Tribunicii candidati jurarunt, se arbitrio Catonis petituros. *Ulp. Dig.* 4, 8, 13. Compromittere de aliqua re. *Id. ib.* 9. Compromittere in pupillum, in furiosum, aut surdum, aut mutum. Et *ib.* 44, 4, 4. in arbitrum.

[COMPROPĒRO, as, n. 1. simul propero. *Not. Tir.* p. 95. Comproperat. *F.*]

[COMPROPINQUO, as, n. 1. simul propinquo. *Not. Tir.* p. 104. Compropinquat. *F.*]

COMPROVINCIĀLIS, is, m. qui est ejusdem provinciae. *Sid. ep.* 7, 7. Non primi comprovincialium coepistis esse, sed ultimi.

[COMPSA, ae, et compse, es, f. κομψή, elegans, lepida, versuta. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 931, 7. Aninia Q. F. Compsa. Alia apud *eund.* 835, 7. Tresia Compse. *F.*]

COMPSĀNUS, a, um, adj. ad Compsam pertinens. *Liv.* 23, 1. Trebius Compsanus nobilis inter suos. ℙ Est autem compsa urbs Hirpinorum ad radices Apennini, prope fontes Aufidi fluminis, nunc *Consa* in finibus Principatus ulterioris regni Neapolitani. *Liv. l. c.* ℙ *Compsani, orum*, ejus urbis incolae. *Plin.* 3, 11, 16. [In *Inscr.* ap. *Mur.* 1039, 6. legitur *Aedili Compsinorum*, sed fortasse ibi quoque legendum *Compsanorum. F.*]

COMPTĒ, vel Comte, adv. κοσμίως, ornate, composite. Translate. *Senec. ep.* 75. Compte disserere de re aliqua. *Gell.* 7, 3. *post med.* Distincte, compte, atque modulate res acta est. Et *paulo post.* Distinctius, numerosiusque, ac comptius dicere.

COMPTŪLUS et Comtulus, a, um. diminut. a *comptus. Hieron. ep.* 128. *n.* 4. Lascivi, et comptuli juvenes.

COMPTUS et Comtus, a, um, part. a *como, is*, κόσμιος, ornatus, compositus. *Cic. Pis.* 11. Compti capilli. *Ov. Amor.* 1, 1, 20. longas compta puella comas. *Hor. Sat.* 2, 8, 70. Pueri praecincti et compti. [**Cul.* 217. Compta serpentibus Tisiphone.] *Quint.* 12, 10. Caput comptum in gradus atque annulos. [**Virg. A.* 8, 128. Vitta comptos praetendere ramos.] Colus compta, ap. *Plin.* 8, 48, 74. est colus cum sua lana. ℙ Translate. *Cic. Senect.* 9. Compta oratio. *Tac. H.* 1, 19. Comptior sermo. *August. de quantit. anim.* 33. Anima mundissima et comptissima. *Quint.* 10, 1. Isocrates in dicendo comptus et nitidus. *Luc.* 10, 83. quem Cleopatra sine ullis Tristis adit lacrimis simulatum compta dolorem, *h. e.* in ornatu praeferens dolorem simulatum: vel ornata, seu instructa dolore simulato. ℙ In illo *Lucr.* 4, 31. animi docui natura quid esset. Et quibus e rebus cum corpore compta vigeret; compta videtur idem esse quod conjuncta, composita. Nam comere, *h. e.* ornare, dicitur qui res apte jungit, et ordine componit.

COMPTUS, us, m. ornatus, κόσμος. *Lucr.* 1, 87. infula virgineos circumdata comptus, *h. e.* comptam comam. Adde *Fest.* et V. CONIPTUM.

COMPUGNO, as, a. 1. simul pugno, συμμάχομαι *Hieron. prol. Paralipom. ante med.* Totus orbis hac inter se trifaria varietate compugnat. *Gell.* 14, 5. *extr.* Clamantes, compugnantesque illos reliqui. Adde 12, 5. et *Sulpic. Sever. de Vita S. Martini* 14.

COMPULSĀMENTUM, i, n. pulsatio: et translate hortamentum, instigatio. *Fulgent. Planc. Mythol.* 6. Sororum compulsamento percita.

COMPULSĀTĬO, onis, f. pulsatio, et translate contentio, pugna. *Tert. Apol.* 21. Nec alia magis inter nos et Judaeos compulsatio est, quam quod jam Christum venisse non credunt. Adde *ib.* 38.

COMPULSĬO, onis, f. actus compellendi. *Hermogenianus Dig.* 36, 1, 14. *extr.* Cessat compulsio, tametsi indemnitatis cautio offeratur. ℙ Ap. *Cassiod. Variar. ep.* 12, 10. dicitur de iis, qui debitores ad tributa solvenda compellunt. V. COMPULSOR.

COMPULSO, as, avi, atum, a. 1. idem quod pulso. *Appul. Met.* 7. Imaginem suavii mentiendo, ore improbo compulsat, et morsicat. ℙ Translate est contendere, sicut *compulsatio* est contentio. *Tert. Apol.* 20. Regnis regna compulsant.

COMPULSOR, oris, m. qui compellit. *Pallad.* 7, 2. *ad f.* Bos mansuetus, qui non modum compulsoris excedat. ℙ Ap. *Ammian.* 22, 6. et *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 11, 7. qui est *De exactionib.* 15. compulsores sunt qui ad tributa solvenda compellunt. V. COMPULSĬO. ℙ Item qui alium compellit, ut sibi quippiam praestet, quod non debet. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 8, 10, 3, et 4.

COMPULSUS, a, um, part. a *compello*, simul pulsus, actus, impulsus. *Virg. A.* 1, 575. utinam rex ipse noto compulsus eodem Adforet Aeneas. *Curt.* 8, 11. Compulsi hostes intra munimenta. *Suet. Caes.* 64. Compulsus in scapham. *Cic. Pis.* 36. Omni totius provinciae pecore compulso, pellium nomine quaestum renovasti, *h. e.* in unum locum coacto. ℙ Translate. *Cic. Marc.* 5. Ad illa arma fato nescio quo compulsi. *Ov. Her.* 20, 63. Hac ego compulsus, non est mirabile, forma Si pignus volui etc. *Caes. B. C.* 3, 41. Angustiis rei frumentariae compulsum discessisse. *Curt.* 8, 8. Compulsus rabie, ut etc. *Suet. Vesp.* 16. Necessitate compulsus ad rapinas. *Id. Domit.* 14. Compulsus gratiam facere edicti. *Just.* 9, 7. Precibus amicorum redire compulsus.

COMPULSUS, us, m. conflictus. *Appul. Met.* 8. *de apro.* Fera dentium compulsu, quem primum insiliat, contabunda rimatur.

COMPULSARIA. V. v. sq.

[COMPULTĒRĪNUS et Cubultērĭnus, a, um, adj. ad Compulteriam, seu Cubulteriam pertinens, adj. ad Compulteriam, seu Cubulteriam pertinens, excisum Samnii oppidum prope Cajatium, de quo *Liv.* 23, 29. mentionem facit. *Inscr.* ap. *Mur.* 1040, 1. Imp. Caes. Trajanus Hadrianus Compulterinos moenibus exornavit pecunia sua. Alia ap. *eund. ib.* 2. M. Aulio M. F. Albino curatori reip. Cubulterinorum. *F.*]

COMPUNCTĬO, onis, f. κατάνυξις. *Plin.* 21, 19, 77. Laterum compunctiones tollit. Ita Edition. ann. 1469. 1470. 1472. At Aldina, Elzevir. et Harduini habent *punctiones.*

[COMPUNCTORĬUS, a, um, adj. qui pungit, excitat, et hortatur. *Sid. ep.* 6, 6. Restat, ut vestra beatitudo compunctorii salubritate sermonis avidam nostrae ignorantiae pascat esuriem. *F.*]

COMPUNCTUS, a, um, part. a *compungo*, στικτός, signatus, inustus puncturis. *Cic. Off.* 2, 7. Barbarum, et eum quidem, ut scriptum est, compunctum notis Threiciis, districto gladio jubebat anteire. *Plin.* 03, 4, 10. Vitiligines acu compunctae.

COMPUNGO, is, unxi, unctum, a. 3. στίζω, κατανύττω, idem quod pungo, puncturis signo. *Phaedr.* 3, 6. Visne dolone collum compungam tibi? *Colum.* 8, 14. Aculeis urticae compungi. *Cels.* 6, 18. *n.* 9. *sub f.* Acu quippiam compungere. ℙ Pro laedere. *Lucr.* 2, 420. colores compungunt aciem, lacrimareque cogunt. Et *ib.* 432. Compungere sensus corporis. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 38. Dialectici ipsi se suis acuminibus compungunt. [*i. e. vexant, quippe qui dissolvere inexplicabilia a se reperta ipsi non possint.] *Senec. ep.* 88. *a med.* Aristarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognoscam. ℙ *Compungi* pro *poenitere*, est ap. *Sulpic. Sever. Dial.* 3, 13.

COMPURGO, as. V. dicta in CLARIFICO.

COMPŪTĀBĬLIS, e, adj. qui computari potest, vel debet. *Plin.* 19, 8, 41. *n.* 2. Bis computabili impendio, taedioque.

COMPŪTĀTĬO, onis, f. λογισμός, actus computandi, exacta ratio impensae, vel reditus. *Senec. ep.* 84. *circa med.* Unus numerus fit ex singulis, cum minores summas, et dissidentes computatio una comprehendit. Et *Benef.* 7, 10. Quid sunt istae tabulae, quid computationes, et venale tempus, et sanguinolentae centesimae? *Plin.* 2, 108, 112. Quae mensura Romana computatione efficit trecenties quindecies centena millia passuum. [**Id. ib.* 9, 35. Computationem postulare.] *Frontin. Aquaed.* 78. Venire in computationem. *Maxim. Dig.* 35, 2, 68. Facere computationem. Et *ib.* inire. [**Plin. Pan.* 38, 3. Ad computationem vocare recentem orbitatem.] ℙ Metonymice ponitur pro parsimonia. *Senec. Benef.* 4, 11. Si utilitas me, et sordida computatio liberalem facit. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 19. Operarum ista computatio est in latifundiis, non legitima naturae festinatio.

COMPŪTĀTOR, oris, m. qui computat, et rationes confert. *Senec. ep.* 87. Diligentissimi computatores.

[COMPUTĀTUS, a, um, part. a *computo*, supputatus. *Suet. Dom.* 4. Fecit ludos saeculares computata ratione temporum ab anno, quo Augustus ediderat. *Auct. rei agrar.* p. 246. *Goes.* In litteris computatum colligo. *F.*]

COMPŪTO, as, avi, atum, a. 1. λογίζομαι, idem quod puto, vel simul puto, considero, cogito: et specialiter dicitur de iis, qui rationes putant, et quantitatis alicujus modum considerant. *Cic. Phil.* 2, 37. Compellarat hospitem praesens, computarat, pecuniam imperarat. *Merc.* 2, 2, 49. Digitis rationem computat. *Plin.* 6, 33, 38. Computetur latitudo Asiae ab Aethiopico mari etc. [**Id. ib.* 34, 8. Annos digitis computare.] *Ulp. Dig.* 49, 4, 1. Biduum appellationis ex die sententiae latae computandum erit. ℙ Ex illo *Juv.* 10, 245. *de Nestore:* atque suos jam dextra computat annos, colligitur mos antiquorum computandi digitis sinistrae manus usque ad centum, inde dextrae: qua de re plura ex *Beda Coelius Rhodiginus* 23, 12. ℙ Significat etiam summae addere, adnumerare. *Plin.* 2, 68, 68. Computetur mensura tot fluminum. *Ulp. Dig.* 23, 3, 10. Fetus totalium pecorum ad maritum pertinent, quia fructibus computantur. *Id. ib.* 24, 3, 7. Computare aliquid in fructu. *Torrent.* habet in *fructum.* ℙ Translate. *Juv.* 6, 198. Facies tua computat annos, *h. e.* numerat quodammodo, atque ostendit. *Plin. Praef. H. N.* Cum somno valetudinem computamus. *Senec. ep.* 14. Plures computant, quam oderunt, *h. e.* lucrum cogitant, vel quaerunt. (Adde *Benef.* 5, 17.) *Quint.* 11, 3. Computare litteras, *h. e.* lente pronunciare. ℙ [Part. *Computans* ap. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 29. Eubolidis, digitis computans. *Computaturus* ap. *Quint.* 1, 12. Ne velim quidem lectorem dari mihi, quid studia referant, computaturum.

COMPUTRESCO, escis, utrui, n. 3. σήπομαι, idem quod putresco, vel simul putresco. *Colum.* 5, 10. Arbusculae mutuo contactu computrescent. *Plin.* 32, 7, 23. Sanguisugae, quae in vino computruere. ℙ Per tmesim divisit *Lucr.* 3, 344. Sed penitus pereunt convulsi, conque putrescunt.

COMPŪTUS, i, m. et Computum, i, n. λογισμός, ratio, computatio. *Firm. Math.* 1, 12. *ad f.* Primos discentes computos, digitos tarda agitatione deflectunt. *Auct. de casis litter* p. 236. *Goes.* Quod computum colligo, si etc.

CŌMŬLA, ae, f. 1. diminut. parva coma, apud *Petr. fragm. Tragur.* 58. *Burm.* Curabo, longe tibi sit comula ista bessalis.

CON, praeposit. idem quod *cum*, nisi quod illa solum in compositione locum habet, ut *Prisc. extr.* 44. docet. Amittit autem aliquando *n*, ut in *coeo*, ut adnotavit *Quint.* 1, 5. et 6., aliquando in aliam litteram mutat, ut in *communis, colligo, corrado:* tametsi his locis quidam malunt semper *con* retineri. ℙ Fere significat *simul*, ut in *conjungo:* aliquando *contra*, ut in contendo: aliquando *valde*, ut in *concrepo.*

CONĀBĬLIS, e, adj. qui cum conatu fit. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 1. Conabiles atque laboriosi vomitus.

CONĀMEN, inis, n. πεῖρα, conatus, nisus: vox est fere poetica. *Ov. Fast.* 4, 325. Exiguo funem conamine traxit. [**Id. Met.* 10, 390. Deprensa dolet conamina mortis.] *Lucr.* 6, 325. magnum conamen sumit eundi. Adde *Sil.* 7, 142. et *Luc.* 4, 287.

CONĀMENTUM, i, n. *Plin.* 19, 2, 7. *de sparto.* Ad reliquos usus laboriose evellitur, ocreatis cruribus, manu, textisque manicis, convolutum osseis iligneisve conamentis, *h. e.* osseis, vel iligneis fustibus, aut bacillis, quibus juvetur conatus evellentium spartum. *Hard.*

*CONĀNE, es, Pisidiae opp. *Not.* Imper. V. *Comana. B. A.*

CONANGUSTĀTUS. V. COANGUSTĀTUS.

CONĀTĬO, onis, f. ἐπιχείρησις, conatus, conamen. *Senec. Q. N.* 2, 12. Fulguratio ostendit ignem, fulminatio emittit: illa comminatio est, et conatio sine ictu: ista jaculatio cum ictu. Est qui leg. *tonatio*, sed minus recte. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 9. Conatio ponderis perferendi. Ap. *Plin. Valer.* 2, 28. dicitur *conatio* nisus cacaturientis.

CONĀTUM, i, n. πεῖρα, ἐπιχείρησις, conatus, vis, impetus. Usurpatur solum in plur. num. *Liv.* 42, 11. Ut Persei conatis obviam iret. *Caes. B. G.* 1, 3. et *Nep. Dion* 8. Conata perficere. Sic *Lucr.* 5, 386. Conata patrare. Et *Accius* ap. *Non.* 3, 73. exsequi. *Juv.* 13, 210. peragere. *Pl. Merc.* 1, 1, 39. eloqui. *Vell.* 2, 42. alicujus destituere. Adde *Sil.* 12, 434.

CONĀTUS, us, m. ἐπιχείρησις, animi, vel corporis impetus, nisus, conamen. *Cic. Or.* 29. Alicujus rei si non perfectio, at conatus tamen, atque adumbratio. *Id. Quint.* 14. Magno conatu studioque agere aliquid. *Id. N. D.* 2, 47. Appetitu belluae habent conatum ad naturales pastus capessendos. *Id. Phil.* 10, 11. Princeps fuit ad conatum exercitus comparandi. *Id. Fam.* 5, 2. Parare conatum omnem in perniciem alicujus. *Id. Cat.* 1, 5. Comprimere nefarios conatus. *Id. Har. resp.* 4. Refutare conatum alicujus. *Id. Off.* 1, 30. Vindicare alicujus perditos conatus. *Id. Brut.* 10. Sedare conatum iracundiae. *Nep. Datam.* 4. Deterreri a conatu resistendi. *Hirt. B. Alex.* 9. Occurrere conatibus alicujus. *Ov. Met.* 4, 249. Obstare conatibus. [**Virg. A.* 12, 910. Et in mediis conatibus aegri Succidimus.] *Cic. Fam.* 12, 10. Conatus optimi et praeclarissimi. *Quint.* 2, 4. Generosi conatus.

CONAUDĪTUM, coauditum, sicut conangustatum dicitur. *Festus.*

CONCĀCO, as, a. 1. cacando conspurco. *Senec. Apocoloc.* 4. Vae me, puto, concacavi me. Quid autem fecerit, nescio, omnia certe concacavit. *Phaedr.* 4, 17. *de canib.* Totam timentes concacarunt regiam. ℙ Translate *concacatus catillus, h. e.* dape colorata, quasi stercore, illitus. *Petr. fragm. Tragur.* 66. *Burm.* Habuimus caseum molle, ... et catillum concacatum, pax palam edens! In *Cod. Trag.* legitur, *congagatum pax palam edes*, ex quibus recte ita interpretatur *Franc. Oriolius*, ut, cum Trimalchio non verecunde *concacatum* appellasset catillum cibo illitum, continuo excusantis fere interjectionem *pax* addiderit conviviam appellans.

CONCĂDENS pro *concidens*, legitur a nonnullis ap. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 10. *ad f.* Ne usurpaveris.

CONCAEDES, dium, f. plur. fragmenta ex rebus excisis simul posita, vel acervus arborum simul caesarum ad impediendas vias. [**Verhau.*] *Veg. Mil.* 3, 22. Rursus post se praecisis arboribus vias claudunt, quas concaedes vocant, ut adversariis facultatem adimant persequendi. Al. leg. *concides*, quod idem est: al. *compedes*, quod *Stewech.* improbat. *Tac. A.* 1, 50. Castra in limite locat, latera concaedibus munitus. Adde *Ammian.* 16, 11. et 12. et 17, 10. Rem quoque ipsam memorat *Caes. B. G.* 2, 17. et 3, 29. tametsi vocem non usurpet. ℙ At ap. *Ammian.* 16, 12. legitur num. singul. Sed concaede arborum densa undique semitis clausis, aegre vixere barbari longius amandati.

CONCĂLĔFĂCĬO et Concalfaceo, is, eci, actum, a. 3. calefacio, vel valde calefacio, *θερμαίνω*. *Cic. Or.* 2, 78. Et ait idem, cum brachium concalefecerit, tunc se solere pugnare. ℙ Translate. *Id. fragm.* ap. *Non.* 2, 182. Nos Ventidianis rumoribus concalfecimus. ℙ *Vitr.* passive usurpat. 4, 7. Trabes concalefaciuntur, et celeriter putrescunt.

CONCĂLĔFACTORĬUS, vel Concalfactorius, a, um, adj. *θερμαντικός*, idem ac calefaciens, vel aptus ad calorem excitandum. *Plin.* 21, 20, 83. Vis ei concalfactoria.

CONCĂLĔFACTUS, a, um, part. a *concalefacio*, simul calefactus. *Cic. Tusc.* 1, 18. Concalefactam et spirabilem, idest animalem esse voluit. *Lucr.* 9, 698. Omnia quod contrita, quod igni concalefacta.

CONCĂLĔFĬO, n. passiv. anom. *θερμαίνομαι*, simul calefio. *Varr. R. R.* 3, 9. Vertere ova, ut aequabiliter concalefiant.

CONCĂLĔO, ales, lui, n. 2. *θέρομαι*, calidus sum. *Pl. Pers.* 1, 3, 7. Struthea, colutheaque appara bene, ut in scutris concaleant. *Id. Amph.* 1, 3, 15. Prius abis, quam lectus, ubi cubuisti, concaluit locus. Adde *Varr. R. R.* 3, 16. ℙ Translate *Ter. Heaut.* 2, 3, 108. Concaluit, *h. e.* amore ardet.

CONCĂLESCO, is, n. 3. *θέρομαι*, calorem concipio, calidus fio. *Vitr.* 6, 9. Frumenta non poterunt cito concalescere. *Cic. Tusc.* 2, 18. *extr.* Corpora nostra ardore animi concalescunt. *Colum.* 12, 50. *a med.* Olea reposita in tabulatum celeriter concalescet.

CONCALLĔO, es, ui, n. 2. idem ac calleo, callum obduco. *Cic. N. D.* 3, 10. Callidos appello, quorum, tanquam manus opere, sic animus usu concalluit. ℙ Translate. *Id. Att.* 4, 16. *post med.* Locus ille animi nostri, stomachus, ubi habitabat olim, concalluit, *h. e.* stupidus, obtusus, hebes factus est.

CONCĂMĔRĀTĬO, onis, f. *καμάρωσις*, aedis membrum arcuato opere. *Vitr.* 6, 11. Si hypogaea concamerationesque instituentur. Adde *Plin.* 11, 10, 10. et *Labeon. Dig.* 32, 30. ℙ In quadam *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 105. legitur concamaratio *ferrea*, et ab ipso *Reinesio* exponitur loculamentum, seu armarium ad reponendas imagines. Haec eadem *Inscriptio* legitur ap. *Fabr.* p. 688. *n.* 100., ibique *concameratio* est: quae quidem videtur esse velut mutulus arcuatus, quo imagines illae parastaticae imponantur. V. PARASTATICUS, et *Vitr.* 5, 10. ubi quomodo struantnr concamerationes ex ferreis regulis, docet.

CONCĂMĔRĀTUS, a, um, part. a *concamero*, arcuatus. *Suet. Aug.* 90. In abditum et concameratum locum se recipere. *Plin.* 14, 1, 3. Durant per hiemem uvae pensili concameratae nodo, *h. e.* e camera suspensae.

CONCĂMĔRO, as, a. 1. *καμαρόω*, idem ac camero, idest ad fornicis formam, et arcuato opere aedifico. *Plin.* 34, 14, 42. Eodem lapide Dinocrates architectus Alexandriae Arsinoes templum concamerare inchoaverat. ℙ [Part. *Concamerandus* ap. *Vitr.* 3, 3. *in.* Intervalla autem concameranda aut solidanda fistucationibus. *F.*]

CONCANDĔO, es, ui, n. 2. *αἴθω*, idem quod candeo, ignesco. *Manil.* 1, 874. Nunquam futilibus concanduit ignibus aether.

CONCĀNI, orum, m. plur. *Κωγκανοί*, sunt populi Cantabriae in Hispania, quos *Hor. Od.* 3, 4, 34. et *Sil.* 3, 361. equinum sanguinem in potu adhibuisse memorant. *Ptolemaeus* urbem *Concanam* ponit in orientali parte Asturiae: eamque nonnulli esse putant, quae nunc *Santillana* dicitur.

CONCĀPES. Lex. XII. Tab. ap. *Festum* in *Tignum*. Tignum junctum aedibus, vineaeque concapes ne solvito: ast qui junxit, duplione damnator. *Ulp. Dig.* 47, 3. *qui est* De tigno injuncta, l. Lex duodecim tabularum neque solvere permittit tignum furtivum aedibus, vel vineis junctum, neque vindicare. Quod providenter lex effecit, ne vel aedificia sub hoc praetextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur. Sed in eum, qui convictus est junxisse, in duplum dat actionem. Hactenus *Ulp.*, ex quo facile colligi videtur, *concapes tignum* dici furtivum, a *con*, et capio aufero. Hinc *furtum conceptum*. V. CONCEPTUS, a, um. *Scalig.* ad *Fest.* interpretatur *tignum vineae concapes*, lignum depactum ac defixum terrae, et caput habens cum capite vitis commissum, ejus sustinendae causa: a *caput*, ut *procapis*, *praecipes* etc., quae itidem a *caput* ducuntur. Al. aliter leg.

[CONCAPSA, ae, f. capsa, quae aliam includit. *Not. Tir.* p. 150. *F.*]

CONCAPTĪVUS, a, um, adj. socius in servitute, *συναιχμάλωτος*. *Hieron. ep.* 119. Exorsus est ad conceptivos loqui.

CONCARNĀTĬO, onis, f. *Tert. Monogam.* 9. *sub f.* Occasio tertiae concarnationis.

CONCARNO, as, a. 1. *Tert. Car. Christi* 20. Cum quid extraneum extraneo agglutinatur, ita concarnatur, et convisceratur etc. *Veg. Vetr.* 2, 22. Si os concarnari non potuerit, *h. e.* carne tegi.

CONCASTĪGO, as, a. 1. idem quod castigo. *Pl. Trin.* 1, 1, 4. Nam ego amicum hodie meum concastigabo pro commerita noxia. Adde *Bacch.* 3, 3, 94. et 5, 2, 56. *M. Aurel. Aug. inter Front. ad M. Caes. ep.* 1, 9. Tune es, qui me nuper concastigabas?

CONCĀTĒNĀTĬO, onis, f. continuus ordo alicujus rei. *Tert. Apol.* 19. Concatenationes temporum. *Aug.* 3. *Civ. Dei* 30. Sceleratarum concatenatio causarum. ℙ Item constrictio, *Coel. Aurel. Tard.* 3, 2. Concatenatio mentis.

CONCĀTĒNĀTUS, a, um, part. a *concateno*, cohaerens, connexus. *Minuc. Felix.* 17. Cohaerentia, connexa, concatenata. *Grut.* ex conjectura tribuit etiam *Plauto Capt.* 2, 1, 9. Quia concatenati sumus. Al. tamen *cum catenis*, vel *cum catenatis*.

CONCĀTĒNO, as, a. 1. simul astringo, connecto. *Lact.* 3, 17. *de atomis Epicur.* Hamata esse oportet, ut possint invicem concatenari.

CONCĀTERVĀTUS, a, um, adj. coacervatus. *Ammian.* 31, 13. Concatervatis manipulis, ut nec mucronem exserere, aut manus reducere quisquam posset.

CONCĂVĀTUS, a, um, part. a *concavo*, concavus factus. *Colum.* 8, 5. Ita factis concavatis nidis, ne decidant ova.

CONCĂVĬTAS, atis, f. cavum. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. *n.* 14. Concavitas atque distantia loco motos articulos sequitur. Adde *Casiod. praefat. in Psalm. c.* 4.

CONCĂVO, as, avi, atum, a. 1. *κοιλόω*, in cavum conformo: et translate curvo, inflecto. *Ov. Met.* 2, 195. Est locus, in geminos ubi brachia concavat arcus Scorpios. *Nemesian. Eclog.* 3, 49. Concavat ille manus, palmasque in pocula vertit.

CONCĂVUS, a, um, adj. *κοῖλος*, sinuosus, cavus. *Cic. Fat.* 5. Stupidum esse Socratem dixit, quod jugula concava non haberet. *Virg. G.* 4, 49. concava pulsu Saxa sonant. *Lucr.* 2, 619. Concava cymbala. *Ov. Fast.* 4, 276. Concava puppis, *h. e.* capax. *Id. Met.* 4, 30. Concava aera, *h. e.* tintinnabula. *Id. Trist.* 1, 11, 20. Inque modum tumuli concava surgit aqua, *h. e.* unda inflata, et tumens. *Senec. ep.* 56. Manus plana aut concava. ℙ *Concava, orum*, sunt loci concavi, ut fossae etc. *Claud. III. Cons. Honor.* 46. ascensu vincere montes, Planitiem cursu, valles et concava saltu. *Lact.* 7, 26. Sub concavis terrae occultari.

CONCĔDO, is, essi, essum, n. 3. *παραχωρέω*, *ἀναχωρέω*, *ἀπέρχομαι*, idem quod cedo, recedo, abeo: a *con*, et *cedo*. *Ter. Hecyr.* 4, 2, 22. Tempus est concedere. Sic omnes causas praecidam omnibus. *Id. Eun.* 1, 2, 102. Impetrare nequeo hoc abs te, biduum saltem ut concedas solum? *Cic. Div.* 2, 19. *extr.* Docet, unde fulmen venerit, quo concesserit. *Id. Catil.* 1, 7. Si te parentes odissent tui, ab eorum oculis aliquo concederes. *Nep. Themist.* 8. Argos habitatum concessit. *Curt.* 3, 4. Concedere retro. *Ter. Eun.* 1, 2, 126. Concedam hinc intro. *Id. Andr.* 4, 4, 12. Concede ad dexteram. *Id. Phorm.* 5, 1, 14. Concede hinc a foribus paululum istorsum. *Id. Hecyr.* 4, 3, 57. Pollicita est ea, se concessuram ex aedibus. Et *ib.* 7. rus concessura. *Virg. A.* 10, 820. vita per auras Concessit moesta ad manes. *Liv.* 21, 15. Concedere in hiberna. *Hor. Sat.* 1, 4, 143. in turbam. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 49. *sub f.* in exsilium voluntarium. [**Virg. A.* 10, 215. Jamque dies coelo concesserat. *Virg. A.* 8, 41. Tumor omnis et irae Concessere Deum, i. e. resederunt.] ℙ Cum Ablativo. *Pl. Ep.* 5, 2, 16. Num te fugi? num ab domo absum? num oculis concessi tuis? *h. e.* num discessi ab oculis tuis? ℙ Cum dativo. *Appul. Met.* 6. Coenae nuptiali concessit, *h. e.* ad coenam iit nuptialem. ℙ *Concedere vita*, et *concedere* absolute, est mori. *Tac. A.* 14, 51. Concessit vita Burrus, incertum valetudine, an veneno. *Id. ib.* 4, 38. Ut quandocumque concesserо, cum laude famam nominis mei prosequantur. ℙ Sumitur etiam pro ire, aut venire; nam et *cedo* hunc usum habet. *Pl. Men.* 5, 9, 27. *Mess.* Te volo igitur: concede huc. *Men. So.* concessi. (Adde *Bacch.* 4, 2, 28.) *Sil.* 11, 326. At tu securis concede penatibus. Hinc concedere in ditionem alterius, ap. *Liv.* 29, 31., et in deditionem, 39, 2., et in sententiam alicujus, 32, 23. *extr.*, et in matrimonium alicujus, *Just.* 24, 2. *extr.* ℙ Passive impers. *Liv.* 2, 33. Agi de concordia coeptum: concessumque in conditiones, ut etc. ℙ *Concedere in illos*, aut *in istos*, h. e. ad illorum, aut istorum sententiam accedere, dixit *Cic. fragm. Acad.* ap. *August. contr. Acad.* 3, 7. [*Haec eodem modo dicta sunt, quo paulo ante *Concedere* in ditionem, sententiam alicujus etc. Adde *Sil.* 15, 6. In Tyrias leges concedat, i. e. se Tyr. subjiciat.] ℙ Item pro cedere: qua significatione est etiam activum. *Cic. Prov. Cons.* 18. Dolorem et inimicitias meas reipublicae concessi. *Id. Mur.* 23. Concessit senatus postulationi tuae. *Nep. Timoth.* 2. Sua sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserunt. *Cic. Rosc. Am.* 40. *extr.* Num iste discipulus magistro videtur tantulum de arte concedere! *Id. Att.* 14, 18. Neque ei quidquam in desperatione concedo. *Id. Fam.* 10, 3. Nemini concedens, qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse. [**Id. ib.* 4, 3. Etsi nemini concedo, qui majorem ex pernicie et peste rei publicae molestiam traxerit. Adde *Eund. Verr.* 2, 2, 44. et *Cat.* 1, 9. Concedere rei publicae temporibus (ita *Orell.*) i. e. ea suscipere, perpeti, perferre, quae rei pubilcae tempora postulant. *Ov. Fast.* 1, 222. Victaque concessit prisca moneta novae.] *Id. Fin.* 3, 1. Voluptas concedit dignitati ℙ *Concedere fato*, aut *in fatum*, et *concedere naturae* est mori. Primum est *Plin. Pan.* 11. et *Val. Fl.* 1, 554., alterum *Modestini Dig.* 34, 3, 20., tertium *Sall. Jug.* 16. ℙ Saepe significat dare, permittere, largiri. *Cic. Amic.* 11. Concedere amicis quidquid velint. *Id. Verr.* 2, 1, 12. Vos quaeso, date hoc et concedite pudori meo, ut etc. [**Id. Agr.* 1, 1. Agros concedere. Huc pertinet etiam locus *Nep. Timoth.* 2. modo laudatus. *Cic. Phil.* 2, 2. Petitionem alicui concedere, i. e. abstinere a petendo, alterius causa. *Id. Tusc.* 2, 7. Ei concedendum est gementi, i. e. permittendum est, ut gemat.] *Caes. B. G.* 4, 15. Iis Caesar libertatem concessit. *Id. B. C.* 3, 8. Concedere oppidum militibus ad diripiendum. [**Tib.* 4, 3, 23. At tu venandi studium concede parenti.] *Hirt. B. G.* 8, 44. alicui vitam. *Id. ib.* 48. Orat, ut timori suo concedatur, ne etc. *Liv.* 10, 24. Concedere honores et praemia alicui. *Caes. B. G.* 6, 19. De republ. nisi per concilium loqui non conceditur. *Curt.* 8, 8. Concedimus servis verberare pueros. *Stat. Theb.* 6, 134. concedunt plangere matri. *Suet. Aug.* 32. Judicandi munus detrectantibus vix concessit, ut etc. [**Virg. A.* 10, 906. Et me consortem nati concede sepulcro. *Prop.* 2, 15, 37. Quod mihi si secum tales concedere noctes Illa velit.] ℙ Est etiam frequentis usus in disputando, cum damus adversario aliquid eorum, quae contra nos dicuntur. *Cic. Amic.* 14. Concedetur profecto verum esse, ut etc. *Id. N. D.* 1, 32. Beatos esse Deos sumpsisti: concedimus. *Quint.* 1, 1. Praestat ingenio alius alium: concedo. *Catull.* 114, 5. Quare, concedo, sit dives, dum omnia desint. *Cic. Fam.* 13, 18. Non concedam, ut Attico nostro jucundiores tuae litterae fuerint, quam mihi. ℙ Ponitur et pro condonare, remittere. *Cic. Cluent.* 69. Peccata liberum concedere misericordiae parentum. [**Id. Rosc. Am.* 1. Neque temere dicto concedi potest. *Id. Fam.* 5, 6. Non putat, se sustinere posse causas multorum, si tibi, cui justius videtur irasci posse concesserit. — Imprimis eleganter dicitur *concedere aliquem alicui*, cum alicui ignoscimus alterius causa. *Cic. Marc.* 1. Cum M. Marcellum Senatui populoque Romano concessisti. cf. *Id. Lig.* 12. *Cluent.* 69. et *Prov. Cons.* 18. qui locus huc pertinens male supra allatus est. — Etiam judices dicuntur *concedere alienis peccatis*, cum absolvunt criminibus convictos. *Cic. Verr.* 2, 3, 96. Huc pertinent etiam loci *Cic. Rosc. Am.* 6. Crimen gratiae concedebas, i. e. criminabare gratiae a Fannio in eundae causa. *B. Alex.* 68. Concedere factum prioribus beneficiis.] *Ter. Adelph.* 2, 2, 9. Concedere paululum de jure suo. *Suet. Ner.* 29. *extr.* Concedere multis delicta. *Plin. ep.* 8, 2. Concedere partem octavam pretii. ℙ Item pro credere, vel consentire, ut *Non.* 4, 94. exponit. *Ter. Phorm.* 5, 3, 22. Nunquamne hodie concedes mihi, neque intelliges? [**Scil.* concedere dicuntur, qui desinunt adversari, ita *Ruhnk.* ad h. l. *Idem* comparat *Hor. Sat.* 2, 3, 305. Liceat concedere veris. (*Der Wahrheit die Ehre geben.*) Gr. *συγχωρεῖν τῇ ἀληθείᾳ*. V. *Heindf.* ad *Platon. Phaed.* §. 112.] ℙ *Prisc.* 18, 1198. affirmat Latinam esse hanc loquendi rationem, *concedo tibi illius rei*, quemadmodum Attici dicunt *παραχωρῶ σοι τοῦδε*: sed exemplum, quod rem conficiat, nullum affert. ℙ *Concedor*, h. e. mihi conceditur, V. in CONCESSUS, a, um. ℙ [Part. *Concedens* ap. *Ter. Hecyr.* 2, 1, 27. Rus habitatum abii, concedens vobis. *Concedendus* ap. *Caes. B. G.* 1, 7. Caesar concedendum non putabat. *F.*]

CONCELEBRĀTUS, a, um, part. a *concelebro*, frequentatus, excultus. *Cic. Inv.* 1, 3. Studia re-

cta atque honesta, per otium concelebrata ab optimis, enituerunt. [*i. e. diligenter tractata et culta.] *Porc. Latro. declam. in Catil.* 29. Concelebrata divinatio, *h. e.* praedicata, jactata.

CONCĔLEBRO, as, avi, atum, a. 1. *συμπαρηγορίζω*, idem quod celebro, frequento. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. Convivia concelebrentur et passim, et tributim. [**Id. Manil.* 21. Omni studio visere et concelebrare, i. e. magna frequentia honestare.] *Liv.* 8, 7. *ad f.* Concelebrare funus. *Tib.* 1, 8, 50. Genium ludis et choreis. *Pl. Pseud.* 1, 2, 32. diem natalem. *Plin.* 34, 2, 4. Mercatus in Delo concelebrante toto orbe. *Lucr.* 1, 4. Alma Venus, coeli subterlabentia signa, Quae mare navigerum, quae terras frugiferentes Concelebras, *h. e.* animantum frequentia comples. *Non.* 4, 105. exponit, *commoves.* Alii explicant, quae coelo, terra, marique vagaris. *Pl. Cas.* 4, 3, 1. Age tibicen suavi cantu concelebra omnem hanc plateam hymenaeo, *h. e.* fac personet platea hymenaei vocibus. *Caes. B. C.* 3, 72. Concelebrare victoriam fama et litteris, *h. e.* vulgare, et notam omnibus reddere. *Luc.* ap. *Non. l. c.* Multis inductum sermonibu' concelebravit, *h. e.* diu amavit.

CONCELLITA, ae, m. qui in una simul cella cum alio monachum agit. *Sid. ep.* 8, 14. Concellita Luporum, Maximorumque. ℙ Est etiam quisquis in eadem cella habitat, vel qui eidem cellae praeest. *Inscr.* ap. *Donat.* 320, 1. Ti. Julius Sejus fecit sibi, et Eutycho concell. et furnerio. Sunt qui putant legendum *concellario*, vel *concellioni.*

CONCĒLO, as, a. 1. *ἀποκρύπτω*, idem quod celo. *Gell.* 11, 9. Non id postea concelavit, quin gloriae quoque hoc sibi assignavit. Adde 15, 2.

CONCENTIO, onis, f. concentus, multorum simul canentium vox, *συμφώνησις. Cic. Sext.* 55. Cum ageretur togata, Simulans caterva tota, clarissima concentione, in ore impuri hominis imminens, concionata est: Huic vitae tuae etc. *Appul. de Mundo.* Mundanae varietates, ad instar unius concentionis.

CONCENTŪRIO, as, avi, atum, a. 1. per centurias colligo, et dispono. Joculariter *Pl. Ps.* 1, 5, 159. Dum concenturio in corde sycophantias. *Id. Trin.* 4, 3, 5. Epistola illa mihi concenturiat metum in corde, *h. e.* auget. [*Cf. *Lindem.* ad h. l.]

CONCENTUS, us, m. *συμφωνία, συμφώνησις,* vox et cantus multorum simul, consensus et harmonia plurium una canentium. *Cic. Somn. Scip.* 5. Sonus, qui acuta cum gravibus temperans, varios aequabiliter concentus efficit. *Id. Leg.* 1, 7. et *Virg. G.* 1, 422. Concentus avium. [**Quint. Inst.* 9, 4. p. 831. Concentus signorum.] *Ov. Met.* 11, 11. lyrae, et vocis. *Id. Fast.* 1, 155. volucres concentibus aera mulcent. *Stat. Theb.* 6, 227. Multa gemunt contra raucis concentibus agri. [*Dicitur etiam de acclamationibus populi Romani in theatris, quod varia plausuum genera (cf. *Casaub.* ad *Suet. Ner.* 20.) ediscebantur et cum modulis et quodam quasi cantu proferebantur. (*Tac. A.* 16, 4.) *Plin. Pan.* 2, 6. Et populus quidem Romanus dilectum principem servat, quantoque paulo ante concentu formosum illum; hunc fortissimum personat. Adde 46, 2.] ℙ Dicitur etiam de multis vocibus consonis. *Gell.* 7, 20. *ad f.* Ebriosa dixit propter consequentis litterae concentum. Loquitur *Gell.* de illo *Cat.* 27, 4. Ebriosa acina ebriosioris. ℙ Translate est concordia, consensio. *Cic. Off.* 1, 40. *extr.* Melior actionum, quam sonorum concentus est. *Id. Or.* 3, 6. Omnium doctrinarum quasi consensus, concentusque. [**Plin. Pan.* 4, 6. At principi nostra quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omnisque gloriae contigit!] *Hor. Ep.* 1, 14, 31. Nunc age, quid nostrum concentum dividat, audi. ℙ Dicitur etiam de coloribus. *Plin.* 37, 6, 24. Omnium in transitu colore inenarrabili, et in unum redeunte concentum. ℙ Ap. *Tert. adv. Jud.* 1. *concentus disputationis* est ipse disputantium clamor et concertatio.

CONCEPTĀCŬLUM, i, n. *ὑποδοχή, ἐκδοχεῖον,* quod aliquid continet. *Gell.* 18, 10. Vena est conceptaculum sanguinis: arteria est conceptaculum spiritus. *Plin.* 2, 45, 45. In domibus multis manu facta, inclusa opacitate, conceptacula auras suas habent. Haec *Vitr.* 7, 4. vocat *spiramenta.* ℙ Translate. *Plin.* 11, 37, 51. Superbia aliubi conceptaculum, sed in superciliis sedem habet.

CONCEPTĔLĂ, ae, f. conceptaculum. *Front. Aquaed.* 22. Nec Virgo, nec Appia conceptelas, id est piscinas habent. *Poleni* editio ex MSS. habet *conceptacula:* quod certe est magis Latinum.

CONCEPTĬO, onis, f. actus concipiendi, complexio, comprehensio, *σύλληψις. Vitr.* 9, 4. Mundus est omnium naturae rerum conceptio summa. *Id. praef.* 8. Terra ex coelestium imbrium conceptionibus inseminata, fetus procreat. ℙ *Conceptio aquae* dicitur collectio ejus ex fonte, lacu, vel flumine, ut per aquaeductum in urbem perducatur, *Front. Aquaed.* 66, 67, 71, 73. et alibi: et *modus conceptionis (ib.)* est quantitas aquae collectae, et in aquaeductum derivatae. ℙ Praeterea *conceptio* dicitur comprehensio seminis. *Cic. Div.* 22. Conceptio mulae contra naturam fortasse: sed partus prope necessarius. *Plin.* 22, 22, 40. Caucalis conceptionibus multum confert. ℙ Conceptio judicii, verborum, jurisjurandi etc. est ratio, institutio, ordo, formula. *Cic. Inv.* 2, 19. Omnis conceptio privatorum judiciorum in jure constituitur. *Paul. Dig.* 3, 5, 46. In extraordinariis judiciis, ubi conceptio formularum non observatur. *Ulp. ib.* 12, 2, 34. Si de qualitate juramenti fuerit dubitatum, conceptio ejus in arbitrio judicantis est. *Paul. ib.* 24, 3, 56. Conceptio stipulationis. *Id. ib.* 48, 2, 3. libellorum. *Pompon. ib.* 45, 1, 5. verborum. ℙ *Conceptio rei* ap. *Gell.* 11, 13. est expressio, seu explicatio rei verbis facta. Adde *Arnob.* 5, 183. ℙ Apud grammaticos idem est, quod syllaba. *Charis.* 1. *in.*

CONCEPTĪVUS, a, um, adj. qui concipitur, *h. e.* exprimitur, declaratur. Hinc *conceptivae feriae* ap. *Varr. L. L.* 5, 3. *extr.* quae non habebant certos et constitutos dies, sed a magistratibus, vel sacerdotibus concipiebantur in dies certos, vel etiam incertos, ut Latinae, Sementivae, Paganalia, Compitalia. Ita *Macr. Sat.* 1, 16. et *Festus.* Eas *Varro l. c.* 4. vocat etiam *conceptas.* Quod vero *cit. c.* 3. scribit *conceptivas esse, quae non sunt annales*, non hoc dicit, non fuisse quotannis observatas, sed non recurrisse intra ipsum anni spatium, at modo antea, modo postea, quotannis tamen. ℙ Ap. *Tertull. Resurr. carn.* 40. Fides et dilectio non substantiva animae, sed conceptiva, *h. e.* quae in anima concipiuntur.

CONCEPTO, as, a. 1. frequentat. a *concipio. Arnob.* 4, 141. His in lucem prodeunt generationibus Dii vestri, quibus asini, porci, canes, quibus immunda haec omnis conceptatur et gignitur terrenarum proluvies bestiarum. ℙ Translate. *Ammian.* 31, 10. Germani exarsere flagrantius, majoraque conceptantes, nostra confidentius irruperunt, *h. e.* cogitantes, parantes.

CONCEPTOR, oris, m. qui concipit. *Arat. Act. Apost.* 2, 16, 437. Peccati conceptor erat.

CONCEPTUM, i, n. V. in CONCEPTUS, us.

CONCEPTUS, a, um, part. a *concipio, συνειλημμένος, συλληφθείς,* receptus, comprehensus. *Lucr.* 6, 627. docui multum quoque tollere nubes Humorem magno conceptum ex aequore ponti, *h. e.* haustum, collectum. Et *ib.* 880. Stuppa jacit flammas concepto protinus igni. *Senec. Q. N.* 1, 3. *ad f.* Arcus est imago solis, roscida et cava nube concepta. *Ov. Met.* 7, 17. Excute virgineo conceptas pectore flammas. *Curt.* 6, 4. Amnis ex fonte conceptus. *Colum.* 7, 5. Ex calore et aestu concepta pestis. ℙ *Furtum conceptum* est deprehensum, cum apud aliquem coram testibus res furtiva invenitur, ut *Paul. sentent.* 2, 32. docet. Hinc *furti concepti*, immo absolute *concepti agere* dicitur is, qui rem furtivam concepit, et invenit. Et *concepti actione* is tenetur, apud quem furtum quaesitum, et inventum est, quamvis ipse fortasse fur non sit. *Id. ib.* Adde *Justin. Inst.* 4, 1. et *Gell.* 11, 18. ℙ Saepissime *conceptus* dicitur de fetu in utero matris progenito. *Cic. Cluent.* 11. Conceptus ex fratre. *Ov. Fast.* 2, 183. Puer furto conceptus. [**Id. Met.* 10, 503. Male conceptus infans, i. e. nefario concubitu. Hinc *Id. ib.* 470. Conceptaque crimina portat, i. e. foetum per crimen conceptum.] *Id. ib.* 6, 633. Servius conceptus a captiva. *Id. Met.* 3, 214. De lupo concepta Nape. *Plin.* 8, 16, 17. Conceptus leone. *Petr. Sat.* 33. Pavonis ova gallinae jussi supponi, et timeo, ne jam concepta sint, *h. e.* ne pullos habeant conceptos, et formatos. Al. aliter leg. ℙ Translate est occultatus, clam nutritus. *Cic. ad Quirit.* 1. Quod odium scelerati homines in rempubl. conceptum jamdiu continerent. *Id. Sull.* 24. Furor conceptus erupit. *Id. Tusc.* 4, 9. Discordia est ira acerbior, intimo odio et corde concepta. [**Id. N. D.* 3, 36. Conceptus a se ipso dolor, i. e. ortus.] *Id. Fin.* 2, 2. Voluptas firme concepta animo atque comprehensa. *Id. Verr.* 2, 4. 32. *extr.* Nefarium scelus conceptum, *h. e.* excogitatum, et patratum. *Suet. Cal.* 40. Lites, et judicia concepta, *h. e.* instituta, suscepta. *Cic. Verr.* 1, 16. Delere potestis maculam conceptam aliquot per annos huic ordini. *Id. Mur.* 39. Hoc quod conceptum respublica periculum parturit, consilio discutiam et comprimam, *h. e.* intestinum, et veluti intra viscera. *Virg. A.* 12, 158. Foedus conceptum. *Caes. B. C.* 3, 16. Habere inimicitias cum aliquo, conceptas ex aedilitate. *Suet. Aug.* 6. Concepta opinio. *Curt.* 10, 7. Spes concepta de aliquo. [**Curt.* 6, 11, 28. Utrumne vino gravatus effudisset illud, an altiore concepta consilio.] *Quint.* 10, 7. Affectus bene concepti. ℙ Valet etiam idem, quod comprehensus, expressus, pronunciatus. *Varr. L. L.* 6, 3. *extr.* Mysteria pristina sacris concepta verbis. ℙ Hinc *concepta verba* sunt quae certa formula comprehenduntur, ratio et formula certa verborum. *Varro l. c.* Et, *conceptis verbis jurare* est jurare certa formula ab eo praescripta et dictata, qui juramentum defert. *Pl. Cist.* 1, 1, 100. Ille conceptis juravit verbis apud matrem meam. *Cic. Cluent.* 4. Conceptis verbis pejerare. *Petr. Sat.* 113. *extr.* Jurat Eumolpus verbis conceptissimis. ℙ Huc pertinent etiam illa *Pauli Dig.* 24, 3, 45. Concepta stipulatio. Et *Papinian. ib.* 20, 1, 1. Concepta conventio. Et *ejusdem ib.* 1, 5, 8. Tenor instrumenti male concepti. [**Sil.* 2, 14. Conceptas foedere poenas, i. e. scriptas, definitas.] Conceptas foedere poenas, i. e. scriptas, definitas.] ℙ *Conceptae feriae* ap. *Varr. L. L.* 5, 4. eaedem ℙ *Conceptae feriae* ap. *Varr. L. L.* 5, 4. eaedem quae *conceptivae*, quam vocem V. ℙ Concepta classica cornu, ap. *Lucan.* 7, 476. est signum pugnae datum sono cornus.

CONCEPTUS, us, m. idem quod conceptio. *Suet. Vitell.* 8. Flagrante triclinio ex conceptu camini. ℙ Item conceptaculum. *Senec. Q. N.* 5, 15. Vidisse flumina ingentia, et conceptus aquarum inertium vastos. *Plin.* 3, 5, 9. *de Tiberi.* Novenorum conceptu dierum navigabilis, *h. e.* postquam cohibitae fuerint aquae, ut emissae largius fluant. ℙ Item conceptio fetus. *Cic. Div.* 1, 42. Quaedam oriebantur ex hominum, pecudumve conceptu. *Plin.* 30, 14, 43. Cochleae in cibo sumptae accelerant partum: item conceptum. ℙ Dicitur etiam de plantis. *Id.* 17, 2, 2. Ut absumpto partu arborum sequatur protinus conceptus, idest germinatio. *Id. ib.* 18, 30. *n.* 5. Conceptus satorum. ℙ Ponitur et pro ipso fetu. Et reperitur aliquando in neutro genere. *Suet. Dom.* 22. Coacta conceptum a se abigere. *Scrib. in epist ad C. Jul.* Medicamentum, quo conceptum excutitur. *Plin.* 28, 19, 77. Conceptus leporis utero exemptus. ℙ Pro consilio, cogitatione, deliberatione. *Firm. Math.* 5, 12. Qui omnes animi sui conceptus studeant ad finem usque deducere.

CONCERNO, is, a. 3. simul cerno. *Augustin. Confess.* 5, 10. *extr.* Talem naturam ejus nasci non posse de Maria virgine arbitrabar, nisi carni concerneretur. Concerni autem, et non inquinari, non videbam, *h. e.* misceri, velut ea, quae simul cernuntur, *h. e.* cribrantur.

CONCERPO, is, psi, ptum, a. 3. idem ac discerpo, lacero: a *con*, et *carpo. Cic. Att.* 10, 12. Tu eas epistolas, quibus asperius de eo scripsi, aliquando concerpito. ℙ Translate. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. *ad f.* Quod scripsi, Curionem valde frigere, jam calet, nam ferventissime concerpitur, *h. e.* dictis laceratur.

CONCERPTUS, a, um, part. a *concerpo*, discerptus. *Plin.* 21, 3, 9. Folia coronae concerpta in scyphum. *Id.* 28, 15, 61. et 31, 9, 45. Linteolum concerptum.

CONCERRAE. V. CONGERRO.

CONCERTĀTĬO, onis, f. *ἀγώνισις*, certamen, contentio. *Cic. Or.* 2, 16. Sine ulla serie disputationum, et sine jejuna concertatione verborum. [*Gr. *λογομαχία.*] *Id. Div.* 1, 30. Carneades concertationis studio modo ait hoc, modo illud. Adde *Part.* 23. ubi *Turn. Adv.* 3, 2. notat designari a *Cic.* hac voce *τὴν ἐφοτιζήν.*

CONCERTĀTĪVUS, a, um, adj. pertinens ad simul certandum. *Quint.* 7, 2. Mutua accusatio, quam Graeci *ἀντιζαγηγοΐαν* vocant, nostri quidam concertativam.

CONCERTĀTOR, oris, m. qui simul certat, aemulus. *Tac. A.* 14, 29. Paullinus scientia militiae, et rumore populi, Corbulonis concertator.

CONCERTATŌRIUS, a, um, adj. *ἀγωνιστικός*, contentiosus. *Cic. Brut.* 83. Hoc forense, concertatorium, judiciale non tractavit genus. [*Gr. *ἐναγώνιον λόγον* dixere, de quo v. *lex. gr. technol.*]

CONCERTĀTUS, a, um, part. a *concerto*, simul certatus. *Cic. Part.* 28. Quae ante, quam res in judicium venit, aut concertata, aut dijudicata, aut confecta non sint, *h. e.* certando disputata.

CONCERTO, as, avi, atum, n. 1. *συναγωνίζομαι*, idem quod certo, vel simul certo: et usurpatur fere in disputationibus, et altercationibus. *Cic. Att.* 3, 12. Nunquam accidit, ut cum eo verbo uno concertarem. *Id. N. D.* 3, 16. Concertare cum aliquo de re quapiam. [**Terent. Adelph.* 2, 2, 3. *Caes. B. G.* 6, 5. Ambiorigem proelio non esse concertaturum. Ita *Oud.* ex *edd. prob.* et *edd. vett.* recepit.] ℙ Item [*aemulari, contendere; hoc tamen discrimine interposito, ut *concertare* de paribus dicatur, se invicem superaturis; *aemulari* ad inferiorem viribus pertineat, qui superiorem quendam consectetur. *Döderl.* 3, 64.] *Colum.* 8, 15. Concertare velocitate nandi. ℙ Cum dativo translate. *Manil.* 5, 507. triclinia templis Concertant, tectique auro jam vescimur auro. ℙ [Part. *Concertans* ap. *Suet. Aug.* 21. Pluribus quondam de regno concertantibus. *F.*]

CONCESSĀTĬO, onis, f. cessatio, *παῦσις. Colum.* 11, 1. *ante med.* In itinere conficiendo saepe dimidio maturius pervenit is, qui naviter, et sine ullis concessationibus permeabit.

CONCESSĬO, onis, f. actus concedendi, *συγχώρησις. Cic. Att.* 3, 24. Et nostra concessione omnem vim sui juris amiserint. *Planc. ad Coss.* etc. *Fam.* 10, 8. Concessiones praemiorum. [**Id. Agrar.* 3, 3. Concessiones agrorum. Differt *concessio* ab *assignatione.* In illa est simplex permis-

sio occupandi, fruendi etc. V. *Turneb.* ad h. l. *Ernest.* in *cl.*] *Varr. R. R.* 1, 17. *sub f.* Concessio, ut peculiare aliquid in fundo pascere liceat. [**Concessio competitorum*, ap. *Cic. Toga Cand.*, quaenam sit, v. in *concedere.*] ℙ Est item figura rhetorica, cum aliquid etiam iniquum videtur orator pati, atque concedere, ut quae deinde dicturus est, graviora videantur. *Quint.* 9, 2. [*Gr. *συγγνώμη.*] ℙ Item pars constitutionis juridicialis, cum reus postulat sibi ignosci: et dividitur in purgationem, et deprecationem. *Auct. ad Herenn.* 1, 14., *Cic. Inv.* 2, 31.

CONCESSĪVUS, a, um, adj. qui concedit. Vox est *Servii* ad illud *Virg. A.* 10, 33. neque illos Juveris auxilio. Concessivus est, *inquit*, modus iste secundum *Probum.* Adde *Diom.* 1, 390.

CONCESSO, as, avi, n. 1. frequentat. a *concedo*, cesso. *Pl. Poen.* 1, 2, 9. Nunquam concessavimus lavari, aut fricari, aut ornari. *Id. Asin.* 2, 2, 24. Concessare pedibus. *Front. ad M. Antonin. Aug. ep.* 1, 2. Qui interdum concessarit, aut restiterit. per syncop. pro *concessaverit.*

CONCESSUM, i, n. *συγχωρηθὲν*, permissio, concessio. *Cic. Coel.* 20. Sed abhorret non modo ab hujus saeculi licentia, verum etiam a majorum consuetudine, atque concessis.

CONCESSUS, a, um, part. a *concedo*, datus, permissus, *δεδομένος*. *Caes. B. G.* 1, 44. Habere sedes in Gallia ab ipsis Gallis concessas. *Virg. A.* 5, 798. Si concessa peto, si dant ea moenia Parcae. *Ov. Amor.* 3, 4, 15. *de equo.* Ut primum concessas sensit habenas. *Id. Met.* 9, 453. Amare concessa. *Hor. Sat.* 1, 4, 113. Concessa Venus. *Lucan.* 2, 446. Concessa pudet ire via, civemque videri. ℙ In disputationibus. *Cic. Div.* 2, 51. Videsne, quae dubia sint, ea sumi pro certis atque concessis? ℙ *Concessus*, cui concessum est. *Virg. A.* 3, 700. et fatis nunquam concessa moveri Apparet Camarina procul. *Manil.* 4, 337. Quae fastidito concessa est jure potiri.

CONCESSUS, us, m. *συγχώρησις*, permissio. *Cic. Coel.* 12. Datur enim concessu omnium huic aliquis ludus aetati. *Id. Fam.* 4, 6. *extr.* Quiescere concessu, et beneficio alicujus. *Id. Univers.* 14. *in f.* Philosophia data est mortalium generi Deorum concessu, atque munere. ℙ Eodem uno ablativo casu usurpant *Cic.* aliis in locis, *Caes.* et saepe *Tac.*

CONCHA, ae, f. *κόγχη*, testa durior piscium (de testarum varietate omnino videndus *Plin.* 9, 33, 52.) a voce Graeca allata. *Cic. N. D.* 2, 48. Pinna duabus grandibus patula conchis etc. admonita a squilla, morsu comprimit conchas. *Id. Or.* 2, 6. Conchas et umbilicos ad Cajetam legere. *Ov. Fast.* 6, 174. Ostreaque in conchis tuta fuere suis. ℙ Specialiter dicitur de illis, in quibus margaritae nascuntur, de quibus multa *Plin.* 9, 35. et alibi: [**Suet. Nero* 31. Conchae unionum.] et metonymice ponitur pro margarita. *Propert.* 3, 11, 6. [*Adde *Tibull.* 2, 4, 30. 4, 2, 19. et al.] ℙ Item de illis, quibus integuntur purpurae, ex quarum sanie nobilissimus ille purpureus color olim fiebat. *Lucr.* 2, 500. Meliboeaque fulgens Purpura Thessalico concharum tincta colore. [**Ov. Met.* 40, 267. Collocat hanc stratis, concha Sidonide tinctis.] ℙ Item de testa cochlearum. *Colum.* 10, 323. teneras audent erodere frondes Implicitus conchae limax, hirsutaque campe. ℙ *Conchae minutae* sunt, quas Itali *cappe* appellant frequentes in cibis. *Plin.* 35, 6, 18. ℙ Est etiam genus vasis concavum ad conchae similitudinem ad varios usus. *Hor. Sat.* 1, 3, 13. sit mihi mensa tripes, et Concha salis puri. *Id. Od.* 2, 7, 22. Funde capacibus Unguenta de conchis. (Conchas hasce unguentarias fuisse plerumque ex conchis margaritarum, colligi potest ex *Plin.* 9, 35, 66.) *Cato R. R.* 66. Capulator concha oleum tollat. Sic *Colum.* 12, 5. Conchae, quibus oleum depletur. *Plin.* 33, 5, 26. Chrysocolla tunditur, dein lavatur in conchis. *Martian. Dig.* 33, 7, 17. Penicili, cauteria, conchae. *Juven.* 6, 303. Cum bibitur concha, *h. e.* cum in vase unguentario vinum bibitur unguento mixtum: quod in luxu et ebrietate aliquando fiebat. Adde *Paul. Sentent.* 3, 7. *sub f.*, item *Caton. R. R.*, ubi pro certo genere mensurae ponitur, 56. Sumito farinae minutae conchas duas. ℙ Est etiam genus tubae, quae a poetis tribuitur Tritonibus, qui sunt Neptuni tubicines. *Plin.* 9, 5, 4. Visum, auditumque in quodam specu concha canentem Tritonem. *Lucan.* 9, 349. ventosa perflantem murmura concha. *Virg. A.* 6, 171. tribuit Miseno tubicini Aeneae. ℙ Significat etiam pudendum muliebre, quod hodieque Itali vulgo *ostrica* appellant. *Pl. Rud.* 3, 3, 42. Te (Venus) ex concha natam esse autumant: cave tu harum conchas spernas.

CONCHĀTUS, a, um, adj. in modum conchae curvatus. *Plin.* 10, 20, 22. Conchata cauda pavo quaerit etc.

CONCHĔUS, a, um, adj. ad concham pertinens. *Bacca conchea* est margarita. *Virg. Cul.* 66. nec Indi Conchea bacca maris pretio est.

CONCHICLA Faba, ap. *Apic.* 5, 4. eadem est ac *Conchis*, scil. faba integra, et solida, cum cortice suo decocta. ℙ Hinc Conchiclatus, ap. *eund. ib.*

CONCHIS, chis, f. *κόγχος*, faba integra, et cum cortice suo, a conchae similitudine, quod fracto cortice velut implicita conchis suis caruncula videatur, cui opponitur faba fresa: vel edulium ex faba peculiari ratione condita, de qua *Apic. l. c.* in voce praeced. verba facit. Ab *Athen.* 4, 16. inter viliores cibos numeratur, et *κόγχος* appellatur. *Mart.* 13, 7. cujus lemma est *Conchis faba.* Si spumet rubra conchis tibi pallida testa, Lautorum coenis saepe negare potes. *Juven.* 3, 293. Cujus aceto, Cujus conche tumes? Adde 14, 131.

CONCHĪSŌNUS, a, um, adj. qui concha sonat. *Stat. Achill.* 1, 55. cantuque quieto Conchisoni Tritones eunt, scopulosaque Cete. Ita legit in suo codice *Ricciolius* auctor Prosodiae Bononiensis. Ceteri omnes habent *armigeri.* Ad quem locum ita notat *Vet. Schol. anonym.* in Bibliotheca Florentina Medicea: Tritones sunt pisces, qui dicuntur magna buccina ferre arma Neptuni.

CONCHĪTA. V. CONCHYTA.

CONCHŪLA, ae, f. diminut. parva concha. *Cels.* 2, 29. Omnes fere conchulae, maximeque jus earum. *Val. Max.* 8, 8. *n.* 1. Constat, vagas litoribus conchulas, et umbilicos lectitasse.

[CONCHYLĬĀRĬUS, ii, m. *Magister conchyliarius* is dicitur, qui lanae conchylio inficiendae praeest, idem ac purpurarius. *Inscr.* ap. *Donat.* 315, 8. Aurelius Peculiaris magister conquiliarius, *h. e.* conchyliarius, nam saepe Latini, ut probat *Marin. Frat. Arv.* p. 392., *c* et *ch* mutant in *q* et *qu*, *y* vero saepissime in *u* vel *i*. V. v. seq. *F.*]

CONCHYLĬĀTUS, a, um, adj. *κογχυλιώδης*, conchylii colore tinctus, purpureus. *Cic. Phil.* 2, 27. Conchyliatis Cn. Pompeji peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres. *Plin.* 9, 39, 64. Conchyliata vestis. *Plin. Valer.* 1, 9. Ad omnes infusiones auriculae conquiliata (leg. *conchyliata*) lana obturandae sunt. *Marcell. Empir.* 9. Cum opus est, infunditur haec compositio in auriculam ex lana conchyliata, eaque clauditur. Hinc *Plin.* 32, 7, 25. Per se conchylia infecta magnopere prodest auribus. V. CONCHYLIARIUS. ℙ Item purpura amictus. *Senec. ep.* 62. Relictis conchyliatis, cum illo seminudo loquor.

CONCHYLĬLĔGŬLUS, i, m. qui conchylia in mari quaeritat, *κογχυλευτής*. *Impp. Theod. et Valent. Cod.* 11, 7, 15. Qui patre conchylilegulo geniti probabuntur. ℙ Legitur et *Conchyliolegulus.*

CONCHYLĬS, ĭdos, f. patronym. quasi conchyliata. *Catull.* 64, 49. Tincta tegit roseo conchylis purpura fuco. Ita vulgo legitur, et ita habent lexicographi multi: sed veteres codices exhibent *conchyli;* estque constructio: *fuco roseo conchyli* pro *conchylii.* Sic *Lucr.* 6, 1072. Purpureusque color conchyli mergitur una Corpore cum lanae. Et *Seren. Sammon.* 43, 805. Purpura torretur conchyli perlita fuco. Et *infra* 64, 1109. Quod fuerit vero conchyli sanguine tinctum. ℙ Non videtur igitur haec vox *conchylis* temere in Latium inducenda: tamesti in utroque *Sammonii* loco sunt qui legunt *conchylis.*

CONCHYLĬUM, ii, n. *κογχύλιον*, piscis ex genere concharum, ex cujus sanie purpureus color fiebat. *Colum.* 8, 16. *a med.* Limosa regio idonea est conchyliis, muricibus, et ostreis. Adde *Vitr.* 7, 13. et V. OSTRUM. ℙ Item color *austerus in glauco, et irascenti similis mari*, ut *Plin.* 9, 36, 60. loquitur, qui olim ex eo pisce contrito extrahebatur ad tingendas vestes, maximoque in pretio habebatur. Alius erat a colore *purpurae*, vel quia purpura e pelagio et murice (ejusdem generis conchis, diversae tamen speciei) admixtis fiebat; vel potius ex minori, vel majori tincturae saturitate, (quod et *Senec.* monet *Q. N.* 1, 3. *ad f.*) quia *purpura* fuit colore rubeo nigricanti, *conchylium* non quidem rubebat, sed ad purpuram tamen accedebat. Nam conchylii tres fuere gradus: unus in heliotropio, et in aliquo ex his, plerumque saturatior: alius in malva, ad purpuram inclinans: alius in viola serotina, conchyliorum vegetissimus, ut *Plin.* 21, 8, 22. docet. V. OSTRUM. ℙ Tincturae hujus originem tradit *Cassiod. Variar. ep.* 1, 2. *extr.* Cum fame canis avida in Tyrio lectore projecta conchylia impressis mandibulis contudisset, illa naturaliter humorem sanguineum defluentia, ora ejus mirabili colore tinxerunt. Et ut est mos hominum occasiones repentinas ad artes ducere, talia exempla meditantes, fecerunt principibus decus nobile etc. Haec *Cassiod.* Verum ea omnis tingendi ratio jampridem omnino desiit: et hujus purpurae loco successit fucus, quo omnes illos colores non infeliciter, et minori impendio imitamur. *Plin.* 9, 36, 61. Concharum ad purpuras et conchylia eadem est materia, sed distat temperamento. *Cic. Verr.* 2, 4, 26. Per triennium isti stragulam vestem confecit: nil nisi conchylio tinctum. ℙ Advertendum tamen est illud discrimen inter *purpuram* et *conchylium* non omnino semper servari a scriptoribus. Nam, ut alios omittam, ipse *Cic.* modo allatus, paulo post *purpuram* nominat, cum *conchylium* dixisset. ℙ Aliquando *conchylium* ponitur ad significandas ipsas vestes conchylio tinctas. *Juven.* 8, 101. Spartana chlamys, conchylia Coa. Adde 3, 81. ℙ Interdum ad significandas quascumque marinas conchas. *Plin.* 9, 36, 60. Lingua purpurae longitudine digitali, qua pascitur perforando reliqua conchylia. *Cic. Pis.* 27. *ad f.* Exstructa mensa non conchyliis aut piscibus, sed multa carne subrancida. *Hor. Ep.* 2, 49. Conchylia Lucrina. Adde *Sat.* 2, 8, 27. et *Cels.* 2, 18. ℙ *Scribitur et *conchylium*, e. g. ap. *Schol. Antiq.* in *Juven.* 3, 82. p. 588. ed. D. A. G. *Cramero. B. A.*

CONCHYTĀ, ae, m. *κογχυλευτής*, qui conchylia quaerit in mari. *Pl. Rud.* 2, 2, 5. Salvete fures maritimi, conchytae, atque hamiotae. Legitur et *Conchita.*

CONCĪDES. V. CONCAEDES.

CONCĪDO, is, īdi, isum, a. 3. *συγκόπτω*, *περικόπτω*, idem quod caedo, item simul, aut minutatim caedo: a *con*, et *caedo. Varr. L. L.* 4, 27. Succidia ab suibus concidendis. *Cels.* 5, 26. *n.* 34. Quidquid aridum est, usque ad sanum corpus concidere. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 3. Humidiorem agrum fossis concidi, atque siccari, utilissimum est. *Petr. Sat.* 141. Concidere corpus in partes. *Colum.* 12, 22. Haec minute concidito, et admisceto pici. ℙ Significat etiam verberare, praesertim si ex verbere cutis laceratio sequatur. *Cic. Verr.* 2, 1, 47. Virgis plebem Romanam concidere. *Juven.* 6, 413. aliquem loris. ℙ Item conficere, occidere. *Nep. Dion.* 10. Nonnulli ab insciis pro noxiis concidunntur. *Caes. B. G.* 2, 11. Hi novissimos adorti, magnam multitudinem eorum conciderunt. ℙ Item destruere. *Liv.* 38, 39. Quinquaginta tectas naves aut concidit, aut incendit. ℙ Translate. *Cic. Or.* 69. Minutos numeros sequens, concidit delumbatque sententias. [*Ii intelligendi sunt, qui minutos numeros sequuntur, non periodis utuntur.] *Id. Acad.* 4, 13. *ad f.* Haec autem universa concidunt etiam minutius, *h. e.* disputando dividunt. Adde *Quint.* 5, 10. *post med.* et 3, 11., quibus locis *concidere* pro nimis minute dividere adhibetur. Quo pertinet etiam locus *Plin.* 18, 25, 59. Nec deinde parvorum siderum mentione concidenda ratio est, *h. e.* rerum dicendarum series dividenda, atque interrumpenda. *Harduin.* aliter explicat. ℙ Eleganter ponitur pro labefactare, evertere. [*Refellere, et quidem paulo acerbius.] *Cic. Or.* 3, 1. Cum omnem auctoritatem universi ordinis in conspectu populi R. concideris. *Id. N. D.* 1, 33. *extr* Timocratem, quia nescio quid in philosophia dissentiret, totis voluminibus concidit. [**Heindf.* leg. *consciderit*, quod de maledictis et contumeliis saepius etiam a *Cic.* usurpatur. Non male quidem; neque improbat *Orell.* At nescio, an h. l. de solis maledictis recte cogitaveris. Haec esse videtur loci sententia: Epicurus Timocratis sententiam totis volum. ita concidit, i. e. non sine contumeliis et maledictis ita refellit, ut auctoritatem ejus nullam reliquerit.] *Id. Phil.* 5, 11. Concidere aliquem decretis senatus. *Id. Q. Fr.* 2, 4. Vatinium arbitratu nostro concidimus. Et *ib.* 6. *ad f.* Servius allisus est, ceteri conciduntur, *h. e.* judicio perduntur, damnantur, ut *Manut.* exponit. *Quint.* 1, 7. *ad f.* Concidere, et comminuere ingenia. ℙ *Concidere aliquem articulatim* dixit *Pl. Ep.* 3, 4, 52. pro ludificare, fallere, magna aliqua re fraudare. Mox enim sequitur: *tibi os est sublitum plane, et probe.* ℙ Concidere testamentum, ap. *Ulp. Dig.* 28, 4, 1. est abrogare. ℙ Habet etiam obscenum sensum, ut *percido.* V. *Cic. Verr.* 2, 3, 66., ubi examinat verba illa Timarchidis, *caede, concide.* Et *Lamprid. Elagab.* 10. et *Pompon.* ap. *Non.* 2, 742.

CONCĬDO, ĭdis, ĭdi, n. 3. *καταπίπτω*, idem quod cado, ruo, vel simul cado: a *con*, et *cado.* [**Tac. A.* 14, 6. Quodque litus juxta, non ventis acta, non saxis impulsa navis, summa sui parte, veluti terrestre machinamentum concidisset.] *Cic. Somn. Scip.* 8. Vel concidat omne coelum. *Id. Div.* 1, 35. Equus repente concidit. *Id. Or.* 2, 86. Conclave concidit. *Phaedr.* 5, 7. Concidere casu gravi. *Virg. A.* 5, 447. graviter ad terram. *Id. ib.* 333. in fimo immundo. *Liv.* 24, 8. sub pondere. *Pl. Ep.* 2, 2, 16. in cursu. *Hor. Od.* 1, 12, 30. Concidunt venti, *h. e.* ponunt flatus. ℙ Saepe sumitur pro mori. *Cic. Tusc.* 1, 37. Brutus in proelio concidit. *Suet. Claud.* 34. Cum par gladiatorum mutuis ictibus concidisset. *Ov. Her.* 7, 196. Ipsa sua Dido concidit usa manu. *Sil.* 1, 307. Concidit exacti medius per viscera teli. [*Dicitur etiam de animalibus. *Ov. Met.* 7, 538. Concidere infelix validos miratur arator Inter opus tauros. Praeprimis usitatum est vocabulum in mactandis victimis. *Tibull.* 1, 2, 62. Concidit ad magicos hostia pulla deos, i. e. caesa est diis magicis. *Ov. Met.* 10, 272. Et pandis inductae cornibus aurum Conciderant ictae nivea cervice juvencae. *Id. ib.* 8, 765. — Item de hominibus per insidias interfectis. *Suet. Nero.* 33. Et cum illa ad primum gustum concidisset. *Ov. Fast.* 6, 602. Caesus concidit in dura sanguinolentus humo.] ℙ Eleganter *Ov. Her.* 21, 215. Concidimus macie.

P Translate est ruere, perire, deficere. *Auct. ad Herenn.* 4, 8. Urbs incendio conflagrata concidit. *Virg. A.* 11, 245. Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus. *Cic. Att.* 1, 16. *circa med.* Senatus auctoritas concidit. *Id. Or.* 43. Meae forenses artes, et actiones publicae conciderunt. *Id. Verr.* 2, 4. 6. Ista praeclara nomina artificum Verris aestimatione conciderunt. *Id. Manil.* 7. Romae, solutione impedita, fides concidit. *Id. Att.* 7, 25. Malas causas semper obtinuit: in optima concidit. Sic *ib.* 1, 16. Fractus reus, et una patroni omnes conciderunt. Et *ib.* 3, 10. Concidere ex amplo statu. *Id. Div.* 2, 58. Contrahitur animus, et quasi labitur atque concidit. *Liv.* 28, 26. Tum omnis ferocia concidit. *Hirt. B. G.* 8, 19. Hostes concidunt animis, [*i. e. animum abjiciunt, minus spei habent. *Tac. A.* 14, 12. Silana fato functa erat, — labante jam Agrippina, cujus inimicitiis conciderat. *Id. ib.* 16, 21.] *Ov. Pont.* 4, 6, 14. Ipsum morte tua concidit auxilium. *Hor. Od.* 3, 16, 11. Concidit auguris Argivi domus. *Tac. H.* 2, 57. Concidit bellum. *Id. A.* 12, 13. Persarum opes conciderant. [*Ov. *Met.* 15, 422. Sic tempore verti Cernimus, atque illas assumere robora gentes, Concidere has. *Tac. A.* 3, 4. Concidisse rempublicam clamitabant.] P [Part. *Concidens* ap. *Hirt. B. Hisp.* 23. Hujus concidentis viri casu passim audito. *F.*]

CONCIĒO, es, a. 2. et Concio, is, ivi, a. 4. *συγχυτέω*, idem quod *cieo*, et *cio*, moveo, commoveo; et fere in malam partem. Est enim cum perturbatione commovere, ut *Non.* 2, 165. docet. *Liv.* 1, 50. Lucretiae corpus in forum deferunt, concientque miraculo rei novae homines. *Id.* 3, 53. Ne cui fraudi sit concisse milites ad repetendam libertatem. *Sil.* 12, 611. *de Jove.* Fulminaque, et tonitrus, et nimbos conciet atros. *Lucr.* 6, 409. Juppiter et tenebras, fremitus, et murmura concit. *Id. ib.* 826. quasi quendam conciet aestum. *Ter. Heaut.* 5, 2, 17. Quantas turbas concivi insciens! *Id. Hecyr.* 3, 1, 33. Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram conciverit. *Pl. Amph.* 1, 2, 14. Amphitruo uxori turbas conciet, atque insimulabit probri. *Id. Men.* 5, 5, 4. Qui suo regi tantum concivit mali. *Accius* ap. *Non. l. c.* Pontus strages conciet. [*Tac. *A.* 14, 17. Qui alii seditionem conciverant. *Tac. H.* 1, 4. Varios motus animorum apud omnes legiones ducesque conciverat.] P Ponitur et pro convocare, congregare. *Val. Fl.* 6, 34. quanto Scythiam molimine Perses Concierit, *h. e.* quanto apparatu Scythas ad se convocaverit ad bellum. *Liv.* 1, 8. Obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem. *Id.* 25, 27. Cum exercitum ex tota insula conciri videret. *Vell.* 2, 74. Conciens eos ad arma. *Tac. H.* 5, 19. Donis auxilia concibant. Adde *Plin.* 9, 8, 9. P *Tac. A.* 16, 17. Mella accusatorem concivit Fabium Romanum, *h. e.* contra se excitavit. Sic *ib.* 11, 19. Concire hostem. [*Ita saepius ap. *Eund.* dicitur absolute de iis, qui rebellione facta promissis, donis, cet. alios commovere student, ut participes fiant. Cf. *A.* 3, 38. Alii montem Haemum transgrediuntur, ut remotos populos concirent. *Ib.* 3, 40. 12, 15. et *al.*] P De supino *concitum* V. dicta in CIEO. P [*Appul. *de Mundo* p. 67. Videas terram aquarum agminibus concientem, parientem atque educantem, *h. e.* incientem. Al. leg. *concipientem*, quo ex glossa esse videtur. *Scal.* et *Vulcan.* emendant *incientem.* Sed quidni (inquit *Gesnerus*) idem significare possint, *inciens* et *conciens*, nempe gravidam, s. praegnantem? *B. A.*]

CONCILIĀBŬLUM, i, n. *σύλλογος, λέσχη*, locus, ubi in concilium convenitur, inquit *Festus:* h. e. ubi congregantur homines colloquendi, et agendi causa, qualia in vicis sunt, et in agris, ubi rustici coeunt certis diebus vel ad emendum et vendendum, vel ad agendum de rebus publicis ad se pertinentibus. In provinciis erant minora quaedam oppida, aut vici, qui constituebantur a praetoribus tum nundinis habendis, tum juri inter provinciales dicundo: atque adeo cum municipiis, coloniis, oppidis, praefecturis, foris, vicis, et castellis numerantur a *Paulo Sent.* 4, 6., *Tert. Apol.* 37. et in fragmento veteris legis Mamiliae, ap. *Goes.* 339. Conciliabula videntur fuisse loca publica, in quae populus plurium urbium proximarum conveniebat ad agendum de rebus publicis, quae loca progressu temporis municipia, vel coloniae evaserunt. Nam eorum aliqua interdum relata esse in jus municipii, testantur *Front. de limit.* et *Aggen. Urbic. ib.* 41. et 60. Quin putat *Turneb. Advers.* 1, 11. quotiescumque *Livius* conciliabula notat, intelligere omnia oppida, et castella extra urbem, ubi aliqui essent conventus juridici: ut 40, 37. Supplicationem in biduum in urbe, et per omnia fora, conciliabulaque edixerunt. Et 7, 15. *extr.* Nundinas, et conciliabula obire. At 34, 1. Etiam ex oppidis, conciliabulisque convenerant. Et *ib.* 56. Conjuratione per omnia conciliabula universae gentis facta. *Tac. A.* 3, 40. Per conciliabula et coetus seditiosa disserebant. P Inter *forum* et *conciliabulum* hoc est discrimen, quod, quamvis utrobique jus dicebatur, et negotiationes fierent; tamen *fora* majora, et frequentiora, et majoris erant juris, quam *conciliabula.* Ita *Turneb. l. c.* At *Popma* ita distinguit, ut *fora* in oppidis essent, aut vicis, *conciliabula* in agris: illa juri dicundo praesertim destinata, haec nundinis et negotiationibus rusticorum prima institutione assignata. P *Pl. Bacch.* 1, 1, 47. appellat *conciliabula*, et *Trin.* 2, 2, 38. *conciliabula damni* domos meretricum. P Quidam tribuunt etiam *Ciceroni fragm. de Div.*, sed quae afferunt, non sunt *Ciceronis*, sed *Gracchi* ap. *Diomed.* 1, 371. P Ap. *Hieron. ep.* 60. *n.* 12. *conciliabula Martyrum* sunt loca, in quae convenitur ad eorum memoriam celebrandam, ut fana, sacella etc. P Ap. *Tert. Spect.* 8. *conciliabula spectaculorum* sunt loca, in quae conveniunt homines spectandi causa, ut circus, theatra etc.

CONCILIĀTIO, onis, f. actus conciliandi, consociatio, conjunctio, communitas. *Cic. Off.* 1, 41. *extr.* Communem totius generis hominum conciliationem et consociationem, colere, tueri, servare debemus. *Id. N. D.* 2, 31. Dii inter se quasi civili conciliatione et societate conjuncti. P Item commendatio, qua aliquid conveniens alicui redditur, et secundum naturam. *Cic. Fin.* 3, 6. Non inest in primis naturae conciliationibus honesta actio. P Item propensio, proclivitas ad eas res, quae secundum naturam, aut jucunda et utilia sunt. *Id. ib.* Prima est enim conciliatio hominis ad ea, quae sunt secundum naturam. P Item comparatio, acquisitio, captatio. *Id. Cluent.* 31. Pecuniam Staleno dedit Oppianicus, non ad corrumpendum judicium, sed ad conciliationem gratiae. P [*Conciliationem in figuris elocutionis commemorat. *Cic. Or.* 3, 53. Qua scil. orator laudatis eorum, quos alloquitur, moribus vitaeque institutis, cet., mitiores auditorum affectus et benevolentiam, ut ad vincendum valeant, sibi comparare studet. Cf. *Eund. ib.* 2, 43. Adde *Quint. Inst.* 11, 3, 154. *Ernest. lex. techn. lat.* p. 76.] P Pertinet etiam ad conventiones, et contractus. Nam omnis conventio *conciliatio* nominatur, inquit *Donatus* ad *Ter. Eun.* 4, 4, 2., cujus verba V. in CONCILIĀTUS, a, um.

CONCILIĀTOR, oris, m. *διαλλακτής, προξενητής*, qui conciliat, pararius. *Varr. R. R.* 2, 4. Lanius conciliator suillae carnis datus populo, *h. e.* qui parat, condit, commendat, et facit, ut populo sapiat. *Plin.* 9, 59, 85. Piscis conciliator capturae, *h. e.* qui in causa est, cur ceteri capiantur. *Ascon. in Verr.* 2, 2, 8. ubi *Cicero* habet: *quidam istius excursor, et emissarius:* Sic vocantur conciliatores furtorum, *h. e.* qui aliis indicant res auferendas. *Liv.* 27, 15. *ad f.* Conciliator proditionis. *Nep. Att.* 12. Conciliator nuptiarum. *Suet. Aug.* 48. Promptissimus affinitatis cujusque, atque amicitiae conciliator et fautor. *Appul. Apol.* Quietis, et concordiae, pietatis auctor, conciliator, favitor. Adde *Tac. A.* 1, 58. P Specialiter sumitur pro lenone. *Vopisc. Carin.* 16. Matronianum, veterem conciliatorem, praefectum praetorii fecit.

CONCILIĀTRĪCŪLA, ae, f. dim. a *conciliatrix. Cic. Sext.* 9. Erat enim hominum opinioni, nobilitate ipsa, blanda conciliatricula, commendatus.

CONCILIĀTRIX, icis, f. *προξενήτρια*, quae conciliat. *Cic. N. D.* 1, 27. *ad f.* Blanda conciliatrix, et quasi sui lena, natura. *Id. Amic.* 11. Virtutis opinio conciliatrix amicitiae. *Id. Leg.* 1, 9. Vis orationis conciliatrix est humanae maxime societatis. *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 17. Itaque ancilla, conciliatrix quae erat, dicebat mihi, quo sensu usurpavit etiam *Luc.* ap. *Non.* 1, 86. Hinc *Inscr.* arae ap. *Romanelli Top. Nap. T.* 3. p. 52. Veneri conciliatrici. P Sed est etiam *conciliatrix* honesta. *Festus:* Conciliatrix dicitur quae viris conciliat uxores, et uxoribus viros. P Inscripta fuit *Conciliatrix* una ex comoediis T. Quinctii Attae veteris poetae. V. ATTA.

CONCILIĀTŪRA, ae f. lenocinium, *προαγωγεία. Senec. ep.* 97. Cum Clodius conciliaturas exerceret in ipsa causae dictione.

CONCILIĀTUS, a, um, part. a *concilio*, densatus, spissatus, coactus, bene subactus. Hinc *conciliata tapetia* ex conjectura quidam legunt ap. *Pl. Ps.* 1, 2, 14. et *Stich.* 2, 3, 54., ubi alii *conchyliata*, et *consuta:* alii etiam *consiliata.* V. CONCILIO. P Item congregatus, conjunctus, copulatus. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 26. Traduces bini inter se obvii miscentur alliganturque una conciliati. *Lucr.* 1, 603. Quae minimis stipata cohaerent partibus arcte, Non ex ullorum conventu conciliata. P [*Item comparatus, acquisitus. *Suet. Caes.* 11. Conciliato populi favore.] P Item emptus. *Ter. Eun.* 4, 4, 2. Prodi male conciliate, *h. e.* magno empte, atque adeo male. Adde *Pl. Ps.* 1, 2, 1. [*Adde *Eund. Epid.* 3, 4, 36.] P Item translate benevolus factus, amore conjunctus. *Curt.* 7, 9. *sub f.* Aetatis flore conciliatus sibi. *Cat.* 68, 130. Ut simul est flavo conciliata viro, *h. e.* matrimonio juncta. *Quint.* 4, 2. Proemium idcirco comparatum est, ut judex ad rem accipiendam fiat conciliatior, docilior, et intentior. *Symm. ep.* 9, 37. Est nobis conciliatissimus ob vitae integritatem. *Gell.* 12, 5. Homo voluptati quidem natura conciliatus, a dolore autem abjunctus alienatusque est.

CONCILIĀTUS, us, m. conjunctio, copulatio. *Lucr.* 1, 575. Quorum condenso magis omnia conciliatu Arctari possunt. *Id.* 2, 133. Corpora, quae sunt parvo conciliatu, *h. e.* parva mole, ex paucitate rerum simul concretarum. Adde *ib.* 99., semper tamen in solo sexto casu.

CONCILIĀTŪS, a, um, adj. cilicio amictus. *Tertull. Pudic.* 13.

CONCĪLIO, as, avi, atum, a. 1. *συμπιλόω*, verbum est fullonum, et significat premere, subigere, cogere. *Varr. L. L.* 5, 6. Vestimentum apud fullonem cum cogitur, conciliari dicitur. *Scalig.* in *Conjectan.* deducit a *ciliis*, h. e. pilis: et *χιλίκια* Graece dicuntur quaecumque e pilis confecta. Alii a *salio* derivant, et *consiliari* legunt: atque ajunt significari illam subsultationem, qua fullones pedibus vestimenta subigebant, quam *Senec. ep.* 15. appellat *saltum fullonium:* quod et nostrates vestium infectores facere videmus. Quo allusisse volunt *Pl. Poen.* 1, 1, 60. Placet consilium. *Mi.* immo etiam ubi expolivero, magis hoc tum denum dices: nunc etiam rude est. Haec ex *Vossii Etymol.* P Saepe adhibetur a *Lucretio* pro conjungere, copulare. Ut 2, 900. corpora materiai Conciliantur ita, ut etc. et 5, 466. Omnia quae sursum cum conciliantur in alto, Corpore concreto subtexunt nubila coelum. P Translate significat benevolum, amicum facere, *συναλλάττω. Cic. Att.* 1, 2. Conciliare voluntatem alicujus. *Id. Off.* 2, 5. animos hominum, et ad usus suos adjungere. *Id. Fam.* 12, 23. sibi legiones pecunia. Adde *Liv.* 21, 20. *ad f.* [*Tac. *H.* 1, 18. Constat, potuisse conciliari animos quantulacumque parci senis liberalite. Adde *Eund. ib.* 2, 58. *Hor. A. P.* 196. Ille (chorus) bonis faveatque et concilietur amice.] Sic *Calp. Ecl.* 4, 60. truces haec fistula tauros Conciliat. P [*Item reconciliare, pacare. *Tac. A.* 6, 23. Quia rumor incedebat, fore ut nurui ac nepoti conciliaretur Caesar. *Ov. Fast.* 1, 337. Deos homini quod conciliare valeret, Far erat.] P Pro commendare. *Cic. Acad.* 4, 42. *extr.* Frui iis rebus, quas primas homini natura conciliavit. *Ov. Trist.* 3, 11, 41. Quique bovem Siculo fertur donasse tyranno, Et dictis artes conciliasse suas. P Pro conjungere. *Cic. Dejot.* 14. Dejotarus, quocum mihi amicitiam respublica conciliavit. *Id. Fam.* 10, 27. Conciliare pacem inter cives. *Id. ib.* 5, 7. Non dubito, quin respubl. nos inter nos conciliatura conjuncturaque sit. *Id. Rosc. Am.* 22. *extr.* Feras inter se partus, atque educatio, et natura ipsa conciliat. P Specialiter hoc sensu est verbum nuptiarum, et amoris. Nam *conciliare* dicuntur, qui nuptias inter aliquos, vel lenocinii opera amores jungunt. *Ov. Amor.* 1, 13, 42. Num me nupsisti conciliante seni? *Pl. Trin.* 2, 2, 104. Tute ad eum adeas, tute concilies, tute poscas. *Suet. Caes.* 50. Existimabatur etiam filiam suam Tertiam Caesari conciliare. *Justin.* 7, 6. Uxorem duxit, conciliante nuptias fratre. *Stat. Silv.* 3, 5, 69. Conciliare toros jugales. *Pl. Mil.* 3, 1, 206. aliquam ad aliquem, *h. e.* adducere. *Claud. in Eutr.* 1, 203. Te magis, ah demens, veterem si respicis artem, Conciliare decet. P Pro comparare, acquirere. *Cic. Verr.* 2, 2, 58. Inventa est ratio, quare iste HS CXX. millia uno genere conciliarit et ceperit. [*i. e. injustis modis eripuerit. Adde *ib.* 55. et 2, 3, 30. 84.] *Id. Cluent.* 3. Si quis mihi Deus vestram ad me audiendum benevolentiam conciliarit. *Id. Arch.* 8. Conciliare sibi amorem ab omnibus. [*Tac. *A.* 1, 41. Ad concilianda vulgi studia. *Id. ib.* 11, 3. Quaeque alia conciliandae misericordiae videbantur. *Suet. Cal.* 3. Conciliandae hominum gratiae studium.] P Pro parere, afferre. *Id. Mur.* 20. Gloriam conciliat magnitudo negotii, gratiam aequitatis largitio. *Liv.* 29, 22. Ipsa deformitas Pleminii favorem ad vulgum conciliabat. *Plin.* 14, 18, 22. Duo genera vini: unum quo somnus concilietur, alterum, quo fugetur. *Id.* 33, 1, 4. Conciliare auctoritatem alicui. *Cic. Part.* 15. fidem. *Auct. Dial. de Or.* 9. Carmina et versus dignitatem nullam auctoribus suis conciliant. *Nep. Tim.* 3. Tantum otium toti insulae conciliavit, ut etc. *Stat. Theb.* 9, 449. Conciliare vires alicui, *h. e.* augere, addere. *Quint.* 6, 3. risum. P In malam partem. *Lucr.* 3, 877. Conciliare alicui incommoda. *Plin.* 28, 8, 29. inimicis odium omnium hominum. P Interdum significat aggregare, adsciscere. *Tac. A.* 15, 51. Spem dedit posse impelli, et plures conciliare. [*Id. *ib.* 16, 14. Pammenem similitudine fortunae sibi conciliat, i. e. amicum sibi et socium parat. *Virg. A.* 10, 151. Mezentius arma Quae sibi conciliet, edocet, i. e. in auxilium sibi adjungat.] P Ponitur non raro pro emere, item pro medium se praebere in contractibus emptionis, et venditionis. [*Den Mäkler machen.] *Pl. Poen.* 3, 5, 24. Qui illum dudum conciliaverunt mihi peregrinum Spartanum. *Id. Ep.* 3, 4, 35. *Mi.* Estne empta mihi haec? *Pe.* Istis legibus habeas, licet. *Mi.* Conciliavisti pulcre, *h. e.*

vili emisti. Sic *Pers.* 4, 3, 69. Recte conciliare. Contrarium est *male conciliare.* V. CONCILIATUS. ℙ Conciliare captivum in aliquem locum, *Id. Capt.* 1, 2, 28. dixit, *h. e.* redimendo adducere. ℙ Ap. *eund. Trin.* 4, 2, 14. *conciliare nugas* est comparare, conficere, perficere. ℙ Ap. *Tac. A.* 16, 23. *conciliare provinciam ad spes novas* est sibi adjungere, secum trahere ad spes novas. ℙ Denique pro miscere, commiscere usurpavit *Seren. Sammon.* 40, 754. Gramen hyoscyami cerae, sevoque vetusto Concilia, mixtisque locos perduce dolentes. ℙ [Part. *Conciliandus* ap. *Ov. Her.* 6, 94. Moribus et forma conciliandus amor. *F.*]

CONCĬLĬUM, ii, n. primo creditur esse vox artis fullonicae, qua significetur coactio, coagmentatio. V. v. praec. ℙ Deinde ponitur pro quavis conjunctione, seu coagmentatione. *Lucr.* 1, 483. Corpora sunt porro partim primordia rerum, Partim concilio quae constant principiorum. Adde *ib.* 183. et *ib.* 2, 109. et 119. ℙ Translate (quamquam *Fest.* putat dictum esse quasi *concalium*, a *con*, et *calando*, h. e. convocando) est conventus hominum in unum locum deliberandi causa convocatorum, *συνέδριον.* Quidam *Laelius* vetus scriptor apud *Gell.* 15, 27. docuit, *concilium* et *comitia* in hoc differre, quod in his universus populus, in illo pars aliqua tantummodo convocetur. *Cic. Dom.* 28. Plebi quoque urbanae majores nostri conventicula, et quasi concilia quaedam esse voluerunt. Al. leg. *consilia. Id. Fin.* 2, 24. Opiniones, quae in senatu, quae apud populum, quae in omni coetu concilioque proferendae. *Id. N. D.* 8. Tanquam modo ex Deorum concilio, et ex Epicuri intermundiis descendisset. *Id. Div.* 1, 24. Vocari in concilium. *Caes. B. G.* 1, 40. Convocare: et *Virg. A.* 10, 2. Vocare concilium. Al. leg. *consilium.* [*Gr. *ἀγορὴν καλέσαι.* Caeterum concilium vocare solemnis est formula. Adde *Virg. A.* 11, 304. Cogere concilium. *Caes. B. G.* 6, 3. Concilium transferre in alium locum. *Curt.* 6, 11, 9. Concilium in posterum diem distulit.] *Liv.* 1, 50. Indicere concilium. *Cic. Leg.* 2, 12. Concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere. *Id. Inv.* 2, 12. Habere concilium populi. *Id. Fin.* 2, 4. Tanquam meretricem in matronarum coetum, sic voluptatem in virtutum concilium adducere. *Liv.* 1, 54. Adhibere aliquem in concilium: et *Caes. B. G.* 1, 40. ad concilium, *consilium* alii utroque loco leg., quod saepissime in libb. accidit, ut duo haec nomina confundantur. [*Neque facile multis in locis discernere licet, utrum *consilium an concilium* legendum sit: nam hoc dicitur de consessu audientium, illud deliberantium. Ita explicat *Ernest.* in *cl. Cic.* s. v. *consilium.*] ℙ Hac significatione adjunctum etiam habet patrium casum *conventus. Tabula aenea Romae reperta in Aventino ann.* 1776., ap. *Morcell. de stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 290. *edit. Patav.* Concilium conventus Cluniensis. ℙ Sumitur et pro comitiis populi R. *Liv.* 3, 71. Concilio populi a magistratibus dato. V. ibi reliqua, et adde 7, 5. ℙ Item pro concione. *Liv.* 24, 37. *extr.* Sibi darent populi concilium, ut sciretur, utrum etc. *Nep. Timol.* 4. Habere concilium populi. ℙ Item pro paucorum conventu. *Id. Epam.* 5. Habere concilium amicorum. Al. leg. *consilium.* ℙ [*Dicitur etiam de animalibus. *Ov. Met.* 10, 141. Inque ferarum Concilio medius, turba volucrumque sedebat.] ℙ Item pro quacumque copulatione et conjunctione. *Ov. Met.* 1, 710. Hoc mihi concilium tecum manebit, *h. e.* hoc pacto tibi ero conjunctus. Al. leg. *consilium. Lucr.* 2, 108. Multaque praeterea magnum per inane vagantur, Conciliis rerum, quae sunt rejecta, *h. e.* quae cum aliis ab aliarum rerum coagmentatione et compositione semota sunt. Et *ib.* 119. Conciliis et discidiis exercita crebris, *h. e.* crebro simul haerentia et invicem discreta. *Arnob.* 2, 54. Corporalibus conciliis fetus ferae procreant, *h. e.* concubitu maris et feminae. ℙ *Concilium nominis* ap. *Tertull. Pall.* 4. est compositio nominis ex duabus vocibus conflati, ut *Salm.* adnotavit. Al. tamen leg. *consilium.* ℙ Denique *concilium* est flos iasiones herbae, quae uno folio constat, sed ita implicato, ut plura videantur; unde fortasse nomen, nempe a folio conciliato et coagmentato: vel potius ita appellatur, quia amores conciliat; nam *Plin.* cum illius meminisset 21, 17, 65., iterum mentionem facit his verbis 22, 23, 39. Concilium vocant: et hujus eadem commendatio ad stimulandos coitus. V. *Arnobii loc.* supra.

CONCĬNENS, entis, part. a *concino*, una canens, et metaphorice concors, consentaneus, cohaerens. *Arnob.* 3, 123. Ut videtis, hic quoque nihil concinens dicitur, nihil una pronunciatione finitur.

CONCĬNENTĬA, ae, f. idem quod concentus: a *concino*, *is. Macr. Somn. Scip.* 2, 2. *extr.* Musicae concinentiae necessitas. Et *ib.* 3. *in.* Octo musicos cantus, et unam maxime concinentiam, quae confit ex omnibus. ℙ Translate est recta proportio partium. *Sidon. ep.* 8, 4. Parietes ad concinentiam architectonicam fabre locati. *Concinnantiam* hic quidam reponunt a *concinnus:* sed hoc a Latina consuetudine longius abest.

CONCĬNĔRĀTUS, a, um, adj. cinere conspersus. *Tertull. Pudic.* 13.

CONCINNANTĬA. V. CONCINENTIA.

CONCINNĀTĬCĬUS et Concinnatitius, a, um, adj. *Appul. Met.* 2. Nam Milonis boni concinnaticiam mensulam rogatus accubueram, *h. e.* concinne instructam.

CONCINNĀTĬO, onis, f. *συσκευή*, actus concinnandi. Legitur apud *Caton. R. R.* 106. *in lemmate*, ubi agitur de ratione aquae marinae concinnandae, *h. e.* condiendae. ℙ Apud *Auson. ep.* 17. *concinnatio epistolae* est ipsa epistolae compositio, seu ipsa ratio epistolae conscribendae. Adde *ep.* 7. et 15. *Marius Victorin.* p. 2547. Quae ex iisdem veluti fontibus derivata innumerabiles metrorum species, nunc per adjectionem, nunc detractionem, aut transmutationem, vel concinnationem processisse videantur.

CONCINNĀTOR, oris, m. qui concinnat. *Colum.* 1. *praef.* Capitum et capillorum concinnatores. ℙ Item qui comminiscitur, et arte, dolo, fallaciis conficit aliquid. *Arnob.* 4, 149. Concedamus, deformitatum tantarum concinnatores esse atque inventores poetas. *Sidon. ep.* 3, 13. Sutores fabularum, concinnatores criminum. *Ulp. Dig.* 1, 16, 9. Circa advocatos patientem esse proconsulem oportet: nec ideo dissimulare, si quos causarum concinnatores vel redemptores deprehendat.

CONCINNĀTORĬUS, a, um, adj. *Paul. Dig.* 33, 9, 6. Instrumentum pistrini, item universa vasa concinnatoria in penu non continentur, *h. e.* vasa condiendis cibis apta: nam *concinnare* etiam condire significat. Sed rectius leges *concinatoria* vel *coquinatoria.* V. COQUINATORIUS.

*CONCINNĀTŪRA, ae, f. concinnantia. *Κόλλησις Vet. Gloss. Cyrill. B. A.*

CONCINNĀTUS, a, um, part. a *concinno*, adornatus, instauratus, refectus. *Pl. Men.* 3, 2, 1. Ego tibi hanc *(pallam)* hodie probe Lepideque concinnatam referam temperi. ℙ Item compositus. *Appul. Met.* 7. Cadaver, disjectis partibus tandem totum repertum, aegreque concinnatum, terrae dedere.

CONCINNĔ, adv. *κομψῶς*, composite, apte, convenienter, eleganter. *Pl. Epid.* 2, 2, 38. Vestita, aurata, ornata ut lepide! ut concinne! ut nove! ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 19. Haec sunt concinne distributa, sed non perite. *Id. Rosc. Com.* 16. *ad f.* Rogare aliquem blande et concinne. *Auson. Grat. act. ad Gratian.* 8. Concinnius eloqui. *Front. de or.* 1. (ed. iterum Romae *A. Maio* p. 242.) Aquae de sipunculis *(pro* siphunculis) concinnius saliunt, quam de imbribus. ℙ Significat etiam facete. *Cic. N. D.* 2, 27. Concinne, ut multa, Timaeus, qui cum dixisset etc.

CONCINNIS, e, adj. idem quod concinnus, aptus. *Appul. Met.* 5. Lucernam concinnem, completam oleo subde aliquo tegmine. Alii rectius leg. *Lucernam concinne completam oleo.*

CONCINNĪTAS, atis, f. *ἁρμονία*, aptitudo, convenientia, elegantia plurium rerum inter se apte compositarum: et aliquando in malam partem sumitur pro ornatu nimis exquisito. *Senec. ep.* 115. Non est ornamentum virile, concinnitas. *Gell.* 2, 26. Concinnitates colorum. *Cic. Brut.* 95. Ornata concinnitas sententiarum. ℙ Specialiter in oratione est quaedam aptitudo et suavitas dictionis, quae non ex coagmentatione verborum, neque ex quaesito numero nascitur, sed ex usurpatione quarundam figurarum, quae sunt compar, contrapositum, similiter cadens et similiter desinens. His enim quatuor fit oratio per se numerosa et concinna: periodus apte concluditur, auresque auditorum mira suavitate delectat. Exemplum esto in illo *Cic. Mil.* 4. Est igitur haec, judices, non scripta, sed nata lex etc., quod ipse *Cic.* affert *Or.* 49., item in illo *Verr.* 2, 4, 52. Conferte hanc pacem cum illo bello etc., quod item ipse affert *Or.* 50., qui *ib.* 44. de hac ipsa concinnitate sic habet: Collocabuntur igitur verba, aut ut inter se quam aptissime cohaereant extrema cum primis: aut ut forma ipsa, concinnitasque verborum conficiat orbem suum: aut ut comprehensio numerose et apte cadat. V. si lubet *Jac. Ludoic. Strebaeum de elect. et colloc. verb. lib.* 2. *c.* 2. [*Adde *Ernest. lex. techn. lat.* p. 77.]

CONCINNĬTER, adv. concinne. *Gell.* 18, 2. Versus uno multifariam verbo concinniter implicati.

CONCINNĪTŪDO, dinis, f. concinnitas. *Cic. Inv.* 1, 18. Exordium splendoris, et festivitatis, et concinnitudinis minimum debet habere, propterea quod ex his suspicio quaedam apparationis, atque artificiosae diligentiae nascitur.

CONCINNO, as, avi, atum, a. 1. *ἐνθετέω, συσκευάζω. Festus* interpretatur *apte componere:* et a *concinere* deducit, quod significat *convenire. Non.* 1, 207. exponit *facere:* ac derivat a *cinnus*, quod est potionis genus e multis liquoribus confectum: quod etymon *Vossio* in *Etym.* magis placet. Primo valet apte et convenienter res multas inter se componere, adornare, polire, ut *concinnare capillum.* V. CONCINNATOR. *Concinnare vultum* ap. *Petr. Sat.* 113. ornare, comere. Et translate *concinnare ingenium* ap. *Senec. ep.* 7. est ornare, bonis artibus instruere. *Concinnare aream* apud *Pl. Asin.* 1, 3, 64. est purgare, ut offundendo cibo alliciantur aves, et capiantur. *Concinnare struices patinarias* apud *eund. Men.* 1, 1, 26. est adornare varios cibos ad convivium. *Concinnare vinum* ap. *Cat. R. R.* 114, 115. et 122. est variarum rerum compositione admixtum condire ad varios usus medicinae. Ubi est animadvertendum, mirari quodammodo *Plinium*, quod in hoc sensu *Cato* hoc verbum adhibuerit. Ait enim 14, 20, 25. Cato jubet vina concinnari (hoc enim utitur verbo) cineris lixivii cum defruto etc. *Concinnare cadaver* ap. *Appul.* est cadaver membratim discerptum componere sepeliendi causa. V. CONCINNATUS. ℙ Hinc et pro colligere, positum vult *Non.* 2, 170. in illo *Naevii:* Transit Melitam Romanus exercitus, insulam urit, populatur, vastat, rem hostium concinnat. Fortasse *τερατικῶς* locutus est *Naevius*, atque illud voluit dicere, quod Itali, *gli concia pel di delle feste.* ℙ Sumitur etiam simpliciter pro facere, conficere. *Trebon.* ad *Cic. Fam.* 12, 16. Nactus in navigatione nostra pusillum laxamenti, concinnavi tibi munusculum ex instituto meo, *h. e.* versiculos conscripsi. *Pl. Capt.* 3, 4, 69. Me insanum concinnat verbis suis. *Id. Amph.* 1, 3, 32. Concinnare uxorem lacrimantem. *Id. fragm.* apud *Varr. L. L.* 6, 3. Concinnare annonam caram. *Id. Capt.* 4, 2, 38. Lanii concinnant liberis orbas oves, *h. e.* orbas faciunt agnos occidendo. *Senec. ep.* 117. Concinnare alicui multum negotii, *h. e.* facessere, molestiam creare. *Phaedr.* 2, 4. malum, *h. e.* struere, moliri, facere. ℙ Item parare. *Pl. Rud.* 1, 2, 8. Concinnare lutum. *Id. Stich.* 2, 1, 13. Concinnare viam tranquillam, i. e. munire viam. *Id. Truc.* 4, 3, 19. Livorem tu te scapulis concinnas tuis. ℙ Item reficere. *Colum.* 12, 3. *ad f.* Cetera si refectionem desiderant, fabris concinnanda tradantur. *Pl. Men.* 5, 1, 33. Concinnare pallam. ℙ *Concinnare se levem suis* ap. *eund. Trin.* 3, 2, 58. est praebere se facilem suis. ℙ Si *Nonio* credimus *l. c.* significat etiam consentire. Sed profecto *concinnare* confundit cum *concinere:* et loca *Cic.*, quae affert ex *Fin.* 4, 22. et ex *fragm. Acad.* 2., in correctioribus libb. *concinere* habent: idem dicito de alio loco *Fin.* 5, 28. qui affertur ab nonnullis lexicogr. ad confirmandam *Nonii* sententiam. ℙ [Part. *Concinnans* ap. *Hieron. praef.* in *l.* 4. *Jerem.* Calumnias concinnantes. *F.*]

CONCINNUS, a, um, adj. *εὐσύνθετος*, apte compositus, conveniens, elegans. Etymologiam V. in v. praec. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. Totum in eo est, tectorium ut concinnum sit. *Pl. Pers.* 4, 3, 77. Virgo concinna facie. *Hor. ep.* 1, 11, 2. Concinna Samos. *Plin.* 16, 34, 62. Helicis folia angulosa et concinniora, *εὐρυθμότερα* habet *Theophr. H. P.* 3, 18. de eadem re verba faciens. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 23. Pictor elegans et concinnus. ℙ Saepe transfertur ad orationis elegantiam, ornatum, numerum significandum. *Cic. Brut.* 95. Sententiae non tam graves et severae, quam venustae et concinnae. *Id. Or.* 3, 27. Oratio concinna, distincta, ornata, festiva. *Id. ib.* 53. Reditus ad rem aptus et concinnus. *Id. Fin.* 5, 5. Aristo concinnus et elegans. *Id. Pis.* 25. Ut es homo facetus, ad persuadendum concinnus, perfectus, politus e schola. *Id. Or.* 6. Alii in eadem jejunitate *(dicendi)* concinniores, idest faceti, florentes etiam, et leviter ornati. [**Id. ib.* 19. Sententias concinnas magis exquirunt, quam probabiles philosophi, *h. e.* quae magis propter acumen placeant, quam veritatem. *Ernest. cl.* s. h. v.] *Hor. Ep.* 2, 1, 74. Versus paulo concinnior. *Nep. Epam.* 15. Concinnus in brevitate respondendi, *h. e.* apposite, et paucis respondens. ℙ *Concinnus helluo* festive dicitur a *Cic.*, qui quandam in ipsa helluatione elegantiam, munditiam, et artificium sectatur: *Pis.* 10. Cum ipse nudus in convivio saltaret: hic autem non tam concinnus helluo, nec tam musicus, jacebat in suo Graecorum foetore atque vino. ℙ *Concinnum est*, commodum est, conveniens, utile est. *Pl. Mil.* 4, 2, 33. Age, age, ut tibi concinnum est. ℙ *Concinnus amicis* est, cui cum amicis bene convenit. *Hor. Sat.* 1, 3, 50. ineptus, Et jactantior hic paulo est: concinnus amicis Postulat, ut videatur.

CONCĬNO, is, inui, entum, a. 3. *συνάδω, συμφωνέω*, idem quod cano, vel simul cano: a *con* et *cano. Cic. Tusc.* 1, 44. Haec cum pressis et flebilibus modis concinuntur, difficile est etc. *Suet. Cal.* 54. Concinere tragoedo pronuncianti. *Tibull.* 2, 5, 88. *de Phoebo.* Qualem te memorant Saturno rege fugato, Victori laudes concinuisse Jovi. *Ov. Amor.* 3, 9, 23. *de eod.* Aelinon in silvis idem pater, Aelinon, altis Dicitur invita concinuisse lyra. Et *ib.* 12, 1. tristia semper amanti Omina non albae concinuîstis aves. *Liv.* 9, 32. Concinunt tubae, et signa inferuntur. *Hor. Od.* 4, 2, 33. Concines majore poeta plectro Caesarem. Et

ib. 41. Concines laetosque dies etc. *Liv.* 6, 35. *ad f.* Faxo, ne juvet vox ista, Veto, qua nunc concinentes collegas nostros tam laeti auditis. [**Suet. Cal.* 6. Expergefactus e somno Tiberius est, gratulantium vocibus, atque undique concinentium.] ℙ Translate est convenire, concordare. *Cic. N. D.* 2, 7. Mundi partes inter se concinentes. Et *ib.* 1, 7. Re concinere cum aliquo, verbis discrepare. [*Gr. συνάδειν.] *Plin.* 3, 1, 3. Ita fit, ut nulli duo concinant. V. CONCINNO.

CONCĬO, is. V. CONCIEO.

CONCĬO, onis, f. *ἐκκλησία*, conventus et coetus populi ad oratorem audiendum: non tamen quilibet, inquit *Festus*, sed is, qui a magistratu, vel a sacerdote publico per praeconem convocatur: quamquam de subitaria etiam coitione dici potest: a *con*, et *cieo*, vel *cio* convoco: neque enim placet, a coactione derivari, ut *Varr. L. L.* 5, 6. velle videtur. *Cic. Amic.* 25. Concio, quae ex imperitissimis constat, tamen etc. *Id. Or.* 2, 59. Quid aliud fuit, in quo concio rideret, nisi etc. *Id. Verr.* 2, 2, 50. Concio conventusque civium. *Id. Sext.* 12. Advocare concionem. *Id. Acad.* 4, 47. vocare. Et *Agr.* 3, 4. *extr.* Convocare aliquem in concionem. *Id. in Senat.* 6. producere. *Id. Agr.* 3, 1. prodire, et *Curt.* 6, 9. procedere. ℙ [**Concionem alicui dare*, apud *Cic. Att.* 4, 2. dicuntur magistratus, cum privatum hominem, cui ex rostris cum populo agendi potestas non est, in concionem producunt, eique dicendi potestatem faciunt. *Ernest.* in *cl.*] *Sall. Jug.* 8. Laudare aliquem pro concione. Sic *Curt.* 10, 16. Recitare litteras pro concione. *Id.* 7, 2. Dimittere concionem. [**Tac. A.* 11, 35. Parata concione militum. *Id. ib.* 1, 44. Stabant pro concione legiones, destrictis gladiis.] ℙ Dividitur *concio* contra senatum. *Tac. A.* 4, 40. Dato tempore, vel in senatu, vel in concione non reticebo. ℙ Pro loco, ubi concio convocata est. *Cic. in Senat.* 5. et *Fin.* 2, 22. Ascendere in concionem, *h. e.* in suggestum, vel in rostra, unde ad concionem verba fiunt. Adde *Verr. Fl.* ap. *Gell.* 18, 7. ℙ Item pro ipsa oratione, quae ad concionem habetur, *δημηγορία. Cic. Agr.* 2, 1. Habent concionem, in qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungunt. *Id. Fam.* 9, 14. Legi concionem tuam: nihil illa sapientius. *Id. Att.* 4, 3. Conciones turbulentae Metelli, temerariae Appii, furiosissimae Publii. *Caes. B. C.* 3, 73. Habere concionem apud milites. *Id. ib.* 2, 18. Habere conciones graves in aliquem. [*Ita saepius *conciones* absolute dicuntur orationes sive scriptae sive coram populo habitae, castigandi, constringendi, movendae seditionis causa, cet. *Tac. A.* 4, 34. Antonii epistolae, Bruti conciones, falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent. *Id. ib.* 5, 4. Audiri jam et legi novas conciones, nova patrum consulta. *Suet. Tit.* 6. Cum etiam chirographum ejus praeparatae apud milites concionis deprehendisset. Ita *Ernest.* cum *Oudend.* pro *conjurationis.*] *Liv.* 21, 45. et *Curt.* 6, 2. Vocare exercitum ad concionem. Adde *Gell. l. c.* [**Cic. Or.* 2, 198. Funebris concio, sc. in qua laudatio habetur.] ℙ Pro oratiunculis, quas historici inserunt historiae suae, ut *Liv.*, *Curt.*, *Sall.* etc., habes exemplum *Plin. ep.* 1, 16. [*Conf. *Ernest. lex. techn. lat.* p. 78.] ℙ *In concione* adv. quodammodo est, et significat palam, coram populo. *Cic. Att.* 15, 15. Quae quidem erunt *φιλόλογα*, et dignitatis meae: ut vel in concione dicere auderem. *Id. Fam.* 8, 7. *extr.* Epistolam tuam conscidi innocentem: nihil enim habebat, quod non vel in concione recte legi posset. ℙ *Conciones* pro iis, qui concionem faciunt. *Petr. Sat.* 14. Conciones, quae ad clamorem confluxerant. Et *ib.* 15. Nescio quis ex concionibus, calvus etc., et *ib. paulo post.* Ridere acumen non minus concionum, quam etc. *Salm.* in his *Petronii* locis reponi vult *cociones:* quam recte, viderint alii. [**Suet. Caes.* 33. Extrema concio, cui facilius erat, videre concionantem, quam audire, pro dicto accepit, quod visu suspicabatur.] ℙ *Festus* docet, antiquos masculino genere posuisse. ℙ In *Inscr.* ap. *Grut.* 506. et 507. scriptum est *contio:* sed non sunt ejusmodi, ut movere quemquam debeant. [*Idem tamen reperiit *A. Maius* in Cod. palimps. *Cic. De rep.* 1, 4. et *Symmach. or.* 1, 12. *B. A. Varro* quoque *contio*, non *concio*, scribendum significat. Probat et *vett. libb.* scriptura Varronis sententiam. *Mediceus* etiam semper contio. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 2, 12.]

*CONCIONABULUM, i, n. locus conventuum. *Innocent.* in *Decretis. B. A.*

CONCIONĀBUNDUS, a, um, adj. concionem habens: et aliquando in malam partem adhibetur de iis, qui sine legitima auctoritate publice in foro, vel per vicos seditiosum aliquid vociferantur. *Liv.* 3, 47. Haec prope concionabundus circumibat homines. *Id.* 5, 30. Haec propalam concionabundus, in dies magis augebat iras hominum. *Tac. A.* 1, 16. *extr.* Promptis jam et aliis seditionis ministris, velut concionabundus interrogabat etc. ℙ In bonam partem *Liv.* 40, 27. Omnes portas concionabundus ipse imperator circumiit etc. Adde 21, 53.

CONCIONĀLIS, e, adj. ad concionem pertinens. *Cic. Q. Fr.* 2, 5. Vehementer actum est, clamore senatus prope concionali. *Id. Att.* 1, 16. *post med.* Concionalis hirudo aerarii, misera ac jejuna plebecula. *Quint.* 9, 4. Genus dicendi concionale, *h. e.* deliberativum. *Liv.* 3, 72. Concionalis senex, *h. e.* assuetus concionibus: peritus concionum.

CONCIONĀRIUS, a, um, adj. qui solet congregari ad concionem. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. Concionario illo populo a se prope alienato. Al. leg. *concionatorio*, al. *concionali. Ammian.* 27, 6. Oratio concionaria.

CONCIONĀTOR, oris, m. *ἐκκλησιαστής*, qui concionem habet. *Cic. Cat.* 4, 5. Quid intersit inter levitatem concionatorum, et animum vere popularem. Ubi videtur *Cic.* intelligere eos, qui multitudinem concitant, et seditionem movent.

CONCIONĀTORĬUS, a, um, adj. *δημηγορικός*, ad concionem pertinens. *Gell.* 1, 11. Tibia quoque illa concionatoria in mentem venit, quam C. Graccho cum populo agenti praeisse ac praemonstrasse modulos ferunt. V. *Cic. Or.* 3, 60.

CONCIONOR, aris, atus sum, dep. I. *δημηγορέω*, concionem habeo; ad populum verba facio. *Cic. Tusc.* 1, 49. Ita, velut e superiore loco concionandum est, ut, etc. *Id. Har. resp.* 5. De religionibus sacris concionatus est Clodius. *Id. Q. Fr.* 2, 6. *ad f.* C. Cato concionatus est, comitia haberi non siturum. *Id. Tusc.* 5, 20. Concionari ex turri alta. *Caes. B. C.* 1, 7. apud milites. *Id. B. G.* 7, 47. Legio decima, quacum erat concionatus. Al. aliter leg. [*Jam dudum explosa est lectio, quae neque cum loci sententia neque cum lat. linguae legibus recte convenit. Gryphianam editionem secuti VV. DD. receperunt, *qua tum erat comitatus. Tac. A.* 1, 61. Quo tribunali concionatus Arminius.] *Suet. Aug.* 84. Concionari ad populum. ℙ Absolute. *Plin.* 37, 9, 37. Iaspidem concionantibus utilem esse prodiderunt. *Suet. Rhet.* 6. More concionantis. [**Quint. Inst.* 7, 6. p. 639. Ex meretrice natus ne concionetur.] ℙ Pro publice dicere, prodere, *Lactant.* 4. 18. *post med.* Idem hoc futurum, etiam Sibylla concionata est. ℙ [*Dicitur etiam de histrionibus. *Cic. Sext.* 55. Caterva tota clarissima concentione concionata est. — Item de advocatis. *Tac. A.* 11, 7. Prompta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius, aut C. Curio, concionari soliti sint.]

CONCĬPĬLO, as, a. 1. videtur factum a *compilo*, epenthesi *νοῦ ci*, (V. INCITEGA) ejusdem enim est significationis. Nam quemadmodum *Non.* 1, 42. *suppilare* interpretatur *involare*, vel *rapere*, ita *Festus:* Concipilavisti, inquit, dictum a Naevio pro corripuisti, et involasti. *Pl. Truc.* 2, 7, 61. Etiam scelus viri, minitare? quem ego offatim jam jam jam concipilabo, *h. e.* corripiam, lacerabo, discerpam. Superius *v.* 52. et infra *v.* 65. offatim te, *inquit*, machaera conficiam.

CONCĬPĬO, is, cepi, ceptum, a. 3. *συλλαμβάνω*, idem quod capio, vel simul, aut intus capio, comprehendo, contraho, recipio. *Lucr.* 6, 502. Nubes concipiunt marinum humorem. [**Ov. Met.* 1, 271. Concipit Iris aquas, i. e. colligit.] *Varr. L. L.* 4, 25. Trulleum latius concipit aquam. *Caes. B. C.* 2, 14. Ut uno tempore turris tormentaque flammam conciperent. *Plin.* 24, 17, 101. Concipere ignem e longinquo. [**Ov. Met.* 15, 347. Et habentem semina flammae Materiam jactant, ea concipit ictibus ignem.] *Cic. N. D.* 1, 55. Pars animae redditur respirando, pars concipitur cordis parte quadam, quam, etc. *Colum.* 7, 5. *post med.* Concipere morbum. *Plin.* 21, 13, 44. Flores noxium virus concipiunt, aquoso vere marcescentes. *Ulp. Dig.* 47, 7, 3. Arbor, quae radicem non conceperit. *Plin.* 16, 31, 57. Platani plurimum ventorum concipiunt propter densitatem ramorum. [**Curt.* 4, 3, 2. Et cum magnam vim venti vela quoque concepissent. *Ov. Met.* 12, 569. Non concipientibus auras Infirmis pennis. *Quint. Inst.* 11, 3. *extr.* Ventum concipere veste. *Ov. Met.* 1, 337. Buccina concepit aëra. *Curt.* 3, 6. Medicamentum concipitur venis.] ℙ *Concipere aquam* est e flumine, aut lacu in aquaeductum derivare, quo in urbem perducatur. *Front. Aquaed.* 11. Concipitur Augusta ex lacu Alsietino, via Claudia, milliario decimoquarto. ℙ *Concipere nuces sesquimodio*, ap. *Varr. R. R.* 1, 7. Verba sunt: Nuces integras, quas uno modio comprehendere possis, si fregeris, vix sesquimodio concipere possis. ℙ Saepe dicitur de feminis, quae semen ad fetum comprehendunt. *Cic. Cluent.* 12. Ut id quod conceperat, servaret, ut salvum parere posset. *Varr. R. R.* 2, 1. Quaedam e vento concipiunt certo tempore equae. *Plin.* 9, 51, 75. Pisces ova concipiunt. ℙ Item de inanimis, quae aliquid producunt. *Cic. N. D.* 2, 10. Semina, quae terra concipit. *Plin.* 16, 25, 39. *concipere arbores* dicit, cum primum germinant. [**Virg. G.* 1, 87. Concipiunt terrae pabula.] *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 4. Frumenta quaedam in tertio genu spicam incipiunt concipere. [**Ov. Met.* 6, 397. Terra Concepit lacrymas, ac venis perbibet imis. *Id. ib.* 4, 611. Quem pluvio Danae conceperat auro.] ℙ Translate ponitur pro comprehendere, intelligere. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 11. Quae neque concipi animo, nisi ab iis, qui videre, neque humano sermone enarrari possunt. *Id.* 33, 4, 21. Fragor, qui concipi humana mente non potest. *Cic. Off.* 3, 29. Quod ita juratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est. *Id. Leg.* 1, 22. Rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo et mente concipere. *Plin.* 3, 5, 9. Concipere aestimationem dignam alicujus rei. *Quint.* 9, 1. cogitationem. [**Plin. ep.* 3, 9. Concipere animo potes, quam simus fatigati, quibus toties agendum, toties altercandum. *Curt.* 5, 11, 7. Quantum ex vultu concipi poterat, i. e. conjici.] Et cod. sensu, 8, 3. et 12, 10. visionem. [**Plin. Pan.* 14, 5. Admirationem alicujus concipere.] ℙ Cum infinito. *Cels. praef.* 7. *sub f.* Ego eundem quidem hominem posse omnia ista praestare concipio, *h. e.* intelligo, video, admitto. (Adde 4, 1. *post med.*) *Vellej.* 2, 117. Concepit, esse homines, qui nihil, etc., *h. e.* putavit, in animum induxit. *Tac. A.* 2, 39. Agrippam ferre ad exercitus, non servili animo concepit. Adde *Cels.* 4, 1. *a med.* et *Ov. Pont.* 2, 2, 9. ℙ Item pro suscipere, admittere. *Cic. Off.* 1, 34. Concipere dedecus. *Id. Tusc.* 1, 30. fraudes. *Id. Verr.* 2, 1, 4. scelus in se. *Id. ib.* 2, 4, 45. *ad f.* cupiditatem. *Id. Leg.* 3, 14. vitia. *Ov. Met.* 10, 582. laudando concipit ignem, i. e. amorem. *Id. ib.* 1, 166. Concipere animo iras ingentes. Et *ib.* 2, 640. furores fatidicos mente. Et *ib.* 15, 336. vires. *Virg. A.* 11, 368. robur pectore. *Id. ib.* 519. curam ducis. *Petr. Sat.* 97. spem. *Curt.* 10, 2. spem ex aliquo. *Vellej.* 2, 106. spe aliquid. *Caes. B. C.* 3, 6. inimicitias. *Cic. ad Quirit.* 1. odium in aliquem. *Ov. Fast.* 1, 485. metum. ℙ Item cogitare, meditari. [**Hor. Od.* 2, 13, 9. Ille venena Colcha, Et quidquid usquam concipitur nefas, Tractavit.] *Ov. Met.* 2, 76. Forsitan et lucos illic, urbesque, domosque Concipias animo, delubraque ditia donis Esse. *Id. Pont.* 2, 7, 16. Pectore concipio nil nisi triste meo. *Id. Met.* 7, 22. Concipere thalamos. *Stat. Silv.* 5, 1, 3. Concipere solatia alicui, *h. e.* solatia in aliquem meditari. *Quint. prooem.* 6. Concipere summa de aliquo. *Martial.* 8, 56. de Virgilio: Protinus Italiam concepit, et Arma virumque, qui modo vix Culicem fleverat ore rudi. ℙ Item exprimere, pronunciare, proferre: et dicitur de iis, quae certa verborum ratione, et formula comprehensa dicuntur. *Liv.* 3, 5. Difficile est, quot ceciderint, exacto affirmare numero: audet tamen Antias Valerius concipere summas. *Ov. Met.* 7, 594. Concipere vota. *Senec. Herc. fur.* 926. preces. [*Adde *Ov. Fast.* 1, 182.] ℙ *Concipere verba* est verborum formulam exprimere, quam alius totidem verbis referat. Ex. gr. *concipere verba juramenti*, vel *juramentum*, praeire juraturo verba juramenti: *concipere vadimonium*, proferre formulam vadimonii, etc. *Liv.* 7, 5. Stans ferro intento, nisi in quae concepisset verba, juraret, se patris ejus accusandi causa concilium plebis nunquam habiturum, se eum exemplo transfixurum minatur. *Tac. H.* 4, 41. Senatus jusjurandum concepit, quo, etc. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. Negat, in tanta multitudine quemquam fuisse, qui vadimonium concipere posset. ℙ Aliquando *concipere verba*, *preces* dicitur is, qui dictata ab aliis verba pronunciat. *Senec. Troad.* 1100. Dum verba fatidici, et preces Concipit Ulysses vatis. *Tac. H.* 4, 31. Cum cetera jurisjurandi verba conciperent, Vespasiani nomen haesitantes aut etiam silentio transmittebant. ℙ *Concipere aliquid verbis* est aliquid certa verborum formula exprimere. *Cic. Off.* 3, 29. *ad f.* Quod ex animi tui sententia juraris, sicut verbis concipitur jure nostro. ℙ *Concipere libellum*, *edictum*, etc. apud JCtos est certis verbis comprehendere, ac describere. *Ulp. Dig.* 13, 6, 1. Qui edictum concepit, commodati fecit mentionem. *Id. ib.* 48, 19, 9. Ne tabelliones instrumenta forment, neve libellos concipiant. Sic *Id. ib.* 41, 1, 38. *circa med.* Concipere stipulationem. *Jabolen. ib.* 5, 1, 35. obligationem in futurum. *Cajus ib.* 4, 5, 8. actiones in bonum, et aequum. ℙ *Concipere foedus* ap. *Virg. A.* 12, 13. est verborum foederis exprimere formulam, et foedus facere. ℙ *Concipere diem*, *ferias*, *sacra*, *bellum* est certis verbis dies, ferias, aut bellum indicere. *Varr. L. L.* 5, 3. Ubi viae competunt, tum in compitis sacrificatur: quotannis is dies concipitur. *Liv.* 5, 17. Magistratus vitio creatos, Latinas sacrumque in Albano monte non rite concepisse. *Varr. L. L.* 4, 15. Per feciales fiebat, ut justum conciperetur bellum. ℙ *Concipere bellum alicui* singulari constructione dixit *Silius* pro conceptis verbis jurare, se bellum alicui illaturum. Locus est *l.* 13., ubi Amilcar de Annibale loquens, ait *v.* 744. decimum modo coeperat annum Excessisse puer, nostro cum bella Latinis Concepit jussu. V. 1, 77. et seqq. et *Liv.* 21, 1. ℙ *Concipere furtum* V. in CONCEPTUS et in LANX. ℙ In re augurali *concipere templum* est locum in coelo conceptis certisque verbis definire, intra quem auguria capienda sint. *Varr. L. L.* 6, 2. ℙ Denique *Serv.* ad *supra cit. A.* 12. docet *concipere vesti-*

menta dici sarcinatores, cum e diverso conjungunt, et adsuunt. Quam recte et vere, ipse viderit. ℙ [Part. *Concepturus* ap. *Tertull. adv. Marc.* 3, 13. Conceptura et paritura juvencula. *F.*]

CONCĪSĒ, adv. *συντόμως*, stricte, concisa ratione. *Quint.* 12, 2. *ante med.* Quamquam ea (*dialectica*) non tam est minute atque concise in actionibus utendum, quam in disputationibus.

CONCĪSĬO, onis, f. actus concidendi, *ἐντομή, ἐπιζοπή. Cic. Part.* 6. Dilucidum fit usitatis verbis, propriis, dispositis aut circumscriptione conclusa, aut intermissione, aut concisione verborum, *h. e.* aut comprehensione continua, aut membratim intermissa, aut caesim abrupta. V. *Or.* 63. triplicis hujus modi exemplum.

CONCĪSOR, oris, m. qui concidit. *Coripp.* 4, 22. gemit undique fessus Concisor nemorum, crebrisque securibus ictus Congeminant.

CONCĪSORĬUS, a, um, adj. ad concidendum pertinens. *Veg. Veter.* 1, 56. Ferramento concisorio animalium soleas purgare.

CONCĪSŪRA, ae, f. *ἐντομή*, actus concidendi, concisio. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 6. Quam statuam inaurari jussit Nero; dein cum pretio periisset gratia artis, detractum est aurum: pretiosiorque talis existimatur, etiam cicatricibus operis atque concisuris, in quibus aurum haeserat, remanentibus. Al. leg. *conscissuris. Senec. ep.* 100. *ante med.* Desit sane varietas marmorum, et concisura aquarum cubiculis interfluentium, *h. e.* minuta divisio aquarum, quae tubulis concipiuntur, ut in varias aedium partes influant.

CONCĪSUS, a, um, *συγκεκομμένος*, caesus: a *concido. Ov. Fast.* 2, 647. Ligna senex minuit, concisaque construit alte. *Plin.* 26, 8, 37. Radix minute consisa. ℙ Item percussus. *Juven.* 3, 300. Pulsatus rogat, et pugnis concisus adorat. ℙ Item divisus, distinctus. *Juv.* 14, 291. Concisum argentum in titulos, faciesque minutas, *h. e.* in pecuniam redactum. *Plin.* 16, 38, 73. Materies concisa nodis, *h. e.* arboris truncus, vel trabs nodis distincta. *Id.* 10, 29, 43. de cantu lusciniae. Nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, *h. e.* respiratione distincta, atque, ut ita dicam, interrupta. ℙ De exercitu adverso proelio caeso. *Cic. Att.* 5, 16. *ad f.* Concisos exercitus nostros a Barbaris nunciabant. ℙ Est etiam intercisus, interruptus. *Caes. B. G.* 3, 9. Pedestria itinera concisa aestuariis. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 12, 5. Nondum erat vestris tam gravissimis, tamque multis judiciis, ignominiisque concisus. ℙ Saepissime refertur ad genus dicendi, et ponitur pro adstricto, brevi: quod quae necessaria omnino non sunt, concidunt atque omittuntur. *Cic. Brut.* 17. Concisae sententiae. *Id. Or.* 3, 53. Distincte concisa brevitas. Et 2, 14. *ad f.* Augustae et concisae disputationes. *Quint.* 6, 4. Brevis et concisa actio. *Plin.* 2, 47, 46. Nimis subtilis, et concisa ratio. ℙ *Concisa oratio* dicitur, quae brevioribus incisis constans, non continua, sed veluti membratim concisa est. *Cic. Or.* 2, 80. Quamquam hoc ipsum *effertur*, *imus*, concisum est. *Id. Or.* 13. Thrasymachus concisus minutis numeris. *Quint.* 9, 4. Compositio multis clausulis concisa subsultat. *Id. Decl.* 17, 15. *extr.* Multum palloris attoniti, concisa verba, trepida suspiria. [*Cf. *Ernest. lex. techn. lat.* p. 78.]

CONCĪTĀMENTUM, i, n. incitamentum, *ὁρμητήριον. Senec. Ira* 3, 9. Quis ignorat, lituos et tubas concitamenta esse?

CONCĪTĀTĒ, adv. *παρορμητικῶς, ἀκρατῶς*, citatim. *Quint.* 11, 3. Concitate ire. *Colum.* 6, 6. *sub f.* Tum concitate agitur pecus eousque dum anhelet. *Lact.* 6, 1. *sub f.* Ad mortem concitatissime properant. ℙ Translate. *Quint.* 9, 2. *sub f.* Alia concitate, alia remisse dicenda sunt. *Id.* 12, 10. Concitatius movere affectus.

CONCĪTĀTĬO, onis, f. vehemens commotio, impetus, *παρόρμησις. Cic. Tusc.* 5, 16. *ad f.* Sapiens ab omni concitatione animi, quam perturbationem voco, semper vacat. [*Gr. *πάθος.*] *Id. Q. Fr.* 1, 1, 13. *ad f.* Nullae tuae vehementiores animi concitationes. *Id. Brut.* 14. Plebis contra patres concitatio et seditio. Sic *Caes. B. C.* 3, 106. Crebrae continuis diebus ex concursu multitudinis concitationes fiebant. *Cic. Div.* 1, 36. Atque etiam illa concitatio declarat, vim in animis esse divinam: *scilicet* cum vocum gravitate et cantibus pelluntur animi vehementius, ut statim supra dixerat. *Id. ib.* 2, 11. Concitatione mentis edi, et quasi fundi naturale genus divinandi. [**Quint. Inst.* 7, 4. p. 632. Reus debebit esse in defensione moderatus, quia fere ira, contentio, et concitatio furori sunt similia.]

CONCĪTĀTOR, oris, m. qui concitat, et tumultus ac turbae auctor est. *Cic. Dom.* 5. Seditionis instimulator et concitator tu fuisti. *et paulo post.* Sergius signifer seditionis, concitator tabernariorum. *Hirt. B. G.* 8, 38. Concitatorem belli ad supplicium deposcere. [**Senec. Ira* 3, 2. Tota multitudo paucissimis verbis concitata, ipsum concitatorem antecessit.]

CONCĪTĀTRIX, icis, f. quae concitat. *Plin.* 26, 10, 62. Concitatricem vim habet satyrion. *Id.* 19, 8, 44. Eruca concitatrix Veneris.

CONCĪTĀTUS, a, um, part. a *concito*, *παρορμηθείς*, citatus, incitatus, commotus. *Cic. Somn. Scip.* 5. Conversio coeli concitatior. *Quint.* 2, 11. Concitatissimus motus corporis. *Nep. Dat.* 4. Equo concitato ad hostem vehitur. *Liv.* 35, 5. Equos quam concitatissimos immittere. *Caes. B. C.* 1, 70. Magno cursu concitati. *Curt.* 4, 3. Mare vento concitatum. ℙ Translate. *Cic. Mur.* 31. Animi quodam impetu concitatus. *Id. Brut.* 89. Admirabili quodam ad philosophandum studio concitatus. *Quint.* 6, 3. Concitatus ira. *Nep. Arist.* 1. Concitata multitudo reprimi non potest. *Cic. fragm. pro Scauro*, ap. *Prisc.* 6, 689. Pellicatus dolore concitata. *Auct. B. Hisp.* 37. Seditio concitata. *Suet. Oth.* 10. Concitatus exemplo. *Quint.* 12, 9. Vibrantibus concitatisque sententiis velut missilibus uti. *Id.* 11, 3. Erecta et concitata vox.

[CONCĪTĀTUS, m. idem ac concitatio. *Sidon. carm.* 23, 365. Curae est id mediis, ut ille primus pressus dexteriore concitatu, Partem si patefecerit sinistram, Totas ad podium ferens habenas, Curru praetereatur intus acto. *F.*]

[CONCĪTĬM, adv. idem ac concitate. *Appul.* in *fragm. Met.* 10. ap. *Oudend.* p. 717. Et cum ad inguinis capulum formosa mulier concitim veniebat. Al. leg. *conatim* vel *connatim. F.*]

CONCĪTO, as, avi, atum, a. 1. [*Est frequentat. a *conciere* et signif. vel *simul et una plures* vel *etiam atque etiam excitare.* V. *Döderl.* 1, 159.] *παροξύνω*, cito, incito, celeriter moveo, commoveo, agito. *Cels.* 6, 6. *n.* 15. Medicamenta, quae pituitam concitant. *Id.* 2, 13. Bilis concitat morbos. *Liv.* 2, 6. Concitare equum calcaribus. *Id.* 35, 12. *extr.* Aetoli concitabant bellum Romanis, *h. e.* adversus Romanos. *Caes. B. G.* 7, 77. Omnem Galliam ad auxilium nostrum concitavimus. *Ov. Pont.* 4, 14, 41. Concitare iram populi alicui, *h. e.* contra aliquem. *Id. Her.* 7, 42. Eurus concitat aquas. [**Id. Met.* 14, 239. Fugientibus instat, et agmen concitat Antiphates. *Hor. Od.* 1, 35, 16. Ad arma Concitet, imperiumque frangat. V. *Bentl.* ad h. l. *Ov. Fast.* 1, 436. Fugiens concitat omne nemus, i. e. excitat omnes Deos nemus colentes.] *Val. Fl.* 3, 583. Concitare se fuga in locum aliquem. *Id.* 6, 264. Avis concitat alas et 340. Concitare missile. *Ov. Fast.* 2, 286. feras. [**Liv.* 22, 17. Majore metu concitant se in fugam, i. e. ad fugam compellunt. *Virg. A.* 7, 476. Concitat se alis in Teucros. *Sil.* 5, 234. Nisu se concitat acri, i. e. procurrit.] *Caes. B. G.* 7, 42. multitudinem ad arma. Et *B. C.* 3, 18. tumultum. *Plin.* 5, 30, 33. *sub f.* Concitat se Hellespontus. ℙ Absolute pro movere ad seditionem. *Ov. Fast.* 2, 849. Brutus clamore Quirites Concitat, et regis facta nefanda refert. *Pollio ad Cic. Fam.* 10, 33. Concitare non modo nationes, sed etiam servitia. *Cic. Acad.* 4, 47. Quo spectat illud, cum artificia tolli quereris a nobis, nisi ut opifices concitentur? ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 53. Concitare misericordiam populi. *Id. Verr.* 2, 5, 8. invidiam in quempiam ex aliqua re. *Id. Inv.* 1, 53. gravem offensionem in aliquem. Et *ib.* 54. odium in superbiam. *Id. Or.* 2, 58. risum. *Id. Cat.* 4, 3. Miscere et concitare nova mala. *Id. Mur.* 39. Concitare discordiam et seditionem. *Id. Verr.* 2, 3, 3. Concitari in aliquem, *h. e.* irasci. *Id. Fam.* 2, 1. Concitare magnam exspectationem sui. *Id. Or.* 2, 46. Concitari omni motu animi. *Id. Div.* 1, 31. Cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur. *Quint.* 9, 4. Compositione, velut amentis quibusdam, nervisve, intendi et concitari sententiae videntur. *Id. ib. sub f.* Concitare judicem, *h. e.* ad iram, odiumve movere. *Id.* 6, 2. aliquem in iram. [**Prop.* 3, 15, 45. Fabula nulla tuas de nobis concitet aures.] *Phaedr.* 1, 29. sibi periculum, *h. e.* creare. *Plin.* 20, 17, 73. somnum. ℙ [Part. *Concitans* ap. *Liv.* 4, 14. Concitans multitudinem. *Concitaturus* ap. *eund.* 3, 15, Concitaturus Volscos, et Aequos. *Concitandus* ap. *eund.* 1, 59. Ad concitandum adversus regem exercitum. *F.*] [**Confund.* ap. *Liv.* saepissime *concitare* et *conciere.* V. *Interpr.* ad 23, 41.]

CONCĪTOR, oris, m. concitator. *Tac. A.* 4, 28. et *Hist.* 4, 56. Concitores belli. Adde *Liv.* 23, 41. et 29, 3. et 37, 45. et alibi, et *Just.* 2, 9. quibus locis al. leg. *concitator.* [*Voces *concitator* et *concitor* saepius promiscure reperiuntur in *Liv.* MSS. V. l. l. ad fin. v. *concitare.*]

CONCĪTUS, a, um, part. a *con*, et *cieo*, concitatus, commotus, velox. *Cic. Caec.* 5. Defensor nimium litigiosus, concitus ad rixam. *Curt.* 7, 4. *ad f.* Equus calcaribus concitus. *Plin.* 9, 8, 7. Concitus fame. *Id.* 25, 3, 7. Mors concita ob cruciatus, *h. e.* properata. *Ov. Met.* 3, 79. Concitus imbribus amnis. *Virg. A.* 12, 921. Saxa concita tormento murali. *Id. ib.* 694. Immani concitus ira. [**Tac. A.* 1, 10. Cupidine dominandi concitos per largitionem veteranos. *Id. ib.* 60. *Sil.* 2, 543. Dea concita, i. e. irata.] Et *ib.* 902. cursu. *Ov. Met.* 10, 690. a numine. *Id. A. Am.* 1, 312. Aonio concita Baccha Deo. *Id. Trist.* 2, 388. Dolor concitus a laeso amore. *Id. Fast.* 6, 521. Ad vocem concitus urget iter. [**Tac. H.* 1, 70. Qui concitis auxiliis, et interruptis fluminum pontibus fidus Othoni putabatur, i. e. convocatis auxiliis. *Id. ib.* 2, 12. Is concita gente arcere provinciae finibus Othonianos intendit. *Id. ib.* 2, 61.] ℙ Est etiam *concītus* a *cio is*, paenult. producta. *Val. Fl.* 2, 460. ruit e sparso concita mapali Agrestum manus, *h. e.* convocata. *Luc.* 5, 597. Inde ruunt toto concita pericula mundo, *h. e.* commota.

CONCĪTUS, us, m. concitatio, impetus. In sexto casu singulari *Claud. Mamert. Genethl. Maxim.* 8. Quis simili concitu eques, aut velivola navis?

CONCĪVIS, is, comm. gen. qui ejusdem civitatis jure gaudet. Latini veteres dixere *civis*, aut *municeps:* posteriorum quidam *concivis*, ut *Tertull. adv. Marc.* 5, 17. vertens *συμπολίτης*, ex *D. Pauli ep. ad Ephes.* 2, 19. *Scipio* tamen *Maffejus Veron. illustr. par.* 2, 1. p. 13. et in *Mus. Veron.* p. 87, 5. affert curtum lapidem sine capite et cauda, in quo legitur mutila haec *Inscr.*..... Dic. Q.... Rom. et Aug.... concivium Rom.... tannia ann. VII.... equit. Cyren. ann. VI. At lapis, quem ipsemet meis oculis attentius inspexi, inter voces *Con* et *Civium* punctum habet a manu antiquiore; ideoque patet, litteras *con.* non ad insequens verbum *civium* pertinere, sed fortasse reliquias esse vocis aliusvis, quae in mutilo marmore deest: flocci igitur facienda hujus inscriptionis auctoritas, quam convellere tentavit etiam *Rezzonico Dalla Torre Disquis. Plin. T.* 1. p. 208. Est etiam locus in *fragm. Agrar. de Limit.* p. 216. *Goes.* Exactum concivium locum primum appellatum, deinde dictum fundum. Sed locus obscurus est, et incertae lectionis, ut et ejus auctor incertae auctoritatis. Quare *concivis* vox est minus Latina, ut *συμπολίτης* minus probata Graecis, teste *Polluce* 3, 4. *in.*

CONCĬUNCŪLA, ae, f. diminut. a concio. *Cic. Att.* 2, 16. Quae mihi videtur una conciuncula clamore pedissequorum nostrorum esse peritura.

CONCLĀMĀTĬO, onis, f. *ἀναβόησις*, multorum clamor. *Senec. Clem.* 1, 12. Exaudire conclamationem tot millium sub gladio gementium. *Tac. A.* 3, 2. Lacrimis et conclamationibus dolorem testari. ℙ Item acclamatio. *Caes. B. C.* 2, 26. Curio universi exercitus conclamatione imperator appellatur.

CONCLĀMĀTUS, a, um, part. a *conclamo. Saxa conclamata* h. e. clamoribus completa, vel clamando vocata. *Mart.* 9, 46. de Prometheo: Videris immensis cum conclamata querelis Saxa sonis etc. *Appul. Met.* 7. Nisi ploratu femineo conclamatum viatorum praesidium accurrisset. ℙ *Conclamata suprema* ap. *Quint. Decl.* 8, 10. et *Ammian.* 30, 10. sunt voces, quibus recens mortui saepe nomine vocabantur: (V. CONCLAMO.) et *conclamata corpora* dicuntur a *Lucano*, in quibus nulla spes vitae restat: 2, 22. cum corpora nondum Conclamata jacent. Sic *Appul. Met.* 2. Defletus et conclamatus mortuus. Et *de dogm. Plat.* 2. Conclamata et desperata corpora. ℙ Hinc *conclamata res*, desperatae et perditae. *Serv.* ad *A.* 2, 233. ℙ *Conclamatum frigus* est maximum, veluti quo corpora conficiuntur, et pereunt. *Macr. Sat.* 7, 5. Mandragoram, aliasque herbas conclamati frigoris pipere temperatis. ℙ Pro celebri ac famoso. *Sidon. ep.* 6, 1. Conclamatissimus primipilaris. *Id. ep.* 8, 3. Conclamatissimae declamationes.

CONCLĀMĪTO, as, avi, atum, a. 1. idem quod clamito, vel simul clamito. *Pl. Merc.* 1, 1, 51. Conclamitare tota urbe.

CONCLĀMO, as, avi, atum, a. 1. *συμβοάω*, simul clamo. *Cic. Phil.* 6, 1. Cum vos universi una mente atque voce, iterum a me conservatam esse rempubl. conclamatis. [**Cic. Flacc.* 7. Quod Mithridates se velle dixit, id sutores et zonarii conclamarunt. *Tac. A.* 1, 8. Conclamant patres, corpus ad rogum humeris senatorum ferendum.] *Liv.* 6, 28. Conclamatum ad arma, concursumque in muros est. *Virg. A.* 2, 232. Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque Divae Numina, conclamant. *Caes. B. G.* 5, 36. Conclamare victoriam. Et 26. Conclamaverunt, uti aliqui ex nostris ad colloquium prodirent. *Id. B. C.* 1, 7. Conclamant, se paratos esse. *Curt.* 4, 1. Conclamant, duceret, quo videretur. ℙ *Conclamare vasa*, *ἀναζυγὴν σημαίνειν*, militaris est locutio, pro denunciare inter milites, ut vasa colligant, quod fiebat, cum exercitus moturus erat castra. *Caes. B. C.* 1, 66. Signum dari jubet, et vasa militari more conclamari. ℙ Et absolute eod. sensu. *Id. ib.* 75. Ut militare institutum servaretur, conclamari jussit. ℙ Conclamatum est, *πέπρακται*, proprium eorum, qui morientibus assistunt, et translate pro finitum est, desperatum est. Solebant enim cadaverum faciem pluries frigida abluere, nomenque eorum clara voce inclamare, ne forte syncope correptos

pro mortuis funerarent. *Donatus* ad illud *Ter. Eun.* 2, 3, 56. Desine, jam conclamatum est. ℙ Ponitur et pro simplici clamo, vel valde clamo. *Pl. Mil.* 2, 2, 22. Ubi abiit, conclamo. *Ov. Met.* 4, 690. Conclamat virgo. Adde *Virg. A.* 3, 523. et *Petr. Sat.* 102. [**Conclamare*, cum de uno dicitur, ad res pertinet, quibuscum simul evenientibus vel doloris vel indignationis vel gaudii vox editur. *Ov. Met.* 10, 385. Spatio conclamat eodem. Hinc prae ceteris dicitur de iis, qui mali quid perpessi lamentabiles voces edunt. *Ov. Met.* 5, 227. Hei mihi! conclamat; medioque in pectore fixus tela gerit. *Id. ib.* 7, 843. *Caes. B. G.* 1, 47. Quos quum apud se in castris Ariovistus conspexisset, exercitu suo praesente conclamavit: Quid ad se venirent? *Tac. H.* 3, 29. Is conspicuus manu ac voce capta castra conclamavit.] ℙ Item pro voco, invoco. *Virg. A.* 7, 504. Auxilium vocat, et duros conclamat agrestes. *Ov. Met.* 13, 73. Conclamare socios. *Senec. Oed.* 974. Conclamare Deos omnes. ℙ Singulare est illud *Stat. Th.* 6, 13. planctu conclamat uterque Isthmos, Echioniae responsant flebile Thebae, *h. e.* resonat, personat. ℙ [Part. *Conclamans* ap. *Caes. B. C.* 3, 6. Conclamantibus omnibus: Imperaret, quid vellet. *F.*]

CONCLĀVĀTAE dicebantur, quae sub eadem erant clave. *Festus:* ubi *aedes* subintelligendum videtur: ut hoc voluerit significare, *conclavatas aedes* dicta fuisse plura cubicula, quae porta una, unaque clavi clauderentur. *Scalig.* putat legendum esse *conclavia.*

CONCLĀVĒ, is, n. *μυχὸς, οἴκημα*, pars aedium, cubiculum, membrum, quod clave claudi potest. Si simplex est, dicitur Italice *stanza, camera, gabinetto;* si alia habet cubicula adhaerentia (ut est ap. *Fest.* et *Donat.* ad *Ter.*) quae una clave claudantur, *appartamento. Ter. Eun.* 3, 5, 35. Dum apparatur virgo in conclavi sedet. *Id. Heaut.* 5, 1, 29. Est mihi ultimis conclave in aedibus quoddam, retro. Sic *Cic. Rosc. Am.* 23. Cum coenatus cubitum in idem conclave cum duobus filiis isset. *Id. Or.* 2, 86. Conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse. *Quint.* 11, 2. et *Val. Max.* 1, 8. *extern. n.* 7. eandem hanc rem narrantes, *triclinium* appellant. *Liv.* 39, 14. Ut sacerdotes ejus sacri omnes conquirerent, comprehensosque libero conclavi ad quaestionem servarent, *h. e.* libera custodia, extra publicum carcerem. V. CUSTODIA. *Colum.* 12, 2. Excelsissimum conclave pretiosissima vasa, et vestem desiderat. *Id.* 8, 1. *ad f.* Aves, quae conclavibus septae saginantur. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 9, 3, 3. Unum carceris conclave, *h. e.* unus carcer. ℙ Ex allatis exemplis satis apparet *conclave* dici quamcumque aedium partem, dummodo claudi clave possit. ℙ In genit. plurali reperitur et *conclaviorum*, et *conclavium. Vitr.* 6, 5. Altitudines conclaviorum, quae oblonga fuerint, sic habere debent rationem etc. *Id.* 7, 9. In expolitionibus conclavium.

*CONCLĀVO, as, a. 1. *συγκλῶ. Gloss. Gr. Lat. B. A.*

CONCLAUSUS, a, um, part. a *conclaudo*, pro *conclusus Colum.* 3, 12. Eadem veluti conclausa, et coarctata semina comprimere. ℙ Conclusus magis est in usu.

CONCLINISCO. V. CONQUINISCO.

CONCLŪDO, is, usi, usum, a. 3. *συγκαταχλείω*, idem quod claudo, vel simul claudo. *Cic. Univ.* 3. Deus intelligentiam in animo, animum conclusit in corpore. *Curt.* 5, 1. Tigris, et Euphrates Mesopotamiam ab utroque latere concludunt. *Virg. A.* 1, 425. optare locum tecto, et concludere sulco. *Senec. Hippol.* 122. Concludere monstra domo caeca. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 44. aliquem in fenestram. *Ter. Adelph.* 4, 2, 13. se in cellam aliquam. *Id. Eun.* 4, 3, 25. quempiam aliquo. *Cic. Fin.* 5, 20. Bestiae, quas delectationis causa concludimus. [**Ferae* proprie dicuntur *concludi.* V. *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 5, 1, 17.] ℙ Significat etiam obturare. *Val. Fl.* 1, 479. fissaque fluctu, Vel pice, vel molli concludere vulnera cera. ℙ Translate. *Ter. Hecyr.* 4, 4, 80. Tot me nunc rebus miserum concludit pater [**i. e.* premit, urget. *Quint. Decl.* 14. p. 298. conclusit dolore, ubi v. *Schulting. Id. And.* 2, 3, 12. Ut ab illa excludar, hac concludar, i. e. in hujus (Philumenae) nuptias conjiciar. *Concludi* dicuntur omnes, qui ex difficultatibus expedire se non possunt, quibus exitus non patet. *Ruhnk.*] *Id. Eun.* 5, 9, 17. Fortuna tot res, tantas, tam opportune in unum conclusit diem. *Cic. Leg.* 1, 5. Jus civile in parvum et angustum locum concluditur. *Id. Or.* 1, 61. Orator concludatur in ea, quae sunt in usu civitatum vulgari et forensi. *Nep. Epam.* 4. *sub f.* Uno hoc volumine vitas excellentium virorum concludere constituimus, *h. e.* complecti. ℙ Saepe est verbum disputantium, et ponitur pro colligere argumentatione. *Gell.* 14, 1. *sub f.* Genethliacos nullo pacto consulendos esse, hujusmodi argumentis concludebat. *Cic. Fin.* 2, 19. *extr.* Deinde concludebas summum malum esse dolorem. *Id. Or.* 2, 53. Demonstrando, id quod concludere illi velint, non effici ex propositis, nec esse consequens. *Id. Or.* 35. Concludere argumentationes. *Id. Acad.* 4, 14. argumentum. ℙ Item pro finire. *Cic. Fam.* 5, 12. Ancipites variique casus exitu notabili concluduntur. *Id. Verr.* 2, 3. 69. *extrem.* Qua epistola recitata, conclusurum me esse crimen decumarum dixeram. *Id. Or.* 59. *ad f.* Verborum descriptus ordo alias alia terminatione concluditur. *Quint.* 1, 5. Vocem acuto tenore concludere. ℙ Concludere verba, aut sententias est eas numeris claudere, *h. e.* numerose explicare. *Cic. Or.* 69. Utitur ea trajectione verborum, et nihilo tamen aptius explet concluditque sententias. *Hor. Sat.* 1, 4, 40. neque enim concludere versum, Dixeris esse satis. ℙ [Part. *Concludens* ap. *Tac. Dial. de orat.* 31. Et singula statim argumenta concludens. *F.*]

CONCLŪSĒ, adv. *συγκεκλεισμένως*, numerose, concinne. *Cic. Or.* 53. Cum, ut fit, fortuito saepe aliquid concluse apteque dicerent. [**Pertinet* ad numerosam orationem in clausulis periodorum.]

CONCLŪSIO, onis, f. actus concludendi, *συγκλεισις. Vitr.* 5, 12. Ita conformandae portuum conclusiones. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 3. et 10. Palpebrarum conclusio. *Caes. B. C.* 2, 22. Gravi pestilentia conflictati ex diutina conclusione, [**i. e.* obsidione.] Hoc sensu usus est etiam *Nep. Eum.* 5. et *Vitr.* 5, 9. *ad f.* ℙ Translate est finis. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 16. In extrema parte et conclusione muneris ac negotii tui. ℙ In oratione *conclusio* est exitus et determinatio totius orationis, ut *Cic. Inv.* 1, 52. definit. Adde *extr.* 14. et *Or.* 2, 19. *a med.* et *Quint.* 6, 1. ℙ Item epilogus. *Auct. ad Herenn.* 2, 30. Conclusiones, quae apud Graecos *ἐπίλογοι* nominantur, tripartitae sunt etc. In quatuor locis uti possumus conclusionibus, in principio, secundum narrationem, secundum firmissimam argumentationem, in conclusione, *h. e.* in peroratione. Adde *Quint.* 6, 1. *init.* ℙ *Conclusio verborum* est eorum apta collocatio et compositio, qua numerus et periodus efficitur. *Cic. Or.* 3, 44. Haec duo, vocis dico moderationem, et verborum conclusionem a poetica ad eloquentiam traducenda duxerunt. *Id. Brut.* 8. Verborum quasi structura, et quaedam ad numerum conclusio. Adde *Or.* 49. *extr.* et 50. et *Quint.* 9, 4. *post in.* ℙ [*Cum *Quint. Inst.* 10, 2, 17. reprehendit eos, qui praecisis conclusionibus obscuri, Sallustium et Thucydidem superare existiment, de *ἀποδόσεσι* cogitandum est, quas, qui brevitatis nimiae vel acuminis causa omittunt obscuram orationem reddunt. *Ernest.* in *lex. technol. lat.* p. 79. sq. quem cf.] ℙ In argumentatione *conclusio* est complexio syllogismi, qua totius argumenti vis et ratio concluditur. *Gell.* 2, 8. Conclusionem syllogismi non in fine posuit, sed in principio. Adde 7. ℙ Item ipsa argumentatio, quoniam certis propositionibus, et certo ordine collocatis concluditur. *Cic. N. D.* 3, 7. *ad f.* Zenonis breves, et acutulae conclusiones. *Id. Acad.* 4, 4. Ex quo illa conclusio nascitur: si, sol quantus sit etc.

CONCLŪSĬUNCŪLA, ae, f. diminut. a *conclusio.* Pro brevi argumentatione. *Id. Acad.* 4, 24. Quorum sunt contorta et aculeata quaedam sophismata: sic enim appellantur fallaces conclusiunculae. *Id. Tusc.* 2, 18. Stoici contortulis quibusdam ac minutis conclusiunculis effici volunt, non esse malum, dolorem.

CONCLŪSŪRA, ae, f. *Vitr.* 6, 11. Administrandum est, uti levent onus parietum fornicationes cuneorum divisionibus, et ad centrum respondentes earum conclusurae, *h. e.* colligationes, nexus.

CONCLŪSUS, a, um, part. a *concludo, συγκεκλεισμένος*, clausus. *Cic. N. D.* 2, 7. Conclusa aqua facile corrumpitur. *Lucr.* 4, 460. Conclusus locus. *Caes. B. G.* 3, 9. Longe aliam esse navigationem concluso mari, atque in vastissimo Oceano. *Suet. Ner.* 31. Piscina conclusa porticibus. *Hygin. Astron.* 4, 14. Locum conclusiorem lumine implere. [**Ter. Phorm.* 5, 1, 17. Conclusam hic habeo uxorem saevam.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 42. Omnia fere quae sunt conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuerunt. [**Conclusa* artibus dicuntur, quae ad formam artis redacta sunt.] *Id. Rosc. Com.* 5. In hanc formulam omnia judicia legitima, omnia arbitria honoraria conclusa et comprehensa sunt. *Id. Or.* 5. *extr.* Oratio neque perfecta, neque conclusa, *h. e.* numerosa, periodica. *Id. Fin.* 2, 27. Perfecto et concluso, neque virtutibus, neque amicitiis usquam locum esse etc. *Id. Verr.* 2, 2, 34. Facinus natum a cupiditate, auctum per stuprum, crudelitate perfectum atque conclusum.

CONCLŪSUS, us, m. In sexto casu singul. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. Conclusu corporis corrigere.

CONCOCTĬO, onis, f. digestio cibi in stomacho, *πέψις. Cels.* 1, 8. Prodest adversus tardam concoctionem clare legere, deinde ambulare. Et 3, 22. Ne stomachus gravetur, et concoctionem impediat. *Plin.* 27, 7, 28. Absinthium adjuvat concoctiones. *Id.* 23, 8, 79. Fructus difficilis concoctioni. *Id.* 20, 5, 20. Caepe utiles praecordiis, et concoctioni. ℙ Differunt concoctio, et digestio. V. DIGESTIO.

CONCOCTUS, a, um, part. a *concoquo*, una coctus, *συμπεπτόμενος. Lucr.* 2, 852. Concocti odores. *Senec. ep.* 95. *ante med.* Ostrea echinis, spondyli perturbati mullis, concoctique. *Plin.* 31, 10, 46. *n.* 4. Sal nitrum sulphuri concoctum in lapidem vertitur. ℙ De cibo in stomacho gallinarum confecto. *Varr. R. R.* 3, 9. Bis die cibum dant, observantes ex quibusdam signis, ut prior dant, observantes ex quibusdam signis, ut prior sit concoctus, quam secundum dent. ℙ *Pani concocti*, h. e. maturi, seu qui ad suppurationem pervenere. *Plin.* 32, 9, 34. Sive discutere panos opus sit incipientes, sive concoctos emittere. ℙ Translate. *Liv.* 40, 11. Concocta consilia.

CONCOENĀ, ae, m. *συνδειπνος*, qui simul coenat, compransor, conviva. *Gloss.* V. CONGERRO.

CONCOENĀTĬO, onis, f. coena, convivium, *σύνδειπνον. Cic. Senect.* 13. Accubitionem epularem Graeci tum compotationem, tum concoenationem vocant. Adde *eund. Fam.* 9, 24.

CONCOLONĀ, ae, f. *August. ep.* 169. *ad Euseb.* Duas sanctimoniales concolonas suas de fundo catholicorum Christianorum transtulit.

CONCOLOR, oris, omn. gen. *ὁμόχροος*, ejusdem coloris. *Virg. A.* 8, 82. sus Candida per silvam cum fetu concolor albo. *Plin.* 8, 33, 51. Oculi concolores corpori. *Colum.* 7, 3. Lingua concolor lanae. *Ov. Fast.* 1, 80. Et populus festo concolor ipse suo est, *h. e.* candidis togis indutus refert quodammodo candorem et laetitiam diei festi. *Stat. Silv.* 4, 7, 14. ubi Dite viso Pallidus fossor redit, erutoque Concolor auro.

CONCOLORANS, antis, adj. eundem colorem referens. *Tertull. Pudic.* 8. Concolorantes figurae.

CONCOLORUS, a, um, adj. concolor. *Capell.* 6, 213. Carystos marmoreis fluctibus concolora.

CONCOMĪTĀTUS, a, um, adj. signif. passivae. *Pl. Mil.* 4, 3, 10. Quibus concomitata recte deveniat domum.

CONCOPŪLO, as, avi, atum, a. 1. idem quod copulo. *Lucr.* 6, 1075. Denique res auro argentum concopulat una. Al. leg. *copulat:* et adhuc constat versus, si synaloephe abstineas: quod non est *Lucretio* inusitatum.

CONCOQUO, is, oxi, octum, a. 3. *συμπέπτω*, idem quod coquo, vel bene coquo. *Varr. R. R.* 2, 10. Vel ad focum afferre ligna, ac cibum concoquere. In edit. Jenson. an. 1472. est *conquaerere:* ex quo Aldus 1514. edidit *concoquere:* alii habent *coquere.* ℙ Item cibum in stomacho confidere. *Cic. N. D.* 2, 49. Stomachi calore concoquere. *Id. Fin.* 2, 20. Cibus facillimus ad concoquendum. *Cels.* 3, 22. Cibi, qui facile concoquuntur. *Plin.* 11, 53, 118. *extr.* Concoquere somno. Absolute *Senec. Benef.* 4, 39. Surgam, quamvis non concoxerim. ℙ Dicitur et de aliis rebus. *Plin.* 22, 22, 46. *de boleto.* Si caligaris clavus affuerit nascenti, omnem illico succum in venenum concoquit. *Id. ib.* 24, 50. Propolis alvorum tubera discutit, dura concoquit, *h. e.* emollit, et ad suppurationem perducit. *Id.* 24, 8, 36. Juniperus tusses concoquit, et duritias. Et *ib.* 9, 39. Vomicae, et pani difficile concoquentes, *h. e.* difficile collectum pus maturantes. *Id.* 21, 19, 74. Concoquere suppurationes. *Id.* 18, 11, 29. *n.* 1. Terra acceptum humorem concoquens intra se vice succi continet. ℙ Translate est cogitare, perpendere. *Cic. Rosc. Com.* 15. Tibi diu deliberandum et concoquendum est, utrum Chaereae injurato, an Manilio et Luscio juratis credas. *Senec. ep.* 84. In his, quibus aluntur ingenia, quaecumque hausimus, non patiamur esse integra, ne aliena sint: concoquamus illa. ℙ Item aequo animo pati, strenue ferre. *Liv.* 4, 15. Ut quem senatorem concoquere civitas vix posset, regem ferret. *Cic. Q. Fr.* 3, 9. Ut ejus ista odia non sorbeam solum, sed etiam concoquam. *Petr. Sat.* 105. Ego quidem tres plagas Spartana nobilitate concoxi. Et *ib.* 82. Sicco ore famem concoquit, *h. e.* jejunus tolerat famem. ℙ Item admittere, probare, more ventriculi cibos admittentis et concoquentis. *Cic. Fam.* 9, 4. Vide, utra te *χρόαις* magis delectet, an haec, quam noster Diodotus non concoquebat. ℙ Item consumere, absumere. *Pl. Trin.* 2, 1, 2. Egomet me concoquo, et macero, et defatigo.

CONCORDĀBĬLIS, e, adj. qui concordari facile potest. *Censorin. de die nat.* 10. Non promiscue voces omnes cum aliis junctae concordabiles in cantu reddunt effectus.

*CONCORDATIO, onis, f. i. q. concordia. *Vulg. Siracid.* 22, 22. et 27, 21. *B. A.*

CONCORDĀTUS, a, um, part. a *concordo. Papin. Dig.* 11, 5, 48. Matrimonium bene concordatum dirimere.

[CONCORDĔ, adv. idem ac concorditer. *Inscr.* ap. *Fea, Var. di notiz.* p. 174. Me reddite conjugi meae, quae mecum vixit tam concorde ad fatalem diem. *F.*]

CONCORDĬA, ae, f. *ὁμόνοια*, unanimitas, et consensus: a *corde*, ut ait *Varr. L. L.* 4, 10., quasi congruentia cordium. *Cic. ad Pompej. post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Fore, ut in Italia possemus concordiam constituere. *Id. Cluent.* 55. Esse conjunctum alicui concordia. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 15. *l.* 8.

ad Att. Reducere aliquos ad pristinam concordiam. *Pl. Amph.* 1, 2, 12. Redigere uxorem in corcordiam viri. Et *ib.* 3, 3, 7. Redire in concordiam. *Cic. Att.* 7, 3. Adducere rem ad concordiam. *Id. ib.* 1, 18. Disjungere concordiam. *Curt.* 10, 8. *extr.* Concordiam et pacem firmare. *Sall. or.* I. *ad Caes. de republ. ordin. ad f.* Pacem concordiamque stabilire. *Gell.* 2, 12. Restituere et conciliare concordiam. ℙ Concordia res parvae crescunt: discordia maxumae dilabuntur: quod habetur apud *Sall. Jug.* 10., trita et celebris sententia est. ℙ Translate. *Cic. fragm. Oecon.* ap. *Colum.* 12, 2. Ex concordia vocum amicum quiddam et dulce resonat. *Quint.* 5, 10. *sub f.* Sociata nervorum concordia cantus vocis plurimum juvat. *Plin.* 34, 14, 42. Concordia, quam magnes cum ferro habet. *Id.* 29, 4, 17. Concordia rerum ac repugnantia. [**Plin. Pan.* 4, 6. At principi nostro quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum omnisque gloriae contigit.] ℙ *Discors concordia* est earum rerum, quae cum inter se diversae sint, tamen commixtae unum quoddam corpus conficiunt, dum una alterius vires temperat et coercet, ut fit in mixtis elementorum. *Ov. Met.* 1, 433. et discors concordia fetibus apta est. Adde *Hor. Ep.* 1, 12, 19. ℙ Et translate ita dicitur amicitia simulata. *Lucan.* 1, 98. Temporis angusti mansit concordia discors, Paxque fuit non sponte ducum. ℙ Reperitur etiam *concordia* pro societate. *Vell.* 2, 65. Se cum Bruto Cassioque juncturum vires suas, si Caesar ejus aspernaretur concordiam. ℙ *Concordia* Dea fuit apud Romanos, teste *Varr. l. sup. c.*, *Cic. N. D.* 2, 23. et *ib.* 3, 18., *Ov. Fast.* 6, 91. et *August. Civ. Dei* 3, 25. et veterib. aliquot *Inscr.* ap. *Grut.* 100. Huic non una aedes Romae fuit, alia nempe a Furio Camillo dictatore vota in seditione populari, quam Livia Augusta restituit, et Tiberius dedicavit: alia vota a L. Manlio praetore, et a M. et C. Atiliis dedicata: alia dedicata a C. Flavio Cn. F. scriba. Prima fuit ad ipsum Capitolii ascensum, et respiciebat forum et comitium: altera in arce Tarpeja, tertia in area Vulcani. In prima frequenter senatus habebatur, ominis causa. ℙ Denique Concordia urbs est Carnorum excisa, apud Romatinum portum (qui nunc a multis putatur esse *porto Gruaro)* inter Altinum, et Aquilejam, olim Romanorum colonia. *Plin.* 3, 18, 22. ℙ Alia est *Concordia* cognomento *Julia* in Hispania Baetica. *Id. ib.* 1, 3.

CONCORDĬĀLIS, e, adj. ad concordiam pertinens. *Firmic. Mathes.* 6, 32. Uxores, quae semper concordialibus vinculis copulentur. ℙ *Concordialis* est etiam sacerdos Deae Concordiae, ut *Augustalis* Augusti. Hujusmodi sacerdotium proprium fuit Patavinorum; Patavii enim sex repertae sunt inscriptiones, quae illius mentionem faciunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 877, 9. T. Livius Liviae T. F. Quartae L. Halys Concordialis. V. *Ursat. Marm. erud. ep.* 8.

CONCORDĬENSIS, e, adj. ad Concordiam urbem pertinens. *Concordienses*, *ium*, ejus urbis incolae. *Plin.* 4, 22, 35.

CONCORDIS, e, adj. pro concors, antiquum est et obsoletum. *Caecil.* ap. *Prisc.* 6. *in f.* Modo fit obsequens, hilaris, comis, communis, concordis, dum id, quod petit, potitur. Adde *eund. Prisc.* 7, 764.

CONCORDĬTAS, atis, f. idem ac concordia. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 151. Concorditatem hospitio adjunctam, et perpetuam probitatem conservetis.

CONCORDĬTER, adv. *ὁμονοητικῶς*, unanimiter, concordi voluntate. *Pl. Curc.* 2, 2, 14. Sane illi inter se congruunt concorditer. *Ov. Met.* 7, 752. et dulces concorditer exigit annos. *Liv.* 4, 45. *extr.* Bellum gerere concordius. *Cic. Rabir. perduell.* 5. Mors fratris, quicum concordissime vixerat. Adde *Enn.* ap. *Charis.* 2, 177.

CONCORDĬUM, ii, n. idem quod concordia. *Papin. Dig.* 23, 4, 27. Reversa post jurgium, per dissimulationem mulier, veluti venali concordia. Ita *Torrent.*, at *Haloander* habet *concordia.* [*Defendi quidem hujus vocabuli forma potest, exemplo aliorum, quae in *a* et *um* desinunt, sed nescio an satis firma esse haec ratio videri possit.]

[CONCORDĬUS, ii, m. idem ac concors. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1260, 10. Ti. Julius Concordius. *F.*]

CONCORDO, as, avi, atum, n. 1. *ὁμονοέω*, concordem esse, convenire. *Cic. Tusc.* 4, 13. Sic animi sanitas dicitur, cum ejus judicia opiniones que concordant. *Justin.* 27, 3. Ne tunc quidem fratres concordare potuerunt. *Ter. Ph.* 2, 3, 86. Si concordabis cum illa, habebis quae tuam senectutem oblectet. *Ov. Met.* 1, 518. concordant carmina nervis. [*Haec ad concentum vocis et fidium pertinent.]

CONCORPŎRĀLES, ium, m. plur. contubernales, commanipulones, idest qui in eodem sunt contubernio. *Ammian.* 28, 5. Ne uno quidem caedibus concorporalium superesse permisso. Adde 21, 12.

CONCORPŎRĀTĬO, onis, f. *Tertull. adv. Marc.* 4, 4. Concorporatio Legis et Prophetarum. Adde *Baptism.* 8.

CONCORPŎRĀTUS, a, um, part. a *concorporo. Ammian.* 22, 8. Hi scopuli stetere concorporati. *Tertull. Pudic.* 15. Concorporatus Ecclesiae. *Marcell. Empir.* 36. Cum bene permixtum et concorporatum videris medicamen.

CONCORPORĬFĬCĀTUS, a, um, adj. in unum corpus redactus. *Tertull. adv. Valent.* 23. In mundo coelementato et concorporificato.

CONCORPŎRO, as, avi, atum, a. 1. *συσσωματοποιέω*, in unum corpus redigo. *Plin.* 22, 24, 53. Facillimeque cum melle concorporatur. *Id.* 27, 12, 90. Polyanthemum vitiligines concorporat, *h. e.* delet vitiliginem, et reliquo corpori cutem reddit parem.

CONCORS, ordis, adj. *ὁμόνους*, qui est unius cordis, idest unius animi: a *con* et *cor. Cic. Tusc.* 1, 9. Aliis cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur. *Pl. Aul.* 3, 5, 7. Multo fiat civitas concordior. *Cic. Ligar.* 2. Concordissimi fratres. *Id. Leg.* 3, 12. Moderatus et concors civitatis status. *Id. Univ.* 5. Concors amicitia. *Liv.* 6, 6. *extr.* Concordibus animis juncti. *Suet. Caes.* 19. Nihil non ausurum eum, concordi et consentiente collega. [**Prop.* 2, 34, 6. Et bene concordes tristia ad arma vocat. *Tac. A.* 3, 33. Multum ante repetito, concordem sibi conjugem, et sex partus enixam. *Id. ib.* 6, 42. Trecenti, opibus aut sapientia delecti, ut senatus: sua populo vis: et, quoties concordes agunt, spernitur Parthus. *Virg. Ecl.* 4, 47. Concordes stabili fatorum numine Parcae.] ℙ Translate. *Senec. Agamemn.* 781. Concordi gradu ire. *Plin.* 5, 9, 10. Nilus se totum aquis concordibus rursus junxit. *Virg. A.* 3, 542. Equi sueti frena jugo concordia ferre, *h. e.* concordes ferre frena jugo juncti. *Ov. Met.* 8, 708. concordes egimus annos. [**Sil.* 11, 439. Concordem citharae movit per carmina linguam, i. e. canentem ad citharam.] *Lucan.* 4, 197. Instituere mensas concordes. *Prop.* 4, 5, 6. Torus concors. *Pers.* 5, 49. Concordia fata. [**Sil.* 4, 100. Ambobus — insania concors, i. e. par. *Id.* 16, 68. Agmina concors Avertit fuga confestim dispersa per agros.] ℙ In sexto casu habet etiam *concorde*, teste *Prisc.* 7, 764.

CONCRASSO, as, a. 1. crassum reddo. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. Lac liquida concrassat.

CONCRĀTĬCĬUS, a, um, adj. qui ex consertis cratibus fit. *Ulp. Dig.* 17, 2, 52. §. 13. Ut ibi concraticium parietem inter se aedificarent. In emendatissimis libr. legitur *Craticium.*

CONCREBRESCO, is, ebui, n. 3. idem quod crebresco, densus fio, augesco. *Virg. Cir.* 25. Cum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro. V. CREBRESCO.

CONCRĔDĬTUS, a, um, part. a *concredo*, commissus. *Cic. Rosc. Am.* 39. Fortunae commendatae atque concreditae. *Pl. Aul.* 3, 6, 45. Aurum concreditum.

CONCRĔDO, is, edidi, editum, a. 3. *ἐπιτρέπω*, idem quod credo, hoc est committo, servandum do, fidei trado alicujus. *Cic. Quint.* 20. Cui tu rem et famam tuam commendare proficiscens, et concredere solebas. *Pl. Bacch.* 4, 9, 141. Concredere alicui aurum. *Id. Trin.* 1, 2, 104. aliquid clam taciturnitati, fidei, et fiduciae alicujus. *Id. Merc.* 2, 1, 9. quippiam alicui in custodiam. *Id. Pers.* 3, 3, 36. aliquid alicui in manum. [**Hor. Sat.* 2, 6, 43. Concredere alicui nugas.] ℙ Absolute sine accusativo. *Prop.* 1, 10, 11. Sed quoniam non es veritus concredere nobis. ℙ Translate. *Colum.* 3, 1. *ad f.* Concredere vites teneriores calido coelo. *Id. praef.* navigia mari. *Catull.* 64, 213. cum gnatum ventis concrederet Aegeus. [**Sil.* 5, 523. Misso concredere telo fortunam optatae caedis.] ℙ Pro assignare, attribuere: translate *Sever. A.* 157. summis si forte putas concredere causis Tantum opus etc.

CONCRĔDŬO, is, ui, a. 3. pro concredo, Plautinum est: *Aul.* 3, 6, 48. Ne tu in me mutassis nomen, si hoc concreduo. *Id. Cas.* 2, 8, 45. Ei ego amorem meum omnem concredui.

CONCRĔMĀTĬO, onis, f. actus concremandi, incendium. *Fulg. Myth.* 1, 15. de Phaeth. Sibi atque mundo concremationis detrimenta conflavit.

CONCRĔMĀTUS, a, um, part. a *concremo*, una crematus, ut Concrematae urbes *Senec. ep.* 9. *ad f.*

CONCRĔMENTUM, i, n. concretio, collectio. *Appul. Apol.* In corpore concrementa varii fellis, et turbidi spiritus, et pinguis humoris aegritudinum incitamenta sunt.

CONCRĔMO, as, avi, atum, a. 1. idem quod cremo, vel simul cremo, *συγκαίω*. *Liv.* 3, 53. Vivos igni concrematuros minabantur. *Senec. Ben.* 6, 22. Repentino concrementur incendio. *Plin.* 12, 18, 41. Quantum (*cinnamomi*) Nero princeps novissimo Poppaeae suae die concremaverit.

CONCRĔO, as, avi, atum, a. 1. idem quod creo, vel simul creo. *Gell.* 19, 5. *in tit.* ex nive crystallus concreatur.

CONCRĔPĀRĬUS, a, um, adj. a concrepando. *In Supposit. Bacchidis Plautinae, prol.* 3. Ore concrepario frequenter fremunt, atque male mussitant. ℙ Vel una haec vox satis ostendere potest, quam levi sint auctoritate illa *Plauto* Supposita.

CONCRĔPĀTĬO, onis, f. *Arnob.* 2, 73. Concrepationes scabillorum.

CONCRĔPĬTO, as, frequentat. a *concrepo. Prud. περὶ στεφ.* 11, 56. Virgarum concrepitat fragor.

CONCRĔPO, as, pui, pitum, are, n. 1. *διαλακέω*, *ληκέω*, idem quod crepo, resono, strepo. *Pl. Mil.* 2, 1, 76. Foris concrepuit hinc a vicino sene. *Cic. Coel.* 27. *extr.* Scabilla concrepant, aulaeum tollitur. *Ov. Fast.* 3, 740. Aeriferae comitum concrepuere manus. *Liv.* 28, 29. Exercitus gladiis ad scuta concrepuit. *Id.* 6, 24. Simul primo concursu concrepuere arma, hostis dolo, non metu pedem retulit. [**Caes. B. G.* 7, 21. Conclamat omnis multitudo et suo more armis concrepat.] ℙ [*Concrepare* absolute, et *concrepare digitis*, vel *digitos* est pollice et digito medio Inter se collisis crepitum edere, quo signo lautiores domini apud Romanos ad viliora ministeria servos vocare solebunt, quodque superbiam et arrogantiam ostentabat. [**Das Schnippchenschlagen.*] *Cic. Agr.* 2, 30. Qui, simul ac decemviri concrepuerint, armati in cives, et expediti ad caedem esse possint, *h. e.* digitis concrepantibus signum dederint. *Id. Off.* 3, 19. Si digitis concrepuerit. [*Cf. *Beier.* ad h. l.] *Petr. Sat.* 27. Lautissimus homo digitos concrepuit; ad quod signum matellam spado ludenti supposuit. [*Cf. *Böttig. Sab.* 1, 41.] ℙ Sunt qui putent, *concrepare digitis* illum etiam significare digitorum sonitum, quem Galli dicunt *faire craquer les doigts*, Itali *fare scricchiolare le dita*, [**die Finger knacken lassen.*] quemque *Arist. ep.* 1, 16. ita describit, *ἐμάλαττε τοὺς δακτύλους ἐκ τῶν ἁρμῶν ἠρέμα χαλῶσα;* cum nempe condyli digitorum ita distenduntur, ut crepitum edant, quod tamen non probant. Ceterum hoc puerile, et amatorium apud Graecos habebatur, ut etiamnum est apud nostrates adolescentes. *F.*] ℙ Active cum accusativo, quemadmodum et *crepo*, et *resono*, et *persono*, etc. *Ov. Fast.* 5, 441. Temesaeaque concrepat aera. *Petr. Sat.* 22. *extr.* Aera concrepans omnes excitavit. Adde *Martial.* 11, 16.

CONCRESCENTĬA, ae, f. concretio. *Vitr.* 8, 3. *post med.* Ex aquarum subsidentia in corporibus, et concrescentia.

CONCRESCO, is, evi, etum, n. 3. *συγκρίνομαι*, *καταπήγνυμαι*, coalesco, conglutinor, coeo, conglacio. *Lucr.* 6, 494. Pluvius humor concrescit in altis nubibus. [**Ov. Met.* 9, 220. Utque ferunt imbres gelidis concrescere ventis. *Id. ib.* 5, 673. Alteraque alterius rigido concrescere rostro.] *Cic. N. D.* 2, 10. Aqua neque conglaciaret frigoribus, neque nive pruinaque concresceret, nisi, etc. *Colum.* 7, 8. Cum lac concrevit. *Virg. A.* 12, 905. gelidus concrevit frigore sanguis. [**Id. G.* 3, 360. Concrescunt subitae currenti in flumine crustae.] *Plin.* 36, 22, 45. Concrescere in lapidem. *Prop.* 4, 5, 65. Vidi ego rugoso tussim concrescere collo, *h. e.* pituitam ex tussi spissescere et densari. ℙ Translate. *Virg. Ecl.* 6, 33. ut his exordia primis Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis, *h. e.* collectus, et informatus sit, ut *Serv.* exponit. ℙ *Concresse* pro *concrevisse* est ap. *Ov. Met.* 7, 416. ℙ Pro simplici cresco. *Colum.* 7, 3. *ante med.* Lana quanto prolixior in pecore concrescit, tanto magis obnoxia est rubis. *Id.* 3, 11. *ad f.* Valles, quae fluminum alluvie, et inundationibus concreverint, aptas esse vineis, *h. e.* in altitudinem creverint, congesto limo.

CONCRĒTĬO, onis, f. *συγκρισις*, actus concrescendi, coagmentatio, coagulatio. *Cic. Univ.* 14. Causae, quae vim habeant frigoris et caloris, concretionis et liquoris. *Id. N. D.* 1, 25. *extr.* Corporum concretio. Et *Tusc.* 1, 27. Mens segregata ab omni concretione mortali, *h. e.* ab omni materia, seu ab omni corpore.

CONCRĒTUS, a, um, part. a *concresco*, *συγκριματικὸς*, *πηγματώδης*, coagmentatus, coagulatus, densus: cui opponitur liquidus, fusus. [**Cic. N. D.* 2, 23. Nimis concreti humores.] *Virg. G.* 3, 463. Et lac concretum cum sanguine potat equino. *Plin.* 11, 41, 96. Butyrum est spuma lactis concretior. *Id.* 29, 2, 10. Sordes caudarum concretae in pilulas. *Id.* 4, 16, 30. Mare concretum. *Virg. A.* 2, 277. Concreti sanguine crines. [**Ov. Met.* 13, 201. Humano concreta sanguine barba.] *Virg. G.* 1, 236. Zonae caerulea glacie concretae. [**Id. ib.* 2, 376. Concreta frigora. *Curt.* 8, 4. Congretum gelu.] *Liv.* 21, 36. *extr.* Alte concreta glacies. *Lucr.* 3, 20. Nix acri concreta pruina. *Id.* 4, 1237. Semen concretius aequo. *Cic. Tusc.* 1, 18. *ad f.* Crassus hic et concretus aer, qui est terrae proximus. *Id. Div.* 1, 57. Pingue et concretum coelum. *Id. Tusc.* 1, 27. et 29. Nihil est animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum. ℙ *Concreta ossa*, ap. *Plin.* 7, 18, 18. et *ib.* 19, 18. sunt sine medulla. ℙ Item conflatus, compositus: cui opponitur *simplex. Cic. N. D.* 3, 12. Omne corpus aut aqua, aut aer, aut ignis, aut terra est, aut id quod est concretum ex his. Et *ib.* 14. Aliquid

concretum ex pluribus naturis. Et translate. *Id. Pis.* 9. *extr.* Illud funestum animal ex nefariis stupris, ex civili cruore, ex omnium scelerum importunitate concretum. [*Cic. Tusc.* 1, 24. Nam sanguinem, bilem cet. videor posse dicere, unde concreta et quomodo facta sint, i. e. nata, orta. *Tac. A.* 13, 57. Illo in amne illisque silvis salem provenire, non, ut alias apud gentes, eluvie maris arescente unda, sed super ardentem arborum struem fusa, ex contrariis inter se elementis, igne atque aquis concretum.] ℙ Item affixus, inhaerens. *Virg. A.* 6, 746. Concretam exemit labem, purumque reliquit etc. ℙ *Concretus dolor* dicitur ab *Ov. Pont.* 2, 11, 10. qui non funditur in lacrimas. ℙ Facies concreta squalore diutino ap. *Quint. Decl.* 8, 8., *h. e.* contracta, pallescens, et lacrimas quodammodo ex longo fletu concretas habens. ℙ *Concretus color* est subobscurus, pallidus, hebes. *Cic. carm. de suo Cons. Divin.* 1, 11. Cum claram speciem concreto lumine luna Abdidit, et subito stellanti nocte perempta est. ℙ Nanus suos breviter concretus in artus, ap. *Prop.* 4, 8, 41. *h. e.* compactus, contractus. Al. leg. *curvatus.*

CONCRĒTUS, us, m. concretio. In sexto casu singulari. *Plin.* 12, 16, 35. de myrrha: In concretu albicantis succi, et tabescentis.

CONCRĪMĪNOR, aris, dep. 1. idem ac criminor. *Pl. Mil.* 2, 2, 87. Ut si illic concriminatus siet adversus militem meus conservus.

CONCRISPANS, antis, part. ab inusit. *concrispo*, idem quod crispans. *Vitruv.* 8, 1. In quibus locis videbuntur humores se concrispantes, et in aera surgentes, *h. e.* vapores humidi undatim e terra surgentes, et crispi. *Ammian.* 16, 12. Tela concrispans, *h. e.* vibrans, telis micans.

CONCRISPĀTUS, a, um, part. ab inusit. *concrispo*, crispatus, crispus. *Vitr.* 4, 1. Capillamento concrispati cincinni.

[CONCRŪCĪFĪGO, is, a. 3. simul cum aliis crucifigo. Translate. *Sidon. ep.* 6, 1. Sed si tu inter et illum, cui concrucifigeris, Iesum Christum dominum nostrum, intercessor assistas, non ulterius descendemus in infernum viventes. *F.*]

CONCRŪCĪOR, aris, pass. 1. *συμπάσχω*. patior, crucior, doleo. *Lucr.* 3, 148. cum caput, aut oculus tentante dolore Laeditur in nobis, non omni concruciamur Corpore.

CONCRUSTĀTUS, a, um, adj. crusta obductus. *Ammian.* 17, 7. Soliditates concrustatae. Et 30, 6. Meatus gelidis frigoribus concrustati.

CONCŪBANS, antis, part. ab inusit. *concubo*, cubans, jacens. *Sulpicia poetria*, ap. *Schol. Juv.*, cujus verba V. in CADURCUM.

CONCŪBĀTIO, onis, f. actus recumbendi. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 37. Ipsa lecti concubatio neque dura, neque plus satis mollis erit procuranda.

CONCŪBĀTUS, us, m. pro *concubinatus* legitur in Edit. *Torrent.* ap. *Mart. Dig.* 25, 7, 3., ubi alii *concubinatus.*

CONCŪBĪNA, ae, f. *παράκοιτος, παλλακή*, mulier, quam quis non mariti animo, sed concubitus tantum causa domi suae habet. *Masur.* ap. *Paul. Dig.* 50, 16, 144. scribit, pellicem apud antiquos eam habitam, quae cum uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat: eamque nunc vero nomine amicam, paulo honestiore concubinam vocari. *Cic. Or.* 1, 40. In concubinae locum aliquam ducere. [*Tac. H.* 1, 72. Inter stupra concubinarum et oscula cet.] V. *Dig.* 25, 7. qui *De concubinis* inscribitur.

CONCŪBĪNĀLIS, e, adj. ad concubinam pertinens, ut concubinales illecebrae. *Sidon. ep.* 9, 6. *extr.*

CONCŪBĪNĀTUS, us, m. consuetudo concubinarum. *Suet. Ner.* 28. Super nuptarum concubinatus Vestali virgini Rubriae vim intulit. *Pl. Poen. prol.* 102. Emere aliquam sibi in concubinatum. *Ulp. Dig.* 25, 7, 1. Habere aliquam in concubinatu. Et *ib.* esse in concubinatu alicujus. *Id. ib.* 48, 5, 13. Dare se in concubinatum.

CONCŪBĪNUS, i, m. impurus lecti socius, meritorius, mollis, effeminatus, *παράκοιτος*. *Catull.* 61, 130, 132., etc. *Quint.* 1, 2. et *Plin.* 8, 45, 70. ℙ Ponitur et pro moecho, adultero. *Mart.* 6, 22. [*Tac. A.* 13, 21.] ℙ Est etiam, et primario quidem sensu, qui nón nefandae Veneris, sed quacumque de causa simul cum alio cubat. *Tert. Resurr. carn.* 6. Gladium latrociniis ebrium quis non a domo tota, nedum a cubiculo, nedum a capitis sui officio relegabit, praesumens scilicet, nihil aliud se quam illudia animarum somniaturum urgentium et inquietantium sanguinis sui concubinum? *h. e.* illum, qui dormiens secum habet gladium, quo earum corpora confossa sunt.

CONCŪBĪTĀLIS, e, adj. ad concubitum pertinens. *Tert. ad Nat.* 2, 11. Consationes concubitales.

CONCŪBĪTĪO, onis, f. idem quod concubitus. *Hygin. Astron.* 2, 12. Perseus inusitato genere concubitionis natus.

CONCŪBĪTOR, oris, m. *συγκοιμητής*, concubinus. Legitur in quadam declamatione, quae inscribitur *Tribunus Marianus c.* 5. Si quis masculorum erit concubitorum, et praeterea dicitur esse *Tertull.*, *Salviani*, et *Justin. in novellis Constitutionib.*

CONCŪBĪTUS, us, m. *συνουσία*, coitus. *Cic. N. D.* 1, 16. Concubitus Deorum cum humano genere. [*Hor. A. P.* 398. Concubitu prohibere vago. *Virg. Ecl.* 6, 50. At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est Concubitus. *Id. G.* 3, 130. Ubi concubitus primos jam nota voluptas Sollicitat. *Tibull.* 2, 5, 53. Concubitusque tuos furtim, i. e. clam peractos, furtivos.] *Virg. G.* 4, 198. de apib.: Quod nec concubitu indulgent, pro *concubitui.* Sic *ib.* 158. victu invigilant, pro *victui.* Plura hac de re habet *Gell.* 4, 16. V. ASPECTUS. ℙ *Concubitus* est etiam ordo jacendi in lecto convivali. *Prop.* 4, 8, 36. Quaeris concubitus? inter utramque fui. ℙ *Concubitus dentium* ap. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 10. est eorum vehemens confixio, ut ipsemet exponit, h. e. constrictio. Adde 3, 6.

CONCŪBĬUM, ii, n. idem quod concubitus. *Gell.* 9, 10. Puris honestisque verbis venerandum illud concubii pudici secretum dicere. Adde *Enn.* ap. *Non.* 4, 292. ℙ Item concubiae noctis tempus: a concubitu dormiendi causa dictum, quod fere omnes tunc cubant, ut *Varr. L. L.* 5, 2. et *ib.* 6, 4. docet. *Pl. Trin.* 4, 2, 44. Concubium sit noctis, priusquam etc. Adde *Varr. l. c.* V. v. seq.

CONCŪBĬUS, a, um, adj. *Concubia nox* (nam extra hanc formulam non occurrit) a *concubitu dormiendi causa* dicta, ut est ap, *Varr. L. L.* 5, 2. est primi somni tempus, ut *Non.* definit 2, 175. Partes enim noctis, ut docet *Censorin. de die nat.* 24., ubi haec ex professo tradit, apud Latinos hae sunt: prima *crepusculum:* secunda id tempus quod dicebant *luminibus accensis*, antiqui *prima face:* tertia *concubium*, cum itum est cubitum: quarta *nox intempesta*, qua nihil agi tempestivum est: quinta *ad mediam noctem*: sexta *media nox*: septima *de media nocte*: octava *gallicinium: conticinium* nona: decima *ante lucem*: undecima *diluculum.* Confirmat *Servius* haec eadem proponens, et quidem ex Varronis sententia, ad illud *Virg. A.* 2, 268. Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris Incipit. Confirmat etiam ad *A.* 3, 587. et *Macr. Sat.* 1, 3. *extr.* et *Non.* 2, 175. Sisennae locum afferens, et *Petr. Victor. Variar. lect.* 8, 3., ubi locum illum *Liv.* 25, 9. Annibal concubia nocte movit etc., non alia ratione intelligendum esse contendit, quam ut *concubia nox* primum noctis tempus significet. *Cic. Div.* 1, 27. Concubia nocte visum esse in somnis ei etc. Adde *Tac. A.* 1, 39., item *Plin.*, qui 29, 6, 24. addita praepositione, *nocte in concubia* dixit. ℙ Quod vero apud *Varron. l. c. concubia nox* cum *nocte intempesta*, et cum *silentio noctis*, et *conticinio* confundi videtur; primo id *Varro* refert non ex sua, sed ex aliorum sententia: deinde minutam illam Censorini divisionem non semper servavere scriptores: ex quibus *Appul.* quoque *Met.* 2. *post med.* videtur *concubiam noctem* non pro primo somni tempore, sed pro nocte jam provecta posuisse. Ejus verba sunt: Ecce crepusculum, et nox provecta, et nox altior, et deinde concubia altior, et jam nox intempesta.

CONCULCĀTIO, onis, f. actus conculcandi. *Plin.* 8, 18, 26. Bibunt cameli, obturbata conculcatione prius aqua: aliter potu non gaudent.

CONCULCĀTUS, us, m. idem quod conculcatio. Translate *Tertull. Resurr. carn.* 22. Tunc erit Hierusalem conculcatui nationibus.

CONCULCO, as, avi, atum. a. 1. *καταπατέω*, idem quod calco, proculco. *Cato R. R.* 25. Vinaceos conculcato in dolia picata. *Cic. Pis.* 25. Ut ad portam Exquilinam, Macedonicam lauream conculcarim. ℙ Translate. *Id. Fl.* 22. *ad f.* Istum semper illi ipsi domi proterendum esse, et conculcandum putaverunt. *Id. Att.* 8, 11. Conculcari miseram Italiam, videbis proxima aestate, et quati etc. *Senec. ep.* 23. Disjice et conculca ista, quae extrinsecus splendent: ad verum bonum specta. Adde *Luer.* 5, 1139. ℙ [Part. *Conculcans* ap. *Hieron.* in *Isajam* 14, 51, 14. Conculcans adversarios tuos. *F.*]

CONCUMBO, is, ubui, ubitum, n. 3. *συγκοιμάομαι*, una cubo, dormio. *Prop.* 4, 1, 4. Euandri profugae concubuere boves. ℙ Ex usu autem accipitur pro rem Veneream habere. *Cic. Fat.* 13. Concubiturum cum uxore Lajum, et ex ea Oedipum procreaturum. *Prop.* 2, 12, 15. Endymion Phoebi cepisse sororem Dicitur, et nudae concubuisse Deae. *Juven.* 6, 190. Concumbunt Graece.

CONCŪMULĀTUS, a, um, adj. accumulatus. *Tertull. Virg. vel.* 7. *extr.* Coma concumulata in verticem.

CONCŪPĬO, is, ivi, et ii, itum, a. 3. *ἐπιθυμέω*, idem quod cupio, vel valde cupio. Adhibetur fere in praeteritis. Nam in praesenti, et imperf. usitatius est *concupisco. Cic. Att.* 8, 13. Omnia omnium concupivit. *Id. Or.* 1. Qui res magnas, et magno opere expetendas concupiverunt. *Id. Quint.* 21. Sicut tu semper summe concupisti. *Petr. Sat.* 111. Concupiit scire, quid faceret. ℙ [Part. *Concupiens. Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48. Currantes magna cum cura, concupientes Regni, dant operam simul auspicio augurioque. Adde *Capitol. Maxim.* 13. *F.*]

CONCŪPISCENTĬA, ae, f. *ἐπιθυμία*, appetitus. *Curt.* 8, 6. Adeo pertinax spes est, quam humanae mentes, quam ingentes concupiscentiae devoraverunt. Haec tamen lectio suspecta est eruditis: et sane nimis aperte ineptam scioli cujuspiam interpretationem sapit. Ceterum hanc vocem habent *Tertull. Resurr. carn.* 45. et *Anim.* 16., *Hieron. ep.* 63. *n.* 1. et *Paul. Nol. ep.* 30, 3.

CONCŪPISCENTĪVUS, a, um, adj. *Tertull. Anim.* 16. Concupiscentivum, quod vocant *ἐπιθυμητικόν.*

[CONCŪPISCĪBĪLIS, e, adj. quod concupisci potest, concupiscendus, ap. *Hieron. Quaest. Hebr. in Paralip.* 1. *F.*]

[CONCŪPISCĪTĪVUS, a, um, adj. *ἐπιθυμητικός. Hieron. in Ezech.* 1, 1, 7. V. locum in V. IRASCITIVUS. Quod vero *Hieron.* vocat *concupiscitivum, Tertull.* appellat *concupiscentivum.* Hoc idem *Cic. Div.* 1, 29. vocat *eam partem animi, quae voluptate alitur. F.*]

CONCŪPISCO, is, a. 3. *ἐπιθυμέω*, cupio, vel valde cupio, appeto. *Cic. Div.* 1, 24. *extr.* Cujus mors ita gloriosa fuit, ut eam concupisceret filius. *Id. Parad.* 6, 3. Signa, tabulas, vestem infinite concupiscenti. *Id. N. D.* 1, 9. Quid erat, quod concupisceret Deus mundum signis et luminibus ornare? *Nep. Attic.* 13. Intemperanter concupiscere aliquid. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 9. Concupisco nihil mihi. ℙ [*Absolute de eo qui imperii obtinendi cupidine tenetur. *Tac. H.* 1, 21. Fingebat et metum, quo magis concupisceret. *Id. ib.* 53. 2, 76.] ℙ Translate. *Plin.* 18, 12, 30. *de faba.* Aquas in flore maxime concupiscit. ℙ [Part. *Concupiscendus* ap. *Cic. Fam.* 15, 6. Honos non nimis concupiscendus. *F.*]

CONCŪPITOR, oris, m. qui concupiscit. *Firm. Math.* 8, 22. *extr.* Rerum alienarum concupitores.

CONCŪPĪTUS, a, um, part. a *concupio. Cic. Tusc.* 4, 6. Concupitum adipisci: et *ib.* 11. Pecunia concupita. *Sall. orat.* 1. *ad Caes. de republ. ordin ad f.* Non assentando, neque concupita praebendo.

CONCŪRĀTOR, oris, m. qui una cum alio curator est. *Ulp. Dig.* 26, 10, 3. Cum possit tutelae a concuratoribus conveniri, consequens erit etc. *Justin. Inst.* 1, 24. Potest unus offerre satisdationem, et contutori suo, vel concuratori praeferri.

[CONCŪRĬĀLIS, is, m. qui est ejusdem curiae. *Inscr.* quae pertinet ad an. a Chr. n. 257. ap. *Fea, Fast. Cons.* p. 13. *n.* 46. Ideo cooptamus Rutilium Viatorem patronum cum iis qui infra *scripti sunt.* Nonium Gratilianum C. V. et Egnatium Sattianum C. V. plerosque splendidos equites Romanos, et concuriales ejusdem Viatoris. *F.*]

CONCŪRO, as, a. 1. idem quod curo, *ἐπιμέλομαι. Pl. Bacch.* 1, 2, 22. Unum in mente est mihi nunc, satis ut commode pro dignitate opsonii haec concuret coquus.

CONCURRO, is, curri, et cucurri, ursum, n. 3. *ὁμοδρομέω, συντρέχω*, simul curro, convolo, convenio in unum locum. *Cic. Rabir. Post.* 7. Si vobis nunciaretur, in senatu sententias dici, ut his legibus teneremini, concurrendum ad curiam putaretis. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 5. Tota Italia concurret. *Caes. B. G.* 6, 12. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrit. *Lucan.* 3, 663. Puppis ad auxilium sociae concurrit. *Ter. Eun.* 2, 2, 25. Concurrunt laeti mihi obviam cupedinarii omnes. *Caes. B. G.* 3, 22. Cum ad arma milites concurrissent. *Cic. Phil.* 10, 10. Concurritur undique ad commune incendium restinguendum. *Id. Tusc.* 1, 37. Concurrere ad non dubiam mortem. *Suet. Cal.* 6. In Capitolium concursum est. *Id. Caes.* 32. Concurrere ad audiendum. *Val. Max.* 4, 1. *n.* 12. Concurrite, concurrite, cives: moenia urbis nostrae eversa sunt. ℙ Pro confluere. *Cels.* 3, 10. Superimponenda sunt cataplasmata reprimentia, ne plus eo materiae concurrat. Adde 7, 2. ℙ Saepe ponitur pro pugnam inire, congredi. [*Proprie dicitur de conflictu proeliorum.] *Liv.* 6, 7. *extr.* Simul concurreritis, quod quisque consuevit, faciet. *Sall. Cat.* 63. Maximo clamore infestis signis concurrunt. *Caes. B. C.* 2, 25. Concurrunt equites inter se. *Liv.* 26, 51. Rudibus inter se in modum justae pugnae concurrerunt. *Hirt. B. Afr.* 6. Equites contra tantam multitudinem audacissime concurrunt. *Vell.* 2, 70. Caesar et Antonius cum Bruto et Cassio acie concurrerunt. *Ov. Fast.* 3, 811. Concurrere ferro. *Justin.* 30, 4. proelio. *Virg. G.* 1, 489. Acies inter se paribus concurrere telis. ℙ Dicitur et de duobus tantum singulare certamen ineuntibus. *Nep. Eumen.* 4. Cum hoc concurrit ipse Eumenes. *Vellej.* 2, 27. Concurrens mutuis ictibus cum fratre, occubuit. Adde *Virg. A.* 10, 436. et *Stat. Theb.* 11, 185. ℙ Cum dativo, praesertim apud poetas. *Virg. A.* 1, 493. audetque viris concurrere virgo. *Val. Fl.* 4, 155. isti frustra quisquam concurrere monstro Au-

deat. *Virg. A.* 10, 10. Abnueram, bello Italiam concurrere Teucris. *Ov. Met.* 5, 89. et *ib.* 12, 595. Concurrere cominus hosti. *Id. A. Am.* 3, 5. Nudos concurrere armatis. ℙ Translate. *Senec. Consol. ad Helv.* 2. Concurrere cum dolore: pugnare, atque eum vincere conari. *Alter Senec. Oedip.* 830. Concurrit illinc publica, hinc regis salus, *h. e.* pugnant inter se quodammodo, ut una alteram impediat. Contra *Prop.* 3, 7, 17. Est, quibus Eleae concurrit palma quadrigae, *h. e.* convenit, et placet. ℙ De aliis rebus inter se incurrentibus. *Hirt. B. Alex.* 46. Naves adversae rostris concurrunt. *Lucr.* 6, 115. Nubes frontibus adversis concurrunt. *Val. Fl.* 1, 59. et *Ov. Amor.* 2, 11, 3. Concurrunt ponto Cyaneae. *Plin.* 2, 83, 85. Montes duo inter se concurrerunt. *Virg. G.* 1, 318. Omnia ventorum concurrere proelia vidi. *Cic. Or.* 45. *ad f. Cum* autem *nobis* non dicitur, quia si ita diceretur, obscenius concurrerent litterae. *Id. Or.* 3, 43. *extr.* Aspere concurrunt litterae. *Hor. Ep.* 2, 1, 205. Actor Cum stetit in scena, concurrit dextera laevae, *h. e.* plausus dantur. ℙ [**Cic. Or.* 59. Ante enim circumscribitur mente sententia, confestimque verba concurrunt, i. e. sua sponte occurrunt animo, in mentem veniunt dicenti et se ipsa ei offerunt. *Ernest.* in *cl.*] ℙ Aliquando ponitur pro confugere. *Cic. Att.* 8, 3. Nulla sedes, quo concurrant, qui rempubl. defensam velint. *Justin.* 19, 1. Siciliae populis propter assiduas Carthaginiensium injurias, ad Leonidam concurrentibus. ℙ Item pro simplici curro. *Cic. Quint.* 16. Ad eorum aliquem, qui consuluntur, concurrisses. Est qui legit *cucurrisses.* [*Nec displicet lectio *Orell.*, quanquam in textum non recepit. Docet *Ernest* in *cl.* s. h. v. dici de uno *concurrere* cum anxietatis, studii ratione. In sequenti loco *c.* 25. non 24. *Orell.* ne varietatem quidem lectionis notans *recte cucurrerit* exhibet.] *Id. ib.* 24. *sub f.* Ut statim de jure aliquis concurrerit, *cucurrerit* plerique al. rectius. ℙ Translate est simul accidere, convenire, conjungi. *Cic. Planc.* 32. *ad f.* Saepe concurrit, ut eodem tempore in omnes verear, ne possim gratus videri. *Id. Div.* 2, 68. Nisi ista casu nonnunquam, forte temere concurrerent. *Id. Fin.* 5, 10. Res contrariae concurrunt. *Id. Off.* 1, 14. *extr.* Quae ut concurrant omnia, optabile est: sin minus etc. *Id. Att.* 1, 20. Raptim in eam sententiam pedarii concurrerunt. Al. leg. *cucurrerunt. Ter. Andr.* 3, 2, 31. Multa concurrunt simul, qui conjecturam hanc nunc facio. *Id. Heaut.* 2, 2, 3. Concurrunt multae opiniones, quae etc. *Id. Adelph.* 4, 4, 17. Tot concurrunt verisimilia. ℙ *Os concurrere* dicitur, cum contrahitur, et aegre diducitur: et dicitur de iis, qui verecundia, vel timore impediuntur, quo minus libere loquantur. *Senec. Ben.* 2, 1. Homini probo ad rogandum os concurrit, et suffunditur rubor. *Quint.* 11, 3. *post med.* His accedunt vitia non naturae, sed trepidationis, cum ore concurrente rixari etc. Antea dixerat *cod. cap.* Est aliis concursus oris, et cum verbis suis colluctatio. *Senec. ep.* 11. Quibusdam tremunt genua dicturis: quorumdam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt. Adde *Ira* 3, 15. et V. *Lips.* ad *c.* 2. *Benef.* [*Cf. *Ernest. lex. technol. lat.*] ℙ *Concurrere nomina* dicuntur, quae eodem tempore solvenda sunt, ut si v. g. debitoribus meis eadem sit dies praestituta ad solvendum, quae dies mihi a creditoribus meis constituta est. *Cic. Att.* 16, 3. Scripsi, ut si quid tale accidisset, ut non concurrerent nomina, subveniret. ℙ Frequens est usus apud JCtos. *Ulp. Dig.* 29, 2, 30. Toties ei sua praesumptio proficit, quoties concurit cum veritate, *h. e.* convenit, concordat. *Id. ib.* 30, 53. Concurrit cum summa, *h. e.* summam aequat. *Id. ib.* 3, 2, 13. Sponsalia in idem tempus concurrunt, *h. e.* conveniunt, incidunt. *Id. ib.* 9, 2, 5. Interdum concurrit actio legis Aquiliae, et injuriarum, *h. e.* eodem tempore, vel in eadem causa, seu petitione locum habet. *Id. ib.* 37, 1, 2. Si non sit, qui ei concurrat, habeat solus bonorum possessionem, *h. e.* qui cum eo ad partem possessionis veniat. Sic *Papin. ib.* 5, 2, 16. Filia in hereditatem legitimam fratri non concurrit. *Ulp. ib.* 20, 4, 7. Concurrere in pignus. Et *mox.* in pignore, *h. e.* simul cum alio habere jus, aut dominium in pignus. ℙ De altero praeterito *concucurri* testimonium affert *Prisc.* 10, 901. ex *Caton. contra C. Pison.* Video, hac tempestate concucurrisse omnes adversarios. Adde *Flor.* 4, 2. *ante med.* Mutuis ictibus in se concucurrit. Et *Hirt. B. Afr.* 59. Cum acies inter se concucurissent. Ita enim utrobique hab. meliores libri. ℙ [Part. *Concursurus* ap. *Hirt. B. Afr.* 58. Existimans ante se concursuros. *F.*]

CONCURSĀTIO, onis, f. discursio, *περιδρόμησις. Cic. Dom.* 6. Quid puerorum illa concursatio nocturna? [*i. e. tumultus, *Auflauf.*] *Plin.* 11, 30, 36. Concursatio formicarum. *Curt.* 8, 14. Miles melior concursatione, quam cominus, *h. e.* pugna instabili, non stataria. *Cic. Brut.* 69. Qui nullo acumine, eam tamen verborum copiam, si quam habebat, praebebat populo cum multa concursatione, magnoque clamore, *h. e.* discursu per suggestum. [**Ernest.* in *cl.* explicat: ut populus concursaret ad eum audiendum et clamores faceret. Quod praeferendum videtur.] *Id. Fam.* 1, 1. Libonis et Hypsaei non obscura concursatio et contentio, *h. e.* huc et illuc discursio petendi causa. [**Tac. A.* 6, 17. Ita primo concursatio et preces. *Cic. Agrar.* 1, 3. Concursatio decemviralis. (De peragratione provinciarum a Decemviris suscipienda.)] ℙ Item concursus. *Id. Div.* 2, 71. cedo tandem, qui sit ordo, aut quae concursatio somniorum.

CONCURSĀTOR, oris, m. *περίδρομος. Liv.* 31, 35. Nec pedes concursator et vagus, *h. e.* peditatus in pugna huc illuc discurrens. *Id.* 27, 18. Levis et concursator hostis, atque intervallo tutus, cum procul missilibus pugna eluditur: instabilis idem ad cominus conserendas manus.

CONCURSĀTORĬUS, a, um, adj. ut *concursatoria pugna*, quae scil. concursando fit. *Ammian.* 16, 9.

CONCURSĬO, onis, f. concursus, cum res plures eodem tempore accidunt, vel simul in eundem locum concurrunt, *συνδρομή. Cic. Top.* 19. Concursio rerum fortuitarum. *Id. Fin.* 1, 6. Atomos per infinitum inane ita ferri, ut concursionibus inter se cohaerescant. *Gell.* 14, 1. Stellarum concursiones. *Cic. Or.* 44. *extr.* Crebra ista vocum concursio, quam, ut vitiosam fugit Demosthenes. *Auct. ad Her.* 4, 12. Crebrae vocalium concursiones vastam et hiantem orationem reddunt. ℙ Est etiam figura verborum per adjectionem, qua verba in principio et fine repetuntur, et concurrunt: alio nomine complexio dicta. *Cic. Or.* 3, 54. [**Gr. συμπλοκή.*]

CONCURSO, as, avi, atum, a. 1. *περιτρέχω*, frequentat. a *concurro*, simul huc illuc curro, discurro. [**Cic. Rosc. Am.* 29. Qui tum dies noctesque armati concursabant.] *Lucr.* 2, 214. Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus ignes Concursant. *Cic. N. D.* 2, 44. *sub f.* Corpora huc et illuc casu et temere concursantia. *Id. Fam.* 7, 1. *sub f.* Ut nostras villas obire, et mecum simul lecticula concursare possis. *Id. Mur.* 21. Concursare omnes fere domos omnium. *Id. Div.* 2, 63. Deos concursare omnium mortalium non modo lectos verum etiam grabatos, et cum stertentes aliquos viderint etc. [**Id. Verr.* 2, 5, 31. Praetores obire provinciam et concursare consueverunt. *ib.* 12. Cum concursant ceteri Praetores, i. e. cum peragrant provinciam, obeunt fora et jurisdictionem exercent.]

CONCURSUS, us, m. *συνδρομή*, actus concurrendi. *Plin.* 6, 20, 23. Concursus quinque amnium in unum confluens. ℙ Saepe dicitur de conventu hominum. *Cic. Att.* 5, 16. Incredibilem in modum concursus fiunt ex agris, ex vicis, ex domibus omnibus. *Id. ad Brut.* 1, 3. Tantae multitudinis concursus est ad me factus. *Caes. B. C.* 1, 76. Fit celeriter concursus in praetorium. *Pl. Ep.* 2, 2, 27. Fit concursus per vias. ℙ *Facere concursum* dicitur, qui multitudinem circa se trahit. *Cic. Dejot.* 10. Cum equitaret cum suis delectis equitibus, quos concursus facere solebat! Et *Liv.* 27, 7. Laelius cum agmine captivorum ingressus Urbem, magnum concursum hominum fecit. ℙ De coetu seditioso. [**Cic. Sull.* 5. Lapidatio atque concursus. *Id. Cat.* 1, 1. Concursus bonorum.] *Senec. Excerpt. contr.* 3, 8. Non quotiens convenerunt in aliquem locum plures, coetus et concursus est: sed quotiens convocati, quotiens parati quasi ad ducem suum concurrerunt. Et *ib. in lemmate.* Accusatur pater quod coetum concursumque fecerit. ℙ De aliis rebus. *Cic. Fam.* 5, 13. Quae cogitatio vi tempestatum, et concursu calamitatum erat aliquantum labefactata. *Id. Fin.* 2, 34. Tantus concursus honestissimorum studiorum, tantus virtutum comitatus. *Id. N. D.* 1, 24. Concursu fortuito atomorum effectum esse coelum et terram. *Cels.* 1, 4. Concursus lunae et solis, *h. e.* coitus. *Cic. Or.* 3, 43. Asper verborum concursus. *Id. Fam.* 7, 33. Maximarum quasi concursus occupationum. ℙ Significat etiam conflictionem, qua una res in alteram incurrit. *Liv.* 29, 27. A meridie nebula occepit, ita ut vix concursus navium inter se vitaret. *Caes. B. C.* 2, 6. Ut utraeque naves ex concursu laborarent. ℙ Item congressionem pugnantium, conflictum. *Caes. B. C.* 3, 92. Inter duas acies tantum erat relictum spatii, ut satis esset ad concursum utriusque exercitus. *Nep. Cim.* 2. Barbarorum uno concursu maximam vim prostravit. *Id. Thrasyb.* 1. Concursus proelii. [**Tac. H.* 2, 24. Concursus exploratorum. — Eodem modo intelligendi sunt loci: *Ov. Met.* 15, 811. Concursus coeli, i. e. tonitrua. (Fulgura et tonitrua excitabant e *Vett.* sententia venti cum nubibus concurrentes.) Adde 11, 436. et 6, 693. *Lucr.* 6, 95. Hinc et illud *Cic. Acad.* 4, 22. Sustinere non potuit concursum omnium philosophorum, *scil.* contra disputantium.] ℙ Translate. *Cic. Part.* 30. Ex rationis et firmamenti conflictione, et quasi concursu quaestio exoritur. ℙ *Concursus oris* est oris contractio, cum quis difficulter loquitur. *Quint.* 11, 3. V. CONCURRO. ℙ Apud JCtos *concursus* est quando duo, vel plures concurrunt, *h. e.* conveniunt super re aliqua, quae ad ipsos in solidum pertinet, dividenda, consensus. *Cels. Dig.* 32, 78. Totam hereditatem esse singulis datam, partes autem concursu fieri. *Ulp. ib.* 39, 2, 15. Cum plures mittuntur in possessionem, aequaliter omnes quasi in totum missi, concursu partes habebunt. *Id. ib.* 7, 2, 1. *extr.* Ususfructus per concursum divisus. ℙ *Concursus, i*, secundae declin. *Lucr.* 1, 384. Postremo duo de concurso corpora lata Si cito dissiliant etc. Non est tamen in omnibus codicib. eadem lectio.

CONCURVO, as, a. 1. idem quod curvo. *Laber.* ap. *Macr. Sat.* 2, 7. Non flexibilem me concurvasti, ut carperes.

CONCUSSĪBILIS, e, adj. qui concuti potest. *Tertull. adv. Marc.* 1, 25. Nonne concussibilis tunc fuit novae voluntati, ut etc.

CONCUSSĬO, onis, f. *διασεισμός*, actus concutiendi. *Plin. ep.* 4, 9. Ut faces ignem assidua concussione custodiunt. *Colum.* 9, 14. *extr.* Vasa sine concussione portare. *Senec. Q. N.* 6, 25. *sub f.* Illa vasta concussio, quae duas suppressit urbes. ℙ Translate dicitur a JCtis crimen, quo quis alterum illicite terret intentanda accusatione gravioris criminis, vel simulando jussa, aut minas magistratuum, ut ab eo pecuniam extorqueat periculi vitandi causa. *Ulp. Dig.* 47. *tit.* 13. *qui est* De concussione, 1. Si simulato praesidis jussu concussio intervenit. Adde *ib.* 2. et *ib.* 3, 6, 1. *in f.* et *Tertull. ad Scapul.* 4. et 5. Dicitur autem *concussio*, quia *terror* est *metus concutiens*, teste *Cic. Tusc.* 4, 19.

CONCUSSOR, oris, m. qui concutit: et specialiter qui alterum injuste terret pecuniae extorquendae causa. V. v. praec. *Tertull. Fuga in persecut.* 12. Quid enim dicit ille concussor? da mihi pecuniam. Adde *ib.* 13.

CONCUSSŪRA, ae, f. concussio, terror illatus ad extorquendam pecuniam. V. CONCUSSIO. *Tertull. ad Scapul.* 13. Omni petenti me dabo in causa eleemosynae, non in concussurae.

CONCUSSUS, a, um, part. a *concutio*, quassatus, *σεσεισμένος. Liv.* 3, 10. Terra ingenti concussa motu est. *Virg. G.* 1, 159. Concussa quercus. *Ov. Amor.* 1, 6, 50. Raucaque concussae signa dedere fores. *Id. Fast.* 2, 846. Concussa coma. *Id. Met.* 7, 200. freta. *Plin.* 35, 3, 6. Picturae ne ruinis quidem templi concussae. ℙ Translate est perturbatus, commotus, labefactatus. *Hor. Sat.* 2, 3, 293. mater delira necabit. Quone malo mentem concussa? timore Deorum. *Virg. A.* 4, 666. Urbs concussa. *Id. ib.* 5, 700. casuque animum concussus acerbo. Et *ib.* 869. casuque animum concussus amici. *Id. ib.* 11, 451. turbati animi, concussaque vulgi Pectora. *Lucan.* 1, 182. Concussa fides. Alio sensu *Tac. H.* 5, 25. Concussa Transrhenanorum fides, *h. e.* quae a constantia deflexit. *Id. Ann.* 14, 43. Concussum senatusconsultum, *h. e.* abrogatum. *Cic. Mil.* 28. *sub f.* Hominum licentia concussa, *h. e.* metu turbata, coercita. Sed al. leg. *compressa. Vell.* 2, 121. Hostium vires concussae. *Aurel. Vict. Caes.* 13. Concussae bello gentes. [**Plin. Pan.* 6, 3. Concussa respublica.] ℙ Comp. *Concussior* apud *Capell.* 4, 96. Pallas aliquanto concussior, *h. e.* turbatior.

CONCUSSUS, us, m. concussio. *Lucr.* 6, 289. Quo de concussu sequitur gravis imber. *Plin.* 35, 16, 55. Coquitur in calicibus, crebro concussu. ℙ Extra ablat. casum exempla nondum vidimus: nisi velis admittere quod quidam afferunt ex *Ov. Met.* 6, 695. et *ib.* 15, 810., ubi pro *concussum* et *consussibus* plerique reponunt *concursum* etc.

CONCUSTODĬO, is, a. *συμφυλάττω*, simul custodio. In epitaph. Jucundi servi Liviae Drusi Caesaris uxoris, apud *Maff. Mus. Ver.* p. 176. *n.* 1. Vos vestros natos concustodite parentes.

CONCŪSUS. V. CONTUSUS.

CONCŪTĬO, ūtis, ussi, ussum, a. 3. *ἀναστέω*, commoveo, agito: a *con* et *quatio.* Vetus poeta, et fortasse *Enn.* ap. *Ter. Eun.* 3, 5, 42. Qui templa coeli summa sonitu concutit. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. plausu cava concutit ungula terram, *h. e.* ungula equorum, quod *Virg.* dixit *A.* 8, 596. Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. *Plin.* 2, 43, 43. Ictu stellarum cadentium concuti aera. *Cels.* 3, 21. *a med.* Concutiendum corpus est multa gestatione. *Juven.* 3, 100. Concuti cachinno. *Ov. Met.* 2, 50. Concutiens illustre caput. *Prop.* 1, 7, 15. Concutere aliquem arcu. *Ov. Met.* 11, 509. Aries concutit arces. *Id. ib.* 7, 201. Concutere freta. *Id. ib.* 12, 79. tela vibrantia, *h. e.* micare hasta vel hastam jacere. *Id. Amor.* 3, 9, 12. Oraque singultu concutiente sonant. *Lucr.* 3, 250. Concutitur sanguis, *h. e.* agitatur. ℙ Significat etiam duas res simul collidere. *Senec. Q. N.* 2, 28. Utrum cavae manus concutiantur, an planae et extentae. ℙ Saepe tribuitur terrori, quo tremor et concussio inducitur. Hinc terror definitur *concutiens metus* a *Cic. Tusc.* 4, 19. Sic *Vell.* 2, 90. Concutere aliquem terrore. Et *Virg. A.* 12, 468. Concussa mentem metu Juturna. Et absolute *Curt.* 4, 1. Strepitus armorum, qui totam Asiam concusserat. Adde *Se-*

nec. Thyest. 358. ℙ Universim pro quovis animi affectu turbari. *Senec. Tranq.* 2. Quod desideras autem, magnum et summum est, Deoque vicinum, non concuti. Hanc stabilem animi sedem Graeci εὐθυμίαν vocant etc. ℙ Apud JCtos concutere dicuntur, qui alios timore injecto inducunt ad dandam sibi pecuniam. *Ulp. Dig.* 1, 18, 6. Illicita ministeria ad concutiendos homines. Adde *Paul. Sentent.* 5. *tit.* 25. *sub f.* et V. CONCUSSIO. ℙ Translate est turbare, labefactare, de statu movere. *Cic. Phil.* 2, 42. Is leges Caesaris, ut rempubl. concutere posset, evertit. *Val. Fl.* 6, 476. Concutere mentes. *Nep. Epam.* 6. opes Lacedaemoniorum. *Vell.* 2, 78. provinciam. Et *ib.* 79. Concussit eum graviter fortuna, *h. e.* multavit. *Quint. Decl.* 9, 10. *extr.* Hoc divitias tuas concutit? ℙ Alio sensu *Petr. Sat.* 124. Tu concute plebem, Curio, *h. e.* concita. ℙ *Hor. Sat.* 1, 3, 35. Concute te, num etc., *h. e.* excute, expende. ℙ *Concutere se* est etiam se excitare. *Juven.* 10, 327. Nec Sthenoboea minus, quam Cressa excanduit, et se Concussere ambae, *h. e.* ad vindictam excitarunt. *Flor.* 3, 1. Non leviter se Numidia concussit, *h. e.* se ad bellandum concitavit.

CONDĂLIUM, ii, n. genus esse anuli, docet *Fest.* in *Condulus:* estque a κόνδυλος, digiti articulus, mutato *v* in *a*, ut κύλιξ, calix. Quod vero fuerit servorum proprium, colligitur ex *Pl. Trin.*, ubi servus, se ipsum alloquens, haec dicit 4, 3, 7. Satin' in thermopolio Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem? ℙ Fuit etiam Latina fabula *Condalium* inscripta (quae jam intercidit) ex qua versum affert *Varr. L. L.* 6, 4., quae ita appellata fuit, quia in ea *Plautus* (seu quicumque alius auctor fuit: nam Plauti fuisse, *Accius*, seu *Attius* negat apud *Gell.* 3, 3.) Menandri fabulam, *Δακτύλιον* dictam, in Latinum verterat. Porro δακτύλιον, anulum significat.

*CONDĀTE, Κονδάτε, (vox Celtica *confluentes* designans) opp. fuit Galliae Celticae s. Lugdunensis, in Rhedonum regione, ubi hodie *Rennes. Ant. Itin.* Dictum postea *Redonae*, unde hodiernum nomen. *Notit. Imp. occid.* ℙ Aliud, forte in Carnutibus, ut placet *Cellario*, locum *Ant. Itin.* perpendenti. ℙ Fuit et Condāte Britanniae opp., quod fertur hodie *Congleton* appellari. *Ant. Itin. B. A.*

*CONDĂTOR, oris, m. *Gloss. Lat. Gr.* Condatoribus, συντελεσταῖς. Sed *Gloss. Gr. Lat.* συντελεστὴς, Tributarius. Videtur itaque *Condator* etiam ille esse, qui *cum* aliis *dat* et *confert* tributum. *B. A.*

CONDĔCENS, entis, part. ab impers. *condecet*, decens, conveniens, πρέπων, προσῆκων. *Ammian.* 16, 10. Cujus originem loco condecenti monstrabo. Al. leg. *competenti. Auson. Gratiar. act.* 27. Cujus familiaris habitus condecentior, aut militaris accinctior?

CONDĔCENTER, adv. *Gell.* 16, 12. ut *Mosell.* et *Aldus* edidere. Alii leg. *conducenter.*

CONDĔCENTĬA, ae, f. idem ac decentia. *Cic. Or.* 3, 52. Sic verbis quidem ad aptam compositionem et condecentiam, sententiis vero ad gravitatem orationis utatur. [*Orell. decentiam.]

CONDĔCET, impers. idem ac decet. *Pl. Amph.* 2, 2, 90. Capies quod te condecet. *Id. Cas.* 3, 5, 24. Quod haud Atticam condecet disciplinam. *Id. Poen.* 1, 2, 92. Magis pudorem, quam aurum gerere condecet.

CONDĔCORĀTUS, a, um, part. a *condecoro*, ornatus, instructus. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 4, 10. Ova parire solet genu' pennis condecoratum, Non animas. *Vitr.* 1, 1. *circa med.* Disciplina condecorata et abundans eruditionibus.

CONDĔCORĔ, adv. idem ac decore, pulcre, apte. *Gell.* 14, 4. Condigne mehercule, et condecore Chrysippus depinxit Justitiam.

CONDĔCŌRO, as, a. 1. idem ac decoro. *Ter. Hec. prol.* 37. Vobis datur potestas condecorandi ludos scenicos. *Vetus epigr.* ap. *Plin.* 35, 10, 37. Dignis digna loca picturis condecoravit.

[CONDĔCŪRIĀLIS, is, m. qui una cum alio fuit decurio. *Fragm. Jur. civ. ante Justin. ed. ab A. Maio* p. 39. Decuriales quoque, qui ob id ipsum vacant, a tutelis condecurialis filii non vacare, si non habeant aliam excusationem. *F.*]

CONDĔCŪRIO, onis, m. qui simul cum alio decurio est. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 465, 1. Civi et condecurioni D. D. P. P.

*CONDELECTOR, aris, dep. 1. συνήδομαι. *Vulg. Rom.* 7, 22. Condelector lege Dei. Adde *Fulgent. ep.* 4. *ad Prob. de Or. B. A.*

CONDĔLĪQUESCO, is, n. liquesco, τήκομαι. *Cato R. R.* 23. Eam fiscellam quassato crebro, uti resina condeliquescat.

CONDEMNĂBĬLIS, e, adj. damnandus. *Pallad. de insitione* 11. Et nostrae studium non condemnabile Musae.

CONDEMNĀTĬO, onis, f. κατάκρισις. *Ascon. in Div. Verr.* 7. A absolutionis, C condemnationis littera. *Ulp. Dig.* 2, 10, 5. Condemnatio pecuniaria. *Id. ib.* 42, 1, 59. Condemnationem facere, *h. e.* condemnare. *Id. ib.* 4, 2, 14. pati. ℙ *Condemnationem facere* ap. *Gordian. Imp. Cod.* 8, 14, 8. et *tit.* 27. est obtinere, ut adversarius condemnetur.

CONDEMNĀTOR, oris, m. qui reum peragit. *Tac. A.* 4, 66. Claudiae condemnator. ℙ Item judex qui condemnat. *Tertull. adv. Marc.* 2, 9. Delicti interdictor et condemnator.

*CONDEMNATRIX, icis, f. *Sarisb. ep.* 188. *B. A.*

CONDEMNĀTUS, a, um, part. a *condemno*, κατάκριτος. *Cic. Fam.* 6, 6. Nefariorum scelerum condemnati. *Titinn.* et *Turpil.* ap. *Non.* 4, 111. Nunc ejus voti condemnatus, immolavit hostam, *h. e.* obnoxius ad praestandum, quod voto promiserat, quia quod optabat, obtinuit. *Cic. Phil.* 2, 23. Condemnatus de alea. *Id. Flacc.* 18. *extr.* Condemnatus pecuniae publicae. *Papin. Dig.* 27, 3, 21. Condemnatus in solidum. *Id. ib.* 20. in minori pecunia. *Torrentin.* omittit *in:* quod est multo rectius. *Ulp. ib.* 42, 1, 4. Condemnatus, ut pecuniam solvat. *Papin. ib.* 26, 9, 5. Condemnatus ad pecuniam. *Scaev. ib.* 46, 1, 45. in certam quantitatem. ℙ Extra forum. *Cic. Pis.* 17. Tuum factum condemnatum judicio amicorum.

CONDEMNO, as, avi, atum, a. 1. καταχρίνω, καταγινώσκω, damno. *Cic. N. D.* 2, 29. Condemnare aliquem indicta causa. *Id. Rosc. Am.* 39. Condemnari judicio turpissimo. *Id. Or.* 1, 54. Condemnare aliquem capitis. *Id. Fam.* 14, 14. sceleris. *Id. ib.* 2, 1. Condemnabo eodem ego te crimine. [*Id. Cluent.* 22. Nullo praejudicio facto ex ipsa causa condemnare.] *Suet. Cal.* 38. Super quadraginta reos ex diversis criminibus condemnavit. *Id. ib.* 27. Condemnare ad metalla, aut ad bestias. [*Id. Tib.* 3. Condemnare aliquem, multa irrogata. *Id. ib.* 51. in antliam. *Id. Dom.* 11. Ut more majorum puniendi condemnarentur.] *Serv. Sulpic.* ap. *Gell.* 4, 4. Condemnare aliquem, quanti interfuit eam uxorem accipi, aut dari. *Caj. Dig.* 10, 1, 3. Condemnare aliquem certa pecunia. *Alfen. ib.* 15, 3, 16. Condemnari amplioris pecuniae. *Caj. ib.* 22, 1, 19. Condemnare possessorem in fructus. *Paul. ib.* 6, 1, 35. Debet etiam de fructibus possessor condemnari. *Papin. ib.* 27, 3, 21. Condemnare aliquem in solidum. ℙ *Condemnare aliquem alicui* est condemnando obligare, ut aliquid alicui praestet. *Cic. Verr.* 2, 2, 8. Hunc hominem Veneri absolvit, sibi condemnat. *Scaev. Dig.* 20, 4, 21. Ob summam, qua ex tutela ei condemnatus erat. ℙ *Condemnare* dicitur etiam accusator, qui reum peragit, atque obtinet, ut condemnetur. [*Gr. καταδικάζεσθαι.] *Cic. Div. in Verr.* 1, 10. Ego hoc uno crimine illum condemnem, necesse est. *Suet. Tib.* 8. Reum apud judices fecit, et condemnavit. ℙ Extra rem forensem. *Cic. Prov. cons.* 10. Qui Gabinii litteras insigni quadam nota, atque ignominia nova condemnastis. *Id. Or.* 1, 38. Condemnare aliquem inertiae, impudentiae. *Id Fam.* 8, 1. Condemnare arrogantiae officium alicujus. *Caes. B. G.* 7, 19. Condemnari summae iniquitatis. *Id.* ad *Cic. post ep. ad Att.* 8, 10. Condemnare factum alicujus. ℙ [Part. *Condemnaturus* ap. *Suet. Dom.* 11. Unum e familiaribus suis capitis condemnaturus. *F.*]

CONDENSĀTĬO, onis, f. densatio. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 18. *extr.* Constrictio et condensatio.

CONDENSĔO, es, a. 2. denseo. *Lucr.* 1, 392. Quod se condenseat aer. Al. leg. *condenserat*, ut sit praeterit. pro *condensuerat.*

CONDENSĬTAS, atis, f. densitas. *Appul. de Mundo.* Aeris condensitas. Al. leg. *densitas.*

CONDENSO, as, avi, atum, a. 1. πυκνόω, densum facio. *Varr. R. R.* 2, 3. Oves se congregant ac condensant in locum unum. *Hirt. B. Afr.* 13. Condensare aciem. *Colum.* 7, 8. Caseus ponderibus condensatur.

CONDENSUS, a, um, adj. πυκνὸς, spissus, densus. *Lucr.* 6, 465. Condensus atque arctus. *Id.* 4, 55. Contextus et condensus. *Id.* 1, 599. Condensum agmen. *Liv.* 26, 5. *a med.* Irrumpere condensam aciem. [*Virg. A.* 8, 497. Condensae litore puppes. *Sil.* 14, 639. Condensi ruunt. *Id.* 1, 365. Condensis actae testudinis armis.] *Hirt. B. Afr.* 50. Olivetum crebris arboribus condensum. *Virg. A.* 2, 516. Condensae columbae. *Plin.* 10, 73, 94. Insidunt pardi condensa arbore. Ita *Hard.* ex MSS., alii *condensa arborum. Sisenn.* ap. *Non.* 2, 561. Condensiores manipulatim resistere hostibus instituissent. Al. leg. Cum densi in orbes manipulatim etc. Al. Cum densiores manipulatim. [*Lucr.* 5, 487. Et radiei solis cogebant undique terram. — In medio ut suo condensa coiret. *Id.* 1, 576. Sunt igitur solida pollentia simplicitate; quorum condenso magis omnia conciliatu Artari possunt.]

CONDEPSO, is, ui, a. 3. commisceo, manibus subigo, mollio. *Cato R. R.* 40. Haec bene una condepsito. (Adde *ib.* 76.) *Non.* 1, 181. docet esse a Graeco δέψω, seu δεψέω, subigo, mollio. *Pompon. ib.* Partem insipui, conclusi, condepsui. Adde *Titinn.* ap. *Non.* 4, 34. V. locum in ARGUTOR.

*CONDESCENSIO, onis, f. συγκατάβασις. *Cod. Iust.* 6. c. de *S. Trinit.* Debemus imitari Ies. Christi condescensionem seu demissionem. *B. A.*

[CONDĔSERTOR, oris, m. qui simul deserit. *Tertull. Carn. Chr.* 1. Condiscipulus, et condesertor ejus Valentinus. *F.*]

CONDĪCO, is, ixi, ictum, a. 3. παραγγέλλω, συγχρονέω, a *con*, et *dico:* est dicendo denunciare, ut *Festus* exponit: sed dicitur de iis rebus, quas denunciamus alteri, prius mutuo consensu constitutas. Hinc *condicere alicui coenam*, et *ad coenam*, vel *condicere* absolute, est denunciare alicui, se apud eum coenaturum, ipso volente. [*Sich zu Gaste bitten.*] Nam si recusaret, non *condicere* diceremus, sed *indicere* etc. *Suet. Tib.* 42. Seni coenam ea lege condixit, ne, etc. *Pl. Men.* 1, 2, 15. et *Stich.* 3, 1, 38. Ad coenam aliquo condicam foras. *Cic. Fam.* 1, 9. *post. med.* Nam cum mihi condixisset, coenavit apud me in mei generi Crassipedis hortis. ℙ Dicitur etiam de aliis rebus. *Phaedr.* 4, 24. Simonides, Victoris laudem cuidam pyctae ut scriberet, Certo condixit pretio, *h. e.* convenit. Al. leg. *conduxit* minus recte. *Justin.* 15, 2. *ad f.* Per epistolas se invicem confirmantes, tempus et locum coeundi condicunt. *Gell.* 10, 24. *ad f.* Condicere aliquid in diem tertium. *Pompon. Dig.* 18, 1, 66. In vendendo fundo quaedam, etiam si non condicantur, praestanda sunt: veluti ne fundus evincatur: quaedam ita demum, si condicta sunt, veluti viam, iter, actum, etc. ℙ *Condicere inducias* ap. *Justin.* 3, 7. *sub f.* est mutuo consensu facere; qua in re cur *Justinum Scioppius* reprehendat, quasi minus Latina loquendi ratione usus sit, non se videre ait *Gronov. Observ.* 1, 1. ℙ *Condicere operam* ap. *Plin.* est denunciare, publicare, edere, in *praef. H. N.* Cum hanc operam condicerem, non eras in hoc albo ℙ Quod vero *Scalig.* ad *Cir. Virg.* 187. adnotavit, *condicere* proprium esse proditorum, qui condicunt et constituunt iis, quibus arcem aut urbem prodituri sunt: velim, idonea solidaque auctoritate confirmasset. V. *Gronov. l. c.* ℙ Singularis est ejus usus in veteri formula ap. *Liv.* 1, 32. Quarum rerum, litium, causarum condixit pater patratus populi Romani Quiritium patri patrato priscorum Latinorum etc. *condixit*, h. e. pactus est, constituit, convenit cum patre patrato Latinorum. Sed multae sunt super hunc locum lites eruditorum. ℙ Apud JCtos *condicere aliquid* est actione repetere, seu denunciare alicujus rei restitutionem. V. CONDICTIO. *Julian. Dig.* 39, 6, 13. Si alienam rem mortis causa donavero, eaque usucapta fuerit, verus dominus eam condicere non potest, sed ego, si convaluero. *Ulp. ib.* 12, 1, 11. Condicere pecuniam alicui, *h. e.* ab aliquo repetere. ℙ Proprie significat idem dicere, vel simul dicere. *Tertull. Anim.* 8. Et ipsi philosophi ex contrariis universa constare condicunt. Adde *adv. Gnost.* 14. ℙ Hinc et pro convenire, consentire, simul vivere usurpavit *Id. adv. Hermog.* 11. *sub f.*

CONDICTĬCĬUS, a, um, adj. ad condictionem pertinens, ut *actio condicticia*, qua aliquid condicimus, et repetimus, quae eadem est ac condictio. *Ulp. Dig.* 12, 2, 13. Atque ideo neque furti, neque condicticia tenetur.

CONDICTĬO, onis, f. παραγγελία, actus condicendi. A *Festo* definitur: in diem certum ejus rei, quae agitur, denunciatio. ℙ Fuit etiam verbum augurale. Nam *Serv.* ad *A.* 3, 117. docet, condictionem esse, cum denunciatur, ut ante diem tertium quis ad inaugurandum adsit. ℙ Frequenter legitur apud JCtos, a quibus definitur: actio in personam, qua denunciatur alicui, ut rem ad nos pertinentem restituat. Est autem multiplex, ut videre est *Dig. l.* 12. *t.* 1, 4, 5, 6, 7. et *ib.* 13. *t.* 1, 2, 3., in quibus de variis condictionum generibus agitur. Hinc illae loquendi rationes *condictione petere*, aut *repetere*, *per condictionem agere*, *condictione teneri* etc. locis cit. ℙ Dicitur autem *condictio* ex vetere forensi more, quo postquam actor reum coram praetore citaverat, condicebant mutuo consensu, et constituebant certum diem, quo causam in judicio disceptarent. Quare, licet aliquando illa constitutio et condictio locum in aliqua actione non habeat, usus tamen obtinuit, ut *condictio* nominetur, ℙ Fortasse etiam *Cicero* hac voce est usus *Top.* 21. Ut si quaeratur, a naturane jus profectum sit, an ab aliqua quasi condictione hominum, et pactione. *Conditione* tamen habent libri omnes.

CONDICTUS, a, um, part. a *condico*, constitutus, et denunciatus, παραγγελθείς. *Cincius* apud *Gell.* 16, 4. et *Pl. Curc.* 1, 1, 5. Status condictusve dies cum hoste. *Ammian.* 20, 1. Cum Scotorum excursus rupta quiete condicta, loca limitibus vicina vastaret. [*Suet. Tib.* 42. Subita condictaque coenula, *h. e.* non diu praeparata sed mediocris et cibis communis.] ℙ *Condictum, i*, n. est *quod in communi est dictum*, inquit *Festus:* sive idem est ac condictio. *Gell.* 20, 1. *sub f.* Metius Suffetius pactum atque condictum cum rege populi R. perfide ruperat. Et *Appul. Florid. n.* 16. Interim dies ire, neque Philemon ad condictum venire.

CONDĬDĪSIT. V. in CONDO.

CONDIGNĔ, adv. ἀξίως, digne, convenienter, merito. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 42. Post id cum lassus

fueris et famelicus, Noctu ut condigne te cubes, curabitur. *Id. Men.* 5, 5, 8. Condigne haec meretrix fecit, ut mos est meretricius. *Gell.* 1, 6. Condigne et recte loqui. Et 14, 4. Condigne et condecore depingere. ℙ Pro opportune, vel ut res postulat. *Pl. Bacch.* 3, 2, 8. Condigne is quam technam de auro adversum meum fecit patrem! Adde *Aul.* 3, 4, 6. et *Poen. a.* 2. *v.* 17. ut videtur.

CONDIGNUS, a, um, adj. ἄξιος, dignus, conveniens. *Pl. Amph.* 1, 3, 39. Ecastor condignum donum, qualis est qui donum dedit. *Gell.* 3, 7. Pulcrum facinus, Graecarumque facundiarum magniloquentia condignum.

*CONDIGRAMMA, opp. Asiae ulterioris, quod Indus alluit. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

CONDĪMENTĀRĬUS, a, um, adj. ad condimenta pertinens. *Plin.* 19, 6, 32. Caepae condimentariae. Et *ib.* 8, 50. Satureja dicta in condimentario genere.

CONDĪMENTĀRĬUS, ii, m. ταριχοπώλης, qui condimenta conficit, aut vendit. Metaphorice *Tert. Anim.* 23. Doleo Platonem omnium haereticorum condimentarium factum.

CONDĪMENTUM, i, n. ἄρτυμα, quod ad aliquid condiendum aptum est, vel quo aliquid conditur. *Cic. Fin.* 2, 28. Socratem audio dicentem, cibi condimentum esse famem, potionis sitim. ℙ *Condimenta viridia* appellat *Colum.* 12, 8. olera recentia, quibus utimur in cibis condiendis. ℙ Saepe translate sumitur. *Cic. Amic.* 18. Accedat huc suavitas, oportet, sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiae. *Id. Or.* 2, 67. Facetiae sunt condimenta omnium sermonum. [*Gr. ἡδυσμα. V. *Ernest. lex. technol. Gr.* s. h. v.] *Pl. Poen. in f.* Plautus est postremum condimentum Fabulae. ℙ Significat etiam lenimentum, mitigiationem. *Pl. Rud.* 2, 3, 71. Animus aequus optimum est aerumnae condimentum. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 7. Severitas multis condimentis humanitatis mitigatur.

CONDĪO, is, ivi, et ii, ītum, a. 4. ζωμεύω, ἡδύνω, ταριχεύω, sapidum reddo, cibis saporem addo. Etymologorum alii a *con*, et antiquo *duo* pro *do* derivant: alii e Graeco γανδνῶ, unde γανδνσματα, condimenta. Fides sit penes ipsos. *Cic. Fam.* 7, 26. Fungos, heluelas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius. *Pl. Pseud.* 3, 2, 21. Condire coenam. *Colum. praefat.* Gulosius condire cibos. *Varr. R. R.* 1, 66. Oleas albas, quas condideris novas, nisi condieris, propter amaritudinem illas respuit palatum. *Pl. Pseud.* 3, 2, 41. Meas qui esitabunt escas, quas condivero. ℙ Condiri etiam dicuntur, quae servandi causa, admixtis condimentis componuntur. *Cic. Tusc.* 1, 45. Condiunt Aegyptii mortuos, et eos domi servant. *Plin.* 14, 19, 23. Caules summi vitium condiuntur in aceto et muria. *Id.* 16, 10, 16. Condire vina. *Colum.* 12, 46. *in f.* Cum condiverunt inulam. Adde *ib.* 7. et 13. ℙ Translate. *Cic. Or.* 55. Duo sunt, quae condiant orationem, verborum, numerorumque jucunditas. *Id. Cluent.* 26. *ad f.* Qui ea vitia, quae a natura habebat, etiam studio atque artificio quodam malitiae condivisset. ℙ Pro mitigare, lenire. *Cic. Att.* 12, 40. *a med.* Hilaritas illa, qua hanc tristitiam temporum condiebamus. ℙ [Part. *Condiendus* ap. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 5. Condiendis aliis *(vinis)* pinguius gignit Marsilia. *F.*]

CONDISCĪPŪLA, ae, f. συμμαθήτρια. *Mart.* 10, 35. Hac condiscipula, vel hac magistra Esses doctior, et pudica Sappho. *Appul. Met.* 9. Areten meam condiscipulam memoras.

CONDISCĪPŪLĀTUS, us, m. societas discipulorum sub uno magistro, συμμαθητεία. *Nep. Att.* 5. Cum quo a condiscipulatu vivebat conjunctissime. Adde *Justin.* 12, 6.

CONDISCĪPŪLUS, i, m. συμμαθητής, qui simul cum aliquo discipulus est. *Cic. Tusc.* 1, 18. Dicaearchum vero cum Aristoxeno aequali et condiscipulo suo, doctos sane homines omittamus. Adde *Nep. Attic.* 1., *Senec. ep.* 66. et *Quint.* 2, 3.

CONDISCO, is, idici, a. 3. συμμανθάνω, proprie una disco, condiscipulus sum. *Appul. Florid. n.* 18. Quemdam ex his qui mihi Athenis condidicere, percontari facio. ℙ Idem quod disco, assuesco, μανθάνω, ἐθίζω. *Cic. Planc.* 5. *extr.* Condiscas, censeo, mihi paulo diligentius supplicare. *Pl. Curc.* 4, 3, 2. Eapse iracundia, qua excidionem facere condidici oppidis. *Hor. Od.* 3, 2, 3. Pauperiem pati puer condiscat. *Ov. Her.* 4, 25. Ars fit, ubi a teneris crimen condiscitur annis. *Pl. Curc.* 1, 3, 4. Merum condidicit bibere. *Suet. Ner.* 20. Condiscere genera plausuum. [*Zusammen einlernen.] ℙ Item memoriter discere. *Hor. Od.* 4, 11, 34. Condisce modos, amanda Voce quos reddas. [*Sil. 7, 462. Pacem condiscens oculis, i. e. vultum assumeus facilem et hilarem.] ℙ Translate. *Plin.* 21, 5, 11. Naturae rudimentum, lilia facere condiscentis. *Colum.* 4, 15. Ut flagellum paulatim condiscat suis radicibus ali. Adde 3, 10. *post med.*

CONDITĀNĔUS, a, um, adj. qui conditur. *Olea conditanea* ap. *Varr. R. R.* 1, 24. est quae, esui apta cum sit, condi et condiri solet. Eadem a *Caton. R. R.* 6. *conditiva* appellatur.

CONDĪTĀRĬUS, a, um, adj. ad condiendum pertinens. *August.* 22. *Civ. Dei* 8. *post med.* Coquina conditaria, *h. e.* taberna, ubi cibi cocti et conditi prostant.

CONDĪTĪCĬUS et Condititius, a, um, adj. ἀποθετος, qui conditur, seu reponitur, conditaneus. *Colum.* 8, 8. *de columbis.* Duobus, aut tribus mensibus acceptant conditicia cibaria: ceteris seipsas pascunt seminibus agrestibus

CONDĪTĬO, onis, f. ἄρτυσις, actus condiendi, conditura. *Cic. N. D.* 2, 58. Quo compositiones unguentorum, quo ciborum conditiones, quo corporum lenocinia processerint. *Varr. L. L.* 4, 22. Jus, quod jucundum magis conditione est. *Colum.* 12, 51. Conditiones vini.

CONDĪTĬO vel Condicio, onis, f. actus condendi, factio, opus, ποίημα. *Prud. Hamart.* 19. Simulacrum structile flatu Concaluisse Dei: Dominum quoque conditioni Impositum. *Tertull. Habit. mul.* 8. Dei conditio est et tus, et merum, et ignis, qui vescitur, et animalia etc. Adde *de Spectac.* 2. et alibi. ℙ Item modus condendi, *h. e.* reponendi, ac servandi. *Cic. Div.* 1, 51. Nec fruges terrae, baccasve arborum cum utilitate ulla generi humano dedisset, nisi earum cultus, et conditiones tradidisset. ℙ Fere sumitur pro qualitate, ratione, natura, indole, ingenio, statu, sorte, κατάστασις. [*περίστασις, *Stand, Rang, Verhältnisse.* Cf. *B. Crus. in cl. Suet.*] *Cic. Att.* 15, 1. Ea conditione nati sumus, ut nihil quod homini accidere possit, recusare debeamus. *Id. Fam.* 5, 18. Ea videtur conditio impendere legum, judiciorum, temporum, ut etc. *Id. Marc.* 3. Ea vicisti, quae et naturam et conditionem, ut vinci possent, habebant. Et 4. *extr.* Conditio, et vis victoriae. *Id Rabir. Post.* 7. Sequi conditionem aliquam vitae. *Id. Univers.* 11. et 14. *Phil.* 12. Mortalis conditio. (quae *conditio mortis* dicitur a *Virg. A.* 12, 880.) *Id. Off.* 1, 13. *ad f.* Conditio et fortuna servorum. *Id. Fam.* 12, 23. Conditio imperii, et status provinciae. *Id. Agr.* 2, 21. Conditio agri. *Paul. Dig.* 48, 19, 48. personae. *Ov. Pont.* 2, 5, 16. loci. *Quint.* 1, 5. metri. *Plin.* 18, 21, 50. ruris. *Id.* 24, 17, 101. frumenti. *Cic. Senect.* 19. Esse meliore conditione, quam etc. *Id. Fam.* 6, 1. Afflictiore conditione esse, quam etc. *Id. Agr.* 3, 2. *extr.* Immunia commodiore conditione sunt, quam illa, quae pensitant. *Id. Cluent.* 34. Aequa conditione disceptare. Et *ib.* Iniqua conditione causam discere. *Plin.* 4, 10, 17. Civitas liberae conditionis, *h. e.* libera. *Id.* 3, 8, 14. Populi conditionis Latinae, *h. e.* jure Latii gaudentes. [*Cic. *Quinct.* 28. Conditione pari uti, i. e. pari jure. *Id. Verr.* 1, 54. Conditione optima esse dicuntur in redimendo, qui praecipuum aliquod jus habent redimendi, ut ad ipsos potius, quam ad alios res redimenda perveniat, (*Vorkaufsrecht*, jus προτιμήσεως.) *Id. Agr.* 3, 2. Optima conditione praedia: pro quo dicitur saepissime optimo jure. *Ernest. cl. Cic.*] ℙ Est praeterea pactio certam legem in se continens, ut *Donat.* ad *Ter. Andr.* 1, 1, 52. definit, pactum, lex. *Cic. Caecin.* 14. Videte, per Deos immortales, quod jus nobis, quam conditionem vobismetipsis, quam denique civitati legem constituere velitis. *Id. Parad.* 5, 2. *ad f.* Cupiditate peculii nullam conditionem recusant durissimae servitutis. *Id. Rabir. Post.* 6. *extr.* Statuere conditionem duriorem alicui, quam ferre possit. *Id. Catil.* 4, 1. Dare alicui conditionem eam, ut etc. *Id. Coel.* 6. respuere. [*Id. *Verr.* 1, 6. Mansit in conditione.] *Ter. l. c.* accipere. *Caec.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Librum ea conditione daret, si reciperes etc. *Cic. Phil.* 7, 1. Ferre conditiones, leges imponere, *h. e.* proponere. [*Id. *Fam.* 6, 2. Armis conditione positis. *Id. Off.* 1, 7. Aut lege, pactione, conditione, sorte. Cf. *Beier.* ad h. l.] *Liv.* 29, 12. Dicere conditiones pacis, eod. sensu, (*ferre*, et *dicere conditiones* est ejus, qui superior sit.) *Vell.* 2, 25. Conditionibus aequis bellum componere. *Id. ib.* 48. Conditiones pacis postulare, recipere, discutere, rumpere. *Tac. H.* 4, 65. subire, aut aspernari. *Cic. Fam.* 16, 12. Stare conditionibus. *Id. ib.* Fugere a conditionibus. *Liv.* 29, 12. In eas conditiones pax convenit. *Nep. Thrasyb.* 3. Inter eos pacem fecit his conditionibus etc. *Vell.* 2, 108. Finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus juris sui fecit. ℙ Sub conditione. *Cic. Arch.* 10. *ad f.* Jubere, ei praemium tribui sub ea conditione, ne quid postea scriberet. *Phaedr.* 4, 10. Matrem fecit heredem senex sub conditione, ut etc. Adde *Ov. Fast.* 4, 320. et *Liv.* 6, 40. ℙ Item optio. *Plin.* 36, 5, 4, *n.* 5. Quam praetulerunt, quorum conditio erat Coi. [*Cic. *Verr.* 2, 3, 62. Venire ad conditiones alicujus. *Id. Quinct.* 6. perduceret eum ad suas conditiones. *Id. Att.* 9, 15. Utar conditione Caesaris, qua sc. mihi veniam dare vult.] *Ulp. Dig.* 38, 5, 1. *circa med.* Deferre conditionem emptori, utrum malit etc. *Scaevola ib.* 31, 49. Facere conditionem alicui, utrum malit etc. ℙ Pertinet etiam ad rem nuptialem, et significat occasionem, quae offertur nubendi, aut uxorem ducendi. *Cic. Coel.* 15. *extr.* Habes hortos ad Tiberim: ac diligenter eo loco praeparasti, quo omnis juventus natandi causa venit: hinc licet conditiones quotidie legas. *Liv.* 3, 45. *extr.* Conditionem filiae quaerere. *Suet. Galb.* 5. Amissa uxore Lepida remansit in coelibatu, neque sollicitari ulla conditione amplius potuit, ne Agrippinae quidem etc. Adde *Nepot. Attic.* 12., *Pl. Aul.* 3, 5, 2. et *Stich.* 1, 2, 81. [*Curt. 4, 11. Regnum occupari posse conditione, i. e. si Darii filiam ducat Alexander.] ℙ Translate *Mart.* 11, 53. Coenabis belle, Juli Cerealis, apud me: Conditio est melior si tibi nulla, veni. ℙ Obsceno sensu. [*Ut nos: *Gelegenheiten. Suet. Aug.* 69. Conditiones quaesitas per amicos. *Capitolin. Anton. Philos.* 19. Siquidem Faustinam satis constat apud Cajetam conditiones sibi et nauticas et gladiatorias elegisse. V. *B. Crus. in cl. Suet.* s. h. v. Cf. *Ruhnk.* ad. *Ter. Andr.* 1, 1, 52.] *Lamprid. Elagab.* 5. Emissarios habebat, qui ei bene vasatos perquirerent, ut eorum conditionibus frui posset. *Id. ib.* 8. Lavacrum publicum in aedibus aulicis fecit, ut ex eo conditiones bene vasatorum hominum colligeret. Huc porro est retrahendus locus *Cic. Coel.* 15. modo laudatus. ℙ *Conditione tua non utor*, formula est dissolvendi sponsalia. *Cajus. Dig.* 24, 2, 2. ℙ Interdum est idem ac ratio, via, modus. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. *a med.* Perferri litterae nulla conditione potuerunt. Sexcentis enim locis excutiuntur tabellarii. *Cic. Fin.* 5, 20. Appetit animus aliquid agere semper: neque ulla conditione quietem sempiternam potest pati. *Lucr.* 2, 300. Et quae consuerunt gigni, gignentur eadem Conditione, *h. e.* simili ratione, ut paulo ante dixerat. ℙ Magna lis est, utrum per *c*, an per *t* scribi oporteat. *Dausq. t* praefert (quo inclinare videtur etiam *Cellar.)* quia est propius origini, *perditio* a *perditus* etc. *conditio* a *conditus.* Vetera monumenta apud *Manut.* plerumque *condicio* exhibent: atque ita habet *Cod. palimps. Cic. De rep.* 1, 4. ap. *A. Maium. F.*]

CONDĪTĬONĀBĬLIS, e, adj. conditionalis. *Tertull. adv. Gnost.* 9. Conditionabilis persecutio.

CONDĪTĬONĀLIS, e, adj. ὑποθετικός, conditionem habens adjunctam. *Tertull. adv. Jud.* 13. *sub f.* Conditionalis comminatio. *Ulp. Dig.* 34, 4, 9. Datio conditionalis. *Serv.* ad *A.* 4, 696. Conditionalia fata, *h. e.* quae sub aliqua conditione eventura sunt. *Ulp.* 50, 16, 54. Conditionales creditores dicuntur, quibus nondum competit actio, est autem competitura: vel qui spem habent, ut competat. ℙ *Conditionales servi* et *conditionales* absolute, dicti sunt ministrorum quoddam genus, qui ea conditione erant, ut illi muneri essent addicti et mancipati, neque ab eo liberari, aut ad majora aspirare possent. Horum fit mentio apud *Imp. Constant. Cod.* 10, 1, 7. et *Imp. Leon. ib.* 8, 18, 11. et in *Cod. Theod.* non semel. De his etiam intelligendum est et illud *Tertull. Idolol.* 12. Opera et conditionalis eram, *h. e.* conditione servus.

CONDĪTĬONĀLĬTER, adv. ὑποθετικῶς, sub conditione. *Cajus Dig.* 35, 1, 17. At si conditionaliter concepta sit causa, veluti hoc modo: Titio, si negotia mea curaverit, fundum do etc. Adde *Paul. ib.* 46, 3, 98. [*Cf. de h. v. *Duk. Lat. Ict.* 446.]

CONDĪTĪVUS, a, um, adj. idem quod conditicius: a *condo. Cato R. R.* 6. et *Macr. Sat.* 2, 16. Conditiva olea. *Varr. R. R.* 1, 24. eandem *conditaneam* vocat. *Cato ib.* 7. et *Varr. R. R.* 1, 59. Conditiva mala. *Colum.* 7, 9. *circa med.* Viridia pabula suibus plerumque nocent: itaque mane, priusquam procedant in pascua, conditivis cibis sustinendae sunt. ℙ *Conditivum*, *i*, n. locus est, ubi aliquid conditur, ac reponitur. Pro sepulcro (quod alii *conditorium* appellant) accipitur a *Senec. ep.* 60. *extr.* Qui latitant et torpent, sic in domo sunt, tanquam in conditivo. Adde *ep.* 82. *in.* et *Inscr.* in V. ACCUMBITORIUM.

CONDĪTOR, oris, m. κτιστής, ἀρχηγός, qui condit, *h. e.* facit, auctor. *Virg. A.* 8, 313. Euandrus Romanae conditor arcis. *Suet. Aug.* 7. Romulus conditor urbis. *Justin.* 2, 10. Cyrus conditor tanti regni. [*Plin. *Pan.* 1, 6. Quo magis aptum piumque est, te Jupiter Optime Maxime, antea conditorem, nunc conservatorem imperii nostri, precari.] *Inscr.* ap. *Grut.* 265, 5. Conditor coloniae. *Plin.* 26, 2, 6. et *Colum.* 9, 3. sectae, *h. e.* auctor et princeps. *Curt.* 8, 5. carminum. *Pl. Epid.* 3, 4, 85. Legum atque jurium fictor, conditor cluet. *Ov. Ib.* 522. Conditor historiae. *Id. Fast.* 6, 21. anni, *h. e.* scriptor fastorum. *Senec. ep.* 95. *ante med.* Maximus ille medicorum et hujus scientiae conditor. *Ov. Pont.* 2, 11, 2. Conditor artis. [*Liv. 8, 34. Conditor Romanae libertatis. *Id.* 1, 42. Conditor omnis in civitate discriminis ordinisque. *Id.* 39, 17. Maximi sacerdotes conditoresque ejus sacri. *Quint. Decl.* 9, 22. p. 210. Eant nunc antiquarum conditores fabularum poetae.] *Claud. in carm. Pasch.* Christus red-

euntis conditor aevi. *Senec. Phoen.* 655. Conditor mundi Deus. ℙ Pro scriptore, absolute. *Tibull.* 4, 1, 4. humilis tantis sim conditor actis. *Plin.* 7, 30, 31. et 36, 15, 24. *n.* 3. Conditor rerum. ℙ *Conditor factionis Russatae* in *Inscr.* ap. *Grut.* 338, 4. *Prasinae. ib.* 1089, 3. *Albatae*, ap. *Reines. cl.* 5. *n.* 56. inter ministros Circenses numerantur. *Scalig.* ad *Catalect. Virg.* putat ita dictos eos, qui factionem ederent, et missus suppeditarent, [quod multis confirmat *Marin. Frat. Arv.* p. 215., quosque ex *Inscr.* ap. *Grut.* 338, 4. *factionum primos* appellatos fuisse conjicit. *F.*] *Turneb. Advers.* 18, 33. scribit esse eosdem, qui in *Gloss. Philox.* dicuntur *ἀλείπται ἵππων*, *h. e.* qui equos oleo ungebant et curabant. Sed quoniam factionibus sui quoque medici erant, ut apparet ex *Inscr.* ap. *Grut.* 339, 1., aliptas autem medicos intelligit *Salm.* ad *Vopisc. Sat.* 7. et 8., nempe eos, qui veneficiis, et incantationum medicamentis aurigatores ad victoriam praeparabant; ideo *conditores* hujusmodi fuisse idem putat. Alii, quia *ἀλείφειν* significat etiam cohortari, instigare, et *ἀλείπτης* est cohortator, excitator, censent, in *Glossa* significari eos, qui equos incitarent ad cursum. In alia *Inscr.* ap. *Grut.* 338, 5. habetur *Conditor gregis Russatae*, h. e. qui equorum greges ad jugum adsuesceret et exerceret, ut quidem legit, et interpretatur *Graevius.* Ceterum an de conditoribus Circensium *Glossa* allata loquatur, incertum est: et praeterea pro *ἵππων*, ibi *Scalig. l. c.* legendum putat *πλθων* vel *πλιτων*, ut intelligantur ii, qui cados pice illinebant, ut postea terrae infoderent ad vina condenda. ℙ De femina quoque dicitur, ut *auctor*, *sponsor* etc. *Tac. G.* 28. Ubii quamquam libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur etc. V. tamen loc. et Interpr. ℙ Praeterea *conditor* per amplificationem vocatur etiam is, qui instaurat insigniter aliquid paene collapsum. *Vell.* 2, 60. Octavius conditor et conservator Romani nominis. *Plin. ep.* 10, 38. *ad Trajan.* Conditor militaris disciplinae, firmatorque. [**Liv.* 5, 24. Sicinium conditorem Vejos sequantur, i. e. instauratorem, quum quidem, migratione facta, velut Roma nova fieret. Sic Gr. *κτιστὴν* dicunt. Lex. *Liv.* s. h. v. *Suet. Aug.* 98. Quasi conditorem insulae. Ubi v. *Brem. Liv.* 7, 30. Conditorum, i. e. *conservatorum*, parentum, Deorum numero nobis eritis.] ℙ *Ciceronis* locum, quo ipse quoque hanc vocem usurpavit, V. in voce seq. ℙ Est etiam *conditor*, qui condit, hoc est reponit. V. CONVECTOR.

CONDĪTOR, oris, m. *ἀρτυτὸς*, *ὀψαρτυτὴς*, qui cibos condit et instruit. *Cic. in Senat.* 6. *ad f.* Hi voluptates omnes vestigant, hi sunt conditores instructoresque convivii. *Vet. epigr.* ap. *Porphyr.* ad *Hor. Sat.* 2, 2, 50. Ciconiarum Rufus iste conditor. ℙ Urbanum et lepidum est illud *Cic. Cluent.* 26. Atque etiam ipse conditor totius negotii, Guttam aspergit huic Bulbo, *conditor* enim *negotii* est auctor et administrator, a *condo:* sed simul alluditur ad condientem cibos in nominibus *Gutta* et *Bulbo.* ℙ De conditoribus factionum, *h. e. ἀλείπταις ἵππων*, V. in voce praec.

CONDĪTŌRĬUM, ii, n. *ἀποθήκη*, lŏcus, in quo aliquid reponitur, ut Conditorium muralium tormentorum, idest, repositorium machinarum apud *Ammian.* 18, 9. ℙ Specialiter sumitur pro loculo, seu arca, in qua cineres, aut cadavera in sepulcris conduntur, *θήκη, λάρναξ. Suet. Aug.* 18. Per idem tempus conditorium et corpus Alexandri M. cum prolatum e penetrali subjecisset oculis etc. Adde *Plin.* 37, 2, 7. ℙ Sumitur et pro ipso sepulcro. *Petr. Sat.* 112. Praeclusis conditorii foribus. *Plin. ep.* 6, 10. Ipsi nobis debemus etiam conditoria exstruere. Adde *Incr.* ap. *Grut.* 1134, 6. [**Quint. Decl.* 8. *ad f.* p. 188. Non quidem licuit mihi in illud cubiculum, conditorium tuae mortis, irrumpere.]

CONDĪTRIX, icis, f. quae condit, et facit. *Macrob. Somn. Scip.* 1, 11. Luna mortalium corporum et auctor, et conditrix. *Appul. Apol.* Paupertas prisca apud saecula omnium civitatum conditrix. *Marianus Lupercaliorum poeta* ap. *Serv.* et *Philargyr.* ad *Virg. Ecl.* 1, 20. Quod conditricis nomine ab ipso omnes Romam vocant. Adde *Tertull. Spectac.* 7. et 1. *adv. Marc.* 7.

CONDĪTUM. V. CONDĪTUS, a, um.

CONDĪTUM. V. CONDĪTUS.

CONDĪTŪRA, ae, f. a *condio*, idem quod condimentum. *Senec. Ira* 3, 15. Liberos illi epulandos apposuit, subinde interrogans, an placeret conditura. *Colum.* 12, 11. Hac mella pro aqua mulsa utuntur nonnulli pro defruto in condituras olivarum. *Id. ib.* 19. Condituris adjuvare mustum. ℙ Conditura vitreorum, ap. *Petr. fr. Trag.* 51. *Burm.* est ratio temperandi et conficiendi vitrea. Hoc sensu videtur nonnullis esse a *condo.* Tiberium quoque Caesarem hac voce usum, narrat *Isid. Or.* 16, 15. *extr.*

CONDĪTUS, a, um, part a *condio*, *ἡρτυμένος. Cic. Or.* 3, 25. Unguentis minus diu nos delectari summa et acerrima suavitate conditis, quam his moderatis. *Hor. Sat.* 2, 8, 69. Male conditum jus. *Ulp. Dig.* 33, 6, 9. Vinum conditum. ℙ *Conditum* absolute est vinum aromatis conditum, et praecipue melle et pipere. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 5. Qualia (*vina*) nunc quoque fiunt, pipere et melle addito, quae alii condita, alii piperata appellant. *Lampr. Elag* .21. Condito piscinas et folia temperavit. Adde *Pall.* 11, 19., *Coel. Aurel. Tard.* 3, 5. *a med.* et *ib.* 5, 1. *ad f.* et *Apic.* 1, 1. et 2. ℙ Translate. *Cic. Att.* 13, 52. *ex vet. poeta.* Nec id solum, sed bene cocto, et condito sermone bono. *Id. Or.* 2, 56. Nec apud populum gravior oratio, neque lepore et festivitate conditior. *Id. Brut.* 29. Nisi id, quod dicitur, sit voce, vultu, motuque conditius. *Id. Senect.* 4. Erat enim in illo viro comitate condita gravitas. *Id. Mur.* 31. *extr.* Si illius comitatem et facilitatem tuae gravitati, severitatique asperseris, non ista quidem erunt meliora, sed certe condita jucundius.

CONDĪTUS, a, um, part. a *condo*, *ἀποκείμενος*, *ἀπόθετος*, repositus, absconditus. *Hor. Ep.* 2, 1, 140. Frumenta condita. *Id. Sat.* 1, 4, 89. Liber aperit praecordia condita, *h. e.* arcana pectoris. *Cic. Div.* 1, 56. In causis conditae sunt res futurae. *Pl. Ps.* 4, 1, 30. Teneo omnia: in pectore condita sunt. *Mart.* 13, 111. Vina condita consule etc. *Ov. Met.* 3, 31. Anguis conditus antro. *Liv.* 29, 22. Conditus in carcerem. *Prop.* 2, 5, 24. Jurgia sub tacita condita laetitia. *Id.* 3, 17, 16. Arboris in frondes condita Myrrha novae. *Virg. G.* 1, 422. Sol conditus in nubem. *Propert.* 4, 111, 64. Lumina condita, *h. e.* oculi clausi. [**Ov. Fast.* 1, 124. Ni teneant rigidae condita bella serae. *Sil.* 13, 40. Narrabat memori condita mente.] *Senec. Oedip.* 1037. Telum conditum jugulo. *Plin.* 11, 37, 53. Oculi conditi. *Cels.* 8, 20. *in f.* Potest tamen conditus articulus medius aut summus canaliculo aliquo contineri. ℙ *Conditum*, *i*, absolute est locus, in quo conditur, et servatur frumentum, et aliae species ad annonam pertinentes. *Spartian. Hadrian.* 11. Laborabat praeterea, ut condita militaria diligenter agnosceret. Et *Capitol. Gordian.* 28. Ut nulla esset civitas limitanea potior, quae totius anni in aceto, frumento, et larido, atque hordeo, et paleis condita non haberet. *Symmach. ep.* 10, 55. Patefacere angustias conditorum. *Eumen. Grat. act. ad Constantin.* 10. Fructus meritorum tuorum statim nos metere, et in conditis referre jussisti. Adde *Paul. Dig.* 32, 95. ℙ Est etiam *conditus* idem ac sepultus. *Phaedr.* 4, 4. O si maneret condito sensus patri. *Cic. Leg.* 2, 22. Conditus in sepulcro. *Val. Fl.* 5, 198. tumulo. *Ov. Met.* 14, 442. Aeneia nutrix condita urna marmorea. ℙ Item factus, aedificatus, *κτισθείς. Cic. Tusc.* 1, 1. Homerus fuit ante Romam conditam. *Hor. Sat.* 1, 5, 92. Qui locus a forti Diomede conditus olim. (Negat *Bentlejus* hunc versum *Horatii* esse.) [**Propert.* 4, 1, 72. Non sunt ab dextra condita fila colo. *Ov. Fast.* 3, 400. Conditus e geminis piscibus alter erit.] *Plin.* 7, 37, 37. Nova secta condita, *h. e.* instituta. *Id.* 11, 37, 55. Ita mos conditus, ut etc. *h. e.* ita in more positum. *Pl. Rud.* 5, 3, 18. Juramentum rei servandae, non perdendae conditum est, *h. e.* comparatum, institutum. ℙ Item compositus, scriptus. *Virg. Ecl.* 10, 50. Chalcidico condita versu carmina. *Plin.* 29, 1, 1. Res conditae Latio sermone. *Id.* 8, 42, 65. Liber conditus de jaculatione equestri. ℙ Item constitutus, institutus. *Stat. Silv.* 1, 2, 24. Ergo dies aderat Parcarum conditus albo Vellere. *Manil.* 1, 119. Et venit in terras fatorum conditus ordo. Adde *Val. Fl.* 1, 531. ℙ *Conditum est*, constitutum est, comparatum est. *Ulp. Dig.* 19, 5, 4. Natura rerum conditum est, ut plura sint negotia, quam vocabula.

CONDĪTUS, us, m. condendi, idest fabricandi actus. *Appul. Apol.* Veteranorum militum novo conditu splendissima colonia sumus. *Censorin. de die Nat.* 4. *sub f.* Qui in conditu Thebarum Cadmo fuerint adjumento. *Colum.* 2, 22. Uvas, itemque olivas conditui legere licet. Quidam volunt hoc loco esse *conditus* a *condito:* sed etiam a *condo* commode deducitur. Nam *condere* reponere est, et servare. Hinc *Auson. Prof.* 15, 16. Consilia nullus mente tam pura dedit, aut altiore conditu texit data, *h. e.* diligentius memoriae mandavit, servavitque.

CONDO, is, didi, ditum, a. 3. *ἀποτίθημι*, abscondo, repono servandi causa: a *con*, et *do*, ut *Festus* innuit. *Cic. Cluent.* 26. *ad f.* Qui illi pecuniae, quam condiderat, spe jam, atque animo incubaret. *Id. N. D.* 2, 63. Neque enim homines murium aut formicarum causa frumentum condunt, sed conjugum et liberorum. Et *ib.* 62. Condere, et reponere fructus. *Hor. Ep.* 1, 1, 12. Condo, et compono, quae mox depromere possim. *Id. Od.* 1, 10, 8. Condere aliquid furto. *Phaedr.* 5, 2. Condere ferrum. *Cels.* 8, 23. Plantarum ossa iisdem modis, quibus in manibus, prodeunt, iisdemque conduntur. *Pl. Truc.* 3, 1, 9. pecuniam in crumenam. *Virg. A.* 2, 401. nota conduntur in alvo. *Id. ib.* 5, 243. Condere se portu. *Cic. Div.* 2, 41. sortes arca. *Lucan.* 1, 607. fulmen terrae. (Quid sit *fulmen condere*, quod legitur etiam ap. *Juven.* 6, 586. V. in BIDENTAL.) *Prud. Psych.* 105. gladium vaginae. Al. leg. *vagina*, sed *vaginae* est in MSS. *Heinsio* teste. *Ov. Met.* 9, 362. aliquid sub cortice. *Virg. G.* 4, 473. Aves condunt se in foliis. [**Suet. Cal.* 51. Sub lectum se condere. *Lucret.* 5, 954. Condebant membra Squalida inter frutices.] *Senec. Consol. ad Marc.* 22. Condere se in tenebras. *Virg. A.* 6, 211. Juppiter coelum condidit umbra. *Id. ib.* 4, 177. Condere caput inter nubila. *Ov. Trist.* 3, 3, 44. de morientibus: alicui oculos, quod etiam *Prop* .4, 11, 64. dixit. [**Sil.* 6, 199. (Serpens trepidum) obscoena condidit alvo, i. e. devoravit. *Id.* 4, 609. Nec, fortuna, meum condes sub gurgite letum, i. e. ne committas, ut in undis et inglorius, sed pugnans et conspectus omnibus, peream. *Propert.* 4, 4, 61. Conde tubicen fera murmura, i. e. cohibe.] ℙ Translate. *Tac. A.* 2, 28. Condere iram. *Senec. ep.* 7. *extr.* aliquid in animum. *Ov. Met.* 1, 726. stimulosque in pectora caecos Condidit. Al. leg. *in pectore. Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 166. Oblivia condunt mentem, *h. e.* memoriam obscurant. *Ov. Her.* 20, 98. Et vocem memori condidit aure tuam, *h. e.* reposuit in animo. ℙ Ponitur et pro sepelire. *Cic. Tusc.* 1, 45. Persae mortuos cera circumlitos condunt. *Plin.* 7, 54, 55. et *Virg. A.* 5, 48. Condere mortuos terra. *Cic. Leg.* 2, 22. in sepulcro. *Lucan.* 9, 151. inhumatos condere manes. [**Ov. Fast.* 5, 451. Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras.] ℙ *Condere fulgur.* V. FULGUR. ℙ Item translate pro finire, explere, conficere. *Senec. ep.* 83. *ad f.* Alexandrum intemperantia bibendi, et ille Herculaneus scyphus condidit. *Virg. Ecl.* 9, 51. Saepe ego longos Cantando puerum memini me condere soles. *Hor. Od.* 4, 5, 29. et *Plin. ep.* 9, 36. Condere diem. [*Gr. *καταδύειν*, nos: *einen Tag begraben.* Adde *Sil.* 4, 482. Condebat noctem Cynthia, i. e. finiebat.] *Lucr.* 3, 1104. saecla vivendo. *Stat. Th.* 10, 54. Condiderant jam vota diem, *h. e.* aliquis vota faciendo diem consumpserat. *Macr. Somn. Scip.* 1, 20. *ad f.* Conversio coelestis hemisphaerii, peractis horis duodecim, diem condit. ℙ *Condere lustrum.* V. LUSTRUM. ℙ Significat etiam indere, immittere, ita tamen ut et abscondendi ratio subsit. *Petr. Sat.* 94. Suspendio vitam finire constitui, et jam cervices nodo condebam. *Cels.* 7, 5. *n.* 2. Nihil tam facile in corpus, quam sagitta, conditur, eademque altissime insidit. *Mart. Spect.* 15. praecipiti venabula condidit urso. *Ov. Met.* 13, 392. Condere alicui ensem in pectus. [**Id. ib.* 13, 561. Correptum — Involat, et digitos in perfida lumina condit. *Id. ib.* 12, 295. Rutilasque in aperta Condidit ora viri, perque os in pectora, flammas.] *Virg. A.* 9, 347. alicui ensem in pectore. *Id. ib.* 12, 950. adverso sub pectore. *Liv.* 26, 34. aliquem in vincula. *Cic. Verr.* 2, 5, 29. *extr.* et *Liv.* 26, 16. in carcerem. *Id.* 31, 23. captivos in custodiam. *Stat. Ach.* 2, 439. discos in nubila. ℙ Item facere, aedificare, fundare. *Varr. L. L.* 4, 32. Condere oppida. *Cic. Cat.* 3, 1. Romulus, qui hanc urbem condidit. *Virg. A.* 1, 33. Romanam condere gentem. *Vellej.* 1, 15. colonias. *Justin.* 19, 1. imperium Poenorum. Et 2, 1. regna. Et *ib.* 6. Genus hominum. Et *ib.* 12. moenia. Huc pertinet, quod ad illud *Virg. A.* 7, 303. optato conduntur Tibridis alveo: *Servius* adscribit: condi proprie dicuntur, qui sibi statuunt civitatem, *conduntur* ergo, sedem stabilem locant. ℙ Translate. *Phaedr. prol.* 3, 53. Condere aeternam famam ingenio suo, *h. e.* facere, comparare. *Sil.* 4, 37. dextra memorandum condere nomen. [**Id.* 3, 71.] *Virg. A.* 10, 35. nova condere fata. *Id. ib.* 6, 793. aurea condet Saecula qui rursus Latio, *h. e.* inducet, affert. *Tibull.* 1, 10, 47. Pax aluit vites, et succos condidit uvae, i. e. procreavit.] ℙ Item scribere, componere. *Liv.* 31, 12. *extr.* Condere carmen. *Cic. Att.* 1, 16. *ad f.* Graecum poema. *Ov. Fast.* 6, 24. aliquid numeris. *Id. rem. Am.* 465. jura. *Id. Trist.* 2, 336. acta Caesaris. *Virg. Ecl.* 6, 7. bella. *Plin.* 5, 29, 31. Condere prosam orationem Cadmus primus instituit. *Id.* 26, 2, 6. Hippocrates primus medendi praecepta clarissime condidit. *Id.* 22, 13, 15. Condere laudes alicujus. *Id.* 12, 4, 8. historiam. *Id.* 2, 9, 6. aliquid annalibus. *Id.* 13, 13, 27. Si, Homero condente, Aegyptus non erat. *Lex. XII. tab.* ap. *Augustin.* (V. OCCENTO.) ex lectione *Scaligeri.* Si quis malum carmen occentassit, sive condidisit etc. *Condidisit*, sive *condidissit* antique est pro *condiderit*, sicut *occentassit* pro *occentaverit.* ℙ Item invenire, instituere. [**Liv.* 5, 52. Collegiumque ad id novum condidimus.] *Justin.* 36, 2. Prodigiorum sagacissimus erat, et somniorum primus intelligentiam condidit. *Flor.* 1, 3. Condere militarem disciplinam omnem, artemque bellandi. ℙ Item constituere, instituere. *Virg. A.* 10, 34. cur nunc tua quisquam Vertere jussa potest, aut cur nova condere fata? *Lucan.* 7, 131. Advenisse diem, qui fatum rebus in aevum Conderet humanis. ℙ Item firmare. *Sil.* 16, 125. Sic sic, coelicolae, portentaque vestra secundi Condite. ℙ

Condere etiam dicuntur, qui ita restituunt aliquid et instaurant, ut fecisse ipsi videri possint. *Flor.* 4, 12. *extr.* Augustus imperium condidit. V. CONDITOR. Etiam quod ex *eod.* 1, 3. attulimus, huc a multis refertur. *Cic. Dom.* 36. Rempublicam condere meo discessu, quam omnium interitu occidere malui. Al. aliter leg. ℙ Quod *Non.* tradit 4, 49. *condere* dici pro consecrare, confirmatque illo *Virg. A.* 3, 67. *animamque sepulcro Condimus;* non satis probat. ℙ [Part. *Condendus* ap. *Hirt. B. Afr.* 65. Condendi frumenti gratia. *F.*]

CONDOCĔFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. συμπαδεύω, instruo, assuefacio. *Cic. Tusc.* 5, 31. Eumque condocefaciat, ut ea, quae bona malave videantur, possit contemnere. *Hirt. B. Afr.* 71. Ut lanista tirones gladiatores condocefacere. Et *ib.* 27. elephantes.

CONDOCĔFACTUS, a, um, part. a *condocefacio. Cic. N. D.* 2, 64. Belluae domitae, et condocefactae. [*Nos: *abgerichtet.*]

CONDOCĔO, es, a. 2. doceo. *Hirt. B. Afr.* 19. Frenato equo uti condocuerat.

*CONDOCHĂTES, ae, m. *Κονδοχάτης*, Indiae fluvius, cis Gangem, inque Gangem sese exonerans. *Plin.* 6, 18. *B. A.*

CONDOCTOR, oris, m. qui simul cum alio docet. *August. Conf.* 1, 9. *extr.* Si in aliqua quaestiuncula a condoctore suo victus esset.

CONDOCTUS, a, um, part. a *condoceo*, doctus, instructus, meditatus, paratus. *Pl. Poen.* 3, 2, 3. Fac modo, ut condocta tibi sint dicta ad hanc fallaciam. Co. quin edepol condoctior sum, quam tragoedi, aut comici. Respicit *Pl.* ad morem loquendi, quo histriones dicuntur *discere fabulam*, poetae autem *docere.* Oportet enim histrionem probe suas partes didicisse, si vult bene agere.

CONDOLĂTUS, a, um, part. ab inusit. *condolo*, dolatus. Legitur a nonnullis *Arnob.* 3. p. 110., ubi alii rectius *conglobatus.*

CONDOLĔO, es, ui, n. 2. simul cum alio doleo, condolesco. *Cic. Tusc.* 2, 22. Si pes condoluit, si dens, ferre non possumus. *Pl. Truc.* 2, 8, 2. Nunc mihi de vento misĕrae condoluit caput. *Ov. Trist.* 5, 3, 32. Ut tamen audisti percussum fulmine vatem, Admonitu matris condoluisse potes. *Tert. Poen.* 10. Non potest corpus de unius membri vexatione laetum agere: condoleat universum necesse est. *Hieron. ep.* 112. *n.* 12. Animo condolentis cogitat. [*Cf. *Heindf.* ad *Hor. l.* mox laud., ubi verbum *condolere* nonnisi apud ecclesiasticos scriptores inveniri docet.]

CONDOLESCO, is, n. 3. ἀλγέω, idem quod doleo simul, vel valde doleo. [**Inchoativ.* a *condolere.*] *Cic. Acad.* 1, 10. Cum perturbationem animi illi ex homine non tollerent, naturaque et condolescere, et concupiscere, et extimescere dicerent. [**Hor. Sat.* 1, 1, 80. At si condoluit tentatum frigore corpus.] ℙ Cum dativo tertiae personae pro συμπάσχειν, *Tert. Anim.* 5. Animam compati corpori, cui laeso ictibus, vulneribus, ulceribus condolescit.

CONDOMO, as, ui, itum, a. 1. idem quod domo. *Prud. Cath.* 7, 98. Veteresque nugas condomare ac frangere.

CONDONĀTIO, onis, f. donatio. *Cic. Verr.* 1, 4. Bonorum, possessionumque contra omnium instituta adjectio et condonatio.

CONDONĀTUS, a, um, part. a *condono*, idem quod donatus. *Cic. Planc.* 31. Datus est tibi ille, condonatus ille. *Id. Fam.* 5, 18. Potentiae alicujus condonatus. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 4. Patriis lacrimis condonatus.

CONDONO, as, avi, atum, a. 1. δωρέομαι, χαρίζομαι, idem quod dono. *Cic. Off.* 2, 22. Cum aliis adimuntur pecuniae, aliis condonantur. *Pl. Amph.* 1, 3, 32. Hanc pateram, Alcumena, tibi condono. *Id. Men.* 4, 2, 94. Ego illam non condonavi, sed sic utendam dedi. *Sall. Jug.* 81. Condonare se, et vitam suam reipublicae [*i. e. vovere. ℙ Item tradere in potestatem alterius. *Cic. Dom.* 23. Cum alteri totam Achajam — — bona ei civium condonares. *Id. Agr.* 2, 15. Regna Decemvirorum ditioni, judicio potestatique condonata esse dico. *ib.* 6. Condonari certis hominibus omnia. *Id. Phil.* 27. Condonabantur apothecae hominibus nequissimis et al. ℙ Hinc ducitur elegans ratio, cum condonare dicitur v. c. pro *condemnare*, ita uti *dedere*, ac pro omni actione, qua quis homo, aut res aliqua in potestatem alterius venit. Hujus generis exempla haec sunt. *Cic. Verr.* 1, 41, Condonare alicui hereditatem, de praetore, qui alicui hereditatem decernit praeter jus. *Id. Coel.* 1. Ne patiamini M. Coelium libidini muliebri condonatum: i. e. damnatum in mulieris gratiam. *Id. Fr. pro Scauro:* ut M. Aemilius — — vanissimae genti, et prope dicam, pellitis testibus, condonetur. V. *Gronov. Sestert.* 4, 9. *extr.* — Dicitur etiam in bonam partem, pro *absolvere. Cic. Cluent.* 39. Non sibi ac defensioni suae condonatum esse Oppianicum. *Ernest. cl.*] ℙ Est etiam remittere. *Cic. Off.* 2, 22. Qui pecunias creditas debitoribus condonandas putant. *Id. Mil.* 2. *ad f.* Nec deprecaturi sumus, ut crimen hoc nobis condonetis. *Vatin.* ad *Cic. Fam.* 5, 10. Meam animadversionem et supplicium, quo usurus eram in eum, quem cepissem, remitto tibi et condono. [**Id. Phil.* 5, 18. Inimicitias rei publicae condonare, i. e. omittere inimicitias, quia salus reipublicae ita postulat.] *Caes. B. G.* 1, 21. Dumnorigem Divitiaco fratri condonare se, dicit, *h. e.* ignoscere Dumnorigi propter fratrem. *et paulo ante.* Condonare injuriam et dolorem suum precibus et voluntati alicujus. [*Adde *Liv.* 3, 12. 58.] ℙ Condonare aliquem cruci, ap. *Pl. Rud.* 4, 4, 26. est cruci tradere. ℙ Videtur etiam usurpari cum accus. personae. *Pl. Bacch.* 5, 2, 24. Si quam malam rem debes, te condono: tibi habe: nunquam abs te petam. *Ter. Ph.* 5, 7, 54. Argentum, quod habes, condonamus te. *Donatus* ita distinguit integrum locum: *Quid vis tibi? argentum quod habes! condonamus te.* Eodem modo una cum *Servio* legit illud *Virg. A.* 1, 576. *Vultis et his mecum pariter considere regnis? Urbem, quam statuo, vestra est.* Porro illud *te* vult esse ablativum: tametsi hoc loco ejus verba corrupta videntur. *Afr. Vopisc.* ap. *Non.* 9, 5. Id aurum me condonat litteris. *τὸ id aurum* accusat. esse a *condono* pendentem, negat *Voss. de Gramm.* 7, 21., quod dictum sit pro *quod ad id aurum attinet:* affirmant alii. ℙ Passive impersonaliter. *Ter. Eun. prol.* 17. Habeo alia multa, quae nunc condonabitur, Quae proferentur post etc. Hic quoque alii ita distinguendum putant: *habeo alia multa, quae: nunc condonabitur:* ut sit quaedam interruptio sermonis, suspensioque: atque illud *quae* criminose quidem dicatur: sed subito taceantur crimina, quae dicturus videbatur. [*Cf. *Ruhnk.* ad h. l.]

CONDORMĬO, is, ivi, itum, n. 4. καθεύδω, idem quod dormio vel simul dormio. *Pl. Most.* 2, 2, 55. Abimus omnes cubitum, condormivimus. *Suet. Aug.* 78. Deposita lectica, inter aliquas moras condormiebat. Adde *Capitol. Ver.* 4. *sub f.*

CONDORMISCO, is, n. 3. idem quod condormio. *Pl. Curc.* 2, 3, 81. Propino magnum poculum: ille ebibit: caput deponit, condormiscit: ei subduco anulum. (Est qui legit *cum dormiscit.*) *Id. Rud.* 2, 7, 13. Hospes da mihi aliquid, ubi condormiscam, loci. *Scep.* Istic, ubi vis, condormisce.

CONDRILLĂ, ae, et Condrillē, es, f. et condrillon, i, n. (tot enim modis legitur apud *Plin.* 21, 15, 52. et *ib.* 17, 65. et 22, 22, 45.) χονδρίλλη, intybi agrestis genus, amaro gustu, et acris in radice succi. *In loco *Plin.* 21, 5. *edd. vett.* c. *Elzev.* habent *Condrylla.* In *c.* 17. condrylla lectio est *edd. Hard.* et *Elzev.* Mox 22, 2. *condrillon* et condrille sunt *ed. Hard.*, ubi *ed. Elzev.* c. *vett. chondrillon* et chondrille habet. Ceterum V. CHONDRILLON, et *Constantini Lex.* in *Κονδρίλλη. B. A.*

*CONDRŪSI, orum, pop. Galliae Belg., Germanicae originis, silvae Arduennae proximi, circa Hirtam fluvium. *Caes. B. G.* 2, 4. et 6, 32. Treverorum clientes appellat. *Id. ib.* 4, 6. Eorum urbs *Hoye*, *Hay* et *Hoey*, prope quam hodieque locus *Condreux* vulgo vocatur. *B. A.*

CONDŪCENTER. V. CONDECENTER.

CONDŪCĪBILIS, e, adj. qui conducit, *h. e.* prodest, utilis. *Pl. Epid.* 2, 2, 75. Consilium ad eam rem conducibile. *Id. Bacch.* 1, 1, 18. Istuc facinus mihi conducibile esse arbitror. *Auct. ad Her.* 2, 14. Utrum venustius, facilius, conducibilius etc.

CONDŪCO, is, uxi, uctum, a. 3. συνάγω, idem quod duco, vel simul duco, congrego, cogo. *Varr.* ap. *Non.* 4, 104. Populum in forum conducere. *Cic. Phil.* 8, 6. Res geritur: conductae sunt vineae: pugnatur acerrime. *Id. Inv.* 2, 1. Crotoniatae virgines unum in locum conduxerunt. *Sisenn.* ap. *Non.* 11, 37. Praetor festinatim de castellis ad castra maxuma milites conduxit. *Caes. B. C.* 3, 13. *extr.* Eo copias omnes conduxit. *Sall. Jug.* 55. Conducere milites in unum. *Cic. Inv.* 1, 4. Ita complectemur, ut in unum conducamus propositionem et assumptionem. *Pallad.* 1, 16. Cisternas construere, quibus omnium conduci possit aqua tectorum. *Ov. Met.* 1, 572. Peneus ab imo Effusus Pindo tenues agitantia fumos Nubila conducit, *h. e.* vapores collectos emittit. *Id. ib.* 4, 375. Conducere corticem, *h. e.* conjungere. *Vitr.* 8, 1. *ad f.* Plures puteos fodere et per specus in unum conducere. *Plin.* 11, 37, 88. Ubi sunt nervi, interiores conducunt membra, superiores revocant, *h. e.* ducunt, trahunt. [**Lucr.* 6, 968. Conducit ignis carnem in unum, i. e. cogit. Adde 4, 432.] ℙ Translate. *Gell.* 4, 17. Haec, quae diximus, eo etiam conducunt, ut sciamus etc. *Id.* 20, 5. *de scriptis Aristot.* Ἐξωτερικὰ dicebantur, quae ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant. *Arnob.* 4, 146. Omnia probra, quae in Deorum maledicta conducitis, *h. e.* congeritis. ℙ *Conducere lac* est coagulare. *Colum.* 7, 8. Lac potest et agrestis cardui flore conduci. ℙ *Conducere vulnera*, claudere, obducere. *Val. Fl.* 1, 479. fissaque fluctu Vel pice, vel molli conducere vulnera cera. *Solin.* 32. *a med.* Coeno plagam oblinit, usque dum conducatur in cicatricem. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. *n.* 8. Musculus conducitur, aut laxatur, *h. e.* contrahitur. ℙ Saepissime est emere ad tempus, rem aliquam utendam pretio accipere, operam alicujus hominis mercede comparare, cui respondet *loco*, *as*, μισθοῦμαι. [*Cf. quae *Lindem.* de discrimine inter *locare* et conducere disputat ad *Pl. Capt.* 4, 2, 38.] *Cic. Coel.* 7. *extr.* Conduxit in Palatio, non magno, domum. *Senec. Ben.* 7, 5. Conduxi domum a te in hac aliquid tuum, aliquid meum. *Cic. Prov. cons.* 4. Conducere aliquem ad caedem faciendam. *Plin. ep.* 4, 13. Praeceptores publice conducere. *Curt.* 3, 1. militem, *h. e.* mercede ad militandum ducere. *Pl. Aul.* 2, 4, 1. coquos. *Id. Rud. prol.* 57. navem. *Gell.* 18, 5. *sub f.* librum studio pretioque multo. *Cic. Fam.* 16, 18. hortum. *Senec. Ben.* 7, 5. domum, rhedam ab aliquo. *Ulp. Dig.* 19, 2, 19. *post med.* habitationem in annum. Et *paulo post.* operas. *Id. ib.* 43, 9, 1. aliquid ad fruendum. ℙ Hinc translate *conduci aliqua re* est adduci, induci. *Cato* ap. *Gell.* 1, 15. Frusto panis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur. *Pl. Cas.* 2, 8, 70. Tribus conduci non possim libertatibus, quin illis comparem magnum malum. ℙ Conducere etiam dicuntur, qui pretio aliquid faciendum suscipiunt. *Liv.* 46, 16. Redimere et conducere vectigalia. *Cic. Inv.* 1, 30. portorium. *Id. Div.* 2, 21. Qui columnam illam de Cotta et de Torquato conduxerat faciendam. *Ulp. l. c.* Conducere mulierem vehendam nave. *Cajus ib.* 25. columnam, dolium, tignum transportandum. *Ulp. ib.* 13. aliquem docendum. [**Liv.* 34, 6. Publicani se conducturos praebenda professi erant. Adde *Eund.* 23, 48.] ℙ Praeterea significat prodesse, conferre, utile esse, quo sensu fere in tertiis personis usurpatur. *Cic. Fam.* 5, 19. *ad f.* Ea maxime conducunt, quae sunt rectissima. *Id. Off.* 1, 3. Consultant, conducat id, necne ad vitae commoditatem. *Id. Prov. cons.* 1. Hoc maxime reipublicae conducit, Syriam, Macedoniamque decerni. *Sisenn.* ap. *Non.* 4, 104. Quod maxime in rempublicam conducere videretur. *Tac. A.* 2, 38. Quod conducit in commune. *Pl. Cist. a.* 3. *v.* 4. Ut illud, quod in rem tuam bene conducat, consulam. *Tac. A.* 15, 43. Conducere salubritati. *Pl. Bacch.* 1, 1, 22. Huic aetati non conducit tenebrosus locus. *Plin.* 23, 1, 23. Corpus augere volentibus conducit inter cibos bibere. Et *paulo sup.* Vinum conducit alvo citae. *Id.* 17, 12, 19. Ventosis locis arbores crebriores seri conducit. Et *ib.* 2, 2. Imbres non conducunt vitibus. ℙ Non facile intelliges, quid sibi velit *Non.* 4, 104., ubi docet, *conducere* poni etiam pro convertere, affertque haec verba *Lucilii:* Et virtute tua, et claris conducere chartis. ℙ *Conducier* pro *conduci* habetur ap. *Pl. Merc.* 3, 4, 78. ℙ [Part. *Conducens* ap. *Vell.* 1, 13. Cum juberet praedici conducentibus. *Conducendus* ap. *Caes. B. G.* 2, 1. Qui ad conducendos homines facultates habebant. *F.*]

CONDUCTĬCĬUS, a, um, adj. μισθωτὸς, qui pretio ad tempus emitur vel redimitur. *Pl. Epid.* 2, 3, 8. et 5, 2, 41. Fidicina conducticia. *Nep. Iphicr.* 2. Conducticius exercitus. *Porcius in carm. de Terent. in hujus Vita, quae* Suetonii *esse creditur.* Habere domum conducticiam. *Varr. R. R.* 1, 17. Conducticiae liberorum operae.

CONDUCTIO, onis, f. actus conducendi, seu in unum locum ducendi, collectio, complexio, συναγωγή. *Cic. Inv.* 1, 40. Quare in longis argumentationibus, ex conductionibus, aut ex contrario complecti oportet, *h. e.* conducendo in unum propositionem et assumptionem, ut *Id. ib.* paulo supra explicat: ubi etiam hujus conductionis exemplum affert. ℙ Item redemptio ad tempus, μίσθωσις. *Id. Caec.* 32. Conductio fundi. *Liv.* 43, 16. vectigalium. [**Id. Verr.* 1, 6. Conductio renunciata est.] ℙ Est etiam contractio, morbus, quo membrum aliquod contrahitur. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 10. Conductio musculorum. Et *ib.* 3, 18. nervorum, quam Graeci σπασμὸν vocaverunt. Adde *Tard.* 2, 1.

CONDUCTOR, oris, m. μισθωτὴς, qui conducit, seu emit aliquid ad tempus, cui *locator* respondet. *Pl. Asin. prol. v.* 3. Conductores histrionum. *Plin. ep.* 7, 30. agrorum *Inscr.* ap. *Mur.* 606. Conductores gregum oviaricorum, ℙ Specialiter ita appellatur, qui conducto diversorio alios hospitio excipit. *Rut.* 2, 381. Sed male pensavit requiem stationis amoenae Hospite conductor durior Antiphate. ℙ Item qui aliquid faciendum pretio suscipit. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Conductor operis. *Val. Max.* 8, 12. *n.* 1. *extern.* Conductores sacrae arae. Adde *Caton. R. R.* 14.

CONDUCTRIX, icis, f. quae conducit, *h. e.* emit, seu redimit aliquid ad tempus. Habent *Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 4, 65, 24. et 5, 12, 18.

CONDUCTUS, a, um, part. a *conduco*, συναχθείς, ductus, vel simul ductus, collectus. *Tac. A.* 15, 26. Auxilia regum in unum conducta. *Lucr.* 1, 650. Conductae partes aut disjectae. ℙ Item emptus, ad tempus redemtus, μεμισθωμένος. *Cic. Sext.* 17. Erat contentio non cum victore exerci-

tu, sed cum operis conductis. *Hor. Art. P.* 431. Qui conducti plorant in funere. *Cic. Caecin.* 32. Fundus conductus. *Id. Inv.* 2, 1. Zeuxis magno pretio conductus. *Ter. Adelph.* 2, 2, 17. Conducta navis. *Plin. ep.* 2, 14. Conducti et redempti mancipes. *Mart.* 11, 82. Conductum repetens nocte jubente larem. *Curt.* 3, 9. Milites mercede conducti. *Hor. Sat.* 1, 2, 9. Nummi conducti. [*Cf. *Heindf.* ad h. l.] Sic *Juven.* 11, 46. conducta pecunia. ℙ Item ad stuprum coemptus. *Auct. Priap.* 35. Conducta est pretio puella parvo, Communis satis omnibus futura. *Pl. Amph.* 1, 1, 131. Haec nox scita est exercendo scorto conducto male. ℙ *Conductum*, *i*, n. absolute est domus conducta; et dicitur fere de domibus pauperiorum. *Senec. Ben.* 7, 5. Nec conductum meum, quamvis sis dominus, intrabis. *Petr. Sat.* 9. In conductum adcucurrit. *Cic. Cluent.* 62. *ad f.* Habere aliquid conducti. *Ulp. Dig.* 9, 3, 1. *sub f.* Habitare in conducto. [*Zur Miethe wohnen.] ℙ Item ipsa conductio. *Id. Dig.* 19, 2, 15. Actio ex conducto. ℙ *Conducta bella* ap. *Sil.* 5, 196. sunt quae milite mercede conducto geruntur. ℙ Est idem *conductus* redemptus, pretio faciendus susceptus, ut *telae conductae*, ap. *Tibull.* 1, 7, 85. Firmaque conductis adnectit licia telis. V. ibi *Brouckus.* ℙ Item contractus. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 3. Conducta cutis. Et *ib.* 5, 1. Contractus et conductus. *Sol.* 22. Brumalis solstitio dies adeo conductus, ut ortus junctus sit occasui, *h. e.* brevis.

CONDUCTUS, us, m. contractio. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 15. Conductu superciliorum.

*CONDULCO, as, i. q. dulco. *Vulg. Interpr. Siracid.* 27, 26. *B. A.*

CONDŪLUS et Condylus, i, m. *κόνδυλος*, anulus, teste *Fest.*

CONDUPLICĀTĬO, onis, f. *ἀναδιπλασιασμός*, duplicatio. *Pl. Poen.* 5, 5, 18. Quid hoc est conduplicationis? quae haec congeminatio? *h. e.* amplexus. ℙ Item figura verborum. *Auct. ad Her.* 4, 28. Conduplicatio est, cum ratione amplificationis, aut commiserationis, ejusdem unius, aut plurium verborum iteratio, hoc modo: Tumultus C. Gracchi tumultus domesticos et intestinos comparat. Item: Nunc etiam audes in horum conspectum venire, proditor patriae: proditor, inquam, patriae, venire audes in horum conspectum? A *Cic. Or.* 3, 54. dicitur *revocatio verbi:* ap. *Quint.* 9, 3. *regressio* quaedam est: Graece *ἐπάνοδος* dici potest. *Cic. Part.* 6. hoc modo repetita verba *duplicata* appellat. [*Cf. *Ernest. Lex. gr. technol.* in vocc. *ἐπίζευξις*, *ἐπαναδίπλωσις*, *παλιλογία*, quibus Gr. illam formam significarunt.]

CONDUPLĬCO, as, a. 1. idem quod duplico. *Ter. Phorm.* 3, 2, 31. Hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit. *Lucr.* 3, 71. Conduplicare divitias. *Varr. R. R.* 2, 4. cibum.

CONDURDUM, i, n. herba solstitialis, flore rubro, quae e collo suspensa strumas comprimit. *Plin.* 26, 5, 14.

CONDŪRO, as, a. 1. durum facio. *Lucr.* 6, 968. Humor aquae porro ferrum condurat ab igni.

CONDUS, i, m. *ταμίας*, qui condendis cibis praepositus est, quemadmodum *promus*, qui cibum promit. Ceterum quia ejusdem fere officium esse solet cibos promere et recondere, factum est, ut, qui ei muneri praeesset, *condus promus*, vel *promus condus* diceretur. *Pl. Ps.* 2, 2, 14. Condus promus procurator peni.

CONDYLŌMA, atis, n. *κονδύλωμα*, tuberculum, quod ex quadam inflammatione nasci solet (ut docet *Cels.* 6, 18. *n.* 8.) praesertim circa coronam podicis: ita dictum a similitudine condylorum, hoc est nodorum, qui in digitis, constricta in pugnum manu, eminent. Adde *Scrib. Compos.* 224. et 225.

*CONDYLON, i, locus vel opp. Thessaliae, in regiuncula Tempe. *Liv.* 44, 6. *B. A.*

CONDYLUS, i, m. *κόνδυλος*, junctura et nodus in digitorum articulis eminens. *Capell.* 1. p. 21. Ictibus crebris verticem, complicatis in condylos digitis, vulnerabat. ℙ Item anulus. V. CONDULUS. ℙ In illo *Mart.* 5, 78. Parvi tibia condyli sonabit, *condylus* est nodus cannae, ex qua tibia constat. Alii *Condyli* putant nomen tibicinis.

*CONE, es, f. insula parva, ad Istri ostium. *Luc.* 3, 200. Et barbara Cone Sarmaticas ubi perdit aquas. ℙ Cone, es, f. *Κόνη*, opp. fuit Phrygiae majoris. *Not.* (ap. *Cellar.*) *Κόννα*, ut probabile, est *Ptolem.*, ac *Κοτσύναλις Hierocl. B. A.*

CONFABRĬCOR, aris, dep. 1. Translate. *Gell.* 3, 19. Confabricatus commolitusque magis est originem vocabuli C. iste Bassus, quam enarravit.

CONFĀBŪLĀTĬO, onis, f. *διαλογισμός*, sermo, colloquium. *Symmach. ep.* 9, 84. (al. 89.) Epistolae confabulationem praesentis imitentur. *Tertull. ad Uxor.* 2, 3. Bonos corrumpunt mores confabulationes malae, *ὁμιλίαι κακαί. Hieron. ep.* 108. *n.* 19. Ne errorem crebra confabulatione renovaret.

CONFĀBŪLĀTUS, us, m. idem quod confabulatio. *Sidon. ep.* 9, 11. *ad f.* Hos eloquii tui claritas, artifice confabulatu, dum compellit etc.

CONFĀBŪLOR, aris, dep. 1. *συνομιλέω*, simul fabulor, colloquor, narro. *Ter. Hecyr.* 1, 2, 106. Accedere ad aliquam confabulatum. *Varr.* ap. *Gell.* 13, 11. Si de rebus ad vitae usum pertinentibus confabulemur. *Pl. Cist.* 4, 2, 77. Ego rem meam magnam confabulari tecum volo. ℙ Quod quidam addunt ex eodem. *Pl. Most.* 2, 2, 78. Illisce hodie hanc confabulabunt fabulam: ut sit etiam *confabulo, as; conturbabunt* procul dubio legendum est.

CONFĂCĬO, is, a. 3. una facio. *Lucr.* 2, 903. Mollia confaciunt. Al. leg. *cum faciunt.* Addunt huc illud *Festi: Confecerunt, una fecerunt.* Sed hoc ad *conficio* pertinere potest.

CONFĂMŪLANS, antis, part. ab inusit. *confamulor*, una famulans. *Macr. Saturn.* 1, 17. *sub f.* Signa duo hylen, naturamque significant confamulantes.

CONFARRĔĀTĬO, onis, f. sacrorum communicatio, farre adhibito. Cum triplex fuerit matrimonii contrahendi ratio apud Romanos, coemptione, usu, confarreatione, ut est ap. *Arnob.* 4, 140., hoc postremum fiebat, cum certis verbis, et decem testibus praesentibus, solemnique sacrificio facto, in quo libum, seu panis ex farre confectus, a nova nupta praelatus, adhibebatur, mulier in manum viri conveniebat. Hac enim ratione communicatis inter virum et uxorem sacris, communicatio quoque totius vitae significabatur. Hoc sacrificium, et nuptiarum conjunctio fiebat per pontificem maximum, et flaminem Dialem, teste *Serv.* ad *G.* 1, 31., eratque conjunctio maxime religiosa, ut ait *Plin.* 18, 3, 3., sed paulatim in desuetudinem cum abiisset, et in solis tandem sacerdotum conjugiis servaretur, denique omnino adhiberi desita est, ut colligitur ex *Tac. A.* 4, 16. ℙ Contraria est *diffarreatio*, et dissolutionem matrimonii significat, quae farreo libo adhibito fiebat. *Festus. Inscr.* mutila ap. *Mur.* 1024, 4., emendatior ap. *Marin. Inscr. Alb.* p. 143. Sacerdoti confarreationum, et diffarreationum.

CONFARRĔĀTUS, a, um, part. a *confarreo*, consociatus, sacris nuptiis junctus per confarreationem. *Tac. A.* 4, 16. Patricios confarreatis parentibus genitos etc.

CONFARRĔO, as, verbum habens usum in ritu confarreationis, et significat, libato farre matrimonio jungi. *Tac. A.* 4, 16. Assuetudinem confarreandi. *Appul. Met.* 10. Mulieris matrimonium confarreaturus.

CONFĀTĀLIS, e, adj. *συνειμαρμένος*, qui eadem fati necessitate tenetur. *Cic. Fat.* 13. Copulata enim res est, et confatalis.

CONFECTĬO, ōnis, f. actus conficiendi, effectio, *διάπραξις*. *Cic. Senect.* 1. Mihi jucunda hujus libri confectio fuit. *Id. Or.* 2, 12. Erat historia nihil aliud, nisi annalium confectio. *Cels.* 4, 14. *sub f.* Confectio medicamenti, quod *κολικὸν*, nominatur, ex his constat: costi, auisi, castorei etc. At *Leon. Targa* probat, totum hunc locum insiticium esse, eumque propterea expunxit. *Pallad.* 12, 5. Confectio olei laurini. Sic *Arnob.* 7, 231. Farta confectionis jure multiplici, atque impensarum varietate condita. ℙ Item res ipsa, quae conficitur. *Pallad.* 11, 17. Mundo linteo tegas, per quod facile confectio aestuabunda suspiret, *h. e.* mel musto admixtum, ex quo fit oenomeli. ℙ Item commanducatio. *Cic. N. D.* 2, 54. Intimi dentes conficiunt escas: quae confectio etiam a lingua adjuvari videtur. ℙ Item perfectio, complementum. *Cic. Phil.* 14, 1. Confectio hujus belli est D. Bruti salus. ℙ Item collectio. *Cic. Flacc.* 9. Tributi confectio. ℙ Item consumptio, aut corruptio. *Cic. Hort.* ap. *Non.* 4, 93. Confectio valetudinis, deformatio corporis. ℙ [*Cic. Div.* 1, 51. Materia deinde quid juvaret, nisi confectionis ejus fabricam haberemus? Ita *Cdd. atiq.* pro Vulg. *confectionis*, non improbante *Orell.*, quanquam in textum non recepit. Significat *confectio* (v. *Ernest. cl.*) usum materiae ad res ex ea conficiendas.]

CONFECTOR, oris, m. qui conficit, h. e. facit, effector. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell.* p. 221. Confectores aeris, *h. e.* qui aeri e metallis eruendo et elaborando operam dant. Alii tamen putant, confectores aeris eos fuisse, qui aes ipsum flavo orichalci colore tingebant, et ornabant. In alia ap. *Bertol. in Antiq. Aquilej. Con. Fer. Nor.* p. 2. ipse legit, *confectoris ferri Norici.* ℙ Item qui conficit, et absolvit. *Cic. Verr.* 2, 2, 44. Confector negotiorum. *Id. Fam.* 10, 20. Totius belli confector. ℙ Item comsumptor. *Id. N. D.* 2, 15. Ignis confector est, et consumptor omnium. ℙ Item fractor. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 93. Confectores cardinum. ℙ Item qui cum bestiis pugnat, easque occidit, *ἀναιρέτης*. *Suet. Aug.* 43. Confectores ferarum. Adde *Quint. Decl.* 9, 7. V. BESTIARIUS. ℙ Item qui tingit, infector. *Vopisc. Aurel.* 29. Missis diligentissimis confectoribus requisiverunt tale genus purpurae. ℙ Confectores coriorum sunt pellium concinatores ap. *Firm. Math.* 3, 9. *n.* 7.

*CONFECTORIUM, i, n. *Gloss. Gr. Lat. χοιροσφαγεῖον*, confectorium. V. *Voss. Rhet. l.* 2. p. 237. *B. A.*

CONFECTRIX, icis, f. quae conficit. *Lact.* 7, 11. Confectrix omnium rerum vetustas, *h. e.* quae conficit et consumit. Hic *Lact.* non ipsissima *Ciceronis* verba, sed sententiam verborum retulit, quae ipse quidem affert 6, 11., *Cic.* vero habet *Marc.* 4. Nihil est enim opere et manu factum, quod non conficiat et consumat vetustas.

CONFECTŪRA, ae, f. confectio. *Plin.* 33, 13, 57. Reliqua confectura eadem, quae et chrysocollae. *Colum.* 9, 14. Confectura mellis.

CONFECTŪRĀRĬUS, ii, m. qui bestias occidit. *Inscr.* ap. *Grut.* 361, 1. Corpus suariorum et confectuariorum statuam patrono digno ponendam censuit. *Confecturarii* cum suariis conjuncti videntur esse ii, qui carnes animalium saliebant, et condiebant, vel fumo indurabant. Nam et *conficere* hoc sensu usurpatur. Al. leg. *Confectuarii.* In alia ap. *Mur.* 954, 5. legitur *confectorarius:* et videri potest idem esse cum confectore, h. e. infectore.

CONFECTUS, a, um, part. a *conficio*, effectus, *ποιηθείς*. *Cic. Hort.* ap. *Non.* 4, 93. Senatusconsulta. *Catull.* 68, 149. Confectum carmine munus. *Nep. Ann.* 13. Confecti Graeco sermone libri. *Suet. Aug.* 73. Vestis a filia neptibusque confecta. *Cic. Att.* 6, 7. Rationes confectae. *Id. Leg.* 1, 6. Ratio summa, insita in natura, cum est in hominis mente confirmata, et confecta, lex est, *h. e.* firmata, et definita, facta, aptata rebus particularibus. ℙ Item elaboratus. *Cic. N. D.* 2, 63. Villis ovium confectis, atque contextis homines vestiuntur. *Colum.* 1, 8. Centones confecti. ℙ Ubi de corio, et de pellibus sermo est, confectus dicitur a coriario medicatus, et opponitur infecto. *Edict. Diocl.* p. 22. Corium bubulum infectum formae primae ✕ quingentis. Idem confectum ad soleanda calceamenta ✕ septingentis quinquaginta. ℙ Item collectus. *Cic. Hort.* ap. *Non.* 3, 18. Summa confecta ex singulis aeribus. ℙ Item finitus, completus, perfectus. *Cic. Quint.* 12. Biennium confectum. *Id. Att.* 16, 4. *sub f.* Nuncios ludorum confectorum exspectare. *Suet. Claud.* 17. Iter confectum. *Hor. Ep.* 2, 1, 254. Confecta duella. [*Liv.* 41, 17. Comitia confecta. *Virg. A.* 5, 262. Confecti cursus. *Caes. B. G.* 7, 3. Confecta vigilia. *Afr.* 83. Confectus dias. *Ib.* 47. Virgiliarum signo confecto, *h. e.* post occasum Virgil. *Suet. Aug.* 8, 17. Confecta victoria.] *Cic. Prov. cons.* 8. *ad f.* Bellum affectum videmus, et, ut vere dicam, paene confectum. *Id. Fam.* 3, 11. *ad f.* Orationes confectae. Et *ib.* 2, 15. Mehercule confecta res ex mea sententia est. Alio sensu *Id. Att.* 8, 4. *extr.* Confecta res est, *h. e.* actum est de Italia. *Manut.* [*Liv.* 26, 21. Confecta provincia, i. e. pacata, in ditionem redacta. Adde *Eund.* 28, 28.] ℙ Item consumptus. *Val. Fl.* 6, 384. Machina confecta flammis. ℙ Item maceratus, digestus. *Cic. N. D.* 2, 54. *extr.* et *ib.* 55. Cibus coctus et confectus. Adde *Univ.* 6. Hinc translate *Quint.* 10, 1. Lectio, non cruda, sed multa iteratione mollita, et velut confecta. ℙ Item debilitatus, fractus, consumptus. *Lucr.* 3, 961. Confecti artus languent. *Cic. Fam.* 14, 4. Mulier aegra, et corpore et animo confecta. *Id. Cat.* 2, 11. Gladiator confectus et saucius. *Id. Dom.* 23. Parvus filius lacrimans et confectus. *Id. Verr.* 2, 5, 51. Nautae fame atque inopia rerum omnium confecti ac perditi. [*Liv.* 5, 3. Confectaque paucitas oppidanorum opere, vigiliis, vulneribus. *Tibull.* 1, 7, 39. Confecta labore pectora. *Tac. H.* 3, 22. Confectum algore atque inedia hostem.] *Id. Mur.* 40. Homo miser, et cum corporis morbo, tum animi dolore confectus. *Id. Rabir. perduell.* 7. Confectus senectute. *Catull.* 68, 119. Confectus aetate parens. ℙ Et translate. *Id. Mil.* 8. Tota civitas confecta senio est. *Id. Sext.* 9. Homo vino, ganeis, lenociniis, adulteriisque confectus. *Virg. A.* 3, 590. Macie suprema confectus. Ap. *Plin.* 26, 12, 77. Corpora confecta, *Hard.* exponit, senilia. ℙ Ap. *eund. Plin.* 16, 23, 36. et 18, 25, 57. et *ib.* 28, 68. *Confectum sidus* est, cum vel in coelo apparere desiit, vel ejus vis peracta est, et cessavit. Sic *bruma confecta* ap. *eund.* 18, 26, 63. est brumae tempus finitum.

CONFERCĬO, cis, ersi, ertum, a. 4. *ἐμφορέω*, *βύζω*, implendo farcio, infercio: a *con*, et *farcio. Plin.* 12, 15, 35. Myrrham passim a vulgo coemptam in folles conferciunt. *Varr. R. R.* 3, 16. Non modo desistunt pugna, sed etiam conferciunt se, *h. e.* copulantur, et in examen coeunt. (de apibus loquitur.)

CONFERMENTO, as, a. 1. fermento, *ἀναζυμόω*. *Tertull. adv. Valent.* 31. Donec totum semen confermentetur. Alii minus recte leg. *confrequentetur.*

CONFĔRO, ers contuli, collatum et conlatum, a. anom. *συμφορέω*, comporto, congero. *Nep. Alcib.* 10. Illi noctu ligna contulerunt circa casam eam. *Vell.* 2, 114. Ferox juventus conferens arma, et prosternens se genibus imperatoris. *Caes. B. G.* 1, 24. Sarcinas in unum locum conferre. *Colum.* 1, 6. Sit proximum horreum, quo conferatur omne rusticum instrumentum. *Lucan.* 1, 101. Mare separat Isthmos, Nec patitur conferre fretum, *h. e.* miscere. ℙ Saepe dicitur de pecuniis, aliisve rebus, quae a pluribus in usum unum ali-

quem contribuuntur, et solvuntur, εἰσφέρω, συνεισφέρω. *Caes. B. G.* 1, 16. Diem ex die ducere Aedui, frumentum conferri, comportari, adesse, dicere. *Nep. Arist.* 3. Ejus arbitrio quadringenta talenta quotannis Delum sunt collata. *Just.* 3, 6. Conferre pecuniam in stipendium belli. *Cic. Verr.* 2, 2, 53. tributa quotannis ex censu. *Id. ib.* 59. et *Quint.* 3. in commune. *Liv.* 2, 33. *extr.* sextantes in capita. *Id.* 3, 8. *extr.* vires belli in unum. *Id.* 5, 47. aliquid ad honorem alicujus. [**Id.* 5, 20. Ut eo minus tributi plebes conferret.] *Paul. Dig.* 39, 2, 22. Non est fructuario permittendum uti, nisi contulerit. *Cajus ib.* 41, 1, 7. *a med.* Si vinum alius contulerit, alius mel. *Ulp. ib.* 43, 7, 3. Conferre agros ad viam vicinalem faciendam. *Scaevola ib.* 50, 4, 5. magnam partem patrimonii alicui rei. [**Suet. Aug.* 71. In singulos talos singulos denarios in medium conferebat (nos: *setzen.*)] ℙ Translate est praestare, tribuere, largiri. *Cic. Off.* 1, 16. Plurimum benignitatis conferre in aliquem. Et *ib.* 14. *extr.* Conferre beneficium in aliquem. *Suet. Cal.* 20. praemia victoribus. *Prop.* 2, 2, 35. Haec tibi contulerunt coelestia munera Divi. ℙ Item communicare consilia, colloqui consultandi causa. *Cic. Att.* 1, 20. Cum erimus congressi, tum, si quid res feret, coram inter nos conferemus. [*Adde *Liv.* 27, 20.] *Id. Off.* 2, 11. Ut habeas, quibuscum possis familiares conferre sermones. *Id. Fam.* 6, 21. Utinam liceat conferre inter nos sollicitudines nostras etc. *Ter. Heaut.* 3, 1, 64. Conferre consilia. [**Tibull.* 1, 2, 21. Viro coram nutus conferre loquaces. *Liv.* 21, 1. Haud ignotas belli artes inter se conferebant.] ℙ *Conferre capita* dicuntur, qui consultaturi conveniunt. *Cic. Verr.* 2, 3, 12. Conferrent viri boni capita: de comissatione loquerentur inter se. *Liv.* 2, 45. Consules, velut deliberabundi, capita conferunt: diu colloquuntur. ℙ *Conferre se* est ire, proficisci. *Cic. Or.* 3, 56. Cum Aeschines se Rhodum contulisset. *Id. Caec.* 8. Conferre se in fugam. *Enn.* ap. *Non.* 12, 2. Derepente contulit sese in pedes. [**Liv.* 9, 16. Quo se fusa acies contulerat.] ℙ Translate est se applicare. *Cic. Brut.* 81. Conferre se ad amicitiam alicujus. *Id. Arch.* 3. Conferre se ad studium scribendi. Et *ib.* 7. se ad studia litterarum. ℙ Aliquando ponitur pro transferre. *Liv.* 7, 15. Dictator signa in laevum cornu confert. *Cic. Att.* 13, 13. Totam Academiam ex duobus libris contuli in quatuor. *Id. Pis.* 27. Conferre in infamiam plebis ea, quae per latrones gesta sunt. ℙ *Conferre* pro simul ferre interdum ad leges transfertur. *Liv.* 4, 4. *a med.* Cur enim non confertis, ne sit connubium divitibus ac pauperibus? ℙ Interdum adhibetur pro differre, reservare. *Cic. Q. Fr.* 3, 3. Diem scito esse nullum, quo die non dicam pro reo: ita quidquid conficio aut cogito, in ambulationis fere tempus confero. *Id. Off.* 3, 24. *extr.* Nisi forte eam pecuniam in reipubl. magnum aliquod tempus contulerit. *Id. Att.* 6, 1. *ad f.* Omnia in mensem Martium collata sunt. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. In posterum diem iter suum contulit. ℙ *Conferre causam, culpam* etc., *in aliquem* est in eum, rejicere transferre culpam, praesertim falsam. *Liv.* 5, 11. Qui noxii ambo, alter in alterum causam conferant. *Cic. Or.* 3, 61. Scitum est, causam conferre in tempus, cum afferre plura, si cupias, non queas. *Ter. Eun.* 2, 3, 95. Si certum est facere, facias: verum ne post conferas culpam in me. *Cic. Fl.* 17. Conferre invidiam mortis alicujus in aliquem. *Id. Or.* 2, 43. vitia in adversarios. *Id. Planc.* 14. permulta in aliquem, quae ab eo nunquam dicta sunt. *Id. Rosc. Am.* 35. suspicionem in aliquem. ℙ Item pro mutare, convertere. *Cic. Off.* 3, 20. *extr.* Utrum ex homine se quis conferat in belluam. Al. leg. *convertat.* [**Id. Lig.* 1. Orationem ad misericordiam conferre, *h. e.* abstinere a defensione, et uti deprecatione, loco defensionis. *Id. Marcell.* 6. Dii spem salutis ad clementiam victoris et sapientiam contulerunt. Cf. *Ernest. cl.*] *Ov. Met.* 12, 145. corpus Deus aequoris albam Contulit in volucrem. *Id. ib.* 4, 277. quem Nymphae pellicis ira Contulit in saxum. ℙ Est etiam redigere. *Ov. Fast.* 1, 161. non multis ille moratus, Contulit in versus sic sua verba duos. *Pl. Men. prol.* 6. Quam potero in verba conferam paucissima. *Id. Amph.* 1, 2, 16. Conferre seditionem in tranquillum. ℙ Item saepissime comparare. *Cicero.* Quae conferri et comparari cum eorum studiis potest? (Refert haec verba *Nonius* 4, 91. ex 2. *Off.*, quae in toto illo opere nondum vidi.) *Id. Verr.* 2, 4, 52. Conferte hanc pacem cum illo bello, hujus adventum cum illius victoria, hujus libidines cum illius continentia. *Id. Rosc. Com.* 7. Vitam inter se utriusque conferte. *Id. Or.* 4. Parva magnis saepe rectissime conferuntur. *Id. Tusc.* 1, 1. Jam illa quae natura, non litteris assecuti sunt (*Romani*), neque cum Graecia, neque ulla cum gente sunt conferenda. *Hor. Sat.* 1, 5, 44. Nil ego contulerim jucundo sanus amico. *Phaedr.* 4, 23. Conferre se laudibus alicujus. *Ov. Fast.* 6, 15. Nec quas Priamides in aquosae vallibus Idae Contulit. *Varr. L. L.* 8, 22. Conferre quippiam ad aliud. [**Suet. Caes.* 47. Quarum (margaritarum) amplitudinem conferentem interdum sua manu exegisse pondus. *Lucr.* 2, 1167. Confert temporibus praeteritis tempora praesentia.] V. COLLATUS. ℙ Item afferre. *Colum.* 1, 5. Quae nisi submoventur, pecudibus hominibusque conferunt pestem. *Plin.* 35, 15, 50. Sulphur confert candorem. ℙ Saepe hoc sensu in bonam partem accipitur pro afferre aliquid, quod juvet. *Cic.* (ut videtur) *fragm. Oecon.* ap. *Colum.* 12, 1. Metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi. *Quint.* 11, 2. *prope f.* Quod et oratori, et ipsi causae plurimum confert. *Id.* 10, 1. Alcaeus plurimum moribus confert. *Id.* 7, 1. Loca nihil ad probationem conferentia. *Plin.* 20, 23, 98. Succus radicis confert multum claritati oculorum. *Id.* 29, 1, 6. M. Cato Cujus auctoritati triumphus atque censura minimum conferunt. *Id.* 20, 6, 23. Allium voci confert. ℙ Item admovere, conjungere. *Pl. Merc.* 5, 2, 41. Contra pariter fer pedem, et confer gradum. *Virg. A.* 6, 488. juvat usque morari, Et conferre gradum, et veniendi discere causas. ℙ Item conjicere. *Ov. Met.* 3, 236. *de Actaeone.* Turba canum confert in corpore dentes. ℙ Item admovere pugnandi causa, objicere, conserere. *Cic. Div.* 2, 55. Castra castris conferre. *Id. Font.* 1. Ferrum et manus conferre cum aliquo. *Id. Pis.* 21. Signa contulit cum Alexandrinis. *Liv.* 7, 33. Consul invadit hostem, et cum quo forte contulit gradum, obtruncat. [**Liv.* 21, 50. Romanos conserere pugnam et ex propinquo vires conferre velle. *Ov. Met.* 5, 242. Et jam contulerant arcto luctantia nexu Pectora pectoribus. *Lucr.* 4, 844. Conferre manu certamina pugnae.] Sic *conferre pedem*, (V. COLLATUS.) quod etiam metaphorice ponitur. *Cic. Planc.* 19. *ad f.* Non possum magis pedem conferre, ut ajunt, aut propius accedere. Et *Quint.* 5, 13. Plura argumenta simul invadimus, si aut tam infirma sunt, ut pariter impelli possint, aut tam molesta, ut pedem conferre cum singulis non expediat. ℙ Absolute *Ov. Met.* 10, 602. Quid facilem titulum superando quaeris inertes? Mecum confer, ait. ℙ Conferre lites, ap. *Hor. Sat.* 1, 5, 54. ℙ Frequenter sumitur pro adhibere, ponere. *Cic. Agr.* 2, 23. Aequum est praedas ac manubias suas imperatores in monumenta Deorum immortalium, atque in urbis ornamenta conferre. *Id. Fam.* 16, 4. Ut quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris etc. *Id. ib.* 10, 1. Conferre officia in aliquem. *Id. Off.* 2, 1. Omnes curas cogitationesque in rempublicam conferre. [**Cic. Am.* 19. fin. Fructus enim ingenii et virtutis omnisque praestantiae tum maximus capitur, quum in proximum quemque confertur. *Lucr.* 6, 54. Quod ignorantia causarum conferre deorum cogit ad imperium res.] *Ov. Trist.* 3, 5, 29. Quaeque tibi linguae est facundia, confer in illud, ut etc. ℙ Et pro convertere, et in aliqua re occupare. *Cic. Fam.* 10, 1. Omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem alicujus conferre. Et *ib.* 12. *extr.* curas ad dignitatem alicujus. *Id. Att.* 4, 1. plurimum operae, studii, diligentiae, laboris ad aliquid conficiendum. *Id. Manil.* 4. Omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem novi contulit. *Id. Fam.* 4, 3. *ad f.* Conferre omnem curam atque operam ad philosophiam. *Id. ib.* 10, 5. benevolentiam erga aliquem. *Ter. Hecyr.* 3, 1, 18. animum aliquo. [**Caes. B. G.* 1, 40. Qui suum timorem in rei frumentariae simulationem angustiasque itinerum conferrent. V. *Mor.* ad h. l.] ℙ Et pro convertere simpliciter. *Cic. Att.* 3, 4. Statim iter Brundisium versus contuli. Adde *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. ℙ Conferre verba ad rem. *Ter. Eun.* 4, 6, 4. ℙ Conferre verba cum aliquo, ap. *Petr. Sat.* 132. est verba facere. ℙ [Part. *Collaturus* ap. *Caes. B. G.* 1, 40. Quod in longiorem diem collaturus esset. *F.*]

CONFERRŪMĬNO, as, a. 1. idem ac ferrumino, conglutino, συγκολλάω. *Plin.* 27, 8, 45. Conferva appellata a conferruminando.

CONFERTĒ, adv. idem quod confertim. *Ammian.* 31, 15. Conferte in cuneum disciverunt ad Barbaros. Al. leg. *conferti*, rectius. *Id.* 24, 7. Nunc de industria se diffundebant, aliquoties confertius resistentes.

CONFERTIM, adv. dense, densis ordinibus, ἀθρόως. *Sall. Jug.* 54. non confertim, neque in unum se recipiebant, sed alius alio etc. *Liv.* 31, 43. Confertim et pugnant, et cedunt.

CONFERTUS, a, um, part. a *confercio*, ἀθρόος, conferciendo repletus, plenus. *Cic. Acad.* 4, 40. Inane quidquam putes esse, cum ita completa et conferta sint omnia? *Id. Catil.* 2, 5. Vino languidi, conferti cibo. Al. leg. *confecti*. *Tac. A.* 4, 62. Conferta moles. *Plin.* 16, 6, 8. *de carbone faciendo.* Acervi confertis taleis luto caminantur. ℙ Item densus. *Tac. A.* 12, 36. Conferto gradu, *h. e.* collato gradu. Al. leg. *conserto*. *Stat. Th.* 7, 260. et confertissima lucis Nysa, *h. e.* multos habens lucos. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 8. Vitis conferta acino. *Caes. B. G.* 1, 24. Confertissima acies. *Liv.* 9, 27. Samnites dextera parte raris ordinibus, sinistra confertiores steterant. *Id.* 3, 6. Agrestis confertus in arcta tecta. *Enn.* ap. *Prisc.* 5, 659. Caeruleum spumat sale conferta rate pulsum, *h. e.* multis densisque navibus. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 3, 19. Liber confertus voluptatibus. *Id. Sext.* 10. Otiosa vita et plena et conferta voluptatibus.

CONFERVĂ, ae, f. muscus, vel potius spongia aquarum dulcium, seu herba villosae densitatis, ac fistulosae: a confervendo, quia ossa confracta sanat. Peculiaris est Alpinis fluminibus. *Plin.* 27, 8, 45. ℙ Hoc nomine *Appul. Herb.* 59. appellari ait etiam consolidam. Et sane in nominis significatione satis conveniunt.

CONFERVĒFĂCĬO, is, a. 3. fervere facio. *Lucr.* 6, 352. aurumque repente Confervefacit.

CONFERVĒO, es, erbui, n. 2. ξέω, simul ferveo. *Pallad.* 1, 35. *ad f.* Urina bubula, et amurca aequaliter mixta conferveant. ℙ Dicitur et de ossibus fractis, quae ferruminantur, et coeunt. *Cels.* 8, 10. *n.* 1. Donec duae partes ejus temporis, quo os quodque confervet, compleantur. *Id. ib. n.* 7. Si quando ossa non conferbuerunt. Et *paulo post.* Inter se ossa confervere. Al. leg. *cohaerere.* ℙ Translate. *Hor. Sat.* 1, 2, 71. Mea cum conferbuit ira.

CONFERVESCO, is, n. 3. confervere incipio vel conferveo. *Plin.* 18, 30, 73. Granum, si tegulis subjaceat, confervescere. *Colum.* 12, 23. Nec postea tangitur vinum, dum confervescat. ℙ Item incalescere. *Vitr.* 5, 3. Aer conclusus versando confervescit. Adde 7, 11.

CONFESSĬO, onis, f. ἐξομολόγησις, actus confitendi. *Cic. Div.* 1, 17. *sub f.* Confessio errati. *Id. Acad.* 1, 12. ignorationis. *Id. Cluent.* 53. *extr.* captae pecuniae. *Id. Sext.* 69. Deferre ad aliquem indicia, litteras, confessiones alicujus rei. *Id. Verr.* 2, 5, 64. Indui et jugulari sua confessione. *Id. ib.* 2, 4, 47. Urgeri confessione sua. *Tac. A.* 1, 12. Arguere aliquem confessione sua. *Suet. Galb.* 10. *extr.* Exprimere confessionem cruciatu. *Vell.* 2, 43. Omnium confessione senatus princeps. *Id. ib.* 90. Dalmatia ducentos annos rebellis, ad certam confessionem pacata est imperii, *h. e.* ita ut certo fateretur se esse sub R. imperio. *Plin.* 22, 23, 49. Laser ad extera corporum indubitatas confessiones habet, *h. e.* testimonia eorum qui confitentur se eo sanatos. *Id.* 9, 7, 6. Confessio de somno piscium, *h. e.* testimonium, quod pisces dormiant. *Cato* ap. *Gell.* 7, 3. Ea faciunt confessionem, non defensionem, *h. e.* rem manifestant. *Liv.* 2, 4. Gratum id multitudini spectaculum fuit: submissa sibi esse imperii insignia; confessionemque factam, populi, quam consulis, majestatem, vimque majorem esse. ℙ Exornatio oratoria, species prolepseos, ut ap. *Cic. Rabir. Post.* 1., ubi Rabirium sua quoque sententia reprehendendum fatetur, quod pecuniam regi crediderit. Ita *Quint.* 9, 2.

CONFESSOR, oris, m. qui confitetur: et praesertim qui illustri aliquo testimonio confitetur et praedicat Catholicam fidem: praecipue vero qui pro ea in tormentis fuit, licet in his vitam non exuerit. *Sidon. ep.* 7, 17. *in carm.* Sed confessorem virtutum signa sequuntur. Adde *Lact. Mort. persecut.* 35., *Hieron. ep.* 82. *n.* 7., *Paul. Nolan.* 28, 102. et 18, 152. et *Prud. περὶ στεφ.* 9, 55.

CONFESSORĬUS, a, um, adj. *Confessoria actio* (cui opponitur *negatoria*) apud JCtos est, qua petimus ab alio, qui jus nobis competens auferre conatur, ut confiteatur tale jus ad nos pertinere, nosque in ea possessione relinquat. *Ulp. Dig.* 8, 5, 2. et 4. ℙ Item quae datur alicui adversus confitentem de damno dato. *Id. ib.* 9, 2, 23. et 25.

CONFESSUS, a, um, part. a *confiteor*, ὁμολογήσας. Active. *Ov. Pont.* 2, 2, 56. Non est confessi causa tuenda rei. *Id. Met.* 5, 215. atque ita supplex Confessasque manus, obliquaque brachia tendens etc. *Virg. A.* 2, 591. pura per noctem in luce refulsit Alma parens, confessa Deam, *h. e.* manifestans se Deam. *Petr. fragm. Trag.* 41. *Burm.* Puer vitibus redimitus, confessus Lyaeum, *h. e.* referens speciem Lyaei. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 232. *de Nilo.* Lene fluit, nullas confessus murmure vires, *h. e.* non ostentans. ℙ Passive pro claro, manifesto, de quo nulla est controversia. *Cic. Verr.* 2, 3, 56. Manifesta res et confessa. [**Plin. Pan.* 16, 3. Confessa hostium obsequia, i. e. quae ipsi hostes confitentur.] *Quint.* 5, 14. Propositio aut confessa est, aut probanda. *Id.* 8, 3. Ornatus pressior, et severior, et minus confessus, *h. e.* minus patens. *Id.* 1, 5. *ad f.* Verba, Graeca confessa, *h. e.* quae manifesto Graeca sunt. *Id.* 12, 1. De confesso loqui, *h. e.* de crimine confesso et manifesto. *Plin.* 10, 49, 70. De confessis disseruisse praestiterit. *Id.* 7, 49, 50. Ne pluribus moremur in re confessa. *Id.* 18, 28, 68. *n.* 2. Sidus confessum inter omnes. *Id.* 20, 11, 45. Apiastrum in confessa damnatione est, *h. e.* ab omnibus damnatur. *Lact.* 2, 8. *post med.* Pro confesso et indubitato habitum est. ℙ *Aes confessum* in legibus XII Tab. apud *Gell.* 15, 13. et

20, 1. est pecunia, quam quis se alteri debere confessus est. ℙ *In confessum venire*, omnium confessione comprobari. *Plin. ep.* 10, 85. *extr.* Res, quae et in confessum venit, et exemplis defenditur. ℙ *Ex confesso* sine controversia. *Senec. ep.* 76. *ante med.* Si quis omnia alia habeat, sed malus ex confesso sit. *Quint.* 3, 5. Laudare quae constat esse honesta, et vituperare quae ex confesso sunt turpia. ℙ *In confesso esse* dicuntur, quae manifesta sunt et certa. *Senec. Ben.* 3, 11. Parentum in confesso sunt merita. *Plin.* 35, 8, 34. Cum in confesso sit, fuisse etc. Adde *Auct. Dial. de Or.* 25. ℙ *Ad liquidum confessumque perducere aliquid*, h. e. ad manifestum et concessum ab omnibus. *Quint.* 5, 14. *a med.*

CONFESTIM, adj. *παραυτίκα, εὐθέως*, continuo, protinus, sine intermissione, sed jugi festinationis studio: ut veteres grammatici ap. *Charis* 2, 176. exponunt. [*Originem v. deduco a verbo *fari*, unde *fastim* v. *festim* (ut fastus, festum) h. e. *kaum gesagt*, quare opponitur *ex intervallo*. Ita *B. Crus. in cl. Suet.* s. h. v.] *Cic. Inv.* 2, 12. Quae gestum negotium confestim, aut ex intervallo consequuntur. [*Adde *ib.* 1, 28.] *Id. Phil.* 2, 31. Janitor, quis tu? a Marco tabellarius, confestim ad eam, cujus causa venerat, deducitur. Et *Phil.* 5, 12. Rem administrandam arbitror sine ulla mora, et confestim gerendam. *Caes. B. G.* 4, 32. Cohortes armari, et confestim se subsequi jussit. [**Suet. Cal.* 15. Confestim Pandateriam festinavit. *Id. Aug.* 10. Confestim ut Apollonia rediit.] *Lucr.* 4, 189. Suppeditatur enim confestim lumine lumen. *Virg. A.* 9, 231. confestim alacres admittier orant.

*CONFESTINATIO, onis, f. *Appul. Met.* 10. p. 333. *Bip. Döderl.* 3, 321. *B. A.*

CONFĔTA sus dicebatur, quae cum omni fetu adhibebatur ad sacrificium. *Festus.*

CONFĪBŪLA, ae, f. idem ac fibula. Ap. *Caton. R. R.* 12. est ligneum vinculum, quo arbor seu trabs comprimitur, ne findatur.

CONFĪCIENS, entis, part. a *conficio*, efficiens. *Cic. Partit.* 26. Causae sunt aliae, quae ipsae conficiunt, aliae quae vim aliquam ad conficiendum afferunt. Itaque illae superiores, conficientes vocentur etc. Et *mox*. Conficiens causa alia est absoluta, alia aliquid adjuvans. *Id. Fin.* 5, 27. Haec, cum corporis bona sint, eorum conficientia certe in bonis numerabis. *Id. Fl.* 19. Cum civitate mihi res est acerrima, et conficientissima litterarum, *h. e.* quae diligentissime omnia acta perscribit. Al. leg. *conficiendarum litterarum diligentissima.*

CONFĪCĬO, īcis, eci, ectum, a. 3. *ποιέω, ἐργάζομαι*, proprie est cum alio aliquid facere, simul operari: a *con* et *facio*. *Festus:* Confecerunt, una fecerunt. ℙ Sed sumitur fere generatim pro facere, efficere. *Cic. Or.* 3, 32. Anulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. *Id. Att.* 5, 14. Iter conficiebamus aestuosa et pulverulenta via. *Plin.* 35, 15, 50. Ad ellychnia maxime conficienda. *Id.* 34, 11, 25. Conficere medicamina. *Id.* 31, 7, 41. sacra. *Ter. Heaut.* 5, 2, 45. pacem. Et 5, 1, 22. nuptias. [**Abschliessen.* Adde *Suet. Claud.* 26.] *Cic. Rosc. Am.* 28. facinus. *Colum.* 12, 3. cibum familiae, *h. e.* parare. *Plin.* 16, 36, 55. Calamis Orientis populi bella conficiunt. *Nep. Cat.* 3. orationes. ℙ Item pro elaborare. *Plin.* 35, 12, 45. Prisci aurum et argentum ne Diis quidem conficiebant. *Id.* 7, 56, 57. Ceres invenit frumenta molere, et conficere. ℙ Item metaphorice pro movere, excitare. *Cic. N. D.* 2, 79. *ad f.* Ex iis locis trahitur, qui ad motus animorum conficiendos inerunt in causa. ℙ Item pro efficere, reddere. *Cic. Inv.* 1, 55. Animum auditoris mitem et misericordem conficere oportet, quo facilius conquestione commoveri possit. ℙ Item pro colligere, comparare. *Nep. Ann.* 10. Conficere magnam multitudinem serpentum. *Cic. Att.* 1, 7. bibliothecam. *Id. ib.* 8, 1. et *Manil.* 21. et *Liv.* 2, 40. *sub f.* exercitum. [**Caes. B. G.* 2, 4. Hos posse conficere armata millia centum.] *Cic. Verr.* 2, 1, 52. *extr.* permagnam pecuniam ex alia re. [**Id. Flacc.* 9. Conficiendae pecuniae ratio.] Et translate. *Id. Brut.* 74. *ad f.* famam bene loquendi. *ποιεῖν ὄνομα.* Conficere centurias ap. *Cic. Fam.* 11, 16. et *Q. Fr. Petit. cons.* 5. est parare sibi suffragia centuriarum in petitione honorum. *Id. Planc.* 18. Neque hoc liberis nostris interdicendum est, ne observent tribules suos, ne diligant, ne conficere necessariis suis suam tribum possint, *h. e.* conciliare suam tribum amicis suis et cognatis, quemadmodum ap. *Ter.* conficere virginem, nuptias, argentum. Quidam hic legunt *reficere*, sed male. [**Liv.* 9, 34. Conficere legitima suffragia, i. e. explere.] ℙ Item pro delere, consumere. *Cic. Marc.* 4. Nihil est opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat et consumat vetustas. *Plin.* 32, 10, 39. Cachectici, quorum corpus macie conficitur. *Lucr.* 1, 904. Ignes conficiunt silvas. *Cic. Fl.* 36. *ad f.* Patrimonium conficere. *Id. in Senat.* 5. rem suam et publicam. [**Id. Sext.* 51. Ornamenta equestris ordinis confecit.] ℙ Et translate. *Cic. Att.* 3, 8. Meus me moeror quotidianus lacerat, et conficit. *Id. Or.* 10. Confici desiderio. *Id. Fam.* 4, 13. cumaris. *Id. Off.* 3, 6. frigore. *Id. Att.* 3, 5. dolore. *Id. Fam.* 14, 4. lacrimis. ℙ Et absolute. *Id. Att.* 10, 18. *extr.* Ipse conficior venisse tempus, cum, etc. ℙ Significat etiam afferre. *Ter. Heaut.* 5, 3, 1. Nisi caves, aliquid gnato conficies mali. *Id. Andr.* 4, 1, 31. Quantas hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines. ℙ Item finire, peragere. *Cic. Fam.* 2, 12. Cum tu haec leges, ego jam annuum munus confecero. *Colum.* 11, 2. *ad f.* Optimum est intra cal. decembr. sementem confecisse. *Plin.* 18, 26, 62. Donec conficiatur bruma. *Cic. Or.* 52. Isocrates prope centum confecit annos, *h. e.* vivendo peregit, explevit. *Sil.* 4, 89. Lux aderat, somnusque suas confecerat horas. *Pl. Trin.* 3, 3, 77. Nimis longo sermone utimur: diem conficimus. (*Confici sidus* ap. *Plin.* 2, 41, 41. quid sit, V. in CONFECTUS.) *Virg. G.* 2, 541. Sed nos immensum spatiis confecimus aequor. ℙ Item transigere, perficere, expedire. *Cic. Att.* 12, 19. Tu cum Apella Chio confice de columnis. *Id. Balb.* 20. Si Marius tanta bella legisset, quanta gessit, et confecit. *Id. Fam.* 5, 20. Conferre cum aliquo, et conficere rationes. Et *ib.* 9, 13. *ad f.* Conficere reditum alicui, *h. e.* perficere, ut redire in patriam possit. *Id. Manil.* 10. Pompejus plures provincias confecit, quam alii concupiverunt, *h. e.* administravit. [**Liv.* 40, 35. Provinciam ingenio ferocem, rebellatricem confecisse. et al.] *Id. Or.* 2, 28. Perpolire, atque conficere aliquid. [**Id. Att.* 12, 17. Conficiemus hortos, i. e. negotium de hortis.] ℙ Item exsequi. *Cic. Att.* 1, 5. De Acutiliano negotio, quod mihi mandaras, ut primum Romam veni, confeceram. *Id. Phil.* 9, 3. Conficere mandata. ℙ Item occidere. *Cic. N. D.* 1, 36. Ibes magnam vim serpentium conficiunt. [**Id. Mil.* Sica illius me paene confecit.] *Suet. Cal.* 58. Conficere aliquem triginta vulneribus. *Pl. Truc.* 2, 7, 52. Ego te hic hac offatim conficiam. ℙ De venatoribus, qui feras excipiunt, et occidunt. *Suet. Claud.* 21. et *Dom.* 19., *Lampr. Commod.* 13. et alii: unde *Confector*, quod V. Hinc translate *Cic. Verr.* 2, 5, 58. Si ex his laqueis te exueris, in illas tibi majores plagas incidendum est, in quibus te ab eodem me, superiore ex loco confici et concidi necesse est. *Pl. Ps.* 1, 5, 49. Conficiet jam te hic verbis. *Ter. Eun.* 5, 4, 6. Virginem, quam amabat, eam confeci sine molestia, *h. e.* devici, expugnavi. V. ibi *Donat. Suet. Ner.* 29. Cum affatim desaevisset, conficeretur a Doryphoro liberto, *h. e.* constupraretur. *Luc.* 7, 734. Terror conficit omnia. *Nep. Lysand.* 1. Athenienses sexto et vicesimo anno bellum gerentes confecit, *h. e.* debellavit. *Senec. Ben.* 3, 26. Rabies accusandi, omni bello gravius togatam civitatem confecit. ℙ Est etiam verbum disputantium, et ponitur pro colligere, concludere, argumentatione inferre. *Cic. Inv.* 1, 40. Cum id perspicuum sit, quod conficiatur ex ratiocinatione. ℙ Pro mandere. *Cic. N. D.* 2, 59. Dentes acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt. Adde *Liv.* 2, 32. et *Plin.* 11, 37, 61. ℙ Item digerere. *Plin.* 26, 8, 28. Alvus cibos non conficit. Adde *Scrib. Comp.* 122. *ad f.* ℙ Ap. *Colum.* 5, 6. *justa cibariorum conficere* dicuntur pecudes, quae justam pabuli quantitatem consumunt. ℙ Ap. *Plin.* 13, 12. *conficere pelles albas* est inficere. V. CONFECTOR. Sic *Arnob.* 2, 52. Conficiendis quaerere corporibus fucos. ℙ Apud *Pall.* 13, 6. Pernas et lardum conficere, *h. e.* salire, et condire servandi causa. ℙ *Confexim* pro *confecerim*, vel *confecero* quidam leg. ap. *Pl. Truc.* 4, 4, 39. quemadmodum *effexis* pro *effeceris* dixit *Id. Cas.* 3, 5, 63. ℙ [Part. *Confecturus* ap. *Hirt. B. Alex.* 65. Haec celeriter se confecturum sperabat. *F.*]

CONFĪCTĬO, onis, f. actus confingendi, commentum, *λογοποιία*. *Cic. Rosc. Am.* 13. Criminis confictionem accusator Erucius suscepit.

CONFICTĬTO, as, n. 1. frequentat. a *confingo*. Usus est *Naevius*, teste *Varr. L. L.* 6, 6.

CONFICTOR, oris, m. 3. qui fingit. *Paul. Nolan. ep.* 21. (al. 24.) *n.* 4. *ad Amand.* Manichaeus veri Creatoris negator, falsique confictor.

CONFICTUS, a, um, part. a *confingo*, fictus, simulatus. *Ter. Andr.* 3, 3, 26. Lacrimae confictae dolis. *Quint.* 12, 3. *extr.* Conficta frons. *Plin.* 37, 12, 74. Nomina ex Graeca vanitate conficta. *Appul. Met.* 8. Confictum mendacium. ℙ Est etiam idem quod *confixus* a *configo*. *Scaurus* ap. *Diomed.* 1, 373. Sagittis confictus.

CONFĪDEJUSSOR, oris, m. qui simul cum alio fidejussit. *Ulp. Dig.* 46, 1, 10. *Modestin. ib.* 39., *Papin. ib.* 48. et *Paul. ib.* 2, 14, 23.

CONFĪDENS, tis, part. a *confido*, *θαρσαλέος*, qui sibi confidit. *Pl. Capt.* 3, 5, 8. Decet innocentem servum atque innoxium confidentem esse. *Id. Amph.* 1, 1, 1. Qui me alter est audacior homo, aut qui me confidentior? [**Ter. Andr.* 5, 2, 14. Nescio qui senex modo venit, ellum, confidens, catus. Gr. *θαῤῥαλέος*, nos: *dreist.* Donatus interpretatur constans.] ℙ Saepe in malam partem accipitur pro temerario, impudenti, improbo. [**Trotzig, übermüthig, frech.*] *Cic. Tusc.* 3, 7. Qui fortis est, idem est fidens, quoniam confidens mala consuetudine loquendi in vitio ponitur, dictum verbum a confidendo, quod laudis est. *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 71. Improbus, confidens, nequam, malus videatur. *Ter. Phorm.* 1, 2, 73. Est parasitus quidam Phormio, homo confidens, qui illum etc. *Suet. Domit.* 12. *ad f.* Dii omnes perduint Ab juventa minime civilis animi, confidens etiam etc. *Quint.* 9, 3. *a med.* Pro astuto sapiens, pro confidente fortis, pro illiberali diligens. *Virg. G.* 4, 445. Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras Jussit adire domus? *Hor. Sat.* 1, 7, 7. Confidens et tumidus.

CONFĪDENTER, adv. *θαρσαλέως*, fidenter, animose. *Pl. Amph.* 1, 1, 183. Certum est confidenter hominem contra colloqui. *Cic. Coel.* 19. Diter hominem contra colloqui. *Cic. Coel.* 19. Dicam jam confidentius de studiis ejus honestis, quoniam audeo quaedam, fretus vestra sapientia, libere confiteri. *Plin.* 10, 75, 97. Confidentius affirmatur. ℙ Item impudenter, nimis audacter. *Auct. ad Herenn.* 1, 5. Superbe, perfidiose, crudeliter, confidenter factum. Et *ib.* 2, 5. *ad f.* Ut confidentissime resistens responderet.

CONFĪDENTĬA, ae, f. *θάρσος*, fiducia, fidentia, confisio. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 71. Duas sibi res, quo minus in vulgus et in foro diceret, confidentiam et vocem defuisse. *Naevius ib.* Excidit orationis omnis confidentia. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. *ad f.* Afferre confidentiam alicui. *Pl. Amph.* 5, 1, 2. Amittere confidentiam. ℙ Item temeritas, audacia, impudentia. *Cic. Fl.* 4. Videte quo vultu, qua confidentia dicant. *Id. Phil.* 2, 40. *extr.* Confidentia, et temeritas tua. *Auct. ad Herenn.* 2, 5. *ad f.* Quae signa confidentiae, non innocentiae sunt. *Pacuv.* ap. *Non. l. c.* Coercere atrocem confidentiam. *Accius ib.* reprimere. [**Suet. Cal.* 51. Diversissima in eodem vitia, summam confidentiam, et contra nimium metum.] ℙ Joculare est illud *Pl. Asin.* 3, 2, 3. Scapularum confidentia, virtute ulmorum freti. Ubi *Non. l. c.* nescio an recte, *confidentiam* poni scribit pro duritia, patientia.

CONFĪDENTĪLŌQUUS, a, um, adj. confidenter loquens. *Pl. Trin.* 1, 2, 164. Neque argutum magis, neque confidentiloquius.

CONFĪDO, is, isus sum, *et aliquando* idi, n. 3. *θαῤῥέω*, credo, spero, fidem in aliquo repositam habeo: jungiturque verbis tam praesentis, quam praeteriti, et futuri temporis. *Nep. Milt.* 1. Ut non solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent. *Cic. Verr.* 2, 5, 69. Ego mei jam rationem officii confido esse omnibus persolutam. *Id. Att.* 6, 9. Spero, et hercule, ut me jubet Acastus, confido, te jam, ut volumus, valere. Et *ib.* 7. Confido, rem, ut volumus, esse. *Id. Fam.* 13, 6. *ad f.* Tibique, ut confido, gratias agam. *Liv.* 4, 32. Satis confidere, non diuturnum gaudium fore. *Cic. Att.* 1, 10. Confido illum fore in officio. ℙ Habet etiam dativum, aut ablativum. *Cic. Phil.* 5, 1. Nisi vestrae virtuti constantiaeque confiderem. *Id. Att.* 1, 9. Quidquid ejusdem generis habebis, ne dubitaris mittere: et arcae no strae confidito, *h. e.* confide, me habere pecuniam praesentem, qua solvam. *Id. Tusc.* 5, 14. Corporis firmitate, aut fortunae stabilitate confidere. *Caes. B. C.* 3, 83. Cum Scipio affinitate Pompeji confideret. *Id. B. G.* 3, 9. Confidere natura loci. *Liv.* 2, 45. Consules magis non confidere, quam non credere suis militibus; *non confidere* pertinet ad virtutem militum, *non credere* ad voluntatem et benevolentiam. *Caes. B. C.* 2, 5. *extr.* Ne vel domesticis opibus, vel externis auxiliis de salute urbis confiderent. ℙ Cum ablat. et praeposit. *in*, aut *de*. *Hirt. B. Afr.* 19. Quippe qui in illorum sibi confideret multitudine. *Ulp. Dig.* 1, 3, 34. Cum de consuetudine civitatis, vel provinciae confidere quis videtur. ℙ Cum *ut* partic. et conjunct. rarum est. *Plin. ep.* 2, 5. Videmur posse confidere, ut universitatem omnibus varietas ipsa commendet. Et illud *Cicer.* huc pertinere cuipiam videbitur, *Q. Fr.* 1, 2, 5. Spero, superiores fore nos: confido animo, ut in hac republica ne casum quidem illum pertimescam. Ceterum *confidere animo* idem est ac *confidere* absolute. ℙ Pro certo habeo. *Plin. ep.* 10, 26. Quia confido, domine, ad curam tuam pertinere, nuncio tibi, me Ephesum navigasse. ℙ Praeterit. *confisus sum*, agnoscitur a *Charis.* 1, 222. *Diomed.* 1, 352. etc., estque usu frequentius: (V. CONFISUS.) nihilominus *confiderunt* legitur ap. *Liv.* 44, 13. Agros etiam confiderunt se a populationibus tueri posse. Ubi frustra *Sciopp.* lectionem sollicitat.

CONFĪGO, is, ixi, ixum, a. 3. *καθηλόω*. *Cato R. R.* 21. Configere tabulas inter se. *Colum.* 7, 3. tabulam aculeis, *h. e.* aculeos tabulae infigere. [**Caes. B. G.* 5, 13. Configere clavis.] ℙ Interdum est ferire, transverberare. *Cic. Acad.* 4, 28. Hercules filios suos configebat sagittis. *Plin.* 32, 7, 24. Configere ranas juncis. ℙ *Configere cornicum oculos*, est callidos homines et versutos astutia et calliditate superare: estque proverbialis locutio. *Cic. Mur.* 11. Inventus est scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit.

V. CORNIX. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 7, 2. Omnes vigilias, curas, cogitationes in reipub. salute configere. Al. leg. *defigere*. *Id. Phil.* 12, 7. Diffidebant Servilio: meminerant, ejus sententiis confixum Antonium. *Id. Har. resp.* 5. Ducentis confixus senatus consultis. ℙ De altero partic. *confictus*, V. suo loco.

CONFĪGŪRĀTĬO, onis, f. conformatio, similitudo. *Tertull. Pudic.* 8.

CONFĪGŪRĀTUS, a, um, partic. a *configuro*, conformatus, ad similitudinem alterius effictus. *Lact.* 7, 4. Homo ex rebus diversis ac repugnantibus configuratus est. Et 1, 17. Simulacra configurata.

CONFĪGŪRO, as, a. 1. figuro, conformo. *Colum.* 4, 20. Ne pravitas statuminum ad similitudinem sui vitem configuret. ℙ Translate. *Gell.* 12, 1. *ad f.* Ex matris etiam corpore et animo recentem indolem configurat.

CONFĪNĀLIS, e, adj. ad confine pertinens, ut confinales lineae. *Var. Auct. de limit.* p. 310. *Goes.*

CONFINDO, is, idi, issum, a. 3. idem quod findo, *κεάζω*, *σχίζω*. *Tibull.* 4, 1, 173. Et ferro tellus, pontus confinditur aere.

CONFĪNE, is. V. CONFINIS.

CONFINGO, is, inxi, ictum, a. 3. *ποιέω*, fingo, facio. *Plin.* 10, 32, 47. Halcyonum nidi ferro intercidi non queunt, nec unde confingantur, invenitur. *Id.* 11, 5, 4. Apes favos confingunt et ceras. *Varr. L. L.* 4. *sub in.* Ostendit, quemadmodum quodque poeta verbum confinxerit. ℙ Item simulo, comminiscor. *Petr. Sat.* 132. Quod solum salvo pudore poteram confingere, languorem simulare coepi. *Cic. Verr.* 2, 2, 37. Confingere aliquid criminis. *Pl. Capt. prol.* 35. et 47. dolum. *Ter. Hecyr.* 4, 4, 71. falsas causas ad discordiam. *Cic. Dejot.* 6. Id vos a viro optimo cogitatum esse confingitis. *Ulp. Dig.* 48, 18, 1. *ad f.* Confingere homicidium in se, *h. e.* contra se: simulare se fecisse homicidium.

CONFĪNIS, e, adj. *συνόμορος*, conterminus, finitimus. *Liv.* 4, 49. Excursiones in confinem agrum Lavicanum factae erant. *Varr. R. R.* 1, 16. Si quid ita est in confinibus fundis, ut, etc. *Caes. B. G.* 6, 3. Confines hi erant Senonibus. *Plin.* 13, 15, 29. Mauri confines Atlanti. *Ov. Met.* 1, 718, Collo confine caput. ℙ Docet *Paul. Dig.* 10, 1, 4. in praediis urbanis proprie *confines* non dici, quia plerumque communibus parietibus disterminantur; sed *vicinos:* ideoque in iis non habere locum judicium finium regundorum. ℙ Translate est similis vel proximus. *Auct. ad Her.* 4, 11. Perveniunt ad confine genus ejus generis, quod appellamus fluctuans. Al. omitt. *τὸ genus*, et leg. *confinium*. *Quint.* 9, 2. Confinia sunt his celebrata apud Graecos schemata. *Senec. ep.* 120. *ante med.* Sunt virtutibus vitia confinia. *Ov. Pont.* 2, 5, 71. studio confinia carmina vestro. *Symmach. ep.* 10, 1. Cui proverbio ne videar esse confinis, etc. ℙ *Confinis, is*, m. substant. *Lact.* 5, 2. Confines suos sedibus agrisque pellebat. *Caj. Dig.* 18, 1, 35. *sub f.* Si quis in vendendo praedio confinem celaverit. *Mart.* 2, 32. Vexat saepe meum Patrobas confinis agellum. ℙ *Confine, is*, n. substant. res confinis. *Val. Flacc.* 6, 374. inde Lycen ferit ad confine papillae. *Lucan.* 6, 649. Taenarus, moestum mundi confine latentis Ac nostri. *Senec. Ira* 1, 8. In confinibus hostis arcendus est.

CONFĪNĬTĬMUS, a, um, adj. idem quod confinis, vel similis. *Gell.* 1, 2. Officia virtutum confinitima.

CONFĪNĬUM, ii, n. *μεθόριον*, *συνορία*, finis, seu terminus plurium agrorum communis. *Varr. L. L.* 4, 10. *extr.* Arbores in confinio natae, in utroque agro serpunt. *Cic. Off.* 2, 18. Conveniet vicinitatibus et confiniis aequum esse et facilem, (*vicinitates* in urbanis, *confinia* in rusticis praediis proprie dici, in CONFINIS adnotavimus) *h. e.* vicinis, et confinibus. [**Confinium* peculiariter denotat spatium 5 vel 6 pedum, agros vicinos separans, quod utriusque commune, propter leg. XII. tabb. usucapi non poterat. V. *Ge. d'Arnauld variar. conjectur.* 1, 2. p. 16. sqq. *Beier.* in l. *Cic.* modo laud.] ℙ Translate dicitur de quacumque vicinitate. *Ov. A. Am.* 3, 201. Supercilii confinia. *Id. Met.* 7, 706. Aurora tenet confinia lucis, et noctis. *Id. Fast.* 5, 187. Confinia mensum, *h. e.* mensium. *Tac. A.* 4, 58. Confinium artis, et falsi. *Vellej.* 2, 124. In arcto salutis, exitiique confinio esse. *Colum.* 3, 5. Mediocritas in confinio boni et mali posita est *Quint. Decl.* 8, 19. Animam in confinio mortis ac vitae librato dolore suspendere. [**Tibull.* 4, 1, 70. Illum inter geminae nantem confinia mortis Nec Scyllae saevo conterruit impetus ore. *Plin. Pan.* 4, 5. Cujus virtutes nullo vitiorum confinio laederentur.]

CONFĬO, is, passiv. anom. a *con* et *fio*, conficior, perficior: sed in quibusdam tantum personis ac temporibus usitatum. *Ter. Adelph.* 5, 8, 23. Hoc confit, quod volo. [**Tac. A.* 15, 59. Multa experiendo confieri, quae segnibus ardua videantur. *Suet. Caes.* 20. Instituit, ut tam senatus, quam populi, diurna acta confierent.] *Balbus et Oppius ad Cic. post ep. ad Att.* 8, 9. Quo facilius per te res tota conficeret. *Caes. B. G.* 7, 58. Postquam, id difficilius confieri, animadvertit. *Virg. A.* 4, 117. nunc qua ratione quod instat Confieri possit, paucis, adverte, docebo. *Plin.* 31, 7, 40. Quicumque ligno confit sal, niger. *Colum.* 1, 8. *circa med.* Curabit, ut panis diligenter confiat. *Lucr.* 3, 413. sine pernicie confiet eorum. Al. leg. non fiet. *Imp. Leo Cod.* 2, 7, 11. Nisi prius in examine gesta confiant. *Arnob.* 2, 73. Maleficia cuncta confierent. *Id.* 7, 219. Ineluctabili omnia necessitate confiunt. ℙ Item consumi, absumi, confici. *Pl. Trin.* 2, 4, 7. Hoc confit cito, quam si tu objicias formicis papaverem. ℙ Item colligi. *Liv.* 5, 50. Cum deesset aurum, ex quo summa pactae mercedis Gallis confieret. Est qui legit *conferretur*.

CONFIRMĀTĒ, adv. firme, firmiter. *Auct ad Herenn.* 4, 11. Hoc genus orationis sine nervis et articulis fluctuat huc et illuc, nec potest confirmate, neque viriliter se expedire. Al. leg. *confirmare*.

CONFIRMĀTĬO, onis, f. actus confirmandi, et stabiliendi, *βεβαίωσις*. *Cic. Fam.* 12, 8. Non solum ad praesens perfugium, sed etiam ad confirmationem perpetuae libertatis. ℙ Item actus confirmandi, consolandi, *παρηγόρημα*. *Cic. Att.* 14, 13. Quod sentio valde esse utile ad confirmationem Ciceronis. *Id. Fam.* 6, 3. Neque enim confirmatione nostra egebat virtus tua. *Caes. B. C.* 1, 21. Confirmatio animi. ℙ Item actus confirmandi, seu probandi. *Cic. Inv.* 1, 30. Signum quiddam significat, quod indiget testimonii, et gravioris confirmationis. *Quint.* 10, 5. Destructio et confirmatio sententiarum. ℙ Item affirmatio. *Caes. B. G.* 3, 18. Multae res Gallos hortabantur: Sabini cunctatio, perfugae confirmatio etc. ℙ Apud rhetores *confirmatio* duplex est. Altera enim est tertia pars orationis, qua fidem facimus, Graece *πίστις*, et ab *Tullio* quoque *fides orationis* dicta, *Partit.* 12, *a med.*, quae dividitur in duas, unam, qua probamus nostra, alteram, qua confutamus adversariorum argumenta. *Cic. l. c.* 8. Quatuor sunt partes orationis: quarum prima et postrema ad motum animi valet: is enim initiis est, et perorationibus concitandus: secunda narratio: et tertia confirmatio. Haec *Cic.* Altera *confirmatio* est hujus, quae modo dicta est, prima pars, qua argumentando nostrae causae fidem, et auctoritatem, et firmamentum adjungit oratio. *Cic. Inv.* 1, 14. *sub f.* et *ib.* 24., *Auct. ad Her.* 1, 3. et *ib.* 10. *sub f.*

CONFIRMĀTĪVĒ, adv. confirmando, affirmando. *Tert. adv. Marc.* 4, 41. *sub f.* Confirmative pronunciare, et respondere.

CONFIRMĀTĪVUS, a, um, adj. ad confirmandum, seu ad firmandum aptus, ut Confirmativa adverbia, ap. *Prisc.* 15, 1020. et 17, 1056.

CONFIRMĀTOR, oris, m. *βεβαιωτής*. *Cic. Cluent.* 26. Sequester, et confirmator pecuniae desiderabatur. ℙ Item affirmator, et defensor. *Lact. Institut.* 1, 2. *sub in.* Cujus sententiae auctor est Democritus, confirmator Epicurus.

CONFIRMATRIX, icis, f. quae confirmat. *Tert. Cor. mil.* 4. Harum disciplinarum traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix.

CONFIRMĀTUS, a, um, part. a *confirmo*, *βεβαιωθείς*, firmatus. *Cic. Att.* 10, 17. Valetudo confirmata et a vetere morbo, et a novis tentationibus. *Id. Fin.* 5, 22. Aetates confirmatae. ℙ Translate. *Caes. B. C.* 1, 72. Cujus oratione confirmatus Lentulus etc. *Id. ib.* 3, 84. Quae res in dies confirmatiorem ejus efficiebat exercitum. *Cic. Quint.* 24. Animo certo et confirmato facere aliquid. *Id. Fam.* 1, 8. Difficile est sensum in republ. praesertim rectum et confirmatum deponere; et *Att.* 10, 15. Funisulanus a te attulit litteras, in quibus erat confirmatius illud idem. [**Id. Inv.* 2, 11. Quod eo confirmatius erit, i. e. probabilius, credibilius. *Suet. Aug.* 10. Provincia a Caesare data et per senatum confirmata. *Id. Tit.* 8. Conf. beneficia edicto.]

CONFIRMĪTAS, atis, f. firmitas animi imperturbati, constantia, sed in malam partem in illo *Pl. Mil.* 2, 2, 36. Os habet, linguam, perfidiam, malitiam atque audaciam, confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam.

CONFIRMO, as, avi, atum, a. 1. *βεβαιόω*, firmum facio, stabilem, solidum reddo. *Vitr.* 2, 8. *ante med.* Confirmare soliditatem parietum. *Plin.* 28, 11, 49. Dentes mobiles confirmat cervini cornus cinis. *Id.* 25, 11, 83. Polythrix defluentem capillum confirmat et densat. *Caes. B. G.* 6, 20. Hoc ali vires, nervosque confirmari putant. ℙ Saepe dicitur de corpore, quod a morbo firmatur, et sanitatem ac vires resumit. *Cels.* 2, 10. *extr.* Cicatricula celerrime in vena confirmatur. *Id.* 4, 19. Neque ulla res magis intestina confirmat. *Suet. Vesp.* 7. Confirmare crus debile. [**Id. Aug.* 80. Remedio habenarum atque arundinum confirmabatur (crus claudum).] ℙ Hinc *se confirmare* dicuntur, qui convalescunt. *Cic. Fam.* 16, 1. 3. 4. et 5. ad Tironem aegrotantem scribens. [*Significat etiam firmiter sibi proponere. *Caes. B. G.* 2, 19. Ut intra silvas aciem ordinesque constituerant atque ipsi sese confirmaverant. *Cic. Quint.* 11. Cum te ipse confirmasses, i. e. cum apud animum tuum statuisses.] ℙ Saepe transfertur ad animum, et significat firmum et fortem reddere, solari. *Cic. Att.* 1, 16. *circa med.* Confirmare et excitare animos afflictos bonorum. *Id. Q. Fr.* 1, 3. *circa med.* Erige te, et confirma, si qua dimicatio subeunda est. *Caes. B. G.* 5, 47. Caesar suos ad dimicandum animo confirmat. Et *ib.* 49. Consolari et confirmare milites. Et *ib.* 1, 33. Confirmare verbis animos Gallorum. Et *ib.* 7, 7. Confirmare timentes. [*Cf. *B. Crus.* in *cl. Suet.*, ubi nubem exemplorum invenies.] ℙ Et ad alia. *Caes. B. G.* 1, 3. Confirmare pacem et amicitiam cum aliquo. *Vell.* 2, 44. Invidia alienae potentiae confirmare vires suas. *Sall. Catil.* 33. opes factionis. *Nep. Phoc.* 3. decreta populi, rata habere, approbare. [**Bestätigen.* V. in *Confirmatus*. Adde *Caes. B. C.* 1, 29. Confirmare se auxiliis, i. e. sibi robur addere. *Suet. Caes.* 9. Referens, Caesarem in consulatu confirmasse regnum, de quo Aedilis cogitarat.] (Adde *Cic. ad Cupienn. post. ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.*) *Nep. Annib.* 1. odium erga Romanos. *Id. Milt.* 3. regnum. *Id. Dion.* 8. conjurationem. *Suet. Cal.* 12. spem successionis. *Id. Tib.* 52. suspicionem. *Nep. Cim.* 2. insulas bene animatas, *h. e.* in fide firmare. Sic *Vell.* 2, 120. Gallias. Et *paulo post.* animos gentium vacillantium. *Sall. Jug.* 25. *ad f.* eos multa pollicendo, confirmat, uti Romam pergerent, *h. e.* persuadet, dat animum, ut etc. *Caes. B. C.* 1, 14. Gladiatores in forum productos libertati confirmat, *h. e.* liberos esse in perpetuum jubet. Al. leg. *libertatis*, ut subintelligatur *munere:* alii rectius *libertate*, nempe donata. ℙ Frequenter significat, rationibus, argumentis, testibus comprobare aliquid. *Cic. Or.* 2, 19. Nostra confirmare argumentis, ac rationibus, deinde contraria refutare. *Id. Div.* 2, 17. Tu non hostiarum casum confirmas sortium similitudine, sed infirmas sortes collatione hostiarum. *Nep. Lysand.* 1. *extr.* Confirmare fide se fore etc. *Cic. Fam.* 12, 7. Promisi, et prope confirmavi, te non exspectasse, nec exspectaturum etc. ℙ Item affirmare. *Cic. Fam.* 6, 3. *ad f.* Ego tibi hoc confirmo, nihilo te nunc majore in discrimine esse. Et *ib.* 3, 10. De me tibi sic, contestans omnes Deos, promitto, atque confirmo, me etc. Et *ib.* 6, 6. Memini me ex multis audire, te de celeri reditu meo confirmare. *Caes. B. G.* 5, 27. et *ib.* 7, 66. Confirmare jurejurando se facturum etc. [*Nos: *versichern.* Adde *Suet. Claud.* 26. Confirmavit pro concione apud praetorianos.] ℙ [Part. *Confirmans* ap. *Justin.* 15, 2. Per epistolas se invicem confirmantes. ℙ *Confirmaturus* ap. *Cic. Leg.* 1, 16. Si natura confirmatura jus non est. *Confirmandus* ap. *Cels.* 2, 11. Ad confirmandam valetudinem. *F.*]

CONFISCĀTĬO, onis, f. actus confiscandi, *δήμευσις*. *Flor.* 3, 9. Divitiarum tanta erat fama, ut victor gentium populus, P. Clodio tribuno duce, socii vivique regis confiscationem mandaverit.

*CONFISCATOR, oris, m. *Vet. Gloss.* Confiscator, *ταμιοῦχος*. Secundum hoc itaque fuerit quaestor s. curator fisci. *B. A.*

CONFISCĀTUS, a, um, part. a *confisco*, in fisco repositus. *Suet. Aug.* 101. Quam summam repraesentari jussit: nam et confiscatam semper depositamque habuerat. V. alia in v. seq.

CONFISCO, as, avi, atum, a. 1. est in fiscum, seu saccum reponere, praesertim vero in saccum principis. *Suet. Aug.* 101. cujus verba V. in CONFISCATUS. *Id. Cal.* 16. Antiocho Commageno HS. millies confiscatum. *Id. Dom.* 12. Confiscabantur alienissimae hereditates. ℙ Dicuntur et personae confiscari, quarum bona in fiscum redigantur. [*Gr. *ἀποσημαίνεσθαι.*] *Id. Tib.* 49. Constat praeterea Galliarum et Hispaniarum principes confiscatos. Adde *Cal.* 41. [*Cf. *Brem.* ad *Suet. Aug.* 15.] ℙ Translate. *Tertull. Fuga* 12. Felices pauperes, qui totam animam in confiscato habent, *h. e.* in promptu, seu in numerato.

CONFISIO, onis, f. confidentia. *Cic. Tusc.* 4, 37. Fidentia, id est firma animi confisio, scientia quaedam est.

CONFISSUS, a, um, part. a *confindo*. Confissus podagra, ap. *Macr. Sat.* 2, 4. est *sectus*, h. e. concisus, vexatus: quemadmodum a *Mart.* 9, 93. *podagra, cheragraque secatur Cajus*, dictum est. Al. tamen leg. *contusus*, alii *confusus*.

CONFĪSUS, a, um, part. a *confido*, *θαῤῥήσας*; *Cic. Fam.* 12, 14. Nulla alia confisus urbe, Laodiceam se contulit *Id. Rosc. Com.* 1. Copia et facultate causae confisus, vide, quo progrediar. *Curt.* 4, 10. Satis confisus Graecorum erga se benevolentiae et fidei. *Caes. B. C.* 2, 10. Opera tueri se posse confisi sunt. *Id. ib.* 3, 7. Neque ii sibi confisi, ex portu prodire sunt ausi. *Tibull.* 1, 10, 45. Stulte confisus amari. ℙ Cum accusat. *Stat. Th.* 2, 573. Martisque e semine Theron Terrigenas confisus avos. Al. leg. *confessus*, sed *Prisc.* 18, 1185. legit *confisus*, dictumque docet more Graecorum qui *θαῤῥῶ τοῦτο* et *τοῦτῳ* dicunt.

℗ Translate. *Prop.* 1, 11, 9. Atque utinam mage te remis confisa minutis Parvula Lucrina cymba moretur aqua.

CONFIT. V. CONFIO.

CONFĪTĔOR, eris, essus sum. dep. 2. ὁμολογέομαι, idem fere quod *fateor*, h. e. manifesto, et dico, quod a me quaesitum est, ut ait *Varr. L. L.* 5, 7. Fere autem de his dicitur, quae sciri nollemus, et dicere pudet, ut *Fateor*. *Cic. Phil.* 6, 6. Quo etiam, ut confitear vobis, Quirites, minus hodierna die contendi. *Caes. B. C.* 1, 84. Confiteri se victum. *Pl. Capt.* 2, 3, 52. Apud hunc confessus es et genus, et divitias meas. *Cic. N. D.* 2, 4. Confiteri peccatum suum. *Id. Dom.* 35. De objectis non confiteri. *Id. Rosc. Am.* 41. de maleficio. *Id. Fam.* 5, 2. Me abs te cupisse laudari, aperte atque ingenue confitebar. *Ulp. Dig.* 48, 18, 1. *ad f.* Confiteri in se, *h. e.* fateri contra se crimen aliquod. [**Quint. Inst.* 9, 2. p. 786. Apud quem et Myrrha nutrici amorem patris sic confitetur. *Tac. A.* 3, 67. Ac saepe etiam confitendum erat, ne frustra quaesivisset. *Id. ib.* 11, 28. Sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur, utque clausae aures etiam confitenti forent. *Cic. Leg.* 2, 12. Confitendarum religionum facultas. *Curt.* 8, 5, 10. Si quem intelligerent Deum esse, confiterentur. ℗ *Confiterier* pro *confiteri* legitur ap. *Pl. Cist.* 1, 3, 22. ℗ *Nonnius* 5, 48. assignat hanc differentiam inter *confiteri*, et *profiteri*, quod illud necessitatis, hoc voluntatis sit. Sed verum discrimen est, *confiteor* multo minus esse, quam *profiteor*. *Confiteor* enim simpliciter fateri est, *profiteor* vero non solum fateri, sed etiam prae se ferre, et jactare aliquid. Praeterea *profiteri* honestius est, quam *confiteri*, quod semper dicitur de manifestatione rei, ex qua pudore aliquo modo suffundimur. *Non. ib.* Hinc *Cic. fragm. ib.* Hoc ego non solum confiteor, verum etiam profiteor. *Id. Caecin.* 9. Ita libenter confitetur, ut non solum fateri, sed etiam profiteri videatur. ℗ [*Involvit etiam significationem *concedendi*. *Lucr.* 1, 271. Quae corpora tute necesse est Confiteare esse in rebus, nec posse videri. Adde 826. 2, 691. et al. *Quint. Inst.* 1, 6. p. 73. Nam id quidem dixisse summos auctores confitebantur, rationem tamen negabant permittere.] ℗ Apud Christianos scriptores *confiteri* est praedicare, et palam affirmare ea, quae ad Chatolicam religionem pertinent. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 37. Nos lucis auctorem Patrem, Ejusque Christum filium, Datiane, confitebimur. ℗ Pro indicare, prodere, ostendere, quo sensu et *fateor* aliquando usurpatur. *Plin. ep.* 3, 14. Sublatis oculis, agitatoque corpore, vivere se confitetur. *Pallad.* 7, 7. *de apib.* Tot reges esse quot velut ubera videris, confitentur. Adde 1, 3. ℗ Passive *Ulp. Dig.* 42, 1, 15. *ad f.* Nomen, quod confitetur, *h. e.* quod in confesso est. V. CONFESSUS. [*Cf. *Duk. lat. Ict.* 358.] ℗ Part. *Confitens* ap. *Cic. Fin.* 2, 7. Audire confitentem. *Confessurus* ap. *C. Jul. Vict.* (ed. *A. Maio.*) 14. Qui tuto confessurus fuit. *Confitendus* ap. *Cic. Verr.* 2, 2, 60. *extr.* Intelliges, hoc tibi de statuis confitendum esse.

CONFIXĪLIS, e, adj. contignatus, coagmentatus, ut confixilis machina, apud *Appul. Met.* 4.

CONFIXUS, a, um, part. a *configo*. *Cic. N. D.* 2, 50. Caprae confixae sagittis. *Nep. Datam.* 9. Confixi ceciderunt. [**Caes.* 68. Confixa cohors sagittis.] ℗ Translate. *Cic. Har. resp.* 5. Confixus senatusconsultis. *Appul. de Mundo.* Coelum confixum stellis, *h. e.* stellas habens infixas. ℗ Infixus, compactus. *Vitr.* 10, 11. *ad f.* Tigna in capitibus habentia transversaria confixa. Et *ib.* 21. *sub f.* Arca compacta et confixa rudentibus extentis. ℗ Ap. *Cic. Or.* 2, 62. legitur hic versus *Lucilii*: *Quid? Decius, Nuculam an confixum vis facere? inquit*, unde quidam eruere sibi visi sunt *confixus, us*, aut *confixum, i:* alii *confixum facere* idem esse ajunt, quod *configere*. Sed enim omnia ibi incerta sunt, lectio, interpunctio, sententia: quámquam *Janus Parrhas. de quaest. per epist. sect.* 50. interpretatum se putat.

CONFLĂBELLO, as, a. 1. flabellis ignem concito. Translate *Tertull. Spectac.* 25. Conflabellare scintillas libidinum.

CONFLACCESCO, is, n. 3. idem ac flaccesco, languidus fio. *Gell.* 2, 30. Fluctus, simul ac ventus posuit, sternuntur ac conflaccescunt.

CONFLĂGES, loca dicuntur, in quae undique confluunt venti, *Festus.* ubi al. leg. *conflant.* Ap. *Isid. Orig.* 14, 8. appellantur *confrages*. ℗ Alia porro res sunt *confluges*, de quibus *Non.* 1, 311. nempe loca, in quae rivi diversi confluunt, μισγάγκεια. *Liv. Andr.* Confluges, ubi conventu campum totum inhumigant.

CONFLĂGĬTO, as, a. 1. simul flagito. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 6. Ut magnis theatri clamoribus reponi apoxyomenon conflagitaverit. Ita Ed. a. 1470. et 1472. Alii cum *Hard.* legunt *flagitaverit.*

CONFLAGRĂTĬO, onis, f. incendium, καταφλεξις. *Senec. Q. N.* 3, 29. Id affirmat, ut conflagrationi, atque diluvio tempus assignet. *Suet. Tit.* 8. Conflagratio Vesevi montis. *Lactant.* 2, 9. *circa med.* Conflagratione interire.

CONFLAGRĂTUS, a, um, part. a *conflagro*, combustus, καταφθείς. *Auct. ad Her.* 4, 8. Urbs incendio conflagrata. *Appul. de Mundo.* Regiones Phaethontis ruina conflagratae perierunt.

CONFLAGRO, as, avi, atum, n. 1. καταπίμπραμαι, ardeo, incendio absumor. *Cic. N. D.* 2, 36. Ut conflagrare terras necesse sit a tantis ardoribus. *Liv.* 30, 7. Castra flammis conflagrassent. ℗ Translate. *Cic. Verr.* 2, 1, 15. *extr.* Ille istius furtorum, ac flagitiorum invidia conflagravit. *Id. ib.* 2, 5, 35. Conflagrare flamma amoris turpissimi. ℗ Active. *Hyg. fab.* 179. Jovis cum fulmine, et tonitribus venit, et Semelen conflagravit. *Ne imiteris.* ℗ [Part. *Conflagraturus* ap. *Cic. Cat.* 1, 11. An te non existimas invidiae incendio conflagraturum? *F.*]

CONFLAMMO, as, a. 1. inflammo. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 7. Saepe conflammat, atque inflat.

CONFLĂTĬLIS, e, adj. χωνευτός, qui conflando factus est. *Prud.* 10. *περὶ στεφ.* 295. Non esset ullus Juppiter conflatilis.

*CONFLĂTIM, adv. in *Gloss. Isid.* exponitur *copulatim, contexte. B. A.*

CONFLĂTĬO, onis, f. χώνευσις, actus conflandi. *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 1. Cumque de granis minutissimis prius conflatione fornacis, deinde callida artificis manu fuerit monile compactum. *Senec. Q. N.* 3, 29. Et illam, quae in conflatione nostris placet, huc transferendam puto. Ita quidam Lexicographi: verum ibi legendum, *conflagratione. Tertull. Fuga in persecut.* 3. Fidei ustio et conflatio administratur ex Dei voluntate, *h. e.* incendium, ardor. ℗ Ap. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 2. videtur poni pro inflatione.

*CONFLĂTOR, oris, m. *Vet. Gloss.* Conflator, χωνευτής. *B. A.*

*CONFLATORIUM, i, n. fornax, in qua aes conflatur. *Vulg. Interpr. Prov.* 27, 21. *Gloss.* Fornax, conflatorium, χωνευτήριον. *B. A.*

CONFLĂTŪRA, ae, f. χωνεία, conflandi ratio. *Plin.* 7, 56, 57. Invenit auri metalla, et conflaturam Cadmus Phoenix ad Pangaeum montem.

CONFLĂTUS, a, um, part. a *conflo*, fusus. *Plin.* 34, 16, 47. Calculi conflati in album plumbum resolvuntur. Item conflando et liquando factus, χωνευτός. *Plin.* 34, 6, 14. Statuam conflatam a censoribus. ℗ Item metaphorice coagmentatus, compositus, collectus, comparatus. *Cic. Coel.* 5. *extr.* Monstrum ex contrariis naturae studiis cupiditatibusque conflatum. *Id. Ligar.* 12. Consensus fratrum conspirans, et paene conflatus. *Id. Cat.* 1, 10. Ex perditis conflata improborum manus. *Id. Sull.* 5. Conflatus gladiatorum ac fugitivorum tumultus. *Id. Part.* 35. Conflatum crimen, *h. e.* accusatio comparata. *Id. Rosc. Am.* 1. Injuria novo scelere conflata. [**Suet. Ner.* 36. Conjuratio Beneventi conflata.] *Ter. Eun.* 5, 2, 36. Malo ex principio magna familiaritas conflata. *Quint.* 5, 7. Testes sive odio, sive invidia, sive gratia, sive pecunia conflati. *Vell.* 2, 4. *sub f.* Mortem conflatam insidiis obire, *h. e.* per insidias illatam. ℗ Videtur etiam idem esse, ac sufflatus, afflatus, in illo *Stat. Theb.* 9, 525. ceu ventis alte conflata resedit Tempestas. Al. tamen leg. *cum elata.* Sed *conflata* habet etiam optimum MS. apud nos. Huc pertinere videtur et illud *Lucr.* 1, 473. Nunquam Tyndaridis formae conflatus amore Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens Clara accendisset saevi certamina belli, *h. e.* ignis afflatus et accensus amore formae Tyndaridis. ℗ Ap. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 2. Intestina conflata, *h. e.* inflata.

CONFLĔO, es, a. 2. simul cum alio fleo. Est qui legat ap. *Senec. Consol. ad Marc.* 6. Si fletibus fata vincuntur, confleamus. Plerique alii *conferamus*, *scil.* fletus.

CONFLEXUS, a, um, part. ab inusit. *conflecto*, flexus, inflexus. *Plin.* 2, 44, 44. Conflexa cubito juga.

CONFLICTĂTĬO, onis, f. σύγχρουσις, est collisio, et translate sumitur pro pugna. *Gell.* 6, 3. Totius exercitus conflictatione oppugnatus serpens inusitatae immanitatis. Al. leg. *conflictione. Id.* 15, 18. Exercituum duorum conflictatio. ℗ De pugna forensi *Quint.* 7, 1. Juris quaestiones solent esse nonnunquam ex aliis atque aliis conflictationibus. Al. hic quoque leg. *conflictionibus.* [*Ita *Spalding.* c. optimis cdd.] ℗ Proprie est allisio, collisio, concussio. *Appul. Apol.* Est enim miser comitiali morbo ita confectus, ut ter aut quater die corruat, omniaque membra conflictationibus debilitet.

CONFLICTĀTRIX, icis, f. quae conflictat et vexat. *Tert. adv. Marc.* 2, 14. Aegyptus hospitis populi conflictatrix.

CONFLICTĀTUS, a, um, part. a *conflicto*, agitatus, vexatus. *Plin.* 23, 1, 27. M. Agrippa supremis suis annis conflictatus gravi morbo pedum. *Caes. B. C.* 2, 22. Massilienses gravi pestilentia conflictati. *Tac. Agr.* 22. Exercitus conflictatus saevis tempestatibus. *Id. A.* 6, 51. Multis aemulis conflictatus est. ℗ Cum ablat. et praeposit. *cum* (a *conflictor*) quandam pugnandi notionem includit: eodem tamen recidit quoad sensum. *Nep. Pelop.* 5. Conflictatus autem est cum adversa fortuna.

CONFLICTĬO, onis, f. σύγχρουσις, συμβολή, collisio. *Quint.* 3, 6. Si dicat quis: Sonus est duorum inter se corporum conflictio: erret, ut opinor; non enim sonus est conflictio, sed ex conflictione. ℗ Translate est contentio, pugna. *Cic. Part.* 30. Ex rationis, et firmamenti conflictione, et quasi concursu quaestio exoritur. *Id. ib.* 29. Conflictio cum adversario.

CONFLICTO, as, avi, atum, a. 1. frequentat. a *confligo*, συναράσσω, συγχρούω. Proprie significat collidere, rem unam ad alteram allidere: transcat vexare, affligere. *Tac. A.* 6, 48. Qui plura per scelera rempublicam conflictavisset. ℗ Passive. *Lucr.* 3, 366. Sed communibus inter eos conflictatur utrinque Motibus accensus nobis per viscera sensus, *h. e.* concutitur, agitatur. Sed al. leg. *conflatur*, ut constet versus. *Gell.* 10, 6. Quanto arctius, pressiusque conflictata essem, si frater meus classem cum ingenti civium numero non perdidisset. ℗ Translate *conflictari aliqua re* est vexari, affligi. *Cic. Att.* 10, 4. Conflictari fortuna duriore. *Id. Leg.* 1, 11. superstitione. *Id. Fam.* 10, 25. judiciis turpibus. *Id. ib.* 6, 13. ab aliquo diuturnioribus molestiis. [**Suet. Claud.* 2. Variis et tenacibus morbis conflictatus est.] *Cels.* 3, 7. *ad f.* Si quis tussit, non debet vehementi siti conflictari. *Nep. Dion.* 2. Graviter conflictari morbo. *Caes. B. C.* 1, 52. magna inopia rerum necessariarum. *Auct. ad Her.* 2, 24. magnis et multis incommodis. *Tac. A.* 6, 51. multis aemulis. *Id. ib.* 2, 20. gravibus superne ictibus. *Id. H.* 3, 59. saeva hieme per transitum Apennini. *Gell.* 12, 8. odio inter se gravi, et simultate diutina. ℗ *Conflictare cum aliqua re* est pugnare, contendere: atque inde agitari, vexari. *Ter. Phorm.* 3, 2, 20. Nec cum hujusmodi, unquam usus venit, ut conflictares malo. ℗ Passive. *Cic. Har. resp.* 19. *extr.* Cum his conflictari, et pro salute patriae quotidie dimicare, erat omnino illis molestum. *Nep. Pelop.* 5. Conflictari cum adversa fortuna. *Ter. Andr.* 1, 1, 66. Qui cum ingeniis conflictatur hujusmodi. In hisce tribus exemplis quidam putant, *conflictari* deponentis forma adhiberi: quod mihi necessarium non videtur. ℗ [Part. *Conflictans* ap. *Plin.* 8, 17, 21. Conflictans sese moerore. *F.*]

CONFLICTUS, us, m. συγχρουσις, conflictio, collisio. *Cic. N. D.* 2, 9. Lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus. *Id. Div.* 2, 19. Si nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. *Id. Caecin.* 15. Impulsu scutorum et conflictu corporum. ℗ Item pugna. *Pacat. Paneg. ad Theodos.* 34. Testis pulcherrimi Savae conflictus, si conflictus ille dicendus est, in quo ita miles invasit etc. ℗ Translate. *Gell.* 6, 2. Nullo fatalis incommodi conflictu urgeri.

[CONFLĪGĀTUS, a, um, part. ab inusit. *confligo, as*, idem ac profligatus. *Frontin. Strateg.* 2, 3. Ipse mediam suorum aciem reduxit, ne ea parte ante cum hoste confligeret, quam cornibus confligatis medios undique circumvenisset. Sic MSS. et edition. omnes; *Modius* ne novae voci locum daret, *profligatis* legere mavult. *F.*]

CONFLĪGĬUM, ii, n. idem ac conflictus, collisio. *Solin.* 9. In latebrosis rupium cavaminibus, quae fluctuum confligiis adesa sunt. *Salmas.* legit *conflugium*, h. e. confluentiam, tanquam a *confluo.*

CONFLĪGO, is, ixi, ictum, a. 3. συγχρούω, συμβάλλω: a *con*, et *fligo*, collido, allido, unam rem in aliam percutiendo incutio. *Lucr.* 4, 1308. Semina cum Veneris stimulis excita per artus Obvia conflixit conspirans mutuus ardor, *h. e.* collisit inter se, et commiscuit. ℗ Translate. *Cic. Inv.* 2, 43. In hoc commorari conveniet, saepe id quod scriptum est recitando, saepe cum scripto factum adversarii confligendo, *h. e.* comparando, et committendo. ℗ Saepissime absolute usurpatur pro adversari, depugnare, contendere. *Virg. A.* 2, 416. Adversi rupto ceu quondam turbine venti Confligunt. *Appul. de Mundo.* Tempestates inter se serenae hibernaeque confligunt. ℗ Specialiter adhibetur pro pugnare, proelium committere. *Cic. Dom.* 25. Speravit, iisdem se copiis cum illo posse confligere, quibuscum ego noluissem dimicare. *Id. Pis.* 9. Confligere armis. *Id. Off.* 1, 23. In acie versari, et manu cum hoste confligere. *Nep. Ann.* 8. Paucis navibus adversus Rhodiorum classem in Pamphylio mari conflixit. *Brut. ad Cic. Fam.* 11, 13. *sub f.* Ut pro vestra salute contra sceleratissimam conspirationem confligamus. ℗ Translate. *Cic. Caecin.* 3. Potuisti leviore actione confligere, *h. e.* judicio contendere. *Id. Catil.* 2, 11. Causae, quae inter se confligunt. *Quint.* 7, 7. Diversae quoque leges confligunt, aut similes. *Auct. ad Her.* 9, 1. De iis rebus caute confligendum est, quibus in rebus tabulae, aut alicujus firma auctoritas videbitur interfuisse. ℗ Passive impersonaliter. *Claud. in Eutrop.* 2, 358. magna confligitur ira, Quis melius vibrata puer vertigine molli Membra rotet.

CONFLO, as, avi, atum, a. 1. συμπνέω, simul

flare, vel flare in aliquam rem. *Pl. Rud.* 3, 4, 59. Ego dabo ignem, siquidem in capite tuo conflandi est copia. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 32. Et *ib. n.* 38. Puer ignem conflans. ℙ Et quia conflando excitatur ignis, hinc *conflare* ponitur pro accendere. *Lucr.* 1, 473. Ignis conflatus amore. V. CONFLATUS. ℙ Translate. *Cic. Catil.* 1, 9. Conflare alicui inimico invidiam, *h. e.* excitare invidiam in aliquem. (Adde *Coel.* 12.) *Flor.* 3, 17. Drusus tantum conflavit incendium, ut etc. *Id.* 1, 24. discordiam. *Vell.* 2, 55. ingens ac terribile bellum. ℙ Quia vero ignem follibus conflando metalla liquantur, ideo *conflare* etiam solvere et liquare significat, *τήκω*. *Plin.* 33, 9, 46. Argentum, aes Cyprium, et sulphur conflantur in fictili circumlito argilla. *Senec. Q. N.* 2, 31. *de miris fulminis effectis.* Loculis integris ac illaesis, conflatur argentum. *Suet. Aug.* 52. Argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes. *Senec. Phoeniss.* 344. Templis Deos obruite: maculatos lares conflate: *h. e.* incendio absumite. ℙ Item aliquando facere. *Virg. G.* 1, 508. Et curvae rigidum falces conflantur in ensem. *Cic. Sext.* 30. Conflare pecuniam. Allegorice *Flor.* 2, 6. Ubi semel se in Hispania movit gravis illa et luctuosa Punici belli vis, destinatumque Romanis jamdiu fulmen Saguntino igne conflavit. ℙ Translate ponitur pro componere, efficere, creare: et praesertim de iis rebus dicitur, quae ex pluribus quasi in unum componuntur. *Cic. Off.* 1, 4. *ad f.* Quibus ex rebus conflatur et efficitur id, quod quaerimus, honestum. *Lucr.* 3, 70. Sanguine civili rem conflant, *h. e.* divitias acquirunt. *Cic. Phil.* 4, 6. et *Vell.* 2, 74. Conflare magnum exercitum. *Sall. Cat.* 14. et 25. aes alienum grande. *Cic. Har. resp.* 20. Conflare cum multis nefarias scelerum pactiones et societates. *Id. Verr.* 2, 2, 47. accusationem et judicium. Et *ib.* 54. alicui negotium, *h. e.* molestiam creare. [**Id. ib.* 2, 2, 29. Conflare in se crimen.] *Id. Phil.* 2, 28. *extr.* bellum. *Id. Sull.* 4. alicui periculum. [**Lucr.* 6, 1090. Unde mortiferam possit cladem conflare coorta morbida vis hominum generi, pecudumque catervis, expediam. *Id.* 3, 336. Communibus inter eos conflatur utrimque motibus, accensus nobis per viscera, sensus.] V. alia in CONFLATUS. ℙ [Part. *Conflandus* ap. *Cic. Sext.* 30. Quae ratio conflandae pecuniae non reperiebatur. *F.*]

CONFLŌRENS, entis, part. ab inusit. *confloreo.* simul florens. Translate *August. Confess.* 4, 4. Coaevus mihi, et conflorens flore adolescentiae.

CONFLUCTŪO, as, avi, atum, n. 1. vel Confluctuor, aris, dep. 1. idem quod fluctuo, vel fluctuor. Quidam afferunt illud *Senec. Med.* 941. Haud aliter metu confluctuatur. Verum meliores codd. habent *meum cor fluctuatur. Appul. Met.* 11. Palla ad ultimas oras nodulis fimbriarum decoriter coufluctuabat.

CONFLŪENS, entis, part. a *confluo*, qui confluit. *Lepid.* ad *Cic. Fam.* 10, 34. A confluente Rhodano castra movi, *h. e.* ubi Rhodanus cum Arari fluit. *Plin.* 6, 20, 23. Quinque amnium in unum confluente concursu. ℙ *Confluens, entis*, et *Confluentes, entium*, est locus, in quem duo vel plura flumina conveniunt, *ὁμόῤῥοια, σύῤῥοια. Liv.* 1, 27. et 4, 17. *extr.* Ubi Anienem transiit, ad confluentes collocat castra, *h. e.* ubi Anio in Tiberim influit. *Caes. B. G.* 4, 15. Cum ad confluentem Mosae et Rheni pervenissent. *Suet. Cal.* 8. In Treveris, vico Ambiatino supra confluentes, *h. e.* ubi Mosella in Rhenum influit, nunc *Coblenz. Inscr.* ap. *Grut.* 13, 15. Ad confluentes Araris et Rhodani. Adde *Plin.* 6, 26, 30. et 3, 25, 29. et *Just.* 32, 3. ℙ Translate. *Vell.* 2, 55. Ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus.

CONFLŪENTIA, ae, f. actus confluendi. *Macr. Sat.* 7, 4. *a med.* Haec est triplex causa vel podagrae, vel cujuslibet ex confluentia morbi, multitudo humoris etc. Ita hunc locum restituit *Pontanus.*

CONFLŪGES. V. CONFLAGES.

CONFLŪGIUM. V. CONFLIGIUM.

CONFLŪO, is, uxi, n. 3. *συῤῥέω*, una fluo, concurro, convenio. *Cic. Leg.* 2, 3. Fibrenus divisus aequaliter in duas partes latera haec alluit, rapideque dilapsus, cito in unum confluit. *id. Verr.* 2, 4, 52. *ad f.* Portus cum diversos inter se aditus habeant, in exitu conjunguntur et confluunt. *Plin.* 4, 12, 26. Hipanis infra Olbiam cum Borysthene confluit. Et *ib.* 4, 4. Vasti amnes e diverso in Phasim confluunt. *Id.* 16, 12, 23. Humor omnis e tota arbore in ulcus confluit. ℙ Translate. *Caes. B. G.* 7, 44. Perfugarum magnus ad eum quotidie numerus confluebat. *Cic. Brut.* 74. Confluxerunt et Athenas et in hanc urbem multi inquinate loquentes. *Id. Planc.* 34. Causae ad nos pleraeque confluunt, qui miseris nihil negare possumus. *Id. Tusc.* 2, 2. *extr.* Si ad haec studia plures confluxerint, *h. e.* se dederint. *Id. Inv.* 1, 4. *ad f.* Ad ipsos, qui eloquentiam adepti sunt, laus, honos, dignitas confluit. *Ov. Met.* 9, 740. Huc licet e toto solertia confluat Orbe. [**Lucr.* 6, 1259. Nec minimam partem ex agris moeros is in urbem Confluxit.] *Pl. Asin.* 2, 2, 48. Ut dicamur omnium dignissimi esse, quo cruciatus confluant. *Id. Epid.* 4, 1, 2. Cui multa in unum locum confluunt, quae meum pectus pulsant. [**Suet. Tib.* 10. Tot prosperis confluentibus.] ℙ Pro colliquari, fluidum reddi, adhibetur a *Coel. Aurel. Acut.* 1, 17. ℙ *Confluxet* syncop. pro *confluxisset. Lucr.* 1, 985. copia materiai Undique ponderibus solidis confluxet ad imum.

CONFLŪVIUM, ii, n. locus, in quem confluunt sordes ex vasis culinariis. *Varr.* ap. *Non.* 15, 10. Ad quam rem nobis est confluvium? ad quam rem urnarium? ℙ Item collectio ipsa aquarum. *Sever. Aetn.* 119. Non ille ex tenui, vacuoque agat aucta necesse est Confluvia. *Id. ib.* 326. Donec confluvio resolutis aestibus, omnis Exsilit. Al. leg. *confluviis devolvens aestibus*, ut sit adjectiv. *confluvii aestus*, h. e. confluentes ignes.

CONFLŪUS, a, um, adj. qui simul fluit. *Prud. Cathemer.* 5, 76. Unda revolvitur In semet revolans gurgite confluo. Adde *Paul. Nol.* 18, 114.

CONFODIO, is, ōdi, ossum, a. 3. idem quod fodio, *ὀρύττω. Cato R. R.* 129. Confodiatur minute terra. *Pl. Aul.* 2, 2, 66. Confodere hortum. *Colum.* 4, 5. Trigesimo quoque die novella vineta confodere. *Plin.* 17, 20, 32. Salices confodi jubent mense Aprili. Quidam leg. *configi*, sed male, *Hard.* teste. ℙ Item vulnerare, transfigere. *Liv.* 24, 7. Ut confoderetur aliquot vulneribus. *Sall. Catil.* 29. De improviso domi suae imparatum confodere. Et *ib.* 60. Catilina pugnans confoditur. [**Suet. Claud.* 26. Non recusaturum confodi manibus ipsorum.] *Lucan.* 3, 743. Confodere jugulum. *Curt.* 4, 16. *sub f.* Eodem telo plures confodere. ℙ Translate. *Senec. Vita beat.* 27. *sub f.* Quin circumspicitis mala vestra, quae vos ab omni parte confodiunt? *Plin. ep.* 9, 26. *sub f.* Exspecto, ut quaedam ex hac epistola iisdem notis, quibus ea, de quibus scribo, confodias, *h. e.* damnes, et delenda esse censeas: ductum ab obelo, quem appingebant locis, quae culpanda videbantur.

CONFOEDĔRĀTIO, onis, f. *σπονδή*, foedus. *Hieron. ep.* 22. *n.* 35. Prima apud eos (Coenobitas) confoederatio est, obedire majoribus.

CONFOEDĔRĀTUS, a, um, part. a *confoedero*, *ἐνσπονδος*, foedere conjunctus. *Oros.* 2, 4. Sabinae impiis nuptiis confoederatae.

CONFOEDĔRO, as, a. 1. *σπένδω*, foedere jungo. Translate. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 437. Confoederentur omnia Hinc inde membra in symbolum. *Hieron. ep.* 4. *n.* 1. Nascentem amicitiam ut Dominus confoederare dignetur, precor. *Id.* in *Chron. Euseb.* ad an. 110. a Chr. n. Ad confoederandam disciplinam.

CONFOEDO, as, a. 1. *αἰσχύνω*, foedum reddo, conspurco, inquino. *Appul. Met.* 7. *in f.* Liquido stercore strictim, egesto faciem atque oculos ejus confoedassem.

CONFOEDUSTI, foedere conjuncti. *Festus.* Nempe ut ab *onus* fit *onustus*, a *vetus vetustus;* sic a *foedus foedustus* ex lege analogiae duci potest, ut *Voss.* monet in *Etymol.*

CONFOETĔO, es, ui, n. 2. foetere. Adstruitur verbis *Jul. Obseq. de Prodig.* 115. Sub simulacro Deae cubile canis confoetuerat. Sed multo rectius leges *confoete* seu *confetae erat*, vel *cum fetu erat.*

CONFOMO, as, a. 1. ab inusit. *fomo;* dedolo, fomite arbores spolio. *Catull.* 19, 3. Quercus arida rustica confomata securi. Alii rectius leg *conformata.*

CONFORE, idem ac fore. *Ter. Andr.* 1, 1, 140. Qui mihi exorandus est, et spero confore.

CONFŌRIO, is, a. 4. polluo, inquino stercore: a *forio. Pompon.* ap. *Non.* 2, 352. Conforisti me, Diomedes. *Salmas.* in *Exercit. Plin.* censet legendum *conforiasti.*

CONFORMĀLIS, e, adj. *conforme, simile*, idem quod conformis. *Tertull. Resurr. carn.* 47. ex *epist. ad Philippens.* 3, 21. Transfigurabit corpus nostrae humilitatis conformale corpori gloriae suae. Adde *adv. Marcion.* 5, 10., ubi eadem verba repetit. Vulgata hab. *configuratum.*

CONFORMĀTIO, onis, f. *διαμόρφωσις*, alicujus rei forma, figura, compositio, seu dispositio, quae ex pluribus partibus apte inter se accommodatis fit. *Cic. N. D.* 1, 18. Quae compositio membrorum, quae conformatio lineamentorum, quae figura, quae species, humana potest esse pulcrior? *Id. Tusc.* 1, 22. Quasi vero intelligant, qualis sit animus in ipso corpore, quae conformatio, quae magnitudo, qui locus. *Vitr.* 5, 6. Ipsius theatri conformatio sic est facienda, ut etc. ℙ Translate. *Cic. Top.* 5. Si usucapionem, si tutelam definias, quarum rerum nullum subest quasi corpus; est tamen quaedam conformatio insignita et impressa intelligentia, quam notionem voco. *Id. Or.* 1, 33. Ipsa collocatio, conformatioque verborum perficitur in scribendo, *h. e.* dispositio, accommodatio, et forma stili oratorii. *Id. ib.* 5. Actio vocis conformatione ac varietate moderanda est. *Id. Brut.* 37. Sententiarum ornamenta et conformationes, *h. e.* figurae: qua ratione etiam *Quint.* locutus est 9, 2. *init.*, et ipse *Cic. Or.* 3, 54. *extr.* Porro *Auct. ad Her.* 4, 53. specialiter figuram prosopopoejam *conformationem* vocat: cui adstipulatur *Prisc. de praeexercit. Rhet.* 1340. [*Cf. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 82.]

CONFORMĀTOR, oris, m. qui conformat, et apte componit. *Appul. Trismeg.* Dominus, et omnium conformator, quem recte Deum dicimus.

CONFORMĀTUS, a, um, part. a *conformo*, *ἐμμορφωθείς*, formatus, compositus. *Cic. N. D.* 3, 10. *extr.* Si mundum aedificatum, non a natura conformatum putarem. *Gell.* 13, 9. *extr.* Imago tauri conformata, et quasi depicta est locis earum stellarum, quas Vergilias vocamus. Adde *Catull.* 19, 3. ℙ Translate. *Cic. Arch.* 1. Haec vox hujus hortatu, praeceptisque conformata nonnullis aliquando saluti fuit, *h. e.* perpolita, atque instructa.

CONFORMIS, e, adj. alicujus rei forma similis, *σύμμορφος. Sidon. ep.* 4, 12. Dii boni! Quantum naufragioso pelago conformis est motus animorum!

CONFORMO, as, avi, atum, a. 1. *διαμορφόω, συμμορφόω*, formam alicui rei ex multis partibus apte compositis tribuo, efficio. *Cic. Fin.* 1, 7. Ad majora quaedam nos natura genuit et conformavit. *Gell.* 17, 10. Ursa fetum edit informem, lambendoque id postea conformat et fingit. *Colum.* 8, 5. *ante med.* Diebus quibus animantur ova, et in speciem volucrum conformantur. ℙ Translate est perficere, erudire, perpolire, absolvere, quasi perfectam formam et ornatum rei rudi tribuendo. *Cic. Arch.* 6. *extr.* Animum et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam. *Id. Mur.* 29. Tuum consilium, Cato, vituperare non audeo: nonnulla in re forsitan conformare et leviter emendare possim. *Id. Fin.* 4, 2. Pars philosophiae, qua mores conformari putantur. *Tac. A.* 4, 8. Hos orbatos parente tradidi patruo ipsorum, ut foveret ac tolleret, sibique et posteris conformaret. [**Lucr.* 4, 113. Nunc tamen, id quoque uti conformem, exordia rerum Cunctarum quam sint subtilia, percipe paucis.] ℙ *Conformare orationem* est ei formam eloquentiae dare, exornare oratoriis figuris (V. CONFORMATIO) *Cic. Or.* 1, 5. Ipsa oratio conformanda non solum electione, sed etiam constructione verborum. ℙ Est item simpliciter formare, facere. *Auct. ad Her.* 3, 20. In primo loco rei totius imaginem conformabimus. ℙ Conformare se ad voluntatem alicujus, ap. *Cic. Fam.* 1, 8.

CONFORNĪCO, as, a. 1. idem quod fornico. *Vitr.* 5, 5. Cellae confornicentur.

CONFORTO, as, a. 1. fortem facio, consolor. *Lact.* 4, 15. *ant. med. Esaiae verba referens.* Confortamini manus resolutae. *Macer. carm.* 71. *de zedoaria.* Confortat stomachum. *Hieron. ep.* 7. *n.* 4. Obsecro, ut etiam a Papa Valeriano ad eam confortandam litteras exigatis.

CONFOSSUS, a, um, part. a *confodio*, *διαπεπαρμένος*, vulnere perfossus. *Nep. Pelop.* 5. Conjectu telorum confossus cecidit. *Cic. Sull.* 11. Quinque hominibus comprehensis atque confossis. *Virg. A.* 9, 445. super exanimem sese projecit amicum Confossus. *Ov. Amor.* 2, 9, 8. Juvare confossum ope medica. *Pl. Bacch.* 4, 8, 48. Veruina te faciam, si tu me irritaveris, confossiorem soricina naenia. ℙ Translate. *Liv.* 11, 5. *post med.* Eos tot judiciis confossos venire ad populi judicium. ℙ Item infossus. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 562. Loca palustria alte multifariam confossa.

[CONFOTUS, a, um, part. a *confoveo. Inscr.* ap. *Fea, Relaz. d'un viaggio ad Ostia* p. 38. Miseriae recreatae atque confotae. *F.*]

CONFŌVĔO, ōves, ōvi, ōtum, a. 2. idem quod foveo. *Afran.* ap. *Non.* 12, 21. Jubeo hominem tolli, et collocari, et confoveri: solvo operam Dianae. *Appul. Met.* 8. Lurore et illuvie paene collapsa membra lavacro, cibo denique confoveret. *Hieron. adv. Rufin.* 8. Terra non debet gremio suo semina confovere. ℙ Addunt et locum *Catonis R. R.* 5. *extr.*, sed ea lectio admodum incerta est.

CONFRĀCĔO, es, acui, n. 2. idem quod fracesco, putrefio. *Varr. R. R.* 1, 13. Fimum, quod recens, nequam, quod confracuit, melius. [Ita *Schneiderus* reponendum putat; alii leg. *conflaccuit. F.*]

*CONFRACTIO, onis, f. et

*CONFRACTŪRA, ae, f. i. q. confractus, in *Digest.* et *Vulg. Interpr. Psalm.* 105, 23. *Jes.* 24, 19. *B. A.*

CONFRACTUS, a, um, part. a *confringo*, idem quod fractus, *συντεθρυμμένος. Pl. Rud. prol.* 73. Navis confracta est ibus. *Lucan.* 7, 573. Confractique ensibus enses. *Petr. Sat.* 123. ac tumida confractum grandine coelum. *Ulp. Dig.* 39, 2, 24. *post med.* Arbores vi tempestatis confractae. *Plin.* 2, 44, 44. Juga montium confracta in humeros, *h. e.* instar humeri inflexa. *Id.* 35, 11, 40. *n.* 24. In aequo exstantia ostendens, et in confracto solida omnia. *Id.* 28, 10, 45. Ossa confracta.

CONFRACTUS, us, m. fractura. Quidam hanc vocem legunt ap. *Cels. praef.* 1., sed *Targa* in al-

tera ejusdem editione p. 7. ex MSS. legendum probat *contactum*, et in textum recepit.

CONFRAGES. V. CONFLAGES.

[CONFRĀGOSĒ, adv. horride, inculte. *Marius Victor.* 2550. Intelligis igitur, ita confragose atque aspere coisse in unitatem connexionum, ut etc. *F.*]

CONFRĀGOSUS, a, um, adj. ἀνώμαλος, τραχύς, asper, salebrosus, incultus, horridus: ab obsoleto *frago* pro *frango*. Dicitur de locis, in quibus nihil planum, et continuatum, sed omnia sunt praerupta et confracta. *Varr. R. R.* 1, 18. et 20. Confragosus ager. *Liv.* 28, 2. et 32, 4. *ad f.* Confragosa loca, implicatasque flexibus vallium vias. *Colum.* 2, 2. Locus lapidibus confragosus. ℙ Translate. *Pl. Men.* 4, 2, 25. Conditiones tortae, confragosae. *Id. Cist.* 2, 3, 70. Teneo istuc satis: sed ego illud quaero confragosum: quo modo prior posterior sit, posterior sit prior. *Quint.* 1, 1. *in f.* Versus ex asperrime coeuntibus inter se syllabis catenatos, et velut confragosos. *Id.* 5, 8. Qui argumenta, velut horrida et confragosa, vitantes, amoenioribus locis desident. *Id.* 6, 1. *ad f.* Confragosis atque asperis evecti, tota pandere possumus vela. [*Cf. *Ernest. lex. techn. lat.* p. 82.] ℙ [Comp. *Confragosior* ap. *Mall. Theod. de metr.* 7. Dactylo pede adhibito, confragosius quiddam resonat et durius metrum anapaesticum. *F.*]

CONFRĀGUS, a, um, adj. idem quod confragosus, sed magis poeticum. *Val. Fl.* 3, 581. volucri ceu pectora tactus asylo Emicuit Calabris taurus per confraga septis, Obvia quaeque ruens. *Lucan.* 6, 126. Confraga densis arboribus dumeta. *Stat. Theb.* 4, 494. Stabulans ad confraga silvae.

CONFRĒMO, is, ui, n. 3. idem quod fremo, vel simul aut valde fremo. *Ov. Met.* 1, 199. Confremuere omnes. *Stat. Sil.* 1, 6, 73. Illic agmina confremunt Syrorum. Et *ib.* 4, 14. urbes ubicumque togatae Certent laetitia, nosterque ex ordine collis Confremat. *Sil.* 16, 398. Confremit et coelum, et percussus vocibus altis Spectantum Circus.

[CONFREQUENTATUS, a, um, part. a *confrequento*. *Colum.* 9, 13. *ad f.* Nec ullis juventutis supplementis confrequentatae (apes) novissime reliquae intereunt. Ita legit *Schneiderus*; aliae editiones *frequentatae*. *F.*]

CONFREQUENTO, as, a. 1. idem quod frequento. *Prud. περὶ στεφ.* 1, 7. Illitas cruore sancto nunc arenas incolae Confrequentant, obsecrantes voce, votis, munere. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 221. *n.* 587, Ut natale filiae meae epulantes confrequentetis. Alia ap. *eund.* p. 724. *n.* 448., quae pertinet ad an. a Chr. n. 153. Ut velint diebus infrascriptis locum confrequentare. **Jul. Valer.* res gestae Alex. M. (ed. *A Majo* 1, 41. *extr. B. A.*

CONFRĪĀTUS, a, um. V. infra CONFRIO.

CONFRĪCĀMENTUM, i, n. idem quod confricatio. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 4. Dentium confricamentis uti.

CONFRĪCĀTĬO, onis, f. fricatio. Translate. *August. Conf.* 4, 8. Ingens fabula, et longum mendacium, cujus adulterina confricatione corrumpebatur mens nostra pruriens in auribus.

CONFRĪCĀTUS, a, um, part. a *confrico*. *Plin.* 29, 2, 9. Confricatis dentibus, et gingivis.

CONFRĪCO, as, a. 1. ἀνατρίβω, idem quod frico. *Suet. Claud.* 8. Faciem sibi confricare. *Plin.* 29, 2, 9. Confricare aliquid manu. *Colum.* 2, 3. Confricare boves. *Id.* 7, 10. totum os sale trito. ℙ *Confricare alicui genua* dicuntur, qui aliquid enixe petunt, quod mos erat supplicum genua attingere atque ad ea manus tendere, ut *Plin.* 11, 45, 103. docet. *Pl. Asin.* 3, 3, 80. Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur. *A.* Quidvis egestas imperat: fricentur. ℙ Translate. *Tiro Tullius* ap. *Gell.* 7, 3. Sensus judicum injuriis atque imperiosis minationibus confricare, *h. e.* irritare, perstringere. *Cato ib.* Ne quid in consulendo adversi eveniat, quod nostras secundas res confricet, *h. e.* atterat, imminuat. Utroque loco plerique al. leg. *confuto*.

CONFRINGO, ingis, egi, actum, a. 3. διαῤῥήγνυμι, idem quod frango, perfringo. *Cic. Fl.* 30. Membra, quae debilitavit; manus, quas contudit; digitos, quos confregit etc. *Pl. Most.* 2, 2, 23. Pultando pedibus paene confregi fores. *Id. Mil.* 2, 6, 24. Confringere imbrices et tegulas. *Id. Capt.* 4, 4, 8. aulas et calices. *Lucan.* 6, 123. impulsu turres valli. [**Suet. Ner.* 34. Qui Liburnicam velut fortuito concursu confringerent.] ℙ *Confregisti tesseram*, allegorice, et proverbii cujusdam ratione, *h. e.* amicitiam dissolvisti. *Pl. Cist.* 2, 1, 27. ℙ *Rem confringere* ap. *eund. Stich.* 4, 2, 49. et *Trin.* 1, 2, 71. est patrimonium absumere, ducta, ut opinor, metaphora ab iis, qui naufragium faciunt. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 1, 5. Confringere vi consilia senatoria. [*i. e. irrita facere, injustis artibus impedire, quominus ex lege procedant. Adde *Eund. Mil.* 14. Qui eam praeturam posset confringere, *h. e.* impedire quominus praetor potestate sua abuteretur.] *Claud. I. Cons. Stilich.* 69. animum alicujus. *Titinn.* ap. *Non.* 4, 219. alicujus superbiam. *Senec. Controv.* 1, 2. Docetur blanditias, et in omnem motum corporis confringitur, *h. e.* enodatur membris ad molles saltationes. *Lucr.* 1, 70. Confringere claustra portarum naturae, *h. e.* arcana naturae adire, et cognoscere. *Val. Max.* 4, 5. *n.* 2. Confregit rempubl. Terentius Varro Cannensis pugnae temerario ingressu. *Id.* 7, 2. *sub f.* Confringere vires hostium.

[CONFRIO, as, a. 1. κατατρίβω, idem ac infrio. *Cato R. R.* 7. Orchites, ubi nigrae erunt et siccae, sale confriato dies quinque. Alii perperam leg. *confricato*. *Varr. R. R.* 1, 60. Orchites nigras, sale si sint confriatae dies quinque, manere idoneas solere scribit Cato. Hic quoque alii perperam leg. *confricatae*. *F.* et *B. A.*]

*CONFRIXO, as, a. 1. una frigo vel simpliciter frigo. *Theod. Prisc.* (s. *Octav. Horat.*) 1, 6. Cum oleo confrixentur. *B. A.*

CONFŪĒRIT, simul adfuerit. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 8.

CONFŪGĂ, ae, m. et f. qui confugit in aliquem locum, salutis ergo. *Imp. Leo Cod.* 1, 12, 6. et *Impp. Theod. et Valent. ib.* 3, 22. appellant *confugas*, qui ad asylum Ecclesiae confugerunt.

CONFŪGĒLAM antiqui confugium dicebant, *Festus*.

CONFŪGĬO, is, ūgi, n. 3. καταφεύγω, idem quod fugio, vel simul fugio ad aliquem auxilii, aut salutis causa. *Caes. B. C.* 3, 9. Magno numero interfecto, reliquos in naves confugere coegerunt. *Cic. Tusc.* 5, 2. Ad te confugimus: a te opem petimus. *Id. ib.* 1, 35. Priamum, cum in aram confugisset, hostilis manus interemit. *Ov. Trist.* 5, 2, 43. Confugere ad aram. *Cic. Font.* 11. et *Liv* 1, 2. ad opem alicujus. *Id. Fam.* 4, 6. *ad f.* ad rempublicam. *Id. Off.* 2, 12. ad unum aliquem virtute praestantem. *Id. Quint.* 2. *a med.* in fidem, veritatem, misericordiam alicujus. *Id. Ligar.* 10. ad clementiam alicujus. *Ov. Fast.* 1, 571. ad artes patrias. *Plin. ep.* 8, 19. Ad unicum doloris levamentum, studia confugio. *Plin. alter* 11, 29, 35. ad remedia. [**Suet. Aug.* 17. Alexandria, quo Antonius confugerat. — *Id. ib.* 14. L. Antonium confugere Perusiam coëgit.] — ℙ Translate. *Ter. Heaut.* 4, 5, 45. Neque tu scilicet eo confugies, quid mea? num mihi datum est? etc. *h. e.* neque ad eam excusationem confugies, ut dicas, *quid mea?* etc. *Cic. Fin.* 2, 9. *ad f.* Epicurus, ubi erubuit, confugit illuc, ut neget etc. *Auct. ad Her.* 2, 3. Primum demonstrabit vitam integram, si poterit: id si non poterit, confugiet ad imprudentiam, stultitiam, adolescentiam etc. *Plin. ep.* 10, 13. Cui referre gratiam parem ne audeo quidem: itaque ad vota confugio. *Lucr.* 3, 768. Scilicet in tenero tenerascere corpore mentem, Confugient. [*Scil. ad eam rationem, si hoc argumento utantur.] Al. leg. *confingent*. ℙ Passive impersonaliter. *Lact.* 2, 1. Ad Deum confugitur. Al. leg. *confugiunt*.

CONFŪGĬUM, ii, n. καταφυγή, perfugium, locus, quo fugimus salutis causa. *Stat. Th.* 12, 504. Commune confugium aegris animantibus. *Ov. Trist.* 5, 6, 2. Qui mihi confugium, qui mihi portus eras. Adde *ib.* 4, 5, 6.

CONFULGĔO, es, ulsi, n. 2. σελαγέω, idem ac fulgeo vel valde fulgeo. *Pl. Amph.* 5, 1, 15. Ardere censui aedes: ita tum confulgebant. *Cinna* ap. *Isid. Orig.* 19, 2. *a med.* Lucida confulgent alti carchesia mali.

CONFULTUS, a, um, part. ab inusit. *confulcio*, fultus. *Lucr.* 2, 97. Corpora intervallis magnis confulta resultant. Al. leg. *consulta*, a *consilio*, *is:* alii *contusa*, alii *conflicta*.

CONFUNDO, is, udi, usum, a. 3. συγχέω, simul res plures fundo. *Virg. A.* 3, 696. Alpheus Siculis confunditur undis. *Pl. Most.* 1, 3, 120. Itidem olent, quasi cum una multa jura confundit coquus. *Plin.* 29, 3, 11. Mel, acetum, oleum confundere crebroque permiscere. [**Curt.* 8, 8. Summa imis confundere.] *Sil.* 14, 333. angusta foramina murus Arte cavata dabat, per quae confundere tela Tutum erat. ℙ Pro simplici fundo. *Cic. N. D.* 2, 55. Lapsus cibus in eam venam, quae cava appellatur, confunditur. *Colum.* 12, 28. *ad f.* In cado duarum urnarum quam optimi vini sextarium, aut si vasa recentia habebis, in ea confundito. ℙ Translate. *Ov. Met.* 4, 471. Imperium, promissa, preces confundit in unum. *Cic. Or.* 2, 79. Est id quidem in totam orationem confundendum [*i. e. per totam orationem, non uno certo loco adhibendum.] *Id. Tusc.* 1, 11. Cuperem equidem utrumque: sed est difficile confundere. [*Notat *Hotting.* ad h. l. *Bentl.* refutans, *confundere* esse, una disputatione plura ita complecti, ut ab se non sint separanda.] Al. aliter leg. *Id. Acad.* 4, 19. Confundere vera cum falsis. [**Id. Off.* 1, 27, 95. Totum illud quidem est cum virtute confusum; sed mente et cogitatione distinguitur.] *Claud. IV. Cons. Honor.* 239. sacra profanis. *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 200. proceres turbae. *Hor. Od.* 1, 17, 22. nec Semeleius Cum Marte confundet Thyoneus Proelia. *Liv.* 7, 12. *ad f.* Confundere sermones in unum. *scil.* cum plures simul loquuntur. ℙ Apud JCtos ea *confundi* dicuntur, quae ita miscentur, ut vel nullo modo, vel difficile separari possint. *Ulp. Dig.* 6, 1, 3., *Paul. ib.* 4. etc. ℙ Item illae obligationes, quae ita in unam eandemque personam cadunt, ut vim suam amittant. *Ulp. Dig.* 49, 14, 29. *ad f.* Obligationes, quas adeundo hereditatem confundit, non renstituuntur. Adde *Afric. ib.* 46, 1, 21. et *Paul. ib.* 36, 1, 59. et 80. ℙ Praeterea *confundere* significat etiam turbare. *Cic. Dom.* 49. An tu haec ita confundis, et perturbas, ut, etc.? [**Liv.* 4, 1. Confundi jura gentium rebantur. *Id.* 9, 27. Signaque et ordines peditum atque equitum confundit.] *Lucr.* 4, 559. Aera per multum confundi verba, necesse est, Et conturbari vocem. *Id.* 2, 439. et 944. Confundere sensus. *Val. Flacc.* 5, 580. positas confundere mensas. *Virg. A.* 5, 496. foedus. *Plin.* 20, 5, 18. Confundit plerosque similitudo nominum. *Id.* 21, 18, 70. Hoc confundit intellectum. [**Sil.* 3, 663. Dies confundit iter, i. e. perturbat, incertum facit.] *Petr. Sat.* 132. Confundere hilaritatem alicujus. *Quint. Decl.* 2, 16. quietem. *Ov. Met.* 5, 58. Et fractis confudit in ossibus ora. *Confundere aliquem* est ejus animum aliquo affectu turbare. *Stat. Th.* 2, 232. tacite subit ille supremus Virginitatis amor, primaeque modestia culpae Confundit vultus. *Senec. Clem.* 2, 5. Metus et moeror confundit animum. *Liv.* 45, 42. Haec tanto dicta animo magis confundere audientium animos, quam si miserabiliter deflendo etc. *Plin. ep.* 3, 10. Veritus sum, ne vos festis diebus confunderem, si in memoriam gravissimi luctus reduxissem. *Id. ep.* 5, 5. Qui nuncius gravi me dolore confudit. *Quint. Decl.* 2, 20. Neminem fuisse in domo, quem non fragor ille confuderit. *Id.* 8, 3. *sub f.* Fulmina non tam nos confunderent, si vis eorum tantum, non etiam ipse fulgor timeretur. Adde *Liv.* 34, 50., *Tac. H.* 1, 44., *Stat. Th.* 8, 283. et *Ov. Met.* 15, 770. et V. CONFUSUS. ℙ *Confundi* absolute pro pudore affici, est ap. *Sulpic. Sever. de Vita D. Mart. c.* 9. V. CONFUSUS. ℙ *Confundere jus dominii* ap. *Paul. Dig.* 10, 3, 19. est commune pluribus facere. ℙ [Part. *Confundens* ap. *Curt.* 9, 9. Leni adhuc aestu confundente dispares undas. *Confusurus* ap. *Ov. Met.* 6, 585. fasque nefasque Confusura ruit. *F.* *Permutantur *Confundere* et *contundere*. V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 11, 2. p. 986. et *Eund.* ad *Petr.* 105.]

CONFŪNĔRO, as, a. 1. idem quod funero, sepelio. *Juvenc.* 4, 96. Ejus ut adventus terrae confuneret orbem. Ita *Barth. adv.* 13, 19. ex quodam MS. Alii *consumeret*.

CONFŪSĀNĔUS, a, um, adj. varius, multiplex, confusus. *Gell. praef.* Variam, et miscellam, et quasi confusaneam doctrinam conquisierant.

CONFŪSĒ, adv. συγκεχυμένως, varias res confundendo, permixte, perturbate, sine ordine. *Cic. Inv.* 1, 30. Modos et partes argumentandi confuse et permixte dispersimus, post discrete et electe digeremus. *Id. Fin.* 2, 9. Contemnit disserendi elegantiam: confuse loquitur. *Id. Phil.* 8. *init.* Confusius hesterno die est acta res, quam etc. *Gell.* 14, 2. Confuse varieque sententias dicere. *Pomp. Dig.* 21, 1, 36. Si confuse universis mancipiis constitutum pretium fuerit, *cui opponitur ib.* singulorum mancipiorum constituto pretio.

CONFŪSIM, adv. idem quod confuse. *Varr. L. L.* 8, 1. Nam confusim ex utraque parte pleraque dicuntur, quorum alia ad aliam referri debent summam. Addunt et locum *Plinii* 18, 16, 43., sed ibi plerique libri *confusum* habent.

CONFŪSIO, onis, f. σύγχυσις, actus confundendi, permixtio. *Cic. Mur.* 23. Confusionem suffragiorum flagitasti, *h. e.* ut suffragia ferrentur non servato ordine classium et centuriarum. [*Cf. ad h. l. *Ern. cl. Cic.* s. h. v.] *Id. Leg.* 2, 10. Suos Deos, aut novos, aut alienigenas coli, confusionem habet religionum. *Id. Off.* 2, 19. Ante hanc confusionem temporum. *Id. Fin.* 5, 23. Atque haec conjunctio confusioque virtutum, tamen a philosophis ratione quadam distinguitur; *conspiratio consensusque virtutum* paulo ante dixerat. *Appul. de Mundo.* Coloribus atris, albis, luteis et puniceis confusione modica temperatis. *Plin. ep.* 3, 20. Procurrebant omnes cum suis candidatis: multa agmina in medio et indecora confusio. ℙ Apud JCtos *confusio* dicitur, cum res plures ita miscentur, ut separari non possint. *Paul. Dig.* 6, 1, 23. Ferruminatio per eandem materiam facit confusionem: plumbatura vero non idem efficit. ℙ Item cum plures actiones, seu obligationes in una eademque persona ita uniuntur, ut vel omnes, vel earum aliqua suam vim amittat. *Ulp. Dig.* 18, 4, 2. *ad f.* et *Modest. ib.* 46, 3, 75. Cum quis debitori suo heres exstiterit, confusione debitor esse desinit. *Nerat. ib.* 34, 3, 21. Confusione perinde exstinguitur obligatio, ac solutione. *Paul. ib.* 46, 1, 71. Mandator allegabat, se liberatum jure confusionis. ℙ Translate sumitur pro perturbatione animi. *Vell.* 2, 124. Quae senatus trepidatio, quae populi confusio, quis orbis metus? *Tac. H.* 3, 38. Causam confusionis quaerenti, non se proprio metu,

sed pro fratre etc., respondit. *Plin. Pan.* 86. Quam ego audio confusionem tuam fuisse, cum digredientem prosequereris? *h. e.* tristitiam. *Id. ep.* 1, 22. *extr.* Erit confusioni meae non mediocre solatium, si etc. *h. e.* sollicitudini. *Sulpic. Sever. ep.* 3. *sub f.* Tam erat sancta de ejus gloria exsultatio, quam pia de morte confusio, *h. e.* moeror, dolor. *Petr. Sat.* 101. Simulationem lacrimis et vultus confusione obumbrare. ℙ In illo *Tac. H.* 4, 40. Crebra oris confusio pro modestia accipiebatur, *confusio* est rubor vultu suffusus. Fuit enim Domitianus (de quo hic sermo est) vultu pleno ruboris, ut *Suet. in ejus Vita* 18. et *Plin. Pan.* 48. testantur. Quod idem *Tac. Agr.* 45. confirmat.

CONFŪSUS, a, um, part. a *confundo*, συγχεχυμένος, fundendo permixtus. *Hor. Sat.* 2, 4, 67. Jus confusum sectis herbis. *Id. Ep.* 2, 1, 195. Diversum confusa genus panthera camelo. *Stat. Th.* 5, 42. Olympus confusus, *h. e.* coelum dubia luce fulgens initio diei: vel caliginosum, aut nubilum. *Plin.* 34, 2, 3. Quondam aes confusum auro argentoque miscebatur. *Liv.* 1, 23. Duo populi confusi in unum. *Ov. Med. fac.* 61. Cornua cervi contrita confusa farinae. ℙ Item simpliciter fusus. *Hor. Sat.* 1, 8, 28. Cruor in fossam confusus. *Cic. Div.* 2, 15. Vis quaedam sentiens et divina, quae toto confusa sit mundo. *Colum.* 10, 260 Rosa ingenuo confusa rubore. ℙ Item simul fusus a pluribus. Translate. *Cic. Brut.* 26. Sed nec ejusmodi est oratio, ut a pluribus confusa videatur. ℙ Item conservatus. *Cic. Sext.* 2. Quoniam singulis criminibus ceteri responderunt, dicam ego de omni statu P. Sextii, de genere vitae, de natura, de moribus: contendamque, ut in hac confusa atque universa defensione nihil a me praetermissum esse videatur. ℙ In malam partem. *Cic. Or.* 3, 13. *ad f.* Ita confusa est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum. [*Ei opposita est *clara*, *pura*, dilucida; cf. *c.* 10. l. c.] *Suet. Aug.* 44. Spectandi confusissimum et solutissimum morem correxit, ordinavitque. *Tac. H.* 2, 93. Confusus ordo militiae. ℙ Saepe transfertur ad animum, et dicitur de iis, qui affectu quopiam perturbati sunt. *Liv.* 6, 6. Confusus animo. *Id.* 35, 15. *sub f.* Confusus moerore. Et *ib.* 35. *sub f.* Animus confusus cogitatione tantae rei. *Id.* 6, 34. Confusa mulier ex recenti morsu animi. *Quint.* 1, 10. *sub f.* Confusus metu. *Suet. Caes.* 7. somnio, *h. e.* perterritus. *Curt.* 7, 7. Non solum ira, sed pudore confusus. *Id.* 6, 7. Ore confuso magnae perturbationis notas prae se ferens. [*Confusum os*, *Plin. ep.* 4, 7. quale sit, intelligitur ex *Eod. ib.* 6, 11. ubi *os planum* commemorat, *h. e.* interpretante *Gesnero*, quod singula verba recte explicet, syllabas non obscuret, aut devoret.] *Justin.* 32, 2. Turba querelarum confusus. ℙ Absolute. *Val. Flacc.* 1, 79. confusaque pectora firmat, *h. e.* dubitantia. *Liv.* 30, 15. Masinissa ex praetorio in tabernaculum suum confusus concessit, *h. e.* amore, metu, et pudore simul turbatus. *Sulpic. Sever. de Vita D. Mart.* 16. Qua ille voce confusus obstupuit, *h. e* pudore confusus. *Ov. Trist.* 3, 5, 11. Confusi vultus, *h. e.* tristes. *Petr. Sat.* 101. Confusus, et consilii egens. *Liv.* 1, 7. Confusus atque incertus animi. ℙ Comp. *Confusior* ap. *Plin. praef. l.* 7. Nulli datus pavor confusior, quam homini. *Tac. A.* 4, 65. Facies confusior.

CONFŪTĀTĬO, onis, f. ἀναασκευή, oratio, vel pars orationis, qua adversariorum argumenta refelluntur. *Auct. ad Her.* 1, 3. Confutatio est contrariorum locorum dissolutio. [*Gr. λύσις. Cf. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 83.]

CONFŪTĀTOR, oris, m. qui confutat. *Hieron. de Script. Eccl. in Bardes.* Qui primum Valentini sectator, postea confutator, etc.

CONFŪTĀTUS, a, um, part. a *confuto*, repulsus. *Cic. N. D.* 2, 17. Cujus opinionis levitas confutata a Cotta, non desiderat orationem meam. ℙ Item confictus. *Ammian.* 17, 9. *extr.* Contra rempubl. tot suscepisse labores et pericula, confutati. Et 26, 3. Venefici, post agitatas quaestiones, nocuisse quibusdam, apertissime confutati.

CONFŪTO, as, avi, atum, a. 1. prima significatione videtur esse idem quod *confundo*, misceo, vel ejus frequentativum. Nam a *fundo* est *futo*, *futilis*, et *futum*, genus vasis aquarii. Igitur a *futo* fit *confuto:* quod *Non.* 4, 47. exponit, commovere: *h. e.* permiscendo commovere: quod est confundere. *Titin. ib.* et 2, 142. Cocus magnum ahenum, quando fervit, paula confutat trua, *h. e.* ne humor fervens exundet, miscet, confunditque leviter, ejusque fervorem compescit. ℙ Hinc factum est, ut ponatur etiam pro compescere, reprimere, quia (inquit *Voss.*) sicut *futo* fervens aqua, ita oratione compescuntur adversarii: refellere, compescere, reprimere, ἀναασκευάζω, ἀντιλέγω. *Pl. Truc.* 2, 3, 28. Ego istos, qui nunc me culpant, confutaverim. *Cic. Div.* 1, 5. Confutare argumenta Stoicorum. *Gell.* 5, 10. *extr.* Aliquem suo sibi argumento confutare. *Cic. Tusc.* 5, 31. Epicurus maximis doloribus affectus, eos ipsos inventorum suorum memoria et recordatione confutat. *Ter. Heaut.* 5, 1, 76. Hic, ita ut liberos est aequum, dictis confutabitur: sed Syrum, si vivo, ita exornatum dabo, ut, etc. *Id. Phorm.* 3, 1, 13. Confutavit verbis admodum iratum patrem. *Cic. Part.* 38. Confutare audaciam alicujus. *Tiro Tullius* ap. *Gell.* 7, 3. Injuriis atque imperiosis minationibus aliquem confutare. *Cato ib.* Ne quid adversi eveniat, quod nostras secundas res confutet. Al. leg. *confricet. Gell.* 7, 16. in lemmate: Confutare versibus delicatorum hominum luxuriantem gulam. *Appul. Met.* 11. *sub in.* Palla nigerrima splendescens atro nitore meum confutabat obtutum, *h. e.* perstringebat, et retundebat aciem oculi mei. ℙ Idem *Naevius* 2, 142. interpretatur confundere vel committere (quae interpretatio cum illa altera valde congruit). *Varr. ib.* Harum aedium summa atria confutabant architectones. ℙ Inter *confutare*, et *refutare* hoc statuit discrimen *Donat.* ad *l. c. Ter. Phorm.*, quod illud ad personas referatur, hoc ad res: sed ex allatis exemplis satis apparet non esse perpetuum.

CONFŪTŬO, is, a. 3. simul futuo. *Catull.* 37, 3. putatis Solis licere quidquid est puellarum, confutuere?

CONFŪTŪRUS, a, um, part. a *con*, et *futurus. Pl. Mil.* 3, 3, 66. Confido confuturum, *h. e.* confore.

[CONGARRĬO, is, n. 4. saepius blatero, obloquor. *Front. ad amic. ep.* 1, 15. (ed. iterum Romae *A. Maio*). Victorinus noster, sive Fronto nullum verbum prius, neque frequentius congarrit, quam *Hoc da.* Loquitur nempe de filiolo Aufidii Victorini generi sui. *F.*] *Part. *Congarriens* ap. *Sarisb. Policr.* 5, 6. Inter congarrientes perstrepere. *B. A.*

CONGAUDĔO, es, n. 2. idem quod gaudeo, vel simul gaudeo, συγχαίρω. *Tertull. adv. Gnost. ex D. Paulo.* Gaudeo, et congaudeo omnibus vobis: perinde et vos gaudete, et congaudete mihi. *Paul. Petr.* 2, 665. Pressit in absentem congaudens oscula dextram.

CONGĔLASCO, is, n. 3. ἐκπήγνυμαι, idem quod gelasco. *Gell.* 17, 8. Solere oleum congelascere. Et *mox.* Vina rarenter congelascant.

CONGĔLĀTĬO, onis, f. ἔκπηξις, actus congelandi, gelatio. *Plin.* 31, 3, 21. Minui certe liquorem omnem congelatione deprehenditur. *Colum.* 4, 8. Brumae congelationes.

CONGĔLĀTUS, a, um, part. a *congelo*, πηκτός, gelu adstrictus. *Varr. R. R.* 1, 2. Mare congelatum. *Vitr.* 8, 3. Lacus ita salsi, ut habeant insuper se salem congelatum. *Colum.* 3, 12. Congelatae radices. *Mart.* 11, 98. Nec congelati gutta proderit nasi.

CONGĔLĬDUS, a, um, adj. Congelida aqua legitur a quibusdam apud *Cels.* 4, 24., ubi plerique libri habent *egelida*, quidam etiam *calida.*

CONGĔLO, as, avi, atum, a. 1. ἐκπήγνυμι, frigore adstringo, induro, concrescere facio. *Val. Fl.* 3, 577. pectora nautis Congelat hiberni vultus Jovis. *Plin.* 18, 26, 68. *n.* 3. Luna cadentes pruinas congelat. *Colum.* 7, 8. Congelare lac. ℙ Et passive. *Id.* 1, 6. Oleum si congelatur, fracescet. ℙ Urbane et joculariter *Mart.* 14, 147. Stragula purpureis lucent villosa tapetis: Quid prodest, si te congelat uxor anus? ℙ Ponitur et generatim pro indurare. *Scrib. Comp.* 271. Ubi se congelaverit adeps. *Ov. Met.* 11, 61. in lapidem rictus serpentis apertos Congelat. ℙ Neutrorum more pro concrescere, *Id. ib.* 15, 414. quidquid vesica remisit, Vertitur in lapides, et congelat aere tacto. *Id. Trist.* 3, 10, 29. Caeruleos ventis latices durantibus, Ister Congelat. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 2, 13. *ad f.* Congelasse amicum nostrum laetabar otio.

CONGĔMĬNĀTĬO, onis, f. idem ac geminatio, duplicatio. Pro amplexu poni videtur in illo *Pl. Poen.* 5, 5, 18. Quid hoc est conduplicationis? quae haec congeminatio?

CONGĔMĬNĀTUS, a, um, part. a *congemino*, geminatus. *Appul. de dogm. Plat.* Numeri et modi congeminati.

CONGĔMĬNO, as, avi, atum, a. 1. διπλόω, idem ac gemino, duplico, itero. *Pl. Amph.* 2, 2, 153. Tu peperisti Amphitruonem, ego alium peperi Sosiam: Nunc si pateram patera peperit, omnes congeminavimus. *Virg. A.* 11, 696. Tum validam perque arma viro, perque ossa securim, Altior assurgens oranti, et multa precanti Congeminat, *h. e.* securis ictus iterat. *Id. ib.* 12, 714. crebros ensibus ictus Congeminant. *Sil.* 16, 267. fremitu suspiria rauco Congeminat. *Val. Fl.* 6, 512. Victores contra patrium Paeana Geloni Congeminant. *Id.* 6, 379. Auroque securim Congeminans.

CONGĔMISCO, is, n. 3. idem quod congemo. *August. Conf.* 6, 7. Congemiscebamus in iis, qui etc. *Tertull. Spectac.* 30. In imis tenebris congemiscentes. Adde *Prud. περὶ στεφ.* 2, 411. In *Not. Tir.* p. 102. legitur Congemescit.

CONGĔMO, is, ui, n. 3. συστενάζω, idem quod gemo, vel simul, aut valde gemo. *Cic. Mur.* 25. *ad f.* Congemuit senatus frequens. *Suet. Tib.* 23 Inchoata allocutione, derepente, velut impar dolori, congemuit. ℙ Cum accus. *Val. Fl.* 5, 12, positumque feretro Congemuere. *Lucr.* 3, 948. Quid mortem congemis ac fles? ℙ Translate. *Virg. A.* 2, 630. *de arbore excisa.* Vulneribus donec paulatim evicta, supremum Congemuit.

CONGĔNER, i, m. σύγγαμβρος, generi in affinitate socius. Congeneri dicuntur duo, pluresve generi respectu unius soceri. *Symmach. ep.* 8, 40. Supremis congeneri interesse. Al. leg. *generi.*

CONGĔNER, ris, adj. ejusdem, vel similis generis, συγγενής, ὁμογενής. *Plin.* 15, 24, 28. Aliud corpus est terrestribus fragis, aliud congeneri eorum unedoni.

CONGĔNĔRĀTUS, a, um, part. a *congenero*, simul generatus. *Varr. R. R.* 2, 4. Porci congenerati, *h. e.* eodem partu editi. *Id. L. L.* 9, 3. Verba congenerata, *h. e.* quae habent eandem originem. Adde *Colum.* 7, 3. *circa med.*

CONGĔNĔRO, as, a. 1. simul genero. Translate ponitur pro adjungere, associare, ut *Non.* 2, 121. interpretatur locum *Accii* in *Fidicinis.*

CONGĔNĬTUS, a, um, adj. συμπεφυτευμένος, ὁμογενής, simul genitus. *Plin.* 11, 39, 94. Pili congeniti maturius defluunt, agnati celerius crescunt. *Id.* 16, 2, 2. Roborum vastitas intacta aevis, et congenita mundo.

[*CONGENTĪLIS, is, m. qui est ejusdem gentis. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 657. *n.* 491. Et ob dedicationem congentilibus, et sacerdotibus viscerationem, et epulum dedit. *Gloss. Philox.* Congentilis, ὁμόφυλος. *F.* et *B. A.*]

CONGĔNUCLO, as, n. 1. genua flecto, vel in genua procido: a *con*, et *geniculo* per sync. *Coelius* ap. *Non.* 2, 156. Ipse regis eminus equo ferit pectus advorsum: congenuclat percussus: dejecit dominum.

CONGĔNŬLĀTUS, a, um, adj. qui genu replicato cecidit. *Sisenn.* ap. *Non.* 1, 283. Multis plagis adversis icti, et congenulati, Romanis praecipitatis, ipsi supra voluti in caput. ℙ Fortasse legendum est *congenuclatus* a *congenuclo.*

CONGĔNŬO, as, a. 1. genua conjungo. *Novius* ap. *Non.* 7, 49. Mammas teneas, pedes extollas, congenues, suavies.

CONGER, gri, m. κόγγρος, piscis marinus longi corporis, anguillae similis. *Pl. Mil.* 3, 1, 165. Probus hic conger frigidus. Et *Pers.* m. 2, 29. Ut muraena et conger ne calefierent. Adde *Ter. Adelph.* 3, 4, 13. ℙ Negat *Charis.* 1, 12. in recto casu *conger* dici, et solummodo *congrus* agnoscit. Docet enim Graeca nomina in γρος, τρος, δρος, κρος Latine in *er* desinere, exceptis *Codrus.* et *congrus.* Atqui praeter *Plautum*, *Ov.* quoque *Halieut.* 115. et *Plin.* 9, 16, 24. et *ib.* 20, 36. et *ib.* 62, 88. in recto *conger* usurparunt. Habeat ergo sibi *Charis.* placitum suum. At in *Not. Tir.* p. 182. legitur *congrus.*

CONGĔRĬA, ae, f. idem quod congeries. Usurpatur a *Frontin. de Colon.* p. 11, 119. et 125. *Goesii*, et ab *Innocent. de casis litt. ib.* p. 224., sed iis etiam relinquenda.

CONGĔRĬES, ei, f. συμφόρημα, συναθροισμός, res multae in unum congestae. [*De discrimine inter *congeries* et *acervus* cf. *Doederl.* 2, 116.] *Ov. Met.* 9, 235. Congeries silvae. *Val. Fl.* 6, 511. cadaverum. *Plin.* 16, 11, 22. struis, *h. e.* lignorum. *Id.* 18, 31, 74. Construere congeriem lapidum. Et 8, 36, 54. ramorum et fruticum. *Id.* 13, 15, 30. Densa grani congeries. [*Tac. A.* 2, 22. Caesar congeriem armorum struxit, superbo cum titulo.] *Lucan.* 8, 868. pulveris. *Gell.* 2, 6. *extr.* Alta congeries sordium squalor appellatur. ℙ Absolute de cumulo lignorum. *Quint.* 5, 13. Flamma, quae magna congerie convaluerat. ℙ Dicitur eleganter de massa confusa rerum omnium durante Chao. *Ov. Met.* 1, 32. et *Claud.* 2. *in I. Cons. Stilich.* 10. ℙ Translate. *Lucan.* 5, 177. venit aetas omnis in unam Congeriem. ℙ Est etiam schema oratorium, quod fit, cum multae sententiae, aut rationes in unum congeruntur: et pertinet ad amplificationem. *Quint.* 8, 4. *ad f.*, ubi docet συναθροισμὸν vocari. Hujus exemplum esto illud *Ter. Heaut.* 2, 1, 15. Mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis. [*Cf. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 83. sq.]

CONGERMĀNESCO, is, n. 3. coalesco, conjungor, consocior, germanorum fratrum more. *Claud. Quadrig.* ap. *Non.* 2, 167. Ut vos cum illis congermanescere sciatis. *Alii leg.* congerminascere. *Appul. Met.* 2. Jamque aemula libidine in amoris parilitatem congermanescenti mecum, Pereo, inquam.

CONGERMĀNĬTUS, a, um, adj. coalitus, consociatus. *Varr.* ap. *Non.* 2, 167. Postea cum his una rempublicam conjuncti, et congermaniti tenuere. Alii leg. *congerminati*, alii *congermani.*

CONGERMĬNĀLIS, e, adj. ejusdem germinis. *August. C. D.* 5, 7. Spicas ceteris coaevas, atque ut ita dixerim, congerminales.

CONGERMĬNO, as, n. 1. διαβλαστάνω, idem quod germino, vel simul germino. *Gell.* 20, 8. Caepe revirescit, et congerminat decedente luna.

CONGĔRO, is, essi, estum, a. 3. *συναθροίζω, συμφορέω*, comporto, coacervo, accumulo, congrego: a *con*, et *gero*. *Nep. Themist.* 6. Undique quod idoneum ad muniendum putarent, congererent. *Lucr.* 3, 1023. Congere laticem in vas pertusum. *Pl. Ps.* 3, 2, 34. cibos in alvum. [*Ov. Met.* 5, 651. Inque suam sua viscera congerit alvum.] *Caes. B. C.* 2, 15. aggerem ex materia. *Cic. Div.* 1, 36. Midae dormienti formicae in os tritici grana congesserunt. *Id. Planc.* 10. *ad f.* Congerere viaticum. *Ter. Eun.* 2, 3, 18. ad aliquem penum in cellulam. *Plin.* 33, 1, 6. Tres anulos uni minimo digito congerere. *Id. ib.* 10, 47. Congerere opes. [*Tibull.* 1, 1, 1. Divitias alius fulvo sibi congerat auro.] *Vall. Fl.* 4, 307. ictus alicui. *Phaedr.* 4, 1. plagas mortuo. [*Liv.* 1, 11. Eo scuta illi (i. e. in illam) pro aureis donis congesta.] *Plin.* 9, 6, 5. Congerere lanceas, *h. e.* simul jacere. Sic *Senec. Oedip.* 871. Congerere saxa in caput alicujus. *Virg. A.* 6, 177. aramque sepulcri Congerere arboribus, coeloque educere certant, *h. e.* pyram construere. ℙ Absolute. *Mart.* 8, 44. Rape, congere, aufer, posside: relinquendum est, *h. e.* opes accumula. *Virg. Ecl.* 3, 69. notavi Ipse locum, aeriae quo congessere palumbes, *h. e.* nidificavere. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 97. Ut te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem, turba patronorum. *Id. Tusc.* 5, 40. Congerantur in unum omnia, ut idem oculis et auribus captus sit. *Id. Mil.* 24. Congerere crimina in aliquem. *Id. Phil.* 3, 6. maledicta. *Id. Dejot.* 12. Pompejus, in quem cum Dii, atque homines omnia ornamenta congessissent etc. *Suet. Aug.* 98. Puteolanum sinum praetervehenti vectores fausta omina et eximias laudes congesserant. [**Suet. Caes.* 15. Antoniae, quidquid unquam *Liv. Aug.* honorum cepisset, uno SCto congessit. *Id. Tit.* 11, Mortuo gratias egit laudesque congessit.] *Senec. Clem.* 1, 14. Ambitiosae majestati, quidquid potuimus titulorum, congessimus. *Liv.* 3, 38. Congerere in aliquem causas vastati agri, et periculorum imminentium, *h. e.* conferre. *Ov. Her.* 18, 113. Congerere oscula. [**Id. Met.* 8, 113. Nec quod spes omnis in unum Te mea congesta est. V. *Gier.* ad h. l. *Liv.* 42, 11. Beneficiis etiam suis, ingentia quae in eum congesta erant etc.] *Mart.* 10, 68. *ζωὴ, καὶ ψυχὴ* congerere, *h. e.* iterare, repetere, saepe dicere. *Senec. Consol. ad Helv.* 10. Apicius sestertium millies in culinam congessit, *h. e.* impendit, absumpsit. ℙ [Part. *Congerens* ap. *Plin.* 9, 6, 5. Lanceas congerens miles. *Congesturus* ap. *Liv.* 3, 38. Periculorum causas in se congesturi. *F.*]

CONGĔRO, onis, m. qui congerit. *Pl. Truc.* 1, 2, 6. Ut simitu adveniunt ad scorta congerones etc., *h. e.* fures, nempe qui ad se congregant, et asportant, ut *Fulgent. Planc. de prisco serm. n.* 51. interpretatur. Simili ratione *foras-gerones* dixit *Id. Pl. ib.* 2, 7, 1. ℙ Sunt qui legunt *congerrones*. V.

CONGERRO, onis, et Congerra, ae, m. ineptus, levis: a *γέρρα*, quod significat cratem, seu scutum vimineum. *Varr. L. L.* 6, 3. *a med.* Congerro a gerra, et Graecum est: et in Latina cratis. V. CERRONES. Sunt itaque *congerrones* sodales familiariter conviventes, et nugis ineptiisque tempus simul terentes, collusores. *Pl. Pers.* 1, 3, 9. Jam pol ille hic aderit, credo, congerro meus. *Id. Most.* 3, 3, 27. Nunc ego me illa per posticum ad congerrones conferam. *Lucil.* ap. *Fest.* in *Tapullam.* Tapullam rident legem congerrae opimi. Al. leg. *congerae* ex consuetudine veterum non geminandi consonantes: alii *concerrae*, vel *concerae:* alii *concoenae*, *συνδειπνοι*. Ceterum etiam in *Sodalis* idem *Fest.* hac positione *congerra* agnoscit.

CONGESTĒ et Congestim, adv. coacervatim, per congeriem, *h. e.* multis rebus in unum congestis, *σωρηδόν*. *Appul. Apol.* Pleraque in litoribus omnibus congestim et acervatim jacent. ℙ Translate. *Capitol. M. Aur. Anton.* 19. *extr.* Et quidem haec breviter et congeste.

CONGESTĪCIUS et Congestitius, a, um, adj. congerendo acervatus, *συμφορητός*. *Colum.* 2, 10. et *Pallad.* 10, 7. et 11, 11. Sesama pinguibus arenis, vel congesticia humo proveniunt, *h. e.* comportata et soluta, non pressa et solida. *Vitr.* 3, 3. Si solidum non invenietur, sed locus erit congesticius, aut paluster etc.

CONGESTĬO, onis, f. actus congerendi, comportatio, *συμφόρησις*. *Vitr.* 6, 11. Infinita vitia solet facere terrae congestio. *Pallad.* 4, 1. *ad f.* Infra terram effossae viti surculos inserunt, et beneficio congestionis accumulant. Et 1, 33. Stercorum congestio. ℙ Item ipsae res, quae congeruntur, congeries. *Jabolen. Dig.* 19, 2, 57. Non ipsa congestio, sed humor ex ea congestione postea damno fuit. ℙ Translate. *Macr. Sat.* 5, 15. *ad f.* Illam vero enumerationis congestionem apud Homerum Maro admiratus ita expressit etc. *Mamert. Grat. act. ad Julian.* 22. Honorum congestio.

CONGESTUS, a, um, part. a *congero*, *συναθροιζόμενος*, comportatus, coacervatus. *Cic. Div.* 2, 31. Tritici grana in os pueri Midae congesta. *Virg. A.* 6, 224. congesta cremantur Turea dona, dapes, fuso crateres olivo. *Id. G.* 2, 156. Congesta oppida, *h. e.* aedificata, constructa. *Serv. Id. G.* 4, 243. lucifugis congesta cubilia blattis, *h. e.* plena. *Hor. Sat.* 1, 1, 70. congestis undique saccis Indormis inhians. *Plin.* 11, 10, 10. Excrementa congesta in unum locum. *Id.* 2, 85, 87. Echinates insulae ab Acheloo amne congestae, majorque pars Aegyptia Nilo. *Suet. Ner.* 19. Rastello humum effodit, et corbulae congestam humeris extulit. [*V. *Brem.* ad h. l.] ℙ Translate. *Quint.* 12, 6. *sub f.* Laboratam congestamque dierum ac noctium studio actionem aqua deficit, *h. e.* orationem ex variis rebus, argumentis sententiisque confectam, et quasi exaggeratam. *Claud. Rapt. Pros.* 1. Inferni raptoris equos etc., audaci prodere cantu Mens congesta jubet, *h. e.* in se collecta, et in hoc argumentum intenta tantummodo, omni alia cogitatione deposita: vel plena, conserta et quasi gravida rebus ad hoc argumentum pertinentibus. ℙ Comp. *Congestior* ap. *Auson. Mosell.* 132. Gobio non major geminis sine pollice palmis, Praepinguis, teres, ovipara congestior alvo, *h. e.* crassior, plenior.

CONGESTUS, us, m. idem quod congestio, comportatio. *Cic. Div.* 2, 32. Herbam autem asperam exstitisse credo, avium congestu, non humano satu. *Tac. H.* 2, 87. Nec coloniae modo congestu copiarum, sed ipsi cultores arvaque vastantur. ℙ Item cumulus, congeries rerum acervatarum, *συμφόρημα*. *Lucr.* 6, 724. Uti possit magnus congestus arenae Fluctibus adversis oppilare ostia contra. *Tac. H.* 1, 84. Congestu lapidum non stat urbs. *Colum.* 9, 14. *post med.* Congestu culmorum et frondium vasa supertegere. ℙ Translate. *Quint.* 6. *praef.* Sic in dicendo quamlibet abundans rerum copia cumulum tantum habeat atque congestum, nisi etc. *Senec. Cons. ad Polyb.* 26. Tantus rerum ex orbe toto coeuntium congestus.

CONGIĀLIS, e, adj. qui congium capit. *Pl. Aul.* 4, 2, 15. Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam. *Vitr.* 10, 9. Situli aerei congiales.

CONGIĀRĬUM, ii, n. vas, quod congium capit. Unde *Paulus JCtus* in cauponariae tabernae instrumento *congiaria* enumerat, *Dig.* 33, 7, 13. ℙ Est etiam liberalitatis nomen, ut *Quint.* 6, 3. docet. Quare *congiarii* nomine dictum est quod antiquitus in Romana republica distribuebatur in populum, v. g. tot congii vini, aut olei etc. *δόσις*. *Liv.* 25, 2. Ludi Romani magnifice facti, et congii olei in vicos singulos dati. *Plin.* 14, 14, 17. Lucullus millia cadum in congiarium divisit amplius centum. *Id.* 31, 7, 41. Ancus Marcius rex salis modios sex mille in congiario dedit populo. ℙ Deinde translatum est etiam ad distributiones pecuniae populo factas. *Suet. Aug.* 41. Congiaria populo frequenter dedit, sed diversae fere summae, modo quadringenos, modo tricenos, nonnunquam ducenos quinquagenosque nummos. *Id. Tib.* 20. Populo congiarium trecenos nummos viritim dedit. Populo Fere dicitur de donis populi, cum *donativum* ad milites pertineat. *Suet. Ner.* 7. Populo congiarium, militi donativum proposuit. *Plin. Pan.* 25. Datum congiarium populo, et datum totum, cum donativi partem milites accepissent. [*Cf. *Schwarz.* ad h. l.] Adde *ib.* 41. et *Tac. A.* 12, 41. et *ib.* 14, 11. ℙ Nihilominus hoc discrimen non est perpetuum. *Cic. Att.* 16, 8. Legiones Macedonicae congiarium ab Antonio accipere noluerunt. *Curt.* 6, 2. Duodecim millia talentum in congiarium absumpta sunt. ℙ Multa habuisse congiaria, apud *Liv.* 37, 57. *a med.* dicitur is, qui multoties congiarium populo dedit. ℙ Dicitur etiam *congiarium*, quod privatim amicis datur a principe. *Quint. l. sup. c.* Fab. Maximus incusans Augusti congiariorum, quae amicis dabantur, exiguitatem, heminaria esse, dixit. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. *extr.* Plancus magno congiario donatus a Caesare. *Senec. Brevit. vitae* 8. Annua congiaria homines clarissimi accipiunt. *Id. Ben.* 2, 16. *de Alexandro M.* Et te in tantum fortuna sustulerit, ut congiaria tua urbes sint. *Suet. Vesp.* 18. Colossi refectorem insigni congiario, magnaque mercede donavit. [*Adde *Suet. Caes.* 27.] ℙ Translate. *Senec. Cons. ad Marc.* 22. Sejanus patrem tuum clienti suo Satrio Secundo congiarium dedit, *h. e.* vitam, et res patris tui condonavit, quasi congiarii loco.

CONGIĀRĬUS, a, um, adj. ad congium pertinens. *Congiarius cadus*, congium capiens, *χοαῖος*. *Plin.* 14, 14, 17. Millia cadorum congiariorum divisit amplius centum. Al. leg. *cadum in congiarium. Cato* ap. *Front.* 1. *ad Antonin. Imp. ep.* 2. (ed. iterum Romae *A. Maio*). Numquam ego argentum pro vino congiario inter apparitores atque amicos meos disdidi, neque eos malo publico divites feci.

CONGĬLIS. V. GONGYLIS.

CONGĬUS, ii, m. *χοεύς, έως, χοῦς, οὸς*, mensura liquidorum continens sextarios sex, uti *Rhemn. Fann. de ponderib. et mens.* 70. docet: heminas autem duodecim, ut ex *Cat. R. R.* 57. colligi videtur. Erat autem pars octava amphorae: et vino, aut aqua plenus pendebat libras decem, ut ex *Festo* in *Publica pondera* colligitur. Ejus figuram habes apud *Fabrett. Inscr.* p. 526. *Liv.* 25, 2. Congii olei in vicos singulos dati. *Plin.* 14, 9, 11. Quinque congiis austeri musti, congio mellis et salis cyatho suffervefactis. *Id.* 17, 28, 47. Amursalis cyatho suffervefactis. *Id.* 17, 28, 47. Amurcae congios duos decoquere. *Id.* 16, 11, 22. Resinae albae congius. *Id.* 14, 22, 28. Novellius Torquatus pervenit ad proconsulatum, tribus congiis epotis uno impetu, spectante miraculi gratia Tiberio. ℙ Tum in *Gloss. vet.*, tum ap. *Isid. Orig.* 16, 26. legitur *congium* neutro genere, sed *Arevalus* in sua editione *congius* reposuit.

CONGLĀCIĀTUS, a, um, part. a *conglacio*, *ἐκπηχθείς*, glacie concretus. *Plin.* 2, 60, 61. Grandinem conglaciato imbre gigni.

CONGLĀCIO, as, avi, atum, n. 1. *ἐκπήγνυμαι*, glacie adstringor. *Cic. N. D.* 2, 10. Aqua neque conglaciaret frigoribus, neque nive, pruinave concresceret. ℙ Translate. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. Curioni nostro tribunatus conglaciat, *h. e.* iners, otiosus est. *Cellar.* ℙ Passive. *Albinov.* 2, 101. Conglaciantur aquae; scopulis se condit hirundo.

CONGLISCO, is, n. 3. idem quod glisco, cresco. *Pl. Trin.* 3, 2, 52. Genus qui congliscat tuum.

CONGLOBĀTIM, adv. per globos. Adstruunt Lexicographi plerique ex *Liv.* 25., sed ibi certe non habetur.

CONGLOBĀTĬO, onis, f. *σύστημα*, adunatio in modum globi, vel plurium globorum conjunctio. *Senec. Q. N.* 1, 15. Multa conglobatione ignium se conjungens illorum orbis, aliquanto matutini amplitudinem solis exsuperat. *Tac. G.* 7. Non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates.

CONGLOBĀTUS, a, um, part. a *conglobo*, *συγκεκαμμένος*, in modum globi convolutus. *Cic. N. D.* 2, 39. Terra solida, et globosa, et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata. *Id. Acad.* 4, 37. Conglobata figura. *Plin.* 23, 2, 28. Conglobatus sanguis. *Id.* 10, 64, 84. Homo in semet conglobatus. *Varr. R. R.* 3, 16. *de apib.* Multae ante foramen, ut uvae, aliae ex aliis pendent conglobatae. ℙ Divisum per tmesim *Lucr.* 2, 153. Sed complexa meant inter se, conque globata. ℙ Translate. *Liv.* 25, 15. Ibi proditores conglobati, ubi Romanos fusos viderunt, conclamant, instare Poenum, *h. e.* catervatim conjuncti. [*Id. 29, 33. Circa se conglobatos erumpere jubet. *Id.* 44, 31. Pulsi et fuga conglobati.] *Tac. A.* 13, 39. Milites in testudinem conglobati. *Sall. or.* 1. *ad Caes. de rep. ordin. post med.* Neque cunctae gentes conglobatae movere, aut contundere queunt hoc imperium. *Cic. Partit.* 16. Maximeque definitiones valent conglobatae, *h. e.* coacervatae.

CONGLŌBO, as, a. 1. *συγκάμπτω, συναθροίζω*, in modum globi conjungo, conglomero, colligo. *Cic. N. D.* 2, 45. Mare, cum supra terram sit, conglobatur undique aequabiliter, neque redundat unquam, neque effunditur. *Plin.* 2, 49, 50. Prester late funditur flatu, fulmen conglobatur impetu. *Appul. de Mundo.* Venti in crassam nubium speciem conglobantur. ℙ Translate. *Liv.* 8, 11. Milites multis itineribus dissipati, cum se in unum conglobassent etc. [*Liv.* 10, 5. In ultimam castrorum partem conglobantur. *Id.* 26, 40. Eos ex variis causis fortuna similis conglobaverat Agathyrnam.] *Sall. Jug.* 102. Catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in nostros incurrunt. *Tac. A.* 11, 32. Miles se in templo conglobaverat.

CONGLOMĔRĀTĬO, onis, f. actus conglomerandi, globus, caterva, turba. *Justin. Cod.* 12, 19, 13. Donec exeuntibus singulis ac recedentibus, recedere possit vetita conglomeratio.

CONGLOMĔRĀTUS, a, um, part. a *conglomero*, conglobatus. *Cels.* 7, 18. *ad f.* Venae intortae et conglomeratae.

CONGLOMĔRO, as, avi, atum, a. 1. in modum glomeris involvo, *συσπειράω, τολυπεύω*. *Lucr.* 3, 210. Quam tenui constet textura, quamque loco se Contineat parvo, si posset conglomerari. ℙ Translate est cumulare, superaddere. *Enn.* apud *Non.* 2, 166. Heu mea fortuna, ut omnia in me conglomeras mala!

CONGLORĬFĬCO, as, a. 1. gloriosum reddo. *Tertull. Resurr. carn.* ex *epist. ad Rom.* 8. Compatimur, uti et conglorificemur. *Imp. Justin. Cod.* 1, 1, 4. Christus coadorandus et conglorificandus.

CONGLŪTĪNĀTĬO, onis, f. *συγκόλλησις*, actus conglutinandi, glutinatio. *Cic. Senect.* 20. Omnis conglutinatio recens, aegre; inveterata facile divellitur. ℙ Translate. *Id. Or.* 23. Circuitus conglutinatioque verborum.

CONGLŪTĪNĀTUS, a, um, part. a *conglutino*, *συγκολληθείς, κολλήεις*, glutine compactus. *Ulp. Dig.* 32, 50. *a med.* Perscripti libri nondum malleati, vel ornati continebuntur; proinde et nondum conglutinati. ℙ Translate conjunctus, copulatus. *Cic. Att.* 1, 17. *ad f.* Concordia conglutinata. *Id. Phil.* 3, 11. Quid est in Antonio praeter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? Ex

his totus conglutinatus est. *Appul. Met.* 9. Servus affixus atque conglutinatus dominae.

CONGLŪTĪNO, as, avi, atum, a. 1. *συγκολλάω*, glutine conjungo. *Vitr.* 7, 4. *circa med.* Calx utrasque res inter se conglutinat. *Varr. R. R.* 3, 16. Erithacen vocant, quae favos extremos inter se apes conglutinant. ℙ Dicitur et de contrahendis, inducendisque cicatricibus. *Plin.* 27, 6, 24. Vulneribus sanandis tanta praestantia est, ut carnes quoque, dum coquuntur, conglutinet. *Id.* 30, 13, 39. Vermes terreni vulnera recentia conglutinant. ℙ Conglutinare libros, V. in v. praec. ℙ Translate. *Cic. Senect.* 20. Hominem eadem optime, quae conglutinavit, natura dissolvit. *Id. Fam.* 11, 27. Vitae dissimilitudo non est passa, voluntates nostras consuetudine conglutinari. *Id. Att.* 7, 8. et *Amic.* 9. Conglutinare amicitias. [**Id. Or.* 1, 42. Dissoluta et divulsa conglutinare. De eo, qui aliquid in artis formam redigit. Ita *Ernest.* in *cl. Cic.*] *Ter. Andr.* 5, 4, 10. Meretricios amores nuptiis conglutinare. *Pl. Bacch.* 4, 4, 42. Compara, fabricare, finge quod lubet, conglutina, Ut senem hodie doctum docte fallas, *h. e.* compone, confinge.

CONGLŪTĪNOSUS, a, um, adj. *κολλώδης*, glutinis instar viscosus ac tenax. *Veg. Veter.* 1, 40. Pars humoris fit conglutinosa in praecordiis.

CONGRĂDUS, a, um, adj. qui in eodem est gradu, vel qui pari passu procedit. *Avien. Arat.* 1239. Sidera labenti congrada soli.

CONGRAECO, as, n. 1. *κωμάζω*, idem quod graecor, aris, luxui me dedo Graecorum more. *Pl. Bacch.* 4, 4, 91. Pollicetur se daturum aurum mihi, quod dem scortis, quodque in lustris comedim, et congraecem, pater.

CONGRĂTŪLĂTĬO, onis, f. idem ac gratulatio. *Cic. ad Brut.* 1, 3. Sed tamen omnium ordĭnum consensus, gratiarum actio, congratulatioque me commovit. Al. leg. *gratulatio. Val. Max.* 9, 3. *n.* 5. Congratulationem ejus in Torquato spernendam credidit.

CONGRĂTŪLOR, aris, atus sum, dep. 1. idem quod gratulor: sed rarioris usus. *Cic. Marcell.* 6. Plerumque felicitati tuae congratulabere. Al. leg. *gratulabere. Id. Sext.* 8. *extr.* Mihi homines praecipue congratulabantur. Al. leg. *gratulabantur. Id. Planc.* 27. Si mihi tum essent omnes congratulati. *Pl. Men.* 1, 2, 20. Congratulantes, quia pugnavi fortiter. *Gell.* 12, 1. Complexus hominem, congratulatusque assedit. [**Liv.* 3, 54. Congratulantur libertatem concordiamque civitati restitutam.]

CONGRĔDĬO, is, n. 3. pro congredior. *Pl. Ep.* 4, 1, 16. Quid si adeam? *Pe.* haud scio an congredias, si haec ea est. Ita *Nonius* legit 7, 42., sed libri habent *congrediar.*

CONGRĔDĬOR, eris, essus sum, dep. 3. *συμβάλλω*, *συνέρχομαι*, una gradior, simul incedo. *Cic. N. D.* 2, 40. Luna tum congrediens cum sole, tum digrediens. ℙ Item convenio, contra aggredior, accedo ad aliquem visendi, aut colloquendi causa. *Cic. Pis.* 25. Si ipse coram congredi poteris, meditare etc. *Id. Att.* 15, 27. Te consolata est spes, brevi tempore congrediendi. *Pl. Most.* 3, 2, 96. Nunc haud scio an colloquar: congrediar. Heus Theuropides. *Cic. Att.* 8, 15. Nec illos congressuros, nec, si congressi essent, Pompejum ad ullam conditionem accessurum putabam. [**Nep. Datam.* 11. Ipso autem colloquendi die, utrique locum qui explorarent, atque ipsos scrutarentur, mittunt. Deinde ipsi sunt congressi.] *Brut. ad Cic. inter ep. ad Brut.* 1, 6. Filius tuus a me abest: in Macedonia congrediemur. *Pl. Ep.* 4, 1, 19. Sin ea est, quam incerto autumo, hanc congrediar astu. *Cic. Att.* 2, 25. Insinuatus in familiaritem adolescentis, et cum eo saepe congressus. *Pl. Pers.* 1, 1, 15. *Tox.* Congrediar. *Sag.* Contra aggrediar. ℙ Saepe significat accedere ad aliquem pugnandi causa. *Nep. Annib.* 1. Quotiescumque cum eo congressus, semper discessit superior. *Caes. B. G.* 7, 65. Congredi proelio cum finitimis. *Cic. Ligar.* 3. *sub f.* Contra ipsum Caesarem est congressus armatus. *Virg. A.* 12, 465. Nec pede congressos aequo, nec tela ferentes Insequitur. *Aurel. Vict. Epit.* 40. Maxentius adversus Constantinum congreditur. *Id. Caes.* 42. Ipsi inter se acrioribus proeliis per triennium congressi. *Curt.* 6, 1. Congredi totis viribus. [**Id.* 9, 5, 19. Indosque plures fugientes, quam congredi ausos, ceciderunt. *Tac. A.* 14, 34. Congredi acie parat.] ℙ Cum dativo antiquorum more, ut ait *Servius* ad illud *A.* 1, 475. Infelix puer, atque impar congressus Achilli. *Ov. Met.* 12, 75. perque acies aut Cygnum, aut Hectora quaerens, Congreditur Cygno. *Aurel. Vict. Caesar.* 39. *ante med.* Margum juxta Carinus Diocletiano congreditur. *Senec. Agamemn.* 748. Te sequor nimium cito Congresso Achilli, Troade. [**Curt.* 9, 7, 21. Quippe armato congredi nudum dementia, non temeritas videbatur.] ℙ Translate. *Cic. Top.* 29. Appelletur status, in quo primum insistit, quasi ad repugnandum congressa defensio. *Id. Mur.* 32. Remove, ac praetermitte auctoritatem: congredere mecum criminibus ipsis. ℙ Habet etiam locum in re forensi. *Ulp. Dig.* 38, 9, 1. Creditores scire, utrum habeant, cum quo congrediantur. ℙ Part. *Congrediendus* ap. *Gell.* 1, 11. In congrediendis hostibus. atque in principiis proeliorum.

CONGRĔGĂBĬLIS, e, adj. *συναγελαστικὸς*, qui facile congregari potest, sociabilis. *Cic. Off.* 1, 44. Apum examina, cum congregabilia natura sint, fingunt favos.

[CONGRĔGĂLIS, e, adj. idem ac congregabilis. *Terent.* 2411. *de syllaba.* Vinculum nam signat ista congregale dictio. *Luzacius* conjicit legendum *conjugale*, nulla tamen fretus auctoritate. Hinc apud *Diom.* 2, 422. Syllaba est proprie congregatio litterarum. *E.*]

CONGRĔGĂTIM, adv. idem quod gregatim, conjunctim, simul. *Prud. Cathem.* 7, 143. Cursant per ampla congregatim moenia.

CONGRĔGĂTIO, onis, f. *συναγελασμὸς*, adunatio, conjunctio. *Cic. Fin.* 3, 20. Nos ad conjunctionem congregationemque hominum, et ad naturalem communitatem esse natos. ℙ Translate. *Quint.* 7, 1. Congregatio criminum accusantem adjuvat, separatio defendentem. *Id.* 6, 1. Peroratio est rerum repetitio et congregatio. Adde 5, 7.

CONGRĔGĂTĪVUS, a, um, adj. congregandi vim habens. *Prisc.* 15, 1021. Congregativa adverbia, ut simul, una, pariter.

CONGRĔGĀTOR, oris, m. qui congregat, *συναγωγεύς*. *Arnob.* 6. p. 199. Cum sciret se horum omnium congregatorem atque vinctorem.

CONGRĔGĀTUS, a, um, part. a *congrego*, *συναθροισθείς*, adunatus, collectus. *Cic. Dom.* 33. Multitudo hominum ex servis conductis, ex facinorosis, ex egentibus congregata. Et *ib.* 25. *extr.* Judicare potestis quanta vis illa fuerit oriens et congregata, cum haec Pompejum terruerit jam distracta, et exstincta. *Id. Parad.* 4. Fugitivorum ac latronum congregata unum in locum multitudo. [**Tac. A.* 1, 29. Signa unum in locum principio seditionis congregata, suas in sedes referunt.]

*CONGREGATUS, us, m. idem ac congregatio. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A Maio*) 2, 37. Hominum congregatu. *B. A.*

CONGRĔGO, as, avi, atum, a. 1. *συναγελάζω*, *συναθροίζω* proprie significat in gregem cogere. *Plin.* 7. *prooem.* Cetera animantia congregari videmus, et stare contra dissimilia. *Id.* 8, 47, 72. Congregare oves, ut coetu juventur. *Id.* 10, 23, 31. Ciconiae abiturae congregantur in loco certo. *Id.* 8, 22, 34. Lupum congregari cum ceteris. ℙ Universim pro colligere, cogere, conjungere. *Cic. Or.* 1, 33. Dispersos homines unum in locum congregare. *Id. Phil.* 14, 6. Cives unum se in locum ad curiam congregabant. *Id. Fin.* 5, 15. Homines libenter se cum aequalibus congregant. *Id. Vatin.* 10. *extr.* Hominem ad conservandam rempubl. natum, in idem Verrii indicium, atque in eundem hunc numerum congregasti. *Senec. ep.* 62. Nec cum illis moror, quibus me tempus aliquod congregavit. *Plin.* 5, 8, 8. Gamphasantes nudi, proeliorumque expertes, nulli externo congregantur. *Id.* 6, 26, 30. Mesopotamiam vicatim dispersam Macedones in urbes congregavere. [**Tac. A.* 1, 16. Deterrimum quemque congregare. *Id. ib.* 1, 30. Congregari inter se.] ℙ Translate. *Quint.* 10, 1. Congregare turbam vocabulorum. *Id.* 5, 12. Firmissimis argumentis singulis instandum, infirmiora congreganda sunt, *h. e.* simul congerenda, et coacervanda. ℙ Tmesi divisit *Lucr.* 6, 455. Inde ea comprendunt inter se, conque gregantur. ℙ [Part. *Congregans* ap. *Plin.* 8, 16, 17. Ad amnes congregantibus se feris. *F.*]

CONGRESSĬO, onis, f. *σύνοδος*, *πρόσοδος*, actus congrediendi, congressus. *Cic. Q. Fr.* 1, 3. Hoc malum minus acerbum fuit, quam fuisset cum congressio, tum vero digressio nostra. *Id. Cluent.* 14. Nemo illum aditu, nemo congressione, nemo sermone, nemo convivio dignum judicabat. *Id. Phil.* 2, 18. *extr.* Prohibere aliquem non modo familiaritate, sed etiam congressione. *Id. Top.* 15. Amori congressio causam attulit; amor flagitio. *Id. Off.* 1, 37. Sermo versetur in congressionibus familiarium. ℙ Item collocutio. *Id. Fam.* 7, 10. *sub f.* Una mehercule nostra vel severa, vel jocosa congressio pluris erit, quam etc. *Id. ib.* 11. Una mehercule collocutio nostra pluris erit, quam etc. ℙ Item actus congrediendi pugnae causa, conflictus. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 9, 13. Ea congressio in ipso ponte, utroque exercitu spectante, facta est. *Justin.* 31, 6. Prima belli congressione, cum cedentes suos rex cerneret etc. *Id.* 22, 3. Prima illi cum Amilcare proelii congressio fuit. *Id.* 4, 5. Prima congressione navalis certaminis Athenienses vincuntur. ℙ Item coitus, *συνουσία*. *Lact.* 6, 20. *a med.* Satius est, ut se ab uxoris congressione contineat.

*CONGRESSOR, oris, m. qui congreditur. *Ambros. ep.* ad *Iren.* s. f. Bonus congressor non aemulatur. *B. A.*

CONGRESSUS, a, um, part. a *congredior. Lucr.* 1, 760. *de rerum elementis.* quare aut congressa peribunt, Aut ita diffugient etc., *h. e.* accumulata, connexa. Adde 2, 549. etc. [**Tac. H.* 2, 54. Nec ultra in commune congressi, sibi quisque consuluere. *Id. A.* 11, 9. et 13, 25.] ℙ Cum de pugna sermo est, *congressus* dicitur, qui cominus rem gerit. *Virg. A.* 12, 341. Jamque neci Sthenelumque dedit, Thamyrimque, Pholumque: Hunc congressus, et hunc, illum eminus. *Tac. A.* 2, 11. Pars congressi, quidam eminus proturbant.

CONGRESSUS, us, m. idem quod congressio, conventus. *Cic. Sext.* 52. Omnes aditum, sermonem, congressum tuum fugiunt. *Id. Phil.* 12, 11. Venire in congressum colloquiumque alicujus. *Id. Or.* 10. Congressus nostros, consuetudinem victus, doctissimos sermones requirens tuos. *Id. Att.* 1, 17. Sperabam fore, ut omnia placarentur inter vos, non modo sermone ac disputatione, sed conspectu ipso congressuque vestro. *Id. ib.* 11, 12. Si quis congressus fuerit mihi cum Caesare. *Liv.* 7, 4. Urbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu aequalium prohibitus. *Virg. A.* 5, 733. Petere congressus alicujus. [**Tac. A.* 2, 18. Caesar indicium haud aspernatus, congressus abnuit: posse enim, eodem Flacco internuntio, sermones commeare. *Id. ib.* 4, 69. Congressus, colloquia, notae ignotaeque aures vitari. *Id. ib.* 11, 4. Quod domum suam Valerii et Poppaeae congressibus praebuisset. *Id. ib.* 13, 46. Dejicitur familiaritate sueta, post congressu et comitatu, Otho. *Id. ib.* 14, 3. Vitare secretos ejus congressus. *Id. ib.* 15, 60. Si amicitiam familiari congressu exercuissent. *Liv.* 7, 40. Jam duces, jam milites utrimque congressus quaerere ad colloquia. Cf. 1, 19.] ℙ De bestiis. *Cic. N. D.* 2, 48. In quo admirandum est, congressu ne aliquo inter se, an jam inde ab ortu naturae ipsae congregatae sint. Adde *Quint.* 1, 2. ℙ Pro conflictu, proelio. *Cic. Or.* 2, 78. In gladiatorio certamine ante congressum multa fiunt, quae, etc. *Caes. B. C.* 1, 46. Nostri in primo congressu circiter septuaginta ceciderunt. [**Tac. A.* 2, 3. *Id. ib.* 4, 74. Anxii erga Seianum, cujus durior congressus. *Id. ib.* 13, 38. Ita sine congressu, dux Romanus abscedere militem — jubet.] *Virg. A.* 12, 513. Tres uno congressu *mittere neci. Val. Flacc.* 6, 322. Congressu iniquo subire. ℙ Translate. *Lucr.* 1, 1063. Esse alios alibi congressus materiai, *h. e.* conjunctiones, coagmentationes. Adde 5, 68. ℙ Congressus feminarum, *συνουσία*. *Plin.* 12, 14, 30. V. CONGRESSIO.

CONGREX, ĕgis, adj. qui est ejusdem gregis. *Appul. Met.* 7. Equinis armentis me congregem pastor aliquando permisit. *Solin.* 2. Diomedae aves congreges volitant. [*Al. leg. *congregatae. B. A.*] ℙ Translate *Gloss. Phil.* Ὁμόφυλος, tribulis, congrex, gentilis. *Auctor. Pervig. Ven.* 43. Congreges inter catervas ire per saltus tuos. *Auson. ep.* 10, 20. cernimus Augustas fervere vias et congrege vulgo Nomen plateas perdere, *h. e.* multitudine congregata. *Prud. contr. Symmach.* 2, 634. quem congrege nexu Pax et Roma tenent, *h. e.* juncto, concordi. *Tertull. Poen.* 11. Nullis comissationibus congreges, *h. e.* qui non intersunt, seu qui non congregantur comissandi causa.

CONGRIO, onis, m. ap. *Pl. Aul.* 2, 5, 2. et 9, 5. est nomen coqui a *congris* deductum.

CONGRŪĒ, adv. congruenter. *Capell. ubi de posit. terrae* 6. p. 195. Quod utique, si congrue videtur assertum, etc. *Paul. Sent.* 2, 3. Stipulatio est verborum conceptio, ad quam quis congrue interrogatus respondit.

CONGRŪENS, entis, part. a *congruo*, *εὐαρμόζων*, qui congruit, conveniens, consentiens. *Cic. Or.* 3, 59. Actio menti congruens esse debet. *Id. Part.* 15. Actio congruens et apta ad animos permovendos. *Id. Brut.* 31. Tubero vita severus, et congruens cum ea disciplina, quam colebat. *Id. Fam.* 9, 24. Quibus litteris congruentes fuerunt aliae postea multorum. *Id. Leg.* 1, 13. Re congruentes, genere docendi differentes. Et *ib.* 10. *extr.* Oratio verbis discrepans, sententiis congruens. [**Liv.* 7, 2. Motus congruens. *Id.* 8, 6. Latinos — lingua, moribus, armorum genere, institutis ante omnia militaribus congruentes. *Suet. Oth.* 12. Mors minime congruens vitae. *Id. Tib.* 68. Ceteris membris aequalis et congruens.] *Sall. or. ad Caes. de republ. ordin.* 2. Multitudo nullo modo inter se congruens. *Tac. H.* 2, 4. Laeta et congruentia exta. *Lact.* 4, 26. Mortuorum corpora a morte revocavit. Quid congruentius Deo? *Plin.* 2, 79 81. Sidera meantia cum sole, aut congruentia, *h. e.* convenientia cum eo in aspectu. *Appul. Apol.* Congruentissima voce acclamare, *h. e.* maxime concordi. Sic *Liv.* 30, 34. Congruens clamor a Romanis, eoque major et terribilior: dissonae illis voces. [**Tac. A.* 1, 79. Congruentia his Interamnates disseruere. *Id. ib.* 15, 56. Quia non congruentia, responderant. *Liv.* 9, 31. Congruentia ad consulem afferentes. *Id.* 42, 17.] ℙ *Congruens est*, conveniens est. *Plin. Pan.* 38. *ad f.* Cum Nerva sanxisset, uti etc., congruens erat, eandem immunitatem parentes obtinere. *Tertull. Anim.* 58. Congruentissimum est, animam puniri. Adde *Gell.* 17, 8.

CONGRŪENTER, adv. *προσηκόντως*, *ὁμολόγως*,

ἁρμοζόντως, convenienter, accommodate. *Cic. Or.* 3, 10. Ut ad id, quodcumque agetur, apte congruenterque dicamus. *Id. Fin.* 3, 7. Congruenter naturae convenienterque vivere. *Front. de orat.* 3. *ad f.* (ed. iterum Romae *A. Maio*). Verbum quidem absurdum est, sed usurpatum concinnius, aut congruentius. *Minuc. Felix Octav.* 40. *extr.* De toto congruentius promptiusque requiremus. *Tert. Pudic.* 8. *ad f.* Congruentissime exprimere. Adde *August. Doctr. Christ.* 1, 12.

CONGRŪENTIA, ae, f. εὐαρμοστία, ἐφαρμογή, convenientia, congruitas. *Suet. Oth.* 2. Per hanc insinuatus Neroni, facile summum inter amicos locum tenuit, congruentia morum. *Plin. ep.* 2, 5. Si avulsum statuae caput inspiceres, non tu quidem ex illo posses congruentiam, aequalitatemque deprehendere. *Appul. Apol.* Demosthenes pronunciandi congruentiam ab speculo petivit.

CONGRŪITAS, atis, f. congruentia. Legitur a quibusdam ap. *Symmach. ep.* 9, 46. (al. 49.) ubi alii *congruens*, alii *congruitis*.

CONGRŪO, is, grui, n. 3. convenio, concurro, συντέχομαι. *Festus* deducit a gruibus, quae se non segregant, sed conjunctim semper volant. Quare videtur *Solin.* proprie locutus esse (ut adnotavit *Voss. de Gramm.* 5, 32.) cum ait *c.* 10. de gruib.: Ut si quae defecerint, congruant universae, lassatasque sustollant. Idem tamen *Voss.* in *Etymol.* magis probat, si ducatur a *con*, et *ruo*, littera *g* inserta. [*Eandem fere sententiam confirmat *Doederl.* 2, 122.] *Vitr.* 7, 8. Guttae in vas aquae conveniuntur, et ibi inter se congruunt, et confunduntur. *Val. Flacc.* 2, 306. Arcem nata petit, quo jam manus horrida matrum Congruerat. *Id.* 6, 58. linguisque adversus utrinque Congruit, et tereti serpens dat vulnera gemmae, *h. e.* adverso ore concurrit. ℙ Congruere dicuntur corpora coelestia, cum inter se conveniunt in adspectu, et maxime in quadrato. *Plin.* 2, 79, 81. Motus terrae fieri existimant vi siderum trium meantium cum sole, aut congruentium et maxime circa quadrata mundi. *Senec. Q. N.* 7, 19. Zenon congruere judicat stellas, et radios inter se committere. [*Liv. 1, 19. Ad metam eamdem solis congruerent.] ℙ Translate est simul contingere, accidere. *Tac. H.* 1, 7. Forte congruerat, ut Clodii Macri, et Fonteji Capitonis caedes nunciarentur. ℙ Saepissime sumitur pro convenire, concordare, consentire, συναρμόζω, συμφωνέω. *Ter. Phorm.* 2, 1, 31. Ecce autem similia omnia: omnes congruunt. Unum cognoris, omnes noris. *Id. ib.* 4, 5, 14. Mulier mulieri magis congruit. *Pl. Curc.* 2, 2, 14. Sane illi congruunt inter se concorditer. *Plin.* 6, 20, 23. Mensurae nullae inter se congruunt. *Id.* 21, 6, 17. Crocum vino mire congruit. *Liv.* 8, 6. Ubi responsa haruspicum insidenti animo religioni congruerunt. *Id.* 1, 5. Sciebat, tempus, quo ipse eos sustulisset, ad id ipsum congruere. [*Suet. Caes. 40. Quo magis in posterum ex Kal. Jan. novis temporum ratio congrueret. *Id. Gr.* 7.] *Cic. Verr.* 2, 2, 52. Siculi suos dies mensesque congruere volunt cum solis lunaeque ratione. *Id. Att.* 7, 13. *post med.* Reliqua patebant, et cum Terentiae summa congruebant. *Id. Or.* 3, 55. Non omni causae, nec auditori, neque personae congruit orationis unum genus. *Id. Att.* 2. 8. Ejus sermo cum tuis litteris valde congruit. [*Id. Inv.* 1, 14. Verba congruunt et cohaerent cum causa.] *Id. Leg.* 1, 20. De re una solum dissident, de ceteris mirifice congruunt. *Id. Amic.* 8. *a med.* Congruere cum moribus et natura alicujus. *Id. Marc.* 6. Sensus nostri ut in pace semper, sic tum in bello congruebant. *Gell.* 1, 15. *sub f. Loquentia* novatori verborum Sallustio maxime congruit. [*Suet. Oth. 12. Mors minime congruens vitae. *Id. Cal.* 3. formae minus congruebat gracilitas crurum. *Quint. Inst.* 7, 2. p. 612. Ordo quoque rerum aut affert, aut detrahit fidem: multo scilicet magis, res prout congruunt, aut repugnant. V. *Spalding.* ad h. l. *Liv.* 9, 2. Sermo inter omnes congruit.] ℙ *Congruere* absolute dicitur de illis, qui concorditer vivunt. *Aurel. Vict. Caes.* 41. Ob diversos mores, tamen anxie triennium congruere quivere. Adde *Ter.* mox afferendum. ℙ Item convenire, decere. *Ulp. Dig.* 1, 16, 13. Congruet bono et gravi praesidi curare, ut quieta provincia sit. ℙ *Congruit*, conveniens, consentaneum est. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 9. Pluvio et caliginoso tractu vites rariores poni, sicco densiores, congruit. ℙ In illo *Ter. Heaut.* 3, 1, 91. Ne nos inter nos congruere, sentiant; τὸ *congruere* paenult. product. efferendum monent eruditi, ut versus constet, tanquam sit a *congrueo*, vel potius tanquam in infinito sit etiam secundae conjugationis. *Bentlejus* praeterquam quod hunc versum alio transfert, *consentire* reponit ex conjectura. [At *Bothe* edidit *congruisse*. *F.*]

CONGRUS. V. CONGER.

CONGRŪUS, a, um, adj. idem quod congruens, aptus. *Pl. Mil.* 4, 3, 23. Te cum illa verba facere de ista re volo. Nam cum illa sane congruus sermo tibi. *Ov. Met.* 15, 4, 78. Ora vacent epulis, alimentaque congrua carpant. Al. leg. *mitia*. *Rutil.* 1, 304. Tristibus excepit congrua fata reis. *Papin. Dig.* 39, 5, 32. Verecundiae maternae congruam ferre sententiam. Adde *Claud. B. G.* 402., *Pallad.* 1, 12. et *Appul. de Dogm. Plat.* ℙ Item concors, consentiens. *Appul. Met.* 7. *in.* Congruo cunctae multitudinis consensu.

CONGYLIS. V. GONGYLIS.

CONĪA, ae, f. apud Praenestinos fuit ciconia. V. RABO, onis.

CONJECTĀNĔA, orum, n. plur. dicuntur miscellanea, et adversaria, libri in quos conjectationes nostras referimus. *Gell.* 6, 5. Alfenus in Conjectaneorum libro secundo. Adde 14, 7. etc.

CONJECTĀRIUS, a, um, adj. efficax, perfectus. *Cic. Fin.* 4. Illud vero minime conjectarium, sed in primis hebes. Ita *Nonius* 2, 175, sed vel fallitur, vel textus est corruptus. Nam neque locum habet illa interpretatio (debuit enim potius cum quibusdam lexicographis exponere, *quod scitur per conjecturam*) et verba *Ciceronis*, quae habentur *c.* 18, *a med.*, non *conjectarium*, sed *consectarium* exhibent: quod longe est aptius illi sententiae.

CONJECTĀTIO, onis, f. στοχασμός, actus conjectandi, conjectura. *Plin.* 2, 7, 5. Quo minus plana de Deo conjectatio esset. *Id.* 6, 19, 22. Unde conjectatio ingens opum est. *Id.* 10, 25, 91. Somni quaestio non obscura conjectationem habet. *Gell.* 14, 1. *ad f.* Lubrica atque ambagiosa conjectatione niti.

*CONJECTĀTOR, oris, m. 3. idem ac conjector. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 49. Quod portenti conjectores cum secus ducerent. Adde *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. eodem) 1, 57. *B. A.*

CONJECTĀTORĬUS, a, um, adj. ad conjectationem pertinens, στοχαστικός. *Gell.* 14, 3. Ejus rei argumenta quaedam conjectatoria protulerunt. Est qui legit *conjectatorie*, h. e. conjectando.

CONJECTĀTUS, a, um, part. a *conjecto*, conjectatione perceptus. *Appul. de Deo Socrat.* Potentiae Deorum animis conjectatae.

CONJECTĬO, onis, f. συμβολή, actus conjiciendi, jactus. *Cic. Caecin.* 15. Neque ictu cominus, neque conjectione telorum. ℙ Translate est idem quod conjectio, seu explicatio per conjecturam. *Cic. Div.* 2, 63. *ad f.* Somniorum conjectionem ex Chrysippo definit hoc modo: Esse vim cernentem et explanantem, quae a Diis hominibus significentur in somnis. *Ulp. Dig.* 28, 1, 21. Conjectionem facere alicujus rei ex consuetudine etc. ℙ *Conjectio causae* ap. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 9. et *Sabin.* ap. *Paul. Dig.* 30, 17, 1. est brevis narratio, seu expositio causae per summa capita, quae fit, antequam illa plene agatur. Dicitur *conjectio*, vel quasi *in breve coactio*, ut *Ascon. ib.* explicat, vel quia ex illa judex conjectionem de tota disputatione et causa facere potest. ℙ Pro causa ipsa, seu quaestione adhibetur in illo *Plin.* 28, 2, 3. De tota conjectione prisci quidem nostri perpetuo talia tradiderunt. Ita enim *Hard.* et legit, et interpretatur.

CONJECTO, as, avi, atum, a. 1. συμβάλλω, frequentat. a *conjicio*, et ejusdem significationis. *Vetus decretum ex Annalib. desumptum* ap. *Gell.* 7, 19. Cum L. Cornelius Scipio Asiaticus triumphans, hostium duces in carcerem conjectaverit etc. ℙ Item conferre. *Gell.* 6, 13. Ne omnino, ut dicitur, immunes et asymboli veniremus, conjectabamus ad coenulam non cupedias ciborum, sed argutias quaestionum. ℙ Saepius ponitur pro conjecturam facere, conjectando quaerere, ex indiciis rem occultam ignotamque judicare. *Ter. Eun.* 3, 4, 5. Neque scio quid dicam, aut quid conjectem. *Liv.* 29, 14. *a med.* Meas opiniones, conjectando rem vetustate obrutam, non interponam. *Id.* 5, 21. *sub f.* Eventu rem conjectantes. [*Id. 21, 35. Conjectare iter, i. e. iter facere ex conjectura.] *Quint.* 7, 3. *post. in.* Nomine uterque uno utitur: utrum sit in re, conjectat. *Tac. H.* 2, 97. Perinde socii de imperio utriusque conjectabant: sed experimentum contra fuit. *Id. A.* 1, 12. Vultu offensionem conjectaverat. *Id. ib.* 15, 55. Conjectare aliquid ex aliqua re. *Id. H.* 3, 15. Conjectare, aliquem acceleraturum. [*Suet. Ner.* 40. Nihil conjectans de aetate Galbae. — Maxime de Haruspicibus i. q. interpretari. *Aug.* 95. Nemine peritorum aliter conjectante quam laeta per haec et magna portendi. *Id. Nero* 6. *Cal.* 57.] *Prudent. in Symmach.* 2, 97. Conjectare animo. *Tertull. Pall.* 6. Qui stellarem conjectat.

CONJECTOR, oris, m. ὀνειροπόλος, ὀνειροκρίτης, qui per conjecturas, somnia, atque omina interpretatur, ut *Quint.* 3, 6. definit. *Cic. Div.* 2, 28. Conjector et interpres somniorum. *Id. ib.* 65. Defert ad conjectorem quidam, somniasse se etc. *Pl. Amph.* 5, 1, 76. Tiresiam conjectorem advocabo, et consulam, quid faciendum censeat. ℙ Item interpres cujuscumque occultae rei. *Pl. Poen.* 1, 3, 34. Isti orationi Oedipo opus conjectore est, qui sphingi interpres fuit.

CONJECTRIX, icis, f. quae somnia per conjecturam interpretatur. Nam sicut conjectoribus viri, ita conjectricibus feminae utebantur. *Pl. Mil.* 3, 1, 99. Da quod dem Quinquatribus Praecantatrici, conjectrici, hariolae atque haruspicae. [*V. *Lindem.* ad h. l.]

CONJECTŪRA, ae, f. στοχασμός, opinio, aut judicium rei occultae ex indiciis apparentibus: a *conjectu* dicta, idest a directione quadam rationis ad veritatem, ut *Quint.* 3, 6. docet. *Cic. Rosc. Am.* 35. Etiam ne in tam perspicuis rebus argumentatio quaerenda, aut conjectura capienda sit? *Id. Verr.* 2, 2, 74. De ceteris ex hoc conjecturam facere debebitis. Et *ib.* 2, 5, 9. Ipsis judicibus conjecturam facere permittam, quod genus hoc praedandi, quam improbum, quam indignum videatur. *Id. Mur.* 21. Ex vultu candidatorum conjecturam faciunt, quantum quisque animi habere videatur. *Id. Div.* 1, 33. Facere conjecturam in aliquo. *Id. Or.* 2, 74. de se, *h. e.* ex se ipso facere conjecturam de re aliqua. *Varr. R. R.* 3, 16. *ad f.* Conjecturam capere ex aliqua re. *Cic. Div.* 1, 33. Conjectura aliquid explicare. *Id. Brut.* 14. duci ad suspicandum. *Id. Att.* 14, 22. Vereor ne conjectura aberrem. *Id. Agr.* 1, 6. Coarguere aliquid suspicionibus et conjectura. *Id. Fl.* 3. Conjectura judicare aliquid. *Id. Or.* 36. quaerere aliquid. *Id. Q. Fr.* 2, 12. Quantum conjectura consequebar. *Id. Verr.* 2, 5, 25. *extr.* Conjectura assequi. *Hirt. B. Al.* 58. aliquid scire. *Cels.* 1. *praef. post. med.* Non scientia comprehendere, sed conjectura prosequi. *Cic. Rosc. Am.* 22. Levi conjectura rem pendere. *Id. Har. resp.* 25. Sensu suo et conjectura rapi. *Id. Att.* 1, 1. Conjectura providere aliquid, Et *ib.* 8, 11. et *Dom.* 5. prospicere. *Id. Or.* 1, 21. Quantum auguror conjectura. *Pl. Trin.* 4, 2, 76. reperire aliquid. *Cic. N. D.* 1, 15. Deos ita ignotos congregat, ut eos ne conjectura quidem informare possimus. *Id. Div.* 1, 14. Artes, quae conjectura continentur, et sunt opinabiles. *Quint.* 1, 2. *sub f.* Quantum animi mei conjectura colligere possum. *Id.* 7, 2. Quaerere aliquid per conjecturam. *Cic. Rosc. Com.* 7. Si quam conjecturam affert hominibus tacita corporis figura, *h. e.* indicium. *Suet. Galb.* 7. Veritatis conjectura difficilis, *h. e.* cognitio. [*Liv. 10, 39. Conjectura est mentis divinae, i. e. conjectura assequi licet quid dii sentiant. *Ov. Trist.* 1, 10, 15. Augurium ratio est et conjectura futuri. *Suet. Caes.* 1. Sive divinitas, sive aliqua conjectura. Gr. λογισμός. *Curt.* 6, 11. Conjectura anceps. *Plin. Pan.* 20, 6. Conjecturam de moribus facere. ℙ Specialiter dicitur interpretatio somniorum. *Cic. Div.* 2, 63. et *Pl. Curc.* 2, 1, 31. et *Rud.* 3, 1, 20. ℙ Ap. *Tryphonin. Dig.* 23, 4, 30. sumitur pro argumento conjecturali, seu pro ratione ex conjectura petita. ℙ Apud rhetores *conjectura*, est quoddam genus causae, in quo controversia facti est, aut animi: de qua fuse *Quint.* 7, 2. V. vocem sequent. [*Cf. *Ernest. Lex. technol. lat.* p. 84.]

CONJECTŪRALIS, e, adj. στοχαστικός, ad conjecturam pertinens. *Cels. praef.* 1. *post med.* et 2, 6. *ad f.* Medicina est ars conjecturalis. ℙ *Constitutio*, seu *causa*, *quaestio*, *controversia*, *status conjecturalis* apud rhetores dicitur, cum facti controversia est, *h. e.* cum quaeritur, factumne sit aliquid, an non: quia conjecturis utimur in hujusmodi causis tractandis. *Cic. Inv.* 2, 4. ubi ponit exemplum, et *ib.* 5., *Auct. ad Her.* 1, 11. et 2, 2., *Quint.* 7, 2. etc. ℙ Hinc *conjecturalia* vocat *Id. ib.* 1. argumenta, quae conjectura nituntur.

CONJECTŪRALĬTER, adv. στοχαστικώς, per conjecturas. *Sidon. ep.* 8, 11. *ad f.* Ad praesens nil conjecturaliter gestum, nil per ambages.

CONJECTŪRO, as, a. 1. conjecturam facio, conjicio. Affertur locus *Senec. Q. N.* 7, 29. Nobis rimari illa, et conjecturare in occulto tantum licet. Sed rectius leges *conjectura ire in occulta*, cum optim. codicib.

CONJECTUS, a, um, part. a *conjicio*, συμβεβλημένος, jactus, injectus. *Cic. Div.* 1, 26. *sub f.* Conjectus in plaustrum, et supra stercus injectum. *Id. Catil.* 1, 6. Tuas petitiones ita conjectas, ut vitari posse non viderentur, parva declinatione effugi. *Virg. A.* 9, 698. Antiphaten conjecto sternit jaculo. *Senec. ep.* 9. *ante med.* Conjectus in vincula. *Id. ep.* 88. *a med.* Animus ad alias animalium formas, aliasque conjectus. *Ov. Trist.* 4, 1, 83. conjectaque vincula collo Accipit. *Id. Met.* 3, 9. Conjectum in gutture ferrum. Al. leg. *in guttura*. Et *ib.* 8, 412. Jaculum conjectum inter alia. *Caes. B. G.* 7, 85. Agger conjectus in munitiones. *Plin.* 9, 53, 78. Piscis conjectus in piscinis Caesaris. *Id.* 18, 14, 36. Lupinum conjectum frutectoso solo. *Id.* 30, 3, 8. Cinis conjectus exesis dentibus. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 55. Conjectis oculis, gestu omni imminenti etc. *Id. Sext.* 40. Inimici oratio tam improbe in clarissimos viros conjecta. *Id. Verr.* 2, 2, 6. O praeclare conjectum a vulgo in illam provinciam omen communis famae atque sermonis! *Ter. Andr.* 4, 1, 44. Conjectus in nuptias, *h. e.* impulsus, coactus. *Curt.* 5, 3. *sub f.* Exercitus conjectus in angustias. *Sall. fragm.* ap. *Fest.* in *Tabem.* Mos, uti tabes, in urbem conjectus. ℙ Conjectura perceptus. *Cic. Div.* 1, 52. Male conjecta, maleque interpretata falsa sunt. Adde *ib.* 2, 31. ℙ Item

collectus, congregatus. *Lucr.* 2, 1061. Coaluerint, ea, quae conjecta repente Magnarum rerum fierent exordia.

CONJECTUS, us, m. *συμβολή*, idem quod conjectio. *Lucr.* 6, 433. Conjectu brachii trudere aliquid. *Petr. Sat.* 90. Ut primum extra teli conjectum licuit consistere. *Liv.* 28, 14. *ad f.* Venire ad teli conjectum. *Cic. Att.* 4, 3. Q. Fratris domus fracta conjectu lapidum. *Id. Sext.* 54. Vester in me animorum, oculorumque conjectus. ℙ Est etiam idem quod acervus, collectio. *Lucr.* 3, 199. Conjectus lapidum, spicarumque. *Id.* 5, 417. Conjectus materiai.

CONĪFER et Conĭger, a, um, adj. *κωνοφόρος*, qui conos fert, *h. e.* nuces pineis similes. *Virg. A.* 3, 680. Aeriae quercus, aut coniferae cyparissi. *Catull.* 64, 106. Quercum aut conigeram sudanti cortice pinum.

CONJĬCĬO, is, jeci, jectum, a. 3. *συμβάλλω, καταβάλλω:* a *con* et *jacio*, proprie significat res plures in unum jacere, agere, impellere: sed adhibetur etiam pro simplici jacio, ago, impello. *Lucr.* 1, 283. Montibus ex altis magnus decursus aquai Fragmina conjiciens silvarum, arbustaque tota. *Id.* 6, 730. Etesia flabra aquilonum Nubila conjiciunt in eas tunc omnia partes. *Caes. B. G.* 1, 26. E loco superiore in nostros tela conjiciebant. Et *ib.* 5, 55. Conjicere tela intra vallum. *Hirt. B. Afr.* 87. Incolas vivos, constrictosque in flammam conjicere. *Cic. Verr.* 2, 5, 7. *ad f.* aliquem in carcerem, in vincula. *Id. Tusc.* 5, 5. in equuleum. *Id. Dom.* 25. *sub f.* Aliquem foro curiaque privare, domumque conjicere. *Pl. Epid.* 2, 2, 10. Conjicere palliolum in collum, *h. e.* colligere, et in humerum rejicere, ut expeditior sis, vel etiam vitandi solis causa. *Caes. B. G.* 4, 12. hostes in fugam. *Id. ib.* 1, 16. mulieres in eum locum, quo exercitui aditus non sit. [*Id. B. C.* 3, 28. Conjici in noctem, de eo, quem post diuturnum itineris errorem nox tandem opprimit.] *Senec. ep.* 88. *a med.* animum ad alias aliasque animalium formas. *Scrib. Comp.* 57. in vino radices lapathi, ut una decoquantur. *Colum.* 12, 21. salem in urceo fictili. *Scrib. Comp.* 73. capita papaveris vase fictili. ℙ *Conjicere se* est impetu et celeriter se proripere. *Cic. Coel.* 26. *sub f.* Conjicere se in fugam. *Ter. Ph.* 1, 4, 13. se in pedes. *Id. Heaut.* 2, 3, 35. Haec ubi aperuit ostium, continuo hic se conjecit intro. *Caes. B. G.* 6, 40. Calones se in signa et manipulos conjiciunt etc. [*i. e. recipiunt se, ut sint tuti.] *Cic. Phil.* 2, 9. Conjicere se sub scalas tabernae librariae. ℙ Translate elegantissimos habet usus. *Cic. Mur.* 35. Conjicere crimina in aliquem. *Id. Planc.* 12. *extr.* maledicta in vitam alicujus. *Tibull.* 1, 9, 53. querelas absenti. Al. leg. *concinere:* sed *Brouckus. conjicere* defendit. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 4. *ad f.* In disputando conjecit illam vocem, oportere etc. *Liv.* 3, 24. Conjicere crimen in ea tempora, quibus etc., *h. e.* affirmare crimen esse commissum iis temporibus etc. *Cic. Mil.* 19. se in noctem. *Id. prooem. Parad.* Illa ipsa, quae Stoici probant, ludens conjeci in communes locos. Sic *Id. Att.* 16, 6. *ad f.* In prooemium conjeci in eum librum, quem etc. *Id. Off.* 2, 17. Periclem vituperat, quod tantam pecuniam in praeclara illa propylaea conjecerit. *Id. Fam.* 12, 1. Conjicere aliquem in perturbationes. *Pl. Pers.* 5, 2, 18. in tricas. *Id. Poen. prol.* 69. Conjici in morbum ex aegritudine. *Liv.* 39, 25. Conjicere in metum. *Id.* 34, 28. hostes in terrorem ac tumultum. *Ter. Heaut.* 2, 3, 51. aliquem in laetitiam. *Id. Andr.* 3, 4, 23. et 5, 14. aliquem in nuptias. *Cic. Or.* 3, 50. Mente et voluntate conjicere se in versum. ℙ Conjicere oculos in aliquem. *Cic. ad Brut.* 1, 9. et *Tac. H.* 1, 17. ℙ Conjicere culpam in aliquem. *Caes. B. G.* 4, 27. In petenda pace ejus rei culpam in multitudinem conjecerunt. Al. leg. *contulerunt. Hirt. B. Alex.* 49. In gregem locupletium simultatum causae tenues conjiciebantur. ℙ Significat etiam conjectura assequi, quia multa in mentem conjiciuntur et perpenduntur; tum pluribus consideratis, unum aliquid colligitur: vel desumitur a scopo feriendo, ut in CONJECTUS, us, ubi videre est saepe adhibitum fuisse teli conjectum. *Cic. Div.* 2, 5. Num igitur, quae tempestas impendeat, vates melius conjiciet, quam gubernator? *Id. Att.* 14, 22. Cito conjeci, Lanuvii te fuisse. *Id. Brut.* 14. Qui de matre suavianda, ex oraculo Apollinis tam acute arguteque conjecit. *Nep. Them.* 1. De futuris callidissime conjicere. *Ter. Heaut.* 1, 1, 11. Annos sexaginta natus es, aut plus eo, ut conjicio. ℙ Conjicere somnium, conjectura interpretari. *Pl. Curc.* 2, 2, 3. Mane sis, dum huic conjicio somnium. ℙ Conjicere causam ad aliquem, apud *Afran.* est agere causam, teste *Nonio* 4, 89. Sic *Gell.* 5, 10. Cum ad judices, conjiciendae, consistendaeque causae gratia, venissent. [*Conf. *Gron.* ad *Gell.* 17, 3. Adde *Auct.* ad *Her.* 2, 13. et *Ern.* in *cl. Cic.*] ℙ Conjicere verba inter se, est commutare verba, certare, contendere. *Afran.* apud *Non. ib.* Vellem, intervenissem ante: nam ut signa indicant, hi conjecere verba inter se acrius. ℙ Et absolute eod. sensu, *Id. ib.* Nolim, mater, me praesente cum patre conjicere: non si me vivum vis, mel meum. ℙ Addit *Id. Non. ib.* usurpari etiam pro furari, auferre: confirmatque verbis ejusdem *Afranii* et *Lucilii:* quae tamen non videntur satis aperte rem conficere. ℙ [Part. *Conjecturus* ap. *Suet. Oth.* 10. Non amplius se in periculum tales, tamque bene meritos conjecturum *(dixit). F.*] ℙ Veteres scripsere *conicio* simplici *i*, testibus criticis. Quin et *coicio* legi in antiquis quibusdam *Varronis*, *Justini*, *Ulpiani*, et aliorum codicibus testatur *Pareus* in *Lex. Pl.*, quod a *Laberio* usurpatum, *coicior in fullonicam*, reprehendit *Gell.* 16, 7. tanquam obsoletum, aut ex sordidiore usu vulgi depromptum.

CONĪLĂ, ae, f. *κονίλη*, herba eadem, quae cunila, aliis origanum. *Appul. Herb.* 122.

CONĪPTUM, genus libaminis, quod farina conspersa faciebant, *Festo* teste. Graeca vox a *κονίπτω*, pulvere aspergo. Apud *Festum* alii leg. *conitum.* Quod vero ibidem *Festus* addit *conitum* ab *Afranio* positum fuisse pro ornatu et excultu; placet criticis *comptum*, seu *comtum* reponi: atque totam hanc additionem ad vocem *Comptus, us* pertinere. [*V. *Döderl.* 3, 263.]

CONĪRĒ, quam *coire* malebant quidam analogiae causa, tempore *Quintiliani*, quos ipse reprehendit 1, 6.

CONISCO, as, n. 1. dicitur de pecudibus colludentibus, aut concertantibus, cum capite demisso invicem incurrunt, aut saltibus impetunt lascivientes: a *κόνις*, pulvis, aut a *κονίζω*, pulverem moveo vel pulvere aspergo: quia haec facientes pulverem excitant. *Lucr.* 2, 320. Et satiati agni ludunt, blandeque coniscant. Est qui legit *conissant*, eod. sensu: item qui *coruscant*, aut *corussant*, *ἀπὸ τοῦ κορύσσειν*, incitare, irritare. Rem describit *Virg. G.* 2, 526. Inter se adversis luctantur cornibus hoedi. ℙ Translate. *Cic. fragm.* apud *Quint.* 8, 3. Caput opponis, cum eo coniscans.

[CONISCO, as, avi, a. 1. In coni formam struo. *Tertull. Pall.* 5. Aesopus histrio ex avibus ejusdem pretiositatis, ut canoris et loquacibus, centum millium patinam coniscavit. Alii minus recte leg. *confiscavit. F.*]

[CONĪSCUS, i, m. qui coniscat. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Gud.* 297, 6. C. Asinius Coniscus. *F.*]

*CONĪSIUM, i, Mysiae opp. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

CONISTĔRĬUM, ii, n. *κονιστήριον*, locus in palaestris veterum, ubi luctaturi pulvere post unctionem aspergebantur, quo prehensiones essent firmiores, et non lubricae. Ita *Philander*, et *Baldus* ad illud *Vitr.* 5, 11. In duplici porticu collocentur haec membra: ephebeum in medio, sub dextro coryceum, deinde proxime conisterium.

*CONISTORSIS, *Κονιστωρσις*, vel Cunistorgis, is, opp. Celticum in Lusitania, forte id. quod Amtorgis audit *Liv.* 25, 32. *B. A.*

CONĪTI. V. ACONITI.

CONĪTUM. V. CONIPTUM.

[CONJŪBĔO, es, a. 2. simul jubeo. *Edict. Diocl. prooem.* Conjubemus, ut, quod exspectandum fuit per jura naturae etc. *F.*]

*CONJUCUNDOR, aris, dep. 1. *Vulg. Interpr. Siracid.* 37, 4. *B. A.*

CONJŪGĀLIS, e, adj. *γαμήλιος*, ad conjugium pertinens, connubialis, jugalis, conjugialis. *Tac. A.* 11, 4. *extr.* Conjugalis amor. Et *ib.* 27. licentia. *Id. Germ.* 18. et *Senec. Thyest. sub f.* Dii conjugales, *h. e.* Juppiter, Juno, Lucina, Venus, Genius, Hymenaeus. *August.* 6. *Civ. Dei* 9. *n.* 3. plures alios enumerat conjugales Deos, quem locum videsis. *Quint. Decl.* 18, 7. Conjugalis societas. *Colum.* 8, 2. *post med.* Galli protegere debent conjugalem gregem, *h. e.* gallinas quodam veluti conjugio sibi attributas.

CONJŪGĀLĬTER, adv. conjugum more. *August. ep.* 89, (al. 157.) 39. Conjugaliter vivere.

CONJŪGĀTĬO, onis, f. in jugum colligatio, conjunctio, *συζυγία. Cic. Senect.* 15. Adminiculorum ordines, capitum conjugatio, religatio, et propagatio vitium. Alii plerique leg. *jugatio.* [*Ita *Orell.*] ℙ *Conjugatio corporum* ap. *Arnob.* 2, 54. est *συνουσία.* ℙ Apud grammaticos *conjugatio* est inflexio verborum per tempora et personas. *Comminian.* ap. *Charis.* 2, 153. *Diomed.* 1, 337., *Capell.* 3, 83. (ubi tres tantum statuunt esse, quartam scilicet cum tertia conjungentes) et *Prisc.* 8, 836., ubi cum plerisque omnibus et *Charis. ipso l. c.* quatuor esse definit. Porro dicta est *conjugatio*, ut *ib. Prisc.* docet, vel propter conjugatas consonantes, hoc est cognatas, ex quibus pleraeque apud Graecos conjugationes regulam sumunt: vel quod una eademque ratione declinationis plurima conjugantur verba: quod ad Latinorum nominationem aptius est. Haec *Prisc.* ℙ Apud rhetores *conjugata* dicuntur, quae sunt ex verbis generis ejusdem. Ejusdem autem generis verba sunt, quae orta ab uno varie commutantur, ut *sapiens, sapienter, sapientia.* Haec verborum conjugatio *συζυγία* dicitur: ex qua hujusmodi est argumentum: Si compascuus est ager, jus est compascere. Haec *Cic. Top.* 3. Adde *ib.* 9., ubi *locum ex conjugatione* appellat. *Quint.* 5, 10. hunc locum quasi ridiculum, se omissurum fuisse ait, nisi *Cicero* ipse posuisset. ℙ Apud logicos *conjugatio propositionum* dicitur ipsa connexio earum per aliam communem particulam (*h. e.* per medium terminum, ut vocant) qua inter se copulantur. Ita *Appul. Dogm. Plat.* 3. ℙ Pro commixtione *Id. Flor. n.* 18. Ut etiam in amplissima laetitia subsit quaedam vel parva querimonia, conjugatione quadam mellis et fellis.

CONJŪGĀTOR, oris, m. qui conjugat, seu conjungit. *Catull.* 61, 44. de Hymenaeo: huc aditum ferat Dux bonae Veneris, boni Conjugator amoris.

CONJŪGĀTUS, a, um, part. a *conjugo*, conjunctus. Apud *August. Conf.* 6, 13. sic dicitur matrimonio junctus. ℙ De loco *a conjugatis* V. in CONJUGATIO.

CONJŪGĬĀLIS, e, adj. *γαμήλιος*, ad conjugium pertinens, connubialis. *Ov. Met.* 6, 536. Conjugialia jura. *Id. ib.* 5, 3. Conjugialia festa. Et *ib.* 11, 743. Conjugiale foedus.

CONJŪGIS, e, adj. conjugus, conjunctus, quasi eodem jugo copulatus. *Appul. de Mundo.* Elementorum mutui nexus arctis affinitatibus implicantur, et quinque conjuges copulae his ordinatae vicibus attinentur, ut, etc. Olim legebatur *quinque juges. Id. Met.* 7. Me cum meo vectore illo equo factum conservum atque conjugem. Adde *Solin.* 12. V. in CONJUX.

CONJŪGĬUM, ii, n. *συζυγία*, conjunctio. *Lucr.* 3, 858. qui coitu conjugioque Corporis atque animae consistimus uniter apti. ℙ Specialiter est junctio vitae maris et feminae, liberum causa, connubium, diciturque tum de hominibus, tum de bestiis. *Isid. Orig.* 9, 7. Conjugium est dictum, quia conjuncti sunt, vel a jugo, quo in nuptiis copulantur, ne resolvi, aut separari possint. *Serv.* ad *Virg. A.* 4, 16. Jugum imponebatur matrimonio conjungendis. *Cic. Off.* 1, 17. Cum sit hoc natura commune animantium, ut habeant lubidinem procreandi, prima societas in ipso conjugio est, proxima in liberis. *Plin.* 10, 34, 52. Columbae conjugii fidem von violant. *Ov. Fast.* 4, 336. Juvenca rudis conjugii. *Nep. Cim.* 1. Hujus conjugii cupidus Callias, *h. e.* hanc ducendi in uxorem. Sic *Ov. Her.* 16, 171. Optare conjugium alicujus. Et *ib.* 21, 139. Promittere alicui conjugium cujuspiam. *Senec. Troad.* 59. Despondere sibi conjugia alterius. *Id. Med.* 144. Solvere conjugia. [*Ov. *Met.* 10, 621. Conjugium crudele, i. e. quod cum vitae periculo petitur, et cujus causa jam multi perierunt.] ℙ Sumitur et pro ipsis conjugibus. *Plin.* 8, 23, 35. de aspidib. et 9, 8, 7. de delphinis. Conjugia ferme vagantur, *h. e.* par ipsum maris et feminae, *conjuga* qui legunt, optimis MSS. adversantur, teste *Hard. Id.* 10, 12, 15. de corvis. Parvis in vicis non plus bina conjugia sunt. ℙ Item pro coitu. [*Ov. *Met.* 14, 398. Conjugii dotem, sociorum corpora, poscit. *Id. ib.* 10, 295. Conjugio, quod fecit, adest Dea.] *Virg. G.* 3, 275. de equabus: et saepe sine ullis Conjugiis, vento gravidae. ℙ Item pro altero conjuge, ut videtur in illo *Prop.* 3, 11, 18. Uxorum positis stat pia turba comis, Et certamen habent leti, quae viva sequatur Conjugium, *h. e.* virum modo vita defunctum. Sic *Tac. A.* 12, 65. Quod conjugium principis devotionibus petivisset, *h. e.* uxorem. ℙ De societate vitae amantium. *Tibull.* 3, 4, 73. Nescis, quid sit Amor, juvenis, si ferre recusas Immitem dominum, conjugiumque ferum.

CONJŪGO, as, a. 1. idem ac conjungo: a *jugum*, quasi in unum jugum jungo, *συζευγνυμι. Cic. Off.* 1, 17. Estque ea jucundissima amicitia, quam similitudo morum conjugavit. *Appul. Met.* 5. Conjugare sibi aliquam arra et nuptiis. *Trebell. Gallien.* 11. Cum fratrum suorum filios conjugaret.

CONJŪGŬLUS, a, um, adj. *Conjugula myrtus*, est quaedam myrti species: de qua ita *Plin.* 15, 29, 37. Cato tria genera myrti prodidit, nigram, candidam, et conjugulam, fortassis a conjugiis, et illo Cluacinae genere. Et *mox.* Conjugulam existimo nunc nostratem dici. *Cato* autem ejus meminit *R. R.* 8. et 133., quibus locis myrtum conjugulum dicit. Videtur autem appellari ex mente *Plinii* a conjugiis, quibus praeest Venus, cui myrtus sacra est; et ab expiationibus, et purgationibus, in quibus myrtus adhibebatur, in eo loco, qui postea Veneri Cluacinae sacer factus fuit. Sunt tamen, qui putant, ideo appellari, quod in opere topiario apte cum pergulis et parietibus conjugetur. *Hard.*

CONJŪGUS, a, um, adj. conjugatus, conjunctus. *Appul. Met.* 6. Juno magni Jovis germana et conjuga. Adde *ib.* 9., ubi alii aliter leg. Quod vero quidam addunt ex *Plin.* 8, 23, 35. et 9, 8, 7. Conjuga ferme vagantur. V. in CONJUGIUM.

CONJUNCTĒ, adv. *συνημμένως*, simul. *Cic. Fam.* 5, 12. Conjuncte ne malles cum reliquis rebus nostra contexere, an civilem conjurationem ab externis bellis sejungeres. *Id. Or.* 2, 61. Si quando risus conjuncte, re verboque moveatur. *Id. ib.* 38. et *ib.* 3, 37. Simpliciter aliquid dicere, vel con-

juncte efferre. ℙ Saepe refertur ad amicitiam. *Nep. Attic.* 10. Cum eo adeo conjuncte vixit, ut ad extremam aetatem amicitia eorum creverit. *Plin. ep.* 7, 8. Maximus noster, quem et ipse amo, sed conjunctius tu. *Cic. Fam.* 6, 9. Hunc sic semper dilexi, ut non ullo cum homine conjunctius viverem. *Id. ib.* et *Amic.* 1. Conjunctissime atque amantissime vivere cum aliquo.

CONJUNCTIM, adv. idem quod conjuncte. *Nep. Attic.* 10. Neque suae solum auxilium petiit salutis, sed conjunctim. *Caes. B. G.* 6, 18. Hujus omnis pecuniae conjunctim ratio habetur. Adde verba cujusdam S. C. ap. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. et *Liv.* 6, 40. *sub f.* ℙ Conjunctim legare aliquid apud JCtos est rem aliquam simul legare pluribus, ita ut ejus singuli partem accipiant. *Pomp. Dig.* 30, 16., *Paul. ib.* 33. etc.

CONJUNCTIO, onis, f. *σύζευξις, συνδυασμός*, unio, copulatio. *Varr. L. L.* 4, 10. Nata e spumis Venus conjunctione ignis et humoris. *Cic. Off.* 1, 4. Commune animantium omnium est conjunctionis [*i. e. coitus,] appetitus, procreandi causa. *Id. Div.* 2, 58. Conjunctio mentis cum externis mentibus. *Id. ib.* 60. et 69. Convenientia et conjunctio naturae, quam vocant *συμπάθειαν*. *Id. Planc.* 8. *extr.* Conjunctio vicinitatis. *Quint.* 1, 1. Conjunctio litterarum inter se. ℙ Specialiter est conjugium. *Plin.* 15, 29, 36. Conjunctioni Venus praeest. ℙ Apud grammaticos est pars orationis, quae verba et sententias conjungit, ut *et, atque, aut, an, quin, quum*, et aliae quamplurimae, quas *Charis. Diomed.* 2, 1., *Prisc.* 16., *Valer. Prob.* 1. et alii enumerant. *Cic. Or.* 39. Cum, demptis conjunctionibus, dissolute plura dicuntur. [**Suet. Aug.* 86. Neque conjunctiones saepius iterare dubitavit.] ℙ Apud rhetores est figura, cum interpositione verbi et superiores orationis partes comprehenduntur, et inferiores, ut Formae dignitas aut morbo defloruit, aut vetustate. *Auct. ad Her.* 4, 27. ℙ Apud dialecticos est genus enunciationis, in qua duae propositiones per particulam copulantur; quae et conjunctum et copulatum dicitur, *συμπεπλεγμένον. Cic. Fat.* 6, 7. et 8. et *Top.* 14. et *Gell.* 16, 8. ℙ Translate est cognatio, affinitas, amicitia. *Cic. Off.* 1, 17. Conjunctiones fratrum. Et *mox.* Conjunctio sanguinis. *Id. Fam.* 1, 7. *sub f.* Quod mihi de filia, et de Crassipede gratularis, spero nobis hanc conjunctionem voluptati fore. *Id. Fam.* 4, 8. *extr.* Satisfacere conjunctioni et amori. *Id. Phil.* 13, 5. Pro paterna necessitudine et conjunctione. *Id.* ad *Planc. post ep.* 16, 16. *ad Att.* Pro conjunctione et benevolentia nostra. *Id. Coel.* 15. Familiaritas, consuetudo, conjunctio. *Id. Amic.* 20. Amicitiae conjunctionisque necessitudo. *Id. Phil.* 8, 7. Habere conjunctionem gratiae cum aliquo. *Id. Fam.* 3, 10. *circa med.* Veterem conjunctionem, dirimere, aut novam conciliare.

CONJUNCTIVUS, a, um, adj. conjungendi vim habens. *Tertull. adv. Hermog.* 26. Nam et *autem* ipsum, velut fibula conjunctivae particulae, ad connexum narrationi appositum est. ℙ *Conjunctivus* modus in verbis apud grammaticos est, qui cum solus locutionem, seu sententiam implere non possit, alium modum sibi conjungit, ut *Cum scripsero, faciam:* qui et subjunctivus dicitur. *Serv. in art. Donati* 2, 1787. et *Capell.* 3, 83.

CONJUNCTO, as, a. 1. frequentat. a *conjungo. Prud. Psychom.* 764. Quod sapimus, conjunctet amor. Al. leg. *conjungat.*

CONJUNCTRIX, icis, f. quae conjungit. *August. Trin.* 11, 10. Voluntas conjunctrix et separatrix hujuscemodi rerum.

CONJUNCTUS, a, um, part. a *conjungo*, *συνεζευγμένος*, junctus, copulatus, connexus. *Caes. B. G.* 4, 17. Sublicae cum omni opere conjunctae. *Id. B. C.* 2, 25. Castra muro oppidoque conjuncta. [**Hirt. B. G.* 8, 46. Regio, oceano conjuncta, i. e. finitima, contermina.] *Virg. A.* 10, 653. Ratis celsi conjuncta crepidine saxi. [**Suet. Aug.* 79. Supercilia conjuncta. *Ov. Met.* 11, 64. Hic modo conjunctis spatiantur passibus ambo, i. e. juxta se, ut alter alterius latus tegat. Sic *Id. ib.* 599. de Cadmo et Harmonia in serpentes mutatis. Junctoque volumine serpunt. *Id. ib.* 11, 378. Conjunctaque tela feramus, i. e. conjunctim.] *Cic. Cat.* 1, 13. *extr.* Latrones scelerum foedere ac nefaria societate conjunctos. *Id. Brut.* 92. Dicendi ardore eram propior, et aetate conjunctior. *Id. Leg.* 1, 2. Fannii aetate conjunctus Antipater. *Id. Off.* 1, 14. Talis simulatio vanitati est conjunctior, quam liberalitati. [*i. e. propius ad eam accedit, arctiori cognationis vinculo cum ea continetur.] *Id. Or.* 1, 5. Celeritas respondendi venustate atque urbanitate conjuncta. Et *ib.* 57. Dicendi vis egregia, summa festivitate et venustate conjuncta. *Id. Off.* 1, 2. Praecepta officii conjuncta naturae, *h. e.* consentanea. *Id. Div.* 2, 39. Quae est inter augures conveniens et conjuncta constantia, *h. e.* non dissidens. *Id. Verr.* 2, 4, 65. Decernitur non varie, sed prope conjunctis sententiis, ut etc. [**Orell.* cunctis, Vulgatam vix lat. censens.] *Id. Or.* 3, 37. et *Quint.* 8, 1. Verba continuata et conjuncta, *h. e.* in ipso sermone collocata, et contexta. Sic *Quint. ib.* 3. Conjunctus sermo. *Id.* 5, 10. *a med.* Temporis tres sunt partes, praecedens, conjunctum, insequens, *h. e.* praesens, seu conjunctum cum re, de qua agitur. Adde *ib.* 8. et 9. ℙ Saepissime refertur ad cognationem, affinitatem, amicitiam. *Vell.* 2, 41. C. Mario sanguine conjunctissimus. *Caes. B. G.* 2, 4. Propinquitatibus affinitatibusque conjuncti. *Cic. Att.* 1, 16. *post med.* Multa consuetudine conjuncti inter nos sumus. *Id. Sull.* 20. Homo amantissimus, familiarissimus, conjunctissimus officiis, usu, consuetudine. *Id. Fam.* 3, 20. *ad f.* Amicitia conjunctior. [**Suet. Caes.* 6. Conjunctum cum Diis genus.] ℙ Et absolute. *Caes. B. G.* 7, 33. Tanta et tam conjuncta populo R. civitas. *Cic.* ad *Anton. post ep.* 13, 14. *ad Att. sub f.* Ut nosmetipsi inter nos conjunctiores simus. *Id. Prov. cons.* 16. Ut quam conjunctissimus huic ordini esset. *Quint.* 7, 4. Multum interest, tyrannum juvenis occiderit, an senex; alienus an conjunctus. *Curt.* 6, 11. Conjuncti sontium. ℙ Interdum refertur etiam ad nuptias. *Virg. Ecl.* 8, 32. O digno conjuncta viro! *Varr. R. R.* 1, 17. Ut habeant conjunctas conservas, e quibus habeant filios. *Taubmann.* ad *Pl. Cas. prol.* 68. ex hoc *Varronis* loco docet, servorum mulieres non uxores, sed *conjunctas* dici. ℙ *Conjunctum, i*, n. ap. dialecticos est idem quod *conjunctio. Gell.* 16, 8. In omni conjuncto si unum est mendacium, etiamsi cetera vera sunt, totum esse mendacium dicitur. V. CONJUNCTIO. ℙ *Conjuncta* apud rhetores sunt *conjugata*: quae V. suo loco. *Cic. Or.* 2, 40. Ex conjunctis sic argumenta ducuntur: Si pietati summa tribuenda laus est, debetis moveri, cum Q. Metellum tam pie lugere videatis. ℙ *Conjuncti* apud JCtos qui sint, V. in DISJUNCTUS. ℙ *Conjuncta* apud physicos, quae dicantur, docet *Lucr.* 1, 451. cujus verba V. in EVENTUM.

CONJUNCTUS, us, m. conjunctio. In sexto casu *Varr. L. L.* 9, 1. Sic bigae, sic quadrigae a conjunctu dictae.

CONJUNGO, is, unxi, unctum, a. 3. *συζεύγνυμι, συνάπτω*, simul jungo, copulo, connecto, adjungo. *Virg. Ecl.* 2, 32. Calamos conjungere cera. *Cels.* 7, 4. *n.* 3. Oras vulneris futura conjungere. *Caes. B. C.* 1, 18. Caesar eas cohortes cum exercitu suo conjunxit. [**Id. B. C.* 3, 13. Conjungere noctem diei. (De eo qui diu noctuque sine intermissione iter facit.)] *Ov. Met.* 8, 421. dextrae conjungere dextram. *Suet. Cal.* 19. Intervallum Bajarum ponte conjungere. *Petr. Sat.* 86. Conjungere omnia vota in unum. [**Cic. Quir. p. R.* 7. Causam meam cum communi salute conjunxit, i. e. dixit, communem salutem a mea pendere. — *Id. Pis.* 9. Quem ego cum Deorum laude conjungo, i. e. Diis similem puto.] *Cic. Brut.* 31. Disserendi rationem cum dicendi copia conjungere. *Id. Manil.* 9. *extr.* Quantum bellum futurum putatis, quod conjungant reges potentissimi, *h. e.* junctis viribus simul gerant. [**Liv.* 8, 16. Finitimis arma conjunxerant. *Id.* 42, 47. Ne conjungi amplius ullo consensu Macedonibus possent.] *Tac. A.* 6, 26. Conjungere abstinentiam cibi, *h. e.* continuare. (Sic *Suet. Cal.* 17. consulatus.) *Id. ib.* 13, 17. Nox eadem necem Britannici et rogum conjunxit, *h. e.* eadem nocte et exstinctus et crematus fuit. *Catull.* 64, 331. Conjungere somnos cum aliquo, *h. e.* una cum aliquo dormire. [**Liv.* 1, 44. Ut neque interiore parte aedificia moenibus continuarentur, quae nunc vulgo etiam conjungunt. Hinc *Suet. Claud.* 23. Rerum actum, divisum antea in hibernos aestivosque menses conjunxit, i. e. judicia sine interruptione, sive feriis non interjectis haberi jussit. V. *Brem.* ad h. l.] ℙ Conjungere boves ap. *Cat. R. R.* 138. est sub carrum jungere. ℙ [**Conjungere vocales* ap. *Cic. Or.* 44. Nemo ita rusticus est, qui vocales nolit conjungere, i. e. contrahere, ita ut altera vocalis elidatur. Est ergo descriptio elisionis, quam *συναλοιφὴν* Gr. dixere. V. *lex. gr. technol.* in h. v. et *Quint.* 10, 4, 36. Contrarium illi est ap. *Cic. l. c. distrahere voces*, h. e. per hiatum, et sine elisione pronunciare. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 85.] ℙ Saepe refertur ad vinculum conjugii. *Tac. A.* 14, 60. Exin Poppaeae conjungitur. *Curt.* 6, 9. *ad f.* Conjungere aliquam secum matrimonio. *Suet. Ner.* 28. aliquam sibi justo matrimonio. *Ov. Her.* 21, 247. *Cydippe loquitur:* cupio me jam conjungere tecum. *Cic. Or.* 1, 9. Conjungere connubia. ℙ Saepius ad cognationem, affinitatem, benevolentiam, amicitiam. *Cic. Fam.* 5, 7. Non dubito, quin respublica nos inter nos conciliatura conjuncturaque sit. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 5. Conjungere optimum quemque hospitio et amicitia. *Id. Cluent.* 16. Scitis, quantam vim habeat ad conjungendas amicitias studiorum, ac naturae similitudo. *Id. Verr.* 2, 4. 65. Conjungendae necessitudinis causa. *Id. Fam.* 15, 11. Cui me studia communia, beneficia paterna tuaque conjunxerant. *Virg. A.* 10, 105. Conjungi foedere alicui. *Nep. Pausan.* 2. Conjungere se cum aliquo affinitate. *Prop.* 1, 10, 15. diversos iterum conjungere amantes. V. alia in CONJUNCTUS. [*Confunduntur in cdd. *conjungere* et *jungere*. V. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 3, 8. et *adjungere. Id.* ad *Eund.* 1, 6.]

CONIVOLA, occulta. Ita *Festus.* A criticis varie locus hic legitur, et expenditur. ℙ *Conivoli.* V. CONTUOLI.

CONJURATIM, adv. per conjurationem. Legunt quidam ap. *Pl. Asin.* 2, 2, 52. Siquidem omnes conjuratim cruciamenta conferant. Al. *conjurati.*

CONJURATIO, onis, f. *συνωμοσία*, actus conjurandi, consensio juramento firmata: et fere adhibetur in malam partem pro conspiratione, quae fit contra patriam, legitimos dominos etc. *συνταῖς. Cic. Cat.* 2, 4. Ut vos omnes factam esse aperte conjurationem contra rempubl. videretis. Et *ib.* 4, 3. Habere conjurationem, *h. e.* facere. *Caes. B. G.* 1, 2. Facere conjurationem nobilitatis, *h. e.* conjuratione nobilitatem sibi adjungere. *Hirt. B. G.* 8, 2. Bellum parare, conjurationesque facere. *Sall. Cat.* 48. Esse in conjuratione. *Liv.* 6, 2. Conjurationem de bello facere. *Id.* 39, 18. Nefanda conjuratio in omne facinus et libidinem. *Cic. Cat.* 3, 17. Invenire, et deprehendere conjurationem in rempubl. *Tac. A.* 16, 17. *extr.* prodere. *Suet. Claud.* 9. detegere. *Sall. Cat.* 37. patefacere. *Suet. Tib.* 65. opprimere. *Liv.* 39, 17. Capita conjurationis. Et *Cic. Cat.* 1, 11. Conjurationis princeps. ℙ Sumitur et pro coetu ipso conjuratorum. *Cic. Cat.* 1, 6. Nemo est extra istam conjurationem perditorum hominum, qui etc. ℙ In triplici Romanae militiae genere, praeter *legitimam militiam*, seu *sacramentum*, et *evocationem*, erat et *conjuratio*, qua propter imminens periculum ac tumultum (praesertim Italicum aut Gallicum) dum singulos milites sacramentum dicentes exspectare non vacaret, omnes simul a duce, prolato vexillo, jurare jubebantur: qui proinde conjurati dicti sunt. *Serv.* ad *A.* 7, 614. et *ib.* 8, 1. ℙ *Urbana conjuratio*, ap. *Plin. Pan.* 70. translate est consensio multorum ad aliquid obtinendum.

CONJURATOR, oris, m. qui simul cum alio jurat. Putant quidam haberi ap. *Pl. Trin.* 4, 2, 30., ubi alii reponunt *cum jurator.* [*Ita *Lindem.* quem cf. ad h. l.]

CONJURATUS, a, um, part. a *conjuro*, *συνωμότης*, qui simul cum alio juravit de re aliqua facienda sive in bonam, sive in malam partem. *Cic. Front.* 6. Testes cupidi, irati, conjurati, ab religione remoti. *Hor. Od.* 1, 15, 5. Mala ducis avi domum, Quam multo repetet Graecia milite, Conjurata tuas rumpere nuptias. *Virg. G.* 1, 280. Et conjuratos coelum rescindere fratres. *Ov. Met.* 15, 763. Conjurata arma. Et *ib.* 12, 6. Conjuratae rates, *h. e.* classis sociorum. *Virg. G.* 2, 496. Conjuratus Ister, *h. e.* populi Istrum accolentes conjurati. *Prud. Symmach.* 1, 537. conjuratas insidias moliri ad aliquem. ℙ Translate. *Claud. III. Cons. Honor.* 98. cui militat aether, Et conjurati veniunt ad classica venti. *Id. B. G.* 49. Aut conjuratum querimur splendere serenum. ℙ *Conjurati, orum* absolute. *Cic. Cat.* 4, 20. Manus conjuratorum. [*Adde *Suet. Caes.* 17. 80. 82. *Tib.* 9. et al.] ℙ *Conjurati* in militia Romana, teste *Turnebo* 11, 18., dicebantur, qui non singuli, ut justi milites, sed universi simul sacramento dixerant, quod ita praesens esset periculum, ut singulos juramento adigere non vacaret, uti in CONJURATIO dictum est. *Liv.* 45, 2. Ut consul, quos praeter milites sociosque navales, conjuratos haberet, dimitteret. [*Cf. *Duk.* ad h. l.]

CONJURO, as, avi, atum, n. 1. *συνόμνυμι*, simul cum alio juro, consentio, conspiro. *Pl. Merc.* 3, 1, 38. Et inter nos conjuravimus, ego cum illo, et ille mecum. *Liv.* 22, 38. Conjurabant milites, se fugae atque formidinis ergo non abituros. *Lact.* 5, 8. *a med.* Non essent in terris mala, si ab hominibus in legem Dei conjuraretur. *Virg. A.* 8, 5. simul omne tumultu Conjurat trepido Latium, *h. e.* propter vicinitatem belli omnes simul milites Latii sacramentum militiae dicunt. Sic *Caes. B. G.* 7, 1. Ut omnes Italiae conjurarent. V. CONJURATIO et CONJURATUS. ℙ Translate. *Hor. A. P.* 411. alterius sic Altera poscit opem res, et conjurat amice. ℙ Saepe in malam partem sumitur pro consentire in rem pravam, jurando simul cum aliis de bello injusto inferendo, de defectione, de nece alicujus etc. *Cic. Fam.* 5, 6. Me scito tantum habere aeris alieni, ut cupiam conjurare, si quis me recipiat. *Id. Sull.* 25. Catilina contra rempubl. conjuravit. *Id. Mil.* 24. Servos conjurasse de Pompejo interficiendo. *Quint* 4, 2. *a med.* Conjurare in mortem alicujus. *Flor.* 1, 17. in excidium Romani nominis. *Liv.* 39, 16. cum aliquo in omne flagitium et facinus. *Lucan.* 2, 48. in arma. *Sall. Cat.* 56. Conjuravere cives patriam incendere. *Auct. B. Hisp.* 26. et 37. Conjurant inter se, ut etc. *Senec. ep.* 14. Nunquam sic contra virtutes conjurabitur, ut etc. ℙ Pro simplici *juro* positum. *Ov. Her.* 21, 135. Quae jurat mens est: nil conjuravimus illa. *P. Afric. in vet. or.* apud *Gell.* 7, 11. *sub f.* Conceptis verbis conjuravisti sciens, sciente animo tuo. ℙ [Part. *Conjurans* ap. *Claud. B. Get.* 163. nec conjurantis arenae Turba fuit. *F.*]

CONJUX et Conjunx, ugis, com. gen. ὁμόζυγος, σύζυγος, σύμβιος, lecti maritalis socius, maritus, aut uxor: saepius tamen haec, quam ille, praesertim apud oratores: a *con*, et *jugum*, vel *jungo*. *Cic. Cat.* 4, 9. De vita vestra, de conjugum vestrarum, ac liberorum anima, de fortunis omnium vobis judicandum est. *Id. Q. Fr.* 1, 3. Fidelissima conjux. *Hor. Od.* 3, 5, 41. pudica. *Id. Sat.* 2, 5, 31. fecunda. *Virg. A.* 2, 777. dulcis. *Id. ib.* 6, 473. Conjux pristinus. *Ov. Fast.* 3, 461. perjurus. *Id. Trist.* 5, 5, 21. carus. [**Id. Met.* 6, 538. Geminus conjux, i. e. qui duabus simul uxoribus utitur.] *Stat. Silv.* 5, 1, 20. orbatus. ℙ Pro sponsa, vel sperata. *Virg. A.* 9, 138. Conjuge praerepta, *h. e.* Lavinia. Turnus autem est qui loquitur. Adde *Ov. Her.* 8, 86. ℙ Item pro amica. *Val. Fl.* 2, 208. Mavortia conjux, *h. e.* Venus, quae non Martis, sed Vulcani est uxor. *Virg. A.* 7, 189. Circem vocat conjugem Pici, quae tamen non erat, sed esse cupiebat, ut ibi *Servius* ait. *Propert.* 2, 7, 17. adrepta desertus conjuge Achilles. ℙ Item pro contubernali. Inscriptiones plurimae ap. *Fabr. c.* 4. *a num.* 309. deinceps. ℙ De brutis animalibus. *Plin.* 10, 59, 79. *de pavonib.* Mares singuli quinis sufficiunt conjugibus. *Ov. Fast.* 1, 451. *de columba.* suo conjux abducta marito. [*Cf. *Gierig.* in *Ind.* ad *Ov. Fast.* s. h. v.] ℙ De ulmis. *Colum.* 5, 6. *circa med.* Si vetustam vitem applicueris, conjugem necabit. ℙ Conjux est etiam, qui ejusdem servitutis jugo, vel eidem sorti, vel conditioni adstrictus est. *Appul. Met.* 7. Quamquam nec istud puduit me cum meo famulo, meoque vectore illo equo factum conservum atque conjugem. Loquitur hic Lucius ex homine asinus factus. ℙ Adjective. *Sol.* 12. *de delphinis.* Quoquo eant, conjuges evagantur, *h. e.* mas et femina simul. Al. leg. *conjugi* a *conjugus.* Al. *conjugia*, ut ap. *Plin.* ℙ Ad scriptionem quod attinet, non solum *Conjux*, et *Conjunx*, sed etiam *Cojux*, *Cojunxs*, et *Conjunxs* reperitur in veterib. monumentis, quae collegit *Manut.* in *Orthogr.* Verum iis abdicatis scribendi rationibus, quae minores patronos habent, usumque minimum; priores duae ambae sunt optimae: tametsi prima *Manutio*, *Vossio* in *Etymol.* et *Dausquio* magis placet.

CONLAETOR,

CONLĀTUS,

CONLAXO,

CONLŪCO, et cetera hujusmodi quaere in COLLAETOR, COLLATUS, COLLAXO, COLLUCO etc.

CONNĀTO et Connātātio a *con*, et *nato* afferunt multi ex *Plauto*. Sed nos invenire non potuimus, ne in Suppositis quidem.

CONNĀTUS, a, um, part. ab inusit. *connascor*, innatus, simul natus, σύμφυτος. *Tertull. adv. Valent.* 2. Vitia in corpore connata. ℙ Item gemellas. *Inscr.* ap. *Fea*, *Framm. di Fasti cons.* p. 57. Aurelius Lucius frater et connatus.

[**CONNĒCO**, as, a. 1. simul neco. *Not. Tir.* p. 122. Connecat. *F.*]

CONNECTO, is, exui, exum, a. 3. idem quod necto, vel simul necto, conjungo. *Quint.* 5, 14. *ad f.* Inexplicabili serie aliquid connectere. [**Cic. Or.* 71. Connectere dissipata, i. e. numeris vincire.] *Tac A.* 13, 53. Mosellam atque Ararim, facta inter utrumque fossa, connectere. *Plin.* 6, 15, 17. Adiabenis connectuntur Carduchi. *Claudian. Rufin.* 1, 118. caeruleo vestes connexuit angue. *Val. Fl.* 4, 334. Connectere tempora lauro. [**Sil.* 3, 412. Nereidum chorus connectunt brachia. (Sic ex *cd. Heinsius*, pro *convertunt*, probante et hac de causa *Drakenb.*, quia *nectere* et *connectere* sit chororum saltantumque.] *Tac. A.* 6, 47. Albucilla defertur impietatis in principem: connectebantur, ut conscii, Domitius, Vibius etc. *h. e.* adjiciebantur. [**Lucr.* 3, 691. Anima ita connexa est per venas, viscera etc. i. e. inclusa, conjuncta cum.] *Cic. Fin.* 1, 20. Amicitia cum voluptate connectitur. *Id. Fat.* 6. Si verum est, quod ita connectitur, si quis oriente canicula natus est, in mari non morietur; illud quoque verum est etc. V. CONNEXUS, a, um. *Gell.* 10, 29. Particula *atque* conjungit verba et connectit. *Hor. Ep.* 2, 2, 86. Connectere verba. *Colum.* 10, 227. gracili connectere carmina filo. ℙ *Connectere* pro continuare orationem. *Quint.* 2, 11. Nonnulli certa sibi initia, priusquam sensum invenerint, destinant: eaque diu secum ipsi meditati, desperata connectendi facultate, deserunt. ℙ Et pro continuare narrationem, narrare, perscribere. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 8. Connectere aliam majorem insaniam. *Trebell. Gallien.* 11. *extr.* Longum est, ejus versus orationesque connectere. ℙ [*De discrimine et ratione synonym. verbi *connectere.* V. *Döderl.* 3, 274. *Ernest.* 639. affert locum *Cic. Fin.* 2, 19. Paria conjungamus, ut similiter moveantur, agant et sentiant; convenientia copulamus, ut se mutuo juvent; conjungimus separata, ut una consistant; propiora connectimus, ne soluta divagentur; simul posita colligamus, ut firmiter constent; conjuncta constringimus, ne divellantur.] ℙ [Part. *Connectens* ap. *Claudian. B. Get.* 189. Et duo continuo connectens aequora muro Isthmos. *F.*]

CONNECTUS, a, um, adj. idem quod connexus. *Lucr.* 2, 100. Exiguis intervallis connecta resultant. *Id.* 3, 557. Sive aliud quidvis potis es connectius ei Fingere, *connexa* al. leg. priore loco, posteriore *conjunctius*, et *connexius.*

CONNEXĒ, adv. conjuncte. *Capell.* 4. p. 117. Connexe dicere aliquid.

CONNEXIO, onis, f. actus connectendi, conjunctio, συναφή. Pro complexione, seu conclusione syllogismi adhibetur multoties a *Quint.* 5, 14. ℙ Apud *Charis.* 1. *in.* est idem quod syllaba.

CONNEXĬVUS, a, um, adj. συμπλεκτικός, copulativus. *Gell.* 10, 29. *Atque* particula a grammaticis conjunctio esse dicitur connexiva.

CONNEXUS, us, m. connexio. *Lucr.* 1, 626. varios connexus, pondera, plagas, Concursus, motus, etc. [*Adde *Eund.* 3, 556. 2, 1020. et al.] *Vitr.* 10, 1. Connexus staminis ad subtegmen ornatus adjicit honestatem.

CONNEXUS, a, um, part. a *connecto*, συμπεπλεγμένος, συνημμένος, conjunctus, copulatus. *Cic. N. D.* 2, 38. Omnia inter se connexa et apta. [**Tac. H.* 2, 34. Naves validis utrimque trabibus connexae. — *Sil.* 3, 675. Connexa cacumina coelo.] *Virg. G.* 4, 257. Apes pedibus connexa ad limina pendent. [**Sil.* 2, 220. Apes denso volatu connexae, i. e. glomeratae.] *Ov. Met.* 12, 430. Connexi nodi. *Prop.* 2, 4, 23. crines. *Lucan.* 3, 400. Lucus ramis connexis. *Cic. Pis.* 5. Persequere connexos his funeribus dies, *h. e.* consequentes haec funera. *Stat. Ach.* 1, 174. magno jam tunc connexus amore. [**Tac. H.* 1, 65. Unde aemulatio et invidia et uno amne discretis connexum odium.] ℙ *Connexum*, *i*, apud dialecticos est propositio, in qua duo membra connexione particulae *si* conjunguntur. *Gell.* 16, 8. Quod Graeci συνημμένον ὄξιωμα dicunt, id alii nostrorum adjunctum, alii connexum dixerunt. Id connexum tale est: Si Plato ambulat, Plato movetur: Si dies est, sol super terras est. *Cic. Acad.* 4, 30. Ipsa ratio connexi, cum concesseris superius, cogit inferius concedere. Adde *Fat.* 7. [*Confunduntur *connexus* et *connixus*, ap. *Cic. N. D.* 2, 43, 110. et *convexus* ap. *Eund. ib.* 2, 44, 112.]

CONNĪSUS et Connixus, a, um, part. a *connitor. Liv.* 1, 33. Omnibus copiis connixus Ancus, acie vincit. *Virg. A.* 10, 127. Fert ingens toto connixus corpore saxum. *Val. Fl.* 3, 193. Torserat hic totis connisus viribus hastam. [**Liv.* 10, 33. Clamore sublato connisi primo resistunt. *Id.* 3, 63. Undique omnes connisi hostem avertunt. Adde 31, 21. *Cic. N. D.* 2, 43, 110. Corniger est valido connixus corpore Taurus. *Id. Tusc.* 2, 21. Connisa et progressa ratio. *Lucr.* 2, 159. Connixa primordia in unum locum feruntur. — De permutatione vv. *connixus* et *connexus* V. v. anteced. *in f.*]

[**CONNĪTĔO**, es, ui, n. 2. et

CONNĪTESCO, is, n. 3. simul niteo, et nitesco, simul resplendeo. *Not. Tir.* p. 183. Connituit, connitescit. *F.*]

CONNĪTOR, eris, isus, et ixus sum, (*Servius* ad *A.* 1, 144. *connixus* antiquorum, *connisus* recentiorum esse, ait.) dep. 3. πειράομαι, conor, adnitor, operam do, simul et vehementer nitor. *Cic. Fin.* 5, 15. de infantib.: Cum autem paulum firmitatis accesserit, connituntur, ut sese erigant. *Id. Off.* 3, 2. Quantum conniti animo potes, quantum labore contendere, tantum fac ut afficias. *Accius* ap. *eund. Divin.* 1, 22. Cornibus connitier in me arietare, pro *conniti* paragoge. [**Cic. Arat.* 290. Atque genu flexo taurus connititur ingens.] *Curt.* 7, 3. Conniti ad surgendum. *Caes. B. C.* 1, 46. Equitatus in summum jugum virtute connititur, *h. e.* nisu ascendit. *Tac. A.* 15, 66. Conniti ad convincendum aliquem. Et *ib.* 51. Primores classiariorum labefacere connixa est. [**Liv.* 9, 31. Conniterentur uno animo omnes invadere hostem.] ℙ Pro parere, niti enim dicuntur mulieres, cum pariunt, quod faciunt nixus edendo. *Virg. Ecl.* 1, 15. Capella gemellos silice in nuda connixa reliquit, ubi *Servius:* pro eo quod est *enixa*, id est partu soluta: nam hiatus causa mutavit praepositionem, sicut (*A.* 1, 566.) *secludite curas* pro *excludite.* ℙ Sunt qui scribant *conitor*, *conixus* unica *n*, quasi non a *con*, sed a *co*, et *nitor* componantur. Ne placeat.

CONNĪVENTIA, ae, f. ἐπίνοια, actus connivendi: et translate dissimulatio peccati. *Ascon. Verr.* 2. *in f.* seu *action. in Verr.* 1. Ad gratiam ne Hortensii, an suam, an etiam conniventia Ciceronis ipsius, parum comperimus. *Lampr. Alex. Sev.* 54. Tribunos capitali supplicio affecit, quod per conniventiam seditionem fecissent exercitus. Al. leg. *cohibentiam.* V. COHIBEO.

CONNĪVĔO, ives, ivi, vel ixi, n. 2. ἴλλω, μύω, καταμύω, oculos claudo: ab obsoleto *niveo* (quod idem valet), inquit *Voss.* in *Etymol.*, vel a *νεύω*, oculis innuo, ut aliis placet: vel a συννεφέω, obscuror, ut *Martinio* videtur. *Cic. N. D.* 2, 57. Munitae sunt palpebrae tanquam vallo pilorum, quibus et apertis oculis, si quid incideret, repelleretur, et somno conniventibus, etc. (Pro *connivere somno*, etiam *connivere* absolute dixit *Appul. Met.* 4. et 8.) *Id. Har. resp.* 18. Conniventes oculos Appii Claudii Caeci optare. *Suet. Cal.* 51. Ad tonitrua et fulgura connivere, et caput obnubere solebat. *Sil.* 7, 729. Connivent, solemque pavent agnoscere visu. *Plin.* 11, 37, 57. Graviores alitum inferiore gena connivent: columbae, et similia, utraque. *Id. ib.* 54. Duo omnino gladiatores, qui contra comminationem aliquam non connivere nt: et ob id invicti. *Turpil.* ap. *Prisc.* 9, 866. Dum ego connixi somno, hic sibi prospexit etc. ℙ Cum accus. *Cassius. ib.* Nam non connivi oculos ego deinde sopore, *nisi malis esse accus. Graecum*, *ut subintelligatur* κατά. ℙ Translate. *Pl. Most.* 3, 2, 144. *Tr.* Viden' coagmenta in foribus? *Th.* video. *Tr.* specta, quam arcte dormiunt? *Th.* dormiunt? *Tr.* illud quidem, ut connivent, volui dicere. *Lucr.* 5, 776. de sole, et luna deficientib. Cum quasi connivent, et aperto lumine rursum Omnia convisunt. *Gell.* 16, 3. Cava ventris ac stomachi inanitate diutina contrahuntur et connivent. *Cic. Coel.* 17. Multa nobis blandimenta natura genuit, quibus sopita virtus conniveret. *Gell.* 13, 27. *sub f.* Mens debet esse erecta, ardua, nunquam connivens, nunquam aciem suam flectens. ℙ Saepe ponitur pro dissimulare, quasi claudendo oculos, ne perperam facta videantur: Ita dicunt etiam familiari locutione. *Cic. Coel.* 24. Pro Dii immortales! cur interdum in hominum sceleribus aut connivetis, aut praesentis fraudis poenas in diem reservatis? *Id. Phil.* 1, 7. *extr.* Ea ipsa concedo: quibusdam in rebus etiam conniveo. (Adde *Agr.* 2, 28. *post med.*) *Pers.* 6, 50. Vae, nisi connives! *Gell.* 2, 2. In publicis locis atque muneribus patrum jura cum filiorum, qui in magistratu sunt, potestatibus collata, interquiescere paululum, et connivere. ℙ Quod quidam ex *Silio* afferunt 7, 462. pacemque serenis Connivens oculis; *condiscens* alii reponunt, multo rectius. ℙ Dicimur etiam *connivere*, cum oculos non omnino, sed paene claudimus, ut acrius aciem intendamus, aut nimium fulgorem evitemus. *Plin.* 11, 37, 54. Neroni fuerunt oculi, nisi cum conniveret, ad prope admota hebetes. ℙ Olim fuit etiam *connivo*, *is*, tertiae conjugat. teste *Prisc. l. c.* 1. Hinc *Calvus ib.* Cum gravis ingenti connivere pupula somno. ℙ Sunt qui scribunt *Coniveo* unico *n*, sed paucissimos admodum habent fautores.

CONNIXUS. V. CONNISUS.

CONNŪBIĀLIS, e, adj. γαμήλιος, ad connubium pertinens, conjugialis. *Ov. Her.* 6, 41. Heu! ubi pacta fides? ubi connubialia jura? *Stat. Th.* 5, 112. Connubialia vincla. *Claud. IV. Cons. Honor.* 649. Carmen connubiale, *h. e.* epithalamium. Sic *Id. ep. ad Seren.* 18. Vectigal connubiale lyrae.

CONNŪBIĀLĬTER, adv. connubiali more. *Capell.* 6. *sub in.* Cum ad Philologiae concilianda consortia procum affatim connubialiter allegaret.

CONNŪBIUM, ii, n. γάμος, ἐπιγαμία, jus conjugii legitimi, ut *Servius* ad *A.* 1, 73. tradit, seu ut *Ulp. Regular. tit.* 6. definit, uxoris jure ducendae facultas: a *con* et *nubo.* Addit *Ulp. ib.* Connubium habent cives R. cum civibus R., cum Latinis autem et peregrinis ita, si concessum sit: cum servis nullum est connubium. Hinc in veterib. aeneis tabulis, quas plerique *honestas missiones* appellant, at rectius *diplomata* dixeris, sub Vespasiano, Domitiano, et Hadriano, ap. *Grut.* 573, 1, 2. et 3. et 574, 6. et 575, 1. militibus emeritis *civitatem dedit, et connubium cum uxoribus, quas tunc habuissent, cum est civitas iis data: aut si caelibes essent, cum iis, quas postea duxissent.* Ex quibus patet, uxorem non esse legitimam jure civili Romanorum illam, quae ex eo populo ducatur, quocum connubium non sit: neque communicari cum illa civium R. commoda, neque natos inde liberos cives R. esse, (quamvis ingenui et liberi futuri sint) nisi jus connubii concedatur, ut cum emeritis his militibus imperatorum liberalitate factum est. *Liv.* 1, 9. Connubia non erant Romanis cum finitimis. Et 4, 4. Ut connubium patribus cum plebe esset. Et *ib.* 3. Dare connubium finitimis externisque. [*V. quos in hanc rem laudat *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v. Adde *Tac. H.* 3, 34. Adolevit Cremona annexu connubiisque gentium. *Liv.* 8, 14. Ceteris Latinis connubia commerciaque et concilia inter se ademerunt.] ℙ Item ipsum conjugium. *Cic. Or.* 1, 9. Romulus Sabinorum connubia conjunxit. *Sall. Jug.* 21. Persae paulatim per connubia Getulos secum miscuere. *Curt.* 8, 4. *ad f.* Persas et Macedones connubio jungere. *Virg. A.* 1, 73. Jungere aliquam alicui connubio stabili. *Sall. Jug.* 80. Ejus civitatis lingua modo conversa connubio Numidarum, *h. e.* junctis affinitatibus cum Numidis. *Virg. A.* 4, 214. Repellere connubia alicujus. *Ov. Met.* 6, 428. Jungere sibi aliquem connubio filiae. *Virg. A.* 3, 319. et *Val. Fl.* 8, 421. Servare connubia, *h. e.* tenere, tueri fidem matrimonii. ℙ Ap. *Ov. Amor.* 2, 7, 21. Inire connubia alicujus est, cum ea concumbere. Adde *Lucr.* 3, 778. *Mart.* 6, 11. Lusus

erat sacrae connubia fallere taedae, *h. e.* adulteria committere. ℙ Translate. *Plin. init.* 16. Pomiferae arbores ab homine didicere blandos sapores adoptione et connubio, *h. e.* insitione. ℙ Secunda syllaba longa est natura, produciturque a *Virg. cit.* 3. et *A.* 4. et alibi, et ab *Ov. Val. Fl.* et aliis: at corripitur per systolen tum *A.* l. *cit.*, tum alibi non semel; ab *Ov.* quoque *cit. Met.* 6. et alibi, a *Lucr. l. c.*, et aliis. ℙ Scribi etiam potest *connubium* simplici *n*, ut est in antiquis monumentis, et Pandectis Florentin.

CONNŪBIUS, a, um, adj. ad connubium pertinens. *Appul. Met.* 9. Mulieres liberas, et connubia lege sociatas corrumpis. Hic *Oudendorpius* recte monet, in MSS. et plerisque editionib. *sociata* haberi, non *sociatas*, ac propterea ita esse locum interpretandum: Corrumpis mulieres ingenuas, et connubia, quae sociata et inita sunt ex lege. Patet igitur minime Latinum esse adjectivum *connubius.*

CONNŪBO, is, n. 3. idem quod nubo. *Appul.* Nescientibus parentibus puellari aetate connupseramus. Ita *Faber*, *Juncker.* et alii. Ego nondum ea verba in *Appulejo* reperi.

CONNŪDĀTUS, a, um, adj. idem ac nudatus. *Plin.* 28, 7, 23. Mulier in mense connudata, *h. e.* nudata cum in menstruis est.

CONNŪMERO, as, avi, atum, a. 1. idem ac numero vel annumero, *connumerare*, συναριθμέω. *Paul. Dig.* 1, 5, 14. Inter liberos connumerabitur. *Ammian.* 25, 4. Vir profecto heroicis connumerandus ingeniis. *Arnob.* 5, 187. Quemadmodum connumeratis et dicitis. ℙ *Ovidio* etiam tribuitur *Trist.* 5, 4, 20. Se quoque in exemplis connumerare solet. Sed *annumerare* plerique omnes legunt.

[CONNUNCĬO, as, a. 1. simul nuncio. *Not. Tir.* p. 42. Connunciat. *F.*]

[CONNŬO, is, n. 3. simul innuo. *Not. Tir.* p. 127. Connuit. *F.*]

[CONNUTRĬO, is, a. 4. simul nutrio. *Not. Tir.* p. 123. Connutrit. *F.*]

CŌNON, ōnis, m. Κόνων, Atheniensium dux fuit, qui proelio victus a Lysandro Lacedaemoniorum duce, sponte abiit in exsilium ad Artaxerxem Persarum regem, cujus auxilio patriam, cui servitutem attulerat, in libertatem restituit. *Justin. l.* 5. et 6. Fuit praestantissimus imperator, et filium Timotheum, et ipsum summum imperatorem, hominemque doctissimum reliquit. V. *Nepotem*, qui utriusque vitam conscripsit. ℙ Fuit et alius Conon Samius astrologus, qui septem libros de Astrologia edidit, cujus mentionem facit *Catull.* 66, 7., *Virg. Ecl.* 3, 40. et *Senec. Q. N.* 7, 3.

CONOPEUM, i, n. velum circa lectum ad arcendos culices, quos Graeci κώνωπας vocant. Apud Aegyptios in usu maxime erat, cum propter paludes Nili magna culicum copia infestarentur. Graece scribitur κωνωπεῖον, et in quodam epigr. etiam κωνώπειον: qua ratione *Hor. Epod.* 9, 16. Sol aspicit conopeum, paenult. correpta. Et *Prop.* 3, 9, 45. Foedaque Tarpejo conopea tendere saxo. At *Juven.* 6, 80. Ut testudineo tibi Lentule conopeo etc., ubi spondaicus est versus. ℙ Scribitur et *conopium:* atque hoc modo scribi malunt. *Bentl.* et *Heins.* cum paenult. correpta usurpatur: quia Graece et κωνώπιον legitur, extrita, ut mos est illis, praepositiva diphthongi. ℙ Voce hac usus est etiam *Varr. R. R.* 2, 10. *ad f.* ne forte putes esse solum poeticam.

CONOPON Diabasis, κωνώπων διάβασις, locus est in insula contra quartum Nili ostium, in quem statis anni temporibus culices transire solent. Κώνωπες enim sunt culices, et διάβασις, transitio. *Plin.* 4, 12, 24.

[CONOPS, ōpis, m. κώνωψ, culex. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Gud.* 143, 2. C. Rammius Conops. *F.*]

CONOR, aris, atus sum, dep. 1. πειράομαι, ἐπιχειρέω, nitor, tento, do operam, aggredior, molior, cogito, mihi propono. *Ter. Andr.* 4, 1, 53. Conari manibus, pedibus, noctesque et dies, dum prosim tibi. *Nep. Datam.* 7. Qui prius cogitare, quam conari consuesset. *Cic. Or.* 30. Vides, Demosthenem multa perficere, nos multa conari: illum posse, nos velle. *Id. ib.* 10. Conari opus magnum et arduum. *Id. Rosc. Am.* 19. Quod planum facere non modo non possis, verum ne coneris quidem. *Id. Cat.* 2, 9. Desperant, se id, quod conantur, consequi posse. *Id. Or.* 2, 14. *sub f.* Poetas omnino, quasi alia quadam lingua locutos, non conor attingere. *Id. Quint.* 20. Conaris hoc dicere, neminem exstitisse, qui etc.? *Id. Div. Verr.* 14. Nunquam ille me opprimet consilio: nunquam ullo artificio pervertet: nunquam ingenio me suo labefactare atque infirmare conabitur, *h. e.* audebit, poterit. *Nep. Ann.* 8. Conari multa stulte. *Lucr.* 6, 768. ipsa de re nunc dicere conor. *Ter. Ph.* 1, 2, 2. Conari obviam alicui, *subaudi* ire. ℙ Proverbium, seu potius sententia est illud *Manil.* 1, 95. Omnia, conando, docilis solertia vincit. ℙ Part. *Conans* ap. *Cic. Fam.* 5, 12. Coram me tecum haec agere conantem deterruit pudor quidam. *Virg. A.* 9, 398. Oppressum rapit, et conantem plurima frustra. *Conandus* ap. *Caes. B. C.* 1, 31. Nactus aditus ad ea conando, quod etc. Et *ib.* 65. Quod fuit illis conandum, atque omni ratione efficiendum. *Conatus* ap. *eund. B. G.* 1, 12. Id oppidum oppugnare conatus, expugnare non potuit. ℙ *Conarem* pro *conarer* legi apud *Prisc.* ex *Ennio*, referunt quidam, quod ego nondum vidi.

CONQUADRĀTUS, a, um, adj. in quadri formam redactus, τετραγωνισθείς. *Colum.* 8, 3. *ad f.* Perticae conquadratae.

CONQUADRO, as, avi, atum, a. 1. in quadrum formare, τετραγωνίζω. *Varr.* ap. *Non.* 2, 481. et 12, 9. Aureum later, quod conquadravit religio. ℙ Item aptus sum, par fio, convenio. *Sid. ep.* 2, 2. Hinc aquarum surgit cella coctilium, quae consequenti unguentariae, spatii parilitate conquadrat. Et *ep.* 4. Illi familiae splendor, probitas morum, patrimonii facultas in omne decus pari lance conquadrant. Et *ep.* 3, 7. *ad. f.* Vero dicta conquadrant.

CONQUAESTOR, oris, m. idem ac conquisitor, vel simul quaestor. *Varr. L. L.* 5, 8., ubi tamen lectio nonnihil dubia est.

CONQUASSĀTIO, onis, f. συσσεισμὸς, concussio, commotio. *Cic. Tusc.* 4, 13. Morbus, et aegrotatio ex totius valetudinis corporis conquassatione et perturbatione gignuntur.

CONQUASSĀTUS, a, um, part. a *conquasso*, concussus. *Lucr.* 3, 442. Conquassatum corpus. *Cic. Sext.* 26. Extereas nationes illius anni furore conquassatas videbamus.

CONQUASSO, as, avi, atum, a. 1. συσσείω, concutio. *Cic. Div.* 1, 43. Apulia maximis terrae motibus conquassata est. ℙ Item contero, confringo. *Cato R. R.* 52. Si calix erit, conquassato. ℙ Translate. *Lucr.* 3, 600. Conquassatur enim tum mens animique potestas Omnis. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *a med.* Omnes provinciae conquassatae sunt. Et *Firmic. Mathes.* 3, 13. *n.* 4. Maximis periculis conquassari.

*CONQUATERNO, as, quaternos, vel quaterna jungere. *Glos. Gr. Lat.* Ζευγίζω κατὰ τέσσαρα, Conquaterno. *B. A.*

CONQUĔROR, ereris, estus sum, dep. 3. μέμφομαι, ἀγανακτέω, idem quod queror, aut valde queror, doleo, deploro, *Cic. Sext.* 2. Nihil ab eo praetermissum est, quod aut pro republica conquerendum fuit, aut pro reo disputandum. *Id. Fam.* 5, 2. *circa med.* Nihil tecum de tui fratris injuria conqueror. *Id. Verr.* 2, 4, 50. Non illi decumarum imperia, non bonorum direptiones, non iniqua judicia, non vim, non coutumelias conquerebantur. [*Adde *Tac. H.* 1, 54.] *Caes. B. C.* 1, 74. Et quod non ab initio fecerint, conqueruntur. *Sil.* 8, 94. Conqueriturque tibi, *h. e.* tecum. *Catull.* 64, 164. ignaris nequidquam conqueror auris. *Liv.* 1, 53. Patris in se saevitiam intolerabilem conquerens. *Senec. fragm.* a *Niebhurio edit.* p. 100. Conquesturus venit. [*Tac. *A.* 15, 60. Uti viseret conquerereturque, cur Pisonem aditu arceret. Et *ib.* missum, conquestumque, quod. *Suet. Tit.* Deseri se conquerenti. Adde *Eund. Claud.* 2.] ℙ Inter *conqueri*, et *lamentari* hoc interest, quod illud est graviter dolere justa accusatione admixta, et ut virum decet, hoc muliebri ejulatu et fletibus, feminarum more. *Pacuv.* ap. *Cic. Tusc.* 2, 21. Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet: Id viri est officium: fletus muliebri ingenio additus. [*Saepius tamen dicitur de feminis. *Tibull.* 1, 10, 54. Scissosque capillos Femina perfractas conqueriturque fores. *Ov. Met.* 9, 174. Conquerar an sileam?]

CONQUESTĬO, onis, f. μέμψις, actus conquerendi. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 7. Ubi nullum auxilium est, nulla conquestio, nullus senatus, nulla concio, *h. e.* nullus locus conquerendi, et accusandi eos, qui injurias fecerunt. *Suet Tib.* 70. Composuit et carmen lyricum, cujus est titulus: Conquestio de L. Caesaris morte. *Senec. ep.* 78. Conquestiones dolorum praeteritorum. *Hieron. adv. Jov.* 47. Deinde per noctes totas garrulae (uxoris cum viro) conquestiones: Illa ornatior procedit in publicum, haec honoratur ab omnibus; ego in conventu feminarum misella despicior. ℙ Apud rhetores *conquestio* est una ex tribus conclusionis, seu perorationis partibus, in qua auditorum misericordiam captamus. In hac primum auditoris animum mitem et misericordem conficere oportet, quo facilius conquestione commoveri possit. Haec ex *Cic. Inv.* 1, 52. et 55. [*Cf. *Ernest. lex. technol. Lat.* p. 85. et *Ejusd. lex. technol. Gr.* in vv. ἔλεος et σχετλιασμός.] ℙ Translate. *Plin.* 10, 23, 33. Coturnicum volantium conquestio labore expressa.

[CONQUESTUS, a, um, part. a *conqueror*, qui conqueritur. *Suet. Tib.* 34. Corinthiorum vasorum pretia in immensum exarsisse, graviter conquestus. *F.*] [*Tac. *H.* 1, 54. Ut acerrimi militum et praesentia conquesti, per tenebras et inscitiam ceterorum occiderentur.]

CONQUAESTUS, us, m. idem quod conquestio. In sexto casu *Liv.* 8, 7. *ad f.* Tum libero conquestu exortae voces sunt. Adde *Sil.* 10, 291. et *Stat. Achil.* 1, 399.

CONQUĬESCO, is, evi, etum, n. 3. ἡσυχάζω, idem quod quiesco, cesso, consisto. *Cic. Fin.* 5, 20. Videmus igitur, ut conquiescere ne infantes quidem possint. *Id. Att.* 1, 5. *sub f.* Nos ex omnibus molestiis et laboribus uno illo in loco (*Tusculano*) conquiescimus. *Id. Fam.* 1, 1. Tu nisi perfecta re, de me non conquiesti. *Syncope pro* conquievisti. *Caes. B. C.* 3, 75. Impedimenta praemisit, ac conquiescere ante iter confectum vetuit. *Id. B. G.* 7, 46. Ut meridie conquieverat, *h. e.* in lecto jacuerat dormiendi causa. [**Suet. Aug.* 78. Paulisper conquiescebatur i. q. dormiebat, ut nostr. *ruhen*, *Ruhe halten.*] ℙ Translate. *Cic. Mil.* 14. Quando illius postea sica conquievit? *Id. Agr.* 1, 7. Vectigal conquiescit. *Id. Manil.* 6. Navigatio conquiescit. *Id. Rabir. Post.* 15. *ad f.* Hieme omnia bella conquiescunt. *Id. Dom.* 38. Nunquam conquiescit fletus bonorum. *Id. Mil.* 25. *extr.* Conquiescere ab armis. *Id. Att.* 12, 39. *extr.* Conquiescent litterae, nisi quid novi exstiterit. *Id. Rosc. Am.* 26. Ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant. [**Liv.* 21, 10. Non manes, non stirpem ejus conquiescere vivi.] ℙ Illa sunt medicorum. *Cels.* 6, 6. *n.* 34. Antequam sudor et calor domi conquierint, pro *conquieverint.* *Id.* 2, 8. Febris conquievit. *Id.* 7, 19. *sub f.* Si inflammatio non conquierit. *Id.* 5, 26. *n.* 21. Sanguis conquiescit. ℙ Illa quoque translata, atque elegantissima sunt, in quibus non cessatio ab opere, sed quies animi, securitas, et voluptas in re aliqua significatur. [*Nos: *Ruhe*, *Erholung finden.*] *Cic. Fam.* 9, 6. *ad f.* In nostris studiis libentissime conquiescimus. *Id. Arch.* 6. Hic homo suppeditat nobis, ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae conquiescant. *Id. Fam.* 2, 1. *extr.* Ut aetas nostra ingravescens, in amore atque in adolescentia tua conquiescat. *Id. Amic.* 6. Conquiescere in amici mutua benevolentia. [**Liv.* 1, 47. Jam enim ab scelere ad aliud spectare mulier scelus: nec nocte, nec interdiu verum conquiescere patj.] ℙ Proverbii genus est illud *Pl. Ps.* 1, 1, 121. De istac re in oculum utrumvis conquiescito. V. huic simile in AURIS. ℙ *Conquiesse* pro *conquievisse* est ap. *Liv.* 30, 13. *ad f.*, et *conquierit* pro *conquieverit* ap. *Cels.* 7, 19. ℙ [Part. *Conquieturus* ap. *Cic. Mil.* 25. Si urbs ab armis sine Milonis clade nunquam esset conquietura. *F.*]

CONQUILIATUS. V. CONCHYLIATUS.

CONQUINISCO, iscis, quexi, n. 3. ὑποκινέω, ὑποκυπτω; est a *con*, et inusit. *quinisco*, a κινέω, moveo: significat autem inclinare se in faciem: ita enim interpretantur *Non.* 2, 118. et *Prisc.* 10, 885. qui a vetustissimis tantum usurpatum fuisse ait. *Pomp.* ap. *Prisc. l. c.* Accessi ad patrem: prendi manum, in terra ut cubabat nuda, ad eum ut conquexi, interim *me* mulieres conspiciunt. ℙ Translato et obsceno sensu idem significat ac cevere, ocquiniscere, nempe incurvare se ad stuprum patiendum, ut pueri solent. *Pl. Cist.* 4, 1, 5. Faciundum est puerile officium: conquiniscam ad cistulam, *h. e.* inclinabo me, ut cistulam ex humo tollam. *Id. Ps.* 3, 2, 75. Si iste ibit, ito: stabit, astato simul: Si conquiniscet istic, ceveto simul. V. OCQUINISCO et PUERILIS.

CONQUĪNO, as. V. COINQUINO.

CONQUĪRO, is, isivi, istium, a. 3. ἀναζητέω, συμπορίζομαι, diligenter quaero, investigo, comparo: a *con*, et *quaero. Cic. Off.* 3, 33. Conquirere undique suavitates. [*Eodem modo *Id. Fin.* 1, 13, 42. Nunc expetitur (sapientia) quod est tanquam artifex conquirendae et comparandae voluptatis.] *Id. Acad.* 4, 27. studiose omnia. *Id. Verr.* 2, 4, 19. Conquiri Diodorum tota provincia jubet. [**Liv.* 31, 11. Ac magnam partem eorum (transfugarum) palam Carthagini obversari dici: quos comprehendi conquirique debere, etc. *Suet. Vit.* 10. Centum atque viginti conquiri et supplicio affici imperavit. *Liv.* 22, 52. Consulem conquisitum, sepultumque quidam auctores sunt.] *Caes. B. C.* 1, 61. Toto flumine Ibero naves conquirere. *Sall. Jug.* 78. ex agris quam plurimum pecoris. *Vatin.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. terra marique aliquem. *Vellej.* 2, 22. aliquem ad mortem. *Nep. Dion.* 8. socios ad aliquem interficiendum. *Plin.* 36, 12, 17. opes meretricio quaestu. [**Liv.* 25, 7. Triumviri bini: uni sacris conquirendis — alteri etc. *Id.* 40, 37. Pontifer maximus piacula irae deum conquirere jussus.] *Tac. H.* 3, 76. dona ac pecunias acerbe per municipia. *Id. A.* 15, 21. suffragia. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 8. Sed quid ego vetera conquiram, cum mihi liceat uti praesentibus exemplis atque vivis? [**Id. Agr.* 2, 35. Aliquid sceleris conquirere, i. e. committendi facinoris occasionem quaerere.] *Auct. Dial. de orat.* 15. Mecum ipse conquiro causas hujus differentiae. *Tac. A.* 15, 56. Conquirere omnes artes ad aliquem opprimendum. *Id. ib.* 12, 68. solatia. *Id. ib.* 14, 44. argumenta. [**Suet. Aug.* 71. Ad vitiandas virgines promptior, quia sibi undique etiam ab uxore conquirerentur. Adde *Eund. Tib.* 43. *Prop.* 1, 2, 23. Non illis studium vulgo conquirere amantes, i. e. nimio ornatu, malis artibus allicere.] ℙ Quod ap. *Festum*

legitur *Conquirere, coercere;* critici monent legendum esse *Coinquire*, vel *Coinquere*, (de quo V. suo loco.) ut sermo sit de arboribus deputandis, et coercendis. ℙ [Part. *Conquirens* ap. *Vell.* 2, 41. Conquirentibus eum ad necem. *Conquirendus* ap. *Hirt. B. Afr.* 8. Ad reliquas naves conquirendas. *F.*]

CONQUISĪTĒ, adv. studiose, cum cura, ζητητικῶς. *Auct. ad Her.* 2, 31. Haec si ut conquisite conscripsimus, ita tu diligenter fueris consecutus etc. *Gell.* 3, 10. *sub f.* Haec Varro conquisite admodum scripsit. *Afran.* ap. *Non.* 1, 117. Commercata conquisite edulia.

CONQUISĪTIO, onis, f. ζήτησις, actus conquirendi, investigatio. *Cic. Univ.* 2. *extr.* Difficillimum est in omni conquisitione rationis exordium. *Tac. H.* 2, 84. Conquisitio pecuniarum. [**Liv.* 7, 3. Conquisitio piaculorum.] ℙ *Conquisitio militum* est militum delectus, cum imperator pro sua auctoritate, quos ei visum fuerit, etiam invitos ad militiam conscribit. Id in majoribus plerumque reipubl. periculis fieri consuevit. Alioqui enim ultro nomina dabant. *Cic. Prov. cons.* 2. Exercitus ille noster, superbissimo delectu, et durissima conquisitione collectus, omnis interiit. *Liv.* 23, 32. *sub f.* Ut in Piceno agro conquisitionem militum haberet. *Id.* 25, 6. *ad f.* Conquisitionem ingenuorum per agros facere. Al. leg. *habere.* Adde 29, 34. et 35.

CONQUISĪTOR, oris, m. qui conquirit, ζητητής. Specialiter conquisitores dicti sunt, qui a magistratibus mittebantur ad conquirendos, qui nomina militiae darent, ut in v. praec. dictum est: *Cic. Mil.* 25. Si Italiae delectus, ut nonnulli conquisitores tui dictitant, si haec arma, si delecta juventus contra Milonis impetum armata est. *Liv.* 21, 11. *extr.* Qui duo populi, delectus acerbitate consternati, retentis conquisitoribus etc. *Hirt. B. Alex.* 2. In omnes partes legatos conquisitoresque delectus habendi causa miserant. ℙ Huc adlusisse videtur *Pl. Merc.* 3, 4, 80. Certum est, praeconum jubere jam quantum est conducier, qui illam investigent. Post ad praetorem illico ibo, orabo ut conquisitores det mihi in vicis omnibus etc. ℙ Item exploratores, qui aliorum facta clam arbitrantur, ὠτακουσταὶ. *Pl. Amph. prol.* 65. Ut conquisitores singuli in subsellia eant per totam caveam etc.

CONQUISĪTUS, a, um, part. a *conquiro*, ζητηθείς, diligenter quaesitus, studiose comparatus. *Cic. Agr.* 2, 35. *ad f.* Conquisiti atque electi coloni. *Cels.* 5, 26. *n.* 23. Peregrina et conquisita medicamenta. *Lucr.* 3, 420. Conquisita diu dulcique reperta labore Carmina. *Caes. B. G.* 6, 27. Urorum cornua studiose conquisita ab labris argento circumcludunt. *Cic. Tusc.* 5, 21. Mensas conquisitissimis epulis exstruere. [**Liv.* 29, 18. Pecuniam omnem conquisitam in thesauros Proserpinae referri jussit.] ℙ Dicitur et de re mala. *Cic. Har. resp.* 26. *extr.* Si unum hominem poeta aliquis, fictis conquisitisque vitiis deformatum, vellet inducere.

CONRECTOR. V. CORRECTOR.

CONRĒCUMBENS et Correcumbens, entis, part. ab inusit. conrecumbo συγκαταλινόμενος, simul recumbens. *Tert. Testim. anim.* 4. In convivio eorum, quasi praesentibus, et conrecumbentibus etc.

CONRĒGIONE, aut veteri scribendi more, conrecione, significat e regione, *Festo* teste, legiturque etiam in antiqua augurali formula templi effandi ap. *Varr. L. L.* 6, 2. Scaligero ita emendante: *Interea conregione, conspicione, cortumione, utique ea rectissime sensi.* Conregione, *h. e.* intra eas regiones, qua oculi conspicient, ut ipsemet *Varro* mox interpretatur.

CONREGNO, as, n. 1. simul regno, παραδυναστεύω. *Paul. Nol. carm.* 25, 227., *Sulp. Sev. Hist.* 2, 33. *Tert. adv. Jud.* 8. Cleopatra conregnavit Augusto annis tredecim.

CONRĒSŪPĪNĀTUS et Corresupinatus, a, um, adj. simul resupinatus. *Tertull. Anim.* 48. Neque corresupinatis internis etc.

CONRĒSUSCĪTĀTUS et Corresuscitatus, a, um, part. a *conresuscito*, simul resuscitatus. *Tert. Resurr. carn.* 23. ex *D. Paul. ad Coloss.* 2. *v.* 12.

[CONRĒSUSCĪTO, as, a. 1. simul resuscito. *Hieron. adv. Jov.* 1, 38. Nunc autem Deus conresuscitavit, et consedere nos fecit in coelestibus in Christo Jesu. *F.*]

CONRĒUS et Corrēus, i, m. qui ob eandem causam reus est, συνένοχος. *Ulp. Dig.* 34, 3, 3. Dum a conreo meo petitur, ego inquietor.

CONRĪDĔO,

CONRŌDO,

CONRŪGO,

CONRŪO, atque ejus generis reliqua quaere in CORRIDEO, CORRODO etc,

CONRUSPARI, vel Corruspari, est conquirere, scrutari. *Plautus*: Conruspare tua consilia in pectore. Haec *Festus.*

[CONSABURENSIS, e, adj. ad Consaburum vel Consaburonem pertinens, Hispaniae urbem ex *Itiner. Antonin.* XLIV. mill. passuum dissitam a Toleto, quae nunc *Consuegra. Plin.* 3, 3, 4. Stipendiariorum autem celeberrimi Bastitani, Consaburenses, Dianenses. *Inscr.* ap. *Grut.* 909, 14. Q. Domitius Q. F. Macer Consaburensis. *F.*]

CONSĀCERDOS, otis, m. et f. συμμύστης, qui simul cum alio in eodem sacerdotio est. Est *Symmachi ep.* 10, 74. et *Paul. Nol. ep.* 20. (al. 16.) 2.; habetur etiam in *Inscr.* ap. *De Vita, AA. Benev. cl.* 1. *n.* 10. Tradente simul Cosinia Celsina consacerdote sua.

CONSACRO etc. V. CONSECRO.

CONSĀLŪTĀTĬO, onis, f. ἀσπασμός, actus invicem salutandi, vel multorum salutatio. *Cic. Att.* 2, 18. Huic plausus maximi, consalutatio forensis perhonorifica. *Tac. H.* 4, 72. Nulla inter coeuntes exercitus consalutatio. Adde *Suet. Oth.* 9. et *Tac. A.* 15, 16.

CONSĀLŪTĀTUS, a, um, part. a *consaluto*, a pluribus salutatus. *Tac. H.* 3. *in f.* Domitianum Caesarem consalutatum miles frequens in patrios penates deduxit. [**Suet. Tib.* 17. Unde populo consalutato, circum templa deductus est.]

CONSĀLŪTO, as, avi, atum, a. 1. ἀσπάζομαι, invicem, vel simul saluto. *Cic. Or.* 2. 3. Cum inter se amicissime consalutassent. *Id. Phil.* 2, 24. Quam ex oppidis municipales, obviam necessario prodeuntes, non noto illo et mimico nomine, sed Voconiam consalutabant. *Liv.* 3, 26. Dictatorem eum legati gratulantes consalutant. *Plin.* 28, 2, 5. Consalutare aliquem nomine. *Senec. Vita beat.* 25. Cum Deus undique consalutabor. ℙ Pro simplici saluto. *Petr. Sat.* 7. Ridens eum consalutavi. Et *ib.* 131. Ut me consalutavit, quid est, inquit etc.

CONSĀNESCO, is, anui, n. 3. ὑγιάζομαι, sanus fio. *Cels.* 7, 12. *n.* 4. *de lingua.* Et plerique quidem, ubi consanuerunt, loquuntur. *Colum.* 8, 2. Facta ulcera dum consanescunt, figulari creta linuntur. *Id.* 4, 27. Vitis celeriter consanescit. *Cic. Fam.* 4, 6. *a med.* Hoc tam gravi vulnere, etiam illa, quae consanuisse videbantur, recrudescunt. Al. leg. *consenuisse* minus recte.

CONSANGUĪNĒUS, a, um, adj. συγγενής, ὁμογενής, ὁμοπάτριος, sanguine, hoc est generis vinculo junctus. Stricte *consanguinei* dicuntur a JCtis, *Cajo Instit.* 2, 8. et aliis, fratres et sorores, eodem patre geniti, quamvis fortasse non eadem matre. Hinc saepe praesertim a poetis *consanguineus* ponitur pro fraterno. *Ov. Her.* 14, 121. Et consanguineae quondam centesima turbae, Infelix, uno fratre manente, cadam. *Id. Met.* 8, 476. Consanguineae umbrae. *Stat. Th.* 11, 407. Stat consanguineum campo scelus, *h. e.* fratres ad singularem pugnam parati. *Id. ib.* 60. de Tisiphone. Et consanguineos in proelia suscitet angues, *h. e.* angues suis capillis immixtos, secumque uno partu genitos. (Similem locum habemus ap. *Tibull.* 3, 4, 87. de Cerbero, et ap. *Sidon. carm.* 15, 28. de Briareo.) *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 267. O consanguineis felix auctoribus anne. *Id. B. Gild.* 286. Ne consanguineis certetur cominus armis. Adde *Val. Max.* 5, 5. *n.* 3. et *Acc.* ap. *Cic. Div.* 1, 22. Absolute de sorore. *Catull.* 64, 117. ut linquens genitoris filia vultum, Ut consanguineae complexum etc. ℙ Late autem *consanguinei* vocantur quicumque sanguine inter se connexi sunt, ut *Cassius JCtus* ap. *Ulp. Dig.* 38, 16, 1. *ad f.* definit. Latissime vero omnes conjuncti, sive sint cognati, sive affines. *Cic. Inv.* 1, 24. Hominum genus consideratur natione. Grajus, an Barbarus; cognatione, quibus majoribus, quibus consanguineis. *Caes. B. G.* 1, 11. Ambarri necessarii, et consanguinei Aeduorum. Et *ib.* 33. Aedui fratres consanguineique saepe numero ab senatu appellati. *Sil.* 1, 608. et 655. Roma consanguinea Sagunti. (V. dicta in AEDUI.) *Caes. B. G.* 7, 77. Propinqui et consanguinei nostri. *Virg. A.* 7, 366. Et consanguineo toties data dextera Turno: Ubi *Servius:* Filius est enim Veniliae sororis Amatae. *Claudian. in Rufin.* 2, 237. Quid consonguineas acies, quid dividis olim Concordes Aquilas, *h. e.* exercitus, amicos, et affines etiam. ℙ Translate. *Virg. A.* 6, 278. Et consanguineus Leti Sopor. (χαλκεος θανατοῖο. *Homer. Iliad.* 14, 231.) et *Colum. prooem.* 1. *sub in.* Res rustica, quae sine dubitatione proxima et quasi consanguinea sapientiae est. ℙ *Consanguineum* pro *consanguineorum* est ap. *Lucret.* 3, 73.

CONSANGUĪNĪTAS, atis, f. συγγένεια, sanguinis conjunctio, ut in v. praec. dictum est. Stricte pro fraternitate. *Ulp. Dig.* 38, 8, 4. Consanguinitatis jura a patre oriuntur: proximitatis autem nomine mater etc. Adde *Procul. ib.* 1, 7, 44. ℙ Late pro quacumque sanguinis conjunctione. *Virg. A.* 2, 87. Consanguinitate propinquus. *Liv.* 7, 9. Caeritem populum, misericordia consanguinitatis, Tarquiniensibus adjunctum fama ferebat. Adde 8, 5. ℙ Translate. *Tertull. adv. Haeretic.* 32. *ad f.* Consanguinitas doctrinae, *h. e.* consensus, concordia, similitudo.

CONSĀNO, as, a. 1. ἀκέομαι, ξυγιαίνω, idem quod sano. *Colum.* 4, 29. Nec propter gelicidia corticem movet, ut cicatricem consanet. Et *ib.* 24. *sub f.* Vitis laniata putrescit humoribus, ne plagae consanentur. ℙ Neutra significatione, consanescere. *Ulp. Dig.* 21, 1, 10. Si homini digitus abscissus sit, membrive quid laceratum; quamvis consanaverit etc. Ita *Torrent.;* at *Holoander* habet *consolidaverit.* Suspicatur *Hotomann.* legendum *consanuerit.* [*Cf. *Duk. Lat. Jct.* 342.]

CONSARCĪNĀTUS, a, um, part. a *consarcino*, συρραφθείς, consutus, adsutus. *Ammian.* 31, 2. Indumenta ex pellibus silvestrium murium consarcinata. *Appul. Met.* 7. Centunculi male consarcinati. ℙ Translate. *Gell.* 13, 24. Verbum supplendi numeri causa extrinsecus additum et conconsarcinatum. *Ammian.* 16, 8. Suasitque consarcinatis mendaciis, laesae majestatis arcessere maritum. *Consutis dolis* eod. sensu dixit *Plaut. Amph.* 1, 2, 211.

CONSARCĪNO, as, a. 1. simul sarcio, συσκευάζω, συρράπτω. Translate. *Gell.* 2, 23. *sub f.* Versus sunt hi Caecilii consarcinantis verba tragici tumoris. *Ammian.* 14, 5. Crimina multa consarcinando. Et *ib.* 9. Aemulis consarcinantibus insidias apud Constantium, *h. e.* comminiscentibus.

CONSARRĬO, is, a. 4. idem quod sarrio, aut simul sarrio. *Cato R. R.* 48. Eo stercus minutum addito, consarrito, glebasque comminuito. *Colum.* 11, 3. *post med.* Sulci omnes consarriendi.

CONSĀTĬO, onis, f. 3. V. CONSITIO.

CONSĀTUS, a, um, part. a *consero*, satus, consitus, seminatus. *Solin.* 9. *ad f.* Olympias Alexandri mater nobiliorem ei patrem acquirere affectavit, cum se coitu draconis consatam affirmaret, *h. e.* gravidam factam, ea ratione qua *conserere arva muliebria* dixit *Lucr.* 4, 1100. *Tertull. Resurr. carn.* 16. Caro ab exordio uteri consata, conformata, congenita animae. *Id. Anim.* 43. Somnus est segregatio consati spiritus.

CONSAUCIĀTUS, a, um, part. a *consaucio*, sauciatus, vulneratus, τραυματιζόμενος. *Suet. Aug.* 20. Et crus, et utrumque brachium ruina pontis consauciatus.

CONSAUCIO, as, a. 1. τραυματίζω, τιτρώσκω, idem quod saucio, vulnero. *Auct. ad Herenn.* 4, 19. Crebro et celeri vulnere corpus consauciari. *Suet. Ner.* 26. *extr.* Praetoris caput consauciavit.

CONSĀVĬOR, aris, dep. 1. et Consavio, as, a. χύομαι, φιλέω, suavior, osculor. *Appul. Met.* 2. Ubi primum consaviatus eum etc. *Id. ib.* 6. Jupiter prehensa Cupidinis buccula, consuaviat. ℙ Legitur et *consuavitus*, et *consuaviat:* quia et *savium*, et *suavium* dicitur.

CONSCĒLĔRĀTUS, a, um, part. a *conscelero*, μιαρός, scelere pollutus, scelestus. *Cic. Rosc. Am.* 24. Furiae parentum poenas a conscelerati ssimis filiis repetunt. *Id. Verr.* 2, 1, 35. *extr.* Pirata conscleratus. *Id. Pis.* 20. Deorum immortalium has esse in impios et conscleratos poenas certissimas constitutas. *Id. Dom.* 28. *ad f.* Propulsare vim conscleratam. *Id. Cluent.* 67. Illa conscelerata exsectio linguae. *Id. ib.* 10. Nefarius et conscleratus vultus. *Id. Sull.* 10. Conscleratus furor. *Id. Cat.* 2, 9. Mens conscelerata et nefaria. *Id. Sull.* 9. Voluntates conscleratae et nefariae. *Tac. A.* 15, 55. Intestabilis et conscleratus. *Liv.* 2, 37. *extr.* Conscelerati contaminatique homines. [*Cf. *Id.* 8, 18.] a

CONSCĒLĔRO, as, a. 1. μιαίνω, καταμιαίνω, scelere polluo, contamino. [**Beflecken.*] *Liv.* 40, 8. *sub f.* Agite, conscelerate aures paternas. *Ov. Met.* 7, 34. Cur non et specto pereuntem, oculosque videndo Conscelero? *Catull.* 67, 23. pater ipsius nati violasse cubile Dicitur, et miseram conscelerasse domum.

CONSCENDO, is, endi, ensum, a. 3. ἐπιβαίνω, ἀναβαίνω: a *con*, et *scando*, idem est quod ascendo. *Liv.* 29, 2. *ad f.* Quia equos conscendendi equitibus spatium non fuerat. *Ov. Met.* 6, 222. Conscendere in equos. *Id. Met.* 3, 299. aethera. *Id. Trist.* 3, 8, 1. et *Prop.* 2, 14, 15. currum. *Petr. Sat.* 116. in montem. *Prop.* 1, 6, 3. Riphaeos montes. *Tibull.* 4, 1, 171. excelsos vitis ramos. *Val. Fl.* 2, 444. Et sol aetherias medius conscenderat arces. *Virg. A.* 4, 646. rogum. *Id. ib.* 1, 180. scopulum. *Claud. in I. Cons. Stilich.* 267. et *Suet. Tib.* 17. tribunal. ℙ Saepe est nauticum verbum, et significat navim ingredi. *Cic. Fam.* 14, 7. Navem spero nos valde bonam habere: in eam simul atque conscendi, haec scripsi. *Id. Att.* 14, 16. Conscendere in phaselum. *Id. Fam.* 3, 10. Conscendens jam navem Epheso Laodiceam revertit. Adde *Nep. Datam.* 4. et *Caes. B. C.* 3, 96. *Virg. A.* 10, 155. classem. *Id. ib.* 1, 381. Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor. ℙ Et absolute. *Cic. Q. Fr.* 2, 2, *extr.* Velim, quamprimum bona et certa tempestate conscendas. *Id. Att.* 9, 2. Si Cnaeus bene comitatus conscendisset. Adde *Q. Fr.* 2, 6. et *Ov. Trist.* 1, 2, 41. [**Liv.* 37, 11. Postquam conscendisse suos vidit *Id.* 44, 23. Qui Rhodum irent, Thessalonicae conscendere jussi. Sic 22, 19. 44, 35.] ℙ Translate. *Quint. Decl.* 377. *in.* Per hominum Deorumque contemptum ad ultimum nefas conscendere, *h. e.* ad parricidium.

CONSCENSĬO, onis, f. ascensio, ἀνάβασις. Specialiter est actus conscendendi in navem. *Cic. Div.* 1, 32. Consensio in naves cum fuga.

CONSCENSUS, a, um, part. a *conscendo*, *Just.*

12, 10. Navibus conscensis Oceani litora peragrat. *Id.* 31, 4. Conscensa nave ad Annibalem revertitur.

CONSCIENTIA, ae, f. *συνείδησις*, communis plurium scientia, seu notitia alicujus rei, praesertim malae. [**Das Mitwissen um eine Sache.*] *Suet. Cal.* 56. Non sine conscientia libertorum. *Tac. A.* 2, 77. Est tibi Augustae conscientia. *Id. ib.* 2, 40. Simulata conscientia, *h. e.* conscios se simulantes.] *Cic. Catil.* 1, 1. Constrictam jam omnium horum conscientia teneri conjurationem tuam non vides? (Adde *Fin.* 2, 9. *a med.* et *ib.* 22.) [**Id. Phil.* 2, 11. Quis nomen meum in illius gloriosissimi facti conscientia audivit? i. e. societate.] *Tac. A.* 6, 21. Quoties super negotio consultaret, liberti unius conscientia utebatur *Id. Agr.* 2. Illo igne conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, *h. e.* comburendo cujusdam historici scripta. [**Id. H.* 1, 25. In conscientiam facinoris pauci adsciti. *Id. ib.* 28. Praebere plerisque suspicionem conscientiae. 42. Conscientiam conjurationis confessus est.] *Id. A.* 13, 12. Assumere aliquem in conscientiam, *h. e.* adsciscere, ut simul sciat. Sic *Id. ib.* 12, 67. Adhibere conscientiam alicujus. *Ulp. Dig.* 48, 5, 29. Quicumque ob conscientiam stupri accepit aliquid, poena erit plectendus. *Curt.* 6, 8. Exonerare conscientiam suam, *h. e.* manifestare quae novimus. *Justin.* 31, 4. Purgare publicam conscientiam. *Liv.* 3, 60. Illi conscientia, quid abesset virium, detrectavere puguam. [**Im Gefühl ihrer Schwäche. Id.* 8, 4. Conscientia virium. *Id.* 3, 2. Conscientia contracti culpa periculi. Adde 28, 19.] ℙ Ponitur et pro simplici scientia, seu notitia et cognitione, quam quisque habet privatim alicujus rei, [**Kenntniss, Bewusstseyn.*] *Plin.* 7, 30, 31. Regiae fortunae praelata litterarum conscientia. *Id.* 33, 3, 12. Inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant, ut in somno quoque unionum conscientia adsit, *h. e.* animus sciat, et cogitet se habere margaritas. *Flor.* 2, 12. Nemo regum diutius amissae fortunae conscientiam retinuit, *h. e.* notitiam, ac memoriam. [**Tac. H.* 1, 5. Sed quamvis capite defectionis ablato, manebat plerisque militum conscientia.] ℙ Hinc saepe dicitur de scientia ac judicio animi circa recte aut prave facta. [**Gewissen.*] ex qua oritur voluptas animi ex honestis actionibus; et timor, solicitudo, anxietas ex turpibus. Haec *conscientia animi* ab *Caes. B.* C. 3, 60. et *Cic. Att.* 13, 49., *Fin.* 2, 16. et 17. et *Phaedro prol.* 3, 47. appellatur: nempe quia opponitur illi, de qua modo dictum est, notitiae communi cum aliis, et est propria solum animi cujusque. *Cic. Mil.* 23. Magna vis est conscientiae in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint. *Id. Phil.* 2, 44. Satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus est. *Id. Brut.* 71. Consolari se conscientia optimae mentis. *Id. Fam.* 3, 7. *extr.* Haec ad te scripsi liberius, fretus conscientia officii mei. *Id. Att.* 10, 4. Sustentari praeclara conscientia. *Liv.* 5, 25. Illud se tacere, suam conscientiam non pati. *Cic. Pis.* 17. Oppressus conscientia scelerum tuorum. *Id. Parad.* 5, 3. Ex conscientia peccatorum timor exoritur. *Trajan. ad Plin. ep.* 10, 39. Cum haberent conscientiam conditionis suae, *h. e.* scient se esse servos. ℙ In plur. num. *Cic. Parad.* 2. Te conscientiae stimulant maleficiorum tuorum. *Id. Rosc. Am.* 24. Malae cogitationes conscientiaeque animi. *Id. Cluent.* 20. Consilia conscientiasque facinorum supplicio dignas judicare. ℙ Cum ablat. et praepos. *de Sall. Cat.* 36. *in ep. Catil. ad Catul.* Satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi. ℙ In hac significatione saepe absolute ponitur. *Cic. Att.* 12, 27. Mea mihi conscientia pluris est, quam omnium sermo. ℙ Plerumque tamen in malam partem. *Id. Catil.* 2, 6. Homo audacissimus, conscientia convictus reticuit. *Id, Leg.* 1, 14. Angor conscientiae. *Sall. Cat.* 15. Conscientia mentem vexat. *Id. Jug.* 37. Ex conscientia diffidens rebus suis. *Senec. ep.* 97. *sub f.* Conscientia flagellantur facinora mala. *Curt.* 5, 11. Stimulante conscientia. *Id.* 3, 6. Aliquas conscientiae notas in ipso ore deprehendere. ℙ Item metonymice pro ipsa culpa, seu reatu, unde oritur conscientiae angor. *Sall. Jug.* 89. Non placuit reticere, ne quis modestiam in conscientiam duceret. ℙ *Recta conscientia*, item metonymice, pro honestate, seu vita cum virtute acta. *Cic. Att.* 13, 20. In omni vita sua quemque a recta conscientia transversum unguem non oportet discedere. *Plin. ep.* 1, 12. Plurimas vivendi causas habens, optimam conscientiam, optimam famam, maximam auctoritatem. [**Plin. Pan.* 67, 7. Sed ingenti conscientia, Caesar, pacisceris cum diis. *Liv.* 29, 33. Cum conscientia egregia saepe repetiti regni paterni.] ℙ Dicitur etiam *bona*, aut *mala* conscientia. *Quint.* 6, 1. Deorum invocatio velut ex bona conscientia profecta videri solet. *Sall. Jug.* 66. Ex mala conscientia digna timere. Adde *Senec. ep.* 12. *ad f.* et *Clem.* 1, 15. et *Tac. Agr.* 1. [*Cf. quae adnotavit *Schulting* ad *Quint. Declam.* 1. p. 19. ubi nubem exemplorum invenies.] ℙ Salva conscientia. V. SALVUS. ℙ *Conscientia mille testes* proverb. ap. *Quint.* 5, 11. *sub f.* quo significatur, conscientiam nunquam mentiri, sed rem prodere, et certam facere, non secus ac si mille testibus confirmaretur.

CONSCINDO, is, idi, issum, a. 3. *συντέμνω*, *διαῤῥήγνυμι*, idem quod scindo, discindo, discerpo, lacero. *Cic. Fam* 7, 18. *sub f.* Epistolam tuam conscidi innocentem: nihil enim habebat, quod non vel in concione recte legi posset. *Ter. Eun.* 4, 3, 4. Vestem omnem miserae discidit, tum ipsam capillo conscidit. [*Cf. *Ruhnk.* ad h. l. et quem laudat *Gronov. observ.* 4, 13.] *Cic. Verr.* 2, 3, 23. Pugnis et calcibus aliquem conscindere. ℙ Translate. *Cic. Att.* 2, 19. Conscindere aliquem sibilis. *Lucr.* 5, 46. Quantae conscindunt hominem cuppedinis acres Sollicitum curae? *h. e.* vexant, cruciant. ℙ Absolute. *Cic. Att.* 8, 16. Is me ab optimatibus ait conscindi, *h. e.* maledictis lacerari.

CONSCIO, is, a. 4. a *con*, et *scio*, conscius sum, scio, cognosco. *Lex. XII. Tab.* ap. *Auct. ad Her.* 2, 13. et *Gell.* 17, 2. Ante meridiem causam conscito, *h. e.* cognoscito. Sed mira est hoc loco lectionis varietas. ℙ *Conscire sibi aliquid* est alicujus pravi facinoris conscium esse. *Hor. Ep.* 1, 1, 61. hic murus aheneus esto, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. ℙ Alium hujus verbi usum non facile invenies. ℙ [Part. *Consciens* ap. *Tertull. Car. Chr.* 3. Consciens Christus, quid esset. *F.*]

CONSCIOLUS, i, m. dimin. a *conscius*. *Catull.* 67, 41. Saepe illam audivi furtiva voce loquentem Solam consciolis haec sua flagitia. Al. leg. *cum ancillis*: alii aliter.

CONSCISCO, is, ivi, itum, a. 4. *συμψηφίζομαι*, idem quod scisco, vel simul scisco, delibero, decerno, statuo. *Liv.* 1, 32. *ex veteri formula bellum indicendi.* Quas res nec dederunt, nec fecerunt, nec solverunt, pio puroque duello quaerendas censeo: itaque consentio, consciscoque. *Id.* 10, 18. Tusci fere omnes consciverant bellum. Al. leg. *conciverant:* al. *concitaverant.* (Adde 33, 49.) *Id.* 28, 22. Facinus in se ac suos foedum ac ferum consciscunt. *Cic. Leg.* 3, 3. *extr.* Creatio magistratuum, judicia, populi jussa, vetita, cum suffragio consciscentur, optimatibus nota, plebi libera sunto. ℙ In usu frequentiore habet significationem exsequendi, ut, consciscere sibi mortem, nempe exsequi id quod deliberaveris et decreveris. *Cic. Cluent.* 61. Qui si quid animi, ac virtutis habuisset, mortem sibi ipse consciscet, syncope pro *conscivisset. Id. Brut.* 11. Veneno sibi mortem consciscere. *Id. Fam.* 7, 3. Consciscenda mors voluntaria. *Brut. ad Cic. inter ep. ad Brut.* 1, 16. *circa med.* Neque incolumis fui Caesare vivo, nisi postquam illud conscivi facinus. *Liv.* 5, 53. et 10, 34. *sub f.* Ut exsilium ac fugam nobis ex eo loco consciscemus, quem, etc., *h. e.* nos ultro exsilium et fugam caperemus. Eodem modo 29, 36. et 10, 17. et *Tac. H.* 3, 9. locutus est. *Gell.* 10, 17. Modum, quo Democritus caecitatem conscivit, Laberius poeta descripsit. ℙ *Consciscere bellum*, bellum facere, dixit *Liv.* 41, 8. V. *ib.* 6. ℙ [Part. *Consciscens* ap. *Liv.* 29, 36. Conscientia sibimet ipsi exsilium consciscentes. *F.*]

CONSCISSIO, onis, f. *συντομή*, actus conscindendi. *August. Mor. Eccles. Cath.* 34. Quid inter unitatem et conscissionem intersit.

CONSCISSURA, ae, f. idem ac scissura. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 6. Etiam cicatricibus operis, atque conscissuris remanentibus. *Hard.* legit *Concisuris* ex MSS. Editiones vet. 1469, 1470. et 1472. habent *conscissuris.*

CONSCISSUS, a, um, part. a *conscindo*, scissus, dilaceratus. *Pl. Truc.* 1, 1, 32. Pallula conscissa. *Ter. Eun.* 5, 1, 4. vestis. *Cic. Fam.* 7, 25. epistola. *Sall. or.* 1. *ad Caes. de repub. ordin.* Plebs R. in villa publica pecoris modo conscissa. *Cic. Verr.* 2, 3, 23. Conscissus pugnis et calcibus. ℙ Translate. *Cic. Att.* 2, 19. Qua dominus, qua advocati sibilis conscissi. *Justin.* 2, 1. *sub f.* Aegyptus adversum vim incurrentium aquarum tantis structa molibus, tot fossis conscissa, *h. e.* intercisa.

CONSCITUS, a, um, part. a *conscisco*. *Liv.* 9, 26. Calavios mors haud dubie ab ipsis conscita judicio subtraxit. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 3. Labor, incertum, longior, an periculosior, passim conscita nece.

CONSCIUS, a, um, adj. *συνειδώς*, *συνεπιστάμενος*, qui cum aliis scit aliquid sive bonum, sive malum, particeps, socius, testis. *Cic. Att.* 1, 18. Qui mihi et in publica re socius, et in privatis omnibus conscius, et omnium meorum sermonum particeps esse soles. *Id. Fam.* 6, 5. Homo omnium meorum in te studiorum et officiorum maxime conscius. *Id. Att.* 2, 24. *post med.* His de rebus conscium esse Pisonem generum meum. *Id. Fin.* 2, 16. Ut excogitet, quo modo occulte, sine teste, sine ullo conscio fallat. [**Ov. Met.* 4, 63. Conscius omnis abest.] *Id. Coel.* 21. *ad f.* Huic facinori tanto mens tua liberalis conscia esse non debuit. *Id. Verr.* 2, 3, 56. Tot viros primarios esse temeritati et mendacio meo conscios. [**Quint. Decl.* 17. p. 335. Querelis meis lacrimisque jam conscius. Cf. *Heins.* ad loc. *Ov.* infra laudatum *Met.* 6, 588. ubi multis haec hujus vocabuli cum dat. constructio *ostenditur.* Adde *Tibull.* 1, 9, 41. Verbis ne quisquam conscius esset. *Lucr.* 3, 1031. Mens sibi conscia factis.] *Pl. Most.* 2, 3, 46. et *Truc.* 1, 1, 40. Facere aliquem conscium. *Prop.* 1, 10, 2. Affueram vestris conscius in lacrimis. [**Caes. B. C.* 3, 108. Deinde adjutores quosdam, conscios sui, nactus ex regis amicis.] *Sall. Catil.* 26. Saepe antehac fidem prodiderat, creditum abjuraverat, caedis conscia fuerat, *h. e.* particeps. [*Cf. *B. Crus.* in *cl. Suet.* s. h. v.] ℙ Item qui solus scit rem aliquam. Cum enim *scius* parum admodum sit in usu, pro eo *conscius*, quae sonantior est vox, usurpari coepta: quod et *Non.* 5, 29. advertit. *Cic. Tusc.* 2, 4. Mihi conscius sum, nunquam me nimis cupidum fuisse vitae. *Caes. B. G.* 1, 14. Si alicujus injuriae sibi conscius fuisset, *h. e.* injuriae illatae scisset se reum esse. *Hirt. B. G.* 8, 44. Cum sibi conscius esset, quam inimicum deberet Caesarem habere. *Virg. A.* 1, 604. Mens sibi conscia recti. [**Ov. Fast.* 1, 485. Conscia mens ut cuique sua est, ita spemque metumque concipit.] ℙ Conscius sum mihi benefacienti, vel *benefaciens: σύνοιδα ἐμαυτῷ εὐπεποιηκότι*, vel *πεποιηκώς*, formula Graecae locutionis, qua testatur *Prisc.* 18, 1205. etiam Latinos aliquando usos fuisse. ℙ Absolute idem est ac reus. *Pl. Most.* 3, 1, 13. Nihil est miserius, quam animus hominis conscius. *Senec. Herc. fur.* 692. Pudor serus conscios vultus tegit. *Id. Hippol.* 495. Omnes conscius strepitus pavet. ℙ Tribuitur et aliis rebus. *Virg. A.* 4, 167. fulsere ignes, et conscius aether Connubii, *h. e.* praesens testis. *Id. ib.* 2, 141. Numina conscia veri. *Mart.* 4, 25. Et Phaethontei conscia silva rogi. *Ov. Her.* 17, 265. furtivae conscia mentis Littera. *Id. Met.* 8, 530. diri manus sibi conscia facti. *Id. Her.* 15, 138. Antra conscia deliciis. [**Id. Met.* 6, 588. Nox conscia sacris.] *Tibull.* 1, 9, 3. Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra Deorum, *h. e.* exta, quae norunt quodammodo, ac manifestant Deorum voluntatem. [**Id.* 1, 7, 48. Et levis occultis conscia cista sacris, i. e. quae habet in se reconditas sacras res etc. Conscia poetis saepe ea dicuntur, quae aliquid inclusum tenent.] *Ov. Amor.* 2, 1, 7. Atque aliquis juvenum, quo nunc ego, saucius arcu, Agnoscat flammae conscia signa suae, *h. e.* quae flammam suam repraesentent et significent. *Id. Met.* 3, 290. Quoque magis credas, Stygii quoque conscia sunto Numina torrentis, *h. e.* testes. *Senec. Herc. Oet.* 1207. Virtus conscia laudis, *h. e.* quae scit laudem sibi deberi. *Lucan.* 1, 20. Gens nascenti conscia Nilo, *h. e.* quae accolit Nili fontes. *Virg. A.* 12, 668. Conscia virtus, *h. e.* quae suas vires cognoscit. [**Prop.* 1, 15, 14. Et quamvis nunquam posthac visura, dolebat illa tamen longae conscia laetitiae, i. e. recordata est voluptatis, quam per septem annos perceperat. *Virg. A.* 8, 393. Sensit laeta dolis et formae conscia conjux.]

CONSCRĔOR, aris, dep. 1. pituitam, aut salivam excreando purgor, *συναναχρέμπτομαι. Pl. Pers.* 2, 5, 7. Magnifice conscreabor. Apud *Non.* 7, 92. haec eadem *Plauti* verba referentem legitur *conscrabor:* sed vel corrupta est lectio, vel *Nonius* erravit turpiter, ut et *Lips.* adnotavit *l.* 2. *Quaest. epist. ep.* 4.

CONSCRĪBILLO, as, a. 1. dimin. a *conscribo*, sed ejusdem significationis, ut *Non.* 2, 108. docet. Videtur tamen continere aliquem contemptum. *Varro ib.* Itaque eas in ceram conscribillavit. *Id. ib.* Astrologi non sunt, qui conscribillarunt pigmentis coelum. *Catull.* 25, 10. Ne laneum latusculum, natesque mollicellas Inusta turpiter tibi flagella conscribillent, *h. e.* vibicibus notent, aut scarificent, lacerent, *ἐγγράφωσι*, *ἐπιγράφωσι.* Antepaenultima hoc loco a *Catullo* corripitur. [Ita *Homer. Iliad.* 4, 139. *de sagitta perstringente* cutem *Menelai. Ἀκρότατον δ' ἄρ ὀϊστὸς ἐπέγραψε χρόα φωτός.* V. v. seq. *F.*]

CONSCRĪBO, is, ipsi, iptum, a. 3. *συγγράφω*, idem quod scribo vel simul scribo. *Cic. Att.* 12, 19. De Antonio quoque Balbus ad me cum Oppio conscripsit. [*Adde *Eund. Fam.* 11, 2. ubi tamen e cdd. aliq. *Graev. scripsissemus;* haud improbante *Orell.* Adde *Suet. Claud.* 38. ubi v. *Ern.*] ℙ Est etiam militare verbum. Nam *conscribere milites* est cogere, et eorum nomina scribendo milites facere. *Cic. ad Quirit.* 5. Cum homines in tribunali Aurelio palam conscribi, centuriarique vidissem. *Lentul. ad Coss. Fam.* 12, 15. *sub f.* Milites, quos Dolabella ex Asia conscripserat. *Caes. B. G.* 1, 10. Duas legiones conscribere. *Pl. Mil.* 1, 1, 76. Cogere et conscribere latrones. ℙ Item generatim describere etiam extra rem militarem. *Cic. Planc.* 18. et 19. Conscripsisse, sequestrem fuisse, tribules decuriasse. [*H. l. de iis dicitur, qui populum corrumpere studentes, eum in decurias describunt, et quid decuriis singulis daturi sint, pronuntiant.

Pertinet huc etiam loc. *Cic.* ad *Quir.* 5. supra *laud.* V. et in Conscriptus.] ℙ Saepe significat scribendo componere, rem aliquam scribendo tractare. *Cic. Fam.* 7, 19. Institui Topica Aristotelea conscribere. *Id. Rosc. Am.* 35. Conscribere volumen. *Id. Att.* 4, 1. *ad f.* legem: componere legem populo proponendam. *Id. Har. resp.* 20. testamenta. *Id. Att.* 13, 50. epistolam de aliqua re alicui. *Nep. Lysand.* 4. librum multis verbis. *Ov. Pont.* 2, 9, 73. stultam conscripsimus artem. *Auct. ad Her.* 1. *in.* De ratione dicendi conscribere. [*Liv. 41, 24. Nemo novae societatis aut novi foederis, quo nos temere illigemus conscribendi est auctor. Eodem modo dicit *Id.* 42, 12. Ad scribendum amicitiae foedus adduci.] ℙ Aliquando lacerare, scarificare, concidere. *Pl. Ps.* 1, 5, 131. Stilis me totum usque ulmeis conscribito. ℙ [Part. *Conscribendus* ap. *Caes. B. C.* 3, 4. Quas *(legiones)* Lentulus conscribendas curaverat. *F.*]

CONSCRIPTIO, onis, f. *συγγραφή*, actus conscribendi. *Cic. Cluent.* 67. Falsae conscriptiones quaestionum, *h. e.* tabulae. *Vitr. initio prooem. l.* 7. Omnium generum sensus conscriptionibus memoriae tradendos curaverunt, *h. e.* libris conscriptis. *Sidon. ep.* 7, 18. De libelli conscriptione meditari. *Arnob.* 7. p. 242. Quid historiae sibi volunt, quid annales, quorum in conscriptionibus legimus etc.? Adde p. 253.

CONSCRIPTOR, oris, m. *συγγραφεύς*, qui conscribit. *Quint. Decl.* 277. Conditor conscriptorque legis. *Arnob.* 1. p. 33. et 34. Conscriptores nostri mendaciter ista prompserunt. Adde *Augustin. ep.* 18. *a med.*

CONSCRIPTUS, a, um, part. a *conscribo*, *συγγεγραμμένος*, idem quod scriptus, scribendo compositus. *Cic. Cluent.* 66. Fortunas alterius litteris conscriptas in judicium afferre. *Id. Brut.* 35. Liber conscriptus de consulatu, de rebus gestis. *Caes. B. G.* 5, 46. Epistola Graecis litteris conscripta. [*Liv. 26, 24. Conscriptae conditiones. *Id.* 29, 13. Haec conscripta consignataque sunt, et in duos menses indutiae factae.] *Ov. Amor.* 2, 5, 17. Conscripta vino mensa. ℙ *Id. Trist.* 5, 3, 55. veterum digne veneror conscripta virorum. Al. leg. *cum scripta.* ℙ Item inter milites descriptus. *Caes. B. C.* 1, 85. Legio conscripta. *Tac. A.* 3, 42. Ala equitum conscripta Treveris. [*Suet. Caes. 8. Conscriptae in Ciliciam legiones. *Tac. H.* 3, 25. Is, inter septimanos a Galba conscriptus. ℙ Hinc transfertur ad eos, qui seditionis movendae, corrumpendi causa, colliguntur, congregantur. *Cic. in Sen.* p. *Red.* 13. Servos simulatione collegiorum nominatim esse conscriptos. et al.] ℙ Patres conscripti, *ἔγγραφοι, προσκαταγραφέντες*, in senatu R. primum dicti sunt, inquit *Festus*, qui ex equestri ordine patribus adscribebantur, ut numerus senatorum expleretur. *Id. sub littera* Q. explicatius haec addit: Qui patres, qui conscripti vocati sunt in curiam, quo tempore regibus urbe expulsis, P. Valerius Cons. *(Liv.* 2, 1. et *Tac. A.* 11, 25. hoc L. Junio Bruto ejus collegae attribuunt. *Dion. Halic. l.* 5. utrique consuli) propter inopiam patriciorum, ex plebe *(Liv. ib.* ex primoribus equestris gradus) adlegit in numerum senatorum centum et sexaginta et quatuor, ut expleret numerum trecentorum: et duo genera appellata sunt. Tangit hic *Fest.* morem eorum temporum, quo post senatores hosce conscriptos, additosque senatui, accensus ita eos vocare in senatum solebat: qui patres, quique conscripti etc. V. *Liv. l. c.* Hosce conscriptos patres *Tac. l. c.* appellat patricios *minorum gentium*, ut eos, quos Romulus instituerat, *majorum. Liv.* vero 1, 35. et 47. et *Cic.* 2. *De rep.* (ed. *A. Maio*) 20. *minorum gentium* appellant illos centum, quos Tarquinius Priscus adlegerat. Qui vero post eos in senatum adsciti sunt (quod saepius est factitatum) *allecti* sunt appellati: de quib. V. suo loco. Verum non desunt ex recentioribus, qui *conscriptos* putant appellatos eos, quos Romulus ipse post Sabinum bellum in senatum adscivit, et primis centum patribus adjunxit. V. plura apud eruditos, *Sigon.*, *Panvin.*, *Manut.* etc. ℙ Procedente tempore omnes patres *conscripti* vocati sunt; quae appellatio in Orationibus *Ciceronis* passim occurrit. ℙ Absolute. *Hor. A. P.* 314. Discere, quod sit conscripti, quod judicis officium. ℙ Denique *conscriptus* interdum est idem quod subscriptus, quia qui subscribit, simul cum alio scribit. *Ulp. Dig.* 38, 17, 2. *ad f.* Finge autem plenius conditionem conscriptam; nonne erit matri ignoscendum? ℙ Delineatus, descriptus. *Stat. Silv.* 3, 1, 117. conscripta formatur imagine tela.

CONSĔCO, as, cui, ectum, a. 1. *συγκόπτω, διατέμνω*, idem quod seco, concido. *Ov. Trist.* 3, 9, 34. Inde Tomos dictus locus est, quia fertur in illo Membra soror fratris consecuisse sui. *Ascon. in argum. Milonianae a med.* Articulatim consecare aliquem. *Plin.* 12, 19, 43. Consecare surculos. V. alia in CONSECTUS. ℙ *Id.* 36, 26, 66. *de massa vitri ferventis.* Consecat usque ad ossa quidquid afflaverit corporis. *Petr. Sat.* 137. tremulo deduxit vertice canos, Consecuitque genas, oculis nec defuit imber.

CONSĔCRĀNĔUS, a, um, adj. qui eorundem sacrorum particeps est, *συμμύστης:* item commilito, eodem sacramento obstrictus. *Capitol. Gordian.* 14. Sacrati commilitones, immo etiam mei consecranei. *Tertull. Apol.* 16. Sed et qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster.

CONSECRATIO, onis, f. idem ac sacratio, *ἀφιέρωσις. Cic. Dom.* 48. An consecratio nullum habet jus, dedicatio est religiosa? V. CONSECRO. [*Cf. *Ernest. cl. Cic.* s. h. v. ubi pluribus de hujus loci sententia et de discrimine inter *vv. consecratio* et *dedicatio* disputatur. ℙ *Consecratio capitis* ap. *Cic. Balb.* 14. est genus legis sacrandae, cum scil. caput ejus sacrum pronuntiatur, qui contra legem fecerit. V. *ind. legg.* v. leges sacratae. Haec *Ernest.* in *cl. Cic.* p. 345.] ℙ Consecratio etiam dicebatur imperatorum defunctorum in Deos relatio, *ἀποθέωσις*, quod primum in Augusto factum est. Fiebat autem exstructo rogo aromatibus farto, immissoque igne; quo accenso aquila emittebatur, quam dicebant animam demortui ad Deos evolantis. In Augustarum consecrationibus adhibebatur pavo, qui Junoni est sacer. Omnem hunc ritum V. apud *Herodian.* 4, 2. Ipsa autem vox *consecratio* hoc sensu occurrit ap. *Tac. A.* 13, 2. [*Adde *Suet. Dom.* 2.] et in nummis Augusti, Vespasiani, Titi etc., item Liviae, Flaviae Domitillae, Marcianae, Matidiae etc. apud *Eckhel.* et alios: nec semper pavo in nummis mulierum, sed aliquando etiam aquila visitur, ut in nummo Matidiae, et alibi. ℙ Item institutio alicujus in sacerdotem, *τελείωσις. Inscr.* apud *Grut.* 303, 2. D. D. N. N. Valente et Valentiniano Aug. VI. Id. Apr. tradidit Hierocoraica Aur. Victor Augentius filio suo Aemiliano anno trigesimo consecrationis suae. ℙ Mira hujus vocis significatio est pro magica precatione seu sacrificio. *Lamprid. Elagab.* 9. Dictum est a quibusdam, per Chaldaeos et Magos Antoninum id egisse, ut Marcomanni populo R. semper devoti essent atque amici, idque factis carminibus et consecratione. Cum quaereret quae illa essent vel ubi essent, suppressum est: constabat enim, illum ob hoc consecrationem quaerere, ut eam dissiparet.

CONSECRATOR, oris, m. *τελειωτής*, qui consecrat. *Tertull. Pudic.* 21. *sub f.* Auctor et consecrator Ecclesiae. *Hieron. ep.* 69. *n.* 9. Consecrator virginum. *Firmic. Mathes.* 4, 7. *sub f.* Consecratores simulacrorum.

CONSECRATRIX, icis, f. quae consecrat. *Tertull. adv. Gnost.* 3. Aegyptus, inter cetera animalia, bovis etiam consecratrix, *h. e.* quae bovem quoque Deum facit.

CONSECRATUS, a, um, part. a *consecro*, *ἀφιερωθείς, ἀφιερωμένος*, Deo dicatus, sacer. *Cic. Verr.* 2, 4, 2. Hunc marmoreum Cupidinem, quod erat consecratus, non attigit. Et *ib.* 57. Aristeus una cum Libero patre eodem in templo consecratus. [*Suet. Caes.* 20. Ager campanus majoribus consecratus, i. e. a majoribus promiscuo, usu exemptus, in publicam utilitatem reservatus. Ita saepius apud *Suet.* V. *B. Crus.*, *Cl. Suet.* s. h. v. et cf. *Brem.* ad l. modo laudatum.] ℙ Item Deus factus. *Cic. Leg.* 2, 11. Ex hominum genere consecratos, ut Herculem, coli lex jubet. *Id. N. D.* 1, 35. *extr.* Beluae a Barbaris propter beneficium consecratae. Et *ib.* 3, 20. Tempestates, quae populi R. ritibus consecratae sunt. *Tac. A.* 13, 14. *extr.* Claudius consecratus. V. CONSECRATIO. Rursus *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 10. In istis urbibus tuas virtutes consecratas, et in Deorum numero collocatas vides. (Adde *N. D.* 3, 19. *ad f.*, ubi eodem modo locutus est.) Intelligit autem statuas positas virtutibus Q. Fratris, eo modo quo *Providentiae Tiberii*, *Pietati Augusti*, *Clementiae* etc., quae leguntur in antiquis Impp. Rom. monumentis. *Lips. Elect.* 1, 14. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 5, 4. Socratis multiplex ratio disputandi Platonis memoria et litteris consecrata. *Id. Sext.* 68. *extr.* Opinio in illo sanctissimo Hercule consecrata. *Id. Har. resp.* 4. *de Clodio.* Cogitet, si contentus sit iis sceleribus, quae commisit, esse jam consecratum Miloni, *h. e.* devotum: velut sacrum, et detestabilem, destinatum esse Miloni, a quo per accusationem, legibus ac judicio conficiatur. *Id. Tusc.* 2, 2. Qui certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt. *Id. ib.* 3, 1. Ars corporis curandi Deorum immortalium inventioni consecrata, *h. e.* Diis inventoribus attributa et sacra habita.

CONSECRO, as, avi, atum, a. 1. *ἀφιερόω, καθιερόω, τελειόω*, ex profano sacrum ac religiosum facio, Diis dico: a *con*, et *sacro*, et ejusdem cum eo significationis. *Cic. Arch.* 11. Martis manubias Musis consecrare. *Id. Verr.* 2, 4, 29. *extr.* Dare, donare, dicare, consecrare candelabrum Jovi Opt. Max. *formula aliquid Diis addicendi.* [*Suet. Nero 12. Barbam capitolio consecravit.] *Id. Dom.* 55. Consecrare aram in litore. Et *ib.* 47. C. Atinius bona Q. Metelli consecravit, foculo posito in Rostris, adhibitoque tibicine. Et *ib. paulo post.* Tu capite velato, concione advocata, foculo posito, bona Gabinii consecrasti. *(Habes hic ritum bona alicujus consecrandi.) Suet. Caes.* 81. Equos, quos in trajiciendo Rubicone flumine consecrarat, ac vagos, et sine custode dimiserat. [*i. e. humano usu exemerat. Ita *B. Crus.* in *Cl. Suet.* Cf. *Brem.*, qui supplendum docet *Marti*, cui equos dedicari in more fuerit. *Liv. Praef.* Consecrare origines suas et ad deos auctores referre.] ℙ Inter consecrare, et dedicare multiplex est discrimen. Consecrantur quaecumque res Diis addicuntur, etiam agri, animalia etc., dedicantur ea tantum, quae ad Deorum cultum proxime pertinent, ut signa, tabulae, aedes, arae, templa. Quaecumque dedicantur, consecrata sunt; non contra. Nam dedicatio supponit consecrationem, non contra. Dedicare interdum est uti incipere, encaeniare: consecrare hoc sensu proprie non dicitur. Quaedam consecrare quivis potest privatus: dedicare est magistratus, aut illius, quem populus jusserit. Consecratio non habet certam formulam: at in dedicatione pontifex verba praeibat, quibus illa perageretur. Denique alii consecrandi solemniter, alii dedicandi ritus fuere. Aliquando tamen haec duo confunduntur. *Mart.* 4, 30. Et pisces venerare dedicatos, *h. e.* consecratos, Domitiano sacros in sinu Bajano. ℙ Quia quae Diis consecrantur, perpetuo sacra esse debent; hinc aliquando consecrare ponitur pro perpetuum facere, immortalitate donare. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 15. Cum amplissimis monumentis consecrare voluisses memoriam nominis tui. *Id. Att.* 12, 18. Consecrare aliquid omni genere monumentorum. *Id. Mil.* 29. *ad f.* Qui tyrannos necaverunt, prope ad immortalitatis et religionem et memoriam consecrantur. ℙ *Consecrare aliquem* est inter Deos referre, et Deum facere, *ἀποθεόω.* V. CONSECRATIO. *Cic. N. D.* 2, 24. Liber, quem nostri majores auguste sancteque cum Cerere, et Libera consecraverunt. Et *ib.* 3, 15. Omne fere genus bestiarum Aegyptii consecraverunt. *Id. Leg.* 2, 11. Bene vero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecratur manu, *h. e.* manu et arte factis et consecratis earum signis, in Deorum numero habentur. *Curt.* 9, 6. *extr.* Olympiadem matrem immortalitati consecrare. *Vopisc. Prop.* 23. Probi dignitas consecranda vultibus, et ornanda templis, *h. e.* iconibus factis Deorum more colenda. [*Hor. *Od.* 4, 8, 27. Ereptum stygiis fluctibus Aeacum Virtus et favor et lingua potentium Vatum divitibus consecrat insulis.] ℙ Translate. *Cic. Leg.* 2, 2. Patria, pro qua mori, et cui nos totos dedere, et in qua nostra omnia ponere, et quasi consecrare debemus, *h. e.* perpetuo addicere. *Id. fragm. de consolat.* ap. *Lact.* 1, 15. Consecrare aliquem ad opinionem omnium mortalium. ℙ Ponitur et pro devovere, et tanquam exsecrabile occidendum destinare. *Liv.* 3, 48. Te, Appi, tuumque caput sanguine hoc consecro. *Plin. Pan.* 64. Expressit verba, quibus caput suum, domum suam, si sciens fefellisset, Deorum irae consecraret. ℙ Reperitur et *consacro* per *a*: quamquam rarius. *Inscr.* apud *Grut.* 18, 6. Ex voto suscepto aram consacravit. Alia *ib.* 867, 5. Ollarum quae in his aedificiis insunt, et consacratae sunt. Al. hic leg. *consecratae.*

CONSECTĀNĔUS, a, um, adj. qui aliorum opinionem, aut doctrinam sequitur, qui est ejusdem sectae, *ὁμογνώμων. Sidon. ep.* 3, 6. Vos consectanei vestri Plotini dogmatibus inhaerentes. *Id. ep.* 7, 9. *init. concionis.* Et sic incipientes quosque, inter disputantium consectaneorum cathedras, mutum sustinuisse quinquennium. Adde *ep.* 1, 1. ℙ Item consequens. *Arnob.* 7. p. 214. Si teneamus, universos animorum affectus ignotos Diis esse, consectaneum est credere, nunquam Deos irasci.

CONSECTĀRIUS, a, um, adj. *ἐπακολουθητικός*, qui ex aliqua re consequitur, consequens, connexus. *Cic. Fin.* 4, 18. Illud vero minime consectarium, sed in primis hebes etc. ℙ *Consectarium* absolute est argumenti brevis et adstricta conclusio, aperte ac statim ex praemissis consequens. *Cic. Fin.* 3, 8. Consectaria me Stoicorum brevia et acuta delectant. Concluduntur eorum argumenta sic: Quod est bonum, omne laudabile est: quod autem laudabile est, omne honestum est. Bonum igitur quod est, honestum est. Adde *Fin.* 4, 18.

CONSECTĀTIO, onis, f. *παρακολούθησις*, sectatio. *Cic. Or.* 49. In hujus concinnitatis consectatione Gorgiam fuisse principem accepimus. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 6. Manifestum est, supervacuum esse, generum *(vini)* consectationem in numerum, cum eadem vitis aliud aliis in locis polleat, *h. e.* enumeratio.

CONSECTATRIX, icis, f. *παρακόλουθος*, quae sectatur. *Cic. Off.* 3, 33. Est enim temperantia libidinum inimica, libidines autem consectatrices voluptatis.

CONSECTĀTUS, a, um, part. a *consector. Caes. B. G.* 3, 26. Quos equitatus apertissimis campis consectatus. *Id. ib.* 3, 15. Singulas naves nostri consectati expugnaverunt. Adde *ib.* 6, 7. et *Plin.* 2, 52, 53.

CONSECTIO, onis, f. sectio, *διαιρεσή. Cic. N. D.* 2, 60. Arborum autem consectione, omnique materia et culta et silvestri etc.

CONSECTOR, aris, atus sum, dep. 1. *ἀκολουθέω*, frequentat. a *consequor*, sector, vel saepe, aut omnino, aut diligenter sector. *Ter. Eun.* 2, 2, 18. Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt, nec sunt: hos consector, his ultro arrideo etc. *Pl. Trin.* 2, 1, 12. Eos cupit, eos consectatur, subdole blanditur. *Id, Pseud.* 4, 7, 137. Angiporta haec certum est consectarier (pro *consectari* paragoge), *h. e.* percurrendo sequi. *Plin.* 8, 47, 72. Arieti naturale agnas fastidire, senectam ovium consectari. *Pl. Mil.* 4, 3, 19. Ad equas fuisti scitus admissarius, qui consectare qua mares, qua feminas. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 1, 10. Amare, consectari, velle adipisci aliquid. *Id. Off.* 2, 15. Alexander largitione benevolentiam Macedonum consectatur. *Id. Off.* 1, 2. Sisenna in historia puerile quiddam consectatur. *Id. Or.* 2, 27. Tardi ingenii est rivulos consectari, fontes rerum non videre. *Id. Pis.* 24. Inanem aucupari rumorem, et omnes umbras etiam falsae gloriae consectari. *Id. Or.* 1, 8. *ad f.* Ac ne plura, quae sunt paene innumerabilia, consecter, comprehendam brevi, *h. e.* ne plura dicendo persequar. *Plin. Pan.* 75. Sed quid singula consector, et colligo? quasi vero aut oratione complecti, aut memoria consequi possim. *Plin. alter* 2, 52, 53. Consectari aliquid subtilius. ℙ Pro imitari. *Cic. Or.* 3, 11. Vitium, quod nonnulli de industria consectantur. *Id. Tusc.* 5, 4. Consectari rationem disputandi Socratis. *Gell.* 12, 1. Scite et perite noster Maro, cum versus illos Homeri consectaretur etc. ℙ Significat etiam insectari, persequi, urgere, *διώκω*. *Cic. Att.* 2, 18. Consectari aliquem clamoribus, et conviciis, et sibilis. [*Adde *Eund. Fam.* 8, 12.] *Nep. Them.* 2. Maritimos praedones consectando, mare tutum reddidit. *Caes. B. G.* 5, 58. Recedentes equites consectantur, atque occidunt. *Pl. Bacch.* 5, 1, 7. Omnia me mala consectantur, omnibus exitiis interii. Adde *Hirt. B. Afr.* 44. *a med.* [*Liv. 21, 43. Pecora consectando nullum emolumentum tot laborum periculorumque vestrorum vidistis. *Id.* 41, 9. ℙ Hinc *consectari verba* ap. *Cic. Caec.* 19. Hac actione Appius ille Caecus uti non posset, si tam vere homines verba consectarentur, ut rem, cujus causa verba sunt, non considerarent, i. e. nimis urgerent litteram, neque rem potius et rationem spectarent; quod est calumniatorum et rabularum. *Ernest.* in *cl. Cic.*] ℙ Cum infinito. *Appul. Met.* 8. Dum forte passerem incantantem sepiculae consectatur arripere. ℙ Passiva significatione. *Laber.* ap. *Prisc.* 8, 793. Uxorem tuam a populo lapidibus consectari video. ℙ [Part. *Consectans* ap. *Vellej.* 2, 19. Fugiens consectantes Sullae equites. *Consectandus* ap. *Caes. B. G.* 4, 14. Ad quos consectandos Caesar equitatum misit. *F.*]

CONSECTUS, a, um, part. a *conseco*, *τετμημένος*, concisus, sectus. *Varr. R. R.* 1, 59. *ad fin.* Servare rapa consecta in sinape. Et *ib.* 3, 10. *ad f.* Nasturtium consectum minutatim. *Plin.* 17, 10, 9. Truncus arboris consectus. *Id.* 30, 4, 9. Consectus in tenues membranas. *Cato R. R.* 157. Brassica consecta.

CONSĔCŪTĬO et Consequutio, onis, f. actus consequendi, consequentia, *συνέπεια, ἀκολούθημα, ἐπακολούθησις*. *Cic. Fin.* 1, 11. Ipsa detractio molestiae consecutionem affert voluptatis. *Id. Inv.* 1, 29. Simplex conclusio ex necessaria consecutione conficitur. ℙ Significat etiam rectam verborum constructionem, qua nimirum secundum leges grammaticae unum post aliud apte consequitur, *σύνθεσιν, συνέπειαν*. *Cic. Part.* 6. Consecutio servanda est, ne generibus, numeris, temporibus, personis, casibus perturbetur oratio. Nam ut in simplicibus verbis quod non est Latinum, sic in conjunctis quod non est consequens, vituperandum est. ℙ Item genus argumenti, quod ex iis, quae factum aliquod consequuntur, desumitur. *Auct. ad Her.* 2, 2. enumerat inter sex partes, in quas distribuit narrationem defensoris. Et *ib.* 5. definit his verbis: Consecutio est, cum quaeritur, quae signa nocentis, et innocentis consequi soleant. ℙ Item genus complexionis, hoc est conclusionis argumenti, qua inferimus non id, quod ex ipsa argumentatione directo conficitur, sed aliud, quod ex illo sequi necesse est: ut, Si peperit, cum viro concubuit: peperit autem: fecit igitur incestum. Ita *Cic. Inv.* 1, 40., ubi addit paulo post: In iis argumentationibus, in quibus exitus perspicuus est, oportet consecutione uti. ℙ Item unus ex tribus modis cognitionis, hoc est earum quaestionum rhetoricarum, quae ad solam cognitionem referuntur. Hic autem modus tractatur, cum, quid quamque rem sequatur, inquiritur: ut illud: Sitne aliquando mentiri boni viri. *Cic. Or.* 3, 29. V. ℙ Denique idem est quod adeptio, *τεύξις, ἐπιτυχία*. *Tertull. Baptism.* 18. *extr.* Si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem. *Id. Resurr. carn.* 52. *post med.* Consecutio resurrectionis.

CONSĔCŪTUS et Consequutus, a, um, part. a *consequor*, qui sequitur. *Cic. Phil.* 1, 13. Proximo, altero, tertio, reliquis consecutis diebus non intermittebas etc. *Id. fragm.* ap. *Non.* 1, 142. In quo tua me provocavit oratio, mea consecuta est segnis. *Pl. Cist.* 1, 1, 93. Consecutus est clanculum me usque ad fores. ℙ Item qui obtinuit, et adeptus est. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 231. Ea, quae es ab senatu summo cum honore tuo consecutus. ℙ Passive. *Varro* ap. *Prisc.* 8, 792. Consecuta negliguntur.

CONSĔDO, onis, m. *πάρεδρος*, assessor, qui una sedet. *C. Hemina* ap. *Non.* 1, 312. Nemo vicinus consedo.

CONSĔDO, as, avi, atum, a. 1. idem quod sedo. *Cato* ap. *Charis.* 2, 184. Maximos tumultus maturissime disjeci atque consedavi.

CONSELLAE, arum, f. plur. videntur esse idem quod sellae, vel sellae duplices. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 3. Consellas quoque praevalidis in funibus aptas. Sed alii leg. *tonsillas.*

CONSĔMĪNĀLIS, e, adj. idem ac consemineus. *Colum.* 12, 45. Propter quod etiam conseminalium vinearum non est tam firmum vinum.

CONSĔMĪNĔUS, a, um, adj. *πολύσπορος*, id, in quo varia semina commixta sunt, ut *silva conseminea*, quae ex variis arborum generibus consita est: *vinea conseminea*, in qua diversa vitium semina acervatim confusa sunt. *Colum.* 11, 2. Silvam si quis barbaricam, hoc est consemineam velit facere. *Id.* 3, 21. Idque in vineis non consemineis observari difficile est.

[CONSĔNĔO, es, ui, n. 2. *συγγηράσκω*, seneo, idem ac consenesco. *Hor. Od.* 3, 5, 5. Miles Crassi conjuge barbara Turpis maritus vixit, et hostium Consenuit socerorum in arvis. *Ov. Met.* 8, 632. Illa sunt annis juncti juvenilibus, illa Consenuere casa. ℙ Translate. *Prop.* 3, 5, 50. haud ulla carina Consenuit, *h. e.* periit aliqua tempestate, antequam corrumpi vetustate inciperet. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 15. Consenuit tabula carie. ℙ Ponitur etiam pro deficere, languere. *Liv.* 9, 3. Animum quoque patris consenuisse in affecto corpore rebatur. *Cic. Or.* 1, 58. Veteres leges aut ipsas sua vetustate consenuisse, aut novis legibus esse sublatas. *F.*]

CONSĔNESCO, escis, n. 3. *συγγηράσκω*, senesco Translate. *Quint.* 9, 4. *post med.* Totus vero hic locus non ideo tractatur a nobis, ut oratio, quae ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus ac perpendendis syllabis consenescat. *Id.* 3, 8. *sub f.* Consenescere in commentariis rhetorum. *Id.* 12, 11. Non est in una exercitationis specie consenescendum. *Pl. Rud.* 5, 2, 15. Veru in manibus consenescit, *h. e.* rubigine deteritur. ℙ Saepe ponitur pro deficere, languere. *Pl. Capt.* 1, 2, 30. Qui tuo moerore maceror, macesco, consenesco, et tabesco miser. *Cic. Att.* 2, 13. Noster amicus Magnus, cujus cognomen una cum Crassi Divisit cognomine consenescit, *h. e.* usurpari desiit. Eadem ratione et *Plin. prooem. H. N.* locutus est. *Flor.* 3, 3. Donec invicta illa rabies, et impetus consenesceret. *Cic. Cluent.* 2. Invidia consenescit. ℙ A *Varr. R. R.* 3, 9. *consenescere* dicuntur pulli gallinarum, cum pedibus infestantur, quia propter eos languent, laborant, et macie corrumpuntur: item ova ipsa, quae inveterascunt, et inutilia ad incubandum fiunt.

CONSENSĬO, onis, f. *ὁμόνοια*, actus consentiendi, consensus. *Cic. Tusc.* 1, 13. Omni in re consensio omnium gentium, lex naturae putanda est. *Id. Amic.* 4. Id, in quo est omnis vis amicitiae, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio. *Id. ad Brut.* 1, 7. Res omnium consensione laudata. *Id. in Senat.* 15. Nulla de illis magistratuum consensio. *Caes. B. G.* 7, 76. Tanta Galliae consensio fuit libertatis vindicandae, ut etc. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 5. *sub f.* Omnia haec, quae supra, et subter, unum esse, et una vi atque una consensione naturae constricta esse. [*Gr. *συμπάθεια.*] ℙ In malam partem pro conspiratione prava. *Id. Att.* 10, 4. Quorum societatis et sceleratae consensionis fides quo eruperit, vides. *Id. Verr.* 2, 5, 4. Nulline motus in Sicilia servorum, nullae consensiones factae esse dicuntur?

CONSENSUS, a, um, part. a *consentio*. *Gell.* 15, 26. Syllogismus est oratio, in qua consensis quibusdam et concessis aliud quid conficitur *ὁμολογουμένων*.

CONSENSUS, us, m. *ὁμόνοια*, idem quod consensio. *Cic. Tusc.* 1, 15. Omnium consensus naturae vox est. *Id. Phil.* 4, 5. Nunquam vester consensus major in ulla causa fuit. *Id. Ligar.* 12. Quis est, qui horum consensum conspirantem, et paene conflatum non noverit? *Id. Har. resp.* 28. Consensus ordinum est divulsus. *Id. fr. epist.* ap. *Non.* 4, 93. Ex consensu civitatis. *Caes. B. G.* 1, 30. Sese habere quasdam res, quas e communi consensu ab eo petere vellent. *Id. ib.* 2, 29. *extr.* Omnium consensu pax facta. *Tac. H.* 1, 54. *extr.* Facilior inter malos consensus ad bellum, quam in pace ad concordiam. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 6. Vina, de quibus consensus aevi judicaverint, haec sunt, *h. e.* homines consentientes. *Id.* 17, 5, 3. Quae consensu laudatur, *h. e.* communi consensu. [*Suet. *Tit.* 6. Summissis, qui per theatra et castra quasi consensu ad poenam deposcerent, i. e. omnium consensu, nos: *als wenn es der allgemeine Wunsch wäre.* V. *Brem.* ad h. l. qui hanc dicendi rationem, apud *Ciceronem* nusquam obviam, propriam atque perennem esse *Sueton.* temporibus docet. Cf. *Ejusd. Ner.* 12. *ib.* 44. et al. *Liv.* 24, 37. Consensu in posterum diem concio edicitur. Sic *Id.* 3, 38. Quum et ipsi consensu invisum imperium interpretarentur. *Id.* 1, 32. Bellum erat consensu.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 6. Mirus quidam omnium quasi consensus doctrinarum concentusque reperitur. *Id. Div.* 2, 15. Conjunctio naturae, et quasi concentus atque consensus, quam *συμπάθειαν* Graeci appellant. *Id. Fin.* 5, 23. Conspiratio consensusque virtutum. ℙ *Consensu* pro *consensui. Caes. B. G.* 7, 29. Cujus consensu ne orbis quidem terrarum possit obsistere. V. ASPECTUS.

CONSENTĀNĔĒ, adv. *συμφώνως*. *Lact.* 3, 8. Summum est bonum, cum natura consentanee vivere. *Hieron. in Rufin.* 3, 1. *extr.* Narrare aliquid memoriter, et consentanee, *h. e.* cum convenientia ad veritatem.

CONSENTĀNĔUS, a, um, adj. *σύμφωνος*, conveniens, consentiens, aptus, congruus, a *consentio. Cic. Or.* 22. Decere, quasi aptum esse, consentaneumque tempori et personae. *Id. Off.* 1, 2. Hae disciplinae, si sibi consentaneae esse velint, de officio nihil queant dicere, *h. e.* si sibi ipsae consentiant, ut *Idem* ait paulo supra. *Vell.* 2, 63. Vir vita et morte consentaneus, *h. e.* constans, et sibi conveniens. *Cic. Phil.* 9, 7. Ejus mors consentanea vitae fuit. Eod. sensu *Id. Fam.* 3, 6. Quod erat consentaneum cum iis litteris, quas etc. ℙ *Consentaneum est*, conveniens est. *Cic. N. D.* 2, 15. *extr.* Consentaneum est, in iis sensum inesse et intelligentiam. *Id. Off.* 1, 20. Non est consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate. [*Id. *Tusc.* 5, 8. Quid cuique consentaneum sit, i. e. quid ex quoque sequatur, concludi possit.] ℙ *Consentanea* a *Cic. Or.* 2, 39. *sub f.* dicuntur antecedentia: quia quidquid antecedit quamque rem, id cohaeret cum re necessario, ut *Id.* ait *Top.* 12. *extr.*

CONSENTES, [*θεοὶ συνόντες.] dicti sunt Dii duodecim, quos in consilium accire dicitur Juppiter, uti docent *Arnob.* mox citandus, et *August. C. D.* 4, 23. Hi duplicis generis esse videntur Rustici, et Urbani. Rusticos enumerat. *Varro R. R.* 1, 1. Jovem et Tellurem, Solem et Lunam, Cererem et Liberum, Robigum et Floram, Minervam et Venerem, Lympham ac Bonum Eventum, qui maxime agricolarum duces sunt. Urbanos vero, sex mares ac totidem feminas, nonnulli arbitrantur esse, quos *Ennius* duobus hisce versiculis comprehendit, ap. *Appul. de Deo Socrat.* et *Cap.* 1. p. 15. Juno, Vesta, Ceres, Diana, Minerva, Venus, Mars, Mercurius, Jovi', Neptunus, Volcanus, Apollo. Hos etiam memorat Kalendarium rusticum Farnesianum ap. *Grut.* p. 138., ubi singulis anni mensibus iidem Dii tutelares adscribuntur hoc ordine: Juno, Neptunus, Minerva, Venus, Apollo, Mercurius, Juppiter, Ceres, Vulcanus, Mars, Diana, Vesta. ℙ At vero *Ov. Met.* 6, 72. Bis sex coelestes, medio Jove, sedibus altis Augusta gravitate sedent. Quicum consentit *Senec. Q. N.* 2, 41. Duodecim enim Deos advocat Juppiter. Interpretes alii tertium decimum Bacchum, alii Cybelen putant. ℙ Hi vocantur etiam Dii Penates et *majorum gentium:* item *Dii complices:* quae appellatio, ut et *consentum*, ab Etruscis sumpta est, teste *Arnob.* 3, 123. ℙ Idem tamen ipse *Varro* apud *Arnob. ib.* Deum Consentum nomina et numerum nesciri ait: et *Senec. Q. N.* 2, 41. scribit, *Superiores*, atque *Involutos* communi vocabulo dici: quod etiam *Appul. l. c.* innuere videtur. *Arnobii* verba adscribam. Varro, *inquit*, qui sunt introrsus atque in intimis penetralibus coeli, Deos esse censet, quos loquimur (*scil.* Penates *de quibus hic sermo*) nec eorum numerum, nec nomina sciri. Hos Consentes et Complices Etrusci ajunt, et nominant, quod una oriantur, et occidant una: sex mares, et totidem feminas, nominibus ignotis, et miserationis parcissimae: sed eos summi Jovis consiliarios, ac principes existimari. ℙ Dicti sunt *Consentes* vel a *consentiendo*, quasi in eo, quod gerundum est, consentiant; (unde vetus *Inscr.* in Museo Imperiali Vienn. ap. *Maff.* p. 238. *n.* 4. *Mercurio, Consentienti.*) vel quasi *consulentes*, vel denique ab obsoleto *Conso, is*, quod *συμβουλεύειν*, consulere significat, uti ap. *Voss.* in *Etymol.* legitur. *Inscr.* ap. *Grut.* 3, 2, 1. O. M. ceterisque Diis Consentibus M. Oppellius adjutor 11. Vir. Col. Adde *n.* 3. ℙ In singulari numero *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 232. Cereri Pistiae Consen. Ti. Claudius Aug. lib. Amaranthus. ℙ Ubicumque in veteribus monumentis legitur *consessus*, aut *concilium Deorum*, ut ap. *Gut.* 2, 11. et 12., Dii consentes intelligendi sunt. ℙ Docet *Varr. L. L.* 7, 38. in recto plur. dici *Dii Consentes* non *Dei*, et in patrio *Deum Consentum*, non *Deorum Consentium*, ita usu postulante.

CONSENTIĀ Sacra, quae ex multorum consensu

sunt statuta. *Festus.* Ubi notant eruditi, fuisse gentilium inter se, ut Corneliorum, Valeriorum etc. et pro tota gente facta fuisse, consentiente gentilitate.

CONSENTIENS, entis, part. a *consentio*, unum, et idem sentiens, conveniens, conspirans, concors, ὁμονοῶν. *Cic. Acad.* 4, 42. Epicurus cum Cyrenaicis de voluptate non consentiens. *Id. ad Brut.* 1, 15. Civitas in retinenda civitate consentiens. [*Ita *Liv.* 34, 49. Adversus consentientes nec regem quemquam satis validum, nec tyrannum fore.] *Id. Fin.* 1, 20. Amici multa amoris conspiratione consentientes. *Id. Senect.* 17. Cujus de laudibus omnium est fama consentiens. *Id. Div.* 1, 39. Hominum consentiens auctoritas. *Liv.* 10, 40. Milites spei pleni, clamore consentienti pugnam poscunt. [**Suet. Galb.* 13. Cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem retulerunt. *Id. Caes.* 19. Concordi et consentiente collega. Adde *Aug.* 56. *ib.* 58. *Vitell.* 8.] *Cic. N. D.* 2, 7. Tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio. *Id. Brut.* 38. Status, incessus, omnisque motus cum verbis, sententiisque consentiens. [*V. *Ellendt.* ad h. l.] ℙ Fautor benevolus. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Vindobon.* p. 237. Marti amico et consentienti sacrum Hermias dedicav. Alia *ib.* p. 238. Mercurio Consentienti sacrum etc. ℙ Proprie est simul sentiens. *Scrib. Comp.* 104. Qui stomachum solutum habent, consentiente capite.

CONSENTĪNUS, a, um, adj. ad Consentiam pertinens, quae urbs est Brutiorum (nunc Calabriae citerioris), *Cosenza*, cujus *Plin.* 3, 5, 10. meminit. *Consentinus ager* ap. *Varr. R. R.* 1, 7. et *Plin.* 16, 27, 50. ℙ *Consentini, orum*, sunt ejus urbis incolae. *Cic. Fin.* 1, 3.

CONSENTĬO, entis, ensi, ensum, n. 4. ὁμονοέω, ὁμοδοξέω, idem sentio, convenio, concordo: a *con* et *sentio*. Sicut enim (inquit *Ulp. Dig.* 2, 14, 1.) convenire dicuntur, qui ex diversis locis in unum colliguntur, et veniunt; ita qui ex diversis animi motibus in unum consentiunt, idest in unam sententiam decurrunt. *Cic. Fin.* 3, 3. Ratio nostra consentit, oratio pugnat. [**Lucr.* 3, 154. Verum ubi vehementi magis est commota metu mens, Consentire animam totam per membra videmus. Gr. συμπάσχειν.] *Id. Phil.* 4, 3. Omnes mortales una mente consentiunt, arma contra illam pestem esse capienda. *Id. Agr.* 1, 5. Si consenserint possessores non vendere, quid futurum est? *Id. Phil.* 1, 1. Atque his principiis reliqua consentiebant. *Id. Off.* 1, 2. Sibi ipsi consentire, *h. e.* a se ipso non desciscere. [**Folgerichtig handeln.*] *Colum.* 12, 2. Ubi chorus canentium non ad certos modos, neque numeris praeeuntis magistri consensit, dissonum quiddam ac tumultuosum canere videtur. *Cic. Off.* 1, 28. Inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt. *Id. Univ.* 3. Oratio sibi constat, et ex omni parte secum ipsa consentit. *Caes. B. C.* 1, 19. Cum vultus Domitii cum oratione non consentiret. *Cic. Phil.* 4, 4. Deos immortales ad rempubl. conservandam arbitror consensisse. *Liv.* 36, 40. Consentire ad decernendum triumphum. *Suet. Cal.* 5. ad inducias. *Quint.* 4, 2. Quaedam partibus blandiuntur, sed in summam non consentiunt. *Justin.* 13, 4. Equites in Aridaeum regem consentiunt. *Suet. Aug.* 12. Ceteros duces, et exercitus consentire pro partibus. *Cic. Phil.* 1, 9. Omnes jam cives de reipubl. salute, una et mente et voce consentiunt. *Nep. Alcib.* 11. Nescio quo modo in illo laudando consenserunt. *Cic. Amic.* 23. De utilitate omnes uno ore consentiunt. ℙ Cum solo accus. *Cic. Senect.* 17. In quem illud elogium unicum plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum. Al. rectius ita disting. In quem illud elogium unicum: Plurimae consentiunt gentes etc. *Liv.* 8, 6. Consensit et senatus bellum. [*Adde *Eund.* 1, 32. 27, 9.] *Cic. Fin.* 2, 35. Idne consensisse de Calatino gentes arbitramur? *id* est accusativus communis. ℙ Passive impersonaliter. *Tac. A.* 1, 13. De prioribus consentitur. *Quint.* 9, 1. Inter plurimos consensum est, duas esse partes etc. *Gell.* 3, 11. Super aetate Homeri atque Hesiodi non consentitur. *Liv.* 30, 24. *ad f.* Permixto paene senatus populique concilio, consensum est, ut Asdrubal Aegimurum trajiceret. ℙ Et in malam partem pro conjurare, conspirare. *Cic. Phil.* 2, 7. Cum homines nefarii confiterentur, se urbem inflammare consensisse. *Caes. B. G.* 2, 3. Neque se cum ceteris Belgis consensisse. *Cic. Verr.* 2, 5, 8. Servos, quos ipse, belli faciendi causa consensisse judicavit etc. [**Liv.* 23, 28. Antequam consentirent.]

CONSENTĬUS vel Consentium. Vetus quaedam *Inscr.* ap. *Grut.* 3, 1. non optimae notae, ita incipit: *Consentio Deorum:* ubi intelligitur concilium Deorum, hoc est Dii Consentes.

CONSĔPĬO, ēpis, a. περιφράττω, idem quod sepio. *Suet. Ner.* 33. Denique bustum ejus consepiri nisi humili levique materia, neglexit.

CONSEPTO, as, a. 1. frequent. a *consepio*, uno septo includere. *Solin.* 32. de Aegypto. Eligitur sacer lucus, in quo conseptant animalia diversissimi generis.

CONSEPTUM, i, n. περίβολος, περίφραγμα, locus conseptus, hoc est circum undique clausus *Liv.* 10, 38. Ab integumento consepti, quo, etc. Significat locum in mediis Samnitium castris conseptum cratibus, pluteisque etc. *Colum.* 1, 4. Alter majores, alter minus amplas quam postulavit modus agri, villas exstruxit: cum utrumque sit contra rem familiarem. Diffusiora enim consepta pluris aedificamus etc. *Id.* 6, 23. Laxo spatio consepta facienda sunt, ne, etc. *Id.* 8, 17. de piscinis: Hos meatus fieri censemus per imam consepti partem. *Appul. Met.* 3. *sub init.* Populus caveae conseptum mira celeritate complevit. *Id. ib.* 11. Aedibusque conductis, intra conseptum templi larem temporarium mihi constituo. [*Inscr.* ap. *E. Q. Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 1. p. 73. *edit. Mediol.* Ustrinasque de consaepto ultimo in eum locum traiciendas curaverunt. Pertinet haec ad an. a Chr. n. 16. *F.*] ℙ Translate. *Quint.* 12, 2. de Cicer. Neque se tanta in eo unquam fudisset ubertas, si ingenium suum consepto fori, non ipsius rerum naturae finibus terminasset, h. e. si tantummodo res forenses tractasset, non etiam philosophiam attigisset. *Appul. Met.* 3. Quaecumque commisero pectoris tui penetralibus, semper haec intra conseptum clausa custodias, *h. e.* taceas. ℙ In vet. *Inscr.* ap. *Grut.* 1159, 6. et in allata supra legitur *consaeptum*, quod vix est imitandum. ℙ Ap. *Ennium* reperitur *consiptum*, teste *Festo:* sed hoc est obsoletum.

CONSEPTUS, a, um, part. a *consepio*, περίφρακτος, circum septus, et clausus. *Cic. Senect.* 17. Ager conseptus, et diligenter consitus. *Liv.* 10, 38. Locus conseptus cratibus pluteisque. *Appul. Met.* 2. Frequentis populi circulo conseptus.

CONSEPTUS, us, m. 4. conseptum. In sexto casu *Strabo Gallus inf.* Ut cum conseptu viridis consederis horti.

CONSĔPULTUS, a, um, part. ab inusit. *consepelio*, simul sepultus, συνθαπτόμενος. *Tertull. Resurr. carn.* 23. et *Hieron. ep.* 14. *n.* 2. ex *D. Paulo ad Rom.* 6, 4. Consepulti Christo in Baptismate.

CONSĔQUENS, entis, part. a *consequor*, συνακολουθῶν, qui deinceps sequitur. *Cic. Fin.* 1, 20. Spe eriguntur consequentis ac posteri temporis. *Id. Senect.* 6. Memoriam illius viri excipient omnes anni consequentes. *Auct. ad Her.* 2, 5. Tempora tria, praeteritum, instans, consequens. ℙ Item qui recte, atque ordine sequitur, qui apte cohaeret. *Cic. Part.* 6. Ut in simplicibus verbis, quod non est Latinum, sic in conjunctis quod non est consequens, vituperandum est. V. CONSECUTIO. *Id. Fin.* 3, 15. Consentaneum et consequens alicui. ℙ Item quod ex alio sequitur, seu nascitur: quo sensu etiam substantivi more usurpatur, pertinetque plurimum ad dialecticos. *Cic. Orat.* 2, 53. Demonstrando, id, quod concludere velint, non effici ex propositis, nec esse consequens. *Id. Orat.* 35. Ut efficiatur quod sit consequens iis, quae sumentur ad quamque rem confirmandam. *Id. Fin.* 4, 24. *extr.* Teneamus illud necesse est, cum consequens aliquod falsum sit, illud, cujus id consequens sit, non posse esse verum. Et *ib.* 19. Consequentibus vestris sublatis etc. ℙ *Consequentia*, ἀκολουθία, sunt ea, quae rem aliquam natura, et necessario consequuntur: et differunt ab *Adjunctis*, quod haec non semper eveniunt, illa semper, uti docet *Cic. Top.* 12. Praeterea *adjuncta* sunt, quae vel antecedunt rem ipsam, aut sunt in ipsa re, aut post, et spectantur in tempore: *consequentia* sunt post tantummodo, et spectantur in natura. Itaque haec ad dialecticos proprie pertinent, illa ad oratores. Nihilominus *Quint.* 5, 10. cum illis haec confundit, ut a viris doctis jam est observatum, tametsi 6, 3. aperte distinxit. ℙ Praeterea *consequens* dictum est a nonnullis genus quoddam ridiculi, quod petitur ab iis, quae natura sequuntur, et cohaerent. *Quint.* 6, 3. ℙ *Consequens est*, sequitur, consentaneum est. *Cic. Leg.* 1, 5. Quoniam scriptum est a te de optimo reipub. statu, consequens esse videtur, ut scribas tu idem de legibus. *Gell.* 1, 4. Consequens quidem fuerat sic dicere. *Ulp. Dig.* 43, 23, 15. *extr.* Consequens erit dicere, nihil eum consequi oportere. ℙ Comp. *Consequentior* ap. *August. Trin.* 15, 19. *sub f.* Quid consequentius, quam ut ipse sit caritas, qui, etc.

CONSĔQUENTER, adv. ἀκολούθως, sequendo, ex consequenti. *Appul. Met.* 10. *sub init.* Juvenis probe litteratus, atque ob id consequenter pietate modestiaque praecipuus. *Id. ib.* 11. *init.* Corpora lunae incrementis consequenter augeri, *h. e.* sequendo lunae incrementa. ℙ Item congruenter, convenienter. *Ulp. Dig.* 10, 2, 18. His consequenter, si ex pluribus heredibus, etc. *Papin. ib.* 35, 2, 11. Facile quis dixerit consequenter prioribus, non esse, etc. *Hieron. ep.* 22. *n.* 13. Quam viderint pallentem atque tristem, miseram et Manichaeam vocant: et consequenter; tali enim proposito jejunium haeresis est.

CONSĔQUENTIA, ae, f. ἀκολουθία, actus post rem aliam sequendi, successio, consecutio. *Cic. Div.* 1, 56. Qui cursum rerum, eventorumque consequentiam diuturnitate pertractata notaverunt. *Gell.* 12, 5. *post med.* Per obscuram quandam, et necessariam naturae consequentiam, *h. e.* per connexionem, qua sequitur, ut natura ad dolorem gemat. *Auct. ad Herenn.* 4, 54. Per consequentiam significatio fit, cum res quae sequuntur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in suspicione: ut si salsamentarii filio dicas: Quiesce tu, cujus pater cubito se emungere solebat. *Papin. Dig.* 4, 3, 19. Debitore liberato, per consequentiam ipse quoque fidejussor dimittitur. κατὰ παρακολούθησιν. Adde *Paul. ib.* 10, 1, 5. ℙ In plur. num. *Varr. L. L.* 8, 51. Quod quisque caput pertenderit, sequi debet ejus consequentias casus in declinando: ac non facere, cum dixerit recto casu Alcaeus, in obliquis dicere Alcaeoni. ℙ *Per consequentias* eodem sensu dicitur, quo *per consequentiam*. *Ulp. Dig.* 26, 8, 1. Prima ratio est, ut heres fiat: per consequentias contingit, ut debitum subeat. Adde *ib.* 7. et *ib.* 47, 10, 1. et *ib* 48, 19, 9. et *ib.* 22, 7. et alibi. Quin et in locis modo allatis *Papiniani*, et *Pauli* in editione *Torrentini* legitur *consequentias*. [*V. *Duk. lat. Ict.* 413.]

CONSĔQUĬUM, ii, n. vel Consequia, ae, f. res, quae consequitur, appendix, comitatus. *Appul. Met.* 5. Psyche sublimis evectionis appendix miseranda, et penduli comitatus extrema consequia. *Id. ib.* 10. Novissimis trahebantur consequiis.

CONSĔQUOR, ĕris, ecutus, vel equutus sum, dep. 3. ἀκολουθέω, idem quod sequor, pone sequor, subsequor. *Cic. Tusc.* 5, 34 Ptolemaeo peragranti Aegyptum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus est. *Ter. Heaut.* 2, 3, 36. Continuo hic se conjecit intro: ego consequor. ℙ Significat etiam post sequi, seu venire postea. *Cic. Mur.* 39. Si haec elapsa de manibus nostris, in eum annum, qui consequitur, redundarint. *Id. Brut.* 15. Hunc consecutus est aetate Cato. *Id. Or.* 3, 2. Tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consecutum esse, audiebamus. *Id. Tusc.* 4, 8. *sub f.* Pudorem rubor, terrorem pallor et tremor consequitur. *Id. Or.* 1, 35. Haec cum Crassus dixisset, silentium est consecutum. *Vell.* 2, 23. Cujus facti merita eum poena consecuta est. Et *ib.* 36. Consecutus Sallustium Livius, *h. e.* qui post eum vixit, floruitque. [**Terent. Heaut.* 4, 7, 9. Hasce ornamentis consequentur alterae, i. e. mox aliae x minae Bacchidi pro ornamentis solvendae sunt.] ℙ Item imitando sequi. *Cic. Leg.* 2, 9. Eum morem cum brevitate, si potero, consequar. *Id. N. D.* 1, 15. *ad f.* Quem Diogenes consequens in eo libro, qui etc. ℙ Item aequare. *Id. Brut.* 64. Nec majorem consequi potcrat, et minori necesse erat cedere. *Id. Or.* 2, 15. Ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur. Adde *Vell.* 1, 17. ℙ Item consectari. *Cic. Manil.* 12. Quis unquam aut obeundi negotii, aut consequendi quaestus studio, tot loca adire potuit? ℙ Item auscultare, parere, obsequi. *Sall. Or.* 2. *ad Caes. post med.* Ubi plebes senatui obedit, ejusque consilia consequitur. *Pl. Asin.* 2, 1, 13. Certum hercle est vestram consequi sententiam. *Cic. Cat.* 3, 6. Dictae sunt a principibus acerrimae ac fortissimae sententiae, quas senatus sine ulla varietate est consecutus. ℙ Item ex alia re nasci, fieri. *Id. Fat.* 7. Si quod primum in connexo est, necessarium est, fit etiam quod consequitur, necessarium. *Auct. ad Her.* 2, 18. Quoniam satis ostendere videmur, quibus argumentationibus etc. consequi videtur, ut doceamus etc. *Cic. Fin.* 3, 19. Ex quo illud natura consequitur, ut etc. ℙ Item assequi, pervenire ad aliquem. *Cic. Cat.* 2, 4. Aurelia via profectus est: si accelerare volent, ad vesperam consequentur. *Id. Fam.* 16, 1. Si statim navigas, nos Leucade consequere. *Virg. A.* 11, 741. Facile accipiter consequitur pennis columbam. *Ov. Met.* 9, 126. Vulnere, non pedibus te consequar. *Pompejus ad Marcell. et Lent. post ep.* 12, 8. *ad Att.* Consequi aliquem in itinere. *Ter. Phorm.* 5, 1, 23. Matrem ipsam ex aegritudine miseram mors consecuta est. [Cf. ad h. l. *Döderl.* 3, 149.] ℙ Item persequi, urgere, διώκειν. *Curt.* 5, 4. Per mediam aciem erupit: sed consecutis strenue hostibus, renovato proelio, cecidit. *Caes. B. G.* 1, 53. Reliquos equites consecuti nostri, interfecerunt. ℙ Item persequi, exsequi. *Colum.* 1, 2. *ad f.* His diebus, quae praeterita erunt superioribus, opera consequi oportet. ℙ Item saepe, obtinere, assequi, εὑρίσκομαι, ἐπιτυγχάνομαι. [*Quid differat in his *consequi* ab *assequi* v. ap. *Döderl.* 3, 147. sq.] *Cic. Coel.* 7. *sub f.* Ex reipub. causa gloriosam victoriam consequi. *Id. Fam.* 1, 5. *extr.* Ut tuam pristinam dignitatem et gloriam consequare. *Id. ib.* 7. *sub f.* Consequi aliquid per senatum. *Id. Planc.* 25. magistratum. *Id. Dom.* 45. scientiam. *Id. Fam.* 2, 11. famam. *Id. Off.* 2, 13. magnam laudem ab aliquo. *Id. Fam.* 1, 2. *ad f.* Hoc videmur esse consecuti, ut ne etc. *Id. Fin.* 1, 10. Quid ex eo consecutus est? laudem et caritatem. *Id. Off.* 1, 19. Consequi opes. ℙ In malam partem pro incurrere, in-

cidere. *Plin. ep.* 9, 5. Malignitatis famam consequi. *Quint.* 8, 2. vitium. *Cic. Or.* 1, 33. Perverse dicere homines perverse dicendo facillime consequi. ℙ Ponitur etiam pro addiscere, intelligere, percipere, assequi, complecti. *Auct. ad Her.* 2, 31. Haec si ut conquisite conscripsimus, ita tu diligenter fueris consecutus etc. [**Id. Verr.* 1, 16. Conatus alicujus consequi, i. e. investigando aperire.] *Lucr.* 1, 460. rebus ab ipsis Consequitur sensus, transactum quid sit in aevo. [**Cic. Phil.* 5, 13. Verbis laudes alicujus consequi.] *Cic. ad Quirit.* 2. Neminem unquam tanta eloquentia fuisse, qui vestrorum magnitudinem beneficiorum non modo augere, aut ornare oratione, sed enumerare, aut consequi possit. *Id. fragm.* apud *Non.* 4, 95. Nec quanta, nec qualia sint, verbis consequi possum. *Id. Verr.* 2, 4, 26. Nullo modo possum omnia istius facta aut memoria consequi, aut oratione complecti. *Id. Univ.* 3. Consequi similitudinem veri. Et *mox.* aliquid animo. *Id. Q. Fr.* 2, 12. Quantum conjectura consequor. *Id. Fam.* 1, 8. *ad f.* Nullam partem meritorum tuorum, non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possum. ℙ Olim passiva significatione usurpatum fuit. *Orbilius vetus Scriptor* ap. *Prisc.* 8, 791. Quae vix ab hominibus consequi possunt, *ἀνύεσθαι.* ℙ [Part. *Consequens* V. suo loco. *Consequuturus* ap. *Liv.* 24, 45. Consequuturus consilii viam. *Consequiturus* legitur in lamina aenea apud *Fea, Fast. Cons.* p. 13. *n.* 46. Speramus beneficia uberiora posse consequituros. Pertinet ad an. a Chr. n. 257. *F.*]

CONSĒQUUS, a, um, adj. idem quod consequens. *Lucr.* 5, 679. Consequa natura est jam rerum, et ordine certo. [*Ap. *Eichstadt.* hic vers. (678) ita legitur: Consequiae quodque est jam rerum exordine certo.]

CONSĒRENAT. V. DISSERENAT.

CONSERMOCĪNOR, aris, dep. 1. colloquor, sermonem habeo cum aliquo, *ὁμιλέω. Nigid.* ap. *Gell.* 10, 4. Spiritum atque animum porro versum, et ad eos, quibus consermocinamur, intendimus. Al. leg. *quibuscum sermocinamur.*

CONSERMONOR, aris, dep. 1. idem quod superius. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 17, 2. Cum his consermonabatur. *Gell. ib. Sermonari* rusticius videtur, sed rectius: *sermocinari* crebrius est, sed corruptius.

CONSĒRO, is, ēvi, sītum, a. 3. *φυτεύω, σπείρω,* idem quod sero, semino, planto. *Cic. N. D.* 2, 52. *extr.* Indus non aqua solum agros laetificat, sed eos etiam conserit: magnam enim vim seminum secum, frumenti similium, dicitur deportare. *Virg. Ecl.* 1, 73. en queis consevimus agros! *Id. G.* 2, 38. juvat Ismara Baccho Conserere. *Colum. R. R.* 7, 5. *ante med.* Alii malleolo conseri vineam, melius existimant, alii viviradice. *Curt.* 7, 4. Conserere arva frumento. *Lucr.* 4, 1100. Muliebria arva conserere. ℙ Cum translate sumitur, *erui, ertum* habet in praeteritis: nisi malis ad sequens verbum pertinere. *Quint. Decl.* 9, 3. Ergo conseruit casus duratura longius a parvis initiis odia. *Arnob.* 1, 39. Conserere simultates cum aliquo. *Lucr.* 2, 211. Sol lumine conserit arva, *h. e.* sparso lumine illustrat. ℙ Putant quidam inveniri praeteritum *conserui* etiam in propria significatione. *Liv.* 10, 24. Quam arborem conseruisset, sub ea legere alium fructum, indignum esse. Al. leg. *seruisset*, al. ex conjectura *consevisset.* ℙ De Diis *conserentibus*, qui sunt humanae generationis praesides, nempe a mulieribus arvis conserendis, V. *Arnob.* 5, 169. ℙ [Part. *Conserundus ἀρχαϊκῶς* pro *conserendus* apud *Varr. R. R.* 1, 24. Ager oliveto conserundo in Favonium spectet, et soli ostentus sit. *F.*]

CONSĔRO, is, erui, ertum, a. 3. *συμπλέκω,* connecto, conjungo, commisceo. (Docent etymologi, differre a superiore non solum positione praeteriti, sed etiam origine ipsa, cum illud sit a *σπείρω*, semino; hoc ab *εἴρω*, necto. V. *Voss.*) *Curt.* 6, 5. Ramos arborum alium alii, quasi nexu, conserere. *Lucan.* 4, 136. Conseritur bibula Memphitis cymba papyro. (Adde 3, 513.) [**Sil.* Conseritur tegimen laterum impenetrabile thorax.] *Ov. Amor.* 3, 6, 10. Quid juvat nocti conseruisse diem? *Id. Her.* 2, 58. Poenitet et lateri conseruisse latus. ℙ *Conserere sermonem, verba*, est colloqui cum aliquo. *Curt.* 8, 12. et *Stat. Silv.* 2, 1, 5. *Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 8. Quam libenter consevisti sermonem! quamdiu produxisti! Hic observandum praeterit. *consevi* pro *conserui.* ℙ *Conserere manum*, vel *manus, pugnam, proelium*, est pugnare, *μιγνύναι τὰς χεῖρας. Cic. Mur.* 9. Duxit exercitum, signa contulit, manum conseruit, magnas copias hostium fudit. *Liv.* 6, 12. *ad f.* Ut decet spei plenos, et cum imparibus conserturos manus. *Pl. Bacch.* 4, 9, 43. Conserere pugnam alicui, *h. e.* contra aliquem. *Ov. Her.* 12, 100. manus strictas inter se. *Liv.* 5, 36. et *Curt.* 8, 13. proelia. *Liv.* 35, 4. certamen. *Val. Fl.* 3, 123. tela manu, *h. e.* invicem conjicere. Et *ib.* 31. bella, *h. e.* proelium committere: qua ratione, *conserere bellum*, etiam *Lucan.* 3, 560. eod. sensu dixit. Et pro *conserere manus*, *Stat. Silv.* 1, 6, 60. Edunt vulnera, conseruntque dextras. [*Ita *Liv.* 21, 1. Et haud ignotas belli artes inter se, sed expertas primo Punico conserebant bello, i. e. invicem utebantur contra se. Dicitur et absolute pro pugnam inire *Liv.* 44, 4. Levis armatura etiam per amfractus jugi procurrere, et ab lateribus cum levi armatura conserere, per iniqua atque aequa loca pugnam petere. Omnino de v. *conserendi* V. interprr. ad *Liv.* 21, 8. ℙ Hinc transfertus ad res amatorias, et usitatissimum est in describendis amplexibus et illecebris amantium. *Tibull.* 1, 8, 35. At Venus inveniet puero succumbere furtim, Dum tumet, et teneras conserit usque sinus. Cf. *Heyn.* ad h. l. *Id. ib.* 26. Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse Oscula, sed femori conseruisse femur.] ℙ *Conserere manum* in jure quid sit, V. in CONSERTUS. ℙ *Conserere manu* qui putant recte dici, nituntur praecipue celebri illa phrasi, *ex jure manu consertum* (de qua V. *ib.*) Nam locus *Cic. Att.* 7, 20. in optimis quibusque exemplaribus habet *manum.* ℙ Conserere sola crustis Phrygiis, apud *Auson. Mosell.* 48. est marmore Phrygio solum sternere. ℙ Translate. *Id. ep.* 20. *in f.* Vive, vale, et totidem venturos consere (al. leg. *congere*) Janos, Quot, tuus, aut noster conseruere patres, *h. e.* vivendo continuavere.

CONSERPO, is, n. 3. idem quod serpo. *Liv.* 39, 16. Crescit, et conserpit quotidie malum. Plerique al. leg. *serpit.*

CONSERRĀTUS, a, um, adj. in modum serrae factus. *Plin.* 11, 37, 44. Sed spectatissimum insigne gallinaceis corpore conserratum. Sed melius alii leg. *corporeum, serratum.*

CONSERTĒ, adv. conjuncte. *Cic. Fat.* 14. Omnia naturali colligatione conserte contexteque fiunt.

CONSERTIO, onis, f. conjunctio, connexio, implicatio. *Arnob.* 3, 107. Ad cervicum necessarias flexiones consertionibus verticum, atque ossea substructione fulciri.

CONSERTUS, a, um, part. a *consero, συμπεπλεγμένος*, connexus, contextus. *Virg. A.* 3, 467. Loricam consertam hamis, auroque trilicem. *Id. ib.* 594. Consertum tegmen spinis. Ubi *Servius* illigatum interpretatur. *Senec. ep.* 90. Comitatus virtutum consertarum, et inter se cohaerentium. *Quint.* 5, 10. Ut sunt tria tempora, ita ordo rerum tribus momentis consertus est, *h. e.* contextus initio, incremento, summa, ut *ib.* subditur. *Liv.* 21, 50. Sicubi conserta [**scil.* ad pugnam] navis esset, haudquaquam par numerus armatorum ex ea pugnabat. Al. leg. *conserta manus. Id.* 7, 2. *ad f.* Quae exodia appellata, consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt. *Val. Flacc.* 6, 182. consertis junxere frementia telis Agmina, *h. e.* invicem conjectis. *Id.* 2, 617. conserta gentibus arva, *h. e.* frequentata, culta. *Lucan.* 2, 442. Bella conserta bellis, *h. e.* quorum uno confecto aliud insurgit. *Cic. Fin.* 2, 20. Vita conserta voluptatum omnium varietate. ℙ [*Idem quod densus, stipatus. *Sil.* 6, 316. Consertae campis acies, multusque per arva Fervebat Mavors. *Quint. Decl.* 13. p. 274. Unde ego frequenter consertum novae juventutis agmen ramo gravescente suscepi. Adde *Virg. A.* 2, 347. — *Consertum proelium* ap. *Liv.* 21, 4. Ultimus conserto proelio excedebat, est, quod nos dicimus: *Schlachtgewühl, Schlachtgedränge.*] ℙ *Ex jure manum consertum vocare*, formula judicialis veterum. *Cic. Or.* 1, 10. Multis praeessem, qui te ex jure manum consertum vocarent. Est autem, *ex jure manum consertum vocare*, ducere aliquem ex jure ad conserendam manum in rem, de qua lis sit. Quo in loco cum erant litigatores, ex eo glebam prehendebant, deferebantque ad praetorem, ut in ea tanquam in toto agro jus suum persequerentur. V. *Gell.* 20, 10. ℙ Aliquae editiones et quidem optimae habent: *Ex jure manu consertum*, h. e. manu apprehensum: quam explicationem confirmare videntur verba ipsa hujus formulae, quae a *Cicerone* referuntur *Mur.* 12. *Fundus Sabinus meus est. Eum ego ex jure Quiritium meum esse ajo. Inde ego te ex jure manu consertum voco*, h. e. traho te inde manu prehensum. [*Ita quoque *Orell.*, qui tamen vulgatam receptae lectioni parem judicat.] Porro haec dicendi ratio sumpta est ex veteribus actionibus, atque ab *Ennio* usurpata, ut est ap. *Gell. l. c.*, deinde a *Cicerone*, ut dictum est.

CONSERVA, ae, f. *συνδουλή. Ter. Eun.* 2, 3, 74. Summa forma semper conservam domi videbis. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 20. Ut uxorem ducam Casinam conservam tuam. *Varr. R. R.* 1, 17. Dandaque opera, ut operarii habeant peculium, et conjunctas conservas, e quibus habeant filios. In dat. plur. facit *conservabus*, quando distinctione opus est, ut in ASINA admonuimus. *Scaevola Dig.* 33, 7, 28. Relictis conservabus, et filiis suis.

CONSERVĀBILIS, e, adj. qui conservari potest. *Tert. adv. Marc.* 2, 13. Bonum conservabile.

CONSERVĀTIO, onis, f. *συντήρησις*, actus conservandi, custodia. *Cic. Off.* 2, 3. Frugum perceptio et conservatio. Et *ib.* 1, 28. Conservatio naturae. [*Cum facimus ea, quae naturae humanae conveniunt.] Et *Or.* 1, 42. Conservatio legitimae aequabilitatis. Et *Off.* 1, 36. Tenere attentos animos ad conservationem decoris. In nummo *Gallieni*, ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 408. Ob conservationem salutis. *Item ib.* Ob conservationem patriae.

CONSERVĀTOR, oris, m. servator, custos, *σωτήρ. Cic. Att.* 8, 9. *post med.* Alterum existimari conservatorem inimicorum, alterum desertorem amicorum. *Id. Sext.* 24. Dii immortales custodes et conservatores hujus urbis. *Id. Att.* 9, 10. *ante med.* Me, quem nonnulli conservatorem istius urbis, quem parentem esse dixerunt etc. ℙ In veterib. *Inscr.* saepe est epitheton Jovis, ut ap. *Grut.* 18, 5, 7. 8, 9, 10. et 19, 1. et 3. Jovi conservatori. Quin *ib.* 18, 6. habetur: Jovi Opt. Max. servatori, conservatori. Et *ib.* 19, 6. Custodi, conservatori. Adde alias ap. *Gud.* p. 5. *n.* 2. 4. 5. 6. etc.

CONSERVĀTRIX, icis, f. quae conservat. *Cic. Fin.* 5, 9. Ut non dubitem dicere, omnem naturam esse conservatricem sui. *Arnob.* 4, 151. Virgines perpetui nutrices et conservatrices ignis. ℙ Est etiam epitheton Junonis. *Inscr.* ap. *Grut.* 25, 2. et 4. Junoni conservatrici. V. v. praec. ℙ Item Fortunae. *Ib.* 74, 6. et 75, 2. ℙ Item matrumfamilias diligentiorum. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 14. *n.* 18. Anniae conjugi conservatrici ben. fecit. Adde ap. *Grut.* 815, 5. et 1142, 2.

CONSERVĀTUS, a, um, part. a *conservo, τηρηθείς*, servatus, custoditus. *Cic. Div.* 2, 35. *extr.* Jus augurum reipubl. causa conservatum ac retentum. *Caes. B. G.* 7, 41. Aedui Caesaris beneficio conservati. *Nep. Annib.* 10. Conservatis rebus suis. *Id. Att.* 6. Honores non petiit, quod capi non possent, conservatis legibus.

CONSERVĪTIUM, ii, n. servitium commune plurium. *Pl. Capt.* 2, 1, 45. Quoniam Dii me tibi esse nunc conservum volunt, te oro per conservitium commune, ne, etc.

CONSERVO, as, avi, atum, a. 1. *διασώζω, φυλάττω*, servo, custodio, tueor, retineo. *Cic. Fin.* 3, 5. Simul atque natum sit animal, commendari ad se conservandum, et ad suum statum, et ad ea, quae conservantia sunt ejus status, diligenda. *Id. Off.* 2, 24. Res familiaris conservari debet diligentia, et parsimonia. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 12. Obtinere, et conservare necessitudinem cum publicanis. *Id. Manil.* 5. Tueri, et conservare aliquid. [*Similis locus ap. *Eund. N. D.* 2, 23, 60. Ut ad omnia tuenda conservandaque consensisse videantur: ubi recte *Heindf.*, non improbante *Orell.*, vulgatam *conservanda* et *tuenda* e codd. aliq. ita mutavit, quod plus est *conservare* quam *tueri. Suet. Aug.* 45. Athletis conservavit privilegia. (*Erhalten.*)] *Id. Fam.* 11, 7. Conservare libertatem, et salutem populi R. *Id. Cat.* 3, 10. *sub f.* omnes salvos. *Id. Fam.* 4, 13. *extr.* memoriam alicujus rei. *Suet. Ner.* 20. et 25. vocem. *Cic. Att.* 6, 1. et *Rosc. Com.* 2. ordinem. [*Nostr. *beibehalten.* Adde *Suet. Caes.* 21. *Lucr.* 1, 677. Corpora sunt, quae conservant naturam semper eandem. *Id.* 2, 709. Omnia quando Conservare genus crescentia posse videmus, i. e. propagare.] *Id. Off.* 3, 28. *sub f.* et *Nep. Annib.* 2. jusjurandum. [**Cic. Verr.* 1, 47. Voluntatem conservare mortuorum: i. e. curare ut fiat, s. facere, quod mortui voluerunt.] *Nep. Ages.* 2. inducias. *et paulo post.* fidem. *Id. Eum.* 10. aliquem. (Adde *Suet. Aug.* 17. et *Caes. B. C.* 3, 98.) *Id. Dat.* 2. exercitum. *Id. Ages.* 4. Etiam apud Barbaros summa religione omnia simulacra arasque conservavit. *Liv.* 38, 11. Imperium majestatemque populi R. gens Aetolorum conservato sine dolo malo. [*Cf. de h. formula *Duk.* ad h. l. et *Ernest. Cl. Cic.* in v. *conservare.*] *Ter. Heaut.* 4, 1, 40. Istuc recte: conservasti te et illam. *Prop.* 4, 3, 69. Incorrupta mei conserva foedera lecti. ℙ [*Significat etiam id. q. nos dicimus *aufbewahren. Suet. Aug.* 94. Arborem palmae repertam conservari jussit. *Id. Dom.* 1. Clodium chirographum ejus conservasse.] ℙ *Conservavisse* pro *conservasse*, magis est litterati hominis, quam ex consuetudine loquentis. Haec *Quint.* 1, 6. ℙ [Part. *Conservaturus* ap. *Caes. B. G.* 2, 15. Caesar dixit sese eos conservaturum. *F.*]

CONSERVŪLA, ae, f. diminut. a *conserva. Senec. Controv.* 21. Ut domina nuberet, conservula de cellula exacta est.

CONSERVUS, i, m. *σύνδουλος*, qui cum aliis servus est, eundemque dominum habet. *Cic. Fam.* 12, 3. *ad f.* Dominum ferre non potuimus, conservo servimus. *Pl. Mil.* 4, 8, 30. Conservi, conservaeque omnes bene valete, et vivite. Adde *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. [**Hor. Sat.* 2, 7, 79.] ℙ *Conservum* pro *conservorum* habet *Titin.* ap. *Fest.* in *Redivia.* ℙ Adjective *Ov. Amor.* 1, 6, 74. Duraque conservae ligna valete fores, *h. e.* servae una cum janitore. Sic *Pl. Asin.* 2, 3, 6. Nolo ego, fores conservas meas a te verberarier.

CONSESSOR, oris, m. *σύνεδρος*, qui una cum alio in theatro, in circo, in judicio sedet. *Cic. Att.* 2, 15. Praeclarum spectaculum mihi propono, modo te consessore spectare liceat. *Liv.* 34, 54. Dives pauperem consessorem fastidit. *Cic. Fin.* 2, 19. A.

Varius judex dicere consessori solebat, etc. *Id. Flacc.* 11. Consessores, convivae, contubernales. [*Cf. *Ernest. Cl. Cic.* s. h. v.] *Martial.* 1, 27. Nec consessorum vicina nomismata tantum.

CONSESSUS, us, m. locus ubi multi sedent: item ipsi homines uno in loco sedentes, *συνεδρία, συνέδριον. Virg. A.* 5, 577. Postquam omnem laeti consessum, oculosque suorum Lustravere in equis. Et *ib.* 341. Implere totum consessum caveae clamoribus. (Ubi *Servius* notat, intelligi plebem, quia cavea consessus est populi. Eod. sensu *consessum caveae* dixit *Tac. A.* 13, 54.) *Suet. Aug.* 44. Motus injuria senatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos consessu frequenti nemo receperat. *Val. Max.* 2, 4. *n.* 6. Spectantium consessum velorum umbraculis texit. *Cic. Verr.* 2, 1, 7. Quis tam inimicus huic ordini fuit, qui non conspectu consessuque vestro commoveretur? *Id. Fl.* 17. Dorylensis cum efferretur magna frequentia consessuque vestro. Et *Att.* 1, 16. Non enim unquam turpior in ludo talario consessus fuit. *Lampr. Alex. Sev.* 4. Cum amicis tam familiariter vixit, ut communis esset ei saepe consessus, iret ad convivia eorum. Et *ib.* 18. Salutatus, consessum obtulit omnibus senatoribus. [**Cic. Sext.* 50. gladiatorum consessus: et *ib.* 54. gladiatorii consessus, sunt ludi gladiatorii. *Ernest.* in *cl. Cic.*]

[CONSĔVIUS, ii, m. Deus quidam apud Romanos, qui, ut loquitur *Tertull. ad Nation.* 2, 11., consationibus concubitalibus praeerat. Hic tamen idem videtur esse ac *Janus Consivius*, cujus mentionem facit *Macr. Sat.* 1, 9. V. CLUSIUS. *F.*]

[CONSICCO, as, a. 1. simul sicco. *Not. Tir.* p. 132. Consiccat. *F.*]

CONSĪDĔO. V. CONSIDO.

CONSĪDĔRANTER, adv. considerate, *Val. Max.* 8, 1. *ad f.* Consideranter et mansuete populi R. magistratus agebat. *Pallad.* 3, 17. Cuneum inter corticem et lignum consideranter deponimus. ℙ Comp. *Considerantius* agnoscit *Corn. Fronto de differ. vocab.*, ubi ait p. 2194. Consideratius praeverbium ex cognomine, considerantius ex participio.

CONSĪDĔRANTĬA, ae, f. *σκέψις*, consideratio. *Vitr.* 6, 1. *ad f.* Tarditate animi sine considerantia irruentes, sine solertia, suis consiliis refringuntur. *Cic. Q. Fr.* 3, 9. de Milone loquens. *Ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἐτ' ἀνεκτῶς*, qui ludos HS CCC. compararet: cujus in hoc uno nunc consideranti [illegible] ego sustinebo, ut potero, et tu ut possis, est tuorum nervorum. Ita vulgo, lege tamen *inconsiderantiam.*

CONSĪDĔRĀTĒ, adv. *περισκεμμένως*, cogitate, consulto, prudenter. *Cic. Off.* 1, 38. Sed tamen ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest. *Id. Att.* 9, 10. *ante med.* Quid feci non consideratissime? *Atticus ib. sub f.* Valde videro, et consideratius utilitati nostrae consuluero. *Quint. Decl.* 1, 2. Crimina considerate ficta, *h. e.* accurate, studiose. [**Liv.* 4, 45. Bellum utinam, qui appetunt, consideratius concordiusque, quam cupiunt, gerant. *Suet. Caes.* 77. Debere homines consideratius jam loqui secum.]

CONSĪDĔRĀTĬO, onis, f. *σκέψις*, cogitatio, animadversio. *Cic. Acad.* 4, 41. Est enim animorum, ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum consideratio contemplatioque naturae. *Id. ib.* 11. Circumspectio et accurata consideratio. *Gell.* 13, 28. Subtilior verborum consideratio. *Cic. Inv.* 2, 33. *extr.* Intendere considerationem in rem aliquam.

CONSĪDĔRĀTOR, oris, m. qui considerat. *Gell.* 11, 5. Quos Pyrrhonios philosophos vocamus, ii Graeco cognomento *σκεπτικοὶ* appellantur. Id ferme significat quasi quaesitores et consideratores. Adde *August. Tract.* 20. *in Joann. ad f.*

CONSĪDĔRĀTUS, a, um, part. a *considero*, cogitatus, perpensus. *Cic. Har. resp.* 2. Nihil feci iratus, nihil non diu consideratum, ac multo ante meditatum. *Id. Inv.* 2, 5. Ratiocinatio est diligens et considerata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio. ℙ Item cautus, circumspectus, *περισκεμμένος*. *Cic. Font.* 9. Qui illud verbum consideratissimum consuetudinis, *arbitror*, quo nos etiam tunc utimur, cum ea dicimus jurati, quae comperta habemus, quae ipsi vidimus; ex toto testimonio suo sustulit. *Id. Caecin.* 1. Illud considerati hominis esse putavit etc. *Hirt. B. Afr.* 73. Caesar tardior et consideratior erat factus. *Plin. Pan.* 44. Homo consideratus ac sapiens. [*Cf. *Gierig.* ad h. l. *Liv.* 22, 39. Tardum pro considerato vocent. V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 1, 2. *in.*]

CONSĪDĔRO, as, avi, atum, a. 1. *σκέπτομαι, κατανοέω*, cogito, perpendo, expendo, meditor. *Festo* placet dici a contemplatione siderum. [*Hinc primo loco debebant poni exempla infra laudata, in quibus ad oculos referendum est v. *considerare.* Adde *Suet. Cal.* 36. Feminas diligenter ac lente mercantium more considerabat. *Ov. Met.* 3, 95. Dum spatium victor victi considerat hostis.] *Cic. Verr.* 2, 5, 68. Videas etiam atque etiam et consideres, quid agas. *Id. Tusc.* 5, 1. Equidem eos casus mecum ipse considerans. *Id. Verr.* 2, 3, 12. Considerate cum vestris animis vosmetipsi, ecquem putetis etc. *Curt.* 7, 8. *extr.* Finitimos, hostes an amicos velis esse, considera. *Sall. in ep. Mithrid. ad Arsac.* Considera, utrum putes etc. *Gell.* 17, 8. Consideremus, cur oleum saepe stet. *Cic. Off.* 1, 21. *extr.* Considerandum est, ne temere desperet. (Adde *Auct. ad Her.* 4, 27.) *Ter. Heaut.* 2, 4, 5. Considerare secum in animo aliquid. *Cic. Off.* 3, 4, 12., *Att.* 24. et 14. *Fam.* 14. Considerare de aliqua re cum aliquo. *Id. Rosc. Am.* 37. factum alicujus ex judicio alterius. *Colum.* 2, 2. Considerandum erit, ut solum pingue sit. Et 8, 5. Considerari debet, ut luna crescente id fiat, *h. e.* observari. ℙ Pro inspicere, attente intueri. *Gell.* 2, 21. Considerare sidera. *Cic. Off.* 1, 41. Pictores et ii, qui signa faciunt, suum quisque opus a vulgo considerari vult. *Suet. Caes.* 31. Consideare formam ludi gladiatorii. ℙ [Part. *Consideraturus* ap. *Liv.* 45, 12. Cum se consideraturum, adhibitis amicis, quid faciendum sibi esset, dixisset. *Considerandus* ap. *Tac. H.* 2, 76. Simul ipse, qui suadet, considerandus est. *F.*] ℙ Qui *consydero* per *y* scribunt, vix patronum invenient.

CONSĪDO, is, ēdi, (vix unquam *idi*) essum, n. 3. *συγκαθέζομαι*: a *con*, et *sido*, et in praeteritis a *sedeo*, simul sedeo, vel ad sedendum me compono. *Cic. Brut.* 6. In pratulo propter Platonis statuam consedimus. *Id. Or.* 3, 5. In silvam venitur, et ibi considitur. *Id. Fl.* 7. Cum in theatro homines consederant. *Virg. A.* 4, 573. Considite transtris. *Ov. Fast.* 6, 305. Ante focos olim longis considere scamnis. ℙ Eleganter dicitur de judicibus simul sedentibus judicandi causa. *Cic. Verr.* 2, 1, 7. Quo die primum judices citati in hunc reum consedistis. *Suet. Cal.* 38. Cognoscebat de talibus causis, taxato prius modo summae, ad quem conficiendum consideret. *Quint. Decl.* 9, 10. De hac re consedistis: hoc concitavit istam judicii scenam. *Ov. Met.* 13, 1. Consedere duces etc. ℙ [*Item de senatoribus *Aug.* 35. Prius quam consideret quisque.] ℙ In loco *Suetonii* modo allato *considere* dicitur de uno tantum, ut et in illo *Virg. Ecl.* 7, 1. sub arguta consederat ilice Daphnis. ℙ Sumitur etiam generatim pro ponere se in aliquo loco. *Cic. Div.* 1, 36. Cum Platoni in cunis dormienti apes in labellis consedissent. *Plin.* 18, 35, 82. Cum in cacuminibus montium nubes consident, hiemabit. ℙ Saepe hoc sensu ad rem militarem pertinet. *Cic. Fam.* 11, 4. Cum quinque cohortes, sine centurione ullo, apud Philomelum consedissent. *Caes. B. G.* 1, 48. Eodem die castra promovit, et millibus passuum sex a Caesaris castris sub monte consedit. *Curt.* 7, 7. Qua venturum sciebat, consedit occultus. ℙ Est etiam commorari, consistere. *Cic. Att.* 2, 6. Dubito, an Antii considam, et hoc tempus omne consumam. *Id. ib.* 5, 14. Aliquo loco considere. *Nep. Pausan.* 4. Eo index confugit: in ara consedit. *Virg. A.* 1, 572. Vultis et his mecum pariter considere regnis? *Curt.* 7, 3. Permissum senioribus in novam urbem considere. ℙ Translate. *Cic. Att.* 2, 4. Considere in otio. *Id. Or.* 27. *extr.* Hoc genus orationis spretum a subtilibus, repulsum a gravibus, in ea, de qua loquor, mediocritate consedit. *Id. Fin.* 1, 16. Vitium consedit in mente alicujus. *Id. Har. resp.* 12. Religio ludorum, ex ultimis terris arcessita, in hac urbe consedit. *Id. Univers.* 2. Sensus moventia eadem in opinione considunt, quae ortum habere, gignique diximus. ℙ Allegorice. *Senec. ep.* 17. Antequam incipio secedere, et in alia parte considere, *h. e.* mutare sententiam. Sumptum a senatoribus, qui in hanc, aut illam partem sessum ibant, cum pedibus ibant in sententiam. ℙ Praeterea saepe significat desidere, descendere, dehiscere. *Liv.* 30, 38. In Veliterno agro terra ingentibus cavernis consedit, arboresque in profundum haustae. *Cic. Prov. cons.* 14. Licet jam Alpes considant. *Virg. A.* 2, 625. omne mihi visum considere in ignes Ilium, *h. e.* conflagrare, et ruere. Sic quaecumque ima petunt, *considere* dicuntur. *Colum.* 12, 24. Patiemur picem considere: cum siderit, aquam eliquabimus. *Curt.* 5, 13. Inhibuit cursum, donec consideret pulvis. [**Sil.* 17, 291. Tumidi considunt fluctus.] ℙ Ap. *Plin.* 3, 25, 28. *considere* Alpium *juga* dicuntur, ubi humiliora sunt, et clivi clementioris. ℙ Translate. *Cic. Mur.* 8. Consedit utriusque nomen in quaestura: nullum enim vobis sors campum dedit, in quo excurrere virtus, cognoscique posset, *h. e.* jacuit, non exstitit. [*Desiit celebrari post praeturam.] *Id. Brut.* 24. *ad f.* Ardor animi non semper adest: isque cum consedit, omnis illa vis et quasi flamma oratoris exstinguitur, *h. e.* cum minuitur, et defervescit. *Liv.* 33, 7. Ubi terror consedit. Et 42, 62. Cum jam consedisset ferocia. Et 38, 17. Ubi ira consedit. *Cic. Brut.* 3. Eorum aspectu omnis, quae me angebat, de republ. cura consedit, *h. e.* cessavit, sedata est. *Id. Acad.* 4, 27. Furor consedit. [**Sil.* 16, 218. Considunt bella, i. e. defervescunt, minuuntur. Adde 8, 333.] *Virg. A.* 11, 349. totamque videmus Consedisse urbem luctu, *h. e.* afflictam esse. *Cic. Or.* 3, 49. Junctio verborum nascatur a proceris numeris, ac liberis, maxime heroo, et paeone; sed varie distincteque considat, *h. e.* terminetur, claudatur. ℙ Caret praeterito, teste *Prisc.* 10, 889. et 893. sed mutuatur a *sedeo:* neque tamen *consideo* temere in Latium invehere licet, cum nullum ejus exemplum in personis praesentis, aut futuri temporis invenire adhuc licuerit. ℙ Ap. *Cic. Att.* 2, 4., ubi vulgo legitur *in otio consederit*, est qui legit *considerit*, ut sit praeteritum verbi *Consido.* Sic *Tac. A.* 1, 30. *extr.* Drusus, quia praesentia satis considerant, in Urbem rediit, *h. e.* sedata erant. Al. leg. *consederant.* ℙ [Part. *Considens* ap. *Manil.* 2, 251. Libra sub emerito considens orbe laborum. *F.*]

CONSIGNANTER, adv., unde Comp. *Consignantius* ap. *Gell.* 1, 25. Graeci significantius, consignantiusque dixerunt, *h. e.* expressius, *ἐμφατικοτέρως.*

CONSIGNĀTĒ, adv., cujus Sup. est ap. *Gell.* 1, 15. Eupolidis quoque versus de id genus hominibus consignatissime factus est, *h. e.* id genus homines omnino significando.

CONSIGNĀTĬO, onis, f. *Quint.* 12, 8. *ad f.* Promittit litigator omnia, testem populum, paratissimas consignationes etc., *h. e.* tabulas a pluribus obsignatas. [*Cf. *Spalding.* ad h. l.] Adde *Martian. Dig.* 48, 10, 1. et *Paul. ib.* 16.

CONSIGNĀTUS, a, um, part. a *consigno*, obsignatus, signo notatus. *Liv.* 23, 38. Litteris perlectis, consignata omnia ad senatum misit. *Pl. Bacch.* 4, 8. *extr.* Aequum est tabellis consignatis credere. *Hermog. Dig.* 46, 1, 64. Pecuniam consignatam in publico loco deponere, *h. e.* in sacculo signato positam, ut *Ulp. ib.* 16, 3, 1. *post med.* loquitur. Eodem modo intellige illud *Suet. Claud.* 26. Dote inter auspices consignata. [*Cf. de h. l. *Brem.*] ℙ Translate. *Cic. Cluent.* 50. Errat vehementer, si quis in orationibus nostris auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur, *h. e.* scriptis commendatas, atque adeo ratas firmasque. *Id. Or.* 2, 55. Ubi sunt ii fundi, quos tibi pater publicis commentariis consignatos reliquit? *Id. Leg.* 3, 20. Publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus. *Id. Tusc.* 1, 24. Nec fieri posse, ut a pueris tot rerum insitas et quasi consignatas in animis nationes haberemus. *Id. Div.* 1, 40. Quis est, quem non moveat clarissimis monumentis testata consignataque antiquitas? ℙ Quod dixit *Pl. Bacch.* 4, 9, 11. *tabellas obsignatas, consignatas*, duobus verbis unum atque idem significare voluisse videtur: nisi malis ita distinguere, ut *obsignatas* ad signum anuli referatur, *consignatas* ad scriptionem.

CONSIGNO, as, avi, atum, a. 1. *σφραγίζω*, noto, signo, sigillum imprimo. *Cic. Quint.* 6. Tabulae signis hominum nobilium consignantur. *Pl. Curc.* 2, 3, 90. Tute tabellas consignato. *Liv.* 39, 48. Placuit scribi id decretum, et consignari a Lacedaemoniis. *Ulp. Dig.* 1, 19, 13. *ante med.* Consignare legem. *Florent. ib.* 28, 1, 24. testamentum. In *argum. Pseudoli Plautini.* Consignare symbolum, *h. e.* signis notare tesseram. ℙ Ap. *eund. Pers.* 4, 2, 12. Consignare tabellas alicui, *h. e.* consignatas, seu obsignatas alicui tradere. ℙ *Consignare litteris* est litteris notare, perscribere, *ἐν γράμμασι καταλέγεσθαι. Cic. Acad.* 4, 1. Ut litteris consignamus, quae monumentis mandare volumus; sic ille in animo res insculptas habebat. ℙ Significat etiam notare, signare, animadvertere. *Cic. Univ.* 9. Eorum siderum cursus, e quibus erat motus temporis consignandus. *Porc. Latro in Cat.* 17. Nulli non oculi te senatorum statim consignarunt. ℙ Item declarare, ostendere, et quasi signo aliquo demonstrare. *Gell.* 14, 2. *a med.* An ex officio sit judicis causam, de qua cognoscit, interlocutionibus suis ita exprimere, consignareque, ut ante sententiae tempus signa et indicia faciat sensus sui. ℙ [Part. *Consignans* ap. *Hieron. Vita Hilarion. n.* 34. Singulorum lectulos et ardentia membra consignans. *F.*]

CONSĪLĔO, ēles, ui, a. 2. *ἀποσιωπάω*, idem quod sileo, conticesco. *Gell.* 5, 1. *extr.* Consiluisse universos dicit, quasi attonitos, et obstupidos. *Ennius* quoque, *Festo* teste, *consiluere* posuit pro *conticuere. Hieron. in Isajam* 5, 14, 7. Ad ruinam Israel omnis terra consiluit.

CONSĪLESCO, is, n. 3. conticesco, conquiesco. *Pl. Mil.* 2, 6, 100. [*102.] Me occultabo aliquot dies, dum hae consilescunt turbae, atque irae leniunt. *Gell.* 12, 1. *ad f.* Omnis impatientissimae sollicitudinis strepitus consilescit.

CONSĪLĬĀRIS, e, adj. idem quod *consiliarius* adj. Absolute *Paul. Dig.* 1, 22, 5. Consiliari eo tempore, quo adsidet, negotia tractare in suum quidem auditorium nullo modo concessum est. Ita in Edit. *Torrentini:* at *Haloander* habet *Consiliariis eo tempore, quo adsident* etc. *V. *Bynkershoek. Obs. Jur.* 1, 25. p. 103. *B. A.*

CONSĪLĬĀRĬUS, ii, m. *βουλευτής*, qui in consilium adhibetur. *Cic. Fam.* 1, 9. Et ego te auctore amicissimo et sapientissimo, et tu me consiliario fortasse non imperitissimo, fideli quidem et benevolo certe, usus esses. [*Cf. *Manut.* ad h. l.] *Id. Leg.* 3, 19. Est boni auguris meminisse, Jovi opt. max. se consiliarium atque administrum datum.

Id. Att. 14, 9. Ratio aedificandi initur, consiliario et auctore Vestorio. *Vell.* 2, 56. Consiliarii caedis. *Suet. Tib.* 55. Consiliarii in negotiis publicis. *Id. ib.* 33. Offerre se consiliarium alicui. *Inscr.* ap. *Grut.* 458, 7. Consiliarius Augustorum. ℙ Adjective. *Pl. Ep.* 1, 2, 56. Jam senatum convocabo in corde consiliarium. *Gell.* 18, 3. Homines consiliarii. *Appul. de Dogm. Plat.* 2. Illam consiliariam, et illam alteram iratiorem animam presserunt, *h. e.* rationem, et appetitum, ut loquuntur philosophi. ℙ *Consiliarium fulmen* apud haruspices dicebatur, quod ante rem fiebat, sed post cogitationem, cum aliquid in animo versantibus, aut suadebatur fulminis ictu, aut dissuadebatur. *Senec. Q. N.* 2, 39.

[CONSĬLĬĀTĬO, onis, f. actus consiliandi. *C. Jul. Vict. art. rhet.* (ed. Romae *A. Maio*). 14. Si causa est in argumentis, ad ea te potissimum converte; si in consiliatione, insiste. *F.*]

CONSĬLĬĀTOR, oris, m. *βουλευτής*, consiliarius. *Phaedr.* 2, 6. Consiliator maleficus. *Plin. ep.* 4, 17. Ille meus in gerendis honoribus consiliator, et rector. Adde *Appul. Met.* 1. In *Inscr.* ap. *Gud.* p. 7. *n.* 6. est epitheton Jovis.

CONSĬLĬĀTRIX, icis, f. quae consilium dat. *Appul. Met.* 5. Illae consiliatrices tuae.

CONSĬLĬĀTUS. V. CONCILIATUS, et CONCILIO.

CONSĬLĬGO, iliginis, f. herba, quae a botanicis dicitur *pulmonaria*, ab aliis *leonis pata* etc., cujus radix pulmonum vitiis, et phthisicis remedio est, praesertim pecoribus, trajecta per auriculam. *Plin.* 25, 8, 48. et 26, 7, 21. et *Colum.* 6, 5. et 7, 5. ℙ Dicta est *consiligo*, quod inter siliginem et triticum frequentissime nascitur.

[CONSĬLĪNAS, atis, omn. gen. et

[CONSILĪNENSIS, e, adj. ad Consilinum pertinens, urbem Lucaniae, nunc *Padula* prope Grumentum. *Front. de colon.* p. 109. *Goes.* Praefecturae, Urcianensis, Paestana, Potentina, et Consilinensis. *Caes. Variar. ep.* 8, 33. Suburbanum quoddam Consilinatis antiquissimae civitatis.

CONSĬLĬO, is, a. 4. a *con* et *salio*. Afferri solet locus *Livii* 24, 28., item *Taciti A.* 3, 46. et *ib.* 6, 36., quibus tamen locis verbum *consilio* neque locum recte habet, et patronos perpaucos. ℙ *Consiliare* in re fullonica quid sit, V. in CONCILIO.

CONSĬLĬOR, aris, atus sum, dep. 1. *βουλεύω*, *συμβουλεύω*, consilium do. *Hor. A. P.* 196. Ille bonis faveatque, et consilietur amice. ℙ Item consilium habere, consultare. *Caes. B. C.* 1, 19. Cum Domitius multum cum suis, consiliandi causa, secreto colloqueretur. ℙ Hinc participia *consilians*, *consiliaturus*, *consiliandus*. *Caes. B. C.* 1, 73. Haec consiliantibus eis, nunciatur etc. *Tac. H.* 2, 53. Et rediere omnes Bononiam, rursus consiliaturi. *Hor. Od.* 3, 3, 17. Gratum elocuta consiliantibus Junone Divis. *Cic. Att.* 15, 9. Tu quid egeris tua cum tristi, tum etiam difficili ad consiliandum legatione, vehementer exspecto. ℙ Omnia haec loca ab aliis aliter leguntur. Nam *concilietur*, et *consilia habentibus* quidam reponunt ap. *Hor.* et *consultandi*, et *consultantibus* ap. *Caes.* et *consulturi* ap. *Tac.*, denique *conciliandum* ap. *Cic.*, adeo ut non defuerint, qui ipsum verbum toto Latio exsulare jusserint. Verum ut de aliis taceam, exemplum *Horat.* ex *Od. l.* 3. sumptum, non nisi vi adhibita mutari potest. Quare, ut de reliquis dubitetur, de participio *consilians* dubitari quidem certe non debet.

CONSĬLĬOSUS, a, um, adj. consilio valens. Vox est *M. Catonis*, teste *Gell.* 4, 9., ex qua gradus inflexit. *Sidon. ep.* 7, 9. *in conc. post med.* Si personam tractatu consiliosiore pensemus, *h. e.* consideratiore. Et *ep.* 1, 1. Sicuti es in iis, quae deliberabuntur, consiliosissimus. [*Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. Cum multa ejusmodi consiliosa exempla in historiis et in orationibus lectitares, ad rem militarem magistra eloquentia usus es. *F.*]

CONSĬLĬUM, ii, n. Volunt quidam, proprie esse vocem artis fullonicae; a *con*, et *salio:* et significare illam subsultationem, qua fullones pedibus vestimenta subigunt, ut in CONCILIO dictum est: ubi et locum *Plauti* in hanc rem adduximus. Alii probabilius deducunt a *consulendo* quasi pro *consulium*, ut *exsilium* ab *exsulando*. ℙ In usu est ratio excogitata faciendi aliquid, aut non faciendi, ut *Cic.* definit *Inv.* 1, 25. et *ib.* 2, 9., vel ut plenius *Quint.* 6, 5. ratio quaedam alte petita, et plerumque plura perpendens et comparans, habensque in se et inventionem et judicationem, *βουλή*, *βούλευμα*. *Ter. Andr.* 2, 1, 9. Facile omnes, cum valemus, recta consilia aegrotis damus. *Liv.* 35, 32. Ne temere eam societatem celeritate nimia consiliorum everterent: consilia calida et audacia prima specie laeta, tractatu dura, eventu tristia esse. *Cic. N. D.* 3, 71. Homines rationem bono consilio a Diis datam, in fraudem malitiamque convertunt. *Id Att.* 14, 24. Consilium cepi, legari a Caesare. *Id. Quint.* 16. *extr.* et *Caes. B. G.* 7, 71. Consilium cepisse hominis fortunas funevertere. *Nep. Lysand.* 3. Consilia iniit reges Lacedaemoniorum tollere. *Cic. Att.* 5, 11. *ad f.* Abjicere consilium aedificandi. *Id. Phil.* 1, 1. *in.* Consilium profectionis et reversionis meae. *Ter. Eun.* 4, 7, 14. Consilium illud rectum est de occludendis aedibus. *Cic. Or.* 2, 9. Dare consilium de maximis rebus. *Id. Att.* 7, 10. Subito consilium cepi, ut antequam luceret, exirem. *Ter. Ph.* 1, 4, 1. Reperire aliquod consilium celere. ℙ [*Notanda dicendi ratio apud *Sil.* 9, 219. Aciemque locorum Consilio curvis accommodat ordine ripis, i. e. ut locorum situs et natura suadet.] ℙ *Sibi consilium capere* est sibi consulere neglectis aliis. *Caes. B. C.* 1, 76. Postulat, ut jurent omnes, se exercitum ducemque non deserturos, neque sibi separatim a reliquis consilium capturos. ℙ Dicimus, *consilium petere*, *quaerere*, *conferre*, *repudiare*, *sequi*, *mutare*, *exsequi*, *agitare*, *inire* etc. *Cic.*, *Liv.*, *Caes.*, *Nep.*, *Terent.*, *Plaut.* etc. ℙ Facere aliquid de consilio alicujus, *h. e.* aliquo nobis consilium dante. *Cic. Att.* 6, 3. *ad f.* et *ib.* 13, 31. Et sine praeposit. *Ter. Andr.* 3, 2, 22. Quasi tu dicas, id factum consilio meo. ℙ *Mei, tui consilii est*, h. e. ad me, ad te deliberatio pertinet. *Cic. Fam.* 3, 2. Quid in eo genere efficere possis, tui consilii est. Adde *Nep. Con.* 4. ℙ *Meum*, *tuum consilium est*, eod. sensu. *Cic. Fam.* 14, 14. Vestrum jam consilium est, non solum meum, quid sit vobis faciendum. Adde *ib.* 18. ℙ *Res est consilii*, in deliberationem cadit. *Caes. B. G.* 7, 38. Quasi vero consilii sit res, et non necesse sit nobis cum Arvernis nosmet conjungere. ℙ Sic *res est magni consilii*, h. e. in qua magno consilio est opus. *Cic. Att.* 15, 12. Quid aetati credendum sit, quid nomini, quid hereditati, magni consilii est. Et *ib.* 10, 1. Nihil mihi adhuc accidit, quod majoris consilii esset. ℙ [*Publici consilii particeps* (*Cic. Cat.* 1, 1. Fit publici consilii particeps) dicitur, qui interest deliberationibus Senatus.] ℙ Pro deliberata voluntate. *Liv.* 1, 58. *sub f.* Unde consilium abfuerit, culpam abesse. ℙ Hinc *consilium est*, decrevi, statui. *Sall. Jug.* 87. Quae gratuito faciebam, ea uti, accepta mercede, deseram, non est consilium, Quirites. Et *Pl. Mil.* 2, 3, 73. Consilium est ita facere. *Cic. Att.* 5, 5. Ibi Pomptinium exspectare consilium est. *Ter. Hec.* 3, 5, 44. Jube illam redire. *P.* non est consilium, pater. ℙ *Quo consilio huc imus?* ap. *Ter. Eun.* 5, 8, 1. ℙ *Hoc*, *eo consilio*, *ut* etc., ea ratione, eo fine. *Cic. Fin.* 1, 21. Explicavi sententiam meam, et eo quidem consilio, tuum judicium ut cognoscerem. *Nep. Milt.* 5. Hoc consilio, ut et montium tegerentur altitudine etc. ℙ *Caes. B. G.* 7, 20. Sine consilio haec acciderunt. ℙ Consilio privato, aut publico aliquid facere est privata, aut publica auctoritate. *Caes. B. C.* 3, 14. Una navis, quae privato consilio administrabatur etc. *Nep. Pelop.* 1. Idque suo privato, non publico fecit consilio. ℙ Ablativus *consilio* eleganter ponitur pro de industria, data opera. *Liv.* 35, 14. Secutum tamen sua sponte est, velut consilio petitum esset, ut suspectior Annibal regi fieret. *Virg. A.* 7, 216. Consilio haec omnes, animisque volentibus urbem Afferimur. ℙ Aliquando *consilium* est vafra et subtilis ratio, subdolum inventum, quo alii decipiuntur. *Nep. Dat.* 6. Tali consilio, uno tempore et proditores perculit, et hostes profligavit. *Caes. B. G.* 7, 22. Singulari militum nostrorum virtuti consilia cujusquemodi Gallorum occurrebant. ℙ Metonymice dicitur de ipso homine, qui dat consilium. *Ov. Trist.* 4, 2, 32. Hortator pugnae, consiliumque fuit. ℙ Est etiam ipsa facultas consilii capiendi, scilicet ratio, prudentia, solertia, celeritas animi in rebus pervidendis ac deliberandis. *Hor. Od.* 3, 4, 65. Vis consili expers mole ruit sua. *Nep. Dat.* 1. Vir fortissimus maximique consilii omnium Barbarorum. *Id. Alcib.* 1. Ad omnes res aptus, consiliique plenus. *Vell.* 2, 120. Varus magis imperatoris defectus consilio, quam virtute militum destitutus. *Quint.* 7, 2. *a med.* Scelera non habent consilium, *γνώμην*. Adde *eund.* 6, 5. [*Suet. *Ner.* 34. Inops consilii, i. e. incertus, quod consilium capiat, ut nostr. *rathlos*, *entschlusslos*.] ℙ Item intelligentia. *Cic. N. D.* 2, 38. Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? *Nep. Them.* 2. *ad f.* responsum oraculi Apollinis, quem Athenienses consuluerant, *consilium* appellat. ℙ Saepe sumitur pro coetu hominum consultantium: qua notione frequenter in *concilium* mutatur in libris, et unum pro altero promiscue legitur. *Cic. Verr.* 2, 5, 21. Cum consilio causam Mamertinorum cognoscit, et de consilii sententia, Mamertinis se frumentum non imperare, pronunciat. (*Nep. Phoc.* 3. *extr.* dixit, ex consilii sententia.) *Id. Att.* 10, 1. Veniendumne sit in consilium tyranni, si is aliqua de re bona deliberaturus sit. *Cic. Vatin.* 6. Advocare consilium. *Id. Att.* 1, 16. Referre ad consilium. *Id. Cluent.* 30. Ire in consilium. Et *ib.* mittere. V. MITTO. [**Plin. Pan.* 67, 6. Omnibusque annis in consilium de te Deos mittis; exigisque, ut sententiam suam mutent etc.] *Id. Or.* 1, 26. Dimittere consilium. [*Haec primo loco debebat poni significatio. V. quae notavimus de discrimine inter *consilium* et *concilium* in *concilium*. Adde *Liv.* 8, 6. Consilium militare, (*Kriegsrath*). Constabat illud legatis tribunisque militum et centurionibus primi piti. V. *Gron.* ad *Eund.* 44, 2.] ℙ Dicitur tam de consiliariis, quam de judicibus. *Id. ib.* 82. Haec in senatu minore apparatu dicenda sunt: sapiens est enim consilium. *Liv.* 38, 60. *in f.* Verterat invidia in praetorem et consilium ejus, et accusatores. *Plin. ep.* 6, 33. Duobus consiliis vicimus, totidem victi sumus, *h. e.* duabus judicum sessionibus. ℙ [**Publicum orbis terrae consilium* dicitur senatus Romanus ap. *Cic. Fam.* 3, 8. Non in privato, sed in publico orbis terrae consilio, id est in senatu, ut gratias agerent, mittebantur. *Id. Phil.* 4, 6. Senatum, id est, orbis terrae consilium delere gestit. *Id. ib.* 7, 7. Turpe est, summo consilio orbis terrae, praesertim in re tam perspicua consilium intelligi defuisse. *Suet. Aug.* 35. Sibique instituit consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractaret. *Brem.* ad h. l. docet, esse *consilia* id. q. nos dicimus *Ausschüsse*, *Commissionen*. Adde *Eund. ib.* 93.] ℙ Addunt quidam lexicographi alias significationes, ut ponatur pro animo et mente, pro voluntate, proposito, instinctu, electione etc., sed hae commode ad unam aliquam earum, quas posuimus, referri possunt.

CONSĬMĬLIS, e, adj. *ὅμοιος*, idem quod *similis*, sed vox est sonantior. *Cic. Or.* 1, 33. Causa aliqua consimilis causarum earum, quae etc. *Id. Phil.* 2, 12. Cum rem gessisset consimilem rebus iis, quas etc. *Ter. Heaut.* 2, 4, 2. Formae isti mores consimiles forent. *Lucr.* 3, 7. quidnam tremulis facere artubus haedi Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis? *Pl. Bacch.* 3, 3, 50. Haud consimili ingenio, atque ille, est. *Caes. B. G.* 2, 11. Ut consimilis fugae profectio videretur. *Front. de Or.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. Isti tam oratores, quam poetae consimile faciunt atque citharoedi solent.

CONSĬMĬLĬTER, adv. *ὁμοίως*, idem quod similiter. *Gell.* 6, 16 *ad f.* Item pro A. Licinio consimiliter Cicero verbo isto utitur. *Id.* 11, 5. Haec autem consimiliter tam Pyrrhonii dicunt, quam Academici.

*CONSINGIS, Nicomedis Bithyniae regis uxor, quae a cane lacerata fertur, propter lasciviorem cum marito jocum. *Plin.* 8, 4. *B. A.*

CONSĬPĬO, is, ipui, a. 3. *συμφρονέω*, a *con* et *sapio*, significat sapere, compotem mentis esse. *Liv.* 5, 42. Romani ex arce plenam hostium urbem cernentes, non mentibus solum consipere, sed ne auribus quidem atque oculis satis constare poterant. Est qui legit *concidere:* est qui *concipere*. *Gell.* 7, 3. referens, ut videtur, verba *Tironis Tullii liberti*, Vereri sese, ostendit, ne patres, gaudio atque laetitia rerum gestarum prospere, de statu mentis suae deturbati, non satis consiperent. ℙ *Consipiens*, mentis compos. *Senec. Constant. Sap.* 16. Ad injurias despiciendas non sapienti opus est viro, sed tantum consipiente, qui sibi possit dicere etc. ℙ *Singulare illud *Jul. Valer. rer. gest. Alex. M.* 2, 28. ed. *A. Majo*. Ergo jubebat, omnes in commune consipire, quid facto melius repperissent. *B. A.*

CONSIPTUM. V. CONSEPTUM.

CONSISTĬO. V. CONSTITIO.

CONSISTO, istis, constiti, n. 3. *ἱσταμαι*, subsisto, commoror, sto. *Caes. C. G.* 4, 5. Viatores etiam invitos consistere cogunt. *Cic. Or.* 1, 61. Neque is consistens in loco, sed inambulans. *Id. Att.* 5, 12. *extr.* Plura scribam ad te, cum constitero: nunc eram plane in medio mari. *Id. Tusc.* 5, 12. Tum ad mensam pueros delectos jussit consistere, et diligenter ministrare. *Id. in Senat.* 6. et *Verr.* 1, 7. Consistere cum aliquo, *h. e.* subsistere alloquendi et colloquendi causa. (Adde *Pl. Curc.* 4, 2, 16.) *Id. Har. resp.* 11. Si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit. *Ov. Trist.* 5, 10, 1. ter frigore constitit Ister. *Id. Met.* 7, 72. Consistere ante oculos alicujus. *Cels.* 3, 2. Videndum, morbus an increscat, an consistat, an minuatur. Et 6, 6. *n.* 8. Cursus pituitae constitit. *Cato R. R.* 126. Si alvus non consistet, *h. e.* fluxu laborabit. Sic *Cic. Fam.* 7, 26. Tanta me *διάῤῥοια* arripuit, ut hodie primum videatur posse consistere. Al. leg. *videar;* et tunc significat, recuperatis viribus firmior esse, stare posse. Sic *Cels.* 8, 15. Scala ita alta, ut consistere homo non possit, *h. e.* pedibus humi innixus stare. *Sil.* 7, 303. Ac jam constiterat. *Ov. Met.* 7, 573. si prohibent consistere vires, Corpora devolvunt in humum. *Senec. ep.* 121. Consistere in pedes. ℙ Cum infinito. *Auct. Priap.* 69. dominum toties audire legentem constiti. ℙ Saepe ad rem bellicam refertur. *Liv.* 10, 36. Templum Jovi vovet, si constitisset a fuga Romana acies. *Caes. B. G.* 6, 39. Censent, ut in jugo consistant. *Id. ib.* 7, 48. Consistere sub

muro. *Quint.* 4, 1. *circa med.* ex diverso. *Caes. B. C.* 3, 93. Tanta vi in equites impetum fecerunt, ut eorum nemo consisteret. *Id. B. G.* 2, 17. Reliquae legiones contra consistere non auderent. Et *ib.* 6, 22. Audere consistere prope hostem. *Id. B. C.* 3, 102. Ipse ad ancoram una nocte constitit. [**Liv.* 28, 15. Consistere signa in radicibus collium, ac revocare in ordines militem coeperant. Adde 21, 32.] ℙ Cum ablat. sine praeposit. *Caes. B. G.* 4, 24. Consistere fluctibus. *Virg. A.* 1, 541. primaque vetant consistere terra. *Stat. Theb.* 1, 123. Consistere limine. ℙ Cum accus., et *in* praeposit. *Tibull.* 4, 1, 101. Seu sit opus, quadratum acies consistat in agmen, *h. e.* sistat se agmine quadrato disposita. [*Cf. ad h. l. *interpp.*] *Virg. A.* 5, 426. Constitit in digitos extemplo arrectus uterque. ℙ Passive impersonaliter. *Senec. Vita beat.* 3. Ista quae spectantur, ad quae consistitur, *h. e.* inspiciendi causa moramur. [*Pertinent huc propter eandem immorandi notionem loci *Cic. Verr.* 1, 38. In uno nomine consistam. *Id. Part.* 35. consistet in singulis. Hinc eleganter ap. *Suet. Aug.* 2. At Cajus ejusque posteri, seu fortuna seu voluntate in equestri ordine constitere usque ad Augusti patrem. Consistere denotat h. l. eos, qui in petendis honoribus longius procedere aut sponte desinunt aut vi quadam prohibentur.] ℙ Translate. *Consistere cum aliquo* ap. *Cic.* est concordare, *Fin.* 4, 26. Zenonem cum Aristone verbis consistere, re dissidere. Al. leg. *consentire.* ℙ Praeterea significat sistere se in judicio contra aliquem. *Papin. Dig.* 5, 3, 49. Si bonae fidei possessor velit cum debitoribus hereditariis consistere, audietur. *Senec. Ira* 2, 7. Alius judicia patris accusat: alius cum matre consistit. *Hermog. Dig.* 5, 1, 53. In certis causis adversus dominos servis consistere permissum est. ℙ Huc pertinet illud *Cic. Caec.* 21. Verbo quidem superabis, me ipso judice; re autem ne consistes quidem ullo judice. *Tertull. Apol.* 4. Jam de causa innocentiae consistam, *h. e.* causam dicam. Adde *Idol.* 13. ℙ Eleganter ponitur pro firmum, stabilem, constantem esse. *Cic. Dom.* 54. Egit illam rem ita raptim et turbulente, ut neque mens, neque vox, neque lingua consisteret. *Id. Q. Fr.* 2, 3. Ei tantus clamor a nostris, *factus est*, ut neque mente, neque lingua, neque ore consisteret. *Id. Or.* 9. Qui Lysiam sequuntur, causidicum quendam sequuntur, non illum quidem amplum atque grandem, subtilem et elegantem tamen, et qui in forensibus causis possit praeclare consistere. [*Dicendi genus e re gladiatoria sumptum docet *Burm.* ad *Quint. Decl.* 6, 9. p. 136. Adde *Eund.* ad *Serm. Decl.* 349. p. 737.] ℙ Item pro exstare. *Lep.* ad *Cic. Fam.* 10, 35. Etsi omni tempore summa studia officii mutuo inter nos certatim constiterunt. ℙ Item pro niti, continere. *Cic. Phil.* 3, 8. Cum in eo salus et vita optimi cujusque, et libertas populi R. dignitasque consisteret. *Id. Tusc.* 5, 14. Omne bonum in una honestate consistit. *Id. Rosc. Am.* 52. In quo non modo culpa nulla, sed ne suspicio quidem potuit consistere. [*Ejusdem generis loci sunt *Ov. Met.* 12, 297. Sed non in te quoque constitit idem Exitus; et quem *Gierig.* ad h. l. comparat *A. Am.* 1, 120. Constitit in nulla qui fuit ante color. Adde *Liv.* 28, 26. Ut, unde orta culpa esset, ibi poena consisteret.] *Nep. Datam.* 8. Has adversus copias spes omnis consistebat Datami in se, locique natura. *Caes. B. G.* 6, 21. Major pars victus eorum lacte et caseo et carne consistit. ℙ Item pro finem habere, desinere. *Cic. Or.* 1. *initio.* Si infinitus forensium rerum labor, decursu honorum, etiam aetatis flexu constitisset. *Id. Att.* 8, 11. Levatur enim omnis cura, cum aut constitit consilium, aut cogitando nihil explicatur. [**Id. Tusc.* 1, 23. Vel concidat omne coelum, omnisque natura consistat necesse est.] *Caes. B. C.* 2, 12. Omnis administratio belli consistit. *Cic. Att.* 6, 1. Consistere usura debuit. *Pl. Asin.* 3, 1, 17. Ubi quiesco, omnis familiae causa consistit tibi. ℙ Item pro exsistere. *Cic. Brut.* 97. Vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse. *Lambin.* leg. *exstitisse. Colum. prooem.* 1. Sine agri cultoribus nec consistere mortales, nec ali posse, manifestum est. ℙ Item pro validum, firmum, ratum esse. *Ulp. Dig.* 30, 44. Legatum in omnibus consistit. ℙ Item pro stare, vel esse, manere. *Hor. Sat.* 1, 1, 107. sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 5. Vino Baeterrarum intra Gallias consistit auctoritas. *Tac. H.* 4, 23. Batavi, Transrhenanique, quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quaeque gens consistunt, *h. e.* seorsum in acie stant. *Inscr.* non inelegans ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 241. *n.* 5. . . . . cives Romani ex Italia, et aliis provinciis in Raetia consistentes. ℙ [*Dicitur et pro *tutum esse. Cic. Quinct.* 30. Miserum atque infelicem tandem posse consistere. Ducta videtur dicendi ratio a fugientibus, qui desinentibus persecutoribus, velut securi cursum sistunt. ℙ Hinc dicitur in re talaria *Cic. Div.* 2, 21. Venerium casu jaci posse, quatuor talis jactis: Quadringentis centum Venerios non posse casu consistere, i. e. quiescentibus e jactu talis prostare.] ℙ Illa quoque huc quodammodo pertinent *Scrib. Comp.* 90. Vesicae dolor, qui cum fluore consistit. Et *ib.* 160. Podagra, quae sine tumore consistit. Et *ib.* 27. Epiphorae, quae cum lacrima consistunt. ℙ Reperitur etiam activa significatione pro efficere, constituere. *Lucr.* 6, 10. Et per quae possent vitam consistere tutam. *Gell.* 5, 10. Cum ad judices, conjiciendae consistendaeque causae gratia, venissent. *Id.* 9, 15. Exponit controversiam parum consistentem, quod genus Graeci ἄπορον vocant, Latine autem id non nimis incommode inexplicabile dici potest. Itali hanc dicerent *imbrogliata.* [*Cf. de hoc seriorum rhetorum dicendi genere *Ernest. lex. technol. lat.* p. 85. sq.] ℙ Et pro sistere. *Sall. Jug.* 53. et *Sil.* 15, 637., sed dubia utrobique lectio. [**Sallustii* locus est *Jug.* 49. Metellus agmen constitit, i. e. stare jussit, Nos: *er liess Halt machen.* V. *Cort.*]

CONSISTORIĀNUS, a, um, adj. ad consistorium pertinens. *Consistoriani* sunt qui in consistorio adsident principi vel consiliaturi, vel cogniturí. *Ammian.* 15, 5. Statuit imperator, dispicientibus consistorianis et militaribus, in negotium praeterinquiri. Adde 31, 12. et *Cod. Just.* 12, 10. qui est *De Comitib. consistorianis.*

CONSISTORĬUM, ii, n. συνέδριον, sub imperatoribus Romanis ita appellatum est consilium principis, hoc est viri illustres selecti, quibuscum princeps consilia communicabat: qui ideo *consistoriani* sunt appellati: a *consistendo*, quia cum eo ad consultandum consistebant. Item locus, quo illi conveniebant. *Auson. Grat. act.* 29. In illa vero sede, ut ex more loquimur, consistorii, ut ego sentio, sacrarii tui, nullus unquam superiorum aut dicenda pensius cogitavit, aut consultius cogitata disposuit. *Ammian.* 14, 7. Admissus in consistorium. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 12, 10, 1. Qui tranquillitatis nostrae consistorii dici comites meruerunt. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 28, 2. et 438, 1. et *Cod. Theod.* multis in locis. ℙ *Tertull. Resurr. carn.* 26. vocat *consistorium* ipsam terram, in qua homines habitant, atque consistunt. Item *ad Uxor.* 2, 6. lupanar appellat consistorium libidinum publicarum. ℙ Denique ap. *Sidon. ep.* 2, 2. *post med.* sic dicitur locus in aedibus, in quo consistunt servi dominorum jussa exspectantes.

CONSĪTIO, onis, f. φύτευσις, idem quod satio: a *consero. Cic. Senect.* 15. *extr.* Nec consitiones modo delectant, sed etiam insitiones. ℙ Ap. *Tertull. ad Nation.* 2, 11. legitur *consatio.* Nam et *consatus* pro *consitus* idem usurpat.

[CONSĪTĪVUS, a, um, adj. qui conseri potest. *Not. Tir.* p. 94. *F.*]

CONSĪTOR, oris, m. σπορεύς, qui conserit. *Ov. Met.* 4, 14. *de Baccho.* genialis, et *Tibull.* 2, 3, 35. jucundae consitor uvae.

CONSĪTŪRA, ae, f. idem quod consitio. *Cic. fr.* ap. *Non.* 3, 30. Quae videlicet ille non ex agri consitura, quam cernebat, sed ex doctrinae indiciis interpretabatur.

CONSĪTUS, a, um, part. a *consero*, satus, plantatus, πεφυτευμένος. *Cic. Senect.* 17. Ager diligenter consitus. *Prop.* 4, 4, 3. Lucus erat felix hederoso consitus antro. Al. leg. *conditus. Lucan.* 9, 690. Libye nullo consita cultu. *Sall. Jug.* 57. Ager arbustis consitus. ℙ Item consertus. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 48. Aeraque vestitis numerosa puppe columnis Consita, *h. e.* rostra navium conserta et infixa columnis, quas Augustus post Antonium devictum, ex rostris aeratis navium Aegyptiacarum ornaverat. ℙ Translate. *Virg. A.* 3, 127. crebris legimus freta consita terris, *h. e.* Aegaeum mare, insulis frequens. *Pl. Men.* 5, 2, 4. Consitus sum senectute. *Catull.* 64, 207. Ipse autem caeca mentem caligine Theseus Consitus, oblito dimisit pectore cuncta.

CONSĪVIUS. V. CLUSIUS.

CONSOBRĪNĀ, ae, f. ἀνεψιά, materterae meae filia, hoc est filia sororis matris meae. *Cic. Quint.* 4. Quintii consobrinam habet in matrimonio Naevius. Adde *Nep. Att.* 2.

CONSOBRĪNUS, i, m. ἀνεψιός, filius sororis matris meae. *Cajus Dig.* 38, 10, 1. Consobrini, consobrinae, idest qui, quaeve ex duabus sororibus nascuntur, quasi *consororini.* Item amitini, amitinae, idest qui, quaeve ex fratre, et sorore propagantur: sed vulgus fere omnes istos communi appellatione consobrinos vocat. *Cic. Ligar.* 4. Ne sit cum hoc T. Broccho avunculo suo, ne cum ejus filio consobrino suo. *Id. Or.* 2, 1. Cum consobrinis nostris Aculeonis filiis, quo cum erat nostra matertera. ℙ Latiore significatione *consobrini* dicuntur etiam qui in ulterioribus gradibus cognationis conjuncti sunt, ut ex *Cajo l. c.* 10. liquet. *Suet. Cal.* 26. Ptolemaeum regis Jubae filium, consobrinum suum quo pacto tractaverit etc. ℙ *Consobrini* inscripta fuit quaedam comoedia *Afranii* amissa, teste *Gell.* 15, 13.

CONSŌCER, ĕri, m. Consoceri dicuntur, quorum alter filiam suam alterius filio uxorem dedit. *Suet. Claud.* 29. App. Silanum consocerum suum crimine incerto occidit. *Ulp. Dig.* 24, 1, 21. *post med.* Si consocer consocero donaverit. Adde *Auson. in f. Parent. Mart.* 10, 33, 3. Sic tibi consoceri claros retinere Penates Perpetua natae det face casta Venus.

[CONSOCIĀBILIS, e, adj. qui consociari potest. *Ambr. ep.* 1. (al. 7.) Quid enim tam consociabile, quam de divinis rebus sermonem contexere, *h. e.* congruum et conveniens. *F.*]

CONSOCIĀTIM, adv. simul, una. *Ammian.* 15, 11. Matrona et Sequana consociatim meantes protinus funduntur in mare.

CONSOCIĀTIO, onis, f. κοινωνία, societas, communio, conjunctio. *Cic. Off.* 1, 44. Ita fit, ut vincat cognitionis studium consociatio hominum atque communitas. *Liv.* 40, 5. Consociatio gentis animum regis erexerat.

CONSOCIĀTUS, a, um, part. a *consocio*, sociatus, συναγελασθείς. *Cic. Parad.* 6, 2. Qui videt domi tuae pariter accusatorum atque judicum consociatos greges. *Id. Fin.* 3, 20. Sic inter nos natura ad civilem communitatem conjuncti et consociati sumus. *Id. Leg.* 1, 7. Homines cum Diis consociati. *Id. Fam.* 3, 3. Pro nostra consociatissima voluntate. Al. leg. *constantissima*, sed minus recte. *Liv.* 25, 18. Nihil sibi cum eo consociatum, nihil foederatum hosti cum hoste. [*Hinc *Id.* 24, 24. Rem consociatam Aristoni incaute aperit.] *Albin.* 1, 380. magno consociata Jovi. *Ov. Fast.* 2, 246. Tria sidera consociata loco.

CONSOCIO, as, avi, atum, a. 1. συναγελάζω, socium facio, societate conjungo. *Cic. in Senat.* 7. Tune ausus es cum A. Gabinio consociare consilia pestis meae? *Id. Fin.* 3, 21. Cum amicis consociare, aut conjungere injuriam. *Hor. Od.* 2, 3, 10. Pinus et populus umbram hospitalem consociare amant. *Pl. Most.* 1, 3, 119. Ubi sese sudor cum ungentis consociavit. *Id. Rud.* 2, 6, 67. Consociare mihi quidem tecum licet. *Phaedr.* 4, 10. *extr.* Consociare usum alicujus rei cum aliquo. *Liv.* 8, 4. imperium. Et 1, 17. Patres rem inter se consociant.

CONSOCIUS, a, um, adj. idem quod socius. *Impp. Diocl. Maxim. Cod.* 10, 2, 3. Consortes atque consocii ad exigenda reliqua. *Fulg. Mythol.* 1, 2. Elementa sibi valde consocia. *Firm. Mathes.* 3, 13. *n.* 4. Consocii in quibusdam malis comprehensi.

CONSOCRUS, us, f. quae una cum alia socrus est. V. CONSOCER. Legitur in lemmate carminis ultimi Parentalium *Ausonii*: Pomponia Urbica consocrus, uxor Juliani Censoris.

CONSOLĀBĬLIS, e, adj. qui consolationem admittit, εὐπαραμύθητος. *Cic. Fam.* 4, 3. Est omnino vix consolabilis dolor. *Ambros. ep.* 8. (al. 61.) Tot funera non te admonent, unius feminae decessionem consolabiliorem habendam? ℙ Item qui consolationem affert. *Gell.* 16, 19. Canere carmen casus illius sui consolabile.

*CONSOLAMEN, inis, n. consolatio. *Hieron. Ep.* 62. *B. A.*

CONSOLĀTĬO, onis, f. παραμυθία, levatio doloris, solamen, confirmatio. *Cic. Tusc.* 3, 32. Erit in consolationibus prima medicina, docere, aut nullum malum esse, aut admodum parvum. Et *mox.* Sapiens consolatione non indiget. Et *ib.* 30. Consolatione nihil levari. *Id. Brut.* 96. Ea consolatione sustentor, quam tu mihi adhibuisti tuis suavissimis litteris. *Id. Q. Fr.* 3, 5. *ad f.* Nihil est hujusmodi, ut ego me non multa consolatione quotidie leniam: sed erit illa consolatio maxima, si una erimus. *Id. Senect.* 2. Praeterita aetas nulla consolatione permulcere potest stultam senectutem. *Id. Att.* 12, 14. Omnem consolationem vincit dolor. *Id. Fam.* 6, 4. Invenire consolationem malorum. *Id. Prov. cons.* 7. Uti consolatione. *Id. Tusc.* 3, 31. Ut fere nos omnia in consolationem unam conjecimus, *h. e.* in libro, in quo consolati nos sumus in morte filiae: de quo *Id. Att.* 12, 14. ℙ [**Consolatio* ap. *Cic. Or.* 3, 55. dicitur id genus dicendi universum, quod consolandi causa instituitur: *die Trostrede, der Vortrag des Trösters. Ernest.* in *lex. technol. lat.* p. 86.] ℙ Est etiam levatio timoris. *Cic. Att.* 1, 17. *ante med.* Fuit mihi et laudis nostrae gratulatio tua jucunda, et timoris consolatio grata. *Hirt. B. Alex.* 8. Caesar suorum timorem consolatione et ratione minuebat. *Id. B. G.* 8, 38. Timentes animos consolatione sanat.

CONSOLĀTOR, oris, m. παράκλητος, παραμυθητής, qui consolatur. *Cic. Tusc.* 3, 30. Consolatores ipsos confiteri se miseros, cum ad eos impetum suum fortuna converterit.

CONSOLĀTORĬĒ, adv. consolatoris more, consolando. *Sidon. ep.* 6, 9. Quem non increpative, sed consolatorie compellare curavimus.

CONSOLĀTORĬUS, a, um, adj. παραμυθητικός, ad consolandum aptus. *Cic. Att.* 13, 20. A Caesare litteras accepi consolatorias. *Suet. Oth.* 10. Codicillos exaravit ad sororem consolatorios.

CONSOLĀTUS, a, um, part. a *consolor*, qui consolationem adhibuit. *Caes. B. G.* 5, 4. Consolatus Indutiomarum, hortatusque est, ut in officio

permaneret. ℙ Item passive qui consolationem accepit. *Justin.* 22, 6. Sic consolatis militibus, universas naves, consentiente exercitu, incendi jubet. ℙ Quidam *consolatas rationes* perperam legunt ap. *Cic. Fam.* 5, 20. V. CONSOLIDATUS.

CONSOLIDA, ae, f. herbae genus alio nomine conferva, et inula rustica, et alum, *συμφυτον*, lignosa, jucundi odoris, atque salivam provocans. Ejus plura genera herbarii faciunt. Dicta est a virtute quam habet solidandi, et confirmandi. *Appul. Herb.* 59.

CONSOLIDATIO, onis, f. solidatio. Translate. *Ulp. Dig.* 7, 2, 3. Jus adcrescendi non perit ei, apud quem consolidatus est, neque ab eo: et ipse quibus modis amitteret ante consolidationem, iisdem et nunc amittit, *h. e.* antequam usufructuarius proprietatem rei acquirat: hoc enim est *consolidatio*, uti docet *Just. Inst.* 2, 4. *sub f.*

CONSOLIDATOR, oris, m. qui firmat, et solidum reddit. *Venant. carm.* 1, 20, 22. Nam quod pulcra domus, quod grata lavacra nitescunt, Consolidatorem te cecinere suum.

CONSOLIDATUS, a, um, part. a *consolido*, solidatus. Translate. *Cic. Fam.* 5, 20. Ut apud duas civitates rationes confectas et consolidatas deponeremus, *h. e.* liquidas, cum expensis respondent accepta. Quidam *consolatas* perperam leg. [*Magna quidem lect. varietas. *Ernest.* in *cl. Cic.* p. 348. probat *Vulg.* Sed *Orell.* exhibet *rationes confectas collatas*, v. *consolidatus* JCtorum seriorum, non Tullianum docens.] ℙ *Ususfructus consolidatus* est confirmatus, idest conjunctus cum proprietate, cum scilicet usufructuarius proprietatem quoque fundi acquisivit. *Ulp. Dig.* 7, 2, 3. *sub f.*

CONSOLIDO, as, avi, atum, a. 1. *στερεόω*, solidum reddo. *Vitr.* 2, 8. *ante med.* Graeci non media farciunt, sed e suis frontatis perpetuum, et in unam crassitudinem parietem consolidant. ℙ Translate *consolidari ususfructus* apud JCtos dicitur, cum ad eum proprietatis jure revertitur, a quo abscesserat: vel cum usufructuarius acquirit proprietatem ejus rei, ex qua usumfructum percipiebat. *Tryphon. Dig.* 23, 3, 78. *circa med.* Et *Ulp. ib.* 7, 2, 3. et 6.

CONSOLIDUS, a, um, adj. solidus, stabilis, firmus. *Arnob.* 4. *sub f.* Cum omnibus consolidae germanitatis necessitudine copulatus.

CONSOLOR, aris, atus sum, dep. 1. *παρακαλέω, παραμυθέομαι*, idem quod solor, dolorem levo, confirmo, recreo. *Cic. Tusc.* 3, 31. Haec igitur officia sunt consolantium, tollere aegritudinem etc. *Id. Att.* 12, 14. Feci quod ante me nemo, ut ipse me per litteras consolarer. *Id. Prov. cons.* 7. Dummodo, cujus exemplo se consolatur, ejus exitum exspectet. *Id. Sull.* 10. Consolare te, quod etc. *Id. Rosc. Com.* 14. *extr.* Inani et tenui spe te consolaris. *Id. Att.* 15, 27. Te consolata est spes brevi tempore congrediendi. *Id. Cat.* 4, 4. Spes hominem in miseriis consolari solet. *Id. Fam.* 6, 4. Consolari aliquem de miseriis communibus. *Id. ib.* 4, 8. dolorem alicujus. *Quint.* 2, 12. *extr.* Inquirendo scribendoque talia consolemur otium nostrum. *Ov. Met.* 15, 491. et consolantia verba Dixere. ℙ Significatione consimili verbi compenso, vel levo. *Cic. Mil.* 35. Gloria brevitatem vitae posteritatis memoria consolatur. *Id. Q. Fr.* 2, 6. *ad f.* Sed hoc incommodum consolantur quotidianae damnationes inimicorum. *Id. Fam.* 7, 11. Ego desiderium tui spe tuorum commodorum consolabor. *Id. Att.* 4, 16. *post med.* Dicendi laborem delectatione oratoria consolor. *Id. Fin.* 1, 12. Doloris magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio consolatur. ℙ Consolari semetipsum. *Cic. Agr.* 2, 28. Quaeso nolite vosmetipsos consolari: vere et diligenter considerate, num vobis, aut vestri similibus, integris, quietis, otiosis hominibus, in hoc numero locum fore putatis? ℙ Significat etiam timorem alicui levare, animos addere. *Caes. B. C.* 3, 98. Consolatus consurgere jussit: et pauca apud eos de lenitate sua locutus, quo minore essent timore, omnes conservavit. V. CONSOLATIO. ℙ Reperitur etiam *Consolo, as.* teste etiam *Prisc.* 8, 797. *Varr.* ap. *Non.* 7, 50. Oedipus Athenas venire dicebatur, qui consolaret. ℙ Et *consolor* passiva significatione. *Q. Metell.* ap. *Gell.* 15, 13. Cum animum vestrum erga me video, vehementer consolor. Ipse *Gell. ib.* docet, in usu esse *consolor te*, et *consolor abs te. Asin. Poll.* ap. *Prisc. l. c.* p. 792. Cum ob ea, quae speraveram, dolebam, consolabar ob ea, quae timui. V. CONSOLATUS. ℙ [Part. *Consolandus* ap. *Cic. Fam.* 5, 18. Etsi egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum etc. *F.*]

CONSOMNIO, as, n. 1. idem quod somnio, *ὀνειροπολέω, ὀνειρώττω: Pl. Most.* 3, 2, 68. *Tr.* Senex volt aedificare gynaeceum, et balneas, et porticum. *Si.* Quid ille consomniat? *Tr.* Ego dicam tibi; dare volt uxorem filio.

CONSONANS, antis, part. a *consono*, *σύμφωνος, συνηχῶν*, simul sonans. *Liv.* 36, 34. Consonante clamore nominatim Quintium orare, ut etc. ℙ Apud *Vitr.* 5, 8. *a med.* Consonantes loci in theatris sunt, in quibus ab imis auxiliata vox cum incremento scandens, ingreditur ad aures discreta verborum claritate. V. integr. loc. ℙ Consonantes litterae dicuntur a grammaticis, quae per se nihil sonant, sed solum junctae vocalibus. *Quint.* 1, 4. et 5., *Gell.* 4, 17. etc. ℙ Translate. *Senec. ep.* 31. *a med.* Perfecta virtus est aequalitas ac tenor vitae, per omnia consonans sibi, *h. e.* sibi conveniens, sibi constans, et concordans. ℙ *Consonans est*, conveniens est. *Ulp. Dig.* 12, 2, 34. *ad f.* Non semper consonans est, per omnia referri jusjurandum, quale defertur. *Scaevola ib.* 19, 1, 48. Hoc etenim contractui bonae fidei consonans est. ℙ Item valde sonans, sonum pleniorem habens. *Cic. Part.* 5. Verba consonantiora, graviora etc.

CONSONANTER, adv. convenienter, concorditer. *Vitr.* 6, 1. Consonantissime ad harmoniam composita.

CONSONANTIA, ae, f. *συμφωνία*, vocum concordantia, concentus. *Vitr.* 5, 5. *ad f.* Citharoedi convertunt se ad scenae valvas, et ita recipiunt ab earum auxilio consonantia vocis. *Gell.* 13, 20. Tanta juncturae differentia est in consonantia vocum proximarum. *Tert. adv. Jud.* 11. *sub f.* et *ib.* 14. Consonantia scripturarum, *h. e.* consensus.

CONSONE, adv. *συμφώνως*, una voce. *Appul. Met.* 1. Quoad mutua cohortatione consone clamitarent.

CONSONO, as, onui, n. 1. *συμφωνέω, συνηχέω*, simul sono, eadem voce sono. *Petr. fragm. Tragur.* 78. *Burm.* Consonuere cornicines funebri strepitu. *Varr. R. R.* 3, 16. *post. med.* Apes cum jam evolaturae sunt, consonant vehementer. *Senec. ep.* 84. *a med.* Cum omne tibiarum genus, organorumque consonuit, fit concentus ex dissonis. *Pl. Amph.* 1, 1, 72. Tubae utrinque canunt: contra consonat terra. *Virg. A.* 8, 305. Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant. *Tac. A.* 15, 37. Circumjecta tecta consonare cantu. [*Ov. Met.* 7, 451. Consonat assensu populi precibusque faventum Regia.] ℙ *Consonare verba* dicuntur, quae similiter desinunt. *Quint.* 9, 3. Initia quoque, et clausulae sententiarum, aliis, sed non alio tendentibus verbis, inter se consonant. Initia hoc modo: *Dederim periculis omnibus, obtulerim insidiis, objecerim invidiae.* Rursus clausulae: *Vos enim statuistis, vos sententiam dixistis*, etc. ℙ Item quae per paronomasiam efferuntur, ut *immoriaris, immorare. Id. ib.* In verbis tantum distantibus jucunde consonat vox, etc. ℙ Translate est concordare, convenire. *Auct. Decl. in Sall.* 1. Ut omnis oratio moribus consonet. *Manil.* 2, 281. Virginis et Tauri Capricorno consonat astrum. Et *ib.* 622. veri per totum consonat ordo. *Quint.* 2, 20. Consonare sibi in faciendis, ac non faciendis, virtutis est. *Senec. Vita beat.* 23. Optime dives, si opus ad hanc vocem consonet.

CONSONUS, a, um, adj. *συνηχῶν, σύμφωνος*, idem, vel simul sonans, consonans. *Ov. Met.* 13, 610. et consonus exit in auras Ter clangor. *Id. Am.* 1, 8, 59. Ipse Deus vatum, palla spectabilis aurea, Tractat inauratae consona fila lyrae. ℙ Translate est conveniens, concordans. *Cic. Att.* 4, 16. Credo, Platonem vix putasse, satis consonum fore, si hominem id aetatis in tam longo sermone diutius retinuisset. *Claud. I. Cons. Stilich.* 69. Docere juvenem consona regno, *h. e.* utilia. *Appul. Met.* 2. Totius orbis consono ore celebrari. ℙ *Consona, ae* (subaudi *littera*), est littera consonans, et saepissime legitur ap. *Terent. Maur.*

CONSOPIO, is, ivi, itum, a. 4. *κατακοιμάω*, idem quod sopio. *Lucr.* 6, 791. Nocturnumque recens exstinctum lumen, ubi acri Nidore offendit nares, consopit ibidem. *Cic. Tusc.* 1, 49. Quid melius, quam in mediis vitae laboribus obdormiscere, atque ita conniventem somno consopiri sempiterno?

CONSOPITUS, a, um, part. a *consopio*, *καταδαρθείς*, sopitus. *Cic. Tusc.* 1, 38. Endymion a Luna consopitus putatur. *Suet. Claud.* 44. Inter initia (*veneni*) consopitus. [*Signif. media *B. Crus.* in *Cl. Suet.*] ℙ Translate. *Gell.* 16, 10. Cum omnis illa duodecim tabularum antiquitas lege Aebutia lata consopita sit, *h. e.* abrogata, abolita.

*CONSORANNI, orum, pop. Galliae Aquitanicae, *Plin.* 4, 19. Horum regio nunc CONSERANS, prope Aragoniam et Garumnae fontes. *Plin.* 4, 9. *B. A.*

CONSORS, ortis, adj. *σύγκληρος, ξύγκληρος, κοινόβιος. Varr. L. L.* 5, 7. *circa med.* Consortes, ad quos eadem sors, *h. e.* idem patrimonium, vel idem cumulus hereditatis. Sunt enim *consortes*, quorum hereditas nondum divisa est: et dicitur plerumque de fratribus. *Festus* in *Sors.* Sors et patrimonium significat: unde consortes dicimus. Et in *Disertiones.* Disertiones, divisiones patrimoniorum inter consortes. *Cic. Verr.* 2, 3, 23. Cum ex agris tres fratres consortes profugissent, quod iis plus frumenti imperabatur, quam exararant. *Vellej.* 1, 10. *extr.* et *Liv.* 41, 27. Censoris frater et quidem consors, *h. e.* qui communi adhuc patrimonio utebatur. [*V. *Ruhnk.* ad l. *Vell.* modo laudat.] *Virg. Cir.* 15. Quatuor antiquis quae heredibus est data consors. *Plin. ep.* 8, 18. Circumscripto testamento, consors frater filium revocaverat. ℙ In *Cod. Justin.* 3, 40. est *De consortibus ejusdem litis*, nempe qui cum communiter aliquid possideant, litem simul omnes contestantur. ℙ Translate. *Lucan.* 1, 93. omnisque potestas Impatiens consortis erit. ℙ Saepe est idem quod particeps, socius. *Cic. Mil.* 37. Quid respondebo tibi, Q. frater, consorti mecum temporum illorum? *Id. Brut.* 1. Socius et consors gloriosi laboris. *Id. Verr.* 2, 3, 66. *extr.* in lucris atque furtis. *Tac. A.* 1, 3. Collega imperii, consors tribuniciae potestatis. [*Dicitur et absolute. *Suet. Tib.* 1. Tatius, consors Romuli.] *Vellej.* 2, 74. Consors vitiorum. *Ov. Fast.* 3, 492. culpae. Et *ib.* 873. pericli. *Id. Her.* 3, 47. Consortes generis et necis, *h. e.* fratres, et simul eadem nece interempti. *Id. Pont.* 3, 2, 82. urbis, *h. e.* populares, cives ejusdem urbis. *Virg. G.* 4, 158. de apibus: Solae communes, natos, consortia tecta Urbis habent. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 5. Consortes pavoris. *Lucan.* 4, 178. Aetas consors studiis puerilibus. ℙ *Consors casus* est similis, ejusdem sortis. *Prop.* 1, 21, 1. Tu, qui consortem properas evadere casum Miles etc. ℙ *Consors thalami* ap. *Ov. Met.* 1, 319. et *ib.* 10, 246. est uxor. Adde *ib.* 6, 93. ℙ Frequenter dicitur de fratribus, et sororibus. *Ov. Met.* 11, 346. Quae dum Lucifero genitus miracula narrat De consorte suo. *Id. Pont.* 3, 2, 47. Dea consors Phoebi, *h. e.* Diana. *Id. Her.* 13, 61. consors Ledaea gemellis, *h. e.* Castorum soror. *Tibull.* 2, 5, 23. Romulus aeternae nondum formaverat Urbis Moenia, consorti non habitanda Remo. Sic *Ov. pectora consortia* dixit *Met.* 13, 663. sorores intelligens. Et *ib.* 8, 443. calidumque priori Caede recalfecit consorti sanguine telum, *h. e.* fraterno. Sic *Albinov. ad Liv.* 437. consortes Deas videtur significare Nereides, quas uno patre Nereo genitas fabulantur, ut est ap. *Hygin. in praefat.* ℙ [*Hinc dicitur in universum pro cognato, una origine orto. *Lucr.* 6, 1280. Unus Quisque suum pro re consortem moestus humabat. *Lucr.* 3, 772. Quove modo poterit, pariter cum corpore quoque Confirmata, cupitum aetatis tangere florem Vis animi, nisi erit consors in origine prima? i. e. cognata corpori, uno eodemque ortu procreata.]

CONSORTALIS, e, adj. ad consortium pertinens. *Front. de Coloniis* p. 111. *Goes.* Consortales lineae.

CONSORTIO, onis, f. consortium, *κοινωνία. Cic. Off.* 3, 6. Dissolvetur omnis humana consortio. Ita *Nonius* cum aliis plerisque, 3, 39. Alii *consociatio.* [*V. ad h. l. *Heusingeros.*] *Liv.* 40, 8. Sociabilem consortionem inter binos Lacedaemoniorum reges. *Vellej.* 2, 99. et 103. Consortio tribuniciae potestatis. *Val. Max.* 4, 6. *n.* 3. Consortio fati, *h. e.* similitudo mortis. Adde *Liv.* 6, 40. *circa med.* et *Lucil.* ap. *Non. l. c.* ℙ Translate. *Plin. l.* 9. *init.* ait animalia terrestria degere *consortione quadam hominum*, quia terram incolunt quasi patrimonium cum hominibus commune. V. CONSORS.

CONSORTIUM, ii, n. *κοινωνία, συγκλήρωσις*, communio bonorum, societas. *Ulp. Dig.* 17, 2, 52. *circa med.* Si inter fratres voluntarium consortium initum fuerit. V. CONSORS. ℙ Translate. *Cels.* 7, 27. Stomacho cum vesica quoddam consortium est. *Petr. Sat.* 101. Consortium studiorum. *Tac. A.* 4, 3. regni. [*Adde *Liv.* 4, 5. Si in consortio, si in societate reipublicae esse licet.] *Herm. Dig.* 14, 2, 5. collationis. *Imp. Zeno ib.* 5, 27, 5. concubinarum.

CONSPARGO. V. CONSPERGO.

CONSPARSIO. V. CONSPERSIO.

CONSPATIANS, antis, part. ab inusit. *conspatior*, *συμπεριπατῶν*, idem quod spatians, vel simul spatians. *Petr. Sat.* 7. Video quosdam inter titulos furtim conspatiantes.

CONSPECTOR, oris, m. inspector, *ἐπόπτης. Tert. Orat.* 13. Deus cordis conspector.

CONSPECTUS, a, um, part. a *conspicio*, *συνορᾶθείς. Suet. Dom.* 11. Conspecto delatore ejus, vis, inquit, etc. *Val. Flacc.* 8, 210. de Medea: Hyperboreas movit conspecta pruinas. *Juven.* 2, 81. Uvaque conspecta livorem ducit ab uva. ℙ Absolute in sexto casu. *Suet. Aug.* 15. Conspecto eum ad arma isse. [*Oudendorp. et *Wolf.* auctoribus, *Brem.* pro vulg. *conspecto* exhibet *compecto*, i. e. compacto.] ℙ Est etiam adject., et significat conspicuum, insignem, conspicabilem, tum in bonam, tum in malam partem, ut exponit etiam *Serv.* ad illud *Virg. A.* 8, 587. ipse agmine Pallas In medio, chlamyde et pictis conspectus in armis. Sic *G.* 3, 17. et *Hor. A. P.* 228. Tyrio conspectus in ostro. *Ov. Met.* 13, 794. Nobilior pomis, platano conspectior alta. *Liv.* 2, 5. Damnati proditores, sumptumque supplicium, conspectius eo, quod poenae capiendae ministerium patri de liberis consulatus imposuit. *Juven.* 8, 140. Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur. *Liv.* 45, 7. Patris avique fama conspectum eum efficiebat. *Id.* 4, 13. de Sp. Maelio. Quacumque incederet, conspectus

elatusque supra modum hominis privati. [*i. e. ingerens et venditans se oculis hominum. Cf. 5, 23.] *Tac. H.* 4, 11. Ne in urbe conspectior mors foret, via Appia exstinguitur. *Justin.* 11, 5. Reges stipendiarios conspectioris ingenii secum trahit, segniores ad tutelam regni relinquit.

CONSPECTUS, us, m. ὄψις, actus conspiciendi, aspectus. *Cic. Att.* 7, 10. Subito consilium cepi, ut ante, quam luceret, exirem: ne qui conspectus fieret, aut sermo. *Varr. L. L.* 6, 2. Templum faciunt augures conspicione, qua oculorum conspectum finiant. *Liv.* 1, 18. Quo longissime conspectum oculi ferebant. *Cic. Sull.* 9. Frui conspectu urbis. *Id. Agr.* 2, 6. Fugere conspectum alicujus. *Id. Verr.* 2, 5, 33. Dare se alicui in conspectum. *Id. Tusc.* 1, 22. cadere. *Id. Fin.* 5, 1. Ponere aliquem in conspectu alicujus. *Id. Dejot.* 5. In conspectu Deorum Penatium necare hospitem. *Id. Fam.* 1, 7. Non tam facile est nobis, quam tibi, cui prope in conspectu Aegyptus est. *Gell.* 1, 11. Hostis in conspectu longinquo procul distans. *Cic. Or.* 2, 55. *sub f.* ex Crasso. Audes in civium esse conspectu? *Ter. Eun.* 2, 3, 2. Amittere aliquem e conspectu. *Spartian. Hadrian.* 21. Cum servum inter duos senatores e conspectu ambulare videret [*i. e. e longinquo.]. *Cic. Verr.* 2, 5, 34. et *Ter. Hecyr.* 1, 2, 107. Evolare, et Fugere e conspectu. *Varr. R. R.* 1, 7. Quercus, quae est in oppidi conspectu. *Liv.* 1, 16. Nimbus conspectum ejus concioni abstulit. *Nep. Chabr.* 3. Recedere a conspectu suorum. *Colum.* 1, 6. Villico juxta januam fiat habitatio, ut intrantium, exeuntiumque conspectum habeat. ℙ Item praesentia; quae tamen significatio cum superiori fere convenit. *Liv.* 6, 8. Imperator conspectu suo proelium restituit. *Cic. Agr.* 1, 3. Censoribus vectigalia locare, nisi in conspectu populi R., non licet. *Id. Fin.* 1, 7. Eum in conspectum suum venire vetuit. *Ter. Hecyr.* 5, 2, 22. Scio his fore meum conspectum invisum. *Varr. L. L.* 5, 9. Illicere populum ad conspectum magistratus. [**Suet. Cal.* 9. Tumultuantes solus haud dubie conspectu suo flexit.] ℙ Dicimus *vereri, vitare, fugere conspectum alicujus: venire, prodire, ingredi in conspectum: esse, stare, adstare in conspectu*, etc. *Cic., Nepos, Vellej., Terent., Ov., Curt.* et alii. ℙ *In conspectu* est coram. *Liv.* 1, 31. Missis ad id visendum prodigium, in conspectu crebri cecidere coelo lapides. *Virg. A.* 1, 188. Navim in conspectu nullam prospicit. *Petr. Sat.* 107. In conspectu vestro supplices jacent. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 5, 66. Mori in conspectu legum, et libertatis. *Id. Fin.* 5, 31. Quamvis minimam animi praestantiam omnibus corporis bonis anteire dicimus, ut ea ne in conspectu quidem relinquantur. Et *Leg.* 1, 22. Conspectus et cognitio naturae, *h. e.* contemplatio. *Id. Fam.* 2, 5. Illustri loco sita est laus tua, in plurimorum et sociorum, et civium conspectu, *h. e.* conspecta, et cognita sociis, et civibus. *Id. Agr.* 2, 32. Carthago, et Corinthus procul erant a conspectu imperii. *Id. Brut.* 4. Ut explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia viderem. *Id. Leg.* 3, 5. Quam brevi, frater, in conspectu posita est a te omnium magistratuum descriptio. *Gell.* 17, 21. Conspectus quidam aetatum antiquissimarum, item virorum, qui in his aetatibus fuerunt. *Id.* 19, 10. Interrogavit quantus esset pecuniae conspectus, ad id totum opus absolvendum, *h. e.* tota summa ex singularibus variarum expensarum summis confecta, et uno intuitu videnda. [**Liv.* 10, 25. Quia bellum ei majus in conspectu erat quam quantum esse famae crediderat.]

CONSPERGO, is, ersi, ersum, a. 3. διαπάσσω, συμπάσσω, idem quod spargo, aspergo. *Pl. Curc.* 1, 1, 80. Conspergere fores vino. *Lucr.* 2, 33. anni Tempora conspergunt viridantes floribus herbas. *Cic. Planc.* 41. Me complexus est, conspersitque lacrimis. *Plin.* 2, 8, 6. Lucifer terram rore conspergit. *Id.* 20, 1, 2. Conspergere cinere. *Colum.* 12, 39. Uvas in dolium conjicito, pedibus calcato: ubi unum tabulatum feceris, vinum vetus conspergito. ℙ *Conspergere* absolute est aqua conspergere. *Pl. Stich.* 2, 2, 30. Pinge humum, consperge ante aedes. *Suet. Cal.* 43. Verri sibi vias, et conspergi [**Sprengen.*] propter pulverem, exigebat. *Cato R. R.* 76. Farinae libras duas conspergito, condepsitoque. Adde *Phaedr.* 2, 5. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 1, 2. *ad f.* In illis veteribus nostris, quae Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus. *Quint.* 8, 5. Color dicendi multis ac variis veluti maculis conspergitur. ℙ *Dausqu.* in *Orthogr.* testatur, in nonnullis exemplaribus *Catonis* et *Varronis* legi *conspargo*. Cujus rei rationem etiam reddi posse, quod veteres in compositionibus vocales non immutabant. Nos *conspargo* legimus etiam in *Marcell. Empir.* 16. *ante med.* Sed potior est meliorum usus.

CONSPERSIO, onis, f. actus conspergendi. *Pallad.* 12, 13. Salis crebra conspersio debet pecoris levare fastidium. ℙ Item farinae massa conspersa, et subacta, panis faciendi causa, φύραμα. *Tertull. adv. Marc.* 4, 24., ubi alii leg. *consparsio*, item *adv. Valent.* 31., et *Pudic.* 13. et 18. ex *D. Paulo Cor.* 1, 5.

CONSPERSUS, a, um, part. a *conspergo*, παστὸς, sparsus, aspersus. *Cic. N. D.* 2, 43. Caput Tauri stellis conspersum est frequentibus. *Colum.* 12, 53. Caro sale conspersa. *Plin. prooem.* 23. Conspersus aceto. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 25. Oratio conspersa quasi verborum sententiarumque floribus.

CONSPĬCĀBĬLIS, e, adj. περιφανὴς, conspiciendus, conspicuus. *Sidon. ep.* 8, 4. Domicilium sacrario, porticibus, ac thermis conspicabilibus coruscans. Adde *Sulpic. Sever. in Vita S. Martini* 21. ℙ Item simpliciter qui conspici potest, visibilis. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 631. de Christo. Tandem retectis vocibus propheticis, Aetate nostra comprobata antiquitas, Coram refulsit ore conspicabili.

CONSPĬCĀBUNDUS, a, um, adj. saepe, et attente conspicans, mirabundus. *Capell.* 8. p. 270. Nupturam virginem conspicabunda Pallas, quid super dotalis eruditione feminae comprobaret, exquirit.

CONSPĬCĀTUS, a, um, part. a *conspicor*. *Liv.* 2, 20. Conspicatus Valerius ferocem juvenem Tarquinium, etc. *Caes. B. G.* 2, 26. Ex loco superiore, quae res in nostris castris gererentur, conspicatus. Sic alibi saepissime.

CONSPĬCIENDUS, a, um, part. a *conspicio*, conspici dignus, conspicuus. *Ov. Fast.* 5, 552. Templaque in Augusto conspicienda foro. Et *ib.* 170. Cum satus est forma conspiciendus Hyas. Et *ib.* 118. haedorum mater formosa duorum, Inter Dictaeos conspicienda greges. *Val. Flacc.* 1, 261. Signa veteri conspicienda metallo. *Ov. Trist.* 2, 113. de domo sua. Et neque divitiis, nec paupertate notanda, Unde fit in neutrum cunspiciendus eques. Adde *Tibull.* 2, 3, 53. et *Martial.* 9, 50.

CONSPĬCĬLĬUM, ii, n. locus unde aliquid conspici solet. Ita exponit *Non.* 2, 116., atque affert haec *Plauti* verba in *fragm.* In conspicilio adservabam, pallium observabam. *Id. Pl. Cist.* 1, 1, 92. Mater pompam me spectatum duxit: dum redeo domum, Conspicilio consecutus est clanculum me usque ad fores. Utroque loco al. leg. *conspicillum*: at posteriore alii reponunt ex MSS. *dum redeo domum, conspicit: illo eo secutus est*, etc. Porro frustra sunt, qui putant hac voce significari vitra ocularia, quorum usus ne cognitus quidem illorum temporum hominibus fuit. Nam quod afferunt ex eodem *Plauto* quidam lexicographi, *Vitrum cedo: necesse est conspicilio uti;* nusquam haec verba ap. *Plaut.* exstant, quod sciam. Nego, inquit *Voss. lib. 3. de nat. art. c.* 24. *sub f.*, haec esse Plauti: nego etiam, legi apud veterum quempiam. ℙ [*Alii flectunt *conspicillo, onis*, m. ut sit *Conspicillo*, qui clam et ex occulto alium conspicatur et observat. *B. A.*]

CONSPĬCIO, is, exi, ectum, a. 3. βλέπω, προσορᾶω, aspicio, video: a *con* et *spicio*. *Pl. Amph.* 2, 2, 122. Quid me interrogas? qui ipsus equidem nunc primum istanc tecum conspicio simul. *Id. Capt.* 1, 1, 29. Aedes quotiescumque conspicio, fleo. *Cic. Mur.* 41. Imaginem parentis sui, quam paucis diebus laureatam conspexit, etc. *Caes. B. G.* 2, 21. Quae quisque prima signa conspexit, ad haec constitit. *Catull.* 64, 385. Conspexit, terra centum procurrere currus. ℙ Item intueri, aspicere *Nep. Dat.* 11. *extr.* Cum locum digito monstraret, et ille conspiceret, aversum ferro transfixit. *Pl. Cist.* 2, 3, 78. Conspicere fusum in coelum. *Petr. Sat.* 140. in tabernam. *Cic. Cat.* 1, 7. Carere me aspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici mallem. ℙ Translatum ad inanima significat vergere. *Cic. Cat.* 3, 8. Si signum illud solis ortum, et forum, curiamque conspiceret. ℙ Translate est considerare. *Cic. Mur.* 6. Non debes temere consulem saltatorem vocare, sed conspicere, quibus praeterea vitiis affectus sit. ℙ Item prospicere, providere. *Pl. Trin.* 3, 2, 10. Sat sapio, satis, in rem quae sint meam, ego conspicio mihi. ℙ Item intelligere, animo et cogitatione assequi. *Id. Pseud.* 3, 1, 3. Nae illi, quantum ego nunc corde conspicio meo, multas aerumnas danunt. ℙ Eleganter *conspici* dicuntur, qui re aliqua excellunt sive bona, sive mala; ita ut notari et velut digito praetereuntium monstrari possint. [*Omnium in se convertere oculos.] *Nep. Att.* 13. Supellex modica, non multa: ut in neutram partem conspici posset. [**In die Augen fallen.* Cf. *Brem.* ad h. l. Adde *Suet. Claud.* 4. Ne quid faciat, quod conspici et derideri possit.] (Adde locum *Ov. Trist.* 2. in CONSPICIENDUS.) *Liv.* 21, 8. de Annib. Vestitus nihil inter aequales excellens: arma, et equi conspiciebantur. [**Id.* 5, 25. Maxime conspectus ipse est, curru equis albis juncto urbem invectus, i. e. in oculos incurrit, oculos in se convertit. Cf. 10, 7. et al. saepissime.] *Ov. Trist.* 1, 6, 34. Prima bonis animi conspicerere tui. Adde *Vellej.* 2, 91. *ad f.* ℙ [Part. *Conspiciens* ap. *Cic. Att.* 5, 18. Ciliciam prope conspiciens. *Conspiciendus* V. supra suo loco. *F.*]

CONSPĬCIO, onis, f. actus conspiciendi: vox augurum, qua significatur inspectio coeli ad templum determinandum, intra quod auguria capiantur. *Varr. L. L.* 6, 2. Templum faciunt augures conspicione, qua oculorum conspectum finiant: *et paulo supra.* Interea conregione, conspicione, cortumione, utique ea rectissime sensi. V. CONREGIONE.

CONSPĬCO, as, a. 1. idem quod conspicor, conspicio, sed vix ullius usus. *Varr. L. L.* 6, 2. Contemplare et conspicare, idem esse apparet. ℙ Hinc *conspicor* passivum. *Varr.* ap. *Prisc.* 8, 792. Paupertas enim haec tunc non ita nutricata, ut nunc conspicatur: θεωρεῖται. *Sall. Jug.* 53. *a med.* Cum interim Metellus monte degrediens conspicatur. Al. leg. *conspicitur*. *Pl. Epid.* 1, 1, 67. Prius se convenire non vult, neque conspicari.

CONSPĬCOR, aris, atus sum, dep. 1. θεωρέω, βλέπω, idem quod conspicio, video. *Caes. B. G.* 5, 47. Trans vallem magnam hostium multitudinem conspicatur. *Ter. Eun.* 5, 9, 32. Cur te ergo in his ego conspicor regionibus? *Id. Heaut.* 1, 1, 15. Neque tam vesperi domum revertor, quin te in fundo conspicer fodere, aut arare. *Pl. Curc.* 5, 1, 5. Ubi me hunc habere conspicata est anulum, rogat, unde habeam. ℙ Passiva significatione V. in praeced.

CONSPĬCŪUS, a, um, adj. περιφανὴς. [*φανερός.] qui conspicitur ab omnibus, visibilis, omnium oculis expositus. *Ov. Pont.* 3, 4, 21. Scilicet affectus similes, aut impetus idem Rebus ab auditis, conspicuisque venit? *Phaedr.* 4, 5. qui capitibus cornua Suis ligarant, ut conspicuum in proelio Haberent signum, quod sequerentur milites. *Tac. H.* 4, 29. Ipsorum tela per tenebras vana: Romani conspicuam Barbarorum aciem etc. *Lucan.* 4, 169. postquam spatio languentia nullo Mutua conspicuos habuerunt lumina vultus. *Senec. Thyest.* 126. Nives conspicuae. *Curt.* 9, 6. Tabernaculum undique conspicuum. *August.* ap. *Plin.* 2, 25, 23. Sidus omnibus e terris conspicuum. *Senec. Brevit. vitae* 20. Habere mortem in conspicuo, *h. e.* tanquam praesentem intueri. ℙ [**Suet. Aug.* 45. Quod spectatorem, a quo exsibilabatur, demonstrasset digito conspicuumque fecisset, i. e. reliquorum oculos in eum convertisset. *Liv.* 1, 34. Romanis conspicuum eum novitas divitiaeque faciebant.] ℙ Translate est conspici dignus, insignis, illustris. [*V. *Doederl.* 2, 85.] *Hor. Od.* 3, 16, 18. Late conspicuum tollere verticem. *Tibull.* 3, 3, 4. Insignis clara conspicuusque domo. *Ov. Her.* 5, 139. Fide conspicuus Trojae munitor, *h. e.* Apollo lyra insignis. *Plin. ep.* 3, 3. Viri illustri laude conspicui. *Tac. H.* 4, 42. Illustres senes, conspicuae feminae. *Id. ib.* 3, 17. Consilio, manu, voce insignis hosti, conspicuus suis. *Mart. Spect.* 2. Conspicui venerabilis amphitheatri moles. [**Suet. Aug.* 72. Aedes neque laxitate neque cultu conspicuae.] *Quint. Decl.* 28, 3. *extr.* Omni frequentia coetuque conspicuus. ℙ Comp. *Conspicuiores* est qui legi putat in *Cod. Just.* 4, 63, 3., ubi plerique leg. *conspicuos.*

CONSPĪRĀTĒ, adv. conspiratione, consensu. *Justin.* 3, 5. Lacedaemonii eo conspiratius ad arma concurrunt. *Concitatius*, et *confirmatius* sunt qui ex conjectura reponunt.

CONSPĪRĀTĬO, onis, f. ὁμόνοια, metaphorice significat concordiam, consensum. *Cic. Dom.* 11. Conjunctionem et conspirationem in republ. bene gerenda fictis sermonibus et falsis criminibus dirimere. *Lentul. ad proquaest. et propraet. Fam.* 12, 15. *ante med.* Facere concordiam et conspirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem. *Cic. Fin.* 1, 20. Amici magna amoris conspiratione consentientes. Et *ib.* 5, 22. Conspiratio consensusque virtutum. [**Id. Cat.* 4, 10. Conspiratio bonorum omnium. *Suet. Caes.* 15. Impar optimatium conspirationi.] ℙ Accipitur et in malam partem pro conjuratione, et consensu in rem malam, συστάσεις. *Cic. Dejot.* 4. Nihil de conspiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam. *Brutus* ad *Cic. Fam.* 11, 13. *extr.* Pro vestra salute contra sceleratissimam conspirationem hostium confligamus. ℙ Translate. *Cic. fragm. Oecon.* ap. *Colum.* 12, 2. Ubi chorus canentium certis numeris ac pedibus veluti facta conspiratione, consensit atque concinuit.

CONSPĪRĀTUS, a, um, part. a *conspiro*, colligatus, collectus, conglobatus, quasi simul spiratus, et conflatus. Nam *conflatus* et *conspiratus* idem sunt. *Senec. ep.* 84. *a med.* Multa praecepta sint, multarum aetatum exempla, sed in unum conspirata. (Haec ad verbum descripsit *Macrob. praef. Sat. l.* 1.) *Phaedr.* 1, 2. Hinc conspiratis factionum partibus, Arcem tyrannus occupat Pisistratus, *h. e.* cum multae factiones in civitate coaluissent, et quasi simul spiratae et conflatae essent etc. Nisi malis τὸ *conspiratis* derivare a *spiris*, h. e. quasi in modum spirae, more anguium, in se collectis et constrictis. V. *Marquardi Gudii* adnotationes in hunc locum: ubi praeter cetera quod alii leg. apud *Caes. B. C.* 3, 46. Milites legionis nonae subito constipati pila conjecerunt; *conspirati* reponit ex MSS., *h. e.* quasi in modum

spirae convoluti, conglobati. V. CONSPIRO. ℙ *Conspiratus* sanguis *Vegetio Veterin.* 2, 30. videtur esse ex arteria cum spiritu emissus; nam veteres putabant, arterias esse etiam spiritus receptaculum: ait enim *Cic. N. D.* 2, 55. *sub f.* Sanguis per venas in omne corpus diffunditur, et spiritus per arterias. ℙ *Conspirati, orum*, consensu inter se colligati. *Suet. Dom.* 17. Cunctantibus conspiratis, quando et quomodo aggrederentur. [*Cf. *Brem.* ad Ejusd. *Caes.* 82.]

CONSPIRĀTUS, us, m. idem quod conspiratio, consensus. In sexto casu singulari. *Gell.* 1, 11. Archaeos Homerus pugnam indipisci, ait, non fidicularum tibiarumque concentu, sed mentium animorumque conspiratu tacito nitibundos.

CONSPĪRO, as, avi, atum, a. 1. *συμπνέω*, proprie idem est quod conflare, hoc est simul spirare: a *con*, et *spiro*. *Virg. A.* 7, 616. Aereaque assensu conspirant cornua rauco. Ubi *Servius:* nam et tubae simul inflabantur. ℙ Fere translate adhibetur, et neutrorum more; et dicitur de iis, qui concordi animo simul in rem aliquam tendunt, eamque collatis consiliis et viribus aggrediuntur. *Cic. Agr.* 1, 9. Colligite vos, tribuni plebis, conspirate nobiscum, consentite cum bonis. *Id. Fam.* 10, 12. *ad f.* Mirabiliter populus R. et omnium ordinum consensus ad liberandam rempubl. conspiravit. *Colum.* 12. *praef. a med.* (ex *Cic.* ut videtur) *de conjugib.* In commune conspirabatur ab utroque. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Lucr.* 4, 1209. Conspirans mutuus ardor. *Colum.* 3, 13. Ut mota aequaliter humus suis omnibus partibus ad educandam prolem novam conspiret. *Cic. N. D.* 3, 11. Illa mihi placebat oratio de convenientia consensuque naturae, quam quasi cognatione continuatam conspirare dicebas. Et *ib.* 2, 7. Tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio. ℙ Sumitur et in malam partem pro coire, et conjurare in rem pravam, *συνίστημι*. *Suet. Caes.* 80. Conspiratum est in eum a sexaginta amplius. *Tac. A.* 15, 68. Conspirare in caedem alicujus. *Suet. Claud.* 13. ad res novas. ℙ Cum infinito. *Id. ib.* 37. Pari modo oppressum ferunt Silanum, quem cum Messalina et Narcissus conspirassent perdere etc. ℙ Est etiam *conspiro* a *spira* ductum, et dicitur de serpentibus in spiras suas se colligentibus. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 22. Anguis ad navem Romanorum perrexit, et se in Ogulnii tabernaculo conspiravit. V. CONSPIRATUS, a, um.

[CONSPISSĀTIO, onis, f. condensatio, constipatio. *Theod. Prisc.* 1, 18. Conspissatio sordium. *F.*]

CONSPISSĀTUS, a, um, adj. condensatus. *Colum.* 2, 18. Conspissatum et herbis colligatum solum. *Plin.* 35, 6, 18. Creta decocta conspissataque.

*CONSPLENDESCO, is, n. 3. simul splendesco. *Jul. Val. res. gest. Alex. M.* (*ed. A. Maio*) 3, 66. Tum etiam circumsistentia tecta undique consplendescere. *B. A.*

CONSPOLIUM, ii, n. genus libi in sacris adhibiti, apud *Arnob.* 7, 230. fortasse ex corio seu pelle animalium confectum.

CONSPONDĔO, es, ndi, a. 2. simul cum aliis spondeo. *In vet. Senatuscons.* ap. *Fabr.* 6, 427. Ne posthac inter se conjuravisse velint, neque conspondisse, neque compromisisse.

CONSPONSI, orum, m. plur. *Festus:* Consponsos antiqui dicebant fide mutua colligatos. Adde *Naevium* ap. *Varr. L. L.* 5, 7. ℙ Adjective. *Appul. Met.* 5. Jugum sororium consponsae factionis, *h. e.* par sororum, quae conjuraverant. *Auson. ep.* 10, 11. Te quoque ne pigeat consponsi foederis, *h. e.* mutuo promissi.

CONSPONSOR, oris, m. qui de eadem re cum altero spondet pro alio, *συνεγγυητής*. *Cic. Fam.* 6, 19. De negotio tuo, quod sponsor es pro Pompejo; si Galba consponsor tuus redierit, non desinam cum illo communicare. *Id. Att.* 12, 17. Velim des operam, ut investiges ex consponsorum tabulis, sitne ita. ℙ *Festo* consponsor est conjurator, *h. e.* qui simul cum alio de eadem re jurat. Intelligit autem eos, inquit *Scalig.*, qui poena sacramenti mutuo se provocant, cum in rem aliquam agunt, puta in litem vindiciarum: alter enim ab altero exigit juramentum.

CONSPŬO, is, ui, utum, a. 1. *προσπτύω*, sputo aliquem foedo. *Petr. Sat.* 23. Consumptis versibus suis, immundissimo me basio conspuit. ℙ Conspuere aliquem maxima omnium contumelia semper habita est. *Id. ib.* 132. Convocat omnes quasillarias, familiaeque sordidissimam partem, ac me conspui jubet. *Appul. Apol.* Faciem tuam spumabundus conspuisset. *Pl. Curc.* 4, 2, 16. Nec vobiscum quisquam in foro frugi consistere audet: Qui constitit, culpant eum: conspuitur, vituperatur. ℙ *Juppiter hibernas cana nive conspuit Alpes, h. e.* conspergit. Versiculus est *M. Furii Bibaculi*, quem refert ac deridet *Hor. Sat.* 2, 5, 41., item *Quint.*, qui 8, 6. illud *conspuit* tanquam duram metaphoram, hoc est a longinqua similitudine ductam, reprehendit. Poterat et illud adjicere, nimis sordidam esse vocem *conspuit*, et Jove indignam; et praeterea nimis exilem, ut immensam vim nivium, quibus Alpes hieme conteguntur, significare possit. ℙ Speciem proverbii habet illud *Petronii fragm. Trag.* 74. *Burm.*, ubi Trimalchio de femina arroganti, et alios prae se contemnenti, *Inflat se*, inquit, *tanquam rana, et in sinum suum conspuit.* Ubi hoc dicere videtur: Adeo celso capite, erecta ac tumens fastu incedit, ut sinum suum conspuat, quoties salivam purgare opus est. Vel alludit ad morem veterum conspuendi sinus, quoties veniam a Diis peterent spei alicujus, quam audacius concepissent, ut *Plin.* 28, 4, 7. docet. Itaque illa femina adeo multa et magna de se concipiebat, et sibi pollicebatur, ut avertendae invidiae causa sinum conspueret. ℙ Quod vero apud *Juven.* legimus de causidicis, 7, 111. Tunc immensa cavi spirant mendacia folles, Conspuiturque sinus; simpliciter puto intelligendum esse de iis, qui inter dicendum diu fatigati, una cum immensa verborum copia salivam exspuunt etiam inviti, ac sinum conspurcant. Vetus scholiastes *Juvenalis*, et alii allusum volunt ad morem avertendarum fascinationum, ter in sinum spuendo: de quo *Id. Plin. l. c.*

CONSPURCĀTUS, a, um, part. a *conspurco*, inquinatus. *Tertull. Idolol.* 1. Quas enim immundis spiritibus operatus, non conspurcatus et constupratus incedit?

CONSPURCO, as, avi, atum, a. 1. *καταῤῥυπαίνω*, foedo, inquino. [*Etym. est a *con* et *porcus*, i. q. nos dicimus *besauen*, *besudeln*. V. *Döderl.* 2, 57. et *ib.* 52.] *Colum.* 8, 3. *extr.* Supersiliens avis proluvie ventris cibos, et aquam conspurcat. ℙ *Conspurcare sapore tetro* translate est corrumpere. *Lucr.* 6, 21. Partim quod tetro quasi conspurcare sapore Omnia cernebat quaecumque receperat intus.

CONSPŪTĀTUS, a, um, part. a *consputo*, conputus. *Tertull. adv. Jud.* 14. Maledictus, et conputatus, et convulsus, et compunctus.

CONSPŪTO, as, avi, atum, a. 1. frequentat. a *conspuo*. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. Quasi signo dato, Clodiani nostros conputare coeperunt.

CONSPŪTUS, a, um, part. a *conspuo*, conputatus. *Hieron. ep.* 50. *n.* 4. Quoties conspuit et conputus abscessit? Adde *Dial. adv. Luciferian. sub in.*

CONSTĀBĪLĬO, īlis, ivi, itum, a. 4. *διαστηρίζω*, idem quod stabilio, firmo. *Pl. Capt.* 2, 3, 93. Edepol rem meam constabili. Et *Ter. Ad.* 5, 1, 9. Dis quidem esses, Demea, ac tuam rem constabilisses. ℙ Part. *Constabiliendus* ap. *Tertull. adv. Valentin.* 39. Constabilienda conversitas.

[CONSTĀBĪLIS, e, adj. a *con*, et *stabilis*, simul stabilis. *Not. Tir.* p. 40. *F.*]

CONSTĀBĪLĪTUS, a, um, part. a *constabilio*, firmatus. *Lucr.* 2, 42. Subsidiis magni Epicuri constabilitas. Ita quidam lexicographi: sed pleraeque omnes editiones hunc versum, tanquam spurium, expungunt.

[CONSTAGNO, as, n. 1. congelo. *Front.* p. 2198. Glacies est, quae ex coitu aquae constagnat. *F.*]

CONSTANS, antis, part. a *consto*, *εὐσταθής*, proprie est stans, gravis, tardus. *Lucr.* 3, 190. Namque movetur aqua, et tantillo nomine flutat: At contra mellis constantior est natura, Et pigri latices magis, et cunctantior actus. ℙ [*Hinc dicitur in universum de rerum cujuscunque generis firmitate, ordine, congruentia. Exempla, quorum non pauca cum prox. §. locis perperam mixta vides, haec sunto. *Cic. Off.* 1, 40, 144. Oratio constans, i. e. numerosa, cujus omnia membra sunt apta inter se et conveniunt. *Suet. Vesp.* 4. Percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio. *Id. Galb.* 4. Aetate nondum constanti, i. e. firma, s. matura. *Liv.* 10, 37. Et hujus anni parum constans memoria est, i. e. h. a. res gestae varie narrantur. *Id.* 5, 46. Constanti vultu graduque. *Id.* 6, 26. Constans pax, i. e. vera, in qua nihil reperitur, quod belli speciem habeat. *Hor. Ep.* 12, 19. Cujus in indomito constantior inguine nervus, Quam nova collibus arbor inhaeret.] ℙ Fere transfertur ad animum, et significat stabilem ac tenacem propositi. *Cic. Rosc. Com.* 16. Quem hominem? levem? immo gravissimum: mobilem? immo constantissimum. Et *paulo supra.* Castissimus et constantissimus testis. *Id. Amic.* 17. Firmi, et stabiles, et constantes amici. *Id. Off.* 1, 23. Fortis et constantis est, non perturbari in rebus asperis. *Id. N. D.* 3, 10. Stellae, quae cursus certos et constantes habent. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 8. Constante fama, atque omnium sermone celebratum est. *Catull.* 64, 238. Constanti mente tenere aliquid. *Cic. in Senat.* 12. Constans, perpetua, fortis, invicta defensio salutis meae. *Id. Acad.* 1, 11. Firma et constans assensio. *Id. Har. resp.* 9. Una et constans haruspicum vox. *Id. Phil.* 13, 6. Perpetua et constans voluntas in rempubl. *Ov. Amor.* 1, 4. Constanti voce negare. *Id. Pont.* 2, 4. *extr.* Constantique fide veterem tutare sodalem. *Id. Trist.* 5, 8, 18. *de Fortuna.* Et tantum constans in levitate sua est. *Tac. H.* 4, 5. *extr.* Vir recti pervicax, constans adversus metus. *Aurel. Vict. Epit.* 1. Rarus ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 3. Uva impatiens variantis coeli, sed contra tenorem unum algoris aestusve constans. *Tac. A.* 16, 35. Firmare animum constantibus exemplis. ℙ Cum genit. *Tac. H.* 3, 57. Apollinaris neque fidei constans, neque strenuus in perfidia. ℙ *Cic. Rosc. Am.* 14. *ad f.* constantem hominem amenti opponit; amens enim facile studiis, et cupiditatibus huc illuc fertur, et mutatur. ℙ Sumitur et in malam partem pro pertinaci. *Hor. Sat.* 2, 7, 18. Constantior in vitiis. *Nep. Lysand.* 2. Inimici constantes. *Prop.* 1, 1, 3. Constans fastus. ℙ Est item *constans* pretium habens. *Ov. Her.* 7, 47. Exerces pretiosa odia, et constantia magno, Si, dum me careas, est tibi vile mori. ℙ Notat *Charis.* 1, 100. quando hoc nomen est proprium, in sexto casu in *e* desinere, quando est adj. in *i*. Nihilominus adj. utramque positionem habet, ut et ipse fatetur. ℙ *Fuit et *Constans*, *ntis*, nomen imperatorum quorundam Romanorum; quorum primus, Flavius Jul. Constans, filius fuit tertius Constantini M., Caesar a patre suo factus. *Eutr. l.* 10. *Aur. Vict. ep. hist.* ℙ *Constans* II. fil. Constantini III. nepos Heraclii, Heracleoni patruo successit. *Paul. Diac.* 5, 10. ℙ *Flav. Claud. Constans*, fil. Constantini tyranni, A. C. 407. a patre Caesar factus, in Hispaniam missus est, ubi miserrime periit. *B. A.*

CONSTANTER, adv. *εὐσταθῶς*, firme, aequabiliter, graviter, fortiter. *Cic. Univ.* 13. Constanter manere in suo statu. *Id. Or.* 58. Oratio aequaliter constanterque ingrediens, [*i. e. numerosa.] *Id. Off.* 1, 2. Constanter honesteque vivere. *Id. Tusc.* 5, 9. Sibi constanter convenienterque dicere, *h. e.* sibi ipsi constando et concordando. *Id. Off.* 1, 15. *sub f.* Beneficia quae judicio, considerate, constanterque delata sunt. *Id. Att.* 4, 16. *circa med.* Quaeris, ego me ut gesserim? constanter et libere. *Id. Tusc.* 2, 20. Constanter et sedate ferre dolorem. *Brut. ad Cic. inter ep.* 1. *ad Brut.* 16. *ad f.* Si modo constanter ac perpetuo placebit hoc consilium. *Cic. N. D.* 2, 38. Coelum constantissime conficit vicissitudines anniversarias. *Petr. Sat.* 82. Constantissime ementiri. *Suet. Aug.* 66. Amicitias constantissime retinere. Et *ib.* 10. Constantius exsequi aliquid. *Curt.* 4, 6. Acrius, quam constantius proelium inire. *Sall. Catil.* 2. Si imperatorum animi virtus in pace ita, ut in bello valeret, aequabilius atque constantius sese res humanae haberent. *Tac. A.* 15, 21. Aequalius et constantius regere provincias. *Caes. B. G.* 2, 2. Hi constanter omnes nunciaverunt. *Id. ib.* 3, 25. Constanter ac non timide pugnare, *h. e.* stataria pugna. [**Hor. Sat.* 2, 7, 6. Pars hominum vitiis gaudet constanter et urget Propositum, i. e. aequabiliter, sibi constantes.] ℙ In malam partem. *Ov. Trist.* 2, 2, 27. Di, quos experior nimium constanter iniquos.

CONSTANTIA, ae, f. *εὐστάθεια*, firmitudo, gravitas, aequabilitas, habitus ille, quo praeditus animus, neque metu, neque spe dejici de statu, aut a proposito deterreri potest. [*Nec h. l., sic, ut poterat, institutum significationum ordinem videmus. Discerni debebant, et ab initio capitis comparari ii loci, quibus propria vocis notio inest, spectans errum cujuscumque generis firmitatem, ordinem nunquam labantem, convenientiam. Cf. cum exemplis, quae cum sequentibus mixta sunt, *Cic. N. D.* 2, 21, 56. Nulla igitur in coelo nec fortuna nec temeritas nec erratio nec vanitas inest, contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia, etc. *Id. Off.* 1, 7. Dictorum factorumque constantia. *Her.* 2, 6. Testimoniorum constantia.] *Cic. Off.* 1, 31. Catoni cum incredibilem tribuisset natura gravitatem, eamque ipsam perpetua constantia roboravisset, semperque in proposito susceptoque consilio permansisset, etc. [*Cf. *Plin. Pan.* 54, 5. Tuae moderationis laus haec constantia nostra. Sensum h. loci *Gesn.* ita explicat: Quod jam non leves adulatores, sed constantes et graves Senatores sumus, ad moderationis tuae laudem pertinet, qua adulationes id genus respicis.] *Id. ib.* 34. *extr.* In omni re servare constantiam. *Id. Att.* 4, 17. Constantia promissi. *Id. Off.* 1, 15. Stabilitas et constantia benevolentiae. *Brut. ad Cic. inter ep. ad Brut.* 1, 16. *ad f.* Fortis animus sine constantia et aequabilitate nullus est. *Nep. Att.* 22. Constantia vocis atque vultus. *Cic. Tusc.* 5, 10. *extr.* Non ex singulis vocibus philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia. [*Cf. *Ernest. Cl. Cic.* s. h. v.] *Id. Phil.* 7, 4. Retinere constantiam, gravitatem, perseverantiam. *Id. Div.* 2, 39. Quae est autem inter augures conveniens et conjuncta constantia? *h. e.* ut eadem semper dicant, et sibi ipsis constent. *Hirt. B. Alex.* 26. Perseverantia et constantia oppugnandi. *Cic. N. D.* 3, 9. *extr.* Cursus stellarum sunt admirabili incredibilique constantia. ℙ [*Idem omnino, quod virtus. V. *Ernest. Cl. Cic.* s. h. v. Adde *Plin. Pan.* 44, 6. Amas constantiam civium.] ℙ Pro robore. *Quint. Decl.* 5, 3. Traxerat ex firmitate mentis magnam protinus et in membra constantiam. ℙ Pro fiducia, audacia. *Tertull. Patient.* 1. Con-

stantiam admonendi propriae conversationis auctoritate dirigere. ℙ [*Quint. Inst.* 1. *prooem.* 27. *ed. Spalding.* Sunt et alia ingenita quaedam adjumenta, vox, latus patiens laboris, valetudo, constantia, decor. *Lünem.* in *lex. Scheller.* interpretatur *constantiam: die Zusammenstimmung aller Theile des Körpers zu einem schönen Ganzen.* Sed nescio an recte praeferam *Spalding.* de hac voce judicium, quod prob. *Zumpt.* (*Suppl.* ad *Quint. Instit.* V. p. 8.), *Sarp.* (*Analect.* p. 12. sq.) his ll. *Justin.* 1, 5. *Val. Max.* 3, 1, 2. et *Suet. Ner.* 7., recte videtur defendisse, docens: esse illam ingenitam quasi fortitudinem, quam nostrates dicant *Dreistigkeit.*] ℙ Pro substantia, seu pro ea ratione, qua aliquid constat, et subsistit, οὐσιωσις. *Ulp. Dig.* 32, 11. *circa med.* Hic enim exstinguitur ipsa constantia debiti. Al. leg. *substantia.* ℙ In illo *ib.* 3, 3, 27. *edit. Torrentini:* Si velit quaedam transferre, quaedam relinquere, juste procurator hanc constantiam recusabit: illud *constantiam* error esse videtur pro *inconstantiam*, ut edidit *Haloand.*, inconstantiam quidem certe significat. ℙ In num. plur. usurpat *Cic. Tusc.* 4, 6. *sub f.* Sic quatuor perturbationes, sunt tres constantiae. ℙ Sunt etiam hoc nomine quaedam urbes, ut *Constantia Julia* in Hispania ulteriori, ad Baetim fluv., nunc *Alcalà de Guadaira*, ut videtur. *Plin.* 3, 1, 3. ℙ Item *Constantia Zilis* in Africa ad Oceanum, nunc *Arzilla* in regno Fessano. *Plin.* 5, 1, 1. ℙ [*Fuit et *Constantia* nomen proprium feminarum Rom., e. g. Constantii imperatoris ex Faustina filiae posthumae, quae Gratiano nupta est. *Ammian. Marcell.* 21. *B. A.*]

CONSTANTĬĀCUS, a, um, et

CONSTANTĬĀNUS, a, um, et

CONSTANTĬENSIS, e, adj. ad Constantium pertinens, quod est nomen Imp. Rom. *Ammian.* 21, 11. Duas legiones Constantiacas misit in Gallias. *Id.* 22, 3. *sub f.* Constantianus thalamus. *Sext. Ruf. in Breviar.* 27. Constantiense bellum, *h. e.* a Constantio gestum.

CONSTANTĪNĬĀNUS, a, um, adj. ad Constantinum pertinens: quod est nomen Imp. Rom. *Ammian.* 27, 3. Constantinianum lavacrum. Et *ib.* 5. Constantinianum genus. In nummo Constant. M. ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 8. p. 82. Constantiniana Dafne. Hic intelligendum castrum, Daphne nuncupatum, a Constantino ad Danubii ripam exstructum, ut tradit *Procopius l.* 4., a quo in *Notitia Imper.* appellatos videmus *Constantini Dafnenses.*

CONSTANTĪNŌPOLIS, is, f. incolis nunc *Stambul*, *Κωνσταντίνου πόλις*, urbs Thraciae ad Bosphorum. Eadem est quae Byzantium, sed a Constantino M. instaurata atque amplificata, ab eo nomen accepit. *Ammian.* 21, 12. etc., *Eutr.* 6, 6., *Aurel. Vict. Epit.* 35. et *Auson. de Urbib. n.* 2., ubi (quemadmodum et in *Parentalib.* 3, 11.) quartam hujus vocis syllabam *no* corripit. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 370, 3.

CONSTANTĪNŌPŌLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Constantinopolim pertinens, ut Constantinopolitana Urbs ap. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 1, 2, 6.

CONSTAT, abat, stitit, impers. *φανερόν ἐστι*, manifestum est, liquet. *Cic. Verr.* 2, 3, 21. Nympho antequam plane constitit, condemnatur. *Id. Mil.* 6. Quid quaerendum est? factumne sit? at constat, a quo? at patet. *Id. Fam.* 7, 1. Modo ut tibi constiterit fructus otii tui, i. e. dummodo fructum perceperis ex otio tuo. *Plin. ep.* 3, 3. Circumspiciendus rhetor, cujus scholae severitas, pudor in primis, castitas constet. *Cic. Quint.* 19. Hic quoque summe constat procuratoris diligentis officium. *Id. ib.* 29. In quo edicto constitit, Naevium ex edicto non possedisse. *Id. Fam.* 13, 1. Etsi non satis mihi constiterat, cum aliquane animi mei molestia, an potius libenter te visurus essem. *Id. Att.* 13, 10. Cum de Magio constet. *Quint.* 7, 2. Si prius de innocentia nostra constiterit. *Liv.* 30, 28. Nec satis certum constare apud animum poterat, utrum, etc. *Cic. Fam.* 3, 4. Mea in te omnia summa necessitudinis officia constabunt. *Caes. B. G.* 3, 14. Neque satis Bruto, neque tribunis constabat, quid agerent. *Sall. orat.* 2. *ad Caes. sub f.* Mihi pro vero constat. ℙ *Constat inter omnes*, h. e. est firma opinio omnium, omnes consentiunt, omnibus notum atque exploratum est, praedicatur ab omnibus. *Liv.* 10, 6. Cum inter augures constet, imparem numerum esse debere. *Cic. Inv.* 1, 36. Haec propositio indiget approbationis: non enim perspicua est, neque constat inter omnes. *Id. Or.* 3, 1. Ut saepe inter homines sapientissimos constare vidi. *Id. Phil.* 2, 41. Tamen inter omnes constabat, neminem esse resalutatum. ℙ *Constat mihi* interdum idem est, ac certum et deliberatum est mihi. *Anton.* ap. *Cic. Phil.* 13, 19. Mihi quidem constat, nec meam contumeliam, nec meorum ferre. ℙ *Ratio constare* dicitur, cum legitima est, et patens causa aliquid faciendi, ita ut facile probare possis, cur hoc aut illud egeris. Videtur autem ducta a supputationibus, in quibus constat ratio, cum accepta et expensa conveniunt, et paria sunt. *Tac. A.* 1, 6. *extr.* Eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur. Sic *Plin. ep.* 7, 6. Scietis, nobis constare silentii nostri rationem, cum, etc. *Id. ep.* 1, 9. Mirum est quam singulis diebus in urbe ratio aut constet, aut constare videatur: pluribus junctisque non constet. *Id. ep.* 9, 2. *extr.* Est summi amoris, negare veniam brevibus epistolis amicorum, quamvis scias, illis constare rationem. Adde *ep.* 1, 5. et *ep.* 10, 20. *extr.* et *Paneg.* 38. Eleganter etiam *Justin. praef. in f.* Ut otii mei apud te ratio constaret. Huc pertinet illud *Suet. Ner.* 30. Divitiarum et pecuniae fructum non alium putabat, quam profusionem: sordidos ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret: praelautos vereque magnificos, qui abuterentur ac perderent. ℙ Ap. *Cic. Flacc.* 28. Auri ratio constat, *h. e.* apparet, ut *Id. Pis.* 25. *extr.* loquitur. [*Verum pertinent haec ad ea, quae in sequentibus s. v. *consto* dicta sunt, a quibus non video cur separatim pertractatum hunc locum, eumque parum recte *Forc.* posuerit, longe majore exemplorum allatorum numero ne impersonaliter construendi rationem quidem referente.]

CONSTELLĀTĬO, onis, f. compositio siderum, atque ex ea affectio coeli ad res quasdam, *ἀστροθεσία*. Vox est *Ammiani l.* 20. *in f.* et 29, 2. *sub f.*, *Capitolini Gordian.* 20., *Spartiani Ael. Vero* 4., *August. C. D.* 5, 7. et *Confess.* 7, 6., *Firm. Mathes.* 1, 1. et *Sidon. ep.* 8. 11. *a med.*

CONSTELLĀTUS, a, um, adj. stellatus, stellis ornatus. *Trebell. Salonin. Gallien.* 2. Auratos constellatosque balteos rapuisse perhibetur.

CONSTERNĀTĬO, onis, f. *πτόησις, πτυρμὸς, ἔκπληξις*, pavor, perturbatio, confusio: a *consterno, as. Liv.* 37, 42. Auxilia subsidiaria, pavore et consternatione quadrigarum territa, et ipsa in fugam versa. *Tac. A.* 13, 16. Pavor et consternatio mentis. *Suet. Cal.* 51. Non mediocrem fore consternationem, sicunde hostis appareat. ℙ Specialiter dicitur de tumultu seditioso. *Curt.* 8, 1. Illum, seditione orta inter Macedones et Graecos, debilitatum vulnere, quod in ea consternatione acceperat, etc. *Suet. Caes.* 20. Nec quoquam reperto, qui super tali consternatione referre auderet. *Tac. H.* 2, 49. Nunciata consternatione ac licentia militum. *Liv.* 34, 2. Consternatio muliebris. ℙ *Festus* scribit, *consternationem* deductam esse a sternutamento, quod eo totum corpus concutitur. Al. tamen leg. *a sternata mente*, *quod ea* etc. Ceterum si notationem quaeras, rectius a *sternere* derivabis.

CONSTERNĀTUS, a, um, part. a *consterno*, metu perturbatus, confusus. *Liv.* 37, 41. *sub f.* Tumultum ac pavorem equis camelisque, et ipsis simul consternatis augebat. *Hirt. B. G.* 8, 19. Consternati, quo sors tulerat, confugiunt. *Caes. B. G.* 7, 30. *extr.* Consternati animo. *Suet. Aug.* 90. Consternatus olim per nocturnum iter transcursu fulguris. ℙ Dicitur et de iis, qui seditiose concitati sunt. *Liv.* 34, 3. Volo audire quid sit, propter quod matronae consternatae procurrant in publicum. *Id.* 7, 42. Multitudo virorum ad arma consternata. Et 21, 24. Galli metu servitutis ad arma consternati, Ruscinonem conveniunt.

CONSTERNO, as, sternavi, natum, a. 1. *ἐκπλήττω, ποιέω, πτύρω*, perturbo, perterrefacio: videturque esse a *sterno, is*, quod qui ictu aliquo sternuntur, confunduntur animo, ac turbantur: ut inter *consterno, as*, et *is*, hoc differat, quod hoc corporis, illud mentis proprium sit. *Liv.* 37, 41. *ad f.* Partim vulneribus missilium, partim clamoribus dissonis ita consternavit equos, ut etc. *Id.* 10, 43. Incerti quam in partem intenderent iter, repente in fugam consternantur. *Stat. Th.* 7, 130. turmasque metu consternat inani. ℙ Significat etiam seditiose concitare. *Liv.* 7, 42. Eam multitudinem conjuratorum ad arma consternatam esse. *Id.* 8, 27. Tumultuque etiam sanos consternante, decernitur, ut societas, etc, *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 72. Unde exoritur? quo praesidio fretus? auxiliis quibus? quo consilio consternatur? qua vi? cujus copiis? *Nonius* exponit *erigitur*, sed hoc videtur dicere, erigitur, et concitatur ad seditionem, seu ad rebellandum. Eodem modo intelligendum videtur quod ibidem dicit, *proterve loqui.* Nam proterve loquuntur, qui seditiose moventur. Cetera ea loca admodum corrupta sunt.

CONSTERNO, ernis, stravi, atum, a. 3. *στορέω, καταστρώννυμι*, sternendo operio, humi spargendo contego. *Cic. Div.* 1, 32. Ex horreis direptum effusumque frumentum vias omnes angiportusque constraverat. *Virg. A.* 4, 444. alte Consternunt terram, concusso stipite frondes. *Varr. L. L.* 8, 4. Qui triclinium constrarunt, si quem lectum imparem posuerunt, etc. *Caes. B. C.* 2, 9. Consternere contabulationem lateribus et luto. *Tac. H.* 2, 70. viam lauro et rosis. *Plin.* 10, 33, 49. Nidum Halcyones mollibus plumis, floccisque consternunt. *Id.* 17, 11, 16. Consternere lapide. *Inscr.* ap. *Lupoli, Iter Venusin.* p. 15. Barbarius (lege *Barbatius*) Pompejanus civitatem Abellam nuda ante soli deformitate sordentem, silicibus e montibus excisis, non e dirutis monumentis advectis, consternendam, ornandamque curavit. *Colum.* 7, 3. stabula culmis aut filicibus. *Catull.* 64, 163. Purpurea consternens veste cubile. [*Adde *Sil.* 1, 125. Consterni milite campos cerno, i. e. tegi, impleri.] ℙ Hyperbolice. *Liv.* 35, 49. et *Curt.* 9, 6. Classibus maria consternere. *Lucret.* 5, 1332. Concidere atque gravi terram consternere casu. *Virg. A.* 12, 543. late terram consternere tergo. ℙ Item prosterno. *Liv.* 40, 45. Eadem tempestas in Capitolio aliquot signa constravit.

CONSTĪPĀTĬO, onis, f. actus constipandi, coactio. *Vopisc. Aurel.* 21. Cum vellet omnibus simul, facta exercitus sui constipatione, concurrere, *ἀύλεξις. Ammian.* 26, 6. Constipatione vendibilium militum cum honore quidem, sed in modum tenebatur obsessi.

CONSTĪPĀTUS, a, um, part. a *constipo*, condensatus. *Caes. B. C.* 3, 46. Milites subito constipati pila conjecerunt. *Prud. περὶ στεφ.* 11, 49. Inter carnifices et constipata sedebat Officia, exstructo celsior in solio, *h. e.* ministros circa se stipatos ad obsequium.

CONSTĪPO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπισάττω, αὐλλίζω*, idem quod stipo, colligo, condenso. *Cic. Agr.* 2, 29. Ne constipari quidem tantum numerum hominum posse in agrum Campanum, intelligetis. *Caes. B. G.* 5, 42. Hostes se sub ipso vallo constipaverant.

[CONSTIRPO, as, a. 1. simul exstirpo. *Not. Tir.* p. 130. Exstirpat, constirpat. *F.*]

CONSTĬTĬO, onis, f. locus ubi consistitur, consistendi actio, statio. *Gell.* 16, 5. Ab illa grandis loci constitione et quasi quadam stabulatione vestibula appellata sunt. Al. leg. *consistione. Macr. Sat.* 6, 8. hunc locum a *Gellio* descripsit: sed est utrobique eadem dubia lectio.

CONSTĬTŪO, is, ui, utum, a. 3. *καθίστημι*, statuo, erigo: a *con* et *statuo. Virg. G.* 4, 542. Quatuor his aras alta ad delubra Deorum Constitue. Et *ib.* 11, 185. Constituere pyras. Et *ib.* 6, 217. cupressos. *Plin.* 34, 7, 18. colossum. ℙ Item fundare, condere. *Vellej.* 1, 1. Cognominem patriae suae Salamina constituit. *Caes. B. C.* 1, 15. Constituere oppidum. [*H. l. notandum, vv. *constituere*, *condere*, cet. saepissime dici pro augere, amplificare, facere ut res meliore sit, quam antea, conditione. Gr. *κτίζειν*. Adde *Eutrop.* 1, 1. ibique *Tzschuck.* et quos laudat.] *Virg. A.* 12, 194. nova moenia. ℙ Item ponere, locare. *Vell.* 2, 32. *ad f.* Reliquias praedonum in urbibus, remotoque a mari loco, in certa sede constituit. *Lucr.* 4, 132. Sunt etiam, quae sponte sua gignuntur, et ipsa Constituuntur in hoc coelo, qui dicitur aer. *Virg. A.* 5, 237. Constituere taurum ante aras in litore. ℙ Pertinet saepe hoc sensu ad rem militarem. *Liv.* 28, 33. Constituere peditem in colle. *Caes. B. G.* 7, 7. praesidia in oppidis. *Sall. Cat.* 62. cohortes in fronte. *Claud. Quadrigar.* ap. *Gell.* 9, 13. Dum se Gallus iterum eodem pacto constituere studet. ℙ Item sistere. *Sall. Jug.* 53. *ad f.* Dein, brevi cognitis insidiis, paulisper agmen constituit. [*Cf. quae de h. l. dicta sunt in *consisto*, *in f.*] *Caes. B. G.* 4, 24. Naves, propter magnitudinem, nisi in alto constitui non poterant. *Liv.* 38, 25. *a med.* Constituit agmen, et expedire tela animosque equitibus jussis, constanter initium pugnae accepit. *Cic. Cluent.* 13. Constituere hominem ante pedes alicujus. Adde *Sil.* 15, 634. et *Liv.* 27, 16. Sed tum his, tum *Sallustii* loco al. aliter leg. ℙ Item fabricari. *Just.* 43, 1. In radicibus Palatii templum Lyceo constituit. *Suet. Tib.* 37. Romae castra constituit, quibus praetorianae cohortes continerentur. *Ov. Met.* 6, 569. Constituere sepulcrum inane. ℙ Item generatim facere, ponere. *Suet. Cal.* 41. Lupanar in palatio constituit. [*Hic atque antecedens § commode poterant in unum conjungi cum secundo, quippe qui eandem quam ille, fundandi, exstruendi notionem contineant.] ℙ Translate. *Q. Cic. Petit. cons.* 9. Constituere quempiam in aliquo munere. *Cic. Verr.* 2, 1, 30. *ad f.* aliquem in locum alterius. *Id. Or.* 1, 48. Si quaereretur, quae esset ars inperatoris, constituendum putarem principio, quis esset imperator [*i. e. definiendum.] *Id. Quint.* 29. Omnino autem bona possessa non esse, constitui, *h. e.* probavi, ostendi, argumentis firmavi. *Id. Coel.* 32. Constituitote vobis ante oculos etiam hujus miseri senectutem. ℙ Saepissime significat deliberare, statuere. *Cic. Att.* 13, 20. Itaque ut constitui, adero. Et *ib.* 16, 10. Constitueram, ut in Arpino manerem. *Id. Or.* 1. *extr.* Scaevola in Tusculanum ire constituit. *Id. Fam.* 11, 27. Nondum satis constitui, molestiaene plus, an voluptatis attulerit mihi Trebatius. *Id. Att.* 14, 19. *sub f.* Nihil ante de profectione constituam, quam, etc. *Id. Fam.* 12, 19. Sed haec melius ex re, et ex tempore constitues. Et *ib.* 2, 8. *extr.* Quod quando, et quomodo, et per quos agendum sit, tu optime constitues. *Id. Caecin.* 7. Constituere aliquid de sententia amicorum. *Quint.* 3, 6. et 7, 3. in animo quid velimus, etc. *Ulp. Dig.* 37, 5, 5. apud se, utrum, etc. *Id. ib.* 50, 16, 60. Non enim magnitudo locum a fundo se-

parat, sed nostra affectio: et quaelibet portio fundi poterit fundus dici, si jam hoc constituerimus. ℙ Item praefinire, definire. *Pl. Trin.* 2, 4, 180. Constituere diem nuptiis. *Ter. Andr.* 1, 5, 34. Olim in hunc diem sunt constitutae nuptiae. *Cic. Phil.* 5, 17. Legibus annalibus grandiorem aetatem ad consulatum constituere. *Caes. B. G.* 1, 8. diem cum legatis. Et *B. C.* 3, 19. certum tempus alicui rei. ℙ Item imponere. *Cic. Rabir. Post.* 3. Constituere modum alicujus rei. *Id. Verr.* 2, 5, 51. mercedem funeris ac sepulturae etc. ℙ *Constituere cum aliquo* est convenire, simul consensu cum aliquo determinare. *Cic. Verr.* 2, 2, 27. Constitui cum hominibus, quo die mihi Messanae praesto essent. *Brut. ad Cic. inter ep. ad Brut.* 1, 6. Communiter constituemus de reditu ejus. *Ter. Hecyr.* 1, 2, 120. Constitui cum quodam hospite, me esse illum conventuram. Et cum dativo. *Cic. Or.* 1, 62. Sane vellem, non constituissem, in Tusculanum me hodie venturum esse, Laelio. [*Id. Att.* 1, 7. Cincio HS. viginti millia constitui me curaturum. V. *Gronov. Observ.* 1, 14. 15.] *Juven.* 3, 12. ubi nocturnae Numa constituebat amicae, *h. e.* tempus praefiniebat, quo convenirent. ℙ Est etiam decernere, sancire, praescribere. *Cic. Quint.* 9. Cum majores ita constituerint, ut qui pro capite diceret, is posteriore loco diceret. *Id. Verr.* 2, 2, 56. Censoribus, si quid commisissent, poenae legibus erant constitutae. Et *Verr.* 2, 5, 45. Constituere supplicium in aliquem. Et *Rosc. Am.* 26. alicui. Et *Verr.* 2, 5, 65. Constitue, nihil opis esse in hac voce Civis R. sum. Et *Dom.* 1. Vobis constituendum est, utrum, etc. *Justin.* 42, 3. Iasoni ut conditori, divinos honores templaque constituit. *Suet. Aug.* 18. Constituere ludos quinquennales. *Cic. Balb.* 28. De certo, de perspicuo, de utili, de probato vobis jure est constituendum. ℙ Item assignare, attribuere. *Suet. Vesp.* 18. Rhetoribus e fisco annua centena constituit. *Id. Ner.* 10. Annua salaria alicui constituere. *Id. Claud.* 18. magna commoda fabricantibus naves. *Sall. Jug.* 12. singulis fines imperii. *Curt.* 9, 10. et *Cic. Att.* 12, 31. pretium alicui rei. ℙ Item creare, facere. *Cic. Dejot.* 9. Constituere aliquem regem. *Id. Mur.* 2. patronum alicui causae. *Id. Or.* 1, 24. Te mearum ineptiarum testem et spectatorem fortuna constituit, *Id. Div. Verr.* 3. Constituere accusatorem. *Suet. Tib.* 65. aliquem ducem. *Ulp. Dig.* 2, 1, 1. tutores pupillis. ℙ Item firmare, ut *Non.* 4, 67. exponit. *Sall. Jug.* 35. Constituere majestatem populi Romani. *Cic. Off.* 1, 34. Ineuntis aetatis inscientia senum constituenda et regenda prudentia est. ℙ Item ordinare. *Nep. Att.* 12. Triumvir reipubl. constituendae. [*Adde *Cic. Or.* 1, 9. Constituere rempublicam dicuntur, qui legibus aliisque rationibus, malis reipubl. ingravescentibus medentur. (*Organisiren, Constitution geben.*) *Id. Agr.* 2, 5.] *Cic. Off.* 3, 20. Constituere rem nummariam de communi sententia. [*i. e. labantem, fluctuantemque rei numariae ordinem restituere; nos: *das Münzwesen reguliren.*] *Id. Phil.* 11, 2. rem familiarem. ℙ Item praeparare, disponere. *Auct. ad Her.* 1, 3. Per exordium animus auditoris constituitur, vel apparatur ad audiendum. Illud *vel apparatur* putant critici esse apertissimum glossema. [*Neque *Orell.* in textum recepit.] ℙ Item componere, jungere. *Cic. ad Pompej. post. ep. ad Att.* 11, 8. Constituere concordiam. *Q. Cic. Petit. cons.* 7. amicitiam cum aliquo. ℙ *Constituere jura, leges* est facere, condere. *Cic. Caecin.* 14. et *Dom.* 48. ℙ Illa ad forum pertinent, *constituere actionem, judicium, controversiam, quaestionem*, h. e. instituere, conficere. *Cic. Part.* 28., *Caecin.* 14., *Cluent.* 64. et *Or.* 1, 31. *sub f.* et JCti saepe. ℙ *Constituere pecuniam* apud eosdem JCtos est pacisci, et convenire cum aliquo de pecunia alias debita certo tempore ei solvenda. Unde, si non solvatur, oritur actio *de constituta pecunia*, quae et *constitutoria* dicitur. *Ulp. Paul.* et al. *Dig.* 13, 5. ℙ Similiter a JCtis sunt illa *constituere sponsalia*, h. e. inire. *Ulp. Dig.* 23, 1, 6. et *obligationem constitui*, h. e. contrahi. *Paul. ib.* 44, 7, 3. et similia his multa. ℙ [Part. *Constituturus* ap. *Cic. Dom.* 72. Perinde quasi alio modo sit constituturus. *F.*]

CONSTITŪTIO, onis, f. *κατάστημα, κατάστασις*, status, ratio consistendi, naturalis habitudo alicujus rei. *Senec. ep.* 121. Omnibus animalibus constitutionis suae sensus est, et inde membrorum tam expedita tractatio. *et paulo post.* Omne animal primum constitutioni suae conciliari: hominis autem constitutionem naturalem esse. *et mox.* Herba aliam constitutionem habet tenera, et vix eminens sulco; aliam, cum convaluit; aliam, cum flavescit, et ad aream spectat. V. integr. epist. *Cic. Off.* 3, 33. Corporis firma constitutio, ejusque constitutionis spes explorata. [*Gr. *τὸ εὐσταθὲς σαρκὸς κατάστημα, εὐστάθεια τῆς σαρκός.* V. *Beier.* ad h. l.] ℙ Translate. *Cic. ad Brut.* 1, [*2] 7. Scribere quid sentirem de tota constitutione hujus belli. ℙ Est etiam dispositio, ordinatio. *Colum.* 1, 9. *a med.* Diligens dominus a mancipiis quaerat, an ex sua constitutione justa percipiant. *Curt.* 5, 11. *sub f.* Aeterna constitutione nexuque causarum latentium, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere. *Appul. Dogm. Plat.* 2. *post med.* Constitutio civitatum. ℙ Item lex, statutum, jus. *Quint.* 7, 4. Justum omne continetur natura vel constitutione. *et paulo post.* Constitutio est in lege, more, judicato, pacto. *Plin.* 34, 9, 21. In tabulis aereis publicae constitutiones inciduntur. *Cic. Leg.* 2, 10. Non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numae, nostrisque moribus. ℙ Apud rhetores est, ut definit *Cic. Inv.* 1, 8., prima conflictio causarum, ex depulsione intentionis profecta, hoc modo: Fecisti: non feci, aut jure feci. V. ibi plura, et 2, 4. et 21. etc. et *Auct. ad Her.* 1, 11. et *Quint.* 3, 6., ubi varias rhetorum hac de re sententias affert: et definitionem ex *Cicer.* allatam aut corrigit, aut explicat. Dicitur autem *constitutio*, quia in ea omnis causa constituitur, et fundatur: qua ratione etiam *status* appellari solet. [*Gr. *στάσις.* Cf. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 86. sqq.] ℙ *Prima constitutio* dicitur a Stoicis genus quoddam probationis per impossibile, uti docet *Appul. de syllog. categor.* ℙ Denique est *constitutio* opinio, positio, existimatio, qua quis aliquid apud se verum ac certum esse constituit. *Ulp. Dig.* 50, 16, 60. Ceterum adeo opinio nostra et constitutio locum a fundo separat, ut et modicus locus possit fundus dici, si fundi animo eum habuerimus.

[CONSTITŪTIONĀRIUS, ii, m. qui constitutionum principalium exemplaribus edendis praeest. *Fragm. Cod. Theod.* (ed. *W. F. Clossio*) p. 19. Impp. Theodos. et Valentinian. Augg. Constitutionariis. Praefectus urbis sciet, vobis licentiam in edendis exemplaribus contributam, confectionem quoque memorati corporis (*h. e.* Theodosiani Codicis) vestro tantum periculo procurandam, nec habeat vel de editione, vel de confectione commercium, cum ad vos certum sit redundare de falsitate discrimen. Dat. X. Kal. Jan. Romae, Maximo II. et Paterio Coss. (*nempe* an. a Chr. n. 443.) ℙ Ex *Gestis in senatu* urbis Romae de recipiendo Theodosiano Codice *ib.* ab cod. *Clossio* editis, patet, duos fuisse hos constitutionarios, Anastasium nempe, et Martium, quorum fidei et diligentiae commissum fuit, ut constitutionum in Theodosiano Codice contentarum exemplaria eorundem tantum manu conscripta edantur. V. CONTEXTOR. *F.*]

CONSTITŪTOR, oris, m. qui constituit, disponit, decernit, ut constitutor legum. *Quint.* 3, 6. *circa med.* Constitutor moderatorque cunctorum. *Arnob.* 3. *in.* et in *Inscr.* ap. *Grut.* 254, 4. T. Aelio Hadriano Antonino Aug. Pio, constitutori sacri certaminis. *Lact.* 3, 9., et 4, 6. Rerum omnium constitutor Deus.

CONSTITŪTORĬUS, a, um, adj. *Constitutoria actio* ap. JCtos est, quae datur in eum, cui pecunia, alias debita, ad diem certam constituta, hoc est promissa fuit, nec tamen soluta est, ut in CONSTITUO dictum est. *Paul. Dig.* 13, 5. *qui est De* constituta pecunia, 20. Nec enim quod crescit, aut decrescit peculium, pertinet ad constitutoriam actionem.

CONSTĪTŪTUS, a, um, part. a *constituo, καθιστάμενος, καθεστηκώς*, positus, collocatus. *Caes. B. C.* 1, 80. Castra posita, tabernacula constituta. *Cic. Verr.* 2, 4, 11. In Mamertinorum solo monumentum istius crudelitatis constitutum est. ℙ Item fabricatus. *Nep. Att.* 13. Ipsum tectum antiquitus constitutum plus salis, quam sumptus habebat. *Suet. Caes.* 10. Aedes in foro constituta geminis fratribus. ℙ Item fundatus, conditus. *Cic. Cat.* 1, 13. Urbs auspiciis a Romulo constituta. *Id. Har. resp.* 7. Post sacra constituta. *Id. Off.* 2, 21. Respubl. et civitates constitutae. ℙ Item stabilitus, firmatus. *Cic. Rosc. Am.* 6. Victoria constituta. *Id. Sext.* 45. Bene de rebus domesticis constituti. *Id. Fam.* 1, 9. *ad f.* Ut frater meus vere existimet, adjuncto isto fundo, patrimonium fore suum per te constitutum. *Id. Fl.* 11. Libertas in republ. constituta. *Id. Fam.* 10, 3. Necessitudinem habui constitutam cum domo vestra, ante aliquanto, quam tu natus es. *Id. Senect.* 18. Senectus fundamentis adolescentiae constituta. ℙ Item assignatus, attributus, decretus. *Suet. Caes.* 17. Praemia alicui constituta. *Ulp. Dig.* 50, 9, 4. Constitutum salarium. ℙ Item positus, adductus. *Scaev. Dig.* 32, 39. Constitutus in discrimine vitae. *Ulp. ib.* 1, 9, 5. in dignitate senatoria. ℙ Item ordinatus, dispositus. *Cic. Brut.* 2. Bene morata, et bena constituta civitas. *Id. Inv.* 2, 19. Jus civile habemus ita constitutum, ut causa cadat is, qui, etc. ℙ Item sancitus, praescriptus, legibus statutus. *Cic. Sext.* 65. Descriptio civitatis a majoribus sapientissime constituta. *Id. Att.* 6, 1. *sub in.* Cogitabam ejus multa inique constituta et acta tollere. ℙ Item habitus, compactus, compositus. *Cic. Tusc.* 2, 6. Corpus bene constitutum. [*Gr. *ἐυσταθής.* V. in CONSTITUTIO.] *Id. Sext.* 65. Boni viri, sapientes, et bene natura constituti. [*Id. *Tusc.* 2, 4. Ita animo constitutus, i. e. comparatus.] ℙ Item institutus, inductus. *Cic. Caecin.* 14. Actio per hoc interdictum constituta. Et *Rosc. Am.* 8. *extr.* Bona alicujus, auctione constituta, vendere. ℙ Item instructus, consitus, in illo *Gell.* 19, 12. Fundum mercatus est oleo atque vino constitutum. ℙ Item pactus condictus. *Cic. Cat.* 1, 9. *ad f.* Pacta et constituta dies cum aliquo. *Id. Caecin.* 11. Cum Caecina ad constitutam diem tempusque venisset. ℙ Hinc *constitutum* absolute est idem quod conventio, consilium captum inter multos. *Cic. Att.* 11, 16. Horum et timor idem fuit primo qui meus, et constitutum. *Id. Coel.* 8. *extr.* Nunquam se ne congressu quidem, et constituto coepisse de tantis injuriis experiri. Et *ib.* 25. Constitutum factum esse cum servis, ut venirent, etc. [*Id. *Top.* 12. Locus, constitutum, convivium. V. plura de h. significatione ap. *Gron. Observ.* 1, 14. seq.] *Vell.* 2, 110. Universa Pannonia, omnibus tractus ejus gentibus in societatem adductis, ex constituto arma corripuit. ℙ Hinc habere aliquid constitutum cum aliquo. Festive *Cic. Fam.* 7, 4. Si quid constitutum cum podagra habes, fac, ut in alium diem differas. ℙ *Ad constitutum* idem est quod ad constitutam diem. *Cic. Caecin.* 12. Qui ad constitutum experiundi juris gratia venissent. *Varr. R. R.* 2, 5. Qui tam sero venisset ad constitutum. *Flor.* 2, 6. Eurus ab Oriente quasi ad constitutum. ℙ *Constituta pecunia* dicitur, quae cum debita sit, insuper ad certam diem solvenda promissa est. Quod si debitor fallat, datur creditori in eum actio, quae *de constituta pecunia* appellatur. Cujus rei passim exempla habes *Dig.* 13. *tit* 5. qui *De constituta pecunia* inscriptus est: ubi etiam leg. *Ulpian.* 1. absolute dixit *de constituta teneri.* et mox, *de constituta experiri*, etc. V. CONSTITUTORIUS. ℙ Est etiam *constitutum* idem quod constitutio, lex, decretum. *Imppp. Valens, Theodos. et Arcad. Cod.* 12, 41, 1. Constituti, hujus auctoritate teneatur. *Impp. Honor. et Theodos. ib.* 1, 11, 5. Quae multiplicibus constitutis ad Ecclesiam volumus pertinere. ℙ Translate. *Senec. Q. N.* 3, 16. Cum videas ordinem rerum et naturam per constituta procedere, *h. e.* per certas leges, quas sibi ipsa quodammodo imposuit.

CONSTĪTŪTUS, us, m. coetus. *Festus*: Constitutus hominum a consistentium multitudine appellatus. ℙ Quod vero quidam addunt testimonium *Varronis* his verbis: *Comitiales dicti, quod tum esset populi constitutus ad suffragium ferendum;* legendum est, *quod tum esset populus constitutus*, etc.

CONSTO, as, stiti, atum, n. 1. *συνίστημαι*, idem quod sto, vel simul sto, consisto: a *con*, et *sto, as.* Praeteritum cum *consisto* commune habet. *Pl. Curc.* 2, 3, 11. Constant, conferunt sermonem inter se drapetae. *Sisenn.* ap. *Non.* 4, 99. Multitudinem procul hostium constare viderunt. *Colum.* 5, 9. Si constet in scrobibus aqua, ea omnis haurienda est. ℙ [*Hinc significationum series melius ita videtur posse procedere. a) Factum, compositum, conflatum esse, contineri, niti, esse. Huc pertinent exempla, quae §. §. 12. 13. 14. 10. posita sunt. Adde *Quint. Decl.* 252. *Serm.* p. 453. In hac controversia tertia quoque adjiciatur quaestio necesse est, quae generalibus constat duabus. *Curt.* 10, 10, 12. Vigor quoque, qui constat ex spiritu, non destituerat vultum. *Pl. Amph.* 1, 1, 78. In his *constare* signif. *oriri*, ut docet *Schult.* ad l. *Quint.* modo laud. Adde *Lucr.* 3, 179. Is tibi nunc animus quali sit corpore, et unde Constiterit, pergam rationem reddere dictis; et saepissime al. *Quint. Inst.* 12, 2. p. 1056. Qui natura constare (i. e. *conformari*) mores, et nihil adjuvari disciplina putant. — b) Congruere, convenire. 1) De rebus: quo refer. §. §. 4. 9. 11. et in *consiat.* §. 4. Cf. *Quint. Decl.* 12, 9. p. 250. Mortium ratio non constitit, ibique *Burm.* 2) De animo. §. §. 5. 6. 7. 8. et in *constat.* §. §. 1. 2. 3. — ℙ Perstare, permanere, perdurare, constantem esse. Ita primum dicitur de copiis, qui uno agmine collectae consistunt. *Liv.* 3, 60. Quum consul Romanus prius, quam totis viribus fulta constaret hostium acies, intulit signa. Cf. *Id.* 1, 30. Non constat pugna hostibus, i. e. non possunt proelium hostes continuare ob turbatos ordines. — Tum transfertur ad alia, quae in eo statu, quo versantur, manent. *Prop.* 4, 8, 43. Neque suppletis constabat flamma lucernis, i. e. splendorem conservavit. *Ov. Fast.* 2, 455. Flamina non constant, i. e. non ex eadem regione provenire perseverant. — Sequantur §. §. 2. 3. His adde *Cic. Cluent.* 38. Suis judiciis constare, i. e. permanere in sententia, non recedere a superiori judicio. *Plin. Pan.* 60, 2. Vis constare reverentiam magistratibus, i. e. firmam, stabilem esse, non laedi. — ℙ Valere. §. §. 15. 16. Adde *Sil.* 2, 542. Hac mercede Fides constet delapsa per auras. (*Ist zu haben.*)] ℙ Est etiam perstare, permanere, perdurare, constantem esse. *Cic. Fam.* 1, 9. *circa med.* Qua in sententia si constare voluissent, suam auctoritatem simul cum salute mea recuperassent. *Id. Or.* 2, 22. Antiquissimi fere sunt, quorum quidem scripta constent, Pericles, atque Alcibiades. [*Scripta constant*, quae nonnullorum aut omnium judicio auctoribus quibus-

dam vindicantur. *Ellendt.* ad *Brut.* 15, 57.] ℙ Hinc *constare aliquid alicui* dicitur, quod in eo perseverat, et constans est. *Tac. H.* 2, 96. Unius legionis eam seditionem esse: ceteris exercitibus constare fidem. *Suet. Tib.* 2. Precata propalam, ut ita demum se sequeretur, si sibi constaret pudicitia. [*i. e. integra esset.] *Id. Cal.* 50. Valetudo ei neque animi, neque corporis constitit. *Caes. B. G.* 7, 35. Uti numerus legionum constare videretur. *Liv.* 39, 34. Adeo perturbavit regem, ut non color, non vultus ei constaret. *Petr. Sat.* 140. Ut constaret mendacio fides. *Phaedr.* 3. *in f.* Dum sanitas constabit, pulcre meminero. ℙ Ponitur et pro simul stare, hoc est convenire, cohaerere, congruere. *Auct. ad Her.* 2, 10. Dicemus, contrariam sententiam non constare cum superioribus, et inferioribus sententiis. *Cic. Inv.* 2, 14. Constet ne oratio aut cum re, aut ipsa secum. ℙ *Constare sibi* est sui compotem esse, apud se esse. Vetus poeta ap. *Cic. Fin.* 2, 4. Tanta laetitia auctus sum, ut mihi non constem. ℙ Item secum ipsum congruere, eadem semper dicendo et faciendo. *Cic. Cluent.* 22. Judices in Oppianico sibi constare, et superioribus consentire judiciis debuerunt. *Id. Off.* 1, 33. Ut constare in vitae perpetuitate possimus nobismetipsis, nec in ullo officio claudicare. *Id. Fin.* 2, 11. *sub f.* Reliqui sibi constiterunt, ut extrema cum initiis convenirent. *Id. Att.* 1, 11. Si humanitati tuae constare voles. *Hor. Ep.* 1, 14, 16. Me constare mihi scis. ℙ *Constare mente* similiter est apud se esse. *Cic. Tusc.* 4, 17. Nec porro malum, quo aut oppressus jaceas, aut, ne opprimare, mente vix constes. Sic *Liv.* 5, 42. Cum alia atque alia parte nova aliqua clades oriretur, non mentibus solum consipere, sed ne auribus quidem, atque oculis satis constare poterant, *h. e.* neque auribus, neque oculis satis valebant, ut exaudire omnia, et spectare possent. ℙ Dicitur etiam *mens constat*, h. e. sana est, *Cels.* 3, 19. Mens in illis laborat, in hoc vero constat. ℙ Simili ratione *Senec. ep.* 83. *extr.* In ebrietate tentantur pedes, lingua non constat. ℙ Sumitur aliquando pro simplici esse, exsistere, stare. *Lucr.* 1, 507. Nam quacumque vacat spatium, quod inane vocamus, Corpus ea non est: qua porro cumque tenet se Corpus, ea vacuum nequaquam constat inane. *Plin. ep.* 3, 13. Nostrae coenae ut apparatus et impendii, sic temporis modus constet. *Virg. A.* 5, 748. et quae nunc animo sententia constet. ℙ In illo *Virg. A.* 3, 518. Postquam cuncta videt coelo constare sereno; *Serv.* exponit suppetere, ut *Juven.* 6, 166. Quis feret uxorem, cui constant omnia? Itaque ex interpretatione *Servii* ap. *Virg.* sensus est: ubi videt, adesse omnia, quae significant serenitatem: et apud *Juven.* quis feret uxorem cui suppetunt, seu adsunt omnia? scil. pulcritudo, divitiae, nobilitas etc. quae *ib.* 161. enumeravit. ℙ Saepe significat ex pluribus rebus exsistere, conflari, compositum esse. *Pl. Amph.* 1, 1, 79. Ex spiritu atque anhelitu nebula constat. *Cic. N. D.* 1, 35. Homo constat ex animo et corpore caduco et infirmo. *Id. ib.* 3, 15. Prudentia constat ex scientia rerum bonarum et malarum. Et *paulo post.* Temperantia constat ex praetermittendis voluptatibus corporis. *Id. Or.* 2, 24. *ad f.* Sive ex crimine causa constet, ut facinoris; sive ex controversia, ut hereditatis etc. *Id. Rosc. Com.* 7. Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? ℙ Cum ablat. sine praeposit. *Nep. Att.* 13. Domus amoenitas non aedificio, sed silva constabat. *Lucr.* 3, 187. quod mobile est, constare rotundis Perquam seminibus debet, perquamque minutis. *Suet. Aug.* 25. Quidquid auro argentoque constaret. ℙ Item consistere, contineri. *Nep. Attic.* 14. Omnis ejus pecuniae reditus constabat in Epiroticis, et urbanis possessionibus. *Caes. B. C.* 3, 89. Ejus diei victoriam in earum cohortium virtute constare. *Quint.* 11, 3. *sub f.* Oratio actione constat, non imitatione. *Curt.* 8, 8. Fama bella constant: et saepe etiam quod falso creditum est, veri vicem obtinuit. ℙ Frequenter refertur ad pretium, et significat valere. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 99. Trado aliis minimo, quod mihi constat carius. *Varr. R. R.* 2, 1. Ut unae quadrigae Romae constiterint quadringentis millibus. *Cic. Verr.* 2, 5, 19. Navis tibi constat gratis. *Stat. Silv.* 4, 9, 9. liber mihi constitit decussi. *Senec. Troad.* 358. Constare ingenti mercede. *Pl. Truc.* 2, 6, 57. Jam mihi auro contra constat filius. Et *Colum.* 9, 1. *a med.* Feris pecudibus, quidquid vilissime constiterit, dare. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 3. Opus constat N. CCIↃↃ CCIↃↃ IIII LXXII., *h. e.* viginti trib. millib. septuaginta duob. nummis, seu sestertiis. V. *ib.* ap. *eund.* alia hujusmodi exempla. ℙ Translate. *Caes. B. G.* 7, 19. Quot virorum fortium morte necesse esset constare victoriam. *Senec. Phoeniss. in f.* Imperia pretio quolibet constant bene. ℙ *Constare* pro manifestum esse, V. in CONSTAT. ℙ Part. *Constans* V. supra suo loco. *Constaturus* ap. *Lucan.* 2, 17. quantis sit cladibus orbi Constatura fides superum. Et *Mart.* 10, 41. Constatura fuit Megalensis purpura centum Millibus. Adde *Senec. Clem.* 1, 19. et *Plin.* 18, 5, 6.

CONSTRĀTOR, oris, m. qui consternit. *Auson. Technopaegn. de Deis*, 12. Velivolique maris constrator Leuconotos Libs, *h. e.* qui mare fluctibus tumidum et inaequale sternit et complanat. Sic *Virg. A.* 5, 763. placidi straverunt aequora venti. Et *Ecl.* 9, 57. Et nunc omne tibi stratum silet aequor.

CONSTRĀTUM, i, n. tabulae, aut aliud quidpiam constratum. [*Verdeck.] *Petr. Sat.* 100. Super constratum puppis. Et *mox.* Ut super constratum naviš occuparemus secretissimum locum. *Liv.* 30, 10. Levia navigia sub constratis pontium per intervalla excurrebant.

CONSTRĀTUS, a, um, part. a *consterno*, *κατασταρωθείς*, contectus, et dicitur fere de locis, quae pedibus calcantur. In vet. lege ap. *Mur.* 582. *a med.* Semita lapidibus perpetuis integris constrata. *Caes. B. C.* 3, 96. Recentibus caespitibus tabernacula constrata. *Colum.* 8, 5. Cubilia gallinarum constrata paleis. *Plin.* 8, 36, 54. Specus molli fronde constrati. *Id.* 4, 12, 24. Pons constratus in navibus. *Hirt. B. G.* 8, 14. Palus constrata pontibus. *Appul. Met.* 9. Lectus constratus. *Sall. Jug.* 108. Omnia constrata telis, armis, cadaveribus. *Id. Cat.* 13. A privatis compluribus subversos montes, constrata maria, *h. e.* jactis molibus inaedificata. Al. leg. *constructa*, alii *contracta*. ℙ *Constratae naves*, *καταφρακτα πλοῖα*, quae et tectae dicuntur, sunt quae in superiori parte tabulatum habent, ubi consistere, et unde pugnare milites possint: quo si careant, apertae vocantur. Olim enim in puppi solum, et prora consistentes pugnabant, ut *Plin.* 7, 56, 57. *in f.* docet. *Cic. Verr.* 2, 5, 40. Poterone in eos esse vehemens, qui naves inanes non modo habuerunt, sed etiam apertas: in eum dissolutus, qui solus habuerit constratam navem, et minus exinanitam? Adde *Hirt. B. Alex.* 11. ℙ *Stat. Silv.* 2, 5, 1. Constrata ira, *h. e.* placata. V. STERNO *sub f.*

CONSTRĒPO, is, ui, itum, a. 3. *περιψοφέω*, strepo, perstrepo, concrepo. *Gell.* 4, 1. Horum omnium et testimoniis et exemplis constrepebat, *h. e.* recitando strepebat. *Appul. Met.* 4. Domus tota constrepebat Hymenaeum, *h. e.* canendo strepebat. Et *ib.* 8. Absonis ululatibus constrepentes. Et *ib.* 11. Sistris argutum tinnitum constrepentes. ℙ De voce avium. *Appul. Met.* 6. Currum Deae prosequentes, gannitu constrepenti lasciviunt passeres.

CONSTRICTĒ, adv. stricte, arcte. *Augustin. Doctr. Christ.* 1, 28. Constrictius jungi alicui.

CONSTRICTIO, onis, f. *στέγνωσις*, actus constringendi. *Pall.* 4, 1. Ubi germen solidius processerit, vincula oportet abscindi, ne adolescentia mollissimi germinis nodo durae constrictionis angatur. *Scrib. Compos.* 84. Omnis constrictio in utramque partem exiget aeque subjectam materiam. ℙ In re medica. *Macr. Sat.* 7, 6. Stomacho in lassitudinem degeneranti, ad instaurandas constrictione vires, offerunt aegrescenti vinum.

CONSTRICTĪVUS, a, um, adj. *στεγνωτικὸς*, constringendi, seu adstringendi vim habens. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 18. Constrictivae virtutis esse. Et *Tard.* 2, 3. *ad f.* Cibi constrictivi.

CONSTRICTŌ, as, a. 1. *σφίγγω*, frequentat. a *constringo*. *Tertull. adv. Marc.* 2, 16. Si medici ferramenta accuses, quod secent, et inurant, et amputent, et constrictent.

CONSTRICTUS, a, um, part. a *constringo*, strictus, colligatus. *Cic. Or.* 1, 52. *ad f.* Virtus semper libera est, etiamsi corpora sint capta armis, aut constricta vinculis. *Id. Phil.* 7, 9. Bellua inclusa et constricta. *Hirt. B. Afr.* 87. Vivum aliquem, constrictumque in flammam conjicere. *Mart.* 14, 37, cujus lemma est *Scrinium.* Constrictos nisi des mihi libellos, Admittam tineas, trucesque blattas. *Plin.* 11, 37, 65. Lingua homini ita saepe constricta venis, ut intercidi eas necesse sit. [*Male cum antecedentibus, quae sequntur hujus §. exempla mixta sunt; quippe quibus translata contineatur significatio, *scil.* imminuti, contracti alicujus rei ambitus.] *Id.* 17, 12, 18. Arbor constricta; [*i. e. circumcisa.] cui opponitur *ib.* quae in ramos emittitur. *Id.* 21, 10, 32. Conyzae folium tenuius et constrictius et angustius. *Curt.* 7, 3. Nives perpetuo rigore constrictae. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 18. Pulticula constrictior, *h. e.* spissior. ℙ Pertinet etiam ad rem medicam. Hinc constrictae febres, ap. *Plin.* 23, 7, 63. sunt quae cutem adstringunt, quaeque sudorem, urinam, aliosque humores cohibent. ℙ Translate. *Cic. Cat.* 1, 1. Constrictam jam omnium horum conscientia teneri conjurationem tuam, non vides? *Id. Fl.* 6. *extr.* Psephismata jurejurando constricta. *Id. Balb.* 5. Graeci homines, spectati viri noluerunt, religione videri potius, quam veritate fidem esse constrictam. *Id. Brut.* 8. Sententia, cum aptis constricta est verbis, cadit etiam plerumque numerose, *h. e.* comprehensa, et colligata. *Quint.* 2, 13. Constricta narratio. *Tac. A.* 3, 33. *extr.* Constrictus legibus. *Cic. Acad.* 1, 3. Multis officiis implicatus et constrictus. *Id. Tusc.* 2, 2. Necessitate constrictus. *Petr. Sat.* 132. Quid me spectatis constricta fronte, Catones? *h. e.* contracta, ut fit, cum ad severitatem vultus componitur. *Val. Fl.* 6, 423. Cervi caeca ira constricti, *h. e.* qui ira perciti se ipsos cornibus implicarunt. Sed forte legendum est *umbra*, inquit *Heins.* ℙ [*Confund. *Constrictus* et *constructus* ap. *Cic. N. D.* 2, 54, 134.]

CONSTRINGO, is, inxi, ictum, a. 3. *σφίγγω* idem quod stringo, vel simul, aut valde stringo vincio, colligo, arcto. *Cato R. R.* 33. Vineam alligato recte, dum ne nimium constringas. *Ter. Eun.* 5, 6, 22. Hunc pro moecho postea comprehendere intus, et constrinxere. *Pl. Bacch.* 4, 7, 1. Constringe tute illi actutum manus. [*Usitatissimum est in h. re voc. cf. *Suet. Cal.* 35. *Ner.* 34.] *Id. Trin.* 3, 2, 93. Constringere sarcinam. *Val. Fl.* 3, 80. princeps galeam constringit Iason. *Mart.* 11, 56. Constringatque tuos purpura texta toros, *h. e.* convestiat, contineat, operiat. ℙ *Constringendus* dicitur, qui prae insania vinculis coerceri debet. *Cic. Pis.* 20. *sub f.* Si familiam tuam dimisisses, amici te tui constringendum putarent. *Id. Phil.* 2, 38. Tu mentis es compos? Tu non constringendus? ℙ In re medica constringere dicuntur, quae fluxum alicujus humoris, ut alvi, urinae, pituitae, sudoris etc. cohibent. *Plin.* 23, 6, 54. Cotonea decocta amittunt constringentem vim succi. *Id. ib.* 1, 24. Vinum rubrum, nigrumve magis constringit, magisque calfacit. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 1, 14. Tradunt se libidinibus constringendos. *Id. Agr.* 2, 10. *ad f.* Constringere orbem novis legibus. *Id. Or.* 1, 46. Scelus et fraudem supplicio. Et *ib.* 42. Rem dissolutam divulsamque conglutinare, et ratione quadam constringere. *Lactant.* 1, 22. Leges afferebat, ut homines ad parendum non modo imperio, sed etiam religione constringeret. Adde *Curt.* 6, 7. *Lucan.* 7, 466. Torpor constringit pectora.

CONSTRUCTIO, onis, f. *στοίβη*, structura, compositio. *Cic. Acad.* 4, 27. Quanto artificio esset sensus nostros mentemque et totam constructionem hominis fabricata natura. *Senec. Consol. ad Polyb.* 37. Constructio lapidum. *Trajan. ad Plin. ep.* 10, 49. Constructio theatri. *Pallad.* 12, 22. Sternes olivas supra surculos foeniculi, et has constructiones usque ad vasculi plenitudinem patieris insurgere. ℙ *Constructio verborum* est eorum apta collocatio, et compositio. *Cic. Or.* 1, 5. Oratio conformanda non solum electione, sed etiam constructione verborum. *Id. Brut.* 78. Verborum apta, et quasi rotunda constructio. *Plin. ep.* 1, 16. Gravis et decora constructio. ℙ Apud grammaticos *constructio verborum* est compositio eorum ad regulas usumque Latinitatis, *σύνταξις*. *Prisc.* 17. et 18. etc.

CONSTRUCTUS, a, um, part. a *construo*, *συνκεταγμένος*, exstructus, ordine compositus, aedificatus. *Cic. Leg.* 2, 8. Delubra a patribus constructa. *Id. Univ.* 5. Mundi corpus constructum ea proportione etc. *Plin.* 10, 43, 60. Constructus rogus. *Virg. A.* 9, 712. Saxea pila constructa. *Cic. N. D.* 2, 54. Dentibus in ore constructis manditur. [*Qui sequntur hujus §. loci spectant ad coacervandi significationem.] *Id. Agr.* 1, 5. Omnibus rebus et modis constructa pecunia et coacervata, *h. e.* collecta: nam qui construit, multas simul res colligit, et ordine struit. *Id. Or.* 1, 35. Multae et magnificae res constructae ac reconditae, *h. e.* alia super aliam repositae, et *mox eod. sensu.* Copia ornamentorum constructa uno in loco. *Hor. Sat.* 1, 1, 44. Quid habet pulcri constructus acervus? Sic *Virg. G.* 4, 213. Constructa mella. ℙ *Constructa mensa* est instructa. *Catull.* 64, 304. Large multiplici constructae sunt dape mensae.

CONSTRŪO, is, uxi, uctum, a. 3. *στοιβάζω*, struendo conjungo, compono, aedifico. *Cic. N. D.* 1, 8. Quibus oculis intueri potuit Plato fabricam illam tanti operis, qua construi a Deo, atque aedificari mundum facit? *construi* significat partes simul ordine componi: *aedificari* configurari, conformari. Et *ib.* 2, 52. Aves cubilia sibi nidosque construunt. *Id. Senect.* 20. Navem, aedificium construere. *Suet. Dom.* 8. monumentum e lapide. [*Ita plerique; sed melius *exstruxerat. B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 240.] *Id. Ner.* 38. horrea muro saxeo. ℙ Item coacervare. *Cic. Phil.* 2, 38. Tanti acervi nummorum apud istum construuntur, ut jam appendantur, non numerentur pecuniae. *Hor. Sat.* 2, 3, 96. Construere divitias. *Plin.* 18, 31, 74. congeriem. *Sisenn.* ap. *Non.* 3, 35. carros, *h. e.* carraginem facere. ℙ Item reponere aliud super aliud componendo. *Plin.* 18, 28, 67. *n.* 5. Foenum sectum verti ad solem, nec nisi siccum construi oportet, *h. e.* in metas exstrui, ut *Colum.* 2, 19. loquitur. ℙ Construere mensam dape. V. CONSTRUCTUS. ℙ Apud grammaticos *construere* est unam partem orationis cum altera ita conjungere, ut Latini sermonis consuetudo servetur. *Prisc.* 17. et 18. saepe. ℙ Part. *Construiturus* pro *constructurus* barbarum est. Legitur autem apud

Ven. carm. 2, 10. *sub f.* Horrea quandoquidem construitura Dei.

CONSTŪPEO, es, ui, n. 2. ἐκπλήττομαι, idem quod stupeo. *Juvenc.* 1. *in* 2. *Lucae*, 179. Mirantes laudant, laetantes constupuerunt.

CONSTUPRĀTOR, oris, m. καταισχρευών, stuprator. *Liv.* 39, 15. Simillimi feminis mares, stuprati et constupratores.

CONSTUPRĀTUS, a, um, part. a *constupro*, stupratus. *Curt.* 10, 1. Nobilem virginem constupratam servo suo pellicem dederat. *Suet. Vit.* 12. Hunc adolescentulum mutua libidine constupratum conjecerat in compedes. Adde *Lampr. Commod.* 5. ℙ Translate. *Cic. Att.* 1, 18. *de judicio Clodiano.* Emptum, constupratumque judicium, *h. e.* in quo, ut ait *Id. ib.* 15., etiam noctes certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuerunt. Al. tamen leg. *stupratumque. Tertull. Idol.* 1. Quis enim immundis spiritibus operatus, non conspurcatus, et constupratus incedit?

CONSTUPRO, as, avi, a. 1. idem quod stupro, διαχορεύω. *Liv.* 29, 17. Constuprant matronas, virgines, ingenuos. *Q. Cic. Petit. cons.* 3. Prope in gremio parentum praetextatos liberos constupravit. Adde *Auct. ad Her.* 4, 8. ℙ Translate. *Hieron. adv. Jov.* 2, 9. Multi philosophorum reliquerunt frequentias urbium, et hortulos suburbanos, ne animae fortitudo mollesceret, et ejus pudicitia constupraretur.

CONSUĀDĔO, es, a. 2. πείθω, ἀναπείθω, idem quod suadeo, vel valde suadeo. *Pl. Asin.* 2, 1, 13. Cornix est ab laeva, corvus porro ab dextera: consuadent. *Id. Merc.* 1, 2, 32. Saluti quod tibi esse censeo, id consuadeo. *Id. Trin.* 2, 4, 126. Consuadet homini, etsi scelestus est.

CONSŪĀLIA, ium, vel iorum, n. plur. ludi, inquit *Festus*, quos in honorem Consi faciebant, quem Deum consilii putabant. Romulus, fundata Urbe, cum connubiis egeret ad civium propagationem, eaque sibi a finitimis negarentur; arcanum iniit consilium rapiendarum per vim mulierum: et Conso Deo, qui arcani consilii praeses habebatur, ludos vovit, fecitque, per quorum occasionem Sabinas abduxit, ut est ap. *Liv.* 1, 9., qui Neptuno equestri sacros illos fuisse scribit: sed hic cum Deo Conso idem fuit. *Varr. L. L.* 5, 3. *Dion. Halicarn.* 1. et 2. ℙ Porro hi ludi celebrabantur quotannis in Circo ad aram subterrancam ejus Dei, conjectis in ignem libaminibus, et commissionibus equorum junctorum, et injugum, quod arcanum Romuli consilium de Sabinis rapiendis Consus fortunavisset: quotannis, inquam, XII. Cal. September., ut est in veteri Calendario ap. *Grut.* p. 133., et fortasse etiam XVIII. Cal. Jan., quia eo die in illo Calendario eaedem prorsus notae leguntur, quae in Septembri: perque eos ludos equi ac muli immunes erant ab opere, et floribus coronabantur. *Dionys. Halicar. l. c.*

*CONSUANĒTES, um, pop. Alpini, in Vindelicia. *Plin.* 3, 20. *B. A.*

*CONSUARĀNI, orum, Galliae Narbonensis populi, juxta montes Pyrenaeos. *Plin.* 3, 4. *B. A.*

CONSUĀSOR, oris, m. ἀναπείθων, suasor. *Cic. Quint.* 5. Haec omnia Quintius agebat, auctore et consuasore Naevio.

CONSUĀVIOR. V. CONSAVIOR.

[CONSUĀVIS, e, adj. simul suavis. *Not. Tir.* p. 34. Consuavis, consuavissimus. *F.*]

CONSUBSĪDO, is, n. 3. subsido. Translate. *Minuc. Octav.* 40. Etiam nunc tamen aliqua consubsidunt non obstrepentia veritati, sed perfectae institutioni necessaria, de quibus crastino etc. *h. e.* remanent, reliqua sunt.

CONSUBSTANTIĀLIS, e, adj. ὁμοούσιος, ejusdem substantiae, seu naturae. *Tertull. adv. Herm.* 44. et *August. de Music.* 6, 17.

CONSUBSTANTĪVUS, a, um, adj. consubstantialis. *Tertull. adv. Valent.* 12. *extr.* et 18.

[CONSŪCIDUS, a, um, adject. idem ac sucidus. *Auct. adnot. marg. Front. de eloq.* (ed. *A. Maio*) Ut imperator philosophetur, ingratiis etiam purpureum erit pallium sumendum, cum philosophus habeat consucidum. *F.*]

CONSŪDASCO, is, n. 3. simul sudo, vel humorem emitto. *Colum.* 12, 48. *de conditura olivae.* Superposito copioso sale, ita uti olivas contegat, sicque triginta dies pati consudascere.

CONSŪDO, as, n. 1. ἱδρόω, idem quod sudo, vel humorem emitto. *Cato R. R.* 96. Oves unguito totas, sinito, biduum aut triduum consudent. *Pl. Ps.* 2, 2. *extr.* Jube sis, te operiri: beatus eris, si consudaveris. *Colum.* 12, 7. Herbae sale conspersae reponuntur, dum consudent.

CONSUĒFĂCIO, ăcis, eci, actum, a. 3. συνεθίζω, assuetum reddo, doceo, assuefacio. *Ter. Adelph.* 1, 1, 29. Ea ne me celet, consuefeci filium. *Sall. Jug.* 82. Paulatim consuefacit eam multitudinem ordines habere, signa sequi, imperium observare. *Varr. R. R.* 2, 9. *de canib.* Consue quoque faciunt, ut alligari possint. *Tmesis. Id. ib.* 3, 9. *a med.* Cum pulli pinnas habebunt, consuefaciendum est, ut unam, aut duas sectentur gallinas. ℙ [Passivum *consuefio* ap. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 18. Idem sibi domicilium esse quod sepulcrum, eoque consuefieri his diversoriis. *F.*]

CONSUĒO. V. in v. seq.

CONSUESCO, is, evi, etum, n. 3. ἐθίζομαι, assuesco. *Virg. G.* 2, 272. Adeo in teneris consuescere multum est. Al. leg. *a teneris.. Cic. Or.* 1, 61. Demosthenes multos versus uno spiritu pronunciare consuescebat. *Id. ib.* 34. Cum minus idoneis verbis uti consuescerem. *Id. Tusc.* 1, 31. Consuescamus mori. *Plin. ep.* 8, 23. *ad f.* Ne gravissimo dolori timore consuescerem. ℙ In praeteritis exponitur verbo praesentis temporis, ut *novi, memini*, et significat solitum esse. *Cic. Or*, 1, 22. Immo rogemus Antonium, qui et potest facere quod requiris, et consuevit, ut te audio dicere. *Caes. ad Cic. post ep.* 16, 9. *ad Att.* Ut tuis consiliis, ut consuevi, in omnibus rebus utar. [*Adde *Suet. Caes.* 73. Hospitioque patris ejus, sicut consuerat, uti perseveravit. V. de hac dicendi forma *Oudend.* et quos citavit ad *Tib.* 34. et *Ner.* 12.] *Colum.* 8, 15. *extr.* Modo captae aves, quae consuevere libero victu. ℙ Hellenismus est in illo *Lucceji ad Cic. Fam.* 5, 14. Cum scribas, aut aliquid agas eorum, quorum consuesti, ὧν εἰωθας. ℙ *Consuescere* virum *cum aliqua*, vel mulierem *cum aliquo* turpem cum aliqua consuetudinem habere, συνεῖναί τινι, ὁμιλεῖν. *Caecil.* ap. *Gell.* 2, 23., *Nep. Alcib.* 10., *Cic. Verr.* 2, 5, 12., *Ter. Hecyr.* 4, 1, 40. et *Adelph.* 4, 5, 32. quo posteriore loco pro *cum illa consuevit* alii leg. *illi consuevit.* Immo *Donatus* adscribit, legi etiam *illam:* Veteres enim dixisse *hanc rem consuevit.* [*Cf. *Bentl.* ad posteriorem l. *Terent.*] ℙ In praeteritis saepe syncopen patitur, ut *consueris* ap. *Cic. Or.* 1, 34. et *consuerint* ap. *Cels.* 5, 28. *n.* 13. et *consueras* ap. *Ov. Her.* 15, 132. et *consueramus* ap. *Balb. ad Cic. post ep.* 15, 8. *ad Att.* et *consuerunt* in veteri SC. ap. *Gell.* 15, 11. et *consuerat ap. Caes. B. G.* 1, 22. et *consuesset, consuessent, ib.* 5, 27. et *ib.* 7, 32. et *Nep. Datam.* 7. et *Pelop.* 5. et *consuesse* ap. *Caes. B. G.* 1, 14. et *consuesti* ap. *Cic. Fam.* 5, 12. etc. pro *consueveris, consueveramus, consueverunt, consuevisset* etc., tametsi in aliquo ex his locis lectio variat. Ex quo patet, nihil certi afferre illos, qui verbum primitivum *consueo*, unde Ionicum *consuesco* est derivatum, induci posse putant, et confirmari illo versu *Propertii* 1, 7, 5. Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores, *consuemus* enim potest esse syncope pro *consuevimus.* Quamquam et *Charis.* 3, 224. agnoscit *consueo;* sed nullo firmat exemplo. *Prisc.* quoque 10, 885. fidem *Charisii* appellat. ℙ Aliquando active ponitur pro consuefacere. *Lucr.* 6, 396. brachia consuescunt, firmantque lacertos. *Colum.* 6, 2. *circa med.* Plostro, aut aratro juvencum consuescere. *Id.* 11, 1. *a med.* Consuescat rusticos circa larem domini epulari. Adde *Pl. Asin.* 1, 3, 69. et *Plin.* 17, 10, 14. [*Primo loco poni debebat haec significatio.] ℙ Sunt qui alterum assignant praeteritum, *consuetus sum*, ut *Prisc.* 10, 885. V. CONSUETUS.

CONSUĒTE, adv, εἰωθότως, de more. *Ammian.* 27, 2. Cum calonum multitudo ad suscipiendum consuete pabulum prope acervum palearum stetisset.

CONSUĒTĬO, onis, f. consuetudo. *Festus:* Consuetionem Plautus pro consuetudine dixit. ℙ Hinc eam vocem critici restitutum eunt *Amph.* 1, 2, 28. (quem scil. locum designasse videtur *Festus*) Et clandestina ut celetur consuetio. Al. perperam, ut probat ad *h. l. F. H. Bothe*, leg. *suspicio.* Nam quod quidam legunt *consuetudo* (inter quos est *Donat.* ad *Ter. Adelph.* 4, 5, 32.) ferri non posse ajunt, cum contra clamet ratio senarii carminis.

CONSUĒTŪDINĀRIUS, a, um, adj. solitus. *Sidon. ep.* 7, 11. Invideo felicitati consuetudinarii portitoris, a quo contingit saepius vos videri.

CONSUĒTŪDO, dinis, f. ἔθος, εἰθημοσύνη, mos, habitus, usus. *Cic. Or.* 2, 87. *ad f.* Exercitatio, ex qua consuetudo gignitur. *Id. Div. in Verr.* 2. Adductus sum veteri consuetudine institutoque majorum. *Id. Att.* 12, 26. Consuetudo victus. *Id. Or.* 1, 33. *ad f.* Consuetudo scribendi. *Id. Mur.* 13. dicendi. [**Suet. Tib.* 32. Quod honore inito consuetudinem antiquam retulisset de majoribus suis pro concione memorandi. Cf. *Brem.* ad h. l.] *Id. Mil.* 1. fori. *Id. Font.* 10. Immanis et barbara consuetudo hominum immolandorum. *Id. Or.* 2, 3. *ad f.* Disputare ad consuetudinem Graecorum. *Id. Caecin.* 8. *sub f.* Praetor interdixit, ut est consuetudo, de vi. *Caes. B. G.* 6, 26. *extr.* Huc cum se ex consuetudine reclinaverint. *Cic. Arch.* 12. Pro mea consuetudine. *Id. Rabir. perduell. init.* Non est meae consuetudinis, rationem reddere etc. *Id. Verr.* 2, 2, 52. Est consuetudo Siculorum, quod suos dies volunt cum solis lunaeque ratione congruere. *Caes. B. G.* 1, 43. Populi Rom. hanc esse consuetudinem, ut etc. Et *ib.* 4, 7. Consuetudo Germanorum est resistere, neque deprecari. *Cic. Caecin.* 29. *ad f.* Si vobis versutius quam mea consuetudo defendendi fert, videbitur. *Caes. B. G.* 2, 19. Consuetudine sua Caesar legiones expeditas ducebat. Et *ib.* 7, 24. Cum Caesar ad opus consuetudine excubaret. *Cic. Caecin.* 2. *a med.* Hoc jam venit in consuetudinem. *Id. Off.* 2, 15. *extr.* Quod jam in proverbii consuetudinem venit. *Id. Pis.* 19. *extr.* Senatus in eam jam benignitatis consuetudinem venit, ut etc. *Id. Fam.* 16, 21. Introducere consuetudinem. *Vatin. ad Cic. Fam.* 5, 9. Servare consuetudinem suam in patrociniis tuendis. *Lepid. ad Cic. Fam.* 10, 35. retinere in aliqua re. *Cic. Phil.* 1, 11. Consuetudinem meam, quam in republ. semper habui, tenebo. *Id. Div.* 2. *extr.* Uti consuetudine. *Id. N. D.* 2, 17. A consuetudine oculorum aciem mentis abducere. *Quint.* 1, 6. *extr.* Facere aliquid ex consuetudine. Et *Pl. Trin.* 2, 2, 83. Consuetudine aliquid facere. *Plin. ep.* 1, 2. Hunc, rogo, ex consuetudine tua et legas, et emendes. *Sall. Jug.* 36. Quae quamquam gravia sunt, tamen consuetudine jam pro nihilo habentur. *Caes. B. G.* 4, 1. *ad f.* Adducere aliquem in eam consuetudinem, ut etc. *Cic. Q. Fr.* 3, 14. Nancisci nonnullam consuetudinem alicujus rei. ℙ Aliquando dicitur de communi opinione ac judicio. *Plin.* 10, 3, 4. Aquilam negant unquam solam fulmine exanimatam: ideo armigeram Jovis cousuetudo judicavit. ℙ Saepius de communi ac recepto usu loquendi. *Cic. Or.* 47. Consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor. Et *mox.* Impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceat. *Quint.* 1, 6. Consuetudo fecit analogiam. ℙ Hinc *consuetudo Latina* est ipse Latinus sermo, seu ratio Latine loquendi communis. *Colum.* 12. *prooem.* Haec in oeconomico Xenophon, et deinde Cicero, qui eum Latinae consuetudini tradidit. *Id.* 6, 17. *ad f.* Graeci ἀλκριον vocant; vulgus autem nostra consuetudine laserpitium. ℙ Item saepe de convictu et vita communi. *Cic. Mil.* 8. Familiaritates late patere non possunt, propterea quod consuetudines victus non possunt esse cum multis. *Id. Dejot.* 9. *ad f.* Jungere consuetudinem, amicitiam cum aliquo. *Id. Arch.* 6. Tenebat totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine. *Id. Quint.* 12. Inductus consuetudine et familiaritate, fecit societatem etc. *Id. Rosc. Am.* 6. Est mihi domesticus usus, et consuetudo cum aliquo. *Id. Fam.* 2, 1. Carere fructu dulcissimae consuetudinis alicujus. *Id. Att.* 1, 15. *ad f.* Multa et jucunda consuetudine conjuncti inter nos sumus. [*Cf. *Hor. Sat.* 1, 3, 36. Consuetudo mala.] *Id. Pis.* 28. Dare se alicui in consuetudinem. *Id. Fam.* 4, 13. *ad f.* Insinuare se in consuetudinem alicujus. *Id. Cluent.* 13. immergere se penitus. *Id. Fam.* 13, 23. Facere alicui consuetudinem cum aliquo. *Id. Phil.* 2, 15. Permanere in eadem amicitiae consuetudine. *Caes. B. G.* 4, 1. *ad f.* Ad aliquam consuetudinem quempiam adducere. *Cic. Fam.* 4, 13. Consuetudo epistolarum. *Id. Or.* 10. victus, *h. e.* convictus. [**Suet. Cal.* 9. Per hanc nutrimentorum consuetudinem, i. e. communionem.] ℙ Adhibetur et in re turpi, et idem est ac συνουσία. *Ter. Andr.* 2, 6, 8., *Liv.* 39, 9., *Justin.* 8, 6., *Curt.* 4, 10. *ad f.* etc. [*Cf. *Suet. Cal.* 24. *Oth.* 2. *Tit.* 10.] ℙ Item ad significandum honestum convictum conjugalem. *Suet. Ner.* 35. Octaviae consuetudinem cito aspernatus, corripientibus amicis, sufficere illi debere dixit uxoria ornamenta. *Ter. Hecyr.* 3, 3, 40. Etsi me amor graviter, consuetudoque ejus me tenet. [*Adde *Suet. Tib.* 7.] ℙ Differunt *mos*, et *consuetudo*, ut ex *Varr.* et *Festo* docet *Macr. Sat.* 3, 8. Nam *mos* est institutum patrium (sive ad sacra pertineat, ut ait *Fest.*, sive ad alia quaelibet) cujus usus seu cultus perseverans consuetudinem facit. Quare mos praecedit, ut causa, consuetudo sequitur. Hinc apud JCtos consuetudo est jus moribus constitutum, *Julian. Dig.* 1, 3, 32. quae proinde vim legis obtinere debet, *Callistrat. ib.* 38. Hoc sensu aliquando conjunguntur, ut in veteri edicto censorum ap. *Suet. Rhet.* 1. Quae praeter consuetudinem ac morem majorum fiunt. *Cic. Off.* 1, 41. Contra morem consuetudinemque civilem facere. Et *Cluent.* 35. Non mos consuetudoque servata. *Id. Off.* 1, 32. *ad f.* Plerumque parentum praeceptis imbuti, ad eorum consuetudinem moremque deducimur. ℙ Alii ita distinguunt, ut *mos* spectetur praecipue in vitae institutis, *consuetudo* tum in vita, tum in ceteris rebus omnibus. Sed ne hoc quidem perpetuum est. ℙ [**Popm.* de *differ.* vv. ita discrimen statuit, ut *consuetudo* sit jus quoddam non scriptum, tacito consensu populi et voluntate utentium introductum; *mos* autem ipse actus et usus inveteratus, ex quo consuetudo induci soleat.]

CONSUĒTUS, a, um, part. a *consuesco*, qui consuevit aliquid facere. *Pacuv.* ap. *Cic. Tusc.* 2, 21. Qui consuetus in armis aetatem agere. *Varr. L. L.* 8, 1. Populus si perperam est consuetus, corrigere se ipse debet. *Colum.* 1, 8. Genus mancipiorum consuetum campo, circo, theatris, aleae. *Varr. R. R.* 2, 3. Capellae una consuetae. ℙ Obsceno sensu de eo qui turpem consuetudinem habuit, adhibetur a *Pl. Amph.* 5, 1, 70. Is se dixit cum Alcumena clam consuetum cubilibus. Adde *Asin.* 3, 3, 113. et *Capt.* 4, 2, 87. ℙ Est etiam adjectivum, et dicitur de re, cui quis consue-

vit, solitus, usitatus, ἐθὰς, ἔθημος. *Virg. G.* 4, 429. Proteus consueta petens e fluctibus antra. *Sall. Jug.* 19. Animum a consueta lubidine continuit. *Ov. Her.* 20, 242. Epistola clausa sit fine consueto sibi. *Id. Met.* 11, 637. Verba cuique consuetissima. *Ter. Andr.* 1, 1, 108. Consuetus amor. *Juven.* 5, 74. Vin' tu consuetis audax conviva canistris Impleri? *Sall. Jug.* 87. Omnes labores, pericula consueta habere.

CONSUL, ŭlis, m. ὕπατος, summus apud Romanos, post exactos reges, magistratus, a Junio Bruto introductus A. U. 245. Duo viri fuere aequali potestate, quos penes omnis reipublicae tum belli tum pacis administratio ac jus fuit. Creati sunt primo e patriciis, qui soli auspicia habere credebantur: sed post bellum Gallicum, reclamante plebe, alter eorum plebejus creari coeptus est. [*Duos de plebe consules creari legibus quidem licebat, sed religione prohibitum (cf. *Liv.* 23, 31.) usque ad a. 582. C. Popillium Laenatem, P. Aelium Ligurem coss., cf. *Niebuhr. Röm. Gesch.* 2, 452. Laudat haec *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 14.] Eorum imperium annuum fuit. Creabantur autem priusquam veteres consules suum annum finirent, comitiis centuriatis, per eosdem consules veteres, alterum, ambosve, vel per interregem, aut dictatorem: et dicebantur *designati* donec magistratum inirent, quod fere cal. Jan. fiebat. Insignia consulatus fuere eadem, quae regum, trabea, praetexta, scipio eburneus, sella curulis, et duodecim lictores cuique, qui totidem fasces virgarum cum securibus praeferebant. Aetas petendi honorem eum erat annus quadragesimus secundus, lege annali: quo anno qui obtinuisset, dicebatur consul factus *anno suo*: sed inibat anno sequenti. Ab eorum nomine numerus annorum signabatur: ita ut seriem consulum scire opus esset, si quo anno quippiam gestum fuisse intelligi vellet. *Cic. Brut.* 43. *ad f.* Cum ipse esset Q. Caepione consule natus, et C. Laelio. *Id. Arch.* 3. Romam venit Mario consule et Catulo. *Id. Att.* 5, 21. Profert senatusconsultum Lentulo Philippoque consulibus. Et *ib.* 1, 2. L. Julio Caesare, C. Marcio Figulo consulibus filiolo me auctum scito. *Ulp. Dig.* 2, 13, 1. Editiones sine die et consule fieri debent, *h. e.* non adscripto die et anno. [*Hor. Od.* 3, 8, 12. Hic dies — festus Corticem adstrictum pice dimovebit Amphorae, fumum bibere institutae Consule Tullo. Adde *ib.* 14, 28. Non ego hoc ferrem calidus juventa Consule Planco.] *Mart.* 8, 45. Amphora centeno consule facta minor, *h. e.* quae habet centum annos. [*Suet. Caes.* 1. Sequentibus consulibus, i. e. sequenti anno.] ℙ Dicti sunt *consules* a *consulo, is*, vel qua significat consultare, deliberare, vel qua significat providere, vel qua significat judicare, statuere. *Varr. L. L.* 4, 14. et ap. *Non.* 1, 91. *C. Carbo* ap. *Cic. Or.* 2, 39. et *Quint.* 1, 6. Sed prior etymologia propior vero est. Cum enim regiam omnino potestatem primi consules haberent, populari vocabulo se nominari placuit, ut non suo arbitrio rempublicam administrare, sed de senatus populique consilio ac voluntate regere viderentur. ℙ [*Consules* dicuntur pro judicibus. *Liv.* 3, 55, 12. Fuere qui interpretarentur eadem hac Horatia lege, consulibus quoque et praetoribus, quia iisdem auspiciis, quibus consules crearentur, cautum esse: judicem enim consulem appellari. V. *Drakenb.* ad h. l.] ℙ *Majorem consulem* (inquit *Fest.* in litt. *M.*) L. Caesar putat dici vel eum, penes quem fasces sint, vel eum, qui prior factus sit. Porro fasces duodecim, licet amborum consulum essent, alternis tamen mensibus alterutri praeferebantur, uti colligitur ex *Liv.* 2, 1. et 8, 12. *ad f.*, *Suet. Caes.* 15. et *Gell.* 2, 15., scilicet ne terror plebi duplicaretur. Ceterum *major consul* etiam censebatur, qui plures, quam collega, liberos haberet, aut qui maritus, collega caelibe, aut, qui major natu esset. *Gell. ib.* ℙ *Consul ordinarius* dicebatur, qui principio anni magistratum occipiebat: nam qui medio anni cursu in mortui loco succedebant, dicebantur *suffecti:* et pares quidem potestate erant, non tamen dignitate. Nam ab ordinarii nomine anni designabantur, non a suffecti. *Senec. Ira* 3, 21., *Suet. Caes.* 76. et 80. et *Dom.* 2., *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *ad f.* et *Lampr. Alex. Sev.* 43. [*Non solum qui in mortuorum loco succederent, *suffecti* dicebantur, sed etiam qui imperatorum temporibus, quem Augustus morem inchoavisset, quo plures consularem dignitatem accipere possent, duplicato consulum numero, per reliquos sex anni menses hoc munere fungerentur, ita sunt denominati. V. *Brem.* ad *Suet. Cal.* 17. et *Tib.* 65.] ℙ Inter suffectos consules fuit *Plinius Secundus*, qui ob id panegyricum Trajano scripsit. ℙ Aliquando hoc nomen aliis etiam magistratibus in quibusdam urbibus tributum est. *Plin.* 7, 43, 44. L. Fulvius consul Tusculanorum. *Auson. Urb.* 14, 39. Diligo Burdigalam, Romam colo: civis in hac sum, Consul in ambabus. Al. aliter leg. In veteri *Inscr.* ap. *Grut.* 429, 9. memoratur consul Barcinonensis. Et 351, 5. consul coloniae Astigitanae. ℙ [*Ap. *Liv.* 38, 35. Consul dicitur, qui ante aliquot annos consul fuerat. V. *Periz. Animadvers. hist.* p. 307. *Kr.* in *Lex. Liv.* p. 137. Adde 31, 49. ubi proconsul intellig. Usitatissima dicendi ratio. V. *Tzschuck.* ad *Eutr.* 3, 14. et quos laudat.] ℙ *Consul* fuit appellatus Juppiter, quem Graeci Δία βουλαῖον, et βουληφόρον nuncuparunt, *h. e.* consiliarium. *Vopisc. Firm.* 3. Sellam constituerat facere, in qua Juppiter aureus et gemmatus sederet, cum praetexta, ponendus in templo Solis, Apenninis sortibus additis, quem appellari voluerat Jovem consulem, vel consulentem. *Appul. de mundo.* Nec ambigitur, Jovem praestantem atque sublimem sedem tenere, et poetarum laudibus nomen ejus consulum ac regum nuncupationibus praedicari. ℙ Cum compendiario scribitur fere COS. in singulari num. scribitur, COSS. in plurali. Veteres enim *n* litteram saepe omittebant, ut in *foresia, tago, pago, resurges, tosus, Hortesia* etc. Eadem ratione Mess. *h. e.* menses in *Inscr.* ap. *eund.* 556, 1.

CONSŪLĀRIS, e, adj. ὑπατικὸς, ὑπατευσας, ad consulem, vel consulatum pertinens. *Cic. Rabir. perduell.* 1. Consulare officium. *Id. Phil.* 5, 17. *extr.* Consularis aetas, *h. e.* qua licet consulatum petere. V. CONSUL. *Id. Dom.* 9. *ad f.* Consulares provinciae, *h. e.* quae dantur administrandae consulibus, vel tempore consulatus, vel postquam magistratu abierint. (De his exstat integra *Ciceronis* oratio.) *Sall. Cat.* 58. Consulare imperium. *Plin.* 30, 7, 20. Consularis domus, *h. e.* in qua aliquis consul fuit. *Id.* 18, 11, 29. Via consularis, *h. e.* publica, quae etiam *praetoria* dicitur, ut *Ulp. Dig.* 43, 8, 2. docet. *Mart.* 7, 79. Consulare vinum, *h. e.* quod habet nomen consulis, quo conditum est. *Vell.* 2, 68. Consularibus armis oppressus, *h. e.* exercitu, cui consul praefuit. Et *ib.* 92. Consularis vindicta, *h. e.* quae sumitur a consule. *Hor. Od.* 2, 16, 9. Consularis lictor. [*Liv.* 34, 6. Consularis oratio, *h. e.* digna consule. *Plin. Pan.* 71, 1. Quam consulare, i. e. quantopere redolet morem consulis tempore liberae reipublicae. *Id. ib.* 41, 1. Feres curam et solicitudinem consularem.] ℙ *Consulares fasti* sunt in quibus nomina consulum per ordinem describuntur. *Spart. Ael. Vero* 5. *extr.* ℙ *Consularis vir*, et *consularis* absolute est, qui aliquando consul fuit. *Nep. Annib.* 12. Ut legati Prusiae apud L. Quintium Flamininum consularem coenarent. *Cic. Fam.* 12, 4. Egregios consules habemus, sed turpissimos consulares. *Sall. Cat.* 57. Consulares omnes itemque senatus magna pars. ℙ Id vero locum habuit primo et secundo a Christi nativitate saeculo, non tamen tertio et quarto, ut probavit *Marinius Frat. Arv.* p. 794. et 800., et apud scriptores Latinos, et in Inscriptionibus plures consulares legere est, qui vel ex familia, in qua honor consulatus fuerit, vel inter consulares adlecti ex imperatorum privilegio fuerunt. ℙ *Consulares aquarum* dicebantur earum curatores, ut ex pluribus *Inscr.* arguit *Id. ib.* p. 806. ℙ *Consulares feminas* dicimus consularium uxores. Adjicit *Saturninus* et matres: quod nec unquam relatum est, nec unquam receptum. Ita *Ulp. Dig.* 1, 9, 1. Constat etiam ex *Lampr. Elagab.* 4. insecutis temporibus matronas aliquando consulares esse dictas, non ob maritorum suorum consulatum gestum, sed ex privilegio imperatorum, quod affines eorum essent, nec nobilitatos maritos habuissent, ne scilicet innobilitatae remanerent. ℙ *Consularia ornamenta*, aut *insignia*, et *consularia* absolute erant insignia consularis dignitatis, quae imperatores interdum nonnullis concedebant, licet consules nunquam fuissent. *Suet. Caes.* 76. Decem praetoriis viris consularia ornamenta tribuit. *Tac. H.* 4, 4. Addunt Primo Antonio consularia, Cornelio Fusco praetoria insignia. ℙ *Consulares legati*, aut *judices* dicuntur, qui consularem potestatem ab imperatoribus accipiunt, (sive fuerint consules, sive non) qua legati, *h. e.* rectoris alicujus provinciae, aut judicis munere fungantur. De his *Spart. Hadrian.* 22. Hujus generis sunt, qui in plurimis Inscriptionib. leguntur ap. *Grut.* et *Reines.* Consularis Aemiliae, Consularis Campaniae, Siciliae, Tusciae etc., nempe earum provinciarum rectores cum potestate, et ornamentis consularibus. [*Adde *Suet. Tib.* 41. et *B. Crus.* ad h. l. et ad *Aug.* 47.]

CONSŪLĀRĪTAS, atis, f. dignitas consularis viri. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 6, 19, 1. Qui consularitatis functi sunt dignitate, *h. e.* qui consulares alicujus provinciae fuerunt. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 99. *n.* 224. Officium sedis consularitatis provinciae Numidiae.

CONSŪLĀRĪTER, adv. ὑπατικῶς, more consulis, vel ut consulem decet. *Liv.* 4, 10. *extr.* Quinque consulatus eodem tenore gesti, vitaque omnis consulariter acta, verendum paene ipsum magis, quam honorem, faciebant.

CONSŪLĀTUS, us, m. ὑπατεία, consulis munus ac dignitas: itemque tempus, quo quis consul est. *Cic. Planc.* 25. Honorum populi finis est consulatus: quem magistratum jam octingenti fere consecuti sunt. *Id. Fam.* 7, 3. Qui toto suo consulatu somnum non viderit. ℙ Consulatum sperare, cogitare, petere, adipisci, obtinere, inire, gerere, suscipere: consulatu perfungi, abdicare se, abire etc. *Ciceronis* sunt, *Livii, Caesaris, Nepotis* etc.

CONSULCO, as, a. 1. *Consulcare frontem* est corrugare. In suppositis *Plauti Bacch.* scena, quae incipit: *Mirum hodie, v.* 2. Ronchos cient, consulcant frontem, et ore concrepario frequenter fremunt.

CONSŪLO, is, ului, ultum, a. 3. βουλεύομαι, consulto, delibero: a *con*, et *salio*, ut proprie dicatur, cum plures eadem de re, quasi consilientes, sententias et consilia sua conjungunt. *Liv.* 21, 16. Ut tot uno tempore motibus animi turbati trepidarent magis, quam consulerent. [*i. e. bene rem gererent, consulto agerent.] *Sall. Cat.* 50. Ira, aut misericordia impulsum, male consulere. *Caes. B. G.* 7, 83. Bis repulsi Galli, quid agant, consulunt. ℙ *Consulto opus est* ap. *Sall. Cat.* 1. et *Curt.* 16, 6. significat rem egere consilii ac deliberationis. ℙ Cum ablat. et *de* praeposit. *Cic. Sull.* 22. Neque ego tantum fraterno amori dandum arbitror, ut quisquam de salute suorum consulat, communem relinquat. ℙ Consulere in medium *Virg. A.* 11, 335. et *Liv.* 26, 12. et, in commune, *Ter. Andr.* 3, 3, 16. et, in publicum, *Plin. ep.* 9, 13. *ad f.* et, in unum, *Tac. H.* 1, 68. significant in commune bonum sententiam proferre, et quod omnibus utile sit, deliberare. [*Discrepat horum ll. sententia. In medium in commune consulere significat ap. *Virg.* et *Liv.* ll. ll. in rei publicae utilitatem operam dare bono consilio. Adde *Liv.* 2, 28. 24, 22. *Luc.* 5, 46. Consulite in medium patres. Ap. *Ter.* est: sine partium studio ita consilium capere ut communiter utrique utile sit. *In publicum consulere* ap. *Plin.* significat: De re aliqua, quae quis sentiat, ad senatum referre. — *In unum consul.*, quod dicit *Tac. H.* 1, 68. est, communi consilio rem agere. Cf. *Mel.* 1, 8. Dispersi nihil in commune consultant.] ℙ *Consulere aliquid* est in consultationem adducere, examinare, cognoscere consilii capiendi causa. *Liv.* 2, 28. Eam rem ad patres deferuat: sed delatam consulere ordine non licuit, adeo tumultuose excepta est clamoribus etc. *Virg. A.* 11, 343. Rem nulli obscuram, nostrae nec vocis egentem Consulis, o bone rex. *Pl. Most.* 5, 1, 43. Est consulere quiddam quod tecum volo. *Id. Pers.* 5, 2, 63. Certo illi homines mihi nescio quid mali consulunt, quod faciant. ℙ Quia vero postquam consultaveris, judicare opus est, ac statuere, etiam hunc sensum *consulo* habet, uti diserte *Quint.* 1, 6. et *Festus* docent. Hinc est illud *boni consulere*, hoc est bonum judicare, bonum esse putare, atque adeo in bonam partem accipere. *Quint. l. c.* Sitne consul a consulendo, an a judicando: nam et hoc consulere veteres appellaverunt: unde adhuc remanet illud: *Rogat, boni consulas*, idest bonum judices. *Ov. Pont.* 3, 8, 23. Quae quamquam misisse pudet, quia parva videntur: Tu tamen haec, quaeso, consule missa boni. *Plin.* 33. *sub in.* Quaerebat argentum avaritia: boni consuluit interim invenisse minium. *Cato* ap. *Gell.* 10, 3. Eane fieri bonis bono genere gnatis, boni consulitis? *Appul. Met.* 8. boni, et optimi consulere *dixit.* ℙ Hinc etiam est *male de aliquo*, vel *in aliquem consulere*, addito interdum accusat. communi, hoc est statuere, decernere aliquid, quod ei incommodum sit: et metonymice animadvertere, punire, male tractare. *Liv.* 30, 43. *extr.* De perfugis gravius, quam de fugitivis consultum: nominis Latini qui erant, securi percussi: Romani in crucem sublati. *Id.* 45, 8. In secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet. [*Adde *Eund.* 3, 36.] *Tac. Agric.* 16. Consulere arroganter in deditos. *Ter. Heaut.* 3, 1, 28. Pessime istuc in te, atque in illum consulis, si etc. *Coel. ad Cic. Fam.* 8, 16. Per liberos te oro, ne quid gravius de salute tua consulas. *Just.* 1, 7. et 5, 3. Consulere crudeliter in aliquem. *Sall. fragm. Hist.* 1. ap. *August. Civ. Dei* 2, 18. Servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere, *h. e.* necare, aut virgis caedere, tanquam si reges essent. ℙ Cum dativo significat habere rationem, et curam alicujus rei, tueri, providere, prospicere. *Cic. Off.* 1, 25. Qui parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem. *Id. Fam.* 11, 29. Consulere dignitati suae. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 9. commodis et utilitati alicujus, salutique servire. *Id. Phil.* 2, 2. famae. *Id. Fam.* 4, 9. *extr.* temporibus, incolumitati, et vitae et fortunis suis. *Nep. Epam.* 10. male in aliqua re patriae. *Cic. Verr.* 2, 1, 58. *ad f.* Consulere ac prospicere, ut etc. *Id. Fam.* 2, 18. *extr.* Consulere otio posteritatis, *h. e.* providere ut posteritas otio fruatur. *Caes. B. C.* 3, 69. receptui. *Id. ib.* 1, 69. timori magis, quam religioni perterritus miles consuevit. *Id. B. G.* 7, 12. Legati venerunt oratum, ut sibi ignosceret, suaeque vitae consuleret, i. e. vitam condonaret. *Colum.* 4, 24. Vinitor tria praecipue custodiat: primum, ut quam maxime fructui consulat etc. *Id.* 3, 2. At ubi vino consulitur, vitis eligitur, quae et in fructu valet, et in materia. *Just.* 6, 6. Consulere laboribus Graeciae et internecivis odiis, *h. e.* efficere, ut Graecia laboribus, et calamitatibus le-

vetur, et odia bellorum tollantur. *Tac. A.* 14, 22. Consulere quieti urbis, *Id. ib.* 2, 26. Romanae ultioni consultum est, *h. e.* effectum, ut ulcisci posset. [*Conf. c. his *Prop.* 3, 4, 10. Ite et Romanae consulite historiae, i. e. curam geratis, ut ignominia Romano nomini a Parthis illata emendetur, triumpho de ipsis acto.] *Ov. Met.* 14, 374. Dea consule nostris ignibus, *h. e.* amori nostro. ℙ *Consulere saluti suae*, et *consulere sibi*, et *consulere rebus suis*, saepe dicitur in extremis periculis, et re desperata, cum quis omnia facit sui unius tuendi causa, relicta aliorum cura. Exempla habes ap. *Caes. B. G.* 7, 66. et *ib.* 6, 30. et alibi, et ap. *Nep. Attic.* 21. et *Lysand.* 2. et *Liv.* 29, 7. etc. Simile est *sibi consilium capere* ap. *Caes.* V. CONSILIUM. ℙ *Tibi consultum optime esse volo*, ap. *Ter. Phorm.* 1, 3, 1. est omnia cupio tua causa. Adde *Trajan. ad Plin. ep.* 10, 106. ℙ Quod *Pl.* dixit *Bacch.* 3, 6, 36. Occiperes tute amare, et me ires consultum male; *me* pro *mihi* positum est, quemadmodum antiquos consuevisse, monet *Festus.* ℙ Illa quoque ad prospiciendum et providendum pertinent. *Liv.* 22, 29. Eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit. *Justin.* 2, 15. Sapienter in rem consulere. *Ter. Heaut.* 5, 2, 10. Vidi, te, suavia in praesentia quae essent, prima habere, neque consulere in longitudinem. [*Cf. *Ruhnk.* ad h. l.] *Caes. B. C.* 3, 51. Legatus agere ad praescriptum, imperator ad summam rerum consulere debet. ℙ Cum accusativo personae est consilium petere, *συμβουλεύομαι. Cic. Fam.* 9, 26. Quid ergo faciam? te consulo, qui philosophum audis. *Id. ad Brut.* 1, 4. Quod me de Antonio consulis; pnto etc. *Id. Div.* 2, 4. Num quis haruspicem consuluit, quemadmodum sit cum amicis vivendum? *Id. Leg.* 2, 16. De quo cum consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas religiones etc. *Id. Div.* 1, 17. Id possetne fieri, consuluit. *Suet. Aug.* 94. Consulere mathematicos. *Tib.* 63. haruspices. *Ov. Met.* 11, 412. sortes, quod *Caes.* dixit *B. G.* 1, 53. Consulere sortibus de aliquo. *Virg. A.* 4, 64. spirantia consulit exta, *h. e.* inquirit in extis, quid Dii portendant. [*Solennis vox est eorum qui rerum futurarum qualicumque illud modo fieri poterit, indagare, explorare rationem velint. Adde *Ov. Fast.* 1, 180. Consulit augur avem, i. e. auspicia capit. *ib.* 4, 158. Cumaeam consuluistis anum.] ℙ Et addito altero accusativo. *Pl. Men.* 4, 3, 26. Ibo, et consulam hanc rem amicos. *Cic. Att.* 7, 20. Nec te id consulo. ℙ Pertinet saepe hoc sensu ad JCtos, quos consulere dicimur, cum ex iis juris rationem scisitamur. *Cic. Fam.* 7, 11. *ad Trebat. JCtum.* Consuli quidem te a Caesare scribis: sed ego tibi ab illo consuli mallem. (ubi utramque sciscitandi juris, et prospiciendi significationem festive conjunxit.) *Id. Verr.* 2, 1, 46. Quam inanes domus eorum, qui de jure civili consuli solent. *Liv.* 39, 40. *de Catone.* In pace, si jus consuleres, peritissimus, *h. e.* si eum de jure consuleres. ℙ Hinc *qui consuluntur* sunt ipsi JCti. *Cic. Leg.* 1, 4. *ad f.* Quid autem tam exiguum, quam est munus hoc eorum, qui consuluntur? Adde *Quint.* 16. ℙ *Licet consulere?* formula erat adeuntium Jurisconsultos juris consulendi causa, vel petentium, ut jus suum persequi liceret, judicioque experiri. [*V. *Turneb. Advers.* 7, 10, *Brison. de Form.* 3, 85. Adde *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 1, 10.] *Cic. Mur.* 13. Itaque non modo beneficii collocandi spem, sed etiam illud, quod aliquandiu fuit, *licet consulere?* jam perdidistis. *Hor.* huc spectasse videtur *Sat.* 2, 3, 192. Ergo consulere, et mox respondere, licebit? Consule. ℙ Aliquando ponitur pro simplici interrogare, quaerere sola sciendi causa. *Suet. Aug.* 99. Versum compositum ex tempore pronunciavit, conversusque ad Thrasyllum, interrogavit, cujusnam putaret esse? quo haesitante, subjecit alium: de hoc quoque consuluit. *Petron. Sat.* 88. Consulere prudentiorem coepi aetates tabularum. ℙ *Consuli* populus dicebatur, cum solemni illa formula, *Velitis, jubeatis*, rogabatur, utrum vellet, juberet aliquid fieri. *Festus* in *Rogatio.* Rogatio est, cum populus consulitur de uno pluribusve hominibus etc. *Cic. Mil.* 7. Nihil de ejus morte populus consultus, nulla quaestio decreta a senatu est. ℙ Translate. *Mart.* 9, 60. Consuluit nares, an olerent aera Corinthon. *Ov. A. Am.* 3, 136. quod quamque decebit, Eligat, et speculum consulat ante suum. [*Simili ratione loquutus est *Id. Met.* 4, 312. Et quid se deceat, spectatas consulit undas.] Et *ib.* 1, 251. Consule de gemmis, de tincta murice lana, Consule de facie, corporibusque diem, *h. e.* lucem exspecta, ut de gemmis etc. judices. *Quint.* 10, 2. In suscipiendo onere vires suas consulere, *h. e.* videre num satis virium habeas. ℙ [Part. *Consulens* ap. *Cic. Or.* 42. Discentibus satisfacere et consulentibus. *Consulturus* (non *consuliturus*, quod barbarismus est ap. *Venant. carm.* 8, 4. *a med.*) ap. *Liv.* 4, 24. Libertati populi R. consulturus. *Consulendus* ap. *Justin.* 11, 7. Profectus ad consulendos augures vicinae urbis. *F.*]

CONSULTĀTIO, onis, f. *συμβουλή, συμβούλευσις*, actus consultandi, hoc est consilii petendi. *Cic. Att.* 8, 4. *ad f.* Ego navem paravi: tuas litteras tamen exspecto, ut sciam, quid respondeant consultationi meae. *Ter. Hecyr.* 4, 4, 28. Nulla tibi, Pamphile, hic jam consultatio est. *Cic. Inv.* 2, 25. *extr.* Res venit in aliquam consultationem. ℙ Apud rhetores est quaestio infinita, *θέσις. Cic. Part.* 2. Quaestio quasnam habet partes? *C. P.* Infinitam, quam consultationem appello, et definitam, quam causam nomino. Adde *Or.* 3, 28., ubi idem docet. [*Cf. *Ernest. lex. technol. lat.* s. v. *Quaestio.*] ℙ Apud JCtos est quaestio, seu facti species, quae juris perito proponitur decidenda. *Cic. Top.* 17. *extr.* Juris periti copiose de consultationibus suis disputant. *Modest. Dig.* 31, 35. Respondit, ex verbis consultationi insertis, Maevium etc. ℙ Similiter consultationes dicuntur, quae a magistratibus aliquid de jure dubitantibus referuntur ad imperatores. *Ulp. Dig.* 4, 4, 11. Praetor quia dubitabat, ad imperatorem Severum retulit: ad quam consultationem rescripsit etc. ℙ [**Consultationes* dicuntur etiam res, de quibus oraculum consulitur. (*Fragen, Befragungen.*) *Suet. Tib.* 14. Et mox, quum Illyricum petens juxta Patavium adisset Geryonis oraculum, sorte tracta, qua monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret, evenit, ut summum numerum jacti ab eo ostenderent.]

CONSULTĀTOR, oris, m. qui consultat, hoc est petit consilium ab aliquo. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. *post med.* Ceteri adhuc in latenti jus civile retinere cogitabant, solumque consultatoribus, potius quam discere volentibus se praestabant.

CONSULTĀTORIUS, a, um, adj. ad consultandum pertinens. *Hostia consultatoria*, apud *Macr. Sat.* 3, 5. est, qua voluntas Deorum per exta disquiritur. Est qui legit *consultoria* eodem sensu.

CONSULTĀTUS, a, um, part. a *consulo*, consultando deliberatus. *Sil.* 6, 455. Quae consultata sultando deliberatus. *Sil.* 6, 455. Quae consultata senatus, *h. e.* deliberationes. *Gell.* 1, 23. Cum in senatu res major quaepiam consultata est.

CONSULTĒ, adv. *ἐκ προνοίας*, consulto, provide. *Pl. Rud.* 4, 7, 14. Qui consulte, docte, atque astute cavet. *Tac. H.* 2, 24. Avidius, quam consultius properare. *Liv.* 22, 24. Ferocius, quam consultius rem gerere. *Capitol. Pert.* 7. Annonae consultissime providit. *Spart. Hadrian.* 2. Diu detentus, fractoque consulte vehiculo tardatus.

CONSULTŌ, adv. *ἐκ προνοίας*, sapienter, considerate, cogitato, quasi petito consilio, et re consulta. *Cic. N. D.* 1, 31. Sunt qui existiment, quod ille inscitia plane loquendi fecerit, fecisse consulto. *Id. Off.* 1, 8. *extr.* Utrum perturbatione aliqua animi, an consulto et cogitato fiat injuria. *Caes. B. G.* 5, 36. Longior consulto ab Ambiorige instituitur sermo. *Hor. Sat.* 1, 10, 13. atque Extenuantis eas (vires) consulto. [*V. *B. Crus.* in *Cl. Suet.* p. 243.]

CONSULTŌ, as, avi, atum, a. 1. *συμβουλεύομαι*, frequent. a *consulo*, consilium peto, quaero. *Pl. Mil.* 4, 3, 4. Quid me consultas, quid ages? *Plin. Pan.* 76. *ad f.* Consultare aves, revererique numinum monitus. *Tibull.* 1, 4, 77. me, qui spernentur amantes, Consultent, cunctis janua nostra patet. ℙ Item consulo, provideo, prospicio. *Sall. Cat.* 6. Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum, reipublicae consultabant. *Aurel. Vict. Caesar.* 15. *extr.* Maribus frustratus, filiae viro reipublicae consultavit. ℙ Item consilia confero, delibero, quod est mutuo consilium petere. *Caes. B. G.* 5, 51. Incommodo illo de Sabini morte perlato, omnes fere Galliae civitates de bello consultabant. *Cic. Off.* 1, 3. Tum autem aut anquirunt, aut consultant, conducat id, necne etc. [**Consultare* est, conquisitis argumentis, e quibus judicium de aliqua re pendet, perpensitare, quodnam eorum plus momenti faciat. *Beier.* ad h. l.] *Id. Att.* 16, 8. Consultabat, utrum Roma proficisceretur, an etc. *Id. Off.* 3, 2. Deliberare, et consultare de officio. *Tac. H.* 2, 37. Consultare in medium. *Plin. ep.* 6, 16. in commune. [*V. quae dicta sunt in *Consulo.*] ℙ *Consultare aliquid* est consultando examinare, perpendere. *Gell.* 1, 3. Multa cum animo meo ad casum tam ancipitem consultans. ℙ *Consultatus est* deponentis forma pro *consultavit*, h. e. consilium petiit, est *Tertull. adv. Hermog.* 18. ex *Isajae* 40, 14. ℙ [Part. *Consultandus* ap. *Auct. ad Her.* 3, 2. Deliberationes partim ipsae propter se consultandae sunt. *F.*]

CONSULTOR, oris, m. *συμβουλευόμενος*, qui consultat, hoc est consilium petit: et fere dicitur de iis, qui JCtos consulunt. *Cic. Balb.* 20. Scaevola juris peritissimus, cum de jure praediatorio consuleretur, consultores suos nonnunquam ad praediatores rejiciebat. *Id. Mur.* 9. *sub f.* Respondere consultoribus. [*Cf. cum his *Cic. Tusc.* 5, 37. Drusi domum compleri consultoribus solitam accepimus. Adde *Sall. Jug.* 103. *Coll. Quint. Inst.* 6, 3, 87. et *Spalding.* ad *h. l.*] *Hor. Sat.* 1, 1, 9. Agricolam laudat juris legumque peritus, Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat. [*Cf. *Heindf.* ad h. l.] *Lucan.* 5, 187. Consultor Dei, *h. e.* qui oraculum consulit. ℙ Item qui consulit, hoc est consilium dat, *σύμβουλος*. Hinc proverb. ap. *Varr. R. R.* 3, 2. Malum consilium consultori est pessimum. Et *Tac. A.* 6, 10. Sua exempla in consultores recidunt. Et *Sall. fragm. in Or. Philippi contra Lepid.* Prava incepta consultoribus noxae sunt. *Gell.* 4, 5. tradit, originem hujus proverbii ex eo ductam esse, quod cum in quodam prodigio Romae expiando acciti Etrusci, contrariis religionibus data opera procurassent, proditi et delati ad populum, necati fuere. ℙ Translate. *Sall. Jug.* 68. Cupido et ira pessimi consultores.

CONSULTORIUS. V. CONSULTATORIUS.

CONSULTRIX, icis, f. quae consulit, hoc est prospicit. *Cic. N. D.* 2, 22. *ad f.* Natura non artificio solum, sed plane artifex a Zenone dicitur, consultrix, et provida utilitatum, opportunitatumque omnium.

CONSULTUM, i, n. *γνώμη*, decretum, constitutio consultando statuta. *Cic. Phil.* 14, 13. Atque utinam his omnibus abstergere fletum sententiis nostris consultisque possemus, *h. e.* senatusconsultis, de quib. V. suo loco. *Hor. ep.* 1, 16, 40. vir bonus est quis? Qui consulta patrum, qui leges, juraque servat. *Gell.* 1, 23. *extr.* Senatusconsultum facit, uti posthac, etc. ℙ Sunt etiam *consulta* ipsa consilia. *Virg. A.* 11, 410. Nunc ad te, et tua magna, pater, consulta revertor. *Tac. A.* 1, 40. Satis superque mollibus consultis peccatum. *Id. ib.* 6, 6. Saevitia, libidine, malis consultis animus dilaceratur. *Sil.* 7, 560. Consulta pacata. ℙ Item consultationes, *h. e.* consilii petitiones. *Tac. H.* 2, 4. Titus Veneris oraculum de se, et per ambages interrogat. Sostratus sacerdos, ubi laeta et congruentia exta, magnisque consultis annuere Deam videt, etc. ℙ Inter *consulta*, et *decreta* hoc videtur esse discrimen (tametsi non perpetuum), quod illa sint, quae de plurium sententia statuuntur; haec quae quis solus sine aliorum consilio. *Sall. Jug.* 11. Oportere quinquennii consulta, et decreta omnia rescindi. [*Cf. *Ernest. Synonym.* §. 767. sqq.]

CONSULTUS, a, um, part. a *consulo*, *συμβουλευόμενος*, consultando constitutus, consulto decretus. *Stat. Ach.* 1, 81. ratus ordo Deis, miscere cruentas Europaeque, Asiaeque manus, consultaque bella Juppiter, et tristes edixit caedibus annos. ℙ Item consultando examinatus, perpensus, consilio discussus. *Cic. Att.* 2, 16. *ad f.* Nondum meas litteras legerat, quibus ad eum, re consulta et explorata, perscripseram. *Id. Or.* 1, 58. *ad f.* Quamquam ipsi omnia, quorum negotium est, consulta ad nos et exquisita deferunt. *Id. Fin.* 2, 32. *a med.* Si prima quaeque ab eo consulta atque facta, ipsius oblivione obruerentur. *Ov. A. Am.* 1, 461. Verba consulta. Al. rectius leg. *consueta. Sall. Jug.* 97. Omnia non bene consulta in virtutem trahebantur. *Pl. Mil.* 3, 1, 6. Bene consultum inconsultum est, si inimicis sit usui, *γνώμη.* ℙ Item interrogatus, vel consilium rogatus. *Sall. Jug.* 66. Senatus de provinciis consultus Numidiam Metello decreverat. *Curt.* 10, 6. Alexander consultus cui regnum relinqueret. *Suet. Aug.* 18. Consultus, num et Ptolemaeum inspicere vellet. *Id. ib.* 65. Neque adiri a quopiam, nisi se consulto, permisit. *Id. Ner.* 40. Consulto Delphis Apolline. *Id. Dom.* 16. Consultus haruspex de fulgure. ℙ *Lex consultissima* vocatur in *Fragm. Cod. Theod.* (ed. *A. Peyronio*) 5, 13, 17. quae providentissime constituta fuit ab Juliano Aug. de fundis emphyteuticis. ℙ Quia vero Juris professores sunt, qui prae ceteris adiri et consuli solent, consilii petendi causa, hinc *consultus juris*, et *consultus* absolute significat peritum in scientia juris, *δικανικός, νομικός. Hor. A. P.* 369. consultus juris, et actor Causarum. *Cic. Caecin.* 27. Ita justus et bonus vir est, ut natura, non disciplina consultus esse videatur. *Id. Brut.* 40. Consultorum alterum (*Scaevolam*) disertissimum, disertorum alterum (*Crassum*) consultissimum fuisse. *Hor. Sat.* 1, 1, 16. eris tu, qui modo miles, Mercator: tu consultus modo, rusticus. Adde *Ov. A. Am.* 1, 83. ℙ Item doctus, peritus in aliis facultatibus. *Hor. Od.* 1, 34, 2. Insanientis sapientiae Consultus. *Liv.* 10, 22. Juris atque eloquentiae consultus. *Tertull. adv. Marc.* 2, 2. Consultiores sibimet videntur Deo. ℙ Item omnium consilio probatus. *Petr. Sat.* 88. Ubi sapientiae consultissima via? [*Haec eodem modo dicta sunt, quo supra §. 4. *consultissima lex*, unde commode in unum conjungi poterant.] ℙ *Consultum est mihi*, h. e. ego scio, compertum est mihi. *Pl. Rud.* 1, 4, 6. Neque eam usquam invenio; neque quo eam, neque qua quaeram, consultum est. ℙ *Consultius est*, melius est. *Paul. Dig.* 2, 15, 15. Consultius est huic poenalem quoque stipulationem subjungere. ℙ *Consulto consilio, consulta opera*, idem est quod certo consilio, dedita opera [*ab omni parte probe perpensa]. Prius est *Pauli Sentent.* 1, 10., alterum *Gell.* 6, 17. ℙ In illo *Lucr.* 2, 97. Partim intervallis magnis consulta resultant; vocem *consulta* quidam exponunt coacta, quasi consiliendo calcata. Alii vero aliter legunt.

*CONSULTUS, us, i. q. consilium. *Liv.* 3, 62.

Consultu collegae. ℙ I. q. consultum. *Sall. Cat.* 42. ed. *Cort.* Senati consultus. *Plin.* 3, 20. Vetere consultu patrum. Ita profecto legunt *Cort.* ad *Sall.* l. l. et *Gronov.* ad *Liv.* l. c. quanquam *edd. Hard.* et *Elzev.* Plinii cum plurimis aliis *consulto* habent. Notandum est, in *Just.* 20, 5. *extr. consultu Cod.* nonnullorum lectionem esse. *B. A.* [*Cf. *Drak.* ad *Liv.* l. c. cui magis arridet *consulto*, quod ponitur pro *consilio*. — Ceterum, si lubet, similia conferri possunt, ap. *Cic. Att.* 4, 2. *plebiscitus. Verr.* 2, 2, 78. peccatus.]

CONSUMMĀBILIS, e, adj. qui consummari potest. *Senec. ep.* 92. *a med.* Ratio in Diis consummata est, in nobis consummabilis. *Prud. Psych.* 846. seu consummabilis aevi Perficiat lux plena viros.

CONSUMMĀTIO, onis, f. *ἀνακεφαλαίωσις*, in unam summam collectio. *Colum.* 2, 13. Hac consummatione operarum colligitur, posse agrum ducentorum jugerum subigi duobus jugis boum, totidemque bubulcis, et sex mediastinis. Adde *Pompon. Dig.* 21, 1, 36. et *Plin.* 4, 23, 37. Eleganter *Celsus* 1, 3. *sub f.* Itaque non haec, sed consummatio omnium nocet, *h. e.* complexus omnium simul. ℙ Item perfectio, absolutio, *συντέλεσμα. Senec. Brev. vitae* 1. Vita in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur. *Plin. ep.* 5, 12. Ut initium novae liberalitatis esset consummatio prioris. *Quint.* 6, 1. *extr.* Epilogi, et perorationis nomina ipsa aperte satis ostendunt, hanc esse consummationem orationis. *Colum. prooem.* 1. Ut res corporibus nostris, vitaeque utilitati maxime conveniens minime usque in hoc tempus consummationem haberet. ℙ *Consummatio gladiatorum* ap. *Plin.* 8, 7, 7. est, cum singulare virtutis specimen edunt, propter quod rude donari merentur. *Hard.* ℙ *Consummatio primipili* finis ac terminus ejus temporis, quo quis primum pilum ducens militare debuit. *Inscr.* ap. *Mur.* 799, 6. Et prope diem consummationis primipili sui debitum naturae persolvit. ℙ *Consummatio alvi* ap. *Plin.* 26, 8, 28. est ejus ciborum confectio, et in excrementa transmutatio. ℙ Praeterea apud rhetores *consummatio* (quae *διαλλαγή* a quodam Gorgia rhetore appellatur) est, cum plura argumenta ad unum effectum deducuntur: quam Rutilius et Celsus inter schemata posuerunt. *Quint.* 9, 2. *sub f.* [*Cf. *Ernest. lex. technol. lat.* s. v. *congeries.*]

CONSUMMĀTOR, oris, m. perfector. *Tertull. adv. Marc.* 4, 22. Alter initiator veteris Testamenti, alter consummator novi.

CONSUMMĀTUS, a, um, part. a *consummo*, in unam summam redactus. *Colum.* 5, 2. Hoc sexies ducendum est: quoniam sex latera sunt, quae consummata efficiunt duo millia trecenteni, et quadraginta. ℙ Item perfectus, absolutus, *τέλειος, τετελεσμένος.* [*Liv. 28, 17. Jam Africam magnam que Carthaginem, et in suum decus nomenque velut consummatam ejus belli gloriam spectabat. *Ruhnk.* tamen ad *Vellej.* 2, 29. legi vult consummandam.] *Colum.* 3, 9. *post med.* Duo jugera vinearum intra tempus biennii, ex una praecoque vite, insitione facta, consummata. *Id.* 11, 1. *ante med.* et *Senec. ep.* 72. Vir consummatae sapientiae. *Mart.* 1, 9. Consummatus Cato. *Quint. prooem.* 1. Consummata eloquentia. Et 10, 1. Consummati patroni. Et 1, 9. Opus etiam consummatis professoribus difficile. *Plin. ep.* 2, 7. Consummatissimus juvenis. [*i. e. ingenio praestanti et eruditione perfecta.] *Plin. alter* 14, 4, 5. Consummatae artis exempla. *Id.* 10, 63, 83. Consummatum virium robur. *Lucan.* 1, 336. et lassi Pontica regis Proelia, barbarico vix consummata veneno, *h. e.* finita morte Mithridatis, qui se ipsum veneno sustulit. [*Curt. 6, 10, 14. Agitant eos furiae, non cogitato modo, sed etiam consummato parricidio.] *Ulp. Dig.* 2, 15, 8. Consummato anno.

CONSUMMO, as, avi, atum, a. l. *ἀνακεφαλαιόω*, in summam redigo, summam colligo: a *summa. Colum.* 3, 5. *ad f.* Is numerus consummat per totum jugerum seminum millia quatuor et viginti. *Vitruv.* 1, 1. Per arithmeticen sumptus aedificiorum consummantur. ℙ Translate est perficere, absolvere, *ἀποτελέω.* [*Liv. 29, 23. Ad eam rem consummandam tempusque nuptiis statuendum profectus Hasdrubal. Quem l. ideo ab initio ponendum curavimus, quod v. *consummare* est ex iis, quae *Liv.* auctoritatem primam habent; quamquam et ap. *Ov. Fast.* 3, 166. legitur, ubi hoc v. bene revocatum dicit a *Burm.* contra *Heins. consumatur* tuentem, *Gierig.*] *Plin. ep.* 10, 48. *sub f.* Quoquo modo consummare opera, ut inchoata sunt. *Colum.* 8, 5. Cum primum partum consummaverint, gallinae incubare cupiunt. Et *ib. circa med.* Pulli semiformes interimuntur, antequam toti partibus suis consummentur. Et *ib.* 1. Quae consummant ruris exercendi scientiam. *Plin.* 19, 3, 15. Annuo spatio radice et caule consummantibus sese. *Senec. Herc. fur.* 1039. Consummare sacrum. *Sen. alter Ira* 3, 31. dignitatem alicujus, *h. e.* ad summum apicem evehere. *Suet. Cal.* 44. Nonnullis ante paucissimos, quam consummaturi essent, dies, primos pilos ademit. [*Cf. *Brem.* ad h. l.] V. CONSUMMATIO. *Senec. ep.* 32. vitam ante mortem, *h. e.* virtute vitam, moresque perficere. *Quint.* 10, 2. *extr.* Consummare oratorem. *Plin.* 7, 43, 45. Consummare res maximas. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 6. *n.* 62. D. Aelius D. F. Pal. Januarius *monumentum* . . . vivus inchoavit . . . heredes cum maceria clusum consummaver.

CONSŪMO, is, umpsi, et umsi, umptum, et umtum, a. 3. *ἀναλίσκω, δαπανάω*, a *con* et *sumo*, quasi totum simul sumo, [*huc pertinere videntur ll. *Sil.* 10, 129. Consumit clypeo tela, i. e. excipit, sustinet omnium. *Id.* 5, 642. Tela omnia solus pectore consumo, i. e. excipio, ne alios feriant.] absumo, exhaurio: et primo de iis dicitur, quae ore sumuntur, comeduntur, vorantur. *Cic. N. D.* 2, 60. Agri multa ferunt, quae vel statim consumantur, vel mandentur condita vetustati. *Hor. Ep.* 1, 2, 27. et *Caes. B. G.* 6, 43. Consumere fruges, frumenta. *Virg. A.* 7, 125. accisis dapibus consumere mensas. *Cic. Rosc. Am.* 2. *ad f.* Sperat, se posse, quod adeptus est per scelus, id per luxuriam effundere atque consumere. *Id. N. D.* 1, 36. *ad f.* Ibes interficiunt, atque consumunt angues. *Scrib. Compos.* 140. Filicis Macedonicae contusae cum melle, quantum ipse voluerit, consumat. *Ter. Heaut.* 3, 1, 56. Sumat, consumat, perdat, decretum est pati. [*Tibull. 4, 1, 73. Nec violenta suo consumsit more Charybdis.] ℙ Hinc translate. *Val. Fl.* 1, 831. Ingenti jacet ore chaos, quod pondere fessam Materiem, lapsumque queat consumere mundum. ℙ Est etiam universim conficere, destruere, absumere. *Cic. Marc.* 4. Nihil est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, et consumat vetustas. *Ov. Pont.* 4, 10, 5. consumitur anulus usu. *Petr. Sat.* 102. Vestes diutius vinctas ruga consumit. *Hor. Ep.* 2, 2, 97. plagis hostem consumere, *h. e.* conficere, interficere. [*Quint. Decl.* 18, 15. p. 361. Filium consumpsisti per flagella, per lamina.] *Caes. B. C.* 2, 14. Omnia consumuntur flamma. *Justin.* 5, 8. Cum urbem incendio consumendam censerent. *Curt.* 7, 8. Ferrum rubigo consumit. *Id.* 8, 4. Mille militum pestis consumpsit. *Vellej.* 2, 90. Hispaniae Scipiones consumpserunt, *h. e.* confecerunt, sustulerunt. *Tac. H.* 1, 42. Instans metus vocem consumpsit, *h. e.* interclusit, ademit. [*Quint. Decl.* 7, 4. p. 156. Ignoscant persuasiones, si facinus istud omnium illicitarum rerum consumpsit invidiam. V. *Intprr.* ad *Petr.* 33.] *Sil.* 3, 157. Donec iter liquidum volucri rapiente carina Consumpsit visus. [*Id dici docet *Drakenb.* de iis, qui in altum provecti, nihil nisi undas vident.] *Plin.* 2, 10, 7. Umbrae spatio consumuntur. *Ov. Her.* 6, 163. Cum mare, cum terras consumpserit, aera tentet, [*i. e. cum omnes terrae marisque partes pervagatus sit. Cf. *Lucr.* 5, 618. Annua sol in quo consumit tempora cursu.] *Tac. H.* 3, 24. Ignominiam consumpsistis, *h. e.* ignominiae pudorem, metumve abjecistis: nihil de ignominia laboratis. [*Ejusdem generis sunt *Quint. Decl.* 18, 14. p. 361. Consumta est paterni nominis religio, i. e. jacet.] *Curt.* 6, 8. Qui misericordiam consumpserunt, amplius sperare non possunt, *h. e.* qui id consecuti sunt repetitis sceleribus, ut eorum misereri quis amplius non possit. [*Cf. *Quint. Decl.* 7, 11. p. 163. Gratiam confessionis ante tormenta consumpsi.] *Sall. fragm. in ep. Pompeji ad senat.* Spes meas consumpsi. Et *ib.* Consumpsi fidem. [*Similis perdendi notio inesse videtur locis *Quint. Decl.* 2, 8. p. 45. Pro quo bene consumuntur oculi? Adde *Eund.* 10, 9. p. 221. et 2, 3. p. 41. In cujus salutem faciem vultusque consumsit. ℙ Hinc *consumi* res dicuntur, quae esse existere desinunt, quae finiuntur. *Quint. Decl.* 5, 13. p. 116. Interim nihil aliud estis, quam fratres, quam liberi mei, duo captivi, ambo miseri, et diversitas vestra de calamitatum societate consumpta est. *Sil.* 8, 47. Consumitur ira Fortunae. V. et in *Consumptus.*] ℙ Consumi morbo, siti, senio, moerore, inedia, etc. ap. *Nep. Reg.* 2., *Hirt. B. G.* 8, 41. *extr.*, *Liv.* 40, 54. et *Cic. Fam.* 16, 10. est vel omnino perire, vel valde confici, debilitari. ℙ Consumi aevo, ap. *Virg. Ecl.* 10, 43. est aetatem peragere, vitam transigere. ℙ *Consumere* absolute pro interficere, non est inusitatum. [*Hor. Sat. 1, 9, 33. Garrulus hunc quando consumet cumque.] *Justin.* 12, 5. Aut consumpturus milites eos, aut in ultimis terris in colonias distributurus. *Paul. Sentent.* 5, 17. Sane qui ad gladium dantur, intra annum consumendi sunt. *Ulp. Dig.* 48, 19, 3. Praegnantis mulieris consumendae damnatae poena differtur. *Hirt. B. Afr.* 94. Ferro inter se depugnant: atque firmior imbecilliorem facile ferro consumpsit. [*Cf. *Tzschuck. ind.* ad *Eutrop.* s. h. v.] ℙ Saepe significat insumere, impendere, collocare, ponere. [*Erat haec secundo loco ponenda significatio.] *Jabolen. Dig.* 35, 1, 39. *extr.* Consumere pecuniam in monumentum. *Nep. Tim.* 1. In Samo oppugnanda Athenienses mille et ducenta talenta consumserant. *Id. Epam.* 2. Plurimum studii consumere in aliqua re. *Cic. Fin.* 1, 1. Consumere operam in Graecis legendis. *Id. Or.* 1, 55. Multum operae et laboris consumere in re aliqua. *Id. Att.* 16, 2. Populus R. manus suas non in defendenda republ., sed in plaudendo consumit. *Id. Planc.* 30. Omne suum studium in alicujus honorem consumere. *Id. Phil.* 13, 11. In lustris, popinis, alea, vino tempus aetatis omne consumere. [*Cf. *Tibull.* 1, 9, 63.] *Cic. Univ.* 1. Primum tempus salutationibus, reliquum percunctatione consumere. *Id. Or.* 1, 13. Disserere de re aliqua consumendi otii causa. *Id. Att.* 1, 18. Tantum requietis habeo, quantum cum uxore, et filiola, et mellito Cicerone consumitur. *Virg. G.* 3, 178. tota in dulces consumunt ubera natos. *Propert.* 4, 6, 55. Consumit pondus pharetrae in arcus, *h. e.* sagittas arcui imponit, et jacit omnes. *Stat. Th.* 8, 577. Leo tenera famem consumit in agna; et *ib.* 1, 323. longo consumit gaudia voto, *h. e.* corrumpit, amittit gaudia spe dilata regnandi. [*Pertinent ambo ex *Stat.* allati loci ad §. 3.] *Auct. ad Her.* 1, 3. Inventio in sex partes orationis consumitur, in exordium, narrationem, etc. *h. e.* dividitur, et distribuitur omnis in sex omnino partes. *Id. ib.* 3, 2. Dolus consumitur in pecunia, pollicitatione, dissimulatione, maturatione, mentione etc. *Ter. Andr.* 1, 1, 133. Simul sceleratus Davus si quid consili Habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli, *h. e.* omnia consilia et fraudes exserat, et adhibeat, nihilque intentatum relinquat. [*Cf. *Ruhnk.* ad h. l. et quem laudat *Burm.* ad *Petr.* 34.] *Sall. Jug.* 27. *extr.* Multam orationem consumere, *h. e.* habere, multa verba facere. *Cic. Or.* 3, 26. Actionem consumere et exhaurire. [*i. e. ita omnem gestus vim in pronuntiandam aliquam sententiam impendere, ut fieri ultra nequeat. Cf. c. his *Quint. Instit.* 4, 2. p. 348. Non ut consumantur affectus, sed ut tamen velut primis lineis designantur.] Hyperbolice *Stat. Ach.* 1, 446. ipsum jam puppibus aequor Deficit, et totos consumunt carbasa ventos, *h. e.* tot sunt vela navium, ut omnes ventos excipiant, et velut consumant. [*Notandus etiam locus *Quint. Inst.* 9, 4. p. 864. Qui se totum in hac cura consumpserit, i. e. qui se totum huic curae dederit. Eodem sensu *Hor. Sat.* 2, 4, 48. In re una consumere curam.] ℙ *Consumere supplicia in aliquo* est adhibere, sumere de aliquo supplicia. *Auct. ad Her.* 4, 8. In iis, qui ingenuum violassent, matremfamilias constuprassent, maxima supplicia majores nostri consumpserunt. ℙ Apud JCtos *consumere optionem* dicitur is, qui cum facultatem eligendi haberet, ea plene usus est, ita ut amplius optionem non habeat. *Ulp. Dig.* 33, 5, 2. et 3. Similiter *consumi actio* dicitur, cum amplius locum non habet. *Id. ib.* 50, 17, 172. Concurrentes actiones alia aliam consumit. Adde *ib.* 47, 1, 2. ℙ Videtur etiam aliquando poni pro simplici sumo, assumo, capio. *Tryphon. Dig.* 26, 7, 53. Hic sibi non consumpsit (*pecuniam mutuam*), nec quasi sua pecunia licenter abutitur. *Ulp. ib.* 41, 1, 33. *extr.* Ex persona defuncti vires consumit. Al. hic leg. *assumit.* ℙ In illo *Statii* de Achille fictae virginis personam abjiciente, *Achill.* 2, 204. Jam clypeus, breviorque manu consumitur hasta (Mira fides!) thacumque humeris excedere visus, etc., latet valde poetica sententia. Significat enim, Achillem depositis subito puellaribus vestibus, adeo exstitisse majorem seipso, ut hasta sumpta quasi brevior fieri visa sit, et velut in ejus manu consumi. Simile est illud ejusdem *Theb.* 10, 813. viden' ut jugulo consumpserit ensem? *h. e.* totum receperit, texeritque. Adde *ib.* 12, 745. Sic *Manil.* 5. de ingenti marina bellua, 584. vastis urgent immensi torquibus orbes, Tergaque consumunt pelagus, *h. e.* sub se tenent, et abscondunt. *Stat. Silv.* 4, 2, 4. de Homero. Aequore qui multo reducem consumpsit Ulyssem, *h. e.* omnes res gestas Ulyssis, errores-que, usque dum perveniret in patriam, versibus persecutus est. ℙ [Part. *Consumens* ap. *Lucret.* 1, 226. aetas consumens materiem omnem. *F.*] ℙ *Consumpsti* pro *consumpsisti* est *Prop.* 1, 3, 37. et *consumpse* pro *consumpsisse* utitur *Lucr.* 1, 233.

CONSUMPTIO et Consumtio, onis, f. *ἀνάλωσις, καταν άλωσις*, actus consumendi. *Cic. Univ.* 6. de mundo: Ita se ipse consumptione et senio alebat sui: cum ipse per se, et a se et pateretur, et faceret omnia. ℙ Item perfectio. *Auct. ad Her.* 4, 22. *extr.* Haec non videntur reperiri posse sine elaboratione, et consumptione operae.

CONSUMPTOR vel Consumtor, oris, m. *ἀναλωτής*, qui consumit, confector. *Cic. N. D.* 2, 15. Hic noster ignis confector est et consumptor omnium. *Senec. Excerpt. controv.* 3, 1. Veterani consumptores, *scil.* patrimonii.

[CONSUMPTRIX, icis, f. quae consumit. *Strab. Gall.* 2, 1. Bruma senectutis vernacula, totius anni Venter, et ampliflui consumptrix saeva laboris.

CONSUMPTUS vel Consumtus, a, um, part. a *consumo*, *καταναλωθείς*, absumptus, confectus. *Prop.* 2, 13, 9. ubi consumpto restabit munere pauper. [*i. e. perditis, quas munus suppeditavit, divitiis.] *Cic. Off.* 2, 5. Belluarum impetu quaedam hominum genera consumpta, *h. e.* interfecta, deleta. *Vellej.* 2, 52. *extr.* Consumptus acie. *Tibull.* 1, 3, 55. immiti consumptus morte Tibullus. *Petr. Sat.* 23. Consumptis versibus suis, *h. e.* finitis, per-

actis. [*Quint. Decl.* 4, 14. p. 96. Haec credo mox admirationem consumta novitate, (i. e. abjecta horroris injiciendi vi) meruisse.] *Caes. B. G.* 7, 21. Tantus exercitus fame paene consumptus. Et *ib.* 5, 9. *extr.* Magna pars diei consumpta. Et *ib.* 7, 77. Frumentum omne consumptum. *Tac. H.* 1, 2. Consumpta incendio delubra. *Cic. Agr.* 1, 4. Aurum in monumento consumptum. *Id. Univ.* 6. Detractio confecti et consumpti cibi. *Virg. A.* 2, 795. Consumpta nox. [*Ov. Am.* 2, 10, 27. Lascivae consumto tempore noctis, i. e. finito, transacto.] *Mart.* 10, 59. Pagina consumpta uno lemmate. *Senec. Herc. Oet.* 1083. Consumptas iterum Deae Supplent Eurydices colos. *Cic. Fam.* 16, 10. Inedia, et purgationibus, et vi ipsius morbi consumptus es, *h. e.* valde imbecillis factus, fractus, confectus. [*Quint. Decl.* 7, 10. p. 161. Quid mihi cum vulneribus, quid cum cruore consumptae, et jam paene abeuntis animae?]

CONSŪO, is, ui, ūtum, a. 3. *συρράπτω*, idem quod suo, vel simul suo. *Varr. L. L.* 8, 47. Si quis tunicam in usu ita consuit, ut, etc, *Apic.* 7, 8. Lumbuli aperiuntur in duas partes, deinde revolvuntur assi, et consuuntur. Adde *ib.* 2. et 8. 7. ℙ Consuere alicui os, vetare ne loquatur, silentium indicere. *Senec. ep.* 47. At illi (*servi*) quibus non tantum coram dominis, sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere cervicem. ℙ Catachresis est quaedam in illo *Plin.* 35, 2, 2. Pinacothecas veteribus tabulis consuunt, *h. e.* complent, exornantque.

CONSUPPLICATRIX, icis, f. quae supplicat una cum alio. *Inscr.* ap. *Fabrett. c.* 4. *n.* 527. Paul. Toutia M. F. et consupplicatrices, etc. Verum neque constanter ab omnibus ita legitur: neque vox ipsa est ejusmodi, quae sine scrupulo adhiberi Latine possit. [Hanc vocem improbat, ut fidei sublestae, etiam *Marin. Frat. Arv.* p. 627., ubi aliam affert *Inscr.* in qua idem *Fabrett. c.* 7. *n.* 385. perperam legit *consupplicatrices. F.*]

CONSURGO, is, urrexi, urrectum, n. 3. *συνανίστημι*, idem quod surgo, vel simul surgo, assurgo, erigor. [*Propria est significatio *simul surgendi. Liv.* 38, 57. Senatum eo die forte coenantem in Capitolio, consurrexisse et petiisse, ut, etc.] *Cic. Senect.* 18. Consurrexisse omnes, et senem illum sessum recepisse. *Virg. A.* 10, 299. socii consurgere tonsis, Spumantesque rates arvis inferre Latinis. *Id. ib.* 7, 530. Mare imo consurgit ad aethera fundo. Et *ib.* 9, 749. sublatum alte consurgit in ensem. *Ov. Met.* 7, 344. Consurgere toro. *Caes. B. C.* 3, 37. Subito illi ex insidiis consurrexerunt. *Plin. Pan.* 54. Consurgere in venerationem alicujus. [*Hinc de oratoribus ad dicendum progredientibus. *Suet. Rhet.* 6. Et calore demum provectus consurgere ac perorare solitus. Adde *Liv.* 45, 7. — Solenne vocabulum est de Triariis ad pugnam assurgentibus, opp. *considere. Liv.* 8, 8. Triarii sub vexillis considebant; et mox: Triarii consurgentes. Et 10. Tum consul triariis, consurgite nunc, inquit, integri adversus fessos; et alibi saepissime. Hinc de eo, qui in pugna singulari turbatus impetu facto ad invadendum adversarium iterum consistit. *Liv.* 8, 7. Et quum infestis cuspidibus concurrissent, Manlii cuspis super galeam hostis, Metii trans cervicem equi elapsa est. Circumactis deinde equis, quum prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset. Item de aegreto. *Lucr.* 3, 503. Tum, quasi vacillans, primum consurgit, et omneis Paulatim redit in sensus, animamque receptat.] ℙ Universim dicuntur *consurgere*, quae attolluntur. *Virg. A.* 681. Consurgunt geminae quercus, intonsaque coelo Attollunt capita. *Tibull.* 4, 1, 151. presso tellus consurgit aratro. [*Scil.* in sulcos, qui suscitari dicuntur *Virg. G.* 1, 97.] *Colum.* 7, 9. *ad f.* Haras ita fabricare, ut limen earum in tantam altitudinem consurgat, quantum, etc. *Plin. ep.* 5, 6. Villa leniter, et sensim clivo fallente consurgit. *Val. Flacc.* 1, 499. tantamque operis consurgere molem. Et 5, 155. In gelidas consurgens Caucasus Arctos. *Virg. A.* 5, 120. terno consurgunt ordine remi, *h. e.* alius super alium dispositi sunt: non tamen ad perpendiculum, sed oblique. *Val. Flacc.* 1, 625. et *Virg. A.* 5, 19. vespere ab atro Consurgunt venti. *Plin.* 2, 43, 44. Venti e terra consurgunt. ℙ Translate. *Liv.* 33, 19. *a med.* Hispania quoque magno tumultu ad bellum consurrexit. *Suet. Caes.* 9. Consurgere ad res novas, *h. e.* seditionem movere. *Virg. A.* 10, 90. in arma. *Id. ib.* 8, 637. subitoque novum consurgere bellum Romulidis. *Val. Flacc.* 1, 673. Consurgere in iras truces. Et *ib.* 75. Fama consurgit. *Plin.* 8, 16, 17. Leo tota vi consurgit in poenam. *Justin.* 12, 15. Consurgere in aemulationem. *Ov. Trist.* 4, 3, 71. in curam tuendi alicujus, *h. e.* excitari, accingi ad tuendum. *Id. Pont.* 3, 3, 31. carmine Maeonio, *h. e.* stilo gravi, et Homerici simili carmina facere. ℙ *Consurgere* absolute, pro consurgere ad bellum. *Lucan.* 1, 692. Consurgunt iterum partes, *h. e.* factiones civiles. [*Nostr. *Aufstehen.*] ℙ Passive impersonaliter. *Caes. B. G.* 5, 30. Consurgitur ex concilio. *Phaedr.* 5, 7. In plausus consurrectum est.

CONSURRECTĬO, onis, f. actus consurgendi. *Cic. Har. resp.* 1. Quem cum egredientem insequi coepissem, cepi equidem fructum maximum et ex consurrectione omnium vestrum, et ex comitatu publicanorum. *Id. Att.* 1, 16. Credo te ex acclamatione Clodii advocatorum audisse, quae consurrectio judicum facta sit, ut me circumsteterint, etc. Utroque loco significatur, cum plures in senatu, vel in consilio in unius sententiam ibant, aut se ad ei favendum paratos ostendebant.

CONSUS, i, m. *Κόνσος* vel *Κῶνσος*, Deus consiliorum secretorum, ut *Ascon.* docet *in Verr.* 1, 10., hoc est qui salutaria et fida consilia suggerit cogitationibus hominum, ut explicat *Arnob.* 3, 113. Dictus est vel ab obsoleto *conso*, *is*, pro *consulo*; vel quasi *cossus*, seu *coassus*, a *con* et *sum*, quod simul adsit, et faveat hominibus cogitantibus; vel a *consum* pro *conditum*, quia fuit idem cum Neptuno equestri (uti docent *Ascon. ib.*, *Tertull. Spectac.* 5. et *Serv. mox citand.*, et colligitur ex *Liv.* 1, 9.) Neptunus autem, ut ait *Ascon. ib.*, est laticum rex, et rerum conditarum: ideoque ei Deo ara in Circo sub terra dedicata erat, quae non detegebatur, nisi Consualibus, quando sacra illi fiebant. Quo significabatur, consilia, praesertim majoris momenti, tecta esse oportere, uti *Servius* docet ad *Virg. A.* 8, 635. et 636. Eam aram scribit *Tertull. l. c.* se vivo defossam fuisse in Circo ad primas metas cum inscriptione hujusmodi: *Consus consilio, Mars duello, Lares Comitio potentes.* Alia *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 154. Conso Neptuno, atque Hecatae. Adde *Auson. epigr.* 69. ℙ Fortasse hujus appellationis causa fuit, quod Conso equi sacri fuerant: hinc *Virg. G.* 1, 12. cui prima frementem Fudit equum magno tellus percussa tridente. Graece vero *κόω* est moveo, impello, cavo: inde est *cossus* vermis arbores rodens, de quo V. COSSUS. ℙ Huic Deo ludos fecit Romulus, quando consilium iniit rapiendarum Sabinarum, ut tegeretur illa deliberatio, et succederet, ut est ap. *Serv. l. c.* ℙ Quidam putarunt, non sola Consualia, sed omnes Circenses ludos, et spectacula ei sacra fuisse. ℙ Alia huc pertinentia V. in CONSUALIA. [*Conf. *Gierig. ind. rer.* ad *Ov. Fast.*]

CONSŪSURRO, as, a. 1. idem quod susurro, vel simul cum alio susurro, *συνψιθυρίζω*. *Ter. Heaut.* 3, 1, 64. Syrus cum illo vestro consusurrat: conferunt consilia, etc. [*Praeferenda videtur omnium fere antiqq. librorum lectio *consusurrant.* Cf. *Ruhnk.* ad h. l. et quem laudat *Bentl.* qui in textum recepit.]

CONSŪTĬLIS, e, adj. *ῥαπτός*, *κατάῤῥαφος*, suendo conjunctus, compactus. *Cassiod. Variar. ep.* 5, 42. Consutili crate praecinctus, munitior redditur fragilitate cannarum.

CONSŪTŪRA, ae, f. sutoria ars. *Suet. Vit.* 2. Prodiderunt eundem sutorem veteramentarium: cujus filius sectionibus, et consuturis uberius compendium nactus, etc. Al. rectius leg. *cognituris*, quod hae cum sectionibus magis cohaerent. V. COGNITURA. [*V. *Brem.* ad h. l.]

CONSŪTUS, a, um, part. a *consuo*, *κατάῤῥαφος*, sutura conjunctus. *Pl. Stich.* 2, 3, 54. Babylonica peristromata, consutaque tapetia. Al. rectius leg. conchyliata tapetia. Translate *Id. Amph.* 1, 1, 211. *Mer.* Advenisti, audaciae columen, consutis dolis. *So.* Immo equidem tunicis consutis huc advenio, non dolis. *Consuti doli* in quodam Graeco epigr. dicuntur *δολοῤῥάφια*: et *sutelae* ap. *Fest.* sunt dolosae astutiae. At *consutae tunicae* Sosiae sunt resarciendo refectae. ℙ [*Consutum, *i*, n. substantive. *Cajus. Instit.* 3. (ed. iterum *J. F. L. Goesch.*) §. 192. Qui furtum quaerere velit, nudus quaerat, linteo cinctus. Quid sit autem linteum, quaesitum est, sed verius est, consuti genus esse, quo necessariae partes tegerentur. *F.* et *B. A.*]

CONTĂBEFĂCIO, acis, a. 3. *μαραίνω*, tabe corrumpo, labefacio. *Pl. Pseud.* 1, 1, 19. Me miseria, et cura contabefacit.

CONTĂBESCO, is, tabui, n. 3. *μαραίνομαι*, idem quod tabesco, tabe liquesco, consumor, corrumpor. *Pl. Merc.* 1, 2, 91. Edepol cor miserum meum! quod guttatim contabescit, quasi in aquam indideris salem. *Cic. Tusc.* 3, 31. Artemisia, quamdiu vixit, vixit in luctu, eodemque etiam confecta contabuit. *Auct. ad Her.* 4, 15. O perfidiosae Fregellae! quam facile scelere vestro contabuistis! ℙ *Part. *Contabescens* ap. *Vulg.* 2. *Sam.* 13, 20. *B. A.*

CONTĂBŪLĀTĬO, onis, f. *γόμφωμα*, *σανίδωσις*, tabulatio, tabulatum. *Caes. B. C.* 2, 9. Altitudo turris perducta ad contabulationem. *et paulo post.* Contabulationem lateribus consternere. ℙ Apud *Appul. Flor. n.* 18. *Contabulatio proscenii* est ipsum proscenium tabulis coagmentatis compositum. ℙ *Id. Met.* 11. *post in.* ad vestium rugas, et plexus significandos *contabulatione* usus est. Nam sicut contabulationibus aedes attollitur, ita sinuosis plexibus vestis eminet, et intumescit. Ita quidam interpretes. Alii male leg. *contubulatione*, ut easdem rugas oblongas, et teretes in modum tubuli significet. Ad priorem lectionem facit, quod *Tertull. Pall.* 1. et 5. has easdem rugas *tabulatum*, et *tabulas* appellat.

CONTĂBŪLĀTUS, a, um, part. a *contabulo*, *σανιδωθείς*, tabulato constratus. *Liv.* 24, 34. Turres contabulatae. *Ammian.* 27, 5. Ponte contabulato supra navium foros, flumen est transgressus. *Curt.* 5, 7. Contabulatum mare molibus, *h. e.* contectum navibus et ponte. Significat trajectionem Xerxis per Hellespontum, strato navibus ponte.

CONTĂBULO, as, avi, atum, a. 1. *σανιδόω*, compactis tabulis consterno, tabulatum facio. *Caes. B. G.* 5, 39. Turres contabulantur: pinnae, loricaeque ex cratibus attexuntur. *Plin.* 36, 25, 62. Pavimentum quernis axibus contabulare. *Id.* 15, 16, 18. Contabulare pomaria, *h. e.* coagmentatis tabulis munire. *Suet. Cal.* 19. Xerxes Hellespontum contabulavit, *h. e.* ponte navibus juncto contexit. *Caes. B. G.* 7, 22. Totum murum ex omni parte turribus contabulaverant, atque has coriis intexerant, *h. e.* murum turribus contabulatis instruxerant.

CONTĂBUNDUS, a, um, adj. cunctabundus, tarde incedens. *Appul. Met.* 11. Nec tamen inclementi me cursu proripui, sed placido ac prorsus humano gradu contabundus sensim irrepo. *Id. Flor. n.* 2. Paulisper contabundo volatu. ℙ Videtur etiam idem significare, quod rimabundus, studiose perscrutans, tanquam sit a *contor, aris*, et *contus. Id. Met.* 8. Bellua, quem primum insiliat, contabunda rimatur.

CONTACTUS, a, um, part. a *contingo*, *ἁφθείς*, tactus. *Plin.* 11, 37, 75. Ahena contacta felle nigrescunt. *Id.* 36, 7, 11. Contactus radiis solis. *Id.* 34, 14, 41. Ferrum contactum sanguine rubiginem trahit. *Id.* 11, 53, 115. Contacta alitu ursi nulla fera attingit. *Cels.* 2, 24. Cibi contacti sale modico. ℙ Translate. *Prop.* 1, 1, 1. Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis Contactum nullis ante cupidinibus. *Liv.* 29, 8. *extr.* Eadem illa pecunia omnibus contactis ea violatione templi furorem objecit, *h. e.* omnibus, qui ejus violationis participes fuerant, et sceleris contagione infecti. *Id.* 21, 48. Contactos eo scelere, velut injecta rabie, ad arma ituros. *Id.* 4, 9. Velut contacta civitas rabie duorum juvenum. *Id.* 31, 8. *extr.* Multae in Italia contactae gentes Punici belli societate. Et 6, 28. Dies contactus religione, *h. e.* dies Alliensis pugnae. *Petr. Sat.* 128. veneficio. *Senec. Herc. Oet.* 737. tabe. ℙ *Contactus fulmine* est afflatus, ictus. Translate. *Ov. Her.* 4, 49. Aut quas semideae Dryades, Faunique bicornes Numine contactas attonuere suo. *Id. Trist.* 3, 4, 78. Contactus sorte adversa. ℙ Absolute pro contaminato. *Senec. Hippol.* 714. Ne contactus ensis deserat castum latus.

CONTACTUS, us, m. *ἁφή*, *ψηλαφία*, *ἅψις*, actus contingendi, tactus. *Virg. A.* 3, 227. *de Harpyiis.* Diripiuntque dapes, contactuque omnia foedant. *Ov. Met.* 7, 239. refugitque viriles Contactus. *Colum.* 11, 3. *post med.* Contactu mulieris languescunt incrementa virentium. *Plin.* 8, 15, 16. Contactus fimi sequentes, ut ignis aliquis, amburit. *Id.* 7, 15, 13. Bitumen ad omnem contactum adhaerens. *Id.* 33, 7, 40. Solis atque lunae contactus minio inimicus. ℙ Item contagio. *Liv.* 4, 30. Vulgati contactu in homines morbi. *Tac. A.* 6, 7. Plures infecti quasi valetudine et contacta. ℙ Translate. *Id. H.* 1, 11. *ad f.* Provinciae in favorem aut odium contactu valentiorum agebantur. Et *ib.* 2, 60. Ceterae legiones contactu bellum meditabantur. Et *Ann.* 1, 43. *extr.* Discedere a contactu, i. e. a partibus seditionis.

CONTĀGES, is, f. contactus, contagio. *Lucr.* 4, 335. *de arquatis.* Multaque sunt oculis in eorum denique mixta, Quae contage sua palloribus omnia pingant. *Id.* 3, 735. Et mala multa animus contage fungitur ejus, *scilicet.* corporis, *h. e.* vitia multa contrahit animus ex conjunctione et contagione corporis. Quidam leg. *contagi*, ut versui consulant: quemadmodum *parti* dictum est ab eodem 5, 512. pro *parte*, et *colli* pro *colle*, 2, 317. etc. *Id.* 6, 279. ipse sua nam Mobilitate calescit, et e contagibus ignis, *h. e.* ex contactibus particularum ignearum.

CONTĀGIO, onis, f. *ἐπαφή*, *ἀνάχρωσις*, conjunctio, cohaerentia plurium rerum sese invicem tangentium: a *con*, et obsoleto *tago* pro *tango*: tum in bonam, tum in malam partem. [*Cic. N. D.* 2, 55. Contagione pulmonum calescit spiritus.] *Cic. Div.* 2, 43. *extr.* Quae potest igitur contagio ex infinito paene intervallo pertinere ad lunam? *Id. Fat.* 3. Naturae contagio valet. [*Oppon. casui fortuito, et fato absoluto causis et caeco.] *Cato R. R.* 132. Urna vini Jovi caste. Profanato sine contagione, *h. e.* non tangendo vinum, quod offers, seu profanas. ℙ Saepe dicitur de iis rebus, quarum contactus aliis nocet. *Colum.* 7, 6. *post med.* Pusula nisi compescitur intra primam pecudem, universum gregem contagione prosternit. *Plin.* 14, 21, 27. Doliis etiam intervalla dari, ne inter sese vitia serpant, contagione vini semper ocissima. *Id.* 26, 1, 3. Quidam ex Asia lichenarum contagionem importavit. ℙ Translate in malam

partem accipitur pro communicatione et societate rei malae. *Pl. Amph. prol.* 31. Contagione mei patris metuo malum, *h. e.* ob communionem sanguinis. *Cic. Div.* 1, 30. Cum est somno sevocatus animus a societate et a contagione corporis. I*i. e. influxu, vi corporis in animum. Adde *Enud. Tusc.* 1, 30.] *Id. Mur.* 37. Latius patet illius sceleris contagio, quam quisquam putat: ad plures pertinet. *Id. Cluent.* 68. Fugere contagionem aspectus alicujus rei. *Id. Dom.* 41. Contaminare se aliqua contagione praedae, societatis, emptionis. *Id. Att.* 1, 16. Contagio turpitudinis. *Id. Verr.* 2, 5, 71. Illi, ad quos conscientiae contagio pertinebit. *Id. ib.* 3. servilis belli. [**Id. Sull.* 2. contagio sceleris quaedam, i. e. societas et communio. Cf. *Liv.* 9, 1. Ne quid ex contagione noxae remaneat penes nos. *Id. ib.* 34. Contagio criminis. 28, 24. Furoris.] *Liv.* absolute eod. sensu, 10, 18. Tusci fere omnes conciverant bellum: traxerat contagio proximos Umbriae populos. *Sall. Cat.* 10. *extr.* Post ubi contagio, quasi pestilentia, invasit, *h. e.* prava morum mutatio ex mutua imitatione malorum civium. ℙ In plur. num. *Cic. Off.* 2, 23. Non solum ipsa respubl. cecidit, sed etiam reliquam Graeciam evertit contagionibus malorum.

[CONTĀGIOSUS, a, um, adj. quod contagium affert, vel tactu acquiritur. *Veg. Vet.* 1, 14. Haec passio licet contagiosa sit. *Id. ib.* 3, 71. Scabies contagiosa est, et transit in plures. *F.*]

CONTĀGIUM, ii, n. idem quod *contagio*: nisi quod magis apta vox carmini, et frequentius a poetis usurpata. A *Gell.* 12, 9. enumeratur inter vocabula ancipitia, seu media, ut sunt *valetudo*, *venenum* etc. Pro contactu, conjunctione, vicinitate. *Plin.* 2, 20, 18. Contagium nimii humoris ex superiori circulo, atque ardoris ex subjecto per hunc modum, egerit. *Lucr.* 3, 345. corporis atque animai Mutua vitales discunt contagia motus. *Mart.* 11, 47. Cum sic feminei generis contagia vitet. Adde *Arnob.* 7, 234. ℙ Pro contactu inficiente, et nocente, seu pro morbo, qui ex contactu contrahitur. *Plin.* 23, 8, 80. Folia laurus pestilentiae contagia prohibent. *Virg. Ecl.* 1, 51. Nec male vicini pecoris contagia laedent. *Curt.* 9, 10. Contagium morbi etiam in alios vulgatum est. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 12, 14. Contagia lucri. *Flor.* 1, 15. Sabini quodam contagio belli se Latinis adjunxerant. *Id.* 3, 14. Mancinianae deditionis contagium timens. *Ov. Trist.* 3, 8, 25. vitiant artus aegrae contagia mentis. *Lucan.* 3, 322. Contagia scelerum. ℙ *Festus* docet *contagionem* dicendum esse, non *contagium*. *Marius* quoque *Victorin.* 1, 2469. tradit, *contagio* scriptum esse apud omnes fere veteres, et poetarum licentiam primo fecisse *contagia*, postea dici coepisse etiam in singulari *contagium*. Contra *Charis.* 1, 54. scribit, *contagium* veteres magis usurpasse, quam *contagionem*: si modo hoc in loco mendum aliquod non latet. Ego scriptorum probatorum usum sequens, grammaticos homines nihil moror.

CONTĀMEN, inis, n. idem quod contaminatio. *Tertull. carm. adv. Marc.* 1, 1. Femineos usus vulgi contamine mixtos Illicitos. Adde *carm.* 4, 4. et *carm.* 5, 1. *Capell.* 1, 5. Jam primum quippe Mercurius offensus contamine monendorum, dedignatur augur Pythius nuncupari.

CONTĀMĪNĀBĬLIS, e, adj. qui contaminari potest. *Tertull. adv. Marc.* 4, 20. *ad f.* Prophetam, quem contaminabilem pro humana substantia sciret.

CONTĀMĪNĀTĬO, onis, f. actus contaminandi, pollutio, *ἀλίσγημα*, *μολυσμὸς*, *μίασμα*. Translate. *Ulp. Dig.* 48, 5, 2. Qui patitur uxorem suam delinquere, quique contaminatione non indignatur etc. *Arnob.* 5, 168. Expositionis contaminatione pollui. ℙ Item vitium, morbus, corruptio. *Jul Obsequ. de prodig.* 89. Quod (*pisces*) Liparenses avidius epulis appetentes, contaminatione ventris consumpti. *Ἀναστεῖραι* fortasse intelligit.

CONTĀMĪNĀTOR, oris, m. *μιάνων*, qui contaminat. *Lampr. Alex. Sev.* 6. *de Elag.* Contaminator honorum jure punitus est. *Tertull. Pudic.* 13. Paterni tori contaminator.

CONTĀMĪNĀTUS, a, um, part. a *contamino*, *μιανθεὶς*, *μιαρὸς*, pollutus, foedatus. *Cic. Top.* 18. Ut anteponantur integra contaminatis, jucunda minus jucundis etc. *Id. Pis.* 9. Collegae tui contaminatum spiritum pertimescerem. ℙ Translate. *Caes. B. G.* 7, 43. Contaminati facinore. *Cic. Phil.* 12, 7. Quos nondum tot parricidiis contaminatos vix ferebamus. *Id. Div. Verr.* 22. Judicia corrupta et contaminata vitio paucorum. Ubi *Ascon.* Corrupta judicia sunt in iis, qui acceperunt pecuniam: contaminata in iis, qui offensione ordinis infamantur. *Suet. Vit.* 4. Probris omnibus contaminatus. *Cic. Dom.* 9. Homo post homines natos turpissimus, sceleratissimus, contaminatissimus. *Liv.* 4, 4. Partem civitatis, velut contaminatam, indignam connubio haberi. [**Suet. Vesp.* 9. Contaminatos veteri negligentia ordines purgavit.] *Gell.* 2, 6. *sub f.* Verbum contaminatum multo assiduoque usu. [*Maxime de impudicitia et libidine. *Suet. Caes.* 49. Florem aetatis contaminatum. *Ner.* 29. Contaminatis paene omnibus membris. Et al.]

CONTĀMĪNO, as, avi, atum, a. 1. *μιαίνω*, *μολύνω*, *ἀλισγέω*, foedo, commaculo, polluo, corrumpo: ex *con*, et obsoleto *tamino*, inquit *Voss.* in *Etym.* ipsum autem *tamino* ab Hebraea origine deducit. *Donat.* ad *Ter. Andr. prol.* 16. docet, proprie significare, manibus luto plenis aliquid attingere. Hinc alii deducunt ab obsoleto *tago* pro *tango*. Ab eo fiat *tagimen*, per syncopen *tamen*, h. e. tactus: inde *tamino* etc., quod maxime probandum. [*V. *Döderl.* 2, 54.] *Cic. Cat.* 1, 12. Contaminare se sanguine. *Suet. Ner.* 56. Deam Syriam urina contaminavit. *Mart.* 1, 54. Sic interpositus villo contaminat uncto Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus. *Paul. Dig.* 47, 11, 1. Aquas spurcare, fistulas, lacus contaminare. ℙ Translate. *Ter. l. c.* Contaminare fabulas, *h. e.* ex multis unam facere, ut *Donat.* explicat: quod est omnes corrumpere. [*V. *Ruhnk.* ad h. l.] *Cic. Rosc. Am.* 40. Fingi maleficium nullum potest, quo iste se non contaminarit. *Senec. Oedip.* 389. Contaminare manus caede. *Id. Hippol.* 690. se stupro. *Auct. B. Hisp.* 16. hospitium scelere. *Cic. Sull.* 16. veritatem patefactam aliquo mendacio. *Id. Dom.* 41. se aliqua contagione praedae, societatis etc. *Id. Har. resp.* 16. *sub f.* scelere tanto nomen populi R. *Auct. ad Her.* 2, 3. Quamplurimis vitiis personam rei, *h. e.* ostendere contaminatam esse. *Liv.* 4, 1. Connubio plebis contaminari sanguinem suum, patres rebantur. *Petr. Sat.* 108. Contaminare ingenuos, *scil.* servilibus notis facies eorum corrumpere. *Suet. Dom.* 8. religionem Deorum. *Ter. Eun.* 3, 5, 4. gaudium aegritudine aliqua.

*CONTANTER, adv. i. q. cunctanter. *Appul. Met.* 4. p. in. p. 143, 21. Dum contanter adcedo etc. *B. A.*

CONTĀRII, orum, m. plur. In duab. *Inscr.* ap. *Grut.* 40, 2. et 3. videntur esse milites conto armati, quos *κοντοφόρους* Graeci, *Veg.* vero *Mil.* 3, 6. *ad f.* appellat *contatos:* qui speciale militum genus constituebant, ut hastati, sagittarii etc. *Turneb. Adversar.* 15, 21. legit etiam ap. *Capitol. Max.* 10., ubi alii leg. *contrarii.*

CONTĀTĬO, onis, f. idem quod cunctatio, timiditas, dubietas. *Appul. Met.* 3. Omnis contatio, ignavia omnis facessat e pectore. Et *ib.* 7. Nec mora, nec contatio, sed calculis omnibus ducatum ei deferunt. *Plin.* 28, 13, 57. Emi lienem vituli, quanti indicatus sit, jubent magi, nulla pretii contatione.

CONTĀTUS, a, um, adj. conto armatus. V. CONTARII. ℙ Item cunctatus, tardus. *Appul. Flor. n.* 18. Quanto videor plura apud vos habere ad commendationem suffragia, tanto sum ad dicendum, nimia reverentia vestri, contatior.

[CONTAX, ācis, n. *κόνταξ*, ludi genus, in quo palus eminus ita jaculabatur, ut summo capite rectus in terra humectata ac mollita sisteret, isque sic depactus alio subinde misso everteretur. In quo certamine vincebat, qui palum suum rectius defixerat, et citius defixum everterat paucioribus missis paxillis. Hujus ludi mentio est in *Cod.* 3, 43, 3. *F.*]

CONTECHNOR, aris, dep. 1. *συντεχνάζω*, *μηχανάομαι*, technam et fraudem aliquam struo. *Pl. Ps.* 4, 6, 34. Vide modo, ne illic sit contechnatus quippiam.

CONTECTUS, a, um, part. a *contego*, *ἐσκεπασμένος*, *σκεπαστὸς*, idem quod tectus. *Val. Fl.* 4, 177. spelunca apparuit ingens, Arboribus super, et dorso contecta minanti. Et 1, 279. Contectus nubibus. *Plin. Pan.* 12. Contecti caedibus campi. [**Liv.* 8, 7. Spoliisque contectum juvenis corpus. *Sil.* 5, 657. Nimbo telorum contectus, i. e. obrutus.] *Plin. alter* 18, 35, 84. Ignis contectus. *Curt.* 5, 12. *ad f.* Vehiculum pellibus contectum. *Tac. H.* 2, 77. Vulnera contecta, i. e. abscondita, celata. *Id. ib.* 3, 73. *ad f.* Quidam servili habitu, alii clientium fide contecti. *Caes. B. C.* 2, 14. Arma reposita et contecta. [**Lucr.* 4, 353. Obsiditque (caliginis aer) vias oculorum, ne simulacra Possint ullarum rerum, contecta moveri.]

CONTĔGO, is, exi, ectum, a. 3. *συσκεπάζω*, *σκέπω*, idem quod tego. *Cic. Sext.* 38. Messoria se corbe contexit. *Id. Off.* 1, 35. Contegere atque abdere aliquid. *Id. Arch.* 10. Tumulus, qui corpus ejus contexerat. *Caes. B. C.* 3, 10. Coria, ne igni corrumpantur, centonibus conteguntur. *Hirt. B. Afr.* 47. *extr.* Scutis capita contegere. *Ov. Her.* 16, 274. Contegi humo, *h. e.* tumulari. *Tac. H.* 1, 49. Corpus humili sepultura contexere. [**Ov. Met.* 9, 391. Sine munere vestro Contegat inductus morientia lumina cortex, i. e. claudat, obducat.] ℙ Est etiam celare. *Cic. Prov. cons.* 4. Contegere vitia fronte et supercilio. *Ter. Hecyr.* 3, 3, 41. Contegere injuriam. ℙ [Part. *Centegens* ap. *Mart.* 12, 45. Hoedina tibi pelle contegenti Nudae tempora verticemque calvae. *Contegendus* ap. *Tac. A.* 13, 13. Contegendis quae prima aetas, et summa fortuna expeterent.

CONTĔMĔRO, as, a. 1. *καταμιαίνω*, temero, contamino, violo. *Ov. Amor.* 2, 7, 18. Contemerare torum alicujus. *Mart. Spect.* 10. Laeserat ingrato leo perfidus ore magistrum, Ausus tam notas contemerare manus.

CONTEMNENDUS, a, um, part. a *contemno*, *εὐκαταφρόνητος*, contemni dignus, contemptibilis. *Plin.* 8, 29, 43. Nec minus clara exitii documenta sunt etiam ex contemnendis animalibus. ℙ Saepissime adhibetur praecedente particula negativa. *Cic. Brut.* 79. Orationes non contemnendae, saneque tolerabiles. Et *ib.* 77. *ad f.* Ne T. quidem Postumius contemnendus in dicendo. Adde *Caes. B. C.* 3, 110.

CONTEMNENTER, adv. contemptim. Agnoscere videtur *Nonius*, dum scribit 11, 53. Contemptim pro contemnenter, Naevius etc.

CONTEMNĪFĬCUS, a, um, adj. qui contemnit. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 154. Contemnificum fieri, et fastidire.

CONTEMNO, is, empsi, vel emsi, emptum, vel emtum, a. 3. *ὀλιγωρέω*, *καταφρονέω*, idem quod temno, nihili facio, negligo, despicio, sperno. [*Cf. *Doederl.* 2, 181. et quos laudat.] *Cic. Or.* 3, 14. Quare omnes istos deridete atque contemnite. *Id. Mur.* 7. Contempsisti L. Murenae genus: extulisti tuum. *Id. Fin.* 3, 8. Non curare, et contemnere aliquid. *Id. Off.* 1, 9. Contemnere aliquid, et pro nihilo ducere. Et *ib.* 30. Contemnere, et rejicere voluptatem. *Id. Agr.* 2, 35. Irridere, atque contemnere Romam prae Capua. *Pl. Asin.* 2, 4, 10. Contemnere imperium alicujus. *Nep. Att.* 25. Nactus est morbum, quem initio et ipse, et medici contempserunt. *Cic. Fam.* 5, 13. Praeclare res humanas contemnere. *Hor. Sat.* 2, 7, 85. honores *Suet. Cal.* 51. Deos. *Senec. Phoeniss.* 197. *Nemo contempsit mori, qui concupivit.* Qui enim mori cupit, mortem ipsam curat, et amat: quod non est contemnere, sed quaerere. Alias *contemnere mortem* dicitur, qui eam non timet. *Senec. Provid.* 6. Contemnere paupertatem, dolorem, mortem. *Mart.* 11, 56. vitam. ℙ *Cic. fragm.* ap. *Non.* 5, 57. Contemnere, despicere, ac pro nihilo habere. *Nonius*, hoc loco statuit discrimen inter *contemno*, et *despicio*, quod hoc sit illo gravius: additque alia duo similia *Ciceronis* loca *Verr.* 2, 1, 47. (Adde *ib.* 1, 15.) et *Sen.* 18., sed nihil conficit. Nam contra *Id. Cic. Off.* 2, 10. Despiciunt autem eos, et contemnunt, in quibus etc. *Id. Mur.* 37. Catilina rempubl. despexit atque contempsit. *Id. Verr.* 1, 3. Despicere, et contemnere ordinem senatorium. [**Propert.* 1, 4, 23. Nullas illa suis contemnet fletibus aras, i. e. praeteribit, quin ad eas multis te cum lacrimis devoveat.] ℙ *Contemnere se* est se ipsum parvi facere, modestiam prae se ferre. *Pl. Trin.* 2, 2, 42. [*47.] Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriae. *Supra dixerat:* Qui ipsus sibi satis placet, nec probus est, nec frugi bonae. Adde *Mil.* 4, 6, 21. ℙ *Se non contemnere* est se aliquid esse putare, non se abjicere. *Cic. Phil.* 13, 7. Quamquam est tanta in te, M. Lepide, auctoritas, quanta debet in homine nobilissimo; tamen senatus se ipse non contemnit: nec vero fuit unquam gravior, constantior, fortior. *Id. Att.* 12, 21. *ad f.* Ne me quidem contemno: meoque judicio multo stare malo, quam omnium reliquorum: neque tamen etc. [*Cf. cum his *Liv.* 4, 45. Neminem se plebejum contempturum, ubi contemni desiissent. V. *Duk.* ad h. l. Adde 22, 34.] ℙ Translate. *Tibull.* 1, 3, 37. Nondum caeruleas pinus contempserat undas. *Virg. G.* 2, 360. Vites assuescant contemnere ventos. *Id. ib.* 4, 104. Apes contemnunt favos, *h. e.* fastidiunt, negligunt, deserunt. ℙ *Pl. Stich.* 2, 2, 33. Contundam facta Talthybii, contemnamque omnes nuncios, *h. e.* contemni prae me faciam. Est enim Mercurius, qui loquitur. Al. aliter leg. ℙ [Part. *Contemnens* ap. *Nep. Thrasyb.* 2. Quae quidem res illis contemnentibus perniciei *(fuit)*. *Contemnendus.* V. supra suo loco. *F.*]

CONTEMPĔRĀTUS, a, um, part. a *contempero*, *σύγκρατος*, *εὔκρατος*, idem quod temperatus. *Vitr.* 9, 4. *post med.* Euripides ait, quae longius a sole essent, haec vehementius ardere: propiora vero contemperata habere. Itaque scribit in fabula Phaethonte sic: *Καίει τὰ πόῤῥω, τὰ δ' ἐγγὺς εὔκρατ', ἔχει.*

CONTEMPĔRO, as, a. 1. idem quod tempero, misceo, *συγκεράννυμι*. *Appul. Met.* 10. Illum aureum cantharum mulso contempera, et offer. *Apic.* 4, 2. *ad f.* Suffundes liquamen, adjicies sorba: in se contemperabis. Adde *Marcell. Empir.* 16. *a med.*

CONTEMPLĀBĬLIS, e, adj. *Ammian.* 30, 5. *ad f.* Bubo nulla jacientium sagittas et lapides contemplabili dextera cadere potuit, *h. e.* contemplante, et certum ictum mittere adnitente.

CONTEMPLĀBĬLĬTER, adv. contemplando. *Ammian.* 20, 7. Intuta loca, carieque nutantia contemplabiliter machinae feriebant hostiles, *h. e.* certum ictum destinando. [*V. CONTEMPLATIO.]

CONTEMPLĀBUNDUS, a, um, adj. attente, et diu contemplans. *Tertull. adv. Marc.* 4, 40. *ad f.*

Spiritus propheticus, velut jam contemplabundus Dominum ad passionem venientem, cruentum habitum carnis designat.

CONTEMPLĀTIM, adv. contemplando. Legitur in *Not. Tir.* p. 133.

CONTEMPLĀTIO, onis, f. *θεωρία, θεώρησις,* inspectio, consideratio, actus contemplandi, qui fit aut oculis, aut mente. Oculis *Cic. Div.* 1, 42. Babylonii in camporum patentium aequoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi coeli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt. *Petr. Sat.* 12. Injecit contemplationem super humeros rustici. ℙ Dicitur specialiter de inspectione eorum, qui dirigunt oculis ictum sagittae. *Plin.* 6, 30, 35. Regio supra Sirbitum dicitur habere Nisicastes, Nisitas, quod significat ternum, et quaternum oculorum viros: non quia sic sint, sed quia sagittis praecipua contemplatione utantur. *Solin.* 30. hunc eundem locum exscribens, quod, *inquit*, et vident plurimum, et manifestissime destinant jactus sagittarum. Quae lucem afferunt duobus *Ammiani* locis in CONTEMPLABILIS et CONTEMPLABILITER allatis. ℙ De contemplatione, quae fit animo. *Cic. Acad.* 4, 41. Est enim animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum, consideratio contemplatioque naturae. *Id. N. D.* 1, 19. Res magna et diligenti contemplatione dignissima. *Plin. ep.* 2, 1. *sub f.* Totus animus in hac una contemplatione defixus est. *Gell.* 20, 5. Contemplationes naturae. ℙ Est etiam idem quod respectus, cum scilicet in agendo habetur ratio alicujus rei, et quasi eam spectamus et contemplamur. *Just.* 7, 5. Quam scelerum suorum suppliciis liberorum contemplatio vindicaverat. *Id.* 8, 3. Reges Thraciae, non contemplatione justitiae ejus, sed invicem metuentes, disceptationum suarum judicem elegerunt. *Papin. Dig.* 18, 1, 58. Contemplatione arborum fundum comparare. *Ulp. ib.* 3, 5, 5. Si procuratori tuo mutuam pecuniam dedero tui contemplatione, i. e. tui ratione habita. Et *paulo post.* Si quis negotia mea gesserit, non mei contemplatione, sed sui lucri causa. *Paul. Sentent.* 2, 24. Contemplatione mortis facta donatio, *h. e.* mortis causa. *Ulp. Dig.* 2, 15, 8. *circa med.* Sed et personarum contemplatio habenda est, *h. e.* ratio habenda, discrimen faciendum. [**Inscr.* ap. *Reines.* p. 1022, 20. meritorum contemplatione. *Orell.* 3161. Ap. *Grut.* 399, 3. Contemplatione vitae atque eloquentiae ejus. *Orell.* 3649.]

CONTEMPLĀTĪVUS, a, um, adj. *θεωρητικός,* qui contemplatur. *Senec. ep.* 95. *ante med.* Philosophia et contemplativa est et activa: spectat, simulque agit.

CONTEMPLĀTOR, oris, m. *θεωρός,* qui contemplatur. *Cic. Tusc.* 1, 28. *extr.* Homo contemplator coeli ac Deorum. *Senec. Consol. ad Helv.* 8. *sub f.* Animus contemplator admiratorque mundi. *Appul. Flor. n.* 18. Astrorum peritissimus contemplator.

*CONTEMPLĀTŌRIUS, a, um, adj. *στοχαστικός. Gloss. Cyrill. B. A.*

CONTEMPLATRIX, icis, f. quae contemplatur. *Cels. praef. post med.* Medicina contemplatrix eorum, quae in morbis communia sunt. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Disciplina contemplatrix bonorum.

CONTEMPLĀTUS, a, um, part. a *contemplor,* qui intuetur, atque inspicit, *θεωρήσας,* Active. *Petr. Sat.* 95. Contemplatus foedissimam volutationem. *Curt.* 3, 4. Contemplatus locorum situs. ℙ Passive inspectus, consideratus, *θεωρούμενος.* [**Liv.* 30, 36. Ab contemplato situ Carthaginis Uticam rediit.] *Ammian.* 31, 15. Scriptis recitatis, utque decebat, contemplatis. Et *ib.* 5. Barbari, hoc contemplato, globos irrupere nostrorum.

CONTEMPLĀTUS, us, m. contemplatio. In sexto casu sing. *Ov. Trist.* 5, 7, 66. meque ipse reduco, A contemplatu submoveoque mali. ℙ Translate. *Macr. Somn. Scip.* 1, 1, Pro contemplatu probi, improbive meriti, *h. e.* respectu.

CONTEMPLO, as, avi. atum, a. 1. *θεάομαι, θεωρέω,* idem quod contemplor. Antiquioribus in usu fuit. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 2. Contempla, et templum Cereris ad laevam aspice. *Pl. Ep.* 3, 3, 2. Habere speculum, ubi os contemplarent suum. *Id. Merc.* 2, 3, 72. Contemplent, conspiciant omnes. *Id. Trin.* 4, 2, 21. Loca contemplat, circumspectat se se. *Nemesian. fragm.* de *aucup.* 3. Cum pedicas necti sibi contemplaverit abstans. Adde *Asin.* 3, 1, 35. et *Amph.* 1, 1, 285. etc. item *Accium, Titin., Naevium* ap. *Non.* 7, 11. et *Appul. Flor. n.* 7.

CONTEMPLOR, aris, atum, sum. dep. 1. *θεωρέω, θεάομαι,* diligenter intueor, inspicio. Est a *con*, et *templum*, qua auguralis vox est, et significat locum capiendis auspiciis ab augure lituo designatum, unde in omnes partes est liber aspectus, ut *Varro* docet *L. L.* 6, 2. Itaque *contemplari* proprie significat undique circumspicere, ex omni parte attente intueri. *Pl. Cist.* 4, 2, 35. Contemplabor, hinc huc iit: hinc nusquam abiit. *Cic. Or.* 1, 35. Ea cum contemplari cuperem, vix aspiciendi potestas fuit. *Id. Verr.* 2, 4, 15. Accessit ad argentum: contemplari unumquodque otiose, et considerare coepit. *Id. ib.* 2, 3, 16. Codicis lituras tui contemplare in Sthenii nomine. *Id. Planc.* 1. Cum intueor et contemplor unumquemque vestrum. *Id. N. D.* 2, 38. *extr.* Contemplari oculis pulcritudinem rerum. *Id. Off.* 1, 43. Secum ipsum considerare et contemplari aliquid. *Ter. Phorm.* 1, 4, 33. vultum alicujus. *Curt.* 7, 6. situs locorum. *Virg. G.* 1, 187. Contemplator item, cum se nux etc. *Pl. Poen.* 5, 3, 10. Mirari, noli, neque me contemplarier. ℙ Translate est animo, mente versare, considerare, perpendere. *Cic. Dejot.* 14. Propone tibi duos reges: id animo contemplare, quod oculis non potes. *Id. Fl.* 11. *sub f.* Ut totam causam quam maxime intentis oculis, ut ajunt, acerrime contemplemini. ℙ [Part. *Contemplans* ap. *Cic. N. D.* 1, 20. Deus terras et maria contemplans. *Contemplandus* ap. *eund. ib.* 27. Quis tam caecus in contemplandis rebus unquam fuit, ut non videret etc? *F.*]

CONTEMPORĀLIS, e, et

CONTEMPORĀNEUS, a, um, adj. *σύγχρονος,* qui est ejusdem temporis, aequalis. *Gell.* 19, 14. *in lemmate.* Contemporaneos fuisse Caesari et Ciceroni M. Varronem et P. Nigidium. *Tertull. adv. Herm.* 6. Inter coaetaneos et contemporales ordo non est. Adde *ib.* 7.

CONTEMPORO, as, a. 1. ejusdem temporis esse facio. *Tertull. Resurr. carn.* 45. Contemporant fetu, coaetaneant natu.

CONTEMPTĪBILIS et Contemtibilis, e, adject. *εὐκαταφρόνητος,* vilis, contemni dignus. *Ulp. Dig.* 1, 16, 9. Patientem esse oportet, sed cum ingenio, ne contemptibilis videatur. *Id. ib.* 21, 2, 37. Si margarita, vel quid aliud non contemptibile venierit. *Arnob.* 4. p. 155. Dii inhonorati, contemptibiles, viles. *Lampr. Alex. Sev.* 20. Mollior et contemptibilior potestas imperii. *Porc. Latro in Cat.* 33. Nihil temeritate contemptibilius.

CONTEMPTĪBILĪTAS, atis, f. contemptus, vilitas. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 5. Continuatio contemptibilitatem parit.

[CONTEMPTĪCĬUS, a, um, adj. idem ac contemptibilis. *Not. Tir.* p. 72.

CONTEMPTIM et Contemtim, adv. *καταφρονητικῶς, ὀλιγώρως,* per contemptum. *Liv.* 7, 7. Morte consulis contemptim ad castra Romana succedentes. *Id.* 37, 10. Superbe quaedam et contemptim in aliquem concionari. *Id.* 2, 35, Contemptim audire minas. *Id.* 9, 41, Magnifice de se, contemptim de aliis loqui. [**Id.* 6, 48. Adversus ea quum contemptim tribuni pl. rem nihilo segnius perageret, i. e. cum contemptu Camilli; ita *Drakenb.*, cujus explicat. prob. ad h. l. *Stroth.*] *Senec. Brev. vitae* 11. Quos in sua vides turba speciosius elidi, aut in aliena contemptius. *Tac. H.* 3, 47. Barbari contemptius vagabantur. Adde *Naev.* ap *Non.* 11, 53.

CONTEMPTĬO et Contemtio, onis, f. *καταφρόνησις,* contemptus, despicientia. *Cic. Tusc.* 1, 40. Totam vim bene vivendi in omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia ponamus. *Id. Off.* 3, 33. Fortitudo est dolorum laborumque contemptiō. *Id. fr.* ap. *Non.* 3, 70. Contemptio mortis. *Id. Phil.* 3, 6. *ad f.* pecuniae. *Caes. B. G.* 3, 17. et *ib.* 5, 47. Venire in contemptionem alicui. *Id. B. C.* 3, 60. magnam haec res illis offensionem, et contemptionem ad omnes attulit. *Cic. Inv.* 1, 16. Adducere adversarios in contemptionem. [**Dicitur etiam de iis, qui rerum sacrarum, Deorum cultum negligunt. *Liv.* 6, 41. Quid de religionibus atque auspiciis, quae propria deorum immortalium contemptio atque injuria est loquar?]

CONTEMPTOR et Contemtor, oris, m. *καταφρονητής, ὀλίγωρος,* qui contemnit. *Virg. A.* 7, 648. Contemptor Divum Mezentius. [**Suet. Ner.* 56. Contemptor religionum.] *Id. ib.* 9, 205. Animus contemptor lucis, *h. e.* vitae. *Liv.* 39, 40. *post med.* Cato contemptor gratiae et divitiarum. [**Plin. Pan.* 55, 9. Contemptor ambitionis et infinitae potestatis domitor ac frenator animus ipsa vetustate florescit. V. *Schwarz.* ad h. l.] *Tac. A.* 6, 38. infamiae. *Id. H.* 4, 5. opum. *Ov. Fast.* 3, 49. Contemptor Amulius aequi. *Id. Met.* 12, 170. Contemptor ferri, nulloque forabilis ictu Cygnus. *Plin.* 8, 16, 18. Leones contemptores vulnerum. *Sall. Jug.* 68. Inerat Metello contemptor animus, et superbia, commune nobilitatis malum.

CONTEMPTRIX et Contemtrix, icis, f. quae contemnit. *Ov. Met.* 1, 161. Propago contemptrix Superum. *Pl. Bacch.* 3, 6, 2. Illa contemptrix mea. ℙ Translate. *Plin.* 19, 8, 44. Eruca contemptrix frigorum. *Id.* 37, 4, 15. Vis invicta adamantis, ferri ignisque contemtrix.

CONTEMPTUS et Contemtus, a, um, part. a *contemno, καταφρονηθείς, ὀλιγωρηθείς,* despectus, spretus, neglectus, abjectus, vilis. *Cic. Agr.* 2, 34. *ad f.* Homo Romae contemptus et abjectus. *Id. Planc.* 5. Homo vita contempta ac sordida. *Id. Brut.* 25. Q. Pompejus non contemptus orator. *Id. Sext.* 16. Contemptissimorum consulum levitas. *Id. Senect.* 9. Quae vox potest esse contemptior, quam Milonis Crotoniatae? *Suet. Tib.* 73. Pro contempto se habitum fremens. *Id. Dom.* 15. Homo contemptissimae inertiae. *Tac. H.* 1, 60. Per avaritiam et sordes contemptus exercitui, invisusque. [**Contemptus* dicitur etiam is, qui, quamvis auctoritate praeditus, noxam, damnum afferre nequit. *Hor. Ep.* 4, 15. Sedilibusque magnus in primis eques, Othone contempto, sedet. V. *Bentl.* ad h. l.]

CONTEMPTUS et Contemtus, us, m. *καταφρόνησις, ὀλιγωρία,* contemptio, despicientia. *Caes. B. G.* 2, 30. Hominibus Gallis, prae magnitudine corporum suorum, brevitas nostra contemptui est. *Liv.* 6, 2. Non odio solum apud hostes, sed contemptu etiam inter socios nomen Romanum laborare. *Suet. Aug.* 93. Contemptui habere aliquid. *Id. Claud.* 15. Passim, ac propalam contemptui esse. *Quint.* 3, 7. Corporis ac fortunae quibusdam mala contemptum attulerunt. *Tac. A.* 3, 54. Leges contemptu abolitae. *Id. ib.* 4, 38. *extr.* Contemptu famae contemnuntur virtutes. *Id. H.* 5, 5. Contemptus moriendi. *Quint.* 7, 2. *circa med.* pecuniae. [**Suet. Vit.* 7. Ut cuivis evidens sit, contemptu magis, quam gratia electum. *Contemtus* h. l. est ejus, qui tutum se censet ab aliquo, nos; *Nichtachtung.*] ℙ Apud *Lucr.* 5, 831. *Exire e contemptibus* dicuntur ea, quae adolescunt, et incremento proficiunt, atque ex humili abjectoque loco evadunt: quo fit ut contemni ac negligi desinant. Sic *ib.* 1276. Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore: Porro aliud succedit, et e contemptibus exit. ℙ Utrum *Cicero* quoque hac voce usus fuerit, incertum est. Nam quod *Seneca* ex eo affert *Tranq.* 11., non satis constat, verbane, an sententiam ejus retulerit. (V. *Cic. Mil.* 34.) Quod vero quidam putant referri a *Quint.* 8, 3. *ante med.* haec verba ex Pisoniana, *non eo contemptum hominis auxisse:* illa certe *Quintiliani* sunt, non *Tullii*, ut cuique locum legenti patebit.

CONTENDO, is, endi, entum, a. 3. *συντείνω, ἐκτείνω,* idem quod tendo, aut valde tendo, intendo, extendo. *Virg. A.* 12, 815. Contendere arcum. *Id. G.* 4, 412. contende tenacia vincla. *Sisenn.* ap. *Non.* 6, 68. Simul et tormenta contenduntur. *Ov. A. Am.* 3, 285. Contendere ilia risu. *Lucr.* 4, 807. Oculi contendunt se, cum tenuia quae sint, cernere coeperunt. [**V. Bentl.* ad *Hor. Ep.* 1, 1, 28.] *Cic. Or.* 17. Contendere vocem. [**Pertinet h. l. ad §. 4.] ℙ Est etiam jacere, torquere. *Virg. A.* 10, 521. infensam contenderat hastam. Et *ib.* 5, 520. aerias telum contendit in auras. [**Sil.* 1, 323. Sagittas contendit nervo.] Item extendere, ducere. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 2. *ad f.* Isque Hellesponto pontem contendit in alto. ℙ Translate est adhibere, intendere. *Cic. Fat.* 10. Contendit omnes nervos Chrysippus, ut persuadeat, etc. *Id. Verr.* 1, 12. Onus dignum, in quo omnes nervos aetatis, industriaeque meae contenderem. *Lucr.* 4, 986. Contendere summas vires de palma, *h. e.* intendere ad victoriam obtinendam. *Ov. Pont.* 1, 5, 11. animum in curas. *Cic. Verr.* 2, 2, 21. Jam in tanta istius impudentia remittendum est aliquid, ne omnia contendamus. *Gell.* 20, 10. Cum lege agitur, et vindictae contenduntur, *h. e.* intenditur actio de possessione. ℙ Item laborare, conari, curare, niti. *Cic. Off.* 3, 10. Qui stadium currit, eniti, et contendere debet, ut vincat. *Id. Ligar.* 3. Quantum potero voce contendam, ut hoc populus R. exaudiat. *Id. Off.* 3, 2. Quantum conniti animo potes, quantum labore contendere, tantum fac ut efficias. *Id Mur.* 31. et *Or.* 62. Contendere animo. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 15. Contende quaeso, atque elabora, ut, etc. [**Contendere est, quasi nervos animi ingeniique contendere.] *Suet. Dom.* 2. Omni ope contendere, ut, etc. *Id. Vit.* 3. Magnopere contendere, ne, etc. *Id. Caes.* 1. Pertinaciter contendere. [**His *Suet.* locis de iis dictum est, qui precibus studiose aliquid agunt. Adde *Eund. Aug.* 27.] ℙ Et cum accus. communi. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 13. Neque ego nunc hoc contendo, mutare animum. *Caes. B. G.* 4, 17. Id sibi contendendum existimabat. Et *ib.* 1, 31. Se id contendere et laborare, ne etc. ℙ Et cum infinito. *Id. B. G.* 3, 15. Summa vi descendere in hostium naves contendebant. Et *ib.* Fuga salutem petere contenderunt. ℙ *Contendere aliquid ab alìquo* est eniti, ut ab aliquo obtineas. *Cic. Fam.* 13, 7. Non erat causa, cur a te hoc tempore aliquid contenderem. *Id. Att.* 9, 17. Nec dubito, quin a me contendat, ad urbem veniam. Est qui leg. *ut veniam. Id. Quint.* 24. Cum a me peteret, et summe contenderet, ut suum propinquum defenderem. *Id. Or.* 1, 36. Maxima voce, plurimis verbis contendere ab aliquo, ut, etc. *Id. Fam.* 2, 6. Verecundius contendere ab aliquo. *Id. ib.* 12, 30. A magistris cum contenderem de proferendo die. *Id. ad Brut.* 1, 14. Omni studio a te contendo, ut ne, etc. ℙ Cum accusativo. *Varr.* ap. *Non.* 4, 68. Et petere imperium populi, et contendere honores. *Cic. Off.* 2, 20. *extr.* Ne quid contra aequitatem contendas. ℙ Hinc passive. *Id. Verr.* 2, 2, 53. Hic magistratus a populo summa ambi-

tione contenditur. ℙ Saepissime ponitur pro certare, confligere, in contentionem venire. *Cic. Fam.* 5, 8. *a med.* In quo etiam si multi mecum contendent, tamen omnes facile superabo. *Id. Att.* 7, 9. Armis contendere cum aliquo. *Caes. B. G.* 7, 67. *extr.* Contendere bello cum aliquo. Et *ib.* 2, 9. proelio equestri. *Nep. Milt.* 4. *ad f.* acie. *Cic. Fin.* 3, 20. Tauri pro vitulis contra leones summa vi impetuque contendunt. *Anton. ad Cic. post. ep. ad Att.* 13, 14. Si duriorem te praebes, non contendam ego adversus te. *Nep. Arist.* 1. Cum aliquo de principatu contendere. *Suet. Vitell.* 4. inter citharoedos. *Ov. Met.* 10, 470. pedibus cum aliquo, *h. e.* quod *Virg.* dixit *A.* 5, 291. Contendere cursu. *Id. ib.* 6, 643. ludo. *Cic. Brut.* 70. jurgio cum judice. *Id. Quint.* 31. jure. *Id. Or.* 1, 10. interdicto. *Id. Fam.* 7, 33. sacramento. *Auct. ad Her.* 4, 52. in judicio cum aliquo. *Quint.* 3, 4. lite de re quapiam. *Mart.* 7, 42. muneribus cum aliquo. Et *ib.* carminibus. *Cic. Planc.* 19. In hac causa desinamus aliquando vulgari et pervagata declamatione contendere. *Id. Quint.* 21. Inimicissime atque infestissime contendere. *Senec. Controv.* 1, 1. Inter duos contendentes medius elidar. ℙ Cum dativo. *Prop.* 1, 14, 7. Non tamen ista meo valeant contendere amori. *Lucr.* 3, 6. quid enim contendat hirundo Cygnis? *Stat. Silv.* 1, 3, 101. Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris. ℙ Et cum accus. communi. *Cic. Quint.* 25. Tamenne vereris, ut possis haec contra Hortensium contendere? *h. e.* defendere. ℙ Item pro affirmare, tueri, tenere. *Cic. Planc.* 19. *extr.* Ego hoc contendo, me tibi cujuscumque tribus rationem poposceris, redditurum. *Cels. praef. ante med.* Si manantia corpuscula iter claudunt, ut Asclepiades contendit. *Ov. Am.* 2, 8, 10. Illum ego contendi mente carere bona. *Nep. Them.* 7. Ad Ephoros accessit, atque apud eos contendit, falsa his esse dicta. ℙ Praeterea frequenter significat proficisci, cum casibus motus ad locum. *Cic. Att.* 5, 2. Tarsum veni, inde ad Amanum contendi. *Id. Verr.* 2, 1, 26. *ad f.* Contendere ad aedes. *Nep. Cim.* 3. Lacedaemonem. *Id. Eum.* 8. per loca sola. *Caes. B. G.* 1, 10. in Italiam magnis itineribus. Et *ib.* 37. *extr.* ad hostem. Et *B. C.* 2, 42. in castra. Et *B. G.* 3, 3. iisdem itineribus ad salutem. *Cic. Or.* 30. Si quidem potuissemus, quo contendimus, pervenire. ℙ Cum solo accusat. omissa praeposit. *Appul. Met.* 2. Cum dicto facesso, et cubiculum meum contendo. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 14, 12. Maximis laboribus et periculis ad summam laudem gloriamque contendere. *Plin.* 6, 8, 8. Cappadocum gens usque ad ejus regionem contendit. ℙ Est in hac locutione ellipsis, qua subintelligitur *ire*, *proficisci*, aut quidpiam simile: quae verba aliquando exprimuntur. *Caes. B. G.* 1, 10. Qua iter in Galliam erat, cum legionibus ire contendit. *Sall. H.* 4. ap. *Non.* 4, 68. Ad oppidum ire contendit. ℙ *Contendere se aliquo* est se conferre. *Licin.* ap. *Non. l. c.* Quo die magistratum obiit, repente celeri gradu per forum se in Capitolium contendit. ℙ *Contendere cursum ad aliquem* est dirigere. *Virg. A.* 5, 824. et *Pl. Cist.* 2, 1, 58. ℙ *Contendere causam contra aliquem* ap. *Lucr.* 4, 472. est litem intendere, causam agere, quaestionem instituere. ℙ Valet etiam idem quod comparo, confero, oppono. *Cic. Cat.* 2, 11. Si ipsas causas, quae inter se confligunt, contendere velimus. *Id. Rosc. Am.* 33. Quidquid contra dixeris, id cum defensione nostra contendito. *Hor. Ep.* 1, 10, 26. qui Sidonio contendere callidus ostro Nescit Aquinatem potantia vellera succum. *Naevius* ap. *Non. l. c.* Cave, tuam contendas iram contra cum ira Liberi. *Accius ib.* Video te, mulier, ut vim tuam contendas ad majestatem viri. *Tac. A.* 13, 3. Vetera, et praesentia contendere. *Gell.* 2, 23. Graeca comparare et contendere. ℙ Cum dativo. *Auson. Grat. act.* 14. Non ego me contendo Frontoni.

*CONTENEBRA, ae, opp. Hetruriae. *Liv.* 6, 4. *B. A.*

CONTĔNEBRĀTUS, a, um, part. a *contenebro*, tenebris obductus, ἀπεσκοτωμένος. *Tertull. Jejun.* 10. *circa med.* A sexta contenebratus orbis defuncto Domino lugubre fecit officium.

CONTĔNEBRO, as, avi, atum, a. 1. tenebris operio, ζοφόω. *Tertull. adv. Haeret.* 12. Nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur. ℙ *Contenebrat*, *abat*, impersonaliter, ανσκοτάζει. *Varr. R. R.* 2, 2. *a med.* Rursus pascunt, quoad contenebravit.

CONTENSUS, pro contentus, vel intensus, legitur a nonnullis ap. *Lucr.* 2, 99., ubi alii *condensus*. [*ita *Eichstadt.*]

CONTENTĔ, adv. συντεταμένως, συντόνως, intente, extente, adducte: a *contendo*, *is*. *Cic. Tusc.* 2, 24. Plaga hoc gravior, quo est missa contentius. Et *ib.* 5, 34. Cum usque ad vesperam contentius ambularet. *Appul. Flor. n.* 8. Contentissime clamitare. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 2, 24. Genu M. Antonium vidi, cum contente pro se ipse diceret, terram tangere. *Id. Or.* 3, 55. *extr.* Iisdem ornamentis uti licebit, alias contentius, alias remissius. *Gell.* 18, 1. Acriter atque contente pro suis decretis propugnare. *Id.* 3, 3. Curiose atque contente Plauti comoedias lectitare. ℙ Est etiam parce, continenter, ut *Non.* 2, 110. exponit, et videtur esse a *contineo*, *es*. *Pl. Asin.* 1, 1, 63. Illum mater arcte contenteque habet. [*Nos: *kurz halten.*] *Pacat. Pan. Theod.* 13. Parce contenteque vivere.

CONTENTĬO, onis, f. συντονία, διάτασις, actus contendendi, intentio, conatus. *Cic. Off.* 1, 41. Contentio et submissio vocis. (Binae contentiones vocis, et remissiones, ap. *eund. Or.* 1, 61. sunt binae protases, et apodoses periodi, quod in illis vox aliquantum contenditur, in his remittitur.) *Plin.* 26, 13, 85. Vocis, aut lateris contentiones. *Cic. Div.* 1, 33. Equus submersus voraginibus non exstitit: quem cum maxima contentione non potuisset extrahere etc. [*Liv. 41, 6. Magnisque contentionibus obtinuit, ne etc. Cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 1, 1.] *Id. Sext.* 27. Antiochus magna belli contentione superatus. *Id. N. D.* 2, 45. Omnibus terrae partibus in medium vergentibus, nihil interrumpit, quo labefactari possit tanta contentio gravitatis et ponderum. *Plin.* 10, 72, 92. Contentione plumam revomere. *Cic. Off.* 1, 25. Honorum contentio, *h. e.* studium, et conatus honorum adipiscendorum. [*Ita in *Inscr.* ap. *Orell.* 643. *Contentiones candidatorum*, sunt eorum certamina nimio cum studio et ambitu gesta.] *Quint.* 1, 2. *a med.* Contentio palmae, *h. e.* pro palma. [*Cic. *Am.* 10, 34. Contentio vel uxoriae conditionis vel commodi alicujus. *Liv.* 4, 6. Contentio libertatis dignitatisque. Adde *Eund.* 43, 16.] ℙ Saepe transfertur ad animum. *Cic. Or.* 2, 5. *extr.* Otii fructus est, non contentio animi, sed remissio. Et *ib.* 3, 61. Aliquando ab hac contentione disputationis animos nostros, curamque laxemus. *Id. Hortens.* ap. *Non.* 4, 68. *extr.* Magna animi contentio adhibenda est in explicando Aristotele. ℙ *Contentio orationis* est cum incitata fervensque fertur oratio: cui opponitur lenitas et remissio. *Cic. Or.* 1, 60. Tu jamdiu multo dicis remissius et lenius, quam solebas: neque minus haec tamen tua gravissimi sermonis lenitas, quam illa summa vis et contentio probatur. ℙ Hinc *contentio* in re oratoria, ut definit *Auct. ad Her.* 3, 13., ubi de mollitudine, seu inflexione vocis verba facit, *est oratio acris*, *et ad confirmandum*, *et confutandum accommodata.* Haec dividitur in *continuationem*, et *distributionem.* Illa est orationis enunciandae acceleratio clamosa: haec fit, cum raris et brevibus intervallis orator acriter vociferatur. ℙ Quatenus sermoni opponitur, est oratio, quae adhibetur in disceptationibus judiciorum, concionum, senatus, ut ait *Cic. Off.* 1, 37. [*Contentio h. l. est oratio meditata, sermo extempore fusus. *Beier.*] ℙ Frequentissime ponitur pro certamine, controversia, pugna. *Cic. Phil.* 2, 3. *extr.* Tanquam mihi cum M. Crasso contentio esset, cum quo multae et magnae fuerunt. Et *ib.* 1. Decertare cum aliquo contentione dicendi. *Id. Off.* 1, 38. *ad f.* et *Leg.* 3, 10. *ad f.* Facere contentionem cum aliquo de re aliqua. *Id. Acad.* 4, 43. Est inter eos de tota possessione contentio. *Id. Sext.* 21. Inter sapientissimos homines haec contentio fuit, ut alii dicerent, etc. alii autem, etc. *Id. Balb.* 8. Magna contentio Heracliensium fuit, cum magna pars, etc. *Id. Coel.* 22. *extr.* Ponere aliquid in contentione, utrum, etc. *Id. Divin. in Verr.* 19. Neque fere unquam venit in contentionem de accusando, etc. quin, etc. *Id. Leg.* 3, 11. Habere aliquid contentionis cum aliquo. *Id. Mur.* 4. Contentio honoris. Et *ib.* 16. Pugna summa contentione pugnata. *Plin.* 7, 45, 46. Contentio Perusina, *h. e.* bellum circa Perusiam gestum. ℙ Specialiter apud rhetores *contentio* dicitur disputatio, quatenus distinguitur a quaestione seu controversia, quae oritur ex scripto, aut aliis locis judicialibus. *Cic. Or.* 14. Quoniam quidquid est, quod in controversia aut in contentione versetur, etc. Cui *Ciceronis* loco lucem affert, quod est *Or.* 2, 24. *sub f.* Adde *Quint.* 3, 6. *circa med.* ℙ Item pro collatione, et comparatione. *Cic. Planc.* 2. In ea causa contra dicendum est, in qua quaedam hominum ipsorum videtur facienda esse contentio. *Id. Pis.* 22. Facere contentionem fortunarum. Adde *Off.* 1, 17. *ad f.*, ubi conjungitur *contentio* et *comparatio*: [*Adde *ib.* 1, 43, 152. Gernhardo explicatur ex *Invent.* 1, 12. Comparatio, in qua per contentionem, utrum potius aut quid potissimum sit, quaeritur.] Et *Auct. ad Her.* 2, 14. ℙ Hinc apud rhetores *contentio* est figura tum verborum, tum sententiarum, in qua et verba cum verbis, et sententiae cum sententiis conferuntur et comparantur: eadem nimirum, quae antithesis, contrarium et contrapositum. *Quint.* 9, 3. *ad f.* et *Auct. ad Her.* 4, 15, 18. et 45. Differt ea, quae est verborum, ab, ea quae sententiarum, quod illa, inquit *Auct. ad Her. cit. c.* 45. ex verbis celeriter relatis constat, hic sententiae contrariae ex comparatione referantur oportet. ℙ Hanc ipsam intellexisse videtur *Cic. Or.* 3, 53. *ad f.* et, qui eum locum descripsit ad verbum. *Quint.* 9, 1. *ad f.* Nam quod ait *Turneb.* ad *hunc loc.*, non posse hic accipi pro oppositione vocum contrariarum, quae est figura verborum: *Cicero* autem et *Quint.* hic enumerant figuras sententiarum: itaque intelligi vehementem et acrem orationem, quae interdum habet δείνωσιν; primo quidem haec *acris oratio* (de qua supra diximus) non est figura: deinde manifesto convincitur *Turneb.* ex *Auct. ad Her.*, qui contentionem etiam inter figuras sententiarum ponit, uti modo est dictum. [*Cf. de hujus vocabuli apud rhetores usu atque significatione *Ernest. lex. technol. lat.* p. 88. sqq.] ℙ *Contentio gregum* ap. *Censorin. de die nat.* 5. est eorum admissura.

CONTENTĬOSĒ, adv. φιλονείκως, cum contentione, et affirmandi pertinacia. *Hieron. ad Jovin.* 2, 10. Quod si contentiose dixerint, etc. *Quint. Decl.* 18, 6. Necesse est contentiosius loquaris, quod probare non possis. *August. Civ. Dei* 20, 1. Contentiosissime defendere id quod falsum est.

CONTENTĬOSUS, a, um, adj. ἐριστικός, qui cum contentione fit. *Plin. ep.* 2, 19. Oratio, de qua loquor, pugnax et contentiosa est. *Mart. Dig.* 1, 16, 2. Omnes proconsules, statim quam urbem egressi fuerint, habent jurisdictionem, non tamen contentiosam, sed voluntariam, *h. e.* quae exercetur in re, quae in contentionem venit, vel in eos, qui de re aliqua jure contendunt. *Quint. Decl.* 5, 1. Avidissimam moriendi cupiditatem contentiosa mendicitate fallebam, *h. e.* pertinaci. *Appul. Met.* 8. Et tamen ad hoc ipsum, quod non potest, contentiosa pernicie, quasi posset impellitur, *h. e.* obstinatione perniciosa. *August. ep.* 174. Quid est contentiosius, quam ubi de re constat, certare de nomine?

*CONTENTIVUS, a, um, adj. qui continet. *Constant. Afer.* 7, 1. Vis contentiva, appetitiva, digestiva et expulsiva. *B. A.*

*CONTENTO, as, a. 1. freq. *Vulg. Matth.* 5, 41. Si quis te contentaverit per unum milliare; ἀγγαρεύσει. *B. A.*

CONTENTUS, a, um, part. a *contendo*, συντεταμένος, adductus, intentus, extentus: cui opponitur remissus, laxatus. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 868. Muscipula contenta, scorpius cauda sublata. *Cic. Tusc.* 2, 24. Balistae et reliqua tormenta eo graviores emissiones habent, quo sunt contentae et adductae vehementius. *Id. Fin.* 4, 27. Contentae fides. *Hor. Sat.* 2, 7, 20. Contentus funis. *Ov. rem. Am.* 435. Arcus contenti. *Cic. Sext.* 6. Contento studio, cursuque venire. *Id. Or.* 17. *sub f.* Contenta voce atrociter dicere, summissa leniter. *Id. Tusc.* 2, 23. Onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt. *Virg. G.* 3, 536. Boves contenta cervice trahunt plaustra. *Appul. Met.* 4. Contentissima voce clamitans. *Ammian.* 23, 11. Aut rapax, aut feritate contentior. *Suet. Tib.* 7. Contentis oculis prosequi aliquem. [*Cf. *Brem.* ad h. l.] Sic *Lucr.* 1, 324. Contenta acies oculorum. *Hor. Sat.* 2, 7, 97. Contento poplite. [*i. e. projecto pede, ut mos est gladiatorum. V. *Heindf.* ad h. l. — *Lucr.* 4, 965. Atque in ea ratione fuit contenta magis mens, i. e. occupata, citatis ejus viribus atque nervis.] ℙ Item concitatus. *Val. Flacc.* 3, 135. et pectus arundo Per medium contenta lugit. *Claud. in Eutrop.* 2, 169. Illa per auras Tot freta, tot montes uno contenta volatu Transilit. ℙ Est etiam part. a *contineo*, qui continet se in eo, quod habet: qui facile patitur: cui satisfactum est. *Cic. Brut.* 35. Cum ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quaereres. *Id. Off.* 1, 42. Mercatura satiata quaestu, vel contenta potius. *Id. Tusc.* 5, 34. Bestiae eo contentae non quaerunt amplius. *Id. Fam.* 3, 13. Quibus ego a tali viro contentus eram. *Id. Parad.* 6, 1. Cui tanta possessio, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 78. His te versibus interea contentu' teneto. *Pl. Poen. a.* 2. *v.* 14. Dii Deaeque contentiores mage erunt, atque avidi minus. *Appul. Met.* 3. Non contentus, quod mihi nec solatium praebuit, etc. [*Liv. 5, 4. Adversariorum certe orationibus contentus essem, i. e. ipsae adversariorum objectiones satis multa mihi contra eosdem disputandi argumenta suppeditarent. ℙ Sequitur *ut*. *Suet. Aug.* 82. Contentus hoc erat, ut insidens ligneo solio, manus ac pedes alternis jactaret.] ℙ Cum infinito. *Vellej.* 2, 49. *ad f.* Contentus titulum retinere provinciae. *Curt.* 8, 11. Barbari hostem pepulisse contenti, non institere cedentibus. Adde *Petron.*, *Ov.*, *Val. Flacc.*, *Sil.*, *Quint.*, *Justin.*, *Plin. utrumque*, etc. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 103, 5.] ℙ Cum genit. *Scaev. Dig.* 32, 37. *ad f* Ut contentus esset partis dimidiae dotis. Ita *Torrent.* at *Haloand.* edidit *dimidia parte.* Addit *Pareus in Lex. Crit.* alium locum ex *Curt.* 6, 2., sed in quo ipse quoque fatetur, dubiam lectionem esse. [*Apud *Zumpt.* est ablat.] Dubia item sunt, quae ex *Vellej.* 2, 88. et *Justin.* 42, 2. congerit *Heins* ad *Ov. Met.* 15, 515. et *ib.* 5, 169., certum autem illud *Dictys Cret.* 2, 17. Achilles haud contentus eorum, quae gesserat, Cilicas aggreditur. ℙ *Contentus* pro detentus. *Appul. Met.* 9. Ego mulier, et intra hospitium contenta. Et *ib.* Asinus intra

terminos pistrini contentus. ℙ In illo *Cic. Planc.* 5. Manlius vita contempta et sordida; al. leg. *contenta*, *h. e.* parca.

CONTĔREBRO, as, a. 1. terebrare. *Coel. Aur. Tard.* 2, 3. Humoris fluor ita jugis, ut ossa conterebret, *h. e.* carie exedat.

CONTĔREBROMIA, ae, f. vox composita a *contero*, et *Bromius* idem ac *Bacchus*, significat omnem illam terram, quam Bacchus exercitu lustravit: vel regionem quamcumque vini feracem: vel in qua multum vini conteritur, seu consumitur. Vox joculariter a *Plauto* novata *Curc. a.* 3. *v.* 76.

CONTERMĪNO, as, avi, atum, n. 1. confinio jungor, conterminus sum. *Ammian.* 14, 2. Per municipia, quae iisdem conterminant. Et 23, 6. Quibus Arabes beati conterminant.

CONTERMĪNUS, a, um, adj. ὅμορος, finitimus, vicinus. *Ov. Met.* 4, 90. Ardua morus erat, gelido contermina fonti. *Tac. A.* 6, 36. In longinqua et contermina Scythiae fugam maturavit. *Plin.* 13, 14, 28. Aethiopia Aegypto contermina. *Id.* 18, 6, 7. *n.* 3. Cn. Pompejus nunquam agrum mercatus est conterminum. *Colum.* 1, 3. Nisi si Antolycus ille cuiquam potuit tolerabilis esse conterminus. ℙ Cum genitivo. *Appul. Met.* 6. Praedicti jugi conterminos locos appulit. *et paulo post.* Hujus conterminam quaere Taenarum. Addunt et *Silii* locum 5, 511., sed dubiae lectionis. ℙ Et cum ablat. propter *cum* praeposit. inhaerentem. *App. Met.* 4. Locum lacu aliquo conterminum. ℙ Translate. *Stat. Th.* 7, 702. Morti contermina virtus, *h. e.* vicina. ℙ *Conterminum*, *i*, absolute est confine. *Plin.* 37, 9, 40. Eadem *(gemma)* et Pharanitis, in contermino Arabiae, gentis nomine.

CONTERNĀTĬO, onis, f. ternorum comparatio, ut Conternationes factae, Conternationum sortitio, ap. *Hygin. de limit.* p. 191. *Goes.*

CONTĔRNO, as, avi, atum, a. 1. ternum numerum comparo, ut *combino* binum. *Hygin. de limit.* p. 191. *Goes.* Si permissum fuerit, ut inter convenientes conternentur, conternati sortiri debebunt. *Hieron.* in *Isajam* 5, 15, 5. Possumus vitulam conternantem pro perfecta aetate accipere: sicut enim tricesimus annus in hominibus, ita in pecudibus ac jumentis tertius robustissimus est.

CONTĔRO, is, trivi, *raro* trii, tritum, a. 3. συντρίβω, κατατρίβω, idem quod tero, vel simul, aut valde tero, comminuo, contundo. *Ov. Medic. fac.* 60. vivacis cornua cervi Contere. *Plin.* 3, 7, 20. Conterere aliquid in cinerem. *Varr. R. R.* 2, 7. *circa med.* Scyllae modicum conterunt cum aqua ad mellis crassitudinem. [*Ov. *Met.* 14, 44. Protinus horrendis infamia pabula succis Conterit.] *Plin.* 26, 7, 24. Cauliculus conteritur ex vino vetere. *Pl. Asin.* 2, 4, 13. Conterere alicui latera stimulo. *Petron. Sat.* 17. Retexit superbum pallio caput, et manibus inter se usque ad articulorum strepitum contritis, quaenam est, inquit etc. *h. e.* constringendo et torquendo veluti fractis. Est qui leg. *constrictis*, minus recte. Simile est illud *Senecae Ira* 3, 4. Adjice articulorum crepitum, cum se ipsae manus frangunt etc. V. CONCREPO. ℙ Item consumo, absumo. *Ov. A. Am.* 3, 91. Conteritur ferrum, silices tenuantur ab usu. *Quint.* 2, 4. *post med.* Supellex conteritur. *Cic. Fam.* 9, 25. Παιδείαν Κύρου, quam contrieram legendo, totam in hoc imperio explicavi. Al. leg. *contriveram. Lucr.* 2, 1160. Conterimusque boves, et vires agricolarum Conficimus. [*Adde *Prop.* 2, 23, 15. Cui saepe immundo sacra conteritur via socco. (Vagam puellam describit ac libertinam.)] ℙ Translate. *Pl. Cist.* 2, 3, 66. Conteris tu tua me oratione, mulier, *h. e.* enecas. *Pl. Poen.* 3, 1, 33. Quamquam sumus pauperculi, est domi, quod edimus, ne nos tam contemptim conteras. *Cic. Prov. cons.* 13. Ceteras nationes contrivit, domuit, *h. e.* armis contudit, protrivit, calcavit, ut *Justin.* 12, 16. loquitur. *Cic. Tusc.* 5, 30. *sub f.* Cum virtutem ad coelum extulerint, reliqua ex collatione facile est conterere atque contemnere, *h. e.* deprimere, calcare. [*refutare.] *Id. Att.* 9, 3. Egeo argumento epistolarum. Quae enim sunt horum temporum, ea jam contrivimus, *h. e.* scribendo consumpsimus. *Pl. Most.* 4, 2, 68. Is vel Herculis conterere quaestum possit, *proverbialis locutio* de valde prodigo. *Cic. Fam.* 1, 9. *a med.* Ejus gravissimas injurias voluntaria quadam oblivione contriveram, *h. e.* ex animo omnino deleveram. *Id. Fin.* 1, 21. Conterere se in musicis, geometria etc. Sic dicimus conterere diem, tempus, aetatem, curam etc. *Id. Leg.* 1, 20. aetatem in litibus. *Id. Amic.* 27. tempus in studiis litterarum. *Pl. Bacch.* 4, 6, 11. aetatem in pistrino. *Cic. Or.* 1, 58. *ad f.* Conteri in causis, in negotiis, in foro. *Id. Verr.* 2, 5, 10. *ad f.* Diei brevitas conviviis, noctis longitudo flagitiis conterebatur. *Ter. Phorm.* 1, 4, 32. Frustra operam conterere. *Pl. Most.* 3, 1, 54. Conterere curam. [*Lucret. 3, 1060. Conteris somno majorem aevi partem.] ℙ Simplex verbum *tero* habuit olim in praeterito *terui*. Hinc *Tibull.* 1, 7, 70. [*al. 1, 6, 64.] proprios ego tecum, Sit modo fas, annos conteruisse velim. [*Recepit *Broukh.* hanc *N. Heins.* conjecturam pro vulg. *contribuisse.* Contra stat *Heyn.* quem v. ad h. l.] *Appul. Met.* 8. Manum mordicus arreptam penissime conterui. Ita utroque loco *Heins.* ad *Ov. Her.* 19, 17. et *Broukus.* Alii aliter. ℙ In illo *Ov. Medic. fac.* 89. *Haec ubi contriveris*, quod secundae syllabae ratio obstat (quamquam ita constanter reperitur in MSS, ut critici monent) quidam ediderunt *contereris.* Alii mallent *contrieris.* Est etiam qui velit *contriris.* ℙ Dividitur per tmesim in illo *Propertii* 3, 11, 10. Conque terunt fastus etc., nisi quod alii rectius leg. *Quaeque terunt.* ℙ [Part. *Conterendus* ap. *Cels.* 6, 21. *n.* 6. Cochleae conterendae. *F.*]

CONTERRĀNĔUS, a, um, adj. ὁμόχωρος, qui est ejusdem terrae, seu regionis. *Plin. praef. H. N.* (quam tamen *Hard. Plinio* abjudicat) Ut objicere moliar Catullum conterraneum meum. (Agnoscis et hoc castrense verbum.) Ille enim etc. *Castrense verbum* vocat, quia utebantur eo in castris milites ex variis locis convenientes, ad regiones illas lato quodam modo significandas, unde nomina dederant. ℙ [*Ant. Jos. a Turre Rezzonici* in *Disquisit. Plinian. T.* 1. p. 247. multis argumentis probat, ap. *Plin. l. c.* non *conterraneum*, sed *congerraneum* seu *concerraneum* legendum esse, idemque significare ac *congerronem*, quam vocem vide suo loco. *F.*]

CONTERRĔO, erres, errui, erritum, a. 2. καταφοβέω, ἐκπλήττω, idem quod terreo, aut valde terreo. *Colum.* 7, 12. *de cane villatico.* Ut prius auditu maleficium, deinde etiam conspectu conterreat. Al. leg. *terreat. Cic. Or.* 1, 49. Hanc loquacitatem nostram vultu ipso aspectuque conterreat. *Lucr.* 2, 623. pectora vulgi Conterrere metu. *Liv.* 3, 11. Atrox ingenium accenderat eo facto magis, quam conterruerat. Adde *Tibull.* 4, 1, 71. et *Senec. Q. N.* 2, 42. *extr.*

CONTERRĪTUS, a, um, part. a *conterreo*, καταφοβηθείς, exterritus. *Phaedr.* 1, 12. Cervus venantum subito vocibus conterritus. *Virg. A.* 54. nova pugnae conterrita sorte. *Id. ib.* 3, 597. aspectu conterritus haesit. *Curt.* 10, 7. Cesserat ex concione Aridaeus, principum auctoritate conterritus. *Suet. Domit.* 11. Conterritus atrocitate poenae.

CONTESSĔRĀTĬO, onis, f. quasi dicas, communicatio tesserarum hospitalitatis; communicatio, amicitia. *Tertull. adv. Haeret.* 20.

CONTESSĔRO, as, hospitium mutuum colo: a tesseris hospitalibus, quibus prolatis hospites agnoscebantur, et excipiebantur. V. TESSERA *Tertull. adv. Haeret.* 36. Alii alit. leg.

*CONTESTANIA, ae, f. regionis nomen, in qua sita est Carthago nova. *Plin.* 3, 3. *B. A.*

CONTESTĀTĬO, onis, f. διαμαρτυρία, actus contestandi. *Ulp. Dig.* 28, 1, 20. *ad f.* Veteres putaverunt, eos, qui propter solemnia testamenti adhibeantur, durare debere, donec suprema contestatio peragatur. *Gell.* 6, 12. Sulpicius testamentum compositum esse dixit a mentis contestatione. *Id.* 10, 3. In tam atroci re, ac tam misera atque moesta injuriae publicae contestatione, *h. e.* enarratione et affirmatione. ℙ Item obtestatio, obsecratio, nempe preces interpositа alicujus numinis invocatione adhibitae. *Cic. fragm. pro C. Cornel.* ap. *Ascon.* Petivit a me praetore maxima contestatione, ut causam Manilii defenderem. ℙ Contestatio litis, quid sit, V. in CONTESTOR. *Ulp. Dig.* 3, 3, 40. Ratihabitionis satisdatio ante litis contestationem a procuratore exigitur.

CONTESTĀTĬUNCŪLA, ae, f. brevis oratio, seu obsecratio. *Sidon. ep.* 7, 3. Diu multumque deliberavi, an destinarem, sicut injungis, contestatiunculas, quas ipse dictavi.

CONTESTĀTO, adv. testibus adhibitis, διὰ μαρτύρων: vel simpliciter contestando et affirmando. *Ulp. Dig.* 25, 3, 1. *post med.* Si neque contestato dixerit, eam ex se praegnantem non esse. Adde *ib.* 15, 4, 1.

[CONTESTĀTŌRĬUS, a, um, adj. qui ad contestationem litis pertinet. *Fragm. Jur. Civ.* (ed. *A. Maio*) p. 41. Si feriae sint, libellos det contestatorios. *F.*]

CONTESTĀTUS, a, um, part. a *contestor.* Active. *Caes. B. G.* 4, 25. Contestatus Deos, ut ea res legioni feliciter evenıret: Desilite, inquit, milites etc. ℙ Passive. *Cic. Flacc.* 11. Ab hac perenni contestataque virtute majorum Flaccus non degeneravit, *h. e.* perspecta, et quasi testibus probata. *Id. Rosc. Com.* 12. Iste cum eo litem contestatam habet. V. CONTESTOR. *Ulp. Dig.* 5, 3, 7. Judicium contestatum de inofficioso testamento.

CONTESTĬFĬCANS, antis, part. ab inus. *contestificor*, simul testificans. *Tertull. Testim. anim.* 1. *post init.* Commemorantes, et contestificantes etc.

CONTESTOR, aris, atus sum, dep. 1. διαμαρτύρομαι, testem invoco, obtestor, obsecro. *Cic. Fl.* 40. Cum ego te, Flacce, coelum noctemque contestans, flens flentem obtestabar. *Id. Verr.* 2, 4, 29. Flens, ac Deos hominesque contestans, clamare coepit. ℙ Item testato dicere, affirmare. *Ulp. Dig.* 15, 4, 1. Si sic contestatus sit: Quod voles cum servo meo negotium gerere periculo meo. *Paul. ib.* 27, 1, 38. Quinquaginta dierum spatium tantummodo ad contestandas excusationum causas pertinet. ℙ Contestari litem, inquit *Festus*, dicuntur duo, aut plures adversarii, quod ordinato judicio, utraque pars dicere solet, *testes estote.* Paulo aliter in *Cod. Justin.* 3, 9. qui est *De litis contestatione*, ubi *Impp. Sev.* et *Anton. leg.* 1. statuunt, litem tunc contestatam videri, cum judex per narrationem, negotii causam audire coeperit. *Gloss.* Lites contestatae, αἱ ἀρχὴν λαβοῦσαι ἐν δικαστηρίῳ δίκαι ἐξ ἀντικαθεστώτων. Ex quibus fit *contestari litem* esse, ita rem in judicium adducere, testibus praesentibus, coram praetore, aut judice, ut neutri parti recedere, salva lite non liceat. *Cic. Att.* 16, 15. Neque enim procuratores litem contestabuntur. [*Cf. quos laudat in hanc rem. *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Gell.* 5, 10. Petere instituit ex pacto mercedem: litem cum Euathlo contestatur. ℙ Olim passiva significatione usurpatum fuit, teste *Prisc.* 8, 793., ubi id confirmat auctoritate *P. Aufidii.* Sed praeterea saepe ap. JCtos *lis contestari* dicitur, ut *Julian. Dig.* 30, 88. *extr.*, *Ulp. ib.* 24, 3, 22. et *ib.* 33, 9, 1. etc. Hinc part. *contestatus* etiam passive usurpatur. V. CONTESTATUS.

CONTEXO, is, exui, extum, a. 3. συμπλέκω, συννφαίνω, simul texo, connecto. *Tibull.* 3, 4, 33. Ut cum contexunt amaranthis alba puellae Lilia. *Lucan.* 4, 419. firma gerendis Molibus insolito contexunt robora ductu. *Tac. A.* 4, 49. Fossam loricamque contexens. *Aurel. Vict. Epit.* 3. Duplici ordine naves contexens, *h. e.* simul colligans. *Val. Fl.* 2, 108. tenui puppes contexere canna. *Plin. ep.* 5, 6. Per latus omne vineae porriguntur, unamque faciem longe lateque contexunt, *h. e.* contextae praebent. ℙ Translate sumitur pro componere, conjungere. *Cic. Leg.* 1, 3. Neque tam facile interrupta contexo, quam obsolvo instituta. [*Id. *Fam.* 10, 13. Contexere extrema cum primis, i. e. efficere ut extrema eandem cum primis formam, speciem referant.] *Id. Or.* 34. Memoria rerum veterum cum superiorum aetate contexitur. *Id. Fam.* 5, 12. *ad Luccej. historic.* Ut cogitares, conjuncte ne malles cum reliquis rebus nostra contexere etc. *Id. Dejot.* 6. *extr.* Quam festive crimen contexitur! *h. e.* describitur, et confingitur. *Id. Coel.* 8. Longius mihi contexere hoc carmen liceret, *h. e.* subjungere, attexere, recitare. *Quint.* 10, 6. Cogitatio non rerum ordinem modo intra se ipsa disponit, sed verba etiam copulat, totamque ita contexit orationem, ut ei nihil praeter manum desit. *Senec. ep.* 114. Contexere librum. *Plin.* 21, 20, 79. Contexemus et Gallici nardi remedia, in hunc locum dilata. *Id.* 20, 5, 18. Conteximus et de sili, *h. e.* dicimus, tractamus. *Id.* 35, 12, 43. De pictura satis superque: contexuisse his et plasticen conveniat, *h. e.* subjunxisse tractatum de plastice. ℙ Ap. *Macr. Somn. Scip.* 1, 5. *ad f.* contexere numerum, est componere, conficere. ℙ [Part. *Contexendus* ap. *Plin.* 20, 11, 45. Contexenda sunt omnia.]

CONTEXTĒ, adv. contexendo, conjungendo, συμπεπλεγμένως. Translate. *Cic. Fat.* 14. Si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione conserte contexteque fiunt.

CONTEXTIM, adv. contexte. *Plin.* 10, 53, 74. Turdi luto nidificantes paene contextim.

CONTEXTĬO, onis, f. contextus, compositio. *Macr. Somn. Scip.* 1, 5. *sub f.* Contextio et resolutio numeri octonarii. Et *ib.* 2. Contextio narrationis per turpia et indigna componitur. Adde *Saturn.* 7, 16. et *August. Musica* 3, 7. Sic *Auson. prooem. Perioch. Iliad. a med.* Contextio classis, qua Paris in Europam navigavit. *August. C. D.* 7, 2. Contextio libri.

[CONTEXTOR, oris, m. qui aliquod opus contexit. *Fragm. Cod. Theod.* (ed. *A. Peyronio*) 1, 1, 5. Impp. Theodosius et Valentinianus Augg. ad senatum. Ad similitudinem Gregoriani, atque Hermogeniani Codicis cunctas colligi constitutiones decernimus, quas Constantinus inclytus, et post eum divi principes, nosque tulimus. Ad tanti consummationem operis, et contexendos codices deligendi viri sunt singularis fidei, limatioris ingenii; electos vestra amplitudo cognoscat. (hic VIII. viri enumerantur, quorum princeps Antiochus.) Dat. VII. Kal. April. Constantinopoli, Florentio et Dionysio Coss. (an. a Chr. n. 429.) *Ead. ib.* 1, 1, 6. Iidem Augusti. Aggressuris hoc opus et demendi supervacanea, et adjiciendi necessaria, et mutandi ambigua, et emendandi incongrua tribuimus potestatem. Contextores hujus Theodosiani Codicis Antiochus etc. (hic enumerantur XVI. viri). Dat. XII. Kal. Jan. Constantinopoli, DD. NN. Theodosio A. XV. et Valentiniano A. IV. Coss. (an. 435.) *Eadem ib. constitut. Codici Theod. praemissa.* Iidem Augusti. Compendiosam divalium constitutionum scientiam ex Divi Constantini temporibus roboramus, nulli post Kal. Januarias concessa licentia, ad forum et quotidianas advocationes jus principale deferre, vel litis instrumenta componere, nisi ex his videlicet libris, qui in nostri nominis vocabulum transierunt, et sacris habentur in scriniis. Longum est memorare, quid in hujus

consummationem negotii contulerit vigiliis suis Antiochus, etc. (hic enumerantur VIII. viri.) Dat. XV. Kal. Martii, Constantinopoli, Theodosio Aug. XVI. et qui fuerit nunciatus (nempe Anicius Acilius Glabrio Faustus an. 438.). V. CONSTITUTIONARIUS. *F.*]

CONTEXTUS, a, um, part. a *contexo*, συνυφής, συμπλεκής, intextus, connexus. *Cic. N. D.* 2, 63. Villis ovium confectis atque contextis homines vestiuntur. *Virg. A.* 1, 112. Equus trabibus contextus acernis. *Tibull.* 1, 1, 71. Totus et argento contextus, totus et auro, *h. e.* indutus veste contexta auro, et argento. Al. leg. *contectus*. *Val. Flacc.* 3, 90. contextis umbonibus urgent, *h. e.* scutis connexis. *Tibull.* 4, 1, 22. contextis passim fluit ignibus aether, *h. e.* serie continuata ignium: vel aether constans perpetuis ignibus. ℙ [**Lucr.* 3, 695. Nec, tam contextae quom sint, exire videntur Incolumes posse. Contextus dicitur h. l. de anima, in ipso corpore orta, non extrinsecus addita. — *Id.* 4, 55. *corpora contexta* dicit pro condensatis, coagmentatis, firmitate quadam praeditis, oppon. *diffusa*.] ℙ Apud JCtos *contextum* est stamen, et subtegmen, quod in tela est, at nondum detextum. Ita *Ulp. Dig.* 34, 2, 22. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 5, 33. *ad f.* Perpetuae et contextae voluptates, *h. e.* non interruptae, ut una aliam pariat. *Quint.* 11, 1. Circuitus contexto nitore decurrentes, *h. e.* periodi apte aequabiliterque fluentes. *Id.* 9, 4. Oratio vincta atque contexta. *et mox.* Verba singula et contexta. *Id.* 12, 9. *sub f.* Ita nec liber est impetus, nec cura contexta, *h.* e. cohaerens, congruens, sibi constans.

CONTEXTUS, us, m. συμπλοκή, συνυφή, textura, contextio. *Accius* ap. *Cic. Fin.* 5, 11. de Philocteta. Pinnarumque contextu corpori tegumenta faciebat. *Lucr.* 1, 243. Contextum corporum vis quaeque dissolvit, *h. e.* coagmentationem. *Auson. Perioch. Odyss.* 5. Contextu ratis temere properatae navigationem aggredi. *Ulp. Dig.* 39, 2, 15. *ante med.* Domus juncta contextu aedificiorum. ℙ Translate est complexio, continuatio, series. *Cic. Fin.* 5, 28. Mirabilis est apud illos contextus rerum: respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus. *Id. Partit.* 23. *ad f.* In toto quasi contextu orationis haec erunt illustranda maxime. *Petr. Sat.* 20. Contextus fabularum. *Val. Max.* 3, 8. *n.* 7. exemplorum. *Quint.* 1, 1. litterarum, *h. e.* series et ordo, quo in alphabeto dispositae sunt. *Id.* 9, 4. *post med.* Lenis et fluens contextus, *h. e.* compositio verborum. *Tac. H.* 2, 8. Ceterorum casus in contextu operis dicemus. *Quint.* 5, 13. *circa med.* Per partes dissolvitur, quod contextu nocet. *Plin.* 10, 42, 59. Lusciniae assidue nova loquentes, longiore etiam contextu, *h. e.* continuatione verborum. *Ulp. Dig.* 32, 73. contextus testamenti, *h. e.* tota contextio. *Id. ib.* 28, 1, 21. *extr.* Uno contextu actionis testari oportet, *h. e.* nullum alienum actum testamento intermiscendo, ut *Id. ib.* exponit. *Senec. Q. N.* 6, 29. *ad f.* Hispanias a contextu Africae mare eripuit. ℙ [**Quint.* 9, 4. p. 869. Historia non tam finitos numeros, quam orbem quendam contextumque desiderat. *Contextus* h. l. laxiorem quendam membrorum nexum significat, qui magis rerum conjunctionem, quam artificiosum verborum et sententiarum ambitum requirit. Haec est, quam εἰρομένην λέξιν Aristoteles, fusum et tractum orationis genus Cicero dicit. *Ernest.* in *lex. techn. lat.* Cf. *Ruhnk.* ad *Aquilam Romanum* p. 158. quem laudat *Spald.*]

CONTĪCĒO, es, ticui, n. idem ac conticesco. *Cic. Cat.* 3, 5. Conscientia convictus repente conticuit. *Mart.* 7, 80. tetricae conticuere tubae. *Ov. Met.* 5, 574. Conticuere undae, *h. e.* murmuris desivere. ℙ Translate. *Cic. Pis.* 12. Cum obmutuisset senatus, judicia conticuissent, *h. e.* cessassent. *Id. Brut.* 94. Hoc studium nostrum conticuit subito, et obmutuit. *Ov. Fast.* 6, 348. vacuae conticuere molae. *Hieron. in Isaj.* 1, 1. Ex quo Montani deliramenta conticeant. *Id. ib.* 17, 64. Apocryphorum deliramenta conticeant. ℙ *Gloss. Phil.* Conticeo, σιωπῶ. Conticet, σιωπᾷ. *Prisc.* quoque 8, 820. agnoscit *conticeo*. [**Calpurn.* 4, 98.]

CONTĪCESCO, escis, n. 3. κατασιγάω, σιωπάω, idem quod taceo, loqui, aut strepere desino. Ap. *Plaut.* in multis exemplarib. legitur *conticisco*, ut *Bacch.* 4, 6. *extr.* Sed conticiscam: nam audio aperiri fores. *Cic. Marc.* 3. Neque ulla unquam aetas de tuis laudibus conticescet. *Cic. in Senat.* 7. Dum conticesceret illa lamentatio, et gemitus urbis. *Liv.* 25, 10. et 2, 55. Conticescebat paulatim tumultus. ℙ Translate. *Liv.* 2, 29. *extr.* Hic, quo nunc omnia ardent, conticescet furor. [*Adde *Eund.* 4, 1. Ut inter strepitum tot bellorum conticescerent actiones tribuniciae.]

CONTĪCĪNĬUM, ii, n. pars illa noctis, quae est inter gallicinium et diluculum, ut dictum est in CONCŬBIUS. Glossae: *Conticinium*, ὁ μεταξὺ ἀλεκτρυοφωνίας χρόνος. Est a *conticescendo*, ut putat *Varr. L. L.* 6, 4. *extr.* ℙ Sumitur etiam pro prima parte noctis, seu pro ipsa nocte concubia, ut ibidem observavimus. Qua ratione accipi videtur a *Pl. Asin.* 3, 3, 95. Redito huc conticinio. ℙ Ap. *Macr. Sat.* 1, 3. pro *conticinium* quidam leg. *conticuum*; quod sane non abhorret ab analogia.

COTĪCISCO pro Conticesco legitur ap. *Arnob.* 5. *post. in.*, *Pl. Bacch.* 4, 6, 28. et *Mil.* 2, 4, 56. V. CONTICESCO.

CONTĪCŪUM. V. CONTICINIUM.

*CONTIFEX, icis, m. qui pugnat conto, ubi facere (inquit *Gesn.*) est occidere, ut in *conficio* et interficio. *Gloss. Vet.* Contifices, παράβολοι. Cf. v. sq. *B. A.*

CONTĪFĪCĪUM, ii, n. (vel contifigium, ut *Casaubonus* putat) ex *Vopisc. Prob.* 19. affertur, ut contum, seu venabulum significet, vel actum transfixionis ferarum. Verba *Vopisci* sunt: Addidit centum jubatos leones, qui omnes contificiis interempti sunt. *Salmas.* ex MS. *Palatino* legit *e posticis*.

CONTĪGER, a, um, adj. κοντοφόρος, contum gerens. *Paulin. Nolan. carm.* 20, 188. Contigero similis juveni spectabat in altum, *h. e.* supina fronte erectum contum ferenti, ut solent θαυματοποιοὶ mira ludicra edentes. Huc pertinet illud *Mart.* 5, 12. Quod nutantia fronte pertinaci Gestat pondera Maschlion superbus. Ubi *Scriverius* pro *pertinaci* malebat *perticata*.

CONTIGNĀTĬO, onis, f. δόκωσις, ὀροφή, ξύλωσις, tignorum, seu trabium series, et contextus, ut in aedibus, quae membra superiora domus sustinet, aut tectum. *Caes. B. C.* 2, 9. Turris contignatio. *Liv.* 21, 62. In tertiam contignationem sua sponte ascendisse. *Hirt. B. A.* 1. Incendio tuta est Alexendria, quod sine contignatione sunt aedificia. *Vitr.* 6, 5. Imponere contignationem, supra eam coaxationem et pavimentum. *Pallad.* 1, 9. Facere contignationem aequalem et solidam, ne gradus ambulantium tremor fabricae titubantis excutiat.

CONTIGNĀTUS, a, um, part. a *contigno*, trabibus, seu tignis conjunctus. *Vitr.* 1, 5. Itinera sint interioribus partibus turrium contignata. *Caes. B. C.* 2, 15. Quidquid est contignatum, cratibus consternitur.

CONTIGNO, as, avi, atum, a. 1. σανιδόω, tignis tectum jungo. *Plin.* 9, 3, 2. In domibus fores maxillis balaenarum facere, ossibus tecta contignare.

CONTIGNUM, frustum carnis cum septem costis demptum. *Festus.* Al. leg. *Contiguum*.

CONTĪGŬĒ, adv. ἐχομένως, σχεδόν, statim, et quasi contingendo. *Capell.* 9. p. 308. Eam contigue sequebatur.

CONTĪGŬUS, a, um, adj. qui ita proximus est alteri, ut contingat: et generatim vicinus: ab obsoleto *tago* pro *tango*, συναφής. *Ov. Met.* 4, 57. Pyramus, et Thisbe contiguas tenuere domos. [*V. *Gierig.* ad h. l.] *Id. A. Am.* 3, 409. Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus. Contiguus poni, Scipio magne, tibi. *Plin.* 2, 9, 6. Luna alias admota coelo, alias contigua montibus. *Tac. A.* 2, 60. Syri, Armeniique, et contigui Cappadoces. *Virg. A.* 10, 457. Hunc ubi contiguum missae fore credidit hastae. *Ammian.* 31, 14. Periit hoc exitu Valens, quinquagesimo anno contiguus, *h. e.* tangens annum quinquagesimum.

CONTINCTUS, a, um, part. a *contingo*, idem ac tinctus. *Lucr.* 2, 742. Ex ineunte aevo nullo contincta colore. Al. leg. *contacta*. [*Ap. *Eichstadt.* est: *conjuncta colore*.]

CONTĪNENS, entis, part. a *contineo*, συνέχων, qui continet. *Gell.* 13, 9. Libri, quos παιδέκτας inscripsit, tanquam omne doctrinarum genus continentes. *Plin.* 17, 14, 24. Vinculum continens libertatem dehiscendi. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 77. Non continens lacrimas. ℙ Item qui contiguus est alteri, nulla alia re interposita, conjunctus, proximus, vicinus, συνεχής. *Cic. Fat.* 19. Proxima, et continens causa. *Id. N. D.* 2, 45. *ad f.* Mari aer continens est. *Id. Acad.* 4, 33. Mare, quod nunc quia a sole collucet, albescit, dissimileque est proximo et continenti. *Id. Caecin.* 4. Huic fundo continentia praedia, atque adjuncta mercatur. *Id. N. D.* 1, 11. Motus sensui junctus, et continens. *Id. Fam.* 15, 2. Cappadociae pars ea, quae cum Cilicia continens est. *Plin.* 18, 25, 57. Cherronesum, et continentia usque Atho. *Caes. B. G.* 3, 28. Morini continentes silvas, ac paludes habebant: eo se contulerunt. [**Liv.* 5, 39. Timorique perpetuo ipsum malum continens fuit, i. e. sine mora malum secutum est illum timorem.] ℙ Cum de aliqua insula sermo est, *continens terra*, et frequentius *continens* absolute, dicitur ea regio, quae est illi proxima, et insula non est, ἤπειρος. *Varr.* ap. *Charis.* 1, 100. In terra continenti. *Cic. Hort.* ap. *Non.* 4, 102. In continentibus terris. *Nep. Them.* 3. Inter Euboeam, continentemque terram cum classiariis regis conflixit. *Hor. Od.* 2, 18, 20. Marisque Bajis obstrepentis urges Submovere litora, Parum locuples continente ripa. [*Eodem modo ap. *Liv.* 44, 28. Qui propiores continenti littori erant. Cf. *Bauer.* ad *Sanct. Min.* T. 2. p. 108.] *Nep. Milt.* 7. Procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur, incensus est. *Caes. B. G.* 5, 8. Labieno in continente relicto, ipse ad solis occasum naves solvit. (Adde *ib.* 31. et *ib.* 4, 28. et 36. et alibi saepe.) *Plin.* 5, 31, 30. Insula a proxima continente abest VII. M. D. pass. ℙ Absolute *Liv.* 28, 12. Hispania prima a Romanis inita provinciarum, quae quidem continentis sint. ℙ *Continentia urbis* sunt aedificia extra muros urbis posita, sed ipsis contigua. *Terent. Dig.* 50, 16, 147. Qui in continentibus urbis nati sunt, Romae nati intelliguntur. *Paul. ib.* 33, 9, 4. *a med.* Urbes fere omnes muro tenus finiri, Romam continentibus. Adde *Ulp. ib.* 50, 16, 173. et 199. Huc pertinet illud *in vet. Tab. aen.* ap. *Mur.* 582. *ad f.* Quae viae in urbe Roma erunt intra ea loca, ubi continenti habitabitur, *h. e.* ubi continentia aedificia erunt. *Alf. Dig.* 50, 16, 87. Urbem esse Romam, qua muro cingeretur: Romam etiam qua continenti aedificia essent. Ita *Torrent.* et *Gothofr.*, at *Haloand.* in continenti. ℙ *Continentia* apud rhetores, quae sint, docet *Cic. Inv.* 1, 26. Negotiis, inquit, quae sunt attributa, partim sunt continentia cum ipso negotio, partim etc. Continentia cum ipso negotio sunt ea, quae semper affixa esse videntur ad rem, neque ab ea possunt separari. [*V. *Ernest. lex. techn. lat.* p. 91.] ℙ Apud eosdem *continens causae*, (sive quod conjunctum maxime sit cum ipsa causa, sive quod in se causam totam contineat) τὸ συνέχον, est id, quod potissimum agitur in causa, quo sublato lis esse non potest. Ita *Quint.* 11, 3., ubi plura hac de re. *Cic. Inv.* 1, 14. vocat firmamentum, aitque esse firmissimam argumentationem defensoris, et aptissimam ad judicationem: et subdit ipse quoque exemplum. Et *Top.* 25. ea, inquit, continentia vocentur, quasi firmamenta defensionis: quibus sublatis, defensio nulla sit. In *Part.* quoque 29. *ad f.* clarius idem istud exponit. V. ℙ Est praeterea *continens* non interruptus, continuatus, sine intermissione factus. *Caes. B. C.* 3, 63. Continens omnium dierum labor. *Id. B. G.* 5, 11. Continentia bella. Et *ib.* 7, 28. Continens impetus. *Liv.* 37, 25. incendium. Et *ib.* 2, 29, agmen. Et *ib.* 5, 34. memoria. *Cels.* 3, 5. *ad f.* Febres continentes sine remissione. *Auct. ad Her.* 3, 12. *ad f.* Continens vox. *Liv.* 22, 15. Quinque millia continenti cursu sequi aliquem. *Cic. Or.* 3, 57. Continenti spiritu dicere. *Id. Tusc.* 1, 8. Nihil te interpellabo: continentem orationem audire malo. *Sisenn.* ap. *Gell.* 12, 15. Una aestate in Asia et Graecia gesta litteris idcirco continentia mandavimus, ne, vellicatim, aut saltuatim scribendo, lectorum animos impediremus. *Suet. Gramm.* 2. Continens scriptura, *h. e.* non divisa in libros, aut capita. *Id. Cal.* 19. Biduo continenti. *Liv.* 23, 44. Imber continens per totam noctem. *Caes. B. C.* 3, 84. Exercitum eduxit, aciemque instruxit, primum suis locis; continentibus vero diebus, etc. [**Cic. Fin.* 2, 19. Neque porro ex eo natus, cum Pyrrho bellum gerens, consul cecidisset in proelio, seque e continenti genere tertiam victimam rei publicae praebuisset. *Continens genus* est idem, non interrupta serie, avus, filius, nepos. *Ernest.* in *el. Cic.* Nos: *in ununterbrochener Geschlechtsfolge*. ℙ *Continentia verba Cic. Part.* 15. dicuntur, quae per conjunctiones junguntur. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 91.] ℙ *In*, vel *ex continenti* (subaudi *tempore*) est nulla mora interposita, statim, confestim, συνεχῶς. *Justin.* 1, 9. Qui ex continenti, ne dato in poenitentiam spatio, res narraretur, ad regiam pergunt. (Adde 5, 3. et 5.) *Ulp. Dig.* 44, 5, 1. *med.* Si in continenti impositum quid sit liberto, etc. exceptioni locum fore; sed si post intervallum, habet dubitationem, etc. Adde *ib.* 48, 5, 23. ℙ Denique *continens* est, qui se continet a voluptatibus, ab avaritia, ab ira, a caedibus, etc., sobrius, temperans, ἐγκρατής. *Nep. Att.* 13. Non intemperanter concupiscere, quod a plurimis videas, continentis debet duci. *Plin. ep.* 5, 19. *extr.* Parcus et continens. *Caes. B. C.* 1, 23. Ne continentior in vita hominum, quam in pecunia fuisse videatur. *Cic. Parad.* 1, 2. Continentissimi homines, *h. e.* parvo cultu, parceque viventes.

CONTĪNENTER, adv. συνεχῶς, continuate, jugiter, non intermisse, et refertur ad tempus, et ad locum. Ad tempus. *Cic. Acad.* 1, 8. Continenter labuntur, et fluunt omnia. *Auct. ad Her.* 3, 12. Uno spiritu continenter multa dicere, in extrema convenit oratione. *Liv.* 25, 7. In Albano monte biduum continenter lapidibus pluit. *Cic. Inv.* 1, 26. Ante rem gestam quae facta sunt, continenter usque ad ipsum negotium. ℙ Ad locum. *Catull.* 37, 6. continenter sedetis insulsi. ℙ Item temperate. *Cic. Off.* 1, 30. Vivere parce, continenter, severe, sobrie. *August. ep.* 199. et *Confess.* 6, 12. Continentissime vivere.

CONTĪNENTĬA, ae, f. συνοχή, significat ipsum actum continendi: sed sumitur pro ipso complexu rerum, quae in aliquo continentur. *Macrob. Somn. Scip.* 2, 12. Ut breviter a principio omnem operis continentiam revolvam. Sic *Fulgentius* inscripsit *continentiam Virgilianam* librum, quo complexus est per compendium quidquid in Virgilii operibus continetur. Adde *Hieronym. in Joann. Hierosolym. n.* 7. ℙ Item vicinitas, conjunctio. *Macrob. Saturn.* 5, 15. Neque in catalogo auxiliorum Turni, si velis situm locorum mente per-

currere, invenies illum continentiam regionum secutum: *cohaerentiam regionum* paulo ante dixerat. ℙ Item (quod magis est in usu Latino) abstinentia ab illicitis, ἐγκράτεια: nempe virtus illa, quae est pars temperantiae, per quam (ut *Cic. Inv.* 2, 54. definit) cupiditas consilii gubernatione regitur. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 2. Praeclarum est, summo cum imperio fuisse in Asia triennium, sic ut nullum te signum, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla conditio pecuniae ab summa integritate continentiaque deduxerit. *Id. Verr.* 2, 4, 52. Conferte hujus libidines cum illius continentia. *Id. Off.* 2, 24. Valetudo sustentatur continentia in victu omni atque cultu. *Curt.* 3, 12. Si hac continentia animi ad ultimum vitae perseverare potuisset. Hic *continentia* superbiae atque irae opponitur. Sic 6, 6. Continentiam et moderationem in superbiam ac lasciviam vertit. *Caes. B. G.* 7, 52. Nec minus se in milite modestiam et continentiam, quam virtutem atque animi magnitudinem desiderare. *Nep. Att.* 15. Neque servorum quemquam nisi domi natum domique factum, habuit: quod est signum non solum continentiae, sed etiam diligentiae. ℙ *Cic. Off.* 2, 22. abstinentiam, et continentiam conjungit: quae quomodo differant, V. ABSTINENTIA. [*Adde *Doederl.* 2. §. 59. p. 203. sqq. ubi de hujus v. signif. ejusque synonym. pluribus disputat.] ℙ Alio sensu *Suet. Claud.* 32. Dicitur etiam meditatus edictum, quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio emittendi, cum periclitatum quendam prae pudore ex continentia reperisset.

CONTINĔO, es, inui, entum, a. 2. *συνέχω, περιέχω, καταλαμβάνω*, simul teneo, complector, retineo. *Cic. N. D.* 2, 22. Mundus omnia complexu suo coercet et continet. [*Cf. *Lucr.* 5, 320.] Et *ib.* 54. *sub f.* Alvus continet, quod recipit, ut mutari et concoqui possit. Et *ib.* 9. Omnia quae aluntur, continent in se vim caloris. *Curt.* 4, 11. Expeditius manus nostrae rapiunt, quam continent. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 16. Continere aliquid vinculo. Et *ib.* 11, 16. Testae continent humorem, et transmittunt. [*Lucr. 6, 878.] *Cels.* 5, 26. *n.* 23. Sutura si nimis rara est, non continet. ℙ *Contineri* aliquando est continentem esse, conjungi. *Cic. Verr.* 2, 4, 52. *extr.* Pars oppidi mari disjuncta angusto, ponte rursus adjungitur et continetur. [*Eodem modo, addita praepos. *cum*, dicitur ap. *Lucr.* solenni quodam dicendi forma de rerum primordiis eorumque inter se cohaerentia. 1, 817. Atque eadem magni refert primordia saepe Cum quibus, et quali positura, contineantur; Et quos inter se dent motus, accipiantque. Adde *ib.* 980. 2, 761. 1008.] ℙ Item cingi, includi. *Caes. B. G.* 3, 1. *extr.* Vicus altissimis montibus undique continetur. Et *ib.* 4, 23. Montibus angustis mare continetur. *Suet. Aug.* 19. Ex insulis, quibus continebantur, filiam et nepotem rapere ad exercitus destinaverant. [*Tibull. 4, 1, 47. Oceanus ponto qua continet orbem, i. e. ambit] ℙ Item componi, constare, consistere. *Cic. N. D.* 2, 23. Dii non continentur venis, et nervis, et ossibus. *Id. Marc.* 9. Vita corpore et spiritu continetur. [*i. e. pendet e, servatur.] *Id. Div.* 1, 14. Artes, quae conjectura continentur. *Id. Marc.* 7. Quis est tam rudis, qui non intelligat, tua salute contineri suam? *Id. Fin.* 2, 15. Honestas tota his quatuor virtutibus continenter. *Est qui legit* ex his quatuor. [*Contineri dicuntur etiam, quae firma sunt, non rumpuntur. *Cic. N. D.* 2, 57. quae (natura) primum oculos membranis tenuissimis vestivit et sepsit, quas perlucidas fecit; firmas autem, ut continerentur. Eodem modo contrarium dicit *Caes. B. C.* 1, 25. Quum agger altiore aqua continere non posset, i. e. firmitatem, vim sustentandi amittere, durare non posse. Hinc orta videtur notio continuandi, uno tenore perducendi. *Pl. Stich.* 3, 1, 44. Utraque commeatus continet, i. e. continuatur. V. *Gronov.*] ℙ Translate. *Cic. Off.* 2, 24. Nulla res vehementius rempubl. continet, quam fides. [*i. e. conservat. Ita saepius ap. Cic. est pendere ex re aliqua, conservari ab aliquo. *Cic. Dom.* 37. Meus reditus vestro judicio continetur. *Liv.* 41, 23. Romanum foedus, quo nostra omnia continentur, i. e. quibus rerum nostrarum salus nititur. Adde *Ov. Fast.* 4, 94. Perque suos Venus initus continet omne genus, i. e. causa est propagandi generis humani, conservatrix.] *Cic. ad. Quirit.* 1. Continere odium jamdiu conceptum in omnes bonos. *Id. N. D.* 3, 38. dolorem conceptum a se ipso. *Id. Or.* 1, 21. Omnes omnium rerum fontes animo ac memoria continere. *Id. Arch.* 1. *extr.* Omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, quasi cognatione quadam inter se continentur. *Liv.* 28, 2. *extr.* Continere exercitum. ℙ Praeterea saepissime ponitur pro coercere, cohibere, frenare. *Cic. Phil.* 3, 3. Continere belluas septis. *Phaedr.* 3, 6. ora frenis. *Colum.* 7, 10. pecudem sub tecto. *Caes. B. C.* 1, 66. copias in castris. Et *ib.* 3, 45. Quam angustissime continere hostem. *Cels.* 7, 26. Continere aliquem in jejunio. *Liv.* 27, 15. *a med.* milites silentio. *Cels. praef. post med.* corpus, si profluvio laborat. *Suet. Galb.* 6. manus paenulis.. *Cic. Catil.* 1, 8. *extr.* manus et tela civium ab aliquo. *Id. Rabir. perduell.* 6. vocem, *h. e.* cessare a clamore. *Id. Fin.* 4, 25. risum. *Virg. A.* 3, 598. gradum. *Plin. ep.* 3, 11. oculos animumque. *Id. ep.* 1, 8. et *Cic. Att* 13, 21. librum, *h. e.* non edere. *Phaedr.* 4, 17. ventrem. *Plin.* 31, 3, 23. et 9, 8, 7. spiritum. *Cic. Or. de Demosth.* 1, 61. Tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut una continuatione verborum etc. *Plin.* 24, 8, 33. et 28, 11, 46. Continere capillos fluentes, *h. e.* facere, ne defluant. ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 11. Continere omnes cupiditates. [*Id. Har. Resp.* 1. Furentem exsultantemque continui.] Et *ib.* 13. linguam. *Id. Agr.* 1, 6. modeste insolentiam suam. *Id. Acad.* 1, 12. Ab omni lapsu continere temeri. *Id. Acad.* 1, 12. Ab omni lapsu continere temeritatem. *Id. Tusc.* 4, 9. Regere, et continere appetitiones animi. *Brut. et Cass. ad Anton. Fam.* 11, 3. iracundiam. *Id. Or.* 2, 55. dicta in aliquem. *Liv.* 28, 2. animos sociorum in fide. *Caes. B. G.* 3, 11. et *ib.* 5, 3. aliquem in officio. Et absolute eod. sensu. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 2. Quid est negotii, continere eos, quibus praesis, si te ipse contineas? ℙ Continere se. *Cic. Parad.* 3, 1. Continere se in libidine aliqua. *Id. Acad.* 4, 32. ab assentiendo. *Id. Verr.* 2, 5, 29. a supplicio alicujus. *Id. Fin.* 2, 19. ab exemplis, *h. e.* abstinere ab exemplis afferendis. *Id. Brut.* 97. in suis perennibus studiis. *Ter. Phorm.* 2, 3, 17. ruri. *Id. Eun.* 5, 2, 20. Vix me contineo, quin involem in capillum, monstrum. *Pl. Rud.* 4, 4, 128. Contineri, quin complectar, non queo. [*Ov. Met. 4, 351. Jam se male continet amens, i. e. vix retinet.] *Petr. Sat.* 11. Nec se solum intra verba continuit, sed lorum de pera solvit etc. [*Absolute, pro domi manere. *Suet. Caes.* 81. Diu cunctatus, an se contineret. *Id. Galb.* 19. Nihil amplius quam continere se statuit.] ℙ Pro custodire, servare. *Cic. Vatin.* 5. Non custodem ad continendas, sed portitorem ad partiendas merces putares. *Ter. Eun.* 1, 2, 23. Quae vera audivi, taceo, et contineo optime. *Plin.* 21, 7, 18. Arida continent odorem diutius. ℙ Et pro simplici tenere. *Caes. B. C.* 2, 38. Gades se conferre, naves frumentumque omne ibi continere. *Plin.* 31, 9, 45. Continere sub lingua salem, donec liquescat. ℙ Pro morari, detinere, impedire. *Pl. Amph.* 2, 2, 58. An te auspicium commoratum est? an tempestas continet? *Virg. G.* 1, 259. Frigidus agricolam si quando continet imber. ℙ Pro occupare, tenere. *Caes. B. G.* 1, 38. Reliquum spatium mons continet. [*Cf. *Lucr.* 3, 211. Quamque loco se Contineat (animus) parvo, si possit conglomerari. ℙ Translate. *Lucr.* 1, 152. Quippe ita formido mortalcis continet omneis, i. e. implet.] ℙ Pro habere, complecti. *Plin. ep.* 9, 28. Tertia epistola continebat, esse tibi redditam orationem pro Clario. *Cic. Att.* 14, 22. *extr.* Me idus Mart. non tam consolantur, quam antea: magnum enim mendum continent. *Phaedr.* 4, 10. Hoc argumentum continet res utiles. *Plin.* 22, 25, 68. Panis innumeras paene continet medicinas. *Ulp. Dig.* 7, 9, 3. Omnes casus continentur huic stipulationi: *pro* hac stipulatione. Ita *Torrentin.* et *Gothofr.* Sic *leg.* 5. Huic stipulationi, dolum malum abesse, abfuturumque esse, continetur. *Holoand.* utrobique mutavit. ℙ Pertinet etiam ad magistros, qui *continere* dicuntur discipulos, dum eos in aliqua exercitatione detinent. *Cic. Fam.* 7, 19. Exercitatione consequere: in qua quidem nos te continebimus, si etc. *Petr. Sat.* 2. Nondum juvenes declamationibus continebantur, cum etc. *Gell.* 19, 1. Satis attente discipulos juvenes continens. ℙ Eleganter *continere aliquid* dicitur id, quod praecipuum est, et caput ejus rei. *Cic. N. D.* 1, 1. De figuris Deorum, de locis, atque sedibus multa dicuntur: quod vero maxime rem causamque continet etc. *Id. Tusc.* 4, 31. Mihi quidem in tota ratione ea, quae pertinet ad animi perturbationem, una res videtur causam continere, eas esse in nostra potestate. Adde *Div.* 1, 51., *Fin.* 1, 4. et *ib.* 4, 6. [*Id. Part.* 29. Ea, quae sic referuntur, continentia causarum vocentur: quamquam non magis, quae contra rationem defensionis afferuntur, quam ipsae defensionis rationes, continent causas.] ℙ [Part. *Continens* V. suo loco. *Contenturus* est *Lucilii* ap. *Non.* 2, 149. Tu Lucilium credis contenturum, cum me ruperim, summa omnia fecerim. *F.*]

CONTINGO, is, inxi inctum, a. 3. tingere, idem quod tingo, *συγχρώζω*. *Lucr.* 2, 754. Proinde colore cave contingas semina rerum. ℙ Translate. *Id.* 1, 932. Museo contingens cuncta lepore. ℙ Si quis haec ad sequens verbum §. 1. transferenda putet, non valde pugnabimus. [*Adde *Eund.* 1, 937. 4, 13. 1, 946. Plerisque tamen in locis dubites, an illud non, et exquisitius, positum sit. V. *Eichstadt.* in *Ind.* ad *Lucr.* s. h. v.]

CONTINGO, ingis, tigi, tactum, a. 3. *ἅπτομαι*, idem quod tango, sed plenius: a *con* et *tango*. *Cic. N. D.* 2, 47. *sub f.* Aliorum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant. *Virg. Ecl.* 8, 40. Jam fragiles poteram a terra contingere ramos. *Id. A.* 2, 239. funemque manu contingere gaudent. *Cic. Div.* 2, 43. Quanta humilitate luna feratur terram paene contingens. *Liv.* 1, 56. *extr.* Contingere terram osculo. *Virg. A.* 5, 509. avem ferro. *Id. ib.* 18. Italiam. *Lucr.* 1, 564. florem aevi, *h. e.* ad florem aevi pervenire. [*Sil. 13, 419. Nox jussam contigit horam.] *Hor. A. P.* 412. optatam cursu contingere metam. *Ov. rem. Am. extr.* fessae date serta carinae: Contigimus portum. *Id. Met.* 14, 606. ambrosia cum dulci nectare mixta Contigit os, fecitque Deum. Sic *ib.* 2, 123. Pater ora sui sacro medicamine nati Contigit. *Lucr.* 4, 13. oras pocula circum contingere melle, *h. e.* aspergere. *Virg. G.* 3, 403. Contingere sale. *Id. ib.* 448. Contingunt corpus amurca. *Lucr.* 4, 409. Sol contingens suo cominus igni, *h. e* illustrans, calefaciens. [*Cf. 6, 688.] *Catull.* 64, 409. contingi lumine. [*Contingere* dicitur etiam de Diis hominem aliquem institutionis causa levi re, quam manu tenent, ut fronde, tangentibus. *Ov. Fast.* 4, 15. mota Cytheriaca leviter mea tempora myrto Contigit; et, coeptum perfice, dixit, opus. Adde *Propert.* 3, 3, 37.] ℙ Proverbialis locutio gaudentis. *Id.* 1, 8, 43. Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis. [*i. e. nunc mihi licet coelo inambulare tanquam Deo. — Caeterum *contingere sidera* aut *coelum* omnino augustam altitudinem declarat. *Ov. Fast.* 3, 34. *Tibull.* 1, 7, 15.] ℙ *Contingere manum alicujus* est fere signum gratulationis, aut venerationis. *Liv.* 28, 9. Contingere pro se quisque dextras victrices consulum cupientes. *Vellej.* 2, 104. *ad f.* Salutationis nova quaedam exsultatio, et contingendi manum cupiditas. Adde *ib.* 107. ℙ *Contingere* etiam dicuntur, quae vicina et contigua sunt. *Cic. N. D.* 2, 47. Vites a caulibus et brassicis refugere dicuntur, nec eos ulla ex parte contingere. *Caes. B. G.* 7, 23. Neque inter se trabes contingant; pro contingantur. Et *ib.* 1, 38. Radices montis ex utraque parte ripae fluminis contingunt. *Id. ib.* 7, 7. Helvii fines Arvernorum contingunt. *Id. B. C.* 1, 21. Milites disponit perpetuis vigiliis, stationibusque, ut contingant inter se. ℙ Translate. *Cic. Manil.* 1. Cum per aetatem hujus auctoritatem loci contingere non auderem, *h. e.* venire in hunc locum plenum auctoritis. *Id. Tusc.* 1, 19. Cum animus naturam sui similem contigit. *Val. Flacc.* 7, 173. Contingere cura animum alicujus, *h. e.* afficere. *Liv.* 10, 28. Contacturum funeribus diris signa, tela, arma hostium. *Tac. A.* 4, 68. Contingere aliquem modico usu. *Ov. Met.* 1, 211. Contigerat nostras infamia temporis aures. *Ulp. Dig.* 48, 19, 5. Poenae, quae existimationem contingunt. *Juven.* 14, 184. Contingunt me fastidia, *h. e.* fastidio. [*Ov. Met.* 9, 484. Me contingit libido, i. e. corripit, totum me occupat.] *Liv.* 40, 14. *ad f.* Meam causam, quae nihil eo facto contingitur, ne miscueris. *Paul. Dig.* 48, 20, 7. Quos nulla culpa contingit. *Marc. ib.* 29, 5, 16. Pars pretii alicui contingens. *Ulp. ib.* 25, 4, 1. *sub f.* Quos proxima spes successionis contingit. *Id. ib.* 11, 4, 1. Contingi crimine, *h. e.* socium esse criminis. ℙ Pertinet aliquando ad propinquitatem affinitatis, aut cognationis. *Liv.* 24, 22. *ad f.* Quicumque aut propinquitate, aut affinitate, aut aliquibus ministeriis regiam contigissent. *Suet. Aug.* 4. Arctissimo gradu aliquem contingere. *Id. Ner.* 32. Contingere aliquam familiam. *Hor. Sat.* 2, 6, 52. Deos quoniam propius contingis, *h. e.* propior es principibus viris per amicitiam. ℙ Significat etiam provenire, nasci, venire. *Plin.* 19, 5, 23. Columella suum tradit commentum, ut toto anno melopepones contingant. *Id.* 19, 8, 41. Post cymam ex eadem brassica contingunt aestivi cauliculi. *Id.* 13, 24, 46. Apes nunquam defore, cytisi pabulo contingente, promittunt. *Id.* 14, 20, 25. Ut odor vino contingat. *Id.* 32, 4, 14. Contingunt ex testudine quoque aliqua auxilia. ℙ Item saepius evenire, accidere, et impersonalium more effertur. Dicitur autem fere de iis, quae vel insperato, et casu, sed ex voto eveniunt. *Cic. Or.* 2, 4. Magis adeo id facilitate, quam alia culpa mea contigit. Et *ib.* 1, 35. *sub f.* Quoniam tantum habemus otii, quantum jamdiu nobis non contingit. Et *Brut.* 84. Volo, hoc oratori contingat, ut cum auditum sit, eum esse dicturum, locus occupetur, compleatur tribunal etc. *Vell.* 2, 124. Mihi fratrique meo candidatis contigit, praetoribus destinari. *Hor. Ep.* 1, 4, 11. cui Gratia, fama, valetudo contingat abunde. *Ter. Andr.* 4, 2, 13. Hanc mihi expetivi: contigit. *Ov. Pont.* 4, 7, 16. Contigit ex merito qui tibi nuper honos. ℙ Item prospere succedere. *Nep. Thrasyb.* 8. Huic contigit, ut patriam ex servitute in libertatem vindicaret. *Cic. Off.* 2, 12. Cum id minus contingeret, leges sunt inventae. *Justin.* 5, 9. *sub f.* Thrasybulum corrumpere conantur, quod cum non contigisset etc. ℙ [*Eleganter vv. *contingere* et *videri* opponuntur. *Quint. Decl.* 10, 2. p. 213. Multum perdidit mater, si contingebat hoc illi: non minus, si videbatur. Contingere h. l. signif., vere ipsi (matri) filium adfuisse, non in imagine aut somno appa-

ruisse ejus speciem. Cf. *ib. c.* 5. *Tibull.* 1, 1, 49. *Prop.* 2, 3. Et ita saepe amantes sibi contigisse amicam vel uxorem dicunt. Haec *Burm. Id. ib.* laudat *Donat.*, qui notat ad *Ter. Andr.* 4, 2. contingere ea, quae vix eveniunt, i. e. quae vix audemus sperare nobis eventura.] ℙ Cum accusativo pro dativo. *Plin.* 18, 11, 29. Quae palma frugum indubitata Italiam contingit. *Vell.* 1, 1. Sortiti sunt, uter patria decederet: sors Tyrrhenum contigit. ℙ Si mihi vita contigerit. *Planc. ad Cic. Fam.* 10, 24. ℙ *Si quid alicui contingit*, h. e. si quid mali accidit. *Ulp. Dig.* 28, 3, 6. *med.* ℙ *Scaevola Dig.* 34, 4, 30. *sub f.* Si quid humanitus ei contigerit, *h. e.* si morietur. V. dicta in ACCĬDO, ubi etiam diximus de discrimine inter *accido*, et *contingo*.

*CONTINOR, aris, dep. 1. conto ferio, ut jaculor jaculo. *Auct. Itin. Alex.* ed. *A. Majo*, 14. Nimius tormento jaculandi, continari quem destinasset peritus etc. Suspectus locus *Majo*; cui forte corrigendum videtur *conlineare* vel *conlimare* quo. *B. A.*

CONTĬNŪANTER, et
CONTĬNŪĀTĒ, et
CONTĬNŪĀTIM, adv. sine intermissione, συνεχῶς. *August. Retract.* 1, 24. Epistolam exposui non carptim, sed continuanter, et totam. *Fest.* in *Strigae*: Strigae appellabantur ordines rerum inter se continuate collocatarum. *Front. de different. verb.* p. 2195. Continue facimus assidue: continuate, sine intermissione. *August. ep.* 112, 20. Quae continuatim Apostolus posuit.

CONTĬNŪĀTĬO, onis, f. συνέχεια, διώρεια, actus continuandi, consecutio non interrupta, perpetuitas. *Liv.* 41, 15. Interrumpi tenorem rerum, in quibus peragendis continuatio ipsa efficacissima esset, minime convenire. *Cic. N. D.* 1, 4. *extr.* Admirabilis continuatio seriesque rerum. *Id. Acad.* 1, 7. *extr.* Immutabilis continuatio ordinis sempiterni. *Caes. B. G.* 3, 29. Continuatio imbrium. [*Suet. Tib.* 21. Attenuatum te esse continuatione laborum, i. e. laboribus sine intermissione, sine requie exantlatis. *B. Crus.* in *cl.*] *Flor.* 4, 2. *ad f.* Continuatio prosperorum. *Senec. Consol. ad Marc.* 18. *med.* Vinculum terrarum oceanus continuationem gentium triplici sinu scindens, *h. e.* terram, quae ubique a gentibus habitatur, trifariam dividens. *Id. Q. N.* 3, 2. ita *continuationem corporum* definit: Continuatio est partium inter se non intermissa conjunctio. ℙ Etiam periodus, in qua est comprehensa series, et sententia continuata, hoc nomine appellatur. *Cic. Or.* 61. Circuitus ille verborum, quem Graeci περίοδον, nos tum ambitum, tum comprehensionem, aut continuationem dicimus. Et *Or.* 3, 13. Non nimis longa continuatione verborum dicere. Adde *ib.* 1, 61. ℙ Est etiam exornatio quaedam oratoria, scilicet densa et continens frequentatio verborum, cum absolutione sententiarum. Ea utemur commodissime in sententia, in contrario, in conclusione. *Auct. ad Her.* 4, 19. [*Cf. de hujus voc. usu et significatione in rebus oratoriis *Ernest. lex. technol. lat.* p. 92.] ℙ Item genus pronunciationis, quo cum clamore verba plura festinanter enunciantur, et pertinet ad contentionem vocis, ut in CONTENTIO dictum est. *Id.* 3, 13. Huic similis est illa, quae definitur a *Diom.* 2, 431. Continuatio est rerum contexta dictio, ut *Scythiam, septemque triones.* Verum haec potius pertinet ad locutionum grammaticam.

CONTĬNŪĀTUS, a, um, part. a *continuo*, non interruptus, continenter factus. *Cic. Tusc.* 1, 10. *extr.* Continuata motio, et perennis. *Cels.* 6, 6. *n.* 14. Continuati fletus. *Caes. B. C.* 3, 11. Iter continuatum et nocte et die. *Liv.* 1, 46. *extr.* Prope continuata funera, *h. e.* unum paene statim post aliud. *Curt.* 7, 11. Fatigatione continuati laboris affectus. ℙ Item contigue positus. *Cic. Vat.* 9. Fecisti ante Rostra pontem continuatis tribunalibus. *Id. Agr.* 2, 26. Ager latissime continuatus. *Id. N. D.* 2, 45. Aer mari continuatus et junctus. [*V. *Heindf.*] *Id. Acad.* 1, 7. *a med.* Natura cohaerens et continuata cum suis partibus. *Curt.* 5, 4. Ita ut procul visentibus continuata videantur montibus nemora. *Varr. R. R.* 2, 9. Tauros solere diversos assistere clunibus continuatis, et cornibus facile propulsare lupos. *Ov. Fast.* 2, 243. Continuata loco tria sidera. [*Id. ib.* 4, 130. Et formosa Venus formoso tempore digna est: Utque solet, Marti continuata suo, i. e. mensis Aprilis Martio. Cf. *ib. v.* 60.] ℙ *Continuata verba* sunt composita, seu continuata serie in oratione disposita. *Cic. Or.* 3, 37. Est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est, alius, qui ex continuatis conjunctisque constat. [*Cf. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 92.] ℙ *Continuata mulier* dicitur, quae bis terve a viro continenter initur. *Ov. Amor.* 3, 7, 23. At nuper bis flava Chlide, ter candida Pitho, Ter Libas officio continuata meo. ℙ *Continuatissimus* est *Sid. ep.* 8, 3.

CONTĬNŪĒ, adv. συνεχῶς, sine intermissione. *Varr. L. L.* 4, 5. Inter stillicidia et flumina hoc interest, quod stillicidium, eo quod stillatim cadat, flumen, quod continue. [*Adde *Non.* p. 776, 26. *Merc.* Protinus, jugiter et continue. Cf. *Nolten lex. antib.* p. 894. Laudat haec *Döderl.* 1, 27.]

CONTĬNŪĪTAS, atis, f. continuatio. *Varr. L. L.* 6. *sub f.* Protinam a protinus, continuitatem significans. *Plin.* 8, 30, 44. *de hyaena.* Collum et juba continuitate spinae porrigitur: flectique, nisi circumactu totius corporis, nequit.

CONTĬNŪO, adv. statim, illico, nulla mora interposita, παραχρῆμα. *Cic. Rosc. Com.* 6. Ignis in aquam conjectus continuo restinguitur. *Id. Acad.* 4, 1. Deinde absens factus aedilis, continuo praetor. *Id. Att.* 9, 15. Quidquid egero, continuo scies. *Ter. Andr.* 3, 2, 24. Si quid narrare occepi, continuo tibi dari verba censes. *Id. Hecyr.* 5, 3, 15. Aderit continuo, hoc ubi ex te audierit. [*Pl. *Bacch.* 3, 1, 7. Ne continuo contuli protinam in pedes.] *Cic. Verr.* 2, 4, 22. Continuo ut vidit, non dubitavit e mensa tollere, *h. e.* statim ac. *Id. Or.* 1, 26. *ad f.* Continuo consilium dimisit, simul ac me fractum vidit. [*Quint. Inst.* 2, 20, 3. ed. *Spald.* Qui grana ciceris, ex spatio distante missa in acum continuo et sine frustratione inserebat, i. e. uno tenore et semper feriendo. Utrumque et continuo et sine frustratione ad jactum pertinet.] ℙ *Non continuo. Cic. Or.* 2, 48. Non continuo, si quis motus populi factus esset, id C. Norbano in fraude capitali esse ponendum etc. *Id. Rosc. Am.* 33. *ad f.* Non continuo, si me in gregem sicariorum contuli, sum sicarius. ℙ Item jugiter, perpetuum, aeternum, ut *Servius* exponit in illo *Virg. G.* 1, 60. Continuo has leges, aeternaque foedera certis Imposuit natura locis. Et *ib.* 3, 486. Continuoque greges villis lege mollibus albos. ℙ [*Continuo* et *perpetuo* ita differunt ut hoc rem spectet, usque ad certum quendam finem perducendam; illud eam agendi rationem designet, quae statim fit et sine intermissione. *Döderl.* 1, 2.]

CONTĬNŪO, as, avi, atum, a. 1. παρασυνάπτω, ἐνδελεχίζω, continenter ago, sine intermissione aliquid dico, aut facio. *Liv.* 24, 9. Continuare consulatum. *Caes. B. C.* 3, 36. *ad f.* Die ac nocte continuato itinere, ad eum pervenit. *Suet. Ner.* 1. Praenomina modo continuantes per ternas personas, modo alternantes per singulas. [*Cf. *Brem.* ad h. l.] *Plin.* 14, 22, 28. Biduo duabusque noctibus continuare perpotationem. *Id.* 20, 5, 17. Nemo tres siseres edendo continuaret. *Tac. A.* 15, 5. Diem noctemque sedilibus continuare. *Id. ib.* 13, 9. Solitam prioribus reverentiam in populum R. continuare. *Id. ib.* 14, 20. Theatro dies totos continuare. *Liv.* 38, 33. Philopoemeni continuatur magistratus. *Vell.* 2, 91. Continuare praeturam alicui, *h. e.* statim post aedilitatem praetorem facere. *Auct. Pan. ad Constant.* 15. *extr.* Continuare victorias. *Petr. Sat.* 89. *extr. in carm.* Hic graves alius mero Obtruncat, et continuat in mortem ultimam Somnos. *Cic. Or.* 3, 47. Hi tres heroi pedes in principia continuandorum verborum satis decore cadunt. ℙ [*Continuari verba* dicuntur, cum verba phrasi junguntur, vel periodi struuntur. *Ernest.* in *cl.* Aliter intelligenda verba sunt ap. *Quint.* 4, 1. 61. ed. *Spald.* Turbari memoria et continuandi verba facilitate destitui. H. l. est: sine haesitatione et intermissione ex memoria orationem proferre. *Ern. lex. technol. lat.* p. 93.] ℙ Neutrorum more. *Cels.* 2, 4. Febres quae sic continuent, ut etc. Et 3, 3. *med.* Febres ita, ut coepere, continuant. ℙ Et passive eod. sensu. *Id.* 3, 5. Si continuatur febris, neque levior unquam fit. *Justin.* 2, 2. Profecto non tantum bellorum per omnia saecula terris omnibus continuaretur. ℙ *Continuari alicui* est proxime haerere, continenter sequi. *Cic. N. D.* 1, 20. Atomi cohaerescunt inter se, et aliae alias apprehendentes continuantur. *Liv.* 2, 54. Paci externae confestim continuatur discordia domi. *Ov. Pont.* 1, 2, 26. hiemi continuatur hiems. *Tac. Germ.* 45. *sub f.* Suionibus Sitonum gentes continuantur. ℙ Cum accusativo. *Appul. Met.* 1. *sub f.* Inde me egredientem continuatur Pytheas condiscipulus meus, contiguus et comes fit mihi in via. Et *ib.* 11. Incontanter dimotis turbulis continuare pompam. Hic loquendi modus a veteribus quoque usurpatus fuit. *Sisenna* ap. *Non.* 2, 191. Marius ostio Liris evehitur, adque Aenariam suos continuatur, *h. e.* suos adsequitur, et cum iis conjungitur. ℙ Est etiam *continuare* contiguum facere, cum aliam alii rei connectimus et conjungimus. [*Haec primo loco ponenda erat significatio.] *Ov. A. Am.* 1, 496. Continuare latus lateri. *Liv.* 1, 44. Continuare aedificia moenibus. [*i. e. ad muros usque exstruere.] *Id.* 34, 4. et *Cic. Agr.* 3, 4. Ingens cupiditas agros continuandi. [i. e. coemendi, non simpliciter, sed proximos quosque agros. *S.* in *lex. Liv.* p. 142.] *Hor. Od.* 3, 16, 41. si Mygdoniis regnum Alyattei Campis continuem. *Tac. A.* 15, 9. Continuare pontem. *Ov. A. Am.* 1, 406. calendae, Quas Venerem Marti continuasse juvat, *h. e.* cal. April. *Pacat. Pan. ad Theod.* 39. Exercitus spatio lucis unius Illyrico continuavit Aquilejam, *h. e.* eodem die continenter ex Illyrico Aquilejam pervenit: et quodammodo eas regiones itinere unius diei conjunxit. *Senec. Ira*, 2, 36. Multi continuaverunt irae furorem, *h. e.* statim post iram in furorem inciderunt. [*Liv.* 32, 7. Nec per honorum gradus nobiles homines tendere ad consulatum, sed transscendendo media, summa imis continuare: int. de extremis honoribus, quum per saltum ascenditur.] ℙ Supplet aliquando alia verba. *Ov. Met.* 14, 239. saxa trabesque continuant, *h. e.* jacere pergunt. [*V. *Heins.* qui hanc duorum edd. lectionem in textum recepit, pro vulg. *conjiciunt.* Cf., quem *Jahn* ad h. l. *laud. Burm.* ad *Prop.* 3, 19, 14. p. 674.] *Hor. Sat.* 2, 6, 107. cursitat hospes, Continuatque dapes, *h. e.* continue infert mensae. *Stat. Theb.* 9, 290. segnem Nomium, fortemque Mimanta, Thisbaeumque Lichan, Anthedoniumque Lycetum Continuat ferro, *h. e.* unum statim post alium obtruncat. (Adde *ib.* 12, 745.) *Id. ib.* 1, 451. inde orsus in ordine Tydeus Continuat.

CONTĬNŪUS, a, um, adj. συνεχής, qui sine intermissione est, continens, perpetuus, perennis: a *con*, et *teneo*. *Pl. Mil.* 3, 1, 147. Triduum continuum. *Cic. Verr.* 2, 5, 36. Tot dies continuos quid egisti? *Id. Manil.* 18. Aliquot annos continuos populus R. magna parte imperii caruit. *Id. Or.* 3, 48. Recte genus hoc numerorum, dummodo ne continuum sit, in orationis laude ponetur. *Lepid. ad Cic. Fam.* 10, 34. Continuis itineribus ad Forum Vocontium veni. *Prop.* 1, 20, 1. Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore. *Caes. B. G.* 7, 14. Continua incommoda. *Ov. Pont.* 2, 7, 41. continuo Fortunae vulneror ictu. Et *ib.* 1, 4, 8. Continuus labor. *Id. A. Am.* 3, 82. continua messe senescit ager, *h. e.* ager qui nunquam intermittit segetem ferre. *Id. Fast.* 5, 734. Continua dies. Sic *ib.* 6, 720. Continua nocte. *Plin.* 7, 41, 42. Continua series. Et *ib.* Tres continui principes senatus. *Id.* 36, 26, 66. Continuis fornacibus, ut aes, liquatur, *h. e.* ut non transferatur ex una in aliam fornacem, sed in eadem continue ardenti coquatur. *Id.* 30, 1, 2. Successiones continuae. *Id.* 24, 11, 50. Naturam continuis his voluminibus tractamus. *Id.* 10, 29, 43. *de cantu lusciniae.* Nunc continuo spiritu trahitur in longum. ℙ *Continuus alicujus*, qui cum eo assidue vivit. *Tac. A.* 6, 26. Coccejus Nerva continuus principis. ℙ Pro continenti, contiguo, nihil habenti interjectum. *Senec. Q. N.* 2, 6. Aer continuus terrae est. *Hor. Ep.* 1, 16, 5. et *Plin.* 6, 30, 35. Continui montes. *Id. ib.* 26, 30. Fluit continuo alveo Euphrates, priusquam distrahatur ad rigua. *Id.* 7, 16, 15. Aliqui vice dentium, continuo osse gignuntur. *Ov. Met.* 15, 289. Leucada continuam veteres habuere coloni: Nunc freta circumeunt. *Justin.* 16, 1. Post Cassandri, et filii ejus continuas mortes. Sic *Plin. Pan.* 58. Continui consulatus. [*Id.* 51, 4. Siquidem per omne spatium una facies, omnia continua et paria, i. e. orchestra una serie procurrebat, neque illa interrumpebatur suggestu projecto.] ℙ Continuus serpens super fluvios geminae jacet aggere ripae, *Stat. Theb.* 5, 516., *h. e.* qui utramque ripam, capite hinc, inde cauda incumbens, continet, insidetque. ℙ *Continuus* aliquando dicitur, qui aliquid continue facit. *Stat. Theb.* 9, 429. *de Ismeno fluvio.* Aspice quas fluvio caedes, quae funera portem Continuus, telis, altoque adopertus acervo. ℙ Differunt *continuus*, et *contiguus*, si stricte accipias, quod continua sunt, quae communi termino continentur; contigua, quae terminum habent proprium, sed inter ea nihil est intermedium. Verum haec Latini scriptores raro servant.

CONTĪRO, onis, m. simul tiro, ut *commilito*, simul miles. *Inscr.* ap. *Mur.* 805, 4. Claudio Caro Mil. Coh. VIII. Pr. heredes et contirones benemerenti fecerunt.

CONTOGĀTUS, a, um, adj. *Ammian.* 29, 2. Festus quidam in nexum germanitatis a Maximino dilectus, ut sodalis et contogatus, *h. e.* togatus, seu advocatus in eodem foro, ut *Vales.* exponit.

CONTOLLO, is, a. 3. semel legitur ap. *Pl. Aul. a.* 5. *v.* 6. Contollam gradum, *h. e.* conferam. *Non.* 2, 100. exponit, *contra tollam*: sed idem est cum *conferam*.

*CONTOMONOBŎLON, i, n. e *Cod. Just.* 3, 34, 3. laudatur, et ludus esse dicitur, quo jactetur pertica. V. *Salm.* ad *Sol.* p. 726. a G. *B. A.*

CONTONAT, abat, nuit, n. impers. 1. idem quod tonat, aut valde tonat. *Pl. Amph.* 5, 1, 42. Ibi continuo cantonat sonitu maximo.

CONTOR, aris, dep. 1. πυνθάνομαι, est conto explorare: et translate inquirere in genere. *Cic. Att.* 11, 10. Cumque ex eo de me contaretur. Al. leg. *percontaretur. Graevius* priorem lectionem retinet. *Non.* 4, 55. docet, *contari* significare etiam dubitare, et manere, et differre, allatis exemplis *Ciceronis*, et *Virg.*, in quibus vulgo legitur *cunctari.* Ex quo colligimus, etiam *contor* pro *cunctor* dictum fuisse: quod et *Don.* ad *Ter. Hecyr.* 1, 2, 2. de *percontor* loquens, testatur.

[CONTORPĔO, es, n. 2. idem ac torpeo. *Not. Tir.* p. 94. Contorpet. *F.*]

CONTORQUĔO, es, orsi, ortum, a. 2. κατειλέω, idem quod torqueo, magna vi flecto, circumago. [*Ernest.* in *Indice Cicer.* haec habet de hujus verbi

significatione: Contorquere dicitur proprie de eo motu hastae, aut cujuscumque jaculi, quo ei majorem vim atque impetum addimus, quod fit vel manu, aut machina aliqua, quae ideo tormentum appellatur. Hinc est, quod, quidquid celerius movetur et fertur, aut vehementius ob brevitatem et celeritatem pronunciationis ferit, cujusmodi sunt acutiores brevioresque conclusiones, quibus paene resisti, quamvis falsis, non potest, id omne *contorqueri*, *contortum* dicimus. *F.*] *Cic. Div.* 1, 53. Animal omne membra, quocumque vult, flectit, contorquet. *Id. Arat. N. D.* 2, 44. Brumali flectens contorquet tempore currum. *Id. ib.* 21. Non est aetheris ea natura, ut vi sua stellas complexa contorqueat. *Val. Fl.* 1, 455. Celsaque semiferum contorquens frena luporum. *Lucr.* 4, 902. Contorquere gubernaclum quolibet. *Virg. A.* 4, 562. Contorsit laevas proram Palinurus ad undas. ℙ Item magua vi atque impetu volvere, convolvere, miscere. *Id. G.* 1, 481. Proluit insano contorquens vortice silvas Fluviorum rex Eridanus. *Lucan.* 4, 102. subitisque frementes Vorticibus contorsit aquas. *Sil.* 3, 50. Nereus imo freta contorquet Neptunia fundo. ℙ Item jaculari, cum impetu projicere, quia cum jacimus aliquid, vel brachium, vel arcus torquetur. *Virg. A.* 7, 165. lenta lacertis Spicula contorquent. *Id. ib.* 2, 51. hastam In latus, inque feri curvam compagibus alvum Contorsit. [*Adde *Curt.* 8, 14. Contorquere telum in aliquem. Transfertur etiam ad alia quibus propussandi, projiciendi vis quaedam tribuitur. Ita *Sil.* 4, 309. Pingui contorquet (ignis) nubila fumo, i. e. versando, rotando emittit.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 17. *ad f.* Auditor, tamquam machinatione aliqua, tum ad tristitiam, tum ad laetitiam est contorquendus. *Id. Div.* 2, 51. Deinde contorquent, et ita concludunt: Non igitur etc., *h. e.* ita vi prant conclusionem, vel, ut placet *Turnebo Advers.* 5, 19., connexum, quod recta ferri debebat, torquent per particulas obliquas. *Id. Tusc.* 3, 26. At quam rhetorice? quam copiose? quas sententias colligit? quae verba contorquet? *h. e.* profundit, jacit. *Plin. ep.* 5, 20. Tam longas, tamque rigidas periodos uno spiritu, quasi torrente, contorquent.

CONTORRĔO, es, orrui, a. 2. idem quod torreo, *συγκαίω*. *Ammian.* 18, 7. Ignis pubentes herbas contorruit. *Not. Tir.* p. 149. Contorret.

CONTORSĬO. V. CONTORTIO.

CONTORTĔ, adv. *συνεστραμμένως*, oblique: et per translationem perplexe, obscure. *Cic. Inv.* 1, 20. *ad f.* Ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur. [*Ald. *Manut.* de hyperbatis intell. Sed V. quae notavimus in *Contortus.*] ℙ *Id. Tusc.* 3, 10. Haec sic dicuntur a Stoicis, concludunturque contortius: sed latius aliquanto dicenda sunt, et diffusius, *h. e.* concisa et vibrata oratione. V. CONTORTUS.

CONTORTĬO, onis f. actus contorquendi, flexio: a *contortus*. *Auct. ad Her.* 4, 19. Ex remotione bracchii, et contortione dextrae gladius ad corpus afferri videtur. ℙ Translate. *Cic. Fat.* 9. Majus est has contortiones orationis, quam signorum ortus, obitusque perdiscere. [*Intell. de conclusionibus difficilioribus et fallacibus Chrysippi. *Ern.* in *Cl.*] Est qui legit *contorsiones*, a praeterito *contorsi*: quae lectionis varietas est etiam apud *Aug. Retract.* 1, 50. Liber ratiocinationum, contortione atque brevitate obscurus.

CONTORTIPLĬCĀTUS, a, um, adj. contorte plicatus, involutus. *Pl. Pers.* 4, 6, 26. Ita sunt Persarum mores, longa nomina contortiplicata habemus, *h. e.* ex multis vocibus composita, adeoque involuta, ut efferri vix possint, qualia sunt, quae ibidem *Pl.* refert. Alii leg. *Contortuplicatus.*

CONTORTOR, oris, m. qui contorquet, et implicat. *Ter. Ph.* 2, 3, 27. Bonorum extortor, legum contortor, *h. e.* qui leges iniqua interpretatione traducit, et perperam detorquet. ℙ *Prisc.* 9, 871. legit: Bonorum contortor, legum distortor. Sed *bonorum contortor* contortam habet implicatamque interpretationem.

CONTORTŬLUS, a, um, diminut. a *contortus*. *Cic. Tusc.* 2, 18. Stoici contortulis quibusdam, ac minutis conclusiunculis, nec ad sensus permanantibus, effici volunt, non esse malum dolorem.

CONTORTUS, a, um, part. a *contorqueo*, tortus, flexus, conversus *συνεστραμμένος*. *Cic. Div.* 1, 19. Quosdam exaruisse amnes, aut in alium cursum contortos et deflexos videmus. *Senec. Hippol.* 707. Impudicum crine contorto caput Laeva reflexi. *Quint.* 8, 2. Vertex est contorta in se aqua. *Plin.* 11, 37, 45. Cornua rugarum ambitu contorta sunt strepsiceroti. *Id.* 13, 9, 17. et 16, 39, 76. *n.* 1. Contorta arbor, *h. e.* quae lignum habet intus spiris convolutis, et in se recurrentibus, quae tamen nodi non sunt: quae inter vitia materiei ponuntur. *Auct. ad Her.* 4, 55. Contorta toga celerius ire coepit, *h. e.* circa brachium revoluta. ℙ Item jactus. *Virg. A.* 9, 705. Sed magnum stridens contorta falarica venit, Fulminis acta modo. Et *ib.* 11, 561. adducto contortum hastile lacerto Immittit. *Flor.* 3, 4. Contorta tela in aquas mittere. ℙ Translate est involutus, implicatus, perplexus. *Cic. Acad.* 4, 24. Quorum sunt contorta, et aculeata quaedam sophismata. *Id. Or.* 1, 58. *sub f.* Si de tabulis et praescriptionibus controversia est, contortas res, et saepe difficiles necessario perdiscimus. [*Est autem de eo genere obscuritatis, quod ex nimia brevitate oritur, quod oratio nimis brevis, citius quam intelligi potest, praetervehitur. Ita *Ernest.* in *cl. Graev.* ad *Herenn.* 1, 9. ubi idem narrationis praeceptum occurrit, *contortam narrationem*, de confusione ordinis rerum explicat, quae rerum conjungendarum transpositione, et non necessariorum interpositione fiat. *Ern. lex. technol. lat.* p. 93.] ℙ Item vehemens, incitatus, et quasi vibratus. *Id. Or.* 20. In historia interponuntur conciones, et hortationes: sed in his tracta quaedam et fluens expetitur, non haec contorta et acris oratio. *Id. ib.* 69. *extr.* Demosthenis non tam vibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur. *Quint.* 10, 7. *med.* Contorta vis orationis. *Id.* 9, 4. *med.* opponit in oratione *plena*, et *parum expleta; fragosa*, et *lenia; contorta*, et *stabilita; clauda* et *redundantia.* [*Cf. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 94. sq. ubi varia *Gr.* et *Rom.* demonstratur ratio, qua ad unam eandemque rem signifcandam variarum rerum similitudines arripuerint, variaverintque methaphoras.]

CONTRĂ, praeposit. quartum casum regens, *ἀντὶ, κατὰ*, adversus, adversum. *Cic. Or.* 3, 20. Hoc non modo non pro me, sed contra me est potius. *Id. N. D.* 2, 67. Impia consuetudo contra Deos disputandi. *Id. Quint.* 13. Dicere contra caput alicujus, *h. e.* accusare in re capitali. *Id. Or.* 1, 39. Defendere causam alicujus contra aliquem. Et *ib.* 3, 19. Facere contra legem. *Id. Off.* 3, 5. Detrahere alteri sui commodi causa, est contra naturam. Et *ib.* 1, 6. Veri studio a rebus gerendis abduci, contra officium est. *Id. Att.* 9, 7. *a med.* Contra meum judicium, et contra omnium antiquorum auctoritatem. *Liv.* 3, 13. Vi contra vim resistere. *Id.* 24, 45. Posteaquam res Romana contra spem votaque ejus velut resurgeret. *Caes. B. G.* 6, 29. Contra opinionem omnium. *Plin.* 10, 75, 98. Contra consuetudinem. *Coel. ad Cic. post ep. ad Att.* 9, 10. Facere contra victorem. *Caes. B. G.* 2, 1. Conjurare contra populum R. Et *ib.* 13. Contendere armis contra aliquem. *Plin.* 29, 3, 12. Fluitare contra aquas. *Id.* 18, 35, 88. Boves se lambentes contra pilum. *Id.* 23, 1, 22. Patientia contra labores. *Id.* 17, 10, 14. Contra pondus attollere se. *Id.* 8, 25, 37. Cutis invicta contra ictus. ℙ Saepe refertur ad remedia. *Plin.* 17, 24, 36. *n.* 10. Medicina contra ebrietates. *Id.* 7, 2, 2. Ophiogenes, quorum salivae contra ictus serpentium medentur. *Id.* 29, 2, 9. Lanae sunt tutela contra frigora. ℙ Item ad situs locorum, et significat ex adverso, e regione, [*Gr. *ἐναντίον.*] quam esse propriam hujus vocis significationem, *Prisc.* 15, 976. docet. *Liv.* 3, 26. Trans Tiberim, contra eum locum, ubi nunc navalia sunt. *Caes. B. C.* 3, 23. Insula, quae contra Brundusinum portum est. *Suet. Cal.* 25. Contra accumbens. *Plin.* 37, 10, 63. Lapis contra solem varie refulgens. *Colum.* 7, 3. *ante med.* Contra ventum gregem pascere. *Pl. Most.* 5, 1, 55. Aspice dum contra me. *Hirt. B. Alex.* 24. Flens orare contra Caesarem coepit, ne se dimitteret, *h. e.* coram. [**Quint. Inst.* 10, 3. p. 938. Relinquendae autem in utrolibet genere contra vacuae tabellae. V. *Burm.* qui laud. *Ov. Met.* 4, 79. Partique dedere Oscula quisque suae non pervenientia contra.] ℙ Ponitur etiam ad significandam ascensionem. *Plin.* 7, 20, 19. Salvius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, et ducenaria duo humeris contra scalas ferebat. Et *Sil.* 14, 352. contra ardua. ℙ *Contra ea* pro *contra* adverbii, seu conjunctionis more ponitur. *Nep. praef.* Contra ea, pleraque nostris moribus sunt decora, quae etc. *Caes. B. C.* 3, 74. Contra ea Caesar neque satis militibus confidebat etc. *Liv.* 4, 52. Superbe ab Samnitibus legati prohibiti commercio sunt: contra ea benigne ab Siculorum tyrannis adjuti. ℙ Interdum suo casui postponitur. *Cic. Or.* 10. Ut eos ipsos, quos contra statuas, placabiles dimittas. *Id. Acad.* 4, 15. Quos contra disputant. *Tac. A.* 3, 1. Corcyra litora Calabriae contra sita. ℙ Videtur aliquando poni pro erga, quemadmodum et adversus. *Plin.* 8, 7, 7. Elephanti tanta narratur clementia contra minus validos, ut in grege pecudum occurrentia manu dimoveat, ne quod obterat imprudens. ℙ Et loco praepos. *pro. Id. in. l.* 7. Merces contra munera. ℙ Frequenter adverbium est, sine casu, et modo significat adversus, e contrario. *Caes. B. G.* 2, 17. Legiones contra consistere non auderent. *Juven.* 3, 290. Stat contra, starique jubet. *Cic. Or.* 1, 19. Disputabant contra diserti homines, Athenienses. *Id. Fam.* 5, 5. Pro iis rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiam, tu es testis. Contra etiam esse aliquid abs te profectum etc. *Id. Off.* 1, 15. *sub f.* Quod contra fit a plerisque. *Id. Tusc.* 5, 6. Ergo ut hi miseri, sic contra illi beati. *Id. Fam.* 4, 4. Nos, qui domi sumus, tibi beati videmur: at contra tu prae nobis beatus etc. *Id. Att.* 10, 8. Id ego contra puto. *Id. Cluent.* 31. Sapientissimum esse dicunt eum, cui etc., proxime accedere illum, qui etc. In stultitia contra est. *Id. Fin.* 2, 17. Num igitur eum censes aaxio animo fuisse? nihil minus: contraque ob eam rem laetus. [**Suet. Caes.* 73. Simultates contra nullas tam graves excepit etc. V. *Burm.* et *Oudend.*] *Plin.* 16, 39, 74. Contra vero Hieronem regem etc. [*H. l. notandae sunt singulares dicendi formulae ap. *Cic. Agr.* 2, 33. *Contra petere aliquid;* intell. de competitoribus. *Cluent.* 48. Si quis contra dicere vellet, i. e. accusare. Utroque loco *Ernest.* est interpretatio. Cf. *Quint. Inst.* 5, 11, 13. ed. *Spald.*] ℙ Habet post se eleganter particulas *ac*, *atque*, *quam*. *Cic. Phil.* 11, 13. *ad f.* Contra, ac Dejotarus sensit, victoria belli judicavit. *Id. Sull.* 24. *ad f.* Faciam contra, atque in ceteris causis fieri solet. *Id. Pis.* 8. Ut senatus, contra quam ipse censuisset, ad vestitum rediret. ℙ Modo ponitur pro vicissim, aut ex alia parte. *Pl. Amph.* 2, 2, 23. Quae me amat, quam contra amo. *Cic. Phil.* 2, 15. Sed et ego, quid ille, et contra ille, quid ego sentirem, videbat. *Ter. Eun.* 2, 3, 63. Si scias quod donum huic dono contra comparet. [*Cf. *Ruhnk.* ad h. l. et quem *laud. Drakenb.* ad *Liv.* 4, 5, 3.] ℙ Modo pro e regione. *Virg. A.* 6, 24. Contra elata mari respondet Gnosia tellus. *Liv.* 5, 37. *extr.* Jam omnia contra, circaque hostium plena erant. *Id.* 1, 16. Contra intueri aliquem. *Suet. Cal.* 18. Qua epulatione equiti R. contra se avidius vescenti partes suas misit. *Fulgent. Mythol.* 1, 14. Fit vox quatuor dentibus e contra positis. *Id. de prisco serm.* in *Nefrendes.* Cicatrices habuisse e contra XLV. *h. e.* adversas. ℙ Qui pro *contra* usurpant *e contra*, vel conjunctim *econtra*, patronos habent *Aurel. Vict. Caes.* 39. *ad f.* E contra suppliciis flagitiosi cujusque, virtutum studia augebantur. *Hieron. ep.* 128. *n.* 2. Aliis vero e contra videtur. Adde *Serv.* ad *Aen.* 6, 772. et *Prisc.* 1, 562. Habent *Tac.* quoque *Ann.* 12, 47. Et erant e contra, qui tantam fortunae etc. Verum de hujus loci vera lectione maximae lites sunt ap. Criticos *Borrich.*, *Cellar.*, *Gronov.*, *Pichen.* et alios. ℙ *Auro contra* valet idem quod pretio, aut valore auri: ducta locutione a lance, in qua appenditur aliquid: nam quod praeponderat, id quodammodo contra est. Hinc *contrarium aes*, est aes grave, *Festo* teste. *Pl. Epid.* 3, 3, 30. Nae tu habes servum graphicum, et quantivis pretii! non carus est auro contra, *h. e.* si ematur pari pondere auri, carus non est. Sic *Id. Ps.* 2, 3, 23. Aurichalco contra. Adde *Curc.* 1, 3, 45. et 46. et *Mil.* 3, 1, 63. et alibi. Eodem sensu dicitur *contra aurum* ap. *Varr. R. R.* 1, 2. Ubi poma veneunt contra aurum. Ita *Scalig.* et *Schneiderus* legunt, ut et ap. *eund. ib.* 3, 2. Quae illic omnia contra aurum. Habetur etiam in *fragm. Tragur. Petr.* 76. *Burm.* [*Quem conf. ad h. l. et ad *Quint. Decl.* 252. p. 458.] ℙ Inter *contra* et *adversus* hoc statuit discrimen *Charis.* 2, 207. quod *contra* ad locum, *adversus* ad animi motum referatur. Fatetur tamen promiscue usurpari. ℙ Ultima syllaba longa est. *Virg. A.* 6, 398. Quae contra breviter fata est Amphrysia vates. Adde *Lucr.* 1, 82., *Tibull.* 1, 7, 30., *Propert.* 1, 11, 25., *Ov. Met.* 2, 757. etc. Interdum corripitur. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 2. *ante med.* Quis pater, aut cognatu' volet nos contra tueri? *Manil.* 2, 253. Contra jacens Cancer patulam distentus in alvum. Adde *Auson.* in *praefatiuncula* l. *v.* 15. ℙ [*Confunduntur *Contra* et *Circa.* V. *Spald.* ad *Quint.* 4, 2, 12. et quos laudat: *Drakenb.* ad *Liv.* 37, 15, 7. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 76.]

CONTRACTĂBILIS. V. CONTRECTABILIS.

CONTRACTĔ, adv. anguste, *ἐστενωμένως*. *Senec. Tranquill.* 9. Assuescamus servis paucioribus serviri, habitare contractius.

CONTRACTĬO, onis, f. *συστολή*, actus contrahendi. *Cic. N. D.* 2, 60. Contractio et porrectio digitorum. *Id. Sext.* 8. Contractio frontis. *Id. Off.* 1, 41. Contractio aut remissio superciliorum. *Id. Att.* 5, 4. *ad f.* Etsi meam in eo parsimoniam hujus paginae contractio significat. ℙ In morbis *contractio* est alicujus membri adductio, quo nervi ita contrahuntur, ut munere suo fungi non possint, *συστολή, σύσπασις*. *Scrib. Compos.* 255. Ad omnem tensionem et contractionem nervorum. *Plin.* 20, 17, 73. Infantes comitiale vitium, aut contractiones sentientes. Adde *Senec. ep.* 82. *sub in.* ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 4, 31. Effusio animi in laetitia: in dolore contractio. *Id. Part.* 6. Longitudo, aut contractio orationis. *Id. Or.* 3, 50. *ad f.* Syllaba aut contractione brevior, aut productione longior. [**Id. Att.* 5, 4. Meam in eo parsimoniam contractio paginae indicat, i. e. brevitas.]

CONTRACTĬUNCŬLA, ae, f. diminut. parva, aut levis contractio. Translate. *Cic. Tusc.* 3, 34. Hoc detracto, aegritudo erit sublata illa moerens; morsus tamen, et contractiunculae quaedam animi relinquentur.

CONTRACTO. V. CONTRECTO.

[CONTRACTOR, oris, m. qui contractum, et

sponsionem facit. *Imp. Zeno Cod.* 5, 5, 8. Praesenti lege sancimus, si quae hujusmodi nuptiae contractae fuerint, eas, earumque contractores, et ex his progenitos antiquarum legum tenori subjacere. *F.*]

*CONTRACTORIUM, i. n. σφιγκτὴρ *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

CONTRACTŪRĂ, ae, f. idem quod contractio, συστολή. *Vitr.* 3, 2. Contracturae in summis columnarum hypotracheliis ita faciendae videntur, uti etc. *Id.* 5, 1. Ut in arboribus teretibus abiete, cupresso, pinu, e quibus nulla non crassior est ab radicibus, deinde naturali contractura ad cacumen etc. Adde 3, 3.

CONTRACTUS, a, um, part. a *contraho*, συλλεχθείς, collectus. *Pomp. ad Dom. post ep.* 12, 8. *ad Att.* Disjecta manu pares adversariis esse non possumus: contractis copiis spero etc. *Suet. Aug.* 31. Duo millia librorum contracta undique cremavit. *Gell.* 13, 24. *sub f.* Pecunia ex praeda contracta. *Caes. B. G.* 4, 32. Naves circiter octoginta coactae et contractae. ℙ Dicitur etiam de morbis, quae ex aliqua causa contrahuntur. *Plin.* 23, 4, 49. Phthiriases longa valetudine contractae. *Id.* 20, 14, 57. Pallor contractus studiis. ℙ Item de aliis rebus per quandam translationem. *Cic. Q. Fr.* 1, 1. Ea ferre homines molestissime debent, quae ipsorum culpa contracta sunt. *Id. Rabir. Post.* 9. Hoc semel suscepto atque contracto, perpetienda illa fuerunt etc. *Id. Att.* 11, 24. Ea est a nobis contracta culpa, ut etc. *Planc. ad Cic. Fam.* 10, 18. Sollicitiorem certe hominem, non suis contractis, neminem puto fuisse. *Vell.* 2, 47. Contracta rixa ex occursu. *Lucr.* 2, 574. Contractum bellum. *Cic. Cat.* 2, 2. *extr.* Aes alienum contractum in popina. [*Usitatissimum est in rebus pecuniariis. *Cic. Sull.* 20. Ratione magna (*sc.* pecuniaria) contracta cum Mauritaniae rege.] *Liv.* 25, 19. *ad f.* Contracta clades. ℙ [*Hinc explicand. *l.* ap. *Cic. Leg.* 2, 22. Quaeque in porca contracta jura sint: *Porca contracta* esse dicitur, cum aliquid committitur, quod porca immolanda expiandum est, quae praecidanea dicitur. *Davis.* laudat *Gell.* 4, 6. ad quem l. v. *Intt.* Nam *contrahi* dicuntur, quae nobis culpa nostra et peccato accidunt et perpetienda sunt. v. et ad *Fam.* 10, 18. Non suis contractis, i. e. peccatis. Haec *Ernest.* in *cl.* s. h. v.] ℙ Item confectus, pactus, conventus. *Cic. Off.* 1, 17. Multae cum multis res rationesque contractae. Et *ib.* 5. Honestum quod versatur in hominum societate tuenda, tribuendoque suum cuique, et rerum contractarum fide. [*Cf. *Beier.* ad h. l.] *Vell.* 2, 44. Affinitas inter Caesarem, et Pompejum contracta nuptiis. *Just.* 26, 3. Matrimonium contractum solvere. ℙ Item adductus, deductus. *Cic. Att.* 7, 7. *ad f.* Quid sit optimum male contractis rebus, plane video. *Id. Fam.* 7, 31. Propter res tuas ita contractas, ut quemadmodum scribis, nec caput, nec pedes. ℙ Item morbo aliquo adductus et debilis. *Suet. Aug.* 80. Digitus torpens et contractus frigore. [*Id. Cal.* 58. Contractis membris, i. e. convulsis.] *Plin.* 20, 23, 97. Contractos articulos emollire. *Phaedr.* 4, 23. *de musca.* Mori contractam cum te cogunt frigora, *h. e.* frigore captam. Al. leg. *contracta:* qua ratione *Virg. G.* 4, 259. *de apibus.* Ignavaeque fame, et contracto frigore pigrae. *Arnob.* 1, 28. Christus scitur aures aperuisse surdorum, ambulatum dedisse contractis. ℙ Item rugosus. *Hor. Sat.* 2, 2, 125. Explicuit vino contractae seria frontis. *Juven.* 11, 203. Nostra bibat vernum contracta cuticula solem. ℙ Item angustus, brevis, adstrictus. *Virg. G.* 4, 295. Locus exiguus et contractus. *Lucr.* 5, 570. Contractior ignis, *h. e.* minor. *Ov. Fast.* 6, 495. Freta contracta spatio brevi. [*Hor. *Od.* 3, 1, 33. Contracta pisces aequora sentiunt, i. e. septa molibus. Piscinae intell., quas Romani in mari construere solebant.] *Plin. Pan.* 30. Nilus contractior et angustior. *Plin. alter* 18, 22, 51. Digiti in pugnum contracti. *Cels.* 1, 3. Contracta alvus. *Cic. Parad.* 1, 1. Accipe hoc opusculum elucubratum his jam contractioribus noctibus. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 5, 2. [*20.] Contracta paupertas, *h. e.* quod *Id.* habet *Od.* 3, 2. angusta pauperies. *Id. Od.* 3, 16, 39. Contracto melius parva cupidine Vectigalia porrigam, *h. e.* minora cupiendo. *Cic. Brut.* 90. Dialectica quasi contracta et adstricta eloquentia. Et *ib.* 44. Ambitus verborum contractus et brevis. *Id. Coel.* 31. Studia contractiora, *h. e.* remissiora. *Quint.* 11, 1. Siccum, et sollicitum, et contractum dicendi propositum, plerumque affectatione ipsa severitatis invisum est. [*Contractum dicendi propositum* hanc vim habet, ut quis ab omni orationis amplitudine, περιβολῇ, circuitu, ceterisque formis dicendi, quae latam et magnificam et amplam orationem efficere possint, abhorreat. *Ernest.* in *lex. techn. lat.* s. v. *siccus.*] ℙ *Contracta vox*, est remissa, submissa. *Quint.* 11, 3. Vox contracta et fusa, dura et flexibilis, clara et obtusa. Et *ib.* In metu et verecundia vox contracta. Et *rursus.* Submissa atque contracta voce dicere. [*V. *Ernest. lex. techn. lat.* p. 95. *Id. Quint. ib.* 11, 3. p. 1040. inter proprietates Demetrii oratoris enumerat *contractam cerviculam*, i. e. in usum artis oratoriae curvatam. *Ib.* p. 1016. Contractis superciliis iram ostendi dicit. *Ib.* p. 1019. Cum tres contracti digiti pollice premuntur. (Est demonstrantis.) Adde 11, 3. p. 1018. Quo medius digitus in pollicem contrahitur explicitis tribus.] ℙ Absolute. *Virg. Mor.* 78. Verum hic non domini (quis enim contractior illo?) Sed populi proventus erat, *h. e.* parcior, frugalior. *Hor. Ep.* 1, 7, 11. Ad mare descendet vates tuus, et sibi parcet, Contractusque leget, *h. e.* parcus erit in legendo, et studiis operam dando.

CONTRACTUS, us, m. συστολή, contractio, contractura. *Varr. R. R.* 1, 68. Pensilia, ut uvae, mala, et sorba, ipsa ostendunt, quando ad usum oporteat promi, quod colore mutato, et contractu acinorum, si non dempseris ad edendum, ad abjiciendum descensurum se minitantur. ℙ Translate est pactum, quo duo pluresve inter se ad aliquid dandum, vel praestandum obligantur, ut emptio, venditio, mutuum etc. ita dictum, quia utriusque stipulationes, et sponsiones in unum contrahuntur, et colligantur. *Ulp. Dig.* 50, 16, 19. Contractus ultro citroque obligatio est, quam Graeci συνάλλαγμα vocant. *Sev. Sulpic. JCtus* ap. *Gell.* 4, 4. Is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia. *Gell.* ipse 20, 1. *a med.* In contractibus negotiorum. *Papinian. Dig.* 24, 3, 23. Facere contractum. Et *ib.* Pecunia debita ex contractu. ℙ Item negotium, res gesta. *Quint.* 4, 2. Dicam quae acta sint ante ipsum rei contractum: dicam quae in re ipsa.

CONTRĀDĪCĪBĪLIS, e, adj. cui contradici potest. *Tertull. Car. Christ.* 23. Signum contradicibile.

CONTRĀDĪCO, is, ixi, ictum, n. 3. ἀντιλέγω, contra aliquem dico, adversor, contraria dicendo respondeo. *Scrib. Compos.* 84. Neque ei quisquam contradixerit. *Tac. H.* 1, 39. Contradicere sententiis aliorum. *Id. ib.* 4, 46. Preces erant, sed quibus contradici non posset. *Suet. Rhet.* 1. Cn. Pompejum, quo facilius C. Curioni causam Caesaris defendenti contradiceret, repetisse declamandi consuetudinem. *Id. Aug.* 56. Jocis quorundam petulantibus lacessitus, contradixit edicto. *Ulp. Dig.* 3, 1, 1. Contradicere desiderio alicujus. *Id. ib.* 11, 7, 14. *a med.* Huic contradici potest. ℙ Frequenter usurpatum est in declamationibus passive sine ullo casu, ut videre est in lemmatis controversiar. et declamation. ap. *Senec.* et *Quint.* saepissime. *Gell.* quoque exemplum habet 9, 16. ℙ Afferunt Lexicographi exempla aliquot *Ciceronis*, et *Caesaris*, sed quae nihil conficiunt. In iis enim libri variant, modo conjuncte, modo separatim exhibentes. Ea solum puta huc facere necessario, in quibus dativus verbo additur, (quod, opinor, *Cic.* aut *Caes.* fecere nunquam [*V. quae *B. Crusius* et *Brem.* disputant contra *Ernest.* ad *Suet. Aug.* 54.]) in aliis separatim ubique scribi potest. Conjunctim tamen scribendum videtur in illo *Livii* 8, 2. Nec contradici, quin amicitia de integro reconcilietur. ℙ [Part. *Contradicens* ap. *Suet. Caes.* 20. Cetera dilargitus est, contradicente nullo. *F.*]

CONTRĀDĪCTĬO, onis, f. ἀντιλογία, ἀντίθεσις, actus contradicendi. *Tac. A.* 14, 43. Quidquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam. ℙ Specialiter est idem quod in scholis dicitur objectio. *Quint.* 2, 17. *ad f.* Ponuntur hae quoque in secundo Ciceronis de Oratore libro contradictiones: artem esse etc. *Id.* 7, 3. In schola, ubi nobis ipsi fingimus contradictionem. *Id.* 5, 13. *a med.* Contradictione uti qui possumus, ubi adversarius adhuc nihil dixerit? Et *paulo post.* Occurrere contradictionibus. Adde *Senec. Suasor.* 2. *ad f.*

CONTRĀDICTOR, oris, m. ἀντιλέγων, qui contradicit et adversatur, praesertim in controversiis forensibus. *Ulp. Dig.* 40, 11, 27. Si is, qui pro sua libertate litigat, desit, contradictor vero praesens sit. Adde *Callistrat. ib.* 16, 3. et *Ammian.* 31, 14.

CONTRĀDICTUS, a, um, part. a *contradico*, ἀντιλεγόμενος. *Quint.* 4. *prooem.* Quae sit probationum fides, seu proposita confirmamus, seu contradicta dissolvimus, *contra dicta* sejunctim rectius leges. *Ulp. Dig.* 1, 3, 34. Cum de consuetudine confidere quis videtur, explorandum arbitror, an etiam contradicto aliquo judicio consuetudo firmata sit, *h. e.* an de ea contentiose in judicio actum sit.

CONTRĀDO, is, idi, itum, a. 3. παραδίδωμι, idem quod trado. *Lucr.* 1, 401. Multaque praeterea tibi possum commemorando Argumenta, fidem dictis contradere nostris, *h. e.* facere, praestare. Alii leg. *conradere*, h. e. undique colligere, συλλέγειν. [*ita *Eichstadt.*]

CONTRĂĔO, is, ivi, itum, n. 4. ἐπέρχομαι, eo contra aliquem, hoc est adversor. Verbum est exigui usus, et fere in infinito. *Tac. A.* 14, 45. Sententiae Cassii nemo unus contraire ausus est. *Arnob.* 1. *in.* Contraire invidiae.

CONTRĂHO, is, axi, actum, a. 3. ἐπισπάω, συστέλλω, συλλέγω, simul traho, colligo, congrego, cogo. *Cic. Amic.* 7. Amicitia omnia contrahit, discordia dissipat. *Caes. B. G.* 1, 34. Contrahere exercitum in unum locum. *Id. B. C.* 1, 15. cohortes ex finitimis regionibus. *Nep. Con.* 4. magnam classem. [*Gr. συναγείρειν. *Curt.* 6, 2. Praefectos in Praetorium.] *Plin.* 3, 5, 6. Italia tot populorum discordes linguas sermonis commercio contrahit. [*Cf. *Ov. Fast.* 4, 811. Contrahere agrestes, i. e. dissipatos in societatem vitae convocare. *Id. ib.* 97. Illa (*Venus*) rudes animos hominum contraxit in unum, i. e. amore conjunxit.] *Liv.* 28, 18. Contrahere aliquos in (al. leg. *ad*) colloquium dirimendarum simultatum causa. *Plin.* 6, 27, 31. aurum. Et 11, 5, 4. Apes mella contrahunt. *Id.* 10, 20, 22. Contrahere aliquid in acervum. [*Virg. Mor.* 45. Contrahit admistos nunc fontes atque farinas.] *Gell.* 19, 6. Pudor sanguinem diffundit, timor contrahit. *Q. Scaevola* ap. *eund.* 4, 1. *a med.* Quae longae usionis gratia contrahuntur et reconduntur. ℙ [*Contrahi vv.* dicuntur, cum in pronuntiando ultima vocalis littera alterius verbi elidditur, propterea, quod sequens verbum a vocali incipit *Cic. Or.* 45. Oppon. *distrahere voces. ib.* Gr. συναλοιφή.] ℙ Est item adstringere, adducere, in angustum redigere. *Cic. Div.* 1, 53. Omne animal membra, quocumque vult, flectit, contorquet, porrigit, contrahit. *Id. Acad.* 1, 10. *ad f.* Contrahere aliquid, et in angustum deducere. *Id. N. D.* 2, 55. Pulmones tum se contrahunt aspirantes, tum respiritu dilatant. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 9. Contrahens se in metae cacumen. *Id.* 29, 6, 39. Millepeda tactu contrahens se. *Id.* 9, 22, 38. Cochleae bina cornua protendentes, et contrahentes. [*Quint. *Inst.* 11, 3. p. 1016. Collum diversa quidem sed pari deformitate et contrahitur et tenditur. *Id.* 12, 11. p. 1110. Quaelibet enim ex iis artibus, quarum habui mentionem, in paucos libros contrahi solet. *Id.* 10, 7. p. 959. Nam Ciceronis ad praesens modo tempus aptatos libertus Tiro contraxit.] ℙ Translate. *Lucr.* 5, 1218. Contrahitur animus formidine, *h. e.* adstringitur et ligatur, angitur. *Cic. Q. Fr.* 1, 1. Te rogo, ne contrahas, aut demittas animum. *Id. Leg.* 2, 15. Varietas sonorum tum remittit animos, tum contrahit. *Id. N. D.* 2, 4. Sol accedendo, et recedendo, tum quasi tristitia quadam contrahit terram, tum vicissim laetificat. *Id. Amic.* 13. *sub f.* Ut et bonis amici quasi diffundantur, et incommodis contrahantur. ℙ *Contrahere jura* ap. *Stat. Th.* 11, 682. est parce usurpare, parce uti licentia regni. ℙ Significat etiam jungendo claudere. *Plin.* 24, 8, 33. Ulmi folia vim habent vulnera contrahendi. *Id.* 12, 17, 38. Contrahere cicatrices. ℙ Item durare, coagulare. *Id.* 23, 7, 63. Fici succus coaguli modo lac contrahit. ℙ Item sistere, adstringere. *Cels.* 4, 19. Cibis uti ventrem contrahentibus. Et *mox.* Alvus contrahitur. *Plin.* 20, 2, 6. Radix peponum contrahit vomitiones. ℙ Item pertrahere, simul attrahere. *Plin.* 12, 15, 14. Balsamum melle mutatum statim in manu contrahit muscas. *Id.* 27, 5, 23. Solidum herbae semen conjicitur in oculum, nec turbat, sed contrahit in se caliginem. *Id.* 28, 9, 42. Sanguine cervino contrahi serpentes. ℙ Item corrugare. *Cic. Cluent.* 26. *ad f.* Contrahere frontem. *Ov. Pont.* 4, 3, 7. vultum. ℙ Item complicare, cui opponitur explicare. *Hor. Od.* 2, 10, 23. Contrahere vela. ℙ Item concipere, reportare, subire. *Colum.* 12, 4. Situ mucorem contrahere. Et *ib.* 17. Acetum nunquam situm, aut mucorem contrahit. *Plin.* 30, 8, 21. Contrahere morbum. Et 36, 27, 69. pestilentiam. Et 22, 25, 72. inflationes et tormina. Et 24, 6, 15. tristitiam. *Quint.* 7, 3. cruditatem. *Cels.* 4, 21. semen, *h. e.* creare. *Justin.* 21, 2. saginam corporis ex nimia luxuria, oculorumque valetudinem. ℙ Translate. [*Nostr. *Sich zuziehen.*] *Cic. Fam.* 2, 16. *a med.* Contrahere molestias. *Id. Fin.* 5, 30. damnum. *Liv.* 5, 15. nefas. *Papin. Dig.* 3, 5, 30. culpam. *Just.* 3, 7. *extr.* perjurium. *Id.* 17, 3. offensam populi. *Suet. Tit.* 6. plurimum invidiae. *Liv.* 25, 19. cladem. ℙ Item breviorem, seu minorem facere. *Prop.* 3, 20, 11. Tu quoque qui aestivos spatiosius exigis ignes, Phoebe, moraturae contrahe lucis iter. *Ov. Met.* 15, 197. Luna contrahit orbem. *Stat. Silv.* 4, 7, 3. ingens opus in minores contrahe gyros. *Quint.* 5, 6. Contrahere tempus dicendi. *Cic. Part.* 7. orationem. *Id. Or.* 45. nomina. ℙ Translate. *Senec. ep.* 110. Et quod gaudes, et quod times, contrahe, *h. e.* fac ut brevia sint et gaudium et timor. *Cic. Off.* 1, 29. Appetitus omnes contrahendi, sedandique, *h. e.* cohibendi. [*Id. *Div.* 2, 58. Contrahi autem animum Zeno, et quasi labi putat atque concidere, et id ipsum esse dormire.] *Plin. Pan.* 49. Tempus epularum frugalitas contrahit, humanitas extendit. ℙ Item transigere, agere, pacisci, quia plurium simul in idem voluntates trahuntur, et mutua obligatione junguntur. [*Praecipue de iis, qui societatem in negotio aliquo pecuniario ineunt.] *Cic. Off.* 2, 11. Qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contra-

hendisque negotiis implicantur. Et *ib.* 18. In omni re contrahenda, vendendo, emendo etc. *Id. Cluent.* 14. Cum illo jam nemo rationem, nemo rem ullam contrahebat. *Paul. Dig.* 19, 4, 1. Contrahere emptionem, venditionem, permutationem. *Ulp. ib.* 23, 2, 12. cognationes. *Suet. Cal.* 25. matrimonia. [*Oppon. *dimittere.*] *Ulp. Dig.* 16, 1, 8. §. 14. Si, cum essem tibi contracturus, mulier intervenerit, ut cum ipsa potius contraham: *tibi* pro *tecum.* [*Huc quodammodo pertinent, quae §. 12. dicta sunt.] ℙ Item translate conflare, parere, conciliare. [*Cf. *Duk. lat. Ict.* 337.] *Pl. Cas.* 3, 2, 31. Aliquid contrahere cupio litigii inter eos duos. *Liv.* 24, 42. *extr.* Turdetanos, qui contraxerant Saguntinis cum Carthaginiensibus bellum, in potestatem redactos sub corona vendiderunt. *Cic. Cat.* 4, 5. Contrahere negotium alicui, *h. e.* creare molestiam. *Id. Amic.* 14. Contrahit amicitiam, si qua significatio virtutis eluceat. *Id. Inv.* 1, 17. Si turpitudo causae contrahet offensionem. *Liv.* 2, 23. *sub f.* Contrahere periculum. *Auct. ad Her.* 1, 5. A nostra persona benevolentiam contrahemus, si etc. *Id.* 4, 38. Ejusmodi res et invidiam contrahunt in vita, et odium in oratione. *Liv.* 5, 52. *ad f.* Contrahere magnum piaculum sibi et reipubl. *Plin.* 11, 19, 21. sibi causam mortis. *Ov. Met.* 2, 660. sibi iram numinis. ℙ *Contrahere aes alienum* est facere, suscipere. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 9. Constare inter omnes video, nullum aes alienum novum contrahi civitatibus. ℙ *Contrahere certamen* est. *Liv.* 28, 6. Ibi atrocissimum contractum est certamen. Et 29, 4. *extr.* Contrahere certamen cum classe hostium.

*CONTRAJURIS, is, m. *παράνομος. Gloss. Gr. Lat. B. A.*

[CONTRĀLĔGO, is, a. 3. codicem lego, dum quis alium inspicit, ut ex utriusque codicis collatione opus aliquod emendetur. *Sidon. ep.* 5, 15. Defert et volumen prophetarum, licet me absente decursum, nec semper illo contralegente, qui promiserat operam suam. *Sirmondus* in *adnotat.* ad *hunc loc.* hanc affert veterem adnotationem in codice Martiani Capellae: *Felix rhetor emendabam contralegente Deuterio scholastico discipulo meo.* ℙ Utrobique alii putant legendum divise *contra legente*, eadem tamen significatione. *F.*]

CONTRĀPONO, is, a. 3. oppono, *ἀντιτίθημι. Quint.* 9, 3. *ubi de* contraposito *loquitur.* Nec semper quod adversum est, contraponitur. ℙ Cum dativo, *Tertull. ad Mart.* 4. Spiritus contraponat sibi et carni, acerba licet ista, a multis tamen aequo animo excepta.

CONTRĀPOSĪTUM, i, n. *ἀντίθετον*, figura est rhetorum, eadem quae antithesis. *Quint.* 9, 3. *med.* Contrapositum, vel, ut quidam vocant, contentio, fit si singula singulis opponuntur, et bina binis, et sententiae sententiis. *et supra.* Etiam in contrapositis et comparativis solet respondere primorum verborum alterna repetitio: *Vigilas tu de nocte*, etc.

CONTRĀRIĒ, adv. *ἐναντίως*, contrario modo. *Cic. Part.* 31. Alio se eadem de re contrarie scripto defendere. [*Contrarie scriptum est, in quo repugnantia sunt. *Ernest.* in *cl.*] *Id. Or.* 2, 65. Ornant orationem verba relata contrarie, *h. e.* antitheta. [*Est genus ridiculi, cum ei, qui nos lacessit, eodem modo respondetur. Exempl. v. l. c. *Ern.* in *cl.*] — *Id. Univ.* 9. Sidera contrarie procedentia.

CONTRĀRĬĔTAS, atis, f. *ἐναντίωσις*, oppositio. *Macr. Somn. Scip.* 2, 15. *sub f.* Nunquam ex duplicatis similibus contrarietas emergit. Et *ib.* 14, *a med.* Nunquam fieri potest, ut circa unam eandemque rem uno eodemque tempore contrarietates ad unum idemque pertinentes eveniant. Adde *Sidon. ep.* 4, 12.

CONTRĀRIO, adv. contra, *ἐναντίως. Nep. Eum.* 1. Apud nos mercenarii, scribae existimantur: at apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, nisi, etc. *Quidam leg.* e contrario. *Vitr.* 8, 1. *extr.* Campestribus autem locis contrario non possunt haberi copiae. ℙ Qui *Ciceronem* quoque testem adducunt, dubium valde testem adducunt.

CONTRĀRĬUS, a, um, adj. *ἐναντίος*, oppositus, adversus, repugnans. *Cic. Phil.* 2, 8. Ut non modo non cohaerentia inter se diceres, sed maxime disjuncta atque contraria. *Id. Coel.* 5. *extr.* Monstrum ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturae studiis conflatum. *Id. Opt. gen. orat.* 5. Orationes inter se contrariae Aeschinis Demosthenisque. *Phaedr.* 4, 10. saepe, quos ipse alueris, Tibi inveniri maxime contrarios, *h. e.* adversarios, inimicos. *Varr. L. L.* 4, 10. Contrariis Diis, *h. e.* infestis, iratis. [*Suet. Oth.* 8. Contraria exta, i. e. adversi ominis.] *Plin.* 21, 13, 43. Contrario amne. Sic 9, 51, 74. In contrarium nantes. [*Huc pertinere videtur locus *Ov. Met.* 2, 73. Et rapido contrarius evehor orbi, i. e. contra orbem, i. coelum.] *Suet. Ner.* 31. Inchoabat fossam latitudinis, qua contrariae quinqueremes commearent. [*h. e. exadverso motae. Nos: *sich begegnend.*] *Plin.* 2, 82, 84. de terrae motu: Concurrentia tecta contrario ictu arietant. ℙ [*Hinc adhibetur in eo dicendi genere, cum, quod oppositum est, non ipsis verbis sed circumscribendo significatur. *Lucr.* 3, 255. Sive voluptas est, sive est, contrarius ardor, i. e. dolor. *Ov. Met.* 2, 541. Cui color albus erat, nunc est contrarius albo. ℙ Saepius ponitur in re amatoria *Tibull.* 3, 4, 83. Nec tibi crediderim votis contraria vota — pectore inesse tuo, i. e. amorem tuum, ad alium pertinere. *Prop.* 1, 5, 9. Quodsi forte ausis non est contraria nostris, i. e. petitionibus nostris non adversatur.] ℙ Habet et genitivum: qui tamen casus non est contrarietatis, sed constructionis. *Cic. Fin.* 4, 24. Quarum artium summa crescere potest, earum etiam contrariarum summa potest augeri: ad virtutis autem summam accedere nihil potest: ne vitia quidem igitur crescere poterunt, quae sunt virtutum contraria. *Id. Inv.* 2, 54. *extr.* Quae omnia uti contraria rerum bonarum, in rebus vitandis reponemus. ℙ Cum particulis *ac*, *atque*. *Cic. Verr.* 2, 1, 46. Contrarium decernebat, ac paulo ante decreverat. *Id. Somn. Scip.* 4. Versantur retro contrario motu, atque coelum. ℙ *E* vel *ex contrario*, adverbii vice, idem est quod contra. *Nep. Am.* 1, Ipse ubi affuit, nunquam hosti cessit: saepeque e contrario, occasione data, lacessivit. *Cic. Inv.* 2, 8. Accusatori quidem haec fere sunt in causa facienda. Defensor autem ex contrario primum dicet, etc. Adde *Caes. B. G.* 7, 30. ℙ Sunt qui conjunctim scribunt *econtrario:* sed divisum multo est rectius. ℙ *In contrarium* et *ex contraria parte*, aut *in contrariam partem*, idem significant. *Plin.* 18, 24, 54. Idque in contrarium praecepere quidam falsa diligentia. *Civ. Inv.* 2, 52. Rerum expetendarum tria sunt genera: par autem numerus vitandarum ex contraria parte. *Id. Or.* 2, 53. Aut si ita non refellas, afferendum est in contrariam partem quod sit gravius. ℙ *Per contrarium* apud JCtos idem est, quod *e contrario.* Legitur enim ap. *Ulp. Dig.* 37, 8, 1. et *ib.* 2, 15, 8. *extr.* et *ib.* 28, 1, 20. et alibi. ℙ *In contraria*, et *in contrarias partes* valet in utramque partem, pro et contra. *Cic. Or.* 1, 34. Disputandum est de omni re in contrarias partes. [*i. e. in utramque partem.] *Virg. A.* 12, 487. Diversaeque vocant animum in contraria curae. ℙ Absolute *contrarios* pro adversariis, et inimicis posuit *Vitr. praef.* 3. ℙ Saepe *contraria* dicuntur, quae contra, seu e regione sita sunt. *Caes. B. G.* 2, 18. Ab eo flumine pari acclivitate collis nascebatur, adversus huic et contrarius. *Paul.* ap. *Labeon. Dig.* 41, 1, 65. Inter eam insulam, et contrariam ripam. *Plin.* 24, 10, 47. Hederae acinos tritos instillare dentium dolori a contraria aure. *Id.* 37, 9, 47. Gemma contraria soli regerens candicantes radios. *Id.* 28, 8, 27. Si pelles hyaenae et pantherae contrariae suspendantur, decidere pilos pantherae. ℙ Item quae nocent. *Plin.* 28, 9, 33. Lactis usus contrarius capitis doloribus, hepaticis, splenicis. *Id.* 25, 11, 87. Hyssopum stomacho contrarium. [*Suet. Ner.* 52. Imperaturo contrariam esse philosophiam, i. e. alienam ab imper. Cf. *Spald.* ad *Quint.* 4, 2, 64.] ℙ Item quae invicem inimica. *Plin.* 29, 4, 28. Scorpionibus contrarius maxime invicem stellio. ℙ Apud dialecticos sunt quatuor *contrariorum* genera. *Adversa*, quae in eodem genere plurimum differunt, ut sapientia, stultitia. Eodem autem genere dicuntur, quibus propositis occurrunt tanquam e regione quaedam contraria, ut celeritati tarditas, non debilitas. *Privantia*, graece *στερητικὰ*, ut dignitas, indignitas. *Relata*, velut ea, quae cum aliquo conferuntur, ut duplum simplum, multa pauca. *Negantia*, quae *ἀποφατικὰ* Graeci, contraria ajentibus, ut si hoc est, illud non est. *Cic. Top.* 11. ℙ [*Contrarium genus argumentationis, idque vitiosum, *Cic. Inv.* 1, 50. definit, quod contra ea dicitur, quae ii, qui audiunt, fecerunt. *Quintiliano* autem 5, 13, 30. ed. *Spald.* contrarium est, quo adversarius bene uti potest. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 96.] ℙ Apud rhetores *contrarium* est exornatio, seu figura sententiarum, cum sumitur ex adverso probatio, hoc est id quod opus est oratori, contraria re comprobatur. Id enim significari nomine *contrarii* a *Cic. Or.* 3, 54. putat *Quint.* 9, 3. *ad f.* Est autem idem fere quod *contentio;* fitque (uti docet *Auct. ad Her.* 4, 18.) cum ex rebus diversis duabus alteram breviter et facile confirmamus: seu cum id, quod opus est oratori, contraria re comprobatur, hoc pacto: Nam qui suis rationibus inimicus fuerit semper, eum quomodo alienis rebus amicum fore speres? etc. [*V. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 96.] ℙ *Contrarium aes* ap. *Fest.* quid sit, V. CONTRA. ℙ [*Contrarius* et *Diversus* in eo differunt, ut hoc in adversas partes discedentes, illud res sibi oppositas significet. *Döderl.* 3, 273. Ita *Hor. Sat.* 1, 2, 24. Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt, i. e. in alia vitia, quorum ratio his, quae vitare student, opposita est.]

[CONTRASCRĪBA, ae, m. idem ac contrascriptor. *Inscr.* ap. *Mur.* 960, 7. Ullinus contrascriba. *F.*]

CONTRASCRĪBO, is, a. 3. contrascriptoris officio fungor. *Appul. Apol.* Litteras tabulario publico praesente, et contrascribente Aemiliano, testato descripsimus, *h. e.* praesentibus et testantibus tabulario publico, et antigrapho Aemiliano.

CONTRASCRIPTOR, oris, m. *ἀντιγραφεύς*, antigraphus, qui observat, et custodit actus alienos, Galli dicunt *contrôleur*, Itali vulgo *controllore. Inscr.* ap. *Grut.* 579, 10. Servato Caesaris N. servo contrascriptori rationis summi choragii. Alia ap. *Mur.* 2042, 4. Automato Caes. N. servo contrascriptori pistorum.

CONTRASCRIPTUM, i, n. *Cic. Att.* 16, 7. *sub f.* Antonii edictum legi a Bruto, et horum contrascriptum praeclare. ℙ Rectius ita leges integrum locum: *et horum contra*, *scriptum praeclare.*

CONTRĀVERSIENS, entis, repugnans, obsistens. *August. Doctr. Christ.* 1, 29.

CONTRĀVERSIM et

CONTRĀVERSUM, adv. contra, *ἐναντίως. Solin.* 10. de Thraeia. Apud plurimos luctuosa sunt puerperia: contraversum laeta sunt funera. ℙ Item in contrariam partem. *Appul. Apol.* Cum aliquid solidum offenderunt, illisae reflectuntur, et retro expressae contraversum respondent. Al. leg. *contraversim* aut *controversim.*

CONTRĀVERSUS, a, um, part. ab inusit. *contraverto*, contra versus. *Solin.* 27. Africa promontorio Apollinis Sardiniae contraversa. Et *ib.* 32. de Nilo: Quanto impensius contraversi spiritus repugnaverint, tanto excelsius sublimari, etc. Ita legit *Salmas.* Alii *controversus* eodem sensu: quod *Salmas.* vitiosum putat: alii divisim *contra versus:* sed si dativum habeat, rectius conjunctim scribetur. Sic *Ammian.* 18, 9. Urbs spiranti Zephyro contraversa.

[CONTRĒBĬENSIS, e, adj. ad Contrebiam pertinens, Hispaniae urbem in Carpetanis, haud procul a Compluto, nunc *Santavert.* [*Liv.* 40, 33. *Flor.* 2, 17. *Val. Max.* 2, 7. *B. A.*] *Liv. fragm. lib.* 91. ap. *Niebhur.* p. 91. Incendii simul et ruinae metu territi Contrebienses de muro trepidi refugerunt. *F.*]

CONTRECTABĬLIS, e, adj. qui contrectari, et tangi potest, *ψηλαφητός. Prud. Apoth.* 963. Nil contrectabile habere. *Lact.* 2, 8. et 7, 21. Solidum et contrectabile corpus. Adde *Tertull. Anim.* 57. *Auson.* 9. *Parental.* 3. Nec contrectabile fulmen. ℙ Ap. *Lact.* est qui legit *contractabilis.*

CONTRECTABĬLĬTER, adv. *Lucr.* 4, 661. Laevissima corpora debent Contrectabiliter caulas intrare palati.

CONTRECTĀTĬO, onis, f. *ψηλάφησις. Cic. N. D.* 1, 27. Cur non gestiret taurus equae contrectatione, equus vaccae? *Paul. Sent.* 2, 31. Fullo, et sarcinator, qui polienda, vel sarcienda vestimenta accepit, si forte his utatur, ex contrectatione eorum furtum fecisse videtur, quia non in eam causam videntur accepta. ℙ Item apud JCtos asportatio rei alienae furti causa. *Id. Dig.* 47, 2. *qui est* De furtis, 1. Furtum est contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia, etc. V. CONTRECTO.

CONTRECTĀTOR, oris, m. qui contrectat, et furatur. *Ulp. Dig.* 47, 2, 36. Si cum rebus aufugerit, posse furti actione sollicitatorem conveniri, quia opem consiliumve contrectatori tulit. V. CONTRECTO.

CONTRECTĀTUS, a, um, part. a *contrecto*, tactus, tractatus. *Hor. Ep.* 1, 20, 11. de libro suo: Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi Coeperis, etc. *Senec. Controv.* 1, 2. Omnes partes corporis et inspectae et contrectatae sunt. *Id. ib.* Contrectata es alicujus osculo, alicujus amplexu. ℙ Item pollutus, corruptus. *Tac. A.* 14, 35. Contrectatam filiarum pudicitiam ulcisci.

CONTRECTO et Contracto, as, avi, atum, a. 1. *ψηλαφάω*, manu tracto, attrecto, manu verso. *Ov. Met.* 8, 606. Pectora tangebam trepido salientia motu: Dumque ea contrecto, totum durescere sensi Corpus. *Id. Pont.* 2, 2, 59. Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit, Non contrectari tutius esse putem. *Colum.* 12, 4. Ne contractentur pocula, nisi ab impube. *Suet. Cal.* 43. Contrectandae pecuniae cupidine incensus, super aureorum acervos toto corpore volutatus est. [*Nostr. *wühlen.*] *Senec. Const. Sap.* 13. Medicus nec obscena contrectare, nec reliquias et effusa intueri dedignatur. Adde *ep.* 41. *Front. de B. Parthico* (ed. Romae *A. Maio*) p. 201. Operae culinariae piscem contractantes. [*Lucr.* 6, 855. Sol nudum contrectans corpus aquai. ℙ Est etiam manu tractare aliquem scrutandi causa (*Visitiren*). *Suet. Claud.* 35. Ne feminae praetextatique pueri et puellae contrectarentur.] ℙ Apud *Tac. A.* 3, 12. contrectare aliquid oculis, est attente contemplari. ℙ Apud JCtos significat alienam rem manu apprehendere, et amovere furandi causa. *Paul. Dig.* 41, 2, 3. *ad f.* Si rem apud te depositam furti faciendi causa contrectaveris, desino possidere: sed si eam loco non moveris, etsi inficiandi animum habeas, plerique veterum responderunt, recte possessorem me manere, quia furtum sine contrectatione fieri non possit, nec animo furtum admittatur. Adde *ib.* 25, 2, 3. et alibi. [*Nos: *Sich*

vergreifen an.] ℙ Ponitur et pro obsceno tactu tentare, vitiare. *Suet. Dom.* 1. Contrectare multorum uxores. Adde *Pl. Asin.* 3, 1, 20. et *Mil.* 4, 2, 61. etc. et *Justin.* 7, 3. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 6. Opiniones hominum leviter eruditorum, qui quae complecti tota nequeunt, haec facilius divulsa, et quasi discerpta contrectant. *Id. Tusc.* 3, 15. Ratio incitat animum ad conspiciendas, totaque mente contrectandas voluptates, *h. e.* contemplandas. *Gell.* 17, 19. Contrectare studia et disciplinas philosophiae.

CONTRĔMISCO, iscis, et Contremesco, a. 3. valde tremere incipio, *τρομέω, πάλλομαι. Cic. Or.* 1, 26. Tota mente, atque omnibus artubus contremiscere. ℙ Item cum tremore paveo. *Senec. ep.* 65. *extr.* Non contremiscamus injurias, non vulnera, non vincula, non egestatem. *Sidon. ep.* 9, 11. Cum mihi rigor censurae tuae sit ambifariam contremiscendus. *Not. Tir.* p. 154. Contremescit.

CONTRĔMO, is, ui, a. 3. *τρομέω*, idem quod tremo, aut valde tremo. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Or.* 3, 39. Flamma inter nubes coruscat, coelum tonitru contremit. *Lucr.* 5, 1220. Tellus contremit. *Cic. Div.* 1, 28. Me contremuisse timore perterritum. *Ov. Met.* 8, 758. Quercus contremuit. *Virg. A.* 7, 515. Contremuit nemus. ℙ Cum accusativo. *Hor. Od.* 2, 12, 8. unde periculum Fulgens contremuit domus Saturni veteris. *Justin.* 32, 4. Cum Annibalem Romano tonantem bello Italia contremuit. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 31. Cujus in mea causa numquam fides virtusque contremuit.

CONTRĔMŬLUS, a, um, adj. idem quod tremulus. *Varr.* ap. *Non.*, cujus verba V. in AQUILENTUS.

CONTRĪBŪLĀTĬO, onis, f. *Tertull. adv. Jud.* ex *Isaj.* 13, 65, 14. Vos a contribulatione spiritus ululabitis.

CONTRĪBŪLĀTUS, a, um, part. ab inusit. *contribulo*, molestiis affectus. *Tertull. adv. Jud. cap.* 5. ex *Psalm.* 50, 18. Cor contribulatum hostia est Dei.

CONTRĪBŪLIS, is, m. qui ejusdem est tribus. *Inscr.* optimae notae, quippe quae Tiberio Aug. imperante exsculpta est, ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 43. Vos rogo, boni contribules, si semper apparui vobis bonus et utilis tribulis etc. Alia apud *Grut.* 873, 4. Q. Herennio Rufo Montanus Rufi F. Contrib. D. Adde *Not. Tir.* p. 86. ℙ Translate, qui est ejusdem religionis. *Sidon ep.* 8, 13. *de Judaeo Christianam religionem professo.* Commendo Promotum gerulum litterarum, nostrum nuper effectum vestris orationibus contribulem.

*CONTRĪBŪLO, as, a. 1. (a tribula, quae a *terendo* dicta est,) affligo, vexo. *Vulgat. Interpr. Siracid.* 35, 22. *B. A.*

CONTRĪBŪO, uis, ui, utum, a. 3. *συμφορέω, συνεφαν(ζω*, idem quod tribuo, vel simul tribuo, confero. [*Proprie dicitur contribuere, de pluribus, qui de suo in unum conferunt. *Cic. Att.* 14, 39. Urbem ad eam rem pecuniam dare, contribuere, solvere jubeant. Citat h. l. *Ernest.* in *cl.*] *Ov. Met.* 7, 230. Nec non Penaeae, nec non Spercheides undae Contribuere aliquid, juncosaque litora Boebes. *Tibull.* 1, 7, 70. Proprios ego tecum, Sit modo fas, annos contribuisse velim. V. CONTERO. *Colum.* 5, 5. *ante med.* Nisi adminiculum tenerae viti contribueris, prorepens pampinus terrae se applicabit. *Pompon. Dig.* 41, 1, 27. Ubi simul plura contribuuntur, ex quibus unum medicamentum fit, aut coctis odoribus unguenta facimus, nihil hic suum vere dicere potest prior dominus. *Paul. ib.* 35, 2, 22. *extr.* Nullum erit legatum, nec ceteris contribuetur, *h. e.* una cum ceteris confundetur, et praestabitur. ℙ Afferuntur etiam duo *Cicer.* loca *Phil.* 14, 14. et *Mil.* 30., sed primo loco *attribuere*, secundo *tribuenda* plures rectius legunt. ℙ Saepe significat accensere, adjicere, *προστιθέναι*, et dicitur de urbibus et populis, qui alteri adjunguntur, ut ejus foro ac jurisdictioni subdantur, et quasi unam simul civitatem constituant, atque tributa simul pendant. *Liv.* 38, 3. *ad f.* Ambracia tum contribuerat se Aetolis. [Cf. *Drakenb.* ad h. l. Adde *Suet. Aug.* 48.] *Id.* 32, 19. Pollicentes Corinthum iis contributuros in antiquum gentis concilium. *Curt.* 5, 3. Gentem Uxiorum subactam Susianorum satrapiae contribuit. *Caes. B. C.* 1, 60. Calagurritani, qui erant cum Oscensibus contributi. *Plin.* 3, 3, 4. Colonia Illici. In eam contribuuntur Icositani. ℙ Item de aliis rebus. *Vell.* 2, 20. Contribuere novos cives in octo tribus. *Just.* 12, 5. In unam cohortem contribuere milites. *Colum.* 2, 9. *ad f.* Inter frumenta panicum et milium ponenda sunt, quamvis jam leguminibus ea contribuerim. *Id.* 9, 13. *circa med.* Apibus vetustate corruptis examen novum contribuere.

CONTRĪBŪTĬO, onis, f. *συνεισφορά. Paul. Dig.* 14, 2, 1. Si levandae navis gratia jactus mercium factus sit, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est. *Ulp. ib.* 24, 3, 7. Fructus non debent in contributionem venire. *Modest. ib.* 16, 2, 1. Compensatio est debiti et crediti contributio. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 724. *n.* 443. Ut ex reditu ejus summae in contributione sportularum divideretur.

CONTRĪBŪTUS, a, um, part. a *contribuo*, accensitus, adjunctus, attributus: ut urbs, aut populus contributus, qui alteri urbi adjunctus est, ut in CONTRIBUO est dictum. *Liv.* 31, 30. Quondam pagatim habitantes, ne in unam urbem quidem contributi etc. *Plin.* 4, 7, 11. Egosthenienses contributi Megarensibus. Et *ib.* 22, 35. Contributa sunt in eam Castra Julia, Castra Caecilia. *Id.* 3, 11, 16. Contributa eo maritima colonia, quae etc. ℙ Translate. *Id.* 32, 4, 15. Sed hoc utilius est vitae, contributa habere remedia.

CONTRISTĀTĬO, onis, f. molestia, moeror. *Tertull. adv. Marc.* 2, 11. Sine ulla contristatione.

CONTRISTĀTUS, a, um, part. a *contristo*, *ἐπιλυπηθείς. Colum.* 8, 8. de columbis: Nec minus in agros emittant, ne quasi gravi perpetuae custodiae servitio contristatae senescant. *Id.* 9, 14. *circa med.* de apib.: Ne saepius injuria contristatae, velut desperatione rerum profugiant. ℙ Translate. *Plin.* 35, 17, 57. Veros colores emollit cimolia, et quodam nitore exhilarat contristatos sulphure.

CONTRISTO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπιλυπέω*, tristem reddo. *Coel. ad Cic. Fam.* 8, 9. *extr.* Contristavit haec sententia Balbum. *Senec. ep.* 85. Prudens non perturbatur, nec contristatur, nec timet. *Id. Tranquill.* 15. Contristare, et in sollicitudinem adducere. ℙ Translate. *Virg. G.* 3, 279. Auster pluvio contristat frigore coelum. *Id. A.* 10, 275. Sirius laevo contristet lumine coelum. *Colum.* 3, 2. *med.* de vitibus: Humores commodius sustinent, quam siccitates, nec tamen caloribus contristantur. (Adde 5, 9. *in f.*) *Val. Fl.* 3, 427. humiles aras Instituit, silvaque super contristat opaca, *h. e.* frondibus obumbrat. [**Hor. Sat.* 1, 1, 36. Simul inversum contristat Aquarius annum. Hujus l. imitatio est ap. *Auson. Ep.* 24, 102.]

CONTRĪTĬO, onis, f. actus conterendi, comminutio, *θλῖψις*. Translate. *Quint. Decl.* 15, 10. Spem gaudia parant, adversa contritionem. Alii aliter leg. *Lact.* 7, 7. ex *Matth.* 24, 21. Erit pressura et contritio, qualis nunquam fuit a principio mundi. *August. Confess.* 7, 7. Magnae voces erant ad misericordiam tuam, tacitae contritiones animi mei.

CONTRĪTOR, oris, m. qui conterit. *Pl. Pers.* 3, 3, 14. Compedium contritor, convicium servi, qui diu compedes tulit. Al. plerique rectius leg. *tritor.*

CONTRĪTUS, a, um, part. a *contero*, comminutus, consumptus, *συντριβόμενος, ψαιστός. Plin.* 26, 11, 70. Quinquefolii contrita folia ex vino pota. Et *paulo sup.* Radix arida contrita in pulverem. *Id.* 29, 6, 38. Araneus contritus in vino vetere. Adde *Lucr.* 4, 698. ℙ Contriti etiam dicuntur, qui os aliquod ex ictu, vel casu contritum habent. *Plin.* 29, 2, 9. Succidam lanam imponunt desquamatis, percussis, incussis, collisis, contritis, dejectis. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 2, 16. Contritum vetustate proverbium, *h. e.* usitatissimum. *Id. Or.* 1, 31. Communia et contrita praecepta. *Id. Sext.* 40. Praemium jam contritum et contemptum, judicium bonorum.

CONTROVERSĬA, ae, f. *ἀμφισβήτημα*, disceptatio, lis, contentio, pugna. Primo proprie dicitur de iis disputationibus et causis, quae habentur in genere judiciali, in materia, ut vocant, *civili*, quae *criminali* opponitur. *Cic. Caecin.* 2. Omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt. *Id. Or.* 2, 24. *ad f.* Sive ex crimine causa constet, ut facinoris; sive ex controversia, ut hereditatis; sive ex deliberatione, ut belli; sive ex persona, ut laudis; sive ex disputatione, ut de ratione vivendi. ℙ Deinde latius aliquanto sumitur pro omni hypothesi, seu causa, quae pertinet ad genus judiciale, sive criminis sit, sive disceptationis: qua ratione distinguitur a *contentione*, quae videtur universim disputationem et disceptationem omnem significare; et a *suasoria*, quae pertinet ad genus deliberativum, et levior est, minusque prudentiae exigens, ideoque pueris delegari solebat, *controversia* vero robustioribus, ut *Auct. Dial. de Or.* 35. docet. *Cic. Or.* 14. Quoniam quidquid est, quod in controversia, aut in contentione versetur etc. Adde *Quint.* 3, 6. ℙ Hujusmodi *controversiae* sive fictae, sive ex historia depromptae, vel etiam ex re et facto, si quod forte recens accidisset, ad usum forensem accommodatae, disceptari solebant domesticae exercitationis gratia ab iis, qui in scholis dabant operam eloquentiae. Quare ab *Auct. Dial. de Or.* 14. vocantur *controversiae scholasticae:* quales multae reperiuntur apud *Senecam*, et duae proponuntur a *Suet. Rhet.* 1. Hac ratione distinguitur *controversia* a *declamatione*, tum quia *declamatio* est ipsa oratio, quae de controversia habetur; tum quia illa fictam causam continere videtur, et aliquando etiam ab usu forensi abhorrentem, (ut est ap. *Auct. Dial. de Or. cit.* 35.) *controversia* vero veram, et veris judiciis accommodatam. Saepe tamen promiscue accipiuntur. V. *Senec. prooem. l.* 1. *Contr., Quint.* 5, 5. et *Suet. Rhet.* 1. [*Cf. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 96. sq.] ℙ Denique latissime sumitur pro quacumque lite, disceptatione, aut disputatione. *Cic. Or.* 2, 72. Vocare aliquid in controversiam. *Id. Fam.* 13, 69. Habere controversiam cum aliquo de aliqua re. *Caes. B. G.* 7, 63. Deducere rem in controversiam. *Cic. Or.* 1, 40. adducere aliquid. Et *ib.* 31. Constituere controversiam. *Caes. B. C.* 1, 9. Componere controversias. *Cic. Off.* 3, 33. dirimere. *Id. Balb.* 19. sedare. *Id. Phil.* 9, 5. tollere. *Id. Caecin.* 17. dijudicare. Et *ib.* 2. distrahere. *Ulp. Dig.* 1, 7, 25. Movere controversiam. *Caes. B. C.* 1, 86. inferre. *Senec. ep.* 110. *sub f.* facere alicui de re aliqua. *Cic. Or.* 34. Nihil ambigi potest, in quo non aut res controversiam faciat, aut verba, *h. e.* dubitationem pariat. *Id. Rosc. Am.* 31. Est mihi controversia rei alicujus cum aliquo. *Id. Brut.* 18. Est inter scriptores de numero annorum controversia. *Auct. ad Her.* 1, 10. Jure fecerit, et licueritne facere, id est in controversia. *Caes. B. C.* 3, 112. Controversia orta inter eos de principatu. *Cic. Caecin.* 11. Controversia non erat, quin verum dicerent. *Id. Off.* 3, 2. Panaetius, qui sine controversia de officiis accuratissime disputavit. *Id. Caecin.* 7. Fundus, quem sine ulla controversia possedit Caesennia. ℙ De lite, querela, jurgio. *Inscr.* ap. *Grut.* 759, 2. C. Aonius Vitalis uxori incomparabili, quae vixit mecum sine ulla controversia ann. XVIII. etc. Adde 795, 6. ℙ In illo *Ulp. Dig.* 39, 2, 34. *med.* Si controversia aquae insulam subverterit: *controversia* est vis et impetus aquae contra insulam versae.

CONTROVERSĬĀLIS et Controversālis, e, adj. ad controversiam pertinens. *Sidon. ep.* 7, 9. et *ep.* 8, 11. *post carmen.*

CONTRŌVERSIM. V. CONTRAVERSIM.

CONTROVERSĬŌLĂ, ae, f. levis controversia. Recensetur a *Diomed.* 313. inter Latina diminutiva, *Hieron.* 1. *in Rufin. n.* 30. Controversiolam declamare.

CONTROVERSĬOSUS, a, um, adj. *ἐριστικὸς, πολύδικος*, controversiae plenus, controversus, ambiguus. *Liv.* 3, 72. Quem enim hoc privatae rei judicem fecisse, ut sibi controversiosam adjudicaret rem? Est qui legit *controversam. Senec. ep.* 85. *a med.* Respondere conantur, falsam nos rem, et controversiosam pro confessa inducere. Hic quoque alii leg. *controversam.*

CONTROVERSOR, aris, dep. 1. *ἀμφισβητέω*, contendo, discepto, litigo: ex *contra*, et *versor. Cic. fr.* ap. *Prisc.* 8, 803. A vobis postulo, ut inter vos de hujusmodi rebus controversemini, non concertetis. *Sidon. ep.* 4, 1. Qui nascuntur ex fratribus, nihil invicem controversantur.

CONTROVERSUS, a, um, part. ab inusit. *controverto*, *ἀμφισβητήσιμος*, qui est in controversia, litigiosus, ambiguus. *Cic. Div.* 2, 50. *in f.* Sed isti sumunt pro certo, quod dubium controversumque est. *Id. Leg.* 1, 20. Res controversa et plena dissensionis inter doctos. ℙ Item qui contentionis, et litium amans est. *Id. Brut.* 12. Siculi, gens acuta, et controversa natura. [**Jacobs.* emendavit: *gens controversiis nata.* Quod *Schütz.* in ordinem recipere non dubitavit. Nec improb. *Ellendt.*, quem v. ad h. l.] Adde *Ammian.* 22, 16. *sub f.*. ℙ [*Controversum argumentationis genus, eoque vitiosum, Ciceroni *Inv.* 1, 49. dicitur, in quo ad dubium demonstrandum, dubia causa affertur. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 97.] ℙ Item qui contra, seu ex adverso positus est. *Ammian.* 14, 2. Litoribus Cypriis contigui navigabant, quae sunt Isauriae scopulis controversa. Videtur tamen legendum *contraversa.* Sic enim duos similes *Solini* locos corrigit *Salmas.* V. CONTRAVERSUS. ℙ Item contrarius, oppositus. *Macrob. Somn. Scip.* 1, 6. *ante med.* Non aliter tam controversa sibi, ac repugnantia, et naturae communionem abnuentia permisceri, terram dico, et ignem potuisse.

CONTRŪCĬDĀTUS, a, um, part. a *contrucido*, confossus. *Cic. Sext.* 20. A quibus hic multis vulneribus acceptis, ac debilitato corpore et contrucidato, se abjecit exanimatus. *Senec. Ira* 1, 2. Plebem immisso milite contrucidatam. *Id. ep.* 115. Colitur non taurorum corporibus contrucidatis, sed pia voluntate.

CONTRŪCĬDO, as, avi, atum, a. 1. idem ac trucido, crudeliter neco, vulneribus confodio, *κατακόπτω.. Suet. Cal.* 28. Missis, qui universos contrucidarent. [*V. *Brem.* ad h. l.] *Id. Dom.* 17. Vulneribus septem contrucidarunt. *Apul. Met.* 9. Arrepto ferro, jugulum sibi multis ictibus contrucidat.

CONTRŪDO, is, usi, usum, a. 3. idem ac trudo, vel simul trudo, *συνωθέω. Cic. Verr.* 2, 5, 27. Quod eodem ceteros piratas contrudi imperaret. *Id. Coel.* 26. Contrudi in balneas. *Varr. R. R.* 1, 54. Contrudere uvas in dolium. *Id. L. L.* 7, 16. Quod necessitas contruserit.

[CONTRULLĔUM, i, n. idem ac trulleum. *Not. Tir.* p. 164., ubi tamen legitur *contrulium*. *F.*]

CONTRUNCO, as, avi, atum, a. 1. idem quod trunco, κολοβόω. *Lamprid. Alex. Sev.* 61. Inermes et obsistentes contruncaverunt, *h. e.* occiderunt. *Pl. Stich.* 4, 1, 48. Quod edant addas, meumne contruncent cibum, *h. e.* detrahant, imminuant. *Apul. Met.* 1. Dum polentae caseatae modico securius offulam grandiorem contruncare gestio.

CONTRŪSUS, a, um, part. a *contrudo*, simul trusus, seu coactus. *Lucr.* 6, 734. Contrusae nubes. Et *ib.* 1251. Contrusa corpora casis. *Ammian.* 21, 6. Persarum rege aegre contruso.

[CONTŪBERNA, ae, f. eadem ac contubernalis. *Inscr.* ap. *Gud.* 363, 11. Vestiaria Severa vixit annis XXX. Pharnaces contubernae suae benemerenti fecit. *F.*]

CONTŪBERNĀLIS, is, comm. gen. *ονοχηγος, ὁμοσκηνος*, miles qui in eodem exercitu una cum aliis sub eodem tentorio habitat: ita dictus a *tabernis*, ut docet *Fest.*, *h. e.* habitaculis militum, quae olim e tabulis fiebant: unde et tabernacula dicta sunt, licet postea ex tentoriis, et ex pellibus fierent. Scribit *Veget. Milit.* 2, 8. et 13. in legione fuisse *decanos*, qui praecerant decem militibus: deinde *capita contuberniorum* dictos. Ex quo intelligimus, decem vel undecim milites eodem tabernaculo usos fuisse. Atque hi *contubernales* sunt appellati. *Cic. Ligar.* 7. Domi una eruditi, militiae contubernales, post affines, in omni denique vita familiares. *Hirt. B. Al.* 16. Eadem suum quisque contubernalem, amicum, notum prosequens erat obtestatus. ℙ Magistratuum militarium in provincias abeuntium comites adjungebantur ex more Romanorum, senatorum filii, qui ab iis tum militarem disciplinam, tum gubernandi artes perdiscerent: hi quoque *contubernales* dicti, quod ab eorum latere nunquam discederent. *Cic. Coel.* 30. Cum paulum jam roboris accessisset aetati, in Africam profectus est, Q. Pompejo proconsuli contubernalis. *Id. Planc.* 11. Fuit in Creta contubernalis Saturnini. *Suet. Caes.* 42. Sanxit, ne quis senatoris filius, nisi contubernalis, aut comes magistratus, peregre proficisceretur. ℙ *Contubernales* hujusmodi a *comitibus* (de quibus in COHORS et COMES dictum est) ita distinctos puto, ut ii essent sine officio, utpote qui solum discendi gratia magistratus sequebantur; hi vero etiam officium et munus aliquod nonnunquam haberent, quo magistratui aliqua ex parte inservirent in provinciae administratione. ℙ Per similitudinem *contubernalis* dicitur, qui alicujus necessitudinis causa diutius cum alio vivit, familiaris, domesticus, *συνέστιος, συμβιωτὴς, σύνοικος*. *Cic. Fam.* 9, 2. Doleo in ista loca venire me non potuisse. Habuisses enim non hospitem, sed contubernalem. *Plin. ep.* 2, 13. Hunc ego, cum simul studeremus, arcte familiariterque dilexi: Ille meus in urbe, ille in secessu contubernalis. *Cic. Brut.* 2, 27. Noster L. Gellius, qui se illi contubernalem in consulatu fuisse narrabat. [*V. *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v.] ℙ Servi conjuges, quia inter illos verum connubium non erat; item alii, qui una quidem vivunt, sed justo matrimonio juncti non sunt, *contubernales* dicuntur. *Petr. Sat.* 96. Contubernalis mea mihi fastum facit. *Colum.* 12, 1. Contubernalis villicae, *h. e.* maritus. *Callistrat. Dig.* 50, 16, 220. Villicus et contubernalis ejus, *h. e.* uxor. [*Caeterum signari servis solebant a domino uxores contubernales. *Col.* 1, 8, 5. Qualicumque villico contubernalis mulier assignanda est. Interdum etiam sortiti sunt servi contubernales suas, ut est in *inscr.* ap. *Orell.* 2834. Qui sortitus est in contubern. suo Arriam Rufinam. Nisi Sortitus est *assignatam eam esse* a domino significat, ut *Orell.* ad h. l. vult.] ℙ Interdum et liberi conjuges *contubernales* dicuntur. Probant hoc Inscriptiones bene multae ap. *Fabrett. c.* 4. *a num.* 386. deinceps. ℙ Joculariter *Pl. Mil.* 2, 2, 28. Dare aliquem contubernalem cruci, *h. e.* cruci affigere. ℙ *Cic. Att.* 13, 28. C. Caesarem vocat *contubernalem Quirini*, quia suam statuam passus fuerat, se vivo, in ejus templo collocari: quod significat etiam *Suet. Caes.* 76. De eodem *Cic. Att.* 12, 45. Eum *σύγκαον* Quirino malo, quam Saluti. ℙ In sexto casu in *e* quoque desinit, *Pompon.* ap. *Charis.* 1, 99. Cum contubernale pugnavi. ℙ [Per tmesin dividitur. *Consentius de barbar. et metapl.* (ed. *Phil. Buttmanno*) p. 12. *Conque tubernalem* pro *contubernalem*, quo Lucilius in metro crebro utitur. *F.*]

CONTŪBERNĬUM, ii, n. *συσκηνία, ὁμοσκηνία*, tabernaculum, tentorium, in quo milites simul habitant. *Caes. B. C.* 3, 76. Depositis in contubernio armis, vallum relinquebant. Adde *Tac. H.* 1, 43. ℙ De quacumque domo, quam quis simul cum alio habitavit. *Id. ib.* 3, 74. Domitianus prima irruptione apud aedituum (*Jovis Capitolini*) occultatus delituit: ac, potiente rerum patre, disjecto aeditui contuberno, modicum sacellum Jovi Conservatori, aramque posuit. ℙ Metaphorice *Plin.* 11, 11, 10. *de apib.* Domos primum plebi exaedificant, deinde regibus. Si speratur largior proventus, adjiciuntur contubernia et fucis. ℙ Metonymice est convictus, et sodalitas decem militum (tot enim olim in singulis tentoriis simul erant) sub decano, qui *caput contubernii* dicebatur, ut in voce superiori dictum est. Item convictus adolescentum nobiliorum, qui magistratus in provincias sequebantur, eosque assidue sectabantur, quo rei militaris, et provinciarum peritiam sibi compararent. *Cic. Planc.* 11. Adolescentulus cum Torquato profectus in Africam, sic ab illo dilectus est, ut contubernii necessitudo, et adolescentuli modestissimi pudor postulabat. *Sall. Jug.* 68. Militare contubernio patris. ℙ Translate deinde accipitur pro quolibet convicto quorumvis hominum, *συμβίωσις*. *Suet. Cal.* 10. Primum in matris, deinde in Liviae Augustae proaviae suae contubernio mansit. [*Hoc loco est habitatio in eadem domo. *Id. Ner.* 34. Matrem contubernio quoque ac Palatio expulit. *Cal.* 12. — In sequentibus est amicitia et comitatus principum.] *Id. Tib.* 14. Thrasyllum mathematicum contubernio admoverat. Et *ib.* 56. Seleucum grammaticum a contubernio removit. *Id. Aug.* 89. Arei philosophi contubernium iniit. *Petr. Sat.* 92. Recipere aliquem in contubernium. *Plin. ep.* 10, 95. assumere. *Senec. ep.* 6. Magnos viros non schola Epicuri, sed contubernium fecit. [*Maxime dicitur de convictu et familiaritate virorum doctorum, quibus discipuli adhaerebant. *Suet. Aug.* 89. Deinde eruditione etiam varia repletus est per Arei philosophi filiorumque ejus Dionysii et Nicanoris contubernium. *Id. Gr.* 7. Institutus Alexandriae — in contubernio Dionysii. *Id. Rh.* 6. Receptus in Planci oratoris contubernium.] ℙ [Contubernium etiam dicitur sodalitas, seu collegium sacerdotum alicujus numinis. *Inscr.* ap. *Guarinium*, *Illustrazione della campagna Taurasina*, p. 6. S. Minio S. F. Ter. Silvano contubernium Veneris patrono ob merita ejus L. D. D. D. *F.*] ℙ Praesertim vero viri et feminae, qui sine ullo connubii vinculo simul habitant. *Cic. Verr.* 2, 5, 40. Ubi illud contubernium muliebris militiae in illo delicatissimo litore? *Suet. Vesp.* 3. Caenidem Antoniae libertam, dilectam quondam sibi, revocavit in contubernium. [*i. e. concubinam fecit.] ℙ Atque ita appellatur maritalis conjunctio servorum, inter quos olim verum matrimonium esse non potuit. *Scaevola Dig.* 40, 4, 59. Eutychia pedisequa actori in contubernio tradita. [*Curt.* 5, 5. Si quos contubernii liberorumque, quos servitus coegisset agnoscere, amor detineret, relinquerent (loquitur de Graecis apud Persas captivis.)] ℙ De turpiori consuetudine. *Petr. Sat.* 92., *Suet. Caes.* 49. [*Adde *Cal.* 36.] ℙ Eleganter ad bruta transtulit *Phaedr.* 2, 4. V. locum. ℙ Ad alia *Quint. Decl.* 14, 10. *extr.* Homo ab omnibus gaudiis in contubernium doloris adductus. *Val. Max.* 9, 5. *sub f.* Felicitatis, et moderationis dividuum contubernium est, *h. e.* simul in eodem homine non reperiuntur.

CONTŪBULĀTIO. V. CONTABULATIO.

CONTŪEOR, eris, tuitus sum, dep. 2. *ἀτενίζω, προσλένοομαι*, idem quod tueor, aspicio, intueor. *Cic. N. D.* 3, 3. Cur te duobus contuear oculis, et non altero tantum. *Id. Sull.* 27. Aspicite ipsum, contuemini os. *Id. Tusc.* 1, 20. Quod tandem spectaculum fore putamus, cum totam terram contueri licebit, ejusque situm, formam etc. *Gell.* 5, 14. Paulatim oculos ad contuendum leonem refert. *Plin.* 29, 6, 38. Scarabaei viridis natura contuentium visum exacuit. ℙ Translate *Cic. Dom.* 58. Celeberrimae et maximae partes urbis adversum illud monumentum contuentur. ℙ Cum accus. et *ad* praeposit. *Cic. Somn. Scip.* 7. Si alte spectare voles, atque ad hanc sedem, et aeternam domum contueri. Ita *Aldus:* plerique alii cum *P. Victor.* omittunt *ad.* ℙ Reperitur et pro custodire, tueri. *Varr. R. R.* 2, 5. *ad f.* In alimoniis armenticium pecus sic contuendum, lactentes cum matribus ne cubent: obteruntur enim. *Fest.* in *Tuor:* Ponitur tueor pro video, et contueor pro defendo. ℙ *Contui* pro *contueri* antiquum, ut, Incoepi contui, *Pomp.* ap. *Non.* 7, 20. Sic *intui* pro *intueri* ap. *Turp. ib.* V. CONTUOR.

CONTŪĪTUS, a, um, part. a *contueor*, qui contuetur. *Suet. Aug.* 94. Augustum non sine admiratione contuitus. [*V. *Brem.* ad h. l.]

CONTŪĪTUS, us, m. *ἀτενισμὸς*, actus contuendi, aspectus. *Pl. Trin.* 2, 1, 27. Amor fugit forum, fugat tuos cognatos, fugat ipse se a tuo contuitu. *Plin.* 37, 5, 16. Smaragdi soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant. *Id.* 11, 37, 54. Oculi contuitu quoque multiformes, truces, torvi, flagrantes, etc. *Ammian.* 18, 8. Esse in contuitu. ℙ Extra ablativum casum caret, quod sciam, exemplis: nisi illud *Cicer.* afferas *Sext.* 54. Vester in me animorum, oculorumque contuitus. Verum alii leg. *conjectus*, quod certe multo Latinius est.

CONTŪMĀCIA, ae, f. *καταφρόνησις, ἀνθάδεια, ἀπείθεια*, superbia, et insolens animi elatio, et prava contentio, qua cedere majoribus, honoremque illis habere, et obedire, ac vereri obstinate detrectamus, contemptu quodam, et ferocia animi: unde *ferocitatem* et *contumaciam* conjungit *Suet. Vit.* 12., et *Tac. A.* 4, 20. *abruptam contumaciam* opponit *deformi obsequio*. Ea consistit tam in dictis, quam in factis. Unde *contumaciam* vocat *Suet. Aug.* 54. quod quidam senatores nimis licenter dictis procacibus, et factis etiam Augusto obstitissent. *Liv.* 2, 60. Idem habitus oris, eadem contumacia in vultu, idem in oratione spiritus erat. *Cic. Pis.* 31. Torquatus furebat contumacia responsi tui. *Id. Verr.* 2, 4, 41. Illa tua singularis insolentia, suberbia, contumacia. *Id. Rosc. Com.* 15. Est tuae contumaciae et arrogantiae vox. ℙ Apud JCtos *contumacia* est eorum, qui a judice ter, vel semel pro tribus vicibus evocati, comparere recusant. *Hermog. Dig.* 42, 1, 53. ℙ Tribuitur et brutis animalibus. *Colum.* 6, 2. Contumacia pervicax boum. ℙ Item rebus inanimis. *Plin.* 16, 32, 58. de arboribus. Non omnia in omnibus locis nasci docuimus. Hoc alias fastidio, alias contumacia, saepius imbecillitate evenit. ℙ In bonam partem pro constantia. *Cic. Tusc.* 1, 29. Socrates nec patronum quaesivit ad judicium capitis, nec judicibus supplex fuit: adhibuitque liberam contumaciam a magnitudine animi ductam, non a superbia. *Quint.* 2, 4. Maxima est innocentiae contumacia.

CONTŪMĀCĬTER, adv. *ἀπειθῶς, αὐθαδῶς*, obstinate, superbe. *Cic. Att.* 6, 1. *ante med.* Ad me autem, etiam cum rogat aliquid, contumaciter, arroganter, *ἀκοινωνήτως* solet scribere. *Id. Q. Fr.* 2, 1. *ad f.* Contumaciter vexare aliquem. *Id. Div.* 2, 33. repudiare morem patrium. *Nep. Cim.* 2. Contumacius gerere se. *Liv.* 2, 58. Contumaciter omnia agere: nec pudor, nec metus coercebat. ℙ [*Dicitur etiam bono sensu de iis, qui nulla se difficultate deterreri patiuntur a proposito. *Senec. Ep.* 13. (De bono athleta.) Quoties cecidit, contumaciter resurrexit. *Plin. Pan.* 41, 3. Nunquam principibus defuerunt, qui fronte tristi et gravi supercilio utilitatibus fisci contumaciter adessent.] ℙ Translate. *Plin.* 37, 7, 30. Omnia haec genera (*lapidum*) scalpturae contumaciter resistunt. *Id.* 16, 40, 26. *n.* 3. Arbor scutis faciendis aptissima, quorum plaga contrahit se protinus; et ob id contumacius transmittit ferrum. *Id.* 19, 7. Celerrime nascuntur ocimum, blitum: contumacius coriandrum.

CONTŪMAX, acis, omn. gen. adj. *ἀπειθής, αὐθάδης*, superbus, obstinatus, qui majoribus, aut rationi, aut honestati non cedit, sed perstat contemnendo, et detrectando. Sitne a *tumeo*, an a *contemno* disputant etymologi. V. CONTUMELIA. [*Haud dubie derivandum a *contemnere*, non a *tumere*, aeque ac contumelia. Nostr. *hartnäckig, trotzig. B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 247.] *Cic. Att.* 15, 15. Saram nefarium hominem cognovi, praeterea in me contumacem. *Id. Verr.* 2, 2, 78. Quis contumacior? quis inhumanior? quis superbior? *Senec. ep.* 83. Ebrietas contumacissimos, et jugum recusantes in alienum egit arbitrium. *Tac. A.* 5, 3. Arrogantiam oris, et contumacem animum incusavit. *Id. ib.* 4, 60. Voces contumaces et inconsultae. *Id. ib.* 2, 57. Respondere precibus contumacibus, *h. e.* precando quidem, sed simul ostendendo, se non pariturum, si preces non exaudiantur. *Curt.* 4, 6. *ad f.* Non interrito modo, sed contumaci vultu intuens regem. *Quint. Decl.* 9, 4. Contumacem esse adversus patris imperia. *Senec. Thyest.* 644. Populus contumax regibus suis. ℙ Apud JCtos *contumax* dicitur, qui tribus propositis edictis, vel uno pro tribus, parere recusat, uti docet *Hermog. Dig.* 42, 1, 53. V. CONTUMACIA. ℙ Transfertur et ad bruta animalia. *Colum.* 8, 2. Gallina contumax ad concubitum. *Id.* 6, 2. Contumaces boves. ℙ Item ad inanima. *Phaedr.* 4, 7. Lima contumax, *h. e.* morsus viperae non admittens. [*Suet. Claud.* 35. Contumeliosa et minaci et contumaci epistola, i. e. qua imperatoris contemptum proderet.] *Plin.* 12, 13, 29. Cardamomum contumax fricanti, *h. e.* difficile tritu. *Id.* 19, 3, 15. Laserpitium res fera ac contumax, *h. e.* difficilis culturae. *Id.* 16, 10, 19. Laricis incorrupta vis, mori contumax. *Mart.* 10, 65. Tu flexa nitidus coma vagaris: Hispanis ego contumax capillis, *h. e.* capillos habens, qui flecti in cincinnos non possunt. *Id.* 9, 12. Syllaba contumax, *h. e.* quae in versum per leges prosodiae nequit admitti. ℙ Videtur etiam sumi in bonam partem pro constanti. *Tac. H.* 1, 3. Propinqui audentes, constantes generi, contumax, etiam adversus tormenta, servorum fides. *Sidon. carm.* 9, 219. Non quod Mantua contumax Homero Adjecit Latiaribus loquelis, *h. e.* cedere nolens.

CONTŪMĒLĬA, ae, f. *ἀτιμία, ὕβρις*, convicium, injuria cum contemptu: est enim a *contemnendo*, ut *Ulp.* docet *Dig.* 47, 10, 1., item *Senec. Const. Sap.* 11., et plerumque intelligitur ea, quae fit verbis: aliquando etiam quae factis, in quibus inest contemptio. [At verior derivatio videtur esse a *tumeo;* nam primo turgidi maris impetum significat, quo sensu usurpavit. *Caes. B. G.* 3, 13. Naves totae factae ex robore, ad quamvis vim et

contumeliam perferendam, *F.*] [*V. quae notavimus ad v. anteced.] ℙ Differt ab *injuria*, quae latius patet, et *contumeliam* quoque complectitur: et praeterea *injuria* damnum alienum in re spectat: *contumelia* in existimatione: quare gravior esse censetur. *Caecil.* ap. *Non.* 5, 32. Facile aerumnam ferre possum, si inde abest injuria, etiamque injuriam, nisi contra stat contumelia. *Cic. Verr.* 2, 4, 9. Quibus tu privatim injurias plurimas, contumeliasque imposuisti. *Senec. Clem.* 1, 10. Contumeliae acerbiores principibus esse solent, quam injuriae. *Pl. Curc.* 4, 1, 17., *Ter. Phorm.* 2, 3, 29. et *Liv.* 25, 22. Dicere contumelias alicui. *Cic. N. D.* 1, 26. Vexare aliquem omnibus contumeliis. *Id. Sull.* 7. *extr.* Jacere contumeliam in aliquem. *Id. Phil.* 11, 2. Lacerare aliquem contumeliis verborum. *Id. Att.* 14, 14. Insequi aliquem contumelia. *Id. Tusc.* 4, 36. Intorquentur inter fratres gravissimae contumeliae. *Id. Or.* 2, 55. Aculei contumeliarum. *Lentul. ad Coss. Praet.* etc. *Fam.* 12, 15. Afficere contumelia viros clarissimos. *Caes. B. C.* 2, 28. Aliquem contumelia perfugam appellare. *Id. ib.* 1, 9. Extorquere alicui aliquid per contumeliam. *Ter. Eun.* 1, 1, 3. Perpeti contumelias. *Id. Phorm.* 5, 7, 79. et *Pl. Asin.* 2, 4, 82. facere alicui. *Caes. B. G.* 7, 10. Contumeliam accipere. *Tac. H.* 3, 31. et 85. Praebere, et offerre os contumeliis, *h. e.* colaphis, sputis etc. *Phaedr.* 1, 2. Inquinare omni contumelia, *h. e.* conspurcare, concacare. ℙ Imponere alicui contumeliam, est reum facere alicujus rei, ex qua famae laesio sequatur. *Sall. Cat.* 49. ℙ *Contumeliam facere* pro *pati* (eo modo, quo dicimus *facere jacturam*) dictum ab Antonio triumviro reprehendit acriter *Cic. Phil.* 3, 9., debuit enim dicere *contumelia affici*, uti notat *Quint.* 9, 3. *in.* ubi tamen simul docet, suo tempore eam loquendi rationem in usu fuisse. Quare si quis ea uteretur, non esset de soloecismo reprehendendus. Ceterum miras eruditorum lites de illa Ciceronis reprehensione si quis scire cupiat, collectas inveniet a *Gronov. Observ.* 3, 8. [*p. 375 — 384.] qui rem totam aliter explicat. ℙ Interdum *contumelia* refertur ad obscenam injuriam, ut stuprum etc. *Cic. Har. resp.* 20. *Liv.* 8, 28. et *Appul. Apol.* ℙ Item ad res inanimas. V. supra *loc. Caes.* ℙ Interdum significat reprehensionem, increpationem. *Hor. Ep.* 11, 25. Unde expedire non amicorum queam Libera consilia, nec contumeliae graves. ℙ [**Contumeliarum gradus* ap. *Plin. Pan.* 47, 5. Significant certos amicorum admittendorum gradus, quos principes quidam ex contumeliosa in cives Romanos superbia constituerant, quique ex ordine, quo admittebantur, dicti sunt amici primae, secundae, tertiae admissionis. V. *Interpretes* ad h. l.] ℙ Joculariter usus est hac voce *Petr. Sat. fragm. Trag.* 56. *Burm.*, cujus locum V. in ACREOPHAGIA. ℙ Athenienses Contumeliae, et Impudentiae fanum fecisse, narrat, et arguit *Cic. Leg.* 2, 11.

CONTŪMĒLĬŌSĒ, adv. *ὑβριστικῶς*, cum contumelia. *Cic. Off.* 1, 37. *ad f.* Cum de absentibus, detrahendi causa, maledice contumelioseque dicitur. *Id. Vatin.* 12. Alicui contumeliosissime maledicere. *Ter. Phorm.* 2, 3, 1. En unquam cuiquam contumeliosius audistis factam injuriam, quam haec est mihi? *Liv.* 32, 37. Contumeliosius, quam verius.

CONTŪMĒLĬŌSUS, a, um, adj. *ὑβριστικὸς*, qui contumeliam facit, vel continet. *Cic. Phil.* 3, 6. At quam contumeliosus in edictis! quam barbarus! quam rudis! *Id. Q. Fr.* 1, 2, 3. Litterae contumeliosae in aliquem. *Id. Balb.* 9. In socios vero ipsos injuriosum et contumeliosum est, his praemiis exclusos esse fidelissimos socios. *Id. Att.* 15, 4. Nulla *παῤῥησίᾳ* fieri potest contumeliosior. *Suet. Dom.* 23. Mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceravit.

CONTŪMESCO, is, n. intumesco. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 4. Gingivae contumescunt.

CONTŪMĬA, ae, f. contumelia, derisio: videturque facta esse a *contumelia* per syncopen. *Gloss. Isid.* Contumia; contumelia. Habet etiam *Capell. extr. l.* 4. *in carm.*, sed vox est fugienda quam maxime.

CONTŪMŪLO, as, a. 1. tumulum facio, aggero, congero. *Plin.* 10, 33, 51. Perdices ovis stragulum molle pulvere contumulant. ℙ Item terra aggesta sepelio, tumulo, *συνθάπτω*. *Ov. Ib.* 464. Saucius ingesta contumuleris humo.

CONTUNDO, is, ūdi, usum, a. 3. *συντρίβω*, *συναλοάω*, *συνθλάω*, idem quod tundo, vel valde tundo, confringo, comminuo, percutio. *Varr. R. R.* 3, 16. Contundere thymum in pila. *Colum.* 7, 7. Radices ferreis pilis diligenter contundere. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Araturos boves quam arctissime jungi oportet, ut capitibus sublatis arent: sic minime colla contundunt. *Pl. Bacch.* 3, 3, 46. Contundere aliquem pugnis. *Id. Aul.* 3, 1, 4. fustibus. *Juven.* 13, 128. plana faciem contundere palma. *Quint.* 11, 2. Triclinium supra convivas corruit, atque ita contudit, ut etc. *Hor. Ep.* 5, 97. Contundere aliquem saxis. *Cic. Fl.* 30. Membra, quae debilitavit lapidibus, fustibus, ferro; manus, quas contudit; digitos, quos confregit; nervos, quos concidit, restituere non potest. *Hor. Ep.* 1, 8, 5. quia grando Contuderit vites. *Id. Sat.* 2, 7, 15. postquam illi justa cheragra Contudit articulos. Sic *Pers.* 5, 58. cum lapidosa cheragra Fregerit articulos, *contundere* et *frangere* hoc loco significat ita afficere, et debilitare nodos digitorum, ut inepti ad motum fiant, non secus ac si fracti, et concisi forent. [*V. *Bentl.* ad *Hor.* l. l.] *Ov. Amor.* 1, 2, 15. Asper equus duris contunditur ora lupatis. ℙ Translate est domare, conficere, opprimere, affligere, retundere. *Cic. Caecin.* 7. Calumniam stultitiamque obtrivit et contudit. *Id. Phil.* 13, 13. *extr.* Contudi et fregi exsultantis praedonis audaciam. *Id. Att.* 12, 44. Contudi animum, et fortasse vici, si modo permansero. *Virg. A.* 1, 268. Contundere populos feroces. [*Similis locus est ap. *Sil.* 4, 708.] *Hor. Od.* 4, 3, 8. regum minas tumidas. *Id. ib.* 3, 6, 10. impetus alicujus. *Senec. Benef.* 3, 29. insolentiam hominum. In vet. *Inscr.* ap. *Liv.* 40, 52. Classis Antiochi victa, fusa, contusa, fugataque est. [**Id.* 27, 2. Qui post Cannensem pugnam ferocem victoria Hannibalem contudisset.] *Prop.* 4, 2, 52. Atque Sabina feri contudit arma Tati. *Ov. A. Am.* 1, 12. Contundere animos feros placida arte. [**Tibull.* 3, 6, 13. Ille (Bacchus) ferocem Contudit, et dominae misit in arbitrium.] *Colum.* 6, 2. de bobus: Simul atque iras contuderint, manu producantur. *Ov. Trist.* 5, 12, 31. Contudit ingenium patientia longa laborum. *Pl. Stich.* 2, 2, 33. Contundere facta alicujus, *h. e.* superare. ℙ Pro consumere, peragere. *Lucr.* 5, 690. Propter signiferi posituram totius orbis, Annua sol in quo contundit tempora serpens. *Supra* dixerat *v.* 618. Annua sol in quo consumit tempora cursu. ℙ Paenultimam praeteriti produxit *Enn.* in illo ap. *Prisc.* 10, 891. viresque valentes Contudit crudelis hiems. At rectius corripuit *ib.* quae me fortuna ferox sic Contudit, indigno etc. Et sic alii poetae deinceps.

CONTŪŌLI oculi sunt in angustum coacti, conniventibus palpebris: a *contuendo*, idest, simul aspiciendo. *Fest.* Sed *Scalig. conivoli* legit a *connivendo*.

CONTŪOR, ēris, dep. 3. idem ac contueor. *Pl. Asin.* 2, 3, 23. Atque hercle ipsum adeo contuor. *Id. Most.* 3, 2, 153. Si vulturios forte possis contui. *Lucr.* 4, 39. cum saepe figuras Contuimur miras. Adde *Stat. Achill.* 1, 131. ℙ Hinc infinitivus *contui*. *Pomp.* ap. *Non.* 7, 20.

CONTURBĀTIO, onis, f. *συντάραξις*, turbatio. Specialiter est morbus oculorum, cum ex compressione, attritu, fumo, pulvere, aut alia simili de causa conturbati minus vident. *Scrib. Comp.* 19. Ad conturbationes et epiphoras oculorum scio, multa collyria etc. ℙ Translate refertur ad animum. *Cic. Tusc.* 4, 8. Conturbatio est metus excutiens cogitata. *Id. Top.* 12. At post rem rubor, pallor, titubatio et si qua alia signa conturbationis, et conscientiae.

CONTURBĀTOR, oris, m. qui conturbat, seu dissipat, et decoquit rem. *Mart.* 7, 27. Noster te non capit ignis, Conturbator aper: vilius esurio. Sic 10, 96. Conturbator macellus, *h. e.* quo fit, ut gulosi homines decoquant. V. CONTURBO.

CONTURBĀTUS, a, um, part. a *conturbo*, *ταραχθείς*, turbatus, perturbatus, confusus. *Cic. Har. resp.* 12. Quid magis deformatum, inquinatum, perversum, conturbatum dici potest? *Suet. Aug.* 31. Annus conturbatus atque confusus. ℙ Translate refertur ad animum. *Cic. Verr.* 2, 4, 14. Tristis et conturbatus domum revertit. *Id. Att.* 1, 12. *sub f.* Mehercule eram conturbatior. *Curt.* 7, 2. Equites conturbati tormentis Philotae.

CONTURBO, as, avi, atum, a. 1. *συνταράττω*, turbo, misceo, confundo. Unde *Catull.* 5, 11. commode dixit *conturbare basia*, *h. e.* eorum numerum ordinemque confundere. *Sall. Cat.* 38. *extr.* et 49. Conturbare rempublicam. *Id. Jug.* 54. ordines acici. *Id. ib.* 81. rem. *Senec. ep.* 14. publicos mores. [**Lucr.* 4, 1066. Si non prima noveis conturbes volnera plageis, i. e. si coalescentia vulnera novis ictibus non rumpis. — *Id.* 3, 499. Desipientia fit, qua vis animi atque animai Conturbatur, et, ut docui, divisa seorsum Disjectatur.] ℙ *Conturbare rationes*, item *conturbare* absolute, significat rem perdere, prodigendo consumere, decoquere: ut si quis multos habens creditores, recentioribus satisfaciat, praetermissis veteribus: aut si majus aes alienum suscipiat, quam dissolvere possit, *φυρᾶν ψῆφους* Graece *Cic. Att.* 6, 5. dixit. Hujus rei exempla *Ulp. Dig.* 14, 3, 5. et *Alfen. ib.* 15, 3, 16. afferunt. Sic *Ulp. ib.* 11, 3, 1. *extr.* Si actori suasit, rationem sibi commissam turbaret. *Cic. Planc.* 28. Fac me multis debere, et in iis Plancio: utrum igitur me conturbare oportet: an ceteris, cum cujusque dies venerit, hoc nomen, quod urget, nunc, cum petitur, dissolvere? *Id. Q. Fr.* 2, 12. *ad f.* Ad quem rescripsi, nihil esse, quod posthac arcae nostrae fiducia conturbaret. Adde *Mart.* 9, 4. et *Juven.* 7, 129. [**Quint. Decl.* 273. p. 525. Bonitate labitur, humanitate conturbat. Cf. *Burm.* ad *Petr.* 38.] ℙ Translate. *Ter. Eun.* 5, 2, 28. Neque quid consilii capiam, scio de virgine istac: ita conturbasti mihi rationes omnes, ut eam non possim suis tradere. ℙ Saepe transfertur ad animum, et significat aliqua aegritudine afficere. *Cic. Att.* 7, 2. Invaletudo tua me valde conturbat. *Id. Phil.* 2, 13. Quid est? num conturbo te? non enim fortasse satis, quae distinctius dicuntur, intelligis.

CONTURMĀLIS, e, adj. qui est ejusdem turmae. *Ammian.* 16, 12. Opitulatum conturmalibus suis celeri cursu Batavi venere. Adde *eund.* 17, 1. et 24, 6.

CONTURMO, as, a. 1. in turmas dispono, ordino. *Ammian.* 16, 12. Cum eques in ipso proelii articulo se fortiter conturmaret, *h. e.* in turmas arcte colligeret.

CONTUS, i, m. *κοντός*, longa sudes, pertica, hasta longior et robusta, ut *Non.* 18, 24. exponit, ad varios usus. Modo enim adhibetur propellendis navibus. *Virg. A.* 5, 208. Ferratasque sudes, et acuta cuspide contos Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos. Et *ib.* 6, 302. Ipse ratem conto subigit. ℙ Aut explorandae aquarum altitudini: unde *percontor* factum esse putant *Fest.* in *Percunctatio*, et *Donat.* ad *Ter. Hec.* 1, 2, 2. ℙ Modo teli, aut hastae vice. *Virg. A.* 9, 509. telorum effundere contra Omne genus Teucri, et duris detrudere contis. *Tac. H.* 1, 44. Capita praefixa contis gestabantur. *Lamprid. Commod.* 13. Virium ad conficiendas feras tantarum fuit, ut elephantum conto transfigeret. ℙ Videtur fuisse hasta propria Sauromatarum. *Stat. Achill.* 2, 416. didici, quo Paeones arma rotatu, Quo Macetae sua gaesa citent, quo turbine contum Sauromates, falcemque Getes etc. Al. leg. *cestum*. *Sil.* 15, 687. Contus Sarmaticus. *Val. Fl.* 6, 162. ingentis frenator Sarmata conti, *h. e.* moderator conti, qui habena instructus modo ejiciebatur, modo retrahebatur. *Tac. A.* 6, 35. Cum Sarmatae, omisso arcu, contis gladiisque ruerent. ℙ *Contus pedalis* pro veretro praegrandi. *Auct. Priap.* 11. Trajectus conto sic extendere pedali, Ut etc.

CONTŪSIO, onis, f. *θλάσμα*, *σύντριμμα*, actus contundendi, fractura, collisio. *Colum.* 12, 47. Quidam olivam non contundunt, sed insecant, quia haec candidior est, quam quae ex contusione livorem contrahit. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 6. Est et quaedam contusio falcis hebetioris, *h. e.* cum falx acie hebeti non praecidit lignum, sed lacerat et perfringit. *Scrib. Comp.* 101. Contusio, quae frequenter gladiatoribus accidere solet in luctationibus. *Id. ib.* 165. Theriace prodest ad contusiones.

CONTŪSUS, a, um, part. a *contundo*, *θλαστὸς*, *τριπτὸς*, tusus, confractus, percussus. *Cic. Tusc.* 2, 17. Pugiles cestibus contusi ne ingemiscunt quidem. *Colum.* 12, 47. Oliva contusa recipit quamcumque volueris condituram. *Caes. B. C.* 3, 58. Teneris arundinum radicibus contusis equos alere. *Plin.* 30, 9, 23. Dentis caballini contusi farina subluviem sanat. *Id.* 28, 16, 62. Pedes subtriti, contusive offensatione; et *ib.* 12, 52. Contusi ungues. *Id.* 16, 37, 69. Mirum, contuso ligno alicui majores ad vincula esse vires. *Id.* 28, 17, 72. Contusus sanguis, *h. e.* ex contusione collectus. *Ulp. Dig.* 18, 6, 1. Si vinum esset effusum, vel vasis contusis, vel qua alia ex causa. ℙ *Contusum* absolute (subaudi *membrum*). *Scrib. Comp.* 209. Emplastrum Aristi mirifice facit ad contusum, luxum etc. *Plin.* 29, 6, 39. Sanat percussa, contusa, cacoethe, scabiem, furunculosque. ℙ Translate est retusus, repressus, afflictus. *Sall. Jug.* 47. Nostrae opes contusae, hostiumque auctae erant. *Sil.* 12, 420. At Libyae ductor Marcello fractus, et acri Contusus pugna. *Liv.* 40, 52. Classis Antiochi victa, fusa, contusa, fugataque est. *Tac. A.* 4, 46. Contusae Thracum gentes, qui ferocius agitabant. *Virg. G.* 4, 240. Contusi animi. *Plin. ep.* 8, 14. Contusum ingenium. ℙ *Lucr.* 4, 955. quia plurima tum se Corpora conturbant magno contusa labore, *h. e.* agitata se invicem perturbant: al. leg. *concusa:* quod esse ajunt a *concudo*, propello, cogo, sed verbum *concudo* in Latio novum esse videtur.

CONTŪTOR, oris, m. qui simul cum alio tutor est, *συνεπίτροπος*. *Ulp. Dig.* 27, 3, 9. et *Julian. ib.* 3, 5, 29.

CONVĀDOR, aris, dep. 1. *κλητεύω*, idem quod vador. *Pl. Curc.* 1, 3, 5. Ubi tu es, qui me convadatus Veneriis vadimoniis?

CONVĀLĒO, es, ui, n. 2. idem ac convalesco. [**Suet. Aug.* 92. Languentes ramos convaluisse.] *Quint.* 1, 13. Flamma, quae magna congerie convaluerat, diductis quibus alebatur, concidit. *Ov. Rem. Am.* 91. sero medicina paratur, Cum mala per longas convaluere moras. *Suet. Aug.* 42. Annona convaluit, *h. e.* uberior facta est. ℙ De iis qui ex morbo confirmantur. *Cic. Fam.* 13, 29. Ille in morbum incidit, ex quo non convaluit. *Ov. Her.* 21, 211. convalui nondum de vulnere. ℙ Translate. *Cic. Att.* 7, 3. His rebus ita convaluit, ut etc. *Curt.* 9, 6. Convaluisse apud Bar-

baros famam mortis suae. *Colum.* 3, 7. et *Gell.* 4, 11. Convaluit opinio. *Ov. Her.* 16, 73. mens.

CONVĂLESCENTIĂ, ae, f. liberatio a morbo. *Symmachus* usurpat, sed simul novam insolentemque esse indicat. Ita enim scribit *ep.* 3, 11. *sub f.* De mea aegritudine nequaquam te rumor fefellit: sed jam mihi (modo venia dicti sit) convalescentiae portus aperitur.

CONVĂLESCO, escis, n. 3. *ἐπιῤῥώννυμαι*, vires sumo, validior fio, cresco. *Liv.* 1, 14. Fidenates nimis vicinas prope se convalescere opes rati. *Colum.* 4, 16. Semina quanto celerius liberata sunt consortio viviradicum, tanto facilius convalescunt. *Justin.* 3, 2. Dum infans convalescit. ℙ De iis qui ex morbo confirmantur. *Cic. N. D.* 2, 4. Ne aegri quidem, quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla medicina est. *Plin.* 23, 1, 27. Convalescentes a solis ardoribus. ℙ Hinc *convalescens, entis*, absolute. *Plin.* 20, 5, 17. Siser convenit convalescentium cordi. Et *mox*. Est utile convalescentibus ad vinum transeuntibus. Et 31, 9, 45. Aestus balinearum convalescentes ut tolerare possint etc. ℙ Translate. *Cic. Sull.* 27. Ut convalescere aliquando, et sanari civitas possit. *Id. Mil.* 9. Quanto ille plura miscebat, tanto hic magis in dies convalescebat. ℙ Apud JCtos *convalescere* dicuntur ea, quae cum ab initio non valuerint, post factum confirmantur, et vim habent suam. *Tertyllian. Dig.* 29, 1, 33. Testamentum ruptum non convalescet. *Ulp. ib.* 24, 1, 33. Donatio convalescit. *Labeo ib.* 28, 7, 20. Libertas servo data convalescit.

CONVALLĂTIO, onis, f. munitio vallo facta. *Tertull. adv. Jud.* 8. Aedificabitur in laetitiam, et convallationem.

CONVALLĂTUS, a, um, part. a *convallo*, vallo cinctus, circumdatus. *Gell.* 12, 13. Undarum Oceani ambitu terris omnibus convallatis.

CONVALLIS, is, f. *συνάγκεια*, planities ex omni parte comprehensa montibus, collibusve, ut *Fest.* docet: ita dicta a *con* et *vallis*, quasi plurium montium colliumve conjunctae valles ad planitiem constituendam. Neque enim placet, quod *Varroni* scriptum fuit *L. L.* 4, 3. ductam esse a *cavum*, et dici quasi *cavatam vallem*. Differt a *valle*, quae a duobus tantum lateribus monte cingitur. Tametsi hoc discrimen non servatur perpetuo. *Caes. B. G.* 3, 20. Copiae, quas in convalle in insidiis collocaverant. *Cic. Agr.* 2, 35. Roma in montibus posita, et convallibus. *Plin.* 36, 15, 23. Echo natura locorum evenit, et plerumque convallium. *Id.* 31, 10, 46. Canescentes siccitate convalles. *Id.* 6, 7, 7. Solitudines saltuosis convallibus asperae. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 10. Montes perfossi, convalles aequatae, *scil.* aquae in Urbem perducendae gratia. *Lucan.* 7, 174. Visus et abruptis mergi convallibus Haemus. *Virg. G.* 2, 185. fertilis ubere campus, Qualem saepe cava montis convalle solemus Despicere. *Appul. Met.* 1. In quadam avia et lacunosa convalli a latronibus obsessus. ℙ Adjective *convallia* (subaudi *loca*) dixit *Prud. περὶ στεφ.* 10, 331. et *Innocent. de casis litter.* p. 230. *Goes.* et *Auct. de limit. ib.* p. 271., qui minime sunt imitandi. ℙ [*Convallis* vocatur una ex insulis Fortunatis, nunc *Teneriffa*, quae a Juba, teste *Plin.* 6, 32, 37., etiam *Nivaria* a perpetua nive est appellata. *Id. ib.* Sebosus tradit, vocari Convallem a convexitate; ea circuitum CCC. mill. passuum habet. *F.*]

CONVALLO, as, a. 1. vallo cingo, circumdo, claudo. *Tertull. in carm. de Judicio Dom.* 6. Protinus innumeri concurrunt ire ministri, Convallantque Deum cum majestate superna.

CONVĂRIO, as, a. 1. varium reddo. *Appul. Apolog.* Pectoris primorem cutim vitiligine insignit, et omnimodis maculationibus convariat. ℙ Item varius sum. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. Sicut dimissiones atque delinimenta convariant, et nunc puras, nunc sordidas reliquias relinquunt.

CONVĂSĂTUS, a, um, part. a *convaso*, in sarcinulas compositus asportandi causa. *Hieron. Vita Hilarion. n.* 34. Convasatis, quae a fratribus ei missa detulerat, profectus est. ℙ Translate. *Sidon. ep.* 1, 9. *sub f.* Undique omnium convasatis acclamationibus, ad astra portare.

CONVĂSO, as, a. 1. *συσκευάζω*, vasa colligo, sarcinulas compono asportandi causa. Ponitur autem pro furtim auferre, in illo *Ter. Phorm.* 1, 4, 13. Nam absque eo esset, recte ego mihi vidissem, et senis essem ultus iracundiam: Aliquid convasassem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes. [*Bentl. vult conrasisset. Sed v. *Ruhnk.* qui recte docet ad h. l. translationem esse a re militari.] ℙ Translate adhibetur a *Sid.* V. v. praec.

CONVECTIO, onis, f. convehendi actio, *συγκομιδή*. *Ammian.* 14, 10. Annonae convectio est impedita.

CONVECTO, as, a. 1. *συγκομίζω*, frequentat. a *conveho*. *Virg. A.* 9, 613. Convectare juvat praedas, et vivere rapto. *Tac. Hist.* 3, 27. E proximis agris ligones, dolabras, falces, scalasque convectant.

CONVECTOR, oris, m. qui convehit. Inter nomina Deorum, quos flamen invocabat, sacrum Cereale faciens Telluri, et Cereri, *Fabius Pictor* ap. *Serv.* ad *G.* 1, 21. enumerat *Convectorem*, *Conditorem*, *Promitorem*, nempe praesides convehendis, condendis, promendisque frugibus. V. IMPORCITOR. ℙ Item qui eadem navi vehitur, *σύμπλοος*. *Cic. Att.* 10, 17. Navi ejus me, et ipso convectore usurum puto. ℙ Est etiam viae comes, licet nec navi, nec equis, nec curru usus fuerit. *Appul. Met.* 1. Unde autem scio, an convectore illo tuo, cum quo sero devorteras, jugulato, fugae mandes praesidium?

CONVECTUS, a, um, part. a *conveho*, *συγκεκομισμένος*, comportatus. *Caes. B. G.* 7, 74. Dierum triginta pabulum frumentumque habere omnes convectum jubet. *Plin.* 8, 57, 82. Aves ex alio orbe convectae. Et *ib.* 14, 14. Animalia convecta undique.

CONVĔHO, is, exi, ectum, a. 3. *συγκομίζω*, simul veho, comporto. *Cic. Mil.* 27. Lintribus in eam insulam materiam, calcem, caementa, atque arma convexit. *Caes. B. C.* 1, 34. Frumentum ex finitimis regionibus in urbem convexerant. *Liv.* 4, 60. Aes grave plaustris ad aerarium convehentes. *Plin.* 12, 14, 32. Tus collectum Sabota camelis convehitur. *Id.* 11, 30, 36. *de formicis.* Ex diverso convehunt, altera alterius ignara. *Id.* 11, 17, 18. *de apib.* Rixa in convehendis floribus exorta. ℙ *Convehere fructus* specialiter est ex agris condendi causa in horrea et cellas comportare. *Varr. L. L.* 4, 4. Quo fructus convehebant, villae. *Plin.* 16, 9, 14. Vasa, corbesque, ac patentiora quaedam messibus convehendis, vindemiisque faciunt.

CONVĔLĂTUS, a, um, part. a *convelo*, *ἐσκεπασμένος*, idem quod velatus, velo coopertus. *Gell.* 19, 9. Tum resupinus, capite convelato, versus cecinit Valerii Aeditui. ℙ Quod addunt ex *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 19. Acie falcis exacta, plagaque convelata: *Hard.* recte *conlaevata* reposuit.

CONVELLO, is, velli, *raro* vulsi, vulsum, a. 3. *συσπάω*, *καταπλλω*, quod firmum et stabile est, loco moveo, revello, concutio, everto. *Virg. A.* 2, 463. turrim Aggressi ferro circum, qua summa labantes Juncturas tabulata dabant, convellimus altis Sedibus, impulimusque: ea lapsa repente ruinam Cum sonitu trahit. *Cic. Dom.* 21. Cum gradus Castoris convellisti. *Caes. B. C.* 2, 11. Vectibus infima saxa turris convellere. *Liv.* 22, 3. *ad f.* Convellere signa, *h. e.* vexilla, quae hastis humi infixa stabant, exercitu quiescente, evellere, et inferre. [*Adde *Tac. A.* 1, 20. ubi v. *Gron.*] *Virg. A.* 3, 24. Viridem ab humo convellere silvam. *Id. G.* 1, 457. funem a terra, *h. e.* oram solvere. *Lucan.* 3, 699. nimis affixos unci convellere morsus; et *ib.* 528. Crebraque sublimes convellunt verbera puppes. *Colum.* 6, 16. Bos aut duriori solo, aut obviae radici obluctatus, convellit armos. *Ov. Met.* 11, 123. Dapes avido convellere dente, *h. e.* morsu scindere et carpere. *Id. Amor.* 2, 14, 5. teneros convellere fetus, *h. e.* utero ante tempus expellere. ℙ Translate. *Cic. Att.* 8, 15. Secutae sunt duae epistolae, quae me convellerunt de pristino statu, jam tamen labantem. *Id. Pis.* 2. Qui si essent magistratus adepti reipubl. statum convulsuri videbantur, *h. e.* commoturi, turbaturi. *Id. Rabir. Post.* 1. Est boni consulis, cum cuncta auxilia reipubl. labefactari convellique videat, ferre opem patriae, *h. e.* tolli, everti. *Id. Caecin.* 18. Infirmare, aut convellere judicia, stipulationes, aut pacti et conventi formulas, *h. e.* abrogare. *Id. Cluent.* 2. Convellere opinionem [*i. e. refutare. Cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 5, 13.] Sic *Phil.* 2, 33. acta alicujus. Et *Verr.* 2, 3, 6. *extr.* Instituta omnium, consuetudinem a majoribus traditam, conditionem amicitiae, jus societatis convellere, et commutare. *Petr. Sat.* 130. Convellere latus. *Tac. A.* 4, 40. Sic quoque erumpere aemulationem feminarum: eaque discordia nepotes suos convelli, *h. e.* concuti, vexari. *Ov. Her.* 16, 41. Convellere fata. *Id. ib.* 17, 111. Desine molle, precor, verbis convellere pectus, *h. e.* labefactare, et de sana sententia dejicere. *Cels.* 3, 4. Convellendas etiam putavit vires aegri luce, vigilia, siti ingenti. *Hirt. B. G.* 8, 50. Qui Caesaris decedentis convellere gratiam cupiebant. *Cic. Att.* 5, 20. *extr.* Tu velim des operam, ut quod tuo meoque beneficio puer habet, cures, ne qua ratione convellatur, *h. e.* eripiatur, auferatur. *Id. Div.* 1, 51. *extr.* Haec si tenemus, quae mihi non videntur posse convelli, *h. e.* contrariis argumentis destrui, confutari. ℙ [Part. *Convellens* ap. *Val. Fl.* 5, 159. jamque aspera nisu Undique convellens.

CONVĔLO, as, a. 1. *σκεπάζω*, velo cooperio, vestio. Translate. *Gell.* 7, 3. *med.* Cato non nudam, neque solitariam, neque improtectam hanc epagogen facit, sed multis eam modis praefulcit, multisque aliis argumentis convelat.

CONVĔNA, ae, m. et f. *σύνηλυς*, qui ex diversis locis, aut gentibus in unam urbem convenit, eamque incolit. Quomodo ab advena differat V. ADVENA. *Cic. Or.* 1, 9. Romulus pastores, et convenas congregavit. *Cato* ap. *Gell.* 18, 12. Eodem convenae complures ex agro accessitavere. *Plin.* 5, 17, 15. Convenarum turba. ℙ Adjective *Pl. Mil.* 2, 1, 60. Paravi hic intus magnas machinas, qui amantes una inter se facerem convenas. [*i. e. efficerem, ut convenirent.] *Ammian.* 15, 5. Convena undique multitudine. *Solin.* 37. Aquae convenae. *Id.* 47. Serpentes convenae. ℙ **Convenae, arum*, pop. fuere Galliae Aquitan., sub montibus Pyrenaeis, inter Aturum et Garumnam flumitibus Pyrenaeis, inter Aturum et Garumnam flumina. *Plin.* 4, 19. Eorum caput Lugdunum s. Lugudunum audit *Ant. Itin.*, hodie autem *S. Pertrand.* ℙ Inter Beneharnum et Lugdunum ponuntur *Aquae Convenarum*, quae nisi sunt ipsae Onesiae Strabonis, quas in *S. Bertrandi* fano hodie plurimi inquirunt, difficulter sane inveniantur. Sunt tamen clari viri, qui in vico *Bagneres* invenisse opinantur, eoque applicant *Inscr.* ap. *Grut.* p. 112. *n.* 7. *nomine Vicanorum Aquensium;* quam vero quod lapis ille Tarbellicis Aquis repertus fuit, ut *Grut.* adnotavit, dubitat *Cellar.* (ex quo desumpta sunt haec) huc referri posse. *B. A.*

CONVĔNIENS, entis, part. a *convenio*, *συνήκων*, simul veniens. *Quint.* 2, 2. Disciplinae severitate convenientium ad se mores adstringere. *Hirt. B. G.* 8, 6. Cum satis haberet convenientes manus dissipare. *Lucr.* 6, 1258. agricolarum Copia conveniens ex omni morbida parti. ℙ Item adj. *ἁρμοστὸς*, *πρόσφορος*, *προσήκων*, congruens, consentaneus, decens, aptus, consonus. *Cic. Fin.* 2, 31. Nihil in hac epistola scriptum ab Epicuro congruens et conveniens decretis ejus reperietis. *Id. Amic.* 5. Nihil est naturae tam aptum, tam conveniens ad res vel secundas, vel adversas. *Id. Off.* 3, 8. Recta et convenientia, et constantia natura desiderat, aspernaturque contraria; et 1, 40. Talis est ordo actionum adhibendus, ut quemadmodum in oratione constanti, sic in omni vita sint apta inter se et convenientia. *Id. Div.* 2, 39. Quae est inter augures conveniens et conjuncta constantia? *Ov. Pont.* 2, 1, 28. Cum populi vultu conveniente die. *Id. Ib.* 440. Ad formam tauri conveniente sono. *Nigid.* ap. *Gell.* 10, 4. Motus oris conveniens cum ipsius verbi demonstratione. *Gell.* 9, 9. Nequaquam Virgilium fecisse conveniens, quoniam etc. *Vell.* 2, 29. Forma conveniens in illam amplitudinem. *Id.* 1, 13. *extr.* Hac prudentia illa imprudentia decori publico fuit convenientior. *Id. ib.* 6. Lycurgus fuit justissimarum legum auctor, et disciplinae convenientissimae vir. ℙ *Conveniens toga* ap. *Ov. A. Am.* 514. est bene apta ad corpus. ℙ *Conveniens est*, decens, consentaneum est. *Plin. Pan.* 87. Parenti publico convenientissimum nihil cogere; et *ep.* 10, 20. Convenientissimum esse tranquillitati saeculi putavi tam moderatae voluntati non repugnare. *Plin. alter* 34, 7, 16. Convenientius est dici etc. ℙ Est item *conveniens* concors. *Cic. Off.* 1, 17. *ad f.* et *Rosc. Am.* 34. Propinqui cognatique optime convenientes. *Suet. Tib.* 7. Uxor bene conveniens. [*Gr. *εὐάρμοστος.*]

CONVĔNIENTER, adv. *προσηκόντως*, *ἁρμοζόντως*, congruenter, apte. *Cic. Fin.* 3, 7. *extr.* Congruenter naturae convenienterque vivere. *Id. Tusc.* 5, 28. Congruere naturae, cumque ea convenienter vivere. [*Id. ib.* 9. Quam enim sibi constanter, convenienterque dicat. De philosophis intell., cum quod dicunt, non repugnat aliis placitis ipsorum.] *Liv.* 23, 5. Convenienter ad praesentem fortunae statum loqui. *Ov. A. Am.* 3, 546. Et studio mores convenienter eunt, *h. e.* conformes sunt studiis. *August. C. D.* 18, 44. Utroque numero significari convenientissime potuit.

CONVĔNIENTIĂ, ae, f. *ἁφαμογή*, *ὁμολογία*, congruentia partium inter se convenientium, seu invicem sibi aequabiliterque respondentium, consensus, conjunctio, proportio. *Cic. Fin.* 3, 6. Cum summum bonum positum sit in eo, quod *ὁμολογίαν* Stoici, nos appellemus convenientiam, si placet. *Id. Div.* 2, 60. Conjectores ex quadam convenientia et conjunctione naturae, quam vocant *συμπάθειαν*, quid cuique rei conveniat, ex somniis, et quid quamque rem sequatur, intelligunt. *Id. Off.* 1, 4. *ad f.* Pulcritudo, venustas, convenientia partium. *Id. Div.* 2, 15. Si ullam esse convenientiam naturae cum extis concessero. *Id. N. D.* 2, 21. Hanc in stellis constantiam, hanc tantam tam variis cursibus in omni aeternitate convenientiam temporum, non possum intelligere sine mente, ratione, consilio. [*Id. Amic.* 27. In ea (amicitia) est enim convenientia rerum, i. e. concentus in rebus omnibus sentiendis, cogitandis dicendisque non minus quam in constituendis et agendis.] *Sen. ep.* 74. *med.* Virtus convenientia constat: omnia opera ejus cum ipsa concordant: haec concordia perit, si animus luctu, aut desiderio submittitur.

CONVĔNIO, is, ēni, entum, n. 4. *συνέρχομαι*, *σύνειμι*, simul venio, simul eo, congregor, concurro, coeo. *Cic. Rosc. Am.* 5. Quanta multitudo hominum convenerit ad hoc judicium, vides. *Id. Pis.* 15. Mei capitis servandi causa Romam Italia tota convenit. *Id. Div.* 2, 22. Totamque in eum locum Etruriam convenisse. *Id. Verr.* 2, 2, 29. Convenire in consilium. *Id. Agr.* 2, 5. Non desistebant clam inter se convenire. *Caes. B. G.* 6,

1. Milites ad signa convenire jubet. *Id. ib.* 1, 8. Milites, qui ex Provincia convenerant. *Id. ib.* 3, 16. Omnis juventus eo convenerat. Et *ib.* 5, 17. Auxilia, quae undique convenerant, discesserunt. Et *ib.* 7, 55. Convenire ad aliquem; et *ib.* 80. ad auxilium. In vet. decreto Censor. ap. *Suet. Rhet.* 1. Esse homines, ad quos juventus in ludos conveniat. *Ov. Fast.* 6, 672. Convenire ad dapes. ℙ Specialiter *convenire* dicuntur, qui ex aliis civitatibus in unam, in quam sunt contributi, conveniunt, jurisdictionis causa, ut res suas persequi judicio possint. *Cic. Verr.* 2, 2, 15. Ut judices dentur ex his civitatibus, quae in id forum convenirent. *Plin.* 5, 28, 29. Una jurisdictio appellatur Cibyratica. Ipsum oppidum Phrygiae est. Eo conveniunt viginti quinque civitates. ℙ *Convenire aliquem* est adire et colloqui. *Cic. Fam.* 9, 14. Neminem conveni, (convenio autem quotidie plurimos) quin omnes mihi gratias agant. *Id. Rosc. Am.* 18. Atilius, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt. *Pl. Cas.* 3, 2, 18. Ubi nuptiae fuerint, tunc istam conveniho, ἀρχαϊκῶς pro *conveniam.* [**Propert.* 4, 4, 81. Hoc Tarpeia suum tempus rata, convenit hostem.] ℙ Et passive. *Cic. Fam.* 6, 19. Balbus tantis pedum doloribus afficitur, ut se conveniri nolit. *Id. ib.* 1, 8. *extr.* Nostrum studium exstabit in conveniendis magistratibus et senatoribus. *Id. Att.* 9, 6. Lentulum transmisisse, nec eum a minore Balbo conventum. ℙ In re forensi *convenire aliquem* est in jus vocare, et in eum agere; et *conveniri* dicitur, qui in judicium vocatur. *Papin. Dig.* 50, 1, 17. Ante filium respubl. debet convenire, quam patrem. *Ulp. ib.* 10, 2, 20. Ut heredes ex stipulatu conveniri possint. *Paul. ib.* 9, 2, 18. Conveniri lege Aquilia. *Id. ib.* 17, 1, 59. Conveniri pro parte dimidia. *Id. Sent.* 2, 31. Conveniri de peculio. Et *ib.* In duplum ejus rei nomine conveniri, *et rursus.* Furti actione conveniri. *Papin. Dig.* 26, 7, 38. Dolum, aut culpam eorum recte judex conveniet. *Ulp. ib.* 42, 1, 15. *med.* Utrum judices convenient nomen, etc. ℙ Translate. *Claud. VI. Cons. Honor.* 386. tua te benefacta morantem Conveniunt. ℙ *Convenire in manum, in matrimonium* dicitur mulier, quae alicui nubit: cum discrimine tamen, quia *convenire in matrimonium* est ita uxorem fieri, ut distinguatur a concubina. Haec *uxor* generali vocabulo, et peculiari *matrona* vocatur. *In manum* autem *convenire* est ita uxorem fieri, ut sit in mariti manu mancipioque, aut in ejus, in cujus maritus manu mancipioque est: atque adeo non solum in matrimonium, sed in familiam quoque mariti, et in heredis sui locum venire. Haec *materfamilias* appellatur. *Gell.* 18, 6., *Serv.* ad *A.* 11, 476. et *Cic. Top.* 3. Dicitur autem *convenire in manum*, quia, ut innuit *Serv.* ad *A.* 4, 103., dextras invicem sponsi jungebant, interrogente viro, *an mulier sibi materfamilias esse vellet*, et muliere, *utrum vir sibi paterfamilias*, ut est ap. *eund. ib.* ad *v.* 214. Sed et alii ritus in eo servabantur, de quib. V. in COEMPTIO. ℙ Praeterea *convenire* est aptari, apte inseri. *Cic. Fin.* 3, 14. Cothurni laus est, ad pedem apte convenire. *Pl. Pseud.* 4, 7, 85. Machaera convenit in vaginam. *Cato R. R.* 21. Eo fistulam ferream indito, quae in columellam conveniat, et in cupam. ℙ Item simul jungi, simul accidere. *Plin.* 6, 28, 32. Huc convenit utrumque bivium. *Cic. Rosc. Am.* 22. Multae causae convenisse in unum locum, atque inter se congruere videntur. ℙ Item coire. *Plin.* 11, 24, 29. Aranei conveniunt clunibus. ℙ Saepe significat congruere, consentire, concordem esse in re aliqua. *Just.* 1, 5. Cum et vultus similitudo, et expositionis tempora, et pastoris confessio convenirent. *Cic. Verr.* 2, 4, 66. Optime convenire cum aliquo. *Ov. Pont.* 3, 2, 86. inque vicem pugnat uterque mori. Exstitit hoc unum, quod non convenerit illis. Adde *Mart.* 8, 35. ℙ Item quadrare, aptari, cadere in aliquem, et frequenter in tertiis personis. *Cato R. R.* 6. *extr.* Ceterae vites, miscellae maxime, in quemvis agrum conveniunt. *Varr. R. R.* 1, 19. Neutrum horum ad omnem agrum convenire puto, et utrumque ad aliquem. *Cic. Phil.* 9, 4. Non vos quidem crudeles fuistis, (quid enim minus in hunc ordinem convenit?) sed cum, etc. *Id. Rosc. Am.* 23. Erat nemo, in quem ea suspicio conveniret. *Id. Sull.* 7. *extr.* Nullam contumeliam in me jacere potuisti, quae non ad maximam partem civium conveniret. *Id. Prov. cons.* 17. Illa ornamenta decere me, et convenire iis rebus, quas gesseram, non putabam. *Id. N. D.* 2, 29. Nec vero hoc in te uno convenit, moribus domesticis, et urbanitate limato; sed cum in reliquos vestros, tum in eum, etc. Al. leg. *te unum.* [*Ita *Orell.* Sed v. *Heindf.* et quos laudat ad h. l. Adde *Suet. Aug.* 25. ibique *Wolf.* et *B. Crus.* Gr. προσήκει ἐν. Huc pertinere videtur etiam locus *Tibull.* 3, 6, 19. Convenit ex aequo, nec torvus Liber in illis. Qui se, quique una vina jocosa colunt, i. e. bene amori conjungitur vinum.] *Id. Fam.* 6, 8. Haec deliberatio non convenit cum oratione Largi. ℙ Cum accus. *Pl. Merc.* 5, 4, 24. Aetatem aliam aliud factum convenit. ℙ Cum infinito. *Prop.* 2, 1, 41. Nec mea conveniunt duro praecordia versu Caesaris in Phrygios condere numen avos, *h. e.* apta, idonea non sunt. ℙ Etiam res ipsa, de qua consentitur, *convenire* dicitur. [*In locis hujus et 16. 17. §§. *convenire* paciscendi, componendi notionem involvit, ut Gr. συμβαίνειν. V. *Lex. Xenoph.* sub h. v.] *Cic. Att.* 9, 6. Dum, rem conventuram, putamus. *Liv.* 29, 12. In eas conditiones cum pax convenisset. *Nep. Annib.* 6. In colloquium convenit: conditiones non convenerunt. *Pl. Most.* 1, 3, 146. Bene ratio accepti et expensi inter nos convenit. *Liv.* 9, 23. Postquam ardentia vidit castra magister equitum, (id convenerat signum) hostium terga invadit. *Cic. N. D.* 1, 32. Virtutem sine ratione constare non posse: conveniat id quoque necesse est. *Auct. ad Her.* 1, 14. Factum convenit, sed, jure an injuria factum sit, quaeritur. *Ter. Adelph.* 1, 1, 34. Haec fratri mecum non conveniunt, neque placent. ℙ Absolute. *Liv.* 24, 6. Pacto convenit, ut cum Romanos Sicilia expulissent, etc. Et omissa *ut* particula. *Id.* 38, 11. Pro argento si aurum dare mallent, darent, convenit. Et cum infinito. *Id.* 9, 16. Convenit, jam inde per consules reliqua belli perfecta. [**Convenit*, scil. inter auctores, h. l. id. q. constat. Gr. ὁμολογεῖται. Adde *Suet. Claud.* 44. Veneno quidem occisum convenit.] *Plin.* 13, 13, 27. Convenit inter omnes. *Ter. Hecyr.* 4, 4, 36. Cum ejus alienum esse a me animum, sentiam, nec conventurum inter nos posthac arbitrer. *Cic. Att.* 5, 21. *ad f.* Assident, subducunt: ad nummum convenit. *Id. Rosc. Am.* 29. Conveniat mihi tecum, necesse est. *Quint.* 4, 2. Quanti veheret, interrogavi: de pretio convenit. ℙ *Judex convenire* dicitur, cum ab actore, et reo simul probatur et admittitur. *Cic. Cluent.* 43. Neminem voluerunt majores nostri non modo de existimatione cujusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima esse judicem, nisi qui inter adversarios convenisset. *Val. Max.* 2, 8. *n.* 2. Itaque judex inter eos convenit Atilius Calatinus. ℙ Ponitur interdum pro utilis est, facit, prodest. *Scrib. Comp.* 101. Medicamentum nervorum tensionibus mirifice convenit. *Plin.* 17, 4, 3. Non eadem terra arboribus convenit et frugibus. *Id.* 24, 6, 14. Ammoniacum convenit claritati visus in collyriis. *Cic. Fam.* 9, 12. Minime miror, coelum et terram vim suam, si tibi ita conveniat, dimittere. ℙ *Convenit*, par est, consentaneum est, decet. *Ter. Eun.* 3, 2, 41. Haud convenit, una ire cum amica imperatorem in via. *Vellej.* 1, 3. Quo nomine convenit mirari eos, qui, etc. *h. e.*, mirari licet, mirari possis. *Plin.* 18, 12, 33. Quamquam prius de rapis dixisse conveniat. ℙ Pro simplici venio. *Pl. Truc.* 3, 2, 14. In urbem crebro convenio. Al. leg. *commeo:* alii aliter.

CONVENTĀ. V. CONVENTUS, a, um.

CONVENTĬCĬUS, a, um, adj. qui convenit, convena. *Pl. Cist.* 1, 1, 40. Ego et tua mater ambae Meretrices fuimus: illa te, ego hanc mihi educavi Ex patribus conventiciis, *h. e.* ex viris idem scortum saepe convenientibus; alii tamen leg. *commentis.* ℙ **Conventicium, ii, τὸ ἐκκλησιαστικόν*, substantive, est pecunia, quae apud respublicas Graecas iis numerabatur, qui ad conventum advenerant. *Cic. De rep.* (ed. *A. Maio*) 3, 35. Utrobique autem conventicium accipiebant. Adde *Not. Tir.* p. 33. et 148. *B. A.*

CONVENTĬCŬLUM, i, n. *συναγωγή, συνοδία*, coetus, conventus. *Cic. Dom.* 28. Quoniam plebi quoque urbanae majores nostri conventicula, et quasi consilia quaedam esse voluerunt. *Id. Sext.* 42. Conventicula hominum, quae postea civitates nominatae sunt. ℙ Item locus, ubi homines conveniunt. *Tac. A.* 14, 15. Exstructa apud nemus conventicula, et cauponae, et posita veno irritamenta luxus. *Arnob.* 4, 152. Diruere conventicula, in quibus summus oratur Deus. *Ammian.* 27, 3. Basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum.

CONVENTĬO, onis, f. *συναγωγή, πανήγυρις*, coetus hominum in unum locum convenientium, concio. Formula imperandi accenso, ut convocaret populum ad concionem, erat hujusmodi, ap. *Varr. L. L.* 5, 9. C. Calpurnius dicit: Voca ad conventionem omnes Quirites huc ad me. Accensus dicit sic: Omnes Quirites ite ad conventionem huc ad judices. *et paulo supra.* Conventionem habet, qui lustrum conditurus est. *Festus*: In conventione, in concione. ℙ Item pactum, conventum, *συνθήκη*. Est autem, ut docet *Ulp. Dig.* 2, 14, 1., verbum generale ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi transigendique causa consentiunt, qui inter se agunt. *Plin. ep.* 5, 1. Eandem tacita conventione salvam mihi pollicebatur. *Ulp. Dig.* 16, 3, 1. Contractus legem ex conventione accipiunt. *Senec. Ira* 3, 26. *extr.* Una res nos facere potest quietos, mutuae facilitatis conventio. *Tac. H.* 3, 70. Si conventionis poeniteat. ℙ *In manum conventione* nuptiae fiebant, inquit *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 30., cum uxor in filiae locum, maritus in patris veniebat: ut, si quis prior fuisset defunctus, locum hereditatis alteri faceret. V. CONVENIO. ℙ Item actus conveniendi, hoc est in jus vocandi. *Impp. Honor et Theodos. Cod.* 3, 6, 3. Absque conventione personae legitimae initiatum jurgium videtur.

CONVENTĬONĀLIS, e adj. ad conventionem pertinens. *Pomp. Dig.* 45, 1, 5. Stipulationum aliae judiciales sunt, aliae praetoriae, aliae conventionales. et *mox.* Conventionales sunt, quae ex conventione reorum fiunt.

CONVENTĬUNCŬLA, ae, f. parva conventio, seu coetus. *August. ep.* 56. *ad f.* In conventiunculis suis aliquanto frequentius perdurant.

CONVENTO, as, n. 1. frequentat. a *convenio. Solin.* 27. Externos ibi plurimos conventasse, argumentum de urbibus et locis dabimus.

CONVENTUM, i, n. idem quod conventio, pactum. *Cic. Part.* 37. Quae scripta non sunt, ea aut consuetudine, aut conventis hominum, et quasi consensu obtinentur. *Id. Off.* 3, 25. Facere promissa, stare conventis, reddere deposita. *Id. ib.* 1, 10. Potest accidere promissum aliquod, et conventum, ut id effici sit inutile. *Liv.* 29, 24. Dii testes atque arbitri conventorum. *Sil.* 1, 10. conventaque patrum Sidonii fregere duces. ℙ Aliquando *conventum*, et *pactum* conjunguntur: sed *conventum* adjectivum est. Est autem *pactum conventum*, quod mutua contrahentium conventione firmatum est. *Cic. Part.* 37. Foedus privatum, tabulae, pactum conventum, stipulatio. *Id. Or.* 2, 24. Tabulae, testimonia, pacta conventa, stipulationes. Adde loca plurima JCtorum in *Dig.*, quae congerit *Brisson. l.* 14. *de verb. signif.* ℙ Aliquando interponitur *et:* ut ambo quasi substantive accipiantur: nihil tamen de significatione mutatur: nisi quod nonnulli ita distinguunt, ut *pacta* sint promissa, quae alterum tantum obligent, *conventa*, quae utrumque. Quod discrimen, ut verum sit, certe non est perpetuum. *Cic. Caec.* 18. Pacti, et conventi formula. *Id. Att.* 6, 3. Pomptinius ex pacto, et convento a me discesserat. Al. leg. *conventu. Senec. Benef.* 3, 15. Nec pacta, conventaque impressis signis custodirentur. Adde *Paul. Sentent.* 1. *tit.* 1. qui est *De pactis, et conventis.* Nisi forte his locis particula copulativa ab exscriptoribus quibusdam ex ignoratione est interposita: quod ab aliis etiam addubitatum est in verbis *Cicer.* citatis *pro Caecina.* Excipe tamen locum *Juven.* 6, 25. Conventum tamen, et pactum etc. quod ad nuptiarum contractum pertinet. V. v. seq.

CONVENTUS, a, um, part. a *convenio*, pactus, compositus, contractus. *Sall. Jug.* 120. Cum Romanis pacem conventam frustra fuisse. ℙ *Conventa conditio*, inquit *Fest.*, dicebatur, cum primus sermo de nuptiis, et earum conditione habebatur. Al. leg. *conventae conditio:* sed eodem fere recidit. Porro de hac conventa conditione intelligendum est illud *Juven.* 6, 25. Conventum tamen, et pactum, et sponsalia, nostra Tempestate paras. Cui lucem affert etiam illud *Arnobii* 4, 140. Uxores Dii habent, atque in conjugalia foedera conditionibus veniunt ante quaesitis. Habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas. Ubi vides a *Juven.* et *Arnob.* tres veluti gradus enumerari, quibus ad matrimonium contrahendum venitur: quorum primus est *conventa conditio.* ℙ *Conventus per denunciationes* est qui aditus, et admonitus est. *Imp. Constantin.* in *fragm. Cod. Theodos.* (ed. *A. Peyronio*) 4, 11, 5. Quaecumque mulierum post hanc legem servi contubernio se miscuerit, et non conventa per denunciationes, sicut jus statuebat antiquum, statum libertatis amittat. ℙ De *pactis conventis* V. CONVENTUM. ℙ Est etiam *conventus*, aditus visendi et colloquendi causa. *Ter. Hecyr.* 5, 1, 1. Laches me conventam esse expetit. *Pl. Cist.* 4, 2, 38. Molier, mane: sunt qui volunt te conventam. *Cic. Att.* 16, 3. Convento Antonio Tiburi. *Liv.* 7, 5. Janitori, opus esse sibi domino ejus convento extemplo ait. ℙ Denique de iis dicitur, qui convenere. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 470. Servulum conventum in populum perduxit, *h. e.* ad populum congregatum. *Pl. Cist.* 1, 1, 41. Ego hanc mihi educavi ex patribus conventis, *h. e.* qui ad meretricem convenerant. Al. leg. *conventiciis* vel *commentis.* Etiam *Terent.* hac ratione *adventus* usurpasse creditur. V. ADVENTUS, a, um.

CONVENTUS, us, m. *σύνοδος, συνοδεία, συναγωγή*, congregatio, coetus hominum, concio. *Cic. Verr.* 2, 4, 48. *extr.* Dies festos anniversarios agunt, celeberrimo virorum mulierumque conventu. *Id. Dejot.* 2. Tantam causam dico extra conventum, et eam frequentiam, in qua oratorum studia niti solent. *Id. Fin.* 2, 1. Primus est ausus Gorgias in conventu poscere quaestionem. *Quint.* 12, 2. Studia sapientiae in conventus scholarum recesserunt. *Hor. Sat.* 1, 7, 22. Persius exponit causam: ridetur ab omni Conventu. ℙ Specialiter est plurium congregatio consilii causa. *Sall. Jug.* 12. Primo conventu, quem ab regulis factum supra memoravi, placuerat dividi thesauros. *Cic. Cat.* 2, 6. Petivi ab eo, an nocturno

conventu apud M. Leccam fuisset. *Sall. Cat.* 22, *extr.* Dimittere conventum. *Liv.* 38, 30. Aegium semper conventus gentis indicti sunt. *Vitr.* 5, 8. Forensibus et disertis elegantiora et spatiosiora vestibula facienda sunt, ad conventus excipiendos. ℙ Item concursus. *Gell.* 1, 8. Conventus ad Laidem ditiorum hominum celebres erant. ℙ Praeterea *conventus* dicebantur loca constituta in provinciis juri dicundo. Nam Romani provincias dividebant in quasdam veluti dioeceses, et in singulis earum oppidum constituebant, in quo magistratus accitis ejus dioeceseos civitatibus reliquis jus dicebant. Itaque illud oppidum *conventus* dicebatur, item *forum* et *jurisdictio*. *Plin.* 3, 1, 3. Baeticae juridici conventus quatuor, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis. Oppida omnia numero centum triginta quinque. *Id.* 5, 29, 29. Mediterraneas jurisdictiones indicasse conveniat. Una appellatur Cibyratica etc. Alter conventus a Synnada accipit nomen etc. Tertius Apamiam vadit etc. ℙ Item ipsa jurisdictio in conventibus habita. *Cic. Verr.* 2, 5, 11. Ex iis oppidis, in quibus consistere praetores, et conventum agere solent. *Caes. B. G.* 1, 54. et *ib.* 6, 44. Ad conventus agendos profectus est. Et *ib.* 5, 2. Conventibus peractis. *Plin. ep.* 10, 66. Inchoare conventum. *Just.* 12, 13. *de Alexandro.* Babyloniam festinans, velut conventum terrarum orbis acturus, *h. e.* leges, et jura cunctis gentibus daturus. ℙ *Conventus* alicujus civitatis dicitur etiam congregatio civium Romanorum, qui praesertim negotiandi causa illuc convenerant. *Caes. B. C.* 2. Simul ipse Cordubae conventus per se portas Varroni clausit. De iisdem *Id. ib.* 21. Civibus Romanis, quod oppidum in sua potestate studuissent habere, gratias agit. *Hirt. B. Afr.* 97. Thapsitanis HS vicesies, conventui eorum HS tricesies: Hadrumetinis HS tricesies, conventui eorum HS quinquagies multae nomine imponit. [*V. *Ernest.* in *cl. Cic. s. h. v.*] ℙ Ad haec *conventus* pro pacto et conventione ponitur. *Auct. ad Her.* 2, 13. *sub f.* Sunt item pacta, quae sine legibus observantur, ex conventu. *Cic. Att.* 6, 3. Ex pacto, et conventu a me discesserat. Al. leg. *convento.* ℙ Ap. *Solin.* 13. *conventus dentium* est constrictio, commissio. ℙ Ap. *Lucr.* reperitur pro concursu, et coagmentatione rerum una coeuntium, 1, 602. Sunt igitur solida primordia simplicitate, Quae minimis stipata cohaerent partibus arcte, Non ex ullorum conventu conciliata. *Senec. Q. N.* 7, 12. Duarum stellarum conventus. ℙ *Conventus* idem est etiam ac concubitus. *Arnob.* 2. Hi ex conventu Jovis inseminati, et nati sunt.

CONVĔNUSTO, as, a. 1. idem quod venusto, venustum reddo, orno. *Sidon. ep.* 7, 12. Omitto te tanto cultu Ecclesiam tibi creditam convenustare. *Id. ep.* 8, 6. Oratione convenustare. *Capell.* 2. *extr.* Aurora primo convenustans habitu.

CONVERBĔRĀTUS, a, um, part. a *converbero*, idem quod verberatus, pulsatus. *Plin.* 13, 22, 43. Nero nocturnis grassationibus converberatam faciem illinens sibi cum ture ceraque.

CONVERBĔRO, as, avi, atum, a. 1. *τύπτω*, idem quod verbero, pulso, percutio. *Senec. Ira* 3, 20. Ira non tantum viritim furit, sed gentes totas lancinat, sed urbes, sed flumina, et tuta ab omni sensu doloris converberat. *Curt.* 7, 2. Flere coepit, et os suum converberare. ℙ Translate *Senec. ep.* 121. Et virtutes exhortabor, et vitia converberabo.

CONVERRĬTOR, oris, m. qui converrit et absterget. *Appul. Apol. in carm.* dentifricium appellat, *complanatorem tumidulae gingivulae, converritorem pridianae reliquiae.*

CONVERRO, is, erri, ersum, a. 3. idem quod verro, purgo. *Publ. Syr.* ap. *Prisc.* 10, 900. Cellas servorum converri. *Pl. Stich.* 2, 3, 64. Reverram hercle hoc, quod converri modo. *Colum.* 7, 6. Converrere stabulum. *Id.* 8, 8. et emundare locum. *Pacat. Pan. Theod.* 26. *med.* Pirata quidquid undecumque converrerat, in illam Charybdim congerebat. *Valer. Cato* in *Diris* 58. Haec agat infesto Neptunus caeca tridenti, Atrum converrens Aestum maris undique ventis. Al. leg. *convertens.* V. similia in VERRO. ℙ Festive *Pl. Rud.* 3, 6, 6. Nunc pol ego perii: Pleusidippus eccum adest. Converret jam hic me totum cum pulvisculo, *h. e.* verberabit, vel pulsatum ejiciet.

CONVERSANS, antis, part. a *conversor*, qui versat, et in gyrum agit. *Cic. Univ.* 8. Animus se conversans, cum materiam mutabilem arripuisset etc. ℙ Item qui aliorum consuetudine utitur. *Senec. Ira* 3, 8. Sumuntur a conversantibus mores. *Id. ep.* 108. Ea philosophiae vis est, ut non solum studentes, sed etiam conversantes juvet.

CONVERSĀTIO, onis, f. *συνομιλία, διατριβή*, actus conversandi, a *conversor*, h. e. versandi saepius in aliquo loco. *Plin.* 10, 33, 51. Perdices in quo loco peperere, non incubant; neve cui frequentior conversatio sit suspecta, tranferunt alio. *Ulp. Dig.* 11, 7, 12. Senatusconsulto cavetur, ne usus sepulcrorum permutationibus polluatur, idest, ne sepulcrum alienae conversationis usum accipiat, *h. e.* ne ab aliis frequentetur, aut inhabitetur, ut habetur in edicto praetoris apud *eund. ib.* 47, 12, 3. ℙ Translate est consuetudo, convictus, familiaritas. *Vell.* 2, 102. [*V. *Ruhnk.* ad h. l.] Nec defuit conversatio hominum vitia ejus assentatione alentium. *Senec. Excerpt. controv.* 6, 8. de Vestali. Non in illa conversatio cum viris licentiosior. *Quint.* 1, 2. Nec tutior inter servos malos, quam ingenuos parum modestos conversatio est. *Id.* 6, 3. [*Cf. *Spalding.*] Sumpta ex conversatione doctorum tacita eruditio. *Senec. ep.* 99. Cum occurrunt sermones eorum jucundi, conversatio hilaris, officiosa pietas. *Auct. Dial. de Or.* 9. Relinquere conversationem amicorum. ℙ Item genus vitae, vivendi ratio. *Hieron. Vita Hilarion. n.* 14. Ille fundator et eruditor hujus conversationis et studii in Syria fuit. ℙ Videtur etiam significare frequentem usum, actionemque saepe versandi. *Senec. Ben.* 3, 2. Quae in usu sunt, et manum quotidie tactumque patiuntur, nunquam periculum situs adeunt: illa quae ad oculos non revocantur, sed extra conversationem, ut supervacua, jacuerunt, sordes ipsa colligunt vetustate.

*CONVERSĀTOR, oris, m. *Gloss. Lat. Gr.* Conversator, *ὁμοδίαιτος. B. A.*

CONVERSĀTUS, a, um. V. CONVERSOR.

CONVERSE. V. CONVERSUS, a, um.

CONVERSĪBĬLIS. V. CONVERTIBILIS.

[CONVERSIM, adv. converso. *Capell.* 5, 159. A consequentibus vero conversim, ut quaestio in antecedentibus sit, argumentum in sequentibus. *Firmic. Mathes.* 2, 32. Decima quinta in decimam septimam, rursusque conversim. *F.*]

CONVERSĬO, onis, f. *ἐπιστροφή, συστροφή*, actus convertendi. *Cic. Univ.* 6. *med.* Coelum una conversione atque eadem ipse circum se torquetur et vertitur. *Id. Somn. Scip.* 5. Tantus est totius mundi incitatissima conversione sonitus, ut etc. *Id. Leg.* 1, 8. Conversiones coelestes. *Id. Univ.* 14. Mensium annorumque conversiones. ℙ Item inversio. *Plin.* 8, 42, 67. Equo fere, qui homini, morbi, praeterque vesicae conversio. *Id.* 24, 7, 23. Conversiones vulvae. ℙ Translate est mutatio. [*in deterius.] *Cic. Dom.* 18. Conversio status, et inclinatio communium temporum. *Id. Fl.* 37. *extr.* Videtis, in quo motu temporum, quanta in conversione rerum, ac perturbatione versemur. *Id. Div.* 2, 2. Conversiones rerumpublicarum. ℙ In illo *Colum.* 6, 17. Si tumor in suppurationem convertitur, optimum est ignea lamina conversionem resecare: *conversio* est ipsa pars membri in suppurationem versa. ℙ Pro vitae mutatione et correctione. *Alcim. Avit.* 6, 149. *ad soror.* conversio fratrum Exemplo debenda pio. ℙ Aliquando hoc nomine ambitus verborum, hoc est periodus significatur. *Cic. Or.* 3, 49. Efficiendum est, ut oratio membris distinguatur, ut conversiones habeat absolutas. Neque semper utendum est perpetuitate, et quasi conversione verborum, sed saepe carpenda membris minutioribus oratio est. ℙ Item figura verborum, qua idem verbum in fine membrorum periodi saepius repetitur, Graece *ἀντιστροφή*. *Cic. Or.* 3, 54. Ejusdem verbi crebra tum a primo repetitio, tum in extremum conversio. Adde *Auct. ad Her.* 4, 13. *ad f.* V. ANTISTROPHE. ℙ Item alia, qua verba retrorsum immutantur, ut *Quae de illo dicuntur, dici non possunt; quae dici possunt, non dicuntur:* Graece *ἀντιμεταβολή*. *Cic. l. c.* Est etiam gradatio quaedam, et conversio, et verborum concinna transgressio etc. *Auct. ad Her.* 4, 28. multa hujus exempla affert, et commutationem appellat. [*Cf. *Ernest. lex. techn. lat.* p. 97.] ℙ Idem ac translatio. *Quint.* 10, 5. Sed et illa ex Latinis conversio multum et ipsa contulerit. V. CONVERSUS et CONVERTO.

*CONVERSĬUNCŪLĂ, ae, f. diminut. conversionis. *Salv. ep.* 4. *ante med.* Conversiunculam nostram paganus quondam non aequanimiter adcepperis. *B. A.*

CONVERSOR, aris, atus sum, dep. 1. *διατρίβω*, versor cum aliquo, sum, convivo. *Colum.* 9, 11. *de apib:* Ut multitudo sine discordia cum parentibus suis conversetur. *Plin.* 10, 3, 3. Aquila conversatur in montibus. ℙ Et cum dativo *Colum.* 6, 37. Asinus a tenero conversatus equis, familiariter earum consuetudinem appetit. ℙ Translate est *conversare*, *συνομιλέω*, consuetudine alicujus uti. *Senec. ep.* 41. Conversatur nobiscum. *Id. ep.* 99. *a med.* Nemo libenter tristi conversatur, nedum tristitiae. *Senec. Contr.* 1, 2. Conversata est diutius inter humano sanguine delibutos. V. CONVERSANS. ℙ Pro vivere, certam vivendi rationem tenere. *Ulp. Dig.* 1, 16, 9. Proconsul potest comminari, et terrere filium a patre oblatum, qui non, ut oportet, conversari dicatur.

CONVERSUS, a, um, part. a *converto*, *ἐπιστρεφόμενος*, versus. *Cic. Somn. Scip.* 7. Hujus anni nondum vicesimam partem scito esse conversam. *Hor. Ep.* 16, 27. Neu conversa domum pigeat dare lintea. [*Similis locus est *Liv.* 8, 11. Quum conversis signis retro in urbem rediretur. Adde *Sil.* 10, 55. Conversis habenis evasit. Huc pertinet etiam locus *Ov. Met.* 13, 879. Terga fugae dederat conversa Symaethias heros. Notandus etiam l. *Tibull.* 4, 1, 117. Te duce non alias conversus terga domator Libera Romanae subjecit colla catenae.] *Petr. Sat.* 98. Conversus ad me, quid est inquit, latro! Et *ib.* 110. *extr.* Conversis omnibus in se vultibus auribusque, sic exorsus est. [*Gr. *μεταστραφείς*. Adde *Suet. Caes.* 31. Conversus ad proximos. *Nero* 34. *Dom.* 16. et al.] *Virg. G.* 3, 303. Et stabula a ventis hiberno opponere soli, Ad medium conversa diem. *Id. A.* 9, 724. Portam vi multa converso cardine torquet. *Plin.* 2, 65, 65. Circumfundi terrae undique homines, conversisque inter se pedibus stare; adversis vestigiis stare contra aliorum vestigia, ut *Cic. Acad.* 4, 39. loquitur. *Caes. B. G.* 1, 25. et *ib.* 2, 26. Conversa signa in hostes inferre. Et *ib.* 4, 17. Tigna conversa contra vim fluminis. *Ov. Met.* 13, 879. Terga fugae conversa dare. ℙ Item inversus. *Plin.* 9, 8, 7. de delphinis: Nisi resupini atque conversi, non corripiunt cibum. *Id.* 24, 5, 13. Galbanum vulvas conversas corrigit. ℙ *Conversa corbanum* ap. *Plin.* sunt extrorsus projecta, hoc est mucronibus ad contraria latera capitis inflexis 11, 37, 45. Cornua supina, convexa, conversa. ℙ *Conversa terra* est pastinata, et effossa. *Colum.* 11, 3. *med.* Caepina magis frequenter subactam postulat terram, quam altius conversam. ℙ Translate est mutatus. *Cic. Fl.* 29. Quod crimen esse voluisti, id totum vides in laudem esse conversum. *Id. Fam.* 16, 11. In quartanam conversa vis morbi. *Id. Dom.* 40. Poena omnis oculorum ad caecitatem mentis conversa. *Id. Att.* 8, 13. Vide quam conversa res est! *Id. Fl.* 38. Non putant satis conversam rempubl., nisi etc., *h. e.* perturbatam. *Virg. A.* 5, 466. Non vires alias, conversaque numina sentis? *h. e.* in contrarium mutata, adversa. *Id. ib.* 12, 623. In faciem soror conversa Metisci. *Id. ib.* 4, 780. Visa Medusa conversus in silicem. *Suet. Claud.* 13. Legiones in poenitentiam religione conversae. *Lucan.* 4, 267. Timor conversus in iram. [*Hor. A. P.* 166. Conversis studiis, aetas animusque virilis — inservit honori.] ℙ Item directus, intentus. *Suet. Cal.* 47. Conversus hinc ad curam triumphi. *Cic. Or.* 2, 60. Risus in judicem conversus. [*Adde *Suet. Caes.* 49. Eodem modo positum videtur ap. *Lucr.* 4, 1062. Nec retinere (decet), semel convorsum unius amore, Et servare sibi curam, certumque dolorem.] ℙ Item ex una in aliam linguam translatus. *Cic. Fin.* 1, 2. Quae non sunt conversa de Graecis. *Id. Opt. gen. Or.* 6. *extr.* Orationes e Graeco conversae. *Id. N. D.* 2, 41. Carmina Arati a te conversa ita me delectant etc. ℙ Est etiam part. a *converro, is*, et significat purgatum, mundatum. *Cato R. R.* 143. Villica villam conversam, nitidamque habeat. Al. leg. *converse, nitideque. Colum.* 1, 6. *ad f.* Periti rustici, quidquid ovilibus, stabulisque conversum progesserunt, superpositis virgeis cratibus tegunt.

CONVERSUS, us, m. idem ac conversio, *ἐπιστροφή*. *Macr. Sat.* 7, 9. Motus, qui gyros efficit, crebro conversu turbat.

CONVERTĪBĬLIS, e, adj. qui converti, aut mutari potest. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Convertibiles propositiones. Al. leg. *conversibiles. Prud. Apoth.* 344. Non convertibilis, nec demutabilis unquam Est Deus. Adde *Tertull. Carn. Chr.* 3.

[CONVERTĪBĬLĬTAS, atis, f. idem ac conversio, vicissitudo. *Oros.* 1, 1. Convertibilitas naturae. *F.*]

CONVERTO, is, ti, ersum, a. 3. *συστρέφω, ἐπιστρέφω*, idem quod verto, circumduco, in aliam partem, vel in orbem verto. *Cic. Acad.* 4, 39. Terra circum axem se summa celeritate convertit. *Caes. B. C.* 1, 80, Pugnatur acriter adeo, ut paene terga convertant. *Id. B. G.* 7, 56. Convertere iter in provinciam. Et *ib.* 5, 43. Ad hunc se confestim a Pulfione omnis multitudo convertit. *Id. ib.* 6, 38. Convertere ora ad aliquem. *Cic. Cat.* 4, 1. ora atque oculos in aliquem. [*Suet. Caes.* 62. Retinensque singulos, et convertens in hostem. *Id. Ner.* 31. Piscinam quo quidquid totis Bajis calidarum aquarum esset converteretur. *Liv.* 1, 7. Reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem convertit, i. e. commovit, ut rediret.] *Ter. Adelph.* 2, 4, 22. se domum. *Virg. A.* 9, 427. ferrum in aliquem. *Petr. Sat.* 102. calamistro crines. *Colum.* 3, 5. *ad f.* humum bipalio in duos pedes, *h. e.* subigere. ℙ Reperitur et sine accusativo, qui tamen facile subintelligitur. *Gell.* 1, 26. Convertit ad me, qui interrogaveram. *Sil.* 9, 645. convertit Varro, manuque Cornipedem inflectens, etc. [*Heins.* vult *converti*, sed frustra! docet enim non infrequentem hunc dicendi usum locus ex *Cic.* modo allatus, ubi v. *Ellendt.* Adde *Cort.* ad *Sall. Cat.* 6. *Jug.* 85. Cf. etiam *Lucr.* 4, 311. Inde retro rursum redit, et convortit eodem.] ℙ Translate. *Cic. Brut.* 38. Sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat. ℙ Cum dativo. *Caes. B. C.* 1, 81. Castra castris convertunt. *Lucan.* 9, 689. Zephyro convertitur ales, Itque super Libyen. [*Lucr.* 5, 704. Luna potest — nitere Inque dies majus lumen convortere nobis. ℙ Idem

quod protendere, movere. *Lucr.* 4, 901. Tantula quod tantum corpus corpuscula possint Contorquere, et onus totum convortere nostrum.] ℙ Translate. *Brut. ad Cic. Fam.* 11, 13. *extr.* Eas copias, quas diu simulatione reipubl. comparabant, subito ad patriae periculum converterunt. *Cic. Or.* 2, 48. Tum omnem orationem traduxi et converti in increpandam Caepionis fugam. *Id. Sull.* 5. *ad f.* Convertit se aliquando ad timorem, nunquam ad sanitatem. *Id. Or.* 1, 2. Quocumque te animo et cogitatione converteris. *Id. Or.* 40. Convertere aliquid in hilaritatem et risum. *Id. N. D.* 1, 27. Animos imperitorum ad Deorum cultum a vitae pravitate convertere, *h. e.* traducere. *Id. Fam.* 3, 12. Gratulabor tibi prius, (ita enim rerum ordo postulat) deinde ad me convertar. ℙ Aliquando significat retro vertere, redire. *Caes. B. C.* 1, 46. Paucisque dejectis, reliquos se convertere cogunt. *Sil.* 13, 250. convertunt gressus, recipique precantes etc. Sic *Virg. A.* 5, 582. rursusque vocati Convertere vias, infestaque tela tulere. Et *ib.* 12, 252. cunctaeque volucres Convertunt clamore fugam, *h. e.* redeunt cum clamore, inquit *Servius.* ℙ Item invertere. *Colum.* 12, 18. Convertere vasa in labra. V. CONVERSUS. ℙ Item ex una in aliam linguam vertere, interpretari. *Cic. Opt. gen. Or.* 5. Converti enim ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes: nec converti ut interpres, sed ut orator. *Id. Off.* 2, 24. E Graeco in Latinum convertere. ℙ Item mutare, transformare. *Cic. N. D.* 3, 12. Haec tum intereunt, cum in aliam naturam convertuntur. [**Id. ib.* 3, 39, 92. Ut nihil sit, quod non ex ea quamvis subito fingi convertique possit. V. *Heindf.* ad h. l.] *Id. Tusc.* 3, 26. *in f.* Hecubam in canem esse conversam. *Ter. Eun.* 3, 5, 40. Deum sese in hominem convertisse. [**Lucr.* 1, 679. Mutant naturam res, et convortunt corpora sese. *Id.* 2, 1005. *Hor. Epod.* 5, 88. Venena, magnum fas nefasque non valent Convertere humanam vicem. V. *Bentl.* ad h. l. ℙ *Convertere aliquem* ap. *Suet. Dom.* 16. Festinantem ad corporis curam Parthenius convertit: est avertere aliquem ab aliqua re et alii intendere; nos: *auf andere Gedanken bringen.*] ℙ *Convertere exercitum* est i. q. lustrare exercitum. *Gell.* 5, 5. Ostendebat Annibali Antiochus in campo copias ingentes, quas bellum pop. Romano facturus comparaverat, convertebatque exercitum insignibus argenteis et aureis florentem. ℙ Translate. *Caes. B. C.* 1, 76. Terror oblatus, nova religio, mentes militum convertit. *Cic. Or.* 5. Oratores vehementes, varii, copiosi, ad permovendos et convertendos animos instructi et parati. *Id. Amic.* 21. Cavendum est, ne in graves inimicitias convertant se amicitiae. *Senec. Ben.* 2, 13. convertere beneficium in injuriam. *Nep. Att.* 10. Conversa subito fortuna est. ℙ Ponitur et pro applicare, intendere. *Cic. Q. Fr.* 3, 5. *sub f.* Valde me ad otium pacemque converto. *Id. Fin.* 5, 3. Ad philosophos converte te: ex eorum enim scriptis etc. *Suet. Cal.* 38. Convertere animum ad rapinas. [*Adde *Galb.* 9. In desidiam segnitiemque conversus est. *Id. Oth.* 5. Ad vim conversus est. Cf. *Oudend.* ad *Tib.* 49.] ℙ *Convertere argumentum*, ap. *Gell.* 5. 10. est retorquere. [*Simili ratione dicitur apud *Sil.* 17, 447. Convertit proelia dextra, i. e. restituit, reducendo fugientes contra hostes.] ℙ *Convertere se ad voluntatem nutumque alicujus* est obsequi, praesto esse. *Cic. Fam.* 3, 10. *sub f.* ℙ *Convertere ad se*, et *in rem suam* est ad se trahere, et ad propriam utilitatem. *Cic. Rosc. Am.* 39. *ad f.* Ex eo T. Roscius non paulum nescio quid in rem suam convertit. Et *ib.* 38. Si mandatum neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es. *Id. Off.* 3, 19. *sub f.* Digitorum percussione hereditates omnium ad se posse convertere. [**Ad se* est *ed. Manut.* lectio, nullo codice probata. *Orell. converrere.* Sed nescio an verum viderit *Beier.*, qui ita locum exhibet: hereditates omnium posse convertere, i. e. immutare, efficere, ut is, qui non sit revera heres, omnium scriptus sit heres. Hic enim non tam avaritiam notari, quam fraudes falsariorum etc. V. quae reliqua in hunc locum inque rem suam laudat.] *Ulp. Dig.* 17, 1, 10. Pecuniam ad usus suos convertere. ℙ *Convertere ad se*, et *in se* est etiam in admirationem sui trahere. *Nep. Alcib.* 3. Quare fiebat, ut omnium oculos, quotiescumque in publicum prodisset, ad se converteret. *Curt.* 3, 11. Omnium oculos animosque in semet converterant captivae, mater, conjuxque Darii. *Vell.* 2, 31. Converterat Pompeji persona totum in se terrarum orbem: et paene homine major habebatur. *Suet. Cal.* 35. Rex Ptolemaeus ingressus spectacula, convertit hominum oculos fulgore purpureae abollae. [*Lucr.* 6, 644. Neque enim dia de clade coorta Flammae tempestas — Finitumeis ad se convortit gentibus ora. — Dicitur etiam simpliciter *convertere* pro in se, in admirationem sui convertere. *Suet. Tit.* 5. Quaqua iret, convertit homines. *Liv.* 45, 20. Rhodiorum maxime legati civitatem converterunt. *Id.* 29, 26. Scipio dux converterat animos, i. e. ceperat. *Hor. Ep.* 2, 1, 196. Seu diversum confusa genus panthera camelo, Sive elephas albus volgi converterit ora.] ℙ *Convertere se in*, vel *ad aliquem* interdum dicuntur ii, qui spem in aliquo habent. *Cic. Somn. Scip.* 2. In te unum, atque in tuum nomen se tota convertet civitas: tu eris unus, in quo nitatur civitatis status. *Nep. Attic.* 8. Cum tota civitas se ad eum convertisse videretur. ℙ [**Convertere se* absolute dicitur de ritu ominis, s. auspicii capiundi. *Suet. Vesp.* 7. Hic cum de firmitate imperii capturus auspicium, aedem Serapidis, submotis omnibus, solus intrasset, ac, propitiato multum Deo, tandem se convertisset. Cf. *Ernest.* et *Oudend.*] ℙ *Convertere* pro *converti*, mutari, ut *vertere. Sall. Cat.* 6. Ubi regium imperium in superbiam dominationemque convertit. Al. leg. *se convertit*, [nulla tamen mutandi necessitate; nam ap. *Front. ad Anton. Aug. ep.* 2, 2. (ed. iterum Romae *A. Maio*) Spes in rem convertit, *h. e.* conversa est. *F.*] ℙ *Convertier* paragoge pro *converti* est ap. *Lucr.* 1, 795. et 4, 317. ℙ *Convertor* pro *converto* deponentis forma, ut et *Non.* 7, 102. adnotavit. *Pl. Amph.* 1, 1, 83. Sed fugam in se tamen nemo convortitur. *Convorto* pro *converto* antiquum est, et alibi quoque ap. *Pl.* legitur. ℙ [Part. *Convertens* ap. *Suet. Caes.* 62. Singulos contortis faucibus convertens in hostem. *F.*]

CONVESCOR, eris, dep. 3. simul cum alio vescor. *August. ep.* 18. *ante med.* seu *sect.* 11. **Vulg. Act. Apost.* 1, 4. *B. A.*

CONVESTĬO, is, a. 4. idem ac vestio. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 2. Neque terram injicere, neque cruenta convestire mihi corpora licuit. ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Topiarium laudavi: ita omnia convestit hedera. *Vet. Poeta* apud *Cic. Tusc.* 1, 28. herbis prata convestirier. *Lucr.* 2, 147. Sol convestit omnia luce.

CONVESTĪTUS, a, um, part. a *convestio*, vestitus. Translate. *Cic. Dom.* 38. Domus convestita lucis, *h. e.* contecta, circumdata.

CONVĔTĔRĀNUS, i, m. socius miles veteranus. *Imp. Gordian. Cod.* 5, 65, 2. Placuit, veteranos conveterani filiorum tutelam administrare. *Inscr.* ap. *Grut.* 524, 7. Inter ceteros conveteranos suos. Adde *Imp. Const. Cod.* 12, 47, 1.

CONVEXĀTUS, a, um, part. a *convexo*, vexatus. *Veg. Vet.* 3, 65. Cursu nimio convexata ilia.

CONVEXĬO, onis, f. inclinatio, convexitas, κυρτότης. *Gell.* 14, 1. Nam quanta partium, circulorumque coeli ex devergentia et convexionibus mundi varietas sit etc. *Arnob.* 4, 129. Quidquid teres est, atque ex omni parte rotunditatis solidae convexione conclusum, nullum habet initium, nullum finem.

CONVEXĪTAS, atis, f. κυρτότης, curvatura, inclinatio, convexio. *Plin.* 18, 25, 57. Convexitas circuli. Et *paulo supra.* mundi. Et *ib.* 29, 69. *n.* 2. terrae. ℙ Item concavitas. *Id.* 6, 32, 37. Insula vocatur Convallis a convexitate. *Id.* 2, 64, 64. In coelo cava in se convexitas vergit, et cardini suo, hoc est terrae, undique incumbit.

CONVEXO, as, idem ac vexo. *Atejus Capito* ap. *Gell.* 10, 6. Quae me male miseram nunc convexavit.

CONVEXUS, a, um, adj. κυρτός, περιφερής, ex omni parte declinatus, qualis est natura coeli ex omni parte ad terram versus declinati, ut *Festus* definit. Ita proprie dicitur exterior pars semicirculi, seu arcus, aut fornicis: nam inferior *concava* appellatur. Etymologi a *veho* derivant, quod supra concavum quodammodo vehatur; at reapse *convexum* est, quod curvatur tam inferne, quam superne, et flectitur ad circuli modum; distinguitur a devexo, quod inclinatur in unam tantum partem; a concavo, quod capax est, et continere aliquid potest. *Plin.* 2, 2, 2. Mundus convexus, mediusque, quacumque cernatur. *Id.* 32, 4, 14. Latitudo testudinibus in dorso pectori similis, nec convexo curvata calyce. *Id.* 11, 37, 41. Convexa cornua, *h. e.* curvata in morem fornicis, mucronibus eorum invicem spectantibus. *Id.* 25, 10, 77. Folia convexa in terram. *Id.* 4, 8, 25. Leniter convexa juga, *h. e.* cacumine leni clivo descendentia. *Virg. Ecl.* 4, 50. Aspice convexo nutantem pondere mundum. ℙ Sumitur et pro concavo. *Plin.* 5, 5, 5. Convexa vallis. *Ov. Met.* 6, 697. Convexa foramina terrae. *Virg. A.* 4, 451. taedet coeli convexa tueri, ubi *convexa* substantive ponitur. Sic *A.* 6, 240. *de Averno.* talis sese halitus atris Faucibus effundens, supera ad convexa ferebat. (*convexa* absolute pro coelo posuit *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 242. et 2. *in Rufin.* 454.) *Justin.* 2, 10. Convexa vallium aequare. Et in sing. num. *Virg. A.* 1, 314. Classem in convexo nemorum sub rupe cavata Occulit. ℙ Item generatim pro curvo, inclinato. *Plin.* 12, 23, 49. Discessimus a terris oceanum spectantibus ad convexas in nostra maria, *h. e.* quae in nostra maria curvo flexu spectant. *Ov. Met.* 13, 911. Vertex convexus ad aequora. ℙ *Convexum iter* ap. *Ov. Met.* 14, 154. est acclive, arduum, quale est, quo ad convexa montium juga conscenditur. ℙ *Sidera convexa* dicuntur ab *eod. Pont.* 4, 9, 129. quia in coeli convexo infixa sunt. ℙ Convexum vulgus gradibus Circi *Claudiano VI. cons. Honor.* 614. est sedens in curvis Circi gradibus. Al. leg. *connexum*, vel *connixum.* ℙ Translate. *Gell.* 17, 20. Ἐνθύμημα crebrum, et coruscum, et convexum, brevibusque, et rotundis numeris, cum quadam aequabili circumactione devinctum, *h. e.* undique incumbens, et urgens rem propositam. Al. leg. *connexum.* ℙ Videtur etiam esse pro *convectus* in illo *Virg. A.* 7, 543. Alecto coeli convexa per auras *Serv.* tamen aliter explicat: aliter etiam *Probus, Asper. Donat.* ap. *eund. ib.* V. [*Heynius* conjicit legendum *coelique evecta per auras. F.*] ℙ [*Confunduntur *convexus* et *connexus.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 2, 44, 112.]

*CONVEXUS, us, m. convexio. Περιφέρεια *Vet. Gloss. B. A.*

CONVIBRO, as, a. 1. idem quod vibro, concutio. *Vet. Poeta* ap. *Fest.* in *Petulantes.* Exsilivit, quasi petulcus quidam, pedibus convibravit, *h. e.* se vibravit, se proripuit. *Appul. Flor. n.* 12. de psittaco. Dum facile os, uti conformetur; dum tenera lingua, uti convibretur. *Ammian.* 17, 7. de terrae motu. Venti eruptiones nullas reperientes, eas partes soli convibrant, quas subrepserint.

CONVĪCĀNUS, i, m. qui est ejusdem vici, idem ac vicanus. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 436. Heredes amico et convicano benemerenti fecerunt. Alia ap. *Spon.* in *Hist. de Genev. T.* 2. p. 376. Officio inter convicanos suos functus. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod. Theod.* 11, 24, 6. Exceptis convicanis.

[CONVĪCĀRĬUS, ii, m. qui simul cum alio servus vicarius est, vel qui cum alio vicem gerit alicujus. *Inscr.* ap. *Mur.* 712, 7. Pontius hic pariter sua convicarius ossa Hic cum Laevino jussit humanda suo. Secunda syllaba nimis licenter producitur. Alii putant esse a *con* et *vicus*, et idem significare, ac *convicanus*, quod minime admittendum: dicendum potius, sculptum fuisse *convicaneus*, nam reperitur etiam *vicaneus.* V. VICANUS. *F.*]

CONVĪCĬĀTOR, oris, m. λοίδορος, qui convicium dicit, vel facit. *Cic. Mur.* 6. Maledictum est, si vere objicitur, vehementis accusatoris; sin falso, maledici conviciatoris. Adde *Senec. Ira* 3, 24.

CONVĪCĬŌLUM, i, n. diminut. a *convicium. Lampr. Alex. Sev.* 28. Antiochenses lacessiverant eum conviciolis.

CONVĪCĬOR, aris, atus sum, dep. 1. λοιδορέω, convicium facio, contumeliis peto. *Varr. R. R.* 2, 5. Cum alius eum salutasset, alius conviciatus esset, qui tam sero venisset ad constitutum. *Quint.* 3, 8. *sub f.* Contra sentientibus inhumane conviciantur. *Suet. Tib.* 53. Convicianti oculum verberibus excussit. ℙ Scribitur et *convitior.* V. v. seq.

CONVĪCĬUM, ii, n. (a *voce*, quasi *convocium*) proprie est inordinatus clamor, voces multorum inter se collisae, καταβόησις. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Terent. Adelph.* 2, 1, 26.] *Phaedr.* 1, 6. Clamorem ranae sustulere ad sidera. Convicio permotus quaerit Juppiter, etc. *Id.* 3, 16. Convicium acerbum facere. *Cic. Verr.* 2, 5, 11. Erant autem convivia non illo silentio etc., sed cum maximo clamore atque convicio. *Id. Arch.* 6. Quia suppeditat nobis, ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae conquiescant. *Id. Q. Fr.* 2, 11. Epistolam hanc convicio efflagitarunt codicilli tui, *h. e.* urgenti, et quasi clamosa petitione. Qua phrasi usus est etiam *Quint.* in *ep. ad Tryphon.* [*Cf. *Spald.* ad h. l.] ℙ De vocibus multorum aliquid improbantium. *Cic. Acad.* 4, 40. Urgebor jam omnium vestrum convicio. *Id. Pis.* 26. Os tuum ferreum senatus convicio verberari noluisti. ℙ Et quia probra et contumeliae clamore saepe et contentione adhibita ingeri solent, hinc frequentissime *convicium* pro contumelia accipitur, sive a pluribus, sive ab uno fiat, λοιδορία. *Cic. Coel.* 3. Maledictum nihil habet propositi praeter contumeliam, quae si petulantius jactatur, convicium; si facetius, urbanitas nominatur. *Id. Att.* 2, 18. Consectare aliquem clamoribus, conviciis, et sibilis. *Pl. Merc.* 2, 1, 11. (et *Ov. Pont.* 2, 6, 7.) Male precari alicui, et convicium facere. *Ov. rem. Am.* 507. Dicere convicia posti. *Id. Met.* 5, 664. jacere alicui. Et *ib.* 13, 306. fundere in aliquem. *Hor. Sat.* 1, 5, 11. Dum pueri nautis, pueris convicia nautae Ingerere. *Plin.* 33, 1, 3. et *Suet. Aug.* 13. Foedissimo convicio proscindere aliquem. *Gell.* 9, 2. Convicio aliquem incessere. *Tac. H.* 3, 10. A conviciis et probris ad tela et manus transire. ℙ Aliquando significat unius vociferationem conjunctam cum acri reprehensione, et improbatione, sine contumelia tamen. *Cic. Fam.* 12, 25. Justissimum honestissimumque convicium meum. [**Id. ib.* 16, 26. Verberari te cogitationis tacito duntaxat convicio.] *Id. Cluent.* 27. Quintius tribunus plebis convicium C. Junio judici quaestionis maximum fecit, ut ne sine Staleno in consilium iretur. [**Id. N. D.* 2, 7, 20. Sic orationis flumine reprehensoris convicia diluuntur. Ita nunc pro vulg. *vitia* conj. Davis. legitur. V. *Heindf.*] *Plin. ep.* 6, 12. Etiam atque etiam rogo, ut mihi semper eadem simplicitate, quoties cessare videbor,

convicium facias. Quod et ego intelligam a summo amore proficisci, etc. *Tac. Agr.* 22. Acerbior in conviciis narrabatur. ℙ [**Convicium aurium* ap. *Cic. Or.* 48. Aliquando, idque sero, convicio aurium cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi conservavi: eleganter dicitur, cum aures aliquid, tanquam minus suave, repudiant, nec ferre possunt, et nobis tanquam injucunditatem exprobrant. *Ernest.* in *el. Cic.* s. h. v.] ℙ Item jocosum dictum. *Mart.* 7, 8. de triumpho Domitiani. Festa coronatus ludet convicia miles, Inter laurigeros cum comes ibit equos. ℙ Eleganter a *Pl. Merc. prol.* 59. dicitur *convicium* filius nequam, qui dedecus ac probrum familiae est. ℙ Proverbium est ap. *Capitol. Ver.* 5. *Septem convivium, novem vero convicium*: quod ubi plures mensae uni accumbunt, et vino calent, confusae et inconditae voces non audiri non possunt, neque ullus institui sermo, quo graves honestique viri oblectari solent. [*Auson. Ephem. de loco v.* 5. Sex enim convivium Cum rege justum: si super, convicium est. *F.*] ℙ Sunt qui scribunt *convitium*, derivantque aut a *vito*, aut a *vitium:* sed neque scriptura, neque etymon probabile est. Vero est enim similius esse a *voce*, ut dictum est, non a *vicis:* utrumque tamen approbat *Festus*, sed primum confirmant *Ulpian.* et *Labeo Dig.* 47, 10, 15. Nam quae scribit *Non.* 1, 323. corrupta esse videntur. ℙ Non desunt tamen qui et *convitium* ingerant, sed alia significatione. Nam sicut cum una aedium pars corrupta erat, *vitium facere* dicebatur; ita si plures ruinam minarentur, *convitium* dictum est. Hoc perperam adstruere conatus est *Scalig.* in *not.* ad *Sever. Aetn.* 302. ex *Inscr.* ap. *Grut.* 107, 1., quam vide in COMPITUM.

CONVICTĬO, onis, f. actus convivendi, convictus, consuetudo, *διατριβή, συμβίωσις. Cic. filius ad Tiron. Fam.* 16, 21. Cujus cum frugi severaque est vita, tum etiam jucundissima convictio. Est qui legit *conjunctio*, sed perperam. ℙ Est etiam a *convinco*, et significat actum convincendi, demonstrationem certam. *August. Trinit.* 13, 1. Dictumque sit, eam esse convictionem rerum, quae non videntur.

CONVICTOR, oris, m. *συμβιώτης*, quotidianus conviva, et qui nobiscum vivit familiariter. *Cic. filius Fam.* 16, 21. Utor familiaribus et quotidianis convictoribus, quos, etc. *Hor. Sat.* 1, 4, 96. Me Capitolinus convictore usus, amicoque A puero est. *Id. ib.* 1, 6, 47. Convictorem esse alicui. *Senec. ep.* 7. *a med.* Convictor delicatus paulatim enervat et emollit. Adde *Ov. Pont.* 4, 3, 15. [**Suet. Tib.* 56. Nihilo lenior in convictores Graeculos, quibus vel maxime acquiescebat: Convictores Graeculi sunt Graeci philosophi vel alius generis viri docti, quos alere nobiles Romani secumque ducere solebant in itineribus et in provinciis.]

CONVICTRIX, icis, f. quae convivit, *συμβιος*. Pro conjuge legi videtur in quadam *Inscr.* ap. *Grut.* 795, 8. quae tamen neque optimae est notae, et *convic. viva P.* tantummodo exhibet.

CONVICTUS, a, um, part. a *convinco*, *ἠλωκώς, ἁλούς*, dicitur de eo, qui ita victus est rationibus et argumentis, ut nihil habeat, quod reponat amplius. *Cic. Quint.* 15. Turpi judicio convictus. *Id. Sull.* 15. *extr.* summae negligentiae. *Id. Flacc*, 39. multis criminibus testimoniisque. *Id. Cat.* 2, 6. conscientia. *Id. Acad.* 4, 11. Convictus, ac vi veritatis coactus. *Id. Flacc.* 17. Reprehensus, convictus, fractusque discessit. [**Id. Leg.* 1, 13. Fracta et convicta Secta.] *Pl. Truc.* 2, 6, 5. Qui convicti et condemnati falsis de pugnis sient, *h. e.* quod falsas pugnas jactaverint. *Suet. Tit.* 9. Convicti in affectatione imperii. *Plin.* 18, 3, 3. Convictus in homicidio. [**Cf.* de hac hujus v. constructione *Brem.* ad *Suet. Claud.* 14.] *Curt.* 9, 8. multa avare ac superbe fecisse. [**Liv.* 26, 12. Ignorare se mulierem simulabat: paullatim dein convictus veris etc.] ℙ Translate. *Cic. ad Quirit.* 1. Ejus devotionis me esse convictum judicio Deorum, testimonio senatus maxime laetor, *h. e.* manifesto voti reum esse. *Ov. Met.* 13, 58. Convictus furor, *h. e.* manifesto deprehensus. *Caes. B. G.* 1, 40. Avaritia convicta.

CONVICTUS, us, m. *συμβίωσις*, actus convivendi, consuetudo, contubernium: a *convivo. Cic. Off.* 3, 5. Tollit convictum humanum et societatem. [**Cf. Beier.* ad h. l.] *Lucej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. Ad convictum nostrum redeas et consuetudinem. *Colum.* 1, 8. Convictum habere cum aliquo. *Ov. Trist.* 1, 8, 29. Convictu vinctum esse alicui. *Id. Pont.* 2, 10, 8. Exciderit tantumne tibi cura mei. Quam tu vel longis debes convictibus aevi. *Senec. Consol. ad Helv.* 15. Loca gratulationum et convictuum. ℙ Specialiter ponitur pro convivio. *Vellej.* 2, 33. Profusa luxuria in convictibus. *Tac. A.* 14, 4. Tracto in longum convictu. *Id. ib.* 13, 14. Convictus sobrii, aut temulenti. *Plin.* 14, 14, 16. Ut singulae potiones in convictu darentur. Adde *Cels.* 1, 1., ubi tamen *Targa* reposuit *convivium.* [**V. Spalding.* ad *Quint.* 6, 3, 27.]

CONVINCO, is, ici, ictum, a. *ἁλίσκω, διελέγχω*, evinco, coarguo, manifesto ostendo aliquem reum: ita vinco rationibus et argumentis, ut manifesta res fiat, et nullus responsioni sit locus. *Cic. Sull.* 25. *extr.* Eum mores ipsius ac vita convincunt. *Id. Verr.* 2, 4, 47. Omnibus in rebus coarguitur a me, convincitur a testibus, urgetur confessione sua. *Id. Or.* 1, 10. Nihil te de hominum moribus, nihil de ratione vitae didicisse, nihil scire, convincerent. *Id. Parad.* 5. *extr.* Cum eum ne liberum quidem esse, ratio, et veritas ipsa convincat. [**Liv.* 45, 10.] *Id. Phil.* 2, 4. Si negem, quo me teste convinces? *et mox.* Teque in isto ipso convinco non inhumanitatis solum, sed etiam amentiae. *Id. Verr.* 2, 1, 9. *sub f.* Manifestis criminibus convinci. *Id. Inv.* 2, 10. in pari peccato. *Pl. Amph.* 2, 2, 147. Convincere aliquem palam. *Arnob.* 3. p. 104. aliquem erroris. ℙ *Convincere aliquid* est evincere, manifesto demonstrare, et de prave factis fere dicitur. *Cic. Quint.* 25. Volo inauditum facinus ipsius, qui id commisit, voce convinci. *Id. N. D.* 1, 32. *extr.* Convincere falsa. (Adde *Lucr.* 3, 526.) *Id. Tusc.* 1, 6. poetarum et pictorum portenta. *Id. N. D.* 2, 1. errores Epicuri. *Id. Part.* 33. *extr.* peccata argumentis. *Id. Univ.* 3. Oratio, quae neque redargui, neque convinci potest, *h. e.* falsa demonstrari.

CONVINCTĬO, onis, f. *σύνδεσμος*, ita placet *Quintiliano* appellare eas, quas grammatici conjunctiones appellant, 1, 4. Veteres, inquit, verba modo, et nomina, et convinctiones tradiderunt, videlicet quod in verbis vim sermonis, in nominibus materiam, in convinctionibus complexum eorum esse judicaverunt: quas conjunctiones a plerisque dici scio: sed haec videtur ex *συνδέομαι*, magis propria translatio.

CONVIOLO, as, avi, atum, a. 1. idem ac violo. *Prud. Psych.* 398. Poenituit Jonathan jejunia sobria dulci Conviolasse favo. Adde *περὶ στεφ.* 6, 56. et *Tertull. Apolog.* 39.

[**CONVIRESCO*, is, n. 3. simul viresco. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 58. Sed eorum litus, et margines insertis arboribus convirescunt, quae celsae sint et odorae. Laudatur et *Aug.* ap. *Gesn. F.* et *B. A.*]

**CONVISCERATIO*, onis, f. *Sarisb.* 8, 2. Conviscerationes exercere quotidianas. *B. A.*

CONVISCĔRO, as, a. 1. quasi viscera commisceo, in societatem adduco. *Tertull. Car. Chr.* 20. Conviscerari, et concarnari.

CONVISO, is, a. 3. idem quod viso, vel video. *Cic. Arat.* 352. Et loca convisit cauda tenus infera Piscis. *Lucr.* 1, 145. Convisere penitus res occultas; et 2, 357. Omnia convisens oculis loca. *Accius* ap. *Non.* 4, 452. Omnes saucios convisit, ut curentur diligentius.

CONVITĬUM. V. CONVICIUM.

CONVĪVA, ae, m. et f. *σύνδειπνος, σύνθοινος*, qui convivit, et specialiter qui eidem cum aliis mensae accumbit. *Pompon.* ap. *Charis.* 1, 37. Postquam conveni omnes convivas meas. *Cic. Tusc.* 1, 2. Solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinen de clarorum hominum virtutibus. *Hor. Sat.* 1, 5, 75. Avidi convivae. *Id. ib.* 1, 1, 119. Conviva satur. Et *ib.* 2, 8, 76. comis. *Cic. Att.* 16, 3. Convivae hilari, et bene accepti. *Hor. Od.* 1, 28, 7. Pelopis genitor, conviva Deorum. ℙ [**Dicitur* etiam pro conjuge in *Inscr.* ap. *Grut.* 762, 2. *Orell.* 2662. D. M. — AUR. SECUN — DINUS ET AUR. — VALENTINA. CON — VIVI. FEC. SIBI — ET AUR. SECUNDI — ANUS. FIL. etc. Cf. *Canneg. N. R.* p. 90. quem laudat ad h. l. *Orell.* Nescio an recte huc referri possit loc. *Propert.* 3, 7, 45. Viveret ante suos dulcis conviva penates, Pauper, at in terra, nil ubi flere potest. Quanquam *Orell.* l. l. suspicatur: CON — VIVI esse *Conjuges vivi.*]

CONVĪVĀLIS, e, adj. *συμποσιακός*, ad convivium pertinens. *Liv.* 39, 6. Et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis. *Tac. A.* 6, 5. Fabulae convivales.

CONVĪVĀTOR, oris, m. *ἑστιάτωρ*, qui parat, praebetque convivium. *Liv.* 35, 49. Coena hominis et boni, et sciti convivatoris. *Hor. Sat.* 2, 8, 73. Sed convivatoris, uti ducis, ingenium, res, Adversae nudare solent, celare secundae. Adde *Senec. Ira* 3, 37.

CONVĪVĀTUS, a, um, part. V. CONVIVOR *in f.*

CONVIVĬĀLIS, e, adj. idem quod convivalis, ut *convivialis laetitia* ap. *Macr. Sat.* 2, 1., ubi al. leg. *convivalis.*

CONVĪVĬUM, ii, n. *ἑστίασις, συμπόσιον, σύνδειπνον*, coena inter multos celebrata: a *con*, et *vivo. Capitolin. Ver.* 5. Est notissimum dictum de numero convivarum: Septem convivium: novem vero convicium. *Cic. Senect.* 13. Bene majores nostri accubationem epularem amicorum, quia vitae conjunctionem haberet, convivium nominarunt: melius quam Graeci, qui hoc idem tum compotationem, tum concoenationem vocant. *Id. Quint.* 30. Ornare magnifice splendideque convivium. *Id. Pis.* 27. inire. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. concelebrare. *Cic. Verr.* 2, 4, 20. ornare, et apparare. *Nep. praef.* Adhibere aliquem in convivium. *Justin.* 2, 10. Habere convivia jucunda inter se. *Curt.* 6, 9. Interesse convivio. *Virg. G.* 1, 301. Mutua inter se curare convivia. *Cic. Quint.* 18. Versari in conviviis. *Ov. Met.* 7, 432. Agitare convivia. *Catull.* 47, 5. Convivia lauta sumptuose facere. *Plin.* 7, 53, 53. Habere convivium. *Cels.* 1, 1. In convivio esse. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. Omnibus rebus instructum et paratum convivium. *Id. Mur.* 6. moderatum atque honestum. *Id. Off.* 3, 14. opipare apparatum. *Tac. H.* 3, 76. Inter convivia de bello loqui. [**Adde *Propert.* 4, 6, 71. Subire candida convivia, i. e. felicia, jucunda. *Id.* 3, 10. 25. Dulciaque ingratos adimant convivia somnos, Ubi vide *Interprr. Ov. Fast.* 6, 675. Quid cessas convivia solvere. *Tibull.* 1, 9, 61. Illam saepe ferunt convivia ducere Baccho. *Id.* 4, 1, 145. Impia convivia, scil. Padaeorum qui mactare solebant aegrotantes vel senio confectos. ℙ *Convivia* dicebantur etiam festi dies, quae certis temporibus additis coenis epulisque in honorem Dei alicujus celebrabantur. Ita Palilia *Propert.* 4, 4, 75. dicit: Annua pastorum convivia.] ℙ Per synecdochen ponitur pro ipsis convivis. *Stat. Silv.* 3, 1, 77. quo nec convivia migrent. *Plin.* 22, 23, 47. Fungi suilli familias interemere, et tota convivia. *Id.* 35, 15, 50. Conviviis pallorem offundere. Et 28, 2, 5. Repente convivium conticescere. *Senec. Tranquill.* 1. Quid per lucentes ad imum aquas, et circumfluentes ipsa convivia loquar? ℙ [*Convivium* est etiam collegium seu schola hominum, qui vitae conjunctionem habent. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 9. *n.* 22. Qui vero post mortem nostram eandem arculam aperire voluerit, inferet convibio (lege *convivio*) veteranorum sive Martensium ✠ C. *Jo. De Vita* in AA. BB. p. 168. et seqq. alios lapides affert, in quibus memoratur collegium, sodalicium, studium Martensium, ex quibus apparet, scholam militarem fuisse, seu convictum militarem. *F.*] ℙ *Convivio digna* dicuntur, quae liberius, ac licentius in conviviis dici solent. [**Lepide *Gr.* omnino, *quidquid in buccam venerit*, exprimunt, *ὅτι κεν ἐπ' ἀκαιρίαν γλῶσσαν ἔπος ἔλθῃ.*] *Cic. Off.* 1, 40. In re severa, convivio digna aut delicatum aliquem inferre sermonem. Al. leg. *convivii dicta.* [**Et recte quidem! Nam glossatorum est *vulg.*, qui *convivii dicta* interpretantur *convivio digna*, ut ipse *Cic.* loquitur *Or.* 2, 62. ℙ Saepius *Convivium* glossa est v. convictus. V. *Spald.* ad *Quint.* 6, 3, 27. et quem laudat *Voss.* ad *Vell.* 2, 33.]

CONVĪVO, as, n. 1. idem quod convivor, aris. *Enn.* ap. *Non.* 7, 55. Magno hercle suo malo convivat: sine modo. *Pomp. ib.* Si calendis convivent, idibus coenant foris. Adde *Petr. fr. Tragur. Burm.* 57.

CONVĪVO, is, ixi, ictum, n. 3. *συμβιόω*, simul cum aliis vivo. *Quint.* 5, 9. *ad f.* Convivere cum adolescentibus. [**Pertinet* h. l. ad §. 2.] *Senec. ep.* 104. Haerebit tibi avaritia, quamdiu avaro convixeris. *Lampr. Commod.* 2. Gladiatoribus convixit. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 257. *n.* 80. T. Crystidius Priscus cojugi suae . . . quae convixit mecum annis plus minus viginti. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 15. Democritus, qui Hippocrati convixit, *h. e.* fuit ejus aequalis. ℙ Item convivari, unde *convivium. Quint.* 7, 3. *sub f.* Juvenes, qui convivere solebant, constituerunt, ut in litore coenarent. *Id.* 1, 6. *sub f.* At lavamus, et tondemus, et convivimus ex consuetudine. *In Suppos. Amph. scena. quae incipit*, Di vostram fidem, *v.* 45. Misisti ad navem Sosiam, ut hodie tecum conviverem.

CONVĪVOR, aris, dep. 1. *συμποσιάζω*, convivium facio, celebro: et dicitur tum de eo, qui praebet, tum qui adest. *Cic. Verr.* 2, 3, 44. Quotidie solitum esse non modo in publico, sed etiam de publico convivari. *Ter. Heaut.* 1, 2, 33. Nolunt crebro convivarier, *paragoge. Suet. Dom.* 21. Convivari frequenter ac large. *Id. Caes.* 48. Convivatus assidue duobus tricliniis. *Id. Claud.* 32. Convivatus et super emissarium Fucini lacus, ac paene submersus.

[CONŪLĀ, ae, f. herba eadem ac polion. *Appul Herb.* 57. *F.*]

CONVOCĀTĬO, onis, f. actus convocandi, *συγκλησία. Cic. in Senat.* 15. *extr.* Nulla ad rempubl. defendendam populi R. convocatio exstitit.

CONVOCĀTUS, a, um, part. a *convoco*, simul vocatus, *σύγκλητος. Cic. Brut.* 51. Convocatis auditoribus legere aliquid. *Hirt. B. Afr.* 88. Quos omnes convocatos hortatur, ut etc.

CONVŌCO, as, avi, atum, a. 1. *συγκαλέω*, simul voco, multos simul arcesso, ad concionem voco, cogo, congrego. *Cic. Caecin.* 1. Audax in convocandis hominibus, et armandis. *Id. Off.* 3, 14. Piscatores ad se convocavit. *Id. Leg.* 1, 20. Convocavit philosophos in unum locum. *Id. Agr.* 3, 4. Quoniam me in vestram concionem convocaverunt. *Id. Phil.* 5, 1. Convocare in senatum. *Liv.* 7, 36. ad concionem. *Caes. B. G.* 5, 57. equites undique. *Lucan.* 1, 296. armatos extemplo ad signa maniplos. *Cic. Fam.* 10, 12. senatum. *Id. Tusc.* 1, 25. Dissipatos homines congregare, et ad societatem vitae convocare. Et *ib.* 5, 5. Phi-

losophia dissipatos homines in societatem vitae convocavit. *Suet. Claud.* 18. Convocare plebem auxilio. ℙ [*Pertinet etiam ad incantationes. *Tibull.* 1, 2, 50. Cum libet, aestivo convocat orbe nives. V. *Interprr. Ov.* h. l. ante oculos habuisse videtur. *Am.* 8, 9. (de venefica) Cum voluit, toto glomerantur nubila coelo etc.] ℙ Translate. *Pl. Mil.* 2, 2, 42. Paulisper tace, dum ego mihi consilia in animum convoco, et dum consulo quid agam. ℙ [Part. *Convocans* ap. *Plin.* 10, 55, 76. Gallina sollicite convocans incertos incubitus. *Convocaturus* ap. *Suet. Caes.* 29. Veteranos convocaturus. *F.*]

CONVOLO, as, avi, atum, n. 1. *συμπέτομαι*, simul volo: et translate concurro, celeriter convenio. *Ter. Hecyr. prol.* 2, 31. Rumor venit, datum iri gladiatores: populus convolat, tumultuantur, clamant, pugnant de loco. *Cic. Dom.* 22. Qui cuncta ex Italia ad me revocandum convolaverunt. *Id. Sext.* 51. Furiae concitatae tanquam ad funus reipubl. convolant. [*Liv.* 2, 28. Tum vero ad sellas consulum propere convolavere minimus quisque patrum.] ℙ Translate. *Paul. Dig.* 30, 33. Convolare ad secundum legatum. *Imp. Anastas. Cod.* 5, 17, 9. Post annum ad secundas nuptias convolare, *h. e.* transire.

CONVOLVO, is, olvi, olutum, a. 3. *συμπλέκω, συγκάμπτω, συνελίσσω*, circumvolo, conglomero, involvo. *Cic. Div.* 1, 23. Cum ei dormienti sol ad pedes visus esset, ter eum frustra appetivisse manibus, cum se convolvens sol elaberetur, et abiret. *Virg. A.* 2, 474. de colubro: Lubrica convolvit sublato pectore terga. *Senec. ep.* 94. *ad f.* Turbines rapta convolvunt, sed ipsi ante volvuntur. *Plin.* 16, 39, 76. Publicum omnium arborum vitium vocant spiras, ubi convolvere se venae atque nodi. *Id.* 18, 30, 72. Culmus maturius desectus, muria respersus, dehinc siccatus in manipulos convolvitur. *Id.* 8, 37, 56. Erinacei convolvuntur in formam pilae, ne quid comprehendi possit, praeter aculeos. *Id.* 15, 17, 18. *n.* 2. Mala foliis ficulnis singula convolvi, cistisque condi. *Lucan.* 5, 623. Cum mare convolvit gentes, *h. e.* inundando involvit, et operit. ℙ Pro corradere, colligere. *Lucr.* de ventis nube inclusis, 6, 199. Quaerentesque viam circum versantur, et ignis Semina convolvunt e nubibus, atque ita cogunt Multa, rotantque cavis etc. ℙ Translate. *Senec. ep.* 40. Solet magno cursu verba convolvere, quae non effundit una, sed premit et urget, *h. e.* profundere, et conglomerare. *Flor.* 2, 11. Gallograeciam quoque Syriaci belli ruina convolvit, *h. e.* complexa est. ℙ In illo *Senec. Contr.* 5, *prooem. med.* Memini, aliquando cum recitaret historiam, magnam partem convolvisse, et dixisse: haec quae transeo, post mortem meam legentur: *convolvisse* est clausisse, et praeteriisse, quia veteres complicabant libros suos in volumina, quae, ut legerent, evolvebant; ut clauderent, convolvebant.

CONVOLUTĀTUS, a, um, part. a *convoluto*, idem quod volutatus. *Senec. Q. N.* 7, 9. Cum vagus et incertus spiritus convolutatus est, novissime uni vis omnium cedit.

CONVOLŪTO, as, a. 1. simul voluto. *Senec. ep.* 114. *ad f.* Convolutari cum aliqua.

CONVOLŪTUS, a, um, part. a *convolvo*, *εἰλητός*, circum volutus. *Plin.* 10, 72, 92. Dracones in semet convoluti. *Id.* 2, 8, 6. Convolutus aer ignavo globo torpet. *Id.* 16, 33, 60. Cupressus femina meta in fastigium convoluta: mas spargit extra se ramos. *Id.* 21, 32, 106. Herba convolutis foliis. *Id.* 33, 6, 35. Convolutus in flamma. *Id.* 11, 37, 45. Cornua arietum generi convoluta in anfractum.

CONVOLVŪLUS, vel Convolvolus, i, m. *ἴψ, ἰτός, ἴουλος*, vermiculus minor eruca, qui erodit pubescentes uvas: a *convolvendo*, quia se pampini folio implicat, et involvit. *Plin.* 17, 28, 47. Ne convolvulus fiat in vinea. *Cato R. R.* 95. Vitem hoc ungito; convolvulus non nascetur. V. INVOLVULUS. ℙ Item herba nascens per frutecta, florem ferens non dissimilem lilii, nullo odore, nec crocis intus, candorem tantum lilii referentem, ac veluti naturae rudimentum lilia facere condiscentis. *Plin.* 21, 5, 11. [Itali quoque *convolvolo* vocant. *F.*]

CONVŌMO, is, ui, a. 3. *κατεμέω*, vomendo conspurco. *Cic. Phil.* 2, 30. An tu Narbone mensas convomeres, Dolabella pro te in Hispania dimicaret. *Juven.* 6, 101. Illa maritum convomit.

CONVORO, as, a. 1. idem quod voro. *Tertull. adv. Marc.* 1, 1. Parentum cadavera convivio convorant.

CONVOTI, iisdem votis obligati. *Festus.*

[CONVŌVĔO, es, ovi, otum, a. 2. *συνεύχομαι*, simul voveo. *Vetus SC. de Bacchanal.* ap. *Murat.* 577. Neve posthac inter se conjuravisse, neque convovisse, neque conspondisse, neque compromisisse vellet. *F.*]

CONUS, i, m. *κῶνος*, figura, in qua plures lineae ex peripheria in unum punctum assurgunt, qualis cernitur in nucibus pineis, in summis hastis, in apice galeae etc., a voce Graeca allata. *Varr. L. L.* 4, 24. minus recte derivat a *cogo*, restringo, quia restringitur in cacumen. *Cic. N. D.* 2, 10. Mihi vel cylindri, vel quadrati, vel coni forma videtur esse formosior. ℙ Hinc dicitur de rebus, quae hujusmodi figuram habent. *Colum.* 6, 7. Remedio sunt cypressini quindecim coni, totidem gallae. ℙ Item de apice, qui in summitate galeae prominet, super quem cristae ponuntur, quos *Plin.* 10, 1, 1. conos bellicos vocat. *Virg. A.* 3, 468. Et conum insignis galeae, cristasque comantes.

CONVULNĔRĀTUS, a, um, part. a *convulnero*, idem quod vulneratus, *τρωτός*. *Plin.* 8, 36, 54. Os ab apibus convulneratum. ℙ Translate perforatus. *Front. Aquaed.* 115. Fistulae passim convulneratae.

CONVULNĔRO, as, avi, atum, idem ac vulnero, *τραυματίζω*. *Senec. Tranquill.* 11. Eo magis convulneraberis, et confodieris, quia nescis praebere jugulum. *Plin. Pan.* 35. Frontem punctis convulnerandam praebere. *Colum.* 4, 24. Gemmam vitis falce convulnerare. *Hirt. B. Afr.* 7. Multos jaculis convulneraverunt. Adde *Curt.* 5, 13. et *Just.* 2, 6. ℙ Translate. *Front. Aquaed.* 27. Ne in viis saepius convulneretur una fistula, *h. e.* perforetur. *Senec. Const. Sap.* 17. Maledicta mores et vitam convulnerantia.

CONVULSIO, onis f. *σπασμός*, actus convellendi. Specialiter dicitur a medicis contractio seu retractio musculorum in membris ex morbo: quam *Cels.* 7, 26. *n.* 2. distentionem nervorum vocat. *Scrib. Comp.* 165. Theriace prodest ad convulsiones interiorum partium. *Plin.* 20, 15, 60. Ligusticum utile est convulsionibus.

CONVULSUS, *et antiquo more* Convolsus, a, um, part. a *convello*, vi avulsus, loco motus, *ἀνασπασθείς*. *Cic. Pis.* 22. Ipsa Roma prope convulsa sedibus suis ad complectendum conservatorem suum procedere visa est. *Virg. A.* 3, 414. Haec loca vi quondam, et vasta convulsa ruina Dissiluisse ferunt. Et *ib.* 2, 507. Limina tectorum convulsa. *Ov. Met.* 7, 204. Convulsa robora terra. Et *ib.* 12, 254. Pes convulsus mensae acernae. *Lucr.* 3, 344. Artus convolsi pereunt. *Tac. A.* 1, 32. Prostratos verberibus mulcant: tum convulsos laniatosque in amnem projiciunt. *Virg. A.* 1, 387. Naves convulsae undis, Euroque, *h. e.* concussae, atque adeo disjectae, et laxatis compagibus undique hiantes. *Id. ib.* 5, 143. et *ib.* 8, 690. totumque dehiscit Convulsum remis rostrisque tridentibus aequor, *h. e.* ab imo fundo erutum, atque agitatum. ℙ Translate adhibetur ad significandam commotionem et turbationem. *Cic. Brut.* 30. Qui quamquam innocentissimus in judicium vocatus esset (quo judicio convulsam penitus scimus esse rempubl.) cum etc. *Id. Fam.* 5, 13. Quae cogitatio cum mihi non omnino excidisset, vi tamen tempestatum, et concursu calamitatum erat aliquantum labefactata atque convulsa. *Tac. A.* 12, 1. Caede Messalinae convulsa principis domus, orto apud libertos certamine etc. *Id. ib.* 6, 48. Tiberius post tantam experientiam, vi dominationis convulsus et mutatus. ℙ *Convulsa* absolute dicuntur in membris, quae morbo aliquo retracta sunt, et distenta, ut in voce praeced. dictum est. *Plin.* 20, 5, 18. Radix silis prodest ad tussim veterem, rupta, et convulsa. ℙ Et *convulsi* qui convulsione laborant. *Id.* 25, 8, 54. Convulsis, contusis, ex alto praecipitatis utilissima esse traditur. *Suet. Tib.* 72. Statimque latere convulso, in graviorem recidit morbum.

CONYZA, ae, f. *κόνυζα*, herba Latine cunilago, a botanicis *pulicaria* dicta, quod blattas, et pulices necandi vim habeat. De ea *Plin.* 20. *c.* 16. et 21, 10, 32. et *Pallad.* 1, 19.

COODĪBĪLIS, e, adj. simul odio dignus, *συμμισούμενος*. *Tertull. adv. Marc.* 4, 9. et 36. Coodibiles haeretici.

COOLESCO, is, ui, n. 3. concresco, conglutino, simul cresco. *Lucr.* 6, 1066. Saxa vides primum sola coolescere calce. Ita legit *Lambinus*. Alii *coalescere*, quae communior est lectio. V. COALESCO.

COONĔRO, as, avi, a. 1. idem quod onero, vel simul onero. *Tac. G.* 30. Omne robur in pedite, quem super arma, ferramentis quoque, et copiis coonerant. Est qui legit *onerant*.

COOPĔRĀTĬO, onis, f. ministerium, administratio. *Quint. Decl.* 16, 11. Habet omnia ministeria sua debilitas, suas cooperationes. Al. aliter leg.

COOPĔRĀTOR, oris, m. qui simul operatur et adjuvat. *Appul. Flor. n.* 9. Cooperatoris ipsius laborem fuisse. Alii rectius leg. *Comperitur. Hieron. ep.* 143. *n.* 1. Cooperatoribus et actoribus vobis haeresis jugulata est.

COOPERCŬLUM, i, n. operculum, *ἐπίθημα*. *Plin.* 23, 6, 59. Punicum malum in olla nova, cooperculo inlito, in furno exustum. Ita *Hard.* ex MSS. et *Plin. Valer.*, qui haec eadem ita exscripsit. *Pallad.* 7, 7. *sub f.* de apib. Erosis cooperculis ad nascendum capita nituntur exserere. *Appul. Met.* 10. Cooperculo capuli remoto. Adde *ib.* 6.

COOPĔRĪMENTUM, i, n. operimentum. *Gabius Bassus* ap. *Gell.* 5, 7. Caput et os cooperimento personae tectum undique.

COOPĔRĬO, is, ui, ertum, a. 4. *συγκαλύπτω*, idem ac operio, tego. *Liv.* 4, 50. Ut tribunus militum ab exercitu suo lapidibus cooperiretur. *Plin.* 17, 26, 39. Cooperiri radices.

*COOPĔROR, aris, dep. 1. *συνεργάζομαι*, vox ap. scriptores ecclesiasticos frequens. *Vulg. Marc.* 16, 20. *Rom.* 8, 28. et 1 *Corinth.* 16, 16. *Aug. C. D. B. A.*

COOPERTORĬUM, ii, n. stragula vestis ad cooperiendum apta, *καταπέτασμα*. *Scaev. Dig.* 34, 2, 39. Semproniae hoc amplius coopertoria Tabiana, et tunicas tres cum palliolis dari volo. *Veg. Veter.* 3, 77. Animal calidis coopertoriis involutum.

COOPERTUS, a, um, part. a *cooperio*, *ἐπηρεφής*, opertus, tectus, obrutus. *Cic. fragm.* apud *Quint.* 8, 3. Humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, et spinis cooperta piscium. *Id. Verr.* 2, 1, 46. Coopertus lapidibus. *Tac. A.* 13, 41. Atra nube coopertus. *Plin.* 19, 7, 36. Rapa cooperta terra. [*Quint. Decl.* 1. p. 13. Vultus ille perpetua nocte coopertus.] ℙ Translate. *Sall. Cat.* 24. [*V. Cort.* ad h. l.] et *Cic. Verr.* 2, 1, 4. Tot, tantis, tam nefariis sceleribus coopertus. *Liv.* 39, 15. Coopertus stupris suis et alienis. *Cato* et *Sall.* ap. *Gell.* 2, 17. Coopertus fenoribus. *Sall. Jug.* 15. *extr.* Me extorrem patria, inopem, et coopertum miseriis efficit. *Hor. Sat.* 2, 1, 68. Lupus famosis coopertus versibus.

COOPTĀTĬO, onis, f. actus cooptandi, *ἐπισυναγωγή*. *Liv.* 4, 4. Nobilitas ista vestra, quam plerique per cooptationem in patres habetis. *Id.* 5, 12. Cooptatio tribunorum. *Cic. Leg.* 3, 12. Cooptatio censoria. *Id. Amic.* 25. collegiorum. *Flor.* 4, 4. Juliae gentis, *h. e.* adoptatio C. Caesaris, qua Octavium in Juliam gentem adsciverat.

COOPTĀTUS, a, um, part. a *coopto*, *ἐπισυναχθείς, προαιρούμενος*, adscitus, electus. *Cic. Brut.* 1. Cooptatus in collegium augurum. *Suet. Tib.* 1. Gens Claudia cooptata in patricios.

COOPTO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπισυνάγω, προαιρέομαι*, adscisco, adscribo, assumo, recipio, eligo. Aliud porro est cooptare, aliud eligere. Cooptarunt Romae semper collegae, elegerunt vero iidem prius, mox populus, tandem Augusti. V. plura hac super re apud *Marin. Frat. Arv.* p. 14. et 19. *Cic. Verr.* 2, 2, 49. In senatoribus cooptandis. *Id. Phil.* 13, 5. Cooptare aliquem in locum auguratus. *Id. Coel.* 5. aliquem in amplissimum ordinem. *Suet. Aug.* 27. *ad f.* sibi collegam. *Plin. ep.* 4, 1. aliquem patronum. *Cic. Div.* 2, 9. Senatus, quem majore ex parte ipse cooptasset. ℙ [*Cooptari* solennis vox est, de iis, qui suffragiis tribuum *electi*, s., ut *Cic. Agr.* 2, 7. loquitur, *facti*, ab ipsis sacerdotibus in collegium sacerdotum accipiebantur. Cf. *Suet. Ner.* Cn. Domitius in tribunatu Pontificibus offensior, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent, jus sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transtulit. V. *Brem.* ad h. l. Adde *Suet. Claud.* 22. In cooptandis per collegia sacerdotibus, neminem nisi juratus nominavit.] ℙ [*Cooptassint ἀοριστικῶς* pro *cooptaverint* ap. *Liv.* 3, 64. *in f. F.*]

COORĬOR, oreris, ortus sum, dep. 3. *ἐκφύομαι, ἐφίστημι*, idem quod orior, nascor, exsisto, consurgo. *Cic. Verr.* 2, 1, 18. et *Caes. B. C.* 1, 48. Tanta tempestas cooritur, ut etc. *Plin.* 2, 36, 36. Ex ea parte truces venti cooriuntur. *Lucr.* 5, 797. Animalia plura sunt coorta terris. *Tac. H.* 2, 24. Donec insidiae coorirentur, *h. e.* insurgerent ad pugnandum, qui in insidiis erant. ℙ Translate. *Caes. B. G.* 3, 7. Subitum bellum in Gallia coortum est. *Nep. Epam.* 8. Risus omnium cum hilaritate coortus est. *Virg. A.* 1, 152. magno in populo cum saepe coorta est Seditio. *Lucr.* 4, 665. ubi cui febris bili superante coorta est. *Pl. Pers.* 2, 5, 12. Dolores cooriuntur. *Plin.* 8, 16, 19. de leone. Cooriturque non tanquam periculo coactus, sed tanquam amentiae iratus, *h. e.* insurgit ad pugnam. *Gell.* 13, 24. Quamquam fere eadem sint, et ex una sententia cooriantur. *Sall. or. ad Caes.* 2. *a med.* Si quid adversi coortum est.

COORTUS, a, um, part. a *coorior*, idem quod ortus. *Caes. B. G.* 5, 10. Maxima coorta tempestas. *Sall. Jug.* 81. Ventus coortus arenam excitat. *Ov. Trist.* 5, 5, 29. Aura fumos e ture coortos in partes Italas fert. *Lucr.* 5, 1000. Mare coortis fluctibus saevit. *Liv.* 2, 30. *ad f.* Defixis pilis stare suos jussit: ubi ad manum venisset hostis, tum coortos tota vi gladiis rem gerere. *Id.* 21, 32. Si valles occultiores insedissent, coorti in pugnam repente ingentem stragem dedissent. *Id.* 4, 56. Volscos et Aequos, fama affertur, summa vi ad bellum coortos.

COORTUS, us, m. idem quod ortus. *Lucr.* 6, 671. Ut tempestates pluviae graviore coortu Sunt ubi etc. *Id.* 2, 1104. post terrae solisque coortum.

COOS, et *Latina positione* Cous, item Cos, o, f. *Κόος, ου*, et *Κόως*, et *Κώως*, et *Κῶς, ῶ*, insula maris Aegaei, cum urbe cognomine, e re-

gione Cariae, ab Halicarnasso XV. mill. pass. distans, Merope etiam dicta, et Cea, et Nymphaea. Appellata est a nomine filiae cujusdam Meropae, qui in ea regnavit, ut est apud *Hyg. Astr.* 2, 16. ℙ Fuit patria Hippocratis celebris medici, Apellis praestantissimi pictoris, et Philetae Graeci poetae. *Plin.* 5, 31, 76. Nobilissima in eo sinu Cos. Et 29, 1, 2. Hippocrates genitus in insula Coo. *Id.* 11, 27, 27. Bombycas et in Co insula nasci tradunt. *Liv.* 37, 16. Civitates Halicarnassus, Cnidus, Cous imperata enixe fecerunt. *Tac. A.* 2, 75. Apud Coum insulam. ℙ Nomen *Stingo*, quo nunc appellatur, factum est a Graecis vocibus *εἰς τὴν Κῶ*. ℙ [*Fuit et Coos opp. Calydnae insulae, quae non procul fuit a Coo. *Plin.* 4, 12. *B. A.*]

COPA, ae, f. *καπηλίς*, mulier, quae vinum vendit. *Suet. Ner.* 27. Matronae copas imitantes. *Virg. Catal.* Copa Syrisca, caput Graja redimita mitella. *Charis.* 1, 47. testatur *cupam*, non *copam* a *Virgilio* poemation illud fuisse inscriptum. Est tamen in *cupa* eadem significatio. Derivatur autem a *caupo:* pro quo *copo*, et *cupo* dictum est, sicut *plaustrum plostrum*, *cauda coda*.

COPĀDIA, orum, n. plur. ap. *Apic.* culinarium scriptorem 5, 1., 7, 6. et 8, 6. sunt cupediae, *h. e.* cibi lautiores, carnes animalium delicatiores.

[*COPAIS, idis, f. *Κωπαΐς*, palus ita appellata ab urbe Boeotiae, quae Copae a *Plin.* 4, 7, 12. dicitur. *Liv.* 33, 29. Plurimi pedites circa Copaidem paludem inventi. V. CEPHISUS. *F.* et *B. A.*]

*COPHANTUS, i, m. Asiae mons, in Bactriana. *Plin.* 2, 106. *B. A.*

*COPHEN, enis, m. *Κωφὴν*, Indiae flumen, cis Gangem, in Indum fluens. *Mela* 3, 7. *med. Cophes*, etis, *Κώφης, ητος*, audit *Plin.* 6, 17. et 21. ℙ Est et nomen oppidi. *Plin.* 6, 23. Arachosia cum oppido et flumine ejusdem nominis, quod quidam Cophen dixere. *B. A.*

COPHĪNUS, i, m. *κόφινος*, corbis, qualus, vas vimineum grande, ad usus praesertim rusticos, ita dictus ob levitatem, nam *κοῦφος* levem significat. *Colum.* 11, 3. *med.* Confecta bruma, stercoratam terram inditam cophinis obserat. *Juven.* 3, 14. de Judaeis: quorum cophinus, foenumque supellex. Et 6, 541. cophino, foenoque relicto.

COPIA, ae, f. *εὐπορία*, abundantia, facultas, vis. Derivant etymologi ab *ope*, ut sit quasi *coopia. Cic. Or.* 3, 31. Rerum copia verborum copiam gignit. *Id. Manil.* 10. Habere copiam tantam virorum fortium, ut etc. *Id. ad Quirit.* 8. Frugum ubertas, copia, vilitas. *Hor. Od.* 2, 15, 6. copia narium, *h. e.* odores. *Cic. Rosc. Com.* 15. Homines copiis rei familiaris locupletes et pecuniosi. *Id. Att.* 2, 6. Habere copiam librorum. *Id. Amic.* 23. Suppeditare alicui omnium rerum abundantiam et copiam. *Copia*, et *abundantia* in eo differunt, quod illa, cum satis necessaria suppetunt, intelligitur: haec, cum etiam supersunt. ℙ Saepe absolute dicitur de re familiari. *Pl. Aul.* 3, 6, 4. Aliquanto facias rectius, si nitidior sis filiae nuptiis. *Eucl.* Pro re nitorem, et gloriam pro copia. *Cic. Manil.* 7. Publicani suas rationes et copias in illam provinciam contulerunt. *Id. Dejot.* 5. Exercitum suis tectis et copiis sustentavit. *Caes. B. G.* 4, 4. Se eorum copiis aluerunt. *Sulpic. ad Cic. Fam.* 4, 12. *ad f.* Pro ea copia, quae Athenis erat, funus faciendum curavi. *Suet. Vitell.* 7. Copiis provincialibus profundam gulam alicujus explere. *Curt.* 9, 10. Vehicula pro copia cujusque adornata. [*Suet. *Vit.* 1. Gentilis copia, i. e. omni gentis suae facultate, hominum et pecuniae.] ℙ Ejurare, et jurare bonam copiam, V. in EJURO. ℙ Eleganter adhibetur ad significandum omne id, quo pollemus, sive divitias, sive auctoritatem, gratiam, amicos etc. *Cic. Att.* 4, 2. *sub f.* Quorum studiis ego et copiis facile essem omnia consecutus. *Id. Inv.* 2, 1. Crotoniatae cum florerent omnibus copiis etc. ℙ Item ubertatem verborum, et facultatem dicendi. [*Nos: *Fülle im Ausdruck.*] *Cic. Fam.* 5, 12. Erit materies digna facultate et copia tua. *Id. Quint.* 2. Hortensius, cui summam copiam facultatemque dicendi natura elargita est. *Id. Verr.* 1, 4. Etenim quod est ingenium tantum, quae tanta facultas dicendi et copia, quae etc.? *Id. Brut.* 11. *extr.* Ubertas et copia Periclis. *Claud. epist.* 3, 6. Et tantas oris copia vincit opes. [*Cf. de oratorio hujus vocabuli usu *Ernest. lex. techn. lat.* p. 98. sq.] ℙ *Facere*, et *dare copiam* est dare facultatem, et libertatem faciendi aliquid. *Cic. Or.* 3, 33. Facere civibus omnibus consilii sui copiam. *Ter. Heaut. prol.* 28. Date crescendi copiam, novarum qui spectandi faciunt copiam. *Virg. A.* 1, 524. coram data copia fandi. *Liv.* 4, 18. Militibus urbem se oppugnaturos, frementibus, ni copia pugnae fiat. *Ter. Heaut.* 2, 3, 41. Ea res dedit existimandi copiam, quotidianae vitae consuetudinem. *Pl. Trin.* 1, 2, 98. Nec, qui deterior esset, faceres copiam, *h. e.* occasionem praeberes, qua deterior fieret. [*Pl. *Mil.* 3, 1, 172. Efficere copiam.] ℙ *Est mihi copia*, h. e. possum facere aliquid. *Ter. Heaut.* 2, 3, 87. Tecum sine metu ut sit, copia est. *Id. Eun.* 4, 2, 10. Si non tandem copia est, eho ne videndi quidem erit? *Sall. Cat.* 17. Quibus in otio vel magnifice, vel molliter vivere copia erat. *Pl. Capt.* 2, 1, 21. Obnoxii vobis sumus propter hanc rem, cum, quod volumus, copia est, *h. e.* quod conceditis, quae volumus. *Id. Epid.* 1, 2, 59. Non est cunctandi copia. *Sall. Cat.* 50. Magna mihi copia est memorandi, qui reges, ira impulsi, male consuluerint. [*Prop. 1, 9, 15. Facilis copia. *Tibull.* 2, 3, 77. ed. *Heyn.* rara copia.] ℙ *Copiam habeo* idem significat. *Sall. Jug.* 85. Habere magnam copiam societatis, amicitiaeque conjungendae. [*Adde *Ter. Andr.* 2, 1, 20. Neque pol consilii locum habeo, neque ad auxiliandum copiam. V. *Interpr.* ad h. l.] ℙ Sequente infinito. *Catull.* 64, 366. simul ac fessis dederit Fors copiam Achivis Urbis Dardaniae Neptunia solvere vincla. ℙ Frequenter *copia* ponitur pro exercitu. *Cic. Att.* 13, 52. *extr.* Omnis armatorum copia. (Adde *Mur.* 37.) *Pompej. ad Marcell. et Lentul. Coss. post ep.* 12, 8. *ad Att.* Uti ipse eum omni copia ad nos veniret. *Id. ib. ep.* 2. *ad Dom.* Neque solus cum ista copia tantam multitudinem sustinere poteris. *Tac. A.* 2, 52. Mazippa levi cum copia incendia et caedes circumferret. *Hirt. B. Afr.* 10. Classem cum ea copia conscendit Adde *Sall. Cat.* 61. [*Caes. *B. C.* 1, 45. Augebatur illis copia. V. *Davis.* ad h. l. Adde *Hirt. B. Afr.* 80. Expedita copia. *Ib.* 38. Pedestris copia. Gr. *πλῆθος.*] ℙ Longe vero saepius in plurali numero. *Cic. Fam.* 12, 5. Parvis copiis obsidere aliquem. Et *mox.* Magnas copias comparare. *Nep. Alcib.* 8. Pedestribus copiis valere. *Id. Milt.* 3. Traducere copias. *Id. ib.* 4. deducere in campum. *Caes. B. G.* 1, 38. Cum omnibus suis copiis ad occupandum Vesontionem contendere. ℙ Significat etiam annonam, cibaria, commeatum, hoc est res necessarias sive domi, sive belli. *Ter. Heaut.* 5, 1, 54. Ne quam aliam quaerat copiam, ac te deserat. [*i. e. rationem inveniendae pecuniae; ita *Ruhnk.*] *Plin. ep.* 2, 17. *sub f.* Suggerunt affatim ligna proximae silvae: ceteras copias Ostiensis colonia ministrat. *Id. ep.* 6, 28. Tantum mihi copiarum tam urbanarum, quam rusticarum oblatum est. *Tac. H.* 3, 15. Ut specie parandarum copiarum, civili praeda miles imbueretur. *Id. ib.* 4, 22. Copias in castra convehere. *Justin.* 38, 10. Cum gravari se copiarum praebitione, et injuriis militum civitates viderent, ad Parthos deficiunt. [*Cf. *Tzschuck.* ad *Eutr.* 3, 16. Adde *Ov. Fast.* 3, 672. Haec populo copia grata fuit. *Id. Met.* 11, 129. Copia nulla famem relevat.] ℙ In *Inscr.* ap. *Grut.* 588, 5. legitur *Polychryso Aug. lib. a copiis militarib.*, quod officium videtur fuisse parandae rei frumentariae in usum exercituum. ℙ Pro materie ad aedificandum idonea. *Vitr.* 5, 7. Exiguitas copiarum. *Id.* 6, 11. *sub f.* Non in omnibus locis omnia genera copiarum nascuntur. ℙ Olim *Copia* Dea fuit omnium rerum copiam suppeditans. Pingebatur cornu gestans plenum frugibus quod alii de cornu Amaltheae intelligunt: alii de cornu Acheloi. *Pl. Ps.* 2, 4, 46. Dii immortales! non Charinus mihi hic quidem est, sed Copia. *Hor. Ep.* 1, 12. 28. aurea fruges Italiae pleno defundit Copia cornu. [*Adde *Ov. Met.* 9, 88.]

COPIĀRIUS, ii, m. idem qui parochus. *Porphyr.* ad *Hor. Sat.* 1, 5, 46. Parochi latino vocabulo copiarii dicti sunt, quod omnium rerum necessariam copiam regum populorumque legatis suppeditabant.

COPIĀTAE, arum, m. plur. *κοπιαταὶ, νεκροθάπται*, vespillones, quorum munus cadavera Christianorum obvolvere, efferre, sepelire: a *κοπιάω*, laboro. Hi, quod prium hoc officium praestarent, et una cum clericis in sepeliendis defunctis miscerentur, iis accenseri volebant, eorumque immunitatibus frui. *Impp. Constant. et Jul. Cod. Theod.* 13, 1, 1. Negotiatores omnes convenit aurum argentumque praebere: clericos excipi tantum, qui copiatae appellantur. *Iidem ib.* 16, 2, 15. Clerici vero, vel hi, quos copiatas recens usus instituit nuncupari etc. De his etiam tacito nomine *Arcad. et Honor. ib.* 7, 20, 12. Dum se quidam vocabulo clericorum, et infaustis defunctorum obsequiis occupatos, non tam observatione cultus, quam otii et socordiae amore defendunt.

[COPIENSIS, e, adj. ad copiam pertinens. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 753, 3. M. Servilius Copiensis Pacuvianus. Fortasse *Copiensis* cognominatus est a patria sua Lugduno Galliae, quae urbs, testantibus nummis et inscriptionibus, *colonia Claudia Copia Augusta* est appellata a Claudio Aug., quod vero simile videtur; nam hujus M. Servilii filius *ib.* appellatur praefectus Cohortis I. Morinorum, qui populi fuerunt in Belgio. *F.*]

COPIŌLA, ae, f. exigua copia. *Copiolae* dicuntur a *D. Bruto* parva militum manus, *ad Cic. Fam.* 11, 13. Recurri ad meas copiolas: sic enim vere eas appellare possum: sunt extenuatissimae etc.

COPĪOR, aris, dep. 1. verbum castrense, quod teste *Gell.* 17, 2., non facile reperias apud civilium causarum oratores. *Claud. Quadrigar.* apud *Gell. ib.* et ap. *Non.* 2, 141. Armis, et magno commeatu, praedaque ingenti copiantur *Gell.* et *Non. ib.* docent, *copiantur* eadem figura esse, qua *lignantur*, et *pabulantur*, et *aquantur*. Quare potius inter deponentia quam passiva enumerandum videtur.

COPIŌSE, adv. *εὐπόρως*, cum copia, large, abunder. *Cic. Verr.* 2, 1, 36. Malleolus in provinciam sic copiose profectus erat, ut domi prorsus nihil relinqueret. [* i. e. cum tanta rerum omnium abundantia.] *Id. N. D.* 2, 47. Pastum animantibus large et copiose natura comparavit. *Id. Att.* 13, 52. Tribus tricliniis accepti *οἱ περὶ αὐτὸν* valde copiose. *Id. Q. Fr.* 2, 6. *ad f.* Senatorum urna copiose absolvit. *Id. Off.* 1, 1. *sub f.* Gravissime et copiosissime dicere. *Id. Or.* 4. Copiosius de magnis variisque rebus dicere.

COPIŌSUS, a, um, adj. *εὔπορος, δαψιλής*, abundans, uber, largus, dives. *Cic. Cat.* 2, 8. Tu agris, tu aedificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus et copiosus sis. [*Suet. *Caes.* 35. Copiosissimus hostis, i. e. qui summa omnium rerum abundantia gaudet.] *Id. Rosc. Am.* 2. Patrimonium amplum et copiosum. *Phaedr.* 4, 8. Copiosus liquor putei. *Id.* 5, 5. Copiosa rerum varietas. *Cic. Div. Verr.* 17. Mulier copiosa plane et locuples. *Id. Att.* 5, 18. Locus copiosus a frumento. *Gell.* 16, 19. Arion grandi pecunia, et re bona multa copiosus. *Id.* 7, 1. Oppidum re cibaria copiosum. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 6. Vinea compluviata copiosior vino est. *Nep. Eum.* 8. Via copiosa omniumque rerum abundans. *Hirt. B. Alex.* 43. Copiosior provincia. *Caes. B. G.* 1, 23. Oppidum longe maximum et copiosissimum. [*Liv. 9, 44. Ut stativa tuta copiosaque petisse videretur, i. e. quae omnibus necessitatibus abundarent.] ℙ Cum genit. *Solin.* 11. Ager Creticus silvestrium caprarum copiosus est. ℙ Refertur ad ubertatem orationis. *Cic. Att.* 13, 46. Multa de meo Catone: quo saepissime legendo se dicit copiosiorem factum. *Id. Caec.* 23. Homo non copiosus ad dicendum. *Id. Or.* 2, 53. Multa, et varia, et copiosa oratio. Adde *Liv.* 45, 25. ℙ [*Ingenium facile et copiosum* ap. *Quint.* 10, 1. p. 921. est: ingenium perspiciendis rebus aptum; inveniendis rebus iisque in medium proferendis prompta verborum ubertate nunquam destitutum.]

COPIS, e, V. COPS.

COPIS, idis, f. *κοπίς*, a *κόπτω*, caedo, machaera, acinaces, gladius leviter curvatus, falci similis, caedendo, non pungendo idoneus. *Curt.* 8, 14. Copidas vocant gladios leviter curvatos, queis appetebant belluarum manus. *Appul.* venatoribus tribuit *Met.* 11. Illum succinctum chlamyde copides et venabula venatorem fecerant.

COPO, onis, m. *καπηλός*, idem qui caupo. *Cic. Cluent.* 59. A. Binnium quendam coponem de via Latina subornatis. Adde *Mart.* 2, 51. et alibi: quamquam non desunt, qui ubique reponunt *caupo. Petr. fragm. Tragur.* 62. *Burm.* Domum fugi, tanquam copo compilatus.

COPONA, ae, f. eadem quae caupona, eo modo quo *cauda*, et *coda* dicitur. *Festus* a *copiis* dictam putat.

COPONIĀNUS, a, um, adj. pertinens ad Coponium, quod est nomen civis R. proprium, ut Coponiana villa, *Cic. Att.* 12, 31.

COPPA, *κόππα*, nomen litterae apud Graecos, cujus usus tantum in numero mansit, nonagenarium significans. *Quint.* 1, 4. ℙ Similis fuit nostro. Q. *Mar. Victor.* 1, 2468. ℙ [Convenit cum ℙ Hebraeorum et forma, et numerica potestate. *F.*]

COPRĔA, ae, m. *κοπρίας, γελωτοποιὸς*, scurra, vilis homuncio, qui movendo risu quaestum facit, et cibum captat: a *κόπρος*, stercus: unde *κόπριος ἀνὴρ*, homo vilis, quasi stercoreus: quidlibet enim hujusmodi homines et facere, et pati non recusant dum rem habeant. *Suet. Tib.* 61. Interrogatus a quodam nano adstante mensae inter copreas. [*V. *B. Crus.* ad h. l.] Adde *Claud.* 8. Sunt qui scribunt *copria* nimis adhaerentes Graecis litteris. ℙ [Horum parasitorum vilissimum genus describit *Dion.* 50, 73. *F.* *V. *Turneb. Adv.* 22, 31. *Lips. Elect.* 2, 17. *Taubm.* ad *Pl.* p. 791. *Salmas. de Pallio* p. 334. *B. A.*]

COPROS, i, m. *κόπρος, ἡ*, stercus. Graeca vox. *Varr.* ap. *Non.* (ut quidem critici legunt) 4, 22. Non Hercules potest, qui Augiae agebat copron.

COPS, copis, vel Copis, e, adj. *εὔπορος*, copiosus, abundans, dives, quasi *coops*, ab *ops*, ut volunt etymologi. *Pl. Bacch.* 2, 3, 117. Ut amantem herilem copem facerem filium. *Id. Pseud.* 2, 3, 8. Ego nunc me ut gloriosum faciebam, et copi pectore, *h. e.* compote omnium, quae optaveram. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 119. O multimodis varie dubium, et prosperum copem diem! Adde *Turpil. ib.* ℙ De recto singulari exemplum adhuc deest: nisi quod *Prisc.* docet 7, 752. vetustissimos dixisse, *hic, et haec, et hoc ops, et cops, pro opulentus, et copiosus.* Praeterea verba illa *Festi: Ops antiqui dicebant, quem nunc opulentum dicimus, ut testimonio est non solum ei contrarius in-*

ops ..... concedit, ego egens exortus sum; ita supplent Critici ex conjectura: *inops, sed etiam cops: ut is cops edit, ego egens exortus sum.*

COPTA, ae, f. κόπτη, genus placentae ex variis rebus contusis confectae, cujus usus est tum in medicamentis, tum in cibis, pro varia confectione: a κόπτω, caedo, contundo. Durissima ex Rhodo mittebatur, ut est ap. *Mart.* 14, 68. Peccantis famuli pugno ne percute dentes: Clara Rhodos coptam quam tibi misit, edat. ℙ Ejusdem aut similis generis fuisse videtur *coptoplacenta*, κοπτοπλακοῦς, quae ab *Athen.* 14, 13. inter placentas enumeratur, legiturque in *fragm. Tragur. Petron.* 40. *Burm.* Minores porcelli ex coptoplacentis facti, quasi uberibus imminerent, scropham esse positam significabant. [*Vespae judic.* 46. ap. *Wernsdorf. Poet. Lat. min. T.* 2. p. 234. Nos facimus populo studiose coptoplacentas. *F.*]

COPTĬCUS, a, um, adj. qui pertinet ad Copton oppidum Thebaidis in Aegypto. *Appul. Met.* 2. Miserere, ait, sacerdos, per coelestia sidera, per inferna numina, per naturalia elementa, per nocturna silentia, et adoperta Coptica, et per incrementa Nilotica, et arcana Memphitica, et sistra Phariaca. Cum ex *Plin.* 10, 33, 49. innotescat, in Egypto juxta oppidum Copton insulam esse sacram Isidi, videntur *adoperta Coptica* esse mysteria hujus Deae. Alii leg. *adyta, adepta, adsepta, aggesta;* sed *adoperta* recepit et defendit *Oudendorpius* [*Debentur h. l. nonnulla. *F.*]

*COPTĬS, idis, f. Κοπτίς, ad Coptum pertinens, ut Coptis arena ap. *Plin.* 36, 6. *B. A.*

[COPTĪTĀNUS, a, um, adj. ad Copton pertinens, Aegypti urbem. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 456. C. Gemello Croni F. Coptit*ano. F.*]

[*COPTĪTES, is, comm. gen. adj. ad Copton pertinens, Aegypti urbem. *Plin.* 5, 9, 9. Nam Praefecturae, quas Nomos vocant, Ombites, Apollopolites, Coptites, etc. *Id.* 30, 1, 2. Democritus Apollobechen Coptiten, et Dardanum e Phoenice illustravit. *F.* et *B. A.*]

COPTOPLACENTA. V. COPTA.

*COPTUS et Coptos, i, f. Κοπτός. urbs Aegypti. V. in Copticus, a, um. *B. A.*

COPŪLA, ae, f. σύνδεσμος, vinculum, nexus, quo plura simul ligantur, et connectuntur. *Pl. Epid.* 5, 1, 11. Quaeritant me: in manibus gestant copulas secum, *h. e.* lora, quibus me vinciant. *Appul. Met.* 9. Muli senes pectora copulae sparteae tritura continua exulcerati, *h. e.* helcio. *Accius* ap. *Non.* 3, 66. Tortae copulae, *h. e.* funes. ℙ Specialiter dicitur de vinculo, quo alligantur canes venatici. [*Nos: *Fangleine.*] *Ov. Trist.* 5, 9, 28. Utque canem pavidae nactum vestigia cervae, Luctantem frustra copula dura tenet. Adde *Met.* 7, 769. ℙ [*Dicuntur etiam *copulae harpagones, manus ferreae*, i. e. asseres, unco ferreo praefixi, qui navibus injecti eas veluti manu prehensas tenebant. *Caes. B. G.* 3, 13. Et eadem de causa (propter altitudinem) minus commode copulis continebantur. Ita *Hotoman.* pro vulgata *scopulis* legi voluit, quam sententiam probarunt *Oudend.* et *Davis.*] ℙ Translate. *Nep. Att.* 5. Efficiebat ut inter quos tantae laudis esset aemulatio, nulla intercederet obtrectatio; essetque talium virorum copula, *h. e.* Atticus velut medius intercedens, tenebat inter se constrictos vinculo amicitiae Ciceronem, et Hortensium. *Hor. Od.* 1, 13, 18. Felices ter et amplius, Quos irrupta tenet copula; nec malis Divulsus querimoniis Suprema citius solvet amor die. *Appul. Met.* 2. Nuptialis copula. *Nigid.* ap. *Gell.* 10, 5. Avarus appellatur, qui avidus aeris est. Sed in ea copula *e* littera detrita est, *h. e.* in ea compositione verbi. ℙ *Copla* per syncopen usurpatur a *Licentio*, qui fuit *Augustini* aequalis, ap. *Wernsdorf. Poet. Lat. min. T.* 4. p. 535. Arcet amor, coplamque tenet communis honesti.

COPŪLĀBĬLIS, e, adj. qui copulari potest. *August. Mus.* 4, 16. *med.* Cum sibi copulantur, qui inter se sunt copulabiles pedes.

COPŪLĀTĒ, adv. conjuncte. *Gell.* 10, 24. Diequinti pro adverbio, copulate dictum est. Adde 17, 7.

*COPULATIM, adv. σίρμῶ. *Vet. Gloss. B. A.*

COPŪLĀTĬO, onis, f. idem ac conjunctio. *Cic. Fin.* 1, 6. Ita effici complexiones, et copulationes, et adhaesiones atomorum inter se. (Adde *Fin.* 1, 20.) *Quint.* 1, 5. *f.* Copulatio verborum, *h. e.* compositio in oratione. ℙ [*Copulatio est etiam figura *eloc.* gr. πλοκή, de qua V. *Ernest. lex. techn. lat.* p. 98.]

COPŪLĀTĪVE, adv. idem quod copulate. *Macr. Sat.* 1, 4. *med.* Diequinti pro adverbio, copulative dicere.

COPŪLĀTĪVUS, a, um, adj. copulans, conjungens, συμπλεκτικός. *Charis.* 2, 199. et *Capell.* 3, 70. Copulativae, et disjunctivae conjunctiones.

*COPULATOR, oris, m. qui copulat. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Majo*) 1, 7. Nec sit pudendum, si filius sit parentibus copulator. Laudatur et Firmicus ap. *Gesn. B. A.*

COPŪLATRIX, icis, f. quae copulat. *August. Trin.* 11, 9. *extr.* Voluntas copulatrix parentis et prolis. *Auct. Pervigil. Ven.* 5. Amorum copulatrix.

COPŪLĀTUS, a, um, part. a *copulo*, συμπεπλεγμένος, συζευχθείς, conjunctus, compositus, congruens. *Cic. Verr.* 2, 4, 66. Cum voce maxima, vim me sibi afferre, clamaret, copulati in jus pervenimus, i. e. una. *Id. Tusc.* 1, 29. Nihil est animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. *Id. Div.* 3, 69. Quid naturae copulatum habuit Alcibiadis somnium? *h. e.* conveniens cum natura *Id. Fin.* 1, 16. Sapientiam, temperantiam, fortitudinem copulatas esse docui cum voluptate. *Id. Or.* 32. Nosse vim verborum simplicium, et copulatorum, *h. e.* compositorum. *Id. Off.* 1, 17. Nihil est amabilius, nec copulatius, quam morum similitudo bonorum. Al. leg. *copulantius.* [*Ex *Gernh.* sententia *copulatius* h. l. activam vim habet: ut *consideratus homo* (*Cic. Caec.* 1.) est, qui considerare, *cautus*, qui cavere solet. V. *Beier.* et quos ad firmandam hanc sententiam laudat h. l.] *Ulp. Dig.* 24, 1, 32. *a med.* Copulati matrimonio. *Id. ib.* 1, 9, 8. Feminae plebejis nuptiis copulatae. ℙ *Copulatum* apud dialecticos quid sit, V. in CONJUNCTIO. ℙ Per syncopen *Lucr.* 6, 1086. Inter se quaedam possint coplata teneri. Al. tamen perperam retinent *copulata*, ut metrica necessitate primam corripuerit: vel, ut antibacchium pro dactylo posuerit. V. COPULA.

COPŪLĀTUS, us, m. idem quod copulatio. *Arnob.* 1. *in.* Rationum consequentium copulatu.

COPŪLO, as, avi atum, a. 1. συνδέω, συζευγνυμι, colligare, conjungere. [*Copulare* diminutivum est v. *apere*, contract. ex *coipulare.* Cf. *Doederl.* 3, 274. ubi pluribus de hoc v. disputatur.] *Cic. Acad.* 4, 45. *extr.* Honestatem cum voluptate, tanquam hominem cum bellua, copulare. *Id. Fin.* 2, 14. Disjuncta conjungere, et cum praesentibus futura copulare. *Id. Part.* 6. Constructio verborum tum conjunctionibus copuletur, tum dissolutionibus relaxetur. *Id. Sext.* 64. Ille se sic cum inimico meo copularet, ut, etc. *Id. Fam.* 3, 4. Collegii conjunctio non mediocre vinculum attulisse videtur ad voluntates nostras copulandas. *Pl. Poen.* 3, 3, 42. Copulare sermonem cum aliquo, *h. e.* colloqui. *Cic. Or.* 45. Copulare verba, *h. e.* componere, ex duobus unum facere, ut *sodes* pro *si audes. Liv.* 4, 43. *ad f.* concordiam. *Plin.* 2, 7, 5. societatem cum aliquo. *Id.* 6, 13, 16. Utrimque Armeniae majori Sophene copulatur. *Id.* 10, 29, 43. Sonus nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto. *Auct. Dial. de Or.* 17. *extr.* Conjungere, et copulare aliquid. *Senec. Herc. fur.* 493. Copulari taedis, *h. e.* matrimonio jungi. *Auct. Pervigil. Ven.* 58. Copulavit nuptias. *Mart.* 12, 43. Quo symplegmate quinque copulentur. ℙ In illo *Pl. Aul.* 1, 2, 38. Adeunt, consistunt, copulantur dexteras: passivum positum est pro activo, ut *Non.* 7, 72. et 95. et *Prisc.* 8, 797. docent. Ergo illud *dexteras* Graecus erit accusativus: nisi malis, *copulantur* non passivi, sed deponentis forma dictum esse.

COQUA, ae, f. quae coquit. *Pl. Poen.* 1, 2, 38. Coqua haec est quidem, ut ego opinor.

COQUĪBĬLIS, e, adj. coqui facilis, εὔπεπτος. *Plin.* 16. 6, 8. Glans fagea suem hilarem facit, carnem coquibilem ac levem, et utilem stomacho.

COQUĪNA, ae, f. μαγειρεῖον, locus, in quo dapes coquuntur. *Non.* 1, 273. et 2, 387. ex *Varrone.* Culinam veteres coquinam dixerunt. Al. leg. *colinam. Arnob.* 4. p. 130. Per coquinas currit, inspiciens, quibusnam lignorum generibus suis ardor in foculis excitetur. *Pallad.* 1, 37. Ab apium castris longe sint omnia odoris horrendi, balneae, stabula, coquinae. ℙ Item ars ipsa coquinaria. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Harum disciplinarum imitatrices esse coquinam, et unguentariam profitetur. Al. leg. *coquinariam.*

COQUĪNĀRIS, e, et

COQUĪNĀRĬUS, a, um, adj. μαγειρικός, ad coquinam pertinens, culinarius. *Varro* ap. *Non.* 3, 32. Noctu cultro coquinari se trajecit. *Plin.* 33, 11, 49. Vasa coquinaria ex argento fieri. ℙ *Coquinaria ars* inscribitur liber *Apicii* de *opson. et condim.*

COQUĪNĀTORĬUS et Cocinatorius, a, um, adj. ad coquendum pertinens, ut coquinatorium instrumentum. *Ulp. Dig.* 34, 2, 9., ubi al. leg. *coquinarium*, Torrentin. et alii *cocinatorium* eod. sensu. V. CONCINNATORIUS. ℙ *Cocinatorium, ii*, n. est locus, in quo coquuntur cibi, idem ac culina. *Inscr.* ap. *Fabrett.* 497, 4. Porticum, et cocinatorium costitui, itenque donavi. V. CULINA.

COQUĪNO, as, avi, atum, a. 1. μαγειρεύω, est coquinariam artem exercere. *Pl. Aul.* 3, 1, 3. Venit in bacchanal coquinatum. *Id. Pseud.* 3, 2, 85. Quanti istuc unum me coquinare perdoces?

COQUĪNUS, a, um, adj. ad coquendum pertinens, ut *coquinum forum*, ubi scil. cibaria coquuntur. *Pl. Pseud.* 3, 2.

COQUĪTARE pro coctitare, idest frequenter coquere, Plautus posuit. *Festus.*

[COQUĪTĀTĬO, onis, f. πέψις, coctio, coctura. *Appul. Met.* 4. Hordeum tunsum minutatim et diutina coquitatione jurulentum semper essem. Alii minus recte leg. *resectione*, alii *cogitatione. F.*]

COQUO, is, oxi, octum, a. 3. ὀπτάω, πέπτω, igne adhibito cibos mitigo, atque esui aptos reddo, vel assando, vel elixando, vel frigendo: item aliud quidpiam igne subigo, fundo, purgo. *Cic. Tusc.* 5, 34. Tum is, qui illa coxerat, minime mirum, inquit: condimenta enim defuerunt. *Lucr.* 5, 1101. cibum coquere, et flammae mollire vapore. *Pl. Aul.* 2, 4, 46. et 3, 2, 15. Venimus coctum ad nuptias. *Nep. Cim.* 4. Quotidie sic ei coena coquebatur, ut quos invocatos vidisset, omnes devocaret, *h. e.* parabatur. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 3. Panis coquendo crescit. *Id.* 20, 9, 35. Cyma difficilis in coquendo. *Id.* 37, 10, 54. Coquere gemmam in lacte. *Cels.* 5, 17. aliquid ex oleo, *h. e.* in oleo. *Plin.* 16, 11, 22. aliquid lento igne. *Id.* 24, 14, 79. aliquid usque ad crassitudinem mellis. *Id.* 32, 9, 31. aliquid cum anetho, apio, coriandro. *Liv.* 8, 18. medicamentum, *h. e.* quod dixit *Suet. Ner.* 33. Coquere venenum. *Cato R. R.* 16. Calcem partiario coquendam qui dant, ita dant etc. *C. Mattius* ap. *Gell.* 20, 9. Dein coquenti vasa cuncta dejectat. *Plin.* 33, 3, 19. Coquere aurum cum plumbo. *Id.* 18, 26, 65. *n.* 2. Et *Virg. G.* 1, 66. Sol coquit glebas. *Cato R. R.* 39. Laterculos facito, coquito in fornacem. *Lucan.* 6, 405 coxit fornacibus aera. *Juven.* 15, 166. rastra, et sarcula tantum Assueti coquere, *h. e.* calefacto ferro facere. *Senec. Herc. Oet.* 1396. Virus coquit artus, *h. e.* urit absumitque. ℙ Per similitudinem ponitur pro maturare. *Varr. R. R.* 1, 54. Uva miscella, quam vocant nigram, multo ante coquitur. *Virg. G.* 2, 522. Mitis in apricis coquitur vindemia saxis. *Mart.* 10, 62. Tostamque fervens Julius coquit messem. [*Hor. Sat.* 2, 2, 41. At vos praesentes Austri coquite horum obsonia. *Coquite* h. l. idem quod putrefacite. Ita *Heindf.*] ℙ Item pro concoquere. *Cels.* 4, 5. *a med.* Qui nihil aliud concoquere possunt, bubulam coquunt. *Plin.* 29, 1, 8. Coqui cibos in corporibus. [*Dubitat *Spald.* ad *Quint. Inst.* 8, 4, 16. de hac hujus verbi significatione.] ℙ Item pro exsiccare, amburere. *Virg. G.* 4, 427. arebant herbae, et cava flumina siccis Faucibus ad limium radii tepefacta coquebant. *Varr. R. R.* 3, 14. Locus is melior, quem et non coquit sol, et tangit ros. ℙ Et valde calefacere. *Val. Fl.* 2, 333. coquiturque vaporibus aer. ℙ Translate est agitare, parare, moliri. *Liv.* 3, 36. Impotentibus instructi consiliis, quae secreto ab aliis coquebant. *Id.* 8, 3. Omnibus consultationibus inter se principes occulte Romanum coquebant bellum. *Sil.* 7, 403. iras cum fraude coquentem. Et *ib.* 10, 431. Latioque extrema coquebant Coepta viri. *Stat. Theb.* 2, 300. trucem secreta coquebat Invidiam, *h. e.* fovebat, nutriebat. ℙ Item macerare, vexare, agitare. *Virg. A.* 7, 345. Femineae ardentem curaeque iraeque coquebant. *Enn.* ap. *Cic. Senect.* 1. Cura, quae nunc te coquit. *Sil.* 14, 103. quos ira metusque coquebat.

COQUŬLĂ. V. COCULA.

COQUUS, et *melius* Cocus, i, m. qui cibos coquit. Etymon vocis vide infra. *Cic. Fam.* 9, 20. In ea coena cocus meus, praeter jus fervens, nihil potuit imitari. *Varr. R. R.* 3, 14. de cochleis: Itaque coquus has vivas, an mortuas coquat, plerumque nescit. *Mart.* 14, 220. Non satis est ars sola coco: servire palatum Nolo: cocus domini debet habere gulam. *Pl. Most.* 1, 3, 120. Cum una multa jura confundit cocus. ℙ Coquum, et pistorem apud antiquos eundem fuisse accepimus. *Naevius*, Coquus, inquit, edit Neptunum, Venerem, Cererem. Significat per Cererem panem, per Neptunum pisces, per Venerem olera. Haec *Festus.* ℙ Quo tempore (nempe an. U. C. 568.) horum ars Romae in pretio esse coeperit, quae antea ministerium fuerat, narrat *Liv.* 39, 6. *extr.* ℙ [Imperante Hadriano Aug. collegium cocorum fuisse in Palatio convivia imperatoris apparantium, constat ex nupera *Inscr.* in *Giorn. Arcad. T.* 13. p. 587. T. Aelius, Aug. Lib. Primitivus archimagirus, et Aelia Aug. Lib. Tyche cojunx fecerunt sibi, et suis Lib. libertabusque posterisque eorum. Custodia (pro *custodiam;* extrita nempe littera *m* ob concursum sequentis) monimenti inhabitandi ne quis interdicere velit; quod si nemo de hac memoria nostra extiterit, pertinere debebit ad collegium cocorum *Augusti Nostri*, quod consistit in Palatio. ℙ Ad scriptionem quod attinet, in omnibus antiquis lapidibus, et saepissime in MSS. codicibus, et optimis editionibus *cocus* legitur, quod etymo vocis magis consentaneum est. Is enim proprie ita appellatur, qui res edules cultro caedit et dividit, dein in mortario pistillo pinsit, tum quaquaversus miscet. Hinc moretum dictum est quoddam cibi genus a μείρω, divido. (V. MORETUM); et Graecis μάγειρος, cocus, est a μάσσω seu μάττω, pinso: hinc *Festus* ait, supra cocum et pistorem eundem fuisse. (V. MAGIRUS); aliud vero edulii genus cocetum appellatum est a κυκάω, misceo, unde *cocus* Latinorum. V. COCETUM. Itali quoque

piatto da cuoco vulgo dicunt illud edulium, quod nec elixum, nec assum, nec frictum, sed ex variis rebus tum liquidis, tum solidis, simul caesis, pinsitis, et operose mixtis compositum sit. Progressu vero temporis coci ministerium ad omnes omnino epulas quomodocumque parandas pertinere coepit. ℙ Neque hanc, quam defendimus, scriptionem quis possit infirmare ex lepido *Ciceronis* joco ap. *Quint.* 6, 3. *med.* Cicero dixit, cum is candidatus, qui coci filius habebatur, coram eo suffragium ab alio peteret: *Ego quoque tibi favebo.* Ex hoc enim illud unum evincitur, apud Romanos similem fuisse sonum litterarum *c*, et *qu*, quod in plurimis vocibus factum est, ut *cotidie* pro *quotidie*. *F.*]

COR, ordis, n. καρδία, (et poetice κέαρ, unde κῆρ contractum, a quo Latina vox facta videtur) membrum est praecipuum in corpore animalium, in medio pectore situm, cuspide ad sinistrum latus aliquantum inclinata, omnem sanguinem ex venis se dilatando excipiens, et per arterias in omnes partes corporis contrahendo se dimittens: merito proinde habitum vitae sedes atque origo. *Cic. Div.* 1, 52. Num igitur censes, ullum animal, quod sanguinem habeat, sine corde esse posse? [*Hinc melius sequi poterant quae inde a §. 7 — 11. leguntur.] ℙ In eo veteres nonnulli animi sedem, atque adeo sapientiae, consilii, solertiae, prudentiae, et acuminis collocarunt, teste *Cic. l. c.* et *Tusc.* 1, 9. Aliis cor ipsum animus videtur: ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur. *Lucr.* 4, 51. Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde. *Id.* 5, 1105. Ingenio praestare, et corde vigere. *Pl. Most.* 1, 2, 3. Atque in meo corde, si quod est mihi cor, eam rem volutavi, et diu disputavi. *Id. Pseud.* 3, 1, 3. Quantum ego nunc corde conspicio meo. *Ter. Phorm.* 2, 2, 7. Jam instructa sunt mihi in corde consilia omnia. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 4. Villicum quam proximum domino corde esse debere, *h. e.* colendi peritia. *Mart.* 6, 64. Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minerva Acrius, et tenues finxerunt pectus Athenae. Adde 3, 27. et *Ov. Her.* 17, 102. [**Sil.* 13, 803. Corde aequantem Peleia facta, i. e. sapientia, astutia. Hinc *Id.* 12, 737. Punica corda, i. e. fraudes.] ℙ Huc et illa pertinent *Virg. A.* 5, 729. lecti juvenes, fortissima corda. *Id. ib.* 10, 87. Corda aspera. *Stat. Theb.* 3, 678. Aequo corde ferre aliquid, *h. e.* aequo animo. *Ov. Trist.* 3, 3, 57. Forti corde ferre mala. *Virg. A.* 12, 18. Sedato corde respondere. ℙ *Cor habere* est sapere, sapientem esse. *Cic. Fin.* 2, 28. Hoc est non modo cor non habere, sed ne palatum quidem. *Pl. Pers.* 4, 4, 71. Dii istam perdant: ita cata est, et callida: Habet cor: quam dicit quod opus est! *Mart.* 3, 26. Et cor solus habes, solus et ingenium. Adde 11, 84. ℙ *Cor longaevum* apud *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 155. est senilis sapientia. ℙ *Cor alicujus* est ille ipse, vel ejus animus, prudentia, scientia. *Enn.* ap. *Gell.* 7, 2. quem credidit esse meum cor Suasorem summam, et studiosum robore belli. *Pers.* 6, 10. Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse Maeonides Quintus pavone ex Pythagoreo. *Fur. Bibac.* apud *Suet. Gramm.* 11. En cor Zenodoti; en jecur Cratetis. ℙ Est etiam sedes affectuum. *Ov. Trist.* 4, 10, 65. Molle, Cupidineis nec inexpugnabile telis Cor mihi, quodque levis causa moveret, erat. *Hor. Od.* 1, 23, 8. Tremere corde. *Id. Art. P.* 98. Cor spectantis tangere querela. *Ov. Fast.* 1, 16. Excutere corde metus. *Pl. Capt.* 2, 3, 60. Corde amare inter se. *Id. Trin.* 2, 3, 34. spernere aliquid, *h. e.* serio et omnino. *Id. Pseud.* 5, 1, 25. Cordi atque animo suo obsequi. *Id. ib.* 5, 2, 22. Lubentissimo corde atque animo aliquid facere. *Id. Capt.* 2, 3, 27. Persequi aliquid corde, et animo, atque viribus. *Id. Aul.* 4, 3, 4. Meum cor in pectus emicat. (Adde *Tibull.* 1, 11, 12.) Et eodem sensu *Id. Cas.* 5, 6, 62. Cor salit. [**Suet. Ner.* 2. Cor plumbeum, i. q. nos dicimus: *Gefühllosigkeit.* Cf. *Tibull.* 1, 1, 64. Nec in tenero stat tibi corde silex. *Claudian.* 26, 303. Ferro corda rigent. *Quint. Decl.* 6, 19. p. 147. Cor silice concretum. Gr. eodem modo. Ita *Apollon.* 2, 231. Οὐδ' εἰ οἱ ἀδάμαντος ἐληλαμένον κέαρ εἴη. V. quos praeterea laudat *Heyn.* ad locum *Tib.* modo allatum. Notandus etiam locus apud *Suet. Caes.* 77. Nec pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset. Cf. *Brem.* ad h. l.] ℙ *Cordi est*, sedet animo, ut *Non.* 2, 155. interpretatur, *h. e.* in votis est, placitum est, ita ut cor pro voluntate sumatur, non pro cura, et opera, ut alii interpretantur. *Cato* ap. *Macr. Sat.* 3, 5. *in f.* Juppiter, si tibi magis cordi est, nos ea tibi dare potius, quam Mezentio, uti nos victores facias. *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Et quod tibi magnopere cordi est, mihi vehementer displicet. Et *Liv.* 6, 20. *in f.* Nec Diis cordi fuisse poenam ejus (*Manlii*) oblatam prope oculis suis, a quo sua templa erepta e manibus hostium essent. *Cic. Quint.* 30. Fatetur, sibi vitam omnino semper horridam atque aridam cordi fuisse. *Id. Or.* 16. Flumen aliis verborum, volubilitasque cordi est. *Ter. Phorm.* 5, 3, 17. Uterque utrique est cordi, [*i. e. se mutuo vehementer amant.] *Liv.* 9, 8. Dii immortales, si vobis non fuit cordi, Sp. Postumium prospere bellum gerere, at satis habeatis etc. Adde 30, 17. *ad f.*, 10, 42. *extr.*, 9, 1. et 23, 31. *ad f.*, *Senec. Ben.* 1, 14. *ad f.*, *Virg. Cir.* 261. *Sil.* 7, 320. et 15, 350. et *Afran.* ap. *Prisc.* p. 659. ℙ Potest etiam aliquando exponi, curae est. *Ov. Medic. fac.* 32. Virginibus cordi, grataque forma sua est. *Hor. Od.* 1, 17, 13. Dii me tuentur, Diis pietas mea, Et Musa cordi est. *Tac. H.* 3, 53. Illis Moesiae pacem, sibi salutem securitatemque Italiae cordi fuisse. Adde *Stat. Silv.* 1, 4, 4. [*Cf. *Ruhnk.* Ad *Terent. Andr.* 2, 1, 28. et interprr. ad *Liv.* 30, 17.] ℙ *Corde est* poetice, cordi est. *Stat. Theb.* 6, 829. sed corde labores Ante alios erat uncta pale. ℙ *Cordi habere* est infixum pectori, et memoriae tenere, amare, diligenter consectari. *Gell.* 18, 7. Cum vos quoque, philosophorum illustrissimi, nihil jam aliud, quam verba, auctoritatesque verborum cordi habeatis. *Id.* 2, 29. *extr.* Duo postremi isti versus, quos habere cordi et memoriae, operae pretium esse hercle puto. Adde 17, 19. ℙ Olim *cor* pro stomacho usurpatum videtur. *Lucr.* 6, 1149. Inde ubi per fauces pectus complerat, et ipsum Morbida vis in cor moestum confluxerat aegris. *Hor. Sat.* 2, 3, 29. in cor Trajecto lateris miseri, capitisve dolore. ℙ Adhibetur et in blanditiis. *Pl. Poen.* 1, 2, 154. Meum mel, meum cor, mea colostra. ℙ Masculino genere positum fuisse ab *Ennio* putavit *Caesellius Vindex* ap. *Gell.* 7, 2., sed ejus hallucinationem detegit, et reprehendit ipse *Gell.* Locum *Ennii* supra retulimus. ℙ *Cor* pro sensu animae. *Phaedr.* 4, 14. Semisomno corde, et errore ebrio. *Lucr.* 5, 862. Levisomna canum corda. [*Haec parum differunt ab iis, quae §. 3. dicta sunt.] ℙ Translate. *Macr. Somn. Scip.* 1, 20. *med.* Physici solem cor coeli vocaverunt, quod natura ignis semper in motu perpetuoque agitatu est. ℙ Hujus vocis quantitas a quibusdam anceps esse putatur. Qui censent produci posse, afferunt primo Graecum κῆρ, unde diximus derivari: deinde versum *Ov. Her.* 15, 79., sed in quo valde dubia est lectio: et *Lucretii* 3, 471. Denique cor hominum cum vini vis penetravit etc. Verum hic quoque plerique omnes leg. Denique cur, hominem cum vini etc. Quare corripienda videtur ex *Ov. Pont.* 1, 3, 32. Confiteor misero molle cor esse mihi. *Id. Trist.* 5, 8, 28. Molle cor ad timidas sic habet ille preces.

CORA, ae, f. pupilla oculi, *h. e.* nigrum illud, quod est in medio oculi: a Graeco κόρη. *Auson. ep.* 16, 59. Cuique vigiles luminum Vacare dignabunt corae. ℙ Item *Cora* opp. Latii in finibus Volscorum, nunc in Campania Romana, a Dardano conditum ante urbem Romam, et a Cora Catylli, et Tiburtis fratre appellatum, ad pedes collis, inter Velitras, et Setiam. Ejus cives *Corani* dicuntur a *Plin.* 3, 5, 9. *Lucan.* 7, 393. Gabios, Vejosque, Coramque Pulvere vix tectae poterunt monstrare ruinae. ℙ Item Deae nomen, Palladis fortasse, aut Dianae, quae virgines sunt: vel potius ejus numinis, quod pulcritudini puellarum praeesset: a κόρη, puella, virgo formosa: vel denique, quod magis placet, Proserpinae, quae a Graecis aliquando Κόρη appellata est, *Suida* teste, et *Serv.* ad *A.* 3, 111. *Inscr.* ap. *Grut.* 309, 2. et 3. Fabiae Aconiae Paulinae etc. sacratae Deo laccho, Cereri, et Corae etc.

[CORACESIA, ae, f. herba, qua Pythagoras aquam glaciari tradit ap. *Plin.* 24, 17, 99., qui addit, apud alios hujus mentionem se non invenire. Al. leg. *coriacesia*. *F.*]

*CORACESIUM, i, n. Κορακήσιον, opp. Ciliciae, in Cilicia aspera (trachea). *Plin.* 5, 27. *Liv.* 33, 20. *B. A.*

CORACĪCUS, a, um, adj. idem quod coracinus. *Coracica sacra*, quorum fit mentio in *Inscr.* apud *Grut.* 1087, 4., erant instituta in honorem Mithrae: in quibus initiabantur ministri, qui *coraces* appellabantur, ignotisque, et simul exsecrandis mysteriis ad ejus cultum praeparabantur: de quibus mentio fit a *Hieron. ep.* 107. *n.* 2. Eadem sacra dicta sunt etiam *hierocoracica*, et ministri ipsi *hierocoraces;* ut quidem legendum esse ap. *Grut.* 303, 2. et 27, 4. contendit *Reines.* ad *Inscr.* 48, 1., quem omnino adeas necesse est: sed praecipue *Morisani Inscr. Regin.* p. 111. et seqq. ℙ *Auct. commentar. in cap.* 1. *epist. D. Pauli ad Rom.*, qui a nonnullis *Ambrosio* tribuuntur, meminit Sacrorum *Coracinorum*, quae eadem cum *Coracicis* esse videntur. Is autem putat, ita ab Aegyptiis dicta fuisse, quod in iis corvi adorarentur. Mos enim fuit illis varia animalia, et quidem turpiora, pro Diis colere.

CORACĪNUS, a, um, adj. κορακῖνος, corvinus, niger: a κόραξ, ακος corvus. *Vitr.* 8, 3. *a med.* Pecora quamvis sint alba, procreant aliis locis pulla, aliis coracino colore. ℙ De Sacris Coracinis, V. in v. praec. ℙ Item *coracīnus, i*, κορακῖνος, nomen est piscis Nilo peculiaris, qui ita dictus est vel a colore, vel quod assidue κινεῖ τὴν κόρην, pupillam movet. *Mart.* 13, 85. Princeps Niliaci raperis, coracine, macelli. Adde *Plin.* 9, 16, 24. et *ib.* 18, 32.

CORALĪTICUS, Lapis, genus candidi marmoris a Coralio, seu Sangario fluvio Phrygiae, juxta quem invenitur. *Plin.* 36, 8, 13. *n.* 2. ℙ In vet. *Inscr.* ap. *Grut.* 76, 9. legitur *Coroliticus.*

CORALĪUM, et Corallium, et Curalium, ii, item Corallum, i, κοράλιον, κοράλλιον, κουράλιον, κόραλλον, et κώραλλον, (tot enim modis tum Graece, tum Latine scriptum invenitur: saepius autem in priscis libris *curalium*, teste *Hard.*) describitur a *Plin.* 32, 2, 11. frutex marinus colore viridi, baccas ferens candidas sub aqua, ac molles, quae exemptae confestim durantur, et rubescunt quasi corna sativa specie, et magnitudine. Ajunt ipsum fruticem tactu protinus lapidescere, si vivat: itaque occupari, evellique retibus, aut acri ferramento praecidi: qua de causa *curalium* vocitatum interpretantur: nempe ἀπὸ τῆς κουρᾶς ἐν ἁλὶ, quod in mari tondeatur. Probatissimum quam maxime rubens, et quam ramosissimum, nec scapiosum, aut lapideum, aut rursus inane, et concavum. Haec ex *Plin. l. c.*, ubi plura de hac re. ℙ In fabulis est, Perseum, Gorgone caesa, cum Pegaso vectus supra mare transvolans, capillo suspensum caput ejus teneret, guttas sanguinis defluentes coralia in mari genuisse: ex quo factum est, ut etiam *Gorgoniae* appellarentur, *eod. Plin.* teste 37, 10, 56. Fabulam narrat *Eustath. ad Dionys. de situ Orb.* ℙ Pro varia scribendi ratione varia est etiam syllabarum quantitas apud Latinos poetas. *Ov. Met.* 15, 416. Sic et curalium, quo primum contigit auras Tempore, durescit: mollis fuit herba sub undis. Al. leg. *coralium. Claud. Nupt. Honor.* 10. et *Mar.* 169. Mergit se subito, vellitque coralia Doto. *Sid. carm.* 11, 110. Lactea puniceo sinuantur colla corallo. ℙ *Est et *Corallus*, i. f. ut putat *Scheller. Plin.* 37, 10. Coralloachates (similis est) corallo aureis guttis distinctae. Et sic profecto *Hard.* Sed cum achates, ideoque composita ejus, et m. et f. generis sit, codexque Ms. ap. *Hard.* habeat *distincta*, totus locus ita proculdubio instaurandus: *Coralloachates corallo*, aureis guttis distincta. Supra dixerat: Coralloachates guttis aureis sapphiri modo sparsa; qualis copiosissima in Creta sacra appellata: ubi pro *sparsa* habet ed. *Froben.* 1530. cum aliis distincta. Vides et *fem.* gen. esse, (quod dixi) nomen Coralloachates. *B. A.*

*CORALIUS, i, Phrygiae amnis, dictus etiam Sangarius. *Plin.* 6, 1. Idem Sangarius a plerisque dictus Coralius. Ita ed. *Elzev. Hard.* voc. *Coralius* prorsus omittit. *B. A.*

CORALLI, orum, m. plur. populi Mysiae inf. in ora maris Euxini, circa Istri ostea, pellibus tecti, insignes immanitate. *Ov. Pont.* 2, 37. et *ib.* 8, 83.

CORALLĪNUS, a, um, adj. corallo similis, ruber. *Vet. epigr.* in *Anth. Lat. T.* 1. p. 651. Porrige labra, labra corallina.

CORALLIS, idis, f. κοραλλίς, gemma minio similis in India, et Syene. *Plin.* 37, 10, 56.

CORALLOACHĀTES, ae, m. lapis guttis aureis coralii modo distinctus. *Plin.* 37, 10, 54. *Non masculini tantum generis est Coralloachates sed et fem. V. *Coralium* in f. *B. A.*

*CORALLUS, i, f. V. CORALIUM in f. *B. A.*

CORAM, praep. ἐμπροσθεν, πρὸς, [est a χώραν, quod per ellipsin pro κατὰ χώραν, e regione *F.*] ante, in conspectu, ante oculos. [*Laudat quidem in confirmand. hanc deriv. rationem *Scheid.* ad *Sanct.* p. 234. *B. Crusius* in *cl. Suet.* p. 252. Sed *Id. ib.* addit: Mihi magis arridet derivatio a *cora*, κόρη, pupilla oculi, cui etiam convenit dictio incoram. Quod autem *coram* producit priorem syllabam, cora corripit, id parum moror, partim ob inconstantiam usus in ejusmodi vocabulis originis incertae serius demum legibus adstrictam, partim ob alia vocabula cognata, tamen syllabarum vi diversa, ut *vox*, *vocis* et verbum *vocare*, *dux*, *ducis* et v. *ducere.*] Differt a *palam*, quod *coram* magis ad personas certas, *palam*, ad omnes refertur. [**Plin. Pan.* 1, 5. Non enim occulta potestate fatorum, sed ab Jove ipso coram ac palam repertus est: *Coram* pertinet ad Jovem; *palam* significat in omnium conspectu, in Capitolio. V. integrum locum ejusque *interprr.*] *Cic. Pis.* 6. Mihi vero ipsi coram genero meo, propinquo tuo quae dicere ausus es? ℙ Aliquando suo casui postponitur. [*Usitatissimum dicendi genus ap. *Suet. Aug.* 69. *Ner.* 33. *Oth.* 1. V. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 91, 2.] *Nep. Epam.* 4. At ille Diomedonte coram, Nihil, inquit, opus etc. *Suet. Tit.* 10. Populo coram ubertim flevérat. *Tac. A.* 4, 8. Diis, et patria coram obtestor. ℙ Usurpatur etiam adverbialiter. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Sed haec posterius, et coram fortasse commodius. *Id. Fam.* 2, 9. Et quasi tecum coram loquerer. *Id. Att.* 12, 1. Cum coram sumus, et garrimus quidquid in buccam. *Id. Flacc.* 15. Testes coram producti dicent etc. [**Id. Verr.* 2, 2, 41, 42. Coram deferre aliquem, i. e. eum, qui domi est, nec per-

egrinatur. *Ernest.* in *cl. Cic. s.* h. v.] *Id. Prov. cons.* 9. Intueor coram haec ornamenta reipubl. *Ter. Andr.* 5, 3, 29. Sine, illum huc coram adducere. [*i. e. te praesente.] *Liv.* 2, 47. Offerre se coram. *Lent. ad Cic. Fam.* 12, 14. *a med.* Mihi promiserunt coram, et absenti mihi scripserunt. *Gell.* 15, 18. Coram videre aliquid. *Hor. Sat.* 1, 6, 56. Venire coram. [**Id. Od.* 3, 6, 29. Jussa coram non sine conscio Surgit marito: etc.] *Suet. Aug.* 39. Traditio coram pugillarium. [*V. *Brem. Id. Claud.* 34. Tormenta quaestionum poenasque parricidarum repraesentabat, exigebatque coram, i. e. se ipso praesente et ita, ut omnes spectare possint.] *Stat. Achill.* 1, 52. raptasque domos, abductaque coram Armenta. ℙ Saepe ita adhibetur, ut quodam *πλεοναστικῶ* redundet, majoris explicationis gratia. *Cic. Agr.* 3, 1. Si quae apud vos de me deferunt, ea coram potius, me praesente, dixissent. (nisi dicamus, hoc loco *coram* positum esse pro *palam*, aperte, ut ap. *Lucr.* 4, 1081. Quod fieri contra, coram natura repugnat.) *Virg. A.* 1, 599. Improvisus ait: coram, quem quaeritis, adsum; qua ratione *Caesar* quoque *B. G.* 1, 32. locutus est. *Ter. Adelph.* 2, 4, 5. Coram in os aliquem laudare. [*Nos: *in's Angesicht.* Adde *Suet. Aug.* 13.. Hunc foedissimo convicio coram prosciderunt. Comparat *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 252. *Ebr.* לְמֻלָּנִים v. מִלְּמֻלָּנִים, quod *Hellenistae* vertunt *εἰς πρόσωπον, κατὰ πρόσωπον*, etiam *ἀπὸ προσώπου.*] *Id. Eun.* 4, 7, 24. Adducere aliquem alicui coram ante oculos. *Pl. Ps.* 4, 7, 43. Te is ipsus coram praesens praesentem videt. *Id. Merc.* 2, 2, 7. Ipsi facito, coram ut tradas in manum. ℙ In illo *Tac. A.* 4, 54. Nec tamen Tiberii vox coram secuta, sed obversus ad matrem, non mirum ait etc., *coram* id significat, non directis ad eam verbis, sed verso ad matrem vultu. ℙ *In coram*, seu *incoram* idem quod *coram*, et cum genitivo. *Appul. Met.* 9. Jubebat, incoram sui plagas mihi quamplurimas irrogari. Et *ib. paulo sup.* et *ib.* 7. Incoram omnium. *et* absolute *ib.* 10. Quae mecum incoram publicam populi caveam frequentaret.

*CORAMBIS, idis, f. opp. superioris Aegypti, Aethiopiae conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

CORAMBLE, es, f. *κοράμβλη*, genus brassicae, ita dictae, a *κόρη*, pupilla, et *ἀμβλύνω*, obtundo, quia visum hebetat: vel potius quia obvolvit pupillam seu partem interiorem. Eadem fortasse est, quae crambe. *Colum.* 10, 179. Nunc veniat, quamvis oculis inimica, coramble.

CORĀNI, orum, m. plur. populi Corae oppidi. V. CORA.

*CORANITAE, arum, Arabiae elicis pop. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*CORAS, ae, m. Tiburtii et Catilli frater, unde mons Coras et urbs Coras dicta. *Virg. A.* 7, 672. *B. A.*

*CORASSIAE, (insulae) in mari Aegeo fuere, non procul a Patmo insula. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

CORAX, ācis, m. *κόραξ*, Graeca vox, qua corvus significatur. *Solin.* 40. *s. f.* Chamaeleon impetibilis est coraci etc. sed corax quoque habet praesidium ad medelam. ℙ Fuit etiam hoc nomine rhetor antiquissimus, qui primus in Sicilia artem oratoriam invenisse, ac tradidisse dicitur. *Cic. Or.* 1, 20. et *Brut.* 12. et *Quint.* 3, 1. ℙ Ad utramque appellationem alludit *Cic. Or.* 3, 21. Quare Coracem istum vestrum patiamur nos quidem pullos suos excludere in nido, qui etc. ℙ Item machina militaris quaedam, demoliendo et destruendo apta, memorata quidem, sed non descripta a *Vitr.* 10, 19. *s. f.*, quam *ib. supra* corvum demolitorem, et gruem appellari scribit. Est autem longe diversa a machina illa, de qua in CORVUS dicemus. ℙ *Coraces* etiam dicti sunt quidam sacerdotes Mithrae, ut ex *Reinesio* adnotatum est in CORACICUS, quorum mentio fit a *Hieron. ep.* 107. *n.* 2. Sunt tamen qui putant, eum non de sacerdotibus loqui, sed de imaginibus Deorum, qui sub corvorum specie colerentur. ℙ *Fuit et *Corax*, acis, Aetoliae mons, inter Callipolim et Naupactum. *Liv.* 36, 30. et 37, 4. *B. A.*

*CORAXI, orum, *Κοραξοί*, populi Asiatici, in Colchide, quorum caput Dioscurias dictum. *Plin.* 6, 5. *B. A.*

*CORAXICI montes in Armenia fuere, ad Cyri fluminis fontes. *Plin.* 6, 9. *B. A.*

*CORBA, ae, f. i. q. corbis. *Schol. Antiq.* in *Juven.* 3, 251. p. 589. ed. *D. A. G. Cramero. B. A.*

CORBĬCŬLA, ae, f. *λαρκίδιον*, parva corbis. *Pallad.* 3, 10. Fit ex vimine parva corbicula.

[CORBĬO, onis, m. 3. diminutivum corbis. Fuit cogn. nepotis Q. Hortensii oratoris ap. *Val. Max.* 3, 5. *n.* 4. ℙ *Corbio*, onis, Ital. opp., in Aequorum terra. *Liv.* 2, 39. et 3, 28. et 30. ℙ Item opp. Hisp., cis Iberum fluvium, in regione Suessetanorum. *Liv.* 39, 42. *F.* et *B. A.*]

CORBIS, is, f. *κόφινος, λαρκός*, vas ingens e vimine, ad usus rusticos, praesertim colligendorum fructuum: ita dictum, ut *Varro* censet *L. L.* 4, 31., quod spicas, aliudve quid corruebant, *h. e.* in eam dejiciendo immittebant. Corruere enim active significat dejicere. At melius *Isid. Orig.* 20, 9. Corbes dicti, quia curvatis virgis contexuntur. *Varr. R. R.* 1, 50. Spicas in corbem conjicere. *Ov. Met.* 14, 643. O quoties habitu duri messoris aristas Corbe tulit. *Cic. Sext.* 38. Messoria se corbe contexit. *Pl. Bacch.* 4, 4, 61. Geritote amicis vestris aurum corbibus. ℙ Apud *Caton. R. R.* 136. granum corbi dividere opponitur *τῷ* modio dividere; etenim corbi dividebant ante triturам, modio post eandem. ℙ Apud *Ulp. Dig.* 18, 6, 1. per corbem mensuram vini facere, est metiri modum vini ex modo uvae, cujus mensura per corbem definiri solet. *Cujac. lib. observat.* 2. *c.* 36. id facete dictum putat. ℙ *Prise.* 5, 652. inter nomina masculina etiam corbem recenset: quod confirmatur illis *Columellae* verbis 11, 2. *sub f.* Frondis corbem pabulatorium modiorum viginti etc. Ita edition. omnes, quas habemus, cum Jensoniana anni 1472. Quod vero *Id.* 6, 3. habet *corbis pabulatoria*, in Jensoniana legitur *pabulatoribus:* ex quo licet conjicere, *pabulatorius* a *Columella* fuisse scriptum.

CORBĬTA, ae, f. *σιτηγὴ ναῦς*, navis oneraria, a corbis, quia in malo ejus summo pro signo corbis solet suspendi, ut *Festus* docet. [*V. *Scheffer. de re nav.* p. 178.] *Cic. Att.* 16, 6. Corbitane Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum. *Pl. Poen.* 3, 1, 4. Tardiores, quam corbitae sunt in tranquillo mari. *Lucil.* ap. *Non.* 13, 2. Huic maju' bacillum, Quam malus navi in corbita maximus ulla. V. CELOX.

CORBĪTO, as, a. 1. est in corbitam immittere: et translate sumitur pro ventrem implere, quasi navigium onerare. *Pl. Cas.* 4, 1, 20. Ego novi illas ambas estrices: corbitant, ubi comesse possunt. Sed *Voss.* leg. *corvitant.* Alii rectius *corbitam cibi comesse possunt.*

CORBĪTOR, oris, m. ludio, de quo *Festus* in *Simpludiarea. Scaliger* putat *Corbitores* esse pro *Corvitores*, atque ita dici saltatores, sive cernuatores, quia *corvorum* instar nunc sursum spectant, nunc deorsum, nunc ascendunt, nunc descendunt.

[CORBO, onis, m. qui corbem gerit. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 128, 8. Fabius Corbo. *F.*]

*CORBONA, *κορβωνᾶ*, vox Syra vel Hebraica, gazophylacium significans metonymice. *Hieron. ep.* 27, 14. In corbonam Dei aera congesta. *B. A.*

CORBŪLA, ae, f. *λαρκίδιον*, corbicula. *Varr. R. R.* 1, 15. de ulmo. Nulla potior serenda, quod maxime fructuosa, quod et sustinet sepem, ac colit aliquot corbulas uvarum. *Suet. Ner.* 19. Humum corbulae congestam humeris efferre. *Caecil.* ap. *Non.* 3, 48. Corbula panis. *Colum.* quoque 12, 50. numerat inter instrumenta olei faciendi. *Pl. Aul.* 2, 7, 4. Coenam coctam sursum subducemus corbulis.

[*CORBŪLO, onis, m. gestator corbulae. Est cogn. Cn. Domitii fortissimi ducis sub Nerone Aug., de quo *Tac. A.* 13, 8. *Juven.* 3, 257. Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res Impositas capiti, quas recto vertice portat Servulus infelix. ℙ Corbulonis fossam memorat *Tac. A.* 11, 28. quam a Lugduno ad ostium Mosae ductam credit *Cellarius*, non autem in Leccae alveo, non antiquissimo forsan, prout nonnullis placuit, inquirendum. ℙ Corbulo, athleta quidam. *Juven.* 3, 250. ibique *Vet. Schol. F.* et *B. A.*

CORCHŌRUS, i, m. *κόρχορος*, herba humilis, altitudine palmum non excedens, alio nomine anagallis. Numeratur inter vilissima olera. *Plin.* 21, 32, 106. et 25, 13, 92.

CORCODĪLUS. V. CROCODILUS in f.

CORCŬLUM, i, n. *θυμίδιον*, dimin. a *cor. Pl. Most.* 4, 2, 70. Amburet misero ei corculum carbunculus. ℙ Adhibetur et in blanditiis. *Id. Cas.* 4, 4, 14. Nunc demum sum liber, meum corculum. ℙ Fuit etiam P. Nasicae cognomen a prudentia impositum. *Cic. Tusc.* 1, 9. Aliis cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur, et Nasica ille prudens bis consul, Corculum. *Id. Brut.* 20. Nasica, qui est Corculum appellatus.

CORCŪLUS, a, um, adj. idem ac cordatus, id-est sapiens, prudens, solers, acutus. *Plin.* 7, 31, 31. Praestitere ceteros mortales sapientia, ob id Cati, Corculi, apud Romanos cognominati.

[CORCUS, i, m. morbi genus esse videtur, quod *Marcell. Empir.* cum praecordiorum, et cordis dolore conjungit, et superstitiosis remediis curare docet. Sic ille *c.* 21. Ad corcum, carmen in lamella stannea scribes, et ad collum suspendes haec, ante vero etiam cane. *F.*]

CORCYRA, ae, f. *Κόρκυρα*, insula maris Ionii ad ostium maris Adriatici, Epiro adjacens, inter Ceraunios, sive Acroceraunios montes ad Arctos, et Leucadem ad meridiem. Olim Phaeacia dicta est. Aliqui narrant, Nympham Asopi filiam raptam a Neptuno, et ad insulam delatam Phaeacum peperisse, hinc insulam esse appellatam; a Phaeaco ortum esse Alcinoum, cujus horti celebrantur. Clara est Ulyssis naufragio, et hortis Alcinoi. Nam pomorum ibi mira ubertas, quippe praematuris nova statim succedunt. Urbem habet cognominem, permunitam cum duplici arce, in colle, armamentario, et portu capacissimo. Condita est a Corinthiis colonis anno 50. U. C. ante Chr. n. 702., quo Capitolium Romae. *Plin.* 4, 12, 19. et *Mela* 2, 7. ℙ Corcyra Melaena, seu Corcyra nigra, *Κόρκυρα μέλαινα*, alia insula est maris Illyrici, nunc *Curzola*, inter Melitam, et Pharum, nunc *Meleda*, et *Lesina. Plin.* 3, 26, 30., *Mela l. c.* ℙ Media syllaba longa est. *Lucan.* 8, 37. Cujus adhuc remis quatitur Corcyra, sinusque etc. Sed et correpta reperitur ab *Avien. Perieg.* 663. Alcinoique domus pandetur Corcyra rursum, Corcyra compta solum, locupleti Corcyra sulco. ℙ *Corcura* scriptum invenit *Pier.* in *MS. Livii*, ut in MYSTICUS adnotatur.

CORCYRAEUS, a, um, adj. *Κορκυραῖος*, ad Corcyram pertinens. *Cic. Att.* 6, 2. *extr.* Cognovi ex epistola tua Corcyraea, *h. e.* Corcyrae data. *Nep. Them.* 2. Bellum Corcyraeum. *Ov. Ib.* 512. Te Corcyraeum Cressia turba putet. *Mart.* 13, 37. Aut Corcyraei sunt haec de frondibus horti, *h. e.* Alcinoi Corcyrae regis. ℙ *Corcyraei*, *orum*, sunt ejus insulae populi. *Nep. l. c.* *Adde *Cic. Fam.* 16, 7. *Att.* 3, 2. *Liv.* 45, 23. *B. A.*

CORDA. V. CHORDA.

CORDĀCISTA. V. CHORDACISTA.

CORDĀTĒ, adv. *σοφῶς*, sapienter, prudenter. *Pl. Poen.* 1, 1, 3. Quas tu sapienter, docte, et cordate, et cate etc. *Id. Mil.* 4, 2, 96. Dicito docte et cordate. *Andr. Borrich.* hoc loco interpretatur, animose: neque abs re.

CORDĀTUS, a, um, adj. *ἔμφρων*, prudens, sapiens, qui solertia multa pollet, et ingenio. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 9. Egregie cordatus, homo catus, Aeliu' Sextus. *Lact.* 3, 20. Non inficior fuisse illum cordatiorem, quam ceteros. ℙ Item fortis, et animosus. Ita enim accipiendum esse putat *Andr. Borrich.*, neque absurde, in illo *Senec. Apocoloc.* Cecidit pulcre Cordatus homo, Quo non alius Fuit in toto Fortior orbe.

CORDAX, ācis, m. saltatio comica, eaque lascivior, de qua *Hesychius: Κόρδαξ, εἶδος ὀρχήσεως ἀσέμνως κωμῳδοῦσης*, species saltationis indecenter ornatae. *Petr. fragm. Trag.* 52. *Burm.* Credite mihi, cordacem nemo melius ducit. Hinc trochaeus, *cordax* ab Aristotele dictus est, quia in cordace usurpabatur, vel quasi *χόρδαξ*, quia ejus usus erat in comico choro. *Cic. Or.* 57. Trochaeum autem, qui est eodem spatio, quo choreus, cordacem appellat, quia contractio et brevitas dignitatem non habet. *Quint.* 9, 4. Aristoteles trochaeum, ut nimis currentem damnat, eique cordacis nomen imponit. [*V. *Spalding.* ad h. l.] ℙ Adjectivi forma usurpatur a *Front. de or.* (ed. iter. Romae *A. Maio*) p. 230. Sed non modulatas aeque sententias, fateor; neque ita cordaces, ita est; neque ita tinnulas, non nego, *h. e.* resultantes eorum more, qui cordacem saltant.

*CORDIĀCUS, a, um, adj. i. q. cardiacus. *Schol. Antiq.* in *Juven.* 5, 32. p. 593. ed. *D. A. G. Cramero. B. A.*

CORDĬCĬTUS, adv. in corde. *Sidon. ep.* 4, 6. Prudentibus cordicitus inditum est, vitare fortuita.

[CORDILLĀ, ae, f. diminutivum chordae, extrita littera *h.* Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1131, 2. Aelia Cordilla. *F.*]

CORDŌLĬUM, ii, n. *καρδιαλγία*, dolor: a *cordis dolore.* Sed *Scaliger* vult dici pro *condolium. Pl. Poen.* 1, 2, 86. Tibi erit cordolium, si quam ornatam melius forte conspexeris. Adde *Cist.* 1, 1, 67. et *Appul. Met.* 9.

*CORDŪBA, ae, f. *Κορδύβη. Sil.* 3, 401. V. v. seq. *B. A.*

CORDŪBENSIS, e, adj. ad Cordubam pertinens, quae est urbs Hispaniae Baeticae ad Baetim fluv. in Vandalitia, nunc *Cordova*, patria utriusque Senecae, et Lucani. *Mart.* 1, 62. et *Plin.* 3, 1, 3. Hinc Cordubense aes, *Id.* 34, 2, 2. et Cordubensis conventus, *Id.* 3, 1, 3. et *Hirt. B. Alex.* 57. ℙ *Cordubenses*, *ium*, sunt ejus incolae. *Hirt. ib.*, et praeterea 59, 60. et 61.

*CORDUENI, orum, incolae Corduenes, quae regio fuit Armeniae. *Plin.* 6, 15. *B. A.*

CORDUS. V. CHORDUS.

CORDYLA, ae, f. *κορδύλη*, primus fetus thynnorum ab ipsis statim ovis, qui deinde elapso anno, thynni vocantur, ut *Plin.* 9, 15, 18. docet. Est autem is piscis vilioris pretii, pelamis etiam dictus. *Mart.* 3, 2. Ne nigram cito raptus in culinam Cordylas madida tegas papyro.

*CORDYLŪSA, ae, f. insula maris Mediterranei, prope Rhodum. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[CORELLĬĀNUS, a, um, adj. ad Corellium pertinens, Atestinum, equitem Romanum, qui, teste *Plin.* 17, 17, 26., insevit castaneam suomet ipsam surculo in Neapolitano agro. Sic facta est castanea, quae ab eo nomen accepit inter laudatas. Postea Eterejus libertus Corellianam iterum insevit. Haec est inter eas differentia: illa copiosior, haec Eterejana melior. Adde 15, 23, 25. *F.*]

*CORENSE LITUS in Hispania Baetica fuit. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

CORESIA. V. CORIA.

CORESIUM. V. CERESIUS.

*CORESSUS, v. Coressos, i, insula olim maris Aegaei. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*CORETUS, i, sinus paludis Maeotidis. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*COREVA, ae, f. opp. Africae propriae in Zeugitana. *Anton. Itin. B. A.*

CORFĪNIENSIS, e, adj. ad Corfinium pertinens, quod fuit oppidum montanum Pelignorum quinque mill. pass. a Sulmone dissitum, nunc *Pentima.* ℙ *Corfinienses* sunt ejus incolae. *Plin.* 3, 12, 17. ℙ Apud *Cic. Att.* 9, 16. Corfiniensis clementia est, qua usus Caesar initio civilis belli, cum Corfinio capto, omnes cives R. dimisit incolumes, ut ipse narrat *B. C.* 1, 23.

*CORFINIUM, i, n. *Κορφίνιον.* V. v. anteced. *B. A.*

[CORFĪNĬUS, a, um, adj. idem ac Corfiniensis. *Front. de colon.* p. 122. *Goes.* Corfinius ager lege Sempronia est assignatus. *F.*]

CORGO, apud antiquos pro adverbio, quod est profecto, ponebatur. *Festus.*

[CORĬA, ae, f. *Κορία*, Minervae quartae nomen apud Arcades. *Cic. N. D.* 3, 23. Minerva quarta, Jove nata, et Coryphe, Oceani filia, quam Arcades Coriam nominant, et quadrigarum inventricem fecerunt. *Pausan.* 8, 21. hoc idem confirmat; memorat enim *ναὸν καὶ ἄγαλμα Ἀθηνᾶς Κορίας.* Fortasse a virginitate nomen traxit, quod *κόρη*, puella seu virgo semper mansit. Sunt qui pro *Coriam* legunt *Coresiam*, aut *Coryphasiam*, quam vocem V. suo loco. *F.* *Admodum memorabilis est lectio *Coryphasiam*, omninoque ulteriore examine digna. V. *Victor. Varr. lect.* 11, 15. coll. *Arnob.* 4, 14.]

CORĬAGĬNOSUS, a, um, adj. coriaginis morbo laborans. *Veget. Veterin.* 1, 38. Qua ex re fiunt coriaginosi, hepatici etc.

CORĬAGO, aginis, f. *μάραγοις*, corii, seu cutis morbus: a *corium. Colum.* 6, 13. Est et infesta pestis bubulo pecori, coriaginem rustici appellant, cum pellis ita tergori adhaeret, ut apprehensa manibus deduci a costis non possit. *Veget. Vetr.* 3, 54. Passionis, quam Graeci *ἐχεδερμίαν* vocant, Latini coriaginem appellant, haec sunt signa.

CORĬANDRĀTUM, i, n. liquamen ex coriandro. *Apic.* 9, 1. Aperiuntur locustae, et infunditur iis piperatum, coriandratum.

CORĬANDRUM, i, n. *κοριανδρον*, herba: a *κόρη*, pupilla, quam rotunditate refert: vel a *κόρις*, cimex, quia caulis, foliaque cimices olent. *Plin.* 19, 7, 35. Et *ib.* 8, 54. et *Colum.* 10, 245., ubi *famosa coriandra* vocat, fortasse quia eorum succus venenatus esse dicitur, foliaque ipsa, si nimis large sumantur, caput tentare. *Cato R. R.* 157. Brassica cum ruta et coriandro.

CORĬĀRĬUS, ii, m. *βυρσοδέψης*, qui coria concinnat, praesertim crassiora. *Plin.* 17, 9, 6. In coriariorum officinis pilo madefacto. *Inscr.* apud *Grut.* 648, 8. Cleomenes coriarius subactarius, *h. e.* qui corium subigit, et operi aptat. Alia *ib. e.* 283, 1. Corpus coriariorum magnariorum solaiariorum (pro *soleariorum*). ℙ Adjective *coriarius frutex* est herba silvestris, foliis myrti, cauliculis brevibus, venena, et tineas pellens, et coriis perficiendis apta. *Plin.* 24, 11, 54. V. RHUS.

*CORĬCAE, arum, insulae duae inter Peloponnesum et Cretam. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

CORICEUM. V. CORYCEUM.

CORĬCILLUM, i, n. parvum corculum. *Petr. fr. Trag.* 75. *Burm.* Coricillum est, quod homines facit: cetera quisquilia omnia. Al. leg. *corcillum*, ut sit *ὑποζωριστικῶς* a *corculum.* Alii mallent *corycillum*, h. e. *κωρύκιον*, sacculus, pera: ut alludat ad industriam rei parandae. Alii leg. *corculum.*

*CORINENSES, ium, incolae oppidi cujusdam Italiae inferioris, quod in Apulia forte erat. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

*CORINEUM, i, Cypri insulae oppidum. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[CORINIENSIS, e, adj. ad Corinium pertinens, Illyrici urbem in ora Adriatica ex *Plin.* 3, 21, 25. et *Ptolem.* 2, 17. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 3. *n.* 36. Finis inter Neditas, et Corinienses.

*CORINIUM, i, n. *Κορίνιον*, opp. V. in CORINIENSES. ℙ *Corinium Dobunorum*, in Britannia, cujus meminit *Ptolem.*, hodie ajunt esse Cirencester. *B. A.*

CORINNĀ, ae, f. nomen trium feminarum, quae arte poetica praestiterunt. Prima fuit Thebana, seu Tanagraea Myrtidis discipula, quae Lyricorum principem Pindarum quinquies vicisse, et epigrammatum quinque libros edidisse fertur. Secunda Thespia, veterum monumentis plurimum celebrata. Tertia floruit Ovidii temporibus, ipsi poetae carissima. *Mart.* 8, 73., *Stat.* 5. *Silv.* 3, 158.

CORINTHĬĀCUS, a, um, adj. *Κορινθιακὸς*, ad Corinthum pertinens. *Ov. Met.* 15, 507. Jamque Corinthiaci carpebam litora ponti. *Liv.* 26, 26. Sinus Corinthiacus.

CORINTHĬĀRĬUS, a, um, adj. *Corinthiarius* est artifex, qui aere Corinthio allaborat. Hinc per contumeliam ita dictus Caesar Augustus, quod esset pretiosae supellectilis, Corinthiorumque praecupidus, uti *Suet. in ejus vita* 70. narrat. ℙ Inter officia domus Augustae etiam *Corinthiarius* fuisse videtur, cui vasa Corinthia, aliaque pretiosa id genus supellex curae essent. *Inscr.* ap. *Grut.* 639, 7. Callithyche Zoili, Corinth. Agripp., *h. e. ut videtur*, Corinthiaria Agrippinae. *Ib.* 9. Ti. Lajus Paratus a Corinthiis. *Ib.* 8. P. Lucrinius P. L. Thalamus a Corinthiis faber. Alia ap. *Mur.* 950, 3. Is dedit Sabino Domitii corinthiario.

[CORINTHĬAS, ădis, f. Corinthi nata. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 671, 2. Cornelia Corinthias. *F.*]

CORINTHĬENSIS, e, adj. idem quod Corinthius, cum discrimine tamen. *Festus:* Corinthienses eo dici coeperunt, ex quo coloni Corinthum sunt deducti, qui antea Corinthii sunt dicti. Quam consuetudinem servamus etiam, cum Romanenses, et Sicilienses negotiatores dicimus, qui in alienis civitatibus negotiantur. Haec *Festus.* V. HISPANIENSIS. ℙ Usurpatur etiam pro Corinthio. *Pl. Aul.* 3, 6, 23. Corinthiensis fons. *Tac. A.* 5, 10. Corinthiense litus.

[CORINTHĬO, onis, m. diminut. Corinthii. Nom. serv. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 775, 5. Corinthioni Urittia Spes maritto benemerenti posuit. *F.*]

CORINTHĬUS, a, um, adj. ad Corinthum pertinens, *Κορίνθιος. Cic. Agr.* 1, 2. Corinthius ager. *Liv.* 44, 1. sinus. *Senec. Thyest.* 114. isthmus. ℙ *Corinthii, orum*, sunt Corinthiae cives. *Liv.* 32, 17., *Nep. Tim.* 2. et *Cic. Orat.* 2, 65. ℙ Corinthiae columnae sunt, quae ratione Corinthia fiunt, h. e. quae nonam partem altitudinis in ima crassitudine habent. *Plin.* 36, 23, 56. Adde *Vitruv.* 4, 1., ubi bellam narrat historiam de origine capituli Corinthii. ℙ *Corinthium aes, Corinthia vasa*, et *Corinthia* absolute, adeo in pretio apud Romanos fuerunt, ut argentum ipsum, aurumque transcenderent. Ejus rei causa traditur a *Plin.* 34, 2, 3. et *Flor.* 2, 16. quod Corintho capta a L. Mummio, atque incensa, aeris, auri, argentique quamplurima opera igne conflata in unum locum confluxere, quod ea urbs in declivi posita erat: qua ex mixtione pretiosum illud aes exstitit, cujus tria genera *Plin.* enumerat: candidum, argento nitore quam proxime accedens, in quo illa mixtura praevaluit: alterum, in quo auri fulva natura: tertium, in quo aequalis omnium temperies fuit. Alii tamen, teste *Mureto Var. lect.* 3, 5., narrant, unam tantum domum olim Corinthi arsisse, in qua cum auri, argentique nonnihil, aeris autem magna vis esset, igne conflante fuisse permixta. Alii aerarium quendam fabrum Corinthium, reperta casu magna vi auri, veritum, ne resciretur, paulatim aeri miscuisse, admirabilemque illam mixturam effecisse. *Serv.* ad *A.* 3, 466. videtur innuere, ideo aes Corinthium in pretio fuisse, quod ibi optime funderetur. [At *Plin. l. c.* manifeste docet, jam ante Corinthi excidium elaborata fuisse a praeclaris fictoribus signa ex pulcherrimo hoc metallo, quod aes Corinthium dicitur. *F.*] *Cic. Tusc.* 2, 14. Si quid de Corinthiis tuis amiseris. *Id. Verr.* 2, 2, 34. Suppellex Corinthia. Et *ib.* 72. Corinthia vasa. *Id. Verr.* 2, 4, 44. Loricas, galeasque aeneas caelatas opere Corinthio. *Plin.* 34, 3, 7. Corinthia porticus, *h. e.* cujus columnarum capitula ex aere Corinthio. Adde *Quint.* 8, 2. ℙ A *Corinthiis*, V. in CORINTHIARIUS. ℙ *Corinthium cavaedium.* V. TUSCANICUS.

CORINTHUS, i, f. *Κόρινθος*, urbs Peloponnesi in Achaja, in ea parte, quae ab ea Corinthia dicta fuit, in medio isthmi Peloponnesiaci, qui inde Corinthiacus est appellatus, inter duo maria, Ionium ad Occ., qui *Sinus Corinthiacus*, al. *Crissaeus* dicitur, et Aegaeum ad Or., qui *Sinus Saronicus.* Habebat arcem nomine Acrocorinthum in scopulo, ubi Pirene, fons Musis sacer, et duo navalia XL. stadiis inter se distantia, Lechaeum in sinu Corinthiaco, et Cenchraeum in Saronico, et duos portus, quorum Lechaeus Ionio, Schaenus Aegaeo imminet mari. Incensa, et solo aequata fuit L. Mummio, quod Corinthii populi R. legatos injuriose appellassent, et sordibus perfudissent. *Plin.* 4, 4, 5. ℙ Aliquando Graeca positione usurpatur. *Ov. Fast.* 4, 501. bimaremque Corinthon. *Mart.* 10, 68. Tu licet ediscas totam, referasque Corinthon. *Id.* 9, 60. an olerent aera Corinthon. V. CORINTHIUS. ℙ *Non cuivis homini contingit adire Corinthum*, proverb. est ap. *Hor. Ep.* 1, 17, 36. et *Gell.* 1, 8.. ductum ex eo, quod difficilis erat appulsus in portum Corinthium, vel quod cum multae ibi essent meretrices, multaeque in urbe deliciae, solis divitibus eo liceret appellere, quibus suppetit pecunia ad sumptus voluptarios faciendos. Graeci dicunt *οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς. Gell. l. c.* et *Suidas.* ℙ Est etiam generis masculini, et sine aspiratione in *vet. Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 30. L. Mummi L. F. Cos., ducto, auspicio imperioque ejus Achaja capta, Corinto deleto, Romam redieit triumphans, ob hasce res bene gestas, quod in bello voverat, hanc aedem et signa Herculis victoris imperator dedicat.

CORĬOLĀNUS, a, um, adj. ad Coriolos pertinens, quod fuit oppidum Latii in finibus Volscorum prope Tarracinam. Ab eo capto Coriolani cognomen factum fuit C. vel (ut est apud *Gell.* 17, 21.) Cn. Marcio, quem alterum Themistoclem *Cic. Brut.* 10. appellat. De eo *Liv.* 2, 33. 34. 35. 39. et 40. ℙ *Coriolani, orum*, cives ejus oppidi. *Plin.* 3, 5, 9. ℙ *Coriolana pyra*, quae quidem ex eodem afferunt 15, 15, 16., ap. *Hard.* sunt pyra *corio laneo.* ℙ *Corioli Dionys. Halic.* 6. p. 412. est *Κορίολα*, *Stephano* autem Geographo *Κορίλλα:* ex quarum vv. priore, (addatur modo, ex *Lat.* omnino derivari hoc vocabulum fonte) satis patere videtur quantitas metrica. *B. A.*

*CORIOLI, orum. V. v. anteced. *B. A.*

CORĬON, i, n. herba al. chamepitys, hypericon, perforata, Italis *erba di S. Giovanni*, oleraceo frutice. *Plin.* 26, 8, 53.

*CORIOVALLUM, vel CORIOVALLIUM, i, n. opp. Galliae Belgicae, in Eburonibus, quod Cluverius et alii in oppido *Valkenburg* vel *Falkenburg* inveniri existimant. Est qui ad vicum *Keyer* trahit, quatuor M. P. distantem a Trajecto Mosae. *Anton. Itin. B. A.*

CORIPPUS, i, m. Fl. Cresconius Corippus, Africanus, grammaticus, et poeta, vixit medio saeculo Christi VI. sub Justino Juniore, de cujus laudibus scripsit heroico carmine libros quatuor, qui exstant, et Panegyricum, cujus fragmentum superest, et de bellis Libycis, quae intercederunt. Stilus, ut grammatici hominis, et Africani, satis nitidus est, et lene fluens, et, ut verbo dicamus, suo saeculo haud paulo cultior.

[CORĬS, idis, f. diminut. a *κόρη*, puellula. Cognomen Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 872, 1. Fotidiae Coridi. *F.*]

[CORĬS, is, f. *κόρις*, genus herbae. *Plin.* 26, 8, 54. Est aliud hypericon, quod alii corin appellant, folio tamaricis. *Id. ib.* 73. Semen hyperici, quod coris appellatur. *F.*]

[CORĬSCUS, i, m. puellus, diminut. a *κόρος*, puer. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 290. *n.* 223. Caesius Coriscus. *F.*]

CORĬUM, ii, n. *δέρμα*, (est a *κείρω*, tondeo, unde praet. med. *κέκορμα*) pellis animalium, eorum praesertim, qui crassiorem habent, ut asini, boves, equi, elephanti etc. Differt a pelle, ut quidam docent, quae est tenuior, et minorum animalium. Tametsi hoc discrimen saepe negligitur. *Varr. L. L.* 6, 5. Dicimus scortea ea, quae ex corio, et pellibus sunt facta. *Cic. N. D.* 2, 47. Animantium aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae. *Caes. B. G.* 7, 22. Intexere turres coriis. *Plin.* 13, 9, 19. et 16, 6, 9. Perficere coria. *Vitr.* 10, 21. Coriis crudis totus aries erat involutus. *Senec. Ben.* 5, 14. *f.* Corium forma publica percussum, quale apud Lacedaemonios fuit, quod usum numeratae pecuniae praestat: *νόμισμα ὀχύτινον.* ℙ Per synecdochen dicitur de quavis re ex corio facta. *Auct. ad Her.* 1, 13. Qui parentem necasse judicatus erit, obvolutus, et obligatus corio devehatur in profluentem. ℙ Masculino genere (quod ab antiquis factitatum docent *Fest.* et *Non.* 3, 59.) *Pl. Poen.* 1, 1, 10. Heri in tergo meo tres corios contrivisti bubulos, *h. e.* tria flagra. Adde *Varr.* ap. *Non. ib.* ℙ Dicitur etiam de aliis minoribus animalibus. *Plin.* 28, 16, 62. Corium caprinum. *Id.* 6, 24, 28. et *Gell.* 2, 6. Coria piscium, *h. e.* duriores squamae. ℙ Item urbane et festive de cute hominis. *Pl. Mil.* 2, 2, 8. Herus elephanti corio circumtectus est, non suo, *h. e.* est crassi et stupidi ingenii. *Id. Rud.* 4, 3, 61. Fiet tibi puniceum corium, postea atrum denuo, *h. e.* flagris cruentum. *Id. Amph. prol.* 85. Concidere alicui corium, *h. e.* tergum verberare. *Id. Ep.* 1, 1, 84. Corium perdidi, *h. e.* actum est de tergo meo. *Mart.* 3, 16. Ut velles corio ludere, cerdo, tuo. Hinc proverbium *de alieno corio ludere:* h. e. secure agere alieno periculo. *Appul. Met.* 7. Revera ludis de alieno corio. Adde *Tertull. Pall.* 3. ℙ Huc pertinet illud *Senecae Suasor.* 7. *sub f.* et *praef.* 5. *Contr. med.* Afferri flagra jussit, et Ciceroni de corio Cestii satisfecit. Et *Senec. Constant. Sap.* 14. Ostiario libere respondit, virgam ejus fregit, ad dominum accessit, et petiit corium, *h. e.* ut ostiarius servus vapulet, et sibi de corio ejus satisfiat. ℙ Corium absolute videtur esse pellis ovina aut caprina, qua in lecto contegi solent. *Cato R. R.* 13. Epidromus, pulvinus, corium unum. ℙ Item de cortice arborum. *Pall.* 4, 10. *med.* de ficu: Securi arboris corium saepe proscindere. *Ulp. Dig.* 32, 52. Librorum appellatione continentur omnia volumina, sive in charta, sive in membrana sint, sive in quavis alia materia: sed et si in philyra aut in tilia, ut nonnulli conficiunt, aut in quo alio corio; idem erit dicendum. ℙ Et de cortice, seu operimento pomorum. *Pall. l. c.* Ut ficorum coria siccentur. *Plin.* 15, 28, 34. Putamine clauduntur nuces, corio castaneae, cute uvae, corio et membrana Punica. ℙ Item de crusta et superficie aliarum re-

rum. *Vitr.* 2, 3. Summum corium laterum sol acriter percoquit. *Id. ib.* 8. Coria parietum. *Id.* 7, 3. *med.* Unum corium arenae, et unum minuti marmoris inducere, *h. e.* tectorium. *Plin.* 31, 3, 28. Coria terrae. *Id.* 8, 24, 36. Mergit se limo saepius, siccatque sole: mox ubi pluribus se coriis loricavit etc. ℙ Est etiam inductio quaelibet in struendis ordinibus placentae, inter singula tracta, *strati di ingredienti* dicunt Itali. *Apic.* 4, 2. Ita ut per singula coria substernas diploidem in laganum (lege *diploidem*, *inde laganum.)* ℙ *Canis* assuetus corio, proverb. de iis, qui vitio alicui assueti, haud facile abstinent a peccando. Ductum, ut opinor, ab illo *Hor. Sat.* 2, 5, 83. Ut canis a corio nunquam absterrebitur uncto. ℙ *Serv.* ad *A.* 8, 652. narrat, fuisse Romae in Capitolio aram Jovis Soteris, in qua qui cum Manlio a Gallis obsessi fuerant, obsidione soluta, coria et sola vetera concremaverant, quod in ipsa obsidione ceteris frugibus absumptis, coriis madefactis, et postea frictis vesci coacti fuerant. ℙ [Scribitur quoque *curium. Edict. Dioclet.* p. 22. Curium bubulum, curium secundae formae. *F.*]

*CORMALOS, i, Asiae fluvius, in Aeolide vel forte in Mysia. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

*CORMASA, orum, Pisidiae opp. *Liv.* 38, 15. Ad Cormasa. *B. A.*

*CORNACĀTES, ium, incolae Cornaci, quod fuit opp. Pannoniae inferioris. *Plin.* 3, 25. *B. A.*

*CORNARIUS, i, m. i. q. cornuarius. *Κερασοὸος Vet. Gloss. B. A.*

*CORNE, es, opp. Latii, prope Tusculum. *Plin.* 16, 44. *B. A.*

CORNĒLIĀNUS, a, um, adj. ad Cornelium pertinens, ut Corneliani Ligures, populi in Hirpinis ap. *Plin.* 3, 11, 16. Compsani, Caudini, Ligures, qui cognominantur Corneliani, et qui Baebiani, *h. e.* Ligures Apuani, qui, teste *Liv.* 4, 38., an. U. C. 573. a. P. Cornelio Cethego, et M. Baebio Tamphilo consulibus devicti, ex S. C. in agros Taurasinos haud longe a Benevento traducti ab iisdem consulibus sunt ad XL millia liberorum capitum cum feminis puerisque: et agro dividendo dandoque iidem, qui traduxerunt, Cornelius, et Baebius praepositi. *Inscr.* ap. *Raym. Guarinium*, *Illustraz. della camp. Taurasina* p. 4. S. Minio S. F. Ter. Silvano curatori Ligurum Cornelianorum contubernium Veneris patrono. Alia ap. *eund. ib.* p. 38. Ordo et populus Ligurum Baebianorum patrono posuerunt. ℙ *Corneliana oratio* dicitur a *Cic. Or.* 67. et 70. quae ab ipso habita est pro quodam C. Cornelio majestatis reo, cujus argumentum litteris mandavit, et fragmenta multa nobis servavit *Ascon.*, cetera vetustate interciderunt. ℙ *Corneliana castra*, locus in Africa prope flumen Bagradam, et Uticam, ubi Cornelius Scipio Africanus major Africam ingressus castra primum posuit. *Caes. B. C.* 2, 24. et 30., *Lucan.* 4, 656.

CORNĒLIUS, a, um, adj. *Cornelia gens* Romae nobilissima (si modo plures non fuerunt) atque inter patricias primaria fuit, in multas divisa familias, in quibus omnibus illustrissimi viri, et belli et pacis artibus celeberrimi exstiterunt. Familiae fuerunt Maluginensium, Cossorum, Arvinarum, Scipionum, Lentulorum, Dolabellarum, Cethegorum, Cinnarum, Ruforum, Sullarum etc. In iis praeter ceteros celebrantur Scipiones Africani duo, et Asiaticus, P. Corn. Nasica, omnium sui temporis optimus et sanctissimus a senatu judicatus, L. Corn. Sulla dictator etc. Feminae quoque praenobiles, inter quas Cornelia Africani majoris filia, Gracchorum mater, cui, *Plin.* teste 34, 6, 14., statua Romae in Metelli publica porticu posita fuit: laudaturque ejus ingenium, et Latini sermonis nitor in epistolis, quae in manibus habebantur, a *Cic. Brut.* 58. et *Quint.* 1, 1., quarum epistolarum particulae duae hodieque leguntur inter *Nepotis* fragmenta. De hujus constantia in calamitatibus, V. *Senec. Consol. ad Marc.* 16. ℙ *Cornelia Tribus* Romae fuit, una e rusticis, a gente Cornelia sic dicta, et a Servio Tullo constituta. *Inscr.* ap. *Grut.* 113, 1. C. Julius Sex. F. Cor. Postumus. Et 398, 6. T. Jul. T. Fil. Corn. Valeriano etc. Et 533, 3. L. Autio L. F. Cornel. Capitolino etc. ℙ *Corneliae leges* ad triginta fuerunt a variis Corneliis latae: quas collegit omnes, atque descripsit *Pitisc. in Lex. Antiquit.* Earum praecipuae sunt *de sicariis et veneficiis*, lata a L. Cornelio Sulla dictatore, de qua exstat integer Titulus octavus *lib.* 48. *Dig.*, et *Cic.* quoque *Cluent.* 54. de ea verba facit; *de falsis*, lata ab eodem Sulla toto titulo decimo *ejusd. lib. Dig.* Ea praecipue lata est in eos, qui falsum testamentum vel testimonium, vel falsam pecuniam fecissent etc.; *de injuriis*, lata ab eodem, ex qua datur actio ei, qui se pulsatum esse dicat, vel domum suam vi introitam esse queratur. Eadem cavetur, ne judex sit, qui aliquo cognationis vinculo actorem contingat, ut *Ulp. Dig.* 47. *t.* 10. qui est *de injuriis*, 5. et *Paul. Sentent.* 5, 4. docent; *de judiciis*, lata ab eodem, qua judicia ab equitibus ad senatorium ordinem translata fuere. *Ascon. in Div. Verr.* 3., *majestatis*, incerto auctore, de qua *Cic. Pis.* 21. Ea vetabat, sua auctoritate exire magistratum de provincia, exercitum educere, bellum sua sponte gerere etc.; *de proscriptione*, eodem Sulla auctore, de qua *Cic. Rosc. Am.* 43. et *Verr.* 2, 1, 47., ut proscriptos recipere, capitale esset: eorum bona publicarentur, liberi honore privarentur, vita si a quopiam iis fuisset adempta, is praemio afficeretur etc. V. PROSCRIBO. ℙ *Forum Cornelium*, ut *Cic.* appellat *Fam.* 12, 5., vel *Cornelii*, ut *Plin.* 3, 15, 20., vel *urbs Cornelia*, ut *Inscr.* ap. *Grut.* 72, 6. est in Aemilia, nunc *Imola* in *Romagna*. *Mart.* 3, 4. Cornell, referas me licet esse foro. *Prud. περὶ στεφ.* 8, 1. Sulla Forum statuit Cornelius, hoc Itali urbem Vocant ab ipso conditoris nomine. ℙ *Castra Cornelia* ap. *Plin.* 5, 4. 3. et *Melam* 1, 7. sunt eadem quae *Corneliana*. V. voc. ℙ *Via Cornelia*, quae legitur in tribus antiquis Inscriptionibus ap. *Grut.* 457, 6. et 465, 5. et 6. videtur fuisse juxta viam Portuensem, et versus S. Rufinae, ac Silvae candidae Episcopatum (qui nunc Portuensi conjunctus est) protensa, ut conjiciunt ii, qui eorum locorum topographiam diligenter sunt persecuti. ℙ *Vicus Cornelii*, vel *Corneliorum* ap. *Grut.* 621, 4. fuit Romae, ut putatur, in ea parte hortorum Columnensium, quae Coenobio SS. Apostolor. objecta est, ubi alta semita incipiebat. *Nard.* et *Martian.* ap. *Pitisc. in Lex. Antiquit.*

CORNĔOLUS, a, um, dimin. a *corneus*, cornu similitudinem habens, *κεράτινος*, *κερατώδης*. *Cic. N. D.* 2, 57. Aures duros et quasi corneolos habent introitus, multisque cum flexibus. *Petr. fr. Trag.* 43. *Burm.* Sed corneolus fuit: aetatem bene ferebat, *h. e.* durus, firmus viribus, valetudine robustus. ℙ [Est quoque cogn. Rom. *Inscr.* apud *Maff. Mus. Ver.* p. 81, 9. M. Scaevilius Corneolus. *F.*]

CORNESCO, is, n. 3. cornu fio. *Plin.* 11, 49, 109. Urso, simul atque expiraverit, genitalia cornescere ajunt.

CORNĔTUM, i, n. locus cornis consitus. Romae in regione quarta locus fuit, *ad corneta* appellatus. *Varr. L. L.* 4, 32. et *P. Vict. de Reg. Urb. R.* ℙ Item in Campania. *Vitr.* 8, 3. *med.*

CORNĔUS, a, um, adj. *κεράτινος*, qui est ex cornu. *Cic. N. D.* 1, 36. Ibes, aves excelsae, corneo proceroque rostro. *Virg. A.* 6, 894. Sunt geminae Somni portae: quarum altera fertur Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris. (Adde *Stat. Silv.* 5, 3, 288.) *Plin.* 29, 6, 39. Cornea pyxis. *Mart.* 14, 62. laterna. Et 12, 32. Corneus crater. *Lucan.* 6, 83. *de equis.* Ungula frondentem discussit cornea campum, *h. e.* pes equi. ℙ *Cornei* ab eod. *Plin.* dicuntur 7, 19, 18. quibus concreta sunt ossa, hoc est sine medullis. *Id.* 31, 9, 45. Cornea videmus corpora piscatorum, *h. e.* arida, sicca, atque adeo sana, et ad ictus paulo ceteris stupidiora: quippe quae sale, et sole durata. *Catull.* 23, 12. Atqui corpora sicciora cornu, Aut si quid magis aridum est, habetis, Sole, frigore, et esuritione. Hinc *Pers.* 1, 47. neque enim mihi cornea fibra est, *h. e.* cor hebes ac stupidum. ℙ De colore cornu. *Plin.* 36, 8, 12. Vitia in onyche corneus color, aut candidus. Et 37, 6, 23. In sardonyche hoc cereum, aut corneum invenitur. ℙ Est etiam ad cornum arborem pertinens, *κράνειος*. *Virg. A.* 3, 22. Virgulta cornea. *Id. ib.* 5, 557. Hastilia cornea. *Ov. Her.* 4, 83. Venabula cornea. *Cato R. R.* 18. *extr.* Cornei clavi.

*CORNI, orum, Sardiniae opp. *Ant. Itin.* Cornus audit *Liv.* V. *Cornus in f. B. A.*

CORNĪCEN, icinis, m. *κεραύλης*, qui cornu canit. *Liv.* 2, 64. Cornicines tubicinesque in equis impositos canere ante vallum jubet. *Juven.* 10, 214. Qui vix cornicines exaudiet, atque tubarum Concentus. ℙ Quid inter hos, et tubicines intersit, in AENEATOR est dictum. Cornicinum vero instrumentum reflexum instar cornu erat, tubicinum rectum. ℙ Fuit *Cornicen* cognomen in Oppia gente R. ut Sp. Oppius Cornicen ap. *Liv.* 3, 35. et Cn. Oppius Cornicinus ap. *Cic. Att.* 4, 2. **Cic. R. Publ.* 2, 22. ed. *Majo.* V. *Liticen in f. B. A.*

[CORNĪCEPS, ipitis, omn. gen. adj. qui corneum caput habet. *Not. Tir.* p. 173. Cornices, cornipes. Lege *corniceps. F.*]

CORNĪCOR, aris, dep. 1. *κρώζω*, more cornicum garrio. *Pers.* 5, 12. Nescio quid tecum grave cornicaris inepte. Huc fortasse respexit *Hieron. ep.* 125. *n.* 16. Alii intra se nescio quid cornicantes tumentia verba trutinantur.

CORNĪCŪLA, ae, f. dimin. a *cornix*. *Hor. Ep.* 1, 3, 19. Ne, si repetitum venerit olim Grex avium plumas, moveat cornicula risum Furtivis nudata coloribus. ℙ [Fuit etiam cogn. Rom. Annii cujusdam ap. *Trebell. Gallien.* 17. Etiam per syncopen *cornicla. Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 111. Cn. Octavius C. F. Cornicla. *F.*]

CORNĪCŪLANS, antis, adj. qui cornu figuram habet. *Sol.* 32. Corniculantis lunae speciem refert. *Ammian.* 20, 3. In lunae corniculantis effigiem. *Corniculans* autem dicitur cum primum a sole emergit. V. CORNICULATUS.

CORNĪCŪLĀNUS, a, um, adj. ad Corniculum pertinens: quod fuit oppidum Latii, teste *Plin.* 3, 5, 9. ℙ Hinc *Corniculanus* dictus est pater Servii Tullii regis ab *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 6., et *Corniculana* ejus mater ab *Ov. Fast.* 6, 628., quia Corniculi cives fuerant.

CORNĪCŪLĀRIA, fuit Plauti Comoedia de milite, quae amissa est. Ejus fragmenta aliquot habentur ap. *Varron.*, *Non.* et *Diom.*

CORNĪCŪLĀRIUS, ii, m. est nomen gradus et officii in militia tum provinciali, tum urbana, ex ordine apparitorum, et commentariensium. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 28. Accensus nomen est ordinis, et promotionis in militia, ut nunc dicitur princeps, vel commentariensis, aut cornicularius. Haec enim nomina de legionaria militia sumpta sunt. Haec *Ascon.* Itaque in antiquis inscriptionibus ap. *Grut.* cornicularius legionis, consulis, proconsulis, tribuni, praefecti praetorio, subpraefecti vigilum etc. *Inscr.* ap. *Jo. Labusium*, *Ara ant. di Haimburgo* p. 63. Imp. Caes. M. Aur. Antonino (*Caracallae*) cornicularii, commentarienses, speculatores legionum trium Antoniniarum P. S. devotissimi numini ejus. Deinde subjiciuntur nomina trium corniculariorum, trium commentariensium, et triginta speculatorum. Alia ap. *Grut.* 561, 11. Adjutor Cornicularii tribuni. Alia ap. *Paulovich. Marm. Trag.* p. 36. Adjutor Cornicularii consulis. *Front. Strateg.* 3, 14. Bello civili, cum Ategua urbs in Hispania Pompejanarum partium obsideretur, Munatius tanquam Caesarianus tribuni cornicularius vigiles quosdam excitavit, e quibus aliquos evitans, constantia fallaciae suae per medias Caesaris copias praesidium Pompeji transduxit. At *Dio* 43, 34. narrat, Munatium solum vigiles decepisse, urbemque introisse sine praesidio, quod verosimilius videtur. *Val. Max.* 6, 1. *n.* 11. M. Laetorio tribuno militari diem dixit tribunus pleb., quod cornicularium suum stupri causa appellasset. [Ex his patet, in unaquaque legione unum tantummodo fuisse cornicularium, adjutorem habuisse, et vices tribuni, ac propterea consulis, proconsulis etc. gessisse, ideoque recte ille videtur fuisse, quod nunc *Ajutante*, aut *Sergente maggiore. F.*] ℙ Munus ipsum *corniculus* vocabatur. Hinc apud *Suet. Gramm.* 9. corniculo mereri. Itemque apud *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 72., si lectio proba est. *Impp. Valent. et Valens Cod.* 12, 53. *De apparitoribus Praefectorum praetorio leg.* 1. Praefecturae cornicularios, qui annis singulis exeunt, post transactos corniculos, nostram adorare purpuram volumus. ℙ Deinde ex militia translatum nomen et munus est ad civiles magistratus. *Impp. Honor. et Theod. Cod. Theod.* 7, 4, 32. Per cornicularium cujusque provincialis officii hanc sollicitudinem impleri conveniet, *h. e.* statuendi pretii rerum, quae in militari annona erogantur. *Firm. Math.* 3, 6. corniculariorum meminit, et cum commentariensibus conjungit. ℙ *Cornicularii* nomen sumptum est a cornibus secretarii praetoriani, quibus praecerat, inquit *Cassiod. Variar. ep.* 11, 36. *a med.* Alii perperam ducunt a corniculo galeae, quae cornu speciem referebat, cum potius dicendum sit, corniculum in ordinibus tribuni militum fuisse, quod in acie cornu: hinc cornicularium appellatum, qui corniculo tribuni militum praecerat. [*Hujus loci eximiam curam gessit. *F.*]

CORNĪCŪLĀTUS, a, um, adj. in cornu speciem factus. *Appul. de Deo Socrat. in.* Corniculata luna. V. CORNICULANS.

CORNĪCŪLUM, i, n. *κεράτιον*, parvum cornu. *Plin.* 11, 28, 34. Aliis cornicula ante oculus praetenduntur ignava, ut papilionibus. Et 9, 42, 67. Rana eminentia sub oculis cornicula exserit. *Colum.* 7, 5. Veterem urinam per sinistram narem corniculo infundere, *h. e.* infundibulo corneo. Et *ib.* Lac caprinum per corniculum infundere faucibus. ℙ Fuit inter dona militaria, fortasse ad ornandas galeas. *Liv.* 10, 44. Equites omnes ob insignem multis locis operam, corniculis, armillisque argenteis donat. ℙ De Corniculo oppido V. CORNICULANUS.

CORNĪCŪLUS, i, m. officium cornicularii. V. CORNICULARIUS. ℙ In *Inscr.* ap. *Grut.* 431, 9. legitur: C. Luccius C. F. Stell. Sabinus Corniculus Trib. Benef. Vultei Asiatin. At emendatiorem edidit et illustravit *De-Vita AA. BB.* p. 241. et *seqq.*, idemque legendum probavit: Cornicularius Tribuni, Beneficiarius Valerii Asiatici Praefecti Urbis.

CORNĪFER, a, um, adj. corniger. *Lucr.* 2, 368. haedi corniferas norunt matres. Ita leg. *Macr. Sat.* 6, 5. Alii *cornigeras.*

CORNĪFĪCIUS, a, um, adj. Cornificia gens Romana plebeja fuit: ex qua Q. Cornificius collega Ciceronis in auguratu, et competitor in consulatu, (teste *Ascon. in or. in Toga cand.*) ad quem exstant multae ejusdem epistolae *l.* 12. *Fam.* ℙ Hunc alii L. Cornificium vocant: quem putarunt auctorem librorum quatuor, qui inscribuntur *Rhetoricorum ad C. Her.*: alii L. Cornificium ejus filium, qui consul fuit anno U. C. 719., alii alios. ℙ In tribus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 155. legitur *Q. Cornuficius.* Graeci quoque Scriptores nonnulli *Κορνουφίκιον* appellant.

CORNIFRONS, ontis, adj. qui cornua in fronte habet. *Liv.* vel *Pacuv.* ap. *Non.* 3, 3. Tu pascere cornifrontes armentas soles. Al. leg. *curvifrontes.*

CORNIGER, a, um, adj. κεραατοφόρος, κεραοφόρος, cornua gerens, cornutus. *Cic. Arat. N. D.* 2, 43. Corniger est valido connexus corpore Taurus. *Lucr.* 2, 367. teneri tremulis cum vocibus haedi Cornigeras norunt matres. *Virg. A.* 8, 77. Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum. V. CORNU. *Sil.* 15, 682. Cornigera cassis, *h. e.* cornibus arietinis, insigni Jovis Ammonis, ornata. *Ov. A. Am.* 3, 789. Corniger Ammon. (Hunc *Stat. Th.* 8, 201. cornigerum vatem appellat: quia sub specie arietis colebatur, et responsa dabat.) *Id. Amor.* 3, 15, 17. Corniger Lyaeus, *corniger* dicitur Bacchus, quia vinum animos addit, atque, ut ait *Festus*, truces homines facit. *Hor. Od.* 3, 21. *ad f.* Tu spem reducis mentibus anxiis, Viresque, et addis cornua pauperi etc. ℙ *Cornigera* absolute sunt omnia bruta cornibus instructa. *Plin.* 11, 37, 85. et *ib.* 45, 106. Hinc *Inscr.* ap. *Mur.* 54, 4. *cornigera* pro *cerva.*

[CORNIOLA, ae, m. idem ac corneolus. Cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 726, 5. Cn. Octavius C. F. Corneola. *F.*]

CORNIPES, edis, com. gen. κεραπόπους, corneos habens pedes, ut equi, et caprae, duriore ungula instructi. *Ov. Fast.* 2, 361. Cornipedi Fauno. *Virg. A.* 6, 591. Cornipedum equorum cursus. *Sil.* 13, 338. de Pane. Cornipedem tulerit praecisa per avia plantam. ℙ Absolute *Id.* 7, 684. furvi juga celsa trahebant Cornipedes, *h. e.* equi. *Claud. Fescenn.* 11. Praeda citatum cornipedem reges.

CORNISCĀRUM Divarum locus erat trans Tiberim cornicibus dicatus, quod in Junonis tutela esse putabantur. *Festus.* Est *Inscr.* ap. *Grut.* 88, 14., quam eruditi ita legendam putant: Deivae Corniscae sacrum.

CORNIX, īcis, f. κορώνη, avis satis nota, corvo similis, minor tamen. *Lucr.* 6, 752. Raucae cornices. *Ov. Met.* 2, 547. Garrula cornix. *Id. Fast.* 2, 89. loquax. *Plin.* 10, 43, 60. Cornix plura contexta verba exprimens, et alia crebro addiscens. ℙ Vivacissima esse perhibetur, ut quam *Hesiodus* scripserit durare annos fere trecentos: alii usque ad novem aetates. *Lucr.* 5, 1083. Cornicum saecla vetusta. *Hor. Od.* 4, 13, 25. Vetulae cornicis tempora. *Mart.* 10, 67. Jam cornicibus omnibus superstes. ℙ Inimicitias gerit cum noctua, ut *Plin.* tradit 10, 74, 95. ℙ Ejus volatus, si sinister isset auguri, faustus habitus est. *Virg. Ecl.* 9, 14. Quod nisi me quacumque novas incidere lites Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix etc. *Pl. Asin.* 2, 1, 12. Impetritum, inauguratum est: quovis admittunt aves. Picus et cornix est ab laeva etc. Adde *Cic. Div.* 1, 39. et *Phaedr.* 3, 18. ℙ Vox vero, seu crocitans clangor pluviam non solum praenunciare, sed et vocare creditur. *Virg. G.* 1, 388. Tum cornix plena pluviam vocat improba voce. *Hor. Od.* 3, 17, 16. Augur aquae annosa cornix. ℙ Ab *Ov. Amor.* 2, 6, 35. dicitur *invisa Minervae*, quia cum haec Dea celare vellet Erichthonium Vulcano genitum, et cista clausum tribus virginibus commisisset, ea lege, ne aperirent unquam; una ex iis Minervae jussa cum violasset, a cornice accusata fuit. Minerva ea garrulitate offensa, avem a se suaque tutela repulit: quam antea comitem sibi adsciverat, et suo numine tutabatur. Fuerat enim prius pulcherrima virgo, et regii sanguinis nomine *Corone* filia Coronei Phocensium regis: quae cum Minervae artium studiosa, nuptias aspernaretur, forte a Neptuno visa, dum sola spatiaretur in litore, precibusque frustra tentata, fuga sibi ab eo vim parante consulere conata est: verum cum se jam jam ab eo teneri cerneret, Minervam precata, ut ferret opem, ab ea in avem sui nominis conversa est. Nam κορώνη est cornix. *Ov. Met.* 2, 547. et seqq. et *Hyg. fab.* 166. Cave autem, confundas hanc cum Coronide Aesculapii matre, de qua infra suo loco. ℙ Hinc *cornicum oculos configere*, vel *cornici oculum*, proverb. est ap. *Cic. Mur.* 11. et *Fl.* 20. et *Quint.* 8, 3. de eo dictum, qui alios fallit quam cautissimos. Hujus proverbii interpretatio repetenda est ex loco *Prop.* 4, 5, 15. de lena venefica. Possit ut intentos astu caecare maritos, Cornicum immeritas eruit ungue genas, *h. e.* cornices excaecat, ut maritos ad furtivos uxorum amores caecos reddat. Huc etiam videtur spectare locus *Macr. Sat.* 7, 5. Ut suis telis lingua violenta succumbat, et Graecus Graeco eripiat hunc plausum, tanquam cornix cornici oculos effodiat.

CORNOCĒRASUM, i, n. V. CERASUS.

CORNU, n. *indecl. in sing. num.*, *in plurali vero* Cornua, uum, ibus, κέρας, cuspides duae praedurae, acuminatae atque ossi similes in fronte quadrupedum, tanquam arma, enascentes: de quorum varietate multa enucleate *Plin.* 11, 37, 45. Dicta videntur a *curvore*, quia pleraque curva sunt, ut placet *Varr. L. L.* 6, 3. ℙ Ab horum autem similitudine *cornua* dicuntur in cochleis, in aquatilibus nonnullis, et marinis, serpentibus quoque, atque volucre non una: sed quae jure cornua intelligantur, non nisi in quadrupedibus. *Plin. ib.* Hinc *Virg. Ecl.* 3, 87. Taurus cornu petit. Et *ib.* 9, 24. Caper cornu ferit. *Id. G.* 3, 232. Taurus irasci in cornua discit, Arboris obnixus trunco. *Id. ib.* 2, 526. Inter se adversis luctantur cornibus haedi. *Pl. Ps.* 4, 3, 5. Obvertere cornua alicui, haedi. *Pl. Ps.* 4, 3, 5. Obvertere cornua alicui, *h. e.* contra aliquem. *Plin.* 9, 31, 51. Cancri dimicant inter se, adversis cornibus incursantes. *Virg. A.* 5, 382. Laeva taurum cornu tenere. *Id. ib.* 10, 725. surgentem in cornua cervum, *h. e.* excelsis cornibus instructum. ℙ Cornua in anfractum, contorta, erecta etc. *Plin. cit.* 11, 37, 45. ℙ Per synecdochen. *Virg. Ecl.* 10, 59. Partho torquere Cydonia cornu Spicula, *h. e.* arcu corneo, (vel ex corno arbore, quae etiam quarta declinatione flectitur, ut in CORNUS dicetur. Sic *Sil.* 2, 109. Crebra Cydoneo fundebat spicula cornu. Solum obstat, quod arbor generis est feminini. *Virgilium* imitatur *Claud. Nupt. Honor.* 75.) *Id. G.* 3, 509. insertos latices infundere cornu, *h. e.* obtusis per coelum cornibus ibit. Adde *Ov.*, *Senec. Trag.*, *Val. Fl.*, *Stat.* etc. ℙ Tribuitur et fluminibus, vel quia mugitum boum imitatur murmur aquarum; vel quia plerumque in cornuum similitudinem curvatas cernimus ripas: quae sunt verba *Servii* ad illud *Virg. A.* 8, 77. Corniger *G.* Hesperidum fluvius regnator aquarum. *Virg. G.* 4, 371. Et gemina auratus taurino cornua vultu Eridanus. V. AUFIDUS. Addi potest, ideo tribui fluviis, quia cum aquis tument, veluti cornu impetentes, obstantia quaeque prosternunt. *Festus* in *Taurorum.* Taurorum specie simulacra fluminum, idest cum cornibus, quod sunt atrocia, ut tauri. Alii eam causam afferunt, quod ubi nascuntur, lato spatio, pluribus rivis emergunt, qui deinde in unum alvum confluunt. ℙ [*Dicitur etiam de sarcomate, quod cornu similitudine quadam hominis in fronte praeter naturam excrescit. *Hor. Sat.* 1, 5, 58. O, tua cornu Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, cum Sic mutilus miniteris? V. *Heindf.* ad h. l.] ℙ Praeterea *cornua* dicuntur de extremis multarum rerum partibus. *Virg. A.* 3, 549. Cornua velatarum obvertimus antennarum. Et *ib.* 5, 831. una ardua torquent Cornua, detorquentque: ferunt sua flumina classem. (Adde *Hor. Ep.* 16, 59. et *Sil.* 14, 389.) ἀκροκέραια. *Liv.* 25, 3. Et forte in cornu primus sedebat Casca. [*V. *Drak.* ad h. l.] (Sic *Tac. A.* 1, 75. Judiciis assidebat in cornu tribunalis. *Val. Max.* 5, 7. *f.* In cornu scribae locum humiliorem obtinens.) *Ov. Met.* 2, 603. flexumque a cornibus arcum Tendit. *Stat. Th.* 5, 532. Cornua Parnassi, *h. e.* cacumina bina Parnassi montis. (Adde *Curt.* 3, 4.) *Caesar ad Q. Ped.* ap. *Cic. Att.* 9, 14. Ab utroque portus cornu moles jacimus. *Plin.* 34, 6, 12. Statuae positae in cornibus comitii. *Id.* 4, 21, 35. Excurrit in altum vasto cornu promontorium. ℙ Hinc frequentissime ponuntur pro extremis duabus adversis partibus aciei, et classis, nempe quia tota acies saepe ita disponitur, ut media sinuata, curvataque utrinque extrema, lunae in cornua crescentis figura referatur. *Sall. Jug.* 53. *extr.* Equitatum omnem in cornibus locant. *Liv.* 22, 45. In dextro cornu Romanos equites locant: laevum cornu equites sociorum tenuerunt. *Caes. B. G.* 1, 52. Hostium acies a sinistro cornu pulsa, a dextro cornu vehementer etc. *Lucan.* 3, 547. Et jam ductis extendunt cornua proris. Adde *Ter.*, *Curt.*, *Tac.*, *Nep.*, *Suet.*, *Vell.* etc. ℙ Hinc translate. *Cic. Div.* 2, 10. *extr.* Nunc cominus agamus, experiamurque, si possimus cornua commovere disputationis tuae. ℙ In voluminibus *cornua* erant vel ipsae extremitates bacillorum, qui umbilici dicebantur, (V. UMBILICUS.) vel in illis extremitatibus affixa ornamenta quaedam exstantia in utraque fronte, seu extremitate libri in volumen complicati. *Tibull.* 3, 1, 13. Atque inter geminas pingantur cornua frontes. *Ov. Trist.* 1, 1, 8. Candida nec nigra cornua fronte geras. *Mart.* 11, 107. Liber explicitus usque ad sua cornua, *h. e.* quod idem dicit 4, 91. usque ad umbilicos. ℙ In galeis *cornua* sunt ornamenta in modum cornu, vel comae in cornu assurgentes, quae cristam apicemque exornant, quae a Graecis quoque κέρατα, dicuntur: proprie autem sunt cincinni. Ita *Serv.* ad illud *A.* 12, 89. Ensemque, clypeumque, et rubrae cornua cristae. *Liv.* 27, 33. In arborem illatus impetu equi, ad eminentem ramum cornu alterum galeae perfregit. ℙ De germanorum comis usurpat *Juv.* 13, 164. Caerula quis stupuit Germani lumina, flavam Caesariem, et madido torquentem cornua cirro? De iisdem ita *Tac. Germ.* 38. Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere. Hic igitur cornua sunt nodi capillorum, quos *Tertull. Virg. vel.* 10. *crobylos barbarorum* vocat. ℙ Translate. *Hor. Od.* 3, 21, 18. ad amphoram: addis cornua pauperi, Post te nec iratos trementi Regum apices, neque militum arma, *h. e.* vires, superbiam, animos. *Ov. A. Am.* 1, 239. Cura fugit multo diluiturque mero: Tunc veniunt risus: tunc pauper cornua sumit etc. (Hinc est quod Baccho *cornua* tribuuntur.) *Id. Amor.* 3, 11, 5. Vicimus, et domitum pedibus calcamus Amorem: Venerunt capiti cornua sera meo, *h. e.* indignatio, et voluntas debellandi, et oppugnandi Amoris. ℙ In *fr. Trag. Petr.* 39. *Burm.* dicuntur *nasci cornua* iis, qui plurimis malis afflictantur. Cujus rei origo unde ducatur, obscurum est. ℙ Tribuitur et somno tanquam omnis soporis plenum. *Stat. Th.* 2, 143. illos post verbera fessos, Exceptamque hiemem cornu perfuderat omni Somnus. ℙ Reperitur etiam *cornus*, *us*, mascul. gen., uti *Prisc.* 6, 685. et 714. docet. *Varr. R. R.* 3, 9. Cornum cervinum incendere. *Lucr.* 2, 388. Lumen per cornum transit. *Cic. N. D.* 2, 59 *extr.* Nares similes cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus, *h. e.* arcuatis illis scamillis, super quos nervi citharae tenduntur, quique primum ex arundine, mox ex cornu fieri coeperunt. *Lucan.* 7, 317. (quem profert etiam *Prisc.* et *Serv.* ad *A.* 3, 22.) cornus tibi cura sinistri, *Lentule.* Adde *Gell.* 18, 6. *in lemmate*, ubi legitur: *quem cum ederet*, cornum *esse* Copiae *dicebat:* et *Plin.* 28, 11, 45. et 13, 25, 51. et alibi: quibus in locis *cornus* in genit. legitur in omnibus editionibus, excepta Veneta 1469. per *Joann. Spir.*, in qua ubique habetur *cornu.* ℙ Item *cornus*, *i*, m. *Scrib. Comp.* 60. Cornorum cervi ustorum sextario. ℙ Item *cornum*, *i*, n. *Id. Comp.* 141. Ad lumbricos satis commode facit cornum cervinum limatum lima lignaria. *Ov. Met.* 5, 383. Oppositoque genu curvavit flexile cornum. Ita *Prisc.* quoque, praeter alios, 6, 685. Alii *cornu.*

CORNŪĀRIUS, ii, m. artifex cornua conficiens, quibus in bello canitur. *Tarrunten. Dig.* 50, 6, 6. Tubarii, cornuarii, arcuarii.

CORNŪĀTUS, a, um, adj. curvatus instar cornuum. *Vet. poeta* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Cornuatam umbram jaci. Dicere apparet cornuatam a cornibus. *Scalig.* totum hunc locum ita legit: *Cornuat aurum*, *umbram jacit* (vel *vibrans jacit*) *icere paret. Cornuat a cornibus*, h. e. arcum aureum flectit. Si haec ejus conjectura placet, habemus verbum Latinum *cornuo*, *as*, curvo, inflecto.

CORNU COPIAE (rectius quam *Cornucopiae*) *Cornucopia*, κέρας Ἀμαλθείας, in fabulis est cornu caprae Amaltheae. V. AMALTHEA. Alii fabulantur, esse illud, quod Hercules, cum Acheloo in taurum verso aliquando luctatus, eidem a fronte evulsit: quod acceptum Nymphae, et pomis odorisque floribus refertum sacrarunt. Rem fusius narrat *Ov. Met.* 9. *in.* Significat autem frugum abundantiam, et ubertatem. *Pl. Pseud.* 2, 3, 5. Haecce allata cornucopiae est, ubi inest quidquid volo. Al. leg. *Haec illud cornu Copiae est*, *ubi* etc. *Hor. Ep.* 1, 12, 29. aurea fruges Italiae pleno diffudit Copia cornu. Et *Od.* 1, 17, 15. hic tibi Copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorum opulenta cornu.

CORNŪLUM, i, n. corniculum. *Apic.* 8, 1. Ut cutem a carne separes, ut possit condimentum accipere per cornulum. Adde *Vet. Schol.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 34., cujus locum vide in ANSULA.

CORNUM, i, n. fructus corni arboris. *Virg. A.* 3, 649. Victum infelicem baccas, lapidosaque corna Dant rami. *Colum.* 12, 10. Condire corna.

CORNŬO, as. V. in CORNUATUS.

CORNUS, i, f. κραναία, arbor est materiei praedurae, et cornu similis, fructum ferens parvum, instar olivae, primo candidum, postea sanguineum, et saporis acerbi. *Plin.* 16, 25, 42. Cornus mascula, cui nulla medulla. Et *ib.* 26, 43. Cornus femina, ligno fungosa, et inutilis, cum mas e fortissimis sit. *Id. ib.* 39, 73. Fulva cornus in venabulis nitet. *Virg. G.* 2, 448. et bona bello cornus. *Colum.* 5, 7. Opulus est arbor corno similis. ℙ Per synecdochen. *Virg. A.* 9, 698. volat Itala cornus, *h. e.* hasta ex corno. Sic *Claud. in Ruf.* 1, 353. largo satiatur vulnere cornus. *Sil.* 10, 122. miseri transfigit pectora corno. Al. leg. cornu. Est enim etiam quartae declinationis, ut et *Servius* docet ad *A.* 3, 22. Hinc *Sil.* 4, 552. Libycae certant subtexere cornus Densa nube polum. *Stat. Th.* 7, 647. cornu deprensus Achiva. Ubique autem intelligitur hasta, telum ex corno. ℙ Neutro genere. *Ov. Met.* 8, 408. Dixit, et aerata torsit grave cuspide cornum: Quo bene librato, etc. *Burm.* mallet aliter legere: sed libri consentiunt. ℙ *Fuit et *Cornus*, i, Κόρνος, Sardiniae opp. *Liv.* 23, 40. *med.* Corni audit *Anton. Itin. B. A.*

CORNŪTUS, a, um, adj. κεροΰχος, κερατώδης, κερατίης, cornua habens. *Varr. R. R.* 2, 7. Aetas cognoscitur equorum, et fere omnium, qui ungulas indivisas habent, et etiam cornutarum, *scil.* bestiarum. Cornutas quadrupedes vocat elephantos, *Id. L. L.* 6, 3. *Colum.* 7, 3. Aries cornutus. *Ammian.* 14, 2. Luna etiam tum cornuta. ℙ Translate. *Hieron. ep.* 69. *n.* 2. Cornutus syllogismus, ut quocumque me verterem, strictius tenerer. *Id. in Helvid. n.* 16. Cornuta interrogatio. ℙ *Cornutus* cognomen fuit tum Sulpiciae, tum Caeciliae gentis Romanae, ut colligitur ex vet. *Inscr.* ap. *Grut.* 200, 5. et 290. ℙ *Annaeus Cornutus* ex Lepti Africae urbe fuit grammaticus satis doctus, temporibus Neronis. *Gell.* 2, 6., 9, 10. ℙ *Cornutae, arum. Plin.* 52, 11, 53. sunt pisces marini: de quibus nihil praeterea scitur. V. ACUS, i. **Apic.* 10, 3. *B. A.*

*COROCONDAMA, ae, Κοροκονδάμη, paeninsula Asiatica, inter Maeotidem paludem et Euxinum Pontum. *Mela* 1, 19. Ita in *B. A.* [*At locus Melae laudatus ap. *Tzschuck.* ita melius legitur. Obliqua tunc regio, et in latum modice patens, inter Pontum Paludumque et Bosporum excurrit: quam duobus alveis in lacum et in mare profluens Corocondame paeninsulam reddit. Non igitur *paeninsula* sed *lacus* est *Corocondame*, sive *Corocondama*, quem *Strabo* 11. p. 341. s. 494. λίμνην Κοροκονδαμῖτιν appellat.]

COROCOTTA. V. CROCOTTA.

*COROEBUS, i, m. Κόροιβος, Mygdonis filius, qui Cassandrae, quam et Priamus desponderat, amore incensus, postremis belli Trojani temporibus ad Trojam venit, socero et Phrygibus auxilium laturus, frustra ei suadente sponsa, ut in patriam reverteretur, certissimoque exitio, quod toti urbi imminebat, sese eriperet; cujus verbis cum fidem non adhiberet, postrema illa nocte qua Ilium cecidit, a Peneleo Graeco quodam fuit interfectus. *Virg. A.* 2, 341. *B. A.*

*COROLIA, Arab. felicis opp., ad sinum Arabicum, in terra Sabaeorum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

COROLITICUS. V. CORALITICUS.

COROLLA, ae, f. στεφάνιον, [*στέφανοι, στεφανίσκοι.] diminut. parva corona. *Propert.* 2, 25, 59. Me juvat hesternis positum languere corollis. *Catull.* 62, 66. Mihi floridis corollis redimita domus erat. *Pl. Bacch.* 1, 1, 37. Corolla plectilis. *Id. Pseud.* 5, 2, 8. Cum corolla ebrium incedere. ℙ Specialiter genus quoddam tenuium coronarum, quae hiberno tempore vendebantur Romae ex ramento corneo tincto, propter gracilitatem *corollae* inter initia ejus inventi dictae sunt. *Plin.* 21, 2, 3. ℙ Corollam nova nupta de floribus, verbenis, herbisque a se lectis sub amiculo (*h. e.* sub flammeo) ferebat. *Fest.* in hac ipsa voce.

COROLLĀRIA, ae, f. quae corollas facit. *Inscr.* ap. *Mur.* 999, 8. Cornelia A. L. Acte corollaria.

COROLLĀRIUM, ii, n. parva corona, a *corolla* deductum. Scribit enim *Plin.* 21, 2, 3. graciles quasdam coronas e lamina aerea tenui inaurata, aut inargentata, *corollaria* dicta fuisse. ℙ Inde traductum est ad significandum appendicem, accessionem, additamentum, quod alicui datur praeter id quod debitum est, quia corollae in scena dari solitae actoribus, cum placuerant, ut *Varro L. L.* 4, 36. docet, et colligitur ex *Phaedr.* 5, 7. Hinc *Cic. Verr.* 2, 3, 50. Ut esset, unde Apronio ad illos fructus arationum hoc corollarium nummorum adderetur. Et *ib.* 2, 4, 22. Ne sine corollario de convivio discederet, emblemata evellenda curavit. *Suet. Aug.* 45. Corollaria, et praemia alienis quoque muneribus de suo offerebat. [*Cf. *interprr.* ad h. l. et *Gronov.* ad *Gell.* 4, 14.] *Senec. Benef.* 6, 17. Corollarium aspergere in diem se locanti. *Paulo ante dixerat:* supra constitutum aliquid adjicere. [*Cf. *Ernest. cl.* s. h. v.] ℙ Est etiam quod Graeci πόρισμα vocant, cum demonstratis, quae proposita sunt, aliquid consectarium infertur. *Boeth. Consol. prosa* 3, 10. Veluti geometrae solent, demonstratis propositis, aliquid inferre, quae πορίσματα ipsi vocant, ita ego quoque tibi veluti corollarium dabo. Adde *ib. prosa* 4, 3. ℙ Obscena metaphora utitur *Appul. Met.* 3. Hactenus denique intecti atque nudati bacchamur in venerem; cum quidem mihi jam fatigato de propria liberalitate Fotis puerile obtulit corollarium, *h. e.* voluptuarium additamentum. V. PUERILIS.

CORONA, ae, f. στέφανος, χορώνη, ornamentum circulare capitis, sertum, strophium. *Festus:* Corona cum videatur a choro dici, caret tamen aspiratione: sive coronae dicuntur, quod cohonorent eos, quibus imponuntur. ℙ Alii deducunt a χορωνὸς, seu κορωνὸς, quod a χορὸς, chorus, quia in theatris coronati choreas agerent. Quin ipsum χορὸς ab *Hesychio* non solum κύκλος, sed etiam στέφανος, corona, exponitur. Hinc nonnulli *chorona* cum aspiratione scripserunt, ut est ap. *Quint.* 1, 5. et *Scaur. de Orthogr.* p. 2252., quae scribendi ratio non est usu recepta. Alii denique a κορώνη, quod ab *Hesychio* exponitur etiam εἶδος στεφάνου. *Mart.* 13, 51. Texta rosis fortasse tibi, vel divite nardo; At mihi de turdis facta corona placet. ℙ Coronarum aliae voluptatis gratia erant, aliae laetitiae publicae: atque hae praecipue e floribus: aliae honoris, atque in praemium virtutis: quae plerumque ex metallis, aut arboribus quibusdam. *Cic. Verr.* 2, 5, 11. Ipse coronam habebat unam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares sibi admovebat plenum rosae. *Id. Tusc.* 5, 21. Aderant unguenta, coronae: incendebantur odores, mensae exquisitissimis epulis exstruebantur. ℙ [**Coronas bibere* dicuntur ii, qui e coronis decerpta et in poculum conjecta folia una cum vino bibunt. *Plin.* 21, 9. (loquitur de Cleopatra, quae Antonii suspicionem venenata corona hoc modo epota sanavit. *Boettg. Sab.* 1, 243. seq. *Id ib.* 1, 226. disputat de summa in coronis nectendis arte Veterum.] ℙ De coronis in publica laetitia adhibitis, *Cic. Att.* 14, 19. et *Tusc.* 1, 35., *Tac. H.* 2, 55., *Curt.* 9, 10. et *Cato* ap. *Gell.* 7, 4. *extr.* etc. His non solum homines ornari consueverant, sed et Deorum simulacra, victimae, postes templorum, prorae, puppesve navium, januae aedium, pocula, sepulcra, arae, etc. ℙ Quae vero virtutis ergo dabantur, diversorum generum fuere, scilicet *triumphalis*, *obsidionalis*, *civica*, *muralis*, *vallaris*, seu *castrensis*, *navalis*, *ovalis*, *aurea* etc., de quibus *Gell.* 5, 6., et V. suis locis. ℙ Hinc aliquando *corona* pro praemio ponitur. *Virg. A.* 5, 355. primam merui qui laude coronam. *Sil.* 16, 506. spes prima coronae Eurytus, *h. e.* Eurytus, qui primum praemium sperabat. ℙ Mos fuit, ut servi bello capti coronam gestarent, cum venales producebantur: unde est *sub corona venire*, *emere*, aut *vendere*, ap. *Varr. R. R.* 2, 10. *med.*, *Caes. B. G.* 3, 16., *Liv.* 24, 42., *Curt.* 9, 8. ut *Fest.* in *Sub*, et *Coel. Sabinus* docet ap. *Gell.* 7, 4., et colligitur ex *Catone ib.:* ubi *Gell.* aliam refert opinionem, quod scilicet corona militum cingerentur, custodiae causa: sed quod *Sabinus* docuit, verius putat. ℙ De radiatis imperatorum coronis. V. RADIATUS. ℙ Est in coelo sidus, quod *Corona* dicitur, in regione septentrionali prope Booten: de qua V. in ARIADNA. *Colum.* 11, 2. *med.* Prid. Id. Octobr. Corona tota mane exoritur. Adde *Plin.* 18, 26, 60. et *Virg. G.* 1, 222. ℙ Est etiam Corona Australis, ad genua Sagittarii posita, quam dicunt esse Ixionis rotam: cujus utrum aliquis Latinorum scriptorum meminerit, nobis adhuc incompertum est. ℙ Praeterea inter meteora appellatur *corona* a Latinis, quae a Graecis ἅλως. *Senec. Q. N.* 1, 2. V. HALO, onis. ℙ Item sic dicitur coetus hominum, qui aliquem circumstant. *Cic. Fin.* 2, 22. *extr.* At tu eadem ista dic in judicio: aut si coronam times, dic in senatu. *Id. Flacc.* 28. *ad f.* A judicibus oratio avertitur: vox in coronam, turbamque effunditur. *Id. Tusc.* 1, 5. *extr.* Dicere causam maxima corona. *Id. Phil.* 2, 44. Armatorum corona senatus septus est. *Catull.* 53, 1. Risi nescio quem modo in corona. ℙ Unde est militaris illa locutio, *corona oppidum adoriri*, *circumdare* etc. ap. *Liv.* 37, 4. *extr.*, *Caes. B. G.* 7, 72. etc., quae significat oppidum circum undique militibus continuo ordine dispositis cingere, ita ut nullum non locum obsideant, nullam non moenium partem aggrediantur, συγκυκλεῖν. *Liv.* 37, 5. Non corona, sed operibus oppugnare urbem est adortus. *Curt.* 7, 6. Urbem corona capit. *Liv.* 4, 19. *sub f.* Corona vallum defendere. ℙ In aedificiis *corona* est projectura quaedam, quam χορωνίδα vocat *Hesych.*, et exponit τὸ τελευταῖον τῆς οἰκοδομῆς ἐπίθεμα: quae primo arcendis stillicidiis inventa est, postea in ornamentum transiit, habetque locum tum in summis, tum in mediis parietibus architectonicis. *Plin.* 36, 25, 59. Usus gypsi in coronis gratissimus. *Vitr.* 5, 2. Praecingendi sunt parietes medii coronis ex intestino opere, aut albario, ad dimidiam partem altitudinis. *Hirt. B. G.* 8, 9. Imperat castra vallo pedum duodecim muniri, coronisque pro ratione ejus altitudinis inaedificari, *h. e.* projecturis in summo vallo. Al. leg. *loriculisque. Curt.* 9, 4. Angusta muri corona erat: non pinnae fastigium ejus distinxerant, etc. ℙ Sumitur etiam ab eodem *Vitr.* 3, 3. *f.* strictiori significatione pro parte summa epistylii, quae ceteris est projectior: item pro parte summa ipsius coronae, ceteris item projectiore: quae, quia ideo est instituta, ut guttas aquae longe a ceteris subjectis membris epistylii, capitulorumque projiciat. Ita enim conformata est, ut in inferiore sui parte cavata sit, ne aqua secundum ipsam defluat, sed statim decidat, et longe cadat. ℙ In agris *corona* est extremus circa margo, vel agger. *Cato R. R.* 6. Circum coronas, et circum vias ulmos serito, et partim populos. ℙ In pedibus quadrupedum est pars summa ungulae, quae cum pilis committitur. *Colum.* 6, 29. Duris ungulis, et altis, et concavis, quibus coronae mediocres superpositae sunt. *Veget. Veter.* 2, 55. *extr.* Si pedem contuderit, sanguinem de corona emittes. ℙ *Corona montium* est series montium in circuitu positorum. *Plin.* 6, 20, 23. Hos includit Indus montium corona circumdatos.

CORONAEUS, a, um, adj. Κορωναῖος, ad Coronem pertinens, quae est urbs Peloponnesi in Messenia, nunc *Corone*, ut Coronaeus sinus, *Golfo di Corone*, apud *Plin.* 4, 5, 7.

CORONĀLIS, e, adj. στεφανικὸς, ad coronam pertinens. *Appul. Met.* 1. Ut illa Medea totam domum, filiamque cum ipso sene flammis coronalibus deusserat, *h. e.* corona aurea ex venenis facta, ut loquitur *Hyg. fab.* 25., quam pellici suae dono miserat. V. etiam *Plin.* 2, 105, 109., et quae dicemus in CREUSA.

CORONĀMEN, inis, n. coronamentum, corona, στεφάνωμα. *Appul. Met.* 11. Mulieres candido splendentes amicimine, verno florentes coronamine.

CORONĀMENTUM, i, n. genus omne florum, herbarum, et foliorum, quae texendis coronis adhibentur: itemque semina ipsa, στεφάνωμα. *Plin.* 21, 1, 1. In hortis seri coronamenta jussit Cato. *Id.* 22, 21. Anthemis colligitur vere, et in coronamenta reponitur. *Cato R. R.* 8. Coronamenta omne genus facito uti serantur. ℙ Item ipsa corona. *Tertull. Cor. Mil.* 1. Solus libero capite: coronamento in manu otioso. Adde *ib.* 7. [*Cf. *Boettg. Sab.* 1, 145.]

CORONĀRIUS, a, um, adj. στεφανιτικὸς, στεφανωματικὸς, ad coronas pertinens. *Vitr.* 7, 6. Glebae contusae et mollitae praestant tectoriis et coronariis operibus utilitatem, *h. e.* in coronis, seu projecturis, quae fiunt ornatus gratia. V. CORONA. *Id* 9, 3. Tantundem argenti in id coronarium opus admixtum esse, *h. e.* in ea corona facienda. *Plin.* 33, 9, 46. Aes Cyprium tenuissimum, quod coronarium vocant, *h. e.* coronis faciendis aptum. *Id.* 21, 23, 94. Anemonae coronariae, *h. e.* quae adhibentur in coronis floreis. *Id.* 14, 3, 4. *n.* 9. Coronarius naturae lusus, *h. e.* natura veluti ludens in coronis faciendis. Loquitur de quadam vite, cujus acinos folia intercursant. ℙ *Aurum coronarium* dicebatur, quod stante Rep. Rom. coronae aureae loco a provinciis dabatur ducibus exercituum triumphantibus: seu pecunia, quam provinciales conferebant, praetextu coronae inde faciendae. Mos enim fuerat primum, ut provinciales, socii amicique populi R. imperatori suo victori coronas e lauru mitterent gratulationis ergo: mox eae coeptae ex auro fieri: deinde missa pecunia eo titulo. Hujusmodi autem coronae in triumpho praeferebantur. Cujus rei exempla habemus ap. *Cic. Pis.* 37. et *Agr.* 2, 22., *Liv.* 38, 37. et 39, 7., et in lapide Ancyrano Augusti Caesaris, apud *Grut.* 230. Auri coronarii pondo triginta et quinque millia municipiis et coloniis Italiae conferentibus ad triumphos meos quintum consul remisi, et postea quotiescumque imperator appellatus aurum coronarium non accepi. Adde *Gell.* 5, 6. Procedente tempore, quod erat muneris, in tributum transiit, atque exigi coeptum est. De hoc auro coronario multa disputat *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 6. et seqq. [*Cf. *Ern.* in *cl. Cic.*] ℙ Quod vero docet *Serv.* ad *A.* 8, 721. dictum esse *coronarium*, quod a victis gentibus imperatori dabatur propter concessam impunitatem; de suis temporibus intelligendus est, quibus mutata ratione reipubl. hoc quoque mutari potuit. Quamquam nihil prohibet, quin utrumque *coronarium* diceretur, et quod a provincialibus sociisque, et quod a victis conferebatur. ℙ *Coronarius* etiam dicitur artifex, qui coronas facit et vendit. *Plin.* 34, 11, 26. Coronariorum recisamenta in acetum addita. *Id.* 21, 2, 3. Ingenium Glycerae coronariae. *Front. ad M. Caes. ep.* 1, 6. Alia dignitate sunt flores et coronae cum a coronariis veneunt, alia cum a sacerdotibus porriguntur. Adde *Gell.* 4, 14., ubi non videtur necesse, quod quidam faciunt, ut *coronarium* coronam interpretemur. *Inscr.* ap. *Mur.* 974, 3. Remniae Primigeniae coronariae. Alia *ib.* 786, 1. Athenio de III. Danae coronarius. Is nempe, qui in festis Isidis, Neptuni, et litoralium Deorum, praesertim vero illius numinis, cui consecratae erant singulae naves, vel natali die Augusto-

rum aliisque de causis triremem coronabat in laetitiae argumentum. [*Cf. *Boettg. Sab.* 1, 232.]

CORONĀTOR, oris, m. qui coronat. *August. serm.* 318. (al. 25. *ex Sirmondianis*) *in f.* Coronator Stephani adoretur.

CORONĀTUS, a, um, part. a *corono*, στεφανωθείς, corona ornatus. *Cic. Leg.* 2, 25. Epulae, quas inibant parentes coronati. *Hor. Od.* 2, 7, 7. coronatus nitentes Malobathro Syrio capillos. *Suet. Dom.* 13. Palfurius Sura coronatus de oratoribus, *h. e.* inter oratores: quemadmodum *unus de multis* dicimus. *Ov. Fast.* 4, 335. Coronata puppis. *Prop.* 3, 8, 19. Coronatae aras. Et 3, 1, 1. Coronati equi. *Stat. Silv.* 3, 4, 1. Ite comae etc. Ite, coronato recubantes molliter auro, *h. e.* in aurea pyxide, tanquam aurea corona repositae. ℙ *Coronati* absolute dicebantur quidam sacerdotes, qui Graece στεφανηφόροι, quique, testante *Eckhel. D. N. V. T.* 4. p. 212., annui magistratus munus obibant. *Inscr.* ap. *Mur.* 155, 2. M. Antonius Valentinus sacerdos arae Augusti Nostri, coronatus Daciarum III. (*trium*). Alia *ib.* 3. C. Matridio Aurelio C. F. Lem. Antonino V. P. coronato Tusciae et Umbriae. *Firmic. Mathes.* 3, 14. Erunt autem aut coronati, aut sacerdotibus praepositi, aut sacrorum bajuli simulacrorum. ℙ Est etiam idem ac cinctus, circumdatus. *Petr. fragm. Trag.* 66. *Burm.* Habuimus in primo porcum poculo coronatum, et circa saucunculum, et gigeria optime facta.

[CORONENSIS, is, adj. ad Coroneam pertinens, Boeotiae urbem, nunc *Camari*, cujus meminit *Nep. Agesil.* 4. ℙ *Coronenses*, *ium* sunt illius urbis incolae. *Liv.* 36, 20. Consule per Phocidem, et Boeotiam exercitum ducente, in agrum Coronensem ventum est. *F.*]

CORONĔŌLA, ae, f. genus est rosae autumno provenientis. *Plin.* 21, 4, 10.

CORONĪDES, ae, m. Κορωνίδης, Aesculapius Coronidis filius. *Ov. Fast.* 6, 746. et *Ib.* 406.

CORONIS, idis, f. κορωνίς, Graeca vox significans notam quandam ex linea brevi, et ab inferiori parte flexa, et incurvata, uti docet *Vet. Schol.* ad *Arist. Ἱλοῦντον*, *v.* 253., quae in fabulis comicorum, et tragicorum appingi solebat ad significandum quoddam genus pausae, et cessationis in agendo. Praeterea, *Hesychio* teste, est τὸ τελευταῖον τῆς οἰκοδομῆς ἐπίθεμα, hoc est summa corona parietis in fabrica, de qua in CORONA dictum est. Hinc pro fine ponitur in illo *Mart.* 10, 1. Si nimius videor, seraque coronide longus Esse liber; legito pauca, libellus ero. ℙ Fuit etiam hoc nomine Nympha Larissaea filia Phlegyae, vel Leucippi, soror Ixionis: quae cum forma esset praestanti, Apollini placuit, atque ex eo puerum concepit. Sed a corvo apud Apollinem accusata adulterii cum adolescente Haemonio Elati filio, cui nomen Ischys erat, ab Apolline sagitta confossa est: qui extractum e ventre puerum Aesculapium appellavit: corvum vero mali nuncii delatorem, ex albo in nigrum convertit. *Ov. Met.* 2, 544. et 598. et seqq., *Hyg. fab.* 161. et 202., *Serv.* ad *A.* 6, 618. et *Lact. Plac. in argum. Met. fab.* 2, 7. ℙ Alia fuit filia Coronei Phocensis, quae cum Erichthonium a Pallade cista clausum, et tribus virginibus commissum divulgasset, ab ea expulsa fuit a suo comitatu; cumque sola in litore spatiaretur, a Neptuno visa, et insectata, Palladis opem imploravit, et in cornicem versa fuit. *Ov. Met.* 2, 551. et *Lactant. Plac. l. c. fab.* 8. V. CORNIX. ℙ *Item Hyadum una, Oceani filia. *Hyg. fab.* 182. ℙ Item uxor Asclepii s. Aesculapii, ex qua Machaonem suscepit. *Hyg. fab.* 97. *med.* Sunt tamen, qui Epionem, vel Hesionem, Machaonis et Podalirii matrem fuisse statuunt; unde in *Hyg. l. c. Epiones* legendum putat *Munck.* vice Coronidis. Quod mirum profecto, *Scholiasta* ad *Hom. Il. Δ. v.* 163. (citat *Munck.* ipse) referente, Machaonem filium fuisse Asclepii et Arsinoes, vel Coronidis etc. ℙ Et insulae nomen Aegaei maris, prope Argolidem, ex adversum opp. Hermionem. *Plin.* 4, 12. qui solus de ea mentionem facit. *B. A.*

CORONO, as, avi, atum, a. 1. στεφανόω, coronam capiti impono, coronis orno. *Plin.* 15, 4, 5. Athenae victores olea coronant, Graeci vero oleastro Olympiae. *Id. ib.* 30, 39. Victores Delphis lauro coronari, et triumphantes Romae. *Virg. G.* 2, 528. socii cratera coronant. Et *A.* 1, 728. Crateras magnos statuunt, et vina coronant: ubi *Servius:* aut implent usque ad marginem: aut quia antiqui coronabant pocula, et sic libabant: unde est (*A.* 3, 526.) Anchises magnum cratera corona Induit, implevitque mero. Hoc tractum est ex *Homero*, qui ait (*Odyss.* 1. *v.* 149.) Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο. Haec *Servius*, qui secundam interpretationem praeferre videtur. Confirmat *Stat. Silv.* 3, 1, 76. Diffugimus, festasque dapes, redimitaque vina Eripiunt famuli. At primae favet *Athenaeus* 15, 5. ubi, allato *Homeri* versu, docet ex *Aristotele*, nihil mutilum Diis esse offerendum, sed omnia perfecta atque integra: perfectum autem esse, quod est plenum: et τὸ στέφειν, *coronare*, plenitudinem quandam significare. ℙ *Hor. Ep.* 1, 1, 50. dixit, *coronari Olympia*, quemadmodum dicitur, *vincere Olympia*, *vincere Pythia*, per Graecam ellipsim. ℙ [**Coronare comoediam. Suet. Claud.* 11. Comoediam quoque Graecam Neapolitano certamine docuit, ac de sententia judicum coronavit: est auctorem comoediae corona donavit. V. *Ernest.* ad h. l. ℙ *Coronari de aliquo* est donari corona propter victoriam de aliquo reportatam. *Suet. Dom.* 13. De oratoribus coronatum, i. e. victorem in certamine oratorum. Cf. *Brem.*] ℙ Translate *coronare* est cingere, circumdare. *Virg. A.* 9, 380. omnemque aditum custode coronant. *Prop.* 4, 4, 8. Fidaque suggesta castra coronat humo. *Stat. Th.* 2, 526. densaque nemus statione coronant. *Lucr.* 2, 801. Pluma columbarum cervices circum, collumque coronat. *Id.* 9, 335. Lacum myrteta coronant. *Vitr.* 9, 4. Mercurii, et Veneris stellae circum solis radios, solem ipsum, uti centrum, itineribus coronantes. *Mart.* 12, 18. focus, Multa villica quem coronat olla. *Plin.* 22, 5, 5. Coronari nomine novo, *h. e.* decorari, ornari.

CORONŌPUS, odis, χοιρωνόπους, al. gramen aculeatum, est herba oblonga, fissis foliis, per terram repens, cujus radix in cinerem tosta coeliacis praeclare facit. *Plin.* 21, 16, 59. et 22, 19, 22.

CORONŬLA, ae, f. parva corona. *Veg. Vet.* 2, 55. Solum ungulae celeriter aperire, ne apostema eruptionem super coronulas faciat, *h. e.* partes pedis, quae summae ungulae junguntur, ut in CORONA dictum est.

*COROS, i, Κόρος, flumen Persidis. *Mela* 3, 8. Dictum et *Cyrus*. V. Cyrus. Cf. *Salmas.* in *Solin.* p. 1193. *B. A.*

*CORPILLI, orum, Thraciae populi, ad flumen Hebrum. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

CORPŌRĀLIS, e, adj. σωματικός, habens corpus. *Senec. ep.* 58. Dicimus, quaedam corporalia esse, quaedam incorporalia. *Ulp. Dig.* 1, 1, 15. *a med.* Corporalia pignora, *h. e.* quae re corporali constant: quibus opponuntur nomina, et jura. ℙ Item ad corpus pertinens. *Gell.* 18, 1. Etiam si cetera bona omnia, quae corporalia et externa appellarentur, virtuti deessent. *Quint. Decl.* 19, 2. Corporalibus bonis juventus insolenter exsultat. *Senec. ep.* 53. Vitia corporalia. *Dig.* 50, 4, 18. Corporalis labor. *Papin. ib.* 13, 7, 40. possessio, *h. e.* cum res ipsa possidetur. ℙ *Corporale nomen* dicitur a grammaticis, quod rem corpoream significat: sicut *incorporale* quod incorpoream: illud v. gr. *homo:* hoc *virtus. Prisc.* 2, 579.

CORPŌRĀLĪTAS, atis, f. σωματότης, ipsa natura corporis, ipsum corpus. *Tertull. adv. Herm.* 36. et *Anim.* 7.

CORPŌRĀLĪTER, adv. secundum corpus, σωματικῶς. *Paul. Dig.* 41, 2, 1. *circa med.* Servus corporaliter pignori datus. Adde *Tertull. Baptism.* 4. *extr.* et 8., *Petr. fragm. Trag.* 61. *Burm.* et *Arnob.* 5. p. 168.

CORPŌRASCO, is, n. 3. corpus fio, σωματόομαι. *Claud. Mamert. de statu anim.* 1, 14. Nisi forte dicatur incommutabilis Deus veluti corporascere, ut unum possit esse cum corpore.

CORPŌRĀTIO, onis, f. corporalitas. *Tertull. Car. Chr.* 4. Si neque ut impossibilem, neque ut periculosam Deo repudias corporationem etc. Adde *Capell.* 7, 238. *Colum.* 6, 2. *ad f.* Custodiendum est, ne in corporatione etc. impar etc. Alii rectius leg. *incorporatione.* V. INCORPORATIO.

CORPŌRĀTĪVUS, a, um, adj. nutriens, corroborans, et corpus faciens, ut *corporativa adjutoria* ap. *Coel. Aur. Tard.* 1. *extr.*

CORPŌRĀTŪRA, f. σωμάτωσις, τὸ σώματος κατάστημα, corporis magnitudo, habitus, et status corporis. *Vitr.* 6, 1. Ex coelo roscidus aer in corpora fundens humorem efficit ampliores corporaturas. *Colum.* 6, 2. *s. f.* Humilis et modica corporatura pecoris operarii debet esse.

CORPŌRĀTUS, a, um, part. a *corporo*, corpore praeditus, σωματώδης. *Cic. Univ.* 2. Mundus cernitur, et tangitur, et est undique corporatus. *Lact.* 4, 26. *de Jesu Christo.* Is igitur corporatus est, et veste carnis indutus, *h. e.* corpus assumpsit. ℙ Translate. *Tertull. Pall.* 2. Mundus omnis et diversitatibus corporatus, et vicibus temperatus, *h. e.* ex diversis substantiis compactus, compositus. ℙ *Corporati* dicuntur, qui in aliquo corpore, seu collegio sunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 45, 8. Patronus corporat. ferrarior. Et ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 139. Corporati aurariorum, et argentariorum Isidi, et Osiri mansionem aedificavimus. ℙ Corporati alicujus urbis sunt, qui in corporibus sive sodalitatibus illius urbis sunt. Hinc *Inscr.* apud *Grut.* 496, 5. Corporati Nemausenses patrono. Alia *ib.* 399, 4. Patrono omnium corporum Lugduni licite coeuntium. Adde *Symmach. ep.* 10, 27. (al. 34.)

CORPŌRE-CUSTOS, odis, m. custos corporis. *Inscr.* ap. *Grut.* 600, 12. Bassus Neronis Caesaris corpore-custos. Et *ib.* 13. Hilarius Neronis Caesaris corpore-custos.

CORPŌREUS, a, um, adj. σωματώδης, σωματικός, corpus habens, corporatus, corporalis. *Cic. Univ.* 4. Corporeum, et adspectabile omne necesse est esse, quod natum est. Et *ib.* 8. Quod erat concretum et corporeum. *Lucr.* 3, 178. Ergo corpoream naturam animi esse, necesse est, Corporeis quoniam telis, ictuque laborat. *Id.* 4, 541. Corporea vox. [**Id.* 4, 436. Corporea principia.] ℙ Item carneus, σαρκικός, σάρκινος. *Ov. Met.* 6, 406. *de Pelope.* Corporeus humerus. *Id. ib.* 15, 105. Dapes corporeae. *Plin.* 11, 37, 54. Spectatissimum insigne gallinaceis corporeum, serratum, *h. e.* crista. Et *paulo post.* Cornua cochleis corporea. Et *paulo post.* In vicem ossium succedente corporea cicatrice.

*CORPORICĪDA, ae, m. μαχελλίτης *Gloss. Gr. Lat.* Fuerit itaque Lanio. *B. A.*

CORPŌRO, as, avi, atum, a. 1. σωματόω, corpus efficio, in corporis formam redigo. *Plin.* 7, 15, 13. Semen e maribus coaguli modo profluvium mulierum in sese glomerans, quod deinde tempore ipso animatur, corporaturque. *Id.* 10, 53, 74. *de pullis avium.* Ipsum animal ex albo liquore ovi corporatur. ℙ Item interficio, corpus solum sine anima relinquo, ut *Non.* 1, 73. explicat. *Enn. ib.* Corpus contemplatur, unde corporet vulnere. *Accius ib.* Corporare abs tergo es ausus. ℙ Translate. *Id.* 1, 168. Tractum a pictura, quae priusquam coloribus corporatur, umbra fingitur. ℙ De assumptione carnis, *h. e.* naturae humanae. *Tertull. Car. Chr.* 3. Ita ut et nasceretur, et carne corporaretur. *Id. ib.* 6. Nunquam fuit causa angelorum corporandorum.

CORPŌROSUS, a, um, adj. corpulentus, magni corporis. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. *med.*

[CORPŬLENS, tis, adj. idem ac corpulentus. *Not. Tir.* p. 35. *F.*]

CORPŬLENTĬA, ae, f. πολυσαρκία, obesitas. *Plin.* 11, 53, 118. Somno concoquere, corpulentiae, quam firmitati utilius. **Sol.* 40. *B. A.*

CORPŬLENTUS, a, um, adj. εὔσαρκος, ἐπίσωμος, qui est obesi corporis, ut *Festus* interpretatur. *Pl. Epid.* 1, 1, 8. Corpulentior videre atque habitior. *Colum.* 6, 3. Nitidum, et hilare, et corpulentum pecus. *Gell.* 7, 22. Pinguis homo, et corpulentus. Adde *Quint.* 6, 1. *ad f.* ℙ *Ennius* ap. *Fest. corpulentum* pro magno posuit.

CORPUS, oris, n. σῶμα, substantia quaevis, quae visu tactuve percipi potest. Tria haec vox significat, ut *Pomp.* docet *Dig.* 41, 3, 30. et *Senec. Q. N.* 2, 2. et *ep.* 102. Primo id quod simplici re atque una constat, et Graece ἡνωμένον vocatur, ut homo, tignum, lapis, et similia. *Cic. Fin.* 1, 6. Atomos, quas appellat, idest individua corpora. *Id. Acad.* 4, 38. Qui asperis, et levibus, et hamatis, uncinatisque corporibus concreta haec esse dicat. *Ov. Met.* 14, 137. quot haberet corpora pulvis, Tot mihi natales etc. *Lucr.* 2, 102. Corpus ferri. Et 6, 854. aquae. Et *ib.* 101. Nubes corpore condenso. *Plin.* 16, 12, 23. Corpus piceae. Et *ib.* 6, 8. glandis. *Id.* 9, 35, 57. unionum. *Id.* 17, 21, 35. *n.* 5. Uva fert omnium corporum suorum acinos, *h. e.* omnium surculorum, seu malleolorum, qui in unum caudicem cohaeserint. *Papin. Dig.* 16, 3, 24. Ut corpora nummorum eadem redderentur. Adde *ib.* 94., ubi eadem loquendi ratio. ℙ *Corpus arborum* dicitur lignum ipsum, ut distinguatur a cortice, medulla etc. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 9. Cerasus, et tilia, et vitis corticem mittunt, sed non vitalem, nec proximum corpori. ℙ Saepissime dicitur de animalibus, et praesertim de homine. *Cic. Fin.* 2, 30. Nec gaudere quemquam nisi propter corpus, nec dolere. Et *mox.* Memoria corpore perceptarum voluptatum. *Id. Att.* 7, 23. O me miserum! et non omnes nostra corpora opponimus? *Id. Rosc. Am.* 12. Quod non totum telum corpore recepisset. *Id. Tusc.* 2, 6. *extr.* Corpus bene constitutum. *Id. Att.* 11, 4. Corporis infirmitas. *Id. Off.* 1, 23. Exercere corpus. *Id. Fam.* 16, 4. Servire corpori. Et *ib.* 9, 20. Inde corpori omne tempus datur. *Id. Cat.* 1, 6. Effugere ictus parva quadam declinatione, et, ut ajunt, corpore. *Virg. A.* 5, 438. Corpore tela modo, atque oculis vigilantibus exit. *Ov. Fast.* 2, 298. ovis lana corpus amicta sua. Et *ib.* 1, 377. Corpus juvenci. *Scrib. Compos.* 161. Multum profuit, ad corpus in duplici calceo pellem caninam habere. ℙ Aliquando dicitur de sola carne. *Cic. N. D.* 2, 55. *f.* Ossa subjecta corpori mirabiles commissuras habent. *Id. Fam.* 7, 26. Ego hic cogito commorari, quoad me reficiam: nam et vires et corpus amisi. *Ov. Her.* 3, 141. abiit corpusque colorque. Utramque significationem complexus est *Mart. Spectac.* 7. Inque omni nusquam corpore corpus erat. ℙ Hinc *corpus facere* est pinguescere. *Phaedr.* 3, 7. Unde sic, quaeso, nites? Aut quo cibo fecisti tantum corporis? *Cels.* 7, 3. *sub f.* Cibi potionesque corpori faciendo aptae. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 2. Corpus orationis enervatur. *Quint.* 10, 1. Macer, et Lucretius legendi quidem, sed non ut phrasim, id est corpus eloquentiae faciant, *h. e.* constituant quasi corpus eloquentiae. *Id.* 2, 10. Haec poetica juvenibus pertractare permittemus, ut exspatientur, et gaudeant materia, et quasi in corpus eant. ℙ Obsceno

sensu. *Phaedr.* 3, 11. Damnum insectatus est amissi corporis, *h. e.* τῶν ὄρχεων. *Hor. Sat.* 1, 2, 43. dedit hic pro corpore nummos. Ubi *Acron:* ne castraretur. Possis tamen intelligere pro vita. [**Acr.* sententia praeferenda videtur. Similis hujus v. significatio est ap. *Eund. ib.* 2, 7, 67.] ℙ Huc pertinent illa *Ov. Am.* 3, 14, 9. Ignoto meretrix corpus junctura Quiriti. *Pl. Cist.* 2, 3, 21. Dotem sibi corpore quaerere. Et *Poen.* 5, 3, 21. et *Liv.* 26, 33. Facere quaestum corpore. ℙ Per catachresin dicitur de anima separata a corpore. *Virg. A.* 6, 303. de Charonte: Et ferruginea subvectat corpora cymba. Ubi *Servius* adscribit, ideo a poeta dici *corpora*, quia ab Aenea, et Sibylla cernebantur: omne autem, inquit, quod potest videri, corpus dicitur. Unde paulo post (v. 391.) discretionem fecit dicens: Corpora viva nefas Stygia vectare carina. *Virg. ib.* 306. defunctaque corpora vita Magnanimum heroum. ℙ Item de viris ipsis, seu de personis. *Liv.* 29, 21. Libera corpora placere Locrensibus restitui. [*V. plura hujus generis exempla in *lex. Liv.* s. h. v.] *Curt.* 5, 13. In illo corpore posita est victoria. *Virg. A.* 2, 18. delecta virum sortiti corpora. *Ov. Met.* 3, 58. Aut ultor vestrae, fidissima corpora, mortis, Aut comes, inquit ero. *Val. Fl.* 2, 653. centumque pares primaeva ministri Corpora. [**Tibull.* 4, 4, 10. Corpora fesssa, i. e. aegri. Adde *Eund. ib.* 11, 2. V. *Interprr.* ad *Sever. Aetn.* 624. *Tibull.* 1, 9, 74. Corpora foeda padagra. *Tac. H.* 2, 32. Fluxa corpora, i. e. homines molles, voluptatibus dediti. *Sil.* 6, 572. Redeuntia corpora, i. e. redeuntes.] ℙ Item de servis. *Ov. Amor.* 3, 4, 33. Nec tamen ingenuam jus est servare puellam: Hic metus externae corpora gentis agat. Graeci quoque σώματα eadem significatione usurpant. ℙ [*Saepe inservit periphrasi. *Tac. A.* 4, 72. Corpora conjugum aut liberorum servitio tradebant. *Id. H.* 2, 11. speculatorum tecta corpora. *Plin. Pan.* 33, 1. Servorum noxiorumque corpora. *Virg. A.* 9, 272. lectissima matrum corpora. *Sil.* 14, 105. Sororum corpora. *Id.* 7, 358. Corpora boum.] ℙ Item de cadavere. *Alvin.* l. *v.* 167. Quin etiam corpus matri vix vixque remissum, Exsequiis caruit, Livia, paene tuis. *Ov. Met.* 13, 471. genitrici corpus inemptum Reddite. Et *Fast.* 2, 835. super corpus communia damna gementes. *Inscr.* ap. *Grut.* 662, 8. Isdem corporibus tralatis. ℙ Secundo *corpus* significat id, quod acervatione, vel nexu, seu quod ex contingentibus se, hoc est inter se cohaerentibus constat. quod συνημμένον vocatur, ut finis, frumentum, aedificium, navis, armarium. Translate. *Cic. Fam.* 5, 12. A principio conjurationis usque ad reditum nostrum, videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse. [*Cf. *Salm.* ad *Sol.* p. 3.] *Id. Brut.* 57. Unum corpus debet esse defensionis. *Virg. A.* 11, 313. toto certatum est corpore regni, *h. e.* totis regni viribus. *Cic. Q. Fr.* 2, 13. *f.* Sed utros ejus habueris libros, (sunt enim duo corpora) an utrosque nescio. *Ulp. Dig.* 32, 50. Corpus Homeri: opera Homeri. *Senec. Tranquill.* 9. *f.* Corpora ignotorum auctorum conquirere. *Ulp. Dig.* 40, 5, 37. Corpora rationum. *Imp. Justin. Cod.* 5, 13. Corpus Juris. *Ulp. Dig.* 4, 2, 20. patrimonii. Et *ib.* 31, 79. Omnia corpora maternae hereditatis. ℙ Tertio *corpus* dicuntur ea, quae ex distantibus constant, sed uni nomini subjectis, ut populus, legio, grex. *Liv.* 26, 16. Corpus nullum civitatis, nec senatus, nec plebis concilium esse. *Justin.* 3, 2. Fiunt de uno populo duo corpora. *Id.* 14, 2. *f.* Unus de corpore militum. *Liv.* 4, 9. Qui et ipsi ejusdem corporis erant, *h. e.* ejusdem ordinis. *Id.* 1, 17. Sabini sui corporis creari regem volebant, *h. e.* sui populi, Sabinum scilicet. *Callistr. Dig.* 50, 6, 5. *f.* Collegium, vel corpus fabrorum, et naviculariorum. Hinc *corporati*, de quibus in V. CORPORATUS. ℙ [*Confunduntur *corpus* et *pectus.* V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 253. p. 473.]

CORPUSCŬLUM, i, n. σωμάτιον, diminut. a *corpus. Cic. N. D.* 1, 24. Esse corpuscula quaedam laevia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curvata quaedam, et quasi aduncа. [**Corpuscula* h. l. sunt *atomi.* Ita saepissime ap. *Lucr.* 2, 152. Corpuscula vaporis singillatim inter se non meant. Adde *Eund.* 4, 199. 2, 530.] *Juven.* 10, 173. mors sola fatetur Quantula sint hominum corpuscula. *Trajan. ad Plin. ep.* 10, 29. Cuperem, sine querela corpusculi tui pervenire in Bithyniam potuisses. *Justin. praef.* Horum voluminum cognitione quaeque dignissima excerpsi, et breve veluti florum corpusculum feci. ℙ In blanditiis. *Pl. Cas.* 4, 4, 19. Corpusculum mellitulum!

CORRĂDO et Conrado, is, asi, asum, a. 3. συμψάω, radendo aufero. *Cels. Dig.* 6, 1, 38. Si tectorium quod induxeris, picturasque corradere velis. *Lucr.* 6, 443. Vortex conradens ex aere semina nubis. ℙ Translate. *Ter. Heaut.* 1, 1, 89. Nihil relinquo in aedibus, nec vas, nec vestimentum: corrasi omnia. Ubi *Calphurnius:* omnia compilavi, vendidi. Huic contrarium est *abradere*, et est per vim aliquid auferre. Cum autem dicere volumus, aliquem nihil omnino tam parvum reliquisse ex rebus suis, quod non alienaverit, recte dicemus *omnia corrasit*, quasi etiam raserit parietem etc. ℙ Item difficulter comparare, eodem teste. *Ter. Adelph.* 2, 2, 34. Minas decem corradet alicunde. *Pl. Poen.* 5, 6, 26. Trecentos Philippos, credo, corradi potest. *Ulp. Dig.* 26, 7, 4. Si ea summa corradi possit, ut inde ager comparari possit. ℙ De loco *Lucretii* V. in CONTRADO.

*CORRAGUM, vel corragon, i, n. castelli nomen in Macedonia. *Liv.* 31, 27. *B. A.*

CORRĀSUS et Conrasus, a, um, part. a *conrado*, radendo ablatus: et translate comparatus, collectus. *Callistr. Dig.* 40, 20, 6. *extr.* Plerumque etiam inde corrasas pecunias praesides ad fiscum transmiserunt. Adde *Ulp. ib.* 7, 3. *circa med.*

CORRĀTIONĀLĪTAS et Conrationalitas, atis, f. *August. Music.* 6, 17. Corrationalitas: ita enim malui analogiam vocare etc.

CORRECTĬO et Conrectio, onis, f. διόρθωσις, emendatio. *Cic. Fin.* 4, 9. Haec est correctio philosophiae veteris, et emendatio. *Id. Off.* 3, 2. Panaetium nos, correctione quadam adhibita, potissimum secuti sumus. *Suet. Tib.* 42. et *Dom.* 8. Correctio morum, *h. e.* censura. [*V. *Ernest.* ad *Suet. l.* prius laudatum.] ℙ Item objurgatio, castigatio. *Cic. Amic.* 24. *extr.* Peccasse se non anguntur, objurgari moleste ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere. ℙ Apud rhetores est figura, quae tollit id, quod dictum est, et pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit, hoc pacto: Nam postquam isti vicerunt, atque adeo victi sunt: eam enim quomodo victoriam appellem, quae victoribus plus calamitatis, quam boni dederit? Haec ex *Auct. ad Her.* 4, 26. Adde *Cic. Or.* 3, 53. ℙ *Quint.* autem 9, 3. docet, duplicem esse *correctionem*, verborum, et sententiarum. Nam cum in re est, dubitatio quaedam dici potest, et ad sententias pertinet: ad verba vero, cum in verbo aliquo emendando versatur. [*V. *Ernest. lex. techn. lat.* p. 98. sq.] ℙ *Turneb.* quoque duas facit *correctiones*, alteram, quae corrigat antequam dicatur, Graece προδιόρθωσιν: alteram, quae post, ἐπιδιόρθωσιν, quia *Cic. l. c.* habet: *tum correctio vel ante, vel postquam dixeris.* Satius est tamen, unam eandemque figuram agnoscere.

CORRECTOR et Conrector, oris, m. διορθωτής, qui corrigit. *Cic. Balb.* 8. O praeclarum interpretem juris, auctorem antiquitatis, correctorem, atque emendatorem nostrae civitatis! *Hor. Ep.* 2, 1, 129. Asperitatis, et invidiae corrector, et irae. *Liv.* 45, 32. Usus est legum corrector. [*Cf. *Bentl.* ad *Hor. Ep.* 1, 15, 37.] ℙ *Correctores* provinciarum, sub imperatoribus Romanis in provincias mittebantur, vel corrigendi causa, si quid turbatum esset aut bellorum vi, aut rebellionibus, aut mutatione dominorum, aut negligentia magistratuum: vel potius regendi atque administrandi, una cum consularibus, et praesidibus, aut etiam procedente tempore, ipsi soli. Quorum dignitas paulatim adeo crevit, ut unus aliquando *Italiae Corrector* creatus sit, auctoritate certe imperatoribus ipsis valde proxima. Initio autem medii fuisse videntur inter consulares et praesides. *Hermogen. Dig.* 1, 18. *De Off. Praes.* 10. De omnibus causis, de quibus etc. correctorum, et praesidum provinciarum notio est. *Eutrop.* 9, 13. Qui quidem Tetricus etiam corrector Lucaniae postea fuit. Ubi Paeanii μετάφρασις habet καὶ τὸν μὲν (Τέτρικον) ἐπιτροπεύειν ἔταξε τῆς Λουκανῶν ἐπαρχίας. [*Cf. *Tzschuck.* ad h. l. et quos laudat.] *Inscr.* apud *Grut.* 407, 8. Corrector Flaminiae, et Piceni. Et 279, 4. Corrector Italiae. Et ap. *Mur.* 373, 3. Corrector Venetiae, et Histriae. De his Correctoribus consule *Morc. De stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 122. *edit. Pat.* et *Jo. Labusium*, *Epigrafe ant. Padov* p. 12. ℙ Corrector viae Flaminiae, et Cassiae, in *Inscr.* ap. *Graevium* in *praef. ad Tom. Antiquit. Rom.* 10. est restitutor viae corruptae, et labefactatae.

CORRECTŪRĂ et Conrectura, ae, f. officium et munus correctoris. *Aurel. Vict. Caes.* 35. Correctura Lucaniae. Et *ib.* 39. Cum Venetos correctura ageret, *h. e.* Venetiae corrector esset. Adde *Auson. Parent. n.* 24. *v.* 11.

CORRECTUS et Conrectus, a, um, part. a *corrigo*, διορθωθείς, directus. *Liv.* 29. 27. *s. f.* Aegre correctus cursus. *Plin.* 28, 4, 7. Hoc saepe delumbata quadrupede approbatur, statim a tali remedio correcto animalis ingressu. *Id.* 36, 14, 21. Lapis pondere ipso correctus videbatur. ℙ Translate est emendatus. *Cic. Acad.* 1, 4. Recentissima quaeque sunt correcta et emendata maxime. *Id. Att.* 13, 48. Laudationem Porciae tibi misi correctam. *Gell.* 6, 14. Poena adhibetur castigandi, atque emendandi gratia, ut is, qui fortuito deliquit, attentior fiat, correctiorque. *Sall. Jug.* 99. *extr.* Sic forte correcta Marii temeritas gloriam ex culpa invenit.

CORRĒPO et Conrepo, is, psi, n. 3. εἰσέρπω, ὑφέρπω, idem quod repo, irrepo: et translate paulatim, vel occulte intro. *Varr. R. R. praef.* 2. et *Colum. praef.* 1. Omnes patresfamiliae, falce et aratro relictis, intra muros correpsimus. *Cic. Att.* 10, 12. *Πάρωρα, πλευτέον* igitur, et occulte in aliquam onerariam corrependum. *Id. N. D.* 1, 24. Quod cum efficere vultis, in dumeta correpitis, *h. e.* dicitis res involutas, quibus vos ipsi implicamini, ut inde expediri atque extricari nequeatis. ℙ Ap. *Lucr.* 5, 1217. Praeterea cui non animus formidine divum Contrahitur? cui non conrepunt membra pavore? *conrepunt* est concidunt, ad terram sternuntur more animalium reptilium.

CORREPTĒ et Conrepte, adv. corripiendo, breviter, si loquamur de quantitate syllabae: cui *producte* opponitur. *Gell.* 6, 9. *Dictito* ab eo verbo, quod est *dico*, correpte dicimus. *Ov. Pont.* 4, 12, 13. Aut producatur, quae nunc correptius exit.

CORREPTĬO et Conreptio, onis, f. apprehensio. *Gell.* 20, 10. Vindicia, id est correptio manus in re atque in loco praesenti. *Scrib. Comp.* 171. In ipsa correptione uti oportet ea antidoto, *h. e.* cum morbus corripit. ℙ Item diminutio. *Vitr.* 9, 9. Correptiones dierum, aut crescentiae. ℙ *Correptio syllabae*, cui opponitur *productio*, est, cum syllaba brevi tempore pronunciatur. *Quint.* 7, 9. *f.* Productio quoque, in scripto, et correptio in dubio relicta, causa est ambiguitatis. *Id.* 9, 3. *med.* Voces productione, vel correptione mutatae. ℙ Est etiam reprehensio, castigatio, increpatio. *Tertull. Pudic.* 14. Correptione aliquem retundere. *Cic. Amic.* 24. Delicto dolere, correptione gaudere. Al. aliter leg. V. CORRECTIO. ℙ [*Item figura eloc. qua duabus diversisque sententiis et rebus unum datur verbum minime utrisque conveniens. Ita *Jul. Ruf.* p. 30. Graecorum *ἀνάληψιν* interpretatur, de qua plura in *Lex. gr. technol.* diximus, unde et nonnulla petenda sunt, quae ad hanc Latinorum technologiam pertinent. *Ernest. lex. techn. lat.* p. 99.]

CORREPTOR, oris, m. reprehensor, ἐπιτιμητής. *Senec. Ira* 2, 10. Non hostis, sed correptor peccantium. Et *ib.* 3, 37. Pessimus quisque correptorem asperrime patitur.

*CORREPTORIUS, a, um, adj. *Interpr. Iren.* 4, 3. Literis correptoriis aliquem admonere. *B. A.*

CORREPTUS et conreptus, a, um, part. a *corripio*, captus comprehensus. *Plin.* 7, 20, 19. Correptum hostem tranferre in castra. *Virg. G.* 4, 405. Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis etc. Et *ib.* 3, 254. Flumina correptos unda torquentia montes. *Suet. Aug.* 43. Correptus valetudine. (et absolute *Senec. Oedip.* 69. Non ars ulla correptos levat.) *Curt.* 6, 6. Subita morte correptus. *Propert.* 1, 3, 13. ardore, *h. e.* cupidine. *Suet. Cal.* 12. misericordia. *Gell.* 1, 26. ira. *Virg. A.* 11, 584. militia, *h. e.* amore militiae. *Lucr.* 4, 81. Omnia conrident, conrepta luce diei, *h. e.* celeriter concepta et recepta. *Ov. Met.* 8, 514. Stipes correptus ab ignibus arsit. *Stat. Th.* 4, 314. Qualis erat, correpta sinus, et vertice flavum Crinem sparsa noto, *h. e.* adstricta, succincta. ℙ Item reprehensus. *Hor. Sat.* 2, 3, 257. correptus voce magistri. *Caes. B. C.* 1, 2. Ii omnes convicio consulis correpti exagitabantur. *Suet. Galb.* 5. Correptus jurgio, et manu pulsatus. ℙ Item surreptus, occupatus, ablatus. *Lentul. ad Coss. et Praett. Fam.* 12, 15. Vastata provincia, correptis vectigalibus. ℙ *Syllaba correpta* est brevis. *Quint.* 1, 5. Cum syllaba correpta producitur. *Senec. Q. N.* 2, 56. Illo verbo *(fulgere)* utebantur antiqui correpto, quo nos producta una syllaba utimur. ℙ Correpta vox. *Varr. L. L.* 6, 6. de nomine *trabes.* Cujus verbi singularis casus recte correptus, et facta trabs.

CORRĒUS. V. CONREUS.

CORRĪDĔO et Conrideo, es, a. 2. συγγελάω, simul rideo. *August. Confess.* 4, 8. Colloqui, et corridere, et vicissim benevole obsequi. ℙ Translate. *Lucr.* 4, 81. Omnia conrident, conrepta luce diei.

CORRĪGĬA, ae, f. ἱμάς, σφαιρωτήρ, lorum tenue oblongum ad ligandum: a *corrigo* deductum est, nam corrigia pedem seu potius calceamentum regit. *Cic. Div.* 2, 40. Pedis offensio nobis, et abruptio corrigiae, et sternutamenta erunt observanda. *Plin.* 30, 4, 12. Corrigia canina, *h. e.* ex corio canis. Adde *Varr.* ap. *Non.* 6, 3. ℙ Est quoque lorum oblongum ad percutiendum et incitandum equum. *Edict. Dioclet.* p. 26. Corrigiam aurigalem ✕ duobus. ℙ Secundam syllabam licenter produxit *Arator Hist. Apost.* 2, 81. Quae ligat excelsas humilis corrigia plantas. At recte corripuit *Venant. carm.* 8, 7, 61. Corrigiamque pedum quoniam est non solvere dignus.

CORRĪGO et Conrigo, is, exi, ectum, a. 3. κατορθόω, quod pravum, vel inversum est, dirigo: a *con* et rego. [*A verbo *emendare* pr. ita differt, ut hoc sit: menda expungere v. unum de pluribus mendis tollere, ut *Gesn.* ad *Plin. ep.* 6, 2, 9., *Corrigere* autem rectam facere totam rem ex prava et corrupta; saepe tamen promiscue usurpantur, ut nostra: *verbessern* et *berichtigen. B. Crus.* in *cl. Suet.* s. h. v.] *Cic. Fin.* 1, 6. Ea, quae corrigere vult, mihi quidem depravare videtur. *Au-*

gust. ap. *Macr. Sat.* 2, 4. Corrigere corpus informe gibbo. *Liv.* 29, 27. *f.* Corrigere cursum. *Plin.* 3, 1, 3. Torsere se fluminum, aut correxere flexus. *Id.* 24, 5, 13. Galbanum vulvas conversas corrigit. *Id.* 7, 20, 19. Miloni malum tenenti nemo digitum corrigebat. *Petr. fragm. Tragur.* 51. *Burm.* Phialam contusam malleo corrigere. ℙ *Curva corrigere* proverbio dicitur de censoribus importunis, quique ea corrigere se posse putant, quae nimis jam inveteravere. Utuntur hoc proverbio *Senec. Apocoloc.* et *Plin. ep.* 5, 21. ℙ *Γνώμη* est illud *Quint.* 1, 3. Frangas citius, quam corrigas, quae in pravum induruerunt. ℙ Significat etiam mollire, frangere. *Plin.* 15, 29, 37. Oleo praecipua vis ad corrigenda vina, saccis ante perfusis, *h. e.* vini vires frangendas, ut idem loquitur 14, 22, 28. ℙ Item sano, tollo, emendo. *Id.* 22, 25, 74. Decocta ex lupinis lentigines corrigunt. *Id.* 31, 6, 33. Maciem corporis piscinae maris corrigunt. *Id.* 23, 8, 75. Corrigere cutem in facie. [**Suet. Aug.* 99. Malas labentes corrigi praecepit. Gr. *κατορθοῦν δέμας.* v. *Casaub.* et *Ernest.*] V. LABENS. ℙ Translate est emendare. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. Cursu corrigere tarditatem. *Id. fragm.* ap. *Lact.* 6, 24. errorem poenitendo. *Id. Sull.* 22. vitium legis. *Id. Leg.* 3, 14. Corrumpere, vel corrigere mores civitatis. *Id. Att.* 15, 1. *med.* Petivit, ut eam orationem corrigerem, antequam ederet. *Id. Phil.* 8, 11. Corrigere sententiam alicujus. *Id. Cat.* 1, 9. Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? *Pl. Trin.* 1, 2, 81. Quin eum adolescentem, quem corruptum esse vides, restituis? quin ad frugem corrigis? *Suet. Vesp.* 8. Corrigere disciplinam. *Sall. Jug.* 3. delicta. *Varr. L. L.* 8, 4. aliquid ad consuetudinem communem. ℙ [Part. *Corrigens* ap. *Suet. Cal.* 54. Gestum histrionis quasi laudans vel corrigens. *Correcturus* ap. *eund. Caes.* 56. Rescripturus et correcturus. *F.*]

CORRĪPIO et Conripio, īpis, ipui, eptum, a. 3. *ἐπιλαμβάνομαι*, a *con* et *rapio:* est celeriter arripere, capere, comprehendere. *Cic. Verr.* 2, 3, 23. Hominem corripi, ac suspendi jussit in oleastro. [**Cf. Caes. B. C.* 3, 109.] *Virg. A.* 1, 191. arcumque manu, celeresque sagittas Corripuit. *Id. ib.* 6, 422. Cerberus tria guttura pandens corripit objectam offam. [**Propert.* 4, 11, 24. Fallax Tantaleo corripiare liquor.] *Plin.* 10, 40, 56. Corripere aliquid morsu. *Phaedr.* 1, 2. dente. *Virg. A.* 12, 302. caesariem hostis. *Vellej.* 2, 110. Universa Pannonia insolens longae pacis bonis, ex constituto arma corripuit. [**Cf. Sil.* 6, 198. Trepidum corripit serpens. Proprie id dici de serpente notat *Drak.* Adde *Propert.* 4, 8, 11. *Sil.* 13, 80. Celtas corripuit leto, i. e. interfecit, occidit.] ℙ *Corripere viam, spatium*, est celeriter dare se viae, immittere se in spatium. *Virg. A.* 5, 316. signoque repente Corripiunt spatia audito. *Id. G.* 3, 104. cum praecipiti certamine campum Corripuere, ruuntque effusi carcere currus. *Id. A.* 1, 422. et *Plin. ep.* 4, 1. Corripere viam. *Hor. Od.* 1, 3, 33. gradum. *Val. Flacc.* 1, 132. aequora delphin Corripit. [**Sil.* 16, 396. E carcere corriperet spatium, i. e. exiens e cancellis summa velocitate spatium, in quo certaretur, ingressus est.] ℙ Ponitur et pro involvere, circumdare, complecti. *Ov. Fast.* 2, 524. Nunc ipsas igni corripuere casas. [**V. Gierig.* ad h. l.] *Virg. A.* 9, 537. Flamma corripuit tabulas. Et *ib.* 1, 48. Turbine aliquem corripere. ℙ Item pro rapere, et asportare. *Virg. A.* 2, 167. Corripuere sacram effigiem. *Cic. Verr.* 1, 2. Apertus in corripiendis pecuniis fuit. *Justin.* 15, 1. *extr.* Indignatus, quod Antigonus solus communis victoriae praemia corripuisset. [**Adde Cic. Fam.* 12, 15. Corripere vectigalia *ib.* Quidquid ex pecunia correptum est.] ℙ Et pro celeriter movere. *Virg. A.* 3, 176. Corripio e stratis corpus. Et *ib.* 4, 572. Corripit e somno corpus. Et *ib.* 11, 462. Corripuit sese, et tectis citus extulit altis. *Ter. Hecyr.* 4, 1, 3. Corripuit derepente tacitus sese ad filiam. [**V. Ruhnk.* ad h. l. et *Heyn.* ad *Virg. A.* 6, 472. *Sil.* 15, 208. Corripit agmen, i. e. ocius ducit, ut saepe simplex *rapere*, quod cf.] ℙ Et pro adoriri, invadere, tenere. *Virg. G.* 3, 472. Morbi corripiunt corpora. *Val. Flacc.* 6, 277. Extremus error corripit lumina, *h. e.* tenebrae occupant oculos. [**Usitatissimum est vocabulum de subito morborum impetu. *Suet. Caes.* 45. Comitiali quoque morbo bis inter res agendas correptus est. V. *Brem.* ad h. l. Neque differunt quae §. 8. dicta sunt.] *Tac. A.* 11, 8. Neque cunctatur, quin proximas praefecturas corripiat. ℙ Translate. *Virg. G.* 2, 510. hunc plausus hiantem Corripuit, *h. e.* cepit. ℙ Et passive. *Suet. Vitell.* 3. Decessit paralysi, altero die, quam correptus est. *Cels.* 6, 18. *n.* 9. Subitis et gravissimis morbis corripi. *Plin.* 7, 51, 52. febre. ℙ Et translate. *Ov. Met.* 9, 459. Byblis correpta cupidine fratris. *Pl. Asin.* 5, 2, 34. Correptum esse ex amore. Al. leg. *corruptum.* ℙ Significat etiam minuere, contrahere. [**Gr. συστέλλειν.*] *Suet. Dom.* 4. Quo facilius centum missus peragerentur, singulos a septenis spatiis ad quina corripuit. *Id. Tib.* 34. Ludorum ac munerum impensas corripuit. [**Nos: *Herabsetzen.* V. *Brem.* ad h. l. ubi contra *Ernest.* qui imminuendi notionem duci putat a notione reprehendendi, recte docere videtur: *corripere* proprie dici de ea minuendi, contrahendi ratione, quae celeritate fiat, ut *corripere viam, gradum.* Inde restringendi notionem ortam.] *Quint.* 10, 1. Poetae non mutare quaedam modo verba, sed extendere, corripere, convertere, dividere coguntur, breviora facere aliquid detrahendo per aphaeresin, syncopen, vel apocopen. *Id.* 4, 2. *med.* Non minus cavenda erit, quae nimium corripientes omnia sequitur, obscuritas. *Gell.* 2, 17. Praepositio, quae produci et corripi solet. V. CORREPTUS. ℙ Item translate, reprehendere, objurgare, increpare. *Suet. Aug.* 53. Adulationes gravissimo edicto corripuit. *Id. Cal.* 45. Corripere timiditatem et ignaviam alicujus. *Ov. Pont.* 2, 6, 5. peccata stulti sodalis. *Plin.* 37, 2, 6. Jus videmur perdidisse corripiendi potoria gemmata. ℙ Item in judicium rapere, accusare, reum agere. *Suet. Dom.* 12. Quolibet et accusatore et crimine corripiebantur. *Tac. A.* 12, 42. Corripere aliquem accusatione. ℙ Et absolute. *Id. A.* 3, 49. Lutorium Priscum corripuit delator. *Id. ib.* 6, 40. A delatoribus corripitur, ob servum adulterum.

CORRĪVĀLIS et Conrivalis, m. *συνεπιθυμητής*, idem ac rivalis. *Quint. Decl.* 14, 12. Patior illa corrivalium maledicta, convicia.

CORRĪVĀTĬO et Conrivatio, onis, f. *σύῤῥους, σύῤῥοια*, deductio aquae in unum et eundem locum. *Plin.* 31, 3, 27. Corrivatio aquae pluviae in locum humiliorem e superioribus defluentis. Adde 33, 4, 21. et 36, 15, 24. *n.* 11.

CORRĪVĀTUS et Conrivatus, a, um, part. a *corrivo*, in eundem locum deductus: et dicitur de fluentibus. *Senec. Q. N.* 3, 19. Habet terra venas aquarum, ex quibus corrivatis flumina effici possunt. *Plin.* 3, 5, 9. Tiberis corrivatus piscinis. *Id.* 6, 14, 17. Liquor salis corrivatus. *Id.* 34, 12, 32. Corrivatus limus.

*CORRIVIUS vel Corrivus, i, m. rivus ex eod. loco defluens. *Auct. Itin. Alex.* ed. *A. Majo* 19. Quod *is* Granicus Idaeis conriviis repens praecipitio montano descendens ruensque impetu plusquam agmen navale. Suspectus locus. *B. A.*

CORRĪVO et Conrivo, as, avi, atum, a. 1. in eundem rivum aquas deduco. *Ulp. Dig.* 39, 3, 3. Corrivare aquam. *Plin.* 31, 4, 30. Plerumque damnosi torrentes corrivantur, detracta collibus silva, continere nimbos, ac digerere consueta. ℙ Ap. *eund.* 6, 16, 18. *corrivare flumen* videtur positum pro in rivos dividere, et ad irrigandos agros diducere.

CORROBŌRĀMENTUM, i, n. *Lact.* 3, 12. *sub f.* Labores et miseriae sunt exercitia et corroboramenta virtutis.

CORROBŌRĀTUS, a, um, part. a *corroboro*, *ἐπιῤῥωσθείς*, qui vires jam acquisivit, confirmatus. *Cic. Coel.* 17. *sub f.* Quibus non modo haec aetas, sed etiam corroborata caperetur. *Id. Mil.* 12. Audacia corroborata. *Id. Fl.* 26. virtus. *Id. Amic.* 20. ingenia.

CORROBŌRO et Conroboro, as, avi, atum, a. 1. *ἐπιῤῥώννυμι, κραταιόω, ἰσχυρόω*, idem quod roboro, vires et robur addo, confirmo. *Front. Aquaed.* 123. Temperamento coeli opus est, ut ex humore commode structura combibat, et in unitate corroboretur. *Cic. Sext.* 4. Cum puerilis tua vox se corroborarit. *Plin.* 20, 23, 99. Carduus stomachum corroborat. *Id.* 24, 4, 7. Corroborare torpentes membrorum partes. *Id.* 11, 37, 49. Cerebrum corroboratur. *Suet. Galb.* 6. Militem assiduo opere corroborare. ℙ Translate. *Cic. Cat.* 1, 12. Qui conjurationem nascentem non credendo corroboraverunt. *Id. Acad.* 4, 10. Mens usque eo philosophiam ipsam corroborat, ut virtutem efficiat. *Auct. Dial. de Orat.* 34. Eloquentia corroboratur.

CORRODO et Conrodo, is, osi, osum, a. 3. *ἀναβρώσχω*, idem quod rodo, exedo. *Cic. Div.* 2, 27. Quod Platonis Politiam nuper apud me mures corroserint, de republica debui pertimescere.

*CORRŌGĀTIO, onis, f. *Vulg. Siracid.* 2, 3. *B. A.*

CORRŌGĀTUS, a, um, part. a *corrogo*, multis precibus rogatus, ut *corrogati auditores*, *h. e.* ambitione collecti. *Cic. Phil.* 3, 8. et *Quint.* 10, 1. ℙ Corrogata pecunia ad usus necessarios, *h. e.* collecta, *Caes. B. C.* 3, 102. Sic *Cic. Verr.* 2, 3, 79. Nummulis corrogatis de nepotum donis.

CORRŌGO et Conrogo, as, a. 1. *συνεφαντίζω*, est rogando congregare, sive multis precibus contrahere. *Cic. Quint.* 6. Ipse suos necessarios ab atriis Liciniis, et a faucibus macelli corrogat, ut ad tabulam Sextiam sibi adsint. *Plin. ep.* 2, 14. Corrogare auditores. *Auct. ad Her.* 4, 6. Carbunculos corrogare, *h. e.* colligere. Et *ib.* 51. Vasa, vestimenta, pueros corrogare.

*CORROSIVUS, a, um, adj. ad corrodendum aptus, vim habens corrodendi. *Senec. Q. N.* 7, 27. Corrosiva medicamenta chirurgorum sunt, superfluas et invalidas carnes exedentia. *B. A.*

CORRŌSUS et Conrosus, a, um, part. a *corrodo*. *Varr. R. R.* 3, 17. Insulae corrosae. Alii rectius leg. *chorevusae*, quam vocem vide suo loco. *Juven.* 15, 80. Corrosis ossibus.

CORRŌTUNDĀTUS, a, um, part. a *corrotundo*. *Petr. fr. Trag.* 39. *Burm.* Terra mater est, in medio quasi ovum corrotundata. *Veg. Mil.* 1, 11. Scuta corrotundata.

CORRŌTUNDO et Conrotundo, as, a. 1. rotundum facio. *Senec. Q. N.* 4, 3. Grando corrotundatur et toties per spatium aeris densi devoluta, aequabiliter atque in orbem teritur. Adde *ib.* 7, 26. et *ep.* 113. ℙ *Petr. fr. Trag.* 76. *Burm.* Uno cursu centies sestertium corrotundavi, *h. e.* cumulavi, collegi, coacervavi, sumpta translatione vel a forma rotunda pecuniae, vel acervi. Sic *Hor. Ep.* 1, 6, 34. Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro et Tertia succedant, et quae pars quadret acervum.

CORRŪDA, ae, f. 1. *ἄγριος ἀσπάραγος*, asparagus silvestris, qui cultu, et translatione mitescit. *Cato R. R.* 6. Ibi corrudam serito, unde asparagi fiant. *Colum.* 10, 375. et asparagi corruda simillima filo. *Id.* 11, 3. *a med.* Sativi asparagi, et quam corrudam rustici vocant. Adde *Plin.* 19, 8, 42. ℙ Sunt qui derivant a *κόρυμβος*, teste *Hesychio*, *ὁ κανλὸς τοῦ ἀσπαράγου.* Et reapse *Cod. Sangerm.* in *Colum.* 11, 3. dat *Corundam.* At huic origini obstat prima syllaba in *corruda*, quae longa est, brevis in *κόρυμβος;* deinde difficilis est mutatio litterae *β* in *δ.*

[CORRŪDIS, et Conrudis, e, adj. a *con*, et *rudis*, simul rudis. *Not. Tir.* p. 123. *F.*]

CORRŪGĀTUS, a, um, part. a *corrugo*, rugas habens, *ῥυτιδώδης*. *Colum.* 12, 39. Ubi satis corrugata erunt acina, demito.

CORRŪGIS, e, adj. qui in rugas colligitur. *Nemesian. Cyneg.* 93. Corrugesque sinus *(chlamydis)* gemmatus balteus arctet.

CORRŪGO, et Conrugo, as, a. 1. *ῥυτιδόομαι*, in rugas contraho, crispum reddo. *Colum.* 12, 50. *med.* In tabulato corrugari olivam, minoremque fieri. *Hor. Ep.* 1, 5, 22. ne turpe toral, ne sordida mappa Corruget nares, *h. e.* convivis fastidium creet ac nauseam, quam corrugando nares significare solemus.

CORRŪGUS, i, m. fossa, aut canalis, quo corrivatur aqua ad eluendum aurum ex metallis erutum. *Plin.* 33, 4, 21. Flumina ad lavandam hanc ruinam jugis montium ducere: corrugos vocant, a corrivatione credo.

CORRUMPO, et Conrumpo, is, upi, uptum, a. 3. *διαφθείρω, ἀμαλάττω, λυμαίνω*, vitiare, depravare, destruere: a *con*, et *rumpo*. *Ter. Adelph.* 3, 4, 57. Pisces hi mihi ne corrumpantur, cautio est. Et 4, 2, 49. Aeschinus odiose cessat: prandium corrumpitur. *Front. Aquaed.* 122. Tectoria corrumpuntur. *Cic. N. D.* 2, 7. Conclusa aqua facile corrumpitur. *Caes. B. G.* 7, 55. Frumenta corrumpere flumine, atque incendio. Et *B. C.* 2, 10. Coria igni ac lapidibus corrumpuntur. *Sall. Jug.* 59. Pabula, et aquarum fontes corrumpere. Et *ib.* 79. Aurum, argentumque, et alia domum regiam comportant: ibi illa, et domum, et semet igni corrumpunt. Et *ib.* 97. Oppida igni corrumpere. *Scrib. Comp.* 137. Hoc medicamentum stomachum non corrumpit. *Ov. Her.* 20, 117. Corrumpere febribus artus. *Id. Am.* 3, 6, 57. lacrimis corrumpere ocellos. *Propert.* 3, 13, 20. Corrumpit dura catena manus. *Id.* 2, 3, 3. Corrumpere dentibus ungues. *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 23. Corrumpi situ. *Liv.* 28, 35. Corrumpi equos inclusos in insula. V. CORRUPTUS. *Pl. Men.* 4, 2, 31. Dii illum omnes perdant: ita mihi hunc hodie corrupit diem. Eadem ratione dixit *Id. Asin.* 2, 2, 25. lacerare diem. *Ulp. Dig.* 11, 4, 11. Chirographa debitorum corrumpere. [**Sil.* 12, 303. Foedera corrumpere, i. e. violare.] *Cic. Ver.* 2, 2, 38. litteras publicas. *Modest. Dig.* 48, 10, 32. mensuras publice probatas vini, frumenti etc. *Ulp. ib.* 43, 8, 2. *med.* usum viae. *Sil.* 5, 34. densam caligine caeca Exhalans nebulam, late corruperat omnem Prospectum miseris, *h. e.* ademerat. *Sall. Jug.* 38. Seque suasque spes corrumpere, *h. e.* perditum ire. Et *ib.* 68. Diuturnitate belli res familiares corruperant. ℙ In bonam partem. *Stat. Achill.* 1, 307. Lactea Massagetae veluti cum pocula fuscant Sanguine puniceo, vel ebur corrumpitur ostro. ℙ Translate. *Sall. Cat.* 44. Dubitando et dies prolatando magnas opportunitates corrumpere. *Curt.* 4, 7. famam rerum gestarum. *Mart.* 12, 66. emptorem arte vafra. *Ov. Fast.* 6, 319. dotes suas. *Id. Trist.* 2, 301. mentes. *Id. Her.* 21, 127. spem. *Vell.* 2, 57. Fatum corrumpit consilia. Et *ib.* 52. Pertinacia corrumpit munus misericordiae. *Tac. H.* 3, 49. Corrumpere disciplinam. *Id. Ann.* 1, 75. libertatem. *Cic. Leg.* 3, 14. mores civitatis. Et *ib.* aliquem. Et, corrumpi. *Quint.* 8, 3. Littera continuata cum insequente, in naturam ejus corrumpitur. ℙ Corrumpere aliquem pecunia, blanditiis, largitione,

praemiis etc. ap. *Cic. Verr.* 2, 3, 48., *Planc.* 15. et *Caec.* 25. et *Nep. Epam.* 4. etc. est seducere, pertrahere ad pravum aliquid committendum. Atque hoc sensu etiam absolute usurpatur. *Nep. Lys.* 3. Delphos corrumpere est conatus. *Ascon. in Div. Verr.* 7. Corrumpere judicium, *h. e.* dare pecuniam judicibus pro sententia. *Sall. Jug.* 42. centuriones, uti transfugiant. *Tac. A.* 13, 21. aliquem ad scelus. *Mart.* 8, 42. Si te sportula major ad beatos non corruperit, *h. e.* pertrahet ad coenam ditiorum. *Ov. Her.* 4, 165. Flecte feros animos, potuit corrumpere taurum Mater: eris tauro saevior ipse truci? *h. e.* mollire, et pertrahere ad concubitum. [**Propert.* 1, 8, 21. Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae, Quin ego, vita, tuo limine vera querar. *Id.* 2, 32, 58. Uxorem quondam magni Minois, ut ajunt, Corrupit torvi candida forma bovis. *Ov. Met.* 6, 461. Comitum corrumpere curam Nutricisque fidem.] ℙ *Corrumpere aliquam* est vitiare. *Mart.* 12, 63., *Suet. Caes.* 50., *Petr. Sat.* 113. etc. ℙ *Corrumpier* auctum per paragogen pro *corrumpi*, est ap. *Lucr.* 6, 17. ℙ [Part. *Corrumpens* ap. *Claud. III. Cons. Honor.* 187. non corrumpentia sensus Dona valent. *Corrupturus* ap. *Nep. Lys.* 3. Existimat, se Afros facilius corrupturum. *Corrumpendus* ap. *eund. Epam.* 4. Diomedon Epaminondam pecunia corrumpendum susceperat.

CORRŬO et Conruo, is, ui, n. 3. *συμπίπτω*, idem quod ruo, cado. *Cic. Top.* 3. Si aedes eae corruerunt, vitiumve fecerunt. *Id. Q. Fr.* 2, 10. Paene ille timore, ego risu corrui. *Plin.* 28, 6, 17. Corruens morbo comitiali. [**Virg. A.* 10, 488. Corruit in vulnus. — Hinc dicitur de victimis mactandis. *Propert.* 2, 19, 14. Hoedus ubi agrestes corruet ante focos. *Id.* 4, 10, 16. Voverat, et spolium corruit ille Jovi.] ℙ Item praeceps ruo, feror, irruo. *Senec. Q. N.* 2, 59. Nullus perniciosior hostis est, quam quem audacem angustiae faciunt: longèque violentius semper ex necessitate, quam ex virtute corruitur. *Curt.* 3, 3. Pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adornabat. ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 1, 4. Si uno meo facto et tu, et omnes mei corruistis. *Id. Off.* 1, 24. Lacedaemoniorum opes corruerunt. *Id. Acad.* 4, 31. Explicata Carneadis sententia, Antiochi ista corruent universa. ℙ Est etiam activum, et significat evertere. *Lucr.* 5, 369. quae possint forte coorta Corruere hanc rerum violento turbine summam. *Appul. Met.* 8. Charite, veluti ipso diali fulmine percussa, corruit corpus, et obnubilavit animam, *h. e.* membra dejecit, et collapsa est: nisi malis v. *corpus* esse accus. more Graecorum adjectum. ℙ Translate. *Catull.* 68, 52. Nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam, Scitis, et in quo me corruerit genere. Al. leg. *torruerit.* ℙ Pro coacervare, conjicere. *Pl. Rud.* 2, 6, 58. tu promittebas mihi, Illic esse quaestum maximum meretricibus: Ibi me corruere posse, ajebas, divitias. *Varr. L. L.* 4, 31. Corbes ab eo (*dictae*) quod spicas, aliudve quid corruebant.

CORRUPTĒ, adv. *διεφθαρμένως*, vitiose, prave. *Cic. Fin.* 1, 21. De quibus neque depravate judicant, neque corrupte, *h. e.* quasi accepta pecunia. *Ascon. Div. in Verr.* 6. Ne pro selectis judicibus aliqui supposite corruptissime judicarent. *Senec. Contr.* 2, 9. Multa facunde explicuit, corruptius, quam Fabianus, sed dulcius. *Gell.* 13, 30. Corrupte pronunciare verba.

CORRUPTĒLA, ae, f. quidquid ad corrumpendum vim habet. *Cic. Off.* 2, 15. Melius etiam, quod largitionem, corruptelam dixit esse. *Id. Leg.* 2, 15. Mores cantus dulcedine corruptelaque depravantur. *Id. Cat.* 1, 6. Irretire adolescentulum illecebris corruptelarum, *h. e.* voluptatum. *Id. Dejot.* 11. Ista corruptela servi, si non modo impunita fuerit etc., *h. e.* crimen, quo quis servum alienum corrupit. *Id. Verr.* 2, 2, 54. In corruptelis mulierum reperiebam hunc Timarchidem ad istius flagitiosas libidines natum atque aptum fuisse, *h. e.* in mulieribus corrumpendis. *Id. Leg.* 1, 12. Tanta est corruptela malae consuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi exstinguantur a natura dati. *Pl. Asin.* 5, 2, 17. Studere corruptelae. *Cic. Parad.* 6, 2. Moliri corruptelam judicii. [**Liv.* 39, 10. scire corruptelarum omnis generis eam officinam esse.] ℙ Specialiter dicitur de quodam peculiari, illicitoque genere libidinum. *Cic. Tusc.* 4, 35. Stupra dico, et corruptelas, et adulteria, incesta denique. *Suet. Claud.* 16. Famosus corruptelis adulteriisque. ℙ Item de hominibus, qui prave vivendo, aut connivendo aliorum mores corrumpunt. *Ter. Adelph.* 5, 3, 6. Eccum adest communis corruptela nostrum liberum. ℙ Item de locis, in quibus homines corrumpuntur, ut ganeae sunt, et lupanaria. *Frontin. Aquaed.* 76. Irriguos agros, tabernas, coenacula etiam, corruptelas denique omnes perpetuis salientibus instructas invenimus. *Pl. Truc.* 3, 2, 3. Clanculum collapsus est hic in corruptelam suam.

CORRUPTĪBĬLIS, e, adj. *φθαρτὸς*, corruptioni obnoxius. *Lact.* 6, 25. Deus incorruptus est, et illud totum corruptibile. Adde *Arnob.* 2, 68. ℙ Comp. *Corruptibilior* est *Augustini de vera relig.* 41.

CORRUPTĪBĬLĬTAS, atis, f. facilitas se corrumpendi. *Tertull. adv. Marc.* 2, 16. Corruptibilitas substantiae humanae.

[CORRUPTĬLIS, e, adj. idem ac corruptibilis. *Not. Tir.* p. 77. *F.*]

CORRUPTIO, onis, f. *διαφθορὰ, φθάρμα*, actus corrumpendi. *Cic. Tusc.* 4, 13. Morbum appellant totius corporis corruptionem. Et *ib.* Corruptione opinionum morbus in animo efficitur.

CORRUPTĪVUS, a, um, adj. corruptibilis, corrumpens, *φθαρτικός*. *Tert. Resurr. carn.* 50. Cum devorari habeat corruptivum istud ab incorruptibilitate.

CORRUPTOR, oris, m. *φθορεὺς, διαφθορεὺς*, qui corrumpit. *Cic. Cat.* 2, 4. Corruptor juventutis. *Id. Planc.* 16. Cujus tu tribus venditorem, et corruptorem, et sequestrem Plancium fuisse clamitas. *Suet. Dom* 8. Corruptores Vestalium. *Pl. Trin.* 2, 1, 14. Amor latebricolarum hominum corruptor. *Cic. Rabir. Post.* 3. Corruptor senatus. *Sall. orat.* 1. *ad Caes. de republ. ordin.* victoriae.

CORRUPTORĬUS, a, um, adj. corruptibilis. *Tertull. adv. Marc.* 2, 16. Homo corruptoriae conditionis. Et *mox.* Sensus corruptorii in homine, incorruptorii in Deo.

CORRUPTRIX, icis, f. quae corrumpit. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 6. Tam depravatis moribus, tam corruptrice provincia. *Ammian.* 25, 3. Licentia rerum corruptrix et morum.

CORRUPTUS, a, um, part. a *corrumpo*, vitiatus, labefactatus, depravatus, destructus, *διαφθειρόμενος, φθαρμένος*. *Virg. A.* 1, 181. Ceres corrupta undis. Et *ib.* 3, 138. Corruptus coeli tractus. *Hor. Sat.* 1, 5, 95. Iter longum, et factum corruptius imbri. *Hirt. B. Alex.* 6. Aqua corruptior, et salsior. *Suet. Ner.* 34. Corruptum navigium. *Cic. Verr.* 2, 2, 42. Tabulae corruptae, atque interlitae. *Caes. B. C.* 3, 58. Corrupti macie equi. Eodem sensu *Phaedr.* 2, 8. Corrupti boves. *Colum.* 9, 13. Apes vetustate corruptae. *Ov. Amor.* 3, 8, 3. Corrupta virgo, *h. e.* vitiata. *Pl. Amph.* 5, 1, 6. Corrupta sum atque absumpta. ℙ Translate. *Sall. Jug.* 33. Animus ab ignavia atque socordia corruptus. *Id. in or. Philippi contra Lepid.* Ad eum concurrere homines omnium ordinum corruptissimi. *Hor. Sat.* 2, 2, 9. Corruptus judex male verum examinat. *Tac. H.* 3, 47. Egentissimus quisque in spem rapinarum corruptus. Et *ib.* 1, 72. Nero corruptus ad omne facinus. Et *ib.* 2. Odio et terrore corrupti in dominos servi. *Caes. B. C.* 3, 64. Quodcumque addebatur subsidio, id corruptum timore fugientium, terrorem et periculum augebat. *Cic. Part.* 26. Genus hominum ad honestatem natum, malo cultu, pravisque opinionibus corruptum. *Id. Div. Verr.* 21. Corrupta et contaminata judicia. *Id. Mur.* 12. Cum permulta praeclare legibus essent constituta, ea jureconsultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata sunt. *Id. Off.* 2, 20. Corrupti mores depravatique admiratione divitiarum. *Brut. ad Cic.* 1, 4. Corruptus largitionibus animus. *Hor. Sat.* 1, 2, 39. Corrupta dolore voluptas. *Planc. ad Cic. Fam.* 10, 15. Partem exercitus, quae corrupta est, et ab republica alienata, corrigere, et coercere. *Ov. Fast.* 5, 195. Chloris eram, quae Flora vocor: corrupta Latino Nominis est nostri littera Graeca sono. *Quint.* 1, 1. Oris plurima vitia, in peregrinum sonum corrupti. *Id. prooem.* 8. A corruptissimo quoque poetarum figuras, seu translationes mutuamur. *Justin.* 36, 1. Demetrius rerum successu corruptus. *Plin. ep.* 7, 4. *a med.* Transii ad elegos: hos quoque non minus celeriter explicui; addidi alios facilitate corruptus, allectus. ℙ Absolute. *Quint.* 8, 3. Nemo ex corruptis dicat, me inimicum esse culte dicentibus, *h. e.* ex iis, qui corrupte et vitiose loquuntur. ℙ [**Corruptum dicendi genus Quint. Inst.* 12, 10. 73. ed. *Spald.* nominat: Quod aut verborum licentia resultet, aut puerilibus sententiolis lasciviat, aut immodico tumore turgescat, aut inanibus locis bacchetur, aut casuris, si leviter excutiantur, flosculis niteat, aut praecipitia pro sublimibus habeat, aut specie libertatis insaniat. V. *Zumpt. Suppl. annot.* ad *Quint. Inst.* 10, 2, 16. *Spald.* ad *Quint.* 2, 4, 9. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 99.] ℙ Cum infinito. *Lucan.* 10, 56. cum se parva Cleopatra biremi, Corrupto custode Phari laxare catenas, Intulit Emathiis, ignaro Caesare, tectis.

CORS. V. CHORS.

CORSA, ae, f. fascia antepagmenti, *h. e.* ornamentum in modum fasciae, quod in ostiorum antepagmentis fieri solet. Putant esse a Graeco *χόρση*, tempus, seu pars capitis utraque ad aures sita. *Vitr.* 4, 6.

[CORSALVĬUM, ii, n. herba eadem ac salvia. *Appul. Herb.* 101. *F.*]

*CORSEA, ae, f. *Κόρσεια*, vel Corsiae, arum, *Κορσιαὶ*, oppidum Boeotiae, *Thebae Corsicae* cognominatum. *Plin.* 4, 3. *B. A.*

*CORSĒAE, arum, *Κόρσεια*, insula maris Aegaei, prope Ioniam, e regione Sami insulae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

CORSĬCĂ, ae, f. Corsica *Κορσικὴ, Κύρνος*, insula Italiae in mari Ligustico, sed Tusco propior, a septentrione in meridiem projecta. Habet ad meridiem Sardiniam, ad ortum vero solis Etruriae partem. *Plin.* 3, 6, 12. ℙ Dicta est melle abundare, sed amaro et venenato. De ejus autem sterilitate, atque incolis multa *Seneca* in epigrammatis, quae ipsi tribui solent, et praefiguntur *lib. de consol. ad Helv.* et in ipso libro.

CORSĬCĀNUS, a, um, adj. ad Corsicam pertinens, ut *mella Corsicana*, ap. *Serv.* ad *G.* 4, 101. et ad *Ecl.* 9, 30. et *Corsicanus ager*, ap. *Solin.* 3.

CORSĬCUS, a, um, adj. ad Corsicam pertinens. *Manil.* 4, 636. Corsica litora. *Ov. Am.* 1, 12, 9. Quam (*ceram*) puto, de longe collectam flore cicutae Melle sub infami Corsica misit apis. *Plin.* 21, 14, 49. Corsica cera. *Id.* 30, 4, 10. Mel Corsicum, quod asperrimum habetur. *Senec. Oct.* 382. Corsicum mare.

[CORSIS, idis, f. insula Italiae, quae saepius Corsica appellatur. *Prisc. Perieg.* 470. Postquam non longe cernuntur litora Cyrni: Corsida quam pariter, geminato nomine, dicunt. *F.*]

CORSOĪDES, ae, m. *κορσοειδὴς*, genus lapidis canitiei hominis similis: a *κόρση*, capillus. *Plin.* 37, 10, 56.

*CORSTORPLŪTUM, i, n. Britanniae oppidum. *Anton. Itin. B. A.*

CORSUS, a, um, adj. ad Corsicam pertinens. *Ov. Fast.* 6, 194. Cum paene est Corsis obruta classis aquis. *Rutil. Itin.* 1, 438. Forte secuta vagum femina Corsa bovem. ℙ *Corsi, orum*, sunt ejus insulae populi. *Liv.* 42, 7. Septem millia Corsorum caesa. *Plin.* 15, 29, 38. Papirius Maso, qui primus triumphavit de Corsis. ℙ Corsi sunt etiam populi Sardiniae, memorati a *Plin.* 3, 7, 13., qui teste *Pausan.* 10, 17., ex Corsica pulsi seditione quadam in Sardiniam transierant.

*CORTE, oppidum superioris Aegypti, in Thebaide. *Anton. Itin. B. A.*

CORTEX, icis, m. *saepius, quam* f. *φλοιὸς*, exterius operimentum, ac veluti corium, aut crusta arborum, aliarumque rerum. *Cic. N. D.* 2, 47. Obducuntur libro, aut cortice trunci, quo sint a frigoribus, et caloribus tutiores. (Differunt in hoc *liber*, et *cortex*, quod hic crassior est, et fere asperior: ille laevior, subtiliorque. *Plin.* 16, 31, 55. Cortex ceraso libris similis.) *Mart.* 14, 209. Cortex Mareotica. *Scrib. Comp.* 60. Cortex sole arefacta, contusa, cribrata. *Virg. A.* 7, 742. Tegmina queis capitum raptus de subere cortex. *Id. Ecl.* 6, 62. Tum Phaethontiadas musco circumdat amarae Corticis. *Plin.* 16, 6, 8. Cortex glandis. *Id.* 19, 5, 24. cucurbitarum. *Id.* 20, 2, 6. peponum. Et *ib.* 6, 22. porri. *Id.* 15, 22, 24. Cortice nucum tinguntur lanae. *Id.* 9, 12, 14. Testudines integuntur cortice. (Hinc *Phaedr.* 2, 6. scopulum super duram illidere corticem, *h. e.* testudinem.) *Id.* 29, 4, 27. Cortices phalangiorum, *h. e.* pelles. *Id.* 2, 103, 106. In lacu Velino lignum dejectum lapideo cortice obducitur. *Vitr.* 8, 3. *med.* Cortex ovi. ℙ Cortex rosae dicitur ab *eod. Plin.* 21, 4, 10. *bis*, et *ib.* 18, 73. nodus ille, seu globulus, in quo rosae semen continetur, qui ab *Arist.* dicitur *ὀμφαλὸς*, umbilicus; a *Theophrast.* autem *μῆλον*, pomum. ℙ *Levior cortice* proverb. in hominem levis et inconstantis animi. *Hor. Od.* 3, 9, 22 ℙ *Nare sine cortice* aliud proverb. de iis, qui suae spontis sunt, et sine aliorum auxilio quippiam agere possunt. Ducitur autem ab iis, qui nare discunt, quibus initio experiundi cortex adalligatur, ne mergantur. *Id. Sat.* 1, 4, 120. [**Cf. Heindf.* ad h. l.] ℙ In his duobus proverbiis *cortex* videtur sumi pro subere per antonomasiam, quia suber cortice maxime constat: ideo *arbor corticis* a Graecis dictum, ut *Plin.* 16, 8, 13. docet. Quo pertinere videtur illud *Colum.* 9, 6. Si regio ferax est suberis, utilissimas alvos faciemus ex corticibus: si ferulis exuberat, iis quoque, cum sint naturae corticis similes, aeque commode vasa texuntur. ℙ Cortice suberis utebantur Romani, ut nos etiamnum, ad vasa claudenda, illorum enim orificio immittebant, dein pice obturabant. Hinc absolute utuntur *Cato R. R.* 120. In amphoram mustum indito, et corticem oppicato. *Hor. Od.* 3, 8, 9. Hic dies anno redeunte festus Corticem adstrictum pice demovebit Amphorae. ℙ Translate. *Lucr.* 4, 47. Dico igitur, rerum effigies, tenuesque figuras Mittier ab rebus summo de cortice earum, *h. e.* ab extima superficie. *Lambin.* reponit *corpore.* [*ita *Eichstadt.*] *Varr.* ap. *Non.* 3, 61. Sic invitata matura anima, corporeum corticem facile relinquit.

*CORTICATA, ae, f. maris Atlantici insula, ad littus Hispanicum. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

CORTĬCĀTUS, a, um, adj. *ἐμφλοιος*, corticem habens. *Pallad.* 4, 1. Ut corticata pars cortici novae matris aptetur. *Colum.* 12, 23. Corticata pix, qua utuntur ad condituras Allobroges, *h. e.* ut opinor, quae ex cortice, non ligno quarundam arborum fluit: vel quae in corticeo vase servatur:

vel quae pluribus veluti squamis constat, et friabilis est instar corticis.

CORTĬCĔUS, a, um, adj. qui est ex cortice, φλοιώδης. *Varr. R. R.* 1, 40. Galbuli, qui nascuntur, idest tanquam pilae parvae corticeae. Et *ib.* 3, 16. Alvi apum optimae fiunt corticeae. *Plin.* 11, 21, 24. Vesparum cera corticea et araneosa. Ita *Hard. Prud. Cathem.* 3, 42. Illita glutine corticeo Vimina plumigeram seriem Impediunt, et abire vetant, *h. e.* quod in quarundam arborum cortice nascitur. Adde *Auson. Mosell.* 246. ℙ Legitur et *corticius* in *Not. Tir.* p. 160.

CORTĬCOSUS, a, um, adj. φλοιώδης, cortice abundans. *Plin.* 20, 19, 78. Radix crassa et corticosa. *Id.* 12, 14, 32. Tus, quod in arbore haesit, ferro depectitur: ideo corticosum, *h. e.* admixtum habet corticem.

CORTĬCŬLA, ae, f. φλοιάριον, parvus, vel tenuis cortex. *Colum.* 12, 47. et 50. Resolutis corticulis olivam eximimus.

CORTĪNA, ae, f. λέβης, vas rotundum, et concavum ad varios usus. *Cato R. R.* 66. et *Plin.* 15, 6, 6. Cortinam plumbeam in lacum ponito, quo oleum fluat. *Plin.* 16, 11, 22. Pix in cortinas aereas conjecta, aceto spissatur. *Id.* 36, 26, 65. Cum sparsi per litus epulas pararent, nec esset cortinis attollendis lapidum occasio. *Pl. Poen.* 5, 5, 12. Atrior multo ut siet, quam qui cortinam ludis per Circum ferunt, *h. e.* vas aqua plenum ludis Circensibus circumferunt, ut equos anhelantes, et cursu defessos frigida aspergant. Ita *Lambin.*, quem alii sequuntur interpretes. ℙ Saepe dicitur de vase, in quo coquuntur colores. *Plin.* 35, 6, 25. Fit etiam atramentum apud infectores ex flore nigro, qui adhaerescit aereis cortinis. *Id.* 24, 13, 68. Vulgaris haec spina, ex qua cortinae fulloniae implentur. *Id.* 35, 11, 42. Cortina coquit colores. ℙ [*Dicitur etiam de vasis sacris, quae in honorem Dei, imprimis Apollinis, in templis dedicabantur. *Suet. Aug.* 52. Ex quis aureas cortinas Apollini Palat. dedicavit, *h. e.* τρίποδας. V. *Casaub.* ad h. l.] ℙ Metonymice dicitur de rebus cortina contentis. *Plin.* 9, 38, 62. Tyrius color pelagio primum satiatur, immatura viridique cortina: mox permutatur in buccino. Et *paulo sup.* Liquata cortina. ℙ Praeterea *cortina* dicitur tripus ipse Apollinis, ex quo responsa oraculorum dabantur: quod tripodi impositum erat vas cortinae similitudinem habens, χρηστήριον. *Virg. A.* 3, 92. et mugire adytis cortina reclusis. *Id. ib.* 6, 347. nec te Phoebi cortina fefellit. *Serv.* ad *A. cit.* 3. haec habet: Dicitur *cortina*, vel quod Apollinis tripus corio Pythonis tectus est: vel quod certa illinc responsa funduntur, quasi *certina:* vel, quod est verius, quia cor illic vatis tenetur. Alii *cortinam* quasi *ortinam* dicunt, quod inde vox oriatur. Et ad *A. cit.* 6. addit, inde dictam, ὅτι τὴν κόρην τείνει, idest quod extendat vatem, ut (*A.* 6, 49.) *majorque videri.* Etiam *Varr. L. L.* 6, 3. a *corde* deducit, quod, inquit, inde sortes primum aestimatae. Alii, quia cortina proprie significat vas, in quo colores coquuntur, deducunt ab inusit. χρωτίρα, quod a χρωτίζω, coloro. Haec posuimus, ne nescirentur: ceterum videntur nugae grammaticales. ℙ Sunt qui distinguunt cortinam a tripode, quod ea sit hujus operculum. *Prud. Apoth.* 506. Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra: Non tripodas cortina tegit. ℙ Per similitudinem *Ennius* ap. *Varr. l. c.* ex lectione *Scaligeri:* Quaeque freto cava caeruleo cortina receptat, *h. e.* spatium quod est inter coelum et terram, ut ipsemet *Varr.* interpretatur. Sic *Sever. Aetn.* 295. magni cortina theatri, *h. e.* tholus, concameratio, cavum ipsum theatri. Et *Auct. Dial. de Or.* 19. Cum vix in cortina quisquam assistat etc., *h. e.* in spatio subselliorum. Al. leg. *corona.* ℙ Denique docet *Isid. Orig.* 19, 26. ita appellari etiam aulaea, idest vela de pellibus, a *coriis*, quod primum e corio factae sint. Atque hoc sensu usurpari dicitur ab *Ambros.* περιπέτασμα, *cortina.* ℙ De *Cortina* urbe (nam et hoc modo scripta legitur) V. GORTINA.

CORTĪNĀLIS, e, adj. ad cortinam pertinens. *Cortinale* est cella, in qua defrutum in cortina decoquitur. *Colum.* 1, 6. *med.* Cortinale, ubi defrutum fiat, nec angustum, nec obscurum sit, ut sine incommodo minister, qui sapam decoquet, versari possit.

CORTĪNĪPŌTENS, entis, adj. epitheton est Apollinis, qui ex cortina oracula proferebat. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 68. Hunccine ego unquam Hyacintho hominem cortinipotentis Deliaci contendi?

CORTĪNĬUS. V. GORTINIUS.

CORTĪNŬLA, ae, f. parva cortina. *Ammian.* 29, 1. Cortinulis pensilem anulum librans. Al. aliter leg.

CORTŌNENSIS, e, adj. ad Cortonam pertinens, quae est urbs Etruriae prope lacum Trasymenum. *Liv.* 22, 4. ℙ Ejus incolae *Cortonenses* dicuntur. *Plin.* 3, 5, 8. et Cortonenses montes ad eam urbem siti. *Liv. l. c.* ℙ *Fuere et Cortonenses incolae dicti oppidi cujusdam Hispaniae Tarraconensis, quod forte Cortone audiebat. *Plin.* 1, 3. *B. A.*

CORTŪMĬO, onis, f. prisca vox, a cordis visu ducta (nempe a *cor* et *tueor*) ut placet *Varr. L. L.* 6, 2., ubi recitat veterem formulam, qua utebantur augures in templo concipiendo, auguriorum captandorum causa. *Scalig.* ad *Varr. R. R. p. m.* 236. docet, veteres dixisse *cortumionem* pro *contumionem*, quae non a *corde*, sed a *contueor* facta videtur) atque idem esse quod ἀστραπόν, *h. e.* intentam contemplationem, cum defixis oculis aliquid contuemur.

*CORTUOSA, ae, Etruriae oppidum. *Liv.* 6, 4. *B. A.*

*CORTYNĬA, ae, i. q. Gortyna, Cretae oppidum. *Varr. R. R.* 1, 7. Cretae ad Cortyniam. *B. A.*

CORVĪNUS, a, um, adj. κορώνινος, ad corvum pertinens. *Plin.* 10, 12, 15. Corvinum ovum. *Appul. Met.* 2. Corvina nigredo. ℙ *Corvus*, et in posteris *Corvinus* cognomen fuit nobilissimae familiae Romanae e gente Valeria Poplicolarum: cui initium dedit M. Valerius pronepos M. Valerii Poplicolae, cum in singulari certamine adversus Gallum quendam, a corvo mire adjutus fuit. V. *Liv.* 7, 26. *Adde *Flor.* 1, 13. *extr. Gell.* 9, 11. *B. A.*

CORVĪTO. V. CORBITO.

CORVĪTOR. V. CORBITOR.

*CORUNCĀNUS, i, m. Κορουγκανός, T. Junius, primus de plebe Pontifex Max. factus, teste *Cic. de Or.* 3, 33. quem alias etiam laudat, et *Brut.* 13. longe plurimum ingenio valuisse ait. Adde *pro Domo* 54. *B. A.*

CORUS. V. CAURUS.

CORUSCĀMEN, inis, n. idem ac coruscatio, splendor micans. *Appul. de Deo Socrat.* Rapidissimo coruscamine lumen candidum intermicare. *Fulg. Mythol.* 1. Intermicanti vultus sui coruscamine.

CORUSCĀTĬO, onis, f. ἀστραπή, splendor micans et tremulus, ut fulguris, et hujusmodi. *Solin.* 53. *ad f.* de margaritis. Si repente micaverit coruscatio. *Vopisc. Car.* 8. Ingenti exorta tempestate, immani coruscatione, immaniori tonitru, exanimatus est.

CORUSCĪFER, a, um, adj. coruscum, sive fulgur ferens. *Capell.* 8. p. 272. video splendescere pulsu Icta corusciferi subito laquearia coeli. V. CORUSCUS.

CORUSCO, as, avi, atum, n. 1. citato motu agitari, celeriter vibrari, micare. [*Kärch.* deducendum putat a κορύσσω = surgere, ut cornibus ferias. Hinc primo loco ponit notionem celeriter movendi, vibrandi. *Döderl.* 2, 81. in v. coruscare magis *coloris* quam *splendoris* significationem praevalere docet, quoniam *coruscus* reduci possit ad vv. *ruber*, *rufus*, *russus.* *Id. ib.* disputat de discrimine inter *coruscare* et *micare:* hoc de eo vagi splendoris genere dici, quod modo appareat, modo evanescat; illud: quod modo hic modo illic spectetur. Hinc videri proprie dici *micare* de stellis, *coruscare* de corruente fulminis ictu.] *Virg. G.* 4, 73. de apib. Tum trepidae inter se coeunt, pennisque coruscant. *Juven.* 3, 255. modo longa coruscat Sarraco veniente abies. ℙ Est etiam activum, et significat celeriter movere, vibrare, concutere. *Ov. Met.* 4, 493. Sibila dant, saniemque vomunt, linguasque coruscant. *Virg. A.* 8, 661. duo quisque Alpina coruscant Gaesa manu. *Val. Flacc.* 2, 228. ferrum Bellona coruscat. *Sil.* 1, 434. Gradivus coruscans telum. *Stat. Th.* 10, 432. flammae Alternos apices abrupta luce coruscant. (Adde *ib.* 4, 222.) *Appul. de Deo Socrat.* Vel fulminibus jaculandis, vel nubibus coruscandis. ℙ Saepe significat fulgurare, splendescere, oculosque praestringere. Id enim fit ex celerrimo motu rerum splendentium, ἀστράπτω, στίλβω. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Or.* 3, 39. Flamma inter nubes coruscat, coelum tonitru contremit. *Val. Flacc.* 1, 703. telisque salum, facibusque coruscat. *Id.* 5, 304. ex alta cum Juppiter arce coruscat. *Claudian. III. Cons. Honor.* 29. Clypeus coruscans. ℙ Cornibus dimicare. V. CONISCO.

CORUSCUS, a, um, adj. tremulus. *Virg. A.* 1, 168. Tum silvis scena coruscis Desuper, etc. *Id. ib.* 12, 701. Apenninus fremens ilicibus coruscis. ℙ Festive, et joculariter *Pl. Rud.* 2, 6, 41. Equidem me ad velitationem exerceo. Nam omnia corusca prae tremore fabulor, *h. e.* tremula voce loquor, ut faciunt, qui nimio frigore correpti sunt: et simul alludit ad eos, qui pugnaturi coruscant gladios. ℙ *Coruscum*, *i*, n. absolute et fulgur. *Venant.* 3, 4. Soporantes oculos aperuistis tonitruo, clausistis corusco. ℙ Item splendens, micans. [*Est perpetuum fulminis epitheton. V. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 3, 4, 44.] *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 2, 9. Jace in me, quaeso, vim coruscam fulminis. *Virg. G.* 1, 234. Sol coruscus. *Stat. Th.* 4, 9. Viri ferroque auroque corusci. *Ov. Met.* 12, 247. Coruscae lampades. *Hor. Od.* 1, 34, 6. Diespiter Igni corusco nubila dividens. *Sed rectus, ut videtur, *Coruscus*, *i*, m. *Vet. Schol.* in *Juven. Sat.* 13, 223. Nam ex nimio flatu vel certamine ventorum nubes inter se conlisae tonitrua et coruscus faciunt, etc. ubi τὸ *coruscus* accusat. plur. potest esse a recto *coruscus*, *us.* *Salm.* ad *Sol.* p. 804. *coruscas* corrigit, ut sit *Corusca*, *ae.* Sed legendum videtur *coruscos*: nam *Coruscus* medio aevo ἀστραπή, id quod docuit *Cangius. B. A.*

CORUSSO. V. CONISCO.

CORVUS, i, m. κόραξ, avis nota, nigerrimis pennis, cantu injucundo, quae cadaveribus libentissime vescitur. Sacra fuit Apollini: atque ideo dicitur a *Stat. Th.* 3, 506. comes obscurus tripodum, et a *Petr. Sat.* 122. Delphicus ales. Fuit autem, ut est in fabulis ap. *Ov. Met.* 2, 534. et seq. et *Hygin. fab.* 202. candidissimis quondam pennis ornatus, atque Apollini ob id maxime dilectus, quod cum gigantes bellum Diis movissent, atque hi eorum metu in varias se figuras latendi causa transformassent; quemadmodum Juppiter ariete, Bacchus capro, Juno vacca, etc. latuerunt, ita hac ave Apollo, teste *Ov. Met.* 5, 329. Verum cum Apollini Coronidis adulterium detulisset, ut in CORONIS dictum est, in nigerrimam speciem fuit mutatus, et rejectus. ℙ In auguriis a sinistra volans omen infaustum praebere creditus est, a dextra bonum. *Cic. Div.* 1, 39., *Pl. Asin.* 2, 1, 12. ℙ *Corvos in cruce pascere* proverbialis locutio de eo, qui suspendio punitur. *Hor. Ep.* 1, 16, 48. ℙ De mira corvi docilitate, cui funus publice Romae factum. V. *Plin.* 10, 43, 60. ℙ Est etiam hoc nomine machina militaris, nempe ferreum instrumentum acuminatum ad similitudinem corvini rostri, quo injecto aliquid apprehendebant, retinebant, aut etiam perforabant. Ita enim *Schefferus* suspicatur *de milit. naval.* 2, 7. Hinc *Curt.* 4, 2. Ferreae quoque manus (harpagonas vocant) quas operibus hostium injicerent, corvique, et alia tuendis urbibus excogitata praeparabantur. *Id. ib.* 4. *med.* Validis asseribus corvos, et ferreas manus cum uncis et falcibus illigaverant, ut, etc. Et *ib.* Corvi vero, et ferreae manus tormentis emissae plerosque rapiebant. V. DEMOLITOR. ℙ Item scalpellum chirurgicum. *Cels.* 7, 19. *med.* Deinde eam tunicam ferramento, quod a similitudine corvum vocant, incidere. ℙ Item genus piscis marini, dorso nigricante. *Auson. ep.* 4, 63. Nec duraturi post bina trihoria corvi. Adde *Plin.* 32, 11, 53., ubi *Hard.* notat, a Romanis dici *cappone*, et *Cels.* 2, 18., qui enumerat inter pisces cibi durioris. ℙ Item signum coeleste meridionale, Craterae, et Angui seu Hydro junctum, sub Leone, et Virgine, septem stellis constans, ut *Hygin.* docet *Astron.* 3, 39., de cujus fabula in ANGUIS dictum est. Adde *Vitr.* 9, 7. ℙ *Corvus* agnomen Valeriae familiae, V. in CORVINUS.

CORYBANTES, um, m. plur. Κορύβαντες, sacerdotes Matris Idaeae, idest Cybeles, a κορύπτω, caput jacto, et βαίνω, incedo, quod sacro correpti furore cymbala pulsarent, et inter saltandum capita jactarent; vel a κόρα, oculi pupilla, quia cum Jovis pueri essent custodes, oculis dormirent apertis: unde κορυβαντιᾶν dicuntur, qui similiter dormiunt; vel a Corybante Jasionis, et Cybeles filio, qui simul cum Dardano sacra Matris Deum in Phrygiam detulit; vel denique ab aere, quod mons sit in Cypro aeris ferax, quem Cyprii κόρυον vocant. *Serv.* ad *A.* 3, 111. Iidem *Curetes* dicti sunt, a κουρὰ, tonsura: et *Dactyli* quia digitorum numerum aequarent, vel quod uti homo per digitos, ita Rhea per illos ministeria sua exsequeretur: vel ex fabula, quam narrat *Diomed.* 3, 474. Ajunt enim, Opem in Idam Cretae montem fugiendo delatam, manus suas ei monti imposuisse, et sic infantem Jovem edidisse: et ex manuum impressione emersisse Corybantas, quos a montis nomine, et qualitate facti, Idaeos Dactylos appellatos. Sunt qui scribunt tres tantum fuisse, qui Lares esse creduntur. Damnameneum, Acmonem, Celmonem. Creduntur etiam iidem fuisse, qui Telchines, Lares, et Cabiri. ℙ Hi primum Idam Phrygiae montem tenuisse dicuntur, postea in Cretam navigasse, montemque quendam incoluisse, quem nomine relictae sedis etiam Idam appellarunt, ubi Jovem infantem aluerunt, et ne vagitu se parvulus proderet, (Saturnus enim cum Titano fratre convenerat, ut sobolem omnem masculam interficeret) clypeolis aeneis inter se concurrentes, tinnitu aeris illisi celavere vocem infantis. *Hor. Od.* 1, 16, 8. non acuta Si geminant Corybantes aera. ℙ Singulari numero *Claud. IV. Cons. Honor.* 148. Non te progenitum Cybeleius aere canoro Lustravit Corybas. Adde *Rapt. Pros.* 1, 208.

*CORYBANTĬUM, i, n. *Vet. Schol.* in *Juven. sat.* 10, 267. Posita tiara, id est, corybantio. Locus incertus. *B. A.*

CORYBANTĬUS, a, um, adj. ad Corybantes pertinens, Κορυβαντικός. *Virg. A.* 3, 111. Hic mater cultrix Cybele, Corybantiaque aera, Idaeumque nemus.

CORYBAS, antis, m. ita appellatus filius Proserpinae, qui ex ea sine viri opera natus est; nempe a Κόρη Proserpina, et βαίνω, procedo, unde particip. βάς, άντος. *Serv.* ad *Virg. A.* 3, 111. Corybantes dictos tradunt ἀπὸ τῆς κόρης, Corybas

enim Proserpina, quae *Κόρη* dicitur Graece, sine patre natus. ℙ Item unus ex Corybantibus. V. CORYBANTES. ℙ *Fuit et Corybas Cybeles filius, pater secundi Apollinis. *Cic. N. D.* 3, 23. ℙ Corybas, Jasionis et Cybeles filius. V. in *Corybantes.* ℙ Fuit et pictor hoc nomine. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

*CORYCEON, i, n. *Κωρύκειον*, Ioniae promontorium, dictum et Corycus. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

[CORYCEUM, i, n. *κωρυκεῖον, κωρυκομαχία*, locus in gymnasiis, in quo pila, Graece *κωρύκῳ* (a כָּרַךְ *carac* involvit) appellata, ludebant veteres; deinde sphaeristerium dictus. *Κώρυκος* porro erat saccus coriaceus, granis ficuum, farina et arena plenus, e tecto suspensus, quem athletae utraque manu prius lente, deinde vehementius ultro citroque propellebant. Hujus ludi descriptionem habet *Anthyllus* ap. *Oribasium*, quam refert *Mercurialis de art. gymnast. l.* 2. *c.* 4. quem locum denuo interpretatus est Gesnerus ad *Luciani Lexiphanem* Tom. 2. p. 327. seq. *Vitruv.* 5, 11. In duplici autem porticu collocentur haec membra: ephebeum in medio, sub dextro coryceum, deinde proxime conisterium. Alii male leg. *coriceum*, quasi nempe fuerit locus, in quo puellae exercerentur, a *κορη*, puella; vel tonstrina, a *κείρω*, tondeo. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 11. Tum volutatione in palaestra varia, quam Graeci celadian (*lege κυλίνδησιν*) atque *κωρυκομαχίαν* vocaverunt. *F.*]

CORYCIS, icis, f. adj. *Κωρυκίς. Ov. Met.* 1, 320. Corycidas Nymphas, et numina montis adorant, *h. e.* quae antrum Corycium incolebant ad radices Parnassi montis: quod antrum a quadam Nympha Corycia, quae Apollini Lycorum peperit, denominatum fuisse tradit *Pausan.* 10, 6. V. voc. sequent. Etiam *Her.* 8, 36. narrat, in publico quodam metu, Delphicos cives, quorum urbs est ad Parnassum sita, in Corycium antrum se contulisse. Denique *Apollon. Argon.* 2, 713. de Parnasso, et Apolline verba faciens, Corycias Nymphas nominat: tametsi non Musas intelligit, ut videtur, sed alias, Plisti cujusdam filias.

CORYCIUS, a, um, adj. *Κωρύκιος*, ad Corycum pertinens. *Stat. Silv.* 5, 3, 5. Corycia quidquid modo Phoebus in umbra monstrabat, *h. e.* in antro Corycio Parnassi, de quo mox *Id. Theb.* 7, 347. Corycium nemus, *h. e.* Parnassium. ℙ Aliud est Corycium nemus, in Cilicia ad Corycum ejus orae urbem, et montem. *Curt.* 3, 4. Corycium nemus ubi crocum gignitur. *Hor. Sat.* 2, 4, 68. Corycium crocum. *Mart.* 9, 39. Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo, *h. e.* croco. *Stat. Silv.* 5, 1, 214. Coryciae comae, *h. e.* spicae croci. *Virg. Cir.* 317. Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto. V. LUTUM. ℙ *Corycius specus* in monte Coryco Ciliciae, singulari ingenio, ac supra quam ut describi facile sit, eximius, habitari a Diis et dignus, et creditus est, inquit *Mela* 1, 13., ubi eum pluribus describit: quod et *Sol.* facit 38. *Corycia antra*, plurali num. appellat *Plin.* 31, 2, 20., quia revera duo sunt specus, alter alteri superpositus, ut *Mela* docet. ℙ *Coryciae Nymphae* videntur esse Musae, in illo *Ov. Her.* 20, 221. Insula Coryciis quondam celeberrima Nymphis Cingitur Aegaeo, nomine Cea, mari. Nam *Met.* 1, 320. Musas *Corycidas* vocat. Praeterea fuit Cea patria Simonidis poetae celebris, et sub tutela Apollinis, et ab Aristaeo ejus filio regnata, qui illo se quondam transtulit ex Phthia, sic a patre admonitus, ad evitandam siccitatem. Porro idem Aristaeus a Musis medicinam, et vaticinandi artem edoctus fuit. Haec omnia docet *Apollon. Argon. v.* 2, 502. et seqq. ℙ *Corycium senem*, quem prope Tarentum vidisse se, ait *Virg. G.* 4, 127., ita dictum *putat Servius*, vel quod revera Cilix esset, e Coryco Ciliciae urbe, (multos autem ex ea provincia, victis piratis Cilicibus, in Graeciam, et Calabriam transtulerat, agrisque donaverat Cn. Pompejus M.) vel quia more Cilicum (qui rerum hortensium studiosissimi erant) hortos excoluit.

*CORYCUS, i, m. *κώρυκος, κόρυκος*. V. in CORYCEUM. *B. A.*

CORYCUS, et Graeca positione *Corycos, i, Κώρυκος*, nomen est urbis Ciliciae juxta mare sitae, et ejus portus, et proximi montis, et specus celebris in eo, de quo dictum est in v. *Corycius. Plin.* 5, 27, 22. et *Sol.* 38. ℙ Cum in multis Ciliciae locis crocum nascitur, tum quod in eo monte provenit, primae est nobilitatis. *Plin.* 21, 6, 17. ℙ Est etiam *Corycus* mons Cretae. *Id.* 4, 12, 20. ℙ *Item mons Ioniae cum promontorio ac portu, prope Erythras et Teum, piratarum insidiis opportunus, qui inde Corycaei dicti. Hi novam insidiandi rationem excogitarunt, siquidem dispersi per portus miscebant se negotiatoribus, ut quisque forte appulerat, subauscultantes et quid rerum portarent, et quo navigare destinassent; denique quo tempore decrevissent solvere. Quae simul atque cognoverant, renunciabant piratis, quibuscum societatem maritimorum latrociniorum exercebant. Atque ita per occasionem simul adorti, navigantes spoliabant. Hinc receptum, ut curiosus quisque, et qui studio clam dicta inaudiret, *Corycaeus* appellaretur, et in proverbio esset *Κωρυκαῖος ἠκροάζετο, Corycaeus auscultabat*; cum quis scilicet arcanum se aliquid agere aut dicere opinans non fallit eos, qui ad se nihil pertinentia explorare student. *Cic. Att. ep.* 10. ult. Itaque posthac non scribam ad te quid facturus sim, sed quid fecerim, omnes *κωρυκαῖοι* videntur auscultare, quae loquor. Cf. *Strab.* 13, 445. Coryci montis meminerunt *Strabo* et *Steph. Byz.*; promontorii tantum ac portus *Liv.* 36, 43. *extr.* et 37, 12, 13. et 29. V. *Corycaei.* ℙ Item locus vel oppidum Lyciae. *Eutr.* 6, 3. *B. A.*

*CORYDALLA, orum, Lyciae oppidum. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

CORYDALUS, i, m. *κορυδαλός*, avis al. galerita, et Gallico vocabulo *alauda*, a *κόρυς*, galea, quia habet in vertice capitis pennas aliquot erectas, quae coni galeae speciem praebent. *Serv.* ad *Ecl.* 2, 1. Corydon fictum nomen est ab ave, quae corydalus dicitur.

*CORYDON, onis, m. pastoris nomen ap. *Virg. Ecl.* 2, 1. V. *Corydalus.* ℙ Item unus ex Gigantibus. *Hyg. fab. praef. B. A.*

*CORYLENUS, i, Asiae oppidum, in Aeolide. *Liv.* 37, 21. *B. A.*

CORYLETUM, i, n. locus frequentibus corylis consitus. *Ov. Fast.* 2, 587. Illa modo in silvis inter coryleta jacebat.

CORYLUS, i, f. *κόρυλος*, arbor, quae nuces avellanas gignit. *Virg. G.* 2, 65. Plantis et durae coryli nascuntur. *Ov. Met.* 10, 93. Et coryli fragiles. V. AVELLANA.

CORYMBIA, ae, f. ferulae caulis decoctus, qui muria et melle conditus sit. *Plin.* 19, 9, 56.

CORYMBIATUS, a, um, adj. *Gallien. in quadam ep.* ap. *Trebell. Claud.* 17. Misi ad eum discum corymbiatum argenteum, lanceam argenteam pampinatam, patinam argenteam hederatam, *h. e.* corymbis artificiose insculptis caelatum. *Salmas.* mallet duci a *corymbio*, ut esset caelatus figuris in modum corymbiorum, seu capillamentorum in tutulum compositorum, qualia mulieres ad ornatum capitis gestabant.

CORYMBIFER, i, m. epitheton est Bacchi hederaceis corymbis caput coronatum habentis. *Ov. Fast.* 1, 393. Festa corymbiferi celebrabat Graecia Bacchi.

CORYMBITES, ae, m. *κορυμβίτης*, tithymali species *πλατύφυλλος* vocata, a foliorum latitudine. Pisces necat, alvum solvit radice, vel foliis, vel succo. *Plin.* 26, 8, 44.

CORYMBIUM, ii, n. *κορύμβιον*, capillamentum, capillitium, ornamentum muliebre capitis ex adsciticiis capillis in modum corymbi hederacei, vel tutuli. *Petr. Sat.* 110. Ancilla Gitona in partem navis inferiorem ducit, corymbioque dominae pueri adornat caput.

CORYMBUS, i, m. *κόρυμβος*, hederae racemus, ex multis constans acinis comantibus, et in orbem coactis: item aliarum herbarum similes hederae racemos ferentium: a voce Graeca allata, quae tum cacumen significat, tum hederae racemum. *Virg. Ecl.* 3, 39. Diffusos hedera vestit pallento corymbos. *Ov. Met.* 3, 664. Impediunt hederae remos, nexuque recurvo Serpunt, et gravidis distringunt vela corymbis. *Colum.* 10, 238. de cinara: Haec modo purpureo surgit glomerata corymbo. *Plin.* 19, 9, 56. Corymbi ferulae. *Id.* 25, 6, 28. Polemoniae. *Id.* 22, 22, 37. elaphobosci. *Id.* 21, 8, 26. Chrysocome comantibus fulgore auri corymbis. *Id.* 26, 14, 88. Polycnemon corymbo adorato. ℙ Hujusmodi corymbis ornari mos fuit in coronis capita hominum, Deorumque, (Bacchi praesertim) summas navium puppes etc. *Val. Fl.* 1, 272. Phryxi promittitur absens Vellus, et auratis Argo reditura corymbis. *Tibull.* 1, 8, 45. de Osiri: et frons redimita corymbis. *Prop.* 3, 15, 29. de Baccho: Candida laxatis onerato colla corymbis. *Id.* 2, 23, 35. de se ipso: Tum capiti sacros patiar pendere corymbos, *h. e.* hederaceos, qui sunt Baccho sacri. *Juv.* 6, 52. necte coronam Postibus, et densos per limina tende corymbos. ℙ [*Corymbus* est etiam modus componendi capilli, quo feminae utebantur, cum capilli e fronte in verticem colligerentur, et ibi nodo constringerentur, dictus a corymbis, i. e. uvis hederae, propter similitudinem, unde et *βότρυς* dicitur. V. inpr. *Salmas.* ad *Solin.* p. 534. 536. *Cic. Attic.* 14, 3. Est Corymbus Servii Balbi, qui ab hoc genere colligendi capilli nomen accepit. *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v] ℙ Apud *Sever. Aetn.* 105. corymbi videntur esse tumuli terrae in corymbi modum temere et inaequaliter congesti. ℙ Ap. *Seren. Sammon.* 20, 356. Lumbricis terrae turgentes unge corymbos; *corymbos* intellige mammarum papillas: vel ipsas mammas, a similitudine racemi hederacei in orbem crescentis.

*CORYNA, ae, Ioniae oppidum, prope Clazomenas. *Mela* 1, 17. *B. A.*

*CORYNAEUS, a, um, ad Corynam pertinens, ut *Corynaeum promontorium* ap. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

CORYPHAEUS, i, m. *κορυφαῖος*, princeps in aliquo ordine, caput, supremus, excellens inter alios: a *κορυφή*, vertex capitis. *Cic. N. D.* 1, 21. Zeno, quem Philo noster coryphaeum appellare Epicureorum solebat.

*CORYPHANTA, vetus oppidum Bithyniae, de quo *Plin.* 6, 3. *B. A.*

*CORYPHANTENA ostrea, volunt dici ab oppido quodam Coryphanta. Forte a Coryphante potius sic dicta. V. *Coryphas.* V. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

*CORYPHAS, antis, Asiae oppidum, in Aeolide vel forte in Mysia. *Plin.* 5, 30. *Κορυφαντὶς* est *Straboni. B. A.*

CORYPHASIA, ae, f. Equestris Minerva dicta, vel a Coryphes matris signo, (nam Coryphe Oceani filia mater Minervae Coriae e Jove fuisse dicitur, *Cic. N. D.* 3, 23.) vel *ἀπὸ τῆς κορυφῆς*, quod e vertice summo Jovis nata est parmam ferens atque arma. *Arnob.* 4. p. 137. [Probabilius tamen videtur, sic appellatam Minervam a Coryphasio oppido, et promontorio Messeniae prope Pylum, ubi illa templum habebat. Ipse tamen cum *Davisio* hoc in loco *Coriam* pro *Coryphasiam* lego. V. supra CORIA. *F.*]

*CORYPHASIUM, i, n. promontorium Peloponnesi cum oppido cognomine, prope Pylum. *Plin.* 4, 5. V. *Coryphasia* ad fi. *B. A.*

*CORYPHE, es, f. Oceani filia, mater Minervae quartae. *Cic. N. D.* 3, 23. et *Arnob.* l. 4. *ante med.* p. 172. *Herald.* Ceterum V. *Coryphasia. B. A.*

*CORYSIDIA, ae, herba quaedam, dicta et minyas. *Plin.* 24, 17. ed. *Hard.* Alii corysidiam (*adpellant*). Al. leg. *corinthadem.* V. *Corinthas. B. A.*

CORYTHUS, i, m. *Κόρυθος*, urbs Etruriae, eadem quae Cortona. Fabulantur de ea, quod cum Dardanus equestri proelio ab Aboriginibus pulsus galeam perdidisset, et nihilominus resistens, et in audaciam suos reducens, victoriam demum adeptus esset, ob rem feliciter gestam, oppidum, ubi galeam amiserat, condidisse, cui Corytho nomen indidit, eo quod Graece *κόρυς* galea dicitur. Alii a Corytho Paridis et Oenones filio conditam ferunt. Haec *Serv.* ad illud *Virg. A.* 3, 170. Corythum, terrasque requirat Ausonias. ℙ Est etiam mons prope eam urbem. Utrumque autem alii nomen habere putant a Corytho patre Dardani, ibi sepulto. *Id.* ad *A.* 7, 209. et *ib.* 9, 10. et *ib.* 10, 719. Adde *Sil.* 4, 721.

CORYTUS, *et Graeca terminatione* Corytos, i, m. *κορυτός*, theca sagittarum, pharetra. *Virg. A.* 10, 168. queis tela, sagittae, Corytique leves humeris, et letifer arcus. *Stat. Th.* 9, 729. coelestibus implet Coryton telis, quorum sine sanguine nullum Effugit. *Sil.* 7, 443. Parvulus ex humero corytos, et aureus arcus Fulgebat. *Ov. Trist.* 5, 7, 15. In quibus est nemo, qui non coryton, et arcum, Telaque vipereo lurida felle gerat. *Sil.* 15, 776. Sagittiferi coryti. Adde 2, 106. et *Stat. Th.* 4, 269. ℙ Omnibus his locis *corytus* pharetram manifesto significat. *Servius* tamen *Statiique Schol.* ad *loc. Virg.* et *Stat. cit.* docent, significare solius arcus thecam: qua in re ad Graecorum usum respexisse videntur, apud quos utrumque valet. ℙ Metonymice ponitur pro sagittis. *Stat. Th.* 7, 660. Quam super a tergo velox corytos, et arcus, Pendentesque sonant aurata lynce pharetrae. ℙ Varie scribitur in veterib. lib. *corythus, coritus, chorytus, gorytus*, et ap. *Non.* 18, 31. etiam *coriscus:* qui male etiam *leve missile* interpretatur. Verum pro ea scriptione, quam posuimus, plerique stant eruditi. V. praeter ceteros, *Erythraeum* in *Indice Virg.* et *Dausq.* in *Orthogr.* ℙ Duas priores syllabas nimis licenter corripuit *Sidon. carm.* 11, 56. Cujus fax, arcus, corytus pendebat: at ille etc.

CORYZA, ae, f. *κόρυζα*, catarrhus ex capite ad nares fluens. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 17.

COS, cotis, f. *πέτρα*, idem omnino quod *cautes*, a qua deducitur, ut a *plaustrum plostrum, caudex codex* etc. *Cic. Tusc.* 4, 14. *f.* Ex quibus quoniam, tanquam e scrupulosis cotibus enavigavit oratio etc. *Liv.* 1, 36. Novacula cotem discindere. *Curt.* 5, 3. Praerupta erant omnia, saxis et cotibus impedita. *Id.* 8, 11. *f.* Multi per lubrica saxa, perque invias cotes praecipitati occiderunt. *Id.* 4, 6. Nec saxa cotesque, quae interpellent specus, obstabant. *Id.* 6, 26. Occurrebant inviae cotes, praeruptaeque rupes. *Virg. Ecl.* 8, 43. Nunc scio, quid sit Amor: duris in cotibus illum Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes Edunt. ℙ In recto singulari *Auson. Technopaegn. c. de Hist.* 11. dira aconita creat cos. ℙ Specialiter dicitur de lapide, quo ferramenta acuuntur, aut laevigantur, *ἀκόνη. Plin.* 36, 22, 47. Cotes ferro acuendo. *Id. ib.* Aquariae cotes, *h. e.* aqua trahentes aciem, ut *Id. ib.* loquitur. Et cotes oleariae *ib.*, quae scil. oleo indigent, ut acuant. *Id.* 37, 8, 32. Gemmae cotibus poliuntur. *Id.* 24, 11, 52. Lignum ad cotem tritum. *Id.* 36, 25, 62. Pavimentum cote despumare. ℙ In proverb. abiit illud *Hor. A. P.* 304. fungar vice cotis, acutum Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi:

Munus et officium, nil scribens ipse, docebo. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 4, 44. Ipsam iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicebant, *h. e.* quae acueret, ac stimularet.

COS, insula. V. COOS.

COSĂTUS, a, um, adj. ad Cosam, seu Cosas pertinens, Etruriae urbem, prope oram litoralem, nunc excisum, ex cujus ruinis crevit Ansedonia, nunc *Alsidonia*, cujus meminit *Plin.* 3, 5, 8., *Mela* 2, 4. *ad f.* et *Virg. A.* 10, 168. Quique urbem liquere Cosas. *Plin.* 3, 6, 12. Cosanum litus. *Liv.* 22, 2. Cosanus portus. *Suet. Vesp.* 2. Cosana praedia. ℙ *Cosanus* pertinet etiam ad Cosam urbem maritimam in sinu Paestano Campaniae prope Pompejos, nunc *Conca*, cujus mentio est apud *Caes. B. C.* 3, 22. Hinc Cosanus municeps apud *Cic. Verr.* 2, 5, 62.

*COSCINIA, ae, *Κοσκινία*, et Coscinus, i, vicus Cariae, Lydiam versus. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

*COSCINOMANTIA, ae, f. divinatio, quae per cribrum fit. *August.* T. 5. p. 426. *B. A.*

*COSEDIA, ae, (*Tab. Peuting.*), vel Cosedĭae, arum (*Anton. Itin.*), opp. Galliae Celticae sive Lugdunensis. *B. A.*

*COSENUS (fluvius) vel Cosenum (flumen) in Africa, nempe in Libya interiore. *Plin.* 5, 1. Flumen Cosenum.

*COSETANI (*Κοσητανοὶ Ptolem.*), vel Cositani (*Inscr.* ap. *Grut.* p. 499. n. 10.), orum, Hispaniae Tarraconensis populi, inter Iberum flumen et montes Pyrenaeos. ℙ Dicti et *Cossetani. B. A.*

COSMĒTA, ae, m. *κοσμητὴς*: servus ornator, cui cura incumbit vel ornamentorum, et mundi muliebris, vel dominae capillos exornandi, et componendi: a *κοσμέω*, orno. *Juven.* 6, 476. periit libraria, ponunt Cosmetae tunicas. Sunt qui *cosmetae* putent fuisse mulieres, quae et ornatrices vocabantur; sed perperam, nam illae *κοσμήτριαι*, Latine *cosmetriae* dicuntur. Adde servorum fuisse proprium tunicas deponere, antequam vapularent, nunquam vero mulierum. Quamvis autem mulieres praesertim dominae capillos pectere, componere, et ungere solerent; quandoque tamen et servi id ipsum praestabant, ut patet ex *Claud. in Eutr.* 1, 105. Eous rector, consulque futurus Pectebat dominae crines, et saepe lavanti Nudus in argento lympham gestabat aluminae.

[COSMETRIA, ae, f. *κοσμήτρια*, ornatrix. Fuit titulus Comoediae *Naevii*, de qua ita *Varr. L. L.* 6, 3. *a med.* Item est hoc verbum (*carĕre*) in Cosmotria (*corrige* Cosmetria) Naevii. V. vocem praec. *F.*]

COSMIĀNUS, a, um, adj. a Cosmo deductum. Fuit is celebris quidam unguentorum artifex, et consumptor, de quo *Mart.* multis in locis, et *Juven.* 8, 85., ad quem locum *Vet. Schol.* Luxuriosus fuit, qui solium, in quo descendebat, multis diversorumque unguentorum odoribus miscebat. Hinc *Mart.* 3, 82. Et Cosmianis ipse fusus ampullis. Et 11, 15. Qui vino madeat, nec erubescat Pingui sordidus esse Cosmiano. Et 12, 55. Et libram petit illa Cosmiani. *scil.* unguenti.

COSMĬCUS, *et Graeca positione* Cosmicos, a, um, adj. *κοσμικὸς*, ad mundum pertinens, mundanus: a *κόσμος*, mundus. Socrates cum rogaretur, cujatem se esse diceret, *κοσμικὸν*, mundanum, inquit: totius enim mundi se incolam, et civem arbitrabatur. Narrat hoc *Cic. Tusc.* 5, 37, Quo pertinere putet *Turn. Advers.* 25, 24. illud *Mart.* 7, 41. Cosmicos esse tibi, Semproni Tucca, videris: Cosmica, Semproni, tam bona, quam mala sunt, *h. e.* jactas te imitatorem Socratis, et mundanum te esse dicis: sed res mundanae partim bonae sunt, partim malae. Ergo tu quoque malus esse potes.

[COSMĬUS, a, um, adj. *κόσμιος*, cum ordine, et decore agens, quae agit. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 650, 4. Caecilia Cosmia. *F.*]

*COSMOE, (*κόσμοι*), orum, m. plur. magistratus Cretenses. *Cic. De rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 33. In Creta autem decem, qui cosmoe vocantur. Hic fortasse *κόσμος* Graecis litteris scribendum. De iis consule *Aristot. De rep.* 2, 9. et 10. et *Strab.* 10. *B. A.*

COSMOGRAPHUS, i, m. *κοσμογράφος*, descriptor orbis terrae: a *κόσμος*, mundus, et *γράφω*, scribo. *Messala Corvin. De progen. Aug.* 2. Totus terrarum ambitus ab historicis, et cosmographis trifarie dividitur.

COSMŌTŌRYNE, es, f. titulus est unius ex Satyris Menippeis *Varronis*, ex qua aliquot fragmenta nobis servavit *Non.* Inscribitur *Cosmotorynе περὶ φθορᾶς κόσμου*, et videtur esse a *κόσμος*, mundus, et *τορύνη* tudicula, in qua nempe de repentinis bellorum calamitatibus, eluvionibus, pestilentiis disserebat auctor, quibus mundus, tamquam cibus tudicula in olla, agitari solet. Sunt qui scribunt *cosmotorine.*

[COSMUS, i, m. *κόσμος*, ordo, item mundus, ornatus, pulcritudo. Est cogn. Rom. frequentissimum. *Inscr.* ap. *Amadutium Anecd. Litt. T.* 4. p. 529. *n.* 24. C. Ennius Cosmus, M. Valerius Cosmus. ℙ De altero Cosmo, unguentorum artifice, V. COSMIANUS. *F.*]

*COSOAGUS, i, Indiae fluvius, cis Gangem, inque Gangem influens. *Plin.* 5, 18. *B. A.*

COSOSUS, i, m. ita cognominatur Mars apud Bituriges, ut constat ex *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 84. Flavia Cuba Cososo Deo Marti suo.

*COSSAEI, orum, populi Persidis, Elymaidem inter et Susianam. *Plin.* 6, 27. *Curt.* 4, 12. *B. A.*

*COSSETANIA, ae, ager Cossetanorum. *Plin.* 3, 3. *B. A.*

COSSIGĒRĀRE, in coxam erigere, et aggerare. *Accius* ap. *Non.* 1, 305. Bene proscissas cossigerare ordine porcas. Al. aliter leg.

COSSILIRIS. V. CUSSILIRIS.

COSSIM, adv. dictum quasi coxim, h. e. in coxas. *Pompon.* ap. *Non.* 1, 191. Sciunt hoc omnes, quantum est, qui cossim cacant. *Appul. Met.* 2. Cossim residens. Alii leg. *sensim. Id. Met.* 3. *in.* Complicitis pedibus, sic grabatum cossim insidens. ℙ *In priore loco *Appuleji* vulgo legitur *cessim*, ubi ed. *Oudend.* habet sensim. In posteriore *coxim* est lectio ed. *Oudend. B. A.*

*COSSIO, onis, oppidum Galliae Aquitanicae, in Vasatium terra, hodie *Bazas* in agro *Bazadois. Auson.* in *Parent. carm.* 24, 8. *B. A.*

[COSSURENSIS, e, adj. ad Cossuram, seu Cosyram, seu Cossyram pertinens, parvam insulam in mari mediterraneo, inter Siciliam, et Africam, quae *Κόσσουρα*, Italice *Pantelaria* appellatur. *Ov. Fast.* 3, 567. Fertilis est Melite, sterili vicina Cosyrae. *Sil.* 14, 272. Et bellare Tabas docilis, Cossyraque parva. *Mela* 2, 7. et nummi apud *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 267. habent *Cossura.* ℙ *Cossurenses*, *ium* sunt incolae hujus insulae. *Inscr.* ap. *Grut.* 279. M. Aemilius Paullus Procos. de Cossurensibus, et Poenis navalem egit triumphum. *F.*]

COSSUS, i, m. *κὶς*, *θρὶψ*, vermis rugosus in ligno nascens, illudque erodens (Phalaena cossus *Linnaei*), est a *κόσσος*, colaphus, qui ab inusit. *κόω*, ejusdem significationis cum *κέω* vel *κίω*, impello, findo, excavo: hinc Itali ob similitudinem membrum virile *coso* appellant. *Plin.* 30, 13, 39. Cosses (lege *cossi* ex *Voss.* in *Etymol.*) qui in ligno nascuntur, sanant ulcera omnia. *Id.* 17, 24, 37. *n.* 3. Arborum vermiculantur magis minusve quaedam: omnes tamen fere. Jam quidem et hoc in luxuria esse coepit, praegrandesque roborum delicatiores sunt in cibo: cossos vocant: atque etiam farina saginati, hi quoque altiles fiunt. Adde 11, 33, 38. *Hieron. adv. Jovin.* 2. *n.* 7. In Ponto, et Phrygia vermes albos et obesos, qui nigello capite sunt, et nascuntur in lignorum carie, pro magnis reditibus paterfamilias exigit; et quomodo apud nos attagen et ficedula, mullus et scarus in deliciis computantur, ita apud illos *ξυλοφάγον* comedisse luxuria est. *Id. ib. paulo post* eosdem appellat *vermes Ponticos.* ℙ *Festus:* Cossi ab antiquis dicebantur natura rugosi corporis homines, a similitudine vermium ligno editorum, qui cossi appellantur. ℙ Ita primum cognominatus est is, qui familiae nomen dedit in gente Cornelia: in qua celeber fuit A. Cornelius Cossus consul an. U. C. 326., de quo *Liv.* 4, 19., et alibi. Hinc etiam *Cossutii*, *Cossinii*, *Cossuvii*, et *Cossuviani* nomen traxisse videntur. ℙ Quidam putarunt *Cossus* esse etiam praenomen, quod tamen falsum arguunt *Marinius Frat. Arv.* p. 86. et *Borghesius Framm. de Fasti cons. T.* 1. p. 49. V. COGNOMEN.

COSSUTIĀNUS, a, um, adj. ut Cossutianae tabernae dictae a quodam Cossutio: et designant locum quendam ignobilem. *Q. Cic. ad Tiron. Fam.* 16, 27. Vix sunt digni, quibus alteri Caesenam, alteri Cossutianarum tabernarum fundamenta credas. Al. aliter leg. ℙ Cossutianus Capito memoratur a *Tac. A.* 13, 33. et *Quint.* 6, 1.

*COSSUTIORUM familia apud Romanos, ex qua Cossutia uxor Caesaris. *Suet. Caes.* 1. *B. A.*

[COSSYPHUS, i, m. *κόσσυφος*, merula avis, et piscis. Est nom. serv. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 467, 9. Cossyphus. *F.*]

COSTA, ae, f. *σπάθη*, *πλευρή*. Costae sunt ossa oblonga, et incurva, quibus animalium pectus sepitur, veluti vallum cordis et pulmonum. *Cels.* 8, 1. Infra cervicem summa costa contra humeros sita est: inde septem inferiores usque ad imum pectus perveniunt, etc. *Plin.* 11, 37, 82. Costae homini tantum octonae, suibus denae, cornigeris tredecim serpentibus triginta. *Pl. Pseud.* 1, 2, 4. Plagis costae callent. *Lucr.* 5, 1296. in equi conscendere costas. *Virg. G.* 1, 273. Saepe oleo tardi costas agitator aselli, Vilibus aut onerat pomis. Et 3, 256. sus fricat arbore costas. *Id. A.* 9, 431. sed viribus ensis adactus Transadigit costas, et candida pectora rumpit. *Id. ib.* 1, 215. Tergora diripiunt costis, et viscera nudant. *Mart.* 9, 49. Sed nec costa data est, caudave missa mihi. *scil. de apro in mensa posito. M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* 5, 8. Mater mea in ea trepidatione imprudens angulo parietis costam inflixit. ℙ Translate. *Plin.* 16, 18, 30. Betulla circulis flexilibus, item corbium costis, *h. e.* crassiora, et firmiora vimina, veluti statumina, quibus reliqua tenuiora connectuntur ac firmantur. Eod. sensu. *Id.* 13, 9, 19. Spina (*arbor*) utilissima navium costis, *τοῖς ἐγκοιλίοις*. *Virg. A.* 7, 463. flamma Virgea suggeritur costis undantis aheni. *Pers.* 6, 31. Costa ratis lacerae. *Id.* referens versiculum cujusdam vani poetae 1, 95. costam longo subduximus Apennino. ℙ [Est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 99, 1. C. Postumus Costa, et in nummis gentis Pedaniae ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 269. *F.*]

COSTĂMOMUM, i, n. planta aromatica ex costi genere, amomo similis. *Mart. Dig.* 39, 4, 16.

COSTĀTUS, a, um, adj. costas habens. *Varr. R. R.* 2, 5. Boves corpore amplo bene costatos, latis humeris, bonis clunibus etc.

[COSTOBOCENSIS, e, adj. ad Costobocas, vel Costobocos pertinens, Scythicos populos a *Plin.* 6, 7, 7., a *Capitol. M. Aur.* 22. et *Ammian.* 22, 8. memoratos, qui incoluisse putantur Moldaviam. *Inscr.* ap. *Mur.* 1039, 3. Uxor Piepori regis Coisstobocensis. *F.*]

COSTUM, i, n. *κόστος*, herba odorifera, in India nascens, radice gustu ferventi, odore eximio, frutice alias inutili, duplicis generis, nigri, et quod melius est, candicantis. *Plin.* 12, 12, 25. ℙ Ejus usus fuit in unguentis. *Id.* 13, 1, 2. [*Disputat de hac re *Boettg. Sab.* 1, 145. seq.] ℙ Et in condituris vini. *Id.* 14, 16, 19. *n.* 5. et *Colum.* 12, 20. ℙ Et in sacrificiis. *Prop.* 4, 6, 5. Costum molle date, et blandi mihi turis honores. ℙ Est etiam *Costus*, et Graeca terminatione *Costos*, *i*, f. *Lucan.* 9, 917. Et tamarix non laeta comas, Eoaque costos, *h. e.* Persica: hinc *Hor. Od.* 3, 1, 44. Achaemenium costum, *h. e.* Persicum, nam Persae ab Achaemenide rege Achaemenii dicti sunt. *Ov. Met.* 10, 308. Costumque suam. Al. leg. *suum. Claud. Nupt. Honor.* 95. sicca frondescunt vimina costo. Al. leg. *sicco.*

*COSYRI, orum, Indiae populi, ultra Indi fontes et montes Emodos siti. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

COTĀNA. V. COTTANA.

COTĀRIA vel Cotoria, ae, f. locus ubi cotes acuendis cultris aptae eruuntur. *Alfen. Dig.* 39, 4, 15. Caesar cum insulae Cretae cotarias locaret. *Torrent.* habet *cotorias.*

COTHON, onis, m. portus in mari non naturalis, sed arte, et manu factus. Ita *Serv.* ad illud *A.* 1, 431. Hic portus alii effodiunt. *Hirt. B. Afr.* 63. Reliquae naves Hadrumetum in cothonem se contulerunt. Adde *ib.* 62. sed utroque loco alii nomen proprium faciunt. *Festus* vocat *catones:* sed critici *cothones* legunt. ℙ Item insula Peloponnesi, in sinu Laconico, apud Cytheram, *Κώθων. Plin.* 4, 12, 19. [*Maris Aegaei insulam eam appellat *Mela* 2, 7. *med. B. A.*] ℙ Item alia prope Carthaginem a *Strab.* 17, 832. memorata, facticia, et fossa circumdata: a qua fortasse nomen cothoni factum est: ea autem a *κώθων* dicta videtur, quod est genus poculi fictilis Laconici, et militaris; nempe a rotunditate. V. locum *Servii* supra allatum.

*COTHONEA, ae, uxor Elusini, mater Triptolemi. *Hyg. fab.* 147. *B. A.*

COTHURNĀRIUS. V. v. seq.

COTHURNĀTE, adv. cujus comparat. *cothurnatius* utitur *Ammian.* 28, 1. Cum cothurnatius stilus procederet lacrimosus, *h. e.* magis tragice. Al. *perperam* leg. *cothurnarius*, *h. e.* tragicus stilus.

COTHURNĀTIO, onis, f. scenae tragicae repraesentatio. *Tertull. adv. Valentin.* 13. Haec prima tragoediae scena: alia autem trans siparium cothurnatio est.

COTHURNĀTUS, a, um, part. ab inusit. *cothurno*, cothurno indutus. Fere refertur ad tragoediam, tragicos, et gravem, sublimem, severumque stilum. *Senec. ep.* 8. Quam multa Publii non excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt? *Ov. Amor.* 1, 18, 18. Deque cothurnato vate triumphat Amor. *Id. Ib.* 531. Cothurnatus Lycophron. *Mart.* 5, 5. cothurnati grande Maronis opus. Adde 7, 63. *Ov. Fast.* 5, 347. Scena levis decet hanc: non est, mihi credite, non est Illa cothurnatas inter habenda Deas, *h. e.* graviores, severioresque. De Flora enim loquitur. *Macr. Sat.* 7, 5. *ad f.* In voluptatem censura cothurnati sermonis invectus es. *Lact.* 6, 20. *post med.* Tragicae historiae subjiciunt oculis parricidia, et incesta regum malorum, et cothurnata scelera demonstrant.

COTHURNUS, i, m. *κόθορνος*, calceamenti genus virorum aeque, ac mulierum, utrique aptum pedi, ex corio, usque ad dimidiam cruris partem, quo et venatores, et tragoediarum actores utebantur, a voce Graeca allata. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 7, 32. et ad *ib.* 8, 10. Sed venaticus, et tragicus forma differunt, quia tragicus subere altius sublevato fiebat, ut qui tragoedias agerent, proceriores viderentur, sed venaticus talis non erat, quia ea res pernicitatem in venando impediisset. *Virg. A.* 1, 341. Purpureoque alte suras vincire cothurno. *Juven.* 6, 505. breviorque videtur Virgine pygmaea nullis adjuta cothurnis. ℙ Cothurni usum primus Sophocles in scenam intulit, ut quidam volunt apud *Serv.* ad illud *Ecl.* 8, 10. Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno. ℙ Hinc saepe ponitur metonymice pro tragoedia, stilo tragico, sublimi, severo. *Juven.* 6, 633. altum satyra sumente cothur-

num. Et 15, 29. vulgi scelus, et cunctis graviora cothurnis. *Ov. Amor.* 3, 1, 45. Quam tu non poteris duro reserare cothurno, Haec est blanditiis janua laxa meis, *verba sunt* Elegiae *ad* Tragoediam. *Id. Rem. Am.* 375. Grande sonant tragici: tragicos decet ira cothurnos. *Hor. A. P.* 280. Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno. *Id. Od.* 2, 1, 12. grande munus Cecropio repetes cothurno. *Prop.* 2, 25, 41. Desine Achilleo componere verba cothurno, *h. e.* carmine heroico, quale est *Homeri* in *Iliade:* qua ratione etiam *Virg.* cothurnatus dicitur. *Sidon. ep.* 2, 9. *med.* Cothurnus Latialis eloquii. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 23. de Nicophane pictore. Cothurnus ei, et gravitas artis, *h. e.* ratio pingendi sublimis, grandis, et, ut ita dicam, severa. ℙ Cothurnorum usus fuit apud Graecos etiam extra venationem, et tragoedias. Hinc *Cic.* Tuditanum quendam reprehendit *Phil.* 3, 6., qui cum palla, et cothurnis nummos populo de Rostris spargere solebat: *scil.* quia is habitus neque senatorius erat, neque Romanus. *Vell.* 2, 82. de M. Antonio. Thyrsum tenens, cothurnisque succinctus, curru, velut Liber Pater, vectus est. *Sidon. carm.* 2, 400. Romam Deam fingit indutam cothurnis, quos et describit. ℙ *Herculis personam, et cothurnos infantibus aptare* proverb. apud *Quint.* 6, 1. *med.*, *h. e.* rei exiguae magnum aliquid, et minime conveniens accommodare. **Symmach. Laud. in Valent. or.* 2, 12. ed. *Angelo Majo:* Consulto multa praetereo, ne in poeticos flatus rerum ingentium cothurnus erumpat. *B. A.*

**COTIARĬUS*, i, m. *Vet. Gloss.* ἀχονητής, Cotiarius, acutiator. *B. A.*

COTĬCŬLA, ae, f. βάσανος, diminut. a *cote:* specialiter lapis, quo fit auri vel argenti experimentum, qui et *index*, et *lapis Lydius* vocatur. *Plin.* 33, 8, 43. ℙ Item vasis genus ex cote. *Plin.* 31, 9, 45. Contraque suffusiones oculorum cum lacte in coticulis teritur. *Id.* 37, 10, 54. Ex achate medici coticulas faciunt. *Isid. Orig.* 4, 11. Coticula est, in qua circumducta collyria resolvuntur. Alii male leg. *citicula.*

COTIDĬE etc. V. QUOTIDIE.

COTIĒRI, orum, Scythiae Asiaticae populi, intra Imaum. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

COTĬFĬCO, as, avi, atum, n. 1. in cotaria laboro, cotes seco. *Appul. De Deo Socrat.* Non pro majestate Deorum fuerit, ut eorum quispiam Accio Navio cotificet. Alii aliter leg.

COTĬNUS, i, m. frutex in Apennino ad linamenta modo conchylii colore insignis, *h. e.* ad vestes lineas conchylii colore tingendas solummodo aptus. *Plin.* 16, 18, 30.

[COTINUSSA vel Cotinusa, ae, (a κότινος, oleaster,) Gadium, urbis Hispaniae Tarraconensis, antiquum nomen. *Plin.* 4, 22. *Avien. descript. orb.* 602. Cf. *Dionys. Perieg.* 456. *F.*]

COTĬO. V. in CONCIO.

[**COTISO*, onis, f. ut alii volunt *ontis*, Getarum rex. *Suet. Aug.* 63. *Flor.* 4, 12. V. *Interpr.* ad *Hor. Od.* 3, 8, 18.]

COTONĀ. V. COTTANA.

COTONĔĀ, ae, f. σύμφυτον πετραῖον, a Venetis sic dicta herba, quam Galli *halum* appellant, similis cunilae bubulae, tota odorata. *Plin.* 26, 7, 26.

COTONĔUM, et Cotonĭum malum, et Cotoneum absolute, et Graeca voce servata, Cydonium, et Cytonium, n. κυδώνιον μῆλον, pomum vulgo notum, odoratum, colore flavo, succo asperiore et adstringente: dictum a Cydone urbe Cretae: cujus multa genera *Plin.* 15, 11, 10. enumerat. *Macr. Sat.* 7, 6. Mala cytonia, quae cotonia vocat Cato. *Varr. R. R.* 1, 59. Conditiva mala, struthea, cotonea, scantiana etc. *Pallad.* 14, 99. Cum praestent cunctis se fulva cydonia pomis. Al. leg. *praestet*, ut arbor cydonia intelligatur. Et *ib.* 141. Aureaque annexo miscere cydonia fetu. Adde 3, 25. de malis. ℙ Cotone malus, et Cydonia, est ipsa arbor cotoneum ferens. *Pallad.* 4, 10. *extr.* ℙ *Cydonius, ii*, m. cydonea malus apud *eund.* 3, 25. de malis. Amant cydonii locum frigidum. Al. leg. *cydonia.*

**COTONIS*, insula circa Echinadas. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

COTŌRĬĀ. V. COTARIA.

COTTĀ, ae, m. cogn. Rom. in gente Aurelia. Videtur esse ἀπὸ τοῦ κότου, scilicet ab ira. *Vet.* enim *epigr.* Irasci faciles Cottas, vultusque severos Fama refert, domui nomen et inde datum. Olim unica littera scribebatur, nam *Cota* legitur in nummo ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 147. Cottarum familia Romae nobilis, in gente Aurelia, ab Sabinis oriunda, non una fuit. Celebres viri hoc fuere cognomine, summis magistratibus insignes. C. Cottam oratorem inducit *Cic.* in libris *de Oratore*, et ab eloquentia laudat. Adde in *Brut.* 55. ℙ Genus ludi aleatorii, cujus fit mentio in *Cod. Justin.* 1, 4, 25. videtur dictum ab ossiculis, quibus ludebant quae Graeci recentiores κότζι vocant. ℙ **Cottae, arum*, populi Asiatici, ultra Maeotidem paludem. *Plin.* 6, 7. ℙ Cotta, vel Cottes (Cotes), promontorium Mauritaniae Tingitanae, cum oppido cognomine, dictum et Ampelusia. Cottae oppidi meminit *Plin.* 5, 1. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Cotes*, et 32, 2. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* legit *Gotta. B. A.*

[COTTĂBAEUS, i, m. pertinens ad cottabum. Est cogn. Rom sub Diocletiano in *Cod. Just.* 3, 29, 5. *F.*]

COTTĂBUS, i, m. sonus, vel crepitus plagarum loris incussarum. *Pl. Trin.* 4, 3, 4. Cave, ne cottabi bubuli in te crepent. Ductum est a Graeco κότταβος, quod significat sonum vini in terram elisi. Solebant enim Graeci in conviviis reliquias vini ad terram spargere laetitiae causa, quod κοτταβίζειν dicebant.

COTTĂNĂ, orum, n. plur. [ab Hebr. קָטֹן *caton*, parvus. *F.*] *Hesychius:* κόττανα, εἶδος συκῶν μικρῶν, *h. e.* genus ficorum parvorum. *Plin.* 13, 5, 10. Syria peculiares habet arbores. In ficorum genere caricas, et minores ejus generis, quae cottana vocantur. *Mart.* 13, 28. Haec tibi, quae torta venerunt cottana meta. Si majora forent cottana, ficus erant. *Id.* 4, 89. et 7, 53. eadem utrobique *parva* vocat. *Juv.* 3, 85. *de quodam Syro venali.* Advectus Romam, pro pruna et cottana, vento. ℙ Legitur et *coctana*, *coctona*, *cotona* et *cotana.*

COTTĬĀNUS, a, um, adj. a Cottio, qui rex fuit Alpinorum populorum, qui Alpes incolunt Galliam ab Italia dividentes. V. v. seq. Hinc *Cottianae Alpes*, ap. *Tac. H.* 1, 61. et *ib.* 4, 68., eaedem nempe, quae *Cottiae*, et *Cottianae civitates* ap. *Plin.* 3, 20, 24.

COTTĬAE Alpes, sunt montes excelsi, qui Galliam ab Italia separant, a monte Vesulo usque ad montem Cenisium, et a vadis Sabatiis, vel ab urbe Segusione usque ad Duriam fluvium longe a Dertona, et Bobio in Occ., inter Alpes maritimas ad Austr., et Alpes Grajas ad Bor. Nomen acceperunt a Cottio ejus regionis regulo, qui ceteris perdomitis Gallis, solus in amicitiam Augusti receptus est, et tractum Alpium alias prope invium, structis molibus, transitu commodiorem reddidit. Hujus sepulcrum, manesque Segusione gemino religionis titulo colebantur, quod justo imperio suos rexisset, et societate cum Romanis inita, quietem genti paravisset. Filium reliquit M. Jul. Cottium, qui regio honore decoratus est a Claudio Imp., et mortuus est imperante Nerone, qui Cottias Alpes in provinciam redegit. *Suet. Tib.* 37. et *Ner.* 18., *Plin.* 3, 20, 24., *Ammian* 15, 10. et *Tac. H.* 1, 87.

**COTTON*, onis, Asiae oppidum, in Aeolide. *Liv.* 9, 37. et 37, 21. *B. A.*

**COTTONA*, ae, portus Aethiopiae, ad sinum Arabicum. *Solin.* 57. ℙ V. et *Cottonara. B. A*

**COTTONĀRA* (regio) in India fuit, ex qua piper monoxylis lintribus Becaren convehebatur. *Plin.* 6, 23. ubi ed. *Basil.* 1530. habet *Cottona. B. A.*

**COTTUS*, i, Thraciae rex. *Cic. in Pis.* 34. Idem nomen videtur esse quod *Cotys. B. A.*

COTŪLA. V. COTYLA.

COTURNĬUM, ii, n. vas, quo in sacrificiis vinum fundebatur. *Festus.* ubi *Scaliger:* ego non puto differre a gutturnio: sed litterae in suas cognatas degenerarunt. V. GUTTURNIUM.

COTURNIX, īcis, f. ὄρτυξ, υγος, avis advena, terrestris magis, quam sublimis. Hae aves regem habent, qui ὀρτυγομήτρα, ortygometra dicitur. *Plin.* 10, 23, 33. ℙ Saepe pugnant cum perdicibus, ut *Arist. De animal.* 9, 8. tradit. Hinc *Ov. Amor.* 2, 6, 26. Ecce coturnices inter sua proelia vivunt. ℙ Habet aliquando locum in blanditiis amantium. *Pl. Asin.* 3, 3, 76. Dic me tuum passerculum, gallinam, coturnicem etc. ℙ A sono vocis ita dictas vult *Festus:* ast alii a genit. vocis Graecae allatae, transpositis, ac leviter mutatis litteris. ℙ *Servius* ad *A.* 3, 73. de Delo insula loquens, quae Graece ὄρτυξ dicta est, hujusmodi narrat fabulam: fuisse Asteriem quandam Latonae sororem, cui cum contumeliam inferre vellet Juppiter, illam optavisse a Diis, ut in avem converteretur: versamque esse in coturnicem: et cum vellet mare transfretare, afflatum a Jove, et in lapidem versam, diu sub aquis latuisse etc. ℙ Coturnices, quae apud nos aliquo in pretio sunt, apud Romanos contemptui habitas ex *Juven.* 12, 97., et multo magis ex *Plin. l. c.* apparet; hic enim ait: Coturnicibus veneni (*h. e.* ellebori) semen gratissimus cibus, quam ob causam eas damnavere mensae, simulque comitialem propter morbum despui suetum, quem solae animalium sentiunt praeter hominem. ℙ Prima syllaba, quam *Ov.* et *Juven. l. c.* corripiunt, produci etiam potest. *Lucr.* 4, 643. At capris adipes, et coturnicibus auget.

**COTUS*, i, rex, pro *Cotys. Nep. Iphicr.* 3. ed. *Staver.* ubi genitivus *Coti* occurrit. ℙ Item Aeduus, antiquissima familia natus, homo summae potentiae et magnae cognationis. *Caes. B. G.* 1, 32. *B. A.*

**COTYAĬON* (um), i, Κοτυάειον, Phrygiae oppidum. *Plin.* 5, 32. Scribitur et *Cotyaeum. B. A.*

CŎTYLĀ et *Latino more* Cotula, ae, f. κοτύλη, qua voce tum cavitas, tum liquidorum mensura significatur. Genus mensurae tum liquidorum, tum aridorum, eadem quae hemina, dimidium sextarii continens, seu sex cyathos. Haec ex *Fannio De ponderib. et mens. humid.* 12. et *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. *n.* 68. Hinc *Mart.* 8, 71. Post hunc in cotula rasa selibra data est. ℙ [*Dionys. Halic.* in *Excerpt. n.* 4. narrat, Philonidem quendam Tarentinum ob perpetuam, cui erat obnoxius, ebrietatem, Cotylam cognominatum fuisse. Fuit quoque cogn. Rom. Etenim *Cic. Phil.* 13, 12. memorat L. Varium Cotylam familiarem M. Antonii triumviri. *F.*]

CŎTYLĒDON, ŏnis, f. κοτυληδών, herba parvula, cauliculo tenero pusillo, pingui folio et concavo, ut coxendices (unde et nomen), viridis, radice olivae modo rotunda. Herbarii nunc vocant umbilicum Veneris. Est et aliud genus, sordidis foliis, latioribus densioribusque circa radicem velut oculum cingentibus, asperrimi gustus, longiore caule, sed pergracili. *Plin.* 25, 13, 101.

CŎTYNUS, i, m. In *Inscr.* ap. *Grut.* 337. nomen est equi Circensis. Est autem idem quod Thracius, a Coty rege Thraciae, ad quem exstat epistola *Ov. Pont.* 2, 9. ℙ Est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 18. *n.* 1. C. Cassius Cotynus.

**COTYORUM*, i, n. Ponti oppidum, ad mare Euxinum. *Plin.* 6, 4. Κοτύωρα plur. num. audit *Xenoph. Exped. Cyri* 5, 5. Κοτύωρος *Straboni. B. A.*

**COTYS*, yos, et Latina terminatione Cotus, i, m. Thraciae regum nomen. *Caes. B. C.* 3, 4. *Nep. Iphicr.* 3. et *Timoth.* 1. *Ov. Pont.* 2, 9, 2. seqq. *Liv.* 42, 29. et 51. *Lucan.* 5, 54. *Tac. A.* 2, 64. ℙ Item Armeniae minoris rex, sub Claudio. *Tac. A.* 11, 9. ℙ Hinc *Cotynus, a, um*, quod V. in *Cotynus, i. B. A.*

COTYTTĬA, orum, n. plur. κοτύττια, festa nocturna in honorem Cotyttus, quae Athenis fiebant: in quibus placentulae quaedam, et poma ramis arborum alligabantur, et diripienda proponebantur. Erant autem omni genere lasciviae foedissima: unde vocat ea *Hor. Epod.* 17, 56. sacrum liberi Cupidinis. [*Auct. Catal. Virg.* 5, 19. Non me vocabis pulcra per Cotyttia Ad feriatos fascinos. *F.*] *Acron*, et *Porphyr. infernalia* vocant, quae Diis inferis a veneficis fiebant: inde fortasse, inquit *Porphyr.*, quod Cotytus fluvius sit Inferorum. Verum ejus fluvii non *Cotytus*, sed *Cocytus* nomen est.

CŎTYTTO, us, f. contr. Κοτυττώ, Dea impudicitiae, cui Athenis a Baptis nocturna sacra fiebant, quae vocabantur Cotyttia. Hanc quidam saltatricem fuisse existimant: unde etiam sacerdotes lascivis saltationibus mores ejus referebant. *Juven.* 2, 92. Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytto. V. BAPTAE.

**COVELLICAE*, arum, locus vel oppidum Vindeliciae. *Tab. Peut. B. A.*

**COVELLA*, ae, f. i. e. coelestis: nam *covum* veteribus idem est ac *coelum.* Sic *Scalig.* ad *Varr. L. L.* 5, 4. p. 49. interpretatur, quod habent veteres libri *Juno covella.* Interim ipse emendat *Jana novella.* Sed *Scioppii* editio *Juno covella* revocavit. Cf. *Scalig. de emend. temp.* 2, 1, 174. *B. A.*

CŎVĪNĀRĬUS, ii, m. qui covinum regit, vel potius qui ex covino pugnat. *Tac. Agric.* 36. Covinarii peditum se proelio miscuere. Adde *ib.* 35.

CŎVĪNUS, i, m. genus carri, quo in bello utebantur Britanni, et Belgae, ejus axes falcibus armantes ut *Mela* 3, 6. docet. *Lucan.* 1, 426. Et docilis rector rostrati Belga, covini. Alii leg. *monstrati. Sil.* 17, 422. Caerulus haud aliter cum dimicat incola Thules, Agmina falcifero circumvenit arcta covino. [**Nomen hod.* mansit in Angl. voce *Kowain.* Caeterum parum aut nihil differre videntur *covini* ab *essedis*, quarum semper meminit *Caesar* de Britannorum pugnandi genere loquens. Cf. *B. G.* 4, 32. sqq.] ℙ Ejus usus erat etiam in itinere, pro rheda. *Mart.* 12, 24. O jucunda, covine, solitudo, Carruca magis essedoque gratum etc. ℙ [Translate usurpatur et de curribus circensibus. *Sidon. carm.* 23, 350. Instant verberibus simul regentes, Jamque et pectora prona de covino Extensi rapiuntur, et jugales Trans armos feriunt, vacante tergo. *F.*] ℙ Scribitur et *covinnus.*

COUS, a, um, adj. Κῶος, ad Coon insulam pertinens. *Varr. R. R.* 2. *prooem.* Coa insula. *Liv.* 37, 22. Coa quinqueremis. *Lucan.* 8, 246. Coum litus. *Ov. A. Am.* 3, 329. Cous poeta, *h. e.* Philetas Cous poeta Graecus elegiographus, (quem designat etiam illo versu *R. Am.* 760. Et cum Callimacho tu quoque, Coe, noces. Ut et in illo *Trist.* 1, 6, 2. Nec tantum Coo Battis amata suo est.) *Id. Pont.* 3, 1, 58. ad uxor. non Inferius Coa Battide nomen habes. *Id. ib.* 4, 1, 29. Cous artifex, *h. e.* Apelles. *Cic. Or.* 2. Coa Venus, *h. e.* ab Apelle Coo picta. *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 4. Coa uva, et Berytia servantur nullius suavitati postferendae. *Id.* 14, 8, 10. Coum vinum. *Id.* 35, 12, 46. Coae amphorae. *Marc. Emp.* in *carm. v.* 5. Quod Cous docuit senior, *h. e.* Hippocrates. ℙ *Coi, orum*, sunt ejus insulae populi. *Cic. Verr.* 2. 4, 60. *Plin.* 14, 8, 10. ℙ In singulari num.

Stat. Silv. 1, 2, 252. hunc ipse, Coo plaudente, Philetas Ambisset laudare diem. Prima hic syllaba corripitur, quia Graece etiam *Κόως* scribitur, praesertim si de populis sermo sit. ℙ *Coum* absolute est Coum vinum. *Hor. Sat.* 2, 4, 29. Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo, *h. e.* quod Graeca voce *leucocoum* dici tradit *Plin. l. modo c.*, ejusque conficiendi rationem docet. *Pers.* 5, 135. lubrica Coa, *h. e.* vina Coa alvum solventia. [*Cf. *Heindf.* ad *Hor.* l. modo laudatum.] ℙ *Coa vestis*, et *Coa*, *orum*, absolute in magno pretio fuerunt. Erant autem genus vestis tenuissimae ac pellucidae ad luxum feminarum, nomen habentes ex eo, quod quaedam Pamphila Latoi filia, Coa, prima invenit telas bombycinas redordiri, rursusque texere mira tenuitate: non fraudanda (inquit *Plin.* 11, 22, 26.) gloria excogitatae rationis, ut denudet feminas vestis. Quod inventum jure ac merito arguit *Senec. ep.* 90. et 7. *Benef.* 9. et alibi. *Tibull.* 2, 6, 35. Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa Texuit. *Propert.* 4, 5, 23. Coae textura Minervae. Et *ib.* 55. Coae munera vestis. *Hor. Od.* 4, 13, 13. Coae purpurae. *Ov. A. Am.* 2, 298. Sive erit in Cois, Coa decere puta. Adde *Hor. Sat.* 1, 2, 101.

*COUTOR, eris, dep. 3. commercium habeo. *Vulgat. Johann.* 4, 9. Non enim coutuntur Judaei Samaritanis, *οὐ συγχρῶνται. B. A.*

COVUM, i, n, cavum in aratro, sub jugo medio, quo bura extrema immittitur: a *cavo* dictum. *Varr. L. L.* 4, 31. ℙ *Covus*, *i*, m. dicitur a *Philargyr.* ad *Virg. G.* 2, 517. manipulus spicarum, qui ab Italis *covone*. In editis. male legitur cavus. *F.*]

[COX, xis, m. idem fortasse ac coxo, seu coxso. *Inscr.* apud *Amadutium Anecd. Litter. T.* 2. p. 466. L. Tattius Cox. *F.*]

COXA, ae, f. *κοχώνη*, *ἰσχιον*, *μηρὸς*, *μηρίον*, os in imo ventre animalis transversum, longeque valentissimum, situm ab utroque latere ossis sacri: in cujus sinus rotundos, seu acetabula valde capacia, hinc et inde capita ossis femorum conjiciuntur: *Cels.* 8, 1. *f.* et *ib.* 10. *n.* 5., item 2, 7. Videtur autem priore loco ipsum quoque sacrum os hac appellatione complecti. *Id.* 5, 26. *n.* 13. Dolor in inguinibus, et coxis, et feminibus est. ℙ Sumitur etiam late pro ipso femore. *Cels.* 4, 20. Perfricare coxas et poplites. *Mart.* 7, 20. Et utramque coxam leporis, et duos armos. Adde *Juven.* 6, 320. et 15, 66. et *Appul. Met.* 7. ℙ Et pro osse femoris praesertim quae coxae jungitur. *Plin. ep.* 2, 1. Fallente vestigio cecidit, coxamque fregit. ℙ Quemadmodum in corpore humano femur coxae adjunctum, angulum internum facit; ita in agris *coxa* angulum internum limitaneum notat. *Siculus Fl.* p. 6. *Goesii.* Termini qui omnibus angulis, coxisque positi esse debent. *Inscr.* apud *Fabr.* p. 180. T. Capelli T. F. Vindicis in F. P. XXXVII. A. T. Cox. S. P. XXVII. intra Cox. P. XXXVII. V. ipsum *Fabr.* qui ibi plura hac de re, et *Ursati Marmora Erudita epist. ult.* [De hac vero inscriptione V. *Cognolat.* in *Praef.* huic Lexico praemissa *n.* XI et adnotat. (*a*). *F.*]

COXENDIX, icis, f. *ἰσχιον*, idem quod *coxa:* sed apud Latinos usitatius. *Cels.* 7, 30. *sub f.* Coxendices, ac femina liquido cerato perungenda sunt. *Targa* reponendum putat *coxas. Suet. Aug.* 8. Coxendice, et femore, et crure sinistro non perinde valebat. *Varr. R. R.* 1, 20. Boves crassis coxendicibus. ℙ Pro toto femore. *Pl. Bacch.* 5, 2, 40. *Ph.* Cor stimulo foditur. *Ni.* Pol tibi multo aequius est coxendicem. *Fest.* in *Strebula.* Coxendices hostiarum, quae in altaria imponi solebant. Adde *Lucil.* et *Varr.* ap. *Non.* 2, 193. ℙ Pro osse femoris. *Plin.* 28, 11, 49. de suib: Ossa ex acetabulis pernarum, circa quae coxendices vertuntur. *Id.* 10, 61, 81. Vespertilioni coxendix una traditur, *h. e.* unicum os sine crure usque ad pedes.

*COXĪGO, as. claudico. *Gloss. Lat. Gr.* Coxigat, *χωλαίνει. B. A.*

COXO. V. CATAX.

[COXSĪNUS, i, m. pulvinus ita est appellatus, quod coxis subjicitur. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 169. L. Valerius L. F. Coxsinus. *F.*]

[COXSO, onis, m. qui crassis praeditus est coxis. V. CATAX. *F.*]

CR

*CRABATTUS, i, m. *κράβατος*, lectulus meridiando idoneus, ut ait *Hotomannus* in locum *Scaevol. Dig.* 33. *t.* 7. leg. 20. *sub f.* Instructis domibus legatis, crabattus argento tectus mortis Titiae tempore, in domibus non est repertus, sed in horreis tantisper conditus. V. *Grabatus. B. A.*

CRABRA Aqua, *la Marrana*, *la Marranella*, fl. Latii, qui oritur ex agro Tusculano paulo supra Cryptam Ferratam, et postea in duo brachia dividitur, quorum pars major in Anienem se exonerat, pars minor per urbem Romam labitur, et ibi in Tiberim defluit. De ea verba facit *Front. Aquaed.* 9. et *Cic. Agr.* 3, 2. *extr.* et *Fam.* 16, 18.

CRABRO, onis, m. *ἀνθρήνη*, *σφὴξ*, animal volatile, e genere vesparum, cum murmure volitans, nidos in cavernis, aut sub terra faciens: duplicis generis, teste *Plin.* 11, 21, 24., silvestre eorum, qui in cavernis degunt, hieme sub terra conduntur; ictu aculei dolorem ac saepe febrim inferentes: et mitius, ac veluti domesticum partim eorum, qui opifices nominantur, hoc est favos aedificant modo suo: partim inertium, et partus solummodo edentium, ob id matres dicti, sed utrorumque clementium. *Ov. Met.* 15, 368. ex putrefacto equi cadavere nasci tradit. *Virg. G.* 4. inter hostes apum enumerat, *v.* 245. Aut asper crabro imparibus se miscuit armis. *Ov. Met.* 11, 335. similisque juvenco Spicula crabronum pressa cervice gerenti, Qua via nulla ruit. *Pl. Amph.* 2, 2, 75. Irritare crabrones: proverbium de illis, qui potentiores provocant, a quibus sine malo discessuri non sunt.

CRACCĀ, ae, f. genus viciae, aut alterius grani degenerantis, in tantum columbis grata, ut pastas ea negent fugitivas illius loci fieri. *Plin.* 18, 16, 41.

CRĂCENTES, graciles. *Ennius*: Succincti gladiis media regione cracentes. Haec *Festus.* Volunt etymologi, esse ab obsoleto *craceo* pro *graceo*, a *γράω*, comedo, absumo.

CRĀGUS, et Cragos, i, m. mons Lyciae, in ora, pars Chimaerae, unde et Taurus initium sumit, cui mons oppositus Anticragus nominatur, apud Limyrum fl., et Andriacam urbem. Dictus est a Crago Trenedeti et Paraxidices Nymphae filio. *Ov. Met.* 9, 645. Jam Cragon, et Limyren, Xanthique reliquerat undas. ℙ Item promontorium eodem loci, nunc *Capo Serdeni*, aut *Sette capi. Plin.* 5, 27, 27. *Hor. Od.* 1, 21. v. 8. Nigris aut Erymanthi Silvis, aut viridis Cragi. ubi MSS. et edd. vett. *Gragi. B. A.*

CRAMBĒ, es, f. *κράμβη*, genus brassicae tenuioribus foliis, et simplicibus densissimisque, amarior, sed efficacissima, ut *Plin.* 20, 9, 33. describit. Dicta videtur quasi *κορόμβλη*, quia *κόρας ἀμβλύνει*, pupillas hebetat. V. CORAMBLE. ℙ Sumitur et pro quavis brassica: quae bis cocta, seu recalefacta stomachum praegravat, concoctu difficilis. Hinc Graecum proverbium *δὶς κράμβη θάνατος*. Allegorice *Juven.* 7, 154. Occidit miseros crambe repetita magistros, *h. e.* millies repetitae declamationes, aliaque, quae pueris traduntur in scholis, taedio conficiunt atque enecant magistros. Hoc aptius esse videtur, quam quod alii *Cambre* legentes, commenti sunt de quodam vico ejus nominis ad montem Gaurum, ubi Campani a Cumanis olim ingenti proelio superati fuerint: ut proinde *Cambre* titulus esset declamationis, quae frequenter in scholis haberetur.

*CRAMBŪSA vel Crambussa, ae, insula prope Cyprum. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*CRANĂOS, i, Cariae oppidum. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

*CRANDA, Aethiopiae oppidum sub Aegypto. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

CRANE. V. CARNA. ℙ Crānē, es, f. *κράνη*, seu *κρήνη*, fons. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 637, 8. Claudia Crane.

*CRANIA, ae, mons Epiri, prope Ambraciam. *Plin.* 4, 2. *B. A.*

CRANĬUM, i, *Κράνιον*, oppidum. V. v. sq.

[CRANĬUS, a, um, adj. ad Cranium pertinens, Cephalleniae insulae urbem, nunc *Cranio*, in cujus nummis ap. *Sestinium Cl. gen.* p. 49. KRANI. *Liv.* 38, 28. Vicenos obsides Nesiotae, Cranii, Pallenses, et Samaei dederunt.

CRANNONĬUS, a, um, adj. ad Crannona pertinens, Thessaliae urbem in Pelasgiotide, nunc *Crania*, vel *Xeres*, in cujus nummis ap. *Sestinium Cl. gen.* p. 40. *ΚΡΑΝΝΩΝΙΩΝ. Liv.* 42, 64. Romani ad Crannonium intactum agrum castra movent. *Id. paulo post.* Viae difficultas, quae inter Sycarium, et Crannona est. [*Adde *Cic. Or.* 2, 86. *Plin.* 4, 8. *Quint.* 11, 2. *Liv.* 36, 10. Melior scriptura est *Cranon*, ut *Drakenb.* docet ad *Liv.* 36, 10. qui et in *Cic. l. l.* sic scribi tradit in cod. Trajectino. Recepit *Orell.*]

*CRANON, onis, *Κράνων*, oppidum. V. v. anteced. *B. A.*

*CRANTOR, ŏris, m. *Κράντωρ*, filius fuit Amyntoris, frater Phoenicis, Pelei armiger, a Demoleonte Centauro interfectus. *Ov. Met.* 12, 367. ℙ Crantor Academicus e vetere Academia, Solensis fuit, Xenocratis discipulus, nil ab Aristotele dissentiens. *Cic. Acad.* 1, 9. et 4, 44. *Id. Tusc.* 1, 40. Scripsit, inter alia multa, librum *de Consolatione*, quem imitatus est *Cicero. Cic. Att. ep.* 12, 21. Cum Chrysippo eum conjungit *Hor. Ep.* 1, 2. v. 3. et 4. Cf. *Laert.* 4, 24. seq. *B. A.*

CRĂPŪLA, ae, f. *κραιπάλη*, nimius vini potus, ebrietas, ex qua titubatio, vertigo, et gravedo capitis oritur: a voce Graeca allata, quae videtur esse *ἀπὸ τοῦ πάλλεσθαι τὸ κάρα*, quia caput contremiscit, et totum corpus labat. *Cic. Verr.* 2, 3, 11. *extr.* Qui nondum Aproniani convivii crapulam exhalassent. *Id. Phil.* 2, 12. Edormi crapulam, et exhala. *Pl. Ps.* 5, 1, 35. Inde huc exii, crapulam dum amoverem. *Liv.* 9, 30. Pleni crapulae tibicines. *Flor.* 2, 10. Subinde crapula, et capitis errore lapsare. *Plin.* 21, 20, 83. Iris discutit crapulas. *Appul. Met.* 1. Cibo et crapula distentus. Et *ib.* 3. Crapula madens. ℙ Metonymice dicitur flos resinae percoctus, quo condire vinum solebant: quia vinum ita conditum capitis dolorem solebat: quia vinum ita conditum capitis dolorem et vertiginem facit (teste *Plin.* 23, 1, 24.), qui sunt crapulae effectus. *Plin.* 14, 20, 25. Crapula compesci feritatem vini nimiam. Et *mox.* Pugnacibus mustis crapulae plus inditur. Adde 23, 1, 24.

CRĂPŪLĀRĬUS. V. AMPULLARIUS.

*CRAPULĀTUS, a, um, part. crapula gravatus, crapulentus. *Vulg. Psalm.* 78. *v.* 65. Tanquam potens crapulatus a vino. *B. A.*

CRĂPŪLENTUS, a, um, adj. crapula gravatus, ebrius. *Ammian.* 29, 5. Vinoque consucto distentus, et crapulentus.

CRĂPŪLOSUS, a, um, adj. crapulae deditus. *Firm. Mathes.* 8, 20. Gulae crapulosis libidinibus servientes.

CRAS, adv. *αὔριον*, die proxime futuro. *Cic. Att.* 12, 44. Scies igitur fortasse cras: ad summum perendie. Et *ib.* 13, 30. Negat Eros hodie: cras mane putat. *Mart.* 5, 58. Cras istud, Postume, quando venit? Quam longe cras istud, ubi est, aut unde petendum? etc. *Ov. R. Am.* 94. Qui non est hodie, cras minus aptus erit. ℙ Cum verbis praesentis temporis. *Hor. Ep.* 1, 5, 9. cras, nato Caesare, festus Dat veniam, somnumque dies. *Ter. Phorm.* 3, 2, 46. Cras mane argentum mihi miles se dare dixit. *Pl. Most.* 3, 1, 124. Abeo: sat habeo, si cras fero. *Varro* quoque unum ex libris suis inscripserat, teste *Non* 2, 336. et 544., Cras credo: hodie nihil. Quare frustra est *Servius*, qui in *Art. Donati* 2. p. 1791. putat vitiose dici, *cras lego lectionem.* Porro illud *Varronis*, Cras credo, etc., commode usurpari potest ab eo, qui se neget dictis alicujus fidem habere: [*Nos: *Morgen!*] ℙ Adhibetur aliquando latiori significatione, pro in futurum, futuro tempore. *Hor. Od.* 1, 9, 13. Quid sit futurum cras, fuge quaerere. *γνώμη. Tibull.* 2, 7, 1. Finirent multi leto mala: credula vitam Spes fovet, et melius cras fore, semper ait. ℙ Cras hesternum ap. *Pers.* 5, 68. est hesterna dies. Sed V. integr. locum. ℙ In illo *Mart.* 2, 37. Ullus si pudor est, repone coenam. Cras te, Caeciliane, non vocavi: *cras* est in diem crastinum.

CRĀSIS, is, f. *κρᾶσις*, mixtio, mixtura. A grammaticis sic dicitur duarum vocalium, aut vocalis et diphthongi coitio in unam tertiam, quae unum efficiat sonum ex duabus mixtum, vel neutra illarum remanente, vel alterutra tantum, ut *τίχεα τίχη*, *καὶ εἶτα κἆτα.* Sed Graeca vox est a *κεράννυμι*, misceo, et Graece adhibenda.

*CRASPEDĪTES, ae, sc. sinus, in Bithynia fuit, ad Propontidem, dictus et sinus Astacenus et Olbianus. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

CRASSĀMEN, inis, n. idem ac crassamentum. *Colum.* 12, 25. Semper in requieta aqua crassamen aliquod in imo reperitur. Et *ib.* 41. Donec crassamen in modum faecis exsistat.

CRASSĀMENTUM, i, n. *ζῆμα*, *ὑπόστασις*, crassum illud et faeculentuum, quod subsidit in liquoribus requietis. *Colum.* 12, 12. Aliquod crassamentum in imo, simile faeci reperitur. ℙ Item pars crassior alicujus rei. *Gell.* 17, 9. Surculi duo pari crassamento, ejusdemque longitudinis. *Plin.* 16, 40, 77. Crassamenta portarum. V. ASSAMENTA.

CRASSĀTUS, a, um, part. a *crasso*, crassus, densatus. *Ammian.* 19, 4. Terrarum halitu densiore crassatus aer.

CRASSĒ, adv. *παχυλῶς*, dense. *Colum.* 12, 43. Vasa intrinsecus et exterius crasse picari. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 2, 1, 76. Poema crasse illepideve compositum. *Senec. ep.* 121. *med.* Aliquid crasse, et summatim, et obscure intelligere. *Plin.* 37, 7, 31. Gemmae crassius nitent, *h. e.* languidius, obtusius. Sic *ib.* 8, 36. Molochites spissius virens, et crassius, quam smaragdus.

CRASSĒDO, inis, f. crassities, crassitudo. Translate. *Fulgent. Contin. Virg.* Adipata crassedo ingenii.

CRASSESCO, is, n. 3. *παχύνομαι*, crassus fio, aut densus. *Plin.* 19, 6, 32. Caepae Creticae capita satis crassescunt. *Id.* 11, 39, 94. Quadrupedibus pili senectute crassescunt. *Id.* 23, 1, 22. Quo generosius vinum est, hoc magis vetustate crassescit. *Id.* 11, 13, 13. Est autem initio mel dilutum: vicesimo die crassescit. *Id.* 2, 43, 44. Aer qui neque in nebulam densetur, nec crassescat in nubes. ℙ Item indurescere. *Plin.* 33, 5, 26. Crassescente limo rigoribus hibernis usque in duritiam pumicis. ℙ Item pinguescere. *Colum.* 8, 9. Turtures milio, tritico, vel aliis frumentis crassescunt. *Plin.* 13, 18, 32. Sues crassescunt.

CRASSĬĀNUS, a, um, adj. ad Crassum pertinens, quod est nom. Romani civis proprium, ut Crassianus exercitus. *Vellej.* 2, 82. Crassiana cla-

des, *Plin.* 6, 16, 18. et *Flor.* 4, 9. *h. e.* quam a Parthis sub Orode rege accepit M. Licinius Crassus, cognomento Dives, apud Carrhas in Mesopotamia, in qua undecim legiones Romanae caesae, ipse proconsul interemptus, atque in os capitis ejus praecisi aurum liquefactum infusum fuit hac exprobratione, *Aurum sitisti, aurum bibe,* (sine ulla enim causa, sola ditescendi cupiditate, iis bellum intulerat) cum prius in ipsa acie P. Crassum filium fortiter dimicantem, cadentemque vidisset. V. *Val. Max.* 1, 6. *n.* 11., *Flor.* 3, 46., *Cic. Div.* 2, 9., *Ov. Fast.* 6, 465. etc.

CRASSĬFĬCĀTĬO, onis, f. crassities. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 3. Viscosa crassificatio.

CRASSĬFĬCĀTUS, a, um, part. a *crassifico,* condensatus. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 14. Quae cum fuerint coctione crassificata etc.

CRASSĬFĬCO, as, avi, atum, pinguem reddo. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 2. Crassificare corpus. ℙ Item crassum, ac spissum reddo. *Id. ib.* 4, 3. Fluores crassificando cohibet.

CRASSĬPES, edis, adj. crassos habens pedes, πάπους. Cognomen fuit familiae Romanae in gente Furia. Furio Crassipedi nupsit Tullia Ciceronis filia, ut est ap. *eund. Q. Fr.* 2, 5. et *Fam.* 1, 7. Adde nummum gentis Furiae ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 222. [*V. *Ernest. cl. Cic.*]

CRASSĬTAS, atis, f. crassities, crassitudo. *Appul. de Mundo.* Aeris noxii crassitate densa.

CRASSĬTĬES, ei, f. idem ac crassitudo. *Appul. Met.* 7. *in.* Pectus et venter crustata crassitie reluctabant.

*CRASSITĬUS, i, m. praenomine Lucius, Tarentinus, ordinis libertini, cognomento Pasides (*Pasicles* mavult *Casaubonus*), Romae ludum Grammaticae aperuit, docuitque inter alios Jul. Antonium M. Antonii Triumviri filium. Totus postmodum philosophiae se dedit. *Suet. de illustr. Gram.* 18. *B. A.*

CRASSĬTŪDO, inis, f. παχύτης, amplitudo. *Cic. Acad.* 4, 36. Extremitas, in qua nulla crassitudo sit. *Caes. B. C.* 2, 8. Crassitudo parietum quinque pedum. *Vitr.* 4, 4. Crassitudines columnarum extenuentur his rationibus etc. *Pl. Most.* 3, 2, 132. Postes cujusmodi! quanta firmitate facti, et quanta crassitudine! *Plin.* 32, 9, 31. Genarum crassitudines. Et *ib.* 6, 21. Ostrea crassitudine potius spectanda, quam latitudine. *Id.* 13, 7, 15. Rami in crassitudine adolevere. ℙ Item densitas, spissitudo. *Cic. Div.* 1, 49. Propter aeris crassitudinem. *Plin.* 27, 9, 47. Decocta in vino usque dum sit crassitudo cerae. *Id.* 28, 12, 10. Crassitudo mellis. *Cato R. R.* 39. Crassitudo fiat quasi emplastrum. ℙ Item crassamentum. *Plin.* 25, 11, 90. de psyllio herba: Terere, et crassitudinem illinere oportet cuicumque dolori, et collectioni.

CRASSĬVĔNĬUM Acer, dicitur aceris quoddam genus, ceteris vilius, ob crassiorem ac rudiorem venarum macularumque discursum. *Plin.* 16, 15, 26.

CRASSO, as, avi, atum, a. 1. crassum facio. *Appul. Met.* 3. Pili crassantur in setas.

CRASSUS, a, um, adj. παχύς, amplus, cui opponitur subtilis, tenuis. *Varr. L. L.* 4, 22. Intestinum crassum. *Cato R. R.* 28. Arbores crassiores digitis quinque. *Plin.* 11, 43, 99. Pollex crassior digitis ceteris. *Id.* 36, 25, 31. Nucleus crassus sex digitos. *Id. ib.* 6, 9. Arena crassior. *Mart.* 12, 26. Et subitus crassae decidit imber aquae. [*De discrimine inter *crassus* et creber V. quae eleganter disputavit *Dödert.* 1, 20.] *Id.* 5, 78. Crassum volumen. *Hor. Sat.* 1, 3, 15. Crassa toga. *Ov. Her.* 9, 77. Crassa fila. *Pl. Pers.* 5, 2, 34. restis. [*Ter. *Hec.* 3, 4, 26. At faciam ut noveris, magnus, rubicundus, crispus, crassus, caesius.] ℙ *Digitus crassus* est mensura digiti secundum ejus crassitudinem. *Cato R. R.* 40. Stirpem oblinito digitos crassos tres. *Pontedera,* et *Schneiderus* putant legendum *digitos crassum tres.* ℙ Est etiam spissus, densus, gravis, παχυλός. *Cic. N. D.* 2, 6. Terram esse infimam, quam crassissimus circumfundat aer. *Id. Fat.* 4. Athenis tenue coelum; ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis; itaque pingues Thebani. *Id. Acad.* 4, 39. Latent ista omnia crassis occultata et circumfusa tenebris. *Auct. B. Hisp.* 6. Crassissima nebula. *Virg. G.* 2, 110. Crassae paludes. *Id. A.* 5, 469. Crassum cruorem ore rejectans. *Stat. Achill.* 1, 87. Crassa flumina, *h. e.* cadaveribus spissa, et cursu tardiora. *Plin.* 23, 9, 83. urina. *Id.* 20, 17, 69. Crassiores pituitae. *Id.* 36, 26, 67. Vitrum crassiore visu, *h. e.* minus pellucido. *Hor. A. P.* 375. Crassum unguentum, *h. e.* spissum, non liquidum, et veluti turbidum, atque adeo vilioris pretii. [*Lucr. 6, 858. Crassum corpus, i. e. durum, difficile perforatu.] *Cic. Fl.* 29. Crassi agri, *h. e.* pinguiter densi, ut *Colum.* loquitur 2, 2. Adde *Varr. R. R.* 1, 24. [*Locus *Cic.* modo laudatus pertinet ad §. proxime sequentem. Nam *crassi agri* sunt pingues, fertiles, ut recte *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v.] ℙ Item pinguis. *Mart.* 2, 40. Subdola tenduntur crassis modo retia turdis. *Stat. Th.* 2, 659. Simul haec et crassum sanguine telum Jam redit, *h. e.* cruore tinctum, illato vulnere, et sic quodammodo pingue factum. ℙ Translate. *Pl. Rud.* 3, 5, 53. Crassum infortunium. *Mart.* 12, 18. crassiora nomina, *h. e.* rudia, barbara, et pingue quiddam sonantia. *Gell.* 13, 2. Ciceroni mollius teretiusque visum *fretu* scribere, quam *freto,* erat enim crassius, vastiusque, *perangusto freto* dicere. *Hor. Sat.* 2, 2, 3. Crassa Minerva. V. MINERVA. *Cic. Fam* 9, 12. Hospiti veteri et amico munusculum mittere volui levidense, crasso filo, cujusmodi ipsius solent esse munera. *Quint.* 1, 10. Etiam crassiore, ut vocant, Musa, dubitationem eximere. *Ulp. Dig.* 22, 6, 6. Crassa negligentia. *Mart.* 9, 23. Vulgus, crassaque turba, *h. e.* rudis, indocta. *Varr.* ap. *Non.* 2, 137. Senes crassi, *h. e.* hebetes. ℙ Crassorum familia Romae fuit in gente Licinia plebeji ordinis: in qua fuit L. ille Crassus orator, quem *Cicero* in libris *de Oratore* loquentem inducit, ejusque mortem queritur initio libri tertii: characteremque dicendi exprimit *Brut.* 48. Item M. Crassus, cognomento Dives, quia fuit Romanorum omnium ditissimus, de quo V. CRASSIANUS. Item ante hunc M. Crassus ἀγέλαστος, P. Crassus *Sapiens,* post M. Crassus *Frugi* etc. omnes primis magistratibus, et honoribus functi etc. [**Ernest. cl. Cic.*]

CRASTĪNUS, a, um, adj. qui cras futurus est. *Cic. Att.* 15, 8. Crastinus dies. ἐπιοῦσα ἡμέρα. *Pl. Stich.* 4, 2, 55. Nunquam me vivum quisquam in crastinum prospiciet diem. *Petr. Sat.* 15. Exhibiturum crastino die affirmabat. *Propert.* 2, 12, 54. Crastina dies. *Pl. Men.* 1, 2, 62. Usque ad diurnam stellam crastinam potabimus. *Virg. A.* 4, 119. ubi primos crastinus ortus Extulerit Titan. *Id. ib.* 12, 76. Crastina aurora. Et *ib.* 10, 244. lux. *Id. G.* 1, 425. hora. *Mart.* 1, 16. Sera nimis vita est crastina: vive hodie. *Id.* 3, 58. Nec avara servat crastinas dapes mensa. *Id. ib.* 10. Crastina egestas. *Lucan.* 7, 26. quies. *Val. Fl.* 7, 97. Crastinus ignis. [*Ov. *Fast.* 3, 345. Crastinus Cynthius, i. e. crastinus dies.] ℙ Pro *crastino die* dixerunt et *die crastini,* ut *Pl. Most.* 4, 1, 25. Hoc die crastini cum herus resciverit. Adde *Gell.* 2, 29., qui plura disserit de hac loquendi ratione 10, 24., ubi ostendit *die quinti, noni, pristini, proximi* dictum fuisse pro *quinto, nono* etc. *Coel. Antip.* et *Cato* ap. *Gell. ib.* et *Macr. Saturn.* 1, 4. ℙ Absolute. *Cic. Or.* 2, 90. Nisi forte in crastinum differre mavultis. *Pl. Ps.* 5, 2, 33. In crastinum vos vocabo. *Id. Cas.* 3, 5, 43. Protollere aliquid in crastinum. *Senec. Thyest.* 619. Nemo tam divos habuit faventes, Crastinum ut possit sibi polliceri. *Gell.* 2, 29. Crastino seges non metetur. ℙ *Crastinus,* qui cras quippiam facturus est, ut *matutinus* ap. *Virg.*, qui mane. *Sidon. carm.* 24, 21. Emensusque jugum die sub uno, Flavum crastinus aspicis Triobrem. ℙ Latiore significatione *crastinus* idem est, quod futurus, posterus. *Plin.* 13, 9, 17. Fertilitas assidua ei, crastino subnascente fructu. *Stat. Th.* 3, 562. quid crastina volveret aetas, Scire nefas homini. ℙ In crastinum differo res severas, εἰς αὔριον οπουδαῖα, proverb., quo admonemur in re laeta, v. gr. in convivio de rebus seriis agere importunum esse. Ortum habuit fortasse ex eo, quod narrat *Nep. Pelop.* 3. V.

CRĀTAEGIS. V. CRATAEOGONON.

CRĀTAEGUM, granum buxi. *Plin.* 16, 30, 52. Al. leg. *carthegon.* *Hoc habet ed. *Elzev.* cum antiquioribus aliis: illud ed. *Hard. B. A.*

CRĀTAEIS, ĭdis, f. Κραταιίς, mater Scyllae. *Virg. Cir.* 66. et *Ov. Met.* 13, 749. ℙ Item fluvius Brutiorum, nunc *Fiumara di Maro. Plin.* 3, 5, 10., ubi alii leg. *Cratais.*

CRĀTAEOGONON, i, n. κραταιόγονον, herba spicae tritici similis, multis calamis ex una radice emicantibus, multorumque geniculorum. Nascitur in opacis, semine milii, vehementer aspero gustu. Dicta videtur ἀπὸ τοῦ κρατεῖν ἐν τῇ γονῇ: quod vim habeat in generando. *Plin.* 27, 8, 40. ℙ Est alia crataeogonos, quae thelygonos vocatur. Differentia intelligitur lenitate gustus. *Id. ib.* Dicitur et crataegonon, κραταίγονον. ℙ Est etiam crataegis, similem habens virtutem. *Id.* 26, 10, 63. ℙ Est etiam crataegon, sive crataegona arbor, quam Latini aquifolium vocant. *Plin.* 27, 8, 40.

CRĀTAIS. V. CRATAEIS.

CRĀTER, eris, m. *et Latina positione* Cratera, ae, f. κρατήρ, vas vini, ut *Fest.* in *Creterae,* et *Non.* 15, 22. interpretantur, seu genus poculi majoris, quo in libationibus, et solemnioribus epulis uti solebant, atque ex eo in minora pocula diffundebant, ut colligitur ex illo *Ov. Fast.* 5, 522. Nunc dape, nunc posito mensae nituere Lyaeo: Terra rubens crater, pocula fagus erant. Et *Curt.* 9, 10. Crateris aureis, ejusdemque materiae ingentibus poculis praegravis. ℙ Est a κεράννυμι, misceo, qua significat vinum defundere bibendi causa. [*Crater* pr. dicitur vas, in quo vinum cum aqua miscebatur, ut inde diffundi possit in pocula.] *Virg. A.* 1, 728. Crateras magnos stastuunt, et vina coronant. *Id. ib.* 9, 165. Indulgent vino, et vertunt crateras ahenos. *Id. ib.* 2, 765. Crateresque auro solidi. *Curt.* 9, 10. Liminibus aedium crateres vino repletos, et alia eximiae magnitudinis vasa disponi. Et 4, 8. Herculi ex auro crateram cum triginta pateris dicavit. *Juven.* 12, 44. urnae cratera capacem, Et dignum sitiente Pholo. *Pers.* 2, 52. Si tibi crateras argenti incusaque pingui Auro dona feram. ℙ Est hoc nomine signum coeleste, de quo V. in ANGUIS. ℙ Etiam vas olei *crater* dicitur. *Virg. A.* 6, 225. fuso crateres olivo. *Mart.* 12, 32. corneus crater. ℙ Et situla, qua hauritur aqua. *Naev.* ap. *Non.* 15, 36. Propter amnem crateris sumere aquam ex ponte. ℙ Et conceptaculum aquae salientis in fonte. *Plin. ep.* 5, 6. In hoc fonte crater: circa siphunculi plures miscent jucundissimum murmur. ℙ In monte Aetna crater est magnum illud foramen, per quod cinis, fumus, et ignis ebullit hodieque ita appellatum. *Plin.* 3, 8, 14. Mons Aetna nocturnis mirus incendiis; crater ejus patet ambitu stadiorum viginti. [*Lucr. 6, 702. In summo sunt vertice enim crateres.] Adde 2, 106, 110., ubi de alio hiatu terrae ignem evomentis loquitur. *Ov. Met.* 5, 423. icta viam tellus in Tartara fecit, Et pronos currus medio cratere recepit, *h. e.* medio hiatu, quem Pluton sceptro percutiens humum aperuerat. ℙ Scribitur et *craterra.* ℙ Sunt qui *cretera,* vel *creterra* dici volunt, cum de sidere sermo est: et ita legunt ap. *Cic. Arat. N. D.* 2, 44. In medioque sinu fulgens Cretera relucet. *Vet. Gloss.* Creterra, ὑδρία.

CRĀTĒRĪTES, ae, m. (a κρατερός, durus) gemma praedurae naturae, inter chrysolithi, et electri colorem. *Plin.* 37, 10, 56.

CRĀTERRA. V. CRATER.

[CRĀTĒRUS, i, m. κρατερός, fortis, validus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 250, 2. C. Atilius C. L. Craterus. ℙ *Craterus, i, Κρατερός, medicus temporibus Ciceronis. *Cic. Att.* 12, 13. et 14. *extr. Hor.* 2, 3, 16. *Pers.* 3, 65. ℙ Item unus ex Alexandri M. ducibus. *Nep. Eum.* 2. *Curt.* 6, 9. *Plin.* 35, 13. ℙ Et pictor nobilis, de quo *Plin.* 35, 11. ℙ Et statuarius. *Plin.* 36, 5. *B. A.*

CRĀTES, is, f. ταφρός, instrumentum ex subtilibus lignis, vel viminibus, aliave materia, directis transversisque modico intervallo contextis, ad varios usus, qui ex subjectis exemplis apparent: est a κεράω, hinc κράω, *misceo,* a transversis nempe, et permixtis lignis, vel viminibus, quibus intexitur. *Cato R. R.* 10. et *Varr. R. R.* 22. Crates stercorariae. *Colum.* 12, 15. Crates pastorales, culmo, vel carice, vel filice textae. Et *ib.* 16. Uvas in crate disponito rarius, quam ut altera alteram contingat. *Virg. G.* 1, 94. Multum adeo rastris glebas qui frangit inertes, Vimineasque trahit crates, juvat arva. Crates vimineae sunt irpicis genus, quo ager post arationem complanatur. *Plin.* 18, 18, 48. Semen injiciunt, cratesque dentatas super trahunt. *Caes. B. G.* 7, 81. Magno cratium, scalarum, harpagonum numero effecto. *Id. ib.* 4, 17. Longuriis cratibusque pontem contexere. Et *ib.* 5, 39. Pinnae et loricae ex cratibus attexuntur. Et *ib.* 7, 58. Cratibus atque aggere paludem explere. Et *B. C.* 1, 25. Rates ab utroque latere cratibus, ac pluteis protegere. [*Faschinen.* Adde *Liv.* 10, 38. Ibi mediis fere castris locus est conseptus cratibus, pluteisque et linteis contectus. *Tac. H.* 2, 21. Pluteos, cratesque et vineas suffodiendis muris expedire.] *Hor. Epod.* 2, 45. Claudere textis cratibus laetum pecus. *Plin.* 35, 14, 48. Illinere crates parietum luto. *Juven.* 11, 82. Sicci terga suis rara pendentia crate. *Virg. A.* 11, 64. Texere crates virgis arbuteis, et vimine querno. ℙ Fuit genus supplicii, quo reos crati suppositos, et lapidibus super injectis obrutos necabant: quod Carthaginiensibus praecipue usitatum fuisse dicitur. *Pl. Poen.* 5, 2, 65. Sub cratim uti jubeas sese supponi, atque eo Lapides imponi multos, ut sese neces. Adde *Liv.* 1, 51. et 4, 50. [*V. *Ferrar. Elect.* 2, 7.] ℙ Per similitudinem dicitur de aliis rebus. *Virg. G.* 4, 214. Crates favorum. [**Honigwaben.*] *Id. A.* 12, 508. Aeneas Transadigit costas et crates pectoris ensem. *Ov. Met.* 8, 805. Ventris erat pro ventre locus: pendere putares Pectus, et a spinae tantummodo crate teneri. *Id. ib.* 12, 370. hasta laterum cratem perrumpit. *Tertull. Resurr. carn.* 42. Crates gigantum. ℙ Apud *Virg. A.* 7, 633. salignae umbonum crates sunt scuta ex crate confecta, quae memorant etiam *Curt.* 10, 2. *med.* et *Sil.* 5, 522. At ap. *Stat. Th.* 4, 110. aeratae crates sunt loricae ligneae aere obductae. Apud *Petr. Sat.* 135. saligna crates est canistrum, fiscella, corbicula. ℙ Recti casus singularis, quem nonnulli *cratis* esse volunt, exemplum adhuc nullum vidimus.

CRATES, ētis, m. Κράτης, nomen philosophi Thebani, qui ut philosophiae vacare posset, projecto in mare parvo auri pondere, *Abite,* inquit, *pessum malae cupiditates: ego vos mergam, ne ipse*

mergar a vobis. Tradit tamen *Suidas*, Cratetem omnem pecuniam in substantiam redegisse, et apud trapezitam deposuisse, ea lege, ut si filii philosophi essent, eam egenae plebi divideret, sin idiotae, eis, quod acceperat, bona fide restitueret. [**Appul. Apol. ante med.* p. 388, 1. *Elmenh.* et *Flor.* 2. *post med.* p. 350, 4. *Elmenh.* Cf. et *Laert.* 6, 87. seq. *B. A.*] ℙ Fuit et Crates Mallotes, *h. e.* ex Mallo Ciliciae urbe, grammaticus, Aristarchi aequalis, qui sub Ptotemaeo Philometore claruit, et Criticus sive Homericus cognominatus est. Scripsit in Iliada, et in Odyss. l. 9. Comment. Studium grammaticae primus Romam intulit. Missus enim ad senatum ab Attalo rege, sub ipsam Ennii mortem, plurimas acroases fecit, assidueque per omne tempus legationis disseruit. *Suet. Gramm.* 2. *Eum laudat *Sext. Empir. adv. Math.* 2. p. 10. et potest idem esse is, cujus meminit *Plin.* 4, 12. V. et *Varr. L. L.* 8. et cf. *Voss. de Hist. Graec.* 3. p. 347. et *de Poet.* 8. ℙ Item alius, Atheniensis, Academicus. *Cic. Acad.* 1, 9. Cf. *Laert.* 4, 21. Nil mutavit in veteri disciplina a Platone tradita. ℙ Crates Pergamenus, a patria sic cognominatus, res mirandas de variis gentibus literis prodidit. *Plin.* 7, 2. cui loco addunt quidam 4, 12. de quo supra. Cf. *Aelian. H. An.* 17, 9. *et Voss. de Hist. Graec.* modo citatum. *B. A.*

*CRATEUAS, ae, medicus insignis, ὁ ῥιζοτόμος a Dioscoride cognominatus. De eo *Plin.* 24, 17. et 25, 2. *B. A.*

CRATHIS, is, et ĭdis, m. *Crate*, *Gratti*, Κράθις, fluvius Calabriae cit. in R. Neap., qui Consentiam rigat, et in sinum Tarentinum se exonerat. *Plin.* 3, 11, 15. et 31, 2, 9. et 10. et *Ov. Met.* 15, 315. et *Fast.* 3, 581. ℙ *Crathis*, *entis*, adj. a part. κραθείς, mixtus, a κεράννυμι, misceo. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Gud.* 242, 10. C. Pomponius Crathis.

*CRATĪA vel Cratēa, Κράτεια, vel Cratĭa, ae, Κρατία, Bithyniae oppidum. *Anton. Itin. B. A.*

[CRĀTĪCĒUS, a, um, adj. ex crate factus. *Not. Tir.* p. 162. Craticeus. *F.*]

CRĀTĪCĬUS, a, um, adj. ταῤῥώδης, ex cratibus factus, ut *Craticii parietes*, qui cratibus insertis fiunt, scil. asseribus arrectis et transversis. *Vitr.* 2, 8. *f.* Craticii parietes velim, ne inventi quidem essent. *Pall.* 1, 19. Craticiis podiis erunt discernenda granaria.

CRĀTĬCŪLA, ae, f. ταῤῥίον, ἐσχάριον, parva crates. *Mart.* 14, 221., cujus lemma est *Craticula cum veru.* Parva tibi curva craticula sudet ofella. Adde *Cat. R. R.* 13.

CRATICŪLUM a Graeco κρατέω deducitur. *Festus.* Quin potius *crātĭcŭlum* videtur esse a *crate*, ut *reticulum* a *rete.*

CRĀTĬCŪLUS, a, um, adj. cancellatus, in modum craticulae factus. *Cato R. R.* 13. inter instrumenta in torculari necessaria requirit *lucernas craticulas duas.* Ita leg. edit. Florentin. Basileens. Lugdunens. Coloniens. At *Popma* sic: *lucernas, craticulas duas.*

CRĀTĪNUS, i, m. poeta comicus, qui primus in Dionysiis Athenis satyricam fabula induxit. Supra modum gulae, ac omni voluptatum generi deditus fuit, praecipue ebrietati. *Hor. Ep.* 1, 19, 1. Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino, Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt, Quae scribuntur aquae potoribus. Adde *Sat.* 1, 4, 1. **Pers. sat.* 1, 123. *Quint.* 10, 1. ℙ Fuit et Cratinus Asiae fluvius, a lacu Sicyone in Oceanum fluens, juxta quem fabulati sunt nonnulli electrum nasci. *Plin.* 37, 2. *B. A.*

CRĀTĬO, is, a. crate terram scindo et complano. *Plin.* 18, 28, 67. *n.* 4. Utilissimum simul herbae arare, deinde cratire: atque ex praesepibus foeno dilapsum spargere, priusquam cratiantur.

[CRĀTĬPPUS, i, m. a κρατύς, potens, et ἵππος, equus, praestans equis. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 319, 11. M. Tullius M. F. Cor. Cratippus. *F.* **Cratippus*, *i*, Κράτιππος, Mitylenaeus, peripateticus insignis, Athenis docens, M. Ciceronis filii fuit praeceptor, cumque eo, volente C. Trebonio, in Asiam abiit. Familiaris fuit Ciceronis, par summis peripateticis. Somniorum et furoris divinationi fidem tribuit; reliqua rejecit. *Cic. de Off.* 1, 1. et 2. et 3, 2. *Id. Div.* 1, 3. et 32, 2, 48. seq. *Trebon.* in *Cic. Fam.* 12, 16. *Cic. fil. ib.* 16, 21. *B. A.*]

[CRĀTĬSTUS, i, m. κράτιστος, praestantissimus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1118, 5. T. Calpurnius Cratistus. *F.*]

[CRĀTO, onis, m. a κράτος, robur, valde robustus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1157, 3. Crato, vix. ann. XXXV. *F.* **Crato*, onis, medicus quidam, de quo *Cels.* 6, 7. et 18. *B. A.*]

*CRATOR, oris, Aurelii Veri Imperatoris libertus, Consulum reliquorumque Magistratuum per 453 ann. nomina tempusque accurate notavit. *Theophil. Antioch.* 3. *ad Autolycum.* Cf. *Voss. de Hist. Graec.* 2, 14. et 4, 17. *B. A.*

[CRĀTUS, a, um, adj. a κράτος, robur, robustus, a, um. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Gud.* 14, 2. Cratus Aug. Lib. Alia ap. *Fabrett.* p. 622. *n.* 186. Feridia Crata. *F.*]

*CRAUGIAE, arum, insulae duae fuerunt Peloponnesi, prope Argolidem, Spiraeo promontorio objacentes, in sinu Saronico. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

CRĔABĬLIS, e, adj. qui creari potest. *August. Confess.* 12, 19. et 28. et *Appul. Trismeg.* Materia creabilis.

CRĔAGRA, ae, f. κρεάγρα, instrumentum ad extrahendas ex aheno carnes coctas: a κρέας, caro, et ἄγρα, captura. *Gloss. Isid.* Creagras, tridentes. *Gloss. Philox.* Κρεάγρα, exemplum, harpago, excipulum. Legitur etiam *Paralip.* 2, 4, 11. et *Hierem.* 52, 18. Adde *Capell.* 9. *extr.* Artes creagris vix amicas Atticis. Ubi V. *Grotium.*

CRĔAMEN, inis, n. creatio, seu res creata. *Prud. Hamart.* 505. ex elementis Cuncta solubilibus, fluxoque creamine constant.

CRĔĀTĬO, onis, f. creandi actus. *Cic. Leg.* 3, 3. Creatio magistratuum. *Papin. Dig.* 26, 1, 38. tutoris. ℙ Item procreatio. *Varr. L. L.* 5, 2. Crepusci nominati, quod eo tempore erant nati, ut Lucii prima luce in creatione. *Ulp. Dig.* 1, 7, 15. Creationi liberorum studere.

CRĔĀTOR, oris, m. δημιουργὸς, κτιστὴς, effector, conditor. *Cic. Balb.* 13. Quod princeps ille creator hujus urbis Romulus foedere Sabino docuit. *Lucan.* 10, 266. quas ille creator, Atque opifex rerum certo sub jure coercet. ℙ Item genitor. *Ov. Met.* 8, 309. Nec Telamon aberat, magnive creator Achillis. ℙ Item qui renunciat, et nominat ad aliquod munus. *Impp. Theod. et Valentin. Cod.* 10, 31, 59. Tam nominati, quam etiam creatoris consona relatione currente. Adde *Ulp. Dig.* 50, 8, 2., ubi alii leg. *curator.*

CRĔĀTRIX, icis, f. *Lucr.* 1, 622. Rerum natura creatrix. *Sil.* 15, 184. tellus bellorum dira creatrix. ℙ Item mater. *Virg. A.* 8, 534. ego poscor Olympo: Hoc signum cecinit missuram Diva creatrix. *Aurel. Vict. Epit.* 40. More Olympiadis Alexandri M. creatricis. *Catull.* 63, 50. Patria o mea creatrix, patria, o mea genitrix.

CRĔĀTŪRA, ae, f. κτίσμα, res, quae creata est. *Tertull. Apol.* 30. Cujus est et coelum, et omnis creatura. *Alcim. Avit.* 2, 47. Quique creaturae praefulsit in ordine primus. Adde *Prud. Hamart.* 508.

CRĔĀTUS, a, um, part. a *creo*, conditus, genitus, κτιστός. *Flor.* 1, 6. Matre serva creatus. *Lucr.* 5, 1012. prolem ex se videre creatam. *Id.* 5, 732. Inque dies privos aboriscere quaeque creata. *Ov. Trist.* 3, 14, 14. de me sine matre creata Carmina sunt. *Id. Fast.* 2, 726. Creatus rege. ℙ Item electus ad publicum munus. *Nep. Milt.* 4. Domi creati decem praetores, qui exercitui praeessent.

CRĔBER, bra, um, adj. densus, frequens, multus, συχνός, θαμὺς, θαμινός. Videtur esse a *cretum*, quod a *cerno*, ut proprie sit *cribro excretum:* hoc autem quia multis particulis constat, *creber* pro frequenti et denso ponitur. [*Vero est similius, quod *Döderl.* 1, 20. docet: *creber* ejusdem originis esse c. v. *crescere.* Cf. quae idem *ib.* p. 19. de discrimine inter *creber* et *frequens* disputat.] *Virg. A.* 5, 199. tum creber anhelitus artus, Aridaque ora quatit. *Id. ib.* 1, 89. creberque procellis Africus. Et *ib.* 5, 459. sic densis ictibus heros Creber utraque manu pulsat versatque Dareta. *Ov. Met.* 11, 190. Lucus creber arundinibus. *Pl. Aul.* 4, 6, 9. Lucus crebro salicto oppletus. *Id. Poen. a.* 2. *v.* 38. Hostes tam crebri ad terram accidebant, quam pyra. *Ov. Pont.* 2, 7, 40. Percussu crebro saxa cavantur aquis. *Plin.* 3, 5, 9. Tiberis creber ac subitis incrementis, *h. e.* crebro crescens, ac subito. *Cic. N. D.* 2, 55. *ad f.* Venae crebrae multaeque, toto corpore intextae. *Id. Planc.* 34. Sed hoc nescio quomodo frequenter in me congessisti: saneque in eo creber fuisti, te idcirco noluisse etc. *Id. Or.* 2, 13. Thucydides ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur. [**Id.* ap. *Suet. Caes.* 55. quis sententiis aut acutior aut crebrior? i. e. locupletior, ποικιλώτερος, ut *B. Crus.* explicat in *cl. Suet.* p. 255. Praeprimis autem huc pertinere videtur locus *Quint. Inst.* 10, 1, 102. *Spald.* Qui et ipse a nobis auditus est, elati vir ingenii et sententiis creber, sed minus pressus, quam historiae auctoritas postulat. Cf. *Id. ib.* 68. ubi *densum sententiis* dicit, eadem prorsus significatione.] *Cic. Fam.* 12, 25. Crebras, vel potius quotidianas compellationes meas non tulit. *Caes. B. G.* 5, 44. Tanto crebriores litterae, nunciique ad Caesarem mittebantur. Et *ib.* 12. Hominum est infinita multitudo, creberrimaque aedificia. [**Tibull.* 1, 7, 17. Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes Alba Palaestino sancta columba Syro, i. e. per longum urbium ordinem.] *Plin.* 36, 26, 66. Fama crebrior, quam certior. *Sall. Jug.* 114. Ignesque quam creberrumos fieri jubet. *Cic. Phil.* 14, 5. Scitis, per hos dies creberrimum fuisse sermonem, me etc. [*i. e. in ore multorum hominum, ita ut unus, qui diceret, alterum qui dixisset, sequeretur. *Liv.* 28, 37. Vis creberrimae grandinis, i. e. tam spisse ruentis, ut in unum quasi corpus conjuncta videatur. V. *Döderl.* 1, 21. *Suet. Cal.* 30. Crebris et minutis ictibus, i. e. multis et sine intermissione uno quasi in altero factis ictibus. *Ov. Met.* 15, 721. Crebri sinus, i. e. ita ut unus alterum exciperet.] ℙ *Crebrum funale* ap. *Cic. Sen.* 13., quod alii interpretantur crebro latum et relatum; alii non unam facem, sed plures; alii leg. *credo*, alii *cereo;* apud *Gron. Observ.* 3, 6. est πολύμυξον, unum quidem funale, sed multis myxis instructum: quod densum dixit *Ov. Met.* 12, 247. Lampadibus densum rapuit funale coruscis. [**Delectabatur crebro funali et tibicine*, (ita enim legendum videtur in loco *Cic.* modo laud.), significat, comitante magna faces gestantium servorum et tibicinum turba, quae denso ordine circa ipsum sequeretur.] ℙ *Crebra* adverbii more pro *crebro. Virg. G.* 3, 500. et pede terram Crebra ferit. V. APPRIMA. ℙ Sup. *Crebrissimus* est *Gellii* 2, 30. Fluctus crebrissimi.

CREBRĀTUS, a, um, part. a *crebro*, densatus, spissatus. *Plin.* 11, 24, 28. Crebratae pexitas telae, *h. e.* dense textae. *Hard. ex MSS.* Alii *cribratae:* quod videtur significare *in modum cribri factae:* loquitur enim *Plin.* de telis araneorum. [*Cf. *Döderl.* 1, 23.]

CREBRĔ, adv. συχνῶς, crebro, dense. [*de loco.] *Vitr.* 2, 9. *med.* Alnus infra fundamenta palationibus crebre fixa. *Id.* 10, 20. *f.* Crates ex virgis creberrime textis.

CREBRESCO, is, ui, n. 3. συχνοῦμαι, διαθρυλλέομαι, creber, densus, aut frequens fio, augesco. [*Quasi crescendo augeor.] *Virg. A.* 3, 503. Crebrescunt optatae aurae. Et *ib.* 12, 407. saevus campis magis ac magis horror Crebrescit. Et *ib.* 222. Crebrescit sermo. *Tac. H.* 4, 12. Crebrescens fama cladis Germanicae. *Id. A.* 2, 39. Tum per idoneos, et secreti ejus socios crebrescit, vivere Agrippam, occultis primum sermonibus, mox vago rumore. *Id. ib.* 3, 60. Crebrescit licentia et impunitas. *Id. H.* 2, 67. Motum a Vespasiano bellum crebrescit. ℙ In praeterito *r* littera aliquando exteritur, ad evitandam soni asperitatem. *Appul. Met.* 10. Rumor publice crebuerat. *August. C. D.* 3, 17. Tam multa bella ubique crebuerunt. Al. leg. *crebruerunt.* Mallet *Manut.* ad *Cic. Fam.* 7, 20. etiam in praesenti tempore eam litteram tolli, ob eandem rationem, tum in simplici, tum in compositis *increbresco*, *percrebresco.* Libri, et MSS. variant, et cum iis eruditorum sententiae.

CREBRĪSŪRUM, ap. Ennium significat vallum crebris suris, idest palis, munitum. *Festus.*

CREBRĪTAS, atis, f. συνέχεια, πυκνότης, frequentia. *Vitr.* 2, 10. Arbores spissis venarum crebritatibus solidatae. *Tac. A.* 16, 29. Crebritas periculorum. *Cic. Att.* 13, 18. litterarum. *Id. Fam.* 3, 1. et magnitudo officiorum. *Id. Brut.* 95. *f.* sententiarum. ℙ Crebritas coeli, *Vitr.* 9, 9. est densitas aeris compressi in tubo: quam mox appellat *frequentiam coeli.*

CREBRĬTER, adv. crebro, frequenter, πυκνῶς, θαμά. *Vitr.* 10, 19. *f.* Crebriter celeriores et vehementiores efficiebant motus.

CREBRĪTŪDO, inis, f. Crebritudinem pro crebritate posuisse *Sisennam*, legitur quidem ap. *Non.* 2, 178., sed eruditi corrigunt *celeritudinem*, quod locus *Sisennae*, qui ibi adducitur, quamvis corruptus sit, plura tamen vestigia, ut ita dicam, *celeritudinis* habet quam *crebritudinis.*

CREBRO, adv. θαμά, θαμινῶς, συχνῶς, crebre, frequenter. [*de tempore. *Crebro* et *saepe* ita differunt, ut nostrum *häufig* et *oft. Frequenter* a *Crebro* in eo distat, ut hoc rerum multitudinem spectet, denso ordine conjunctam; illud in universum ad rerum gestarum numerum pertineat. *Saepe* opponitur *semel*, *iterum*, *nonnunquam*, *nunquam*, *semper; crebro* et *frequenter* opp. *raro.*] *Cic. Att.* 6, 5. Litteras omnibus de rebus crebro mittas. *Id. Fam.* 5, 6. Velim, litteras crebrius mittas. *Id. Div.* 1, 27. Creberrime commemorantur a Stoicis. *Id. Coel.* 24. Crebro Catulum, saepe me, saepissime rempublicam nominabat. [**Ter. Heaut.* 1, 2, 32. Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier, i. e. vitam agere scortis et epulis quasi continuatam. *Id. Hec.* 2, 1. 18. An quia ruri esse crebro soleo, nescire arbitramini, Quo quisque pacto hic vitam vestrorum exigat? *Crebro* h. l. est saepe et per tempus aliquod continuata ratione.]

CREBRO, as, avi, atum, n. 1. est crebro facere, iterare. *Pl.* de amatore, qui frequens est apud amicam; *Truc.* 1, 1, 29. Sin crebravit, ipsus gaudet, res perit. Alii leg. *increbravit.* Al. *increpavit.* [*Cf. *Döderl.* 1, 23.]

CRĔDĪBĬLIS, e, adj. πιστὸς, veri similis, probabilis, quique facile credi potest. *Cic. Inv.* 1, 30. Credibile est, quod sine ullo teste, auditoris opinione firmatur. *Id. Verr.* 2, 5, 61. Tametsi verissimum esse intelligebam, tamen credibile fore non arbitrabar. *Id. Or.* 36. Narrationes credibiles. [**Credibilis narratio* quae sit, tradit *Quint. Inst.* 4, 2, 52. ed. *Spald.*] *Hor. Sat.* 1, 9, 52. Magnum narras, vix credibile. *Pl. Poen.* 5, 5, 50.

Credibile ecastor dicit: crede huic, mi pater. *Quint. Decl.* 7, 9. Quis credibilior in caede pauperis, quam dives inimicus? *Ov. A. Am.* 1, 467. Sit tibi credibilis sermo, consuetaque verba. *Id. Fast.* 3, 618. credibili fortior illa fuit. Sic *Trist.* 1, 5, 49. Multaque credibili tulimus majora. *Cic. Or.* 2, 21. Non est credibile, quid interesse mihi sit visum inter eum, qui tum erat, et qui anno ante fuerat etc. *Curt.* 5, 13. Vix credibile dictu: plures captivi, quam qui caperent, erant. *Ter. Andr.* 4, 1, 1. Hoccine credibile est, ut etc. *Ov. Amor.* 1, 11, 11. Credibile est, et te sensisse Cupidinis arcus. ℙ Credibilium tria genera distinguit *Quint.* 5, 10. *p. in.*, unum firmissimum, quod fere accidit: alterum velut propensius, quod plerumque: tertium solummodo non repugnans.

CRĔDĪBĬLĬTER, adv. modo credibili. *Cic. Dejot.* 6. At quam non modo credibiliter, sed ne suspiciose quidem! *Quint.* 6, 2. Proprie, jucunde, credibiliter dicere. Et 9, 2. Sermones aliorum credibiliter introducere. *Id.* 4, 2. *s. f.* Nihil his neque credibilius fingi, neque vehementius exprobrari, neque manifestius ostendi potest.

CRĔDĬTO, as, n. 1. frequentat. a *credo*. *Fulgent. Mythol.* 1. *s. in.* Defaecatam silentio vitam agere creditabam.

CRĔDĬTOR, oris, m. qui aliquid alteri credidit, quod proinde sibi debetur, χρήστης. *Cajus Dig.* 50, 16, 10, 11. et 12. Creditorum appellatione non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam crediderunt, sed omnes, quibus ex qualibet causa debetur, sicuti ex empto, ex locato, vel ex alio contractu. *Cic. Phil.* 6, 4. Quotidie sponsores, et creditores L. Trebelli convenire. Et *mox*. Fraudare creditores. *Suet. Caes.* 42. Creditoribus satisfacere. *Senec. ep.* 87. Solvere creditoribus. *Plin.* 33, 10, 47. Decoquere creditoribus suis. [*V. *Decoquere.*] Translate. *Plin. ep.* 1, 3. *s. f.* Possum repetere secessum, et scribere aliquid, quod non recitem, ne videar, quorum recitationibus adfui, non auditor fuisse, sed creditor. *Plin. alter* 26, 8, 28. *de ventre.* Pessimum corporum vas instat, ut creditor, et saepius die appellat.

CRĔDĬTRIX, īcis, f. mulier, cui debetur. *Scaevola Dig.* 31, 88. *f.* Pensiones sibi debitas creditrici delegavit. *Paul. ib.* 20, 5, 16. Pone primam creditricem in judicio convenisse tertium creditorem. Adde *eund. ib.* 42, 6, 38.

CRĔDĬTUM, i, n. res alteri credita, quae proinde nobis debetur. *Senec. Ben.* 2, 34. Aliter beneficium, aliter creditum solvitur. Et *ib.* 21. Accipiam pecuniam tanquam creditum, non tanquam beneficium. *Quint.* 7, 2. *f.* Crediti, et depositi duae sunt quaestiones etc. *Id.* 5, 10. *med.* Creditum totum exigere. *Id. Decl.* 360. Tu amisso viro, cum dotem non petisti, fecisti creditum ex dote. *Modest. Dig.* 16, 2, 1. Compensatio est debiti et crediti inter se contributio. ℙ Apud JCtos *creditum* differt a *mutuo*, sicut genus a specie: dicitur enim de omnibus rebus, quae alteri creduntur, sive eadem reddantur, sive non: *mutuum* vero de iis tantummodo, quae non eadem restituuntur. *Paul. Dig.* 12, 1, 2. ℙ *Ire in creditum* est idem quod credere aliquid alicui, sed praesertim dicitur, cum aliquid mutuum damus. *Paul. l. c.* et *Alfen. ib.* 19, 2, 31. ℙ Eodem fere sensu *abire in creditum alicui* dicitur. *Ulp. Dig.* 14, 6, 3. Ideo etsi in creditum abii filiofamilias vel ex causa emptionis, vel alio contractu, in quo pecuniam non numeravi, et stipulatus sim; licet coeperit esse mutua pecunia, tamen etc. Adde *ib.* 4, 5. *f.* ℙ Sic *in creditum dare* est credere; et *in creditum accipere* est recipere aliquid restituendum. *Julian. Dig.* 12, 1, 19. et 20. ℙ *Possidere aliquid in creditum* est ratione crediti possidere. *Ulp. Dig.* 42, 1, 15. Si creditor maluerit pignora in creditum possidere, hisque esse contentus etc. ℙ *In credito esse* dicitur quod est in nominibus. *Ulp. Dig.* 34, 2, 28.

CRĔDĬTUS, a, um, part. a *credo*, is, cui fides est habita. *Virg. A.* 2, 247. Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris Ora, Dei jussu non unquam credita Teucris. *Tac. A.* 5, 4. Meditationes ejus introspicere creditus. *Id. H.* 4, 67. Voluntaria morte interiisse creditus. *Id. A.* 3, 44. Cuncta, ut mos famae, in majus credita. Et *ib.* 10. Vera, aut in deterius credita, judice ab uno facilius discerni. ℙ *Credito* ablat. absolute. *Id. ib.* 14. Nunquam satis credito, sine fraude Germanicum interiisse. *Id. ib.* 6, 34. Nec quisquam ariete sacrificaverit, credito vexisse Phrixum. ℙ Item datus, commissus. *Caes. B. C.* 3, 1. Cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae solverentur. *Cic. Verr.* 2, 3, 3. Consilia commissa, pecunia tradita, res omnes creditae. *Id. Dom.* 1. Ut bona, fortunae, domicilia vestrae fidei potestatique commissa creditaque esse videantur. *Id. Verr.* 2, 5, 14. Ut mihi honorem illum non solum datum, sed etiam creditum ac commissum putarem. [*Notandus est l. *Sil.* 13, 508. Creditus ante annos Marti. De Scipione infra annos legitimos praeposito exercitui.]

CRĔDO, is, didi, itum, a. 3. πιστεύω, dictis, vel factis fidem habeo. Etymon vocis vide infra. *Cic. Brut.* 26. Audivi ista de majoribus natu, sed nunquam sum adductus, ut crederem. *Id. Rosc. Am.* 39. Neque quisquam credit, nisi ei, quem fidelem putat. *Id. Div.* 2, 55. Credere fabulis. Et *ib.* 41. Superstitiosa sollicitudine et miseria omnia credere. *Id. Fam.* 3, 11. *f.* Te leviter accusans in eo, quod de me cito credidisses. [**Plin. Pan.* 82, 8. Voluptates enim sunt, quibus optime de cujusque gravitate, sanctitate, temperantia creditur. Notat ad h. l. *Gierig.* v. creditur hic ingeniose positum; facit enim voluptates personas, quae de moribus hominum testimonia exhibent.] *Hor. Sat.* 2, 2, 71. variae res Ut noceant homini, credas. *Ter. Adelph.* 4, 4, 7. Sostrata credit, mihi me psaltriam hanc emisse. *Virg. A.* 6, 463. nec credere quivi, Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem. *Ter. Andr.* 2, 3, 25. Itan' credis? *D.* haud dubium id quidem est. *Id. ib.* 3, 5, 12. Oh, tibi ego ut credam, furcifer? Et 3, 2, 17. Credon' tibi hoc? *Id. Hecyr.* 3, 5, 7. Bene factum, te advenisse salvum atque validum. *Pa.* Creditur. *Id. Adelph.* 3, 4, 28. Ignotum est, tacitum est, creditum est. [*Ita saepissime *credi c.* inf., duabus sententiis conjunctis. V. *B. Crus.* in *cl. Suet.* s. h. v. ubi nubem exemplorum reperies.] *Ov. A. Am.* 1, 387. Hoc unum moneo, si quid modo creditur arti. *Id. Amor.* 2, 2, 9. Si sapis, o custos, odium, mihi crede, mereri Desine. *Cic. Att.* 13, 6. Non sum, mihi crede, mentis compos. [**Mihi crede* saepius idem est quod *fidem mihi habe, ἐμοὶ πείθου. Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 6, 93.] *Id. ib.* 6, 6. Sed, crede mihi, nihil minus putaram. Adde *ib.* 8, 14. [*Cf. *Eund. Fam.* 8, 7. 12, 12. *Att.* 14, 15. et al.] *Curt.* 4, 10. Crederes, Alexandrum inter suas necessitudines flere. Sic *Petr. Sat.* 31. Pantomimorum, non patrisfamiliae triclinium crederes. *Tac. A.* 16, 4. *extr.* Crederes laetari, et fortasse laetabantur. *Lucan.* 1, 493. credas, aut tecta nefandas Corripuisse domos etc. *pro* crederes. ℙ Cum genitivo, per ellipsin, *Pl. Asin.* 2, 4, 53. Cui omnium rerum ipsus semper credit. Adde *Truc.* 2, 2, 51. ℙ Passive. *Ov. Fast.* 3, 190. Et male credebar sanguinis auctor ego. Et *ib.* 351. At certe credemur, ait, si verba sequatur Exitus. *Id. Trist.* 3, 11, 73. ne hoc tibi fingere credar. *Id. ib.* 10, 35. Vix equidem credar. ℙ Ponitur et pro opinor, puto. *Cic. Att.* 13, 32. Quod ad te de legatis scripsi, parum intellexti; credo quia διὰ σημείων scripseram. *Id. Brut.* 93. Credo, quod videret, neminem esse secum comparandum. *Id. Verr.* 2, 4, 15. Pueri autem Sisennae, credo, qui audivissent, quae etc. oculos de isto nunquam dejicere. *Pl. Pers.* 4, 3, 64. Nunquam ego te tam esse matulam credidi. *Suet. Tib.* 62. Ne reliquis quidem nepotibus parsurus creditur. *Curt.* 6, 5. Bucephalus credebatur sentire, quem veheret. ℙ Eleganter interseritur sermoni, ut *opinor*, *puto*. *Cic. Fin.* 1, 3. Male, credo, mererer de meis civibus, si etc. *Caes. B. C.* 2, 31. Quo majorem, credo, licentiam habeant, qui peccare conentur. [*Plurima hujus usus exempla collecta v. apud *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 53, 4.] ℙ Aliquando continet ironiam. *Ter. Eun.* 5, 2, 33. Debeam, credo, isti quidquam furcifero, si id fecerim. *Curt.* 3, 2. Aetoli, invicta bello manus, fundis, credo, et hastis igne duratis repellentur. [**Cic. N. D.* 1, 24. Sed ubi est veritas? In mundis, credo, innumerabilibus. V. *Heindf.* ad h. l. et *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 2, 7, 68.] ℙ Aliquando *credere* est confidere. [*Quid differant *credere* et *confidere* docebit locus *Liv.* 2, 45. Consules magis non confidere, quam non credere suis militibus, i. e. consules in alienis a se, ut putabant, aversisque militibus, magis nullam confidentiam ponebant, quam quod de viribus eorum desperassent. Ita explicatur locus in *lex. Liv.* p. 149. *ib.* additur: Credimus illis, inquit *Nannius* ad h. l., quos solvendo putamus: confidimus his, quorum benevolentia nos securos facit. Cf. *Ernest. Synonym.* 705.] *Virg. Ecl.* 2, 17. O formose puer, nimium ne crede colori. *Sall. Jug.* 114. Virtuti suorum satis credere. *Ov. Met.* 4, 729. Nec bibulis ultra Perseus talaribus ausus Credere. *Virg. A.* 11, 807. nec jam amplius hastae Credere, nec telis occurrere virginis audet. ℙ Saepe est committere, fidei alicujus commendare, tradere. *Ter. Eun.* 5, 1, 15. Ita ut tu justi, soli credita est. *Th.* Scelesta, ovem lupo commisisti. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 9. Quos tuae fidei, potestatique populus R. commisit et credidit. Et *ib.* 4. Nihil est, quod non iis et committi et credi rectissime putem. *Id. Fam.* 4, 7. Credere se victori. *Caes. B. G.* 6, 30. Se suaque omnia alienissimis crediderunt. *Curt.* 5, 12. Credere alicui salutem suam. *Ter. Andr.* 1, 5, 37. alicui suum animum atque omnem vitam. *Id. Eun.* 1, 2, 48. consilia sua omnia cuipiam, *Herenn. Dig.* 48. 3, 14. Non est facile tironi custodia credenda. *Auct. ad Her.* 4, 34. Cui praesidio pecua credemus? *Virg. A.* 10, 70. Num puero summam belli, num credere muros? *Lucan.* 7, 77. causam senatus Diis. ℙ Translate. *Pl. Rud.* 2, 6, 2. Credere se Neptuno, *h. e.* committere se mari. *Virg. A.* 5, 383. se pugnae. *Ov. Met.* 4, 626. veritus se credere nocti. *Vell.* 2, 102. se colloquio. *Quint.* 12. *prooem.* se ventis. *Virg. A.* 6, 15. praepetibus pennis se coelo. *Id. G.* 2, 332. Inque novos soles audent se gramina tuto Credere. *Sil.* 4, 302. se pedibus, i. e. fugam capessere. *Colum.* 2, 13. terrae. *Pl. Pers.* 4, 3, 59. cerae. Ap. *Lucan.* 4, 647. credere aliquem solo, prosternere, solo affligere: quod mox etiam repetit *v.* 654. Loquitur enim de Antaeo, qui cum Hercule pugnans, quoties humi procumberet, vires iterum resumebat. *Credere vocem dolori*, ap. *eund.* 1, 258. est dolori vocem lamentumque concedere, quo expleatur. [**Sil.* 6, 201. Fluvio sese crediderat, i. e. nabat. *Id. ib.* 173. Gressus audemus credere luco, i. e. lucum ingredi. *Id.* 4, 428. Proelia dextrae credit puer, i. e. pugnas init.] ℙ Saepe refertur ad pecuniam, et significat mutuam, vel fenori dare. *Cic. Rabir. Post.* 2. Huic ipsi Alexandrino grandem pecuniam credidit. *Id. Har. resp.* 13. Alterum putabo regem, si habuerit, unde tibi solvat, quod ei per syngraphan credidisti. [**Id. Fam.* 1, 7. Qui pecunias ei credidissent. V. *interprr.* ad h. l.] *Pl. Curc.* 4, 1, 20. Pone aedem Castoris ibi sunt, subito quibus male credas. *Cato R. R.* 5. Villicus injussu domini credat nemini: quod dominus crediderit, exigat. *Senec. ep.* 101. Emam, aedificabo, credam, exigam. ℙ Haec videtur esse prima et propria hujus verbi notio, siquidem credendum est vel *Prisc.*, qui 10, 890. docet, *credo* dictum esse quasi *cretum do;* vel *Vossio*, qui *in Etymol.* deducit a χρήζω, mutuum do. ℙ [Part. *Credens* ap. *Ov. Her.* 2, 63. Fallere credentem non est operosa puellam Gloria. *Crediturus* ap. *Hirt. B. Alex.* 71. Pharnaces cum speraret Caesarem libentius crediturum suis promissis etc. *F.*] ℙ *Credier* pro *credi* paragoge legitur ap. *Pl. Ps.* a. 2, v. 37. et *Poen.* 2, 43. ℙ *Creduam, as, at*, pro *credam*, Plautina sunt *Poen.* 3, 5, 2., *Bacch.* 4, 8, 6., *Trin.* 3, 1, 5. Similiter *creduis, it*, itidem pro *credas, at*, vel *credideris, it, Amph.* 2, 2, 40., *Capt.* 3, 4, 73. et *Truc.* 2, 2, 52. ℙ [*Confunduntur *credere* et *tradere.* V. *Spalding.* ad *Quint. Inst.* 10, 2, 20. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 13, 17. p. 292. *Credere* et *quaerere.* V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 12, 16. p. 268.]

CRĔDŪAM et Creduim. V. v. praeced.

CRĔDŪLĬTAS, atis, f. ταχυπείθεια, credendi facilitas. *Planc. Cic. Fam.* 10, 23. Credulitas enim error est magis, quam culpa. *Ov. Pont.* 1, 1, 44. Credulitate capi. *Id. Amor.* 3, 14, 30. stulta credulitate frui. *Tac. A.* 2, 40. Credulitas inanis tempore ipso vanescit. *Id. ib.* 15, 11. Facilis credulitas. *Curt.* 7, 7. Addicere credulitatem suam alicui. ℙ Transfertur etiam ad bruta animantia. *Ov. Met.* 13, 933. pisces quos aut in retia casus, Aut sua credulitas in aduncos egerat hamos.

CRĔDŪLUS, a, um, adj. πιστευτικὸς, εὔπιστος, qui facile credit: et fere in malam partem. *Cic. Att.* 15, 16. Verba mihi dari facile patior in hoc, meque libenter praebeo credulum. *Id. Amic.* 26. Improvidi et creduli senes. *Id. Font.* 6. Stultus auditor et credulus ab religioso et sapienti judice discernitur. *Ov. Fast.* 4, 312. nos in vitium credula turba sumus. *Id. Her.* 6, 21. Credula res amor est. *Hor. Od.* 4, 1, 30. Spes animi credula mutui. *Curt.* 10, 1. *a med.* Credulas regis aures implebat. ℙ Cum dativo. *Hor. Od.* 1, 11, 8. carpe diem, quam minimum credula postero. *Virg. Ecl.* 9, 34. me quoque dicunt Vatem pastores: sed non ego credulus illis. ℙ Cum genitivo. *Sil.* 10, 478. Credulus adversi. Al. rectius leg. *adversis.* ℙ Translate *Ov. Met.* 8, 857. sic sit tibi piscis in unda Credulus, et nullos nisi fixus sentiat hamos. *Senec. Hippol.* 530. Nondum secabant credulae pontum rades. *Justin.* 2, 10. Jucunda quoque inter se, non solum credula, convivia habuerunt, *h. e.* bona fide peracta. ℙ Passive de eo, cui facile creditur, videtur usurpari in illo *Tac. H.* 1, 34. Occisum Othonem, primum incertus rumor, mox interfuisse se quidam, et vidisse affirmabant, credula fama inter gaudentes, et incuriosos.

*CREMABĬLIS, e, adj. *Gloss. Cyrill.* Cremabilis, καυσιμος. V. *Arsibilis. B. A.*

*CREMASTE, es, f. Κρεμαστή, sic dicta est Larissa in Phthiotide, non illa in Thessalia nobilis urbs, sed altera, ut ait *Liv.* 31, 46. *B. A.*

*CREMASTĒRES, um, m. κρεμαστῆρες, nervi a quibus testes dependent. *Colum.* 6, 26. Testium nervos, quos Graeci κρεμαστῆρας ab eo adpellant, quod ex illis genitales partes dependent. *Id.* 7, 18. post init. Dependent vero ab inguinibus per singulos nervos, quos κρεμαστῆρας Graeci nominant. Sed utrobique Graece scribitur, nam Graeca omnino vox est. *B. A.*

CRĔMĀTES, um, m. plur. populi sunt Cremae, nunc *Crema*, quae est urbs Galliae Transpadanae ad Serium fluvium. Hinc genit. plur. *Crematium* legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 638, 9. ℙ [Vehementer hic erravit Lexicographus noster ceteroquin doctissimus, qui putavit, *Crematium* esse genit. plur. a nominativo *Cremates*, quos, cum sint admodum recentiores, vetusti scriptores Latini nullibi nominarunt. Certo enim constat, *Crēmātium*

esse Fouriae cujusdam cognomen femininum ex forma diminutivorum, a κρεμάω, suspendo, quod recte interpreteris *ciondolino*, qualia sunt *Julia Hesuchium* ap. *Guasco Inscr. Capitol. n.* 286., *Julia Plotium* ap. *eund. ib. n.* 636. et *Aurelia Philematium* ap. *Grut.* 1046, 6. Ita porro se habet *Inscr. l. c.* *Aulus. FOVRIVS. Auli. Libertus* FOVRIA. *Auli. Liberta* SELEVCVS. MA*Gister.* QVIN*quennalis* CREMATIVM CONLEGI. AVRIFICVM. *F.*]

CRĔMĀTĬO, onis, f. καῦσις, actus cremandi, ustio. *Plin.* 23, 2, 31. Crematio ei multum virium adjicit. Adde *Prud.* περὶ στεφ. 6, 88.

CRĔMĀTOR, oris, m. καυτὴρ, ustor. *Tertull. adv. Marc.* 5, 16. Cremator Deus.

CRĔMĀTUS, a, um, part. a *cremo*, καυστὸς, ustus. *Hor. Od.* 4, 4, 53. Gens, quae cremato fortis ab Ilio etc. *Id. Ep.* 17, 79. Possum crematos excitare mortuos. *Cic. Div.* 1, 23. Cum mortali corpore cremato, in lucem animus excesserit. *Liv.* 1, 1. Cremata patria. *Plin.* 16, 8, 11. Cremati roboris cinis nitrosus est. *Id.* 20, 5, 20. Crematus in cinerem.

CRĔMENTUM, i, n. αὔξησις, incrementum: a *cresco*, *is*. *Varro* ap. *Non.* 2, 767. Ut cremento corpora fierent majora parvo. *Plin.* 11, 37, 55. Crementa lunae. ℙ *Isid. Orig.* 11, 1. docet, *crementum* dici semen masculi, unde animalium et hominum corpora concipiuntur. Quo sensu suspicari quis possit, dictum esse a *creo*, *as*, pro *creamentum*. Utcumque sit, ea notione Latinum idoneum auctorem non habet.

CRĔMĔRA, ae, m. *la Varca*, aut *Valca*, al. *Baccano*, rivus parvus Tusciae, qui oritur ex lacu apud Baccanas, et in Tiberim fl. labitur, memorabilis caede CCC. Fabiorum facta a Vejentibus. *Ov. Fast.* 2, 205. et *Gell.* 17, 21.

CRĔMĔRENSIS, e, adj. ad Cremeram pertinens, ut Cremerensis dies. *Tac. H.* 2, 91.

CRĔMĬA, orum, n. plur. ligna tenuia, et arida: a *cremo*, quia facile cremantur. Graece dicuntur φρύγανα, a φρύγω, torreo. *Colum.* 12, 19. Levique primum igne, et tenuibus admodum lignis, quae cremia rustici appellant, fornacem incendemus. *Plin.* 12, 19, 42. Cremia cinnamomi discerni, et sponte conflagrare. *Hard.* perperam legit *gemina* ex quibusdam MSS. [*Ulp. Dig.* 32, 55. Virgulae et cremia, et sarmenta, et superamenta materiarum, et vitium stirpes atque radices continebuntur ligni appellatione. Alii leg. *gremia*. *Auct. Psalm.* 101, 4. et ossa mea, sicut cremium, aruerunt. *Gloss. Isid.* Gremia, siccamina lignorum. ℙ *Est et *Cremium*, *i*, num. sing. *Vulg. Psalm.* 101, 4. *B. A.*

CRĔMĬĀLIS, e, adj. qui cremari potest, ut cremiales arbores, ap. *Ulp. Dig.* 24, 3, 7. §. 12. Ita legit, et probat *Salmas.* in *Exercitat. Plin.* et *Hotomann.* Vulgo, *gremiales*, quod idem significat. V. in fin. vocis praeced.

[CREMNENSIS, e, adj. ad Cremnam pertinens, Pisidiae urbem, nunc *Kebrinaz*. ℙ *Cremenses*, *ium*, sunt illius urbis incolae. In nummo Tranquillinae Aug. ap. *Sestinium Cl. gen.* p. 95. Colonia Cremnensium. *F.*]

*CREMNISCOS, i, oppidum inter Danubium et Tyram flumina. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

CRĔMO, as, avi, atum, a. 1. καίω, comburo. *Plin.* 7, 54, 55. Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti: terra condebantur, *h. e.* cremare cadavera. *Cic. Leg.* 2, 22. Primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari. [**Id. Senect.* 23, 84. Cujus a me corpus crematum est; quod contra decuit ab illo meum. Adde inscript. apud *Orell.* 4477. qui quosdam male de latinitate h. v. dubitasse notat.] *Ov. Met.* 2, 136. Cremare tecta. [**Id. ib.* 2, 811. Leni vapore cremari.] *Plin.* 17, 1, 1. Incendia, quibus cremavit urbem Nero. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 20. Cremare tabulas. *Id.* 2, 52, 53. Fulmina cremantia. *Ov. Ib.* 518. Des tua succensae membra cremanda pyrae. [*Dicitur etiam de sacrificiis. *Ov. Met.* 13, 637. Caesorumque boum fibris de more crematis. *Id. Fast.* 4, 639. Igne cremat vitulos, quae natu maxima, virgo. ℙ Saepius idem esse videtur quod incendere, flammis circumdare. *Id. Met.* 6, 614. Aut ego, cum facibus regalia tecta cremaro, Artificem mediis immittam Terea flammis.]

*CREMON vel Cremo, onis, m. mons vel tumulus Alpinus, inter Italiam Galliamque, δόδος Ἀννίβου eo dictus, quod ibi Annibal fertur transiisse. *Liv.* 21, 38. Jugum Cremonis. *B. A.*

CRĔMŌNĀ, ae, f. *Cremona*, urbs Cenomanorum apud Padum fl., media inter Ticinum ad Occ., et Mantuam ad Or. Colonia Roman. Cum Cremonenses contra Augustum cum Antonio sensissent, Caesar victor veteranis suis eorum agros dedit, qui cum non suffecissent, acceperunt etiam vicinorum agros, ut Mantuanorum, etc. Hinc *Virg. Ecl.* 9, 28. Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae. *Servius.*

CRĔMŌNENSIS, e, adj. ad Cremonam pertinens, ut Cremonense proelium. *Tac. H.* 3, 48. Cremonensis ager. *Id. ib.* 15. et Cremonenses coloni. *Liv.* 33, 25. ℙ *Cremonenses*, *ium*, sunt ejus urbis homines. *Tac. H.* 2, 70.

CRĔMOR, oris, m. τὸ παχὺ τοῦ γάλακτος, proprie est pingue illud, quod a lacte secernitur: dicitur etiam de lacte expresso ex grano aqua macerato. *Ov. Med. fac.* 95. Hordea quem faciunt, illis adfunde cremorem. *Cels.* 3, 7. *n.* 2. Vel ptisanae, vel alicae, vel orycae cremor dandus est. *Cato R. R.* 86. Lac addat paulatim, usque adeo donec cremor crassus erit factus. *Pl. Pers.* 1, 3, 15. Nisi cremore crasso est jus collyricum, etc. *Cels.* 6, 6. *n.* 26. Gargarizare ex lenticula, vel ex fici cremore. Et *ib.* 10. *f.* Cremor furfurum.

[CRĔMUM, i, n. idem ac cremor *Venant. carm.* 11, 14, 1. Aspexi digitos per lactea munera pressos, Et stat picta manus hic, ubi crema rapis. Hic licenter auctor primam producit. *F.*]

*CREMUTĬUS, i, m. A Cremutius Cordus, scriptor fuit Augusti temporibus. De bello civili scripsit et Caesaris Augusti rebus gestis. *Suet. Aug.* 35. et *Calig.* 16. *Tac. A.* 4, 34. *Senec. cons. ad Marc.* 1. Atque haec ipsa Marcia Cremutii fuit filia. *B. A.*

CRĔNAE, arum, f. plur. scalpturae, incisurae, γλυφίδες. *Plin.* transfert ad scalpturas stomachi testudinis marinae, quibus cibus conficitur, si locus sanus est. Ita enim scribit 11, 37, 68. Testudini marinae lingua nulla, nec dentes: rostri acie comminuit omnia. Postea arteria, et stomachus denticulatus callo, in modum rubi, ad conficiendos cibos, decrescentibus crenis, quidquid appropinquat ventri: novissima asperitas, ut scobina fabri. *Si lectio certa. *Harduinus* mavult *serris*. *B. A.*

[CRĔNAEUS, a, um, adj. κρηναῖος, fontanus. Est nom. serv. Rom. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 311. *n.* 347. Crenaei Liviae Drusi cubicularii servi. *F.* **Crenaeus*, *i*, unus e Centauris, qui Pirithoi nuptiis interfuit. *Ov. Met.* 12, 313. *B. A.*]

*CRENE, es, f. Asiae oppidum, in Aeolide. *Liv.* 37, 21. *B. A.*

*CRENI, orum, apud *Sil. Ital.* 8, 504. de Marsya: Phrygios fugeres cum Marsya Crenos. Graece οἱ Κρῆνοι, regio illa, in qua habitavit Marsyas, sic dicta a duobus fontibus Maeandri et Marsyae amnis, qui ibi ex eodem loco oriebantur. Nisi potius dicendum *Crenae*. Certe et Λίνοκρηνὶς convallis et regio inde nomen invenerit. *Salm.* ad *Solin.* p. 835. *B. A.*

*CRENIS, idis, f. Nymphae nomen, teste *Prisciano*, in septimo, et *Ov. Met.* 12, 313. Κρηνὶς, a κρήνη, fons. *B. A.*

CRĔO, as, avi, atum, a. 1. κτίζω, ποιέω, γεννάω, gigno, facio. De origine. V. in CERUS. *Cic. Or.* 2, 54. Natura fingit homines, et creat imitatores et narratores facetos, etc. *Id. N. D.* 2, 22. Zeno censet, artis maxime proprium esse, creare et gignere. *Id. Or.* 2, 28. Cum ego hunc oratorem, quem nunc fingo, ut institui, crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Crasso et vestiendum et ornandum. *Liv.* 1, 3. Silvius deinde regnat: is Aeneam Silvium creat. *Hor. Od.* 4, 4, 29. Fortes creantur fortibus et bonis. [**Ov. Met.* 10, 18. Quidquid mortale creamus. *Lucr.* 1, 910. Creare igneis e ligneis. *Id. ib.* 170. Creantur certis quaeque seminibus.] *Plin.* 19, 8, 42. Fimum herbas creat. *Pallad.* 3, 26. de porcis: Femina ad creandum usque in annos septem partus onera gestare sufficiet. ℙ [**Creari* idem quod *nasci*, *crescere*. *Lucr.* 5, 1037. Unguibus ac pedibus jam tum morsuque repugnant, Vix etiam quom sunt, denteis ungueisque creati. *Id.* 4, 338. Nec dictis orare prius, quam lingua creata est. *Ib.* 340. Multoque creatae sunt prius aureis, quam sonus est auditus.] ℙ Item parere. *Virg. A.* 10, 704. una quem nocte Theano In lucem genitori Amyco dedit, et face praegnans Cisseis regina Parin creat. ℙ Item universim efficere, facessere, exhibere. *Cic. Div. Verr.* 19. Creare periculum alicui. *Plin.* 9, 48, 72. Lepus marinus vomitum dissolutionemque stomachi creat. *Id.* 22, 24, 50. Mel bilem auget, fastidium creat. *Cels. praef. a med.* Creare valetudinem adversam. ℙ Translate. *Cic. Div.* 2, 25. Similitudo errorem creat. *Quint.* 9, 4. Taedium et satietatem creare. *Pl. Poen.* 3, 2, 9. lites. *Id. Mil.* 2, 3, 23. Tuis nunc cruribus capitique fraudem capitalem creas. *Id. Pseud.* 1, 3. *extr.* Potin' ut abeas! tibi moram dictis creas. *Id. Mil.* 1, 1, 33. Venter creat omnes has molestias. *Id. Cas.* 2, 7, 3. Creare voluptatem inimicis. *Vellej.* 2, 20. seditionem. *Imppp. Valent., Theod. et Arcad. Cod.* 1, 25. invidiam inimicis. ℙ Saepe est suffragiis eligere. *Cic. fragm. pro C. Corn.* ap. *Ascon.* Decem tribunos plebis per pontificem creaverunt. *Nep. Annib.* 7. Carthagine quotannis annui bini reges creabantur. *Caes. B. C.* 3, 1. Consules creantur Caesar et Servilius. *Sall. Jug.* 44. Cum tres quaesitores rogarentur, effecerat, ut ipse in eo numero crearetur. *Liv.* 1, 23. Creare ducem gerendo bello. *Messala* ap. *Gell.* 13, 15. praetorem. *Ulp. Dig.* 40, 5, 4. Convenire creditores, unumque creare, cui caveatur omnium nomine. *Papin. ib.* 50, 8, 3. curatorem rei publicae. [**Suet. Aug.* 37. Censores. *Id. ib.* 40. Senatores. *Id. Vesp.* 6. Consilium inierunt eligendi creandique Imperatoris. Ubi *eligere*, h. e. e pluribus legere, est praecedens, *creare*, h. e. electum vere facere Imper., consequens. Haec *B. Crus.* in *el. Suet.* p. 255. Cf. *Lex. Liv.* p. 149.] ℙ [Part. *Creaturus* ap. *Liv.* 6, 40. Indignos (patricios) creaturi non estis. *Creandus* ap. *Hor. Ep.* 1, 2, 44. puerisque beata creandis Uxor. *F.*]

[CRĔOBŪLA, ae, f. herba eadem ac mentastrum. *Apput. Herb.* 90. *F.*]

CRĔON, ontis, m. Κρέων, nomen Corinthiorum regis, qui Creusam filiam Iasoni desponsavit. *Senec. Medea.* **Hygin. fab.* 25. *Hor. Epod.* 5, 64. *Stat. Th.* 12, 678. *B. A.* ℙ Alter fuit Thebanus, Oedipi regis Thebanorum socer, et frater Iocastae. *Hyg. fab.* 72. ℙ Rectus casus singularis est *Creon* et *Creo*. *Senec. Med.* 526. Creo, atque Acastus arma si jungant sua. *Stat. Th.* 12, 678. Antigonem viduamque Creon Adrastida leto Admovet. ℙ *Fuit et *Creon*, *onis*, mons Lesbi insulae. *Plin.* 5, 31. ubi accusativum *Creonem* est videre. *B. A.*

CRĔPANS, antis, part. qui crepat, resonans, murmurans, strepens, ψοφώδης, ψοφητικός. *Hor. Epod.* 16, 48. montibus altis Levis crepanti lympha desilit pede. *Mart.* 3, 82. Digiti crepantis signa novit eunuchus. (V. CONCREPO.) *Id.* 12, 36. Donare aureolos manu crepantes. Et 9, 91. Area terit messes crepantes. *Virg. A.* 11, 775. tum croceam chlamydemque, sinusque crepantes Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro.

CREPAS, prisci capras dixerunt, a crepitu crurum. *Paul.* ex *Festo* in *Caprae*.

CRĔPAX, acis, adj. qui crepat, ac strepit. *Maeceras* ap. *Senec. ep.* 114. *crepacem molam* dixit, quod in igne crepitet.

CRĔPĔRUS, a, um, adj. dubius, anceps, incertus, ut *Fest.* et *Varr. L. L.* 5. *s. in.* et *ib.* 6, 4. et *Non.* 1, 45. interpretantur. *Lucr.* 5, 1295. creperi certamina belli. *Accius* ap. *Non.* Nunc tu in re crepera tua quid capias consilii, vide. *Pacuv. ib.* Animum aegritudine in re crepera confici. *Symmach. ep.* 1, 7. (al. 13.) Priusquam manifestus dies creperum noctis absolveret. *Lucil.* ap. *Non. l. c.* creperaque juventu' salutis. Al. aliter leg. **Mart. Capell.* 8. *p. in.* p. 179. *Vulcan.* Nunc vix senex reclusis Creperum videns ocellis Circumspicit videntes. *B. A.*

CRĔPI a Romanis dicti sunt luperci a crepitu pellicularum, quem faciunt verberantes. Mos enim erat Romanis in lupercalibus nudos discurrere, et pellibus obvias quasque feminas ferire. Haec *Festus*, ubi al. perperam leg. *Creppi*.

CRĔPĬCŬLUM, vel Crepidulum, vel Crepitulum (tot enim modis scriptum invenitur) ornamentum capitis. Id enim in capitis motu crepitum facit. *Festus.* Tribuit feminis *Tert. Pall.*, ubi ait 4. Et stolam, et supparum, et crepidulum, et caliendrum ejeravere. Al. leg. *capidulum*.

CRĔPĬDA, ae, f. κρηπὶς, ὑπόδημα, genus calcei plani, coriacea solea vel una, vel pluribus constans, qua planta pedis, veluti basi, innititur; et longis habenis, quibus pars pedis superior prope nuda vincitur, et quodammodo obtegitur: a Graeca voce allata, (teste *Gell.* 13, 21. et *Voss.* in *Etym.*) quae tum basim et fundamentum, tum hoc ipsum de quo loquimur, significat. Latine *solea* dicitur, quod eo nomine omne genus calcei, quo planta solummodo tegitur, appellari consuevit, ut *Gell. l. c.* docet. Differunt tamen, tum quod *solea* generale nomen est, *crepida* unum tantum calceorum genus notat: tum quia illa simplex est, haec pluribus coriis compingitur, ut vult *Balduin. de calc. c.* 11.: tum quod illa domi uti mos fuit, hac etiam foris: tum denique quod Latinorum illa, Graecorum haec propria esse videtur. Quare cum pallio fere conjungitur, sicut cum toga calceus. *Hor. Sat.* 1, 3, 127. sapiens crepidas sibi nunquam, Nec soleas fecit. [*Cf. *Heindf.*] *Pers.* 1, 127. qui in crepidas Grajorum ludere gestit. *Liv.* 29, 19. Ipsius etiam imperatoris non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus jactabatur: cum pallio crepidisque inambulare in gymnasio etc. *Suet. Tib.* 13. Redegitque se, deposito patrio habitu, ad pallium, et crepidas. Adde *Cal.* 52. [*V. *Brem.* ad *Suet.* II. II.] ℙ Aliquando cum caliga militari confunditur, non tamen Romana. *Plin.* 36, 16, 25. Magnes appellatus est ab inventore. Invenisse autem fertur, clavis crepidarum, et baculi cuspide haerentibus, cum armenta pasceret. *Id.* 33, 3, 14. Aureis clavis crepidas suffigere. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 4. *extern.* Aureos clavos crepidis subjectos habuit. (*Justin.* 38, 10. eandem rem narrans, *caligas auro figere* dixit.) *Cic. Rabir. Post.* 10. L. Scipionis non solum chlamyde, sed etiam cum crepidis in Capitolio statuam videtis. V. integr. locum. Huc pertinere videtur, quod tradit *Servius* ad illud *A.* 8, 458. *Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis;* crepidas Tuscum esse calceamentum, quas primo adhibuisse senatores, post equites R., nunc milites. Videtur enim vel de calceo, vel de caliga intelligendus. ℙ *Sutor ne supra crepidam*, proverb. in eos, qui quas res minus intelligunt, de iis tamen judicare

audent: ortum ex eo, quod narrat *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 12. et *Val. Max.* 8, 12. *extr.*, cum Apelles tabulam suam in pergula proposuisset, ut si quae vitia inessent, a praetereuntibus indicarentur, monitum a sutore, quod in crepidis una intus pauciores fecisset ansas: eodem postero die, superbo emendatione pristinae admonitionis, cavillante circa crus, indignatum prospexisse (latebat enim post tabulam) denunciantem, ne supra crepidam judicaret. Ὑπὲρ πόδα, et ἀνώτερον τοῦ ὀφρυοῦ Graeci dicunt. Et *Ammian.* 28, 1. Supra plantam, ut dicitur, evagatus cognitor. Adde *Val. Max. l. c.* ℙ *Isid. Orig.* 19, 34. putat *crepidas* dictas, quod cum sono stringantur, sive a pedum crepitu in ambulando. *Balduin.* quoque *loco sup. cit.* a crepitu derivat: sed rectius a κρηπὶς ducuntur, ut dictum est: quamvis primam syllabam Latini poetae corripiant.

CRĔPĬDĀRĬUS, a, um, adj. ad crepidas pertinens, ut Crepidarius culter, *Sempron. Asell.* ap. *Gell.* 13, 21. *extr.* et *Crepidarius sutor*, qui crepidas facit, *Id. ib.* et *Crepidarius* absolute, *Gell. ib.*

CRĔPĬDĀTUS, a, um, adj. qui crepidas habet, κρηπιδούμενος. *Cic. Pis.* 38. Inde nocte intempesta crepidatus, veste servili, navem conscendit. *Suet. Dom.* 4. Certamini praesedit crepidatus. ℙ *Crepidatae Fabulae* ap. *Donat.* ad *Ter. Ad. prol.* 7. in quibus actores cum crepidis prodibant: quae et *palliatae.* V. PALLIATUS.

CRĔPIDO, idinis, f. κρηπὶς, basis alta, et erecta, fundamentum, fulcrum: a Graeca voce allata. *Cic. Or.* 67. Deinde omnia, tanquam crepidine quadam, comprehensione longiore sustinentur. [*De periodo, qua sententiae plures junguntur, ne dissolvantur: nam periodo opponitur soluta oratio: ducta metaphora a crepidine, cui tamquam fundamento innititur aedificium, ne collabatur. *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Stat. Silv.* 1, 1, 58. teneat quamvis aeterna crepido, Quae super ingesti portaret culmina montis. *Plin.* 36, 9, 14. *n.* 2. Crepidines obelisci. ℙ Item saxum prominens, ut exponit *Festus*, vel moles alta, et abrupta, qua maris litus, vel ripa fluminis munitur contra aquarum impetus. *Cic. Verr.* 2, 5, 37. Piraticus myoparo usque ad forum, et ad omnes urbis crepidines accessit. [**Ernestio* in *cl. Cic.* s. h. v. hic videntur imprimis intelligi loca in portubus interioribus, ad quae naves appellunt. Comparat *Curt.* 4, 5. Tum applicant navigia crepidini portus. *Scheff. R. N.* p. 213.] *Inscr.* ap. *Mur.* 2013, 2. M Gavius T. F., Q. Vitellius Q. F. Gallus Duovir. Quinq. crepidines circa forum S. P. F. *Virg. A.* 10, 653. Forte ratis, celsi conjuncta crepidine saxi, Expositis stabat scalis, et ponte parato. *Colum.* 8, 17. Maris atrocitas objectu crepidinis frangitur. *Curt.* 5, 1. Coercere Euphratem magnae molis crepidinibus. *Varro* de lacu, aut stagno ubi servantur anates, *R. R.* 3, 11. Circum totum parietem intrinsecus sit crepido lata, in qua secundum parietem sint tecta cubilia etc. *Plin.* 22, 22, 34. Acanthos herba topiaria est, crepidines marginum vestiens, *h. e.* marginum eam partem, quae aquas spectat. *Juven.* 5, 8. Nulla crepido vacat? *h. e.* locus editior, vel in ripa fluminis, vel in portu, vel ad latera viarum, ubi stare solent mendici stipem petituri. *Senec. Contr.* 3, 17. Qui in crepidine viderat Marium, in sella figuravit. Et *ib.* 1, 1. Quis crederet jacentem supra crepidinem Marium aut fuisse consulem, aut futurum? (Adde *Manil.* 4, 48.) *h. e.* in ora, èt ripa paludis, in qua se occuluerat, vel in crepidine viae mendicando in suo Africano exsilio. *Stat. Th.* 9, 492. Stabat gramineae producta crepidine ripae, Undarum ac terrae dubio, sed amicior undis Fraxinus. *Val. Fl.* 4, 44. Fluctus ab undisoni ceu forte crepidine saxi. Cum rapit Halcyones miserae fetumque, laremque. [*Pro ripa dixit *Liv.* 27, 18. Eam quoque (planitiem) altera crepido haud facilior in ascensum ambibat.] ℙ De crepidinibus viarum, praeter allatum *Juvenalis* locum, sunt etiam verba *Petronii Sat.* 9. Vidi Gitona in crepidine semitae stantem. *Inscr.* in *N. Raccolta Calogerà.* T. 8. p. 199. IIIIII. Viri viam cum crepidinibus a quadruvio ad murum straverunt ob honorem. [*Haec inscr. est ap. *Orell.* 3844.] Alia ap. *Don. cl.* 2. *n.* 80. Munatius Absyrtus viam cum lapide turbinato a foro ad port. stravit, crepidines et castella posuit. ℙ Item saxum excelsum, et abruptum, scopulus, rupes. *Stat. Th.* 2, 504. contra importuna crepido, Oedipodioniae domus alitis, *h. e.* rupes in qua Sphynx habitavit. *Id. Achill.* 1, 448. Rupibus expositis, longique crepidine dorsi Euboicum scandens Aulis mare, *h. e.* scopuloso promontorio in mare excurrente. ℙ Item torus, vel quidpiam simile elevatum sedendi, vel muniendi causa. *Plin.* 12, 1, 5. Saxeae intus crepidinis corona muscosos complexa pumices. ℙ *Crepido Circi* apud *Fest. in fr.* fuit locus editior in parte ejus exteriore, in quo tribuni quidam militares, quos ibi recenset, olim sepulti feruntur: qui locus postea fuit albo lapide constratus. ℙ In architectura *crepidines* dicuntur: v. g. in coronis, membra quaedam excurrentia, et projecta, ut *Bald.* in *Lex. Vitr.* proposita figura explicat: quia sustentandi et fulciendi speciem praebent. *Vitr.* 4, 6. Dextra ac sinistra projecturae sic sunt faciendae, uti crepidines excurrant. *Id.* 3, 2. Frons loci dividatur in partes undecim semis, praeter crepidines et projecturas spirarum.

CRĔPĬDŬLA, ae, f. dimin. crepidae, κρηπίδιον. *Gell.* 13, 21. Soleas dixere, nonnunquam voce Graeca crepidulas. *Pl. Pers.* 4, 2, 3. Hanc hospitam crepidula ut graphice decet!

CRĔPIS, idis, f. κρηπὶς, herbae genus ap. *Plin.* 21, 16, 59. Caule foliato est crepis, et lotos.

CRĔPĪTĀCILLUM, i, n. dimin. crepitaculi. *Lucret.* 5, 232. [*230. ap. *Eichstadt*, qui *vulg.* servat.] Nec crepitacillis opus est. *Gifanius*, *Paraeus*, *Salm.* et al. leg. Nec crepitacula eis opu' sunt. *Tertull. adv. Jud.* 9, Signum belli non tuba, sed crepitacillo daturus. Adde *adv. Marc.* 3, 8., ubi eadem verba repetit. *Sciopp.* autem in notis ad *Tertull.* hic quoque *crepitaculo* reponit.

CRĔPĪTĀCŬLUM, i, n. σεῖστρον, instrumentum ex aere, aliave materia, quod manu concussum vel percussum crepitat, ac sonitum reddit. *Colum.* 9, 12. *de apib.* Crepitaculis aereis, aut testarum plerumque vulgo jacentium sonitu terreatur fugiens juventus. *Quint.* 9, 4. *med.* Media quoque (*periodi*) ne pigra, ne longa sint: ne brevium contextu resultent, ac sonum reddant paene puerilium crepitaculorum. *Mart.* 14, 54., cujus lemma est *Crepitaculum.* Si quis plorator collo tibi vernula pendet, Haec quatiat tenera garrula sistra manu. *Capell.* 1, 4. Tunc crepitacula, tinnitusque quasi infanti somnium duceret, adhibebat quiescenti. *Id.* 9, 314. Infantibus crepitacula vagitus abrumpunt. ℙ Inter crepundia puerorum etiam *crepitacula* sunt. V. locum *Lucretii* in voce praeced. et *Mart.* modo allatum.

CRĔPĬTANS, antis, part. a *crepito*, ψοφητικὸς, crepans, strepens, resonans. *Ov. Fast.* 4, 781. ardentes stipulae crepitantis acervos. *Virg. A.* 7, 73. Flamma crepitans. Et *ib.* 3, 70. lenis crepitans vocat Auster in altum. *Id. G.* 1, 449. in tectis crepitans salit horrida grando. *Id. A.* 11, 299. fremunt ripae crepitantibus undis. [**Prop.* 2, 32, 15. Et leviter Nymphis tota crepitantibus urbe.] *Id. G.* 4, 451. Aera crepitantia. *Ov. Met.* 10, 648. fulvo ramis crepitantibus auro. *Id. ib.* 11, 735. Ora dedere sonum, tenui crepitantia rostro. *Tibull.* 2, 5, 73. Arma crepitantia. *Propert.* 3, 9, 43. crepitans sistrum. *Lucr.* 5, 746. crepitans ac dentibus algor.

CRĔPĬTO, as, n. 1. ψοφέω, frequentat. a *crepo:* crepitum edo. *Pl. Men.* 5, 5, 27. Ubi satur sum, nulla (*intestina*) crepitant: quando esurio, tunc crepant. *Id. Rud.* 2, 6, 52. Crepitare dentibus. *Virg. A.* 5, 458. quam multa grandine nimbi Culminibus crepitant. *Id. ib.* 6, 209. leni crepitabat bractea vento. Et *G.* 2, 540. Impositos duris crepitare incudibus enses. *Plin.* 31, 7, 41. Flos salis in igne nec crepitat, nec exsilit. *Petr. Sat.* 132, Pluribus osculis collisa labra crepitabant. *Tibull.* 2, 5, 81. Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis. *Virg. A.* 5, 436. duro crepitant sub vulnere malae. ℙ Alia huc pertinentia V. in v. praec.

CRĔPĪTŬLUM. V. CREPICULUM.

CRĔPĬTUS, us, m. ψόφος, strepitus, sonitus. *Auct. ad. Her.* 2, 5. Num qui strepitus, clamor, crepitus exauditus sit. *Pl. Curc.* 1, 3, 47. Sonitum et crepitum claustrorum audio. Et *ib.* 1. Sonitum prohibe forum, et crepitum cardinum. *Suet. Cal.* 54. Tibiarum et scabellorum crepitus. *Liv.* 43, 10. Crepitus aeris. *Id.* 38, 17. Quatientium scuta horrendus armorum crepitus. *Id.* 6, 2. Crepitus viridis materiae flagrantis. *Id.* 39, 15. Crepitibus et ululatibus nocturnis. *Plin.* 12, 1, 5. Imbrium crepitus per folia. *Id.* 10, 18, 20. Cuneus adactus statim exsilit cum crepitu arboris. *Mart.* 14, 119. *de matella.* Dum poscor crepitu digitorum etc. (V. CONCREPO.) *Senec. Ira* 3, 4. Crepitus articulorum. (V. CONTERO.) *Id. ep.* 56. Audio crepitum illisae manus humeris, quae prout plana pervenit, aut concava, ita sonum mutat. *Cic. Verr.* 2, 5. 62. Crepitus plagarum. *Id. Tusc.* 4, 8. dentium. *Id. Top.* 12. Pedum crepitus, strepitus hominum. *Id. Fam.* 9, 22. *extr.* Stoici etiam crepitus ajunt aeque liberos, ac ructus esse oportere. *Suet. Claud.* 32. Emittere flatum et crepitum ventris. *flatus* est sine sonitu, βδεσμὸς: *crepitus* cum sonitu, πορδή. *Pl. Curc.* 2, 3, 16. Excire crepitum polentarium. *Senec. ep.* 91. *f.* Eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. *Plin.* 27, 12, 87. Onopordon si comederint asini, crepitus reddere dicuntur. *Minuc. Fel.* in *Octav.* 28. *f.* Aegyptii non Serapidem magis, quam strepitus per pudenda corporis expressos contremiscunt. ℙ *Scalig. in lection. Auson.* 1, 25. ostendit, crepitus ventris apud Graecos fausti, apud Latinos mali ominis fuisse, ex *Catone* apud *Fest.* in *Prohibere.* V. CREPO.

[CREPNOS, i, m. κραιπνὸς, velox, celer. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 250, 3. Q. Postumius Q. L. Crepnos. *F.*]

CRĔPO, as, pui, pitum, n. 1. ψοφέω, crepitum edo, resono, strideo, murmuro. *Pl. Men.* 5, 5, 27. Intestina mihi, quando esurio, tum crepant. *Senec. ep.* 9. *med.* Paravit amicum adversus vincula laturum opem: cum primum crepuerit catena, discedet. *Stat. Theb.* 7, 38. crepat aurea grandine multa Palla. *Ov. Fast.* 4, 744. Et crepet in mediis laurus adusta focis. Et *ib.* 2, 501. subito motu nubes crepuere sinistrae. Et *Met.* 9, 783. crepuitque sonabile sistrum. *Plin.* 36, 7, 11. Lapidem in statua Memnonis quotidiano solis ortu contactum radiis, crepare dicunt. *Pers.* 5, 25. dignoscere cautos, Quid solidum crepet, *h. e.* crepitu et sono indicet, sitne solidum, an fractum. *Senec. Thyest.* 264. totis domus, Ut fracta, tectis crepuit. *Id. Oedip.* 99. Crepuere malae. *Id. Herc. Oet* 1002. Verberum crepuit sonus. [**Propert.* 4, 3, 58. Et crepat ad veteres herba Sabina focos.] *Ter. Heaut.* 3, 3, 52. Quid est, quod tam a nobis graviter crepuerunt fores? *Pl. Amph.* 1, 2, 34. Orationem comprimam: crepuit foris. *Turn. Advers.* 4, 20. et *ib.* 11, 12. et *ib.* 29, 25. docet, hoc ex more Atheniensium dictum, quia cum apud eos fores aperirentur in viam, ideo domo exituri, ne quem forte praetereuntem laederent, crepitum edebant vel digitos collidendo, vel ipsas fores percutiendo: contra intraturi aedes dicebantur *fores pultare:* hoc κόπτειν dici, illud ψοφεῖν. Haec *Turn.*, sed fortasse res est apertior, quam ad haec, intelligendi causa, sit decurrendum. ℙ Cum accusat. *Stat. Theb.* 6, 686. procul auxiliantia gentes Aera crepant, *h. e.* pulsant et resonare faciunt. *Prop.* 3, 8, 4. [*al. 3, 10, 4.] Et manibus faustos ter crepuere sonos. [*Cf. *Burm.* ad *Ov. Ib.* 230.] *Mart.* 5, 19. Crepare aureolos, *h. e.* numerare, nam versando nummi crepitant. ℙ *Crepare digitis* est idem ac concrepare digitis. V. CREPANS. ℙ Significat etiam scindi, findi, rumpi, quia quae rumpuntur, crepare solent. *Virg. A.* 5, 205. acuto in murice remi Obnixi crepuere, illisaque prora pedendit. *Pall.* 4, 10. *in.* Si crepant poma, lapidem in media arboris radice supponis. *Colum.* hoc idem tradens 5, 10. *med.* verbo *rumpi* utitur. ℙ Item pedere. *Mart.* 12, 77. Sed quamvis sibi caverit crepando, Compressis natibus Jovem salutat. (Adde *ib.* 78.) *Cato* ap. *Fest.* in *Prohibere.* Servi, ancillae, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit. ℙ Translate *crepare aliquid* est frequenter in ore habere, jactare, praedicare. *Lucr.* 2, 1166. laudat fortunas saepe parentis, Et crepat, antiquum genus ut pietate repletum Perfacile angustis tolerarit finibus aevum. *Hor. Ep.* 1, 7, 84. ex nitido fit rusticus, atque Sulcos et vineta crepat mera *Pl. Mil.* 3, 1, 57. Neque ego ad mensam publicas res clamo, neque leges crepo. *Hor. Sat.* 2, 3, 33. Si quid Stertinius veri crepat, *h. e.* docet. *Id. Od.* 1, 18, 5. Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat? *h. e.* exaggerat, et queritur incommoda militiae, et paupertatis. ℙ Alia huc pertinentia V. in CREPANS. ℙ *Eutych. Gramm.* 2, 2188. ponit etiam *crepo*, *is*, *ere*, sed nullo confirmat Latino exemplo.

CRĔPŬLUS, a, um, adj. crepitans, strepens. *Avien. in Arat.* 324. Sed crepula ut late vomeret convicia voce. Alii leg. *crepera.* *Sidon. ep.* 4, 15. Autumnus viatorum aures, foliis toto nemore labentibus, crepulo fragore circumstrepit. *Id. ep.* 9, 13. *in carm.* 2. Crepulae buccae.

CRĔPUNDIA, orum, n. plur. reculae pueriles, quae infantibus tum ornatus, tum ludi causa dantur: a *crepando*, seu tinniendo dictae, quoniam infantes hujusmodi crepitaculis maxime gaudent: apponebantur etiam olim pueris expositis, vel alio nutriendi causa missis, ut ex iis aliquando agnosci possent: quare *monumenta* a *Ter. Eun.* 4, 6, 15. dicuntur, [*Cf. *Ruhnk.* ad h. l.] et a Graecis γνωρίσματα, et ἐπίσημα, et σπάργανα. Exemplum habes tum ap. *Ter. l. c.* et *Heaut.* 4, 1, 37., tum ap. *Pl. Cist.* et *Rud.* Porro crepundia solebant esse anuli, ensiculi, securiculae, maniculae, bullae, siculae, fasciolae etc. qualia *Pl. Rud.* 4, 4, 110. enumerat. *Cic. Brut.* 91. Quoniam totum me non naevo aliquo aut crepundiis, sed corpore omni videris velle cognoscere. [*V. *Ellendt.* ad h. l. et *Salm.* ad *Vopisc. Aurel. c.* 4. T. II. p. 421.] *Plin.* 11, 51, 112. Semestris locutus est Croesi filius in crepundiis. *Prud. Apoth.* 711. puerique crepundia parvi. ℙ [*Hinc a *crepundiis* idem est, quod a *pueritia.* Ita explicat *Orell.* in *inscr.* 1183. Cui a crepundiis par virtutis et eloquentiae cura.] ℙ In singulari num. nullus est usus. ℙ Ita etiam dicuntur crotala, crepitacula, sistra, quibus in choreis, et saltationibus utebantur, praesertim Aegyptii: quia hujusmodi dari et pueris solebant lusus gratia. *Justin.* 30, 1. *f.* Adduntur instrumenta luxuriae, tympana, et crepundia. ℙ [Item imagines sacrae aut amuleta. *Appul. Apol.* Etiamne cuinam mirum videri potest, cui sit ulla memoria religionis, hominem tot mysteriis Deûm conscium, quaedam sacrorum crepundia domi adservare, utque ea lineo texto involvere, quod purissimum est rebus divinis velamentum? *Id. paulo post.* haec eadem *sacrorum signa*, et *memoracula* appellat. *F.*]

CRĔPUSCI nominati Amiterno, qui crepusculi tempore erant nati. *Varr. L. L.* 5, 2. ℙ [Fortasse legendum est *Crepusii;* nam *Crepusia* gens nota est ex Nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 198. et ex Inscr. ap. *Mur.* 1533, 11. *F.*]

CRĔPUSCŬLASCENS HORA est hora crepusculi vespertini ap. *Sidon. ep.* 8, 3.

CRĔPUSCŬLUM, i, n. *δείλη*, tempus, Quod tu nec tenebras, nec possis dicere lucem, Sed cum luce tamen dubiae confinia noctis: quae descriptio est *Ov. Met.* 4, 400. Dictum est a *creperus*, dubius, ut post *Varr. L. L.* 5, 2. docent *Serv.* ad *A.* 2, 268. et *Non.* 1, 45. Porro tametsi de matutino aeque quod Graece *λυκαυγὲς*, ut de vespertino, quod *ἑσπέρα δείλη* dici possit; videtur frequentius de hoc usurpari: quia matutinum tempus proprio vocabulo *diluculum* appellatur. *Ov. Am.* 1, 5, 5. Qualia sublucent fugiente crepuscula Phoebo. *Id. Fast.* 5, 163. inducunt obscura crepuscula noctem. *Id. ib.* 4, 735. Pastor, oves saturas ad prima crepuscula lustra. *Id. Met.* 15, 651. seram pepulere crepuscula lucem. *Id. Her.* 14, 21. modo facta crepuscula terris. *Plin.* 18, 25, 58. Prout alterutri eorum mane, vel crepusculo contingit. *Colum.* 12, 1. Et primo mane prodeundum est, et crepusculo redeundum. Adde *Phaedr.* 3, 7., *Suet. Ner.* 26., *Lucan.* ap. *Serv. l. c.*, *Fest.* in *Decrepitus*, *Plaut.* in *fragm.* ap. *Varr. L. L.* 6, 4., ipsum *Varr. L. L.* 5, 2. et *Censorin. de die nat.* 24. Quare non audiendus *Serv.*, qui *l. sup. c.* scribit, usum obtinere, ut *crepusculum* matutino tempori jungatur. ℙ Aliquando generatim ponitur pro luce maligna, et caligine. *Ov. Met.* 14, 122. Dumque iter horrendum per opaca crepuscula carpit, *h. e.* per viam, qua ad Inferos descenditur.

CRES, etis, m. *Κρῆς*, qui est ex Creta insula. *Cic. Div.* 1, 18. Epimenides Cres. *Id. Mur.* 35. Neque vero Cretes melius quam Romani respublicas suas retinuerunt. *Ov. Am.* 3, 10, 19. Cretes erunt testes: nec fingunt omnia Cretes. *Κρῆτες*. *Id. Her.* 16, 348. Nulla tamen Minos Cretas ad arma vocat. *Κρῆτας*. *Caes. B. G.* 2, 7. Numidas, et Cretas sagittarios subsidio oppidanis mittit. *Lucan.* 4, 441. Canes spartani, et Cretes. *Catull.* 55, 23. custos Cretum. V. TALOS, i.

[CRESCENS, tis, omn. gen. part. verbi *cresco*, quod vide. ℙ Est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 703, 10. Cn. Fullonius Crescens. *F.*]

CRESCENTĬA, ae, f. incrementum, *αὔξησις*. *Vitr.* 9, 9. Horarum brevitates, aut crescentias cuneorum adjectus, aut exemptus perficere cogit. *et mox.* Correptiones dierum, aut crescentiae.

[CRESCENTĬLLA, ae, f. diminut. crescentis. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 662, 3. Crescentillae filiae dulcissimae Crescens pater. *F.*]

[CRESCENTĪNUS, a, um, adj. ad Crescentem pertinens. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 71, 1. Plautia Felicitas pro filio Crescentino votum libens solvit. Alia ap. *Grut.* 708, 1. Pedania Crescentina. *F.*]

[CRESCENTĬO, onis, m. diminut. crescentis. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 682. *n.* 65. Fuscius Crescentio. *F.*]

CRESCO, is, crevi, n. 3. *αὐξάνω*, augeor, major fio, adolesco. [*Proprie significat, inprimis apud poetas, provenire, oriri, nasci. *Virg. Cul.* 398. Hic et acanthus, Et rosa purpureo crescit rubicunda colore, Et violae genus omne hic est. *Sil.* 3, 75. Ingens hic terris crescit labor, i. e. nascitur. V. *Drakenb.* ad h. l. *Lucr.* 3, 745. Vis animi pariter crescit cum corpore, i. e. oritur, procreatur. Paulo post de eadem vi animi idem docens dicit: consors in origine prima. *Id.* 1, 368. Quaequomque e terra corpora crescunt. et al. Inprimis autem part. *cretus* hac significatione saepissime legitur apud *Varr. Ov. Lucr.* et al.] *Festus* in *Crevi* deducit a *χραίνω*, perficio, impleo, absolvo. *Cic. Div.* 2, 14. Ostrea cum luna pariter crescunt Atque decrescunt. *Id. ib.* 1, 44. Cum lacus Albanus praeter modum crevisset. [*Cf. *Lucret.* 6, 713.] *Id. Sext.* 32. Mihi absenti creverunt amici. [*Orell.* leg. non mihi absenti crevisse amicos.] *Id. Div.* 1, 69. Medici advenientes et crescentes morbos intelligunt. *Caes. B. G.* 7, 55. Liger ex nivibus creverat. *Curt.* 4, 2. Aggeris latitudo crescebat. *Id.* 8, 11. Petra modicis clivis in sublime fastigium crescit. *Ov. Met.* 1, 550. In frondem crines, in ramos brachia crescunt. *Id. ib.* 2, 479. Manus crescunt in ungues aduncos. *Id. Met.* 4, 660. de Atlante: et partes auctus in omnes Crevit in immensum. *Quint.* 8, 5. Nihil ad justam magnitudinem adolescere potest, quod loco, in quem crescat, caret. *Colum. Arbor.* 17. Ut olea spatium in latitudinem crescendi habeat. [*Lucret.* 2, 189. Et sursum nitidae fruges arbustaque crescunt.] *Plin.* 11, 37, 87. Homo crescit in longitudinem ad annos usque ter septenos: tum deinde ad plenitudinem. *Pl. in Suppos. Merc. post a.* 4. *sc.* 5. Par est aetas: una crevimus, *h. e.* educati sumus. Sic *Justin.* 12, 16. Alexander per quinquennium sub Aristotele doctore inclyto crevit. *Suet. Oth.* 1. Otho per gratiam Liviae, cujus in domo creverat, senator factus. *Ov. A. Am.* 1, 61. primis, et adhuc crescentibus annis. ℙ Translate. *Cic. Har. resp.* 21. *extr.* Crescebat in eos odium, a quibus, etc. *Id. Manil.* 15. Cum hostium opes, animique crevissent. *Curt.* 9, 9. Crescit ardor animorum. *Id.* 4, 12. *f.* Ne desperatio suis cresceret. *Quint.* 6, 1. Cum in aliis, tum maxime in hac parte debet crescere oratio. *Juven.* 14, 138. Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. *Cic. Att.* 2, 12. Crescit mihi materies scribendi. *Stat. Silv.* 4, 7, 43. Crescat infans in mores patrios. *Sil.* 3, 529. Crescit labor. *Ov. Pont.* 4, 2, 36. Laudata virtus crescit. *Id. Fast.* 2, 1. Cum carmine crescit et annus. *Id. ib.* 2, 731. Studiis certamina crescunt. *Justin.* 13, 3. Crescit seditio. *Virg. Ecl.* 7, 25. Pastores hedera crescentem ornate poetam, *h. e.* qui doctior fit, vel cujus gloria in dies augetur. *Nep. Alc.* 7. Qua ex re creverat ejus fama cum opibus. *Id. Att.* 10. Ad extremam aetatem amicitia eorum crevit. *Id. ib.* 21. Dignitate, gratia, fortunaque crescere. *Id. Cat.* 2. Virtutum laude crescere. [*Lucr.* 6, 341. Mobilitatem etiam atque etiam quae crescit eundo.] ℙ Absolute eleganter significat dignitate, auctoritate, vel opibus ad ampliorem statum ascendere. [*V. *Intprr.* ad *Ov. Ep.* 15, 117.] *Cic. Rosc. Am.* 30. Si liberet accussare, accusarem eos, ex quibus possem crescere. *Id. Cluent.* 28. Crescere ex invidia alicujus. *Id. Verr.* 2, 5, 67. *extr.* Si videor de uno isto voluisse crescere; isto absoluto, quod sine multorum scelere fieri non potest, de multis mihi crescere licebit. *Liv.* 35, 19. Si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere libet, aliam materiam crescendi, quam ex me, quaerant. *Id.* 21, 7. In tantas brevi creverant opes. *Justin.* 2, 6. A sordidis initiis ad summa crevere. *Ov. Her.* 15, 117. Gaudet, et e nostro crescit moerore Charaxus. *Senec. ep.* 34. Cresco et exsulto, et discussa senectute recalesco, quoties, etc. *Petr. fragm. Trag.* 38. *Burm.* De nihilo crevit, i. e. ex nihilo dives factus est. ℙ Illa mere poetica sunt *Silii* 14, 301. de turri: tabulata decem cui crescere Grajus Fecerat, *h. e.* surgere, extolli. Et *ib.* 309. Perque altam molem, et toties crescentia tecta Scandit. Et *Lucan.* 9, 841. Nam neque congestae struxere cubilia frondes, Nec culmis crevere tori. Et 3, 534. Ordine contentae gemino crevisse Liburnae. Et *Stat. Th.* 12, 110. molles planctu crevere lacerti, *h. e.* intumuere. Et rursus *Silii* 1, 176. quantum tormenta jubebant, Creverunt artus, *h. e.* torti atque extenti sunt. [*His addi possunt ll. ex *Sil.* 1, 642. Crescit in armis, i. e. semper majora audet. *Id.* 15, 216. Admoto crescebant culmina gressu, i. e. propius accedentibus altiora apparebant.] ℙ *Cresse* pro *crevisse* est ap. *Lucr.* 3, 684. ℙ Supinum *cretum*, et part. *creturus* in hoc verbo non sunt, quod sciam, in usu: sed in *cerno*. At *cretus*, quod vide suo loco, videtur esse participium verbi *Cresco*.

*CRESPULUS, a, um, adj. *Gloss. Gr. Lat. ὀρθρινὸς*, matutinus, crespulus. *B. A.*

CRESSA, ae, adj. quae est ex Creta, Cretensis. *Propert.* 4, 7, 57. Cressa mentita, *h. e.* Pasiphae uxor Minois regis Cretae. *Ov. Am.* 1, 7, 16. perjuri promissaque, velaque Thesei Flevit praecipites Cressa tulisse Notos, *h. e.* Ariadne Cretensis. *Id. A. Am.* 1, 327. Cressa Thyesteo si se abstinuisset amore, *h. e.* Aerope. *Id. ib.* 758. Cressa Corona, *h. e.* Corona Ariadnes. *Sidon. carm.* 7, 200. gemino flagrans Cressa furore, *h. e.* Phaedra filia Minois regis Cretae. *Claud. II. Cons. Stilich.* 300. Cressae canes. (V. LACO.) *Prop.* 2, 1, 63. Cressae herbae, *h. e.* dictamnus, quae optima in Creta nascitur, ut *Serv.* ad *A.* 12, 412. docet. *Virg. G.* 3, 345. Pharetra Cressa. *Hor. Od.* 1, 36, 10. Cressa nota, *h. e.* cretae nota, seu creta alba ex Creta, qua fausta quaeque notabantur. *Pers.* 5, 108. Illa prius creta, mox haec carbone notasti. *Hor.* ipse *Sat.* 2, 3, 246. satin' creta, an carbone notati. Ita *Bentlejus.* [*V. *Heindf.* ad h. l. qui non frustra contra *Bentl.* disputat.] *Hard. in notis et emend. n.* 116. ad *Plin.* 7. contendit, *Cressam notam* esse vinum Creticum, ea ratione, qua *nota Falerni* dicitur ab eodem *Hor. Od.* 2, 3, 8. etc. Alii aliter.

CRESSĬUS, a, um, adj. Cretensis. *Virg. A.* 4, 70. Cressia nemora. *Id. ib.* 8, 294. prodigia, *h. e.* taurum furore a Neptuno percitum, Cretam devastantem. (V. CRETAEUS.) *Ov. Ib.* 512. turba. *Id. Her.* 16, 299. regna. *Stat. Th.* 12, 582. tecta. ℙ [*Scribitur et *Cresius. B. A.*]

CRĒTA, ae, et *Graeca terminatione* Crete, es, f. *Candia*, *Κρήτη*, insula grandis maris Mediterranei, quam ab septentrione mare Aegaeum et ab ipsa denominatum Creticum alluit, a meridie Africum, ab oriente item Creticum; olim centum urbibus potens, unde *Ἑκατόμπολις* dicta est: celebris etiam Ida monte, cunis Jovis, et sepulcro, Corybantibus, Minoe rege, Europae adventu, Ariadnae et Pasiphaes amoribus, labyrintho, Minotauro, Daedali ausis et fuga: item coeli mira temperie, et celeberrimo vino, ob id *Μάκαρος* dicta, et quod praeter phalangium nulla noxia animalia gignere credita est. Primum Aeria, *Ἀερία* est appellata, deinde Crete a Nympha cognomine, vel a rege Curetum. *Virg. A.* 3, 104. Creta Jovis magni medio jacet insula ponto, Mons Idaeus ubi, etc. *Ov. Her.* 10, 67. Non ego te, Crete, centum digesta per urbes, Aspiciam, puero cognita terra Jovi. Adde *Plin.* 4, 12, 20. et *Mel.* 2, 7. ℙ [*De Crete nympha praeter locum Plinii citatum, V. *Martian. Capell.* 6. *med.* p. 140. *Vulcan. B. A.*]

CRĒTA, ae, f. *χιμωλία γῆ*, *κέραμος*, genus terrae tenacis, variorum colorum, sed praecipue albae. *Cato R. R.* 39. Creta cruda. Varia ejus genera enumerat *Plin.* 35, 17, 57. ℙ Inter varios ejus usus, maxime adhibita est poliendis togis et dealbandis. *Pl. Aul.* 4, 9, 6. Qui vestitu, et creta occultant sese, etc. ℙ Item fucandae faciei mulierum. *Hor. Epod.* 12, 10. neque illi Jam manet humida creta, colorque Stercore fucatus crocodili. Adde *Petr. Sat.* 23. et *Mart.* 6, 93. et 8, 33. ℙ Item apud quosdam populos, litteris obsignandis. *Cic. Flacc.* 16. et *Verr.* 2, 4, 26. ℙ Item ad signandam metam in Circo, ut esset conspicua. *Plin.* 8, 42, 65. Peracto legitimo cursu, ad cretam stetere. Alii leg. *metam.* V. CRETATUS. ℙ Item faciendis testis: unde *figularis creta* memoratur a *Plin.* 14, 20, 25. et 31, 3, 28. et *Colum.* 3, 11. ℙ Item pingendis pedibus servorum venalium trans mare advectorum. *Plin.* 35, 17, 57. ℙ Praeterea creta alba signare mos fuit, quae prospera erant, et probanda; sicut carbone, quae contra. *Hor. Sat.* 2, 3, 246. *Pers.* 5, 108. V. in CRESSA. ℙ De variis ejus usibus in medicina, V. *Plin. l. c.* ℙ *Creta candida fossicia*, qua *Varr. R. R.* 1, 7. narrat in Gallia ad Rhenum stercorari agros, videtur fuisse illa, quam *Plin.* 17, 6, 4. *margam* vocat, Itali *marna.* ℙ Porro *creta* ab insula Creta dicta fuisse videtur (quod et *Isid.* docet *Orig.* 16, 1.): vel quia optima inde advehebatur: vel quia ex proximis locis, maxime ex Cimolo: vel quia, undecumque adveniret, a Cretensibus negotiatoribus importabatur: quod satis esse potuit, ut eam appellationem initio caperet. V. *Bentlej. l. c.* in CRESSA *f.*

CRĒTĀCĔUS, a, um, adj. ad cretam pertinens. *Plin.* 18, 9, 20. *n.* 1. Siligo cretacea. *h. e.* vel cretae admixta, ut candidior sit, vel candore similis cretae: sed prior interpretatio praeferenda; nam *Id.* 18, 11, 29. *n.* 2. Alicae admiscetur creta, quae transit in corpus, coloremque et teneritatem affert.

CRĒTAEUS, a, um, et

CRĒTĀNUS, a, um, adj. Cretensis, ad Cretam insulam pertinens. *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 73. Arabas, Caras, Cretanos, Syros. *Ov. Amor* 3, 10, 25. Ida Cretaea. *Id. Met.* 7, 434. Cretaeus taurus, *h. e.* taurus ille furiosus ab Hercule domitus, et ex creta abductus in Atticam, ibique a Theseo interfectus. *Virg.* tamen *A.* 8, 294. ab ipso Hercule mactatum facit. V. ibi *Servium.* Fabulantur de hoc tauro, cum optavisset Minos, Neptuno sacra facturus, victimam illo dignam, Neptunum ei taurum mirae speciei obtulisse, quo delectatus Minos, cum servare vellet, Neptunus tauro furorem immisit, quo totam Cretam devastavit. Missus eo Hercules ab Eurystheo, domuit, et ad illum abduxit, ut dictum est: sed cum ibi quoque fureret, et perderet omnia, a Theseo demum occisus fuit. ℙ Cretaeus juvencus ap. *Propert.* 3, 17, 11. est, cum quo Pasiphae in Creta concubuit.

CRĒTĀRIUS, a, um, adj. ad cretam pertinens. *Varr. L. L.* 7, 30. Taberna cretaria, *h. e.* ubi creta venditur. *Inscr.* ap. *Grut.* 641, 3. et 4. Negotiator artis cretariae. Alia ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 177. Negotiator cretarius. Male quidam leg. *retarius*, quasi sit qui retanda flumina conducit. [*Fiebat negotiatio cretaria ex credifodinis Britannicis. Cf. *Plin.* 17, 6. *Varr. R. R.* 1, 7. laudat haec *Orell.* ad h. *inscr.* quae legitur 2029.]

CRĒTĀTUS, a, um, adj. creta inspersus, ut *Cretati pedes*, qui creta erant dealbati, quales solebant esse servorum pedes, qui trans mare venales advehebantur, *Plin.* 35, 18, 58. et Cretatae fasciae, *Cic. Att.* 2, 3. [*de his v. in *Fascia.*] et Cretata mappa, *Mart.* 12, 29. ℙ Cretata ambitio, dicitur a *Pers.* 5, 177. quia qui ad honores aspirabant, albas, candidasque vestes induebant, unde *Candidati dicti.* ℙ Ap. *Mart.* 2, 41. cretata Fabulla. ℙ Ap. *Juven.* 10, 66. cretatus bos, *h. e.* creta dealbatus, atque ornatus in victimam.

CRĒTENSIS, e, adj. *Κρῆς*, qui est ex Creta insula, Cres, Cressa. *Cic. Phil.* 5, 5. Cyda Cretensis homo audacissimus. Et *mox.* Cretensis judex. Et *N. D.* 3, 21. Juppiter Cretensis. ℙ *Cretenses*, *ium* sunt Cretae populi. *Nep. Annib.* 9. et *Liv.* 41, 25. et 37, 60. ℙ Praestabant in ea gente sagittarii, sicuti funditores in Balearibus. Itaque eorum magnus erat usus in militia. *Liv.* 37, 41., *Curt.* 4, 13., *Vell.* 2, 34. etc. ℙ Habiti sunt mendacissimi. *Ov. Amor.* 3, 10, 19.

CRĒTERRAE (*vel* Creterae) vocabulum trahitur a cratere, quod est vas vini. *Festus.* V. CRATER.

CRĒTĔUS, a, um, adj. cretaceus. *Lucr.* 4, 296. ut si prius, arida quam sit Cretea persona, alli-

dat pilaeve, trabive. Al. leg. *Cerea.* Al. *Cressam personam.* [*Eichstadt.* Vulg. servat.]

CRETHĒĬUS, a, um, adj. ad Cretheum pertinens. *Val. Fl.* 8, 112. dictis fidens Cretheia proles, *h. e.* Iason nepos Crethei. *Id.* 2, 612. Cretheia virgo, *h. e.* Helle filia Athamantis, cujus frater fuit Cretheus.

CRĒTHEUS, i, et eos, m. disyllab. Κρηθεύς, filius Aeoli, frater Athamantis patris Phryxi et Helles, pater Aesonis, cui filius fuit Iason. Habuit uxorem Demodicen, quae cum Phryxi amore capta esset, neque quidquam ab eo obtineret, eum apud maritum accusavit, tanquam vim sibi inferre voluisset. Cretheus cum fratre Athamante egit, ut Phryxum supplicio afficeret. Phryxus iram patris effugiens, ariete aureo in Colchidem vectus est. *Hygin. Astron.* 2, 20. Meminit hujus Crethei etiam *Val. Fl.* 1, 42. et 5, 477.

CRĒTHĪDES, ae, m. Κρηθείδης, Iason nepos Crethei. *Val. Fl.* 6, 609. Nec sua Crethiden latuit Dea.

CRETHMOS, i, f. κρῆθμος, et κρίθμος, herba silvestris, edulis tamen, caule palmum alto, semine ceu libanotidis, rotundo, odorato, nucleum intus habente candidum, folio pingui, albicante, velut olivae, crassiore, salsique gustus, radice terna aut quaterna, digiti crassitudine. Estur cruda vel cocta cum olere, odorati saporis, et jucundi; servatur etiam in muria. Haec ex *Plin.* 26, 8, 50. a quo dicitur 25, 13, 96. et 26, 10, 61. crethmos agrios.

[CRĒTĬCE, es, f. herba eadem ac hibiscus, sic appellata a patria. *Appul. Herb.* 38. et 62. Alia videtur esse ea, quam *Plin.* 25, 8, 54. vocat Creticam, quae etiam clematitis vocatur. *F.*]

CRĒTĬCUS, a, um, adj. Cres, Cretensis, Κρητικός. *Hor. Od.* 1, 26, 2. Creticum mare. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. Creticus labyrinthus. *Id.* 14, 9, 11. Creticum vinum. *Flor.* 3, 7. bellum. ℙ Creticus cognominatus est Q. Caecilius Metellus ob Cretam insulam subactam redactamque in provinciam. *Vellej.* 2, 34. et 38., *Flor.* 3, 7. ℙ Item M. Antonius triumviri pater, quod in Creta mortuus est, bello Cretensibus infeliciter illato: itaque non honoris, sed ludibrii causa, eo cognomine oneratus. *Flor. ib.* et *Plutarch. in Anton.* ℙ *Creticus* pes metricus, qui et *amphimacrus*, constat tribus syllabis, quarum media brevis est, longae ceterae, ut *vastitas*, *nobiles*, ut *Cic. Or.* 3, 47. docet. Nomen habet ex eo, quod Cretes saltando ejus rhythmica compositione utebantur, ut docet *Diom.* 3, 475. ℙ *Creticus versus* est, qui plures habet pedes Creticos, quale est *Alma lux roscida prima flamma nitens. Id. ib.* p. 513. ℙ *Creticus sinus* ap. *Senec. Q. N.* 3, 29. idem esse videtur, quod mare Creticum, quo ab septentrione Creta alluitur.

CRĒTĬFŌDĪNĂ, ae, f. locus, ubi creta effoditur. *Ulp. Dig.* 7, 1, 13. §. 5. et 24, 3, 7. §. 14.

CRĒTĬO, onis, f. actus cernendi hereditatem, et spatium temporis, quod datur extraneo heredi ad deliberandum, utrum adeat, necne, ea ratione, qua in CERNO dictum est. Quadruplex vero ea est, vulgaris, continua, simplex, et libera. *Cajus Inst.* 2. (ed. iterum *Goesch.*) §. 7. Vulgaris cretio vocatur, in qua nulli dies computantur, nisi quibus scierit quisque, se heredem esse institutum, et possit cernere. (V. CERNO.) Continua seu certorum dierum, quae certo tempore constringitur; tolerabile autem tempus visum est centum dierum; potest tamen nihilominus jure civili aut longius, aut brevius tempus dari; longius tamen interdum praetor coartat. Haec *Cajus l. c.* Simplex, de qua *Cic. Att.* 11, 12. *extr.* Galeonis hereditatem crevi: puto enim cretionem simplicem fuisse, quoniam ad me nulla missa est, *h. e.* simplicem mei unius, puto me unum cum cretione heredem institutum fuisse: reliquos heredes sine cretione: quoniam nemo alius ad me misit, ut secum cernerem. Ita *Popma. Manut.* interpretatur, sine coheredibus, ut solus ego heres relictus sim. Libera, de qua *Id. Att.* 13, 46. Ex eo cognovi cretionem Cluvii (o Vestorium negligentem!) liberam cretionem, testibus praesentibus, sexaginta diebus, *h. e.* sine ullo alio onere, quia Cluvius nihil cuiquam homini, aut quiquam rei a Cicerone legaverat. Ita *Manut.* ℙ Translate. *Plin.* 2, 26, 24. *de Hipparcho astronomo.* Coelo in hereditatem cunctis relicto; si quisquam qui cretionem eam caperet, inventus esset. [*Plura de suis h. l. addidit. *F.* Ceterum cf. *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v. et quos ibi laudat.]

CRĒTIS, idis, f. Κρηΐς, Cressa. *Ov. Fast.* 3, 444. Stat quoque capra simul: Nymphae pavisse feruntur Cretides: infanti lac dedit illa Jovi.

CRĒTŌSUS, a, um, adj. creta abundans. *Ov. Met.* 7, 463. cretosaque rura Cimoli. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 1. et *Varr. R. R.* 1, 9. Cretosa terra. *Cato R. R.* 8. et *Plin.* 15, 18, 19. Cretosus locus.

CRĒTŪLĂ, ae, f. dim. a *creta. Cic. Verr.* 2, 4, 26. Cum epistola Agrigento allata esset, casu signum iste animadvertit in cretula. *scil* qua epistola obsignata erat, ut in CRETA diximus. *Plin.* 35, 7, 31. Ex omnibus coloribus cretulam amant, udoque illini recusant purpurissum, Indicum, caeruleum, *h. e.* creta sicca, non udo tectorio induci amant.

[CRĒTŪLENTUM, i, n. a creta, ut lutulentus a luto. Videtur hoc verbo significari aqua creta, vel luto saturata, quae ab amnibus deducitur ad paludes, sive lacunas exsiccandas. *Lex* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 70. *in qua de aquis sermo est:* Neve cretulentum exegisse velit, nisi in duabus lacunis prius emet. etc. *F.*]

CRĒTŪRĂ, ae, f. frumenti alicujus purgamentum, quod cribro secernitur, et altilibus pro pabulo dari solet: a supino *cretum* verbi *cerno*, quod et cribro purgare significat. *Pallad.* 1, 24. Triginta columbis volantibus diurni tres sextarii tritici sufficient, aut creturae.

CRĒTUS, a, um, part. procreatus: a *creatus* per syncop., si significationem spectes; a *cresco*, si analogiam. *Varr. L. L.* 6, 2. *med.* Titanis dicta, quod eam genuit Titani filia Latona, ut scribit Manlius, creta Titano. *Virg. A.* 9, 672. Pandarus et Bitias Idaeo Alcanore creti. *Id. A.* 4, 191. Venisse Aeneam Trojano a sanguine cretum. *Ov. Met.* 4, 606. ab origine cretus eadem. *Auct. carm.* cui titulus, *Laudes Herculis*, 76. Chimaerea cretum de gente leonem. *Manil.* 5, 299. ille pater tali de sidere cretus Esse potest, *h. e.* natus sub sidere tali. *Lucr.* 5, 6. Nemo, ut opinor, erit, mortali corpore cretus, *h. e.* qui natus sit corpore mortali: vel qui filius sit mortalis hominis. Et *ib.* 60. Animi natura nativo corpore creta, *h. e.* facta ex ipso corpore. ℙ Item a verbo *cerno*, cribro purgatus. *Pall.* 12, 22. Cineris bene creti quantum manus utraque gestabit.

CREŪSĂ, ae, f. Κρέουσα, Creontis Corinthiorum regis filia fuit, quam Iason, repudiata Medea, uxorem accepit, quamobrem Medea indignata carminibus suis ignem inexstinguibilem scriniolo inclusum per filios suos Creusae muneris loco misit: filios vero praemonuit, ut statim oblato munere discederent. Creusa igitur videndi cupida, nihilque mali suspicans, scriniolum aperuit, et continuo evolavit ignis, Creusamque, et totam Creontis regiam exussit. *Hyg. fab.* 25., *Ov. Ib.* 606. et *Plin.* 2, 105, 109. coronam fuisse dicunt: itaque illud incendium *coronales flammas* appellat *Appul. Met.* 1. At *Hor. Epod.* 5, 65. pallam, tabo munus imbutum. Denique *Senec. Med.* 570. pallam, et monile aureum. ℙ Alia fuit Priami, et Hecubae filia, Aeneae conjux, cui Ascanium filium peperit. Hanc in excidio Ilii ab Aenea, qui fugiens patrem humeris gestabat, filiumque manu ducebat, perditam in itinere, cum vias notas excessisset, habetur apud *Virg. A.* 2. a *v.* 735. Nonnulli eam ab ipso Aenea, ex pactione cum Graecis facta, occisam volunt, ne quis ex semine Priami superesset. Verum his refragatur historia de Heleno et Cassandra liberis Priami, quos Graeci captivos abduxerunt. ℙ [Est et cogn. Rom. ex part. κρέουσα, imperans, quod a κρέω, impero. *Inscr.* ap. *Grut.* 884, 10. Pompeja Creusa. *F.*] ℙ Est etiam oppidum Boeotiae, Thespiensium emporium in intimo sinu Corinthiaco. *Liv.* 36, 21. *Adde 42, 56. et 44, 1. *Creusis* appellatur a *Mela* 2, 3. *med. B. A.* [*Gr. Κρεῦσις. *Strab.* 8. p. 282. s. 409. Κρεοῦσα. Navigationem inde in Peloponnesum periculosam esse affirmat. *Pausan.* 9, 32.]

[*CREUSIS, idis, opp. V. v. praec.]

*CREXA, ae, insula prope Liburniam, in Sinu Flanatico. *Plin.* 3, 21. *B. A.*

*CRIATON, i, Aegypti opp., ad Moeridem lacum. *Plin.* 5, 9. ubi *Hard.* conjicit *Crocodilōn* (Κροκοδείλων πόλις.) *B. A.*

CRĪBELLĀTUS, a, um, adj. cribello secretus. *Pallad.* 1, 41. Sevum liquefactum cribellato cineri admixtum. Adde *Apic.* 1, 5.

*CRIBELLO, as, a. 1. cribro. *Theod. Prisc.* 1, 17. Crabrones contusos terere et cribellare. *B. A.*

CRĪBELLUM, i, n. diminut. parvum cribrum, κοσκίνιον. *Pallad.* 3, 24. Nitrum tritum cribello desuper spargas. Et 7, 11. Cribello spisso cernere, ut grana non transeant.

CRIBRĀRIUS, a, um, adj. ad cribrum pertinens. *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 3. de alica. Item cribraria, quae in tertio remansit cribro angustissimo.

*CRIBRARIUS, i, m. Κοσκινοποιὸς *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

CRIBRĀTUS, a, um, adj. κεκοσκινισμένος, cribro purgatus. *Colum.* 12, 51. Aromata non cribrata, verum leviter confracta. *Plin.* 20, 24, 100. Haec tusa cribrataque vino digeruntur in pastillos. *Id.* 17, 11, 15. Cribrata minutatim terra. *Id.* 11, 24, 28. Cribrata tela aranei, *h. e.* in modum cribri texta. V. CREBRATUS.

CRIBRO, as, avi, atum, a. 1. κοσκινίζω, cribro secerno, purgo. *Plin.* 25, 5, 23. Incisum forficulis helleborum cribrant. *Id.* 34, 10, 22. Cribrare aliquid linteo. Et 33, 5, 26. Cribrare aliquid tenuius. Adde *Colum.* 12, 49. *Hieron. ep.* 22. *n.* 4. Diabolus ad cribrandos Apostolos expetit potestatem.

CRĪBRUM, i, n. κόσκινον, instrumentum crebris et minutis foraminibus pertusum, ex pellibus perforatis, vel lino, aut setis, aliave materia contexta, quo frumenta, farinae, et alia cernuntur et purgantur. [Etymon vocis alii ducunt a *cretum*, quod a *cerno*, alii a *creber*, alii denique ab Hebr. כְּכָרָה *chebara*, cribrum. *F.*] *Cic. Div.* 2, 27. Quasi quidquam intersit, mures scuta, an cribra corroserint. *Pl. Rud.* 1, 2, 14. Villa perlucet, quam cribrum, crebrius. *Colum.* 8, 5. *med.* Cribro viciario, vel loliario, qui jam fuerit in usu, pulli superponantur. *Cato R. R.* 76. Cribrum farinarium purum sumito, caseumque per cribrum facito transeat. *Ov. Met.* 12, 437. utque liquor rari sub pondere cribri Manat, et exprimitur per densa foramina spissus. *Plin.* 18, 11, 28. Cribrorum genera Galli e setis equorum invenere, Hispani e lino excussoria et pollinaria, Aegyptus e papyro atque junco. *Appul. Met.* 8. Cribrum ruderarium. *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 3. Cribro farinario subcernere. Et *mox.* Cribro arctiore cernere. Et *mox.* Cribro angustissimo, et tantum arenas transmittente. *Id. ib.* 27. Summa laus siliginis bonitate, et cribri tenuitate constat. *Id.* 28, 9, 39. Medullae per cribrum liquatae, per lintea exprimuntur. *Pers.* 3, 112. Cribro decussa farina. ℙ Joculariter *Pl. Most.* 1, 1, 52. O carnificum cribrum, quod credo fore. Ita te forabunt patibulatum per vias stimulis. ℙ *Cribro aquam ferre* proverbio dicitur pro operam perdere, frustra laborare. *Pl. Ps.* 1, 1, 100. Non pluris refert, quam si imbrem in cribrum geras. *Plin.* 28, 2, 3. et *Val. Max.* 8, 1. *n.* 5. miraculo narrant de Tuccia Vestali incesti rea, quae fisa conscientia aquam e Tiberi cribro hausit, et ad judices attulit.

[CRĪGĀLO, onis, m. fortasse stridens, a κριγή, stridor. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 544, 10. Ti. Julius Crigalo. *F.*]

CRĪMEN, inis, n. αἰτία, διαβολή, ἔγκλημα, accusatio, culpa, delictum, quo quis accusatur, atque in judicium adducitur: a κρίμα, judicium, damnatio: vel est id, quod in judicium defertur, ut de illo cernatur, quasi *cernimen.* Ex hac vero notatione recte deducitur compositum *discrimen*, *h. e.* id, quo res una ab alia discernitur. Differt a *delicto*, tum quia *crimen* est fere publicum, ut majestatis, caedis, falsitatis etc.; *delictum* vero plerumque privatum, ut furti, injuriae etc. Praeterea, si propriam verbi vim spectes, *delictum* est, cum quid, quod fieri debuit, omittitur: *crimen* et quae committuntur contra leges, et quae omittuntur, amplectitur: tametsi neutrum discrimen perpetuum est. *Cic. Div. Verr.* 12. Putasne, te posse, quae C. Verres in quaestura, quae in legatione, quae in praetura, quae Romae, quae in Italia patrarit, ea, quemadmodum locis, temporibusque divisa sint, sic criminibus et oratione distinguere? *Nep. Epam.* 7. Cum criminibus adversariorum omnes in invidiam venissent. [*Cf. *Drak.* ad *Liv.* 6, 15.] *Liv.* 7, 5. Esse causam invidiae atque criminum alicui. *Cic. Coel.* 25. Et haec causa est horum omnium scelerum atque criminum. *Id. ib.* 30. Quo enim illi crimine peccatoque perierunt? *Nep. Timoth.* 3. Ob eam rem in crimen vocabantur, *h. e.* accusabantur, in judicium vocabantur: ut sit omnino hic, quod Graecum κρίμα, supra allatum. Adde *Cic. Verr.* 2, 5, 50. *ad f.* Sic *Plin.* 22, 22, 46. Adducere aliquem in crimen. *Ter. Hec.* 3, 1. *extr.* Venire in crimen, *h. e.* accusari, venire in litem, ut *Donat.* exponit. *Tac. A.* 12, 22. Moliri crimina, *h. e.* parare accusationem. ℙ In usu ita adhibetur, ut haec duo quodammodo complectatur, culpam ipsam, et culpae objectionem, sive accusationem. *Cic. Verr.* 2, 5, 1. Criminibus avaritiae laudem imperatoriam obterere. *Id. Balb.* 25. Tum luxuriam, quae non crimine aliquo libidinis, sed communi maledicto notabatur. *Id. Quint.* 2. Falsum crimen, quasi venenatum aliquod telum jacere. *Id. Fl.* 14. Facere sibi crimen, *h. e.* contrahere. *Id. Rabir. Post.* 10. Postumo crimen vestitus afferet? *Id. Sull.* 24. Neque facinorum tantorum, tam atrocium crimen Sullae persona suscipit. *Id. Coel.* 7. Arcessere aliquem crimine ambitus. *Id. Verr.* 2, 1, 9. Convinci criminibus manifestis. *Id. Amic.* 18. Inferre crimina. *Id. Verr.* 2, 4, 45. Damnari aliquo crimine. Et *ib.* Esse in crimine, [*i. e. auctorem facinoris haberi.] *Id. Verr.* 2, 5, 18. Quempiam aliquo crimine arguere. *Id. Ligar.* 1. Deferre crimen. *Suet. Claud.* 16. movere alicui majestatis. *Liv.* 9, 26. intendere in aliquem. *Sall. Cat.* 35. Falsis criminibus aliquem circumvenire. *Cic. Sull.* 4. Propulsare crimen conjurationis. Et *ib.* defendere. Et *ib.* 24. dissolvere. *Quint.* 4, 2. *med.* et *Curt.* 3, 6. diluere. *Cic. Verr.* 2, 5, 29. Dare crimini alicui, pecuniam accepisse. [*Quint. Decl. 102. p. 586. Crimen dare alicui: eadem significatione.] *Auct. ad Her.* 4, 36. Apertissimas res crimini dare. *Cic. Rosc. Am.* 17. Vita rustica, quam tu probro et crimini putas esse oportere. *Id. Fam.* 7, 3. *sub f.* Sunt qui criminis loco putent esse, quod vivam. *Id. Or.* 2, 48. Ponere aliquid alicui

in nefario crimine, atque in fraude capitali. *Suet. Ner.* 35. Occidere aliquem sub crimine adulterii. [*Id. Aug.* 71. Ex quibus sive criminibus sive maledictis, infamiam impudicitiae facillime refutavit et praesentis et posterae vitae castitate. *Brem.* ad h. l. ita *crimina* et *maledicta* differre docet, ut hoc criminationes significet sedulo factas, calumniandi causa; illud ad culpae objectiones, sive accusationes referatur, quas vel jure aliquis inferat, vel merito quidem inferre putet.] ℙ *Donat.* ad *Ter. Hec.* 5, 2, 13. docet, crimen proprie dici id, quod falsum est: (sic enim ibi legendum, non *factum*, ut et *Burm.* monuit ad *Quint. decl.* 379.) atque huc pertinere ait illa verba *Ciceronis:* Veruntamen fac, tametsi criminosum id est, *h. e.* falsa insimulatio est. ℙ Sumitur etiam universim pro delicto, culpa, scelere. *Hor. Sat.* 1, 3, 60. Cum genus hoc inter vitae versemur, ubi acris Invidia, atque vigent ubi crimina. *Ov. Trist.* 2, 306. Vetiti criminis reus. *Val. Fl.* 4, 430. tales pro crimine poenas Perpetitur. Adde 5, 658. [**Tibull.* 3, 4, 83. Nec tantum crimen pectore inesse tuo. ℙ *Crimen habere* ap. *Tibull.* 1, 6, 41. Quisquis et occurret, ne possit crimen habere, stet procul: *h. e.* in suspicionem venire.] ℙ Item aliquando specialiter pro adulterio, aut stupro. *Ov. Met.* 9, 24. Juppiter aut falsus pater est, aut crimine verus. *Sil.* 6, 634. Fabium de crimine laeto Procreat. ℙ Item pro causa, praetextu. *Virg. A.* 7, 339. Disjice compositam pacem: sere crimina belli. ℙ Translate. *Id. A.* 2, 65. crimine ab uno Disce omnes, *h. e.* ab uno homine criminoso et scelesto. Sic *Tac. A.* 1, 55. Crimina, et innoxios discernere. *Val. Fl.* 1, 695. medioque in crimine patrem Liquerit, ac nullis inopem vallaverit armis, *h. e.* inter homines scelestos. *Virg. A.* 12, 600. Se causam clamat, crimenque, caputque malorum, *h. e.* cujus culpa eveniant mala. *Lucan.* 5, 59. Fortunae, Ptolemaee, pudor, crimenque Deorum, *h. e.* propter quem Dii incusantur. Sic *Ov. Trist.* 9, 25. Nec tua te sontem tantummodo saecula norint: Perpetuae crimen posteritatis eris, *h. e.* accusaberis dammaberisque ab omni posteritate, [**Prop.* 2, 28, 2. Jupiter — Tam formosa tuum mortua crimen erit, i. e. vitio tibi vertetur, si moriatur.] *Id.* 2, 5, 26. Tum paries nullo crimine pictus erat, *h. e.* nullis illicitis amoribus. *Plin.* 20, 9, 35. Crimina brassicae sunt, animae gravitatem facere, dentibus et gingivis nocere. *Mart.* 10, 61. Hic festinata requiescit Erotion umbra, Crimine quam fati sexta peregit hiems. ℙ Per metonymiam est dedecus, infamia, quae ex crimine nascitur. *Prop.* 4, 4, 41. Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis! *h. e.* dedecus allatura. *Facere crimen*, ut *facere injuriam*, *bellum*. [*Huc pertinere videtur etiam alius ejusd. poetae locus 1, 11, 30. Ah pereant Bajae crimen amoris aquae. Ita vocantur *aquae Bajae*, quod amorem polluunt et criminosum reddunt, dum faciunt, ut peccent puellae.]

CRĪMĬNĀLIS, e, adj. ἐγκληματικός, ad crimen pertinens. *Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 9, 41, 15. Interrogari servos de facto suo, non solum in criminali causa, sed etiam in pecuniaria, posse, non ambigitur. *Imp. Gord. ib.* 3, 35, 3. Tam legis Aquiliae, damni sarciendi gratia, actionem, quam criminalem accusationem adversus obnoxium competere.

CRĪMĬNĀLĬTER, adv. ἐγκληματικῶς, crimen inferendo, et in judicium pertrahendo, ut praeter satisfactionem leges publice vindicentur, et reus puniatur: cui opponitur *civiliter*, cum privatim aliquid judicio persequimur, ut jus nostrum obtineamus sine alia poena reo infligenda. *Ulp. Dig.* 47, 2. *ult.* Meminisse oportebit, nunc furti plerumque criminaliter agi etc. non ideo tamen minus is, qui velit, poterit civiliter agere.

CRĪMĬNĀTĬO, onis, f. διαβολή, ἔγκλημα, accusatio, crimen. *Cic. Agr.* 3, 1. *extr.* Illa criminatione, qua in me absentem usus est, non solum meam, sed etiam vestram diligentiam, prudentiamque despexit. *Id. Rosc. Com.* 13. Criminatio tua quae est? Roscium cum Flavio pro societate decidisse. *Id. Amic.* 18. Ab aliquo allatas criminationes repellere. *Id. Or.* 2, 79. Falsa criminatio. *Liv.* 7, 5. Criminationibus irritare animum alicujus. *Suet. Caes.* 55. Purgare se adversus criminationes obtrectatorum.

CRĪMĬNĀTOR, oris, m. διάβολος, qui criminatur. *Pl. Bacch.* 4, 7, 28. Cum illum rescisses criminatorem meum, quanto in periculo siet. *Tac. A.* 4, 1. Animus audax, sui obtegens, in alios criminator.

CRĪMĬNĀTUS, a, um, part. dep. significationis activae. V. CRIMINOR. ℙ Passive. *Hyg. Astr.* 2, 18. Alii non criminatum ab Antia, sed, ne saepius audiret, profugisse dixerunt.

CRĪMĬNO, as, avi, atum, a. 1. διαβάλλω, accuso, criminor. *Pl. Ps.* 1, 5, 78. Herum ut servus suum criminaret apud herum. *Enn.* ap. *Non.* 7, 16. Nam is non bene volt tibi, qui falso criminat apud te. ℙ Passive. *Cic. Agr.* 3, 4. Sullanas res defendere criminor. Al. minus recte leg. *criminatur.*

CRĪMĬNOR, aris, atus sum, dep. 1. διαβάλλω, αἰτιάομαι, ἐγκαλέω, [*ἐλέγχειν.] crimen infero, accuso, incuso. *Cic. Rosc. Am.* 15. Quod benevolentia fit, id odio factum criminaris. *Id. Mil.* 5. Illae intermortuae conciones, quibus quotidie potentiam meam invidiose criminabatur. *Id. Off.* 3, 20. Q. Metellum apud populum Romanum criminatus est, bellum ducere. *Id. Planc.* 16. Libet enim tibi nescio quid etiam de illa tribu criminari. *Auct. ad Her.* 2, 30. Cum consideramus, illae res, de quibus criminamur, ad quos pertineant. *Curt.* 4, 1. Humilitatem inopiamque ejus apud amicos Alexandri criminabatur. *Hyg. Astron.* 2, 18. Verita, ne se ad regem criminaretur, occupat. *Ter. Eun.* 5, 2, 16. Hanc metui, ne me criminaretur tibi. *Auct. Dial. de Or. f.* Ego te poetis, Messala antiquariis criminabimur. *Suet. Cal.* 56. Criminari alterum alteri. *Plin. ep.* 6, 13. Senatusconsultum absenti principi criminari. ℙ [Part. *Criminans* ap. *Liv.* 2, 31. Milites extrahi rem criminantes. *Criminaturus* ap. *Quint. Decl.* 322. Quem criminaturus erat. *F.*] ℙ *Prisc.* 8, 790. refert hoc verbum inter communia, ut recte dici possit *criminor te*, et *criminor a te.* V. v. praec.

CRĪMĬNOSE, adv. ἐγκληματικῶς, accusatorie. *Liv.* 38, 43. Interrogando criminose ex composito. [**h. e.* ita, ut crimen probabile fiat.] *Cic. Brut.* 34. *extr.* Qui suspiciosius, aut criminosius diceret, audivi neminem. [*Laudat *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v. locum *Cic. Rosc. Am.* 20. dicens: *criminose dicere* esse cum possimus crimen non modo proponere, sed etiam augere et probabile reddere judicibus, ut non confictum, sed verum esse putent.] *Suet. Tib.* 53. Criminosissime aliquem insectari. *Sall. Jug.* 68. Criminose simul, et magnifice de bello loqui.

CRĪMĬNOSUS, a, um, adj. ἐγκληματικός, crimen inferens, accusatorius, obtrectatorius, maledicus. *Cic. Planc.* 19. Officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso. *Id. Sull.* 13. Mihi non videretur in hunc id criminosum esse debere. *Auct. ad Her.* 4, 40. Quo gravior, aut acrior, aut criminosior oratio sit. *Suet. Caes.* 75. Criminosissimus liber, [**h. e.* criminationibus plenus.[*Hor. Od.* 1, 16, 2. Criminosi iambi. *Liv.* 8, 12. *f.* Orationes criminosae in patres.

CRĪNĀLIS, e, adj. ad crines pertinens. *Ov. Met.* 4, 6. et 5, 617. Crinales vittae. *Id. Halieut.* 30. Polypus crinali corpore, *h. e.* brachia habens crinium instar, ut et *Plin.* 9, 29, 46. docet, et *crines* appellat. *Appul. Met.* 8. Acu crinali capite deprompta, Thrasylli convulnerat tota lumina. *Claudian. B. Gild.* 137. Crinales dentes, *h. e.* pectinis. *Id. Cons. Prob. et Olybr.* 85. Caesariem crinali stringere cultu. *Id. Rapt. Pros.* 1, 17. Crinalis hedera, *h. e.* qua Bacchus crines ornat. *Id. in Eutr.* 2, 284. Crinalis murus, *h. e.* turritum caput Cybeles. ℙ Absolute. *Ov. Met.* 5, 52. ornabant aurata monilia collum, Et madidos myrrha curvum crinale capillos, *h. e.* crinalis acus, quod et *discerniculum*, et *discriminalis acus* dicitur. V. ACUS. [*Adde *Eund. Pont.* 3, 3, 15. laud. *Gierig.*]

*CRĪNAS, ae, insignis medicus, Massiliensis, qui temporibus Plinii vixit. *Plin.* 29, 2. *B. A.*

*CRĪNĬCŬLUS, i, m. diminut. crinis. *Aldelm. Virg.* 24. Rasi criniculi. *B. A.*

CRĪNĪGER, a, um, adj. crines habens, crinitus, comatus, τριχωτός. *Lucan.* 1, 463. crinigeros bellis arcere Caycos. *In ed. *Cort.* impressum *cirrigeros — Caucos. B. A.*

CRĪNĪNUM Unguentum *Pomp. Dig.* 34, 2, 21. recenset inter illa, quibus ungimur non voluptatis causa, sed valetudinis. Significat autem unguentum e liliis factum. Nam lilium Graece κρίνον dicitur. *Plin.* 21, 5, 11. docet, genus lilii rubentis, a Graecis *crinon* vocari. Hujus porro unguenti vires multas in medicina enumerat 23, 4, 49.

CRĪNĬO, is, ivi, itum, a. 4. crines addo. Translate. *Stat. Silv.* 4, 5, 10. frondibus annuis crinitur arbos. *Id. Theb.* 4, 217. frondenti crinitur cassis oliva, Albaque puniceas interplicat infula cristas.

CRĪNIS, is, m. θρίξ, proprie dici videtur de coma in plures ordines divisa, et conserta: a κρίνω, secerno. Hinc *Festus*: Crines a discretione dicti, quam Graeci κρίσιν appellant. Nam iidem eos κριτίδας vocant. *Id.* in *Senis.* Senis crinibus nubentes ornantur, quod is ornatus vetustissimus fuit. ℙ [*Döderl.* 3, 11. docet: Quod discerni queant capilli, ex eo quidem necessario sequi non posse, ut *crines* a discretione, quam Gr. κρίσιν appellent, dictos accipiamus; neque κριτὸς, nusquam ap. gr. scriptores obvium, graecum sed latinum cum gr. terminatione esse vocabulum. At multo verisimilius hoc conjici, ut vv. *crinis* et *cernere* ab una origine deducantur, (creare, crevisse, crescere) eodem cognationis genere, quo gr. v. θρὶξ cum vv. τρέχειν, ἀναθρέχειν, ap. *Herodot.* sursum crescere, ad unum originationis fontem referri posse videantur. Hinc *crines* proprie dici, quatenus in corpore aliquo crescant. Plura v. ap. ipsum l. l.] ℙ Universim accipitur pro capillo, coma, caesarie. *Cic. Verr.* 2, 3, 33. Haec civitas mulieri redimiculum praebeat, haec in collum, haec in crines. *Caes. B. G.* 1, 51. Mulieres passis crinibus flentes implorabant etc. [**Liv.* 1, 13. In *lex. Liv.* haec adduntur: *Crinis passi*, i. e. parum compositi, qui quidem lugentium ac supplicum sunt; *sparsi* autem vaticinantium et furibundorum (V. *Huschkii* Analectt. *crit.* p. 81. K.)] *Id. B. C.* 3, 9. Praesectis mulierum crinibus, tormenta effecerunt. *Hor. Od.* 1, 32, 12. Nigro crine decorus. Et *Od.* 3, 14, 22. Myrrheum crinem nodo cohibere. *Id. ib.* 4, 11, 5. Crines religata fulges. *Id. ib.* 9, 14. Compti crines. *Stat. Theb.* 6, 173. Sternere crines, *h. e.* solvere, demittere, spargere. *Ov. Met.* 1, 542. Crinis sparsus. Et *ib.* 6, 161. Lauro crinem innectere. *Id. Amor.* 1, 11, 1. Colligere incertos, et in ordine ponere crines. *Id. Met.* 4, 311. Deducere pectine crines. Alii leg. *diducere. Juven.* 6, 489. Componere crinem. *Petr. Sat.* 102. Crines calamistro convertere. *Stat. Silv.* 2, 1, 122. adultum comere crinem. *Virg. A.* 12, 870. Infelix crines scindit Juturna solutos. Et *ib.* 2, 403. Trahere aliquem crinibus. Et *ib.* 10, 137. Fusos cervix cui lactea crines Accipit. *Id. ib.* 7, 418. induit albos Cum vitta crines. *Id. ib.* 4, 559. Flavi crines. *Id. ib.* 138. Crines nodantur in aurum. *Val. Fl.* 2, 103. tereti crinem subnectitur auro. *Id.* 6, 645. Intonsus crinis. *Sil.* 2, 558. disjectaque crinem Eumenis. ℙ *Pl. Most.* 1, 3, 69. Soli gerundum censeo morem, et capiundos crines, *h. e.* arripiendam occasionem: ut respiciatur ad Fortunam, quae fronte capillata, occipitio calva pingi solet. *Lipsius antiquar. lection.* 3, 1. censet, *crines capere* esse idem quod nubere: quod nuptae mulieres peculiari modo crines ornarent, ut ab innuptis distinguerentur. Quo faciunt verba *Festi* supra allata, *Senis crinibus* etc. et *Pl. Mil.* 3, 1, 195. Utique eam huc ornatam adducas matronarum modo, Capite compto, crines vittasque habeat, assimuletque se tuam esse uxorem. *Non.* 3, 77. legit *capiundas*, ut *crinis* sit etiam femin. gen., confirmatque auctoritate *Attae* in *Epigramm.* Dissoluta crine. ℙ Translate de variis rebus dicitur, quae crinium similitudinem habent. *Virg. A.* 5, 528. coelo ceu saepe refixa Transcurrunt, crinemque volantia sidera ducunt. *Plin.* 2, 25, 22. Candidus cometes argenteo crine. *Claud. IV. Cons. Honor.* 184. Stella crine retuso languida. *Val. Fl.* 1, 205. Protulit ut crinem densis luctatus in extis Ignis. *Plin.* 9, 29, 46. Polypi conchyliorum conchas complexu crinium frangunt. *Id.* 16, 42, 82. *de abiete.* Ramentorum crinibus pampinato semper orbe se volvens ad incitatos runcinarum raptus, quia crinium, seu cincinnorum more, statim ac desecti sunt, contorquentur. *Id.* 17, 21, 35. *n.* 6. Jugum (*vitium*) fit pertica, aut arundine, aut crine, funiculove. *Varr. R. R.* 1, 8. Jugorum genera fere quatuor, pertica, arundo, restes, vites. Et *mox.* Primum genus maxime quaerit salicta; secundum arundineta; tertium junceta, aut ejus generis rem aliquam; quartum arbusta, ubi traduces fieri possint vitium. Quod *Plin.* dixit *crinem*, id *Varro* appellat *vites.* Hoc enim loco *crinis* vel sumitur pro ordine crinium inter se consertorum, ut supra dictum est: et translate significat traduces vitium duos tresve consertos, quibus fit jugum, quo vites sustinentur: vel simpliciter pro ipsis vitium traducibus transversim extensis jugo faciendo: quia nempe sicut crines caput, ita illi vites obtegunt: quo sensu idem *Plin.* alio loco *crines* posuit, scilicet 17, 23, 35. *n.* 25. Vernacula putatio dejectis per ramos vitium crinibus circumvestit arborum, crinesque ipsos uvis.

CRĪNĪSĀTUS, a, um, adj. vox hybrida ex Graeco κρήνη, fons, et *satus* Latino. *Sidon. carm.* 22, 81. Hic et crinisatas jungebat Pegasus alas. *Crinisatas* dicit, quasi fonte genitas, quia equus ille alatus ideo Pegasus cognominatus est, οὐ ἀφ' Ἱππουκρήνης περὶ πηγὰς γένηται, quia circa fontes Oceani natus est, ut ait *Hesiod.* in *Theogon. v.* 282. Unde quodammodo fontium filius dici potest. Alii *alas crinisatas* interpretantur ex Pegasi crinibus natas. Al. leg. *Hippocrenisatas jungebat* etc. quasi ex Hippocrene fonte satas. Sed prior illa lectio rectior est, et commodior.

CRĪNĪSUS, seu Crinissus, vel Crimisus, i, m. Κρίνισος, et Κρίμισος, fluvius Siciliae, nunc *Bencidestro*, aliis *Freddo*, et *fiume di Bartolommeo*, non longe a Panormo oriens, et in mare Africum apud Segestam influens. *Virg. A.* 5, 38. Troia Criniso conceptum flumine mater Quem genuit. *Serv.* ad *A.* 1, 554. ait, verum nomen esse *Crimisus*, et poetica licentia *Crinisus* a Virgilio dici. *In *Nep. Timot.* 3. ed. *Bos* habet *Crimessum.* Edd. *Staver.* et *Heusing.* praebent Crimissum. *Hyg. fab.* 273. Acestem Crinisi fluminis filium. Ita edd. *Elzev.* et *Munk. B. A.* ℙ De eo talis narratur fabula. Laomedon Trojae rex promissam structorum moenium mercedem Neptuno et Apollini denegaverat. Iratus Neptunus cetos immisit, quod vicinam litori regionem vastaret. Trojani oracu-

lum interrogant de ratione ejus monstri avertendi. Responsum ferunt, objiciendas puellas virgines nobiles, quas cetos devoret, et Numina placentur. Ejus rei metu proceres Trojani multi solum vertere: inter quos Hippotes (al. Ipsostratus) cum filia Segesta navim conscendit, et in Siciliam casu defertur. Ibi Crimisus in ursum, vel in canem conversus, dolo Segestam compressit, et Egestum, quem *Virg.* Acestem vocat, genuit: qui matris nomine Segestam urbem Trojanis condidit. *Serv. l. c.* et *Aen.* 5, 30.

CRĪNĪTUS, a, um, part. a. *crinio*, *κομήτης*, *τριχωτὸς*, crines multos habens, comatus. *Ov. A. Am.* 3, 243. Puella male crinita. *Ennius* ap. *Cic. Acad.* 4, 28. Intendit crinitus Apollo arcum auratum etc. *Mart.* 12, 49. Crinitae, Line, paedagoge turbae, *h. e.* puerorum, quibus mos fuit comam alere. ℙ *Crinitus* cognominatus est M. Ulpius Trajanus Aug. *Eutrop.* 8, 2. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 4, 56. Gorgonis os pulcherrimum, crinitum anguibus. *Val. Fl.* 5, 369. saevo cum nox accenditur auro, Luciferas crinita faces. *Suet. Ner.* 36. Stella crinita. [*Cf. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 10, 8. et *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 2, 5, 14.] *Virg. A.* 7, 785. Galea crinita triplici juba. *Stat. Th.* 6, 418. de equo: colla toris crinita tument. *Plin.* 9, 33, 52. Conchae distinctione virgulata, crinita, crispa. *Id.* 11, 37, 44. Volucribus in capite apices diversi generis: phoenici plumarum serie: pavonibus crinitis arbusculis: stymphalidi cirro. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 6. Grana in stipula crinito textu spicantur.

CRĪNON, i, n. lilii species, *τὸ κρίνον*. V. CRININUM. ℙ Est etiam *Crinus* cogn. Rom., nam ap. Graecos est etiam *τὸ κρῖνος*, *εος*. *Inscr.* ap. *Delphicum*, *Interamnia Petruzia* p. 143. L. Vettius L. L. Crinus.

*CRINOVOLUM, i, n. Umbriae oppidum excisum. *Plin.* 3, 14. Interiere et Arienates cum Crinovolo, etc. *B. A.*

CRĪOBOLĬUM, i, n. *κριοβόλιον*, sacrificium, in quo aries caeditur, (nam *κριὸς* arietem significat) sicut *taurobolium*, in quo taurus. Fiebat in honorem Atyos pueri a Cybele dilecti, quo nomine Solem antiqui coluere, sicut nomine Cybeles terram: fiebat, inquam, eodem fere modo quo taurobolium, (V. suo loco) et utrumque in *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 40. et 41. et ap. *Grut.* 27, 3. et 4. et 28, 1, 2. et 3. conjunctim legitur, quoniam iis Numinibus conjunctim facere consueverant. ℙ Jungitur cum *aemobolio* in alia ap. *Mur.* 374, 2. his verbis: Criobolium et aemobolium movit de suo Petronius Marellus sacerdos VI. Kal. Dec. etc. Quid sit *aemobolium* (seu rectius *haemobolium*, si est ab *αἷμα* sanguis) non comperio. Sacrum quoddam certe significat: et fortasse taurini sanguinis perfusionem, de qua in TAUROBOLIUM dicam. [At *Reines.*, qui eand. inscriptionem affert *cl.* 1. *n.* 221., putat legendum *aegobolium*, ab *αἴξ*, *γός*, capra: quod probare videtur *Georg. Zoega*, *Bassiril. ant. T.* 1. p. 59. *F.*]

CRIPA. V. CAMPANICUS.

CRIPHII. V. CRYPHII.

CRĪSĪMI Dies, *κρίσιμοι ἡμέραι*, dicuntur a medicis, in quibus de morbo judicari potest: ii sunt potissimum impares quique, tertius, quintus, septimus, etc. Vox Graeca est a *κρίνω*, judico. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 14. Neque esse in passionibus statos dies, quos crisimos appellant.

CRĪSIS, is, f. *κρίσις*, judicium, sententia. Gr. v. a *κρίνω*, judico. A medicis dicitur subita morbi mutatio (praesertim in melius) novumque indicium, ex quo judicari potest, quid aegro futurum sit. *Senec. ep.* 83. Hic quidem, ait, nos eandem crisim habere, quia utrique dentes cadunt.

CRISPĀTUS, a, um, adj. crispus. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 110. Fluctuat hic denso crispata cacumine buxus. *Arnob.* 7. p. 239. Lascivire, saltare, et clunibus fluctuare crispatis. V. CRISPITUDO.

CRISPĬCANS, antis, part. verbi inusit., crispum faciens, crispans. *Gell.* 18, 11. Ventus mare caeruleum crispicans.

*CRISPICAPILLUS, a, um, adject. *Οὐλόθριξ. Gloss. Lat. Gr. B. A.*

[CRISPILLĂ, ae, f. diminut. crispae. *Inscr.* ap. *Pacellium*, *Memor. di Telesa*, p. 33. Telesinia Crispilla. *F.*]

*CRISPĪNA, ae, T. Vinii cum Galba consulis filia, patrem in conspiratione Othoniana occisum, quaesito redemptoque capite, quod venale interfectores servaverant, composuit ac sepelivit. *Tac. H.* 1, 47. ℙ Crispina alia, Brutii Praesentis filia, qui collega fuit Pii secundum consulis, nupsit Commodo. *Capitol.* in *Antonino* 27. ℙ Fuit et Crispina Pannoniae urbs. *Anton. Itin. B. A.*

CRISPĪNUS, i, m. ad Crispum pertinens, cogn. fuit familiae Romanae in gente Quinctia, addito altero cognomine propter adoptionem e Sulpicia in Crispinam gentem. *Nummus* ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 291. T. Quinctius Crispinus Sulpicianus.

CRISPĪSULCANS, antis, adj. crispum seu intortum sulcum trahens. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Top.* 16. Crispisulcans igneum fulmen.

CRISPĬTŪDO, inis, f. *Arnob.* 2, 73. Saltitaret, et cantaret, orbes saltatorios verteret, et ad ultimum clunibus et coxendicibus sublevatis lumborum crispitudine fluctuaret.

CRISPO, as, avi, atum, a. 1. crispum reddo. *Plin.* 29, 4, 26. Sanguine pulli bubonis crispari capillum. *Val. Flacc.* 1, 311. Alma novo crispans pelagus Titonia Phoebo. *Colum.* 10, 167. Nunc apio viridi crispetur florida tellus. *Stat. Th.* 8, 568. tunc auro phaleras, auroque sagittas Presserat, et mixtum cono crispaverat aurum, *h. e.* crispum et asperum textura et arte fecerat. *Virg. A.* 12, 165. Bina manu lato crispans hastilia ferro, *h. e.* quassando et vibrando micare faciens, ut intuentibus non recta, sed intorta et crispa esse videantur, *καδαίνων*. Eadem ratione *corusco* usurpatur. *Appul. Met.* 11. Brachium crispans tergeminos jactus, *h. e.* celeri motu edens. *Sedul. carm.* 1, 316. Alter amat fletus, alter crispare cachinnum. ℙ Part. *crispans* dicitur de iis, quae crispa sunt: sed accusat. *se* subintelligitur. *Plin.* 16, 16, 28. Materies honorata buxo est, raro crispanti, nec nisi radice, *h. e.* intortas crispasque ligni venas habenti. *Pers.* 3, 87. Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos, *h. e.* propter effusos risus in rugas se contrahente. *Plin.* 2, 82, 84. de terrae motu: Tutissimum est, cum vibrat crispante aedificiorum crepitu, *h. e.* cum aedes quassatae modo hic modo illic, non certo et continuato, sed incerto et intermisso murmure crepitant.

CRISPŪLUS, a, um, adj. diminut. a *crispus. Senec. ep.* 95. *a med.* Ne quis, cui rectior est coma, crispulis misceatur. *Mart.* 5, 61. Crispulus iste quis est, uxori semper adhaeret Qui, Mariane, tuae? crispulus iste quis est? *Arnob.* 3, 108. Hos capillorum intortionibus crispulos, calvitiis alios et glabritatibus rasos. ℙ Translate. *Front. de orat.* (ed. iterum *A. Maio*) *ep.* 3. Dicas fortasse, quid in orationibus meis novicium, quid crispulum, quid luscum, quid purpurisso litum, aut tumidum, aut pollutum?

CRISPUS, a, um, adj. *οὖλος*, *οὐλόθριξ*, intortus, contortus: et dicitur tum de capillis, tum de aliis rebus. [*De origine h. v. cf. *Döderl.* 3, 12.] *Pl. Truc.* 2, 2, 32. Jam ego istos fictos, compositos, crispos cincinnos tuos unguentato usque ex cerebro expellam. *Plin.* 13, 15, 30. Mensis praecipua dos in venam crispis, vel in vortices parvos. (Adde *Mart.* 14, 90.) *Id.* 36, 7, 11. Marmor undatim crispum. *Id.* 16, 15, 26. Acer campestre candidum, nec crispum; montanum vero crispius duriusque. *Id.* 13, 9, 18. Arboris materies crispioris elegantiae. *Id.* 8, 16, 18. Leo crispioribus jubis. *Colum.* 11, 3. *ante med.* Lactuca candida et crispissimi folii. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 3, 19. Tosti alti stant parietes, Deformati atque abiete crispa, *h. e.* igne corrugata. *Juven.* 6, 381. crispo numerantur pectine chordae, *h. e.* celeri, et crispante. *Pacuv.* ap. *Non.* 10, 12. Linguae bisulsae jactu crispo fulgere. *Virg. Cop.* 2. Crispum sub crotalo docta movere latus, *h. e.* fluctuans et vibrans. ℙ *Crispus homo* est crispo capillo. *Pl. Capt.* 3, 4, 114. Corpore albo, oculis nigris, subrufus aliquantum, crispus, cincinnatus. *Crispus* capillos habet velut in rugas contractos; *cincinnatus* in annulos. ℙ Translate. *Gell.* 1, 4. Crispum sane agmen orationis, rotundumque, ac modulo ipso numerorum venustum, *h. e.* cursus orationis contorte, et quadam veluti vibratione fluens: ducta metaphora a leni vento, quo mare crispatur. ℙ Fuit *Crispus* cogn. familiae Romanae in gente Sallustia: ex qua celeberrimus historicus exstitit *C. Sallustius Crispus*, qui Ciceronis fere aequalis, ejusque inimicus, obiit anno ante Christum natum circiter vigesimo septimo, scripsitque multa tanta laude historicae veritatis, quanta profligatae vitae laboravit infamia. Scripsit, inquam, libros historiarum Pop. R., quorum fragmenta tantummodo aliquot supersunt, et de conjuratione Catilinae, bellumque Jugurthinum: quae duo adhuc exstant, (nam orationes, seu potius epistolas duas ad Caesarem multi sunt, qui ejus esse negant; stilus quidem certe diversus est) genere dicendi gravi, acuto, et conciso, Catonis coloribus, brevitate Thucydidis, cui *Quint.* 10, 1. non veretur illum opponere, sicut Herodoto Livium. *Gell.* 1, 15. verborum novatorem appellat. Contra *Asinius Pollio* ap. *Suet. Gramm.* 1. ejus scripta reprehendit, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita. *Vet. epigr.* ap. *Quint.* 8, 3. Et verba antiqui multum furate Catonis Crispe, Jugurthinae conditor historiae. Plura de eo testimonia qui cupit, habet ap. *Suet. Aug.* 86. et *Gramm.* 10. et 15., *Vell.* 2, 36., *Gell.* 17, 18., *Senec. rhetor. in praef.* 3. *excerpt. Contr.* et *Decl.* 9, 1. et *Contr.* 4, 24. et *philosoph. epist.* 114., *Mart.* 14, 191. *Quint.* multis in locis, *Tac.*, *Justin.*, *Macr.* ℙ De nomine *Sallustius* lis est, utrum simplici, an duplici *l* scribi oporteat. Geminata ea liquida frequentius in veterib. monumentis reperitur. *Manut.*, *Dausq.*, *Cellar.*

*CRISSA, ae, f. *κρῖσσα*, oppidum. V. voc. seq. *B. A.*

*CRISSAEUS, a, um, adj. ad Crissam pertinens, Phocidis urbem, nunc *Salona*, a *Plin.* 4, 3, 4. memoratam. *Id. ib.* Crissaeus sinus. *B. A.*

CRISSO, as, n. 1. *σαυλοπρωκτιάω*, turpiter ac libidinose lumbis et femoribus fluctuare: proprium mulierum, cum stuprantur, ut *cevere* virorum. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 69. Crissavit, ut si frumentum clunibu' vannat. *Juven.* 6, 322. Fluctum crissantis adorat. *Mart.* 14, 203. Tam tremulum crissat.

CRISTĂ, ae, f. *λόφος*, *κόκκυξ*, *κυρβασία*, apex in vertice quarundam avium, ut in gallinaceo genere etc. [*V. *Döderl.* 1. infra l.] *Varr. R. R.* 3, 9. Galli lacertosi, rubenti crista, rostro brevi. *Plin.* 10, 56, 77. Gallinarum generositas spectatur crista erecta. *Juven.* 13, 233. Laribus cristam promittere galli, *h. e.* gallum cristatum. *Plin.* 10, 29, 44. Upupa crista visenda plicatili. *Id.* 11, 37, 44. Draconum cristas qui viderit, non reperitur. ℙ Translate. *Id.* 22, 22, 43. Frutex nunquam cubitali altior, cristisque foliorum, ac radice nigra. ℙ In illo *Juven.* 6, 422. et cristae digitos impressit aliptes: *μεσομηρίον* significari videtur, vel *τὰ κείλη τοῦ χοίρου*, vel potius *τὴν κλειτορίδα*. [*Döderl.* 3, 12. intelligit crines circa muliebra, ex hoc loco demonstrans, *cristam* etiam de ipsis crinibus dici.] ℙ Saepe dicitur de apice galeae, *τίαρις*, *λόφος*. *Liv.* 10, 39. *f.* Non enim cristas vulnera facere: et per picta atque aurata scuta transire Romanum pilum. *Plin.* 7, 56, 57. Galeam, gladium, hastam invenere Lacedaemonii: ocreas et cristas Cares. *Virg. A.* 12, 89. et rubrae cornua cristae. Et *ib.* 483. summasque excussit vertice cristas. ℙ Per synecdochen ponitur pro ipsa galea. *Sil.* 4, 155. manicaeque rigebant Ex auro, et simili vibrabat crista metallo. ℙ *Surgere cristae* dicuntur ei, qui re aliqua sibi placet, ac superbit. *Juven.* 4, 69. quid apertius? et tamen illi Surgebant cristae. [*Nos: *es schwillt ihm der Kamm.*] ℙ Est etiam herba *cristae* nomine, de qua V. ALECTOROLOPHOS. ℙ Item cogn. Lat., ut Q. Naevius Crista ap. *Liv.* 24, 40.

CRISTĀTUS, a, um, adj. cristam habens. *Ov. Met.* 11, 597. Non vigil ales ibi cristati cantibus oris Evocat Auroram. [*Id. *Fast.* 1, 455. Cristatus ales.] *Mart.* 14, 223. Cristataeque sonant undique lucis aves, *h. e.* galli gallinacei. *Plin.* 8, 13, 13. Cristati dracones. *Liv.* 9, 40. Cristatae galeae, quae speciem magnitudini corporum adderent. *Ov. Met.* 8, 25. Cassis cristata pennis. *Virg. A.* 1. 472. Cristatus Achilles, *h. e.* cristatam galeam habens.

CRISTŪLĂ, ae, f. parva crista. *Colum.* 8, 2. *de gallinis.* Sint magnis capitibus, rectis rutilisque cristulis, albis auribus etc.

CRĪTAE, arum, m. plur. *κριταὶ*, vox Graeca, qua significantur judices, seu censores: a *κρίνω*, judico. Utitur *Tertull. adv. Gnost.* 3. ubi Judices Judaeorum designat. Instituit super illos Deus critas.

*CRITENSI, orum, pop. Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*CRITHE, es, f. *κριθή*, tuberculum parvulum in palpebra super pilorum locum, quod a similitudine hordei sic est dictum. *Cels.* 7, 7. Sed Gr. vox est. *B. A.*

CRITHOLŌGĬĂ, ae, f. *κριθολογία*, hordei collectio: a *κριθή*, hordeum, et *λέγω*, colligo. *Impp. Honor. et Theod. Cod.* 11, 27, 1. et *Cod. Theod.* 26, 1. Quidquid de crithologia, et zygostasii munere eminentia tua disposuit, *h. e.* de munere ejus, qui Alexandriae frumento suscipiendo et excutiendo praepositus est: fortasse quia pro frumento olim hordeum colligebatur: vel quia hordeum antiquissimum in cibis est, teste *Plin.* 18, 7, 14.

*CRITHOTE, es, f. *Κριθωτή*, *Κρηθωτή*, Thraciae opp. in Cherson. Thrac. ad Hellespontum. *Nep. Timoth.* 1. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

*CRITIAS, ae, m. *Κριτίας*, unus e triginta tyrannis, Atheniensibus a Lacedaemoniis impositis. Ejus scripta extitere Ciceronis tempore. *Cic. Tusc.* 1, 40. *Id. Or.* 2, 22. et 93. et 3, 139. *Nep. Thrasyb.* 2. ℙ Item insignis statuarius. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

CRĪTĬCE, es, f. *κριτική*, facultas judicandi de re aliqua, et praesertim de scriptis doctorum hominum, discernendique utrum genuina sint, an supposita, emendandi, interpretandi: quod grammaticorum est proprium officium. Vox Graeca a *κρίνω*, judico: et *judicium* Latine dicitur a *Varr.* ap. *Diom.* 2, 421. ubi quatuor ait esse Grammatici officia, lectionem, enarrationem, emendationem, judicium. *Quint.* 1, 4. Judicio ita severe sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare, et libros, qui falso viderentur inscripti, tanquam subditicios submovere familia, permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. V. v. seq.

CRĪTĬCUS, i, m. *κριτικός*, qui judicat: a *κρίνω*, judico: praesertim vero qui critice utitur circa scripta veterum auctorum, ut in v. praec. dictum est. Itaque olim *critici* appellati sunt, qui postea *grammatici:* qui praecipue in poetarum carminibus operam suam ponebant: inter quos celebres fuere Ari-

stophanes et Aristarchus, quos memorat *Quint.* 10, 1. Hujusmodi fuit etiam Valerius Probus grammaticus, de quo *Suet. Gramm.* 24. Multa exemplaria contracta emendare, ac distinguere, et adnotare curavit: soli huic, nec ulli praeterea grammatices parti deditus. *Cic. Fam.* 9, 10. Ego, tanquam criticus antiquus, judicaturus sum, utrum versiculi sint τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι. *Hor. Ep.* 2, 1, 50. Ennius et sapiens, et fortis, et alter Homerus, Ut critici dicunt. ℙ De criticis diebus apud medicos, V. CRISIMI. Ap. *Augustin. Confess.* 1. *f.* critica accessio morbi est, ex qua de sanitate, aut morte aegrotantis judicium ferri potest. ℙ Primam syllabam producit *Mart.* 7, 90. Aequalis liber est, Critice, qui malus est. Al. rectius leg. *Cretice.*

[CRĪTO, onis, m. a κριτός, selectus, vel a κριτής, judex, magnus judex. Vox profecto antiqua, nam inde nomen deduxit gens Critonia ex nummis et lapidibus satis nota. *Paul. Dig.* 40, 9, 15. Imperator Antoninus Calpurnio Critoni rescripsit etc. *F.* ℙ **Crito*, Socratis discipulus. *Cic. Tusc.* 1, 43. *Div.* 1, 54. *ib.* 1, 25.]

*CRITOBŪLUS, i, medicus insignis, qui vixit temporibus Alexandri M. et Philippi patris ejus. *Curt.* 9, 5. *Plin.* 7, 37. *B. A.*

*CRITOLĀUS, i, m. Κριτόλαος, Atheniensis, nobilis Peripateticus, Romam ab Atheniensibus missus legatus cum Carneade et Diogene Stoico, mulctae propter Oropum irrogatae deprecandae causa. *Cic. Or.* 2, 37. *Id. Fin.* 5, 5. et *Tusc.* 5, 17. *Gell.* 7, 14. et 17, 21. *extr.* ℙ Item dux Achaeorum, causa belli Achaici, quo Corinthus eversa est. *Cic. N. D.* 3, 38. *Flor.* 2, 16. *B. A.* ℙ [**Critolaus* Ennensis ap. *Cic. Verr.* 2, 4, 26.]

*CRITOMEDIA, ae, una fuit e Danai filiabus. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

*CRIUMETOPON, i, κριοῦ μέτωπον, i. e. arietis frons, promontorium Cretae. *Plin.* 4, 12. ℙ Item aliud in Taurica Chersoneso, in ora meridionali, Carambi Paphlagoniae promontorio oppositum. Hodie est *Im Kermen. Plin.* 4, 12. *Mela* 2, 1. *B. A.*

*CROBIĀLON, i, n. Κρωβίαλον, opp. Paphlagoniae, non longe e Sesamo, quod alluit Parthenius amnis, Dianae virgini admodum gratus. *Val. Fl.* 5, 103. Fugit omne Crobiali latus. *B. A.*

CROBYLŪS, i, m. κρωβυλος, et κρωβύλη, cincinnus puerorum, seu ornatus capillorum in pueris, qui in puellis corymbium, κόρυμβος, appellatur, in tutulum desinens: et universim nodus capillorum a fronte in verticem collectorum. Graeca est vox, et Graece adhibetur a *Servio* ad illud *A.* 4, 138. *crines nodantur in aurum:* ubi docet, ipsum quoque retiolum, quo crines colliguntur, eo nomine appellari. *Tertull. Virg. veland.* 10. Debebunt et ipsi aliqua sibi insignia defendere, aut pennas Garamantum, aut crobylos Barbarorum, aut cicadas Atheniensium, aut cirros Germanorum.

*CROBYZI, orum, m. populi Sarmatiae Europaeae, ad Axiacem fluv., inter Danubium et Borysthenem. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*CROCĀLA, orum, τὰ Κρόκαλα, insula prope Gedrosiam. *Plin.* 6, 21. *B. A.*

CROCĀLE, es, f. κροκάλη, arena litoralis. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1569, 8. Afrania L. L. Crocale. *F.* ℙ *Item Ismeni fluminis filia. *Ov. Met.* 3, 169. *B. A.*]

CROCALLIS, idis, f. gemma cerasum repraesentans. *Plin.* 37, 10, 56.

CROCĀTIO, corvorum vocis appellatio. *Festus:* ubi critici legendum monent *crocitio*, aut *crocitatio.*

CROCĀTUS, a, um, adj. croci colore tinctus, κροκωτός. *Plin.* 16, 34, 62. Alicui et semen nigrum, alii crocatum. [*Front. ad M. Caes.* (ed. iterum *A. Maio*) *ep.* 2, 1. Vestem purpuream malo, non luteam, nec crocatam. *F.*]

*CROCEATUS, a, um, adj. croceus. *Adelhelm.* de *Virg.* 2. Croceata genistarum cacumina. *B. A.*

CROCĒUS, a, um, adj. κροκώδης, κρόκινος, ad crocum pertinens. *Virg. G.* 1, 56. nonne vides, croceos ut Tmolus odores, India mittit ebur? *h. e.* ipsum crocum. *Plin.* 10, 48, 68. Avis croceo tinctu cibis gratissima, *h. e.* croci intinctu condita. ℙ Saepissime dicitur de colore croci, qui est inter flavum, et rubentem, seu potius flavus rubescens. [**Safranfarbig.*] *Plin.* 17, 10, 59. Glaucion herba granum habet crocei coloris. ℙ Frequenter a poetis sumitur non solum pro colore croci, ut in aurora sed etiam pro eo, qui proxime accedat, ut est flavus, et rufus: et universim pro quocumque alio, qui aspectu gratus sit: quemadmodum et *aureus*, cui cum croceo non parva cognatio est. *Virg. Ecl.* 4, 43. Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti Murice, jam croceo mutabit vellera luto. Ubi *Servius*: rubicundo colore: et est hypallage pro *croco luteo. Id. G.* 4, 109. croceis halantes floribus horti. *Id. G.* 1, 447. Tithoni croceum linquens Aurora cubile. *Claud. Cons. Probi et Olybr.* 273. et liquidi clementior aura Favoni Pratis te croceis pingat. *Virg. A.* 1, 653. Et circum textum croceo velamen acantho, *h. e.* acantho ex auro intexto. *Id. ib.* 11, 775. Crocea chlamys, *h. e.* auro texta. *Ov. A. Am.* 1, 530. Croceae comae. *Val. Fl.* 4, 23. *de Hyla amne merso.* Ecce puer summa se tollere visus ab unda Frondibus in croceis, *h. e.* glaucis. *Sil.* 8, 443. quem carmine Circe Exutum formae volitare per aethera jussit, Et sparsit plumis croceum fugientis honorem, *h. e.* croceas plumas dedit.

CROCĪAS, ae, m. κροκίας λίθος, gemma colore croceo. *Plin.* 37, 11, 73.

CROCĪDISMUS. V. in CARPHOLOGIA.

CROCĪNUS, a, um, adj. κρόκινος, croceus. *Plin.* 21, 19, 73. Crocinum semen. *Cels.* 3, 18. unguentum. *Catull.* 68, 134. Fulgebat crocina candidus in tunica. *Scrib. Compos.* 173. Crocinus color. ℙ Crocinum unguentum etiam *crocinum* absolute dicitur. *Prop.* 3, 8, 22. Et crocino nares murrheus ungat onyx. Adde *Pl. Curc.* 1, 2, 7.

CROCĪO, is, n. κρώζω, vocem corvi edere. *Appul. Florid. n.* 23. Corvus, ut se vocalem probaret, crocire adortus etc. *Pl. Aul.* 4, 3, 2. Corvus voce crocibat sua. ἀρχαϊκῶς, pro *crociebat.* Al. leg. *crocitabat*, ut sit a *crocito, as*, frequentativo: quod paenultima longa potius quam brevi mallet pronunciari *Voss. l.* 2. *de Grammat. cap. paenult.*, sicut *dormito* a *dormio.* Nihilominus corripuit. *Auct. carm. Philom.* 28. Et crocitat corvus, graculus at frigulat.

CROCIS, idis, f. κροκίς, herba, cujus contactu phalangia mori dicuntur. *Plin.* 24, 17, 102.

CROCĪTO. V. CROCIO.

CROCĪTUS, us, m. vox, cantusve corvorum. Nititur auctoritate *Nonii* 1, 218. ubi affert exemplum *Plauti* de verbo *crocio.*

[CROCODES, is, m. κροκώδης, collyrium a *Galeno de sanit. tuenda* memoratum. *Inscr.* ap. *Tôchon, cachets des oculist.* 17. Psoricum, aromaticum, crocodem. *Id ib.* p. 68. C. Lucceji Alexandri crocodes ad aspritudines. *F.*]

CROCODĪLEA, ae, f. stercus crocodili terrestris, qui quod odoratissimis floribus vivit, intestina habet jucundo nidore referta. Hoc itaque stercus oculorum vitiis cum porri succo inunctum, utilissimum esse, itemque emendandis faciei vitiis, lentiginibus tollendis, et maculis omnibus, illitum ex oleo cyprino *Plin.* 28, 8, 28. tradit. Hinc pro fuco a feminis adhiberi solitum. *Hor. Epod.* 12, 11. neque illi Jam manet humida creta, colorque Stercore fucatus crocodili. [**Cf. Interpr.* ad *Ov. A. Am.* 3, 270.]

CROCODĪLĪNUS, a, um, adj. ad crocodilum pertinens. *Crocodilinae ambiguitates* quid sint, satis dictum est in CERATINAE.

CROCODĪLĪON, ii, n. κροκοδείλιον, chamaeleonis herbae nigrae figuram habens, radice longa, aequaliter crassa, odoris asperi: nascitur in sabuletis. *Plin.* 27, 8, 41.

*CROCODILON OPPIDUM, Κροκοδείλων πόλις, in Galilaea fuit. *Plin.* 5, 19. ℙ Item oppidum Aegypti superioris, dictum olim Arsinoe, unde *Crocodilopolites* nomos, i. e. praefectura, cujus caput Crocodilon opp. ap. *Plin.* 5, 9. V. *Crialon. B. A.*

CROCODĪLUS, i, m. κροκόδειλος, animal quadrupes, Nili familiare, lacerti figura, amphibium, linguae usu carens, gena inferiore tantum connivens, maxilla superiore mobili, dentibus pectinatim coeuntibus, ob idque morsu terribili: humanae carnis avidissimum: magnitudine plerumque excedens duodeviginti cubita, quippe crescere creditum, quandiu vivit: genua priora in posteriorem partem curvans, posteriora in priorem: unguibus armatum et cute undique impenetrabili, excepto ventre: pariens ova, quanta anseres: oculis in aqua hebetibus, extra acerrimi visus: diu in terra degens, noctu in aqua: bellum gerens cum delphinis, qui astu subeuntes, spina dorsi, ceu gladio ventrem secant: et cum ichneumone ave, qui per ejus fauces luto convolutus intrat et alvum erodit. Alius est terrestris tantummodo crocodilus, alio nomine *scincus*, illo longe minor, candidior, et tenuiore cute, squamarumque serie in caput versa, de quo et in CROCODILEA diximus. *Plin.* 8, 25, 37. et 28, 8, 28. et 6, 20, 23. et 11, 37, 57., *Senec. Q. N.* 4, 2. et *Ammian.* 22, 15. ℙ De stercore crocodili ap. *Hor.* V. in CROCODILEA. ℙ Dictum putant a κρόκος, crocus, et δείλεω, timeo, quod a croco abhorreat, ejusque odorem reformidet: quod de terrestri solummodo verum esse quidam tradunt, (V. *Voss. in Etymol.*) vel quod timidum animal est, et crocum colore imitatur. ℙ Apud *Phaedr.* 1, 25. et *Mart.* 3, 93. prima syllaba produci videtur, quod ita postulat ut plurimum ejus ratio carminis: *Marquardus Gud.* ad *Phaedr.* testatus, se in plurimis MSS. variorum auctorum *corcodilus* invenisse. ℙ *Fuit et Crocodilus, Ciliciae mons. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

CROCOMAGMA, ātis, n. κροκόμαγμα, faex unguenti crocini, et quasi recrementum ejus, expressis aromatis, et in pastillos digestis. Μάγμα enim significat quidquid superest crassum ex aliqua materia expressa. *Plin.* 21, 20, 82. et *Cels.* 5, 18. *n.* 9. [**Inscr.* ap. *Orell.* 4991. SIBILLA UNGUENTARIA — LIBERTA SEPT. SEVERI. IMPE. VENDIT — CROCOMAGMA IN.... RHISPIA.]

CROCOTĀ, ae, f. κροκωτὸν, subintelligitur *vestis*, ut apud Graecos ἱμάτιον, revera enim adj. *crocotus, a, um* a Graeco κροκωτὸς, ἡ, ὸν: videtur autem ita esse appellata a *croco*, quia tunica erat tenuis crocei coloris, in luxu feminarum usurpata, qua histriones quoque interdum, et Galli Cybeles utebantur: veteres enim feminas hoc maxime colore in vestibus delectatas fuisse, arguitur ex picturis Herculanensibus, et Pompejanis, quas identidem in apricum profert aetas nostra. *Pl. fragm.* ap. *Non.* 14, 8. Pro illis crocotis, strophiis, sumptu uxorio. (Adde *Novium*, et *Naevium* ap. *eund.* 16, 4.) *Cic. Har. resp.* 21. P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, et strophio, est factus repente popularis. *Id. fragm. orat. in Clod.* manicatam tunicam appellat (V. locum in CALVATICA.) *Appul. Apol.* Num argumentarere, uti me consuesse tragoedi syrmate, histrionis crocota, mimi centunculo? Alii male leg. *crotalo. Id. Met.* 8. de Gallis. Mitellis, et crocotis, et carbasinis, et bombycinis injecti. *Id. ib.* 11. Vidi et simiam pileo textili, crocotisque Phrygiis, catamiti pastoris specie, aureum gestantem poculum. Hinc *Virg. A.* 9, 614. Phryges alloquens. Vobis picta croco, et fulgenti murice vestis. ℙ Cum vero Latini vestes hujusmodi colore tinctas *crocatas*, vel *croceas* saepissime appellent, sunt qui putant, *crocotam* fuisse illud vestis femineae genus, quod multum subteminis haberet, a κροκή, subtemen, vel a κροκίς, floccus in veste prominens e subtemine: panni enim lanei quo plus subteminis, quam staminis habent, molliores sunt, et ex iisdem consuta vestis floccosa et villosa dicitur, contra defloccata, quae sine floccis, aut detrita est. Hinc Itali vulgo *cotola* appellant vestem feminarum propriam, quam vocem ex diminutivo crocotula facile quispiam derivatam existimet. *Vet. Schol.* ad *Clement. Alex. Paedagog.* 2, 10. Ἔστι δὲ κροκωτὸν κλεπτόν τε, καὶ ἀρωσιστήμονον ὕφασμα. [*Plurima ex his addidit *F.* Caeterum cf., quos laudat *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v. *Salmas.* ad *Capitol. Pertinac.* 8. T. I. p. 547. *Ferrar. R. Vest.* 3, 5. p. 189. et *c.* 20. p. 241. *Salm.* ad *Tertull. Pall.* p. 329. sq.]

CROCOTĀRIUS, a, um, adj. ad crocotam pertinens, ut *Crocotarii infectores*, ap. *Pl. Aul.* 3, 5, 47., qui tunicas croco inficiebant.

CROCOTĪLUM, valde exile. *Plautus:* Exortis talis cum crocotilis crusculis. Haec *Fest.* Al. leg. *crotilis*, alii etiam aliter.

CROCOTĪNUM, genus operis pistorii. Haec *Festus.* Ita fortassse dictum, quia croco conditum, vel infectum erat.

CROCOTĬUM, ii, n. κροκώτιον, crocotula, apud *Pl. Stich.* 1, 2, 93. nomen est Graecum ancillae.

CROCOTTĀ, ae, m. κροκόττας, monstrosum animal, quasi ex cane et lupo conceptum, omnia dentibus frangens, et protinus devorata ventre conficiens. Ita *Plin.* 8, 21, 30., qui mox 30, 45. *crocutam* appellat, (*Strabo*, quoque *l.* 16. κροκούτταν) ac describit, ex hyaena et leaena Aethiopica genitum, imitans voces hominum et pecorum, acie perpetua, *h. e.* oculis nunquam conniventibus, et in utraque oris parte nullis gingivis, dente continuo: qui ne contrario occursu hebetetur, capsarum modo includitur. Quae ad verbum *Solin.* 27. more suo exscripsit. *Capitol. Anton.* 10. Edita munera, in quibus elephantos, et crocottas, et strepsicerotas exhibuit. Alii ubique leg. *corocotta* (ea ratione, qua Ἀσκλήπιος est Aesculapius, et Ἀλκμήνη Alcumena) quod in ludicro quodam testamento (inter spuria *Gruteri* p. 18.) cognomen est suis. Sic enim incipit: *M. Grunnius Corocotta Porcellus testamentum feci.* Nam ὕαινα hyaena est ab ὗς sus: corocotta autem est hyaena genitus, ut dictum est: quare non absurde sui tribui potest. *Salmas.* in *Exercitat. Plin.*

CROCOTŬLA, ae, κροκώτιον parva crocota, genus tunicae muliebris, coloris crocei. V. CROCOTA. *Pl. Epid.* 2, 2, 47. Caltulam, aut crocotulam, supparum etc. *Auct. Catalect. Virg.* 5, 21. Nec dein movere lumbos in crocotula Prensis videbo alaribus. V. ALARIS.

CROCUM, i, n. et Crocus, i, m. si referatur ad fabulam: at si non referatur, femin. potius quam mascul. κρόκον et κρόκος. Secundum grammaticae regulas, inquit *Serv.* ad *G.* 4, 182., neutrum est: poetice vero masculinum, referendo scil. ad puerum illum, de quo fabulantur, cum Smilacem puellam impense amaret, neque potiri voto posset, Deorum miseratione in florem sui nominis una cum illa fuisse conversum. Alii tradunt, adamatum fuisse a Mercurio, a quo per ludum disco percussum, occisumque, in croci florem mutatum fuisse. *Ov. Met.* 4, 283. Et Crocon in parvos versum cum Smilace flores. ℙ Est autem herba radice seu bulbo carnoso, multisque fibris crinito; foliis angustis, et capillamenti modo extenuatis productisque; caule inter folia surgente, et florem sustinente, e cujus medio stamina surgunt

flammei ruboris in subcrassulum cacumen desinentia, et simul cum iis quidam apices exiguae linguae figura: quae quia praecipue in usum veniunt, per excellentiam croci appellantur: et aliis quoque floribus ob similitudinem tribuuntur. *Crocus* vero appellatur a similitudine, quam habet cum villis textoriis, qui κρόκαι appellantur, a κρέκω, pectine, pulso. Hinc *Plin.* 21, 5, 11. de lilio. Tenuique filo et semine, stantibus in medio crocis. Et *mox, de alio flore.* Nullo odore, nec crocis intus. *Auson.* quoque *Idyll.* 14, 32 *croci semina* appellat luteos apices in rosa. ℙ Siccatur crocum, et reconditur ad certum tempus: deinde conteritur ad varios usus tum ciborum, tum medicinae, quos *Plin.* 21, 6, 17. et *ib.* 20, 81. enumerat. *Ov. Fast.* 5, 317. violas arere videres, Filaque punicei languida facta croci. Et *ib.* 1, 342. Rubri fila croci. *Virg. G.* 4, 182. crocumque rubentem. *Plin. l. c.* Crocum silvestre optimum: sativum latius, majusque, et nitidius. Adde *Cels.* 5, 11. In femin. gen. *Appul. Met.* 10. Per quandam latentem fistulam in excelsum prorumpit vino crocus diluta. ℙ Prima nobilitas est croco, et ibi in Coryco monte, dein Lycio monte Olympo; mox Centuripino Siciliae. *Plin. l. c. Stat. Silv.* 5, 3, 41. ℙ Mos fuit croco trito, et vino dulci diluto scenam, pulpita, theatra, rogos, lectum nuptialem, comas perfundere, odoris gratia. *Plin. l. c., Ov. A. Am.* 1, 104., *Capell.* 9. p. 306., *Prop.* 4, 6, 74. et *Stat. Silv.* 2, 1, 160. Hinc *Hor. Ep.* 2, 1, 79. Rectene crocum, floresque perambulet Attae Fabula, si dubitem etc., *h. e.* an in scena placeat. ℙ Pro colore croci. *Ov. Her.* 11, 162. Et trahitur multo splendida palla croco. ℙ In plur. num. *Prop.* 4, 1, 16. Pulpita solemnes non oluere crocos. *Juven.* 7, 208. Spirantesque crocos. *Ov. Fast.* 4, 442. tenues crocos legere. Adde *Ib.* 202. ℙ [Crocus fuit etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Raym. Guarinium, Comment. in sacra Pompej.* 6. p. 16. *NV.* Salarius Crocus. *F.*]

CROCŪPHANTĬA, neutr. plur. ab *Ulp. Dig.* 34, 2, 25. enumerantur inter ornamenta muliebria. In *Glossis* habetur: κροκύφαντος, reticulus. Ex quo conjicere licet aliquid de ejus significatione. Videtur esse a κρόκη, subtemen, et ὑφάω, texo, *h. e.* διὰ κρόκης ὑφαντός, multo subtemine textus. V. CROCOTA. [*V. *Turneb. Adv.* 18, 23.]

CROCŪTA. V. CROCOTTA.

*CROCYLEA, orum, τὰ Κροκύλεια, insula prope Ithacam. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*CRODŪNUM, i, locus obscurus in Gallia Narbonensi, non procul forte a Tolosa. *Cic. Font.* 5. *B. A.* [*Hodie *Gourdan* ad Garumnam, auctore *Reichardo.*]

CROESUS, i, m. Κροῖσος, rex Lydorum, Alyatti filius, omnium, quos hominum memoria celebrat, ditissimus. Hic, cum se omnium mortalium felicissimum crederet, monitus est a Solone, neminem ante cineres beatum dicendum, quod, quoad vivimus, periculum sit, ne instabilis hujus mundi felicitas dolore aliquo contaminetur. Quam Solonis sententiam verissimam esse ejus calamitas postea declaravit. Victus enim a Cyro, pyraeque impositus, tandem salubre Solonis consilium agnovit, ejusque nomen saepius inclamavit. Unde admiratus Cyrus quisnam esset Deorum, hominumve, quem ille in extremo periculo solum invocaret, remque totam edoctus, humanae vicissitudinis memor, Croesum ab incendio liberavit, summoque semper apud se in honore habuit. *Plutarch. in vita Solon., Herod.* 1., *Juven.* 10, 274. ℙ Per synecdochen ponitur pro divite. *Ov. Trist.* 3, 7, 42. Irus et est subito, qui modo Croesus erat. Adde et *Mart.* 11, 5.

CROMMYU Acris, Κρομμύου ἀκρὶς, promontorium Cypri contra Ciliciam, ejusque promontorium Anemurion. *C. Cassius* ad *Cic. Fam.* 12, 13. [*Cf. *Victor.* ad h. l.]

*CROMMYONĒSOS, i, f. (a κρόμμυον, *caepa* et νῆσος,) insula Smyrnae adjacens. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

CRŌMYON, ōnis, m. Κρομύων, vicus Peloponnesi in agro Corinthiaco, ubi Theseus suem omnia devastantem occidit. *Ov. Met.* 7, 435. Quodque suis securus arat Cromyona colonus, Munus, opusque tuum est. [**Cremmyon* audit *Plin.* 4, 7. Κρομμυὼν *Thucyd.* et *Strab. B. A.* [*V. *Popp. Proleg.* ad *Thucyd.* Vol. II. p. 231.]

*CROMNA, ae, f. Κρῶμια, Κρώμνη, Paphlagoniae opp. *Mela* 1, 19. *med. Plin.* 6, 2. *B. A.*

CRŌNĬA, orum, n. plur. τὰ Κρόνια, festa in honorem Saturni, Latine Saturnalia dicta. *L. Accius* ap. *Macr. Sat.* 1, 7. *extr.* Maxima pars Grajum Saturno, et maxime Athenae Conficiunt sacra, quae Cronia esse iterantur ab illis.

*CRONIUS, i, m. Κρόνιος, insignis caelator, temporibus Augusti. *Plin.* 37, 1. *B. A.*

CRŌNOS, i, m. Κρόνος, Saturnus: Graeca vox. Κρόνος autem, ut ait *Cic. N. D.* 2, 25. et *Arnob.* 3, 117., est idem qui χρόνος, idest spatium temporis, antiqua scilicet pronunciatione. *Sidon. carm.* 15, 61. Falciferi Cronon ire senis per summa polorum, *h. e.* Saturni sidus.

[CROSMIS, is, f. herba eadem ac salvia. *Appul. Herb.* 101. *F.*]

CRŌTĂLĬA, orum, n. plur. appellabant binos ac ternos uniones auribus pendentes, quae motu et collisu sonitum edebant, instar parvi crotali. *Plin.* 9, 35, 56. *Petr. fragm. Trag.* 67. *Burm.* Capsellam detraxit aureolam, inde duo crotalia protulit. Adde *Not. Tir.* p. 161., ubi tamen *crutalia* legitur. [*Cf. *Boettg. Sab.* 2, 156.]

CRŌTĂLISTRĬĂ, ae, f. quae crotalo canit. *Prop.* 4, 8, 39. Nilotes tibicen erat, crotalistria Philis. Ita legit *Scalig.* Dicitur *crotalistria Philis* eo modo, quo *Plautus Merc.* 5, 2, 99. dixit *Hospes Zacyntho* pro *a Zacyntho.* Philae autem insula est ad Sienem Aegypti. Ita, inquam, *Scaliger*, cui assentitur *Brouckus.* Sed perperam omnes: nam prima in *Philae, arum* brevis est, ut constat ex *Lucan.* 10, 313., *Phyllis* itaque cum *Burmanno* aliisque scribendum. ℙ *P. Syrus* ap. *Petr. Sat.* 55. ciconiam avem vocat *Pietaticultricem, gracilipedem, crotalistriam*, quia voce crotalum sonantem imitatur. Hinc *Ov. Met.* 6, 97. crepitante ciconia rostro. Alii male legunt *choralistria, h. e.* mulier saltandi in choris, et canendi perita. Alii aliter. [*Plura h. l. debentur *F.*]

CRŌTĂLUM, i, n. κρόταλον, crepitaculum, quo Aegyptii praesertim, in Deorum caeremoniis utebantur: a κροτέω, pulso. Sunt vero virgulae aereae, vel ex arundine calamoque fisso, quas inter saltandum manibus ita concutiebant, ut ex earum collisione crepitus quidam ederetur. Harum figuram exhibet *Spon. Miscell. antiqu.* p. 21. *n.* 43. *Appul. Met.* 8. Per plateas et oppida cymbalis et crotalis personantes, Deamque Syriam circumferentes etc. *Virg. Cop.* 1. Copa Syrisca caput Graja redimita mitella, Crispum sub crotalo docta movere latus, Ebria fumosa saltat lasciva taberna, Ad cubitum raucos excutiens calamos. *Cic. Pis.* 9. Neque collegae tui cymbala et crotala fugi. Arguit hunc *Cic.* ut mollem effeminatumque, qui ad cymbala et crotala saltare consuevisset. *P. Scipio Afr.* ap. *Macr. Sat.* 2, 10. Vidi puerum cum crotalis saltare. [*V. *Ernest. cl. Cic.*]

*CROTALUS, i, fluv. Italiae inferioris, in Bruttiis, in sinum Scylaceum influens. *Plin.* 3, 10. *B. A.*

CRŌTĂPHOS, i, m. κρόταφος, pars capitis, quod tempus dicitur: item dolor, qui in ea parte sentitur. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1.

CROTĪLUS. V. CROCOTILUM.

CRŌTO et Croton, onis, f. *Crotone*, Κρότων, oppidum Bruttiorum in magna Graecia, in ora maris Ionii ad Aesarum fluvium. *Plin.* 3, 11, 15., *Mela* 2, 4., *Liv.* 24, 3., ubi de ejus situ, et *Ov. Met.* 15, 15. et seqq., ubi de ejus origine agit. V. THESPIADES. His omnibus est *Croto*, sed *Silio* 11, 18. *alta Croton* dicitur. *Justino* vero 20, 4. *Crotona.* ℙ Est etiam *croton* arbor eadem, quae cici. *Plin.* 15, 7, 7. et 16, 23, 35. ℙ *Croton* signum coeleste. V. SAGITTARIUS et CROTOS. ℙ *Croto* est etiam cogn. Rom., quatenus ricinum animal significat, quod Itali *zecca* vocant. *Liv.* 23, 31. T. Metilius Croto.

CRŌTŌNĬĀTES, ae, m. Crotonis civis. *Cic. Inv.* 2, 1. et *N. D.* 1, 11. et *Liv.* 24, 3., ubi *optimates Crotoniatum* legitur.

CRŌTŌNĬENSIS, e, adj. ad Crotonem pertinens, ut Milo Crotoniensis, *Plin.* 37, 10, 54. et *Gell.* 15, 16. ℙ *Crotonienses* sunt Crotoniatae. *Justin.* 20, 2., *Plin.* 3, 5, 10. et *Front. Strateg.* 3, 6.

CRŌTŌPĬĂDES, ae, m. Κροτωπιάδης, patron. a Crotopo. *Ov. Ib.* 482. Quique Crotopiaden diripuere Linon, ubi designat Linum filium Psamathes filiae Crotopi octavi Argivorum regis, quae cum Linum ex furtivo Apollinis concubitu genitum, ob metum patris, clam regiis pastoribus educandum commendasset, eorum ille incuria a canibus laceratus fuit, ut est apud *Pausan.* 1. *sub f.* ℙ Ex eodem *Ov. ib.* 575. colligi videtur, ipsum quoque Crotopum, ob crudelitatem neglecti nepotis, ab Apolline in Tartara demissum fuisse.

CRŌTOS, i, m. Κρότος, signum coeleste, idem qui Sagittarius. *Colum.* 10, 56. Sed trepidus profugit chelas, et spicula Phoebus Dira Nepae, tergoque Croti festinat equino. *Hyg. fab.* 224. est *Croton*, Cetera V. in SAGITTARIUS.

[CROTUS, i, n. κρότος, pulsus, plausus. Est nomen serv. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 1118, 1. Crotus dispen*sator. F.*]

CRŪCĬĀBĬLIS, e, adj. βασανιστικὸς, cruciatum afferens. *Gell.* 3, 9. *s. f.* Misero cruciabilique exitu perire. *Appul. Met.* 9. Nec usquam cruciabilis vitae solatium aderat.

CRŪCĬĀBĬLĬTAS, atis, f. cruciatus. *Pl. Cist.* 2, 1, 3. Qui omnes homines supero cruciabilitatibus animi.

CRŪCĬĀBĬLĬTER, adv. βασανιστικῶς. *Hirt. B. Afr.* 46. Sic extra vallum deducti sunt, et cruciabiliter interfecti. [*Id. quod alias dicitur: *cum cruciatu.*] *Pl. Pseud.* 4, 1, 40. Cruciabiliter me accipito.

CRŪCĬĀBUNDUS, a, um, adj. cruciatibus plenus. *Cyprian. ep.* 55. *med.*

CRŪCĬĀMEN, inis, n. cruciatus. *Prudent. Cathemer.* 10, 98. Per Cruciamina leti Via panditur ardua justis.

CRŪCĬĀMENTUM, i, n. βάσανος, λύπη. *Cic. Phil.* 11, 4. Nec graviora sunt tormenta carnificum, quam interdum cruciamenta morborum. *Pl. Capt.* 5, 4, 2. Vidi multa picta, quae Acherunti fierent, cruciamenta.

CRŪCĬĀRĬUS, a, um, adj. ad crucem pertinens. *Tertull. Praescript. haeret.* 2. Febrem inter ceteros mortiferos et cruciarios exitus etc. *h. e.* cruciatum afferentes. Al. leg. *cruciatorios.* ℙ *Cruciarius* absolute est cruci affixus. *Petr. Sat.* 112. Cruciarii unius parentes, ut viderunt laxatam custodiam, detraxerunt nocte pendentem. *Senec. Controv.* 3, 21. *s. in.* Fecit se similem tyranno, filiam raptis, libertum cruciariis. ℙ Est etiam epithethon hominis nequam, et perditi, tanquam cruce digni. *Appul. Met.* 10. Nec tantillum cruciarius ille noxia conscientia sua deterritus etc. *Ammian.* 9, 2. Longum est, quae cruciarius ille conflavit.

CRŪCĬAS pro Cruciatus, ut satias pro satietas. *Pl. Cas.* 2, 6, 64. Male crucias quidem. Al. rectius leg. *Mala crux ea quidem.*

CRŪCĬĀTOR, oris, m. qui affligit et cruciat. *Arnob.* 1, 23. Poenas cruciatoris perpetitur saevitate. *Firmic. Mathes.* 3, 13, 6. Cruciatores servorum.

CRŪCĬĀTORĬUS. V. CRUCIARIUS.

CRŪCĬĀTUS, a, um, part. a *crucio*, cruciatu affectus, βεβασανισμένος. *Ov. Ib.* 125. Luctatusque diu cruciatos spiritus artus Deserat. *Id. Met.* 3, 694. cruciataque diris Corpora tormentis. *Liv.* 29, 18. *med.* Tribunos servilibus omnibus suppliciis cruciatos trucidando occidit. *Quint.* 6, 1. *sub f.* Cruciati cives R. ℙ Translate. *Stat. Silv.* 4, 7, 26. nostra Thebais multa cruciatu lima.

CRŪCĬĀTUS, us, m. βάσανος, ἄνία, λύπη, tormentum, cruciamentum, dolor. Ubi dolores acerrimi exagitant, inquit *August. tract. in Joann.* 36, 4. cruciatus vocatur, a cruce nominatus. *Cic. N. D.* 3, 33. Summo cruciatu supplicioque perire. *Id. Verr.* 2, 1, 4. Cives R. morte, cruciatu, cruce afficere. *Id. Att.* 11, 11. Confectus cruciatu maximorum dolorum. *Id. Cat.* 4, 5. *extr.* Omnes animi cruciatus et corporis. *Id. Rosc. Am.* 41. Vel ipse sese in cruciatum dari cuperet, dum de patris morte quereretur. *Ter. Andr.* 4, 4, 47. Abripi in cruciatum. [**Id. Hec.* 5, 2, 7.] *Caes. B. G.* 1, 31. Venire in summum cruciatum. Et *ib.* 2, 31. Ab hostibus per cruciatum interfici. *Id. ib.* 7, 71. Dedere aliquem hostibus in cruciatum. *Id. ib.* 1, 31. Edere in aliquem omnia exempla cruciatus. Et *ib.* 32. Omnes cruciatus perferre. *Suet. Galb.* 10. Cruciatu confessionem exprimere. *Tac. A.* 16, 20. Cruciatibus tormentorum luere crimina. *Pl. Pers.* 4, 4, 25. I in malum cruciatum.

CRŪCĪFER, i, m. *Prud. Cathem. init.* 3. Christum Dominum cruciferum appellat, *h. e.* crucem sibi ipsum bajulantem.

CRŪCĪFĪGO, is, ixi, ixum, a. 3. σταυρόω, in crucem tollo. *Suet. Dom.* 11. Actorem summarum pridie, quam crucifigeret, in cubiculum vocavit. ℙ Magis est ex consuetudine Latina, si divisim *cruci figo* scribatur. Fuerunt enim ecclesiastici scriptores, qui quod frequentius usurpabant, ex duabus unam vocem fecerunt. [*Cf. *Oudendorp.* ad *Suet. l. l.*]

CRŪCĪFIXOR, oris, m. σταυρωτὴς, qui cruci figit. *Paulin. Nolan. ep.* 18, (al. 28.) 7. Christus suis crucifixoribus rogavit ignosci.

CRŪCĪFIXUS, a, um, part. a *crucifigo*, cruci affixus, σταυρωθείς. *Plin.* 8, 16, 18. Polybium leones in Africa crucifixos vidisse. *Quint.* 7, 1. Invenerunt ducem crucifixum. ℙ Rectius disjunctim scribitur *cruci fixus.*

CRŪCIO, as, avi, atum, a. 1. σταυρόω, cruci affigo. *Lact. Mort. pers.* 2. Extremis temporibus Tiberii Caesaris Dominus noster JESUS CHRISTUS a Judaeis cruciatus est post diem decimum Kalendarum Aprilis, duobus Geminis consulibus. ℙ Hinc torquere significat, dolorem afferre, βασανίζω. *Cic. Har. resp.* 18. Vulnere ac dolore corporis cruciari et consumi. *Id. Fin.* 2, 20. Vigiliis et fame cruciari. ℙ Translate. [**Hor. Sat.* 1, 2, 22. Ita ut pater ille Terenti — Non se pejus cruciaverit atque hic.] *Ter. Heaut.* 5, 5, 1. Chremes nimis graviter cruciat adolescentulum, nimisque inhumane. *Pl. Capt.* 3, 4, 68. Crucior, lapidem non habere me, ut illi mastigiae cerebrum excutiam. *Id. Mil.* 4, 8, 11. Istuc crucior, a viro me tali abalienarier. *Id. Trin.* 5, 2, 46. Cum illa ita est, ut esse nolo, id crucior. *Mart.* 11, 94. Illud me cruciat, quod, etc. *Ter. Eun.* 1, 2, 15. Ne crucia te, obsecro, anime mi, mi Phaedria. *Id. ib.* 2, 3, 91. illis crucibus, quae nos semper omnibus cruciant modis, nunc referam gratiam, *h. e.* meretricibus. *Cic. Att.* 8, 15. Officii mei deliberatio cruciat, cruciavitque adhuc. *Calpurn. Flacc. decl.* 47. Cruciari conscientia, pudore torqueri. *Just.* 6, 3. Quos major sollicitudo cru-

ciabat. *Pl. Bacch.* 3, 3, 89. Ipsus sese cruciat aegritudine. *Plin.* 2, 63, 63. Terra ferro, ligno, igne, lapide, fruge omnibus cruciatur horis. *Id.* 33, 3, 19. Aes cruciatur in primis, accensumque restinguitur. ℙ [Part. *Crucians* ap. *Front. B. Parth.* Polycrates in crucem sublatus est: ita ei crucianti somnium expeditum, *h. e.* ei in cruce sublato, nempe a *crucio* sensu neutro. *Id. ad amic. ep.* 1, 18. Nec possum ego membris cruciantibus operam ullam litteris scribendis legendisve impendere. Adde *Pl. Capt.* 4, 2, 34. [**Cruciantem cantherium* h. l. cum *Lambino Lindem.* intelligit eum, qui equitem cruciat, qui crebra succussatione et agitatione immodica sessori molestus est.] *Cruciandus* ap. *Ov. Her.* 14, 119. poenae crucianda reservor. *F.*]

CRŪCISĀLUS, i, m. qui salit in crucem, nomen fictum a *Pl. Bacch.* 2, 3, 128. Facietque extemplo Crucisalum ex Chrysalo.

CRŪCIUM, quod cruciat. Unde *Lucilius* vinum insuave, crucium dixit. Haec *Festus.* (Hinc Itali habent *cruccio*).

CRŪDĀRIA, ae, f. argenti vena, quae in summa fodina reperitur. *Plin.* 33, 6, 31.

CRŪDĒLIS, e, adj. *ὠμὸς, σιδηρόφρων, ἀπάνθρωπος*, qui crudis est moribus, saevus, inhumanus, immitis, durus, ferus. *Auct. ad Her.* 2, 19. Animus ferus, crudelis, atque inhumanus. *Cic. ad Brut.* 1, 12. Lepidus crudelis in liberos. *Id. Or.* 2, 48. Esse crudelem in calamitate alicujus. *Prop.* 2, 20, 45. Sed non Neptunus tanto crudelis amori. *Cic. Att.* 9, 6. *sub f.* Bellum crudele et exitiosum. *Id. Cluent.* 63. Crudelis atque importuna mulier. *Sall. Cat.* 56. Crudelissimi parricidae. *Nep. Dion.* 1. Crudelissimum nomen tyranni. *Suet. Caes.* 75. Crudelem in modum enecare aliquem. *Petr. Sat.* 105. Inhibete crudelissimas manus. *Virg. Ecl.* 10, 29. Crudelis amor, [*i. e. nec lacrimas nec dolorem amantium curans. V. *Heyn.*] *Id. A.* 12, 636. Letum crudele. *Val. Fl.* 3, 302. exitium. *Id.* 4, 459. Crudelis egestas. *Hor. Sat.* 2, 8, 61. heu Fortuna, quis est crudelior in nos Te Deus? *Prop.* 3, 5, 3. de pecunia. Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes. *Id.* 2, 13, 43. Ferrum crudele. *Tibull.* 2, 6, 19. Crudelia arma. *Virg. A.* 6, 585. et *Ov. Met.* 2, 612. Crudelis poena. *Id. Fast.* 2, 695. Crudeli verbere lacerare terga. *Prop.* 1, 16, 17. Crudelior janua, *h. e.* quae supplices non admittit. *Virg. A.* 3, 44. Crudeles terrae, *h. e.* in quibus sunt crudeles homines. *Lucan.* 5, 691. Visum est committere quemquam Tam saevo, crudele mari. ℙ [*Significat *crudelis* et infelicem, calamitatibus affectum. *Virg. A.* 8, 579. O nunc liceat crudelem abrumpere vitam. *Id. ib.* 9, 497. *Inscr.* ap. *Orell.* 2662. CRUDELES — PARENTES — FACERE — CUR. *Orell.* in *Ind. crudeles* parentes, i. e. infelices.] ℙ Metonymice. *Stat. Th.* 5, 508. de angue immani. Livida fax oculis, tumidi stat in ore veneni Spuma virens, ter lingua vibrat, terna agmina adunci Dentis, et auratae crudelis gloria frontis. ℙ *Crudele* adverbii modo pro crudeliter. *Stat. Th.* 3, 211. quanti crudele rubebitis amnes! *Claud. Rapt. Pros.* 3, 340. Crudele minantur. *Id. in Eutr.* 2, 108. de Marte. Subrisit crudele pater.

CRŪDĒLITAS, atis, f. *ὠμότης, ἀπανθρωπία*, saevitia, inhumanitas, immanitas, feritas, acerbitas. *Senec. Clem.* 2, 4. Crudelitas est atrocitas animi in exigendis poenis. [**Schonungslosigkeit.*] Et *ib. ad f.* Crudelitas est inclinatio animi ad asperiora. *Cic. Off.* 3, 11. Est hominum naturae maxime inimica crudelitas. *Id. Sext.* 65. Carnificina atque crudelitas. *Nep. Alcib.* 4. Immoderata licentia et crudelitas erga nobiles. *Id. Thras.* 3. Uti crudelitate. *Caes. B. G.* 7, 77. Singularis ac nefaria crudelitas. *Id. B. C.* 1, 32. Crudelitas et insolentia. *Cic. Dom.* 23. Adhibere crudelitatem in aliquem. *Id. Phil.* 11, 3. Exercere insatiabilem crudelitatem non solum in vivo, sed etiam in mortuo. *Id. Q. Fr.* 1, 3. Inimicorum crudelitas nondum est nostra calamitate satiata. *Crassus* apud *Cic. Or.* 1, 52. Quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri. *Cic. Dom.* 23. Omni crudelitate lacerare aliquem. *Auct. ad Her.* 4, 55. Anhelans ex intimo pectore crudelitatem.

CRŪDĒLITER, adv. *ὠμῶς, ἀπανθρώπως*, inhumaniter, saeve, immaniter, acerve. *Cic. Cat.* 4, 5. Cum de pernicie populi R. tam acerbe, tamque crudeliter cogitarit. *Id. Cat.* 1, 11. Crudeliter et regie facere. *Id. Sull.* 27. Crudelissime perire. *Id. Att.* 10, 4. Patris lenitatem crudeliter negligere. *Caes. B. C.* 1, 2. Acerbissime crudelissimeque dicere. *Nep. Eum.* 6. Crudelissime se gerere. *Id. Paus.* 3. imperare. *Id. Dion.* 2. a tyranno violari. *Caes. B. G.* 7, 38. Ipsos crudeliter excruciatos interficit. *Ov. Met.* 3, 442. de Narcisso. Ecquis, io silvae, crudelius, inquit, amavit? *Tibull.* 1, 9, 7. Amor crudelius urit. *Curt.* 3, 13. Fortuna crudelius aggravans.

CRŪDESCO, scis, ui, n. 3. crudus fio: translate asperior fio. *Virg. G.* 3, 504. in processu coepit crudescere morbus. *Id. A.* 7, 788. effuso crudescunt sanguine pugnae. *Sil.* 1, 431. qui carmine pollens, Fidebat magica ferrum crudescere lingua, *h. e.* nocentius fieri. *Tac. H.* 3, 10. Crudescit seditio. *Stat. Th.* 2, 717. aspero crudescit sanguine Gorgon. *Id. ib.* 679. et *Just.* 8, 4. Crudescunt irae. [**Sil.* 11, 891. Majore crudescere motu, i. e. stimulari, incitari.] *Symm. ep.* 8, 57. (al. 58.) Credo ex nocturnis vigiliis, noxa post cruduit.

CRŪDĪTAS, atis, f. *ἀπεψία*, stomachi morbus ex nimiis cibis, malaque eorum concoctione. [*Interdum et intemperantiam edendi, ut *Ernest.* in *cl.* explicat, coll. his ex *Cic. Fam.* II.] *Cic. Fam.* 9, 18. *f.* Satius est hic cruditate, quam istic fame. *Id. Fat.* 15. Cruditas est causa morbi. *Id. Fam.* 15, 17. D. Sullam cruditate mortuum dicebant. *Quint.* 7, 3. *s. f.* Cruditate contracta decessit. *Colum. prooem. med.* Quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus. *Plin.* 26, 7, 25. Cruditates digerunt daucum, plantago etc. *Id.* 17, 24, 36. *n.* 2. Arbores laborant et fame, et cruditate. *Id.* 24, 5, 11. Non censeam hoc remedio utendum in cruditatibus.

CRŪDĪTĀTĬO, onis, f. cruditas, stomachi non concoquentis vitium. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 2.

CRŪDĪTO, as, n. l. male concoquo, cruditate laboro. *Vet. Gloss.* Crudito, *ἀπεπτῶ*. *Tertull. Jejun.* 16. Populus carnis avidissimus usque ad choleram ortygometras cruditando. *Id. Apolog.* 9. Ursorum alvei cruditantes adhuc de visceribus humanis.

CRŪDUS, a, um, adj. *ὠμὸς*, qui est adhuc in cruore, ut *crudum vulnus*, recens, et quasi adhuc cruentum. Vocis etymon vide in CRUOR. *Plin. ep.* 5, 16. Crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat. Adde *Ov. Trist.* 3, 11, 19. et l. *Pont.* 3, 16. ℙ Praeterea dicitur de eo, quod non est coctum igni. *Pl. Aul.* 3, 2, 15. Quid tu curas, utrum crudum, an coctum edim? ℙ Item de cibis, qui indigesti, et nondum concocti sunt in stomacho. *Juven.* 1, 143. Crudum pavonem in balnea portas. [*Hic notandus locus. *Quint. Inst.* 10, 1. p. 882. Repetamus autem et tractemus et ut cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur, ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita et velut confecta memoriae imitationique tradetur. *Lectio cruda* est, qua sine judicio, discrimine, nulla tenendi intelligendique cura, alia omnia legendo colliguntur.] ℙ Item de fructibus acerbis, et immaturis. *Cic. Senect.* 19. Poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur. ℙ *Crudus homo* dicitur, cujus stomachus non facile concoquit: vel qui nimium cibi sumpsit, nec potest concoquere. *Cic. Fin.* 2, 8. Crudique postridie se rursus ingurgitent. *Id. Cluent.* 60. *f.* Cum ad illud prandium crudior venisset etc. Adde *Or.* 1, 27. [*Crudus h. l. non ad stomachum, sed ad vocem pertinere et idem significare videtur, quod *raucus.* V. *B. Crus.* in *Cl. Suet.* p. 257.] Et *Hor. Sat.* 1, 5, 49. Sic apud *Caton. R. R.* 125. Cruda alvus, *h. e.* quae indigesta excernit. *Mart.* lepide ludit in hac et superiori notione, 3, 13. [*Cf. *Salm.* ad *Solin.* p. 252.] ℙ Crudum etiam dicitur, quod adhuc viride est, nec coepit flavescere, ut Crudus palmes, *Lucan.* 4, 317. Sic metaphorice *Virg. A.* 6, 304. Cruda Deo, viridisque senectus, *h. e.* valida, fortis. Eodem modo locutus est *Tac. Agric.* 29. Sic *Sil.* 5, 569. in arma Ille quidem cruda mente, et viridissimus irae Ibat, *h. e.* ardore juvenili. ℙ Ponitur et pro immaturo, hoc est tempus suum non exspectante, ut Crudum funus, *Stat. Th.* 9, 391. Cruda puella, *h. e.* nondum viro apta, *Mart.* 8, 64. et *Hor. Od.* 3, 11, 12. et adhuc protervo Cruda marito. Et *Stat. Achill.* 1, 478. cujus ab ortu Cruda rudimenta, et teneros formaverit annos. *Id. Theb.* 2, 341. si crudus amor, nec dum post flammea toti Intepuere tori, *h. e.* recens, neque diuturnitate firmatus. *Tac. A.* 1, 8. Crudum servitium, *h. e.* recens, et cui nondum assueverunt animi. *Claudian. III. Cons. Honor.* 42. Sed nova per duros instruxit membra labores, Et cruda teneras exercuit indole vires. *Petr. Sat.* 4. Cruda adhuc studia in forum propellunt, et eloquentiam pueris induunt adhuc nascentibus, *h. e.* nondum aetate et experimentis firmata. [*Sil. 3, 386. Sonipes crudo vigore, i. e. non mansuefactus. *Id.* 12, 348. Crudos sine viribus annos.] ℙ *Crudi versus* sunt non elaborati, duri, et non bene cocti, ut *Pl. Mil.* 2, 2, 53. loquitur. *Pers.* 1, 92. Sed numeris decor est, et junctura addita crudis. ℙ *Cruda terra* dicitur, quae proscissa, subacta, et macerata aratro non est. *Colum.* 2, 2. *f.* Alternis versibus obliquum tenere aratrum, et alternis recto plenoque sulcare: sed ita, necubi crudum solum, et immotum relinquat: quod agricolae scamnum vocant. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Scamna inter duos sulcos cruda ne relinquantur. *Colum.* 2, 10. Crudis novalibus semen ingerere. ℙ Est etiam *crudus* crudelis, durus, inexorabilis, immiti natura, et nullo cultu atque humanitate subacta. *Ov. Trist.* 5, 3, 8. Crudi Getae. *Juven.* 8, 223. Quid Nero tam saeva crudaque tyrannide fecit? *Senec. Hippol.* 1220. Crudus, et leti artifex. ℙ Translate. *Ov. Amor.* 3, 8, 58. Cruda bella. *Virg. A.* 10, 682. et crudum per costas exigat ensem. *Id. ib.* 5, 68. crudo pugnam committere caestu. *Sil.* 7, 113. Crudum Marte viri nomen, *h. e.* terribile nomen viri bellicosi. *Id.* 5, 226. crudusque, ruente Fortuna, stimulus spem projecisse salutis, *h. e.* acertimus. *Stat. Th.* 1, 422. Crudi sudores, *h. e.* multi laboris. [**Sil.* 14, 454. Crudo luctari pelago, i. e. saevo.] ℙ Item scaber, asper, non levigatus. *Virg. A.* 9, 744. rudem nodis et cortice crudo hastam intorquere. *Servius* exponit viridi. ℙ *Crudum spartum* ap. *Colum.* 12, 19. est non malleatum, ut ipsemet exponit. ℙ *Corium crudum* est non perfectum, *Varr. L. L.* 4, 24. et Crudus taurus ap. *Val. Flacc.* 4, 250. est corium tauri crudum. Quo fortasse referendum est illud *Silii* 5, 525. at latus ense Haurit, nec crudae tardarunt tegmina parmae, *h. e.* e crudo corio confectae. ℙ Item laboriosus, molestus. *Cassius Parmensis* ap. *Suet. Aug.* 4. Materna tibi farina est ex crudissimo Ariciae pistrino. [**Crudus* h. l. significat *rudem*, *incultum*, ita ut crudum pistrinum sit, ubi homines incultos mores prae se ferunt. V. *Casaub.*] ℙ Item durus. *Pers.* 5, 162. Crudum unguem abrodere. ℙ Et translate durus, fortis. *Sil.* 4, 35. crudam contra aspera mentem, Et magnos tollunt animos. ℙ *Cruda locorum*, ap. *eund.* 3, 514. sunt loca aspera, fragosa, invia. ℙ *Crudus honor*, ap. *Stat. Th.* 10, 342. est cruentus, et quodammodo crudelis, quo nempe offeruntur Deo *trunca arma*, *cruorque virorum.* ℙ In illo *Pl. Poen.* 5, 2, 148. Heu hercle mortalem catum, malum, crudumque, et callidum, atque subdolum! *Crudius* esse videtur, qui quamlibet fallaciam, mendaciumque comminisci ore duro et perfricta fronte potest, nec ullum vultu, aut sermone signum doli praebet: sed immotus et constans fraudem alte tegit, ac dissimulat. ℙ *Crudum* adverbii more. *Cels.* 1, 2. Qui crudum sine praecordiorum dolore ructat. [*Confunduntur *Crudus* et *nudus.* V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 10, 8. p. 220.]

CRŪENTĀTĬO, onis, f. cruoris aspersio, *αἱματώσις*. *Tertull. adv. Marc.* 4, 39. Altaris cruentatio.

CRŪENTĀTUS, a, um, part. a *cruento*, cruore aspersus, cruentus, *αἱματκὸς, αἱματωθείς*. *Cic. Inv.* 2, 4. Gladium cruentatum in vaginam recondidit. [**Ov. Met.* 3, 572. Cruentati redeunt. *Id. ib.* 4, 104. Ore cruentato.] *Petr. Sat.* 138. Omnibus digitis inter praecipitem decursum cruentatis. *Plin.* 22, 11, 13. Stoebe medetur oculis ictu cruentatis.

CRŪENTĒ, adv. per cruorem, saeve, crudeliter. *Justin.* 39, 3. Quae tam cruente saeviat. *Id.* 23, 2. *med.* Cruente deserere virum. *Senec. Benef.* 5, 16. *f.* Ceteri arma cruentius exercuerunt. *Flor.* 3, 19. Siciliam multo cruentius servili, quam Punico bello esse vastatam. Et *ib.* 21. Atrocius et cruentius. *Oros.* 1, 17. Bello per decem annos cruentissime gesto.

CRŪENTER, adv. idem quod cruente. *Appul. Met.* 3. Civium laniena, quam cruenter exercuit.

CRŪENTĬFER, a, um, adj. cruorem et caedes ferens, cruentus. *Tertull. Judic. Dom.* 10. *in carm.* Atque cruentiferis signis sacraverit aras.

CRŪENTO, as, avi, atum, a. l. *αἱματόω*, feriendo elicio sanguinem, cruore aspergo, sanguine polluo. *Nep. Epam.* 10. Cruentare manus sanguine suorum, *τὰς χεῖρας αἱματῶσα. Cic. fr. Oration.* 10. *C. Anton.* ap. *Ascon.* Cruentare se caede nefaria. *Ov. Met.* 8, 424. Cruentare tela. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 1, 4. noctu summa arcis adorti Moenia concubia, vigilesque repente cruentant. *Propert.* 4, 8, 65. Imponitque notam collo, morsuque cruentat. [**Sil.* 17, 541. Ferrata calce cruentat cornipedem.] ℙ Pro rubro colore inficere, *Senec. Contr.* 2, 15. *sub f.* Ex omni rupe conchylium trahitur, quo vestis cruentetur. Adde *Stat. Silv.* 1, 5, 38. ℙ Pro maculare, inquinare. *Lucr.* 4, 1030. Cruentare vestem. ℙ Translate. *Cic. Har. resp.* 16. Secures suas cruentari scelere noluit. *Id. in Senat.* 3. Ne propter me civium vulneribus respublica cruentaretur. *Id. Phil.* 2, 34. Haec te lacerat, haec cruentat oratio.

CRŪENTUS, a, um, adj. *αἱματόεις, αἱματκὸς*, cruore tinctus, sanguine aspersus, vel madens; vel qui cum sanguinis effusione fit. *Cels.* 2, 8. Vomica quo cruentior, eo melior est. *Plin.* 26, 5, 15. Exscreationes cruentae. [**Propert.* 4, 5, 66. Sputaque per dentes ire cruenta cavos.] *Vell.* 2, 71. Non aliud bellum cruentius caede clarissimorum virorum fuit. *Id. ib.* 52. Acies Pharsalica, et ille cruentissimus Romano nomini dies. *Cic. Phil.* 4, 2. Cruentus sanguine civium. *Id. Mil.* 13. Cruentum cadaver. *Id. Or.* 2, 40. Gladius cruentus. [**Ov. Fast.* 5, 457. Umbra cruenta Remi. *Propert.* 2, 13, 83. Phthii busta cruenta viri (propter caedem Polyxenae in ea commissam).] ℙ Translate est cruore gaudens, ferus, crudelis. *Hor. Od.* 3, 2, 11. leo, quem cruenta Per medias rapit ira caedes. Et *ib.* 2, 14, 13. Cruentus Mars. *Id. Sat.* 2, 3, 223. gaudens Bellona cruentis, *αἱματοχαρὴς*, caedis amans. *Ascon.* in *Orat.*

Cic. in toga cand. Cruentissimae sententiae. [**Ov. Met.* 10, 620. Thalamosque relinque cruentos, i. e. conjugium caede refertum, mortiferum. ℙ Item rubens, rubicundus, sanguineus. *Virg. G.* 1, 306. Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta. [**Ov. Met.* 4, 618. Gorgonei capitis guttae cecedere cruentae.] ℙ Item foedatus, contaminatus. *Lucr.* 5, 1137. Et capitis summi praeclarum insigne cruentum. ℙ *Id.* 6, 1133. cruentum coelum dixit, *h. e.* corruptum et pestilens.

CRŪMĀTĀ. V. CRUSMA.

[CRŪMĔLUM, i, n. herbae genus hactenus ignotum, cujus mentio est in *Not. Tir.* p. 112. Videtur esse a *χρυμὸς*, gelu, seu *χρυμαλέος*, gelidus. *F.*]

CRŪMĒNA et Crumīna, ae, f. *βαλάντιον, μαρσύπιον*, sacculus e brachio (ut *Non.* docet 2, 76.), aut collo dependens, vel ante pectus, vel in tergum: in quo pecunia reponitur. *Pl. Asin.* 3, 3, 67. Hic pone, hic istam colloca cruminam in collo plane. *Id. fragm.* ap. *Fest.* Tene cruminam: in ea erunt triginta minae. *Id. Truc.* 3, 1, 7. Homo crumenam sibi de collo detrahit: Minas viginti mihi dat, accipio libens: Condo in crumenam. *Id. Pseud.* 1, 2, 37. I, puere, prae; ne quisquam pertundat crumenam, cautio est, *scil.* quam a tergo pendentem gestas. ℙ Metonymice ponitur pro nummis ipsis. *Juven.* 11, 38. quis enim te, deficiente crumena, Et crescente gula, manet exitus? Adde *Hor. Ep.* 1, 4, 11.

CRŪMĒNĪSĔCA, ae, m. *βαλαντιοτόμος*, qui crumenas secat, manticularius. *Justin. Novell. constitut.* 13, 1, 4. Conscii latronum, veneficiarii, crumenisecae. ℙ [Ita Lexicographus noster; sed in antiqua Latina interpretatione *l. c.* non *crumenisecae*, sed *cingulorum incisores* legitur, quibus verbis vox *βαλαντιοτόμοι*, quae in textu Graeco exstat, conversa est. Nihili igitur habenda vox *crumeniseca*, quae ex alicujus recentioris viri ingenio provenit, et illius loco usurpanda est *manticularius*, quam Vide suo loco. *F.*]

*CRUMERUM, i, opp. Panoniae inferioris. *Notit. Imper.* Reperitur et *Crumeri, orum. B. A.*

*CRŪNI, orum, *κρουνοὶ*, (i. e. fontes, scatebrae) opp. Moesiae inferioris ad Pont. Euxinum, postea Dionysopolis appellatum. *Plin.* 4, 11. V. *Crunos. B. A.*

*CRUNOE, *Κρουνοὶ*, i. e. fontes, pro Cruni, promontorium Asiae, in mare Euxinum incurrens. *Plin.* 6, 5. *B. A.*

*CRUNOS, i, m. (*κρουνοὶ*, i. e. fons, scatebra,) portus fuit, cujus meminit *Mela* 2, 2. *ante med.* Est portus Crunos; urbes Dionysopolis etc. [*Hodie esse videtur ad urbem *Warna.*] ℙ Forte idem, quod Cruni *Plinio.* V. CRUNI. *B. A.*

CRŪOR, oris, m. *αἷμα*, sanguis vulnere effusus. Hoc enim differunt, quod *sanguis* est etiam cum in venis clauditur, cruor tantummodo effusus. Est a *κρύος*, quod Aeoles pronunciabant *κρύορ*, ex quorum dialecto Romani multa hauserunt; significat autem *sanguinem frigefactum;* hinc *crudus*, qui est adhuc in cruore. *Lucr.* 2, 194. e nostro cum missus corpore sanguis Emicat exsultans alte, spargitque cruorem. *Cic. Rosc. Am.* 7. Cruorem inimici quam recentissimum ostendere. *Hor. Epod.* 3, 6. Cruor viperinus incoctus herbis. *Id. Sat.* 1, 8, 28. Cruor in fossam confusus. *Id. Od.* 2, 13, 7. penetralia (*crediderim*) Sparsisse nocturno cruore Hospitis. *Sall. Cat.* 51. Armis, cadaveribus, cruore, atque luctu omnia compleri. *Ov. Trist.* 1, 6, 9. Lupus avidus cruoris. *Id. Met.* 7, 333. Haurire cruorem. *Virg. G.* 4, 542. sacrum jugulis demitte cruorem. *Id. A.* 5, 470. Crassum cruorem ore rejectare. *Id. ib.* 11, 804. hasta virgineum alte bibit acta cruorem. *Plin.* 23, 1, 24. Si cruore suffunduntur oculi. ℙ Translate. [**Tibull.* 2, 3, 38. Hinc cruor, hinc caedes mors propiorque venit.] *Ov. Met.* 15, 463. Parare se cruori humano, *h. e.* disponere se ad caedem hominis faciendam. [**Id. ib.* 4, 161. Gemini monumenta cruoris. *Id. ib.* 12, 534. Ferrum exercere cruore.] *Hor. Sat.* 2, 3, 275. adde cruorem stultitiae, *h. e.* caedem, vel crudelitatem. *Lucan.* 9, 1022. regna Phari nullo quaesita cruore. ℙ *Canens cruor* in ore apri est spuma cana sanguine mixta, ap. *Sil.* 1, 424. Hinc ap. *Virg. G.* 3, 203. *spuma cruenta.* ℙ In plurali num. *Virg. A.* 4, 687. atros siccabat veste cruores. *Val. Flacc.* 4, 330. tenues tamen ire cruores Siderea de fronte vident. Adde 5, 585. et alibi, et *Hor. Od.* 2, 1, 5. et *Lucan.* 7, 636.

CRUPPELLĀRĬI, apud Aeduos fuere servi gladiatores, quibus more gentico continuum ferri tegimen: inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles. Ita *Tac. A.* 3, 43., ubi *Muretus* suspicatur legendum *clibanarii:* sed alii stant aliter pro voce altera.

*CRUPTORIX, icis. *Cruptoricis villae* meminit *Tac. H.* 4, 73. Villa vel opp. fuit Germaniae septentrionalis, in regione Frisiorum. *B. A.*

CRŪRĀLIS, e, adj. ad crura pertinens. *Petr. fr. Trag.* 40. *Burm.* Barbatus ingens, fasciis cruralibus alligatus. *Ulp. Dig.* 34, 2, 25. Fasciae crurales, pedulesque loco vestis sunt. *Crurales fasciae, περισκελίδες* erant, quae *Suet. Aug.* 82. vocat *tibialia*, muniendis tegendisque cruribus. Multa de iis *Casaubon.* ad *Suet. l. c.* ℙ Quidam ap. *Ulp.* leg. *crurules.*

CRŪRICRĔPIDA, ae, m. nomen servi est apud *Pl. Trin.* 4, 3, 14. cui nempe crura compedibus crepuerunt, vel qui adeo malus est, ut crurifragium mereatur. Sic *oculicrepidae* dicuntur ii, quibus oculi pugnis contundi solent. *ib.*

CRŪRIFRĀGĬUM, ii, n. *σκελοκοπία*, fractio crurum. *Glossae Philox.* habent etiam *Crurifrangium*, minus tamen recte; nam *foedifragus*, non *foedifrangus* dicitur. *Pl. Poen.* 4, 2, 64. Continuo is me ex Syncerasto Crurifragium fecerit. Alii legunt *Crurifragum. Appul. Met.* 9. Crurum ei fragium obominata: tmesi usus est. ℙ De supplicio crurifragii agit *Lips. de cruce* 2, 14., et 3, 14.

CRŪRIFRĀGUS. V. v. praec.

CRŪRŪLIS. V. CRURALIS.

CRUS, uris, n. *σκέλος, κνήμη*, pars corporis a genu ad pedem. *Cels.* 8, 1. *f.* Ipsum autem crus est ex ossibus duobus. Etenim per omnia femur humero, crus vero brachio simile est. *Cic. N. D.* 1, 56. Ibes aves excelsae cruribus rigidis. *Virg. G.* 3, 53. de bobus. Et crurum tenus a mento palearia pendent. *Id. ib.* 192. de equo: sinuetque alterna volumina crurum. *Plin.* 11, 2, 1. Natura in culice praelongavit pedum crura. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 2. Crure uno insistere. *Suet. Cal.* 3. Crurum gracilitas. [**Al.* crurium, v. *Oudend.* Eadem forma in multis obtinet *Cal.* 50. et *Dom.* 18. ubi v. *Burm. B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 257.] *Plin.* 11, 45, 105. Surae homini tantum, et crura carnosa. *Id.* 8, 33, 51. Crura recta et excelsiora. *Suet. Vitell.* 7. Crus debile. *Cic. Rosc. Am.* 20. Crura alicui suffringere. *Mart.* 11, 58. Frangam tonsori crura, manusque simul. ℙ In arboribus crus est ima pars trunci. *Colum.* 5, 1. *f.* Ramum olivae deflecte, et ad crus arboris ficulneae religa. *Id.* 3, 10. Aut in capite vitium, aut in crure radicibus vicino. *Plin.* 17, 19, 30. *n.* 7. Crus fici. ℙ De more effeminatorum hominum depilandi resina crura, quo molliores delicatioresque viderentur, habes testimonia ap. *Mart.* 12, 38. et 9, 28., *Juven.* 8, 114. et *Plin.* 14, 20, 25. [*Adde *Suet. Aug.* 68.] ℙ *Crus* cognomen fuit L. Cornelii Lentuli, qui consul fuit cum C. Claudio Marcello an. U. C. 705. *Coelius* ad *Cic. Fam.* 8, 4. Hoc tibi non invideo, Lentuli Cruris repulsi vultum non vidisse. Hic tamen apud *Val. Max.* 6, 7, *n.* 3. dicitur *Cruscellio*, ap. *Anonym. Norisian.* vero *Cruscellus.*

*CRUSA, ae, f. insula prope Cariam, in sinu Ceramico. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[CRUSCELLĬO, onis, m. diminut. cruscelli, et

[CRUSCELLUS, i, m. vel Cruscillus, i, diminut. cruris: qui habet crura parva, vel exilia. *Cruscellio*, vel *Cruscellus* cognominatus est L. Cornelius Lentulus, de quo V. in CRUS. *Inscr.* ap. *Mur.* 1570, 5. M. Poblicius Cruscillus. *F.*]

CRUSCŬLUM, i, n. pusillum crus. *Pl.* ap. *Fest.* in *Crocotilum.* Cum crocotilis cruseulis. *Mart.* 3, 93. Pectus cicadae, crusculumque formicae.

CRUSMĂ, ātis, n. *κρόῦομα*, idem ac crotalum, quo praecipue utebantur Itali, et Hispani, a *κρούω*, pulso. *Mart.* 6, 71. Edere lascivos ad Baetica crusmata gestus, Et Gaditanis ludere docta modis. Alii leg. *crumata*, quod ejusdem est originis et significationis; nam etiam Graece *κρόῦμα*, dicitur. ℙ Aliam notionem V. in v. seq.

CRUSMĂTĬCUS, a, um, adj. quasi dicas pulsatorius. Crusmatica appellatur pars musicae. *Auctor fragmenti*, quod cum *Censorino* edi solet, *c.* 11. Musica est peritia faciendorum et canendorum modorum: ejus partes harmonica, organica, crusmatica. Crusmata pulsus decori sine carmine vocantur.

CRUSTĂ, ae, f. *πλάξ*, si credimus *Vossio*, qui derivat a *κρύος*, gelu, proprie dicitur de superficie aquarum, quae in glaciem concrevit. *Virg. G.* 3, 360. Concrescunt subitae currenti in flumine crustae. ℙ Ob similitudinem de operimento fragili in aliis rebus. *Lucr.* 6, 626. mollisque luti concrescere crustas. *Front. Aquaed.* 122. Limus interdum in crustam durescit. *Ulp. Dig.* 39, 2, 9. Crusta soli vel terrae. *Cels.* 5, 9. Crustas ulceribus tanquam igne adustis inducere; et *ib.* 10. Crustas resolvere. *Plin.* 29, 4, 30. Vis cantharidum adurere corpus, crustas obducere. *Id.* 9, 30, 50. Locustae crusta fragili muniuntur. *Id. ib.* 28, 44. Pisces contecti crustis tenuibus. *Id.* 15, 28, 34. Crusta teguntur glandes. *Id.* 19, 8, 53. Crusta panis inferior. *Id.* 29, 3, 12. Ovum crusta cartilaginis, *h. e.* putamine cartilaginoso. *Id.* 36, 6, 6. Secare marmor in crustas. *Id. ib.* 7. Crusta marmoris operire parietes. *Id.* 13, 4, 9. Caryotae crustam verius, quam cutem obducunt. *Id.* 35, 12, 45. Crustae parietum, *h. e.* tectorium. *Id.* 37, 4, 15. Adamas in tam parvas frangitur crustas, ut cerni vix possint. *Id.* 20, 9, 35. Crustae si occupent intus vasa, in quibus aquae fervent in tantum, ut non sit eas avellere, si brassica in iis decoquatur, abscedunt. *Alphen.* ap. *Ulp. Dig.* 39, 2, 9. Si ex fundo tuo crusta lapsa sit in meum fundum, *h. e.* gleba. *Paul. Dig.* 34, 2, 33. Cymbia argentea crustis aureis illigata. *Cic. Verr.* 2, 4, 23. Quae probarant, iis crustae, aut emblemata detrahuntur. [*Crustae* sunt *riporti di basso rilievo*, *emblemata* vero *di alto rilievo. F.*] [*V. quae de his disputat *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Juven.* 5, 38. Capaces Heliadum crustae, *h. e.* pocula ex electro. *Imppp. Theod., Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 15, 7, 11. His quoque vestibus noverint abstinendum, quas Graeco nomine a Latino crustas vocant: in quibus alio admixtus colori, puri robur muricis inardescit. *crustas* appellant, inquit *Du Fresne* in *Glossar.*, quod sicut crustae marmoris parietibus affiguntur, ita ejusmodi vestes assutis in crustarum modum segmentis, vel limbis distinguerentur. *Salm.* ad *Trebell. Claud.* 17. putat ita dictas esse a densitate texturae: et *κρουσιὰς* appellatas, quod pectine essent bene percussae: a *κρούω* pulso. ℙ Translate. *Senec. Provid.* 6. Non est ista solida et sincera felicitas: crusta est, et quidem tenuis.

CRUSTĀRĬUS, a, um, adj. ad crustam pertinens. *Festus:* Crustariae tabernae a vasis potoriis crustatis dictae. *Plin.* 33, 12, 55. Habuit et Teucer crustarius famam, *h. e.* qui crustas vasis affigebat.

CRUSTĀTUS, a, um, part. a *crusto*, *πλακωθείς*, crusta obductus, incrustatus. *Varr.* ap. *Non.* 2, 461. Pavimenta et parietes crustati. Al. leg. *incrustati;* quod et in *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 6. habetur. *Lucan.* 10, 114. Nec summis crustata domus, sectisque nitebat Marmoribus. *Plin.* 11, 37, 62. In marinis crustata, et cartilaginea primores dentes habent, *h. e.* pisces crusta, seu testa obducti. *Appul. Met.* 7. Crustata crassities pectoris et ventris, *h. e.* crassae sordes in modum crustae collectae. *Ammian.* 24, 2. *f.* Porta hostilis, crasso ferro crustata. *Sidon. ep.* 1, 5. Pontes calcabili silice crustati. *Ammian.* 15, 10. Hieme vero humus crustata frigoribus, *h. e.* glacie cooperta.

CRUSTO, as, avi, atum, a. 1. *πλακόω*, crusta obduco, incrusto. *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 4. Mala generosissima crustant gypso, vel cera. *Sid. carm.* 2, 418. Hic domus Aurorae rutilo crustante metallo, Baccarum praefert leves asprata lapillos.

CRUSTOSUS, a, um, adj. *πλακώδης*, crustam habens. *Plin.* 12, 9, 19. Bdellium crustosius et amarius.

CRUSTŬLĂ, ae, f. dimin. parva crusta. *Plin.* 22, 25, 70. Lens crustulas ulcerum rumpit. *Arnob.* 2, 84. Potestis interrogati planum facere, quid nivem in plumeas subaperiat crustulas? *h. e.* in plumearum crustularum speciem nobis ostendat. *Id. ib. mox.* Quod imbres ac nives plumeas dilatarit.

CRUSTŬLĀRĬUS, ii, m. qui crustula facit, et vendit. *Senec. ep.* 56. Et botularium cogita, et crustularium, et omnes popinarum institores.

CRUSTŬLĀTUS, a, um, adj. *Spart. Ael. Ver.* Nam tetrapharmacum, seu potius pentapharmacum, ipse dicitur reperisse, hoc est sumen, fasianum, pavonem, pernam crustulatam, et aprugnam. Al. omittunt *pernam:* al. leg. *pernam*, *crustulata.* Si *crustulatam* solummodo legas, erit idem quod *crustulum.*

CRUSTŬLUM, i, n. *ψωμίον*, placenta est, ut *Acron*, et *Vet. Schol. Juven.* docent: videtur autem ita dici, quod in tenuem crustam percocta sit. *Varr. L. L.* 4, 22. Crustulum a crusta pultis. *Isid.* docet *Orig.* 20, 2. esse panem oleo conspersum, in medio concavum et tortum. *Hor. Sat.* 1, 1, 25. ut pueris olim dant crustula blandi Doctores, elementa velint ut discere prima. *Juven.* 9, 5. Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo. *Senec. ep.* 99. *ad f.* Consolamur crustulo pueros. *Inscr.* ap. *Grut.* 100, 5. Ob dedicationem populo crustulum, et mulsum dedit. Adde ap. *Mur.* 830, 3. et rursus ap. *Grut.* 228, 8. et 571, 1.

CRUSTUM, i, n. frustum panis, aut placentae, crustulum, *ψωμός. Virg. A.* 7, 114. Et violare manu, malisque audacibus orbem Fatalis crusti. Ubi *Servius: crustum*, et *crusta* neutraliter dicimus de his, quae comedi possunt, feminino autem genere, quae comesse non possumus. *Hor. Ep.* 1, 1, 78. Crustis, et pomis viduas venantur avaras. *Inscr.* ap. *Grut.* 173, 4. Ut ex eo vectigale quotannis colonis mulsum et crustum natali Caesaris Aug. daretur. Adde 373, 8., ubi eadem sententia.

CRUSTŪMĒRĪNUS, a, um, adj. ad Crustumerium (ut *Plin.* vocat 3, 5, 9.), vel Crustmeriam (ut *Liv.* 3, 42.), vel Crustumeros (ut *Virg. A.* 7, 631.) pertinens: quod fuit vetus oppidum Sabinorum prope Tiberim, atque eum locum, ubi Alliam recipit, contra Vejos. *Varr. L. L.* 4, 14. Tribuni plebeji, qui plebem defenderent in secessione Crustumerina. ℙ *Serv.* ad *Virg. l. c.* docet ex *Cassino*, *Hemina*, Siculum quendam nomine uxoris suae Clytemnestrae (al. Clytemestrae) condidisse Clytemnestrum: mox corrupto nomine, Crustumerium dictum.

CRUSTŬMĔRĬUM, V. v. praeced.

CRUSTŪMĪNĬUM, pro Crustumium, quidam leg. ap. *Liv.* 1, 11. ℙ Sed *Crustuminii* populi pro *Crustumini* leguntur ap. *Serv.* ad *A.* 8, 638.

CRUSTŪMĪNUS, et Crustumĭus, a, um, idem quod Crustumerinus, ut videtur: ut Crustumini campi, *Liv.* 2, 64. Crustumia pyra, *Virg. G.* 2, 88., quae *Servius ib.* dicit, esse ex parte rubentia, et *Colum.* 5, 10. *med.* inter generosissima recenset, *Plin.* vero 23, 7, 62. decocta ait mire salubria esse et grata: et Crustumina Tribus, a Tuscorum urbe Crustumina (al. Crustumena) appellata, *Festo* teste. ℙ *Crustumini*, *orum*, sunt ejus oppidi incolae, *Liv.* 1, 9, 10. et 11. Illud dubium facit, sitne Crustuminus idem quod Crustumerinus, quod *Festus* Crustuminam urbem in Tuscia ponit, scilicet trans Tiberim. At Crustumerium cis Tiberim certe fuit in Sabinis, ut dictum est. Nisi dicamus, propter propinquitatem facile alteram pro altera provinciam posuisse.

CRUSTŪMĬUM, ii, n. idem quod Crustumerium, ut videtur. *Serv.* ad *G.* 2, 88. et *Sil.* 8, 366. ℙ Item fluvius cum oppido cognomine inter Ariminum, et Pisaurum, nunc *Conca. Plin.* 3, 15, 20. et *Lucan.* 2, 406. ℙ *Phocas* in *Arte*, p. 1707. docet esse *Crustumiae*, *arum*, pluralis tantum numeri: sed fallitur.

CRUX, crŭcis, f. *σταυρὸς*, *σκόλοψ*, instrumentum e duplici ligno, recto et transverso, in quo damnati clavis, aut funibus affigebantur. Varii generis cruces fuerunt, de quibus *Lips. de Cruce* 1. et 3. exhibitis figuris fuse disserit. Fuit autem supplicium fere servorum, acerrimum, et infame, cum in cruce suspensi diu cruciarentur, paulatimque, et magnis doloribus vitam finirent. *Cic. Verr.* 2, 1, 3. Cives R. implorantes jura libertatis et civitatis, in crucem sustulit. *Id. Fin.* 5, 30. A praetore Darii in crucem actus est. *Id. Verr.* 2, 1, 4, Cives R. morte, cruciatu, cruce afficere. *Id. Pis.* 18. Si te, et Gabinium cruci suffixos viderem. *Justin.* 18, 7. In altissimam crucem suffigi jussit. *Hirt. B. Afr.* 66. Suffigere aliquem in cruce. *Curt.* 6, 3. et *Tac. A.* 15, 44. Cruci affixus. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 3. Defunctorum figere crucibus corpora. (V. CRUCIFIGO.) *Petr. Sat.* 111. Latrones jussit crucibus affigi. Et *ib.* 137. Si magistratus hoc scierint, ibis in crucem. *Cic. Verr.* 2, 5, 7. Figere crucem servis. *Juven.* 6, 219. Servo crucem ponere. *Suet. Galb.* 9. Statuere alicui crucem. *Plin.* 14, 1, 3. Pendere in cruce. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Illum crucem ibi ipsum constituere, ex qua tu eum ante detraxisses, *ἀλληγορικῶς*. ℙ *Lips. cit.* 1, 5. duplex esse statuit crucis genus, simplex et compactum: illud uno simplicique ligno constans, hoc duplici, erecto et transverso, ut dictum est. Ad primum crucis genus pertinere docet illud *Senecae Consol. ad Marc.* 20. Video istic cruces non unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas, capite quidam conversos in terram suspendere: alii per obscena stipitem egerunt: alii brachia patibulo explicuerunt. *Agere per obscena stipitem*, est quod dicimus [**spiessen*] *σκολοπίζειν*, a Turcis hodieque usurpatum supplicium. De eo *Maecenas in carm.* ap. *Senec. ep.* 101. Vita dum superet, bene est. Hanc mihi, vel acuta Si sedeam cruce, sustine. [At *Ruhkopfius*, in *adnot.* huic loco subjecta, contendit, hic sermonem esse de cruce tertii generis; nam mox ait *Senec.* Suffigas licet, et acutam sessuro crucem subdas? Putat enim praeter arrectarium stipitem, et ejus antennam, cui manus infigerentur, fuisse in medio stipitis palum acutum, cui per anum immisso suspendendus insideret, ne defunctus cito prolaberetur, sed ibidem putresceret. *F.*] ℙ *Crucem* appellat *Senec. Prov.* 3. machinam illam, in qua alligatus M. Regulus vigilia et inedia necatus est: de qua machina V. *Gell.* 6, 4. ℙ *Crucem pendulam* de temone currus dixit *Stat. Silv.* 4, 3, 28. V. ℙ Translate dicitur de omni cruciatu, pernicie, interitu, calamitate. *Colum.* 1, 7. Summum jus antiqui summam putabant crucem. *Ter. Eun.* 2, 3, 91. An id flagitium est, si in domum meretriciam Deducar, et illis crucibus, quae nos nostramque adolescentiam Habent despicatam, et quae nos semper omnibus cruciant modis, Nunc referam gratiam? *Pl. Aul.* 3, 5, 46. jamque hosce absolutos censeas, Cum iucedunt infectores crocotarii; Aut aliqua mala crux semper est, quae aliquid petat. *Ter. Phorm.* 3, 3, 11. Ni etiam nunc me hujus causa quaerere in malo jubeas crucem, *h. e.* in malo aliud malum, ut *Donat.* exponit. [**Quaerere in malo crucem* proverb. dicitur, qui in parvo malo magnum sibi malum ultro arcessit. Ita melius *Ruhnk.* ad h. l.] *Pl. Men. prol.* 66. Fluvius rapidus raptori pueri subduxit pedes: abstraxitque hominem in maximam malam crucem, *h. e.* ad interitum, mergendo. *Id. Bacch.* 4, 22. Quae te mala crux agitat? *h. e.* quae Furia. ℙ Saepe hinc adhibetur in exsecrationibus. *Pl. Asin.* 5, 2. *extr.* I in crucem. *Id. Most.* 3, 2, 163. Abin' hinc in malam crucem? *Id. Men.* 2, 2, 53. Numquid vis? *Me.* ut eas maximam in malam crucem. *Id. Rud.* 1, 2, 86. Evasit ex aqua: jam in litore est: sed dextrorsum aversa it in malam crucem. Et omisso verbo, *Ter. Phorm.* 2, 3, 21. In malam crucem. *Pl. Capt.* 3, 1, 9. Ilicet parasiticae arti in malam maximam crucem, *subaudi* ire licet. ℙ Est etiam convicium in hominem cruce dignum. *Pl. Pers.* 5, 2, 17. Quid ais, crux, stimulorum tritor? ℙ *Malo cruce*, mascul. gen. *Gracch.* ap. *Fest.* in *Masculino.* Dignus fuit, qui malo cruce periret. *Enn.* ap. *Non.* 3, 31. Malo cruce fatum ut des, Juppiter. Al. leg. *Malo cruce fatum* etc. ℙ *Summum jus summa crux*, proverb. ap. *Colum.* 1, 7. quo monemur, non esse vindicandum quidquid licet, sed remittendum aliquid, et comiter ac facile cum inferioribus agendum. ℙ In gen. plurali *cracumne* sit, an *crucium*, lis est. Legitur quidem *crucium* ap. *Tertull. Apolog.* 16. bis: ubi *Sciopp.* invenit *crucum* in quodam MS. atque ita *Rigaltius* edidit tum hoc loco, tum *ad Nation.* 1, 12. *Pammelius* quoque, licet *crucium* ediderit ex auctoritate excusorum librorum, fatetur tamen *crucum* esse in MSS. omnibus. Denique etiam *Charis.* 1, 114. volebat *crucum.* Quare videtur praeferendum: sic *nucum*, *ducum*, *conjugum*, *frugum.*

*CRYA, ae, *Κρῖα*, promontorium Cariae. *Mela* 1, 16. ℙ Item oppidum in promontorio illo situm 5, 27. *B. A.*

*CRYEON (genit. plur. i. e. Cryensium *sc.* insularum) tres, insulae totidem fuere prope Cariam, Cryae oppido objacentes. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*CRYNIS, Bithyniae flumen *Plin.* 5, 32. *B. A.*

*CRYOS, i, m. Joniae flumen, vel saltem in Joniae confinio. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

CRYPHII, orum, m. plur. in sacris Mithrae videntur fuisse vel sacerdotes occultioribus sacris initiati, vel sacra ipsa magis arcana, quae iis demum ostendebantur, qui ejus Dei ministri esse cupientes, multa suae devotionis experimenta per varios cruciatus, et purgationes dedissent. Specus enim erat tenebrosus et horridus, in quo consecrabantur: qui specus *κρύφιος* dicebatur, eodemque nomine vocabatur ipse Mithra: a *κρύπτω*, abscondo. Meminit hujus specus *Hieron. ep.* 107. *n.* 2. Cryphiorum vero nomen legitur in *Inscr.* apud *Grut.* 303, 2. et 1087, 4. Plura hac de re *Reinesius* ad *Inscr.* 48. *cl.* 1. Quod si in antiquis marmoribus vel *Cryfii* legatur, vel *Criphii*, censendus est idiotismus: nam saepe in antiquis monumentis labentis Latinitatis videre est litteras *f* pro *ph*, et *i* pro *y* fuisse usurpatas.

CRYPTA, ae, f. *κρύπτη*, Graeca vox, a *κρύπτω*, abscondo, qua significatur locus fere subterraneus fornice tectus cum fenestris in summitate tantummodo. [*Ex hoc voc. orta *Gruft* et *Grotte. B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 258.] *Varr.* ap. *Non.* 2, 766. Non vides in magnis peristyliis, qui cryptas domi non habent, sabulum jacere a pariete aut (lege *ut in*) cryptis, ubi ambulare possint? *Juven.* 5, 106. de pisce. Et solitus mediae cryptam penetrare Suburrae, *h. e.* cloacam, quae fornicato opere subterraneum canalem sordibus urbis praebebat. *Suet. Cal.* 58. Cum in crypta, per quam transeundum erat, pueri nobiles ex Asia ad edendas in scena operas praepararentur, ut eos inspiceret, restitit. *Vitr.* 6, 8. In aedibus cryptae, horrea, apothecae, ceteraque quae ad fructus servandos magis, quam ad elegantiae decorem possunt esse. Nam, ut docet *Varr. R. R.* 1, 57., quidam granaria sub terris habebant. *Prud. περὶ στεφ.* 11, 153. Haud procul extremo culta ad pomoeria vallo Mersa latebrosis crypta patet foveis: Hujus in occultum gradibus via prona reflexis etc. Hic describuntur cryptae illae, quae nunc *catacombe de' martiri* appellantur, quarum graphicam descriptionem habes etiam ap. *Hieronym.* in *Ezech.* c. 40. *v.* 5. ℙ Crypta Neapolitana est specus pervium sub monte Pausilypo, haud procul Neapoli, per quod Puteolos via compendiosa itur, MDCCC. pedes longa, alta et lata XX. circiter: ad cujus initium Virgilii sepulcrum fertur esse situm e marmore. *Senec. ep.* 57. Totum athletarum fatum mihi illo die perpetiendum fuit: a ceromate nos haphe excepit, in crypta Neapolitana. Nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obscurius, quae nobis praestant, non ut per tenebras videamus, sed ut ipsas.

[CRYPTĀRĬUS, ii, m. cryptae custos. *Inscr.* ap. *Mur.* 2017, 2. Collegium Silvani restituerunt M. Aurelius Aug. Lib. Hilarus, et Magnus cryptarius curatores. *F.*]

CRYPTĬCUS, a, um, adj. subterraneus, *κρυπτικός*: a *κρύπτω*, abscondo. *Sidon. ep.* 1, 5. Pontes, quos antiquitas a fundamentis ad usque aggerem calcabili silice crustatum crypticis arcubus fornicavit. ℙ Translate *cryptici* dicuntur *Firmic. Mathes.* 3. homines tacitum taciturni, qui occultant (*κρύπτουσι*) suas cogitationes.

CRYPTOPORTĬCUS, us, f. porticus subterraneae similis, et a sole remota, qua refrigerandi causa per aestatem uti licet. Vox hybrida est a Latino *porticus*, et Graeco *κρυπτὸς*, absconditus, tectus. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* In summa cryptoporticu cubiculum, ex ipsa cryptoporticu excisum. *Id. ep.* 2, 17. Hinc cryptoporticus extenditur: utrinque fenestrae, a mari plures, ab horto singulae et altius pauciores. Hae, cum serenus dies, et immotus, omnes: cum hinc vel inde ventus inquietus, qua venti quiescunt, sine injuria patent. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* A parte vestibuli longitudo tecta interius patet, quae quia nihil ipsa prospectat, etsi non hippodromus, saltem cryptoporticus meo mihi jure vocitabitur. Hanc *Vitr.* 5, 11. duplicem porticum appellat.

*CRYPTOS, i, vetus nomen Cypri insulae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

CRYSTALLĬON, ii, n. *κρυστάλλιον*, herba eadem, quae psyllion. *Plin.* 25, 11, 90.

CRYSTALLĪNUS, a, um, adj. *κρυστάλλινος*, ad crystallum pertinens. *Capitolin. Ver.* 5. Calices murrhini, et crystallini. *Plin.* 37, 2, 10. Crystallina pila adversis posita solis radiis. *Id. ib.* 9, 39. Crystallina centra in sapphiris. ℙ *Crystallina* absolute saepe dicuntur vasa e crystallo. *Juven.* 6, 154., *Mart.* 1, 54. et 9, 60. et *Plin.* 37, 2, 11. et al. ℙ Praepositus a crystallinis est inter officia domus Augustae. *Inscr.* ap. *Grut.* 474, 4.

CRYSTALLUM, i, n. et Crystallus, i, f. et m. *κρύσταλλος*, lapis, seu succus perspicuus lapidescens, quem sub terris, aut inter gelidas rupium venas frigus glaciat, et durat: quasi *κρυόσταλλος*, a *κρύος*, frigus, et *στέλλομαι*, pro *συστέλλομαι*, contraho, quia ab aliquibus glacies censetur, idest aqua frigore concreta: vel melius a similitudine glaciei. *Stat. Silv.* 1, 2, 126. Raraque longaevis nivibus crystalla gelari. *Plin.* 36, 26, 66. Vitrum in India e crystallo fracta fieri. *Solin.* 15. *sub f.* Crystallus, quem Europa subministrat, etc. multus ad pocula destinatur, etc. sexangulus invenitur. ℙ Pro glacie usurpatur ab *Auct. Priap.* 64. Rigetque dura barba vincta crystallo. ℙ Per synecdochen sumitur pro vase e crystallo. *Mart.* 10, 66. Quis potius cyathos, aut quis crystalla tenebit? *Id.* 9, 23. Nec labris nisi magna meis crystalla terantur. *Prop.* 4, 3, 52. Crystallusque suas ornet aquosa manus. De crystallo, cui aqua inerat, aliquot sunt epigrammata *Claudiani* a 6. usque ad 14. Atque haec fortasse est, quam *aquosam* dicit *Propert.*; at opportuniorem habes interpretationem in V. AQUOSUS. ℙ De crystalli natura et origine agunt *Plin.* 37, 2., *Senec. Q. N.* 3, 25. et *Solin.* 15. *f.*

CT

[CTĒSĬAS, ae, m. bona possidens, a *κτῆσις*, possessio. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 79, 1. M. Aurelius Ctesias. *F.* ℙ **Ctesias*, ae, m. *Κτησίας*, patria fuit Cnidius, medicus Artaxerxis Mnemonis, Xenophonti aequalis. Scripsit de rebus Assyriis, item de Persicis et Indicis, cum aliis multis. *Plin.* 2, 6. *Aug. C. D.* 18, 2. ℙ Item insignis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. ed. *Hard.* Antea legebatur *Clesias. B. A.*]

CTĒSĪBĬCUS, a, um, adj. ad Ctesibium pertinens, ut Ctesibica machina, quae in altitudinem aquam educit, *h. e.* ab illo inventa. *Vitr.* 10, 12. Fuit autem Ctesibius vir Alexandrinus, qui sub Ptolemaeo Evergeta floruit, et pneumaticam rationem, atque hydraulica organa reperit, uti docet *Plin.* 7, 37, 38. et *Vitr.* 9, 9. Hujus machinae nuper inventae formam, et descriptionem habet *E. Q. Viscont. Op. Var. T.* 2. p. 29. *tab.* 3.

*CTESIDĒMUS, i, *Κτησίδημος*, pictor nobilis. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

*CTESĪLĀUS, i, *Κτησίλαος*, insignis statuarius. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

*CTESĪLŌCHUS, i, *Κτησίλοχος*, pictor insignis, Apellis discipulus. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

*CTESIPHON, ontis, *Κτησιφῶν*, Atheniensis, pro quo exstat Demosthenis oratio. *Cic. Or.* 3, 56. ℙ Item alius, Gnosius, architectus, qui templum Dianae Ephesiae traditur exstruxisse. *Plin.* 7, 37. *Vitr.* 3, 1. *f. Chersiphron* audit *Plin.* 35, 14. et *Straboni.* Hinc *Chersiphron* corrigendum contendunt nonnulli in priore loco *Plin.* et *Vitr.* ℙ Et medicus quidam apud *Celsum* 5, 18. ℙ *Ctesiphon*, ontis, f. pagus fuit Assyriae amplissimus, in Tigridis altera ripa, e regione Seleuciae urbis, a Parthis exstructus. Ibi Parthorum reges in hyeme propter aeris temperiem degere solebant; aestatem vero in Hyrcania et Ecbatanis agebant. Babylonici regni caput fuit. *Plin.* 6, 26. *Tac. A.* 6, 42. *B. A.*

CU

CŬBĂ, ae, f. Cubam Sabini vocant eam, quam militares lecticam: unde videtur derivatum esse cubiculum. Haec *Festus.* ℙ Item Dea cubandi, cui, simulque *Eduliae* et *Poticae* (al. *Potinae*) initiabantur pueri, ubi primum a lacte, et cunis transierant. *Varr.* ap. *Donat.* ad *Ter. Ph.* 1, 1, 15.

*CUBALLIUM, i, n. opp. Galatiae (Gallograeciae). *Liv.* 38, 18. *B. A.*

CŬBĀTĬO, onis, f. actus cubandi. *Varr. L. L.* 7, 50. A cubatione cubiculum.

CŬBĀTOR, oris, m. qui cubat. *Paulin. Nolan. ep.* 21, (al. 24.) 4. Joannes beatus Dominici pectoris cubator.

CŬBĀTUS, us, m. idem ac cubatio. *Plin.* 10, 57, 78. de gallinis pituita laborantib. Medicina in fame, et cubatus in fumo. *Hard.* ex MSS. legit *cubitus.*

CŪBĬCŪLĀRIS, e, et Cubicularius, a, um, adj. ad cubiculum pertinens. *Mart.* 14, 39. *in lemmate.* Lucerna cubicularia. *Cic. Div.* 2, 65. et *Tusc.* 5, 20. Cubicularis lectus. *Suet. Aug.* 7. imago, *h. e.* imago, quae in cubiculo servatur. [**Lipsius* conjecit: *Cubiculi Lares*, ut *Dom.* 17. Probant recent. editores, quorum *Wolf.* haec notat: Vulgata usum habet ab omni latinitatis usu alienum.] *Plin.* 8, 58, 83. Cubicularia stragula. *Inscr.* ap. *Mur.* 901, 5. T. Flavius Aug. L. Caes. a veste cubicularia. Alia apud *Marin. Frat. Arv.* p. 504. T. Aelio Aug. Lib. Glauco cubiculario stationis primae. V. ADMISSIO. ℙ *Cubicularius* absolute est servus a cubiculo, *κατευναστής, κατακοιμιστής. Cic. Att.* 6, 2. Aditus autem ad me minime provinciales: nihil per cubicularium. *Id. Verr.* 2, 3, 4. Hunc vestri janitores, hunc cubicularii diligunt. *Suet. Dom.* 17. Saturius decurio cubiculariorum. ℙ *Cubicularia*, ancilla cubiculi. *Inscr.* ap. *Grut.* 676, 5. D. M. Zmaragdi *Liberti* Domitia Pollin. cubicularia ex collegio. Alia ap. *Guasco, Mus. Capitol. T.* 1. p. 79. Vernasiae Domitia mater cubicularia ex collegio. Fortasse in prima *Inscr.* legendum est *cubicularii*, in altera *cubiculariae.* Adde aliam ap. *Mur.* 398, 1., ubi tamen *cubecularia* legitur.

CŪBĬCŪLĀTUS, a, um, adj. in cubiculi modum factus, vel cubicula habens, ut *cubiculatae naves* ap. *Senec. Ben.* 7, 20. thalamegi.

CŪBĬCŪLUM, i, n. *εὐναστήριον, δωμάτιον,* [**κοιμητήριον*] conclave, membrum in aedibus, in quo tum per diem manemus, tum noctu cubamus: quamquam si locum significet, in quo dormitur, aliquando adjunctum habet aliquid ejus significationis. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Cubiculum noctis et somni. *Id. ep.* 5, 6. *med.* Dormitorium cubiculum. Et *ep.* 1, 3. Cubicula diurna nocturnaque. *Cic. Verr.* 2, 3, 23. Cum iste etiam cubaret, in cubiculum introductus est. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 1. Subgrande cubiculum et hibernum altum valde probavi. *Pl. Most.* 3, 2, 7. Adducere aliquem in cubiculum. *Liv.* 3, 57. Minister cubiculi, qui in *Inscr.* ap. *Grut.* 575, 5. et 8. et 576, 4. dicitur *a cubiculo;* ap. *Liv.* tamen *l. c.* designat etiam ministrum libidinum. Quo pertinet illud ap. *Cic. Or.* 2, 65. Quando tandem, Galba, de triclinio tuo exibis? Cum tu, inquit, de cubiculo alieno. *Suet. Dom.* 16. *extr.* Parthenius cubiculo praepositus. [**Xiphil.* 67, 15. *πρόσοιτις. Victor Epit.* 11. procurans cubiculum. Laudat haec *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 258.] ℙ *Id. Ner.* 12. vocat *cubiculum* suggestum in podio, ex quo princeps spectare ludos solebat. [*Idem quod *suggestus in orchestra Caes.* 76. *Papilio Lamprid. Alex. Sev.* 51. *Spart. Pesc. Nig.* 11. et cf. *Schwarz.* ad locum *Plin. mox laud.* Leguntur haec ap. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 258.] Adde *Plin. Pan.* 51. ℙ Ap. *Vitr.* 2, 8. cubicula dicuntur in structura muri reticulata, quae mox appellat *cubilia*, hoc est loca in quibus sedent lapides. Reticulatum, *inquit*, ad ruinas faciendas ideo paratum, quod in omnes partes dissoluta habet cubicula, et coagmenta. V. CUBILE. [Est etiam idem ac sepulcrum. *Inscr.* ap. *Fea, Framm. consol.* p. 89. Cubiculum Aureline Martinae castissimae atque pudicissimae feminae, que fecit in coiugio ann. XXIII. XIIII. etc. Haec inscriptio pertinet ad an. 336. post Chr. natum. *F.*] ℙ *Cubiclum* per syncopen dixit *Mart.* 10, 30.

CŪBĬCUS, a, um, adj. ad cubum pertinens, vel ad cubi formam factus. *Vitr.* 5. *praef.* Placuit cubicis rationibus praecepta in voluminibus scribere. ℙ Legitur et *cybicus, a, um*, ut *cybica soliditas* ap. *Capell.* 2. *in.* Cum enim sit a Graeco *κύβος, υ* modo in *u* Latinum transit, modo remanet.

CŪBĬLE, is, n. *κοίτη*, lectus, in quo cubatur. *Cic. Tusc.* 5, 32. Mihi calceamentum est solorum callum, cubile terra. Et *ib.* 2, 17. Collocare aliquem in cubili. *Id. Cat.* 4, 8. Nulli sunt inventi, qui non cubile ac lectulum suum salvum esse velint, *cubile* hic poni videtur pro cubiculo dormitorio. [*Hinc frustra quidam videntur in loco *Suet. Ner.* 25. pro *cubili* emendare *cubiculis*, ut *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 258. Cf. cum his *Plin. Pan.* 49, 1. Longe arcana illa cubilia saevique secessus, in quos timore, et superbia et odio hominum agebatur. *Ib.* 63, 3. Intra cubilia sua ipsis consulibus, a quibus consules renuntiabantur, exilia et caedem machinabantur. *Cubilia* pertinent ad interiores aedium partes, quae praeter cubiculum continebant et conclavia secreta nonnisi in usum imperatoris destinata, ubi conventus erant familiarissimorum etc.] Sic ap. *Plin.* 15, 11, 10. *cubile salutatorium* videtur esse, in quo dormitur quidem, sed admittuntur tamen a ditioribus salutantes. Alii putant esse lararium, in quo Lares domi salutabant. ℙ Aliquando refertur ad concubitum, aut conjugium. *Virg. A.* 3, 324. Nec victoris heri tetigit captiva cubile. *Id. ib.* 8, 412. castum servare cubile Conjugis. *Id. ib.* 12, 144. Ascendere cubile alicujus, *h. e.* conjugem fieri. *Ov. Her.* 3, 109. Sociare cubilia cum aliquo. *Cic. Fam.* 9, 22. Inire cubile alicujus, *h. e.* adulterare. *Ov. Met.* 15, 501. patrium temerare cubile. ℙ Dicitur saepe de nidis avium, et ferarum latibulis, *εὐνή. Caes. B. G.* 6, 26. Alcibus arbores sunt pro cubilibus. *Varr. R. R.* 2, 9. *f.* Cubilia canibus substernenda fronde. *Cic. N. D.* 2, 52. Gallinae, avesque reliquae cubilia sibi, nidosque construunt. *Virg. G.* 1, 183. Aut oculis capti fodere cubilia talpae. *Id. ib.* 4, 45. et 243. ita vocat apum alvearia. *Phaedr.* 1, 19. cubile canis. *Id.* 2, 4. suis. ℙ Translate. *Cic. Pis.* 34. Investigatas esse a nobis labes imperii tui, stragesque provinciae: quas quidem nos, non vestigiis odorantes ingressus tuos, sed totis volutationibus corporis, et cubilibus persecuti sumus. *Id. Verr.* 2, 2, 77. *extr.* Ut omnes mortales istius avaritiae non jam vestigia, sed ipsa cubilia videre possint. (Adde *Cluent.* 30.) *Val. Fl.* 5, 154. saevumque cubile Promethei Cernitur, in gelidas consurgens Caucasus Arctos. *Id. ib.* 144. ignoti dura cubilia ferri. *Id.* 3, 37. et *Hor. Od.* 4, 15, 16. cubile dicunt occasum, quia sol eo cubitum ire videtur. ℙ Ap. architectos *cubile* est ea structurae pars, in qua aliquid sedet et nititur, ut cubilia lapidum, *Vitr.* 2, 8. et cubilia tignorum, 4, 2., quae et *columbaria* appellantur, *ὁπαί.* Sic *Plin.* 36, 14, 21. Ea maxima moles fuit, nec sedit in cubili. V. CUBICULUM.

CŪBĪTAL, alis, n. *ὑπαγκώνιον,* cubiti fulcimentum, pulvinus, cui cubito innitimur. *Hor. Sat.* 2, 3, 255. Ponas insignia morbi, Fasciolas, cubital, focalia etc. [*V. *Heindf.* ad h. l.] ℙ Alii breve palliolum intelligunt, ad cubitum usque tantummodo pertinens, quo, si opus esset, caput etiam tegeretur, usurpatum ab iis, qui valetudine laborarent: propterea quod *Quint.* eadem morbi insignia enumerans, haec habet 11, 3. *med.* Palliolum, sicut fascias, quibus crura vestiuntur, et focalia, et aurium ligamenta, sola excusare potest valetudo.

CŪBĪTĀLIS, e, adj. *πηχυαῖος,* altus uno cubito. *Liv.* 24, 34. Archimedes murum ab imo ad summum crebris cubitalibus fere cavis aperuit. Sic Cubitalis caules, *Plin.* 12, 12, 26. et Cubitalis mensura, *Pallad.* 3, 18. *extr.*

CŪBĪTIO, onis, f. cubatio. *August. ep.* 151. Legi litteras tuas ad lucernam, jam coenatus: proxime erat cubitio, sed non ita etiam dormitio.

CŪBĪTISSIM, adv. in cubitum. *Pl. Cas.* 5, 2, 43. Volo ut obvertam cubitissim.

CŪBĪTO, as, n. l. frequentat. a *cubo. Cic. Coel.* 15. Pusio cum majore sorore cubitavit. *Colum.* 8, 10. *extr.* Pulli, qui humi cubitant. *Tac. A.* 14, 5. Super pedes cubitantis reclinis.

CŪBĪTOR, oris, m. qui cubat. *Colum.* 6, 2. *med.* cubitorem bovem appellat, qui saepe decumbit in sulco ex pertinaci contumacia.

CŪBĪTORĬUS, a, um, adj. ad cubandum pertinens, ut *cubitoria vestimenta* ap. *Petr. Sat.* 3. *Lipsius* tamen, quem plures sequuntur, *Saturn.* 1, 2. legit *accubitoria.* Sed et qui *cubitoria* legunt, coenatoriam vestem intelligunt.

CŪBĪTŪRA, ae, f. idem ac cubatio. *Pl.* ap. *Non.* 3, 54. Pol ad cubituram, mater magis sum exercita a te, quam ad cursuram; eo sum tardiuscula. Ita *Muretus* legit *Var. lection.* 18, 10., nam corrupte admodum a *Nonio* referuntur.

CŪBĪTUS, i, m. et Cubitum, i, n. *κύβιτον, πῆχυς,* ulna, seu alterum e duobus ossibus, quibus brachium constat, ab imo osse humeri ad carpum manus extensum, et alteri, cui nomen *radio* est, subjectum. *Cels.* 8, 1. Radius superior brevior-que, et primo tenuior etc. cubitus inferior longior-que, et primo plenior etc. Adde *ib.* 16. ℙ Item ipse brachii flexus, cui innitimur, *ἀγκών. Plin.* 11, 45, 102. Homini genua, et cubita contraria. *Pl. Stich.* 2, 1, 13. Cubitis depulsare de via. *Mart.* 3, 82. Cubitis trudit hinc et inde convivas. *Virg. A.* 4, 690. Ter sese attollens, cubitoque innixa levavit. *Petr. Sat.* 132. Erectus in cubitum. [**Suet.* Vita *Hor.* Quotiens ego vidi patrem tuum cubito se amungentem.] ℙ Cubito sinistro innixi, jacentes in lectis, antiqui coenabant. V. ACCUMBO. Hinc illa *Hor. Od.* 1, 27, 8. Et cubito remanete presso. Et *Sat.* 2, 4, 139. Languidus in cubitum jam se conviva reponet, *h. e.* rursus convertet se ad comedendum, qui cibos fastidire videbatur. Sic *Petron. fragm.. Tragur.* 65. *Burmann.* Tentavi assurgere etc., recreatus hoc sermone reposui cubitum. Et *ib.* 27. Ponere cubitum apud aliquem, *h. e.* coenare, translaticius loquendi modus. Fortasse huc pertinet et illud *Calpurnii Ecl.* 6, 71. Ponere seu cubitum etc. ℙ *Cubito* aliquem *pellere* est aspernari, improbare, reprehendere, rejicere, apud *Tertull. Anim.* 55., quia si quid perperam dictum ab eo sit, qui proxime nos est, solemus eum cubito icere, et latus ejus fodere. ℙ Translate est curvatura litoris, flexus. *Plin.* 3, 13, 18. Ancona apposita promontorio Cumero, in ipso flectentis se orae cubito. ℙ Est etiam nomen mensurae a flexu cubiti ad summitatem medii digiti, quam alii sesquipedem continere ajunt, alii pedes duos: et sunt praeterea varia cubitorum genera, regius, vulgaris, geometricus etc. *Vitr.* docet 3, 1. *med.* constare ex sex palmis, digitis vigintiquatuor. *Cic. Leg.* 2, 26. Columella tribus cubitis altior. *Plin.* 7, 2, 2. Aethiopas octona cubita longitudine excedere. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 68. Quadraginta cubita altus. *Pl. Rud.* 5, 2, 7. Signare litteris cubitum longis. *Cic. Att.* 13, 12. Biennium praeteriit, cum ille *Καλλιπίδης* assiduo cursu cubitum nullum processerit.

CŪBĬTUS, us, m. cubatio, *κατάκλισις. Cato R. R.* 5. Primus cubitu surgat: postremus cubitum eat. *Plin.* 28, 4, 14. Supini cubitus oculis conducunt, at proni tussibus, in latera adversus distillationes. ℙ Item cubile, lectus. *Plin.* 24, 9, 38. His foliis cubitus sibi sternunt. ℙ Item *accubitum*, idest lectus convivalis ornatior, et ab aliis disjunctus. *Inscr.* ap *Mur.* 544, 1. Huic ordo splendidissimus bisellium decrevit, cubitumque concessit. In lapide legitur *gubitum* pro *cubitum* sculptoris oscitantia.

CŪBO, as, ui, *raro* avi, itum, n. l. *κατάκειμαι,* jaceo, a *κύπτω*, quod est caput atque oculos declinare, sive demittere, ut dormientes solent. [*Cf. quae de *etym.* et *synonym.* h. v. pluribus disputat *Döderl.* 1, 145. sqq.] *Ov. R. Am.* 727. Hic fuit, hic cubuit, thalamo dormivimus illo. *Cic. Verr.* 2, 3, 23. Cum iste etiam cubaret, in cubiculum introductus est. *Juv.* 3, 208. Cubat in faciem, mox deinde supinus. *Cic. Rosc. Am.* 23. Cum coenatus cubitum in idem conclave cum filiis isset. *Id. Somn. Scip.* 1. Cubitum discessimus. *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 24. Corrumpor situ: ita miser cubando in lecto hic expectando obdurui. *Suet. Aug.* 43. Lectica cubans. Et *ib.* 83. et *Ov. Met.* 11, 612. Cubuisse toro. *Ov. Her.* 7, 162. Et senis Anchisae molliter ossa cubent. ℙ *Festus*: Cubans auspicatur, qui in lecto quaerit augurium. ℙ Metonymice est aegrotum esse. [*Ut nostr. *liegen.*] *Hor. Sat.* 1, 9, 18. quendam volo visere non tibi notum: Trans Tiberim longe cubat is prope Caesaris hortos. *Id. ib.* 2, 3, 289. Mater ait pueri menses jam quinque cubantis. *Ov. Her.* 20, 164. haec cubat, ille valet. *Suet. Ner.* 34. Cubans ex duritie alvi. *Pl. Truc.* 2, 5, 2. Cubare puerperio. ℙ Item concumbere. *Pl. Bacch.* 4, 9, 81. Cum peregrini cubui uxore militis. Adde *Mil.* 1, 1, 65. et alibi. *Catull.* 69, 8. quicum bella puella cubet. ℙ Significat etiam accumbere, quoniam cubando veteres coenabant. *Suet. Ner.* 32. Lautiore convivio effusus subito in cachinnos, consulibus, qui juxta cubabant, quidnam rideret, blande quaerentibus etc. Adde *Cal.* 24. et *Cic. Or.* 2, 86. ℙ Pisces cubantes qui sint, V. in JACENS. ℙ *Cubare* dicitur *mare*, cum tranquillum jacet. *Mart.* 5, 1. Plana suburbani qua cubat unda freti. ℙ *Tecta cubantia*, quae in latus pendent, et procumbunt. *Lucr.* 4, 518. ℙ Reperitur etiam *cubavi* in praeterito. *Quint.* 8, 2. *f.* Fingitur in scholis, supra se cubasse. Sic *incubavi* ap. *Plin.* et *Ascon.* et *cubaris* pro *cupaveris* ap. *Propert.* 2, 12, 17.

CŪBŪLA, ae, f. libi sacri genus. *Arnob.* 7, 230. ℙ Habet aliquam ipsa vox similitudinem cum *subucula*, quae item appellatio est libi ap. *Fest.*, vel potius ita appellatum libi genus a forma cubĭca.

[CUBULTERĪNUS. V. COMPULTERINUS. *F.*]

CŪBUS, i, m. *κύβος,* est figura ex omni latere quadrata, quales sunt tesserae, quibus in alveolo luditur. *Vitr. praef.* 5. ℙ In numeris *cubus* dicitur, cum omne latus ejusdem numeri aequaliter in sese solvitur, sicuti fit, cum ter terna ducuntur, atque idem ipse numerus triplicatur. *Gell.* 1, 20. ℙ *Rhemn. Fann.* ad amphorae mensuram refert, de ponderib. 61. Quatuor ex quadris medium cingatur inane, Amphora fit cubus, quam ne violare liceret, etc. ℙ Legitur a quibusdam, et quidem prima brevi, etiam ap. *Ov. Medic. fac.* 88. Et modicum e myrrhis pinguibus adde cubum, *h. e.* ut quidam putant, quantum est parvus cubus. Sed mire eo loco libri variant, et interpretes. ℙ Ap. *Auson. Idyll.* 11, 3. *coebum* pro *cubum* legendum quidam putant, quod ita veteres dixerint, ut *moerus* pro *murus*, *poenio* pro *punio*, et *coeravit* pro *curavit.* Quin potius *Auson.*, ut alibi saepe, primam syllabam in *cubus* licenter produxit, ut videre est etiam ap. *Rhemn. Fann. l. c.*; nam veteres Latini *oe* diphthongum usurparunt in iis tantum vocibus, quas Graeci per *οι* scribebant.

*CUCCI (*Anton. Itin.*), vel Cuccium, i (*Tab. Peut.*), opp. Pannoniae superioris. *B. A.*

[CŪCI, n. indecl. *κοῦκι,* est genus arboris palmae similis, cujus foliis utuntur ad textilia, et ligno ad velares anulos. *Plin.* 13, 9, 18. Hujus meminit et *Theophrast. Hist. plant.* 4, 2. Est planta Persica. *F.*]

*CUCIOS, i, fons ulterioris Aegypti, in Aethiopiae confinio, ad Sinum Arabicum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

CŪCŪBO, as, n. l. *ὑτζω*, vel *τυτζω*, proprium est vocis noctuae. *Auct. carm. Philom.* 41. Noctua lucifuga cucubat in tenebris. Alii leg. *lucifugax tutubat.* V. TUTUBO.

CŪCULLĀ, ae, f. idem quid cucullus. *Hieron. Vita Hilar. n.* 46. et *Paulin. Nolan.* 21, 389. Donumque tunicae, qua sodalem ornaverat, Geminat cucullae munere.

CŪCULLĀTUS, a, um, adj. cucullum habens, ut vestis cucullata. *Isid. Orig.* 19, 24. Casula est vestis cucullata, dicta per diminutionem a casa, quod totum hominem tegat. *Colum.* 11, 1. *med.* Frigora et imbres prohibentur optime pellibus manicatis, et sagis cucullatis. Al. leg. *sagatis cucullis:* alii *sagis et cucullis.* Eadem habet 1, 8. V. CUCULLUS.

*CUCULLE, dictum et Cuculli et Cucullae, oppidum Norici. *Tab. Peut. Cucullus* audit *Eugipp.* in *vita Severin.* 11. *B. A.*

CŪCULLIO, onis, m. diminut. a *cucullus*, vel idem ac cucullus. *Lampr. Elag.* 32. Tectus cucullione mulionico, ne agnosceretur. *Capitol. Ver.* 4. Obtecto capite cucullione vulgari viatorio. *Cato R. R.* 2. Cum tempestates pluviae fuerint, centones, cuculliones familiam oportuisse sibi sarcire. *Cato* ex more antiquo non geminandi consonantes una *l* scripsit.

CŪCULLIUNCŪLUS, i, m. diminut. parvus cucullio. *Paul.* ex *Festo* in *Tegillum.* Tegillum, cucullіunculum ex scirpo factum.

CŪCULLUS, i, m. proprie est involucrum chartaceum, quo a pharmacopolis, aliisque institoribus pulveres, ac similia clauduntur. *Mart.* 3, 2. Vel turis, piperisque sis cucullus. V. *Voss.* in *Etymol.* ℙ Translate est pars vestis a tergo pendentis, qua caput tegitur pluviae, vel tempestatis causa, a forma, quia cucullus capitis refert conum inversum, planeque chartaceo cucullo similis est, ut ex palliis Hispanicis, et bardocucullis apparet. *Juven.* 6, 118. Sumere nocturnos meretrix augusta cucullos. *Mart.* 11, 98. Nec te cucullis asseret caput tectum. *Colum.* 1, 8. Familiam habeat munitam diligenter a vento, frigore, pluviaque: quae cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, vel sagis cucullis, *h. e.* sagis cucullatis, ut *Id.* habet 11, 1., suntque duo substantiva, quorum alterum adjectivi vicem praestat, ut *Virg. G.* 2, 192. pateris et auro. ℙ *Salmas.* ad *Capitol. Pertin.* 8. observat ex *Not. Tir.* p. 157. fuisse etiam pedum cucullos, qui *cucullopedones, pedocuculli* dicerentur.

CŪCULO, as, n. 1. verbum est cuculi vocem exprimens. *Auct. carm. Phil.* 35. Et cuculi cucurant, et rauca cicada fritinnit.

CŪCŪLUS, i, m. κόκκυξ, avis ex genere accipitrum, licet ungues aduncos non habeat. In aliarum avium nidis ova parit, maxime palumbium, quod sciat se omnium avium generi esse odiosam, neque confidat, pullos in suo nido tutos fore. Haec fere *Plin.* 10, 9, 11., ubi Graeca appellatione *coccygem* appellat: sed 18, 26, 66. *n.* 2. cuculum. Quamquam, sitne cuculus idem cum coccyge, sunt qui dubitant. ℙ Hinc dicitur de adultero, quia ex alienis uxoribus liberos gignit, quemadmodum ille, qui uxorem habens adulteram alienos liberos enutrit pro suis, *curruca* vocatur. *Pl. Asin.* 5, 2, 73. At etiam cubat cuculus; surge amator, i domum. ℙ Dicitur et de homine stupido. *Pl. Trin.* 2, 1, 18. Ibi ille cuculus: ocelle mi, fiat. ℙ Est etiam inter convicia agricolarum, ubi opus negligunt, et putationem vitium usque ad id tempus protendunt, quo cuculus apparere solet, *h. e.* post aequinoctium, ut est ap. *Plin.* 18, 26, 66. *n.* 2. Dedecus enim habetur, opprobriumque meritum, falcem ab illa volucre in vite deprehendi. *Hor. Sat.* 1, 7, 30. durus Vindemiator, et invictus cui saepe viator Cessisset, magna compellans voce cuculum. [*Cf. *Voss.* ad *Virg. Georg.* 2, 403. p. 409.] ℙ Paenultimam corripuit *Auct. carm. Philom.* 35. V. v. praec. ℙ Est etiam hoc nomine herba, quae et *strumus*, et *strychnos* dicitur. *Plin.* 27, 8, 44. *Cuculi folia cet. Sic ed. *Hard.* nam ed. *Elzev.* habet *cacubali.* Cf. *Dioscor.* in *Noth.* Στρυχνὸς κηπαῖος, οἱ δὲ ἡμερον, Ῥωμαῖοι στρούμουν, οἱ δὲ κακουβαλοῖμ, κτλ. Al. leg. *cucubali*, alii *culici*, alii *culiculi. Marcell. Empir. c.* ult. p. 250. Herba cuculus trita in reliquam partem noctis imposita, mire dolores podagrae sanat. *B. A.*

CŪCŪMA, ae, f. genus vasis coquinarii, dictum a κεκύμαι praet. pass. verbi κύω, tumeo. *Prtron. Sat.* 135. Incincta quadrato pallio cucumam ingentem foco apposuit. Et *ib.* 136. Frangitur ergo cervix cucumae, ignemque modo convalescentem restinguit. Al. leg. *cucumulae. Marl. Dig.* 48, 8, 1. Si clavi percussit, aut cucuma in rixa etc. baculum ferratum hoc loco significari, quidam scripsit. Sed non est a priori notione discedendum. Porro *Torrentin.* habet *cuccuma* duplici *c. Mart.* 10, 79, 3. Torquatus nitidas vario de marmore thermas Exstruxit; cucumam fecit Otacilius. *Cucumam* hic putant aliqui balneolum privatum, exiguumque significare. ℙ [Ad incertas hujus vocis significationes adde sequentem. *Inscr.* ap. *Grut.* 1035, 10. C. Julio Aug. Lib. Actio priori pantomimo cucumae, vix. annos XIX. *F.*]

CŪCŪMELLA et Cucumula, ae, f. parva cucuma. *Cucumella* legitur ap. *Alfen. Dig.* 8, 5, 17. De *cucumala* V. v. praec.

[CŪCŪMĔRĀRĬUM, ii, n. locus cucumeribus consitus. *Tertull. adv. Jud.* 3. sic vertit *Isajae c.* 1. *v.* 8. Derelinquetur filia Sion, sicut casa in vinea, et sicut custodiarium in cucumerario. *Id. ib.* 13. Velut in cucumerario casula. *Hieron.* in *Isaj.* 1, 1, 8. In cucumerario quoque parvulae fiunt casulae propter ardorem solis ac radios declinandos, et inde homines, vel bestiolas, quae insidiari solent natis frugibus, abigunt. *F.*]

CŪCŪMIS, umis, et eris, m. σίκυος, herba est sarmentis praelongis humi repentibus, et in ramos vitis modo se diffundentibus, folio rotundo, cucurbita aliquanto minore, flore luteo, fructu viridi, in ventrem crescente, oblongo. *Virg. G.* 4, 122. tortusque per herbam Cresceret in ventrem cucumis. *Varr. L. L.* 4, 21. Cucumeres dicuntur a curvore. (Ubi *Scalig.* Ne putes Varroni de hac re assentiendum. Etymon vocis vide in CUCUMA.) *Plin.* 20, 9, 40. Cum vino, aut cucumi cocto. ℙ Cucumis anguinus, sive silvestris, vel agrestis, herba solo fructu a sativo cucumere distans, quem multo minorem habet, glandibusque longiusculis similem. *Plin.* 20, 1, 2. Cucumin silvestrem esse diximus infra magnitudinem sativi. *Varr. R. R.* 1, 2. *f.* Cucumerem anguinum condito in aquam, eamque infundito quo voles, nulli (*cimices*) accedent. ℙ Est et frutex marinus hoc nomine, et colore et odore similis terrestri. *Plin.* 9, 2, 1. ℙ Rectus casus *cucumer* agnoscitur a *Prisc.* 6, 707. rejicitur a *Capro de verb. dub.* p. 2248.

CŪCŪMŬLA. V. CUCUMA. Adde *Not. Tir.* p. 164. Cucumula.

CŪCŪRBĬTA, ae, f. κολοκύνθη, σικύα, (a *curvore*, addita syllaba *cu*) herba hortensis satis nota, humi repens, et si adminicula habeat, arbores quoque scandens, folio rotundo peramplo, flore luteo, fructu grandi, rotundo item, aut oblongo. *Plin.* 19, 5, 24. ℙ *Cucurbita*, et frequentius *cucurbitula* est etiam instrumentum medicorum, quod cuti imponitur ad sanguinem eliciendum, σικύα: quod forma cucurbitam referat. *Juven.* 14, 57. vacuumque cerebro Jampridem caput hoc ventosa cucurbita quaerit. ℙ Cucurbitae caput, stolidum caput, stultus homo. *Appul. Met.* 1. Nos cucurbitae caput non habemus, ut pro te moriamur. ℙ Cucurbita glabrior, calvus. *Id. Met.* 5. Patre meo seniorem maritum sortita sum, dein cucurbita glabriorem. ℙ Cucurbitis olim pro urceis in balinearum usum, item pro cadis ad vina condenda usos fuisse veteres, tradit *Plin. l. c.*

CŪCURBĬTĀRĬUS, ii, m. qui cucurbitas colit. *Hieron. ep.* 112. *n.* 22. Irridendi cucurbitarii.

CŪCURBĬTĀTĬO, onis, f. cucurbitarum impositio ad sanguinem eliciendum. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1.

*CUCURBITELLA, ae, f. cucurbitula. *Plin. Val.* 2, 28. *B. A.*

CŪCURBĬTĪNUS, a, um, adj. κολοκύνθινος, similitudinem habens cucurbitae. *Cato R. R.* 7. et *Plin.* 15, 15, 16. Pyra cucurbitina. *Cloatius* ap. *Macr. Sat.* 2, 16. Ficus cucurbitina. Al. leg. *cucurbitiva.*

CŪCURBĬTŬLA, ae, f. parva cucurbita. Fere dicitur de instrumento medicorum, de quo in CUCURBITA dictum est. *Cels.* 2, 11. Cucurbitularum duo genera sunt, aeneum, et corneum etc. Et *mox.* Imponere cucurbitulam. ℙ *Cucurbitula silvestris* ap. *Scrib. Comp.* 106. est ea, quam Graeci κολοκυνθίδα appellant.

CŪCŪRĬO et Cucurrio, is, n. 4. proprium est gallorum: a sono. *Auct. carm. Philom.* 25. Cucurrire solet gallus, gallina gracillat.

CUCURRU. *Afr.* in *Cinerario.* Id me celabat cucurru. Ita *Charis.* 2, 214., ubi hanc vocem inter interjectiones enumerat, simulque addubitat, an nomen sit, ut veru, genu.

CŪCUS, i, m. idem quod cuculus. *Isid. Orig.* 12, 7. Cuculos, quos Hispani cucos vocant, a propria voce constat esse nominatos. *Pl. Pers.* 2, 1, 6. Cucus si in ludum iret, etc. Alii leg. *cuculus.*

CŪCŪTĬUM, ii, n. vestimenti genus, vel, ut placet *Casaubono*, cuculli species. *Trebell. Claud.* 17. Cucutia villosa duo. *Meurs.* legit: Cuculia. *Salm.* dicta putat *cucutia*, pro *concutia*, *h. e.* dense texta, et pectine bene percussa, Graece κρουστὰς, de quibus V. in CRUSTA. ℙ [At fortasse idem est ac Italorum *cappuccio;* nam Itali *cucuzzolo* appellant verticem capitis, vel pilei etc. V. CUCULLUS. *F.*]

CŪDO, is, udi, usum, a. 3. κόπτω, τύπτω, ferio, pulso, tundo, idem ac caedo, unde derivatum videtur, ut *punio* a *poena. Plin.* 33, 4, 21. Aurum pilis cudere, *h. e.* in mortario tundere. *Colum.* 2, 10. *med.* Durissimae quidem acus resectae separataeque erunt a cudentibus: minutae vero, quae de siliquis cum faba resederunt, aliter secernentur. *Pl. Most.* 4, 2, 11. Cudere nummos. *Quint.* 9, 2. Annulum sibi cudi ab aurifice in tribunali suo jusserat. Hanc eandem rem *Cic. Verr.* 2, 4, 26. narrans, *facere annulum* dixit. [*Hor. *Ep.* 2, 1, 240. Aut alius Lisippo cuderet aera Fortis Alexandri vultum simulantia. V. *Bentl.* ad h. l.] *Lucr.* 1, 1042. Plagae cudunt. [*Adde *Eund.* 4, 188.] ℙ Translate. *Ter. Heaut.* 4, 4, 18. Quam rem agis, scelus? *Sy.* Egone? argentum cudo, quod tibi dem, *h. e.* paro: et est joculariter dictum. *Id. Eun.* 2, 3, 89. At enim istaec in me cudetur faba, *h. e.* in me recidet hoc malum, in me haec vindicabitur culpa: proverb. ductum ab area. Ibi enim quamvis faba praecipue cudatur, omnes tamen ictus in aream recidunt: vel quod quidam male coctam fabam supra caput coqui, velut ipsi fabae iratus, saxo comminuerit. *Donat.* Alii alia comminiscuntur. [*Cf. *Erasm. Adag.* p. 186.] *Pl. Epid.* 3, 4, 40. Quae intemperiae te tenent? quas tu mihi tenebras cudis? *h. e.* praestigias, et fraudes, aut insidias paras. Al. leg. *trudis*, *h. e.* obtrudis. ℙ De praeterito ita *Prisc.* 10, 889. Cudo secundum Diomedem, et Charisium, et Phocam *cusi:* secundum alios *cudi:* et videtur etiam *Virg.* sic protulisse in *A.* 1. (178.) Ac primum silicis scintillam excudit Achates, Suscepitque ignem foliis, *excudit* enim tam praesens, quam praeteritum potest intelligi: sed quia *suscepit* subjunxit, melius praeteritum intelligitur: idque etiam *Servius* comprobat. Haec *Prisc.* Ceterum *Colum.* quoque *excudit* in praeterito dixit *init. l.* 11. et *percuderint* 8, 5. *med.* ℙ Supinum *cusum* probatur ex *incusus*, et *excusor:* quae V. ℙ [**Cudere* et *ducere* confunduntur. V. *Bentl.* ad *Hor. Ep.* 2, 1, 240.]

CŪDO vel Cudon, onis, m. galea e crudis ferarum pellibus. V. *Lips. de milit. Rom.* 3, 1. *Sil.* 8, 495. capiti cudone ferino Sat cautum. *Id.* 16, 59. cudone comantes Disjecit crines. In *Glossis Philox.* habetur: Cudon, περικεφαλαίας εἶδος.

*CUDUS vel Cudum, i, locus in India. *Mela* 3, 7. *med.* Ad Cudum. *B. A.*

*CUFERĬON, i, n. sanguinis per nares fluxus. *Veg. Vet.* 2, 37. Saepe ictu vulneris animalibus per nares sanguis fluit, quod vitium cuferion vocant, quod praecipue contingit, si equus ultra vires agatur ad cursum. ℙ Legitur et *cyferion. B. A.*

CUJĀ. V. CUJUS.

CUJAS, atis, omn. gen. ποδαπὸς, unde, ut *Non.* 2, 187. interpretatur, id est ex qua patria: ab adj. *cujus:* sicut *nostras* a *noster* etc. *Cic. Tusc.* 5, 37. Socrates cum rogaretur, cujatem se esse diceret, mundanum inquit: totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur. *Accius* ap. *Non.* 5, 19. Qui neque cujatis esset, unquam potuimus multi rogitantes scire. *Appul. Met.* 8. de se asino loquens. Praeconem rogat, cujatis essem. At ille Cappadocum me, et satis forticulum denunciat. ℙ Significat etiam, ex qua gente. *Pl. Poen.* 5, 2, 32. Adi, atque appella, quid velit, quid venerit, Qui sit, cujatis, unde sit: ne parseris. *Mi.* Cujates estis? aut quo ex oppido? *Id. ib. prol.* 109. rogitat postibi, Unde sit, cujatis, captane, an surrepta sit, Quo genere nata, qui parentes fuerint. ℙ Item cujus nomine. *Id. Curc. a.* 3. *v.* 37. Quid eum nunc quaeris? aut cujatis? ℙ Rectus casus *cujas*, licet exemplis careat, agnoscitur a *Prisc.* 12, 950. et 17, 1047. ℙ Genitivus *cujatis* ab *eod. ib.* censetur rectus casus: sed nihil prohibet, quin sit genitivus, et subaudiatur per figuram ellipsin, *patriae, gentis* etc. ℙ Scribitur etiam ἀρχαϊκῶς *cuojas* pro *cujas* in quibusdam *Plauti* editionibus *loc.* supra allatis.

CŪICUIMODI, indeclinab. qualiscumque, vel qualitercumque. *Cic. Att.* 3, 22. *extr.* Tu ad me velim omnia, cuicuimodi sunt, scribas. Adde *Rosc. Am.* 34. quod citat etiam *Prisc.* 13, 959., item *Tusc.* 3, 34. et *ib.* 5, 41. et *Leg.* 2, 5. *extr.* et *Gell.* 13, 22. *s. f.* et 20, 1. *med.* et alibi. In quibusdam *Ciceronis* locis citatis est qui aliter legit. *Victoribus*, *Gronov.* aliique multi *cuicuimodi* defendunt. [et *Verus Imp.* ap. *Front.* (ed. iterum *A Maio*) p. 188. In summa meae res gestae tantae sunt, quantae sunt scilicet, quoiquoimodi sunt. ἀρχαϊκῶς pro cuicuimodi. *F.*]

*CUICULI, oppidum Numidiae Episcopale. *August. adv. Donat.* 7, 34. et *Anton. Itin.* ℙ Hinc

*CUICULITANUS, a, um, adj. ad oppidum supradictum pertinens. *Notit. Numid. B. A.*

CUIMODI, cujusmodi, qualis. *Gell.* 14, 1. Atque illud etiam, cuimodi esset, considerandum putabat. *Id.* 9, 13. Cuimodi fuerit pugna decertatum, Q. Claudius descripsit. Adde 13, 29. et alibi.

CUJUS, a, um, adj. usurpatur pro genitivo *cujus* relativi *qui*, *quae*, *quod*, et refertur ad personam possessoris. *Cic. Verr.* 2, 1, 54. Ut optima conditione sit is, cuja res sit, cujum periculum. *Ter. Andr.* 4, 4, 24. Cedo, cujum puerum hic apposuisti? *Id. Eun.* 2, 3, 29. Quid? virgo cuja est? *Id. Heaut. prol.* 8. Nunc qui scripserit, et Graeca *(fabula)* cuja sit, dicerem, ni etc. *Plaut. Rud.* 3, 4, 40. Argentum pro istisce ambabus, cujae erant, domino dedi, *h. e.* domino, cujus erant. *Id. Merc.* 5, 2, 23. Nescio cuja vox ad aurem mihi advolavit. *Id. Bacch.* 4, 9, 24. Is Helenam abduxit, cuja causa nunc facio obsidium Ilio. *Virg. Ecl.* 3, 1. cujum pecus? an Meliboei? Adde *Gell.* 1, 21. et 9, 16. et 16, 4. (ubi refert verba cujusdam veteris jurisjurandi) et alibi: et *Lucil.* apud *Non.* 2, 99. ℙ *Cujanam* est cujusnam. *Pl. Bacch.* 4, 9, 55. Cujanam vox prope me sonat? ℙ *Cujavis oratio*, hoc est cujusvis oratio, dicitur ab

Appul. Apolog. V. CUJUSVIS. ℙ Ablativus *cuja* pro genitivo *cujus*, cum verbis *interest*, aut *refert*. *Cic. fragm. pro Vareno* ap. *Prisc.* 12, 950. Ea caedes si potissimum crimini datur, detur ei cuja interfuit, non ei cuja nihil interfuit. ℙ Scribitur etiam *ἀρχαϊκῶς quojus* pro *cujus*. *Pl. Cure.* 2, 1, 14. Quojam vocem ego audio? *et sic alibi.*

CUJUSCĔMODI, cujuscumque modi, cujuscumque generis. *Cic. Inv.* 2, 45. *f.* Legem, cujuscemodi sit, in praesentia conservari a judicibus; post, si displiceat, a populo corrigi, convenire. Al. aliter leg. *Gell.* 11, 16. *f.* Deterret nos, quam potest maxime, a varia promiscaque, et non necessaria rerum cujuscemodi plurimarum et cogitatione, et petitione. Adde *Appul. Met.* 8. et *ib.* 9. bis. et *ib.* 11. bis. Addunt et locum *Hirtii B. Afr.* 36., sed ibi al. leg. *cujusquemodi.*

CUJUSCUMQUĔMODI, cujusquemodi. *Sall. Cat.* 40. Nec solum cives, sed etiam cujuscumquemodi genus hominum. ℙ Legitur tamen etiam in duas voces divisa.

CUJUSDAMMŎDI, indecl. cujusdam generis. *Cic. Fin.* 5, 12. Animus non esse solum, sed etiam cujusdammodi esse debet. *Id. Div.* 2, 15. Si fissum cujusdammodi fuerit in jecore etc. ℙ Legitur et divisum.

CUJUSMŎDI, qualis, cujus modi, aut generis. *Cic. Fam.* 15, 20. Haec primo cupio cognoscere, iter tuum cujusmodi sit, ubi Brutum videris etc. *Hirt. B. Afr.* 31. Referre arbitrabatur, cujusmodi victoria esset futura. *Pl. Most.* 3, 2, 132. Viden' vestibulum ante aedes hoc? et ambulacrum cujusmodi? Et *mox.* Age, specta, potes cujusmodi! *Id. Men.* 2, 4, 3. Cujusmodi hi homines erunt? *Er.* Ego, et Menaechmus, et parasitus ejus. *Varr. R. R.* 1, 17. De iis cujusmodi esse oporteat, Cassius scribit haec. ℙ Est etiam idem quod cujuscemodi, cujuscumque modi, cuicuimodi. *Cic. Fam.* 4, 7. *med.* Romaene, et domi tuae, cujusmodi res esset, an Mitylenis aut Rhodi malles vivere. *Lambin.* legit cujuscujusmodi. *Id. Tusc.* 5, 41. Ubi enim melius uti possumus hoc, cujusmodi est, otio? Al. leg. *cuicuimodi. Pl. Bacch.* 3, 2, 16. Sisne, necne, ut esse oportet, malus bonus, cujusmodi, justus injustus, malignus largus etc.

CUJUSMŎDICUMQUĔ, cujuscumque modi. *Cic. Cluent.* 6. Cujusmodicumque mater sit.

CUJUSQUĔMODI, cujuscumque modi, cujuscemodi. *Cic. Fl.* 17. Cum tabulae illae ipsae, cujusquemodi sunt, proferuntur. *Id. Fin.* 2, 7. *f.* Luxuriosi persequuntur cujusquemodi voluptates. *Sall. Jug.* 78. Eoque imponit vasa cujusquemodi, sed pleraque lignea. *Lucr.* 4, 135. Et cujusquemodi formarum vertere in ora. *Hirt. B. Afr.* 23. Cum naviculis cujusquemodi generis triginta. *Flor.* 3, 4. Cujusquemodi ludibrio foedare. *Gell.* 13, 29. Non solum in hominum corporibus, sed etiam in rerum cujusquemodi aliarum, facies dicitur. *Appul. Met.* 2. Raptis cujusquemodi telis. Legitur et divisum *cujusque modi.*

CUJUSVIS, cujavis, cujumvis. *Appul. Apolog.* Cujavis oratio insimulari potest.

[CULĂRONENSIS, e, adj. ad Cularonem pertinens, Galliae urbem, quae ab Gratiano Aug. postea est appellata Gratianopolis, unde nunc *Grenoble. Inscr.* ap. *Mur. praef.* p. 79. Muris Cularonensibus cum interioribus aedificiis providentia sua institutis atque perfectis. *F.*]

*CULBICIO, onis, f. dictus affectus stranguriae similis. *Gloss. Gr. Lat. στραγγουρία*, culbicio. *B. A.*

CULCĪTĂ, ae, f., *στρωμνή*, id super quod dormientes quiescimus, non id quo integimur: a calcando, quod in ea lana, tomentum, plumae, et alia materia inculcatur, ut *Varr. L. L.* 4, 35. et *Fest.* docent. *Petr. fragm. Trag.* 38. *Burm.* Vides tot culcitas? nulla non aut conchyliatum, aut coccineum tomentum habet. *Cic. Tusc.* 3, 19. Collocemus in culcita plumea, psaltriam adducamus *Senec. ep.* 87. Culcita in terra jacet, ego in culcita. *Id. ep.* 108. *med.* Laudare solebat Attalus culcitam, quae resisteret corpori: tali utor etiam senex, in qua vestigium apparere non possit. ℙ Ap. *Varr. R. R.* 3, 5. culcitae vocantur stylobatae projecturae extra solidum procidentes, ut videre est in peristyliis monachorum, in quibus pulvinatae coronae stylobatarum extra perpendiculum praebent opportunas fessis deambulando sedes. Ita explicat *Scalig.* Verba autem *Varronis* sunt: Ut in culcitas, et columellas convivae pedibus circumire possint. ℙ *Culcitam gladium facere*, est gladio incumbere, et se transfodere, ap. *Pl. Cas.* 2, 4, 28. ℙ Est etiam pannus in modum culcitae fartus. *Pl. Mil.* 4, 4, 42. Facito, ut venias huc ornatus ornatu nauclerico: Causiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam etc. Possis et intelligere tomenti particulam ad oculos fovendos, aut detergendos. ℙ Reperitur etiam *culcitra;* sed improbatur a *Manut.* et *Dausquio in Orthograph.* ex auctoritate vett. libb.

[CULCĪTĂRĬUS, ii, m. qui culcitas facit, aut vendit ap. *Diomed.* 1, 313. *F.*]

CULCĪTELLĂ, ae, f. parva culcita. Translate et obsceno sensu pro puero, cui herus incubat. *Pl. Most.* 4, 2, 13. Novit me herus. *Ser.* Suam pol ipse culcitellam oportet, *supple* noscat. Eodem sensu *Dolabella* ap. *Suet. Caes.* 49. Caesarem vocabat *spondam interiorem regiae lecticae*, propter ejus cum Nicomede rege Bithyniae contubernium.

CULCĪTŬLĂ, ae, f. idem ac culcitella. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 152. Culcitulae accedunt privae centonibu' binis.

CŪLE'ST, pro qualis est, neutrum positum pro masculino. *Pl. Amph.* (1, 3, 39.) Ecastor condignum donum, cule'st, qui donum dedit. Haec *Non.* 3, 56. Alii putant scribendum *culest:* alii *qual' est*, vel *quali'st.* Alii *Nonium* reprehendunt, alii defendunt.

CŪLĔĂRIS vel Cullearis, e, adj. ad culeum pertinens. *Cato R. R.* 154. Labrum culeare, *h. e.* culeum capiens. *Vitr.* 6, 9. Dolia culearia.

CŪLĔUS vel Culleus, i, m. saepius quam *Culleum*, *i*, n. *ἀσκὸς, βόειος, κοιλεὸς*, saccus e corio factus: videturque usu idem esse cum utre, differre autem magnitudine. *Nep. Eum.* 8. Imperat quamplurimos utres, atque etiam culleos comparari. *Plin.* 7, 20, 19. Vehicula cum culeis onusta, donec exinanirentur, sustinere solitus. ℙ Fuit supplicium parricidarum. Nam hi sanguineis virgis caesi, et in culeum insuti cum cane, simia, gallo gallinaceo, et vipera, in mare projiciebantur, ut est ap. *Modestin. Dig.* 48, 9, 9., et de simia, et vipera *Juven.* 8, 214. Cujus supplicio non debuit una parari Simia, nec serpens unus, nec culeus unus. *Seneca* etiam serpentes memorat *Clem.* 1, 15. Quamquam eorum animalium nulla fit a *Cicer.* mentio *Rosc. Am.* 25. et 26. et *Inv.* 2, 50., fortasse quia suo tempore nondum introducta fuerant: alioquin ejusmodi loco de hoc supplicio verba facit, ut videatur debuisse commemorare, si in usu fuissent. *Id. Q. Fr*, 1, 2, 2. Insuere in culeum. *Id. Inv.* 2, 50. Conjicere in culeum. *Senec. Clem.* 1, 23. et *Suet. Aug.* 33. Insuere aliquem culeo. [**Id. Nero* 45. Sed tu culeum meruisti.] ℙ Est praeterea omnium maxima mensura liquidorum, vini praesertim, amphoras viginti continens, seu urnas quadraginta. *Rhemn. Fann. de ponderib. et mens.* 86. Est et, bis decies quem conficit amphora, nostris Culeus: hac nulla est major mensura liquoris. *Varr. R. R.* 1, 2. Jugerum unum denos, et quinosdenos culeos fert vini, *et mox.* (quem locum affert etiam *Non.* 3, 47.) In singula jugera dena culea vini fiunt. ℙ [**Culleum* gen. plur. pro Culleorum habet *Cato R. R.* 11. *B. A.*] ℙ Obsceni aliquid latet in illo *Auct. Priap.* 69. de Homero. Id quod nos culum, culeon ille vocat, *nempe κοΰλεον, h. e.* vaginam, in qua ensis Achillis reconditur ap. *Homer. Iliad.* 1, 220. V. PSOLOIS et VAGINA.

CŪLEX, ĭcis, m. *κώνωψ*, (etymon vocis vide infra) perexiguum animal, tenuissimis pennis, longisque et exilibus cruribus instructum, circa palustria praecipue degens, sanguinis avidissimum, praesertim humani, et non solum spiculi acumine, sed bombi sono molestissimo infestum. Magnifice describitur a *Plin.* 11, 2, 1. *Hor. Sat.* 1, 5, 14. mali culices, ranaeque palustres Avertunt somnos. ℙ Adriaticos culices, tanquam ceteris insigniores, memorat *Mart.* 3, 93. ℙ De culice exstat festivum poemation *Virgilii*, cujus meminit *Mart.* 14, 185. et 8, 56. Quo pertinet illud *Lucani* ap. *Suet. in ejus Vita*, qui in praefatione quadam aetatem et initia sua cum Virgilio comparans, ausus sit dicere: *Quantum mihi restat ad Culicem!* significans, esse se multo juniorem Virgilio, cum poema Culicis composuit. Sic *Stat. Silv.* 2, 7, 73. de eodem *Lucano.* Haec primo juvenis canes sub aevo, Ante annos Culicis Maroniani. Ex quibus colligit *Scaliger*, illud poemation a *Virgilio* non admodum juvene fuisse compositum. ℙ Varia sunt culicum genera, neque omnia molesta nobis. Nam alii nascuntur ex aceto. *Plin.* 11, 35, 41. Alii ex ficis, *ficarii* dicti, *Id. ib.* Alii in nive candidi inveniuntur, *Id. ib.* Alii nascuntur ex ulmi gummi, *Id.* 13, 11, 20. Alii ex aquosis nucleis in folio roboris, quos Graeci *μύας* vocant, *h. e.* muscas, *Id.* 16, 7, 10. Alii innascuntur napis, *Id.* 19, 10, 57. Alii glandibus, *Id.* 17, 24, 37. *n.* 7. Alii succino, *Id.* 37, 3, 11. *n.* 2. Alii universim hortos infestant, *Id.* 19, 10, 57. et *Pallad.* 1, 35. Sunt etiam qui vocantur muliones, *κνῖπες*, quod mulos aestate vexant, *Plin.* 11, 18, 19. et 30, 16, 53. etc. Ex quibus omnibus intelligitur, quam late nomen culicis pateat. ℙ Quod *Hadrian. Imp.* ap. *Spart. in ejus Vita* 16. dixit *culices pati rotundos*, putat *Casaubon.* ita dictos, quod rotundas in cute, et sanguineas aculeo bullas excitant: nisi malis cimices significasse, qui forma rotundi sunt. ℙ Est etiam hoc nomine herba, quae videtur eadem esse ac cynomia. *Plin.* 19, 5, 23. et *Pallad.* 4, 9. Apud *Plin.* tamen *culix* scribitur. ℙ *Culex cana* dici videtur a *Plauto* amator senex, quod tanquam culex amicam circumvolitet, eique moleste adhaereat, *Cas.* 2, 3, 22., vel potius quod volvatur circa homines: *culex* enim videtur esse a *κύλιξ*, hoc autem a *κυλίω*, volvo.

CŪLĪCĀRIS, e, adj. ad culices pertinens, ut Culicare conopeum, ap. *Vet. Schol. Juven.* 6, 80.

[CŪLĪCELLUS, i, m. parvus culex. *Septim. Seren.* ap. *Diomed.* 3, 513. Culicellus amasio Tullae, *h. e.* qui tanquam culex Tullam amicam circumit. *F.*]

*CULICI, orum, Flamonienses sic cognominati, populi scilicet Italiae superioris, in Venetis, ad amnem Tilaventum. *Plin.* 3, 19. *B. A.*

*CULICŪLUS, i, m. dimin. a *culex. Gloss. Cyrill.* Culiculus, *κωνώπιον.* ℙ Culiculus, herba. V. *Cuculus. B. A.*

CŪLĪGNĂ, ae, f. vas vinarium potorium, a *κυλίχνη. Cato* ap. *Fest.* Culignam in foeno Graeco ponito, ut bene oleat. *Id. R. R.* 132. Jovi dapali culignam vini, quantam vis, polluceto. Adde *Varron.* ap. *Non.* 15, 21.

CŪLĪNĂ, ae, f. *μαγειρεῖον*, eadem ac coquina, locus nempe, in quo cibi coquuntur: olim *colina* dicta, quia ibi colebant ignem, ut *Varr.* ap. *Non.* 1, 273. docet: quin potius quia derivatur a *τὸ κόλον*, cibus concisus; *κόλος* enim significat mutilum, caesum: V. COQUUS. *Cic. Fam.* 15, 18. Ubi igitur, inquies, philosophia? tua quidam in culina, mea in palaestra est. Alii minus recte leg. *mea molesta est*: h. e. tu Epicurum imitaris, ego vero palaestrice spatior in xysto, et declamationibus exerceor. *Senec. ep.* 114. *f.* Adspice culinas nostras, et concursantes inter tot ignes cocos nostros. *Petr. Sat.* 2. Qui inter haec nutriuntur, non magis sapere possunt, quam qui in culina habitant. ℙ Translate. *Juven.* 3, 250. Centum convivae: sequitur sua quemque culina. *Id.* 5, 162. Captum te nidore suae putat ille culinae. *Id.* 14, 14. cupiet lauto coenare paratu Semper, et a magna non degenerare culina, *h. e.* a luxu in coenis. *Plin.* 19, 8, 52. Anisum, et anethum culinis nascuntur, *h. e.* condimentis ciborum. ℙ Praeterea *culinae* olim dicta sunt loca, in quibus epulae in funere comburebantur. Ita *Festus.* Paulo aliter *Aggen. comment. in Front.* p. 60. *Goes.* Sunt in suburbanis loca publica, inopum destinata funeribus, quae loca culinas appellant. ℙ *Culina* significat etiam locum prope templa, imo templis adjunctum, qui coquendis sacrificiorum carnibus, atque sacris epulis tum sacerdotibus, tum etiam populo praeparandis destinatus erat. Hoc evincitur ex *Inscr.*, quam habes in v. ZOTHECA §. 2., tum ex aliis ap. *Biagium*, *Monum. Gr. et Lat. Mus. Nan.* p. 188. T. Septumius T. L. L. Charito qulinam D. S. P. F. Et *ib.* p. 191. Junonibus sacrum. M. Magius M. L. Amaranthus II.III. Vir aedem, signa VIIII., porticum, culinam, et locum, in quo ea sunt. Adde aliam ap. *Mur.* 485, 8. ℙ *Culina* est etiam latrina. *Gloss. Philox* Culina, *ἀφεδρών*, et *ἀπόπατος.* Huc fortasse pertinet locus *Colum.* 2, 15. Quaedam quotidie, ut culina, et caprile, quaedam pluviis diebus, ut bubilia et ovilia, debent emundari. *Schneiderus* tamen probabili conjectura mallet legere *suile et caprile.*

CŪLĪNĂRĬUS, a, um, adj. *μαγειρικὸς*, ad culinam pertinens, coquinarius. *Front. B. Parth.* (ed. iterum *A. Maio*) p. 201. Polycrates piscem gratum acceptumque habuit, atque ab operis culinariis apponi jussit. ℙ *Culinarius* absolute est servus, qui in culina ministrat. *Scrib. Compos.* 230. Cinis lixiva, qua culinarii utuntur. [*Addidit nonnulla. *F.*]

CŪLĬŌLĂ, cortices nucum viridium, dicta a similitudine culeorum, quibus vinum, sive oleum continetur. *Festus.*

CULIX. V. CULEX.

[CULLĔĂRĬUS, ii, m. culleorum artifex. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 152. *n.* 222. M. Mannejus M. L. Apella cullearius. *F.*]

[CULLĔO, onis, m. magnus culleus e corio: hinc Itali propter similitudinem *coglione* vocant testiculum. Est cog. Rom. *Nummus* ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 323. Q. Terentio Culleone procos. *Inscr.* nuper Patavii reperta: Q. Camerio Q. F. Culleoni pontifici. *F.*]

[CULLĔŌLUS, i, m. parvus culleus. Est cogn. Rom. *Cic. Div.* 1, 2. memorat *Cornelium Culleolum. Id. Fam.* 13, 41. et 42. scribit ad *L. Culleolum* proconsulem Illyrii. *F.*]

CULLĔUS. V. CULEUS.

*CULLU, *Κούλλου*, Numidiae opp. *Plin.* 5, 3. V. *Collops. B. A.*

CULMEN, inis, n. *στέγος*, proprie significat tectum villae, aut mapaliorum culmis stramentisve coopertum. *Virg. Ecl.* 1, 69. Pauperis et tuguri congestum caespite culmen. Ubi *Servius:* ideo culmina dicta sunt tecta, quia veteres aedificia de culmo contegebant, idest paleis e messibus. [*Eandem vocis originationem probant *Isidor.* 15, 8. p. 1199. et Martinius. *Sidon. ep.* 7, 17. Et casa cui culmo culmina tecta forent. Laudat haec *Döderl.* 2, 106. Sed *id. ib.* ita pergit: multo esse rei convenientius, vv. *culmen*, *culmus*, et *columen*, *calamus* ex eodem cognationis fonte deduci, i. e. a v. *cellere*, cunctisque, sicut vocabulo *celsus*, significari id, quod emineat, sursum tendat, altum sit Plura vide apud ipsum l. l.] *Ov. Met.* 1, 295.

mersae culmina villae. ℙ Quin et ipsum culmum aliquando significat. *Ov. Fast.* 4, 734. durae culmen inane fabae. [*Haec non probantur *Döderl.* l. l.] ℙ Latius deinde sumitur pro quocumque tecto, vel altiore tecti parte. *Virg. A.* 4, 186. et *Ov. Met.* 12, 480. summi culmine tecti. *Liv.* 27, 4. Jovis aedis culmen fulmine ictum, ac prope omni tecto nudatum. *Virg. A.* 2, 458. Evado ad summi fastigia culminis. *Id. ib.* 446. turres ac tecta domorum Culmina convellunt. ℙ Et pro ipsis aedibus, aut templis. *Val. Fl.* 5, 446. clara Mycenis culmina. *Senec. Hippol.* 1128. Admota aetheriis culmina sedibus Euros excipiunt. ℙ Item pro quacumque summitate. *Caes. B. G.* 3, 2. Culmina Alpium occupare. *Lucan.* 3, 709. Stantem sublimi Tyrrhenum culmine prorae. *Liv.* 1, 34. Summum hominis culmen, *h. e.* caput. [**Suet. Dom.* 23. Tarpejo culmine. *Culmen* et *columen* in his saepissime eandem fere notionem involvunt. V. *Döderl.* 2, 107. et quem laudat *Gronov.* ad *Senec. Thyest.* 55.] ℙ Translate. *Lucan.* 8, 8. quamvis summo de culmine lapsus, Nondum vile sui pretium scit sanguinis esse. *Claud. VI. Cons. Honor.* 64. Regale culmen. *Plin.* 9, 35, 54. Principium culmenque omnium rerum pretii margaritae tenent. [**Liv.* 45, 9. A summo culmine fortunae ad ultimum finem — stetit.]

CULMINEA vel Culminia olea. V. COMINIANUS.

CULMĬNO, as, a. l. in culmen ago, extollo, sublimen facio. *Capell.* 9, 309. *in carm.* Nunc igitur alma quae senatum lumina Deûm verendo culminatis vertice.

CULMOSUS, a, um, adj. ad culmum pertinens. Culmosos fratres appellat *Sidon. carm.* 9, 72. viros e dentibus anguineis a Iasone satis repente natos, quod in morem culmi e terra succrevissent.

CULMUS, i, m. calamus frumenti a radice ad spicam, *καλάμη*, unde per syncop. *calmus*, deinde *culmus*. V. CALAMUS. *Cic. Senect.* 15. Herbescens viriditas culmo erecta geniculato. *Virg. G.* 1, 111. ne gravidis procumbat culmus aristis. Et *ib.* 317. et fragili jam stringeret hordea culmo. [*Conferas, quae dicta sunt in *Culmen.*] ℙ Item tectum casae e culmis, quod et *culmen* dicitur. *Id. A.* 8, 654. Romuleoque recens horrebat regia culmo. [*Hoc tamen discrimine interposito, ut *culmen* de tecto dicatur, quatenus surgit; *culmus*, quatenus calamo factum.] ℙ Dicitur et de aliis herbis, plantisque. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 3. et *ib.* 30, 72. Milii et panici culmus. *Id.* 27, 19, 63. Holcus tenui culmo. *Stat. Silv.* 3, 3, 128. Qualia pallentes declinant lilia culmos. ℙ Differunt *culmus* et *palea* in eo, quod culmus est solus calamus rectus, crassior, et durior, *palea* sunt folia circa culmum, ut in milio videre est, itemque minutiores stipulae, et spicarum acus, glumae etc. *Plin.* 18, 30, 72. Palea plures gentium pro foeno utuntur etc., si palea defecit, et culmus teritur. *Virg. G.* 1, 192. Nequidquam pingues palea teret area culmos. Confirmat hoc ipsum discrimen *Plin.* 18, 10, 23., ubi docet, acus vocari, cum per se pisitur spica (*h. e.* a culmo separata), si vero in area teratur cum stipula, paleam vocari ad pabula jumentorum. Item *Colum.* 2, 21., ubi ait: At ubi paleis immixta sunt frumenta, vento separentur. Quo loco aperte paleas pro aceribus, et glumis posuit. ℙ *Stipula* quoque, ut ex his apparet, tum folia culmi tenuia significat, tum vero quidquid aridum in agro remanet post messem. *Virg. G.* 1, 321. culmumque levem, stipulasque volantes. Haec tamen discrimina non sunt perpetua.

CULPA, ae, f. *αἰτία*, labes, macula, noxa, quae ex malefactis oritur, peccantemque reum facit, ac reprehensione et poena dignum: item universim delictum, peccatum, omissio officii. [**Döderl.* 2, 151. sqq. docet: vv. *Culpa* et *scelus* (quod *id. ib.* 143. a *cellere* derivat.) et significatione et origine esse cognata. Reliqua, quae a viro doctissimo de h. vocabuli significatione, ejusque synonym. disputata sunt, quanquam veritatis laude ideoque hoc libro dignissima, longum erat huc transscribere.] *Cic. Verr.* 2, 5, 17. In hoc genere omnes inesse culpas istius maximas, avaritiae, majestatis, dementiae, libidinis, crudelitatis. *Id. Rabir. perduell.* 1. Non enim Rabirium culpa delicti, non invidia, vitaeque turpitudo in discrimen capitis vocaverunt, sed etc. *Id. Ligar.* 1. Non liberationem culpae, sed errati veniam impetrare. *Id. Att.* 11, 9. Nihil mihi mali casus attulit: omnia culpa contracta sunt. *Id. Q. Fr.* 2, 13. Vestra culpa haec acciderunt, equites R. *Id. Or.* 2, 4. Id culpa mea contigit. Et *Att.* 11, 24. Culpam contrahere. *Id. Fam.* 16, 10. committere. *Ter. Ph.* 2, 1, 40. in se admittere. *Id. ib.* 1, 4, 28. commerere. Et *Pl. Aul.* 4, 10, 8. commereri, *h. e.* committere. *Cic. Fin* 1, 10. et *N. D.* 3, 31. Esse in culpa. *Colum.* 5. Culpae est mihi hoc fecisse. *Cic. Att.* 7, 3. et *Fam.* 15, 15. Sustinere culpam alicujus rei. *Id. Marcell.* 5. Teneri culpa. *Id. Or.* 1, 22. Nostra culpa erit, si etc. *Id. Or.* 10. Injusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti. *Id. Cluent.* 45. Ponere aliquem in culpa. *Id. Att.* 9, 6. coarguere. Et *Ligar.* 1. Reprehendere culpam alicujus. *Id. Planc.* 21. *f.* Aliquem culpa liberare. *Id. Inv.* 2, 7. *extr.* Eximere aliquem ex culpa. *Ter. Adelph.* 3, 2, 50. A me culpa est procul. *Cic. Mur.* 35. A culpa remotum esse. *Id. Fam.* 6, 1. Culpa carere. *Id. Verr.* 2, 5, 51. Esse extra culpam. *Id. Rosc. Am.* 20. Abesse a culpa. *Id. Verr.* 2, 5, 51. Alicui culpam attribuere. *Ter. Hecyr.* 4, 1, 20. Culpa penes te est. *Cic. Att.* 15, 28. Culpam transferre. *Id. Senect.* 5. conferre in aliquem. *Id. Rosc. Am.* 16. *extr.* Alicui summam laudem vitio et culpae dare. *Ter. Hecyr.* 3, 1, 19. Invenire aliquem in culpa. *Nep. Alcib.* 7. Minus prospere gesta culpae alicujus tribuere. *Id. Fam.* 6, 1. Nihil in vita nobis praestandum, nisi culpam putemus. ℙ Specialiter dicitur de crimine, quo mulier pudorem amittit. *Virg. A.* 4, 19. et 172., *Ov. Trist.* 2, 104. et *Amor.* 3, 14, 6. et 43. et *Her.* 4, 138. etc., *Tac. A.* 3, 24. *Stat. Th.* 2, 233. etc. ℙ Ap. JCtos saepissime accipitur pro segnitia et negligentia: itaque a dolo et fraude separatur: eique diligentia opponitur. *Cajus Dig.* 17, 2, 72., *Paul. ib.* 42, 5, 8. et 9. et *Procul. ib.* 18, 1, 68. et alibi saepe. ℙ Translate *culpa* dicitur vitium, damnum, res noxia. *Virg. G.* 3, 468. Continuo culpam ferro compesce, priusquam Dira per incautum serpant contagia vulgus, *h. e.* ovem affectam. *Vitr.* 3, 1. *med.* In aedibus Deorum operum laudes et culpae aeternae solent permanere. ℙ *Scalig.* ad *Varr. R. R.* 1, 59. culpam docet dictam esse notam censoriam, quam critici in libris legendis appingebant iis locis, in quibus aliquid improbandum occurrebat. *Gell.* 17, 2. Quae in eo libro scripta essent, laudis, aut culpae adnotamentis digna. *Laudis* notam fuisse censet *Scalig.* Graece X, Latine L, aut LL; *culpae* vero *Θ:* qua nota signatum verbum *deculpatum* dici ab eodem *Gell.* 19, 10. Hinc *culpare verba* ap. *eund.* 2, 6. et 7, 3. Addit etiam locum *Auson. praef. ad VII. Sapient.* 13. Pone obelos igitur, spuriorum stigmata vatum: Palmas, non culpas esse putabo meas. Et *praefat. ad Theodos. Aug.* 22. Inque meis culpis da tibi tu veniam. Ita *Scalig.*, sed possis his locis *culpam* etiam erratum, vitiumque dictionis interpretari: quo sensu *Solin.* 38. Inter utramque culpam factu optimum est, amborum temporum statum persequi. ℙ Denique *culpa* metonymice est culpae reus, ut *scelus* scelestus. *Prop.* 4, 5, 20. Saxosamque terat sedula culpa viam, *h. e.* lena, vel meretrix.

CULPĂBĬLIS, e, adj. reprehendi et culpari dignus, *ἐπίμεμπτος*. *Appul. Apol.* Nisi forte quod artificio elaboratum laudabile habetur, hoc natura oblatum culpabile judicandum est. *Arnob.* 7, 222. Opinio de Diis digna, nec turpitudinis alicujus deformitate culpabilis. *Tertull. ad Uxor.* 2, 1. Tanto culpabilius est, non observare quod possis.

CULPĂBĬLĬTER, adv. cum culpa, aut criminatione. *Symmach. ep.* 9, 40. (al. 43.) Nolo existimes culpabiliter ad me delatum, quod etc. *Paulin. Nolan. ep.* 39. (al. 30.) 4. Nos culpabilius insulsi, in quibus etc.

CULPĀTĬO, onis, f. actus culpandi, criminatio, *ἔγκλημα*. *Gell.* 10, 22. Ne ipsi quoque culpationes hujuscemodi mereamur.

CULPĀTUS, a, um, part. a *culpo*, accusatus, vituperatus, *διαβεβλημένος*. *Ov. Her.* 21, 35. Si tibi deformis, quod mallem, visa fuissem; Culpatum nulla corpus egeret ope. *Virg. A.* 2, 602. Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae, Culpatusve Paris. *Gell* 11, 7. Molestius equidem, culpatiusque esse arbitror, verba nova incognita dicere, quam invulgata et sordentia. ℙ *Culpatum vinum* est vitiatum, corruptum. *Macr. Sat.* 7, 6. Quid aceto frigidius, quod culpatum vinum est?

CULPĪTO, as, a. l. frequentat. a *culpo*, accuso, reprehendo, *διαβάλλω*. *Pl. Cist.* 2, 1, 19. Haud metuo, ne jusjurandum nostrum quisquam culpitet.

CULPO, as, avi, atum, a. l. *ἐγκαλέω, αἰτιάομαι*, reprehendo, vitupero, improbo, arguo. [*Laudat quidem *Döderl.* 2, 158. ubi de hujus verbi significatu et originatione et synonym. disputat, *Pseudo — Cic.* in *Sall.* 7. Quae si tu mihi, ut vitia objicis, temeritas tua reprehendetur, non mea vitia culpabuntur. Sed *Id. ib.* docet: in scriptis, quae genuina Ciceronis exstent, hoc vocabulum non legi.] *Varr. L. L.* 8, 5. Cum culpandus non sit medicus, qui etc. *Pl. Bacch.* 3, 2, 13. Illum laudabunt boni: hoc etiam ipsi culpabunt mali. *Hor. A. P.* 446. Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes, Culpabit duros. *Ov. Met.* 11, 321. quae se praeferre Dianae Sustinuit, faciemque Deae culpavit. *Mart.* 9, 60. Culpavit statuas et, Polyclete, tuas. *Suet. Caes.* 72. Culpari ob aliquam rem. *Id. Vesp.* 16. In re aliqua culpari. ℙ Culpam transferre. *Hor. Od.* 3, 1, 3. Fundusque mendax, arbore nunc aquas Culpante, nunc torrentia agros Sidera, nunc hiemes iniquas. *Colum. praef.* 1. *in.* Culpare infecunditatem agrorum, et coeli intemperiem. [Part. *Culpaturus* ap. *Appul. Apol.* Ceterum quidquam putas Maximum culpaturum? *F.*]

CULTE, adv. cum cultu. *Quint.* 8, 3. et *Plin. ep.* 5, 20. Culte dicere. *Senec. Suasor.* 4. *in f.* Quare nemo videretur dixisse cultius. *Justin.* 3, 3. Juvenibus non amplius una veste uti toto anno permisit; nec quemquam cultius, quam alterum progredi.

CULTELLĀTUS, a, um, adj. in modum cultelli factus, *μαχαιροειδής*. *Plin.* 32, 2, 5. Muraenam infixam hamo invertere se, quoniam sit dorso cultellato, spinaque lineam praesecare. *Id.* 8, 25, 38. Delphinorum dorso cultellata inest spina.

CULTELLO, as, a. l. est agri inaequalitatem funiculo ad perpendiculum extento, eminentiora vomere resecando, ad planitiem redigere. Cultri enim nomine intelligitur vomer, qui rectus terram in arando secat, ac scindit. *Front. de limit.* p. 43. *Goes.* Cultellamus ergo agrum eminentiorem, et ad planitiem redigimus.

*CULTELLŬLUS, i, m. dimin. a *cultellus*. *Solin.* 38. *B. A.*

CULTELLUS, i, m. *μαχαίριον*, dimin. a *culter*, sed ejusdem fere significationis. *Varr. R. R.* 1, 69. Ab nescio quo percussum cultello concidisse. *Juven.* 5, 122. structorem Saltantem spectes, et chironomonta volanti Cultello. *Id.* 11, 133. quin ipsa manubria cultellorum Ossea. *Hor. Ep.* 1, 7, 51. Cultello purgare ungues. *Plin.* 12, 25, 54. Arbor balsami inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis. *Ulp. Dig.* 9, 2, 11. Cultellus tonsoris. *Val. Max.* 3, 3. *n.* 15. Filia Bruti cultellum tonsorium quasi unguium resecandorum causa poposcit. ℙ Cultelli lignei ap. *Vitr.* 7, 3. sunt lignei cuneoli instar cultellorum deformati ad colligandum et constringendum.

CULTER, tri, m. *μάχαιρα, κοπὶς*, parvum ferramentum acie mùnitum ad scindendum, ad usus domesticos et rusticos: non vero proprie ad bellicos, ad quos pertinet ensis, gladius etc. [Videtur esse ab inusit. *cello*, cujus loco utimur composito *percello*, unde *perculsus.* *F.*] *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 4. Vide, ut istic tibi sit acutus culter probe. *Colum.* 12, 45. Osseo cultro mala dividere. *Petr. fragm. Trag.* 40. *Burm.* et *Suet. Aug.* 9. Stricto venatorio cultro latus apri percussit. *Liv.* 3, 48. Ab lanio cultro arrepto. *Varr.* ap. *Non.* 3, 32. Noctu cultro coquinari se trajecit. *Scrib. Compos.* 13. Occidi hinnulum cultro, quo gladiator jugulatus sit. *Pl. Rud.* 1, 2, 45. Neque potest clam me esse, si qui sacrificant; semper petunt aquam hinc, aut ignem, aut cultrum etc., *scilicet* ad victimam caedendam. Hinc *Hor. Sat.* 1, 9, 74. fugit improbus, ac me Sub cultro linquit, *h. e.* in ipso discrimine; ducta proverbiali formula a victimis jam jam cultro jugulandis. *Vitr.* 10, 14. Tympanum versatile, in cultro collocatum, in modum cultri, acie in inferiorem partem obversa, ad perpendiculum. *Id. ib.* 10. Collocare in cultrum. *Senec. ep.* 87. *med.* Dubitat, utrum se ad gladium locet, an ad cultrum, *h. e.* utrum se gladiatorem faciat, an bestiarium, ut *Lips.* exponit. *Varr. R R.* 2, 5. Emere boves ad cultrum. ℙ De ferramento tonsorio. *Plin.* 7, 59, 59. Primus omnium radi quotidie instituit Africanus sequens: divus Augustus cultris semper usus est. *Petr. Sat.* 108. *med.* et *Cic. Off.* 2, 7. Cultrum tonsorium super jugulum meum posui. ℙ Cultri figuram habes ap. *Grut.* 640, 11. et videtur esse victimarii, seu cultrarii. V. CULTRARIUS. ℙ Est etiam *culter* pars falcis vinitoriae, ea nempe, quae est prope manubrium, et recta acie procedit, habetque usum, cum caesim est arbor ferienda. *Colum.* 4, 25. Item genus vomeris, in modum cultri, praedensam, priusquam proscindatur, terram secans, futurisque sulcis vestigia praescribens incisuris, quas resupinus in arando mordeat vomer. Ita *Plin.* 18, 18, 48. ℙ *Cultrum* neutro gen. legitur in vet. *Gloss.* Afferunt etiam locum *Prop.* 4, 5, 72. Cum fallenda meo pollice cultra forent. Sed *claustra* ibi alii, vel rectius *clathra.*

CULTĬCŬLA fusticulus quidam ligneus in sacris dicebatur. *Festus.* Alii leg. *culcitula fasciculus* etc.

CULTĬO, onis, f. actus colendi, cultura, cultus. V. AGRICULTIO. ℙ Translate. *Arnob.* 4, 146. Cum multo majores ferant a vobis offensas ex omnibus probris, quae in illorum maledicta conducitis, quam amplitudinis et honoris ex ritu atque officio cultionis. Adde 5, 178.

CULTOR, oris, m. *γεωργὸς, λατρευτὴς*, qui colit. *Cic. N. D.* 2, 39. Homines quasi cultores terrae constituti. *Id. Fin.* 5, 14. Cultor vitis. *Liv.* 4, 25. Famem cultoribus agrorum timentes. *Flor.* 3, 19. Frequentia ergastula, catenatique cultores. *Ov. Fast.* 5, 515. cultorem pauperis agri Immolat, *h. e.* bovem. [**Virg. A.* 8, 8. Et latos vastant cultoribus agros. *Tibull.* 4, 2, 18. Cultor odoratae segetis Arabs. *Liv.* 28, 11. Liberis cultoribus bello absumptis. *Id.* 21, 34. Frequens cultoribus populus. Adde 45, 30. et cf. *Drak.* ad 28, 28.] ℙ Accipitur et generatim pro incola. [**Virg. G.* 1, 14. Et cultor nemorum, cui pinguia Ceae Ter centum nivei tondent, dumeta juvenci. *Id. ib.* 2, 114. Adspice et extremis domitum cultoribus orbem.] *Mart. Spect.* 3. Venit ab Orpheo cultor

Rhodopeius Haemo. *Pl. Amph.* 5, 1, 13. Tibi propitius coeli cultor advenit. [*Liv.* 7, 38. Inibanturque consilia in hibernis eodem scelere adimendae Companis Capuae, per quod illi eam antiquis cultoribus ademissent. Et sic alibi saepissime. *Curt.* 4, 4. Cultores dicuntur Tyri incolae. *Ov. Met.* 14, 4. Liquerat Euboicus tumidarum cultor aquarum.] ℙ Translate. *Cic. Off.* 1, 30. Veritatis cultores, fraudis inimici. *Hor. Od.* 1, 34, 1. Parcus Deorum cultor, et infrequens. [*Ita saepius dicitur de iis, qui festum diem in Dei alicujus honorem sacrificiis aliove ritu ad res sacras pertinente celebrant. *Virg. A.* 11, 788. Summe Deum, sancti custos Soractis Apollo, Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo Pascitur: et medium freti pietate per ignem Cultores multa premimus vestigia pruna.] *Ov. Trist.* 3, 14, 1. Cultor, et antistes virorum doctorum. *Petr. Sat.* 127. Per formam tuam te rogo, ne fastidias hominem peregrinum inter cultores tuos admittere, *h. e.* inter eos, qui visitant, deducunt, reducunt, amant. Modeste hic loquitur amator Petronianus: nam alioquin cultor minus est, quam amator. Hinc *Ov. A. Am.* 1, 722. Qui fuerat cultor, factus amator erat. *Mart.* 10, 92. quietae cultor et comes vitae. *Id.* 9, 86. Cultor amicitiae. *Id.* 10, 37. Juris et aequarum cultor sanctissime legum. *Pers.* 5, 63. Cultor enim juvenum, purgatas inseris aures Fruge Cleanthea, *h. e.* institutor. ℙ [Cultores alicujus numinis videntur fuisse sodales, qui in illius honorem sodalicium constituebant, iisque fuisse persimiles, qui apud nos *confratelli* appellantur. *Inscr.* ap. *Mur.* 182, 1. Mercurio Aug. Julius Lucifer sacerdos et cultor ejus. Alia *ib.* 181, 9. Collegium cultorum Bonae Deae Coelestis. Alia ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 8. Herculi conservatori A. Sergius Megalensis curator II. sociis cultor Larum, et Imag*inum* Augustarum dedit. *F.*] [*Ingentem quidem hujus rei exemplorum numerum exhibet corpus inscriptionum, quod *Orell.* edidit, ut Cultores Asclepii et Hygiae 1578. Cultores Dianenses 2398. Cultores Herculis 1754. Cultores Jovis 938. 2333. Et al. Sed nescio an locus *Suet. Oth.* 8. ubi de cultoribus Deum matris, i. e. Gallis, sacerdotibus Cybeles, ex omnium interpretum sententia, sermo est, aliam eamque meliorem admittere interpretationem videatur, qua sacerdotes dei vel deae alicujus, quatenus collegio contineantur, ab imperatorum inde tempore, commune nomen *cultores* acceperint.]

CULTRĀRĬUS, ii, m. victimarii minister, qui victimam cultro immolat. *Suet. Cal.* 32. Elato alte malleolo cultrarium mactavit. ℙ Item qui cultros facit, *μαχαιροποιός*. *Inscr.* ap. *Grut.* 640, 11. Q. Tiburtii Q. L. Menolani cultrarii ossa hic sita sunt. [Nihil vero prohibet, quominus putemus, hunc Q. Tiburtium victimarium, non cultrorum fabricatorem fuisse; nam duo cultri, qui in ejus inscriptione sculpti sunt, pertinent ad popas, quos in nummis, et antiquis anaglyptis cultros iis simillimos videmus manu gerentes. *F.*]

CULTRĀTUS, a, um, adj. *μαχαιρωτός*, ut Cultratus mucro, qui scindit ut culter. *Plin.* 13, 4, 7. Folia cultrato mucrone.

CULTRIX, icis, f. quae colit. *Cic. Fin.* 5, 14. Rerum, quas terra gignit, augendarum et alendarum quandam cultricem esse, quae sit scientia atque ars agricolarum. ℙ Item quae colit, seu veneratur, *θεραπευτρίς*. *Lactant. Mort. persecut.* 11. Erat mater ejus Deorum montium cultrix, mulier admodum superstitiosa. *Pers.* 3, 26. cultrixque foci secura patella est. Adde *Stat. Silv.* 5, 1, 191. *Inscr.* ap. *Mur.* 181, 4. D. M. Tutiliae Laudiciae Cultrices Collegii Fulginiae. *Corrige* Tulliae Laudicae; *ipse enim Fulginiae lapidem vidi.* ℙ Item quae incolit. *Virg. A.* 11, 557. nemorum cultrix Latonia virgo. [*Ov. Fast.* 1, 245. Arx mea collis erat; quem cultrix nomine nostro nuncupat haec aetas, Janiculumque vocat. *Cultrix Heins.* amplexus est ex duobus. *Farnes.* et *Erford.* MSS. pro, *vulgus.*] *Catull.* 64, 299. te solum, Phoebe, relinquens, Unigenamque simul cultricem montibus Idae, *h. e.* Dianam.

CULTŪRA, ae, f. *ἐργασία, γεωργία, θεραπεία*, actus colendi, cultus, cultio. *Cic. Flacc.* 29. Agri et natura perboni, et diligentia culturaque meliores. *Id. Fin.* 5, 14. Adhibere culturam vitibus. *Colum.* 11, 3. *a med.* Atrum olus parcam sarritionis exigit culturam. *Id. ib.* 2. Ab Idibus Jan. auspicari culturarum officia. *Plin.* 17, 5, 3. Terra culturae mollis et facilis. *Id.* 18, 6, 8. *n.* 2. Profecto opera, non impensa cultura constat. ℙ Translate est institutio, disciplina. *Hor. Ep.* 1, 1, 39. Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit, Si modo culturae patientem commodet aurem. ℙ Item veneratio, obsequium, cultus. *Id. Ep.* 1, 18, 86. Dulcis inexpertis cultura potentis amici: Expertus metuit.

CULTUS, a, um, part. a *colo*, *γεωργηθείς*, excultus. *Cic. Rosc. Com.* 12. Ager, qui neque villam habuit, neque ex ulla parte fuit cultus, nunc est cultissimus cum optima villa. *Id. Quint.* 3. Pecuaria res ampla, et rustica, sane bene culta, et fructuosa. *Curt.* 7, 3. Tandem ad cultiora perventum loca est, commeatuque largo recreatus exercitus. ℙ *Culta, orum*, absolute, sunt agri culti. *Virg. G.* 4, 372. Pinguia culta. *Plin.* 24, 10, 49. Smilax amat culta. ℙ Translate est institutus, eruditus, excultus. *Cic. Tusc.* 2, 5. Animi non omnes culti fructum ferunt. *Id. Brut.* 91. Studium philosophiae a prima adolescentia cultum. *Curt.* 7, 8. Mores nostri et tempora et ingenia cultiora sortiti. *Gell.* 19, 8. Nec unquam factum est, quoties eum loquentem audivimus, quin rediremus fere cultiores doctioresque. *Frontin. Aquaed.* 3. Ita enim cultiores appellant, *h. e.* qui cultius urbaniusque loquuntur. *Aurel. Vict. Epit.* 45. Vultu decens, solers ingenio, sermone cultissimus. *Mart.* 5, 30. Elegia cultis comis, *h. e.* culto stilo. *Id.* 3, 59. Bononia culta. ℙ Est item vestitus, ornatus. *Suet. Ner.* 32. Matrona culta purpura. *Curt.* 3, 7. *f.* Turba muliebriter culta. *Mart.* 10, 98. minister, Quo nec filia cultior, nec uxor. *Id.* 14, 26. Captivis poteris cultior esse comis. *August.* ap. *Macr. Sat.* 2, 4. Quid? Ut me populus R. dicat bene cultum in solario ambulaturus sum? ℙ Item observatus, veneratus. *Curt.* 4, 2. Parentum loco culti. *Liv.* 25, 40. Qui non desciverant, ut socii fideles accepti cultique. *Ov. Fast.* 6, 283. virgineis Dea culta ministris.

CULTUS, us, m. *γεωργία, ἐργασία*, cultura, cultio. *Cic. Leg.* 1, 1. Nullius agricolae cultu stirps tam diuturna, quam poetae versu seminari potest. *Id. N. D.* 2, 63. Oves neque ali, neque sustentari, neque ullum fructum edere ex se, sine cultu hominum et curatione, potuissent. *Liv.* 4, 12. Deserto agrorum cultu. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 5, 19. Animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis cibus. *Id. N. D.* 1, 34. Adhibere cultum et curationem corporis. *Gell.* 14, 6. Homo in litterarum cultu non ignobilis. *Id.* 1, 2. Qui Roma in Graeciam ad capiendum ingenii cultum concesserant. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 85. Caesariem crinali stringere cultu. *Val. Fl.* 5, 356. virginei custos grandaeva pudoris Enioche, cultus primi cui creditus aevi, *h. e.* educatio, disciplina. *Liv.* 1, 34. Humili cultu educare aliquem. *Quint.* 3, 8. *med.* Affectare cultum effusiorem in verbis. *Id.* 8, 3. postquam orationis tres conditiones enumeravit, ut sit perspicua, probabilis, et ornata; hujus postremae tres itidem gradus facit, concipere, et exprimere, *tertium, qui haec nitidiora faciat, quod proprie dixeris cultum.* [*Saepius in his est institutio et educatio universa, vitae ratio. *Cic. Part.* 26. Est genus hominum ad honestatem natum, malo cultu corruptum i. e. educatione mala etc.] ℙ Eleganter admodum accipitur pro externa vivendi ratione, et apparatu earum rerum, quae ad vitam victumque pertinent, quae sunt servitia, aedes, vestitus, impensae etc. *Nep. Attic.* 13. Pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni. *Id. ib.* 14. Cum tanta pecuniae facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutavit. *Id. Alcib.* 11. Ut parsimonia victus atque cultus omnes Lacedaemonios vinceret. *Id. Paus.* 3. Non enim mores patrios solum, sed etiam cultum vestitumque mutavit. *Caes. B. G.* 1, 1. Belgae a cultu atque humanitate provinciae longissime absunt. *Cic. Off.* 1, 39. Eademque mediocritas ad omnem usum cultumque vitae transferenda est. *Id. Or.* 1, 8. Homines a fera agrestique vita ad humanum cultum civilemque deducere. *Virg. A.* 5, 730. gens dura atque aspera cultu. [*V. *Ern. cl. Cic.* s. h. v. et quem ibi laudat, *Burm.* ad *Suet. Caes.* 45. p. 103. sq. Adde *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 212. et *Manut.* ad *Cic. Fam.* 9, 3.] ℙ In malam partem pro deliciis et luxu. *Liv.* 29, 21. *extr.* Quae vulgata sermonibus erant de cultu ac desidia imperatoris. ℙ Et universim pro quocumque apparatu. *Vell.* 2, 129. Cultus triumphi. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 9. Castella aquaeductuum cultu magnifica, *h. e.* magnifica structura, marmoribus, atque architecturae ornamentis facta. *Val. Fl.* 5, 570. Convivia laeto cultu. ℙ Speciatim vero dicitur de vestitu atque ornatu corporis. *Nep. Datam.* 3. Hominem optima veste texit, ornavitque etiam torque, et armillis aureis, ceteroque regio cultu. *Vell.* 2, 107. Homo dignitate, quantum ostendebat cultus, eminens. *Id.* 1, 2. Deposita veste regia, pastoralem cultum induit. *Id.* 2, 40. Ut corona laurea, et omni cultu triumphantium uteretur. *Plin. Pan.* 83. Uxor Trajani modica cultu, parca, comitatu, civilis incessu. *Plin. alter* 33, 1, 4. Cultus muliebris. *Id.* 29, 2, 9. Lanae praestant cultum et tutelam contra frigora. *Ov. Fast.* 2, 318. Cultibus Alciden instruit illa suis. *Mart.* 11, 39. Si Tyrios sumpsi cultus, unxive capillos. *Flor.* 4, 11. *extr.* Cleopatra maximos induta cultus. *Petr. Sat.* 136. Collectoque cultu meo ire extra casam coepi. *Plin.* 17, 1, 1. Arbores cultu virides, juvenesque. ℙ Cultum et ornatum ita distinguit *Tertull. Habit. mul.* 4. Cultum, inquit, dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro, et argento, et gemmis, et vestibus deputatur: iste in cura capilli et cutis, et earum partium corporis, quae oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis. Haec *Tertull.* Neque tamen hoc discrimen servatur a scriptoribus, neque eo respexisse credendus est *Liv.* 34, 7., ubi munditias, ornatum, et cultum conjunxit. ℙ In illo *Pl. Merc.* 5, 1, 3. Usus, fructus, victus, cultus jam mihi harumce aedium etc., *cultus* idem esse videtur ac habitatio. ℙ Est etiam veneratio, observantia, obsequium, honor. *Cic. Inv.* 2, 53. Sanguine conjunctis, patriaeque benevolis officium, et diligentem cultum tribuere. *Id. Tusc.* 1, 26. Philosophia nos primum ad Deorum cultum erudivit. *Tac. A.* 2, 58. De adventu regis, et cultu sui, cum decore ac modestia respondit, *h. e.* honore sibi habito. *Lact.* 4, 3. Deum justis ac piis cultibus honorare. ℙ Olim *cultus, ti*, declinatum fuisse, ut *senatus, ti* etc., veri valde simile est. Itaque sic ap. *Lucr.* quidam legendum putant, 4, 1274. Morigerisque modis, et mundo corpori' culto. Al. *cultu.*

*CULUCITANAE, arum, locus, portusve Numidiae. *Ant. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

CŪLULLUS, i, m. calix fictilis, quo pontifices, virginesque Vestales utebantur in sacris: sed ponitur universim pro poculo. Ita *Acron.* et *Porphyr.* ad illud *Hor. Od.* 1, 31, 11. ut aureis Mercator exsiccet cululli Vina Syra reparata merce. Adde *Art. P.* 434.

CŪLUS, i, m. *πρωκτός*, podex, anus, ea pars in animantibus, ex qua stercus egeritur; ac fere de hominibus tantum usurpatur: ita vero est vocata a *κοῖλος*, cavus, ut a *ποινή*, poena, est *punio*, a *μοῖρα*, divisio, est *moerus* antiquitus, postea *murus. Catull.* 23, 19. Quod culus tibi purior salillo est, Nec toto decies cacas in anno. *Id.* 97, 2. Culum olfacere. *Id. ib.* 12. lingere. ℙ Accipitur etiam per synecdochen pro ipsis natibus; hinc eadem significatione Itali adhibent *culo. Mart.* 3, 98. Sit culus tibi quam macer, requiris?

CUM et Quum, *olim* Quom, *ἡνίκα, ὅτε*, adv. temporis, idem quod *quando* significans; et usurpatur cum indicativo, rarius cum conjunctivo. Etymon vocis vide infra. *Laelius Felix* ap. *Gell.* 15, 27. Cum ex generibus hominum suffragium feratur, centuriata comitia esse. *Cic. Rosc. Am.* 37. Soletis cum aliquid hujuscemodi auditis, continuo dicere etc. *Id. Fam.* 16, 12. *extr.* Si valebis, cum recte navigari poterit, tum naviges. ℙ *Cum primum* est primo quoque tempore. *Cic. Fam.* 14, 1. Cum primum sapere coepit, acerbissimos dolores percepit. *Liv.* 25, 29. Cum primum arbitrii nostri esse coepimus, extemplo venimus ad tradenda arma. ℙ Praeterea *cum* significat aliquando postquam. *Cic. ad Dolabell. post. ep.* 17, 14. *ad Att.* Qui omnes cum te summis laudibus ad coelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agunt. *Colum.* 6, 30. Si, cum diu steterint, subito ad cursum exstimulata sunt. ℙ Item quandoquidem. *Cic. Fam.* 16, 12. *f.* Tu cum eo tempore mecum esse non potuisti, quo operam desideravi tuam, cave festines etc. *Id. Phil.* 14, 11. Quam quidem cum difficillimo reipubl. tempore secuti sunt, eos nunquam oportebit consilii sui poenitere. ℙ Item pro *quando* adversativo. *Mart.* 7, 84. Casibus hic nullis, nullis delebilis annis Vivet, Apelleum cum morietur opus. ℙ Item ex quo. *Cic. Fam.* 15, 14. Multi anni sunt, cum ille in aere meo est. ℙ Item dum. *Nep. Datam.* 10. Haec diu faciendo persuasit homini etc., cum nihilo magis, ne quam suspicionem illi praeberet insidiarum, neque colloquium ejus petivit, neque in conspectum venire studuit. ℙ Et sequente infinito, quod in priore membro praecesserat. *Liv.* 6, 27. Fugere senatum, testes, tabulas publicas etc., cum interim obaeratam plebem objectari aliis atque aliis hostibus. Adde 4, 51. ℙ Item etsi, quamvis. *Cic. Mil.* 35. Cum omnes a meis inimicis faces meae invidiae subjiciantur, tamen omni in hominum coetu celebramur. *Id. Fam.* 3, 7. *med.* Cum ea nondum consecutus eram, quae sunt hominum opinionibus amplissima, tamen ista vestra nomina nunquam sum admiratus. Adde *Nep. Eumen.* 10. bis. ℙ Et particula *quidem* adjecta. *Nep. Cat.* 2. Neque hoc per senatum efficere potuit, cum quidem in civitate principatum obtineret. ℙ Ponitur et loco v. *quod. Cic. Fin.* 3, 2. Praeclare facis, cum et eorum tenes memoriam, et puerum diligis. *Auct. ad Her.* 4, 50. Bene facitis, cum venitis. ℙ Saepe est conjunctio causalis, et subjunctivum postulat, i. q. *quia. Cic. Somn. Scip.* 1. Cum in Africam venissem etc., nihil mihi potius fuit etc. *Id. Fl.* 11. Cum L. Flacci res agatur etc., cumque ab hac virtute non degenerarit etc., in hoc ego reo ne quod perniciosum exemplum prodatur, pertimescam? ℙ Frequenter post *cum* in eadem constructione *tum* sequitur; ita tamen plerumque, ut in *cum* sit quiddam minus, in *tum* quiddam majus: quare saepe post *tum* alia particula additur, quae rem auget. Junguntur autem vel cum diversis nominibus sub eodem verbo, vel cum duobus verbis, quae ambo sint indicativi modi, vel alterum conjunctivi, alterum indicativi. [*V. *Oudendorp.* ad *Suet.*

Caes. 75. et *Ner.* 46., in primis *Drakenb.* ad *Liv.* 6, 23, 3., qui in tanta particularum similitudine et perpetua, quae in libris regnat confusione vix certas regulas de earum usu praescribi posse, caute judicavit. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 658.] *Nep. Milt.* 7. Erat in Miltiade cum summa humanitas, tum mira comitas. *Id. Eum.* 8. Phalanx inveterata cum gloria, tum etiam licentia. *Cic. Rosc. Am.* 25. Cum multis ex rebus intelligi potest, tum ex hac re vel maxime. *Id. Brut.* 87. Volvendi sunt libri cum aliorum, tum in primis Catonis. *Id. Cat.* 3, 5. *extr.* Cum illa certissima sunt visa, tum multo illa certiora etc. *Caes. B. C.* 3, 68. Fortuna cum in reliquis rebus, tum praecipue in bello plurimum potest. *Cic. Att.* 7, 5. Ex victoria cum multa mala, tum certe tyrannis exsistet. *Id. Marcell.* 1. Cum summo consensu senatus, tum praeterea judicio tuo gravissimo et maximo. *Id. Att.* 3, 8. Itaque cum meus me moeror quotidianus lacerat, et conficit, tum vero haec addita cura vix mihi vitam reliquam facit. *Id. Dejot.* Cum in omnibus causis gravioribus, C. Caesar, initio dicendi commoveri soleam vehementius; tum in hac causa ita me multa perturbant etc. ℙ Interdum *tum* iteratur. *Cic. Fam.* 9, 13. Velisque, me hoc muneris cum ipsis amicis, tum municipio Caleno, tum Leptae dare. ℙ Notandus est locus *Livii*, in quo post *cum* sequitur *simul*, 3, 50. Et immixti turbae militum togati, cum eadem illa quaerendo, docendoque, quanto visa, quam audita, indigniora potuerint videri; simul profligatam jam rem nunciando Romae esse, perpulerunt, ut etc. ℙ Item locus *Cicer.* in quo sequitur *ac*, *Fam.* 15, 11. Facturusque sum cum studiose, ac libenter. Sed al. *tum* leg. ℙ *Tum tum* pro *cum tum* V. in TUM. ℙ Ad scriptionem quod attinet, placet *Cellario* et aliis discrimen servatum ab antiquis multis, teste *Vel. Long. de Orthogr.* p. 2231. *Capro* p. 2241., et *Terent. Scaur.* p. 2261., ut quando est adverbium temporis, seu conjunctio, *quum* seu *quom* scribatur; *cum* vero, si sit praepositio. Id confirmare etiam *Quint.* 1, 7., probat *Spaldingius*, cum antea *ib.* locus ita legeretur, ut *quom* scribendum doceret pro adverbio temporis, *quum* pro conjunctione causali, *cum* pro praepositione. In veteribus quidem, quae exstant, monumentis non facile *quum* inveneris, inquit *Cellarius*. Nam *quom* satis apparet antiquum esse. ℙ Quoad vero vocis etymon, *Scheidius* ad *Sanctii Minervam* p. 241. putat, *quum*, seu rectius *quom*, quoties est adverbium temporis, vel conjunctio causalis, compositum fuisse ex *z' ὸν*, i. e. *ze ὸν*, sive *κατὰ ὸν χρόνον*, vel *λόγον*: quoties autem est praepositio, *cum* scribendum, quod contractum sit ab ablativo *cume* inusitati nominis *cumis* pro *cumus*, unde diminut. *cumulus*, et illud esse a *κέκυμαι* praet. pass. verbi *κύω*, tumeo, cresco. Ita ut prioris significationis exemplum habeas ap. *Cic. Fam.* 10, 3. Scis fuisse quoddam tempus, cum (*sive* quom) homines existimarent etc. Alterius vero, quando dicimus *cum illo*; tunc enim idem est, ac si dixeris: *illo*, *tanquam cumulo*, *adjecto*. [Multa h. l. debentur *F.* Caeterum, ad originem vocis quod attinet, frustra mihi quidem ii videntur laborem impendere, qui eruendi h. v. fontis certum aliquod felicis successus fundamentum constitui posse contendant. *B. Crus.* probat aliam vocis originationem ex Hebr. factam. V. ipsum, et quos in h. sententiam laudat in *cl. Suet.* p. 259.]

CUM, *σὺν*, praepositio serviens ablativo, et societatem, conjunctionem, et comitatum quendam adsignificans. Etymon vide in voce praec. *Cic. Att.* 8, 2. Vagamur egentes cum conjugibus et liberis. *Caes. B. G.* 5, 45. Exit cum nuncio Crassus. *Sall. Jug.* 114. Sulla pariter cum ortu solis castra metabatur. *Cic. Vatin.* 13. Coenare cum toga pulla. *Id. Verr.* 2, 1, 24. Ut illo itinere veniret Lampsacum, cum magna calamitate, et prope pernicie civitatis. *Id. N. D.* 2, 23. Moliri aliquid cum labore operoso et molesto. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 2. Certo scio, te fecisse cum causa. ℙ Interdum adjectivo et substantivo interponitur. *Cic. Cluent.* 8. Magno cum metu incipio dicere. ℙ Cum pronominibus, *me*, *te*, *se*, *nobis*, *vobis*, semper postponitur, (et quidem cum iis scriptione coalescens) ut *Cic. Or.* 45. *extr.* docet: saepe etiam cum ablativis *qui*, *qua*, *quo*, *quibus*. *Id. Off.* 3, 19. *f.* Dignum esse dicunt quicum in tenebris mices. *Id. Fam.* 5, 21. Quibuscum essem libenter. *Id.* tamen *Sull.* 5. Cum quibus in ceteris intelligis abfuisse. (Adde *Liv.* 4, 24., 21, 44. et 31, 29.) *Plin.* 19, 3, 18. Quidquid sit, cum quo decoquatur. [*Optimi quique scriptores praepositionem *cum* ante *relativ.* ponere solent. V. *Prisc.* p. 949. Adde *Cic. Off.* 2, 23, 82. Cum quibus causas cognovit. Ita saepius *Quint. cum quo.* V. 3, 6, 13. 14. 16. et al. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 38, 9, 2. Singularis locus est *Cic. Fam.* 7, 3, 3. Ego cum meis — si quidquem nunc cujusquam est: — etiam in meis esse malui. Ubi recte videtur *Manut.*: *Cum meis* rei possessae significationem habet: *in meis*, fructum potius, quam possessionem, demonstrat. ℙ *Esse cum muliere* pro, concumbere cum muliere. Laudat *Manut.* ad *Cic. Fam.* 9, 22. *Varronem L. L.* 5. Antiqui, violavit virginem, pro vitiavit, et, cum muliere fuit, pro concubuit, modeste dicebant.] ℙ *Cum eo*, *ut*; *cum eo*, *ne*, est cum ea conditione. *Liv.* 8, 18. et 36, 5. Lanuvinis sacra sua reddita, cum eo ut aedes lucusque Junonis communis Lanuvinis cum populo R. esset. *Cels.* 2, 17. Recte medicina ista tentatur, cum eo tamen ne praecordia dura sint. *Id.* 7, 27. Cum eo tamen, quod non ignoremus, orto cancro, saepe affici stomachum. ℙ *Cum eo quod*, praeterquamquod. *Scrib. Compos.* 60. Hoc cum eo quod candidos facit dentes, tum etiam confirmat. [*V. *Spald.* ad *Quint.* 2, 4, 145. ℙ Saepissime inservit *cum* conjunctioni eo modo, quo alias *et*. *Liv.* 21, 60. Dux cum aliquot principibus capiuntur, i. e. dux et aliquot principes. *Id.* 38, 48. Negaretis hoc mihi cum diis immortalibus, i. e. mihi et diis. V. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 10, 85. Sic et Graeci. V. *Ruhnk.* ad *Hymn.* in *Cerer. v.* 499. et *Stroth.* ad *Liv.* 22, 21. ℙ *Pl. Capt.* 5, 1, 10. Tecum servavi fidem. Eodem modo *Id. Curcul.* 1, 2, 49. In hac et similibus formulis *cum* singularem habet notionem. Non est enim *ἅμα*, *σὺν*, sed *ἐν*, *παρά*. Veluti in vulgari illa formula *tecum fui*, pro *apud te fui*. Sic igitur *Rud.* 5, 1, 60.: Tecum habeto, pro eo quod vulgo dici solet: habeas tibi. Sic explicandae sunt formulae similes: tecum oro. *Bacch.* 3, 3, 90. Tecum orarem. *Ib.* 3, 6, 25. Jube petere atque orare mecum. *Asin.* 3, 3, 72. et 96. Scin' quid tecum oro senex? *Rud.* 3, 4, 68. Adde *Cas.* 2, 5, 16. Atque ita plane etiam nostrates: *Er hat bei mir gebeten. Er hat bei jenem gefragt* etc. Haec *Lindem.* ad *Pl. Capt.* 5, 1, 10. Adde *Suet. Dom.* 3. quis intus cum Caesare i. q. apud Caes. ℙ *Deliberare aliquid cum aliquo* est: ex iis, quae rem aliquam circumstant, aptum perficiendae rei capere consilium. *Quint.* 3, 7, 16. ed. *Spald.* Utra sit autem harum via utilior, cum materia deliberabimus. *Id.* 4, 2, 101. Quod si pars ex positionis pro nobis, pars contra nos erit; miscenda sit an separanda narratio, cum ipsa causae conditione deliberandum est. Adde 5, 13, 59. 7, 10, 10. 9, 4, 117. ℙ Notandae etiam dicendi formulae: *dissentire*, *discrepare*, *discordare cum aliquo*.] ℙ *Esse omnia alicui cum aliquo*, vel *esse nihil* pertinent ad conjunctionem amicitiae et voluntatum, et contra. *Cic. Fam.* 13, 1. Cum Patrone Epicureo mihi sunt omnia, nisi quod in philosophia vehementer ab eo dissentio. (Est qui legit *omnia communia*: sed optimi codices, faventibus criticis, omittunt.) *Id. Verr.* 2, 5, 52. Non ut quisque maxime est, quicum tibi aliquid sit, ita tui hujuscemodi criminis maxime eum pudet? *Id. Att.* 14, 15. Bruto certe meo nullo loco deero: idque, etiam si mihi cum illo nihil fuisset, facerem. *Id. Phil.* 2, 31. Sibi cum illa mima posthac nihil futurum. ℙ Aliquando *cum* significat contra. *Cic. Div.* 1, 46. Bellum gerere cum aliquo. [*Huc pertinent ll. *Cic. Brut.* 1, 3. Cum quo certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere. *Liv.* 9, 1. Quodsi nihil cum potentiore juris humani relinquitur inopi, i. e. adversus potentiorem.] ℙ Aliquando redundare videtur. *Cic. Tusc.* 5, 6. Omnia rabide appetens cum inexplebili cupiditate. *Id. Fam.* 13, 10. Versari in aliquo studio cum ingenio. *Pl. Amph.* 2, 2, 111. Egone abs te abii hinc hodie cum diluculo? *Varr. L. L.* 5, 9. Cum prima luce. *Virg. G.* 2, 423. Ipsa satis tellus, cum dente recluditur unco, Sufficit humorem, et gravidas cum vomere fruges. *Heynius* tamen ita interpretatur: et gravidas sufficit fruges, cum vomere recluditur. *Enn.* ap. *Serv. ib.* Effundit voces proprio cum pectore sancto. *Quadrig.* ap. *Gell.* 9, 13. cum voce maxima conclamat. Adde *Catull.* 98, 3. [**Suet. Ner.* 34. Cum gaudio nunciantem. *Id. Cal.* 16. Legata cum fide persolvit. (Ita *Tac. H.* 2, 98. Cum fide juvit. Diverso sensu dicitur *A.* 4, 59. Cum fide audiebatur.) V. *Sanct.* p. 831. seq. et *Perizon.* ad h. l. *Liv.* 38, 10. cum silentio auditi sunt. *Id. ib.* 18. explorato deinde et cum cura coacto agmine procedebat. V. *lex. Liv.* p. 152. ubi nubem exemplorum invenies, quibus hoc dicendi genus firmatur. Cf. *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 1, 10, 49. — Sed propemodum non minus saepe desideratur illud *cum*. *Liv.* 25, 22. Descendere in aciem copiis. *Id.* 1, 14. Egressus omnibus copiis. Cf. de hac ellipsi, quam dicunt, *Perizon.* ad *Sanct. Minerv.* 4, 6, 18. V. et *Epist.* ad *Goeller.* p. 439.] ℙ Vetant *Cic. Or.* 45. *extr.* et *Quint.* 8, 3. jungi *cum*, sive adverbium sit, sive praepositio, vocibus ab *n* incipientibus, vel quia, ut ait *Quint.*, ultima prioris syllabae littera, quae exprimi, nisi labris coeuntibus non potest, aut intersistere nos indecentissime cogit, aut continuata cum insequente, in naturam ejus corrumpitur, et junctura deformiter sonat: vel quia obscenius concurrerent litterae, ut *Cic.* dicit: tunc enim ea verba sono vocabulum *cunnus* exprimerent. Nihilominus *Idem* dixit *Dom.* 9. Cum nominibus tantum uteretur etc. [*Cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 9, 22.] ℙ *Notat *Ruhnkenius*, nullo in Lexico annotatum reperisse, quod *M. A. Muretus* pulchre monuit ad *Catull.* p. 864. praepositionem *cum* habere vim indignationis significandae. *Pl. Epid.* 1, 1, 33. Abi in malam rem maximam a me cum istac conditione. *Id. Most.* 2, 2, 33. Dii te deaeque omnes faxint cum isto omine. *Liv.* 5, 27. Scelestus ipse cum scelesto munere venisti. *B. A.* ℙ Quando adhibetur verbis componendis in *con* transit. V. CON.

CŪMĀ, ae, et Graeca positione *Cume*, vel potius *Cyme*, es, f. *Castri*, al. *Foja nuova*, urbs Asiae minoris in Aeolide, et in ora sinus Smyrnaei. *Liv.* 37, 11. ℙ *Cumae*, *arum*, f. plur. *Cuma*, Col. et urbs Campaniae excisa, in ora litorali inter Linternum ad Occ. et Misenum ad Or., non longe ab antro Sibyllae Cumanae, et a Cumano villa, condita a populis Chalcidis urbis Euboeae insulae. Dicta est a Cuma urbe Aeolidis, vel a *κῦμα*, unda, vel a *κύημα*, fetus, quod coloni illi apud Bajas mulierem gravidam viderint, et fecunditatis augurium interpretantes, in ea regione urbem condiderint. *Plin.* 3, 5, 9. et *Serv.* ad *A.* 3, 441. ℙ Graeca positione *Sil.* 13, 494. At gravida arcanis Cymes anus, *h. e.* Sibylla Cumana. *Stat. Silv.* 4, 3, 65. Miratur sonitum quieta Cyme, Et Linterna palus. ℙ *Cuma* pro *cyma*, V. hanc vocem §. 2.

CŪMAEUS et Cymaeus, a, um, adj. *Κυμαῖος*, ad Cumas pertinens. *Virg. A.* 3, 441. Huc ubi delatus Cumaeam accesseris urbem. *Id. ib.* 6, 98. Cumaea Sibylla. *Id. Ecl.* 4, 4. Cumaeum carmen. *Sil.* 13, 498. Cymaeum antrum. *Val. Fl.* 1, 5. Cymaea vates. *Ov. Pont.* 2, 8, 41. Sic pater in Pylios, Cumaeos mater in annos Vivant, *h. e.* Sibyllae Cumanae, quae *longaeva* dicitur a *Virg. A.* 6, 321. V. SIBYLLA. ℙ *Cumaei*, vel *Cymaei*, *orum*, sunt populi Cumae urbis Aeolidis, ap. *Liv.* 38, 39.

CŪMALTER significat cum altero, dictum ab antiquis ita brevitatis causa, ut *sodes* pro si audes, *scilicet* pro scias licet, *sis* pro si vis. Haec *Festus*.

CUMĀMUM, ubicumque legitur ap. *Scrib. Comp.* 126, 144. etc., monet *Rhodius* corrigendum *cynamum*.

*CUMANĬA, ae, castellum Asiae, in Iberia. *Plin.* 6, 11. *B. A.*

CŪMĀNUS, a, um, adj. ad Cumam, vel Cumas pertinens. *Lucan.* 5, 183. in Euboico vates Cumana recessu. *Plin.* 35, 13, 47. Cumanum caementum, *h. e.* tophus, vel pumex minutatim caesus. *Id.* 19, 1, 2. *n.* 2. linum. *Cic. Agr.* 2, 25. Cumanus ager. *Flor.* 2, 8. Apollo, *h. e.* qui prope Cumas colebatur. *Lucil.* ap. *Non.* 5, 97. panis, *h. e.* vilis, sordidus. *Tibull.* 2, 3, 48. Fictaque Cumana lubrica terra rota, *h. e.* fictilia vasa rotis Cumanis elaborata, quae ab Italis nunc *vasi Etrusci* appellantur. ℙ *Cumani*, *orum*, sunt Cumarum incolae. *Liv.* 40, 42. *extr.* Cumanis petentibus permissum, ut publice Latine loquerentur. ℙ *Cumanum*, *i*, fuit villa *Ciceronis* prope Cumas. *Cic. Fam.* 4, 2. et *Plin.* 17, 25, 38 ℙ *Cumana*, *ae*, est vas fictile e terra Cumana, quae ad haec aptissima habita est. *Apic.* 4, 2. Aquam lavas, ex oleo maceras, in cumana compones. Adde 6, 9. et alibi. *Mart.* 14, 114. Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere testam, Municipem misit casta Sibylla suam. *Varr.* ap. *Non.* 2, 597. Cumani calices.

CŪMĀTĬLIS. V. CYMATILIS.

CŪMĀTĬUM. V. CYMATIUM.

CUMBĀ. V. CYMBA.

*CUMCUNQUE, i. e. quandocunque. *Lucr.* 2, 113. V. *Cunque f. B. A.*

CŪMĒRĀ, ae, f. *σιτοδόχη*, vas vimineum, vel sparteum, vel palmeum, vel etiam fictile, acuminato coperculo cameratum, unde et nomen suum accepisse videtur, quo rustici utuntur ad condenda frumenta, uti docent *Fest.* in *Cumerum*, et *Acron.* ad illud *Hor. Sat.* 1, 1, 53. Cur tua plus cumeris laudes granaria nostris? *Id. Ep.* 1, 7, 29. Repere in cumeram frumenti. [*V. *Bentl.* ad hunc et *Heindf.* ad *Hor.* l. prius laudatum.]

CŪMĒRUM vocabant antiqui vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utensilia: quod et camillum dicebant, eo quod sacrorum ministrum *κάμιλλον* appellabant. Haec *Fest.*, ubi quod passim legatur *Cumeram*, mendum esse putant critici. *Varr. L. L.* 6, 3. Dicitur in nuptiis camillus, qui cumerum fert, in quo quid sit in ministerio, plerique extrinsecus nesciunt. ℙ *Fuit et *Cumerum*, *i*, n. Italiae promontorium, in Piceno, prope Anconam. *Plin.* 3, 13. *B. A.*

CŪMES, itis, m. comes. Ita, teste *Prisc.* 1, 554., dicebant olim *cungrum*, *humines*, *funtes*, *frundes*, pro *congrum* etc. *Lucret.* 3, 401. Sed cumes insequitur, facile et discedit in auras. Al. leg. *comes*.

*CUMI, indecl. Aethiodiae oppidum, ad Nilum flumen. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

CŪMĪNĀTUS, a, um, adj. cumino mixtus, vel conditus. *Pall.* 12, 22. Subinde cuminati salis aspersione cumulabis. ℙ *Cuminatum* absolute est

condimentum ex cumino. Ejus conficiendi rationem tradit *Apic.* 1, 29. ℙ Legitur et *cyminatus.*

[CŪMĪNĪNUS, a, um, adj. ad cuminum pertinens. *Appul. Herb.* 74. Herbae solatae succum cum oleo cuminio misce. Alii leg. eadem significatione *cyminino. F.*]

CŪMĪNUM, i, n. κύμινον ab Hebr. כַּמּוֹן, genus herbae, semine ejusdem nominis, angusto et canaliculato, in summa tellure vix haerens, et in sublime tendens, condimentorum omnium fastidiis amicissimum, *Plin.* 19, 7, 36. et *ib.* 8, 47., item 20, 14, 57. et *ib.* 15, 57., ubi duo ejus genera facit, silvestre praetenue, quaternis aut quinis foliis veluti serratis, et sativum: et utriusque usus in medicina percenset. Addit etiam, bibentibus ex aqua vinoque pallorem gignere: atque hac ratione quosdam similitudinem coloris studiis contracti imitatos. *Colum.* 10, 246. gracilique melanthia grata cumino. *Hor. Ep.* 1, 19, 18. Exsangue cuminum. *Pers.* 5, 55. pallentis grana cumini. ℙ De proverbio, *vesci cuminum*, V. in CAEPA. ℙ Legitur et *cyminum* Graeca vocali servata.

CUMMAXĪMĒ et Cum maxime, adv. *Ter. Heaut.* 4, 5, 40. Cummaxime volo te dare operam. *Cic. Cluent.* 5. Quae multos jam annos, et nunc cummaxime, filium interfectum cupit. ℙ Eleganter adjungitur ut. *Ter. Hecyr.* 1, 2, 40. Hanc Bacchidem amabat ut cummaxime, tunc Pamphilus. ℙ Significat etiam tempore praesenti, in praesenti. *Cic. Har. resp.* 15. Antiqua negligimus, etiamne ea negligemus, quae fiunt cummaxime? *Senec. Benef.* 3, 3. Nemo nostrum novit nisi id tempus, quod cum maxime transit: ad praeterita rari animum retorquent. [*V. uberrimam *Ernest.* de hac formula disputationem in *cl. Cic.* quam longum erat huc transscribere.]

CUMMIS. V. COMMIS.

CUMPRĪMĒ, adv. apud veteres pro cumprimis. *Quadrigar.* ap. *Gell.* 17, 2. Cujus operam apud Gallos cumprime fortem Resp. sensit. Ubi *Gellius*: Apprime crebrius est, cumprime rarius.

CUMPRĪMIS, adv. ἐις τὰ πρῶτα, in primis. *Cic. Verr.* 2, 2, 28. Homo domi suae cumprimis locuples. *Virg. G.* 1, 178. Area cumprimis ingenti aequanda cylindro, *h. e.* interea, vel inter prima opera et officia. *Servius.* ℙ Legitur et *Cum primis* divisum.

CUMQUE. V. CUNQUE.

[CŪMŪLĀRE, is, *n.* commissura renum. *Veget. Veterin.* 4, 2. A commissura renum, (quod cumulare dicitur) usque ad imum muscarium commissurae sunt duodecim. Adde *ib.* 4, 1.

CŪMŪLĀTĒ, adv. σωρηδὸν, abundanter. *Cic. Div.* 2, 1. Ut plene esset cumulateque perfecta. *Id. Or.* 17. Cumulatius quid augere. *Id. Fam.* 10, 29. Cumulatissime satisfacere. *Id. Att.* 15, 15. Non modo liberaliter, sed etiam ornate cumulateque tractare aliquem. *Id. in Senat.* 1. Cumulate gratias agere.

CŪMŪLĀTIM, adv. idem ac cumulate. *Varr. R. R.* 3, 15. Quibus in tenebris cum cumulatim positum est in doliis etc. Alii leg. *affatim. Prud. Apoth.* 785. cumulatim aggesta redundant Fercula.

CŪMŪLĀTIO, onis, f. aggestio in cumulum. *Arnob.* 3, 108. Nonnullos turgentibus malis, aut buccarum cumulatione saccibucces, *h. e.* buccis tumentibus. Alii rectius leg. *tubulatione.*

CŪMŪLĀTUS, a, um, part. a *cumulo*, ἐπισωρευθεὶς, in cumulum coacervatus. *Curt.* 5, 4. Nix cumulata vento ingredientes fatigabat. *Id.* 6, 6. Cumulatis stipitibus fastigium montis aequare. *Id.* 5, 1. Arenae cumulatae. *Id.* 3, 11. Cumulata turba. ℙ Item plenus, expletus. *Liv.* 32, 17. Locus strage semiruti muri cumulatus. *Ov. Fast.* 4, 451. Cumulatis flore canistris. *Tac. H.* 4, 20. Cumulatae corporibus fossae. *Colum.* 12, 21. Coadjicitur in binas urnas ligula cumulata salis cocti. *Cic. Brut.* 4. Eadem mensura reddere, qua acceperis, aut etiam cumulatiore. *Liv.* 2, 23. Aes alienum cumulatum usuris. ℙ Translate. *Liv.* 2, 47. *f.* Spreta in tempore gloria interdum cumulatior redit. *Cic. Or.* 2, 8. *extr.* Omni rerum genere cumulata oratio. *Id. Fam.* 9, 14. Tantum accessit ad amorem, ut mirarer, locum fuisse augendi in eo, quod mihi jampridem cumulatum etiam videbatur. *Id. Or.* 2, 4. Hoc vitio cumulata est Graecorum natio. *Id. Sext.* 40. Perfecta et cumulata virtus. *Id. Off.* 2, 5. Quorum studiis ea, quae natura desiderat, expleta cumulataque habemus. *Id. Fin.* 2, 19. *f.* Ponebas cumulatum aliquem plurimis et maximis voluptatibus. *Id. Att.* 12, 5. Duplici dedecore cumulata domus. *Tac. H.* 3, 37. Cumulatus honoribus. ℙ Cum genitivo. *Pl. Aul. a.* 5. *v.* 16. Scelerum cumulatissimus. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 455. Homo ineptitudinis cumulatus.

CŪMŪLO, as, avi, atum, a. 1. σωρεύω, in cumulum coacervo, congero, *Curt.* 10, 1. Opes longa possessione imperii cumulaverat. *Scrib. Comp.* 227. Cumulare et adstruere medicamentum carbasis. *Stat. Th.* 6, 85. Truncis, nemorumque ruina cumulare pyram. *Curt.* 4, 16. Cumulantes agmina. *Auct. B. Hisp.* 31. Cumulatur adversariorum multitudo. ℙ Translate. *Tac. H.* 2, 80. Pauci imperatorem salutavere: tum ceteri accurrere, Caesarem, et Augustum, et omnia principatus vocabula cumulare. *Id. A.* 13, 2. honores omnes in aliquem. *Id. ib.* 1, 2. in aliquem probra. *Curt.* 4, 16. Propemodum saeculi res in illum diem fortuna cumulavit. ℙ Significat etiam cumulum faciendo implere. *Ov. Trist.* 3, 10, 72. Nec cumulant altos fervida musta lacus. *Virg. A.* 11, 50. et *Curt.* 5, 1. Altaria ture, et omnibus odoribus cumulare. *Val. Fl.* 1, 204. Pingui cumulat libamine flammam. *Ov. Med. fac.* 56. Sed cumulent libras hordea nuda duas, *h. e.* impleant, aequent, conficiant. ℙ Cumulare se cibo. *Ov. Met.* 15, 462. Neve Thyesteis cumulemus viscera mensis. ℙ Et translate. *Id. Rem. Am.* 541. Dum bene te cumules, et copia tollat amorem. *Caecil.* ap. *Cic. Coel.* 16. Meum cor cumulatur ira. *Cic. Fam.* 9, 14. Cumulari maximo gaudio. ℙ Frequenter ponitur pro onerare, augere, complere. *Ov. Trist.* 4, 1, 55. Meque tot adversis cumulant, quot litus arenas etc. *Pl. Capt.* 2, 3, 64. Cumulare benefacta. *Virg. A.* 5, 532. Cumulare aliquem muneribus. *Cic. Off.* 1, 32. Africanus eloquentia cumulavit bellicam laudem. *Id. Rosc. Am.* 11. Haec maleficia aliis nefariis cumulant atque adaugent. *Liv.* 3, 12. *f.* Cumulare alicui invidiam. *Cic. Att.* 4, 1. Unum, ad cumulandum gaudium, conspectum mihi tuum defuisse. *Ov. Her.* 2, 57. Cumulare hospitium lecto jugali, *h. e.* non solum hospitio excipere aliquem, sed etiam ei nubere. *Plin. ep.* 3, 11. *f.* Cumulare aliquem laudibus. *Auct. Dial. de Or.* 36. eloquentiam magnis praemiis. *Cic. Fin.* 5, 14. *extr.* Summum bonum cumulatur ex integritate corporis, et ex mentis ratione perfecta, *h. e.* perficitur, completur. *Claud. VI. Cons. Honor.* 592. Nil cumulat, verbisque nihil fiducia celat.

CŪMŪLUS, i, m. σωρὸς, θὶς, acervus multarum rerum in altitudinem congestarum. [*De etym. vocis V. *Döderl.* 2, 115.] *Liv.* 10, 29. Consulis corpus obrutum superstratis Gallorum cumulis. *Virg. A.* 1, 109. insequitur cumulo praeruptus aquae mons. *Id. G.* 1, 105. Cumulus arenae. *Ov. Met.* 12, 514. Obrutus cumulo arboreo. *Plin* 31, 10, 46. *n.* 3. Cumuli saxei. *Id.* 2, 65, 65. Cumulus aquae in poculis eminens. *Claud. in Eutrop.* 1, 222. Struere cumulos auri. [*Quomodo differant *acervus*, *strues* et similia V. ap. *Döderl.* 2, 118.] ℙ Translate. *Quint. praef. l.* 7. Cumulus rerum in dicendo. *Id.* 6, 1. *in.* Peroratio, quam cumulum quidam vocant. *Stat. Silv.* 4, 3, 158. Et laudum cumulo beatus omni. *Ulp. Dig.* 36, 1, 4. Cumulus aeris alieni. *Id. ib.* 27, 2, 3. Cumulus patrimonii, *h. e.* universus reditus, ut idem paulo ante dicit. ℙ In mensuris aridorum *cumulus* est quod supra mensuram adjicitur, ut *Festus* in *Auctarium* docet. Ab hac significatione elegantes ac frequentissimae metaphorae oriuntur. *Cic. Or.* 3, 35. *extr.* Eloquentia aliquem cumulum philosophorum artibus affert. *Id. Rosc. Am.* 3. Ut ad illam opimam praedam damnatio Roscii velut cumulus accedat *Id. Att.* 4, 18. *extr.* Ad summam laetitiam, quam ex tuo reditu capio, magnus illius adventu cumulus accedit. *Id. ib.* 16, 3. Qui etsi per se est amabilis, tamen accedit magnus cumulus commendationis tuae. Et *ib.* 11. De laudibus Dolabellae deruam cumulum. *Id. Fam.* 13, 62. Magnum beneficium tuum magno cumulo auxeris. *Id. ib.* 16, 21. Afferre alicui cumulum gaudii. *Id. Agr.* 2, 23. Accesserint in cumulum manubiae vestrorum imperatorum. *Id. Prov. cons.* 11. Ille cumulus dierum hominis est dignitati tributus. *Id. Att.* 1, 16. Cumulus mercedis. *Senec. Hippol.* 1119. Equidem malorum maximum hunc cumulum reor, Si abominanda casus optata efficit. *Ov. Met.* 11, 205. et addit Perfidiae cumulum, falsis perjuria verbis. *Plin.* 13, 1, 2. Cumulus deliciarum. *Id.* 6, 22, 24. luxuriae nostrae. ℙ Est quoque idem ac summitas. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 7. *n.* 38. Tumulum infra monimentum super sarcophaga earum massa aedificavit usque ad cumulum.

CŪNĀBŪLA, orum, n. plur. σκάφη, σπάργανα, lectuli infantum, vel loca ubi nascuntur. Ita *Serv.* ad *Ecl.* 4, 23., ubi a κύω, praegnans sum, et pario, derivat. *Cic. Div.* 1, 36. Qui cum esset in cunabulis, educareturque etc. *Pl. Amph.* 5, 1, 52. Neque eum quisquam colligare quivit in cunabulis. Al. leg. *conjunctim* incunabulis. ℙ Item locus, in quo quis nascitur. *Prop.* 3, 1, 27. Idaeum Simoenta, Jovis cunabula parvi. ℙ Tribuuntur et animalibus. *Plin.* 10, 33, 51. Aves, quae cunabula in terra faciunt. *Virg. G.* 4, 66. de apib. Intima more suo sese in cunabula condent. ℙ Translate. *Pl. Ps.* 2, 4, 48. Usque a cunabulis, *h. e.* ab infantia. *Virg. A.* 3, 105. Mons Idaeus ubi, et gentis cunabula nostrae, *h. e.* prima sedes et origo. *Appul. Met.* 2. *f.* A primis cunabulis hujus urbis conditae. *Aurel. Arcad. Dig.* 1. *t.* 11. His cunabulis praetorio praefectorum auctoritas initiata, *h. e.* his initiis. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *med.* Liber, qui veluti cunabula juris continet.

CŪNAE, arum, f. plur. σκάφη, κοττὶς, vasculum, sive alveus ille, in quo infantes fasciis involuti cubant, forma scaphae: quasi *cynae*, a κύω, pario. Aliud etymon habes in V. CŪNNUS. *Cic. Tusc.* 1, 39. Iidem, si puer parvus, occidit, aequo animo ferendum putant, si vero in cunis, ne querendum quidem. *Id. Senect.* 23. Repuerascere, et in cunis vagire. *Mart.* 11, 39. Cunarum fueras motor, Charideme, mearum. ℙ Translate. *Ov. Met.* 3, 313. Educare aliquem primis cunis, *h. e.* primis vitae diebus. Sic *Prop.* 2, 10, 43. Ponere animam primis cunis. ℙ Tribuuntur et avibus. *Ov. Trist.* 3, 12, 9. hirundo Sub trabibus cunas, parvaque tecta facit. ℙ In sing, num. perrarus est. *Prud. Dittoch.* 111. praesepe jacenti Cuna erat.

CUNĀRIA, ae, f. videtur esse mulier, quae cunis alicujus adfuerit, et infantiam ejus servaverit. Simile officium in quodam Charidemo describit *Mart.* 11, 39. V. v. praec. *Inscr.* ap. *Grut.* 311, 7. Tejae Threpte cunariae Rufinae *Virginis Vestalis* Glyptus frater vivos vivae posuit.

CUNCTĀBUNDUS, a, um, adj. qui cunctatur, μελλητικός. *Liv.* 6, 7. Cunctabundosque, et resistentes egressos castris esse.

CUNCTĀLIS, e, adj. Lar cunctalis (*h. e.* δαίμων πάγχοινος) dictus est Neptunus, quod ab eo nasci cuncta antiqui crediderunt. *Capell.* 1. p. 16.

CUNCTĀMEN, inis, n. idem quod cunctatio. *Paulin. Nolan.* 24, 416. Pavidae cunctamine mentis.

CUNCTANS, antis, part. a cunctor, μέλλων, χρονίζων, βραδὺς, qui cunctatur, tardus: et dicitur saepe de iis, qui haerentes in deliberando, tardi sunt ad rem suscipiendam. *Cic. Fam.* 6, 1. Me eum esse, quem solitus esses auctoritate tua cunctantem et diffidentem excitare. *Id. Or.* 3, 9. *sub f.* Cunctantem et quasi verecundantem incitare. *Virg. A.* 10, 831. Increpare socios cunctantes. *Id. ib.* 4, 133. Reginam thalamo cunctantem ad limina primi Poenorum exspectant. *Id. ib.* 12, 940 Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo Coeperat. *Suet. Dom.* 17. Cunctantibus conspiratis, quando, et quomodo aggrederentur. *Id. Caes.* 60. Extremo tempore ad dimicandum cunctantior factus. *Val. Fl.* 3, 693. multusque viri cunctantia corda Fert dolor. ℙ Cum accus. per ellipsin poeticam, *Id.* 2, 93. Alternos aegro cunctantem poplite gressus. Adde *Virg. A.* 4, 390. ℙ Translate. *Virg. ib.* 6, 210. de ramo aureo. Corripit extemplo Aeneas, avidusque refringit Cunctantem, *h. e.* resistentem dum avelleretur. *Id. G.* 2, 236. Glebae cunctantes, *h. e.* durae ad proscindendum. *Luer.* 3, 194. Mellis, quam aquae, pigri lātices magis, et cunctantior actus. *Val. Fl.* 7, 64. Me quoque cunctantes interdum agnoscere tauri. *Stat. Th.* 5, 680. Cunctans ira. ℙ Active. *Claud. in Eutrop.* 2, 441. qui pondere postquam Decidit implicitus limo, cunctantia pronus Per vada reptabat coeno subnixa tenaci, *h. e.* remorantia. Potes tamen interpretari etiam, se non moventia.

CUNCTANTER, adv. σχολαίως, cum mora. *Liv.* 1, 36. Tum illum haud cunctanter discidisse cotem ferunt. *Tac. A.* 1, 71. Data utrique venia, facile Segimero, cunctantius filio. Al. leg. *cunctatius.* [*Ita etiam ap. *Suet. Caes.* 19. pro cunctantius al. cunctatius. V. *Burm.* ad h. l.]

CUNCTĀTIO, onis, f. μέλλησις, tarditas, mora. *Cic. Off.* 1, 21. Abjecta omni cunctatione, adipiscendi magistratus sunt. *Id. Sext.* 47. Cunctatione et tarditate. [*V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 10, 33.] *Liv.* 29, 24. Res jam non ultra cunctationem recipit. ℙ Legitur et *contatio.* [*De discrimine inter cunctatio et mora, quae saepissime verba junguntur, v *Doederl.* 3, 297.]

CUTCTĀTOR, oris, m. dilator, cunctabundus, lentus, μελλητής. *Coel. ad Cic. Fam.* 8, 10. Nosti Marcellum, quam tardus, itemque Servium, quam cunctator. *Liv.* 6, 23. Cunctatorem ex acerrimo bellatore factum. *Stat. Th,* 3, 79. Non cunctator iniqui, *h. e.* promptus ad inique agendum. ℙ Fuit cognomen Q. Fabii Maximi, qui prudenti cunctatione Annibalis vires fregit. *Liv.* 30, 26.

CUNCTĀTUS, a, um, part. a *cunctor*, *Curt.* 5, 6. Rex phalangem nihil cunctatus inducit. *Stat. Th.* 9, 36. lacrimaeque haesere paratae, Et cunctata fides. *Cunctatus* hic passiv. esse videtur. ℙ Transit etiam in nomen, et habet gradus. *Plin. ep.* 2, 16. Cunctatior fortasse, et cautior esse deberem. [*V. *Schaefer.* 9, 13, 6. Erat enim cunctatior cautiorque. Hoc et anteced. *Plin.* loco alii cunctantior. Eadem varietas ap. *Suet. Caes.* 60. ubi edd. bonae notae cunctatior. V. *Oudendorp.*] ℙ Legitur et *contatus*, praesertim ap. *Appulejum.*

CUNCTI, ae, a, adj. σύμπαντες, omnes simul. *Cuncti*, inquit *Festus*, significat quidem omnes, sed conjuncti et congregati: at vero *omnes*, etiam si diversis locis sint. *Ascon. in Div. Verr.* 1. Cuncti, simul omnes, quasi conjuncti. *Servius* ad *A.* 1, 522. Cuncti non idem significat quod omnes. Cicero saepe ait, cuncti atque omnes: quia omnes non statim sunt cuncti, nisi iidem simul sint juncti. Haec *Serv.* Porro ubi loci *Cic.* dixerit *cuncti atque omnes*, adhuc est incompertum. Ceterum

hoc discrimen non est perpetuum, et promiscue fere *omnes*, et *cuncti* ponuntur in oratione. [*V. *Ern. Synonym.* 1790.] *Cic. Or.* 1, 40. Prope cunctis civibus lucem ingenii porrigens. *Nep. Dat.* 5. Cuncti ad eum opprimendum consenserunt. *Id. Annib.* 1. Populus R. antecedebat fortitudine cunctas nationes. *Caes. B. G.* 2, 29. Cunctis oppidis castellisque desertis. *Cic. Somn. Scip.* 7. Cum ad idem cuncta astra redierint. *Sall. Jug.* 2. Res cunctae. [*Hor. C. S. 73. Haec Jovem sentire Deosque cunctos.] *Hor. Od.* 5, 1, 23. Cuncta terrarum subacta. *Tac. H.* 5, 10. Cuncta camporum. *Id. A.* 3, 35. curarum. [*Lucr. 5, 739. Cuncta viai.] ℙ Cum genitivo. *Plin.* 3, 1, 3. Baetica cunctas provinciarum diviti cultu praecedit. *Ov. Met.* 4, 630. Hic hominum cunctos ingenti corpore praestans Iapetionides Atlas fuit. ℙ In singulari numero. *Virg. A.* 1, 158. Cunctus pelagi fragor. *Id. ib.* 237. Cunctus terrarum orbis. *Cic. Fam.* 10, 21. A cuncto populo. *Id. N. D.* 2, 39. Cunctam intuens terram. *Id. Phil.* 2, 9. In tanta laetitia cunctae civitatis. *Id. Agr.* 2, 16. Cuncta Aegyptus. *Stat. Th.* 5, 202. cuncto sua regnat Erinnys pectore, *h. e.* in omnium pectoribus. *Pl. Most.* 5, 2, 4. Fac istam cunctam gratiam, *h. e.* integram et plenam. *Catull.* 64, 92. cuncto concepit pectore flammam Funditus, atque imis exarsit tota medullis.

[CUNCTĬCĪNUS, a, um, adj. totus cantans, a *cunctus*, et *cano*. *Capell.* 9, 306. Non enim simplex quaedam, et unius materiae tinnitibus modulata, sed omnium organicarum vocum consociata permixtio quandam plenitudinem cuncticinae voluptatis admisit.

CUNCTIM, adv. universim, ὅλως. *Appul. Florid. n.* 9. Non singillatim ac discretim, sed cunctim et coacervatim offere. *Id. de Deo Socrat.* Homines singillatim mortales, cunctim tamen perpetui.

CUNCTĬPĂRENS, entis, adj. parens cunctarum rerum. *Prudent. περὶ στεφ.* 14, 128. Cui posse soli cunctiparens dedit, Castum vel ipsum reddere fornicem.

CUNCTĬPŎTENS, entis, adj. omnipotens. *Prud. περὶ στεφ.* 7, 56. Jesu cunctipotens.

CUNCTOR, aris, atus sum, dep. 1. μέλλω, χρονίζω, proprie est, si *Vossio* creditur in *Etymol.*, cuncta aggredi, sive per cuncta ire: a *cunctus:* sed quia cuncta non sine mora perficere est, inde factum, ut sumatur pro morari, differre, procrastinare. Hinc *cunctari in bello* dicuntur, qui, quasi aliquid auxilii adhuc exspectent, pugnare nondum volunt. [*Doederl. 3, 294. sq. docet esse *cunctari* vel *contari* frequent. verbi *conari*, et pertinere ad eum, qui semper aliquid animo volvat, nihil perficiat (gr. μέλλειν).] *Cic. Att.* 10, 8. Assequor omnia, si propero; si cunctor, amitto. *Id. ib.* 7, 12. An cuncter et tergiverser, et iis me dem, qui etc.? *Id. Sext.* 38. An etiam tunc quiesceretis, cunctaremini, timeretis? *Id. Fam.* 1, 7. Si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri, non esse cunctandum; si dubium, non esse conandum. *Enn.* ap. *Cic. Senect.* 4. de Fabio Maximo cunctatore. Unus qui nobis cunctando restituit rem. [*Differt *cunctari* ab *haesitare*. Hoc eum denotat, qui propter impedimenta ultra progredi nequit; illud significat ignavum, incertum quid faciat. *Döderl.* 3, 296.] ℙ Item subsistere, manere. *Virg. G.* 4, 106. de apibus: tu regibus alas Eripe: non illis quisquam cunctantibus, altum Ire iter, aut castris audebit vellere signa. *Val. Fl.* 3, 656. Ad medium iter cunctari. *Cic. Tusc.* 1, 46. Cunctari diutius in vita, inutile putabat. [*Quomodo differat in his a commorari, manere. V. *Döderl.* 3, 297. Adde *Lucr.* 3, 408. Tamen in vita contatur et haeret.] ℙ Item haerere, dubitare. *August.* ap. *Suet.* 56. Consuluit senatum, quid officii sui putaret. Cunctari enim se, ne, si superesset, eriperet legibus reum; sin deesset, destituere ac praedamnare amicum existimaretur. *Suet. Vesp.* 16. Ne canditatis quidem honores, reisve absolutiones vendere cunctatus est. Adde *Ammian.* 29, 1. ℙ Cum accus. V. CUNTANS. ℙ Cum infinito. *Cic. Univ.* 3. *f.* Quam ob causam non est cunctandum profiteri, hunc mundum animal esse. *Colum.* 8, 15. *extr.* Si modo captas aves custodiae tradere velis, parere cunctantur in servitute. [*Conjungitur interdum hac significatione cum *cessare*, quod quid differat, v. ap. *Döderl.* 3, 300. ℙ Translate. *Lucr.* 2, 392. Et, quamvis subito, per colum vina videmus Perfluere; at contra tardum contatur olivum.] ℙ *Cunctarier* per paragogen pro *cunctari*. *Lucr.* 3, 67. Et quasi jam leti portas cunctarier ante. ℙ Etiam *contor* aliquando scriptum fuit. V. ℙ Quin et *cuncto*, *as*, activa forma, et agnoscitur a *Prisc.* 8, 797., et confirmatur illo *Plauti* loco *Cas.* 4, 2, 13. Tu hic cunctas: intus alii festinant. Et *Ennii* ap. *Non.* 7, 9. Qui cupiant dare arma Achilli, ut ipsi cunctent. Et *Accii ib.* Membra animo aegroto cunctant sufferre laborem.

CUNCTUS. V. CUNCTI.

CŪNĔĀTIM, adv. σφηνοειδῶς, per cuneos militares. *Caes. B. G.* 7, 28. Hostes in foro, ac locis patentioribus cuneatim constiterunt.

CŪNĔĀTĬO, onis, f. conformatio in cunei figuram. *Scrib. Compos.* 47. Donicum (vulgo leg. *Donec cum*) videatur pator narium cuneatione quadam recipere posse fistulam, *h. e.* fistulam in cunei modum facta.

CŪNĔĀTUS, a, um, adj. σφηνοειδής, in formam cunei factus, ut *Cuneatus ager* ex. gr. qui est longus centum pedes, latus ex una parte pedes viginti, ex altera decem. *Colum.* 5, 2. *Cuneatum theatrum*, in quo *scil.* ordines subselliorum ex angusto in latum, cunei more assurgunt. *Auson. prol. Ludi de VII. Sapient.* 21. Cuneati crevit haec theatri immanitas. *Liv.* 9, 40. Forma scuti ad imum cuneatior. *Ov. Met.* 13, 778. Prominet in Pontum cuneatus acumine longo Collis. *Liv.* 44, 4. Jugum montis in angustum dorsum cuneatum.

CŪNĔLA et CUNELIA. V. CUNILA.

CŪNĔO, as, avi, atum, a. 1. σφηνόω, cuneis findo. *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 3. Si quid cuneandum sit in ligno, clavisve figendum. ℙ Item obstruo, cuneo adacto obturo. *Senec. ep.* 118. *f.* Unus lapis fecit fornicem, ille qui latera inclinata cuneavit, et interventu suo vinxit. ℙ Metaphorice. *Quint.* 4, 3. Atque eo (*digrediendi genere*) illustrari ornarique orationem, si cohaeret, et sequitur, non si per vim cuneatur, et quae natura conjuncta erant, distrahit. [*V. *Spalding.* ad h. l.] ℙ Significat etiam formam cunei dare. *Plin.* 3, 3, 4. de Hispania. Cuneatur angustiis inter duo maria, *Mela* 3, 6. Se in diversos angulos cuneat.

CŪNĔŎLUS, i, m. dimin. parvus cuneus, σφηνάριον. *Cic. Univers.* 13. Crebris quasi cuneolis injectis. *Colum.* 4, 29. Vincula adactis cuneolis arctantur.

CŪNĔUS, i, m. σφήν, instrumentum ferreum, aut ligneum, quo finduntur ligna, cujus pars inferior acuta est, superior lata et ampla. *Virg. G.* 1, 144. Cuneis scindebant fissile lignum. *Tac. Agric.* 10. Britannia in cuneum tenuatur. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 2, 10. Inserere cuneos. *Plin.* 10, 18, 20. Adactos cuneos elabi. *Id.* 17, 14, 24. Figere cuneum. *Colum.* 5, 11. Demittere cuneum tenuem, ferreum, vel osseum, inter corticem et materiam. Et *mox.* Cuneum vellere. *Pall.* 3, 17. Deponere cuneum inter corticem, et lignum. *Pl. Stich.* 4, 2, 39. Si ante poteris accubare. *Ge.* vel inter cuneos ferreos. [*Hor. *Od.* 1, 35, 18. Te semper anteit saeva necessitas, Clavos trabates et cuneos manu Gestans aena.] ℙ In illo *Ov. Met.* 11, 514. Jamque labant cunei, spoliataque tegmine cerae Rima patet: *cunei* sunt ligna quaedam crassiora, quae affiguntur navibus, quo minus, si in saxa incurrerint, atterantur, aut rimas agent. Ita *Scheffer.* 1. *de mil. navali* 6.: χελύσματα dicuntur a *Polluce* 1, 9. *sect.* 86. Alii intelligunt subscudes, quibus carinae tabulae inter se compinguntur. ℙ Durior est methaphora illa *Tertull. adv. Marc.* 1, 21. *f.* Hoc enim cuneo veritatis omnis extruditur haeresis. ℙ Saepe sumitur pro peditum multitudine in cunei formam redacta, id est quae fronte angusta est, deinde paulatim latius se extendit, cui *forfex* opponitur, ut ap. *Veg. Mil.* 3, 19. videre est. [*Cf. *Liv.* 22, 47. ubi cunei descriptio legitur.] *Caes. B. G.* 6, 39. Cuneo facto, ut celeriter perrumpant. *Tac. Germ.* 16. Componere aciem per cuneos. *Id. H.* 4, 20. Congregari in cuneos. *Id. ib.* 2, 42. Catervis et cuneis concurrere. *Virg. A.* 12, 575. Dant cuneum, densaque ad muros mole feruntur. [*Liv. 10, 29. sternitur cuneus. *Id.* 2, 50. rumpere cuneo viam. Similiter 25, 3. cuneo irrumpere. 40, 40. Cuneo impressionem facere.] ℙ In illo *Stat. Th.* 5, 416. Donec ab extremae cuneo ratis Aesone natus Palladios oleae ramos extulit: *cuneus* aliis est remotus angulus: alii ipsa prora, quae ex lato in acutum desinit. ℙ Ad cuneum militarem pertinent illa *Tertull. Resurr. carn.* 2. *med.* Quantum ad haereticos, demonstravimus, quo cuneo occurrendum sit a nobis, *h. e.* qua conferta argumentatione sint oppugnandi. Et *adv. Valent.* 3. *f.* Denique hunc primum cuneum congressionis armavimus, primamque hanc victoriam auspicamur. ℙ Sumitur et pro sedilium ordine, et scalarum directione in theatris, et amphitheatris, quae ita cum praecinctionibus disposita erant, ut universam sedilium seriem in partes cuneorum similes dividerent, φυλή. (V. *Scip. Maff. Veron. illustr. P.* 4, 2, 8, ubi et figuram a se excogitatam exhibet.) *Vitr.* 5, 6. *Suet. Aug.* 44. Maritis e plebe proprios ordines assignavit, praetextatis cuneum suum. Sic cuneus senatorius, et equestris ordinis, *Id. Dom.* 4. ℙ [Ad similitudinem cuneorum theatralium cuneus vocatur in cella vinaria ordo ille scamnorum gradatim eminentium, in quibus plura vasa disponuntur. Hinc *Schneid.* cum *Pontedera Op. post. T.* 1. p. 280. auctoritate trium codicum ita legit locum *Caton. R. R.* 113. Post quadriennium in cuneum amphoras componito, et instipato. *Id. Cato ib.* 154. idipsum *suggestum* appellat. *F.*] ℙ Denique cuneus est triangularis figura, quae inter quadratas, et quavis specie figuratas formas in pavimentis, aut picturis parietum interponi solet ad ornatum. *Vitr.* 7, 4. et 5. Hinc *Cuneus ager* dicitur in Lusitania Anae fluvio proximus, ad promontorium, quod eodem nomine appellatur, quia lata sede procurrens, paulatim se ac sua latera fastigat. Ita de agro *Mela* 3, 1.; de promontorio autem *Plin.* 4, 22, 35., nunc *capo di S. Maria.*

*CUNICI, Majorcae insulae opp. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

CŪNĪCŪLĀRIS, e, adj. ad cuniculos pertinens, ut Cunicularis herba ap. *Marcell. Empir.* 14. *f.*

CŪNĪCŪLĀRĬUS, ii, m. qui cuniculos fodit. *Cunicularii* sunt milites, qui cuniculis suffossis improvisi emergunt, et hostilia munimenta perfodiunt. *Veg. Mil.* 2, 11. *Ammian.* 24, 4. *med.* Cunicularium subito manus emergat.

CŪNĪCŪLĀTIM, adv. in modum cuniculi. *Plin.* 9, 33, 52. Cuniculatim, pectinatim etc. Et *ib.* 36, 61. Cuniculatim procurrente rostro. Hanc lectionem ex MSS. retinet *Hard.* Alii leg. *canaliculatim.*

CŪNĪCŪLĀTOR, oris, m. cunicularius. *Luctat.* in *Statii Theb.* 2, 418. Fossores, inquit, dicuntur in exercitu cuniculatores, qui cuniculos faciunt, per quos introgressi milites murorum fundamenta convellunt.

CŪNĪCŪLŌSUS, a, um, adj. cuniculis, et subterraneis cavernis plenus. *Catull.* 37, 18. Cuniculosae Celtiberiae fili.

CUNĪCŪLUS, i, m. κόνιλος, animal lepori simile, sub terra effossa latere solitum, Aristoteli ignotum, ex Hispania oriundum. *Varr. R. R.* 3, 12. et *Plin.* 8, 55, 81. docent, ab eo dictum esse, quod sub terra cuniculos facit, ubi lateat. Sed aliorum sententia subterranei meatus ab hoc animali potius nomen acceperunt. *Mart.* 13, 60. Gaudet in effossis habitare cuniculus antris. Monstravit tacitas hostibus ille vias. Adde *Fest.* ℙ Hinc est et meatus subterraneus, praesertim qui fit urbium oppugnandarum causa, ὑπόνομος. *Fest.* et *Veg. Vet.* 1, 56. Hinc *Cic. Off.* 3, 23. Si pater fana expilet, cuniculos agat ad aerarium. [*Pertinet hic locus ad § sequentem.] *Caes. B. G.* 7, 22. Cuniculis aggerem subtrahere. *Hirt. B. G.* 43. Cuniculis venas fontis intercidere atque avertere. *Liv.* 5, 21. Moenia cuniculis subruere. *Curt.* 7, 6. Cuniculo suffossa moenia. Et 9, 8. Cuniculo urbem capere. ℙ Translate. *Cic. Agr.* 1, 1. *in.* Quae res aperte petebatur, ea nunc occulte cuniculis oppugnatur. ℙ Ponitur et pro quavis occulta fossa, ut dictum est. *Cic. Q. Fr.* 3, 1. vocat *cuniculum* quem *Inscr.* ap. *Mur.* 441, 5. appellat *rivum aquae ducendae*, et *Veg. l. c.* dicit *deductorium cuniculum. Plin.* 35, 15, 50. E cuniculis effossum sulphur. *Id.* 6, 27, 31. Tigris (*fluvius*) in cuniculos mergitur. *Id.* 31, 6, 31. Si aqua cuniculo veniet. *Id.* 9, 36, 61. appellat *cuniculum* cavitatem internam rostri in purpura. ℙ Ap. *Festum* legitur *cuniculum* neutro genere: itemque ap. *Varr.* teste *Capro de verb. dub.* p. 2248.

CŪNĪLĀ, ae, f. κονίλη, κόνυζα, herba est plurium generum: alia *sativa*, quae et *satureja* appellatur in condimentario genere: alia *bubula* cognomine, semine pulegii [*βουκονίλη, vel βούτης ὀρίγανος, quod boves a scabie sanos praestare creditur.] alia *gallinacea* dicta: alia quae et *cunilago*, odoris foedi, radicis lignosae, folio aspero: alia *mollis*, pilosioribus foliis, ac ramis aculeatis, tritaque mellis odorem habens, digitis tactu ejus cohaerescentibus: alia turis odorem. Haec duo postrema genera pulicum necandorum vim habent. *Plin.* 19, 8, 50. et 20, 16, 61. ℙ Legitur et *cunela* ap. *Colum.* 6, 8. et 7, 5. et *Cunelia in Not. Tir.* p. 168.

CŪNĪLĀGO. V. v. praec.

CŪNĪNĀ, ae, f. Dea, quae cunis infantium praesidere et fascinum avertere putabatur. *Lact.* 1, 20., *Varr.* ap. *Non.* 2, 756., *August. C. D.* 4, 11. et *Inscr.* ap. *Grut.* 96, 9. Cuninae Felici sacrum Claudia Helpis D. D.

CŪNĬO, is, a. 4. Cunire, inquit *Fest.*, est stercus facere: unde et *inquinare* deductum est. Quidam putant esse a cunis, ut proprie dicatur de infantibus. V. ANCUNULENTAE.

CUNNĪLINGUS, i, m. λεσβιάζων, qui cunnum lingit. *Mart.* 12, 59. et alibi.

CUNNUS, i, m. κύσθος, pars pudenda muliebris. Videtur ita esse appellata a *coenum*, unde antiquitus *coenio*, mox *cunio* (ut a *poena* est *punio*), et *cunae*, *arum*, quas inquinare solent infantes, et *cunus* unica *n*, qua geminata *cunnus* tandem scriptum fuit. Est tamen qui deducere malit a κύω, turgeo, quia inde mulieres gravidae fiunt. *Mart.* 3, 81. Si tibi tam gratus, Baetice, cunnus erat. *Id.* alibi saepe. Adde *Hor. Sat.* 1, 2, 35. et *ib.* 3, 107. [*V. *Heindf.*] ℙ Per synecdochen *cunnus* accipitur pro ipsa muliere. *Auct. Priap.* 70. Quid? nisi Taenario placuisset Troica cunno Mentula, quod caneret, non habuisset opus, *h. e.* nisi Paris Trojanus placuisset Helenae Lacaenae, Homerus, quod etc. ℙ Usurpatur etiam de animantibus. *Catull.* 96, 6. Praeterea rictum (habet) qualem diffissus in aestu Mejentis mulae cunnus habere solet. ℙ Quam caverint Romani, ne in familiari

sermone et in concionibus publicis hanc vocem pronunciare viderentur, V. CUM praeposit.

CUNQUE, seu Cumque, particula est, quae cum aliis fere componitur, ut qualiscumque, quicumque etc., quae V. suis locis. ℙ Aliquando sola invenitur. *Hor. Od.* 1, 32. *f.* Mihi cunque salve rite vocanti, *h. e.* quandocumque, vel quomodocumque. *Cic. Leg.* 3, 3. Equitem cumque qui regat, habeto pari jure cum eo, quicumque erit juris disceptator, *h. e.* equitem quemque. (Al. aliter leg.) Est autem hic sermo de magistro equitum, et dictatore. *Impp. Theod. et Valent. Cod. Theod.* 12, 6, 32. Aurum sive argentum cumque a possessore confertur, arcarius vel susceptor accipiat, *h. e.* quandocumque. *Lucr.* 6, 83. Sunt tempestates, et fulmina clara canenda, Quid faciant, et qua de causa cumque ferantur, *h. e.* in quemcumque locum. Al. leg. *quaeque.* ℙ *Cumcunque* quandocumque. *Lucr.* 2, 113. Contemplator enim, cum solis lumina cunque Insertim fundunt radios per opaca domorum. τμῆσις.

CUNULAE, arum, f. parvae cunae. *Prud. Cathem.* 7, 164. Fletu madescunt parvulorum cunulae. Adde *ib.* 11, 98.

CUPA, ae, f. κύπελλον, ligneum vas vinarium amplum, in quo mustum e torculari excipitur, et diffunditur servandi causa. Est nimirum a κάπη, seu κύπη, quae a κάπω, capio, unde Latini *caupo, caupona*, et *copa* pro *caupa* habent. *Varr.* ap. *Non.* 2, 113. Cupas vinarias sirpare noli. Et *ib.* Cupae acris aceti. *Cic. Pis.* 27. Pistor domi nullus, nulla cella; panis, et vinum a propola, atque de cupa. *Lucan.* 4, 420. Namque ratem vacuae sustentant undique cupae. Sic *Caes. B. C.* 2, 11. cupas taeda et pice refertas inter incendiaria instrumenta refert. Et *Alfen. Dig.* 19, 2, 31. tritico in navi condendo. *Ulp.* quoque *Dig.* 33, 7, 8. inter vasa conservandis, et *ib.* 12. exportandis fructibus apta. *Plin.* 16, 10, 18. Materies piceae ad fissiles scandulas, cupasque, et pauca alia secamenta. ℙ Pro sarcophago, *Inscr.* ap. *Grut.* 845, 1. D. Apulejus Ionicus fecit Eutychiae sorori suae, et Eutycheti filio ejus: in hac cupa mater et filius positi sunt. Adde aliam ap. *Don. cl.* 11. *n.* 6. ℙ *Cato R. R.* 21. *cupam* vocat axem trapeti, a κώπη, remus, capulus, quod a κάπω, capio. ℙ Cupa potare magistra, ap. *Hor. Sat* 2, 2, 123. videtur esse ita bibere, ut tota cupa exhauriatur. Vel *cupa* idem est quod *copa*, ut vult *Bentl.*, qui plura de hac re disputat. ℙ Legitur et *cuppa* in *Not. Tir.* p. 156.

[CUPARIUS, ii, m. cuparum faber. *Inscr.* ap. *Don.* 395, 12. L. Cornelio Campestro cupario Claudia Iapaezusa uxor. *F.*]

CUPEDIA, ae, f. vitiosus cupediarum appetitus. *Cic. Tusc.* 4, 11. Avaritia, ambitio, mulierositas, pervicacia, liguritio, temulentia, cupedia. Alii ex antiq. exemplar. ediderunt *cuppedia.* Cuppedo autem, et cuppedia a veteribus pro *cupiditas* usurpata docet *Salm.* ad *Lampr. Elag.* 30., et de *cuppedia* confirmat *Non.* 2, 123. hoc ipso *Cic.* loco allato. V. CUPEDO.

CUPEDIA, orum, n. et Cupediae, arum, f. significat tum omne genus opsonii, tum vero delicatiores cibos, teste *Festo*, ut aves, aprugna, phasiani, et similia. *Pl. Stich.* 5, 4, 32. Nihil moror cupedia. *Gell.* 6, 13. Conjectabamus ad coenulam non cupedias ciborum, sed argutias quaestionum. *Ammian.* 26, 7. Cupediarum vilium mercatores. ℙ Item vehemens studium talium ciborum. *Cic. Tusc.* 4, 11. *med.* Liguritio, vinolentia, cupedia. ℙ Est qui malit scribi *cuppedia.* V. CUPEDO.

CUPEDINARIUS et Cupediarius (illud a *Cupedo*, hoc a *Cupediis*) a, um, ad cupedinem pertinens, ut *Cupedinarium forum*, ap. *Symmach. ep.* 8, 19., *h. e.* forum Cupedinis. V. CUPEDO. ℙ Cupedinarii, qui sint, monet *Don.* satis indicari a *Ter.* ubi ait, *Eun.* 2, 2, 25. Concurrunt laeti mi obviam cupedinarii omnes, Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes, Quibus et re salva, et perdita profueram. Quare omnes, inquit *Don.*, qui esculenta et proculenta vendunt, a rebus cupedinis ob alimentum, *cupedinarii* appellantur, ὀψοπώλαι. *Lampr. Elag.* 30. Pinxit se ut cupediarium, ut seplasiarium, ut popinarium. *Salmasio* placet scribi duplici *pp.*

CUPEDO et Cuppedo, inis, f. idem quod cupiditas. *Lucr.* 1, 1080. Haud igitur possunt tali ratione teneri Res in concilio, medii cuppedine victae. *Id.* 4, 1083. ardescit dira cuppedine pectus. ℙ Forum cupedinis *Varro* ap. *Donat.* in *Ter. Eun.* 2, 2, 25. docet, dictum esse ex eo, quod Numerius Equitius Cupes, et Romanius Macellus ob latrocinia damnati, bonisque eorum publicatis, quo loco aedes Romae habuere (cum eo comportarentur quae vescendi causa in Urbem afferebantur) foro Cupedinis, et Macello dedere nomina. Aliis haec derivatio non placet; sed a *cupedia*, et *cupiditate* vocis originem esse ducendam. Utrumque refert *Festus* in *Cupes*, ipseque adeo *Varro L. L.* 4, 32. Sed *Vossio* placet *cupediam* dici a *cupa*, seu *copa*, quasi *caupediam*, quod in cauponis cupediae venderentur. *Salm.* ad *Lamprid. Elagab.* 30. putat, haec duci a *cuppes*, quod in *Gloss.* exponitur fastidiosus, superbus, cupidus: quare *cuppedo*, *cuppedia* etc., duplici *pp* semper scribendum esse. *Pl. Trin.* 2, 1, 13. Harpago, mendax, cuppes, avarus. Al. leg. *cupes. Festus* docet *cupes* esse nomen substantivum, et idem esse quod *cupedia*, h. e. lautiores cibos.

CUPELLA, ae, f. dimin. a *cupa*, poculi, vel vasis genus, a κύπελλον. *Pallad.* 3, 25. Pyra in cupellis, vel in vasculis fictilibus condiuntur. *Apic.* 1, 2. In cupellam mittito.

CUPENCUS, lingua Sabinorum sacerdos appellatur, et speciatim sacerdos Herculis. *Serv.* ad *A.* 12, 538.

CUPERFICIUM. V. SUPERFICIUM.

CUPES. V. CUPEDO.

[CUPICUS, a, um, adj. ad cupam pertinens. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1783, 36. C. Pomponius Cupicus. *F.*]

CUPIDE, adv. ἐπιθυμητικῶς, ἀγαπητῶς, libenter, ardenter, studiose, vehementer. *Cic. Rosc. Com.* 16. *f.* Ego vero cupide et libenter mentiar tua causa. *Sall. Cat.* 41. Nihil tam asperum, neque tam difficile esse, quod non cupidissime facturi essent. *Caes. B. G.* 1, 40. Cupidissime appetere amicitiam alicujus. *Id. B. C.* 2, 20. Aliquem domum ad se hospitio cupidissime recipere. *Nep. Arist.* 1. Quod cupide elaborasset, ut praeter ceteros justus appellaretur. *Caes. B. G.* 1, 15. Qui cupidius novissimum agmen insecuti, alieno loco proelium committunt. *Liv.* 3, 32. Horatius augur mortuus: in cujus locum C. Veturium eo cupidius, quia damnatus a plebe erat, augures legere. *Pl. Stich.* 2, 1, 11. Amare cupide aliquem. *Senec. ep.* 100. Cupidissime aliquid legere. *Catull.* 64, 265. Quae postquam cupide spectando Thessala pubes Expleta est. ℙ Aliquando in malam partem usurpatur, diciturque de eo qui pravo aliquo animi affectu, aut nimio partium studio agit. *Cic. Rosc. Am.* 18. Majores nostri suos agros studiose colebant, non alienos cupide appetebant. *Id. Phil.* 2, 21. Quid cupide a senatu, quid temere fiebat? *Id. Fam.* 16, 11. Nos agimus nihil cupide: eoque est nostra pluris auctoritas, i. e. sine partium studio. *Quint.* 1, 3. Ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat. *Suet. Caes.* 12. Reum tam cupide condemnavit, ut ad populum provocanti nihil aeque ac judicis acerbitas profuerit. [**Cupide* h .l. idem, quod nostr.: *leidenschaftlich.*]

CUPIDINEUS, a, um, adj. ἐρωτικός, ad Cupidinem amorum Deum spectans. *Ov. Trist.* 4, 10, 65. Cupidineis nec inexpugnabile telis Cor mihi. Adde *R. A.* 157. ℙ De valde formoso. *Mart.* 7, 87. Blanda Cupidinei cur non amet ora Labycae?

CUPIDITAS, atis, f. ἐπιθυμία, vehementior affectus animi impense cupientis aliquid, appetitio, desiderium. [**Cic. Tusc.* 4, 31. Cupiditas est effusio animi in appetendo, ut laetitia in fruendo.] *Id. Att.* 12, 26. De voluntate tua, ut simul simus, vel studio potius, et cupiditate non dubito. *Id. Or.* 1, 30. et *Pis.* 25. Flagrare, ardere cupiditate justi et magni triumphi. [*Cupiditas h. l. est spes conjuncta cum appetitione aliqua. Cf. *Id. Off.* 1, 21. *Part.* 3.] *Id. Tusc.* 1, 19. Inest mentibus nostris insatiabilis quaedam cupiditas veri videndi. *Id. Brut.* 92. Incitare aliquem cupiditate imitandi. *Cels.* 2, 3. Cupiditas cibi. *Nep. Annib.* 2. Incendere aliquem cupiditate bellandi. ℙ Saepissime dicitur de inordinato et pravo studio alicujus rei, et generatim de malis quibusque animi affectibus contra rationem tendentis in aliquid, ut de libidine, ira, avaritia etc. *Cic. Inv.* 1, 23. Genus est omnium libidinum cupiditas. *Id. ib.* 2. Caeca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutitur. *Coel. ad Cic. Fam.* 8, 16. Ut impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus. *Cic. Verr.* 2, 2, 53. Studia cupiditatesque honorum, atque ambitiones ex civitatibus tollere. *Id. Phil.* 5, 18. Cupiditas dominandi praeceps et lubrica. *Id. Dom.* 44. Projecta et effrenata cupiditas. *Id. Verr.* 2, 1, 24. Indomitae atque effrenatae cupiditates. *Id. ib.* 2, 2, 75. Vos conjectura assequi posse, cujusmodi praedo iste in illa provincia fuerit, quam multas cupiditates, quam varias, quam infinitas habuerit. *Id. Phil.* 3, 10. Vir omni carens cupiditate, [*i. e. non appetens provinciam. Ita *Ern.* in *cl. Cic.*] *Id. Pis.* 25. Comprimere atque restinguere incensam alicujus cupiditatem. *Id. Or.* 1, 43. *extr.* Domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates. *Id. Part.* 27. explere. *Id. Or.* 1, 19. frangere. *Id. Amic.* 22. Imperare cupiditatibus iis, quibus ceteri serviunt. *Ter. Heaut.* 1, 2, 34. Ubi animus semel se cupiditate devinxit mala, necesse est consilia consequi consimilia. *Caes. B. G.* 7, 52. Temeritatem cupiditatemque militum reprehendere, *h. e.* nimium pugnandi caecumque studium. [*Tribuitur etiam emtoribus et conductoribus, qui nimia spe lucri nimis care emunt vel conducunt. *Cic. Att.* 1, 17. Asiani, qui de Censoribus conduxerant, questi sunt in senatu, se, cupiditate prolapsos, nimium magno conduxisse. Notandus etiam locus est *Cic. Verr.* 1, 12. Et ea cupiditas, qua per hosce annos in quibusdam judiciis usus est. Hoc loco cupiditas dicitur de causarum patrono, qui semper obtinere vult causam, quamvis injustam, qui regnare in judiciis cupit. — Dicitur et de re, cujus cupiditate flagramus. *Id. Q. Fr.* 1, 1. Ex impurissimis faucibus in honestissimam cupiditatem eripuisti. Debentur haec *Ern. cl. Cic.*] ℙ Specialiter dicitur de nimio amore pecuniae, differt tamen ab avaritia, quod cupiditas notat amorem habendi, avaritia retinendi: itaque illi opponitur abstinentia, huic liberalitas. *Suet. Dom.* 9. Cupiditatis quoque, atque avaritiae vix suspicionem ullam dedit: immo e diverso magna non abstinentiae modo, sed etiam liberalitatis experimenta. *Cic. Rosc. Am.* 35. *extr.* Ipsos caecos reddit cupiditas, et avaritia, et audacia. [*Cf. *Oudendorp.* ad *Suet. Vesp.* 1. et *Spald.* ad *Quint.* 5, 12, 6.] ℙ Item nimium studium partium, favor. *Cic. Font.* 7. Cupiditatis atque inimicitiarum suspicio derogat auctoritatem in testimonio. *Id. Fl.* 10. Testes aut sine ullo studio dicebant, aut cum dissimulatione aliqua cupiditatis. [**Id. ib.* 26.] Adde *Marcell.* 9., ubi huic cupiditati invidia opponitur. [*Cf. *Id. Planc.* 17. (de quaesitore.) Voluntatem erga Cn. Plancii salutem sine ulla cupiditate prae se fert. Hinc dicitur de studio rei opprimendi. *Cic. Quint.* 21. Qui summis opibus S. Naevium defendunt: si id est defendere, cupiditati alterius obtemperare, quo is facilius, quem velit, iniquo judicio possit opprimere.] ℙ Item venerea libido. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 5.

CUPIDO, inis, f. ἐπιθυμία, idem quod cupiditas, ejusdemque fere usus: nisi quod poetis est familiarior. *Non.* quidem 5, 58. ex Lucilio ita distinguit, ut cupiditas minor sit, et temperatior, defluens ex cupidine; sed hoc a scriptoribus discrimen negligitur. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 3, 26. Cupido cepit me, proloqui Medeae miserias. *Liv.* 1, 6. Romulum cupido cepit urbis condendae. *Id.* 21, 10. Flagrans cupidine regni. *Sall. Cat.* 3. *extr.* et *ib.* 7. Cupido honoris et gloriae. *Id. ib.* 13. somni. *Lucr.* 4, 874. sic expletur jejuna cupido, *h. e.* fames. *Curt.* 4, 7. Ingens cupido animum stimulabat adeundi Jovem. *Id. ib.* 8. Cupido incessit, Aethiopiam invisere. ℙ Pro pravo animi studio, et affectu. *Curt.* 10, 5. *f.* Iracundiam, et cupidinem vini senectus mitigare potuisset. *Sall. Cat.* 10. Pecuniae, atque imperii cupido. *Hor. Sat* 2, 7, 85. sapiens Responsare cupidinibus, contemnere honores Fortis. *Ov. Fast.* 1, 211. Opum furiosa cupido. ℙ Masculino genere. *Hor. Od.* 2, 16, 15. Nec leves somnos timor, aut cupido Sordidus aufert, *h. e.* avaritia. *Id. ib.* 3, 16, 39. Contracto melius parva cupidine Vectigalia porrigam. *Sil.* 4, 99. geminusque cupido Laudis. ℙ Porro hoc genere plerumque intelligitur Deus cupiditatum praeses, et praesertim amoris, quem alii ex Chao et Terra genitum tradunt; alii ex Nocte et Aethere; alii ex Lite et Zephyro; alii ex Mercurio et Diana; alii ex Poro Deo consilii, et Penia Dea paupertatis: plurimi conveniunt in Venere matre assignanda, sed in patre variant, cum aliis Mercurius sit, aliis Mars, aliis Vulcanus, Coelum aliis: nonnulli etiam ex sola Venere natum putant. Ex his quaedam refert *Cic. N. D.* 3, 23. et *Arnob.* 4, 136., qui ambo tres Cupidines ponunt. Sunt etiam qui duos faciunt, coelestem et vulgarem: item qui honestum et turpem: illum dicunt Veneris et Jovis filium, hunc Erebi et Noctis. Hinc *Ov. Fast.* 4, 1. geminorum mater Amorum. *Senec. Oedip.* 500. Concutit taedas geminus Cupido. Hoc loco *Seneca* apte geminum Cupidinem memorat, quos adesse fingit in nuptiis Bacchi Dei cum Ariadna mortali: in quibus convenientissimum erat, et coelestem et vulgarem Cupidinem interesse. ℙ Denique non desunt, qui plures faciunt, nempe quot sunt affectus hominum aliquid appetentium. ℙ Fere apud poetas intelligitur filius Veneris, qui fingitur puer, caecus, nudus, alatus, arcu, telis, flammisque armatus, Deorum et hominum potens, et animantia quaeque sibi facile subjiciens. De eo passim legas aliquid ap. *Hor.*, *Ov.*, *Tibull.*, *Propert.*, *Mart.*, *Virg.* quoque *A.* 1, 662. et sqq. et alios: praesertim vero de ejus potentia multa poetice *Senec. Hippol.* 274. et sqq., cujus quidem potentiae significandae gratia, quidam eum pinxere florem, et delphinum manu tenentem; quo ostenderent, terra illum marique latissime dominari. ℙ [Venuste admodum *Cupido inferorum* vocatur puella immature defuncta. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 267. *n.* XI. Ti. Julius Orpheus sibi, et Orfitae *Filiae annorum* XIV. Virgini, Veneri, Cupidini Inferor*um*. *F.*] ℙ [*Dicitur etiam pro statua, simulacro Cupidinis Dei. *Inscr.* ap. *Orell.* 1367. JUNIUS FELIX. PATR. CUPEDINIS II. AER. PRO SALUTE POSUIT. i. e. Cupedines duos aereos. Adde aliam *ib.* 1898.] ℙ Discrimen quidam statuunt inter cupidinem et amorem, sive pro Deo, sive pro affectu animi accipias: ut sit cupido immoderatus amor, hic moderatus. *Afran.* ap. *Non.* 5, 1. Amabit sapiens, cupient ceteri. *Pl.*

fragm. ib. Cupido te conficit, anne amor? *Id. Curc.* 1, 1, 3. Quo Venus, Cupidoque imperat, suadetque Amor. Dicendo *imperat*, inquit *Serv.* ad *A.* 4, 194., violentiam ostendit; *suadet* addendo, moderationem significat. Verum hoc discrimen vix unquam scriptores servant.

CŪPIDUS, a, um, adj. ἐπιθυμητικός, qui cupit, studiosus, appetens. *Planc. ad Cic. Fam.* 10, 18. Cupidus satisfaciendi reipubl. *Cic. Or.* 1, 11. Graeculi homines contentionis cupidiores, quam veritatis. *Id. ib.* 22. Adolescens nostri cupidissimus, *h. e.* amantissimus. *Id. Off.* 1, 43. *f.* Quis est enim tam cupidus in perspicienda cognoscendaque veritate, ut etc.? [*Notanda constructio *cupidus in.* V. quas similes affert *Beier.* ad h. l.] *Id. ib.* 3, 14. Homo cupidus et locuples. *Id. Fam.* 14, 4. Cupidus vitae. *Nep. Cat.* 3. Cupidissimus litterarum. *Hor. Sat.* 2, 1, 12. cupidum, pater optime, vires Deficiunt. ℙ Cum infinito. *Prop.* 1, 19, 9. Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis etc. *Ov. Met.* 14, 215. cupidusque moriri. Hic verbum *morior* est quartae conjugationis. V. MORIOR f. ℙ Cum ablat. *Pl. Ps.* 1, 2, 50. Vino modo cupidae estis. ℙ Saepe in malam partem usurpatur de eo, qui pravo quopiam affectu abreptus aliquid appetit. *Cic. Font.* 10. *extr.* Poteptus igitur cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis anteferre? *Nep. Reg.* 2. Minime libidinosus, non luxuriosus, non avarus, nullus denique rei cupidus, nisi etc. *Suet. Vesp.* 16. Natura cupidissimus. i. e. avarus. *Cic. Font.* 6. Cupidi testes. [*Hoc et sequenti loco cupidus est partium studiosus. Adde *Cluent.* 24. Cupidus auctor. cf. *Caecin.* 3.] Sic *Id. Rosc. Am.* 26. Consilium cupidum, audax, temerarium. *Prop.* 1, 8, 29. cupidus deponat gaudia livor. *Mart.* 11, 58. Avaritia cupida. *Hor. Ep.* 1, 2, 24. Stultus, et cupidus. *Id. ib.* 2, 2, 156. Cupidus, timidusque. *Ov. Her.* 5, 129. A juvene et cupido credatur reddita virgo, *h. e.* amanti, vel libidine pleno. Sic *Mart.* 11, 78. Cupidus maritus. [*Huc pertinent ll. *Tib.* 1, 8, 74. Et cupidum ficta detinuisse mora. *Id.* 2, 5, 54. Et cupidi ad ripas arma relicta Dei, i. e. Martis aliam opprimentis. *Id.* 2, 4, 28. Cupida equa, i. e. furens libidine. *Id.* 1, 9, 58. Et pateat cupidis semper aperta domus, i. e. *moechis.* Cf. *Broukh.* ad *Tibull.* 1, 10, 58. et *Passerat.* ad *Prop.* 1, 2, 12. Caeterum latissimi sensus est vocabulum *cupidus*, significationem accipiens a substantivo, cui apponitur, saepius autem ex totius loci sententia, qua notione positum sit, intelligendum.] ℙ Translate. *Ov. A. Am.* 1, 116. Cupidae manus. *Id. Amor.* 3, 7, 9. Cupida lingua. *Id. Pont.* 3, 9, 26. Cupidus equus. ℙ Passive. *Pl. Merc.* 5, 1, 12. Ibi quidem si regnum detur, non est cupida civitas, i. e. expetenda. Al. rectius leg. *cupita.* ℙ [*Cupidissimus in *cupi quod si mos* depravatum. V. ap. *Wund. Varr. lect.* p. 39.]

[*CUPIENNIUS, i, est nomen moechi ap. *Hor. Sat.* 1, 2, 36. Mirator cunni Cupiennius albi. *Schol. Porphyr.* Cajus Cupiennius Libo Cumanus Augusti familiaritate clarus, corporis sui diligentissimus, sectator matronarum concubitus.]

CŪPIENS, entis, part. a *cupio*, idem quod cupidus. *Cic. Har. resp.* 22. Cupientem Italiam, populum R. desiderantem, flagitantes vos excitavit. *Id. Or.* 1, 1. Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est. *Pl. Mil.* 4, 2, 58. Hunc anulum ab tui cupiente huc detuli huic, i. e. amica tua. *Sall. Jug.* 86. Marius cupientissima plebe consul factus. *Aurel. Vict. Caes.* 24. Dominandi suis, quam subigendi externos, cupientiores sunt. *Tac. A.* 15, 46. Populus novarum rerum cupiens. *Id. ib.* 6, 46. bonarum artium. *Id. ib.* 1, 59. Fama dediti Segestis vulgata, ut quibusque bellum invitis, aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur. Et *ib.* 75. Erogandae per honesta pecuniae cupiens. *Sall. fragm.* ap. *Diomed.* 1, 291. Cupientissimus legis. *Id. Jug.* 68. *extr.* Animo cupienti nihil satis festinatur.

CŪPIENTER, adv. cupidissime, ut *Non.* 2, 173. exponit, ἐπιθυμητικῶς. *Accius ib.* Cupienter malis membra discerpat suis. *Enn. ib.* Cupienter cupere. *Pl. Ps.* 2, 3, 17. petere.

[CŪPILLA, ae, m. idem ac cupula. Est cogn. Rom. Diocletiano imperante, in *Cod.* 6, 58, 5. *F.*]

CŪPĬO, is, ivi, et ii, (*Prisc.* 10, 879.) itum, a. 3. ἐπιθυμέω, γλίχομαι, opto, aveo, desidero, expeto. *Cic. Brut.* 97. Tibi favemus, te tua virtute frui cupimus, tibi optamus eam rempubl. etc. *Id. Att.* 10, 4. *med.* Cupivi, inquit, ex senatusconsulto surrepto. *Id. Fam.* 1, 2. Ii Bibuli sententiam valere cupierunt. *Id. Phil.* 14, 1. Cum ad eum, quem cupimus optamusque, vestitum redierimus. *Id. Tusc.* 4, 17. Ardenter cupere aliquid. *Suet. Caes.* 1. Quem incolumem tantopere cuperent. *Id. Aug.* 17. Cleopatram servatam triumpho magnopere cupiebat. *Ov. Her.* 21, 9. cupis credi. *Pl. Capt.* 1, 2, 17. Quod ego quidem nimis quam cupio ut impetret. ℙ *Cupere alicui*, et *cupere causa alicujus* est bene velle, optare bona alicui. *Caes. B. G.* 1, 18. Favere et cupere alicui propter affinitatem. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 3. Quid? ego Fundanio non cupio? non amicus sum? *Id. Verr.* 2, 2, 73. Qui istius causa cupiunt omnia, qui ab eo benignissime tractati sunt. *Id. Fam.* 13, 75. Cujus causa omnia cum cupio, tum mehercule etiam debeo. *Pl. Pers.* 5, 1, 14. Omnia, quae tu vis, ea cupio. *Lem.* mutua fiunt a me. [**Cupio omnia quae vis* non est, ut *Baxt.* vult, suavis valedicendi formula, sed humanitatis, modestiae, officii significatio, ut docet *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 9, 5.] ℙ Quando cum infinito jungitur, eleganter accusativus pronominis reciproci exprimitur. *Nep. Paus.* 2. Seque tecum affinitate conjungi cupit. (Adde *Attic.* 20. *extr.*) *Ov. Her.* 21, 247. cupio me jam conjungere tecum. Adde *Plin.* 11, 17, 17. ℙ Translate. *Id.* 17, 26, 41. Asperiora vina rigari utique cupiunt. ℙ In illo *Prop.* 3, 7, 1. Maecenas eques Etrusco de sanguine regum, Intra fortunam qui cupis esse tuam: *cupis* est ἀγαπᾷς, amas, gaudes, contentus es, libenter manes. ℙ Significat etiam amore venereo amare. *Ov. Fast.* 3, 21. et *Mart.* 7, 74. ℙ Et passive. *Appul. Florid. n.* 14. Adeoque is cupiebatur, ut etc. ℙ Fuisse olim etiam quartae conjugationis, testantur *Non.* 10, 16. et *Prisc.* 10, 879. Hinc *Lucr.* 1, 70. confringere ut arcta Naturae primus portarum claustra cupiret. ℙ Hinc est particip. *cupitus* paenult. prod. Atque in illo *Pl. Curc.* 2, 3, 85. Laudato, quando illud, quod cupis, effecero: τὸ *cupis* ultimam producere, monent eruditi. ℙ Inter *amare*, et *cupere* quid distet, V. CUPIDO. ℙ *Cupi*, an *cupiri* in infinito passivo dicendum sit, dubitat *August.*, cujus verba sunt *ep.* 151. *ad Nebrid. f.* Volo me declinationis hujus gnarum facias. Cum enim adjungo verba similia, incertior fio. Nam ita est *cupio*, ut *fugio*, ut *sapio*, ut *jacio*, ut *capio:* sed utrum *fugiri*, an *fugi*, utrum *sapiri*, an *sapi* sit modus infinitus, ignoro. Possem attendere *jaci*, et *capi*, ni vererer, ne me caperet, et pro ludibrio jaceret, quo vellet, qui aliud *jactum*, et *captum*, aliud *fugitum*, *cupitum*, *sapitum*, esse convinceret. Quae item tria utrum paenultima longa et inflexa, an gravi brevique pronuncianda sint, similiter nescio. Haec *Augst.* Sed in passiva voce rari est usus, praeter participia *cupitus*, et *cupiendus*. ℙ [Part. *Cupiens* V. suo loco. *Cupiendus* ap. *Ov. Trist.* 4, 4, 66. Nec cupienda bonis regna Thoantis erant. *F.*]

CŪPĬTOR, oris, m. qui cupit. *Tac. A.* 15, 42. Ut erat incredibilium cupitor. *Id. ib.* 12, 7. Talis matrimonii cupitor.

CŪPĪTUS, a, um, part. a *cupio*, appetitus, optatus. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 20. Nec sese dedit in conspectum corde cupitus. *Ov. Fast.* 3, 21. visamque cupit, potiturque cupitam. *Pl. Poen.* 5, 4, 90. Cupitus atque exspectatus. *Tac. A.* 6, 32. et *ib.* 14, 2. Cupitum id Tiberio. *Id. ib.* 4, 3. Ceterum plena Caesarum domus, juvenis filius, nepotes adulti moram cupitis afferebant. *Pl. Poen.* 5, 4, 100. Eveniunt digna dignis: tandem huic cupitum contigit. *Nazar. Paneg. Constant.* 2. Certe cupitorum irriti non sumus.

CUPPĒDO, et CUPPES. } V. CUPEDO.

CUPRA, ae, f. duplex fuit hoc nomine oppidum in Piceno: alterum *Cupra Maritima* appellatum, quod tamen *Plin.* 3, 13, 18. et *Mela* 2, 4. *Cupram* absolute dicunt, quodque plerique situm fuisse putant, ubi nunc *Grottammare*, alii probabilius, ubi *Massignano. Inscr.* ap. *Grut.* 108, 7. T. Annius Crispinus Cupra Maritima. ℙ Alterum Piceni oppidum fuit *Cupra Montana*, ubi nunc castrum *Massaccio*, prope urbem Aesin, quae nunc *Jesi.* V. CUPRENSIS. ℙ Est etiam nomen Deae cujusdam, quae in oppido Cupra Maritima colebatur. *Strabo* 5. docet, Cupram dictam esse Junonem ab Etruscis, qui isto nomine ei templum in Piceno aedificarunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 1016, 2. Imp. Caesar Hadrianus templum Deae Cuprae restituit. *Sil.* 8, 432. Et queis litoreae fumant altaria Cuprae.

CUPRENSIS, e, adj. ad Cupram Maritimam pertinens, Piceni oppidum, ubi nunc *Massignano. Inscr.* ap. *Mur.* 778, 7. D. M. C. Annii Draconis veterani Classis Praetoriae Misenensis, natione Cuprensis. ℙ Item ad Cupram Montanam pertinens, ubi nunc *Massaccio. Plin.* 3, 13, 18. Cuprenses cognomine Montani. *Inscr.* ap, *Don.* 334, 2. at emendatior ap. *Maur. Sartium*, de Cupra Mont. p. 13. Imp. Caesari T. Aelio Hadriano Antonino Aug. Pio pueri et puellae alimentarii Cuprenses Montani.

CUPRESSĒTUM, i, n. locus cupressis consitus, κυπαρισσών. *Cic. Leg.* 1, 5. In cupressetis Gnossiorum. *Cato R. R.* 151. Serere cupressetum.

CUPRESSĔUS, a, um, adj. κυπαρίσσινος, ad cupressum pertinens. *Liv.* 27, 37. Duo signa cupressea Junonis. *Vitr.* 2, 9, Foliatura cupressa.

CUPRESSĬFER, a, um, adj. cupressos ferens. *Ov. Fast*, 5, 87. jugum cupressiferae Cyllenes. *Id. Her.* 9, 88. Erymanthus cupressifer.

CUPRESSĪNUS, a, um, adj. cupresseus, κυπαρίσσινος. *Plin.* 23, 4, 45. Cupressinum oleum. *Colum.* 6, 7. Coni cupressini. *Id.* 2, 2. *med.* Frondes cupressinae.

CUPRESSUS, i, f. κυπάρισσος, arbor procera, conifera, natu morosa, fructu supervacua, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratiosa, materie rara, sed ea tamen durabili. Duplicis est generis: meta in fastigium convoluta, quae et femina appellatur: mas spargit extra se ramos, deputaturque. Ex Creta primum Tarentum venit, deinde tota Italia disseri coepta: quare et advenam appellat *Plin.* 16, 33, 60. ubi praeter haec, alia multa de ea. *Virg. Ecl.* 1, 26. Quantum lenta solent inter viburna cupressi. ℙ In sexto casu legitur etiam quartae declinationis. *Colum.* 4, 26. Pedamen probatur ex junipero, lauru, cupressu. *Ov. Met.* 3, 155. Vallis erat piceis, et acuta densa cupressu. ℙ In aliis quoque casibus exempla hujus declinationis afferri solent ex *Ov*, *Hor.*, *Virg.* Sane *Varr. L. L.* 8, 48. negant, *inquit*, esse analogias, quod alii dicunt *cupressus*, alii *cupressi* etc. [*V. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 2, 15, 5.] ℙ Arbor est Diti sacra, et ideo funebri signo ad domos, et circa pyram poni solita, teste *Plin. l. c.*, non tamen omnium, sed ditiorum tantummodo, et potentiorum, ut significare videtur illud *Lucani* 3, 442. Et non plebejos luctus testata cupressus. Cujus rei causam affert *Fest.* quia excisa non renascitur, sicut ex mortuo nihil jam est sperandum: vel (quod addit ex *Varrone Serv.* ad *A.* 6, 216.) ne populus pyram circumstans, gravi ustrinae odore offenderetur: tamdiu enim populus restabat circa pyram, quamdiu consumpto cadavere, et collectis cineribus, diceretur novissimum verbum *ilicet*, h. e. ire licet. Haec *Servius.* Aliam quoque causam *Scalig.* ad *Fest.* ex *Plinio* ap. eund. *Servium*, sed, ut ipse ait, nondum editum, affert his verbis: Romani moris fuit, propter caerimonias sacrorum, quibus populus R. obstrictus erat, ut potissimum cupressus, quae excisa renasci non solet, in vestibulo mortui poneretur, ne quis imprudens funestam domum rem divinam facturus introeat, et quasi attaminatus suscepta peragere non possit. Denique alii, quia haec arbor materiae perpetuitatem habet, adhibitam in funeribus putant ad denotandam immortalitatem animorum. *Virg. A.* 6, 216. feralis cupressus. *Id. ib.* 3, 64. atra. *Hor. Od.* 2, 14, 23. invisa. *Id. Ep.* 5, 18. funebris. ℙ *Simulare cupressum* proverbialis locutio est ap. *Hor. A. P.* 20. de iis, qui id unum, quod sciunt, quovis loco ac tempore obtrudunt, ut pictor ineptus, qui cupressum pingere cum sciat, in quavis id tabula, etiam qua naufragium describatur, pingit. ℙ Genere macul. *Enn.* ap. *Gell.* 13, 20. et *Non.* 3, 34. Capitibu' nutantes pinos, rectosque cupressos. Ubi *Gell.* Firmior ei, credo, et viridior sonus esse vocis visus est *rectos* dicere, quam *rectas*, τὸ *capitibu'* ponitur hic, ut *ariete*, et *parietibus*, et *tenuia* ap. *Virg. A.* 2, 16. et 442. et *G.* 1, 398., ubi quatuor breves syllabae dactyli tempus aequant: qui pes proceleusmaticus dicitur a grammaticis.

CUPRĔUS, a, um, adj. idem quod cuprinus, ut Cupreum vas, *Plin.* 23, 3, 37., ubi al. leg. *Cyprium.* ℙ Legitur et *cypreus. Pallad.* 8, 5. Si bidentes cyprei fiant, et sanguine tingantur hircino, etc. *Trebell. Claud.* 14. Fibulam auream cum acu cyprea unam.

CUPRĪNUS, a, um, adj. κύπριος, ad cuprum pertinens. *Pallad.* 2, 16. Radici imprimunt cuprinum clavum, vel ferreum. Adde *Veg. Vet.* 1, 28.

CUPRUM, i, n. genus quoddam rubri aeris, quod *Plin.* 33, 5, 29. cyprium appellat: unde et vox facta est. V. CYPRIUS. *Spart. Carac.* 9. Ex aere, vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur. Al. leg. *cypro*, quod idem est. *Edict. Dioclet.* p. 29. Aerario in cupri pondo l. ℔ sex.

CŪPŪLA et Cuppula, ae, f. parva cupa. *Ulp. Dig.* 33, 6, 3. In cuppis autem, sive cuppulis puto admittendum et eas deberi. Adde *Not. Tir.* p. 156. ℙ *Cūpŭlă* est diminut. cupae, quatenus axem significat. *Cato R. R.* 21. Ne foramina majora fiant, quo cupulae minusculae indentur.

CUR, διὰ τί; adv. interrogandi, quare? quam ob rem? Quidam grammatici docent, factum esse ex *quare*, et primo *quur*, et *quor* scriptum fuisse. [*V. *Scheid.* ad *Sanct.* p. 269.] *Ter. Andr.* 5, 3, 15. Cur me exercucio? cur me macero? *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. *f.* Pro urbis vero salute cur non omnibus facultatibus utamur? *Cic. Fam.* 2, 7. Dii immortales! cur ego non adsum? *Sabin. Massur.* ap. *Gell.* 4, 20. Cur ita, ut tu sis, quam equus, curatior? ℙ Postpositum suo verbo. *Hor. Sat.* 2, 3, 187. Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur? ℙ Adhibetur etiam extra interrogationem, et relativi quodammodo vim habet. *Cic. Or.* 3, 48. Quid est aliud causae, cur repudietur, nisi quod, etc.? *h. e.* propter quam. *Id. ib.* 1, 31. Cum ea audire cupiebas, causam, cur cuperes, non fuisse. *Id. Fam.* 6, 8. Afferunt rationem, cur negent. *Id. Div.* 1, 3. Exquisita quaedam argumenta, cur esset vera divinatio, collecta sunt, *h. e.* propter quae. *Id. N. D.* 1, 22. Cum requireret, cur ita faceret, *h. e.* quam ob causam. *Id. Fam.* 5, 12. *s. f.* Ne forte mirere, cur a te id petamus. *Id. Cluent.* 53. Quid est, cur tu in hoc loco sedeas? *h. e.* quid est causae,

cur, etc. ℙ Singularis est usus in illo *Plin. ep.* 3, 5. *med.* Repeto, me correptum ab eo, cur ambularem, pro *quia*, vel *cum*. Et *Hor. Ep.* 1, 8, 9. irascar amicis, Cur me funesto properent arcere veterno. [*Adde *Eund. ib.* 1, 9, 7. Multa quidem dixi, cur excusatus abirem, i. e. quibus.] ℙ Inter *cur*, et *quare* statuit discrimen *Corn. Fronto de differ. vocab. s. in.*, quod *cur* simpliciter percontetur, *quare* causam rationemque desideret: sed cave homini credas. ℙ [*Confunduntur *cur* et *Quirites*. V. *Wunder. Varr. lect.* p. 61. *Cur* et cui. Cf. *Burm.* ad *Calpurn. Flacc. Decl.* 20. p. 817.]

CŪRA, ae, f. *μέριμνα*, sollicitudo, angor, molestia. *Fest.* et *Varr. L. L.* 5, 6. ita dictam putant, quod cor urat. At vide CURO. Discrimen vero inter curam, et sollicitudinem videsis in SOLLICITUDO. *Virg. A.* 4, 1. At regina gravi jamdudum saucia cura. *Cic. Brut.* 2. Quorum memoria in maximis nostris gravissimisque curis jucunda fuit. *Id. Att.* 7, 5. Hoc affert mihi curam. *Id. ib.* 1, 18. Omnia, quae me cura afficiunt. *et mox.* Levare curam, et angorem animi. *Id. ad Dolabell. post ep. ad Att.* 14, 15. Magna cura et sollicitudine liberare aliquem. *Ter. Hec.* 2, 1, 33. Solvere aliquem curis. Et *ib.* 5, 3, 19. Curas alicui adimere. *Id. Ad.* 4, 5, 76. Injicere alicui magnam curam. *Id. Phorm.* 2, 2, 26. Cura absumi. *Id. Andr.* 2, 1, 4. Animus cura confectus stupet. *Cic. Div.* 2, 72. Ex somno plurimae curae metusque nascuntur. *Cass. ad Cic. Fam.* 12, 12. Gravissimam curam suscipere, et vehementer sollicitum esse de re aliqua. *Cic. Brut.* 3. Ut eorum aspectu omnis, quae me angebat de republica cura consederit. *Id. Att.* 2, 24. *s. f.* Pompejus de Clodio jubet nos esse sine cura. *Coel. ad Cic. Fam.* 8, 5. Qua tu cura sis, nescio: ego quidem vehementer animi pendeo. [*Praeter laudatas hae videntur dicendi rationes notandae. *Liv. Praefat.* Omnis expers curae, i. e. metus, ne offendatur quispiam; ita *interpr. Crevierio:* nisi forte melius de amore patriae capiatur, cui temporum injuria non satis fiebat. Haec *lex. liv.* p. 154. At neque de *timore*, neque de *amore* cogitandum videtur: omnis expers curae est h. l. is, qui nihil sollicitus de iis, quae ad rem publicam pertinent, litterarum studio totum se tradidit. *Id.* 2, 31. Cura de eventu rerum domesticarum; ubi nota constructionem, *de*, pro *genit. Prop.* 4, 11, 74. Haec cura et cineri spirat inusta meo. *Id.* 2, 16, 2. Maxima praeda tibi, maxima cura mihi. *Tibull.* 4, 12, 1. Ne tibi sim, mea lux, aeque jam fervida cura. *Id.* 2, 3, 13. Curas sanare herbis. *Pl. Mil.* 2, 2, 48. Curas cogitare, i. e. agitare secum curas. *Lucr.* 6, 33. Volvere curarum tristeis in pectore fluctus. *Quint.* 5, 6, 3. ed. *Spald. curam agere.* Quod saepissime confundi a librariis cum *curam habere* docent. *Burm.* ad *Vell.* 2, 31, 1. 109, 2. *Drak.* ad *Liv.* 30, 45, 2. V. *Spald.* qui haec ad locum *Quint.* modo allatum laudat.] ℙ Pro amore. *Ov. R. A.* 311. Haeserat in quadam nuper mea cura puella. *Prop.* 1, 15, 29. Annus et inversas duxerit ante vices, Quam tua sub nostro mutetur pectore cura. [*Id. 4, 10, 3. Si tibi cura toga est potior, pressumque quasillo Scortum, quam Servi filia Sulpicia, i. e. si amor togatae, sive meretricis praeferendus tibi videtur.] ℙ Et pro amica ipsa. *Id.* 2, 25, 9. Lynceu, tune meam potuisti tangere curam? ℙ Est item meditatio, studium, diligentia, *ἐπιμέλεια. Cic. Or.* 3, 48. Neque vero haec tam acrem curam diligentiamque desiderant. *Id. Off.* 1, 6. Ponere operam curamque in rebus honestis. *Id. ib.* 2, 1. Omnes curas cogitationesque in rempublicam conferre. *Id. Fam.* 2, 7. De re aliqua curam adhibere. *Nep. Att.* 21. in re aliqua. *Cic. Or.* 2, 44. Omni mente in ea cura et cogitatione versari, ut, etc. *Id. ib.* 75. Omnis cura mea versatur in hoc, ut, etc. *Quint.* 1, 1. Acrem quam maxime curam impendere alicui rei. *et paulo post.* Habere magnam curam docendi liberos. *Curt.* 3, 1. Intendere curam in aliquid. *Cic. Fam.* 10, 1. Omni cogitatione curaque in rempublicam incumbere. *Id. ib.* 3. Incumbere in eam curam et cogitationem, quae, etc. *Senec. ep.* 14. et *Petr. Sat.* 106. Agere diligentissime curam alicujus. *Cic. Fam.* 9, 24. *s. f.* Abjicere curam reipublicae. ℙ Est mihi curae. *Cic. Fam.* 10, 1. Mihi maximae est curae, non de mea quidem vita; sed me patria sollicitat. *Id. ad Quirit.* 9. Mihi majori curae erit, quemadmodum vobis gratiam referam, quam, etc. *Id. Fam.* 1, 9. *f.* Tibi erit eidem, cui salus mea fuit, etiam dignitas curae. *Ov. Am.* 3, 2, 8. Ergo illi curae contigit esse tuae. Al. leg. *meae*, h. e. meae puellae. ℙ Cum infinito. *Plin. ep.* 7, 10. Erit mihi curae, explorare provinciae voluntatem. ℙ *Cura est* pro *curae est. Pl. Stich.* 5, 2, 3. Quid agat Stephanium, cura est. *Id. Merc.* 1, 2, 11. Cura est, negotii quid sit. ℙ Curae habere. *Coel. ad Cic. Fam.* 8, 8. *extr.* Eos tibi et rem, de qua misi, velim curae habeas. *Suet. Aug.* 48. Nec aliter universos, quam membra partesque imperii, curae habuit. Adde *Lact.* 7, 3. *med.* ℙ *Cum cura* est diligenter. *Liv.* 35, 9. Eas collectas cum cura, et igni crematas esse. *Sall. Jug.* 58. Saucios cum cura reficit. *Plin.* 17, 7, 4. Convenit cum cura dici. ℙ *Maximae curae homo*, h. e. diligentissimus, studiosissimus. *Colum.* 1, 8. ℙ De diligentia in capillis comendis. [*Non solum est capillorum, sed in universum corporis. Gr. *θεραπεία, κόσμησις. Suet. Caes.* 45. Caeterum infinita est exemplorum apud poetas turba, quae firmando huic dicendi generi satis inserviat.] *Phaedr.* 2, 2. Cum se putaret fingi cura mulierum. *Val. Flacc.* 8, 237. ac sua flavis Reddita cura comis. *Senec. Q. N.* 1, 17. Cura comere capillum fuit, ac prominentem barbam depectere. ℙ De curatione quae morbis adhibetur. *Vellej.* 2, 123. de Augusto. Mox cum omnem curam fata vincerent, animam coelestem coelo reddidit. *Cels.* 2, 10. *med.* In cura aquae, quae sub cutem est. [*Sil. 6, 551. Moesta refovebat vulnera cura. V. *Drak.* ad h. l.] ℙ De opere, quod cum cura factum est. *Tac. A.* 4, 11. Peterem ab iis, quorum in manus cura nostra venerit. *Ov. Pont.* 4, 16, 39. quorum quod inedita cura est, etc. ℙ Praeterea est *cura* administratio, curatio, munus. *Sall. Jug.* 3. Magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum minime mihi hac tempestate capiunda videntur. *Cic. Off.* 1, 9. Difficilis est cura rerum alienarum. *Tac. H.* 1, 80. Dare alicui curam legionis armandae. *Id. A.* 1, 11. Vocare aliquem in partem curarum. Et *ib.* 13, 28. Curam tabularum publicarum a quaestoribus ad praefectos transtulit. *Suet. Aug.* 37. Nova officia excogitavit: curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, etc. *Id. ib.* 36. Cura aerarii. [*Id. Tib.* 8. ibique *Brem. Liv.* 5, 5. Quanto est minus opera tueri facta, et instare, et perseverare, defungique cura? i. e. munere obsidionis longinquae.] ℙ Speciatim dicitur de officio curatoris. *Ulp. Dig.* 5, 1, 19. Si quis tutelam, vel curam administravit. Adde *ib.* 3, 1, 1. ℙ *Servus a cura* inter officia domus Augustae est, qui alicujus rei administrationem habet. *Inscr.* ap. *Grut.* 63, 1. Ti. Claudius Aug. lib. Fortunatus a cura amicorum. Et 598, 5. T. Coelio T. F. Celeri a cur. amic. Aug. Praef. leg. X, etc. Et 578, 5. Ossa Aureliae Liviae Aug. *servae* a cur*a* catellae, etc. ℙ Pro eo, qui curam et administrationem habet. *Ov. Her.* 1, 103. Hoc faciunt custosque boum, longaevaque nutrix, Tertius immundae cura fidelis harae. *Coripp.* 2, 285. Successor soceri, factus mox cura palati. Adde 1, 137. Est autem *cura palatii* curator fabricarum palatii: unde ortum est Graecum *κουροπαλάτης*. Sic *Trebell. Claud.* 14. *med.* Curam praetorii unum, aquarium unum, piscatorem unum. ℙ *Cura agens*, seu *curagens*, vel *curam agens*, et *agens curam* is dicebatur, cui publici alicujus negotii administratio erat demandata, vel qui ex munere, sive delegatione privati aliquid faciendum suscepisset, et idem significat ac curator. *Inscr.* ap. *Biagium*, *Mon. Mus. Nan. T.* 3. p. 177. Curagens theatri. V. plura ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 548. ℙ Pro evectione, et cursu publico, videtur poni *Cod.* 1, 31, 1. et *ib.* 11, 23, 1. ℙ Insulsam de *Cura* fabulam habes ap. *Hygin. fab.* 220., quam piget transcribere. ℙ [*Significationum ordo melius ita videtur posse constitui, ut primo loco ea ponas exempla, quibus diligentiae, studii notio inest; secundo ea sequantur, quae sollicitudinem, angorem animi denotant.]

CŪRĀBILIS, e, adj. Legitur a quibusdam ap. *Juven.* 16, 20. efficiunt, curabilis ut fit Vindicta gravior etc. Al. leg. *officiunt*, curabitis, ut sit, etc.

CŪRĀGENDĀRĬUS, ii, m. qui curam aliquam publicam habet. *Imp. Constantius Cod. Theod.* 6, 29, 1. Hi, quos curagendarios, sive curiosos provincialium consuetudo appellat.

CŪRALĬUM. V. CORALIUM.

CŪRANTIA, ae, f. *Cic. Q. Fr.* 2, 9. Quod me admones de non curantia, *h. e.* de incuria. Al. tamen rectius leg. *de nostra Urania.*

CŪRĀTĒ, adv. cum cura, *ἐπιμελῶς. Tac. A.* 2, 27. Ejus negotii initium, ordinem, finem curatius disseram. *Sall. Jug.* 19. Eum Jugurtha curatissume recepit.

CŪRĀTĬO, onis, f. *ἐπισασία*, [*ἐπιμέλεια.] actus curandi, administratio, cura, *Pl. Most.* 1, 1, 33. Quid tibi, malum, me, aut quid ego agam, curatio est? *Liv.* 2, 27. Dare alicui curationem altiorem fastigio suo. *Cic. Rabir. Post.* 10. Curationem et quasi dispensationem regiam suscipere. *Id. N. D.* 1, 1. Vacare omni curatione et administratione rerum. *Id. Har. resp.* 14. Aedes Telluris est curationis meae. *Liv.* 9, 43. *extr.* Curatio sacrorum. *Id.* 4, 12. *med.* Minucius praefectus annonae creatur, felicior in eo magistratu ad custodiam libertatis futurus, quam ad curationem ministerii sui. ℙ Item cura illa, quae morbis adhibetur, *θεραπεία. Cic. Off.* 1, 24. Medici leviter aegrotantes leniter curant: gravioribus autem morbis periculosas curationes et ancipites adhibere coguntur. *Cels.* 7, 26. *f.* Si felix curatio non fuit. Et *paulo supra.* Recte curatio procedit. *Plin.* 22, 25, 70. Mox procedente curatione, addito melle. *Phaedr.* 5, 7. Curatio venit ad sanitatem. [*Liv. 2, 20. Quum victor — inter primam curationem exspiraverit. V. *Drak.* ad 2, 17. et cf. 42, 18.] ℙ Item officium curatoris. *Ulp. Dig.* 27, 10, 4. Furiosae matris curatio ad filium pertinet. *Papin. ib.* 27, 1, 30. Duas curationes administrare. ℙ Item universim quaevis cura. *Cic. N. D.* 1, 34. Omnis cultus et curatio corporis erit eadem adhibenda Deo, quae adhibetur homini. *Id. ib.* 2, 63. Oves neque ali, neque sustentari, neque ullum fructum edere ex se sine cultu hominum et curatione potuissent. *Petr. Sat.* 107. Voluerunt, antequam conscenderent, exonerare capita molesto et supervacuo pondere, sed celerior ventus distulit curationis propositum. *Colum.* 12, 25. *med.* Ut sit odoratior vini curatio, *h. e.* conditura.

CŪRĀTOR, oris, m. *ἐπιστάτης, κομισνὴς*, [*ἐπιμελητής*, V. *B. Crus.* ad *Suet. Aug.* 37.] procurator, praefectus, qui alicujus rei sive privatae, sive publicae curam habet. *Cic. Leg.* 3, 3. Suntoque aediles curatores urbis, annonae ludorumque solemnium. *Id. Opt. gen. Or.* 7. Demosthenes curator muris reficiendis fuit. *Id. Verr.* 2. 2, 59. Aliquem curatorem praeficere, qui statuis faciundis praesit. *Gell.* 2, 10. Q. Catulus curator restituendi Capitolii. *Front. Aquaed.* 100. *ex antiquo S. C.* Curatores aquarum. *Colum.* 9, 14. Maxime custodiendum est curatori, qui apes nutrit, uti etc. *Varr. R. R.* 3, 5. Curator aviarii. Et *ib.* 9. gallinarius. *Sall. Jug.* 74. negotiorum fidus. *Id. ib.* 118. curatorem reipubl. appellat Sullam in Africa bellum gerentem. *Festus* quoque curatores docet illos dici, qui rei frumentariae, agrisve dividundis praepositi sint. *Inscr.* ap. *Grut.* 250. et 251. Curatores regionum Urbis. ℙ *Curatores alvei et riparum Tiberis* instituti fuerunt ab Augusto, ut affirmat *Suet. in ejus Vita* 37., antea vero ea cura fuit censorum, aut consulum, aut flaminis Dialis, aut ipsius Augusti, ut probat *Marin. Iscriz. Alb.* p. 21. et *Frat. Arv.* p. 802.: de eorum numero minime constat, modo enim duo, modo quinque nominantur in antiquis monumentis. [*V. indic. ad corp. inscriptt. ab *Orell.* editum.] ℙ *Curator Kalendarii.* V. CALENDARIUM. ℙ [*Curatores reipublicae*, *municipii*, vel *coloniae* vocati sunt, qui ab Trajano Aug. primum municipiis et coloniis dati sunt, ut earumdem bona administrarent. De his diligentissime egit *Barpt. Jos. Stoffella* in *Illustraz. della Lapida* di *C. Valerio Mariano*, *del Tartarotti* p. 74 — 102. quem videsis. *F.*] ℙ In Jure *curator* est, qui datur puberi, qui sub alterius potestate non est, usque ad vigesimum quintum annum, ut ejus bona curet: item furioso, fatuo, insano, prodigo, debili: item ventri, *πρόδικος, ὀρφανιστής*: et differt a tutore, qui datur impuberi, ut eum tueatur, qua de re subtilius, fusiusque JCti, praesertim totis libris *Dig.* 26. et 27. et *l.* 42. *t.* 8. etc. *Hor. Ep.* 1, 1, 102. Nec medici credis, nec curatoris egere A praetore dati, *h. e.* nec credis te esse insanum. [*Cf. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 217.]

CŪRĀTORĬCĬUS, a, um, adj. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 11, 1, 29. Ut vicenis solidis, qui in praeteritum pro equis curatoriciis petebantur, duo solidi detrahantur. Et *t.* 17. qui est De equorum collatione, *l.* 2. Equorum, qui curatoricio nomine flagitantur, in pretio maturetur exactio. *Curatoricii equi* sunt, quibus utebantur curatores, et curagendarii, vel palatini, qui ad agendas curas reipublicae in provincias mittebantur. V. *Gothofred.* ℙ [Item qui curatoris munere antea functus est, ut quaestoricius, quinquennalicius, qui quaesturam, vel quinquennalitatem gessit. *Inscr.* ap. *Aegid. Gelenium de magnit. Coloniae Agrippinae* p. 165. Masclinio Materno aedilicio, curatoricio, sacerdotali. *F.*]

CŪRĀTORĬUS, a, um, adj. ad curatorem pertinens. Curatoria (subaudi *administratio*) est munus, et officium curatoris. Affertur *Modest. Dig.* 27, 1, 1. et 2., qui tamen ibi Graece scripsit. Adde *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 264. L. Censorinius curator, functus, ubi *Reines.* putat legendum *curatoria functus.*

CŪRĀTRIX, icis, f. quae curat, *ἐπιστάτις. Modest. Dig.* 26, 5, 21. Magistratus curatrices minoribus mulieres non creabunt. At hic quoque locus est ab interprete aliquo. V. v. praec. ℙ *Non.* 2, 631. *curatrix* dici posse putat, nullius tamen Latini scriptoris auctoritatem adducit.

CŪRĀTŪRA, ae, f. curatio, cura diligens, *Ter. Eun.* 2, 3, 24. Si qua est habitior paulo, pugilem essse ajunt: deducunt cibum. Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas. Ubi *Donatus*, *cura*, inquit, mentis est, *curatio* medicinae, *curatura* diligentiae. Sed hoc discrimen ne verum quidem est, nedum perpetuum.

CŪRĀTUS, a, um, part. a *curo*, *ἐπιμεληθεὶς, θεραπευόμενος*, dicitur de omni re, cui cura adhibita est. *Tac. A.* 1, 13. *extr.* Donec Haterius Augustam oraret, ejusque curatissimis precibus protegeretur. *Hor. Ep.* 1, 4, 15. Me pinguem et nitidum bene curata cute vises. *Id. Sat.* 2, 2, 80. ubi dicto citius curata sopori Membra dedit, *h. e.* cibo, potuque, balneo, aliisque fomentis refecta.

Id. Ep. 1, 1, 94. curatus tonsore capillos, *h. e.* tonsus, pexus, comptus. [*V, *Bentl.* ad h. l.] *Cato R. R.* 103. Boves uti valeant, et curati bene sient. Et *ib.* Ita boves corpore curatiores erunt, et morbus aberit. *Appul. Met.* 5. Nec corporis curatae tibi regales epulae morabuntur, *h. e.* cum somno et lavatione corpus curaveris, praesto tibi erunt regales epulae. *Cic. Balb.* 24. Sacra Cereris per Graecas sacerdotes curata. *Id. Fam.* 5, 20. Pecunia curata nobis Valerii mancipis nomine. ℙ Quae *τεθεραπευμένα*, inquit *Cels.* 5, 19. *n.* 11. *extr.*, Graeci appellant, nos curata vocamus, cum ex sevo, puta, omnes membranulae diligenter exemptae sunt. Sic *Id.* 6, 6. *n.* 5. Cadmia curata. *Scrib. Comp.* 222. Adeps suillus curatus. *Veget. Veterin.* 4, 8. Haedinum caput pedibus et intestinis ac ventre, et diligenter, quasi ad hominum usus, curatum.

CŪRĀTUS, us, m. curatura. *Lucil.* usurpat in sexto casu singulari, ap. *Non.* 4, 103. Et circum volitant ficedulae, turdi, curatu coci. Al. aliter leg.

CŪRAX, acis, adj. curam adhibens, diligens. *Cajus Dig.* 21, 1, 18. Si venditor servum constantem, aut laboriosum, aut curacem, aut vigilacem esse affirmaverit; et is ex adverso levis, protervus, desidiosus, somniculosus, piger, tardus sit. Al. leg. *curracem.* [*V. *Duk. Lat. Ict.* 342. p. 311.]

CURBĀTUS pro *curvatus* legitur in *Inscr.* quae pertinet ad an. a Chr. n. 565., ap. *Grut.* 161, 2. Quam bene curbati directa est semita pontis. V. initium litterae B.

CURCŪLIO, onis, m. *κὶς*, vermiculus frumenta in horreis corrodens. *Virg. G.* 1, 185. populatque ingentem farris acervum Curculio, atque inopi metuens formica senectae. Ubi *Servius:* Varro ait, hoc nomen per antistoechon dictum, quasi *gurgulio*, quoniam paene nihil est, nisi guttur (V. GURGULIO.) *Varr. R. R.* 1, 63. Tuendi causa promendum id frumentum, quod curculiones exesse incipiunt. Alii leg. *gurguliones.* Adde *Caton. R. R.* 92. [*Cf. *Lindem.* ad *Pl. Trinum.* 4, 4, 9.] Dicitur etiam *gurgulio* ob litterarum similitudinem. *Pallad.* 1, 19. Amurca gurgulionibus et ceteris noxiis animalibus inimica est. ℙ Est *Curculio* nomen Plautinae fabulae a nomine parasiti, qui praecipuas in ea partes agit. Convenienter autem ita vocatur, quia parasiti gutturi unice et cibo serviunt.

CURCŪLIUNCŪLUS, i, m. dimin. curculionis. *Pl. Rud.* 5, 2, 38. Curculiunculos minutos fabulare, *h. e.* res nullius usus narras.

CURCŪMA et Curcumia, ae, f. capistrum, frenum. *Hesych.* Ἐν κημῷ, ἐν κουρκουμίῳ. Affertur ex *Veg. Vet.* 2, 33. et ex *Imp. Leone Cod.* 11, 11, 1. Utrobique varia est cum lectio, tum interpretatio, sed et allata lectio, et interpretatio est retinenda. V. *Ducang. Gloss. Graec.* et *Lat.* in V. *Κουρκούμιος*, et *Curcuma.*

CŪRENSES, ium, m. plur. populi Italiae in Sabinis, ubi nunc *Corese* oppidum, et fluvius. Videntur autem iidem esse cum *Curetibus*, a quibus *Quiritum* nomen est ortum. *Varr. L. L.* 5, 7. et *Plin.* 3, 12, 17. ℙ Ap. *Ov.* quoque *turba Curensis* legitur *Fast.* 3, 94., et intelliguntur incolae Curium. Alii male leg. *Forensis.*

CŪRES, ium, m. plur. oppidum Sabinorum ad Himellam fluvium, circa ea loca, ubi nunc *Corese*, condita, ut ajunt, a Medio Fidio Sabinorum Deo, vel a Modio Fabidio, ut *Dionys. Halic.* 2, 84. tradit. Ex hoc oppido fuere Sabini illi, et ipsi *Cures* dicti, qui ob raptas virgines bellum Romanis intulere, factaque pace, Quiritum nomini originem praebuere. *Varr. L. L.* 4, 8. Collis Quirinalis, ubi Quirini fanum: qui a Curetibus, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam. *Virg. A.* 6, 812. de Numa. Curibus parvis, et paupere terra Missus in imperium magnum. *Id. ib.* 8, 637. subitoque novum consurgere bellum Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis. *Ov. Fast.* 2, 480. Romanis junxerat ille Cures.

CŪRĒTES, um, m. plur. populi Sabinorum, iidem qui Cures. *Varr. L. L.* 4, 8. V. v. praec. ℙ In singulari est *Cūres, etis. Prop.* 4, 4, 9. tubicen vicina Curetis Cum quateret lento murmure saxa Jovis, *h. e.* Tatii regis Sabinorum. *ἀντονομασία.* ℙ Item *Cūrētes* populi Phrygiae, qui et *Corybantes*, qui Idam montem incoluere: deinde Cretam cum transmigrassent, cum primi coepissent terram colere, montem ejus insulae, ubi sedem posuerunt, ab nomine relictae patriae cognominarunt, *Κουρῆτες.* V. quae diximus in CORYBANTES. *Virg. A.* 3, 131. antiquis Curetum allabimur oris. ℙ Sunt nihilominus, qui eos faciunt alios a Corybantibus, Cretenses tamen, et Jovis custodiae destinatos. *Ov. Fast.* 4, 207. Ardua jamdudum resonat tinnitibus Ide, Tutus ut infanti vagiat ore puer. Pars clypeos rudibus, galeas pars tundit inanes: Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus. *Id. Met.* 4, 282. largoque satos Curetas ab imbri. Tangit *Ov.* fabulam de ortu Curetum, quam in nullo alio mythologo invenire adhuc quivimus. ℙ Ad nominis rationem quod attinet, alii dictos putant *ἀπὸ τῶν κουρῶν*, a formosis oculis, alii a cono galeae, quae *κόρυς* dicitur. Ita *Diom.* 3, 475. *Strabo* 10. tradit, cognominatos *ἀπὸ τῆς κουρᾶς*, a tonsura, quod detonsi essent: alii *ἀπὸ τῶν κουρῶν*, a puellis, quod longas puellarum more stolas gestarent.

CŪRĒTĒUS, a, um, adj. *Κουρήτειος*, Cretensis. V. CERATHEUS.

CŪRĒTĬCUS, a, um, adj. a Curetibus. *Calpurn. Ecl.* 4, 96. Carmina Dictaeis audit Curetica silvis. ℙ *Sil.* 15, 307. tecta Curetica appellat urbes Aetoliae, vel Acarnaniae, quia Curetum populi pars e Creta quondam in ea loca migraverant, ut est ap. *Strab.* 10.

CŪRĒTIS, idis, f. adj. *Ov. Met.* 8, 153. ut egressus ratibus Curetida terram Contigit, *h. e.* Cretam, quae etiam *Curetis* appellata fuit, *Plinio* teste 4, 12, 20. ℙ *Fuit et Curetis vetus nomen Acarnaniae. *Plin.* 4, 1. *B. A.*

CŪRĬA, ae, f. *φρατρία.* Tria significat. Primo enim est pars minor populi Romani. Nam Romulus populum universum in tres tribus, deinde singulas tribus in decem curias, tertio singulas curias in decem decurias distribuit, ut *Dionys. Hal.* 2, 62. docet. Dicta est a *cura*, quod Romulus voluit populum secum reipublicae curam habere, eumque in curias distributum deliberare, et judicare, et suffragia ferre. Curiae triginta fuere. Appellatae sunt, ut *Liv.* 1, 13. et *Festus* tradiderunt, a nominibus mulierum Sabinarum, quae raptae fuerant; ut *Varro* ap. *Dionys*: 2, 83. et *Plutarch.* in *Romulo*, et alii: partim a ducibus, partim ab antiquis oppidis eorum, qui primi Romam migravere. Ex his septem tantum nomina remansere, Forensis, Rapta, Faucia, vel Saucia, Tatiensis, Tifata, Veliensis, Velita. ℙ Secundo sumitur pro aede sacra. Nam Romulus singulis curiis sua sacra partitus est, assignatis Diis, quos colerent, locis ubi colerent, sumptibus unde colerent. Dicta est a *curia*, quae partem populi significat, vel quia in ea res sacrae curabantur. Hinc *Curia Calabra.* V. CALABRA. *Varr. L. L.* 5, 6. Illa etiam curia dicitur, ubi cura sacrorum publica. [*Cf. *Ern. cl. Cic.*] ℙ Novae curiae proxime compitum Fabricium aedificatae sunt, quod parum amplae erant veteres a Romulo factae, ut in iis sacra curarent: quae sacra cum ex veteribus in novas evocarentur, aliquot curiarum per religiones evocari non potuerunt. Itaque Forensis (al. *Foriensis*) Raptae, Veliensis (al. *Vellensis*) Velitae (al. *Velitiae*) res divinae in veteribus curiis fiebant. *Festus* in *Novae.* ℙ Aliae praeterea curiae Romae fuerunt, ut curia Saliorum in Palatio, *Cic. Div.* 1, 11. Curia Octavia extra portam Carmentalem, *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 8. Curia Julia, *Suet. Cal.* 60. et aliae, quae partim sacrorum causa, partim consilii exstructae fuerunt, partim utriusque. [*Huc etiam pertinet *Curia mulierum Lanuvinarum* ap. *Orell.* 3740. fortasse eadem significatione positum, qua alias Senaculum mulierum. V. in *Senaculum*, et quem laudat *Orell. Nard. Roma antica* 2, 80. — Porro nota dicendi formulam in *inscr.* ap. *eund. Orell.* 3727. *Universae curiae.* In animadversionis loco haec leguntur. Haec formula obscurae significationis exstat etiam in aliis saxis Africanis ap. *Maffeium* 458, 7. et 462, 3. Fueruntne diversorum ordinum, Decurionum, Augustalium cet., item Collegiorum et sodaliciorum curiae sive scholae?] ℙ Tertio demum curia erat sedes, ac templum publici consilii, *βουλευτήριον*, quod eo quisque senator suam curam de republica conferret, ut ait *Varro* ap. *Non.* 1, 278. *Id. L. L.* 4, 32. Curiae duorum generum: nam et ubi curarent sacerdotes res divinas, ut curiae veteres; et ubi senatus humanas, ut curia Hostilia, quod primus aedificavit Hostilius rex. Ante hanc Rostra etc. *Id. ib.* 5, 6. Curia, ubi senatus rempublicam curat. *Ov. Amor.* 3, 8, 55. Curia pauperibus clausa est, dat census honores, *h. e.* senatorius gradus. *Suet. Caes.* 22. Non temperavit, quin frequenti curia jactaret: *h. e.* frequenti senatu. *Id. Aug.* 38. Interesse curiae, *h. e.* venire in senatum. *Senec. Ben.* 5, 15. *f.* Exercitum victorem reducentibus curia extra muros praeberetur, *h. e.* senatus daretur. *Cic. Mil.* 33. Curia templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, ara sociorum, portus omnium gentium, sedes ab universo populo R. concessa uni ordini. ℙ Extra Romam quoque curia dicitur, ubi senatus cogitur. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Inclusum in curia senatum Salamine obsederat. *Id. Verr.* 2, 2, 21. In curia Syracusis. *Juven.* 9, 101. Ergo occulta teges, ut curia Martis Athenis, *h. e.* Areopagus. ℙ *Dies curiae* ap. *Cic. Or.* 1, 7. est dies transactus in rebus severis tractandis, ut fit in curia. ℙ Etiam coenaculum aliquando significat. *Varr. R. R.* 2, 9. Cibatus canis propior hominis, quam ovis; pascitur enim e curia, et ossibus, non herbis, aut frondibus. Al. rectius leg. *e culina.* ℙ *Fuit et Curia Rhaetiae oppidum, ad Rhenum flumen, hodie *Cur* vel *Chur. Ant. Itin. Tab. Peut.* et *Paul. Diac. Langobard.* 6, 21. *B. A.*

CŪRĬĀLIS, e, adj. ad curiam pertinens. Curialis dicitur, qui est ejusdem curiae, *δημότης*, *h. e.* popularis, qui est ex eodem *δήμῳ*; nam *Λαχία* fuit *δῆμος*, populus, vel pagus tribus Oeneidis. V. *Potter. Arch. Gr.* 9, 51. *Cic. Off.* 2, 18. *extr.* Theophrastus quidem scribit, Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse. Adde *Pl. Aul.* 2, 3, 2. ℙ *Curiales mensae*, in quibus immolabatur Junoni, quae *Curis* est appellata. *Festus.* Etiam *Dionys. Halic.* 2, 85. tradit, T. Tatium in omnibus curiis statuisse mensas Junoni Quiritiae, in quibus scilicet et sacrificia, et convivia agitarentur. ℙ *Curialis vernula*, h. e. servulus aliquis curiae, legitur in quibusdam editis libris ap. *Ter. Phorm.* 5, 6, 10., sed plerique critici ex optimis MSS. ea verba rejiciunt. ℙ *Curiales flamines*, curiarum sacerdotes. *Festus.* Videntur autem intelligendi sacerdotes minores, qui sub curionibus ministrarent. In *Inscr.* ap. *Grut.* 1102, 2. *Curialis* absolute ponitur vel pro flamine curiali, vel pro decurione. ℙ Honorio imperante *curiales* vocabantur decuriones in coloniis et municipiis. *Imp. Honor. Cod.* 8, 51, 20. Curiales quoque proximarum civitatum placuit admoneri, ut etc. Etiam sub Theodorico Gothorum rege ex *Cassiod. Variar.* 5, 2. et 4. ℙ Aliquando *curiales* dici coepti ministri principum in aula, quae ideo *curia* vocari potest, quia apud eos res publicae curabantur. Hoc sensu usurpasse *Ammian.* 21, 12. et 22, 9., et *Symmach. ep.* 9, 10., et *ep.* 10, 41. (al. 48.) jam ostendit *Borrich.* in *Voss.*

CŪRĬĀNUS, a, um, adj. ad Curium pertinens, quod est nom. propr. civis R., ut Curiana causa, *Cic. Or.* 2, 6. et Curianum judicium, *Quint.* 7, 6. *f.* (V. *Cic. Or.* 1, 39.) et Curiana villa, *Cic. Leg.* 2, 1.

*CURĬAS, adis, f. *Κουρὰς*, sc. *ἄκρα*, Cypri promontorium. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*CURIATĬI, orum, gens ante Albina, post Romae Patricia minorum gentium, Alba excisa a Tullo Hostilio Romam cum aliis traducta. Romae Consularis fuit et Tergemini cognomen, quemadmodum Horatia, tenuit. Curiatiorum gens a Curio fortasse manavit. Ex hac fuere tergemini fratres Albani, in pugna contra totidem Horatios fratres Romanos occisi. *Liv.* 1, 24. seq. *Flor.* 1, 3. *B. A.*

CŪRĬĀTIM, adv. per singulas curias. [*Cic. De rep.* 2, (ed. *A. Maio*) 17. Tullus Hostilius populum consuluit curiam. *F.*] *Gell.* 15, 27. Comitia curiata per lictorem curiatim calabantur. Al. rectius leg. *per lictorem curiatum.*

CURĬĀTĬUS, a, um. V. v. seq.

CŪRĬĀTUS, a, um, adj. ad curiam pertinens. *Curiata comitia* erant, in quibus populus per curias convocatus (is tantummodo, qui Romae degebat. Nam curiae omnes Romae fuerunt) suffragium ferebat. *Fest. Cic. Agr.* 2, 11. et *Gell.* 15, 27., ubi haec refert verba ex *lib.* 1. *Laelii Felicis.* Cum ex generibus hominum suffragium feratur, curiata comitia esse; cum ex censu et aetate, centuriata; cum ex regionibus et locis, tributa. ℙ *Curiatus lictor* est, qui curiata comitia convocat. *Laelius Felix* ap. *Gell. l. c.* ex *Labeone*, et *Inscr.* ap. *Grut.* 33, 4. et 630, 9. ℙ Curiata comitia primo, sub regibus, convocabantur ad omnia fere, quae ad reipubl. gubernationem pertinebant, praecipue vero legibus perferendis, quae idcirco *leges curiatae* dictae sunt: ex quibus conflatum est *jus civile Papirianum*, quia Sex. Papirius eas in unum composuit. Institutis autem comitiis centuriatis, ad haec majora quaeque paulatim transferri coepta: accedentibus vero etiam comitiis tributis, tanto minus curiata frequentari coeperunt. Exactis regibus, omnes curiatae leges lege tribunicia exoleverunt. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *in.* ℙ Sequentibus temporibus, comitiis curiatis transigebantur ea, quae rem militarem continebant, sicuti centuriatis consules, ac tribuni militares creabantur, ut est ap. *Liv.* 5, 52. *extr.* ℙ Deinde curiatorum comitiorum habendorum duae praecipue causae fuisse videntur, legi ferendae de imperio militari magistratuum, et sacerdotibus creandis. Nam magistratus, postquam creati fuerant, rem militarem nullo modo attingere poterant, nisi lege curiata permissum esset; qua quidem lege dabatur iis jus habendi exercitus, belli gerendi, stipendii solvendi militibus, et viatici sumendi. *Liv. l. c.*, *Cic. Agr.* 2, 12. ℙ Aliquando tamen illud usurpatum fuit, ut non omnes quidem curiae, sed earum lictores singuli convocarentur, quoties opus esset quippiam curiatis comitiis perferri: nempe sola sacrorum causa, et quarundam rerum levioris momenti, ut adoptionum, arrogationum, testamentorum confirmandorum etc., quibus de causis comitia haec haberi consuevere. Eorum habendorum jus fuit penes patricios magistratus, et penes pontifices, si sacrorum, aut adoptionum causa haberentur: locus autem fere comitium in foro. Verum de his fusius, curatiusque qui haec ex professo integris voluminibus conscripsere, *Gruch.* praecipue *de Comit. R.* 3, 3. etc. V. etiam *Cic. Agr.* 2, 10. ℙ [*Pro *Curiatus* legitur etiam Curiatius. V. *inscript.* ap. *Orell.* 3217. et quae ibi laudantur.]

*CURICTAE, arum, m. populi Curictae, quae

insula fuit prope Illyricum, Absyrtidibus vicina. *Plin.* 3, 21. ℙ Insulam meminit *Ptolemaeus. B. A.*

*CURICTĬCUS, a, um, ad Curictam pertinens, ut *Curicticum littus* ap. *Flor.* 4, 2. edd. *Graev.* et *Duker.* V. CURICTAE. *B. A.*

CŪRĬO, onis, m. sacerdos curiae, idest qui pro curia sacra faciebat. Triginta Romae curiones fuere, quemadmodum curiae triginta erant: quamquam alii sexaginta fuisse putant, binos in singulis curiis. Qui his omnibus praecerat, curio maximus dicebatur. *Liv.* 27, 8., *Varr. L. L.* 4, 15. et alii. *Paulus* ap. *Fest.* in *Maximus.* Maximus curio, cujus auctoritate curiae, omnesque curiones reguntur. *Inscr.* ap. *Grut.* 305, 4. ex quatuor decuriis curio minor. ℙ Curio quoque praeco dictus est. *Trebell. Gallien.* 12. Ille per curionem dici jussit. *Mart. in epist. praefixa lib.* 2. Epigrammata curione non egent, et contenta sunt sua, idest mala lingua. ℙ Item gracilis, macilentus: a *cura.* Hinc *Pl. Aul.* 3, 6, 27. Volo ego ex te scire, qui sit agnus curio. *Eu.* Qui ossa atque pellis totus est. Eadem habet et *Festus.* V. CURIOSUS. ℙ Fuit etiam Curio cognomen familiae Rom. in gente Scribonia: in qua praeter ceteros fuit C. Scribonius Curio tribunus pleb. Caesaris fautor praecipuus in bello civili: ad quem exstant multae *Ciceronis* epistolae.

CŪRĬONĀLIS, e, adj. ad curionem sacrorum ministrum pertinens. *Curionalis publicus* in *Inscr.* ap. *Grut.* 305, 5. et 6. est servus, seu minister publicus curionis.

CŪRĬONĀTUS, us, m. dignitas Curionis. *Fest.* in *Curionium.*

CŪRĬONĬĀNUS, a, um, adj. ad Curionem pertinens. *Curioniani equites* ap. *Hirt. B. Afr.* 52. *extr.* sunt milites, qui sub C. Scribonio Curione Caesaris legato militaverant. V. CURIO.

CŪRĬONĬUS, a, um, adj. ad Curiones pertinens, ut *Curionia sacra*, quae a curionibus in curiis fiebant: *Curionium aes*, quod dabatur curioni ob sacerdotium curionatus. Haec *Festus.*

CŪRĬONUS. V. CENTURIONUS.

CŪRĬŌSĒ, adv. *περιέργως, ἐπιμελῶς, ἀκριβῶς,* multa cum cura, accurate. *Cic. Brut.* 35. Conquiram ista posthac curiosius. *Cels.* 2, 17. *med.* Curiose vestimentis involvendus est, ne ad eum frigus aspiret. *Vitr.* 7, 4. Tegulae curiosius picentur, ut abs se respuant liquorem. *Colum.* 12, 55. *extr.* Jus est candoris eximii, si sit curiose factum. *Id.* 11, 2. *in.* Vitiaria malleolis curiosissime pangenda. *Id.* 5, 6. Leviter et curiose facere aliquid. *Quint.* 8, 1. Multos, quibus loquendi ratio non desit, invenias: quos curiose potius loqui dixeris, quam Latine. *Cic. Fin.* 5, 15. Animadvertunt ea, quae domi fiunt, curiosius.

CŪRĬŌSĬTAS, atis, f. cura et diligentia, quae adhibetur in re quapiam investiganda, cupiditas sciendi, *πολυπραγμοσύνη. Cic. Att.* 8, 12. Sum in curiositate *ὀξύπεινος*: sed tamen facile patiar, te id ad me *συμπόσιον* non scribere. *Gell.* 2, 18. *extr.* Esse arcanas causas, ad quas paucorum potuit pervenire curiositas.

*CURIOSOLĪTES, um, populi Galliae Celticae sive Lugdunensis. *Caes. B. G.* 7, 75. prope fi. Dicti et *Curiosolitae, arum, ib.* 2, 34. et 3, 7. et *Cariosuelites Plin.* 4, 18. ubi tamen corrigendum forte *Curiosolites* vel *Curiosuelites. Curiosopites* audiunt *Notit. Civit. Galliae Lugdun.* ubi *Civitas Curiosopitum* nuncupatur eorum caput, quod hodie *Corseult*, ut discere est ex *Hist. d'Acad.* T. 1. p. 295. *B. A.*

CŪRĬOSŬLUS, a, um, adj. dimin. curiosi. *Appul. Met.* 10. *s. f.* Curiosulus ventus laciniam pallii bombycini reflabat.

CŪRĬŌSUS, a, um, adj. *μεριμνητής,* qui multam adhibet curam, diligens, accuratus in quaerendo. *Cic. Fam.* 3, 1. Ita est homo non modo prudens, verum etiam, quod vidi, aeque curiosus. *Id. Tusc.* 1, 45. Permulta alia colligit Chrysippus, ut est in omni historia curiosus. *Id. N. D.* 1, 35. Atqui ne curiosissimi quidem homines exquirendo audire tam multa possunt, quam sunt multa, quae terra, mari exsistunt. *Id. Fam.* 4, 13. *med.* Quo minus familiaris sum, hoc sum ad investigandum curiosior. *Id. Sext.* 9. *extr.* Sed haec obstructio non ita obducta est, ut curiosis oculis perspici non possit. *Plin.* 13, 12, 23. Charta tenuata curiosa interpolatione, *h. e.* diligenti artificio. *Petr. Sat.* 135. Curiosa manu segregare grana. *Id. ib.* 118. Curandum, ne sententiae emineant extra corpus orationis expressae, sed intexto vestibus colore niteant. Homerus testis, Romanusque Virgilius, et Horatii curiosa felicitas. *Id. ib.* 29. Curiosus pictor. *Id. fragm. Trag.* 46. *Burm.* Non quidem doctus, sed curiosus, qui plus docet, quam scit. ℙ Cum genit. *Plin.* 25, 2, 2. Medicinae peculiariter curiosus. *Aurel. Vict. Caes.* 20. *f.* Ut putant memoriae curiosi, *h. e.* qui historia delectantur. *Capitol. Anton. Philos.* 20. Curiosissimus famae suae. ℙ Aliquando in vitio ponitur, et dicitur de iis, qui nimia cura utuntur in rebus alienis exquirendis, *πολυπράγμων,* [*ἀναιδής, qui importune alienis se immiscet.] *Cic. Dom.* 33. Quid est tam curiosum, quam ea scire velle, de quibus majores nostri vos solos scire voluerunt? *Id. Att.* 15, 26. *extr.* M. Ennius quid egerit de testamento (curiosus enim) facias me velim certiorem. *Suet. Aug.* 27. Curiosum ac speculatorem ratus, coram confodi imperavit. *Catull.* 7, 11. Quae (basia) nec pernumerare curiosi Possint. *Plin.* 30, 11, 30. Curiosa Apionis interpretatio. *Quint.* 7, 5. Curiosa consilia, *h. e.* consultationes accuratae, exactae, et curarum plenae. ℙ Fuit collegium, sive magistratus quidam eorum, qui (sublata republ.) e schola, seu corpore agentium in rebus mittebantur ab imperatoribus per provincias explorandi causa, ac perscrutandi, si quid adversus leges, vel principem committeretur, *πευθῆνες, ὀτακουσταί.* (V. AGENS.) De his in *Cod.* 12. *tit.* 23. *qui est* de Curiosis et Stationar. l. et 2., et *tit.* 51. *l.* 13. et *Tertull. Fuga in persecut.* 13. ℙ Denique *curiosus* aliquando pro macro, exili usurpatur. *Nonius* enim 2, 130. curionem agnum exponit *curiosum* ex *Plaut.*, qui joculariter haec habet, *Aul.* 3, 6, 25. Quo quidem agno sat scio, magis curiosam nusquam esse ullam belluam. Al. leg. *curionem.* V. CARIOSUS, et quae huc pertinentia dicta sunt in CURIO et CURATURA.

CŪRIS, Sabinorum lingua hastam significat, ut docent *Festus hic* et in *Celibaris*, et *Ov. Fast.* 2, 477. Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis. Adde *Macrob. Sat.* 1, 9. et alii. Hinc originem duxere *Cures*, oppidum Sabinorum, *Quirinus, Quirites.* ℙ Juno quoque *Curis*, saepius autem *Curitis* dicta est, quia cum hasta pingebatur, eoque habitu ab Sabinis colebatur. *Fest. locis citat.* et in *Curialis.* Pro *Curitis* legitur *Quiritis* in *Vet. Inscr.* ap. *De vita AA. Benev. cl.* 1. *n.* 8. Junonei Quiritiei sacra. Alia ap. *Grut.* 308, 1. Cincius Priscus pontifex sacrarius Junonis Quiritis. Adde *Capell.* 2, 38.: ubi *Curitis* legitur.

*CURITE, oppidum una cum Cyboto altissimo monte a terra devoratum. Forte in Phrygia fuit. *Plin.* 2, 21. *B. A.*

CŪRĪTIS. V. in CURIS.

CŪRĪTO, as, a. 1. frequent. verbi *curo. Appul. Met.* 7. Exin me matrona prolixe curitabat. Quidam male leg. *curabat.*

CŪRĬUS, a, um, adj. *Curium infortunium*, h. e. malum, dirum, a *cura*, quidam legunt ap. *Pl. Ps.* 4, 7, 44., sed ea lectio valde incerta est, et a criticis mire vexata.

CŪRĬUS, ii, m. Rom. civis, summae frugalitatis, et fortitudinis. Hic cum rapas in foco torreret, et Samnitum legati magnum auri pondus publice missum attulissent, invitarentque, ut eo uti vellet, respondit, *Curium malle imperare locupletibus, quam locupletem fieri: et qui acie vinci non potuit, eum pecunia corrumpi non posse.* Omnium primus de Sabinis triumphavit. Idem Pyrrhum Epirotarum regem acie victum Italia expulit, populoque viritim quatuordecim agri jugera divisit. Per antonomasiam dicitur de homine antiquae, severaeque disciplinae. *Juven.* 2, 3. Qui Curios simulant, et Bacchanalia vivunt.

CURMI, n. species cerevisiae, seu potionis ex maceratis, et coctis frugibus. *Ulp. Dig.* 33, 6, 9. Et acetum, quod vini numero paterfamilias habuit, et zythum, et curmi. Quidam leg, *camum*, *i*, n. eadem significatione, atque ita edidit *Torrentin.* et *Jul. Afric.* in *Cestib. c.* 25. *Ἁλόντες κάμον πίνουσι.* ℙ In *Gloss. Philox.* legitur *Curmen, ζύθος ἀπὸ οἴνου.*

CURNONĪENSIS, e, adj. ad Curnonium pertinens, Hispaniae Tarraconensis urbem, in Vasconum agro juxta *Ptolemaeum* 2, 6., quam alii putant *Carnobio*, alii *Estella. Inscr.* ap. *Grut.* 420, 1. L. Hostilio Saturnino Hispan. Curnoniensi

CŪRO, as, avi, atum, a. 1. *σπουδάζω, φροντίζω, κήδομαι, θεραπεύω,* [*ἐπιμέλεσθαί τινος.] in aliqua re elaboro, curam, studium, diligentiam adhibeo, studeo, operam do, laboro. Videtur esse derivanda vox a *κέκοιρα* praeter. med. verbi *κείρω*, tondeo, unde est et *κουρά*, tonsura: nam saepe Latini Graecorum diphthongum *οι* non modo per *oe*, sed etiam per *u* efferre solent; hinc a *ποινὴ* est *poena*, et *punio.* Hac etiam de causa in antiquis monumentis saepissime legere est *coerare* pro *curare*, et ap. *Cic. Leg.* 3, 3. est *coerator* pro *curator.* Adde, voces *cura*, *curatio*, *curatus*, *Curetes*, *incuria* quandoque ad comae cultum pertinere. V. infra. *Ter. Andr.* 1, 1, 142. Tuum officium est, ut observes filium, quid agat. *So.* sat est; curabo. *Cic. Att.* 8, 5. Fasciculum velim cures ad eum perferendum. *Id. Div.* 1, 24. Ex eo auro buculam curavit faciendam. *Id. Fam.* 4, 13. *extr.* Ego quae pertinere ad te intelligam, studiosissime omnia diligentissimeque curabo. *Id. Top.* 17. Curare negotia alicujus. *Id. Att.* 5, 7. mandatum. *Nep. Eum.* 9. praeceptum diligenter. *Cic. Fam.* 3, 8. Ut cures, ne quid mihi ad hoc negotii aut oneris accedat, aut temporis. *Pl. Ps.* 1, 3, 3. Ego pro me, et te curabo. *Cic. Att.* 11, 3. *extr.* Omnibus rebus cura et provide, ne quid ei desit. *Id. Fam.* 14, 5, 6, 8. et 16. Cura, ut valeas. *Phaedr.* 5, 2. Jam curabo sentiat, quos attentarit. *Cic. Att.* 14, 13. *med.* Quintus de emendo nihil curat hoc tempore. *Id. Div.* 2, 50. Epicurus negat aliquidquam Deos nec alieni curare, nec sui. *Hor. Carm. saec.* 70. Curare preces alicujus. *Sall. Jug.* 17. injurias sociorum, *h. e.* curae habere ulciscendi causa. ℙ Magna cum cura curare aliquem *Pl.* dixit *Men.* 5, 4, 7. et 9. et ante cum *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48. ℙ Ellipsis esse videtur in his. *Cic. Att.* 1, 3. Signa, quae nobis curasti, ea sunt ad Cajetam exposita, *h. e.* facienda, vel coemenda curasti. [*Nostr.: *besorgen.*] *Id. ib.* 8. L. Cincio HS quadragies pro signis Megaricis curavi, *h. e.* solvenda curavi. *Id. ib.* 11, 15. Minucium XII sola curasse, scripsi ad te antea: quod superest, velim videas, ut curetur. *Id. Quint.* 4. Quibus nominibus pecuniam Romae curari oporteret, *h. e.* curare, ut Romae solveretur. [*Hinc idem, quod solvere. *Liv.* 44, 16. Ut pro eo frumento pecunia Romae legatis curaretur.] ℙ Cum infinito. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Qui summa voluntate cesserit, neque sane redire curarit. *Auct. ad Her.* 4, 53. Vos liberi esse non curatis. *Cic. Acad.* 1, 2. Nec docti legere curarent. *Hor. A. P.* 133. Nec verbum verbo curabis reddere. *Suet. Dom.* 20. Bibliothecas incendio absumptas impensissime reparare (al. reparari) curavit. [*V. *B. Crus.* ad h. l.] *Colum.* 9, 9. *f.* Duces seditionum interficere curabis. [**Curare* cum inf. signif. et *curae aliquid habere*, nos: *sich etwas angelegen seyn lassen*; Adde *Cic. Fin.* 4, 19. *Suet. Tib.* 51. Neque aegrae adesse curavit. *Id. Caes.* 86. Neque voluisse vivere, neque curasse; et *jubere*, nostr. *lassen*, *Gall. faire* c. Inf. Adde *Suet. Gr.* Multa exemplaria contracta emendare curavit. Saepius tamen in hac significatione acc. c. part. fut. pass. secum habere solet. V. *cl. Suet.* p. 262. Hinc translate de rebus idem, quod efficere. *Lucr.* 6, 231. Curat item (Fulmen,) vaseis integreis vina repente Diffugiant. *Id.* 5, 1014. Ignis enim curavit, ut alsia corpora frigus Non ita jam possent coeli sub tegmine ferre. Adde 3, 128.] ℙ Cum dativo pro accus. *Pl. Trin.* 4, 3, 50. Ego cum insipientior, qui rebus curem publicis, potius quam etc. *Id. Truc.* 1, 2, 35. Curare rebus alienis. *Id. Rud.* 1, 2. *f.* Si tu de illarum coenaturus vesperi es, illis curandum censeo: si apud me esurus es, mihi dari operam volo. *Accius* ap. *Macrob. Sat.* 6, 1. Jam jam neque Dii regunt, neque profecto Deum summus rex omnibus curat. Adde *Appul. Apolog.* et *Tertull.* itidem *Apolog.* 6. ℙ Saepe refertur ad cultum, et refectionem corporis. *Pl. Cist.* 1, 1, 115. Cura te, amabo: siccine immunda, obsecro, ibis? *Cic. Or.* 3, 61. Sed jam surgamus, nosque curemus. *Hor. Ep.* 1, 4, 15. et *Juven.* 2, 105. Curare cutem. *Pl. Ps.* 4, 7, 34. Se, suamque aetatem bene curare, edere, libere etc. *Ter. Adelph.* 5, 1, 1. Curare se molliter. *Liv.* 3, 2. *f.* corpora cibo somnoque. *Id.* 36, 18. Priusquam corpora curarent, arma telaque parant. *Hor. Od.* 3, 17, 14. Curare genium mero, et porco bimestri. *Pl. Most.* 1, 1, 34. boves. *Sabinus Massur.* ap. *Gell.* 4, 20. Ego me curo: equum Statius. [*V. *Broukh.* ad *Tibull.* 1, 5, 33.] ℙ Saepe etiam est medicorum, et significat aegris inservire, morbos sanare. *Cic. Sen.* 19. Facilius in morbos incidunt adolescentes, gravius aegrotant, tristius curantur. *Cels.* 7. *praef.* Medicinae pars, quae manu curat. *Id.* 1. *prooem.* Victu morbos curare. *Curt.* 5, 9. graviores morbos asperis remediis. *Id.* 7, 1. Curans vulnera. *Scrib. in ep. ad Jul. Callist.* et *Hor. Ep.* 2, 2, 150. radice, vel herba curarier: pro *curari* paragoge. Hinc illud Neronis ap. *Suet. in ejus vita* 37. Mori jussis non amplius quam horarium spatium dabat: ac ne quid morae interveniret, medicos admovebat, qui cunctantes continuo curarent. Ita enim vocabat venas mortis gratia incidere. ℙ Facete *Cic. Att.* 6, 1. Cum Appius *ἐξ ἀφαιρέσεως* provinciam curarit, sanguinem miserit, quidquid potuerit, detraxerit, mihi tradiderit enectam etc. ℙ Cum genitivo. *Appul. Met.* 5. Novam nuptam interfectae virginitatis curant. ℙ Significat etiam generatim curare, curam habere alicujus rei, parare, purgare, colere, administrare, conficere. *Ter. Andr.* 1, 1, 2. paucis te volo. *So.* dictum puta: nempe ut curentur recte haec. Ubi *Donatus*, diligenter coquantur: verum *τὸ curentur* plura significat, coquantur, parentur, administrentur. *Varr. L. L.* 6, 3. Apte curare cibum. [*Ad rem culinariam spectat etiam in loco *Quint. Decl.* 391. p. 581. maxima parte curavi, ipse composui.] *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 11. vitem falce, *h. e.* putare. *Cato* ap. *eund. ib.* vineam, *h. e.* putare, ablaqueare, circumfodere, uno verbo omnia facere, quae ad vitis culturam pertinent. *Colum.* 12, 18. dolia, *h. e.* purgare, radere, abstergere, lavare. *Ulp. Dig.* 9, 2, 27. Si vietori locaveris lacum vino plenum curandum, et ille eum pertuderit. *Colum.* 9, 14. apes, *h. e.* earum alveos purgare. *Ulp. Dig.* 47, 2, 12. Fullo, qui curanda poliendaque vestimenta accepit. *Suet. Ner.* 49. Aquam simul, ac ligna conferri, curando mox cadaveri. (Adde *Curt.* 10, 10.) [*Cf. *Ruhnk.* ad

Ter. Andr. 1, 1, 81. et quem *ib.* laudat *Ernest.* ad *Tac. H.* 5, 5.] *Colum.* 12, 30. Curare vinum. V. locum. ℙ Quod ait *Spartian. Hadrian.* 4. curasse delicatos, *Salm.* intelligit, iis inservisse in capillis comendis. Sane *cura*, *curatio*, *curatus*, *Curetes*, *incuria* ad comae cultum pertinent, ut suis locis videre est. ℙ Absolute aliquando significat praeesse, administrare, regere. *Sall. Jug.* 50. Ipse cum cohortibus apud primos erat: in postremo Marius legatus cum equitibus curabat. *Id. Cat.* 62. Mallium in dextra, Faesulanum quendam in sinistra parte curare jubet. *Tac. A.* 11, 22. Gliscentibus negotiis, quaestores duo additi, qui Romae curarent. ℙ Simile est illud ejusdem *H.* 3, 15. Exploratores, ut mos est, longius curabant, *h. e.* discurrebant, sui muneris fungendi causa. Et *Pl. Pers.* 1, 3, 5. Curate istic vos, atque properate, *h. e.* coenam parate. Et *Varr.* ap. *Non.* 2, 403. Cum in eo essem occupatus, atque in schola curarem. ℙ Et cum accus. *Tac. A.* 4, 36. Qui proconsul Asiam curaverat. *Id. ib.* 6, 30. Gaetulicus ea tempestate superioris Germaniae legiones curabat. *Enn.* ap. *Gell.* 16, 10. muros, urbemque, forumque Excubiis curant, *h. e.* servant, custodiunt. ℙ Pertinet etiam ad sacra, et religionem. *Liv.* 1, 20, Quae prodigia fulminibus aliove quo viso missa susciperentur, atque curarentur, *h. e.* expiarentur. ℙ *Curare aliquem* interdum est curae habere. *Cic. Acad.* 4, 38. *f.* Quis enim potest, cum existimet a Deo se curari, non et dies et noctes divinum numen horrere? *Pl. Most.* 2, 2, 93. Nil me curassis: ego mihi providero, ἀρχαϊκῶς pro curaveris, quod habet etiam *Ps.* 1, 3, 3. et *Poen.* 3, 1, 50. ℙ Item observare, colere, bene tractare. *Plin. ep.* 1, 5. *f.* Est enim locuples, factiosus: curatur a multis, timetur a pluribus. *Sall. fr.* ap. *Macr. Sat.* 2, 9. Cum ad coenam invitassent (*Metellum*), ultra Romanorum, ac mortalium etiam morem curabant. *Pl. Stich.* 5, 3, 9. Curare amicos advenientes. Adde *Mart.* 6, 50. et *Ulp. Dig.* 45, 1, 107. ℙ *Curare pastorem* ap. *Prop.* 4, 2, 39. est agere, pastoris munus gerere. Sunt tamen qui aliter legi volunt. ℙ Pro cicurare poni videtur in illis *Nigidii* verbis ap. *Prisc.* 8, 793. Omne pecus indomitum habet quiddam in se ferum, sed tamen ea natura est, ut curari, et dominari possit. [*Cf. *Liv.* 44, 40. Jumentum e manibus curantium elapsum.] ℙ *Non curare*, *nihil curare*, negligere, non laborare. *Cic. Fin.* 4, 14. Ita praeter animum, nihil curant. *Liv.* 36, 28. Nec hercle, inquit, magnopere nunc curo, quid Aetoli censeant. *Ov. Met.* 10, 529. de Venere. Capta viri forma non jam Cythereia curat Litora, non alto repetit Paphon aequore cinctam. *Id. Her.* 18, 150. Publica non curat sidera noster amor. ℙ *Aliud*, vel *alia cura*, formula est jubentis quempiam securum esse. *Ter. Phorm.* 2, 1, 5. Atqui reperi jam: aliud cura. *Pl. Mil.* 3, 3, 54. et 59. Alia cura. Simile est illud *ib.* 52. Quiescas cetera. ℙ Supinum *curatum* ap. *Auct. Priap.* 37. Diis me legitimis nimisque magnis Curatum dare mentulam verebar. ℙ [Part. *Curaturus* ap. *Pl. Men.* 3, 3, 6. Me curaturum dicito, quidquid volet. *F.*]

CŪROTROPHĬUM, ii, et Curotrophēum, n. κουροτρόφειον, domus alendis pueris destinata: a κοῦρος, juvenculus, et τρέφω, nutrio. Differt autem a *brephotrophio*, quod in hoc infantes recentesque partus aut expositi, aut parentibus egentibus nati alebantur: in illo pueri grandiusculi, qui nondum labore suo victum sibi parare poterant. Vox Graeca est: quam quidam legunt ap. *Imp. Justin. Cod.* 1, 2, 19.

CŪROTROPHAE Nymphae, κουροτρόφοι, quae infantes nutriunt. *Serv.* ad *Ecl.* 10, 62. V. voc. praeced.

CURRAX, acis, adj. qui currit. *Grat. Cyneg.* 89. Nam fuit et laqueis aliquis curracibus usus, *h. e.* qui pedi ferae inhaerentes currentem sequuntur. V. CURAX.

CURRĬCŬLUM, i, n. ἁρμάτιον, διφρίσκος, parvus currus. *Non.* quidem 4, 73., *Fest.*, *Diomed.* et *Charis.* 1, 59. et *Prisc.* 6, 714. agnoscunt *curriculus* masc. gen., sed nullius auctoritate confirmant. *Cic. Har. resp.* 10. Te appello, Lentule: tui sacerdotii sunt thensae, curricula, praecentio, ludi, etc. [*Haec curricula sunt currus, quibus in ludis circensibus certabatur. Alia exempla v. ap. *Scheff. de R. Veh.* 1, 1. p. 3. *Ern.* in *cl. Cic.*] *Suet. Cal.* 19. Per hunc pontem ultro citroque commeavit quadrigario habitu, curriculoque bijugi famosorum equorum. *Curt.* 8, 14. Turbati equi in amnem praecipitavere curricula. Adde *Ov. Trist.* 4, 8, 36. ℙ Item actus currendi, et ipsum spatium cursus, δρόμος, στάδιον. Est a *curro*, ut a *veho* vehiculum, a *pereo* periculum, etc. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 3, 55. Ratione igitur et mente divina ad originem temporis curriculum inventum est solis et lunae. *Id. Senect.* 9. Athletae se in curriculo exercentes. *Id. Leg.* 2, 9. Curriculis equorum usque ad certam victoriam circo constitutis. *Pl. Trin.* 4, 4, 11. Facere curriculum. *Varr.* ap. *Non.* 4, 73. in curriculum contuli propere pedes. [*Liv. 44, 9. Vix unius horae tempus utrumque curriculum complebat. V. *Intt.* ad h. l. et adde 45, 33. Curricula equorum.] ℙ *Curriculo* est currendo, cursim, δρομάδην, δρομαίως: ablativus adverbii more positus. *Pl. Pers.* 2, 2, 17. Face, rem hanc cum cura geras: vola curriculo. *Id. Epid.* 1, 1, 12. Ut te conspexi, curriculo occoepi sequi. *Id. Most.* 2, 1, 15. Curriculo currere domum. *Id. Rud.* 3, 5, 20. et 3, 6, 17. I dum, curriculo affer duas clavas. [*Ter. Heaut. 4, 4, 11.] ℙ Translate (ducta metaphora a cursu aurigarum) *Cic. Rabir. perduell.* 11. Exiguum nobis vitae curriculum natura circumscripsit. *Id. Mur.* 22. *f.* Cum te de curriculo petitionis deflexisses, animumque ad accusandum transtulisses. *Id. Amic.* 12. Deflexit enim jam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo majorum. *Id. Phil.* 7, 3. Omne curriculum industriae nostrae in foro, in curia, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est. [*Id. *Rabir. Perd.* 2. Me ex constituto spatio defensionis in semihorae curriculum coegisti.] *Id. Senect.* 11. *s. f.* Hae sunt exercitationes ingenii, haec curricula mentis. *Id. Or.* 3. Illa sunt curricula multiplicium variorumque sermonum, in quibus Platonis primum impressa sunt vestigia. *Auct. ad Her.* 4, 3. Descendere in curriculum artis. *Quint.* 12, 2. *s. f.* Curriculum laudis. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 4. Quartum curriculum publicis epulis obtinuere a D. Julio vina Mamertina, *h. e.* quartum nobilitatis locum, ducta metaph. a quarto missu aurigarum. ℙ Tria et novem curricula *Prud.* sunt duodecim anni, περὶ στεφ. 3, 11.

CURRĬCŬLUS, i, m. ἁμάξιον, parvus currus. V. v. praec.

CURRO, is, cŭcurri, cursum, a. 3. τρέχω, θέω, celeriter eo, cursu feror. *Cic. Att.* 10, 4. Curio cucurrit Puteolos, ut ibi concionaretur. *Id. ib.* 9, 3. Domitii filius transiit Formias, currens ad matrem Neapolim. *Id. Off.* 3, 10. Qui stadium currit, eniti debet, ut vincat. *Id. Att.* 12, 3. *extr.* Currere subsidio. [*Cf. *Pl. Mil.* 2, 2, 69. Curre in obsidium perduellis.] *Ov. Her.* 18, 6. Currere aqua. *Stat. Th.* 5, 361. Gortynia currunt spicula, *h. e.* feruntur, volant. [*Cf. *Sil.* 16, 60. altius cucurrit cuspis, i. e. penetravit profundius.] *Curt.* 7, 1. Currere in ordines suos. (de militib. loquitur.) *Justin.* 9, 7. Titulo officii currere ad exsequias. *Phaedr.* 2, 8. Ultro currere ad necem. *Pl. Poen.* 3, 1, 24. Currere per vias. *Liv.* 5, 21. ad muros. *Virg. A.* 12, 524. Amnes in aequora currunt. *Auct. B. Hisp.* 29. Rivus palustri solo currebat ad dexteram partem. *Ov. Am.* 3, 6, 29. Alpheon diversis currere terris adegit amor. *Id. Fast.* 3, 111. Libera currebant, et inobservata per annum Sidera. *Virg. A.* 2, 120. et *Ov. Her.* 5, 37. gelidusque per ima cucurrit Ossa tremor. *Suet. Galb.* 6. Etiam ad essedum imperatoris per viginti passuum millia cucurrit. *Ter. Hec.* 3, 2, 24. Currere obviam alicui. *Prop.* 4, 3, 38. multa millia. [*Cic. *Att.* 1, 20. Pedarii senatores raptim in eam sententiam cucurrerunt.] ℙ Passive. *Quint.* 1, 4. *s. f.* Mare navigatur, campus curritur. *Pl. Poen.* 3, 1, 30. An non justa causa est, quo curratur celeriter? *Cic. Verr.* 2, 5, 35. Curritur ad praetorium. [*Notandus usus est in re amatoria. *Hor.* 2, 3, 238. Unde uxor media currit de nocte vocata. *Prop.* 3, 20, 10. In nostros curre puella sinus.] ℙ Refertur et ad navigationem. *Virg. A.* 3, 191. Vela damus, vastumque cava trabe currimus aequor. (Sic *Val. Fl.* 4, 336. atque hac freta curre corona.) *Id. ib.* 5, 862. Currit iter tutum aequore classis. *Val. Fl.* 1, 265. placido currere fluctu. *Hor. Sat.* 1, 1, 3. Audaces nautae per omne mare currunt. *Id. Ep.* 1, 11, 27. Coelum, non animum mutant, qui trans mare currunt. *Ov. Pont.* 2, 6, 11. Nunc mihi naufragio quid prodest discere facto, Quam mea debuerit currere cymba viam! ℙ Absolute. *Hor. Od.* 1, 28, 35. licebit, Injecto ter pulvere, curras. *Stat. Silv.* 3, 2, 87. Quos tibi currenti praeceps ferat Adria mores. ℙ [*Currere* Luperci dicuntur ap. *Liv.* 1, 5. nempe post caesas hostias e Lupercali. V. *Ov. Fast.* 2, 283 et quos ibi laudat. *Gierig.* Adde *Suet. Aug.* 31.] ℙ *Currere* etiam dicuntur, quae volvuntur in gyrum. *Ov. Pont.* 4, 9, 10. et *Hor. A. P.* 22. Currit rota. *Pl. Asin.* 3, 3, 119. Postea ad pistores dabo, ut ibi cruciere currens. ℙ Item quae porriguntur in longum. *Plin.* 18, 33, 76. Limes per agrum currit. *Id. ib.* 34, 77. Linea transversa currat per medium. *Id.* 11, 51, 112. Vox currit concavo parietum spatio. *Id.* 2, 108, 112. Mensura duplici via currit. *Virg. A.* 5, 250. chlamydem auratam, quam plurima circum Purpura maeandro duplici Meliboea cucurrit. *Stat. Th.* 2, 98. infula currit per crines, *h. e.* crines ambit. ℙ De rubore, aut pallore, quo suffundimur. *Virg. A.* 12, 65. cui plurimus ignem Subjecit rubor, et calefacta per ora cucurrit. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 5, 28. Proclivius currit oratio: venit ad extremum. *Prop.* 3, 8, 21. nox inter pocula currat. *Ulp. Dig.* 21, 1, 19. *f.* Tempus redhibitionis ex die venditionis currit. *Hor. Od.* 2, 5, 13. Ferox aetas currit, *h. e.* fluit, fugit. *Sil.* 7, 306. illa senectus, Heu! fatis quae sola meis obstat, *h. e.* rebus meis prosperis. [*Id. *ib.* 489. Currit immobile filum, i. e. series fatorum non movetur.] *Petr. fragm. Trag.* 43. *Burm.* Facile est, ubi omnia quadrata currunt, *h. e.* ad voluntatem succedunt. *Ter. Heaut. prol.* 44. Si qua laboriosa est, ad me curritur. *Cic. Agr.* 2, 17. Cur non eosdem cursus, quos Cotta et Torquato Coss. cucurrerunt? (ἀλληγορικῶς). [*Lucr. 6, 93. Tu mihi, supremae praescripta ad candida callis Currenti, spatium praemonstra. *Ov. Fast.* 1, 24. Scimus ingenii currant flumina quanta tui.] *Hor. Sat.* 1, 10, 1. incomposito pede currunt versus. Et *ib.* 9. Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se Impediat verbis lassas onerantibus aures. *Quint.* 9, 4. *p. in.* Historia currere debet, ac ferri. Et *non longe post.* Numeri orationis currentes per se. Et *c. med.* Syllabae breves si miscentur longis, currunt; si continuantur, exsultant. [*V. *Ernest. lex. techn. lat.* p. 100. seq. *Lucr.* 2, 692. Non, quo multa, parum communis, littera currat.] *Paul. Dig.* 12, 1, 40. et *Ulp. ib.* 26, 7, 6. *med.* Finito primo mense, primae pensionis usurae currunt. ℙ *Currentem hortari*, *incitare*, proverb. παραναλεῖν τὸν σπεύδοντα: de eo, qui alium ad quippiam hortatur paratum jam ac promptum. *Cic. Phil.* 3, 8. et *Fam.* 15, 15. et *Plin. ep.* 1, 8. et *ep.* 3, 7. ℙ Concise omisso verbo. *Cic. Att.* 13, 45. Quod me hortaris, ut eos dies consumam in philosophia explicanda, currentem tu quidem. Subintelligitur *incitaris*, nam plenius rem totam effert *Id. Or.* 2, 44. Facilius enim est currentem (quod ajunt) incitare, quam commovere languentem. Ducta videtur metaphora ab iis, qui cursu certabant, quibus acclamatio addebat velocitatem. ℙ [Part. *Cursurus* ap. *Ov. Pont.* 2, 11, 21. Acer, et ad palmae per se cursurus honores, Si tamen horteris, fortius ibit equus. *F.*] ℙ In praeter. *cecurri* dixisse veteres, docet *Gell.* 7, 9. ℙ *Curristi* pro *cucurristi* legitur apud *Tertull. Fuga in persecut.* 12. Pedibus stetisti, curristi nummis, (*Scioppius* in *not.* legit *cucurristi*) et confirmat *Verus Imp.* ap. *Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2.

CURRŪCA, ae, f. ἐπιλαΐς, vel ὑπολαΐς, parva avis, quae alienos pullos pro suis educare dicitur. Hinc *currucae* dicuntur mariti, qui patiuntur uxorem suam ab aliis contrectari. *Juven.* 6, 275. Tu tibi tunc curruca places. Alii leg. *uruca*, quae significat animal quoddam in faba nascens, ut ait *Vet. Juven. Schol.*, vel genus animalis foedi, et spinosi, ut ericius. *Idem.* Al. leg. *urtica*, *eruca* etc. Illud certum esse videtur, neque *currucam*, neque *urucam* esse vocem Latinam.

CURRŪLIS, e, adj. ad cursum pertinens. *Appul. Met.* 9. Aegre cohibita equorum curruli rabie, *h. e.* retento, et represso impetu equorum currentium [*Front. de fer. Als.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. Incurrere oportet curruli strepitu, et fremitu equestri. *F.*]

CURRUS, us, m. ἅμαξα, ἅρμα, vehiculi genus, hominibus per urbem, aut in itinere vehendis aptum: cujus species sunt carpentum, essedum, cisium, pilentum, rheda etc. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Att.* 13, 21. Sustineat currum, ut bonu' saepe agitator, equosque. *Cic. Div.* 2, 70. Visus est in somnis curru quadrigarum vehi. *Ov. Trist.* 4, 2, 47. Vehi in curru. *Curt.* 3, 3. Matrem Darii currus vehebat. *Ov. Met.* 2, 531. habili Saturnia curru Ingreditur liquidum pavonibus aera pictis. Et *ib.* 62. Agere currus. *Id. A. Am.* 1, 4. regere. *Id. Pont.* 3, 1, 67. ducere. *Senec. Hippol.* 1075. gubernare. *Ov. Trist.* 3, 8, 1. conscendere. *Senec. Hippol.* 29. Insidere curru. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 4, 32. Insidere currum. *Val. Fl.* 6, 105. et *Curt.* 4, 12. Falcati currus, *scil.* in usum belli. ℙ *Virg. G.* 1, 174. *currum* dixit de aratro habente rotas. ℙ Quia triumphantes curru in Urbem vehebantur, per metonymiam ponitur pro triumpho. *Cic. Fam.* 15, 6. Quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? *Ftor.* 4, 2. *f.* Tertius de Pharnace currus, et Ponto. *Id. ib.* 12. *med.* Digna res lauro, digna curru senatui visa est. *Plin.* 5, 5, 5. Corn. Balbus donatus curru, et jure Quiritium. Adde *Lucan.* 1, 316. et 3, 77., *Stat. Silv.* 4, 3, 159., *Prop.* 2, 11, 24. et *Sil.* 3, 614. [*V. *Drak.* ad *Sil.* 6, 345. ℙ *Currus* pertinet etiam ad eos, qui editores munerum, veste triumphali ornati, ad exhibendos ludos per Circum vehebantur. V. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 92, 5. Curru etiam vehitur gloria. *Hor. Sat.* 1, 6, 23. Sed fulgente trahit constrictos gloria curru. V. *Heindf.* ad h. l.] ℙ Catachresis est, ubi ponitur pro equis. *Virg. G.* 1, 514. neque audit currus habenas. *Id. A.* 12, 287. Infrenant alii currus. *Sil.* 16, 367. stimulabat in aequore currum. *Lucan.* 7, 570. si verbere saevo Palladia stimulet turbatos aegide currus. ℙ Et pro navi. *Catull.* 64, 9. Ipsa levi fecit volitantem flamine curru, Pinea conjungens inflexae texta carinae.

CURSĀTĬO, onis, f. cursitatio. *Donat.* ad illud *Ter. Hecyr.* 3, 1, 35. Trepidari sentio, et cursari rursum prorsum: *Trepidatio*, inquit, ad vocem refertur loquentium, *cursatio* ad sonum pedum.

[CURSĪLĬTAS, atis, f. idem ac cursitatio. *Ful-*

gent. Mythol. 3, 3. Cui cum solitudinum vagabunda errando cursilitas displiceret. *F.*]

CURSIM, adv. δρομάδην, currendo, cursu, curriculo, celeriter. *Pl. Poen.* 1, 2, 156. Rapere aliquem cursim ad carnificem. *Id. ib.* 3, 1, 64. Hoc cito et cursim est agendum. *Id. Ps.* 1, 3, 124. et *Afran.* ap. *Charis.* 2, 186. Cursim currere. *Auct. ad Her.* 4, 55. Cursim impetum facere in aliquem. [*Liv.* 27, 16. Cursim agmine acto, cum festinans ad opem ferendam, captam urbem audisset.] *Cic. Or.* 2, 89. Quae ego sero, quae cursim arripui, quae subcisivis horis, iste a puero, summo studio, summis doctoribus. *Id. Phil.* 2, 17. Ille sensim dicebat, quod causae prodesset; tu cursim dicis aliena. *Tac. A.* 4, 4. Percensere cursim legiones. *Plin. ep.* 3, 5. Legere librum, et cursim adnotare. *Manil.* 4, 198. Cursim loqui.

CURSIO, onis, f. actus currendi. *Varr. L. L.* 4, 1. Corpus est, ut cursor; locus, stadium, qua currit; actio, cursio.

CURSITATIO, onis, f. cursio huc illuc facta. *Solin.* 42. Solemni cursitatione lacum populus circuit.

CURSITO, as, n. 1. frequentativum a *curso. Ter. Eun.* 2, 2, 47. Sursum deorsum cursitare. *Hor. Sat.* 2, 6, 107. succinctus cursitat hospes, Continuatque dapes.

CURSO, as, avi, atum, frequentat. a *curro. Cic. Rosc. Am.* 22. Homines cursare ultro citro non destiterunt. *Id. Senect.* 6. Cum alii malos scandant, alii per foros cursent. *Id. Att.* 9, 9. Ne forte aut absim, cum veniet, aut cursem illuc via deterrima. *Val. Fl.* 4, 108. sic undique in omnes Prospiciunt, cursantque vias. *Ter. Hecyr.* 3, 1, 35. Trepidari sentio, cursari rursum prorsum. *Capell.* 3. p. 59. Nec jam compactis cursanda est syllaba formis.

CURSOR, oris, m. δρομεύς, qui currit: et specialiter qui currit stadium in ludis. *Cic. Tusc.* 2, 23. *f.* In stadio cursores exclamant quam maxime possunt. Adde *Div.* 2, 70. et *Nep. Milt.* 4. [*Hinc translate ap. *Lucr.* 2, 78. Inque brevi spatio mutantur saecla animantum, et, quasi cursores, vitai lampada tradunt.] ℙ Item auriga, qui in ludis quadrigas agit. *Ov. Pont.* 3, 9, 26. Ut cupidi cursor frena retentat equi. ℙ Item qui luxus causa ante domini rhedam currit. *Mart.* 3, 47. Nec feriatus ibat ante carrucam, Sed tuta foeno cursor ova portabat. *Id.* 12, 24. Succinctus neque cursor andecedit. *Suet. Ner.* 30. Fecisse iter traditur armillata et phalerata cum Mazacum turba, atque cursorum. *Senec. ep.* 87. Quam cuperem Catoni nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via divitibus, cursores, et Numidas, et multum ante se pulveris agentem! *Id. ep.* 126. Omnes jam sic peregrinantur, ut illos Numidorum praecurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat. ℙ Item qui litteras aliquo fert, tabellarius. *Mart.* 3, 100. Cursorem sexta tibi, Rufe, remisimus hora. *Suet. Ner.* 49. Perlatos a cursore Phaontis codicillos praeripuit, legitque etc. *Plin. ep.* 7, 12. Vide, ut mihi viaticum reddas, quod impendi, data opera cursore dimisso. *Id. ep.* 3, 17. Data opera tabellario misso. Adde *Plin.* 2, 71, 73. ℙ *Cursores*, qui non pedibus, sed equis aut vehiculis maxima itinera celerrime conficiebant, publici erant; a veteribus appellati *frumentarii*, ut scribit *Hieron. in Abdiam c.* 1., cujus aetate *agentes in rebus*, vel *veredarii* dicebantur, ἀγγελιαφόροι, γραμματοφόροι, πτεροφόροι. V. *Cod. Theod. l.* 8. *t.* 5. *De cursu publico*, et FRUMENTARIUS. ℙ *Cursor* cognominatus fuit L. Papirius civis R., vir bellica laude, consulatu non uno, et dictatura celeber, cui praecipua pedum pernicitas inerat: victoremque cursu omnium aetatis suae fuisse ferunt, ut est ap. *Liv.* 9, 16.

CURSORIUS, a, um, adj. δρομικός, ad cursum pertinens, *Sidon. ep.* 1, 5. Ticini cursoriam (sic navigio nomen) ascendi, qua in Eridanum brevi delatus etc., *h. e.* navim cursui publico destinatam. *Frontin. de colon.* p. 141. *Goes.* In campis vero statuerunt terminos quadratos cursorios. *Edict. Dioclet.* p. 24. Gallicae cursoriae par ✕ sexaginta, *h. e.* calceamenti genus ad cursum. ℙ *Cursorium*, *ii*, n. idem ac cursus publicus. *Faust.* et *Valer. de limit.* p. 261. *Goes.* Hae vero litterae in cursoriis eorum terminorum sunt. *Mago*, et *Vegoia de limit.* p. 257. *Goes.* Aquarum putei aliquoties in cursorio a terminis demonstrantur.

CURSUALIS, e, adj. idem quod cursorius. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 12, 51, 19. Cursuales equi. *Imppp. Gratian., Valentin. et Theodos. Cod. Theod.* 12, 12, 9. Cursualis rheda. *Imppp. Valent. Theod. et Arcad. ib.* 6, 29, 7. Cursualis sollicitudo, *h. e.* celeritas in currendo.

CURSURA, ae, f. *Varr. R. R.* 2, 7. Equi alii sunt idonei ad rem militarem, alii ad vecturam, alii ad admissuram, alii ad cursuram, alii ad rhedam. *Pl. Asin.* 2, 2, 61. Ex cursura anhelitum ducere. *Id. Most.* 4, 1, 5. Exercere se ad cursuram.

CURSUS, us, m. δρόμος, actus currendi, et dicitur de iis omnibus, quae quomodocumque celeriter moventur de loco ad locum. *Cic. Fam.* 12, 6. Omnis omnium cursus est ad vos. *Id. Att.* 10, 4. *f.* Mihi cursus in Graeciam per tuam provinciam est. *Id. Manil.* 12. Quis unquam tantos cursus conficere potuit? *Id. Off.* 3, 12. Si naves in cursu petentes Rhodum viderit, *h. e.* in ipsa navigatione. *Ov. Pont.* 3, 1, 27. Regio ab omni devia cursu, *h. e.* ad quam nemo navigat. *Plin.* 4, 13, 27. Insula abest diei cursu. *Nep. Milt.* 1. *extr.* Dirigere cursum aliquo. *Virg. A.* 3, 200. Excutimur cursu, et caecis erramus in undis. *Cic. N. D.* 3, 34. Cum secundissimo vento cursum teneret. (*Tenere cursum* est recta navigare, quo destinatum est, neque aberrare a fine itineris. *Caes. B. G.* 5, 8. Vento intermisso cursum non tenuit, et longius delatus aestu etc.) [*Cic. Att.* 5, 8. Cursum exspectabam, i. e. ventum secundum, quo navigare possem. *Ern.* in *cl. Cic.*] *Id. Somn. Scip.* 4. Stellarum cursus sempiterni. *Id. N. D.* 2, 27. Partus maturescunt novem lunae cursibus, *h. e.* mensibus. Mense enim luna Zodiacum percurrit. *Id. Div.* 1, 44. Si lacus emissus, lapsu et cursu suo ad mare profluxisset. *Virg. A.* 6, 194. de columbis. cursumque per auras Dirigite in lucos, ubi etc. *Plin.* 11, 39, 94. Cum menstrui cursus stetere, *h. e.* fluxus mensium. *Id.* 5, 24, 20. Agere cursum ad aliquam partem. *Vell.* 2, 70. Cursu tendere ad aliquem. *Hor Ep.* 1, 18, 51. aliquem superare. *Virg. A.* 5, 67. Pedum cursu valere. [*Pertinet etiam ad tela aliaque missilia, quibus certum spatium transcurritur. *Lucr.* 6, 307. Ac plumbea saepe Fervida fit glans in cursu. Et *ib.* 179. et alibi.] ℙ Ablativus *cursu* est curriculo, cursim, festinanter. *Liv.* 33, 33. Ludis dimissis, cursu prope omnes tendere ad imperatorem R. *Senec. Phoeniss.* 433. Attonita cursu fugit, et binas statim diduxit acies. *Sil.* 11, 136. divisque propinquas Transierit cursu rupes. [*Adde *Eund.* 7, 719. et 13, 764. Ubi recte *Drak. cursu* defendit contra *Heins.*, qui utroque loco *cursim* conjicit. Huc pertinent etiam dicendi rationes apud *Liv.* et alios, de militibus cursim progredientibus, impetum ferocem in hostes facientibus: Cursu in hostem ferri *Liv.* 9, 13. Cursu in proelium venire *Id.* 31, 21. Adde 2, 50. 24, 26. etc. Alia significatione positum est cursu ap. *Cic. Planc.* 7. Cursu ad honorem venire: i. e. meritis, nobilitate, rectis artibus. Opponitur obrepere. Ita *Ern.* in *cl. Cic.* s. h. v. Cf. *Cic. Brut.* 33, 127. Cecidit in cursu. Signif. *cursus* eam omnium honorum campum transigendi rationem, qua ad summum reipublicae, i. e. consulatus munus ascenditur.] ℙ *Cursus publicus*, et *vehicularis* sunt juvenes primo, deinde equi, et vehicula modicis intervallis disposita, instituta primum ab Augusto (ut *in ejus Vita* 49. narrat *Suet.*) quo celeriter sciri posset, quid in quaque provincia gereretur: deinde ad commodum militum, et magistratuum, paulatimque etiam privatorum destinata. De eo est *tit.* 51. *l.* 12. *Cod. Just.* et *tit.* 5. *l.* 8. *Cod. Theod.* Memoratur etiam ab *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. et *Lact. Mort. persecut.* 24. [*Inscr.* ap. *Orell.* 3181. AGENTE IN REB. ET PP. (*praeposito*) CURSUS — PUBLICI. Alia ap. *Eund.* 3329. NE ANIMALIA CURSUS PUBLICI — LONGI ITINERIS LABORE DIUTIUS DEPERIRENT.] ℙ *Cursus* etiam dicitur extensio rei porrectae. *Plin.* 16, 39, 76. Communia larici, abieti, pinoque, ut quadripartitos venarum cursus, bifidosque habeant. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 4, 2. Perspicis qui cursus rerum, qui exitus futuri sint. *Id. Att.* 5, 15. Habet satis magnum campum cursus animi et industriae meae. *Id. ib.* 1, 1. *f.* Vides in quo cursu sumus, et quam omnes gratias non modo retinendas, verum etiam acquirendas putemus. *Ov. Pont.* 4, 11, 18. Dolor est in cursu, *h. e.* durat, sentitur, saevit. *Id. Met.* 10, 401. certe fortuna, domusque Sospes, et in cursu est: vivunt genitrixque, paterque. [*Adde *Fast.* 6, 362. Spes erat in cursu.] *Cic. Fam.* 6, 5. Ea natura rerum est, et is temporum cursus, ut etc. [*Id. ib.* 3, 11. Cursus bonorum consiliorum.] *Id. Off.* 1, 32. Implicari aliquo certo genere cursuque vivendi. *Id. Sext.* 21. Vitae brevis cursus est, gloriae sempiternus. [*Cf. *Id. Fin.* 1, 4. Virtutum cursus ad voluptatem. *Id. Fam.* 10, 3. Cursus ad gloriam. Dicitur etiam absolute *cursus*, pro *vitae ratione. Prop.* 1, 5, 2. Et sine nos cursu, quo sumus ire pares.] *Id. Brut.* 96. Conficere cursum forensem. [*Id. ib.* 81. Porro notandae sunt formulae dicendi a navigatione ductae. *Id. Or.* 1. Teneat cursum quem potest. *Id. Phil.* 8, 4. Quem enim cursum industria mea tenere potuisset, sine forensibus causis, sine judiciis, sine legibus. *Id. Quir.* p. *Red.* 1. Secundus vitae cursus.] *Plin.* 7, 16, 16. Implere in trimatu cursum vitae. *Cic. Or.* 1, 35. Tantus cursus verborum fuit, et sic evolavit oratio, ut etc. *Id. Top.* 1. Majores nos res scribere ingressos, e cursu ipso revocavit voluntas tua. *Id. Part.* 15. Augendi autem et hic proprius locus in perorando: et in cursu ipso orationis declinationes ad amplificandum dantur. [*De signif. v. *cursus* in re oratoria. V. *Ern. lex. tech. lat.* p. 100. sq.] *Juven.* 14, 26. quae nunquam maternos dicere moechos Tam cito, nec tanto poterit contexere cursu, Ut non ter decies respiret. *Cic. Or.* 3, 6. Cursus vocis per omnes sonos, *h. e.* commutatio et varietas. [*Quint. Decl.* 9, 19. p. 207. Facilis defensionis meae cursus est.]

CURTALINUS. V. COHORTALINUS.

CURTATUS, a, um, part. a *curto. Hor. Ep.* 1, 1, 94. Si curtatus inaequali tonsore capillos Occurri, rides. Al. leg. *curatus.* [*Omnino! V. *Bentl.* ad h. l.] *Pall.* 3, 10. Putatis omnibus, quae scabra sunt, curtatis etiam radicibus, si quas etc.

CURTIUS, praenomine M., eques R., aperta casu in foro ingenti voragine, ad expiandum prodigium, equo insidens armatus se in ipsam immisit; quo facto locus coiit, et *lacus Curtius* postea nomen habuit. *Liv.* 7, 6. et *Varr. L. L.* 4, 32. ex *Procilio* idem narrat. Item *Festus* in V. *Curtius.* Alii tamen multo ante ita appellatum ferunt a Curtio Metio T. Tatii milite Sabino, qui in pugna cum Romanis, cum in profundam paludem una cum equo incidisset, eo tandem loco emersit, et suos in Capitolium recepit. *Liv.* 1, 13. et *Varr. ib.* ex *Pisone.* Tertiam affert nominis causam ex C. Aelio, et Q. Lutatio idem *Varr. l. c.* C. Aelius, et Q. Lutatius scribunt, eum locum esse fulguratum, et ex S. C. septum esse, idque quia factum fuit a Curtio consule, cui M. Genucius fuit collega, Curtium appellatum. *Ov. Fast.* 6, 403. et *Plin.* 15, 18, 20. narrant, ibidem aram positam fuisse, quae sublata fuit ob munus gladiatorium a C. Julio Caesare editum, ibidemque equestris Domitiani statua ex aere collocata fuit, ut refert *Stat. Silv.* 1, 1, 66. ℙ *Curtius fons* a quadragesimo, vel, ut alii, a quadragesimo quinto lapide, via Sublacensi, una cum Caerulo Romam usque a Caligula duci coeptus, a Claudio perductus est, et Claudia aqua nominatus. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 10., *Front. Aquaed.* 13. et 14., *Suet. Claud.* 20. V. CLAUDIUS, a, um. ℙ Q. Curtius Rufus historicus insignis res gestas conscripsit Alexandri M., cujus historiae ex decem libris octo adhuc exstant, amissis prioribus. Quo tempore floruerit, non satis constat; neque tamen de ejus historiae elegantia et nitore dubitari potest. Plurima vero in eo culpanda reperit *Sainte-Croix* in *Examen* des *Hist. Alex. M.*

CURTO, as, avi, atum, a. 1. diminuo. *Cels.* 7, 9. Id quod curtatum est, in quadratum redigere. Et *ib.* Quae interdum duobus locis curtata esse consueverunt. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 3, 124. Quantulum enim summae curtabit quisque dierum. Est qui legit *curabit. Pers.* 6, 33. Sed coenam funeris heres Negliget iratus, quod rem curtaveris.

CURTUS, a, um, adj. κολοβός, mutilus, fractus, laceratus, deminutus. Videtur esse a κυρτός, tumidus, curvatus. *Lucr.* 4, 1020. Dolia curta, *h. e.* quae semifracta poni solent in angiportis, ad publicum mejendi usum. *Juven.* 3, 271. quoties rimosa et curta fenestris Vasa cadunt. *Id.* 10, 135. et curtum temone jugum. *Mart.* 3, 82. Curta testa. *Id.* 12, 32. Matella curto latere. *Prop.* 4, 7, 22. Tegula curta. *Id. ib.* 5, 73 curto vetus amphora collo. ℙ Curta in membris sunt quae ictu aut morbo lacera, scissa, rupta sunt. *Cels.* 7, 8. *extr.* Si quid tibi curti est, sarcire. *Hor. Sat.* 1, 9, 70. Judaei curti, *h. e.* circumcisi. *Id. ib.* 1, 6, 105. Curto mulo ire, *h. e.* castrato. De equo curto V. in CAVIARES, et in OCTOBER. ℙ Translate est exiguus, parvus, imperfectus, et cui aliquid ad complementum deest. *Pers.* 4, 52. Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex. *Hor. Od.* 3, 24, 64. Curtae nescio quid semper abest rei. *Cic. Fin.* 4, 14. Eorum omnium multa praetermittentium, quasi curta sententia: at vero illa perfecta atque plena eorum, qui, etc. *Id. Or.* 50. Meae aures et perfecto completoque verborum ambitu gaudent, et curta sentiunt, nec amant redundantia. [*V. ad h. l. *Ern. lex. techn. lat.* p. 101.] *Lact.* 6, 15. *med.* Implenda fuerat curta haec et debilis disputatio. *Juven.* 14, 166. Ingratae patriae curta fides. *Pers.* 5, 191. Et centum Graecos curto centusse licetur, *h. e.* exigua pecuniae summa, quae ne centum quidem asses conficiat. ℙ Comp. *Curtior* legitur ap. *Innocent. de casis litter.* p. 228. et 230. *Goesii.*

CURVABILIS, e. adj. qui curvari potest. *Pallad.* 12, 15. Ulmus, et fraxinus curvabiles.

CURVAMEN, inis, n. καμπυλότης, curvatio, curvatura. *Ov. Met.* 2, 130. Sectus in obliquum est lato curvamine limes. *Plin. ep.* 9, 7. Villa unum sinum molli curvamine amplectitur. *Gell.* 14, 1. Sub alio, atque alio coeli curvamine.

CURVATIO, onis, f. κάμψις, actus curvandi. *Colum.* 4, 12. Paulum infra curvationem vitis prorepens pampinus.

CURVATURA, ae, f. κυρτότης, κάμψις, curvatio, curvamen. *Vitr.* 5, 1. *f.* Tribunal hemicycli schematis, minore curvatura formatum. *Ov. Met.* 2, 107. de curru solis. Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae Curvatura rotae. *Plin.* 2, 17, 14. Curvatura absidum. *Id.* 10, 19, 21. unguium, *h. e.* aduncitas. *Id.* 17, 19, 30. *n.* 7.

Ramum oleae defigere in cruce fici, custoditum vinculis, ne curvatura fugiat.

CURVĀTUS, a, um, part. a *curvo*, καμφθείς, deflectus, curvus. *Cic. N. D.* 1, 24. Corpuscula levia, aspera, curvata, et quasi adunca. [**Heindf.* vv. *curvata et quasi adunca* ex interpretatione fluxisse susp. Haud inprob. *Orell.* et *Mos.*] *Ov. Met.* 2, 199. de Scorpio. Vulnera curvata minitantem cuspide vidit. *Virg. G.* 4, 361. et *A.* 3, 564. Curvata in montis faciem circumstetit unda, *h. e.* in altum curva figura se extollens, κυρτωθὲν κῦμα. (Adde *Sil.* 1, 472.) *Plin.* 37, 10, 68. Luna curvata in cornua. *Stat. Th.* 6, 649. toto curvatus corpore. *Senec. Hipp.* 25. Curvati litora Ponti. *Id. Thyest.* 156. Arbor curvata suis fetibus. *Petr. Sat.* 101. Curvati portus. [**Quint. Decl.* 10, 8. p. 220. Curvato igne torrentes, i. e. intumescente Phlegethonte. Alio sensu dicit *Hor. Od.* 4, 2, 57. (de vitulo) Fronte curvatos imitatus ignes Tertium Lunae referentis ortum.]

*CURUBIS, Africae Propriae oppidum, in Zeugitana. *Plin.* 5, 4. *Anton. Itin. B. A.*

CURVIFRONS. V. CORNIFRONS.

*CURVĪPES, edis, qui curvos pedes habet. *Onomast. Vet.* Curvipes, ἀγκυλόπους. *B. A.*

CURVĪTAS, atis, f. κυρτότης, curvatura. *Macr. Somn. Scip.* 1, 15. *med.* Adversa Zodiaco curvitas obliquavit.

CŪRŪLIS, e, adj. ad currum pertinens, licet unico *r* scribatur: prisci enim non geminabant consonantes. *Festus.* Curules equi, quadrigales. (Adde *Liv.* 24, 18., ubi videntur illi intelligendi, qui in ludis Circensibus votivis quadrigas trahebant.) *Vet. formula precum* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 21. Juno curulis, *h.* e. quae curru per aera fertur. *Suet. Aug.* 22. Curules triumphi, *h. e.* in quibus triumphator curru Urbem invehitur, ad differentiam ovationum, in quibus equo utebantur, aut pedibus. (V. *eund. Tib.* 9.) *Minuc. Felix* in *Octav.* 37. *f.* Curules ludi, *h. e.* Circenses, in quibus currus maxime agitabantur. [**Döderl.* 3, 322. *Curulis* ex *curiilis*, h. e. a *curia* factum docet.] ℙ Curules quoque magistratus, et curulem sellam a curru dictam esse, docent *Festus*, et *Gell.* 3, 18. Ille quidem magistratus curules appellatos esse ait, quia curru vehebantur. Hic autem ex *Gabio Basso* tradit, sellam dictam curulem ex eo, quia in veterum aetate qui curulem magistratum gessissent, curru soliti, honoris gratia, in curiam vehi: in quo curru sella esset, supra quam considerent, quae ob eam causam *curulis* appellaretur. Verum ut in derivatione vocis *Gellius* vera dicat, (quamquam non desunt, qui a Curibus Sabinorum ducendam appellationem putant) in re certe falsus fuisse videtur. Narrat enim *Plin.* 7, 43, 45. L. Metello, summis honoribus functo, et in senectute luminibus orbato, tribuisse populum R., quod nunquam ulli alii ab condito aevo, ut quoties in senatum iret, curru veheretur. ℙ Utcumque se res habeat, sella curulis (quae et *curulis* absolute dicitur [**V. Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 59, 2.]) fuit unum ex insignibus primo quidem regum R., deinde iis exactis, majorum magistratuum solummodo, nempe consulum, praetorum, censorum, et aedilium eorum, qui de patribus creati essent, (de quibus *Liv.* 6, 42. et 7, 1.) quique hac ipsa de causa *curules* denominati sunt, ut distinguerentur ab aliis aedilibus sellae jus non habentibus. [**Cic. Har. resp.* 13. Curulis aedilitas. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 9, 21. addit tribunos militum.] Haec erat curvis pedibus, signis ornata, sublata gradibus, insculptaque et distincta ebore, ut est ap. *Ov. Pont.* 4, 9, 27. Quare *curule ebur* vocatur ab *Hor. Ep.* 1, 6, 53., ubi per metonymiam intelligit omnes magistratus majores modo enumeratos. Sic *Auson. epigr.* 2, 3. Quamquam et fastorum titulo prior, et tua Romae Praecessit nostrum sella curulis ebur, *h. e.* consul ante me fuisti. Ap. *Statium* quoque *Silv.* 1, 4, 82. *major curulis* consulatum significat. *Id. Silv.* 4, 1, 5. *curules* absolute dicuntur omnes magistratus curules. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 2. A Sp. Albino curuli die dicta, *h. e.* aedili curuli. [Porro, quae Romae *sella curulis*, in municipiis et coloniis *biselium* dicebatur, quam vocem V. suo loco. *Vet. Schol. Cruqu.* ad *Hor. Ep.* 1, 6, 53. Virga, quam imperator in curiam ferebat, curulis vocabatur. ℙ Hac sella utebantur tum in curia, tum quocumque loco sedendum esset jurisdictionis exercendae causa. Quare post se, ubi opus esset, circumferendam curabant: cujus rei lepidam historiam habes ex L. Pisonis annalibus ap. *Liv.* 9, 46. et *Gell.* 6, 9. ℙ *Curules aediles* non modo Romae, sed etiam in coloniis, et municipiis affectatione quadam Romanarum dignitatum fuisse videntur. *Inscr. Arimin.* ap. *Grut.* 1091, 12. L. Betutio L. F. Pal. Furiano P. P. Leg. III. Ital., IIviro Quinq., IIvir. I. D., IIIvir. Aedili Cur. Alia ap. *Zachar. Marm. Salon.* p. 12. *n.* 7. D. M. M. Aurelii Hermogenis Eq. Rom. Dec. Aedil. Cur. *F.*] ℙ In quadam antiqua precatione, qua in sacris utebantur Tiburtes, Juno *curulis* appellatur, quia currum habebat, seu thensam, qua ejus simulacrum in pompa vehebatur. *Servius* ad illud *A.* 1, 20. hic illius arma, Hic currus fuit.

CURVO, as, avi, atum, a. 1. κυρτόω, κάμπτω, flecto in modum arcus, curvum reddo. *Virg. G.* 4, 299. Vitulus bima curvans jam cornua fronte. *Stat. Achill.* 1, 487. Ingentemque manu curvaret Delius arcum. *Virg. A.* 3, 533. Portus curvatur in arcum. *Plin.* 16, 42, 81. Palma arbor valida: in diversum enim curvatur. *Id.* 6, 6, 6. Ora Bosphori utrinque ex Asia atque Europa curvatur in Maeotin. *Id.* 11, 28, 35. Quorundam insectorum extremi pedes longiores foris curvantur, ut locustis. *Hor. Od.* 1, 33, 15. fretis acrior Hadriae curvantis Calabros sinus, *h. e.* qui impulsu undarum curvam reddit oram Calabriae. ℙ Curvari dicitur mare, cum tempestate intumescit. V. CURVUS. ℙ Translate. *Id. ib.* 3, 10, 13. quamvis neque te munera, nec preces, Nec tinctus viola pallor amantium Curvat, *h. e.* ad misericordiam flectit exorat.

CURVOR, oris, m. curvatura. *Varr. L. L.* 4, 21. Cumeres dicuntur a curvore, ut curvimeres. *Id. ib.* 6, 3. Cornua a curvore dicta.

CURVUS, a, um, adj. κυρτὸς, καμπύλος, inflexus in modum arcus, deorsum deflexus: et universim qui rectus non est. Videtur esse a γυρὸς, curvus, cum digammate Aeolico γυϝός, cujus loco etiam usurpatur κυρτὸς a κέκυρται, praet. perf. pass. verbi κυρω, curvo. *Virg. G.* 1, 508. Curvae falces. *Id. ib.* 2, 12. Curva flumina. *Id. A.* 2, 748. vallis. *Id. ib.* 3, 238. litora. *Id. ib.* 11, 737. tibia. *Id. G.* 1, 170. Curvum aratrum. *Id. Ecl.* 3, 42. Curvus arator, *h. e.* qui in arando se curvat. *Ov. Fast.* 6, 296. tholus. *Id. A. Am.* 2, 670. Curva senecta, *h. e.* quae curvos facit. *Hor. Ep.* 5, 93. Curvis unguibus vultum petere, *h. e.* aduncis. *Id. Od.* 3, 28, 11. Curva lyra. *Manil.* 1, 740. currumque solutum Deflexum solito cursu, curvisque quadrigis, *h. e.* quatuor equis a recta via declinantibus. De Phaethonte loquitur. ℙ Curva aequora apud *Lucan.* 5, 440. et *Ov. Met.* 11, 505. et *Val. Fl.* 1, 615. est mare procellosum, quia ventis undae in altum tolluntur curva figura. Hinc *Ov. Met.* 15, 507. Cum mare surrexit, cumulusque immanis aquarum In montis speciem curvari, et crescere visus. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 2, 2, 44. Curvo dignoscere rectum. ℙ Corrigere curva. V. CORRIGO. ℙ *Curvus* cogn. Rom. in gente Titinia, ut M. Titinius Curvus. *Liv.* 4, 59.

[CŪRUS, i, m. κοῦρος, puer. Vox Osca et Tusca. V. *Lanzi, Sagg. di ling. Etr.* T. 2. p. 530. *Petr. fr. Trag.* 58. *Burm.* Sathana tibi irata sit, curabo, et qui te primus de curo defecit. In *Cod. Trag.* est *decuro*, quod solvendum, itaque interpretandum probat *Franc. Oriolius* in *Opusc. letter. di Bologna*, p. 118. V. etym. v. in PUER. *F.*]

CUSCŪLIUM, ii, n. κοσκύλιον. *Plin.* 16, 8, 12. Omnes tamen has roboris dotes ilex solo provocat cocco. Granum hoc, primoque ceu scabies fruticis, parvae aquifoliae ilicis (cusculium vocant) pensionem alteram tributi pauperibus Hispaniae donat. Est qui legit *quisquilium*. V. COCCUM.

*CUSIBI, oppidum Hispaniae Tarraconensis, in regione Orosanorum. *Liv.* 35, 22. ubi ablat. *Cusibi* occurrit, quem si dixeris a recto *Cusibis* profectum esse, non multum equidem repugnarim. *B. A.*

CUSIO, onis, f. actus cudendi, ut Cusio monetalis, ap. *Imppp. Valentin. Theodos. et Arcad. Cod. Theod.* 11, 16, 18.

CUSO, as, a. 1. frequentat. a *cudo*, agnoscitur ut Latinum a *Prisc.* 10, 890., sed nullo confirmatur exemplo.

CUSOR, oris, m. qui cudit. Inter plurima artificum nomina *cusores* quoque enumerantur a *Constantino Imp. Cod.* 10, 64, et videntur esse, qui nummos cudunt.

CUSPĪDĀTIM, adv. ἀκιδὸν, in cuspidem, in acutum. *Plin.* 17, 14, 24. Donec cuspidatim decisus descendat in rimam, calamus.

CUSPĪDĀTUS, a, um, part. a *cuspido*, ἀκιδωτὸς, in cuspidem formatus, acuminatus. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Purget vomerem subinde stimulus cuspidatus rallo.

CUSPĪDO, as, avi, atum, a. 1. ἀκιδόω, cuspidem alicui rei induco, acumino. *Plin.* 11, 37, 45. Urorum cornibus praefixa hastilia cuspidant.

CUSPIS, idis, f. ἀκὴ, acies hastae, conti, clavi, sagittae, et hujusmodi. Differt a mucrone, quae est acies gladii. *Caes. B. C.* 2, 2. Asseres pedum duodecim cuspidibus praefixi. *Plin.* 18, 18, 48. Latior cuspis quarto vomerum, generi, et acutior in mucronem fastigiata, eodemque gladio scindens solum, et acie laterum radices herbarum secans. *Id.* 36, 16, 22. Cuspis baculo. *Virg. A.* 5, 208. Ferratasque sudes, et acuta cuspide contos. *Catull.* 64, 256. tecta quatiebant cuspide thyrsos. [**Suet. Caes.* 62. Ut aquilifer moranti se cuspide sit comminatus. Cuspis h. l. est aquilae, σινφαξ, σαυρωτήρ. *Appian.* οὐρίαχος. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 263.] ℙ Per synecdochen ponitur pro hasta, vel jaculo. *Plin.* 34, 15, 45. Telephum proditur sanasse Achilles, sive id aerea, sive ferrea cuspide fecit. *Id.* 36, 5, 4. *n.* 4. Cuspis Minervae. *Virg. A.* 11, 40. patens in pectore vulnus Cuspidis Ausoniae. *Id. ib.* 12, 386. Alternos longa nitentem cuspide gressus. ℙ Et pro tridente Neptuni. *Ov. Met.* 12, 580. Deus, aequoreas qui cuspide temperat undas. ℙ Et pro aculeo apum. *Plin.* 21, 13, 45. Natura apibus cuspides dedit, et quidem venenatas. ℙ Et pro veru, *Mart.* 14, 221. Parva tibi curva craticula sudet ofella: Spumeus in longa cuspide fumet aper. Denique *cuspides* dixerunt tubulos fictiles cum fundo pertuso, qua humor adventicius transire posset, in quos demittebant aliquot arundines colligatas libris, figebantque in terram in usum pedamenti vitibus fulciendis. Ita *Varr. R. R.* 1, 8., cujus appellationis ratio vel inde petenda videtur, quod ii tubuli cuspidati erant, ut terrae infigi possent, vel quod ipsae arundines caedebantur in cuspidem, quo in terram demissae essent firmiores. ℙ Accipitur et pro mentula. V. in COLEATUS.

CUSSĪLIRIS, ignavus, ex *cossim* et *lirare*. Nam arantes cossim incedunt, quia inter pedes habent porcam, sive terram editiorem, pedes autem habent in liris, sive sulcis: hoc autem dicebatur *cossim lirare*. Ex quo factum est, ut ignavi, et oscitabundi, qui varici, et lentis passibus per urbem vagantur, cussilires sint appellati. *Festus.* Al. leg. *Cossiliris.*

CUSTODELAM dicebant antiqui, quam nunc dicimus custodiam. Ita *Festus.* Sed et *Appul.* usurpavit non semel, ut *Met.* 7. Illas divitias publica custodela commisere. *Id. ib.* 9. *in.* Custodela carceris. *Id. ib.* 10. Acriorem custodelam adhibere. Legitur vero etiam in vetere formula juris allata a *Cujo Inst.* 4. (ed. iterum *Goesch.*) §. 104. Familiam pecuniamque tuam endo mandatam tutelam, custodelamque meam recipio.

CUSTODIA, ae, f. φυλακὴ, φρουρὰ, τήρησις, cura servandi aliquid, ac tuendi. *Pl. Rud.* 3, 6, 20. Agitare custodiam. *Cic. Leg.* 2, 12. Advigilare ad custodiam ignis. *Caes. B. C.* 3, 39. Tradere alicui custodiam alicujus rei. Et *ib.* 40. Navis ab Acilio ad custodiam posita. *Id. B. G.* 2. 29. Sex millia hominum custodiae ac praesidio relinquere. *Pl. Most.* 2, 1, 59. Tradere aliquid alicui in custodiam. *Id. Merc.* 2, 1, 9. concredere. *Id. Rud.* 3, 2, 11. committere. *Id. ib.* 3, 3, 34. recipere aliquem. *Tac. A.* 1, 6. Apponere aliquem custodiae alicujus. *Cic. Mur.* 31. Ponere aliquem in custodia alicujus rei. *Nep. Milt.* 3. Credere alicui custodiam pontis. *Cic. Marcell.* 10. Polliceri alicui excubias et custodias. *Id. Fin.* 2, 34. Fida custodia justitiae, *h. e.* cura, et conservatio. *Quint.* 6, 1. *med.* Custodia religionis. *Petr. Sat.* 102. Funis, qui scaphae custodiam tenet, *h. e.* navi alligatam retinet. ℙ Est etiam locus, ubi aliquis custodiae causa manet. *Cic. Manil.* 6. Cum publicani familias maximas, quas in agris habent, quas in portubus, atque custodiis etc., *h. e.* in locis, ubi a servis publicanorum custodiebatur, ne quis non soluto vectigali portorii transiret. *Id. Phil.* 7, 7. Idcirco in hac custodia, tanquam in specula collocati sumus, ut etc. ℙ Et pro carcere. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 4. Hominem comprehendit, et in custodiam Ephesi tradidit. *Id. Verr* 2, 5, 27. et *Cat.* 1, 8. et *ib.* 4, 5. Dare aliquem in custodiam. Et *ib.* 55. Includere in custodias. *Tac. H.* 4, 2. Condere in custodiam. *Id. ib.* 1, 67. Retinere in custodia. *Cic. Div.* 1, 25. et *Rabir. Post.* 8. Esse in custodia. *Id. ad Brut.* 1, 6. Eripere e custodia. *Id. Tusc.* 1, 29. *f.* educere. *Id. ib.* 49. Emitti nos e custodia, et levari vinculis arbitremur. *Venul. Dig.* 50, 16, 224. discrimen tradit inter custodiam, et vincula, quod illa publicam tantum custodiam significet, haec vero vel privatam, vel publicam. *Pl. Capt.* 2, 2, 2. Vinclis, custodiisque circummoeniti sumus. *Cic. Cat.* 1, 8. Quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui seipsum jam dignum custodia judicaverit! ℙ *Libera custodia*, ἄδεσμος φυλακὴ, [**ἐλευθέρα, ἐλευθερία, δεσμωτήριον ἐλεύθέριον.* V. *Wessel.* ad *Diod. Sic. Exc.* de *Virt.* et *Vit.* p. 571. eundemque cum Valesio p. 581.] dicitur, cum quis non publico carcere detinetur, sed per urbem in privata alicujus domo, vel per municipia adhibitis custodibus, jussu publico adservatur: idque vel honoris causa in reis honestioribus factitatum est, vel ne, cum plures essent ejusdem criminis rei, consilia inter se communicarent. Hoc fiebat solummodo priusquam crimen confessi essent: nam post confessionem publico carcere detinebantur ad poenam. Exemplum liberae custodiae habes ap. *Liv.* 24, 45., ubi narrat de quodam Dasio Altinio Arpino, quem Calibus interdiu solutum custodes sequebantur, nocte clausum asservabant. *Sall. Cat.* 48. Senatus decernit, ut Lentulus, itemque ceteri in liberis custodiis habeantur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum aedilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caesari, Gabinius M. Crasso, Caeparius Cn. Terentio Senatori traduntur. *Liv.* 39, 14. Comprehensos libero conclavi ad quaestionem servarent. *Vell.* 1, 11. Perseus quadriennio post in libera custodia Albae decessit. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 96. Quoniam post Hortensii mortem orbae eloquentiae quasi tutores relicti sumus, domi teneamus eam septam liberali custodia: et hos ignotos atque impudentes

proceos repudiemus, tueamurque ut adultam virginem etc. ℙ Ipsi quoque rei vinculis detenti *custodiae* appellantur. *Suet. Cal.* 27. Custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio, a calvo ad calvum duci imperavit. Adde *eund. Dom.* 14., *Plin. ep.* 10, 30. et *Senec. ep.* 5. ℙ Item qui custodiam agunt. *Caes. B. G.* 7, 27. Quod paulo incautius custodias in muro dispositas videbat. *Hirt. B. Afr.* 88. Omnibus portis custodias ponit. *Flor.* 1, 13. Per medias hostium custodias. *Cic. Cat.* 4, 4. Horribiles custodias alicui circumdare. *Id. Att.* 10, 18. Custodiae, quibus asservor. ℙ Item domus ad custodiendum sepulcrum. V. CIRCUMCLUSUS *f.* De custodia monumentorum vide plura ap. *Fabr. Inscr.* p. 393.

CUSTODIĀRĬUM, ii, n. vigiliarium, casula sive aedificium, in quo quis habitat ad custodiam templi, aut carceris, aut sepulcri. *Inscr.* ap. *Mur.* 32, 3. Vestae, et Matribus T. Celerinus templum, porticum, et custodiarium de *sua* pecunia. *Tertull. ad Martyr.* 2. Vos benedicti de carcere in custodiarium translati. *Id. adv. Jud.* 3. ex *Isajae c.* 1. *v.* 8. ubi Vulgata habet *tugurium in cucumerario*, et LXX. ὁπωροφυλάκιον, vertit *custodiarium in cucumerario.* V. CUSTODIA et VIGILIARIUM.

CUSTODIĀRĬUS, ii, m. qui custodiam agit. *Corpus custodiariorum* in *Inscr.* ap. *Grut.* 48, 1. videtur fuisse collegium hominum ad custodiam templi, aut alicujus aedis publicae destinatorum.

CUSTODĬO, is, ivi, itum, a. 4. φρουρέω, φυλάττω, asservo, observo, tueor, custos sum alicujus rei. *Cic. Mil.* 25. Delecta juventus, quae tuum corpus, domumque custodit. *Id. Cat.* 1, 2. *extr.* Multorum te oculi et aures non sentientem speculabuntur atque custodient. *Id. Att.* 15, 13. Orationem tibi misi. Ejus custodiendae, et proferendae arbitrium tuum; Et *Phil.* 10, 11. Tueri, defendere, custodire incolumemque conservare provinciam. *Q. Cic. Petit. cons.* 14. Fac, ut se abs te custodiri, atque observari sciant. *Nep. Annib.* 9. Gortynii templum magna cura custodiunt, non tam a ceteris, quam ab Annibale, ne etc. *Quint.* 2, 2. Custodire aliquem ab injuria. *Id.* 1, 2. Formare, et custodire pudorem in aetate prima. *Plin.* 14, 12, 14. Custodire morem. *Colum.* 12, 4. ordinem. *Quint.* 4, 2. modum, *h. e.* adhibere. *Id.* 1, 7. regulam scribendi. *Id.* 11, 1. differentiam in causis. *Gell.* 2, 24. parsimoniam sanctionibus legum. *Plin.* 35, 2, 2. ferias omni mense. *Petr. Sat.* 102. siderum motus. *Plin. ep.* 8, 16. testamenta ut legitima, *h. e.* observare, rata habere. *Id. Pan.* 65 religiose quod juraveris. *Tac. H.* 2, 52. sermones alicujus, *h. e.* captare. *Plin.* 16, 44, 85. Arbores, quas memoria hominum custodit. *Cic. Or.* 1, 28. Percipere animo, et memoria custodire. *Id. ib.* 2, 2. Custodire litteris, *h. e.* litteris mandare. *Colum.* 12, 45. poma in melle. *Id.* 4, 24. *med.* Putator custodire debet, ne etc., *h. e.* cavere. Sic 11, 3. *med.* Sed custodiendum est, ut quam minime ad eum locum mulier admittatur. ℙ Specialiter significat in vinculis detinere. *Gell.* 16, 19. Rex Arionem, quasi falleret, custodiri jussit. *Caes. B. G.* 6, 4. Obsidibus imperatis centum, hos Aeduis custodiendos tradit. Adde *B. C.* 1, 20. ℙ Translate. *Senec. Oedip.* 704. Regna custodit metus. *Plin.* 26, 8, 30. Ladanum custodit nigritiam capillorum. *Id.* 28, 8, 25. Leonis adipes cutem in facie custodiunt a vitiis. *Id.* 37, 7, 28. Herba custodiens loci nomen. *Id.* 4, 15, 29. Rhenus modicum nomini suo custodiens alveum. *Hor. Od.* 3, 26, 5. paries, Laevum marinae qui Veneris latus Custodit. *Catull.* 64, 319. Vellera virgati custodibant calathisci, *h. e.* continebant, (*custodibant* pro *custodiebant*, ut *adibant*, *lenibant*, *scibant* etc., neque est infrequens in verbis quartae.) *Plin.* 17, 14, 24. de insitione. Cuneo tenui fissuram custodiente, donec descendat in rimam calamus. ℙ *Custodibitur* antique pro *custodietur. Pl. Capt.* 3, 5, 71. Nam noctu nervo vinctus custodibitur. ℙ [Part. *Custoditurus* ap. *Mart.* 8. *prooem.* Quod ut custoditurum me lecturi sciant. *F.*]

CUSTODĬOLA, ae, f. parva custodia sepulcri. V. CUSTODIA et CUSTODIARIUM. *Inscr.* non optimae notae ap. *Mur.* 1013, 5. Septima Dionysias in hac custodiola Palladiana cum aedificiolo, et monimento, quod de frugalitate mea fabricavi a solo etc.

CUSTODĪTĒ, adv. custodia et cura adhibita, ne modus excedatur. *Plin. ep.* 5, 16. Quam studiose lectitabat! ut parce custoditeque ludebat! *Id. ep.* 9, 26. *f.* Custoditius pressiusque dicere.

CUSTODĪTĬO est opera ad custodiendum quid sumpta. *Festus.*

*CUSTODĪTĪVUS, a, um, adj. custodiens, serviens custodiendae rei. *Sarisb. ep.* 158. Aurum aliorum metallorum custoditivum est. *B. A.*

CUSTODĪTUS, a, um, part. a *custodio*, servatus, observatus, φυλαχθείς. *Ov. Met.* 9, 190. Pomaque ab insomni male custodita dracone. *Plin.* 7, 28, 29. Nullo non die in catenis aut compedibus custoditus. *Id.* 17, 19, 30. *n.* 7. Ramus custoditus vinculis. *Id. ib.* 21, 35. *n.* 3. Custoditi surculi. *Id.* 30, 1, 2. Memoria et ars commentariis non intercidentibus custodita. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 8. Amphitheatri forma custodita. *Id.* 28, 16, 63. Leporis pulmones custoditi sale.

CUSTOS, odis, m. et f. φύλαξ, φρουρός, qui aliquid servat, tuetur, conservat. Videtur esse a *con*, et *adsto*, ut *Vossio* placet; vel a κέκυστται praet. pass. verbi κύω, quod proprie significat *comprehendo*, *custodio.* [**Döderl.* 1, 119. a *curare* derivandum censet.] *Pl. Curc.* 1, 1, 76. Anus hic solet habitare custos. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. Custodes fani. *Id. Cat.* 2, 12. Custos portae. *Id. Dom.* 55. Custos ac praeses templi. *Id. Agr.* 2, 6. Tribunus pleb. praeses libertatis et custos. *Id. Verr.* 2, 5, 6. Custos defensorque provinciae. *Id. Sext.* 65. Senatum reipublicae custodem, praesidem, propugnatorem collocaverunt. *Id. Agr.* 2, 9, *extr.* Custos ac vindex cupiditatum. *Stat. Th.* 9, 508. Custos pecoris. *Colum.* 93. apum. *Virg. Ecl.* 10, 36. gregis. *Suet. Tib.* 75. carceris. *Id. Cal.* 59. Custodes hortorum. *Id. ib.* 55. et *Nep. Dat.* 9. corporis. Et *ib.* 5. gazae regiae. *Hor. A. P.* 161. Imberbis juvenis, tandem custode remoto etc. *Cic. Phil.* 2, 18. Custodes posuit, ne limen intrares. *Id. Fl.* 19. Custos positus frumento publico. *Hor. Ep.* 1, 16, 76. In manicis et Compedibus saevo te sub custode tenebo. *Ov. Amor.* 3, 4, 1. Imponere custodem alicui. *Mart.* 10, 69. dare alicui. *Tac. A.* 6, 19. circumjicere. *Id. ib.* 3, 28. indere. *Suet. Tib.* 12. Non cessavit efflagitare aliquem cujuslibet ordinis, custodem factis et dictis suis. *Juven.* 5, 40. custos affixus ibidem, Qui numeret gemmas, unguesque observet acutos. *Virg. A.* 11, 836. At Triviae custos jam dudum in montibus Opis Alta sedet summis etc. Ubi *Servius:* Vel ministra, vel observatrix. Potest et pro comite accipi: vel custos mandatorum Triviae etc. ℙ *Cic. Div. Verr.* 16. Custodem me Tullio apponite, *h. e.* hominem, qui observet, ne in judicio aut actor praevaricetur, aut testis corrumpatur. ℙ *Id. in Senat.* 7. Me affinem tuum, quem comitiis praerogativae primum custodem praefeceras. *Id. Agr.* 2, 9. Tribus, quas voluit, vocavit, nullo custode sortitus. *Custodes* utroque hoc loco erant, qui in comitiis adhibebantur, ne qua vel in sortitionibus, vel in suffragiis fraus admitteretur. Adde *eund. in Senat.* 11. *Varr. R. R.* 3, 5. *custodem candidati* appellat. ℙ *Custodes* etiam dicuntur canes villatici, et pastorales. *Virg. G.* 3, 406. *Colum.* 7, 12. ℙ Item thecae, in quibus aliquid reponitur. *Ov. Met.* 8, 320. Ex humero pendens resonabat eburnea laevo Telorum custos, *h. e.* pharetra. *Id. ib.* 13, 703. Dantque sacerdoti custodem turis acerram. ℙ Item Dii, et principes. *Cic. Sext.* 24. Dii custodes conservatoresque hujus Urbis. *Suet. Domit.* 5. Novam excitavit aedem Jovi custodi. *Hor. Od.* 4, 15, 17. Custode rerum Caesare. ℙ *Cato R. R.* 66, 67, 144. et 145. custodem appellat servum, qui praeest olei factoribus. ℙ Translate. *Cic. Off.* 2, 7. Malus custos diuturnitatis metus. *Id. Fin.* 4, 7. Sapientia custos et procuratrix totius hominis. *Juven.* 10, 144. titulique cupido Haesuri saxis cinerum custodibus. ℙ In vitibus *custos* (Itali vocant *guardia* vel *saettolo*) dicitur novellus palmes duarum, vel trium gemmarum, qui submittitur eo fine, ut proximo anno materiam, hoc est palmites fructiferos praebeat, si vitis luxuria se consumpserit: aliis nominibus *resex*, et *praesidiarius* dictus: quia vitem custodit, hoc est conservat et renovat. *Colum.* 4, 21. et 24. et *Arbor.* 5. et *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 13. ℙ Denique *custos* apud *Vitr.* 9, 6. est Arctophylax, signum coeleste.

*CUSUS, i, m. fluvius in Istrum cadens, hodie aliis *Gran* dictus, aliis *Wag* in Hungaria superiore. *Tac. A.* 2, 63. *B. A.*

*CUTĀLIS, e, adj. *Causa forensis sive cutalis*, i. e. externa in cute haerens, apud *Coel. Aurel. Tard.* 4, 1. legi vult *Reines. Var. Lect.* 3, 18. p. 670. *B. A.*

*CUTĬAE, arum, oppidum Italiae superioris, in Gallia transpadana, hodie *Cozo*, inter Vercellas et Laumellum. *Tab. Peut. B. A.*

CŪTĬCŪLA, ae, f. δερμάτιον, dimin. cutis. *Juven.* 11, 203. Nostra bibat vernum contracta cuticula solem. *Pers.* 4, 18. uncta vixisse patella Semper, et assiduo curata cuticula sole.

CŪTĬLĬENSIS, se, et

CŪTĬLĬUS, a, um, adj. ad Cutilium, seu Cutilias pertinens, quod fuit oppidum Sabinorum in agro Reatino: juxta quem lacus, qui Cutiliensis dicitur a *Varr. L. L.* 4, 10., in quo silvosam insulam fuisse ferunt, quae innataret aquis, nullo certo loco consistens. *Cutilias aquas* appellat *Plin.* 2, 95, 96. et 31, 2, 6.; nunc dicuntur *lago di Contigliano.*

*CŪTĪNA, ae, Italiae oppidum, in Vestinis. *Liv.* 8, 29. *extr. B. A.*

CŪTĬO, onis, m. ὀνίσκος, multipeda, porcellio, insectum quod tactu se in pilae rotunditatem contrahit: a callosa cute. Hoc cum rosaceo tritum coctumque medetur aurium doloribus. *Marcell. Empir.* 8.

CŬTIS, is, f. δέρμα, χρόος, οὖς, χρώς, ωτὸς, pellis, corium, extimum tegumentum carnis animalium. *Festus.* Cutis Graecam habet originem: hanc enim illi κύτος dicunt. *Vossius* mallet legi οκύτος. ℙ Differt a pelle, quod haec est mortuorum, et detracta corpori, cutis autem vivorum, et adhaerens, quamquam confunduntur aliquando. *Juven.* 10, 191. deformem pro cute pellem. *Pers.* 3, 95. surgit tacite tibi lutea pellis. (Adde *Phaedr.* 1, 24., *Colum.* 6, 13. et *Lucr.* 6, 1192.) *Planc. ad Cic. Fam.* 10, 18. Si quid intra cutem subest vulneris. *Cels.* 2, 8. Aqua inter cutem. *Id.* 1, 4. Caput ad cutem tondere. *Plin.* 28, 12, 50. Fel tauri post detractam cutem. *Id. ib.* 11, 48. Cutis, quam relinquunt angues. *Id.* 23, 1, 14. Labruscae uvae cutem in facie mulierum purgant. ℙ In plurali numero. *Id.* 11, 37, 45. Cornua cervorum cutibus enascuntur. *Id.* 6, 31, 35. Duarum Gorgonum cutes in Junonis templo posuit. Adde *Melam* 2, 1. ℙ Pugil Cleomachus a *Tertull. Pall.* 4. dicitur *intra cutem et ultra caesus*, quia cinaedus ex pugili evaserat. V. CAESUS. ℙ *Curare cutem* ap. *Hor. Ep.* 1, 4, 15. et *Juven.* 2, 105. est se bene curare. ℙ *Ego te intus et in cute novi* proverb. ap. *Pers.* 3, 30. ℙ *Intra cutem suam cogere aliquem* aliud proverb. ap. *Senec. ep.* 9. pro quo *Hor.* dixit *Sat.* 1, 6, 22. in propria pelle quiesce. Et *Mart.* 3, 16. te, mihi crede, memento Nunc in pellicula cerdo tenere tua. ℙ Dicitur aliquando de corio. *Mart.* 1, 104. Calceus est sarta terque quaterque cute. ℙ Item de integumentis tenuioribus aliarum rerum: in quo differt a crusta, et cortice, quae sunt crassiora. *Plin.* 12, 19, 43. Casia nascitur in montibus, tenui cute verius, quam cortice. *Id.* 15, 10, 9. Nucleorum cutis verius, quam putamen. *Id. ib.* 28, 34. Crusta teguntur glandes, cute uvae, corio Punica. *Id.* 16, 24, 38. Folia rubi cute spinosa. *Id.* 27, 10, 60. Herba cute lauri. *Id.* 2, 48, 49. Obducta nubium cute. *Id.* 20, 19, 79. Radix heraclii in summa terrae cute. ℙ Translate. *Quint.* 5, 12. Habitum oratorium virilem, et illam vim stricte robusteque dicendi tenera quadam elocutionis cute operimus. *Gell.* 18, 4. Neque primam tantum cutem ac speciem sententiarum, sed sanguinem quoque ipsum ac medullam verborum eruere. ℙ In accus. singulari habet etiam *cutim. Cels.* 3, 21. *a med.* Scilla cocta deligatur super cutim. At edit. *Targae* ex optim. Codd. habet: Scilla cocta delingitur.

CY

CYĀMĒĀ, ae, f. gemma nigra, quae fracta fabae similitudinem praefert, a κύαμος, faba. *Plin.* 37, 11, 73.

*CYĀMOS vel Cyamus, i, m. herba Aegypto peculiaris, latissimis foliis, quae et colocassia dicitur et faba Alexandrina, κύαμος. *Plin.* 21, 19. In Aegypto nobilissima est colocassia, quam cyamon vocant aliqui. V. *Ciborium. B. A.*

CYĀNĒ, es, f. *Κυάνη*, Nympha Sicula fuisse dicitur, quae cum Plutonem cum rapta Proserpina curru vectum fugientem ad Tartara vidisset, asperrimisque verbis increpasset; atque ille concitus ira, fontem ipsum, cui illa praeerat, sceptro percussum violasset, viamque sibi, perrupta humo, per ejus aquas aperuisset; ob tantam injuriam moerore paulatim absumpta, in aquas ejusdem fontis conversa est. *Ov. Met.* 5, 412. ℙ Est autem vere fons agri Syracusani, ita dictus a cyaneo colore. *Plin.* 3, 8, 14. *Vibius* autem *Sequester* inter lacus enumerat, et per eum Anapum transire dicit. *Ov. Pont.* 2, 10, 26. Quaque suis Cyanen miscet Anapus aquis. ℙ Pro una ex Cyaneis insulis, de quibus in voce sequenti, et quidem paenult. producta, *Juven.* 15, 19. Nam citius Scyllam, vel concurrentia saxa Cyanes etc. Al. rectius *Cyaneis.*

CYĀNĒAE, arum, f. plur. *Κυάνεαι*, insulae duae in Ponto Euxino contra Bosphorum Thracium, quae et Symplegades appellantur. *Ov. Trist.* 1, 10, 34. Transeat instabiles strenua Cyaneas. V. SYMPLEGAS. ℙ Adjective. *Val. Fl.* 2, 381. dum spes mihi sistere montes Cyaneos. *Id.* 4, 637. Cyaneae rupes. *Mart.* 7, 19. ruinae. *Lucan.* 2, 716. cautes. ℙ *Fuit et Cyaneae Lyciae oppidum, cujus meminit *Plin.* 5, 27. *B. A.*

*CYANĒE, es, f. *Κυανέη*, Maeandri filia, mater Cauni ac Byblidis. *Ov. Met.* 9, 451. *B. A.*

*CYANĒOS vel Cyaneus, i, m. Colchidis amnis. *Plin.* 6, 4. ed. *Hard. B. A.*

CYĀNĔUS, a, um, adj. κυάνεος, caeruleum colorem referens. *Plin.* 10, 32, 47. Avis colore cyaneo. *Prud. Symmach.* 1, 302. cyaneae Nymphae. *Id. Psychom.* 858. cyanea stagna. ℙ Ap. *Isid. Orig.* 16, 9. cyanea est gemma Scythiae caeruleo coruscans nitore, pura interdum, et punctulis intermicantibus, auratis pulvisculis varians. ℙ Est etiam adjectivum ad Cyaneas pertinens. V. v. praec.

CYĀNUS et Cyanos, i, m. κύανος, flos quidam a colore caeruleo dictus, post rosam nascens: [**die blaue Kornblume. Centaurea Cyanus. L.*] *Plin.* 21, 8, 24. et *ib.* 11, 39. ℙ Item gemma apud

eundem 37, 9, 38., quae videtur esse eadem cum cyanea descripta in v. praec. [*Est genus lap. *Lazuli.*]

*CYATHISCUS, i, m. concava pars specilli. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 2. vindicat *Reines. Var. Lect.* 3, 16. p. 673. *B. A.*

CYATHISSO, as, a. 1. *κυαθίζω*, potum cyathis subministro. *Pl. Men.* 2, 2, 29. Tibi saepissime cyathisso, apud nos quando potas. ℙ Possis et *cyathizo* scribere.

CYATHUS, i, m. *κύαθος*, genus poculi: a *κύω*, turgeo, capax sum. *Varr. L. L.* 4, 26. docet, successisse in conviviis in locum simpuli, ducto more a Graecis. *Mart.* 1, 72. Naevia sex cyathis, septem Justina bibatur, Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus. Tangit *Mart.* morem tot pocula bibendi, quot litteris constabant nomina amicorum. (V. BIBO.) *Hor. Od.* 1, 29, 7. Puer quis ex aula capillis Ad cyathum statuetur unctis, *h. e.* ad officium pincernae. *Juven.* 9, 46. sed tu sane tener et puerum te, Et pulcrum, et dignum cyatho, coeloque putabas, *h. e.* munere pincernae, quo fungitur Ganymedes ad mensam Jovis. Hinc *servus a cyatho* est pincerna. *Inscr.* ap. *Grut.* 582, 4. Doryphoro Caesaris a cyatho. Adde aliam ap. *Fabr. c.* 10. *n.* 370. [**Suet. Caes.* 49. Sed C. Memmius etiam ad cyathum et vinum Nicomedi stetisse objecit: ubi lect. *et vinum* egregie defendisse videtur *Brem.*] ℙ Est etiam mensura parva liquidorum et aridorum, pondere drachmarum decem, ut *Plin.* 21, 34, 109. tradit, continensque sextarii partem duodecimam, teste *Rhemn. Fann. de ponderib.* 80. Hinc *Hor. Od.* 3, 19, 11. tribus, aut novem Miscentor cyathis pocula commodis, *h. e.* pocula, quae tres aut novem cyathi mensuras contineant. [*V. *Bentl.* ad h. l.] *Plin.* 20, 21, 84. Dimidium cyathum succi malvae sorbere. *Id.* 14, 9, 11. Cyathus salis. *Colum.* 8, 4. *f.* Singulis gallinis quaterni cyathi diurna cibaria sunt.

*CYĀTIS, idis, f. Sic dicta est arx Cephalleniae insulae. *Liv.* 38, 29. prope fi. *B. A.*

CYBĒA, ae, f. genus quoddam navis onerariae. *Cic. Verr.* 2, 4, 8. et *ib.* 2, 5, 17. Navem vero Cybeam maximam, triremis instar etc. ℙ Eam quadratam fuisse, et a *κύβος* dictam, aliqui suspicantur. Alii *ἀπὸ τῆς κύπης*, quae *Hesychio* est *εἶδος νεώς*, genus navis. Alii leg. *cybaea*, alii etiam aliter. [*De forma usuque hujus navis v. *Ern. cl. Cic.* s. h. v.]

CYBĒBE, es, f. *Κυβήβη*, Dea eadem, quae Cybele. *Phaedr.* 3, 20. Galli Cybebes circum in quaestus ducere Asinum solebant bajulantem sarcinas. *Id. ib.* 17. Pinus Cybebae, populus celsa Herculi. *Vet. Inscr.*, quam se primum vidisse testatur *Marquard. Gud.* ad *Phaedr. c. f.* 20. Virius Marcarianus V. C. Deam Cybeben P. S. ℙ Multis, satisque solidis argumentis idem *Gudius ib.* probare nititur, quotiescumque hujus vocis paenultima a poetis producitur, *Cybebe* scribendum esse, non *Cybele*, aut *Cybelle*, quod Graeci tantum vel *Κυβελη* dixerint, vel *Κυβήβη*, unde fieri Latinum *Cybēle*, et *Cybēbe*, quorum prioris paenultimam produci non posse, alterius omnino debere; quod utraque vox aeque apud poetas, ac prosae scriptores in usu fuerint; quod ita habeatur in optimis MSS. *Phaedri*, *Virg. A.* 10, 220., *Lucani* 1, 600. etc. Eodem modo legendum esse in *Sil.* 17, 8. et alibi, putat *Drak.*, et in *Prudentii περὶ στεφ.* 10, 196. *Heins.*, et in *Prop.* 3, 15, 35. et alibi *Brouk.* etc. Horum auctoritate et rationibus explodenda est *Cybele* paenultima producta tanquam sit a Graeco *Κυβήλη*: et *Cybelle* duplici *ll*, tanquam sit necessitate aut licentia poetica inducta: quamquam utraque scribendi ratio suos aliquot habet et codices MSS. et fautores.

CYBĒLE, es, f. *Κυβέλη*, filia Coeli et Vestae, soror et uxor Saturni, mater Jovis et omnium Deorum, al. Ops, Terra, Tellus, Berecyntia, Rhea, Dindymene, Pales, Mater Idaea, vel Phrygia, vel Pessinuntia, Mater alma, Mater Deorum, Mater magna etc. Dicta est a Cybele opp. Phrygiae, vel a Cybelo monte, quem incolebat, in quo ejus sacra primo sunt instituta, vel a Cybelo primo illius sacerdote, *Serv.* ad *A.* 10. 220., vel quod agat homines in furorem, quod Graeci *κυβήβον* dicunt, ut ait *Festus.* V. v. praec. ℙ Curru quatuor rotarum vehi fingitur, quia mundus semper rotatur, et volvitur, terra autem pendet in aere. Currum duo leones, vel leo et tigris trahunt, propter bestias, quae in terra gignuntur, et ex terra vivunt, vel quia Phrygia leonibus et aliis feris animantibus abundat. Turrim in capite gestat, ad significandas urbes et arces. Veste induta est arboribus et herbis picta, quia terra hisce rebus tecta est. Sacerdotes currum praecedebant cymbala pulsantes, idest instrumenta ex aere. Appellati Corybantes fuerunt, et Galli, a Gallo fluvio Phrygiae, qui templo hujus Deae vicinus erat, vel a Gallo primo sacerdote. [*Et Ballatores. V. in *Ballator* et *Ballo*, et cf. *Casaub.* et *Salm.* ad *Vopisc. Aurel.* 6. Suidam in *βαλλίζειν.*] Hos spadones esse oportebat, propter Atyn, de quo V. suo loco. Eorum praeses archigallus dicebatur. Virilia autem sibi Samia testa amputabant. *Virg. A.* 3, 111. Hic mater cultrix Cybele, Corybantiaque aera. *Mart.* 1, 71. Et Cybeles picto stat Corybante tholus. Lege *Catulli carm.* 63. de Aty: item *Lucr.* 2, 598. et seqq., ubi quae ad Cybelen pertinent, fuse explicat. ℙ *Fuit et Cybele, mons Phrygiae, a quo Cybele dea nomen traxit. *Ov. Fast.* 4, 249. Dindymon et Cybelen. *Virg. A.* 3, 111. ed. *Heyn.* Mater cultrix Cybelae, *h. e.* quae colit Cybelen montem, *h. e.* dea Cybele. *Ov. Fast* 4, 363. Inter viridem Cybelen altasque Celaenas. *B. A.* ℙ Quandoque paenultima producitur, vel quia Graeci etiam *Κυβήλη* dixerint, vel quia *Cybelle* duplici *ll* scribi tunc debet. Sed V. dicta in v. praec.

CYBĒLĒĬUS, a, um, adj. *Κυβελήιος*, ad Cybelem pertinens, ut Cybeleius Atys. *Ov. Met.* 10, 104. *Id. A. Am.* 507. Cybeleia mater, *h. e.* Cybeles. ℙ Ap. *Stat. Silv.* 1, 2, 176. nosse Cybeleia limina dicitur, qui praetor Romae fuit, praefuitque ludis Megalensibus Cybelae dicatis.

CYBĒLUS, i, m. *Κυβελος*, mons Phrygiae, in quo Cybele mater Deorum colebatur. *Vibius Sequester de montib.*

CYBIĀRĬUS, ii, m. qui cybia facit, et vendit. *Arnob.* 2, 70. Cybiarios, salinatores, bolonas, etc.

CYBĬCUS. V. CUBICUS.

[CYBĬOSACTES, is, m. a *κύβιον*, *cybium*, et *σάττω*, *consuipo*, qui cybia seu salsamenta parat et condit. Hoc habuit cognomen rex quidam Alexandriae in Aegypto, atque ita per ludibrium cognominatus est Vespasianus Aug. *Suet. Vesp.* 19. Alexandrini Cybiosacten cum vocare perseverarunt, cognomine unius e regibus suis turpissimarum sordium.

CYBIRA. V. CIBYRA.

*CYBISTRA, orum, *τὰ Κύβιστρα*, oppidum Cappadociae. *Cic. Fam.* 15, 2. *post in. Id. Att.* 5, 18. *post. in.* et 6, 1. *B. A.*

CYBIUM, ii, n. *κύβιον*, frustum quadrata figura concisum, et sale conditum: a *κύβος*, cubus, ut *Festus* docet. Fiebat praecipue ex pelamide. *Plin.* 9, 15, 18. Pelamides in apolectos particulatimque consectae, in genera cybiorum dispartiuntur. *Id.* 32, 11, 53. Triton pelamidum generis magni: ex eo horaea cybia fiunt. *Mart.* 5, 78. Divisis cybium latebit ovis. ℙ Ipsa quoque pelamis, ex qua dissecta tale salsamentum fit, cybium dicitur. *Varr. L. L.* 4, 12. Muraena, cybium, thynnus. *Festus* quoque genus piscis esse docet, *quia*, inquit, *piscantes id genus piscium velut aleam ludunt.* Ubi tum de ipso pisce, tum de concisis ejus frustis intelligendus est.

*CYBOTUS, i, mons celsus Phrygiae, credo, qui una cum Curite oppido a terra absorptus est. *Plin.* 2, 91. *B. A.*

CYCĔON, onis, m. *κυκεών*, genus potionis ex multis liquoribus confectae. *Arnob.* 5, 174. et 175. Sitienti adoris oggerit potionem cinnum, cyceonem quem nuncupat Graecia. V. COCETUM et POLENTA.

CYCHRĀMUS, i, m. *κίχραμος*, avis, quae coturnices trans mare redeuntes comitatur. *Plin.* 10, 23, 33. Alii leg. *cynchramus*, ut etiam Graece *κίγχραμος*.

CYCLĀDĀTUS, a, um, adj. cyclade indutus. *Suet. Cal.* 52. Manuleatus, et armillatus in publicum processit, aliquando sericatus et cycladatus.

CYCLĀDES, um, f. plur. *Κυκλάδες*, insulae multae in Aegaeo mari, quae una cum Sporadibus dicuntur insulae Archipelagi. Sunt autem novem numero, si *Hygino* credimus *fab.* 276., idest Andros, Myeone, Delos, Tenos, Naxos, Seriphus, Gyarus, Paros, Rhene. Dictae sunt a *κύκλος*, circulus, quia, ut *Plin.* tradit 4, 12, 22., circa Delum in orbem quodammodo dispositae sint: vel quod longo ordine eas circuire navigando necesse sit, ut est apud *Serv.* ad illud *Virg. A.* 3, 126. sparsasque per aequor Cycladas. *Ov. Trist.* 1, 20, 8. Cycladas Aegaeas obstupuisse puto. ℙ In singulari num. *Vitr.* 7, 7. Ejus vis metalli insulae Cycladi Melo dicitur esse. *Juven.* 6, 562. cui vix in Cyclada mitti Contigit, *h. e.* in exsilium, quia mos fuit multos in aliquam ex Cycladibus deportandi. Adde *Sil.* 4, 347. et *Senec. Herc. Oet.* 803.

CYCLĀMĪNOS, i, f. et Cyclaminum, i, n. *κυκλάμινος*, herba est folia habens maculis albicantia, minora hedera, nigrioraque, et tenuiora sine angulis, caulem exiguum et inanem, florem purpureum, radicem latam, ut rapum videri possit, cortice nigro. Nascitur in umbrosis: a Latinis tuber terrae vocatur. Itali rustici appellant *pan porcino*, quia pabulum porcis jucundissimum esse, observatum est. [**Saubrod. Cyclamen Europaeum. L.*] Alia est cognomine cissanthemos, geniculato caule, supervacuo, circa arbores se volvens, acino hederae, sed molli, flore candido, specioso, radice nullius usus. Tertia est cognomine chamaecissos uno folio, radice ramosa. Haec fere *Plin.* 25, 9, 57., ubi varios etiam recenset earum usus in medicina. ℙ *Id.* 21, 9, 27. et *ib.* 11, 38. neutro genere extulit.

CYCLAS, ădis, f. *Κυκλάς*, insula maris Aegaei. V. CYCLADES. ℙ Item vestis muliebris genus (ut et *Serv.* tradit ad *A.* 1, 286.) ex tenui panno, amplae, praelongae, et sinuosae, totumque corpus circumtegentis: a *κύκλος*, circulus, orbis, quia ad imum rotunda erat, vel quia assutum orae limbum aureum vel purpureum, in orbem habebat. *Juven.* 6, 258. Hae sunt, quae tenui sudant in cyclade, quarum Delicias et panniculus bombycinus urit. *Prop.* 4, 7, 36. Quae modo per viles inspecta est publica noctes, Haec nunc aurata cyclade verrit humum. *Vopisc. Saturn.* 9. Cyclade uxoria amictus. *Sidon. ep.* 1, 5. *f.* Jam palmata consularis, jam cyclade pronuba, jam toga senator honoratur. ℙ Paenultimam produxit *Venant. carm.* 8, 4. *med.*, non imitandus.

CYCLĬCUS, a, um, adj. *κυκλικός*, nempe orbicularis, seu circularis. *Hor. A. P.* 136. Nec sic incipias, ut scriptor cyclicus olim. Ubi *Acron. vet. Schol.* Cyclicus, qui ordinem variare nescit; vel qui carmina sua circumfert, quasi circumforaneus, circulator. Quae posterior interpretatio verior videtur. Alii tamen volunt intelligi eum, qui integrum aliquod corpus, seu orbem fabularum, vel historiae composuerit. (V. *Casaub.* in *Athen.* 7, 3.) Est etiam qui putat *Cyclicus* esse nomen proprium. *Bentl.* legi vult *cyclius*, a Graeco *κυκλιος*, quod idem omnino significat, ac *κυκλικός*, et versum suaviorem reddit.

CYCLOPĒUS et Cyclopius, a, um, adj. *Κυκλωπειος*, et *Κυκλώπιος*, ad Cyclopes pertinens. *Virg. A.* 1, 205. Cyclopea saxa. *Sil.* 14, 33. Cyclopea regna. *Id. ib.* 531. ad caedes Cyclopia corde libido. *Senec. Herc. fur.* 997. Cyclopea saxa, *h. e.* moenia Mycenarum. V. v. seq.

CYCLOPS, ōpis, m. *Κύκλωψ*. Cyclopes fuerunt gigantes, seu populi antiquissimi in Sicilia juxta Aetnam: a *κύκλος*, circulus, et *ὤψ*, oculus, quod unum oculum in fronte haberent, ut est in fabulis ap. *Serv.* ad *A.* 8, 649. Inter hos praecipue celebrantur, Brontes, Steropes, Pyracmon: de quibus *Virg. A.* 8, 424. Omnium primi aeris fabricam invenisse traduntur. Hinc factus locus fabulae, ut Vulcani ministri crederentur, et Jovi fulmina fabricare. *Hor. Sat.* 1, 5, 63. Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat. *Virg. A.* 11, 263. Aetnaeos vidit Cyclopas Ulysses. ℙ *Serv.* ad *A.* 6, 398. et *ib.* 7, 761. scribit, ab Apolline fuisse sagittis confixos ob iram ac dolorem Aesculapii filii sui ab Jove interempti. Ob quam rem coactus fuit Admeti regis, divinitate deposita, novem annos apud Amphrysum armenta pascere. *Val. Fl.* 1, 445. ℙ Turrium, altorumque moenium inventores fuisse dicuntur, ut ex *Aristotele* tradit *Plin.* 7, 56, 57., opinor quia cum fabri essent, spiracula altiora tecto officinae superstruxerant ad emittendas favillas. Hinc *Virg. A.* 6, 630. Cyclopum educta caminis Moenia conspicio, *h. e.* turres et Moenia Ditis. *Serv.* hoc est magna; ita enim cujuslibet rei magnitudinem significabant: adeo ut *Statius* (*Theb.* 1, 251) Argivorum muros ab ipsis dicat esse perfectos. Confirmat idem *Stat. ib.* 630. et *Vet.* ejus *Schol.* ad priorem locum: item *Senec. Herc. fur.* 997. ubi *Cyclopea saxa* pro muris Mycenarum posuit. Ceterum illud *Cyclopum educta caminis moenia* interpretari possumus aenea, (tales enim a poetis finguntur) et in officinis Cyclopum veluti elaborata.

[CYCNĀRĬUM, ii, n. collyrium ab *Oribasio* et *Alex. Trall.* *κύκνος* vocatum. *Inscr.* ap. *Tochôn cachets des oculist.* p. 60. M. Ulpii Heracletis cycnarium ad impetum. *F.*]

CYCNĒĬUS et Cygneius, a, um, adj. ad cycnum pertinens. *Ov. Met.* 7, 371. Cycneia Tempe. *Id. Ib.* 465. Cycneius heros, *h. e.* Tenes quidam Cycni filius, a patre in arcam clausus, et in mare demersus. Al. aliter leg.

CYCNĒUS, a um, adj. *κύκνειος*, ad cycnum pertinens. *Ov. Trist.* 4, 8, 1. Jam mea cycneas imitantur tempora plumas. *Cic. Or.* 3, 2. Illa tanquam cycnea fuit divini hominis vox et oratio. ℙ *Cycnea specula* est collis, circa quem posita est urbs Brixia, Cenomanorum olim caput, a Cycno Liguris filio, qui illius urbis conditor fuisse traditur; etiamnum is collis *Cigneo* vocatur. *Catull.* 67, 34. Brixia Cycneae supposita speculae, Flavus quam molli percurrit flumine Mela. Alli male leg. *Chineae.*

CYCNUS et Cygnus, i, m. *κύκνος*, Graeca vox, Latine olor, avis candida, anseri similis sed major, circum stagna, lacus, et flumina incolens, arguta voce praedita, praesertim imminente jam morte, quam instinctu quodam praesentiens, cum cantu et voluptate significare dicitur: quam ob causam Apollini sacra est. *Cic. Tusc.* 1, 30. *Plin.* tamen 10, 23, 32. cycni morituri cantum falsum esse arbitratur: originem forte fabulae dedit illa narratio de Platone, quam habet *Appul. Dogm. Plat.* 1. *in.* ℙ Translate *cycnus* accipitur pro poeta. *Hor. Od.* 4, 2, 25. Multa Dircaeum levat aura cycnum, *h. e.* Pindarum Thebanum, nam Dirce fons est in Boeotia. *Virg. Ecl.* 9, 27. Vare, tuum carmen Cantantes sublime ferent ad sidera cycni. ℙ Fabulantur fuisse hoc nomine regem Liguriae, Stheneli filium, Phaethonti propinquum, dulcedine cantus ab Apolline donatum: cujus fulmine icti mortem longo luctu deflens, in avem conversus sit, quae moriens flebile canit. *Hyg. fab.* 154. et *Virg.*

A. 10, 189., *Servius*, et *Ov. Met.* 2, 367. ℙ Ab Apolline in coelum translatus fuit, et collocatus inter circulum Arcticum, et Tropicum Cancri, capite versus Lyram, cauda ad caput Cephei, sidus constans stellis tredecim. *Hyg. Astron.* 3, 7. ℙ Alius fuit Cycnus Neptuni filius ex Calyce Hecataeonis, sive Hecatonis filia. *Hyg. fab.* 157. Hic esse videtur, de quo *Ov. Met.* 12, 72. et seqq. narrat, pro Trojanis pugnantem, cum fortissimus esset, et patris munere invulnerabilis, plurimosque Graecorum occidisset, tandem ab Achille suae ipsins galeae vinculis, quoniam neque hasta, nec gladio ferire poterat, constrictis faucibus suffocatum fuisse: dumque ab eo spoliaretur, in avem cognominem a Neptuno fuisse mutatum. ℙ Item duo Martis filii, quorum alterum ex Pelopia genitum Hercules occidit. *Hyg. fab.* 31. et 261. Alterum in certamine ludorum Acasti Pilum quendam occidisse ferunt Diodoti filium. *Id. fab.* 273. ℙ Alius Ociti et Aurophites filius duodecim navibus in Trojano bello operam Graecis navavit suam. *Id. fab.* 97. ℙ Alius denique Hyries filius memoratur ab *Ov. Met.* 7, 371., qui ob amici repulsam, spretumque amorem, e saxo se dedit praecipitem, inque eo saltu in cycnum conversus est. Cujus mater Hyrie fletu et moerore stagnum suo de nomine fecit. ℙ De Jove in cycnum converso, ut Ledam falleret, V. CASTOR. ℙ Dicuntur cycni currum Veneris trahere. *Ov. A. Am.* 3, 808. ℙ *Quid enim cycnis contendat hirundo?* proverb. in eos, qui impares cum fortioribus congrediuntur, ap. *Lucr.* 3, 6., cui simile est illud *Virg. Ecl.* 8, 55. Certent et cycnis ululae. ℙ Aliquando prima syllaba corripitur, more Graecorum, *n* littera liquescente. *Hor. Od.* 4, 3, 20. Donatura cycni, si libeat, sonum. Adde *Auson. epist.* 20, 8.

CYDA, ae, f. *Stat. Silv.* 3, 93. Et quibus Arcadia carmen testudine mensis Cyda labor, nomenque fuit. Al. leg. *Oda*, al. *Chorda*, al *Lyda*, quae omnia ex conjectura. Et *τὸ mensis* al. nomen esse putant a *mensa*, al. part. a *metior*. Locus est corruptus, sententia apparet.

CYDĀRIS, is, f. V. CIDARIS.

CYDĀRUM, i, n. genus navigii. *Gell.* 10, 25.

[CYDĪMUS, i, m. *κύδιμος*, gloriosus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 274, 1. M. Plautius Cydimus. *F.*]

[CYDIPPĒ, es, f. *Κυδίππη* (a *κῦδος*, gloria, et *ἵππος*, equus) nobilis puella, cujus amore exarsit Acontius juvenis, ex Caea insula in Delum ad Dianae sacra profectus. V. *Ov.* 20. et 21. *Her., A. Am.* 1, 457. et *Rem. Am.* 382. ℙ Fuit hoc nomine etiam Nereidum una, Nerei Doridisque filia. *Hyg. praef. Fab.* et *Virg. G.* 4, 339. *F.*]

CYDNUS, i, m. *Carasu*, fluvius Ciliciae, qui Tarsum praeterfluit. De eo *Curt.* 3, 4. et *Vitr.* 5. etiam scribit, ejus aquam podagricis salubrem esse, 8, 3. Lucidum appellat *Ov. A. Am.* 3, 204. propter aquarum claritudinem. ℙ *Cydnus* est cogn. Rom. a *κυδνός*, inclytus. *Inscr.* ap. *Mur.* 928, 17. C. Julius Cydnus.

CYDON, ōnis, et Cydonia, ae, f. *Canea*, *Κύδων*, *Κυδωνία*, urbs Cretae in ora Boreali, inter Rhitymnam et Cisamum. *Mela* 2, 7. Panacra, Cydonia, Marathusa, Dictynna. *Plin.* 4, 12, 20. Cisamum, Pergamum, Cydon etc. *Seren. Sammon. c. de praecordiis sanandis.* Aut quae poma Cydon Creteis misit ab oris. *Flor.* 3, 7. Mater urbium Cydonia, ut Graeci dicere solent. Al. hic leg. *Cydonea.*

CYDONES, onum, m. plur. *Κύδωνες*, populi Cydonis urbis, et generatim Cretenses, peritissimi sagittandi. *Lucan.* 7, 229. Illuc et Libye Numidas, et Creta Cydonas Misit. ℙ In singul. num. *Virg. A.* 12, 858. Parthus, sive Cydon telum immedicabile torsit.

CYDONĒUS, a, um, adj. *Κυδώνειος*, ad Cydonem pertinens. *Ov. A. Am.* 1, 293. Cydoneae juvencae. ℙ Ponitur etiam generatim pro Cretensi. Cretenses autem peritissimi fuerunt in arte sagittandi. Hinc *Stat. Th.* 7, 339. Cydoneas anteibunt gaesa sagittas. *Sil.* 10, 261. Ecce Cydonea violatus arundine plantam Lentulus. *Ov. Met.* 8, 22 Cydoneae pharetrae.

CYDONIĀTAE, arum, m. plur. populi Cydonis urbis Cretae. *Liv.* 37, 60. et *Plin.* 8, 58, 83.

CYDONĪTES, ae, m. et f. *Κυδωνίτης*, Cydoneus. *Colum.* 3, 2. *sub in.* Vites stephanitae, tripedaneae, unciariae, Cydonitae. ℙ Absolute *cydonites* est quod Itali dicunt *cotognato* [*Quittenwein*], cydonia scilicet mala concisa et decocta. Legitur ap. *Pallad.* 11, 20. in lemmate.

CYDONĬUS, a, um, adj. *Κυδώνιος*, ad Cydonem urbem Cretae pertinens, Cydoneus. *Virg. Ecl.* 10, 59. libet Partho torquere Cydonia cornu Spicula. Adde *Hor. Od.* 4, 9, 17. V. CYDONES. ℙ *Cydonia mala* (quae et *Cydonia* absolute dicuntur a *Prop.* 3, 11, 27. et *Calpurn. ecl.* 2, 91.) V. COTONEUM. ℙ Sic *Cydonia arbor*, et *Cydonia* absolute, *h. e.* malus cotonea. V. *ib.* ℙ *Cydōnĕum*, *ii*, n. [*V. v. antec.] potio ex malis cydoniis facta. *Ulp. Dig.* 33, 6, 9. Cydoneum, et si qua alia sunt, quae non ex vinea fiunt, vini appellatione non continebuntur.

CYGNUS etc. V. CYCNUS.

CYLIBĀTHUM. V. CIBILLA.

[CYLICRANI, orum, m. plur. populi quidam fabulosi, qui ita appellati videntur a *κύλιξ*, calix, et *κράνιον*, calvaria, vel *κράνον*, cornus, quia ex calvaria, vel ex cornu bibere soliti essent. Si prius etymon admittas, *a* in paenult. syllaba longa est, et fortasse *Cylicranii* scribendum; si posterius, brevis est. *Macr. Sat.* 5, 21. Est etiam historia non adeo notissima, nationem quandam hominum fuisse prope Heracleam ab Hercule constitutam Cylicranorum, composito nomine *ἀπὸ τοῦ κύλικος*; quod poculi genus nos una littera immutata *calicem* dicimus.

CYLINDRĀTUS, a, um, adj. figuram cylindri habens, *κυλινδρωδεις*. *Plin.* 18, 12, 33. Siliquae rotundae ciceri, piso cylindratae. Ita *Hard.* ex MSS. Al. *cylindraceae.*

CYLINDRUS, i, m. *κύλινδρος*, lapis, aut lignum, aut quidvis aliud, oblongum quod sit ac rotundum instar columnae, aequale tamen omnibus partibus, neque in medio tumens, ut in columnis fit; a *κυλίω*, volvo. *Cic. N. D.* 1, 10. At mihi vel cylindri, vel coni, vel pyramidis *(forma)* videtur esse formosior. ℙ Hinc cylindrum appellavere lapidem hujus figurae, quo utebantur rustici ad arcas aequandas, huc et illuc saepius volutando. *Virg. G.* 1, 178. Area cum primis ingenti aequanda cylindro. *Cato R. R.* 129. Aream cylindro, aut pavicula coaequato. *Plin.* 19, 8, 46. Calcare aliquid cylindro. *Vitr.* 10, 6. In palaestris cylindri exaequant ambulationes. ℙ Gemmae quoque hac figura quae sunt, hoc nomine appellantur. *Juven.* 2, 61. donant arcana cylindros. *Plin.* 37, 5, 20. Cylindros ex beryllis facere malunt, quam gemmas, quoniam est summa commendatio in longitudine. Et *ib.* 8, 34. Cylindri ex chrysoprasio. Adde *Paul. Dig.* 34, 2, 32. §. 9. ℙ Adjectivi more. *Gell.* 6, 2. *med.* Lapidem cylindrum si per spatia terrae prona atque deruta jacias.

CYLLĀRUS et Cyllăros, i, m. *Κύλλαρος*, unus ex Centauris, idemque formosissimus, qui una cum uxore Hylonome in pugna cum Lapithis occisus occubuit. *Ov. Met.* 12, 393. et seqq. ℙ Item Castoris equus celebris. *Virg. G.* 3, 89. Talis Amyclaei domitus Pollucis habenis Cyllarus. Ubi *Servius:* Atqui Castor equorum domitor fuit: sed fratrem pro fratre posuit. Aut ideo Pollucem pro Castore posuit, quia ambo licenter aliquando *Castores* vocantur. *Stat. Th.* 6, 327. tua furto lapsa propago, Cyllare, dum Scythici diversus ad ostia ponti Castor Amyclaeas remo permutat habenas. *Senec. Hippol.* 810. Frenis Castorea mobilior manu Spartanum poteris flectere Cyllaron. Adde *Val. Fl.* 1, 425., *Prop.* 3, 12, 17. et *ib.* 21, 26., *Mart.* 8, 21., et *Claud. IV. Cons. Honor.* 555.

CYLLĒNE, es, f. *Κυλλήνη*, mons excelsus Arcadiae, in quo cypressi abunde proveniunt. In eo Mercurium natum atque educatum tradunt. *Virg. A.* 8, 138. Vobis Mercurius pater est, quem candida Maja Cyllenes gelido conceptum vertice fudit. *Ov. Fast.* 2, 270. Alta Cyllene. *Id. ib.* 4, 87. cupressifera. *Plin.* 10, 30, 45. scribit, merulas circa hunc montem, nec usquam aliubi, candidas nasci. ℙ Ap. *eund.* 4, 5, 6. sinus Cyllenes, olim Eleorum navale, est in Elidis ora litorali, prope ea loca, ubi nunc est *Chiarenza*, ubi fuit Cyllene oppidum cum portu capaci memoratum a *Mela* 3, 2., in quo, non in monte Arcadiae, Mercurium natum fuisse ait, ob id insigni. ℙ Est etiam nomen Nymphae, quam *Festus* Mercurii nutricem facit, alii matrem, alii aviam. *Serv.* ad *A.* 4, 252.

CYLLĒNĒUS, a, um, adj. *Κυλλήνειος*, ad Cyllenen, et Mercurium pertinens. *Catull.* 68, 109. Quale ferunt Graji Pheneum prope Cylleneum, *h. e.* Pheneum, *Φένεον*, quod *Plin.* 4, 6, 10. inter oppida Arcadiae recenset. *Ov. Met.* 11, 304. Cylleneus vertex, *h. e.* cacumen Cyllenes montis. *Id. A. Am.* 3, 147. Hanc placet ornari testudine Cyllenea, *h. e.* capillorum positu simili testudinis, seu lyrae, cujus inventor est Mercurius. *Hor. Epod.* 13, 9. fide Cyllenea Levare duris pectora sollicitudinibus, *h. e.* lyra. ℙ Legitur et *Cyllenaeus.*

CYLLĒNIS, ĭdis, f. adj. *Κυλληνίς*, ad Cyllenium, seu Mercurium pertinens. *Sil.* 16, 500. credas Cyllenida plantam Aetherio nexis cursu talaribus ire, *h. e.* pedes Mercurii. *Ov. Met.* 5, 175. trepidum Perseus, et inermia frustra Brachia tendentem Cyllenide confodit harpe, *h. e.* curva falce, quam a Cyllenio acceperat: vel similem illi, qua Cyllenius Argum occiderat, ut est *Met.* 1, 717. Adde *Lucan.* 9, 622. et 676.

CYLLĒNĬUS, a, um, adj. *Κυλλήνιος*, ad Cyllenem Arcadiae montem pertinens: item ad Mercurium, qui in eo monte natus est. *Mela* 2, 3. Cyllenius mons. *Ov. A. Am.* 3, 725. Ecce redit Cephalus silvis, Cyllenia proles, *h. e.* Mercurii filius ex Creusa. *Virg. G.* 1, 337. Cyllenius ignis, *h. e.* Mercurii stella. *Id. A.* 4, 258. Cyllenia proles, *h. e.* ipse Mercurius, qui et *Cyllenius* absolute dicitur *ib.* 252. et 276., et ab *Ov. Met.* 14, 291. etc. [*Hodie vetus nomen retinet.] Hujus autem appellationis causam non unam affert *Festus* his verbis: Cyllenius Mercurius dictus, quod omnem rem sermo sine manibus conficiat: quibus partibus corporis qui carent, *χυλλοὶ* vocantur: ideoque quadratum eum fingunt. Alii volunt, sic appellatum, quod in Cyllenia via sit nutritus: alii quod in monte Arcadiae Cyllene: alii quod a Cyllene sit Nympha educatus. Hactenus *Festus;* quam vere alii viderint. Nam quod de Cyllenia via narrat, alii aliter legi mallent. *Serv.* ad *A.* 8, 138. narrat, Mercurio in monte dormienti, tanquam furi, manus fuisse amputatas a Plexippo, et Eneto Chorici regis Arcadiae filiis, quod palaestricam artem ab iis clam hausisset, vulgassetque. Inde *χυλλὸν*, et Cyllenium dictum.

CYLLĒNUS, i, m. *Ov. Met.* 1, 217. Et cum Cylleno gelidi pineta Lycei, *h. e.* cum Cyllenio monte. *Heins.* tamen vult legi *Cyllene.*

CYLLO. V. CILO.

[CYLŌNIUS, a, um, adj. *Κυλώνειος*, ad Cylonem pertinens Olympionicen Atheniensem, qui suadente Megaride uxore sua, inhiavit tyrannidi, mox a Megacle Alcmaeonide, et collegis archontibus interfectus est. Ejus socii ad Eumenidum aram profugi ibidem necati sunt: quod pro sacrilegio sacerrimo habitum, ipsique facinoris auctores cum posteris exsilio multati sunt aeterno. Hinc *Cylonium scelus*, *Κυλώνειον ἄγος*, ap. *Cic. Leg.* 2, 11., nempe interfectio sociorum Cylonis supplicum ad aram ab Atheniensibus contra fidem datam perpetrata. V. *Thucyd.* 1, 126., et *Herod.* 5, 66. et 71. ℙ Sunt qui *Cylonius* paenult. brevi efferendum putant, quia *Hesych.* habet *ἄγος Κυλώνιον*, nisi tamen *Κυλώνειον* corrigendum sit.

CYMA, ae, f. et Cymă, ătis, n. *κῦμα*, quorundam olerum, et praesertim brassicae delicatior teneriorque cauliculus, ut *Plin.* 19, 8, 41. *n.* l. definit, qui emitti solet vere primo, suavissimus esui, sed medicinae inutilis, ut *Id.* 20, 9, 35. tradit. Dicta est a *κύημα* contracte, quasi partus, quia florem et semina continet suo tempore eruptura. *Cels.* 2, 21. Mali succi est brassica, magisque etiam cyma ejus. *Plin. l. prius c.* Brassica cymas a prima sectione praestat proximo vere. *Colum.* 10, 130. Frigoribus caules, et veri cymata mittit. *Id.* 11, 3. *med.* Brassicae major pars in cymam prosilit. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 29. Asparagi molles, viride cyma. ℙ [Etiam *cuma* scribitur ob affinitatem litterarum *u* et *y*. *Edict. Dioclet.* p. 15. Cumae optimae fascem l. ✠ quattuor. *F.*]

CYMAEUS. V. CUMAEUS.

CYMĀTĪLIS, e, adj. qui est coloris viridis et marini, aut, quod idem fere est, caerulei, ac Veneti: a Graeco *κῦμα*, fluctus, unda. Ita *Non.* 16, 1. ubi *Titin.* Et quem colos cymatilis deceat. *Pl. Epid.* 2, 2, 49. Cymatile, aut plumatile, cerinum, aut gerrinum. ℙ Scribitur et *cumatilis:* facile enim, et ex veterum Latinorum consuetudine Graecum *υ* in *u* transit

CYMĀTĬUM et Cymation, ii, n. *κυμάτιον*, membrum in architectura, cujus pars quaedam est turgidior, quaedam pressior, idque molliter, et sine angulo, in modum aquae undantis: a *κῦμα*, unda. Locum habet in capitulis, epistyliis, stylobatis, coronis, etc., ut patet ex *Vitr.* 3, 3. et 4, 6. ℙ In *vet. Lapide* ap. *Grut.* 207, 2. habetur *cumatium* ea ratione, quae dicta est in v. praec.

CYMBA, ae, f. *κύμβη*, Graeca vox teste *Festo:* a *κύμβος*, cavus recessus, ut *Hesych.* interpretatur. Itaque proprie videtur significare illas, quas *Virg. G.* 1, 136. appellat *alnos cavatas.* Universim autem est genus navigii minoris, amnibus, et lacubus, stagnisque trajiciendis. *Cic. Off.* 3, 14. Cymbarum ante hortulos multitudo. *Ov. Trist.* 2, 329. Non ideo debet pelago se credere, siqua Audet in exiguo ludere cymba lacu. *Id. Fast.* 6, 777. celeri decurrere cymba. *Id. Met.* 1, 293. Cymba adunca. *Id. Am.* 3, 6, 4. concava. *Hor. Od.* 2, 3, 26. omnium Versatur urna serius ocius Sors exitura, et nos in aeternum Exsilium imperitura cymbae, *h. e.* navi Charontis, de quo *Virg. A.* 6, 303. Et terruginea subvectat corpora cymba, et *Prop.* 3, 16, 24. Scandenda est torvi publica cymba senis. *Plin.* 7, 56, 57. cymbam Phoenices invenisse ait. ℙ Translate. *Prop.* 3, 2, 21. Cur tua praescriptos evecta est pagina gyros? Non est ingenii cymba gravanda tui. ℙ Scribitur et *cumba* ea ratione, qua in CYMATILIS dictum est. *Prud. περὶ στεφ.* 11, 69. quos properes rimosae imponere cumbae, *h. e.* occidere. *Bentlej.* quoque *cumbae* edidit in *Hor. l. c.*

[CYMBĀGO, as, a. l. a *cymba* et *ago:* ago cymbam. *Not. Tir.* p. 178. Cumbagat: *nempe pro* Cymbagat. *F.*]

[CYMBĀLĀRIS, is, f. herba eadem ac cotyledon, seu umbilicus Veneris. *Appul. Herb.* 43. *F.*]

CYMBĀLĬCUS, a, um, adj. ad cymbalum pertinens. *Venant. carm.* 2, 13, 57. Cymbalicae voces calamis miscentur acutis.

CYMBĀLISSO et Cimbalizo, as, cymbalum quatio, *κυμβαλίζειν*. *Cassius Hemina* ap. *Non.* 2, 169. Mulier cantabat tibiis Phrygiis, et altera cymbalissabat.

CYMBĀLISTĂ, ae, m. *κυμβαλιστής*, qui pulsat

cymbala. *Appul. de Deo Socrat.* Strepitu cymbalistarum, et tympanistarum, et choraularum.

CTMBĂLISTRĬĂ, ae, f. *κυμβαλίστρια*, quae cymbalum pulsat. *Petr. Sat.* 22. *extr.* Intrans cymbalistria, et concrepans aera, omnes excitavit. *Inscr.* ap. *Grut.* 318, 12. Hic sita est Propitiae (forte leg. *Propitia*) pupa et famula Bacchi cymbalis*tria*. Alia ap. *Mur.* 1980, 7. Attini sacrum, et Minervae Berecint*iae* Concordia colliber*ta* Januarii cimboliaco (*corrige* cymbal*istria* loco) secundo, etc. Alia ap. *Jo. Reyn. Carlium AA. Ital. T.* 2. p. 114. *Magnae Deum Matri* Q. Publicius Charito sacerdos T., C. Sulpicius Hermes aedituus, et Secunda cymbalistria.

[CYMBĂLĬTIS, idis, f. herba eadem ac cymbalaris. *Marcell. Empir.* 14. *F.*]

CYMBĂLUM, i, n. *κύμβαλον*, vox Graeca ab eadem radice, unde *cymba*, significat instrumentum aereum cavum, hemicycli figura (ut ex *Serv.* ad *G.* 64. habetur) latumque instar pelvis, quod percussum, instar crotali, sistri, aut cujusvis crepitaculi sonum edit. Adhibebatur praecipue in sacris Cybeles a Corybantibus et Gallis ejus ministris: item in saltationibus obscenis, et lascivis conviviis, et Bacchanalibus nocturnis. *Virg. l. c.* Tinnitusque cie, et Matris quate cymbala circum. Ubi *Servius:* Quae in ejus tutela sunt, quod similia sint hemicyclis coeli, quibus cingitur terra, quae est mater Deorum. *Lucr.* 2, 618. Tympana tenta tonant palmis, et cymbala circum Concava. *Cic. Pis.* 9. Neque supercilium tuum, neque collegae tui cymbala ac crotala fugi. Et *ib.* 10. Cum collegae tui domus cantu, et cymbalis personaret. *Quint.* 11, 3. *med.* Quod si omnino recipiendum est, (h. e. *cantus in pronunciatione*) nihil causae est, cur non illam vocis modulationem fidibus ac tibiis, immo mehercule, quod est huic deformitati propius, cymbalis adjuvemus. Similem huic locum habet *Plin. ep.* 2, 14. *s. f.* ℙ Quod in Bacchanalibus quoque adhibitum sit, testis est locuples *Liv.* 39, 8. et 10. ℙ Fere autem in plurali num. usurpatur, quia bina pulsari solebant, alterum cum altero collidendo, et conjunguntur saepe cum tympanis, ut ap. *Liv.*, *Plin.* et *Lucr. l. c.*, *Appul. Met.* 8. *s. f.*, *Plin.* 5, 1, 1. et *Ov. Fast.* 4, 213., quia simul cum his in sacris pulsabantur. *Stat. Th.* 8, 221. Gemina aera sonant, Idaeaque terga, etc., *h. e.* cymbalæ et tympana. ℙ In machinis hydraulicis *cymbala* dicta sunt ob similitudinem vasa quaedam ad sonum edendum accommodata. *Vitr.* 10, 13. ℙ Translate. *Plin. praef. H. N. med.* Apion Grammaticus, hic quem Tiberius Caesar cymbalum mundi vocabat, cum publicae famae tympanum potius videri posset, *h. e.* ubique personans certaminibus et contentionibus litterariis, unde et *πλειστονείκης* cognominatus est. *Virg. Catal.* 7. Ite hinc, inanes, cymbalon juventutis, *h. e.* scholastici rhetores, et grammatici obstrepentes assidua contentione docendi auribus juventutis. Quo pertinet *Mart. epigr.* 9, 69. ℙ *Cymbalum* pro *cymbalorum* habet *Catull.* 63, 21.

CYMBĬUM, ii, n. *κύμβιον*, genus vasis potorii, a figura cymbae ita dicti, teste *Festo.* Multa autem sunt, inquit *Macr. Sat.* 5, 21., poculorum genera a re navali cognominata. V. ibi plura ex Graecis auctoribus hac de re. *Virg. A.* 3, 66. Inferimus tepido spumantia cymbia lacte. *Id. ib.* 5, 267. Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis. *Mart.* 8, 6. Ficta Saguntino cymbia malo luto. Adde *Varr.* ap. *Non.* 15, 21.

CYMBŬLA, ae, f. diminut. cymbae. *Plin. ep.* 8, 20. Ut cymbulae onerariis adhaerescunt. Adde *Not. Tir.* p. 178., ubi tamen pro *cymbula* legitur *cumbila.*

CYMĒ. V. CUMA.

CYMINDIS, is, f. *κύμινδις*, accipitris genus noctu volans, internecinum bellum cum aquila gerens. *Plin.* 10, 8, 10.

CYMĪNUM. V. CUMINUM.

CYMINUS. V. CIMINUS.

CYMODOCĒ, es, et Cymodocēa, ae, f. *Κυμοδόκη*, *Κυμοδόκεια*, Nympha marina, Nerei, et Doridis filia: a *κῦμα*, unda, et *δέχομαι*, suscipio, quia undas maris quiescere facit. *Virg. A.* 10, 225. et *G.* 4, 338. et *Hyg. praef. fabular.*

CYMOSUS, a, um, adj. cymis abundans. *Colum* 10, 138. Quae duri praebent cymosa stirpe Sabelli.

CYMOTHŌĒ, es, f. Nympha marina, Nerei, et Doridis filia: a *κῦμα*, unda, et *θέω*, curro, quod per fluctus discurrat. *Virg. A.* 1, 148. et ibi *Serv.* Adde *Sil.* 3, 58.

CYNĂ, ae, f. arbor est in Arabia, folio palmae simili, ex quo Arabes vestes sibi conficiunt. *Plin.* 12, 11, 22. [*Ex *Forsteri* sententia *Bombax Ceiba* ap. *L.*]

CYNĂCANTHĂ, f. *κυναξάνθη*, *h. e.* spina canis: a *κύων*, *κυνὸς*, canis, et *ἄκανθα*, spina: planta est, cujus vermiculi cantharides generare dicuntur a *Plin.* 11, 35, 41. [**Hundsdorn.* Fortasse *Rosa canina L. Hagebuttenstrauch.*]

CYNĂMOLGI, orum, m. plur. *κυνάμολγοι*, populi Africae in Aethiopia canino capite, si *Plinio* 6, 30, 35. credimus. Alii dicunt canino lacte vesci: atque hoc ipsa appellatio significat: a *κύων*, *κυνὸς*, canis, et *ἀμέλγω*, mulgeo.

CYNĂRA. V. CINARA.

[CYNASYNUS, a, um, adj. ad Cynasyn, seu Gumasan pertinens, Byzacenae oppidum, de quo vide *Morcell. Africa Christ. T.* 1. p. 176. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 782. Ammicar Milchatonis F. Cynasyn*us. F.*]

CYNĒGĔTĬCUS, a, um, adj. *κυνηγετικὸς*, venatorius. Cynegetica volumina quae de venatione tractant, et ita inscripsere opus suum *Gratius Faliscus*, et *Olympius Nemesianus*, a *κυνηγέω*, venor.

[CYNĒGIS, dis, f. *κυνηγὸς*, *κυνηγέτις*, venatrix. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 348, 7. Aemilia Cynegis. *F.*]

CYNĔUM mare dictum est, in quod Hecuba se praecipitavit, et in canem conversa est. *Hyg. fab.* 111, et 13. *Κύνειος* autem caninum significat.

CYNĪCE, es, f. *Κυνική*, Cynicorum secta, apud *Auson. epigr.* 27.

CYNĪCĒ, adv. *κυνικῶς*, more Cynicorum. *Pl. Stich.* 5, 4, 22. Potius in subsellio cynice accipiemur, quam in lectis.

CYNĪCUS, a, um, adj. *κυνικὸς*, proprie caninum significat, a *κύων*, *κυνὸς*, canis. Transfertur autem ad denotandam philosophorum quandam sectam. Fuerunt enim philosophi ab Antisthene profecti, teste *Cic. Or.* 3, 17., ita dicti a Cynosarge gymnasio, ubi versabatur Antisthenes, vel a *κύνες*, canes, quasi canini, a canina mordacitate, qua in hominum vitia nullo discrimine invehebantur, sive quod canum more in propatulo et vesci, et ventrem exonerare, et coire non dubitarent. Hi physicam et dialecticam tollebant, solique morali innitebantur, repudiabant liberales artes, maxime geometriam et musicam. *Juven.* 13, 121. Et qui nec cynicos, nec Stoica dogmata legit A Cynicis tunica distantia. Ubi *Schol.* Dicit Cynicorum et Stoicorum dogma convenire, tantum veste distare. Nam Cynica mater est haeresis Stoicae. *Petr. Sat.* 14. Ipsi, qui Cynica traducunt tempora coena, Nonnunquam nummis vendere verba solent, *h. e.* vilioribus cibis, et parco ac sordido victu. ℙ In illo *Juven.* 14, 309. *dolia nudi non ardent Cynici*, intelligitur Diogenes, qui nudus in dolio habitasse fertur. ℙ *Cynici spastici* dicuntur a *Plin.* 25, 5, 24. qui obnoxii sunt distortionibus et convulsionibus quibusdam, quae in morem canini rictus ora distorqueant. Ita legit et interpretatur *Hard.* ex *MSS. Cels.* 4, 2. *f.* Circa faciem morbus innascitur, quem Graeci *κυνικὸν σπασμὸν* nominant. Nihil aliud est, quam distortio oris.

CYNIPHIUS. V. CINYPHIUS.

CYNIRAS. V. CINYRAS.

[CYNIZUSA, ae, f. *κυνίζουσα*, cynice vivens. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1639, 10. Attia Cinizusa. Ex facillima mutatione *y* in *i* pro *Cynizusa. F.*]

[CYNOCARDĀMON, i, n. herba eadem ac nasturtium caninum. *Appul. Herb.* 20. *F.*]

CYNOCEPHĂLĒA, ae, f. *κυνοκεφαλεία*, herba canino capiti similis, al. osirites, ad omnia venena efficax. *Plin.* 30, 2, 6. Hanc *Appul. Herb.* 87. *cynocephalion* vocat.

CYNOCEPHĂLI, orum, m. plur. *κυνοκέφαλοι*, homines monstrosi, seu potius simiae capillatae, canino capite: quarum lacte vivere Nomades quosdam in Africa, *Plin.* 6, 30, 35. tradit. Meminit etiam 8, 54, 80. et 37, 9, 40. Dicti sunt a *κύων*, *κυνὸς*, canis et *κεφαλή*, caput. *Cic. Att.* 6, 1. *f.* Erat praeterea cynocephalus in essedo: nec deerant onagri. [**Simia Inuus. L.*] ℙ Ap. *Tert. Apol.* 6. Cynocephalus est Anubis, quia caput caninum habet. Adde *Minuc. Fel. in Octav.* 22.

[CYNODONTES, ium, m. plur. *κυνόδοντες*, Graecis sunt dentes, qui a Latinis *canini* appellantur, quod acuminati sint in formam dentium canis. *Cynodontes* sunt etiam *portentosi homines, quibus gemini procedunt dentes*, ut ait *Isid. Orig.* 11, 3. ex *Sol.* 1. *F.*]

CYNOGLOSSOS, i, f. *κυνόγλωσσον*, herba, lingua canina dicta a *Celso* 5, 27. *f.*, quod folia habet caninae linguae similia: a *κύων*, *κυνὸς*, canis, et *γλῶσσα*, lingua. *Plin.* 25, 8, 41.

CTNOIDES. V. CYNOMYIA.

[CYNOMAZON, i, n. a *κύων*, canis, et *μάζα*, offa; herba sic appellata, quod in offa data canes enecat. *Appul. Herb.* 109. *F.*]

CYNOMORION, ii, n. *κυνομόριον*, herba eadem quae orobanche, a similitudine canini genitalis: a *κύων*, *κυνὸς*, canis, et *μόριον*, genitale. *Plin.* 22, 25, 80.

CYNOMYIA, ae, f. quadrisyllab. *κυνομυία*, unum ex nominibus psyllii, quae herba est radice tenui, supervacua, (*h. e.* nullius in medicina usus) sarmentosa, fabae granis in cacuminibus, foliis canino capiti non dissimilibus, (unde et cynoides dicta est, a *κυνοειδὴς*, cani similis) semine autem pulici: unde et nomen: a *κύων*, *κυνὸς*, canis, et *μυῖα*, musca, pulex. *Plin.* 25, 11, 90. [**Flöhkraut.*]

CYNOPHĂNES, um, m. plur. *κυνοφανεῖς*, monstrosi homines caninis capitibus: a *κύων*, canis, et *φαίνω*, appareo: iidem sunt ac cynocephali. *Tert. Apol.* 8.

CYNOPŌLIS, is, f. nunc *El-Gis*, idest urbs canum (a *κύων*, *κυνὸς*, canis, et *πόλις*, urbs) oppidum est excisum Aegypti ad Nilum fluvium inter Oxyrinchon, et Hermopolin, ubi Anubis colebatur, et honor, et sacer quidam cibus canibus constitutus erat. *Plin.* 5, 10, 11.

[CYNOPS, ōpis, f. *κύνωψ*, herbae genus spicatae, eadem ac canaria. V. CANARIUS. Eam memorat *Plin.* 21, 17, 61. *F.*]

CYNORRHODĂ, ae, f. et Cynorrhodon, i, n. *κυνόῤῥοδον*, rosa silvestris contra canis rabidi morsus efficacissima: a *κύων*, canis, et *ῥόδον*, rosa. [**Hundsrose. Rosa canina. L.*] *Plin.* 24, 13, 74. Alia est cynorrhoda, quam etc. *Id.* 25, 2, 6. Radix silvestris rosae, quam cynorrhodon vocant. Adde *eund.* 29, 4, 30., 25, 10, 77. et alibi. ℙ Item flos lilii rubentis. *Id.* 21, 5, 11.

CYNOSBĂTOS, i, f. *κυνόσβατος*, genus rubi, fructum subrutilum pariens malo Punico similem. Est autem planta inter fruticem, et arborem, rosae non absimilis. Ejus meminit *Plin.* 16, 37, 71. Est a *κύων*, canis, et *βάτος*, *ἡ*, rubus, sentis. Unde et *caninus rubus* dicitur a *Pall.* 1, 34. *med.*, sentem canis Latine appellari docet *Colum.* 11, 3. *in.* [**Hagerose. Rosa canina. L.*] ℙ Item aliud genus rubi folium habens vestigio hominis simile. *Id.* 24, 14. Fert et uvam nigram, in cujus acino nervum habet: unde et neurospastos dicitur. *Plin.* 24, 14, 74. [**Gichtbeere. Ribes nigrum. L.*] ℙ Item capparis. *Id. ib.* et 13, 23, 44. [**Capparis spinosa. L.*]

[CYNOSDEXĬĂ, ae, f. piscis marinus, vel potius zoophyton. Est a *κύων* canis, et *δεξιὰ*, dextra. *Plin.* 32, 11, 53. Extra haec sunt rotundae in oleario usu cochleae, cucumis, cynosdexia, draco. *F.*]

CYNOSORCHIS, is, f. *κυνὸς ὄρχις*, *h. e.* testiculus caninus, herba est foliis oleae mollibus ternis, pravisque, semipedis longitudine, in terra stratis, radice bulbosa, oblonga, duplici ordine, superiore, quae durior est, inferiore, quae mollior. *Plin.* 27, 8, 42.

CYNOSSĒMĂ, ătis, n. promont. Chersonesi Thraciae, apud Sestum, ubi Hecubae sepulcrum monstrabatur: a genit. *κυνὸς*, canis, et *σῆμα*, sepulcrum, quia Hecubam in canem conversam esse fabulantur. *Plin.* 4, 11, 18.

CYNOSŪRĂ, ae, f. *κυνὸς οὐρὰ*, sidus septentrionale septem stellis constans, quarum una in infima cauda posita polus vocatur, per quem locum ipse mundus existimatur versari. V. ARCTOS. ℙ Dicta est quasi *canis cauda*, a *κύων*, canis, et *οὐρά*, cauda, quia quas habet a tergo stellas, ita dispositae sunt, ut erectam canis caudam efficere videantur. *Cic. Ar. N. D.* 2, 41. Ex his altera apud Grajos Cynosura vocatur, Altera dicitur esse Helice. ℙ Hanc maxime servabant in navigando Tyrii et Sidonii, ut Graeci Helicen. *Ov. Fast.* 3, 107. et *Trist.* 4, 3. *in.* et *Val. Fl.* 1, 17. ℙ Adjective *cynosura ova* Graeca appellatione quidam vocarunt ova sterilia et inania, cum gallinae incubationem dereliquere: sed hoc solummodo veris tempore: quae et *Zephyria* dicta sunt, quod quidam ea vento putant generari. Haec ex *Plin* 10, 60, 80. Hac autem significatione deducitur ab *οὖρον*, urina, quasi sint urina canis: unde et *urina ova* appellantur. *Id. ib.* 58, 79. ℙ *Cynosurae, arum*, est promontorium Achaiae in ora Atticae, ad ostia Asopi fluvii. *Cic. N. D.* 3, 22. *f.* ℙ Item *Cynosura, ae*, est oppidum Peloponnesi in Arcadia. *Stat. Th.* 4, 295.

CYNOSŪRIS, idis, f. idem quod Cynosura, *κυνοσουρίς*. *Ov. Trist.* 5, 3, 7. Stellis Cynosuridos Ursae. Adde *Avien. Ar.* 442. ℙ Adj. *Germanic. phaenom. Ar.* 184. Cepheos extremam tangit Cynosurida caudam.

CYNOZOLON, i, n. *κυνόζολον*, herba alio nomine chamaeleo appellata, quia cum terra colores mutat, nigri coloris, a quibusdam et cynozolon vocatur propter gravitatem odoris, vim habet necandi ricinos canum. Haec ex *Plin.* 22, 18, 21. Est autem a *κύων*, canis, et *ὄζη*, odor, foetor.

CYNTHĬUS, a, um, adj. *Κύνθιος*, a Cyntho, ut *Cynthius Apollo*, qui et *Cynthius* absolute dicitur. *Hor. Od.* 1, 21, 2. Intonsum pueri dicite Cynthium. Sic Diana *Cynthia* dicitur ap. *eund. ib.* 3, 28, 12. et *Lucan.* 1, 218. Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu, *h. e.* Luna. *Senec. Herc. Oet.* 641. Quos felices Cynthia vidit, Vidit miseros enata dies, *h. e.* Luna praecedentis noctis: vel ipsa nox praecedens, metonymia. ℙ Apud *Prop.* 2, 33, 1. et *Ov. R. Am.* 764. Cynthia est nomen puellae dilectae. ℙ Apud *Plin.* 4, 12, 22. Cynthia est ipsa Delos.

CYNTHUS, i, m. *Κύνθος*, Deli mons usque adeo editus, ut totam insulam dicatur obumbrare. In hoc monte Apollo et Diana nati altique sunt. *Hinc Cynthius* ille, haec *Cynthia* appellati. *Plin.* 4, 12, 22.

[CYPĂPHĂPĬI, vel potius *Cypapaphii*, *orum*, m. plur. (a *κύπη*, foramen, vel *κύπτω*, inclinor, et *Ἀφιος*, Venereus, molles, cinaedi, impudici, prae-

posteram Venerem patientes. *Firmic. Mathes.* 7, 16. In omni vero genitura, si Luna in cauda Leonis fuerit inventa, cinaedos efficiet, matris Deorum cypapaphiis servientes. *F.*]

[CYPARĒ, es, f. *κύπαρος*, vas magnum concavum. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 638, 7. Clodia Cypare. *F.*]

CYPĂRISSAE, et Cyparissiae, appellantur acies quaedam igneae, quae noctu apparere solent ad similitudinem cupressi. *Festus*, et *Senec. Q. N.* 1, 15.

[CYPĂRISSIAS, ae, f. genus tithymali. *Plin.* 26, 8, 43. Quintum genus cyparissian vocant, propter foliorum similitudinem, caule gemino aut triplici nascentem in campestribus. *F.*]

CYPĂRISSĬFER, a, um, adj. cyparissos ferens, cyparissis abundans. *Sidon. carm.* 23, 417. Quantum non cyparissifer Lycaeus.

CYPĂRISSĬUS Sinus, nunc *Golfo dell' Arcadia*, est in Peloponneso in ora Meseniae, ubi et urbs Cyparissa fuit. *Plin.* 4, 5, 7. ℙ *Cyparissia* est genus tithymali, folio cupressi simili. *Id.* 26, 8, 43.

[CYPĂRISSOS, i, f. herba quaedam verbenacea. *Appul. Herb.* 3. *F.*]

CYPĂRISSUS, i, m. puer fuit Amyclei (al. Telephi) filius, ex insula Cea, ab Apolline adamatus. Hinc cum cervum mirae pulcritudinis educasset, domesticumque reddidisset, et valde eo oblectaretur; quadam die imprudens sagitta transfixit: sed ingenti dolore omnem Apollinis consolationem respuens, petiit a Superis, ut omni deinceps tempore lugere posset: quare eorum miseratione in arborem sui nominis mutatus est. Alii dicunt Cretensem fuisse, pulcherrimum et castissimum: qui, cum castitatem servare cuperet, Apollinem, vel, ut alii, Zephyrum amantem se fugiens, ad Orontem fluvium pervenit, ibique in eam, quae dicta est, arborem, mutatus est. Qua visa, Apollo *Ingemuit, tristisque Deus, lugebere nobis, Lugebisque alios, aderisque dolentibus, inquit.* Ita claudit fabulam *Ov. Met.* 10, 141., quam paucis immutatis narrat etiam *Serv.* ad *G.* 1, 20. et ad *A.* 3, 64. et 680. Hinc est quod cyparissi in funeribus adhibentur. V. CUPRESSUS. *Virg. A.* 3, 680. Aeriae quercus, aut coniferae cyparissi. ℙ Porro ipsa vox dicta videtur quibusdam *ἀπὸ τοῦ κεῖν παρ' ὁσους τοὺς ἀκρεμόνας*, ab emittendis parilibus ramis. Fabulantur autem fuisse Eteoclis filias, quae cum tripudio ad Dearum aemulationem exsultarent, in altum puteum inciderunt. Quas tellus miserata, inde arbores aspectu pulcras, quales erant puellae, eduxit. Unde *Cyparissi* etiam Charites dicuntur a Graecis.

CYPĔRIS. V. in v. seq.

CYPĔROS, i, m. *κύπειρος*, et *κύπερος*, juncus est angulosus, juxta terram candidus, cacumine niger pinguisque, folia habens porraceis exiliora, in cacumine minuta, inter quae est semen. Radix olivae nigrae similis est: quam, cum oblonga est, cyperida vocant, magni in medicina usus. Odorem habet nardum imitantem, *Plin.* 21, 18, 70. ℙ *Celsus* 3, 21. *med.* et 4, 20. juncum quadratum appellat. ℙ Est etiam neutrius generis. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Faba, lens, cyperum, medica. *Petr. Sat.* 127. Emicuere rosae, violaeque, et molle cyperon. Adde *Colum.* 12, 20. Nisi forte haec ad *cypirum* pertinent, quam vocem vide infra: nam facile confunduntur. Consule botanicos.

CYPHI, is, n. *κῦφι*, ab *Hieron.* 2. *in Jovinian. n.* 8. enumeratur inter odoramenta cum amomo, oenanthe, musco, et aliis. Est autem compositio suffimenti, quo Aegyptii sacerdotes utebantur in sacris: cujus componendi rationem, et usus aliquot in medicina tradit *Dioscorides* 1, 24.

CYPĪRUS, i, f. *κύπειρος*, herba est, Latine gladiolus, radice bulbosa, odore nardo simili, variique usus in medicina. Ea radix dulcis est, et decocta panem etiam gratiorem facit, et ponderosiorem, simul subacta. *Plin.* 21, 17, 67. et *ib.* 18, 69. ℙ Legitur et *Cyperus.*

CYPRĔUS. V. CUPREUS.

CYPRĬĂCUS, a, um, adj. idem quod Cyprius, ut Cypriaca expeditio, *Val. Max.* 4, 3, *n.* 2. Cypriaci tauri, *Capitolin. Gordian.* 3. *f.*

CYPRĬĂNUS, i, m. Thascius Caecilius Cyprianus, Afer, Carthaginiensis, et illius urbis episcopus, illustris Christi martyr, pro Fide et Ecclesia Dei constantissime mortem obiit sub Valeriano et Gallieno, an. a Chr. n. 258. De eo *Lact.* 5, 1. *f.* Unus igitur praecipuus et clarus exstitit Cyprianus, quoniam et magnam sibi gloriam ex artis oratoriae professione quaesierat, et admodum multa conscripsit in suo genere admiranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suavi, et (quae sermonis est maxima virtus) aperto: ut discernere nequeas, utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit. Haec *Lactantius.* Ejus autem Latinitas pro illis temporibus, et ut Afri hominis, et *Tertulliani* scriptis summopere delectati (adeo ut quoties eum posceret, soleret dicere *da magistrum*) satis nitida, et, ut ita dicam, casta est: longeque abit ab *Tertulliani* ferreo stilo et novatione verborum. *Hieron. ep.* 58. *n.* 10. Cyprianus instar fontis purissimi dulcis incedit, et placidus.

CYPRĬCUS, a, um, adj. Cyprius. *Cato R. R.* 8. Laurus Delphica, et Cyprica, et silvatica.

CYPRĪNUS, a, um, adj. *κυπρῖνος*, ad cyprum arborem pertinens. Hinc *cyprinum* absolute (subaudi *unguentum*, aut *oleum*) est unguentum, quod fit ex semine ejus, cocto in oleo, deinde expresso: quod et *cyprus* vocatur. Optimum habetur e Canopica in ripis Nili nata: secundum Ascalone Judaeae: tertium Cypro insula, odoris suavitate. Porro ipsa arbor habet ziziphi folia, et semen coriandri candidum et odoratum. Ita *Plin.* 12, 24, 51. describit. *Id.* 13, 1, 2, cyprinum memorat ex cypro, et omphacio, et cardamomo, calamo, aspalatho, abrotano: quibus alii addant myrrham, et panacem. Meminit etiam *Celsus* 2, 33., ubi recenset inter ea, quae calefaciunt, et 4, 20. etc. ℙ *Cyprīnus*, *κυπρῖνος*, est etiam nomen piscis marini; qui ita dictus videtur a Cypride, *h. e.* Venere. Est enim tantae fecunditatis, ut sexies in anno parere dicatur a *Plin.* 9, 51, 74. Quidam vocant Italice *reina:* quam recte, ipsi viderint.

CYPRIS, idis, f. *Κυπρίς*, Venus, quae in Cypro maxime colebatur, unde appellatur ab *Hor. Od.* 3, 1. Diva potens Cypri. *Auson. epigr.* 57. Vera Venus Gnidiam cum vidit Cyprida, dixit: Vidisti nudam me, puto, Praxitele. ℙ In genit. habet etiam *Cypris*, et in accusat. *Cyprin. Auct. Pervigil. Ven.* 23. de rosa. Facta Cypris de cruore, deque Amoris osculis. *Auson. epigr.* 106. Cyprin Apellei cerne laboris opus. ℙ In vocativo est *Cypri. Id. ib.* Jam tibi nos, Cypri, Juno inquit, et innuba Pallas, Cedimus. Ultimam *Auson.* licentia produxit, cum sit brevis, ut videre est in *Aeoli, Cecropi, Gnosi, Inachi, Philli, Sidoni* etc.

CYPRĬUS, a, um, adj. *Κύπριος*, ad Cyprum pertinens. *Cic. Dom.* 20. Rex Cyprius. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 35. Cypria expeditio Catonis. *Id.* 5, 31, 35. Cypriae insulae, *h. e.* Cypro adjacentes. *Plin.* 15, 30, 39. et 17, 10. 11. Cypria laurus, femina, et baccalia et baccalis dicta: altera fuit a Delphica seu triumphali, quae mas et sterilis fuit. ℙ *Cyprii, orum*, sunt incolae Cypri. *Curt.* 4, 3., *Plin.* 7, 56, 57. etc. ℙ *Cyprius*, vel potius *Cyprius vicus* fuit Romae in ascensu Exquiliarum, prope vicum Sceleratum: nomenque habuit ex eo, quod ibi Sabini cives additi consederunt, qui a bono omine id appellarunt. Nam cyprum (al. *cuprum*) Sabine est bonum. *Varr. L. L.* 4, 32. *f.*, *Liv.* 1, 48. ℙ *Cyprius* pes metricus quinque syllabis constat, brevi, longa, duabus brevibus, et longa, ut *amabilitas.* Huic contrarius est *Anticyprius* habens longam, brevem, duas longas, et brevem, ut *pertimescebat. Diomed.* 3, 479. ℙ *Cypria Venus*, quod ei primum in Cypro insula templum sit constitutum: vel quia parientibus praesidebat, quod Graece *κύειν* parere sit. *Festus.* Absolute *Tibull.* 3, 3, 34. concha Cypria vecta tua. ℙ *Cyprium, aes*, ita dictum, quod in Cypro insula prius repertum est, fit ex lapide aeroso, quem cadmiam vocant, et est ductile: cui si addatur plumbum, colorem purpureum acquirit. Ita *Isid. Orig.* 16, 19. ex *Plin.* 34, 8, 20. *Plin.* 33, 5, 29. Teritur in Cypriis mortariis, *h. e.* ex aere Cyprio factis. *Id.* 28, 8, 27. Medicamentum asservare in Cypria pyxide. *Scrib. Compos.* 37. Reponitur pyxide aeris Cyprii. ℙ Proverbium est ap. *Enn. Festo* teste, *Cyprio bovi merendam* de sordidis convivis sordida coena acceptis, quia in Cypro boves humano stercore pascuntur.

[CYPROGĒNĬA, ae, f. in Cypro genita. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 79, 1. Galeria Cyprogenia. In lapide legitur *Cuprogenia* ob facilem permutationem *y* in *u. F.*]

CYPRUM, i, n. V. CUPRUM.

CYPRUS et Cypros, i, f. *Κύπρος*, insula magna maris mediterranei, ubi Cilicium cognominatur, contra Ciliciam ad Boream, et Syriam ad orientem solem. *Just.* 6, 1. Conon, amissa bello patria, Cypri exsulabat. *Lucan.* 3, 164. Quod Cato longinqua vexit super aequora Cypro, (V. similia in AEGYPTUS.) *Plin.* de hac insula multa 5, 31, 35. ℙ Habita est Veneri sacra, tum ob ubertatem soli, omniumque deliciarum copiam, tum quia primum ei templum ibi constitutum fuit. V. CYPRIUS et CYPRIS. *Ov. Met.* 10, 718. Cypron olorinis nondum pervenerat alis. ℙ De Cypro arbore, et unguento V. CYPRINUS. [**Lausonia inermis. L.*]

CYPSĔLĪDES, ae, m. *Κυψελίδης*, patronymicum a Cypselo Corinthi tyranno (*Cic. Tusc.* 5, 37.), qui Periandri pater fuit: ita cognominatus a *κυψέλη*, alveare apum, in quo, cum ad necem quaereretur, occultatus a matre diu delituisse dicitur. *Virg. Cir.* 464. Cypselidae et magni florentia regna, Corinthum, *h. e.* Periandri.

CYPSĔLUS, i, m. *Κύψελος*, Corinthi tyrannus, de quo in v. praec. ℙ *Cypseli* item, vel *Cypselli* sunt aves ex genere hirundinum, dictae etiam *apodes*, quia carent usu pedum. Dictas volunt, quia nidos faciant cistularum instar. Nam *κυψέλη* cistulam significat. *Plin.* 10, 39, 55.

CYRĒNAEUS, a, um, adj. item quod Cyrenaicus, *Κυρηναῖος. Cic. Acad.* 4, 24. Cyrenaei videntur minime contempti philosophi, qui negant esse quidquam, quod percipi possit extrinsecus: ea sola se percipere, quae tactu intimo sentiant, ut dolorem, ut voluptatem: neque se, quo quid colore, aut quo sono sit, scire, sed tantum sentire, affici se quodammodo. *Sil.* 8, 159. Tum Cyrenaeam fatis agitantibus urbem Devenio, *h. e.* Cyrenen. *Prop.* 4, 6, 4. Et Cyrenaeas urna ministret aquas, *h. e.* quibus usus est in sacris Callimachus Cyrenaeus.

CYRĒNĂĪCUS, a, um, adj. ad Cyrenen pertinens, ut *Cyrenaica provincia*, quae est Pentapolitana, quod quinque urbibus constat, quarum una Cyrene ei nomen dedit; est in ora Africae Boreali, ultra Syrtes, ubi hodie *Barcan. Plin.* 5, 5, 5. et *Cyrenaica Africa*, idem ille tractus, *Id. ib.* et *Cyrenaicus ager, ib.* et *Cyrenaica* absolute, *Id.* 10, 29, 41. ℙ *Lacrima Cyrenaica*, cujus meminit *Scrib. Comp.* 167., est laser, seu laserpitii succus, cujus ea regio fertilis est. V. CYRENE. ℙ *Cyrenaica philosophia*, secta fuit eorum, qui omnia voluptate metiebantur, summumque in ea bonum collocabant: orta ab Aristippo, cui patria fuit Cyrene: unde ejus sectores *Cyrenaici* dicti sunt. *Cic. Off.* 3, 33., *Or.* 3, 17., *Tusc.* 3, 13. et 22. et *Acad.* 4, 24. et 42.

CYRĒNĒ, es, et Cyrenae, arum, f. *Κυρήνη*, urbs primaria regionis Cyrenaicae, quae ab ea nomen accepit, in regno, quod nunc *Barcan* dicitur, versus Syrtim magnam, ad oram litoralem: ita dicta a fonte Cyre, vel a Cyre monte, ubi ille fons oritur: vel a Cyrene, filia Penei fluminis Thessaliae, quam Apollo raptam huc transtulit. *Pl. Rud. prol.* 41. Is eam huc Cyrenas advexit. *V. Just.* 13, 7., *Sil.* 8, 57. et *Serv.* ad *G.* 4, 317. ℙ In ejus tractu primum repertum est laserpitium, cujus succus *laser* dicitur, *Plin.* teste 19, 3, 15. Hinc *Catull.* 7, 4. laserpiciferas Cyrenas dixit. ℙ Est etiam hoc nomine fons in Thessalia. *Serv.* ad *G.* 4, 354. ℙ Prima syllaba, quae corripitur a *Catullo l. c.*, producitur a *Virg. cit. G.* 4, 353. a *Lucano* 9, 297. et *Sil. l. c.*

CYRĒNENSIS, e, adj. gentile a Cyrene. *Pl. Rud.* 3, 2, 1. Proh! Cyrenenses populares. *Id. ib.* 3, 4, 8. Cyrenensis senatus. *Cic. Agr.* 2, 19. Cyrenenses agri.

CYRĒUS, a, um, adj. a Cyro. *Cic. Att.* 4, 10. Nostram ambulationem, et laconicum, eaque, quae Cyrea sint, velim invisas, *h. e.* quae a Cyro quodam architecto constructa.

[CYRĬĂCUS, i, m. *κυριακός*, dominicus, ad dominum pertinens. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 890, 6. T. Aelius Cyriacus. *F.*]

[CYRILLUS, a, um, dimin. cyrii, idest domini, a *κύριος*, dominus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 783, 6. T. Glavius Cyrillus. Alia ap. *eund.* 704, 7. Nonia Cyrilla. *F.*]

[CYRĬODORUS, i, m. domini donum, a *κύριος*, dominus, et *δῶρον*, donum. Est cogn. Rom. *Inscr* ap. *Fabrett.* p. 220. *n.* 582. Q. Kamilius Cyriodorus. *F.*]

[CYRĬUS, a, um, adj. *κύριος, ία, ιον*, dominus, domina, dominum. Est cogn. Rom. *Inscr.* apud *Mur.* 1410, 3. Titius Cyrius. Alia ap. *Fabrett.* p. 305. *n.* 304. Symphoro fecit Cyria. *F.*]

CYRNE, es, f. *Κύρνη*, insula eadem quae Corsica, Graeca appellatione. *Serv.* ad *Ecl.* 9, 30. Sed a *Plin.* 3, 6, 12. Cyrnos, *Κύρνος*, dicitur. Sic in epigrammatis quae tribuuntur *Senecae Consol. ad Helv.* Corsica, quae Grajo nomine Cyrnus eras.

CYRNĔĂ. V. HIRNEA.

CYRNĔĀRĬUS, ii, m. fortasse est qui cyrneas, seu hirneas facit, et vendit. *Inscr.* ap. *Grut.* 643, 2. T. Flavio Aug. liberto Epaphrodito cyrneario a Vic. Pub. etc.

CYRNĔUS, a, um, adj. a Cyrne insula, *h. e.* Corsica. *Virg. Ecl.* 9, 30. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos. *Senec. l. c. in* CYRNE. Cyrnea tellus. ℙ Scribitur et *Cyrnaeus.*

CYRNĬĂCUS, a, um, adj. Cyrneus. *Rutil. itin.* 1, 516. Inter Pisanum, Cyrniacumque latus.

CYRNOS et CYRNUS. V. CYRNE.

CYRRHA. V. CIRRHA.

[CYRRHESTAE, arum, m. plur. incolae Cyrrhi, oppidi Coelesyriae, inter Commagenam, Seleucidem, Euphratemque fluvium, de quo *Plin.* 5, 23, 19. *Id.* 4, 10, 17. Intus Aloritae, Vallaei, Phylacaei, Cyrrhestae. *F.*]

[CYRRHESTĬCĀ, ae, vel Cyrrhesticē, es, regio Cyrrhestarum. *Cic. Att.* 5, 18. Hostis in Cyrrhestica, quae Syriae pars proxima est provinciae meae. *Plin.* 5, 23, 19. Cyrrhestice Cyrrhum, Gazatas, Gindarenos, Gabenos habet. *F.*]

[CYSTHOS, i, m. *κύσθος*, pudendum muliebre. *Auson. epigr.* 123. Dum cysthon, costonque putas communis odoris. *Cysthon* est accusat. Graecae positionis. *F.*]

CYTAEAEUS, a, um, adj. ad Medeam, vel veneficam quamvis pertinens. V. CYTAEIS. *Prop.* 1, 1, 23. Tunc ego crediderim vobis, et sidera, et amnes Posse Cytaeaeis ducere carminibus. Al. leg. *Cytaeinis* eodem sensu.

CYTAEĪNUS, a, um, adj. V. v. praec.

CYTAEIS, idis, f. patronym. a Cyta, vel Cytis urbe, quam *Plin.* 4, 12, 26. ponit in Taurica Chersoneso, alii in Colchide, ajuntque fuisse patriam Medeae. Certe quidem ad sagas, et venefi cas, (inter quas insignis Medea fuit) refertur in illo *Prop.* 2, 1, 73. Non hic herba valet: non hic nocturna Cytaeis. ℙ Scribitur et *Cithaeis.*

CYTAEUS, a, um, adj. ad Cytam, vel Cytas urbem pertinens, de qua V. in v. praec. *Val. Fl.* 6, 693. Tum juvenem terris Parcae tenuere Cytaeis, *h. e.* in Colchide. Et *ib.* 595. Proceresque Cytaeos, *h. e.* Colchos. Et absolute *ib.* 428. Minae, sparsisque Cithaei. ℙ Scribitur et *Cithaeus*, et *Cyteus.*

CYTHĔRA, orum, n. plur. nunc *Cerigo*, *Κύθερα, τὰ*, insula maris Aegaei, antea Porphyris appellata, in ora Peloponnesi, cum urbe cognomine, et portu *Plin.* 4, 12, 19. Narrant Venerem primum in hanc insulam concha marina vectam fuisse. *Virg. A.* 1, 684. super alta Cythera. *Ov. Fast.* 4, 286. Veneri sacra Cythera petit. Adde *Amor.* 2, 17, 4. et *Val. Fl.* 8, 229. ℙ Ipsa quoque Venus *Cythera*, *ae* dicitur. *Manil.* 2, 439. Lanigerum Pallas, Taurum Cythera tuetur. Ubi adverte prim. syllab. productam. ℙ Item ipsa insula. *Tac. A.* 3, 69. Ut Cytheram potius concederet. Al. leg. *Cythnum.*

CYTHĔRĒA, ae, f. *Κυθήρεια*, et *Κυθήρεια*, Venus ita dicta ab insula Cytheris, in quam primum, teste *Festo*, devecta esse dicitur concha, cum in mari esset concepta. Est autem vox adjectiva. *Hor. Od.* 1, 4, 5. Jam Cytherea choros ducit Venus. *Prop.* 2, 11, 25. Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna. ℙ Aliquando secunda a prima syllaba producitur. *Ov. Fast.* 4, 15. Mota Cytherea leviter mea tempora myrto Contigit. Al. leg. *Cytheriaca*, qua in voce necessitas quaedam est producendi.

CYTHĔRĒĬAS, ădis, f. adj. ad Venerem pertinens. *Ov. Met.* 15, 385. Armigeramque Jovis, Cythereiadasque columbas, *h. e.* quae Veneris currum trahunt. Al. leg. *Cytheriadasque* minus recte.

CYTHĔRĒIS, ĭdis, f. *Κυθερηΐς*, Venus a Cytheris insula. *Ov. Met.* 4, 288. puerum diva Cythereide natum.

CYTHĔRĒĬUS, a, um, adj. ad Cythera, et Cytheream pertinens, *Κυθερεῖος*. *Ov. Met.* 10, 529. non jam Cythereia curat Litora, *h. e.* Cythera insulam. *Id. Fast.* 4, 195. Mensis Cythereius, *h. e.* Aprilis Veneri sacer. *Id. Met.* 13, 625. heros, *h. e.* Aeneas filius Veneris. *Stat. Theb.* 4, 554. Cythereia proles, *h. e.* Hermione filia Martis et Veneris, uxor Cadmi. *Sil.* 12, 247. Cythereius ignis, *h. e.* hesperus seu lucifer stella Veneris. ℙ *Cythereia* absolute est Venus. *Ov. Met.* 10, 640. Invocat Hippomenes: Cythereia comprecor ausis Adsit, ait, nostris.

CYTHĔRĬĀCUS, a, um, adj. idem quod Cythereius. *Ov. Her.* 7, 60. Nuda Cytheriacis edita fertur aquis. *Mart.* 14, 207. Sume Cytheriaco medicatum nectare ceston. *Id.* 2, 47. Levior o Conchis, Galle, Cytheriacis, *h. e.* quibus mari vehitur Venus. *Nero Caesar* ap. *Senec. Q. N.* 1, 5. Colla Cytheriacae splendent agitata columbae, *h. e.* quae Veneri sacra est.

[CYTHĔRIS, idis, f. patronymicum a *Κυθήρη*, Venerea. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 766, 3. Tarcia Cytheris. Alia ap. *eund.* 992, 3. Rusticella M. L. Cytheris. *F.*]

CYTHĔRĬUS, a, um, adj. *Cic. Att.* 15, 22. M. Antonium appellat Cytherium propter Cytheridem mimam meretricem, P. Volumnii Eutrapeli libertam, quam adamabat: quae eadem putatur atque Lycoris *Virg. Ecl.* 10., ex *Serv. in.* ejusd. *Eclogae:* sed vide *Heynium* in argumento ejusd.

[CYTHĬON, ii, m. *κύθιον*, collyrium quoddam ap. *Cels.* 6, 6. *n.* 7. In quibusdam editionibus Graece scribitur. *F.*]

CYTHNOS et Cythnus, i, f. *Κύθνος*, insula maris Aegaei, ap. Atticam, et Euboeam, inter Ciam, et Seriphum. *Plin.* 4, 12, 22.

CYTĬNUS, i, m. *κύτινος*, primus partus mali Punici florere incipientis, *h. e.* calyx, in quo flos et malum latet: a *κύτος*, cavitas, cavus sinus. *Plin.* 23, 6, 59.

CYTIS, is, f. *κύτις*, gemma candida circa Copton nascens, quae videtur intus habere petram, quae sentiatur etiam strepitu: a *κύτος*, cavitas. *Plin.* 37, 10, 56.

CYTĬSUS, i, m. et f. et Cytisum, i, n. *κύτισος*, (*Medicago arborea Lin.*) genus fruticis, qui nascitur inter campos, et silvas, pabulo pecudum, maxime vero ovium et caprarum conveniens, apibus etiam gratissimus. Multa de eo *Colum.* 5, 12. et *Plin.* 13, 24, 47. *Virg. Ecl.* 1, 79. Florentem cytisum, et salices carpetis amaras. *Colum.* 2, 11. Excepta cytiso, de qua dicemus. *Id.* 5, 12. Cytisum in agro esse maxime refert, quod omni genere pecudum utilissimus est. *Cato R. R.* 43. Cytisum seritur in terra subacta. *Varr. R. R.* 2, 2. *f.* Maxime amicum cytisum, et medica.

CYTONĬUM. V. COTONEUM.

CYTORĬĀCUS et Cytōrius, a, um, adj. a Cytoro monte. *Ov. Met.* 6, 132. Utque Cytoriaco radium de monte tenebat. *Catull.* 4, 11. nam Cytorio in jugo Loquente saepe sibilum edidit coma.

CYTORUS, i, m. mons in Paphlagonia (teste *Plin.* 6, 2, 2.) buxo abundans, *Virg. G.* 2, 437. Et juvat undantem buxo spectare Cytorum.

CYZĬCĒNUS, a, um, adj. ad Cyzicum pertinens. *Vitr.* 6, 10. Cyzicena triclinia. *Plin.* 32, 6, 21. Cyzicena ostrea. *Id.* 5, 32, 44. Cyzicenum marmor. V. PROCONNESIUS. ℙ *Cyziceni*, *orum*, sunt ejus urbis cives. *Cic. Manil.* 8. Urbs Asiae clarissima Cyzicenorum.

CYZĬCUS, i, f. et Cyzicum, i, n. *Κύζικος*, urbs Mysiae, in Asia, in insula cognomine, paene continenti juncta, ad Propontidem, et ostium Aesapi fl., cum moenibus, arce et turribus marmoreis, magnitudine, et pulcritudine cum primis Asiae urbibus olim comparanda: condita ab Aeneo Thessalo Cyzici patre, et ab hoc nominata, quem Iason per imprudentiam occidit, ut est ap. *Val. Fl.* 3. *Ov. Trist.* 1, 10, 29. Hincque Propontiacis haerentem Cyzicon oris, Cyzicon, Aemoniae nobile gentis opus. *Plin.* 5, 32, 40. Insula, in qua oppidum Milesiorum Cyzicum. *Auct. Priap.* 77. Cyzicus ostreosa. *Prop.* 3, 20, 1. frigida.

FINIS TOMI PRIMI.


Grauskala #13
C
Y
M
B.I.G.
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19
Inches
Centimetres
Farbkarte #13
B.I.G.
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

II.6881

1889. II
Ag. —